UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Totius Latinitatis lexicon

secundum tertiam editionem, ..., correctum et auctum labore variorum

Forcellini, Egidio

Schneebergae, 1835

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1655

Visual Library

TOTIUS LATINITATIS

LEXICON

CONSILIO ET CURA

JACOBI FACCIOLATI

OPERA ET STUDIO

AEGIDII FORCELLINI

ALUMNI SEMINARII PATAVINI LUCUBRATUM.

SECUNDUM TERTIAM EDITIONEM

CUJUS CURAM GESSIT

JOSEPHUS FURLANETTO

ALUMNUS EJUSDEM SEMINARII,

CORRECTUM ET AUCTUM

LABORE VARIORUM.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA
CUM PRIVIL. REG. SAXON.

TOMUS QUARTUS.

SCHNEEBERGAE
SUMPTIBUS ET TYPIS C. SCHUMANNI.
MDCCCXXXV.

(CHARTA EX OFFICINA BOHNENBERGERI ET SOC. PFORZHEM.)

OTIUS LATINITATIS

LEXICON

CAROLO ET CURA

JACOBI FACCIOLATI

OPERA ET STUDIO

AEGIDII FORCELLINI

ALUMNI SEMINARII PATAVINI LUCUBRATUM.

SECUNDUM TERTIAM EDITIONEM

CUIUS CURAM GESSIT

JOSEPHUS FURLANETTO

ALUMNUS EIUSDEM SEMINARII.

CORRECTUM ET AUCTUM

LABORE VARIORUM.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA

CUM PRIVIL. REG. SAXON.

TOMUS QUARTUS

SCHNEEBERGAE

[illegible]

[illegible]

S

S Littera semivocalis (quia ejus appellatio *es* a vocali incipit, et ipsam desinit) sibilum quendam sono exprimit. Unde *Messala* ap. *Capell.* 3, 55. non litteram, sed sibilum esse dixit. Praeponitur ac subjicitur omnibus vocalibus, et ex consonantibus *c*, *p*, *q*, et *t*, et in quibusdam peregrinis vocibus etiam *m*; ut *scabies*, *scio*, *scribo*, *spero*, *squalor*, *sto*, *strenuus*, *Smyrna*, *smaragdus:* postponitur *b*, *p*, et *r*, ut *scrobs*, *princeps*, *pars*, *sors:* geminatur in medio, quemadmodum ceterae, ut *cassus*, *possum*: mutatur in *r* in medio vocum, ut *Valerius*, *Furius*, *Papirius*, *ara*, *dari*, et alia ap. *Varr. L. L.* 6, 3. pro *Valesius*, *Fusius*, *Papisius*, *asa*, *dasi*, etc., quod olim dicebant, teste *Cic. Fam.* 9, 21. *Quint.* 1, 4., *Macr. Sat.* 3, 2. et *Fest.* in *Aureliam*, et in *Dasi*: et in fine, ut *arbor*, *honor*, *labor*, *vapor*, etc., quod olim *arbos*, *honos*, *labos*, *vapos:* quae hodieque interdum in usu sunt, praesertim in carmine. V. initium litterae *R.* Ciceronis temporibus, inquit *Quint.* 1, 7., paulumque infra, fere quoties media vocalium longarum, vel subjecta longis esset, geminabatur, ut *caussae*, *cassus*, *divissiones:* quo modo et ipsum, et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent. Atqui paulum superiores etiam illud, quod nos gemina *s* dicimus *jussi*, una dixerunt *jusi.* Haec *Quint.* ℙ Eandem in fine dictionis elidebant. *Cic. Or.* 48. *med.* Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in *optumus*, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi, ita enim loquebamur: *qui est omnibu' princeps*, non *omnibus princeps:* et *vita illa dignu' locoque*, non *dignus.* Haec *Cic.* Plura dabit hac de re exempla *Gell.* 12, 4. ex *Ennio.* Sed et in aliis positionibus id factitabant, ut notat *Quint.* 9, 4. *med.*, tristioris soni vitandi causa. Sic *Enn.* ap. *Fest.* in *Genas*, et in *Sultis.* Pandite, sulti', genas, et corde relinquite somnum. *Id.* ap. *eund.* in *Sas.* Virgine' nam sibi quisque domi Romanus habet sas. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 404. Sublatus pudor omni', licentia, fenu' refertur. ℙ In notis est *suus*, *sibi*, *Sextus* praenomen, *Senatus*, etc. S. C. senatusconsultum: S. A. D. sub ascia dedicavit: S. I. M. Soli invicto Mithrae: S. P. sua pecunia: S. T. T. L. sit tibi terra levis: et alia, quae in litteratis lapidibus occurrunt. [*V. *Orell. ind. not.* corpori inscriptionum latt. adjunctum.] ℙ Est etiam nota silentii. V. SILEO. ℙ [*Confund. *s* et *c*. V. *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 5, 44. *ed. Web.* — et *f. Cort. ib.* 4, 635. — et *x. Id. ib.* 8, 153. *Gronov. observv.* 3, 4. p. 226. *ed. Fr.* — *ss* et *x. Mart. Lag.* ad *Lucan.* 1, 547. et *Cort. ib.* 2, 618. — *S* et *r*. V. *Spalding.* ad *Quint.* 2. p. 449. crit. *Gron. Observv.* 1, 15. p. 68. *ed. Fr.* — *S* et *b. Beier.* ad *Cic. fragm.* 48. *b.* 264.]

S A

SĂBĂDĬĂ Sacra. V. SABAZIUS.

SĂBAEUS, a, um, adj. Σαβαῖος, ad Sabam pertinens, quae est regio et urbs Arabiae Felicis inter Arabicum et Persicum mare, nobilis proventu odorum, et praecipue turis. Ipsa urbs Mariaba, Μαριάβα, dicitur a *Plin.* 6, 28, 32. *med.*, ab aliis Saba, Σάβη, unde nomen. *Virg. A.* 1, 420. centumque Sabaeo Ture calent arae. *Sen. Herc. Oet.* 792. Splendescat ignis ture, quod Phoebum colens Dives Sabaeis colligit truncis Arabs. *Colum.* 10, 262. Sabaeus odor. *Stat. Silv.* 4, 8, 1. templa Sabaeis nubibus imple, *h. e.* vaporibus turis incensi. *Claud. Laud. Stil.* 1, 58. Turis odoratae cumulis, et messe Sabaea Pacem conciliant arae. *Id. de Phoenice*, 43. Sabaeus cumulus, *h. e.* rogus ex foliis et virgulis arborum odoriferarum. *Sen. Herc. Oet.* 376. Sabaea myrrha. *Val. Fl.* 6, 709. Et gravidae maduere comae, quas rore Sabaeo Nutrierat, *h. e.* myrrha, aut nardo. Alii leg. *flore.* ℙ [*Sabaei*, *orum*, sunt ipsi populi. *Plin.* 12, 14, 30. In medio Arabiae sunt Atramitae, pagus Sabaeorum in monte excelso, a quo octo mansionibus distat regio eorum turifera, Saba appellata. *Virg. G.* 2, 116. sola India nigrum Fert ebenum: solis est turea virga Sabaeis. Sic *ib.* 1, 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabaei. *F.*] ℙ *Sabaeos in India meminit, exiguae auctoritatis auctor, *Jul. Valer.* 3, 23. *rer. gest. Alex. M.* ed. *A. Maio. B. A.*

SABAĬA, [seu Sabaja, ae, f. et Sabajum, i, n. cerevisia, *F.*] potio quaedam ex hordeo vel frumento aqua macerato: [videtur esse ab Hebr. סָבָא *sabà*, potavit: unde etiam *zabajon* vulgo ap. nostrates *F.*] *Ammian.* 26, 8. de Valente Aug.: Injuriose compellabatur ut sabaiarius. Est autem sabaia ex hordeo, vel frumento in liquorem conversis pauperlinus in Illyrico potus. [*Hieron. in Isaj.* 7, 19, 10. Notandum, quod שֵׁכָר LXX. ξῦθον transtulerunt, quod genus est potionis ex frugibus aquaque confectum, et vulgo in Dalmatiae Pannoniaeque provinciis gentili barbarorum sermone appellatur sabajum. Hoc maxime utuntur Aegyptii. *F.*]

SABAĬĀRĬUS vel Sabajarius, ii, m. qui sabaiam conficit, vel potat. V. *Ammian. l. c.* in v. praec.

[SĂBĂĪTIS, ĭdis, f. patron. ad Sabam, Sabaeorum in Arabia regionem, pertinens, de qua pluries mentio est in sacris Litteris. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. med.* Australis reginae Sabaitis gaza. *F.*]

SABĂNUM, i, n. σάβανον, σαβάνιον, vox peregrina, et, si *Isidoro Or.* 19, 26. *med.* credimus, Graeca; si aliis, Hispanica, ut est ap. *Jo: Rhod de acia c.* 14. Est autem linteum, pannus ad tergendum, aut fricandum, aut tegendum involvendumve. *Pall.* 7, 7. Nunc mella conficimus, congestis in mundissimum sabanum favis, ac diligenter expressis. *Apic.* 6, 2. Cum cocta fuerit, sabano calido involves gruem. *Veg. Vet.* 3, 47. *f.* Animal exercetur, dum sudet: post sabanis validioribus abstergetur. *Pelag. Vet.* 17. *med.* Aegrum exercemus usque ad sudorem, sudorem sabanis detergentes diligenter. *Marcell. Empir.* 26. *med.* Melius erit, si hanc potionem post balineum, in sabanis adhuc constitutus, acceperit, *h. e.* in linteis, quibus loti involvuntur exsiccandi causa, antequam vestes resumant. ℙ Legitur et *savanum.* ℙ *V. *Cujac. Observ.* 9, 1. et *Cangium* in utroque Glossario. *B. A.*

SĂBAOTH, צְבָאוֹת, σαβαὼθ, exercitus, militiae, virtutes: nomen Hebraicum indecl. gen. fem. et num. plur. a sing. צָבָא *zabà*, exercitus. *Prud. Cath.* 4, 7. Hic est, quem Sabaoth Deum vocamus. *Id. Apoth.* 901. Est impossibile spectare profunda Sabaoth, *h. e.* Dei exercituum, vel Dei potentis. Priore loco paenultimam corripit, posteriore producit.

*SABARBĂRES, um, Numidiae populi, quorum meminit *Plin.* 5, 4. *B. A.*

[SABARĬENSIS, seu Savarĭensis, e, adj. ad Sabariam seu Savariam pertinens, urbem Pannoniae, nunc *Sarwar* in *Ungheria*, cujus ita meminit *Plin.* 3, 24, 37. Colonia Divi Claudii Sabaria; et *Sex. Aur. Victor. Epith.* 19. In Pannoniae Sabaria Septimius Severus creatur Augustus. *Inscr.* ap. *Mur.* 88, 7. Heliodrus Aug. N. villicus stationis Savariensis. *F.*]

*SABĂTA, oppidum Assyriae. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*SABĂTE, es, f. oppidum Hetruriae cum portu cognomine. *Tab. Peut.* V. *Sabatinus*, *a*, *um. B. A.*

*SABATHA, Arabiae Felicis oppidum. *Plin.* 6, 28. ℙ Probabile est, idem oppidum fuisse, quod postea *Sabota* appellatum. *B. A.*

SĂBĂTIA Vada, opp. Liguriae maritimum, a *Plin.* 3, 5, 7. memoratum: [idem nunc *Savona* est *Cluver. Ital. ant. l.* 1. *c.* 9., alii *Vadi* esse putant. *F.*] ℙ *Sabatia stagna* ap. *Sil.* 8, 490. sunt lacus Sabatinus in Etruria.

*SABATINCA, ae, f. opp. Norici. *Anton. Itin. B. A.*

SĂBĂTĪNUS, a, um, adj. a Sabate lacu, vel opp. Etruriae, ut Sabatinus ager, ap. *Colum.* 8, 16. *di Bracciano.* ℙ Sabatina tribus fuit in Etruria, facta a censoribus ann. U. C. CCCLXIX., et sic dicta ab eodem Sabate lacu, vel oppido. *Liv.* 6, 5. *extr.* et *Festus. Inscr.* ap. *Grut.* 636, 7. L. Junio L. F. Sabatina Pollioni, etc. et 379, 1. Sex. Caecilio Sex. F. Sab. Senecioni, etc. et 84, 4. C. Nunnius C. F. Sa. Furio. ℙ Sabatinus lacus, *lago di Bracciano*, ap. *Frontin. Aquaed.* 71. ℙ [*Sabatini*, *orum*, sunt incolae urbis, quae fortasse *Sabatium*, ut putat *Cluver. Ital. ant. l.* 4. *c.* 8., vel accolae Sabati fluvii in Campania. *Liv.* 26, 33. Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt, etc. *F.*]

SĂBAZĬA, orum, n. plur. sacra in honorem Bacchi tertii, qui Asiae rex fuit. *Cic. N. D.* 3, 23. V. v. sq.

SĂBAZĬUS, ii, m. Σαβάζιος, cognomen Bacchi tertii: ἀπὸ τοῦ σαβάζειν, bacchari. *Cic. Leg.* 2, 15. Videtur esse idem, qui *Sebadius* a *Macr.* dicitur *Sat.* 1, 19. ℙ Item Jovis ap. Cretenses, et Phrygas. *Inscr.* ap. *Grut.* 22, 6. Jovi Sabazio Q. Nunnius Alexander V. S. L. M. Adde *ib.* 4. et 5. et *Val. Max.* 1, 3. *n.* 3. ℙ Huic *Sabazia*, vel, ut est ap. *Arnob.* 5, 170., *Sabadia sacra*, vel *Savadia sacra*, ut est in *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 7., sunt instituta: in quibus aureus coluber, ut verbis utar *Arnobii*, in sinum dimittebatur consecratis, et eximebatur rursus ab inferioribus partibus atque imis. Idque ob fabulam a Phrygibus confictam, quam *Idem* narrat, qua dicitur Juppiter sub specie tauri ipsam matrem Cererem temerasse, et Liberam seu Proserpinam genuisse: hanc quoque sub forma draconis inceste contrectasse, et taurum genuisse: (*h. e.* Liberum specie tauri:) unde Tarentinus notusque senarius: Taurus draconem genuit, et taurum draco.

SABBĂTĀRĬUS, a, um, adj. ad Sabbatum pertinens. *Sidon. ep.* 1, 2. *med.* De luxu autem illo Sabbatario narrationi meae supersedendum est, *h. e.* qui in conviviis paulo largior est Sabbatis, seu diebus festis, quam profestis. ℙ *Sabbatarii*, *orum*, sunt ipsi Judaei, qui Sabbata servant. *Mart.* 4, 4. Quod jejunia Sabbatariorum, etc. [*Emendavit hunc locum *F.*]

SABBĂTISMUS, i, m. Sabbati observatio, σαββατισμός. *August. C. D.* 22, 30. *f.* [Iste sabbatismus evidentius apparebit, quoniam septimus invenitur. Adde *Hieron. ep.* 140. *n.* 8. *F.*]

SABBĂTIZO, as, a. 1. Sabbatum colo, servo. *Tert. Adv. Jud.* 2. *f.*

SABBĂTUM, i, n. שַׁבָּת, *sabbàth*, requies, καταπαυσις, σάββατον, septimus quisque dies uniuscujusque hebdomadae, ap. Hebraeos, quem Ethnici Saturni diem nominaverunt: a שָׁבַת *sabàth*, requievit: quasi dies quietis. Nam hoc die Judaei ab omni opere feriantur, Deum mundi architectum imitati, quem sacrae Litterae tradunt, confecta sex diebus mundi machina, eaque exornata, septima die quievisse, idest a novis rebus creandis cessavisse. *Justin.* 36, 2. falso scribit, Mosen instituisse, ut Sabbatum in omne aevum jejunio sacraretur. Hanc opinionem habebant Romani: et fortasse aliquando, gliscente Judaeorum superstitione, vera fuit. Ceterum ab initio Sabbatis quies operum, non ciborum abstinentia, a Deo indicta est. *Augustus* ap. *Suet. Aug.* 76. Ne Judaeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi. *Petr. fragm.* p. 686. *Burm.* Et non jejuna Sabbata lege premet. *Sen. ep.* 95. *med.* Accendere aliquem lucernam Sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, et ne homines quidem delectantur fuligine. ℙ *Tricesima Sabbata* ap. *Hor. Sat.* 1, 9, 69. sunt primus dies cujusque mensis, seu neomenia, vel magnum Sabbatum Paschale, quod tricesimum erat, incipiendo annum a Septembri. [V. *Acron.* ad *Hor. l. c. F.* *Recte observ. *Heindf.* ad h. l. in tanta Romanorum ignoratione omnium earum rerum, quae ad sacra Judaeorum pertinuerint, extra omnem dubitationem nondum videri positum, certus ipsorum festus dies a poeta significetur, necne. Alias virorum doctt. sententias v. ap. ipsum.] ℙ *Sabbata* interdum sunt quaecumque Judaeorum festa. *Juven.* 6, 158. Observant ubi festa mero pede Sabbata

reges. *Pers.* 5, 184. recutitaque Sabbata palles. *Ov. R. Am.* 219. nec te peregrina morentur Sabbata, nec damnis Allia nata suis. ℙ Sunt qui scribunt *Sabbathum* Hebraicis litteris inhaerentes: Graeci nullam adspirationem admittunt.

SĂBELLICUS, a, um, adj. ad Sabellos, vel Sabinos pertinens, a quibus Sabelli originem trahunt. *Virg. G.* 3, 255. Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 3. Sabellico generi caulium usque in admirationem crispa sunt folia, quorum crassitudo caulem ipsum extenuat: sed dulcissimi perhibentur ex omnibus. Adde *Colum.* 10, 137.

SĂBELLUS, a, um, adj. ad Sabinos pertinens. *Virg. G.* 2, 167. Haec genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam, etc. *Id. A.* 7, 665. Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello. *Hor. Sat.* 1, 9, 29. Sabella anus. (Sabinae mulieres sagae, et divinae habebantur.) *Id. Epod.* 17, 28. Sabella pectus increpare carmina. *Id. Od.* 3, 6, 37. rusticorum mascula militum Proles, Sabellis docta ligonibus Versare glebas. *Juven.* 3, 169. Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam, *h. e.* parcam et oleribus instructam, qualis fuit Sabinorum victus. ℙ *Sabelli, orum*, ap. *Plin.* 3, 12, 17. sunt populi Samnii a Sabinis oriundi: et videntur esse illi, quos memorat *Hor. Sat.* 2, 1, 36. Quos vero *Colum.* 10, 137. duros Sabellos appellat, iidem sunt ac Sabini. Adde *Varr.* ap. *Serv.* ad *G.* 2, 167. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 16, 2. Cattia C. L. Sabella. *Mart.* 12, 43. memorat Sabellum quendam, obscenum poetam sui temporis. *F.*]

*SABIDĬUS, i, m. vir Romanus, gulae adeo deditus, ut plus voraret quam posset concoquere: quocirca ita foetebat halitus ejus, ut nemo posset cum eo loqui. Is est quem *Martial. ep.* 1, 33. insectatur: Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere, non amo te. Quod sic, mutato nomine, optime vertit Anglus nescio quis: *I do not like thee, Doctor Fell; The reason why I cannot tell: But this indeed I know full well, I do not like the, Doctor Fell.* Adde 3, 17. *B. A.*

SĂBĪNA, ae, f. βράθυ, herba seu frutex duorum generum, altera tamarici similis folio, altera cupresso, quare quidam Creticam cupressum dixerunt. Seritur propagine, et avulsione. Folia ei nunquam decidunt. Haec ex *Plin.* 16, 20, 33., 17, 13, 21. et 24, 11, 62., ubi et ejus utilitates recenset: et praecipue quod a multis in suffitus pro ture assumitur. Hinc *Virg. Cul.* 403. Herbaque turis opes priscis imitata Sabina. Alii leg. *Sabinis. Ov. Fast.* 1, 343. Tura nec Euphrates, nec miserat India costum, Nec fuerant rubri cognita fila croci. Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis. Adde *ib.* 4, 741. et *Prop.* 4, 3, 58. [*Iuniperus Sabina, L. *Saebenbaum, Sadebaum.*]

[SĂBĪNAEUS, a, um, adj. ad Sabinos pertinens. Est cogn. *R. Inscr.* ap. *Mur.* 1237, 1. M. Abenna Sabinaeus. *F.*]

SĂBĪNE, adv. Sabinorum more, vel lingua. *Varr. L. L.* 4, 32. *f.* Cyprum Sabine bonum. V. CYPRIUS.

[SĂBĪNENSIS, e, adj. idem ac Sabinus. *Inscr.* ap. *Grut.* 992, 10. Q. Sallustii Q. L. Salvi *(uxor)* Sallustia Q. L. Myrrine Sabinenses.]

SĂBĪNI, orum, m. plur. pop. Italiae dicti a Sabo filio Sanci, qui a Saturno ejectus est. *Sil.* 8, 421. laeti pars Sancum voce canebant, Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant, Sabe, tuas, qui de proprio cognomine primus Dixisti populos magna ditione Sabinos. *Cato* ap. *Serv.* ad *A.* 8, 638. oriundos esse ait a Lacedaemoniis. Alias longius extendebantur, nempe ab Apennino ad Bor. usque ad Tiberim, et Anienem fl. ad Mer., ubi hodie Sabina provincia, pars orientalis Umbriae, et aliqua pars *dell' Abruzzo ulteriore.* Erantque divisi in duas partes Velino fl. Nunc Sabina regio, *la Sabina*, angustioribus restringitur limitibus, scil. Tiberi fl. ad Occ., *dall' Abruzzo ulteriore* ad Or., Aniene ad Mer., Nare, et Velino fl. ad Bor. *Festus* ex *Varr.* scribit, Sabinos dictos quasi *Sebinos*, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι τοὺς Θεούς, quod praecipui essent in cultu ac religione Deorum. Sic *Plin.* 3, 12, 17. Sabini, ut quidam existimavere, a religione et Deorum cultu Sevini appellati. V. *Silii l.* supra *c. Cic. Ligar.* 11. eos vocat fortissimos, florem Italiae, ac robur reipublicae. Iidem laudati sunt ob morum gravitatem, severamque vivendi disciplinam. Hinc *Liv.* 1, 18. tristem ac tetricam illis disciplinam tribuit, illoque genere nullum aliud incorruptius fuisse testatur. Hinc et *Mart.* 1, 63. Casta, nec antiquis cedens Laevina Sabinis; et *Juven.* 10, 298. sanctos licet horrida mores Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas. ℙ *Sabini quod volunt, somniant*, proverbium antiquum est, et inde manasse ait Sinnius Capito, quod quotiescumque sacrificium propter viam fieret, hominem Sabinum ad illud adhibere solebant: nam is promittebat se pro eis somniaturum: idemque postquam evigilasset, sacra facientibus narrabat omne quidquid in quiete vidisset, quod quidem esset ex sacrificii religione. Unde venisse videtur in proverbium, Sabinos solitos quod vellent, somniare. Sed quia propter aviditatem bibendi quaedam anus mulieres id somnium captabant, vulgatum est illud quoque; Anus quod vult, somniat: fere enim quod vigilantes animo volvimus, id dormientibus parere solet. Haec *Festus* ex lectione *Scaligeri.* ℙ [*Sabini* item sunt incolae Savii olim oppidi, nunc vici *Savallò*, in tractu, qui nunc *Val di Sabbio*, seu *Val Sabbia* dicitur in agro Brixiensi ad radices Alpium. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 100. Firmus Ingenui F. princeps Sabinorum, *h. e.* primarius civis illius oppidi. *F.*]

SĂBĪNIĂNUS, a, um, adj. Sectatores, et auditores Massurii Sabini JCti Sabiniani dicti sunt. *Ulp. Dig.* 24, 1, 11. et *Marcell. ib.* 41, 1, 11. Item libri ab eo conscripti. *Imp. Justin. Cod.* 3, 33, 17. et *ib.* 34, 14. etc. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1114, 3. L. Vibius Aug. Lib. Florus fecit Vibio Sabiniano, etc. *h. e.* L. Vibius Florus libertus Vibiae Sabinae Augustae, filiae L. Vibii et Matidiae Augustae, et Hadriani Aug. uxoris, fecit Vibio filio et liberto suo, cui Sabiniani cognomen datum fuit in honorem ejusd. Vibiae Sabinae amborum patronae. *F.*]

[SĂBĪNILLUS, a, um, adj. dimin. Sabini. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 438, 2. Sabinillus depositus, etc. Alia ap. *Fabrett.* p. 101. *n.* 233. Vettenia Sabinilla. *F.*]

SĂBĪNUS, a, um, adj. ad Sabinos, eorumque regionem pertinens. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Sabino bello, quod fuit Romulo et Tatio; et *ib.* 10. Sabina lingua; et *ib.* 5, 7. fana. *Mart.* 9, 55. silva; et 4, 4. faex, *h. e.* olei Sabini, quod ibi abunde provenit (unde bacciferum Sabinum *Sil.* 3, 596.), sed graveolens. *Cato R. R.* 70. Sabina herba. V. SABINA. ℙ [Est etiam cogn. R., ut M. Junius Sabinus in *Inscr.* Patavina ap. *Fabrett.* p. 485. *n.* 160., et Q. Mustia Sabina in alia, itidem Patavina, quam vide in QUINTUS. Hinc etiam *Sabina Augusta* uxor Hadriani Aug., quae, ut probat *B. Borghesius* in *Giorn. Arcad.* T. 42. p. 190., fuit ex gente Vibia. *F.*] ℙ De Massurio Sabino. V. MASSURIUS. ℙ A. Sabinus poeta Latinus, cujus nomine tres inscribuntur epistolae elegiaco carmine, tribus *Ovidii* epistolis respondentes, Penelopes, Phyllidis, et Oenones; creditur est quibusdam auctor aliquarum etiam ex ipsis *Ovidii* Heroidib. Ab aliis ne illarum quidem trium auctor putatur. Ejus meminit *Ovidius*, ut aequalis, *Am.* 2, 18, 27. ℙ *Sabinus, frater Vespasiani. *Suet. Vesp.* 1. ℙ *Pomponius Sabinus* scholia scripsit in Virgilium, sive antiquus sit, seu mediae aetatis Grammaticus, quod suspicati sunt doctissimi quidam viri. Ut ut illud sit, auctorem hunc multa a Grammaticis veteribus sumsisse, haud diffitendum est. *B. A.*

[SĂBIS, is, m. Sabaeorum Deus, cujus meminit *Plin.* 12, 14, 32. ℙ Item fluvius Belgii, qui nunc *Sambra;* ejus mentio est ap. *Caes. B. G.* 2, 16. et 18. *F.*] ℙ *Saba audit *Venant. Fortun.* 4, 7. ubi prior syllaba corripitur. ℙ Item fluvius Asiae ulterioris, in Carmania. *Mela* 3, 8. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*SABLONES, um, locus vel opp. Galliae Belgicae. *Ant. Itin. B. A.*

[SABORENSIS, e, adj. ad Saboram pertinens, Hispaniae Baeticae opp., nunc *Malaga Cannete. *Inscr.* ap. *Grut.* 164, 1. Imp. Caes. Vespasianus Aug. S. D. *(salutem dicit)* IIII viris et decurionibus Saborensibus. *F.*]

*SABŌTA, orum, opp. Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. Adde 12, 14. ℙ V. *Sabatha. B. A.*

*SABRACAE, arum, populi Indiae, quorum meminit *Curt.* 9, 8. *B. A.*

*SABRATA, opp. Africae, Syrti minori propinquum. *Plin.* 5, 4. Adde *Solin.* 27. *B. A.*

*SABRĪNA, ae, Britanniae fluvius, hodie *the Severn. Tac. A.* 12, 31. *B. A.*

[SABRĬO, onis, m. dimin. sabri, id est scabri. V. *Ducangii Glossar. med. et inf. Latin.* in V. *Saber. Inscr.* ap. *Oderic. Syllog.* p. 228. *n.* 79. L. Valerius Capitolinus fecit L. Valerio Sabrioni tatae suo. *F.*]

SĂBŪCUS. V. SAMBUCUS.

[SĂBŪLA, ae, m. *Vitr.* 2, 3. et *Plin.* 35, 14, 49 duplex distinguunt sabuli genus, masculum, qui dicitur sabulo; feminam, cujus terminatio ignoratur: probabiliter itaque fuit sabula, quo cognomine utitur L. Cossutius in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 197. *F.*]

SĂBŪLĒTUM, i, n. ψαμαθών, locus in quo sabulum abundat. *Plin.* 27, 8, 41. Crocodilion nascitur in sabuletis.

SĂBŪLO, onis, m. et Sabulum, i, n. ψάμμος, terra arenae similis, seu arena terrae, aut limo mixta. Nam arena tenuis est, minuta, et infecunda: sabulo crassior, humidior, et gignendis quibusdam seminibus utilis. *Varr. R. R.* 1, 9. In terra, quae est mixta, cum sint dissimili vi ac potestate partes permultae, in queis lapis, marmor, rudus, arena, sabulo, argilla, rubrica, creta, glarea, carbunculus. *Colum.* 4, 33. de castanea: Pullam terram, et resolutam desiderat; sabulonem humidum, vel refractum tofum non respuit. ℙ Duplex est, masculus et femina: haec soluta et mollis: ille densior, et durus. Itaque ex sabulone masculo duci possunt lateres pro aedificiis, ut *Vitr.* 2, 3. et *Plin.* 35, 14, 49. docent. ℙ Tria ejus genera enumerat *Plin.* 17, 4, 3. a colorum discrimine, album, nigrum, rubrum. *Colum.* 3, 11. *f.* Jejunus sabulo inimicissimus est viti; et *mox:* Nigrum tamen et rutilum sabulonem, qui sit humidae terrae permixtus, probaverunt antiqui. *Varr. R. R.* 1, 9. *med.* In sabulosa terra refert, sabulo albus sit, an rubicundus: quod subalbus ad serendos surculos alienus, contra rubicundior appositus. *Plin. cit.* 17, 4, 3. Sabulum album in Ticinensi infecundum est. *Id.* 31, 3, 28. Sabulum exiles limosasque *(aquas)* promittit. Sic *Pall.* 9, 8. Sabulo solutus exiles *(venas creabit)*, insuaves, limosas. *Vitr.* 8, 1. *med.* Sabulone masculo, arenaque, et carbunculo certiores et stabiliores sunt aquarum copiae, eaeque sunt bono sapore. ℙ *Sabulum* pro arena. *Plin.* 36, 25, 63. Spisse calcatis carbonibus pavimentum inducitur, sabulo, calce, ac favilla mixtis. *Curt.* 7, 4. *med.* Magnam partem terrae steriles arenae tenent, etc. cum vero venti spirant, quidquid sabuli in campis jacet, converrunt. ℙ Instrumentum musicum, vel plectrum, quo pulsatur. *Appul. Flor. n.* 15. Dextera psallentis gestu suo sabulum citharae admovet. Alii rectius leg. *pulsabulum.* ℙ *Sabulo*, qui instrumentum musicum pulsat. *Macr. Sat.* 2, 1. *med.* Haec nobis sit litterata laetitia, et docta cavillatio, vicem planipedis et sabulonis impudica et praetextata verba jacientis, ad pudorem ac modestiam versus imitata. Alii leg. *subulonis*, alii *fabulonis.*

SĂBŪLOSUS, a, um, adj. ψαμμώδης, sabulo abundans. *Plin.* 13, 4, 6. Levis et sabulosa terra. *Id.* 21, 29, 103. Herba sabulosis apricis nascens. *Vitr.* 2, 3. Sabulosum lutum.

[*SĂBŪRA et Sabbura, ae, m. nomen viri propr. ap. Numidas. V. *Lucan.* 4, 722. *Sil.* 15, 444. *Caes. B. C.* 2, 38. et *bell. Afr.* 48. *Prisc.* p. 567. *ed. Kr.* Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 400. sq.]

SĂBURRA et Sabura, ae, f. ἔρμα, ἔρμασμα, sabulum, et quidquid in sentinam navis certa mensura congeritur, ne instabilis sit, et ventorum vi evertatur. *Liv.* 37, 14. *f.* Onerarias ducere multa sabura gravatas. *Virg. G.* 4, 194. de apib.: et saepe lapillos (Ut cymbae instabiles, fluctu jactante, saburram) Tollunt: his sese per inania nubila librant. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Qua nave nihil admirabilius visum in mari, certum est: centum viginti millia modium lentis pro saburra ei fuere. *Id.* 10, 23, 30. de gruib.: Certum est, Pontum transvolaturas saburra stabiliri: cum medium transierint, abjici lapillos e pedibus; cum attigerint continentem, e gutture arenam. ℙ Utraque scribendi ratio, et geminato, et simplici *r* probabilis est. Prior *Dausquio* magis placet, et *Prisc.* 2, 567.

SĂBURRĀLIS, e, adj. saburra constans. *Vitr.* 9, 9. *med.* Sacoma saburrale.

[SĂBURRĀRĬUS, ii, m. qui saburrae navibus importandae, rursusque extrahendae destinatus est. *Inscr.* ap. *Don.* 458, 5. Imp. Caes. M. Aurelio Antonino Aug. corpus saburrariorum S. P. P. *F.*]

SĂBURRĀTUS, a, um, part. a *saburro*, saburra oneratus. Translate ponitur pro saturo, pleno, oppleto. *Pl. Cist.* 1, 2, 2. Quae ubi saburratae sumus, largiloquae extemplo sumus.

SĂBURRO, as, a. l. ἐρμαίζω, saburra onero, et stabilio adversus vim ventorum. *Solin.* 10. Grues volaturae arenas devorant, sublatisque lapillis ad moderatam gravitatem saburrantur. *Plin.* 18, 35, 87. Echini affigentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa sunt,

*SABUS, i, m. Sabatii filius. V. in SABINI et cf. *Orph. Hymn.* 48, 2. ubi syllaba prior corripitur. ℙ Alius, rex Indicus. *Curt.* 9, 8. *B. A.*

[SACAL, n. indecl. idem ac electrum lingua Aegyptiorum. *Plin.* 37, 2, 11. Electrum in Aegypto nasci simili modo, et vocari sacal. *F.*]

*SACASSĀNI, orum, populi Asiae, in Iberia degentes. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

*SACATOS, i, m. rosmarinum infructuosum. *Appul. de herb.* 79. *B. A.*

SACCĀRĬUS, a, um, adj. ad saccos pertinens. *Saccaria navis* ap. *Quint.* 8, 2, 13. a *saccis* certe dicta videtur, [eaque frumentorum aliarumque rerum saccis vehendis apta fuisse, ut putat *Coel. Rhodig.* 25, 20., *F.*] sed quid reapse significet, obscurum est. Ipse enim *Quint.* ut rem obscuram posuit, et iis solum notam, qui artem quampiam profitentur. [*Cf. *Burm.* et *Gesn.* ad h. l. itemque *Spald.*] ℙ *Saccarius* est, qui saccos portat. *Paul. Dig.* 18, 1, 40. *f.* Si quid ex eo, quod de sacco saccarii cecidisset, natum esset. [*Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4176. Julius Victor cuparius et saccarius. *F.*] ℙ *Saccariam facere*, est saccariam artem exercere, saccos portare. *Appul. Met.* 1. In eam *(mulierem)* contuli operulas etiam, quas adhuc vegetus saccariam faciens merebam. Alii minus recte leg. *sagariam.*

SACCĀTUS, a, um, part. a *sacco:* per saccum transmissus, percolatus. *Sen. ep.* 86. *med.* Non saccata aqua lavabatur, sed saepe turbida. *Plin.* 29, 6, 39. Adeps liquatur, saccatusque lineis saccis, etc. *Id.* 18, 7, 17. Amylum linteis, aut sportis saccatum. *Lucr.* 4, 1022. Totius humorem saccatum ut corpori, fundant, *h. e.* urinam, quae per renes, οἱ ῥηνῆρες, et vesicam saccatur. Adde *Ser. Sam.* 6,

77. Absolute *Arnob.* 2, 69. Ut animae corporibus involutae inter pituitas et sanguinem degerent, inter stercoris hos utres, et saccati obscenissimas serias.

SACCELLĀTIO, onis, f. saccellorum impositio, ad aegrum membrum fovendum. *Veg. Vet.* 2, 11. Saccellationibus caput vaporare. *Id. ib.* 3, 24. *med.* Saccellationem ex furfuribus imponere.

SACCELLUS, i, m. *βαλάντιον*, idem ac sacculus. *Petr. Sat.* 140. *f.* Sonantes aere saccellos mittere. *Cels.* 4, 4. *med.* Salem calidis cum saccellis superponere. *Veg. Vet.* 1, 52. Super renes, et dorsum saccellos calidos ex furfure plenos imponere. Adde *Ascon.* in *Verr.* 1, 8.

SACCĔUS, a, um, adj. e sacco confectus, *h. e.* vili ac crasso panno, aut cilicio. *Hieron. Vit. Hilar. n.* 44. Tunica saccea. *Id. ep.* 22. *n.* 27. Vestis pulla, cingulum sacceum. *Saccinea* quidam leg. priore loco, quod est contra analogiam, et optimos quosque libros.

SACCHĂRUM, i, n. *σάκχαρ, σάκχαρι, σάκχαρον*, genus mellis, quod Persae, atque Arabes colligunt ex arundinibus. [*Arundo, quae saccharum veteribus notum praebet, est, quod nos dicimus: *das Bambusrohr*, Bambusa arundinacea, *L.* Succus Arabibus dicitur *Tabaschir.*] *Plin.* 12, 8, 17. Saccharon et Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis avellanae magnitudine, ad medicinae tantum usum. Haec *Plin.* De eadem re, tacito nomine (quod Arabicum est) *Lucan.* 3, 237. Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos. *Sen. ep* 84. Ajunt, inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius coeli, aut ipsius arundinis humor dulcis et pinguior gignat. Ex his colligunt *Voss.* in *Etym.*, *Salmas.*, *Hard.* etc. aliud esse a saccharo nostrum *Zucker.* (cujus historiam habet *Jo. Beckmannus* in *Comment. Soc. R. Gotting.* T. 5.) quod ex arundinibus non colligitur, sed exprimitur, et igni coquitur, non statim collectum sumitur: et non in medicina solum, sed in cibis paene omnibus usum habet.

SACCĪBUCCIS, e, adj. *φυσγναθος*, qui buccam magnam habet, velut sacci, bucculentus. *Arnob.* 3. p. 108. Nonnullos turgentibus malis, aut buccarum tubulatione saccibucces.

SACCĪNĔUS. V. SACCEUS.

SACCĪPĔRIUM, ii, n. *σακκοπήρα*, major crumena, et minoris marsupii receptaculum: ex *sacco*, et *pera*. *Pl. Rud.* 2, 6, 64. Meum marsupium, quod plenum argenti fuit in sacciperio. Adde *Varr.* ap. *Non.* 12, 50., ubi *in sacciperione* pro *in sacciperio* legitur.

SACCO, as, a. 1. *σακκίζω*, per saccum, vel linteum transmitto, percolo, liquo. *Plin.* 33, 6, 34. Stibium tritum in aqua triplici linteo saccant, faecemque abjiciunt. *Id.* 29, 2, 10. Frigida aqua lavantur, et in linteo saccatur. *Mart.* 2, 40. Caecuba saccentur, quaeque annus coxit Opimi: *siccentur* legunt quidam, sed minus recte. Huc pertinet illud *ejusd.* 12, 60. Turbida sollicito transmittere Caecuba sacco; et *Plin.* 14, 22, 23. Sacco frangere vires vini. V. CASTRO.

SACCŪLĀRĬUS, ii, m. *ῥαδιουργὸς:* a sacculo, quo pecunia continetur: significat peculatorem, qui publicam pecuniam avertit. *Ascon.* in *or. Cic. contra C. Anton.* et *Cat. med.* Equester ordo pro Cinnanis partibus steterat, multasque pecunias abstulerat: ex quo saccularii erant appellati. *Ulp. Dig.* 47, 11, 7. Sacculārii, qui vetitas in sacculis artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt, plus quam fures puniendi sunt. Adde *ib.* 18, 1. Sunt autem *vetitae artes* magicae, ut exponit *Cujac. Observ.* 10. *tit.* 27.

*SACCŪLUM, i, n. *Vet. Gloss. Gr. Lat. βαλάντιον, βαλαντίδιον. B. A.*

SACCŪLUS, i, m. dimin. sacci, *σάκκιον, μαρσύπιον, βαλάντιον. Appul. Met.* 9. *med.* Promittit ei, de praediis suis sese daturum et frumenti et olivi aliquid, etc. Sacculo et utribus vacuis secum apportatis, etc. ℙ Speciatim est parvus saccus, in quo pecunia reponitur. *Plin.* 2, 51, 52. Fulmine aurum, et aes, et argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis. *Catull.* 13, 7. nam tui Catulli Plenus sacculus est aranearum, *h. e.* pecunia omnino caret. *Juven.* 14, 138. pleno turget cum sacculus ore, Crescit amor nummi. *Id.* 11, 26. Ignorat, quantum ferrata distet ab arca Sacculus, *h. e.* parva nummorum summa, quae sacculo contineri potest, a magna vi pecuniae, quae in arca servatur: vel pars patrimonii a toto censu. Adde *Mart.* 5, 39. et 11, 3., *Ulp. Dig.* 16, 13, 1. *med.* et *Paul. ib.* 29. etc.

SACCUS, i, m. *σάκκος*, vas ex tela, vel corio, vel alia materia. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. Cum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret. Alii leg. *sagos*, [*vel *saga*, quae est *Graecii* suspicio.] *Phaedr.* 2, 7. Mulus ferebat tumentes multo saccos hordeo. *Colum.* 9, 15. *f.* de melle liquando: Saligneus qualus, vel tenui vimine rarius contextus saccus, inversae metae similis, qualis est quo vinum liquatur, obscuro loco suspenditur. *Id.* 12, 17. Ficus recentes in junceis fiscellis, vel sparteis saccis percolant. *Plin.* 31, 9, 45. Sal in saccis aqua ferventi madefactus. *Id.* 29, 6, 39. Adeps saccatus lineis saccis. *Veg. Vet.* 3, 58. *extr.* Corpus animalis multorum perfricatur manibus: saccis cooperiunt, ut sudet. ℙ *Saccus vinarius*, quo vinum transmittitur, ut defaecetur, asperitatem exuat, suavius et blandius fiat, minusque capiti noceat. *Plin.* 24, 1, 1. Nitrosae, aut amarae aquae, polenta addita mitigantur: qua de causa et in saccos vinarios additur polenta. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 2. Inveterari vina, saccisque castrari. *Id.* 14, 22, 28. et 23, 1, 24. Vini vires sacco frangere. *Mart.* 12, 60. Turbida sollicito transmittere Caecuba sacco. ℙ *Saccus nivarius*, quo nive repleto transmissa aqua refrigeratur. *Id.* 14, 104., cujus lemma *Saccus nivarius.* Attenuare nives norunt et lintea nostra. Frigidior colo non salit unda tuo. ℙ Saepe *saccus* est, quo reponitur pecunia, marsupium, crumena, sacculus. *Hor. Sat.* 2, 3, 148. mensam poni jubet, atque Effundi saccos nummorum. . *Id. ib.* 1, 1, 70. congestis undique saccis Indormis inhians. *Mart.* 10, 74. Cum Scorpus (*auriga*) una quindecim graves hora Ferventis auri victor afferat saccos. ℙ In illo *Pl. Capt.* 1, 1, 22. Vel ire extra portam Trigeminam ad saccum licet: *ad saccum* est ad crumenam mendicantium, et stipem in ea colligentium. Ita *Lamb.* Alii leg. *ad sacculum* eod. sensu. ℙ Denique *saccus* dicitur vestis crassiore filo contexta, qua praecipue utebantur in Aegypto monachi in poenitentiae signum, sine manicis, et presse corpori adhaerens. *Hieron. ep.* 44. Saccus orationis signum atque jejunii est. *August. Enarr. in Psalm.* 2, 29. *f.* Saccus de capris conficitur, et haedis. *Paul. Nol. carm.* 35, 451. gravis hirto tegmine saccus. ℙ [Est etiam cogn. R., ut L. Titinius L. F. M. N. Pansa Saccus trib. mil. consulari potestate, ann. U. C. CCCLIV. et CCCLVIII. ap. *B. Borghesium N. Framm. de' Fast. cons.* T. 2. p. 92. et sqq. *F.*]

SACELLUM, i, n. dimin. sacri, *ναΐδιον*, locus parvus Deo sacratus cum ara, ut *C. Trebat.* ap. *Gell.* 6, 12. definit. *Fest.* Sacella dicuntur loca Diis sacrata sine tecto. Qui locus consideratione dignus est. Inde enim discimus, sacellum esse, quod Graeci dicunt *περίβολον*, hoc est conseptum, nempe locum sacrum tantummodo clausum muro. *Cic. Div.* 1, 46. Exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa. *Id. Agr.* 2, 14. Sunt enim loca publica urbis, sunt sacella, etc. *Juven.* 13, 232. pecudem spondere sacello Balantem, et Laribus cristam promittere galli Non audent. *Prop.* 4, 3, 57. Flore sacella tego, verbenis compita velo. *Ov. Fast.* 1, 275. Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello. ℙ Merito *Gell. l. c.* eundem *Trebatium* reprehendit, quod compositum putet a *sacer* et *cella*. Est enim simplex, et a *sacro* diminutum verbum, ut a *macer macellus, tener tenellus, pulcher pulchellus*, etc.

[SĂCELLUS, a, um, adj. dimin. sacri. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1281, 1. Terentia T. F. Sacella. *F.*]

SĂCĔNA et per sync. *scena*, dolabra pontificalis *Fest.* in *Scena*. Fortasse scribendum *secena*, ut sit a secando dicta. V. SCENA.

SĂCER, cra, crum, adj. *ἱερὸς*, ad Deos pertinens, religiosus, consecratus, sacratus, sanctus: cui opponitur *profanus*. [*V. *Doederl.* 3, 198.] Quidam putant esse Tuscam vocem. [*Alii rectius faciunt etymon a Gr. *ἅζω*.] *Gallus Aelius* ap. *Fest.* ait, sacrum esse quocumque modo atque instituto civitatis consecratum sit, sive aedis, sive ara, sive signum, sive locus, sive pecunia, sive quid aliud, quod Diis dedicatum atque consecratum sit. Quod autem privati suae religionis causa aliquid earum rerum Deo dedicent, id pontifices Romanos non existimare sacrum. At si qua privata sacra suscepta sunt, quae ex instituto pontificum stato die, aut certo loco facienda sint, ea sacra appellari tanquam sacrificium. Ille locus, ubi ea sacra privata facienda sunt, vix videtur sacer esse. Haec *Festus. Sall. Cat.* 21. *f.* Sacra profanaque omnia polluere. [*Plura exempla vocis *sacer* cum *profanus* conjunctim positae laud. *Brem.* ad *Nep. Them.* 6, 5. sive sacer, sive profanus, sive privatus esset, sive publicus.] *Cic. Leg.* 3, 13. *f.* Signa sacra et religiosa. [*V. *Goerenz.* ad h. l.] *Cic. Fam.* 13, 11. Sacrae aedes. *Hor. Od.* 2, 13, 29. Sacrum silentium, *h. e.* pium, religiosum, venerationis plenum. *Id. ib.* 4, 9, 28. Sacer vates; et *ib.* 15, 25. Profestae et sacrae luces. *Prop.* 3, 3, 11. sacrae fatalia lumina Vestae; et *ib.* 21, 3. sacrae fabricata juvenca Cybebae; et *ib.* 14, 11. Nec tamen est quisquam sacros qui laedat amantes, *h. e.* qui se Veneri dicarunt, et in ejus tutela sunt. *Virg. A.* 7, 60. laurus Sacra comam, multosque metu servata per annos. *Hor. Epod.* 2, 43. Sacrum focum lignis exstruere, *h. e.* sacratum Laribus. *Ov. Met.* 10, 109. sacer Nymphis Carthaea tenentibus arva Ingens cervus erat. *Id. Fast.* 2, 52. mensis Qui sacer est imis Manibus. *Plin.* 16, 4, 5. Aesculus Jovi sacra. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. *med.* Illa insula eorum Deorum sacra putatur, *h. e.* iis Diis sacrata. *Ascon. ib.* Elegit *sacra* dicere, quam quod in consuetudine est, *sacrata*. ℙ *Sacrum est*, res sacra est. *Plin.* 11, 37, 55. Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium ritu sacrum est. ℙ *In sacro esse*, sacrum haberi. *Plin.* 18, 12, 30. Prisco ritu fabacia suae religionis Diis in sacro est. ℙ *Sacram vitem* appellat *Enn.* ap. *Charis.* 2, 214. et *Hor. Od.* 1, 18, 1., quia vini multus usus in sacrificiis: et quia Baccho monstrante coli coepit, eique sacrata est. ℙ *Sacra via* in urbe Roma, in ejus regione quarta, incipiebat ab amphitheatro, et per vicinos hortos juxta Basilicam Constantinianam et forum Caesaris in Capitolium tendebat. Quidam, ut ait *Fest.*, appellatam esse existimant, quod in ea foedus ictum sit inter Romulum ac Tatium. Cujus rei signa stabant *Servii* tempore, Romulo a parte Palatii, Tatio a Rostris veniente, ut ipse docet ad *A.* 8, 641. Alii putant, eod. *Festo* teste, et *Varr. L. L.* 4, 8., sic dictam, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium (lege *in Capitolium* pro *idulium*) sacrorum conficiendorum causa. Eadem *sacer clivus* dicitur ab *Hor. Od.* 4, 2, 35. et a *Mart.* 1, 71. et 4, 79., et *via a sacris* ab *Ov. Trist.* 3, 1, 28. Haec est a sacris quae via nomen habet. Sunt quidam qui scribunt *sacravia*. V. SACRAVIENSIS. ℙ *Sacer mons* appellatur trans Anienem paulo ultra tertium milliarium: quod eum plebes, cum secessisset a patribus, creatis tribunis plebis, qui sibi essent auxilio, discedentes Jovi consecraverunt. *Fest.*, *Liv.* 2, 32. et *Cic. Brut.* 14. ℙ *Sacrum ver.* V. in VER. ℙ Inter *sacrum*, *religiosum*, et *sanctum* discrimen est. V. RELIGIOSUS. ℙ [*Memorabilis locus est *Liv.* 3, 19. Tribuni postulant, ut sacrosancti habeantur, quibus ipsi dii neque sacri neque sancti sunt: ubi *Doederl.*, q. v. 3, 199., aut *sacer* de Diis propter v. *sacrosancti*, quod praecedit, ab auctore, ut Grammaticorum more ludat, positum putat, quae nobis maxime videtur ratio; aut locum depravatum esse, itaque sanandum, ut ex Mss. varietate legatur vel: *quibus ipsi neque sacra neque Dii sancti sunt:* vel: *quibus neque sacra neque ipsi dii sancti sunt:* ut ap. *Virg. G.* 2, 472. Sacra deum sanctique patres, i. e. tunc sacra deorum adhuc sancta patresque adhuc sancti fuere. — Ap. *Claud.* quidem *Rapt. Pros.* 2, 71. *sacrum vulgus* Nymphas appellari: *sed vocem sacrum* non ad naturam nympharum divinam, sed ad officium ipsarum erga Dianam, quam comitarentur, referri debere. — Poterit hic notari etiam illud, quod *sacrum nomen*, s. *sacra nomina* dicuntur de patre et filio, genitore et nato, etc. *Quint. Decl.* 1. p. 12. *ed. Burm.* quam violenta dissentio inter sacrorum infinita nominum pignora: ubi v. q. laud. *Schult.*] ℙ Poetae *sacra* vocant carmina sua, et versificandi facultatem et vim divinam, quam habere se jactant. *Ov. Trist.* 4, 10, 19. At mihi jam puero coelestia sacra placebant: Inque suum furtim Musa trahebat opus. *Pers. prol.* 7. Ad sacra vatum carmen affero nostrum. *Mart.* 7, 63. Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus. ℙ Sic etiam dicuntur quaecumque admirabilia, et divina quodammodo. *Id.* 5, 69. de Cicerone: Quid prosunt sacrae pretiosa silentia linguae? *Id.* 8, 56. Ingenium sacri miraris abesse Maronis. ℙ Adulatio et imperatoribus tribuit. *Id.* 7, 99. Namque solent sacra Caesaris aure frui; et 6, 76. Ille sacri lateris custos, etc. Hinc illa frequentissima in utroque Codice Justiniano, et Theodosiano, *sacra domus, sacrae largitiones, sacra scrinia, sacer comitatus, vice sacra cognoscere*, etc. ℙ Hujus adulationis initia Tiberii temporibus fuere, qui, ut narrat *Suet. Tib.* 27., eum reprehendit, qui *sacras* ejus *occupationes* dixerat. V. et *Tac. A.* 2, 87. ℙ Interdum *sacer* est detestabilis, exsecrandus. *Festus:* Homo sacer is est, quem populus judicabit ob maleficium: neque fas [*l. *nefas*] est eum immolari: sed qui occidit, parricidii non damnatur: nam lege tribunicia prima cavetur: *Si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit.* Ex quo quivis homo malus atque improbus, sacer appellari solet. Haec *Festus:* Ratio sic appellandi est, quia Diti patri, vel Jovi, vel alii Deo consecratus per populi judicium fuerat. Mos enim erat, ut quos vellent impune occidi, eorum corpora alicui Deo, praecipue vero Inferis devoverent. Quem morem *Serv.* ad *A.* 3, 57. tractum ait a Gallis, quoties enim Massilienses pestilentia laborarent, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis et purioribus cibis. Postea verbenis et vestibus sacris ornatus circumducebatur per totam urbem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis: et sic praecipitabatur. (Alii leg. *projiciebatur:* alii *prosiciebatur.*) Hoc autem in Petronio (*Sat* 141.) lectum est. Haec *Serv.:* Simile quiddam habes ap. *Suet. Cal.* 27. V. PHARMACUS. Causam, cur sacrum istum hominem jus fuerit occidi, cum res sacras alioquin violare sit nefas, (unde *Tibull.* 1, 2, 27. Quisquis amore tenetur, eat tutusque, sacerque Qua libet: insidias non timuisse decet;) affert *Macr. Sat.* 3, 7. *f.*, quia veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines Deorum, quibus sacrum erat: animas vero sacratorum hominum Diis debitas existimabant; et sic quam primum ad eos mittendas arbitrabantur. *Liv.* 3, 55. Ut qui tribunis plebis, aedilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. *Pl. Bacch.* 4, 6, 13. Ego sum malus, ego sum sacer, scelestus. *Id. Poen. prol.* 89. Vendit has homini, si leno est homo, quantum hominum terra sustinet, sacerrimo.

Hor. Sat. 2, 3, 181. intestabilis et sacer esto. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Afran.* ap. *Non.* 4, 431. O sacrum scurram et malum! *Turpil. ib.* Etiamne irrides me pessime ac sacerrime? *Virg. A.* 11, 271. Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto Consequitur pennis sublimem in nube columbam. Ubi *Serv. Sacer* ideo, quia Marti consecratus accipiter; aut quia avibus exsecrabilis; aut, quod verius est, Graecum nomen expressit: nam *ἱέρακας* dicitur. *Stat. Th.* 10, 804. Unde hic mortis amor? quae sacra insania menti? *Virg. A.* 3, 56. quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? ℙ Tribuitur et rebus inanimis, quae malae, et noxiae. *Id. ib.* 9, 109. ratibus sacras depellere taedas. Al. leg. *sacris;* et *ib.* 6, 573. horrisono stridentes cardine sacrae Panduntur portae. *Catull.* 71, 1. Sacer alarum hircus. *Id.* 14, 12. Dii magni, horribilem et sacrum libellum! *Stat. Th.* 2, 297. Sacrum aurum. *Turpil.* ap. *Non. l. c.* Sacerrimum domicilium. *Hor. Epod.* 7, 19. Ut immerentis fluxit in terram Remi Sacer nepotibus cruor, *h. e.* qui civilium discordiarum ac bellorum causa fuit. [*Lucan. 1, 616. Palluit attonitus sacris feralibus Aruns: ubi *sacra feralia* sunt interitum, aut summum infortunium portendentia.] ℙ Similiter sacrum dicitur quidquid religione, aut opinione horrendum, aut alioquin terribile atque reconditum obscurumque est: praesertim si a Diis venire credatur. *Val. Fl.* 1, 798. sacer effera raptet Corda pavor; et 4, 185. Arma sacra metu; et 7, 165. sacro freta veneno Medea; et 8, 25. Nemoris sacra nox. ℙ *Sacer ignis* ap. *Virg. G.* 3, 566. eadem ratione dicitur. V. IGNIS. ℙ *Sacer morbus*, epilepsia. V. MORBUS. ℙ *Sacra* etiam vulgus appellat, quae majora sunt, inquit *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4., qua ratione *os sacrum*, *ἱερὸν ὀστέον* anatomici appellarunt illud, quod imum ventrem sustinet, et *os coxarum* dicitur a *Cels.* 8, 1. *med.* ℙ *Sacer*, vetitus. *Imp. Justin. Cod.* 3, 43, 3. *med.* Non enim solum bella bene ordinamus, sed et res sacras ludicras, *h. e.* alearum lusum. ℙ Huc pertinere potest, quod *sacros fluctus* dixit *Val. Fl.* 1, 632. mare nondum tentatum navibus, quasi Dii vetuerint ab hominibus navigari, et sacrum sibi reservaverint. Eademque ratione *Sil.* 3, 501. *sacros fines* et 4, 70. *sacras rupes* Alpes significans ante Annibalem nunquam transitas. ℙ Olim *sacris*, *e*, dictum est. *Festus:* Sacrem porcum dici ait Verrius, ubi jam a partu habetur purus. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Porci puri ad sacrificium, ut immolentur, olim appellati sacres, quos appellat Plautus, cum ait: Quanti sunt porci sacres? et *ib.* 4. *med.* Porci, qui a partu decimo die habentur puri, *(Hard.* ex hoc loco *Plin.* 8, 51, 77. Suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo, bovis trigesimo: *Varronis* locum corrigendum putat:) ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum. Adde *Pl. Men.* 2, 2, 16. et *Rud.* 4, 6, 4. ℙ Comp. *Sacrior* non habetur, ut et *Varr. R. R.* 1, 39. et usus docet. Sup. *Sacerrimus* V. supr. et ap. *Ov. Her.* 9, 159. Deprecor hoc unum per jura sacerrima lecti. *F.*]

SĂCERDOS, otis, m. et f. *ἱερεύς*, *ἱέρεια*, qui Deo dicatus est ad rem divinam faciendam, minister sacrorum, flamen, antistes: item augur. *Cic. Leg.* 2, 8. Sacerdotum duo genera sunto: unum quod praesit caeremoniis et sacris: alterum quod interpretetur fatidicorum, et vatum effata incognita, cum senatus populusque adsciverit. *Id. Verr.* 2, 5, 45. Sacerdotes Cereris, atque illius fani antistites, probatae ac nobiles mulieres. *Id. Font.* 17. Prospicite, ne ille ignis aeternus, etc. sacerdotis vestrae lacrimis exstinctus esse dicatur. *Id. Dom.* 1. Si ullo tempore magna causa sacerdotum populi R. judicio ac potestate versata est, etc. *Ov. Fast.* 5, 573. Vestaeque sacerdos. *Virg. A.* 3, 80. Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique sacerdos. *Suet. Claud.* 22. In cooptandis per collegia sacerdotibus. *Plin. ep.* 2, 1. Illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat, *h. e.* augures. Adde *ep.* 4, 8. ℙ Adjective. *Virg. A.* 1, 277. donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem. *Vell.* 2, 124. *extr.* Mihi fratrique meo, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari praetoribus contigit. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 17. Res erat mihi cum scurrarum scorto, cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote, cum venefico, etc. ℙ [*De M. Antonio qui flamen erat C. Jul. Caesari. *Cic. Phil.* 2, 43. o detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] ℙ Est etiam cogn. R., ut C. Licinius Sacerdos praetor Siciliae ante Verrem, ap. *Cic. Planc.* 11. et *Verr.* 2, 1, 41. et *Quint.* 6, 3, 55. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 442, 1. C. Julius Sacerdos. ℙ [In gen. plur. scribitur etiam *sacerdotium* pro *sacerdotum* in *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 26., quam lege in PRINCEPS. *F.*]

SĂCERDOTĂLIS et Sacerdotialis, e, adj. *ἱερατικὸς*, ad sacerdotem pertinens. *Plin. ep* 7, 24. Sacerdotales ludi, *h. e.* qui edebantur a sacerdotibus, inito honore, ut ab Augusto in pontificatu maximo, ut est ap. *Suet. Aug.* 44. *f.* *Macr. Sat.* 3, 5. Eximii vocabulum non poeticum *ἐκλεκτον*, sed sacerdotale nomen, *h. e.* a sacerdotibus, honoris causa, usurpatum. ℙ *Sacerdotalis* absolute, seu *sacerdotalis vir* dictus est, cadentis Latinitatis tempore, qui provinciae alicujus sacerdos primarius erat; cum flamen diceretur, qui alicujus tantum civitatis sacris praeerat. His sacerdotalibus post Christianae religionis promulgationem, cum nempe Ethnicorum sacrificia, et Deorum simulacra e templis essent sublata, nihil aliud reliqui concessum ab imperatoribus Christianis est, quam ut ludos propriis sumptibus publice ederent; hinc ann. a Chr. n. CCCC. civitates Africae proconsularis legatum ad Honorium Aug. miserunt rogantes, ut familias singulas iterati hujus sacerdotii, seu ludorum curationis, quae annua erat, incommodis liberaret, quod ex lege *Impp. Honor.* et *Arcad. Cod. Theod.* 12, 1, 166. constat. Iidem *Impp. ib.* 145. Africani sacerdotales Carthagini restitui, ibique arbitratu suo agere *(ludos)* cum favorabili editione placuit. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 16, 10, 20. Sacerdotales paganae superstitionis competenti coercitione subjacere praecipimus, etc. *Tert. Spect.* 11. Quid ergo mirum, si apparatus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus praesidibus, de collegiariis ministris? *Ammian.* 28, 6. *med.* Occisis decurionibus multis, inter quos Rusticianus sacerdotalis, et Nicasius enitebat aedilis. *Inscr.* ap. *Grut.* 20, 3. P. Cejonius D. C. Poe. sacerdotal. Ve. *h. e.* decurio coloniae Poetoviensis, sacerdotalis, vir egregius. Alia ap. *eund.* 325, 12. Ti. Cl. Honoratianus Castrensis Morini in civitate sua sacerdotalis. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4981. C. Paternius Postuminus Dec. C. Taunensium, vir sacerdotalis, pragmaticus. ℙ *Sacerdotalis* etiam dicitur, qui sacerdotio provinciae jam functus fuit. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 12, 5, 2. Sacerdotales, et flamines perpetuos, atque etiam duumvirales ab annonarum praeposituris inferioribusque muneribus immunes esse praecipimus. *Inscr.* ap. *Orell. l. c. n.* 1108. Masclinio Materno Dec. C. A. *(h. e.* decurioni coloniae Agrippinae), aedilicio, duumvirali, curatoricio, sacerdotali, et ex comitibus Masclinius Leo patri benemerit. fecit, Decentio Caes. et Paulo Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CCCLII. ℙ Scibitur etiam *sacerdotialis* in *Inscr.* ap. *Mur.* 161, 4. Lali publici sacerdotialis cineribus locus. Avonia Aphrodisia conjugi benemerenti fecit. *Lupius* in *Epitaph. Sever.* p. 3. et in *Dissert.* T. 2. p. 93. existimat, hunc Lalum fuisse publicum, *h. e.* servum sacerdotum, nempe augurum, qui praecipue ita appellabantur; *sacerdotialis* vero esse vocem ex sacerdotio derivatam, quo nomine collegium sacerdotum intelligatur, ut *servitium* numerum aliquem servorum, et *satellitium* satellitum multitudinem significat. At *Marinius Frat. Arv.* p. 213. putat, *sacerdotialis* hic significare illum, qui sacerdos antea fuerit, postea esse desierit, et *Lali* positum pro *L. Ali*, et *Publici* esse illius viri cognomen. Viderint eruditi, quid amplectendum; ego vero a *Lupio* standum arbitror. [*Hujus loci egregie curam gessit *F.*]

SĂCERDOTISSĂ, ae, f. *ἱέρεια*, mulier, quae sacerdotio fungitur. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. Eaedem ferme caeremoniae sunt, quas flaminicas sacerdotissas Diales seorsum ajunt observitare. Ita legitur in quibusdam editionibus: in aliis vero, iisque emendatioribus v. *sacerdotissas* deest. Affertur etiam a quibusdam lexicographis *Inscr.* ap. *Grut.* 325, 10., in qua *sacerdotissae perpetuae* legunt, sed *ib.* legitur *sacerdotis perpetuae.*

SĂCERDOTIUM, ii, n. *ἱερωσύνη*, sacerdotis dignitas, et officium. *Cic. Dom.* 53. Cum Licinia Virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino, Q. Metello Coss. aram, et aediculam, et pulvinar sub sacro saxo dedicasset. *Id. ib.* 52. Sacerdotium inire. *Id. ib.* 14. In sacerdotium venire. *Id. ib.* 40. Publicis sacerdotiis praeesse. *Id. Agr.* 2, 7. Sacerdotia mandare. ℙ Significat etiam sacerdotis proventum. Nam ap. Gentiles sacerdotia fuerunt, qualia nos minus Latino in hac significatione vocabulo *beneficia* appellamus. Sacerdotiorum autem duo fuerunt genera: unum quod sacris esset addictum locis, quae reipublicae, aut principum, aut pontificum collegii collationis essent: alterum, quod aedis, aut sacelli juris esset a patre familias ea ratione erecti, dedicatique, ut et sacrorum cura, et fructuum ipsius sacerdotii perceptio ad solam gentem familiamque suam perpetuis successionibus devolveretur. *Liv.* 9, 29. *med.* Gens Potitia, cujus ad aram Herculis familiare sacerdotium erat. *Liv.* 30, 26. *f.* In ejus locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpitius Galba inauguratus. *Tac. H.* 1, 77. Recens ab exsilio reversos adolescentes avitis et paternis sacerdotiis in solatium recoluit. ℙ Accipitur interdum pro auguratu. *Plin. ep.* 4, 8. Gratularis mihi, quod acceperim auguratum, jure gratularis: primum quod gravissimi principis judicium in minoribus etiam rebus consequi, pulcrum est: deinde quod sacerdotium ipsum cum priscum et religiosum, tum hoc quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi.

SĂCERDOTŬLA, ae, f. minor, seu parva sacerdos. *Varr. L. L.* 4, 29. *f.* Dictum capital a capite, quod sacerdotulae in capite etiam nunc solent habere. *Fest.* in *Flaminia:* Flaminia dicebatur sacerdotula, quae flaminicae Diali praeministrabat. *Verranius* ap. *eund.* in *Oletum.* Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum.

SĂCERSANCTUS, a, um, adj. sacrosanctus. *Tert. Cor. mil.* 13. *f.* Quam sacersanctus, quamque honestus ac mundus sit habitus iste, etc.

SĂCES, ae, m. et Sacae, arum, m. plur. *Σάκης*, *Σάκαι*, populi Scythiae, in orientali latere Caspii maris, ubi nunc *Sarmacanda* regnum esse creditur. *Plin.* 6, 17, 19. *Catull.* 11, 5. Sive in Hircanos, Arabasque molles, Seu Sacas, sagittiferosque Parthos. *Claud. Laud. Stil.* 1, 156. hic crine decoro Armenius, hic picta Saces, fucataque Medus, Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus.

SĂCOMA, ătis, n. *σάκωμα*, et Dorice *σάκωμα*, aequipondium, quod in altera staterae parte opponitur ad aequilibrium alicujus rei faciendum. *Vitr.* 9, 3. Auream coronam notivam immani pretio locavit faciendam, et aurum ad sacoma appendit redemptori. Is ad tempus opus manufactum subtiliter regi approbavit, et ad sacoma pondus coronae visus est praestitisse, *h. e.* eodem pondere aurum elaboratum reddidit, quo infectum acceperat. *Id. ib.* 9. sacoma saburrale vocat pondus appensum horologio.

[SĂCOMĂRIUS, ii, m. idem ac ponderator, seu potius sacomatum confector et exactor. *Inscr.* ap. *Mur.* 979, 4. Stlaccius A. L. Mario mensor, idem sacomarius. Adde aliam ap. *Fabr.* p. 731. n. 450., et ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 1. p. 308. n. 50.

SĂCONDIOS, ii, m. ap. Indos est genus amethysti colore ad hyacinthum descendentis: quem colorem illi sacon vocant. Qui si dilutior sit, sagapenos vocatur. *Plin.* 37, 9, 40. [*Legitur et *Sacodios. B. A.*]

SĂCOPĒNIUM, ii, n. succus herbae ferulaceae, et ipse frutex, unde manat. *Plin.* 19, 8, 52. Sacopenium et ipsum in hortis quidem nascitur, sed medicinae tantum. *Id.* 20, 18, 75. Sacopenium, quod apud nos gignitur, in totum transmarino alienatur. Illud enim ammoniaci lacrimae simile, sagapenum vocatur. Prodest laterum et pectoris doloribus, convulsis, tussibus, etc.

SĂCOS. V. SĂCONDIOS.

SĂCRĀMENTUM, i, n. res sacrata: a *sacro, as*, unde *sacramen*, *sacramentum*, ut a *levo levamen*, *levamentum*, etc. Hinc priscis Latinis fuit pecunia, quam litigantes in loco sacro, vel apud pontificem deponebant. Qua de re ita *Varr. l. L.* 4. *f.* Ea pecunia, quae in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat, et qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingentos aeris ad pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat: victi ad aerarium redibat. *Festus:* Sacramentum aes significat, quod poenae nomine penditur, sive eo, qui interrogatur, sive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum, inter eos, qui judicio inter se contenderent. Qua de re lege L. Papirii tribuni plebis sanctum est his verbis: Quicumque praetor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, tresviros capitales (alii *monetales*) populum rogato, iique tresviri capitales, quicumque posthac facti erunt, sacramenta exigunto, judicantoque, eodemque jure sunto, uti ex legibus, plebeique scitis exigere, judicare, esseque oportet. Pergit *Festus:* Sacramenti autem nomine id aes dici coeptum est, quod, et propter aerarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus divinis. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 9. Cum in rem aliquam agerent litigatores, et poena se sacramenti peterent, etc. ℙ Ex hoc more litigantium deponendi pecuniam, ne calumniatores impune discederent, factum est, ut *sacramentum* pro causa, vel controversia usurparetur, seu pro litis genere simili sponsionis. *Cic. Or.* 1, 10. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei, vindicarentque ornati homines in dicendo, et graves, quibuscum tibi justo sacramento contendere non liceret. *Id. Caecin.* 33. Cum Aretinae mulieris libertatem defenderem, et Cotta decemviris religionem injecisset, non posse sacramentum nostrum justum judicari, etc. *Id. Mil.* 27. Qui non calumnia litium, non injustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat. *Id. Dom.* 29. *f.* Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent. ℙ Saepe est jusjurandum, quod sacrum maxime habetur: item id quod jurejurando affirmatur aut fit, et obligatio jurejurando contracta, *ὅρκος*, *ὁρκωμόσιον:* et praecipue dicitur de eo, quo se milites nomina dantes reipublicae strenuam et fidelem operam daturos, et militarem disciplinam servaturos pollicentur. *Liv.* 22, 38. discrimen tradit inter sacramentum, et jusjurandum militare: illud fuisse jurationem ab ipsis militibus inter se sua voluntate factam: hoc legitimam jurisjurandi adactionem singulorum militum coram tribunis suis: quam rem tangit etiam *Front. Strat.* 4, 1. Distinguit etiam *Serv.* ad *A.* 8, 1. inter sacramentum, et conjurationem. Sacramentum vocat legitimam militiam eorum, qui singuli jurabant pro republica se esse fa-

cturos; nec discedebant, nisi completis stipendiis: conjurationem, cum subito ad vexilla vocati, ut fiebat in tumultu, simul omnes jurabant. Formulam sive jurisjurandi, sive sacramenti ex *Cincio* recitat *Gell.* 16, 4. Erudite admodum his de rebus, et fuse disputat *Schelius in not. ad Polyb. c.* 1. *de sacram.* T. 10. *Antiq. Rom. Graevii* p. 1172. [*Adde *Briss. de Form.* p. 319. sq.] Porro varii sunt in hac voce loquendi modi. *Cic. Off.* 1, 11. *med.* Cato ad Pompilium scripsit, ut si *(filium)* pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiae sacramento, quia, priore amisso, jure cum hostibus pugnare non poterat. *Caes. B. C.* 1, 23. *f.* Milites Domitianos sacramentum apud se dicere jubet; et *ib.* 86. *extr.* Ne quis invitus sacramentum dicere cogatur. (Sic *Liv.* 4, 53. *in.* Nemo invitus sacramento diceret; et *Plin. ep.* 10, 38. Ut jam dixerant sacramento militari.) *Id. Caes. B. G.* 6, 1. Ut quos ex Cisalpina Gallia consulis sacramento rogavisset, ad signa convenire juberet. *Id. B. C.* 2, 32. *med.* Ut eo neglecto sacramento, quo nunc tenemini, respiciatis illud, quod deditione ducis sublatum est. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 2. Juventus ultro nomina sua militari sacramento obtulit. *Suet. Ner.* 44. Citare tribus ad sacramentum. *Liv.* 4, 5. et *Tac. H.* 3, 58. et *A.* 1, 37. Sacramento milites adigere. *Id. ib.* 42. et *Suet. Aug.* 24. Imperatoris sacramentum detrectare. *Id. Galb.* 10. *f.* mutare. *Tac. H.* 3, 42. exsuere; et *ib.* 4, 21. accipere; et *A.* 16, 13. *f.* Aetate fessos sacramento solvere; et *H.* 2, 81. Ante idus Julias Syria omnis in eodem sacramento fuit, *h. e.* una cum exercitu in Vespasiani verba juravit. *Liv.* 28, 27. Sacramenti religionem rumpere. *Sil.* 10, 448. Obstringunt animas patriae, dictataque jurant Sacramenta Deis. P [*Unde id quod officium stipendiorum faciendorum, *Verpflichtung zum Kriegsdienst. Suet. Caes.* 42. qui sacramento non teneretur. — Saepissime etiam ipsa militia. Ex iis, quae Noster mixta cum praecedentibus laudaverat, huc pertinent ista: *Tac. H.* 1, 5. Miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus, h. e. qui diu sub Caesaribus militaverat. *Juv.* 16, 35. Praemia nunc alia, atque alia emolumenta notemus Sacramentorum, h. e. militiae. Adde *Suet. Tib.* 36. Judaeorum juventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris coeli distribuit. *Aug.* 24. causa detrectandi sacramenti. *Vesp.* 1. sacramento solutum per causam valetudinis.] P Extra rem militarem *Festus:* Sacramento dicitur, quod jurisjurandi sacratione interposita actum est: unde quis sacramento dicitur interrogari, quia jusjurandum interponitur. *Petr. Sat.* 117. In verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari. etc.; et *ib.* 80. Sacramentum amicitiae delere. *Hor. Od.* 2, 17, 9. non ego perfidum Dixi sacramentum. *Plin. ep.* 10, 97. de Christianis: Se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria committerent. *Appul. Met.* 3. Si quod inesset mutis animalibus tacitum ac naturale sacramentum, *h. e.* consensio, conspiratio, societas, qualis est inter milites ejusdem sacramenti. *Id. ib. in.* Priusquam iste elaberetur ad gravissimum judicii vestri sacramentum, eum curavi producere, *h. e.* fidem ac religionem jurisjurandi, qua vos judices tenemini de criminibus reorum judicare. P Ecclesiae scriptoribus *Tert., Hieron.* etc. est mysterium, res sacra, signum sensibile rei sacrae latentis, *Prudent.* ponit pro ipso verbo Dei, *περὶ στεφ.* 10, 18. Nolite verba, cum sacramentum meum Erit canendum, providenter quaerere. *Arnob.* respicit ad sacramentum militare, cum ait 2. p. 45. Malunt exheredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, et salutaris militiae sacramenta deponere.

SACRĀNI, orum, m. plur. populi Latii. Unde Sacranae acies. *Virg. A.* 7, 796. Et Sacranae acies, et picti scuta Labici. *Festus:* Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures, Siculosque exegerunt, nam vere sacro nati erant. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Dicunt, quendam Corybantem venisse ad Italiam, et tenuisse ea loca, quae Urbi vicina sunt: et ex eo populos ducentes originem, Sacranos appellatos, nam sacrati sunt Matri Deum Corybantes. Alii Sacranas acies Ardeatium volunt, qui aliquando cum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt: unde Sacrani dicti sunt. Haec *Serv.*

[SACRĀRIA, ae, f. sacrarii custos. *Inscr.* ap. *Hier. Asquin. Pago degli Arusnati* p. 6. Salviae sacrariae Xystus conserus (ita pro *conservus*) de suo dat. *F.*]

SACRĀRĬUM, ii, n. *ἱερατεῖον, ἱεροφυλάκιον. Ulp. Dig.* 1, 8, 9. Notandum est, aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium. Sacer locus est locus consecratus: sacrarium est locus, in quo sacrae res ponuntur: quod etiam in aedificio privato esse potest: et solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. *Serv.* ad *A.* 12, 199. Sacrarium proprie locus est in templo, in quo sacra reponuntur: sicut donarium est, ubi ponuntur oblata. Ap. *Ov. Met.* 10, 691. hujusmodi sacrarii descriptio habetur. Sepiebatur secespita, h. e. repagulo, seu reticulo aeneo, in quo tubi relinquebantur, per quos sacra manibus tangere licebat, ut docet *Fest.* in *Secespitam.* P Ponitur etiam pro sacello, locoque sacrato, sive publicus sit, sive in privatorum aedibus constitutus. *Cic. Mil.* 31. *f.* Ante ipsum sacrarium Bonae Deae, quod est in fundo T. Sextii Galli, primum illud vulnus accepit. *Suet. Aug.* 5. Natus est regione Palatii, ad Capita bubula, ubi nunc sacrarium habet, aliquanto post quam excessit, constitutum. *Cic. Fam.* 13, 2. C. Aviano Euandro, qui habitat in tuo sacrario, multum utor, *h. e.* in ea parte aedium tuarum, in qua sacrarium habes. Adde *Verr.* 2, 4, 2. Hinc *servus ab sacrario* est inter officia domus Augustae, in *Inscr.* ap. *Mur.* 893, 6. et 909, 8. P Item pro interiore, et sanctiore parte templi, ut adytum: et pro ipso templo. *Mart.* 7, 73. sacraria Vestae. Hinc Juppiter ap. *Stat. Th.* 3, 246. vocat coelum. Arcem hanc aeternam, mentis sacraria nostrae; et *Virg. A.* 12, 199. juro Vimque Deum infernam, et duri sacraria Ditis. P Translate. *Cic. Cat.* 1, 9. *f.* Aquilam illam argenteam, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, scirem esse praemissam. Adde *ib.* 2, 6. *f. Sen. Q. N.* 7, 31. Arcana naturae non promiscue, nec omnibus patent: reducta, et in interiore sacrario clausa sunt. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 4. Cottam in tribunatu, quasi in aliquo sacrario latentem, tribunicia inde justitia extraxit. *Prop.* 3, 23, 19. Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria condo. [*Symmach. Laud. in Valent.* (ed. *A. Maio*) 2, 22. Nusquam majus silentium, quam in sacrariis litterarum, *h. e.* in rhetorum scholis. *F.*] P *Sacrarium,* signum coeleste, V. in ARA.

SACRĀRĬUS, ii, m. *ἱεροφύλαξ,* sacrarii custos. *Inscr.* ap. *Grut.* 308, 1. Q. Tullius Q. F. pontifex sacrarius Junonis Quiritis. Adde 1088, 9. [et aliam ap. *Mur.* 963, 3. *Marin. Frat. Arv.* p. 294. de allata vocis interpretatione subdubitat; quid vero de eadem voce ita sentiat, minime protulit. *F.*]

*SACRĀTA, ae, f. Italiae oppidum, in Piceno. *Tab. Peut. B. A.*

[SACRĀTĒ, adv. religiose. *August. ep.* 22. *f.* Aliud bene, aliud sacrate vivere. *Id. Doctr. Chr.* 2, 16. An magis sacrate accipiendus sit numerus, *h. e.* mystice. *F.*]

SACRĀTĬO, onis, f. *ἀφιέρωσις,* consecratio. *Macr.* ad illud *Virg. A.* 10, 419. Injecere manum Parcae, telisque sacrarunt Euandri, *Sat.* 3, 7. *med.* Ex manus injectione paene mancipium designavit: et sacrationis vocabulo observantiam divini juris implevit. *Fest.* in *Sacramento.* Sacramento dicitur, quod jurisjurandi sacratione interposita actum est.

SACRĀTOR, oris, m. qui sacrat, ut Sacrator justitiae, *August. ep.* 140. P *Item nomen proprium ap. *Virg. A.* 10, 747. Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen. *B. A.*

SACRĀTUS, a, um, part. a *sacro: ἱερωθείς,* consecratus, sacer. *Virg. A.* 12, 213. tum rite sacratas In flammam jugulant pecudes. *Ov. A. Am.* 3, 389. Visite laurigero sacrata Palatia Phoebo. *Id. Trist.* 2, 552. Et tibi sacratum sors mea rupit opus. *Mart.* 9, 17. Pergameo posuit dona sacrata Deo. *Tibull.* 1, 5, 42. Et dare sacratis oscula liminibus. *Virg. A.* 2, 165. Sacratum templum; et *ib.* 3, 371. caput. *Mart.* 4, 1. Caesaris alma dies, et luce sacratior illa, Conscia Dictaeum qua tulit Ida Jovem. *Plin.* 33, 4, 24. Numen gentibus illis sacratissimum; et 37, 10, 60. Hammonis cornu inter sacratissimas Aethiopiae gemmas. *Cajus Dig.* 38, 17, 9. Sacratissimi principis nostri oratione cavetur. *Mamert. Pan. ad Maxim.* 1. et *Genethl.* 6. Sacratissime imperator. *Macr. Sat.* 3, 7. *f.* Animas sacratorum hominum Diis debitas aestimabant, *h. e.* sacrorum. V. in SACER. P *Sacratae leges* sunt, quibus sanctum est, ut qui adversus eas fecerit, sacer alicui Deo sit cum familia, et pecunia. Ita *Festus.* Hujusmodi fuerunt, quas scivit plebs jurata in monte sacro, cum secessisset a patribus, ut narrat *Liv.* 2, 33., ut plebi sui magistratus sacrosancti essent, quibus auxilii latio adversus consules esset: neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Aliae etiam fuere, ne de capite civis R. nisi centuriatis comitiis agi posset: ne privilegia irrogari liceret. Hujusmodi fuit etiam lex militaris; ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur: lata ob secessionem militum, dictatore M. Valerio Corvo, ut *Liv.* 7, 41. refert. Etiam alii populi suas leges sacratas habuere, ut Volsci et Aequi, ap. *eund.* 4, 26. Ligures, 36, 38. et Samnites, ap. *Plin.* 34, 7, 18., de quibus *Liv.* 10, 38. legendus est. *Cic. Sext.* 7. Tetra, immanisque bellua constricta legum sacratarum catenis. *Id. Dom.* 17. Vetant leges sacratae, vetant XII. Tabulae, leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium. Adde *Off.* 3, 31. et *fragm. pro C. Cornel. majest. reo* ap. *Ascon.* et ipsum *Ascon. ib.* et *Liv.* 2, 54. *f.* P Lata significatione *sacratae* dicuntur quaecumque leges sanctiores et graviores. *Virg. A.* 2, 457. Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura. *Gell.* 12, 4. Pro antiquis sacratisque amicitiae legibus. P [*Sacrata* etiam dicebatur mulier, quae honori alicujus numinis dedicabatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 309, 3. Fabiae Aconiae C. F., uxori Vettii Praetextati V. C. Praef. et consulis designati, sacratae apud Eleusinam Deo Baccho, Cereri et Corae. P Ita etiam vocatae sunt apud Christianos virgines Deo devotae. *Inscr.* ap. *Grut.* 1055, 2. Virgo sacrata Deo Manlia Daedalia. *Ammian.* 18, 10. *f.* Sapor Parthorum rex inventas quoque virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas, et religioni servire solito more, nullo vetante, praecepit. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 301. Cernis sacratas virgines. *F.*]

SACRAVIENSES, incolae regionis Sacrae viae in Urbe Roma. *Festus* in *October.* Ipsa enim Sacra via etiam Sacravia dicebatur, duabus simul conflatis vocibus, ut est ap. *Diomed.* 2, 401. et *Charis.* 1, 6, Et ita esse volunt quidam in illo *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Summa sacravia, ubi poma veneunt. Et in *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 7. M. Caedicius Jucundus aurifex de Sacravia; et 1033, 1. Aemilia Aucta de Sacrav.

SACRES PORCI. V. SACER.

SACRĬCOLA, ae, m. et f. sacra colens, sacra faciens, *ἱεροποιός. Tac. H.* 3, 74. Domitianus apud aedituum occultatus solertia liberti, lineo amictu turbae sacricolarum immixtus ignoratusque, *h. e.* sacerdotum Isidis seu Isiacorum, quos *Suet. Dom.* 1. rem eandem narrans *sacrificulos* appellat. V. locum ejusd. in SACRIFICULUS. *Appul. Flor. n.* 18. *f.* Sum enim non ignotus illius sacricola, nec recens cultor, nec ingratus antistes. *Macr. Sat.* 5, 19. Ad sacricolarum sagarumque carmina et devotiones fugiens. *Solin.* 1. *in.* Cum visceratione sacricolis daret, *h. e.* omnibus qui sacrum illud colentes sacrificio interfuerant. *Ammian.* 22, 14. Victimarius pro sacricola dicebatur, ad crebritatem hostiarum alludentibus multis. *Prud. praef. adv. Sym.* 1, 47. reges sacricolae, *h. e.* sacrifici. Tribuunt aliqui et *Cic. Verr.* 2, 4, 50. *med.* Urbs illa non urbs videtur, sed fanum Cereris esse: habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, sed omnes sacerdotes, omnes sacricolae, atque antistites Cereris esse videantur. Plerique alii leg. *accolae.* [*Ita *Orell.*]

SACRĪFER, ra, rum, adj. *ἱεροφόρος,* sacra ferens. *Ov. Fast.* 4, 251. Cum Trojam Aeneas Italos portaret in agros, Est Dea *(Cybele)* sacriferas paene secuta rates.

SACRĪFĪCĀLIS, e, adj. *ἱερουργικὸς,* ad sacrificos et sacrificia pertinens. *Tac. A.* 2, 69. Admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam plebem per lictores proturbat. *Appul. Met.* 9. *in.* Triclinium, in quo dominus aedium sacrificales epulas cum sacerdotibus Deae coenitabat. *Tert. adv. Haer.* 40. Sacrificalia ministeria, et instrumenta. P Legitur et *sacrificialis.*

SACRĪFĪCĀTĬO, onis, f. *ἱερουργία, θυσία,* actus et ratio sacrificandi. *Cic. N. D.* 2, 27. In ea Dea, quae est rerum custos intimarum, omnis et precatio, et sacrificatio externa est.

SACRĪFĪCĀTOR, oris, m. *θύτης,* qui sacrificat. *Tert Spect.* 8. *f.* Si Serapeum sacrificator, et adorator intravero.

[SACRĪFĪCATRIX, icis, f. quae sacrificat. *Inscr.* ap. *Don.* 33, 9. de Venere: Pacatrix (alii leg. *oratrix*), servatrix, amatrix, sacrificatrix. V. *Ignarr. de phratriis* p. 117. *F.*]

SACRĪFĪCĀTUS, a, um, part. a *sacrifico:* in sacrificio mactatus. *Plin.* 36, 21, 39. Aetitae gravidis adalligati in pelliculis sacrificatorum animalium, continent partus. P De *sacrificatis* ap. *Cyprianum* V. in SACRIFICO.

SACRĪFĪCĀTUS, us, m. sacrificatio. *Appul. Met.* 7. Nullum uspiam pecus sacrificatui, ac ne vinum quidem potatui habemus.

SACRĪFĪCIUM, ii, n. *θυσία, ἱερουργία,* res divina, sacrum. *Cic. Brut.* 14. *med.* Sacrificium cum laena facere. *Id. Har. resp.* 6. *med.* Scelere violare sacrificium, quod fit pro salute populi R. *Colum.* 12, 18. *med.* Sacrificia Libero Liberaeque quam sanctissime castissimeque facienda. *Caes. B. G.* 6, 12. Sacrificia publica ac privata procurare; et *ib.* Interdicere sacrificiis. *Ov. Pont.* 3. 2, 57. Sacrifici genus est (sic instituere priores) Advena virgineo caesus ut ense cadat. *Plin.* 8, 51, 77. Suis fetus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo, bovis tricesimo.

SACRĪFĪCO et Sacrufico, as, a. 1. et olim deponentis forma Sacrificor, aris, atus sum, *θύω,* sacrum facio, Diis quippiam offerendo, aut victimam caedendo rem divinam facio. *Varr. L. L.* 4, 26. In sacrificando Deis hoc poculo magistratus dat Deo vinum. *Nep. A.* 2. Ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat. *Pl. Most.* 1, 3, 84. Si summo Jovi vivo argento sacrificassem. *Id. Poen.* 2, 3. Quive ullum turis granum sacrificaverit. *Fest.* in *Sacrima:* Mustum sacrificare Libero. *Ov. Fast.* 4, 414. ignavam sacrificate suem. *Pl. Stich.* 1, 3, 97. Quot agnis fecerat? *Cro.* illa quidem nullum sacrificavit. *Id. Epid.* 2, 1, 7. Uxoris quoties sepulcrum vides, sacrificas illico Orco hostiis. *Id. Amph.* 4, 2, 14. *Merc.* Sacrufico ego tibi. *Amph.* qui? *Merc.* quia enim te macto infortunio, *h. e.* Diis sacra facio, quae tibi malum inferant: in tuum cruciatum victimas caedo. In *suppos. ejusd. Amph.* scena quae incipit: *Tun' me mactes,* et alia quae incipit: *Quis tam vasto, v.* 17. *sacrificare aliquem* est malo afficere, mactare infortunio, vel etiam caedere, occidere. *Liv.* 25, 1. Mulierum turba erat nec sacrificantium, nec precantium patrio more. *Suet. Aug.*

14. Circa Perusinum murum sacrificans. *Plin.* 2, 105, 109. Sacrificaturus ad aras accesserat. ℙ Passive impersonaliter. *Id.* 3, 5, 9. Diva Angerona, cui sacrificatur a d. XII. cal. Jauuar. *Id.* 16, 6, 8. Emortuo carbone sacrificatur. Adde 7, 47, 48. ℙ Deponentis forma. *Varr.* ap. *Non.* 7, 98. Biviris nuptis sacrificabantur in cubiculo viduae. Adde alia duo loca *ejusd. ib.* et *Gell.* 18, 12. Hinc part. *sacrificatus*, qui sacrificavit: quod negat *Varr. L. L.* 8, 61. recte dici: ut et *sacrificandus*. Nihilominus ap. *Cypr. ep.* 52. dicuntur *sacrificati*, qui Christianam religionem professi, metu persecutorum Diis sacrificaverant.

SACRIFĬCŬLUS, i, m. *ἱεροποιός*, sacerdos vilis et vanae superstitionis, ut ipsa diminutiva vox indicat. *Liv.* 25, 1. Sacrificuli, ac vates ceperant hominum mentes. *Suet. Dom.* 1. Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanae superstitionis latuit. V. *Tac. l. c.* in SACRICOLA. ℙ *Rex sacrificulus*, rex sacrorum. V. REX.

SACRĬFĬCUS, a, um, adj. *ἱεροποιός*, sacra faciens. *Ov. Fast.* 6, 803. Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco, *h. e.* qui sacrorum potissimum curam habuit, ut est ap. *Liv.* 1, 32. Idem epitheton Numae tribuit *Lucan.* 9, 478. ob eandem rationem. V. *Liv.* 1, 19. ℙ Item ad sacrificia pertinens, sacerdotalis. *Ov. Met.* 13, 590. Dies sacrifici, *h. e.* festi, et in quibus sacrificia fiunt; et *ib.* 15, 483. Docere aliquem ritus sacrificos; et *ib.* 12, 249. qui candida tauri Rumpere sacrifica molitur colla securi. *Sil.* 3, 27. Vestis sacrifica. *Sen. Ag.* 584. tibia. *Id. Med.* 38. Preces sacrificae. *Val. Fl.* 8, 243. arae. Adde 4, 110., ubi *sacrificum jugum* dicit montem, in quo Amycus mactabat homines, sacrificium Neptuno patri. *Ov. Fast.* 1, 129. modo namque Patuleius idem, Et modo sacrifico Clusius ore vocor, *h. e.* lingua sacerdotum. *Vet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 199. *Burm. de Mucio Scaev.* Sacrifico propriam concremat igne manum, *h.* e. igne ad sacrificium parato. ℙ *Rex sacrificus*, rex sacrorum. V. REX. *Liv.* 40, 42. *med.* De rege sacrifico sufficiendo in locum Dolabellae, contentio fuit.

SACRĬLĒGE, adv. *ἱεροσύλως*, impie. *Tert. Apol.* 12. Contumeliosissime, et in ipso opere sacrilege.

SACRĬLĒGĬUM, ii, n. *ἱεροσυλία*, furtum rei sacrae: aut ex sacro, ut *Quint.* 7, 3. definit. *Phaedr.* 4, 10. Fur onustus sacrilegio. *Liv.* 42, 3. Sacrilegium prohibere, *h. e.* ne tegulae de Junonis aede tollerentur. *Quint.* 5, 10. facere. *Id.* 4, 2. admittere. *Just.* 32, 2. committere; et 1, 9. perpetrare; et 8, 1. *extr.* Sacrilegii poenas luere sanguine. *Liv.* 4, 20. Prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliorum suorum Caesarem subtrahere testem. ℙ Et quaevis religionum violatio. *Nep. Alc.* 6. *med.* Damnare aliquem sacrilegii, *h. e.* quod sacra Cereris violaverit. *Sen. V. B.* 27. Cum in coelum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. *Flor.* 2, 17. *med.* Non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit.

SACRĬLĒGUS, a, um, adj. *θεοσυλής, ἱερόσυλος*. Sacrilegus est, qui sacra legit, *h. e.* furatur. *Cic. Leg.* 2, 16. Sacrilego poena est: neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. *Sen. Ira* 2, 28. *med.* Homicidae tyrannus irascitur, et punit furta sacrilegus. *Pl. Rud.* 3, 4, 1. Exi e fano, natum quantum est hominum, sacrilegissime. ℙ Item quicumque sacrorum violator, impius, scelestus. *Tibull.* 3, 5, 11. sacrilegos templis admovimus ignes. *Ov. Met.* 14, 539. Irrita sacrilega jactas incendia dextra, *h. e.* in naves sacras Matris Idaeae; et *ib.* 8, 816. protinus intrat Sacrilegi thalamos (*Fames*). *Id. R. Am.* 367. Sacrilegae linguae, *h. e.* eorum, qui pio Aeneae maledixere. *Id. Fast.* 3, 700. manus, *h. e.* eorum, qui occiderunt C. Caesarem. Sic *manus sacrilegae* ap. *eund. Am.* 1, 7, 28. sunt quae dominam verberarunt. *Mart.* 9, 71. Sacrilegum strueret cum Catilina nefas, *h. e.* conjurationem pararet in patriam; et *ib.* 86. Sacrilegi furores, *h. e.* ejus, qui movit bellum civile: qua de re *Suet. Dom.* 6., ubi de L. Antonio Saturnino. Rursus *Mart.* 4, 30. Hami sacrilegi, *h. e.* qui piscibus sacris injiciuntur. *Ter. Eun.* 5, 3, 2. Qui referam illi sacrilego gratiam, qui hunc supposuit nobis. *Ov. A. Am.* 1, 435. sacrilegas meretricum ut prosequar artes. *Val. Max.* 8, 11. *n.* 4. *extr.* Sacrilega cupiditas. ℙ *Sacrilegus nuptiarum* est adulter. *Imp. Constant. Cod.* 9, 9, 30. Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet.

SACRĪMA appellabant, inquit *Festus*, mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis, et vasis, et ipso vino conservandis; sicut praemessum de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri. *Gloss. Philox.* Sacrima, *ἀπαρχὴ γλεύκους*. *Id. Fest.* in *fr.* Sacrificium, quod pro uvis primis fieret, appellabatur ab an iquis sacrima. Est autem, ut Aelius Stilo, et Cloatius dicunt, mustum inditum in amphoram Liberalibus, sacrificii causa, pro uvis et vino, quae quasi sacra sunt, cum Libero fit; ut praemetium, cum Cereri.

SACRĬPORTUS, i, m. nomen loci in quarta regione Urbis Romae, inter viam Sacram, et vicum Sandaliarium, qui a *Sex. Rufo* dicitur *Sacriporticus*, et creditur fuisse Janus pervius, vel alius similis Arcus. *Varr. L. l.* 4, 8. *f.* ℙ Eo loco C. Marium C. filium Sulla proelio devicit. *Epit. Liv.* 87., *Flor.* 3, 21. *f.*, *Vell.* 2, 26. et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 68. ℙ Item nomen oppidi maritimi in sinu Tarentino. *Liv.* 26, 39. ℙ Tmesis est in illo *Lucan.* 2. 134. Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum? Aut Collina tulit stratas quot porta catervas?

SACRIS, e. V. SACER.

SACRIUM, vox Scythica succinum significans. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. *f.*

SACRO, as, avi, atum, a. 1. *ἱερόω*, Diis dedico, sacrum reddo, consecro. *Virg. A.* 5, 48. divinique ossa parentis Condidimus terra, moestasque sacravimus aras; et *ib.* 4, 200. Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem; et *ib.* 7, 62. laurum Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus. *Id. ib.* 6, 73. sacrare viros, *h. e.* sacerdotes facere: et loquitur de quindecimviris libris Sibyllinis inspiciendis. *Liv.* 2, 8. Sacrare cum bonis caput ejus, qui regni occupandi consilia inisset. V. SACER. *Id.* 38, 33. *med.* Sacrare foedus, *h. e.* per sacra, et jusjurandum sancire. *Just.* 36, 2. *med.* diem jejunio. *Cic. Balb.* 14. Sanctiones sacrandae sunt aut genere ipso, aut obtestatione et consecratione legis, aut poenae, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur. ℙ Urbane, et translate. *Virg. A.* 12, 140. hunc illi rex aetheris altus honorem Juppiter erepta pro virginitate sacravit, *h. e.* dedit, attribuit, proprium dicavit, quemadmodum dantur Diis, quae consecrantur. Possis etiam hypallagen hic agnoscere, scilicet, hoc honore Juppiter eam sacravit, *h. e.* sacram et Deam fecit. *Mart.* 1, 117. Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honore Faenius, *h. e.* exstructo sepulcro religiosum fecit. *Hor. Ep.* 2, 1, 49. Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit, *h. e.* e vivis sustulit, et ad Manes misit, qui sacri sunt. *Id. Od.* 1, 26, 11. Hunc Lesbio sacrare plectro Teque tuasque decet sorores; et *Virg. A.* 10, 419. Injecere manum Parcae, telisque sacrarunt Euandri, *h. e.* destinarunt tanquam sacrum hominem, et Diis mactandum. ℙ *Sacrare votum*, dedicare templum Diis, quod quis voverat. *Id. ib.* 8, 714. At Caesar triplici invectus Romana triumpho Moenia, Diis Italis votum immortale sacrabat.

SACROSANCTUS, a, um, adj. *ἐκτεθειωμένος*, inviolabilis, intactus, ab omni injuria tutus: a *sacer*, et *sanctus*, quia sancitum esset, ut sacer haberetur, qui violasset, quod sancitum erat. Sacrosanctum aliquid fiebat tum religione, tum lege: religione quidem, quia certis ad hoc caeremoniis opus erat: lege autem, quia hac sanciebatur, ut sacer esset, qui sacrum violasset, eive nocuisset, cui hac lege cautum erat. Sanciebatur autem vel a sola plebe, vel a patriciis et plebe simul. Nec sanciebatur, nisi intercedente juramento, quemadmodum *Festus* docet. Erat autem juramentum tale, legem se perpetuo observaturos, addebaturque exsecratio, ut qui legi parerent, ita Deos superos inferosque propitios haberent; qui non parerent, infestos. Verba *Festi* sunt: Sacrosanctum dicitur, quod jurejurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet: cujus generis sunt tribuni plebis, aedilesque ejusdem ordinis: quod affirmat M. Cato in ea quam scripsit, aediles plebis sacrosanctos esse. *Cic. Balb.* 14. Quid fuit in rogatione ea, quae de Pompejo a Gellio, et a Lentulo Coss. lata est, in qua aliquid sacrosanctum videretur? Primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebsque sanxisset. ℙ Speciatim apud Romanos tribuni plebis sacrosancti fuere, idest eos nemo laedere poterat sine capitali piaculo. *Liv.* 3, 35. Et cum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur (cujus rei prope jam memoria aboleverat) relatis quibusdam ex magno intervallo caeremoniis, renovarunt, et cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui tribunis plebis, aedilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi, Liberaeque venum iret. Hac lege juris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Haec *Liv. Id.* 9, 9. Dedetis et istos sacrosanctos, cum primum magistratu abierint. *Plin.* ipsos tribunos *sacrosanctos* dicit 7, 44, 45. Cum resistendi, sacroque sanctum repellendi jus non esset: *τιμῆσις*. Ex his habemus, *sacrosanctum* dici duplici ratione, tum eum qui tribunum, aedilem, etc. violaverit, ut est ap. *Liv.*; tum ipsum tribunum, aedilem, etc. ut est ap. *Plin.*, per quandam metonymiam. ℙ *Sacrosanctum* etiam translate dicitur quidquid violari nefas est. *Tac. A.* 4, 36. Ut quis districtior accusator, velut sacrosanctum erat. *Val. Max.* 5, 3. *f.* Oedipodis ossa honore arae decorata, quasi sacrosancta colis. *Cic. Cat.* 2, 8. Sacrosanctae possessiones. *Plin. ep.* 7, 11. Corelliam diligo, ut sororem Corellii Rufi, cujus mihi memoria sacrosancta est. ℙ In recto singul. mascul. *sacersanctus* dictum est a *Tert.* V. s. l.

SACROVIRIĀNUS, a, um, adj. ad Sacrovirum pertinens. Julius Sacrovir inter Gallos nobilis, cujus majores bene de Romanis meriti civitate R. donati fuerant, auctor fuit apud Aeduos rebellionis ob magnitudinem aeris alieni, ut *Tac. A.* 3, 40. narrat. Hinc *Id. ib.* 4, 18. Sacroviriani belli victor.

SACRUM, i, n. *τὸ ἱερόν*, res sacra, quicquid ad religionem spectat, omne quod nomine Deorum habetur. Fere pluraliter usurpatur. *Cic. Leg.* 2, 9. Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit, rapseritque, parricida esto. *Nep. Them.* 2. *extr.* Sacerdotibus sacra procuranda tradunt. *Id. Alc.* 4. Sacra violare. *Tac. A.* 1, 42. Sacra legationis, et fas gentium rumpere. *Id. ib.* 54. Sacra Sabinorum retinere. [*Huc pertinent etiam, quae *Forc.* s. v. *sacer*, nescio cur laudaverat ista: *Hor. Od.* 3, 2, 26. qui Cereris sacrum vulgarit arcanae. *Prop.* 4, 9, 43. Junoni sacrum facere. *Phaedr.* 4, 10, 13. sacrum accendere, *h. e.* victimam, aut ignem in sacris. *Sall. Cat.* 23. Sicut in solemnibus sacris fieri consuevit. *Prop.* 2, 15, 17. Sacra Dianae suscipere. *Hirt. B. Alex.* 32. *med.* Sacris omnibus prolatis, quorum religione precari offensos iratosque animos regum erant soliti i. e. simulacris deorum: Ita multis in locis *sacra* sunt ipsi Dii, s. Deorum simulacra. *Tib.* 2, 5, 40. Troia sacra: ubi *Heyn.* laud. *Virg. A.* 2, 717. et *excurs.* 9. ad *Aen.* 2. *Ov. Her.* 7, 158. Dardana sacra: ubi *Ruhnk.* laud. *ib.* v. 80. Presserunt humeros sacra paterque tuos, et *Brukh.* ad *Tib.* 1. modo 1.] ℙ Sacris initiare. V. INITIO. ℙ Commoveri sacra. V. COMMOVEO. ℙ Saepe sumitur pro sacrificio. *Tac. H.* 2, 70. *extr.* Instaurabat sacrum Diis loci. *Cic. Har. resp.* 15. Ac te sacra illa tua facientem videre. *Virg. A.* 3, 19. Sacra Dioneae matri, Divisque ferebam, etc. ℙ *Stata sacra* dicuntur, quae stato et certo tempore singulis annis recurrunt, diversa ab illis, quae *indicta* vocantur, quae nimirum in alia tempora rejici possunt, vel etiam penitus omitti. *Ov. Fast.* 1, 660. Quid a Fastis non stata sacra petis? ℙ *Sacra nuptialia*, et *jugalia* dicuntur sacrificia et solemnitates nuptiarum, *Quint.* 1, 7, 28., *Ov. Met.* 7, 700. ℙ *Inter sacrum et saxum stare*, proverbialis locutio pro in summo periculo esse, sumpta ex priscis foederis feriendi caeremoniis, in quibus fetialis porcum silice lapide percussurus, saxum illud manu tenens verba foederis pronunciabat, quibus dictis porcum feriebat. *Pl. Capt.* 3, 4, 84. Nunc ego omnino occidi: nunc ego inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam scio, [*nos: *zwischen Thür und Angel stehen.*] ℙ *Sacra* etiam erant privata gentis alicujus. *Liv.* 4, 2. Ut qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, *h. e.* cujus familiae, aut gentis. Habebant enim Romani sacra quaedam privata, quae una cum bonis ad heredes transibant. V. COEMPTIONALIS. ℙ Hinc *sine sacris hereditas* proverb. ap. *Fest.*, quod dici solet, cum aliquid obvenerit sine ulla incommoda appendice: quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata: relictusque heres sic pecuniae, etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administrare esset necessarium. Haec *Festus.* Hinc parasitus ap. *Pl. Capt.* 4, 1, 7. Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies. Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam. Itali simili sensu dicunt: *carne senza osso:* et *rosa senza spine.* ℙ *Sacra sacrilega* sunt caeremoniae paganorum. *Sidon. ep.* 3, 12. *in carm.* Primus de numero patrum suorum Sacris sacrilegis renunciavit. ℙ Interdum *sacra* dicuntur recondita artium, aut scientiarum praecepta. *Quint.* 5, 14, 27. Peregisse mihi videor sacra tradentium artes. ℙ [*Poetae sacra vocant carmina sua, et versificandi facultatem et vim divinam, quam habere se jactant. *Ov. Trist.* 4, 10, 19. At mihi jam puero coelestia sacra placebant: Inque suum furtim Musa trahebat opus. *Pers. prol.* 7. Ad sacra vatum carmen affero nostrum. *Mart.* 7, 62. Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus.] ℙ *Aliter haec sacra non constant*, proverb. ap. *Auson. f. Idyll.* 13., seu *centonis nuptialis*. quo uti possumus, cum quippiam male facimus, aut dicimus, sed quod loco aut rei conveniat, aut necessarium sit. ℙ [*Sacrum est etiam i. q. templum. *Quint. Inst.* 1, 4, 6. sed quia interiora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas cet. *Dict. Cret.* 5, 12. Cassandram Ajax Oilei e sacro Minervae captum abducit. V. *Barth.* ad *Stat. Th.* 2, 219. *Burm.* ad l. *Quint.* modo l.]

*SADĀLA, ae, m. Cotyos, Thraciae regis, filius. *Caes. B. C.* 3, 4. *B. A.*

*SADANUS, i, insula maris Aethiopici. *Plin.* 6, 29. *Solin.* 70. *B. A.*

SADDŪCAEI, orum, m. plur. haeretici quidam inter Judaeos, quorum opinio erat, animas una cum corpore interire, nec ullam esse corporum resurrectionem: neminem, praeter Deum, dominum appellari patiebantur, nec quicquam praeter legem servandum existimabant; fatum omnino negabant, et justorum nomen sibi unis vindicabant: nam *Sadducaeus* Hebr. צַדִּיק zaddîq, *justum* significat. *Tert. Praesc.* 45.

SAECŪLĀRIS, e, adj. *αἰώνιος*, ad saeculum pertinens. *Ludi saeculares* a Romanis centesimo quoque anno celebrabantur pro incolumitate populi et reipublicae. *Festus:* Saeculares ludi Tarquini Superbi

regis in agro sunt primum facti, quem Marti consecravit P. Valerius Poplicola Cos., quod populus R. in illo loco antea repertam aram quoque Diti ac Proserpinae consecraverat in extremo Martio Campo, quod Terentum (al. *Terentum*) appellatur, demissam infra pedes fere viginti (V. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 5.), in qua pro malis avertendis populus R. sacra facere solitus erat. Ludos postea saeculares et nonagesimo quoque anno facere ibi coepit, Popilio Laenate duumviro sacrorum: in quibus hostiis furvis est operatus tribus diebus totidemque noctibus. Ac deinde institutum est, centum post annos ut fierent: unde videntur saeculares appellati, quod centum annorum spatium saeculi habetur. Haec *Festus.* Originem et causam horum ludorum ad miraculum refert *Val. Max. l. c.*, quod ibi fuse persequitur. Quod vero centesimo quoque anno fierent, praeter *Festum* docet *Censorin. de die nat.* 17. allatis fragmentis *Varronis*, et *Livii.* Alii tamen ap. *eund. ib.*, scilicet Commentarii quindecimvirorum, et D. Augusti edicta, ostendunt, post centesimum decimum annum esse factos: unde *Hor. carm. saecul.* 21. Certus undenos decies per annos Orbis ut cantus referatque ludos, Ter die claro, totiensque grata Nocte frequentes. Quare *Censorin.* rem incertam esse ait, sicut incertum est, quot annorum spatio saeculum definiretur. *Plin.* 7, 48, 49. *f.* Minus miror, Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utrisque saecularibus ludis saltasse, et D. Augusti, et quos Claudius Caesar consulatu suo quarto fecit, quando sexaginta tres non amplius anni interfuere. *Suet. Claud.* 21. Fecit et saeculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos. Quare vox praeconis irrisa est, invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cum superessent adhuc qui spectaverant, et quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Haec *Suet.* ℙ *Saeculare carmen*, quod saecularibus ludis cani consuevit a selectis pueris et puellis: quale habemus ab *Horatio* compositum post *Epod.* ℙ Ecclesiasticis scriptoribus saecularis est profanus, ethnicus, gentilis. *Sedul. in. conc. post ep.* 9. *l.* 7. Historia saecularis. *Tert. Exhort. ad castit.* 13. *f.* Feminae quaedam saeculares, *h. e.* Dido, et Lucretia; et *ib. in.* Saecularia exempla. *Sedul. ep. ad Macedon.* studia. Rursus *Tert. Cor. mil.* 7. Litterae saeculares. ℙ [Item qui nullo clericali ordine est insignitus, quique etiamnum ab Italis *secolare* dicitur, et presbytero, seu monacho opponitur. *Hieron. ep.* 60. *n.* 11. Sint ditiores monachi, quam saeculares: suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. *F.*] ℙ Sunt qui scrib. *secularis.* V. v. sq.

SAECŬLUM, et poetice per sync. Saeclum, i, n. αἰών, γενεά, longum annorum spatium, quod quidam ap. *Serv.* ad *A.* 8, 508. et ad *Ecl.* 4, 5. definiunt esse triginta annorum: (quod *Plin.* de Druidibus tradit 16, 44, 95.) alii centum ac decem: alii mille: *Varro L. L.* 5, 2. *f.* et *Festus* centum: et dictum esse ait *Varr.* a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt. *Censorin. de die nat.* 17. duplex saeculum facit, naturale et civile: illud dicit esse spatium vitae humanae longissimum, partu et morte definitum: quare qui annos triginta saeculum putarunt, multum errasse videri. Quot autem anni longissimum humanae vitae spatium constituant, statui non posse: in libris ritualibus Etruscorum scriptum esse, initia sic poni saeculorum: quo die urbes constituerentur, de his qui eo die nati essent, eum qui diutissime vixisset, die mortis suae primi saeculi modulum finire: eoque die qui essent reliqui in civitate, de his rursum ejus mortem, qui longissimam aetatem egisset, finem esse saeculi secundi. Haec *Censorin.* Ex his vulgatior est *Varronis* sententia centum annos saeculo tribuentis. *Cic. Or.* 2, 37. Quo etiam major vir Numa habendus est, cum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope saeculis ante cognovit, quam eam Graeci natam esse senserunt. *Pl.* secundum eos, qui mille annorum saeculum faciunt, *Mil.* 4, 2, 87. Quin mille annorum perpetuo vivunt, ab saeculo ad saeclum. ℙ Saepe ponitur indefinite pro quovis longo tempore. *Virg. A.* 8, 508. Sed mihi tarda gelu, saeclisque effeta senectus Invidet imperium. *Cic. Fam.* 11, 14. *med.* Victoria nunciata, in multa saecula videbamus rempublicam liberatam. *Id. Acad.* 4, 5. *med.* Nihilne tot saeculis, summis ingeniis, maximis studiis, explicatum putamus? *Virg. G.* 2, 295. multa virum saecula; et *Plin. Pan.* 55. Ibit in saecula, fuisse principem, cui florenti et incolumi nunquam nisi modici honores decernerentur; et *Sil.* 12, 312. factoque in saecula ituro Laetantur tribuisse locum. *Lucan.* 10, 533. potuit discrimine nullo Caesaris una dies in famam et saecula mitti. *Val. Fl.* 1, 98. jam stare ratem, remisque superbam Poscere, quos revehat, rebusque in saecula tollat. [*In saecula ire, mitti, cet. formula satis usitata est de iis, quorum memoria propagatur ad posteritatem. V. *Arnzen.* et *Schwarz.* ad *Plin.* l. modo l.] *Cic. Phil.* 2, 22. Hujus rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum immemorem fore; et *ib.* 4, 1. *f.* Nihil ex omnium saeculorum memoria tale cognovi. *Id. N. D.* 2, 20. Nihil immutat sempiternis saeculorum aetatibus. *Virg. A.* 1, 449. et *ib.* 6, 235. et *ib.* 12, 826. per saecula, *h. e.* per multas aetates, longo tempore. *Pall.* 11, 12. Curas agere saeculorum, *h. e.* posteri temporis. [*Notandum, quod post Augusti aetatem v. *saeculum* omnino aevum designat, *Zeit*, *Zeitalter*, quatenus mutatus princeps immutatum adducit rerum ordinem. *Tac. Agr.* 3. primo statim beatissimi saeculi ortu: ubi v. *Walch.*, qui *Suet.*, *Sen.*, *Plin.* minoris omnia exempla laudat. Adde *Vell.* 2, 13, 2. virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum; et cp. 53. Quos in aetate tanti et paene nostri saeculi viri fefellit quinquennium.] ℙ Item metonymice pro hominibus, qui aliquo saeculo vivunt, et pro moribus saeculi. *Cic. Div.* 1, 19. Nec saeculorum reliquorum judicium pertimescere. *Ter. Eun.* 2, 2, 15. Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius. *Stat. Th.* 11, 691. interea longum cessante magistro (*Charonte*) Crescat opus, totisque exspectent saecula ripis, *h. e.* animae defunctorum transvehendae. *Hor. Od.* 3, 6, 17. Fecunda culpae saecula. *Virg. G.* 1, 468. Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem. *Id. A.* 1, 295. Aspera tum positis mitescent saecula bellis. *Tac. G.* 19. Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi, saeculum vocatur. Sic *Albin.* 1, 45. Quid (*prodest*) tenuisse animum contra sua saecula rectum, *h. e.* contra vitia hominum sui temporis. Adde *Mart.* 9, 28. Hinc dictum est *saeculum aureum*, *argenteum*, *aeneum*, *ferreum* a moribus hominum, qui tum vixere, ut in AETAS dictum est. V. *Ov. Met.* 1, 90., *Virg. A.* 6, 793. aurea condet Saecula qui rursus Latio, regnata per arva Saturno quondam. *Claud. Laud. Stil.* 2, 446. Hic habitant vario faciem distincta metallo Saecula certa locis: illic glomerantur aena, Hic ferrata rigent, illic argentea candent. ℙ Huc pertinet, quod saecla de hominibus, et de brutis animalibus, eorumque natione, genere, ac sobole frequenter a *Lucretio* usurpantur, ut 5, 864. Lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla; et 3, 754. fera saecla ferarum; et 2, 502. saecla pavonum; et 5, 1083. cornicum saecla vetusta; et 1, 467. et 5, 340. saecla hominum; et 6, 722. et 1107. nigra virum, percoctaque saecla calore; et 3, 630. scriptorum saecla priorum, *h. e.* antiqui scriptores. *Id.* 1, 202. Multaque vivendo vitalia vincere saecla; et *ib.* 1090. et 5, 789. et 986. e terra vesci mortalia saecla; et 1, 20. et 2, 173. Propagare saecla. Adde *Stat. Th.* 11, 592. ℙ In sing. num. *Id.* 4, 1220. Et muliebre oritur patrio de semine saeclum; et 2, 1077. cujusque sient saecli. ℙ Christianis scriptoribus *saeculum* est mundus, et vita haec mortalis. *Prud. Cath.* 5, 109. Fessos ille vocat per freta saeculi; et περὶ στεφ. 2, 583. Et servientem corpori Absolve vinclis saeculi. *Paul. Nol. ep.* 23. *n.* 33. *f.* Si hoc saeculum noctem putes, quod conversione gentium serenatum est. *Sedul.* 4, 291. caduca vagi contemnens culmina saecli. Adde *Hieron.* et *August.* plurimis in locis. ℙ Item gentilium et ethnicorum vita ac disciplina. *Tert. Exhort. ad castit.* 13. *in.* Videmus etiam saeculi exempla, quae saepe nobis in testimonio posita sunt. Alii leg. *saecularia.* V. SAECULARIS. ℙ Sunt qui scrib. *seculum*, quos probant *Jun.* ad *Tert. Pall.* 1. et *Dausqu.* in *Orthogr.* tum ex notatione, quod sit non quidem a *sene*, ut vult *Varr.*, sed vel a *se*, et *colo*, vel a *sequor*, vel a *seco:* tum quod quidam Graeci scriptores σέκουλα scripserint. Sed multo graviora sunt argumenta diphthongum asserentium, nummi multorum Caesarum, veteres Lapides ap. *Grut.* et *Spon.*, veteres libri, et *Virgil. Carpensis* ap. *Manut.*, *Cellar.* et *Pier.* ad *Virg. Ecl.* 4, 46., quos non sequi religio est. [*Rectius *saeculum* deduci videtur a Gr. αἰών, aevum, unde *saeculum* pro *saeviculum*, ut *aetas* pro *aevitas.*]

SAEPĔ, adv. πολλάκις, frequenter, crebro. [*Etymon faciunt a *saepio: Doederl.* a Gr. ἀεὶ, ap. *Pind.* ἀὲ, deducendum putat. V. 1, 17. et 3, 305. ubi docet: *saepe* usurpari cum opposs. *semel*, *iterum*, *nonnunquam*, *nunquam*, *semper.* Quid differat a *frequenter* et *crebro*, dictum in h. v.] *Ter. Hec.* 3, 1, 28. Nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est. *Liv.* 23, 15. Saepe vi, saepe sollicitandis principibus, etc. *Caes B. G.* 5, 7. *f.* Saepe clamitans, liberum se esse. *Cic. Off.* 3, 17. Quod etsi saepe dictum est, dicendum tamen est saepius. *Id. Quint.* 1. M. Junius in hac causa multum et saepe versatus. *Id. Inv.* 1, 1. Saepe et multum hoc mecum cogitavi. [*Solemnis fere est utriusque vocabuli, *saepe* et *multus*, conjunctio. *Id. Off.* 2, 6, 20. At vero interitus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum, i. e. multorum, quorum alius alio tempore interiit: ubi v. quae laud. *Beier*] *Id. Fam.* 13, 42. *extr.* Iterum saepiusque te rogo. *Id. Font.* 8. Pecuniam semel atque iterum, ac saepius invitissimi dare coacti sunt. *Id. Inv.* 2, 4. *f.* Comitem illum suum inclamavit semel et saepius. *Id. Quint.* 31. Quorum saepe et diu ad pedes jacuit stratus. *Id. N. D.* 3, 27. *med.* Vinum aegrotis prodest raro, nocet saepissime. *Id. Fin.* 2, 13. Quod vos interdum, vel potius nimium saepe dicitis. *Auct. ad Her.* 3, 8. *med.* Si separatim haec causa minus saepe tractatur. *Plin.* 15, 6, 6. Oleum saepius die capulandum; et 7, 15, 13. Saepius mense. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 17. Saepius justo. ℙ *Saepius* frequenter sine comparatione adhibetur. *Virg. A.* 2, 455. qua se, dum regna manebant, Saepius Andromache ferre incomitata solebat. *Charis.* 4, 240. hunc locum soloecismis accenset, cum relativum, h. e. comparativum pro absoluto ponitur: sed usitatissimum est omnibus scriptoribus. ℙ Additur ornatus causa ablativus *numero*, et a multis tanquam una dictio pronunciatur et scribitur. *Cic. Sen.* 2. Saepe numero admirari soleo. *Gell.* 3, 16. Gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, saepe nono, saepius numero decimo mense. Adde *Caes. B. G.* 1, 33. et *Sall. Cat.* 54. et 57. ℙ Bene saepe, est *Ennii* ap. *Gell.* 12, 4. ℙ *Saepeque*, et saepe. *Cato* ap. *eund.* 3, 7. *f.* ℙ Ex hoc adverbio positivum, vel comparativum nomen non legi, inquit *Prisc.* 3, 602. Superlativum posuit *Cato Nepos:* Ex aere alieno saepissimam discordiam fuisse. *Id. Prisc.* 15, 1016. oblitus sui, *saepior* ab antiquis dictum fuisse, scribit. [*At haec rectius ad inus. *saepus* v. *saepis*, ut *prope* ad *propis*, referri posse videntur. Cf. *Ruddim.* 1. p. 174. *n.* 37. et *Zumpt.* §. 266. p. 243. *n.* 1. ℙ Confund. *saepe* et *semper.* Cf. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 352. *b.*]

SAEPĔNŬMĔRUS, a, um, adj. *Not. Tir.* p. 33. Saepe, saepenumerus.

SAEPĬCŬLĔ, adv. dimin. a saepe. Frequens est *Appulejo*, ut *Met.* 1. Lacrimae saepicule de gaudio prodeunt; et *ib.* 6. Me saepicule commonebant. Adde 2, 8, 9. *ib.* etc. Habet et *Pl. Cas.* 3, 5, 59. Saepicule peccas. Sed *Prisc.* 3, 611. legit *saepiuscule*, quod magis secundum analogiam est a *saepius*, quam a *saepe saepicule.*

[SAEPĪNAS, atis, adj. omn. gen. ad Saepinum pertinens, oppidum Samnii, nunc *Supino*, vel juxta alios *Altilia.* Ejus meminit *Liv.* 10, 44. *Inscr.* ap. *Grut.* 441, 4. Municipes Saepinates. Alia ap. *Mur.* 606. Magistratus Saepinates. ℙ *Saepinates*, *ium* sunt incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 12, 17. Ficolenses, Saepinates, Tereventinates. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 140. Curator R. P. Atinat., item Saepinatium. *F.*]

SAEPĬO etc. V. SEPIO.

SAEPĬOR. } V. SAEPE.
SAEPĬSSĬMUS. }

SAEPĬUSCŬLĔ. V. SAEPICULE.

*SAEPONE, es, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ed. *Hard*, ubi ed. *Elzev.* habet *Saepona.* *B. A.*

[SAETĂBIS, is, f. *Xativa*, nunc, ex quo haec urbs a Philippo V. Hispan. rege diruta et solo aequata, deinceps ab eodem reaedificata est, *S. Phelipe* dicitur, Σαιταβὶς, in Hispania Tarraconensi, ad fluv. cognominem, ubi nobilissimum linum provenit, et tertiae in Europa palmae, ut ait *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 1. Hinc *Sil.* 3, 374. Saetabis et telas Arabum sprevisse superba, Et Pelusiaco filium componere lino. *Grat. Cyn.* 40. At contra nostris imbellia lina Faliscis, Hispanaeque alio spectantur Saetabis usu. ℙ *Setabis* perperam scribitur ap. *Plin.* in *ll.* mox cc. in SAETABUS et SAETABITANUS, et alibi; Graece enim Σαιταβὶς legitur ap. *Ptolem.* 2, 6., tum in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 55. et in *Inscr.* ap. *Mur.* 1077, 2, 3. et 4., ubi per diphthongum perpetuo haec vox scribitur. *F.*]

SAETĂBĪTĀNUS, a, um, adj. ad Saetabin pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 1077, 4. C. Cornelius C. F. Junianus Saetabitanus. ℙ *Saetabitani*, *orum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 3, 4. Castulonenses, Saetabitani, qui Augustani Valerienses.

SAETĂBUS, a, um, adj. ad Saetabin pertinens. *Catull.* 12, 14. Nam sudaria Saetaba ex Iberis Miserunt mihi, etc. *h. e.* e lino Saetabo, quae *Saetaba* absolute dixit *Plin. praef. H. N.*

SAEVĔ, adv. ὠμῶς, crudeliter, saeviter. *Suet. Tib.* 59. Multa saeve et atrociter factitavit. *Flor.* 3, 7. Adeo saeve in captivos consulebatur, ut, etc. *Plin.* 30, 2, 5. de Nerone: Saevius nos replevit umbris. *Ov. A. Am.* 3, 504. Lumina Gorgoneo saevius igne micant, *h. e.* iratius. *Lucan.* 7, 171. Impia tam saeve gesturus bella litasti? *Id.* 8, 492. facere omnia saeve Non impune licet: γνώμη. *Colum.* 11, 1. *med.* Quidam imperitandi parum prudentes, aut saevius, aut lenius agendo, rem domini corrumpunt; et 1, 4. *f.* Sunt loca, quae tepent hieme, sed aestate saevissime candent; et *Suet. Claud.* 2. Aliquem saevissime coercere.

SAEVĬDICTUM, i, n. saevum dictum. *Ter. Ph.* 1, 4, 36 Ne te suis iratus saevidictis protelet. Alii leg. *saevidicis dictis.*

SAEVĬDĬCUS. V. v. praec.

SAEVĬO, is, ii, itum, n. 4. χαλεπαίνω, saevus sum in aliquem, crudeliter ago. *Sall. Cat.* 10. Fortuna saevire, ac miscere omnia coepit. *Liv.* 3, 45. *med.* Saevite in tergum, et in cervices nostras: pudicitia saltem in tuto sit. *Just.* 12, 5. Hostili odio saevire in suos. *Suet. Aug.* 13. In captivum non sine verborum contumelia saeviit. *Liv.* 28, 34. *med.* Neque se in obsides innoxios, sed in ipsos, si defecerint, saeviturum. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *med.* Saevire in se, *h. e.* sibi manus inferre. *Tac. A.* 3, 31. *extr.* in pecuniam et famam multorum damnationibus et hastis.

Juven. 18, 180. flagellis in aliquem. ℙ *Leniter saevire* simile ac lente festinare. *Pl. Bacch.* 3, 3, 4. Leniter qui saeviunt, sapiunt magis, *h. e.* qui iram compescunt, et severitate parce utuntur. ℙ Cum dat. *Ov. Her.* 4, 148. Qui mihi nunc saevit, sic tibi parcat Amor. Adde *Tibull.* 1, 5, 46. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov.* l. modo l. et *Burm.* ad *Val. Fl.* 2, 145.] ℙ Cum accus. communi. *Pl. Epid.* 5, 1, 51. Memento, si quid saeviunt senes, suppetias mihi ferre. ℙ Cum inf. *Ov. Met.* 1, 200. cum manus impia saevit Sanguine Caesarei Romanum exstinguere nomen: *saevit* pro *saeviit.* ℙ Passive impersonaliter. *Just.* 39, 3. *med.* A nullo unquam majorum suorum in feminas saevitum. *Tac. A.* 1, 49. Intellecto, in quos saeviretur. *Vell.* 2, 120. *f.* Cum in captivos saeviretur a Germanis. [**Liv.* 1, 1. Saevitum est in ceteros Troianos. Adde *Vell.* 2, 74. *Curt.* 8, 10, 6. *Bail.*] ℙ De iis, qui verbis, minis, increpationibus vehementius insurgunt, et excandescunt. *Pl. Cas.* 3, 5, 20. Here mi, nimium saevis. *Ter. Andr.* 5, 2, 27. Ah ne saevi tantopere. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Virg. A.* 1, 153. saevit animis ignobile vulgus. *Id. ib.* 6, 544. ne saevi, magna sacerdos: Discedam. ℙ Pro fortiter facere, strenue se gerere. *Mart. Spect.* 6. Belliger invictis quod Mars tibi saevit in armis, Non satis est, Caesar: saevit et ipsa Venus. ℙ Saepe de bestiis dicitur, cum irascuntur, efferantur, furunt, et in morsus ruunt. *Phaedr.* 3, 2. de pantherа: Et cuncta vastans saevit irato impetu. *Ov. Met.* 11, 369. lupus saevit rabieque fameque. *Val. Fl.* 6, 613. stabulis qualis leo saevit opimis Luxurians, spargitque famem. *Virg. G.* 3, 434. anguis saevit agris. *Id. A.* 5, 257. saevit canum latratus in auras. *Gell.* 7, 1. *med.* Canes in alios saevientes; et 9, 11. *med.* Corvus ubi satis saevierat, etc. *Appul. Met.* 1. Saeviens venter, *h. e.* prae fame quasi latrans. ℙ Hinc adhibetur ad exprimendum ursorum rugitum. *Spart. Get.* 5. Agni balant, porcelli grunniunt, ursi saeviunt, leones rugiunt. *Virg. A.* 7, 17. Setigerique sues, atque in praesepibus ursi Saevire, ac formae magnorum ululare luporum. ℙ Transfertur ad res inanimas, ut mare, ventos, hiemem, morbos, etc. cum maxime vim suam produnt, et veluti furunt. *Sall. Jug.* 80. Ubi mare magnum esse, et saevire ventis coepit. *Lucr.* 1, 276. saevitque minaci murmure pontus; et 5, 1001. mare saevibat fluctibus. *Caes. B. G.* 3, 13. *f.* Cum saevire ventus coepisset. *Hor. Od.* 4, 14, 27. de Aufido. Cum saevit, horrendamque cultis Diluviem minitatur agris. *Sen. Hippol.* 766. saevit solstitio medius dies. *Claud. Laud. Stil.* 2, 459. immodico nec frigore saeviat Ursa. *Id. VI. cons. Honor.* 241. annique vapore Saeviat aucta lues. *Id. B. Gild.* 515. pestifer aer Saevit. *Hor. Epod.* 3, 5. Quid hoc veneni saevit in praecordiis? *Gell.* 12, 5. *med.* Morbus saeviens. *Seren. Samm.* 18, 322. At male digestis si crapula saeviet escis. *Val. Fl.* 4, 454. de Harpyiis: Diripiunt, verruntque dapes foedataque turbant Pocula: saevit odor. Sic *ib.* 493. Flagrat acerbus odor; et *ib.* 499. Saevit utrinque fames. ℙ Similiter dicitur de immodicis animi affectibus. *Virg. A.* 7, 461. Saevit amor ferri, et scelerata insania belli. *Prop.* 2, 7, 24. dolor. *Hor. Od.* 1, 25, 15. libido circa jecur. *Ov. Met.* 14, 193. ira. *Gell.* 1, 11. *f.* Orationem alicujus aut demissam jacentemque erigere, aut ferocientem saevientemque cohibere. ℙ *Saevire* dicitur etiam immodicus sonus, aut strepitus. *Sil.* 4, 95. propius propiusque sonoro Quadrupedum cornu tellus gemit: ac simul acer Vincentum lituos hinnitus saevit equorum. *Id.* 13, 600. saevit stridoribus arbor, *h. e.* valde strepit. Est qui legit *nutat*, sed minus recte.

SAEVIS, e. V. SAEVUS.

SAEVĪTAS, atis, f. idem ac saevitia. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 483. Cum saepe morbos major armet saevitas. *Firm. Math.* 5, 5. Saevitate aliquem deterrere. *Appul. Met.* 9. Eu indignae rei saevitatem. Alii legunt *scaevitatem*, h. e. adversam fortunam, a σκαιὸς, sinister, adversus. *Gell. praef. med.* Quo sit quorundam male doctorum hominum saevitas, et invidentia irritatior. Hic quoque alii reponunt *scaevitas*, h. e. sinistra, et perversa voluntas.

SAEVĪTER, adv. saeve. *Pl. Ps.* 5, 2, 3. Magis cogito, saeviter, blanditerne alloquar; et *Trin.* 4, 3, 53. Quid si egomet te velle nolo? *Char.* ah nimium, Stasime, saeviter! Adde *Poen.* 1, 2, 122. et *Acc.* ap. *Non.* 11, 15.

SAEVĪTIA, ae, f. ἀπήνεια, ὠμότης, asperitas, crudelitas, immanitas. [*De discrimine inter *saevitia* et *feritas* dictum est in h. v.] Ejus instrumenta in homines *Sen. ep.* 14. enumerat. *Id. Clem.* 25. Saevitia excedit fines, primum solitos, deinde humanos. *Cic. Off.* 2, 7. Iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saevitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. *Id. Part.* 4. Orator sibi proponet delectationem in exornatione: in judicio aut saevitiam, aut clementiam judicis: in suasione aut spem, aut reformidationem deliberantis. *Plin. ep.* 2, 11. Immanitas, et saevitia. *Gell.* 20, 1. *f.* Saevitiam poenae contemnere. *Suet. Cal.* 32. Saevitia dictorum factorumque; et *ib.* 27. ingenii. *Sallust. Cat.* 34. feneratorum; et *ib.* 50. *med.* belli. *Id. Jug.* 7. hostium. *Just.* 21, 2. Saevitia grassari; et *ib. f.* Saevitiam exercere. *Suet. Cal.* 6. *extr.* reprimere. *Petr. Sat.* 94. Paululum intepescente saevitia. *Plin.* 29, 1, 6. de Archagatho medico: A saevitia secandi urendique transiit nomen in carnificem. *Prop.* 1, 1, 10. Saevitiam durae contudit Iasidos, *h. e.* asperitatem et duritiam animi amorem aversantis. ℙ In plur. num. *Sall. fragm.* ap. *August. C. D.* 2, 18. Quibus saevitiis, et maxime fenoris onere oppressa plebs, etc. ℙ De bestiis. *Plin.* 8, 40, 61. Impetus canum, et saevitia mitigatur ab homine considente humi. V. SAEVIO. ℙ De rebus inanimis. *Curt.* 8, 4. *med.* Jam coeli mitescente saevitia. *Sall. Jug.* 41. et *Plin.* 19, 8, 51. Saevitia hiemis. *Id.* 9, 31, 51. et *Vell.* 1, 2. *extr.* maris. *Ov. Her.* 19, 23. ubi saevitiae paulum gravis unda remisit. *Plin.* 3, 8, 14. In eo freto est scopulus Scylla: item Charybdis mare vorticosum: ambo clara saevitia. ℙ De immodicis affectibus. *Colum.* 6, 37. Amoris saevitiam labore temperare: de asino admissario loquitur. ℙ Saevitia annonae, caritas, difficultas, pretium immodicum, et pauperes quasi saeve torquens. *Tac. A.* 2, 87. Saevitiam annonae incusante plebe, statuit frumento pretium.

SAEVĪTIES, ei, f. saevitia. *Tac. A.* 11, 10. *extr.* Per saevitiem et luxum adegit Parthos. *Appul. Met.* 6. Canis saevitiem offula redimere; et *ib.* Socrus saevitiem exsecrata. Ubiq. alii leg. *saevitia.*

SAEVĪTŪDO, inis, f. idem ac saevitia. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 2, 796. Vincla, virgae, molae, saevitudo mala fit pejor.

SAEVUS, a, um, adj. ἀπηνὴς, ὠμὸς, χαλεπὸς, severus, rigidus, asper, durus, immitis, ferus, crudelis, inhumanus: fortasse a *scaevus*, σκαιός. [*Doederl.*, qui hanc vocis a *scaevus*, Gr. σκαιὸς, ductam originationem ideo rejicit, quod *saevi* notio derivari ex *scaevo* nullo modo possit, etymon (ut *saepe* ab ἀεὶ), facit ab interjectione VAE, ad modum Gr. v. αἰνὸς ab αἰ. Doloris enim afferendi significatum positum quasi fundamentum in verbo *saeviendi*, ac irae, pugnae, terroris, ut Gr. αἰνὸς, *saevus* esse epitheton, opp. blandus, lenis, et clemens sim. — De discrimine inter *saevus* et *atrox* dictum est in h. v.] *Ter. Ad.* 5, 4, 12. Ego ille agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax, duxi uxorem. *Id. Phorm.* 5, 1, 17. Conclusam hic habeo uxorem saevam, *h. e.* rabidam, iracundam, molestam. *Pl. Bacch.* 4, 5, 3. Truculentus atque saevus senex. *Liv.* 31, 32. Tyrannus saevissimus et violentissimus in suos. *Virg. G.* 2, 128. Pocula si quando saevae infecere novercae. *Tibull.* 1, 11, 65. Sed manibus qui saevus erit, etc. *h. e.* qui tam ferus erit, ut puellam suam verberet. *Id.* 1, 9, 62. Saeva puella, *h. e.* amoris inimica, et precibus amantium dura. *Pl. Amph.* 1, 3, 43. Ex amore hic admodum quam saevus est, *h. e.* iracundus. *Tibull.* 1, 2, 5. posita est nostrae custodia saeva puellae, *h. e.* arcta, severa, impenetrabilis; et *ib.* 5, 13. ne possent saeva nocere Somnia, *h. e.* tristia, ominosa, et noxia. Quidam hic mallent *scaeva*. *Hor. Epod.* 12, 13. Saeva verba. ℙ Cum inf. *Id. Ep.* 1, 15, 30. Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus. Adde *Sil.* 11, 7. ℙ De bestiis. *Tibull.* 4, 3, 22. Saevae ferae. *Id.* 1, 6, 18. Saevi lupi. *Prop.* 3, 14, 17. Saeva canum rabies. *Virg. G.* 3, 246. Saevior leaena. *Plin.* 11, 37, 64. *extr.* Animalia saevissima dentibus. ℙ De rebus inanimis. *Tibull.* 4, 1, 144. Saevae mensae, *h. e.* in quibus humanae carnes comeduntur. *Prop.* 1, 1, 27. Saevi ignes. *Ov. Trist.* 5, 4, 69. *saevi ignes* sunt fulmina. *Virg. A.* 9, 604. Saevum gelu; et *ib.* 12, 890. Saeva arma; et *ib.* 5, 270. Saevus scopulus. *Stat. Theb.* 2, 85. odor vini, *h. e.* quod ad saevitiam homines impellit. *Tac. H.* 3, 83. Saeva ac deformis urbe tota facies: *saeva* propter caedes: *deformis* propter popinas, scorta, et luxum. ℙ Saepe dicitur de ventis et mari. *Cic. Att.* 5, 12. Inde Gyarum venimus saevo vento, non adverso, *h. e.* vehementi. *Val. Fl.* 7, 52. Saeva hiems, *h. e.* hibernum tempus, quo mare turbatum esse solet, atque adeo clausum navigantibus, exceptis piratis et avaris, ut est ap. *Plin.* 2, 47, 47. *extr.* et *Pl. Mil.* 2, 5, 4. Saevi fluctus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 413. Saevae tempestates. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 620. Mare saevum, *h. e.* importuosum. *Virg. ib.* 7, 719. saevus Orion, *h. e.* procellas inducens. *Just.* 4, 1. de freto Siculo: Torrens fretum non solum citato impetu, verum etiam saevo, *h. e.* naufragia afferente. Sic *Prop.* 3, 17, 8. Saeva Malea; et 1, 17, 6. saevas increpat aura minas. ℙ De aliis praeterea rebus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 413. Saevum et durum bellum. *Mart.* 4, 55. metallum, *h. e.* ferrum. *Id.* 5, 76. Saeva toxica. *Id.* 9, 28. Saevae volsellae, *h. e.* quae cum dolore pilos vellunt. *Tac. A.* 2, 26. Gravia et saeva damna inferre; et *ib.* 5. Quae sibi belligeranti saeva, vel prospera evenissent, *h. e.* adversa. Hic etiam mallet aliquis *scaeva*. [**Plin. Pan.* 14, 5. saevi labores.] ℙ *Saevi joci* ap. *Hor. Od.* 1, 33, 10. sunt ejus, qui jocatur simul, et laedit. ℙ De affectibus vehementioribus, unde homines turbari vehementius, aut saevire solent. *Prop.* 1, 18, 14. Saeva ira. *Virg. A.* 1, 29. Saevi dolores. *Id. ib.* 12, 406. Saevus horror. *Id. Ecl.* 8, 47. amor. *Prop.* 1, 7, 81. metus. *Id.* 3, 14, 8. Saevior fletus, *h. e.* amarior, et cruciabilior; et 1, 17, 9. Saevae querelae, *h. e.* dirae, et imprecationes. ℙ Aliquando est acer, fortis, strenuus, belicosus. *Virg. A.* 1, 103. Saevus ubi Aeacidae telis jacet Hector; et *ib.* 12, 107. maternis saevus in armis Aeneas acuit Martem, et se suscitat ira. ℙ Item magnus, si *Servio* credimus ad *A.* 1, 8. ita interpretanti illud *Ennii:* Induta fuit saeva stola. Adjicit huc et illud *Virgil.* modo allatum. Fatetur tamen et *fortem* intelligi posse. ℙ Item potens, terribilis. *Virg. A.* 1, 142. Non illi imperium pelagi, saevumque tridentem, Sed mihi sorte datum. *Tibull.* 1, 1, 22. Terreat ut saeva falce Priapus aves. [*Plura exempla, quae hanc vocis notionem confirment, collegit *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 33.] ℙ *Saevum* adverbii vice. *Stat. Theb.* 3, 589. incurvi saevum rubuere ligones. *Sil.* 1, 398. Cui saevum arridens. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 287. saevumque frementes. ℙ *Saevis, e*, pro *saevus*, habet *Ammian.* 29, 5. *med.* Suppliciorum saevium repertor. ℙ [*Confund. *saevus* et *scaevus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 548. — Item *saevus* et *laevus. Id. ib.* 3, 127. — *Saevus* et *serus.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 618.]

SAGA, ae, f. φαρμακεύτρια, mulier versuta et sagax, quae multa scire vult: et speciatim venefica, quae malis artibus, et praesertim pravis superstitionibus boni aliquid, vel mali cuipiam conciliat. *Cic. Div.* 1, 31. Sagire, sentire acute est; ex quo sagae anus, quia multa scire volunt: et sagaces dicti canes. *Fest.* in *Sagaces:* Saga dicitur mulier perita sacrorum. *Ov. Am.* 3, 7, 29. Sagave punicea defixit nomina cera, Et medium tenues in jecur egit acus. *Hor. Od.* 1, 27, 21. Quae saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis, quis poterit Deus? *Tibull.* 1, 2, 41. Nec tamen huic credet conjux tuus, ut mihi verax Pollicita est magico saga ministerio. *Colum.* 1, 8. Haruspices, sagasque, quae utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiserit. Adde *eund.* 11, 1. *med.* et *Mart.* 7, 54. et 11, 50. ℙ Et quia hujusmodi aniculae conciliandis amoribus saepe adhibentur, *saga* pro lena ponitur. *Non.* 1, 86. Sagae mulieres dicuntur feminae ad libidinem virorum indagatrices: unde et sagaces canes dicuntur ferarum quaesitores. *Lucil. ib.* Aetatem et faciem, ut saga et bona conciliatrix. *Turpil. ib.* Non ago hoc per sagam pretio conductam, ut vulgo solent. *Tibull.* 1, 6, 23. [*1, 5, 59.] sagae praecepta rapacis Desere. ℙ *Saga* pro sago V. SAGUM.

SAGĀCĪTAS, atis, f. ὀσφρησία, acuta vis odorandi in canibus. *Cic. N. D.* 2, 63. *med.* Canum tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus sepes transcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, nisi canum sagacitate. ℙ [*Sagacitas non tantum canibus venaticis tribuitur, sed etiam venatoribus. Ita *Gierig.* ad *Plin. Pan.* 81, 3. usurpabant autem, ut domitas fractasque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas mentita sagacitate colligerent.] ℙ Dici potest etiam de aliis sensibus. *Sen. ep.* 95. *med.* Valetudo, vires, forma, sagacitas sensuum, haec omnia aestimatorem desiderant. ℙ Transfertur ad animum, et significat solertiam, acumen, calliditatem, ἀγχίνοια. *Cic. Verr.* 2, 1, 41. Utrum admonitus, an tentatus, an, qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce ullo, sine indice pervenerit ad hanc improbitatem, nescio. *Id. ib.* 2, 4, 12. *extr.* Tuam tantam fuisse sagacitatem, ut, etc. *Plin.* 2, 13, 10. Hipparchi sagacitate compertum est, lunae defectum aliquando quinto mense a priore fieri. *Nep. Alc.* 5. Erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Val. Max.* 7, 3. *n.* 3. Quod temporis angustiae negabant, sagacitate consilii assecutus est.

SAGĀCĪTER, adv. cum sagacitate. *Plin.* 10, 69, 88. Vultures sagacius odorantur. *Id.* 11, 37, 50. Delphines nec olfactus vestigia habent, cum olfaciant sagacissime. *Colum.* 7, 12. *med.* Canes villatici satis pulcre funguntur officio, si et advenientem sagaciter odorantur, et latratu conterrent. Alii leg. *sagaciter adoriuntur*, h. e. callide, astute. ℙ Translate refertur ad animum prudentem, peritum, varium, acutum in investigando, praesentiendo, ἀγχινόως, callide. *Cic. Or.* 1, 51. *f.* Acuto homine nobis opus est, et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives cogitent, sentiant, etc. et *ib.* 2, 44. *med.* Omni mente in ea cogitatione versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant judices, quid existiment, quid exspectent. *Hor. Epod.* 12, 4. Namque sagacius unus odoror. *Liv.* 27, 28. Ibi duo duces sagaciter moti sunt, alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem, [*i. e. acute, et prope divinitus perspexere, etc.] *Quint.* 2, 8, 4. Cum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso genere dicendi, cujus acri maxime gaudeat. *Suet. Tib.* 57. Sagaciter perspicere naturam alicujus. *Plin. ep.* 10, 69. *f.* Sagacius conquirere et explorare. *Gell.* 16, 12. Curiose et sagaciter conquirere.

[SAGALASSĒNUS, a, um, adj. ad Sagalassum pertinens, urbem Pisidiae, quae nunc *Sadjaklu* appellatur: ejus meminit *Plin.* 5, 27, 24. *Liv.* 38, 15. Inde in agrum Sagalassenum, uberem fertilemque omni genere frugum, ventum est. *F.*]

SAGĀNA, ae, f. idem quod saga, ut *Prisc.* docet 4, 622. Hinc ap. *Hor. Epod.* 5, 27. et *Sat.* 1, 8. 25. 41 et 48. nomen proprium est mulieris veneficae,

Prima syllaba brevis est, licet longa sit in saga, unde derivatur.

*SAGANIS, fluvius. V. v. sq. *B. A.*

*SAGANUS vel Saganos, i, fluvius Carmaniae. *Plin.* 6, 25. ℙ *Saganis* appellatur ab *Ammian.* 23, 25. (c. 6. *med.* p. 377. *Vales.*) *B. A.*

SAGAPĒNOS. V. SACONDIOS.

SAGAPĒNUM, i, n. *σαγάπηνον*, succus herbae ferulaceae: de quo V. in SACOPENIUM. *Plin.* 19, 3, 15. Laser Cyrenaïcum adulteratur gummi, sagapeno, aut faba fracta. *Id.* 12, 25, 56. Galbanum adulteratur faba, aut sagapeno. ℙ Scribitur et *Sagapinum.*

[SĂGĂRIS, is, f. *σάγαρις*, bipennis Amazonia. Est cogn. virile R *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 31. *n.* 151. Servaeo Sagari Cingonia Eucarea marito optimo. Alia ap. *Cimalia*, *Antiq. Venusin.* p. 185. Sagaris actor fecit. ℙ Idem nomen ludibrii causa a sago deducit *Mart.* 8, 58. Cum tibi tam crassae sint, Artemidore, lacernae, Possim te Sagarim jure vocare meo, *h. e.* non Artemidorum, sed Sagarim, nempe rudi et crasso sago indutum. *F.*]

SĂGĂRĪTIS, itidis, patron. f. ad Sagarim pertinens, qui est fluvius Phrygiae, acceptis vastis amnibus, inter quos Tembrogio, et Gallo, in Propontidem influens: dictus etiam Sangarius. *Plin.* 6, 1, 1., *Liv.* 38, 18. et *Ov. Pont.* 4, 10, 47. Hinc *Id. Fast.* 4, 229. Fallit, et in Nympha Sagaritide desinit esse, etc.

SĂGĂRĪUS, a, um, adj. ad sagum pertinens. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. Quidam sagariam communionem inierunt, *h. e.* sagorum conficiendorum et vendendorum. *Id. ib.* 14, 4, 5. *med.* Duas negotiationes exercere, puta sagariam, et lintearium. *Inscr.* ap. *Grut.* 650, 2. Negotiator, idem mercator sagarius. Alia ap. *Fabr.* p. 265. *n.* 105. Miles Coh. VII. Vig. sagarius: scil. qui ejus cohortis militum sagos custodiebat. ℙ Absolute. *Appul. Met.* 1. Sagariam facere, *h. e.* sagorum mercaturam. Alii rectius leg. *saccariam.* ℙ *Sagarius, ii*, sagorum negotiator, aut artifex. *Inscr.* ap. *Grut.* 650, 1. C. Terentio C. L. Pamphilo sagario. Alia ap. *Don. cl.* 9. *n.* 18. M. Austronius M. F. Pal. Nicephorus ob hon. Q. Q. Colleg. Sagarior. Romanor. Q. ex S. C. coire licet, etc.

[SĂGĀTĬO, onis, f. jactatio alicujus per sagum facta. V. SAGUM. *F.*]

SĂGĀTUS, a, um, adj. sago vestitus. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 14, 10. Descendi ad forum togatus, cum reliqui consulares sagati vellent descendere. *Id. Font.* 11. Galli sagati, et bracati. *Mart.* 6, 11. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit: Vis, te purpureum, Marce, sagatus amem? ℙ *Sagati cuculli*, ex ea materia, qua saga fiunt, confecti. *Colum.* 11, 1. *med.* Cultam vestitamque familiam utiliter magis habeat, quam delicate, id est munitam diligenter a frigoribus, et imbribus: quae utraque prohibentur optime pellibus manicatis, et sagatis cucullis. *Id.* 1, 8. *med.* eadem fere verba habet: nisi quod *cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis.* Sunt qui leg. hic *sagis et cucullis:* item qui utroque loco *sagis cucullatis.*

SĂGAX, acis, adj. omn. gen. *εὔρις, ὀινηλάτης*, qui acutis est naribus in odorando, ut canes venatici: item qui alio quovis sensu pollet. Prima syllaba brevis est, quamvis vox derivetur a *sagio*, cujus prima producitur. *Cic. N. D.* 1, 31. Sagire, sentire acute est: ex quo sagae anus, et sagaces dicti canes. *Pl. Curc.* 1, 2, 17. de anu bibaci: Canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax nasum habet. *Ov. R. Am.* 201. Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci. *Sen. Hippol.* 39. Nunc demissi nare sagaci Captent auras, lustraque presso Quaerant rostro. *Ov. Hal.* 76. Venandique sagax virtus, viresque sequendi. *Id. Met.* 11, 599. Sollicitive canes, canibusque sagacior anser, *h. e.* aurium sensu praestantior. (V. *Liv.* 5, 47.) *Plin.* 8, 37, 55. Murium palatus in gustu sagacissimus. ℙ Translate refertur ad animum, et est perspicax, acutus, solers, callidus, prudens, peritus, *ἀγχίνους*. *Cic. Fin.* 2, 14. Homines hoc a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem, et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et, ut ita dicam, sagacem. *Id. Tusc.* 5, 23. *f.* Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? *Id. Cat.* 1, 8. Homo ad custodiendum diligentissimus, ad suspicandum sagacissimus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. Nimia ejus indulgentia in Lepidum, ad haec pericula perspicienda fecit eum minus sagacem. *Lucr.* 1, 368. Sagaci ratione quaerere aliquid. *Just.* 1, 9. *med.* Vir in conjecturis sagacissimus. *Tac. H.* 4, 11. Civitas rimandis offensis sagax. *Suet. Claud.* 15. Modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac praeceps. *Mart.* 12, 88. Excogitavit homo sagax et astutus, Ne, etc. *Just.* 38, 4. *med.* Sagaciora ingenia. *Hor. Od.* 4, 4, 75. curaeque sagaces Expediunt per acuta belli. ℙ Cum gen. *Id. A. P.* 218. Utiliumque sagax rerum, et divina futuri. *Colum. praef.* 1. *med.* Rerum naturae sagacissimus, *h. e.* peritissimus. Sic *Just.* 36, 2. Sagacissimus prodigiorum. *Sil.* 3, 344. Fibrarum, et pennae, divinarumque sagacem Flammarum. ℙ Cum inf. *Ov. Met.* 5, 146. Aethionque sagax quondam ventura videre.

SAGDA, ae, f. gemma porracei coloris. *Plin.* 37, 10, 67. Sagdam Chaldaei adhaerescentem navibus inveniunt, prasini coloris. **Isid. Or.* 16, 7. *B. A.*

SĂGĒNA, ae, f. *σαγήνη*, retis piscatorii genus. *Hesychius: Σαγήνη, πλέγμα τι ἐκ καλάμων εἰς θήραν ἰχθύων.* Sagena, contextus ex calamis ad capturam piscium. Italis est *nassa.* In *Gloss. Philox.* et ab *Ulp. Dig.* 47, 10, 13. *med.* exponitur *everriculum. Manil.* 5, 678. Excipitur vasta circumvallata sagena. ℙ Quidam scribunt *sagina.*

*SAGENON, i, n. gemmae nomen apud Indos, ex opalorum genere. *Plin.* 37, 9. Laudatissima est *(haec gemma)* in Indis, apud quos sagenon vocatur. Sic ed. *Hard.* e MSS. Antea legebatur *argenon. B. A.*

SĂGĪNA, ae, f. *σιτέλα, σίτευσις*, cibus, quo quis pinguis efficitur: est a *σαγήνη*, quae vox a *σάττω*, impleo, cujus aor. 2. *ἔσαγον. Colum.* 8, 14. *f.* Facilis est anserum sagina: nam praeter polentam, et pollinem ter die, nihil sane aliud dari necesse est. Adde *Varr. R. R.* 3, 10. *Id. ib.* 17. *med.* Everriculo in litus educere vivam saginam, *h. e.* pisciculos minutos majoribus piscina inclusis in cibum praebendos. *Plin.* 9, 56, 82. Cochlearum saginam commentus est sapa et farre, aliisque generibus, ut cochleae quoque altiles ganeam implerent. ℙ Metonymice est ipsa pinguedo ex copia cibi. *Id.* 10, 50, 71. Gallinae ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in cervice pingui cute. [**Sagina* h. l. est i. q. saginatio, *die Mast.*] *Colum.* 6, 27. Ut admissarius sagina hilaris pluribus feminis sufficiat. *Just.* 21, 2. In segnitiam lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria contraxit. *Id.* 38, 8. *med.* Erat sagina ventris non homini, sed belluae similis. *Auson. Ephem.* 1, 5. tibi causa somni Multa quod potas, nimiaque tendis Mole saginam, *h. e.* pinguem aqualiculum. ℙ Item ipsum animal sagina pinguefactum. *Pl. Most.* 1, 1, 61. Bibite, pergraecamini, este, effercite vos, saginam caedite. ℙ Item locus, in quo animalia saginantur. *Id. ib.* 1, 3, 78. Dies noctesque estur, bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet: sagina plane est: *sagina* hic potest esse etiam saginatio, aut helluatio. *Id. Trin.* 3, 2, 99. Aut aliquem ad regem in saginam herus se conjecit meus: *in saginam* potest significare etiam, ut fiat miles, aut gladiator: nam gladiatores largo cibo alebantur, ut infra dicetur. Et hoc verius est. ℙ Per synecdochen ponitur pro quovis cibo. *Cic. Fl.* 7. *f.* Nuper epulati, paulo ante omni largitione saturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt. *Juven.* 4, 67. propera stomachum laxare saginis. *Nemes. Cyn.* 166. tunc consuetam minuisse saginam Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus. *Veg. Vet.* 2, 45. Postea firmioribus cibis ad saginam pristinam revocandus. *Just.* 44, 4. *med.* Tanta pabuli laetitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. *Plin.* 9, 6, 5. Orca, dum saginam persequitur, in litus fluctibus propulsa, etc. *Suet. Cal.* 27. Cum ad saginam ferarum muneri praeparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit. ℙ *Gladiatoria sagina*, cibi valentiores, quibus gladiatores alebantur. *Tac. H.* 2, 88. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut gladiatoriam saginam, dividebat. *Prop.* 4, 8, 25. Qui dabit immundae venalia fata saginae. Simile quippiam habet *Sen. ep.* 15. *in.* ℙ [**Transfertur *sagina* etiam ad alia, quae ubertatem, copiam, laetam crescendi facultatem procreant. Ita *Plin. H. N.* 24, 5, 7. et sequenti triduo praebeantur ei tenerae arborum summitates et frutecta mollia, aut herbae viridis coma dulcior a sagina roris aut fluminis. V. *Gron. observv.* 2, 16. p. 173. *ed. Fr.*] ℙ Metaphorice. *Quint.* 10, 5, 16. Forensibus certaminibus exercitatos, et quasi militantes, reficit ac reparat haec velut sagina dicendi, *h. e.* jucunda ubertas et copia. [**V. Spald.* ad h. l.]

SĂGĪNĀRĬUM, ii, n. *σιτωτήριον*, locus in quo animalia saginantur. *Varr. R. R.* 3, 10. *f.* de anserib.: Ad saginandum eligunt pullos quatuor sexve menses qui sunt nati: eos includunt in saginario, ibique polentam et pollinem aqua madefacta dant cibum.

SĂGĪNĀTĬO, onis, f. *σίτευσις*, actus saginandi. *Plin.* 8, 51, 77. de suib.: Pinguescunt LX. diebus, sed magis tridui inedia saginatione orsa. *Tert. Pall.* 4. Lutea unctio, et pulverea volutatio, et arida saginatio, *h. e.* sagina ex cibis assis.

[SĂGĪNĀTOR, oris, m. qui sagina pinguefactus est. *Tert. Jejun.* 17. *extr.* Saginator Christianus ursis et leonibus forte, quam Deo, erit necessarius. Alii leg. *saginatior. F.*]

SĂGĪNĀTUS, a, um, part. a *sagino: σιτευτὸς, λαιπὸς*, pinguefactus. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Boves ad sacrificia publica saginati. *Liv.* 36, 17. Velut saginatus nuptialibus coenis. *Prop.* 4, 1, 23. Parva saginati lustrabant compita porci. *Plin.* 8, 36, 54. Ursi somno saginati. *Hieron. ep.* 21. *n.* 12. Saginatior quaedam hostia. ℙ Translate. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Caule in tantum saginato, ut pauperis mensa non capiat, *h. e.* altili asparago. *Colum.* 2, 1. *med.* Terra multorum annorum frondibus et herbis velut saginata largioribus pabulis; et *Tac. H.* 4, 42. *med.* Ex funere reipublicae raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus.

SĂGĪNO, as, avi, atum, a. 1. *λαπτεύω, σιτεύω*, sagina alo, pinguefacio, farcio. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* Qui solent saginare pullos columbinos, quo pluris vendant, secludunt eos, cum jam pluma sunt tecti, deinde manducato candido farciunt pane. *Colum.* 6, 27. *med.* Equus roborandus est largo cibo, et hordeo ervoque saginandus. *Plin.* 13, 4, 9. Sues ex palmulis saginantur. *Id.* 16, 6, 7. Fagi glans glires saginat. ℙ Pro pascere, alere, satiare. *Id.* 9, 35, 58. Cum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis. *Id.* 33, 10, 47. Ptolemaeum mille convivas, totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis saginasse. *Quint.* 12, 6, 6. Catuli ferarum molliore praeda saginantur. [*Recte *Buttm.* ad h. l. observat, v. *saginare* hic non de simplici nutritione positum esse, sed exprimi eo simul roborandi catulos quasi consilium. ℙ Dicuntur etiam fontes *saginari humore. Solin.* 45. fontem humore supero saginatum. V. *Gron. observv.* 2, 16, p. 173.] ℙ Translate. *Cic. Sext.* 36. Qui ab illo pestifero ac perdito cive jampridem reipublicae sanguine saginantur.

SĂGIO, is, a. 4. *ῥινηλατέω. Cic. Div.* 1, 31. Sagire, sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire volunt: et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur praesagire, id est futura ante sentire. Haec *Cicero.*

*SĂGIS, unus ex ostiis Padi amnis. *Plin.* 3, 16. Omnia ea flumina fossasque primi a Sagi fecere Tusci. ℙ Sed incertum videtur, ostiine fluminis nomen sit, an oppidi cujusdam in ripa siti. *B. A.*

SĂGITTA, ae, f. *τοξεύμα, βέλος, ἰός, οἰστός*, jaculum, quod arcu emittitur, ex calamo vel ligno leviore, cui ferreum acutum spiculum, saepe hamatum, praefigitur: et a posteriori parte pennae, aut quippiam simile infigitur, ut recta provolet. *Plin.* 7, 56, 57. Arcum et sagittam invenit Scythes Jovis filius: alii sagittas Persen Persei filium invenisse dicunt. *Id.* 11, 53, 115. Scythae sagittas tingunt viperina sanie, et humano sanguine: irremediabile id scelus mortem illico affert levi tactu. *Id.* 16, 36, 65. Nullus sagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononiensi amne, cui et plurima inest medulla, pondusque volucre, et contra flatus quoque pervicax libra. *Tac. G.* 46. Sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. (De *Fennis* loquitur.) *Virg. A.* 10, 131. nervo aptare sagittas. *Ov. Met.* 8, 380. celerem Tegeaea sagittam Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu; et *ib.* 11, 324. curvavit cornu, nervoque sagittam Impulit, et meritam trajecit arundine linguam. *Hor. Od.* 1, 29, 9. Sagittas arcu tendere. *Ov. Her.* 16, 362. Figitur in jusso nostra sagitta loco. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. de Diana: Sagittae pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum. *Id. Acad.* 4, 28. Sagittis aliquem configere. *Just.* 7, 6. *f.* In praetereuntem de muris sagitta jacta dextrum oculum regis effodit. *Id.* 12, 9. *f.* Sagitta sub mamma trajectus. *Sen. Herc. Oet.* 1469. Sagittis ictus vitam exspuit. *Val. Fl.* 6, 698. Sagittas spargere. *Virg. A.* 9, 590. celeres intendere; et *ib.* 11, 590. et 858. pharetra depromere; et *ib.* 12, 858. nervo per nubem impellere. *Tibull.* 4, 1, 90. jacere. *Claud. IV. cons. Honor.* 529. arte dirigere. *Virg. A.* 4, 69. conjicere. *Id. ib.* 9, 632. Effugit horrendum stridens adducta sagitta. *Ov. Trist.* 3, 10, 63. Pars cadit hamatis misere confixa sagittis. Nam volucri ferro tinctile virus inest. ℙ Jungitur saepe cum *jaculo*, ut ap. *Virg. A.* 10, 248. Ocior et jaculo, et ventos aequante sagitta; et *ib.* 9, 572. Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta. Adde *ib.* 10, 754., *ib.* 5, 68. et *ib.* 9, 178., *Cic. Tusc.* 1, 42. *f.* et *Lucan.* 6, 212. Differunt autem, quia *jaculum* latius patet, et de iis etiam missilibus dicitur, quae manu jaciuntur. ℙ Saepe sagittae Cupidini tribuuntur a poetis: quia, ut ait *Serv.* ad *A.* 1, 667., amorem et libidinem sequitur punctura poenitentiae: vel quia, ut ipsa, incertae velocesque sunt. *Ov. R. Am.* 157. Vince Cupidineas pariter, Parthasque sagittas. *Hor. Od.* 2, 8, 5. ferus et lupido semper ardentes acuens sagittas Cote cruenta. *Lucr.* 4, 1272. Sagittae Veneris. *Stat. Silv.* 3, 5, 3. Non metuo, ne laesa fides, aut pectore in isto Alter amor: nullis in te datur ire sagittis. ℙ De scalpello, quo venae aperiuntur detrahendo sanguini. *Veg. Vet.* 1, 25. *med.* Hae venae sagitta percutiantur; et *ib.* 43. Sagittam injicies, ut non solum cutem, verum etiam peritonaeum ipsum aperias. ℙ *Sagitta* ap. rusticos est summa et tenuior malleoli pars. *Colum.* 3, 17. Sagittam rustici vocant novissimam partem surculi, sive quia longius recessit a matre, et quasi emicuit atque prosiluit: sive quia cacumine attenuata praedicti teli speciem gerit; et *ib.* 10. *f.* Si sagittam, id est superiorem partem malleoli, vituperandam censebant, cum esset eadem pars surculi frugiferi, etc. *Plin.* sic appellat malleolum, cum intortus fuerit. Ejus verba sunt 17, 21, 35. *n.* 3. Sagittae vocantur, cum intorti panguntur: iidem cum recisi nec intorti, trigemmes; et *mox:* Quidam seri vetant nisi eos, qui floruerint, surculos. Sagittas serere minus utile, quoniam in transferendo facile rumpitur, quod intortum fuerit. *Colum.* intorquendi malleoli rationem

improbat 3, 18. ℙ Est etiam herba in genera ul varum, quam recentiores *sagittalem* vocant, et *linguam serpentis*, Graeci *pistanam*. *Plin.* 21, 17, 68. ℙ In fabulis est signum coeleste spiculum habens ad pedes Equi, alteram partem ad humeros Ophiuchi. Occidit ortu Virginis, oritur cum Scorpione. Habet omnino stellas quatuor, unam in principio materiae, alteram in medio, duas reliquas in eo loco, quo ferrum solet affigi. Hac ferunt Herculem occidisse aquilam, seu vulturem, qui Promethei jecur rodebat. Alii tradunt, ea Cyclopas interfecisse, qui fulmen Jovi fecerant, quo Aesculapius ictus est. Haec ex *Hyg. Astron.* 2, 15. et *ib.* 3, 14. Hinc *Plin.* 19, 31, 74. Assyriae quinto Cal. Sept. et Sagitta occidit, et Etesiae desinunt. *Id.* 17, 18, 30. *n.* 4. Laurum seri ab occasu Aquilae ad occasum Sagittae. *Colum.* 11, 2. VIII. cal. Martii Sagitta crepusculo incipit oriri. ℙ Sagittae Herculis felle Hydrae imbutae, et ab eo in Oeta Philoctetae commendatae, fatum Trojae fuere. Responsum enim fuerat, Trojam sine his nunquam expugnatum iri. His ergo a Philocteta acceptis occisus est Paris, et Troja eversa. *Serv.* ad *A.* 3, 402., *Ov. Met.* 3, 334. ℙ [Est etiam cogn. R., quatenus surculi partem in plantis significat. V. supra. *Inscr.* ap. *Labus Ara di Haimb.* p. 61. Q. Largennius Q. F. Fab. Sagitta. V. *ib.* alia plura hujus cognominis exempla. *F.*]

SAGITTĀRĬUS, a, um, adj. τοξικός, ad sagittas pertinens. *Plin.* 16, 36, 66. Sagittarius calamus, *h. e.* aptus ad sagittas faciendas. *Dict. Cret.* 4, 19. Sagittarum certamen. ℙ *Sagittarius, ii*, sagittarum faber, βελοποιός. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Sagittarii, aerarii, bractearii. ℙ Item miles sagittis pugnans, τοξότης. *Caes.* multis in loc., *Sall. Jug.* 5., *Cic. Fam.* 15, 4., *Plin.* 6, 23, 26. et *Curt.* saepe. Erant hi in militia tum pedites, tum equites, utrique levis armaturae. *Tac. A.* 2, 16. Auxiliares Galli in fronte, post quos pedites sagittarii: exin legiones, et levis armatura cum equite sagittario. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 29. *n.* 129. Cn. Munatius M. F. Pal. Aurelius Bassus Praef. Coh. III. sagittariorum. Alia ap. *Mur.* 954, 4. T. Flavius Expeditus doctor sagittariorum. Hinc *fabrica Concordiensis sagittaria*, de qua vide in FABRICA. ℙ *Sagittarius* a *Cic. Arat.* 181. et *Auson. Ecl. de Signis coelestib.* 8. *et alibi* dictus *Arcitenens*, est unum ex duodecim Signis Zodiaci inter Scorpionem et Capricornum, stellis quindecim constans secundum *Hyginum*. Dicitur esse Croton, seu Crotus, Panis et Euphemes Musarum nutricis filius, qui una cum Musis educatus, et praestans poeta evasit, et venandi, equitandique peritus: ob quae merita in coelum Musarum precibus translatus est. Pingitur Centauri forma propter equorum studium: cauda satyri ad indicandam ejus cum Musis familiaritatem: quae non minus eo sunt delectatae, quam Liber satyris: arcumque tenens sagittantis habitu, propter venationem. Alii censent esse Chironem: ut *Sen. Thyest.* 861., sed hic est potius sidus Centauri, in Australi parte siti. V. CENTAURUS. *Hyg. fab.* 124., *Astron.* 2, 27. et *ib.* 3, 26. Hinc *Plin.* 30, 11, 29. Cum sol Sagittarium transit.

SAGITTĀTUS, a, um, part. a *sagitto: ἰοτυπής*, sagitta ictus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 12. *med.* In bello quendam sagittatum, penetrato pulmone, convaluisse. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 2, 1, 16. Saviis sagittatis percussus, *h. e.* instar sagittae animum ferientibus: et respicit ad sagittas Cupidinis. V. SAGITTA.

SAGITTĬFER, ra, rum, adj. ὀϊστοφόρος, sagittas ferens. *Ov. Met.* 1, 468. (et *Stat. Achill.* 1, 416.) Eque sagittifera prompsit duo tela pharetra. *Sagittifera pecus* ap. *Claud. de hystrice* 48. est hystrix, spinis, tanquam sagittis, armata. ℙ Item sagittandi peritus. *Virg. A.* 8, 725. Sagittiferi Geloni. *Catull.* 11, 6. Parthi. ℙ *Sagittarius*, signum coeleste. *Manil.* 2, 266. Aestas a Geminis, Autumnus Virgine surgit, Bruma sagittifero, Ver Piscibus incipit esse. Adde *ib.* 500. et 560.

SAGITTĬGER, ra, rum, adj. sagittifer. *Avien. Arat.* 482. Ora Sagittigeri, *h. e.* sagittarii, sideris.

SAGITTĬPOTENS, entis, adj. βελοχράτωρ, sagittarius. *Cic. Arat.* 73. Mense, sagittipotens solis cum sustinet orbem.

SAGITTO, as, a. 1. τοξεύω, sagittas ex arcu emitto, sagittas jaculor. *Just.* 41, 2. Hos equitare, et sagittare magna industria docent. *Curt.* 7, 5. *extr.* Sagittandi celebris usus. *Solin.* 19. *med.* Cervi obvios se praebent sagittantibus.

SAGITTŬLA, ae, f. parva sagitta. *Appul. Met.* 10. Illos puellos diceres tu Cupidines: nam et pinnulis, et sagittulis, et habitu cetero formae praeclare congruebant. V. PINNULA.

SAGMA, ătis, n. et ae, f. σάγμα, clitellae, quibus onera a jumentis portanda imponuntur. Graeca vox a σάττω, onero, onus impono. *Veg. Vet.* 2, 59. Exceptis his, qui deputati sunt Circo, reliquum mulorum, equorum, asinorumque genus sub sellis, aut sagmis solo tergo praestat officium. *Isid. Or.* 20, 16. femininum facit, Graeci neutrum, ut et *Vulg.* interpres *Levit.* 15, 9. V. SCHEMA.

*SAGMARĬUM i. q. *sagum* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 417. aut forte onus jumento in sagma impositum. *B. A.*

SAGMĀRĬUS, a, um, adj. σαγμάριος, ad sagma pertinens, clitellarius. *Lamp. Elag.* 4. *med.* Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus, quae pilento, quae equo sagmario, quae asino veheretur, quae carpento mulari, etc. Alii leg. *quae equo, quae sagmario. Aurel. Imp.* in *ep.* ap. *Vopisc. Aurel.* 7. Miles equum sagmarium suum defricet. Alii leg. *equum, et sagmarium:* equus enim est militem portans, sagmarius (sive equus, sive mulus, sive asinus) ejus sarcinas.

SAGMEN, inis, n. verbena, seu herba pura: sed usus vocis fuit apud Latinos in sacris tantummodo, et in legationibus. *Mart. Dig.* 1, 8, 8. Sanctum dictum est a sagminibus. Sunt enim sagmina quaedam herbae, quas legati populi R. ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Graecorum ea, quae vocantur ϰηρύϰεια, ferunt. Similiter *sanctum* a *sagmine* ducit *Festus*, cujus verba sunt: Sagmina vocantur verbenae, id est herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur (fortasse *arcessebantur*) a consule, praetoreve, legatis proficiscentibus ad foedus faciendum, bellumque indicendum: vel ab sanciendo, id est confirmando. Naevius: Jus sacratum Jovis jurandum sagmine. *Plin.* 22, 2, 3. Auctores imperii R. immensum quiddam et hinc (*h. e.* ex herbis) sumpsere, quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, et in sacris, legationibusque verbenae. Certe utroque nomine idem significatur, hoc est gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper e legatis, cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. Quod ait in *remediis publicis*, intellige in expiationibus, et lustrationibus. *Liv.* 1, 24. Fetialis regem Tullum ita rogavit: Jubesne me, rex, cum patre patrato populi Albani foedus ferire? Jubente rege, sagmina, inquit, te, rex, posco: rex ait, pura tollito.

SAGOGHLAMYS, ydis, f. σαγοχλαμύς, genus vestis militaris, et sagi et chlamydis formam referens: sagum enim erat Romana vestis, chlamys Graecorum: utraque suam formam habebat: quae mixtae in eadem veste sagochlamidem faciebant. Hujusmodi fuere palliolatae tunicae. Quid vero a sago distaret chlamys, haud facile dictu est. *Valer. Imp.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Huc dabis sagochlamydes aureas duas, fibulas argenteas inauratas duas. V. *Salmas. ib.*

SAGRA, ae, f. Σάγρα, fluvius Magnae Graeciae, limes olim inter Crotoniatas et Locrenses: celebris proelio insigni, quo Crotoniatarum centum viginti millia a quindecim admodum millibus Locrensium fusa et fugata fuerunt. Ejus victoriae fama eodem ipso die, quo parta est, in multis Graeciae ac Peloponnesi urbibus certo nunciata est. Hinc ortum proverbium Graecorum, qui quae affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quae apud Sagram. *Cic. N. D.* 2, 2. et *ib.* 3, 5. et *Just.* 20, 3. ℙ *Σάγρας est *Straboni. B. A.*

SAGŪLĀTUS, a, um, part. ab inus. *sagulo:* sagulo indutus, sagatus. *Suet. Vit.* 11. Urbem introiit paludatus, ferroque succinctus, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.

SAGŪLUM, i, n. ζειρά, χλαμύς, ἐπιθωραϰίδιον, dimin. sagi, et idem fere significans, gregariorum militum proprium. *Cic. Pis.* 23. *med.* Togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt: quibus illi acceptis, sagula rejecerunt, et catervam imperatori suo novam praebuerunt. *Virg. A.* 8, 660. de Gallis Capitolium obsidentib.: Virgatis lucent sagulis. *Liv.* 7, 34. *extr.* de P. Decio trib. mil.: Sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne, ducem circumire, hostes notarent. ℙ De sago imperatorio. *Sil.* 4, 518. humeroque refulget Sanguinei patrium saguli decus. *Id.* 17, 527. atque humeris imponit honorem Fulgentis saguli. *Liv.* 30, 17. *f.* Munera regi decreverunt sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis, etc. *Id.* 27, 19. *extr.* Puero tunicam lato clavo, cum Hispano sagulo et aurea fibula, donat. ℙ Sagulis pro velis instructas lintres memorat *Tac. H.* 5, 23. V. SAGUM.

SAGUM, i, n. et Sagus, i, m. σάγος, vestimentum militare, apertum, et fibula connexum, villosum, longius tunica, ex crassiore lana confectum, quod reliquis vestibus superinduitur. *Caes. B. C.* 1, 75. *f.* Repentino periculo exterriti sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt. ℙ Quod militare fuerit, ostendunt et illa, *saga sumere, ad saga ire, in sagis esse.* Erat enim belli index, ut toga pacis: et non solum milites, sed etiam populus in urbe, exceptis consularibus, (ut colligitur ex *Cic. fragm.* ap. *Non.* 14, 10. et *Phil.* 8, 11.) saga sumere solebant, majore aliquo tumultu exorto. *Cic. Phil.* 5, 12. Tumultum decerni, justitium edici, saga sumi dico oportere. *Id. ib.* 8, 11. Quamquam hoc honore (*consulatus*) usi togati esse solent, cum est in sagis civitas: statui tamen a vobis ceterisque civibus, in tanta perturbatione reipubl. non differre vestitu. *Id. ib.* 14, 1. Propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum, censerem. Adde *Ep. Liv.* 72. et 73. et *Vell.* 2, 16. Quibus omnibus locis de tumultu Italico sermo est. ℙ Apertum fuisse, illud probat, quod eo expanso homines per ludibrium in sublime jactabant: cujus generis ludibrii mentio est in *Gloss. Philox.* Sagatio, παλμός: quodque Galli nunc *berne*, Itali *berta* dicunt; [*nos: *das Fuchsbrellen.*] *Suet. Oth.* 2. Ferebatur vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum, ac potulentum corripere, ac distento sago in sublime jactare. *Mart.* 1, 4. Ibis ab excusso missus in astra sago. *Ulp. Coll. Mosaic. et Rom. leg. tit.* 1, 11. Cognovi, quod Clodius Lupi filius in convivio, dum sago jactatur, culpa Marii Euaristi ita male acceptus fuerit, ut post diem quintum moreretur. *Tac.* vero *H.* 5, 23. memorat, lintres sagulis versicoloribus pro velis instructas. ℙ De fibula. *Varro* ap. *Non.* 3, 201. et 14, 10. Cum neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret. *Tac. G.* 17. Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum. Adde *Liv.* 30, 17. *f.* ℙ Non omnia saga fibulam habuisse, ostendit *Claud. Imp.* in *ep.* ap. *Trebell.* in XXX. *Tyr.* 10. Duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, cum ipse miserim de nostris. ℙ De crassiore lana, et villo *Mart.* 6, 11. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit. Vis, te purpureum, Marce, sagatus amem? *Id.* 14, 159., cujus lemma *Tomentum Lingonicum.* Vellera Lingonicis accipe rasa sagis. ℙ Gallicum, et Hispanicum sagum inter se, et a Romano diversa fuisse, multis probat *Ferrar. de re vestiar.* et ex illo *Tac. H.* 2, 20. Ornatum Caecinae municipia Italiae, et coloniae in superbiam trahebant, quod versiculore sagulo, bracas, barcarum tegmen, indutus togatos alloqueretur, *h. e.* Gallico sagulo, quod virgatum *Virg. A.* 8, 660.; si enim Romana forma fuisset, non offendisset. ℙ Etiam duces exercitus saga habebant, et tribuni militum, et centuriones: sed ex nobiliore materia. Exempla habes in SAGULUM, et confirmat *Sall. fragm.* ap. *Non.* 14, 10. ℙ Fuit etiam agrestium vestis, et pauperiorum. *Colum.* 1, 8. in cultu familiae rusticae *saga* ponit. V. SAGATUS. *Ulp.* quoque *Dig.* 34, 2, 24. *f.* inter ea, quae ad familiam vestiendam parata sunt. ℙ Etiam lana ipsa, ex qua saga texuntur, *sagum* dicitur. *Varr. L. L.* 4, 35. Posteaquam transierunt ad culcitas, quod in ea sagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta. ℙ Et ipse pannus ita dici videtur, ex quo sagum fit. *Veg. Mil.* 4, 6. Saga, ciliciaque tenduntur, quae impetum excipiunt sagittarum. *Veg. alter Vet.* 1, 42. *med.* Jumentum loco calido statues, ac sagis cooperies diligenter. Adde *ib.* 2, 59. ℙ Masculino genere praeter *Varr.* supra allatum usurpavit *Enn.* ap. *Non.* 3, 201. tergum igitur sagu' pinguis opertat; et *Afr.* ap. *Charis.* 1, 81. Quod quadrati sunt sagi; et *Cic.* ipse *Verr.* 2, 1, 38. Cum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, sagos imperaret. Plerique omnes leg. *saccos.* ℙ Etiam *saga, ae*, f. Unde *sagas caerulas* ex *Enn.* affert *Charis. l. c.* [*Sunt qui formam adject. *sagus, saga, sagum*, a Gr. σάττω, i. e. denso, faciant, ita ut *sagum*, quod maxime frequentetur, neutrum sit, intell. *pallium, vestimentum;* rariores formae *sagus* et *saga* vv. *vestitus* et *vestis* vindicent.]

SAGUNTĪNUS, a, um, adj. ad Saguntum pertinens. *Sil.* 1, 271. Prima Saguntinas turbarunt classica portas. *Cato R. R.* 8. et *Plin.* 15, 18, 19. Saguntinae ficus. *Mart.* 14, 108. Quae non sollicitus teneat, servetque minister, Sume Saguntino pocula ficta luto. Sic *Id.* 8, 6. Ficta Saguntino cymbia malo luto; et *Juven.* 5, 29. Pugna Saguntina fervet commissa lagena. *Flor.* 2, 6. Destinatum Romanis fulmen Saguntino igne conflavit, *h. e.* quo Saguntum incensum est. *Liv.* 21, 19. *f.* Saguntina clades. *Auson. epist.* 22, 42. fames. V. v. sq. ℙ *Saguntini, orum.* Sagunti cives. *Petr. Sat.* 141., *Liv.* 21. *saepe*, etc. *Saguntium* pro *Saguntinorum* dixisse *Sallustium*, testis est *Charis.* 1, 115.

SAGUNTOS et Saguntus, i, f. et Saguntum, i, n. Σάγουντον, urbs Hispaniae opulentissima ultra Iberum, passus mille ferme a mari, condita ab Hercule, cum a caede Geryonis rediens, mortuum ibi quendam Zacynthum, qui omnes illi in ea expeditione fuerat, sepelisset: unde ejus muri Herculei dicuntur a *Silio* 1, 273. Ejus cives oriundi ab Zacyntho, adjectis postea ab Ardea colonis, in magnas brevi creverant opes, societate etiam cum Romanis inita: sed ab Annibale obsessi, et novem mensium fessi fame (qua humanis corporibus vesci coacti sunt), machinis, ferro, tandem ne se dederent, versa in rabiem fide, immani rogo in foro excitato, se suosque cum omnibus opibus ferro et igni corruperunt. *Liv.* 21, 7, 8. 9, 12. etc., *Flor.* 2, 6., *Sil.* 1, 271. et 2, 457., *Petr. Sat.* 141., *Plin.* 16, 40, 79., *Stat. Silv.* 4, 6, 82. et *Val. Max.* 6, 6. *n.* 1. *extr.* ℙ Fictilia Saguntina laudantur, post Samia, a *Plin.* 35, 12, 46., quamquam viliora fuisse, significat *Mart.* 4, 46. et 8, 6. etc. V. SAGUNTINUS. ℙ Neutro genere. *Liv.* 7, 18. Saguntum oppugnatum. *Lucan.* 3, 350. obsessum. Feminino. *Stat. l. c.* immeritaeque domus ac templa Sagunti. *Sil.* 3, 178. Quod tanto cecidit molimine Graja Saguntos. *Liv.* 21, 19. Saguntus excisa. *Mela* 2, 6. illa fide, et aerumnis inclyta. *Aurel.* Vict. *Vir. illustr.* 42. et *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 3. foederata. *Auson. Idyll.* 15, 30. deleta. ℙ Verum nomen est Ζάκυν-

Ζος, Zacynthus, ut *Prisc.* monet 1, 561., a quo mutatis litteris factum Saguntum: unde quidam *Sagunthum* scripsere. V. CATAMITUS.

SĂGUS, a, um, adj. qui acute sentit, praesagus. V. SAGIO. *Stat. Th.* 8, 204. Ipse nihil certum sagis clangoribus aether Praecinet. *Id. Achill.* 1, 519. Nunc sagas affatur aves, nunc dira sororum Licia. Adde *Prud. Apoth.* 366. ℙ [Item magicus, veneficus. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 170, 1. Eripuit me saga manus, crudelis ubique, Cum manet in terris, et nocet arte sua. V. SAGA. *F.*]

SĂGUS, i, m. V. SAGUM.

*SAGUTI, sinus Mauretaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 1. Inde sinum, qui vocetur Saguti. *B. A.*

*SAI, oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*SAIACE, Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[SAJO, onis, m. Cadentis Latinitatis tempore ita appellati sunt ministri judicum, et magistratuum, ex lictorum et exactorum genere, a sajo vel sago, veste eorum propria, quam Itali nunc *sajo* et *sajotto* vocant. V. *Ducang. Glossar. med. et inf. Lat.* in V. *Sajones. Cassiod. Var.* 4, 47. Nullum sajonum discursus facere patiaris, sed ad causam, quam directus fuerit, uno tantum itinere permittatur accedere, vel redire. *Id. ib.* 12, 3. universis sajonibus, qui sunt cancellariis deputati, sub nomine praefecti praetorio, quid iisdem in munerum suorum exercitatione peragendum sit, praecipit. *F.*]

[SAITES, ae, m. Σαΐτης, ad Saim pertinens, Aegypti inferioris urbem, quae nunc quoque *Sais* dicitur, cujus *Plin.* 5, 10, 11. meminit. *Id. ib.* 9, 9. Saites nomos. ℙ *Saitae, arum*, sunt incolae illius urbis. *Cic. N. D.* 3, 23. Minerva secunda orta Nilo, quam Aegyptii Saitae colunt. *F.*]

[SAĪTĬCUS, a, um, adj. ad Saim pertinens Aegypti inferioris urbem, de qua v. in v. praec. *Plin.* 13, 12, 23. Saitica charta, ab oppido, ubi maxima fertilitas, ex vilioribus ramentis. *F.*]

SAL, sălis, m. et n. in sing. num., at in plur. mascul. tantum, ἅλς, ἁλός, mixtum quiddam ex aqua marina et terra, quo in cibis condiendis et a putredine servandis utimur: a Graeca voce allata per metathesin. *Sall. fragm.* ap. *Charis.* 1, 82. et ap. *Prisc.* 5, 644. Neque salem, neque alia irritamenta gulae quaerebant. *Varr.* ap. *Charis. ib.* Nunc vides, in conviviis poni et sal, et mel. *Id. R. R.* 1, 7. *med.* Ubi salem nec fossicium nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur. *Colum.* 6, 17. Sive album in oculo bovis est, montanus sal, Hispanus, vel Ammoniacus, vel etiam Cappadocus minute tritus, et immixtus melli vitium extenuat. *Cato* ap. *Prisc.* 5, 659. Ex sale, qui apud Carthaginienses fit. *Id. R. R.* 88. Sal populare. *Colum.* 12, 53. *f.* In seriam substernitur sal coctum, sed modice infractum. *Cic. N. D.* 2, 64. Sus quid habet, praeter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. *Pl. Merc.* 1, 2, 92. Salem in aquam indere. *Plin.* 15, 6, 6. Sale aliquid aspergere. *Virg. G.* 3, 403. parco caseum contingere. ℙ In plur. num. *Varr. R. R.* 2, 11. Quin aspergi solent sales: melior fossilis, quam marinus. *Colum.* 7, 4. *f.* Coelestis aqua sub dio salibus durata. *Pall.* 6, 9. Vitia casei sunt, si sales nimios accipiat, etc. *Id.* 12, 19. Si sordet oleum, frictos et adhuc calentes sales injici jubent. Adde *Fabian.* ap. *Char.* 1, 82. Sal aut facticius est, aut nativus: hic aut marinus, aut fossilis. *Plin.* 31, 7, 39. Sal omnis aut fit, aut gignitur: utrumque pluribus modis, sed causa gemina, coacto humore, aut siccato. Siccatur in lacu Tarentino aestivis solibus, totumque stagnum in salem abit. Omnis talis sal minutus, atque non gleba est; et *mox:* Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus ac scopulis. Hic omnis rore densatur; et *paulo post:* Sunt et montes nativi salis, ut in Indis Oromenus, in quo lapicidinarum modo caeditur renascens. Effoditur et e terra in Cappadocia. (V. CAPPADOCUS.) Item per Africae sitientia usque ad Ammonis oraculum. (V. AMMONIACUS.) et *ib. med.* Facticii varia genera: vulgaris, plurimusque in salinis, mari affuso, non sine aquae dulcis riguis, sed imbre maxime juvante, ac super omnia sole multo, non aliter inarescens. Galliae, Germaniaeque ardentibus lignis aquam salsam infundunt, etc. (V. loc. *Varr.* supra allatum ex *R. R.* 1, 7.) Haec *Plin.*, qui *ib.* 40. pergit docere, quomodo, et a quibus fiat ex cinere quercus, ex arundine et junco, ex muria salsamentorum, etc. variosque ejus colores refert, atque utilitates in medicina. ℙ Varro, inquit *Id. ib.* 41. *f.*, etiam pulmentarii vice sale usos veteres, auctor est: et salem cum pane esitasse eos, proverbio apparet. *Hor. Sat.* 2, 2, 17. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet, *h. e.* tenuis et simplex cibus, qualis veterum fuit, sine ullis ferculorum deliciis. Quod proverb. *Plin.* tangit, videtur esse illud *Cic. Amic.* 19. Verum illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit, *h. e.* diu multumque amicos eodem victu et consuetudine uti oportere. ℙ Huc pertinet *salem delingere*, cibo et victu uti. *Pl. Pers.* 3, 3, 25. Nisi me haec *(lingua)* defendet, nunquam delinget salem. *Id. Curc.* 4, 4, 6. Hic hodie apud me nunquam delinges salem, *h. e.* coenabis: et simul respicitur ad tenuem victum priscorum. Sic *Pers.* 5, 138. regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis: ἄλλαν τρυπᾶν. ℙ Hinc olim honoribus militaribus interponebatur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariae viae, quoniam illa salem in Sabinos portari convenerat. Ancus Marcius rex salis modios sex mille in congiarium dedit populo, et salinas primus instituit. *Plin. cit.* 31, 7, 41. ℙ A similitudine dicitur de vitio gemmarum, aut crystalli, cum parva veluti salis grana nitorem corrumpunt. *Id.* 37, 8, 37. de iaspidib.: Vitium est et brevis in iis nitor, et longe splendens, et sal; et *ib.* 6, 22. Vitia opali, si sal interveniat, aut scabritia, aut puncta oculis occursantia; et *ib.* 2, 8. In murrhinis translucere quidquam, aut pallere, vitium est: item sales [*h. e. parti cristalline F.*], verrucaeque [*h. e. quasi piccole mammelle F.*] non eminentes; et *ib.* 10. Infestantur crystalla scabro ferrumine, maculosa nube, item sale appellato. ℙ Magna in sacris ejus auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa. *Plin.* 31, 7, 41. *extr.* Hinc *Ov. Fast.* 1, 337. Ante, Deos homini quod conciliare valeret, Far erat, et puri lucida mica salis. ℙ Metonymice est mare. *Virg. A.* 10, 214. campos salis aere secabant; et *ib.* 1, 177. Et sale tabentes artus in litore ponunt; et *ib.* 5, 848. salis placidi vultum, fluctusque quietos; et 866. rauca assiduo longe sale saxa sonabant. *Id. ib.* 6, 697. Stant sale Tyrrheno classes; et *ib.* 3, 385. salis Ausonii aequor. *Ov. Pont.* 1, 1, 70. Aequorei scopulos ut cavat unda salis. *Val. Fl.* 4, 721. flumineo sic agmine frangit amari Vim salis, *h. e.* fluminum influxu maris salsitudinem minuit. Sic *Lucan.* 10, 257. Aequoreosque sales longo mitescere tractu. ℙ Metaphorice est dictum, lepos, urbanitas, facetiae, jocus, propter acrem sensum, et quia est veluti condimentum sermonis, et quasi sapidam facit orationem, ut sal est condimentum ciborum: et fere masculino genere. *Plin.* 31, 7, 41. Sal adeo necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque: nam ita sales appellantur: omnisque vitae lepos, et summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat. *Afran.* ap. *Prisc.* 5, 659. Quidquid loquitur, sal merum est. *Plin. ep.* 3, 21. de Martiali: Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet, et fellis. *Cic. Brut.* 34. P. Scipio omnes sale facetiisque superabat. *Id. Or.* 2, 23. *f.* Caesar inusitatum quidem nostris oratoribus leporem quendam et salem est consecutus. *Id. Att.* 1, 13. Litterae humanitatis sparsae sale. *Id. Tusc.* 5, 19. In quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis. *Plin.* 35, 10, 37. Plurimae argutiae facetissimi salis. *Id.* 18, 26, 66. *n.* 2. Petulantiae sales. *Sen. V. B.* 27. *med.* Tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales suos effudit. *Ov. Trist.* 2, 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi: Nulla venenato littera mixta joco est. *Hor. Ep.* 2, 2, 60. Bioneis sermonibus et sale nigro delectari, *h. e.* mordaci dicacitate. *Cic. N. D.* 2, 29. Salem istum in irridendis nobis nolite consumere. *Hor. Sat.* 1, 10, 3. Lucilius sale multo Urbem defricuit. *Id. A. P.* 269. At nostri proavi Plautinos et numeros, et Laudavere sales: nimium patienter utrumque. [*De usu h. v. in rebus oratoriis V. *Ern. Lex. techn. lat. rhet.* p. 338. sq.] ℙ Item sapientia, calliditas, acumen. *Ter. Eun.* 3, 1, 9. Labore alieno magnam partam gloriam verbis saepe in se transmovet, qui habet salem: quod est in te: *quod* ad totam sententiam refertur, ut et *Serv.* docet ad *A.* 1, 39. [*Huc pertinet etiam locus, quem *Forc.* §. sq., intell. elegantiae, venustatis notione etiam in rebus corporeis, adscripserat. *Catull.* 86, 3. nulla venustas, Nulla in tam magno est corpore mica salis. V. *Ruhnk.* ad *Ter. l.* modo laud. Neque in altero exemplo, quod *ib.* posuerat, *sal* ad domicilii venustatem, pulchritudinem referendum est, sed Attici sensum pulchri venustique in exstruenda domo signif. Locus est *Nep. Att.* 13, 2. Ipsum tectum antiquitus constitutum, plus salis, quam sumptus habebat: ubi v. *Brem.*] ℙ Item naturalis acrimonia, et siccitas, ariditas, ex qua fames et sitis oritur. *Plin.* 10, 72, 93. Nullum interit fame, aut siti venenatum: nam neque calor his, neque sanguis, neque sudor, quae aviditatem naturali sale augent, ℙ Olim *sale, is*, n. dictum est. *Varr.* ap. *Non.* 3, 197. Sale sordidum. *Enn.* ap. *Prisc.* 5, 659. Coeruleum spumat sale conferta rate pulsum. ℙ *Salis* in dat. plur. dixit *Fabianus* ap. *Charis.* 1, 82. Haerescunt infusis salis.

*SALA vel Salas, ae, flumen quod *Straboni* audit Σάλας ποταμὸν, quodque (ait *Cellarius* in *Notit. ant. orb.*) potest esse *the Saale.* ℙ Item oppidum Mauritaniae Tingitanae, cum fluvio cognomine. *Mela* 3, 10. *Plin.* 5, 1. ubi oppidi pariter atque fluminis mentio fit. ℙ *Jo. Mariana* in *Hist. Hispan.* credit hodiernum *Salé (Salée)* esse, in regno *Fez. B. A.*

*SALABASTRAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

SĂLĂCACCĂBĬĂ, orum, n. plur. ἁλακακκάβια, cibi saliti, in ollis cocti: ab ἅλας, sal, et κακκάβη, olla, cacabus. *Apic.* 4, 1.

SĂLĂCIĂ, ae, f. Ἀμφιτρίτη, Νηρηΐς, Dea maris, et aquae: a *salum. August. C. D.* 7, 22. ex *Varrone:* Venilia unda est, quae ad litus venit: Salacia, quae in salum redit. *Festus:* Salaciam dicebant Deam aquae, quam putabant salum ciere, hoc est mare movere. Quidam ap. *Serv.* ad *A.* 10, 76. putant, eandem esse ac Veniliam uxorem Neptuni. Ipse ad *G.* 1, 31. scribit, Salaciam dici a Cicerone in Timaeo ipsam Thetyn; et ad *A.* 1, 724. ipsam Venerem sic vocari e mari ortam, et meretricum Deam. *Cic. Univ.* 11. Ut Oceanum Salaciamque Coeli satu, Terraeque conceptu generatos editosque memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum, et Opem, etc. In *libris sacerdotum populi R.* ap. *Gell.* 13, 22. Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, etc. Adde *Varr. L. L.* 4, 10. *med. August. C. D.* 4, 10. et *Appul. Met.* 4. et *Apol.* ℙ Hoc vocabulo, inquit *Fest.*, poetae pro aqua usi sunt. Pacuvius: Hinc saevitiam Salaciae fugimus, laetique munere vescimur Cereris. ℙ *Fuit et Salacia oppidum Lusitaniae, Imperatoria cognominatum. *Plin.* 4, 21. (al. 22.) et 8, 48. ed. *Hard.*, ubi olim legebatur *sola ars. B. A.*

[SĂLĂCĬENSIS, e, adj. ad Salaciam pertinens, Lusitaniae urbem, quae nunc *Alacer-do-Sal;* ejus meminit *Plin.* 4, 22, 35. et 8, 48, 73. *Inscr.* ap. *Grut.* 13, 16. Municipium Salaciense. Alia ap. *eund.* 800, 4. L. Licinius Fundanus Salaciensis. *F.*]

SĂLĂCĬTAS, atis, f. pruritus in Venerem. *Plin.* 10, 36, 72. Columbae et turtures octonis annis vivunt: contra passeri minimum vitae, cui salacitas par; et *ib.* 59, 79. Corrumpitur salacitate fecunditas. Adde 9, 17, 26.

SĂLĂCON, onis, m. σαλάκων. *Hesychio*, et *Suidae* is dicitur, qui totidem fere litteris ἀλαζών vocatur, idest arrogans, jactabundus. Quidam derivant a quodam viro nomine Salacone, qui, cum pauper esset, se divitem simulabat: est vero a σαλάσσω, jacto. *Cic. Fam.* 7, 24. Cognosti meam causam, et istius salaconis iniquitatem. *Id. ib.* 16, 18. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat. Sic olitorem ipsum commovebis. Salaco nequissimus HS (1) dabat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. V. PARHEDRUS.

*SALAE, arum, populi Asiatici, circa Bosporum Cimmerium ac Pontum Euxinum, antiquis Phthirophagi dicti. *Plin* 6, 4. *B. A.*

SĂLĂMANDRA, ae, f. σαλάμανδρα, animal lacerti figura, stellatum, nunquam, nisi magnis imbribus, proveniens, et serenitate deficiens. Huic tantus rigor, ut ignem tactu restinguat, non alio modo, quam glacies. Ejusdem sanie, quae lactea ore vomitur, quacumque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili: idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat. Nihil ex se gignit. Inter omnia venenata ejus scelus maximum est. Cetera enim singulos feriunt: salamandra populos pariter necare improvidos potest, nam si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, et eos, qui ederint, necat frigida vi, nihil aconito distans. Quin immo si contacto ab ea ligno vel pede crusta panis incoquatur, idem veneficium est: vel si in puteum cadat. Tamen talis ac tanti veneni a quibusdam animalium, ut subus, manditur. Haec ex *Plin.* 10. *c.* 67. et 68. et 29, 4, 23. Inter venena enumeratur etiam a *Mart. Dig.* 48, 3. Quod vero tradit *Plin.* de pilorum defluvio, confirmatur illo *Mart.* 2, 66. Hoc *(caput)* salamandra notet, vel saeva novacula nudet, etc. et *Petr. Sat.* 107. *extr.* Quae salamandra supercilia tua excussit? cui Deo crinem vovisti? et *Seren. Sammon.* 8, 107. Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis, Eximium capitis tactu dejecit honorem.

*SALAMBĪNA, ae, f. opp. Hispaniae Baeticae, in litore maris Mediterranei. *Mela* 2, 6. *med.* ℙ *Selambina* est *Plin.* 3, 1. *B. A.*

[SĂLAMBO, onis, f. Σαλαμβώ, Veneris nomen apud Babylonios: videtur esse a σάλος, agitatio, nam in illius sacris magna jactatio fieri solita, ut honor ei haberetur, quae Adonidem quaerens hac illac cursitaverat. *Lampr. Elag.* 7. Salambonem etiam omni planctu et jactatione Syriaci cultus exhibuit, omen sibi faciens imminentis exitii. *F.*]

SĂLĂMĪNĬĂCUS, a, um, adj. ad Salaminam pertinens, Salaminius, Σαλαμινιακός. *Lucan.* 5, 108. dedit ille minas impellere belli, Ut Salaminiacum meminit mare, *h. e.* in quo Themistocles classem Xerxis devicit, ut est ap. *Nep. Them.* 4., *Just.* 2, 12., *Plin.* 2, 25, 22., *Juven.* 10, 179. et *Gell.* 17, 21. Quo pertinet et illud *Sil.* 14, 282. Et Salaminiacis quantam, Eoisque tropaeis, etc.

SĂLĂMĪNĬUS, a, um, adj. Σαλαμίνιος, ad Salaminam pertinens. *Cic. Tusc.* 1, 46. Salaminii tropaei memoria. *Nep. Them.* 6. Salaminia victoria. V. v. praec. *Hor. Od.* 1, 15, 23. Teucer Salaminius. *Tac. A.* 3, 62. *f.* Juppiter, *h. e.* a Salaminiis Cypri cultus. *Plin.* 5, 31, 35. Salaminiae insulae, *h. e.* contra Salaminam Cypri sitae. *Just.* 2, 12. Salaminii freti angustiae. ℙ *Salaminii, orum,*

Salaminiae incolae. *Cic. Arch.* 8. *f.* et *Plin.* 7. 56, 57. *f.*

SALAMIS, inis, f. et Salamīna, ae, f. *Coluri*, Σαλαμίς, insula et urbs in sinu Saronico contra Eleusina, Aeginae proxima: ita dicta a Salamine Asopi filia. In ea regnavit Telamon Ajacis et Teucri pater. Prima positio Graeca est: eaque in obliquis casibus utuntur *Cic. Off.* 1, 18. *f.*, *Plin.* 7, 16, 17., *Hor.*, *Lucan.*, *Sen. Trag.* etc. In recto *Salamis* est ap. *Plin.* 4, 12, 20. et 5, 31, 35., *Mel.* 2, 7., *Ov. Met.* 14, 759., *Manil.* 5, 50. Altera positio est Latina. *Cic. Tusc.* 1, 46. Ante enim Salaminam ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropaei memoriam. Al. leg. *Salamina*, al. *Salaminem*. *Just.* 2, 7. De proprietate Salaminae insulae dimicatum fuerat. ℙ Alia est Salamis in Cypro, in ora ejus orientali, condita a Teucro Telamonis filio: qui quod reversus a bello Trojano, ultus non fuisset Ajacis inimicos, et praecipue Ulyssem, a quo ille victus in petitione armorum Achillis prae dolore sibi manus intulerat, a patre non receptus, in Cyprum navigavit, cognominemque patriae suae novam Salamina constituit. *Vell.* 1. *in.*, *Hor. Od.* 1, 7, 21., *Plin.* 5, 31, 35.

*SALĀNUS, i, m. amicus Ovidii. *Ov. Pont.* 2, 5, 3. *B. A.*

SALAPINUS, a, um, adj. ad Salapiam pertinens, nunc *Salpi*, urbem Apuliae Dauniae ad ostia Aufidi fluvii. *Lucan.* 5, 377. Salapina palus. Adde *Plin.* 3, 11, 16. et *Vitr.* 1, 4. *f.* ℙ *Salapini, orum*, ejus incolae. *Cic. Agr.* 2, 27. et *Vitr. ib.*

SALAPION, onis, m. dimin. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1003, 2. Q. Murcio Salapioni munerario, etc. Fortasse in lapide legebatur *Sarapioni* pro *Serapioni*. V. SERAPION.

SALAPITANUS, a, um, adj. Salapinus. *Liv.* 27, 28. Sensere Salapitani fraudem. *Prisc.* 2. *f.* Quae apud Graecos a nominibus urbium derivata, in της desinunt, apud Latinos in *tanus* plerumque efferuntur, ut Νεαπολίτης Neapolitanus, Τριπολίτης Tripolitanus. Similiter a Caralibus Caralitanus, a Salapia Salapitanus, a Gadibus Gaditanus, etc.

SALAPITTA, ae, f. ῥάπισμα, alapa. *Arnob.* 7, 239. Delectantur Dii stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu atque plausu, factis et dictis turpibus, facinorum ingentium rubore, *h. e.* alapis histrionum, quibus os praebebant ad risum movendum, quod discimus ex *Mart.* 5, 61. O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini: Te successurum credo ego Panniculo; et 2, 72. Os tibi percisum, quantum non ipse Latinus Vilia Panniculi percutit ora sono. *Tert. Spect.* 23. Placebit et ille, qui faciem suam contumeliis alaparum sic objicit, quasi de praecepto Domini ludat. Adde *Juven.* 8, 192. ℙ Est qui leg. *salpicta*. V.

SALAPUTIUM, ii, n. salax mentula: a *salax* et *putus*, h. e. πόσθη, vel πόσθιον, extrito *s*. Sic per jocum dicitur homo brevis staturae: quemadmodum purissimum penem vocabat Horatium, et lepidissimum homuncionem, Augustus, ut *Suet. Vit. Horatii* narrat. V. POTUS, i, et PUTILLUS. *Catull.* 53, 5. de Licin. Calvo: Dii magni, salaputium disertum! *Sen. Controv.* 3, 19. *med.* de eod.: Imponi se supra cippum jussit (erat enim parvulus statura: propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum salaputium disertum;) et juravit, etc. Multas viri docti varias lectiones in hac voce commenti sunt, *salopygium*, *solopygium*, *salicippium*, *salapittium*, *solopachium*, etc., quibus immorari singulis, taedium est.

SALAR, aris, m. genus piscis, de quo *Auson. Idyll.* 10, 88. Purpureisque salar stellatus tergora guttis; et *ib.* 128. Teque inter species geminas, neutrumque et utrumque, Qui necdum salmo, nec jam salar, ambiguusque Amborum medio Fario, intercepte sub aevo. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Ut nocturnis per lacum excursibus rapacissimi salares in consanguineas agantur insidias. V. FARIO.

SALARIANUS, a, um, adj. *Plin.* 15, 23, 25. laudat Salarianam castaneam, ut puram et planam. Fortasse nomen habet a Salaria via, qua sal ex Sabinis Romam afferebatur.

SALARIARIUS, ii, m. cui salarium solvitur. *Ulp. Dig.* 17, 1, 10. §. 9. Si procurator ad vecturas suas, dum excurrit in praedia, sumptum fecit, puto hos quoque sumptus reputare eum oportere, nisi si salariarius fuit, et hoc convenit, ut sumptus de suo faceret ad haec itinera, hoc est, de salario. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 1046, 5., emendatior ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3507. M. Ulpio C. F. Sporo medico alar. Indianae, et tertiae Asturum, et salariario civitatis splendidissimae Ferentinensium etc. *medico salariato*. Alia ap. *Donat.* 275, 4. M. Apicio T. F. Cam. Trioni (corrige *Tironi*) P. P. Leg. XXII. Primig. P. F., Praef. Leg. XIII. Gem., 7. Leg. XV. Apollin. Evoc. a comment. Cust. Optioni, Evoc. Salar. etc. *h. e.* evocato salariariorum, seu stipendiariorum. [*Hujus loci ita *F.* curam gessit, ut totus ipsi jure adscribi possit.]

[SALARIENSIS, e, adj. ad Salariam pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, nunc *Cazorla* appellatam. *Plin.* 3, 3, 4. Colonia Salariensis. *F.*]

SALARIUS, a, um, adj. ἁλώδης, ad sal pertinens. *Liv.* 29, 37. Vectigal etiam novum ex salaria annona constituerunt. ℙ *Salaria via* Roma in Sabinos ferebat: ita dicta, quod illa sal ad eos portari convenerat: quae sunt verba *Plin.* 31, 7, 41. V. SAL. *Festus:* Salaria via incipit a porta, quae nunc Collina a colle Quirinali dicitur. Salaria autem propterea appellabatur, quod impetratum fuerat, ut ea liceret a mari in Sabinos salem portari. *Liv.* 7, 91. Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere. *Mart.* 4, 64. Illic Flaminiae, Salariaeque Gestator patet, essedo tacente. Adde *Cic. N. D.* 3, 5. ℙ *Salarius, ii*, qui salsamenta vendit, ταριχοπώλης. *Mart.* 4, 87. *ad libr. suum*: ad salariorum Curras scrinia protinus licebit, Inversa pueris arande charta. Adde 1, 42. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 294. Divo Constantino Augusto corpus salariorum posuerunt. ℙ *Salarium, ii*, μισθοφορία, ὀψώνιον, stipendium, merces, annona, proprie est annona salis, quae olim dabatur militibus. *Plin.* 31, 7, 41. Sal honoribus etiam, militiaeque interponitur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate. *Id.* 34, 3, 6. Nec pudet tribunorum militarium salariis candelabrum emere, *h. e.* tanti emere, quantum salarii nomine in annum dari solet tribuno mil. *Juven.* 3, 132. alter enim, quantum in legione tribuni Accipiunt, donat Calvinae, vel Catienae. ℙ Speciatim usurpatur de rerum generibus, quae militibus honoris causa dabantur. *Valer. Aug.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud. Goth.* 14. Claudio trib. leg. III. Martiae salarium de nostro privato aerario dabis annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, etc. *Id. Valer. Aug.* in *ep.* ap. *Vopisc. Prob.* 4 Probo dabis in salario diurno bubulae pondo, porcinae pondo sex, caprinae pondo decem, olei per biduum sextarium unum, vini veteris diurnos sextarios decem, etc. ℙ Metonymice significat unius anni militiam, ut et stipendium, q.v.v. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 135. n. 104. M. Saburius Ligus Fal. Albintimilii Evoc. Aug. Sal. VI. *h. e.* qui salarium per sex annos perceperat. Alia ap. *eund.* p. 700. *n.* 217. Aur. Julianus Evok. ex beneficiario salariorum VIIII. Chor. III. ℙ Inde traductum ad significandam quamlibet erogationem, annonam, aut mercedem, in quacumque specie. *Suet. Ner.* 10. Senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, et quibusdam quingena constituit. *Sen. ep.* 97. Dati judicibus nummi sunt: et quod hac pactione turpius est, stupra insuper matronarum salarii loco exacta sunt. *Tac. Agr.* 42. Salarium proconsulari solitum offerri, Agricolae Domitianus non dedit. *Mart.* 3, 7. Regis suberbi sportulae recesserunt. Nihil stropharum est: jam salarium dandum est, *h. e.* coena recta. *Suet. Tib.* 46. Pecuniae parcus ac tenax, comites expeditionum nunquam salario, cibariis tantum sustentavit. *Eum. Restaur. schol.* 11. Salarium me liberalissimi principes in sexcenis millibus nummum accipere jusserunt. *Scaev. Dig.* 44, 7, 61. Salarium alicui constituere. *Id. ib.* 34, 1, 16. medico praestare. *Ulp. ib.* 50, 9, 4. alicui decernere. *Id. ib.* 2, 15, 8. *med.* Salarium annuum cuipiam, vel usumfructum relinquere. [*Plura adjecit *F.*]

[SALASSI, orum, m. plur. populus Inalpinam vallem, quam Duria fluv. efficit, incolens. *Suet. Aug.* 21. Item Raetiam, et Vindelicos, et Salassos, gentes Inalpinas domuit. Adde *Liv.* 21, 3, 8. ℙ *Salassus* est etiam cogn. R., fortasse ex patria adscitum, ut P. Curtius Salassus ap. *Cic. Fam.* 6, 18. *F.*]

*SALAUCES, Colchorum rex ditissimus, ob peritiam auri inveniendi. De eo sic *Plin.* 33, 3. Jam regnaverat in Colchis Salauces et Esubopes, qui terram virginem nactus, plurimum argenti aurique emisse dicitur in Samnorum gente, et alioquin velleribus aureis inclyto regno. Sed et illius aureae camerae, et argentea trabes narrantur, et columnae atque parastatae, victo Sesostre Aegypti rege tam superbo, ut praedatur annis quibusque sorte reges singulos e subjectis jungere ad currum solitus, sicque triumphare. *B. A.*

SALAX, ācis, adj. omn. gen. ἀφροδισιαστικός, propensus in Venerem, turpi libidine pruriens, cupidus, incontinens. Videtur esse a *sale*, quia humore salso incitatur libido: unde Venus orta mari dicitur: vel a salio, ὀχεύω. *Ov. Fast.* 4, 771. Sitque salax aries: conceptaque semina conjux Reddat: et in stabulo multa sit agna meo. *Varr. R. R.* 3, 9. Salaces galli. *Colum.* 7, 9. Suum quam salacissimos oportet esse mares. *Lact. Op. D.* 14. *med.* Salaciora animalia plus jecoris habuissent. ℙ Non modo de animalibus, sed etiam de hominibus, immo et, quod mirere, de Diis usurpatur. Hinc *salax Deus* est Priapus. *Auct. Priap.* 35. Cum sacrum fieret Deo salaci. *Lact.* 1, 16. med. Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere? ℙ Per metonymiam de iis dicitur, quae turpem libidinem provocant. *Ov. R. Am.* 799. Nec minus erucas aptum vitare salaces. *Mart.* 3, 75. Salaces bulbi. Ap. *eund.* 10, 48. et *Ov. A. Am.* 2, 422. *herba salax* est eruca, quam stimulandae Veneri aptissimam esse, docet *Plin.* 19, 8, 44. et 20, 13, 49.

*SALDE, oppidum Mauritanae Caesariensis, Caesaris Augusti colonia. *Plin.* 5, 2. ℙ *Saldis* est *Anton. Itin. B. A.*

*SALDIS. V. v. praec. *B. A.*

*SALDŪBA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae, ad mare Mediterraneum. *Plin.* 3, 1. *Mela* 2, 6. ℙ Item urbs Hispaniae Tarraconensis, postea Caesaraugusta dicta. *Plin.* 3, 3. Hodie *Saragoza* vel *Saragossa* est, corrupto vocabulo ex *Caesaraugusta*. *B. A.*

SALĒ, is, n. V. SAL.

SALEBRA, ae, f. ἐκρηγμα, locus asper, et transitu difficilis, scrupi, spinae, et hujusmodi, quibus via difficilis est: a *salio*, quia salire necesse est evadere volenti. Adhibetur fere in plurali num. *Prop.* 3, 14, 15. Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras. *Hor. Ep.* 1, 17, 52. Qui queritur salebras, et acerbum frigus, et imbres. *Colum.* 9, 8. Si necesse habuerimus longinquis itineribus apes advehere, curabimus, ne salebris sollicitentur. *Mart.* 9, 58. Nec quae Flaminiam secant salebrae. ℙ Translate. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 6. *extr.* Urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosequutus, senile guttur salebris spiritus praegravavit. *Id.* 6, 9. *n.* 5. *extr.* Semel dumtaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiae salebra succussum. ℙ Saepe refertur ad orationem. *Cic. Or.* 12. *f.* Herodotus sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit: Thucydides incitatior fertur. *Id. Fin.* 2, 10. Hic si definire, vel dividere didicisset; si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret, nunquam in tantas salebras incidisset; et *ib.* 5, 28. *med.* Proclivius currit oratio: venit ad extremum: haeret in salebra: cupit enim dicere, etc. *Mart.* 11, 90. Carmina nulla probas, molli quae limite currunt, Sed quae per salebras, altaque saxa cadunt.

SALEBRĀTIM, adv. V. dict. sq.

SALEBRĀTUS, a, um, adj. salebris plenus, salebrosus. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Fluvius salebratis saxorum obicibus affractus, spumoso canescit impulsu. Alii leg. *salebratim*, h. e. quasi per salebras.

SALEBRITAS, atis, f. iter salebrosum, viae difficultas. *Appul. Met.* 6. Saxum immani magnitudine procerum, et inaccessa salebritate lubricum.

SALEBROSUS, a, um, adj. ἀνώμαλος, τραχύς, lapidosus, scruposus, salebris plenus, asper, difficilis. *Appul. Met.* 8. Sed et saxa gerebat, quae salebrosa semita largiter subministrabat; et *ib.* 7, Mihi furfures apponebat incretos ac sordidos, multoque lapide salebrosos. ℙ Translate. *Quint.* 11, 2, 46. Inde interruptus actionis impetus, et resistens ac salebrosa oratio, et qui dicit, ediscenti similis, *h. e.* quibusdam veluti salebris remorans impetum actoris, ut salebrae retardant progressum ambulantis. *Mart.* 11, 2. Lectores tetrici salebrosum ediscite Sanctram, *h. e.* difficilem, asperum, et in cujus lectione saepius resistendum sit. *Sidon. ep. praef. carm.* 14. Omissa epithalamii teneritudine, per asperrimas philosophiae, et salebrosissimas regulas stylum traxi.

*SALEIUS Bassus, pauper poeta, vixit temporibus Domitiani. *Quint.* 10, 1. *Auct. Dialog. de Or. Tac. tributi* 5, 9. *Juven. Sat.* 7, 80. *B. A.*

*SALĒNI, orum, m. populi Hispaniae, circa fontes Iberi fluminis et Cantabrorum terram. *Mela* 3, 1. *extr. B. A.*

SALENTĪNI, orum, m. plur. Σαλεντῖνοι, pop. Italiae in Messapia, nunc prov. Hydruntina, inter Apenninum montem, et sinum Tarentinum. Alteram enim occupabant Calabri, inter Apenninum, et ostium maris Adriatici. A plerisque tamen tota provincia comprehenditur sub Salentinis, et aliter Messapia dicta fuit. Orti sunt a Cretensibus, et Illyricis, qui societate cum Locrensibus inita, iis in locis consederunt. Ita vocati sunt a Salentino promont. in extremis ejus peninsulae finibus sito: vel, ut ait *Festus*, a salo fortassis, quod paene circumquaque mari ambiantur, tenui tantum isthmo continenti annexi. [*Inscr.* ap. *Grut.* 199, 1. Cippis terminarunt viam Trajanam Appiam per Bruttios, Salentinos pecunia publica: contulere Bruttiei, Salentinei, etc. ℙ Plerique geographi statuunt, in Salentinis fuisse urbem *Aletium*, eorumque incolas *Aletinos* vocatos ex *Plinii* 3, 11, 16. loco corrupto, sed *Romanelli* in *Topogr. Napol.* T. 2. p. 24. contendit, nullam ibidem fuisse urbem *Aletium*, sed *Salentium*, ac propterea nec *Aletinos*, sed *Salentinos* esse legendum. Incertam ibidem esse lectionem in MSS. etiam *Harduinus* adnotaverat. *F.*]

SALENTĪNUS, a, um, adj. ad Salentinos pertinens. *Virg. A.* 3, 400. Et Salentinos obsedit milite campos. *Sil.* 8, 576. Salentinae cohortes. ℙ Salentinum promontorium, *Plin.* 3, 23, 26. et *Sall.* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* est *Capo di S. Maria*. ℙ Scribitur et *Sallentinus*, ut in *Fast. cons.* ap. *Grut.* 296 et 297. *col.* 2. quod improbari non debet.

*SALERA, ae, f. oppidum Africae propriae. *Liv.* 29, 34. *B. A.*

SALERNĪTĀNUS, a, um, adj. ad Salernum pertinens. *Plin.* 13, 3, 5. L. Plotium proscriptum a triumviris, in Salernitana latebra unguenti odore proditum constat. Adde *Val. Max.* 6, 8. *n.* 5. ℙ

Est autem Salernum, olim locus praesidii et castrorum Romanis, in ora maris Tyrrheni, ut ex *Plin.* 3, 5, 9., et *Liv.* 32, 29. colligitur: postea oppidum, et colonia deducta ann. U. C. DLVIII., ut est ap. *Liv.* 34, 45. et *Vell.* 1, 15. agro colonis diviso, qui Campanorum fuerat. *Lucan.* 2, 425. radensque Salerni Culta Siler. Adde *Hor. Ep.* 1, 15, 1.

*SALETĬO, onis, oppidum Galliae Belgicae, in Nemetum agro. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ *Saliso* est *Ammian.* 6, 3. ℙ Hodie est *Seltz. B. A.*

SALGAMA, orum, n. plur. *σάλγαμα*, quaecumque conditanea ad victum in vasis servantur, interdum sicca, saepe cum liquamine et jure, ut mala, pira, fici, uva, rapae, etc. *Colum.* 12, 4. Post hoc praeceptum locum, et vasa idonea salgamis praeparari jubent. *Id.* 10, 117. Tempore non alio vili quoque salgama merce, Capparis, et tristes inulae, ferulaeque minores Plantantur. *Id.* 12, 9. Saepe suffundere jus debebit, nec pati sitire salgama. Adde *ib.* 4. *med.*

SALGAMĀRĬUS, ii, m. *ἁλμεντὴς*, qui salgama vendit, vel conficit. *Colum.* 12, 54. Deinde, sicut consueverunt salgamarii, decussatim ferramento lunato incidito. ℙ *Salgamarius* inscriptus fuit liber cujusdam C. Matii, in quo de salgamis condiendis agebatur. *Id. ib.* 44.

[SALGAMENTĀRĬUS, ii, m. idem ac salgamarius. *Salvian. adv. avar.* 4, 7. Si mutuum a te quippiam propola, aut salgamentarius postularet, redditurum eum non diffideres, quae dedisses. Alii rectius leg. *salsamentarius. F.*]

*SALGANEUS trisyllab. (*Σαλγανεὺς Straboni* et *Steph. Byzant.*), ei et eos, oppidum Boeotiae. Hinc accusativus *Salganea* ap. *Liv.* 35, 37. 38. 46. et 51. quibus in locis posse esse gen. neutr. plur. non inficias iverim. Sed prior forma probabilior. *B. A.*

*SALĬA, ae, f. oppid. Galliae Belgicae, hodie *Seille. Venant. Fort.* 3, 12. ℙ Et Hispaniae Tarraconensis oppidum. *Mela* 3, 1. *f. B. A.*

SĂLĬĀRIS, e, adj. ad Salios pertinens. *Hor. Ep.* 2, 1, 86. Jam Saliare Numae carmen qui laudat, *h. e.* quod Numa Saliis canendum proposuit in movendis ancilibus, priscis et ignotis verbis refertum. Unde *Quint.* 1, 6. *f.* Et Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta. *Macr. Sat.* 3, 12. *med.* Saliaria sacra. *Sen. ep.* 15. Cursus, et cum aliquo pondere manus motae, et saltus, vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, ut ita dicam, Saliaris, aut, ut contumeliosius dicam, fullonius. ℙ *Saliares epulae*, lautae et opiparae, quales erant Saliorum. *Fest.* in *Salios.* Saon Saliare genus saltandi instituit: a quo appellati Salii: quibus per omnes dies, ubicumque manent, quia amplae ponuntur coenae, siquae aliae magnae sunt, Saliares appellantur. *Hor. Od.* 1, 37, 2. nunc Saliaribus Ornare pulvinar Deorum Tempus erat dapibus, sodales. *Cic. Att.* 5, 9. Cum epulati essemus Saliarem in modum. *Appul. Met.* 4. Saliares se coenasse coenas crederet.

SĂLĬĀTUS, us, m. dignitas, seu officium Saliorum. [*Cic. fragm. or. pro Scaur.* (ed. *A. Maio*) 7. Appius autem hoc majorem contentionem fore putabat, quod illum in pontificatus petitione, in Saliatu, in ceteris meminerat fuisse patricium. *F.*] *Capitol. M. Aurel.* 4. In Saliatu omen accepit imperii.

SĂLĪCASTRUM, i, n. *ἄμπελος ἀγρία*, genus labruscae in salictis nascens. *Plin.* 23, 1, 15. Est labruscae similis, sed in salictis nascens, ideo distinguitur nomine, cum eosdem usus habeat, et salicastrum vocetur.

SĂLĪCTĀRĬUS, ii, m. qui salictum curat, et ex eo materiam salignam viti pedandae jugandaeque parat. *Cato R. R.* 11., ubi sunt qui vocem hanc omittunt, ut omisit etiam *Varr. R. R.* 1, 18., ubi *Catonis* locum eundem retulit. ℙ *Lupus salictarius* ap. *Plin.* 21, 15, 50. herba est de sponte nascentibus, et in cibis usum habentibus, verius tamen oblectamentum, quam cibus. Officinae, inquit *Hard.*, lupulum passim vocant, et galli *du houblon*, Itali *luppolo* [*nos: *Weidenhopfen.*]: et in salictis ac sepibus provenit.

SĂLĪCTĒTUM, i, n. idem quod salictum. *Ulp. Dig.* 47, 7, 3. Idem de salicteto dicendum est. Alii leg. *salicto*, ut est ap. *Haloandr.*, sed *Torrent.* habet *salicteto.*

SĂLĪCTUM, i, n. *ἰτεών*, locus salicibus consitus, et ipsi salices: sync. a *salicetum.* *Cato R. R.* 1. *f.* Vinea est prima: secundo loco hortus irriguus, tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum, etc. *Cic. Agr.* 2, 14. *med.* Accedet eo mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas, etc. *Pl. Aul.* 4, 6, 9. Lucus crebro salicto oppletus. *Liv.* 29, 17. Cum forte inter salicta innata ripis laterent hostes. *Virg. G.* 2, 13. glauca canentia fronde salicta. *Ov. Met.* 11, 363. Juncta palus huic est, densis obsessa salictis. *Colum.* 10, 332. Glauca salicta. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Per amoena salicta. *Virg. Ecl.* 1, 55. sepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti, *h. e.* iulum flori similem, qui emittitur a salice sterili: cui insidentes apes succum hauriunt operi suo idoneum. ℙ Quod *Serv.* ad *Virg. l. c.*, et *Cincius* ap. *Festum* in *Salicem*, dicunt esse virgulti genus, de humili ac tenui salice loquuntur, ex quo vimina fiunt. V. SALIX.

SĂLIENS, entis, part. a *salio: ἁλλόμενος, πηδῶν*, qui salit. *Phaedr.* 4, 2. Fame coacta vulpis alta in vinea Uvam appetebat summis saliens viribus. *Plin.* 4, 12, 26. *f.* Ex rupe in mare salientes. *Mart.* 1, 56. Et piscem tremula salientem ducere seta. *Ov. Met.* 14, 543. Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi. *Id. Her.* 20, 139. tentat salientem pollice venam. Sic *Met.* 8, 606. pectora trepido salientia motu: *scil.* ob pulsum cordis; et *ib.* 6, 390. salientia viscera. *Lucr.* 4, 1193. et Venerem salientum laeta retractant, *h. e. τῶν ἀναβαινόντων. Ov. Fast.* 4, 409. Farra Deae, micaeque licet salientis honorem Detis, *h. e.* salis, qui in ignem conjectus et salit, et crepitat. Adde *Hor. Od.* 3, 23, 20. Sic *Tibull.* 3, 4, 10. Farre pio placant, et saliente sale. ℙ *Saliens* dicitur aqua in rivis, quia, lapillis cursum interrumpentibus, salit potius quam defluat: item in fistulis, et tubis, ob impetum scaturiendi, aut quia in altum salit, ut in fontibus arte factis videre est. *Virg. Ecl.* 5, 47. Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo. *Ov. R. Am.* 632. Et multam saliens incitat unda sitim. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Haec amoenitas deficitur aqua salienti, sed puteos, ac potius fontes habet: sunt enim in summo; et *Suet. Aug.* 82. Aestate apertis cubiculi foribus, ac saepe in peristylio saliente aqua cubabat. Adde *Front. Aqu.* 9. *extr.* et 11. etc. ℙ Hinc *salientes* dicuntur ipsi tubi, ac fistulae, ex quibus aqua salit, et alio ducitur, *σωλῆνες. Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina, et salientibus additis. *Ulp. Dig.* 19, 1, 15. Labra, salientes, fistulae quoque, quae salientibus junguntur, quamvis longe excurrant extra aedificium, aedium sunt. *Vitr.* 8, 7. In medio ponentur fistulae in omnes lacus et salientes; et *ib.* 3. *med.* Ex hujusmodi locis et fontibus et in asty, et ad portum Piraeeum ducti sunt salientes, e quibus bibit nemo, propter, etc. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9. Agrippa lacus septingentos fecit, praeterea salientes centum quinque, castella centum triginta. Adde *Front. Aqu.* 9, 11, 87. 103. 104. etc.

SĂLĪFŌDĪNA, ae, f. *ἁλοπήγιον*, locus, ubi nativus sal effoditur: et differt a *salina*, in qua arte fit. *Vitr.* 8, 3. *med.* Fontes, et flumina, et lacus, qui per salifodinas percurrentes, necessario salsi perficiuntur. ℙ Est qui leg. *salsifodina.*

SĂLĪGĬNĔUS. V. in v. sq.

SĂLIGNĔUS, a, um, adj. idem ac salignus. *Ulp. Dig.* 47, 7, 3. Si quis saligneas virgas instituendi salicti causa defixerit. Est qui leg. *saligineas:* quod minus probum videtur. *Colum.* 6, 2. Salignea clava. *Id.* 9, 15. *f.* Saligneus qualus.

[SĂLIGNĬĀNUS, a, um, adj. ita appellatur optimorum malorum genus. *Edict. Diocl.* p. 17. Mala optima Mattiana, sive Saligniana N. X. X. quattuor. *F.*]

SĂLIGNUS, a, um, adj. *ἰτέϊνος*, qui est ex salice. *Colum.* 7, 1. Salignae perticae. *Hor. Sat.* 1, 5, 21. cerebrosus prosilit unus, Ac mulae, nautaeque caput, lumbosque saligno Fuste dolat. *Ov. Fast.* 2, 363. verubus transsuta salignis Exta parant. *Id. Met.* 8, 659. Salignus lectus. *Virg. A.* 7, 632. flectuntque salignas Umbonum crates, *h. e.* scuta e viminibus. *Petr. Sat.* 135. Saligna crates, *h. e.* canistrum. *Cato R. R.* Columellam ferream cuneis salignis circumfigi oportet bene.

SĂLĬI, orum, m. plur. *Σάλιοι*, sacerdotes Martis apud Romanos, qui ancilia custodiebant, et certo tempore ea gestantes, saltantesque per Urbem discurrebant. *Varr. L. L.* 4, 15. Salii a saltando, quod facere in Comitio in sacris quotannis et solent, et debent. *Festus:* Salios a saliendo, id est saltando, dictos esse, quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon ait, Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos *ἐνόπλιον* saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace, cum Aenea Deos Penates qui Lavinium transtulerit, Saliare genus saltandi instituisse, a quo appellatos Salios: quibus per omnes dies, ubicumque manent, quia amplae ponuntur coenae, siquae aliae magnae sunt, Saliares appellantur. Haec *Fest. Virg. A.* 8, 663. Hic exsultantes Salios, nudosque Lupercos, Lanigerosque apices, et lapsa ancilia coelo Extuderat. *Cic. Or.* 3, 51. Non neglecta, ut mihi videtur, a Numa rege doctissimo, majoribusque nostris, ut epularum solemnium fides, ac tibiae, Saliorumque versus indicant. ℙ Instituti sunt a Numa Pompilio. Origo haec fuit. Cum Aegeriae Nymphae hortatu Numa Picum, et Faunum de ratione piandi fulminis consuluisset, illique Jovem coelo elicuissent, eamque rem Numa a Jove precatus esset, ille pollicitus est, se crastino die, exorto sole, Romani imperii diuturnitatis certa pignora daturum. *Igitur Numa concionem advocavit, Jovis promissum enarravit, postero die adesse jussit. Ubi sequens dies illuxit, populusque universus affuit ad regiam, Numa prodiit, sub dio in solio acerno sedit, et exorto sole Jovem veneratus est, precatusque, ut promissum munus exhiberet. Tunc sine nubibus coelum ter tonuit, terque fulguravit, tandemque scutum ab omni parte recisum delapsum est, quod Romani ancile appellavere. Sed quoniam sors imperii in illo scuto posita erat, ne forte hostes illud surripere possent, Mamurium inclytum ea tempestate fabrum ad se accivit, negotiumque dedit complura hujus similia effingendi. Quod opus cum ille exquisitissima absolvisset arte, scutum coeleste cum ceteris Numa misceri jussit, quod deinceps internosci non potuit. Optionem deinde rex artifici obtulit, quicquid vellet, a se postulandi. Mamurius non pecuniam, sed gloriam pro mercede petiit. Cum enim Numa illis diebus carmina quaedam composuisset, quae Salii per Urbem discurrentes in honorem Martis canerent, Mamurius petiit, ut nomen suum a Saliis in fine quorumlibet carminum recitaretur. Id, annuente Numa, per multa tempora observatum est. *Ov. Fast.* 3, 259. ℙ Numa duodecim juvenes elegit in Salios ex ordine patricio, qui forma et virtute ceteris excellerent: qui Palatini dicti sunt, quique in Palatio sedem habebant, ut affirmat *Dionys. Hal.* 2, 70. His alios duodecim, Collinos et Quirinales appellatos, mox adjecit Tullus Hostilius ob votum quod voverat, ut *Id. Dionys.* 3, 32. ait, in bello contra Sabinos; ut *Liv.* 1, 20. et 27., in proelio contra Fidenates et Vejentes, cum, Romanis in aciem eductis, Albani a Romanis duce Metio Fuffetio defecere. Hos Pavorios etiam et Pallorios dixere, ut *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 285. tradit. Eo igitur hujus ordinis sacerdotium numero crevit, ut ad collegium redactum fuerit. Qui praeerat Saliis, magister Saliorum (ut est ap. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 9.) dicebatur: alius erat praesul appellatus, qui aliis praesultabat in caeremoniis publicis; alius vates, qui Saliares versus ante alios praecinebat. *Capitol. M. Aurel.* 4. Fuit in eo sacerdotio (*Saliorum*) et praesul, et vates, et magister. *Inscr.* ap. *Grut.* 173, 5. Mansiones Saliorum Palatinorum. Alia ap. *Mur.* 173, 8. Q. Pompejo Q. F. Quir. Senecioni Salio Collino, etc. ℙ In sacris illis, quae celebrabant, tunicis pictis induti erant, et aeneis balteis supra tunicas cincti, ornatique praetextis, quae subtegminis punicei fibulis astrictae erant, et trabeae vocabantur: gestabant in pectore aeneum tegmen, in capite pileos rotundos, et in altum fastigiatos, quos Romani apices appellabant: gladio accincti erant, manu dextra lanceam, aut virgam, aut aliquid hujusmodi tenebant: collo ancile ferebant, ibant per Urbem canentes carmina, laudantesque Martem armorum praesidem cum tripudiis, solemnique saltu, et in fine omnium carminum suorum Mamurium appellabant. *Lucan.* 1, 603. Et Salius laeto portans ancilia collo; et 9, 477. quae laeta juventus Patricia cervice movet. Adde *Stat. Silv.* 5, 2, 130. ℙ *Salii* etiam extra urbem Romam fuere. *Inscr.* ap. *Grut.* 318, 2. L. Antistius Cn. F. Hor. Sarculo Salius Albanus, idem Mag. Saliorum. ℙ *Salios* etiam Herculi sacros fuisse Tibure, constat ex *Virg. A.* 8, 285. In *Gloss. Philox.* axamenta (quae sunt carmina Saliaria) dicuntur *αὐίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους.* Praeterea *Octav. Hersennius* ap. *Macr. Sat.* 3, 12. in libro, qui inscribebatur de sacris Saliaribus Tiburtium, et *Ant. Nipho ib.* docuere, Salios Herculi datos fuisse. Hoc autem ideo, quia, ut ait *Macr.*, is Deus apud pontifices idem, qui Mars habetur: quod et *Varr.* auctoritas confirmat in *Sat. Menip.* Chaldaei quoque stellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant. Adde *Serv.* ad *Virg. l. c.* ℙ [*Salii* dicti sunt etiam populi quidam ex Francorum gente in Batavia. *Ammian.* 17, 8. *med.* Julianus petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere praelicenter. *Alciatus* putat, ab his Saliis legem Salicam nomen duxisse. *F.*] *V. *Zosim.* 3, 6. et cf. *Cluv. Germ. Ant.* 3, 17. etc. *B. A.*

SĂLILLUM, i, n. parvum salinum. *Catull.* 23, 19. Quod culus tibi purior salillo est, etc. ℙ *Pl. Trin.* 2, 4, 90. *salillum animae* vocat ipsam animam ac spiritum, quo vivit corpus, et a putredine, quasi sale conditum, defenditur.

SĂLĪNĂCĬDUS. V. SALMACIDUS.

SĂLĪNAE, arum, f. plur. *ἁλοπήγια, ἅλικαὶ*, locus, in quo sal paratur. V. SALIFODINA. Negant *Varr. L. L.* 7, 25. et *Char.* 1, 20. in singulari numero usurpari. *Cic. N. D.* 2, 57. Salinae ab ora maritima remotissimae. *Plin.* 31, 7, 39. Sal facticius plurimus in salinis, mari adfuso, non sine aquae dulcis riguis, sed imbre maxime juvante, ac super omnia sole multo: non aliter inarescens; et *ib.* 41. Ancus Marcius salinas primus instituit. *Colum.* 10, 135. Quae dulcis Pompeja palus vicina salinis Herculeis, *h. e.* quae sunt prope Pompejos, Campaniae urbem, ubi Herculis petra fuit, ut recte interpretatur *Rosin. Dissert. isagog.* p. 30. V. HERCULEIUS. ℙ Ludit in ambiguo *Cicero*, jocos et sales intelligens in illo *Fam.* 7, 32. Parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur. ℙ *Salinae*, locus in Urbe ad portam Trigeminam. *Front. Aqu.* 5. et *Liv.* 24, 47. *f.* *Adde 5, 45. *extr.* et 7, 17. *med.* et 19. ℙ Item locus in Dacia. Tab. Peut. B. *A.*

SĂLĪNĂRĬUS, a, um, adj. ad salinas, vel ad sal pertinens, ut Areae salinariae, ap. *Vitr.* 8, 3. *med.*

SĂLĪNĀTOR, oris, m. qui in salinis versatur, qui sal conficit, aut vendit. Ut Salinatores aerarii, *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 244. h. e. qui pro sale conficiendo

et vendendo vectigal aerario pendunt. *Arnob.* 2, 70. Salinatores, unguentarii, aurifices, aucupes. *Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 4. L. Lepidio L. F. An. Proculo Mil. Leg. V. Macedon., etc. Salinatores civitatis Menapiorum ob merita ejus. ℙ *Salinator* cognominatus est M. Livius M. F. M. N. ex plebeja familia, quia vectgal novum ex salaria annona in censura statuerat. *Liv.* 29, 37. ℙ Etiam in gente Oppia id cognomen fuit, ut L. Oppius Salinator. *Id.* 35, 24. ℙ *Salinator*, titulus mimi Laberiani. *Gell.* 3, 12.

[SĂLĪNĪENSIS, is, m. qui in salinis operatur, salinator. *Inscr.* Pompejana ap. *Rosin. Dissert. isagog.* p. 30. M. Cerrinium aedilem Salinienses rogant. V. *Colum. l. c.* in SĂLĪNAE. ℙ *Saliniensis*, vel *Salinensis*, est etiam qui ex Salinis est, oppido Italiae ad Varum fluv., in maritimis Alpibus, a *Ptolem.* 3, 1. memorato, nunc *Seillans. Inscr.* ap. *Spon. Misc. antiqu.* p. 198, 4. Q. Vibius Q. Fil. Capito Salinensis. Alia ap. *Don.* 172, 1. Flavio Verini Fil. Quincto Sabino II. viro Salin. civitatis suae, etc. tabernarii Salinienses posuerunt. *F.*]

SĂLĪNUM, i, n. ἁλοδοχεῖον, vas in quo sal reponitur, tum ad mensae usum, tum ad sacras oblationes. *Pl. Pers.* 2, 3, 14. Triparci homines, qui salinum servo obsignant cum sale. Alii leg. *allium*, alii *alliatum. Pers.* 3, 25. Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum: Quid metuas? *Stat. Silv.* 1, 4, 130. sed saepe Deis hos inter honores Caespes, et exiguo placuerunt farra salino. *Liv.* 26, 36. Ut senatores salinum, patellamque Deorum causa habere possint. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 3. In C. Fabricii, et Q. Aemilii Papi domibus argentum fuisse confiteor oportet: uterque enim patellam Deorum, et salinum habuit. *Plin.* 33, 12, 54. Fabricius imperatores plusquam pateram et salinum ex argento habere vetabat. *Arnob.* 2, 91. Sacras facitis mensas salinorum appositu, et simulacris Deorum. *Hor. Od.* 2, 16, 13. Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum, *h. e.* supellex, et res familiaris a patre relicta, diligenter et parce servatur, et administratur, quamvis tenuis sit. *Pers.* 5, 138. regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis, *h. e.* modico victu contentus eris, et parco veterum more, panem cum sale coenabis, si pius ac religiosus esse cupis. V. SAL. ℙ Salinum in mensa pro aquali solitum esse poni, ait (*Cincius*, vel *Verrius*) cum patella, quia nihil aliud sit sal, quam aqua. *Festus.* ℙ Salinum cum sale in mensa ponere, figulis religioni habetur: quod quondam in Exquilina regione figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus somno esset oppressus cum convivis suis: praeteriens quidam petulans, ostio patente, ex mensa salinum conjecit in fornacem: atque ita incendio excitato, figulus cum suis concrematus est. *Idem.* ℙ Mascul. gen. *Varr.* ap. *Non.* 15, 26. Dicuntur enim patellae, salini, acetabula, catini, patenae.

SĂLĬO, is, ivi et ii, ītum, a. 4. ἅλλω, salem aspergo, sale condio. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Qua ratione oporteat pernas salire. *Cato R. R.* 23. Oleae caducae saliantur. *Cels.* 2, 18. Pisces, qui solidi saliuntur. *Sisenn.* ap. *Prisc.* 10. *f.* Piscium saliendorum causa. *Naev. ib.* Saliturus istaec mittam salem. ℙ Sunt qui ubique *sallio* scribunt, liquida geminata: quod improbare non ausim: quamvis a *salis*, unde fit *salio*, nulla geminnatio oriatur.

SĂLĬO, is, ivi et ii et ui, saltum, a. 4. πηδάω, ἅλλομαι, saltum edo, salto. *Virg. G.* 1, 449. Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando. *Plin.* 10, 38, 54. Aves vario meatu feruntur, et in terra, et in aere, ambulant aliquae, ut cornices: saliunt aliae, ut passeres, merulae: currunt, ut perdices, rusticulae. *Ov. Ib.* 558. Inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas. *Pl. fragm.* ap. *Prisc.* 6. *f.* Saliam in puteum praecipes. *Id. Trin.* 2, 1, 30. Qui in amorem praecipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat. *Liv.* 2, 24. Salire de muro, praecipitarique; et *ib.* 39. Obseptis itineribus, super vallum saliunt. Adde *Ov. Ib.* 599. *Pl. Mil.* 2, 3, 8. Metuo, ne in malum cruciatum insiliamus. *Paloe.* tu sali solus: nam ego istam insulturam nihil moror. *Id. Bacch.* 3, 3, 24. Hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo exercere se. ℙ *Salire* in brutis est maris ἐν τῇ συνουσίᾳ. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Cum equus matrem ut saliret, adduci non posset; et *ib.* 4. *med.* Verres octo mensium incipit salire. Adde *ib.* 3, 6. et 10. et ap. *Non.* 2, 290. Et passive *Id. ib.* 2, 2. *med.* de ovib.: Neque pati oportet, minores, quam bimas, saliri. *Ov. A. Am.* 2, 485. Laeta salitur ovis. ℙ *Salire*, emicare, celeriter emergere, prosilire, exsilire. *Lucr.* 1, 187. E terraque exorta repente arbusta salirent. *Claud. praef. ad III. cons. Honor.* 3. excusso saliit cum tegmine proles, *h. e.* pullus aquilae natus est rupto putamine. *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. *f.* Personae, e quarum rostris aqua salire solet. *Varr. R. R.* 1, 13. Cohortes interius compluvium habeant lacum, ubi aqua saliat, *h. e.* decurrat, defluat, V. SALIENS. ℙ Pro palpitare, micare, subsilire, πάλλω, πάλλομαι. *Ov. Met.* 10, 289. saliunt tentatae pollice venae. *Piln.* 10, 53, 74. Gutta in ovo salit, palpitatque. *Sen. Herc. Oet.* 708. Stat terror animis, et cor attonitum salit: πάλλει ἡ καρδία. *Pers.* 3, 109. visa est si forte pecunia, sive Candida vicini subrisit molle puella; Cor tibi rite salit? *Pl. Ps.* 1, 1, 104. Id futurum, unde dicam nescio: nisi quia futurum est: futurum, unde dicam nescio: nisi quia futurum est: SALISATOR. ℙ Pro *salii* ita supercilium salit. V. SALISATOR. ℙ Pro *salii* in praeterito dixere *salui*, non solum in compositis *adsilui*, *prosilui*, etc. sed et in simplici. *Diomed.* 1, 371. *Salio* perfectum suavius enunciari videtur *salii*, quam *salivi:* sed plerique veteres *salui* dixerunt. *Virg. G.* 2, 384. Mollibus in pratis unctos saluere per utres. *Prisc.* quoque 10, 906. testatur se in quibusdam codicibus *saluere* invenisse. *Serv.* ad illud *A.* 3, 416. Dissiluisse ferunt: hinc apparet, inquit, bene dictum, *unctos saluere per utres.* Est enim positio *salio*, *salis*, *salui.* Illud quoque *Ov.* a multis cum *Prisc. l. c.* sic legitur, *Fast.* 4, 805. Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos. ℙ Part. *Saliens* V. supra s. l.

SĂLĪSĂTĬO, onis, f. palpitatio, παλμός, a saliendo. *Marc. Empir.* 21. *f.* Cordis pulsus, sive salisatio. *Gloss. Philox.* Salisatio, παλμός. ℙ Scribitur et *salissatio.*

SĂLĪSĂTOR et Salissator, oris, m. Salisatores, inquit *Isid. Orig.* 8, 9. *f.*, vocati sunt, qui, dum eis membrorum quaecumque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum, seu triste significare praedicunt. *Muret. var. lect.* 9, 6. legit *salitores.* Huc pertinet illud *Theocr. Idyll.* 3, 37. Ἄλλεται ὀφθαλμὸς μὲν ὁ δέξιος· ἀρά γ' ἰδησῶ Ἀννάν; et *Pl. Ps.* 1, 1, 105. ita supercilium salit; et *As.* 2, 2, 49. Ergo mirabar, quod dudum scapulae gestibant mihi.

*SĂLĪSSO, onis, opp. Galliae Belgicae, in terra Trevirorum. *Anton. Itin. B. A.*

SĂLĪSUBSŪLUS, a, um, adj. qui salit et subsilit. *Catull.* 17, 5. Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat, In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto, *h. e.* in quo etiam Salii salientes subsilientesque securi sacra sua peragant. *Muretus* locum firmat auctoritate *Pacuvii* in *Armorum judicio.* Pro imperio sic Salisubsulus nostro excubet, *h. e.* Mars, qui in proeliis hac illac salit subsilitque, imperium nostrum tueatur. Hunc autem *Pacuvii* versum primus ante *Muretum* attulit *Guarinus* ad *Catulli l. c.*, cujus fidei acquiescendum esse videtur. Alii ap. *Catull.* leg. *Salii ipsulis*, et *Pacuvii* versum spurium esse putant. *Ipsulas* vero, sive *ipsillas* dicunt esse lamellas in sacris adhibitas, specie virorum et mulierum. V. IPSULLICES.

SĂLĪTĬO, onis, f. actus saliendi: ut Salitio equorum, ap. *Veg. Mil.* 1, 18.

SĂLĪTOR, oris, m. in *Gloss. Philox.* est ταριχευτής, *h. e.* salsamentarius. Quidam leg. ap. *Cic. Att.* 4, 17. *f.* Litteras datas salitoribus Britanniae. Sed plerique omnes, *datas a litoribus Britanniae.*

SĂLĪTŪRA, ae, f. ἅλισις, conditura ex sale. *Colum.* 12, 21. Post salituram musti.

SĂLĪTUS, a, um, part. a *salio:* sale conditus, vel aspersus. *Colum.* 6, 32. Salitus thynnus. *Pall.* 11, 10. Salita oliva. *Fabian.* ap. *Diom.* 1, 372. caro. *Cornel. Sever.* ap. *Prisc.* 10. *f.* Saliti pumiliones. Adde *eund.* ap. *Diom. l. c.* ℙ Sunt qui *sallitus* scribunt, liquida geminata.

SĂLĪVA, ae, f. σίαλον, σιαλίς, humor in ore animalis, sputum: est a Graeca voce allata. *Lucr.* 4, 1101. Affigunt avide corpus, junguntque salivas Oris; et *ib.* 639. ut serpens, hominis quae tacta salivis Disperit. *Juven.* 6, 621. de Claud. Imp. (quem in ira rictu spumanti fuisse, scribit *Suet.* 30.) tremulum caput, et longa manantia labra saliva. *Colum.* 6, 9. Signa bovis febricitantis manantes lacrimae, oculi compressi, fluidum salivis os, etc. *Plin.* 28, 12, 53. Tussim sanat saliva equi triduo pota. *Catull.* 23, 15. A te sudor abest, abest saliva Mucusque, et mala pituita nasi, *h. e.* nunquam sudas, nunquam exspuis. *Id.* 99, 10. Spurca saliva; et 77, 8. et *Sen. Ira* 3, 38. *extr.* pinguis. *Plin.* 28, 4, 7. Salivam in manu ingerere; et 27, 6, 24. ciere; et 37, 10, 59. facere; et *Sen. ep.* 79. *med.* movere: quod translate de iis dicitur, quae appetitum sui excitant. Verba enim *Scnecae* sunt: Aut ego te non novi, aut Aetna tibi salivam movet, *h. e.* valde cupis Aetnam cognoscere, ac describere. Sic *saliva Mercurialis* ap. *Pers.* 5, 112. est cupiditas lucri. ℙ *Omnia una saliva continuare* ap. *Hieron. adv. Joann. Hierosol. n.* 10. est uno impetu, aut spiritu, protinus, protelo, ita ut ne semel quidem spuatur. ℙ *Plin.* 7, 2, 2. et 28, 4, 7. et *ib.* 7, 22. jejuniae salivae hominis contra serpentes, fascinationes, invidiam, comitialem morbum, furunculos, lichenas, lippitudines, etc. miram vim praedicat. *Pers.* 2, 31. cunis Exemit puerum, frontemque atque uda labella Infami digito et lustralibus ante salivis Expiat. ℙ Contra *arcana saliva* est veneficium, in quo saga spurcam salivam suam inspuit, vel amatorium poculum infecit. *Prop.* 4, 7, 45. Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas. ℙ Dicitur de quibusdam certorum animalium humoribus salivae similibus. *Plin.* 30, 15, 47. Cochlearum saliva illita infantium oculis. *Id.* 32, 6, 21. Ostrea spissa, nec saliva sua lubrica. *Id.* 9, 36, 60. Purpurae diebus quinquagenis vivunt saliva sua. *Id.* 11, 37, 54. *extr.* Oculos natura composuit callosis in extimo tunicis, quas subinde purificant lacrimationum salivis; et *ib.* 12, 12. de melle: Sive ille est coeli sudor, sive quaedam siderum saliva, sive purgantis se aeris succus. ℙ Metonymice saliva est gustus, sapor. *Id.* 23, 1, 22. Sua cuique vino saliva innocentissima, sua cuique aetas gratissima, hoc est media. *Prop.* 4, 8, 38. Et Metymnaei Graja saliva meri. *Pers.* 6, 24. turdorum nosse salivam. *Petr. fr. Trag.* 48. *Burm.* Quidquid ad salivam facit, in suburbano nascitur, *h. e.* omne vinum, quod sapore gratum est, et gustui jucundum.

SĂLĪVĀRĬUS, a, um, adj. σιαλώδης. *Plin.* 9, 51, 74. Mituli, et pectines sponte naturae in arenosis proveniunt: quae durioris testae sunt, ut murices, purpurae, salivario lentore, *h. e.* humore instar salivae, sed viscoso.

SĂLĪVĀTĬO, onis, f. σιαλισμός, salivae fluxus. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 2. Sequitur autem eos, qui jam passione tentantur, salivatio plurima, etc.

SĂLĪVĀTUM, i, n. ποτὸν, πόμα, προπότισμα, medicamentum liquidum, vel solidum in quibusdam animalium morbis a mulomedicis adhiberi solitum. Dictum ex eo, quod primo nimiae salivae compescendae institutum sit: vel quia salivam, *h. e.* cibi appetentiam restituat. Sunt tamen, qui *salviatum* ubique reponunt, quasi prima ejus compositio ex salvia fuerit; invitis tamen optimis Codicib. *Colum.* 6, 10. Recens tussis *(boum)* optime salivato farinae hordeaceae discutitur; et *ib.* 9. Coctos brassicae colliculos triginta ex oleo et garo salivati more febricitanti bovi demitti; et *ib.* 25 Lupini semicrudi conteruntur, et offae salivati more faucibus ingeruntur. *Plin.* 27, 11, 76. Ex hac herba in tres modios salivati additur, quantum in unam sagittam addi solet (h. e. *quantum addi solet ad unam sagittam veneno inficiendam*); ita offa demittitur boum faucibus in morbis. *Pall.* 5, 7. Vitulis tostum molitumque milium cum lacte misceatur, salivati more praebendum.

SĂLĪUNCĂ, ae, f. herba, de qua *Plin.* 21, 7, 21. Saliunca folio quidem subbrevi, et quod necti non possit, radici numerosae cohaeret, herba verius, quam flos, densa veluti manu pressa, breviterque caespes sui generis. Pannonia hanc gignit, et Norici, Alpiumque aprica: urbium, Eporedia: tantae suavitatis, ut metallum esse coeperit. Vestibus interponi eam gratissimum. Haec *Plin.* Eandem ac nardum silvestrem *Scrib. Comp.* 195., et spicam Celticam, *ib.* 258. facit. *Virg. Ecl.* 5, 16. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae, Puniceis humilis quantum saliunca rosetis. Ubi *Serv.*: herba, quam *Orci tunicam* vulgo vocant. [Recentiores botanici putant eandem esse ac *nardum Celticam.* [*Valeriana Celtica, *L.*] V. NARDUS. *F.*]

[SĂLĪUNCŬLA, ae, f. dimin. saliuncae. *Not. Tir.* p. 170. Salix, saliuncula. *F.*]

SĂLĪVO, as, a. 1. σιαλίζω, salivam emitto. Translate. *Plin.* 9, 36, 60. Purpurae congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam cerae salivant. ℙ Item curo eo medicamento, quod *salivatum* dicitur: quia etiam ciendae salivae vim habet. *Colum.* 6, 5. Panacis, et eryngii radices foeniculi seminibus miscendae, et cum defruti, ac moliti tritici farina, candenti aqua conspergendae: eoque medicamento salivandum aegrotum pecus; et *ib.* 24. *med.* Fetae vaccae cytisus viridis praebetur, vel tenero olere, commixto torrido molitoque milio, et per unam noctem lacte macerato salivatur; et *ib.* 37. *med.* Admissarius equus desecto viridi pabulo, et largo hordeo firmandus, nonnunquam etiam salivandus erit.

SĂLĪVOSUS, a, um, adj. σιαλώδης, salivae similis, saliva abundans. *Plin.* 16, 38, 72. Humor cerasis *(in cortice)* gummosus, ulmis salivosus, lentus ac pinguis malis. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 2. *f.* Aegrotans salivosus. *Appul. Apol.* Salivosa labia.

SĂLĬUS, a, um, adj. ad Salios pertinens. *Festus:* Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatae: quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice, paludatas, cum apicibus in modum Saliorum. *Hor. Od.* 4, 1, 28. pede candido In morem Salium ter quatient humum. Adde *ib.* 1, 36, 12. Utrobique autem *Salium* potest etiam intelligi pro *Saliorum.*

SĂLIX, ĭcis, f. ἰτέα, genus plantae plurimi usus in cultu vinearum, sive grandior sit, et perticalis, sive humilior seu viminalis: quae duo genera ponit *Colum.* 4, 30. et 31. Quae Graeca dicitur a *Varr. R. R.* 1, 24. *extr.* et a *Cat. R. R.* 6., viminalis est, et flavi coloris. Amerina ejusdem est usus, gracili virga, et rutila: eandemque et Sabina vocatur. *Virg. G.* 1, 265. Atque Amerina parant lentae retinacula viti. Adde *Colum. l. c.* ℙ Est et Gallica obsoleti purpurei, et tenuissimi viminis. *Plin.* 16, 37, 68. Salicis plura genera: namque et in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas, pariuntque balteo corticis vincula: et aliae virgas sequacis ad vincturas lentitiae. Aliae praetenues viminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliae firmiores corbibus, ac plurimae agricolarum supellectili: candidiores, ablato cortice, lenique tractatu, vilioribus vasis, quam ut e corio fiant: atque etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimae. Caedua salici fertilitas, densior tonsura, etc. nullius quippe tutior est reditus, minorisve impendii, aut tempestatum securior. Haec ex *Plin.*, qui 24, 9, 37. va-

rios enumerat ejus usus in medicina. *Virg. G.* 3, 175. Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem, etc. *Id. Ecl.* 3, 83. lenta salix. *Ov. Met.* 10, 96. Amnicolae salices. *Lucr.* 2, 361. tenerae. *Virg. G.* 4, 182. glaucae; et *ib.* 2, 416. fecundae viminibus. *Id. Ecl.* 1, 79. amarae. *Lucan.* 4, 131. cana salix madefacto vimine parvam Texitur in puppim: caesoque inducta juvenco, Vectoris patiens, tumidum superenatat amnem. *Paul. Dig.* 33, 1, 12. Salicis mundae annua librarum singula millia, *h. e.* a foliis, aut etiam a cortice purgatae. ℙ *Verrius* vel *Cincius* ap. *Fest.* salicem esse ait virgulti genus, non arboris: quod verum est, si de viminali, humili, et tenues virgas ferente loquatur: quamquam et hanc inter arbores ponit *Plin.* 18, 28, 68., ubi ait esse *humillimam arborum.* Ridicule autem, inquit *Fest.*, interpretatur dictam, quod ea celeritate crescat, ut salire videatur: quod et *Serv.* facit ad *Ecl.* 1, 55. ℙ Ut *ferrum* pro ense, sic et *salix* ponitur pro virga ad caedendum. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 703. Impacta quoties corpus attigerat salix, Tenui rubebant sanguine uda vimina.

SALLĬO. V. SALIO, salem aspergo.

SALLĬTUS. V. SALITUS.

SALLO. V. SALO.

SALLUSTĬĀNUS et Salustianus, a, um, adj. ad Sallustium pertinens. *Tac. A.* 13, 47. et *Plin.* 7, 16, 16. et *Inscr.* ap. *Grut.* 602. Sallustiani horti, *h. e.* qui quondam Sallustii fuerant, postea Caesarum fuere. *Quint.* 10, 1. Illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius. *Gell.* 18, 4. Sallustiana lectio. *Id.* 10, 26. *f.* Sallustianum dictum. *Sen. ep.* 114. *med.* Arruntius Sallustianus, *h. e.* Sallustii imitator. ℙ *Sallustianum aes* ap. *Plin.* 34, 2, 2. in Centronum Alpino tractu, dictum est a Sallustio Crispo, Augusti amico, Historici nepote ex sorore (de quo *Tac. A.* 1, 6. et *ib.* 3, 30.), qui ejus metalli dominus fuit, unde effodiebatur.

SALLUSTĬUS et Salustius, ii, m. C. Sallustius Crispus Romanus historicus celebris fuit. V. in CRISPUS, ubi et de ratione scribendi satis dictum est.

*SALLUVĬI, orum, populi Galliae Narbonensis, siti ubi Rhodanus in mare Mediterraneum se exonerat, circa Aquas Sextias. *Plin.* 3, 4. ed. *Hard.* ℙ *Salyes* dicti a *Liv.* 21, 26. *Salyi* a *Flor.* 2, 3. et 3, 2. *Sallyi* autem a *Plin.* 3, 17. ℙ *Liv. Epit.* 60. ed. *Gronov.* audiunt *Salvii:* quo tamen in loco ed. *Drakenb.* pro *Salvios* habet *Salluvios. B. A.*

*SALLYI. V. v. praec. *B. A.*

SALMĂCĬDUS, a, um, adj. salsus simul et acidus. *Gloss. Philox.* Salmacidum, *ἁλμυρὸν,* Salmacidus, *ἁλμυρὸς, ἁλώδης. Plin.* 31, 3, 22. Nitrosas aquas, atque salmacidas in desertis Rubrum mare petentes, addita polenta, utiles intra duas horas faciunt. *Flor.* 4, 10. *med.* Non minor ex aqua postea, quam ab hostibus clades: infesta primum siti regio: tum quibusdam salmacidis fluviis infestior. *Plin. Valer.* 5, 41. *f.* Ipsum vero balneum ex dulci aqua fiat, non ex salmacida. *Reines. var. lect.* 3, 4. *med.* et *Salm.* in *Solin.* 5. omnibus allatis locis *salinacidus* legi volunt. Utra ex his vocibus praeferenda sit, viderint alii. ℙ *Salmacidus* adj. a Salmacide, V. in v. sq.

SALMĂCIS, idis, f. *Σαλμακὶς,* in fabulis est Nympha Nais, filia Coeli et Terrae, ut ait *Fest.*, quae stagnum quoddam in Caria coluit, in quo cum Hermaphroditum natantem vidisset, ipsa quoque adnatans tam arcte complexa est, adhaesitque, ut duo in unum corpora miscerentur, et Androgynus fieret. V. HERMAPHRODITUS. *Ov. Met.* 4, 396. Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras. ℙ *Salmacis* etiam dictum est ipsum stagnum, seu fons in Caria, apud Halicarnassum, ex quo qui biberent, molles fieri, et effeminari, et ad turpem libidinem incitari crediti sunt. *Ov. l. c.* 385. Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde Semivir, et tactis subito mollescat in undis. *Stat. Silv.* 1, 5, 20. procul hinc et fonte doloso Salmacis. ℙ Hinc in probris ea vox fuit, ut est ap. *Cic. Off.* 1, 18. *med.*, cum quid muliebri animo, molliter, ignave, et effeminate fit. *Ennius ib.* et ap. *Fest.* Salmaci da spolia sine sudore et sanguine. Alii leg. *das spolia,* etc. Alii vero *Salmacida spolia,* etc. ut sit *Salmacidus* adjectivum. [**Salmaci! da* cet. unice ferendum. V. *Beier.* eleganter admodum hac de re disputantem.] ℙ Originem fabulae esse, scribit *Festus*, quod aditus ad eum fontem angustatus parietibus occasionem largiebatur juvenibus petulantibus illudendi antecedentibus pueris et puellis, quia non patebat effugium. *Vitr.* aliam assignat 2, 8. *med.*, ideo enim infamia illa laborasse, quia cum sit ejus aqua perlucida, et egregii saporis, Cares, et Leleges, barbari homines bonitate ejus allecti, paulatim eo convenire coeperunt, et e duro feroque more commutati in Graecorum consuetudinem et suavitatem mollierunt animos, et ad humanitatem traducti sunt: non enim fieri posse, ut ex ea aqua mollis quisquam et impudicus fiat.

*SALMĀNI, orum, populi Arabici, in Mesopotamia vel circa Mesopotamiam degentes. *Plin.* 6, 26. ℙ Nomen fortasse trahunt a Salma, Arabiae desertae oppido, cujus meminit *Ptolemaeus. B. A.*

[SALMANTĬCENSIS, e, adj. ad Salmanticam pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem, nunc *Salamanca:* ejus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 2. Alia ap. *eund.* 849, 1. L. Julius Capito Salmanticensis. *F.*]

SALMO, onis, m. genus piscis marini, qui etiam fluvios subit, semelque gustata aqua dulci vix unquam in mare regreditur. *Plin.* 9, 18, 32. In Aquitania salmo fluviatilis marinis omnibus praefertur. *Auson. Idyll.* 10, 97. Nec te puniceo rutilantem viscere, Salmo, Transierim, latae cujus vaga verbera caudae Gurgite de medio summas referuntur in undas, Occultus placido cum proditur aequore pulsus. Tu loricato squamosus pectore, frontem Lubricus, et dubiae facturus fercula coenae, Tempora longarum fers incorrupte morarum, Praesignis maculis capitis: cui prodiga nutat Alvus, opimatoque fluens abdomine venter. V. SALAR.

*SALMON, onis, opp. Thessaliae, dictum et Almon. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

*SALMONA, ae, Galliae Belgicae fluvius, in Mosellam influens, hodie *the Salm. Auson. Mosell.* 366. Nec fastiditos Salmonae usurpo fluores. *B. A.*

*SALMONE, es, f. *Σαλμώνη,* promontorium Cretae. *Act. Apost.* 27, 7. ℙ Dictum et *Samonium (Sammonium) promontorium.* V. *Σαλμωνὶς* audit *Dionys. Perieg.* 110. *B. A.*

SALMONEUS, i, m. trisyll. *Σαλμωνεὺς,* Aeoli filius, frater Sisyphi, rex Elidis, qui cum divinos sibi honores petulanter quaereret, Jovemque se credi volens, fabricato ponte aereo, super eum agitaret quadrigas ad imitanda tonitrua, facesque jaculatus in obvium quemque, juberet occidi, tanquam de coelo tactos, quoscumque igni afflasset; vero ipse fulmine cum suis quadrigis ambustus, ad Inferos detrusus est. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 6, 585. Vidi ego crudeles dantem Salmonea poenas, Dum flammas Jovis, et sonitus imitatur Olympi, etc. *Claud. in Ruf.* 2, 514. audax fulmine Salmoneus. Adde *Hyg. fab.* 60, 61. et 250.

SALMONIS, ĭdis, f. *Σαλμωνὶς,* Tyro Salmonei filia, quae Enipeum fluvium Thessaliae adamasse dicitur, et sub ejus forma a Neptuno compressa, duos filios Neleum et Peliam peperisse. *Prop.* 1, 13, 21. Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo Taenarius facili pressit amore Deus; et 3, 17, 13. Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo. Adde *Ov. Am.* 3, 6, 43. et *Hyg. fab.* 157. et V. ENIPEUS. *F.*]

SAL NITRUM. V. NITRUM.

SALO et Sallo, is, salsum, a. 3. idem ac salio ap. veteres. *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* Sues primum occidere coeperunt domini, et, ut servarent, salere. *Id.* ap. *Diomed.* 1, 372. Mortuos sallunt. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 10. *f.* Parte consumpta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem sallerent. *Lucil. ib.* Sallere muraenas, mercem in frigidaria ferre. *Mummius* ap. *Diomed. l. c.* Istaec sum multo sale salsurus.

*SALO, onis, m. fluvius Hispaniae Tarraconensis, prope Bilbilim opp. *Mart. epigr.* 10, 103, 2. et 104, 6. ℙ *Bilbilis* audit *Justin.* 44, 3. ℙ Hodie est *Xalon.* ℙ V. *Bilbilis. B. A.*

*SALOCA, ae, opp. Norici. *Tab. Peut. B. A.*

*SALODŪRUM, i, n. opp. Galliae Belgicae, nunc *Solothurn. Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

SALOMON, ōnis, m. *Σαλομὼν, ῶντος,* vel *ῶνος,* et *Σαλομὼν* indeclin. filius Davidis ex Bethsabee, rex Judaeorum. Latine pacificum sonat. Primus templum magnificentissimum Deo aedificavit. Sapientissimus omnium mortalium fuit, sapientia ei divinitus infusa: idemque ditissimus. *Juvenc.* 2, 717. Ut Salomona pium, praeceptis dedita justis *(regina Saba),* Audiret. *Prud. Hamart.* 581. Nos dignum Salomone nihil. ℙ Scribitur et *Solomon:* sic saepe ap. *Lactant.* ℙ Secundam syllabam produxit *Alcim.* 6, 387. Pacificus quidquid lata inter sceptra Salomon; quia et Graece *Σαλωμών.*

SALŌMONĬACUS, a, um, adj. ad Salomonem pertinens. *Sidon. ep.* 4, 18. *in carm.* Quae Salomoniaco potis est confligere templo. *Venant. carm.* 2, 11, 1. Si Salomoniaci memoretur machina templi.

SALŌMONĬUS, a, um, adj. ad Salomonem pertinens. *Lactant.* 4, 13. *f.* Salomonium templum. *Prud. Apoth.* 580. Destructione jacent Salomonia saxa metallo? ℙ Legitur et *Solomonius.*

[SALONENSIS, e, adj. ad Salonam, seu Salonas pertinens, Dalmatiae urbem, nunc quoque *Salona,* cujus meminit *Plin.* 3, 22, 26., aliique quamplurimi. *Inscr.* ap. *Donat.* 211, 7. Colonia Salonensis. *F.*]

[SALONĬĀNUS, a, um, adj. ad Salonium pertinens, clientem Catonis censoris; hic ejus filiam uxorem duxit, ex qua filium genuit anno aetatis LXXX. *Plin.* 7, 14, 12. Clarum est, Catonem censorium generasse filium octogesimo anno exacto e filia Salonii clientis sui. Qua de causa, aliorum ejus liberorum propago Liciniani sunt cognominati, hi Saloniani, ex quibus Uticensis fuit. *F.*]

[SALONĪNUS, a, um, adj. ad Salonam pertinens, Dalmatiae urbem. Hinc *Saloninus* cognomen inditum fuit Asinio ab ejus patre C. Asinio Pollione ex Salona urbe a se capta, ut narrat *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 1. Idem cognomen habuit filius Gallieni Aug. ex Cornelia Salonina ejusdem Gallieni uxore; utriusque nummos profert *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 418 et 421. *F.*]

[SALONĪTĀNUS, a, um, adj. idem ac Salonensis, et Saloninus. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 347. *n.* 10. L. Barbantejus Demetrius archigallus Salonitanus. *F.*]

SALOPYGĬUM, ii, n. motacilla, a *σάλος,* motus, et *πυγή,* nates: quemadmodum etiam dicta est *σεισοπυγὶς,* a *σείω,* moveo, et *πυγή.* Usus creditur *Catullus ep.* 50., et ita Calvum oratorem appellasse, hoc versu, Dii magni, salopygium disertum! Sic vero Calvus dictus sit, quia motacillae instar in dicendo subsiliret. Placuit haec lectio *Salmasio*, qui pro se adducit, quod in veteribus *Catulli*, ac *Senecae* membranis *salopugium* legatur. Alii aliter legunt, ut dictum est in SALAPUTIUM.

SALOR, oris, m. color sali, seu maris, qui medius fere est inter viridem, et caeruleum, et communis vitro et mari. *Capell.* 1, 8. Urna perlucentis vitri salore renidebat. V. SALUM.

SALPA, ae, f. *σάλπη,* genus piscis marini, litoralis, squamosi, solitarii, aureis lineis interstincti. *Plin.* 9, 18, 32. Circa Ebusum salpa, obscenus alibi, et qui nusquam percoqui possit, nisi ferula verberatus. *Obscenum* vocat fortasse, quia stercore vescitur. *Ov. Hal.* 122. merito vilissima salpa.

*SALPE, es, f. obstetrix Lesbia, quae de remediis muliebribus scripsit, quod et postea aliae quoque feminae fecerunt, ut *Trotula*, cujus hodieque liber exstat. *Plin.* 28, 4 et 6. et 32, 10. *B. A.*

[SALPĒSĀNUS, a, um, adj. ad Salpesam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem in vicinia hodiernae *Facialcazar:* ejus meminit *Plin.* 3, 1, 3., ubi pro *Salpesa* legitur *Alpesa. Inscr.* ap. *Fabr.* p. 105. *n.* 249. Ordo municipii Flavii Salpesani. *F.*]

SALPICTĀ sive Salpincta, sive Salpinctes, sive Salpista, ae, m. tubicen. Est a Graecis, quibus dicitur *σαλπιγκτὴς,* a *σαλπίγγω,* vel *σαλπιστὴς,* a *σαλπίζω,* buccino, tuba cano. V. SALPINX. *Vopisc. Carin.* 19. Exhibuit et centum salpistas uno crepitu concinentes. *Firm. Math.* 8, 21. Salpictas reddet, sed qui in bello confossi moriantur. *Stewechius* similiter interpretatur illud *Arnobii* 7, 239. Delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis, salpictarum sonitu, etc. V. SALAPITTA.

[SALPĪNAS, atis, adj. omn. gen. ad Salpinum pertinens Etruriae urbem, cujus tamen mentio nullibi exstat. Hinc *Salpinates, ium*, absolute sunt illius urbis incolae. *Liv.* 5, 31. Volsinienses, Salpinatibus adjunctis, ultro agros Romanos incursavere. *F.*]

[SALPĪNUS, a, um, adj. idem ac Salapinus; urbs enim Salapia etiam Salpis dicta est, ut ex ejus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 143. constat. *Front. de colon.* p. 127. *Goes.* Salpis colonia litore terminatur. Sipontum ea lege et finitione est, qua et ager Salpinus. *F.*]

SALPINX, ingis, f. *σάλπιγξ, ιγγος,* tuba, buccina. Vox Graeca. *Serv.* in *centimetro*, in exemplum Sotadici metri affert hunc versiculum, p. 1824. Salpinx cane, tempus fugit: intendito laborem. *Not. Tir.* p. 173. Salpinx, salpinctes, hierosalpinctes.

SALPŪGĀ, ae, f. genus formicae venenatae. *Plin.* 29, 4, 29. Est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia: solipugas Cicero appellat, salpugas Baetica. *Lucan.* 9, 837. Quis calcare tuas metuat, salpuga, latebras? Alii leg. *solpuga*. [*ita *Cort.* in *ed. Web.*] alii aliter. V. SOLIPUGA.

SALSĀMEN, inis, n. idem quod salsamentum. *Arnob.* 7, 230. Carnem strebulam, et pulpamenta, salsamina denique, quae sunt commixtio quadrinis copulata de frugibus.

SALSĀMENTĀRĬUS, a, um, adj. *ταριχηρὸς,* ad salsamenta pertinens. *Colum.* 2, 10. *med.* Vasa olearia, et salsamentaria. *Plin.* 18, 30, 73. Salsamentarii cadi. *Id.* 28, 9, 37. Salsamentaria testa. *Inscr.* ap. *Donat.* 315, 10. Ti. Claudius Docimus negotians salsamentarius. ℙ *Salsamentarius* absolute, qui salsamenta facit, aut vendit, *ταριχευτὴς. Auct. ad Her.* 4, 54. Ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. *Suet. Vit. Hor.* Horatius Flaccus, patre, ut creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: quoties ego vidi patrem tuum cubito emungentem? etc. Idem habet *Macr. Sat.* 7, 3.

SALSĀMENTUM, i, n. *τάριχος,* piscis sale aut muria conditus cibi gratia, ad diuturnum usum. Quia enim obsonia Latinis fere pisces erant, ea si sallerentur, *salsamenta* dicta. Item ipsa muria. *Ter. Ad.* 3, 3, 27. Salsamenta haec fac macerentur pulcre. *Cic. Div.* 2, 57. De vino, aut salsamento putes loqui, quae evanescunt vetustate. *Varr. R. R.* 3, 17. Hortensius salsamenta in eas piscinas empticia conjiciebat, cum mare turbaret, ut per tempestatem suis piscibus e macello cetariorum, uti e mari, obsonium praeberet. *Colum.* 12, 53. *f.* Eaque caro *(suilla)* semper conservatur, et tanquam salsamentum in muria sua permanet. *Id.* 8, 17. *med.* Salsamentorum purgamenta, quae cetariorum officinis everruntur. *Gell.* 2, 24. *med.* Carnis aridae et salsamenti certa pondera in singulos dies constituit. *Plin.* 32, 7, 26. Salsamentorum spinae; et *ib.* 9, 34. Salsamenta coracini; et *ib.* 2, 9. Pisces ita salsos esse, ut possint salsamenta existimari,

circa Cephaleniam, et Paron. Adde *ib.* 5, 15. Et rursus *ib.* 2, 9. Salsamenta reficere, *h. e.* iterum sale condire.

[SALSĀRE, is, n. *Acron* ad *Hor. Sat.* 2, 8, 86. Mazonomon genus lancis est, in qua portantur escae, veluti grande salsare. Hanc lancem *Vet. Schol. Cruquii* interpretatur *magnam scutellam.* *F.*]

SALSĀRIUS, a, um, adj. ut *negotians salsarius* in *Inscr.* ap. *Grut.* 647, 1. est salsamentorum negotiator. V. MALACITANUS.

SALSĒ, adv. cum sale, aut salsitudine: et translate, ὀξοπτικῶς, κομψῶς, urbane, facete, cum dicti mordacitate. *Cic. Or.* 2, 68. Valde haec ridentur, quae quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur. *Quint.* 6, 3, 42. Salse dicere in aliquem: et *mox:* § 89. Nihil ex iis, quae dicuntur salsa, dicitur salsius. Rursus *Cic. Or.* 2, 54. *f.* Salsissime dicere aliquid.

SALSĒDO, inis, f. ἅλμη, salsus sapor, salsitudo. *Pall.* 11, 14. Ut aqua marina salsedine careat.

SALSĪFODĪNA. V. SALIFODINA.

SALSĪLĀGO, inis, f. idem ac salsugo, a salsus, ἅλμη. *Plin.* 18, 12, 32. Ciceris natura est gigni cum salsilagine, *h. e.* cum insita salsitudine. V. SALSUGO.

SALSĪPOTENS, entis, adj. maris dominus, epithetum est Neptuni. *Pl. Trin.* 4, 1, 1. Salsipotenti Jovis fratri gratias habeo, ἁλὸς κρατοῦντι.

[SALSĪTAS, atis, f. salsitudo. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 29. Hujus fluminis liquor ad potum hominis adversus, amaritudine nimia cum salsitate. *F.*]

SALSĪTŪDO, inis, f. humor saporem salis referens. *Vitr.* 1, 4. *f.* Bestiae natando inconsueta salsitudine necantur. *Plin.* 20, 14, 54. Salsitudines corporis, si cum vino tradatur, minuit.

[SALSĬUSCŪLUS, a, um, adj. diminut. salsi, aliquantisper salsus. *August. Conf.* 8, 3. Et ebriosi salsiuscula quaedam comedunt.

*SALSOS, i, m. Carmaniae fluvius. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

SALSŪGO, inis, f. ἅλις, ἁλμυρίς, ἅλμη, humor qui in areis salinarum sub salis crusta liquidus remanet, neque in salem concrescit: a *salsus. Plin.* 31, 7, 42. Praeter haec etiamnum appellatur in salinis salsugo, ab aliis salsilago, tota liquida, marina aqua salsior, vi distans. *Id.* 36, 23, 55. Uliginosa loca, et ubi salsugo vitiat, testaceo sublini utilius; et *Vitr.* 1, 4. de arena marina: Parietes, cum in his tectoria facta fuerint, remittentes salsuginem, ea dissolvunt. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. Salsūgine *(aquae)* amaritudo *(raphanorum)* eximitur; et 35, 15, 52. Alumen, quod intelligitur salsugo terrae.

[SALSŪLUS, a, um, adj. salsi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1456, 6. Cornelia Salsula. *Ammian.* vilium hominum cognomina deridens haec habet 28, 4. *med.* Lucanicus cum Pordaca, et Salsula, similesque innumeri. ℙ *Salsulae*, scil. aquae, est fons Galliae Narbonensis non procul a Ruscinone, nunc *Rossiglione*, qui hodieque *la fontaine des Salses* appellatur. *Mela* 2, 5. Salsulae, fons, non dulcibus aquis defluens, sed salsioribus etiam, quam marinae sunt. *F.*]

SALSŪRA, ae, f. τὸ ἁλμῶδες, salsamentum. *Colum.* 8, 17. *med.* Nulla aeque, quam praedictae salsurae pabula, commode dantur. *Id.* 12, 21. Salsura suillae carnis; et *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Corpus suis, quod in salsura fuit. ℙ Translate. *Pl. Stich.* 1, 2, 33. *Pa.* Salve, mi pater. *Ant.* et vos ambae. Illico agite, abscedite. Di. Osculum..... *Ant.* Sat est osculi mihi vostri. *Pi.* qui, pater? *Ant.* quia ita meae animae salsura evenit, *h. e.* halitu vestro, o filiae, bono et sano jam evenit osculis vestris salsura quaedam et condimentum senili animae meae.

SALSUS, a, um, part. a *salio:* ἁλιχὸς, salis gustum habens, sale aspersus, salitus. *Lucr.* 4, 222. Humor salsi saporis. *Plin.* 26, 8, 50. Herba salso gustu. *Id.* 36, 17, 28. Assius lapis gustu salsus *Colum.* 12, 57. Caseus recens, aut salsus. *Virg. G.* 2, 238. terra salsa. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Salsum mare. *Plin.* 31, 7, 41. Salsissimus sal, qui siccissimus. *Id.* 7, 6, 5. Salsioribus cibis uti. *Virg. A.* 5, 158. longa sulcant vada salsa carina; et 182. Salsi fluctus. *Id. ib.* 2, 132. mihi sacra parari, Et salsae fruges, et circum tempora vittae, *h. e.* far cum sale, quod *mola salsa* dicitur. Sic *salsa farra* ap. *Ov. Fast.* 3, 284. V. MOLA. ℙ *Salsae* dicuntur etiam lacrimae, sudor et sanguis: re enim vera tales sunt. Et de sudore quidem *Aristot. sect.* 2. προβλημ. *quaest.* 3. causam quaerit. *Accius* ap. *Non.* 10, 2. Salsis cruorem guttis lacrimarum lavit. (Adde *Lucr.* 1, 918.) *Virg. A.* 2, 173. salsusque per artus Sudor iit. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. Neque miserae lavere lacrimae salsum sanguinem. ℙ Rubigo, qua ferrum absumitur, salsa est, tum quia gustu salso est, tum quia aquae salsae more rodit. *Virg. G.* 2, 220. Nec scabie et salsa laedit rubigine ferrum. ℙ Translate. *Pl. Cas.* 2, 3, 6. Neque salsum, neque suave esse potest quicquam, ubi amor non admiscetur. [*Continuo sequi hic debebat locus, quem Noster infra posuit, *Mart.* 3, 12. Res salsa est, bene olere, et esurire.] Hinc percommode refertur ad sermonem urbanum, lepidum, facetum, argutum, et dictis tanquam salibus aspersum conditumque, unde risus movetur, aut mordetur aliquis et pungitur: ὀξοπτικὸς, γελοῖος. *Quint.* 6, 3, 42. Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non utique hoc est: quamquam et ridicula oporteat esse salsa: nam et Cicero omne quod salsum sit, ait esse Atticorum: et *mox:* Salsum igitur erit, quod non erit insulsum, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente judicio, et velut palatum excitat: quod et a taedio defendit orationem. *Cic. Or.* 2, 56. Homo facetus atque salsus; et *ib.* 63. Addito ambiguo, altero genere ridiculi fuit salsissimus. *Id. Or.* 26. *med.* Quidquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est: e quibus tamen non omnes faceti. *Id. Or.* 2, 54. Inveni ridicula et salsa multa Graecorum: nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Byzantii, et praeter ceteros Attici excellunt. *Id. Fam.* 9, 15. Salsiores, quam illi Atticorum, Romani veteres atque urbani sales. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 338. sq.] ℙ *Salsus* etiam de homine usurpatur, et facetum itidem significat. *Catull.* 14, 16. Non non hoc tibi, salse, sic abibit, *h. e.* ingeniose ad fraudem mihi faciendam. ℙ [*Dicitur *salsus* etiam de rebus venustis aut lepidis. *Cic. Att.* 16, 12. *f.* de Ἡρακλειδίῳ Varronis negotia salsa; me quidem nihil unquam sic delectavit. — Respicitur ad Attici narrationem aliquam de illo Varronis libro, ut nos dicimus: *das ist eine lustige Geschichte.* Non enim videtur tantum ad Attici facetias in ejus epistola, quod *Manutius* putabat, pertinere. — *N. D.* 1, 28. Catulo Roscius deo pulchrior videbatur. At erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert? si hoc ipsum salsum illi et venustum videbatur? *Schütz. cl. Cic.* s. v.] ℙ Commode ludit in ambiguo *Pl. Rud.* 2, 6, 33. de eo qui naufragium fecit: Bonam est quod habeas gratiam merito mihi, qui te ex insulso salsum feci mea opera, *h. e.* in causa fui, ut fracta navi maderes salsis fluctibus. *Id. ib.* 2, 1, 12. de piscatore: Neque quicquam captum est piscium: salsi lautique pure domum redimus clanculum: dormimus incoenati.

SALTĀBUNDUS, a, um, adj. saltitans. *Gell.* 20, 3. Saltabundi canebant, quae nunc stantes canunt.

SALTĀTIM. V. SALTUATIM.

SALTĀTIO, onis, f. ὄρχησις, χόρευσις, σκίρτησις, actus saltandi, et gesticulandi quippiam canendo, aut recitando, ut expressius id, ac planius significetur. V. SALTO. *Cic. Brut.* 62. *extr.* Sex. Titius, homo loquax sane, et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. ℙ Alia fuit saltatio militaris, quam Lacedaemonios, tanquam ad bella utilem, habuisse inter exercitationes accepimus, inquit *Quint.* 1, 11. *f.* V. PYRRHICHA. *Plin.* 8, 42, 64. de equis: Docilitas tanta est, ut universus Sybaritani exercitus equitatus ad symphoniae cantum saltatione quadam moveri solitus inveniatur. Pergit *Quint. ib.* Neque id veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio: et illa in tertio Ciceronis de Oratore libro verba Crassi (*c.* 59.), quibus praecepit, ut orator utatur laterum inclinatione forti ac virili, non a scena, et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra: cujus etiam disciplinae usus in nostram usque aetatem sine reprehensione descendit. Haec *Quint.* ℙ Alia fuit voluptuosa, olim quidem honesta et ab honestis appetita, ut *Macr. Sat.* 2, 10. docet: mox paulatim corrupta, mollis, soluta, quae etiam in conviviis adhibebatur, deliciarum et libidinis causa, post multum cibum et pocula. *Scipio African.* ap. *Macr. l. c.* Vidi puerum bullatum cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset. *Cic. Mur.* 6. Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in convivio moderato: tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. *Pl. Stich.* 5, 2, 11. Pro Dii immortales, quot ego voluptates fero! quot risiones, quot jocos, quot savia, saltationes, blanditias, prothymias! ℙ Pantomimorum saltatio adeo paulatim artificiosa evasit, ut ea sola, sine voce, fabulas in scena repraesentarent. *Macr. Sat.* 2, 7. *f.* et *Suet. Tit.* 7. *med.* V. SALTO.

SALTĀTIUNCŪLA, ae, f. dimin. parva saltatio. *Vopisc. Aurel.* 6. Adeo ut pueri saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent, *h. e.* componerent cantilenas quasdam, quas saltando canerent.

SALTĀTOR, oris, m. ὀρχηστής, qui saltat voluptatis et deliciarum causa: mollis artifex, et probrosus. *Cic. Mur.* 6. Saltatorem appellat L. Muraenam Cato, maledictum est, si vere objicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conviciatoris. Adde *Dejot.* 10. et *Off.* 1, 42. et *Macr. Sat.* 2, 10. [*Cf. *Ernest.* et *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. et qui plura disputat, *Beier.* ad *Off.* 1, 42, 151.] ℙ Pantomimi sic dicti, variis gesticulationibus fabulas, sine verbis, exprimentes. *Quint.* 6, 3, 65. Finitione usus est Augustus, de pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant, cum eorum alterum saltatorem dixit, alterum interpellatorem. [*V. *Spalding.* ad h. l.] *Id.* 1, 12, 14. Non comoedum in pronuntiando, nec saltatorem in gestu facio. *Id.* 11, 3, 89. Abesse plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis, quam ad verba accommodatus: quod etiam histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit. [*V. *Spald.* ℙ Confunduntur *saltator* et *salutator.* V. *Quint. Inst.* p. 1012. *ed. Burm.*] V. SALTO.

SALTĀTORIĒ, adv. saltando. *Appul. Met.* 10. Mercurius saltatorie procurrens.

SALTĀTŌRIUS, a, um. adj. ὀρχηστικὸς, ad saltandum pertinens. *Cic. Pis.* 10. Cum collegae tui domus cantu et cymbalis personaret, cumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunae rotam pertimescebat. Sic *Arnob.* 2, 73. Ut incompositos corporum dissolveretur in motus, saltitaret et cantaret, orbes saltatorios verteret. *Orbem saltatorium versare*, est in orbem se saltando convertere, inquit *Manut.* et alii, [*i. q. nos dicimus: *einen Dreher.*] Sunt etiam qui putant, in quodam saltationis genere fuisse rotundam aliquam machinam, quam saltantes impellerent versarentque. Neque absurde aliquis cymbalum intelligat, de quo *Cic. ib.* 9. *Cic. Afr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Cum ductus sum in ludum saltatorium.

SALTATRĪCŪLA, ae, f. parva saltatrix. *Gell.* 1, 5. *extr.* Dionysiamque eum notissimae saltatriculae nomine appellaret.

SALTATRIX, icis, f. ὀρχήστρια, quae saltat. *Cic. Pis.* 8. Tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa, senatum reipublicae occasum atque interitum lugere vetuisti. *Plin.* 10, 23, 33. Otus imitatrix avis, ac parasita, et quodam genere saltatrix.

SALTĀTUS, a, um, part. a *salto*, recitatus cum saltu, saltationi immixtus. *Ov. Trist.* 2, 519. Et mea sunt populo saltata poemata saepe. V. SALTO.

SALTĀTUS, us, m. idem ac saltatio. *Liv.* 1, 20. Per Urbem ire canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu jussit. *Ov. Met.* 14, 637. Satyri saltatibus apta juventus. Adde *Sen. Troad.* 783.

SALTEM, adv. τὸ ἔσχατον, ἀλλά γε ἀλλὰ, χάρ, γοῦν, at certe, tamen, minimum, at saltem. *Ter. Phorm.* 2, 1, 1. Itane uxorem duxit Antipho injussu meo? Nec meum imperium: age, mitto imperium: non simultatem meam revereri saltem? *Pl. Amph.* 1, 1, 282. Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? *Id. Rud.* 1, 3, 28. Nec loci gnara sum, nec diu hic fui. Saltem aliquem velim, qui mihi viam monstret. *Cic. Att.* 9, 6. *med.* Obsecro te, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem. *Id Rosc. Am.* 19. Vere nihil potes dicere: finge aliquid saltem commode. *Id. Fam.* 9, 8. *med.* Utinam quietis temporibus, atque aliquo si non bono, at saltem certo statu civitatis, haec studia exercere possemus. *Pl. Merc.* 3, 4, 52. At saltem hominis faciem exquireres. *Id. Rud.* 2, 6, 68. Saltem si mihi mulierculae essent salvae: spes aliquae forent. *Quint.* 6, 4, 15. Illud vix saltem praecipiendum videtur, ne turbidus et clamosus tantum sit altercator, *h. e.* certe. ℙ Pro solum, tantummodo, affertur illud *Quint.* 10, 2, 15. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, ut sic dixerim, cutem. Addunt alii loca *Pl. Capt.* 3, 1, 25., *Curc.* 4, 2, 21. et *Poen.* 3, 1, 41. etc. item *Terent.*, *Velleji*, *Liv.*, *Virg.*, *Ov.* etc. Sed viri docti *Cellar.* in *Cur. poster.* et *Vorst. de Latin. mer. susp. c.* 18. ad priorem notionem, *minimum*, reducunt omnia, et quidem recte, contra *Borrich.* in *Vindic. Latin.* et *Pareum* in *Lex. Plaut.* etc. Quin et locus modo allatus ex *Quint.* eodem reduci debet, ita ut sit sensus: Si non omnibus, at iis certe, qui satis judicii habuerunt ad evitanda vitia, non debet sufficere, etc. [*Verum in hac re vidit *Spalding.* ad *Quint. Inst.* 1, 1, 24. Neque enim mihi illud saltem placet: ubi docet: *saltem* cum negatione conjunctum ap. *Quint.* quidem saepe esse pro *ne — quidem:* quam rationem facilius intelligi posse dicit, si quis reputaverit *quidem* in *ne — quidem*, ipsum esse nihil aliud nisi saltem, Gr. γέ. — Ceterum *enim* in loco a nobis modo laudato ad sententiam aliquam intelligendam, verbis non expressam, referendum, quam hic ejusmodi fere esse contendit: Habeo autem talia, quae monstrem, compendia, nam illud statim mihi displicet. Quae quum ita sint, patet utroque *Quint.* loco a *Forc.* l. *saltem* neque *certe*, neque *solum*, sed esse i. q., ne-quidem. Quaedam habet in hanc rem etiam *Herzog.* ad *Caes. B. C.* 1, 6.] ℙ *Saltim* saepissime legi in MSS. testantur eruditi: sed *saltem* magis videtur usu receptum. Quod *Prisc.* 15, 1015. inter adverbia in *im* recenset, his verbis: a statu statim, a raptu raptim, a saltu saltim et saltuatim, a cursu cursim, etc. videtur *saltim* accipere pro *saltitando.* ℙ Obscura est vocis notatio, ut est ap. *Gell.* 12, 14. Neque enim probare se posse dicit, quod quidam putarent, *saltem* dictum esse per defectionem, pro *si aliter non potest*, quia tot verba in paucissimas lit-

teras cludere, improbae cujusdam est subtilitatis. Neque quod aliis visum est, *saltem* dictum videri, *u* littera media extrita, pro *salutem*, quia cum alia quaedam petita, et non impetrata sunt, tunc soleamus, quasi extremum aliquid petituri, quod negari minime debeat, dicere, hoc saltem fieri aut dari oportere, tanquam salutem postremo petentes, quam impetrari certe sit aequissimum. Sed hoc, inquit, nimis esse videtur commenticium. *Donat.* tamen ad *Ter. Andr.* 2, 1, 13. et *Ad.* 2, 2, 41. et *Serv.* ad *A.* 4, 327. posteriorem hanc notationem probavere, *saltem* scilicet natum esse a captivis, qui nihil aliud, praeter *salutem*, a victore petunt: quasi dicant: sublatis omnibus, salutem concede.

SALTICUS, a, um, adj. qui saltare solet. *Tert. adv. Gnost.* 8. de Joanne Baptista: Contumeliosa caede truncatur, in puellae salticae lucar.

SALTIM, adv. saltem. *Auson. epist.* 7, 23. Numerare saltim more vulgi ut noveris. V. SALTEM.

SALTITO, as, a. 1. frequent. a *salto: σκαίρω*, saepe salto. *Macr. Sat.* 2, 10. *f.* Appius Claudius, vir triumphalis, qui Salius neque ad senectutem fuit, pro gloria obtinuit, quod inter collegas optime saltitabat. *Arnob.* 2, 73. Saltitare et cantare. *Quint.* 4, 9. *f.* Quotidie magis lascivimns, syntonorum modis saltitantes.

SALTO, as, avi, atum, a. 1. *χορεύω, ὀρχέομαι*, frequent. a *salio:* et dicitur de iis, qui lasciviae causa, artificiosis saltibus et gesticulationibus ad sonum tibiae moventur, brachia, pedes, et corpus varie jactando, crotalis etiam et cymbalis interdum adhibitis, ut ex *Cic. Pis.* 9. et 10. colligitur. *Scip. Afr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Vidi puerum bullatum cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset. *Cic. Or.* 3, 22. Negarem, posse histrionem satisfacere in gestu, nisi palaestram, nisi saltare didicisset. *Suet. Caes.* 39. Pyrrhicham saltaverunt Asiae principum liberi. *Cic. Dejot.* 9. Dejotarum vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. *Id. Mur.* 6. Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit; neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. *Plin.* 8, 2, 2. Elephanti quosdam inconditos motus edidere, saltantium modo. ℙ Praecipuum saltandi artificium erat in jactatione brachiorum, et gesticulatione manuum, ut ostendunt illa *Ov. A. Am.* 1, 595. Si vox est, canta: si mollia brachia, salta. *Id. ib.* 3, 349. Quis dubitet quin scire velim saltare puellam, Ut moveat posito brachia jussa mero? et *ib.* 2, 305. Brachia saltantis vocem mirare canentis. *Id. R. Am.* 333. Exige quod cantet, si qua est sine voce puella: Fac saltet, nescit si qua movere manus. V. BRACHIUM et MANUS. ℙ Hinc in scenam maxime saltatio inducta, in qua primum pantomimi agentem histrionem saltatoria gesticulatione sequebantur, gestu significantes, quod ille voce et verbis exprimebat: unde et *saltatores* dicti. Cui arti tanta aliquando fiducia accessit, ut Roscius, celebris histrio, non dubitaret cum Cicerone contendere, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an hic per eloquentiae copiam sermone diverso pronuntiaret: quae sunt verba *Macr. Sat.* 2, 10. *med.* Quo pertinet illud, quod de se narrat *Plin. ep.* 9, 34. statuisse, cum male versus legeret, libertum suum recitantem inducere. Ipse, inquit, quid, illo legente, interim faciam? sedeam defixus, et mutus, et similis otioso; an ut quidam, quae pronuntiabit, murmure, oculis, manu prosequar? Sed puto, me non minus male saltare, quam legere. Hactenus *Plin.* Postea crescente artificio, soli pantomimi, sine ulla voce aut verbis, adeo expresse gestus moderari coeperunt, ut totam fabulam agerent, et intelligendam percipiendamque spectatoribus exhiberent, ut in PANTOMIMUS dictum est. V. *Macr. Sat.* 2, 7. Hinc *saltare fabulam*, solo gestu agere. *Vell.* 2, 83. Cum caeruleatus et nudus, caputque redimitus arundine, et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio. *Ov. A. Am.* 1, 501. Et plaudas aliquam mimo saltante puellam: Et faveas illi, quisquis agatur amans. *Suet. Cal.* 57. Pantomimus Mnester tragoediam saltavit, quam olim Neoptolemus tragoedus. *Id. Ner.* 54. Voverat, se saltaturum Virgilii Turnum. *Macr. Sat.* 2, 7. Saltabat Hylas Oedipodem: et Pylades hac voce securitatem saltantis castigavit: *οὐ βλέπεις.* Et passive *Arnob.* 4, 151. Saltatur Venus, saltatur et magna Mater. *Ov. R. Am.* 755. Illic (*in theatris*) assidue ficti saltantur amantes. *Id. Trist.* 5, 7, 25. Carmina quod pleno saltari nostra theatro, Versibus et plaudi scribis, amice, meis. ℙ *Salva res est, dum saltat senex*, proverbium, quod quare parasiti Apollinis in scena dictitent, causam *Verrius* ap. *Fest.* reddidit, quod C. Sulpicio, C. Fulvio Coss. M. Calpurnio Pisone praetore Urbis faciente ludos, subito ad arma exierint, nuntiato adventu hostium, victoresque in theatrum redierint, solliciti, ne intermissi religionem afferrent, instaurandique essent: inventum esse ibi C. Pomponium libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret. Itaque gaudio non interruptae religionis editam vocem nunc quoque celebrari. Reprehendit *Verrium* ipse *Festus*, ejusque hac in re inconstantiam accusat, quod alibi referat *Sinnii Capitonis* verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio et Fulvio Coss. factos dicit ex libris Sibyllinis, et vaticinio Marcii vatis, (V. *Liv.* 25, 12. et 27, 23.) nec nominatur ullus Pomponius: ridiculeque de appellatione parasitorum hic causam reddat, cum alibi praeteriisset, dicens ita appellari, quod C. Volumnius, qui ad tibicinem saltarit, secundarum parducitur. Haec *Festus:* Paulo aliter *Serv.* ad *A.* 3, 279. Sciendum moris fuisse, ut piaculo commisso ludi celebrarentur: nam cum Romani iracundia Maludis placare possent; quidam senex statutis ludis Circensibus saltavit: quae sola causa fuit placationis. Unde et natum proverbium est: Omnia secunda: saltat senex. ℙ *Saltare* ap. veteres religiosa res fuit, hinc etiam Salii originem habuerunt. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 5, 73. Ut in religionibus saltaretur, haec ratio est, quod nullam majores nostri partem corporis esse voluerunt, quae non sentiret religionem. ℙ Saltare lasciviae et deliciarum causa, alienum erat a Romanis moribus, ut ait *Nep. praef.* et *Ep.* 1. Olim tamen moderato artificio, et honesta de causa id facere (ut in sacris Saliorum) probatum fuit: et pueri ingenui, et senatorum filii in ludum saltatorium commeabant; et matronae non inhonestum ducebant saltandi artem addiscere: quid enim ait Sallustius? (*Cat.* 26.) Psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae. Adeo et ipse Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optime scierit. Haec *Macr. Sat.* 2, 10. Hinc Scipio triumphale illud et militare corpus aliquando movit ad numeros, ut ait *Sen. Tranqu.* 13. *med.* ℙ Translate. *Cic. Or.* 67. *f.* Numerosam comprehensionem perverse fugiens Hegesias, dum ille quoque imitari Lysiam vult, alterum paene Demosthenem, saltat, incidens particulas, *h. e.* procedit oratione, non numeris periodicis, quasi cursu quodam, sed brevibus incisis, et velut saliendo. [*V. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 339. sqq.]

SALTŪĀRIS, e, adj. qui saltat. *Saltuares insulae*, sunt insulae parvae, de quibus *Plin.* 2, 95, 96. Sunt et in Nymphaeo parvae, Saltuares dictae, quoniam in symphoniae cantu ad ictus modulantium pedum moventur. Alii leg. *saltares*, alii *saliares.*

SALTŪĀRĬUS, ii, m. *ἀλσοζόμος*, proprie est custos saltus, seu silvae pascuae: sed dicitur et de custode cujuscumque fundi, agri, ruris. *Pomp. Dig.* 7, 8, 16. Dominus proprietatis, etiam invito usufructuario, fundum, vel aedes per saltuarium, vel insularium custodire poterit. *Id. ib.* 33, 7, 15. Mulier villae custos in fundo, qui cum instrumento legatus est, continebitur, sicuti saltuarius: par enim ratio est: nam desiderant tam villae, quam agri custodiam. *Petr. fragm. Trag.* 53. *Burm.* Testamenta saltuariorum. *African. Dig.* 32, 1, 58. *f.* Saltuarius tuendi et custodiendi fundi magis, quam colendi gratia paratus est. [*Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1599. S. Aug. S. (*h. e.* Silvano Augusto sacrum) C. Ingenuvius Helius saltuarius Virtutis, *h. e.* custos saltus, qui ad Virtutis aedem pertinet. *F.*]

SALTŪATIM, adv. *πηδηματικῶς*, per saltus. *Gell.* 9, 4. *med.* Homines, qui monomeri appellantur, singulis cruribus saltuatim currentes vivacissimae pernicitatis. Al. leg. *saltatim.* ℙ *Saltuatim scribere*, est non scribere rem suo ordine, sed ut sese offert, hoc est digredi. *Sisenn. fragm.* ap. *Gell.* 12, 15. et *Non.* 2, 758. Ne vellicatim, aut saltuatim scribendo lectorum animos impediremus.

SALTŪENSIS, e, adj. ad saltum, seu nemus pascuum pertinens. *Fundi saltuenses*, in *Cod.* 11, 61. in lemmate, et *ib. leg.* 13. et *tit.* 62. item in lemmate, sunt pastioni deputata nemora. *Saltuenses coloni*, *ib.* 63, 1. sunt saltibus et praediis colendis addicti.

[SALTŪINUS, a, um, adj. idem ac saltuensis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 558, 11. Pompejus Saltuinus. *F.*]

SALTŪOSUS, a, um, adj. *πολύκηπος*, plenus saltibus seu silvis. *Sall. Jug.* 58. Ille sese in loca saltuosa, et natura munita receperat. *Nep. Dat.* 4. Saltuosa regio, castellisque munita. *Liv.* 27, 12. Aperta erat regio, sine ullis ad insidias latebris: itaque in loca saltuosa cedere inde coepit. *Plin.* 6, 7, 7. Solitudines saltuosis convallibus asperae. *Tac. A.* 6, 34. Iberi saltuosos locos incolentes, duritiae, patientiaeque magis insuevere.

SALTUS, us, m. *ἅλμα, πήδημα*, actus saliendi. *Sen. ep.* 15. *med.* Saltus, vel ille, qui corpus in altum levat: vel ille, qui in longum mittit: vel ille, ut ita dicam, Saliaris, aut, ut contumeliosius dicam, fullonius. *Cic. Sen.* 6. *med.* Nec enim excursione, nec saltu uteretur, sed consilio, ratione, sententia. *Sall. fragm.* ap. *Veg. Mil.* 1, 9. *extr.* Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. *Virg. G.* 3, 141. saltu superare viam, et acri Carpere prata fuga. *Claud. III. cons. Honor.* 47. Saltu vincere valles et concava. *Plin.* 9, 8, 9. Saltu evadere. *Virg. A.* 2, 565. corpora saltu Ad terram misere. *Id. ib.* 9, 815. praeceps saltu sese omnibus armis In fluvium dedit; et *ib.* 553. saltu supra venabula fertur; et *ib.* 12, 287. corpora saltu Subjiciunt in equos; et *ib.* 326. saltu Emicat in curum; et *ib.* 8, 257. seque ipse per ignem Praecipiti injecit saltu; et *ib.* 12, 681. et *Ov. Fast.* 1, 507. Saltum dare; et *Ib.* 287. Dare saltus de summo monte; et *Met.* 2, 314. facere. *Id. ib.* 3, 599. Saltus leves. *Stat. Th.* 6, 569. volucres. *Id. Ach.* 1, 178. rapidus. *Lucr.* 5, 560. pernix. *Phaedr.* 3, 2. velox. *Plin.* 7, 2, 2. *med.* Homines mirae pernicitatis ad saltum. ℙ De saltatione ludicra. *Ov. Met.* 14, 520. Nymphae Ad numerum motis pedibus duxere choreas. Improbat has pastor, saltuque imitatus agresti, etc. *Juven.* 8, 225. de Nerone: Gaudentis foedo peregrina ad pulpita saltu, *h. e.* histrionio. ℙ Est etiam *saltus* locus silvosus et pascuus, nemus, *ἄλσος, νομή.* Est vel a priore Graeca voce allata; vel (quod minus placet) ab eo, quod in eo pecora saliant, ut significare videtur *Varro* his verbis *L. L.* 4, 4. *med.* Quos agros non colebant propter silvas, aut id genus, ubi pecus possit pasci, et possidebant; ab usu suo saltus nominarunt: haec etiam Graeci *τὰ ἄλσεα, καὶ νομάς*, nostri nemora. [*Omnium maxime probatur Varronis ratio. V. *Doederl.* 1, 175. sq. et 2, 92.] *Festus:* Saltum Gallus Aelius lib. 2. significationum, quae ad jus pertinent, ita definit: Saltus est, ubi silvae et pastiones sunt: quarum causa casae quoque. Si qua particula in eo saltu pastorum, aut custodum causa aratur, ea res non perimit nomen saltui: non magis quam fundi, qui est in agro culto, et ejus causa habet aedificium, si qua particula in eo habet silvam. *Scaev. Dig.* 19, 1, 52. Conductor saltus, in quo fundus est. *Modest. ib.* 3, 5, 26. Major frater in saltu communi habente habitationes paternas, ampla aedificia aedificaverat. *Caes. B. G.* 7, 19. Omnia vada ac saltus ejus paludis certis custodiis obtinebant. *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. Si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur. *Virg. G.* 3, 143. Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum Flumina. ℙ Sumitur et pro possessione, fundo, praedio, praesertim in quo pascua multa sint. *Cic. Quint.* 6. *extr.* Quintius contra jus de saltu agroque communi, vi detruditur. *Id.* dixerat *ib.* 3. pecuaria res ampla et rustica, sane bene culta et fructuosa. *Juven.* 7, 188. unde igitur tot Quintilianus habet saltus? Adde *Catull.* 114, 6. et 115, 4. ℙ Et pro certo possessionis modo. *Varr. R. R.* 1, 10. *extr.* Hae quatuor centuriae conjunctae, ut sint in utramque partem binae, appellantur in agris divisis viritim publice saltus. ℙ *Aestivi saltus*, in quibus aestate, *hiberni*, in quibus hieme pascuntur pecora. *Just.* 8, 5., *Paul. Dig.* 41, 2, 3. *med.* et *Papin. ib.* 44. *extr.* ℙ Aliquando a silva in usu loquendi, et a nemore distinguitur. *Caes. B. G.* 6, 54. *f.* Ille latebris ac silvis, aut saltibus se eripiebat. *Virg. G.* 2, 40. et *ib.* 4, 53. Dryadum saltus, silvasque sequamur. *Id. A* 4, 72. silvas saltusque peragrat. *Catull.* 34, 10. Diana domina Silvarumque virentium, Saltuumque reconditorum. *Virg. Ecl.* 10, 9. Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae Naides? et *ib.* 6, 56. nemorum jam claudite saltus. ℙ Aliquando cum iis confunditur. *Just.* 44, 4. *med.* Montes saltusque peragravit. *Virg. G.* 2, 391. vallesque cavae, saltusque profundi; et *ib.* 471. saltus et lustra ferarum. *Id. G.* 1, 140. magnos canibus circumdare saltus. *Id. A.* 4, 121. saltusque indagine cingunt. Sic Pyrenaei saltus, *Caes. B. C.* 1, 37. *h. e.* silvae montium Pyrenaeorum. [*Liv. 36, 15. saltus Thermopylarum, i. e. fauces, aditus prope Thermopylas. Cf. *Vell.* 2, 115, 4. sed praecipue angustiis saltuum paene inexpugnabiles.] *Plin.* 5, 1, 1. Saltus pleni feris; et *ib.* 4, 4. repleti ferarum multitudine. *Id.* 4, 7, 12. Thebis Boeotiis datur saltus Cithaeron, *h. e.* mons cum silva. *Id.* 3, 1, 3. Saltus Tugiensis. *Ov. Trist.* 1, 10, 21. Saltus ab hac terra brevis est Tempyra petenti, *h. e.* brevis silva, atque adeo brevis tractus. ℙ *Uno in saltu apros duos capere*, proverb. ap. *Pl. Cas.* 2, 8, 40. de quo V. in FIDELIA. ℙ Translate et joculariter *saltum* dixit *Pl. τὸ αἰδοῖον θηλυκὸν, Cas.* 5, 2, 42. et *Curc.* 1, 1, 56. Simili ratione *arvum*, et *hortum*, et *agrum*, et *fundum* vocant *Lucr.* 4, 1100., *Virg. G.* 3, 136., *Mart.* 7, 102. et *Pl. As.* 5, 2, 24. et *Mil.* 2, 2, 39. ℙ *Saltus damni* ap. *Pl. Men.* 5, 6. *extr.* est locus, ubi plurimum damni inest, quasi silva malis feris plena. Sic *montes mali* ap. *eund. Epid.* 1, 1, 78. et *mali moeroris mons* in *Most.* 2, 1, 5. ℙ Olim secundae decl. fuit. *Accius* ap. *Non.* 8, 18. in salti faucibus. Sic *senati, exerciti, sumpti* dixere, etc.

*SALVA mansio, locus in Pannonia inferiore. *Ant. Itin. B. A.*

*SALVANS, antis, part. act. *Vulg. Esai* 45, 21. Deus justus et salvans non est praeter me. Adde *ib.* 20. *Vulg. Epist. Jud.* 5. *B. A.*

*SALVATIO, onis, f. servatio. *Vulg. Psalm.* 27, 8. Dominus fortitudo plebis suae, et protector salvationis Christi sui est. Adde *Bed. Hist. Eccl.* 1, 30. fuit. *B. A.*

SALVĀTOR, oris, m. *σωτὴρ*, qui salvat, servator, conservator, sospitator. Vox est a probatis scriptoribus non usurpata, quia nec *salvo*, *as* in usu erat. *Cic.* enim *Verr.* 2, 2, 63. Latinam non esse significat, dum ait: Itaque eum non solum patronum istius insulae, sed etiam sotera inscriptum vidi Sy-

racusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum *soter*, qui salutem dedit. Sic *Tac.* ad eandem Graecam vocem respiciens, *A.* 15, 71. Milichus praemiis ditatus, conservatoris sibi nomen Graeco ejus rei vocabulo assumpsit. *Capell.* 5, 166. Auribus temperandum, et insolentia fugienda, quam vitans Cicero, *soterem* salvatorem noluit nominare, etc. Abstinuit etiam *Plin.* 22, 5, 5. et 34, 8, 19. *n.* 8., item *Val. Max.* 5, 4. *f.*, qui *servator* usurparunt; et *Appul. Met.* 7, 9. et *Apol.*, qui *sospitator* dicere maluit. Frustra itaque sunt qui ex quibusdam MSS. nullius ponderis *Ovidio* tribuunt *Pont.* 4, 15, 41., cum boni libri omnes habeant *servatorem*. V. SOTER. ℙ Postea adhiberi coepit a Christianis scriptoribus *Tert. adv. Marc.* 3, 18., *Lact.* 4, 12., *Juvenc.* 3, 192., *Prud. περὶ στεφ.* 1, 115. *Sedul.* 2, 155., *Paul. Nol. carm.* 32, 423., *August.*, *Hieron.*, *Auson. Ephem.* in *oratione*, 81. etc. Habetur etiam in *Inscr.* ap. *Grut* 19, 5. Jovi custodi Quirino salvatori, pro salute Caesaris Nervae Trajani Aug. etc. Praeclare *August. serm.* 299. *sect.* 6. Christus Iesus, id est Christus salvator: hoc est enim Latine Iesus. Nec quaerant grammatici, quam sit Latinum, sed Christiani, quam verum. Salus enim Latinum nomen est: salvare, et salvator non fuerunt haec Latina, antequam veniret Salvator: quando ad Latinos venit, et haec Latina fecit. *Id. Trin.* 13, 10. *f.* Qui Hebraice Iesus, Graece σωτὴρ, nostra autem locutione salvator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat: sicut potuit, quando voluit. ℙ Merito igitur docti viri permulti (quos inter *Baronius* ad Martyrol. R. V. Cal. Decembr.) eos reprehendunt, qui cum de Iesu Christo agitur, *servatorem* potius, quam *salvatorem*, vano metu, ne in Latinam linguam peccent, appellare maluerint.

[SALVATRIX, icis, f. quae salvat. *Prosper Aqu.* 39, 3. Salvatrix autem cunctorum gratia Christi. *F.*]

*SALVĀTUS, a, um, part. pass. servatus. *Vulg. Esai* 4, 2. Exultatio his, qui salvati fuerint de Israel. *Ephes.* 2, 8. Gratia estis salvati per fidem. *B. A.*

SALŪBER, bris, bre, et Salubris, bre, adj. omn. gen. σωτήριος, οὔλιος, ὑγιεινός, conferens ad bonam valetudinem, salutaris, sanitatem afferens. [*Valla (*Elegg.* 4, 88.) derivat a *salutifer*. — Contra *Doederl.* 1, 32. *saluber* eodem modo factum contendit a *salveo*, quo *lugubris* a *lugeo:* idemque esse terminationis genus, quod in *volubilis*, duriore tantum pronuntiatione diversum: unde neutralis signif. usus, q. v. infra. Quod diff. a *salutaris* dictum est in h. v.] *Cic. Div.* 1, 57. Conjecturam capere, salubrisne, an pestilens annus futurus sit. *Ov. R. Am.* 704. Utque facis, coeptis, Phoebe saluber, ades. *Varr. R. R.* 1, 2. Spectare, utrum saluber locus esset, an non; et *ib.* 4. Utilissimus is ager, qui salubrior est. *Ov. Am.* 2, 16, 2. irriguis ora salubris aquis. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Triclinium saluberrimum. *Colum.* 1, 2. Salubre coelum. *Lucan.* 1, 661. sidus. *Virg. G.* 3, 530. Salubres somni. *Colum.* 12, 27. *extr.* Vinum suave firmum, corpori salubre. *Cato R. R.* 156. Ad omnes res salubre est. *Plin.* 37, 10, 61. Icterias existimatur salubris contra regios morbos. *Id.* 21, 14, 48. Decocto foveri os, saluberrimum est. *Ov. Fast.* 6, 753. Pectora ter tetigit, ter verba salubria dixit. ℙ Est etiam sanus, valens, ὑγιείς. *Liv.* 3, 8. Defuncta morbis corpora salubriora esse incipere. *Sall. Jug.* 20. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum. Adde *Mart.* 10, 47. et *Tac. H.* 5, 6. [*Differunt tamen, auctore *Doederl.* 1, 32., *sanus* et *saluber*, ut salubre corpus, i. fere q. robustum, i. e. bona in universum quidem valetudine praeditum intelligi debeat: sanum corpus, i. fere q. integrum, sensu relativo eum valetudinis statum spectet, quo quis a morbo vel alio quodam adversae rei genere in integrum restitutus sit, vel non affectus, liber exsistat.] ℙ Translate est utilis, salutaris. *Cic. Dom.* 7. Dixi sententiam reipublicae saluberrimam. *Liv.* 2, 3. Leges, res salubrior meliorque inopi, quam potenti. *Hor. A. P.* 198. Salubris justitia. *Plin.* 3, 4, 5. Saluberrima Romano imperio Alpium juga. *Plin. alter ep.* 2, 11. Factum severitate exempli salubre. *Petr. Sat.* 140. Salubribus praeceptis juvenes instruere. *Cic. Att.* 8, 12. *med.* Salubria consilia. *Quint.* 3, 1. Liber salubrior studiis, quam dulcior. *Gell.* 5, 1. Quae dicuntur, utilia ac salubria sunt. *Id.* 6, 10. Bona ac salubria exempla. *Cic. Or.* 26. *med.* Quidquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est, *h. e.* quod causae prodest, et eloquentiae ostentatione caret. [*V. dicta in *salubritas.*] *Suet. Aug.* 42. Ut salubrem magis, quam ambitiosum principem scires, *h. e.* moderantem beneficia sua, et utilitatem magis reipublicae spectantem, quam famam liberalitatis, et gloriam. *Grat. Cyn.* 120. tela modi salubris, *h. e.* magnitudinis mediocris, atque adeo habiliora et utiliora venantibus. ℙ *Salubre pretium* est Italorum *prezzo basso, confacevole*, [*mediocre, parvum pretium.] *Colum.* 7, 3. *med.* Cicercula sumptuosior est, quam ut suburbanis regionibus salubri pretio possit praeberi. *Mart.* 10, 104. Jucundos mihi, nec laboriosos Secessus pretio paret salubri. V. SALUBRITER.

SALŪBRĪTAS, atis, f. οὐλότης, qualitas rei bonam valetudinem afferentis, sanitas. [*Differentiam inter *salubritas*, *sanitas*, *valetudo* et *salus* expositam habes in h. v.] *Cic. Div.* 1, 57. Ex habitu, atque ex colore extorum tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipi. *Id. Leg.* 2, 1. *med.* Loci amoenitas et salubritas. *Colum.* 6, 4. Haec remedia salubritatem faciunt. *Tac. A.* 12, 66. Salubritas aquarum. *Plin. ep.* 8, 1. *extr.* coeli. *Plin. alter* 37, 13, 77. nemorum. *Id.* 5, 16, 15. Calidus fons medicae salubritatis. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 3. Vina Surrentina convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque. ℙ In plur. num. *Vitr.* 5, 3. Ut in primo libro de salubritatibus in moenium collocationibus est scriptum. *Gell.* 2, 1. *extr.* Parcendi moderandique rationibus dicitur salubritates corporis retinuisse, *h. e.* incolumitatem. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 13. Ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis, quasi sanitatem, perderet. *Id.* dixerat *ib.* 9. Succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit. [*Cf. hic, quae de discrimine vv. *saluber* et *sanus* dicta sunt in v. *saluber:* hinc *salubrem orationem Doederl.* 1, 33. interpretatur: *die kerngesunde, urkräftige: sanam orationem, die nüchterne und besonnene Sprache:* coll. *Tac. Dial.* 25. et *Plin. epp.* 9, 26.] *Cic. Mur.* 13. *f.* A jurisconsultis salubritas quaedam; ab iis qui dicunt, salus ipsa petitur, *h. e.* ea quae conducere possunt ad causas defendendas; ab oratoribus vero ipsa defensio.

SALŪBRĪTER, adv. ὑγιεινῶς, cum salubritate, conducenter ad bonam valetudinem. *Colum.* 1, 8. *med.* Ut et panis diligenter confiat, et reliqua salubriter apparentur. *Id.* 2, 9. *med.* Hordeum hexastichum hominem salubrius pascit, quam malum triticum. *Cic. Sen.* 16. *f.* Ubi enim potest illa aetas umbris aquisve refrigerari salubrius? *Plin.* 19, 1, 6. Velis forum inumbravit, ut salubrius litigantes consisterent. *Id.* 22, 12, 14. Haec bilem detrahit obolo ponderis, saluberrime cum mulso. *Gell.* 3, 10. *med.* Ante mensem septimum neque masculus, neque femina salubriter ac secundum naturam nasci potest. ℙ Translate est utiliter, commode. *Liv.* 3, 62. Et trahi bellum salubriter, et mature perfici potest. *Vell.* 2, 89. *med.* Leges emendatae utiliter, latae salubriter. *Gell.* 6, 2. *med.* Salubriter utiliterque fingere aliquid. *Id.* 2, 29. Res salubriter ac prospicienter animadversae. ℙ Et parva impensa, modico pretio. *Plin. ep.* 6, 30. Villa est quidem vetustate vexata: tamen quae sunt pretiosiora, aut integra manent, aut levissime laesa sunt. Attendimus ergo, ut quam saluberrime reficiantur. *Id. ep.* 1, 24. *extr.* Si praediolum istud tam salubriter emerit, ut poenitentiae locum non relinquat. V. SALUBER.

SALVE, adv. integre, recte, commode, ut interpretatur *Don.* ad illud *Ter. Eun.* 5, 6, 8. Hem quid est? quid trepidas? satin' salve? dic mihi. *Sall. fr.* ap. *Don. ib.* Inde ortus sermo, percontantibus utrinque, satin' salve? quam grati ducibus suis: quantis familiaribus copiis augerentur. *Pl. Trin.* 5, 2, 53. Satin' salve? dic mihi. His omnibus locis adverbium esse ait *Don.* producta *e* littera. ℙ *Charis.* 3, 225. et *Diomed.* 1, 340. a *salveo* ducunt. Habet, inquiunt, hoc verbum *(salveo)* et adverbium, cum dicimus, satin' salve, salve est domi. Sed propius est vero, ut sit a *salvus*, ut a *rectus recte*, et sexcenta alia. [*Buttm.* in *Lexil.* 1. p. 190. derivat a *Gr. οὖλος, ὅλος, heil!* quod parum videtur *Doederl.* 1, 28. Cf. quae dicta sunt in AVE.] *Liv.* 1, 58. *med.* Quaerenti viro, satin' salve? minime, inquit: quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? (Adde 6, 34., 10, 18. et 40, 8.) *Pl. Stich.* 1, 1, 9. *Pi.* Multa volo tecum loqui de re viri. *Pa.* salvene, amabo? *Pi.* spero quidem, et volo. *Id. Men.* 5, 2, 26. Salven' advenio? salven' arcessi jubes? quid tu tristis es? ℙ Porro ellipsis est in his: et plena oratio esset, *satisne salve agis*, *agitis*, *agitur*, *agens*. Unde *Appul. Met.* 1. *f.* Quam salve agit Demeas noster? et *Apol.* Interroga, puer ubi sit, et quam salve agat. Simile est illud, *rectene omnia?* de quo V. in RECTE. Sunt tamen qui pro *satin' salve* scribi malunt *satin' salvae*, subintelligendo *res sunt*, quod plene dixit *Liv.* 3, 26. *med.* Rogitans, satin' salva essent omnia. Quam litem nae ego sim demens, si dirimere nitar, magnis utrinque criticis, pro sua quoque sententia, acerrime depugnantibus; pro *salve* enim *Donato*, *G. Fabr.*, *Acidal.*, *Brisson.*, *Taubm.*, *Voss.*, *Perizon.*, *Cort.* in *Sall.* etc., pro *salvae* autem *Sanctio*, *Sciop.*, *Vineto*, *Gronov.* et aliis.

SALVĒO, es, n. 2. salvus sum, verbum defectivum, cujus praeter futur. *salvebis*, imperat. *salve*, *salveto*, *salvete*, et infin. *salvere*, cetera Latina consuetudine exsulant. Nam quod *Pl. Truc.* 2, 2, 4. dixit, *non salveo*, irridenter posuit pro persona rustici, inquit *Val. Prob.* in *Cath.* p. 1486. Utimur *salve* et *salvete*, cum advenientes salutamus, χαῖρε, ὑγίαινε: quemadmodum *vale* dicimus abeuntibus. *Pl. Mil.* 4, 8, 5. Philocomasium, salve. *Phi.* et tu salve. *Id. Trin.* 3, 2, 39. O salvete, affines mei. *Catull.* 31, 12. Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude. *Pl. Rud.* 2, 4, 3. Salve adolescens. *Sce.* et tu multum salveto, adolescentula; et 1, 5, 5. Jubemus te salvere, mater. *Palae.* salvete, puellae. *Id. Most.* 3, 1, 41. Salvere jubeo te, Misargyrides, bene. *Id. Trin.* 2, 4, 34. Jubet te salvere plurimum. *Id. Men.* 5, 9, 17. Tu herus es: tu servum quaere, salveto tu: tu vale. *Auson. ep.* 16. *in carm. in.* Et dic hero meo, atque tuo, Ave, atque salve plurimum. *Hieron. ep.* 118. *n.* 1. Frater tuus Antonius in ipso jam profectionis articulo, cum mihi praesentiam sui tarde dedisset, et cito abstulisset, atque in puncto temporis, salve pariter, valeque dixisset. ℙ Est etiam adorantis, et invocantis. *Virg. G.* 2, 173. Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus. *Id. A.* 8, 301. Salve, vera Jovis proles, decus addite Divis: Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo. *Liv.* 1, 16. Deum Deo natum, regem parentemque urbis Romanae salvere universi Romulum jubent. *Plin.* 7, 30, 31. *extr.* ad *Cic.* Salve, primus omnium parens patriae appellate, etc. ℙ Sternuentes salvere jubemus. *Petron. Sat.* 98. Giton ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet. V. STERNUTAMENTUM. ℙ In ironia. *Pl. Rud.* 2, 2, 5. Salvete, fures maritimi, famelica hominum natio: quod agitis? ut peritis? *Id. As.* 2, 2, 31. Gymnasium flagri, salveto. *Id. Curc.* 2, 1, 19. O scelerum caput, salveto. *Catull.* 43, 1. Salve nec minimo puella naso. ℙ Salutem dicere, nuntiare, mittere absenti, jubere salvum esse. *Cic. Fam.* 16, 9. *extr.* Medico de te scripsi diligentissime: vale, salve. *Id. Att.* 4, 14. *extr.* Dionysium velim salvere jubeas; et *ib.* 6, 2. *extr.* Salvebis a meo Cicerone. ℙ Etiam mortuos sic salutabant, quasi dimittentes. *Virg. A.* 11, 97. salve aeternum mihi, maxime Palla, Aeternumque vale. (Adde *Stat. Silv.* 3, 3, 208.) *Varr. fragm.* ap. *Serv. ib.* Ideo mortuis, salve, et vale dici, non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos nunquam visuri. ℙ In matutina salutatione *salve* dicebant, *vale* in vespertina. *Suet. Galb.* 4. *extr.* Veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua haerentem, obstinatissime retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere, sibi singuli dicerent. [*Discrimen inter *salveo* et *valeo* v. in h. v.]

SALVIA, ae, f. ἐλελίσφακον, herba, de qua *Plin.* 22, 25, 71. Nostri, qui nunc sunt, herbarii elelisphacon Graece, Latine salviam vocant, mentae similem, canam, odoratam. *Id.* 26, 6, 17. Altera *(tussilago)* a quibusdam salvia appellatur, similis verbasco. Conteritur ea, et colata calefit, atque ita ad tussim laterisque dolores bibitur. ℙ *Fuit et Salvia oppidum Liburniae. *Anton. Itin.* ℙ *Salvia Titiscenia*, concubina Antonii. *Suet. Aug.* 69. *B. A.*

[SALVIĀNUS, a, um, adj. ad Salvium Julianum JCtum pertinens, ut Salvianum interdictum, cujus meminit *Julian. Dig.* 43, 33, 1. et *Ulp. ib.* 2. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 108, 6. C. Marcius C. F. Serg. Salvianus. *F.*]

SALVIĀTUM. V. SALIVATUM.

SALVIFĪCĀTOR, oris, m. salvator. *Tert. Pud.* 2., ubi alii leg. *salutificator.*

SALVIFĪCO, as, a. 1. salutem do. *Sedul.* 5, 7. Pater ista memet ab hora Salvifica.

SALVIFĪCUS, a, um, adj. salutem afferens. *Alcim. ad Soror.* 180. salvificum appellat corpus Christi sepultum.

[SALVILLUS, a, um, adj. dimin. salvi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 740, 8. Q. Sallustius Salvillus. Alia ap. *Mur.* 1589, 2. Manlia D. L. Salvilla. *F.*]

[SALVĪNUS, a, um, adj. ad salvum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 249, 6. Ulpius Salvinus. ℙ *Fabr.* ad *Inscr.* p. 28. *n.* 127. falso putavit, *Salvinus* esse etiam praenomen R. V. v. sq. *F.*]

[SALVĪUS, a, um, adj. qui salvus factus est. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 721, 5. C. Betutius L. F. Salvius. Alia ap. *eund.* 592, 4. Flavia Aug. L. Salvia. ℙ Est etiam praenomen R. *Inscr.* ap. *Mur.* 23, 8. Salvius Junius Silvinus. Alia ap. *Schiass. Guida al Mus. Bologn.* p. 48. Sal. Vettius Sal. F. Lem. pater, Praestantia Quarta mater, L. Vettius Sal. F. Primus, Sal. Vettius Sal. F. Secundus, T. Vettius Sal. F. Tertius filiei patri fecerunt id, quod is rogaverat. V. alia hujus praenominis exempla in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 28. *n.* 127., ubi tamen ille, fretus auctoritate mendosae Patavinae, nunc deperditae *Inscr.* ap. *Grut.* 559, 8. et 561, 12., falso putavit, *Salvinum*, non *Salvium* fuisse praenomen. ℙ *Salvia* appellata est etiam trieris quaedam ex classe Misenensi. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 409. Statius Quadratus III Salvia. V. NAVISALVIA. ℙ *Salvius* est etiam nomen gentilicium R., ut M. Salvius Otho Aug. qui Galbe Aug. successit, et per paucos menses imperavit. *F.*]

SĀLUM, i, n. ἅλς, ὁάλος, mare, vel potius altum mare. *Cic. Caecin.* 30. *extr.* Siqui ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus, optaret, ut cum esset a patria dejectus, eo restitueretur; hoc, opinor, optaret, ut a quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam urbem, quam petebat. *Hirt. B. Afr.* 46. Quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custodiae causa in salo esse jusserat. *Nep.*

Them. 8. *f.* Diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Adde *Liv.* 29, 14. *med.* et 37, 10, 13. et 16., quibus omnibus locis pro alto mari sumitur, contra litus, aut portum. [**Salum* proprie non est altum mare, sed *maris ora, in qua stant et fluctuant naves anchoris alligatae, quae ad littus appellere non possunt:* nostr. *Rhede.* Ita recte *Lamb. Bos. Exerc.* p. 259. quem secuti sunt *Brem.* ad *Nep. l. l.* et *Moeb.* ad *B. Afr.* 46.] Poetae tamen id non servant, et universim pro mari usurpant. *Virg. A.* 1, 541. Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit; et *ib.* 2, 209. Fit sonitus spumante salo. *Val. Fl.* 1, 68. volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum; et *ib.* 703. telisque salum, facibusque coruscat. *Ov. Amor.* 2, 11, 24. Currit in immensum panda carina salum. *Prop.* 1, 6, 2. Aegaeum salum; et *ib.* 15, 12. Calypso injusto multa locuta salo est; et 3, 11, 6. Salum rubrum. *Sen. Herc. Oet.* 731. Ionium. *Id. Hippol.* 332. altum. *Catull.* 63, 16. rapidum. *Solin.* 52. de serpentib.: Idque ipsum palam est, non qualibet magnitudine evenire, ut per tantam sali latitudinem ad loca permeent destinata. ℙ In illo *Caes. B. C.* 3, 28. Tirones multitudine navium perterriti, et salo nauseaque confecti se dediderunt: salum est ipsum mare, et ejusdem jactatio incommoda: quod et Graeci τῷ σάλῳ saepe significant. ℙ De colore maris. *Capell.* 1, 8. Urna perlucentis vitri salo renidebat; et *mox:* Urna sali resplendentis. Utrobique legendum videtur *hyalo*, et *hyali.* V. HYALUS. ℙ De unda fluminis. *Stat. Th.* 10, 864. Amnis ut incumbens longaevi robora pontis Assiduis oppugnat aquis: jam saxa fatiscunt, Emotaeque trabes: tanto violentior ille (Saevit enim majore salo) quassatque, trahitque Molem aegram. ℙ [*Translate. *Cic. Tusc.* 3, 28. nec tam aerumnoso navigassem salo. Ex *Euripide.* Gr. καὶ μὴ μαχρὰν δὴ διὰ πόντου ἐναυστόλουν, in fragm. incertae tragoediae ap. *Galen. de Dogm. Hipp. et Plat.* 4, 7. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. — Quod imitatus videtur *Appul.* nescio quo loco ita locutus: Cum in isto cogitationis salo fluctuarem.] ℙ Masculino gen. *Enn.* ap. *Non.* 3, 199. undantem salum. ℙ In plur. num. caret exemplis.

SALVO, as, a. l. servo. *Gloss. Philox.* Salvo, σώζω, et Σώζω, salvo, sano. *Cic. Pis.* 31. *f.* Posse me iterum rempubl. salvare, si cessissem. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. Sequenti anno palmites salventur, pro viribus matris, singuli, aut gemini. Locum *Ciceronis* ita leg. *Faern.* in MSS. suis: sed et ipse, et alii fere omnes Critici damnant, et *servare* reponunt ex melioribus libris. In *Plinio* vero *Harduinus* ita emendavit, cum *salutentur* invenisset, et *submittantur* ab aliis reponeretur. [**Doederl.* 1, 29., ubi v., *salutentur* veram lectionem judicat. V. in SALUTO *f.* Numerum virorum doctorum verbum *salvare* aut defendentium, aut damnantium habes in *Nolt. lex.* p. 1180. sqq. et *addit.* p. 114.] [*Lactant. Ira D.* 5. *med.* Laudabile videtur prodesse potius, quam nocere; salvare, quam perdere. *Hieron. ep.* 20. *n.* 4. Quod ille, qui repromittebatur de genere David, venerit salvaturus Israel. *F.*]

SALUS, ūtis, f. σωτηρία, incolumitas, sanitas, vita, status, dignitas, quies, bonum: cui opponitur exitium, pernicies, nex. [*De vocabulis *salus*, *sanitas*, *salubritas*, *valetudo Doederl.* 1, 33. ita statuit: *Ueberhaupt ist* salus *das Leben als Existenz*, sanitas *der gesunde Zustand*, salubritas *die gesunde Beschaffenheit*, valetudo *die Gesundheitsumstände und zuf ἕξοχὴν die Krankheit:* coll. *Ernest. synon. n.* 21. 172.] *Cic. Har. resp.* 16. *extr.* Qui medicis suis non ad salutem, sed ad necem utitur. *Id. Or.* 2, 9. Fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. *Id. fr.* ap. *Ammian.* 30, 8. Multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini unquam fuit. *Id. Fin.* 2, 35. Opem indigentibus, salutemque ferre. *Id. Dom.* 28. *med.* Alicui lucem salutemque reddere ac restituere. *Id. Fam.* 10, 29. Meum studium erga salutem et incolumitatem tuam. [**H. l. salus* dictum est de restitutione exsulum in patriam. V. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. *f.* Alicujus commodis consulere, et utilitati salutique servire. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, quaesoque, uti duis bonam salutem valetudinemque mihi, domo, familiaeque nostrae. *Nep. Dion.* 9. Navem triremem armatis ornat, ut haberet quo fugeret, ad salutem; et *Ann.* 11. *med.* Fuga salutem petere. ℙ Qua opponitur morbo et morti. *Cic. ad Quirit.* 6. An dubitarem, quin is me confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret? *Ter. Andr.* 3, 2, 2. Quae assolent signa esse ad salutem, omnia huic esse video. *Id. Ad.* 4, 1, 3. Quod cum salute ejus fiat, ita se defatigarit velim, ut hoc triduo prorsum e lecto nequeat surgere. ℙ In sexto casu. *Pl. Men.* 1, 2, 25. Averti praedam ab hostibus, nostrum salute socium, *h. e.* salvis sociis nostris. *Id. Rud.* 4, 2, 1. Neptuno ago gratias, cum me ex suis pulcre ornatum expedivit templis reducem, salute horiae, *h. e.* salva et incolumi horia. Sic *Bacch.* 4, 9. *f.* Ut ovans praeda onustus incederem, salute nostra, atque urbe capta. *Id. Merc.* 4, 5, 8. Jam mater rure rediit? responde mihi. *Sy.* sua quidem salute ac familiae maxima. *Cato R. R.* 4. *f.* Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, etc. si aedificabis, adjuvabunt: si quid (bona salute) usus venerit, benigne defendent: εὐφημισμός: cui simile est, *quod Dii omen avertant.* ℙ *Saluti esse*, salutare esse, salutem afferre. *Pl. Merc.* 1, 2, 32. Saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo. *Nep. Them.* 2. Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico. Adde *Cic. Or.* 2, 49. et *Caes. B. G.* 5, 43. *extr.* et *ib.* 7, 50. *extr.* ℙ Salus Dea est habita, Aesculapii filia: templumque habuit in summo Quirinali, quod C. Junius Bubulcus censor locavit dedicavitque anno U. C. CCCCXLVII., cum consul bello Samnitium vovisset: pinxit autem, suum operi nomen inscribens, C. Fabius Pictor. Sub Claudio principe incendio consumptum est. *Liv.* 9, 43. *extr.*, *Val. Max.* 8, 14. *n.* 6., *Plin.* 35, 4, 7. Hinc *Cic. Font.* 6. Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. *Ter. Ad.* 4, 7. *f.* Ipsa si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam. *Pl. Most.* 2, 1, 4. Nec Salus nobis saluti jam esse, si cupiat, potest. Adde *Capt.* 3, 3, 14. Sic *Cist.* 4, 2, 70. At vos Salus servassit. ℙ Augurium Salutis, οἰώνισμα Σωτηρίας, fuit solemne quoddam augurii genus, quo Deorum voluntatem explorabant, concederentne illis, ut pro populo salutem peterent: quasi nefas esset eam petere a Diis sine eorum venia. Ad hoc eligebatur dies quotannis, quo die nulla unquam reip. domi forisve calamitas evenisset, ut docet *Dio* 37, 24. Intermissum aliquando fuit, sed revocatum ab Augusto primum, ut est ap. *Suet.* 31., deinde a Claudio, ut est ap. *Tac. A.* 12, 23. Meminit et *Cic. Div.* 1, 47. [**V. Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Adhibetur salus in blanditiis. *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quid agis, mea salus? *Id. Poen.* 1, 2, 153. Mea salus, meum savium, meum mel, meum cor; et *ib.* 176. Hujus colostra, hujus salus amoena, hujus festivitas. Adde 1, 3, 12. ℙ *Salus* interdum est remedium, perfugium. *Virg. A.* 2, 354. Una salus victis nullam sperare salutem. *Pl. Cas.* 5, 3, 14. Nam salus nulla est scapulis, si domum redeo. [**Cic. Verr.* 1, 1. nulla salus major reip. reperiri potest. *Liv.* 7, 35. una salus est, erumpere hinc atque abire, i. e. salutis via.] ℙ Saepissime votum, seu precatio, qua aliquem sanum salvumque esse optamus: unde *salutare, salutator*, etc. *Cic. Att.* 4, 10. *extr.* Pompejus in Cumanum Parilibus venit: misit ad me statim, qui salutem nuntiaret; et *Fam.* 7, 14. Salutem enim verbis tuis mihi nuntiaret; et *Att.* 16, 3. *extr.* Atticam cupio suaviari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa. *Id. ib.* 6, 1. *f.* Filiola tua gratum mihi fecit, quod tibi diligenter mandavit, ut mihi salutem adscriberes. *Pl. Epid.* 1, 2, 23. Ad venientem peregre herum suum salva impertit salute servus Epidicus. *Cic. Att.* 2, 12. *extr.* Terentia impertit tibi multam salutem. *Lucil.* ap. *Non.* 7, 34. Impertit salutem plurimam et plenissimam. *Liv.* 3, 26. *med.* Salute data invicem, redditaque. *Id.* 7, 5. Mox introductus, salute aecepta redditaque, ait, etc. ℙ Hinc *salutem dicere* in principiis epistolarum. Et verbum aliquando omittitur, ut *Cicero Attico S.* Sic *Tusc.* 5, 32. Anacharsis Hannoni salutem. *Id. Att.* 13, 22. *f.* Illud accuso, non te, sed illam, ne salutem quidem *(misisse):* at tu et illi, et Piliae plurimam: *dic*, vel *nuntia.* ℙ Interdum *salutem dicere* est vale dicere, deserere, ab aliqua re recedere. *Cic. Fam.* 7, 33. Ego vero multam salutem et foro dicam et curiae, vivamque tecum multum, [*i. e. neque causas amplius in foro agam, neque sententiam in senatu dicam. Ita etiam Gr. utuntur v. χαίρειν: ut πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ.] ℙ [Veteres, ut etiamnum vulgares homines apud nostrates, solebant magnum poculum potanti, salutem adprecari. *Appul. Met.* 10. Satis geniaiiter grandissimum illum calicem uno haustu perhausi. Clamor exsurgit consona voce cunctorum salute me prosequentium. *Xiphilin.* ex *Dione* 72, 18. Καὶ Κόμμοδος ἔπιεν ἀμυστί· ἐφ' ᾧ καὶ ὁ δῆμος, καὶ ἡμεῖς παραχρῆμα πάντες, τοῦτο δὴ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, ἐξεβοήσαμεν, Ζήσειας. *h. e. Vivas. F.*]

SALUSTIUS. V. CRISPUS.

SALUTABUNDUS, a, um, adj. multum salutans. *Capell.* 7, 237. Jovem salutabunda surrexit.

SALUTĀRIS, e, adj σωτήριος, salutem, vitam, sanitatem afferens, saluber. [*Adjectivum est a *salus:* v. infra de *colle* et *porta salutari.* — Differentiam a *saluber Doederl.* 1, 33. hanc statuit: salubria sanitatem afferunt, opp. pestilentia; salutaria salutem afferunt, opp pestifera: laudd. in suam sententiam praeter eum, quem Noster primum posuit, his locis: *Cic. Fat.* 4. Locos alios esse salubres, alios pestilentes. *N. D.* 3, 27. Rationem, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris. *Legg.* 1, 16, 44. ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus. *Fam.* 9, 12. 6, 6. *Suet. Aug.* 42. *Tib.* 29. de quibus locis v. ipsum l. l., ubi in nota enumerantur viri docti, aliter de hac re statuentes. Tollitur discrimen in superlativo, ita ut *saluberrimus* ubique dici recte possit, quod *salutaris* comparationis formulis caret.] *Cic. N. D.* 2, 12. Natura bestiis dedit accessum ad res salutares, a pestiferis recessum. *Id. ib.* 2, 15. Res utiles et salutares Deorum esse vocabulis nuncupatas. *Id. Mil.* 8. Civis tam beneficus, tam salutaris. *Suet. Tib.* 29. Bonus et salutaris princeps. *Cic. N. D.* 2, 10. *f.* Salutaris et vitalis calor; et *ib.* 3, 9. *f.* Mundo nihil est pulcrius, nihil nobis salutarius. *Id. Sen.* 16. Hominum generi universo cultura agrorum est salutaris. *Id. ib.* 1, 39. Stella Jovis ad ortus puerorum salutaris est. *Pl. Aul.* 2, 1, 26. Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis. *Cic. Fam.* 6, 6. Salutare consilium. *Liv.* 24, 28. Habere orationem salutarem. *Plin. ep.* 6, 31. *extr.* Portus vel maxime salutaris. *Cic. Att.* 9, 7. Sic habeto, salutares te mihi litteras misisse. Dixerat *paulo sup.* quae mihi quiddam quasi animulae restillarunt. *Tac. A.* 15, 29. Omissis praecipitibus, tuta et salutaria capessere. ℙ De iis quae morbos arcent, aut pellunt. *Plin.* 31, 2, 2. Medios inter fluctus exsistit aliquid valetudini salutare. *Id.* 24, 16, 92. Radix in pestilentia salutaris est in cibis. *Id.* 25, 3, 6. Britannica non nervis modo, et oris malis salutaris, sed contra anginas quoque, et contra serpentes. *Id.* 24, 9, 42. Ad dentium dolorem decoctum eorum salutare est. *Id.* 21, 19, 77. Radicem decoctam bibere, spasticis, eversis salutare est. *Hor. Carm. saec.* 63. Qui salutari levat arte fessos, *h. e* medicina. *Ov. R. Am.* 45. Terra salutares herbas, eademque nocentes Nutrit. ℙ *Salutaria bibere*, saluti amicorum potare. *Appul. Met.* 2. *f.* Compotores vino madidi rursum cachinnum integrant: dumque bibere salutaria postulant, etc. V. SALUTARIUS. ℙ *Salutaria*, h. e. soteria, quidam leg. ap. *Tert. Apol.* 46., alii *salaria.* V. SALUTARIUS. ℙ *Digitus salutaris* est index, vel quia illo ori admoto silentium indicitur; res maxime salutaris: vel quia illo et pollice contractis salutem precabantur. [*Suet. Aug.* 80. Dextrae quoque manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut, etc. *Capell.* 1, 22. Quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari silentium commonebat. *F.*] ℙ *Littera salutaris* A, quae absolutionis nota erat: ut C. tristis, quae condemnationis. *Cic. Mil.* 6. *f.* Nec vobis tam salutarem hanc in judicando litteram, quam illam tristem dedisset. ℙ *Salutaris porta*, inquit *Fest.*, Romae appellata est ab aede Salutis, quod ei proxima fuit: vel ob salutationes, quia ad eam praetor salutaretur is, qui in provinciam pro praetore, aut pro consule exibat. Adde in *Praetor.* quamquam hoc posterius incertum est ob lacunam in verbis *Festi. Nibby, Mura di Roma* p. 143. probat, hanc portam fuisse ad radices collis Quirinalis inter portas Sanqualem, et Piacularem. ℙ Similiter *salutaris collis*, qui fuit unus ex quatuor apicibus collis Quirinalis, ap. *Varr. L. L.* 4, 8. *med.*, ab eadem Salutis aede cognomen habuit. ℙ [*Salutaris* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 750, 6. M. Acutius Salutaris. Alia ap. *eund.* 460, 3. Flavia Q. F. Salutaris. *F.*]

SALUTĀRITER, adv. σωτηρίως, utiliter ad salutem. *Cic. Brut.* 2. *f.* Tum ea arma sumpta sunt, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 3. Quinque consulatus salutariter reipublicae administrati. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. De militum commodis fuit tibi curae: quos ego non potentiae causa (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari volui a senatu, sed primum quod ita meritos judicabam; deinde quod conjunctiores reipubl. esse volebam. *Id. ib.* 23. Copias prope in adspectum Lepidi adduxi, eo consilio, ut vel celeriter accedere, vel salutariter recipere me possem, *h. e.* exercitu salvo et incolumi.

[SALUTĀRIUS, a, um, adj. salutaris. *Not. Tir.* p. 105. Salus, salutarius. *Tert. Apol.* 46. Plerique philosophi in principes latrant, sustinentibus vobis, et facilius statuis et salutariis remunerantur, quam ad best as pronuntiantur, *h. e.* muneribus et donis. Alii leg. *salariis.* Huc adducendus videtur locus *Appul. Met.* 2. in SALUTARIS allatus. *F.*]

SALUTĀTIO, onis, f. ἄσπασμα, actus salutandi, consalutatio. *Cic. Pis.* 40. Quis te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putet? *Tac. A.* 4, 60. Alius occursum ejus vitare: quidam salutatione reddita, statim averti. *Liv.* 1, 1. *f.* Inde foedus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. *Cic. Fam.* 7, 28. Dare se salutationi amicorum, *h. e.* praebere se amicis salutantibus: amicos convenientes et salutantes admittere: et alios adire, et salutare. *Id. ib.* 9, 20. *med.* Mane salutamus domi et bonos viros multos, sed hos tristes; et hos laetos, victores. Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo. *Id. ad Brut.* 2, 4. Hoc paululum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis. *Macr. Sat.* 1, 6. Accepta, ac reddita salutatione consederunt. *Sen. Br. V.* 14. *med.* Per diversas domos salutationem meritoriam circumferre, *h. e.* sportulae, aut gratiae captandae causa. Unde *mercenarium salutatorem* vocat *Colum. praef.* 1. *med.* ℙ De salutatione principum. *Gell.* 4, 1. et 20, 1. In vestibulo aedium Palatinarum omnis fere ordinum multitudo, opperientes salutationem Caesaris constiterant, *h. e.* ut admitterentur, et salutarent Caesarem. *Suet. Vesp.* 4. Prohibere aliquem non contubernio modo, sed etiam publica salutatione, *h. e.*

ne adeat cum aliis salutandi causa. *Id. Aug.* 53. Promiscuis salutationibus admittebat et plebem. ℙ [De salutatione Deorum in templis stantium aut sedentium. *Vitr.* 4, 5. Si circum vias publicas erunt aedificia Deorum, ita constituantur, uti praetereuntes possint respicere, et in conspectu salutationes facere. *F.* ℙ *Confund. salutatio et saltatio; v. h. v.]

SALŪTĀTOR, oris, m. προσήγορος, qui salutat. *Stat. Silv.* 2, 4, 29. de psittaco: Ille salutator regum, nomenque locutus Caesareum. ℙ Erant multi Romae, qui vel officii causa, vel spe lucri, potentium amicorum aedes mane obibant salutandi gratia. *Q. Cic. Pet. cons.* 9. Hujus autem rei *(assectationis)* res partes sunt, una salutatorum, cum domum veniunt; altera deductorum, tertia assectatorum. *Colum. praef.* 1. *med.* An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somniumque regis sui rumoribus inaugurantis? *Mart.* 10, 74. quamdiu salutator, Anteambulones et togatulos inter, Centum merebor plumbeos die toto? *Id.* 1, 71. qualiacumque leguntur Ista, salutator scribere non potuit.

SALŪTĀTŌRĬUS, a, um, adj. προσαγορευτικός, ad salutandum vel ad salutatorem pertinens. *Plin.* 15, 11, 10. Omnia jam et virorum salutatoriis cubilibus inclusa, *h. e.* cubiculis, in quibus clientes dominum salutabant; et *Sen. Const. Sap.* 14. Salutatorium publicum exercere. Alii leg. *salutationum.* V. PUBLICUS. ℙ *Salutatorius casus*, vocativus, quia eo salutamus. *Prisc.* 5, 671. Vocativus salutatorius etiam vocatur, ut o Aenea, et salve Aenea.

SALŪTĀTRIX, icis, f. quae salutat. *Juven.* 5, 20. solicitus, ne Tota salutatrix jam turba peregerit orbem. V. SALUTATOR. *Mart.* 7, 87. Pica salutatrix si tibi, Lause, placet. *Id.* 9, 100. Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas, Charta salutatrix si modo vera refert, *h. e.* epistola.

SALŪTĀTUS, a, um, part. a *saluto:* προσαγορευθείς, data salute appellatus. *Ov. Pont.* 2, 7, 1. Esse salutatum vult te mea littera primum A male pacatis, Attice, missa Getis. *Mart.* 9, 55. Inde talutatus picae respondet arator. *Ov. Her.* 21, 91. Superis, quibus insula sacra est, Flava salutatis sura, merumque damus, *h. e.* adoratis. V. SALUTO.

SALŪTĬFER, ra, rum, adj. σωτήριος, salutem ferens, salutaris, saluber. *Ov. Met.* 2, 642. totique salutifer orbi Cresce, puer, dixit. *Id. Her.* 21, 174. Salutiferam opem dare. *Stat. Ach.* 1, 117. Herbae salutiferae. *Mart.* 5, 1. aquae. *Inscr.* ap. *Mur.* 65, 5. Herculi salutifero, etc. *Appul. Met.* 4. Nunc maxime funditus perii, nunc spei salutiferae renuntiavi.

SALŪTĬFĬCĀTOR, oris, m. salvator. *Tert. Res. carn.* 47. et *Car. Chr.* 14.

SALŪTĬGER, ra, rum, adj. salutifer. *Auson. Idyll.* 8, 25. vos cominus ite Stella salutigeri Jovis, et Cythereie Vesper. *Id. ep.* 25, 4. Fausta salutigeris adscribens orsa libellis, *h. e.* epistolis. *Prud.* περὶ στεφ. 11, 235. salutigeros feret hic venerantibus ortus. ℙ [Est etiam qui salutem gerit, vel nuntiat, salutigerulus. *Appul.* loquens de iis, quos δαίμονας Graeci vocant, *de Deo Socrat.* Inter terricolas, coelicolasque vectores, hinc precum, inde donorum: qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, ceu quidam utriusque interpretes, et salutigeri. V. v. sq. *F.*]

SALŪTĬGĔRŬLUS, a, um, adj. salutem gerens seu nuntians. *Puer salutigerulus*, servus herae nomine huic et illi salutem, et jussa perferens, et referens, ἐπισκέπτης, ut habetur in *Gloss. Phil.* ab ἐπισκέπτομαι, viso, visito. *Pl. Aul.* 3, 5, 26. Mihi quidem aequum est purpuram atque aurum dari, ancillas, pedissequos, salutigerulos pueros, etc. V. v. praec.

[SALŪTĬO, onis, m. cogn. R. *Suet. Caes.* 59. Scipio quidam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitae Salutioni cognomen erat. *Plin.* 7, 12, 10. Ejusdem familiae Scipioni post eum *(Scipionem Serapionem)* cognomen Salutio mimus dedit. Adde 35, 2, 2. *F.*]

SALŪTO, as, avi, atum, a. 1. ἀσπάζομαι, προσαγορεύω, salutem dico, salvere jubeo, salutem mitto. *Cic. Planc.* 14. Cum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, quid agis, Grani? *Pl. Amph.* 2, 2, 44. Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam. *Cic. Coel.* 16. *extr.* Mulierem paulo liberius salutare. *Pl. Aul.* 2, 2, 8. Illic homo aurum me scit habere, eo me salutat blandius. *Id. ib.* 1, 2, 36. et *Poen.* 3, 5, 7. et *Cic. Phil.* 13, 2. *extr.* Salutare benigne. *Id. Pl. As.* 1, 3, 9. bene. [*Plin. 28, 2, 5. Cur sternutamentis salutamus? ℙ Est etiam i. q. nos dicimus: *einen Gruss bestellen, grüssen lassen.*] *Cic. Att.* 4, 11. Dionysius te, omnesque vos salutat. *Curius* ad *Cic. Fam.* 7, 29. *extr.* Tironem meum saluta nostris verbis. ℙ [*Hinc *salutare Deos* est venerari, adorare, precari.] *Cic. Rosc. Am.* 20. Cum Deos salutatum aliqui venerint. *Pl. Curc.* 1, 1, 69. Quo me vortam, nescio. *Pa.* si Deos salutas, dextrovorsum censeo. *Ter. Phorm.* 2, 1, 81. Ego Deos Penates hinc salutatum domum devertar. Adde *Ov. Pont.* 2, 8, 15., *Cat. R. R.* 2., *Stat. Silv.* 4, 2, 60. *Liv.* 38, 51. *med.* et *Mart.* 12, 78., qui, precibus Jovem salutare, dixit. ℙ *Salutare nomine*, nomen alicujus dicere in salutando. *Cic. Phil.* 2, 24. Aperta lectica mima portabatur, quam homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo, et mimico nomine, sed Volumniam salutabant. Sic *Juven.* 10, 161. dominum regemque salutat; et *Tac. A.* 12, 41. *med.* Obvii inter se, Nero Britannicum nomine, ille Domitium, salutavere; et *Hor. A. P.* 87. Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor? *h. e.* appellor poeta, dum me obvii salutant. ℙ Hinc *salutare imperatorem*, apud milites est creare, declarare, dicere. *Tac. H.* 2, 80. Pauci milites solito adsistentes ordine, ut legatum salutaturi, imperatorem salutavere. Adde *A.* 2, 18. [*Suet. exempla v. in *cl. Suet.* p. 694.] Verbo *appellandi* utitur *Cic. Fam.* 2, 10. et *Att.* 5, 50. ℙ [*Usurpatur etiam de militibus ense moto signum reverentiae, amoris cet. praebentibus. Ita recte explicare videtur *Cort.* locum: *Luc.* 4, 173. tenuere parumper Ora metu tantum nutu, motoque salutant Ense suos: ubi *Cort.* laudat *Stat. Th.* 12, 400. teque ille acie respexit ab ipsa Ense salutatam. *Auct. B. Afr.* 85. atque armis demissis salutationem more militari faciunt.] ℙ Est etiam adire, convenire, visere, ἐπισκέπτεσθαι. *Cic. Att.* 14, 20. *extr.* Eram continuo Piliam salutaturus: deinde ad epulas Vestorii navicula; et *ib.* 13, 9. Venit paulo post Curtius, salutandi causa: sed mansit invitus. Adde *ib.* 6, 2. ℙ Officii, aut sportulae causa potentiores ditioresque salutari a clientibus et humilioribus, mos erat, eorum aedes mane obeundo, et in vestibulis diu exspectando, superbos aditus regum, durasque fores colendo, ut ait *Sen. Herc. Fur.* 164., maxime vero sub Augustis, ad gratiam captandam, et obsequium testandum. [*Gr. θεραπεύειν τὸν βασιλέα, τὰς θύρας τοῦ βασιλέως, nostr. *Aufwartung machen.* V. *Lex. Xenoph.* s. v. θεραπεύειν et θύρα, *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 48, 3.] *Cic. Sen.* 18. Haec ipsa sunt honorabilia, salutari, appeti, decedi, etc. *Virg. G.* 2, 461. ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit aedibus undam. *Juven.* 3, 184. quid das, ut Cossum aliquando salutes? *Auct. dial. de Or.* 29. *med.* Colligunt discipulos non ingenii experimento, sed ambitione salutantium, et illecebris adulationis. *Tac. H.* 2, 92. Ambitu, comitatu, et immensis salutantium agminibus contendunt. *Plin. ep.* 7, 3. Saluta paulisper, quo sit tibi jucundius salutari. Adde *ep.* 3, 7. et *Sen. Ben.* 6, 34. et V. SALUTATIO et SALUTATOR. ℙ [*Pertinet *salutare* etiam ad eos, qui salutantes accipiunt. *Cic. Fam.* 9, 20. Haec est igitur nunc vita nostra: mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos laetos victores, qui me quidem perofficiose et peramanter observant. Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo: aut scribo aut lego: coll. *ib.* 7, 28. quem locum v. in *salutatio.* *Hor. Sat.* 1, 6, 101. Nam mihi continuo major quaerenda foret res Atque salutandi plures: ubi v. *Heindf.*, cujus verba hic sumus secuti.] ℙ De loco, in quo stabant salutaturi. *Gell.* 16, 5. Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus et viam medius esset. In eo loco qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant. Haec *Gell.* ℙ Hoc verbo proprie utimur in advenientes, et cum accedimus: aliquando et in abeuntes, et cum recedimus, pro *valedicere.* *Pl. Mil.* 4, 8, 29. Etiam nunc saluto te, Familiaris, priusquam eo. *Stat. Th.* 4, 29. staut in rupe tamen, fugientia carbasa visu Dulce sequi, etc. Stant tamen, et notam puppem de rupe salutant. ℙ Pro servare, quasi salutem dare, est locus *Plinii* 17, 22, 35. *n.* 11. de quo V. in SALVO. [*Doederl. 1, 29. *salutare* frequentativum dicit v. *salvare*, eodem modo factum, quo *volutare* a *volvere*, primamque esse hanc servandi, salutem dandi significationem, unde commode salvere jubendi, salutem dicendi derivanda notio.]

SALVUS, a, um, adj. σῶος, vivus et sanus, incolumis, integer, conservatus: tum de personis, tum de rebus. [*Varro derivat a *sanus.* Locum, ubi *Doederl.* discrimen inter *salvus*, *sospes* et *incolumis* exposuit, laudavimus in h. v.] *Cic. Div.* 1, 26. Illum debilem factum lecticula in curiam esse delatum: cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. *Id. Fam.* 6, 22. Oro te, ut nobis salvum conserves. *Ter. Hec.* 3, 2, 18. Gaudeo venisse salvum, salvan' Philumena est? et 3, 5, 7. Bene factum, te advenisse salvum atque validum; et *ib.* 14. Illum vivum et salvum vellem. *Caes. B. C.* 1, 72. Civibus salvis atque incolumibus rem obtinere malebat. *Cic. Verr.* 2, 5, 58. *f.* Quem non ille summo cum studio salvum incolumemque servavit? *Id. Div. Verr. f.* Ut haec retinere incolumia ac salva possimus. *Id. Fam.* 12, 23. *med.* Nullam partem sanae et salvae reipubl. gustare potuisti. *Pl. Ps.* 4, 6, 6. Minae viginti sanae ac salvae sunt tibi. *Id. Epid.* 4, 1, 36. Domi meae eccam filiam salvam et sanam. *Id. Trin.* 4, 3, 69. Dii me salvum et servatum volunt. *Id. Capt.* 4, 2, 93. Tuum modo in portu Philopolemum vivum, salvum, et sospitem vidi. *Id. Amph.* 2, 2, 142. Salvum signum est; et *Cic. Fam.* 7, 25. Quod epistolam conscissam doles, noli laborare: salva est domi. *Pl. Poen.* 5, 2, 122. Restituentur omnia: suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit. *Id. As.* 2, 4, 56. Da, quaeso, argentum, ac ne formida: salvum hercle erit; et *Prop.* 2, 7, 41. Penelope poterat bis denos salva per annos Vivere, *h. e.* pudica, et a procis intacta. *Liv.* 1, 58. *med.* Quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? ℙ Commodos habet usus in ablativo. *Quint.* 11, 2, 39. Nec est mendacio locus, salvis qui interfuerunt. *Ter. Eun.* 2, 2, 27. Quibus et re salva, et perdita profueram, *h. e.* et cum rem haberem, de meo impendens: et re familiari absumpta, de alieno. *Prop.* 4, 3, 72. Subscribam: salvo grata puella viro. *Cic. Fam.* 1, 2. *f.* Hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo, aut salvis auspiciis, aut salvis legibus, aut denique sine vi possit; et *ib.* 4, 1. Utinam, Servi, salvis rebus (sic enim est dicendum) colloqui potuissemus inter nos, *h. e.* cum salvus erat reipublicae status, qui nunc concidit civili bello. *Id. Rosc. Am.* 1. *f.* Ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur; et *ib.* 34. Cupio tibi aliqua ex parte (quod salva fide possim) parcere; et *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. *med.* Si purpura infecta sit, vel lana *(deposita sit)*, pondus adjiciendum: salvo eo, ut si de quantitate ponderis incertum est, juranti succurantur. Sic, salvo ordine, *Stat. Silv.* 5, 1, 181. salva conscientia, *Sen. Q. N.* 4. *praef. med.* salvo jure amicitiae, *Cic. Fam.* 13, 77. ℙ *Salvus sum*, et *salva res est*, formulae praedicantis, bene secum agi, res belle procedere, rem esse in tuto. *Ter. Andr.* 5, 6, 9. Salvus sum; si haec vera sunt; et *Eun.* 5, 1, 18. Tace obsecro: salvae sumus: habemus hominem ipsum. *Pl. As.* 2, 2, 54. Si istam firmitudinem animi obtines, salvi sumus. *Ter. Ad.* 4, 5, 9. Erubuit: salva res est. Id mutuatum ex *Menandro* ap. *Stob. tit.* 31. Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ. Sic *Pl. Epid.* 1, 2, 21. Salva res est: bene promittit. Adde *Capt.* 2, 2, 34. et *Ter. Eun.* 2, 2, 37. Quo pertinet illud, *salva res est, dum saltat senex*: de quo V. in SALTO. ℙ *Salvus sis* est salutantis, salve, χαῖρε, ὑγίαινε. *Ter. Ad.* 5, 6, 2. Sed eccum Demeam: salvus sies. *Pl. Bacch.* 3, 3, 52. Salvus sis, Mnesiloche: salvum te advenire gaudeo. Adde 3, 6, 7. et *Ter. Andr.* 4, 5, 7. et 5, 4, 3. ℙ *Satin' salvae?* V. SALVE.

SAM, suam ap. veteres. *Fest.* V. CALIM. ℙ Item *eam. Enn.* ap. *Fest.* in *Sas.* Nec quisquam sophiam, sapientia quae perhibetur, In somnis vidit priu', quam sam discere coepit. V. SAS et SOS.

[SĂMĂ, ătis, n. σᾶμα, Dorice pro σῆμα, signum. Est cogn. R. muliebre. *Inscr.* ap. *Grut.* 979, 10. Julia P. L. Melaenis sibi, et Juliae Samati filiae, etc. *F.*]

SĂMAEI, orum. V. SAME.

[SAMANNARION, onis, m. vox, ut cuipiam videtur, originis Syrae, et eum denotans, qui colores vendit. *Inscr.* Ostiae reperta, in *Giorn. Arcad.* T. 38. p. 359. L. Ostensio Hilaro Samannarioni, qui vixit ann. VI. M. VIII., Convarisia Victorina alumno bene merenti fecit. Num puero annorum septem nondum impletorum mercatura aliqua conveniat, viderint eruditi. *F.*]

SĂMĂRA. V. SAMERA.

*SAMARABRĬAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[SAMARDĂCUS, i, m. σαμάρδακος, Afris est morio, impostor: est qui deducit ab Hebr. שֹׁמֵר דָּק *somer dâq*, observans minuta. *August. contra Acad.* 3, 15. Ille autem casu planus erat, de iis, quos samardacos jam vulgus vocat. Alii leg. *sarmadacos.* (V. SARMADACUS.) *Vet. Schol. Cruq.* ad illud *Hor.* 1, 6, 113. Fallacem circum etc. Fallacem dixit propter samardacos et sortilegos mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant, et imperitos sortibus et nugis fallebant. His similia habet *Chrysostom. in Epist. ad Ephes. homil.* 18. ℙ Ita etiam vocatur terminus quidam agrarius. *Auct. de limit.* p. 303. *Goes.* Terminus si bifurcus fuerit, samardacus dicitur. Alii leg. *samartiacus.*

SĂMĂRĪA, ae, f. Σαμάρεια, regio, et urbs Palaestinae, in tribu Ephraim. *Plin.* 5, 13, 14.

SĂMĂRĪTA et Samarites, ae, m. Σαμαρείτης, qui est ex Samaria, Samaritanus. *Tac. A.* 12, 54. Ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent. *Hadrian. Aug.* in *ep.* ap. *Vopisc. Sat.* 8. Nemo illic archisynagogus Judaeorum, nemo Samarites, etc. *Juvenc.* 2, 256. Ut tibi Judaeo mulier Samaritica potum (Dispernens veterum Samaritum jussa) ministrem. *Samaritum* pro *Samaritarum*, vel a recto plur. *Samarites*, ut *Curetes.* Adde *ib.* 324.

SĂMĂRĪTĀNUS, a, um, adj. ad Samariam pertinens. *Sedul.* 4, 222. Praeteriensque viae Dominus loca Samaritanae. Prima syllaba male producitur, cum sit brevis: tertia male corripitur, cum sit longa.

SĂMĂRĪTĬCUS, a, um, adj. Samaritanus. V. *Juven. l. c.* in SAMARITA.

SĂMĂRĪTIS, itidis, f. Σαμαρεῖτις, quae est ex Samaria. *Juvenc.* 2, 246. Praeteriens sed forte venit Samaritida Sichem; et *ib.* 252. Moenibus egrediens

Samaritis femina venit. *Alcim.* 3, 405. Commendet stabulo Samaritidis extera cura.

SAMAROBRĪVA, ae, f. urbs est Ambianorum in Gallia, ad Samaram fluvium, nunc *Somme* appellatum, quasi Samarae pons: pontem enim *briva* Gallorum lingua significat. V. BRICA. Urbs autem nunc *Amiens* vocatur. *Caes. B. G.* 5, 24, 45. et 51. et *Cic. Fam.* 7, 12. Quid tu fecisses, si te Tarentum, et non Samarobrivam misissem? *h. e.* non ad urbem asperioris coeli, et durorum hominum, sed ad mollem et voluptatibus deditam.

[SAMARTĬA, ae, f. et

[SAMARTĬACUS, a, um, adj. ad Samartiam pertinens, terminum quendam agrarium, ita appellatum ignota de causa. *Auct. de limit.* p. 266. *Goes.* Talis terminus, nomine bifurcius, samartia vocatur. V. SAMARDACUS. *F.*]

*SAMBRACĀTE, es, f. Arabiae insula, cum oppido cognomine. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*SAMBRI, orum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*SAMBRUCĒNI, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

SAMBŪCA, ae, f. *σαμβύκη*, instrumentum musicum, idem ac illud, quod vulgari vocabulo vocatur harpa: [**Suidas: Σαμβύκαι, ὄργανα μουσικὰ τρίγωνα, ἐν οἷς τοὺς ἰάμβους ᾖδον· οἱ δὲ ἰαμβύκαι ταύτην τὴν ἰαμβύκην πρῶτος Ἴβυκος ἐφεῦρεν· ἔστι δὲ εἶδος κιθάρας τριγώνου. Bail.*] est vox Chaldaica סַבְּכָא *sabbecà* (inserta littera *m* pro altera *b*, ut solent Graeci et Latini in vocabulis orientalibus. V. MAMPHULA), quae opus implexum et reticulatum significat. *F.*] *Porph. in Ptol. Harm.* Sambuca triangulum instrumentum est, quod ex inaequalibus longitudine, sicut et crassitudine, nervis effcitur. *Vitr.* 6, 1. Animadvertemus ex eo esse schema trigoni mundo, uti organi; quam *σαμβύκην* Graeci dicunt. *Scip. Afr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Docentur *(puellae puerique)* praestigias inhonestas, cum cinaedulis, et sambuca, psalterioque eunt in ludum histrionum: discunt cantare, quae majores nostri probro ducier voluerunt. *Pers.* 5, 95. Sambucam citius caloni aptaveris alto, *h. e.* citius calonem procerum, et stultum, atque ideo musicae imperitum, sambucam pulsare docueris: citius asinum fidibus canendis aptum reddideris. ℙ Videtur etiam poni pro sambucistria. *Spart. Hadr.* 26. In convivio tragoedias, comoedias, Atellanas, sambucas, lectores, poetas pro re semper exhibuit. V. SAMBUCINA. ℙ Est et genus machinae militaris. *Fest.* Sambuca organi dicitur genus, a quo sambucistriae quoque dicuntur. Per similitudinem etiam machinam appellarunt, qua urbes expugnant. Nam ut in organo chordae, sic in machina funes intenduntur. Haec *Festus.* Erat autem hujusmodi machina pons quidam ligneus, qui funibus circa tensis e navibus, aut turri lignea erectus conscendendis hostium muris viam praebebat. *Veg. Mil.* 4, 21. et *Vitr.* 10, 22. V. PONS. et *Lips. Poliorcet.* 1, 6. [**Suidas: Σάμβυκες· εἶδος μηχανήματος πολιορκητικοῦ, ὡς φησι Πολύβιος:* ubi legendum credo *Σαμβύκαι.* Locus Polybii est 8, 5. quem tangit *Athen. l.* 14. p. 634. *Casaub. Bail.*]

[*SAMBUCĀTUS, a, um, adj. *Theod. Prisc. de Diaeta*, c. 12. *Bail.*]

[*SAMBUCELAEUM, i, n. oleum ex sambuco. *Constant. Afer* 1, 12. *Bail.*]

SAMBUCĒUS, a, um, adj. *ἄκτινος*, qui est e sambuco. *Plin.* 29, 4, 14. Canes vivi in furca sambucea arbore fixi. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 10. L. Junius Brutus baculo sambuceo aurum infusum donum tulit. *Liv.* 1, 56. *med.* hoc idem narrans, corneum baculum fuisse dicit.

SAMBUCĪNA, ae, f. quae sambuca canit, sicut fidicina, quae fidibus. *Pl. Stich.* 2, 2, 57. Fidicinas, tibicinas, sambucinas advexit secum forma eximia. In quibusdam editionibus est *sambucas* eod. sensu. V. SAMBUCA.

SAMBUCISTRIA, ae, f. *σαμβυκίστρια*, muler sambuca canens, quae et sambucina dicitur. *Liv.* 39, 6. Tunc psaltriae, sambucistriaeque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. [V. *Schweighaeus. Emendat.* in *Suid.* p. 71. sq.]

SAMBUCUS et Sābūcus, i, f. *ἀκτή, ἀκτίς*, arbor fungosi generis, multa medulla, racemos ferens acinis nigris et parvis, humoris lenti, inficiendo maxime capillo: qui et ipsi aqua decocti manduntur. Raro visitur in montibus. Firmissima est contra humorem ad pedamenta: taleis seritur, ut populus: habetque varios in medicina usus. *Plin.* 16, 18, 30. et *ib.* 37, 71. et 17, 20, 34. *extr.* et *ib.* 22, 35. *n.* 10. et 24, 8, 35. ℙ Dicitur *sabucus* a *Seren. Sam.* ut 7, 100. et 19, 337. Ungitur et succis, dederit quos parva sabucus, *h. e.* chamaeacte; et 27, 503. et 28, 528. tenerae radix decocta sabuci; et 32, 587. Prodest ex parvis acinos potare sabucis; et 4. ubi de capillo tingendo, 50. vel tristia poma sabuci. Adde *Scrib. Comp.* 160., ubi *sabucum* est neutro gen. et fructum significat. Ad quem locum notat *Joan. Rhod.* poetica licentia exteri *m*, et a prosae scriptoribus non admittenda.

SĀME, es, f. *Σάμη*, insula maris Ionii prope Cephaleniam, ap. *Plin.* 4, 12, 19., *Mel.* 2, 7. *med.*, *Ov. Trist.* 1, 5, 67. et *Met.* 13, 711. et *Sil.* 15, 303.

ℙ Item oppidum Cephaleniae contra Asteriam insulam, cujus incolas Samaeos *Liv.* 38, 29. appellat. *Id. ib.* et 28. et *Virg. A.* 3, 271. secundum *Servium*: rectius tamen de insula intelligitur.

[SĀMENTUM, i, n. pellicula cum lana in apice flaminum: videtur esse a *σᾶμα* Dorice pro *σῆμα*, signum: eo enim flamines a ceteris sacerdotibus distinguebantur. V. APEX. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 4. In porta Anagniae cum eximus, ibi scriptum erat bifariam: Flamen, sume samentum. Rogavi aliquem ex popularibus, quid illud verbum esset? ait lingua Hernica pelliculam de hostia, quam in apicem suum flamen, cum in urbem introeat, imponit. *F.*]

SAMĒRA et Samara, ae, f. *πτελέας σπέρμα*, semen ulmi. *Colum.* 5, 6. Attineam ulmum Tremellius Scrofa non ferre sameram: quod est semen ejus arboris, falso est opinatus. *Plin.* 16, 17, 29. Attineae non ferunt samaram, ita vocatur ulmi semen. Quidam leg. *samara*, ut sit accusat. plur. a *samarum*, n. *Id.* 17, 11, 15. Ulmorum prius, quam folio vestiantur, samara colligenda est circa Martias calendas, cum flavescere incipit.

SĀMĬA, ae, f. genus placentae, sic dictae a Samo insula, ubi optimae fiebant in sacrificiis Junonis. *Tert. adv. Marc.* 3, 5. *med.* Placentas et samias cogere.

SĀMĬĀRĬUS, ii, m. qui Samia cote arma et ferramenta acuit, et ad nitorem fricat. *Gloss. Philox.* Ἀχορηϊτὴς, samiarius, cotiarius, acutiator, samiator. *Turn. Adv.* 2, 21. affert ex *Inscr.* ap. *Grut.* 874, 5. haec verba: *Samiariis Doryphoron.* Sed in ejusdem inscriptionis initio *Jo. Chr. Amadutius*, ut mihi per litteras testatus est *B. Borghesius*, se legisse affirmavit: *C. Julius Candidus Lib. Samiaris Quintiani salutem*, in fine autem: *Samiaris Doryphorion.* Ex his patet, Doryphorionem fuisse unum ex libertis Samiaris Quintiani, ideoque *Samiaris* tam initio, quam in fine illius inscriptionis esse nomen proprium viri, non artis. Ceterum, cum ap. *Cic. Phil.* 11, 2. et 3. cujusdam Samiarii in Asia exsulis et carnificis mentio sit, videtur, in allata inscriptione utrobique non *Samiaris*, sed *Samiarii* insculptum fuisse. [*Multis hunc locum emendavit *F.*]

[SĀMĬĀTOR, oris, m. idem ac Samiarius, q. v. v. supra. *Edict. Diolet.* p. 20. Samiatori in spatha ex usu ✕ vigintiquinque, in casside ex usu ✕ vigintiquinque, in securi ✕ sex, in bipenni ✕ octo. *F.*]

SĀMĬĀTUS, a, um, adj. Samia cote exasperatus, politus, et tersus. Nam Samium lapidem poliendo auro utilem laudat *Plin.* 36, 21, 40. Hinc *Aurelian. Imp.* in *ep.* ap. *Vopisc. Aurel.* 7. Arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia. Ubi *Salmas.* merito *Nonium* reprehendit, qui 4, 434. ideo docet *samiatum* significare exasperatum, et *samiare* acuere, quia *Samius* acutum significat.

SĀMĬOLUS, a, um, adj. dimin. Samii. *Pl. Stich.* 5, 4, 12. Batiolis bibunt, nos nostro Samiolo poterio, *h. e.* parvo poculo fictili.

SĀMĬUS, a, um, adj. *Σάμιος*, ad Samum insulam pertinens. *Juven.* 16, 6. Et Samia genetrix quae delectatur arena, *h. e.* Juno, cui Samos sacra fuit. *Ter. Eun.* 1, 2, 27. Samia mihi mater fuit. *Liv.* 37, 10. et 11. Samia terra, *h. e.* Samos insula. ℙ *Samius senex* ap. *Ov. Trist.* 3, 3, 62. est Pythagoras, qui et *Samius* absolute dicitur ab *eod. Fast.* 3, 153. Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci Nos putat. *Pers.* 3, 56. Et tibi quae Samios diduxit littera ramos, etc. V. PYTHAGORAS. ℙ *Samius lapis*, poliendo auro utilis, laudatur a *Plin.* 36, 21, 40. ℙ *Samia terra* duplex, collyrium, et aster, varios habet usus in medicina. *Id.* 35, 16, 53. Adde 28, 12, 53. et *ib.* 19, 77. et 31, 10, 46. *n.* 4. ℙ *Samia creta* fictilibus valde idonea, Samiis vasis nomen dedit: quae et *Samia* absolute dicta sunt: quamvis e Samia creta non essent. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 434. Et non pauper uti Samio curtoque catino. *Cic. fr. ib.* Quam simpuvia pontificum Diis grata sint, Samiaeque capedines. *Tibull.* 2, 6, 29. At tibi laeta trahant Samiae convivia testae. *Auct. ad Her.* 4, 51. *med.* Argentum quoque vult? utatur licet: nos Samiis delectabimur. *Plin.* 35, 12, 46. Samia etiamnum in esculentis laudantur. *Pl. Men.* 1, 2, 65. Placide pulta: *Pe.* metuis, credo, ne fores Samiae sint. Similem jocum habet *Bacch.* 2, 2, 22. *Auson. ep.* 8. Fama est, fictilibus coenasse Agathoclea regem, Atque abacum Samio saepe onerasse luto. ℙ *Samiae testae* fragmento amputari tuto membrum aliquod credebant. *Plin.* 35, 12, 46. *f.* Samia testa Matris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputare, nec aliter citra perniciem, M. Coelio credamus, qui linguam sic amputandum objecit gravi probro. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo Praecidit caulem, testesque una amputat ambo. Sic *Juven.* 6, 513. Mollia qui rupta secuit genitalia testa. Adde *Mart.* 3, 81. Ex his male docuit *Non. l. sup. c. Samium* acutum significare: et merito reprehenditur a *Salmas.* ad *Vopisc. Aurel.* 7. V. SAMIATUS. ℙ *Samii, orum*, Sami incolae. *Liv.* 33, 20. *f.* et *Cic. Verr.* 2, 1, 20.

*SAMMĒI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*SAMMONĪUM promontorium in Creta fuit, Rhodo adversum, sicut contrario litore Cyrenas versus *χριοῦ μέτωπον* prominet. *Plin.* 4, 12. ℙ *Samonium* appellat *Mela* 2, 7. *Salmone* autem *Vulgat. Act. Apost.* 27, 7. Hodie est *Capo Salomon. B. A.*

SAMNIS, ītis, m. et f. qui est ex Samnio. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 425. et *Cic. Tusc.* 2, 17. Aeserninu' fuit Flaccorum munere, quidam, Samnis, spurcus homo, vita illa dignu', locoque. *Id.* ap. *Cic. Or.* 3, 23. quamvis bonus ipse Samnis in ludo ac rudibus, civis satis asper. Utroque loco gladiatorem intelligit. V. SAMNITES. *Liv.* 10, 16. *extr.* Samnitem illis exercitum paratum venisse. *Plin.* 34, 6, 12. Cum bello Samniti Apollo jussisset, etc. *Sil.* 4, 560. Huic horret thorax Samnitis pellibus ursae. *Lucan.* 2, 136. rerumque potestas Mutavit translata locum, Romanaque Samnis Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas. *Samnis* per synecdochen, Samnites, ut ap. *Liv.* 10, 35. Jam invasurum castra Samnitem credentes; et 7, 35. *med.* Tum capi, occidi Samnis. ℙ *Samnitis* pro *Samnis* in recto casu. *Cato* ap. *Prisc.* 7, 762. Ager Gallicus, Samnitis, Apulus, Bruttius. *Prud. adv. Sym.* 2, 515. asper Samnitis, Marsusque levis. ℙ Quod secundam syllabam in *Samnis* producit *Lucil. l. c.* V. quae dicemus in SANGUIS.

SAMNĪTES, um, et ium, m. plur. *Σαμνῖται*, populi Samnii. De nominis causa ita *Festus* scribit: Samnitibus nomen factum ab hastis, propter genus hastarum, quod *σαυνία* appellent Graeci. Alii ajunt, Sabinis vere sacro voto, hoc genus hominum extra fines ejectum Comio Castronio duce occupasse collem, cui nomen Samnio, a quo Samnites. Haec *Festus.* Graeci Saunitas dixere, ut est ap. *Plin.* 3, 12, 17. Iidem etiam Sabelli dicti sunt, diminut. a Sabinis, a quibus originem traxerunt, teste *Plin. l. c.* Ferunt enim, Sabinos, cum adversus Umbros bellum gererent, Marti votum fecisse, si victoria potirentur, se illi consecraturos, quicquid eo anno apud ipsos nasceretur. Quare cum re bene gesta in patriam rediissent; cum reliquum anni totius proventum, tum etiam filios eo anno natos Marti consecrarunt. Eos igitur, cum adolevissent, duce Tauro, in Campaniam ad sedes novas quaerendas emiserunt, ubi nullo propemodum negotio ejectis Opicis, sedes suas collocarunt, originisque suae memores Sabellos se, quasi Sabinorum sobolem, appellarunt. Ferocissimam inter omnes Italicas Samnitium gentem fuisse, ex eo intelligi potest, quod cum eis per annos octoginta quotidianis prope armis a Romanis est dimicatum. V. *Liv. l.* 7, 8, 9. et 10. et *Flor.* 1, 16. ℙ *Samnites* quoque fuere gladiatorum genus, cui hoc nomen, non quia natione essent Samnites, sed quia armatura eorum talis esset, qualis Samnitum: iidem et hoplomachi dicebantur. *Liv.* 9, 40. *f.* Campani ab superbia, et otio Samnitium, gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt. Vide de iis *Lips. in Saturnalib.* 2, 11. ℙ In gen. plur. est *Samnitium*, ut passim ap. *Liv.* et alios. Sed et *Samnitum* dici potest, ut in aliis hujus positionis.

SAMNĪTĬCUS, a, um, adj. ad Samnites pertinens, ut Samniticum bellum, *Suet. Vit.* 1. et *Flor.* 1, 16. *Capitol. Pert.* 8. Vasa Samnitica calfactandae resinae ac pici divellendis hominibus ac levigandis.

SAMNĪTIS. V. SAMNIS.

SAMNĪUM, ii, n. *Abruzzo Citeriore*, regio Italiae, quam Samnites incoluere. *Flor.* 1, 16. Populus Romanus ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur. *Adde *Liv.* 7, 32. et 34. et 24, 20. *B. A.*

SĀMOLUS, i, m. herbae nomen, eadem fortasse, quae in officinis *pulsatilla*, ab Italis aliquibus etiam *samiolo* dicitur. [**Dalechamp.* et *Hard.* intell. nostr. *Küchenschelle*, Anemone Pulsatilla, *L.*; *Spreng.* Samolus Valerandi, *L.*] videtur esse ab Hebr. שְׁמֹאל *semòl*, vel *samòl*, sinistra; quia superstitioso ritu sinistra manu colligebatur. *Plin.* 24, 11, 63. Iidem *(Druidae)* samolum herbam nominavere nascentem in humidis: et hanc sinistra manu legi a jejunis contra morbos suum, boumque, nec respicere legentem. [*Emandavit h. l. *F.*]

*SAMORNĪON, n. unum ex nominibus, quod Epheso Ioniae urbi olim inditum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

SĀMOS et Samus, i, f. *Σάμος*, insula maris Icarii, Ioniae adjacens, contra Ephesum urb. Ibi Juno nata esse dicitur, et educata, et Jovi in matrimonium tradita. Hinc ibi praecipue colebatur. Scribit *Varro* ap. *Lactant.* 1, 17. prius Partheniam nominatam, ibique antiquissimum fuisse Junonis templum et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrari consuevisse, In ea etiam templum Bacchi fuit, quod Elpis exstruxit. *Plin.* 8, 16, 21. *Stat. Th.* 1, 261. Et Samon, et veteres armis exscinde Mycenas. ℙ *Auson. Perioch. Odys.* 4. Samum dicit, quae *Plinio, Liv., Ov.* et aliis est Same. V. ℙ Hic primum vasa fictilia fabricata creduntur. V. SAMIUS. ℙ In Samo insula natus est Pythagoras, maximus ille philosophus, qui propterea a poetis per antonomasiam *senex Samius*, et absolute *Samius* appellatur. V. SAMIUS. Item Choerilus poeta, qui LXXV Olympiade victoriam Atheniensium contra Xerxem.

versibus scripsit, pro singulis versibus singulos stateres aureos recipiens, quem tamen *Hor. A. P.* 357. incultum poetam vocat. ℙ Samos altera, seu Same, Σαμοθράκη, ins. Thraciae, in mari Aegaeo, vel ins. maris Aegaei, Thraciae adjacens, quae etiam Samothrace, et Samothracia appellatur, et poetice Samos Threicia. *Virg. A.* 7, 208. Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur. ℙ Olim Dardania dicta est a Dardano quodam Trojano, qui Palladium secum ferens eo traditur confugisse. Post Samiis ex insula illa maris Icarii bello ejectis, cum se ex Asia in Thraciam recepissent, inditum nomen, ut pro Dardania Samothracia vocaretur. In ea Venus, Pothon, et Phaethon colebantur, Scopae manu sculpti. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7.

*SAMOSĀTA, orum, τὰ Σαμόσατα, Syriae urbs, ad Euphratem fluvium, caput Commagenes, patria Luciani. *Plin.* 2, 104. et 5, 24. ℙ *Samosata, ae,* f. audit *Ammian.* 14, 8. (al. 26.) et 18, 4. (al. 9.) *B. A.*

SĀMOTHRĀCĒ, es, f. eadem quae Samothracia. *Plin.* 4, 12, 23. V. SAMOS. ℙ *Samothraca, ae,* Latina positione ponitur a *Liv.* 44, 45. *extr.* et 45, 5. et 6.

SĀMOTHRĀCĒNUS, a, um, adj. ad Samothracen pertinens, ut Zancles Samothracenus, *Plin.* 11, 37, 63.

SĀMOTHRĀCES, um, m. plur. et Samothraces Dii iidem erant ac Penates Romanorum. *Macr. Sat.* 3, 4. *Cassius Hemina ib.* dicit, Samothracas Deos, eosdem Romanorum Penates, proprie dici *Θεοὺς μεγάλους*, etc. *Varr. L. L.* 4, 10. scribit, Deos Samothraces fuisse duos, Coelum et Terram: nam hos quoque dici Deos magnos, et in augurum libris *Divipotes*, et apud Samothracas *Θεοὺς δυνατούς*. Alii tres statuerunt Samothracas, Jovem, Minervam, et Junonem: alii quatuor, eosdemque, quos etiam Cabiros appellat *Interpr. Apoll.* in *Arg. l.* 1. nempe Cererem, Proserpinam, Plutonem, et Mercurium. *Juven.* 3, 144. jures licet et Samothracum, Et nostrorum aras. *Stat. Achill.* 2, 157. Quoque *(actu)* pii Samothraces eunt. V. *Voss. de Idololatr.* c. 57.

SĀMOTHRĀCIA, ae, f. eadem quae Samothrace. *Virg. A.* 7, 208. Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur. ℙ Est etiam hoc nomine gemma quaedam nigra, ac sine pondere, ligno similis, quae ibi copiose nascitur. *Plin.* 37, 10, 67.

[SĀMOTHRĀCĪCUS, a, um, adj. idem ac Samothracius. *Macr. Sat.* 3, 4. Samothracicis religionibus mystice imbutus. *F.*]

SĀMOTHRĀCĬUS, a, um, adj. ad Samothraciam pertinens, ut Samothracia caepa, *Plin.* 19, 6, 32. ℙ *Samothracia ferrea* ap. *Lucr.* 6, 1042. sunt annuli ferrei, qui in Samothracia primum fieri coepti sunt. *Plin.* 33, 1, 5. Nec non et servitia jam ferrum *(annuli)* auro cingunt: alia per sese mero auro decorant: cujus licentiae origo nomine ipso in Samothrace id institutum declarat. *Isid. Or.* 19, 32. Samothracius annulus aureus est quidem, sed capitulo ferreo a loco ita vocatus.

[SĀMOTHRĀCUS, a, um, adj. idem ac Samothracius. *Val. Fl.* 2, 439. Hactenus: in populos, vates Samothraca, diemque Missa mone; sacrisque metum servemus opertis. *F.*]

SAMPSĀ, vel Samsa, vel Sansa, ae, f. olivarum caro mola suspensa leviter comminuta, et ossibus liberata, quae deinde exprimitur, oleumque fundit, aut aridis quibusdam herbis, seminibusve condita in usum cibi, condimentive reponitur. Ejus conficiendae rationem *Colum.* 12. toto *c.* 47. tradit. *Id. ib.* 49. Olea injicitur quam mundissimis molis suspensis, ne nucleus frangatur: et cum est in sampsam redacta, tunc sal coctus, tritusque manu permiscetur cum ceteris aridis condimentis. Adde *ib.* 50. *med.*, ubi quidam sampsam pro ossiculo, seu nucleo olivae accipiunt: sed non satis probant.

[SAMPSĪCĔRĀMUS, i, m. regulus quidam, qui genti Emisenae imperavit, cujus meminit *Strab. l.* 16. Ita per contemptum appellatur a *Cic. Att.* 2, 14. et alibi Cn. Pompejus, qui eum regulum et Jamblichum ejus filium in Syria proelio devicerat. *F.*]

[SAMPSON, vel Samson, onis, m. *Σαμψών*, vir fortissimus Hebraeorum, filius Manue, e tribu Dan, unus e judicibus, qui Hebraeos rexit: est a Chald. שֶׁמֶשׁ *sémes*, sol, et אוֹן *on*, robur, *h. e.* princeps fortissimus. *Prud. Λιτιοχ.* 69. Ter centum vulpes Samson capit, ignibus armat, Pone faces caudis circumligat, in stata mittit Allophylum, segetesque cremat. ℙ Hinc *Sampso, us*, vel *onis*, f. *Σαμψώ*, cognominata est Viturgia uxor Proculi, qui, impeperante Probo Aug., Lugduni purpuram arripuit, et ab eodem victus et interemptus. *Vopisc. Procul.* 1. Huic uxor virago, quae illum in hanc praecipitavit dementiam *(ut nempe purpuram imperatoriam arriperet)*, nomine Sampso, quod ei postea inditum est; nam antea Viturgia nominata est. *F.*]

SAMPSUCHĪNUS, a, um, adj. *σαμψύχινος*, qui est ex sampsucho. *Plin.* 21, 22, 93. Fit ex eo oleum, quod sampsuchinum vocatur, aut amaracinum.

SAMPSUCHUM, i, n. *σάμψυχον*, herba, quae aliter amaracus. [*Majoran, Origanum Majorana, *L.*] *Plin.* 21, 11, 35. Amaracum Diocles medicus, et Sicula gens appellavere, quod Aegyptus et Syria sampsuchum, etc. *Id. ib.* 22, 93. Sampsuchum, sive amaracum, in Cypro laudatissimum et odoratissimum, scorpionibus adversatur ex aceto et sale illitum. *Colum.* 10, 171. Nataque jam veniant hilari sampsucha Canopo. V. AMARACUS.

*SAMŪLA, ae, f. ob diuturnam vitam (vixit enim centum decem annis) ab *Asconio Pediano* primum, deinde a *Plin.* 7, 48. nobilita mulier. *B. A.*

*SAMULOCENAE, arum, opp. Vindeliciae. *Tab. Peut. B. A.*

SĀMUS. V. SAMOS.

SĀNĀBĬLIS, e, adj. *ἰάσιμος*, qui sanari potest. *Cic. Tusc.* 4, 37. *med.* Ii sunt constituti, quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen. *Cels.* 2, 8. *med.* Quisquis dolor deorsum tendit, sanabilior est. *Ov. Pont.* 2, 2, 59. Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit, etc. *Sen. ep.* 108. Qui ad philosophorum scholas venit, aut sanior domum redeat, aut sanabilior.

*SANAGENSES, ium, populi, incolae Sanagae, oppidi cujusdam, ut videtur, in Gallia Narbonensi. *Plin.* 2, 3. ℙ *Harduinus* credit Sanitii incolas fuisse, et Sanagenses dictos quasi Sanitienses: fuit autem Sanitium oppidum Galliae Narbonensis, in Vesdiantiorum terra, non procul a Varo flumine, ut refert *Ptolemaeus.* Sed vix *Harduinus* credendum est. *B. A.*

SĀNĀTES, um, m. plur. populi, qui infra, supraque Romam habitaverunt: ita dicti, quia, cum descivissent a Romanis, brevi post in amicitiam, quasi sanata mente, redierunt. *Fest.* et *Gell.* 16, 10. *ex XII. Tab.*

SĀNĀTĬO, onis, f. *ἴασις*, valetudinis restitutio, sanitas, salus. *Cic. Tusc.* 3, 3. Cumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora, et natura valeant. ℙ Translate. *Id. ib.* 4, 15. *extr.* Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est.

*SANATĪVUS, a, um, adj. sanabilis. *Sarisb.* 7, 10. Conducere sanis et sanativis. *B. A.*

SĀNĀTOR, oris, m. *θεραπευτής*, qui sanat. *Paul. Nol. carm.* 26, 294. cum tantum positi sanator adesset Spiritus. Adde *carm.* 27, 272.

SĀNĀTUS, a, um, part. a *sano: ὑγιασθείς*, ad sanitatem perductus, sanitati restitutus. *Ov. R. Am.* 113. post multos sanatus creditur annos. *Plin.* 29, 6, 36. Sanatum vulnus. ℙ Translate. *Liv.* 2, 34. Sanata discordia. *Gell.* 2, 12. *f.* Adversarios sanatos magis cupiunt, quam perditos. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 1. *extr.* Unius orationis saluberrima medicina sanatus.

SANCAPTIS, idis, f. nomen fictum aromatis, ap. *Pl. Ps.* 3, 2, 43.

*SANCHONIATHON vel Sanchuniathon, onis, m. *Σαγχουνιάθων, Σαγχωνιάθων*, historicus, scriptor mirae antiquitatis: si enim *Porphyrio* credimus, *ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε τῶν Ἀσσυρίων βασιλίδος.* Historiam ejus, Phoenicum sermone conscriptam, *ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν* contextam, ut dictis utar Porphyrii, Graece reddidit *Philo Byblius*, qui Adriani vixit temporibus. E quo opere, quae de Phoenicum ille Theologia retulerat, in l. 1. suum *de Praep. Evang.* transtulit *Eusebius. Voss.* vir fuit Berytius, Trojano bello antiquior, multum in historia sua contexenda adjutus opera Hierombali, qui sacerdos fuit Dei Ἰευώ. *Hofmannus* censet Gideonis Israelitarum Judicis fuisse *σύγχρονον*, ac familiariter ei notum, vel eo non multum posteriorem, et pleraque sua ab eo mutuatum. De Sanchoniathone V. *Fabric. Bibl. Gr. Voss. Hist. Graec. Bochart. de ling. Phoenic. et Punic.* et *Brucker. histor. philosoph.* Historiam ejus ex *Eusebio* Anglice olim vertit *R. Cumberland*, Episcopus Petroburgensis. *B. A.*

SANCHIROMĀTON, i, n. dracontea, genus herbae. *Appul. Herb.* 14.

*SANCHUNIATHON. V. SANCHONIATHON. *B. A.*

SANCĬO, is, sanxi, olim sancivi, aut cii, sancitum, et sanctum, a. 4. *κυρόομαι*, decerno, constituo, scisco. Proprium est legislatorum et legum; [*proprie signif. sanctum facere, i. e. rem aliquam ut Diis probatam ideoque perfectissimam atque inviolabilem proponere, constituere. Quo differt a *sacrare*, quod est: pro sacro aliquid habere, i. e. rem aliquam in Deorum quasi potestatem, ditionem honoris, venerationis causa redigere. Hinc *sancire* solemne voc. de legibus, foederibus, quae sanciuntur, i. e. in ipsam Deorum tutelam conferuntur, ut quae laedere nefas sit propter ipsorum sanctimoniam; idem fere quod statuere, sciscere. *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 200. scrib. *sancire* proprie esse sanctum aliquid, i. e. consecratum facere, fuso sanguine hostiae: et dictum *sanctum* quasi *sanguine consecratum.* Ex iis, quae Noster exempla laud., huc pertinent ista:] *Cic. Planc.* 18. Noli putare, legibus istis, quas senatus de ambitu sancire voluerit, id esse actum, ut suffragatio tolleretur. *Id. Dom.* 30. *f.* Majores de civitate et libertate ea jura sanxerunt, quae nec vis temporum, nec potentia magistratuum labefactare possit. *Quint.* 2, 13. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 10, 9, 3.] Neque enim rogationibus, plebisve scitis sancta sunt ista praecepta. *Cic. Amic.* 12. Haec igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. [*Adde *Suet. Aug.* 34. Quasdam leges ex integro sanxit. *Liv.* 3, 55. sanciendo novam legem. Porro huc pertinent quae Noster mixta cum ceteris posuerat ista:] *Cic. Verr.* 2, 2, 50. leges antiquas habent; in quibus et eadem illa sancta sunt et hoc amplius. *Suet. Claud.* 11. Omnium factorum dictorumque veniam et oblivionem in perpetuum sanxit. *Just.* 3, 2. *f.* de Lycurgo: Nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret. *Tac. A.* 12, 65. sancire pacta. *Virg. A.* 12, 200. Audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit: ubi v. *Serv.* [*Neque abesse hic debebant ista:] *Stat. Theb.* 3, 214. ni me veterum poenas sancire malorum Gentibus, et diros sinitis punire nepotes. *Tac. A.* 1, 6. Sancire exilium alicujus senatus consulto. ℙ [*Absolute.] *Cic. Fin.* 2, 31. *med.* Tam diligenter cavet et sancit, ut heredes sui, etc. *Id. Fl.* 28. Flaccus sanxit edicto, ne aurum ex Asia exportari liceret. *Id. Har. resp.* 14. *extr.* Hoc si minus civili jure perscriptum est, lege tamen naturae, communi jure gentium sancitum est, ut, etc. *Suet. Claud.* 25. Omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit. [**Cic. ad Brut.* 1, 5. *med.* Nec, quominus id postea liceret, ulla lex sanxit. ℙ Est etiam certa poena proposita aliquid cavere et vetare.] *Cic. Att.* 10, 1. *med.* Solonis legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuisset. *Off.* 3, 13. quod Athenis exsecrationibus sancitum est. [**Liv.* 8, 19. in omne tempus gravi documento sancirent, ne etc. ℙ Interdum etiam idem, quod poena inflicta punire.] *Cic. Leg.* 2, 9. *f.* Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto; et *ib.* 3, 20. Noxiae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia sanciatur. *Id. Planc.* 19. Noli maleficium putare esse gratiam: noli observantiam sancire poena. *Gell.* 16, 4. *in lemmate:* In quae verba conceptum fuerit jusjurandum de furtis militaribus sanciendis. Ipse *Gell.* 20, 1. *med.* Injurias factas quinque et viginti assibus sanxerunt, *h. e.* XXV. assium mulcta vindicarunt. ℙ Saepe est firmare, confirmare, [*ratum habere.] *Cic. Agr.* 3, 1. *f.* Genus id agrorum certo capite legis impudentissime confirmari atque sanciri. *Id. Att.* 14, 21. Antonium circumire veteranos, ut acta Caesaris sancirent. *Caes. B. G.* 7, 2. Et quoniam obsidibus cavere inter se non possent, ne res efferatur, ut jure jurando et fide sanciatur, petunt. *Cic. Fin.* 1, 10. *med.* Filium morte multavit, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam. *Id. in Sen.* 4. Ut, me conservato, vestram in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret. *Id. ad Quir.* 5. Cum omnia cum omnibus foedera sanguine meo sancirentur. *Claud. B. Get.* 573. haec mundo pacem victoria sancit. *Gell.* 20, 1. *f.* Eam capitis poenam sanciendae fidei gratia horrificam reddiderunt. *Sil.* 1, 304. verba ocius acer Intorto sancit jaculo, figitque per arma Stantem pro muro. *Nep. Att.* 19. *extr.* Quae conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. *Cic. Phil.* 13, 5. Utrum igitur augurem populus R. libentius sanciet, Pompejum an Antonium? *Prop.* 4, 9, 73. de Hercule: quoniam manibus purgatum sanxerat orbem, Sic Sancum Tatii composuere Cures, *h. e.* firmaverat, pacaverat. *Id. ib.* 19. ite boves, Arvaque mugitu sancite boaria longo, *h. e.* firmate his locis nomen fori boarii. V. BOARIUS. *Stat. Silv.* 3, 3. *f.* Sancire alicui carmina, *h. e.* perpetua dicare, ut ait [**Plin.* 15, 19, 21. Cato cibaria ruris operariis justa ceu lege sanciens.] *Virg. A.* 1, 77. Rursus *Stat. Theb.* 11, 344. Non ego te contra Stygiis feralia sanxi Vota Deis. ℙ Alterum praeteritum *sancivi* antiquum est. *Pompon.* ap. *Diomed.* 1, 368. et ap. *Prisc.* 10, 904. Sancierat jus utile civitati.

SANCTĒ, adv. *ἁγίως, εὐσεβῶς*, religiose, auguste, pie, secundum ea, quae sancita sunt legibus, institutis, et ritibus. *Cic. N. D.* 3, 21. Auguste sancteque venerari Deos; et *ib.* 1, 20. *f.* Pie sancteque colere Deum. *Id. Rosc. Com.* 2. *med.* Adversaria sunt menstrua, tabulae sunt aeternae: haec delentur statim, illae servantur sancte. *Pl. Rud.* 4, 7, 8. Isto pauper es, cum nimis sancte pius. *Id. Cist.* 2, 3, 27. et *Capt.* 4, 2, 112. et *Ter. Hec.* 2, 2, 26. Sancte jurare alicui. *Quint.* 1, 2, 4. Corrumpi mores in scholis putant: sed domi quoque: et sunt multa ejus rei exempla, tam laesae hercle, quam conservatae sanctissime utrobique opinionis. *Val. Max.* 8, 15. *n.* 6. Q. Scaevola Asiam tam sancte et tam fortiter obtinuit, ut, etc. *h. e.* abstinenter, moderate. *Plin. Pan.* 87. Vos quoque, quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fovete sancte judicium ejus, quod de vobis habet, *h. e.* diligenter, accurate; et *Val. Max.* 2, 1. *n.* 5. Nulli tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter et videre sancte, et aspici, mutuo pudore custodiebantur, *h. e.* caste. Sic *Quint. decl.* 3, 14. *f.* Plura paene moribus, quam viribus vicimus, cum captivae quoque sancte habebantur. Adde *Curt.* 3, 12. *med.* et *Lactant.* 6, 24. *med.* Sic *Quint.* 8, 3, 44. *med.* Ductare exercitus, et patrare bellum, apud Sallustium (V. DUCTO.) dicta sancte, et antique, riden-

tur a nobis, si Diis placet. *Mart.* 8, 1. Laurigeros domini, liber, intrature Penates, Disce verecundo sanctius ore loqui. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 4. Te nunquam ulla in re dignum reprehensione putassem, cum te sanctissime gereres, nisi inimicos multos haberemus. *Id. Fam.* 5, 8. *med.* Meque ea, quae tibi promitto, sanctissime esse observaturum, diligentissimeque esse facturum.

SANCTESCO, is, n. 3. sanctus fio, vel sum. *Acc.* ap. *Non.* 2, 576. Occulte noxitudo oblitteretur Pelopidarum, ac per nos sanctescat genus.

[SANCTĬCIĂ, ae, f. idem fere ac sanctitas. *Not. Tir.* p. 92. Sanctus, sancticiae. *F.*]

SANCTĬFĬCĀTĬO, onis, f. *ἁγίασμα*, actus sanctificandi. *Tert. Exhort. ad cast.* 1. et *Sidon. ep.* 8, 14.

SANCTĬFĬCĀTOR, oris, m. qui sanctificat. *Tert. in Prax.* 2. et *August. Conf.* 10, 34. *med.*

[SANCTĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *sanctifico*, qui sanctus est factus. *Tert. Exhort. ad cast.* 7. Honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. *F.*]

SANCTĬFĬCĬUM, ii, n. sanctificatio, vel sanctificationis locus. *Tert. Res. carn.* 47. ex *D. Paulo ad Rom.* 6, 19.

SANCTĬFĬCO, as, a. 1. *ἁγιάζω*, sanctum facio, consecro, divinis honoribus prosequor. *Tert. Or.* 3., *Prud. Hymn. ante cib.* 15. *Id. Cath.* 3, 15. Omnia sanctificante fide.

SANCTĬFĬCUS, a, um, adj. sanctificans. *Juvenc. praef.* 1. *f.* Ergo age sanctificus adsit mihi carminis auctor Spiritus.

SANCTĬLŌQUUS, a, um, adj. qui sancte loquitur, ut Lucas sanctiloquus, *Prud. Apoth.* 1070. Sanctiloqui libri, *Arator Act. Apost.* 2, 730. Sanctiloquus propheta, *Paul. Nol. carm.* 23, 228.

SANCTĬMŌNĬĂ, ae, f. *ἁγιότης*, idem quod sanctitas. *Cic. Rab. perd.* 10. *f.* Viri sapientissimi ac fortissimi cives, qui mihi videntur ex hominum vita ad Deorum religionem et sanctimoniam demigrasse, *h. e.* Deorum numero adscripti esse, et digni, qui religiose et sancte, tanquam Dii, colantur. *Id. Quint.* 17. *med.* Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia, ac diligentia? viderint, inquit, ista officia viri boni; et *ib.* 30. Habere domum clausam pudori, et sanctimoniae. *Auct. ad Her.* 4, 33. Sanctimonia nuptiarum. *Tac. A.* 3, 69. *extr.* Torquata, priscae sanctimoniae virgo. [*Plura, si cupias, invenies in *Boettich. Lex. Tac.* s. v.]

SANCTĬMŌNĬĀLIS, e, adj. sanctimoniae studiosus. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 56. Sanctimonialem vitam vivere. *Impp. Valent.* et *Marc. ib.* 2, 13. Sanctimonialis mulier. ℙ *Sanctimonialis, is*, absolute est mulier sanctimoniae, et Dei cultui addicta. *August. ep.* 169. Sanctimonialis formam suscipere. *Id. Retract.* 2, 22. Ut nonnullas etiam sanctimoniales dejecisse in nuptias diceretur. Adde *C. D.* 1, 16. *in.* ℙ Hae *virgines sacratae* etiam dicuntur. V. SACRATUS. [*Emendavit h. l. *F.*]

SANCTĬMŌNĬĀLĬTER, adv. cum sanctimonia, ut sanctimonialem decet, sancte. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 56. Reliquum vitae tempus sanctimonialiter degere.

[SANCTĪNUS, a, um, adj. ad sanctum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 358. *n.* 77. Turma Aurelii Sanctini. *F.*]

SANCTĬO, onis, f. *νομοθέτημα*, actus sanciendi, rogatio, lex. *Cic. Balb.* 14. Sanctiones sacrandae sunt aut genere ipso, aut obtestatione et consecratione legis, aut poenae, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur. *Auct. ad Her.* 2, 10. Plus valet sanctio permissione, *h. e.* lex quae cogit, quam quae permittit. *Liv.* 4, 51. Aegerrime plebs ferebat, jacere tamdiu irritas sanctiones, quae de suis commodis ferrentur, cum interim de sanguine ac supplicio suo latam legem confestim exerceri. ℙ [*Deinde *sanctio* certam alicujus legis partem significat, atque imprimis est illud caput legis, quod poenam continet, quae ob laesam ipsius sanctitatem inviolabilemque naturam irrogetur. Huc pertinere videtur illud] *Cic. Verr.* 2, 4, 66. *f.* Nisi vehementius homini minatus essem, nisi legum sanctionem, poenamque recitassem, tabularum mihi potestas facta non esset. *Papin. Dig.* 48, 19, 41. Sanctio legum, quae certam poenam irrogat iis, qui, etc. ℙ [*In foedere est quod nos dicimus: *eine Clausel, ein Vorbehalt, besonderer Artikel.* Huc pertinet locus, quem Noster supra laud. *Cic. Balb.* 16. (in foedere Romanorum cum Gaditanis erat illud adjunctum: *Majestatem P. R. comiter conservanto,*) de quo Cicero: certe, inquis, ille populus in superiori conditione causaque ponitur, cujus majestas foederis sanctione defenditur.]

SANCTĪTAS, atis, f. *ἁγιότης*, *ὁσιότης*, qualitas illa, qua res venerabiles et inviolabiles sunt. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *G.* 4, 211. Se regibus devovent, et post eos vitam refutant: adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis. *Caes.* ap. *Suet. Caes.* 6. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. *Tac. A.* 3, 62. *f.* Qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. *Quint.* 11, 3, 58. Ipsam fori sanctitatem ludorum talarium licentia solvere. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 9. Religiosum est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est. [*Porro hic poterant conferri ista: *Cic. Sext.* 37. sanctitas tribunatus. *Fam.* 10, 4. sanctitas patriae: ubi *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. *sanctitas* explicat per: jus inviolabilitatis. — *Id. ib.* comparat alium locum *ejusd. Fin.* 2, 22. jam si pudor, si modestia, si pudicitia, si uno verbo temperantia, poenae aut infamiae metu coercebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur: Quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia? ubi *sanctitatem virtutum* intelligit internam earum dignitatem, qua propter se ipsas, non ob voluptatem appetuntur, et peccata non propter formidinem poenae vitantur. ℙ Significat sanctitas etiam probitatem, innocentiam, morum integritatem, sanctimoniam; sensu quidem subjectivo: quo differt a *pietas*, quod objectivo sensu eandem significationem vindicat. Cf. *Doederl.* 3, 197. et *Brem.* ad *Nep. Lys.* 4, 1.] *Cic. Fam.* 4, 3. *med.* Omnes sic existimant, quasi lumen aliquod, exstinctis ceteris, elucere sanctitatem, et prudentiam, et dignitatem tuam. *Plin. Pan.* 3. *extr.* Deos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate laetari. *Nep. Lys.* 4. Ut ad Ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum cessisset, *h. e.* integritate, et abstinentia a crudelitate et avaritia. ℙ Est praecipue abstinentia a rebus venereis, castitas. *Plin. ep.* 1, 12. Dolorem pedum abstinentia, sanctitate, quoad viridis aetas, vicit, et fregit. *Tac. A.* 14, 60. Plures *(ancillae)* perstitere sanctitatem dominae tueri. *Flor.* 6, 2. *med.* Ad profligandam provinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos pueros puellasque praecipuae pulcritudinis Barbaris restituerit. Adde *Plin. ep.* 4, 11. *med.* Huc pertinet illud *Cic. Coel.* 13. *med.* Petulanter facimus, si matremfamilias, secus quam matronarum sanctitas postulat, nominamus; et *Liv.* 34, 6. *med.* Nobis quoque verendum sit, ne cum ea *(lege)* pudorem sanctitatemque feminarum abrogemus; et *Vell.* 2, 29. de Cn. Pomp.: Vir innocentia eximius, sanctitate praecipuus; et *Quint.* 2, 2, 3. Ut teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat. ℙ Est etiam scientia colendorum Deorum, ut est ap. *Cic. N. D.* 1, 41. *f.*, sicut pietas est justitia adversum Deos. *Id. ib.* 2. Quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio? Haec enim omnia pure ac caste tribuenda Deorum numini sunt. Adde *Off.* 2, 3. *med.* ℙ Et colendorum Manium. *Id. Top.* 23. *f.* Aequitas tripartita dicitur esse: una ad Superos, altera ad Manes, tertia ad homines pertinere. Prima, pietas: secunda, sanctitas: tertia, justitia aut aequitas nominatur. *Id. Leg.* 2, 9. *f.* Manium jura sancta sunto: hos leto datos Divos habento. *Id. Amic.* 4. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt. ℙ In plur. num. *Cic. in Sen.* 14. Mecum Deorum et hominum sanctitates omnes et religiones abfuerunt. Adde *N. D.* 2, 2. *Arnob.* 6, 199. Sigillaria ista formare, adorare pro Diis ea, sanctitatibus accumulare divinis, *h. e.* caeremoniis et honoribus.

SANCTĪTŪDO, inis, f. *ἁγιότης*, idem quod sanctitas: excepto quod minoris est usus. *Gell.* 13, 3. Nihil quicquam interest, suavitudo dicas, an suavitas; sanctitudo, an sanctitas. *Acc.* ap. *Non.* 2, 805. Alia hic sanctitudo est, aliud et nomen, et numen Jovis. *Turpil. ib.* Miseram terrent me omnia, maris scopuli, sonitus, solitudo, sanctitudo Apollinis. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 17, 2. *med.* Tanta sanctitudo fani, ut nunquam quisquam violare sit ausus. Ubi *Gell.* Sanctitas quoque, et sanctimonia non minus Latine dicuntur: sed nescio quid majoris dignitatis est verbum, sanctitudo. *Cic. fragm.* ap. *Non. l. c.* Sanctitudo sepulturae. *Afran. ib.* Tuam majestatem, et nominis matronae sanctitudinem.

SANCTOR, oris, m. *νομοθέτης*, qui aliquam legem sancit. *Tac. A.* 3, 26. *f.* Sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent.

SANCTŪĀRĬUM, ii, n. *ἁγιαστήριον*, sacrarium, sacer locus. *Aggen. de limit.* p. 61. *Goes.* Extra sanctuarium profanum dictum est. ℙ Dicitur etiam de aliis rebus, ut de tabulis, aut libris, in quibus sancta referuntur. Hinc sanctuarium principis, idest libri, et commentarii secretiores principis, vel locus ipse, et tabularium, in quo hujusmodi libri repositi asservantur. *Sic. Flacc. ib.* p. 16. Quod si quis contradicat, sanctuarium Caesaris respici solet. Omnium enim agrorum et divisorum, et assignatorum formas, sed et divisionem commentarius, et principatus in sanctuario habet. Qualescumque enim formae fuerint, si ambigatur de earum fide, ad sanctuarium principis revertendum erit. *Plin.* 23, 8, 77. In sanctuariis Mithridatis maximi regis devicti Cn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 92, 4. Epithymeto Aug. L. ex colleg. sanctuar. posuer.

[SANCTŬLUS, a, um, adj. dimin. sancti, qua bonum, innocentem, justum significat; aliquantisper sanctus. Ita per contemptum appellat Rufinum. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 7. Tibi quasi religiosulus et sanctulus personam humilitatis imponis, etc. *F.*]

SANCTUS, a, um, part. a *sancio: νομοθείς*, decretus, sancitus, constitutus. *Liv.* 10, 9. Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. *Id.* 30, 19. *med.* Ne Servilio fraudi esset, quod tribunus plebis fuisset, contra quam legibus sanctum erat. Alii leg. utroque loco *sancitum:* alii *factum. Pl. Trin.* 4, 3, 26. Ambitio jam more sancta est, libera est a legibus. ℙ Est etiam adjectivum, et dicitur de iis rebus, quae sanctione seu lege firmata sunt et munita, ne quis aut invadere, aut violare possit. *Ulp. Dig.* 1, 8, 9. Proprie dicimus sancta, quae nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut sunt leges, quia sanctione quadam subnixae sunt: quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum. *Cic. Rab. perd.* 4. Castam concionem, sanctum campum, inviolatum corpus civium R., integrum jus libertatis defendo servari oportere. *Id. Leg.* 3, 3. *f.* Tribuni sancti sunto. ℙ De aerario sanctiore. V. AERARIUM. ℙ Etiam muri civitatis, et portae sanctae dicuntur a *Cajo Dig.* 1, 8, 1. et ab *Hermogeniano ib.* 43, 6, 2., quia legibus cautum est, *v. gr.* ne cui ascendere, aut diruere, aut inhabitare liceat. *Virg. A.* 10, 648. Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae Descendam. Ubi *Serv.*, et *Macr. Sat.* 3, 3. Sancta, hoc est incorrupta: neque enim sacro aut religioso anima Turni tenebatur. Hinc *sancta* quaecumque inviolate, integre, religiose servari oportet. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 8. Nulla sancta societas, nec fides regni est. *Liv.* 8, 37. Nec induciarum sancta fides fuit. *Cic. Quint.* 6. *med.* Nullum est officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. *Id. Rosc. Am.* 38. Nullum esse officium, nullum jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit et imminuerit. *Id. Quint.* 1. *f.* Si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur, nihil est jam sanctum, neque sincerum in civitate. *Id. Arch.* 8. *med.* Sit igitur, judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. *Id. Att.* 12, 19. *f.* Me quidem id multo magis movet, quod mihi est et sanctius, et antiquius. *Nep. Timoth. f.* Sanctiora jura patriae, quam hospitii. *Liv.* 23, 22. *med.* Si quid unquam arcani, sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliviscendum. *Val. Fl.* 5, 499. Sed me nuda fides, sanctique potentia justi Huc tulit. ℙ *Sanctus dies*, sancte colendus, celebrandus. *Hor. Od.* 4, 11, 17. dies Jure solemnis mihi sanctiorque Paene natali proprio. *Sulpicia* inter carmina *Tibulli* 4, 5, 1. Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus, Atque inter festos semper habendus erit. ℙ Illa etiam, quae sacra sunt, ut aedes Deorum; vel religiosa, ut sepulcra, *sancta* dicuntur: quia aut lege, aut instituto majorum sancitum est, ut ne quapiam re violentur. V. RELIGIOSUS. Hinc *Trebat.* ap. *Macrob. l. c.* Sanctum est interdum idem, quod sacrum, idemque quod religiosum: interdum aliud, hoc est nec sacrum, nec religiosum. *Virg.* sanctum pro sacro posuit (ut *Macrob. ib.* adscribit) in illo *Aen.* 2, 686. et sanctos restinguere fontibus ignes: scil. quia divinitus immissi; et *ib.* 6, 65. tuque o sanctissima vates Praescia venturi: scil. quia Deo plena, et sacerdos. Sic *ib.* 11, 785. sancti custos Soractis Apollo; et *ib.* 3, 406. Sancti ignes, *h. e.* quibus crematur victima. *Tibull.* 1, 5, 18. Somnia ter sancta deveneranda mola. *Cic. Univ.* 9. Lucifer deinde et sancta Mercurii stella cursum habent solis celeritati parem. Vertit *Cic.* verba *Plat. in Tim.* *Ἑωσφόρον, καὶ τὸν ἱερὸν Ἑρμοῦ λεγόμενον (πλανήτην) ἔθηκεν*, etc. Itaque *sanctam* sacram Mercurio intelligit: nam *ἱερός τινος* est *sacer alicui.* [*V. quae dicta sunt in *sancio;* unde patebit, quomodo *sanctus* nusquam pro *sacer* positum sit.] ℙ *Sancti* sunt Dii, et quae ad illos pertinent. *Virg. A.* 3, 543. numina sancta precamur Palladis armisonae; et *ib.* 4, 576. sequimur te, sancte Deorum Quisquis es. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 22. Eumenidum sanctissima Erinnys. *Virg. A.* 8, 131. sancta oracula Divum. *Ov. Met.* 14, 536. Sancta Deum genitrix; et *ib.* 3, 733. Sanctae arae. *Gell.* 1, 21. Sanctissimum jusjurandum. ℙ Multae sunt *Inscr.* ap. *Grut.* ut 46, 7., 48, 1. 2. et 11., 49, 1. et 1070, 6., item ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 64. etc. *Gudium*, et *Mur.* in quibus Hercules *sanctus* et *sanctissimus* cognominatur. Sic *Prop.* 4, 9, 71. Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno. Sancte, velis libro dexter inesse meo. V. SANCUS. ℙ *Sanctos* dixere etiam imperatores R. tanquam Diis proximos, immo tanquam Deos. Sic appellat Vespasianum, addito patris nomine, *Val. Fl.* 1, 11., et Augustum *Ov. Fast.* 2, 126. ℙ Item Manes. V. dicta in SANCTITAS. *Virg. A.* 5, 80. Salve, sancte parens, iterum: salvete recepti Nequidquam cineres. *Cic. Phil.* 14, 12. Actum igitur praeclare vobiscum, fortissimi dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites. Adde *Val. Fl.* 6, 288. et *Tibull.* 2, 7, 13. ℙ Cum dicitur de hominibus, significat integrum bonum, probatis moribus, innocentem, justum: at-

que adeo dignum qui observetur ab omnibus, violetur a nemine, ὅσιος, ἅγιος. [*Locum, ubi *Doederl.* de discrimine inter *sanctus* et *castus* exposuit, indicavimus in h. v.] *Cic. Rosc. Com.* 15. Viri ordine senatores, aetate grandes natu, natura sancti et religioni. *Id. Verr.* 2, 5, 19. Vir in publicis religionibus foederum sanctus et diligens. *Id. Fl.* 29. *med.* Homines frugalissimi, sanctissimi. *Sall. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Veteres et sancti viri. *Cic. Or.* 1, 53. Cum esset ille vir exemplum innocentiae, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 8. Sanctas manus habere, *h. e.* integras ab avaritia, et accipiendis muneribus. *Gell.* 2, 29. *f.* Sanctiores libri philosophorum; et 1, 2. *med.* Sanctissimae disciplinae (*Stoicorum*) nomen ementiri. *Virg. A.* 1, 430. Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum, *h. e.* ex probatis et sanctis viris constantem: atque adeo venerabilem. Unde et *sanctissimus ordo* dicitur, ut *Servius* monet. *Liv.* 30, 16. Ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes: id erat sanctius apud illos consilium. ℙ Saepe ad castitatem refertur. *Hor. Od.* 1, 2, 27. Virgines sanctae. *Virg. A.* 11, 158. sanctissima conjux. *Phaedr.* 3, 10. Sancta uxor. Supra *v.* 11. castam mulierem dixerat. Adde *Val. Fl.* 2, 345. Sic *Tibull.* 1, 3, 83. sanctique pudoris Assideat custos sedula semper anus. *Cic. Fin.* 3, 20. *med.* Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur. Alii leg. *castos. Juven.* 10, 298. Sancti mores. *Quint.* 1, 2, 5. Sanctissimus praeceptor. ℙ Translate. *Quint.* 10, 1. *med.* Inveni, qui Calvum praeferrent omnibus: inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimium contra se calumnia verum sanguinem perdidisse: sed est et sancta, et gravis oratio, et castigata, et frequenter vehemens quoque, *h. e.* pura, integra, incorrupta. *Gell.* eodem sensu dixit 19, 8. Castissimus sermo; et 17, 2. Caste pureque lingua Latina uti.

SANCUS, i, m. nomen Herculis, Sabina lingua: de quo *Prop.* 4, 9, 74. Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem, Sic Sancum Tatii composuere Cures; et *Ov. Fast.* 6, 213. Quaerebam, Nonas Sanco, Fidione referrem, An tibi, Semo pater: cum mihi Sancus ait: Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo. Nomina trina fero: sic voluere Cures. Hunc igitur veteres donarunt aede Sabini, Inque Quirinali constituere jugo. *Sil.* 8, 422. et laeti pars Sancum voce canebant, Auctorem gentis: pars laudes ore ferebant, Sabe, tuas, qui de proprio cognomine primus Dixisti populos magna ditione Sabinos. *Fest.* in *Praedia.* In aede Sanci, qui Deus Fidius vocatur. *Id.* in *Propter.* Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi, aut Sanco, qui scilicet idem est Deus. *Varr. L. L.* 4, 10. *med.* Aelius Gallus, Deus Fidius, dicebat Dijovis filius, ut Graeci Διόσκουρον Castorem: et putabant hunc esse Sancum ab Sabina lingua, et Herculem ab Graeca. *Liv.* 8, 20. Bona Semoni Sanco censuerunt consecranda. *Id.* 32, 1. Veliterni de coelo tactae Apollinis, et Sanci aedes. ℙ Omnibus his locis alii leg. *Sangus*, aut *Sanctus:* sed *Sancus* est in lapidibus litteratis ap. *Grut.* 96, 6. Sancto Sanco Semoni Deo Fidio sacrum decuria sacerdotum, etc. et *n.* 5. Semoni Sanco Deo Fidio sacrum Sex. Pompejus, etc. Adde *n.* 7. et ap. *Gud.* 59, 6, 7. 8. et 9. ℙ Alium ab Hercule fuisse si quis putet, nitetur fortasse testimonio *August. C. D.* 18, 19. docentis, Sancum fuisse primum Sabinorum regem, et ab his relatum in Deos: quod et *Lactant.* innuere videtur 1, 15. *med.* Hercules autem Sabinorum rex fuisse non legitur.

*SANDA, ae, flumen Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

SANDALA. V. SCANDALA.

SANDALIARIS, e, adj. sandaliarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 621, 3. D. M. M. Afranii Heliodori magistri vici Sandaliaris.

SANDALIARIUS, a, um, adj. ad sandalia pertinens. Vicus Sandaliarius Romae in regione quarta, vel nomen dedit, vel acceptum retulit Apollini Sandaliario, cujus ibi fuit signum cum sandaliis. *Suet. Aug.* 57. Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium, et Jovem Tragoedum. *Inscr.* ap. *Grut.* 79, 5. Cn. Pompejus Cn. L. Nicephor. Mag. vici Sandaliarii Reg. IIII. *Gell.* 18, 4. In Sandaliario forte apud librarios fuimus. ℙ [*Sandaliarius, ii*, qui sandalia conficit, vel vendit. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 114. Genio viarum L. Lutatius L. L. Paccius sandaliarius S. P. D. *F.*]

SANDALIGERULUS, a, um, adj. *Sandaligerulae*, ancillae sandalia herae gerentes, et subministrantes. *Pl. Trin.* 2, 1, 22. Vestispicae, flabelliferae, sandaligerulae.

[SANDALIOTIS, idis, f. Σανδαλιῶτις, ita vocatur Sardinia insula, quia ejus forma sandalium imitatur. *Plin.* 3, 7, 13. Sardiniam ipsam Timaeus Sandaliotim appellavit ab effigie soleae, Myrsilus Ichnusam a similitudine vestigii. Hinc *Claud. B. Gild.* 507. Humanae in speciem plantae se magna figurat Insula: Sardoam veteres dixere coloni. *F.*]

SANDALIS, idis, f. σανδαλίς, genus palmae fructum ferens soleae, aut sandalii similem. *Plin.* 13, 9. Quarta auctoritas sandalidum, a similitudine appellatarum.

SANDALIUM, ii, n. σανδάλιον, genus calceamenti muliebris altioris, elegantis, interdum etiam aurei, ansulis post talos adstricti. *Turpil.* ap. *Non.* 5, 24. Sandalio innixa digitis primoribus. *Ter. Eun.* 5, 8, 4. Utinam tibi commitigari videam sandalio caput. Simile est illud *Pers.* 5, 169. solea puer objurgabere rubra; et *Juven.* 6, 611. Et solea pulsare nates. ℙ In *Inscr.* ap. *Mur.* 929, 1. habetur Verania servata sandaliis. Adde aliam ap. *Gud.* 199, 1. Unde patet fuisse inter officia domus Augustae. In alia *ib.* legitur 200, 5. Liviae Alope Liviae Aug. ser. a cur. sandal. ℙ Sunt qui docent, secundam syllabam semper brevem esse, et vel male produci, vel aliter esse legendum ap. *Albinov.* 2, 65: Argentata tuos etiam sandalia talos Vinxerunt certe: nec, puto, Bacche, negas.

SANDAPILA, ae, f. νεκροφορεῖον, loculus ligneus, in quo non nobilium, sed plebejorum et damnatorum cadavera efferebantur, ut *Fulg. de prisco serm. n.* 1. interpretatur. Vilem arcam *Hor. Sat.* 1, 8, 9., Orcinianam spondam *Mart.* 10, 5. appellat. *Id.* 8, 75. tollitur alte Grandis in angusta sarcina sandapila. *Suet. Dom.* 17. *f.* Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum. *Juven.* 8, 175. Inter carnifices, et fabros sandapilarum. Adde *Mart.* 2, 81. et 9, 3.

SANDAPILARIUS, ii, m. νεκροθάπτης, qui sandapilam fert, vespillo. *Sidon. ep.* 2, 8. Vespillonum, sandapilariorum ministeria.

*SANDAPILO, onis, m. i. q. sandapilarius. *Gloss. Lat. Gr.* Sandapilo, νεκροθάπτης. *B. A.*

SANDARACA et Sandaracha, ae, f. σανδαράκη, et σανδαράχη, genus coloris rubri, duplicis generis, fossilis, et facticii. Fossilis invenitur in aurariis et argentariis metallis, eo melior, quo magis rufa, quoque magis virus redolens, ac pura friabilisque: habetque varios usus in medicina, quos recenset *Plin.* 34, 18, 56. qui 35, 6, 22. ex *Juba* tradit, nasci etiam in Topazo insula rubri maris. Facticia (quam adulterinam *ib.* vocat) fit ex cerussa in fornace cocta: cujus color debet esse flammeus, pretiumque habet in libras asses quinos. *Vitr.* 7, 12. Cerussa cum in fornace coquitur, mutato colore ad ignis incendium, efficitur sandaracha. Id autem, incendio facto, ex casu didicerunt homines: et ea multo meliorem usum praestat, quam quae de metallis per se nata foditur. Haec *Vitr.* ℙ Ap. *Fest.* dicitur esse genus coloris, quod Graeci sandycem appellant. V. SANDIX. ℙ Est etiam nomen cujusdam succi, quo apes vescuntur ante confectum mel. V. ERYTHACE.

SANDARACATUS vel Sandarachatus, a, um, adj. σανδαρακωτός, cui sandaraca admixta est. *Plin.* 35, 15, 50. Item lentes tollit cum squamis aeris, aceto sandaracato.

[SANDARACEUS, a, um, adj. idem ac sandaracinus. *Labeo* ap. *Fulg. de prisco serm. n.* 4. Fibrae jocinoris sandaracei coloris dum fuerint. V. MANALES. *F.*]

SANDARACINUS vel Sandarachinus, a, um, adj. σανδαράχινος, colorem sandaracae habens. *Naev.* ap. *Fest.* Merula sandaracino ore, *h. e.* luteo. Hunc enim colorem habet rostrum merulae. Nempe sandaraca quidem rubet ipsa, sed luteo colore tingit.

SANDARESUS, i, f. gemma in India nascens, loco ejusdem nominis: item in Arabia meridionali, colore igneo aureis intus guttis interstincto. *Plin.* 37, 7, 28. [*Scrib. et *Sandareses*, et *Sandastros. Bail.*]

SANDICINUS. V. in v. sq.

SANDIX, icis, et Sandyx, ycis, m. et f. σάνδιξ, et σάνδυξ, genus rubri coloris facticii, et quod inter viliora enumerat *Plin.* 35, 6, 12. scil. cum ochra cerussa usta, sandaracha, Syrico atramento: et *ib.* 23. docet, si sandaracha toreatur, aequa parte rubrica admixta, sandicem fieri: quamquam animadverto, inquit, Virgilium existimasse, herbam id esse illo versu (*Ecl.* 4, 45.) Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos. Pretium in libras dimidium ejus, quod sandaracae: nec sunt alii colores majoris ponderis. *Id. ib.* 26. Pingentes sandice sublita, mox ovo inducentes purpurissum, fulgorem minii faciunt. *Prop.* 2, 19, 81. Illaque plebejo, vel sit sandicis amictu, *h. e.* veste induta sit, cujus color est lanae albae nativus, ad fuscum accedens, et pauperiorum; vel sandice tinctus, qui est color rufus, puniceus, purpureus, coccinus, et ditiorum. ℙ Paenultimam in obliquis corripuit *Grat. Cyn.* 86. Interdum Libyco fucantur sandyce pinnae. ℙ Quod scribit *Plin. l. c.*, Virgilium existimasse esse herbam, non ita intelligendum est, quod agni sandice pasti sint, sed quod pascentes lanam induturi sint colore sandicis, sive ea sit planta, sive pigmentum. *Serv.* herbam esse docet, ex qua, inquit, sandicinus tingitur color. *Hesych.* utrumque significare docet his verbis: Σάνδυξ, δένδρον θαμνώδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Σωσίβιος· ἢ φάρμακον ἰατρικόν. Quod vero *Virg.* herbae colorem intellexerit, illud praecipue argumento est, quod pigmentis utuntur pictores, nunquam vero lanae infectores, sed plantarum succis, ut adnotavit *Salm.* ad illud *Vopisci Aurel.* 29. Dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere. Plura de sandyce *Id.* in *Solin.* p. *m.* 1152. [*Heynius* tamen ad *Virg. l. c.* ita rem explicat, ut *sandix* hic usurpetur pro colore sandicis. *F.*]

*SANDRIZETES, um, populi Pannoniae. *Plin.* 4, 25. *B. A.*

*SANDURA, opp. Aethiopiae, sub Aegypto. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*SANDUS, i, m. sic appellatus ab incolis Indus fluvius. *Plin.* 6, 20. *in. B. A.*

SANE, adv. ὑγιῶς, saniter, more eorum qui corpore et mente sani sunt. *Pl. Curc.* 1, 3, 20. Bonum est, pauxillum amare sane: insane, non bonum est. *Id. Amph.* 1, 1, 292. Sane sapio, et sentio. *Hor. Od.* 2, 7, 27. non ego sanius Bacchabor Edonis. *Sen. Contr.* 5, 34. *f.* Haterius dixit sanius. Supra dixerat: *Dorion furiose dixit.* ℙ *Sane sarteque* audire, videreque ap. *Fest.* in *Sarte*, locutio ex Auguralibus sumpta, *h. e.* integre, et more eorum, qui sani sunt, et sensu aurium et oculorum bene valent. ℙ Saepissime est certe, quidem, profecto, vere, affirmandi particula, μέντοι. *Phaedr.* 4, 23. Est gloriosus sane convictus Deum. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Agellus non sane major jugero uno. *Cic. Att.* 14, 7. Alia quaedam sane pessima. *Id. Quint.* 3. *med.* Erat ei pecuaria res ampla et rustica, sane bene culta. *Id. Fam.* 3, 5. *extr.* Sane vellem, potuisset obsequi voluntati tuae. [**Id. Fam.* 12, 19. de Parthici belli suspicione quod scribis, sane me commovit.] ℙ In concessionibus. *Id. Acad.* 4, 32. *f.* Haec si vobis non probamus, sint falsa sane: invidiosa certe non sunt. *Id. Sext.* 54. Sit hoc sane leve. *Id. Prov. cons.* 7. Sed fruatur sane hoc solatio. Adde *Sall. Cat.* 55. ℙ In responsionibus. *Ter. Eun.* 2, 3, 69. Estne, ut fertur, forma? *Par.* sane. *Varr. R. R.* 1, 2. Vultis interea, vetus proverbium usurpemus? sane, inquit Agrius. ℙ *Sane quam*, certe multum, valde quidem, admodum quam. *Cic. Leg.* 2, 10. Conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Nam quod de Pompejo Caninius agit, sane quam refrixit. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *med.* Sane quam sum gavisus. *Sulpic.* ad *eund. ib.* 4, 5. Sane quam, pro eo ac debui, graviter molesteque tuli. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 203. 1, 4. *a.* — *Ruddim.* 2. p. 305. sq.] ℙ Cum aliis particulis affirmantibus. *Cic. Leg.* 2, 4. Sane quidem hercule: et est ista recta docendi via. *Ter. Andr.* 1, 4, 2. Sane pol illa temulenta est mulier. [**Ruhnk.* ad h. l. docet: *sane* jungendum esse cum *temulenta.*] ℙ Cum imperativis. *Ter. Heaut.* 3, 3, 26. *Sy.* Abi deambulatum. *Cli.* deambulatum? quo? *Sy.* Vah, quasi desit locus! Abi sane istac, istorsum, quovis; et 4, 7, 4. Quid stas, lapis? quin accipis? *Cli.* cedo sane; et *Ad.* 4, 2, 48. I sane. ℙ Servit ironiae. *Phaedr.* 3, 15. Beneficium magnum sane natali dedit, Ut exspectarem lanium in horas singulas. *Nero* ap. *Suet.* 33. Sane legem Juliam timeo. [*Cf. *Burm.* ad *Virg. A.* 10, 48. — *Beier.* ad *Cic. fr.* p. 161.] ℙ Pro valde videtur poni in illo *Pl. Most.* 3, 2, 73. Nam sibi laudasse hasce ait architectionem nescio quem, esse aedificatas has sane bene. *Charis.* 2, 194. adducit in hanc sententiam illud *Cic. Verr.* 2, 2, 17. Interea sane perturbatus et ipse, et amici, et consiliarii ejus, etc. *Id. Or.* 2, 66. Res sane difficilis. *Prisc.* quoque hanc notionem agnoscit 15, 1011. Sed haec, et alia hujusmodi ad primam notionem, certe, vere, reduci possunt. [*Pro *valde* hoc vocabulum poni docet *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 138., coll. ejusd. nota ad *Cic. N. D.* 1, 21, 57., etiam in conjunctione cum *non*, *nihil*, ita ut *non sane*, Gr. οὐ μάλα, οὐ πάνυ, idem sit, quod *plane non.* Verba in *Hor.* l. sunt: Nil sane fecit quod tu reprehendere possis: coll. *ep.* 1, 7, 61. non sane credere Mena; et 2, 1, 206. Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Aliter *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 695. qui *nihil sane*, et similia explicat per *nihil fere*, quod memoratu dignum esset; ita ut lenius *sane* affirmet: coll. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 2, 13, 43. cui assent. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 252.]

SANESCO, is, n. 3. ὑγιάζομαι, sanus fio, convalesco: et fere dicitur de ulceribus et vulneribus. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 28. Diu dolent talia ulcera, et difficile sanescunt. Adde *Cels.* 3, 21. *in. Id.* 8, 4. *med.* Nec tamen magno negotio cutis sanescit. *Id.* 2, 10. *f.* Arteria incisa neque coit, neque sanescit. *Id.* 5, 28, 12. *extr.* Exulceratio digitorum sanescendo in unum eos jungit. *Colum.* 6, 7. *f.* Vulnera facta igne dum sanescunt, etc. ℙ De toto corpore aegrotantis. *Cels.* 2, 8. *med.* In morbo comitiali, si simul totum corpus afficitur, cujuscumque is aetatis est, vix sanescit. *Id.* 3, 18. *med.* Insanientes sub somno sanescunt.

[SANGA, ae, m. nomen proprium servi ap. *Ter. Eun.* 4, 7, 6., et videtur esse a σάττω, *h. e.* componendis sarcinis dictus. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut Q. Sanga senator e gente Fabia, cujus meminit *Cic. Pis.* 31. *F.*]

SANGARIUS, a, um, adj. ad Sangarium pertinens, qui est fluvius Phrygiae, cujus meminere *Plin.* 5, 22. et *Claud. in Eutr.* 2, 263. et 291. Hinc Atys *Sangarius puer* dicitur a *Stat. Silv.* 3, 4, 41. V. ATYS.

SANGI. V. TRAHA.

SANGUEN, inis, n. αἷμα, idem quod sanguis, ap.

veteres. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Cum aegre spirantem, quod sanguen defluxerat, cognovere, etc. *Enn.* ap. *Non.* 3, 203. et 10, 2. Pergunt lavere sanguen sanguine. *Id.* ap. *Cic. Fin.* 5, 11. et *Or.* 3, 58. et in *Hortens.* ap. *Prisc.* 6, 708. Quis est enim, aut quotusquisque, cui mors cum appropinquet, non, ut ait Ennius, refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu? *Lucr.* 1, 836. et 856. Visceribus viscus gigni, sanguenque creari, etc. *Enn.* ap. *Prisc. l. c.* et *Lactant.* 1, 15. *f.* O pater, o genitor, o sanguen Diis oriundum! Adde *Accium*, et *Varr.* ap. *Non. l. c.*, *Petr. fragm. Trag.* 59. *Burm.* et *Arnob.* 1, 36. Sunt qui tribuunt etiam *Statio Th.* 4, 464. Exceptum pateris praelibat sanguen, et omnes, etc. Alii leg. *sanguinem.*

SANGUĬCŬLUS, i, m. *αἱματίον. Plin.* 28, 14, 58. Utuntur ad utrumque vitium et sanguine haedi in cibum formato, quem sanguiculum vocant.

SANGUĬLENTUS, a, um, adj. sanguinolentus, sanguineus. *Scrib. Comp.* 182. Oculi sanguilenti; et 143. Sanguilentam urinam facere.

SANGUĬNĀLIS, e, adj. ad sanguinem pertinens. *Cels.* 2, 33., 3, 22. *f.*, 5, 1. et 6, 7. *n.* 3. et *Colum.* 6, 12. *f.* Herba sanguinalis, *h. e.* sanguinaria, Graecis *πολύγονος*. V. v. sq.

SANGUĬNĀRĬUS, a, um, adj. ad sanguinem pertinens. Herba sanguinaria, Graece *πολύγονος*, et *πολυγόναιος*, a frequentia geniculorum, non attollitur a terra, foliis rutae, semine graminis: succus ejus infusus naribus supprimit sanguinem: et potus cum vino cujuslibet partis profluvium, excreationesque cruentas inhibet. Haec *Plin.* 27, 12, 91. Adde *Colum.* 7, 5. *f.*, ubi tradit, gravem esse ejus perniciem, si ea ovis pasta sit: toto enim ventre distendi contrahique, et spumam quandam tenuem tetri odoris exspuere. P *Sanguinarius* dicitur, qui sanguine et caedibus gaudet, crudelis, trux, *αἱματοχαρής, φόνιος. Cic. Att.* 7, 2. Haec sanguinaria juventus inimicissima est. *Plin. ep.* 4, 22. *med.* De hujus nequitia, sanguinariisque sententiis loquebantur. *Suet. Claud.* 34. Saevum, et sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. *Just.* 29, 3. Cruenta et sanguinaria inter se bella gerere. *Plin.* 19, 8, 53. Tarquinius Superbus legatis a filio missis, decutiendo papavera in horto altissima, sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit.

SANGUĬNĀTĬO, onis, f. sanguinis eruptio. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 6. *med.* de dysenter: Ultimo egestionis tempore ulcerum tactu sanguinatio fit.

SANGUĬNĔUS, a, um, adj. *αἱματώδης*, qui est ex sanguine, et qui habet sanguinem, vel colorem sanguinis, sanguinolentus, cruentus. *Cic. Div.* 2, 28. Lapideus aut sanguineus imber. *Ov. Met.* 14, 408. Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis. P [*Item, qui habet sanguinem, repletus, adspersus sanguine est.] *Sen. Oed.* 368. et *Plin.* 11, 37, 72. et 83. Sanguineus pulmo. *Ov. Trist.* 3, 9, 30. Sanguineum caput. Sic *Val. Fl.* 3, 587. velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur. *Stat. Th.* 8, 436. Hasta sanguinea; et *Ov. Her.* 16, 331. Caesaque sanguineam victima planget humum. *Id. Met.* 1, 143. de bello: Sanguineaque manu crepitantia concutit arma. [**Stat. Th.* 10, 173. Sanguinei crines, i. e. imbuti, adspersi sanguine. Adde *Lucan.* 567. Crinemque rotantes Sanguineum: ubi v. *Cort.* P Transl. *Ov. Met.* 13, 85. sanguinea caedes. *Sen. Ag.* 760. Sanguinea verbera.] *Val. Fl.* 5, 308. et 6, 134. Sanguineum bellum. *Hor. Od.* 1, 27, 4. Sanguineae rixae. P [*Item colorem sanguinis referens. *Ov. Am.* 2, 1, 23. Carmina sanguineae deducunt cornua Lunae.] *Sil.* 4, 519. Sanguineum sagulum, *h. e.* purpureum. *Plin.* 14, 9, 11. Colores vini quatuor, albus, fulvus, sanguineus, niger. *Id.* 21, 16, 56. et 25, 6, 32. Herba sanguineum succum fundit. *Id.* 37, 10, 60. Heliotropium gemma, dejecta in vas aquae fulgorem solis accendit sanguineo repercussu. *Id.* 16, 18, 30., 19, 10, 58. et 24, 10, 43. et *Modest. Dig.* 48, 9, 9. sanguineum fruticem, et sanguineam virgam appellant genus plantae corticem habentis colore sanguineo, *θηλυχρανέλα.* P Sanguinis et caedis cupidus, sanguinarius. *Ov. R. Am.* 153. Mars sanguineus. *Sil.* 1, 40. vir, *h. e.* Annibal.

SANGUĬNO, as, n. 1. *αἱμορῥοέω*, sanguine mano. *Quint. decl.* 10, 8. Tum repetitis sanguinavere plantibus jam convalescentes lacerti. *Id. ib.* 9. *f.* et *ib.* 18. Sanguinantes lacertos porrigere. *Appul. Met.* 5. Immanem colubrum, veneno noxio colla sanguinantem, *h. e.* sanguine seu sanie veneni collum tumidum habentem. *Tert. adv. Marc.* 4, 20. *med.* Lex a contactu feminae sanguinantis submovet, *h. e.* cui menses fluunt. *Solin. fr.* in *Ant. Lat.* T. 2. p. 384. *Burm.* Venus alma fove, quae semine coeli, Parturiente salo, divini germinis aestu, Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis, Nasceris e pelago. P Item active *sanguinare aliquem*, est ei sanguinem emittere. *Pelag. Veter.* 3. Febrientem equum, utilissimum est sanguinare; et 26. *in.* Postea sane cum jam eruperit scabies, sanguinabis eum juxta genua. P Translate. *Auct. Dial. de Or.* 12. Nam lucrosae hujus et sanguinantis eloquentiae usus, recens, et malis moribus natus, *h. e.* quae pecuniis ex clientum marsupio elicitis abundat, et quasi sanguine manat. Sunt qui leg. *sanguinariae.*

SANGUĬNOLENTUS, a, um, adj. *αἱματώδης*, sanguine plenus, aut aspersus, aut manans, sanguineus, cruentus. *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 9, 13. *f.* Caput praecidit, torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. *Ov. A. Am.* 1, 414. de Allia: Vulneribus Latii sanguinolenta fuit. *Id. Her.* 3, 50. Sanguinolenta pectora; et *ib.* 6, 46. Erinnys. *Tibull.* 2, 7, 21. ab excelsa praeceps delapsa fenestra Venit ad infernos sanguinolenta lacus. *Ov. Am.* 1, 12, 12. Sanguinolentus color. *Varr.* ap. *Non.* 6, 101. Seditiones sanguinolentae. P Transl. *Auct. ad Her.* 4, 39. Inimici sanguinolenta palma, crudelissima victoria potiti, insultabunt in horum miseras. *Ov. Ib.* 3. Nullaque, quae possit, scriptis tot millibus, exstat Littera Nasonis sanguinolenta, legi, *h. e.* quae aliquem dictis laeserit. *Sen. Ben.* 7, 10. *med.* Qui sunt istae tabulae, quid computationes, et venale tempus, et sanguinolentae centesimae? *h. e.* usurae, pecuniam et quasi sanguinem et vitam miserorum exhaurientes.

SANGUĬNOSUS, a, um, adj. sanguine abundans. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. Sanguinosi phlebotomandi.

SANGUIS, inis, m. *αἷμα*, humor in corpore animalis, per venas in omnia membra diffusus. Quid a cruore differat, in CRUOR dictum est. *Cic. N. D.* 2, 55. *med.* Ventriculus cordis, in quem sanguis a jecore per venam cavam influit: eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. *Id. Att.* 6, 1. et *Cels.* 2, 10. *med.* et *Petr. Sat.* 90. Sanguinem mittere ex brachio, in temporibus, a capite; et *Plin.* 20, 4, 11. et 32, 10, 42. Sanguinem extrahere. *Colum.* 6, 14. detrahere. *Plin.* 25, 5, 23. emittere venis. *Gell.* 10, 8. dimittere. *Cels.* 2, 10. *med.* supprimere. *Id.* 8, 4. *med.* et *Plin.* 22, 25, 71. cohibere. *Id.* 20, 7, 25. et 28, 18, 73. sistere. *Cic. Div.* 1, 23. fundere. *Curt.* 3, 11. Tum vero multum sanguinis fusum est, *h. e.* multi vulnerati, multi occisi. Sic *Liv.* 2, 30. *extr.* Plus ibi sanguinis, promiscua omnium generum caede, quam in ipsa dimicatione, factum. Adde 35, 51. *Cic. Mil.* 37. Vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinis effudistis. *Pl. Most.* 2, 2, 76. Guttam haud habeo sanguinis, *h. e.* prae metu refugit mihi sanguis. P *De die sanguinis.* V. in BELLONARII. P Metonymice mortem significat. *Petr. Sat.* 120. Julius ingratam perfudit sanguine Romam. *Liv.* 23, 8. *extr.* Sanguine Annibalis sanciam Romanum foedus. *Lucan.* 8, 9. Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse. [*Magnam exemplorum copiam habes ap. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 417.] P Translate est vigor, vires, spiritus, audacia. *Pl. Bacch.* 1, 2, 44. Magistron' quemquam discipulum minitarier? nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis: valens afflictet me vacivom virium. *Stat. Th.* 2, 561. saxum ingens toto sanguine nixus Sustinet. *Virg. A.* 2, 638. vos o, quibus integer aevi Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo succum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. [**Id. ib.* 1, 16. missus est sanguis, i. e. materia subtracta invidiae sine dolore: ita expl. *Gesner.*, qui laudat h. l. ad *Quint. Inst.* 8, 6, 51. Nam illa in agendis causis jam detrita, *Pedem referte*, et *Jugulum petere*, et *sanguinem mittere.*] P De pecunia. [*De hoc hujus vocabuli significatu egregie disp. *Gron.* in *observv.* 4, 24. p. 520. *ed. Fr.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 36. Quae cum de populi R. victu, de vectigalium nervis, de sanguine detraxisset aerarii, Tertiae mimae condonavit. *Id. Att.* 6, 1. Appius cum *ἐξ ἀφαιρέσεως* provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuerit, detraxerit. P Refertur et ad orationem. *Cic. Brut.* 9. Succus ille, et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor; et *Or.* 23. In orationis subtilitate etsi non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut etiam si illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine. Adde *Brut.* 82. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] P Dicitur saepe de genere, stirpe, affinititate. *Cic. Rosc. Am.* 24. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis. *Id. in Sen.* 7. Cognatio materna Transalpini sanguinis. *Hor. Od.* 3, 27, 63. nisi herile mavis Carpere pensum Regius sanguis. *Virg. A.* 1, 23. progeniem Trojano a sanguine duci; et *ib.* 4, 230. genus alto a sanguine Teucri. *Ov. Her.* 3, 28. Ille gradu propior sanguinis. *Stat. Silv.* 5, 3, 116. Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus. *Virg. A.* 6, 836. Projice tela manu, sanguis meus. *Cic. Inv.* 2, 53. *med.* Sanguine conjunctus. *Quint.* 8, 3. 75. Cohaerere alicui sanguine. *Prop.* 1, 15, 16. Sanguinis vincula rumpere. *Plin. ep.* 7, 24. Sanguine aliquem attingere. *Tac. A.* 2, 71. et *ib.* 3, 12. Propinquus sanguis. *Flor.* 3, 1. *f.* Bocchus jure sanguinis Jugurtham vindicans. P Per chatachresin dicitur de aliis humoribus. *Manil.* 5, 212. Et viridis nemori sanguis decedit, et herbis. *Nemes. Ecl.* 2, 50. Pallas amat turgentes sanguine baccas, *h. e.* oleum. [*V. *Burm.* ad l. *Stat. Th.* 1, 329. Bacchacus sanguis, *h. e.* vinum. *Plin.* 14, 5. de vino: Terrae sanguis. *Cassiod. Ep.* 12, 4. Uvarum frigidus sanguis. *Bail.*] P Caesurae beneficio secunda syllaba producitur. *Tibull.* 1, 7, 72. Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus. *Virg. A.* 10, 487. Una eademque via sanguis animusque sequuntur. *Ov. Fast.* 6, 488. Educet: at sanguis ille sororis erat. *Lucan.* 2, 338. Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi; et 7, 635. sanguis ibi fluxit Achaeus. (Adde 10, 128.) *Val. Fl.* 3, 234. et jussa sanguis exuberet ulna. *Sil.* 10, 23. Et color, et sanguis, et tela minora periclo. Adde *Lucr.* 4, 1043. et alios, quos viri docti *Broukus.* ad *Tibull.*, *Oudendorp.* ad *Lucan.* et *Drakemborch.* ad *Sil.* jam congessere: qui idem factum adnotarunt in *pulvis* a *Virg.* et in *cinis* ab *Albinov.*, et in *ignis* ab *Hor.* etc. P Extra caesuram *Sen. Med.* 775. Vectoris istic perfidi sanguis inest. Sic *Hor. Od.* 1, 15, 35. uret Achaicus Ignis Iliacas domos. P [In accus. sing. habet etiam sanguem. *Inscr. Frat. Arv. n.* 41. *l.* 22. ap. *Marin.* Et porcilias piaculares epulati sunt, et sanguem. Adde *Calend. Constantinian.* ad *IX. Kal. April. F.* P [*Confund. *sanguine* et *languere.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 235.]

SANGUĪSŪGA, ae, f. *βδέλλα*, hirudo, vermis aquatilis sanguinem sugens. *Plin.* 8, 10, 10. Elephanti cruciatum in potu maximum sentiunt, hausta hirudine, quam sanguisugam vulgo coepisse appellari adverto. *Id.* 32, 10, 42. Diversus hirudinum, quas sanguisugas vocant, ad extrahendum sanguinem usus est. *Cels.* 5, 27. *n.* 16. Si sanguisuga epota est, acetum sale bibendum est.

SANGUS. V. SANCUS.

SĀNĬES, ei, f. *ἰχώρ*, sanguis corruptus, necdum ad puris albedinem crassitudinemque coactus. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. Ex vulneribus ulceribusque exit sanguis, sanies, pus. Sanguis omnibus notus est. Sanies est tenuior hoc, varie crassa, et glutinosa; et colorata. Pus crassissimum albidissimumque, glutinosius et sanguine et sanie. Exit autem sanguis e vulnere recenti, aut jam sanescente: sanies est inter utrumque tempus: pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante. Rursus et sanies, et pus quasdam species Graecis nominibus distinctas habent: est enim quaedam sanies, quae vel *ἰχώρ*, vel *μελίκηρα*, nominatur: est pus, quod *ἑλαώδες* appellatur. *Ἰχώρ* tenuis, subalbidus, ex malo ulcere exit: *μελίκηρα* crassior est, glutinosior, et subalbida, melliqne albo subsimilis, etc. Haec *Cels. Cato R. R.* 157. Cancer ater, is olet, et saniem spurcam mittit. *Prop.* 3, 23, 18. Vulnera et ad saniem nunc coiere mea. Alii rectius leg. *ad sanum Sen. Oed.* 140. Nec cruor ferrum maculavit: atra Turpis e plaga sanies profusa est. *Lucan.* 3, 657. eliso ventre, per ora Ejectat saniem permixtus viscere sanguis; et 9, 738. corpus sanie stillasse perustum. *Virg. A.* 8, 487. sanie taboque fluentes. *Tac. A.* 4, 49. Pollui cuncta sanie, odore, contactu: scil. caesorum militum. *Gell.* 5, 14. *med.* Conceptam saniem vulnere intimo exprimere. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 44. et *Pis.* 19. Saxa spargens tabo, sanie, et sanguine atro. *Lucan.* 6, 547. nigramque per artus tabi saniem. *Virg. A.* 3, 632. de Polyphemo: saniem eructans, ac frusta cruento Per somnum commixta mero. *Stat. Th.* 12, 569. Putris sanies. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 212. crassa. V. RAMEX. P *Serv.* ad *l. c. A.* 8. docet, saniem esse mortui, tabum vivi. Sed vel una *Celsi* auctoritate refellitur. P A poetis pro veneno ponitur noxiorum animalium. *Ov. Met.* 4, 493. colubrae Sibila dant, saniemque vomunt. *Hor. Od.* 3, 11, 19. de Cerbero: Spiritus teter, saniesque manat Ore trilingui. *Sil.* 6, 276. serpens Tabificam exspirat saniem; et *ib.* 678. Viperea sanies; et 12, 10. anguis saniem sublatis faucibus efflat. *Lucan.* 4, 321. in fluvios saniem tabemque ferarum Infundas. *Id.* 6, 457. Sanies veneni. *Virg A.* 2, 221. Perfusus sanie vittas, atroque veneno: *iv δὰ δύο.* P De cruore tritae purpurae lanis tingendis. *Plin.* 9, 38, 62. Quinis lana potat horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. *Id.* 35, 6, 26. Quoties id factum est, levatur bonitas *(coloris)* pro numero, dilutiore sanie. P Aliquando cum pure confunditur, et de corrupto omni humore ponitur, aut corrupto simili, licet non cruento. *Plin.* 27, 7, 28. Sanie si manant aures. *Id.* 29, 6, 39. Sanies aranei. *Id.* 31, 11, 47. Spongiae saniem emittunt. *Id.* 15, 3, 2. Olivae constant nucleo, oleo, carne, amurca: sanies haec est ejus amara. (Adde *Colum.* 1, 6. *f.*) *Manil.* 5, 671. Hinc sanies pretiosa fluit, etc. V. MURIA. *Plin. prooem.* 33. *med.* de auro: Parum erat unam vitae invenisse pestem, nisi in pretio esset auri etiam sanies, *h. e.* chrysocolla. P Excepto recto, quarto et sexto casu singularis numeri, nullum praeterea habet usum: nam plurali carere, docent etiam *Charis.* 1, 19. et *Diomed.* 1, 314.

SĀNĬFER, ra, rum, adj. salutifer. *Paul. Nol. carm.* 20, 218. quae te quoque dextra potentem Sanifera virtute dedit.

SĀNĬOSUS, a, um, adj. *ἰχωρώδης*, sanie, et impuro sanguine conspersus. *Plin.* 7, 15, 13. Invalidi, aut non vitales partus eduntur, aut saniosi, ut auctor est Nigidius.

*SANISERA, ae, f. oppidum Minorcae insulae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

SĂNĪTAS, atis, f. ὑγίεια, incolumitas, salus, bona valetudo, status corporis actiones omnes suas probe obeuntis. [*De notione h. v., ejusque discrimine a vv. *salubritas*, *valetudo*, *salus* v. in h. v.] *Cic. Tusc.* 4, 13. Corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas est: sic animi dicitur, cum ejus judicia, opinionesque concordant: eaque est animi virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiae praeceptis, et eam subsequentem, nec habentem ullam speciem suam: sed sive hoc, sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, cum curatione medicorum conturbatio mentis aufertur. *Cels.* 8, 8. *f.* Donec sanitate ossis dolor finiatur. *Tac. A.* 1, 68. *extr.* Vim, sanitatem, copias cuncta in victoria habuere. *Plin.* 20, 6, 23. Allium tussim sanat, fractae incoctum fabae, atque ita in cibo sumptum, donec sanitatem restituat; et *ib.* Capitis ulcera manantia sanitati restituens. *Id.* 11, 18, 20. de apib.: Hilaritate et nitore sanitas aestimatur. *Gell.* 18, 1. Corporis integritas sanitasque, et honestus modus formae, etc. *Pl. Merc.* 4, 1, 12. Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius, salutem, et sanitatem nostrae familiae. (Adde *Plin. Pan.* 22.) *Sen. Q. N.* 2, 38. *extr.* Sanitas debetur medico. *Phaedr.* 5, 7. Ad sanitatem venit curatio. *Just.* 20, 2. *med.* Sanitatem recuperare peste sedata; et 11, 8. *extr.* recipere. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Sanitas pecoris, res multiplex ac necessaria. *Id. ib.* 5. *med.* Lanii, qui ad cultrum bovem emunt, et qui ad altaria, hostiae sanitatem non solent stipulari. ℙ Saepe transfertur ad animum, et significat, bonam mentem, rectum consilium, recte sentiendi vim, rationem, σωφροσύνη. *Cic. Tusc.* 3, 4. *extr.* Sanitatem animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit. *Id. ib.* 4, 10. Quemadmodum cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur; sic pravarum opinionum conturbatio, et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliat animum, morbisque perturbat. *Id. Pis.* 20. Sua quemque fraus, suum scelus de sanitate ac mente deturbat. *Id. Verr.* 2, 2, 40. Ne tum quidem te potuit, si non pietatis, at salutis tuae ratio ad officium sanitatemque reducere. *Id. Fam.* 12, 8. Lepidus hostis a senatu judicatus, ceterique, qui una cum illo a republica defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante cal. Septembr. potestas facta est. *Id. Sull.* 5. *f.* Convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem. *Caes. B. G.* 1, 42. Caesar Ariovistum ad sanitatem reverti arbitrabatur. *Petr. Sat.* 111. Exulceratas mentes ad sanitatem revocare. *Hirt. B. G.* 8, 22. perducere. *Phaedr. ep.* 3. *extr.* Dum sanitas constabit, pulcre meminero; et *Plin. ep.* 6, 15. Est omnino Priscus dubiae sanitatis. *Sen. Hipp.* 249. Pars sanitatis, velle sanari fuit. ℙ Item ad orationem puram, pressam, non redundantem, quae probatis et incorruptis verbis, sanisque sententiis constat. *Cic. opt. gen. Or.* 3. Eos imitemur, si possumus: sin minus, illos potius qui incorrupta sanitate sunt (quod est proprium Atticorum), quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. *Id. Brut.* 13. Ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnem illam salubritatem Atticae dictionis, quasi sanitatem, perdidit, [*Corruptus locus est, ex omnium fere interpretum sententia. At v. quae de discrimine vv. *sanitas* et *salubritas* notavimus in h. v.] et *ib.* 82. Insulsitatem et insolentiam, tanquam insaniam quandam orationis, odit: sanitatem autem, et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat; et *ib.* 80. *f.* Sic nos summi oratoris vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. V. SANUS. ℙ *Sanitas metri* ap. *Macr. Sat.* 5, 17, *extr.* est cum versus nulla in syllaba contra prosodiae leges peccat.

SĂNĪTER, adv. more sani hominis, sive ad corpus referas, sive ad animum. *Afran.* ap. *Non.* 11, 51. Adesto: assentio te amare, me adorare saniter.

SANNĂ, ae, f. distortio vultus, quae fit diductis labiis, ore hiante, corrugata facie, et ostentatione dentium. Notationem etymologi ab Hebraeis usque deducunt. *Juven.* 6, 306. I nunc, et dubita, qua sorbeat aera sanna Maura. ℙ Hinc irridendi genus est, quod eo habitu oris fit, μῶκος, χλεύη. [*Non solum oris habitum v. *sanna* spectat, sed universi corporis. V. *Casaub.* ad *Pers.* 1. mox l.] *Pers.* 1, 61. Vos o patricius sanguis, quos vivere fas est Occipiti caeco, posticae occurrite sannae. (In praecedentib. tres alias irrisionum species enumerat: O Jane, a tergo quem, etc.) *Id.* 5, 91. Disce: sed ira cadat naso, rugosaque sanna, Dum veteres avias tibi de pulmone revello. ℙ Est etiam cogn. R., ut L. Varilius Sanna in *Inscr.* q. v. in PETELINUS.

[SANNĀTOR, oris, m. qui sannat, idem ac sannio. *Gloss. Philox.* Gannator, (corrige *Sannator*) χλευαστής. *F.*]

*SANNI, orum, populi Ponti. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

*SANNIGAE, arum, populi Colchidis. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

SANNĬO, onis, m. μωρὸς, χλευαστὴς, scurra, qui omnibus modis risum movere nititur, qui soluto risu, et contortis corporis totius partibus quempiam irridet, moresque aliorum tam inepto gestu exprimit, ut, cum alios irrideat, ipse omnibus sit ridiculus. *Cic. Fam.* 9, 16. *extr.* Salis enim satis est, sannionum parum. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Or.* 2, 61. *f.* Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso. Salsum hunc possum dicere, atque ita, non ut ejusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum. Ap. *Ter. Eun.* 4, 7, 10. nomen est servi; et *Ad.* 1, 2, 2. lenonis.

[SANNO, as, n. l. χλευάζω, idem ac subsanno. *Gloss. Philox.* Gannat, (corrige *Sannat*) χλευάζει. V. SUBSANNO. *F.*]

SĂNO, as, avi, atum, a. l. ὑγιάζω, sanum facio, curo, medeor, morbum depello, sanitati restituo. *Cic. N. D.* 3, 28. Gladio vomicam ejus aperuit, quam sanare medici non potuerant. *Id. Tusc.* 4, 37. *extr.* Citius repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur. *Prop.* 2, 1, 61. Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon. *Ov. Pont.* 1, 3, 21. Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas, Sanabit nulla vulnera cordis ope. *Plin.* 20, 6, 23. Allium tumores suspectos sanat. *Cic. Fam.* 16. et *Prop.* 2, 2, 59. Sanare dolorem. *Plin.* 12, 17, 41. Ad hunc sanandum *(odorem)* urunt styracem in pellibus hircinis. ℙ Translate. *Cic. Att.* 13, 12. Valde me momorderunt epistolae tuae de Attica nostra: eaedem tamen me sanaverunt. *Id. Mil.* 25. Omnes tibi reipublicae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Qui te existimares avaritiae vulnera crudelitatis remediis posse sanare. *Id. Sull.* 9. *f.* Voluntates consceleratas ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. *Caes. B. C.* 1, 35. Reliqua, quae ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur, commemorat. *Tibull.* 2, 3, 13. et *Prop.* 1, 10, 17. Sanare curas. *Hirt. B. G.* 8, 38. timentes animos consolatione. *Liv.* 2, 34. et *Vell.* 2, 3. *med.* Sanare discordiam, *h. e.* sedare, discordes animos ad sanitatem revocando. *Caes. B. G.* 7, 29. Factum imprudentia Biturgium, uti hoc incommodum reciperetur: id tamen se celeriter majoribus commodis sanaturum. *Sen. Herc. Fur.* 1261. nemo polluto queat Animo mederi: morte sanandum est scelus, *h. e.* expiandum. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Quem denique, praeter Tuscenium, cujus causa sanari non potest, non mitigavi? *h. e.* melior fieri, et defendi.

SANQUĀLIS, e, adj. ita appellatur avis, quae in commentariis ossifraga dicitur, quia in Sanci Dei tutela est, inquit *Festus.* Meminit et *Liv.* 41, 13. V. IMMISSULUS. ℙ *Sanqualis porta* appellata est ab avi sanquali: ideoque eodem est nomine, quo avis ipsa appellatur. *Festus.* Addit *Paulus*, proximam fuisse aedibus Anci. Alii rectius leg. *aedibus Sanci.*

SANSĂ. V. SAMPSA.

SANTERNĂ, ae, f. chrysocolla agglutinando auro temperata. *Plin.* 33, 5, 29. Chrysocolla temperatur Cypria aerugine, et pueri impubis urina, addito nitro: teritur Cyprio aere in Cypriis mortariis: santernam vocant. Adde 34, 12, 28.

SANTŌNES, um, m. plur. pop. Galliae Aquitanicae, quorum tractus *la Santongia*, ad mare Oceanum, prope ostia Garumnae fluminis. *Plin.* 4, 19, 33. et 9, 5, 4. ℙ Dicuntur etiam *Santoni*, *orum. Mela* 3, 2. *med.* Ora Cantabricis adversa litoribus, ab Santonis ad Osismios usque deflexa. *Auson. ep.* 15, 11. Cur me propinquum Santanorum finibus Declinas? ℙ In sing. num. *Lucan.* 1, 422. gaudetque amoto Santonus hoste. Adde *Auson. ep.* 24, 79. ℙ Item *Santo* ap. *Val. Prob.* in *Cathol.* 1450.

SANTŌNĬCUS, a, um, adj. Σαντονικὸς, ad Santones pertinens. *Tibull.* 1, 8, 10. Oceani litora Santonici. *Auson. Parent.* 21, 7. Santonica tellus. *Id. ep.* 8, 3. urbs. *Santes*, Mediolanum Santonum. *Mart.* 14, 128. Gallia Santonico vestit te bardocucullo, *h. e.* e lana a Santonibus texta. ℙ De absinthio Santonico *Plin.* 27, 7, 28. Absinthii genera sunt plura: Santonicum appellatur a Galliae civitate, Ponticum, a Ponto, etc. *Mart.* 9, 95. Santonicam virgam appellat. *Scrib. Comp.* 141. Santonicam herbam.

SANTŌNUS. V. SANTONES.

SĂNUS, a, um, adj. ὑγιὴς, bona valetudine utens, firmus, integer, liber a morbo: a σάος, salvus. [*Doederl. q. v. 1, 30. sq., contractum vult ex inusitato *savanus*, a verbo quodam *saveo*, quod medium teneat inter *aveo* et *salveo.*] *Hor. Ep.* 1, 16, 21. Neu, si te populus sanum recteque valentem Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi Dissimules. *Cels.* 1, 1. Sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque iatroalipta egere. *Gell.* 18, 10. Opera tua sistas hunc nobis sanum atque validum quam citissime. *Pl. Merc.* 5, 2, 48. Tuam amicam sanam et salvam vidi. *Cato R. R.* 157. Haec omnia ulcera purgabit, sanaque faciet sine dolore; et *ib. med.* Citissime sanus fiet ex eo morbo. *Cels.* 7, 4. *n.* 4. Interim licet negotia agere, ambulare, lavare, cibum capere, perinde atque sanissimo. *Pl. Truc.* 2, 2, 5. Aegrotare malim, quam esse tua salute sanior. [*Doederl.*, q. v. 1, 31., praeferendum censet *salvior.*] *Prop.* 2, 9, 12. Nec quisquam ex illo *(Amoris)* vulnere sanus abit. *Id.* 3, 23, 18. Vulneraque ad sanum nunc coiere mea, *h. e.* ad sanitatem venerunt: id quod ap. *Phaedr.* 5, 7. Ad sanitatem venit curatio. Alii minus recte leg. *ad saniem.* ℙ *Sanus* etiam dicitur, qui integris est membris, et ab omni vitio liber, licet fortasse morbo aliquo laboret. Unde quidam JCti ap. *Gell.* 4, 2. quaerebant, num sanus esset is, cui dens deesset, et qui non longe videret, et mulier sterilis. [*De differentia inter *sanus* et *validus Doederl.* 1, 31. sq. ita statuit, ut non solum usu, quo *validus* maxime de corpore dici soleat, discrepent, sed proprie discrimen habeant in eo, quod *sanus* bonam, morbo non affectam valetudinem, *validus* etiam agendi facultatem significet. Cf. etiam quae dicta sunt in AVE.] ℙ Pro salubri *Lucan.* 2, 829. et quidquid nare sagaci Aera non sanum, motumque cadavere sentit. [*Locus est 7, 829. Neque *sanus* pro *salubri* positum est, quod ne conveniret quidem loci sententiae, quum non in universum significetur aeris mala ratio, sed ea tantum, quae per tempus aliquod cadaveribus sit affecta. V. quae de discrimine utriusque vocis diximus in *saluber.*] ℙ Translate. *Cic. Fam.* 12, 23. Nullam partem sanae et salvae reipublicae gustare potuisti. *Pl. Merc.* 1, 2, 61. Salva est navis: armamenta salva et sana sunt. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat mentis compotem, ratione et recto judicio praeditum, ab omni aegritudinis perturbatione liberum, σώφρων: cui opponitur furens, larvatus, cerritus, insanus, amens, praeceps. *Cic. Tusc.* 3, 5. Eos sanos intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit: qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est. *Mart.* 6, 84. Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus. Hunc tu si sanum credis, Avite, furis. *Pl. Trin.* 2, 2, 53. Satin' tu sanus mentis, aut animi tui, qui conditionem hanc repudies? *Id. Men.* 5, 2, 66. Sanun' es, qui istuc exoptes? *Id. Amph.* 5, 1, 31. Haec sola sanam mentem gestat. *Tib.* ap. *Suet. Tib.* 67. Quamdiu sanae mentis fuisset. *Cic. Off.* 3, 25. *med.* Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens. *Pl. Amph.* 3, 2, 23. Nam certo si sis sanus, aut sapias satis, cum ea sermonem non habeas; et 2, 2, 98. Equidem ecastor sana et salva sum. *Val. Max.* 9, 13. *n.* 3. Sanae rationis modum expugnare. *Id.* 8, 9. *n.* 1. Ad meliora et saniora consilia revocare aliquem. *Ulp. Dig.* 27, 10, 1. Quamdiu prodigus sanos mores receperit. *Cic. Acad.* 4, 28. Quisquam sanissimus tum certa putat quae videt, quam is putabat, quae videbantur? *Vell.* 2, 25. Confluentibus ad eum optimo quoque et sanissimo. [*Liv. 8, 27. Tumultu etiam sanos consternante animos.] *Virg. Ecl.* 8, 66. Conjugis ut magicis sanos avertere sacris Experiar sensus, *h. e.* animum ab amore liberum. *Caes. B. G.* 5, 7. *f.* Nihil hunc, se absente, pro sano facturum arbitratus, qui praesentis imperium neglexisset. *Pl. Men.* 2, 2, 24. Pro sano loqueris, cum me appellas nomine. Adde 5, 5, 42. et *Liv.* 39, 49. ℙ *Sanus ab aliqua re*, liber, immunis, remotus. *Hor. Sat.* 1, 4, 129. ego sanus ab illis, Perniciem quaecumque ferunt. ℙ *Male sanus*, insanus. *Cic. Att.* 9, 15. *f.* Ego illum male sanum semper putavi. *Virg. A.* 4, 8. Male sana Dido. *Hor. Ep.* 1, 19, 3. Male sani poetae. ℙ Ad fluminis cursum non praecipitem, sed lenem placidumque transtulit *Claud. Cons. Mall. Theod.* 235. eadem clementia sani Gurgitis immensum diducit in ostia Gangen. ℙ Item saepe ad orationem. Sanus enim orator dicitur, et sanum dicendi genus, in quo nihil est absurdum in sententia aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum: in verbis nihil inquinatum, nihil abjectum, nihil non aptum, nihil durum, aut longe petitum: absunt tamen vires, concitatio, et impetus eloquentiae: ut in corpore si sit quidem sanitas, desint autem vires, lacerti, sanguis. Lege *Cic. Brut.* 55, 79. et 80. et *opt. gen. Or.* 3, ubi hoc totum describitur, et explicatur. *Id. cit. c.* 55. Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum; et *cit. c.* 3. Sani et sicci oratores. *Id. Brut.* 13. Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia: sed parum pressi, et nimie redundantes: Rhodii saniores, et Atticorum similiores. *Plin. ep.* 9, 26. Orator rectus quidem, et sanus, sed parum grandis et ornatus. *Petr. Sat.* 2. Ne carmen quidem sani coloris enituit. [*V. quae dicta sunt in v. *salubritas.*]

*SAOCE, es, f. Σαώκη, mons Samothraciae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[SĂOTĔRUS, a, um, adj. comparat. σωώτερος, magis salvus, a σάος, salvus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 302, 2. Aelius Saoterus. *F.*]

SĂPĂ, ae, f. ἕψημα, σίραιον, mustum decoctum usque ad dimidium, *h. e.* ut e quatuor v. gr. heminis duae igne absumantur, quae remaneant. *Varr.* ap. *Non.* 17, 14. Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant. *Id. ib.* 13. Antiquae mulieres majores natu bibebant loram, aut sa-

pam, aut defrutum, aut passum. *Ov. Fast.* 4, 780. Hac niveum potes, purpureamque sapam. *Mart.* 7, 53. Et Laletanae nigra lagena sapae. ℙ *Plin.* vocat *sapam* mustum usque ad tertiam partem decoctum: *defrutum* usque ad dimidiam. Ejus verba sunt 14, 9, 11. Siraeum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant, ingenii, non naturae opus est, musto usque ad tertiam partem decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus. Adde 23, 2, 30., ubi ejus vires in medicina recenset, praesertim contra noxia animalia, et *Pall.* 11, 18. ℙ *Colum.* ita de sapa loquitur 12, 19., ut cum defruto confundat, et sive tertia, sive quarta, sive dimidia pars musti decocta sit, hoc nomine complectatur. ℙ Usus sapae, et defruti fuit praecipue vinis condiendis. *Colum. l. c.* ℙ *Musta ad sapas decoquere* ap. *Plin.* 14, 19, 24. est sapam facere.

SAPAEI, orum, m. plur. Σαπαῖοι, populi Thraciae, in ora maris Euxini. *Plin.* 4, 11, 18. *Ov. Fast.* 1, 389. Exta canum vidi Triviae libare Sapaeos, Et quicumque tuas accolit, Haeme, nives.

*SAPE, es, f. Aethiopiae opp., ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*SAPEI, orum, populi Asiatici, trans Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

[SAPĒNOS, i, f. gemma ex genere amethystorum. *Plin.* 37, 9, 40. Alteram earum (*amethystorum*) genus descendit ad hyacinthos. Hunc colorem Indi sacon vocant, talemque gemmam sacondion. Dilutior eadem et sapenos vocatur. Alii leg. *sapinos. F.*]

SAPERDA, ae, m. σαπέρδης, *Festo* est genus vilissimi piscis. *Hesych.* et piscis, qui et coracinus dicitur, et salsamenti vilioris apud Ponticos nomen esse docet. Unde *Pers.* 5, 134. Et quid agam? rogitas? saperdas advehe Ponto, Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa. ℙ Praeterea *saperda* est sapiens, inquit *Fest.*, et elegans, ut addit *Non.* 2, 823. *Varro* apud *utrumque:* Omnes videmur nobis esse belli, festivi, saperdae, cum simus σαπροί, *h. e.* putidi. *Gloss. Philox.* Saperda, κομψὸς, *h. e.* festivus, elegans.

*SAPHAR, Arabiae Felicis oppidum. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

SAPHON, onis, m. *Isid. Or.* 19, 4. Saphon, funis nauticus in prora positus: de quo Caecilius: Venerio cursu veni, prolato pede usque ad saphonem. ℙ **Isidori* expositionem damnat *Voss.* ad *Catull.* p. 13. ed. *Londin.* et locum intelligit de Savone fluvio Campaniae. ℙ Fuit et *Saphon, onis*, oppidum Palaestinae, trans Jordanem. *Vulgat. Jos.* 13, 27. *B. A.*

SAPĪDE, adv. εὐχύλως, grato sapore. *Appul. Met.* 8. *f.* Femur in protrimentis sapidissime percoctum.

SAPĪDUS, a, um, adj. εὔχυλος, gratum saporem habens. [*Pl. Pers.* 4, 4, 80. Nata est *(puella)* in calido loco (*h. e.* in culina), ubi rerum omnium bonarum copia est sapidissima. Ita edidit *Bothe* pro *saepissime. F.*] *Appul. Met.* 2. Tucetum perquam sapidissimum; et *ib.* 10. Coquus qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita vapore mollibat. *Apic.* 6, 6. Avem sapidiorem facere. ℙ Translate. *Alcim.* 6, 458. sapidae raptim properate puellae, *h. e.* virgines prudentes, ex *Matth.* 25, 2.

SAPIENS, entis, part. a *sapio:* φρόνιμος, σοφὸς, doctus, peritus, prudens, mente et consilio praeditus, bene sanus: cui opponitur stultus. *Cic. Off.* 1, 5. Qui maxime perspicit, quid in quaque re verissimum sit; quique acutissime et celerrime potest videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet. *Id. Cluent.* 31. Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit ipsi, veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. *Id. Phil.* 10, 8. *med.* Quis aut sapientior ad conjecturam rerum futurarum, aut ad propulsandum metum diligentior? *Hor. Ep.* 1, 7, 22. Vir bonus et sapiens. *Pl. Truc.* 4, 4, 15. Cogitatio, mus pusillus quam sit sapiens bestia, aetatem qui uni cubili nunquam committit suam: quia, si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit. *Plin.* 11, 38, 90. Animalium fortiora, quibus sanguis crassior; sapientiora, quibus tenuior. *Pl. Rud.* 2, 4, 15. Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit; et *Pers.* 4, 7, 19. (et *Ter. Ph.* 3, 3, 8.) Dictum sapienti sat est; et *Rud.* 2, 3, 29. Nec te aleator ullus est sapientior. *Ov. A. Am.* 1, 62 sera et sapientior aetas. *Pl. Pers.* 4, 5, 1. Edepol dedisti operam allaudabilem, probam, et sapientem, et sobriam. *Cic. Att.* 8, 12. Nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem. *Id. Leg.* 3, 7. *extr.* Sapiens juris temperatio. *C. Carbo* ap. *eund. Or.* 33. *med.* dictum. *Val. Max.* 7, 2. *n.* 4. factum. *Ov. Met.* 13, 433. consilium. *Nep. Timoth.* 4. Moderata et sapiens vita. *Gell.* 1, 15. Homerus vir sapienti facundia praeditus. ℙ [**Sapiens Aurora* ap. *Ov. Her.* 4, 96. dicitur, quod sciebat, ex ardentis juvenis concubitu majorem voluptatem capi, quam ex frigidi senis Tithoni: ubi *Ruhnk.* laud. *Met.* 10, 622. et optari potes a sapiente puella: coll. *Burm.* ad h. l.] ℙ Cum gen. *Id.* 13, 8. Qui sapiens esse rerum humanarum vult, non libris solis opus est, etc. ℙ *Sapientissima arborum*, dicta est morus, quia novissima urbanarum germinat, nec nisi exacto frigore. *Plin.* 16, 25, 41. ℙ Praecipue *sapiens* dicitur, qui humanarum divinarumque rerum scientia pollet, et ad ea vitam suam moresque ita instituit, ut integrum se a vitiis pravisque affectibus praestet, et animum virtutibus moralibus exornet. De quo multa *Cic.* in scriptis philosophicis, et *Seneca* passim. ℙ Septem fuere in Graecia viri, consensu omnium *Sapientes* appellati, Thales Milesius, Solon Atheniensis, vel Salaminius, Chilon Lacedaemonius, Pittacus Mitylenaeus, Bias Prienaeus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius. Horum γνῶμαι fuere, Thaletis ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, Solonis ὅρα τέλος μακροῦ βίου, Chiloni γνῶθι σεαυτὸν, Pittaci γίγνωσκε καιρόν, Biantis οἱ πλεῖστοι κακοὶ, Cleobuli ἄριστον μέτρον, Periandri μελέτη τὸ πᾶν: quae omnia fuse varieque extulit *Auson.* in *Ludo VII. Sapient.* ubi in Thalete nominis originem tradit, quae talis fuit. Quidam Milesii jactum retis emerant a piscatoribus: extracto rete inventus est cum piscibus tripus aureus. Suum esse ajebant Milesii, quod illum omnem jactum pecunia emissent: sibi vindicabant piscatores, quod solam piscium capturam pepigissent. Dirimendae liti, quae usque ad arma exarserat, aditum est Apollinis oraculum, cujus responsum fuit, sapientissimo illius aetatis tripodem deberi. Omnium consensu ad Thaletem delatus est, a quo ad Biantem remissus, tanquam se sapientiorem: hic eadem de causa Pittaco obtulit: ab hoc ad alios, quos nominavimus, transmissus, donec ad Thaletem rediret: qui demum statuit Apollini dicandum, soli vere sapienti, et sapientiae largitori. Admirata Graecia illorum virorum magnitudinem animi, eos et esse, et vocari debere sapientes judicavit. Adde *Val. Max.* 4, 1. *n.* 7., ubi paucis mutatis eadem narrat. [*Cf. quae laud. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 4, 17.] ℙ Post hos fuit Pythagoras, dignus et ille quidem eo nomine, sed qui se maluit philosophum appellari, idest amatorem sapientiae, quam sapientem, ut est ap. *Cic. Tusc.* 5, 3. Apud Romanos sapientes dicti sunt L. Atilius JCtus, M. Cato, C. Laelius, item C. Fabricius, M'. Curius, Ti. Coruncanius, ut *Id. Amic.* 2. et 5. tradit. *Id. Off.* 3, 4. Nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi: nec ii, qui sapientes habiti sunt, M. Cato, et C. Laelius, sapientes fuerunt: ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant, speciemque sapientum. [*Leg. *sapientium.* Sine varietate tamen *sapientum* editur in *Agr.* 1, 1, 1. ℙ Ap. *Hor. Sat.* 2, 4, 44. Fecundae leporis sapiens sectabitur armos: *Schol. Cruq.*: *sapiens* hic a *sapore*, non a sapientia dictus: ita ut sapiens sit, quem nos dic. *Schmecker*, *Feinschmecker.* Contra *Heindf.* sensu communi intelligit de eo, qui summam alicujus rei peritiam exserat, referendum ad illam, quam v. 36. dicit: *tenuem rationem saporum.*]

SAPIENTER, adv. σοφῶς, scite, docte, cordate, prudenter: cui opponitur insipienter, stulte, temere. *Pl. Pers.* 3, 1, 47. Sapienter potius facias, quam stulte. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Si cecidisset, ut volumus, omnes te, et sapienter et fortiter; sin aliquid esset offensum, eosdem illos, et cupide et temere fecisse dicturos. *Pl. Poen.* 1, 1, 1. Saepe res multas tibi mandavi dubias, egenas, inopiosas consilii: quas tu sapienter, docte et cordate, et cate mihi reddidisti opiparas opera tua. *Id. Mil.* 3, 3, 34. Lepide et sapienter, commode et facete res parata est. *Id. Epid.* 3, 3, 23. Docte et sapienter dicere. *Id. Aul.* 3, 5, 3. Sapienter factum et consilio bono. *Id. Amph.* 1, 1, 133. Recte et sapienter facere. *Cic. Phil.* 4, 2. *f.* Non solum id animose et fortiter, sed considerate etiam sapienterque fecerunt. *Ter. Ad.* 5, 8, 30. Bene et sapienter dixti dudum. *Id. Eun.* 3, 1, 26. Pulcre mehercle dictum, et sapienter! *Just.* 2. *f.* et *Pl. Mil.* 3, 1, 89. Sapienter consulere. *Cic. Dom.* 1. interpretari religiones. *Nep. Ep.* 3. temporibus uti. *Ter. Andr.* 1, 1, 40. vitam instituere. *Gell.* 19, 12. minus, et parum viriliter dolorem ferre. *Pl. Truc.* 4, 3, 53. Insipienter factum sapienter ferre. *Ov. Her.* 21, 57. Si laedis quod amas, hostem sapienter amabis. *Pl. Poen. prol.* 7. Qui edistis, multo fecistis sapientius. *Cic. Fam.* 2, 7. Nemo est, qui tibi sapientius suadere possit te ipso. *Id. Brut.* 42. Servius sapientissime fecit.

SAPIENTIA, ae, f. gustus, sapor: a *sapio. Coel. Symp. aenigm.* 83. de perna: Una mihi soror est, plures licet esse putentur. De fumo facies, sapientia de mare nata est, *h. e.* sapor salsus est: quod enim sapit perna, de sale habet. Videtur ad hanc notionem respexisse *Ter. Ad.* 3, 4, 60. Conservis ad istunc praecipio modum: Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum: illud recte: iterum sic memento: sedulo moneo, quae possum, pro mea sapientia. Ubi *Donatus:* Διασυρτικῶς sapientia dixit: quia condimentum gustu ac sapore temperant coci. ℙ Refertur ad animum: et primo significat sanam mentem, recte sentiendi vim, sanum de rebus judicium, quibus homo sui compos est, cognoscit, advertit, intelligit: et opponitur delirio, amentiae, furori. *Plin.* 7, 50, 51. Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori; et *ib.* 51, 52. Jam signa letalia in furoris morbo risum, sapientiae vero aegritudine fimbriarum curam, et stragulae vestis plicaturas. Ita *Hard.*, nam alii aut lectione, aut interpretatione mire variant. ℙ Deinde cognitionem, peritiam, sagacitatem, prudentiam, rerum expetendarum et fugiendarum scientiam, φρόνησις, σοφία: et opponitur stultitiae, temeritati, inscitiae. *Ter. Ph.* 2, 1, 17. Incredibile est, quantum herum anteeo sapientia. Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit. *Nep. Att.* 20. *med.* Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantae sit sapientiae eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat. *Cic. Marcell.* 2. *extr.* Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. *Nep. Timoth.* 5. Homines usu et sapientia praestantes. *Just.* 18, 3. *med.* Tunc intellectum est, quantum ingenua servilibus ingenia praestarent: malitiaque servos, non sapientia vincere. *Pl. Mil.* 2, 2, 81. Herus meus non habet plus sapientiae, quam lapis. *Id. Capt.* 2, 3, 53. Emisisti e vinclis tuum herum tua sapientia. *Id. Merc.* 3, 1, 7. Facere certum est pro copia et sapientia, quae te velle arbitrabor; et *Stich.* 1, 2, 62. Quanta mea sapientia est. ℙ De peritia in una aliqua scientia. *Cic. Or.* 2, 33. *f.* Istam oscitantem et dormitantem sapientiam, Scaevolarum et ceterorum beatorum otio concedamus, *h. e.* juris prudentiam. [*Cf. *Fam.* 1, 10. et *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. — Signif. etiam eloquentiam, s. artem oratoriam. V. *Cic. Or.* 3, 25. coll. *Mur.* 14. et *Schütz. l. l.* — *Plin. Pan.* 47, 1. Sapientiae doctores, i. e. philosophiae. *Suet. Tib.* 14. sapientiae professor, i. e. mathematicus.] ℙ De temperatione quadam lenitatis et prudentiae: quia sapientis est, in rebus humanis aequum se potius, quam rigidum praebere. *Id. Marcell.* 6. Videntur mihi Dii immortales, vel placati jam, vel satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse. *Pl. Mil.* 4, 6, 36. Si parem sapientiam hic habet, ac formam, per amorem si quid fecero, clementi animo ignoscet. Adde *Cic. Dejot.* 2. ℙ Saepe est cognitio et scientia omnium divinarum humanarumque rerum, quam vitae integritas, et morum sanctitas consequitur. *Cic. Off.* 1, 43. Princeps omnium virtutum est illa sapientia, quam σοφίαν vocant: prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν, aliam quandam intelligimus: quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum, in qua continetur Deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Adde *ib.* 2, 2. et *Tusc.* 5, 3. etc. *Sen. V. B.* 3. A natura non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. *Id. ep.* 20. Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle; licet illam exceptiunculam non adjicias, ut rectum sit quod velis: non potest cuiquam semper idem placere, nisi rectum; et *ep.* 89. Dicam, inter sapientiam et philosophiam quid intersit: sapientia perfectum bonum est mentis humanae: philosophia sapientiae amor est, et affectatio. *Cic. Leg.* 1, 22. Mater omnium bonarum artium sapientia est. ℙ In plur. num. *Cic.* vertens *Epicuri* verba, *Tusc.* 2, 18. *f.* Qui si virtutes ebullire nolent et sapientias, nihil aliud dicent, nisi, etc. ℙ [*Confund. *sapientia* et *patientia.* V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 510.]

SAPIENTIĀLIS, e, adj. a *sapientia. Tert. Anim.* 15. Summus in anima gradus vitalis, et sapientialis.

SAPIENTĪPOTENS, entis, adj. qui sapientia multum valet, ut *bellipotens*, qui plurimum potest bello. *Cic. Div.* 2, 56. Postremo quamquam semper fuit, ut apud Ennium est, stolidum genus Aeacidarum, Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes; tamen hanc versus amphiboliam intelligere potuisset.

SAPINĒUS, et Sappineus, et Sappinius, a, um, adj. qui est ex sapino. *Colum.* 12, 5. *f.* Sapineae nuces. *Plin.* 15, 10, 9. Tertium genus (*pinearum nucum*) sappiniae, e picea sativa, nucleorum cute verius, quam putamine, adeo molli, ut simul mandatur. ℙ A *Vitr.* 2, 9. sapinea vocatur pars abietis ima, de qua V. in SAPINUS.

SAPINIA Tribus. V. SAPPINIA.

[SAPĪNOS. V. SAPENOS. *F.*]

SAPĪNUS et Sappinus, i, f. non est genus arboris, sed nomen materiei quarundam arborum caesarum, ut docet *Plin.* 16, 12, 23., praesertim abietis. In hac enim quae pars a terra fuit, enodis et liquida, fluvio macerata, decorticata, et in quatuor partes secundum venarum cursum diffisa, *sapinus* et *sapinea materia* vocatur, ut *Id. ib.* 39, 76. et *Vitr.* 2, 9. *med.* diserte tradunt: quemadmodum ejusdem abietis superior pars, nodosa duriorque, fusterna dicitur. ℙ Sunt tamen loca non pauca, quibus hac voce genus unum arboris significari videtur. Nam *Gloss. Philox.* Sappinus, πεύκη. *Item* Sapinus, πίτυς. *Cato R. R.* 31. et ap. *Plin.* 16, 39, 75. Prelum e sapino atra potissimum facito. In *Cat.* quidam leg. *e carpino. Varr. R. R.* 1, 6. Quaedam in montanis prolixiora nascuntur ac firmiora, propter frigus, ut abietes ac sappini. Sed haec, et alia, si qua sunt, ad priorem significationem trahi possunt per synecdochen. Πεύκη enim et πίτυς, sapinus dicuntur, quia ex his sapinus fit. Atra sapinus ap. *Cat.* facile in-

telligitur abies in sapinum redacta. *Varro* abietes et sappinos distinxit, fusternam fortasse, et sapinum intelligens. *Serv.* profecto ad *Virg. G.* 2, 68. Abietis species apta navibus, quam sapinum vulgo vocant. Haec tamen non ego obstinate defenderim.

SĂPĬO, is, pivi et pii, n. *χυλὸν ἔχω*, saporem habeo. *Pl. Mil.* 2, 6, 104. Certe scio occisam saepe sapere plus multo suem, cum manducatur. *Colum.* 7, 8. Fici ramulis glaciatus caseus jucundissime sapit. *Juven.* 11, 120. At nunc divitibus coenandi nulla voluptas: Nil rhombus, nil dama sapit. ℙ Cum accus. *Plin.* 11, 8, 8. Mella herbam eam sapiunt; et *Sen. Q. N.* 3, 18. Tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eo die captum piscem, qui, ut ajunt, saperet ipsum mare. Adde *Petr. fragm. Trag.* 66. *Burm.* et *Phaedr.* 3, 4. ℙ Item saporem percipere. *Cic. Fin.* 2, 8. *med.* Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus. [*Negat *Doederl.* 3, 126. *sapere* h. l. recte a *Forc.* explicari per *saporem percipere*, i. e. *gustare*. Significare enim *sapere* non sensu objectivo ipsam boni rectique percipiendi facultatem, sed subjectivo sensu propriam alicujus, internam animi virtutem, quae, sicut in cibo bene sapido, externa quoque fieri, exserere vires soleat: gustum, act. sensu positum, cunctamque intelligentiam esse consequens vel accidens sapientiae. Ejusdem generis locum laudat *Hor. Ep.* 1, 12, 15. Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures: ubi sententiam loci his vv. exprimit: *Da du dein edles Wesen und Streben behauptest:* contra *Schell.*, qui vertit: *Da du keinen Geschmack an Kleinigkeiten hast.*] ℙ Per catachresin transfertur ad odores, olere, redolere. *Plin.* 17, 5, 3. et 13, 3, 4. Cicero, meliora, inquit, unguenta sunt, quae terram, quam quae crocum sapiunt: hoc enim maluit dixisse, quam redolent. Ita est profecto: illa erit optima *(terra)* quae unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terrae odor ille, qui quaeritur, etc. et *Pl. Ps.* 2, 4, 47. Quid sapit? *Cha.* hircum ab alis. [*Cf. *Doederl.* 3, 123. sq.] Et translate *Pers.* 1, 11. Cum sapimus patruos, *h. e.* referimus, similes sumus, imitamur. ℙ Saepissime refertur ad animum, et significat intelligere, sapientia praeditum esse, quid agendum fugiendumve sit, scire, bonam mentem, et rectum rerum judicium habere, quid e re sua cuique sit, dignoscere, *φρονεῖν*. *Cic. Fam.* 14, 1. Qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. *Id. Off.* 2, 14. Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, et sapere plus quam ceteros arbitrantur. *Ter. Ad.* 3, 4, 22. Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est, videre, sed illa etiam quae futura sunt, prospicere. *Naevius* ap. *Prisc.* 10, 879. et ap. *Non.* 10, 31. Ego plus sapivi, qui fullonem compressi. *Ter. Heaut.* 2, 3, 81. Vis amare, vis potiri, vis, quod des illi, effici: tuum esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis: si quidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere. *Cic. Div. Verr.* 17. Causam inimicitiarum cognoscite ex me: nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, nunquam proferet. *Id. Quint.* 4. Romae sibi nummorum facultatem esse, quam si saperet, communem existimaret. *Prop.* 4, 6, 83. si quid sapis. *Ter. Eun.* 4, 4, 53. Tu pol, si sapis, quod scis, nescis. *Pl. Ps.* 2, 2, 66. Ut lassus veni de via, me volo curare. *Ps.* sane sapis, et consilium placet. *Id. Rud.* 4, 1, 8. Pol magis sapisset, si dormivisset domi. *Mart.* 9, 6. Nubere vis Prisco: non miror, Paula: sapisti. Ducere te non vult Priscus: et ille sapit. *Pl. Bacch.* 4, 4, 12. Versipellem frugi convenit esse hominem, cui pectus sapit. *Lactant.* 3, 16. *med.* Sed sapiendum est, et quidem mature. ℙ Cum accus. *Pl. Ps.* 1, 5, 81. Recte ego rem meam sapio. *Id. Most.* 5, 1, 45. nullam rem sapis. *Eun.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. de hariolis: Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam. *Cic. Fam.* 7, 28. Quamquam quis, qui aliquid sapiat, nunc esse beatus potest? *Id. Att.* 14, 5. Ista quidem conjuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius. ℙ *Sapere*, peritum esse, intelligere. *Plin. ep.* 3, 6. Emi Corinthium signum, modicum quidem, sed festivum et expressum, quantum ego sapio, qui fortasse in omni re, in hac certe perquam exiguum sapio. ℙ *Sapere ad aliquid*, sapere in aliqua re, cum de re quapiam agitur. *Pl. Truc.* 4, 4, 1. Blitea et lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam. *Id. Pers.* 1, 3, 27. Sapis multum ad Genium. *Ter. Ad.* 5, 3, 46. Ad omnia alia aetate sapimus rectius. ℙ Illud quod attulimus ex *Pl. Rud.* in §. 5. Pol magis sapisset, *Prisc. l. c.* legit *sapuisset:* quod et *Probus*, et *Charis.* probat 3, 218. Nunc *sapui* locum habet praecipue in compositis *desipui*, *resipui*, etc. *Sapiens* V. supr. s. l.

*SAPIRĒNE, es, f. insula sinus Arabici. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

SĂPIS, is, m. *il Savio*, *Σάπις*, fluvius Aemiliae, ex Apennino in mare Adriaticum influens, inter Ravennam et Ariminum. *Plin.* 3, 15, 20. *Lucan.* 2, 406. et juncto Sapis Isauro. *Sil.* 8, 450. Hos Aesis, Sapisque lavant. ℙ *Huc fortasse referenda est *Sapinia Tribus*, de qua *Liv.* 31, 2. V. *Sappinia Tribus.* ℙ Fuit et Sapis, fluvius Italiae in Flaminia, prope Cesenam urbem. *Plin.* 3, 15. *B. A.*

SĂPO, onis, m. smegmatis genus. *Plin.* 28, 12, 51. Strumis prodest et sapo: Galliarum hoc inventum rutilandis capillis: fit ex sebo et cinere: optimus fagino *(cinere)*, et caprino *(sebo)*, duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos majore in usu viris, quam feminis. *Ser. Sam.* 11, 157. Horrebit si livor atrox, aut nigra cicatrix, Attrito sapone genas purgare memento. *Mart.* 14, 26. cui lemma *Sapo:* Caustica Teutonicos accendit spuma capillos. Captivis poteris cultior esse comis. Eandem rem designat, aut ejusdem generis, *ib.* 27. Si mutare paras longaevos cana capillos, Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas. *Mattiacum* Germaniae oppidum; et *Ser. Sam.* 4, 55. Ad rutilam speciem nigros flavescere crines Unguento cineris, etc.

[SĂPONĀRĬUS, ii, m. qui saponem conficit. *Plin. Valer.* 3, 14. *med.* Recipe lixiviae, qua utuntur saponarii, libram unam, uncias quatuor. *F.*]

SĂPOR, ōris, m. *χυλὸς*, *χυμὸς*, gustus, qualitas illa rerum, quae gustu percipitur. Dictum volunt ab *ὀπὸς* Aeolico pro *ὁπὸς*, succus, quia sapor in succo et humore maxime sentitur. *Plin.* 11, 37, 65. *extr.* Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini et in palato. *Cic. Coel.* 27. *f.* Qui non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suavitatem. *Plin.* 15, 27, 32. Quae sunt communia et pomis, omnibusque succis, saporum genera tredecim reperiuntur: dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. Praeter haec, tria sunt genera mirabili maxime natura: unum, in quo plures pariter sentiuntur sapores, ut vinis: alterum, in quo sit et alienus quidem, sed et suus quidam et peculiaris, ut in lacte: siquidem inest ei, quod tamen jure dici dulce, et pingue, et suave non posset, obtinente lenitate, quae ipsa succedit in saporis vicem. Nullus hic aquis, ne succus quidem, ut tamen eo ipso fiat aliquis, ac suum genus faciat; et *mox:* Mirum tria naturae praecipua elementa sine sapore esse, sine odore, sine succo, aquas, aera, ignes. *Id.* 8, 51, 77. de sue: Neque alio ex animali numerosior materia ganeae: quinquaginta prope sapores, cum ceteris singuli. *Id.* 15, 15, 16. Pira acidulo sapore jucunda. *Ov. Pont.* 1, 10, 13. Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum. *Virg. G.* 4, 277. de amello: Asper in ore sapor. *Plin.* 2, 100, 104. Asper sapor maris. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 1. Sapor asperrimus; et 20, 11, 44. acer et fervidus. *Id.* 25, 5, 20. austerus. *Pall.* 3, 25. et 4, 10. *med.* argutus. *Plin.* 34, 13, 33. horridus. *Id.* 26, 8, 50. odoratus et jucundus; et 15, 14, 15. gratissimus. *Id.* 16. *in.* blandus. *Rut. Itin.* 1, 253. mollis. *Virg. G.* 2, 126. tardus, *h. e.* qui vix percipitur. [*Heyn. rectius expl. diu palato immanens, quia acerbus, pungens est. *Reisk.* conj. *sardumque saporem*, qui contrahit os in similitudinem risus Sardonii, ut *Ecl.* 7, 41.] *Ov. Trist.* 4, 6, 12. Poma sapore tristi. *Pall.* 4, 10. *med.* Ficus saporis obtusi. *Appul. Met.* 1. Caseus sciti saporis. *Plin.* 15, 1, 2. Oleum sapore praestantissimum. *Id.* 31, 7, 39. Hammoniacus sal ingratus sapore, sed medicinae utilis. *Id.* 26, 10, 63. Erythraicon sapore subdulce. *Id.* 14, 20, 25. Ut odor vino contingat, et saporis quaedam acumina. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 46. *f.* Tincam multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo, *h. e.* salibus, urbanitate, facetiis, [*quae sunt propriae iis, qui Romae sunt nati.] *Id. in. Senat.* 6. Homo sine sensu, sine sapore, elinguis, tardus, *h. e.* fatuus, insulsus, stultus. [*V. *Doederl.* 3, 125.] *Arnob.* 3, 108. Quisquamne est hominum rationis alicujus sapore contactus, qui pilos et lanugines credat in Deorum corporibus nasci? et *Petr. Sat.* 3. Quoniam sermonem habes non publici saporis, *h. e.* non vulgaris, sed cultioris eloquentiae. Adde *ib.* 5. et V. PUBLICUS. ℙ Metonymice est ipsa facultas percipiendorum saporum, quae in ore est. *Lucr.* 2, 509. Namque aliis aliud retro quoque tetrius esset Naribus, auribus, atque oculis, orisque sapori. [*Ap. aureae aetatis scriptores v. *sapor* hoc sensu non legitur. V. *Doederl. l. l.*] ℙ Item ipsa res saporem habens. *Plin.* 9, 17, 29. Admovit sibi gula sapores, piscibus satis, et novum incolam mari dedit. *Id.* 12, 1, 2. Tot sapores annui sponte venientes, et mensae secundae. *(Odor* quoque sic usurpatur. V.) *Virg. G.* 4, 62. hic tu jussos asperge sapores, Trita melisphylla, et cerinthae ignobile gramen. Adde *ib.* 267. [*Adde *Tib.* 1, 7, 35. et 4, 4, 9. ubi v. *Heyn.*] ℙ Ut *sapio*, ita et *sapor* ad odorem refertur per catachresin. *Plin.* 32, 10, 39. Gravitati saporis occurritur tectis naribus unguento. *Id.* 23, 4, 45. Oleum caryinum iners, et gravi sapore. ℙ *Sapor* et *Sapores*, Graece *Σαπώρης*, fuit apud Parthos nomen quorundam regum, ut Pharao, et Ptolemaeus apud Aegyptios, Caesar apud Romanos. *Sidon. carm.* 2, 456. si fallo, probasti Ventidio mactate Sapor, *h. e.* Pacore, qui a P. Ventidio Basso victus et occisus fuit. *Claud. in Eutrop.* 2, 481. socium nobis fidumque Saporem Perculit. [*V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 9, 7. ℙ Conf. *sapores* et *sopores* V. *Heyn.* ad *Tib.* 4, 4, 9.]

SAPORĀTUS, a, um, part. a *saporo: γευστικὸς*, sapore imbutus, conditus. *Tert. Spect.* 27. Condita pulmenta, et bene saporata, et plurimum dulcia. *Ammian.* 31, 2. Ut neque igni, neque saporatis indigeant cibis. *Arnob.* 5, 164. Saporatior sanguis. *Virg.* 6, 420. Melle saporatam, et medicatis frugibus offam Objicit. *Petr. fragm.* p. 675. *Burm.* Mille saporatam medicatis frugibus offam. Ap. *Virg.* plerique omnes leg. *soporatam.*

[SĂPORO, as, a. 1. saporem alicui rei tribuo. *Dracont. Hexaem.* 1, 165. Qui rosulis stellare nemus, vel floribus agros Imperat, autumni qui dulcia poma saporat. *F.*]

[*SAPOROSUS, a, um, adj. *Constant. Afer de Febr.* 4. Sanguis est omnibus elementis saporosior. *Bail.*]

SĂPORUS, a, um, adj. *γευστὸς*, sapore grato imbutus, sapidus, saporatus. *Lactant.* 3, 16. *f.* Postquam, inquit (*Pers.* 6, 38.) sapere urbi Cum pipere et palmis venit: tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta. *Prud. Cath.* 4, 94. Nil est dulcius, ac magis saporum.

[SAPPA, ae, f. instrumentum rurale. *Gloss. Isid.* Sappa, quasi sarculum. V. SAPPULA. *F.*]

SAPPHĬCUS, a, um, adj. *Σαπφικὸς*, a Sappho. *Catull.* 35, 15. puella doctior Sapphica Musa, *h. e.* Sappho, quae decima Musa habita est ob excellentiam carminis. ℙ Sapphicum hendecasyllabum a Sappho inventum est. Hujus exemplum est illud *Horatii Od.* 1, 2, 1. Jam satis terris nivis atque dirae. *Diomed.* 3, 508. ℙ Alia sunt genera carminum, quae Sapphica dicuntur, ut illud trochaicum: Splendet aurum, gemma fulget, forma sed placet. Item: Faune Nympharum metus et voluptas: Et illud choriambicum: Dulcisonae Pierides versifico favete. Et illud Ionicum: Sonat alta trabe fixus tibi nidus. *Serv.* in *Centimetro*, p. 1819. et *sequentib. Auson. Ephemer.* 21. Fors et haec somnum tibi cantilena Sapphico suadet modulata versu.

SAPPHĪRĀTUS, a, um, adj. *σαπφειρωτὸς*, sapphiris ornatus. *Sidon. ep.* 2, 10. *in carm.* Ac sub versicoloribus figuris Vernans herbida crusta, sapphiratos Flectit per prasinum vitrum lapillos. ℙ Quod secundam hic syllabam *Sidon.* corripit, licentia est non imitanda.

SAPPHĪRĪNUS, a, um, adj. *σαπφειρινὸς*, qui est ex sapphiro, ut Lapis sapphirinus. *Plin.* 37, 9, 38. Inest ei aliquando et aureus pulvis, non qualis in sapphirinis.

SAPPHĪRUS, i, f. *σάπφειρος*, gemmae nomen, de qua *Plin.* 37, 9, 39. In sapphiris aurum punctis collucet caeruleis. Sapphirorum, quae cum purpura, optimae apud Medos, nusquam tamen perlucidae: praeterea inutiles scalpturae, intervenientibus crystallinis centris. Quae sunt ex iis cyanei coloris, mares existimantur. ℙ Secundam hic syllabam licenter corripuit *Venant. carm.* 6, 2, 86. Sapphirus, alba adamas, crystalla, smaragdus, iaspis, Cedant cuncta. *F.*]

SAPPHO, us, f. *Σαπφώ*, insignis poetria lyrica, carminis inventrix, quod ab ea *Sapphicum* appellatur, ex Eresso urbe Lesbi insulae, qua tempestate floruere Alcaeus, Terpsichorus, et Pittacus, tempore Tarquinii Prisci. Ea plectrum prima invenit. Scripsit lyricos modulos, epigrammata, elegidia, iambos, et monades. *Ov. Her.* 15, 3. An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus, etc. *Plin.* 22, 8, 9. Phaonem Lesbium dilectum a Sappho. ℙ Haec ex amoris impotentia de Leucade se praecipitem dedit. *Stat. Silv.* 5, 3, 154. saltusque ingressa viriles Non formidata temeraria Leucade Sappho. ℙ Puellarum amoribus infamis fuit. *Hor. Od.* 2, 13, 24. Aeoliis fidibus querentem Sappho puellis de popularibus. Adde *Ov. Trist.* 2, 365. ℙ [*Brevem et fuscam Sapphonem fuisse tradit *Id. Her.* 15, 33. et *Max. Tyr. Diss.* 24. p. 293. ubi v. *Davis.*]

SAPPĪNĬA Tribus, in Umbria. *Liv.* 31, 2. C. Oppium cum hac tumultuaria manu per Umbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Bojorum invadere jussit. Adde 33, 37. Ex hoc autem loquendi modo satis constat, non esse unam ex XXXV. tribubus R., sed locum in ea provincia sic appellatum. Quidam censent fuisse eum tractum, qui Sapi fluvio alluitur, et scribunt *Sapinia:* quae scriptura probatur etiam a *Morgagno Epist. Aemil.* 14. *sect.* 5.

SAPPĪNUS. V. SAPINUS.

SAPPĬUM, ii, n. picea, feritatis paulum mitigatae satu. *Plin.* 16, 12, 23. *extr.*, ubi alii aliter leg.

[SAPPŬLA, ae, f. dimin. sappae, parva sappa. Est nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 390, 19. Sappula uxor. *F.*]

SAPROPHĀGO, is, a. 3. putridis cibis vescor: a *σαπρὸς*, putris, et *φάγω*, comedo. Translate et obsceno sensu de cunnilingo usurpat *Mart.* 3, 77. ut quid enim, Baetice, saprophagis? Quaedam editiones scribunt Graece *σαπροφαγεῖς:* est enim Graeca vox.

SAPROS, a, um, adj. *σαπρὸς*, Graece putridum significat. Hinc ap. *Plin.* 28, 9, 34. Sapros caseus dicitur, qui cum sale, et sorbis siccis e vino tritus, potusque medetur coeliacis.

SAPSA, ipsa, et non alia, ap. veteres: quasi *se ipsa. Enn.* ap. *Fest.* in *Sas.* Quo res sapsa loco sese ostentatque, jubetque. *Pacuv. ib.* Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet.

SĂRĂ. V. SARRA.

SĂRĂBĂLĂ et Saraballa, orum, n. plur. ἀναξυρίδες, eadem quae Sarabara: [est a Chald. סַרְבָּלָא *sarbelà*, bracae; quod a סַרְבֵּל *sarbèl*, texit. *F.*] *Hieron. ep.* 1. *n.* 9. ex *Daniel.* 3, 94. Circa quorum saraballa, sanctamque caesariem innoxium lusit incendium. V. v. sq.

SĂRĂBĂRA, ae, f. et Sarabara, orum, n. plur. vestis Persicae genus fluxum et sinuosum, ut *Isid. Or.* 19, 23. describit. Est autem eadem, quae Latine bracae. *Publius* ap. *eund. ib.* Ut quid ergo in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt? *Hieron.* ad *Daniel.* 3, 21. Pro bracis, quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus est, Aquila et Theodotio *saraballa* dixerunt. Lingua autem Chaldaeorum *saraballa* vocantur bracae eorum, quibus crura teguntur et tibiae. *Tert. Pall.* 4. de Alex. M.: Vicerat Medicam gentem, et victus est Medica veste; triumphalem cataphracten amolitus, in captiva sarabara decessit. *Id. Resurr. carn.* 58. Babylonii ignes trium fratrum nec tiaras, nec sarabara laeserunt. Alii leg. *sarabaras.* Ex his patet, *sarabala* rectius, quam *sarabara* scribi; eamque vestem fuisse, quae et crura et femora tegit, quamque ita definit *Tac. H.* 2, 20. Bracas, tegmen barbarum. [*Multa hic adscripsit *F.*]

SARACĒNI, orum, m. plur. populi Arabiae Felicis, qui prius Agareni, postea Ismaelitae dicti sunt, quorum regio Saraca, vel Saracene. Eos memorat, eorumque mores describit *Ammian.* 14, 4. De vocis etymo V. in CANACHENUS *f.*

*SARAMANNA, ae, vel Saramanne, es, f. opp. Hyrcaniae. *Ammian.* 23, 25. (c. 6. *Vales.* p. 378.) *B. A.*

*SARANGAE, arum, populi Asiae ulterioris, circa mare Caspium. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

[SARANĪCUS, a, um, adj. ad Saram pertinens, fluvium, qui Mosellae admiscetur. Est cogn. Jovis. *Inscr.* ap. *Grut.* 22, 13. I. O. M. Saranico conservatori Honorius Vitalis, etc. *F.*]

SĂRĂNUS. V. SARRANUS.

*SARAPARAE, arum, populi Asiae ulterioris, circa mare Caspium, nec procul a Bactriana. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

[SĂRĂPIS, is, f. *Hesych. Σάραπις, περσικὸς χιτὼν μεσόλευκος, h. e.* Persica tunica candidos habens clavos. *Pl. Poen.* 5, 5, 33. Deglupta maenas, sarapis, semicinctium. ℙ *Sarapis, is* et *idis*, Deus Aegyptiorum. V. SERAPIS. *F.*]

SARCASMUS, i, m. σαρκασμός, species allegoriae, qua acriter irridemus aliquem: plena odio atque hostilis irrisio, per amaram ironiam, jocus amarulentus. Graeca vox a σαρκάζω, carnes detraho, ut fit a canibus morsu lacerantibus: quia hujusmodi irrisio valde mordet, et quasi lacerat. *Quint.* 8, 6. *med., Charis.* 4, 247., *Diomed.* 2, 458. Tale est illud *Virg. A.* 12, 359. En agros, et quam bello, Trojane, petisti Hesperiam, metire jacens; et *ib.* 10, 557. Istic nunc, metuende, jace. A *Cic. Or.* 3, 53. dici videtur *illusio.* V. ℙ Alio modo describit *Rufin. de fig. sent.* nempe cum foediora significamus, non sine dicacitate concinna: ut in illo *Virg. Ecl.* 3, 8. Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis, etc. et *Cic. Dom.* 18. Sexte noster, bona venia, quoniam jam dialecticus es, et hoc quoque liguris; et *Coel.* 13. *f.* Nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere: semper hic erro.

SARCĪMEN, inis, f. ῥαφή, sutura. *Appul. Met.* 4. Tunc tenui sarcimine summas oras ejus *(corii ursini)* adaequamus, et juncturae rimam, licet gracilem, setae circumfluentis densitate sepimus.

SARCĪNA, ae, f. τὰ σκεύη, τὸ φορτίον, φάκελλος, involucrum, fascis rerum utensilium, quem quis humeris portare potest, v. gr. in itinere. *Petr. Sat.* 117. *med.* Precati Deos viam ingredimur: sed Corax, detrectator ministerii, posita frequentius sarcina, maledicebat properantibus, affirmabatque, se aut projecturum sarcinas, aut cum onere fugiturum. *Pl. Trin.* 2, 4, 194. Actum est de collo meo: gestandus peregre clypeus, galea, sarcina; et 3, 2, 93. Sarcinam constringere, et clypeum ad dorsum accommodare. *Caes. B. G.* 2, 17. Legionem sub sarcinis adoriri. *Auct. B. Afr.* 75. Existimabat, milites sub onere, ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. *Caes. B. G.* 3, 76. Magna parte impedimentorum et sarcinarum relicta. [*Adde *B. Afr.* 69. Sarcinas legionarios in acervum jubet comportare cet.: ubi intellige non impedimenta legionum, sed sarcinas frumenti et aliorum cibariorum, quibus erat potitus Zetae. Sic *Guischard mem. milit. V.* 2. p. 261.] *Tac. A.* 1, 23. Sarcinae fugientium direptae; et *ib.* 20. Sarcinis gravare aliquem. *Prop.* 4, 3, 45. Romanis utinam patuissent castra puellis! Essem militiae sarcina fida tuae. ℙ Dicitur etiam de oneribus, quae jumentis, aut plaustris vehuntur. *Phaedr.* 2, 7. Muli gravati sarcinis ibant duo; et 3, 20. Asinus bajulans sarcinas. *Auct. B. Afr.* 75. Lixarum, mercatorumque, qui plostris merces portabant, interceptis sarcinis. Hinc sarcinaria jumenta, *Caes. B. C.* 1, 81. ℙ Item de rebus domi cistis arcave compositis. *Mart.* 2, 11. Salva est et uxor, sarcinaeque, servique; et *ib.* 68. Totis pilea sarcinis redemi. *Quint. decl.* 12, 13. Ubi universas familias famos exstinxit, inanes domus situm ducunt, jacent, relictae sine herede sarcinae. ℙ Translate. *Phaedr.* 3, 15. portat onus ignotum certis mensibus: Novissime prolapsam effundit sarcinam, *h. e.* fetum, partum. Sic *Ov. Met.* 6, 224. Ismenos, qui matri sarcina quondam Prima suae fuerat. *Id. Her.* 4, 23. Sic male vixque subit primos rude pectus amores: Sarcinaque haec animo non sedet apta meo. *Id. Pont.* 3, 7, 13. Haec quoque, Naso, feres: etenim pejora tulisti. Jam tibi sentiri sarcina nulla potest, *h. e.* molestia, calamitas; et *ib.* 1, 2, 101. publica sarcina rerum, [*i. e. onus administrandae reipublicae.] et *Pl. Most.* 2, 1, 82. Hinc speculabor procul, unde advenienti sarcinam imponam seni, *h. e.* curam, molestiam, negotium facessam. *Varr. R. R.* 1, 1. Annus octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita.

SARCĪNĀLIS, e, adj. ad sarcinas pertinens, ut Sarcinalia jumenta, ap. *Ammian.* 15, 5. et 29, 5. *f.*

SARCĪNĀRIUS, a, um, adj. σκευοφορικός, ad sarcinas pertinens, ut Sarcinarium jumentum, quo sarcinae vehuntur. *Caes. B. C.* 1, 81. *extr.* Illi omnia sarcinaria jumenta interfici jubent.

SARCĪNĀTOR, oris, m. σκευασιῆρ, sartor, qui resarcit ac reparat, et speciatim qui suit, et vestes reficit. *Serv.* ad *Virg. A.* 12, 13. Sarcinatores concipere dicuntur vestimenta, cum e diverso conjungunt et adstruunt. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 818. Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime. *Pl. Aul.* 3, 5, 41. Petunt fullones, sarcinatores petunt. *Paul. Dig.* 47, 2, 82. Fullo, vel sarcinator, qui polienda, et sarcienda vestimenta accepit, si forte his utatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur. ℙ [A *sarcina* deducit *Beda* p. 2345. Sartrix, vel sertrix, quae sarcit: sarcinator qui (lege *sarcinatrix*, quae) sarcinas servat. Ita enim habet et *Front. de differ. vocab.* p. 2192. *F.* *Praeferenda videtur ea ratio, qua ab inus. forma *sarcino* repetendam putant originem.]

SARCĪNĀTRIX, icis, f. ῥάπτις, mulier, quae vestes suit et reficit. *Varr.* ap. *Non.* 1, 276. Homines rusticos in vindemia incondita cantare, sarcinatrices in machinis. *Cajus Dig.* 15, 1, 27. Maxime siqua sarcinatrix, aut textrix erit, aut aliquod artificium vulgare exerceat. ℙ Fuit inter officia domus Augustae. Probatur quinque *Inscr.* ap. *Grut.* 580., quarum una *n.* 2. Julia Jucunda Aug. L. sarcinatrix a mundo muliebri. Adde ap. *Mur.* 896, 5. ℙ [Etiam *sarcinatrix*, ut *sarcinator*, a *sarcina* deducitur. *Non. l. c.* Sarcinatrices non, ut quidam volunt, sarcitrices, quasi a sarciendo: sed magis a sarcinis; quod plurimum vestium sumant. Idem confirmare videntur his verbis *Not. Tir.* p. 131. Sarcina, sarcinula, sarcinatrix. Adde *Front. l. c.* in v. praec. *F.* *Ubi v. quae nos notavimus.]

SARCĪNĀTUS, a, um, part. ab inus. *sarcino*, σκευοφορῶν, sarcinis onustus. *Pl. Poen.* 5, 2, 19. Viden', homines sarcinatos consequi? Adde *Paul. Not. carm.* 21, 911.

*SARCĪNO, as, a. 1. σκευάζω *Vet. Onom.* Cf. *Colv.* ad *Appul. Met.* 5. p. 76. *B. A.*

SARCĪNOSUS, a, um, adj. *Appul. Met.* 8. Lupi vastis corporibus sarcinosi. *Auct. Priap.* 80. Non es poeta sarcinosior nostro, *h. e.* majore inguinum pondere praeditus. Alii rectius leg. *fascinosior.* V. FASCINOSUS.

SARCĪNŪLA, ae, f. dimin. σκεύαριον, parva sarcina. *Catull.* 28, 1. Pisonis comites, cohors inanis, Aptis sarcinulis et expeditis. *Pet. Sat.* 99. Itaque, quod bene eveniat, expedite sarcinulas, et sequimini me. *Gell.* 19, 1. *med.* Ex sarcinula sua librum protulit. *Plin. ep.* 4, 1. Sarcinulas alligare: quod est iter facturi. *Juven.* 3, 160. Quis gener hic placuit censu minor, atque puellae Sarcinulis impar? *h. e.* dote et opibus. *Id.* 6, 145. Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi, *h. e.* res tuas tibi habe.

SARCĪO, is, sarsi, sartum, a. 4. ῥάπτω, ἀναασκευάζω, est integrum facere, h. e. quae rupta sunt, quassa, scissa, reficere, restituere, reparare, resarcire. *Festus* in *Sarte:* Sarte in auguralibus pro integre ponitur: sane sarteque audire, videreque. Ob quam causam opera publica, quae locantur, ut integra praestentur, sarta tecta vocantur: etenim sarcire est integrum facere. Haec *Festus*, quae *Charis.* 2, 195. repetit ab eo sumpta. *Cato R. R.* 2. Funes veteres sarciri, novosque fieri: centones, cuculiones familiam oportuisse sibi sarcire; et *ib.* 23. et 31. Face, uti corbulae sarciantur; et *ib.* 39. Si dolia bene sarseris, aut bene alligaveris. *Colum.* 4, 18. *f.* Vindemiatores pedamenta sarcientes. *Plin.* 18, 26, 64. Dolia quassa sarcire. *Id.* 37, 2, 10. Fragmenta crystalli sarciri nullo modo queunt. *Id.* 28, 26, 65. *n.* 3. Seminaria fieri, et vetera sarciri; et *Pall.* 1, 17. Rimas, et lacunas cisternarum, et piscinas, vel puteos sarcire. ℙ In re medica. *Id.* 28, 14, 58. Feminum haedi cinis rupta intestina sarcire mire traditur; et *ib.* 16, 62. Perniones ursinus adeps, rimasque pedum omnes sarcit. ℙ Translate est compensare damnum, remedium afferre, reponere in priorem statum. *Liv.* 9, 23. *med.* Damna vestra, milites, omnium qui defecerunt, populorum praeda sarcientur. *Caes. B. C.* 3, 68. Cupiens ejus diei detrimentum sarcire; et *ib.* 83. *f.* Dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum virtute sarciretur; et *ib.* 74. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamiae sarciendae. *Festus:* Sarcito in XII. Servius Sulpicius ait significare, damnum solvito, praestato. *Cic. Phil.* 9, 4. Nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo injuriam fecimus, sarciamus. *Id. Fam.* 3, 1. Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, crebritate et magnitudine officiorum meorum sarciam. *Virg. G.* 4, 249. generis *(apum)* lapsas sarcire ruinas. ℙ *Valer. Prob.* in *Cathol.* 1482. praeteritum *sarcivi* pro *sarsi* agnoscit, sed nullo scriptoris testimonio confirmat.

SARCĪON, ii, n. σαρκίον, caruncula: ita dixere vitium in smaragdis, quasi quandam gemmae carnem. *Plin.* 37, 5, 18.

[SARCĪTECTOR, oris, m. qui tectum sarcit. *Isid. Orig.* 19, 19. Sarcitector dictus, quod ex multis hinc inde conjunctis tabulis unum tecti sarciat corpus. *Gloss. ejusd.* Sarcitector, qui tecta resarcit. *F.*]

SARCĪTIS, is, f. σαρκῖτις, nomen gemmae bubulam carnem referentis: a σάρξ, σαρκὸς, caro. *Plin.* 37, 10, 67.

SARCĪTOR, oris, m. qui sarcit, et reficit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 753. *n.* 601. M. Pupius M. L. Urbanus sarcitor sibi, et Clarae conlibertae et Laurentinae F. T. F. I.

[SARCITRIX, icis, f. quae sarcit. V. *Non. l. c.* in SARCINATRIX. *F.*]

SARCOCOLLA, ae, f. σαρκοκόλλα, genus arboris, et ejus lacrima in Perside: a σάρξ, caro, et κόλλα, glutinum, quia vulnera glutinat. *Plin.* 13, 11, 20. Fit et ex sarcocolla (ita vocatur arbor) gummi utilissimum pictoribus, ac medicis, simile pollini turis, et ideo candidum, quam rufum, melius. *Id.* 24, 14, 78. Sunt, qui et sarcocollam spinae lacrimam putent, pollini turis similem, cum quadam acrimonia dulcem.

[SARCOMA, ătis, n. σάρκωμα, est superfluum carnis incrementum, quo ultra modum corpora saginantur: Graeci enim carnem σάρκα vocant. Alii leg. *sarcia*, alii rectius *polysarcia:* Graece enim πολυσαρκία hujusmodi corporis vitium appellatur. *F.*]

[SARCOPHĂGO, as, a. 1. in sarcophago condo. Translate *Venant.* in *ep. praem. carm.* 6. *l.* 5. *in.* Intra me quodammodo meipsum silentio sarcophagante sepeliens. *F.*]

SARCOPHĂGUS, i, m. σαρκοφάγος, lapidis, sive marmoris genus, in quo corpora defunctorum condita cito ad ossa rediguntur, nec modo caro, sed etiam ossa ipsa intra quadragesimum diem absumuntur, exceptis dentibus: a σάρξ, caro, et φαγεῖν, comedere. Ut plurimum erat lapis Assius, qui sic vocabatur, quia effoderetur in Assia regione Troadis, vel Mysiae, nempe circa Assum urbem. *Plin.* 2, 96, 98. At circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora: sarcophagus vocatur. *Id.* 36, 17, 27. In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus. ℙ Per synecdochen pro sepulcro poni consuevit, praesertim eo, in quo cadaver integrum sine rogo conditur; cujus rei exempla habes in *Inscr.* ap. *Grut.* 688, 10. et 689, 8. et 692, 10., et de Alexandro M. *Curt.* 10. *extr.* narrat. *Juven.* 10, 171. de eod. Alex.: Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem, Sarcophago contentus erit. *Scaev. Dig.* 31, 1, 18. *f.* Ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent. In *Inscr.* ap. *Grut.* 607, 1. Fictili sarcophago: et *mox:* marmoreo sarcophago corpora commendare et colligere, *h. e.* fictili sarcophago ad tempus, marmoreo in perpetuum. ℙ In *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 38. est *sarcophagum* neutr. gen., subintelligitur enim *marmor.* ℙ Hinc generatim *sarcophagus, a, um* est idem ac causticus, carnem consumens. *Inscr.* ap. *Tochon, Cachets des oculist.* p. 47. Junii Tauri crocodes sarcophagum ad aspritudinem. ℙ De sarcophagis defunctorum docte disserit *Viscont.* in *praef. T.* 5. *Mus. Pio-Clem.* [*Plura adjecit *F.*]

SARCOPTES, ae, m. σαρκόπτης, titulus est libri secundi *Apicii*, in quo agit de carnium sectione, deque incisarum carnium condimentis, a σάρξ, σαρκὸς, caro, et κόπτω, caedo.

SARCOSIS, is, f. σάρκωσις, morbus veterinorum, quo, cum biberint, inflantur, et sufflant. *Veg. Vet.* 3, 26.

SARCŪLĀTĬO, onis, f. σκάλισις, actus sarculandi, sarritio. *Plin.* 18, 21, 50. Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat teporibus vernis. *Pall.* 3, 24. Caulis gaudet stercore, et sarculatione.

SARCŪLĀTUS, a, um, part. a *sarculo:* sarriendo purgatus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 264. Nata in hortis sarculatis.

SARCŪLO, as, a. 1. σκάλλω, sarculo fodio, sarrio. *Pall.* 2, 9. Serenis diebus sunt sarculanda frumenta: et *mox:* Si siccas segetes sarculaveris. *Id.* 11, 11. Sinapi sarculari debet assidue, ut respergatur pulvere, quo fovetur.

[SARCŪLO, onis, m. qui sarculat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 318, 1. et 2. L. Antestius Cn. F. Hor. Sarculo. *F.*]

SARCŪLUM, i, n. *saepius quam* Sarculus, i, m. *σκαλὶς, σκαλιστήριον*, ferramentum rusticum, quo terra leviter foditur, sarritur, et ab inutilibus herbis purgatur: a sarriendo. *Sarculos simplices*, et *bicornes* memorat *Pall.* 1, 43. A marra et ligone differt, quia his levius terram ferit. (Unde montanae gentes sarculis arant, ut est ap. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. quia lapidum crebritas alte infigere vetat vomerem aut ligonem.) Cum his tamen confundit *Hor.*, cum ait *Od.* 1, 1, 11. patrios findere sarculo agros. Nam per synecdochen omne rustici ferramenti genus intelligit. *Cato R. R.* 155. Cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculis exire oportet. *Colum.* 10, 91. Tunc quoque trita solo splendentia sarcula sumat. *Id.* 2, 11. *f.* Minimis aratris proscindunt, atque ita jaciunt semina, et sarculis adobruunt. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Fabam levi sarculo purgare verius quam fodere; et *ib.* 7, 18. Hordeum sarculo seri dicunt sapientes agricolae: propterea celerrime redit. *Id.* 19, 6, 33. Sarculo leviter convelluntur radices. *Id.* 17, 26, 41. Riguus pro sarculo est, *h. e.* rivus circa vites deductus, herbas necans, sarculi vicem praestat.

SARDA, ae, f. piscis, eadem ac sardinia, ex genere pelamidum, cujus multus usus in salsamentis. Est enim pelamis longa, ex Oceano veniens, ut *Plin.* 32, 11, 53. docet. *Id. ib.* 5, 17. Contra presteris morsum sarda prodest. ℙ Item gemma scalpturae utilissima, primum Sardibus reperta, sed laudatissima circa Babyloniam, cum lapicidinae quaedam aperirentur, haerens in saxo cordis modo. Invenitur etiam compluribus aliis locis in Paro, in Asso, circa Aegyptum, et Leucada Epiri (et Sardinia, *Kirchero* teste), nec fuit alia gemma apud antiquos usu frequentior. *Plin.* 37, 7, 31. Quidam putant, a nostris dici *Karneol.* ℙ [Quatenus piscem significat, est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 323, 8. Sex. Julius Sarda. *F.*]

*SARDABALE vel Sardabal, fluvius Mauritaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. *Mela* 1, 6. ℙ In *Melae* loco est *Sardabale*. Ap. *Plin.* est *Sardabal* in ed. *Hard.* In ceteris *Sardabala* impressum. *B. A.*

SARDACHĀTES, ae, m. *σαρδαχάτης*, species achatae similitudinem cum sarda gemma habentis. *Plin.* 37, 10, 54.

SARDĀNĂPĀLĬCUS, a, um, adj. a Sardanapalo. *Sidon. ep.* 2, 13. *med.* Sardanapalicum in morem prandere.

SARDĀNĂPĀLUS, i, m. *Σαρδανάπαλος*, postremus Assyriorum rex, adeo corruptae vitae, et libidinum deliciarumque affluentis, ut inter mulieres gynaeceo abditus viveret, et muliebri veste indutus cum iis purpuram neret. Quo habitu ab Arbacto Medis praeposito inventus, conjuratione principum facta, bello petitus, et proelio victus, in regiam se recepit, exstructaque pyra, et se, et divitias suas cremavit. *Just.* 1, 3. et *Vell.* 1, 6. Addit *Cic. Tusc.* 5, 35. incidi jussisse in busto: Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata libido Hausit: at illa jacent multa et praeclara relicta. Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? *Juven.* 10, 360. et potiores Herculis aerumnas credat, saevosque labores Et Venere, et coenis et plumis Sardanapali. *Ov. Ib.* 313. Inque pyram tecum carissima pignora mittas: Quam finem vitae Sardanapalus habet. ℙ Transiit in nomen cujuscumque mollioris. *Mart.* 11, 11. Te potare decet gemma, qui Mentora frangis In scaphium moechae, Sardanapale, tuae. ℙ *Scribitur et *Sardanapallus*, v. g. ap. *Vet. Schol.* ad *Juven. Sat.* 10. v. 362. et *Hieron. prol.* ad 2. *in Abacuc.* V. *Maium* ad *Cic. de re publ.* 3, 36. *B. A.*

SARDĀRE, intelligere significat. Naevius: quod Bruti nec satis sardare queunt. *Festus: Dacerius* conjicit a Sardis, qui olim habebantur versipelles.

*SARDEMISOS vel Sardemisus, i, m. mons Pamphyliae. *Mela* 1, 14. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

SARDI, orum, m. plur. Sardiniae populi. *Sardi venales*, proverb. est dictum de hominibus improbis, et nullius pretii. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 57. de T. Sempronio Graccho: Praetor Galliam domuit, consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam: tantumque captivorum adduxit, ut longa venditione res in proverbium veniret, Sardi venales. *Cic. Fam.* 7, 24. Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. *Festus*: Sardi venales, alius alio nequior. Ex hoc natum proverbium videtur, quod ludis Capitolinis, qui fiunt a vicinis praetextatis, auctio Vejentium fieri solet; in qua novissimus quisque deterrimus producitur a praecone senex, cum toga praetexta, bullaque aurea: quo cultu reges soliti sunt esse Etruscorum, qui Sardi appellantur, quia Etrusca gens orta est Sardibus ex Lydia. Tyrrhenus enim inde profectus cum magna manu eorum occupavit eam partem Italiae, quae nunc vocatur Etruria. At Sinnius Capito ait, Ti. Gracchum consulem, collegam P. Valerii Faltonis, Sardiniam Corsicamque subegisse, nec praedae quidquam aliud, quam mancipia, captum, quorum vilissima multitudo fuerit. Haec *Fest.*

SARDIĀNUS, a, um, adj. *Σαρδιανὸς*, ad Sardes urbem Lydiae pertinens. V. SARDIS. *Cic. Fam.* 13, 55. Eum cum Sardianis habere controversiam, scis. *Plin.* 5, 29, 30. Sardiana jurisdictio. *Id.* 15, 23, 25. Castaneae Sardibus provenere primum: ideo apud Graecos Sardianos balanos appellant. ℙ *Sardiani*, *orum*, Sardium cives et incolae. *Cic. Fam.* 13, 55.

*SARDIĀTES, ium, populi Illyriae vel Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

*SARDICA (Sardice) vel Serdica, ae, f. Daciae oppidum, ut vult *Eutr.* 9, 14. (al. 22.) *Ptolemaeus* in Thracia ponit; *Cellarius* in Moesia inferiore. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 540. n. 2. Thrax civitate Serdica. ℙ *Sertica* est *Tab. Peut. B. A.*

SARDĪNA, ae, f. vel

SARDĪNIA, ae, f. *θρίσσα*, genus piscis, a Sardinia insula. *Colum.* 8, 17. *med.* Tabentes haleculas, et salibus exesam chalcidem putremque sardiniam. Alii leg. *sardinam.*

SARDĪNIA, ae, f. *Sardegna*, *Σαρδὼ*, *Σαρδών*, ins. ingens Italiae, inter mare Tyrrhenum, et Balearicum. *Strabo*, et *Solin.* 4. et *Sil.* 12, 359. (ubi multa de ea) scribunt, nomen accepisse a Sardo Herculis filio, qui e Libya veniens cum multitudine colonorum insulam occupavit. Antea Graece *Ἰχνοῦσα* vocabatur, ab effigie *τοῦ ἴχνου*, vestigii, soleae, h. e. imae partis pedis humani. Similiter *Σαρδαλιῶτις* dicebatur propter figuram sandalii. Fertilis insula est, sed soli, quam coeli melioris. Ut enim fecunda est, sic paene pestilens. Causam afferunt, quod habeat a Septentrione montes editissimos, qui prohibent, quo minus a Borea possit perflari. Hoc nomine olim tam male audivit, ut M. Cicero Quintum Fratrem moneret (*Q. Fr.* 2, 3. *extr.*), etiam tum, cum optime valeret, meminisse eum debere, in Sardinia ipsum esse; et *Fam.* 7, 24. Tigellium quendam Sardum hominem esse ait, patria sua pestilentiorem. *Mart.* quoque Sardiniam Tiburi, tanquam saluberrimo loco pestilentissimum opponit, 4, 60. Nullo fata loco possis excludere, cum mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est. Adde *Claud. B. G.* a *v.* 507.

SARDĪNIĀNUS, a, um, adj. ad Sardiniam pertinens. *Varr.* ap. *Non.* 14, 34. Cubo in Sardinianis tapetibus.

SARDĪNIENSIS, e, adj. ad Sardiniam pertinens, ut Sardiniensis triumphus, ex Sardinia devicta actus, *Nep. Cat.* 1. *extr.* Sardiniensis quaestura, *Spart. Sever.* 2. V. HISPANIENSIS.

SARDIS, is, f. *Σάρδις*, et frequentius in plur. num. Sardes, et Sardeis, ium, ibus, *Σάρδεις*, urbs metropolis Lydiae, in latere Tmoli montis vino celebrati, Croesi quondam regia. *Plin.* 5, 29, 30. Lydia celebratur maxime Sardibus. *Liv.* 37, 18. Sardibus primum, deinde ad caput Cayci amnis stativa habuit. *Nep. Ag.* 3. *med.* Cum ille Sardes se iturum dixisset. *Hor. Ep.* 1, 11, 1. Quid tibi visa Chios? quid Croesi regia Sardis? Smyrna quid, et Colophon? *Nep. Milt.* 4. Quod Ionos Sardeis expugnassent.

SARDIUS, a, um, adj. *Σάρδιος*, ad Sardes, Lydiae urbem pertinens. *Plin.* 19, 6, 32. Caepae genera apud Graecos, Sardia, Samothracia, Alsidena; et *mox:* In Isso, et Sardibus caepae candidissimae proveniunt. ℙ *Sardius lapis* ap. *Tert. adv. Marc.* 2, 10. fortasse idem est, qui sarda *Plinii*. V. SARDA.

*SARDONES, um, m. populi Galliae Narbonensis, non procul a montibus Pyrenaeis, ubi nunc Comitatus *Roussillon*. *Plin.* 3, 4. ℙ *Sordones* audiunt *Melae* 2, 5. *extr.* e lect. *Is. Voss.* quin et in loco *Plinii* MSS. *Sordonum* habent pro *Sardonum*. ℙ *Aviano de ora marit.* 552. sunt *Sordus populus;* eorumque terram percurrebat Sordus amnis, teste *eodem ib.* 574. *B. A.*

SARDŌNĬCUS, a, um, et

SARDŌNIUS, a, um, adj. *Σαρδώνιος*, qui est ex Sardinia ins., quae Graece Sardo, et Sardon vocatur. *Rut. Itin.* 1, 354. Nec quae Sardonico caespite massa fluit. Alii leg. *Sardoo*. ℙ Sardonius risus. *Σαρδώνιος γέλως*, qui simulate, et cum stomacho fit, risus fictus, amarulentus: ita dictus a Sardoa herba in Sardinia, qua vescentes risus similitudine cum spasmo emoriuntur. *Solin.* 4. Herba Sardonia si edulio fuerit nescientibus, nervos contrahit, rictu diducit ora, ut qui mortem oppetunt, facie ridentium intereant. Eadem *Serv.* tradit ad illud *Virg. Ecl.* 7, 41. Sardois videar tibi amarior herbis. *Plin.* 20, 11, 45. Apiastrum in confessa damnatione est venenatum in Sardinia. *Cic. Fam.* 7, 26. Videris mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus *γέλωτα Σαρδώνιον*. Alii risum Sardonium ridere in hoc Ciceronis loco interpretantur, praesentis, et qualiscumque delectationis causa perniciem sibi arcessere, sive in ea re esse hilarem, quae paulo post magnum malum est allatura. *Cf. et *Homer. Odyss.* XX. 302. ibique *Scholiast. Pausan.* in *Phocic.* 10, 17. *B. A.*

SARDŌNYCHĀTUS, a, um, adj. *σαρδονυχωτὸς*, sardonyche ornatus. *Mart.* 2, 29. Cujus et hinc lucet sardonychata manus.

SARDŌNYCHUS, i, m. idem ac sardonyx. *Juven.* 13, 139. Arguit ipsorum quos littera, gemmaque Princeps Sardonychus. Alii leg. *Sardonyches.*

SARDŌNYX, ychis, m. et f. *σαρδόνυξ*, genus gemmae: a *sarda*, qua notat gemmam coloris rubei a Sardis primum repertam, et *onyx*, gemma, cujus est color subcandidus, unguis humani similitudine, quia utriusque colorem obtinet. *Plin.* 37, 6, 23. Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in sarda, hoc est velut carnibus ungue hominis imposito, et utrinque translucido. Tales esse Indicas tradunt; et *mox:* Arabicae excellunt candore circuli praelucido, atque non gracili, neque in recessu gemmae, aut in dejectu ridente, sed in ipsis umbonibus nitente, praeterea substrato nigerrimo colore. (Hanc gemmam Itali nunc vocant *nicolo.*) *Juven.* 6, 380. densi radiant testudine tota Sardonyches. *Pers.* 1, 16. Et natalicia tandem cum sardonyche albus. *Mart.* 4, 61. Sardonycha verum, lineisque ter cinctum; et *ib.* 28. Indos sardonychas, Scythas smaragdos. V. alia de sardonyche apud *Plin. l. c.*

SARDOUS, a, um, adj. *Σαρδῶος*, ad Sardiniam pertinens, quae Graece *Σαρδὼ* dicitur. *Ov. Fast.* 4, 289. Aequoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris Aspicit a remis. *Claud. B. G.* 507. Humanae in speciem plantae se magna figurat Insula: Sardoam veteres dixere coloni. *Plin.* 3, 5, 10. Sardoum mare. ℙ *Sardoa herba* est apiastrum, quod venenatum in Sardinia est, ut *Plin.* 20, 11, 45. tradit. V. SARDONIUS. *Virg. Ecl.* 7, 41., *Nemes. Ecl.* 4, 53. et *Ser. Sam.* 23, 431. [*Genus quoddam venenatum herbae, quam nos dicimus *Hahnenfuss*: Ranunculus hirsutus Ail. *Sprengel.*] ℙ *Sardous caespes*, gleba metallica, quae in Sardinia in argentum excoquitur. Nam Sardiniae solum argenti dives est, ut *Solin.* 4. scribit. *Rut. Itin.* 1, 354. Nec quae Sardoo caespite massa fluit. ℙ *Sardoa fuga*, qua M. Aemilius Lepidus a Q. Catulo bello pulsus in Sardiniam fugit, ibique periit. *Rut. Itin.* 1, 296., *Epit. Liv.* 90.

SARDUS, a, um, adj. *Σαρδῶος*, Sardinianus, Sardous. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. Sardum triticum. *Id.* 35, 17, 57. Sarda creta, quae affertur ex Sardinia. *Hor. Sat.* 1, 3, 3. Tigellius Sardus. *Id. A. P.* 375. Sardo cum melle papaver, *h. e.* amaro: quia ex amaris herbarum succis collecto. (Sic *Virg. Ecl.* 7, 41. Sardois videar tibi amarior herbis.) ℙ *Sardi*, *orum*, Sardiniae populi. V. SARDI. ℙ [*Sardus* est etiam cogn. R. *Inscr.* Patavina ap. *Grut.* 366, 4. C. Asconio C. F. Fab. Sardo, etc. *F.*]

*SARE, es, f. vicus vel oppidulum prope Maroneam, urbem Thraciae. *Liv.* 38, 41. *B. A.*

[SARENTĪNI seu Sarētini, orum, m. plur. incolae regionis montanae et maritimae circa Sarum fluv., nunc *Sangro*, in Frentanis, qui a *Ptolem.* 3, 1. perperam *Καραχῆνοι* pro *Σαραχῆνοι*, vel *Σαραχῖνοι* vocantur. *Plin.* 3, 12, 17. Intus Anxani cognomine Frentani. Carentini (lege *Sarentini*) supernates, et infernates. V. *Romanelli Topogr. Nap.* T. 2. p. 367. et T. 3. p. 48. *F.*]

SAREPTĀNUS, a, um, adj. ad Sareptam pertinens, quod est oppidum Phoeniciae, in ora maris, inter Sidonem, et Tyrum, *Σαρεφθά*. Hujus oppidi meminit *Plin.* 5, 19, 17. et his verbis *Coripp. Laud. Just.* 3, 87. dulcia Bacchi Munera, quae Sarepta ferax, quae Gaza crearat. *Sidon. carm.* 17, 15. Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna, Quaeque Sareptano palmite missa bibas. *Fulg. Myth.* 2, 15. Vel quod ibi sit Sareptanum vinum, vel Meroitanum. [*Quaedam adjecit *F.* ℙ **Sarephtha* audit hocce opp. *Vulg. Reg.* 1, 17, 9. et 10. et *Σαρεφθὰ* est *Joseph. Antiq.* 8, 7. ℙ Dicitur et *Serapta. B. A.*]

*SARGARANSĒNE, es, f. regio Cappadociae. *Plin.* 6, 3. adstipulante *Ptolemaeo*. *Σαργαανὴ* est *Straboni. B. A.*

SARGUS, i, m. piscis genus, qui in Aegyptio mari fere nascitur. Lucilius: Quem praeclarus helops, quem Aegypto sargu' movebit. Haec *Festus.* Scribit *Plin.* 9, 17, 30. esse assiduum comitem ejus generis mullorum, quod lutarium appellatur, et coenum fodiente eo, excitatum pabulum devorare. Cum autem nulli in nostro mari passim inveniantur, falli videntur *Harduino Festus*, et *Lucil.*, qui sargum Aegyptium esse putant: nisi forte volunt in Aegypto praecipuum esse. *Enn.* ap. *Appul. Apol.* Brundusii Sargus bonus est: hunc, magnus erit si, Sume. *Plin.* 9, 51, 74. sargos ait bis parere, vere, et autumno.

SARI, n. indecl. *σάρι*, genus junci [in locis palustribus nascens, cujus meminit *Theophr. Hist. plant.* 4, 9. *F.*] et his verbis *Plin.* 13, 23, 45. Fruticosi est generis et sari, circa Nilum nascens, duorum ferme cubitorum altitudine, pollicari crassitudine, coma papyri, similique manditur modo: radice ferrariis officinis praecipua, carbonis usu, propter duritiam. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 940, 4. M. Aurelius Sari. Hic fortasse natione Aegyptius fuit, et a M. Aurelio Antonino Aug. manumissus, nomen servile ut moris fuit, retinuit, praenomen vero et nomen gentilicium manumittentis praemisit. *F.*]

SARIO, etc. V. SARRIO.

SARISSA, ae, f. *σάρισσα*, hasta praelonga, qua Macedones in bello utebantur. *Fest. Liv.* 9, 19. Arma clypeus, sarissaeque illis: Romano scutum, et pilum. *Id.* 38, 7. *f.* Praelongae hastae, quas sarissas vocant, ad summovendos hostes eminebant. Ad-

de 37, 42., *Curt.* 7, 4. *f.* et 9, 7. *med.* et *Ov. Met.* 12, 466. ℙ Metonymia est in illo *Lucani* 8, 298. Primi Pellaeas arcu fregere sarissas, *h. e.* Macedones. Sic 10, 47. Eoi propius timuere sarissas, Quam nunc pila timent, populi, *h. e.* Macedonum, quam Romanorum arma. Legitur et *sarisa* in quibusdam *Lucani* MSS.

[SARISSAZONĬUM, ii, n. zona, ex qua suspenditur sarissa, ut pharetrazonium, ex quo pharetra. *Not. Tir.* p. 126. Sareza, sarezonium. Lege *sarissa, sarissazonium. F.*]

SARISSOPHŌRUS, i, m. *σαρισσοφόρος*, sarissam portans, eaque in proelio utens, ut olim Macedones. *Liv.* 36, 18. Levis armaturae partem ante vallum locavit, tum Macedonum robur, quos sarissophoros appellabant. Adde *Curt.* 4, 15.

SARMĂDĂCUS, i, m. planus. Est qui putat, vocem esse compositam ex *Sarmata* et *Dacus*, quasi ita appellaretur is, qui ex hisce profectus provinciis erronum instar ubique discurreret, incautum quemque decepturus. *August. contra Acad.* 3, 15. Ille autem casu planus erat, de iis, quos sarmadacos jam vulgus vocat. Alii rectius leg. *samardacos;* q. v. v. s. l.

[SARMANDUS, i, m. numinis nomen in Dacia, alias ignoti. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2012. Deo Sarmando Demetrius Anton. votum libens posuit. *F.*]

SARMĀTAE, arum, m. plur. *Σαρμάται, Σαυροµάται*, populi in plurimas gentes divisi, et Europae septentrionalis amplissimum tractum incolentes. Fuit autem Sarmatarum regio duplex, Europaea inter Pontum Euxinum et Tanaim ad Vistulam usque; Asiatica inter Tanaim et Rha. Nunc Sarmatarum Europaeorum pars est *Polonia*, et *Moscovia*. Asiatici progressi sunt usque ad Hyrcanum mare, ubi nunc *Tartaria*. Habitabant olim montes et saltus. Habitu, armis, moribus, vivendique ratione Scythis, ac Parthis similes erant, ideoque ejusdem atque hos originis fuisse conjicere licet. Multi plaustris pro domibus utebantur. Hinc *Hamaxobii* nuncupati sunt. Alii ob saevitiam hiemis demersis in humum sedibus, specus, aut suffossa habitabant. Totum erant bracati corpus, ut ait *Mela* 2, 1., et nisi, qua viderent, ora etiam vestiti. Corpora sua non solum feminae, sed etiam mares pingebant. Pascebantur lacte equino. Unde quidam eos *ἱπποµόλγους*, idest equarum mulsores, quidam *γαλακτοφάγους*, hoc est lacte vescentes, vocant. Erant etiam quidam interius habitantes, qui sanguinem equinum lacte mistum potabant, quos vocant Gelonos. Item Sarmatae alii erant, qui cruda farina equino sanguine ex cruribus detracto mista alebantur. Alii bellorum et caedis amatores, quibus bellantibus mos erat cruorem ejus, quem primum interemissent, ex ipsius vulneribus bibere. Apud hos ut quisque plures interemisset, ita eximius habebatur. Erant et in Scythiae finibus Sarmatae, qui carne equina vescebantur: alii, qui humanae carnis alimento vitam ducebant, propter quod vocabantur Anthropophagi. Auri et argenti ignari rerum commercia exercebant. Nonnulli pro victimis homines immolabant. Haec ex *Plin.* 4, 12, 25., 18, 10, 24., 22, 1, 2. et alibi: et *Mela* 3, 4. V. etiam *Solin.* 15. ℙ In sing. num. *Lucan.* 1, 430. Et qui te laxis imitantur, Sarmata, bracis Vangiones. *Mart. Spect.* 3. Venit et epoto Sarmata pastus equo. Adde *Juven.* 3, 79. et *Claud. Laud. Stil.* 1, 111.

SARMĀTĬA, ae, f. *Σαυροµατία*, provincia vastissima orbis terrarum. Duplex est, Europaea, et Asiatica: haec nunc dicitur *Tartaria*, illa *Polonia*, et *Moscovia*. V. *Plin.* 4, 12, 25.

SARMĀTĬCĒ, adv. *Σαυροµατικῶς*, more Sarmatarum. *Ov. Trist.* 5, 12, 58. Jam didici Getice, Sarmaticeque loqui.

SARMĀTĬCUS, a, um, adj. *Σαυροµατικός*, ad Sarmatas pertinens. *Val. Fl.* 8, 207. et *Ov. Pont.* 4, 10, 38. Sarmaticum mare, *h. e.* Pontus Euxinus. *Id. Trist.* 5, 7, 13. Sarmatica gens; et *ib.* 56. Sarmatico more loqui. *Id. Pont.* 1, 5, 50. Sarmatici arcus; et *ib.* 2, 47. Sarmaticae sagittae. *Val. Fl.* 5, 425. bracae. *Mart.* 7, 30. Sarmaticus equus; et *ib.* 6. Sarmatica laurus, *h. e.* victoria Domitiani de Sarmatis, de qua *Suet. Dom.* 6. De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. Rursus *Mart.* 7, 80. Geticae satiatus lacte juvencae Sarmatica gelido ludit in amne rota. *Id.* 9, 102. Sarmaticus Ister. *Stat. Silv.* 5, 1, 128. Sarmaticae hiemes. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 132. Sarmatici Cori, *h. e.* septentrionales venti. *Id. III. cons. Honor.* 148. Sarmaticae alae, *h. e.* equitatus Sarmatarum. *Sen. Q. N. praef.* 1. *med.* Danubius Sarmatica ac Romana disterminet.

[SARMĀTĬO, onis, m. dimin. Sarmatae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 92. Val. Sarmatio civis Filopopuletanus, *h. e.* Philippopolitanus. *F.*]

SARMĀTIS, ĭdis, f. *Σαυροµατίς*, quae est ex Sarmatia, Sarmatica. *Ov. Trist.* 4, 10, 110. Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis; et *ib.* 1, 2, 82. Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt. *Id. Pont.* 1, 2, 114. Terreat hic manes Sarmatis umbra meos.

SARMENTĀRĬUS. V. v. sq.

SARMENTĬCĬUS, a, um, adj. *κληµάτινος*, qui est ex sarmentis. *Colum.* 6, 26. Vulnera sarmenticio cinere cum argenti spuma linenda sunt. ℙ *Sarmenticii* olim et *Semaxii* dicti sunt Christiani, teste *Tert.*, qui et causam hujus appellationis affert *Apol.* 50. Licet nunc sarmenticios, et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur. Alii leg. *sarmentarii*, et *semiaxii*.

[SARMENTĬUS, a, um, adj. idem ac sarmenticius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1023, 1. Fl. Julius Rufinus Sarmentius V. C. *F.*]

SARMENTOSUS, a, um, adj. *κληµατώδης*, sarmentis abundans. *Plin.* 25, 11, 90. Psyllion radice tenui, supervacua, sarmentosum, fabae granis in cacuminibus.

SARMENTUM, i, n. *κλῆµα, φρύγανον*, virga, ramus tenuis supervacuus, a vite abscissus, vel abscindendus, et igni accendendo aptus. *Festus:* Sarpta vinea, putata, id est pura facta: virgulae enim relictae impedimento vitibus solent esse: quae ideo abscinduntur. Inde etiam sarmenta scriptores dici putant. Sarpere enim antiqui pro purgare dicebant. *Cic. Sen.* 15. Vitem serpentem multiplici lapsu, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. *Colum.* 5, 5. *med.* Inutilia sarmenta decidere. *Liv.* 22, 16. *f.* Faces, fascesque virgarum, atque arida sarmenta praeligantur cornibus boum. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere coeperunt. *Caes. B. G.* 3, 18. *extr.* Sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas compleant, ad castra pergunt. *Sil.* 7, 314. Sarmentique leves fronti religare maniplos: *ουτεκδοχὴ* pro *sarmentorum.* ℙ *Latum sarmentum* in vite est, quod ex binis plerumque, sed proximis oculis, cum geminus coles sit, per medullam coalescit, ideo non teres, sed compressum et late expansum gignitur, quousque separetur: nonnunquam ex unica gemma, sed parvi animantis vulnere laesa protruditur. *Colum.* 4, 24. Sarmenta lata, vetera, male nata, contorta, deorsum spectantia recidito. *Pall.* 3, 12. Auferenda sunt lata, intorta, debilia, malis locis nata sarmenta. ℙ Dicitur etiam de virgis aliarum plantarum. *Plin.* 12, 25, 54. de balsamo: Et sarmenta quoque in merce sunt. *Id.* 22, 25, 72. Ciceris folia et sarmenta decocta. *Solin.* 33. *med.* Arabes sarmentis myrrhae ignes fovent. ℙ Item de palmite, pampino, flagello viti adhaerente. *Cic. Sen.* 15. Exsistit tanquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur. *Varr. R. R.* 1, 31. Pampinare est ex sarmento coles, qui nati sunt, decerpere. *Colum.* 3, 10. Numerus uvarum, qui conspicitur in productissimo sarmento. ℙ Videtur dici etiam de pediculis, ex quibus acini uvarum pendent. *Plin.* 23, 1, 8. Sarmenta earum, in quibus acini fuere, adstringendi vim habent.

*SARMENTUS, i, m. nomen scurrae ap. *Hor. Sat.* 1, 5, 52. Nunc mihi paucis Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicerri, Musa velim memores. *B. A.*

*SARMĬA, ae, f. insula inter Britanniam Galliamque. *Auct. itin. marit.* (ap. *Anton. Itin.*) *B. A.*

*SARMIZAEGETHUSA, ae, f. Daciae opp. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 257. n. 1. ℙ *Zarmizegethusa* audit *Ulp.* in *Pandect.* 15, 1, 8. ℙ Hodie est vicus *Varhel.* V. ZARMIZEGETHUSA. *B. A.*

*SARNACA, ae, f. Asiae opp., in Mysia vel Troade. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

SARNUS, i, m. *Sarno*, fluvius Campaniae, Pompejos alluens, ibique in mare influens. *Stat. Silv.* 1, 2, 265. Nec Pompejani placeant magis otia Sarni. Adde *Plin.* 3, 5, 9., *Virg. A.* 7, 738. et *Sil.* 8, 536.

SARONĬCUS Sinus, *Σαρωνικὸς κόλπος, Golfo di Engia*, sinus maris Aegaei, inter Atticam, et Peloponnesum extensus, inter promontor. Sunium, et Scyllaeum ad Or. et Isthmum Corinthiacum ad Occ. In eo sunt insulae Aegina, et Salamis. *Plin.* 4, 4, 5. et *ib.* 5, 9.

*SAROPHĂGES, um, populi Indiae. *Plin.* 5, 20. *B. A.*

SARPĒDON, onis, m. *Σαρπηδών*, filius Jovis ex Laodamia Bellerophontis filia. Hic cum Lyciae rex esset, et in armis strenuus, Priamo suppetias tulit adversus Graecos, ubi cum multa edidisset virtutis suae documenta,t andem interfectus est. Ejus corpus Jovis jussu ab Apolline e medio pugnantium sublatum est, flumine lotum, ambrosio respersum liquore, regia indutum veste, et ad exsequendum funus suis restitutum. Reliquit filium nomine Antiphatem, quem et ipsum ad bellum duxerat. *Virg. A.* 1, 104. et ibi *Serv.:* item *A.* 9, 697. et *ib.* 10, 471., *Ov. Met.* 13, 255. et *Gell.* 15, 21. ℙ Est hoc nomine et promontorium Ciliciae ap. ostia Calycadni fluvii cum oppido cognomine, teste *Plin.* 5, 27, 22. *Mela* 1, 13. *extr.* Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis, et quod Ciliciam a Pamphilia distinguit.

SARPO, is, a. 3. [*potare*, nostrates rustici vulgo nunc *serpire*, et *zerpire* dicunt: videtur esse ab *ἅρπη*, falx. *F.*] *Festus*: Sarpere apud antiquos purgare. V. SARMENTUM.

SARPTUS, a, um, part. a *sarpo*, purgatus, putatus, ut Sarpta vinea. *Festus.* V. SARMENTUM.

SARRĂ, ae, f. olim dicta, quae postea Tyros. *Paul.* ex *Festo:* Fuit urbs Phoeniciae clarissima, praecipue optimis purpuris: nunc *Sur* vocatur: dicta olim Hebr. צוֹר *tzor:* hinc צ in T conversa, et ר *o* tanquam *r* pronunciata, additaque Graeca terminatione, facta est vox Tyros, seu Tyrus: צ vero in S mutata, et ר tanquam *a* pronunciata orta est vox *Sar*, deinde *Sara*, et geminata media consonante *Sarra*. Hinc *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 506. Quae nunc Tyros dicitur, olim Sarra vocabatur, a pisce quodam qui illic abundat, quem lingua sua sar appellant. *Gell.* 14, 6. *f.* Thessalia *Αἱµονία*, Tyros Sarra, Thracia ante Sithon dicta est. *Probus grammatic.* ad *Virg. l. c.* affert ex *Ennio*, Poenos Sarra oriundos. ℙ Est etiam cogn. R., ut Q. Salonius Sarra, ap. *Liv.* 35, 10. ℙ Scribitur et *Sara:* veteres enim Latini consonantes litteras non geminabant. *Pl. Truc.* 2, 6, 58. Purpuram ex Sara tibi attuli, et induvias Ponto amoenas. [*Plura adscripsit *F.*] ℙ *Fuit et *Sara, ae, m.* fluvius Galliae Belgicae, in Mosellum illabens, hodie *the Saar. Venant. Fortun.* 7, 4. Isara, Sara, Chares, Scaldis, Saba, Somena, Sura. ℙ *Sarra* audit *Inscr.* ap. *Grut.* p. 225. et *Saravus Auson.* in *Mosell.* 367. unde *Pons Saravi* dicitur opp. ad Saram situm quod nunc *Saarbrück. Tab. Peut. B. A.*

*SARRĂCA, ae, f. i. q. sarracum. *Gloss. Vet.* Sarraca, *ἅµαξα. B. A.*

SARRĂCŬLUM, et per sync. Sarraclum, i, n. parvum sarracum, plaustrum. *Ammian.* 31, 2. *med.* de Alanis hamaxobiis: Cumque ad graminea venerint, in orbiculatam figuram locatis sarraclis, ferino ritu vescuntur. Alii leg. *sarracis.* Paulo supra *plaustra* dixerat.

SARRĂCUM, i, n. *ἅµαξα*, carrus, plaustrum, vehiculum portandis oneribus idoneum. *Vitr.* 10, 1. *f.* Portationes fructuum non essent, nisi plaustrorum, aut sarracorum per terram, navicularum per aquam inventae essent machinationes. *Sisenn.* ap. *Non.* 3, 35. Impedimenta collocant omnia, construunt carros, et sarraca crebra disponunt. *Cic. fr. in Pis.* ap. *Quint.* 8, 3. *med.* Cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur. Ubi *Quint.* notat, sordidum hoc nomen esse, sed *Ciceronem* ideo usurpasse, ut contemptum hominis augeret, quem destructum volebat. [*V. *Spald.* ad h. l.] *Juven.* 3, 254. modo longa coruscat Sarraco veniente abies, atque altera pinum Plaustra vehunt: nutant alte, populoque minantur. *Capitol. M. Aurel.* 13. Tanta pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata, sarracisque. *Juven.* 5, 22. illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae, *h. e.* plaustrum signum coeleste. ℙ Invenitur et *serracum. Sidon. ep.* 4, 18. Nulla serraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.

[SARRĀNĀTES, ium, m. plur. gens vetusta Italiae, in Umbria degentes. *Plin.* 3, 14, 19. *F.*]

SARRĀNUS, a, um, adj. ad Sarram, seu Tyron pertinens, Tyrius. *Sil.* 1, 72. ortus Sarrana prisci Barcae de gente, vetustos A Belo numerabat avos. *Id.* 3, 256. Sarrana Leptis: *scil.* quia a Tyriis condita, et colonia facta, ut est ap. *Plin.* 5, 19, 17. et *Sall. Jug.* 22. ℙ *Sarranae tibiae* ita dictae putantur, quia fuerint Tyriorum inventum, sicut *Phrygiae* Phrygiorum. In Inscriptione *Adelph. Terentii:* Modos fecit Flaccus Claudi tibiis Sarranis. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 9, 618. biforem dat tibia cantum: Tibiae, inquit, aut Sarranae dicuntur, quae sunt pares, et aequales habent cavernas: aut Phrygiae, quae et impares sunt, et inaequales habent cavernas. Ergo *biforem*, dissonum, dissimilemque: non enim sunt pari modulatione compositae: ut enim ait Varro, Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem. Haec *Serv.:* de quibus fuse disputat *Manut. de quaes. per ep. cl.* 3. *ep.* 4. Sunt qui leg. *Serranae*, et a *serra* dictas putant, quasi acuto sono, et stridorem serrae, cum acuitur, imitante. Sed hoc minus placet. ℙ Saepe refertur ad purpuram. *Virg. G.* 2, 506. Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro. *Juven.* 10, 38. et pictae Sarrana ferentem Ex humeris aulaea togae. *Sil.* 15, 205. Sarrano murice fulgens. *Sidon. carm.* 2, 5. humerosque ex more priorum Includat Sarrana chlamys. *Colum.* 10, 287. Jam rosa mitescit Sarrano clarior ostro. *Id.* 9, 4. *med.* Sarranae violae, *h. e.* coloris purpurei. ℙ Item ad Carthaginienses, qui Tyro oriundi. *Sil.* 6, 468. Sarrana Juno: *scil.* quia Carthagine praecipue colebatur, ut *Id.* 1, 26. et *Virg. A.* 1, 19. docent. *Sil.* 9, 319. Sarrana manus, *h. e.* Poeni. Sic 7, 432. Sarranus navita; et 8, 46. Sarrana numina. ℙ [*Saranus* pro *Sarranus*, vel potius pro *Serranus*, fuit etiam cogn. R., ut in *Inscr.* opt. notae ap. *Maff. Mus. Ver.* 108, 1. Sex. Atilius M. F. Saranus Procos., *h. e.* ann. U. C. DCXIX., qui tamen in *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 294. idem ipse *Serranus* appellatur. Ex quo patet, ann. U. C. DCXIX., quo ea inscriptio insculpta fuit, unica littera consonante *r* et vocali *a;* imperante autem Augusto, cujus jussu tabulas *Fastor. Capit.* exaratas fuisse, probavit *Car. Fea* ad *Fragm. de' Fast. cons.* p. 15., duplici *rr*, et vocali *e* scribi consuevisse illud ipsum cognomen, quod antiquo etiam more ita scribitur in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 146. M. Atil. Saran. V. SERRANUS. *F.*]

SARRASTES, um, m. plur. populi Campaniae, Sarno amni vicini, a quo et nomen accepisse putantur. *Virg. A.* 7, 738. [*Sil.* 8, 538. *Bail.*] V. SARNUS.

SARRĬO et Sario, is, rivi, et rii, et rui, ritum, a. 4. *βοτανίζω, σκαλίζω,* est sarculare, hoc est herbas inutiles inter segetem succrescentes sarculo evellere, et purgare, segetes leviter scalpendo a noxiis herbis sarculo purgare. Differt a *runcare*, quia hoc fit manu, sarrire ferramento. Item ab *occare*, quia hoc est grandes terrae glebas contundere, ut pulvere semina jacta cooperiantur, *sarrire* est herbas inutiles inter segetem succrescentes sarculo evellere. Deinde *occare* postremum est in agro colendo, *sarrire* est primum post enatas fruges. Fit enim, cum seges est in herba. Prius porro rustici terram vertunt, hinc serunt, inde occant, tum sarriunt. *Pl. Capt.* 3, 5, 5. Nam semper occant prius, quam sarriunt, rustici. *Varr. R. R.* 1, 29. Prata purgari, salicta seri, segetes sarriri. *Plin.* 18, 21, 50. Qui sarriet, caveat, ne frumenti radices effodiat. *Cato R. R.* 161. Ne ante sarueris, quam asparagus natus erit, ne in sariendo radices laedas. Alii leg. *sarieris*. *Mart.* 3, 93. *f.* Sarrire saxum, *h. e.* inutiliter laborare, operam perdere. *Colum.* 11, 2. *in.* Fabam sarrivisse nimium teneram, non expedit. *Id.* 2, 11. Ligneis rastris locus sarriendus, et identidem runcandus est.

SARRĬTĬO et Saritio, onis, f. *σκάλισις, σκαλισμὸς*, actus sarriendi, sarculatio. Quid a runcatione differat, V. in RUNCO, quid ab occatione V. in v. praec. *Colum.* 2, 12. Peracta sementi, sequens cura est sarritionis: et *mox:* Simul ac primum sarritionem pati queant segetes: et *deinde:* Plana sarritione terram permovere. *Id.* 11, 2. *in.* Adorei, et tritici tempestiva sarritio est, cum enata frumenta quatuor fibrarum esse coeperunt.

SARRĬTOR et Saritor, oris, m. *σκαλεύς*, qui sarrit, sartor. *Colum.* 2, 13. Tritici modii quatuor bubulcorum operas occupant quatuor, occatoris unam, sarritoris duas. ℙ Pro occatore. *Varr. R. R* 1, 29. Id genus praedii per saritores occare solent, si quae in porcis relictae grandiores sunt glebae. V. IMPORCITOR.

SARRĪTORĬUS, a, um, adj. ad sarriendum pertinens. *Colum.* 2, 13. Hordei modii quinque operas tres exigunt, occatoriam unam, sarritoriam unam, etc.

SARRĪTŪRĂ, ae, f. idem ac sarritio. *Colum.* 11, 2. *med.* Sarritura quoque frumentorum iteratur egregie.

SARRĪTUS, a, um, part. a *sarrio: σκαλισθείς*, sarculo purgatus. *Plin.* 18, 17, 45. Fabam ter sarritam modium fractae e modio solidae reddere. Hoc ita explicat *Colum.* 2, 12. *med.* Comperimus, fabae fresae et expurgatae modium paene tam plenum esse, quam integrae. *Id. ib. f.* Seges serius sarrita corrumpitur. Alii leg. *sarta.*

*SARS, artis, Hispaniae Tarraconensis fluvius. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

SARSĪNĂ et Sassina, ae, f. urbs Umbriae ad Sapim fluvium, quae etiamnum *Sarsina* vocatur. *Mart.* 9, 59. Sic montana tuos semper colat Umbria fontes, Nec tua Bajanas Sarsina malit aquas. *Sil.* 8, 463. Sarsina dives Lactis. Alii leg. *Sassina.*

SARSĪNAS et Sassinas, atis, et

SARSĪNĀTIS et Sassinatis, e, adj. ad Sarsinam vel Sassinam pertinens. *Mart.* 3, 58. Metamque (*fert*) lactis Sarsinate de silva. Alii leg. *Sassinate. Pl. Most.* 3, 2, 83. Quid? Sarsinatis ecqua est, si umbram non habes? ℙ *Sarsinates, ium*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 14, 19. Sentinates, Sarsinates, Spoletini. *Inscr.* ap. *Grut.* 1095, 2. Curator Sarsinatium. ℙ Scribitur utroque modo *Sassinas*, et *Sarsinas*, ut etiam *Sassina* et *Sarsina:* illud vero olim obtinuisse videtur, etenim legitur in *Fast. triumph.* ap. *Grut.* 297. *col.* 2. D. Junius D. F. D. N. Pera Cos. An. CDXXCVII. (*triumphavit*) de Sassinatibus V. K. Octobr.

SARSŪRĂ. V. ASSURA.

SARTĀGO, ginis, f. *τήγανον*, vas culinarium, in quo cibi friguntur: vel aliud quippiam liquefit, aut torretur. *Juven.* 10, 63. ex facie toto orbe secunda Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellae, *h. e.* ex aerea Sejani statua. *Plin.* 16, 11, 22. Resinam terebinthinam in sartagine referventi coquere. ℙ Translate. *Pers.* 1, 79. Hos pueris monitus patris infundere lippos Cum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi Venerit in linguas? mixtura vocum probatarum et damnatarum in oratione: quasi varii generis ciborum minutorum, qui frigi solent, et confundi in sartagine, *v. gr.* panis *τηγανίου*, farina, adipe, melle, sesamo, caseo confecti, inquit *Casaub.* Vel respicit ad stridorem ingratum rerum, quae friguntur. Sed prior translatio magis placet.

SARTE, integre. *Festus.* V. SARTUS.

SARTĬO, sync. pro *sarritio*, saepe legitur in MSS. *Colum. v. gr.* 2, 12. *f.* Subjungenda deinde est sartioni runcatio; et 11, 2. quem locum in SARRITIO retulimus. Sic *sartor* pro *sarritor:* et *sartura* pro *sarritura:* et *sartus* pro *sarritus.*

SARTOR, oris, m. *ἀκεστής*, qui sarcit, vel resarcit. Item qui sarrit: syncope a *sarritor. Non.* 1, 24. Sartor non solum a sarciendo, sed etiam a sarriendo deducitur, et tam eum, qui sarcit, significat. *Pl. Capt.* 3, 5, 3. Sator, sartorque scelerum, et messor maxume. *Tyn.* Non occatorem dicere audebas prius? nam semper occant prius, quam sarriunt, rustici. Addit *Nonius ib.* alium locum ex *Varr.*, in quo videtur *sartor* esse pro eo qui resarcit. [*Lindem.* ad *Pl.* locum modo cit. haec vocis *sartor* derivatio minime probatur, illud docenti: *Nonium* non animadvertisse, Plautum joculariter loqui.]

[SARTRIX, icis, f. quae sarcit. V. *Bedae*, et *Front. l. c.* in SARCINATOR.

SARTŪRĂ, ae, f. idem ac sarritura, per syncopen. *Plin.* 18, 27, 67. *n.* 2. Sartura nocere et vineae, et segeti existimatur. ℙ Est esiam idem ac sarcimen, reparatio, refectio: a *sarcio. Colum.* 4, 26. Jugo, si non erit opus nova sartura, recentia vincula inserantur. *Sen. V. B.* 25. Tomentum per sarturas veteris lintei effluens. Alii leg. *suturas.*

SARTUS, a, um, part. a *sarcio: ἀνασκευασθείς*, refectus, integer factus. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Investimento sartum, quod comprehensum. *Juven.* 3, 254. Scinduntur tunicae sartae. *Mart.* 11, 33. de bibula sarta palude teges; et 1, 104. Calceus est sarta terque quaterque cute. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 3, 31. an male sarta Gratia nequicquam coit, et rescinditur? ℙ *Sarta tecta*, integra et incorrupta, ita conservata, ut, si quid corruptum sit, reparetur, reficiatur: et dicuntur de aedificiis, et de operibus publicis. [*Gr. dicunt *ῥάπτειν οἰκοδομὴν* et *ὑποῤῥάπτειν.* Cf. *Salm.* ad *Vopisc. Aurel.* 31. T. II. p. 509. V. *Ernest. cl. Cic.*] *Festus:* Sarte in auguralibus pro integre ponitur: Sane sarteque audire videreque. Ob quam causam opera publica quae locantur, ut integra praestentur, sarta tecta vocantur, etenim sarcire est integrum facere. Haec *Festus*, et *Charis.* 2, 195. Dicimus *sarta tecta* locare, conducere, tradere, exigere, praestare, tueri, habere. *Cic. Verr.* 2, 1, 50. Cum consules aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere; factum est senatusconsultum, quibus de sartis tectis cognitum non esset, uti praetores cognoscerent. Ubi *Ascon.* Harum rerum cura propria censoribus datur, id est sartorum tectorum exigendorum, [*i. e. inspiciendorum, si opus e lege locationis factum est.] Verum haec tueri et procurare, cum ceteris tum publicis, tum privatis operibus, aedilium cura est annua. *Liv.* 42, 3. Censor, cui sarta tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda more majorum traditum est. *Cic. l. c.* Quaesivit, quis aedem Castoris sartam tectam deberet tradere: et *mox:* Monumentum illa amplitudine, illo opere, quamvis sartum tectum, integrumque esset, tamen, etc. *Id. Fam.* 13, 11. Sarta tecta aedium sacrarum locorumque communium tueri. *African. Dig.* 7, 8, 18. Si domus usus legatus sit sine fructu, communis refectio est in sartis tectis tam heredis, quam usuarii. *Ulp. ib.* 1, 7. Fructuarium reficere aedes per arbitrum cogi: hactenus tamen, ut sarta tecta habeat: si qua tamen vetustate corruissent, neutiquam cogi reficere. *Id. ib.* 1, 16, 7. Aedes sacras, et opera publica circumire inspiciendi gratia, an sarta tecta sint. ℙ Integra locutio est *sarta et tecta.* Nam in illo *Cic. Verr.* 2, 1, 51. *extr.* Chelidon etiam in his sartis tectis dominata est: *Ascon.* legit *sartis tectisque:* et subjungit: Addidit *que*, ut esset plenum dictum: nam *sarta tecta* dicuntur. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 2, 2, 36. Sarta tecta tua praecepta usque habui mea modestia. *Cic. Fam.* 13, 50. Hoc mihi da, ut M'. Curium sartum et tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves: [*Sartum tectum aliquid habere signif. h. l. conservare, servatum cupere et propterea custodire.] ℙ *Sartus* pro *sarritus* V. in SARRITUS et SARTIO.

*SARUS vel Saros, i, m. fluvius Ciliciae, inter Pyramum Cydnumque flumina. *Liv.* 33, 41. ubi *Capita Sari* locus videtur esse, tumuli fortasse ac rupes in litore ad ostia fluminis, non fontes, ut *caput* fluminis alias sonat. Sic *Κυνὸς κεφαλαὶ* in Thessalia sunt montes atque tumuli. Adde *Plin.* 5, 27. ℙ Item fluvius Cappadociae. *Plin.* 6, 3. ℙ Sed uterque, ut videtur, unus idemque fluvius, Cappadociam Ciliciamque permeans, inque Mediterraneum mare semet exonerans. *B. A.*

SAS, Verrius putat significare eas, teste Ennio, qui dicat in libro primo: Virgines (al. *Virgine*') nam sibi quisque domi Romanus habet sas: cum suas magis videatur significare: sicuti ejusdem libro septimo fatendum est eam significari, cum ait: Nec quisquam sophiam, sapientia quae perhibetur, In somnis vidit priu', quam sam discere coepit: *Festus.* ℙ Simile est *sum* pro *eum:* quo usus est *Ennius l.* 1. At te non ut sum summam servare decet rem: et *l.* 2. Ad sese sum qui dederat in luminis oras: *Festus* in *Sum.*

[SASĂ, ae, m. cogn. R. ignotae originis, et significationis. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 712. C. Mucius Sasa. Fortasse est pro *Saxa*, q. v. v. s. l. *F.*]

[SASĔRNĂ, ae, m. cogn. R. obscurae originis, ut L. Hostilius Saserna, in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 226. et P. Hostilius Saserna, ap. *Hirt. B. Afr.* 10. et 29. ℙ Hinc *Sasernae* duo, pater et filius, scriptores rei rusticae passim laudantur a *Varr. R. R.* 1, 2. et 28., item a *Colum.* 1, 1. etc. et *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 22. *F.*]

*SASĪMA, orum, Cappadociae oppidum Episcopale. *Anton. Itin.* V. *Niceph. Callist.* 14, 39. *B. A.*

SĀSON, ōnis, m. *Sáseno, Σάσων*, parva insula Ionii maris, e regione Calabriae, inter Brundusium et Epirum, ab Orico tria mill. pass., piratica statione nota. *Plin.* 3, 26, 30. *Lucan.* 5, 650. Non humilem Sasona vadis; et 2, 627. Spumoso Calaber perfunditur aequore Sason. *Sil.* 7, 480. Hadriaci fugite infaustas Sasonis arenas. ℙ Scribitur et *Sasson.*

*SASSAEI, orum, gens Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

*SASSĬA, ae, mater Cluentii. *Cic.* pro *Cluent.* 5. *B. A.*

SASSĪNĂ. V. SARSINA.

SASSĪNAS. V. SARSINAS.

*SASSŪLA, ae, f. oppidum Latii, juxta Tibur. *Liv.* 7, 19. *B. A.*

*SASSUMĪNI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

*SASURI, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

SAT, adv. *ἄλις*, apocope pro *satis. Cic. Rosc. Am.* 32. Te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. *Id. Sen.* 14. Tantum quantum sat est. [*Probatur haec dicendi formula in proverbiali locutione *Spald.*, q. v. ad *Quint.* 4, 2, 45.] *Hor. Od.* 2, 19, 26. non sat idoneus pugnae. *Virg. Ecl.* 3, 111. sat prata biberunt. *Vet. Poet.* ap. *Gell.* 12, 6. non sat scio. *Ov. Her.* 12, 75. Perdere posse sat est. *Prop.* 1, 17, 10. Sat tibi sit poenae nox, et iniqua vada. *Pl. Pers.* 1, 1, 26. Quasi Titani cum Diis belligerem, quibus sat esse non queam? *h. e.* par esse, et resistere. *Cic. N. D.* 3, 27. Qui non sat habuit conjugem illexe in stuprum. [*V. *Heindf.* ad h. l. et *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 216. *Pl. Mil.* 3, 1, 153. mihi quidvis sat est: ubi *Lindem.* laud. locum *Turpilii*, quem ex ejus *Lindia* serv. *Prisc.* de *metr. Ter. c.* 2. p. 244. *ed. Lind.* Profecto ut quisque minimo contentus fuit, Ita fortunatam vitam vixit maxime; Ut philosophi aiunt isti, quibus quidvis sat est.]

*SATAFI, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Anton. Itin. B. A.*

SĀTĀGĔUS, i, m. qui satagit, et nimis diligens est. *Sen. ep.* 98. *med.* Ut istos satageos, ac sibi molestos describam tibi.

SĀTĀGĬTO, as, n. l. idem ac satago. *Pl. Bacch.* 4, 3, 23. Nunc agitas sat tute tuarum rerum, *h. e.* exerceris, laboras, sollicitus es, habes quid cogites, et quo exercearis, et crucieris: *tmesis.* V. etiam *Terentii l. c.* in v. sq.

SĀTĀGO, is, n. 3. *πολυπραγμονέω, διαπονέομαι, ἀγωνιῶ*, sat habeo quod agam, exercitus sum, angor re quapiam, laboro, rei difficultate torqueor, intente et sollicite ago, trepido. *Ter. Heaut.* 2, 1, 11. Magis nunc me amicae dicta stimulant: da mihi, atque affer mihi. Cui quid respondeam, nihil habeo: nec me quisquam est miserior. Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen (*Charis.* 2, 193. rectius legit *satis agitat*, *tamen*, quod in textum recepit *Bothe:* V. SATAGITO) habet pudice et bene etc. eductam, ignaram artis meretriciae. [*Bail.* legendum censet *satagitat*, *tamen.*] *Hirt. B. Afr.* 78. *med.* Postquam equites vim hostium sustinere non poterant, Caesar alteram alam mittit, qui satagentibus celeriter occurrerent. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm. med.* Curris, stupes, satagis, tanquam mus in matella. *Arnob.* 5, 170. Juppiter satagit fractus metu. *Gell.* 9, 11. Instruebantur acies a consulibus, de vi ac multitudine hostium satagentibus. Alii leg. *satis agentibus:* nam et *satis ago* hoc sensu dicitur. *Id.* 3, 8. Cum Pyrrhus rex in Italia esset, et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset, satisque agerent Romani, etc. *Id.* 19, 1. Complorantibus nostris omnibus, atque in sentina satis agentibus. *Cic. Att.* 4, 15. *f.* Tribus habet Pomptinam, Velinam, Maeciam, pugnatur acriter: agitur tamen satis. *Pl. Merc.* 2, 1, 3. Ego nocte hac, quae praeteriit, proxima egi satis, et fui homo exercitus. *Cato* ap. *Charis.* 2, 193. Jam apud vallum nostri satis agebant. *Appul. Met.* 8. Villae coloni, multitudinem nostram latrones rati, satis agentes rerum suarum, eximieque trepidi, etc. Sic *Pl. Bacch.* 4, 3, 23. Nunc agitas sat tute tuarum rerum: egone ut opem mihi ferre putem posse inopem te? ℙ *Quint.* 6, 3, 54. Venuste Domitius Afer Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et reponentem, non agere dixit, sed satagere. Adde *eund.* 11, 3, 126. ℙ Est etiam *satagere* sedulo agere: tum in bonam, tum in malam partem. Quae notio valde affinis priori est. In bonam partem *Pl. As.* 2, 4, 33. Prius quam (*pecuniam*) credidi, vix anno exegi: nunc satagit. *Petr. Sat.* 137. Interea haec satagens, infra manus meas camellam vini posuit, etc. In malam *Gell.* 1, 17. Xantippe Socratis uxor, morosa admodum fuisse fertur: irarumque et molestiarum muliebrium per

diem perque noctem satagebat. Alii leg. *scatebat*. [*Emendavit hunc locum *F.*]

*SATALA, Armeniae minoris oppidum. *Ant. Itin. B. A.*

SATAN, indecl. et Satanas, ae, m. Σατᾶν, et Σατανᾶς, Hebraice adversarium significat, a radice שָׂטַן *satàn*, adversatus est: ita appellatur Diabolus bonorum omnium hostis. *Tert. Apol.* 22. Satanas princeps hujus mali generis. *Id. adv. Marc.* 3, 20. *f.* Suscitavit illi Satan, idest hostem, Idumaeum.

SATANĀRIA, ae, herba, quae et peucedanos dicitur. *Appul. Herb.* 94.

[SATARCHAE, arum, m. plur. populi Sarmatici, vel Scythici, ad Maeotin paludem vergentes, in Chersoneso Taurica. Eorum meminit *Mela* 2, 1. *med.* Nomen traxisse videntur a Satarche urbe, cujus mentio est ap. *Ptolem.* 3, 6. *Val. Fl.* 6, 144. Exomatae, Torinique, et flavi crine Satarchae. ℙ Iidem videntur fuisse, quos *Plin.* 6, 7, 7. *Satarchaeos* vocat. *F.*]

*SATARCHEI, orum, populi Asiae, trans Maeotin paludem. *Plin.* 6, 7. ℙ Legitur et *Saturckei*. *B. A.*

SATĀRIUS. V. SATORIUS.

*SATAROS, i, notiore nomine Patara, urbs Lyciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

SATELLES, itis, com. gen. δορυφόρος, σωματοφύλαξ, miles mercede conductus, qui custodiae causa a regis latere non discedit, stipator, corporecustos, latro. *Sall. Jug.* 69. Contumeliosum foret, si equites R. satellites Numidae traderentur. *Nep. Paus.* 3. Apparatu regio utebatur, veste Medica: satellites Medi et Aegyptii sequebantur. *Liv.* 2, 12. *med.* Cum comprehensum regii satellites retraxissent ante tribunal regis. *Ov. Met.* 14, 354. ne posset adire, Cursus equi fecit, circumfususque satelles. *Plin.* 11, 17, 17. de rege apum: Circa eum satellites quidam, lictoresque, assidui custodes auctoritatis. ℙ Translate. *Hor. Od.* 2, 18, 34. nec satelles Orci Callidum Promethea Revexit auro captus, *h. e.* Charon. *Id. Ep.* 1, 1, 17. Virtutis verae custos, rigidusque satelles. *Cic. Leg.* 1, 9. Hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tanquam satellites attribuit, ac nuncios. *Pl. Trin.* 4, 1, 14. Satellites Neptuni, *h. e.* turbines, venti, procellae, fluctus. *Cic. Div.* 1, 47. et vertens *Aeschyli* carmen *Tusc.* 2, 10. Pennata Jovis satelles, *h. e.* aquila. *Id. fragm.* ap. *Non.* 1, 330. Praevius Aurorae, Solis, Noctisque satelles, *h. e.* Phosphorus. *Macr. Somn. Scip.* 2, 4. Mercurialis, et Venerius orbis pari ambitu comitati solem viae ejus tanquam satellites obsequuntur. *Cic. ib.* hos *comites* vocat. Hinc nostri temporis astronomi *satellites* appellant quinque planetas, qui circa Jovis orbem, et septem, qui circa Saturni sphaeram volvuntur. ℙ Quia Romanis odiosum erat regis nomen, et omnium quae regem circumstant, saepe *satelles* de malo ministro dicitur mali civis, et nimiae potentiae. *Sall. or. Lepidi contra Sull.* Satellites quidem ejus homines maxumi nominis, dominationis in vos servitium suum mercedem dant. *Cic. Agr.* 2, 13. Stipatores corporis constituit, eosdem ministros et satellites potestatis. *Id. Quint.* 25. *extr.* Administri et satellites Sex. Naevii Roma trans Alpes in Sebusianos biduo veniunt. *Id. Prov. cons.* 3. *med.* Quos putavit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. *Id. Cat.* 1, 3. C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae. *Id. Inv.* 1, 2. Caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimus satellitibus.

SATELLĪTIUM, ii, n. satellitum cohors, et officium. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 10. Repente satellitio stipatus, strictis gladiis theatrum irruit, etc. *B. A.* ℙ Translate. *August. Doctr. Chr.* 3, 18. Cupiditas dominans, et ipsarum quoque Scripturarum, quibus evertenda est satellitium quaerens.

*SATELLIUS Quadratus, ut ait *Sen. Epist.* 27. fuit quidam stultorum divitum arrosor, et quod sequitur arrisor, et quod duobus his annexum est, derisor. *B. A.*

[SATHIMNUS et Sathimus, i, m. qui in libidinem pronus est: a σάθη, mentula. *Macr. Sat.* 1, 8. Propter abscisionis pudendorum fabulam etiam nostri Saturnum vocitarunt, παρὰ τὴν σάθην, quae membrum virile declarat, veluti Sathimum; unde etiam Satyros veluti Sathimnos, quod sint in libidinem proni, appellatos opinatur. *F.*]

SATIANTER, adv. satiate. *Appul. Met.* 7. Equi pasti satianter, ac diu saginati.

SĀTIAS, ātis, f. κόρος, idem quod satietas per sync., abundantia. *Pl. Ps.* 1, 3, 100. Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Jovi. *Lucr.* 5, 1389. Haec animos olim mulcebant, atque juvabant Cum satiate cibi; et *ib.* 40. ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit; et 2, 1036. fessus satiate videndi. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 791. Frumentique ex inopia gravi satias facta est. *Accius* ap. *Non. ib.* Quorum crudelitatem nulla unquam explet satias sanguinis. *Macr. Sat.* 7, 12. *med.* Cur qui avidius vorant, facilius satias capit, quam qui eadem quietius ederint. [**Cic. N. D.* 3, 38. in versiculis ex Attii tragoedia depromptis: satias supplicii.] ℙ Item taedium, nausea, odium: quae ex satietate oriri solent. *Ter. Eun.* 5, 6, 1. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi. Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit. Ubi satias coepit fieri, commuto locum. *Id. Hec.* 4, 2, 18. et *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Dum aetas, tempus tulit, perfuncta satis sum: satias jam tenet studiorum istorum. *Liv.* 30, 3. Si forte eum satias amoris in uxore ex multa copia cepisset. [*Cf. *Gloss. Liv.* s. h. v. *Tac. A.* 6, 38. non — tempus, preces, satias mitigabant (Tiberium).] *Sil.* 4, 110. Nec finis satiasve, novi sed sanguinis ardor Gliscere. Alii leg. *satiesve*. [**Solin.* 22. (al. 35.) de Britannia: Ita pabulosa, ut pecua in periculum agat satias. *Bail.*]

SĀTIĀTĒ, adv. καταχόρως, ad satietatem, copiose, affatim. *Vitr.* 2, 9. *med.* Populus, salix, tilia ignis et aeris habendo satiate, atque humoris temperate, egregiam habere videntur in usu rigiditatem. *Tert. Anim.* 46. *med.* Cetera Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissime exhibebit. *Arnob.* 6. *in.* Ut eadem rursus satiateque dicantur. *August. de Mus.* 4, 14. *med.* Quod satiatissime sentis, cum singula repetis.

SĀTIĀTUS, a, um, part. a *satio*: κορηθής, διάκορος, expletus, saturatus. *Ov. Met.* 3, 140. vosque canes satiatae sanguine herili. *Plin.* 30, 10, 27. Vultur satiatus humano cadavere. *Lucr.* 2, 320. Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant. *Cic. Sen.* 14. Cupidis voluptatum odiosum et molestum est fortasse carere: satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Quorum crudelitas nondum est nostra calamitate satiata. *Sen. Ag.* 519. quisquis es nondum malis Satiate tantis Coelitum, tandem tuum Numen serena. *Tac. H.* 3, 66. Senex prosperis adversisque satiatus. *Tibull.* 2, 1, 51. Agricola satiatus aratro. Alii leg. *lassatus*. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Ait se velle illud *(candelabrum)* etiam atque etiam considerare: nequaquam se esse satiatum. *Hor. Od.* 1, 2, 37. Heu nimis longe satiate ludo. *Sen. Oed.* 632. pluvio aethere satiata tellus. *Colum.* 2, 10. *f.* Solum subactum, largoque stercore satiatum. *Petr. Sat.* 135. paries palea satiatus inani, Fortuitoque luto, *h. e.* densatus, repletus, lutoque oblitus, cujusmodi fuisse casas apud priscos, *Vitr.* 2, 1. scribit. *Stat. Silv.* 1, 2, 153. Robora Dalmatico lucent satiata metallo, *h. e.* trabes auro large oblitae, et ornatae. *Liv.* 2, 65. *in.* Romanus integer, satiatusque somno, productus in aciem, fessum stando et vigiliis Volscum primo impetu perculit. *Tac. A.* 1, 75. Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis adsistebat in cornu tribunalis. ℙ Cum gen. *Ov. Met.* 7, 808. cum satiata ferinae Dextera caedis erat, repetebam frigus et umbras. *Sil.* 4, 436. quassatque per auras Titanum bello satiatam sanguinis hastam. *Id.* 16, 603. satiatus et aevi, Et decoris. ℙ [*Confund. *satiatus* et *saturatus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 243. 7, 802.]

SĀTĪCŪLĀNUS, a, um, adj. et

[SĀTĪCŪLUS, a, um, adj. ad Saticulam pertinens, oppidum Samnii, inter Vulturnum fluv. et Tifatam montem, ubi nunc *S. Agata de' Mori*. Ejus meminit *Liv.* 7, 32. et al. *Id.* 23, 14. Ager Saticulanus. *Virg. A.* 7, 728. amnisque vadosi Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper, *h. e.* incola Saticuli, oppidi montani. *F.*]

SĀTIES, ēi, f. satias, satietas. *Plin.* 8, 51, 77. Fico arida saginatis suibus, ac satie, necatis repente mulsi potu dato. Ita *Hard.* Alii aliter. *Juvenc.* 1, 637. Proveniet tamen his saties potusque cibique. *Id.* 3, 216. populusque repletur Ad satiem dapibus. V. SATIAS *f.*

SĀTIĒTAS, atis, f. κόρος, saturitas. [*Primo loco debebat collocari illud *Cic. Inv.* 1, 17. Cibi satietas et fastidium sub amara aliqua re relevatur. Adde *Or.* 3, 25. quis potione uti aut cibo dulci diutius potest; quum utroque in genere ea, quae leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant satietatem.] *Plin.* 8, 26, 40. Hippopotamus assidua satietate obesus exit in litus, etc. *Id.* 11, 34, 40. Unum animalium, cui cibi non sit exitus: dehiscitque nimia satietate. ℙ Translate est fastidium, taedium, quod ex cibi, vel rei alius cujuspiam nimio usu nobis ingignitur: cui opponitur desiderium, aviditas. *Cic. Fam.* 2, 11. Mirum me desiderium tenet urbis, satietas autem provinciae. *Plin.* 12, 17, 38. Tanta mortalibus suarum rerum satietas est, alienarumque aviditas. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Ne si longius esset extracta cognitio, satietate et taedio quodam justitia cognoscentium severitasque langueseret. *Quint.* 9, 4. *f.* Id cum manifesta affectatione, tum etiam similitudine taedium ac satietatem creat. *Auct. ad Her.* 4, 27. *extr.* Rarius utemur ea, ne satietatem pariat. *Cic. Mur.* 9. *med.* Ista nostra assiduitas, nescis, quantum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. *Id. Or.* 3, 25. Ea quae specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienamur. *Id. Or.* 52. Dicitur Isocrates numeros secutus cum jucunditatis causa, tum ut varietas satietati occurreret. *Id. Inv.* 1, 41. Variare orationem magnopere oportebit: nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. *Sall. Jug.* 36. *med.* Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet. *Pl. Amph.* 1, 2, 10. Satietatem capere alicujus rei, *h. e.* de re quapiam sumere usque ad satietatem. Sic *Ter. Ph.* 5, 5, 6. Sumere satietatem amoris. Rursus *Cic. Att.* 15, 16. Haec ὑποψυχαὶ ripulae videtur habitura celerem satietatem; et *ib.* 2, 5. Cupio Alexandriam visere, et simul ab hac hominum satietate nostri discedere, et cum aliquo desiderio reverti, *h. e.* ab his hominibus, quos satietas mei cepit. *Id. Verr.* 2, 3, 43. *med.* Fugere satietatem judicum. *Auct. ad Her.* 4, 11. *extr.* Satietatem varietate vitare. *Plin. ep.* 8, 5. *f.* Satietas doloris, *h. e.* cum dolor veluti satiatus est diuturnitate saeviendi. ℙ *Ad satietatem*, et plenius *usque ad satietatem*, affatim, abunde, et donec satiatus sis, ἄχρι κόρου. *Suet. Dom.* 21. Prandere ad satietatem. *Plin.* 18, 16, 43. Medica dari jumentis non ad satietatem debet. *Id.* 34, 17, 49. Laxatis spiramentis, ad satietatem infusus aer. *Petr. Sat.* 131. *extr.* Re quapiam usque ad satietatem frui. *Pl. Cist.* 1, 1, 72. Amor amarum ad satietatem usque oggerit. ℙ *Citra satietatem* contrarium. *Plin.* 23, 6, 57. Punica mala alvum sistunt, et stomachum, dumtaxat pauca, citraque satietatem. ℙ In plur. num. *Vitr.* 2, 9. *med.* Quercus terrenis principiorum satietatibus abundans, *h. e.* copiose participans qualitates terrae. ℙ De stercore animalis. *Solin.* 2. *med.* Lupi, quos cervarios dicimus, quamvis post longa jejunia repertas aegre carnes mandere coeperint, ubi quid casu respiciunt, obliviscuntur; et immemores praesentis copiae, eunt quaesitum quam reliquerant, satietatem.

SĀTĪN', satisne? fere in sermone familiari. *Enn.* ap. *Gell.* 18, 2. *extr.* Satin' vates verant aetate in agunda? *Pl. Trin.* 4, 3, 64. Satin' ego oculis plane video? estne ipsus, an non est? *Ter. Andr.* 4, 4, 10. Satin' sanus es, qui me id rogites? et 4, 5, 9. Quid vos? quo pacto hic? satin' recte? *Cic. N. D.* 1, 41. Satin' est id ad illam abundantem bonis beatissimam vitam? ℙ Aliquando ita interrogat, ut affirmandi vim habeat, ut *nonne*. *Pl. Epid.* 5, 2, 1. Satin' ille homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos habet? *Id. Rud.* 4, 5, 3. Satin' si cui homini Dei esse benefactum volunt, aliquo illud pacto obtingit optatum piis? *h. e.* nonne? vel nonne perspicuum est obtingere? [*Cf. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 4, 2, 9. Satin' haec quoque me deperit? i. e. satin' certum est, hanc quoque me deperire? Item ad *Trin.* 4, 4, 6. — Interdum indignantis est. *Pl. Trin.* 4, 2, 80. Satin' intra labra atque dentis latuit vir minumi preti? i. e. nonne verum est, eum diu latuisse? V. *Gron.* ad *Pl. Rud.* 4, 5, 5.] ℙ *Satin' ut* similem vim habet. *Pl. Mil.* 4, 3, 40. Pro Juppiter! Satin' ut commoditas usquequaque me adiuvat! *Id. Merc.* 2, 4, 12. *Cha.* Qui scis, esse amicam illam meam? *Euty.* tute heri ipsus mihi narrasti. *Cha.* Satin' ut oblitus fui, tibi me narravisse! *Euty.* haud mirum factum est. [**Lindem.* ad locum *Plauti* prius laud. duas vult in his enuntiationes in unam conflatas; alteram: *Satin' — me adjuvat;* alteram: *ut commoditas — me adjuvat.*] ℙ *Satin' salve?* V. SALVE. ℙ Ap. *Ter. l. c.* quidam leg. *sati' ne*.

[SĀTĪNUS, a, um, adj. ad satum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1261, 9. L. Lutatius L. L. Antiochus vix. A. LXX., ex parte hères monumenti fecit Satinus filius. *F.*]

SĀTIO, as, avi, atum, a. I. χορέω, saturo, pasco, expleo: a *satis:* Refertur ad appetitum cibi et potus. *Colum.* 8, 9. *med.* Satiat semodius cibi in diebus singulis vicenos et centenos turtures. *Cic. Fin.* 2, 8. *f.* Veniebat ad coenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae. *Ov. Met.* 11, 371. Diram famem satiare. *Mart.* 6, 35. sitim. *Plin.* 9, 6, 5. de orca: Satiansque se per complures dies, etc. ℙ Item ad appetitionem animi, et perturbationum ejus. *Cic. Phil.* 11, 3. *extr.* In ejus corpore lacerando cum animum satiare non posset, oculos pavit suos. *Id. Dom.* 22. *extr.* Ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui. *Id. Har. resp.* 20. Satiare libidines. *Prop.* 2, 12, 23. oculos amore. *Sen. Troad.* 762. avidos dolores amplexu. *Petr. Sat.* 97. *f.* iracundiam. *Cic. Fin.* 3, 2. *med.* Erat in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat. ℙ *Satiare* plus est, quam explere: hoc significat plenum facere: illud supra modum et abundantiam. Ita *Non.* 5, 13. *Lucr.* 3, 1017. animi ingratam naturam pascere semper, Atque explere bonis rebus, satiareque nunquam. *Cic. Par.* 1, 2. Neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis. *Id. Par.* 27. Explere cupiditates, satiare odium. ℙ Est etiam fastidium, taedium creare. *Id. Or.* 3, 50. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii, satientur, qui audient, fastidio similitudinis, etc. *Id. Or.* 63. Primum enim numerus agnoscitur, deinde satiat, postea, cognita facilitate, contemnitur. *Sen. Cons. ad Helv.* 16. *med.* Neminem satiatura garrulitas. ℙ Satiari lana dicitur, cum inficitur, si abunde colorem imbibat: ducta metaphora a prima significatione. *Plin.* 9, 38, 62. Tyrius pelagio primum satiatur, immatura viridique cortina: mox permutatur in buccino. ℙ Similiter satiatur terra stercore, cum large stercoratur. *Plin.* 19, 8, 42. Satiari stercore, crebro purgari, caveri, ne cum herbis evellatur asparagus. Sic

Veg. Vet. 1, 47. et *ib.* 2, 48. *med.* Oleo manum perunges, et ipsum anum jumenti oleo satiabis. *Ov. Met.* 4, 758. largis satiantur odoribus ignes, *h. e.* multo ture sparguntur. *Mart.* 8, 36. satiari lumine Phoebi, *h. e.* plene illustrari. *Plin.* 5, 9, 10. Observatum est, prout in Mauritania nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere, *h. e.* abundaverint, et terras repleverint. ℙ Cum genitivo V. SATIATUS.

SĀTIO, onis, f. *σποράὰ*, actus serendi: a supino *satum* verbi *sero. Cic. Verr.* 2, 3, 47. In jugero agri Leontini medimnum fere tritici seritur, perpetua atque aequabili satione. *Colum.* 11, 2. *med.* Vetus est agricolarum proverbium, Maturam sationem saepe decipere solere, seram nunquam, quin mala sit. *Id.* 3, 14. Sationis (*vitium*) duo genera malleoli, vel viviradicis. *Virg. G.* 2, 319. Optima vinetis satio est, cum vere rubendi Candida venit avis. *Colum.* 2, 9. *med.* Sationem peragere. ℙ Differt a *sementi*, quae proprie est seminis sparsio: *satio* omnem culturam, quae in serendo fit, significat. *Id.* 2, 4. *med.* Limosa arva non sunt habilia sementi, aut occationi, aut sationi. [At in optimis *Codicib.* legitur *sartioni* pro *sarritioni*, quod postremum *Schneiderus* in textum admisit. *F.*] ℙ Idem omnino videtur in illo *Pall.* 12, 1. Novembri mense triticum seremus, et far satione legitima, ac semente solemni.

SĀTIOR et Satius. V. in v. sq.

SĀTIS, *ἱκανὸς*, sufficiens, aequus, par. [*Etymon faciunt a Gr. *ἅλις*.] De eo *Prisc.* 15, 1015. Satis etiam loco nominis positivi accipitur: itaque etiam comparationem recipit. *Virg. A.* 7, 470. Se satis ambobus Teucrisque venire, Latinisque. *Lucr.* 1, 241. Tactus enim leti satis esset causa profecto. *Auct. ad Her.* 1. *in.* Etsi negotiis familiaribus impediti, vix satis otium studio suppeditare possumus. *Ulp. Dig.* 5, 40, 45. *med.* Pecuniarium fideicommissum, si divisum fuerit, satis injuriam facit libertati. Ita *Torrent.* Alii leg. *sane. Cajus ib.* 38, 1, 19. Ut satis tempus ad quaestum faciendum habeat. Ita *Torrent.*, alii *satis temporis. Ov. Met.* 3, 149. Fortunamque dies habuit satis. *Lucil.* ap. *Charis.* 2, 193. Cui, si conjuret populus, vix totu' satis sit. *Cic. Or.* 22. Eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. *Id. Fam.* 9, 14. Sum enim avidior, plus quam satis est, gloriae. *Id. Brut.* 35. *f.* Dicebant de republica, quod esset illis viris, et consulari dignitati satis. *Nep. Ep.* 4. *f.* Abstinentiae erit hoc satis testimonium. ℙ Cum gen. *Liv.* 32, 21. *med.* Satis exemplorum nobis alienae clades praebent. *Ter. Andr.* 1, 1, 111. Nec satis ad objurgandum causae. *Cic. Verr.* 2, 2, 1. Ut ad dicendum temporis satis habere possim. ℙ *Satis habeo*, contentus sum, sufficit mihi. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* Satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. *Id. Rosc. Com.* 4. Confitetur plus se petere, quam debeatur: sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. *Nep. A.* 10. *f.* A ceteris tantum satis habeant se defendere. *Id. Timol.* 2. *f.* Carthaginienses satis habere coegit, si liceret Africam obtinere; et *ib.* Nec vero id satis habuit, sed, etc. Et cum accusativo communi *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 12. Quando id, quod sat erat, satis habere noluit, ego pausam feci. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Atque hoc non solum in te satis habebit, sed, etc. *Plin. prooem.* 7. Non est satis aestimare, natura parens melior homini, an tristior noverca fuerit, i. e. non licet satis aestimare. Sed hic non adjectivi, sed adverbii vim habet: qua ratione multo saepius usurpatur, *ἅλις*, *ἱκανῶς*, quantum sufficit, aut opus est. Quo reduci possunt multa ex modo allatis scriptorum locis. Praeterea *Cic. Acad.* 4, 19. *med.* Non enim satis intelligebam. *Ter. Andr.* 5, 1, 1. Satis jam, satis, simo, spectata erga te amicitia est mea: satis pericli coepi adire. *Caes. B. G.* 1, 16. Ne pabuli quidem satis magna copia est; et *ib.* 25. Neque, sinistra impedita, satis commode pugnare poterant. *Nep. Thras.* 4. Cum non satis diligenter in castris agerentur vigiliae. *Hor. Epod.* 1, 31. Satis superque me benignitas tua Ditavit. *Ter. Eun.* 1, 2, 5. Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. *Cic. Verr.* 2, 5, 46. *f.* Plus quam satis est, doleo. *Id. Rab. Post.* 16. *extr.* Satis multa hominibus non iniquis haec esse debent: nimis etiam multa vobis, quos aequissimos esse confidimus. Adde *eund. Mil.* 34. ℙ *De his satis*, ellipsis, *h. e.* dictum est. *Id. Att.* 6, 9. Quare de hoc satis. *Nep. Alc.* 11. *extr.* Sed satis de hoc: reliquos ordiamur. ℙ *Satis accipere, dare, exigere, offerre, petere, praestare*, Jurisconsultorum sunt, et ad fidejubendum pertinent. V. infra post h. v. ℙ Interdum *ἐπιτατικὸν* est, *h. e.* augendi vim habet, vehementer, valde, abunde. *Pl. Amph.* 2, 2, 208. Satis audacter. *Id. Poen.* 1, 2, 73. Pro herili et nostro quaestu satis bene ornatae sumus. *Ter. Heaut.* 1, 1, 19. Haec non voluptati tibi esse, satis certo scio. *Id. Andr.* 1, 1, 104. Ad flammam accessit imprudentius, satis cum periculo. *Cic. Off.* 3, 8. *f.* Satis nobis persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste esse faciendum. *Hor. Od.* 1, 13, 13. Non, si me satis audias, Speres perpetuum. *Caes. B. G.* 1, 43. Planities erat magna, et in ea tumulus terreus satis grandis. *Nep. Ep.* 5. Vir satis exercitatus in dicendo. *Ulp. Dig.* 29, 2, 70. Hoc enim satis impium esset. *Id. ib.* 43, 23, 7. *med.* Magna et satis necessaria causa. Adde alia quae congessit *Broukus.* ad illud *Tibulli* 2, 6, 53. Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vivas. ℙ Interdum minuendi. *Satis bene* est non omnino bene, sed mediocriter: *satis bonus* non plane bonus, sed probabilis. *Cic. Off.* 2, 25. A Catone cum quaereretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, bene pascere: quid secundum? satis bene pascere: quid tertium? male pascere: (*Plin.* 18, 5, 6. et *Colum. praef.* 6. hoc ipsum Catonis dictum referentes, pro *satis bene* habent *mediocriter;* et *Or.* 3, 22. *med.* Quare si jam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo; et *Att.* 2, 19. *med.* Videor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum, habere firmissimum. *Ter. Heaut.* 3, 2, 12. Meretrix haec est forma luculenta. *Chre.* sic satis. ℙ Pro intente, ut *satis agere.* V. in SATAGO. ℙ [*Saepe junguntur *satis* et *nimium. Sen. Her. Oet.* 1121. An quod dividit aethera A terris spatium, sat est Et mundi nimium malis. *Stat. Silv.* 1, 2, 169. Satis, o, nimiumque, priores Despexisse procos. Laud. hos locos *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 1. p. 85. *ed. Fr.*, ubi pro vulg. omnium cdd. et edd. scriptura *satis ac minimum boni*, leg. *satis ac nimium boni* videtur.] ℙ Comp. est *satior, satius*, h. e. melior, melius, utilius, praestantius. *Plin.* 17, 5, 3. Erit igitur haec terra optima, et operi satior. *Hard. et operi, et satis*, alii aliter leg. *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Repertus est nemo, quin mori diceret satius esse; et *Virg. Ecl.* 2, 14. Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras, Atque superba pati fastidia? *Mart.* 10, 37. Et satius tenues ducere credis acos. *Ter. Andr.* 2, 1, 7. Ah quanto satius est, te id operam dare, quam, etc.! *Pl. Cist.* 4, 1, 10. Satius est mihi quovis exitio interire. *Id. Trin.* 2, 2, 30. Nimio satius est, ut opus est, te ita esse, quam ut animo lubet. *Plin.* 23, 1, 26. Et quis satius censeat, absinthite vino utendum potius, quam absinthio ipso? *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Ego quod magis pertineat ad Fundanii valetudinem, satius dicam, *h. e.* potius. [*—Cum inf. passivi *Nep. Ag.* 2, 1. satius esse in Asia, quam in Europa dimicari. V. quae de hoc dicendi genere disputat *Brem.* ad *Nep. Paus.* 4, 4.] ℙ In illo *Pl. Truc.* 5, 36. Nihil *φλυαρεῖν* satius est, miles: si te amari postulas, auro, haud ferro deterrere potes, ne amet Stratophanes: *satius est* significat opus est, aut prodest, aut necesse est, amissa significatione comparativi. ℙ [*Satis* c. superl. junctum demonstrat *Ruddim.* 2. p. 306, 8. *f.* exemplo laud. *Pomp. de orig. jur.* §. 46. Exstat ejus oratio satis pulcherrima.]

SĀTISACCEPTIO, onis, f. *ἱκανολῆψια*, actus satisaccipiendi. *Pomp. Dig.* 45, 1, 5. Satisacceptio est stipulatio, quae ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, idest qui idem promittant.

SĀTISACCEPTUS et Satis acceptus, a, um, part. a *satisaccipio*, tanquam idonea cautio acceptus. Translate compertus, certus, quasi datis acceptisque fidejussoribus. *Pl. Most.* 1, 3, 90. Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum; et *ib.* 67. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum.

SĀTISACCIPIO et Satis accipio, is, epi, eptum, a. 3. *ἱκανὸν λαμβάνω*, accepto fidejussore mihi caveo, fidejussorem a debitore oblatum admitto: cui *satisdo* respondet. *Pomp. Dig.* 45, 1, 5. Satisacceptio est stipulatio, quae ita obligat promissorem, ut adpromissores quoque ab eo accipiantur, id est qui idem promittant. Satis autem accipere dictum est eodem modo, quo satisfacere: nam quia id, quo quis contentus erat, si praestabatur, satisfieri dictum est; et similiter quia tales, quibus contentus quis futurus esset, ita dabantur, ut verbis obligarentur, satisaccipi dictum est. *Cic. Quint.* 13. *med.* Pecuniam petit: negamus deberi: judicium fiat statim: non recusamus. Numquid praeterea? si veretur, ut res judicio facto, parata sit, judicatum solvi satisaccipiat: quibus verbis a me satisaccipiet, iisdem ipse quod peto, satis det; et *mox:* Immo, inquit, abs te satis accipiam: ego autem tibi non satisdabo. V. JUDICATUS. *Ulp. Dig.* 46, 1, 33. Si eum hominem, pro quo satis de lite acceperam, Titius heredem reliquerit, etc. *Pl. Stich.* 4, 1, 4. Satis abs te accipiam, nisi videam, mihi te amicum esse, Antipho: nunc qui te amicum mihi experior esse, creditur tibi. *Cic. Verr.* 2, 1, 45. Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, lege ageret in hereditatem, aut, pro praede litis vindiciarum cum satis accepisset, sponsionem faceret. Ubi *Ascon.* Aut peteret, ut possessor esset, aut acciperet ab adversario satis pro praede litis vindiciarum, et ipse sponsionem faceret. *Ulp. Dig.* 36, 4, 5. *f.* Nomine legati satis accipere ab herede. Et omisso *nomine*, *Paul. ib.* 3, 15. et 17. Si ab herede instituto legatorum satis acceperit legatarius. ℙ Passive. *Cato R. R.* 2. *med.* Quae satis accipiunda sunt, satis accipiantur, *h. e.* quae sub fidejussore accipienda sunt.

SĀTIS CĀVERE, satisdando, *h. e.* per fidejussorem cavere. *Paul. Dig.* 7, 1, 60. Satisque ei a possessore cavendum est, quod non sit prohibiturus. Ita *Torrent.* Alii leg. *dandum.*

SĀTISDĀTIO, onis, f. *ἐγγυοδοσία*, actus satisdandi, hoc est fidejussores offerendi. *Cajus Dig.* 2, 8, 1. Satisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus, ita satisdare dicimur adversario nostro, cum pro eo, quod a nobis petit, ita cavemus, ut eum hoc nomine securum faciamus, datis fidejussoribus. *Ulp. ib.* 4, 6, 28. Si quis nec in custodia, nec in vinculis sit, sed sub fidejussorum satisdatione. *Id. ib.* 46, 5, 1. Stipulationum praetoriarum quaedam sunt, quae satisdationem exigunt, quaedam quae nudam repromissionem. *Papin. ib.* 7. Praetoriae satisdationes personas desiderant pro se intervenientium: neque pignoribus quis, neque pecuniae, vel auri, vel argenti depositione in vicem satisdationis fungitur. *Ulp. ib.* 35, 3, 3. *f.* interponere. *Id. ib.* 26, 2, 17. offerre; et *mox:* implere; et *f.* contumeliam satisdationis subire. *Id. ib.* 2, 8, 7. Satisdationem praestare. *Paul. ib.* 4, 8, 32. *med.* dare. *Ulp. ib.* 26, 4, 5. alicui remittere. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 8. Satisdatio capitalis, *h. e.* qua non fidejussor offertur, sed vita ipsa ejus, qui quippiam praestandum suscepit. ℙ Satisdationis appellatione interdum etiam repromissio continebitur, qua contentus fuit is, cui satisdatio debebatur, ut *Ulp.* docet *Dig.* 50, 16, 61. Hinc ap. *Cic.* hoc sensu satisdationem intelligi debere, contendit *Graevius*, cum ait *Att.* 5, 1. De satisdando vero te rogo, quoad eris Romae, tu ut satisdes: et sunt aliquot satisdationes secundum mancipium, in his Memmianorum praediorum, vel Atilianorum. Nam cum primitus, inquit *Graevius*, in mancipationibus fidejussio interponeretur, quae satisdatio secundum mancipium appellabatur; et deinceps exolevisset haec fidejussio, introducta in locum ipsius nova repromissione, vetus formula mansit quidem, sed mutata veteri significatione: et *satisdatio secundum mancipium* nihil aliud significat, quam repromissionem pro re mancipi. [*V. quae laud. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Pro satisfactione. *Mart. Dig.* 46, 3, 49. Solutionis quidem verbum non proficiet, sed satisdationis sufficit.

SĀTISDĀTO et Satis dato, adverbii more dictum, ut *testato*, datis fidejussoribus. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. *f.* Cavere nuda cautione, aut satisdato; et *ib.* 2, 11, 4. *f.* Quaeritur, si quis, cum judicio sistendi causa satisdare non deberet, satisdato promiserit, an fidejussoribus ejus exceptio detur. *Id. ib.* 40, 5, 4. *med.* Ergo cavendum est idonee: quid est idonee? satisdato utique, aut pignoribus datis. *Pompon. ib.* 35, 2, 31. *f.* Satisdato cautum debet esse ei, a quo pecunia proficiscetur. *Mart. ib.* 49, 17, 18. *f.* Satisdato filium in solidum, non peculio tenus defendere debebit. ℙ Eandem sententiam habere videtur illud *Cic. Att.* 16, 6. *f.* Hoc quod satisdato debeo, peto a te, ut ante provideas, planeque expedias, et solutum relinquas; et *ib.* 15. *med.* Sed et illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores ejus non dissolvere. *Gronov.* tamen priore loco *satisdato debere* eum putat, non qui fidejussores dedit, sed qui ipse fidejussor pro alio fuit. *Ernestius* vero, qui facta pro alio idonea cautione, se soluturum spopondit.

SĀTISDĀTOR, oris, m. fidejussor. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 45. Praedes dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis est. *Sidon. ep.* 4, 21. *f.* Curatori necdum satisdator inventus est.

SĀTISDĀTUM, i, n. satisdatio. *Ulp. Dig.* 43, 3 1. *f.* Quod ait praetor: nisi satisdatum sit: accipere debemus, si perseveret satisdatum. V. SATISDATO.

SĀTISDO et Satis do, das, dedi, datum, a. 1. *ἱκανὸν δίδωμι*, fidejussore dato creditori caveo: cui respondet *satisaccipio.* V. SATISDATIO. *Cic. Quint.* 13. *med.* Quibus a me verbis satis accipiet, iisdem ipse quod peto satis det. *Id. Rosc. Com.* 12. *med.* Quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? *Paul. Dig.* 46, 6, 1. Cum, pupillo rem salvam fore, satisdatum est. *Ulp. ib.* 2, 8, 7. *f.* Si satisdatum pro re mobili non sit. *Id. ib.* 36, 4, 1. Ante aditam hereditatem satisdandum de legatis est. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Qui redemerit, satisdet damni infecti, ei, qui a vetere redemptore acceperit, *h. e.* nomine damni infecti. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 8. Cum Scipio judicatae pecuniae satisdare non posset. *Ulp. Dig.* 36, 4, 5. *f.* Si legatarius fideicommissi satis non det. *Id. ib.* 43, 14, 1. *med.* Dabitur autem satis vicinis, sed et his, qui trans flumen possidebunt. *Cic. Verr.* 2, 2, 24. *extr.* Debebat Epicrates ullum nummum nemini: amici, si quis quid peteret judicio, secum agi passuros, judicatum solvi satisdaturos esse dicebant. V. JUDICATUS. *Id. Fam.* 13, 28. Rogo, ut si quid tibi satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea. [*Cf. *Ern. cl. Cic.*]

SĀTIS EXIGO, is, a. 3. est fidejussorem exigere. *Paul. Dig.* 26, 7, 45. *f.* Pupillo a magistratibus tutor datus est: a quo magistratus satis exegerunt, rem salvam fore. *Scaevola ib.* 36, 3, 18. Satis a Sejo patre meo exigi veto.

SĂTISFĂCĬO et Satis facio, is, eci, actum, a. 3. πληροφορέω, tantum facio, quantum satis est, officium totum praesto, impleo. *Cajus Dig.* 2, 8, 1. Satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus. *Cic. Phil.* 14, 9. *extr.* Cum aut morte, aut victoria se satisfacturum reipublicae spopondisset. [*Cf. *Gron. observv.* 2, 4. p. 124. *ed. Fr.*] *Colum.* 11, 3. *med.* Quae ratio docet, universo jugero satisfacere modios stercoris MCCCCXL. *Cic. Balb.* 1. Me omnibus, qui amici fuerint saluti meae, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at praedicanda et habenda certe satis esse facturum. *Id. Verr.* 2, 5, 53. Satis est factum Siculis, satis officio ac necessitudini, satis promisso nostro ac recepto. *Id. Or.* 1, 47. Satis superque abs te videtur istorum studiis esse factum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Non judicabat se exprimere in eo spumam anhelantis posse, cum reliqua omni parte sibi ipse satis fecisset. *Cic. Or.* 31. Histriones in dissimilibus personis satisfaciunt. *Id. Att.* 5, 18. *extr.* Sunt negotia lenta et inania: faciam tamen satis: tibi quidem, cui difficilius est, quam ipsi: sed certe satisfaciam utrique. *Id. Top. f.* Ad id autem, quod te velle senseram, cumulate satisfactum esse debet voluntati tuae. *Id. Div. Verr* 14. *extr.* Causae et officio suo satisfacere. *Id. Cluent.* 10. naturae et legibus; et *Or.* 41. et *Att.* 2, 4. alicui quippiam petenti. *Ulp. Dig.* 36, 4, 5. *med.* voluntati defuncti. *Scaevola ib.* 1, 77. *extr.* conditioni. *Cic. Rab. Post.* 17. Ut omnium vel suspicioni, vel malevolentiae, vel crudelitati satisfiat. *Id. Fam.* 14, 7. Deo pie et caste, *h. e.* Deum pie et caste colere; et *ib.* 13, 16. *f.* Satisfacere immortalitati laudum tuarum cupit, *h. e.* ita scribere de rebus tuis, ut scriptis suis aequet immortalitatem laudum tuarum. *Sen. ep.* 87. *med.* Virtus, quam satisfacere beatae vitae contendimus, *h. e.* satis esse ad beatam vitam. ℙ [*Notandus hujus verbi usus, quo de gladiatoribus dicitur submittentibus se ad audiendum illud, *Recipe ferrum*, donec a dominis testimonium operae satis gnaviter editae impetrent. *Cic. Tusc.* 2, 17 (Gladiatores) mittunt etiam vulneribus confecti a dominos, qui quaerant, quid velint: satis factum ii sit, se velle decumbere, i. e. dummodo dominis fortitudine sua satis fecerint. Hanc rationem praeferunt *Gron. Observv.* 2, 6. p. 117. sq. ubi v. et *Beier. Cic. fr.* p. 46. *Orell.* leg. *si satis iis factum non sit:* docens: difficilem esse optionem: ceterum sine auctoritate a dumviris modo laudd. omissum esse *si. Quint. Decl.* 305. p. 592. *ed. Burm.* Plurimum tamen adhuc ad dolorem pertinet, quod te spectante pugnaverunt: ille gravissimus dolor, quod ad inimici voluptatem satis fecerunt.] ℙ Saepe refertur ad dissolutionem aeris alieni. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Video quid sceleris admiserim, cum de viscеribus tuis, et filii tui satisfacturus sis, quibus debes: ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. *Caes. B. C.* 3, 60. *extr.* Maximas pecunias mutuati, perinde ac satisfacere, et fraudata restituere vellent. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Ut si mihi in pecunia minus satisfecisset, etc. *Cic. Fl.* 20. Pecunia petitur ab Hermippo: Hermippus ab Heraclide petit: ipse tamen Fusiis satisfacit absentibus, et fidem suam liberat. *Ulp. Dig.* 40, 1, 4. *med.* Quaeri poterit, si emptor festinavit, et pretium numeravit, an postea ei satisfacto, servus constitutione uti possit. ℙ Non tamen idem sunt semper *satisfacere*, et *solvere.* Nam *solvit*, qui creditori pecuniam omnem numerat: *satisfacit*, qui quocumque modo creditorem placat, v. gr. cautione, satisdatione, pignore, partis debiti solutione, etc. *Ulp. Dig.* 13, 7, 9. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum. Vet. *Tabula aen.* ap. *Mur.* 582. *med.* Si eam pecuniam non solverit, neque satis fecerit. *Modest. Dig.* 40, 4, 41. Stichus servus meus heredi meo mille nummos si solverit, satisve fecerit, liber esto. *Pomp. ib.* 18, 1, 19. Quod vendidi, et tradidi, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum. *Jabol. ib.* 40, 7, 39. Stichus liber esto, quando aes alienum meum solutum, creditoribusve meis satisfactum erit. ℙ Pro satisdare. *Jabol. ib.* 33, 2, 30. Cui ususfructus legatus esset, donec ei totius dotis satisfieret: cum ei heres pro sua parte satisdedisset, quamvis reliqui satis non darent; tamen, etc. subintellige *totius dotis nomine.* ℙ Est etiam purgare se de injuria illata, verbis excusare, deprecari, veniam petere culpam fatendo. Formulae satisfaciendi sunt ap. *Ter. Ad.* 2, 1, 11. Nollem factum: Jusjurandum dabitur, te esse indignum injuria hac; et ap. *Pl. Amph.* 3, 2, 50. Arbitratu tuo jusjurandum dabo, me meam pudicam esse uxorem arbitrarier. *Cic. Verr.* 2, 1, 31. *med.* In qua civitate legatus populi R. violatus sit, nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici solere. Ubi *Ascon.* Satisfacere est tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam. *Caes. B. G.* 5, 52. Missis ad Caesarem satisfaciundi causa legatis; et *ib.* 1. Sese paratos esse demonstrant omnibus rationibus de injuriis satisfacere. *Suet. Claud.* 38. Ostiensibus graviter correptis, repente, tantum non satisfacientis modo, veniam dedit. *Cic. Phil.* 2, 20. Acceperam jam ante Caesaris litteras, ut mihi satisfieri paterer a te; et *mox:* Praedicabas, te non existimare, nisi Clodium interfecisses, unquam mihi pro tuis in me injuriis satis esse facturum. *Sen. Ira* 2, 21. *med.* Non resistet offensis puer, cui nihil unquam negatum est, cui de paedagogo satisfactum est, *h. e.* quod a paedagogo se laesum dixerat. *Ov. R. Am.* 697. qui dicit multa puellae Probra, satisfieri postulat ille sibi. Adde *Suet. Caes.* 73. et *Tib.* 27., *Sen. Ira* 2, 32. et *Tac. A.* 4, 26. Hinc acute *Mart.* 12, 79. Nil in te scripsi, Bithynice: credere non vis, Et jurare jubes: malo satisfacere, *h. e.* fateri scripsisse, et veniam petere. ℙ *Satisfacere alicui*, dare poenas alicui, quem laeseris. *Id.* 12, 14. Saepe satisfecit praedae venator, et acri Decidit excussus, nec rediturus equo. ℙ Olim *satisfacior* dictum est. *Varr.* ap. *Prisc.* 8, 789. Si mehercule purgant, et Deorum cura non satisfacitur reipublicae.

SĂTISFĂCTĬO, onis, f. actus satisfaciendi creditori, eo modo quo dictum est in v. praec. *Paul. Dig.* 46, 3, 52. Satisfactio pro solutione est. ℙ Item satisfaciendi ei, quem laesimus. *Caes. B. G.* 6, 9. *extr.* Caesar Ubiorum satisfactionem accepit; [*Cf. 1, 41.] et *Cic. Fam.* 7, 13. Hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis. *Sall. Cat.* 36. Satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi. *Petr. Sat.* 107. Flectite ergo mentes satisfactione lenitas. *Ulp. Dig.* 47, 10, 17. Qui accepit satisfactionem, injuriam suam remisit. *Plin.* 10, 34, 52. de columbis: Tum plenum querela guttur, saevique rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio. Adde *Tac. G.* 21.

SĂTISFĂCTUS et Satis factus, a, um. V. SATISFACIO.

SĂTIS OFFĔRO, fidejussorem exhibeo. *Ulp. Dig.* 43, 23, 3. *f.* Si modo satis offerat, et defendere paratus sit. *Mart. ib.* 48, 17, 1. *f.* Si provinciae praesidem adierit, et satis obtulerit. Adde *Ulp. ib.* 26, 10, 5.

SĂTIS PĔTO, fidejussorem peto. *Ulp. Dig.* 36, 4, 3. Si is, a quo satis petitur, offerat cognitionem, dicendum est, cessare satisdationem. *Papin. ib.* 35, 1, 70. Ita ne satis fideicommisi petatur, neve ratio exigatur, *h. e.* nomine fideicommissi.

SĂTĬUS. V. SATIS.

SĂTĪVUS, a, um, adj. ἥμερος, qui seritur, et colitur: cui contrarius est qui sponte et sine cultu provenit, agrestis, silvestris. *Plin.* 19, 12, 60. Quae sunt silvestria, eadem in sativis sicciora intelliguntur, et acriora. *Id.* 32, 2, 11. Sativa corna. *Id.* 24, 13, 73. Sativa morus. *Varr.* ap. *Gell.* 17, 3 Graeci naves suebant cannabo et stuppa, ceterisque sativis rebus. ℙ *Sativum tempus*, sationi aptum. *Plin.* 19, 8, 40. Nostri betae genera faciunt, vernum et autumnale, a temporibus sativis, quamquam et Junio seritur. Ita Edit. vet. 1469. 1470. et 1472. et aliae. *Hard.* cum aliis edidit *a temporibus satus.*

SĂTOR, oris, m. φυτευτής, qui plantat, et colit. *Cic. N. D.* 2, 34. Omnium rerum quae natura administrantur, seminator, et sator, et parens, ut ita dicam, atque educator, et altor est mundus. *Varr. R. R.* 1, 45. Ita esse docent silvestria, ad quae sator non accessit. *Colum.* 3, 15. Sator vitis. *Plin.* 15 1, 1. oleae. ℙ Translate. *Cic.* vertens *Soph. Tusc* 2, 8. tuque coelestum sator, Jace, obsecro, in me vim coruscam fulminis, *h. e.* Juppiter genitor, creator: qui dicitur a *Virg. A.* 11, 725. hominum sator atque Deorum: a *Silio* 4, 432. rerum sator; et 9, 306. sator aevi: a *Phaedro* 3, 17. Deorum genitor, atque hominum sator. *Sen. Herc. Fur.* 357. verus Alcidae sator. Janus designatur in illo *Mart.* 10, 28. Annorum nitidique sator pulcherrime mundi. *Liv.* 21, 6. Sator litis; et *Sil.* 8, 260. Idem ut turbarum sator, atque accendere solers Invidiam. *Pl. Capt.* 3, 5, 3. Sator, sartorque scelerum, et messor maxime. [*Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. de puerulis filiis ejus: Deos precor, sit salvus sator, salva sint sata, salva seges sit, quae tam similes procreat, *h. e.* salvus sit pater, salvi sint filii, salva sit eorundem mater. *F.*]

SĂTORĬUS, a, um, adj. ad serendum pertinens. *Colum.* 2, 9. *med.* Pelle hyaenae satoriam trimodiam vestiunt. Adde 12, 50. *med.* Sic *satoria quala* ap. *Caton. R. R.* 11., ubi alii leg. *sataria.*

*SATRĂCUS, i, m. pater Solimi vel Solymi, a quo Sulmo dicta, quem filius suus interfecit. *Sil.* 9, 68, 77, 104. et 111. ℙ Legitur et *Satricus. B. A.*

SATRĂPĂ et Satrapes, ae, m. et Satrapes, is, et Satraps, ăpis, m. σατράπης, vox Persica, praefectum, praetorem, praesidem provinciae sub rege Persarum significans. Praetorem vocat *Cic. Fin.* 5, 30. *extr.*, praefectum *Just.* 5, 1. *med.* et *Nep. Dat.* 2. *f.* Hi opulentissimi habebantur, et quasi reguli. *Curt.* 3, 13. Cum praecessisse Darii satrapam comperisset. *Ter. Heaut.* 3, 1, 43. Satrapes si siet amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat. *Nep. Paus.* 1. Mardonius Satrapes regius. *Id. Lys.* 4. Factum Pharnabazi satrapis regii. *Id. Con.* 2. Contulit se ad satrapem Ioniae. *Id. Dat.* 3. Optima veste, quam satrapae regii gerere consueverant. *Plin.* 6, 26, 30. Oppidum, satraparum regia appellatum. *Sidon. carm.* 2, 78. Quisque sedet sub rege satraps; et *Alcim.* 6, 392. Ornati cum fraude satraps, etc.; et *Sidon. carm.* 9, 50. Praefectos, satrapasque perculisse. ℙ Genitivus *Satrapis* ap. *Nep. l. c.* a *Satrapes* est, ut *Orestis*, *Timarchidis* pro *Orestae*, *Timarchidae*, et alia multa, de quib. *Prisc.* 6, 705. Posset esse etiam a recto *Satraps.*

SATRAPEA et saepius Satrapīa, ae, f. σατραπεία, νομός, provincia satrapis. *Curt.* 5, 1. *f.* Mazaeum transfugam satrapea Babyloniae donat. Adde *ib.* 2. *med.* et *ib.* 3. etc. Ubique alii leg. *Satrapia. Plin.* 6, 20, 23. Adjiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, etc. Adde *ib.* 21, 23. et *ib.* 23, 25. *in.*

*SATRAPĒNE, es, f. regio Asiae ulterioris. *Curt.* 5, 2. *in.*, ubi fortasse legendum *Sittacene.* V. *Cellar.* ad h. l. *B. A.*

SATRAPS. V. SATRAPA.

[SATRIĀNĂ, ae, f. Dea alias ignota. *Grut.* 89, 3. Lucus sacer Deae Satrianae. *F.*]

SATRĬCĀNUS, a, um, adj. ad Satricum pertinens, vetus oppidum Latii inter Velitras et Lanuvium, cujus *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2., *Liv.* 2, 39. et al., *Plin.* 3, 5, 9. et *Flor.* 1, 11. meminere. Hinc *Satricani, orum*, incolae illius oppidi memorantur a *Liv.* 9, 12. et 28, 11.

[SATTO, onis, m. qui jumentis clitellariis onus imponit: videtur esse a σάττω, onero. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 919, 9. Nonius Satto. *F.*]

SĂTULLĪNUS, a, um, adj. ad satullum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 845, 4. M. Porcius M. F. Claud. Satullinus. *F.*]

SĂTULLĬO, onis, m. dimin. satulli. Est cogn. R. V. *Inscr.* in DECIMUS. *F.*]

SĂTULLO, as, a. 1. idem ac saturo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 786. Neque coquam carnes, quibus satullem corpora, ac famem ventris.

SĂTULLUS, a, um, adj. idem ac satur. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Ut agni satulli fiant lacte. Alii leg. *saturi.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 892, 3. Licinia Satulla. *F.*]

SĂTUR, ra, rum, adj. ἔμπλεος, κορεσθείς, cibo plenus, satiatus. [*Cic. Div.* 1, 35. (Flaminius) Praeclara vero (inquit) auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur.] *Ter. Ad.* 5, 1, 3. Intus sum omnium rerum satur. *Id. Hec.* 5, 2, 2. Sed tu cum satura atque ebria eris, puer ut sit satur, facito. *Hor. Sat.* 1, 7, 35. Satur altilium. *Pers.* 6, 71. anseris extis. *Varr. R. R.* 1. *praef.* Qui nobis frumentum advehat, qui saturi fiamus ex Africa, et Sardinia. *Colum.* 7, 4. Agnus saturior lactis. ℙ *Ire, quo saturi solent*, pro ire cacatum, honestis verbis dixit *Pl. Curc.* 2, 3, 83. Adde *Mart.* 12, 78., ubi *satur* est, qui cacare cupit. ℙ Sumitur interdum pro fecundo, abundanti. *Virg. G.* 2, 197. Saltus, et saturi petito longinqua Tarenti. *Pers.* 1, 71. Nec rus saturum laudare. *Sever. Aetn.* 12. Saturae messes. Alii leg. *sacrae. Colum.* 10, 43. Satur autumnus. *Virg. G.* 3, 314. Satura praesepia, *h. e.* plena pabuli. ℙ Translate. *Cic. Or.* 36. Nec satura jejune dicet, nec grandia minute, nec item contra. Sensus est: *Siquae res sunt plenae, et quae magna dicendi copia explicari possunt, non eas jejune et exiliter tractabit*, etc. [*reichhaltige Stoffe für den Redner.] ℙ *Satur color* est plenus, vehemens, cui *dilutus* opponitur. *Plin.* 37, 10, 61. Ion ap. Indos violacea est, sed raro saturo colore lucet. *Sen. Q. N.* 1, 5. *f.* Purpuram, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat. ℙ *Saturum gestum*, hoc est varium, plenum, perfectum. *Manil.* 5, 474. de pantomimis: Externis tamen aptus erit nunc voce poetis, Nunc saturo gestu. ℙ *Saturae vestes ostro Tyrio* ap. *Sen. Thyest.* 955. sunt purpureo colore multo imbutae, large infectae, dibaphae. ℙ *Satur*, satiatus qualibet re. *Lucr.* 3, 973. Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante, Quam satur ac plenus possis discedere rerum. *Cic. Verr.* 2, 3, 42. *extr.* Ut aliquando ex eorum agris expleti atque saturi, cum hoc cumulo quaestus decederent. *Catull.* 48, 4. Saturum cor. *Pl. Poen. prol.* 8. Qui non edistis, saturi fite fabulis. ℙ Item pinguis. *Mart.* 11, 52. Et cortis saturas, atque paludis aves.

SĂTŪRĂ, ae, f. lanx variis frugum, pomorum, vel similium generibus referta. *Acron.* in *Hor. Sat.* 1, 1. Lanx plena diversis frugibus in templum Cereris infertur, quae saturae nomine appellatur. *Diomed.* 3, 483. Lanx referta variis, multisque primitiis sacris Cereris inferebatur, et a copia, et a saturitate rei satura vocabatur. Cujus generis lancium et Virgilius in Georgicis meminit, cum hoc modo dicit (2, 194.) Lancibus, et pandis fumantia reddimus exta. Et (*ib.* 394.) Lancesque, et libra feremus. ℙ Ab hac lance coepit etiam dici satura, genus farciminis multis rebus refertum. V. verba *Festi* infra. Constabat autem uva passa, polenta, et nucleis pineis ex mulso conspersis: quibus alii addunt et de malo Punico grana. *Varr. ib.* ℙ Satura item est lex, quae uno rogatu multa simul complectitur. *Fest.* Satura et cibi genus ex variis rebus conditum est, et lex multis aliis legibus conferta. Itaque in sanctione legum adscribitur, Neve per saturam abrogato, aut derogato. T. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Ti. Gracchum: Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est. Et C. Laelius in ea, quam pro se dixit: Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Haec *Festus*, cujus tamen sen-

tentia hac in re eruditis non placet: nam cum legimus *per saturam aliquid facere*, non videtur significari lex aliqua singularis, sed *per saturam* idem est ac confuse, nullo ordine aut distinctione: ducta translatione ab ea lance, quam diximus. Porro quae ex *C. Laelio* affert *Festus*, sunt *Sallustii Jug.* 31. *f.* Fortasse verba *Laelii* e scriptis *Festi* exciderunt. *Imp. Justin. praef. ad Dig. ad Antecessor. in.* Hoc opus legentibus tradebatur, non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim, et quasi per saturam collectum, utili inutilibus mixto. Eadem ratione commodius explicari videntur exempla a *Festo* allata. *Lucil.* ap. *Diomed. l. c.* Per Saturam aedilem factum qui legibu' solvat. *Per Saturam* latae legis exemplum esto: Velitis jubeatis, cum Jugurtha pacem componi, foedus feriri, elephantos tradi, item perfugas omnes, etc. *Gloss. Philox.* Satura, νόμος πολλὰ περιέχων. *Lactant.* 1, 21. *med.* Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert, Carthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare. ℙ Denique sumitur pro genere carminis, in quo multa metra, multaeque res miscentur. *Paul.* ex *Festo:* Satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum, et lex multis aliis conferta legibus, et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur. Hinc *Petronii Satyra*, vel *Satyricon* a nonnullis ita appellatum videtur, quia prosa oratione et versibus constat; idem etiam dicendum de *Martiani Capellae Satyrico*, de quo ipse auctor in fine operis ita eloquentem inducit Harmoniam: Tandem senilem, Martiane, fabulam, Miscella lusit quam lucernis famine Satyra (alii leg. *Satura*) Pelasgo, dum docere nititur Artes creagris vix amicas Atticis, Sic in novena decidit volumina. V. SATYRA. ℙ Saturae palus, quae et Pontina, vel ejus pars, juxta Circejos fuit, viginti trium olim urbium locus, ut est Muciani sententia ap. *Plin.* 3, 5, 9. Haec ad viam usque Appiam pertingebat, ubi et navibus trajiciebatur. *Virg. A.* 7, 801. Qua Saturae jacet atra palus. Ubi *Serv.* perperam monet, ab aliis legi *Asturae*, qua Astura flu. et oppidum paulo remotius sunt.

*SATURABILIS, e, adj. χορταστικὸς *Gloss. Vet. Lat. Gr. B. A.*

SĀTŪRĀMEN, inis, n. saturatio, saturitas. *Paul. Nol. carm.* 27, 194. inopum saturamine pasci.

[SĀTŪRANTER, adv. ad saturitatem. *Fulg. Contin. Virg. med.* Saturanter haec in libro Physiologo, quem nuper edidimus, omnem arithmeticae artis digessimus rationem. *Id. Myth.* 3, 6. Sed quia haec saturantius Apulejus paene duorum continentia librorum tantam falsitatum congeriem enarraverit. *F.*]

*SATURĀTIM, adv. κατακόρως *Gloss. Gr. Lat B. A.*

SĀTŪRĀTIO, onis, f. χόρησις, actus saturandi. *August. Tract. in Joann.* 24. Saturatio quinque millium hominum de quinque panibus.

SĀTŪRĀTOR, oris, m. qui saturat. *August. ep.* 120. *n.* 25. De qua saturator ipse dicit, etc. Alii aliter leg.

SĀTŪRĀTUS, a, um, part. a *saturo*, κορεσθείς, satur factus, satiatus, expletus. *Virg. A.* 8, 213. cum jam stabulis saturata moveret Amphitryoniades armenta. *Plin.* 9, 10, 12. Testudines pastum egressae, avideque saturatae. *Ov. Met.* 10, 541. armenti saturatos caede leones. *Id. Am.* 2, 16, 25. submersis ratibus saturata Charybdis. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 248. Rosa saturata vernis roribus. *Mart.* 3, 60. Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino; et 13, 24. Cecropio saturata cydonia melle; et *Ov. Met.* 11, 166. et *Mart.* 8, 48. saturatae murice vestes; et *Plin.* 21, 8, 22. Saturatior color. ℙ Translate. *Virg. A.* 5, 608. Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem Juno. *Cic. Planc.* 8. *med.* Homines saturati honoribus. *Id. Div.* 1, 30. Pars animi, quae mentis et consilii est, saturata bonarum cogitationum epulis. *Catull.* 64, 220. cui languida nondum Lumina sunt gnati cara saturata figura. ℙ [*Confund. *saturatus* et *satiatus*. V. h. v. in f.]

SĀTŪREJĀ, ae, f. et Saturejum, i, n. θύμβρα, herba hortensis, quae et *cunila* dicitur, condimentis ciborum idonea. *Plin.* 19, 8, 50. Graeci thymbram vocant, quae sit cunila: haec apud nos habet vocabulum et aliud, satureja dicta. *Colum.* 9, 4. Nostras cunila, quam saturejam rustici vocant; et 10, 233. Et satureja thymi referens, thymbraeque saporem. *Id.* 11, 3. *f.* Satureja et viridis esui est jucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda. Adde *Pall.* 3, 24. ℙ Veneris incitatricem herbam esse, colligunt ex *Ov. A. Am.* 2, 415. Sunt qui praecipiant herbas, satureja, nocentes; et *Mart.* 3, 75. Improba nec prosunt jam satureja tibi. Alii leg. *satyrea*, h. e. satyrion, quia neque *Plin.*, neque *Colum.* eam vim saturejae, aut cunilae tribuunt.

SĀTŪREJĀNUS, a, um, adj. *Saturejanus cabal-lus* dicitur ab *Hor. Sat.* 1, 6, 59. qui in Saturejano agro totius Apuliae fertilissimo altus fuit, ideoque generosus. Ita *Acron.* Huc facit, quod *Serv.* ad *G.* 2, 197. et *ib.* 4, 335. oppidum Saturum, vel Saturejum ponit juxta Tarentum: quae regio est Apuliae Peucetiae contermina. Alii tamen ducunt a palude Saturae (de qua V. SATURA.), ubi essent prata, in quibus equorum magni greges alerentur.

SĀTŪREJUM, opp. V. in v. praec. ℙ herba. V. SATUREJA.

SĀTŪRIO, onis, m. nomen comoediae Plautinae amissae ap. *Fest.* in *Catulinam*, *Nequitum*, *Rienes*, et *Succenturiare:* quibus locis aliquod ex ea fragmentum refert. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 3. *f.* tradit, scriptam a *Plauto* fuisse in pistrino. Ap. *eund. Plaut. Pers.* nomen est parasiti: qui ita loquitur *ib.* 1, 3, 21. O Saturio opportune advenisti mihi! *Satur.* Mendacium edepol dicis: nam Esurio venio, non advenio Saturio.

SĀTŪRĪTAS, atis, f. κόρος, πλησμονή, satietas. *Pl. Capt.* 4, 1, 4. Offers mihi penum, potationes, saturitatem, gaudium. *Aurel. Vict. Epit.* 45. *f.* Quod intemperantia cibi et saturitate, qua artus diffuderat, accidisse, plures retulere; et *Pl. Rud.* 3, 4, 53. Quid causae est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem? ℙ Dea est parasitorum. Ita enim parasitus loquitur ap. *eund. Capt.* 4, 2, 97. Ita me amabit sancta Saturitas, itaque suo me semper condecoret cognomine. ℙ De excrementis. *Plin.* 10, 33, 49. Hirundines notabili munditia egerunt excrementa pullorum, adultioresque circumagi docent, et foris saturitatem emittere. ℙ De colore saturo. *Id.* 9, 39, 64. de conchylio: Sic gignitur laudatus ille pallor saturitate fraudata. ℙ De abundantia et copia. *Cic. Sen.* 16. Neque solum officio, quod hominum generi cultura agrorum est salutaris; sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum pertinent.

SĀTURNĀLIA, orum vel ium, n. plur. Κρόνια, festa unius, seu trium, seu quinque, seu septem dierum, in honorem Saturni. Celebrabantur mense decembri unico primum die, nempe XIV. K. Jan., testibus *Macr. Sat.* 1, 10. et 11. et *Liv.* 2, 21. et 22, 1.: postea in triduum propagata festivitas, ex adiectis prius a Julio Caesare huic mensi diebus, deinde ex edicto Augusti; a XVI. igitur coepta in XIV. K. Jan. desierunt, quo solo die fieri ante consueverant. Mox a Caligula duo dies Saturnalibus additi (*Suet. Cal.* 17. et *Dio* 59, 6.) quod in desuetudinem cum abiisset, a Claudio iterum instauratum est (*Id.* 60, 25.) Sed Sigillariorum adjecta celebritas, ut ait *Macrob. ib.* 10. *f.*, in septem dies discursum publicum et laetitiam religionis extendit. Hinc *Mart.* 14, 72. qui venit botulus medio tibi brumae, Saturni septem venerat ante dies. Porro erant dies illi pleni laetitiae. His continuae epulae, ac comisationes erant: munera ultro citroque mitti remittique solebant. Romani illis diebus synthesin, quod genus vestis brevis erat, sumebant, servisque discumbentibus inserviebant. Saturni enim aevo omnia communia fuere, nec, quid servitus esset, notum fuit. V. *Macr. Sat.* 1, 7., *Liv.* 2, 21. et *J. Lipsium Sat.* 1, 2. *Cic. Att.* 5, 20. Saturnalibus mane se mihi Pindenissae dediderunt. *Macr. Sat.* 1, 2. Solstitialis dies, qui Saturnaliorum festa consecutus est. *Id. ib.* 4. monet, rectius *Saturnaliorum* dici in genitivo, quam *Saturnalium;* nam sic omnes fere scriptores locuti sunt, quamquam ex grammaticorum regula *Saturnalium* dicendum videatur. Itaque refert scriptores *Sall.*, *Masur. Sabin.*, *Verrium Flacc.*, *Jul. Modest.*, etc., qui *Bacchanaliorum*, *Vinaliorum*, *Saturnaliorum*, *Agonaliorum* dixere. Claudit *Macrob.* certum esse, licito *Saturnalium* et *Saturnaliorum* dici, cum alterum regula, alterum etsi sola, sed multorum defendat auctoritas. ℙ *Secundis*, *tertiis Saturnalibus* pro secundo, et tertio die Saturnaliorum. *Cic. Att.* 13, 52. Sed cum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset. *Id. ib.* Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam, nec quemquam admisit. ℙ *Ex Saturnalibus primis in Saturnalia secunda* idem est ex die Saturnaliorum unius anni ad diem eorundem anni insequentis. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 32. 35. et 36. Ex Saturnalibus primis in Saturnalia secunda magistrum annum fecerunt. V. *eund. ib.* p. 275. et PRIMUS. ℙ *Non semper erunt Saturnalia*, proverbium, quo significatur, non semper prosperis rebus uti licere. *Sen. Apocol. med.* Cum vidisset fortunas suas deplorantes causidicos, accedit, et ait: dicebam vobis, Non semper erunt Saturnalia. [*Emendavit hunc locum *F.*]

SĀTURNĀLĪCIUS, a, um, adj. ad Saturnalia pertinens. *Mart.* 10, 17. Saturnalicio Macrum fraudare tributo Frustra, Musa, cupis, *h. e.* munusculo, quod Saturnalibus mitti solebat. *Id.* 5, 30. et 7, 91. Saturnaliciae nuces. *Id.* 11, 15. Saturnalicii versus. *Id.* 5, 19. Saturnaliciae ligulam misisse selibrae, *h. e.* ligulam argenteam selibrae pondo. *Id.* 14, 182. de sigillo fictili: Ebrius haec fecit terris, puto, monstra Prometheus: Saturnalicio lusit et ipse luto, *h. e.* quod Saturnalibus pro munere esset.

SĀTURNĀLIS, e, adj. ad Saturnalia pertinens, ut Saturnale festum, *Macr. Sat.* 1, 2. *med.*

SĀTURNĬA. V. SATURNIUS.

[SĀTURNĬĀNUS, a, um, adj. ad Saturnum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 729, 4. Q. Petilius Q. F. Saturnianus. *F.*]

SĀTURNĪGĒNA, ae, m. Saturni filius. *Auson. Idyll.* 15, 22. Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat Incusare Jovem. *Sidon. carm.* 9, 131. Venatu, fidibus, palaestra, et herbis Sub Saturnigena sene institutus.

SĀTURNĪNUS, a, um, adj. ad Saturniam pertinens, oppidum Etruriae, cujus incolae *Saturnini* dicuntur a *Plin.* 3, 5, 8. V. SATURNIUS. ℙ Fuit etiam cogn. R. frequent., ut L. Apulejus Saturninus, ap. *Flor.* 3, 16. et L. Sentius Saturninus in nummis gentis Sentiae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 305., in quorum plurimis Saturnus nudus visitur in citis quadrigis cum falce in dextra; quo signo allusio fit ad Saturnini cognomen. V. SATURNUS. [*Adjecit quaedam *F.*]

SĀTURNĬUS, a, um, adj. Κρόνιος, ad Saturnum pertinens. *Cic. Somn. Scip.* 4. Stella, quam in terris Saturniam nominant. *Claud. III. cons. Hon.* 168. Algenti qua zona riget Saturnia tractu, *h. e.* circulus stellae Saturni, quae frigida dicitur a *Virg. G.* 2, 336., quia altissima, et a sole maxime distans. Hinc *Claud. Laud. Stil.* 1, 178. Saturnia stagna, *h. e.* pax aurei saeculi sub Saturno. *Virg. Ecl.* 4, 6. regna, *h. e.* aetas aurea sub Saturno. *Id. A.* 1, 573. arva, *h. e.* Latium. *Id. G.* 2, 173. tellus, *h. e.* Italia, in qua Saturnus regnavit. *Id. A.* 4, 372. Saturnius pater, *h. e.* Juppiter Saturni filius. Sic *ib.* 5, 799. Saturnius domitor maris, *h. e.* Neptunus; et *ib.* 12, 156. Saturnia Juno, quae *Silio* 10, 338. est Saturnia conjux, quia ipsa quoque Saturni filia. *Ov. Fast.* 6, 30. de Junone: Saturni sors ego prima fui: A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est. *Id. ib.* 383. Saturnia virgo, *h. e.* Vesta Saturni mater. *Id.* 63 de nuce: falx, *h. e* quae est insigne Saturni, qui culturae agrorum praesidere videtur, ut ait *Festus*. *Lucan.* 3, 115. templa, *h. e.* aedes Saturni Romae, ubi aerarium. *Pers.* 2, 59. Aurum vasa Numae, Saturniaque impulit aera, *h. e.* paupertatem saeculi aurei sub Saturno, quo tempore nullus fuit auri usus, sed aeris tantummodo. *Festus.* Saturnia, Italia: et mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni esse existimatur. Saturnii quoque dicebantur, qui castrum in imo clivo incolebant: ubi ara dicata ei Deo, etc. *Varr. L. L.* 4, 7. Tarpejum antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, et ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam, etc. ℙ In illo *Hor. Ep.* 2, 1, 157. sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius, et grave virus Munditiae pepulere: *Saturnius numerus* est genus rudioris carminis, inconditi, et impoliti, quo priscis temporibus et sub Saturno utebantur. *Festus* in *Saturno:* Versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur: quibus et a Naevio bellum Punicum scriptum est, et a multis aliis plura composita sunt. *Ascon.* in *Verr.* 1, 10. Antiquum Naevii est: *Fato Metelli Romae fiunt consules.* Cui tunc Metellus iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt malum Metelli Naevio poetae.* V. *Terent. de metr.* p. 2439. et INCONDITUS. ℙ *Saturnius* absolute est Juppiter. *Claud. Gigant.* 16. ℙ *Saturnia* est Juno. *Virg. A.* 1, 27. veterisque memor Saturnia belli. Adde *Ov. Fast.* 1, 265. et *Trist.* 2, 237. et *Val. Fl.* 1, 112. ℙ Item antiquum oppidum Latii, haud procul a Janiculo, a Saturno conditum. *Varr. l. c.* et *Aur. Vict. or. gent. R.* 3. ℙ Item Italia. *Just.* 43, 1. ℙ Item opp. Etruriae, in agro Caletrano, colonia civium R. *Liv.* 39, 55. *extr.* V. SATURNINUS.

SĀTURNUS, i, m. Κρόνος, filius Urani, seu Coeli et Vestae, rex Cretensium. *Cic. N. D.* 3, 17. Sed idem *Cic. Univ.* 11. scribit, fuisse filium Oceani et Salaciae, nepotem Coeli et Terrae. *Fulg. Myth.* 1, 2. ait, illum fuisse filium Pollucis, sive a pollendo, sive a pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus, quia Saturnalibus continuae epulae et comissationes essent. V. POLLUCEO. *Id. ib.* putat, eundem a saturando Saturnum appellatum. Poetae fabulati sunt, Saturnum patri Coelo virilia abscidisse, atque in mare projecisse; inde Venerem esse procreatam, quae a spuma unde coaluit, Aphrodite nominata est. *Cic. N. D.* 2, 24. et *Ov. Ib.* 275. Uxorem duxit sororem suam Opem, seu Cybelen, sive Rheam, sive Tellurem. *Id. Met.* 9, 497. Ex ea sex filios suscepit, Chironem, Chronum, Picum, Jovem, Neptunum, Plutonem, et quatuor filias, Cererem, Glaucam, Junonem, Vestam secundam. *Id. Fast.* 6, 285. Sed Chronus, seu Cronus communiter existimatur idem, qui Saturnus. Cum Titan Saturni frater major natu parenti succedere vellet, tamen animadvertens, matrem sororesque Saturno magis favere, regnum ipsi concessit, ea tamen lege, ne Saturnus prolem masculam educaret, ut regnum ad suam prolem rediret. Saturnus igitur devorabat filios omnes masculos, quotquot sibi nascerentur. Cum plures liberos devorasset, nati sunt gemini Juppiter et Juno. Tum mater Junonem Saturno ostendit, Jovem vero clam nutriendum ablegavit, adhibitis interim Corybantibus, qui cymbalorum tympanorumque pulsu obstreperent, ne pueri vagitus audiretur. Saturno autem, cum ille puerum deposceret, ut et ipsum devoraret, Ops lapidem ostendit pannis involutum, simulans eum lapidem partu a se editum esse, quem ille acceptum sine mora devoravit. Ne-

ptunum quoque clam Saturno Ops peperit, quem similiter clam educari curavit. Tertio rursus geminos enixa est, Plutonem et Glaucam. Tunc similiter Glaucam Saturno ostendit, Plutonem abscondit. *Ov. Fast.* 4, 197. hujus impietatis Saturni causam affert, quod illi oraculum redditum fuerat, fore, ut a filio regno privaretur. Detecta tandem fraude, cum Titan rescivisset, fratri prolem masculam esse, suosque ea ratione regni successione pelli, cum filiis, qui Titanes a patre cognominabantur, bellum adversus Saturnum suscepit, illumque et Opem sororem captos muro inclusit. Sed a Jove filio devictis Titanibus liberati sunt, et in regnum reducti. Porro Saturnus ex oraculo edoctus, vel conjectura prospiciens, fore, ut a filiis regno pelleretur, coepit Jovi insidias struere. Juppiter, patris scelere detecto, eum vinculis constrinxit, deinde ex Creta expulit. Saturnus in Italiam fugit. ℙ Venit in eam Italiae regionem, in qua Janus, idest vel Noe, vel Japhet, vel Javan regnabat, a quo humanissime exceptus est. Diu apud Janum occultus vixit, et quasi latitavit. Hinc regio illa Latium est appellata. *Virg. A.* 8, 322. et *Ov. Fast.* 1, 238. ℙ Accepit a Jano regni ejus partem, regionem videlicet illam, ut ajunt, quae postea Latium litorale dicta est. Haec regio post illius mortem nuncupata est Saturnia. ℙ Congregavit in unum locum homines, qui in montibus et in agris dissipati erant, dedit leges de recte et honeste vivendo, moenibus inclusit. Urbem, quam condidit, in Capitolino monte condidisse fertur, et de suo nomine appellavisse Saturniam. V. SATURNIUS. ℙ Docuisse dicitur Italos agriculturam, qui prius sine ulla observatione atque arte agros colebant. Hinc affingitur, et pingitur cum falce, quae ei est insigne, ut ait *Festus* in *Saturno:* et *Varr.* scribit *R. R.* 3, 1., qui terram colerent, esse ex stirpe Saturni regis. ℙ Saturno regnante saeculum aureum fuisse fabulantur. Terra enim sua sponte expers aratri pariebat fruges, nulli erant limites agrorum, nulli servi, omnia omnibus communia erant, saltem in Latio, et in tota Italia. Hinc Romani reipublicae aerarium in templo Saturni collocaverunt. *Virg. A.* 8, 319. et sqq. ℙ Post multas res gestas, quibus immortalem famam esse adeptus videbatur, repente ex hominum oculis evanuit, vel morte, quam sibi ipse consciverit, vel voluntaria discessione ex Italia: et delubris atque aris honoratus fuit, non solum in Italia, sed etiam in Graecia, et aliis orbis terrae regionibus. Sed potissimum in Occidente colebatur. *Cic. N. D.* 3, 17. ℙ Saturno humana hostia sacra faciebant. Sed Hercules, cum venit in Italiam, barbarum illum morem sustulit, praecepitque, ut Saturno sacra de frugibus facerent, peracto autem sacrificio triginta statuas ad hominum similitudinem effictas, et humanis vestibus ornatas projicerent in Tiberim. Statuae Argei appellabantur, fortasse ab Argis Herculis patria. Romanorum aetate projiciebantur a virginibus Vestalibus, praesentibus pontificibus, praetoribus, etc. Hoc sacrificium fiebat post aequinoctium vernum, idibus Maji. *Ov. Fast.* 5, 621. ℙ *Saturni hostia* dicitur miser et infelix, qui ultimum supplicium exspectat, quasi Saturno mactandus. *Plaut.* in *Suppos. Amph.* scena quae incipit *Tun' me mactes? v.* 2. ℙ *Saturni dies* ap. *Tibull.* 1, 3, 18. est Sabbatum, quod erat religiosum non solum Judaeis, sed superstitiosis etiam apud Romanos, metuentibus illo die quidquam aggredi, praesertim iter longiusculum. Testem habemus *Ov. Rem. Am.* 219. et *A. Am.* 1, 415., item *Hor. Sat.* 1, 9, 69., *Pers.* 5, 184., *Juven.* 14, 96. et *Tac. H.* 5, 4. V. DIES. ℙ Saturnus item unus est ex septem planetis, seu stellis errantibus. Cursum suum triginta annis conficit. *Cic. N. D.* 2, 20. Nam ea, quae Saturni stella dicitur, *Φαίνων* que a Graecis nominatur, quae a terra abest plurimum, triginta fere annis cursum suum conficit. In quo cursu multa mirabiliter efficiens tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat sempiternis saeculorum aetatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. Haec *Cic.* ℙ Notationem nominis ex aliorum sententia refert *Id. N. D.* 2, 25. et *ib.* 3, 24. Saturnus est appellatus, quod saturetur annis. Ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia, annisque praeteritis insaturabiliter expletur. Alii a *satu* derivant: alii ad Hebraea confugiunt, ut originem investigent. ℙ **Promontorium Saturni* in Hispania fuit, vulgo, ut *Harduino* placet, *Capo di Palos. Plin.* 3, 3. Carthago nova; cujus a promontorio, quod Saturni vocatur, Caesariam Mauritaniae urbem CLXXXVII. mill. pass. trajectus. *B. A.*

SĂTŪRO, as, avi, atum, a. 1. *χορέω*, saturum reddo, pasco, satio, expleo. *Cic. N. D.* 2, 51. *med.* Mammas appetunt, earumque ubertate saturantur. *Claud. de phoenice*, 13. Epulis saturare famem. *Juven.* 14, 166. saturabat glebula talis Patrem ipsum, turbamque casae, *h. e.* alebat. *Hieron. ep.* 21. *n.* 35. Ipse es ejus carne saturandus. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 24. Versatus in bello est: saturavit se sanguine civium. *Id. Vat.* 3. Cum crudelitatem vestram, odiumque diuturnum, quod in bonos jam inveteratum habebatis, saturare cuperetis. *Id. Dom.* 17. Explevi animos invidorum, placavi odia improborum, saturavi etiam perfidiam et scelus proditorum. *Just.* 12, 12. Orant, suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. *Catull.* 68, 83. Saturare amorem. *Sen. Thyest.* 393. Me dulcis saturet quies, *h. e.* satiet, plene recreet. ℙ Significat etiam impleo. *Sever. Aetn.* 266. Saturare horrea. *Pall.* 1, 35. *med.* Querneo cinere murium aditus saturare. *Id.* 2, 13. Valles, quas fluminum saturabit aggestio. *Plin.* 2, 99, 102. Lunae sidus terras saturat: accedensque corpora implet, abscedens inanit. *Virg. G.* 1, 80. Nec saturare fimo pingui pudeat sola, *h. e.* large stercorare. *Mart.* 8, 28. Qua saturat Calabris culta Galesus aquis, *h. e.* large irrigat. *Stat. Silv.* 3, 4, 82. capillum multo Paphie saturabat amomo, *h. e.* plene imbuebat. *Claud. in Ruf.* 1, 208. Et picturatae saturantur murice vestes. *Vitr.* 10, 11. *f.* Tunc eae tabulae pice saturantur, et laminis ferreis colligantur, ut ab aquae vi ne dissolvantur. ℙ Item nauseam, fastidium, taedium creo. *Pl. Stich.* 1, 1, 18. Hae res vitae me, soror, saturant: hae mihi dividiae et senio sunt. Ubi notandus genitivus casus.

SĂTUS, a, um, part. a *sero: ἐσπαρμένος*, seminatus, plantatus. *Tibull.* 2, 3, 42. Quid nocuit sulcos non habuisse satos? *Virg. Ecl.* 8, 98. Atque satas alio vidi traducere messes. *Val. Fl.* 3, 5. Dat Cererem, lectumque pecus, nec palmite Bacchum Bithyno Phrygioque satum, sed quem sua noto Colle per angustae Lesbos freta suggerit Helles. ℙ *Sata, orum*, loca sata, et ipsae segetes. *Virg. G.* 1, 325. et *A.* 2, 306. sata laeta, boumque labores. *Id. Ecl.* 3, 82. Dulce satis humor. *Appul. Met.* 9. Ideo conjuncti terram proscindunt boves, Ut in futurum laeta germinent sata. ℙ Hinc translate. *Id. ib.* Tum si qui, matrimonium sorte captantes, interrogarent; rem ipsam responderi ajebant: Jungendos connubio, et satis liberum procreandis. ℙ *Satus*, genitus, ortus. *Cic. Tusc.* 1, 49. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus. *Virg. A.* 10, 540. fulvumque Camertem Magnanimo Volscente satum. *Id. ib.* 8, 36. O sate gente Deum. *Ov. Fast.* 3, 799. Matre satus terra. *Id. Met.* 12, 93. satus Nereide. *Id. ib.* 4, 282. satos Curetas ab imbri. *Id. Fast.* 4, 54. Ilia cum Lauso de Numitore sati. *Prop.* 3, 7, 19. Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.

SĂTUS, us, m. *σπορά*, actus serendi, seminatio, plantatio. *Cic. Div.* 2, 32. Herbam autem asperam, credo, avium congestu, non humano satu. *Id. Sen.* 15. Quid ego vitium ortus, satus, incrementa commemorem? ℙ Speciatim sumitur pro generatione. *Cic. Off.* 1, 32. *f.* Hoc Herculi Jovis satu edito potuit fortasse contingere. *Id. Div.* 1, 42. Ob eandem causam multa inusitata partim e coelo, alia ex terra orlebantur, quaedam etiam hominum, pecudumque conceptu et satu. *Id. Fin* 5, 23. A primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur. *Accius* ap. *Non.* 2, 806. Profecto haudquaquam est ortus mediocri satu, *h. e.* genere, sanguine. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 2, 5. Philosophia extrahit vitia radicitus, et praeparat animos ad satus accipiendos: eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.

SĂTYRA, ae, f. *σατύρα, τὸ σατυρικὸν ποίημα*, carmen maledicum, et ad carpenda vitia compositum: item genus carminis, in quo multa metra, ac res pariter miscentur. Duo enim satyrarum genera fuisse constat, alterum apertam hominum reprehensionem continens, et acrem vitiorum objurgationem: alterum, quod carminum, et rerum varietate constabat. *Scal.* ad *l.* 5. *Manilii* et *Casaubonus l. de satyra*, scribere jubent *satira*, vel more antiquo *satura*. Qui *satyra* scribunt, eo id faciunt, quia hoc carminis genus a Satyris habere nomen arbitrantur, idque ob dicacitatem, quae et *Caes. Scaligeri* sententia est *Rei poeticae* 1, 12. Aliqui causam afferunt, quod in hoc genere carminis res ridiculae, pudendaeque scribuntur, quemadmodum proferri a Satyris solebant, vel quod in antiqua satyra introducebantur satyrorum personae, aut si quae erant ridiculae similes Satyris. Qui *satura* malunt, ea re adducuntur, quia genus hoc poeseos dictum censent ob carminis varietatem, et propter copiam rerum, quae ibi tractantur. Ut magis liqueat, utra sententia sit potior, distinguendam fortasse est inter satyram *Lucilii*, *Horatii*, *Persii*, et satyram *Ennii* et *Varronis*. Prior ita dicta videtur a satyrica poesi. Nam huic erat similis ob maledicentiam. At satyra *Ennii*, ac *Varronis* ex eo nomen accepit, quod multa metra, ac res pariter misceret. Quod ex *Diomed.* 3, 482. cognoscere est. V. SATURA. Quare posteriorem hanc *saturam* vel *satiram*, alteram illam *satyram* appellari placet iis, quos adduximus, *Casaubono* et *Scalig.* Verum, utcumque se res habeat, non esse a communi scribendi per *y* consuetudine recedendum, pluribus ostendit *Daniel Heins. l.* 1. de satyra Horat., cum utrumque, quod diximus, carminis genus commode possit a Satyris deduci. *Hor. Sat.* 2, 1, 1. Sunt quibus in satyra videar nimis acer. *Stat. Silv.* 1, 3, 103. Liventem satyram nigra rubigine turbas.

SĂTYRĬĂSIS, is, f. *σατυρίασις*, inguinum morbus, cum nimia tentigine virile membrum arrigitur; ita dictus vel a satyrio herba, quae vim excitandae libidinis habet, vel a Satyrorum salacitate, vel quia iidem ea corporis parte maxime arrecta passim visuntur insculpti in antiquis anaglyptis. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. et *Theod. Prisc.* 2, 11.

[SĂTYRĬCĒ, adv. satyrico sermone. *Vet. Schol. Cruq.* ad *Hor. Sat.* 2, 8, 72. Hic autem satyrice significat escarum ministerium. *Porph.* ad *eund. Ep.* 1, 15, 1. Scribit satyrice de Bajarum luxuria. *F.*]

SĂTYRĬCUS, a, um, adj. *σατυρικός*, ad satyrum pertinens. *Vitr.* 5, 8. Genera sunt scenarum tria: unum quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum ornatus sunt inter se dissimiles, quod tragicae deformantur columnis, fastigiis, etc. comicae aedificiorum privatorum habent speciem, etc. satyricae vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus. *Plin.* 19, 4, 19. de hortis: Quam rem comitata est et religio quaedam: hortoque et foco tantum contra invidentium effascinationes, dicari videmus in remedio satyrica signa: quamquam hortos tutelae Veneris assignante Plauto, *h. e.* signa satyrorum similia, tentis veretris, cujusmodi finguntur in satyris, et Priapis. ℙ Item ad satyram pertinens. *Lactant.* 2, 4. Flaccus, ut satyrici carminis scriptor, derisit hominum vanitatem. *Sidon. ep.* 8, 11. *med.* In materia satyrica sollicitus et mordax, in tragica saevus et flebilis. ℙ *Satyricus* absolute, satyrarum scriptor. *Sidon. ep.* 4, 1. ℙ *Satyricon*, satyra. Sic inscribitur *Petronii* liber.

SĂTYRĬON, ii, n. *σατύριον*, herbae genus, [**Stendelwurz, Knabenkraut, Hundshödlein.*] *Plin.* 26, 10, 62. Concitatricem vim habet satyrion. Duo ejus genera: una longioribus foliis, quam oleae, caule quatuor digitorum, flore purpureo, radice gemina ad formam hominis testium, alternis annis intumescente ea, ac residente. Altera, satyrios orchis cognominatur, et femina esse creditur: distinguitur internodiis et ramosiore frutice: nascitur fere juxta mare; et *ib.* 63. Graeci satyrion foliis lilii rubri minoribus, et tribus non amplius e terra exeuntibus tradunt, caule laevi, cubitali, nudo, radice gemina, cujus inferior pars et major mares gignat, superior ac minor feminas. Et aliud genus satyrii erythraicon appellant, semine viticis majore, laevi, durae radicis, cortice rubro, intus album includi sapore subdulce: fere in montuosis inveniri: Venerem, etiam si omnino manu teneatur radix, stimulari: adeo si bibatur in vino austero. *Petr. Sat.* 8. *extr.* Adeo ubique omnes mihi videbantur satyrion bibisse.

SĂTYRĬSCUS, i, m. *σατυρίσκος*, parvus satyrus. *Cic. Div.* 1, 20. Somniavit se peperisse satyriscum.

SĂTYROGRAPHUS, i, m. *σατυρογράφος*, satyrarum scriptor. *Sidon. ep.* 1, 11. *med.* Ut satyrographum te aut exsecrantur, aut reformidant.

SĂTYRUS, i, m. *σάτυρος*, ferum animal ex genere simiarum, de quo *Plin.* 7, 2, 2. *med.* Sunt et satyri Subsolanis Indorum montibus pernicissimum animal, cum quadrupedes, tum recte currentes, humana effigie: propter velocitatem, nisi senes aut aegri, non capiuntur. *Id.* 8, 54, 80. de simiis: Efferatior cynocephalis natura, sicut satyris. Alii leg. *sicut mitissima satyris. Id.* 5, 8, 8. Satyris praeter figuram, nihil moris humani. *Id.* 10, 72, 93. Condit in thesauros maxillarum cibum sphingiorum et satyrorum genus, mox inde sensim ad mandendum manibus expromit: et quod formicis in annum solemne est, his in dies vel horas. *Solin.* 27. *f.* Sunt et *(simiae)* quas vocant satyros, facie admodum grata, gesticulatis motibus inquietae. ℙ Poetae satyros fingunt bipedes, superiore parte homines, inferiore feras, villosos, caprinis pedibus, petulantes, lascivos, salacissimos, Bacchi comites, Nymphis infestos, etc. *Hor. Od.* 2, 19, 4. et aures Capripedum satyrorum acutas. *Ov. Met.* 14, 637. satyri saltatibus apta juventus. *Id. Her.* 5, 135. Me satyri celeres (silvis ego tecta latebam) Quaesierunt rapido, turba proterva, pede. *Id. A. Am.* 1, 542. Ecce leves satyri, praevia turba Dei; et *ib.* 3, 157. Talem te Bacchus, satyris clamantibus Euoe, Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos. ℙ *Satyra, ae*, est femina satyri. *Lucr.* 4, 1162. Simula, Silena et Satyra est, *h. e.* puella, quae simis est naribus, vocatur ab amatore suo Silena et Satyra; nam Sileni ac Satyri simi sunt. ℙ *Satyrus Phryx* ap. *eund. Pont.* 3, 3, 42. est Marsyas. ℙ In illo *Pers.* 5, 123. Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli: *Satyrus* dicitur Bathyllus, quia pedibus valde agilis erat, et saltatu celer instar satyri. ℙ [*Satyrorum scriptor* ap. *Hor. A. P.* 235. est qui drama satyricum scribit, minime vero, ut quidam falso putarunt, qui satyras componit iis similes, quas ipse elegantissimas posteris legendas reliquit. *F.*] ℙ *Satyrus, Rhodius. *Liv.* 42, 14. ℙ Item insignis architectus, de quo *Plin.* 36, 9. A Satyro *(inquit)* architecto aliqui devectum tradunt rate. *B. A.*

*SAVA, opp. Mauritaniae Caesariensis. *Tab. Peut. B. A.*

SĂVĂNUM. V. SABANUM.

SAVARIENSIS. V. SABARIENSIS.

SAUCĬĀTĬO, onis, f. *τραῦμα, τρῶσις*, actus sauciandi, vulneratio. *Cic. Caecin.* 15. *med.* Et sauciatio quaeretur, cum fugam factam esse constabit?

SAUCĬĀTUS, a, um, part. a *saucio: τραυματίας*,

vulneratus, laesus. *Colum.* 11, 1. *med.* Sive quis sauciatus in opere noxam ceperit.

[SAUCIĒTAS, atis, f. idem ac sauciatio. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. *med.* Neque gravedo, aut singultus, vel quaepiam saucietas aegrum sequi videbitur. *F.*]

SAUCIO, as, avi, atum, a. 1. τραυματίζω, vulnus infligo, ferio, caedo, verberando rumpo, consaucio. *Pl. Rud.* 3, 4, 53. Quid causae est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem? *Hirt. B. Alex.* 52. *extr.* Jacentem sauciat levibus plagis. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 432. Ut Metellus ictu tragulae sauciaretur. *Cic. Vat.* 5. *extr.* Omnia mea tela sic in te conjicientur, ut nemo per tuum latus saucietur. *Ov. A. Am.* 3, 708. indignas sauciat ungue genas. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 21. Cave, radices ne saucies. *Colum.* 4, 22. *med.* Saucianda ferro est atque exulceranda vitis in ea parte, qua pampinum studemus elicere. *Ov. Rem. Am.* 172. Sauciet ut duram vomer aduncus humum. Adde *Colum.* 2, 2. *med.* ℙ Extenuationis figura est in illo *Cic. Att.* 14, 22. Meus discipulus valde amat illum, quem Brutus noster sauciavit, *h. e.* interfecit: et loquitur de Caesare. ℙ Translate. *Pl. Bacch.* 1, 1, 30. Facta et famam sauciant; et 2, 2, 35. Mihi cor odio sauciat, *h. e.* mihi est odiosus, mihi stomachum movet. *Enn.* ap. *Fulg. de prisco serm. n.* 19. Haec anus sauciavit se flore Liberi. V. SAUCIUS.

[SAUCIO, onis, m. videtur significare eum qui sauciat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1741, 12. T. Saufejus L. F. Saucio salve. *F.*]

SAUCIUS, a, um, adj. τρωσθείς, τραυματίας, vulneratus. *Caes. B. C.* 3, 75. Sauciorum et aegrorum habita ratione. *Virg. A.* 2, 223. fugit cum saucius aram Taurus, et incertam excussit cervice securim. *Id. ib.* 12, 5. de leone: Saucius ille gravi venantum vulnere pectus; et 651. Saces adversa sagitta Saucius ora. *Varr.* ap. *Non.* 4, 432. Multis civibus ex utraque parte sauciis, etc. ℙ De sensu carentibus. *Hor. Od.* 1, 14, 5. Et malus celeri saucius Africo, Antemnaeque gemunt. *Claud. VI. cons. Honor.* 138. triremis antemnis saucia fractis. *Id. Epithal. Pall. et Celer.* 122. Cortex ungue saucius. *Prop.* 1, 16, 5. Janua nocturnis potorum saucia rixis. *Ov. Met.* 2, 808. Liquitur ut glacies incerto saucia sole; et *ib.* 10, 372. Trabs saucia securi. *Id. ib.* 1, 102. nec ullis Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 101. stridunt Zephyri cursuque rotarum Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis; et *de Apono*, 24. saucia saxa; et *IV. cons. Honor.* 425. quo saucia vento Decolor iratos attollat Cynthia vultus, i. e. sanguinea, tanquam si vulnerata esset. Sic *Stat. Silv.* 3, 4, 84. Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi. ℙ Qui se percussit flore Liberi (ut *Pl. Cas.* 3, 5, 16. loquitur), ebrius. *Justin.* 24, 8. Galli hesterno mero saucii. *Mart.* 4, 66. Incaluit quoties saucia vena mero. Adde 3, 68. et *Just.* 1, 8. *med.* V. SAUCIO, as. ℙ De aegrotante. *Prop.* 2, 21, 33. Nunc utcumque potes, fato gere saucia morem. *Appul. Met.* 4. Alvus lubrico fluxu saucia; et *Apol.* Diutino situ viscerum saucia mulier. *Belua male saucia* ap. *Sil.* 15, 789. est fame laborans. ℙ [*Metaph. de homine viribus fracto. *Cic. Cat.* 2, 11. Gladiatori illi (Catilinae) confecto et saucio consules — opponite. ℙ De reo, qui damnationem vix effugit. *Id. Fam.* 8, 8. Servilius de repetundis saucius. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Saepe transfertur ad animum. *Stat. Th.* 1, 248. Juno saucia dictis; et *Prud. Cath.* 9, 90. Saucius dolore multo. *Claud. in Eutr.* 2, 455. vitam sola formidine saucius efflat. *Cic. Att.* 1, 17. Subesse nescio quid opinionis incommodae, sauciumque ejus animum, et insedisse quasdam odiosas suspiciones. ℙ Cum gen. Graecorum more. *Appul. Met.* 2. Mihi fatigationis hesternae etiam nunc saucio da veniam, maturius concedam cubitum. *Id. ib.* 4. Psyche aegra corporis, animi saucia. *Auson. Profess.* 5, 15. clientes famae et salutis saucii, *h. e.* periclitantes. ℙ De eo, quem pupugere tela Cupidinis. *Pl. Pers.* 1, 1, 24. Edepol palles. *To.* saucius factus sum: in Veneris proelio sagitta Cupido cor meum transfixit. *Virg. A.* 4, 1. At regina gravi jamdudum saucia cura Vulnus alit venis. *Enn.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 22. et *Cic. Coel.* 8. Medea animo aegra, amore saevo saucia. *Ov. Her.* 5, 151. Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheraeas Fertur: et a nostro saucius igne fuit, [*i. e. amore nostri correptus. Perperam *Burm. a* capit pro post, hoc sensu: Phoebus, postquam me amavit, etiam Alcestida deinde amavit. Simile constructionis exemplum est ap. *Eund. Rem. Am.* 5. Non ego Tydides, a quo tua saucia mater.] Adde *Tibull.* 2, 5, 109. ℙ [*Saucia*, item fuit appellata una ex triginta urbis Romae curiis, cujus mentio est ap. *Liv.* 9, 38. *f.* Triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captae urbis, et Caudinae pacis, quod utroque anno ejusdem curiae fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quae ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. Alii leg. *Faucia*, ut allusio sit ad Fauces Caudinas, sed praestat lectio *Saucia*, quae triste omen habuit a sauciis in proelio militibus. V. PRINCIPIUM. *F.*]

*SAUCONNA, ae, m. Sic dictus a Gallis est Arar fluvius. *Ammian.* 15, 11. *Vales.* p. 105. *B. A.*

[SAUCUNCŪLUS, i, m. sanguiculus, cibi genus ex sanguine porcino factum. *Petr. fragm. Trag.* 66. *Burm.* Habuimus in primo porcum poculo coronatum, et circa saucunculum, et gigeria optime facta. Alii leg. *lucunculum:* at in *Cod. Trag.* legitur *saucunculum. F.*]

*SAVE, es, f. Σαυή, opp. Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard.* Ed. *Elzev.* habet *Sabe. B. A.*

[SAVENSIS, e, adj. ad Savum pertinens, Pannoniae fluvium, nunc *la Sava:* ejus mentio est ap. *Plin.* 3, 25, 28. V. SAVUS. *Sex. Ruf. Brev.* 7. Amantinis inter Savum et Dravum prostratis regio Savensis, ac secundorum Pannoniorum loca obtenta sunt. *F.*]

[SAVERRIO, onis, m. cogn. R. vetustae et ignotae originis, ut P. Sulpicius Saverrio Cos. ann. U. C. CDL. ap. *Liv.* 9, 45. et in *Fast. triumph.* ap. *Grut.* 297, 1. *F.*]

*SAUFEIUS, i, m. gentis Rom. nomen, e qua v. g. ille, qui, cum a balneo reversus mulsum bibisset ovumque sorberet, morte repentina *Plin.* 7, 53. commemoratur. ℙ Alii ex hac gente memorantur a *Cic. Att.* 1, 3. 2, 8. 4, 6. 7, 1. etc. et *pro Rabir.* 7. *B. A.*

SAVIATIO. V. SUAVIATIO.
SAVILLUM. V. SUAVILLUM.
SAVIOLUM. V. SUAVIOLUM.
SAVIOR. V. SUAVIOR.
SAVIUM. V. SUAVIUM.

[SAULUS, a, um, adj. σαῦλος, mollis, delicatus, Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 972, 4. Sex. Didius Sex. L. Saulus. ℙ *Saulus* fuit etiam nomen Pauli Apostoli, antequam Christi religionem amplecteretur. *Saulus* autem ejusdem est originis et significationis atque Hebr. שָׁאוּל *Saul, h. e.* expetitus. Mentio *Sauli*, tum *Pauli* pluries habetur in *Act. Apostol. F.*]

*SAUNĪTAE, arum, Σαυνῖται, Samnitum nomen Graecum. *Plin.* 3, 12. V. SAMNITES. *B. A.*

SĀVO, onis, m. *Saone*, fluvius Campaniae, qui inter Sinuessam urb. exc. et Vulturnum fl. in mare labitur. *Plin.* 3, 5, 9. [*Stat. Silv.* 4, 3, 66. Et Literna palus, pigerque Savo. *F.*] ℙ Item opp. Liguriae in ora occidentali ap. *Liv.* 28, 46. [Sunt qui putant, esse quod nunc *Savona* appellatur. V. SABATIA. *F.*]

[SAURĀ, ae, f. σαῦρα, lacerta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 715, 4. Vindeliciis Hermogeniano, et Victori, et Saurae fil. Vindel. Surinus infelix pater. *F.*]

SAUREX, icis, m. pro *sorex*, ut *caudex* pro *codex*, Latine dicitur, si *Servio* est fides ad *Virg. G.* 2, 30.

SAURĪON, ii, n. σαύριον, ita appellant Athenienses semen papaveris, quia acrimonia sua mordet, velut lacerta, quae illis σαῦρα. *Plin.* 19, 8, 54.

SAURĪTIS, is, f. σαυρῖτις, gemma, quae in ventre viridis lacerti (qui Graece σαῦρος) arundine dissecti inveniri traditur. *Plin.* 37, 10, 67.

*SAURĪUM, i, n. fluvius Hispaniae Tarraconensis, in terra Cantabrorum. *Mela* 3, 1. *extr. B. A.*

SAURIX et Sorix, icis, m. avis est tributa Saturno ab auguribus, ex noctuarum genere, tempestatis nuncia. *Mar. Victor.* 1, 1470.

SAUROCTŌNOS, i, m. σαυροκτόνος, lacertae interfector: a σαῦρος, lacerta, et κτείνω, interficio. Ita cognominatur Apollo, quem Praxiteles ex aere nudum finxit, dum puber adhuc Admeti greges pasceret, arboris trunco sinistra innixum, et lacertae per eundem reptanti insidias sagitta struentem. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Praxiteles fecit et puberem Apollinem subrepenti lacertae cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant. Hinc *Mart.* 14, 172. cujus lemma est *Sauroctonos Corinthius.* Ad te reptanti, puer insidiose, lacertae Parce: cupit digitis illa perire tuis. V. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. *tab.* 13. p. 75. ed. Mediol., qui marmoream ejusdem Sauroctoni statuam exhibet aere incisam, docteque illustrat. [*Hunc locum multis auxit *F.*]

SAURŌMATAE, arum, m. plur. Σαυρομάται (quasi lacertarum venatores) ap. Graecos sunt populi iidem, qui Sarmatae, ut *Plin.* docet 4, 12, 25. V. SARMATAE. *Ov. Trist.* 3, 3, 5. Quid mihi nunc animi dira regione jacenti Inter Sauromatas esse Getasque putes? et *ib.* 10, 5. Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique, Getaeque. Adde *Val. Fl.* 7, 235. ℙ In sing. num. est *Sauromata*, et *Sauromates, ae. Plin. ep.* 10, 13. Tabellarius Sauromata. *Ov. Trist.* 3, 12, 30. per Istrum Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.

SAURŌMĀTIS, ĭdis, f. Σαυρομάτις, quae est e Sauromatarum gente, ut Amazones Sauromatides ap. *Plin.* 6, 13, 15. [Adde *Mel.* 3, 5. *F.*]

[SAUROS, i, m. σαῦρος, lacerta. Est nomen proprium Graeci sculptoris ap. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 14. Nec Sauron, atque Batrachum oblitterari convenit, qui fecere templa Octaviae porticibus inclusa natione ipsi Lacones. Quidam et opibus praepotentes fuisse eos putant, ac sua impensa construxisse, inscriptionem sperantes. Qua negata, hoc tamen alio loco et modo usurpasse. Sunt certe etiamnum in columnarum spiris insculpta nominum eorum argumenta, lacerta, atque rana. ℙ Est etiam hoc nomine, qui alias et lacertus dicitur. Illius meminit *Plin.* 32, 8, 28. *F.*]

SAVUS, i, m. fluvius Norici, qui ex Alpibus Carnicis per Illyricum, et Pannoniam in Danubium influit; [**die Save, Sau.*] *Claud. Laud. Stil.* 2, 192. Pannonius potorque Savi. V. SAVENSIS.

[SAXA, ae, m. cogn. R., ut R. Voconius Saxa, ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 42. et *Ulp. Dig.* 48, 18, 1. §. 27. et L. Decidius Saxa, ap. *Caes. B. C.* 1, 66. *F.*]

SAXĀNUS, i, m. epith. Herculis, qui ideo *Saxanus* dictus videtur, ut et *Lapidarius* in *Inscr.* Niciensi ap. *Zaccar. Excurs. per. Ital.* p. 53., quod cum ex Hispania Galliam ingrederetur, ab Albione et Bergione, Neptuni filiis (V. ALBION et BERGION.) inde prohibitus, cumque tela ei defecissent, ab invocato Jove adjutus imbre lapidum fertur. Id ex *Mela* 2, 5. *Inscr.* Tibure reperta, ubi Hercules in primis colebatur (V. TIBUR), ap. *Grut.* 49, 3. Herculi Saxano sacrum Ser. Sulpicius Trophimus aedem, zothecam, culinam pecunia sua a solo restituit, idemque dedicavit K. Decembr. L. Turpilio Dextro, M. Maecio Rufo Cos., *h. e.* ann. a Chr. n. CCXXV. Sunt porro duae aliae *Inscr.* ap. *Mur.* 12, 5. et 65, 6., in quibus Hercules eodem cognomine appellatur. [*Emendavit h. l. *F.*]

SAXĀTILIS, e, adj. πετραῖος, qui saxa incolit. *Colum.* 8, 16. *f.* Saxosum mare nominis sui pisces nutrit, qui scilicet, quod in petris stabulentur, saxatiles dicti sunt, ut merulae, turdique, nec minus melanuri. *Cels.* 2, 18. de piscib.: Leviores sunt lupi, mullique: et post hos omnes saxatiles. *Varr. R. R.* 3, 7. Columbarum duo genera: unum agreste, ut alii dicunt saxatile, quod habetur in turribus ac columinibus villae, etc. ℙ Item qui e saxis constat. *Solin.* 10. de gruib.: Cum medium Ponti alveum adventasse se sciunt, scrupulorum sarcina pedes liberant. Ita nautae prodiderunt, compluti saepe ex illo casu imbre saxatili, *h. e.* saxis depluentibus. ℙ *Saxatilia*, saxatiles pisces. *Plin.* 32, 9, 31. et 9, 15, 20. ℙ *Piscatus saxatilis*, qui fit inter saxa. *Pl. Rud.* 2, 1, 10. Piscatum hamatilem et saxatilem aggredimur, *h. e.* hamo pisces captamus, qui in aqua degunt, et manibus eos, qui saxis adhaerent, et scopulis. ℙ [*Saxatilis* absolute appellatur piscis quidam. *Ov. Hal.* 110. Tum viridis squamis, parvo saxatilis ore. *F.*]

SAXĒTĀNUS, a, um, adj. videtur esse idem quod saxatilis. *Mart.* 7, 78. Cum saxetani ponatur cauda lacerti. Alii tamen leg. *Sexitani*, nempe ab oppido Σῆξις, Sex, nunc *Almunecar*, in Baetica Hispaniae provincia, quod et *Sexitanum* dicitur: unde viliora salsamenta Romam advehebantur. *Plin.* 32, 11, 53. Colias sive Parianus sive Sexitanus, a patria Baetica, lacertorum minimi.

SAXĒTUM, i, n. τραχών, locus saxosus, salebrosus. *Cic. Agr.* 2, 25. *f.* Quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret?

SAXĒUS, a, um, adj. λίθινος, qui e saxo est. *Lucan.* 4, 15. Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu; et *ib.* 157. Attollunt campo geminae juga saxea rupes. *Ov. Met.* 14, 73. Saxeus scopulus. *Plin.* 12, 1, 5. Saxea crepido. *Appul. Met.* 6. frons, *h. e.* praedura, qualis in arietibus. Sic *ib.* 10. et 11. Saxei dentes. *Ov. Her.* 10, 128. saxea tecta, *h. e.* marmorea. *Catull.* 64, 61. effigies, *h. e.* signum e marmore. *Stat. Th.* 10, 879. tectique trementis Saxea frena labant, *h. e.* compages lapidum, quibus aedificium colligatur. *Id. Silv.* 1, 3, 20. Anien saxeus, *h. e.* qui per alveum defluit lapideo opere exstructum. ℙ Translate. *Plin. ep.* 2, 3. Quem tu nisi concupiscis cognoscere, saxeus, ferreusque es. *Stat.* eod. sensu dixit *Th.* 4, 339. vos autem hunc ire sinetis, Arcades? O saxis nimirum et robore nati. *Ov. Met.* 5, 509. Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces.

SAXĪĀLIS, e, adj. *Front. de colon.* p. 132. *Goes.* Termini lapidei alii saxiales, alii molares.

[SAXĪCOLA, ae, adj. omn. gen. qui saxa, sive idola colit. *Paul. Nol. carm.* 26, 167. Nola Saxicolis polluta diu cultoribus. *F.*]

SAXĪFER, ra, rum, adj. saxa ferens. *Val. Fl.* 5, 608. saxiferae surgat quibus imber habenae, *h. e.* fundae, qua lapides jaciuntur.

SAXĪFĪCUS, a, um, adj. qui saxa facit, *h. e.* in saxa vertit. *Ov. Ib.* 555. Saxificae videas infelix ora Medusae. *Id. Met.* 5, 217. Saxifici Medusae vultus. *Sen. Herc. Fur.* 901. Belligera Pallas, cujus in laeva ciet Aegis feroces ore saxifico minas. Adde *Lucan.* 9, 670. et *Sil.* 10, 178.

SAXIFRĀGUS, a, um, adj. saxa frangens. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 42. Mare saxifragis undis. *Plin.* 22, 21, 30. de herba adianto: Calculos e corpore mire pellit, frangitque, utique nigrum: qua de causa potius, quam quod in saxis nasceretur, a nostris saxifragum appellatum crediderim. ℙ Eadem herba *saxifraga* dicitur a *Seren. Sammon.* 32, 602. et *Appul. Herb.* 97., Italice nunc *sassifraga* et *sassifragia.*

SAXĪGĔNUS, a, um, adj. e saxo natus. *Prud. Cath.* 5, 7. Incussu silicis lumina nos tamen Mon-

stras saxigeno semine quaerere, *h. e.* Scintillas excitare terendo saxa saxis. V. SAXUM.

*SAXINAE, arum, populi Africae ulterioris, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

SAXĪTAS, atis, f. saxi natura. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 4. Duritia aut saxitas. *Id. ib.* 8. *n.* 109. Difficiles ajunt curatione hydropes, qui ex saxitate magis, quam ex duritia fuerint facti. Hic *saxitas*, ut et *saxositas*, esse videtur *saxea durities.*

SAXONES, um, m. plur. Germaniae populi apud Cimbricam Chersonesum. [*Isid. Or.* 9, 2. *med.* Saxonum gens in Oceani litoribus et paludibus inviis sita, virtute atque agilitate habilis. Unde et appellata, quod sit durum et validissimum genus hominum et praestans ceteris piraticis. *Ammian.* 27, 8. Gallicanos tractus Franci, et Saxones iisdem confines praedis acerbis, incendiisque et captivorum funeribus hominum violabant. *Salv. Gub. D.* 7, 15. Franci mendaces, sed hospitales; Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi. ℙ In num. sing. *Claud. Epithal. Pall. et Celer.* 89. Quae saevis objecta Getis, quae Saxona frenat, Vel Scotum legio. *Saxona* est accusativus Graecae positionis. *Id. in Eutrop.* 1, 392. domito quod Saxone Tethys Mitior. ℙ *Saxo* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 293, 1. M. Maffejus Cla. Saxo. *F.*]

SAXOSĪTAS, atis, f. saxitas. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 6. Durities, sive saxositas. V. SAXITAS.

SAXOSUS, a, um, adj. πετρώδης, saxis abundans. *Colum.* 5, 10. *med.* Ficus loca aprica, calculosa, glareosa, interdum et saxosa amat. *Plin.* 21, 29, 103. Herba in saxosis nascens. *Sil.* 12, 372. de Sardinia: Qua videt Italiam, saxoso torrida dorso Exercet scopulis late freta, *h. e.* scopuloso. *Prop.* 4, 5, 20. Saxosa via. *Virg. Ecl.* 5, 81. Saxosae valles. *Id. G.* 2, 111. Saxosi montes; et *ib.* 4, 370. Saxosumque sonans Hypanis, *h. e.* edens sonitum aquae inter saxa decurrentis. Ita legit *Serv.*: al. *saxosusque*, *h. e.* inter saxa defluens. Est autem Hypanis Ponti fluvius. Sic *Plin.* 5, 24, 20. Euphrates saxosus, et violentus. Ap. *eund.* 15, 7, 7. chamelaea est frutex saxosus, *h. e.* nascens in petrosis, ut de eadem dicit 24, 15, 82. ℙ Ap. *Sicul. Fl. de condit. agror.* p. 11. *Goes.* legitur *ager saxuosus.* Sic dicitur *montosus* et *montuosus: montrosus* et *monstruosus.*

[SAXŪLA, ae, m. cogn. R., ut C. Cluvius Saxula, ap. *Liv.* 41, 28. *F.*]

SAXŪLUM, i, n. exiguum saxum. *Cic. Or.* 1, 44. Ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.

SAXUM, i, n. λίθος, πέτρα, lapis, petra, silex: a quibus, si quid differt, in LAPIS et PETRA dictum est. *Prop.* 3, 1, 43. Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem Sponte sua in muri membra coisse ferunt. *Ov. Her.* 10, 49. Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi: Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui. *Id. Met.* 6, 573. Structa rigent solido stabulorum moenia saxo. *Phaedr.* 3, 2. Onerare aliquem saxis; et *ib.* Saxo aliquem petere. *Cic. Caecin.* 21. *med.* Saxa jacere. *Ov. Fast.* 2, 367. mittere; et *ib.* 1, 570. Saxis rem gerere. *Prop.* 4, 5, 75. Saxis cedere. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 416. Cuipiam cerebrum saxo comminuere. *Ov. Fast.* 4, 237. Acuto saxo laniare corpus; et *ib.* 795. cum saxis pastores saxa terebant, Scintillam subito prosiluisse ferunt. ℙ Saepissime dicitur de rupe, caute, scopulo. *Virg. A.* 2, 307. stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor. *Sil.* 11, 217. Cui patuere Alpes, saxa impellentia coelum, Atque uni calcata Deo, *h. e.* Herculi. *Hor. Epod.* 17, 55. Neptunus saxa alto tundit salo. *Enn.* ap. *Cic. Pis.* 19. Naufragio expulsus, saxis fixus asperis. *Ov. Met.* 7, 378. alto Desiluit saxo. *Virg. G.* 2, 156. Tot congesta manu praeruptis oppida saxis. *Sen. Herc. Oet.* 135. Ad Trachina vocor, saxa rigentia, et dumeta jugis horrida torridis. *Prop.* 2, 13, 3. Saxum Ceraunum; et 3, 9, 45. Tarpejum. *Cic. Dom.* 53. Cum Licinia Vestalis aram, et aediculam sub saxa sacro dedicasset, *h. e.* sub rupe montis Aventini, sacra dicta, quia fuit in ea templum Bonae Deae. *Ov. Fast.* 5, 149. Est moles nativa: loco res nomina fecit: Appellant Saxum: pars bona montis ea est. ℙ Etiam Tarpejus mons saepe *Saxum* absolute dicitur. *Hor. Sat.* 1, 6, 39. Dejicere e Saxo cives. *Tac. A.* 2, 32. Quorum e numero L. Pituanius Saxo dejectus est; et *ib.* 4, 29. Robur, et Saxum, aut parricidarum poenas minitantes. *Cic. Att.* 14, 16. Quis enim audeat, proposita cruce, aut Saxo? *Modest. Dig.* 48, 19, 25. De Saxo praecipitare. *Lucr.* 3, 1030. Carcer, et horribilis de Saxo jactu' deorsum. Huc trahi potest illud *Pl. Trin.* 2, 1, 30. Qui in amorem praecipitavit, pejus perit, quam si in Saxo saliat; et *Silii* 3, 327. de Cantabris: Mirus amor populo, cum pigra incanuit aetas, Imbelles jamdudum annos pervertere Saxo. ℙ *Superis habitabile saxum* ap. *eund.* 1, 541. est Capitolium. ℙ De marmore. *Cic. Acad.* 4, 31. *f.* Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus. *Ov. Fast.* 5, 137. At canis ante pedes saxo fabricatus eodem Stabat. *Hor. Od.* 4, 8, 7. Hic saxo, liquidis ille coloribus Solers nunc hominem ponere, nunc Deum. ℙ *Saxum silex*, silex. *Vitr.* 8, 1. *med.* Sub radicibus montium, et in saxis silicibus uberiores aquae sunt, et affluentiores. ℙ *Saxa*, loca saxosa. *Virg. G.* 2, 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Mart.* 3, 82. Ligurumque nobis saxa cum ministrentur, Vel cocta fumis musta Massilitanis, etc. *h. e.* vina tenuia in saxosis Ligurum nata: metonymia. ℙ *Saxum* pro muro. *Ov. Fast.* 3, 431. Romulus ut saxo lucum circumdedit alto, Cuilibet, huc, inquit, confuge: tutus eris. ℙ Inter genera cretae Cimoliae unum est, quod vocant *saxum:* cujus proprietas est, quod crescit in macerando. *Plin.* 35, 17, 57. ℙ *Saxum volvere* est assiduo, arduoque labore, atque inutili laborare: ductum a fabula Sisyphi apud Inferos. *Ter. Eun. f.* Satis diu hoc jam saxum volvo. V. SISYPHUS. ℙ De homine duro, inhumano dicimus, saxo duriorem esse. *Ov. Met.* 14, 713. ℙ De stolido, hebeti. *Pl. Mil.* 2, 2, 23. Nullum est hoc stolidius saxum. ℙ *Inter sacrum et saxum*, proverb. in magnis angustiis, atque ubi utrinque grave periculum instat. V. SACRUM. ℙ *Saxa rubra.* V. RUBER.

SAXŪOSUS. V. SAXOSUS.

SC

SCĂBELLUM et Scabillum, i, n. ὑποπόδιον, θρᾶνος, parvum scamnum. *Varr. L. L.* 4, 35. *f.* Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum; in altiorem, scamnum. *Quint.* 1, 4, 12. Quare discat puer, quid in litteris proprium, quid commune, quae cum quibus cognatio: nec miretur, cur ex scamno fiat scabellum, etc. *Cato R. R.* 10. Scamnum in cubiculo unum, scabilla tria, sellas quatuor. ℙ Est etiam instrumentum musicum, quod a tibicine in scena pede pulsabatur, dum manu et ore tibiam inflaret: simile parvo suppedaneo ligneo concavo, quod lignea itidem solea, aut ferrea pedi indita percutiebatur, ut vult *Salm.*, vel ligneae sculponeae altiori, et fissae, quae agitatione et ictu pedis strepebat, ut est in figura ap. *Montfauconium*, *Ruben. de re vest. l.* 2. *c. ult.* et *Spon. Miscell. c.* 21., certisque ictuum intervallis non ingratum strepitum, semper tamen eundem, et sine ulla variatione, edebat. *Cic. Coel.* 27. *extr.* Mimi ergo est jam exitus, non fabulae, in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur. *Suet. Cal.* 54. Repente magno tibiarum et scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit. *August. de Musica* 3. *in.* Velut cum symphoniaci scabella et cymbala pedibus feriunt, certis quidem numeris, et his, qui sibi cum aurium voluptate junguntur, sed tamen tenore perpetuo: ita ut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quousque procurrat connexio pedum, et unde rursus ad caput redeatur. *Arnob.* 2, 73. Numerosos iterare scabillorum concrepationibus sonores. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.]

SCĂBER, bra, brum, adj. λεπρὸς, τραχὺς, inaequalis et asper: cui *levis* opponitur, λεῖος. *Virg. G.* 2, 214. et *Ov. Her.* 15, 141. Antra scabro pendentia topho *Id. A.. Am.* 3, 290. Ut rudit ad scabram turpis asella molam; et *ib.* 276. Cui digiti pingues, et scaber unguis erunt. (Adde *Cels.* 6, 19.) *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 5. Folia hordeo scabra sunt, ceteris levia. *Id.* 16, 31, 55. Cortex aliis levis, ut malo, fico: idem scaber robori, palmae. *Vet. Poet.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 12. Pectus illuvie scabrum. *Ov. Fast.* 4, 921. Scabrae manus. *Suet. Aug.* 79. Scabri dentes. *Plin. ep.* 8, 15. Chartae scabrae, vel bibulae. *Virg. G.* 1, 495. Exesa inveniet scabra robigine pila. *Plin.* 12, 15, 34. Arbor myrrhae similis junipero, scabrior tantum, spinisque horrida. *Id.* 37, 7, 25. et *ib.* 9, 46. Scabra gemma. *Id.* 12, 25, 54. Arboris genus scabro aspectu, incurvum, fruticosum: trachy appellant. ℙ *Scabrum* absolute scabrities. *Id.* 37, 2, 10. Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro, ferrugine, maculosa nube, etc. *Hard.* leg. ex MSS. *scabro ferrumine.* ℙ *Scaber*, scabiosus, ψωρώδης: quia scabies cutem scabram facit. *Cato R. R.* 96. et *Colum.* 7, 4. *f.* Oves ne scabrae fiant, amurcam condito, etc. *Plin.* 20, 22, 87. Sinapi inungere scabras genas. ℙ Translate. *Macr. Sat.* 6, 3. *f.* Nemo ex hoc viles putet veteres poetas, quod versus eorum scabri nobis videntur: ille enim stilus Enniani saeculi auribus solus placebat, *h. e.* incompti, duri, insuaves. *Quint. decl.* 13, 4. Quo non penetras livor improbe? quidve scabrae malignitati clausum est?

[SCĂBIĀLIS, e, adj. ad scabiem pertinens, seu qui scabiei medetur. *Pelag. Vet.* 25. *med.* Compositio caustici: picis durae libra, resinae frictae, resinae scabialis libra, etc. *F.*]

SCĂBĬDUS, a, um, adj. scabiosus, ut Scabidae palpebrae, *Marcell. Empir.* 8. ℙ Translate. *Tert. Anim.* 38. Scabida concupiscentia, *h. e.* mala prurigine infecta.

SCĂBĬES, ei, f. ψώρα, asperitas cutis cum pruritu. *Cels.* 5, 28. *n.* 16. Scabies est durities cutis rubicunda, ex qua pustulae oriuntur, quaedam humidiores, quaedam sicciores. Exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens. *Virg. G.* 3, 441. Turpis oves tentat scabies. *Juven.* 2, 79. grex totus in agris Unius scabie cadit, et porrigine porci. *Sen. V. B.* 27. *f.* Quem foeda scabies depascitur. *Colum.* 7, 5. Oves infestantur scabie. *Just.* 36, 2. Scabiem et vitiliginem pati. *Cels. l. c.* Scabie laborare. *Plin.* 28, 18, 75. Canum scabies sanatur bubulo sanguine recenti. *Id.* 23, 7, 63. Palpebrarum scabiem emendat fici succus lacteus. *Id.* 31, 9, 45. Scabiem pecorum sal tollit. *Id.* 30, 14, 45. Scabiem sedare. *Id.* 22, 22, 41. lenire. *Id.* 32, 10, 51. et *Colum.* 6, 13. extenuare. ℙ In plantis est morbus corticis, cum aspera scabritie corrugatur, ex imbre aut rore putrescente. *Plin.* 17, 24, 35. *n.* 5. et 19, 10, 57. et 31, 3, 21. ℙ Dicitur et de asperitate, et inaequalitate superficiei in rebus inanimis. *Virg. G.* 2, 220. Nec scabie, et salsa laedit robigine ferrum. *Juven.* 5, 153. Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit, Qui tegitur parma, et galea. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 17. *extr.* Voluptatis blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernimus satis, i. e. illecebra: quia scabies pruritum excitat, et scabendi cupiditatem: ipsum autem scabere dulcedinem quandam habet. *Hor. Ep.* 1, 12, 14. Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures; [*V. de hoc loco in *sapio.*] et *Mart.* 5, 60. Nos hac a scabie tenemus ungues, *h. e.* libidine maledicendi. Adde 6, 37. et 11, 7., quibus locis ponitur scabies pro turpis voluptatis prurigine. ℙ *Scabies*, ut Dea, a Romanis culta est. *Prud. Hamart.* 220. Par furor illorum, quos tradit fama, dicatis Consecrasse Deas, Febrim, Scabiemque sacellis. ℙ In gen. *scabie* pro *scabiei* olim dictum est. V. DIES.

SCĂBĬLE, is, n. idem ac scabellum. *Cato R. R.* 20. Scamnum in cubiculo unum, scabilia tria, sellas quatuor. Alii leg. *scabilla* multo rectius.

SCĂBILLĀRII, orum, m. plur. qui scabilla faciunt in usum tibicinum et scenae, vel potius qui scabilis pulsandis operam dant; iidem dicuntur et scamillarii. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 42. Decuriae IIII scabillar. veteres a scaena. [Alia ap. *Fabr.* p. 603. *n.* 40. Operae Urb. scabillar. Adde tres alias ap. *Mur.* 529. 1. 2. 3. V. SCAMILLARII. Porro figuram Faunii scabillarii habes delineatam ap. *Gor. Mus. Etr.* T. 3. p. 59., qui dextro pede scabillum, et ambabus manibus cymbala pulsat; et ap. *Vis. Mus. Pio-Clem.* T. 5. *tab. C.* figuram Bacchae, quae sedens dextro itidem pede scabillum pulsat, et binas tibias, unam rectam, alteram curvam, ore admotas simul inflat. *F.*]

SCĂBILLUM. V. SCABELLUM.

[SCĂBĬO, as, n. 1. ψωριάω, scabie laboro. *Pelag. Vet.* 26. *in.* Pecus cum scabiaverit, non statim curari debet, ne res periculose praeveniatur, et in morbum se convertat. *F.*]

SCĂBĬŌLA, ae, f. dimin. scabiei. *August. oper. imperf. cont. Julian.* 4. *n.* 13. Salvos eos facit non a peccatis, sed a scabiolis.

SCĂBĬŌSUS, a, um, adj. ψωρώδης, scabie laborans. *Pers.* 2, 13. namque est scabiosus, et acri Bile tumet. *Colum.* 11, 2. *med.* Si paucioribus diebus glans detur, per ver scabiosi boves fiunt. *Plin.* 29, 2, 10. Oesypum utile erosis et duris genis, angulis scabiosis et lacrimantibus. *Appul. Met.* 9. Muli senes, totum corium veterna atque scabiosa macie exasperati. ℙ Item asper, inaequalis, rugosus, scaber, τραχύς. *Plin.* 32, 2, 11. Curalium probatissimum quam maxime rubens, nec scabiosum, aut lapideum. *Pers.* 5, 74. scabiosum far, *h. e.* vetustum, putre, a curculionibus exesum.

SCĂBĬTŪDO, inis, f. scabies, vel scabiosa prurigo. Translate. *Petr. Sat.* 99. Omnem scabitudinem animo delere sine cicatrice. Alii leg. *scabritudinem.*

SCĂBO, is, ābi, a. 3. χράομαι, cutem fricare, scalpere ad pruritum sedandum. *Lucil.* ap. *Non.* 7, 30. et *Hor. Sat.* 1, 10, 70. et in versu faciendo Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues. *Lucil.* ap. *Prisc.* 10, 884. Scaberat ut porcus contritis arbore costis. *Plin.* 11, 48, 108. Solidipedes in infantia scabunt aures posterioribus pedibus. *Id.* 10, 74, 95. Asinus spinetis se scabendi causa atterens. *Id.* 8, 27, 41. Anguis, si squamae obtorpuere, spinis juniperi se scabit: et *ib.* 25, 37. et 11, 37, 77. Scabendi dulcedo. ℙ Est etiam radere, leviter perstringere. *Id.* 10, 71, 91. Pedibus tellurem scabere non cessant. *Id.* 18, 26, 64. Dolia quassa sarcire, ipsorumque laminas scabendo purgare.

SCABRĀTUS, a, um, adj. *Colum.* 4, 24. *f.* Vitis laniata, et scabrata, *h. e.* ut idem *Colum.* explicat, quando obtuso atque hebeti ferramento, et asperis et inaequalibus plagis in praecidendo laniatur et perfringitur.

SCABRĔDO, inis, f. scabrities. *Appul. Herb.* 73. Ad caliginem oculorum, et scabredinem. *Hieron. Vit. Hilar. in.* Videns totum corpus impetigine, et pumicea quadam scabredine contrahi. *Coripp. Laud. Just.* 4, 48. et tractae strident scabredine serrae.

SCABRĔO, es, n. 2. scaber sum, scabre laboro. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 25. Quae desiderio alumnum (pro *alumnorum*), poenitudine, Squales, scabresque inculta vastitudine. Ita legit *Turneb. Adv.* 15, 15. et 29, 20. Alii leg. *squale*, *scabreque*, et *inculta* etc. *Enn.* ap. *Non.* 2, 769. Scrupeo investitae saxo atque

ostreis squamae scabrent. Ita legit *Bothe*, alii *scaprent*. V. v. sq.

SCABRES, ei, f. idem ac scabritia: a *scaber*. *Varro* ap. *Non.* 2, 437. et 761. et 3, 231. Ager derelinqueretur, ac periret squale, scabreque, illuvie, atque vastitudine. *Virg. Cir.* 249. quam te tam tristibus illis Sordibus, et scabre patiar tabescere tali. Ita emendat *Scal.* V. SCORIA. *Appul. Flor. n.* 15. *f.* Infandi morbi putredine in serpentium scabrem solutum religiose humavit. Alii leg. *scabiem*. V. v. praec.

SCABRĪDUS, a, um, adj. scaber. *Venant. carm.* 2, 13, 7. Scabrida nunc resonat mea lingua rubigine verba, *h. e.* aspera, insuavia, rudia.

SCABRĪTIA, ae, f. et Scabrities, ei, f. τραχύτης, asperitas, inaequalitas. *Plin.* 13, 12, 25. Scabritia chartae levigatur dente, conchave. *Id.* 21, 4, 10. Scabritia corticis. *Id.* 28, 9, 37. Unguium scabritias emendare. *Id.* 31, 9, 45. Sabrities linguae. *Id.* 28, 9, 41. Ut ferramentorum scabritia poliatur vehementius, quam lima; et 34, 13, 34. Spodos digitis scabritiem exterit. *Id.* 27, 12, 105. Arteriae scabritias sanare. *Id.* 34, 10, 23. Oculorum scabritiem extenuare. Hinc *Inscr.* ap. *Tôchon*, *Cachet. des ocul.* p. 68. C. Luccii Alexandri ad caligines et scabritias omnes. Alia ap. *eund. ib.* p. 70. Q. Junii Tauri stact. ad scabritiem et clarit. ℙ De scabie, ψώρα, quae scabritiem cuti inducit. *Colum.* 7, 5. *med.* Potest etiam scabritiem tollere succus viridis cicutae. ℙ Scribitur et *Scabricia*.

SCABRĪTŪDO. V. SCABITUDO.

SCABRO, onis, m. qui scabritie foedatus est: a *scaber*. Speciatim dicitur de eo, qui illuvie laborat, dentesque ideo scabros, et gingivas putridas habet. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. *f.* Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, scabronem; hoc enim ex illuvie oris accidere solet. Ita leg. *Voss.* in *Etym.* et *Cujac. Observ.* 11, 10.; neque enim *strabonem* (quod in vulgatis habetur) aut male olere, aut oris vitium esse, sed oculorum.

SCABROSUS, a, um, adj. idem qui scaber. *Plin.* 20, 21, 85. Hippolapathi radices privatim ungues scabrosos detrahunt. *Hard.* legit *scabros:* et sane recte, cum alibi semper ita *Plin.* loquatur. *Prud. Psych.* 106. scabrosa sorde. *Not. Tir.* p. 181. Scaber, scabrosus.

SCABRUM. V. SCABER.

SCAEA, ae, f. Σκαιὰ, porta urbis Ilii, seu Trojae: a σκαιὸς, qua vel laevum, vel infelix notat. Ita autem vocata est, vel quia occidentem spectaret, et occidentalia dicuntur sinistra ab auguribus Graecis; vel quia Trojanis fuerit infelix, quippe per quam intromissus fuerit equus durius. Utramque rationem affert *Eustathius*. Immo et tertiam addit, ut sit a Scaeo architecto. Cui et quartam addere conatur *Bernardin. Bald. de verb. Vitruv. signif.*, quia scilicet itinera haberet non directa. Nam ita ipse *Vitr.* 1, 5. Curandum, ut non facilis sit aditus ad oppugnandum murum, et excogitandum, ut portarum itinera non sint directa, sed σκαιά. In quibusdam editionibus rectius pro Graeca voce scribitur Latina *scaeva*, h. e. obliqua. *Virg. A.* 3, 351. Scaeaeque amplector limina portae. Adde *ib.* 2, 612. V. SCAEOMA.

SCAENA. V. SCENA.

[SCAEOMA, ătis, n. σκαίωμα, curvitas. Translate est infortunium, seu cadaver hominis. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 351. Scaea porta dicta est non a pugnis ante se factis scaevis, id est malis (nam et ante sic dicta est): nec ab itinere ingressis scaevo, id est sinistro; quod ingressi non recto, sed sinistro eunt itinere: sed a cadavere Laomedontis, hoc est scaeomate, quod in ejus fuerit superliminio. Ceterum ex interpretationibus secunda videtur amplectenda, quae confirmatur etiam loco *Polybii* 5, 59., in quo σκαίωμα est aditus obliquus et tortuosus. *F.*]

SCAEVA, ae, σκαιὸς, qui sinistra manu utitur pro dextera: a *scaevus*. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Sciendum est scaevam non esse morbosum, vel vitiosum, praeter quam si imbellicitate dextrae validius sinistra utatur; sed hunc non scaevam, sed mancum esse dicimus. ℙ [Est etiam cogn. R., ut D. Junius Brutus Scaeva Cos. ann. U. C. CDXXIX. ap. *Liv.* 8, 29. *F.*]

SCAEVA, ae, f. augurium: a scaevis auguriis, idest sinistris. *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* Vel obscenum ab eo, quod pueris turpicula res in collo quaedam suspenditur, nequid obsit, bonae scaevae causa: inde Scaevola appellatus. Ea dicta ab scaeva, idest sinistra, quod quae sinistra sunt, bona auspicia existimantur. A quo dicuntur comitia, aliudve, quod fit ave sinistra, scaeva. Id a Graeco est, quod hi sinistrum vocant σκαιὸν. Quare quod dixi, scaevum, bonum omen est, obscenum vero, turpe. *Fest.* Scaevam vulgus quidem et in bona, et in mala re vocat, cum ajunt bonam, et malam scaevam. At scriptores in mala ponere consueverunt, ut apud Graecos invenitur positum pro sinistro. *Pl. Ps.* 4, 7, 39. Bene ego ab hoc praedatus ibo: novi: bona scaeva est mihi. *Id. Cas.* 5, 4, 4. Hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore. Ubi per *caninam scaevam* aut occursum canis intelligit, qui inauspicatus habebatur, aut latratum; ut sententia sit, minus hunc gravem fore, quam latratum ac rixas uxoris. [*Bothe* vero putat, his verbis mulieres innui, quae propter crebra litigia canes vocantur, ut ap. *eund. Pl. ib.* 2, 5, 12. V. et CANIS. Stalino igitur senex a servo Chalino male verbis acceptus pedem refert, et mulieres, inquit, adibo, quas mihi meliora portendere arbitror. *F.*]

SCAEVITAS, atis, f. σκαιότης, prava natura, perversitas, malitia. *Gell.* 6, 2. *med.* Ingenia aspera et inscita, et rudia, etiamsi nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur, sua tamen scaevitate et voluntario impetu in assidua delicta ruunt. *Appul. Met.* 4. Praeclarus ille conatus Fortunae meae saevitatem anteire non potuit. Ap. *eund. ib.* 9. Indignae rei scaevitas, *h. e.* infortunium, infelicitas, tanquam malo omine res indigna evenerit: a *scaevus* sinister. Sic *Id. ib.* 3. Quod tuum factum scaevitas consecuta in meum convertit exitium. V. SAEVITAS.

SCAEVOLA, ae, m. C. Mucius Scaevola miles Romanus, qui Porsenam Etruriae regem gladio adortus, per errorem, unum ex ejus satellitibus transfodit: quare ut manum puniret, in ardentem focum injecit, ac tamdiu tenuit, donec ambureret: hinc Scaevola vocatus, a σκαιὸς, sinister, quia postea sinistra tantum utebatur, *Liv.* 2, 12., *Flor.* 1, 10., *Sil.* 8, 385., *Mart.* 1, 22. et *Val. Max.* 3, 3. *n.* 1. ℙ *Σκαιόλας est *Plutarch.* in *Poplic.* 17. *B. A.* ℙ Fuit insignis vir Q. Mucius Scaevola P. F. consul (una cum L. Licinio Crasso anno U. C. DCLIX., cum Cicero aetatis annum duodecimum ageret), augur, pontifex maximus, divini humanique juris auctor celeberrimus, qui jus civile primus constituit, generatim in libros decem et octo redigendo. Hic bello civili Mariano in vestibulo aedis Vestae a Marii satellitibus occisus periit. V. MUCIANUS. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.*, *Epit. Liv.* 86., *Flor.* 3, 21., *Vell.* 2, 26. ℙ Alius fuit Cervidius Scaevola temporibus M. Aurelii, cui a consiliis fuit: ejusque responsa habentur in Pandectis non semel. *Capitol. M. Aurel.* 11. *extr.* ℙ Ut *Cato* de optimo cive, *Roscius* de excellenti histrione, sic *Scaevola* de eximio JCto dici potest. *Cic. Fam.* 7, 22. Ego tamen Scaevolae Testae assentior, *h. e.* Trebatio Testae, qui alter mihi Scaevola est. Alii rectius leg. *Scaevolae, et Testae*, *h. e.* Scaevolae celeberrimo illo JCto, et tibi: scribit enim eam epistolam ad C. Trebatium Testam, qui itidem JCtus erat. *Mat.* et *Trebat.* ad *Cic. post. ep.* 15. *l.* 9. *ad Att.* Trebatius Scaevola facit ut antecedat. Alii rectius leg. *Trebatius sedulo facit* etc. Adde *ib.* 13, 23. *f.*, ubi alii rectius leg. *Scaeva.* [*V. *Orell.*, qui ubique meliorem lectionem servat.] ℙ In *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 293. *col.* 1. et 2. habetur *P. Mucius Scaevula*, et *Q. Mucius Scaevula.*

SCAEVUS, a, um, adj. σκαιὸς, sinister, et tam in bonam, quam in malam partem sumitur, ut Scaeva auspicia. V. verba *Varr.* et *Festi* in SCAEVA, ae, f. ℙ Plerumque tamen in malam partem sumitur, ut *Fest.* ib. monet. Hinc *Gell.* 12, 13. Scaevus profecto, et caecus animi forem, si, etc. *h. e.* stolidus, stultus. *Sall. or. Lepidi contra Sull.* Quae cuncta scaevus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet, *h. e.* perversus: vel malo reipublicae natus. Ita legit *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 3, 13. Alii *saevus. Paul. Nol. carm.* 11, 44. Scaeva fabula. *Appul. Met.* 4. Scaevissimo somnio cumulatur infortunium meum. ℙ [*Confund. *scaevus* et *saevus*. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 518.]

SCAFA. V. SCAPHA.

[SCALABITANUS, a, um, adj. ad Scalabim pertinens, coloniam in Lusitania, quae nunc fortasse *Santaren.* Ejus meminit *Plin.* 4, 22, 35. Colonia Scalabis, quae Praesidium Julium vocatur. *Id. ib.* Scalabitanus conventus. *Inscr.* ap. *Mur.* 1117, 4. Colonia Scalabitana. *F.*]

SCALAE, arum, f. plur. κλίμαξ, machina pluribus gradibus constans, qua utimur ad ascendendum in superiora. [*Etymon est a *scando*, ut *mala* a *mando*, ita ut *scala* contr. sit e *scandela*. V. *Schneid. Gr. Lat.* I. p. 485.] *Sall. Jug.* 6. Murum modo suffodere, modo scalis aggredi; et *ib.* 64. *f.* Et jam scalis egressi milites prope summa ceperant; et *mox:* Ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, afflicti sunt. *Plin.* 14, 1, 1. Scalis tectum scanditur. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 2, 1. Romani scalis summa nituntur opum vi. *Caes. B. C.* 1, 28. Milites positis scalis muros ascendunt; et *ib.* 63. *med.* Scalas admovere; et *Tac. H.* 4, 29. apponere. *Id. A.* 2, 81. erigere; et *ib.* 4, 51. inferre propugnaculis; et *ib.* 15, 4. promovere; et *ib.* 12, 17. Scalis evadere. *Ov. Met.* 14, 650. Induerat scalas: lecturum poma putares. V. †INDUO. *Plin.* 7, 37, 37. Scalarum lapsu exanimatus est. *Id. ib.* 20, 19. Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. In navibus *Virg. A.* 10, 653. Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi Expositis stabat scalis, et ponte parato. Adde *Liv.* 26, 45. ℙ In aedibus plures gradus lignei, vel lapidei parietibus infixi atque immobiles, ad superiorem contignationem ferentes: de quorum ratione *Vitr.* 9, 2. disserit. *Cic. Mil.* 15. *med.* Cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset; et *Phil.* 2, 9. Nisi ille se sub scalas tabernae librariae conjecisset. *Hor. Ep.* 2, 2, 15. In scalis latuit metuens pendentis habenae. *Mart.* 1, 118. Et scalis habito tribus, sed altis, *h. e.* in tertia aedium contignatione, ubi habitare solebant pauperiores. V. COENACULUM. ℙ Scalae Gemoniae. V. GEMONIUS. ℙ *Graecae scalae* sunt, quae ab utroque latere tabulis clauduntur, ne adspectum ad partem aliquam corporis admittant. Hinc flaminicae Diales prohibebantur scalas ascendere, quae ultra tres gradus extollerentur, nisi ex iis essent, quae Graecae appellantur, ut ex *Massurio Sabino* tradit *Gell.* 10, 15. et plenius *Serv.* ad *A.* 4, 646. ℙ Per synecdochen sunt ipsi gradus. *Mart.* 7, 20. Haec per ducentas cum domum tulit scalas, etc. ℙ *Scalae Hannibalis*, locus in montibus Pyrenaeis. *Mela* 2, 6. *B. A.* ℙ Notant grammatici *Varr. L. L.* 9, 1. *med.*, *Charis. l.* 1., *Diomed. l.* 1., *Donat. Phocas*, etc. semper plurali num. usurpari; et *Quint.* 1, 5, 16. vitiosum esse ait, si quis *scala*, et *scopa* dicat. Reperiuntur tamen et in singulari. *Cels.* 8, 15. *med.* Sic brachium deligatum super scalae gallinariae gradum trajicitur. V. GALLINARIUS. et *Cajus. Dig.* 46, 2, 56. *f.* Qui scalam commodaverit ad ascendendum. [*V. *Spald.* ad *Quint.* l. l.]

SCALARII, orum, m. plur. scalarum artifices. *Inscr.* ap. *Grut.* 358, 6. Centuria centonar. dolabrar. scalarior. L. D. D. D.

SCALARIS, e, adj. ad scalas pertinens. *Vitr.* 10, 13. Regulae scalari forma compactae. *Id.* 5, 6. *f.* Cunei, qui dirigunt scalaria, *h. e.* scalas. ℙ [*Scalare*, *is*, absolute idem est ac scalarium. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 16. Hoc scalare applicitum huic sepulcro; et *mox:* Pro podismo structionis scalaris, quod est via Ostiensi, parte laeva, inter mil. I. et II. *F.*]

SCALARIUM, ii, n. scalaria dicuntur viae in amphitheatro, per quas gradibus in cuneos ascenditur. *Vitr.* 5, 6. *f. Inscr. funebr.* ap. *Mur.* 1752, 2. . . . . hoc loco usque ad scalaria ollae numero LXVIII.

*SCALDIS, is, m. fluvius nobilis Galliae Belgicae, hodie *the Schelde*. *Plin.* 4, 13. Ad Scaldim usque fluvium. *Id. ib.* A Scalde. ed. *Hard.* ubi olim (ait *Schellerus*) legebatur *Scaldi*, quanquam ed. *Basil.* 1530. habet *Scalde*. Mox *ib.* A Scaldi incolunt, etc. edd. *Hard.* et *Elzev. Caes. B. G.* 6, 33. ed. *Oudend.* Ad flumen Scaldem: ubi aliae edd. *Scaldim*. Sed Graecus Metaphrasta Σάβιν vertit; unde *Sabin* (hoc est *the Sambre*) legendum videtur, quod loco melius convenit. V. *Glandorp.* ad *Caes.* et *Oudend.* [*Vulgata, quae omnium edd. consensu firmatur, tenenda est. V. *Moeb.* ad *Caes.* l. l.] ℙ *Pons Scaldis*, locus oppidumve Galliae Belgicae. *Ant. Itin. B. A.*

SCALENUS, a, um, adj. σκαληνὸς, inaequalis. Dicitur de triangulo, cujus omnia latera sunt inter se inaequalia. *Auson epist. praefix. Idyll.* 13. Isosceles, vel isopleura, orthogonia quoque, vel scalena.

SCALMUS, i, m. σκαλμὸς, lignum, cui remus intra navim alligatur, ut firmius impellat: a σκάλλω, fodio; id enim excavatum est ad remum excipiendum. *Vitr.* 10, 8. *med.* Etiam remi circa scalmos strophis religati, cum manibus impelluntur et reducuntur, extremis progredientibus a centro, palmis maris undis spumantibus, impulsu vehementi protrudunt porrectam navem. *Cic. Or.* 1, 38. Tu mihi cum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit; et *Vell.* 2, 43, 1. Quatuor scalmorum navem ingressus, effusissimum Adriatici maris transjecit sinum. ℙ Synecdoche est in illo *Cic. Off.* 3, 14 *med.* Venit ipse mature: scalmum nullum videt, *h. e.* nullam cymbam. [*Adde *Att.* 16, 3. Tribus actuariolis decem scalmis.]

SCALPELLO, as, a. 1. scalpello reseco. *Veg. Vet.* 1, 26. [Totumque simul ungulae solum in circuitu scalpelletur, et circumgyrabis, ut etc. Editio *Schneideri* habet: in circuitu scalpello circumscribes, ut etc. *F.*]

SCALPELLUM, i, n. et Scalpellus, i, m. σμιλίον, φλεβοτόμον, parvum scalprum, quo utuntur chirurgi aperiendae venae, secandis carnibus, etc. *Cic. Sext.* 65. Non est ea medicina, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur. *Cels.* 2, 10. *med.* Si nervum scalpellus attigit, sequetur nervorum distentio; et *mox:* Si timide scalpellus dimittitur, summam cutem lacerat, neque venam incidit. *Colum.* 6, 32. Scalpello usque ad vivum resecare et amputare scabiem. *Plin.* 28, 8, 28. Corii crocodili cinis ex aceto illitus his partibus, quas secari opus sit, sensum omnem scalpelli aufert; et *Sen. Ira* 2, 27. *med.* Quorum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum, et abstinentia, et alia quae profutura sunt.

SCALPER, pri, m. idem ac scalprum. *Cels.* 8, 3. Tunc excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id quod inter utrumque medium est, excidit; et *ib.* 4. *med.* Scalper ad rimam agendus.

SCALPO, psi, ptum, a. 3. γλάφω, χράω, caedo, incido, fodio, sculpo. Videtur esse a σκάλλω, fodio. [*Hanc formam rectiorem censet *Diomed.* V. in SCULPO. Sunt, qui gemmis *scalpturam*, ceteris la-

pidibus *sculpturam* trib. V. *Ernest.* ad *Suet. Aug.* 50. et *Ner.* 46. — At *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 696. revera non magis esse discrimen docet inter utramque formam *scalpo* et *sculpo*, quam inter Gr. *γλάφω* et *γλύφω*, quamquam quaesivisse illud viderentur etiam inter Romanos quidam cacozeli: coll. *Gesn. Thes.* s. v. SCALPO, *Schell.* s. v. SCULPO, et *Wolf.* ad *Suet. Aug.* 50. — *Oudend.* ad *Suet. Galb.* 10. eam excogitavit distinctionem, ut *scalpere* et *scalpturam* rudiorem levioremque et sine arte operam, *sculpere* et *sculpturam* industriam et accuratam elaboratamque artem significare velit: quae res movet sententiam etiam *Wolfii* ad h. l. — *Brem.* ad *Suet. Aug.* 50. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 22. alii rem in medio relinquunt, utpote in qua nunquam fere dijudicari verum possit.] *Varr. L. L.* 5, 10. Quae in Graeca lingua putant Latina, ut scalpere *σκαλεύειν* (*σκαλευω* est a *σκάλλω*), sternere *στορεννύειν*, lingere *λείχεσθαι*, ferre *φέρειν*, etc. *Cic. N. D.* 2, 60. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta manus est admotione digitorum. *Hor. Od.* 3, 11, 51. et nostri memorem sepulcro Scalpe querelam. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 3. Et ipsum Phidiam tradunt scalpisse marmora; et 35, 11, 40. *n.* 25. Euphranor Isthmius marmora ac scyphos scalpsit. *Id.* 37, 10, 65. Scalpere gemmas; et *ib.* 1, 4. aliquem in gemma. *Id.* 13, 7, 14. Ficus perquam fecundo proventu, scalpendo tantum ferreis unguibus. ℙ Item scabo, frico. *Juven.* 9, 133. Qui digito scalpunt uno caput. (V. *Sen. ep.* 52. *med.*) *Colum.* 7, 5. *med.* de scabie: Vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut arbori adfricant. *Suet. Dom.* 16. Exulceratam verrucam vehementius scalpere. *Plin.* 9, 45, 68. Pisces attritu petrae scalpentes pruritum. *Id.* 30, 4, 9. Penna vulturis si scalpantur dentes, acidum halitum faciunt. *Id.* 28, 6, 15. Palmam alterna manu scalpere. ℙ Item leviter fodio. *Hor. Sat.* 1, 8, 26. Scalpere terram unguibus. Adde *Pall. l. c.* in SCALPTUS. ℙ Translate. *Pers.* 1, 20. cum carmina lumbum Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu, *h. e.* titillantur. ℙ Hinc *scalpere cadaver* ap. *Mart.* 3, 93. est cunnum vetulae fodere. ℙ *Scalpere nates* est virgis caedere. *Pomp.* ap. *Non.* 11, 59. Praeteriens vidit duos sensim in ludo verecunditer non docentem condiscipulum, verum scalpentem nates. [*Bothe* legendum putat: Praeteriens vidi Dorsennum in ludo inverecunditer, etc. *Scalpentem* vero *nates* hic posses etiam interpretari stuprantem. *F.*]

SCALPRĀTUS, a, um, adj. *κολαπτηροειδής*, ad similitudinem scalpri formatus, ut Scalpratum ferramentum, quo opus est ad castrandos apum alveos. *Colum.* 9, 15. *med.*

SCALPRUM, i, n. *σμίλη, κολαπτήρ*, ferramentum, quo aliquid inciditur: a *scalpo*. Varii hoc artifices utuntur, sutores, lapicidae, agricolae, chirurgi, etc. De scalpro sutorum. *Hor. Sat.* 2, 3, 106. Si scalpra et formas non sutor (*emat*), nautica vela Aversus mercaturis, delirus et amens Undique dicatur ℙ Item lapicidarum. *Liv.* 27, 49. Elephanti ab ipsis rectoribus interfecti: fabrile scalprum cum malleo habebant: id, ubi saevire belluae coeperant, magister inter aures positum quanto maximo poterat ictu adigebat. ℙ Item agricolarum. *Plin.* 17, 16, 26. Cato oleam ficumque sic inseri jussit: cortices scalpro excidi quatuor digitorum longitudine. *Colum.* 4, 25. scalprum vocat eam partem falcis vinitoriae, quae a flexu procurrit: qua utuntur, cum allevare quid volunt. *Pall.* 3, 25. *med.* Vermes si plures circa arborem sunt, aereo scalpro semel rasi, etc. ℙ Item chirurgorum, pro quo scalpellum saepius usurpatur. *Cels.* 8, 4. Scalpro deradere; et *ib. med.* Ad manum scalprumque venire; et *ib.* Scalpro plano excidere. V. SCALPER et SCALPELLUM. ℙ De cultello, quo caeditur calamus scribendi causa. *Tac. A.* 5, 8. Petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit. *Suet. Vit.* 2. Scalpro librario venas sibi incidit.

SCALPTOR, oris, m. *κολάπτης*, qui scalpit, ut Scalptor gemmarum. *Plin.* 37, 4, 15. Expetuntur (*adamantes*) a scalptoribus, ferroque includuntur. *Id.* 36, 6, 5. Scalptores marmorum. Adde 20, 13, 51. et *Vell.* 1, 17, 4. ℙ *Scalptor* etiam dictus is, qui ad cudendos nummos parabat formas aeneas, *χαράγματα, τυπωτήρια*. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb* p. 109. P. Aelius Felix, qui et Novellius, Aug. Lib. atjutor praepos. (*h. e.* adjutor praepositi) scalptorum sacrae monetae fecit sibi, etc. Hinc *Imppp.* *Gratian., Valentin.* et *Theodos. Cod.* 12, 34, 7. Scultores, et ceteri aurifices centenarii. V. VASCULARIUS. ℙ *Morcell.* in quadam sua *Inscr.* in *Oper. epigraph.* T. 4. p. 108. *edit. Pat.* vocat *scalptores lineares aere caelando*, quos nunc Itali *incisori in rame* dicunt. [*Quaedam uberius exposuit *F.*]

SCALTORĬUS, a, um, adj. ad scalpendum pertinens. Absolute *scalptorium* est instrumentum instar manus ad scalpendas scapulas prurientes. *Mart.* 14, 83., cujus lemma *Scalptorium*. Defendet manus haec scapulas, mordente molesto Pulice, vel si quid pulice sordidius.

SCALPTŪRA ae, f. *γλυφή*, scalpendi actio. [*De discrimine inter *scalptura* et *sculptura* v. *scalpo*.] *Plin.* 37, 7, 30. Omnia autem haec genera scalpturae contumaciter resistunt. *Id. ib.* 10, 63. Gemmae, quae ad ectypas scalpturas aptantur. *Suet. Galb.* 10. Scalptura gemmae victoriam cum tropaeo exprimens. [*Inscr.* ap *Marin. Frat. Arv. n.* 43. Piaculum factum ob ferri inlationem, scripturae, et scalpturae marmoris causa. *F.*] ℙ Res ipsae scalptura formatae. *Vitr.* 4, 1. Zophori scalpturis ornati.

SCALPTŪRĀTUS, a, um, part. ab inus. *scalpturo*, variis scalpturis ornatus, ut Scalpturatum pavimentum, variis lapidibus, et varie scalptis elaboratum. *Plin.* 36, 25, 61. Romae scalpturatum, in Jovis Capitolini aede primum factum est post tertium Punicum bellum initum.

SCALPTŪRĪGO. V. SCALPURIGO.

SCALPTŪRĬO, is, a. 4. *κνάω, κνήθω, κνίζω*, idem quod scalpo: et speciatim dicitur de gallinis, cum terram frequentibus ictibus percutiunt ad quaerendum cibum. *Pl. Aul.* 3, 4, 8. Ubi erat haec defossa, occepit ibi gallus gallinaceus scalpturire unguibus. Alii leg *scalpurire* eodem sensu: inter quos est *Non.* 2, 789.

SCALPTUS, a, um, part. a *scalpo*, sculptus. *Cic. Acad.* 4, 31. E saxo scalptus. Alii leg. *sculptus.* [*V. *Goerenz.*, cui assentitur *Schütz.* in *cl. Suet.* s. h. v.] *Hor. Sat.* 2, 3, 22. Quid scalptum infabre, quid fusum durius esset. Alii leg. *sculptum. Vitr.* 2, 7. *med.* Flores, et acanthi eleganter scalpti. *Tert. Poen.* 6. Qui venditant, prius nummum, quo pacisuntur, examinant, ne scalptus, nec rasus, ne adulter etiam. *Pall.* 10, 10. Si prata vetera muscus obduxerit, abradendus est, et scalptis eisdem locis foeni spargenda sunt semina, *h. e.* abrasis, sarculatis, sarritis, leviter fossis. V. SCALPO.

SCALPŪRĪGO, iginis, f. titillatio, et voluptas, quae in cute pruriente scalpenda nascitur. *Solin.* 32. *med.* Trochilos avis os beluae (*crocodili*) paulatim scalpit, et sensim scalpurigine blandiente aditum sibi in usque fauces facit. Alii minus recte leg. *scalpturigine.*

SCALPŪRĬO. V. SCALPTURIO.

[*SCALTICUS, a, um, adj., impetigine laborans. *Theod. Prisc. de Diaeta* 9. *Bail.*]

SCAMANDER, dri, m. *Σκάμανδρος*, fl. Mysiae in Asia apud Hellespontum, qui ex Ida monte profluit, ac in Hellespontum exit. Antea Xanthus dicebatur, teste *Vibio Sequest.* ex *Homero*, [**Il. Υ*, v. 74.] qui eum ab hominibus quidem Scamandrum, a Diis vero Xanthum vocari ait, suo more vetustiorem appellationem Diis, recentiorem hominibus assignans. Sed ap. *Plin.* 5, 30, 33. a Xantho diversus est. *Id. ib.* Scamander fluvius navigabilis. *Catull.* 64, 357. Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut C. Fabricius Scamander, ap. *Cic. Cluent.* 16. *F.*]

*SCAMANDRĪA, ae, f. *Σκαμάνδρια*, urbs parva, a portu Iliensi paullulum remota. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

SCAMBUS, a, um, adj. *σκαμβός*, qui pravis et varis est cruribus, vatia, valgus. *Suet. Oth.* 12. Fuisse traditur et modicae staturae, et male pedatus, scambusque. *Gloss. Philox. Σκαμβός*, scaurus, valgus, curvus.

[SCAMELLUM et Scamillum, i, n. dimin. parvum scamnum, *Prisc.* 3, 615. Neutra in *num* desinentia geminant in diminutione *l* ante *um*; et *e* habent in paenultima, nisi sit paenultima primitivi naturaliter longa, ut bonum bellum, geminum gemellum, scamnum scamellum. *Appul.* tamen *fragm.* ap. *eund. ib.* Verum infirma scamillorum, obice fultae fores. Hic *Putsch.* male edidit *scammellorum.* In *Not. Tir.* p. 163. Scamnum, scamellum, scabillum. *F.*]

[SCAMILLĀRĬI, orum, m. plur. qui scamillis pulsandis operam in scena dant, iidem ac scabillarii. *Inscr.* ap. *Grut.* 467, 7. Decuriae IIII. scamillariorum operae veteres a scaena. V. SCABILLARII. *F.*]

SCAMILLUS, i, m. dimin. scamni. *Scamilli impares* ap. *Vitr.* 3, 3. et 5, 9. videntur esse quidam veluti parvi gradus in stylobatis columnarum, qui veluti parvam scalam, unus post alium decrescendo, efficiunt. V. de his opusculum *Bernardini Baldi*, in quo rem totam satis implicatam variis conjecturis, et figuris illustrare conatur: [de qua tamen re adhuc sub judice lis est. *F.*]

SCAMMA, ātis, n. *σκάμμα*, spatium in arena, seu stadio, linea vel fossa conclusum, extra quod certantibus progredi non licet: a *σκάπτω*, fodio: quia locus cavatus est, et depressus. Aliis tamen est ipsa fossa, seu sulcus, quo illud spatium concluditur. *Hieron. adv. Joann. Jerosol. n.* 16. Cur tu, omissis super quibus pugna est, de scammate et loco certaminis egrediens, in peregrinis et longe alienis disputationibus immoraris? *Paul. ep.* 2. (al. 24.) *ad Sever. f.* Noli interim, dum in scammate sumus, alta pro nobis sapere, aut loqui. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *f.* Deambulatio in arenae spatio, quod appellant scamma. *Tert. ad Mart.* 3. *med.* Epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit, *h. e.* ad hoc certamen.

SCAMMONĬA, ae, f. *σκαμμωνία*, herba ab radice ramosa, pinguibus foliis, triangulis, albis, radice crassa, madida, nauseosa. Nascitur pingui et albo solo: radix circa Canis ortum excavatur, ut in ipsa confluat succus (quod scammonium dicitur), qui sole siccatus digeritur in pastillos, habetque varios in medicina usus: ipsa quoque herba, ejusque radix ischiadicis prodest, et panis, etc. *Plin.* 26, 8, 38. et *ib.* 58. et *ib.* 9, 59. ℙ Etiam *scammonea* dicitur *ab eod.* 25, 5, 22, et *scammoneum* a *Cat. R. R.* 157. *med.* [*Est herba, quam nos dicimus *Purgierkraut, Purgierwinde*, Convolvulus Scammonia, *L.*]

SCAMMONĪTES, ae, m. vinum facticium ex scammoniae succo. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5.

SCAMMONĬUM. V. SCAMMONIA.

*SCAMMOS, i, Aethiopiae opp. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

SCAMNĀTUS Ager. V. STRIGATUS et SCAMNUM.

SCAMNŬLUM, i, n. parvum scamnum. Agnoscitur a *Diomed.* 1, 312.

SCAMNUM, i, n. *βάθρον, ὑποπόδιον*, gradus ligneus, qui lecto opponitur scandendi causa: aut fulciendorum pedum, dum sedemus. *Varr. L. L.* 4, 35. *f.* Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum: in altiorem, scamnum. *Ov. A. Am.* 2, 211. Nec dubita tereti scamnum producere lecto: Et tenero soleam deme, vel adde pedi. *Id. ib.* 1, 162. Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem: *nempe* sedenti in Circo. ℙ Item *θρᾶνος*, subsellium, sedile: a similitudine. *Ov. Fast.* 6, 305. Ante focos olim longis considere scamnis Mos erat. *Cels.* 2, 15. Gestationum lenissima est navi vel in portu, vel in flumine; vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo; vehementior in alto mari navi. *Mart.* 5, 41. Sedere in scamnis equitum. ℙ Hinc in arboribus *scamna* sunt rami crassiores in longitudinem diffusi, et sedilium usum praebentes. *Plin.* 12, 1, 5. Cajus princeps in Veliterno rure miratus unius platani tabulata, laxeque ramorum trabibus scamma patula, et in ea epulatus, quindecim convivarum ac ministerii capace triclinio. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 22. Ulmus detruncata a medio in ramorum scamna digeritur; et *ib. n.* 25. Palmites primo anno imis ingerantur scamnis, ac per singulos annos ad superiora scandant. ℙ In agris *scamnum* dicitur gleba terrae grandior non proscissa. *Colum.* 2, 2. *med.* Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare, sed ita, necubi crudum solum et immotum relinquat: quod agricolae scamnum vocant. *Id. Arb.* 12. Aratrum scamna facit. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Scamna inter duos sulcos crudа ne relinquantur. ℙ Item spatium terrae ligone non fossae, inter duas scrobes. *Colum.* 3, 13. Quae faciunt in eadem linea, intermissis totidem pedum scamnis, donec peragant ordinem. ℙ Praeterea *scamnum* vocant agrimensores agrum latitudine praecellentem: sicut *strigam*, longitudine. Hinc illa: ager per strigas et scamna divisus. Et: Ager per centurias et scamna assignatus, etc. *Var. auct. rei agrar.* p. 46. 125. 198. *Goes.* ℙ Translate *scamna regni*, solium et jus regni, *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. *extr.*

*SCAMPES, plural. *Σκαμπεῖς Ptolemaeo*, opp. Illyriae Graecae (postea Macedoniae partis) inter Lychnidum oppidum et mare Hadriaticum, non procul a Genuso flumine. *Scampis* audit *Ant. Itin. B. A.*

SCANDĀLA, ae. V. SCANDULA

SCANDĀLIZĀTUS, a, um, part. a *scandalizo*, ad peccandum inductus. *Tert. adv. Marc.* 5, 18. *f.* Angeli scandalizati in filias hominum.

SCANDĀLIZO, as, a. 1. *σκανδαλίζω*, scandalum alicui praebeo, aliquem offendo. *Tert. Virg. vel.* 3. et *Cor. mil.* 11.

SCANDĀLUM, i, n. *σκάνδαλον*, Graece significat offendiculum, quod in via ponitur, ut pedem in illud impingendo cadamus. *Prud. praef. Apoth.* 47. Lapis ..... signum caventi, non caventi scandalum: Hunc sternit, illum dirigit. ℙ Translate ab Eccles. Scriptt. sumitur pro suasione, seu inductione alicujus ad peccandum. *Tert. Virg. vel.* 3., *adv. Jud.* 14. et *adv. Marc.* 3, 1. etc. et *Sulpic. Sever. ep. ad Euseb.* 1.

SCANDENS, entis, part. a *scando*, excelsus, altus, se attolens, absolute et more neutrorum. *Prop.* 4, 1, 65. Scandentes si quis cernet de vallibus arces: et *ib.* 125. Scandentisque arcis consurgit vertice murus. [*V. *intpp.* ad utrumque locum.]

SCANDĬANUS, a, um, adj. *Scandiana mala* inter varia malorum genera recensent et laudant *Colum.* 5, 10. *f.* et *Plin.* 15, 14, 15., item *Varr. R. R.* 1, 19. et *Cels.* 4, 19. *med.* Tradit *Plin. ib.* nomen traxisse a quodam Scandio, sicut Manliana a Manlio, Matiana a Matio, etc. Quare non audiendi, qui ducunt a Scandia insula Oceani Septentrionalis (ap. *Plin.* 4, 16, 30.), unde advecta fuerint.

*SCANDILA, ae, vel Scandile, es, f. insula maris Aegaei, Euboeae Scyroque vicina. *Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 7. ℙ In *Plin.* l. legitur etiam *Scadira. B. A.*

*SCANDINAVIA, ae, f. regio in Europae partibus borealibus, quam Veteres insulam credidere. *Plin.* 4, 13. et 8, 15. ℙ In *Mela* 3, 6. *Scandinovia* appellatur; *Scandia* autem *Plin.* 4, 16. ℙ In loco *Plin.* 4, 13. *insula* dicitur esse *incompertae magnitudinis.* Sed compertum est tractum esse telluris sa-

tis amplum, et revera continentem, quae dividitur in Sueciam et Norvegiam. *B. A.*

SCANDIX, ĭcis, f. *σκάνδιξ*, genus oleris vulgaris apud Aegyptios, alio nomine tragopogon (*τραγοπώγων*, h. e. barba hirci) foliis croco simillimis, longa et dulci radice. *Plin.* 21, 15, 65., qui ejus varios usus in medicina recenset, 22, 22, 35. [*Kerbel, Scandix Caerefolium, *L.*]

SCANDO, is, scandi, scansum, a. 3. *ἀναβαίνω*, in altum repo, feror, evehor. [*Ex iis, quae Noster laudaverat, huc pertinent ista:] *Liv.* 3, 67. *extr.* Scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submovit. *Ov. Fast.* 1, 298. Inque domos superas scandere cura fuit. *Plin.* 15, 14, 14. Et in tecta jam silvae scandunt. *Id.* 31, 1, 1. Scandunt aquae in sublime. *Id.* 18, 28, 68. *n.* 1. Sol scandens ad Aquilonem. *Id.* 10, 18, 20. Scandentes in subreptum felium modo. *Phaedr.* 2, 4. feles Ad nidum scandit volucris. *Tac. H.* 3, 71. per conjuncta aedificia. *Quint.* 11, 3, 54. Demosthenes scandens in adversum continuabat plurimos versus. [*Adde *ib.* 12, 10, 78. Scandenti circa ima labor est.] ℙ Passive impersonaliter. *Vitr.* 10, 1. Ut sine periculo scandatur ad apparatus spectationem. ℙ Translate. *Tac. H.* 4, 8. *med.* Suadere Prisco, ne scanderet supra principem, ne Vespasianum praeceptis coerceret. *Auct. Pan. ad Pison.* 33. Scande super titulos, et avitae laudis honores, Armorumque decus praecede forensibus actis. ℙ [*Hinc, adjecto accus., i. q. ascendo, conscendo.] *Caes. B. G.* 5, 49. Alii vallum manu scandere, alii fossas complere. *Cic. Sen.* 6. Cum alii malos scandant, alii per foros cursent. *Val. Fl.* 8, 4. quascumque per undas Ferre fugam, quamcumque cupit jam scandere puppim. *Prop.* 3, 20, 24. Scandere viam, *h. e.* viam acclivem carpere. *Id.* 3, 16, 24. Scandenda est torvi publica cymba senis. *Lucan.* 9, 599. Capitolia curru. *Plin.* 14, 1, 2. Scanditur scalis tectum; et *ib.* 3. Vites per ramos populorum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes. *Id.* 13, 4, 7. Palmae faciles se ad scandendum Orientis populis praebent. [*Tac. H.* 3, 28. scandere testudinem. ℙ Transl. *Lucr.* 2, 1121. Paulatimque gradus aetatis scandere adultae.] ℙ Est etiam inire, salire, inscendere coitus causa. *Pl. Ps.* 1, 1, 21. Ut opinor, quaerunt litterae hae sibi liberos: alia aliam scandit. ℙ *Scandere versus* ap. grammaticos est per suos pedes metiri. *Diomed.* 3., *Prisc.* 1. et 2. etc. Hinc *Claud. epigr.* 29. *in podagrum.* Quae tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas? Scandere qui nescis, versiculos laceras.

SCANDŪLA, ae, f. *σχίδαξ*, *σχίδιον*, *καλυμμάτιον*, assula, tabella, tenuis lamina ex ligno fissili ad varios usus, et praesertim ad tecta domorum: a *scandendo*, quia in tectis ita disponuntur scandulae, ut alia aliam scandat. V. infra. *Plin.* 16, 10, 15. Scandulae e robore aptissimae, mox e glandiferis aliis, fagoque. Scandula contectam fuisse Romam, ad Pyrrhi usque bellum, annis CCCCLXX., Cornelius Nepos auctor est. *Pall.* 1, 22. Ad aestatis temperandum calorem porticus furcis, asseribus et fronde formari debent, quae vel scandulis, vel tegulis tegentur. *Vitr.* 2, 1. Aedificia constituere scandulis robusteis, aut stramentis. *Colum.* 8, 3. *med.* Ab cohorte forinsecus fenestellis scandulae injungantur, quibus irrepant aves ad requiem nocturnam. *Plin.* 16, 10, 18. Materies piceae ad fissiles scandulas, cupasque, et pauca alia secamenta. *Hirt. B. G.* 8, 42. Oppidani cupas sevo, pice, scandulis complent, eas ardentes in opera provolvunt. ℙ [Sunt qui putant non a *scandendo*, sed a *scindendo* duci, et *scindula* scribi jubent: quod praeter alios placet *Stewechio* ad *Veg. Mil.* 2, 23. Hinc *Isid. Or.* 19, 19. Scindulae dictae eo quod scindantur, id est dividantur. Ceterum *Oudendorpius* ad *Appul. Met.* 3. p. 204. existimat, *scandula* hoc sensu esse vocem minus Latinam; in vocabulis vero *scindula*, *scindularis*, *scindularius*, cadente Latinitate, irrepsisse *a* pro *i* ob librariorum oscitantiam ex vulgari tunc loquendi modo. Hinc *Papias:* Scindulae, quod scindantur, scandulae vulgo. ℙ *Scandula* est etiam speltae seu hordei genus, quod Itali nunc *scandella* vocant, quodque distichum et Galaticum appellat *Colum.* 2, 9. *f.* De eodem ita *Plin.* 18, 7, 11. Galliae quoque suum genus farris dedere: quod illic bracen vocant, apud nos scandulam, nitidissimi grani. Ita *scandulam* pro *scandalam*, quod postremum habent *Plinii* editiones, legendum videtur; at *Pontedera Op. post.* T. 1. p. 30. *scandalam* minus recte legendum putat. Sic enim *Edict. Diocl.* 27. Speltae mundae K. M. ✕ centum. Scandulae, sive speltae K. M. ✕ triginta. ℙ Eandem inter frumenti genera recenset *Isid. Or.* 17, 3. Scandula a divisione vocata: duplex enim est, scanditurque, id est dividitur. *F.*]

SCANDŪLĀCA. V. OROBANCHE.

SCANDŪLĀRIS, e, adj. ad scandulas pertinens. *Appul. Met.* 3. Tectum scandulare conscendit. Alii leg. *scindulare.* V. v. praec.

SCANDŪLĀRĬUS, ii, m. qui scandulis domos tegit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6.

SCANSĬLIS, e, adj. *ἀναβατός*, qui facile scanditur. *Plin.* 17, 11, 16. Ficumque sic etiam scansilem fieri, *h. e.* ita assurgere, et ita provenire, ut scandi facile possit. ℙ *Scansilis annorum lex* dicitur, per quam ad certam aetatem veluti quibusdam annorum gradibus ascendimus. *Plin.* 7, 49, 50. Ingens turba nascatur, scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant. V. *Censorin. de die nat.* 14.

SCANSĬO, onis, f. *ἐπίβασις*, actus scandendi, ascensio gradatim facta. *Varr. L. L.* 4, 35. *f.* Simplici scansione scandebant in lectum. ℙ *Scansiones sonorum* ap. *Vitr.* 6, 1. *med.* sunt eorum elationes de gradu in gradum, v. gr. ab ima gravi ad supremam acutam. ℙ Ap. grammaticos *scansio* in versibus est eorum mensuratio per pedes. *Beda de metr.* p. 2368. V. SCANDO.

SCANSOR. V. SCASOR.

SCANSORĬUS, a, um, adj. ad scandendum pertinens, scandendo aptus. *Vitr.* 10, 1. Est autem unum genus *(machinarum)* scansorium, quod Graece *ἀναβατικὸν* dicitur; et *mox:* Scansorium autem est, cum machinae ita fuerint collocatae, ut ad altitudinem tignis statutis, et transversariis colligatis, sine periculo scandatur ad apparatus spectationem.

*SCANTATE, es, f. Arabiae opp., in terra Zamarenorum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

SCANTĬA Silva in Campania fuisse dicitur, ubi pascua multa, et vectigal ex his. *Cic. Brut.* 22., et *Agr.* 1, 1. et *ib.* 3, 4. Hinc fortasse *Aquae Scantiae*, quas memorat *Plin.* 2, 107, 111.

SCANTĬĀNA Mala memorat *Cato R. R.* 7. et 143. in doliis condi solita, et *Varr. R. R.* 1, 59., quae a quodam Scantio cultore, aut inventore dicta videntur: vel a silva Scantia. Idem dic de Scantiana vite, quae eadem est ac Amminea. *Plin.* 14, 4, 5.

SCANTĪNĬA Lex, lata in *τοὺς παιδεραστὰς καὶ παιδοφθόρους*, poena decem millium aeris statuta, ut colligitur ex *Quint.* 4, 2. *med.* et 7, 4. *f.:* auctorem habuisse creditur C. vel P. Scantinium Aricinum trib. pleb., memoraturque a *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. et 14., *Suet. Dom.* 8., *Juven.* 2, 44., *Tert. Monog.* 12. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 204. Aricinum fuisse, qui eam tulerit, habes ex *Cic. Phil.* 3, 6. *med.* Refert *Val. Max.* 6, 1. *n.* 7. ea damnatum esse C. Scantinium Capitolinum trib. plebis, die dicta a M. Claudio Marcello aedili curuli, quod filium suum de stupro appellasset. Quare non a latore, sed a damnato nomen traxisse quidam putant. Sub Imperatoribus Christianis capitalis poena hujusmodi reis imposita est, ut apparet ex *Cod.* 9, 9, 31. Non solum autem auctores criminis, sed et ipsi *παθικοὶ*, et impudici lubentes hac lege puniebantur, ut est ap. *Auson. epigr.* 89. et fortasse etiam *Juven. l. c.* [*Cf. de hac lege *Ernest.* in *ind. legg.* s. h. v.] ℙ Secundam syllabam producit *Id. Juven. l. c.* citari Ante omnes debet Scantinia. Corripit *Auson. epigr.* 89. Scantiniam metuens non metuit Titiam. ℙ Legitur et *Scatinia*, et *Scatinius.* [*Hinc mira ubique in codd. harum vv. confusio. V. *Ferrar.* ad *Cic. Phil.* 3, 4. *Orell.* ad h. l. difficillimam praedicat optionem.]

SCAPHA, ae, f. *ἐφολκίς*, *σκάφη*, exigua navicula, quales sunt, quae in majoribus navibus circumvehuntur, vel eas pone sequuntur, item quibus utimur ad piscandum: a *σκάπτω*, fodio, quia primum ex praegrandi arbore coeptae sunt excavari. *Cic. Inv.* 2, 51. Usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret. *Just* 2, 13. Ubi solutum pontem hibernis tempestatibus offendit, piscatoria scapha trepidus trajecit. *Hor. Od.* 3, 29, 62. Tum me biremis praesidio scaphae Tutum per Aegaeos tumultus Aura ferat. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 13, 11. Tot scaphae, quas ad ostia cum paucis fidis percontatum miserat. Adde *Petr. Sat.* 102. et *Pl. Rud.* 1, 2, 74. ℙ [Cadentis Latinitatis tempore etiam *scafa* scribitur. *Not. Tir.* p. 177. Scafa, scafula. V. FRIXURA. *F.*]

SCAPHĀRĬUS, ii, m. qui scaphis navigando negotiatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 258, 1. Scapharii, qui Juliae Romulae negotiantur. Adde aliam ap. *Mur.* 1050, 3., ubi Scapharii Hispalenses.

SCAPHĒ, es, f. *σκάφη*, idem ac scaphium. *Vitr.* 9, 9. Scaphen, sive hemisphaerium Aristarchus Samius invenisse dicitur. V. SCAPHIUM.

[SCAPHĬŌLUM, i, n. dimin. scaphii, *σκαφίδιον*. *Not. Tir.* p. 161. Scaphium, scaphiolum. *F.*]

SCAPHĬUM, ii, n. *σκαφίον*, vas concavum, in cujus medio stilus infixus solis umbra horas indicat. *Capell.* 6, 194. Scaphia dicuntur rotunda ex aere vasa, quae horarum ductus stili in medio fundo sui proceritate discriminant: qui stilus gnomon appellatur. ℙ Item vas, quo corporis excrementa excipiuntur, lasanum, *σκαφίον*. Quidam putant esse mulierum, et *lasanum* virorum: quia reponitur a *Polluce Onom.* 10, 3. inter vasa muliebria, et ex loco *Juvenalis* mox afferendo, ubi de muliere sermo est. *Mart.* 11, 11. Te potare decet gemma, qui Mentora frangis In scaphium moechae, Sardanapale, tuae. *Ulp. Dig.* 33, 2, 28. *f.* Argento legato, non puto ventris causa habita scaphia contineri. *Juven.* 6, 263. Et ride, scaphium positis cum sumitur armis. Sunt qui minus recte hic intelligunt quoddam muliebre ornamentum capitis: sunt qui ligonem: a *σκάπτω*, fodio. ℙ Item vasis potorii genus, figura oblonga in scaphae similitudinem. *Pl. Stich.* 5, 4, 11. Quibus divitiae domi sunt, scaphio, et cantharis, batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. A pupillo Hejo scaphia cum emblematis utrum empta esse dicis, an confiteris erepta? ℙ De quocumque vase concavo. *Vitr.* 8, 1. *med.* Fodiatur locus pedes quinque, in eoque collocetur scaphium aereum, aut plumbeum, aut pelvis, etc. *Lucr.* 6, 1043. Et ramenta simul ferri furere intus ahenis In scaphiis. [*V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.]

SCAPHŪLA, ae, f. dimin. parva scapha. *Veg. Mil.* 3, 7. *med.* Monoxylos, hoc est paulo latiores scaphulas ex singulis trabibus excavatas carpentis secum portet exercitus. *Paul. Nol. ep.* 49. (al. 36.) *n.* 1. Nautae exterriti scaphulam demiserunt.

SCAPHĬUM, i, n. *σκάφος τὸ*, idem quod scaphium, seu vas quoddam concavum. *Vitr.* 9, 9. *med.* Per id cavum influens aqua sublevat scaphum inversum, quod ab artificibus phellos, sive tympanum dicitur.

*SCAPOS, insula quaedam maris Aegaei, inter Samothraciam atque Hellespontum. Meminit *Plin.* 4, 12. *B. A.*

SCAPTĒSŪLA, ae, f. urbs Thraciae, ubi auri et argenti fodinae erant, ex quibus letiferi spirabant odores: ejus meminit *Stephan.* in *Geogr.* et *Σκαπτησούλην* vocat; *Plutarch.* vero in *Cimon.* divisim *Σκαπτὴν ὕλην. Festus:* Scaptensula (lege *Scaptesula*) locus ubi argentum effoditur, in Macedonia: ita dictus a fodiendo, quod Graece *σκάπτειν.* Lucretius (6, 870.) quales exspirat Scaptesula subter odores. Perperam vero *Festus* in Macedonia ponit, cum in Thracia esset. [*Emendavit h. l. *F.*]

SCAPTĬUS, a, um, adj. ad Scaptiam pertinens, urbem Latii inter Soram, et Fabrateriam, quam Pedani incoluerunt, teste *Festo*, cujus etiam *Plin.* 3, 5, 9. *med.* et *Liv.* 8, 17. *f.* meminere. *Sil.* 8, 395. hic Scaptia pubes, Hic Fabrateriae vulgus, etc. ℙ *Scaptia tribus* una ex XXXV. tribubus Romanorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 557, 1. L. Pinario L. F. Scaptia Materno, etc. et 537, 3. C. Cispius C. F. Scapt. Severus, etc. et 445. L. Acilius P. F. Sca. decurio sibi et P. Acilio etc.

SCAPTĬENSIS, e, adj. ad Scaptiam tribum pertinens. *Suet. Aug.* 40. Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummum a se dividebat.

SCĀPŪLAE, arum, f. plur. *συνωμία*, *ὦμοι*, idem quod humeri, vel potius superior dorsi pars, qua onera gestantur, humeris, et summis dorsi vertebris constans, inter cervicem et scutula operta. *Cels.* 8, 1. *med.* Rursus a cervice duo ossa lata utrinque ad scapulas tendunt: nostri scutula operta, *ὠμοπλάτας* Graeci nominant. *Plin.* 30, 14, 43. Vermes terreni illiti, ne cervicis scapularumque nervi doleant, praestant. *Id.* 21, 21, 89. Si lateris dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace. *Mart.* 6, 59. Tollere lacernas de scapulis. *Ov. A. Am.* 3, 273. Conveniunt tenues scapulis analectides altis. ℙ Saepe latius accipiuntur pro toto tergo. *Pl. As.* 2, 2, 49. Mirabar, quod dudum scapulae gestibant mihi, hariolari quae coepperant, sibi esse in mundo malum, *h. e.* praesentiebant virgas paratas tergo imminere. Sunt haec verba servi metuentis verbera. Sic *Cas.* 5, 3, 14. Salus nulla est scapulis, si domum redeo; et *Truc.* 4, 3, 19. Jam livorem tute scapulis concinnas tuis. *Sen. Ira* 3, 12. Scapulas praebere verberibus. *Ter. Phorm.* 1, 2, 26. Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi. *Fest.* in *Pro.* Pro scapulis cum dicit Cato, significat pro injuria verberum: nam complures leges erant in cives rogatae, quibus sanciebatur poena verberum. His significat prohibuisse multos suos cives, in ea oratione, quae est contra M. Coelium: Si hostem percussi, saepe incolumis abii: praeterea pro republica, pro scapulis, atque aerario multum reipublicae profui. Haec *Festus.* ℙ *Scapulas tegere* ap. *Sen. ep.* 64. *med.* est utcumque amiciri. Sic *ventri et scapulis suum reddere* ap. *eund. ep.* 17. victu vestituque, quantum satis est, sibi consulere. ℙ Dicuntur et de bestiis, et armos significant, h. e. eam partem corporis, ubi cervix desinit, dorsum incipit. *Varr. R. R.* 2, 7. de equis: Humeris latis, ventre modico, lumbis pressis, scapulis latis, spina maxime duplici. (*humeros* ossa lata, quae sunt supra crura anteriora: *scapulas*, quod supra humeros est, et dorsi initium facit, intelligere videtur. Nisi malis vv. *scapulis latis* adsciticium esse.) *Calp. Ecl.* 7, 60. Vidimus et tauros, quibus aut cervice levata Deformis scapulis torus eminet. *Plin.* 11, 29, 55. de locustis: Vox earum proficisci ab occipitio videtur. Eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem edere. *Appul. Met.* 4. de asino: A meis jam quassis scapulis abegisset, *h. e.* a tergo meo. V. MERCURIUS. ℙ Translate. *Vitr.* 10, 3. Retinacula supra scapulas machinae longe disponantur, *h. e.* in superiori parte. *Tert. Pall.* 2. montium scapulas dixit, *h. e.* latera a vertice declivia. Sic dorsum montis *Caes.*, *Liv.* et alii. ℙ *Scapula* in sing. num. fuit cogn. R. in gente Cornelia, ut P. Cornelius Scapula, ap. *Liv.* 8, 22.

SCĀPŪLĀNUS, a, um, adj. ad Scapulam pertinens, quod est nomen viri proprium: ut Scapulani horti, *Cic. Att.* 12, 40. *f.*

SCĀPUS, i, m. *καυλὸς*, *σκῆπων*, proprie est caulis rectus in herbis in columnae modum: est ab altera Graeca voce allata, *η* in *α*, ut fere solent Lati-

ni Doricam dialectum secuti, mutata. *Varr. R. R.* I, 31. de vicia: Ad scapum lupini, aliumve quem, ut haereat, solet vinciri. *Colum.* 9, 4. Scapus asphodeli. *Plin.* 18, 10, 21. Inventus est jam et scapus unus centum fabis onustus. ℙ Item de crassiore arborum trunco. *Sen. ep.* 86. *med.* Magnarum arborum truncos circumcisis ramis, et ad unum redactis pedem, cum scapo suo transtulit, amputatis radicibus, relicto tantum capite ipso, ex quo illae pependerant. ℙ Dicitur etiam de tenui illo, lignosoque ramusculo, e quo uvarum acini dependent. *Varr. R. R.* I, 54. Quae calcatae erunt uvae, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prelum. Alii leg. rectius *scopi*. ℙ Et translate de corpore columnae, seu stilo, et veluti virga, idest de eo, quod interjacet inter basim, sive spiram, et capitulum. *Vitr.* 3, 3. In summis columnarum scapis; et *ib.* Imus columnae scapus. Adde *ib.* 2. et al. ℙ Item de stilo transverso librae, vel staterae. *Fest.* in *Agina:* Agina est, quo inseritur scapus trutinae. *Id.* in *Librile.* Librile, scapus librae. ℙ Item de trunco, seu corpore candelabri. *Plin.* 34, 3, 6. Privatim Aegina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. ℙ Item de instrumento textoris, cujus pulsu tela coarctatur, et densatur: *Sen. ep.* 90. *med.* spatham appellat. *Lucr.* 5, 1352. Insilia, ac fusi, et radii, scapique sonantes. Sunt qui hic juga intelligunt, quibus et stamen, et tela involvitur: quod sane aptius esset, quia scapo jugum similius est, quam instrumentum, quo tela pulsando densatur: verum v. *sonantes* magis huic, quam jugo convenit. ℙ Item de ligno crassiore in valvis, h. e. de regulis quibusdam, quibus forium ornamenta praecinguntur. *Vitr.* 4, 6. *med.* Fores ita compingantur, uti scapi cardinales sint ex altitudine luminis totius duodecima parte: inter duos scapos tympana ex duodecim partibus habeant ternas partes; et *mox*: Scaporum latitudines fiant impagis dimidia parte. V. *Bald. in Lex. Vitr.* ℙ Item in scalis aedium fixis, de ea parte, quae subjecta et inclinata gradus ipsos sustinet: quia sicut in plantis scapus ramos fert, ita in scalis gradus. *Id.* 9, 2. *f.* Si altitudo contignationis, ab summa coaxatione ad imum libramentum, divisa fuerit in partes tres, erit earum quinque in scalis scaporum justa longitudine inclinatio. Nam quam magnae fuerint, inter contignationem et imum libramentum, altitudinis partes tres, quatuor a perpendiculo recedant, et ibi collocentur interiores calces scaporum. V. *Bald. ib.* Sunt qui putant, scapos scalarum esse duo tigna foraminibus pertusa, in quae transversi bacilli graduum infixi sunt: quod certe in scalis mobilibus, v. gr. gallinariis, commode intelligitur. ℙ *Scapus chartarum* est certus earum numerus inter se junctarum, et simul complicatarum: fortasse quia olim in volumen convolvebantur. *Plin.* 13, 12, 23. Siccantur sole plagulae, atque inter se junguntur, nunquam plures scapo, quam vicenae. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 759. ℙ [Est etiam membrum virile. *August. C. D.* 7, 24. *f.* Super Priapi scapum nova nupta sedere jubebatur. Adde *Veg. Vet.* 3, 15. Collyrium facito, et in scapi ejus foramen inserito. Ita edidit *Schneiderus*, cum *Gesnerus* antea legerit *veretri* loco *scapi*. *F.*]

[*SCARA, ae, f. turma aut cuneus. *Ammian.* 4, 36. *Bail.*]

SCARABAEUS, i, m. σκαράβειος, κάνθαρος, insecti genus tenues habens et fragiles pennas, et ob id crusta superveniente tectas. His negatus aculeus: sed in quodam genere eorum grandi, cornua praelonga, bisulcis dentata forcipibus in cacumine, cum libuit, ad morsum coeuntibus, infantium etiam remediis ex cervice suspenduntur. Lucanos vocat hos Nigidius. Aliud rursus eorum genus, qui e fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant, parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetus sui nidulantur. Volitant alii magno cum murmure ac mugitu. Alii focos et prata crebris foraminibus excavant, nocturno stridore vocales. Haec *Plin.* 11, 28, 34., qui 30, 11, 30. tradit, Aegypti magnam partem scarabeos inter numina colere: nempe quia Aegyptii scarabeum fecere solis symbolum, eo quod sex menses sub terra latet, sex alios sub divo ducit, et quod unius tantum generis masculini esse putabatur. *Auson. epigr.* 70. Non caper, aut aries, sed scarabeus erit. ℙ Scribitur et *scarabaeus*.

[*SCARDIA, ae, f. herba eadem, quae aristolochia. *Appul. Herb.* 19. *Bail.*]

[SCARDONITĀNUS, a, um, adj. ad Scardonam pertinens, Dalmatiae urbem, quae vetustum adhuc nomen servat: ejus ita meminit *Plin.* 3, 22, 26. Liburniae finis, et initium Dalmatiae Scardona. Hinc *Scardonitanus conventus* ap. *eund. ib.* 21, 25. Conventum Scardonitanum petunt Iapydes. ℙ Ea urbs municipium *Flavium* est appellata ab aliquo ex tribus Augustis e gente Flavia, Vespasiano nempe, vel Tito, vel Domitiano. *Inscr.* ap. *Paulovich. Marm. Trag.* p. 19. Genio municipii Fl. Scard. C. Petronius Firmus ob honorem Aug. L. D. D. D. *h. e.* ob honorem Augustalitatis. *F.*]

SCARIFĪCĀTIO, onis, f. σχάσις, actus scarificandi, apertio facta tenui vulnere, ut sanguis emittatur. *Colum.* 6, 12. Si sanguis adhuc supra ungulas in cruribus est, assidua scarificatione discutitur; et *ib.* 17. Scarificatio ferro facta. ℙ Dicitur etiam de levi vulneratione, qua arborum cortex aperitur. *Plin.* 17, 27, 42. Interim est et scarificatio quaedam in remediis, cum macie corticis ex aegritudine astringente se, justoque plus vitalia arborum comprimente, exactam falcis aciem utraque manu imprimentes, perpetuis incisuris deducunt, ac veluti cutem laxant. ℙ De levi aratione. *Id.* 18, 16, 39. Foenum Graecum scarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco.

SCARIFĪCĀTUS, a, um, part. a *scarifico*. *Plin.* 32, 7, 26. Dentium dolores sedantur ossibus draconis marini scarificatis gingivis.

SCARIFĪCO, as, a. 1. σκαριφάομαι, ἀποσχάζω, ἐπιξύω, est leviter in superficie radere, scalpello aperire, leviter vulnerare, quo aliquid facilius exeat. *Plin.* 32, 7, 26. Pastinacae quoque radio scarificare gingivas est in dolore utilissimum. *Colum.* 12, 55. Intritam ad medium mortarium contrahito et comprimito manu plana: deinde cum compresseris, scarificato, *h. e.* variis in locis pertundito, quasique lacerato. ℙ *Scarificare dolorem* est scarificando dolorem expellere. *Plin.* 28, 11, 49. Hoc scarificari dolorem demonstrant. ℙ Pro *scarifico* in multis MSS. *Plinii*, *Colum.* et alior., teste *Voss.*, *Salmas.*, *Harduino*, legitur *scarifo* et *scarifatus*. Sic *Gloss. Philox.* Scarifo, χαράσσω, κατακνίζω. Et: Scarifat, κατακνίζει, κατασχίζει, καταχαράσσει. Porro *scarifo* Graecum est, σκαρίφω, σκαριφεύω: a σκάριφος, stilus.

SCARIFIO, is, anom. pro passivo *scarifor* singulare est ap. *Scrib. Comp.* 262. ubi ait: Lumbi leniter scarifiant.

[SCARIFUS et Scariphus, m. σκάριφος, stilus, seu potius instrumentum, quo chirurgi scarificant. *Not. Tir.* p. 150. Scarifus. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1668, 1. Cn. Domitius Scariphus. *F.*]

SCARITIS, is, f. gemma scari colore. *Plin.* 37, 11, 72.

*SCARIZO, as, n. 1. salio, palpito. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 12. Quasi vermiculus scarizaret. ℙ Est ex Graeco σκαίρω. *B. A.*

*SCARPHEA vel Scarphia vel Scarphia, Graeciae oppidum, in Locride, ad sinum Maliacum, Thermopylis vicinum. *Liv.* 33, 3. et 36, 20. *Plin.* 4, 7. ℙ Item insula maris Aegaei, prope litus Graecum, non procul a Locride. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*SCARPONA vel Scarponna, castrum vel locus munitus in Gallia Belgica, in terra Mediomatricorum. *Ammian.* 27, 2. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

[SCARPUS, i, m. cogn. R.: deductum videtur a carpo, seu articulo, quo manus brachio cohaeret, ut apparet ex typo volae manus in nummis gentis Pinariae ap. *Morell. Fam. R. n.* V. et VI. Hinc in nummo ejusd. gentis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 272. L. Pinarius Scarpus. *F.*]

SCARROSUS. V. SQUARROSUS.

SCARUS, i, m. σκάρος, piscis nobilissimi genus, de quo *Plin.* 9, 17, 29. Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci, non aliis piscibus, mari Carpathio maxime frequens. Promontorium Troadis Lecton sponte nunquam transit. Inde advectos, Tiberio Claudio principe, Optatus Elipertius (*Macr.* idem narrans *Sat.* 2, 12. habet *Octavius praefectus class.* contra omnes MSS. *Harduini*) praefectus classis inter Ostiensem et Campaniae oram sparsos disseminavit, etc. [*Latuit haec res *Colum.* q. v. 8, 16, 9. scarus qui totius Asiae Graeciaeque litoribus, Sicilia tenus, frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enavit ad Hibericum mare: item *Quint. Inst.* 5, 10, 21. nec helopem nostro mari, aut scarum ducas: ubi v. *Spald.*] *Festus* in *Pollucere* docet, licuisse pollucere Diis omnes pisces, quibus est squama, praeter scarum: quia sc. admodum rarus erat, et gravioris impendii. *Plin.* 32, 2, 5. ex *Ov. Hal.* 11. tradit, inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudae ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere. *Ov. ib.* 119. Ut scarus epastas solus qui ruminat herbas. *Hor. Sat.* 2, 2, 21. pinguem vitiis albumque neque ostreà, Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois. [*V. *Heindf.*] *Mart.* 13, 84. Hic scarus, aequoreis qui venit obesus ab undis, Visceribus bonus est: cetera vile sapit. [*Sunt qui putent, pertinere *scarum* ad illud piscium genus, qui nobis *Lippfische* dicuntur, Labrus Scarus, *L.*] ℙ Primam produxit, quia fortasse *scaurum* pro *scarum* legebat, *Enn.* ap. *Appul. Apol.* quid Scarum praeterii, cerebrum Jovi' paene supremi? Ubi *cerebrum Jovis* vocat propter suavitatem cibi. Διὸς ἐγκέφαλον dicunt Persae (teste *Suida*) proverbialiter epulas exquisitas. V. SCAURUS.

SCASOR, oris, m. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 66., et *Fabr.* p. 210. *n.* 526. et *Mur.* 2046, 6. M. Ulpius Aug. Lib. Plocamus ex domu Aug. scasor, et Julia Chelido contuber. ejus, etc. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Barbaricarii, scasores, pictores, sculptores, diatretarii, etc. *Fabr. l. c.* et *Gothofred.* in *Gloss. nom. Cod. Theod.* legendum putant *scansor*, quae vox habetur in *Gloss. Philox.*, exponiturque καταστρωτής, *h. e.* qui pavimenta sternit. Sunt qui putant, hac voce eum significari, qui equum sternit et parat domino ad ascendendum; sed hoc sensu minime *l. c. Cod. Theod.* convenit: neque admittenda *Reinesii* conjectura, qui *stator* legi mallet. Sunt denique qui per eam vocem illum indicari existimant, qui circa gradus scalarum, per quos scanditur, est occupatus. Divinent alii. [*Quaedam ex suis adscripsit *F.*]

SCATEBRA, ae, f. πίδαξ, πηγή, eruptio aquae scaturientis, et ipse locus, ubi erumpit: a *scateo*, ut a *lateo* latebra. *Virg. G.* 1, 109. unda cadens raucum per levia murmur Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva. *Plin.* 5, 1, 1. Mons opacus, nemorosus, et scatebris fontium riguus. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 1. Scatebra fonticuli semper emicans. ℙ [Translate accipitur pro caterva, seu multitudine, quae scatet. *Front. ad Anton. Pium* (ed. *A. Maio*) 9. Respondisti, futurum, ut, cum Appiano, me rogante, procurationem dedisses, causidicorum scatebra exoriretur idem petentium. V. v. sq. ℙ *Scatebra* est etiam nomen fluvii. *Plin.* 2, 103, 106. In Casinate fluvius appellatur Scatebra, frigidus, abundantior aestate. *F.*]

SCATEO, es, n. 2. et aliquando Scato, is, n. 3. βλύζω, βράζω, est ita plenum esse, et abundare, ut assidue et large effluat exsiliatque quod intus est. [*Etymon est a *scando*, ut *pateo* a *pando*. V. *Doederl.* 2, 74.] *Vet. Poet.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 28. Fontes scatere, herbis prata convestirier. *Lucr.* 5, 597. Largifluum fontem scatere, atque erumpere flumen. Adde *ib.* 950. ℙ Cum ablat. aut gen. rei, quae implet et erumpit. *Pl. Aul.* 3, 6, 22. Quae mihi interbibere sola, si vino scateat, Corinthiensem fontem Pirenem potest; et *Colum.* 6, 16. Solent etiam neglecta ulcera scatere vermibus; et *Hor. Od.* 3, 27, 26. Scatens belluis pontus. *Lucr.* 5, 40. ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit; et 6, 890. fons, dulcis aquai Qui scatit. *Plin.* 3, 3, 4. Metallis tota ferme Hispania scatet. *Id.* 16, 32, 59. Terracina silvis nucum scatet. *Id.* 19, 8, 55. Serpyllo et sisymbrio montes plerique scatent. *Id.* 6, 20, 23. Populi tigri fera scatentes. *Mela* 1, 9. *med.* Nilus scatet piscibus. ℙ Ipsa etiam res, quae abundat et erumpit, *scatere* dicitur. *Lucr.* 6, 896. de igne: Et scatere illa foras in stuppam semina. *Plin.* 8, 58, 83. Cuniculi scatent in Hispania, Balearibusque. Adde 2, 108, 112. ℙ Translate. *Id.* 17, 25, 38. Ostentis Aristandri volumen scatet. *Id.* 22, 13, 15. Urtica plurimis scatet remediis. *Gell.* 1, 15. Videas quosdam sic scatere verbis, ut, etc. *Id.* 17, 8. Puer festivissimis argutiis scatens. *Id.* 1, 17. Uxor morosa irarum et molestiarum muliebrium per diem perque noctem scatebat. Alii leg. *satagebat*. *Pl. Pers.* 2, 1, 9. Amas pol misera: id tuus scatet animus. Ego istuc placidum tibi ut sit, faciam, *h. e.* aestuat, ebullit, fervet, quasi ulcus vermibus. ℙ Praeteritum *scatui* analogia defenditur, ut *patui*, *latui*, etc.

SCATINIA. V. SCANTINIA.

SCATO, is. V. SCATEO.

[SCATO, onis, m. qui frequenter et ubique cacat, nostrates vulgo *scacazzone* dicunt: vel qui multus est in verbis, aut in argutiis. V. SCATEO: a σκάτος, stercus; vel a *scato*, ejicio foras. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 132, 1. M. Magulnius Scato. *F.*]

SCATURIGINOSUS, a, um, adj. πιδακόεις, scaturiginibus abundans, irriguus, uliginosus. *Colum.* 5, 8. *f.* Creta ex toto repudianda est, magis etiam scaturiginosa, et in qua semper uligo consistit.

SCATURIGO, inis, f. πίδαξ, locus unde aqua scaturit, scatebra, fonticulus. *Colum.* 3, 13. *med.* Si scaturigo palustris plus quam sesquipedem prohibeat infodere. [*Liv.* 44, 33. Scaturigines turbidae primo et tenues emicare, dein etc.] *Plin.* 31, 3, 28. In terra nigra scaturigines non fere sunt perennes. *Front. Aquaed.* 10. Signino circumjecto continendarum scaturiginum causa. ℙ Scribitur et *scaturrigo*.

SCATURIO, is, n. 4. βλύζω, scateo, perfluo, effluo, emitto: et dicitur fere de aquis. *Sen. Q. N.* 3, 19. *med.* Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes. *Colum.* 3, 1. *f.* Solum modice rosidum, quod fontibus non in summo, non in profundo terrae scaturiat. *Pall.* 1, 33. *extr.* Limus, quem scaturiens aqua, vel fluvii incrementa respuerint. *Auct. Priap.* 47. Vermiculi scaturientes. ℙ Transl. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Curio totus, ut nunc est, hoc scaturit, *h. e.* prae se fert, jactat, effundit. Sunt qui aliter leg. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 551. Verbositatis ipse rumpatur locus, Scaturientes perdat ut loquacitas Sermonis auras, perforatis follibus, *h. e.* auras effluentes e buccis. ℙ Scribitur et *scaturrio*.

SCATURIX, icis, f. scaturigo, scatebra. Transl. usurpat *Varr.* ap. *Non.* 2, 794., ubi alii leg. *scaturex*. V. VINITO.

SCAURIANUS, a, um, adj. ad Scaurum pertinens, cogn. R., de quo in v. SCAURUS. *Capell.* 5, 140. Scauriana oratio, *h. e.* quam habuit Cicero pro M. Scauro repetundarum reo.

SCAURIPEDAE. V. in SCRANTIAE.

SCAURUS, a, um, adj. σκαῦρος, qui talos tumentes et porrectos habet: a σκαίρω, salio, saltito; quia qui talos habet ejusmodi, difficulter potest σκαίρειν: vel potius a σκάζω, claudico. In *Gloss. Philox.* exponitur σκαμβός, σκελλός, στρεβλόπους, βλαισόπους:

quorum duo priora distortum cruribus significant, altera pedibus. *Hor. Sat.* 1, 3, 44. strabonem Appellat paetum pater: et pullum, male parvus Si cui filius est, etc. hunc varum, distortis cruribus: illum Balbutit scaurum pravis fultum male talis. Ex hoc *Horatii* loco intelligimus, minimum pedum vitium esse, si scaurus quispiam sit, inter eos qui pedibus pravis distortisque sunt. ℙ Hinc ortum cognomen multis Romanis civibus, praesertim in gente Aemilia, in qua M. Aemilius Scaurus consul primum, et paulo post proconsul triumphavit de Liguribus, diuque princeps senatus fuit. Ejus paupertatem laudat *Val. Max.* 4, 4. *n.* 11., mores describit *Sall. Jug.* 18. Inter oratores enumeratur a *Vell.* 2, 9. et a *Cic. Brut.* 29. Hujus filius M. Scaurus ad consulatum non pervenit, sed in aedilitate celebris fuit magnificentia ludorum et theatri, quod describitur a *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. V. et 8, 17, 24., 34, 7, 17., 36, 2, 2. et *ib.* 6, 8. [Eundem in causa repetundarum defendit *Cic.*, cujus orationis aliqua exstabant fragmenta; at multo plura vulgavit *A. Maius* e palimpsesto Ambrosiano, eaque emendatiora iterum edidit *A. Peyronius* e palimpsesto Taurinensi. *F.*] ℙ De Terentio Scauro V. TERENTIUS SCAURUS. ℙ In quibusdam libris *Colum.* 8, 16. et 17. *med.* legitur *scaurus* pro *scarus*, piscis.

SCAZON, ontis, m. σκάζων, versus iambicus sex pedibus constans, quorum quintus iambus est, sextus spondeus, quatuor reliqui partim iambi, partim spondei, vel etiam omnes iambi: et dicitur a σκάζω, claudico, quia cum verus iambicus in iambo desinat, hic desinit in spondeo: quare et choliambus vocatur: item Hipponacticus ab auctore. Exemplum esto ap. *Diomed.* 3, 507. Ligare guttur pendulo cavum vinclo: et illud *Catulli* 8, 1. Miser Catulle, desinas ineptire; et *Mart.* 1, 97. Si non molestum est, teque non piget, scazon, etc. *Plin ep.* 5, 11. Cave ne eosdem illos libellos, quos tibi hendecasyllabi nostri blanditiis elicere non possunt, convicio scazontes extorqueant: scil. quia iambis constant, qui maledicendo apti sunt. ℙ Iambicus integer, et non claudicans est v. gr. illud *Hor. Epod.* 2, 1. Beatus ille, qui procul negotiis Paterna rura bobus exercet suis. Utrumque genus carminis amplectitur *Auson. ep.* 14, 31. Εἰλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον.

*SCELATĪTI, orum, populi Africae ulterioris, fortasse Gaetulorum pars. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

SCĔLĔRĀTĒ, adv. ἀνοσίως, cum scelere, per scelus, nefarie, sceleste, impie. *Cic. Mil.* 38. Pace tua, patria, dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie. *Id. Cat.* 1, 10. *extr.* Bellum scelerate susceptum. *Id. Sull.* 24. Nihil scelerate, nihil audacter facere. *Id. Q. Fr.* 1, 3. Peccavi, sceleratequeque feci. *Id. Dom.* 38. Domus per religionis vim sceleratius aedificata, quam eversa. *Id. Sext.* 64. Mihi omnes est insidias sceleratissime machinatus.

SCĔLĔRĀTUS, a, um, part. a *scelero:* ἀνόσιος, κατάρατος, scelere adstrictus, contaminatus, improbus, flagitiosus, scelestus, nefarius: et praecipue qui impius est in Deos, patriam, parentes, cives. [*Quid differat a *scelestus*, v. in h. v.] *Ov. Met.* 11, 781. ego sim sceleratior illo, Ni tibi morte mea mortis solatia mittam. *Petr. Sat.* 137. Scelerate, etiam loqueris? nescis, quam magnum flagitium admiseris. *Cic. Off.* 1, 8. Est enim totum sceleratum et impium. *Caes. B. G.* 6, 12. Numero insipiorum ac sceleratorum haberi. *Hirt. B. Afr.* 22. Audaces et scelerati cives. *Sall. Jug.* 34. *med.* Homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi, iidemque superbissumi. *Cic. Mur.* 30. Sceleratus et nefarius fueris, si misericordia adductus feceris. *Id. Att.* 9, 15. *f.* Ego illum male sanum semper putavi, nunc etiam impurum et sceleratum puto. *Id. Fin.* 3, 19. *f.* Vox inhumana et scelerata. *Id. Phil.* 11, 1. Contra patriam scelerata arma capere. *Id. Cluent.* 68. *f.* Sceleratae preces, et nefaria vota. *Ov. Met.* 8, 94. Sceleratum munus, *h. e.* scelere paratum. *Plin.* 34, 14, 39. Sceleratissima humani ingenii fraus. *Sen. Oed.* 236. Scelerata caedes. *Id. Herc. Fur.* 1319. dextra. *Virg. A.* 7, 461. insania belli. *Ov. Met.* 1, 131. amor sceleratus habendi. Sic *Claud. in Ruf.* 1, 220. Crescebat scelerata sitis. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 11. Scelerata avaritia. *Just.* 24, 2. voluntas. *Id.* 27, 2. *med.* audacia. *Id.* 10, 2. Causa parricidii sceleratior ipso parricidio fuit. [*Vell. 2, 130, 3. scelerata consilia.] ℙ Alieno scelere pollutus, μεμιασμένος. *Virg. A.* 3, 60. et *Ov. Pont.* 1, 6, 29. cum fugerent sceleratas numina terras. *Id. Met.* 13, 628. sceleratque limina Thracum. *Id. Fast.* 6, 609. Sceleratus vicus, *h. e.* in quo filia Servii regis carpentum jussit agi per cadaver patris a Tarquinio Superbo occisi, ut ipse *ib.* et *Fest.* et *Liv.* 1, 48. docent. *Tibull.* 1, 3, 67. et *Ov. Met.* 4, 455. Scelerata sedes, *h. e.* locus apud Inferos, ubi puniuntur scelerati: quod *Virg. A.* 6, 563. sceleratum limen vocat. *Festus:* Scelerata porta, quae et Carmentalis dicitur, etc. V. CARMENTALIS. *Idem:* Sceleratus campus appellatur prope portam Collinam, in quo virgines Vestales, quae incestum fecerunt, defossae sunt vivae. ℙ *Scelerata castra*, in quibus D. Drusus pater Claudii Imp. morbo periit. *Suet. Claud.* 1. ℙ Metonymice est infelix, calamitosus, miser: quia sceleratos plerumque calamitas et poena premit: et quia infelices creduntur esse scelesti, et ob id puniri. [*V. *Ruhnk.* ad l. *Albin.* mox *cit.*] *Quint. decl.* 10, 6. Nullis, inquit, destituta sum tenebris, donec scelerata tacui. *Albin.* 1, 135. Tene ego sustineo positum scelerata videre? Tene meae poterunt ungere, nate, manus? *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 12. *n.* 122. Ti. Claudio et Claudiae Nice filiis suis infelicissimis mater scelerata et sibi et libert. etc. Alia ap. *Fabr.* p. 237. *n.* 631. Hilarus et Annia Elpis mater scelerata, quae hoc facinus vidit, filio dulcissimo fecerunt. Alia ap. *Mur.* 1187, 2. C. Mammius, Echio, et Mammia Rome, parentes sceleratissimi titulum posuerunt Mammio Romulo F. suo. Vixit ann. IIX. Adde aliam 1280, 2. ℙ Item noxius, perniciosus. *Virg. G.* 2, 256. sceleratum frigus. *Plin.* 24, 13, 63. Sceleratissimi serpentum haemorrhois, et prester. *Mart.* 1, 102. Ureret implicitum cum scelerata lues. *Appul. Herb.* 8. Herba scelerata: scil. quia si quis eam gustaverit, ridendo exanimatur. Sic *Pl. Ps.* 3, 2, 28. Teritur sinapis, scelerata cum illis qui terunt: scil. quia sapore acerrimo est, et ignei effectus, impositu pustulas excitans, ut est ap. *Plin.* 19, 8, 54. ℙ Item rigidus, severus, tristis, tetricus. *Mart.* 9, 69. Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister, Invisum pueris, virginibusque caput? *Virg. A.* 2, 575. cadentem Ulcisci patriam, et sceleratas sumere poenas, *h. e.* gravissimas, et quales merentur scelerati. ℙ Item molestus, importunus. *Mart.* 3, 50. Quod si non scombris scelerata poemata donas, Coenabis solus jam, Ligurine, domi. *Arnob.* 2. *f.* Nesciens hoc facto ei, cui videatur officere, dari ab se lucem, et sceleratam eripi caecitatem. ℙ Item callidus, vafer, improbus. *Hor. Sat.* 2, 3, 70. mille adde catenas: Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus. ℙ *Sceleratum argentum.* V. ARGENTABULUM.

SCĔLĔRĪTAS, atis, f. flagitium, scelus. *Mart. Dig.* 48, 21, 3. Non enim facti sceleritatem esse obnoxiam, sed conscientiae metum. Ita *Torrent.* et *Gothofred.*, alii minus recte *celeritatem.* [*V. *Duk.* de Lat. *Vett. Ict.* 325. p. 294. sq.]

SCĔLĔRO, as, a. l. μιαίνω, scelere polluo, contamino. *Virg. A.* 3, 42. Parce pias scelerare manus. *Catull.* 64, 403. mater substernens se impia nato, Impia non verita est Divos scelerare Penates. *Juven.* 9, 25. Scelerare aedes Deorum. *Stat. Th.* 9, 666. insontis pueri sanguine dextram. ℙ Item sceleratum facio. *Id. ib.* 2, 662. non Orgia Cadmi Cernitis, aut avidas Bacchum scelerare parentes.

SCĔLĔRO, onis, m. homo sceleratus. Ita quidam legunt ap. *Cic. Att.* 9, 18. et *Petr. fr. Trag.* 50 *Burm.;* [alii rectius leg. ap. *Cic.* Ara scelerum; [*leg. *area scel.*, quam lectionem *Orell.* exhibet, cui fortasse anteferendam putat suspicionem viri docti cujusdam: ἀριστεῖα *scelerum.*] in *Cod. Trag. Petr.* Scelio. Hoc videtur retinendum, eodem nempe sensu ac *scelero. F.*]

SCĔLĔRŌSUS, a, um, adj. multis et magnis sceleribus plenus, sceleratus. [*V. *Prisc.* IV. p. 164. *Kr.* Hinc magis ad *sceleratus*, quam ad *scelestus*, ubi v., referendum notione videtur.] *Lucr.* 1, 83. scelerosa atque impia facta. *Varr. L. L.* 5. *f.* Scelerosus homo. *Ter. Eun.* 4, 3, 1. Ubi ego illum scelerosum misera inveniam? *Appul. Met.* 10. Scelerosa et polluta femina. *Afran.* ap. *Non.* 2, 809. O diem scelerosum et indignum? [*Inscr.* ap. *Grut.* 19, 6. Quod is scelerosissimi servi publici infando latrocinio etc. At in lapide autographo, quem *Morcellus lus* inspexit, legitur *sceleratissimi*, ut ipse edidit *De Stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 51. *ed. Pat. F.*]

SCĔLĔRUS, a, um, adj. scelestus, sceleratus. *Pl. Ps.* 1, 5, 31. Hic mihi corrumpit filium, scelerum caput; et 3, 2, 28. Teritur sinapis scelera cum illis. Ita *Serv.* ad *A.* 9, 486. Verum haec loca nihil conficiunt. Priore enim loco est genit. pluralis, altero plerique leg. *scelerata.* V. l. in SCELERATUS.

SCĔLESTĒ, adv. ἀνοσίως, scelerate. *Liv.* 24, 25. Quaecumque post Hieronis mortem sceleste atque impie facta essent. *Pl. Rud.* 2, 6, 21. Minime miror, navis si fracta est tibi, scelus te, et sceleste parta quae vexit bona. *Vell.* 2, 60. Sceleste insimulare aliquem. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 3. exercere arma. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* suspicari; [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] et *August. ep.* 202. Illic non sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus interit.

SCĔLESTUS, a, um, adj. ἀνόσιος, idem quod sceleratus. [*Hoc utique non dixerim! Quod enim *Doederl.* 2, 149. docet: videri *sceleratus* et *scelestus* ita inter se differre, ut hoc (idem fere, quod: ad scelera pronus et promptus) ad animum; illud, (sceleribus pollutus et opertus) ad sola facta spectet; hinc *porta*, *campus*, *vicus sceleratus*, nunquam *scelestus*: illud quidem veritatis laude magna quadam jure fruitur, licet proferri loca possint, quibus in tanta notionum similitudine, utrumque vocab. promiscue positum exhiberi queat: ut *Vell.* 2, 130, 3. *scelerata consilia;* et *Id.* 2, 73, 3. *scelesta* consilia: eodem sensu.] *Cic. Rosc. Am.* 13. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, Dii immortales, ac nefarium facinus! et *ib.* 22. *f.* Profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. *Ter. Eun.* 4, 4, 41. Juppiter magne, o scelestum atque audacem hominem! *Sall. Cat.* 51, 32. Homines scelesti et factiosi; [*Hoc ita dictum est, ut posterius ad prius explicandum valeat et definiendum. V. *Kritz.*] et *ib.* 52, 15. mali et scelesti. *Pl. Men.* 3, 1, 2. Nunquam quicquam facinus feci pejus, neque scelestius. *Id. Rud.* 2, 6, 24. Scelestiorem coenam coenavi tuam, quam quae Thyestae quondam anteposita est. *Pl. Curc.* 1, 1, 40. Hae lenonis aedes scelestam servitutem serviunt. *Sall. or. Licin. ad pleb.* Scelestum servitium imponere. *Id. Cat.* 15. Scelestae nuptiae. *Phaedr.* 2, 4. Scelesta avaritia. *Liv.* 5, 27. Scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit; et *mox:* Scelestus ipse cum scelesto munere venisti. ℙ Item infelix, miser, calamitosus. *Pl. Rud.* 3, 5, 22. Eheu! scelestus galeam in navi perdidi. *Id. Cas.* 3, 5, 34. Scelestissimum me esse credo. *Id. Most.* 3, 1, 1. Scelestiorem ego annum argento fenori nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit. Adde *Rud.* 4, 4, 123. et 140. V. SCELERATUS. ℙ Item vafer, callidus, improbus, astutus. *Pl. Most.* 1, 3, 14. Ita me Dii ament, lepida est Scapha! sapit scelesta multum. Ut lepide res omnes tenet sententiasque amantum! V. SCELERATUS.

SCĔLĔTUS, i, m. σκελετὸν σῶμα, cadaver carnibus privatum, et ossibus tantum constans, ut compages ossea, qua forma mortem ipsam repraesentare solent pictores: est a σκέλλω, exsicco, attenuo. *Appul. Apol.* Tertium mendacium vestrum fuit, *(me habere)* macilentam vel omnino evisceratam formam diri cadaveris fabricatam, prorsus horribilem et larvalem. Dudum ergo cum audirem, sceletum perquam impudenti mendacio dictitari, jussi curriculo iret aliquis, et ex hospitio meo Mercuriolum afferret, quem mihi Saturnius iste Oeae fabricatus est. En vobis, quem scelestus ille sceletum nominabat. Hiccine est sceletus? haeccine est larva? hoccine est, quod appellitabatis daemonium? Hunc qui sceletum audet dicere, profecto ille simulacra Deorum nulla vidit: hunc denique qui larvam putat, ipse est larvatus.

SCĔLĔTYRBĒ, es, f. σκελοτύρβη, morbi genus, quo crura et genua tentantur: a σκέλος, crus, et τύρβη, tumultus, turbae. *Plin.* 25, 3, 6. In Germania maritimo tractu fons erat atque dulcis, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus solverentur. St macacen medici vocabant, et sceletyrben ea mala. ℙ Legitur et *scelotyrbe.*

SCĔLUS, eris, n. κακούργημα, ἀσέβημα, nefarium facinus, flagitium, peccatum, maleficium, fraus. [*Mart* et *Voss.* deducunt *scelus* a σκολιὸς, obliquus, vel a σκελλὸς, pravus. — *Doederl.* 2, 143. sq. originem vocis ponit in v. *cellere.* Rationes quibus ad firmandam sententiam utitur v. ap. ipsum. — Quid differat a *culpa*, *facinus*, *flagitium*, *nefas*, v. in hh. vv.] *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Facinus est vinciri civem R.; scelus, verberari; prope parricidium, necari. *Id. Rosc. Am.* 9. Intelligitur, judices, imprudente L. Sulla, scelera haec et flagitia fieri. *Id. Pis.* 19. Infirmatus conscientia scelerum et fraudum suarum. *Id. fragm.* ap. *Lactant.* 3, 19. Vitiis et sceleribus contaminati. *Id. Cat.* 2, 4. Quid enim mali, aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille conceperit? *Id. Verr.* 2, 1, 4. Homo tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertus. *Id. Har. resp.* 16. *f.* Scelere contaminare nomen populi R. et *ib.* 3. violare Deos immortales; et *mox:* devincire sese. *Id. Verr.* 2, 4, 32. se obstringere. *Id. Fl.* 17. *f.* se alligare. *Id. Sext.* 50. adstringi; et *ib.* 27. Edere scelus in aliquo. *Id. Or.* 1, 51. nefarium facere. *Id. Phil.* 11, 1. *med.* suscipere; et *Cluent.* 68. *f.* perficere. *Id. Verr.* 2, 1, 4. et *ib.* 2, 4, 32. *f.* in se concipere. *Id. Att.* 7, 11. moliri. *Id. Cat.* 2, 1. anhelare. *Id. Att.* 9, 10. *med.* et *Q. Fr.* 1, 3. *med.* admittere. *Id. Cluent.* 66. Infestum scelus et immane. *Id. Amic.* 8. *med.* detestabile. *Quint.* 8, 6, 40. abominandum. *Petr. Sat.* 17. inexpiabile. *Sen. Med.* 979. horridum; et *Ag.* 983. infandum; et *Troad.* 1057. ferum et triste. ℙ Et praesertim quod religioni et pietati opponitur. *Cic. Cat.* 2, 11. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus, etc. ℙ [*Dicitur etiam *scelus* singulariter de *bello civili. Lucan.* 2, 2. Jusque datum sceleri canimus: ubi v. *Spanhem.* et *Mart. Lag.* in *ed. Web.* Adde *ib.* v. 326. Et docilis Sullam sceleris vicisse magistrum: ubi cf. *Cort.* et sic saepius alibi.] ℙ Ut Furor, Discordia, Luctus, Metus et hujusmodi tristia Inferorum numina sunt, ap. *Virg. A.* 6, 275., ita et Scelus. *Sen. Herc. Fur.* 95. imo Ditis e regno extraham Quidquid relictum est: veniat invisum Scelus, Suumque lambens sanguinem Impietas ferox. ℙ De vi nocendi in bestiis, et rebus inanimis. *Plin.* 29, 4, 23. Inter omnia venenata salamandrae scelus maximum est: cetera enim singulos feriunt: salamandra populos pariter, etc. *Id.* 25, 3, 6. Nec bestiarum solum ad nocendum scelera sunt, sed interim aquarum quoque ac locorum. ℙ *Scelera naturae* ap. *eund.* 2, 93, 95. sunt terrae motus, incendia, inundationes, et hujusmodi. ℙ Metaleptice *scelus* est poena, supplicium. *Virg. A.* 7, 307. Quod scelus

aut Lapithis tantum, aut Calydone merente? et *ib.* 2, 229. et scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt. ℙ Item infelicitas, infortunium. *Pl. Capt.* 3, 5, 104. Major filius potitus est hostium: quod hoc est scelus! *Ter. Eun.* 2, 3, 33. Nec quemquam esse hominem arbitror, cui magis bonae felicitates omnes adversae sient. *Par.* quid hoc est sceleris? V. SCELERATUS. [*Cf. *Bentl.* et *Ruhnk.* ad *Ter.* l. modo l. et *Lindem.* ad *Plauti* exemplum, qui recte *Bossch.* monuisse docet, non sic simpliciter dici scelus pro infortunio. Nam ubique subesse notionem miseriae e scelere ortae.] ℙ Metonymice est homo sceleratus. *Ter. Andr.* 3, 5, 1. Ubi illic est scelus, qui me perdidit? *Pl. Bacch.* 5, 2, 57. Abin' a me, scelus? *h. e.* scelesta mulier; et 5, 1, 9. Is me scelus usque attondit dolis doctis indoctum. *Id. Pers.* 4, 9, 6. Ego pol te faciam, scelus, te quoque etiam ipsum ut lamentere; et 2, 2, 10. Scelus tu pueri es; et *Truc.* 2, 7, 60. Etiam, scelus viri, minitare? [*Adde *Mil.* 5, 41. Scelus viri Palaestrio! Ita primus *Dousa* restituit in *Plaut. expll.* III, 13. Antea enim legebatur: *scelus vir P.* Firmat emendationem his formulis *Plauto* frequentatis: deliciae pueri: monstrum, flagitium hominis. Adde *Par.* in *Mantissa Lex. Pl.* s. *Periphrasi.* ℙ Dicitur scelus etiam pro eo, quod per scelus fit. *Lucan.* 2, 162. scelerum non Thracia tantum Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni Postibus Antaei Libye: ubi v. *Cort.* plura laudantem.] ℙ *Scelera non habent consilium*, prov. ap. *Quint.* 7, 2, 44. *h. e.* ratione carent: impetu fiunt, et absque sententia. ℙ [*Confund. *scelus* et *genus.* V. *intprr.* ad *Cic. Sull.* 31, 88.]

SCĒMA. V. SCHEMA.

SCĒNA et Scaena, ae, f. σκηνή, umbraculum, camera ex arborum ramis ac frondibus, sive a natura, sive ab arte sit: a voce Graeca allata, quae tabernaculum, tentorium significat: haec autem ἀπὸ τῆς σκιᾶς, umbra, ut docet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 168. tum silvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra. ℙ Sub hujusmodi umbraculis Attica juventus, cum adhuc dispersi per agros habitarent, carmina quaedam incondita decantare solebant, fabulasque suo more agere: postea in urbem redacta scenam eo secum transtulit, in qua vel frondibus, vel ex tabulis compacta, histriones agendis fabulis exercebantur. Ab Atticis ad Romanos et res, et nomen transiit: diciturque *scena* pars theatri proxima proscenio, illo superior, in qua histriones et mimi ludicrum populo spectaculum praebent. Paulo latius definit *Labeo* ap. *Ulp. Dig.* 3, 2, 2. *f.* Ait praetor, Qui in scenam prodierit. Scena est, ut Labeo definit, quae ludorum faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat, moveaturque, spectaculum sui praebiturus, posita sit, in publico, privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittat. *Vitr.* 5, 7. *f.* Ipsae scenae suas habeant rationes explicatas, ita uti mediae valvae ornatus habeant aulae regiae, dextra ac sinistra hospitalia. Secundum ea spatia tres sint species ornationis, quae, cum aut fabularum mutationes sunt futurae, seu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, versentur, mutentque speciem ornationis in fronte. *Id. ib.* 8. Genera sunt scenarum tria, tragicum, comicum, satyricum. V. SATYRICUS. Alia ratione dividitur scena in versilem, aut ductilem. *Servius* ad illud *Virg. G.* 3, 24. Vel scena ut versis discedat frontibus: Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturae faciem ostendebat: Ductilis tunc, cum, tractis tabulatis hac atque illac, species picturae nudabatur interior. *Virg. A.* 1, 431. hic alta theatris Fundamenta locant alii, immanesque columnas Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris, *h. e.* scenis tragicis. *Id. ib.* 4, 471. Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes, *h. e.* celebratus in tragoediis. *Plin. ep.* 4, 25. Ludibria scena et pulpito digna, *h. e.* quae histriones decent. *Gell.* 17, 21. *f.* Plautus poeta in scena floruit: *scil.* fabulis scribundis, quae in scena agerentur. *Cic. N. D.* 3, 27. Nec vero scena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis paene majoribus. *Id. ib.* 59. Laterum inflexio fortis ac virilis, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. *Id. Or.* 3, 57. *med.* Soleo mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante Roscio. [*Aliae dictiones huc pertinentes haec sunto: *Nep. praef.* 5. in scenam prodire: ita proprie dicitur de histrionibus in scenam ad agendum progredientibus: v. *Brem.* ad h. l. adde *Suet. Cal.* 54. et *Ner.* 20. Porro ap. *eund. Tit.* 7. scenam tenere, i. e. principem in scena locum tenere. Ita *Torrent.* — *Brem.* explicat: *einzig auf der Bühne gelten. Id. Gr.* 18. circa scenam versari: et in vita *Ter.* 3. in scenam deferre, i. e. fabulam: *auf die Bühne bringen.*] *Cic. ad Brut.* 1, 9. Ac mihi tum officio solum erat et naturae, tibi nunc populo et scenae, ut dicitur, serviendum est. Proverb. in eos, quorum vita et actiones in omnium oculis fiunt. Contrarium est illud *Hor. Sat.* 2, 1, 71. Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant, etc. *h. e.* a turba et publico se subduxerant. [*V. *Heindf.*] ℙ Scenam aedilibus praetoribusque praebendam censores locavisse, narrat *Liv.* 41, 27., *h. e.* censores scenam faciendam locavisse, quae inserviret aedilibus et praetoribus scenicos ludos facientibus. Scena in theatris non semper eadem, sed alia aliis temporibus, et alio ornatu ac materia fuit. Marmoream in ima parte, mediam vitream, summam e tabulis inauratis fecit M. Scaurus: admirabili pictura ornatam Claudius Pulcher: argenteam C. Antonius: ex ebore Q. Catulus, etc., ut est ap. *Plin.* 33, 3, 16., 35, 4, 7. et 36, 15, 24. *n.* 7. et *Val. Max.* 2, 4. *n.* 6., quia, crescentibus opibus, religionem quoque ludorum sepecunia publica scenam faciendam curarunt, quae digna esset populo R., ut levarent onus sumptuum aedilibus et praetoribus nondum per ea tempora tam locupletibus, ut publicae magnificentiae sufficerent. ℙ *Produci in scenam* dicebantur histriones, mimive, cum ab eo, qui ludos edebat, pretio, auctoritate, aut gratia adducebantur, ut in scenam ad agendum prodirent: *reduci*, cum postquam sui spectaculum aliquandiu praebuerant, aliquanto intervallo reverti jubebantur. *Plin.* 7, 48, 49. *med.* Galeria Copiola reducta est in scenam C. Poppaeo, Q. Sulpicio Coss. annum centesimum quartum agens, quae producta fuerat tirocinio a M. Pomponio aedili pleb. ante annos nonaginta unum. ℙ Scena translate est apparatus, species, ostentatio cujuspiam rei, quae in oculis omnium geritur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. *med.* Scena rei totius haec: Pompejus tanquam Caesarem non impugnet, etc. *Petr. Sat.* 117. Et ne quid scenae deesset, quotiescumque aliquem nostrum vocare tentasset, alium pro alio vocaret, ut, etc. *Tac. A.* 14, 7. *f.* Scenam criminis parare. *Appul. Met.* 8. Omnemque scenam sceleris illuminat: et *ib.* Scena feralium nuptiarum. ℙ Hinc *Suet. Cal.* 15. Nec minore scena Ostiam, praefixo in biremis puppe vexillo, et inde Romam Tiberi subvectos (*matris fratrisque cineres*), per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit, *h. e.* nec minore apparatu ac pompa. ℙ *Afferre aliquid in scenam*, proverb. ap. *Cic. Or.* 3, 46. quasi in theatrum et notitiam omnium ferre. ℙ [*Solet v. *scena* cum *pompa* ita jungi a rhetoribus latinis, ut apparatum et splendorem quendam orationis significet, qui simplicitati et tenuitati dicendi quotidianae contrarius sit. Luculentus est locus *Cic. Or.* 3, 45. Non sunt alia, inquit, sermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur. *Ernest. Lex. technol. Lat. rhet.* p. 344. ℙ Latiori sensu ap. seriores *scena* dicitur de quocunque loco, qui rei alicui publice tractandae constitutus est. *Tac. Dial.* 35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur. *Quint. Decl.* 9, 10. p. 198. Hoc concitavit istam judicii scenam: ubi v. *Burm.*, qui laud. suam ipsius notam ad *Petr.* 33. Convertit ad hanc scenam Trimalchio vultum.] ℙ Multi scribunt *scaena*, auctoresque habent Pandectas Florentinas, plurimos lapides (inter quos Cenotaphium Pisanum C. Caesaris Augusti aevo inscriptum), et doctissimos viros *Varr.*, *Prisc.* 1, 561. et alios ap. *Dausq.* Sine diphthongo malunt *Jul. Scal.*, *Manut.*, *Cellar.* et alii: et ex antiquis *Actius* ap. *Varr. L. l.* 6, 5. His adstipulatur ratio, quia Graeca est vox σκηνή, ut dictum est: item veteres libri a *Manutio* visi, et unus et alter litteratus lapis ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 30. et 89. Prior scribendi ratio consuetudine nititur illorum temporum, altera ratione: idemque dic de voce *sceptrum*, quod ratione sine diphthongo σκῆπτρον, consuetudine tunc obtinente *scaeptrum* scriptum fuit. *Varro l. l.* neutram reprehendit, utramlibet ergo sequi possumus. At Romani, qui ex Aeolibus multa habent, *scaenam* etiam et *scaeptrum*, et *saeptum* ab Aeolico σκαανή, σκαῖπτρον, σαῖχος, usurparunt frequentissime. ℙ *Scenai* pro *scenae* est *Lucr.* 4, 77. V. v. sq. ℙ Denique *scenam* per syncopen pro *sacenam*, genus cultri fuisse, manifestum est, inquit *Festus*, sed utrum securis, an dolabra sit, ambigitur: quam Cincius in libro, qui est de Verbis priscis, dolabram ait esse pontificiam, Livius in Lydio: Corruit quasi ictus scena, haud multo secus. Haec *Festus.* V. adnotata ad SACĒNA. ℙ [*Conf. *scena* et *coena.* V. *Brem.* ad *Nep. Praef.* 4.]

SCĒNĀLIS, e, adj. idem ac scenicus. *Lucr.* 4, 77. et omnem Scenalem speciem patrum, matrumque Deorumque Inficiunt, *h. e.* colorant omnem ornatum, et cultum scenae. Plerique omnes leg. *scenai.* [*Eichstadt.* habet *scenalem. Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 48. *Burm.* Scenales frondes detexunt hinc geminam umbram. *F.*]

[SCĒNĀRĬUM et Scaenarium, ii, n. in quo scena constituitur. *Inscr.* opt. notae ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 527. L. Atejus M. F. Capito duomvir Quinq. curiam, tabularium, scaenarium, subsellarium loco privato de sua pecunia faciunda coeravit. *F.*]

SCĒNĀRĬUS, a, um, adj. scenicus. *Ammian.* 28, 4. *f.* Scenarii artifices. *Inscr.* ap. *Mur.* 948, 4. P. Cornelius P. L. Philomusus pictor scenarius.

SCĒNĀTĬCUS, a, um, adj. scenicus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 822. Ut comici, cinaedici, scenatici.

SCĒNĀTĬLIS, e, adj. scenicus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 822. Si te pigeat hic modo scenatilis.

SCĒNĬCE, adv. σκηνικῶς, more scenae. *Quint.* 6, 1, 38. Facere aliquid scenice.

SCĒNĬCUS et Scaenicus, a, um, adj. σκηνικός, ad scenam pertinens, comicus, histrionalis, theatralis. *Cic. Arch.* 5. Artifices scenici. *Id. Or.* 3, 8. Res forenses scenica prope venustate tractare. *Ov. Trist.* 2, 514. Scenica adulteria, *h. e.* quae per fabulas in scenis enarrantur. *Quint.* 6, 1, 26. Scenici actores. *Id.* 11, 3, 57. Scenica modulatio. *Id.* 6, 3, 29. Dicacitas scurrilis et scenica. *Suet. Ner.* 53. Scenicae coronae, *h. e.* quae dantur vincentibus in scena. *Id. Aug.* 43. Scenicae et gladiatoriae operae. *Id. Ner.* 44. Scenica organa, *h. e.* instrumenta musica, quibus in scena utebantur, ut tibiae, scabella, etc. *Inscr.* ap. *Schiass. Guida al Mus. Bol.* p. 127. Hermippo Aug. Lib. procuratori scaenico, etc. ℙ *Scenici ludi* sunt, qui in theatro fiunt, ad differentiam aliorum, qui alibi, ut in Circo, etc. Hujusmodi erant fabulae, mimi, exodia, saltationes ad tibicinis modos, et alia, quae in scena exhibebantur. Horum originem, et causas, et progressus tradit *Liv.* 7, 2. Aliquando extra theatrum eos Augustus fecit, vicatim a pluribus scenis, ut ap. *Suet. Aug.* 43. legitur. *Liv.* 31, 4. Ludi Romani scenici eo anno magnifice apparateque facti. *Id.* 34, 54. Megalesia ludos scenicos C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo aediles curules primi fecerunt, *h. e.* Megalesia, quae jam ante celebrabantur, primi per ludos scenicos celebrarunt. ℙ *Scenicus*, imaginarius, fictus: nam scenici actores ejusmodi personam sumunt et repraesentant, quam cito, peracta fabula, sunt deposituri. *Flor.* 2, 14. Populus R. invictus a veris regibus; ab illo imaginario e scenico rege superatur: de Andrisco loquitur, qui se Philippum mentitus Macedoniae regnum invaserat. ℙ *Scenicus* absolute est histrio, actor. *Cic. Off.* 1, 31. *med.* Ne scenici plus, quam nos, videantur habere prudentiae. *Suet. Ner.* 42. *extr.* Cuidam scenico placenti nuncium misit, abuti eum occupationibus suis. *Id. Tib.* 34. Ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis. Adde *Just.* 28, 10. et *Tac. A.* 15, 59., ubi Nero per contumeliam *scenicus* dicitur. ℙ Item *scenica* absolute pro scenica muliere. *Imp. Constant. Cod.* 5, 27, 1. Si ex ancilla, vel ancillae filia; vel liberta, vel libertae filia; vel scenica, vel scenicae filia susceptos filios in numero legitimorum habere voluerint. ℙ De scriptione V. in SCENA.

[SCĒNĪTAE et Scaenitae, arum, m. plur. Σκηνῖται, et Σκηνῆται, Arabum cognomen deductum a tentoriis seu tabernaculis, Graece σκηναῖς appellatis, sub quibus habitare solebant. Hinc *Plin.* 5, 24, 21. Arabes Scenitae; et 6, 8, 32. Nomades Scenitae: et *mox:* Sabaei Scenitae. *Inscr.* ap. *Mur.* 465, 6. Hoc praesidium construxit (lege *constituit*) in securitatem publicam, et Scaenitarum Arabum terrorem. *F.*]

*SCENOFACTORĬUS, a, um, adj. σκηνοποιητικός, ut *ars scenofactoria*, qua fiunt umbracula et tabernacula, quacunque re stant, ut aulaeis vel pellibus. Legitur in *Vulg. Interp. Act. Apost.* 18, 3. de Paulo. *B. A.*

SCĒNOGRAPHĬA. V. SCIAGRAPHIA.

*SCENOPEGĬA, orum, n. plur. σκηνοπηγία, Festa tabernaculorum, in quibus Judaei faciebant tabernacula ad similitudinem illorum, in quibus habitaverant, quum ex Aegypto peregrinarentur in eremo. A σκῆνος, *tabernaculum*, et πήγνυμι, *struo. Vulg. Interpr. Joh.* 7, 2. *B. A.*

SCENSAS antiqui dicebant, quas nunc cenas: quae autem nunc prandia, pro cenis habebant, et pro cenis vespernas appellabant. *Festus.* Ubi *Scal.* mallet legi *cesnas:* unde *silicesnium*, postea *silicernium:* Alii *scesnas.*

[SCEPSIS, idis, f. σκῆψις, simulatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Cardinali Iscriz. ined. n.* 23. Elviae Scepsidi Aeratus paedagogus. *F.*]

[SCEPSĬUS, a, um, adj. Σκήψιος, ad Scepsim pertinens, Troadis urbem, versus sinum Adramyttenum, cujus meminit *Plin.* 5, 30, 32., et Palaescepsim nominat. Hinc *Cic. Tusc.* 1, 24. Non quaero quanta memoria fuerit Scepsius Metrodorus. *Plin.* 34, 7, 16. Metrodorus Scepsius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum est (Μισορωμαίῳ), propter duo millia statuarum Volsinios expugnatos objecit. ℙ Hinc idem absolute *Scepsius* appellatur ab *Ov. Pont.* 4, 14, 37. Non loca, sed mores dictis vexavit amaris Scepsius Ausonios, acta que Roma rea est. *F.*]

SCEPTĬCI. V. PYRRHO.

SCEPTOS et Sceptus, i, m. σκηπτός, procella: a σκήπτω, magno impetu decido. *Appul. de Mundo:* Sceptos generale omnibus (*procellis*), quae de nubibus cadunt, nomen est. ℙ [Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 87, 5. C. Valerius D. L. Sceptus. *F.*]

SCEPTRĬFER, et

SCEPTRĪGER, ra, rum, adj. σκηπτροφόρος, qui sceptrum gerit. *Ov. Fast.* 6, 480. Sceptriferae manus. *Stat. Th.* 11, 636. Ensem sceptriferi spolium lacrymabile Laji. *Sil.* 16, 245. Sceptrigero cum

rege pari sub honore residunt. *Sen. Med.* 59. sceptriferi Tonantes, *h. e.* Juppiter, et Juno.

SCEPTRUM, i, n. *σκῆπτρον*, virga, baculus, hasta, scipio: a *σκήπτομαι*, innitor, incumbo: et speciatim scipio, quo utuntur reges. *Virg. A.* 12, 208. Sceptrum hoc in silvis imo de stirpe recisum Matre caret, posuitque comas et brachia ferro. *Just.* 43, 3. Per ea adhuc tempora (*sub Romulo*) reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere. *Cic. Sext.* 57. Rex sedens cum purpura et sceptro, et illis insignibus regiis. *Suet. Aug.* 94. *med.* Cum fulmine et sceptro, exsuviisque Jovis. *Ov. Met.* 7, 103. rex sceptro insignis eburno; et *ib.* 506. Aeacus, in capulo sceptri nitente sinistra, Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenae. ℙ *Sceptrum Augusti*, ap. *Suet. Galb.* 1., non est sceptrum regale, quia illis temporibus a regiis insignibus maxime abhorrebant, regiam licet potestatem affectarent: sed hasta imperatoria, vel scipio eburneus cum aquila, qualem triumphantes gestabant, etiam stante republ., et consules sub imperatoribus (V. SCIPIO.) et in triumphalibus statuis affingebatur: [**Der Commandostab.*] *Juven.* 10, 43. Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 205. Ut sceptrum gessere manu. ℙ Sceptra, et personas histrionum (h. e. quibus utebantur agentes regem) unionibus ornabat Nero, teste *Plin.* 37, 2, 6. ℙ Metonymice est regnum. *Virg. A.* 1, 257. sic nos in sceptra reponis? et *ib.* 10, 852. pulsus solio sceptrisque paternis. *Id. ib.* 9, 9. Sceptra Palatini sedemque petit Euandri. *Ov. Fast.* 4, 197. optime regum A nato sceptris excutiere tuis. ℙ In illo *ejusd. Am.* 2, 18, 13. Sceptra tamen sumpsi: curaque tragoedia nostra Crevit: *sceptra sumere* est regum gesta, quae tragici carminis materia sunt, versibus persequi. Hinc ap. *eund. ib.* 3, 1, 13. fingitur Tragoedia laeva manu sceptrum regale tenens; et *ib.* 63. Altera me sceptro decoras, altoque cothurno. ℙ *Sceptra praedagogorum* ap. *Mart.* 10, 62. sunt ferulae tristes, quibus pueri verberantur. V. FERULA. ℙ Item membrum virile ap. *Auct. Priap.* 25. Sceptrum, quod pathicae petunt puellae. ℙ *Sceptrum* est etiam nomen aspalathi arboris. *Plin.* 12, 24, 52. ℙ De scribendi ratione V. SCENA.

SCEPTUCHUS, i, m. *σκηπτοῦχος*, sceptrum tenens, rex, *σκῆπτρον ἔχων*. *Tac. A.* 6, 33. Pharasmanes adjungere Albanos, accipere Sarmatas: quorum sceptuchi, utrisque donis acceptis, more gentico diversa induere.

SCHASTĒRĬA. V. CASTERIA.

SCHĒDA, ae, f. *σχίδη*, philyra, plagula, membrana tenuis ex papyri libro, ex qua charta fit: a *σχίζω*, findo. *Plin.* 13, 12, 23. Primo supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri, quae potuit esse, resegminibus utrinque amputatis: transversa postea crates peragit. ℙ Accipitur et pro pagella, tabella, chartae folio singulari, et cum aliis non compacto: cujusmodi est, in quo scribimus, si quid ex tempore in mentem venit. *Cic. Att.* 1, 20. *f.* Paetus mihi libros eos donavit, etc. Enitere, ut scheda nequa depereat. *Quint.* 1, 8, 19. Nam qui omnes, etiam indignas lectione, schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. *Mart.* 4, 91. Ohe jam satis est, ohe libelle! Jam pervenimus usque ad umbilicos. Tu procedere adhuc, et ire quaeris, nec summa potes in scheda teneri. ℙ In verbis *Cicer.* alii leg. *scida* eod. sensu: et a *scindo* deducunt: vel etiam a *σχίζω*, sed adspiratione extrita. *Charis.* 1, 81. [*Ita legit *Orell.* varietatis lectione nulla indicata.]

SCHĒDĬOS, a, um, adj. *σχέδιος*, extemporalis, subito factus, inelaboratus, subitarius: vox Graeca a *σχεδὸν*, prope, quia quae subito fiunt, prope et statim exsistunt. Hinc *schedia* (subintellige *navis*, *σχέδιος ναῦς*) genus navigii inconditum, trabibus tantum inter se connexis factum, quo mercimonia circumferunt post amissam navem. Ita *Festus. Ulp. Dig.* 14, 1, 1. *med.* Navem accipere debemus sive marinam, sive in aliquo stagno naviget, sive schedia sit. ℙ *Schedia*, poemata et versus inelaborati, et non satis perfecti: *schedium*, opus inconditum et impolitum. *Festus. Gloss. Philox. Σχέδιον*, ex tempore dictum. *Auson. Idyll. praef.* 7. Bissula in hoc schedio cantabitur, aut Erasinus. *Petr. Sat.* 4. *extr.* Ne me putes improbasse schedium Lucilianae improbitatis, *h. e.* satyram Lucilii, qua audacter secuit Urbem, in hora saepe ducentos versus fundens. *Appul. Flor. n.* 23. Etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio incondito experimini, an idem sim repentinus qui et praeparatus. *Sidon. ep.* 8, 3. Apollonii Pythagorici vitam, ut Tascius Victorianus, e Nicomachi schedio exscripsit, misi.

SCHĒDŪLA, ae, f. *σχέδιον*, parva scheda. *Cic. Fam.* 15, 16. Haec te tertia jam epistola ante oppressit, quam tu schedulam, aut litteram. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 5. Falsitatem schedularum in sancto viro non suscipio.

SCHĒMA, ătis, n. et Schema, ae, f. *σχῆμα*, vestis, habitus: a *σχέω* pro *ἔχω*, habeo. *Pl. Amph. prol.* 116. Nunc, ne hunc ornatum vos meum admiremini, Quod ego huc processi sic cum servili schema. *Id. Pers.* 4, 2, 2. Theatrum lepida condecorat schema. (Ita leg. *Prisc.* 6, 679. alii rectius: Tiara ut lepidam lepide condecorat schemam! Subdit vero, veteres saepe haec nomina neutra Graecae terminationis feminine extulisse, et *dogmam, diademam, syrmam, glaucomam* dixisse. Hoc idem praecipue locum habet in nominibus propriis femininis, e Graecis nominibus in neutrius generis derivatis. V. EUREMA, LALEMA, MELEMA, NEUMA, PHILEMA, et TOREUMA.) *Naev.* ap. *Non.* 3, 206. Pergite thyrsigerae Bacchae modo Bacchico cum schemate. Observandum porro est, primam syllabam in *schema* apud *Plautum l. c.* corripi, cum eadem apud alios semper producatur; quod tamen noli mirari, etenim etiam Graece ap. *Hesych. σχῆμα*, et *σχέμα* habetur. ℙ Item species, figura. *Suet. Tib.* 43. Ne cui in opera edenda exemplar imperatae schemae deesset. [*Male al. *scenae:* v. *Turneb. Adv.* 14, 17., *Oudend.* ad h. l. — *Schema* h. l. est figura, v. modus libidinis. *Tibull.* 1, 9, 64. aut operum varias disposuisse vices. *B. Crusius in cl. Suet.* p. 697.] *Caecil.* ap. *Prisc. l. c.* Filius in me incedit satis hilari schema. *Vitr. praef.* 6. *in.* Aristippus philosophus, naufragio cum ejectus ad Rhodiensium litus, animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamavisse dicitur: bene speremus, hominum enim vestigia video. ℙ Item figura dicendi apud rhetores: quia est veluti habitus, et ornatus, et conformatio orationis. *Cic. Brut.* 37. *extr. Σχήματα* quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem: eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis. *Quint.* 9, 1. Intuendum est, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: uno, qualiscumque forma sententiae, sicut in corporibus, in quibus, quoquo modo sint composita, utique habitus est aliquis: altero, quod proprie schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio. *Mart.* 3, 68. Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam, *h. e.* non tecte et per figuram, sed verbis propriis apertisque. *Petr. Sat.* 126. Frigidum schema: et *fragm. Trag.* 44. *Burm.* Schemas loqui. ℙ Praeterea *schemata* appellantur, quae praesertim a poetis, contra legem loquendi dicuntur in carmine. *Quint.* 1, 5. *med.* Quaedam et faciem soloecismi habent, et dici vitiosa non possunt; ut tragoedia Thyestes, et ludi Floralia: quamquam haec sequenti tempore interciderunt, nunquam aliter a veteribus dicta. Schemata igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poetas, sed oratoribus quoque permissa, etc. Haec *Quint.* Adde *Charis.* 4. *in.* et *Diomed.* 2, 446. et 449. V. METAPLASMUS. ℙ Est etiam peculiaris appellatio figurae cujusdam oratoriae, quae et *emphasis*, et *figura* dici potest. *Quint.* 9, 2. *med.* Jam ad id genus, quod et frequentissimum est, et exspectari maxime credo, veniendum est: in quo per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus: non utique contrarium, ut in *εἰρωνείᾳ*, sed aliud latens, et auditori quasi inveniendum: quod jam fere solum schema a nostris vocatur, et unde controversiae figuratae dicuntur. Ejus triplex usus est: unus, si dicere palam parum tutum est: alter, si non decet: tertius, qui venustatis modo gratia adhibetur, et ipsa novitate ac varietate magis, quam si relatio sit recta, delectat. V. FIGURA. ℙ *Controversiae*, quae hac figura scribuntur, *figuratae*, et *schemata* appellantur. *Sen. Contr. prooem.* 1. *f.* Schemata negabat decoris causa inventa, sed subsidii, ut quod palam aures offensurum esset, si palam diceretur, id oblique et furtim subreperet. V. FIGURATUS. ℙ In dat. et ablat. plur. et *schematibus* habet, et *schematis* magis Latine. *Lampr. Elag.* 19. Vasa schematibus libidinosissimis inquinata. *Plin.* ap. *Charis.* 1, 38. de Varr.: Quam maxime vicina Graeco Graece dixit, ut nec schematis quidem dicat, sed schemasin. Sic *emblematis* dixere, et *poematis*. V. EMBLEMA et POEMA. ℙ Sunt qui scrib. *scema*, praesertim ap. *Petr.* et *Appul.* non uno in loco, et in *Not. Tir.* p. 172., ubi etiam *scematicus* habetur, ut *scida*, aut *sceda* pro *scheda*, etc.

[SCHĒMĂTĬCĒ, adv. *σχηματικῶς*, figurate. *Non.* 4, 274. Plautus schematice: Nam pater tuus nunquam cum illa etiam limavit caput. *Schematice* pro *Scematico*, quasi sic inscripta fuisset aliqua ejus fabula, legit *Lips. Epist. Quaest.* 1, 18., qui putat, *schematice* a *Nonio* additum, ut nos moneret, figurate a *Plauto* dictum *limare caput* pro *συννοιάζειν*. Ita vero edidit *Bothe*, sicut etiam alibi legitur *scenice, dulice, comoedice. F.*]

[SCHĒMĂTĬCUS, a, um, adj. ad schema pertinens. V. SCHEMA. *F.*]

SCHĒMĂTĬSMUS, i, m. *σχηματισμός*, ratio loquendi per schemata, et figuras: Graeca vox. *Quint.* 1, 8. *f.* V. METAPLASMUS et SCHEMA.

[SCHĒRĪNI, orum, m. plur. incolae Scherae, urbis Siciliae inter Hypsam et Crimissum fluvios, quae a *Ptolemaeo* 3, 4. *Σχῆρα* dicitur. *Plin.* 3, 8, 12. Scherini, Salinuntii, Symethii. Iidem *Scherini* videntur memorati ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 43., ubi perperam in editionib. legitur *Acherini*. [**Orell.* hab. *Acherinos. Ern.* susp. *Achetinos.* Minime vero definiri res ita posse videtur, ut Vulg. pro corruptela habeatur; quum MSS. melioribus nihil variantibus lectio non ideo tentanda sit, quod hoc nomen in nullo alio auctore occurrat. V. *Ernest. ind. geogr. et hist. s. v.*]

SCHĪDĬAE, arum, f. plur. *σχίδια*, fragmenta ligni, aut marmoris, quae fabri caedendo, aut sculpendo dejiciunt: a *σχίζω*, findo. *Vitr.* 2, 1. *med.* Intervallaque, quae relinquuntur propter crassitudinem materiae, schidiis et luto obstruunt. *Id.* 7, 10. Sarmenta aut taedae schidiae comburantur.

SCHISMA, ătis, n. *σχίσμα*, scissura: et translate dissensio, discordia: a *σχίζω*, scindo, findo, divido. *Tert. Praesc.* 5. Apostolus dissensiones et schismata increpat. Adde *Prud. περὶ στεφ.* 11, 19. et 30.

SCHISMĂTĬCUS, a, um, adj. *σχισματικός*, dissentiens, et dissentientibus adhaerens. *August. de quaest. XVII. in Matth. quaest.* 11. Schismaticos non fides diversa facit, sed communionis disrupta societas.

SCHISTOS, a, um, adj. *σχιστός*, fissilis, et scissilis: a *σχίζω*, findo, divido. Schistos lapis, *σχιστὸς λίθος*, genus lapidis haematitae similis, sic dictus est, quia si frangatur, in minutissimas schidias abit. Ejus meminit *Plin.* 29, 6, 38., 33, 4, 25. et 36, 20, 37. ℙ *Schistum lac*, *σχιστὸν γάλα*, lac a sero divisum. Fit autem hoc modo. Fictili novo fervet caprinum maxime, ramisque ficulneis recentibus miscetur, additis totidem cyathis mulsi, quod sint heminae lactis. Cum fervet, ne circumfundatur, praestat cyathus argenteus cum frigida aqua demissus, ita ne quid infundat: ablatum deinde igni refrigeratione dividitur, et discedit serum a lacte. Haec *Id.* 28, 9, 33. ℙ *Schistum alumen*, *σχιστὴ στυπτηρία*, genus aluminis fissilis, et in capillamenta quaedam canescentia dehiscentis. *Id.* 31, 7, 39. et 35, 15, 52. ℙ *Schista caepa*, *σχιστὸν κρόμμυον*, inter caeparum genera emumeratur ab eod. 19, 6, 32. Eam, inquit, hieme cum coma sua relinquunt, vere folia detrahunt, et alia subnascuntur iisdem divisuris: unde et nomen. ℙ *Schista ova.* V. SITISTUS.

[SCHOENANTHUS, i, m. flos junci odorati: a *σχοῖνος*, juncus, et *ἄνθος*, flos. Ejus mentio in medicina habetur ap. *Plin.* 21, 18, 72., ubi *juncus odoratus* vocatur. *Pall.* 11, 14. *med.* Schoenanthi unciae quatuor. *Pelag. Vet.* 6. *f.* Ad tussem, schoenanthi P. XIIII, opobalsami P. XIII., etc. Adde *ib.* 28. *in. Veg. Vet.* 1, 59. Schoenanthi semuncia, Adde *ib.* 3, 40. Ap. *Pall. l. c.* corrupte *squinuanthos*, unde Italorum *squinanto*, ap. *Pelag.* priori loco *schoenuanthos*, in altero *scyrmanthos*, ap. *Veg.* autem *scinoanthos. F.*]

SCHOENĒIS, ĭdis, f. *Σχοινηΐς*, patron. Atalanta Schoenei filia. *Ov. Her.* 16, 263. Ut tulit Hippomenes Schoeneida, praemia cursus. Adde *Am.* 1, 7, 13.

SCHOENĒĬUS, a, um, adj. a Schoeneo Arcadiae rege, patre Atalantae, ut Schoeneia virgo. *Ov. Trist.* 2, 399. et Schoeneia absolute, *Met.* 10, 609.

SCHOENĪCŪLAS, inquit *Festus*, appellare videtur meretrices Plautus propter usum unguenti schoeni, quod est pessimi generis. Itaque dixit: Diobolares, schoeniculae, miraculae, cum extritis (al. *extortis*) talis, cum todillis crusculis (al. *crocotilis crusculis.*) Idem (*Poen.* 1, 2, 54.) Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, miseras, schoeno delibutas, servilicolas (al. *servulicolas*) sordidas. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Diobolares, schoeniculae, miraculae. Diobolares, a binis obolis: schoeniculae, ab schoeno, nugario unguento.

SCHOENIS, ĭdis, f. eadem quae Schoeneis. *Sidon. carm.* 14, 14. insequentem Pallens Hippomenes ad ima metae Tardat Schoenida ter cadente pomo.

SCHOENOBATES, ae, m. *σχοινοβάτης*, funambulus, qui per funes ludendo graditur: a *σχοῖνος*, funis, et *βαίνω*, eo, incedo. *Juven.* 3, 77. Augur, schoenobates, medicus, magus, omnia novit.

SCHOENOBĂTĬCUS, a, um, adj. *σχοινοβατικός*, ad schoenobaten pertinens, ut Ars schoenobatica, exercitium funambulorum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *f.* Ego qui scirem, Q. Pompejum Baulis schoenobaticam facere, et usque eo, ut ego misererer ejus esuriei. Plerique tamen rectius leg. *empeneticam*, q. v. v. s. l. [**Orell.* habet *embaeneticam.* At longe optima videtur inter adhuc propositas *Schützii* conjectura *emeticam:* quae probatur etiam *Passovio* in *Lex. Gr.* s. v. *ἐμετικός.*]

SCHOENUM, i, n. et Schoenus, i, m. *σχοῖνος*, juncus, frutex, cujus varia genera sunt, ap. *Plin.* 21. *c.* 18., inter quae odorati usus est vinis condiendis, et cuidam viliori unguento faciendo. [**Andropogon Schoenanthos, L.*] *Cato R. R.* 105. Schoenum et calamum in dolium infundito, ut odoratum siet. *Colum.* 12, 20. Odores vino fere apti sunt, qui cum defruto coquuntur, iris, foenum Graecum, schoenum. Adde *ib.* 51. ℙ De unguento V. in SCHOENICULAS. ℙ Item *schoenus* est funis, vel nassa e junco. *Pl. Rud.* 3, 1, 5. Hice schoeni, atque hae arundines sunt nobis quaestu et cultu. Alii leg. *hami.* ℙ Item mensura viarum apud Persas, et Aegyptios, quatuor aut quinque milliaria continens. *Plin.* 6, 26, 30. Persae schoenos et parasangas, alii alia mensura, determinant. *Id.* 12, 14, 30. Schoenus patet, Eratosthenis ratione, stadia quadraginta, hoc est passuum quinque millibus: aliqui triginta duo stadia singulis schoenis dedere. Adde

5, 10, 11. Hinc *trischoenus*, τρίσχοινος, tres schoenos continens. *Plin.* 5, 24, 20. Euphrates Arabiam, et Commagenem disterminat trischoena mensura.

SCHOLA, ae, f. [*a σχολή, otium, quies, qua quis post transactum negotium, laborem fruitur. Hinc factum esse videtur, ut in balneis locus, puta spatiosi margines, aut porticus circa labrum, ut conjicit *Mercur. art. gymnast.* 1, 10. *med.* ubi otiosi consistebant exspectantes, dum alii lavarent, qui priores locum occupaverant, *scholae* nomen haberet.] *Vitr.* 5, 10. *f.* Magnitudines balnearum sint ita compositae: quanto longitudo fuerit, tertia dempta, latitudo sit, praeter scholam labri et alvei. Scholas autem labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut cum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui stare possint. ℙ [*Imprimis autem illud significat otium, quod quis a publicis negotiis vel alio quodam corporis munere vacuus litteris tribuit: unde *schola* primo loco dicitur de litterarum qualicunque tractatione ipsamque denotat disputationem et doctrinam, quae aliquo loco fit, et explicatur.] *Cic. Fin.* 2, 1. Ne me tanquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum. *Id. Tusc.* 1, 4. Scholas Graecorum more habere; et *ib. med.* Itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. ℙ [*Hinc est] διδασκαλεῖον, γυμνάσιον, σχολή, locus, in quo liberalibus studiis sub magistro operam damus, ludus litterarius, gymnasium. *Festus:* Scholae dictae sunt non ab otio ac vocatione omni, sed quod, ceteris rebus omissis, vocare liberalibus studiis pueri debent. *Auson. Idyll.* 4, 6. Grajo schola nomine dicta est, Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis. *Cic. Off.* 2, 25. Sed de toto hoc genere commodius a quibusdam ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. *Id. Or.* 2, 7. Hominem audietis de schola atque a magistro, et Graecis litteris eruditum. *Id. Pis.* 25. Homo politus e schola. *Mart.* 3, 20. An otiosus in schola poetarum Lepore tinctos Attico sales narrat? *Suet. Gr.* 16. Scholam aperire: magistri munus suscipere; et *ib.* 6. et 18. dimittere, *h. e.* munus docendi deponere. *Plin.* 26, 2, 6. Sedere in scholis auditioni operatos, gratius erat. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 17. Scholam adire. ℙ Quam memorat *Plin.* 35, 10, 37. et 36, 5, 4. *n.* 5. scholam in Octaviae porticibus, fuit statio quaedam instar ludi litterarii, ubi conveniebant philosophi, et eruditi homines disputandi et colloquendi causa. ℙ Item ipsi discipuli, et sectae addiscentium. *Id. Or.* 1, 13. Clamabunt omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholae, sua haec esse omnia propria. *Plin.* 29, 1, 5. Dissederunt hae diu scholae: et omnes eas damnavit Herophilus. *Id.* 14, 7, 9. Exolevit et protagion, quod Italicis proximum fecerant Asclepiadis scholae. ℙ Dictae sunt etiam *scholae* corpora sive ordines varii generis hominum, uni eidemque officio addictorum, ut Scholae agentium in rebus, domesticorum, militum in Palatio apparentium, quaestorum, etc. *Impp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod.* 12, 20, 20. Nullus de schola agentium in rebus de cetero locum mortui conetur invadere. *Impp. Theodos. et Valent. ib.* 17, 2. Primicerius domesticorum, et protectorum utriusque scholae. *Ammian.* 14, 7. Scholae Palatinae et protectorum. *Coripp. Laud. Just.* 3, 158. Acciti proceres omnes, schola cuncta Palatl Jussa suis adstare locis. *Justin. Cod.* 4, 65, 35. Milites appellamus tam eos, qui sub excelsis magistris militum tolerare noscuntur militiam, quam qui undecim devotissimis scholis taxati sunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 169, 7. Schola speculatorum legionum I. et II. adjutricum, piarum, fidelium, etc. V. SCHOLARIS et SCUTARIUS. ℙ Eodem nomine appellata sunt aedificia, ubi ejusmodi corpora conveniebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 3. C. Avilius Licinius Trosius curator scholam de suo fecit. Bebryx Aug. L. Drusianus, A. Fabius Xanthus Cur. scribis, librariis, et praeconibus Aed. Cur. scholam ab inchoato refecerunt, marmoribus ornaverunt, Victoriam Augustam, et sedes aeneas, et cetera ornamenta de sua pecunia fecerunt. Adde 169, 5. et *Reines. cl.* 1. *n.* 273. Huc pertinent Schola quaestorum (de qua videtur esse Inscriptio modo allata), et Schola Galli, et Capulatorum, quae fuerunt in tertia regione Urbis, ut est ap. *Sex. Ruf.* et *P. Victor.* Schola Galli nomen habuisse videtur ab eo, qui exstruxit: Capulatorum, ab distributoribus olei, quod publice Romam quotannis advehebatur. V. OLLA et *Vales.* ad *Ammian. l. c.* in §. 6. ℙ [Translate *scholae bestiarum* dicuntur amphitheatrales ludi, seu ipsum amphitheatrum, in quo ipsa certamina edebantur. *Tert. Apol.* 35. Testis est Tiberis, et scholae bestiarum, *h. e.* Tiberis, in quem rei conspirationis in principem merguntur, et certamina ferarum, quibus iidem laniandi objiciuntur. ℙ *Schola* est etiam cogn. Rom. V. *Inscr.* in INTERAMNIS. *F.*]

SCHOLARIS, e, adj. ad scholam pertinens. *Capell.* 3. *f.* Scholaria inchoamenta. *Hieron. ep.* 36. *n.* 14. Scholaris declamatio. *Prud. περὶ στεφ.* 9, 16. Scholare murmur. ℙ *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 18, 1. et *Cod. Just.* 12, 38, 14. et rursus *Cod. Theod.* 7, 4, 34. appelant *scholares* milites cohortium ad custodiam sacri Palatii deputatarum. *Sulpic. Sever. Vita S. Mart.* 2. Inter scholares alas sub Constantino militavit. V. v. praec.

SCHOLASTICUS, a, um, adj. σχολαστικός, ad scholam pertinens: et praecipue ad oratorias declamationes, et eloquentiae studium. *Quint.* 7, 1, 14. Nam quaedam in scholasticis ponuntur ad conjungendam modo actae rei seriem. *Id.* 11, 1, 82. Scholastica materia, *h. e.* de qua disputatur in scholis. *Gell.* 15, 1. Scholasticae declamationes. *Auct. dial. de Or.* 14. *f.* controversiae. *Plin. ep.* 2, 20. *med.* Sufficiunt duae fabulae, an scholastica lege tertiam poscis? *h. e.* lege et more otiosorum hominum aliam insuper poscis. *Id. ep.* 9, 2. Nisi forte volumus scholasticas tibi, atque, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere. ℙ [*Hinc *scholastica, ae*, substantive dicitur pro declamatione in scholis rhetorum habita. *Sen. patr.* p. 63. Hoc vero alterum nomen Graecum quidem est, sed in Latinum ita translatum, ut pro Latino sit, *Scholastica. Controversia* multo recentius, sicut declamatio. Laudat haec *Spald.* ad *Quint. Inst.* 4, 2, 30. Sed in scholasticis quoque nonnunquam evenit, ut pro narratione sit propositio.] ℙ *Scholastici*, qui declamatoribus, et eloquentiae in scholis, seu exhedris in porticu gymnasii alicujus dant operam. *Petr. Sat.* 6. Ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus; et *ib.* 10. Quia tanquam scholastici ad coenam promisimus, scil. quia solebant declamatores, quo plures auditores haberent, coenas aliquando exhibere. *Quint.* 12, 11, 16. Cognoscere enim, et praecepta vivendi perdiscere, et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus. Adde *Auct. dial. de Or.* 15. *extr.* et *ib.* 42. et *Plin. ep.* 1, 24. ℙ Sic etiam appellantur rhetores quamdiu in scholis, et in privata umbra causas agunt declamando. *Suet. Rhet.* 6. de C. Albut. Silo. Declamabat autem genere vario: modo splendide atque adornate: tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise, ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis, *h. e.* ne videretur meditata afferre, et ex scripto, ut saepe faciunt scholastici eloquentia studiosi: cupiebat credi, se dicere scire etiam ex tempore. (Adde *Sen. Controv. praef.* 3.) *Plin. ep.* 2, 3. Annum sexagesimum excessit, et adhuc scholasticus tantum est: quo genenere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. *Auct. dial. de Or.* 35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur, etc. *scenas* dicit, quia fictae causae in scholis agitabantur, quemadmodum in scena fictae fabulae. ℙ Cum vero hujusmodi rhetores in eloquentia exercenda plurimum proficerent, et legales formulas apprime callerent, hinc saepe in praesidum praetoriis aderant reis, et litigatoribus, et pro iisdem supplices libellos imperatori seu judici afferendos scribebant, ac propterea advocatorum munia sustinebant. *August. Tract. in Joann.* 7. Qui habent causam, et volunt supplicare imperatori, quaerant aliquem scholasticum jurisperitum, a quo sibi preces componantur, ne forte, si aliter petierit quam oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed et poenam pro beneficio consequantur. *Imp. Constantius Cod. Theod.* 8, 10, 2. Nec latet mansuetudinem nostram, saepissime scholasticos ultra modum acceptis honorariis, in defensione causarum omnium et annonas et sumptus accipere consuesse. ℙ Denique quicumque est litteris eruditus, doctus liberalibus studiis, elegans moribus, ut solent esse litterarum studiosi, *scholasticus* dici potest. *Alex. Aurel.* in *ep.* ap. *Capitol. Maxim. jun.* 3. Quamvis ipse adolescens et pulcher, et scholasticus, ad Graecas munditias eruditus esse videatur. *Hieron. Vir. illustr. n.* 99. Serapion ob elegantiam ingenii cognomen scholastici meruit. *Sulpic. Sever. dial.* 1, 9. et *dial.* 2, 10. *med.* Nam quia scholasticus es, non immerito te versu Comici illius. (*Ter. Andr.* 1, 1, 41.) admonebo. Obsequium amicos, veritas odium parit. *Veg. Vet. prooem.* 3. Libelli erit praecipua felicitas, si eum nec scholasticus fastidiat, et bubulcus intelligat. [*Appul. Met.* 2. Heus tu, scholastice, ait (*nempe* ancilla, cui ille savium impegerat), dulcem et amarum gustulum carpis, *h. e.* simplex et imperite rerum humanarum: cujusmodi sunt qui in schola adhuc et umbraticis litteris versantur. *F.*]

SCHOLIASTES, ae, m. σχολιαστής, scriptor scholiorum, interpres: Graeca vox, a σχολιάζω, scholiis illustro, ut Scholiastes Horatii, Juvenalis, etc.

SCHOLICUS, a, um, adj. ad scholam pertinens. *Gell.* 4, 1. Ostentabat quispiam grammaticae rei doctor scholica quaedam nugalia. *Varr.* ap. *Non.* 6, 22. Scholasticis fartis auribus scholica dape, atque ebriis. *Capell.* 4, 94. Scholicum axioma.

SCHOLION, ii, n. σχόλιον, Graeca vox, a σχολή, schola: breve scriptum, disputationem, interpretationem significans. *Cic.* Graece usurpat *Att.* 16, 7. et ipse *Atticus ib.*

SCHUTATUM. V. SCYTATUM.

SCIADEUS, i, m. piscis marinus mas, σκιαδεύς, cujus femina sciaena, σκίαινα dicitur. Nomen habent a σκιά, umbra. *Plin.* 32, 11, 53. [*Fortasse *Aesche*, v. *Meerschatten;* Salmo Thymallus, *L.*, *l'ombre* ap. Gallos.] V. UMBRA.

SCIAENA, ae, f. V. v. praec.

SCIAGRAPHIA vel Sciographia, ae, f. σκιαγραφία, adumbrata descriptio aedificii: a σκιά, umbra, et γράφω, scribo. Differt ab ichnographia, quae est descriptio solius areae seu plani: et ab orthographia, quae frontis tantummodo erectam imaginem repraesentat: at sciagraphia totum per umbras et lineamenta describit corpus aedificii. *Vitr.* 1, 2. Sciagraphia est frontis et laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus. Alii leg. *sciographia:* alii vero *scenographia*, h. e. universi tecti deformatio: a σκηνή, vel σκήνος, tabernaculum, tentorium, quia in ea totum aedificium cum suo tecto describitur.

SCIAPODES. V. SCIOPODES.

[*SCIARE, es, f. herba alias Chamaeleon. *Appul. Herb.* 25. *Bail.*]

[*SCIATIUS, a, um, adj. ischiadicus. *Veg. Vet.* 1, 38. Ex qua re fiunt sciatici, hydropici, febricosi. *Bail.*]

SCIBILIS, e, adj. qui scientia comprehendi potest. *Tert. adv. Marc.* 5, 16. Non omnibus scibilis. *Capell.* 4, 111. Alicujus rei scibilis scientia est.

SCIDA. V. SCHEDA.

SCIENS, entis, part. a *scio:* ἐπιστήμων, qui scit, gnarus, prudens. [De discrimine participiorum *sciens* et *scitus*, V. in SCITUS. *F.*] *Nep. Con.* 5. *extr.* Illud addubitat, utrum Theribazo sciente, an imprudente sit factum; et *Ter. Heaut.* 4, 8, 33. Nam te sciente faciam, quidquid egero. Alii leg. *scientem faciam*, h. e. certiorem. (*Calpurn.* hic discrimen ponit inter *sciens* et *prudens.* Ille est, inquit, qui alterius indicio rem cognoscit; hic qui intelligentia sua aliquid sentit) *Id. Andr.* 3, 2, 28. Id tibi renuncio, here, futurum, ut sis sciens. Adde *Pl. Poen.* 5, 2, 78. *Id. Cas. prol.* 63. Sciens ejus mater, ei dat operam. ℙ *Sciens*, et *sciens prudens, sciens videns* quippiam facere dicitur, qui data opera, de industria aliquid agit, quod scit minime oportere. *Cic. Cluent.* 46. Habebit igitur, te sciente et vidente, curia senatorem, qui fidem suam pecunia commutarit? *Id. Planc.* 16. *f.* Plancius ita vixit, ut offenderet sciens neminem. *Id. Marcell.* 5. *med.* Ut prudens et sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium. *Coel.* ad *Cic. post ep.* 9. *l.* 10. *ad Att. f.* Ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse. *Ter. Eun.* 1, 1, 27. Prudens, sciens, vivus, videnque pereo. *Id. Ph.* 2, 1, 6. Lex coegit: audio, fateor. Verum scientem, tacitum causam tradere adversariis, etiamne id lex coegit? *Pl. As.* 3, 2, 16. Ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraris. *Ter. Hec. extr.* Plus hodie boni feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. V. VIDENS. ℙ *Si sciens fallo*, formula imprecandi in jurejurando. V. FALLO. ℙ *Sciens*, peritus, doctus. *Varr. R. R.* 3, 3. Dominum scientem esse oportet earum rerum, quae in villa ali et pasci possunt; et *ib.* 1, 31. Vites pampinari, sed a sciente: nam id, quam putare, majus. *Sall. Jug.* 102. *extr.* Romani scientes belli; et *ib.* 105. Perfugae regionum scientissimi. *Vell.* 2, 86. Vir providens, atque agendi sciens. *Tac. A.* 3, 70. et *ib.* 6, 26. Vir humani divinique juris sciens. *Id. ib.* 2, 13. Latinae linguae. *Hor. Od.* 3, 9, 10. citharae. *Cic. Inv.* 1, 34. Scientissimus gubernator. *Id. Or.* 1, 49. *med.* Regendae reipubl. scientissimus. *Auct. ad Her.* 2. *f.* Tu scientior eris praeceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum persolvendum. *Cic. Manil.* 10. Quis hoc homine scientior unquam fuit? *h. e.* peritior rei militaris. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 3, 7, 25. Quamvis non alius flectere equum sciens, etc.

SCIENTER, adv. εἰδότως, ἐπιστημόνως, sciendo, scite, intelligenter. *Cic. Or.* 2, 2. Bene dicere est scienter, et perite, et ornate dicere. *Nep. praef.* Saltare commode, scienterque tibiis cantare. *Gell.* 17, 5. *med.* Perite et scienter dicere aliquid. *Caes. B. G.* 7, 22. Galli aggerem cuniculis subtrahebant, eo scientius, quod apud eos omne genus cuniculorum notum atque usitatum est. *Cic. Div.* 1, 41. *med.* Etruria de coelo tacta scientissime animadvertit. *Id. Or.* 52. Neminem in eo genere scientius versatum Isocrate confitendum est. *Id. Off.* 2, 5. *f.* Moderate et scienter uti aliqua re; et *Or.* 1, 29. Modice et scienter. ℙ Data opera, de industria. *Plin. Pan.* 64. Expressit verba, quibus caput suum, si scienter fefellisset, Deorum irae consecraret.

SCIENTIA, ae, f. ἐπιστήμη, cognitio, intelligentia, notitia. *Cic. Phil.* 2, 23. *f.* Notabo singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae; et *Off.* 1, 6. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem; et *ib. f.* Omnis cogitatio motusque animi in studiis scientiae cogitationisque versatur. *Auct. ad Her.* 4, 41. *med.* His in unum locum collatis, certam sumere scientiam, non suspicionem maleficii. *Cic. Sull.* 13. *f.* Cujus scientiam de omnibus constat fuisse, ejus ignoratio de aliquo purgatio debet videri. *Id. Manil.* 10. *extr.* Hoc meam scientiam fugit. *Id. Or.* 1, 14. Regionum terrestrium, et maritimarum scientia. *Hirt. B. G. prooem.* 8. Commentarii sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset. *Caes.*

B. G. 2, 20. Iis difficultationibus duae res erant subsidio, scientia atque usus militum. *Tac. A.* 3, 69. Neque posse principem sua scientia cuncta complecti. *Id. ib.* 16, 17. Mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur, *h. e.* conscios fuisse conjurationis patrem simul et filium. ℙ Doctrina, eruditio, facultas in aliqua arte liberali. *Caes. B. G.* 1, 47. Gallicae linguae scientia. *Cic. Div.* 1, 41. Magorum disciplinam scientiamque percipere. *Id. Or.* 1, 6. Omnium rerum atque artium scientiam consequi. *Id. Fam.* 6, 22. *med.* Memoria et scientia multa comprehendere. *Quint.* 1, 4. Exercere eruditionem ac scientiam. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Tenere medicinae scientiam. *Cic. Or.* 1, 14. Promere quippiam ex obscuriore aliqua scientia. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] Et *ib.* 9. Ars, quae verborum aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profitetur. *Caes. B. G.* 3, 23. Habere scientiam rei militaris. *Sall. Jug.* 67. militiae. *Just.* 2, 4. belli. *Quint.* 7, 3, 6. bene dicendi. *Cic. N. D.* 2, 62. *extr.* Neque serendi, neque colendi, nec demetendi, neque condendi fructus ulla pecudum scientia est. *Id. ib.* 1, 33. Enumerasti memoriter et copiose (ut mihi quidem admirari liberet, in homine esse Romano tantam scientiam) usque a Thale Milesio de natura Deorum philosophorum sententias; et *Leg.* 1, 6. Scientia juris civilis. *Id Phil.* 9, 5. admirabilis et incredibilis in legibus interpretandis. *Hor. Epod.* 17, 1. Jam jam efficaci do manus scientiae, *h. e.* veneficio, maleficio. ℙ *Scientia voluptatum* ap. *Tac. A.* 16, 18. est intelligentia earum rerum, quae luxu constant, et corpori voluptatem cibis, sonis, unguentis, turpibus oblectationibus afferunt. ℙ In plur. num. *Cic. Sen.* 21. *med.* Cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem. [**Tantae scientiae* est genitivus, locusque ita legendus: tot artes tantae scientiae. Cf. *Schütz. cl. Cic.* et *Orell.* ad h. l., qui comp. *Off.* 1, 6, 19. in studiis scientiae.] *Vitr. praef.* 3. Scientias artificiorum penitus latentes judicare. ℙ Dicitur et de artibus mechanicis et fabrilibus. *Plin.* 34, 7, 18. Ea statua indicavit, interiisse fundendi aeris scientiam, cum Zenodorus scientia fingendi caelandique nulli veterum postponeretur. *Id.* 35, 12, 44. de plastice: Quo apparet, antiquiorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi aeris.

SCIENTĬOLA, ae, f. parva scientia. *Arnob.* 2, 56. Parvas concinnavit scientiolas artium.

SCILĬCET, adverbium conflatum et contractum ex *scias* vel *scire licet* (ut *videlicet* ex *videre licet*, et *ilicet* ex *ire licet*) ut *Fest.* in *Sultis*, et in *Cum alter* docet. Hoc sensu inf. post se habet. *Lucr.* 2, 468. Scilicet, esse globosa, tamen cum squalida constent, Provolvi simul ut possint, et laedere sensus. *Sall. Jug.* 4. Scilicet, non ceram illam, neque figuram tantam vim in se habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere. *Pl. Curc.* 2, 2, 10. Hac nocte in somnis visus sum viderier, procul sedere longe a me Aesculapium. *Co.* item alios Deos facturos scilicet. *Id. Rud.* 2, 3, 64. Nunc eam cum navi scilicet abivisse pessum in altum. ℙ Hinc habet vim affirmandi, et valet certe, profecto, quippe, nempe, nimirum, ἀληθῶς, δηλαδή. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 172, 1. p. 690. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 87.] *Ter. Ph.* 1, 2, 82. Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet. *Cic. Fam.* 7, 23. Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis: sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet. *Id. Fin.* 5, 1. *f.* Me quidem species quaedam commovit, inanis scilicet, sed commovit tamen. *Pl. Capt.* 2, 2, 33. Nunc vivat, necne, id Orcum scire oportet scilicet. *Id. Merc.* 2, 3, 40. Quis est iste Peniculus? *Erot.* Scilicet qui dudum tecum venit, cum pallam mihi detulisti; et *Ps.* 3, 2, 88. Utrum amicis hodie, an inimicis tuis daturus coenam? *Bal.* pol ego amicis scilicet. *Ter. Heaut.* 4, 1, 44. Hoc te obsecro, ut meae stultitiae in justitia tua sit aliquid praesidii. *Chre.* scilicet equidem istuc factum ignoscam. *Phaedr.* 5, 5. simulans sese vestimentis rusticus Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet; et *Cic. Q. Fr.* 1, 4. *med.* Si relevare potes communem misericordia hominum, scilicet incredibile quiddam assequeris. *Id. Att.* 13, 10. Quamquam hoc nullam ad partem valet scilicet. *Ter. Eun.* 2, 3, 54. Comites secuti scilicet sunt virginem? *Chae.* Verum, parasitus cum ancilla. Ubi *Donat.* Interrogative quidem, sed sic, ut scire videatur id quod quaerit. ℙ In responsionibus. *Ter. Ad.* 4, 7, 33. Et nova nupta eadem haec discet? *Mi.* scilicet; et *Eun.* 5, 9, 10. Fratris igitur Thais tota est? *Chae.* scilicet; et *Pl. As.* 2, 4, 83. Tam ego homo sum, quam tu. *Mer.* scilicet ita res est. ℙ Servit ironiae. *Ter. Andr.* 1, 2, 14. Meum gnatum rumor est amare. *Dav.* Id populus curat scilicet. *Cic. Rab. perd.* 5. Scilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho fratris: et tibi acerbior ejus patrui mors est, quem nunquam vidisti, quam illi ejus fratris, quicum concordissime vixerat. *Virg. A.* 4, 379. Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. Adde *Cic. Sull.* 24. [**Cic. Q. Fr.* 1, 3. Ego tibi irascerer? tibi ego possum irasci? Scilicet! etc.] ℙ Interdum quandam continet amaritudinem, et irrisionem cum affirmatione conjunctam. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. *f.* Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat: eas scilicet demolietur: aliquando perpendiculo, et linea discet uti. *Id. Pis.* 9. Ego istius pecudis consilio scilicet, aut praesidio niti volebam? et *Verr.* 2, 2, 58. Scilicet exspectemus legitimum illud quinquennium. *Val. Fl.* 3, 673. Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis Nostra salus? ℙ[*Interdum *scilicet* est doloris, necessitati parentis. *Cic. Off.* 2, 1, 3. Cum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino: illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae. V. *Gernh.* ad h. l., cui assentitur *Beier.*] ℙ Videtur etiam habere vim exponendi, et poni pro id est. *Cic. Fin.* 4, 22. *extr.* Istis tamen alio tempore responsurus sum, tunc scilicet, cum tibi. *D. Brut. ad M. Brut. et Cass. Fam.* 11, 1. Qua mente esset Antonius, demonstravit, pessima scilicet, et infidelissima. *Cic. Sen.* 8. Senectus est operosa, et semper agens aliquid et moliens, tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Adde *Verr.* 2, 4, 12. Sed haec et alia, si qua afferri solent, commodius et verius ad rationem ac vim affirmandi reducuntur. Si exponendum sit aliquid, *videlicet* libentius dixerim. [*In nullo eorum locorum, quos Noster hic attulit, *scilicet* meram, i. e. non alia quadam qualiscunque generis notione commixtam, habet exponendi significationem: Nam *Fin.* 4, 22. *extr.* tota oratio ita est comparata, ut inanem de verbis, non de rebus disceptationem levemque ironiae, malitiae notam quilibet facile perspiciat. Illud, quod sequitur, *Fam.* 11, 1. *in.* apertum habet, gravissimi odii summaeque indignationis colorem. In *Senect.* 8. verba *tale scilicet* etc. restringunt quodammodo ea, quae praecedunt; et in *Verr.* 2, 4, 12. (si modo certa est lectio) infestissimae ironiae umbram nemo non cognoscet. Omnino notandum, *scilicet*, ubi exponentis esse dicitur, saepissime eleganter exprimere affectum scriptoris, qui qualis sit ex verborum contextu debet intelligi. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 319. haec laudat: *Tac. A.* 2, 30. scilicet *(der Schlaue!)* ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur; et 3, 65. scilicet (*So weit war es gekommen!*) etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectae servientium patientiae taedebat. *Agr.* 4. scilicet (*Natürlich*) sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius quam cautius appetebat. Illud vero constat, esse ap. optimum quemque scriptorem locos quosdam, ubi *scilicet* demonstrandis iis inserviat, quae parum ab hominibus intellecta, curata, vel prorsus incognita vel etiam in sequentibus posita sint. Cujus generis maximam partem sunt, quae *Noster* §. 1. posuit. Adde *Liv.* 1, 56. Brutus terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset. V. *Cort.* ad *Cic. Fam.* 15, 15, 3. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 70. coll. *Voss.* ad *Virg. G.* 1, 282. — Seriores demum *partic. scilicet* ita usurpant, ut quae conjunctim minus accurate dicta sint, iis per singula postea rectiusque exponendis, explicandis inservire videatur. V. *Vall. Elegg.* 2, 60. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 345. p. 299. *Suet. Aug.* 29. sub nomine alieno, nepotum scilicet, et uxoris sororisque. *Vesp.* 7. Auctoritas et quasi majestas quaedam, ut scilicet inopinato et adhuc novo principio, deerat: quam lectionem ab *Ernest.* addubitatam defendit *Brem.* coll. ipsius nota ad *Claud.* 21. V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 698. ℙ Confund. *scilicet* et *scire licet.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 359.]

SCILLA, ae, f. σχίλλη, herba e bulborum genere, immo bulborum nobilissima, ut *Plin.* ait 19, 5, 30., quae radicem habet caeparum modo multipliciter tunicatam. [**Meerzwiebel*, Scilla maritima, *L.*] Nascitur tam in mari, quam in terra. Graece similiter dicitur σχίλλη, ut errent qui *scylla* scribunt. *Plin. l. c.* Nobilissima est scilla, quamquam medicamini nata, acetoque exacuendo: nec ulli amplitudo major, sicut nec vis asperior. Duo genera medica: masculus albis foliis, femina nigris. Et tertium genus est cibis gratum: epimenidium vocatur, angustius folio, ac minus aspero, etc. *Id.* 21, 17, 66. Notabilis est scillae crocique natura, quod cum omnes herbae folium primum emittant, mox in caulem rotundentur, in iis caulis prior intelligitur, quam folium. *Id.* 20, 9, 39. enumerat varios ejus, et aceti scillini usus in medicina. ℙ *Scilla pusilla*, alio nomine pancration, herba est foliis albi lilii, longioribus crassioribusque, radice bulbi magni, colore rufo. *Id.* 27, 12, 92. ℙ Est hoc nomine et piscis marinus, ex genere τῶν μαλακοστράκων, seu mollium (V. MOLLIS.), Graece καρίς. *Id.* 32, 11, 53. ℙ Legitur et *squilla.* V.

SCILLĪNUS, a, um, adj. σχίλλινος, ad scillam pertinens. Scillinum acetum, h. e. scilla infusa conditum, tantam vim habet, inquit *Plin.* 20, 9, 39., ut avidius haustum exstinctae animae momento aliquo speciem praebeat. Ceterum multos habet usus in medicina: quos *Id.* 23, 2, 28. describit. Ejus conficiendi rationem tradit *Colum.* 12, 34., *Pall.* 8, 8. et *Marcell. Empir.* 20. *med.*, qui eam compositionem *diascillin*, h. e. διὰ σκιλλίου, appellat. ℙ Paenultimam produxisse videtur *Ser. Sam.* 27, 510. Saepe et scillino pelluntur noxia Baccho, *h. e.* vino scillite. Sed alii leg. *scillitico*, alii *scillite.*

SCILLĪTES, ae, m. σκιλλίτης, vinum, vel acetum, vel oleum factum ex scilla, ut *absinthites*, vinum ex absinthio. *Colum.* 12, 33. Vinum scilliten ad coquendum, et ad corpus reficiendum, itemque ad veterem tussim, et ad stomachum hoc modo condire oportet. *Plin.* 32, 10, 47. Urtica marina trita ex aceto scillite. *Auson. epist.* 4, 69. Scillite decies non si purgeris aceto. V. ABROTONITES.

SCILLĪTĬCUS, a, um, adj. σκιλλιτικός, scillinus, scillites. *Cels.* 5, 19. *n.* 19. Aceti scillitici hemina.

SCIMPŌDĬUM, ii, n. σκιμπόδιον, grabatulus, sella plicatilis, in qua sedere et accumbere pro lubito licet: est a σκίμπους, lectica, quod a σκίμπτω, incumbo, et πούς, pes. *Gell.* 19, 10. Memini me et Celsinum Julianum ad Frontonem, pedes graviter aegrum, ire et visere: atque ibi offendimus eum cubantem in scimpodio Graeciensi.

SCIN'? V. in SCIO.

SCINCUS et Scincos, i, m. σκίγκος, animal simile crocodilo, circa Nilum frequentissimum: itemque in Libya, Arabia, India. Condiri solet, salsusque afferri: ac valet ad Venerem excitandam. *Plin.* 8, 25, 38. Similis crocodilo, sed minor etiam ichneumone est in Nilo natus scincos: contra venena praecipuus antidotis: item ad inflammandam virorum Venerem. *Id.* 28, 8, 30. Ex eadem similitudine est scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt, candidiore autem, et tenuiore cute. Praecipua tamen differentia dignoscitur a crocodilo squamarum serie a cauda ad caput versa. Maximus Indicus, deinde Arabicus, etc.

SCINDO, is, scĭdi, olim sciscidi, [*V. *Ruddim.* 1. p. 233. *Ramsh.* §. 59. p. 113.] scissum, a. 3. σχίζω, findo, abrumpo, lacero: a voce Graeca allata, inserto *n*, ut a λείχω, lingo. *Cato R. R.* 128. Lutamenta scindunt se. *Virg. G.* 1, 144. cuneis scindebant fissile lignum; et *A.* 7, 509. quercum cuneis ut forte coactis Scindebat. *Caes. B. G.* 3, 5. Cum hostes vallum scindere, et fossas complere coepissent. [*Cf. *Liv.* 7, 37.] *Colum.* 2, 18. Pecora majora demergunt ungulas, et atterunt scinduntque radices herbarum. *Ov. Ib.* 172. Et scindent avidae perfida corda canes; et *ib.* 185. Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello. *Sil.* 1, 171. Verbera passim Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus. *Virg. A.* 12, 870. Infelix crines scindit Juturna solutos. [*Cf. *Cic. Tusc.* 3, 26. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 79.] *Cic. Fam.* 5, 20. *extr.* Hanc epistolam cur non scindi velim, nulla est causa. *Id. Att.* 13, 33. Scindere alicui paenulam. V. PAENULA. *Prop.* 2, 4, 21. cuipiam vestem de corpore. *Tac. A.* 1, 65. Arminius cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit, *h. e.* perrumpit aciem, pertransit, disjicit. *Pl. Bacch.* 4, 9, 130. scindere urbem, *h. e.* dirutis moenibus evertere, exscindere. *Petr. Sat.* 120. *f.* frontem cicatricibus. *Virg. G.* 1, 50. ferro aequor, *h. e.* vomere terram arare, proscindere. Sic *Claud. Laud. Stil.* 1, 134. qui Pangaea juvencis Scinditis; et *Sen. Phoen.* 124. Quisquis Assyrio loca possessa regi scindis. *Ov. Trist.* 1, 10, 48. Scindere Bistonias altera puppis aquas. *Id. Met.* 11, 463. ictu remorum scindere freta. *Claud. IV. cons. Honor.* 347. fluvios natatu. *Mart.* 3, 12. Unguentum, fateor, bonum dedisti Convivis here, sed nihil scidisti, *h. e.* nullum cibum distribuisti: *scindere* est in frusta secare cibum, et convivis distribuere: unde scissor. *Sen. V. B.* 17. Scindendi obsonii magister. *Id. Br. V.* 12. *med.* Scindere aves in frusta. Adde *Mart.* 3, 94. ℙ Item divido, diduco. *Lucan.* 1, 550. flamma Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit. *Tac. G.* 43. Dirimit, scinditque Sueviam continuum montium jugum. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 3, 400. Italia scinditur in duo promontoria, Bruttium, et Salentinum. *Virg. ib.* 1, 591. Scindit se nubes, et in aethera purgat apertum. ℙ[**Scindere labra* ap. *Quint.* 11, 8, 31. esse videtur, ut ex oppos. *porrigendis* etc. apparet, cum labra a porrectione illa antrorsum facta subito ita distrahuntur, ut apertum os, vel quasi hiatus spectetur; qui mos parum probandus a nonnullis in loquendo proferri solet. Alias hujus locutionis explicationes V. ap. *Buttmannum* ad *Quint. l. l.*] ℙ Translate a notione abrumpendi. *Plin. Pan.* 37. *extr.* Ratus non sine piaculo sanctissimas necessitudines, velut intercedente vicesima, scindi. *Id. ep.* 2, 11. Neque inchoari poterat actio, nisi ut noctis interventu scinderetur. Sic *Ov. Pont.* 3, 1, 157. Nec tua si fletu scindentur verba, etc. *Stat. Silv.* 3, 3, 127. florentesque manu scidit Atropos. *Cic. Att.* 3, 15. Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, ne scindam dolorem meum, *h. e.* ne refricem, renovem, tanquam vulnus jam cicatricem ducens. Est qui malit *rescindam.* [*Est *Graevii* susp., quae vehementer probatur *Orell.*] *Lucr.* 3, 1008. Curae animum scindunt, *h. e.* mordent, lacerant. ℙ Translate a notione dividendi. *Sen. ep.* 89. *med.* Naturalis pars philosophiae in duo scinditur corporalia, et incorporalia. *Tac. H.* 1, 13. Hi discordes in duas factiones scindebantur. *Virg.*

A. 2, 39. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. *Id. ib.* 8, 142. Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno. ℙ *Chelyn scindere*, ita pulsare, ut discors, confusus, ingratusque sonus fiat. *Stat. Silv.* 5, 5, 31. ignavo pollice chordas Pulso: sed incertam digitis errantibus amens Scindo chelyn. ℙ Obsceno sensu *scindere podicem* est ap. *Auct. Priap.* 78. V. DIVIDO. ℙ *Sciscidi* praeteritum antiquorum fuit. *Afran.* ap. *Prisc.* 10, 890. Satis fortiter vestras sciscidistis colus. *Actius ib.* Non ergo aquila ita, ut praedicant, sciscíderat pectus. Adde *Enn.* et *Naev. ib.*, quibus locis *Gell.* 7, 9. *f.* scriptum fuisse ait *scescidi*, ut simile sit *memordi*, *spepondi*, *peposci*, *tetuli*, et reduplicationem verborum Graecorum referat.

SCINDŪLA. V. SCANDULA.

SCINIFES. V. CINIFES.

SCINIS. V. SINIS.

SCINTILLA, ae, f. *σπινθὴρ*, particula ignis, quae e silice, cum caeditur, exsilire solet: quasi *scindilla*, a *scindo*, quia flamma videtur quasi scindi: vel quasi *spintilla*, a Graeca voce allata. *Virg. A.* 1, 178. Ac primum silici scintillam excudit Achates. *Lucr.* 6, 160. lapidem si Percutiat lapis, aut ferrum: nam tum quoque lumen Exsilit, et claras scintillas dissupat ignis. *Id.* 2, 174. Scintillas agere, ac late differre favillam. *Plin.* 36, 19, 30. Lapides vivi altero lapide percussi scintillas edunt, quae exceptae sulphure, aut fungis aridis, aut foliis, dicto celerius ignem trahunt. *Id.* 18, 35, 84. Ignis scintillam emittit. *Id.* 37, 11, 73. In anthracitide scintillae discurrere aliquando videntur. *Ov. Fast.* 4, 495. cum saxis pastores saxa terebant, Scintillam subito prosiluisse ferunt. *Virg. A.* 12, 101. totoque ardentis ab ore Scintillae absistunt. *Curt.* 6, 3. *med.* Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium: *γνώμη*. ℙ Translate. *Plin.* 33, 6, 31. Argentum nulla sui spe nascitur, nullis, ut in auro, lucentibus scintillis, *h. e.* punctulis instar scintillarum lucentibus. ℙ Sic dicitur et minima particula earum rerum, quae igni aut incendio comparantur. *Cic. Fam.* 10, 14. Ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur. *Id. Acad.* 4, 19. Isti autem, tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem ullam nobis ad aspiciendum reliquerunt. *Pl. Trin.* 3, 2, 52. Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuum. ℙ Est etiam nomen proprium ancillae, ap. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.*

SCINTILLĀTĬO, onis, f. *σπινθηρισμὸς*, actus scintillandi. *Plin.* 20, 9, 33. Cato brassicam prodesse tradit oculorum caligini, scintillationique. Catonis verba sunt *R. R.* 157. *med.* Et quibus oculi parum clari sunt, eo lotio *(ejus qui brassicam esitarit)* inungito, plus videbunt. Porro *oculi parum clari* sunt tam si caligine laborent, quam si scintillas, *h. e.* obliquos et frequentes quasi radios crebra motatione emittere videantur: hoc enim quoque visum impedit.

SCINTILLO, as, avi, atum, n. 1. *σπινθηρίζω*, scintillas emitto. *Plin.* 2, 34, 34. Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit; et *ib.* 43, 43. Scintillantia fulgetra. *Id.* 37, 7, 25. Carbunculi contra radios solis scintillant. *Virg. G.* 1, 391. testa cum ardente viderent Scintillare oleum, et putres concrescere fungos. *Lucr.* 6, 644. Fumida cum coeli scintillare omnia templa, etc. *h. e.* flammis micare. *Pl. Men.* 5, 2, 77. Oculi scintillant. *Sil.* 7, 593. cristae. ℙ Translate. *Id.* 9, 562. scintillavitque cruentis Ira genis.

[SCINTILLOSUS, a, um, adj. scintillas emittens, *σπινθηροβόλος*. *Cassiod. Var.* 2, 39. de Apono fonte: Nam juxta caput fontis scintillosi quendam sibi meatum provida natura formavit. *F.*]

SCINTILLŪLA, ae, f. *μικρὸς σπινθὴρ*, parva scintilla. Translate. *Cic. Fin.* 5, 15. *f.* Eas in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet. *Tert. Anim.* 23. Scintillula vitae.

SCĬO, is, scivi et scii, scitum, a. 4. *δαίω*, *ἴσημι*, *γινώσκω*, novi, non ignoro, cognitum habeo, teneo, non me fugit, perspectum est mihi, habeo. *Liv. prooem.* Nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim. *Sen. ep.* 6. Nec me ulla res delectabit, quam mihi uni sciturus sim. *Pl. Poen. Prol.* 112. Is omnes linguas scit, sed dissimulat sciens se scire. *Ter. Ph.* 5, 8, 14. Non opus est dicto. *Phorm.* tibi quidem: at scito huic opus est. *Id. Hec.* 3, 1, 15. Cuivis facile scitu est, quam fuerim miser. *Id. ib.* 2, 25. Non sciunt ipsi viam, domum qua redeant. *Id. Ad.* 1, 2, 45. Vere scio. *Id. Phorm.* 5, 7, 60. Id certo scio. *Liv.* 25, 10. Nemo satis pro certo scire. *Ter. Andr.* 3, 2, 23. Certe enim scio. *Id. Eun.* 5, 3, 12. Ibo intro, de cognitione ut certum sciam. Adde *Cic. Att.* 12, 17. ℙ Cum inf. *Plin.* 33, 4, 21. Nec tamen adhuc aurum est: nec sciere esse, cum fodere. *Ter. Hec.* 4, 1, 26. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere. ℙ Cum variis particulis. *Ter. Ad.* 4, 2, 16. Scire equidem volo, quot mihi sint domini; et *ib.* 31. Scio ubi sit: verum nunquam monstrabo. *Lucan.* 7, 579. Scit, cruor imperii qui sit. *Cic. Att.* 12, 18. *med.* Nisi scissent, quid esset. *Ov. Fast.* 4, 527. scisti, qua cogere posses (pro *scivisti*). *Cass.* ad *Cic. Fam.* 15, 19. *f.* Cnaeus scis quomodo crudelitatem virtutem putet: scis, quam se semper a nobis derisum putet; et *mox:* Velim scire, utrum ista sollicito animo, an soluto legas. *Liv.* 43, 5. Ne se scire, propter quam causam, etc. *Ter. Hec.* 3, 5, 18. Omnem rem scio, ut sit gesta. *Pl. Poen.* 1, 2, 38. Coqua est haec quidem: scit, muriatica ut maceret. *Cic. Mur.* 9. *f.* Ille tenet, et scit, ut hostium copiae; tu, ut aquae pluviae arceantur. *Pl. Bacch.* 1, 1, 44. Ut ille te videat, volo: scio, quid ago. *Pist.* et pol ego scio, quid metuo. *Id. Aul.* 1, 2, 28. Quid agam, scio. *Phaedr.* 5, 2. Ego qui sum expertus, quantis fugias viribus, Scio, quod virtuti non sit credendum tuae. *Liv.* 3, 52. Scituros, quod sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant. Alii utrobique leg. *quam:* quia hujusmodi particulae in MSS. solo *q*, et transversa lineola scribi solent. V. QUOD. ℙ Passive. *Cic. Or.* 2, 7. *med.* Ars earum rerum est, quae sciuntur. *Pl. Capt.* 4, 2, 5. Quod cum scibitur, per urbem irredebor: pro *scietur.* V. infra. ℙ Impersonaliter. *Cic. Sext.* 38. Hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit, Sestium vivere. *Id. Rosc. Am.* 34. *med.* Nondum lucebat, cum Ameriae scitum est. *Ov. Trist.* 5, 9, 5. Quid tibi deberem, tota sciretur in Urbe. ℙ Scire Latine, Graece, subaudi *loqui. Cic. Brut.* 37. Non tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire. *Id. Fin.* 2, 5. Cum Graece, ut videor, luculenter sciam. ℙ Scire fidibus: subaudi *canere. Ter. Eun.* 1, 2, 52. Ubi hanc forma videt honesta virginem, et fidibus scire. ℙ *Scire de aliqua re*, doctum, peritum esse, notitiam habere. *Cic. Or.* 1, 13. *med.* De legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de jure civium Lycurgum scisse melius, quam Hyperidem. *Id. Sull.* 13. *f.* Cum is, qui de omnibus scierit, de Sulla se scire negarit. ℙ *Scire ex*, et *de aliquo*, ab aliquo narrante scire. *Pl. Curc.* 2, 2, 6. Meliorem, quam ego sum, suppono tibi: nam quod scio, omne ex hoc scio. *Cic. Fam.* 9, 17. Ex quo vel ex sobrio, vel certe ex ebrio scire posses. *Id. Att.* 12, 22. Id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest. ℙ De consuetudine concubitus. *Trebell.* in XXX. *Tyr.* 30. de Zenobia: Cujus ea castitas fuisse dicitur, ut ne virum quidem suum sciret, nisi tentatis conceptionibus. V. COGNOSCO. ℙ Imperativis utimur, cum rem gravem inculcamus, et quam probe intelligi cupimus. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Apud Segestanos repertum esse, judices, scitote neminem, qui illud signum auderet attingere. *Id. Att.* 2, 23. Volo te scire, Sampsiceramum vehementer sui status poenitere. *Ov. Met.* 5, 141. Cumque boum dabitis caesorum membra palato, Mandere vos vestros scite et sentite colonos. *Pl. Curc.* 1, 1, 53. Semper tu scito, Flamma fumo est proxima. *Id. Trin.* 4, 3, 24. Vetera quaerit: vetera amare hunc, more majorum, scias. ℙ *Scires*, intelligeres, cognosceres, videres. *Ov. Am.* 1, 13, 47. Jurgia finieram: scires audisse; rubebat. *Id. Met.* 6, 23. Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam. *Petr. Sat.* 91. Video Gitona cum linteis et strigilibus tristem confusumque: scires non libenter servire. Adde *Vell.* 2, 80. Itali dicunt *diresti.* ℙ *Quod sciam*, *quod scio*, quod norim, quod audierim, quantum mihi perspectum est: habetque vim affirmandi. *Cic. Att.* 16, 2. *med.* Sestius non venerat, quod sciam. *Pl. Men.* 3, 2, 35. Non edepol ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem vidi; et 2, 2, 23. Est tibi Menaechmo nomen tantum, quod sciam; et 3, 2, 39. Menaechme, vigila. *Men.* vigilo hercle equidem, quod sciam. *Quint. decl.* 9, 18. Quod scio, victis etiam gladiatores parcunt; et *decl.* 6. *extr.* Fortasse aliquis jubebit sepeliri: certe, quod sciam, nemo prohibebit. *Appul. Met.* 5. Jamdudum, quod sciam, fidei atque parciloquii mei perpendisti documenta. *Minuc. Fel. Octav.* 11. *f.* Hoc, quod sciam, neque mens, neque anima, neque vita est. ℙ *Non scis* pro *nescis. Pl. Ps.* 1, 2, 89. Ea pacisci modo scis, sed quae pacta es, non scis solvere. ℙ *Haud scio an.* V. HAUD. ℙ *Quod scis*, *nescis.* V. NESCIO. ℙ *Scin'*, scisne? *Pl. Bacch.* 5, 2, 59. At scin', quo pacto me ad te intro abducas? ℙ *Scin' quomodo?* malum minitantis formula. *Pl. Amph.* 1, 1, 100. At scin' quomodo? faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. Adde *Aul.* 5, 21. et 3, 5, 18. ℙ [*Elegans dicendi formula est apud seriores in his: *scit fama*, *scit cura deum*, i. e. testor famam publicam, testor deos omnia curantes. *Lucan.* 3, 215. Et felix, scit fama, Ninos: ubi v. *Cort. Gronov. observv.* 2, 13. p. 160. *ed. Fr. Burm.* ad *Quint. decl.* 18, 12. p. 359.] ℙ *Scibam* pro *sciebam*, et *scibo* pro *sciam* in omnibus personis utriusque numeri, positiones sunt in verbis 4. conjugat., et praesertim in hoc frequentes. *Terent.* et *Plaut.* saepe usurpant. Et praeterea *Cato R. R.* 5. Si fecerit, scibit, in mente familiae quid siet. *Catull.* 68, 85. Quod scibant Parcae non longo tempore abesse. *Inscr.* ap. *Grut.* 602, 6. Scibat moriundum sibi. ℙ *Scisti* sync. pro *scivisti* habet *Ov. A. Am.* 1, 131. et *Fast.* 4, 527. supra *cit.* ℙ Pro *scivisse* rectius dicimus *scisse*, ut *Liv.* 43, 5. Neque scisse futura. *Ov. Fast.* 6, 336. scisse sed ipse negat. Adde *Cic. Or.* 1, 13. supra allatum. Sic *scissent* pro *scivissent* leges ap. *eund. Att.* 12, 18. supra *cit. Quint.* 1, 6. satis aperte significat, v. *scivisse* minus fuisse in usu apud eos, qui non tam analogiam, quam consuetudinem sequendam censebant. ℙ *Scire*, sciscere. V. SCISCO.

*SCIOESSA, ae, (*σκιοέσσα,*)* mons Achaiae. *Plin.* 4, 5. In Achaia novem montium Scioessa notissimus. *Locum* appellat *Solin.* 7. (al. 12.) Propter oppidum Patras Scioessa locus novem collium opacitate umbrosus. ℙ Qui *Sciressa* scribunt, mendose scribunt. *B. A.*

SCĬOGRAPHĬA. V. SCIAGRAPHIA.

SCIOLUS, i, m. qui aliquantum scit, vel qui scire se praedicat, quae re vera ignorat. *Arnob.* 2, 86. A sciolis nonnullis, et plurimum sibi arrogantibus dicitur. ℙ In bonam partem, estque idem ac sciens, aut peritus. *Front. Strat.* 3, 13. Militum sciolum nandi, et nauticae artis peritum, juvit, etc. In opt. edd. legitur *militem e suis nandi*, etc.

*SCIONE, es, f. *Σκιώνη*, opp. Macedoniae, in Pallene paeninsula. *Mela* 2, 2. *extr. Plin.* 4, 10. V. et *Thucyd.* 4, 120. 122. sqq., cui incolae *Σκιωναῖοι*, Scionaei, audiunt. *B. A.*

SCĬOPODES, um, m. plur. *σκιόποδες*, a *σκιά*, umbra, et *πούς*, *ποδός*, pes: monstrosum hominum genus, singula crura habentium, nec poplitem flectentium, et mirabili tamen celeritate: qui per aestum in terra jacentes resupini, umbra se pedum (quos amplissimos habent) protegunt. *August. C. D.* 16, 8. et *Tert. Apol.* 8. Memorat etiam *Plin.* 7, 2, 2., ubi legitur *sciapodes*, *σκιάποδες*, quod Graecae analogiae magis respondet. [*V. *Suid.* in *σκιάποδες*. Cf. etiam, si tanti est, quae *Hesych. Harpocrat. Phot.* et *Schol.* ad *Aristoph. Av.* 1552. *ed. Kuster.* de fabulosa gente ista commemorarunt.]

SCĬOTHĒRICON, i, n. *σκιοθηρικὸν*, vox adjectiva, horologium significans, quo ex solis umbra horae deprehenduntur: a *σκιὰ*, umbra, et *θήρα*, venatio, indagatio. Gnomon in eo *σκιοθήρας* vocatur: de quo *Vitr.* 1, 6. Collocetur aeneus gnomon, indagator umbrae, qui Graece *σκιοθήρας* dicitur. *Plin.* 2, 76, 78. Umbrarum rationem, et quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, primusque horologium, quod appellant sciothericon, Lacedaemone ostendit. ℙ Legitur et *sciathericon:* nam et Graece *σκιοθήρας* et *σκιαθήρας*.

[SCĬOTHĒRUM, i, n. *σκιόθηρον*, gnomon. *Hyg. de limitib.* p. 175. *Goes.* Scribemus circulum in terra loco plano, et in puncto ejus sciotherum ponemus, cujus umbra et intra circulum aliquando intret. *Id. ib.* p. 176. de ead. re: Loco plano gnomonem constituemus, etc. Sciotherum itaque idem est ac gnomon. *F.*]

SCĬPĬADES, ae, m. patron. Scipionis, ut *Atlantiades*, *Memmiades. Prisc.* 2, 582. Virgilius secundum Graecam formam Scipiadas dixit, *ἀπὸ τοῦ Σκιπίωνος*, cum Scipionides dicere debuit. *Lucr.* 3, 1048. Scipiades belli fulmen. *Claud. II. cons. Stil. in.* Major Scipiades. *Id. B. Get.* 140. sed tertia virtus Scipiadae Latiis tandem deterruit oris, *h. e.* Africani majoris. *Hor. Sat.* 2, 1, 17. et justum, et scribere fortem Scipiadam. *Virg. G.* 2, 170. Scipiadas duros bello, *h. e.* Scipiones Africanos, majorem, et minorem: quorum prior vicit, alter delevit Carthaginem. *Manil.* 2, 790. Scipiadaeque duces, fatum Carthaginis unum. *Claud. Laud. Ser.* 42. Claram Scipiadum taceat Cornelia gentem: pro *Scipiadarum*, ut *Aeneadum* pro *Aeneadarum. Prop.* 3, 9, 59. Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli? *h. e.* Africani majoris, cujus in paranda classe adversus Carthaginenses industriam ac celeritatem laudat *Liv.* 28, 45. et 29, 22. et *Plin.* 16, 39, 74. ℙ [Etiam *Scipiades*, *is*, m. videtur declinari, et esse cognomen R. in *Inscr.* ap. *Grut.* 17, 9. Curante Septimio Scipiade Aug. Col. liberto ejus. Sed legitur in eadem integriore et emendatiore ap. *eund.* 467, 6. Curante Septimio Asclepiade, etc. quod quidem allato *Scipiade* valde praestat. *F.*]

SCĬPIO, onis, m. *σκήπων*, *σκῆπτρον*, baculus, qualis est, cui senes innitentes incedunt. [*De origine v. *Doederl.* 3, 266. — Differentiam inter *scipio*, *fustis* et *baculus* v. in h. v.] *Plin.* 28, 2, 4. Scipione prius determinata templi imagine in solo ante se. *Liv.* 5, 41. *f.* Papirius dicitur Gallo barbam suam permulcenti, scipione eburno in caput incusso, iram movisse. *Catull.* 37, 10. Frontem tabernae scipionibus scribam, *h. e.* baculis semiustis. ℙ *Scipio eburnus*, stante republica, fuit insigne triumphantium: sub imperatoribus etiam consulum, et consularium. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 5. Manus, quae modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stivam aratri repetere. *Valer. Imp.* ap. *Vopisc. Aurel.* 13. *f.* Te consulem hodie designo, scripturus ad senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. *Ammian.* 29, 2. Horret nunc reminisci, quo justitio humilitati tot rerum apices visebantur, et praecipue consulares, post scipiones, et trabeas, et fastorum monumenta mundana. *Sceptrum* vocant *Juven.* et *Claud.* V. SCEPTRUM. ℙ *Scipionum* familia Romana in gente Cornelia perillustris fuit. Qui primus ita dictus est P. Cornelius, inde cognomen duxit, quod patrem luminibus carentem pro baculo regebat, ut ait *Macr. Sat.* 1, 6. *med.* Multi in ea fuere viri consulatibus et triumphis clari: inter quos eminent P. Cornelius Scipio Afri-

canus major, qui bello Punico secundo, debellatis cum Annibale Carthaginiensibus, finem imposuit: et P. Cornelius Scipio Aemilianus Africanus minor, nepos adoptivus prioris, qui Carthaginem et Numantiam everterit. *Liv.*, *Flor.*, *Vell.*, *Plin.*, *Val. Max.* etc. *Lucan.* 4, 657. Poenum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem Scipio. V. *Sil.* 8, 553. et sqq., ubi majoris Africani studia, et faciem describit.

SCĬPĬONĀRĬUS et

SCĬPĬONĬUS, a, um, adj. a Scipionibus. *Varr. L. L.* 8, 42. A Scipione quidam male dicunt Scipionios: nam contra est Scipionarios.

SCIRCITŪLA et SCIRCULA. V. SCIRPULA.

SCĬRŌMA et Scirrhoma, ătis, n. *σκίρωμα* et *σκίῤῥωμα*, tumor in corpore praeter naturam durus, et sine dolore: a *σκίρος*, durities. *Plin.* 25, 8, 42. Buphthalmos cum cera scirrhomata discutit.

SCĪRON, ōnis, m. *σκίρων*, *ωνος*, ventus peculiaris Atheniensium, paulum ab Argeste deflexus, idemque fere cum Zephyro: reliquae Graeciae ignotus, ut ait *Plin.* 2, 47, 46.; ita dictus, quia a Scironiis saxis spirare videbatur. *Sen. Q. N.* 5, 17. Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Cataegis, Galliam Circius. ℙ Fuit etiam hoc nomine latro insignis a Theseo interfectus: cujus ossa cum in mare inter Megaram et Pireaeum cecidissent, in scopulos conversa dicuntur, et Scironia saxa appellata, ut est ap. *Ov. Met.* 7. a *v.* 443. Alii dicunt (ut *Mela* 2, 3. *med.* et *Solin.* 7. *med.*), inde nomen traxisse, quod scopulosum illud litus Sciron insederit, ibique a Theseo occisus sit. *Claud. in Ruf.* 1, 251. Quid tale immanes unquam gessisse feruntur Vel Sinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla? [*Stat. Theb.* 1, 333. Infames Scirone petrae. *Bail.*]

SCĪRŌNIS, idis, f. adj. a Scirone, *Σκιρωνίς*. *Sen. Hipp.* 1023. Et scelere petrae nobiles Scironides. V. v. praec.

SCĪRŌNĬUS, a, um, adj. *Σκιρώνιος*, ad Scironem pertineus. *Sen. Hipp.* 1225. Mittarve praeceps saxa per Scironia. *Claud. B. Get.* 188. vallata mari Scironia rupes. Adde *Plin.* 4, 7, 11. et V. SCIRON.

SCĪROS et Scirrhos, i, m. *σκίρος* et *σκίῤῥος*, idem quod sciroma. *Plin.* 7, 15, 13. de mola uteri: Simile quiddam et viris in ventre gignitur, quod vocant scirrhon.

SCIRPĔUS, a, um, adj. *σχοινώδης*, qui est e scirpo, junceus. *Novius* ap. *Fest.* in *Scirpus*. Sume arma: quid est? an occidam clava scirpea? *Pl. Aul.* 4, 1, 9. Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis, qui laborent minus, facilius ut nent, et moveant manus. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Argei fiunt e scirpeis virgultis. *Ov. Fast.* 5, 659. Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago. V. ARGEI. *Prud. Cath.* 5, 15. Fila scirpea favis conlita, *h. e.* candelae e scirpo cera illito. V. SCIRPUS. ℙ *Scirpea*, absolute, V. SIRPEA.

SCIRPĬCŬLA, etc. V. SIRPICULA.

SCIRPO. V. SIRPO.

SCIRPŪLA Vitis memoratur a *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8., ubi passum acinum, h. e. rugosum et siccum, habere dicitur: et a *Colum.* 3, 2. *med.* et Scirpula uva ab *eod. Plin.* 14, 9, 11. Sed varie admodum ab aliis legitur, *scircitula*, *scircula*, *scirtula*, *scripula*, *scriptula*, ex variis codicibus, et conjecturis.

SCIRPUS vel Sirpus, i, m. *σπάρτη*, *σχοῖνος*, juncus. *Fest.* Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur laeve, et procerum: unde tegetes sunt. *Plin.* 16, 37, 70. Nec in fruticum, nec in veprium, cauliumve, neque in herbarum, aut alio ullo, quam suo genere, numerentur jure scirpi fragiles, palustresque, ad tegulum tegetesque: e quibus, detracto cortice, candelae luminibus, et funeribus serviunt. Firmior quibusdam in locis eorum rigor. Namque iis velificant non in Pado tantum nautici, verum et in mari piscator Africus, praepostero more vela intra malos suspendens. Et mapalia sua Mauri tegunt: proximeque aestimanti hoc videantur esse, quo inferiore Nili parte papyri sunt, usu. Haec *Plin.*, qui 7, 56, 57. scribit, naves quoque ex scirpo fieri, his verbis: Etiam nunc in Britannico Oceano naves vitiles corio circumsutae fiunt: in Nilo ex papyro, et scirpo, et arundine. ℙ *Nodum in scirpo quaeris*, proverb. de his, qui in rebus claris atque apertis difficultatem faciunt: scirpus enim enodis est. *Enn.* ap. *Fest.* Quaeritur in scirpo, soliti quod dicere, nodus. Adde *Pl. Men.* 2, 1, 22. et *Ter. Andr.* 5, 4, 38. Itali dicunt, *cercar l' osso nel fico:* vel *il pelo nell' uovo:* vel *cinque piedi al montone:* vel *il nodo nel giunco.* ℙ Et illud scirpo peculiare, quod semper arescit, etiam in aqua. Hinc leno ap. *Pl.*, quod naufragio bona perdidisset, ita comice queritur, *Rud.* 2, 6, 39. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam aritudinis. ℙ De scirpo, aenigmate, V. SIRPUS.

SCIRRHOMA. V. SCIROMA.

SCIRRHOS. V. SCIROS.

*SCIRTARI, orum, populi Dalmatiae. *Plin.* 4, 22. *B. A.*

SCIRTŪLA. V. SCIRPULA.

SCISCĬTĀTĬO, onis, f. *πεῦσις*, *ἐρώτησις*, actus scitandi, interrogatio. *Petr. Sat.* 24. Cujus esset puer, diligentissima sciscitatione quaesivit.

SCISCĬTĀTOR, oris, m. *πευθήν*, qui sciscitatur, investigator. *Mart.* 3, 82. Digiti crepantis signa novit eunuchus, Et delicatae sciscitator urinae, etc. *Prud. Cath.* 7, 193. Explorat arte sciscitator callida, Deusne membris sit receptus terreis. *Ammian.* 22, 16. *med.* Herodianus artium minutissimus scisciator.

SCISCĪTĀTUS, a, um, part. a *sciscitor*: *πεπυσμένος*, qui interrogavit, perquisivit. *Petr. Sat.* 137. Sciscitata causam tristitiae, et ipsa flere coepit. *Suet. Cal.* 28. Revocatum quendam a vetere exsilio sciscitatus, quidnam ibi facere consuesset, etc. ℙ Item expertus. *Capitol. M. Aurel.* 5. Verus in somnis se humeros eburneos habere vidit: sciscitatusque, an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores. ℙ Passive, *ἐρωτηθείς*. *Ammian.* 25, 8. *med.* Omnium sententiis occultius sciscitatis.

SCISCĪTO, as, a. 1. idem ac sciscitor. *Pl. Merc.* 2, 3, 51. Mane: paucula etiam sciscitare prius volo. *Festus:* Sciscito, sententiam dico.

SCISCĪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *πυνθάνομαι*, *ἐξερέω*, sciendi gratia interrogo, scire laboro, percontor, quaero, scitor, inquiro: a *scio*. *Cic. N. D.* 1, 7. *med.* Epicuri ex Vellejo sciscitabor sententiam. *Tac. H.* 2, 33. Missi, qui consilium ejus sciscitarentur; et *ib.* 1, 84. Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando, res militares continentur. *Gell.* 1, 9. Pythagoras a principio adolescentes, qui se ad dicendum obtulerant, *ἐφυσιογνωμόνει:* id verbum significat, mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. ℙ Absolute. *Id.* 12, 13. Si de vetere jure discendum esset, issem plane sciscitatum ad istos, quos dicis. ℙ Cum variis particulis. *Cic. Att.* 9, 15. *med.* De Domitio, ut facis, sciscitare, ubi sit, quid cogitet. *Id. N. D.* 1, 9. Ab utroque autem sciscitor, cur mundi aedificatores repente exstiterint. *Id. Div.* 1, 34. *f.* Cum oraculum ab Jove Dodonaeo petivissent, de victoria sciscitantes. *Ter. Eun.* 3, 4. *extr.* Quidquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari. *Suet. Vesp.* 23. Sciscitans, num odore offenderetur. *Id. Ner.* 48. Sciscitans, ecquid in Urbe novi de Nerone. *Id. Vit.* 7. *extr.* Ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur. *Petr. Sat.* 37. Coepi sciscitari, quae esset illa mulier; et *ib.* 124. *f.* Sciscitantes, quod genus hominum, aut unde veniremus. ℙ Pro experiri, tentare. V. SCISCITATUS.

SCISCO, is, scivi, scitum, a. 3. *εἴδω*, *ἴσημι*, scio, novi, intelligo: unde *rescisco*: a *scio*. *Pl. Amph.* 5, 1, 17. Ocius accurro, ut sciscam, quid velit. *Id. Bacch.* 2, 3, 67. Auferimus aurum omne illis praesentibus, palam atque aperte, ut illi id factum scisceront. Adde *Accium* ap. *Non.* 10, 4. ℙ Praeterea *sciscere* est sententiam dicere, et suffragium ferre, ut docet *Fest.* in *Ni quis scivit:* ubi tradit, fuisse centuriam a Tullio rege constitutam, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua: nequis civis suffragii jure privaretur. Esse autem *ni quis scivit*, nisi quis scivit, *h. e.* si quis suffragium non tulit. Porro in ea centuria neque censebatur quisquam, neque centurio praeficiebatur, neque centurialis esse poterat, quia certus nemo erat ejus centuriae. *Id.* ℙ Frequenter ponitur pro statuere, decernere, sancire, *ψηφίζομαι*, *χειροτονέω*. Hoc fortasse ideo, quia non solet dici sententia, neque decerni, nisi de iis, quae plane sciuntur. [*Propria vox de legibus jubendis et quidem plebejis. *Schütz. cl. Cic.*] *Cic. Off.* 2, 11. Durius Athenienses, qui sciverunt, ut Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. *Cic. Phil.* 1, 10. *med.* Cedo illa legitima: Consules populum jure rogaverunt, populusque jure scivit. *Id. Balb.* 11. Si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive R., ut sit civis Gaditanus. *Id. Fl.* 7. Quae scisceret plebs, aut quae populus juberet, juberi, vetarique voluerunt. *Liv.* 26, 33. *med.* Ut tribunus plebis rogationem ferret, sciretque plebs, ut, etc. *sciret* pro *sciscceret:* nam et *scio* pro *scisco*. *Paul. Dig.* 46, 3, 98. *extr.* Lex XII. Tab. tignum aedibus junctum vindicare posse scit: sed interim id solvi prohibuit. *Gronov.* tamen ap. *Liv.* mallet *sciscceret*. Passive. *Cic. Leg.* 2, 5. *f.* Multa perniciose sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si, etc. ℙ *Sciscere legem, rogationem*, est ferre, et suffragio suo comprobare. *Cic. Planc.* 14. *f.* Plancius primus scivit legem de publicanis. *Id. Prov. cons.* 15. Simul ostendit, eam se sciscere legem, quam esse legem neget. *Id. Leg.* 3, 15. Suffragia in magistratu mandando, aut reo judicando, aut lege, aut rogatione scienda, palam ferre; et *ib.* 3. *f.* Creatio magistratuum, judicia, populi jussa, cum suffragio sciscentur, plebi libera sunto. Alii leg. *sciscetur:* alii *conciscentur*. [*ita *Orell.*, q. v.] ℙ Cum inf. *Sil.* 7, 543. nunc munera Martis Aequent imperio, et solem concedere nocti Sciscant, *h. e.* decernant par imperium Minucio magistro equitum cum Fabio dictatore. ℙ *Sciscor* etiam pro *scisco* deponent. forma dixere veteres, teste *Prisc.* 8, 799.

[SCISSĪBĬLIS, e, adj. idem ac scissilis. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Cum sit omnis spuma levis, atque fistulosa, et facilitate scissibilis, solubilis. *F.*]

SCISSĬLIS, e, adj. *εὐκέαστος*, *εὐδιαίρετος*, qui facile scinditur, et frangitur, fissilis. *Cels.* 5, 2. et 6, 11. Alumen scissile: *στυπτηρία σχιστή*. (*Colum.* 6, 13. et *Plin.* 23, 6, 58. vocant *scissum:* quia in capillamema quaedam canescentia dehiscit. V. *Plin.* 35, 15, 52.) *Appul. Met.* 1. Homunculi scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti, *h. e.* scisso, lacero. *Veg. Vet.* 2, 47. Fracturam compones, et fasciis mundis scissilibus, infusis ex vino et oleo conligabis, *h. e.* pannis laceris.

SCISSĬM, adv. a *scindo*. *Prud. Dittoch.* 34. Ecce Dei famulis scissim freta rubra dehiscunt, *h. e.* scindendo se et aperiendo.

SCISSĬO, onis, f. *τμῆσις*, actus scindendi, divisio. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *in.* Dyas cum quinario aptissime jungitur, dum hic ad errantes, ut diximus, ad coeli zonas ille referatur: sed ille ratione scissionis, hic numero.

*SCISSĬS, is, opp. Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, non procul a montibus Pyrenaeis. *Liv.* 21, 60. *extr. B. A.*

SCISSOR, oris, m. *χειρονόμος*, qui scindit, et speciatim qui scindit obsonia in mensa, carptor, structor. *Petr. Sat.* 36. Processit statim scissor, et ad symphoniam gesticulatus laceravit obsonium. V. SCINDO *f.* ℙ [Est etiam *scissor* inter gladiatores, isque videtur esse, qui jacentium cadavera ictibus dissipabat, ne quis simulata morte deluderet, ut *Lactant.* 6, 20. ait. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 40. *n.* 203. et p. 62., eaque emendatior ap. *Lupul. Iter. Venus.* p. 330. Scissor. M. Caecilius T., *h. e.* tiro. *F.*]

SCISSŪRĂ, ae, f. *σχίσις*, divisura, rima, scissio, hiatus. *Plin.* 11, 28, 34. Pennae insectis omnibus sine scissura. *Id.* 31, 7, 39. Sal probatur quam maxime perspicuus, rectis scissuris. *Pall.* 6, 12. Lateres, qui aestate fiunt, celeritate fervoris in summa cute siccantur, interius humore servato: quae res scissuris eos faciet aperiri. *Sen. Q. N.* 6, 2. Unguiculi nos, et ne totius quidem, dolor, sed aliqua a latere ejus scissura conficit.

SCISSUS, a, um, part. a *scindo*: *σχισθείς*, *σχιστός*, fissus, ruptus, fractus, discissus, laceratus, divisus. *Liv.* 3, 58. *med.* Scissa veste tergum laceratum virgis ostendit. *Petr. Sat.* 89. Scissa robora. *Plin.* 11, 24, 28. de araneo: Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens, *h. e.* loca scissa in tela. *Tibull.* 1, 11, 53. scissosque capillos Femina, perfractas conqueriturque fores. *Virg. A.* 9, 478. Scissa (*mater*) comam; [*Cf. *Lucan.* 2, 37.] et *ib.* 8, 702. Et scissa gaudens vadit Discordia palla. *Ov. Ib.* 282. Viscera diversis scissa ferantur equis. *Stat. Th.* 4, 660. portant Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas, *h. e.* pelles luporum, et ursarum coria detracta. *Mart.* 12, 62. Scissa humus ad Manes, *h. e.* effossa, perfossa. *Sen. Troad.* 178. Tum scissa vallis aperit immensos specus, *h. e.* diducta ac dehiscens; et *ib.* 931. Rupes latere scisso, *h. e.* abrupto. *Prop.* 2, 14, 8. Et faceret scissas languida ruga genas. Sic *Mart.* 14, 60. Scissus venter: at in *Catal. Virg.* 5. *scissus venter*, est podex diffututus. *Plin.* 25, 5, 21. Folia platano similia, sed pluribus divisuris scissa; et 14, 2, 4. *n.* 2. Vitis folio minus scissa. *Id.* 11, 37, 50. Cervis aures scissae, ac velut divisae. *Colum.* 6, 13. Scissum alumen. V. SCISSILIS. *Lucan.* 4, 142. amnis Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis, Dat poenas majoris aquae, *h. e.* in multos rivos derivato ac diviso; et *Prop.* 3, 10, 28. alternas scissa Charybdis aquas, *h. e.* cujus aquae alternis scinduntur, et in diversa refluunt. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 57. Vocum plura genera, laeve, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, inflatum. *Quint.* 11, 3, 20. Faucium vitio et frangitur, et obscuratur, et exasperatur, et scinditur vox; et *mox:* Finditur etiam spiritus objecto aliquo, sicut lapillo tenues aquae, quarum fluxus etiam si ultra paulum coit, aliquid tamen cavi relinquit post id ipsum quod offenderat. [*Scissum vocis genus alii voluerunt esse, ut I. A. *Ernestius, das Lispeln*, alii, ut *Schellerus, die unterbrochne nicht in einem fortgehende Stimme*. Neutrum vero probari potest: scissum vocis genus est: *der hölzerne Ton, ohne Klang und Metall*. Cf. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 180. sq. Cui assentitur *Schütz.*]

SCISSUS, us, m. scissio. *Gloss. Philox.* Scissus, *σχίσμα*. *Varroni* quoque tribuunt his verbis: Scissu materiae fatigatus quiescebat lectulo. Ita *Sipontinus.*

SCĪTĀMENTĂ, orum, n. plur. *ἡδύσματα*, scita edulia: a *scitus* pro pulcro, quod sint saporis egregii et praecellentis. *Macr. Sat.* 7, 14. Apud popinatores pleraque scitamentorum cernimus, proposita ampliora specie, quam corpore. *Pl. Men.* 1, 3, 26. Aliquid scitamentorum de foro obsonarier. Alii aliter leg. [*Mattius* ap. *Gell.* 20, 9. *f.* Dein coquenti vasa cuncta dejectat, Nequamve scitamenta pipulo poscit. *Appul. Met.* 10. Scitamenta mellita. *F.*] ℙ Translate ornamenta orationis. *Gell.* 18, 8. *Ὁμοιοτέλευτα, καὶ πάρισα, καὶ ὁμοιόπτωτα*, ceteraque hujusmodi scitamenta, quae isti *ἀπειρόκαλοι* in collocandis verbis immodice faciunt.

SCĪTĀTĬO, onis, f. πεῦσις, sciscitatio, interrogatio. *Ammian.* 18, 5. Commeatuum copiae an abunde suppetant, indefessa scitatione percontans.

SCĪTĀTOR, oris, m. qui interrogat, et sciscitatur. *Ammian.* 22, 8. Scientissimi scitatores. Alii leg. *scrutatores.*

SCĪTĒ, adv. ἐπιστημόνως, ἐμμελῶς, docte, scienter, cordate, perite: cui *inscite* opponitur. *Pl. Trin.* 3, 3, 56. Satis scite et probe. *Tac. H.* 3, 62. Mimos actitavit scite magis, quam probe. *Liv.* 10, 19. Scite loqui. *Sen. ep.* 9. Si exprimere ἀπάθειαν uno verbo scite voluerimus. *Cic. Pisc.* 25. *f.* Rationes ita sunt perscriptae scite et litterate, ut, etc. [**Id. Leg.* 1, 13. (Academia recens) si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas.] *Gell.* 12, 13. *med.* Scite perquam, atque enucleate disputare. *Id.* 1, 1. Scite subtiliterque ratiocinari. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. *med.* Capella scite facta et venuste; et *Fam.* 11, 16. Ille, cui mandavi, satis scite et commode tempus ad te cepit adeundi; [**Liv.* 10, 18. quam quod ductu consulis quidquam ibi satis scite — aut fortunate gestum sit.] et *Ter. Heaut.* 4, 5, 16. At si scias, quam scite in mentem venerit. *Chre.* Vah! gloriare evenisse ex sententia? et *Cic. Verr.* 2, 4, 24. *f.* Tum illa ex patellis et turibulis quae vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres. *Sall. Jug.* 90. Sordidum me, et incultis moribus ajunt, quia parum scite convivium exorno, etc. *h. e.* eleganter, exquisite. *Liv.* 4, 44. *f.* Vestalem absolutam pro collegii sententia, pontifex maximus abstinere jocis, colique sancte potius, quam scite jussit; et *Plin.* 36, 22, 48. Scite dictum est, ad tecta eos pice, ad vinum calce uti, *h. e.* commode, acute, sapienter. *Gell.* 4, 11. *med.* Qui diligentius scitiusque carmina Empedoclis arbitrati sunt. Est qui leg. *anquisitiusque. Pl. Stich.* 1, 3, 115. Vinum poculo pauxillulo saepe exanclavit submersum scitissime.

SCĪTO, as, a. 1. frequent. a *scio. Ammian.* 30, 5. *med.* Genuino percontando sermone, quos non scitabat. Alii rectius leg. *quos noscitabat.*

SCĪTOR, aris, dep. 1. idem ac sciscitor: a supino *scitum* verbi *scio. Cic. Or.* 16. Non te id scitari, qualem esse oratorem vellent, sed id mihi quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum judicarem. *Hor. Ep.* 1, 7, 60. Scitari libet ex ipso. *Virg. A.* 2, 114. Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi Mittimus. *Ov. Met.* 10, 357. scitatur ab ipsa, Nominibus dictis, cujus velit esse mariti; et *ib.* 564. Scitari quempiam de re aliqua; [*Monet *Burm.* ad h. l. proprium esse *scitari* de consulentibus oracula.] et *ib.* 11, 622. Quid veniat, scitatur; et *ib.* 2, 511. causamque viae scitantibus infit.

SCĪTŬLĒ, adj. scite, apte, perite, venuste: dimin. a *scite. Appul. Met.* 2. Diribitores splendide amicti, fercula copiosa, puellae scitule ministrantes; et *ib.* 7. Tuceta concinnat, apponit scitule; et *ib.* 10. Gradus scitule referens.

SCĪTŬLUS, a, um, adj. scitus, aptus, venustus: dimin. a *scitus. Pl. Rud.* 2, 7, 7. Mulierculae qua sunt facie? *Sce.* scitula; et 4, 1, 3. Ambae forma scitula, atque aetatula. *Arnob.* 5, 179. Scituli pusiones. *Appul. Met.* 1. Ad quandam cauponam, Meroen nomine, anum, sed admodum scitulam, devorto.

SCĪTUM, i, n. ψήφισμα, decretum, jussum: a *sisco. Cic. Balb.* 18. Cum scita ac jussa nostra sua sententia comprobat. *Id. opt. gen. Or.* [*7, 19.] De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, ut corona aurea donaretur. *Liv.* 1, 20. *med.* Cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subjecit. ℙ *Festus:* Scitum populi dicebatur, quod sine plebe cunctus patricius ordo suis suffragiis jussit. Quod autem aliquo interrogante ex patribus, et plebe suffragante, scitum esset, id jam leges scriptae dicebantur. Sed illud plebiscitum est, quod tribunus plebis sine patriciis plebem rogavit, id est consuluit, plebesque scivit: plebes autem est omnis populus praeter senatdres et praeter patricios. Haec *Festus. Liv.* 31, 50. *f.* Et de altero aedile scitum plebis est factum, rogantibus tribunis. *Id.* 22, 26. Scitique plebis unus gratiam tulit. *Plin.* 14, 22, 28. Scito legum diligenti contra bibendi fallacias. ℙ Translate *scitum* est placitum, dogma, ἀξίωμα. *Sen. ep.* 95. Nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quae Graeci vocant *δόγματα:* nobis decreta licet appellare, vel scita, vel placita.

SCĪTUS, a, um, part. a *scio:* συνετός, εἰφυής, doctus, scius, peritus, ingeniosus, acutus. [*Goerenzius* ad *Cic. Fin.* 1, 14. putat, *scientem* a *scito* ita differre, ut *sciens* sit is, qui quam maxime scit ardetem vel scientiam aliquam: *scitus* vero, qui quod sciat, rite applicare possit. *F.*] *Pl. Amph.* 1, 3, 8. Nimis hic scitus est sycophanta. *Id. Ps.* 1, 3, 151. Homo astutus, doctus, scitus, et callidus. *Id. Cas.* 3, 1, 8. Nimium scite scitus es. *Gell.* 13, 4. Mulier scita atque prudens. *Enn.* ap. *Fest.* Scitus agaso; et *Ov. Met.* 9, 108. Nessus adit membrisque valens, scitusque vadorum. *Id. Fast.* 5, 54. curvae scita Thalia lyrae. *Sil.* 17, 292. Dux vetus armorum, scitusque accendere corda Laudibus. *Pl. Most.* 1, 3, 101. Cedo purpurissum. *Sca.* non do. Scita es tu quidem: nova pictura interpolare vis opus lepidissimum. *Id. Ps.* 2, 4, 58. Ecquid is homo scitus est? *Cha.* plebiscitum non est scitius: ψυχρὰ ἐψῆ. [**Liv.* 35, 49. Scitus convivator, i. e. elegans, scite apparans coenam.] ℙ Hinc *scita* dicuntur quaecumque docte, perite, ingeniose, acute facta, aut dicta. *Id. As.* 4, 1, 57. Pulcre scripsisti: scitum syngraphum! et *Stich.* 1, 3, 30. Oratio optima et scitissima. *Cic. N. D.* 1, 33. *med.* Scitus sermo et Attieus. ℙ *Scitum dictum*, sapienter, acute, commode dictum. *Tac. A.* 6, 20. Unde scitum Passieni dictum *(de Caligula)* percrebuit, neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse. *Cic. Div.* 2, 24. Vetus illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se ajebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. *Id. Or.* 16. Cum autem, quid, et quo loco dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quonam modo: scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmidam autem etiam eodem modo dicere. ℙ *Scitum est*, res est ingeniosa, mira, et scitu digna. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 1. Scitum est, inter Protogenem, et eum *(Apellem)* quod accidit. ℙ *Scitum est*, sapientis est, optimum est. *Ter. Heaut.* 1, 2, 35. Hoc scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet. *Id. Ph.* 5, 4, 2. Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates, quas, cum res adversae sient, paulo mederi possis! *Cic. Or.* 3, 61. Scitum est enim, causam conferre in tempus, cum afferre plura, si cupias, non queas. ℙ Est etiam *scitus* pulcher, venustus, elegans. *Ter. Andr.* 3, 2, 6. Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo. Ubi *Donat.* elegans, pulcher, quod Graeci κόσμιον dicunt. *Pl. Men.* 4, 4, 15. Satis scitum filum mulieris. *Festus:* Scita facies, bona facies. *Lampr. Commod.* 2. *f.* Mulierculae formae scitioris. V. PICTURA. ℙ Item accommodatus, aptus, opportunus, idoneus. *Pl. Amph.* 1, 1, 132. Haec nox scita est exercendo scorto conducto male. *Gell.* 18, 5. Voce admodum scita et canora Ennii Annales legere. ℙ Mulieres et meretrices scitum vocant τὸν ἄνδρα ἐν τῇ συνουσίᾳ ἰσχυρὸν, καὶ ἔμπειρον. V. PROELIUM. *Pl. Truc.* 5, 42. Quamquam hic horridus est, quamquam hic squalidus est, scitus bellum init. Contra *inscitus*, tardus, ignavus, segnis. *Id. Merc.* 5, 4, 57. Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus scortarier, cum eo nos hic lege agemus, inscitum arbitrabimur. [Sed *Bothe* in priori loco ex MS. pro *scitus bellum init* edidit *at est bellus mihi. F.*] ℙ *Scitus* a *scisco*, decretus, constitutus. *Cic. Leg.* 1, 15. Illud stultissimum, existimare omnia justa esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus. V. v. praec.

[SCĪTUS, us, m. idem ac scitum. *Liv.* 25, 7. Comitia de senatus sententia, plebisque scitu sunt habita. *Cic. Att.* 4, 2. Si neque populi jussu, aut plebis scitu id facere jussus esset. V. PLEBISCITUM.

SCĪŪRUS, i, m. σκίουρος, silvestre animal ex genere murium: a σκιὰ, umbra, et οὐρὰ, cauda, quia villosa cauda in aestu sibi umbram facit. *Plin.* 8, 38, 58. Provident tempestatem si sciuri, obturatisque, qua spiraturus est ventus, cavernis, ex alia parte aperiunt fores: de cetero ipsis villosior cauda pro tegumento est. *Id.* 11, 43, 99. Sciuri admovent cibum ad os pedibus prioribus. *Mart.* 5, 37. Cui *(puellae)* comparatus indecens erat pavo, Inamabilis sciurus, et frequens phoenix. Hic patet, hoc animal apud Romanos in deliciis habitum fuisse.

SCĪUS, a, um, adj. idem ac sciens, scitus, doctus, peritas, εἰδὼς, ἐπιστήμων. *Non.* 5, 29. Scius, et conscius hoc differunt, quod scius secum, conscius cum alio scius est: licet conscium indifferenter positum legerimus. *Lactant.* 3, 24. *f.* Puto, eos prudentes et scios mendacia defendenda suspicere. *Id.* 2, 14. Daemonas dici ajunt, quasi δαήμονας, id-est peritos, ac rerum scios. *Pacuv.* ap. *Prisc.* 4, 634. Postquam defessus perrogitando advenas de natis, neque quemquam, invenit scium. *Petr. fragm. Trag.* 63. *Burm. f.* Sunt mulieres plus sciae. *Macr. Sat.* 6, 9. Lucilius namque vir apprime Latinae linguae sciens.

SCLOPPUS. V. STLOPPUS.

*SCOA, locus Alexandriae. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 1, 27. ed. *A. Maio. B. A.*

SCOBĪNA, ae, f. ῥινὴ, instrumentam, quo fabri lignarii utuntur ad abradendum, ut *lima*, quo ferrarii: a *scobs. Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Scobina a scobe: lima enim materiae fabrilis est. Plautus in Nervolaria: Scobinam ego lima actutum adrasi. *Plin.* 11, 37, 68. *extr.* Novissima asperitas *(in stomacho testudinis)*, ut scobina fabri. *Tert. Apol.* 12. Ungulis deraditis latera Christianorum; at in Deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciae, et runcinae, et scobinae.

SCOBIS et Scobs, bis, f. ῥίνημα, id quod ab aliqua materia minutissimum decidit, dum lima aut scobina raditur, vel serra secatur, vel terebra perforatur, vel aliquo corpore atteritur. Quomodo a ramentis differat, in ea voce dictum est. Dictam putant quasi *scabis* a *scabendo.* Quae ex auro est, Italice *calia* dicitur. *Cels.* 5, 5. Purgant ficus arida, coccum Gnidium, scobis eboris, etc. *Id.* 8, 2. *med.* Finis vitii *(in osse)* est, ubi scobis nigra esse desiit. *Colum.* 4, 29. *f.* Antiqua terebra scobem faciebat; et *mox:* Scobis nunquam sic eximebatur, ut non inhaereret foramini. *Id.* 7, 10. *med.* Nauseantibus salutaris habetur eburnea scobis sali fricto commista. *Id.* 12, 43. *med.* Populnea vel abiegna scobe virides uvas custodire. *Plin.* 34, 11, 26. Scobem aeris delimatam aceto spargere. *Lampr. Elag.* 31. *f.* Scobe auri porticum stravit, et argenti, dolens quod non posset et electri. *Hor. Sat.* 2, 4, 81. Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus Consistit sumptus! *scil.* ad tergenda marmora, pavimenta, mensas. Sic *Juven.* 14, 67. et tamen uno Semodio scobis haec emendat servulus unus. *Plin.* 30, 4, 10. Scobem cutis in facie oesypum extenuat, *h. e.* furfures, aut aliquid simile. ℙ Usurpatur et masc. gen. *Vitr.* 8, 3. *med.* Scobe citreo. *Pall.* 3, 17. Educto omni scobe. ℙ Rectus casus *scobs*, ut *scrobs*, agnoscitur a *Prisc.* 7, 751.

[SCODRENSIS, e, adj. ad Scodram, Graece Σκόδραν, pertinens, Illyrici urbem, nunc *Scútari*, cujus meminit *Liv.* 44, 31. *Inscr.* ap. *Grut.* 163, 3. Resp. Scodrensis. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 25. Domo Daciae regione Scodrihese. Ita sculptum pro *Scodrense* vel *Scodriense.* ℙ *Scodrenses, ium*, absolute sunt incolae urbis Scodrae, ap. *Liv.* 46, 26. *F.*]

SCOLĔCĬĀ, ae, f. aerugo in aere Cyprio. *Plin.* 34, 12, 28. Est et alterum genus aeruginis, quam vocant scoleciam: in Cyprio aere hoc, trito alumine, et sale, aut nitro pari pondere, cum aceto albo quam acerrimo; teritur autem, donec viride fiat, contrahatque se vermiculorum specie; unde et nomen; et *mox:* Scolecia fit et per se, derasa ab aerario lapide. *Scoleca* leg. alii priore loco, ut sit accusat. a recto *scolex*, quod est a Graeco σκώληξ, vermiculus. Ex hac mixtura fit color, qui Italis dicitur *verde grigio.*

SCOLĔCĬON, ii, n. σκωλήκιον, genus cocci, quo vestes tinguntur. *Plin.* 24, 4, 4. de cocco: Est genus ex eo in Attica fere et Asia nascens, celerrime in vermiculum se mutans: quod ideo scolecion vocant, improbantque.

SCOLĪBROCHON, i, n. σκολίβροχον, herba, quae et callitrichon, et scolopendrion, et capillus Veneris dicitur. *Appul. Herb.* 47. V. ADIANTUM.

SCOLĬUS, ii, m. σκολιὸς, dicitur per metricus, frequentiori appellatione amphibrachys, ex brevi, longa, et brevi constans, ut *amoenus, renidet:* a σκολιὸς, tortuosus, obliquus, quia aptus est cuidam carmini convivali, quod dicebatur σκόλιον, et a conviva primo coeptum, non a proximo, sed flexuoso circuitu ultro citroque excipiebatur. *Diomed.* 3, 475.

[SCOLOPAX, ācis, m. σκολόπαξ, et ἀσκαλώπαξ, avis gallinae corpore et moribus, rostro praelongo, arbori nunquam insidens, eadem ac rusticula. V. RUSTICULUS. *Nemes. fr. de aucup.* 2, 3. praeda est facilis, et amoena scolopax. ℙ Secundam syllabam nimis licenter hic auctor produxit, vel alterum vocem Graecam secutus est. *F.*]

SCOLOPENDRA, ae, f. σκολοπένδρα, insectum octipes venenatum, cujus in altero extremo, quod caudae loco habet, supereminet corniculum, quasi surculus impactus, a quo nomen creditur accepisse, nempe quasi ἔχων σκόλοπα ἐν τῇ ὀυρᾷ. *Plin.* 8, 29, 43. Et a scolopendris abactos Rhoetienses auctor est Theophrastus. ℙ *Scolopendra* item piscis marinus est. *Id.* 9, 43, 67. Scolopendrae terrestribus similes, quas centipedas vocant, hamo devorato omnia interanea evomunt, donec hamum egerant: deinde resorbent.

SCOLOPENDRĪUM, ii, n. σκολοπένδριον, genus herbae. V. SCOLIBROCHON.

*SCOLUS vel Scolos, i, m. Σκῶλος, opp. Boeotiae. *Plin.* 4, 7. *Stat. Th.* 7, 3. et 266. Cf. *Homer. Il.* B. v. 497. ℙ Scolos duos, unum vicum, alterum oppidum, memorat *Strabo.* ℙ Scolus, vermis (convenire videtur hoc nomen cum Graeco σκώληξ). *Theodulf. Paraen.* Corpus squalebit scolis olidum. V. *Reines.* ad *Daum. ep.* 23. *B. A.*

SCOLYMOS, i, m. σκόλυμος, genus cardui silvestris. [*Cynara cardunculus, *L. Kardone.*] *Plin.* 20, 23, 99. Carduorum silvestrium genera sunt duo: unum fructicosius a terra statim, alterum unicaule crassius. Utrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus: sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescentem, et abeuntem cum aura: scolymon Graeci vocant. *Id.* 22, 22, 43. Scolymon quoque in cibos recepit Oriens, et alio nomine limoniam appellat. Frutex est nunquam cubitali altior, cristisque foliorum ac radice nigra, sed dulci, Eratostheni quoque laudata in pauperis coena. V. LIMONIA.

SCOMBER, bri, m. σκόμβρος, genus piscis marini vilioris. [*Scomber *Scomber*, *L. Makrele.*] *Plin.* 32, 11, 53. Scomber, salpa, sparus, etc. *Id.* 9, 15, 19. Cum thynnis pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim, et primi omnium scombri, quibus est in aqua sulphureus color, extra qui ceteris. *Id.* 31, 8, 43. Garum ex scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariae cetariis. Scombros quidem et Mauretania, Baeticaeque Carteja,

ex Oceano intrantes capiunt ad nihil aliud utiles. *Mart.* 13, 102. Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe faecosum, munera cara, garum. *Id.* 3, 50. scombris scelerata poemata donas, *h. e.* chartis poematum involucra facis scombris et id genus vilissimis piscibus; et 4, 87. ad libr. suum.: Nec scombris tunicas dabis molestas. (Adde *Catull.* 95, 8.) *Pers.* 1, 43. nec scombros metuentia carmina, nec tus.

SCOMMĂ, ătis, n. σκῶμμα, dictum, dicterium, salsus jocus, cavillatio: Graeca vox a σκώπτω, cavillor, salibus utor. Agit de eo *Macr. Sat.* 7, 3., ubi sic definit: Sunt duo apud Graecos nomina, λοιδορία, et σκῶμμα, quibus nec vocabula Latina reperio, etc. V. LOEDORIA; et *mox:* Scomma enim paene dixerim morsum figuratum, quia saepe fraude, vel urbanitate tegitur, ut aliud sonet, aliud intelligas. Nec tamen semper ad amaritudinem pergit, sed nonnunquam his, in quos jacitur, et dulce est. Pergit deinde *Macr.* discrimen inter loedoriam, et scomma, allatis quoque exemplis, exponere: quae legisse non poenitebit.

*SCOMMATĪCE, adv. per scomma. *Saris. Metal.* 1, 5. Si quid scommatice magis aut loedorice in eos dici potest. *Id. ep.* 237. Scommatice aliquid retorquere. *B. A.*

[SCOPA, ae, f. σκοπή, speculatio. *Capell.* 8, 274. loquitur Astronomia: Utinam nullae me in Graecia terrestres illecebrae, nec jactantes crinitorum scopas palliolos (Grotius *scopae palliolis*) non tegendam potius, quam divulgandam cognovissent. ℙ [Est etiam nomen propr. R., et *Scope, enis*, declinatur, ut alia multa cadentis Latinitatis tempore. *Inscr.* ap. *Donat.* 431, 7. Scopeni ann. XI. . . Rapta Scope nunc legor in titulo. *F.*]

SCOPAE, arum, f. plur. [*De singul. v. infra. Proprie signif. manipulum herbarum, aut virgultorum, ramulorum, fruticum, instar scoparum colligatum.] *Ammian.* 24, 15, 80. Chamaedrys incipientibus hydropicis efficax, manualibus scopis ejus in tribus heminis aquae decoctae usque ad tertias. *Id.* 20, 22, 89. Scopae marrubii. *Id.* 22, 18, 21. origani. *Id.* 14, 16, 19. *n.* 5. absinthii in vinum additae. *Hirt. B. Afr.* 47. *med.* Pauci sub pellibus acquiescebant: reliqui, ex vestimentis tentoriolis factis, atque ex arundinibus scopisque contextis, permanebant. ℙ In asparagis *scopae* sunt, cum in tenues multosque ramusculos abeunt. *Pall.* 3, 24. *med.* Asparagi radices annis omnibus incendamus in scopis, ut fructus frequentior surgat, et fortior. *Id.* 4, 9. *med.* Postea scopas ejus incendes: tunc circa hiemem spongiis adjicies stercus et cinerem. *Colum.* hanc eandem rem docens 11, 3. *med.* scopiones vocat. [*ℙ Hinc] κόρος, κάλλυντρον, σάρωθρον, instrumentum, quo verrimus, et sordes cumulando purgamus. *Pl. Stich.* 2, 2, 23. Munditias fieri volo: efferte huc scopas, simulque arundinem; et *ib.* 27. Cape illas scopas: hoc egomet, tu hoc converre. *Petr. Sat.* 34. Argentum inter reliqua purgamenta scopis coepit verrere. *Hor. Sat.* 2, 4, 81. Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus Consistit sumptus! *Cato R. R.* 152. Scopae virgeae. *Mart.* 14, 82. In pretio scopas testatur palma fuisse. *Plin.* 23, 9, 83. Castor oxymyrsinem myrti foliis acutis, ex qua fiunt ruri scopae, ruscum vocavit. *Id.* 16, 26, 45. Tamarix scopis tantum nascens. *Ammian.* 28, 1. *med.* In id tempus scopae florere sunt visae, quibus nobilitatis curia mundabatur: idque portendebat, extollendos quosdam despicatissimae sortis ad gradus potestatum excelsos. ℙ Translate *scopae* dicuntur arborum rami, quibus bombyx telam suam affigit et distendit. V. BOMBYX. *Tert. Pall.* 3. Bombyx, quae per aerem liquando araneorum more scopis idonius sedes tendit. Alii pro *more scopis* leg. *horoscopis*, h. e. araneorum telis, quae quodammodo horoscopi seu solaris horologii formam repraesentant. ℙ *Scopas dissolvere*, proverbio dicitur, rem aliquam prorsus inutilem reddere: nam scopae solutae nullae sunt. *Cic. Or.* 71. Isti autem cum dissolvunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum est, nisi abjectum; non clypeum, sed, ut in proverbio est (etsi humilius dictum est, tamen simile est), scopas, ut ita dicam, mihi videntur dissolvere. ℙ Hinc *scopae solutae* de homine nihili. *Id. Att.* 7, 13. *med.* L. Caesarem vidi Minturnis cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas. ℙ Enumeratur a grammaticis inter feminina semper pluralia. Dicimus tamen et *scopa*, inquit *Charis.* 1, 20., sed nullo allato exemplo. Fortasse respexit ad *scopam regiam*, de qua mox. Habetur etiam *Isaiae* 14, 23. Scopabo eam in scopa terens; et *Gloss. Philox.* Scopa, σάρωθρον, σάρον. Sed haec non imitanda: nam *scala* et *scopa* vitiosa sunt, et barbarismi, monente *Quint.* 1, 5, 16. ℙ *Scopa regia* herba est, similis Achilleo, sed latioribus foliis. [*Cheropodium Scoparia, *Spreng.*] *Plin.* 21, 6, 15. et 25, 5, 19.

SCOPĀRĬUS, ii, m. servus, cujus ministerium est, ut deverrat pavimenta sordentia. *Ulp. Dig.* 33, 7, 8. Quibusdam in regionibus accedunt instrumento, si villa cultior est, etiam atrienses, et scoparii.

SCOPAS, ae, m. Σκόπας, celebris statuarius, qui floruit Olympiade LXXXVII., teste *Plin.* 34, 8, 19. et *ib.* 19. *n.* 33. Laudatur ab *Hor. Od.* 4, 8, 6. et *Mart.* 4, 39. *Adde *Cic. Div.* 1, 13. ℙ Alius, Syracusius, plinthii inventor. *Vitr.* 9, 9. (al. 8.) *in.* ubi *Schneiderus* habet *Scopias.* ℙ Scopas, Thessalus, a Simonide victor laudatus, sordidum se praebet. *Cic. Or.* 2, 86. *Phaedr.* 4, 24, 5. *Quint.* 11, 2. ℙ Alius, Aetolus, Ptolemaeo Epiphani opem fert. *Liv.* 26, 24. *B. A.*

SCOPES, um, f. plur. σκῶπες. *Plin.* 10, 49, 70. Nominantur ab Homero (*Odyss. V*, 66.) scopes, avium genus: neque harum satyricos motus, cum insidentur, plerisque memoratos, facile conceperim mente: neque ipsae jam aves noscuntur.

SCOPĬO, onis, et Scopus, i, m. κρεμαστήρ, pediculus, cui uvae acinum adhaeret. *Varr. R. R.* 1, 54. Quae calcatae erunt uvae, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum, ut, si quid reliqui habeant musti, exprimatur; et *ib.* 2, 4. *med.* Dari solent porcellis vinacea ac scopi ex uvis. *Cato R. R.* 112. Tum acina de uvis miscellis decerpito de scopione. Alii leg. *scopio*, ut sit *scopium, ii.* Alii *scopis. Colum.* 12, 39. *med.* Ubi satis corrugata erunt acina, demito, et sine scopionibus in dolium conjicito; et *ib.* 43. *f.* Modice separatis scopionibus, resolutaque intrita folliculorum; et 11, 3. *med.* Scipiones, ita uti sunt, in suo loco perurendi sunt, *h. e.* cauliculi, seu stili asparagorum. *Petr. Sat.* 22. Non sentientis labra humerosque scopionibus pinxit. Alii ap. *Colum.* et *Petr. l. c.* perperam leg. *scipionibus.*

SCOPĬUM. V. in v. praec.

*SCOPĬUS, i, m. mons Thraciae, non procul a Rhodope monte. *Plin.* 4, 10. ℙ Et flumen Bithyniae. *Id.* 5, 32. *B. A.*

[SCOPO, as, avi, a. 1. scopis everro, purgo. Translate. *Hieron.* in *Isai.* 6, 14, 23. Clementissimus Dominus scopavit eam (*Babylonem*) vehementissime terens, et quasi quodam verriculo ad purum usque mundavit. Sic *Aristoph.* in *Εἰρήν.* v. 58. *Μὴ κόρει τὴν Ἑλλάδα, h. e.* ne scopes Graeciam. *F.*]

SCOPTŪLA operta. V. SCUTULUM.

SCOPŪLA, ae, f. κόρηθρον, parvae scopae. *Cato R. R.* 26. Dolia extergeantur: privasque scopulas in dolia facito habeas illi rei. *Colum.* 12, 18. *med.* Dolium ferventissima pice infusa, novo alio rutabulo et scopula picatur; et *ib.* 38. *med.* Scopulis aridae myrti seria suffricatur.

SCOPŪLOSUS, a, um, adj. scopulis abundans, petrosus, σκοπελώδης. *Cic. Or.* 3, 19. Mare inferum scopulosum atque infestum. *Lucan.* 2, 619. Hinc illinc montes scopulosae rupis aperto Opposuit natura mari. *Stat. Th.* 4, 102. scopulosa Pylene. *Sil.* 7, 274. scopulosi vertice colles; et 15, 305. scopulosis Neriton arvis. *Plin.* 6, 18, 22. Gangen cum magno fragore ipsius statim fontis erumpere, dejectumque per scopulosa et abrupta, etc. *Stat. Ach.* 1, 56. scopulosaque cete, Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur, *h. e.* instar scopuli in mari exstantia: vel squamis praeduris et conchis obsita, atque aspera. Est qui mallet *scruposa.* ℙ Translate est difficilis, periculosus. *Cic. Div. Verr.* 11. *f.* Intelligo quam scopuloso difficilique loco verser.

SCOPŬLUS, i, m. σκόπελος, rupes, saxum, eminens, sive in mari, sive in monte, sive alibi: a voce Graeca allata, quae a σκοπή, specula: quia ex scopulo circumspici late potest. *Phaedr.* 2, 6. suadet (*aquilae*), ut scopulum super Altis ab astris duram illidat corticem. *Virg. A.* 12, 531. Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi Excutit, effunditque solo. *Id. ib.* 8, 192. de spelunca Caci: et ingentem scopuli traxere ruinam. *Id. ib.* 4, 445. de quercu: Ipsa haeret scopulis, et quantum vertice ad auras, etc. *Id. G.* 3, 253. Non scopuli rupesque cavae, atque objecta retardant Flumina. *Sil.* 10, 263. Cum videt in scopulo rorantem saxa cruore, Torvoque obtutu labentem in Tartara Paulum. (*Liv.* 22, 49. Cum L. Aemilium sedentem in saxo cruore oppletum vidisset.) ℙ De saxis et lapidibus majoribus. *Val. Fl.* 6, 384. machina muri, Quae scopulis trabibusque diu, confectaque flammis Procubuit tandem, *h. e.* ingentibus saxis tormento militari in eam emissis. *Stat. Th.* 7, 665. in haec ultro scopuli venere volentes, *h. e.* saxa ab Amphione sono testudinis tracta. Sic *Val. Fl.* 6, 632. velut hiberno proruptus ab arcu Imber agens scopulos, *h. e.* saxa volvens torrentibus aquis. *Prud. περὶ στεφ.* 7, 75. suspendar Summo gurgite fluminis, Cum scopulum collo traham. ℙ De saxis eminentibus in mari, aut litore. *Caes. B. C.* 3, 27. Ut ex magno remigum numero pars ad scopulos allisa interficeretur. *Virg. A.* 1, 149. acuto Detrudunt naves scopulo; et *ib.* 5, 270. saevo e scopulo multa vix arte revulsus, Amissis remis, atque ordine debilis uno, Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat. *Id. ib.* 3, 536. Turriti scopuli; et 7, 588. pelagi rupes sese, multis latrantibus undis, Mole tenet: scopuli nequidquam, et spumea circum Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga. *Id. G.* 3, 261. scopulis illisa reclamant Aequora. *Ov. Met.* 9, 592. Auferri in scopulos. *Id. ib.* 11, 783. e scopulo, quem rauca subederat unda, Se dedit in pontum. *Id. Fast.* 4, 419. Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor Trinacris, *h. e.* tribus promontoriis. ℙ *Scopuli errantes* ap. *Val. Fl.* 3, 621. sunt duae insulae Cyaneae, seu Symplegades in Ponto. Adde 4, 681. ℙ *Scopulo immobilior* ap. *Ov. Met.* 13, 801. est, qui nullis precibus flecti potest. Sic *Hor. Od.* 3, 7, 21. Scopulis surdior. ℙ *E scopulis natus* rursus ap. *Ov. Trist.* 3, 11, 3. est, qui inhumanis est moribus. Sic *Virg. A.* 4, 366. duris genuit te cautibus horrens Caucasus. ℙ Translate. *Cic. Rab. Perd.* 9. Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. *Quint. decl.* 12, 22. Commeatum publicum in scopulos annonae impingis? *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. (et *Cic. Brut.* 18.) Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat, Nec dicti studiosus erat. *Cic. Or.* 3, 41. Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. Syrtim patrimonii, scopulum libentius dixerim. Charybdim bonorum, voraginem potius: facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. *Ov. Met.* 7, 33. Ferrum, et scopulos gestare in corde, *h. e.* immitem esse. *Lucr.* 2, 1170. omnia paulatim tabescere, et ire Ad scopulum spatio aetatis defessa vetusto, *h. e.* ad interitum. ℙ Eleganter *scopulus* dicitur quidquid exitio est alteri, ut scopuli navibus. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 9. L. Cassius praetor, cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur. *Petr. Sat.* 123. *f.* Pompejus piratarum scopulus. *Flor.* 4, 9. Scopulus, et nodus, et mora publicae securitatis Antonius. ℙ Denique *scopulus* est parvus scopus, σκοπός. *Suet. Dom.* 19. Nonnunquam in pueri procul stantis, praebentisque pro scopulo dispansam dextrae manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent. *Opt.* tamen *editiones* habent *pro scopo.* [*V. *Burm.* et *Oudend.*]

SCOPUS, i, m. pediculus uvae, ex quo acina pendent. *Varr. R. R.* 1. et 2., cujus verba in SCOPIO retulimus. ℙ *Scopus* vero est signum, quo sagittas dirigimus, σκοπός: a σκέπτομαι, dispicio, intueor: unde et σκοπέω. Translate est finis, propositum: eaque ratione usurpatur a *Cic. Att.* 8, 11. et *ib.* 15, 29., sed Graece. Sic *Macr. Somn. Scip.* 1, 4. Nunc ipsam ejusdem somnii mentem, ipsumque propositum, quem Graeci σκοπὸν vocant, tentemus aperire. V. v. praec.

SCORDĀLIĀ, ae, f. foeda contentio, rixa. *Petr. fragm. Trag.* 59. *Burm.* Agite scordalias de medio: suaviter sit potius.

SCORDĀLUS, i, m. ferox, impatiens, et in ultionem facile erumpens: plebeja vox, et inter vulgi convicia. *Sen. ep.* 83. *med.* Tullius Cimber et nimius erat in vino, et scordalus. In hanc rem jocatus est ipse: Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non possum? *Id. Suas.* 7. *f.* Erat etiam, ubi pietas non exigeret, scordalus. Adde *Petr. Sat.* 95. *med.* et rursus *Sen. ep.* 56., ubi *Lips.* adscribit, originem vocis petere alios a σκώρ, oletum: alios a σκόροδον, allium, quasi foetidum dicas.

[SCORDASTUS, i, f. arbor Persici maris. *Plin.* 12, 9, 19. Cetera ejus genera cortice et scordasti: ita vocatur arbor aemulo gummi. *F.*]

SCORDĬLON, i, n. herba, eadem quae Scordion, *Appul. Herb.* 70.

[SCORDISCĀRĬUS, ii, m. qui scordisca conficit, et vendit. *Hieron. ep.* 51. *n.* 5. Numquid coriarius, aut scordiscarius erat Deus, ut conficeret pelles animalium, et consueret ex eis tunicas pelliceas Adam et Evae? Editiones perperam habent *sordiscarius*, aut *scortisarius. F.*]

*SCORDISCI, orum, Σκορδίσκοι, populi Pannoniam incolentes, in montis Claudii fronte, quo monte dividuntur a Tauristis. *Plin.* 3, 25. ℙ Item gens Illyridis, vel in confinio Illyridis locum tenens, Macedoniae, Thraciae, Moesiaeque vicina. *Liv.* 40, 57. et 41, 19. Adde *Liv. Epit.* 56. *B. A.*

[SCORDISCUM, i, n. dimin. scorti, terminatione Graecanica, ut *calathus*, *calathiscus:* atque ita pro *scortiscum* scribitur, ex facili permutatione litterarum *d* et *t*. Significat autem pellem, qua milites loco sellae utebantur in equis sternendis. *Gloss. Philox.* Scordiscus, ἐφίππιον. *Gloss. Isid.* Scordiscum, corium crudum, scortum. *Edict. Diocl.* 24. De loramentis. Scordiscum militare ✕ quingentis. *Pelag. Vet.* 9. Si dorsum ab injuria aut imperitia sedentis intumuerit, mallonem caepae super tumorem impones, fascia constringes, aut scordiscum superimpones. *Veg. Vet.* 2, 60. eadem fere verba repetit, at mendose *ibid.* in editionib. *cordiscum* legitur. *Auct. Hipp.* p. 93. eadem fere continet, ibique habet: *καὶ αὐτὴν τὴν σέλλαν τῷ ἵππῳ ἐπίθες*, h. e. et ipsam sellam equo impone. *F.*]

*SCORDISCUS, i, m. Ephippium *Vet. Gloss.* Scordiscum, corium crudum *Isid.* in *Gloss. B. A.*

SCORDĬUM, ii, n. σκόρδιον, herba magnitudine cubitali, caule quadrangulo, ramosa, foliis lanuginosis, gustu amaro, odore allii, alio nomine scordotis. [*Teucrium Scordium, *L. Scordien, Lachenknoblauch, Wasserbathengel.*] *Plin.* 25, 6, 27.

SCORDOTIS, is, f. herba eadem, quae scordium. *Plin.* 25, 6, 27. V. v. praec.

SCORIA, ae, f. σκωρία, recrementum, retrimentum, faex, spurcitia, sordes, quae ex metallo inter

coquendum, veluti spuma quaedam, expurgantur. [*Doederl.* 2, 42. originationem vocis a Gr. *οχωρία* factam leviter addubitans ferri posse putat, ut *scoria* cum v. *squarra*, a quo nonnisi forma discedat, unam eandemque originem habeat.] *Plin.* 33, 4, 21. Argentum (*vocant*), quod exit a fornacis sudore, quae e catino jactatur spurcitia in omni metallo, vocatur scoria. *Hard.* sic legit ex MSS. Vocant argentum, quod exit a fornace: sudorisque, qui e camino jactatur, spurcitia in omni metallo scoria appellatur. *Id. ib.* 6, 35. Scoriam in argento Graeci vocant helcysma. *Id.* 34, 11, 24. Scoria aeris; et *ib.* 51. plumbi. *Cels.* 5, 19. *n.* 26. retrimentum vocat. ℙ Translate. *Virg. Cir.* 244. Si concessus amor noto te macerat igni, Per tibi Dictynnae praesentia numina juro, Omnia me potius digna atque indigna laborum Millia visuram, quam te tam tristibus istis Sordibus, et scoria patiar tabescere tali, *h. e.* cura, luctu, moerore. *Scal.* vult legi *scabre* a nominativo *scabres*, quia *scoria* primam producit, et vox est sordida, nitidoque illo poematio indigna. Alii nihil mutant, et pro quantitate syllabae ad synizesim, vel synaeresim confugiunt.

[SCORODON, i, n. *σκόροδον*, allium. *Aemil. Macer.* 1, 5. Scorodon a Graecis sunt allia dicta Latine. Hic licenter prima producitur. *F.*]

SCORPAENĂ, ae, f. *σκόρπαινα*, genus marini piscis, qui inde nomen habere dicitur, quod instar scorpii pungat. *Plin.* 32, 11, 53. ℙ [Sunt qui putant, eundem esse ac scorpium; sed *Plin. l. c.* et *scorpaenae* et *scorpionis* mentionem facit. *F.*]

SCORPIĂCUM, i, n. potio, seu pharmacum contra scorpionum ictus. *Tert. adv. Gnost.* 1. *f.* Adversus bestiolas scorpiacum temperare.

SCORPĪNĂCĂ, ae, f. herba eadem quae proserpinaca. *Appul. Herb.* 18.

SCORPIO, onis, m. et Scorpius, et Scorpios, ii, m. *σκορπίος*, insectum terrestre, cauda venenatum ictum infligens. *Tert. in. Scorpiaci:* Scorpii series illa nodorum, venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu insurgens, hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens: unde et bellicam machinam, retractu tela vegetantem, de scorpio nominant. *Plin.* 11, 37, 62. Scorpionis caudae inesse dentem, et plerisque ternos. *Id.* 28, 2, 5. Attalus affirmat, scorpione viso si quis dicat, duo, cohiberi, nec vibrare ictus. *Id.* 29, 4, 29. Prodest scorpio ipse suae plagae impositus: et *mox:* Proprium est scorpionum, quod manus palmam non feriunt: nec nisi pilos attigere. *Ov. Fast.* 4, 163. elatae metuendus acumine caudae Scorpios; et *ib.* 5, 541. Scorpion immisit tellus. *Id. Met.* 15, 371. Scorpius exibit, caudaque minabitur unca. ℙ Est etiam piscis marinus hoc nomine, de quo *Id. Hal.* 117. Et capitis duro nociturus scorpios ictu. Adde *Plin.* 32, 11, 53. [*Cottus scorpio, *L.*] ℙ Item coeleste signum in Zodiaco, constans una et viginti stellis, inter Libram et Sagittarium: quod olim duorum signorum locum occupare dicebatur, suum corpore, Librae vero chelis, ut in LIBRA dictum est. Fabula de eo est hujusmodi, ap. *Hyg. Astr.* 2, 26. Cum Orion venator celebris gloriaretur, nullam esse feram, quam non conficeret, Tellus irata scorpionem immisit, a quo ictus interiit. Juppiter utriusque animum admiratus, scorpionem in coelum transtulit, ut species ejus hominibus documento esset, ne quis eorum de aliqua re sibi confideret. Petente vero Diana, idem honor Orioni est habitus, constitutumque, ut cum Scorpius oriatur, Orion occidat, quasi eum adhuc timens. V. CHIUS et ORION. ℙ Item herba, de qua *Plin.* 22, 15, 17. Ex argumento nomen accepit scorpio herba: semen enim habet ad similitudinem caudae scorpionis, folia pauca, valet et adversus animal sui nominis. Est et alia ejusdem nominis effectusque, sine foliis, asparagi caule, in cacumine aculeum habens, et inde nomen. Haec *Plin.* [*Spartium scorpius, *L. Skorpionkraut.*] ℙ Item frutex. *Id.* 27, 13, 16. Est et alia herba tragos, quam aliqui scorpion vocant, semipedem alta, fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, et ipsa in maritimis nascens. Adde 13, 21, 37. ℙ Ab animali nomen traxit machina bellica, retractu tela vegetans, ut ait *Tert. l. c.*, alio nomine manuballista, ideo sic nuncupata, inquit *Veg. Mil.* 4, 22., quod parvis subtilibusque spiculis inferat mortem. *Ammian.* ita describit 23, 4. Scorpionis, quem appellant nunc onagrum, hujusmodi forma est. Dolantur axes duo quernei, vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas: hique in modum serratoriae machinae connectuntur, ex utroque latere patentius perforati: quos inter per cavernas funes colligantur robusti, compagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate restium ligneus stilus exsurgens obliquus, et in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum nodulis implicatus, ut altius tolli possit, et inclinari: summitatique ejus unci ferrei copulantur, ex quibus pendet stuppea vel ferrea funda: cui ligno fulmentum prosternitur ingens, cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, et locatum super congestos caespites, vel latericios aggeres: nam muro saxeo hujusmodi moles imposita, disjectat quidquid invenerit subter, concussione violenta, non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundae imposito, quaterni altrinsecus juvenes repagula, quibus incorporati sunt funes, explicantes, retrorsus stilum paene supinum inclinant: itaque demum sublimis adstans magister claustrum, quod totius operis continet vincula, reserat malleo forti percussum: unde absolutus ictu volucri stilus, et mollitudine offensus cilicii, saxum contorquet, quidquid incurrerit, collisurum. Et tormentum quidem appellatur ex eo, quod omnis explicatio torquetur: scorpio autem, quoniam aculeum desuper habet erectum. Haec *Ammian.*, qui tamen suorum temporum, non superiorum scorpiones persequitur, cum certum sit ex *Caes. B. G.* 7, 25., non saxa modo, sed et spicula scorpionibus jaci: item alia. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 7. Quarum unam epistolam nacti praedatores Valeriani, scorpione in castra misere. Ex *Liv.* 26, 47. et 49. discimus, duplicis generis fuisse, majores, et minores. *Vitr.* 10, 1. scorpiones inter organa ponit, *h. e.* inter eas machinationes, quae, ut *Idem* ait, unius opere, prudenti tactu perficiunt, quod propositum est. ℙ Ipsa quoque sagitta, quae scorpione jacitur, *scorpio* dici posse videtur. *Hirt. B. Afr.* 29. Scorpione accuratius misso, atque eorum decurione percusso. ℙ Inter instrumenta, quibus caeduntur sontes, ponit *Isid. Or.* 5, 27. virgas aculeatas, vel nodosas, quae, inquit, *scorpiones* rectissime vocantur, quia arcuato vulnere in corpus infiguntur. *Vulg. Interpr. Reg.* 1, 12, 11. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos caedam scorpionibus. ℙ In re agraria scorpiones sunt congeries lapidum in morem metae in acutum desinentis coacervatae, et loco termini in agris collocatae: fortasse a *σκορπίζω*, spargo, dissipo, quia ex dispersis per agros lapidibus fiunt, vel quia *σκορπίος* Graecis dicitur etiam quidquid in metam instar caudae scorpionis fastigiatum est, v. gr. tutulus in crinibus, ut *Scal.* ad *Sever. Aetn.* 104. docet. *Siculus Flacc. de condit. agror.* p. 4. et 6. *Goes.* Alii congeries lapidum pro terminis observant, et scorpiones appellant.

SCORPIOCTONON, i, n. herba heliotropium, ita dicta, quod contra scorpiones magnam vim habet: a *σκορπίος*, et *κτείνω*, occido, *Appul. Herb.* 49. [*Sonnenwirbel.*]

SCORPĪON, onis, f. genus herbae. *Plin.* 25, 10, 75. Thelyphonon herba ab aliis scorpion vocatur, propter similitudinem radicis, cujus tactu moriuntur scorpiones.

SCORPIONĪUS, a, um, adj. ad scorpionem pertinens. Hinc cucumis quoddam genus scorpionium dicitur, quia simile est scorpionis animalis, et contra ejus ictus efficacissimum. *Plin.* 20, 1, 3.

SCORPĪTIS, is, f. gemma scorpionis colore, aut effigie, inquit *Plin.* 37, 11, 71.

SCORPIŪRUS, i, m. *σκορπίουρος*, heliotropium majus. *Appul. Herb.* 49. et *Plin.* 22, 21, 79.

SCORPIUS. V. SCORPIO.

SCORTĀTOR, oris, m. *ἑταιριστής*, meretricum sectator. *Cic. Cat.* 2, 11. Cum hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem praetoriam. Alii leg. *scortorum.* [*Ita *Orell.*] *Hor. Sat.* 2, 5, 75. scortator erit? cave te roget: ultro Penelopam facilis potiori trade. Adde *Pl. Amph.* 1, 1, 131.

SCORTĀTUS, us, m. consuetudo cum meretricibus. *Appul. Met.* 5. Quod ille quidem montano scortatu, tu vero marino natatu secesseritis.

[SCORTĔA et Scortia, ae, f. Hinc *Isid. Or.* 20, 7. Scortea vas olearium, eo quod sit ex corio, dicta. *Edict. Diocl.* 25. De scortiis. Scortia in Sextario uno ✕ viginti. *F.*]

SCORTES, pelles testium arietinorum. *Fest.* in *Scorta.*

SCORTĔUS, a, um, adj. *σκύτινος*, pelliceus, coriaceus: a *σκύτος*, pellis, *r* inserto. *Fest.* in *Scorta:* Omnia ex pellibus facta, scortea appellantur. *Petr. Sat.* 138. Protulit Enothea scorteum fascinum. *Cels.* 8, 12. Subjecto inter parietem et caput ejus scorteo pulvino duro. *Ov. Fast.* 1, 629. Scortea non illi fas est inferre sacello, Ne violent puros exanimata focos. *Varr. L. L.* 6, 5. Scortea ea, quae ex corio et pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus, Ne quid scorteum adhibeatur: ideo ne morticinum quid adsit. V. MORTICINUS. *Hieron. Chron. ad ann.* MCCC. *ab Abraam.* Numa Pompilius congiarium dedit asses ligneos et scorteos. ℙ *Scorteum scortum*, V. in SCORTUM. ℙ *Scortea* absolute, vestis e pelle. *Mart.* 14, 130., cujus lemma *Paenula scortea:* Ingrediare viam coelo licet usque sereno, Ad subitas nusquam scortea desit aquas. *Sen. Q. N.* 4, 6. Cum signum dedissent, adesse jam grandinem, quid exspectas? ut homines ad paenulas discurrerent, aut ad scorteas? ℙ *Scorteum* absolute, pharetra. *Fest.* Scorteum ab eadem causa, qua *scortum*, vocabatur pelliceum, in quo sagittae reconduntur: ab eo quod ex pellibus factum est. *Salmas.* ex conjectura, et ex quodam MS. legit: Scrautum ab eadem causa, qua scrotum, etc. Alii nihil mutant.

SCORTILLUM, i, n. *πορνίδιον*, *ἑταιρίδιον*, parvum scortum, meretricula. *Catull.* 10, 3. Scortillum, ut mihi tum repente visum est, Non sane illepidum, nec invenustum.

SCORTISCUM. V. SCORDISCUM.

SCORTOR, aris, dep. 1. *ἑταιρίζομαι*, scorta frequento, meretricor. *Varr. L. L.* 6, 5. Scortari est saepius meretriculam ducere. *Pl. Ps.* 4, 7, 34. Qui se suamque aetatem bene curant, edunt, bibunt, scortantur. *Id. Men.* 5, 4, 25. Si istuc jus est, senecta aetate scortari senes, ubi loci res summa nostra est publica? Adde *Ter. Ad.* 1, 2, 22. ℙ Usurpatur etiam de mulieribus, quae scortatoribus se praebent. *Ruf. Invect. in Hieron.* 1. *n.* 27. Quasi vero si qua meretrix una se nocte aut duabus a scortando contineat, debeat continuo leges de pudicitia scribere.

*SCORTŬLUM, i, n. scortillum. *Gloss. Vet. Lat. Gr.* Scortulum, *πόρνη*. *B. A.*

SCORTUM, i, n. *σκύτος*, *δέρας*, pellis, corium: a *σκύτος*, (quod idem significat) inserto *r*, ut in SCORTEUS dictum est. *Varr. L. L.* 6, 5. Pellem antiqui dicebant scortum. *Tert. Pall.* 4. *med.* Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit, jam Omphale in Herculis scorto designata descripsit, *h. e.* in pelle leonis. ℙ Item meretrix, *πόρνη*, *ἑταίρα*, vel quia scortea veste olim indutae hujusmodi feminae: vel quia, ut ait *Paul. Festi* abbreviator, ut pelliculae subiguntur: vel ut per synecdochen pellis pro feminae corpore ponatur, ut ait *Voss.* Scorta, inquit *Festus*, appellantur meretrices ex consuetudine rusticorum, qui, ut est apud Atellanos antiquos, solebant dicere, se attulisse pro scorto pelliculam. Omnia namque ex pellibus facta, scortea appellantur. *Varro l. c.* eadem fere habet. *Pl. Amph.* 1, 1, 132. Haec nox scita est exercendo scorto conducto male. *Id. Truc.* 3, 2, 10. Scortum ducere. *Ter. Eun.* 3, 1, 34. habere. *Id. Ad.* 5, 9, 8. Obsonare cum fide, scortum adducere, apparare de die convivium. *Cic. Cat.* 2, 5. In vino et alea comissationes et scorta quaerere. *Pl. Truc.* 1, 1, 45. Nunc lenonum et scortorum plus est fere, quam olim muscarum est, cum caletur maxime. ℙ *Scortum devium* ap. *Hor. Od.* 2, 11, 21. est meretrix, quae in urbis recessu habitat, et adventores domi exspectat. *Appul. Met.* 1. appellat *scorteum scortum* meretricem annosam, vietam, et laxam instar corii. ℙ De viro usurpant *Pl. Curc.* 4, 1, 12. et *Poen. prol.* 17. et *Cic. Sext.* 17. Hinc *Aur. Vict. Caes.* 28. de Philippo: Usum virilis scorti removendum honestissime consultavit: verumtamen et manet. ℙ De parasito per jocum, *Pl. Capt.* 1, 1, 1. Juventus nomen indidit scorto mihi, eo quia invocatus soleo esse in convivio. V. integr. loc. [*ibique *Lindem.*]

SCOTI, orum, m. plur. Scotiae incolae. *Ammian.* 27, 18. et 26, 4. et *Hieron. in Jovin.* 2, 7. ℙ *Scoti* etiam appellati sunt Hiberniae incolae. *Claud. IV. cons. Honor.* 33. Scotorum (*caesorum*) cumulus flevit glacialis Ierne. V. v. sq. ℙ *Scotus* num. sing. habetur ap. *eund. B. G.* 417. extremis legio praetenta Britannis, Quae Scoto dat fraena truci. *Id. Laud. Stil.* 2, 251. totam cum Scotus Iernem Movit.

SCOTĬĂ, ae, f. regio septentrionalis Britanniae majoris. V. v. praec. ℙ *Scotia* etiam dicta est Hibernia. *Isid. Or.* 14, 6. Scotia eadem et Hibernia proxima Britanniae insula, Scotia, quod ab Scotorum gentibus colitur, appellata. Adde *Oros.* 1, 2. V. v. praec.

SCOTĬĂ, ae, f. *σκοτία*, Graece umbram, seu tenebras significat. A *Vitr.* 3, 3. scotia dicitur pars cava in basi columnae, quae ideo, quia cava est, umbrosa apparet. *Id.* 4, 3. scotiam vocat cavitatem in fundo coronae Doricae, quae a mento ipso coronae propendens, quadam regula seu margine separatur.

SCOTĬCUS, a, um, adj. ad Scotiam, et Scotos pertinens. *Claud. Laud. Stil.* 2, 253. Illius effectum curis, ne tela timerem Scotica.

SCOTĪNUS, a, um, adj. *σκοτεινός*, obscurus, tenebrosus. Graeca vox a *σκότος*, tenebrae. *Sen. ep.* 12. *med.* Heracletus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obscuritas.

[SCOTŌMĂ, ătis, n. *σκότωμα*, morbi genus: a *σκότος*, umbra. *Isid. Or.* 4, 7. Scotoma ab accidenti nomen sumpsit, quod repentinas tenebras ingerat oculis cum vertigine. *F.*]

[SCOTŌMĂTĬCUS, i, m. *σκοτωματικός*, qui scotomate laborat. *Theod. Prisc.* 2, 3. Scotomaticorum, et epilepticorum paene similis est in iisdem casibus sollicitudo: simili enim mentis confusione alienantur. Adde *Scrib. Comp.* 99. *F.*]

[SCOTŌMO, as, a. 1. scotoma induco. *Theod. Prisc.* 12. de diaeta: Falsum vinum caput scotomat. *F.*]

[SCOTUSSAEI, orum, m. plur. *Σκοτουσσαῖοι*, incolae urbis Scotussae: quo nomine duplex fuit, altera in Macedoniae parte, quae olim Thracia dicta, Strymoni fluvio adsita, cujus meminit *Plin.* 4, 11, 18. *Id.* 4, 10, 17. Xylopolitae, Scotussaei liberi. ℙ *Scotussaei* alii incolae urbis Scotussae in Pelasgiotide ab Alex. Pheraeo excisae ann. U. C. CCCLXXXII., ut *Paus.* 6, 4. narrat. Ejus meminit *Plin.* 31, 2, 14. et *Liv.* 36, 9. Hinc ap. *eund.* 33, 6. Scotussaeus ager. *F.*]

SCRANTĬAE, f. plur. convicium in meretrices, et exprobratio vitii, aut deformitatis. *Pl. fragm.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Scrantiae, scrupedae, stritabillae, Tantalae. *Ipse Varr.* Ab screando scrantiae sic adsignificat. *(Scal.* legit *ab exscreando: scrantia siccam significat*, h. e. aridam, sine succo, et sanguine.) Scrupedam Aurelius scribit auscaripedam. *(Scal.* corrigit *scauripedam*, h. e. pravis fultam male talis.) Juventius comicus dicebat a vermiculo piloso, qui solet esse in fronde cum multis pedibus: Valerius a pede, ac scrupea. Ex eo ab Attio positum: Incuriosa itaque es Menalippo? rejicis abs te religionem? scrupeam imponas. *Scal.* emendat: *Ex eo ab Attio positum pro curiosa. Itaque est in Menalippo: Rejicias abs te religionem: scrupeae imponas:* scrupea est δεισιδαίμων, h. e. curiosa in religionibus, superstitiosa. Stritabillae a stritilando: stritare ab eo, qui sistit aegre. Haec *Varr.* Ad hanc postremam vocem adscribit *Scal.* ab aliis legi *strictipellae*, h. e. quae stringunt cutem, et rugas in facie extendunt. Ab aliis *strictivellae*, ut ap. *Non.* 2, 765., h. e. quae psilothro, pumice, et volsellis crebro utuntur ad cilia castiganda, et pilos evellendos: vel quae calamistri nimio usu pellem adurunt. Pro *Tantalae* denique, in *Non. l. c.* et ap. *Gell.* 3, 3. est *sordidae.* Si *Tantalae* placet, erunt quae semper viros appetunt, ut poma Tantalus. ℙ Ap. *Fest.* legitur *Scraptae.* Scraptae, inquit, dicebantur nugatoriae ac despiciendae mulieres, ut ait Verrius, ab iis, quae screa iidem appellabant, id est quae quis exscreare solet, quatenus id faciendo purgaret. Titinius: Lectum hodie stratum vidi scraptae mulieris. Haec *Fest.* Ap. *Gell. l. c.* ita legitur versus ille *Plauti:* Scrattae (al. *scraptae:* al. *strateae*, etc.) scrupedae, strictivillae, sordidae. Sunt praeterea variae lectiones aliae ex variis MSS. et eruditorum conjecturis, quas referre omnes piget.

SCRAUTUM. V. SCORTEUS.

SCRĔATOR, oris, m. qui identidem screat. *Pl. Mil.* 3, 1, 52. Minime sputator, screator sum: itidem minime mucidus.

SCRĔATUS, us, m. χρέμψις, exscreatio. *Ter. Heaut.* 2, 3, 132. Gemitus, screatus, tussis, risus.

SCRĔO, as, a. l. χρεμπτομαι, est cum conatu quodam de pectore sputum, seu catarrhum ejicere: verbum factum per onomatopoeiam, ut et Graecum χρέμπτομαι, a quo Χρέμης, comici senis nomen, quia senes multum screare solent. *Pl. Curc.* 1, 2, 22. Tibi qui screanti, siccae, semisomnae affert potionem, et te sedatum it. *Plin.* 23, 1, 17. Phlegma aut sanguinem, qui screatur, etc. Sed alii omnino aliter leg. V. in FLEMINA.

SCRIBA, ae, m. γραμματεύς, λογογράφος, qui leges, acta, rationes, vel aliud quidvis civitatis aut magistratus, aut principis nomine et jussu perscribit, et *scriptum facere* dicitur. Scribas, inquit *Festus*, proprio nomine antiqui et librarios et poetas vocabant: at nunc dicuntur scribae quidem librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis: itaque cum Livius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius res publica P. R. geri coepta est; publice adtributa est in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis histrionibusque consistere, et dona ponere in honorem Livii, quia is et scribebat fabulas, et agebat. Haec *Festus. Cic. Dom.* 28. Scribae, qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempubl. beneficiis suum judicium decretumque esse voluerunt. *Id. Pis.* 25. *f.* Rationes ita sunt perscriptae scite et litterate, ut scriba, ad aerarium qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput perfricans commurmuratus sit: ratio quidem hercle apparet: argentum οἴχεται. *Id. Agr.* 2, 13. Decemviros ornat apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis. (Sunt qui post *scribis* distinctionem tollunt, ut *scribis librariis* unum sit. V. LIBRARIUS, ii.) *Id. Verr.* 2, 3, 79. Scribarum ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae, periculaque magistratus committuntur; et *ib.* 80. Saepe nostri imperatores, superatis hostibus, scribas suos annulis aureis in concione donarunt. ℙ Cum multi essent in civitate scribae, in decurias paulatim descripti sunt, vel lectione magistratuum, vel erogatione pecuniae. Itaque alii quaestorii dicti, alii aedilicii, praetorii, etc. prout variis magistratibus apparebant. *Cic. Verr.* 2, 1, 79. *med.* Noli hos colligere scribas, qui nummulis corrogatis de nepotum donis, ac de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt. *Liv.* 40, 29. *med.* L. Petilium scribam quaestor Q. Petilius in decuriam legerat. *Suet. Claud.* 1. Corpus ejus municipiorum, coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum. *Plin.* 26, 1, 3. et *Suet. Vesp.* 3. et *Dom.* 9. Quaestorius scriba. [*Cf. *Vales.* ad *Ammian.* 28, 6.] ℙ Quamvis honestus esset scribarum ordo apud Romanos, parum tamen habebat dignitatis, quia exercebatur id munus vel ab ingenuis quidem, sed tenuioribus, vel a libertis, libertorumque filiis, et lucri ac mercedis gratia. Scribae tamen pontificum honoratiores erant, quippe qui minores pontifices appellarentur, ut ait *Liv.* 22, 57. Apud reges vero multo erat honoratior. *Nep. Eum.* 1. Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis: itaque eum habuit *(Philippus rex)* scribae loco, quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos: nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, ac fide et industria cognita: quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. *Liv.* 2, 12. Cum stipendium forte militibus daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret. *Plin.* 12, 14, 32. de ture: Sunt et quae sacerdotibus dantur portiones, scribisque regum. [*Honestatem scribarum impugnavit *Sigon. A. J. C. R.* II. 9. defendunt *Guther. Jur. Pontif.* II. 13. *Fabr. inscr.* 6, 458. sq. et *Graev.* ad *Cic. Dom.* 28. De vilitate eorum et contemptu agunt etiam *Ferrar. de Orig. Rom.* p. 14. sq. in T. I. *Thes. Graev.* in quo ei assentitur *Spanhem. de Usu* et *Praest. num.* T. I. p. 705. De scribis Rom. est etiam docta et imprimis legenda diss. *Eschenbachii* inter diss. *Acad.* p. 257. *Ernest. cl. Cic.*] ℙ Perrara sunt apud Romanos exempla scribarum, qui ad majores honorum gradus ascenderint. Cn. Flavium Cn. F. aedilem curulem factum, cum posita tabula jurasset, se scriptum non facturum, narrant *L. Piso* ap. *Gell.* 6, 9., *Liv.* 9, 46., *Plin.* 33, 1, 6. et *Val. Max.* 2, 5. *n.* 2. Praetorem ex scriba factum memorat *Hor. Sat.* 1, 5, 35. ℙ Privatorum hominum scribae non erant, sed librarii, quorum conditio fere servilis: nam quem *Cic. Fam.* 5, 20. M. Tullium vocat *scribam suum*, et *servum suum scribam*, intelligit scribam publicum in proconsulatu, et administratione provinciae Ciliciae. Et quem *Hor. Ep.* 1, 8, 2. dicit comitem et scribam Neronis, significat Tiberii Neronis scribam, cum in secessu Rhodiensi ageret cum tribunica potestate, ut est ap. *Suet. Tib.* 11. [*Ernest., hoc ipso *Fam.* loco coll., in *cl. Cic.* docet, genera scribarum duo fuisse; alterum servilis generis privatorum, alterum plebeji vel libertini publicorum. Cui assentitur *Brem.* ad *Suet. Claud.* 1. *Manut.* ad *Cic. l. l.* contendit *scribas* servos non fuisse, quod ex eo constaret, quod Romanis omnes nominibus appellatos videremus.] ℙ Scriba ab epistulis. *Inscr.* ap. *Grut.* 577, 8. Ti. Claudius Alcibiades mag. a bibliotheca Latina Apollinis, item scriba ab epistulis Lat. ℙ Similis est scriba cubicularius. Alia *ib.* 575, 7. Januarius Domitiani Caesaris L. Scrib. cub. contubernali optimae fecit.

SCRIBATUS, us, m. scribae munus, et officium. *Imp. Philip. Cod.* 7, 62, 4. Ad scribatum nominatus. V. SCRIPTUM.

SCRIBLĪTA, ae, f. genus placentae ex caseo, farina, sine melle, cujus faciendae rationem docet quidem *Cato R. R.* 78., sed unde parum admodum discere queas. Dici putatur quasi *scribilita*, quod multis in superfice notis inscripta sit. *Pl. Poen. prol.* 41. In popinam pedisequi irruptionem facite, dum nunc occasio est: nunc dum scriblitae aestuant occurrite. *Petr. Sat.* 35. Statera, in cujus altera parte scriblita erat, in altera placenta. *Id. fragm. Trag.* 66. *Burm.* Sequens ferculum fuit scriblita frigida, et supra mel caldum infusum. *Mart.* 3, 17. Circumlata diu mensis scriblita secundis, Urebat nimio saeva calore manus. Omnib. his locis alii scribi volunt *striblita*, aut *streblita*, ducique a Graeco στρεβλεῖν, torquere, quia in circulum torqueatur in modum restis: unde Italorum *torta*, et *tortiglione.* Legitur et *scribilita.*

SCRIBLĪTĀRĬUS, ii, m. qui scriblitas facit, venditve. *Afran.* ap. *Non.* 2, 483. Pistor nubat: cur non scriblitario? ut mittat fratris filio lucunculos.

SCRĪBO, is, psi, ptum, a. 3. γράφω, sculpendo lineas duco, noto, signo: hoc enim proprie est Graeca vox allata, a qua factum videtur: vel a σκάφος, stilus, aut penicillus, extrito *a. Quint.* 7, 4, 14. Si quis fugitivo stigmata scripserit. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 557. Charaxat ambas ungulis scribentibus Genas. (Sic *Plaut. fragm.* ap. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 482. et versa pulvis inscribitur hasta: Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.) *Id. ib.* 2, 120. scribere nummum. [*Cf. *Schulting.* ad *Ulp. in Jurispr. Ante-Just.* p. 565.] ℙ Aliquando ponitur pro tingere, aut pingere, quod lineis ducendis fit. *Cic. Tusc.* 5, 39. Geometriae munus tuebatur, verbis praecipiens discentibus, unde, quo quamque lineam scriberent. *Stat. Th.* 11, 514. de equo vulnerato: Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro. *Id. Silv.* 1, 1, 100. Apelleae cuperent te scribere cerae; et *ib.* 3, 1, 95. scripto viventes lumine cerae. *Catull.* 37, 10. Frontem tabernae scipionibus scribam. *Sil.* 14, 659. quaeque Attalicis variata per artem Aulaeis scribuntur acu. [*V. *Ruhnk.* ad *Oo. Her.* 14, 128.] ℙ Item lineis deformare, describere. *Plin. ep.* 9, 39. *med.* Quantum ad porticus, nihil interim occurrit, nisi ut formam secundum rationem loci scribas. *Hor. Ep.* 1, 16, 4. Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri. Sic *Stat. Silv.* 3, 1, 117. Nec mora, conscripta formatur imagine tela. *Id. ib.* 1, 3, 9. Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas. ℙ Item saepissime, litteras formare: quod fiebat olim stilo librum, aut ceratam tabellam sulcando. *Pl. Ps.* 1, 5, 131. Quasi in libro cum scribuntur calamo litterae, stilis me totum ulmeis conscribito. *Prop.* 1, 5, 22. Scribitur et vestris Cynthia corticibus. *Cic. Arch.* 8. Quoties ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? *Pl. Ps.* 1, 1, 28. Obsecro, habent quoque gallinae manus? nam has quidem tabellas gallina scripsit. *Cic. Cat.* 3, 5. Linum incidimus, legimus: erat scriptum ipsius manu. *Lucan.* 2, 343. liceat tumulo scripsisse, Catonis Marcia. [*Cf. *Liv.* 8, 30. nomenque ibi scriberet; et 4, 20. et 22, 1. V. *Brem.* ad *Nep. Paus.* 1, 3.] ℙ *Scribendo adesse.* V. ADSUM. ℙ *Scribere ad aliquem*, et *alicui*, epistolam mittere, significare per litteras. *Cic. Att.* 6, 1. De me imperatore scribis, te ex Philotimi litteris cognosse; et *Fam.* 7, 10. Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti de tuis rebus. *Id. ib.* 9, 16. De quo et tu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo; et *ib.* 14, 2. *f.* Ego ad quos scribam, nescio, nisi ad eos, qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. *Tac. A.* 1, 29. Scripturus patri, ut placatus legionum preces exciperet. [*Cic. Att.* 5, 4. commodius visum est me ad Memmium scribere, ut id ad suos scriberet; et sic saepissime v. *scrib.* sq. *ut* signif. per epistolas alicui aliquid mandare. *Liv.* 10, 27. consules Fulvio — Postumio — ut summa vi fines hostium depopulentur, scribunt; cf. 42, 27. *Id.* 30, 23. Scipionique scribendum, ne bellum remitteret.] *Ov. Pont.* 1, 2, 11. audebo tibi me scripsisse fateri. *Petr. Sat.* 104. Scribit amatori meretrix. *Gell.* 3, 8. Rex Pyrrhus populo Romano laudes atque gratias scripsit, *h. e.* laudavit, et gratias egit per litteras. ℙ *Scribere salutem*, salutare per litteras. *Pl. Bacch.* 4, 4, 79. Quid scribam? *Chry.* salutem tuo patri verbis tuis. ℙ Frequenter est commentari, componere, tractare, mandare litteris opus aliquod litterarium. *Cic. Fam.* 1, 9. *f.* Scripsi Aristoteleo more tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore; et *mox:* Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis. *Id. Or.* 1, 33. Caput autem est quamplurimum scribere: stilus optimus dicendi effector. *Id. Verr.* 2, 5, 43. Furius defensionem causae suae scripsit. *Hor. Ep.* 2, 1, 117. Scribimus indocti doctique poemata passim. *Cic. Leg.* 1, 3. A quibus temporibus scribendi *(historiam)* capiat exordium. *Gell.* 1, 3. *extr.* Super hoc Chilone Plutarchus in libro περὶ ψυχῆς ita scripsit. [*Ita saepissime *scribere* de scriptoribus. *Liv.* 21, 1. bellum scribere, ut Gr. συγγράφειν πόλεμον. *Cic. Off.* 3, 32, 114. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scribit idem cet., ubi *Beier* notat: usurpari praesens de scriptoribus, quorum libri adhuc exstent; coll. *ib.* 2, 2, 8. *cp.* 5, 16. et 76. *Fat.* 5, 10. *Heindf.* ad *N. D.* 1, 29, 29. — Simul notandum hanc formulam *scribit*, vel *scripsit* saepiss. a gloss. ante scriptorum verba infarciri. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 401.] *Plin.* 30, 1, 2. Hermippus de tota ea arte scripsit diligentissime. *Quint.* 10, 3, 10. Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene scribendo fit, ut cito: γνώμη. ℙ [*Scribitur vel *scriptum est*, i. q. *narratur* in libris, vel memoratum est. *Cic. Fam.* 11, 2. scribitur nobis multitudinem convenisse. *N. D.* 2, 49. Eadem haec avis scribitur conchis se solere implere. *Schütz. cl. Cic.* Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* II. p. 401. ℙ *Scribere* dicuntur ICTi, cum formulas cavendi, etc. componunt petentibus. *Cic. Mur.* 9. Servius hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi — — secutus est: jus civile didicit, etc. cf. *Fam.* 7, 14. ubi v. *Victor.* et *Manut.* cf. *Gron. Sest.* p. 644. *Ern. cl. Cic.*] ℙ De poetis. *Ter. Andr. prol.* 1. Poeta cum primum animum ad scribendum appulit. [*Ita saepissime hic poeta. Cf. *Bentl. ind. Terent.*] *Cic. Arch.* 3. Ut primum e pueris excessit Archias, se ad scribendi studium contulit. *Hor. Od.* 1, 6, 1. Scriberis Vario fortis, et hostium Victor. *Ov. Trist.* 2, 495. Denique nec video de tot scribentibus unum, Quem sua perdiderit Musa: repertus ego. Adde *ib.* 4, 1, 91., *Pont.* 1, 15, 10. et *ib.* 2, 6, 4. et al. ℙ *Scribere leges*, condere, facere. *Suet. Tib.* 2. Decemvir legibus scribendis. *Cic. Rosc. Am.* 25. Sapientissimus Atheniensium Solon, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripsit. Adde *Or.* 1, 19. ℙ *milites*, delectum habere; quia delecti in laterculo scribuntur. *Liv.* 9, 8. et *Sall. Jug.* 47. Milites scribere, praesidia undique arcessere. *Id. Cat.* 33. Priusquam legiones scriberentur. *Id. Jug.* 43. et *Cic. Fam.* 3, 3. Supplementum scribere exercitui. [*Plura exempla habes in *Gloss. Liv.* s. h. v. Interdum ponitur etiam pro *evocare.* Ita ap. *Liv.* 42, 33. Quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset.] ℙ *testamentum*, facere. *Paul. Dig.* 28, 2, 25. Cum quo tempore scriberetur testamentum, jam editus esset partus. ℙ Huc illa pertinent: *Cic. Mil.* 18. *f.* Testamentum palam fecerat, et illum heredem, et me scripserat, *h. e.* instituerat. *Caes. B. C.* 3, 108. In testamento Ptolomaei heres erat scriptus ex duobus filiis major. *Hirt. B. Alex.* 33. Caesar reges constituit, quos Ptolomaeus testamento scripserat. *Hor. Sat.* 2, 5, 48. Adrepe officiosus, ut et scribare secundus Heres. *Scaevola Dig.* 44, 4, 17. §. 2. Ex quadrante heres scri-

ptus. *Ulp. ib.* 29, 2, 70. Scribere servo libertatem. *Id. ib.* 37, 4, 8. aliquem exheredem. *Cic. Cluent.* 14. *med.* aliquem tutorem liberis suis. ℙ *Scribere pecuniam* dicitur debitor, qui non praesentem solvit, sed chirographo per se, vel per trapezitam cavet et promittit, se ad certam diem soluturum. *Pl. As.* 2, 4, 34. Adducit domum ultro, et scribit nummos. *Hor. Sat.* 2, 3, 69. Scribe decem a Nerio. Alii exterunt v. *a.* Porro Nerius erat trapezita. [**Heindf.*, cui assentitur *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 285. sq., et *ib.* p. 160. *scribere* h. l. ad creditorem spectare vidit.] *Scaevola Dig.* 44, 4, 17. Homo rusticanus genero scripsit usuras praestandas quasi ex dotis promissione. *Ulp. ib.* 26, 7, 8. *med.* Non tantum autem sibi solvere tutor, verum etiam sibi creditam pecuniam scribere poterit, *h. e.* mutuam accipere, et se soluturum, cavere scripto. *Paul. ib.* 12, 1, 40. L. Titius scripsi me accepisse a P. Maevio quindecim mutua numerata mihi de domo. *Appul. Apol.* Qui inaniores venere, quasi ad discendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid scripserint. ℙ *Scribere dicam, formulam.* V. DICA et FORMULA. ℙ [**Scribere foedus* ap. *Liv.* 42, 11. Noeotorum gentem, captatam Philippo, nunquam ad scribendum amicitiae foedus adduci potuisse: tribus nunc locis cum Perseo foedus incisum litteris esse: signif. foedus amicitiae certa pactione scriptis etiam firmata sancire.] ℙ *Scribere in animo* est alta mente reponere. *Ter. Andr.* 1, 5, 49. Etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis de Glycerio. [*i. e. ita inhaerent animo, ut nunquam eorum oblitus sim. Ita *Ruhnk.*, qui comp. *Cic. Or.* 2, 87. ut non infundere in aures orationem, sed in animo videantur inscribere; et *Acad.* 2, 1., ubi v. *insculpendi* eodem sensu usurpatur; coll. *Schulting.* ad *Sen. controv.* h. l. p. 63.] ℙ *Scribere in vento et aqua* ap. *Catull.* 70, 4. est id promittere, quod minime perficere aliquis in animo habet. ℙ *Scripsti* sync. pro *scripsisti* est *Pl. As.* 4, 1, 57. *Scripse* pro *scripsisse*, *Ausonii* in VII. *Sap. de Ludio*, et *Arnob.* 4, 139.

SCRIBONIĀNUS, a, um, adj. ad Scribonium pertinens. *Festus* post *Sceleratus campus:* Scribonianum appellatur ante atria puteal, quod fecit Scribonius, cui negotium datum a senatu fuerat, ut coinquiret (al. *conquireret*) sacella attacta: isque illud procuravit, quia in eo loco attactum fulgure sacellum fuit. [V. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 301. et sq. *F.*]

SCRIBONĬUS et Scribonia, nomina propria sunt viri et mulieris R. ap. *Vell.*, *Plin. utrumq.*, *Tac.* et *Suet.* ℙ Scribonius Largus medicus temporibus Tiberii et Claudii Impp. vixit, et librum *de compositionibus medicamentorum* scripsit, stilo non satis illa aetate digno, in quo Latini sermonis ratio parum admodum ab aurea puritate discesserat. Creditus est a *Jano Cornario* Graece scripsisse, et Latine versus a quopiam Valentiniani Imp. tempore. *Cornarii* opinionem refellunt alii.

SCRĪNĬĀRĬUS, ii, m. scrinii custos, qui etiam magister scrinii dicitur. *Vet. Glossarium:* Scriniarii sunt magistri scriniorum, vel memoriales scriniorum. Hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 1111, 10. Scriniarius ab epistulis; et 587, 10. Scriniarius a libellis. Adde alias ap. *eund.* 643, 9. et 1035, 5.

[SCRĪNĬŎLUM, ii, m. dimin. scrinii. *Not. Tir.* p. 163. Scrinium, scriniolum. ℙ Translate. *Hieron. ep.* 77. *n.* 7. Fabiola per prophetas, evangelia, psalmosque currebat, quaestiones et proponens, et solutas recondens in scriniolo pectoris sui. *F.*]

SCRĪNĬUM, ii, n. *κιβωτὸς*, *κιβώτιον*, arcula, loculus, capsa, in qua res pretiosae, et cariores, et arcanae (praesertim chartae, ut epistolae, carmina, commentationes) clausae servantur. Ducunt a *γρῶνος*, cavus, capax. *Plin.* 16, 43, 84. Fagus sectilibus laminis, in tenui flexilis, capsisque ac scriniis sola utilis. *Sall. Cat.* 47. *extr.* Flaccum praetorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, afferre jubet. *Sen. Ira* 2, 23. *med.* Cum C. Caesar scrinia deprehendisset epistolarum ad Pompejum missarum, combussit. Sic *Plin.* 7, 25, 26. Captis apud Pharsaliam Pompeji M. scriniis epistolarum. *Id.* 7, 29, 30. Alexander inter spolia Darii unguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, immo hercule, inquit, librorum Homeri custodiae detur: ut pretiosissimum humani animi opus quam maxime diviti opere servaretur. Adde 13, 1, 1. *Juven.* 6, 276. quae scripta, et quas lecture tabellas, Si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae! *Hor. Sat.* 1, 1, 120. ne me Crispini scrinia lippum Compilasse putes. *Id. Ep.* 2, 1, 112. et prius orto Sole vigil calamum, et chartas, et scrinia posco. Adde *Val. Max.* 6, 5. *n.* 6., *Ov. Pont.* 1, 24. et *Trist.* 1, 1, 106. et *Mart.* 1, 3, 4. et 67., 4, 33., 6, 64. et 14, 37., quibus omnib. locis de arca aut pluteo librorum sermo est. ℙ Palatii, seu principum quatuor erant scrinia, memoriae, epistolarum, libellorum, epistolarum Graecarum: qui primi erant in singulis scriniis, dicebantur *proximi*, et *magistri.* De his multa *Salmas.* ad *Lampr. Alex. Sev.* 31. et *Cod. Just.* 12. *tit.* 19. et *Cod. Theod.* 6. *tit.* 26. [*Cf. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 8, 23. p. 631.]

SCRIPLUM, i, n. *γράμμα*, ponderis exigui nomen, vigesima quarta pars unciae. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 8. Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo Gramma vocant: scriplum nostri dixere priores. Semina sex alii siliquis latitantia curvis Attribuunt scriplo: lentes veraciter octo, Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos Bis duo: sed si par generatim his pondus inesset, Servarent eadem diversae pondera gentes: Nunc variant. Haec *Fann.* ℙ Pro *scriplum* legitur et *scriptlum:* hoc vero est syncope a *scriptulum:* illud a *scripulum:* quae idem significant. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 357. Ex voto posuit Arg. P. XV. scrp. IX. *h. e.* argendi pondo XV. scriplis IX. Alia ap. *eund. ib.* p. 230. T. P. I. P. XXIIIS. ɔ. VII. *h. e.* testamento ponendum jussit pondo tribus et viginti et semis, et scriplis VII. Eam enim *Id. ib.* docet, in antiquis monumentis fuisse notam scriplorum. V. GRAMMA, et consule *Pontedera* in *Antiq. Lat.* et *Graec.* p. 97. *F.*] *Varr.* ap. *Charis.* 1, 81. Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullo dicunt: is quatuor scriptulis major fuit, quam nunc est. *Charis. ib.* Scriptulum, quod nunc vulgo sine *t* dicunt, Varro in Phavorino dixit. *Colum.* 12, 23. Picis sex scripula in sextarios quinque miscere; et *ib.* 28. Medicaminis pondo unciam et scripula octo. ℙ Et *scrupulum. Vitr.* 7, 8. *med.* Si ibi auri scrupulum impo natur, non natabit. Ita ed. *Elz.* 1649. ℙ De ludo duodecim *scruptulorum*, seu scriptorum *Ov. A. Am.* 3, 363. V. SCRIPTUM. ℙ Eodem sensu dicitur et *scrupulum*, sive ex consuetudine vertendi *i* in *u.* ut in *carnufex*, *optumus;* sive diminutivum sit a *scrupus*, qua lapillum significat. [**Sriplum*, *scripulum*, *scriptlum*, quae forma tantum et pronuntiatione differunt a *scrupulum*, *scrupulus*, originem ducunt a *rupes*, *rumpo.* V. *Doederl.* 3, 208. sq.] *Oc. Med. fac.* 92. Quinque trahant marathri scrupula, myrrha novem. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Neque argenti scrupulum esse ullum in illa insula. Alii leg. *scripulum. Plin.* 33, 3, 13. Aureus nummus percussus est ita, ut scrupulum valeret sestertiis vicenis. In MSS. est *scripulum*, teste *Hard. Mart.* 10, 55. Libras, scrupula, sextulasque dicit. Adde 4, 89. et 5, 19., quibus locis est qui leg. *scriptula.* ℙ *Scripulum* est etiam minima pars jugeri. *Varr. R. R.* 1, 10. Jugeri pars minima dicitur scripulum, id est decem pedes in longitudinem et latitudinem quadratum; et *mox:* Jugerum habet scripula CCLXXXVIII.: quantum as antiquus noster ante bellum Punicum pendebat. Alii leg. *scrupula.* Adde *Colum.* 5, 1. *med.*, ubi quoque alii leg. *scripula.* ℙ Et minima pars cujusque mensurae. *Plin.* 2, 10, 7. Non semper in scrupulis partium congruente siderum motu, *h. e.* partibus minimis graduum: *Minuten* nos vocamus, aut *Secunden;* et *Front. Aquaed.* 26. Capit quinariam, et plus quam quinariae octavam, hoc est secunciam quinariae, et scripula tria, et bessem scripuli. ℙ [Item vigesima quarta pars horae. *M. Auscl.* ap. *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio ep.* 2, 9. Coelum Neapolitanum plane commodum, sed vehementer varium. In singulis scripulis horarum frigidius, aut tepidius, aut horridius. V. SCRUPULUS. *F.*]

SCRIPTĬLIS, e, adj. qui scribi potest. *Ammian.* 17, 4. *med.* Mons (*h. e.* obeliscus) ipse effigiatus scriptilibus elementis. *Diomed.* 2. *in.* Vox articulata litteralis vel scriptilis appellatur, quia litteris comprehendi potest.

SCRIPTĬO, onis, f. *γραφή*, actus scribendi, scriptura. *Cic. Att.* 10, 17. Lippitudo, quae impediat scriptionem meam. *Id. Fam.* 9, 12. Ut rem tenuem et inopem, nec scriptione magnopere dignam. ℙ Item res ipsa, quae scribitur. *Id. Tusc.* 5, 41. *f.* A quo non modo impulsi sumus ad philosophicas scriptiones, verum etiam lacessiti. *Id. Brut.* 64. Hoc genus scriptionis nondum est Latinis litteris illustratum. ℙ Interdum sumitur pro exercitatione oratoria remota a foro, qualis est Paraenesis Isocratis ad Demonicum, Declamationes, et alia ejus generis. *Id. ib.* 24. Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio. *Id. Or.* 11. Quoniam plura sunt orationum genera, eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionum, et historiarum, etc. ℙ [*Dicitur *scriptio* interdum etiam, maxime de legibus et quae sunt similia, sensu eodem, quo ap. nos: *der schriftliche Ausdruck*, *der Buchstabe der Schrift.* opp. sententia, sensus, quem quis non expressum quasi fundamenti loco habuit in lege scribenda vel alio quodam instituto litteris sanciendo. *Cic. Inv.* 1, 38. Omnes leges ad commodum reipublicae referre oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in litteris est, interpretari. V. integr. loc.]

[*SCRIPTIONĀLIS, e, adj. ad scriptionem pertinens. *Mart. Capell.* 1, 5. *Bail.*]

SCRIPTĬTO, as, a. 1. frequent. a *scripto*, quod a *scribo*, saepe scribo. *Cic. Att.* 7, 12. *f.* Et haec, et si quid aliud, ad me scribas, velim, vel potius scriptites. *Id. Or.* 2, 23. *med.* Sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror. *Id. Brut.* 46. Scriptitavit orationes multas, orator nunquam fuit. *Plin.* 13, 11, 21. In palmarum foliis scriptitatum est. [*Front. ad amic.* (ed *A. Maio*) *ep.* 1, 11. Nec ignoro, nullum adhuc inter nos mutuo scriptitantem usum fuisse. Ita *Codex* pro *scriptitandi. F.*] [**Tac. H.* 2, 36. et 3, 52.]

[SCRIPTĬUNCŬLA, ae, f. dimin. scriptionis. *Salv. Gub. D. praef.* In scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia. *F.*]

SCRĪPTO, as, a. 1. frequent. a *scribo*, aut *scriptito.* V. LECTO.

SCRIPTOR, oris, m. *γραπτήρ*, qui scribit. *Cic. Fam.* 2, 4. Tuarum rerum domesticarum habes et scriptores, et nuncios. *Id. Brut.* 22. *f.* Addebat etiam, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba, *h. e.* illos servos litteratos, amanuenses. *Hor. A. P.* 354. Scriptor librarius. ℙ Item auctor, *h. e.* qui opus aliquod litterarium condit, et litteris mandat, ut rhetor, historicus, poeta, et hujusmodi, *συγγραφεύς. Cic. Or.* 1, 34. *med.* Legendi etiam poetae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores legendi. *Id. Brut.* 9. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans. *Id. Arch.* 24. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur. [*Cf. *Liv.* 21, 1.] *Mart.* 3, 20. Falsus scriptor, *h. e.* historicus mendax. *Hor. Ep.* 1, 2, 1. Scriptor Trojani belli, *h. e.* Homerus; et *ib.* 2, 1, 61. habet nos numeratque poetas Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo, *h. e.* Livii Andronici. *Quint.* 10, 1, 9. Scriptores iamborum, et veteris comoediae. *Phaedr.* 5, 1. Hic est Menander scriptor, *h. e.* poeta comicus. *Hor. A. P.* 235. Satyrarum scriptor. Adde *ib.* 120. et *Ep.* 2, 2, 77., quib. locis poetam *scriptorem* vocat, quem prisci etiam *scribam* dixere. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. Callisthenes historiarum scriptor. *Gell. praef.* Utriusque linguae scriptores, *h. e.* qui in utraque lingua, Graeca et Latina scripsere. *Id.* 19, 8. *f.* Classicus assiduusque scriptor, non proletarius. [**Vell.* 2, 89, 6. omne aevi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigat.] ℙ *Scriptor legum*, conditor, legislator. *Cic. ad Brut.* 1, 1. Solon sapientissimus ex septem, et legum scriptor solus ex septem. [*— *Suet. Ner.* 17. ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet.]

SCRIPTŌRĬUS, a, um, adj. *γραφικὸς*, ad scribendum pertinens. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. *med.* Scriptorius calamus. *Id.* 6, 4. *extr.* et 8, 4. *med.* Atramentum scriptorium.

SCRIPTŪLA. V. SCIRPULA.

SCRIPTLUM et Scriptulum. V. in SCRIPLUM.

SCRIPTUM, i, n. *συγγραμμα*, id quod litteris mandatum est, scriptura, scriptio. *Auct. ad Her.* 1, 11. Cum in scripto, aut ex scripto aliquid controversiae nascitur; et *mox:* Ex scripto et sententia nascitur controversia, cum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire. [**Wenn der Sinn und die Absicht des Schriftstellers mit dem buchstäblichen Ausdrucke nicht übereinzukommen scheint.*] *Cic. Brut.* 39. Multa contra scriptum pro aequo et bono dixit. ℙ *De scripto dicere* contrarium est v. *memoriter dicere*, in dicendo scriptum in manu habere, et omnia dicere, ut domi scripsimus. *Id. ib.* 88. Memoria tanta, ut quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet. *Id. Planc.* 30. *f.* Oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est. Adde *Phil.* 10, 2. *med.* et *Att.* 4, 3. ℙ *Scriptum relinquere*, *mandare scriptis*, litteris mandatum relinquere. *Id. Verr.* 2, 4, 56. Multi Graeci de valvarum harum pulcritudine scriptum reliquerunt. *Id. Off.* 2, 1. *med.* Ut scriptis actiones nostras mandaremus. *Id. Or.* 2, 46. *extr.* Quod a Platone in scriptis relictum esse dicunt. ℙ *Scripta*, *orum*, opera litteratorum hominum, historiae, carmina, artes, etc. *Id. Fam.* 5, 12. Ardeo cupiditate incredibili, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis; et *ib.* 4, 4. Facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiae. ℙ *Scriptum*, lex, aut oratio scripta. *Cic. Dom.* 26. *f.* Quoniam scripto illo istius sententiam dicere vetabatur. *Id. Q. Fr.* 3, 8. *med.* Serrani filii funus perluctuosum fuit: laudavit pater scripto meo. ℙ *Scriptum facere*, scribam esse, et scribendo victum quaerere. *L. Piso* ap. *Gell.* 6, 9. et *Liv.* 9, 46. Cn. Flavius patre libertino natus scriptum faciebat. *Suet. Vit. Hor. in.* Scriptum quaestorium comparavit. *Piso l. c.* Dicitur tabulas posuisse, scripto sese abdicasse. Alii leg. *scriptu*, ut sit 4. decl. [quod confirmatur hoc loco *Front. ad amic.* 2. (edente iterum *A. Maio*) *ep.* 6. Estne lege coloniae Concordiensium cautum, ne quis scribam faxit, nisi eum, quem decurionem quoque recte facere possit? Fueruntne omnes et sunt ad hoc locorum, quibus unquam scriptus publicus Concordiae latus est, decuriones? *h. e.* quibus publici scribatus officium delatum est? V. SCRIBATUS. *F.*] ℙ De ludo duodecim scriptorum. *Cic. Or.* 1, 50. Licet, ista ratione dicamus, pila bene, et duodecim scriptis ludere proprium esse juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 781. Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati poenitet. Utroq. loco est qui leg. *scrupis*, sed invitis libr. et Criticis. *Quint.* 11, 2, 38. Scaevola in lusu duodecim scriptorum cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recor-

datus est. [*Cf. *Spald.* ad h. l.] *Scripta* haec vocat *scriptula* (vel *scripula*, ut quidam volunt, sed idem est.) *Ov. A. Am.* 3, 363. Est genus *(ludi)* in totidem tenui ratione redactum Scriptula, quot menses lubricus annus habet. Parva tabella capit ternos utrinque lapillos: In qua vicisse est, continuasse suos. Ex quo *Ovidii* loco et firmatur lectio *scriptis*, non *scrupis*, in verbis *Cic.* et *Quint.*, et hic ludus a talis seu tesseris et latrunculis diversus fuisse ostenditur. V. *Ov. ib.* 353. et sqq. Porro *scripta* haec sive scriptula alii putant fuisse lineas dispositas in tabula lusoria, quae similis erat illi, qua eum ludum ludimus, qui vulgo *Tria* a nostratibus appellatur, similis, inquam, non eadem, quia alio ordine in illa lineae descriptae fuisse videntur. Alii *scripta* intelligunt ipsos calculos, qui in ludo adhibebantur: argumento esse, quod ab aliis legatur *scrupis* pro *scriptis*. Prior sententia magis congruere videtur cum allatis *Cic.* et *Quint.* verbis: ipsum tamen ludum credimus in antiquitatis tenebris adhuc latere. Disserunt de eo *Salmas.* ad *Vopisc. Procul.* 13., *Gronov. de pec. vet.* 3, 15. et *Thom. Hyde de lud. Oriental.* [*V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.]

SCRIPTŪRA, ae, f. *γραφή*, actus scribendi, scriptio. *Mart.* 1, 67. Erras meorum fur avare librorum, Fieri poetam posse qui putas tanti, Scriptura quanti constat, et tomus vilis. *Plin.* 33, 7, 40. Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque litteras facit. [*Adde *Suet. Aug.* 80. Dexterae quoque manus digitum salutarem tam imbecillum sentiebat, ut torpentem contractumque frigore vix cornei circuli supplemento scripturae admoveret.] *Cic. Or.* 1, 33. Si subitam orationem commentatio vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. *Id. Fam.* 15, 21. Scriptura aliquid persequi, *h. e.* scribere. ℙ Item modus scribendi, stilus. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Genus hoc scripturae non modo liberum, sed incitatum atque elatum esse debet. *Ter. Phorm. prol.* 5. Fabulas tenui esse oratione, et scriptura levi. *Id. Andr. prol.* 12. dixit, oratione ac stilo. *Nep. praef.* Genus scripturae leve. [*Huc pertinet etiam locus, quem *Forc.* §. anteced. adscripserat, *Suet. Gr.* 2. *med.* Naevii Punicum bellum unico volumine, et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros.] ℙ Item scriptum. *Planc. ad Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. *med.* C. Furnio legato plura verbo, quam scriptura, mandata dedi; et *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Mendum scripturae litura tollitur. *Cic. Inv.* 2, 40. Ex superiore et ex inferiore scriptura docendum, quod quaeratur, fieri perspicuum, *h. e.* superiore et inferiore parte testamenti. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 12. Duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numae Pompilii fuisse; et *Suet. Caes.* 41. Libelli scriptura brevi, [*i. e. paucis verbis.] ℙ Item opus litterarium, ut carmina, historiae, etc. *Ter. Ad. in.* Postquam poeta sensit, scripturam suam ab iniquis observari, et adversarios rapere in pejorem partem, quam acturi sumus, etc. *Id. Hec. prol.* 2, 5. Ne cum poeta scriptura evanesceret. *Tac. A.* 4, 32. Nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi R. res composuere. *Suet. Vit. Juven. in.* Genus scripturae studiose excolit, *h. e.* satyrae faciendae. *Tac. A.* 3, 3. Diurna actorum scriptura, *h. e.* acta diurna Urbis. ℙ [*Scriptura* rariore quidem, sed non inusitata significatione dicitur lex, cum de verbis edicti alicujus, sim. sermo est. *Suet. Cal.* 41. cum per ignorantiam scripturae multa commissa fierent, cet. i. e. quia verba legis, scriptam aliquam legem non norant.] ℙ Christiani scriptores *Tert.*, *Hieron.*, *August.* etc. *Scripturam*, et *Scripturas* vocant Divinas Litteras, *τὰ Ἱερὰ Βιβλία.* ℙ Vectigal ex agris et silvis publicis, quod pendebatur ab iis, qui in illis pastionis causa pecudes habebant, *scriptura* dicebatur, quia numerum pecudum apud publicanos profiteri cogebantur, qui in commentarios referebant, et scripto servabant. Hujusmodi vectigalia multa erant in Asia, item in Italia, in silva Scantia, et in salictis ad Minturnas, ut *Cic. Agr.* 2, 14. memorat. *Id. Manil.* 6. *med.* Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. *Pl. Truc.* 1, 2, 44. Ubi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos. V. SCRIPTURARIUS. ℙ De magistro scripturae V. MAGISTER. ℙ In illo *Petr. Sat.* 126. Supercilia usque ad malarum scripturam currentia, et rursus confinio luminum paene permixta: *scriptura malarum* vel est extrema linea, seu confinium malarum in superiori parte, vel pictura seu fucus carundem: vel denique cum multis aliter est legendum.

[SCRIPTŪRĂBĬLIS, e, adj. cui inscribi potest. *Cassiod. Var.* 11, 38. de charta ex papyro: Scripturabilis facies, quae nigredinem suscipit ad decorem. *F.*]

SCRIPTŪRĀRĬUS, a, um, adj. ad scripturam pertinens. Scripturarius ager appellatur, in quo, ut pecora pascantur, certum aes persolvitur; quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore. *Festus.* ℙ Absolute, Scripturarios, inquit *Non.* 1, 172., quos nunc tabularios dicimus, dici volunt veteres, quod scripturis, et commentariis omnia vel urbium, vel provinciarum complecterentur. *Lucil. ib.* Publicarum rerum assuefiam, ut scripturarius. Vel ut *Id. Non.* habet 4, 315. Publicanus vero ut Asiae fiam scripturarius pro Lucilio, id ego nolo: et uno hoc non muto omnia.

SCRIPTŪRIO, is, a. 4. desider. scribere gestio. *Sidon. ep.* 7, 18. Incitatus semel animus nec dum scripturire desinit. Adde *ep.* 8, 11. *med.*

SCRIPTUS, a, um, part. a *scribo: γεγραμμένος, γραφεὶς*, litteris vel lineis notatus, signatus, insculptus. *Ov. Trist.* 5, 12, 61. Scribimus, et scriptos absumimus igne libellos. *Id. Pont.* 3, 2, 90. Ad fratrem scriptas exarat illa notas; et *Her.* 18, 128. Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi. *Id. Fast.* 5, 224. Et manet in folio scripta querela suo. *Cic. Div.* 1, 18. *f.* Ut C. Gracchus scriptum reliquit. *Id. Acad.* 4, 42. Nobilis disciplina, cujus, ut scriptum video, princeps Xenophanes. *Plin. Pan.* 43. Scriptus heres. *Pall.* 2, 15. *med.* Nasci amygdala scripta, si aperta testa nucleum sanum tollas, et in quodlibet scribas. Adde 12, 7. *Mart.* 1, 118. taberna Scriptis postibus hinc et inde totis, *h. e.* inscriptis. *Id.* 14, 87. cui lemma *Stibadia.* Accipe lunata scriptum testudine sigma, *h. e.* formatum instar litterae C. Al. leg. *scriptum testudine signum.* ℙ *Festus:* Scriptum lapidem esse ait, et ita vocari, Antistius Labeo, in agro Menullino, ubi divinam rem facerent. ℙ Item fictus, aut pictus. *Mart.* 11, 4. Scriptus es aeterno nunc primum Juppiter auro. *Stat. Silv.* 3, 1, 95. tot saxa imitantia vultus, Aeraque, tot scripto viventes lumine ceras Fixisti. ℙ Item praestitutus. *Sen. Herc. Fur.* 189. Nulli jusso cessare licet, Nulli scriptum proferre diem, *h. e.* in fatis scriptum. ℙ In nonnull. vet. *Inscr.* habetur *scriptus.*

SCRIPTUS, us, m. V. SCRIPTUM.

SCRĬPŬLA. V. SCIRPULA.

SCRĬPŬLĀRIS, e, adj. scripulum continens. *Plin.* 33, 8, 43. Protinus dicunt, quantum auri sit in ea, scripulari differentia, mirabili ratione non fallente. Al. leg. *scrupulari.*

SCRĬPŬLĀTIM, adv. per scripula, minute, scrupulose. *Plin.* 22, 24, 56. *f.* Scripulatim quidem colligere ac miscere vires, impudentiae est. Al. leg. *scrupulatim.*

SCRĬPŬLUM. V. in SCRIPLUM.

[SCROBĀTĬO, onis, f. actus fodiendi foveas ad arbores depangendas. *Kalend.* rusticum *Farnesian.* ap. *Grut.* 138. *mens. Novemb.* Scrobatio arborum. Hujus *Kalendarii αὐθεντίαν* infirmare conatus est *Pontedera* in *Antiqu. Lat. et Graec.* p. 393. et sqq.; verum *Morcellus de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 76. et sqq., *ed. Patav.* ejusdem difficultatibus ita occurrit, ut illud genuinum opus esse probet. *F.*]

SCROBĬCŬLUS, i, m. *βόθριον*, dimin. scrobis. *Colum.* 4, 15. Et scrobiculo facto ad imum solum praeciditur. *Id.* 5, 6. *med.* Non maximos scrobiculos, sesquipede inter se distantes, fodere. *Plin.* 21, 5, 13. Lilia in scrobiculis seruntur. Adde *Varr.* ap. *Non.* 3, 207.

SCROBIS et Scrobs, bis, m. et f. *ὄρυγμα, σκάμμα*, cavum in terra factum, fossa, fovea. *Colum.* 5, 5. Scrobs, aut sulcus faciendus est; et *mox:* Ne protinus totus scrobs terra compleatur; et *ib.* 6. *med.* Scrobis fieri debet latus pedum duorum; et *mox:* Scrobem autumno facito; et *ib.* 10. Scrobis clibano similis fiat. *Plaut. fragm.* ap. *Prisc.* 7, 751. et *Non.* 3, 207. Ibi scrobes fodito sexagenos in dies. *Id. ib.* Ego ecfodiebam in diem denos scrobes. *Varr. ib.* In scrobe fodiendo inveniunt arcam. *Cic.* quoque *fragm.* ap. *Serv.* ad *G.* 2, 288. masculino genere usurpavit. ℙ In feminino. *Colum.* 4, 4. Facta in pastinato scrobe, vitis prosternatur. *Id.* 12, 44. *med.* Factae scrobi operculum imponitur. *Ov. Met.* 7, 243. egesta scrobibus tellure duabus. *Lucan.* 8, 755. lacerae fragmenta carinae Exigua trepidus posuit scrobe. *Gracch.* ap. *Serv. l. c.* Abunde fossa scrobis est. *Plin.* 16, 31, 57. Platani in sua scrobe reponuntur. *Id.* 17, 13, 21. Ramum ab arbore in scrobem deprimere. *Id.* 24, 1, 1. Quercum in scrobe depangere; et 10, 44, 61. Scrobes excavare. ℙ De fossa, in qua humatur cadaver. *Mart.* 10, 97. Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato. *Suet. Ner.* 49. Scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum. Adde *Tac. A.* 1, 61. *extr.* et *ib.* 15, 67. *f.* ℙ *Pers.* 1, 119. Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? Nusquam. Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle: Auriculas asini quis non habet? *h. e.* occulte. V. MIDAS. ℙ Item de pudendo muliebri. *Arnob.* 4, 131. Pertunda, quae in cubiculis praesto est virginalem scrobem effodientibus maritis.

SCROFĂ, ae, f. *χοιρὰς*, porca vetula, quae fetus causa alitur. *Varr. R. R.* 2, 4. Scrofa in sua quaeque hara suos alat, oportet, porcos. *Colum.* 7, 9. Scrofae probantur longissimi status, et ut sint reliquis membris similes descriptis verribus. *Juven.* 6, 176. Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba. ℙ *Scrofa*, cogn. R. Originem hujus cognominis hanc *Varro* tradit *R. R.* 2, 4. Avus meus *(Cn. Tremellius Scrofa loquitur, vir praetorius, Varronis aequalis)* primum appellatus est Scrofa: qui quaestor cum esset Licinio Nervae praetori, in Macedonia provincia relictus, qui praeesset exercitui, dum praetor rediret; hostes arbitrati, occasionem se habere victoriae, impressionem facere coeperunt in castra. Avus, cum hortaretur milites, ut caperent arma, atque exirent contra, dixit, celeriter se illos, ut scrofa porcos, disjecturum. Id, quod fecit. Nam eo proelio hostes ita fudit atque fugavit, ut eo Nerva praetor imperator sit appellatus, avus cognomen invenerit, ut diceretur scrofa. *Macr.* aliam refert appellationis originem *Sat.* 1, 6. *f.* Is Tremellius cum familia atque liberis in villa erat: servi ejus, cum de vicino scrofa erraret, surreptam conficiunt: vicinus advocatis custodibus omnia circumvenit, ne qua efferri possit: isque ad dominum appellat, restitui sibi pecudem. Tremellius, qui ex villico rem comperisset, scrofae cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat: quaestionem vicino permittit: cum ventum est ad cubiculum, verba jurationis concipit, nullam esse in villa sua scrofam, nisi istam, inquit, quae in centonibus jacet: lectulum monstrat. Ea facetissima juratio Tremellio Scrofae cognomentum dedit. ℙ Sunt qui scribunt *scropha.*

SCROFĪNUS, a, um, adj. a scrofa, ut Scrofinum stercus, *Marcell. Empir.* 4. Scrofina perna, *Id.* 13.

SCROFĪPASCUS, i, m. *χοιροβοσκὸς*, qui scrofas pascit. *Pl. Capt.* 4, 2, 27. Pistores scrofipasci, furfure qui alunt sues.

SCROFŪLAE, arum, f. plur. *χοιράδες*, strumae aut similis morbus circa guttur. *Veg. Vet.* 2, 23. Plerumque strumae, vel parotides, aut scrofulae jumentorum guttur infestant.

SCROPHA. V. SCROFA.

SCROTUM, i, n. *ὄσχεος*, sacculus e pelle, quo testiculi continentur: per metathesin a *scortum*, qua pellem significat. *Cels.* 7, 19. Inciditur interdum inguen, interdum scrotum. Adde *ib.* 20.

SCRŪPĔDA, ae, m. et f. qui aegre incedit, velut qui pedibus scrupos calcans difficile ingreditur, et distorto corpore. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* et *Plaut. fragm.* ap. *Gell.* 3, 3. V. SCRANTIAE.

SCRŪPĔUS, a, um, adj. *λιθώδης*, scrupis plenus, lapidosus, scruposus, asper. *Enn.* ap. *Fest.* in *Scrupi.* Scrupeo investita saxo atque ostreis, *h. e.* terga cavis super obsita conchis, ut ait *Ov. Met.* 4, 724. de eadem re, *h. e.* de marino monstro loquens; et *ib.* 1, 332. Triton humeros innato murice tectus. *Virg. A.* 6, 237. Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu, Scrupea, tuta lacu nigro, etc. *Sen. Agam.* 558. Est humilis unda, scrupeis mendax vadis, Ubi saxa rapidis clusa vorticibus tegit Fallax Caphareus. Adde *Stat. Th.* 9, 411. ℙ Translate. *Attius* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Rejicias abs te religionem: scrupeae imponas, *h. e.* superstitione laboranti. V. SCRANTIAE. *Auson. praef. Idyll.* 12. Scrupea difficultas, *h. e.* ardua, molesta, difficilis. *Tert. Pall.* 4. de Achille: Ille apud rupicem, et silvicolam, et monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus, *h. e.* apud Chironem centaurum.

SCRŪPOSUS, a, um, adj. idem quod scrupeus. *Accius* ap. *Non.* 3, 194. Scruposa specus. *Pl. Capt.* 1, 2, 82. Scruposam viam commeare. *Lucan.* 5, 675. Scruposis angusta vacant ubi litora saxis. *Grat. Cyn.* 514. lustratur equis scruposa Pyrene; et *Appul. Flor. n.* 11. Scruposum agrum, meras rupinas, et senticeta colere. ℙ Translate. *Lucr.* 4, 524. haudquaquam ratio scruposa relicta est. ℙ [*De confus. vv. *scruposus* et *scrupulosus* v. h. v.]

SCRŪPŬLĀRIS. V. SCRIPULARIS.

SCRŪPŬLĀTIM. V. SCRIPULATIM.

SCRŪPŬLOSĒ, adv. *ὑπεραχριβῶς*, nimis curiose, seu diligenter. *Plin.* 2, 46, 45. Scrupulosius, quam instituto fortassis conveniat operi, tractabo ventos. *Quint.* 5, 14, 28. Minutius et scrupulosius scrutantur omnia. *Colum.* 9, 8. Quae dono vel aucupio contingunt, minus scrupulose probantur. *Id. praef.* 1. Corporis gesticulatorem scrupulosissime requirunt saltationis ac musicae rationis studiosi.

SCRŪPŬLOSĬTAS, atis, f. *ὑπεραχριβεία*, nimia diligentia, anxia cura. *Colum.* 11, 1. *f.* In hac autem ruris disciplina non desideratur ejusmodi scrupulositas. ℙ Item anxietas, sollicitudo. *Tert. Virg. vel.* 11. *med.* De ceteris, quae desponsatae non sunt, viderit parentum procrastinatio de angustiis et scrupulositate descendens.

SCRŪPŬLOSUS, a, um, adj. idem quod scruposus, scrupeus, asper: a *scrupulus*, lapillus. *Cic. Tusc.* 4, 14. *f.* Ex quibus quoniam, tanquam e scrupulosis cotibus, enavigavit oratio. Al. leg. *scruposis.* [*V. *Orell.*] *Pacuv.* ap. *Prisc.* 6, 713. Advenio in scrupulosam specum. *Plin.* 15, 23, 25. de castaneis: Ceterae suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis, intra nucleos quoque, ruminatione. *Tert. Cult. fem.* 10. Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, *h. e.* auctor fuit forandarum aurium, unde lapilli penderent. ℙ Translate est diligens, minuta quaeque persequens, sollicitus, anxius, quasique scrupula ipsa ponderum et mensurarum examinans: a *scrupulum*, minima ponderis pars. *Front. Aquaed.* 64. Scrupulosa inquisitione invenire aliquid. *Plin.* 18, 33, 76. Ventorum ratio erit paulo

scrupulosior. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 8. Scrupulosa cura parvula quaeque momenta religionis examinare. *Appul. de Deo Socrat.* Scrupulosissimus Deorum cultus; et *Tert. Spect.* 3. Quorundam fides aut simplicior, aut scrupulosior. *Appul. Met.* 9. Scrupulosus lector. [*Front. B. Parth.* (ed. *A. Maio*) p. 203. Caesar duos de analogia libros scrupulosissimos scripsit. *F.*] ℙ Item molestus, difficilis. *Festus* in *Scrupi:* Scrupulosam rem dicimus, quae aliquid habet in se asperi. *Quint.* 9, 1, 7. Scio, quam multiplicem habeant, quamque scrupulosam disputationem. *Gell. praef. med.* Quae erunt in his commentariis pauca quaedam scrupulosa et anxia, vel ex grammatica, vel ex dialectica, etc. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Miraris, quod tot volumina, multaque in his tam scrupulosa homo occupatus absolverit. *Auson. Grat. act.* 24. Scrupulosus hic mihi locus est, et propter eam, quam nunquam appetivi, gloriam recusandus. ℙ [*Confund. *scrupulosus* et *scruposus.* V. *Ern. cl. Cic.* s. v. *scrupulosus.*]

SCRŪPŪLUM, i, n. minima ponderis pars. V. SCRIPLUM.

SCRŪPŪLUS, i, m. *ψηφὶς*, parvus scrupulus, calculus, lapillus minutus, qualis est, qui in calceo latens et pressus pedem laedit. [*Etymon vocis v. in SCRIPTUM.] *Solin.* 7. Inter calculos, quibus ripae Acheloi micant, invenitur galactites, qui scrupulus, ipse ater, si teratur, reddit succum album ad lactis saporem. ℙ Translate est quidquid dubitationem affert, sollicitudinem, difficultatem, molestiam. *Ter. Andr.* 5, 4, 37. Mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. *Pam.* dignus es cum tua religione odio, nodum in scirpo quaeris. *Cic. Har. resp.* 5. *extr.* Primum expiabo religionem aedium mearum, si id facere vere ac sine cujusquam dubitatione potero: sin scrupulus tenuissimus residere aliquis videbitur, religioni parebo. *Id. Att.* 1, 18. Domesticarum sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occultabo; et *ib.* 2, 4. Mihi placet, ea, quae male empta sunt, reddi, si voluntate Pomponiae fieri poterit: si ne id quidem, nummi potius reddantur, quam ullus sit scrupulus. *Id. Rosc. Am.* 2. *f.* Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat. *Plin. ep.* 3, 17. Eximе hunc mihi scrupulum, cui par esse non possum. *Cic. Cluent.* 28. Hic tum injectus est hominibus scrupulus, et quaedam dubitatio, quidnam esset actum. *Ter. Ad.* 2, 2, 19. Timet: injeci scrupulum homini; et *Appul. Met.* 1. Mihi non parvam incussisti sollicitudinem, immo vero formidinem, injecto non scrupulo, sed lancea, ne sermones nostros anus illa cognoscat. *Colum.* 5, 11. Omnis surculus, si similem fructum affert, sine scrupulo egregie inseritur. ℙ Item formido, metus. *Appul. Apol.* Reus scrupulo quaestionis liberatur. ℙ Item sollicitudo, cura, diligentia. *Id. ib.* Quibus comitibus, quibus scrupulis, quibus custodibus perniciem prohibeat? ℙ Et res difficilis. *Gell.* 5, 15. *f.* Hos argutae desidiae aculeos cum audiremus, neque in his scrupulis aut emolumentum ad rationem vitae pertinens, aut finem ullum quaerendi videremus, etc. ℙ Item vigesima quarta horae pars. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 97. *n.* 219. Benemerenti in pace Silvanae, quae hic dormit. Vixit Ann. XXI. Mens. III. Hor. IV. scrupulos VI. Alia ap. *Mur.* 915, 3. Quae Vix. An. XVII. M. IIII. D. IX. Hor. XV. Scrupul. XXX. (Hic fortasse scribendum XX., nam hora ap. Romanos constabat scrup. XXIV.) V. SCRIPLUM. V. aliam ap. *Donat.* 351, 1. ℙ De minimo pondere, V. in SCRIPLUM.

SCRŪPUS, i, m. *λίθαξ*, saxum asperum, et difficile attrectatu. *Festus:* Scrupi dicuntur aspera saxa, et difficilia: petrae etiam attrectari insuetae, aut naufragiorum pollutae scelere. *Petr. Sat* 79. Cum hora paene tota per omnes scrupos, gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes. ℙ [Translate idem est ac scrupulus, q. v. v. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 3, 16. Contra autem improbis semper aliqui scrupus in animis haereat, semper iis ante oculos judicia et supplicia versentur. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 170. *n.* 324. L. Maecilius Scrupus. *F.*]

SCRŪTA, orum, n. plur. *γρύτη, ἡ, γρυτάρια, τὰ*, res veteres omne genus, ut attritae usu vestes, dimidiatae strigiles, jumentorum tritae soleae, vasa quassa et futilia, et hujusmodi quae vilissimi proxenetae venalia habent: a voce Graeca allata, *s* praefixo. *Lucil.* ap. *Gell.* 3, 14. Quidni? et scruta quidem, ut vendat, scutariu' laudat, Praefractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam. *Hor. Ep.* 1, 7, 65. Vilia vendentem tunicato scruta popello. *Petr. fragm. Trag.* 62. *Burm.* Scruta scita expedire.

SCRŪTANS, antis, part. a *scrutor*, qui scrutatur. *Petr. Sat.* 97. Ut extentus infra grabatum scrutantium eluderet manus. *Manil.* 1, 11. Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum. *Ammian.* 30, 9. *med.* Militaris rei ordinum scrutantissimus.

[SCRŪTANTER, adv. diligenter, cum scrutatione. *Ambros. ep.* 40. Scrutanter discutere. *F.*]

*SCRUTARĬUM, i, n. *γρυτοπωλεῖον Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SCRŪTĀRĬUS, a, um, adj. ad scruta pertinens. [*Inscr.* ap. *Orell. Collect. Inscr. Lat. n.* 2954. Abascantus Antonii Rufi S. Scrut. *h. e.* servus scrutarius. *F.*] ℙ *Scrutarius* absolute, qui scruta vendit, *γρυτοπώλης*. *Lucil.* ap. *Gell.* 3, 14. scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat. ℙ *Scrutaria, ae*, f. absolute, ars scruta vendendi. *Appul. Met.* 4. Vos inter furta parva atque servilia, per aniles cellulas reptantes scrutariam facitis.

SCRŪTĀTĬO, onis, f. *ἐξέτασις*, actus scrutandi, inquisitio diligens. *Sen. V. B.* 23. Si tutus et securus scrutationem populo praebuerit, *h. e.* permiserit domum suam scrutandam. *Gell.* 9, 10. *f.* Egregiam istius verecundiae laudem insula nimis et odiosa scrutatione violavit.

SCRŪTĀTOR, oris. m. *ἐξεταστής*, qui scrutatur, investigator, inquisitor. *Stat. Silv.* 3, 1, 84. Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi; et *ib.* 3, 92. Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi; et *Lucan.* 4, 298. Asturii scrutator pallidus auri. Sic *Sil.* 1, 231. Astur avarus Visceribus lacerae telluris margitur imis, Et redit infelix effosso concolor auro. ℙ Item qui manibus pertrectat. *Suet. Claud.* 35. Salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus, et acerbissimos, *h. e.* qui pertrectarent, scrutarenturque, num quorum sub vestibus laterent arma. *Just.* 38, 1. Scrutatori curiosius imum ventrem pertractanti, ait, caveret ne aliud telum, etc. V. SCRUTOR et PRAETENTATUS. ℙ Translate a prima significatione. *Lucan.* 5, 122. Scrutator fati. V. SCRUTOR.

SCRŪTĀTRIX, icis, quae scrutatur. *Alcim.* 2, 326. scrutatrix Eva malorum.

SCRŪTĀTUS, a, um, part. a *scrutor*, qui investigavit, et rimatus est. *Plin.* 23, 6, 60. Qui omnia scrutati, nihil intentatum reliquere. *Stat. Th.* 1, 614. imas animae mucrone corusco Scrutatus latebras. ℙ Passive, diligenter quaesitus. *Aurel. Vict. Orig. gen. R.* 6. Scrutatis omnibus ejuscemodi latebris. *Ammian.* 15, 8. *med.* Velut scrutatis veteribus libris.

SCRŪTILLUS, i, m. venter suillus condito fare expletus. *Paul.* ex *Festo* post *Sors*, ex *Plauto*, et *Isid. Gloss.* Olim corrupte legeb. *sortutillus.*

SCRŪTĬNĬUM, ii, n. *ἐξερεύνησις*, investigatio, inquisitio: a *scrutor. Appul. Met.* 9. *f.* Postremum magistratibus placuit obstinate denegantem scrutinio detegere.

*SCRUTĬNO, as, a. 1. *Fulgat. Interpr. Esdr.* 4, 16. 63. et 65. *B. A.*

SCRŪTO, as, a. 1. idem ac scrutor, apud antiquos, teste *Prisc.* 8, 799. et *Non.* 7, 6. *Gloss. Philox. Γρυτεύω*, scruto. ℙ Passive. *Ammian.* 28, 1. *med.* Non nisi suppliciis acrioribus perniciosa facinora scrutari posse, vel vindicari.

SCRŪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἐξετάζω, ἐρευνάω*, diligenter rimor, perscrutor. Videtur esse a *scrutis*, quasi sit ita in loco aliquo praetentare, et versare omnia, ut etiam scruta misceantur. Unde *Gloss. Philox. Γρυτεύει*, scrutatur. *Petr. Sat.* 33. Scrutari paleam coeperunt, erutaque subinde ova divisere convivis; et *ib.* 98. Arundine omnia foramina parietum scrutatur. [*Suet. Vesp.* 12. Scrutari salutantes.] *Cic. Vat.* 5. Cum omnium domos, apothecas, naves furacissime scrutarere. *Sall. Jug.* 12. Scrutari loca abdita, clausa effringere. *Cic. Pis.* 26. L. Crassus spiculis prope scrutatus est Alpes, uti, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quaereret. *Stat. Th.* 1, 426. scrutatur et intima vultus Unca manus. *Sen. Oed.* 965. Scrutatur avidus manibus uncis lumina. *Id. Med.* 1013. et *Lucan.* 8, 557. Gladio scrutari viscera. *Tac. H.* 3, 27. Disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum, etc. *Id. G.* 45. Scrutari mare; et *A.* 1, 61. occulta saltuum. Sic *Plin.* 5, 1, 1. Scrutandi orbis gratia, classe circumvectus. *Sen. Thyest.* 498. canis presso vias Scrutatur ore; et *Plin.* 8, 40, 61. canis Scrutatur ferae vestigia, atque persequitur. *Hor. Sat.* 2, 3, 276. Srcutari ignem gladio. V. GLADIUS. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. *f.* Scrutari omnes sordes, excutere unumquemque. *Tac. H.* 4, 55. animum alicujus; et *A.* 16, 5. nomina ac vultus, alacritatem, tristitiamque coeuntium. *Sen. Ira* 3, 36. Totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior; et *Juven.* 2, 44. respice primum, Et scrutare viros. ℙ Item quaero, inquiro, investigo. *Plin.* 35, 6, 19. Scrutari inter saxa venas melini. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 172. ventus Offenso per saxa furit rimosa meatu, Dum scrutatur iter, *h. e.* quaerit exitum. ℙ Translate. *Cic. Part.* 3. Argumenta scrutari et quaerere ex omnibus locis. *Plin. ep.* 4, 30. *extr.* Scrutare causas, quae tantum miraculum efficiunt. *Tac. A.* 12, 52. Scrutari finem principis per Chaldaeos; et *ib.* 16, 14. *med.* fata alicujus. *Hor. Ep.* 1, 18, 37. Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam, Commissumque teges. *Ov. Met.* 15, 136. fibras Inspiciunt, mentesque Deum scrutantur in illis. ℙ *Scrutari aliquem* est manibus pertrectare, num arma tecta, aut aliud quippiam sub veste habeat. *Cic. Rosc. Am.* 34. *med.* Non excutio te, si quid forte ferri habuisti, non scrutor, *Suet. Vesp.* 12. *extr.* Nam consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat. Adde *Pl. Aul.* 4, 4, 24. et *Nep. Dat.* 11. et V. SCRUTATOR. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Qui locis omnibus dispositi scrutantur tabellarios, et retinent. *Tac. H.* 3, 25. Scrutari semianimem: scil. exspoliandi causa.

[SCŪBŪLI, orum, m. plur. populi quidam hactenus ignoti, vel potius militum quoddam genus fuisse videntur. Eorum mentio habetur in *Inscr.* opt. notae, ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 173., quae nunc prope Patavium exstat in *Mus. Obiciano.* Praef. Equitum alae I Scubulorum. Alia ap. *Donat.* 10, 2. Praef. alae Scubulorum. Alia ap. *Mur.* 804, 5. Eques alae Scubul. *F.*]

SCULNA, ae, m. et f. sequester, *συνθηκοφύλαξ. Gell.* 20, 11. P. Lavinii liber est non incuriose factus: is inscriptus est, De verbis sordidis. In eo scripsit, sculnam vulgo dici, quasi seculnam: quem qui elegantius, inquit, loquuntur, sequestrem appellant. Utrumque vocabulum a sequendo factum est, quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Sculnam autem scriptum esse in Logistorico M. Varronis, qui inscribitur Catus, idem P. Lavinius in eodem libro admonet. Haec *Gellius. Macr. Sat.* 2, 13. *f.* Sponsione contendit Antonius, dignus sculna Munatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est.

SCULPO, is, psi, ptum, a. 3. *γλύφω, γλάφω*, caedendo imaginem aliquam aut figuram effingo, scalpo. *Diomed.* 1, 374. non agnoscit: et composita *insculpo, exsculpo* ducit a *scalpo*, ut *inculco* a *calco*: sed contra est aliorum consensus, et derivata *sculptus, sculptura, sculptilis, sculptor*, etc. [*V. in SCALPO.] *Ov. Met.* 10, 248. niveum mira feliciter arte Sculpit ebur. Alii leg. *sculpsit*, alii *scalpsit. Vitr.* 1, 2. *med.* In coronis denticuli sculpentur. *Id.* 4, 6. Sculpendum est cymatium Lesbium cum astragalo. *Manil.* 5, 504. Sculpentem faciet sanctis laquearia templis. *Appul. Flor. n.* 15. Quem comperio gemmis faberrime sculpendis laudem magis, quam opem quaesisse. Addunt *Plin.* 36, 4, 4., ubi tamen alii legunt *scalpo.*

SCULPONĒAE, arum, f. plur. [*zoccoli*, nostrates vulgo *sgálmare* vocant. *F.*] sunt calceamenta rudia et rustica, ex solido ligno excavata, qualia erant *χροΐπεζα* Boeotiorum, ut *Pausanias* et *Eustathius* indicant, quas *χροπέζια* vocat *Pollux Onom.* 7, 22. et *Hesychius. Cato R. R.* 59. Sculponeas bonas alternis annis dare (*familiae*) oportet. *Pl. Cas.* 2, 8, 59. Emito sepulas, lepadas, loliguncula, soleas. *Ch.* Qui, quaeso, potius, quam sculponeas, queis tibi batuatur os, senex nequissime? *Naevius* ap. *Fulg. de Prisco serm. n.* 21. Sculponeis batuenda sunt huic latera probe. [*Etymon *F.* fecerat a SCULPO.] ℙ *Fulgent. l. c.* perperam ita interpretatus est hanc vocem: *Sculponeas dici volunt caestus plumbo ligatos:* etenim jam notum est, veteres solitos fuisse soleis et sandaliis puerorum nates, et virorum caput commitigare. V. SANDALIUM.

SCULPONĒATUS, a, um, adj. sculponeis indutus. *Varro* ap. *Non.* 2, 731. Dum in agro studiosius ruror, adspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas.

SCULPTĬLIS, e, adj. *γλυπτὸς*, qui sculpi potest, aut sculptus est. *Ov. Pont.* 4, 9, 27. Signa quoque in sella nossem formata curuli, Et totum Numidae sculptile dentis opus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 266. Forma in aere sculptilis.

SCULPTOR, oris, m. *γλύπτης*, qui sculpit, scalptor. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Jam fuerat in Chio insula Malas sculptor, dein filius ejus Micciades. *Id.* 29, 6, 38. Sculptores gemmarum. *Plin. alter ep.* 1, 10. De pictore, sculptore, fictore, nisi artifex judicare non potest.

SCULPTŪRĀ, ae, f. *γλυφή*, ars sculpendi. *Quint.* 2, 21. Architectonice in omnibus, quae sunt aedificio utilia, versatur; caelatura, auro, argento, aere, ferro opera efficit; sculptura etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, praeter ea, quae supra dixi, complectitur. *Plin.* 16, 40, 77. Habent in sculpturis facilitatem ficus et salix. *Vitr.* 2, 9. *med.* Populus alba et nigra, item salix, tilia, etc. in sculpturis commodam praestant tractabilitatem. *Just.* 15, 4. Annulus ejusdem sculpturae in lecto inventus est. *Suet. Ner.* 46. *med.* Annulus, cujus gemmae sculptura erat Proserpinae raptus.

SCULPTŪRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *sculpturo*, ad sculpturam pertinens. *Venant. carm.* 9, 15. Et sculpturata lusit in arte faber.

SCULPTUS, a, um, part. a *sculpo:* scalptus. *Cic. Acad.* 4, 31. *f.* Non est e saxo sculptus, aut ex robore dolatus. Alii leg. *scalptus. Just.* 15, 4. Annulus, in cujus gemma ancora sculpta erat. *Suet. Aug.* 50. Imago Dioscoridis manu sculpta. *Quint.* 12, 9. *f.* Dicet scripta, quam res patietur plurima, et, ut Demosthenes ait, si continget sculpta. *Hor. Sat.* 2, 3, 22. Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset. *Lucan.* 3, 224. Sculptaque servabant magicas animalia linguas. ℙ Translate. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Naturae lege in animo ejus sculptum sit, quod nihil horum possit nocere sapienti.

[SCULTĀTOR, oris m. miles qui excubias agit. *Veg. Mil.* 2, 17. Ferentarii autem, armaturae, sculatores, sagittarii, funditores, hoc est levis armatura, adversarios provocabant. Alii leg. eod. sensu *sculcatores*, sed *scultatores* praestare videtur, ut corruptum sit ab *auscultator.* V. SCUTATUS. *F.*]

[SCULTĀTŌRĬUS, a, um, adj. speculatorius. *Cassiod. Var.* 2, 20. Decernimus, ut quantas in Ravennati urbi scultatorias (scil. naves) potueris reperire, frumentis fiscalibus oneratas ad nos usque perduces. Alii leg. *sculcatorias*, alii *sulcatorias*. V. v. praec. *F.*]

*SCULTENNA, ae, fluvius Italiae superioris, Modenam praeterluens, inque Padum incidens. *Liv.* 41, 12. et 18. *Plin.* 3, 16. *B. A.*

[SCŪPI, orum, m. plur. Σκοῦποι, ita est appellata Moesiae urbs, quae nunc *Uskub* dicitur. *Claudius Goth.* ap. *Trebell.* XXX. *Tyr. n.* 9. Pertulerunt ad me, qualis apud Scupos in pugnando fueris. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 2. P. Aelius P. F. Aelia Pacatus Scupis. *Paul. Nol. carm.* 17, 188. Ibis et Scupos patriae propinquos Dardanus hospes. *F.*]

SCURRĂ, ae, m. [*Etymon vocis incertum est: Ex iis, quae varie in hanc rem disputata sunt, haec imprimis notanda videntur. *Lindemannus* ad *Pl. Trin.* 1, 2, 165. factum vel a *secendo*, i. e. dicax, vel a *sequendo*, i. e. sequax, contendit. Alii a Graeco σκώρ deducendum putant. V. *Lobeck. de Cobal.* p. 569. in *Miscell. critt. ed. Seeb.* V. I. p. III. p. 569. *Doederl.* 3, 82. derivat a *Garrulus.* V. quae contra disputat *Conr. Schwenk.* in *actt. schol.* a. 1830. p. 686. — Verum, utut res haec se habet, hoc tamen stare videtur, primum quidem *scurram* satis honesto sensu dici hominem urbanum, elegantem, pudore suburbano isto haud impeditum; ad jocandum ridendumque aptum et paratum, opp. homo rusticus, militaris, gravis. Exempla *Noster* laudaverat ista: *Pl. Most.* 1, 1, 14. Tu urbanus vero scurra, deliciae populi, Rus mihi tu objectas? *Id. Epid.* 1, 1, 13. Scurra es. EP. Scio te esse quidem hominem militarem. *Id. Trin.* 1, 2, 165. Nihil est stultius, neque perjurius, quam urbani assidui cives, quos scurras vocant. *Id. Truc.* 2, 6, 10. Non placet, quam scurrae laudant, manipulares mussitant. ¶ Socrates, quod Atticorum more dictorum leporibus et cavillationibus delectaretur, et praecipue, quod esset εἰρωνεύων, scurra Atticus a Zenone est appellatus. *Cic. N. D.* 1, 34. et *Lactant.* 3, 19. al. 20. ¶ *De scurra multo facilius dives, quam pater familias fieri potest.* Proverb. ap. *Cic.* pro *Quint.* 17. *f.* ¶ Hinc proprium vocabulum factum est de iis, qui in dictum domivibus jocando, omnisque generis rebus ridiculis patronos fautoresque suos delectantes vitam ita degerent, ut parum differrent a parasitis: v. *Doederl.* l. l. p. 83. Descriptionem ejusmodi scurrae habes ap. *Hor. ep.* 1, 18, 10. sqq. Quo addendum illud *Pl. Poen.* 3, 2, 35. Faciunt scurrae quod consuerunt, pone sese homines locant, *h. e.* locant se pone homines, eosque sectantur, mensae gratia, Cymba velut magnas sequitur cum parvula classes, ut ait *Virg.* in Ciri v. 479. *Umbras* vocat *Hor. Sat.* 2, 8, 22. ¶ Postea inhonesto sensu dici coeptum est vocabulum de iis, qui dictis jocularibus, vel corporis gestu, saepius etiam non habita ratione verecundiae et dignitatis, ex professo risum a sodalibus captarent; Gr. γελωτοποιός, βωμολόγος. Unde multis in locis *scurra* notionem *copreae* vindicat. *Cic. Verr.* 2, 3, 62. *f.* Qui se scurram improbissimum existimari vult; qui a scurris potius gladiator, quam scurra appellatus sit. *Hor. Sat.* 1, 5, 49. sq. Nunc mihi paucis Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri, etc. *Plin. ep.* 9, 17. Nequaquam me delectat, si quid molle a cinaedo, petulans a scurra, stultum a morione profertur. Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. ¶ Atque inde mimis hoc quoque nomen tributum est, ut ap. *Juv.* 13, 110. Mimum agit ille, urbani qualem facundus scurra Catulli. *Capitol. Ver.* 8. *f.* Adduxerat secum et fidicinas, et fidicines, et histriones scurrasque mimarios, et praestigiatores, et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate, prorsum ut videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum confecisse. ¶ Apud seriores *scurrae* nomine appellati sunt milites, quibus corporis custodiam princeps demandasset. *Lampr. Alex. Sev.* 61. Unus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis, etc. et *ib.* 62. *extr.* Scurrae barbari manu periit. *Id. Elag.* 33. *med.* Nam, ut diximus, occisus est per scurras. Supra *c.* 16. *extr.* et *c.* 17. dixerat occisum esse a militibus, et maxime praetorianis. *Trebell. de* XXX. *Tyr.* 29. de Zenobia, *f.* Nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus praeferebat. *Salmas.* ad *Lampr. l. c.* ideo sic appellatos putat, quod non magis ab latere domini discederent, quam scurrae et parasiti ab iis, quorum mensas sectabantur. Huc pertinet *Inscr.* ap. *Mur.* 843, 2. Pomanio scurrae D. Poetil. Cor. Val. I. item Torq. I. don. etc., ubi vides militem, et quidem strenuum, donatumque corona vallari et torque virtutis ergo, *scurram*, eo quod armiger esset ex decuria Poetilii, appellari.

[SCURRĬBĬLIS, e, adj. idem ac scurrilis. *Jul. Vict. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 17. *med.* Ridiculum nec nimis frequens sit, ne scurribile videatur; nec subobscenum, ne mimicum, etc. Hic locus sumptus est ex *Cic. Or.* 36. V. SUBOBSCENUS. *F.*]

SCURRĪLIS, e, adj. βωμολοχικὸς, ad scurram pertinens, ridiculus cum turpitudine. *Cic. Or.* 2, 59. Ne aut scurrilis jocus sit, aut mimicus. ¶ Item facetus, urbanus. *Val. Max.* 8, 8. *n.* 3. Ut enim in rebus seriis Scaevolam, sic in scurrilibus lusibus hominem agebat.

SCURRĪLĬTAS, atis, f. βωμολοχία, turpis, et procax dicacitas, neque temporis, neque loci, neque personarum respectum habens. *Auct. dial. de Or.* 22. *f.* Foeda et insulsa scurrilitas.

SCURRĪLĬTER, adv. βωμολοχικῶς, scurrarum more, procaciter. *Plin. ep.* 4, 25. Qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat?

SCURROR, aris, dep. 1. βωμολοχέω, scurram ago. *Hor. Ep.* 1, 17, 19. Scurror ego ipse mihi, populo tu. ¶ Item adulor: nam scurrae ut in omnibus placeant, assentari etiam solent. *Id. ib.* 18, 1. metues, liberrime Lolli, Scurrantis speciem praebere professus amicum.

SCURRŬLĂ, ae, m. dimin. scurrae. *Appul. Met.* 10. Quidam praesens scurrula, date, inquit, huic quippiam meri. *Arnob.* 6, 206. Urbanus scurrula.

SCŪTĂ, ae, f. V. SCUTUM.

SCŪTĀLĔ, is, n. pars fundae, cui imponitur glans seu lapis mittendus: ita videtur appellata a scuti seu rhombi figura, quam habet. *Liv.* 38, 29. Centum funditores ab Aegio, et Patris, et Dymis acciti. A pueris ii, more quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenae immixtis strata litora sunt, funda mare apertum incessentes exercebantur. Itaque longius, certiusque, et validiore ictu, quam Balearis funditor, eo telo usi sunt: et est non simplicis habenae, ut Balearica aliarumque gentium funda, sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in jactu glans, sed librata cum sederit, veluti nervo missa excutiatur, *h. e.* iis funda non simplici loro constat, sed in ejus medio sinus seu scutale est tribus quasi scutulis coriaceis sibi impositis, et crebris suturis duratum, in quo glans posita veluti tormento missa excutiatur. Ita locum interpretantur *Gesnerus*, et *Ernestius*, qui postremus eodem sensu interpretandum, atque ita legendum putat alterum locum *Liv.* 42, 65. Funda media duo scutalia (alii omnes leg. *funalia*) imparia habebat; cum majori sinu libratum (*spiculum*) funditor habena rotaret, excussum, velut glans, emicabat. ¶ *Forc.* tamen cum aliis rectius censet, in priore *Liv. l. c.* v. *scutale* significare lorum seu habenam fundae. Verum cum in eo loco bis jam habenae mentio sit, et, demptis his vocibus *triplex scutale*, sententia per se optime constet, (etenim illud *duratum* ad *telum* supra memoratum referendum videtur), ac praeterea *scutale*, si ejusdem est cum scytala seu σκυτάλη Graecorum significationis, esset generis feminini, minime vero neutrius; satis apparet, easdem pro veteri glossa habendas esse, ab imperitis librariis in textum intrusas, ideoque eliminandas. [*Totum immutavit hunc locum *F.*]

SCŪTĀRĬUS, a, um, adj. ad scutum pertinens. *Veg. Mil.* 2, 11. Habebant etiam fabricas scutarias, loricarias, arcuarias. ¶ *Scutarius*, qui scuta facit, ἀσπιδοποιός. *Pl. Epid.* 1, 1, 35. Id modo videndum, ut materies suppetat scutariis. ¶ [*Scutarii* fuerunt quoque milites scutis armati, a Constantino M., ut videtur, instituti, et custodiae principis addicti, ut patet ex *Suida* in V. Σχολάριοι, ex *Agathia l.* 5. p. 111., ac praesertim ex *Zosimo l.* 3. *c.* 29., qui sub Juliano Aug. duos eorum ordines memorat imperatorem stipare solitos. Hi videntur substituti fuisse praetorianis, quos idem Constantinus M., ut dictum est in PRAETORIUS, sustulerat. Duplex fuit haec militia, in Oriente nempe, et in Occidente. In Oriente gemina schola constabat, et ex Armeniorum primoribus deligebatur, teste *Suida l. c.* In Occidente vero in plures scholas dividebatur, ut patet ex *Inscr.* ap. *Mur.* 1895, 3. Hic jacet Justinus scutarius ex schola prima; et 1922, 4. Pax Eucharidi F. scut. schol. secund. et ap. *Grut.* 1052, 11. Flavius Higgo scutarius schola tertia. Hinc iidem appellati etiam sunt scholares. V. h. v. Eligebantur autem ex quavis regione, hinc in Graeca *Inscr.* ap. *Mur.* 798, 5. memoratur Asthianus natione Vindelicus decurio scutariorum: et in alia 861, 8. Valerius Lila scutarius natione Maurus. *Ammian.* 20, 4. De scutariis et gentilibus excerpere quemque promptissimum; et *ib.* 8. *med.* Equos praebebo curules Hispanos, et miscendos gentilibus atque scutariis adolescentes. ¶ *Scutarius* fuit etiam cognomen R. *Suet. Aug.* 56. Adfuit et clientibus, sicut Scutario cuidam, evocato quondam suo, qui postulabatur injuriarum. *F.*]

SCŪTĀTUS, a, um, part. ab inus. *scuto*: ἀσπιδιώτης, φερεσσακὴς, scuto armatus. *Cic. Phil.* 2, 42. Scutati milites. Alii aliter leg. *Virg. A.* 9, 370. Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro. *Sil.* 6, 212. scutataque raptim Consequitur manus. [*Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3448. M. Tarquitio T. F. Tro. Saturnino Praef. Cohort. scutatae, etc. ¶ Absolute *scutati* sunt milites scutis armati. *Liv.* 28, 2. Erant autem in Celtibero exercitu quatuor millia scutatorum, et ducenti equites: et *mox*: Jam ferme omnibus scutatis Celtiberorum interfectis. *Veg. Mil.* 2, 15. Scutati, qui plumbatis, gladiis, et missilibus accincti. Alii leg. *scultatores*, *qui*, etc. *F.*]

SCŬTELLĂ, ae, f. πινακίσκος, genus vasis cavi, rotundi, quo minutal ex carne, vel oleribus in mensam exhibetur: diminut. a *scutra*, ut a *capra capella*, a *mitra mitella* est. *Cic. Tusc.* 3, 19. Demus scutellam dulciculae potionis, aliquid provideamus et cibi. ¶ *Scutellae* etiam dicuntur patellae, quae vasis supponuntur, et ea sustinent. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. *med.* Si vasa sint legata, non solum ea continentur, quae aliquid in se recipiant, sed etiam quae aliquid sustineant: et ideo scutellas, vel promulsidaria contineri. ¶ Primam syllabam producit *Ven. carm.* 11, 10, 7. Intumuit pullis vitreo scutella rotatu.

SCŪTĬCĂ, ae, f. σκυτάλη, genus verberis e loris facti: a σκυτικὸς, coriaceus. *Mart.* 10, 62. Scuticaque loris horridis Scythae pellis, Qua vapulavit Marsyas Celenaeus. V. ANGUILLA. *Ov. Her.* 9, 81. scuticae tremefactus habenis. ¶ *Scutica* minus est, quam flagellum. *Hor. Sat.* 1, 3, 119. Ne scutica dignum horribili sectere flagello. [*Juven.* 6, 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis, Hic scutica. *F.*] ¶ Differt a ferula, quae lignea virga est. *Dom. Mars.* ap. *Suet. Gr.* 9. Si quos Orbilius ferula, scuticaque cecidit. V. FERULA.

SCŪTĬGĔRŬLUS, a, um, adj. ὁπλοφόρος, servus militaris, qui scutum domini gerit, armiger. *Pl. Cas.* 2, 3, 44. Qui (malum!) homini scutigerulo dare lubet?

SCŪTĬLUM, tenue et macrum dicitur ex Graeco (σκύτιλος, a σκύτος, pellis) ut cum dicimus scutilum hominem, exilem aliquem demonstramus, in quo pellicula tantum. In pompa aliud dicimus scutilum, ut videatur scutilum de scrutino derivatum, detrita *r* littera: sitque is, qui virtute potest scrutari. Sed ex Graeco nomen factum, scutilosum, coriarium significamus. Haec *Festus.* V. SCUTULA.

SCŪTRĂ, ae, f. vasis genus, χαλκίον: fortasse ita dictum quod in modum scuti factum sit. *Pl. Pers.* 1, 3, 8. Struthea, coluteaque appara, bene ut in scutris concaleant. *Cato R. R.* 157. Ubi in scutra fervefeceris, etc. Quidam hic leg. *chutra* vel *chytra*, a Graeco χύτρα, olla, cacabus. *Not. Tir.* p. 165. Scutra, scutella.

SCŪTRISCUM, i, n. genus vasis, fortasse idem ac scutra, vel ab eo diminutivum. *Cato R. R.* 10. et 11.

SCŬTŬLĂ, ae, f. σκυτάλη, Graeca vox, baculum, aut virgam significans. Hinc ponitur pro baculo, seu ligno tereti, aut cylindro, qui magnis ponderibus supponitur, ut facilius volvantur, et impellantur, et phalanga etiam dicitur. *Caes. B. C.* 3, 40. Quatuor biremes, subjectis scutulis, impulsas vectibus in interiorem partem transduxit. ¶ A virgae significatione est *scytale* Laconica, de qua infra suo loco. Ab eadem sunt *scutulae* in vestibus, nempe virgae, seu segmenta oblonga varii coloris: et *scutulata vestis* eadem ac *virgata.* Ita *Salmas.* ad *Vopisc. Aurel.* 46. et alii. Sed aliunde alii hoc ducendum putant, nempe a *scutula* dimin. a *scutra*, quod est vas quoddam octo unciarum capax: unde et pro tali pondere, aut mensura ponitur. *Cato R. R.* 68. Ubi oleitas facta erit, orbes, fibulas, vectes, scutulas, fiscinas, corbulas, in suo quodque loco reponito. Alii leg. *suculas.* *Mart.* 11, 31. Sic implet gabatas, paropsidesque, Et leves scutulas, cavasque lances. *Id.* 8, 71. Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno. ¶ Hujus vasis figura erat vel quadrata, vel rhombi similis, ut infra dicetur. Qui *scutulam* a *scuto* derivant, parvi scuti figura similem fuisse ajunt: sed obstat primae syllabae quantitas, quae in *scuto* longa est, hic brevis. Itaque in vestibus *scutulae* erant segmenta intexta ornatus gratia: cujusmodi sunt in foraminibus retium, et in telis aranearum. *Plin.* 8, 48, 74. Plurimis liciis texere Alexandria instituit: scutulis dividere Gallia. *Prud. Hamart.* 289. fluitantes sumere amictus Gaudent, et scutulis durum perfundere corpus. Ubi *Heins.* leg. *scutilis*, h. e. tenuibus, et pellucidis vestibus. ¶ Eadem figura sectilia marmora in pavimentis *scutulae* sunt. *Vitr.* 7, 1. Cum pavimenta exstructa fuerint, et fastigia exstructiones habuerint, ita fricentur, uti, si sectilia sunt, nulli gradus in scutulis aut trigonis, aut quadratis, seu favis exstent. *Pall.* 1, 9. *f.* Aestivae mansiones testaceum accipiant pavimentum, vel marmora, vel tesseras, aut scutulas, quibus aequale reddatur angulis lateribusque conjunctis. In *Vitr.* habes *trigonas scutulas*, et *quadratas*, et *favis* similes: favi autem licet sex angulos habeant, quadrati dici possunt: in *Pall.* distinctas a tesseris, *h. e.* rhombos a quadris. A *Plin.* 11, 24, 28. tela araneorum *scutulato reti* comparatur: retis autem maculae vel quadratae sunt, vel rhombi figura. *Tac. Agr.* 10. formam Britanniae oblongae scutulae assimilans, dum addit *oblongae*, satis indicat, scutulam per se esse quadratam. His adde, in emplastratione corticem, qui uni arbori detrahitur, ut alteri inseratur, *scutulam* dici a *Plin.* 17, 16, 26., is autem cortex fere in quadrum deciditur. Ex quibus omnibus fit, scutulae figuram, sive vas sit, sive segmentum, aut quadrum esse aut amygdalum, seu rhombum, qui et ipse maxime ad quadrum accedit, cum quatuor latera habeat. Sunt qui putant, fuisse etiam rotundam: quia *scutulatus* dicitur equus a *Pall.* 4, 13.,

cujus pellis orbiculis varii coloris aspersa est, Italice *leardo pomellato:* verum sic appellatur is quoque, cujus maculae rotundae non sunt, Italice *leardo moscato.* ℙ Meminit scutulae *Vitr.* etiam 10, 17., ubi de balistis agit: sed ille locus vel corruptus est, vel certe admodum obscurus.

SCŪTŪLĀTUS, a, um, adj. scutulae formam habens. V. v. praec. *Plin.* 11, 24, 28. de araneo: Quanta arte celat pedicas, scutulato rete grassantes! *Id.* 8, 48, 73. Lana, quam Salacia scutulato textu commendat in Lusitania. *Juven.* 2, 97. Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa, *h. e.* vestem scutulatam. *Pall.* 4, 13. Colores hi praecipui (*in equis*), albineus, russeus, murteus, scutulatus, albus, etc. ℙ [Etiam per sync. *scutlatus* dicitur. *Imppp. Theodos., Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 15, 7, 11. Mimam uti (*vestibus*) scutlatis, et variis coloribus sericis, non vetamus. V. *Gothofred. adnot. ad l. c. F.*]

SCŪTŬLUM, i, n. *ἀσπίδιον,* parvum scutum. *Cic. N. D.* 1, 29. Juno Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. ℙ *Scutula operta,* ossa duo lata in tergo humani corporis: ita dicta, quod scutuli figuram referunt. *Cels.* 8, 1. *med.* A cervice duo ossa lata utrinque ad scapulas tendunt: nostri scutula operta, *ὠμοπλάτας* Graeci nominant. Ea in summis verticibus sinuata ab his triangula, paulatimque latescentia, ad spinam tendunt. Sunt qui leg. *scoptula,* quae vox unde sit, non satis apparet; ideoque mendosa est habenda. *Id.* 3, 22. *med.* ossa scapularum vocat.

SCŪTUM, i, n. *ἀσπὶς,* genus armorum figura quadrata oblonga, quod laeva gestatur ad protegendum corpus. Est a Graeco *σκῦτος,* pellis, corium, quia ligneum cum esset, corio saepe contegebatur: qua ratione cum parma, et pelta confunditur. Sed a parma differt, quia haec rotunda, scutum quadratum oblongum: et a pelta, quae lunata et scuto minor: a clypeo, quia hic fere aereus, et scuto longe minor. V. CLYPEUS. Poetae passim sine discrimine unum pro altero usurpant. *Liv.* 1, 43. Secundae classis junioribus arma imperata, scutum pro clypeo, et praeter loricam, etc. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. Scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit, *h. e.* breviori et leviori, quam erat equestre. *Cic. Tusc.* 2, 23. In proelio ignavus miles ac timidus, simul ac viderit hostem, abjecto scuto fugit, quantum potest. *Tac. G.* 6. Scutum reliquisse, praecipuum flagitium. *Ov. Trist.* 4, 1, 73. gladioque latus, scutoque sinistram, Canitiem galeae subjicioque meam. *Tac. H.* 4, 15. Impositus scuto, more gentis, et sustinentium humeris vibratus, dux deligitur. *Plin.* 16, 40, 77. Lentissima (*genera arborum*) et ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, et ob id contumacius transmittit ferrum. *Virg. A.* 8, 662. scutis protecti corpora longis; et *ib.* 538. quam multa sub undas Scuta virum galeasque, et fortia corpora volves, Tybri pater! (Adde *ib.* 1, 104.) *Liv.* 3, 53. *f.* Scuto vobis magis, quam gladio opus est, *h. e.* propulsione injuriae, quam illatione. *Flor.* 2, 6. *med.* de *Fab. Max.* Hinc illud ex populo, ut imperii scutum vocaretur. ℙ Scuta gladiis, aut hastis ferire, in concione militari signum est irae et doloris: at illidere genibus, laetitiae et plausus. V. *Liv.* 28, 29. et *Ammian.* 15, 8. et 25, 3. ℙ *Per scutum, per ocream aegre aginavi* legitur ap. *Petr. fragm. Trag.* 61. *Burm.,* quod *Fr. Oriolius* in *Coll. Opusc. di Bologn.* T. 1. p. 123. ita legend. putat *per scoton, per ocrem* etc. *h. e.* per tenebras (*σκότος* enim tenebrae) per collium aspera aegre festinavi. ℙ Olim *scutus, i,* m. dictum est. *Turpil.* ap. *Non.* 3, 233. Quia non minus res hominem, quam scutus tegit. ℙ Item *scuta, ae,* f. *Lucil.* ap. *Prisc.* 3. *f.* Scutam ligneolam cerebro infixit. Alii hic vas intelligunt, unde diminutiv. *scutella.*

[SCYBĂLUS, i, m. *σκύβαλον,* faex, fimus, stercus. *Vindician.* in *epist.* praemiss. *Marcell. Empir.* Vesica scybalis, vel lapidibus per vicina loca meantibus premeretur. *Theod. Prisc.* 2, 9. Scybalorum vero egerendorum causa primo eos chalastico clystere compello. Qui si contenti fuerint, in secundis acrioribus imminebo. *F.*]

*SCYDRA, ae, f. oppidum Macedoniae, in ora Heraclea. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

[SCYLĂCE, es, f. catella, a *σκύλαξ,* catulus. Est cogn. Rom. *Inscr.* ap. *Mur.* 133, 3. Caesilia Q. L. Scylace. *F.*]

SCYLĂCEON et Scylaceum, i, n. *Σκυλακεῖον,* oppidum in finibus Calabriae orientalis, nunc *Squillaci,* nomen praebens sinui maris a quo alluitur, prope sinum Tarentinum. Conditum est ab Atheniensibus, et *Scylletium* etiam dictum, *Σκυλλήτιον,* ut *Plin.* 3, 10, 15. docet. *Virg. A.* 3, 553. Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum. ℙ Item oppidum Mysiae minoris in ora Propontidis, quod a *Plin.* 5, 32, 40. et *Mela* 1, 19. *in.* Scylace, *Σκυλάκη,* dicitur. *Val. Fl.* 3, 36. Spumosumque legunt fracta Scylaceon ab unda. ℙ Adjective. *Ov. Met.* 15, 701. praeterque Lacinia templa Nobilitata Deae, Scylaceaque litora fertur. *Mela* 2, 4. *med.* Primus sinus Tarentinus dicitur, etc. secundus Scylaceus, inter promontoria Lacinium et Zephyrium. *Plin. cit.* 3, 10, 15. Sinus Scylaceus, et Scylacium, Scylletium Atheniensibus, cum conderent, dictum. *Scylacium* est ipsum oppidum: et legitur etiam ap. *Vell.* 1, 15., ubi narrat, eo deductam Romanorum coloniam fuisse, Cassio Longino et Sex. Calvino Coss. ℙ *Virgilii* versus ab aliis aliter legitur: *naufragu' Scyllaceum:* et *naufragium Scylaceum.* V. *Heynii* adnot ad *l. c.* Male vero qui *Scyllaeum,* quod est oppidum et promontorium ejusdem Calabriae, sed occidentalis, ad fretum Siculum. Versum quoque *Flacci* alii ita leg. *fracta Scylaceion unda.* ℙ *Scyllacei, orum,* absolute sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 1. Mamertinei, Rhegini, Scyllacei, Caulonatai.

SCYLACIUM. V. in v. praec.

*SCYLAX, acis, m. *Σκύλαξ,* Halicarnasseus, familiaris Panaetii, excellens in astrologia, idemque in civitate sua princeps, Chaldaicum praedictionis genus repudiavit. *Cic. de Divin.* 2, 42. *B. A.*

SCYLLA, ae, f. *Σκύλλα,* filia Nisi Megarensium regis. Cum Minos rex Cretensium, devictis Atheniensibus, contra Megarenses bellum gereret, propter filii Androgei interitum, quem Athenienses et Megarenses dolo necaverant, amatus est a Scylla, quae ut hosti posset placere, comam purpuream parenti abscissam ei obtulit, quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Sed Scylla a Minoe, ubi victoriam obtinuit, contempta et rejecta est. Illa dolore in avem cirin; Nisus vero exstinctus, Deorum miseratione, in haliaeeti avis mutatus est formam. Haliaeetus veluti tantae impietatis poenas a Scylla repetens, etiam nunc cirin ubique insectatur. *Ov. Met.* 8. a *v.* 6., *Virg. Cir.* 48., *Hyg. fab.* 198. et *Serv.* in *Virg. Ecl.* 6, 74. ℙ Scylla altera, filia Phorci et Crateidos Nymphae. Hanc cum amaret Glaucus, et ab illa sperneretur, confugit ad Circen, ut magicis incantationibus amorem erga se in virgine incenderet. Sed Circe Glauci amore capta est. Itaque Glauco persuadere conata est, ut spernentem sperneret, amanti vices redderet. Sed Glaucus affirmavit, nunquam Scylla incolumi primum illum suum amorem mutatum iri. Dea indignata fontem prope mare et urbem Rhegium, in quo Nympha sese lavare consueverat, magicis venenis infecit. In quem cum illa descendisset, pube tenus in varia mutata est monstra canum latrantium. Horrens itaque suam deformitatem sese in mare praecipitem dedit, et in scopulum navigantibus periculosissimum transformata est. Hanc postea Glaucus Deam marinam fecit. Classem Ulyssis, et socios evertisse narratur. *Serv. l. c.* et ad *A.* 3, 420., *Hyg. fab.* 199., *Virg. ib.*, *Ov. Met.* 14. a *v.* 18. et al. ℙ Complures poetae, ut est ap. *Virg. Cir.* 44., Scyllam Nisi confuderunt cum Scylla Phorci, tribuentes illi, quod de hac fabulae narrant. *Prop.* 4, 4, 37. Quid mirum, in patrios Scyllam saevisse capillos? Candidaque in saevos inguina versa canes? *Ov. Am.* 3, 12, 21. Scylla patri canos furata capillos, Pube premit rabidos inguinibusque canes. *Id. Fast.* 4, 500. Et vos Nisaei, naufraga monstra, canes. *Virg. l. c.* reprehendit eos, qui hoc pacto has fabulas miscent. Quare non est veri simile, eum quoque miscuisse, ubi canit *Ecl.* 6, 74. Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates, etc.? Hoc enim vult dicere, Scyllam Nisi in avem quidem conversam fuisse, sed famam, quae saepe falsa disseminat, sparsisse in vulgus, in scopulum et latrantia monstra esse mutatam: quod ante nos monuit *Ludovic. Castelvetrius.* Qui verentur, ne in eo ipso peccaverit *Virg.*, quod in aliis reprehendit, legunt *aut quam fama secuta est.* V. *Servium* et *Pierium.* ℙ Revera Scylla est scopulus Bruttiorum in Italia, in freto Siculo, in mare prominens, et procul visentibus mulieris speciem repraesentans, navigantibus periculosissimus, in quem illisi fluctus luporum ululatus, et latratus canum videntur imitari; quod poetis causas fabulandi dedit; hodieque dicitur *Scilla,* et *lo Sciglio.* Ex adversa ejus parte, h. e. in Sicilia, est alter scopulus aeque periculosus, qui Charybdis dicitur. V. CHARYBDIS. Alii dicunt, Scyllam fuisse navem piraticam: unde et ap. *Virg. A.* 5, 122. navis nomen est. *Sen. ep.* 79. Scyllam saxum esse, et quidem non terribile navigantibus optime scio. ℙ Ex duobus his scopulis ortum est vulgatum illud proverbium, cujus tamen auctor incertus est: Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim; et de iis dicitur, qui volentes periculum minus evitare, in majus incidunt. ℙ Translate usurpatur a *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc.* Primum tamen nosse vos par est, in quas me obloquiorum scyllas, et in quos linguarum, sed humanarum, latratus quorundam vos infamare conantum turbo conjecerit. ℙ Est estiam nomen herbae. *Colum.* 10, 374. V. SCILLA.

SCYLLACAEUM. V. SCYLACEON.

SCYLLAEUS, a, um, adj. ad Scyllam pertinens. De Scylla Phorci. *Virg. A.* 1, 204. Vos et Scyllaeam rabiem, penitusque sonantes Accestis scopulos. *Scyllaeam rabiem,* quia Scylla succincta est latrantibus inguina monstris, ut *Id. Ecl.* 6, 38. ait. *Lucan.* 2, 433. Scyllaeae undae. *Stat. Silv.* 5, 3, 280. Scyllaea monstra. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 447. antra. *Id. epigr.* 50, 2. Scyllaei fremitus. ℙ De Scylla Nisi. *Stat. Th.* 1, 333. Scyllaeaque rura Purpureo regnata seni, *h. e.* Megarensis tractus. ℙ Scyllaeum, *Σκύλλαιον, Sciglio,* promontorium Calabriae, apud Scyllam scopulum, contra Siciliae litus, cum oppido cognomine. *Plin.* 3, 5, 10. ℙ Item oppidum et promontorium Peloponnesi in ora Argiae regionis, sinum Argolicum a Saronico dividens: dictum a Scylla Nisi, quae eo fluctibus ejecta creditur. *Plin.* 4, 5, 9. et *Mela* 2, 3. *med.*

[SCYLLĒROS, ōtis, m. catuli amor: a *σκύλλος,* canis, et *ἔρως,* amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1481, 6. Ti. Claudius Scylleros. *F.*]

[SCYMNĬANUS, a, um, adj. ad Scymnin pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 319. *n.* 426. M. Avilio M. F. Quir. Scymniano Flavia Scymnis mater. Hinc patet, hoc cognomen filii derivatum fuisse, ut saepissime alias, a cognomine materno. *F.*]

[SCYMNIS, ĭdis, f. catula leonis: a *σκύμνος,* catulus leonis. Est cognomen R. V. *Inscr.* in v. praec. *F.*]

SCYMNOS et Scymnus, i, m. *σκύμνος λέοντος,* catulus leonis: Graeca vox: nam *σκύμνος* est a *κύων,* catulus. *Lucr.* 5, 1035. At catuli pantherarum, scymnique leonum Unguibus ac pedibus jam tum, morsuque repugnant. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Vignol. Inscr. select.* p. 253. Q. Granius Scymnus.

SCYNĬPHES. V. CINIFES.

SCYPHŪLUS, i, m. dimin. parvus scyphus, *σκύφιον.* De parva lampade usurpat *Paul. Nol. carm.* 26, 463. his scyphulis incerta relucent Lumina, cum fert festa dies, *h. e.* parvis lychnis. V. CANTHARULUS.

SCYPHUS, i, m. *σκύφος,* vas potorium et in convivio, et in sacris locum habens, poculum, patera, cyathus, crater. Graeca vox est, fortasse a *κύφος* quod vas quoddam concavum significat. *Cic. Fam.* 7, 21. Illuseras heri inter scyphos: *παρ' οἶνον. Mart.* 8, 6. Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis Largius Aeacides, et bibit ipse, merum. *Hor. Epod.* 9, 33. Capaciores affer huc, puer, scyphos. *Id. Od.* 1, 27, 1. Natis in usum laetitiae scyphis Pugnare, Thracum est. *Tibull.* 1, 11, 8. Faginus adstabat cum scyphus ante dapes. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 14. Scyphus argenteus. *Petr. fragm. Trag.* 52. *Burm.* Scyphi urnales plus minus. *Virg. A.* 8, 278. Et sacer implevit dextram scyphus: ocyus omnes In mensam laeti libant, Divosque precantur. Ubi *Serv.:* Legitur in libris antiquis, Herculem ad Italiam ligneum ingens poculum attulisse, quo utebantur in sacris: quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur: cujus magnitudinem et religionem simul significat dicendo: Et sacer implevit dextram scyphus. Scypho praetor in anno semel vino libabat: neque hoc sine sacra fiebant. Haec *Serv.* Adde *Val. Fl.* 2, 272. De scypho Herculis *Stat. Th.* 6, 531. et sq. verba facit; et *Sen. ep.* 83. *med.* Alexandrum tot proelia, tot flumina, tot maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi, et ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. *Lipsius* ex *Athenaeo* adscribit, Boeotios primum magnos quosdam argenteos scyphos fecisse, quos Herculaneos vocabant, quia Hercules ille Boeotius usus fuerat: nam Herculem epulandi cupidissimum fuisse: ejus exemplo morem obtinuisse, ut libantes nihil in calice vini relinquerent. V. CANTHARUS.

SCYRĒIS, ĭdis, f. *Σκυρηΐς,* eadem quae Scyrias. *Stat. Achill.* 2, 145. Nec minus egressae thalamis Scyreides ibant Ostentare choros, *h. e.* puellae Scyriae. Alii leg. *Scyriades;* et *ib.* 1, 366. nec turba piarum Scyreidum cessat, etc. Alii leg. *Scyriadum.*

SCYRĒTĪCUS, a, um, adj. *Σκυρητικὸς,* Scyrius, ut Scyreticum metallum, *Plin.* 31, 2, 20.

*SCYRI, orum, populi in Arabia, Indorum lingua loquentes. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

SCYRĪAS, ădis, f. *Σκυριάς,* quae est ex Scyro insula. *Ov. A. Am.* 1, 682. Scyrias Aemonio juncta puella viro, *h. e.* Deidamia filia Lycomedis regis Scyri, uxor Achillis. V. SCYREIS.

SCYRĪCUS, a, um, adj. idem quod Scyrius, ut Scyricum sil, *Plin.* 33, 7, 40. et *ib.* 12, 56., ubi alii leg. *Syricum.*

*SCYRĪTAE, arum, *Σκυρῖται,* populi Indiae, de quibus sic *Plin.* 7, 2. Megasthenes gentem inter Nomadas Indos narium loco foramina tantum habentem, anguium modo loripedem, vocari Scyritas. Sic ed. *Hard.* cum antea legerentur *Syrictas,* uti habet *Is. Voss.* ad *Mel.* 3, 9. p. 50. *B. A.*

SCYRĪUS, a, um, adj. *Σκύριος,* ad Scyrum insulam pertinens. *Sen. Troad.* 976. Scyrius juvenis, *h. e.* Pyrrhus. Sic *Virg. A.* 2, 477. Scyria pubes, *h. e.* milites Pyrrhi, cujus mater Deidamia filia Lycomedis Scyri regis. *Ov. Her.* 8, 112. membra, *h. e.* ejusdem Pyrrhi. *Prop.* 2, 7, 54. Deidamia. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 16. virgo, *h. e.* Deidamia. *Stat. Achill.* 2, 103. litora. ℙ *Scyrius lapis,* genus pumicis. *Plin.* 2, 103, 106. Scyrium lapidem quamvis grandem innatare, eundemque comminutum mergi. Adde 36, 16, 26.

SCYROS et Scyrus, i, f. *Σκῦρος*, insula maris Aegaei, ante sinum Pagasicum, et Euboeam, cum oppido cognomine. In ea regnavit Lycomedes, cujus filia Deidamia ex Achille, qui ibi aliquandiu sub veste muliebri latitavit, Pyrrhum peperit. Ejus meminit *Plin.* 4, 12, 23. *Mela* 2, 7. Pagasaeus sinus Scyron prospicit. *Stat. Achill.* 2, 17. cum se scopulosa levavit Scyros: in hanc totos emisit puppe rudentes.

[SCYRUS, i, m. *σκῦρος*, tumor lapideus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 732, 8. Q. Vibius Scyrus. *F.*]

SCYTALA, ae, et Scytale, es, f. [et Scutale, is, n. *σκυτάλη*, Graece inter alia est flagellum, lorum, vel habena e corio: *Hesych.* *Σκυτάλαι, βακτηρίαι, καὶ αἱ ἱππικαὶ ἴλαι, καὶ ὄφεων εἶδος, φλαγέλλια, λῶροι.* Latine quoque sic appellat *Liv.* 39, 29. habenam fundae, qua circumacta torquentur globosa saxa. Ita *Forcellinus* interpretatur hanc vocem ap. *Liv. l. c.*, quem V. in SCUTALE: alii aliter, quorum interpretationem habes *ib. F.*] ℙ Est item genus epistolae secretioris apud Lacones, quam scribebant in membrana, vel loro, super surculum spirae instar extento, deinde evolutum lorum mittebant ad eum, qui conscius erat: a quo rursus circa parem surculum circumvolvebatur, apparebantque verba prius descripta, quae parem surculum non habenti, fieri nullo modo poterat ut legerentur. Eam rationem *Gell.* 17, 9. accuratius persequitur. *Auson. ep.* 23, 23. Vel Lacedaemoniam scytalen imitare, libelli Segmina Pergamei tereti circumdata ligno Perpetuo inscribens versu: qui deinde solutus Non respondentes sparso dabit ordine formas, Donec consimilis ligni replicetur in orbem. *Nep. Paus.* 3. Id postquam Lacedaemonii resciverunt, legatos ad eum cum scytala miserunt, in qua more illorum erat scriptum, etc. [*V. *Schol.* ad *Aristoph.* Av. 1283.] ℙ Est etiam *scytale* serpens tanta (ut ait *Solin.* 27. *med.*) praefulgens tergi varietate, ut notarum gratia videntes retardet: et quoniam reptando pigrior est, quos assequi non quit, miraculo sui capiat stupentes. In hoc tamen squamarum nitore hiemales exuvias prima ponit. *Lucan.* 9, 717. Et scytale sparsis etiam nunc sola pruinis Exuvias positura suas. *Salm.* in *Exercitat. Plin. p. m.* 339. negat eam tergi varietatem in scytale, et in cenchri veram esse asserit testimonio *Lucani ib.* 712. ℙ Legebatur olim ap. *Colum.* 6, 17. Mus araneus, quem Graeci *σκυτάλην* appellant, quamvis exiguis dentibus, etc. De eo intelligit *Hard.* illud *Plin.* 32, 5, 19. Eadem vis contra venenatorum omnium morsus, privatim scytalen, et angues. Verum in *Colum.* alii nunc rectius leg. *μυγαλῆν.*

[SCYTALICUS, a, um, adj. *σκυταλικός*, similis scytalae. *Plin.* 19, 5, 23. Cucumerum Graeci tria genera fecere: Laconicum, scytalicum, Boeoticum. *Theophrast. Hist. plant.* 7, 4. eundem cucumerem *σκυτάλιαν* vocat. *F.*]

SCYTALOSAGITTIPELLIGER, eri, m. *σκυταλοτοξοδερματοφόρος*, vox hibrida, epitheton est Herculis, ap. *Tert. Pall.* 4., quod significat clava, et sagittis armatum, et pelle leonina indutum. Componitur a Graeca voce *σκυτάλη*, scytale, h. e. baculus, clava, et Latinis *sagitta*, et *pelliger.*

SCYTATUM, i, n. *Plin.* 33, 5, 26. Chrysocolla nisi rapuit colorem, adduntur scytatum, atque turbystum: ita vocant medicamenta sorbere cogentia. Alii leg. *schutatum.*

SCYTHAE, arum, m. plur. *Σκύθαι*, pop. Scythiae. Dicti sunt a Scytha filio Herculis: vel, ut alii volunt, a *σκύζομαι*, irascor, quod sint feroces, et faciles ad irascendum. Persae Sacas appellavere, a proxima gente: antiqui Arimeos, seu Arameos. Olim sanctissimis fuere moribus, et omnino secundum naturae leges vixere. Barbari tamen fuerunt: nam pecore vitam degebant. Plurimi carne equina, nonnulli etiam humana vescebantur. Nullas habebant urbes, plaustris pro domibus usi, in quibus hac illac vagabantur. Unde dicebantur *Hamaxobii.* Fuere item bellicosissimi. Asiam quindecim annis subactum mille et quingentos annos vectigalem habuerunt, et Parthicum, ac Bactrianum imperium condiderunt. V. *Just. l.* 1. et 2., *Curt.* 7, 15, *Plin.* 4, 12, 25., 6, 17, 19. et 7, 2, 2. ℙ Innumerabiles hujus gentis populi fuere. Celeberrimi eorum Sacae, Massagetae, Dahae, Essedones, Ariacae, Rhymnici, et alii, quos V. ap. *Plin.* 6, 17, 19. ℙ *Scytharum solitudines*, proverb. ap. *Curt.* 7, 8. de regione vasta et parum culta. Nam Scytharum gens omnium toto orbe vastissima est. ℙ Adjective pro Scythico. *Mart.* 4, 28. Indos sardonychas, Scythas smaragdos. *Id.* 10, 62. Scythae pellis lora horrida. *Stat. Th.* 11, 437. Scytha pontus. V. v. sq.

SCYTHES, ae, m. *Σκύθης*, qui est e Scythia. *Cic. Tusc.* 5, 32. An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi facere non potuerunt? *Hor. Od.* 4, 14, 42. Te profugus Scythes Miratur. ℙ Scythes Jovi filius arcum et sagittas invenisse dicitur. *Plin.* 7, 56, 57. ℙ Adjective est Scythicus. *Sen. Herc. Fur.* 1210. Illa, quae Pontum Scythen, Symplegas arctat, *h. e.* Euxinum. *Id. Hipp.* 906. Hunc Graja tellus aluit, an Taurus Scythes, Colchusve Phasis? V. v. praec.

SCYTHIA, ae, f. *Σκυθία*, regio vastissima orbis terrarum ad Septentrionem. Ex Moesia inferiore in Asia ad Tabin usque promontorium, et fretum Anian longitudine terrarum milliaria Germanica mille amplius occupat, latitudine vero ab Oceano Septentrionali ad Caucasum montem, fontesque Indi fluminis mill. Germ. circiter sexaginta. *Just.* hos fines Scythiae, statuit 2, 2. Scythia autem in Orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, et ab altero montibus Riphaeis, a tergo Asia, et Phasi flumine. Multum in longitudinem, et latitudinem patet. ℙ Dividitur universa in Europaeam, et Asiaticam. Scythia Europaea a Tanaidis ripis per Maeotidis, et Ponti Euxini litora usque ad Istri ostia expanditur. Asiatica fines habet ab Occ. eosdem, quos ipsa Asia, atque Europa: ab Or. mare Eoum, et Auxatios, Casiosque montes, quibus a Serica disterminatur, et Ottorocoram montem, quo a Sinis discernitur: a Sept. mare Scythicum, sive concretum ad Tabin usque promontorium: a Mer. Emodos montes, quibus ab Indiis; et Sogdia, Oxiaque juga, quibus a Persarum submovetur imperio; dein mare Caspium, mox Caucasum montem, quo ab Albania; et Coracem, quo ab Iberia, et Colchide separatur. Habet praeterea alias divisiones, de quibus V. geographos. ℙ Equis maxime abundat, quorum carnibus populi vescuntur. Asinis vero propter loci frigiditatem caret, teste *Plin.* 8, 43, 68. V. *eund.* 2, 50, 51., 4, 13, 27., 6, 17, 20. et 8, 15, 15.

SCYTHICE, es. V. v. sq.

SCYTHICUS, a, um, adj. *Σκυθικός*, ad Scythas pertinens. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi amictus est Scythicum tegmen. *Stat. Th.* 12, 519. Scythica gens. *Mart.* 6, 58. Scythici sidera pigra poli. *Ov. Pont.* 1, 1, 79. Scythicus arcus; et *ib.* 3, 8, 19. Scythica pharetra. *Id. Met.* 10, 588. sagitta. *Id. Pont.* 1, 3, 37. Scythicum frigus. *Lucan.* 6, 478. Scythicae nives. *Ov. Trist.* 5, 1, 21. Scythicique in finibus Istri. *Colum.* 8, 8. *f.* Scythica stagna Maeotidis. *Ov. Trist.* 5, 2, 62. et *ib.* 10, 14. Scythicum fretum, *h. e.* Pontus Euximus. *Plin.* 6, 13, 14. Scythicus Oceanus; et 8, 42, 64. equitatus. *Ov. Met.* 14, 331. Quaeque colunt Scythicae regnum nemorale Dianae, *h. e.* quae in Taurica Chersoneso olim humanis hostiis culta fuit, deinde Ariciam usque translata est. Adde *Lucan.* 1, 446. ℙ *Scythici ignes* sunt smaragdi. *Mart.* 14, 109. Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum, Adspice. V. *ejusd. l. c.* in SCYTHAE et v. sq. ℙ *Scythica herba*, quae et *Scythice* absolute dicitur, Scytharum inventum est. *Plin.* 25, 8, 43. Invenire herbas et universae gentes: Scythia primum eam, quae Scythice vocatur, circa Boeotiam nascens: praedulcem alias, utilissimamque ad ea, quae spasmata vocant. Magna et ea commendatio, quod in ore eam habentes famem sitimque non sentiunt. Idem praestat apud eosdem hippace dicta, quod in equis quoque eundem effectum habeat: traduntque, his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique. Haec *Plin.* et 26, 14, 87. Scythae vulnera Scythice curant. Adde *ib.* 5, 15. item 27, 1, 1., ubi tradit, Scythicam herbam a Maeotis paludibus toto orbe portari.

SCYTHIS, idis, f. mulier Scythica. *Ov. Met.* 15, 360. Exercere artes Scythides memorantur easdem. *Val. Fl.* 5, 343. aequali Scythidum comitante caterva. ℙ Ita etiam vocatur smaragdus, nam, ut ait *Plin.* 37, 5, 17., nobilissimi smaragdorum sunt Scythici, ab ea gente, in qua reperiuntur, appellati. *Capell.* 1, 18. Diadema, cui neque Scythidis (*h. e.* gemmae Scythidis) viretra nec cerauniorum vibrans fulguransque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas. Adde p. 20. V. v. praec.

SCYTHISSA, ae, f. mulier e Scythia. *Nep. Dat.* 1. Datames patre natione Care, matre Scythissa natus.

[SCYTHON, onis, m. *Σκύθων*, nomen viri cujusdam, quem poetae fabulantur pro lubito in feminam modo sese commutasse, modo rursus in virilem formam rediisse. *Ov. Met.* 4, 280. Nec loquor, ut quondam naturae jure novato Ambiguus fuerit modo vir, modo femina, Scython. *F.*]

*SCYTHOPOLIS, is, f. *Σκυθόπολις*, urbs in Decapolitana Syriae regione, alias *Bethsan.* Nomen traxit a Scythis in eam deductis, quum antea a Liberi patris nutrice ibi sepulta Nysa diceretur. *Plin.* 5, 18. ℙ Incolae Scythopolitae audiunt *Vulg. Maccab.* 2, 12, 30. *B. A.*

*SCYTHOPOLITAE, arum, *Σκυθοπολῖται.* V. in v. anteced. *B. A.*

*SCYTHOTAURI, orum, *Σκυθόταυροι*, populi Scythiae, Tauricae regionis juga incolentes. *Plin.* 4, 12. Adde *Solin.* 29. *B. A.*

[SCYZINUM, i, n. vini genus. V. ITAEOMELIS. *F.*]

S E

SE, pronomen. V. SUI. ℙ *Se*, pro sine, antiquum est. *Fragm. leg. XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 24. Ast im cum illo sepelire, urereve, se fraude esto. *Aliud* ap. *Gell.* 20, 1. *f.* Si plus minusve secuerunt, se fraude esto. *Festus:* Secordia composita videtur, ex se, quod est sine, et corde. *Vet. Plebiscit.* ap. *eund.* in *Publica pond.* Uti coaequetur se dolo m. *h. e.* sine dolo malo. Ita *Scal.* In vulgatis est *sedulum.* ℙ Hoc sensu etiam *sed* pro *se* scripsere, ex prisca consuetudine addendi *d* multis vocibus, ut *dictatored*, *altod marid* in columna rostrata Duillii ap. *Grut.* 404, 1. V. initium litterae D. *Paul.* ex *Festo.* Sed pro sine inveniuntur posuisse antiqui. *Fragm. tab. aen.* ap. *Grut.* 509, 20. Eam pecuniam eis sed fraude sua solvito. Adde ap. *eund.* 508, 17. et V. SUAD. ℙ *Se quamque*, seorsum quamque. *Fest.* post *Sepulcrum.* ℙ Est etiam *se* praepositio, quae per se usum non habet, sed praefixa verbis: et fere divisionem et separationem significat, ut *secedo*, *securus*, *seduco*, *sedeo*, *segrego*, *sejungo*, *seligo*, *separo*, *sevoco.* ℙ Aliquando est pro *semis*, ut in *selibra*, *semodius.* *Varr. L. L.* 4, 36. ℙ Aliquando pro *sex*, ut in *Sevir.*

*SEA, ae, f. opp. Aethiopiae, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. Meminit *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[SEAPSE, idem ac sepse. *Jul. Valer. reg. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 18. Clementia sua seapse sic et beneficiis commendavit, ut, etc. *F.*]

SEBACEUS, a, um, adj. *στεατώδης*, qui ex sebo est. *Appul. Met.* 4. Taedis, lucernis cereis, sebaceis, et ceteris nocturni luminis instrumentis clarescunt tenebrae.

SEBALIS, e, adj. sebaceus, ut Sebalis fax, ap. *Ammian.* 18, 6. *med.*

[SEBASTE, es, f. *Σεβαστή*, urbs Palaestinae. V. v. sq. ℙ Est etiam cogn. R. *σεβαστή*, veneranda. *Inscr.* ap. *Donat.* 85, 3. Quinctia Sebaste. *F.*]

SEBASTENUS, a, um, adj. ad Sebasten pertinens, quae urbs est Palaestinae Samariae, ut *Plin.* docet 5, 13, 14. *Σεβαστή.* Hinc *Sebasteni*, *orum*, ejus cives, et alterius cognominis in Galatia. *Id. ib.* 32, 42.

*SEBASTIA, ae, f. *Σεβάστεια*, opp. Ponti. *Plin.* 6, 3. ℙ In Cappadocia (Pontica), i. e. Ponto, ponunt *Ptolemaeus* et *Anton.* in *Itin.* Posteriori aevo in Armenia censebatur, cujus portio in Ponticam regionem recedebat. *Socrat. Hist. eccl.* 2, 43. *Εὐσταθίου, ὁ τῆς ἐν Ἀρμενίᾳ Σεβαστείας.* V. et SEVASTIA. *B. A.*

[SEBASTONICA, ae, m. qui certamen vicit Neapoli in ludis Augustalibus, sive *Σεβαστοῖς*: a *Σεβαστὸς*, Augustus, et *νικάω*, vinco. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 54. *n.* 312. et *Gud.* 217, 1. Heriae Thisbae monodiariae *(uxori)* Ti. Claudii Glaphyri choraulae, Actionicae et Sebastonicae, etc. *F.*]

*SEBASTOPOLIS, is, f. *Σεβαστόπολις*, oppidum Ponti. *Plin.* 6, 3. ℙ Aliud, in Aeolide, quod et Myrina dictum. *Id.* 5, 30. ℙ Aliud, in Colchide. *Id.* 6, 4. *B. A.*

*SEBATUM, i, n. oppidum Rhaetiae. *Ant. Itin. B. A.*

SEBAZIUS et Sebadius, cognomen Jovis in veteribus *Inscr.* ap. *Grut.* V. SABAZIUS.

[SEBENNYTES, ae, m. et *F.*]

[SEBENNYTICUS, a, um, adj. ad Sebennytum, *Σεβέννυτον*, pertinens, Aegypti urbem in Delta. *Plin.* 5, 9, 11. Reliqua autem regio nomos habet Mendesium, Sebennyten, etc. *Id. ib.* 10, 11. Ostium Nili Sebennyticum. *F.*]

SEBETHIS, idis, f. *Σεβηθίς*, Nympha Sebethi, qui parvus est amnis Campaniae Neapolim alluens: hujus meminit *Stat. Silv.* 1, 2, 262. consurgat ad aethera tellus Eubois, et pulcra tumeat Sebethos alumna. *Virg. A.* 7, 734. quem generasse Thelon Sebethide Nympha Fertur. ℙ *Sebethis lympha*, ipse Sebethus. *Colum.* 10, 134. Doctaque Parthenope Sebethide roscida lympha. ℙ Scribitur et sine adspiratione.

[SEBETHUS, i, m. est fluvius Campaniae. V. v. praec. ℙ Item Deus ejusdem fluvii. *Inscr.* ap. *Grut.* 94, 9. P. Mevius Eutychus aediculam restituit Sebetho. *F.*]

SEBO vel Sevo, as, a. I. *στεατόω*, sebo obduco. *Colum.* 2, 22. Feriis autem ritus majorem etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sebare. Alii leg. *sevare* eod. sensu.

SEBOSUS et Sevosus, a, um, adj. *στεατώδης*, sevo abundans. *Plin.* 11, 37, 86. Medulla pinguis iis, quibus adeps; sevosa cornigeris; nervosa ossa non habentibus. ℙ *Sebosus* est etiam cogn. R. *Plin.* 6, 31, 36. et 9, 15, 17. memorat *Statium Sebosum*, qui scripsit de actis triumphorum. Idem videtur esse, qui a *Cic. Att.* 2, 14. et 15. *Sebosus* tantum cognominatur.

SEBUM et Sevum, i, n. *στέαρ*, oleosa et pinguis substantia, adipe siccior, concretior, et magis compacta, fragilior etiam et igne difficilius liquescens, cujus usus praecipuus in candelis nutriendo lumini. *Plin.* 11, 37, 85. Cornigera sevo pinguescunt, non cornigera adipe. *Colum.* 7, 5. *med.* Candens sevum vulneri per ardentem taedam instillato. *Pl. Capt.* 2, 2, 31. Quid divitiae? suntne opimae? *Phil.* unde excoquat sevum senex, *h. e.* adeo sunt opimae, ut multum sevi inde excoqui possit: quod est dicere affluentes. ℙ *Sebumne*, an *sevum* rectius scribatur, non facile dixerim: *b* enim et *v* valde cognata sunt, et invicem transmutantur. V. initium litterae B. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 227.]

SECABILIS, e, adj. sectivus, sectilis. *Lactant.*

Ira D. 10. *med.* Si aspera et angulata sunt, et hamata, ut possint cohaerere, dividua ergo et secabilia sunt. *Auson. Ecl.* 1, 7. nullique secabile segmen.

SĒCĀLE, is, n. [nostrates vulgo *segála* vocant, *F.*] frumenti genus. *Plin.* 18, 16, 40. Secale Taurini sub Alpibus asiam vocant, deterrimum, et tantum ad arcendam famem utile, fecunda, sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere praecipuum. Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem ejus, et tamen sic quoque ingratissimum ventri est. Nascitur qualicumque solo cum centesimo grano: ipsumque pro laetamine est. [*Pontedera* haec habet in *Op. post.* T. 1. p. 30. Secale in Italia antiquam nomenclaturam retinet: sero ad Romanos pervenit; ideoque inter Romanas fruges non est inquirendum. *F.*]

SĒCAMENTUM, i, n. *Plin.* 16, 10, 18. Materies, quae abieti pulcherrima, piceae ad fissiles scandulas, cupasque, et pauca alia secamenta, *h. e.* opera, quae ex sectili ligno fiunt.

*SECANDE, oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

SĒCĔDO, is, essi, essum, n. 3. *ἀναχωρέω*, seorsum cedo, recedo, discedo, semigro, abeo. *Cic. Cat.* 1, 13. Secedant improbi, secernant se a bonis. *Pl. Capt.* 2, 1, 23. Secede huc nunc jam, si videtur, procul, ne arbitri dicta nostra arbitrari queant. *Id. Curc.* 2, 3, 2. Fugite omnes, abite, et de via secedite. *Sall. Cat.* 20. In abditam partem aedium secessit. *Suet. Ner.* 15. Secedere ad consultandum. *Quint.* 1, 12, 12. ad stilum; et *Plin. ep.* 3, 21. Prosecutus eram viatico secedentem. *Ov. Met.* 2, 465. deque suo jussit secedere coetu. *Prop.* 3, 14, 21. Lex igitur Spartana vetat secedere amantes. ℙ [*Imprimis *secedere* dicitur de iis, qui ex Urbe et ab negotiis in locum secretum vel ad otium se conferunt. Maxime ap. *Suet.* exempla sunt obvia; *Aug.* 98. a desidia secedentium illuc e comitatu suo. *Caes.* 4. Rhodum secedere statuit. *Tib.* 10. statuit repente secedere seque e medio quam longissime amovere; et al. V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 700.] ℙ Translate. *Sen. ep.* 117. Antequam ego incipio secedere, et alia parte considere, *h. e.* discedere ab illorum sententia, ut *discedere in alia omnia;* et *ep.* 25. *f.* Tunc praecipue in te ipse secede, cum esse cogeris in turba. *Gell.* 2, 12. Secedere a communi malo civitatis. *Prop.* 1, 10, 9. a luxu. *Catull.* 64, 189. a fesso secedent corpore sensus. ℙ Item deficio. *Liv.* 7, 40. In Sacrum montem secesserunt. *Sall. Cat.* 34. *med.* Plebs a patribus secessit. *Plin.* 16, 10, 15. Cum plebs secessisset in Janiculum. V. SECESSIO. ℙ Item disto, remotus sum. [*Lucr. 5, 705. secedit quantum luna ab orbe solis.] *Plin. ep.* 2, 17. *in.* Villa decem et septem millibus passuum ab urbe secessit. *Ov. Fast.* 6, 279. Et quantum a summis, tantum secessit ab imis Terra. *Claud. Epith. Pall. et Cels.* 62. quae sic impervia famae Secessit regio, quo non, etc.? ℙ [*Conf. *secedere* et *succedere*. V. *Spald.* ad *Quint. Inst.* IV. 76. *crit.*]

SĒCERNO, is, crevi, cretum, a. 3. *ἀποχρίνω, ἀφορίζω*, cernendo separo, semoveo, sejungo, discerno, divido. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Arietes, quibus sis usurus ad feturam, bimestri tempore ante secernendum et largius pabulo explendum. *Cic. Cat.* 1, 13. Secedant improbi, secernant se a bonis. *Id. N. D.* 2, 47. *f.* Beluae secernunt pestifera a salutaribus. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Cum accusator tanquam censor bonus, homines nequissimos rejiceret: reus tanquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret, *h. e.* seligeret et repudiaret. *Id. Amic.* 25. *med.* Secerni blandus amicus a vero, et internosci potest. *Liv.* 35, 14. *extr.* Quod e grege se imperatorum, velut inaestimabilem, secrevisset, *h. e.* numero imperatorum exemisset. *Id.* 7, 16. Secernere partem praedae in publicum; [**Suet. Vit.* 2. Quum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset.] et *Hor. Od.* 3, 3, 46. qua medius liquor Secernit Europen ab Afro. *Id. ib.* 1, 1, 30. me gelidum nemus, Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo. *Id. Epod.* 16, 63. Juppiter illa piae secrevit litora genti, *h. e.* selegit, et piis hominibus habitanda dedit. *Id. Sat.* 1, 3, 113. justo secernere iniquum; et *ib.* 6, 63. turpi honestum; et *A. P.* 397. Publica privatis secernere, sacra profanis. *Ov. Her.* 18, 125. Hei mihi! cur animo juncti secernimur undis? *Id. Met.* 1, 23. Et liquidum spisso secrevit ab aere coelum; et *ib.* 6, 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo. *Id. Fast.* 3, 127. Inde pares centum denos secrevit in orbes, *h. e.* distinxit, divisit in decem decurias; et *ib.* 6, 87. mensesque nota secrevit eadem: Junius est juvenum: qui fuit ante, senum, *h. e.* appellavit, et ab aliis distinxit. *Nemes. Cyn.* 294. pulvere puras secernere fruges. *Ser. Sam.* 28, 501. lympha intercus vitio gliscente tumescit, Secernens miseram proprio de viscere pellem, *h. e.* divellens.

[SĒCERPO, is, psi, ptum, a. 3. seorsum carpo. *Not. Tir.* p. 145. Carpo, carpsit, secerpo, secerpsit. *F.*]

SĒCESPĪTĀ, ae, f. genus cultri, de quo *Festus*: Secespitam esse Antistius Labeo ait cultrum ferreum oblongum, manubrio rotundo, eburneo, solido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clavis aeneis, aere Cyprio: quo flamines, flaminicae virgines, pontificesque ad sacrificia utuntur. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 4, 262. stellatus iaspide fulva Ensis: eandem descriptionem habet, dictamque esse secespitam a *secando*. *Paul.* ex *Festo*. Secespitam alii securim, alii dolabram aeneam, alii cultellum putant. *Suet. Tib.* 25. *f.* Nam et inter pontifices sacrificanti simul, pro secespita plumbeum cultrum subjiciendum curavit. ℙ Pergit *Festus*. Eadem alias dicitur, qua in sacrario utuntur: sacraria namque in templis reticulo aeneo olim sepiebantur, in quo tubae relictae sunt, per quas manibus sacra tangere licet. Est hoc in templo Bonae Deae: sed et in aliis locis: et sunt velut repagula quaedam. Ita secespitae dicuntur duobus modis. Haec *Festus*.

SĒCESSIO, onis, f. *ἀναχώρησις*, discessio, recessus in aliquem locum secretiorem et minus frequentem. *Cic. Mur.* 24. Moestos amicos, observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant. ℙ Interdum sumitur pro defectione, divisione populi in duas pluresve partes. *Cic. Lig.* 6. *f.* Secessionem tu illam existimavisti, Caesar, initio, non bellum: et non hostile odium, sed civile dissidium. *Caes. B. C.* 1, 20. Divulgato Domitii consilio, milites, qui erant Corfinii, secessionem faciunt. [*V. *Herzog.*] *Liv.* 2, 32. Piso auctor est, secessionem factam esse in Aventinum. ℙ Quater Romana plebes, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, ut ait *Sall. Cat.* 34., armata a patribus secessit. Prima secessio in Sacrum montem facta est ob feneratorum injustitiam. *Liv. l. c.* et *Flor.* 1, 23. Secunda in Aventinum propter stuprum ab Appio Claudio ingenuae virgini illatum. *Liv.* 3, 5., *Flor.* 1, 24. et *Eutr.* 1, 18. Tertia in Janiculum, ob matrimonia plebejorum cum patriciis, ut vult *Flor.* 1, 25., vel ob aes alienum, ut est in *Epit. Liv.* 11. *f.* V. *August. C. D.* 3, 17. Quartam facit *Flor.* 1, 26. ob cupiditatem honorum, adnitente plebe, ut secum patricii magistratus communicarentur. Sed in hac nulla secessio facta est: pertinax tantum discordia grassari prius non destitit, quam quod cupierat, obtineret. V. *Liv.* 6. a *c.* 34. ℙ *Paul.* ex *Festo:* Secessiones, narrationes. Alii leg. *sectiones.* ℙ [*Confund. *secessio* et *seditio*. V. *Herz.* ad *Caes. B. C.* 1, 20.]

SĒCESSUS, us, m. *ἀποχώρησις, ἀναχώρησις*, recessus, abscessio, secessio, discessus. *Plin.* 10, 29, 45. In secessu avium et noctuae paucis diebus latere traduntur. *Id.* 8, 36, 54. Secessus ferarum in specus. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 2. Nemo iratae plebis secessus circumspexerit, *h. e.* secessiones. *Gell.* 2, 1. Tanquam quodam secessu mentis atque animi facto a corpore. ℙ Dicitur de recessu a frequentia hominum, et a negotiis, v. gr. cum quis ab urbe discedit, et rus abit, remissionis et otii causa. *Suet. Tib.* 56. Existimans exprobratum sibi veterem secessum. *Tac. A.* 1, 4. *f.* Annis, quibus specie secessus exsulem egit. *Plin. ep.* 1, 3. Quin ipse te in alto isto, pinguique secessu studiis adseris? *Ov. Trist.* 1, 1, 41. Carmina secessum scribentis, et otia quaerunt. *Quint.* 10, 5. *med.* Mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit, *h. e.* in studia remota a contentionibus fori. ℙ Item de ipso loco, quo secedimus: et qui a frequentia remotus sit. *Virg. A.* 1, 163. et *ib.* 3, 229. in secessu longo sub rupe cavata. *Plin. Pan.* 49. Arcana illa cubilia, saevique secessus, in quos timore, et superbia, et odio hominum agebatur; et *ib.* 83. Cubicula ipsa, intimosque secessus recludere. *Tac. A.* 14, 62., *Juven.* 3, 5. et *Suet. Cal.* 45. *extr.* Amoenos secessus celebrare. *Id. Aug.* 72. Ex secessibus praecipue frequentavit maritima, insulasque Campaniae. ℙ Translate. *Val. Max.* 7. *n.* 9. *extr.* In secessu, quam in fronte beatior. ℙ De postica corporis parte. *Hieron. ep.* 64. *n.* 2. Totum quod curamus, quod voramus, in secessum projici.

[SĒCINGO, is, nxi, nctum, a. 3. seorsum cingo. *Not. Tir.* p. 158. Cingit, cinxit, secingit, secinxit. *F.*]

SĒCIUM est, quod secespita secatur, libum seu placenta, quae soleat necessariis sacrificiis adhiberi. *Festus.*

SĒCIUS. V. SECUS.

SECLŪDO, is, usi, usum, a. 3. *ἀποκλείω*, seorsum claudo, sejungo, separo. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Faciendum septa secreta ab aliis, quo incientes secludere possis. *Stat. Achill.* 1, 358. ne lustris nemorum concede vagari: Intus ale, et similes inter secludе puellas. *Lucr.* 5, 752. cur luna queat terram secludere solis Lumine, etc. *Caes. B. C.* 3, 97. *f.* Munitione flumen a monte seclusit, ne Pompejani aquari possent. *Prop.* 1, 20, 29. Ille sub extrema pendens secluditur ala. ℙ Item excludo. *Virg. A.* 1, 566. Solvite corde metum, Teucri, secludite curas. Ubi *Serv.:* pro excludite: quod fit aut propter hiatum, aut propter suavitatem, ut (*Ecl.* 1, 15.) silice in nuda connixa reliquit: pro enixa. *Pl. Rud.* 1, 4, 1. Secludere vitam corpore.

SECLŪSORIUM, ii, n. *ἐγκλειστήριον*, locus, in quo aliquid secluditur. *Varr. R. R.* 3, 5. Excluduntur (*aves*) in minusculum aviarium, quod est conjunctum cum majore, ostio et lumine illustriore, quod seclusorium appellant.

SECLŪSUS, a, um, part. a *secludo: ἐγκλειοθείς*, seorsum clausus, separatus, sejunctus, exclusus. *Cic. Or.* 2, 39. Illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat. *Varr. R. R.* 2, 15. *med.* Cum parere coeperunt, inigunt in stabula ea, quae habent ad eam rem seclusa. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 12. Mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum. *Id.* 6, 17, 20. Gens apricis ab omni noxio afflatu seclusa collibus. *Cic. Verr.* 2, 5, 9. *med.* de eo, qui in carcere tenetur: A conspectu parentum ac librum, denique a libero spiritu, et communi luce seclusus. *Virg. A.* 3, 445. Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo, Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit, *h. e.* extra antrum posita. *Varr. R. R.* 3, 5. Hoc ideo in secluso clam, ne reliqui, si videant, despondeant animum, *h. e.* in loco secreto ac remoto. *Virg. A.* 6, 703. videt Aeneas in valle reducta Seclusum nemus, *h. e.* remotum, secedens, secretum. *Festus:* Seclusa sacra dicebantur, quae Graeci mysteria appellant, *h. e.* sacra Cereris, quae clausa occulebantur in cistis. V. CISTA.

SĒCO, as, secui, sectum, a. 1. *τέμνω, κόπτω, πρίω*, caedo, excido, reseco. *Pl. Merc.* 2, 2, 38. Cape cultrum, seca digitum, vel aurem, vel tu nasum, vel labrum. *Mart.* 3, 24. Ut cito testiculos (*hirci*) peracuta falce secaret. *Varr.* ap. *Non.* 3, 197. Id sal virgines Vestales serra ferrea secant. *Q. Cic. Pet. cons.* 3. Qui stanti collum gladio dextera sua secuerit. *Mart.* 5, 48. Secare capillos. *Caes. B. G.* 7, 14. pabulum. *Virg. G.* 3, 126. pubentes herbas. *Id. A.* 1, 216. tergora in frusta. *Just.* 18, 5. *med.* corium in tenuissimas partes. *Hor. Od.* 2, 18, 17. marmora. *Plin.* 16, 43, 84. ilicem in laminas praetenues. *Sen. Troad.* 76. aristas, *h. e.* metere. *Flor.* 1, 5. cotem novacula. *Juven.* 5, 123. nec minimo sane discrimine refert, Quo gestu lepores, et quo gallina secetur. (Adde 11, 135.) *Val. Fl.* 7, 607. velut campos Libyes ac pinguia Nili Fertilis arva secet, *h. e.* vomere proscindat. *Sen. Troad.* 559. vinclis manus secantibus praestricta. ℙ Pertinet ad manu medentes. *Mart.* 11, 84. Mitior implicitas Alcon secat enterocelas. *Cic. Phil.* 8, 5. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri, secarique patimur. *Id. Tusc.* 2, 15. Cum varices secabantur C. Mario, dolebat. *Plin.* 26, 11, 69. Membra quae periclitantur secari. Adde 29, 1, 6. ℙ Item vulnero. *Virg. Ecl.* 10, 49. Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas! et *G.* 3, 444. hirsuti secuerunt corpora vepres. *Ov. Met.* 1, 508. ne prona cadas, indignave laedi Crura secent sentes. *Tibull.* 1, 10, 22. intorto verbere terga seca. *Hor. Ep.* 1, 19, 46. luctantis acuto ne secer ungui. ℙ Item crucio, lancino, torqueo. *Catull.* 71, 2. Aut si quem merito tarda podagra secat. *Mart.* 9, 93. podagra, cheragraque secatur Caius, et mallet verbera mille pati. ℙ Et translate, pungo, perstringo, mordeo. *Pers.* 1, 114. secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis. *Hor. Sat.* 1, 10, 14. ridiculum acri Fortius, et melius magnas plerumque secat res. ℙ Pro rodere, absumere. *Pl. Most.* 3, 2, 138. Postes ab infimo tarmes secat. Sic *Lucil.* ap. *Non.* 4, 97. Lanae opus omne perit: squalor, tineae omnia caedunt. ℙ Item dividere, partiri. *Lucan.* 1, 101. qualiter undas Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos. Translate *Cic. Or.* 2, 27. Cum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. ℙ Sic etiam translate accipitur pro dirimere, ab *Hor. Ep.* 1, 16, 42. Quo multae magnaeque secantur judice lites. ℙ *Secare* saepe dicuntur quae mediam quampiam rem pertranseunt, et dividunt. *Plin.* 18, 34, 77. *n.* 1. Limes, qui ita secabit agrum, decumanus vocabitur. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 11. Apelles vinci erubescens, tertio colore lineas secuit; et 37, 10, 63. Mesomelas (*gemma*) nigra vena quemlibet colorem secante per medium. *Id.* 5, 27, 22. Amnis urbem secans; et *ib.* 9, 10. et *Virg. A.* 7, 717. et *Plin. alter ep.* 5, 6. Nilus medios Aethiopas secat. *Sen. Thyest.* 845. Signifer secat obliquo tramite zonas. *Mart.* 9, 58. Nec quae Flaminiam secant salebrae, *h. e.* per mediam Flaminiam obsitae viam impediunt. *Virg. A.* 10, 440. Turnum, qui volucri curru medium secat agmen, *h. e.* penetrat, et disjicit. Sic *Claud. VI. cons. Honor.* 468. et stricto prosternens omnia ferro, Barbara fulmineo secuit tentoria cursu. ℙ *Secare viam, mare, auras*, etc. dicuntur qui viam carpunt, navigant, natant, volant, etc. tellurem enim quodammodo, undas et auras dividere ac secare videntur: et poetica fere sunt. *Virg. A.* 6, 900. Ille viam secat ad naves, sociosque revisit. *Quint.* 3, 1. *med.* Hinc velut diversae secari coeperunt viae. Sic *Ov. Am.* 2, 16, 15. Solliciti jaceant, terraque premantur iniqua, In longas orbem qui secuere vias. Aut juvenum comites jussissent ire puellas, Si fuit in longas terra secanda vias; et *Sil.* 2, 170. Obliquos detorquet equos, laevumque per orbem Fallaci gyro campum secat; et *Grat. Cyn.* 225. canis majore secat spatia extera gyro. *Virg. A.* 5, 594. Delphinum similes, qui per maria humida nando Carpathium Libycumque secant; et *ib.* 5, 218. Sic ipsa fuga secat ultima Pristis Aequora. *Ov. Met.* 11, 478. medium non amplius aequor Puppe se-

cabatur. Sic *Id. ib.* 1, 370. Cephisides undae jam vada nota secantes, *h. e.* alveo suo decurrentes; et *Virg. A.* 9, 103. Galatea secat spumantem pectore pontum; et *ib.* 8, 96. viridesque secant placido aequore silvas, *h. e.* umbras arborum in flumine; et *Sen. Ag.* 429. Aurata primas prora designat vias, Aperitque cursus, mille quos puppes secent. *Virg. A.* 12, 267. sonitum dat stridula cornus, et auras Certa secat; et *G.* 1, 406. avis secat aethera pennis. Sic *Id. A.* 4, 257. terras inter coelumque volabat, Litus arenosum Libyae, ventosque secabat Cyllenia proles; et *ib.* 9, 15. de Iride: Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum, *h. e.* duxit quasi nubes aurasque coloribus suis secando; et *Sen. Herc. Oet.* 680. Phaethon Phoebeis ignota secat Sidera flammis errante rota. ℙ Aliquando est sequi; unde *secta*, et *sectores*. *Virg. A.* 10, 107. Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem, Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo. ℙ Part. *Secaturus* pro *secturus* ap. *Colum.* 5, 9. Si eam partem, supra quam ramum secaturus es, foeno texeris. ℙ Olim usurpatum fuit pro dico, narro. V. INSECE et SEQUOR.

SĔCORDIA. V. SOCORDIA.

SECRĔTĀRĬUM, ii, n. locus secretus, penetrale. *Appul. de Mundo:* Ignes qui terrae secretariis continentur. *Id. Flor. n.* 17. *f.* Avibus haec secretaria utique magis congruerint. ℙ Item conclave, in quo judices considebant: judiciale secretum *Ammian.* 15, 7. *med.* appellat. *Lactant. Mort. persecut.* 15. Tormentorum genera inaudita excogitabantur: et ne cui temere jus diceretur, arae in secretariis, ac pro tribunali positae, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent: sic ergo ad judices, tanquam ad Deos, adiretur. Adde *Imp. Zenon. Cod.* 3, 24, 3. et *Imp. Arcad. et Honor. ib.* 9, 3, 16. et *Imp. Constant. Cod. Theod.* 1, 7, 1. ℙ Item locus, in quo senatus habebatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 5. Secretarium amplissimi senatus, quod vir illustris Flavianus instituerat, et fatalis ignis absumpsit, Flavius Annius Eucharius Epifanius V. C. Praef. Urb. reparavit. ℙ Item locus in Ecclesia, vel Ecclesiae adjunctus, ubi episcopus vel presbyter audiendis ac dirimendis laicorum negotiis vacabat: ubi etiam sacrae vestes, et supellex ad rem sacram faciendam necessaria adservabantur. *Sulpic. Sev. de S. Mart. dial.* 2, 1. Secretarium ingressus, cum solus, ut erat consuetudo, resideret, cum quidem in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati, etc. V. *Paul. Nol. ep.* 32. (al. 12.) *n.* 16.

SECRĔTĔ, et

SECRĔTIM, adv. idem quod secreto. *Tert. Or.* 1. *med.* Praeceptum secrete adorandi. *Id. Pall.* 4. *f.* Lecticas domestice ac secrete habere. *Ammian.* 29, 1. Fidustium, et Pergamium nomen imperaturi post Valentem detestandis praesagiis didicisse secretim.

SECRĔTĬO, onis, f. ἔκκρισις, actus secernendi, separatio, sejunctio. *Cic. Tusc.* 1, 29. Est interitus quasi discessus, et secretio ac diremptio earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur.

SECRĔTO, adv. ἰδίᾳ, καθ' ἰδίαν, seorsum, separatim. *Liv.* 3, 36. Impotentibus instructi consiliis, quae secreto ab aliis coquebant. *Just.* 8, 4. *f.* Secreto auditae utraeque legationes. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 196. Idcirco haec agere tecum secreto volui. *Pl. Aul.* 2, 1, 14. Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi, ut tuam rem tecum hic loquerer familiarem. *Sen. ep.* 10. Cum vidisset adolescentulum secreto ambulantem, interrogavit, quid illuc solus faceret. *Cic. Att.* 7, 8. Ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus; et *Sall. Jug.* 9. *f.* Laudatum pro concione Jugurtham in praetorium abduxit, ibique secreto monuit, uti, etc. et *Plin.* 10, 42, 69. de avib.: Docentur *(loqui)* secreto, et ubi nulla alia vox miscetur. *Petr. Sat.* 28. In aurem aliquid secreto dicere. *Cic. Fam.* 7, 25. Secreto hoc audi, tecum habeto, ne Apellae quidem liberto tuo dixeris; et *Colum.* 11, 2. *med.* De quibus suo loco dicam secretius, ne inter hanc quasi turbam operum negligentius olitoris officia descripsisse videar. ℙ Item occulte, clam, ἀποῤῥήτως. *Pl. Truc.* 2, 7, 7. Quandoquidem ipsus perditum se it, secreto hercle quidem illum adjutabo: neque mea quidem opera unquam nihilominus propere, quam potest, peribit. *Sen. Q. N.* 5, 4. In nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quae ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius; et *Plin. ep.* 3, 20. *med.* Quotocuique eadem honestatis cura secreto, quae palam?

SECRĔTUS, a, um, part. a *secerno:* ἀποκεχωρισμένος, ἀφορισμένος, separatus, sejunctus, seclusus, semotus, divisus. *Cic. N. D.* 2, 21. Habent suam sphaeram stellae inerrantes, ab aetheria conjunctione sercetam et liberam. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Faciendum quoque septa secreta ab aliis, quo incientes secludere possis. *Id. ib.* 1, 54. Uva electa in secretam corbulam contrudatur; et *L. L.* 8, 38. Singularibus et secretis vocabulis appellare aliquid. *Petr. Sat.* 100. Ut super constratum navis occuparemus secretissimum locum. *Virg. A.* 6, 477. arva tenebant Ultima, quae bello clari secreta frequentant; et *ib.* 8, 609. natumque in valle reducta Ut procul egelido secretum in flumine vidit; et *ib.* 4, 499. Tu secreta pyram tecto interiore sub auras Erige; et *Hor. Sat.* 2, 8, 78. Stridere secreta divisos aure susurros. *Mart.* 7, 32. Secreta quies, *h. e.* quaesita procul ab honoribus et foro. *Sen. ep.* 91. *med.* Invadit temperantissimos morbus, validissimos phthisis, secretissimos tumultus; et *Tac. Agr.* 38. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta: i. e. nullo hostium apparente. ℙ *Secretum* absolute, et *secreta, orum*, locus remotus ab urbe, et frequentia hominum, secessus, rus. *Tac. A.* 14, 53. Augustus Agrippae Mitylenense secretum permisit. *Plin. ep.* 2, 17. Altum abditumque secretum. *Id. ep.* 3, 1. Quam pulcrum illud, quam dulce secretum! *Quint. decl.* 17, 17. Secretum solitudinemque captare. *Lucan.* 3, 313. lacrimas civilibus armis, Secretumque damus, *h. e.* secessum, receptaculum. *Tac. G.* 41. Pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. *Virg. A.* 6, 10. horrendaeque procul secreta Sibyllae. *Hor. Sat.* 2, 1, 71. ubi se a vulgo et scena in secreta remorant, etc. *Phaedr.* 4, 24. Simonides, Victoris laudes cuidam pyctae ut scriberet, Certo condixit pretio: secretum petit, *h. e.* secedit in locum remotum scribendi causa. *Id.* 3, 10. Seductus in secretum a liberto suo; et *Plin. ep.* 9, 33. Locus ipse quietem secretumque perdebat; et *Tac. Agr.* 39. *f.* de Domitiano: Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus. Sic *Quint.* 1, 4. Grammatica necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes. ℙ *Secretum petere*, secreto colloquendi copiam petere. *Suet. Tib.* 25. *f.* Secretum petenti, non nisi adhibito filio Druso dedit. *Tac. H.* 2, 4. Petito secreto, futura aperit. Adde *Plin. ep.* 1, 5. *med.* ℙ *Secretum*, ipsa commoratio in secreto loco. *Ov. Her.* 21, 21. Mox ubi secreti longi causa optima somnus Credibilis tarda desinit esse mora, etc. ℙ Est etiam *secretus*, occultus, abditus, minime notus, arcanus, ἀπόῤῥητος. *Id. Met.* 7, 138. carmen Auxiliare canit, secretasque advocat artes, *h. e* magicas. *Petr. Sat.* 128. Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum Excutiat gremium secreti conscius auri; et *ib.* 3. Quoniam amas bonam mentem, non fraudabo te arte secreta. *Lucan.* 1, 599. qui fata Deum, secretaque carmina servant, *h. e.* libros Sibyllinos. *Quint.* 1, 1. *med.* Epistolae secretae et familiares; et *ib. f.* Interpretationem linguae secretioris, quas Graeci γλώσσας vocant, ediscere, *h. e.* a vulgi sensu remotioris. *Mart.* 1, 67. Secreta quaere carmina, et rudes curas, *h. e.* reposita, latentia, in vulgus nondum edita. *Id.* 3, 77. Nescio quod stomachi vitium secretius esse Suspicor. *Id.* 8, 15. Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos, *h. e.* sine ulla pompa aut ostentatione actos laurea solum Jovi Capitolino missa. *Plin. ep.* 7, 9. Audax haec, non tamen improba, quia secreta contentio. *Tac. Agr.* 40. Libertus ex secretioribus ministeriis missus ad Agricolam; et *Mart.* 5, 5. Et secreta ducis pectora nosse licet. ℙ Hinc *secretum* absolute, et *secreta, orum*, arcanum, res occulta, quam taciti apud nos servamus, ἀπόῤῥητον. *Petr. Sat.* 21. Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis, inter nos periturum esse tam horribile secretum. *Id. ib.* 20. Periculosum est alienis intervenire secretis. *Plin. ep.* 1, 12. Quin etiam uxor quamquam omnis secreti capacissima, digrediebatur. *Sen. ep.* 83. *med.* Secreta continere. *Plin.* 14, 22, 28. animi proferre. *Tac. A.* 4, 7. *extr.* prodere. *Id. ib.* 6, 3. omnium rimari; et *ib.* 1, 6. *med.* Secretorum particeps. *Sen. Hipp.* 884. Verberum vi secreta mentis extrahere. *Tac. G.* 19. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 13. Secreta civilium sacrorum. *Val. Fl.* 3, 200. Opheltem vana sonantem, Qua stomachi secreta ferit, *h. e.* intima et vitalia. ℙ *Secretus* item est selectus, eximius. *Quint.* 9, 3. Figurae secretae, et extra vulgarem usum positae, ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia satiant. ℙ Et prohibitus, privatus. *Lucr.* 1, 194. Nec porro secreta cibo natura animantum Propagare genus possit, vitamque tueri. ℙ Cum genit. *Id.* 2, 841. Sed ne forte putes solo spoliata colore Corpora prima manere, etiam secreta teporis Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis.

SECTA, ae, f. αἵρεσις, ratio vitae, institutum, disciplina, familia, schola, congregatio hominum vel in studiis, vel in alia re quapiam idem sentientium, et unum aliquem ducem sequentium: a *seco*, qua caedere significat, quia secta, h. e. divisa est ab aliis: vel qua sequi, quia peculiare institutum sequitur: vel a *sequor*, a quo *sector* verbum ac nomen. *Lucr.* 5, 1114. Divitioris enim sectam plerumque sequuntur Quamlibet et fortes, et pulcro corpore creti. *Cic. Verr.* 2, 5, 70. *extr.* Horum nos hominum sectam atque instituta persequimur, *h. e.* eorum qui cum humili loco nati essent, summis laboribus, et magis inimicitiis suscipiendis ad primos honores in republ. pervenerunt. *Id. Rab. perd.* 8. Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimum velles? *Id. Coel.* 17. Qui hanc sectam rationemque vitae re magis, quam verbis secuti sumus. *Plin. Pan.* 45. Quae tibi secta vitae, quod genus hominum placeat. *Gell.* 4, 20. Secta et disciplina. *Cic. Fam.* 13, 4. *med.* Est tuae prudentiae sequi ejus auctoritatem, cujus sectam atque imperium summa cum tua dignitate secutus es. *Liv.* 29, 27. Qui meam sectam, imperium, auspiciumque terra, mari, amnibusque sequuntur. *Cic. ad Brut.* 1, 3. *f.* Hostes omnes judicati, qui M. Antonii sectam secuti sunt. *Id. Brut.* 31. *med.* Ex vetere Academia philosophorum sectam sequi. *Catull.* 63, 15. Sectam meam exsequutae. Loquitur hic Atys ad comites suos. *Tac. A.* 16, 32. Auctoritatem Stoicae sectae praeferre. *Id. H.* 4, 40. Cynicam sectam profiteri. *Id. A.* 6, 22. Sapientissimi veterum, quique sectam eorum aemulantur. *Suet. Gr.* 16. Ad alicujus sectam transire. *Juv.* 14, 121, juvenes hortatur, ut illam Ire viam pergant, et eidem incumbere sectae, *h. e.* ditescendi institutum. *Gell.* 20, 1. *med.* Solitum esse me pro disciplina sectae, quam colo, inquirere, etc. *Id.* 19, 1. *med.* Majores nostri conditores sectae Stoicae. *Plin.* 29, 1, 5. Novam sectam instituere; et 30. 1, 2. Inter sapientiae sectas clarissimam utilissimamque eam intelligi voluit. ℙ Varias philosophorum sectas enumerat *Cic. Or.* 1, 10. et sqq.

SECTĀCŬLUM, i, n. propago, progenies. *Appul. Met.* 5. Occipiunt sciscitari, qualis ei maritus, et unde natalium sectacula provenirent, *h. e.* series et stemmata generis. Alii aliter leg.

SECTĀRĬUS, a, um, adj. qui sectis testiculis alitur ad vescendum: a *seco*. *Pl. Capt.* 4, 2, 40. Qui petroni nomen indunt verveci sectario. V. PETRO. ℙ Item quem quis sequitur: a *sequor*. *Paulus* ex *Fest.* Sectarius vervex qui gregem agnorum praecedens ducit. ℙ De porcis sectariis ap. *Cat. R. R.* 150. V. in SERARIUS.

SECTĀTĬO, onis, f. actus sectandi, seu sequendi. *Tert. ad uxor.* 1, 6. *f.* Invenit diabolus quomodo homines etiam boni sectationibus perderet.

SECTĀTOR, oris, m. ἀκόλουθος, αἱρεσιώτης, qui aliquem assiduo sequitur. *Cic. Mur.* 34. At sectabantur multi, quid opus est sectatoribus? et *mox:* Lex Fabia, quae est de numero sectatorum. Loquitur hic *Cicero* de clientibus candidatorum, qui eos quocumque sectabantur, gratiae conciliandae causa. *Tac. A.* 4, 68. Neque omiserat conjugem liberosque ejus percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus. ℙ Dicitur etiam de discipulis philosophorum, qui ut aliquid ab iis addiscant, ab eorum latere nunquam discedunt. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Hoc postea Sextius e Romanis sapientiae sectatoribus Athenis fecit eadem ratione. Alii leg. *assectatoribus*. *Gell.* 2, 2. Taurus, sectatoribus commodum dimissis, sedebat pro cubiculi sui foribus. *Id.* 19, 5. Eloquentiae, aut philosophiae sectatores. *Id.* 13, 5. Cohors sectatorum Aristotelis. ℙ De eo, qui adhaeret alteri quacumque in re. *Tac. A.* 5, 10. *extr.* Multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem, etc. *Eum. Restaur. schol.* 6. *f.* Omnium rerum sectatores atque fautores.

SECTĀTUS, a, um, part. a *sector*. Translate. *Gell. praef. med.* Multa et varia lectitantes, in quas res cumque inciderent, solam copiam sectati, converrebant. V. SECTOR, aris.

SECTĬLIS, e, adj. τμητὸς, εὔσχιστος, qui sectus in tenues laminas, aut partes minutas, vel secari potest, secabilis, sectivus. *Ov. Med. fac.* 10. Sectile deliciis India praebet ebur. *Plin.* 16, 43, 83. Sectiles laminae; et *ib.* 84. Sectile tuber; et *ib.* 39, 76. *n.* 1. Larici et abieti ad fabrorum intestina opera medulla sectilis, *h. e.* qua utuntur intestinarii ad opus sectile ligneum. *Id.* 36, 22, 44. Sectiles lapides. *Vitr.* 7, 1. *med.* Supra nucleum ad regulam et libellam pavimenta struantur sive sectilia, sive tesseris. Sic *Suet. Caes.* 46. *extr.* In expeditionibus tessellata, et sectilia pavimenta circumtulit. *Sectilia* pavimenta sunt lapidibus varia figura et colore sectis strata, quae Itali *a commesso* vocant: *tessellata* vero, sive *tesseris structa* intellige, quae minutis quadratisque lapillis ex vario colore constant, quae Itali *a mosaico*, seu potius *lavoro tessellato* dicunt. *Juven.* 3, 293. et *Mart.* 10, 48. Sectile porrum, *h. e.* sectivum. V. PORRUM. *Auson. epigr.* 128. Tuumque nomen Θ sectilis signet, *h. e.* quae littera transversa lineola secta est.

SECTĬO, onis, f. τμῆσις, τομὴ, σχίσις, actus secandi. *Plin.* 19, 8, 41. Brassica cymas a prima sectione praestat proximo vere. *Vitr.* 2, 2. Individua corpora nec internecionem recipiunt, nec sectionibus dividuntur. *Plin.* 25, 13, 94. Bibitur et ante sectiones, punctionesque, ne sentiantur, *h. e.* antequam secetur a medico aliquid in corpore. *Gell.* 20, 1. *med.* Sectio et partitio corporis; et *Appul. Met.* 7. Destinatam sectionem meam flagitat, *h. e.* castrationem. *Quint.* 1, 10. *f.* De ratione dividendi, de sectione in infinitum, etc. ℙ Est etiam aestimatio atque emptio bonorum alicujus proscriptorum, et auctione venditorum. *Sector* enim, ut docet *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 20., est aestimator et redemptor bonorum damnati atque proscripti: et *sectio* est ipsa actio, qua ea bona redimit lucri causa. V. SECTOR, oris. *Cic. fragm.* ap. *Gell.* 13, 24. Praedam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeji, sedente imperatore, decemviri vendent, *h. e.*

non solum praedam, manubias, sed ipsam quoque eorum redemptionem. ℙ Jus et auctoritas sectionis tanta erat, ut esset unum ex his, per quae legitimum dominium acquiritur. *Varr. R. R.* 2, 10. In emptionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt: si hereditatem justam adiit; si mancipio accepit; aut si in jure cessit, cui potuit cedere; aut si usu cepit; aut si e praeda sub corona emit; tumve cum in bonis sectioneve cujus publice venit. Adde *Cic. Inv.* 1, 45. *f.* ℙ Duplici modo emebantur bona damnatorum, aut *aversione*, h. e. omnia simul, acervatim, et, ut dicitur, una pertica: aut *sectione*, h. e. singulas res aestimando, et pretium pro singulis solvendo. Sectores, ut ait *Ascon. l. c.* 23. *extr.*, bona condemnatorum semel, *h. e.* aversione emebant: ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant: hoc erat *sectione vendere*, quasi res secando et dividendo. Dicitur tamen *sectio* tum sectoris, tum proscribentis ratione. *Cic. Phil.* 2, 26. Hasta posita, bona Cn. Pompeji voci acerbissimae subjecta praeconis. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium; et *ib.* 29. Appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. *Suet. Vit.* 2. Sectionibus, et cognituris uberius compendium nactus. *Tac. A.* 13, 23. Paetus exercendis apud aerarium sectionibus famosus. V. COGNITOR. Laborabat infamia sectionum professio, tum quia lucrabatur ex damnatorum bonis, tum quia delationibus et accusationibus grassabatur, ut in citata voce dictum est. ℙ Ipsae quoque res sectioni subjectae eodem nomine appellantur. *Caes. B. G.* 2, 33. *f.* Refractis portis, atque intromissis militibus nostris, sectionem ejus oppidi universam Caesar vendidit. *Tac. H.* 1, 90. Reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas, revocatis ab exsilio concessit. ℙ *Paul.* ex *Festo:* Sectio, persecutio juris. Ubi *Ant. August.* Pauli epitome nimis concisa est in horum verborum interpretatione.

SECTĬUS pro *secius*. *Pl. Men.* 5, 7, 57. Haec nihilo mihi esse videntur sectius, quam somnia, *h. e.* ut *Varro* enarrat ap. *Gell.* 18, 9. Nihilo magis narranda sunt, quam si ea essent somnia. Al. leg. *secius*, alii *secus*. V. SECUS.

SECTĬVUS, a, um, adj. idem quod sectilis. *Colum.* 11, 3. *med.* Porrum si sectivum facere velis, densius satum praeceperunt priores relinqui, et ita cum increverit, secari. *Id.* 12, 8. Concisi sectivi porri, quantum videbitur, adjicito. Adde *Pall.* 3, 24. *med.* V. PORRUM.

SECTOR, aris, atus sum, dep. 1. *παρακολουθέω*, adsector, frequenter sequor, comitor, adhaereo. Dicitur de servis, clientibus, discipulis, pastoribus, amantibus, etc. *Cic. Rosc. Am.* 28. *med.* Ii servi ubi sunt? Chrysogonum, judices, sectantur. *Pl. Epid.* 3, 4, 50. Nam servum misi, qui sectari solet meum gnatum. *Id. Pers.* 2, 1, 5. Nam equidem te jam sector quintum hunc annum. *Suet. Caes.* 86. Custodias Hispanorum cum gladiis sectantium se removit. *Cic. Verr.* 2, 2, 70. Cum praetorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo unquam discederet. *Id. Mur.* 34. Neque postulandum est ab equitibus Roman., ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies. *Tac. A.* 15, 33. Quique Caesarem per honorem, aut varios usus sectantur. *Ter. Eun.* 2, 2, 30. Homo coepit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me, sectari jussi. Ubi *Donat.* proprie: nam et sectae philosophorum ab eo dictae sunt. Hinc sunt etiam sectatores. *Gell.* 20, 6. Percontabar Apollinarem Sulpicium, cum eum Romae adolescentulus sectarer. *Tibull.* 1, 11, 41. Ipse suas sectatur oves, at filius agnos; et 2, 3, 7. Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum. *Catull.* 8, 9. Nunc jam illa non vult: tu quoque impotens ne sis, Nec, quae fugit, sectare, nec miser vive. *Hor. Sat.* 1, 2, 78. Desine matronas sectarier. (*Donat.* ad *Ter. Phorm.* 1, 2, 36. dicit, sectari proprie esse, ut taurus buculam, ut aries ovem. *Virg. Ecl.* 3, 65. trahit sua quemque voluptas.) *Pl. Mil.* 2, 1, 13. et 3, 1, 180. Omnes se ultro sectari memorat mulieres. ℙ Item insector, insequor, urgeo, instandique causa sequor, *διώκω*. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Homo ridicule insanus, qui illic ejusmodi est, ut eum pueri sectentur, ut omnes, cum loqui coeperit, irrideant. *Pl. Cist.* 2, 2, 1. Anum sectatus sum clamore per vias. *Cato* ap. *Gell.* 17, 6. Eam pecuniam viro mutuam dat: postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet. *Prop.* 2, 7, 81. Exagitet nostros manes, sectetur et umbras, Insultetque rogis. *Hor. Sat.* 1, 3, 119. Ne scutica dignum horribili sectere flagello. *Plin. ep.* 8, 22. *f.* Sectari, carpere aliquem. ℙ Pertinet ad rem venatoriam. *Varr.* ap. *Non.* 18, 23. Sues silvaticos in montibus sectaris venabulo, aut cervos. *Ov. A. Am.* 2, 201. Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci. *Virg. Ecl.* 3, 75. dum tu sectaris apros, ego retia servo. *Ter. Phorm. prol.* 7. Cervam fugere, sectari canes. Adde *Pl. Mil.* 2, 2, 7. et 23., *Sil.* 14, 262. et *Hor. Sat.* 1, 2, 106. et *ib.* 2, 2, 9. ℙ Item peto, capto, appeto. *Caes. B. G.* 6, 34. *med.* Quid vos hanc miseram et tenuem sectamini praedam, quibus jam licet esse fortunatissimis? (Adde *Tac. A.* 1, 65.) *Just.* 11, 10. Luxuriosa convivia, et magnificentiam epularum sectari. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Illuc e pascuis pecora conveniunt, si quando aquam, umbramve sectantur. *Sen. Herc. Fur.* 752. In amne medio faucibus siccis senex Sectatur undas, abluit mentum latex. *Plin.* 9, 31, 50. Cancri hieme aprica loca sectantur. *Hor. Sat.* 2, 4, 44. Fecundi leporis sapiens sectaberis armos. ℙ Translate est quaerere, affectare, spectare, operam dare, consectari, amare. *Pl. Mil.* 3, 1, 28. Facinora: quae istaec aetas fugere facta magis, quam sectari solet. *Suet. Aug.* 89. In evolvendis auctoribus nihil aeque sectabatur, quam praecepta et exempla salubria. *Id. ib.* 25. *extr.* Minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes ajebat esse aureo hamo piscantibus. *Just.* 27, 2. *med.* Hierax cognominatus est, quia non hominis, sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. *Plin. ep.* 9, 19. Laude dignissimos judico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur. *Tac. A.* 1, 80. de Tiberio: Ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium: neque enim eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat, *h. e.* non spectabat, non respiciebat in promovendis ad honores. *Plin. ep.* 1, 22. Non quidem gymnasia sectatur aut porticus, sed in toga negotiisque versatur. *Hor. Od.* 1, 38, 3. Mitte sectari, rosa quo locorum Sera moretur. *Id. A. P.* 26. sectantem lenia nervi Deficiunt, *h. e.* qui lenes versus scribere amat, nervis et vi caret. *Auson. Idyll.* 15, 1. Quod vitae sectabor iter? ℙ Passiva significatione. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Qui vellet se a cane sectari, uti ranam objiciat coctam.

SECTOR, oris, m. *τομεύς*, qui aliquid secat et abscindit. *Pl. Trin.* 4, 2, 20: Mira sunt, ni illic homo est aut dormitor, aut sector zonarius, i. e. crumeniseca, *βαλαντιοτόμος*. Hic est fur diurnus, *ἡμεροκλέπτης:* dormitator autem nocturnus, *ἡμερόκοιτος*, quia hujusmodi, noctu ut vigilent, die toto dormitant. ℙ [*Sector materiarum* est qui ligna ad fabricandum idonea in silvis caedit, seu potius qui arborum truncos in trabes tabulasque serra secat, seu scindit, quem Itali *segatore di legname*, nostrates vulgo *segantino* vocant. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 588. Silvano sacrum sectores materiarum Aquilejensium, et incolae posuerunt, et mensam. V. MATERIA. *F.*] ℙ Est praeterea *sector*, qui damnatorum bona in auctione, vel a proscribentibus emit, et compendii causa distrahit. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 20. sectorem dicit aestimatorem redemptoremque bonorum damnati atque proscripti, qui spem spectans lucri sui, id est secutus spem aestimationis suae, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam vel aerario, vel sociis. *Id. ib.* 23. Sectores dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis, ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. *Cic. Rosc. Am.* 29. *med.* Nescimus per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum, et bonorum? et *ib.* 36. Cum de bonis et de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est, et sicarius, hoc est qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est; et eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quaeritur. *Flor.* 2, 6. *med.* Annibal hastae subjecit argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est; et *Cic. Phil.* 2, 26. *f.* Cum sector sis, isto loco natus, deinde cum Pompeji sector, non te exsecrandum populo R., non detestabilem scias? *Claud. IV. cons. Honor.* 496. non hasta refixas Vendit opes, avida sector non voce citatur. Adde *Cic. Phil.* 13, 14., *Cass.* ad *Cic. Fam.* 15, 19. et *Pacat. Pan. Theod.* 25. et 28., ex quibus patet, sectores fuisse vile, et invisum hominum genus, et quia de miserorum bonis ditescebant, et quia iidem saepe delatores erant, aut delatorum socii, ut in COGNITOR et in SECTIO dictum est. ℙ Dictus est vel a *seco*, qua sequi significat; aut ab ipso *sequor*, a quo *secutor*, et per sync. *sector*, quia spem lucri sequitur: vel a *seco*, h. e. concido, incido, quia bona simul empta in partes veluti secat, et singillatim vendit. Priorem notationem probare videtur *Ascon.* supra allatus: item *Paul.* scribens ex *Festo:* Sectores, et qui secant, dicuntur, et qui empta sua persequuntur. De posteriore in SECTIO diximus. ℙ Translate. *Lucan.* 1, 178. Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris Ipse sui populus, *h. e.* largitionibus vendens suffragia, quibus honores mandantur, et lucrum captans ex favore suo, ut sector ex venditione bonorum.

[SECTORĬUS, a, um, adj. ad sectorem pertinens. *Cajus Instit.* 4. (ed. *Goesch.*) §. 146. Item ei, qui publica bona emerit, ejusdem conditionis interdictum proponitur, quod appellatur sectorium, quod sectores vocantur, qui publice bona mercantur. V. v. praec. *F.*]

SECTRIX, icis, f. mulier, quae bona damnatorum emit in auctionibus. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Unde enim vitricus Sulla, et Metella mater proscriptionum sectrix?

SECTŪRA, ae, f. *τομή*, sectio. *Plin.* 37, 8, 33. Callaides sectura formantur, alias fragiles. Adde *Varr. L. L.* 4, 24. ℙ Item locus, ubi sectio facta est. *Plin.* 17, 17, 28. Servandum, ut taleae sectura inferior ponatur semper. *Caes. B. G.* 3, 21. Cuniculis ad aggerem actis, cujus rei sunt longe peritissimi Aquitani, propterea quod multis locis apud eos aerariae secturae sunt, *h. e.* fodinae, in quibus terra secatur et effoditur. Alii eam vocem expungunt: alii leg. *stricturae*, alii *structurae*.

SECTUS, a, um, part. a *seco: τμητός, περιομένος*, caesus, decisus, scissus, exsectus. *Hor. Od.* 4, 4, 61. Hydra secto corpore firmior. *Id. Sat.* 2, 4, 67. Sectae herbae. *Lucan.* 10, 114. sectisque (*domus*) nitebat Marmoribus, *h. e.* sectilibus. (Adde *Plin.* 36, 6, 8.) V. SECTILIS. Sic *Virg. A.* 3, 464. Sectus elephantus, *h. e.* ebur sectile. *Hor. Ep.* 1, 1, 104. prave sectum stomacheris ob unguem. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua in laminas secta translucent. *Mart.* 12, 83. Exiguos secto comentem dente capillos, *h. e.* pectine. *Lucan.* 10, 141. secti orbes Atlantide silva, *h. e.* mensae rotundae e citro. ℙ Item caesus, vulneratus. *Hor. Epod.* 4, 11. Sectus flagellis hic triumviralibus Praeconis ad fastidium. *Lucan.* 1, 565. quos sectis Bellona lacertis Saeva movet. *Prop.* 3, 21, 8. Sectaque Persea Phorcidos ora manu; et 4, 4, 26. hirsutis brachia secta rubis. *Mart.* 10, 5. *med.* severi sectus Aeaci loris. *Id.* 2, 66. Et cecidit sectis icta Plecusa comis, *h. e.* laceratis. *Ov. Fast.* 6, 148. Genae rigido ungue sectae. ℙ Medendi causa. *Cic. Tusc.* 2, 22. *med.* Marius cum secaretur, vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. *Plin.* 26, 12, 78. Fistulae in omni parte serpunt, medicorum vitio male sectis corporibus. *Id.* 31, 11, 47. Spongiae ex aqua coelesti impositae secta recentia non patiuntur intumescere. ℙ Item eviratus, castratus. *Mart.* 9, 7. Non puer avari sectus arte mangonis Virilitatis damna moeret ereptae; et 5, 41. Sectus Gallus. ℙ Item divisus. *Quint.* 4, 5. *med.* Scrupulose secta divisio. *Hor. Od.* 3, 27, 75. tua sectus orbis Nomina ducet, *h. e.* orbis terrae pars una. *Ov. Fast.* 2, 703. Hortus odoratis suberat cultissimus herbis Sectus humum rivo lene sonantis aquae. *Mart.* 3, 77. sectae quadra placentae; et 9, 91. Quadra de placenta secta. ℙ Translate. *Ov. Rem. Am.* 443. Secta bipartito cum mens discurrit utroque. ℙ Ut *secare viam* est viam carpere, *via secta* est ducta, facta. *Lucan.* 5, 272. inde super terras fluit (*aqua*) agmine dulci, Qua via secta semel liquido pede detulit undas. *Virg. G.* 1, 238. via secta per ambas (*zonas temperatas*), Obliquus qua se Signorum verteret ordo. Sic 2, 277. nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via limite quadret.

[SECTUS, us, m. eloquium: a *sequor*, q. v. v. *Capell.* 1, 10. Ille (*Apollo*) mentem novit, tu (*Mercuri*) verba componis. Phoebo suevit (*Juppiter*) instante concedere, tibi sectus solitus aperire, *h. e.* sua jussa tibi solet tradere. *F.*]

SECŬBĀTIO, onis, f. actus secubandi, secubitus. *Solin.* 26. de ursis: Secreti honore reverentur mares gravidas, et in iisdem licet foveis, partitis tamen per scrobes secubationibus dividuntur.

[SECŬBĬTO, as, n. 1. frequent. a *secubo*. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 397. Si secubitet, sic quoque a me, quae roget, non impetret. Alii leg. *si se cupit*, nullo sane sensu. *F.*]

SECŬBĬTUS, us, m. dicitur de femina, quae sola sine viro cubat. *Catull.* 64, 379. Anxia nec mater, discordis moesta puellae Secubitu, caros mittet sperare nepotes. *Ov. Am.* 3, 10, 15. de Cerere: Hanc quisquam lacrimis laetari credit amantum, Et bene tormentis, secubituque coli? et *ib.* 43. Quod tibi secubitus tristes, Dea flava, fuissent, Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis.

SĔCŬBO, as, ui, itum, n. 1. *ἀποκοιτέω*, seorsum cubo: et fere dicitur de femina, quae sola dormit sine viro: quod praecipue servabatur in casto Cereris, et Isidis, et Bacchi: qua de re multa *Prop.* 2, 24. *Ov. Am.* 3, 10. et *Liv.* 39, 9. et 10. etc. *Tibull.* 1, 3, 25. Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari Te memini, et puro secubuisse toro? *Ov. l. c. v.* 2. Secubat in vacuo sola puella toro. *Id. Fast.* 2, 328. Et positis juxta secubuere toris. ℙ Dicitur et de viro. *Liv.* 39, 10. Per jocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset. *Suet. Tib.* 7. *med.* Cum Julia primo concorditer vixit: mox dissedit, et aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret. Adde *Quint.* 7, 8. ℙ Est etiam seorsum degere. *Prop.* 2, 19, 41. Miles depositis annosus secubat armis, *h. e.* quod ait *Hor. Ep.* 1, 1, 4. Vejanius, armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro, ut *Broukhus.* adscribit. *Appul. Met.* 2. Omnium ora et obtutus in uno quempiam angulo secubantem conferuntur.

SĔCŪLA, ae, f. *δρεπάνη*, falx, apud Campanos. *Varr. L. L.* 4, 31. *med.* Falces a farre, littera commutata, hae in Campania seculae, a secando. ℙ *Secula* est etiam nomen fluvii apud Mutinam, nunc *Secchia*. *Inscr.* ap. *Mur.* 460, 5. Pontem Seculae vi ignis consumpt. indulg. sua restitui curaverunt.

SĔCŪLUM cum derivatis, V. SAECULUM.

SĒCUM. V. in SUI.

SĒCUNDĀNI, orum, m. plur. milites secundae legionis, sicut *primani* primae, *tertiani* tertiae, etc. *Liv.* 34, 15. *f.* Secundani terga hostium caedunt; et *ib.* 46. *extr.* Secundani se porta ejecere. *Plin.* 3, 4, 5. In mediterraneo coloniae, Arelate Sextanorum, Beterrae Septimanorum, Arausio Secundanorum. Adde *Tac. H.* 5, 16. ℙ *Secundanus* item est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 169, 7. Julius Secundanus.

SĒCUNDĀRĬUS, a, um, adj. secundus, proximus. *Cic. Inv.* 2, 7. In hoc autem loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit, alii nemini causam fuisse faciendi: secundarium, si tantam, aut tam idoneam nemini. ℙ Saepissime est *δευτεραῖος, δευτερίας*, qui est secundi ordinis, aut qualitatis. *Cic. Brut.* 69. Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarius, *h. e.* secundum a M. Crasso locum eloquentiae obtinens. Alii leg. *secundanus* eod. sensu: alii *secundarum*, quod rectius videtur. *Plin.* 18, 11, 19. *n.* 3. Secundaria alica, *h. e.* quae post primam secretionem arctiore cribro transmittitur. *Id. ib.* 9, 20. *n.* 1. Secundarium triticum, *h. e.* quod post siliginem, seu florem e cribro redit: quod et *cibarium* dicitur, ut *ib.* docet; et *ib.* 10, 20. *n.* 2. et *Suet. Aug.* 76. Secundarius panis, *h. e.* qui ex secundaria illa farina fit. (*Plin.* tamen *ib.* distinguit secundarium panem a cibario, de similagine loquens. Secundarii, inquit, panis quinas selibras, totidem cibarii, et furfurum sextario sex. Hoc autem sic intelligendum videtur, ut in siligine tria sint, flos, secundarium, et furfures: in similagine quatuor, flos, secundarium, cibarium, et furfures.) *Id. Plin.* 14, 9, 11. et *Colum.* 12, 39. Secundarium passum, *h. e.* quod post expressas semel uvas, adjecta vinaceis aqua puteana, prelo iterum exprimitur. V. DEUTERIAE. *Id. ib.* 11. Secundarium mel, *h. e.* quod e favis exprimitur, postquam primum defluxit, ut *Id.* 9, 15. *f.* tradit, et *secundae notae* appellat. *Plin.* 33, 7, 40. Secundarium minium, *h. e.* adulteratum, et inferioris notae, quod fit e lapide exusto, in argentariis et plumbariis metallis reperto, et nativo longe deterius est.

SĒCUNDĀTUS, us, m. secundus locus. *Tert. Anim.* 27. Alteri primatum damus, alteri secundatum.

SĒCUNDĒ, adv. *εὐτυχῶς*, feliciter, prospere. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. *med.* Quod haec res tam secunde processit. *Cic. N. D.* 3, 34. Cum secundissime cursum teneret. Alii leg. *secundissimo vento.*

[SĒCUNDĬĀNUS, a, um, adj. qui secundi ordinis, idem ac secundarius. *Inscr.* ap. *Mur.* 945, 10. Ti. Claudio Prisco secundiano coactori, etc. *F.*]

SĒCUNDĬCĒRĬUS, ii, m. qui secundo gradu est in aliquo ordine officiorum: ut *primicerius*, qui primo. *Imp. Justin. Cod.* 12, 17, 4. Si quis virorum fortium, praesentalium domesticorum, in equitum schola secundicerii locum adeptus, etc. Adde *ib. tit.* 7. qui inscribitur De primicerio, et secundicerio, et notariis: et V. PRIMICERIUS. Eadem ratione intelligendi sunt *tertiocerius*, *quartocerius*, de quib. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. ib.* 24, 7.

[SĒCUNDILLĀ, ae, f. dimin. secundae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 122, 4. Egnatiis Secundillae, Procliano, et Leoni filiis Laberia C. F. Galla. *F.*]

[SĒCUNDĪNUS, a, um, adj. ad secundum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. CLXXIIII. P. Aelius Secundinus. Alia ap. *Grut.* 317, 6. Petilia Q. F. Secundina. *F.*]

[SĒCUNDĬO, onis, m. et f. dimin. secundi, et secundae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 250. C. Herius Secundio. Alia ap. *Mur.* 850, 7. Secundio, et Tertia sorores. *F.*]

SĒCUNDO, adv. *δεύτερον, δευτέρως*, secundo loco, deinde. *Phaedr.* 4, 10. Significat primo, saepe quos ipse alueris, Tibi inveniri maxime contrarios. Secundo ostendit, scelera non ira Deum, Fatorum dicto sed puniri tempore. *Cic. Planc.* 20. *f.* Primum ut honore dignus essem, maxime semper laboravi; secundo ut existimarer; tertium mihi fuit, etc. Usurpavit etiam *Cato senex* ap. *Charis.* 2. p. 195. ℙ Pro iterum aut bis. *Hirt. B. Alex.* 40. Pontica legio cum fossam circuire secundo conata esset, ut aperto latere aggrederetur hostem, in ipso transitu fossae confixa et oppressa est. *Trebell. Gall.* 17. Lavit ad diem septimo aestate, vel sexto, hieme secundo vel tertio. Affertur a *Nizolio* etiam fragmentum *Cic.*, in quo *secundo* pro iterum ponitur. Semel hominem allocutus fueram: an secdo mihi redeundum esset, ignorabam. Sed haec nec apparet, unde ducta sint; et *Ciberonem* parum aut nihil capiunt, quare merito suspecta esse debent, donec certius aliquid afferatur. V. SECUNDUM.

SĒCUNDO, as, avi, atum, a. 1. *εὐτυχέω*, faveo, juvo, prospero, prosperum reddo. Verbum est fere poeticum. *Tac. A.* 2, 24. Tandem relabente aestu, et secundante vento claudae naves revertere. (Adde *Just.* 26, 3.) *Prop.* 3, 20, 14. Jam liquidum nautis aura secundat iter. *Ov. Her.* 13, 136. Blandaque compositas aura secundet aquas. *Virg. A.* 7, 259. Dii nostra incepta secundent, Auguriumque suum. *Sen. Herc. Fur.* 645. Votum secundet, qui potest, nostrum Deus. *Auson. Profess.* 19, 9. Sed nunquam jugem cursum Fortuna secundat. ℙ *Secundare visus*, somnia et visa infausta et mali ominis in bonum convertere, et efficere, ut feliciorem habeant exitum, quam minabantur. *Virg. A.* 3, 36. Rite secundarent visus, omenque levarent. *Lucan.* 1, 635. Dii visa secundent, Et fibris sit nulla fides. Adde *Sil.* 8, 124. Sic *Virg. G.* 4, 397. Expediat morbi causam, eventusque secundet. ℙ *Secundare*, accommodare. Ap. *Plaut.* ancilla heram meretricem ita alloquitur *Truc.* 4, 2, 2. Ama rem tuam: istum exinani nunc, dum isti lubet, dum habet: tempus ei rei secundes. Alii leg. *obsecundes:* alii *secundat*, h. e. tempus ei rei favet.

SĒCUNDUM, praepos. *κατὰ, παρὰ*, prope, juxta: quia quae juxta sunt, secundo statim loco sunt post illam rem, quae nominatur. *Petr. Sat.* 131. Remotis omnibus, secundum invitantem consedi. *Varr. R. R.* 1, 27. Praecidere arbores secundum terram. *Plin.* 7, 60, 60. Horologium statutum in publico secundum Rostra, in columna. ℙ Saepe de iis dicitur, quae longo tractu vicina sunt. *Cic. Att.* 16, 8. Facere iter secundum mare superum; et *Caes. B. G.* 2, 18. Secundum flumen paucae stationes equitum videbantur. *Pl. Rud.* 1, 2, 61. Quid illuc est hominum secundum litus? *Plin.* 25, 6, 31. Centaurion secundum fontes nascitur. *Id.* 7, 56, 57. Centauri habitantes secundum Pelium montem. *Id.* 31, 3, 28. Secundum puteum dextra ac sinistra fodiunt aestuaria. *Varr. R. R.* 1, 14. Facere sepes secundum vias publicas, et secundum amnes. *Id. L. L.* 6, 5. Cum leno secundum parietem transversus iret; et *ib.* 5, 3. *med.* Huic Deo sacrificatur secundum segetes. ℙ *Secundum quietem* est in ipsa quiete, h. e. in somnis. *Cic. Div.* 2, 61. Cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur. (Adde *ib.* 1, 24.) *Suet. Aug.* 94. *med.* Cujus imago secundum quietem sibi obversata sit. Adde *Petr. Sat.* 104. ℙ Significat etiam post, pone: nam qui pone sequitur, secundus est post praecedentem. *Pl. Amph.* 2, 1, 1. Age, i tu secundum. *So.* sequor, subsequor. *Id. Stich.* 3, 1, 45. Ite hac secundum vos me, *h. e.* venite vos pone me. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem. *Plaut. fragm.* ap. *Prisc.* 10, 890. Secundum ipsam aram aurum abscondidi. ℙ Item post, ratione temporis. *Cato R. R.* 114. Secundum vindemiam. *Cic. Verr.* 1, 11. *extr.* Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias: mea, ut ante binos ludos comperendinem. *Id. Or.* 1, 62 Secundum hunc diem. *Id. Att.* 3, 12. comitia. *Plin.* 19, 8, 42. aequinoctium vernum. ℙ Item post, ratione ordinis, aut qualitatis. *Cic. Off.* 2, 3. *med.* Proxime et secundum Deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 5. *extr.* Ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit paene par; et *Att.* 12, 15. Secundum te nihil est mihi amicius solitudine. *Pl. Cap.* 2, 1, 41. Nam secundum patrem tu es pater proximus. *Cic. Or.* 3, 59. *med.* et *Or.* 18. *f.* In actione secundum vocem vultus valet. *Id. Vat.* 6, Secundum ea quaero servarisne in eo fidem. *Liv.* 32, 33. Secundum haec silentium fuit. ℙ Item convenienter, ad, juxta. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent. *Cic. Fin.* 5, 9. Secundum naturam vivere. *Id. Sen.* 19. *f.* Omnia, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis, quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? *Id. Verr.* 2, 5, 63. *f.* Secundum arbitrium tuum testes dabo. *Plin.* 17, 16, 26. Cato oleam ficumque sic inseri jussit, mensura etiam praefinita secundum reliquam diligentiam suam. *Gell.* 12, 13. *med.* Secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam; et 13, 20. *f.* Secundum grammaticam legem. *Id.* 20, 1. *med.* Numerari statim, secundum duodecim tabulas, viginti et quinque asses jubebat. *Cic.* ad *Planc.* in *ep.* 5. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ea, quae consules decreverunt secundum Caesaris decreta et responsa. *Suet. Claud.* 15. Secundum eos se sentire, qui vera proposuissent. *Ter. Eun. f.* Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas. *Gell.* 1, 17. Secundum hanc sententiam quoque Varro scripsit. ℙ Item pro, ad voluntatem. *Cic. Att.* 4, 2. Nunciat populo, pontifices secundum se decrevisse: et *mox.* Multa secundum causam nostram disputavit. *Id. Verr.* 2, 2, 17. De absente secundum praesentem judicare. Sic *Suet. Claud.* 15. Absentibus secundum praesentes facillime dabat. *Tac. H.* 3, 7. Post principia belli secundum Flavianos. ℙ *Secundum* adv. secundo, iterum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 621. Animadvertendum primum, quibus de causis, et quemadmodum constituerint paces: secundum, qua fide et justitia eas coluerint. ℙ *August. de Grammat.* p. 2008. Secundo ad ordinem pertinet: secundum ad numerum: ut puta cum dico, secundo factus est consul, pertinet, ut dixi, ad ordinem, quod primo alter factus sit, et sic alter secundo: cum autem dicimus, secundum consul, vel tertium, quartum, etc. ad numerum pertinet, quod bis fuerit consul. Inde Cicero de Mario sic ait, sextum consul, id est qui sex consulatus meruit. Hoc Varro distinxit in libris numerorum. Haec *August.* V. TERTIO et QUARTO.

SĒCUNDUS, a, um, adj. *δεύτερος*, qui statim post primum est, alter: a *sequor*, qui sequitur primum. *Enn.* ap. *Cic. Att.* 7, 26. Si te secundo lumine hic offendero, *h. e.* die sequenti. *Cic. Or.* 15. *f.* Jam vero ea, quae invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. *Id. Off.* 1, 11. *f.* Secundo eum obligaret militiae sacramento, quia priore amisso, etc. *August. C. D.* 6, 3. *f.* Tres praecedentes libros ita subdivisit, ut, etc. secundos tres ita, ut, etc. *Hor. Sat.* 2, 5, 48. ut et scribare secundus Heres, etc. *Inscr.* ap. *Gud.* 153, 10. P. Aelius Maximus decurio H. et T. Aurelius Dexter secundus H. et *Fabr.* p. 358. *n.* 82. P. Aelius Aurelius her., et Julius Maximus decurio secus her., *h. e.* secundus heres; qua syncope usum fuisse Romae vulgus putat *Marin. Frat. Arv.* p. 625. *Morcellus* vero de *stil. Inscr. Lat.* T. 2. p. 93. *Secus heres* ita interpretatur: *heres*, si *secus* accidat; quod tamen longius aequo petitum videtur. V. HERES. ℙ *Secunda mensa*, poma, nuces, et cetera bellaria, quae post fercula ovorum, olerum, piscium, carnium inferuntur. *Cic. Att.* 14, 6. et 21. *extr.* Haec scripsi, apposita secunda mensa. *Cels.* 1, 2. *f.* Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. *Plin.* 9, 35, 58. Inferri mensam secundam jussit. *Id.* 19, 8, 53. Semen papaveris tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. *Id.* 16, 5, 6. Hodieque per Hispanias secundis mensis glans inseritur. *Virg. G.* 2, 101. Non ego te, Diis et mensis accepta secundis, Transierim, Rhodia. Adde *Nep. Ages.* 8. et *Mart.* 3, 50. et 5, 78. et V. MENSA. ℙ *Secundae partes*, et absolute *secundae*, secunda persona histrionum, quae minus frequenter prodit, et minora agit, quam prima, eique se submittit et inservit, patiturque in omnibus excellere: qua de re in PARS satis diximus. *Plin.* 7, 12, 10. Spinther secundarum, tertiarumque Pamphilus cognomen dedere collegio Lentuli et Metelli Coss. ℙ Translate. *Sen. Ben.* 2, 29. Diis agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri. ℙ Hinc *secundas agere:* quod translate est obsequi, assentari. *Hor. Ep.* 1, 18, 10. Alter in obsequium plus aequo pronus, etc. Ut puerum saevo credas dictata magistro Reddere, vel partes mimum tractare secundas. *Sen. Ira* 3, 8. *med.* Optimum judicavit, quidquid dixisset, sequi, et secundas agere. Addunt huc locum *Plauti As.* 2, 4, 89., sed varia ibi lectio. ℙ *Secundae, arum, τὰ δεύτερα, δευτέριον, τὰ ὕστερα*, membrana, qua fetus in utero involvitur, et post eum fere prodit: item quidquid post partum exit ex utero. *Cels.* 7, 29. *f.* Medicus trahere umbilicum debet usque ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit. (Adde *Sen. ep.* 92. *f.*) *Colum.* 7, 7. *f.* Cum effetae pecudis secundae non responderint. *Plin.* 30, 14, 43. Partus conceptos evocat membrana e canum secundis, si terram non attigerint. *Id.* 9, 13, 15. Vitulus marinus pecudum more secundas partus reddit. *Id.* 27, 4, 13. Si secundae mensesque morentur. *Id.* 20, 11, 44. Apium urinam ciet, menstrua, ac secundas partus. *Id. ib.* 6, 23. Secundas partus evocare. *Id.* 24, 16, 92. et 27, 8, 38. trahere. *Id.* 30, 14, 43. pellere. *Id.* 21, 24, 95. purgare. *Id.* 26, 15, 90. morantes extrahere; et 20, 14, 55. sedare. ℙ Est etiam *secundus*, qui deterioris est qualitatis. *Sen. ep.* 52. Egregium hoc quoque, sed secundae sortis ingenium. *Flor.* 3, 20. Servi quasi secundum hominum genus sunt. *Virg. A.* 11, 441. Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus. *Juven.* 9, 31. tenue argentum venaeque secundae. *Hor. Ep.* 1, 123. vivit siliquis et pane secundo, *h. e.* secundario. V. SECUNDARIUS. ℙ Cum inf. *Stat. Theb.* 2, 574. nec vertere cuiquam Frena secundus Halys. ℙ Ponitur etiam in laude, cum quis non quidem primus aut optimus est, sed alium proxime sequitur, et statim post eum pretium, aut dignitatem habet. *Cic. Fin.* 3, 16. Quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum. *Hirt. B. Alex.* 66. Sacerdos ejus Deae majestate, imperio, et potentia secundus a rege habetur. *Nep. Pel.* 4. *extr.* Denique haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondae, *h. e.* unus de duobus summis viris, non tamen primus, sed statim post primum. *Sen. Ben.* 5, 25. Moneri velle ac posse, secunda virtus est. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 1. Secunda nobilitas Falerno agro erat. *Id.* 36, 22, 47. Cotes Creticae diu maximam laudem habuere, secundam Laconicae. *Id.* 12, 13, 28. Secunda bonitas amomo pallido. *Hor. Od.* 1, 12, 17. de Jove: Unde nil majus generatur ipso, Nec viget quidquam simile, aut secundum. Proximos illi tamen occupavit Pallas honores, *h. e.* nihil adeo praestans est, ut statim post Jovem sit: Pallas tamen est proxima, sed longo intervallo, ut *Virg. A.* 5, 320. loquitur. ℙ *Secunda* etiam sunt, quae facile sequuntur post nos, et euntes adjuvant, feruntque: ut fluvius, ventus, currus, etc. *Virg. G.* 3, 447. (et *A.* 7, 494.) missusque secundo defluit amni. *Liv.* 29, 7. Naves mari secundo misit, *h. e.* inclinante aestu. *Cic. Planc.* 39. Cum videam navem secundis ventis cursum te-

nentem suum. (*Virg. A.* 3, 13. Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.) *Hor. Ep.* 2, 2, 201. agimur tumidis velis Aquilone secundo. *Cic. N. D.* 3, 34. Secundissimi venti. *Virg. A.* 1, 160. Flectit equos, curruque volans dat lora secundo. *Nigid.* ap. *Gell.* 2, 22. *extr.* Etesiae secundo sole flant, *h. e.* secundum solis cursum. *Id.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Cur alii pisces squama secunda, acipenser adversa sit, *h. e.* quae, si manum trahas a capite ad caudam, non adversatur. ℙ Translate est favens. *Cic. Agr.* 2, 37. Quis unquam tam secunda concione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi? *Id. Tusc.* 2, 1. *f.* Philosophia est multitudini suspecta et invisa, ut si quis velit vituperare, secundo id populo facere possit. *Id. Att.* 1, 19. *med.* Ex hac lege, secunda concionis voluntate, omnia tollebam, quae, etc. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *med.* Eum accusavi multis et secundis admurmurationibus cuncti senatus. *Hor. Sat.* 2, 8, 83. Ridetur fictis rebus, Balatrone secundo, *h. e.* applaudente, et arridente. *Liv.* 33, 46. Ut secundis auribus accipi orationem animadvertit. *Virg. A.* 5, 491. primus clamore secundo Hyrtacidae ante omnes exit locus Hippocoontis; et *ib.* 4, 45. Diis auspicibus, et Junone secunda; et *ib.* 10, 21. tumidusque secundo Marte ruat; et *ib.* 8, 302. (et *ib.* 10, 255.) Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo; et *ib.* 11, 739. dum sacra secundus haruspex Nuntiet, *h. e.* sacra secunda, et litatum esse: hypallage. *Cic. Div.* 1, 15. Auspicia quae alicui secunda evenerunt. *Liv.* 8, 12. *f.* Tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit. *Id.* 2, 38. Sedulo audientes secunda irae verba. *Suet. Caes.* 2. Reliqua militia, secundiore fama fuit: et corona civica donatus est. ℙ Item prosper, ad voluntatem nostram fluens. *Paul.* ex *Festo.* Secundae res non a numero dicuntur, sed quia, ut velimus, sequantur. *Cic. N. D.* 3, 36. *f.* Improborum prosperitates, secundaeque res. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Omnia secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur. *Cic. Sull.* 23. *extr.* Et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio permanere. *Caes. B. G.* 7, 62. Ut suae pristinae virtutis, et tot secundissimorum proeliorum memoriam tenerent; et *ib.* 2, 9. Secundiore equitum nostrorum proelio, Caesar suos in castra reduxit. *Pl. Bacch.* 3, 6, 14. Nullus est, cui non invideant rem secundam obtingere. *Virg. A.* 10, 502. Mens humana modum rebus servare secundis Nescia; et *Cic. Off.* 1, 26. Homines secundis rebus effrenati, sibique praesidentes. *Auct. ad Her.* 4, 17. Sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. *Ter. Heaut.* 2, 2, 1. Si mihi secundae res de amore meo essent. ℙ Et absolute. *Id. Andr.* 5, 6, 11. Age, me in tuis secundis respice; et *Nep. Alc.* 8. *med.* Si quid secundi evenisset. *Sen. Thyest.* 615. Nemo confidat nimium secundis. ℙ *Secundus*, paenultimus retro numerando. *Ov. Fast.* 1, 710. Haec erit a mensis fine secunda dies. ℙ Est etiam cogn. R., ut *C. Plinius Secundus*, celeberrimus scriptor, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 445, 2. Octavia Q. F. Secunda.

SĒCŪRĒ, adv. ἀμελῶς, sine cura, remisse, negligenter. *Suet. Ner.* 40. Neapoli de motu Galliarum cognovit, adeoque lente et secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem praeberet. *Plin. ep.* 1, 4. Ut mei expergiscantur aliquando, qui me secure, ac prope negligenter exspectant. *Vell.* 2, 129. *f.* Quam illum et honorate, nec secure continet! *Just.* 5, 9. Cum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur. ℙ Item sine timore, fidenter, audacter, ἀδεῶς, ἀμερίμνως. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 1. *extr.* Cui secure vivere licebat. *Just.* 5, 5. Dum agros securius populatur. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Haec fenestra subjacens mare longius quidem, sed securius intuetur. *Eum. Pan. Constant.* 16. Secure scilicet usurus exercitu, quem venales manus habere docuisset. *Id. Grat. act.* 8. Secure vovere. *Sen. ep.* 18. *med.* Securius divites erimus, si scierimus, quam non sit grave pauperes esse.

SĒCŪRICLA. V. SECURICULA.

SĒCŪRICLĀTUS, a, um, adj. securicula compactus, ut Securiclati cardines, ap. *Vitr.* 10, 15. V. v. sq. et SECURIDACA.

SĒCŪRĬCŪLA, ae, f. πελεκύδιον, parva securis, dolabella. *Plaut.* inter crepundia nominat *Rud.* 4, 4, 114. ensiculum aureolum, securiculam ancipitem. *Mart.* 14, 35. cujus lemma *Securicula:* Cum fieret tristis solvendis auctio nummis, Haec quadringentis millibus empta fuit. *Plinius* securiculam vocat, quam *Colum.* 2, 2. *f.* dolabram, nempe ferramentum ad excidendas radices in arando, ne, si vomere id fiat, boves luctando noxam contrahant. Verba *Plinii* sunt 18, 19, 49. *n.* 2. Securiculam insitivam pendere *(ab aratro)*, qua intercidantur radices. Hoc melius, quam convelli aratro, bovesque luctari. *Hard.* in suis MSS. legit *sericulam*, unde conjicit *serriculam*, ut sit eadem cum serrula minore, quam inter ferramenta rustica recenset *Pall.* 1, 43. Porro *insitiva* securicula videtur dici, quia apta est etiam findendae materiae in inserendo: sed sunt qui leg. *in stiva.* ℙ Ap. *Vitr.* 4, 7. et 10, 17. *med.* est caput ligni in modum parvae securis formatum, et alteri ligno immissum, quod eadem figura cavatum sit, ut cum eo tenacissime colligetur: πελεκυνωτόν. Quomodo a subscude differat, V. in SUBSCUS. Ap. *Vitr. cit.* 4, 7. quidam leg. *securiclis* pro *securiculis*, unde *securiclatus.*

[SĒCŪRĬCŪLĀRĬUS, ii, m. qui securiculas conficit, et vendit. *Not. Tir.* p. 64. Securis, securicula, securicularius. *F.*]

SĒCŪRĬDACA, ae, f. herba siliquas ferens securiculae similes, inter lentem nascens, et eam enecans: unde et Graeci pelecinon vocant, πελεκῖνον, a πέλεκυς, securis. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3. MSS. ap. *Hard.* habent *securiclata:* quod unice probandum.

SĒCŪRĬFER, ra, rum, adj. πελεκυφόρος, qui fert securim. *Ov. Met.* 12, 460. Helimumque, securiferumque Pyracmon.

SĒCŪRĬGER, ra, rum, adj. idem ac securifer. *Ov. Her.* 4, 117. Prima securigeras inter virtute puellas Te peperit, *h. e.* inter Amazones, quae in bello securibus utebantur. Sic *Val. Fl.* 5, 138. Securigerae catervae. *Id.* 3, 191. securigerumque Nealcen Transigit. *Sen. Oed.* 471. Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi, *h. e.* qui securi vites ceciderat. *Sil.* 16, 48. securigera miscebat proelia dextra, *h. e.* armata securi.

SĒCŪRIS, is, f. πέλεκυς, ferramentum lata acie ad modum hirundininae caudae, cujus usus lignis caedendis, cervici amputandae, item in proeliis: a *seco, as.* [*Recte! At quae sequitur originatio, pertinet ista ad *Grammaticorum* argutias.] Volunt alii esse a *semi* dimidium, et *curis* hasta: (quamvis prima in *semi* longa sit, in *curis* brevis:) quia, ut ait *Isid. Or.* 19, 19. *med.*, ex una parte acuta est, ex altera fossoria, quod si sit utrinque acuta, *bipennis* dicitur. Vel quia manubrium habet dimidio brevius, quam hasta. *Virg. A.* 7, 184. Captivi pendent currus, curvaeque secures: et *ib.* 627. subiguntque in cote secures. *Id. ib.* 12, 306. ille securi Adversi frontem mediam, mentumque reducta Disjicit; et *ib.* 11, 696. Tum validam perque arma viro, perque ossa securim Congeminat; et *ib.* 656. aeratam quatiens Tarpeja securim. *(Prisc.* 7, 758. hic legit *securem*, ut ostendat, utraque positione accusativum desinere.) *Hor. Od.* 3, 23, 12. Victima pontificum secures Cervice tinget. *Ov. Trist.* 4, 2, 5. Candidaque adducta collum percussa securi Victima. *Id. Met.* 12, 248. veluti qui candida tauri Rumpere sacrifica molitur colla securi. *Id. Fast.* 4, 649. Silva vetus, nullaque diu violata securi. *Id. Met.* 10, 373. trabs ingens saucia securi. *Virg. A.* 6, 180. Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex. *Val. Fl.* 5, 436. Texitur Argoa pinus Pagasea securi. *Catull.* 19, 3. Quercus arida, rustica confirmata securi. *Juven.* 10, 59. rotas bigarum impacta securis Caedit. *Plin.* 16, 39, 75. Scipionis classis quadragesimo die a securi navigavit, *h. e.* postquam materia in silva caesa est. Ap. *Colum.* in descriptione vinitoriae falcis 4, 25. superposita falci semiformis lunae species, securis dicitur: eaque utitur vinitor, cum ictu aliquid caedere vult. ℙ Ejus usus est et in caedendo marmore in lapicidinis. De marmore enim loquitur *Stat.*, ubi ait *Silv.* 2, 2, 87. Synnade quod moesta Phrygiae fodere secures. ℙ Erant in singulis virgarum fascibus, qui magistratibus praeferebantur, singula secures ad sumendum de reis supplicium, cum opus esset. V. FASCIS. *Liv.* 2, 5. *med.* Missi lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis caedunt, securique feriunt. *Cic. Pis.* 34. Tu Rabocentum Bessicae gentis principem securi percussisti. *Val. Max.* 4, 1. P. Valerius Poplicola invidiosum magistratus fastigium ad tolerabilem habitum deduxit, fasces securibus vacuefaciendo, et in concione populo submittendo. *Flor.* 2, 2. *med.* Securim distringere; et *ib.* 5. Strictae in principum colla secures. ℙ Hinc *secures* metonymice significant imperium populi R. ipsosque magistratus. *Caes. B. G.* 7, 77. *extr.* Finitima Gallia in provinciam redacta, securibus subjecta, perpetua premitur servitute. *Hor. carm. saec.* 53. Jam mari terraque manum potentem Medus, Albanasque timet secures. *Id. Od.* 3, 2, 19. virtus Nec sumit, aut ponit secures Arbitrio popularis aurae. *Virg. A.* 6, 825. saevumque securi Aspice Torquatum, *h. e.* Manlium Torquatum, qui consul filium securi percussit, quod contra edictum suum cum hoste extra ordinem pugnaverat, ut est ap. *Liv.* 8, 7. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 24. Quam te securim putas injecisse petitioni tuae, cum populum R. in eum metum adduxisti, ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret? *h. e.* quam magnum detrimentum: ducta metaphora a caedendis arboribus. *Id.* dixerat *ib.* 23. *med.* Atque ex omnibus illa plaga est injecta petitioni tuae, non tacente me, maxima. *Id. Planc.* 29. Quam enim illi judices graviorem potuerunt reipublicae infligere securim, quam cum illum e civitate ejecerunt? ℙ De securi Tenedia. V. TENEDIUS.

SĒCŪRĬTAS, atis, f. ἀμέλεια, vacuitas a cura, unde remissio, incuria et negligentia oritur. *Quint.* 2, 2, 6. Sit praeceptor in laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. *Id.* 6, 3, 62. Jungitur amphiboliae similitudo: ut L. Galba pilam negligenter petenti, sic, inquit, petis, tanquam Caesaris candidatus: nam illud, petis, ambiguum est, securitas similis. *Gell.* 1, 15. Videas quosdam sic scatere verbis, sine ullo judicii negotio, cum securitate multa et profunda, ut loquentes plerumque videantur loqui sese nescire. *Id.* 4, 20. In jure stans, clare nimis ac sonore oscitavit: atque inibi prope, ut plecteretur, fuit, tanquam illud indicium vagi animi foret, et allucinantis, et fluxae atque apertae securitatis. [*Vell.* 2, 118, 2. Securitas frequentissimum initium calamitatis.] ℙ Item vacuitas a cura, unde tranquillus animus, anxietatis et periculi expers, ἀσφάλεια, ἀμεριμνία, εὐθυμία. *Cic. Tusc.* 5, 14. Qui autem illam maxime optatam et expeditam securitatem (securitatem autem nunc appello vacuitatem aegritudinis, in qua vita beata posita est) habere quisquam potest, cui aut adsit, aut adesse possit multitudo malorum? (Adde *Cels.* 4, 4. *f.*) *Id. Fin.* 5, 8. *med.* Democriti securitas, quae est animi tanquam tranquillitas, quam appellant εὐθυμίαν. *Id. Off.* 1, 20. *med.* Vacandum est omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam aegritudine, et voluptate animi, et iracundia, ut tranquillitas et securitas adsit. *Val. Max.* 7, 1. *f.* Respondit, magis se probare securitate ridens tugurium, quam tristem curis et sollicitudinibus aulam. *Just.* 43, 5. Parta pace, et securitate fundata. *Plin. ep.* 7, 6. *extr.* Securitatem et otium dare alicui. *Id. ep.* 10, 60. Generis humani tutela et securitas saluti tuae innissa est. ℙ In plurali num. *Plin.* 23, 1, 23. Vinum jejunos bibere inutilissimum est curis: somno vero ac securitatibus jamdudum hoc fuit, quod, etc. ℙ Item vacuitas timoris, fidentia, audacia: in utramque partem. *Plin. jun. ep.* 6, 16. *med.* Complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: utque timorem ejus sua securitate leniret, deferri se in balineum jubet. *Plin. alter* 7, 53, 54. Operosissima securitas mortis in M. Ofilio Hilaro ab antiquis traditur. *Quint.* 6, 1, 34. Sic est habenda auctoritatis ratio, ne sit invisa securitas. *Auson. Grat. act.* 3. Aguntur gratiae imperatori indulgentissimo: docet securitas erroris humani, *h. e.* fidentia erroris humani, fore ut sibi parcat princeps, si deliquerit. ℙ Est etiam securitas rei, in qua quispiam tutus est. *Plin.* 7, 51, 52. Cum innumerabilia sint mortis signa, salutis securitatisque nulla sunt. *Id.* 28, 2, 4. Caesarem dictatorem, post unum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper, ut primum consedisset, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 112. Sicut largitiones ex publico fieri, mandata prohibent, ita ne multorum securitas subruatur, factas ante aliquantum temporis retractari non oportet, *h. e.* certus status rei familiaris. [*Tac. A.* 15, 18. frumentum in Tiberim jecit, quo securitatem annonae ostentaret. *Vell.* 2, 98, 1. Securitatis urbanae custos; et 128, 4. securitatis tutela. *Id.* 103, 4. spemque conceptam perpetuae securitatis, aeternitatisque Romani imperii. V. *Ruhnk.*] ℙ Item apocha, acceptilatio, qua securus certusque quis redditur, nihil amplius eo nomine a se petitum iri. *Ammian.* 17, 10. Susceptorum vilium more securitates accipiens pro illatis: quas si ostendisset in tempore, etc. *Sym. ep.* 10, 43. (al. 50.) *f.* Cum videretur omnibus securitatibus esse vehementior imperatoris assertio. *Ulp. Dig.* 27, 4, 1. *f.* Quod sibi debetur, consequi debet, vel ejus securitatem. ℙ Veteres *Securitatem* tanquam Deam venerabantur, eamque mulieris habitu repraesentabant hastam fere dextra gestantem, sinistra autem cubito sic arae innixam, ut genam palma sustentaret. Eidem a Praenestinis statuam dedicatam fuisse, docet *Inscr.* ap. *Grut.* 105, 6. Securitati Aug. sacrum decuriones, populusque coloniae Praenestin.

SĒCŪRUS, a, um, adj. ἀμελής, μικρολογῶν, qui sine cura est, non sollicitus, non anxius, nihili pendens, negligens, remissus. *Sen. Hipp.* 974. ad Jovem: Cur securus abes? non sollicitus Prodesse bonis, nocuisse malis? *Ov. A. Am.* 1, 639. Nec secura illos *(Deos)* similisque sopori Detinet. *Tac. Agr.* 9. Castrensis jurisdictio secura et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet; et *ib.* 26. Romanis redit animus, ac securi pro salute, de gloria certabant. *Hor. Od.* 1, 26, 3. quis sub Arcto Rex gelidae metuatur orae, Quid Tiridatem terreat, unice securus. *Tac. H.* 3, 40. *med.* Milites avidi periculorum, et dedecoris (al. *decoris*) securi. *Virg. A.* 1, 354. securus amorum Germanae. (Simile est illud *ejusd. ib.* 10, 324. Dardania stratus dextra, securus amorum, Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres, *h. e.* deposita omni amorum cura, quippe e vivis sublatus.) *Claud. in Eutrop.* 2, 52. Et ruit in vetitum damni secura libido. *Quint.* 8, 3, 51. Vitium, in quod saepe incidit etiam Cicero, securus tam parvae observationis. *Ov. Trist.* 1, 1, 49. Securus famae, liber, ire memento. *Sil.* 17, 628. Scipio securus sceptri, *h. e.* regiam dignitatem aspernatus. ℙ Item qui sine timore est, et se tutum putat: qui tranquillo est animo et quieto, ἀδεής, ἀμέριμνος. Hoc enim differunt *securus* et *tutus*, quod hic re vera est extra periculum, quamvis fortasse timeat; ille est extra timorem, quamvis fortasse in periculo sit. Hinc *Sen. ep.* 97. *f.* Tuta scelera esse possunt, secura non possunt. Eandem sententiam habet alter *Sen. Hipp.* 164. [*Plura in hanc rem dispu-

tat *Doederl.* 3, 120. sqq. — Discrimen inter *securus* et *incuriosus* *Id. ib.* hoc vidit, ut *prius* sensu subjectivo ad animum, *incuriosus* objective ad res quae tractentur, referri debeat.] ℙ Saepe tamen unum pro altero ponitur. *Cic. Att.* 12, 52. *extr.* De lingua Latina securi es animi, dices, qui talia conscribis. *Liv.* 25, 39. Hostes securi ac soluti. *Id.* 36, 41. Antiochus, Ephesi securus admodum de bello Romano erat. *Id.* 9, 22. Dictator securior ab Samnitibus agere. *Tac. H.* 4, 58. Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis solicitior, aut pro me securior. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *f.* Si legiones celeriter venerint, securos vos ab hac parte reddemus. *Plin.* 28, 9, 42. Pelles ejusdem animalis substratae securos reddunt ab eo metu somnos. *Id.* 30, 15, 51. Hirundinis rostri cinis securos praestabit a temulentia. *Inscr.* ap. *Grut.* 10, 8. Hadrianus Aug. posteros praestitit hac liberalitate securos. *Petr. Sat.* 18. Bonum animum habere eam jussi, et de utroque esse securam. *Ov. Met.* 7, 435. Quodque suis securus erat Cromyona colonus, Munus opusque tuum est, *h. e.* non timens aprum a Theseo jam occisum. *Sever. Aetn.* 9. Aurea securi quis nescit saecula regis? *h. e.* Saturni, sub quo nulla fuere bella. V. *Ov. Met.* 1, 97. ℙ Cum gen., praeter ea, quae supra allata sunt. *Ov. Met.* 12, 199. Sint tua vota licet, dixit, secura repulsae: Elige quid voveas, *h. e.* sine timore repulsae. *Stat. Th.* 12, 780. vade atra datur Supplicia, extremique tamen secure sepulcri; et *Sen. Ag.* 637. Secura metus Troica pubes Sacros gaudet tangere funes. *Virg. A.* 7, 303. Teucri optato conduntur Tibridis alveo, Securi pelagi, atque mei, *h. e.* neque timentes amplius mare, neque me Junonem infestam. *Lucan.* 8, 784. Securus veniae, *h. e.* certus se veniam obtenturum. *Sen. Herc. Oet.* 1693. et *Thyest.* 720. Sui securus, *h. e.* nihil de se timens. [*Vell.* 2, 109, 4. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam.] ℙ Interdum ponitur pro audaci, et minime timente, ubi timore aliquo opus est. *Quint.* 6, 1, 14. Iram offensio judicis facit, si reus contumax, arrogans, securus sit; et *Tac. A.* 3, 54. Leges oblivione, aut contemptu abolitae securiorem luxum fecere. *Petr. Sat.* 123. magnam nixus in hastam, Horrida securis frangebat gressibus arva. ℙ Dicitur et de rebus locisque, quae vel tuta sunt, vel securitatem praestant. *Liv.* 39, 1. Hostis velox, et repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum, aut securum esse sineret. *Petr. Sat.* 137. Quisquis habet nummos, secura naviget aura. *Tac. H.* 1, 86. Tiberis immenso auctu non modo jacentia et plana Urbis loca, sed secura ejusmodi casuum implevit. *Spart. Sev.* 18. Tripolim, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit. [*Sen. Clem.* 1, 26. non convivia secura ineant? i. e. in quibus nullus veneni timor. *Lucr.* 3, 211. secura quies: cf. v. 952. Adde 5, 83. et 6, 57. securum aevum agere. *Plin. Pan.* 62, 7. securas ac patentes domos frequentent.]

SĒCUS, n. indecl. γένος, idem quod sexus. *Sall. fragm.* ap. *Charis.* 1, 61. et *Macr. Sat.* 2, 9. et *Non.* 3, 193. Metellus magna gloria concurrentium undique, virile et muliebre secus, per vias et tecta omnium visebatur. *Sisenn.* ap. *Non. l. c.* Tum in muro, virile ac muliebre secus populi multitudine collocata. *Liv.* 26, 47. Liberorum capitum virile secus ad decem millia capta. *Pl. Rud.* 1, 2, 19. Virile secus nunquam ullum habui. *Asell.* ap. *Gell.* 2, 13. Eum, quem virile secus tum in eo tempore habebat, produci jussit. *Varr.* ap. *eund.* 3, 10. Quarta hebdomade, quod ejus virile secus futurum est, caput et spina, quae est in dorso, informatur. *Auson. Idyll.* 11, 8. Vesta, Ceres, et Juno, secus muliebre, sorores. *Id. epigr.* 70, 6. Corrupit totum qui puerile secus. Adde *Tac. A.* 4, 62. et *H.* 5, 13., *Suet. Aug.* 44., *Arnob.* 5, 165. et *Ammian.* 29, 6. Porro *virile ac muliebre secus* quarto casu absolute ponitur, ut subintelligatur κατὰ, vel *secundum.* [*Eodem usu accusativi, qui est in dictionibus: id genus omnes, id genus alii, illud horae, etc. Cf. *Ruddim.* 1. p. 128. Porro v. *Ernest.* ad *Tac. A.* 4, 62. et *H.* 5, 13. *Oudend.* ad *Suet. Aug.* 44. et *Frontin.* 1, 2, 6.] ℙ *Non. l. c.* et *Prisc.* 5, 653. docent, *sexus* esse etiam neutrius generis: et in allatis *Sallustii*, *Sisennae*, et *Plauti* locis *sexus* legunt pro *secus:* quod et in aliis exemplis ab aliis factum est. Non tamen perficiunt, ut *secus* vetus verbum non sit, et Latinum, ut saniores critici consentiunt.

SĔCUS, adv. ἄλλως, ἑτέρως, aliter. *Festus:* Secus, Valgius putat ex Graeco, quod est ἑκὰς, dictum: absurde scilicet: significat enim aperte aliter, exemplis omnium fere, qui eam vocem usurpant. *Dacerius*, et *Voss.* ita *Valgium* defendunt, ut cum ἑκὰς significet longe, eo respexerit, quod qui *secus* facit, longe ab officio recedit. Certe quidem *secus* saepe ei, quod rectum est, opponitur. [*V. infra. Difficillima est hujus verbi originatio: maxime tamen omnium repudianda nobis videtur illa a Graecis repetita origo: aliam meliorem quidem v. infra.] *Cic. Brut.* 85. *med.* Cato fuit summus et singularis vir: nemo dicet secus. *Id. Pis.* 28. Recte, an secus, nihil ad nos. *Id. Fin.* 3, 13. *extr.* Nobis aliter videtur: recte, secusne, postea. *Id. Part.* 5. C. F. Quid faciendum est contra reo? C. P. Omnia longe secus. *Id. Fam.* 4, 9. Is utitur consilio ne suorum quidem, sed suo; quod non multo secus fieret, si is rempubl. teneret, quem secuti sumus. *Id. Mil.* 10. *med.* Fit obviam Clodio hora fere undecima, aut non multo secus. Sic *Appul. Apol.* Profiteor, mihi ac fratri meo relictum a patre HS vicies, paulo secus. *Id. Met.* 1. Et cum dicto modico secus progressus, ostium accedo. ℙ Adjectivi vim habet in his. *Pl. Epid.* 2, 2, 96. Nisi quid tua secus sententia est, *h. e.* alia, diversa. *Id. Capt.* 2, 2, 23. Nec mi secus erant, quam si essem familiaris filius. *Id. Trin.* 1, 2, 93. Quid secus est, aut quid interest, dare te in manus argentum amanti homini adolescenti? *h. e.* quid est aliud. ℙ Et substantivi. *Tac. A.* 4, 5. *f.* Neque multo secus in iis virium, *h. e.* neque multa disparitas virium in auxiliis, et in legionibus. ℙ Habet post se particulas *quam*, *ac*, *atque*, praecedente negativa particula. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Mihi erit maxime curae, ne quid fiat secus, quam volumus. *Gell.* 6, 17. Ennius non longe secus dixit, quam Catullus. *Just.* 22, 8. Haud secus, quam si ab hoste capti essent, trepidavere. *Cic. Or.* 2, 6. Non dixi secus, ac sentiebam. *Hor. A. P.* 148. in medias res, Non secus ac notas, auditorem rapit. *Virg. A.* 3, 236. Haud secus, ac jussi, faciunt. *Cic. Mur.* 4. *f.* Non secus ac si meus esset frater. *Id. Or.* 3, 30. Eadem sunt membra in utrisque disputationibus, sed paulo secus a me, atque ab illo, partita ac distributa. *Sall. Jug.* 81. Solet in locis illis tempestas haud secus, atque in mari, retinere. *Virg.* saepe *non secus*, *haud secus* usurpat in similitudinibus afferendis, ut *G.* 3, 346., *A.* 11, 455. etc. *Pl. Poen.* 4, 2, 13. Bibitur, estur, quasi in popina, haud secus. ℙ Aliquando est male, contra ac par est, aut volumus. [*Hac notione ponitur, ut Gr. ἄλλως, partim antecedentibus partt. *recte*, *bene*, *beate*, al., partim absolute. Prioris dicendi generis exempla haec sunto: *Cic. Pis.* 28. Recte, an secus, nihil ad nos. *Id. Fin.* 3, 13. *extr.* Nobis aliter videtur, recte secusne postea: quae *Forc.* ab in. laudaverat. Adde *Liv.* 7, 6. perinde ut eveniret res, ita communicatos honores pro bene aut secus consulto habitura (civitas). *Plin. Pan.* 44, 8. prout bene ac (v. aut) secus cessit. *Suet. Tib.* 2. Multa multorum Claudiorum egregie merita, multa etiam secus admissa in rempubl. exstant. *Tac. A.* 13, 6. *f.* Honestis, an secus amicis uteretur. — Absolute positum hoc sensu est in his:] *Sall. Jug.* 23. *med.* Prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat; et *ib.* 27. *med.* Quod ubi secus procedit, neque quod intenderat, efficere potest, etc. *Tac. A.* 2, 80. Quamquam coepta secus cadebant. *Sall. f. Or. ad Caes.* 2. Si morbo aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, caedes oriantur? *Cic. Fam.* 3, 6. *f.* De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse. *Tac. A.* 2, 50. Interrogatus, quid de his censeret, quae de matre ejus locuta secus argueretur. Al. leg. *sequius.* *Val. Max.* 9, 11. *n.* 2. Interrogatus quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset. ℙ A *secus* videtur esse comparativum *secius*, licet quantitate primae syllabae variet: adhibetur autem fere praecedente negatione, et significat magis aliter, vel minus, ἀλλοιοτέρως. *Virg. G.* 2, 277. Indulge ordinibus: nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via limite quadret, *h. e.* sive in agro, sive in colle vitem ponas, non aliter, sed eodem modo utrobique omnis via secto limite quadret; et *ib.* 3, 367. Interea toto non secius aere ninguit, *h. e.* dum cuncta glacie adstricta sunt, non minus interea nix cadit. *Id. A.* 7, 781. Filius ardentes haud secius aequore campi Exercebat equos, *h. e.* quamvis pater ab equis distractus fuerat, non minus tamen filius equos agitabat. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 195. Perdit imbecillitas tua me, quo secius me colligam, *h. e.* quo minus. Sic *Auct. ad Her.* 1, 12. Impedimento est, quo secius lex feratur. ℙ Cum ablativis comparativorum. *Pl. Capt.* 2, 3, 57. Nam si servus meus esses, nihilo secius mihi obsequiosus semper fuisti. *Id. Men.* 5, 7, 57. Haec nihilo mihi esse videntur secius, quam somnia. *Suet. Ner.* 42. Actum de se pronunciavit: nec eo secius quidquam ex consuetudine luxus atque desidiae omisit, *h. e.* et nihilominus de luxu nihil imminuit. *Ter. Andr.* 3, 2, 27. Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium. Ap. *Appul.*, si sana est lectio, *nihil secius* pro *nihilo* habetur, *Met.* 3. Nihil secius, quam una de ceteris statuis. ℙ Significat etiam magis aliter quam oportet, pejus, sequius. *Pl. Cist.* 4, 2, 24. Sed memet moror, cum hoc ago secius, *h. e.* remissius, segnius. ℙ Pro *secius* scribitur etiam *sequius.* *Afran.* ap. *Charis. l. c.* Sin id quod non spero, ratio talis sequius ceciderit. *Caes. B. C.* 2, 7. *extr.* Massilienses nihilo sequius defensionem parare. ℙ *Sectius* etiam pro *secius* scriptum est: utrumque a *seco* duci, qua significat sequi: *sequius* autem a *sequor* censet *Palm.*, et de his multa subtiliter disserit in *Spicileg. Lampad. crit. p. m.* 4, 676. [*Eandem sententiam profert *Zumpt. Gr. L.* §. 283. p. 255. ita ut *secus* proprie dicatur de illo, quod sequitur, cedit, minus est pretio; hincque orta sit notio, qua pro *male* usurpetur. Cui sententiae inservire videntur ea, in quibus *secus synon.* est praepos. *secundum.*] ℙ Denique *secus* est apud, juxta, secundum, πλησίον, cum quarto casu: de qua significatione *Charis.* 1, 61. haec habet: Ceterum id quod vulgus usurpat, secus illum sedi, hoc est secundum illum, et novum, et sordidum est. *Plin.* tamen 24, 15, 85. Chamaeleuce nascitur secus fluvios. Ita edition. vet. ann. 1469. 1470. et 1472. et *Hard.* Al. leg. *secundum.* Similiter *Quint.* 8, 2, 20. Conductus est caecus secus viam stare. Est qui *secundum* legit. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 211. *n.* 533. Aedificia, quae sunt juncta ex utraque parte secus viam. Alia ap. *Grut.* 806, 5. Ipsa sibi se viva secus conjugem suum F. C. Adde *Cat. R. R.* 21. et V. UTRINQUESECUS. [*Stat pro hac dicendi formula, qua *secus* locum praepositionis vindicet, ex recentt. imprimis *Ramsh.* in *Gr. Lat.* §. 137. 2. p. 408. ita rem explicans, ut *secus*, antiquissimi temporis vocabulum, remansisse communis vitae sermoni contendat, laudatis, praeter alia a *Nostro* commemorata, *Lactant.*, qui 1, 11, 34. ex *Ennio* haec aff. *quae secus mare essent;* et *inscr.* ap. *Grut.* 201, 2. *secus* piscinam. In *Quint. l. l.* optim. cdd. *secundum* habent. Hinc *Spalding.* contra pugnat cum aliis, quorum nomina habes ap. *Ruddim.* 2. p. 332. ℙ Confund. in codd. saepissime *secus* et *segnius:* quorum posterius tum praeferendum censet *Brem.* ad *Nep. Milt.* 2, 4. quum de strenuitate, industria, virtumque intentione sermo sit: *secus* minus gravem continere notionem.]

*SECUSSES, ium, populi Istriae. *Plin.* 3, 20. Illustres a Pola ad Tergestis regionem Secusses etc. *B. A.*

SĔCŪTĬO, onis, f. actus sequendi, appetitio. *August. Mor. Eccles. Cath.* 1, 11. Secutio Dei beatitatis appetitus est, consecutio autem ipsa beatitas. Quidam addunt *Gell.* 18, 9. *f.*, sed ibi *sectio* est. ℙ Scribitur et *sequutio.*

SĔCŪTOR et Sequutor, oris, m. ἀκόλουθος, qui sequitur, sectator, assecla. *Appul. Met.* 9. Acerrimum relinquens uxori secutorem, *h. e.* custodem, qui illam ubique sequatur. *Id. ib.* 4. Quem prioris exemplo sepulturae traditum, bonum secutorem Lamacho dedimus. ℙ Posteriore hoc loco respicit *Appul.* ad genus illud gladiatorum, qui cum retiariis committebantur: iidemque erant ac mirmillones, ut in RETIARIUS dictum est. Alii putant secutorem fuisse, qui, altero ex duobus gladiatoribus interfecto, succedebat pugnae: et suppositicius dicitur a *Mart.* 5, 24., et tertiarius, ἔφεδρος, in *Gloss. Philox.;* supponebatur enim in locum occisi, et tertius post illum pugnam iniens sequebatur. *Cic. Att.* 7, 14. Secutorum in ludo quingenti fuere. *Juven.* 8, 209. Ergo ignominiam graviorem pertulit omni Vulnere, cum Graccho jussus pugnare secutor. [*Cf. *cl. Cic.*] ℙ *Secutor tribuni* in *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 9. et 521, 8. et 561, 11. videtur fuisse qui in militia tribunum sectabatur in spem promotionis. ℙ *Secutor* fuit etiam titulus Martis. *Appul. Met.* 7. [*p. 466. *Oudend.*] Praelectum grandem hircum Marti Secutori Comitique victimant, *h. e.* custodi et sodali; hic enim sermo est de latronibus, quibus mos erat Marti sacrificare, ut illum sibi propitium redderent.

[SĔCŪTŌRĬUS, a, um, adj. qui aliquid sequitur. *Cajus Instit.* 4. (ed. *Goesch.*) §. 166. Si apud adversarium meum possessio est, quia is fructus licitatione vicit, nisi restituat mihi possessionem, Cascelliano, sive secutorio judicio condemnatur; et §. 169. Dicitur autem et hoc judicium secutorium, quod sequitur sponsionis victoriam. *F.*]

SĔCŪTŪLĒĬUS, a, um, adj. qui sequitur. Mulier secutuleia, ap. *Petr. Sat.* 81. *Burm. f.* est ea, quae virum appetit, et sectatur.

SED, ἀλλὰ, at, verum: conjunctio adversativa, et discretiva: ponitur enim cum vel contrarium aliquid subjicimus, vel separatum, aut dissimile. [*Hinc vehementer errant, qui *autem* et *sed* promiscue usurpari dicunt. Hoc separat et removet, illud componit et continuat. V. *Hand. Tursell.* p. 659. — *Verum* et *sed* ita differre docet *Ramsh. Gr. Lat.* §. 190. p. 831. ut hoc rem vere praesentem, exsistentem, illud cogitationem rei significet.] Est a *sedum* per apoc.; nam sedum dixerunt antiqui pro *sed*, si credimus *Charis.* 1, 87. et *Mar. Victor.* 1, 2458. Ipsum autem *sedum* quam notationem habeat, haud facile dixeris. *Ter. Andr.* 3, 3, 14. Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube: sed si ex ea re plus mali est, quam commodi utrique, id te oro, in commune ut consulas; et 3, 4, 8. Non fuerant nuptiae futurae: sed ea gratia simulavi, vos ut pertentarem. *Cic. Acad.* 4, 20. Nec tamen ego is sum, qui nihil opiner: sed quaerimus de sapiente. *Id. Rab. perd.* 4. Quae non modo hujus libertatis non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii; sed Tarquinii superbissimi regis. *Nep. Paus.* 1. Pausanias magnus homo, sed varius in omni genere vitae fuit. *Cic. Att.* 1, 18. Hi non sunt permolesti: sed tamen insident, et urgent. *Id. Fam.* 13, 71. Sed tamen etsi omnium causa velle debeo; tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. *Id. Cluent.* 6. *med.* Quae Cluentius hoc tempore sileret omnia,

atque ea si oblivione non posset, tamen taciturnitate sua tecta esse pateretur: sed ea *(mater)* vero sic agit, ut prorsus reticere nullo modo possit. *Id. Verr.* 2, 5, 6. O praeclarum imperatorem! nec jam cum M'. Aquilio, sed vero cum Paulis, Scipionibus conferendum. *Pl. Rud.* 2, 5, 14. Apponam urnam ego hanc in media via. Sed autem quid, si hanc abstulerit quispiam? *Virg. A.* 1, 21. hoc regnum Dea gentibus esse, Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque. Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat, etc. *Liv.* 45, 19. *med.* Sed enimvero cum detestabilis altera res, et proxima parricidio sit, etc. *Ov. Pont.* 2, 2, 126. Adde sed et proprias in mea verba preces. [*Ita post secundum enunciati vocabulum nonnisi a poetis solet collocari particula sed. V. *Ramsh.* §. 190. p. 831. ℙ Omittitur *sed* praeced. negatione: quibus in locis collocatione vocabulorum ita augetur ratio oppositorum, ut se majore quadam vi sententiae excipiant. Exempla haec sunto: *Cic. Inv.* 1, 41. Quae pertinere ad dicendum putamus, ea nos commodius, quam ceteros, attendisse, non affirmamus; perquisitius et diligentius conscripsisse pollicemur. *Sall. Cat.* 52, 6. Non agitur de vectigalibus, neque de sociorum injuriis; libertas et anima nostra in dubio est; et *ib.* §. 29. non votis auxilia deorum parantur; vigilando, agendo prospera omnia cedunt. *Jug.* 10, 4. amicos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio et fide pariuntur. *Liv.* 1, 25. nec his, nec illis periculum suum; publicum imperium servitiumque obversatur animo. V. *Ramsh. l. l.* et *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 35, 2. 58, 14.] ℙ *Sed etiam* post *non solum* [*non modo] frequentissimum est. *Caes. B. G.* 1, 12. *f.* Qua in re Caesar non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est. [*Cic. Tusc.* 4, 19. Peripatetici perturbationes non modo naturales esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas. — Dicitur etiam *non solum, non modo*, et, quod rarius occurrit, *non tantum, sed quoque. Liv.* 2, 11. ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compelleretur. *(Cic. Fam.* 4, 8. ut me non solum omnia debere tua causa, quae possim, sed ea quoque etiam, quae non possim, putem.) *Liv.* 2, 34. non modo — sed quoque; et 1, 49. neque modo — sed quoque. *Id.* 1, 25. non motus tantum — sed vulnera quoque: cf. *Phaedr.* 1, 20. pr. Plura v. ap. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 190. *B.* et *C.*] ℙ Interdum *etiam* omittitur. *Cic. Fam.* 1, 6. Qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed praefuit. *Liv.* 3, 17. Tantum hostium non solum intra muros est, sed in arce supra forum, curiamque. [*At differunt *non solum, sed*, et *sed etiam*. V. quae de hoc dicendi genere, et aliis huc pertinentibus notavimus in *non.*] ℙ *Sed etiam* interdum subjicitur, non praeposito *non modo:* qua ratione *sed* pro *immo* ponitur. *Cic. Att.* 3, 15. *med.* Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit. *Id. ib.* 4, 16. *med.* Amisimus, mi Pomponi, omnem succum ac sanguinem, sed etiam faciem pristinam civitatis; et *ib.* 10, 16. *f.* Tu quoniam quartana cares, et novum morbum removisti, sed etiam gravedinem. *Id. Phil.* 13, 8. In sinu avarissimae, sed etiam crudelissimae uxoris delectos legionis Martiae centuriones trucidavit. *Auct. ad Her.* 4, 14. Ut cum idem verbum crebrius ponatur, non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat. Queritur *P. Victorius* in vulgatis libris haec esse corrupta, et *non modo*, aut *nedum* insertum esse ab iis, qui hanc loquendi rationem non intelligebant: quae tamen in antiquioribus MSS. constanter legitur: ductaque est a Graecis, qui *ἀλλὰ* subjiciunt, non praeposito *οὐ μόνον*, firmatque id auctoritate *Aristot.* et *Simplicii*, ut videre est in ejus castigationibus *ad cit. l.* 3. *ad Att.* Adstipulantur *Victorio Budaeus* in *Comment. linguae Graecae*, et *Gronov.* ad *cit. l.* 4. *ad Her.* Allatis autem exemplis addi potest *Cic. Off.* 2, 20. *med.* Neque vero verbis auget suum munus, sed etiam extenuat. Alii omitt. *etiam.* [*Ex locis, quos *Noster* hic laudavit, unicus est certus *Att.* 10, 16. *f.*, ubi *Orell. non modo* vel a *Cic.* ipso, vel, quum per compendium scribi coeptum esset, a librariis omissum esse contendit. In reliquis lectio dubia et *Orell. non modo*, vel *non solum* exhibet. — Aliud *Ciceronis* quidem certum exemplum hoc esto: *Fam.* 13, 64. *f.* Hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum praeclarissime posueris, sed mihi etiam praeclarissime feceris. Ceterum, quod notavimus in v. *non*, assentimur *Matth.* ad *Cic. Mur.* 3, 8. ita de hac re praecipienti, ut *non* omitti posse neget, ubi singulae voces sibi opponantur, ad quas particulae *non — sed* proprie pertineant.] ℙ Pro immo videtur usurpari, vel simili augendi significatione in his quoque: *Val. Fl.* 5, 391. in te animos, sed et omnia nostra repono. [*Amat imprimis *Suet.* hanc structuram. Cf. *Caes.* 9. *Aug.* 31. *Tib.* 61. *Cal.* 16. *Oth.* 10.] *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Q. Volusium, certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem, misi in Cyprum. *Pl. Rud.* 3, 5, 19. Curriculo affer duas clavas. *La.* clavas? *Dae.* sed probas, propera cito. *Phaedr.* 4, 17. Odore canibus anum, sed multo, replent. *Mart.* 3, 24. Ut cito testiculos, sed acuta, falce secaret. Al. leg. *peracuta.* [*Nimirum adhibetur *sed* non solum, ubi totum, quod in praecedente orationis membro positum est, negatur, i. e. in rebus mere contrariis, verum ita quoque, ut vel ex angustiore sententia gradationem, vel ex latius patente in angustiorem magisque circumscriptam transitionem faciat. Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 13.] ℙ Praeterea inservit resumendae orationi loco v. *inquam*, aut *igitur. Cic. Or.* 3, 12. Equidem cum audio socrum meam Laeliam, (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi videar audire; et *ib.* 19. Quare si hac eloquentia, atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat aut negare, etc. si satis esse putatis ea discere, quae, etc. sed si his contenti estis, oratorem in exiguum sane gyrum compellitis. *Id. Att.* 7, 1. Videre mihi videor tantam dimicationem, nisi idem Deus, qui nos Parthico bello liberavit, respexerit rempublicam: sed tantam, quanta nunquam fuit. Adde *Q. Fr.* 2, 3. et *Fam.* 9, 16. et *Plin. ep.* 5, 3. [*Eadem ratione positum est ap. *Sall. Cat.* 23. *in.* Sed in ea conjuratione fuit Q. Curius: ubi v. *Kritz.*, qui laudat *Goerenz.* ad *Cic. Legg.* 2, 23, 58. et *Fin.* 4, 16, 45. Cf. *Zumpt.* §. 736. p. 551.] ℙ Item continuandae, et transitionem significat ad mentionem rei dissimilis. *Ter. Phorm.* 1, 4, 3. Sed quis hic est senex, quem video in ultima platea? *Cic. Brut.* 8. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. *Id. Acad.* 4, 12. Sed de perceptione hactenus. *Colum.* 1, 7. Sed nec dominus in unaquaque re, cui colonum obligaverit, tenax esse juris sui debet; et *ib.* 6. *med.* Sed et lacubus distinguuntur granaria, ut separatim quaeque legumina ponantur. *Cic. Arch.* 3. *med.* Sed enim hoc fuit non solum ingenii ac litterarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut, etc. Al. leg. *sed etiam.* ℙ Adhibetur in concessionibus. *Cic. Lig.* 12. Sed ierit ad bellum: discesserit non a te solum, verum etiam a fratribus. Adde *Acad.* 4, 24. ℙ Item in objectione et anthypophora. *Id. Phil.* 12, 11. Sed effugi insidias, perrupi Apenninum: nempe in Antonii congressum colloquiumque veniendum est. ℙ Item in correctione. *Id. Acad.* 1, 4. *f.* Sed quid ago? inquit, aut sumne sanus, qui haec vos doceo? ℙ Elegans est ejus repetitio, qua multa vis additur orationi. *Ov. Met.* 5, 16. Quam tibi non Perseus, verum si quaeris, ademit; Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon, Sed quae visceribus veniebat bellua ponto Exsaturanda meis; et *ib.* 506. Illa quidem tristis, nec adhuc interrita vultu: Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi: Sed tamen inferni pollens matrona tyranni. *Val. Fl.* 4, 603. femineas nec tu nunc crede catervas, Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo. Adde *Ov. Met.* 6, 611. et *ib.* 7, 718. ℙ *Sed* pro *se*, h. e. sine, V. in SE. ℙ [*Conf. *sed* et *et. Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 119. 186. — *Sed* et *sit. Id. ib.* 2. p. 404. — *Sed et-tiam* et *verum etiam. Id. ib.* 2. p. 83.]

SĔDĀMEN, inis, n. sedatio, quies. *Sen. Hipp.* 1188. O mors amoris una sedamen mali.

SĔDĀTĒ, adv. *ἡρεμαίως*, tranquille, constanter, absque ulla commotione. *Cic. Tusc.* 2, 24. Placide et sedate dolorem ferre; et *ib.* 20. Non constanter et sedate feres? *Id. Or.* 27. Cum sedate placideque loquitur. *Pl. Men.* 5, 6, 16. Heri imperium exsequor bene, et sedate servio, *h. e.* aequo et libenti animo. *Ammian.* 25, 1. Sedatius procedere.

SĔDĀTĬO, onis, f. *ἠρέμησις*, tranquillitas, quies, moderatio. *Cic. Off.* 1, 27. In qua verecundia, et quasi quidam ornatus vitae, temperantia, et modestia, omnisque sedatio perturbationum animi, et rerum modus cernitur. *Id. Tusc.* 3, 27. Ut apud Homerum quotidianae neces, interitusque multorum, sedationem moerendi afferunt. *Id. Fin.* 1, 19. *f.* Sedatio animi.

SĔDĀTOR, oris, m. *Arnob.* 3, 115. Sedator militaris insaniae.

SĔDĀTUS, a, um, part. a *sedo: πεπαυμένος, ἤρεμος, ἥσυχος, ἡσυχαῖος*, placatus, tranquillus, quietus, minime praeceps. *Suet. Oth.* 11. Sedata sitis gelidae aquae potione. *Caes. B. C.* 3, 18. Sedatus tumultus. *Nep. Dat.* 9. Sedatum bellum. *Cic. Cluent.* 37. Paulo sedatiore tempore est accusatus. *Id. Inv.* 2, 51. Sedati fluctus. *Virg. A.* 9, 30. amnes. *Ov. Met.* 15, 349. venti. *Liv.* 25, 37. *f.* Contemptim et sedato gradu in castra abeunt. ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Att.* 8, 3. *extr.* Sedatiore animo scribere. *Virg. A.* 12, 18. Olli sedato respondit corde Latinus. *Hor. Ep.* 1, 18, 89. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi, Sedatum celeres. *Stat. Th.* 12, 514. Vix ibi sedatis requierunt pectora curis. *Pl. Merc.* 5, 4, 1. Ad patrem ibo, ut matris iram sibi sedatam esse sciat. *Id. Amph.* 2, 2, 210. Non ego illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur, sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem. ℙ Interdum ad orationem et vocem. *Cic. Or.* 52. *f.* Est enim ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. *Auct. ad Her.* 3, 14. Sermo cum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima et depressissima voce uti conveniet. ℙ *Sedatus* fuit etiam nomen numinis apud veteres Romanos. *Inscr.* ap. *Mur.* 1986, 11. Sedato Aug. Sac. P. Raconius aedem et aram D. D. Adde aliam ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4972.

SEDDA pro *sella* dictum fuit ab antiquis, teste *Scaur. de Orthogr.* p. 2252.

SĔDĒCENNIS et Sexdecennis, e, adj. sedecim annos habens. In *lemmate epitaphii* ap. *Auson.* 32. Sedecennis matrona.

SĔDĒCIĒS, adv. *ἑκκαιδεκάκις. Plin.* 6, 29, 35. Sedecies centena millia. Al. leg. *sexdecies. Rutil. Itin.* 1, 135. Quamvis sedecies denis et mille peractis, Annus praeterea jam tibi nonus eat, *h. e.* quamvis annus millesimus centesimus sexagesimus nonus tibi, Roma, vertatur, qui est annus a Chr. n. CCCCXVI.

SĔDĔCIM et Sexdecim, adv. *ἑκκαίδεκα, δεκαέξ. Plin.* 10, 33, 51. Sedecim annos durare existimatur. *Ter. Eun.* 3, 3, 20. Annos nata est sedecim. *Liv.* 37, 40. Sexdecim elephanti. ℙ Integrum et divisum. *Cic. Cluent.* 27. Sententiis decem et sex absolutio confici poterat.

SĔDĔCŬLA, ae, f. *θρανίδιον*, parva sedes, sellula: diminut. a *sedes*, ut *vulpecula* a *vulpes*, *plebecula* a *plebes*, etc. *Cic. Att.* 4, 10. Malo in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli. Alii scrib. *sedicula:* nam et *Paul.* ex *Festo:* Sediculum, sedile.

SĔDENS, entis, part. a *sedeo. Cic. Verr.* 2, 5, 10. *extr.* Ut eum nemo unquam in equo sedentem videret. ℙ *Sedens lactuca*, eadem ac sessilis. *Mart.* 10, 48. In quibus est lactuca sedens, et sectile porrum. V. SESSILIS.

SĔDENTĀRĬUS, a, um, adj. *ἑδραῖος*, qui sedendo fit, ut Opus sedentarium. *Colum.* 12, 3. *med.* Neque enim sedentaria ejus opera, sed modo ad telam debebit accedere, modo eos qui cibum familiae conficiunt, invisere. *Pl. Aul.* 3, 5, 39. Propolae, linteones, calceolarii, sedentarii sutores, diabathrarii, etc. *Plin. Pan.* 76. Ceteri *(senatores)* defixi et attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem perpetiebantur. *Appul. Met.* 1. Ut fatigationem sedentariam discuterem. V. VEGETATIO.

SĔDĔO, es, ēdi, sessum, n. 2. *κάθημαι*, humi, vel in sella, vel equo natibus insisto, assideo, considεo: ab *ἑδῶ* pro *ἕζομαι. Virg. Ecl.* 10, 71. Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco. *Hor. A. P.* 154. Si plausoris eges aulaea manentis, et usque Sessuri, donec, etc. *Phaedr.* 5, 5. Et derisuri, non spectaturi sedent. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Herennium Gallum histrionem in quatuordecim sessum deduxit. V. QUATUORDECIM. *Cic. Div.* 1, 46. Cum virgo staret, et Caecilia in sella sederet. *Phaedr.* 3, 6. Istum timeo, sella qui prima sedens, etc. *Cic. Fin.* 2, 21. *f.* Ornatu regali in solio sedens. *Gell.* 10, 25. Sedentes in rheda. *Liv.* 1, 41. Ei carpento sedenti aquila pileum aufert. *Cic. Verr.* 2, 5, 41. *med.* Eum vident sedere ad latus praetoris. *Id. fr.* ap. *Diomed.* 1, 405. Proxime Pompejum sedebam. *Mart.* 4, 30. Bajanos sedet ad lacus rogator. *Quint.* 12, 3, 4. Sedere ad arculas. [*V. *Buttm.*] *Ov. A. Am.* 1, 139. Proximus a domina, nulla prohibente, sedeto. *Id. Trist.* 4, 2, 44. Sedere sub pede alicujus. *Id. Fast.* 2, 255. sub arbore; et *ib.* 3, 749. tergo aselli. *Mart.* 5, 38. et 11, 105. equo. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. *extr.* in equo. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 22. in leone; et 36, 5, 4. *n.* 7. supra delphinos. *Petr. Sat.* 17. super torum. *Ov. Met.* 4, 261. humo nuda. *Id. A. Am.* 1, 497. theatro. *Id. Met.* 1, 293. cymba; et *Fast.* 6, 471. Navita puppe sedens. ℙ Cum accusativo, si de equitando sermo sit, ut *sedere equum.* Hinc passive *Spart. Hadr.* 22. Sederi equos in civitatibus non sivit. *Solin.* 45. de bucephalo: Cum ab equario suo alias etiam molliter sederetur. *Veg. Vet.* 1, 56. *med.* Si saepius, et cum moderatione animalia sedeantur. *Impp. Valent. et Valens, Cod. Theod.* 9, 30, 3. Sedendorum equorum potestatem alicui dare. ℙ Passive impersonaliter. *Gell.* 2, 2. Cum in domestica re atque vita sedeatur. ℙ Est proprium judicum [et consiliariorum judicis praetorisve, *F.* *et advocatorum partium.] *Cic. Cluent.* 38. Si quis quaereret, sedissentne judices in C. Fabricium, sedisse se dicerent. *Liv.* 40, 8. Sedeo miserrimus pater judex inter duos filios, accusatorem parricidii et reum. *Ov. Pont.* 3, 5, 23. sedissem forsitan unus De centum judex in tua verba viris. *Prop.* 3, 17, 27. Minos sedet arbiter Orci. *Cic. Cluent.* 37. Cum paucos dies ex subsortitione sedisset. *Sen. Herc. Fur.* 731. Non unus alta sede Quaestor sedens, Judicia trepidis sera sortitur reis. *Plin. ep.* 1, 10. *med.* Sedere pro tribunali. [*Cic. Or.* 1, 57. Nobis in tribunali Q. Pompeji praetoris urbani, familiaris nostri, sedentibus. *F.*] [*Praeterea *Bail.* ex *Ernestii cl. Cic.* haec habet: *Id. Rosc. Com.* 4. Utinam sederet in consilio C. Pisonis. Adde *Fam.* 1, 9. *Or.* 2, 47. ℙ Item magistratuum, cum pro rostris in suggestu sedent, in sella curuli aliis dicentibus, legem ferentibus, suadentibus; aut in tribunali vel jus dicunt, vel quaestioni praesunt. *Cic. Red. in Sen.* 5. Quo sedente trib. pl. tulit. *Sext.* 15. Sedentibus consulibus. *Brut.* 43. Scaevola tri-

buno in rostris sedente, suasit Serviliam legem Crassus. ℙ Sedere etiam dicuntur, qui in tabernis, aut locis publicis, merces vendunt. *Cic. Verr.* 2, 3, 62. Albam Aemilium sedentem in faucibus macelli loqui palam. — At *Schütz.* in *cl. Cic.* monet, Albam Aemilium istum neque mercatorem, neque senatorem fuisse, sed hominem vilem et scurram, etc. ℙ *Sedentes* opponuntur dicentibus, quum in senatu tum in judiciis. *Cic. Fam.* 5, 2. sedens iis assensi. *Id. Rosc. Am.* 1. quum tot summi senatores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim. *Ern. cl. Cic.* ℙ *Sedentes* etiam dicere solebant, et quidem in minoribus rebus. *Quint.* 11, 1, 44. rideaturque merito, qui apud disceptatorem de re levissima sedens dicturus cet.: ubi *Spald.* laudat *ejusd.* 11, 3, 134. 135. et *Plin. ep.* 2, 19, 3.] ℙ Item orantium, supplicum, vota solventium, praesertim muliercularum: has enim humi considere mos fuit. *Tibull.* 1, 3, 29. Ut mea votivas persolvens Delia noctes, Ante sacras lino tecta fores sedeat. *Prop.* 2, 21, 45. Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit, Narrabitque sedens longa pericla sua. *Ov. Pont.* 1, 1, 51. Vidi ego linigerae numen violasse fatentem Isidis, Isiacos ante sedere focos. *Id. Am.* 2, 13, 17. Saepe tibi sedit certis operata diebus. Adde *A. Am.* 3, 635., *Virg. A.* 2, 517. et 574, *Macr. Sat.* 1, 10. *f.* et *Jul. Obsequent. de prodig.* 71. item 72., ubi non tantum mulieres, sed populus circa sacella operaturus sedisse legitur. Quin et ipse *Tibull.* de se loquens 2, 7, 15. Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo; et *Virg. A.* 9, 3. luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat. Quod tamen *Servius* de capiente consilium, aut augurium captante intelligit. Adde *Nep. Paus.* 4. *f.* ℙ Item exercitus contra hostem tendentis, aut urbem obsidentis. *Pl. Amph.* 2, 1, 52. Dum apud hostes sedimus. *Cato* ap. *Charis.* 2, 197. Hostium copiae magnae contra me sedebant. *Liv.* 2, 12. Sedendo expugnaturum se urbem, spem habebat. *Val. Max.* 7, 4. *n.* 5. *extr.* Ad ultimam ei senectutem apud moenia Contrebiae armato sedendum foret. Adde *Nep. Dat.* 8. et *Lucan.* 2, 474. Hinc *obsideo, assideo,* etc. ℙ Item gubernatoris clavum tenentis. *Cic. Rosc. Am.* 18. Clarissimi homines, qui ad gubernacula reipublicae sedere debebant. ℙ Et consultantium. *Pl. Most.* 5, 1, 53. Est consulere quiddam quod tecum volo. *Tra.* Sic tamen hinc consilium dedero: nimio plus sapio sedens. *Varr. R. R.* 1, 2. Vetus proverbium, Romanus sedendo vincit. ℙ Dicitur etiam de avibus alicubi se locantibus. *Quint.* 2, 4, 18. Super caput Valerii pugnantis sedisse corvum. *Plin.* 9, 51, 74. Polypus femina modo in ovis sedet, modo, etc. *h. e.* incubat. *Virg. A.* 6, 191. coelo *(columbae)* venere volantes, Et viridi sedere solo. *Ov. Am.* 3, 5, 23. de cornice: in viridi garrula sedit humo. *Id. Met.* 6, 431. tectoque profanus Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit. *Phaedr.* 3, 6. Musca in temone sedit. [*Emendavit hujus §. ordinem *F.*] ℙ Metonymice est manere, cessare, otiosum esse. *Cic. Fam.* 16, 7. Qui venti si essent, nos Corcyrae non sederemus. *Id. Att.* 12, 44. Quid enim sedere totos dies in villa ista? *Hor. Ep.* 1, 17, 37. Sedit, qui metuit, ne non succederet. *Virg. G.* 3, 456. aut meliora Deus sedet omnia poscens. *Sen. Tro.* 211. fugere bellum jussus, et longa sedens Aevum senecta degere. *Sil.* 14, 265. Non Herbesos iners, non Naluocha pigra pericli Sederunt. *Id.* 10, 598. Dura inter pavidos alitur fortuna sedendo. ℙ Hinc de his, qui alicubi sedem, et domicilium figunt. *Flor.* 2, 11. Galli, qui Orientem secuti, in media Asiae parte sederunt. *Sil.* 3, 560. et quando terrasque fretumque Emensis sedisse dabis? [*Nep. Praef.* 7. (de matrefamilias) neque sedet, nisi in interiore parte aedium, quae etc. ubi *Brem.* docet, *sedere* positum esse cum notione recessus, remotionis, solitudinis, ut Gr. ἧσθαι. Alias *sedere* et καθῆσθαι, cum de matrefamilias usurp., significare dignitatem et decorem: coll. *Ruhnk. Ep. Crit.* II. p. 159. ℙ Dicitur *sedere* eleganter etiam de virgine, quae conditionem exspectat. *Ter. Ad.* 4, 5, 38. an sedere oportuit Domi virginem tam grandem dum cognatus huc Illinc veniret exspectantem? ubi *Ruhnk.* comp. *Appul. Apol.* p. 92. ibique *Casaub.*] ℙ Translate est insidere, inhaerere, imprimi. *Quint.* 11, 3, 49. Vox firma, clara, pura, secans aera, auribus sedens. [*Spald.* ad naturalem vocis habitum refert, ut quae facile possit exaudiri, et in aures imas penetret nec quasi ad earum modo fores accidat.] *Sen. ep.* 2. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velit aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. *Stat. Th.* 12, 114. unum Polynicis amati Nomen in ore sedet. ℙ *Sedere* dicitur, quod probatur, et postquam saepius cogitavimus, tandem decretum et constitutum est. *Plin.* 2, 7, 5. Sedere coepit sententia haec, et vulgus in eam cursu vadit. *Quint. decl.* 17. *f.* Quaecumque sederit conditio leti. [*Flor.* 2, 15. Cum bellum sederet, i. e. cum belli gerendi captum consilium esset. *Bail.*] *Val. Fl.* 7, 427. occumbere tandem Possumus: idque sedet, quam non quaecumque subire Patris jussa tui. *Virg. A.* 5, 418. Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes. *Id. ib.* 4, 15. Si mihi non animo fixum immotumque sederet, Ne cui me vinclo vellem sociare jugali, etc. *Sen. Phoen.* 141. hoc animo sedet, Effundere hanc cum morte luctantem diu Animam. *Val. Fl.* 2, 383. Si sedet Aegaei scopulos habitare profundi. (Adde *Stat. Th.* 1, 324.) *Ov. Her.* 2, 75. De tanta rerum turba factisque parentis, Sedit in ingenio Cressa relicta tuo, *h. e.* placuit et infixa est, ut recordarere ad imitandum. Adde *Sil.* 15, 352. Huc pertinet illud *Senecae ep.* 46. *f.* De libro tuo plura scribam, cum illum retractavero: nunc vero parum mihi sedet judicium, *h. e.* nondum statui, quid sentiam, sed mens incerta adhuc dubitat. ℙ Res inanimae *sedere* dicuntur, quae apte consistunt, haerent, manent. *Mart.* 9, 39. Non tamen efficies, ut tibi parma cadat. Nolentem sequitur: tenuesque reversa per auras, Vel pede, vel tergo, clune, vel ungue sedet; et *Colum.* 4, 29. *f.* Plaga laevis relinquitur, quae facilius omni parte sedentem surculum contingat, nulla interveniente lanugine. *Flor.* 4, 2. Cujus in scuto centum atque viginti tela sedere. *Ov. Am.* 1, 2, 2. neque in lecto pallia nostra sedent. (Similis est locus *Prop.* 4, 3, 31.) *Quint.* 11, 3, 141. Ita toga sedet melius et continetur. *Mart.* 7, 1. lorica sedet pectore. *Plin. Pan.* 10. Quam bene in humeris tuis sederet imperium. *Plin. alter* 36, 14, 21. Ut sensim opus sederet in cubili, *h. e.* epistylium in summa columna sisteretur, et conquiesceret. *Vitr.* 10, 22. *med.* Naves super aggerationem, quae fuerat sub aqua, sederunt, nec ad murum accedere potuerunt. [*Liv. 38, 29. librata quum sederit glans, h. e. quum circumagenda funda glans haeret tenacius in scutali, ut inde certius evolet. — *Id.* 2, 5. Ita in vadis haesitantis frumenti acervos sedisse illitos limo. — *Id.* 22, 4. nebula campo quam montibus densior sederat.] ℙ Similia sunt haec. *Mart.* 1, 90. penitus sedit hic tibi morbus, *h. e.* inveteravit; et 11, 91. tenero sedit in ore lues, *h. e.* diu mansit et grassata est. *Ov. Trist.* 3, 9, 18. Pallor in attonito virginis ore sedet. [*Id. Met.* 2, 775. Pallor in ore sedet; et *ib.* 1, 267. Fronte sedent nebulae. *Bail.*] *Id. R. Am.* 108. Et vetus in capto pectore sedit amor. *Quint.* 9, 4, 94. Si nihil refert, brevis, an longa sit ultima, idem pes erit: verum, nescio quomodo, sedebit hoc, illud subsistet, *h. e.* apte claudetur, et veluti conquiescet. ℙ Item quae descendunt, subsidunt, demittuntur. *Lucr.* 5, 475. Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent. *Sall. fr.* ap. *Isid. Or.* 14, 1. Ventis per cava terrae citatis, rupti aliquot montes, tumulique sedere. *Tac. A.* 2, 47. Motu terrae sedisse immensos montes, visa in arduo quae plana fuerint. *Stat. Th.* 1, 330. qua molle sedens in plana Cithaeron Porrigitur, lassumque inclinat ad aequora montem. *Tibull.* 4, 1, 41. Justa pari premitur veluti cum pondere libra, Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa. *Ov. Fast.* 4, 300. Sedit limoso pressa carina vado. *Id. Met.* 12, 288. gravi juncturas verticis ictu Rupit, et in liquido sederunt ossia cerebro. *Stat. Th.* 2, 567. Fractaque commixto sederunt pectora ferro. *Id. ib.* 9, 521. et viso sederunt flumina nutu. [*De cibis in stomacho concoquendis. *Hor. Sat.* 2, 2, 73. credas memor illius escae, quae simplex olim tibi sederit, i. e. sumpta et depressa in ventriculo quieverit, nullo subsecuto stomachi tumultu: opp. *surgere, tumescere*, vel, quod proprium verbum est de cibis haud facile concoquendis, *innatare stomacho.*] ℙ Translate. *Sil.* 10, 624. His dictis sedere minae, et conversa repente Pectora, *h. e.* sedatae sunt. *Stat. Th.* 10, 823. sedit rabies, feritasque, famesque. ℙ Et quae in plano et humili loco sita sunt. *Sil.* 6, 617. Et sedet ingentem pascens Mevania taurum. *Id.* 12, 162. Campo Nola sedet. *Id.* 8, 508. per udos Alba sedet campos. *Ov. Fast.* 1, 109. Flamma petit altum: propior locus aera cepit: Sederunt medio terra fretumque solo. *Cels.* 7, 26. *f.* Si venter imus sedet, *h. e.* depressus est et jacens non tumescens. *Calpurn. Ecl.* 6, 54. de notis equi generosi: Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix, *h. e.* ampla satis laevi sunt aequora dorso, ut ait *Nemes. Cyn.* 243. ℙ Item ictus, et telum, quod penetrat et vulnus facit. *Ov. Met.* 3, 87. Sed leve vulnus erat, quia se retrahebat ab ictu, Laesaque colla dabat retro, plagamque sedere Cedendo arcebat. *Sil.* 7, 606. Dexteriore gena sedit cui letifer ictus. *Ov. Fast.* 1, 576. adductaque clava trinodis Ter quater adversi sedit in ore viri. *Stat. Th.* 10, 656. Omne sedet telum: nulli sine caedibus ictus. *Id. ib.* 9, 347. de hasta: atque animae tota in penetralia sedit; et *Sil.* 4. 179. Hasta viri femur, et pariter per anhela volantis Ilia sedit equi. *Id.* 5, 345. Num lateri cuspis, num toto pondere telum Sedisset, etc. rogabat; et 6, 273. alvo penitus demersa falarica sedit. ℙ *Sedere*, absolute, idem est ac ventrem exonerare. *Marcell. Empir.* 29. Qui propter perfrictionem assidue sedere cupiunt, et nihil dejiciunt.

SEDES, is, f. ἕδρα, βάθρον, [*δίφρος,] sella, sedile, subsellium. *Cic. Or.* 1, 7. *extr.* Crassum pulvinos poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse. [*Id. Cat.* 4, 1. sedes honoris, *sella* curulis: coll. *Liv.* 9, 46. sede honoris sui anxios invidia inimicos spectavit: ubi vv. *sede honoris sui* absolute posita idem significant.] *Ov. Met.* 6, 72. Bis sex coelestes, medio Jove, sedibus altis Augusta gravitate sedent. *Id. Her.* 10. 49. in saxo frigida sedi: Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui. *Plin. Pan.* 52. Media inter Deos sedes auro staret, aut ebore. *Virg. A.* 7, 323. templo Divum patriaque Latinus Sede sedens. *Id. ib.* 2, 525. Locare aliquem in sede. *Lucan.* 3, 673. avulsas, expulso remige, sedes, *h. e.* transtra. ℙ Translate est locus quilibet, ubi quis moratur, habitat, ut domus, patria, regio. *Virg. A.* 2, 568. et tacitam secreta in sede latentem Tyndarida aspicio. *Id. ib.* 11, 112. Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent. *Cic. Mur.* 39. *f.* Omni in sede ac loco ferrum flammamque metuemus. *Caes. B. G.* 4, 4. Reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt. *Cic. Marcell.* 9. *f.* Sedem stabilem et domicilium certum non habebit. *Id. Prov. cons.* 14. Haec urbs summo imperio domicilium ac sedem praebuit. *Id. Cluent.* 66. *med.* Eam sibi domum sedemque conjugii delegit; et *ib.* 61. *f.* Actum esse praecipitem in sceleratorum sedem atque regionem. [*Id. Agr.* 2, 35. coloni Capuae in domicilio superbiae atque in sedibus luxuriae collocati. *Liv.* 22, 39. in sede ac solo nostro.] *Sall. Cat.* 6. Profugi sedibus incertis vagabantur. *Just.* 3, 4. Expelli sedibus suis. *Cic. Arch.* 4. *f.* Sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit. *Juven.* 3, 2. Alicubi sedem figere; et *Ov. Met.* 3, 539. hac profugos posuistis sede Penates. *Tac. G.* 30. Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant; [*Vell. 1, 2, 5. sedem cepere circa Lesbum insulam.] et *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 1. Circus exstructus longitudine stadiorum trium ad sedem CCLX. millium, *h. e.* ut esset capax 260. millium sedentium. *Petr. Sat.* 120. Aedificant auro, sedesque ad sidera mittunt; et *Virg. A.* 6, 371. Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam, *h. e.* sepulcro. *Just.* 2, 11. *med.* In ipsius potissimum sede morituri, *h. e.* in tabernaculo ducis. *Virg. G.* 4, 228. Si quando sedem augustam servataque mella Thesauris relines, *h. e.* alvearia. *Hor. Od.* 1, 2, 10. Ulmus sedes columbis nota. [*Nota, v. *sedes* plur. numero ap. bonos prosae orationis scriptores pro domo non dici, nisi de pluribus sermo. Hinc recte ap. *Cic. Sull.* 6, 18. pro: in *sedibus meis*, *Lamb.* conj. *aedibus:* atque aliud quid egisse videtur *Garaton.* huc referens locum ex *orat.* pro *Domo* 58. me — nunc — manibus quoque vestris in sedibus meis collocetis: quae non *Ciceronis* sed declamatoris alicujus verba jure meritoque habentur. Ejusd. generis locus est *Div.* in *Q. Caecil.* 5, 19. ubi pro *vulg.* quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit: *Manut.* pro *sedibus* item *aedibus*, prob. *Wolf.* et *Frotsch.* ad *Cic. Sull.* 6. *Liv.* 5, 12. ceteros in sedibus suis trucidatos; et cp. 42. *in.* si compelli ad deditionem caritate sedium suarum obsessi possent.] ℙ Locus cujuslibet rei, in quo conquiescit; [*fundamentum, basis, χρηπίς.] *Virg. A.* 2, 464. turrim convellimus altis Sedibus, impulimusque; et *ib.* 611. totamque a sedibus urbem Eruit, i. e. ex fundamentis; et *ib.* 1, 88. Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt. Sic *Cic. Pis.* 22. Cum mihi ipsa Roma, prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere visa est. [*Suet. *Aug.* 28. ita mihi salvam ac sospitam Rempl. sistere in sua sede liceat, *h. e.* in firmo fundamento quasi aedificium constituere. V. *Burm.* ad h. l., *Mitscherl.* ad *Hor. Ep.* 13, 10. Deus haec fortasse benigna reducet in sedem vice.] *Cic. Par.* 1. *f.* Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet. *Cels.* 8, 10. Ossa suis sedibus mota; et *ib.* Ossa in suam sedem compellere; et *ib.* reponere. *Colum.* 9, 13. *f.* Favos sedibus suis commovere. *Ov. Met.* 11, 554. Athon Pindumve sede sua revulsos. *Lucan.* 2, 184. cavis evolvit sedibus orbes, *h. e.* oculos eruit. [*Est haec frequentissima dicendi ratio. Ita ap. *Eund.* 3, 712. Sedibus expulsi — procurrunt oculi: ubi *Cort.* laud. *Sen. Oed.* 955. Oculi sedibus pulsi suis et mox: 959. Oculi vix se sedibus retinent suis. — Hinc *Ammian.* 14, 9. laceratus diutius avulsam sedibus linguam.] *Plin.* 2, 38, 38. Aeris sedes infra lunam. *Id.* 11, 37, 51. Superbia in superciliis sedem habet; et *ib.* 58. Malae, sedes pudoris. *Id.* 22, 6, 7. sedes periculi, *h. e.* locus, ubi periculum fuit. *Id.* 33, 4, 21. Rupes caeduntur, sedemque trabibus cavatae praebere coguntur. ℙ Sedes belli, locus firmus et opportunus, ubi copiae et omne instrumentum belli constituitur. *Vell.* 2, 74. Haec sedem belli Praeneste ceperat. [*Liv. 4, 31. Veios an Fidenas sedem belli caperent: cf. 28, 44.] *Suet. Galb.* 10. In munitione oppidi, quod sedem bello delegerat. *Tac. H.* 3, 8. Quaesitum inde quae sedes bello legeretur. Verona potior visa. Adde *Lucan.* 2, 394. [*V. *Cort.* ad h. l. Huc pertinet etiam illud: *Plin. Pan.* 47, 5. ipsa illa adoptionis sedes, i. e. locus, ubi adoptio peracta. —] ℙ *Sedem habere*, locum habere. *Cic. Or.* 3, 5. Neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris: neque res lumen, si verba semoveris. *Id. ib.* 2, 87. *f.* Omnibus quae sub aspectum veniunt, sedes opus est: etenim corpus intelligi sine loco non potest. ℙ Metonymice est podex, nates, anus. *Plin.* 22, 25, 70. Lentis decoctae succus adhibetur ad sedem cum rosaceo. *Id.* 32, 9, 33. Sedis attritus; et 23, 3, 37. exulceratio. *Id.* 22, 21, 29. excrescentia.

Id. 23, 4, 41. inflammationes; et 26, 8, 58. procidentia. ℙ In gen. plur. habet *sedium* et per sync. *sedum:* atque hoc frequentius esse putat *Prisc.* 7, 771., ut *vatum* pro *vatium:* adscribitque illud *Cic. Sex.* 2. Vestrarum sedum templorumque causa. Sed alii leg. *sedium.* Sic *Vell.* 2, 109. *med.* A tergo sedium suarum haberet Noricos. ℙ [*Confund. *sedes* et *aedes.* V. *Spald.* ad *Quint.* II. p. 63. *crit. Intpp.* ad *Cic. Sull.* 6, 18.]

*SEDIBONIĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae, de quibus *Plin.* 4, 19. *B. A.*

SĔDĬCŪLĀ. V. SEDECULA.

SĔDĬCŪLUM, sedile. *Paul.* ex *Festo:* Eandem vocem affert etiam *Varr. L. L.* 7, 30., sed tantum ut doceat, minime usitatam tunc temporis fuisse.

SĔDĬGĬTUS, a, um, adj. ἑξαδάκτυλος, qui sex habet digitos. *Plin.* 11, 43, 99. Digiti quibusdam in manibus seni C. Horatii ex patricia gente filias duas ob id Sedigitas appellatas accepimus, et Volcatium Sedigitum, illustrem in poetica. Hujus Volcatii, praenomine Caji, *Gell.* quoque meminit 3, 3. et 15, 24., item *Suet. Vit. Terent.*, ubi tres ejus versiculos de morte Terentii recitat: integrum vero ejusdem epigramma, *de Poetis comicis* inscriptum, exstat in *Anth. Lat.* T. 1. p. 411. *Burm.*

SĔDĬLĔ, is, n. ἕδρα, sedes, scamnum. *Gell.* 2, 2. Sedile apponere alicui. *Suet. Aug.* 43. Exstructis in campo Martio sedilibus ligneis. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Sunt locis pluribus disposita sedilia e marmore. *Ov. Met.* 1, 317. Factaque de vivo pressere sedilia saxo. Adde *Virg. A.* 1, 167. *Id. ib.* 8, 176. gramineoque viros locat ipse sedili; et *ib.* 5, 837. Sub remis fusi per dura sedilia nautae, *h. e.* transtra. *Id. G.* 4, 350. Vitrea sedilia. *Hor. A. P.* 205. Nondum spissa nimis complere sedilia. *Id. Epod.* 4, 15. Sedilibusque magnus in primis eques, etc. sedet. *Ov. Met.* 8, 639. Membra senex posito jussit relevare sedili. *Id. Med. fac.* 13. Cum matrona premens altum rubicunda sedile, Assiduo durum pollice nebat opus. *Cels.* 1, 3. *med.* Post iter primum sedile, deinde unctio reficit. ℙ *Sedile* ap. *Sen. ep.* 70. *med.* est locus sedendi in vehiculo. ℙ Et locus quilibet ad commorandum ap. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Mutuli crebri omnibus columnis impositi, sedilia avium.

SĔDĬMEN, inis, n. subsidentia. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. In ipsa praeterea urina sedimina inveniuntur, aliquando crassiora et calida, aliquando arenosa et saxosa. Adde *ib.* 10. *med.*

SĔDĬMENTUM, i, n. ὑπόστασις, subsidentia. *Plin.* 36, 10, 15. Inundationibus Tiberis sedimento molis facto, *h. e.* mole subsidente; loquitur enim de obelisco.

SĔDĬTĬO, onis, f. στάσις, ἀκαταστασία, dissensio, turba, discordia, motus populi imperium detrectantis, vel inter se certantis. Ducunt a *se*, qua seorsum significat, ut in *separo*, *seduco*, etc., et *itio*, inserto *d*, ut in *reditio*. *Cic. fr.* ap. *Non.* 1, 96. et ap. *Serv.* ad *A.* 1, 153. Eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur. *Id. Att.* 10, 1. Solon capite sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuisset. (V. hac de re *Gell.* 2, 12.) *Id. Or.* 2, 28. *med.* Illam Norbani seditionem neque reprimi potuisse, et jure esse conflatam. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Saepe seditione commota. *Id. Mur.* 39. Seditionem et discordiam concitare. *Tac. A.* 6, 3. Discordiam et seditionem quaerere. *Id. ib.* 1, 19. Per seditionem et turbas. *Cic. Div.* 1, 24. *med.* Magnam seditionem in castris inter Poenos et Siculos milites esse factam. *Caes. B. C.* 1, 87. Cum stipendium ab legionibus, paene seditione facta, flagitaretur; et *B. G.* 7, 28. *f.* Ne qua in castris seditio oriretur. *Liv.* 6, 16. *med.* Haud procul seditione res erat. *Vell.* 2, 68. Seditionem movere. *Flor.* 1, 25. excitare. *Tac. H.* 4, 68. *extr.* miscere. *Id. A.* 1, 38. et 45. coeptare; et *ib.* 2, 15. induere; et *ib.* 14, 17. *extr.* concire; et *ib.* 16, 30. alere. *Id. H.* 2, 29. coercere. *Id. A.* 1, 42. compescere; et *ib.* 52. opprimere; et *ib.* 69. comprimere. *Suet. Caes.* 4. et *Tib.* 25. componere. *Just.* 11, 2. exstinguere. *Cic. Att.* 5, 14. et *Verr.* 2, 1, 27. sedare. *Vell.* 2, 81. discutere. *Liv.* 6, 16. *med.* lenire. *Tac. H.* 2, 29. Deflagrante paulatim seditione. *Liv.* 6, 18. recrudescente. *Id.* 42, 2. Gliscit seditio. ℙ Dicitur interdum de privatis discordiis, rixa, jurgio. *Ter. Andr.* 5, 1, 11. Perpulisti me, ut filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias. *Pl. Amph.* 1, 2, 14. Amphitruo uxori turbas conciet: tum meus pater eam seditionem illi in tranquillum conferet. ℙ In bonam partem. *Claud. in Ruf.* 2, 225. magno certatur amore, Alternamque fidem non illaudata lacessit Seditio. ℙ Translate. *Stat. Th.* 9, 141. Siculi velut anxia puppis Seditione maris, nequicquam obstante magistro, Errat; et *Manil.* 2, 90. Seditio pelagi; et *ib.* 196. Quin tria Signa novem Signis conjuncta repugnant, Et quasi seditio coelum tenet. *Stat. Th.* 1, 35. flammasque rebelles Seditione rogi, *h. e.* cum rogus duorum fratrum Eteoclis et Polynicis ignem in duas diversas partes distulit, ut est ap. *eund.* 12. a *v.* 420. ℙ Ap. *Ov. Met.* 12, 61. Seditio cum Credulitate, vana Laetitia, Timore, etc. comites Famae finguntur. ℙ Joculariter *Pl. Merc.* 1, 2, 14. Seditionem facit lien, occupat praecordia, *h. e.* intumescit, instar populi tumultum cientis.

*SEDITIONĀRĬUS, i, m. δημηγέρτης *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*SEDITIONOR, aris, dep. 1. στασιάζω *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SĔDĬTĬOSĒ, adv. στασιαστικῶς, per seditionem, more seditiosorum, contentiose. *Cic. Cluent.* 1. Quae concionibus seditiose concitatis accommodatior est, quam tranquillis moderatisque judiciis. *Id. Mil.* 3. Cum a tribuno plebis in concione seditiose interrogaretur. *Tac. A.* 3, 12. Turbide et seditiose tractare exercitus. *Id. H.* 5, 12. Seditiosius agere. *Cic. Att.* 2, 21. Multa cum seditiosissime diceret.

SĔDĬTĬOSUS, a, um, adj. στασιωτικός, qui seditiones facit, turbulentus. *Cic. Or.* 2, 11. *f.* Seditiosus civis, et turbulentus. *Id. Phil.* 1, 9. Ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse. *Id. Inv.* 1, 3. *f.* Ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod tradere quietum. *Tac. A.* 3, 40. Per conciliabula et coetus seditiosa disserebant. *Id. H.* 1, 53. *f.* Seditiosa colloquia; et *ib.* 3, 50. Seditiosae militum voces. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 17. Nam ejus seditiosior fuit concio. *Suet. Caes.* 70. Seditiosissimum quemque et praedae et agri destinati tertia parte multavit. ℙ Est etiam idem ac rixosus, et qui domi semper tumultuatur. *Cic. Att.* 2, 1. de Clodia P. Clodii sorore: Sed ego illam odi male consularem. Est enim seditiosa, et cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos mihi amicos esse, moleste fert.

SĔDO, as, avi, atum, a. 1. [*Forsasse transitivum a *sedeo*, atque proprie significat *sedere facio.*] *Phaedr.* 2, 5. Alveolo coepit ligneo conspergere Humum aestuantem . . . . sedans pulverem. ℙ [*Hinc quodcumque excitatum et turbatum lenire, mitigare, placare, reprimere, restinguere, *sano.*] *Prop.* 3, 20, 29. per Ionium vectus cum fessa Lechaeo Sedarit placida vela phaselus aqua: et *Cic. Arat.* 125. Curriculum nunquam defesso corpore sedans; et *Cat.* 3, 3. Interventu Pomtini pugna, quae erat commissa, sedatur. *Id. Verr.* 2, 1, 18. Tempestas sedatur, Dolabella proficiscitur. *Id. Cat.* 2, 13. et *Nep. Dat.* 8. *extr.* bellum. [*Liv.* 34, 5. proelium sedatum est.] *Just.* 20, 2. Pestis utrobique sedata est. *Ov. R. Am.* 117. Sedare incendia. *Id. Met.* 15, 83. Carne ferae sedant jejunia; et *ib.* 3, 415., *Phaedr.* 4, 3. et *Lucr.* 4, 848. sitim. *Plin.* 11, 54, 119. famem. *Pl. Bacch.* 1, 1, 75. et *Nep. Eum.* 9. *f.* lassitudinem. ℙ Neutrorum more. *Prop.* 3, 17, 5. Flamma per incensas citius sedaret aristas. Alii leg. *sedetur. Cn. Gell.* ap. *Gell.* 18, 12. Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit. ℙ Saepe refertur ad morbos corporis. *Plin.* 28, 9, 34. Sedare tormina. *Id.* 29, 6, 39. dolores aurium. *Id.* 30, 13, 39. tumorem vulnerum. *Id.* 20, 17, 73. anginas; et *ib.* 20, 81. cruditates. *Id.* 30, 6, 15. distillationes; et *ib.* 13, 41. scabiem, pruritum. *Pl. Curc.* 1, 2, 22. Liber tibi screanti, siccae, semisomnae affert potionem, et te sedatum it. ℙ Et ad incommoda fortunae. *Id. Poen.* 5, 4, 93. Multorum annorum miserias nunc hac voluptate sedo. *Ter. Hec. prol.* 2, 23. Eam calamitatem vostra intelligentia sedabit. *Cic. Phil.* 2, 18. *med.* Tanta mala florentissimae familiae sedavi, vel potius sustuli. ℙ Saepe ad appetitus et aegritudines animi. *Cic. Or.* 1, 46. *med.* Quemcumque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare, vel sedare. *Id. Leg.* 3, 10. Populi impetus aliquando incenditur: et quidem saepe sedatur. *Id. Off.* 1, 29. *med.* Appetitus omnes contrahendi sedandique sunt. *Id. Div.* 1, 29. *f.* Illam partem animi, in qua irarum exsistit ardor, sedare atque restinguere. *Sall. Jug.* 4. *med.* Memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam, etc. *Ov. Pont.* 4, 11, 19. cum longa dies sedavit vulnera mentis, Intempestive qui fovet illa, novat. *Liv.* 1, 16. Sedare pavorem. *Id.* 25, 37. lamentationem. *Prop.* 2, 13, 31. fletus. *Just.* 12, 15. tumultuantes milites. *Cic. Att.* 5, 14. seditionem. *Id. Phil.* 1, 7. discordias. *Id. Leg.* 1, 21. controversiam. *Pl. Merc.* 5, 4, 1. iram. *Stat. Th.* 12, 514. curas. *Sen. Herc. Oet.* 1837. questus. *Cic. Verr.* 1, 1. invidiam et infamiam. *Hirt. B. Afr.* 87. *f.* Sedandae eorum importunitatis gratia, singulis HS. centum divisit. [*Cic. *Att.* 13, 10. sermunculum omnem aut restrinxerit, aut sedarit. *Liv.* 21, 20. ut vix a magistratibus juventus sedaretur, i. e. ad modestiam revocaretur, coerceretur. ℙ Confund. *sedare* et *servare.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 227. *a.*]

*SEDOCHĒZI, orum, populi Scythiae Asiaticae, circa Pontum Euxinum, ultra Maeotim lacum. *Mela* 1, 19. *med. B. A.*

*SEDUCIBĪLIS, e, adj. qui seduci potest. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 9. Mulieres, quae habent timorem Dei, et non sunt seducibiles. *B. A.*

SĔDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. ἀπάγομαι, seorsum ab aliis duco, quasi de re aliqua locuturus. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* et *Pl. Curc.* 2, 3, 60. Salve, inquit mihi, prehendit dexteram, seducit, rogat, etc. *Petr. Sat.* 13. Seduxit me paululum a turba, et scis, inquit, frater, etc. *Ter. Hec.* 1, 2, 69. Pamphilus me solum seducit foras, narratque, etc. *Pl. As.* 2, 2, 95. Nam me hodie senex seduxit solum seorsum ab aedibus: mihi, tibique interminatus est, etc. *Appul. Met.* 9. Quasi quippiam secreto collocutura, in suum cubiculum seducit eum. ℙ *Seducere aliquid*, seorsum trahere, seponere. *Sen. ep.* 90. *med.* Irrupit in res optime positas avaritia: et dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena. ℙ Item separo, divido. *Ov. Her.* 19, 142. Seducit terras haec brevis unda duas. *Lucan.* 8, 291. Caspiaque immensos seducunt claustra recessus. [*Cf. *Cort.* ad *Eund.* 5, 77.] *Ov. Met.* 4, 371. et istum Nulla dies a me, nec me seducat ab illo; et *ib.* 13, 611. seducere castra, *h. e.* bifariam dividere exercitum. *Virg. A.* 4, 385. cum frigida mors anima seduxerit artus. *Ov. Fast.* 4, 385. Plura locuturi subito seducimur imbre. Adde *Sen. Q. N.* 1, 5. ℙ Item subtraho. *Cic. Phil.* 13, 10. *med.* Quod te idibus Martiis a debita tibi peste seduxit. Adde *Fam.* 10, 28. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Translate. *Sen. Cons. ad Helv.* 16. *med.* Non potes ad obtinendum dolorem muliebre nomen praetendere, ex quo te virtutes tuae seduxerunt, *h. e.* subtraxerunt, exemerunt, separarunt a vulgo muliercularum. ℙ Item averto, abduco, alio converto. *Prop.* 1, 9, 27. Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos, *h. e.* alio convertere, et ab amica spectanda deflectere. *Cic. Tusc.* 1, 31. Animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore seducimus. Plerique alii leg. *abducimus.* [*Ita *Orell.* nulla indicata varietate lectionis.] ℙ Item decipio. *Tert. adv. Marc.* 2, 8. Nam etsi Angelus, qui seduxit, sed liber et suae potestatis, qui seductus est. *August. Confess.* 2, 3. *med.* Seducebant me, quia ego seductilis eram. Adde *Tract. in Joann* 29. *in.* Addunt et *Ter. Andr.* 4, 1, 20., sed varia ibi lectio. Item *Quint.* 7, 2., *Tac. H.* 2, 90. et *Ulp. Dig.* 43, 28, 3. sed invitis criticis. ℙ [*Confund. *seducere* et *deducere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 77. — Item *seducere* et *subducere. Id. ib.* 2, 475.]

SĔDUCTĬLIS, e, adj. qui in errorem facile duci potest, εὐεξαπάτητος. *Alcim.* 2, 166. mortiferum seductilis Eva venenum Auribus accipiens. Adde *August. Confess.* 2, 3. V. v. praec.

SĔDUCTĬO, onis, f. ἀπαγωγή, seorsum ductio. *Cic. Mur.* 24. Moestos amicos, observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item separatio. *Lactant.* 2, 12. Mors est corporis animaeque seductio. ℙ Item deceptio. *Tert. adv. Marc.* 2, 2. *f.* Adam confessus est seductionem, non occultavit seductricem.

SĔDUCTOR, oris, m. qui seducit et decipit. *Gloss. Philox.* Seductor, πλάνος, ἀπατητής. *August. Tract. in Joann.* 29. *in.* Si enim seducere decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli ejus, nec quisquam seductor debet esse Christianus. Adde *in Psalm.* 63. *n.* 15. ex *Matth.* 27, 63.

SĔDUCTORĬUS, a, um, adj. ad seducendum pertinens. *August. Confess.* 5, 6 *f.*

SĔDUCTRIX, icis, f. quae in errorem inducit. V. *Tert. l. c.* in SEDUCTIO.

SĔDUCTUS, a, um, part. a *seduco:* ἀπαχθείς, seorsum ductus, abductus a turba. *Liv.* 30, 5. Singulos deinde separatim, Laelium ac Masinissam, seductos obtestatur, ut, etc. *Ov. Fast.* 3, 678. venit Gradivus ad Annam, Et cum seducta talia verba facit. *Phaedr.* 3, 10. Seductus in secretum a liberto suo. *Pers.* 6, 41. tu meus heres Quisquis eris paulum a turba seductior audi; et 2, 3. non tu prece poscis emaci, Quae nisi seductis nequeas committere Divis, *h. e.* quasi semotis, et clam eos rogando. ℙ Item subductus. *Oc. R. Am.* 446. Cassaque seducto stipite flamma perit. Alii leg. *subducto*, alii aliter. ℙ Item separatus, divisus. *Id. Met.* 3, 379. puer comitum seductus ab agmine fido. *Id. ib.* 1, 80. Sive recens tellus seductaque nuper ab alto Aethere; et *Stat. Th.* 3, 460. Mons erat audaci seductus in aethera dorso, *h. e.* elatus, et quasi a tellure separatus. *Liv.* 2, 54. Consilia non publica, sed in privato, seductaque a plurium conscientia habere. *Sen. ep.* 117. *med.* Animi habent proprium quiddam, et a corporibus seductum, *Manil.* 1, 82. Seducta in varias certarunt pectora curas, *h. e.* distracta. ℙ Item remotus, semotus. *Ov. Met.* 4, 622. et ex alto seductas aethere longe Despectat terras; et *ib.* 13, 902. seductos nacta recessus. *Plin. ep.* 7, 25. *f.* Effecitque, ut illis, quos doctissimos novi, non minus hos seductos, et quasi rusticos verear. ℙ Item deceptus. *August. C. D.* 14, 11. *f.*

SĔDUCTUS, us, m. secessus, seductio. *Sen. Tranq.* 3. Nec, ut leonum impetus caveis coercetur, sic hominum, quorum maxime in seductu actiones sunt. Alii leg. *seducto:* ut sit *seductum*, i, n.

SEDULĀRĬUM. V. SELIQUASTRUM.

SĔDŬLĔ, adv. idem ac sedulo. *Colum.* 9, 9. Semper quidem custos sedule circumire debet alvearia. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 407. Hoc munus implet sedule.

SĔDŬLĪTAS, atis, f. ἐπιμέλεια, ardens studium implendi officium suum, diligentia, assiduitas. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. *med.* Balbi operam et sedulitatem laudare possum. *Cic. Caecin.* 5. *med.* Voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio, simulataque sedulitate conjunctus. *Id. Arch.* 10. *f.* Qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam. *Plin.* 11, 30, 36. de formicis: Jam in opere qui labor! quae sedulitas!

Plin. alter ep. 3, 18. Praestare sedulitatem alicui rei. *Ov. Fast.* 3, 668. Pauper, sed mundae sedulitatis, anus; et *ib.* 4, 434. Et non sentitur sedulitate labor. *Id. Pont.* 3, 8, 18. Nil igitur Ponti tota regione sinistri, Quod mea sedulitas mittere posset, erat. ℙ Est etiam nimia et misera diligentia, *περιεργία. Hor. Ep.* 2, 1, 260. Sedulitas autem stulte, quam diligit, urget; et *ib.* 1, 7, 8. Officiosaque sedulitas, et opella forensis Adducit febres, et testamenta resignat.

SĔDŪLIUS, praenomine Coelius, Britannus, seu Scotus, poeta Christianus, circa medium saeculi quinti floruit, sub Valentiniano et Theodosio juniore: reliquit Carmen Paschale quinque libris divisum, et quaedam alia, stilo satis probabili, ut illis temporibus, et ad Latinos veteres poetas proxime accedente: egregius antiquiorum imitator, ut ait *Cellarius*, et qui verba Maronis, et contexendi suavitatem, si quis alius, a sacculi rebus ad sacrum argumentum tam scite, quam pie accommodavit. *Venant. Vita S. Martin.* 1, 15. Hinc quoque conspicui radiavit lingua SedulI. Hic prior syllaba perperam corripitur, et secunda producitur. ℙ *Sedulius etiam dictus est dux quidam Lemovicum. *Caes. B. G.* 7, 88. *B. A.*

SĔDŪLO, adv. *ἐπιμελῶς, σπουδαίως*, impense, studiose, accurate, diligenter. *Ter. Heaut.* 1, 1, 74. Pro se quisque sedulo faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam. *Var.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Faciam omnia sedulo, quae te sciam velle. *Plin. ep.* 7, 19. Munere sedulo fungi. *Suet. Tib.* 37. Tumultus ne orirentur, sedulo cavit. *Ter. Ph.* 4, 3, 10. Id agitans mecum sedulo, inveni, opinor, remedium huic rei. *Id. Heaut.* 5, 4, 15. Ego, quod potero, enitar sedulo. *Id. Ad.* 3, 4, 63. Sedulo moneo, quae possum, pro mea sapientia. *Pl. Men.* 5, 7, 20. Operam dabo, et defendam, et subvenibo sedulo. *Id. Aul.* 1, 2, 35. Sedulo celare aliquid. *Id. Bacch.* 3, 3, 73. rem mandatam gerere amici. *Id. Ps.* 1, 2, 108. deproperare. *Id. Pers.* 5, 2, 62. curare. *Cic. Att.* 3, 12. Tu quidem sedulo argumentaris, quid sit sperandum, et maxime per senatum. *Liv.* 2, 38. Sedulo audientes secunda irae verba. ℙ *Feci sedulo*, formula excusantis, ubi ad voluntatem res non successit. [*V. *Gronov.* ad *Plauti* l. mox l.] *Cato R. R.* 2. Si domino opus non apparet, dicit villicus, se fecisse sedulo: servos non valuisse, tempestates malas fuisse, etc. *Ter. Andr.* 4, 1, 56. Parum succedit, quod ago: at facio sedulo. *Pl. Merc.* 2, 3, 106. At tu excusato, te fecisse sedulo. *Cic. Fam.* 2, 11. Sed tamen sedulo fit, et in primis a Patisco. ℙ Est etiam de industria, data opera: quia qui diligenter facit, data opera facit. *Ter. Hec.* 4, 2, 1. Non clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam, uxorem tuam propter meos mores hinc abiisse: etsi ea dissimulas sedulo. *Id. Eun.* 1, 2, 58. Fingit causas, ne det, sedulo. *Liv.* 2, 58. *med.* Si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere. *Id.* 34, 14. Nusquam, nisi in virtute, spes est, milites, inquit: et ego sedulo, ne esset, feci. *Quint.* 7, 1. *med.* Sedulo imitor quaerentem, ut quaerere doceam: et omisso speciosiore illo stili genere, ad utilitatem me submitto discentium. Adde *Ter. Ad.* 1, 2, 64. et *Ph.* 2, 3, 81. ℙ Item serio, ex animo, bona fide; et hoc enim est diligenter agere. Neque tamen verum est, quod *Donat. Non.* et *Isid.* docent, *sedulo* ex *sine dolo* conflatum esse. [*At v. v. sq.] *Ter. Ph.* 2, 4, 13. Ego sedulo hunc dixisse credo. *Pl. Capt.* 4, 2, 106. Quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 171. Salutem fictis versibus Lucilius, quibus potest, impertit: totumque hoc studiose et sedulo.

SĔDŪLUS, a, um, adj. *σπουδαῖος, ἐπιμελής*, qui studio tenetur implendi officii, assiduus, intentus, accuratus, diligens, studiosus. Volunt esse a *sedes*, quia sedet, hoc est immoratur operi, et assiduus est. [*Doederl.* 1, 117. sq. parum probatur vulgata hujus vocis a *sedere* facta originatio, praeferendaque videtur illa a privativa particula *se* et *dolus* ducta. V. *sedulo* in *f.* — Discrimen inter *sedulus* et *industrius* expositum habes in v. *industria*.] *Phaedr.* 4, 4. Mater sedula jurisperitos consulit. *Hor. A. P.* 116. et *Ov. Her.* 21, 95. sedula nutrix. [*Docet *Ruhnk.* ad h. l. esse h. v. perpetuum epitheton nutricis: coll. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 4, 10.] *Ov. A. Am.* 1, 377. haec fit sedula, tardior illa. *Hor. Ep.* 2, 1, 178. Exanimat lentus spectator, sedulus inflat. *Plin.* 17, 14, 24. Sedulus agricola. *Ov. Met.* 13, 928. sedula apis. *Id. Fast.* 4, 297. Sedula fune viri contento brachia lassant: Vix subit adversas hospita navis aquas. *Sen. Hipp.* 1109. sedulus labor. *Appul. Met.* 2. Sedula industria; et *ib.* 9. Sedulam operam dare; et *ib.* 11. Sedulum ministerium. *Colum.* 8, 1. Sedula cura. ℙ De his, qui in eloquentia aliquam operam posuerunt. *Cic. Brut.* 47. *extr.* Eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere. ℙ In malam partem de eo, qui diligentia nocet. *Hor. Ep.* 1, 13, 4. Ne studio nostri pecces, odiumque libellis Sedulus importes. *Ov. A. Am.* 3, 699. Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures Auditos memori detulit ore sonos. Adde *Prop.* 1, 3, 32. et *Hor. Sat.* 1, 5, 71.

SĔDUM, i, n. *ἄιζωον*, genus herbae, al. semper-vivum, et digitellum. Itali ex foliis, quae vermiculorum similitudinem habent, *vermicolaria* nominant. [*Est herba, quam nos dicimus *Hauswurz*.] *Plin.* 18, 17, 45. Democritus succo herbae, quae appellatur aizoon, in tegulis nascens, tabulisve, Latine vero sedum, aut digitellum, medicata seri jubet omnia semina. *Colum.* 2, 9. *med.* Succus herbae, quam rustici sedum appellant. *Id.* 10, 355. Profuit et plantis latices infundere amaros Marrubii, multoque sedi contingere succo. V. SESUNIUM. ℙ *Sedum* ap. *Varr. L. L.* 4, 28. est sedile. Alii tamen rectius leg. *solium*. ℙ *Sedum* antiquum pro *Sed.* V. SED *in*.

[SĔDŪNI, orum, m. plur. populi incolentes superiorem partem vallis Poeninae *(il Vallese)*, quorum urbs Sedunum, nunc *Sion. Inscr.* ap. *Grut.* 226, 6. Imp. Caesari Divi F. Augusto civitas Sedunorum patrono. Adde *Caes. B. G.* 3, 1. [*ubi v. *Moeb.*] *F.*]

*SĔDUSII, orum, populi Germaniae, inter Danubium, Rhenum, Nicrumque flumina. *Caes. B. G.* 1, 51. ℙ *Σηδουσίους* appellat *Metaphrast. Gr. Caesaris. B. A.*

*SEGASMALA, oppidum Aethiopiae, vel certe Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*SEGĔDA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae, inter Baetin flumen et fretum Gaditanum. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*SEGEDŪNUM vel Segodunum, i, n. oppidum Galliae Aquitanicae, in Rutenorum agro. *Tab. Peutinger.* cui suffragatur *Ptolemaeus*. Postea dictum *Ruteni* et *urbs Rutena*. Hodiernum nomen *Rhodes*, *Rodez* vel *Rhodez*. ℙ Aliud in Britannia. *Notit. Imper. B. A.*

SĒGES, ētis, f. ager, terra destinata accipiendis seminibus, necdum sata, sive arata sit, sive non. *Varr. R. R.* 1, 69. Far ad sationem tum promendum, cum segetes maturae sunt ad accipiendum. *Cato R. R.* 36. Stercus columbinum spargere oportet in pratum, vel in hortum, vel in segetem; et *ib.* 37. Nucleos in segetem ne indideris; et 38. *extr.* Virgas, et sarmenta, quae tibi usioni supererunt, in segete comburito: ubi eas combusseris, ibi papaver serito. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 427. et 439. Segetes agricolae subigunt aratris multo ante, quam serant. *Vet. Poeta* ap. *eund. Tusc.* 2, 5. Etsi in segetem sunt deteriorem datae Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent. *Varr. R. R.* 1, 6. *med.* Segetes meliores existimantur esse campestres, vineae collinae, silvae montanae. *Id.* 2, 7. *med.* Ut restibiles segetes essent exsuctiores. *Virg. G.* 1, 47. Illa seges demum votis respondet avari Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit. *Colum. praef.* 1. *med.* Segetum et arationum usum percipere. *Tibull.* 1, 3, 61. Fert casiam non culta seges. *Virg. Mor.* 122. Sub juga parentes cogit lorata juvencos, Atque agit in segetes, et terrae condit aratrum. *Plin.* 18, 11, 24. *n.* 1. Segetes, quae interquievere. Adde *Cat. R. R.* 29. et 155., *Cic. Sen.* 15. *f.*, *Varr. R. R.* 1, 23. et 37. *med.* et 50. et *praef.* 2. item *Virg. G.* 2, 267. et *ib.* 4, 129. et alios, quos docte congessit *Jul. Pontedera* tum ad *Varr. R. R.* 1, 29., ubi traditam ab eo definitionem segetis, et arvi examinat: tum in *Antiquitatib. Lat. et Graec. epist.* 10. ℙ Item terra arata, et sata. *Festus:* Seges dicitur ea pars agri, quae arata, et consita est: a serendo videlicet. *Cic. Or.* 15. Segetes fecundae et ubres non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus. *Hor. Ep.* 2, 2, 161. Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas. *Tibull.* 2, 1, 19. Neu seges eludat messem fallacibus herbis; et 4, 1, 172. Tondeturque seges maturos annua partus. *Mart.* 5, 42. Non reddet sterilis semina jacta seges. ℙ Item ipsae fruges, quae in segetibus nascuntur, nondum demessae, vel antequam in area terantur, praesertim ex quibus panis conficitur. *Cic. Or.* 3, 38. et *Or.* 24. *f.* Laetas esse segetes, luxuriosa frumenta. *Plin.* 18, 17, 45. Si in articulum seges ire coeperit, runcare, ne herbae vincant. Adde *Colum.* 2, 12. *f. Id. ib.* 14. Segetes leguminum; et *ib.* 9. *med.* hordei. *Varr. R. R.* 1, 45. fabae. *Virg. G.* 1, 77. Seges lini et avenae. *Ov. A. Am.* 3, 102. culto stat seges alta solo; et *Met.* 10, 655. Et segetis canae stantes percurrere aristas. *Id. Her.* 10, 139. Corpus, ut impulsae segetes Aquilonibus, horret. *Sen. Oed.* 50. Seges flava; et *Herc. Fur.* 699. et *Colum.* 2, 9. *med.* Segetes adultae; et *mox:* Demessis segetibus, jam in area futuro semini consulamus. [*Segetibus *indui* dicitur terra, quae frugibus abundat, V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 30, 1.] ℙ De aliis. *Sen. Herc. Fur.* 909. Indorum seges, *h. e.* aromata. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 94. casiae et amomi. ℙ *In segetem spicas ferre*, proverb. ejusdem sententiae, ac *noctuas Athenas*. V. NOCTUA. *Ov. Trist.* 5, 6, 43. in litus arenas, In segetem spicas, in mare fundit aquas. ℙ Translate *Accius* ap. *Non.* 4, 427. Quod beneficium haud sterili in segete, rex, te obsesse intelleges. *Ov. Pont.* 4, 2, 11. Fertile pectus habes: interque Helicona colentes Uberius nulli provenit ista seges. *Juven.* 7, 103. Quae tamen inde seges? *h. e.* quis fructus? *Arnob.* 5, 172. Videtur Juppiter non esse causam ob aliam natus, nisi ut esset criminum seges, maledictorum materia, *h. e.* ex quo tanquam ex arvo culto et sato crimina affatim orirentur. *Prud. Hamart.* 258. Aurl namque fames parto fit major ab auro. Inde seges scelerum. *Cic. Mil.* 13. *f.* Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae? *h. e.* ex quo, tanquam ex arvo, gloriae fructum percipiebat. ℙ *Segetem* vocant poetae multitudinem hominum, instar segetis ortam ex satis dentibus serpentis. *Ov. Met.* 3, 110. et *ib.* 7, 30. et *Her.* 12, 59., *Val. Fl.* 7, 96. et 282. et *Claud. B. Get.* 26. ℙ *Stimulorum seges* ap. *Pl. Aul.* 1, 1, 6. convicium est in malum servum, cujus in corpore tanquam in arvo, stimulos seri, et defigi justum est. ℙ Saepe dicitur de copia, et densa multitudine cujusque rei. *Virg. A.* 3, 45. hic confixum ferrea texit Telorum seges. *Claud. in Ruf.* 2, 391. seges undique ferri Circumfusa micat. Eadem ratione *segetem* dicit densos aculeos in corpore hystricis, *Id. de Hystric.* 12. Sic *segetem ahenam* vocat *Id. Cons. Mall. Theod.* 317. multitudinem tabulorum aereorum in machina hydraulica, ad exprimendos varios sonos, et concentum musicum efficiendum. Verba *Claudiani* sunt: Et qui magna levi detrudens murmura tactu, Innumeras voces segetis moderatus ahenae Intonet erranti digito, penitusque (al. pedibusque) trabali Vecte laborantes in carmina concitet undas. *Catull.* 48, 5. Non si densior aridis aristis Sit nostrae seges osculationis.

SĒGESTĀ et Segetia, f. Dea, quae segetibus praeerat, et segetes laetas facere existimabatur. *Plin.* 18, 2, 2. Hos enim Deos tunc maxime noverant, Sejamque a serendo, Segestam a segetibus appellabant, quarum simulacra in Circo videmus. *Macr. Sat.* 1, 16. Apud veteres quoque qui nominasset Salutem, Sejam, Segetiam, Tutinam, ferias observabat. *August. C. D.* 4, 8. Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui semel segetem commendarent: sed sata frumenta, quamdiu sub terra essent, praepositam voluerunt habere Deam Sejam: cum vero jam essent super terram et segetem facerent, Deam Segetiam: frumentis vero collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, Deam Tutilinam praeposuerunt. *Plin.* 36, 22, 46. memorat aedem Fortunae, quam Sejam appellant, a Servio rege sacratam: quae fortasse eadem est ac *Sieja Fortuna*, quae habetur ap. *Grut.* 79, 5. In nummo Saloniae Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 419. Deae Segetiae. [*V. *Doederl.* 1, 49. sq.] ℙ *Segesta*, oppidum Siciliae occidentalis, inter Panormum et Lilybaeum. *Festus:* Segesta quae nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Aeneas condidisse, praeposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit. Sed praeposita est ei *s* littera, ne obsceno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento, quod Beneventum dictum est, et in Epidamno, quod usurparunt Dyrrhachium. *Serv.* ad *A.* 1, 554. narrat, Hippotem quendam nobilem Trojanum filiam habuisse Segestam, quam subducere volentem, ne ceto objiceretur, ut Hesiona Laomedontis, navi imposuisse, et sorti commisisse: delatae in Siciliam vim intulisse Crinisum fluvium, canis vel ursi specie, et Egestum genuisse, qui a Virgilio Acestes dicitur: inde nomen urbi datum. ℙ [*Segesta Tiguliorum* ap. *Plin.* 3, 5, 7. est urbs Liguriae, nunc *Sestri di Levante*. ℙ *Segeste* vero est oppidum Carnorum ap. *eund. ib.* 19, 23. *F.*] [*Fortasse i. q. *Σεγεστικὴ πόλις* audit *Strab.*]

SĒGESTĀNUS, a, um, et

SĒGESTENSIS, e, adj. ad Segestam pertinens, oppidum Siciliae. V. SEGESTA. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Segestanae matronae. ℙ *Segestani, orum*, ap. *Cic. ib.* 33. et 34. et ap. *Plin.* 3, 8, 14., tum etiam *Segestenses, ium*, ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 36. sunt incolae illius urbis.

[SĒGESTELLUM, i, n. dimin. segestris. *Not. Tir.* p. 160. Segestre, segestellum. *F.*]

*SĒGESTES, ae, m. Germanorum princeps, discors Varo fidusque Romanis, sed consensu gentis tractus in bellum. Ejus filia fuit in matrimonio Arminii. Pater fuit Segemundi. Germanicum nomen (ait *Hofmannus*) fuit *Sigast.* De eo *Tac. A.* 1, 5. *B. A.*

*SEGESTĪCA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Celtiberis. *Liv.* 34, 17. *extr.* ℙ Item insula Pannoniae superioris. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

SĒGĔTRA, ae, f. et Segestre, is, n. teges e paleis, et stramentis segetum confectus, quo lecticae sternebantur, et involvebantur: a *seges*. *Varr. L. L.* 4, 35. Quod involvebant (*lecticam*), quod fere stramenta erant e segete, segestria appellant, ut etiam nunc in castris, nisi a Graecis: nam *στέγαστρον*, ubi lectus mortui fertur, dicebant. *Id.* ap. *Non.* 1, 35. Lecticam queis involvebant, segestria appellabant. *Lucil.* ap. *eund.* 14, 3. Paenula, si quaeris, canteriu', servu', segéstre Utilior mihi, quam sapiens. ℙ Etiam e pellibus segestria facta sunt. *Festus: Δέρεις* Graeci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus segestria. *Edict. Dioclet.* p. 23. De segestribus. Segestrae de caprinis N. octo ℔ sexcentis. Pulvinare tenerrimum et maximum ℔ sexcentis. Hinc patet, segestre fuisse idem ac stragulum pelliceum, quod memorat *Paul. Dig.* 34, 2, 24., et ap. *Plin.* 8, 58, 83. Stragula cubicularia e pellibus talpae. ℙ Est etiam genus straguli, quod

corpori injiciebatur in exercendo, [*στεγαστρὶς διφθέρα.] *Suet. Aug.* 83. Vectabatur et deambulabat ita, ut in extremis spatiis subsultim decurreret, segestri, vel lodicula indutus. Ita cum *Cujac. l.* 13. *Observ. c.* 13. plerique legunt: *sestertio* minus recte alii. [*V. *Casaub.* ad *Suet.* l. l.] ℙ Ponitur et pro quovis involucro. *Plin.* 13, 12, 23. Charta emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum, segestriumque in mercibus usum praebet; ideo a mercatoribus cognominata.

SĔGĔTĀLIS, e, adj. a segete derivatum. Gladiolus segetalis, herba est folia habens gladio similia, caulem cubitalem, flores purpureos, radices duas parvulas, et rotundas, nascens juxta segetes. *Appul. Herb.* 78.

SĔGĔTIA. V. SEGESTA.

*SEGIDA, ae, f. Σεγίδη, oppidum Hispaniae Baeticae, ad Anam flumen, dictum et Restituta Julia. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*SEGIENSES, ium, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. ubi *Segisenses* (ut in ed. *Parm.*) mavult legere *Harduinus*, a Σέγισα in Bastinis oppido, ap. *Ptolem.* 2, 6. *B. A.*

*SEGIMUNDUS, i, m. Segestae filius, qui anno, quo Germaniae descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus, rupit vittas profugus ad rebelles: postea ab obsesso patre legatus ad Germanicum, ac clementiae Romanae compos factus, benigneque exceptus, cum praesidio Gallicam in ripam missus est, de quo *Tac. A.* 1, 57. *B. A.*

*SEGISAMA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Vaccaeorum terra, Julia cognominatum. *Flor.* 4, 12. ℙ *Segisamo* audit. *Anton. Itin.* ℙ Incolae *Segisamonenses* dicti, itemque *Segisamejulienses*, teste *Plin.* 3, 3. *B. A.*

*SEGISAMEJULIENSES et } V. in voc. anteced.
*SEGISAMONENSES, ium } *B. A.*

SEGMEN, inis, n. κόμμα, segmentum, resegmen: a *seco*. *Fabius Pictor* ap. *Gell.* 10, 15. Unguium Dialis, et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. *Plin.* 13, 12, 23. Longitudine papyri, quae potuit esse, segminibus utrinque amputatis. Ita edd. vett. 1470. et 1472., quibus addi potest et antiquior 1469., ubi aperto errore est *graminibus*. Alii leg. *resegminibus*. *Auson. Ecl.* 1, 7. Sed solidum in parvis, nullique secabile segmen, *h. e.* atomus. *Vitr.* 7, 3. *f.* Ita cannarum duplex in parietibus, ordinibus transversis, fixa perpetuitas, nec segmina, nec rimam ullam fieri patietur: *scorzature* Patavini vulgo vocant.

[SEGMENTĀRĬUS, ii, m. qui segmenta in vestium usum conficit. V. SEGMENTUM. *Not. Tir.* p. 160. Segmentum, segmentarius. *F.*]

SEGMENTĀTUS, a, um, part. ab inus. *segmento:* segmentis variegatus, tessellatus, emblematis distinctus. *Juven.* 6, 88. in magnis opibus, plumaque paterna, Et segmentatis dormisset parvula cunis. *Mart.* 6, 74. Calvam trifilem segmentatus unguento, *h. e.* unguenti quasi segmentis imbutus. Alii leg. *semitatus*, h. e. unguenti quasi sulcis, aut semitis distinctus. Alii rectius *semitactus*. *Isid. Or.* 19, 22. Segmentata (*vestis est*) zonis quibusdam, et quasi praecisamentis ornata. *Sym. ep.* 4, 42. Amicitiae cultus ingenuus est. Alba velamina, non segmentati amictus fidem vestiant. *Arat.* 2, 343. Qui (*pontifex*) segmentatus mediis altaribus adstat, *h. e.* segmentis distincta veste indutus. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 32. Discumbentes toralibus segmentatis; et *n.* 41. Fratres Arvales super toralibus segmentatis discubuerunt. ℙ Translate. *Symm. ep.* 3, 12. Paginae Tulliano segmentatae auro.

SEGMENTUM, i, n. κοπή, κόμμα, sectio, incisio, sectura. *Plin.* ubi agit de secandis marmoribus, 36, 6, 9. Crassior arena laxioribus segmentis terit, et plus erodit marmoris. ℙ Item sectio, divisio; itemque ipsa pars cujuslibet rei, quae illa sectione continetur. *Id.* 6, 33, 39. Plura sunt haec segmenta mundi, quae nostri circulos appellavere, Graeci parallelos; et *ib.* 34, 39. Quinto continentur segmento Bactra, Iberia, Armenia, etc. *Auson. Idyll.* 10, 118. de perca pisce: solidoque in corpore partes Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis, *h. e.* incisuris. ℙ Item particula secta ex serico, auro, purpura, et hujusmodi, quae assuitur vel praetexitur vestibus ornatus gratia; et per synecd. ipsa vestis. Usurpatur in plur. num. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 1. Senatus permisit feminis purpurea veste, et aureis uti segmentis. *Ov. A. Am.* 3, 169. Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro, Nec quae bis Tyrio murice lana rubes. *Juven.* 2, 124. Segmenta, et longos habitus, et flamea sumit, Arcano qui sacra ferens nutantia loro Sudavit clypeis ancilibus, *h. e.* qui fuit sacerdos Martis, et Salius, mulliebres et pretiosas vestes induit. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Et illam Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta plus picta oratione convenustavit.

SEGNESCO, is, n. 3. segnis fio. *Coel. Aur. Acut.* 2, 18. *med.* Mitescentibus, et segnescentibus sputis.

*SEGNI, orum, populi Galliae Belgicae, de quibus *Caes. B. G.* 6, 32. *B. A.*

SEGNĬPES, edis, adj. βραδύπους, qui tarde incedit. *Juven.* 8, 67. tritoque trahunt epirhedia collo Segnipedes, *h. e.* equi pigriores, caballi.

SEGNIS, e, adj. ὀκνὸς, ἀργὸς, νωθὴς, piger, tardes, ignavus. *Festus* a *se* pro *sine* ducit, et *nitor, eris*, ut sit qui non nititur ad id, quod honestum est, aut utile. Alii a *se*, et *ignis*, quasi sine igne et ardore animi. *Nep. Thras.* 2. Haec illos ad persequendum segnes fecit. *Quint.* 1, 3. Segnis et jacens puer. *Tibull.* 1, 1, 58. tecum Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 142. In quo tua me provocavit oratio, mea consecuta est segnis. *Virg. A.* 10, 699. poplite Palmum Succiso volvi segnem sinit, *h. e.* vulnere tardatum, nec amplius fugere valentem. Dixerat enim *ib.* 697. Palmumque fugacem. *Hor. Od.* 3, 12, 8. neque pugno, neque segni pede victus. *Id. Sat.* 2, 3, 100. Aristippus servos projicere aurum jussit, quia tardius irent Propter onus segnes. *Sen. Troad.* 1090. Segni gradu pergere. *Nemes. Cyn.* 258. Segnes aures equi, *h. e.* quae non sunt agiles, ut *ib.* 245. dixerat: quae facile non arriguntur. *Ov. Pont.* 4, 8, 75. nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo est; et *ib.* 3, 4, 50. Mens ad laetitiam segnis. *Val. Fl.* 8, 99. Segnis flatus; et *Virg. A.* 11, 736. Segnes in bella. *Ov. Pont.* 1, 5, 43. Segnia otia ducere. *Id. Met.* 3, 563. jussis mora segnis abesto; et *ib.* 12, 500. Segnia acta. *Lucan.* 9, 849. fata, *h. e.* mors tarde adveniens. *Albinov.* 1, 449. Segnes anni, *h. e.* nulla praeclara re gesta, in otio peracti. Sic *Sen. Med.* 399. et *Herc. Oet.* 60. Segnis dies, *h. e.* quo nihil actum est. *Curt.* 8, 9. *f.* aetas, *h. e.* senectus, quae passim *tarda* dicitur. Sic *Virg. G.* 3, 95. equus segnior annis. *Sen. Herc. Fur.* 690. Segnis sopor. *Lucan.* 4, 700. metus. *Ov. R. Am.* 404. voluptas, *h. e.* quae tarde et parum movet. *Sen. Troad.* 847. et *Herc. Fur.* 763. et *Curt.* 8, 9. *med.* Segnes aquae, *h. e.* quae placide et lente fluunt. Sic *Plin.* 3, 4, 5. Segnis Arar. V. ARAR, et adde *Val. Fl.* 1, 357. Segnes radii solis, ap. *Nemes. Cyn.* 212. sunt cum sol est in solstitio aestivo, et tardo ascensu decensuque movetur. *Id. ib.* 164. postquam Phoebus candentem fervidus axem Contigerit, tardasque vias, Cancrique morantis Sidus init. Sic *Val. Fl.* 1, 484. stellas segnes vocat Ursam utramque, et Booten, quae pigra et tarda sidera a poetis dicuntur. ℙ Peculiare atque elegans est illud *Lucan.* 10, 114. sectisque (*domus*) nitebat Marmoribus; stabatque sibi non segnis achates, etc. *h. e.* non otiosus et ornatus solum gratia in tenues crustas dissectus, sed solidus et integer in columnam elaboratus, ut laquearia et tectorum pondus sustineat. [*V. *Trill.* ad h. l. in *ed. Web. Christ. ib.* legere vult *sectus.*] ℙ Cum refertur ad animi naturam, tardum stupidumve significat. *Plin.* 11, 52, 114. Frons ubi est magna, segnem animum subesse significat: quibus parva, mobilem. *Tac. A.* 12, 26. Segnis indoles. *Id. H.* 1, 52. *extr.* Segne ingenium. ℙ Ponitur et pro infructuoso, sterili, inutili. *Quint. decl.* 3, 4. Segnem futuris novalibus eruere silvam. *Lucan.* 9, 438. Hoc tam segne solum raras tamen exserit herbas. *Virg. G.* 1, 151. segnisque horreret in arvis Carduus; et *ib.* 72. Et segnem patiere situ durescere campum, *h. e.* cessantem a cultura et fructu. *Id.* 2, 275. agro in denso non segnior ubere Bacchus. ℙ Cum inf. *Hor. Od.* 3, 21, 22. Segnesque nodum solvere Gratiae. *Ov. Trist.* 5, 7, 19. Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro. Adde *Lucan.* 8, 296. ℙ Cum gen. *Tac. A.* 16, 14. Vir inquies animo, et occasionum non segnis, *h. e.* non tardus in occasionibus arripiendis, statim ac se offerunt. ℙ *Cicero* comparativum fere usurpat, ut *ad Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. f.* Si cui adhuc videor segnior fuisse, etc. *Id Fin.* 1, 10. *med.* Nec me segniorem ad respondendum reddidisti. *Id. Font.* 3. *f.* Segniores ad imperandum. Adde *Dom.* 22. Sic *Caes. B. C.* 1, 3. Laudare promptos, castigare segniores, [*i. e. qui tardius venirent. V. *Herz.*] et *Liv.* 24, 13. *extr.* Segnior ad credendum. ℙ Saepe praefixa negatione adhibetur: et alacritatem celeritatemque significat. *Virg. A.* 4, 149. haud illo segnior ibat Aeneas; et *ib.* 7, 383. non cursu segnior illo Per medias urbes agitur. Adde *ib.* 8, 414., *Val. Fl.* 5, 587. et *Lucan.* 6, 181. Sic *Val. Max.* 6, 4. *n.* 2. Nihilo segnior Scipionis in concione gravitas. ℙ *Segne* adverbii ritu pro segniter. *Ammian.* 21, 10. Nihil deinde differendum, nec agendum segne ratus. ℙ Comp. *Segnior*, pro quo *segnitior* est ap. *Ulp. Dig.* 47, 10, 17. *med.*, ut quidem edidit *Torrent.* Sup. *Segnissimus* habet *Appul. Apol.* Lana segnissimi corporis excrementum.

SEGNĬTAS, atis, f. segnitia. *Accius* ap. *Non.* 2, 808. Eo nunc quod eorum segnitate ardet focus. *Id. ib.* Ut dicam, te metu, aut segnitate addubitare. *Cic. Or.* 1, 41. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitatem hominum, atque inertiam. Ita leg. *Non. ib.* et 4, 53., sed in libris editis passim habetur *segnitiem.*

SEGNĬTER, adv. ὀκνηρῶς, ἀργῶς, tarde, pigre, ignave, per inertiam. *Liv.* 2, 58. *med.* Segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agere. *Suet. Cal.* 43. Adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur. *Vell.* 2, 69, 2. Ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem dedit. [*Cf. *ib*, 87, 1.] *Curt.* 4, 3. Ne segniter adsidere uni urbi videretur. *Tac. H.* 2, 97. Auxilia e Germania excivit segniter, et necessitatem dissimulans. *Stat. Silv.* 1, 4, 106. inveniunt positos jam segniter artus, Pugnantemque animam, *h. e.* membra graviter aegrotantis jacentia penitus, et lethargo oppressa, ita ut ne moveri quidem possent. *Tac. H.* 2, 71. Mitis, et injuriam segniter laturus, *h. e.* tarde sensurus, et aequo animo passurus. ℙ Comp. *Segnius* est frequens. *Liv.* 30, 21. Segnius homines bona, quam mala sentiunt. *Id.* 40, 27. Hostes segnius socordiusque oppugnabant. *Tac. H.* 3, 40. Segnius, quam ad bellum incedens. *Suet. Claud.* 9. Quod statuas segnius locandas curasset. *Hor. A. P.* 180. Segnius irritant animos demissa per aures, Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, *h. e.* tardius et remissius. ℙ Praecedente negatione significat eadem celeritate, alacritate, diligentia. *Sall. Jug.* 78. *extr.* Oppidani insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare. *Nep. Dat.* 2. *extr.* Cum ab Ariobarzane desertus esset, nihilo segnius perseveravit. *Plin. ep.* 3, 18. *f.* Non ideo tamen segnius precor, ut, etc. *Flor.* 3, 3. Nec segnius, quam minati fuerant, per Alpes ferebantur. *Lucan.* 6, 286. qui Caesaris arma Segnius haud vidit, quam, etc. Adde *Plin. ep.* 6, 20., *Liv.* 7, 18. *f.*, *Suet. Ner.* 20. *f.*, *Plin. Pan.* 69., *Tac. H.* 3, 25. *f.*, item *Ov. Met.* 7, 770. et 10, 588., quibus loc. alii reponunt *secius*, aut *sequius*, levi aut nulla mutatione sententiae. Sic *Plin.* 28, 7, 23. Si in defectu Lunae congruat vis illa, irremediabilem fieri: non segnius et in silente. [*Meliores editiones vulg. exhibent: apud *Luc.* et *Ov.* sunt qui *segnior* praeferunt. Mutatur vero sententia: v. quae in hanc rem dicta sunt ad v. *secus.*] ℙ Sup. *Segnissime* habet *Cassiod. Var.* 1, 35. Nautae torpedinis tactu segnissime torpuerunt.

SEGNĬTIA, ae, f. et Segnities, ei, f. ἀργία, ὀκνος, tarditas, pigritia, inertia, negligentia. [*Discrimen faciunt inter *segnitia* et *segnities:* hoc ad habitum quendam manentem, solitum referunt; illud de praesenti dormitantis more dictum volunt.] *Cic. Fin.* 1, 2. Rudem esse in nostris poetis, aut inertissimae segnitiae est, aut fastidii delicatissimi. *Id. Brut.* 81. *f.* Sine arrogantia gravis esse videbatur, et sine segnitia verecundus. *Id. Or.* 1, 41. Castigemus segnitiem hominum atque inertiam. *Ter. Andr.* 1, 3, 1. Enimvero, Dave, nihil loci est segnitiae, neque socordiae. Ubi *Donat.* segnitiae ad agendum, socordiae ad considerandum. *Pl. As.* 2, 1, 6. Tu abs te socordiam omnem rejice, et segnitiem amove. *Virg. A.* 2, 373. Festinate viri: nam quae tam sera moratur Segnities? *Tac. H.* 1, 33. Cunctatione et segnitia tempus terere. [*Vell. 1, 1, 1. ob segnitiam non vindicatae fratris injuriae.] ℙ Translate. *Tac. H.* 3, 42. Valens e sinu Pisano segnitia maris, aut adversante vento, portum Herculis Monoeci depellitur. Sic *segnities ventorum* ap. *Colum.* 2, 21. *f. h. e.* silentium, quies, cum venti nequicquam exspectantur ad ventilanda frumenta in area. Alii tamen in *Tac.* leg. *saevitia. Quint. decl.* 12, 11. [*p. 252. *ed. Burm.*] Segnities verbi, *h. e.* tarditas, parcitas, verbum minus exprimens rei atrocitatem. ℙ Aliquando est socordia, stultitia, stupiditas. *Suet. Claud.* 5. Super veterem segnitiae notam ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit. *Tac. A.* 4, 59. *extr.* Qui nunc patientiam senis et segnitiam juvenis juxta insultet. Huc trahi etiam potest illud *Pl. Trin.* 3, 3, 66. In ejusmodi negotio diem sermone terere, segnities mera est. Potest etiam verti negligentia: segnis enim et piger negligens est. Quo sensu *Colum.* 9, 5. de apib.: Neque ea res curatorem fraudulentum tantum, sed etiam immundae segnitiae perosa est: aeque enim dedignatur, si minus pure habita est, ac si tractetur fraudulenter, *h. e.* cum apes negligentia curatoris immunditiis infestantur.

[SEGOBRĬGENSIS, e, adj. ad Segobrigam pertinens, Hispaniae urbem, quam *Plin.* 3, 3, 4. vocat Celtiberiae caput, nunc *Segorbe. Inscr.* ap. *Grut.* 320, 2. L. Annio L. F. Gal. Cantabro omnib. honorib. gestis Segobrigae decreto ordinis pecunia publica Segobrigenses. *F.*]

*SEGONAX, actis, m. rex in ea Britanniae parte, quae tota maritima est et Galliam spectat, a Cassivellauno Caesaris castra adoriri jussus. *Caes. B. G.* 5, 22. *B. A.*

[SEGONTĬACI, orum, m. plur. Britanniae populi, ad quos alii pertinere contendunt urbem Segontium in *Anton. Itin.* memoratam, alii negant. *Caes. B. G.* 5, 21. Cenimagni, Segontiaci, Ancalites. [*Camden. docet Segontiacos fuisse populos Britanniae apud Belgas, in tractu *Holeshot* nunc dicto.] *Inscr.* ap. *Donat.* 37, 1. Deo Herculi Segontiacorum, etc. *F.*]

[SEGONTĪNENSIS, e, et *F.*]

[SEGONTĪNUS, a, um, adj. ad Segontium, vel Seguntiam, vel Saguntiam pertinens, Arevacorum oppidum in Hispania Tarraconensi, a *Plin.* 3, 3, 4. et *Liv.* 34, 19. memoratum, nunc *Siguenza. Inscr.* ap. *Grut.* 866, 4. C. Clodio C. F. Flavo Segontinen., etc. Alia ap. *eund.* 324, 2. C. Atilio C. F. Quir. Crasso Segontino, etc. *F.*]

*SEGOVELLAUNI, orum, populi Galliae Narboneusis, ad confluentem Isarae et Rhodani. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

*SEGOVĪA vel Segobia, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, non longe a Compluto ac Tagi fontibus. *Plin.* 3, 3. *Σεγουβία* est *Ptolemaeo.* ℙ Item oppidum Hispaniae Baeticae, ad flumen Siciliense. *Auct. B. Alex.* 57. *B. A.*

SEGRĔGĀTIM, adv. separatim. *Prud. praef. Hamart.* 39. Et segregatim numen aeternum colens.

SEGRĔGĀTIO, onis, f. separatio. *Tert. Anim.* 43. Somnus est segregatio spiritus.

*SEGREGĀTOR, oris, m. qui segregat. Laudatur *Tertull. B. A.*

SEGRĔGĀTUS, a, um, part. a *segrego:* a grege separatus, *ἀποβουκοληθείς. Phaedr.* 3, 15. Ovesque segregatas ostendit procul, *h. e.* separatas a grege capellarum. ℙ Translate est simpliciter sejunctus. *Cic. Tusc.* 5, 28. Quid ea vita foedius? quid deformius sola relicta, comitatu pulcherrimo segregata? *Ter. Hec.* 5, 1, 26. Polliceor tibi, me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum, *h. e.* me segregasse a me Pamphilum. [**Liv.* 32, 58. captivis productis segregatisque, i. e. delectu facto.]

SEGRĔGIS, e, vel potius Segrex, egis, et Segregus, a, um, adj. *ἀποδιορισθείς, νοσφισθείς*, segregatus, sejunctus, separatus: quasi a grege remotus. *Sen. Ben.* 4, 18. Quaecumque animalia vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt, *solitaria.* Alter *Sen. Hipp.* 1208. Qui nova natum nece Segregem sparsi per agros, *h. e.* discerptum, dilaniatum, in frusta concisum. *Prud. Cath.* 7, 28. Fragore ab omni quem remotum et segregem Sprevisse tradunt criminum frequentiam. *Id. Hamart.* 804. Omnibus una subest natura, sed exitus omnes Non unus peragit, placitorum segrege forma, *h. e.* dissimili, diversa, varia. *Auson. Parent.* 8, 10. Ipse tuo vivens segregus arbitrio. *Graevius* mallet *segregis.* Adde *Sidon. ep.* 9, 3. ℙ Rectus *segrex* tribuitur *Pl. Most.* 1, 2, 85. Quaeso, quid segrex es? *h. e.* quid exsternatus es. Alii leg. *quid aegre est?*

SEGREGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποβουκολέω*, a grege separo. *Nemes. Cyn.* 156. de canib.: sic conscia mater Segregat egregiam sobolem virtutis amore. V. ABGREGARE, et *Phaedr.* in SEGREGATUS. ℙ Translate est *ἀφορίζω*, separo, sejungo, admoveo, removeo. *Cic. Phil.* 5, 11. Exclusit illum a republ., distraxit, segregavit scelus ipsius. *Id. Har. resp.* 12. *extr.* Qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis, non voce, sed manu liberos a se segregabant. *Id. Arch.* 2. *extr.* Segregare aliquem a numero civium. *Stat. Th.* 1, 183. Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido Segreget. *Plin.* 34, 2, 3. Segregare se a ceteris; et *Cic. N. D.* 2, 59. *med.* Eloquendi vis nos a vita immani et fera segregavit. *Ter. Heaut.* 2, 4, 6. Meretrices, quae vulgus abs se segregant, *h. e.* non omnes promiscue admittunt, sed uni se dant. *Pl. Most.* 5, 1, 9. Illi me e senatu segregant. *Accius* ap. *Non.* 3, 93. et 4, 330. Ut omnes adhibeant faventiam, ore obscena dicta segregent. *Ter. Hec.* 3, 5, 30. Segreganda mater a me est. *Pl. Capt.* 3, 3, 2. Spes, opes, auxiliaque a me segregant, spernuntque se. *Id. Mil.* 4, 6, 17. Ille illas spernit segregatque ab se omnes. *Id. Trin.* 1, 2, 41. et *As.* 4, 1, 29. Omnes bonos curare addecet, suspicionem et culpam ut ab se segregent. *Cic. Or.* 3, 47. Iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles. *Id. Fin.* 3, 9. Segregare virtutem a summo bono. *Liv.* 45, 23. *med.* Publicam causam a privatorum culpa segregaturus. *Id.* 1, 25. Ut segregaret pugnam, capessit fugam, *h. e.* ut hostes disjungeret, cum unus contra tres pugnaret. ℙ Item secerno. *Petr. Sat.* 135. Grana sordidissimis putaminibus vestita curiosa manu segrego. ℙ *Segregare sermonem* ap. *Pl. Mil.* 3, 1, 60. et *Poen.* 1, 2, 136. est abrumpere, et tacere. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 1, 452. Discidio potis est sejungi, seque gregari.

SEGRĒGUS. } V. SEGREGIS.
SEGREX. }

SEGULLUM, i, n. terrae genus in summo solo, ex qua metallarii cognoscunt subesse venam auri. *Plin.* 33, 4, 21. Aurum qui quaerunt, ante omnia segullum tollunt: ita vocatur indicium.

[SEGUSĪNUS, a, um, adj. ad Segusium, seu Segusionem pertinens, Alpium Cottiarum urbem, nunc *Susa. Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 210, 3. Genio municipI Segusini Jul. Marcellinus V. P. ex voto posuit. ℙ *Segusini, orum*, absolute sunt incolae illius urbis. Alia ap. *eund. ib.* 234. Praefectus ceivitatium Seguviorum, Segusinorum, etc. *F.*]

SEJĀ. V. SEGESTA.

SEJĀNĪĀNUS, a, um, adj. ad L. Aelium Sejanum pertinens, de quo v. v. sq. *Sen. Consol. ad Marc.* 1. Sejaniani satellites: et *mox:* Sejanianum jugum.

SEJĀNUS, a, um, adj. ad M. Sejum pertinens, civem R., ut Sejanae aedes, *Varr. R. R.* 3, 2. pastiones, *Id. ib.* ℙ *Sejanus equus*, fuit equus Cn. Seji civis Romani, inusitata magnitudine, omnibusque aliis equorum laudibus praestantissimus adeo, ut ex eorum genere equorum crederetur, quos Hercules occiso Diomede Argos perduxit. Sed equus iste eo fato fuit, ut quisquis possideret eum, is cum omni familia interiret. Primus enim hujus equi dominus a M. Antonio, qui postea triumvir constituendae reipubl. fuit, damnatus, miserando affectus est supplicio. Hunc deinde emit Cornelius Dolabella HS. centum millibus, qui et ipse a Cassio victus, in proelio occubuit. Ab hoc ad Cassium victorem equus pervenit, qui ab Antonio victus, sibi manus intulit. Nec multo post Antonius victor, qui equum hunc abstulerat, ab Augusto victus simili mortis genere periit. Hinc ortum est proverbium, ut homines calamitosi Equum Sejanum habere dicerentur. Haec *Gell.* 3, 9. ℙ [Est etiam cogn. R., ut *L. Aelius Sejanus*, qui Vulsiniis in Etruria ortus, patre Sejo Strabone Eq. R., a quodam L. Aelio adoptatus cognomen Sejani, ut moris erat, sibi adscivit. Hic sub Tiberio ejus amicitiam, et summam potentiam nactus, tandem, cum res novas in eundem moliretur, hostis judicatus miserrime periit. Ejus meminere *Tac. A.* 4, 1. et al., *Suet. Tib.* 55., *Juven.* 10, 63., aliique permulti. *F.*]

[SEJO, onis, m. qui serit: a *serendo*, ut Seja, de qua V. *Plin. l. c.* in SEGESTA. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 29. T. Granius Sejo. *F.*]

[SEJŪGA, ae, f. idem ac sejugis. *Isid. Or.* 18, 36. Quadrigae, et bigae, trigae, et sejugae ab equorum numero, et jugo dictae: ex quibus quadrigas Soli, bigas Lunae, et trigas Inferis, sejugas Jovi sacraverunt; et *mox:* Sejugarum maximus currus currit Jovi, propter quod maximum Deorum suorum eum esse credunt. *F.*]

[SEJŪGĀLIS, e, adj. ad sejuges pertinens. *Not. Tir.* p. 181. Sejuges, sejugales. *F.*]

*SEJUGATIO, onis, f. Laudatur *Augustin. B. A.*

SEJŪGĀTUS, a, um, part. ab inus. *sejugo: χωριστός*, sejunctus, separatus, divisus. *Cic. Div.* 1, 32. *med.* Humani animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis sejugatam. *Appul. Met.* 6. Si spiritus corpore tuo semel fuerit sejugatus. *Id. ib. paulo sup.* Singulis granis rite dispositis, atque sejugatis, *h. e.* secretis

[SEJŪGIS, e, adj. qui sex equos jugo junctos habet, et *currus* subauditur. V. *Inscr.* in DECEMJUGIS. Adde alias ap. *Fabr.* p. 276. *n.* 165. et *Grut.* 337. *F.*] ℙ *Sejuges, um*, absolute sunt ipsi equi seni ad unum currum adhibiti: vel currus, qui a sex equis trahuntur. *Plin.* 34, 5, 10. Serum hoc, et in his non nisi a Divo Augusto sejuges, sicut et elephanti. *Liv.* 38, 35. Sejugss in Capitolio aurati a P. Cornelio positi. *Appul. Flor. n.* 16. Vir, cui omnes provinciae quadrijuges, et sejuges currus ubique gentium ponere gratulantur. ℙ *Sejuges* etiam dicuntur separati, sejuncti, vel qui sine jugo, et legibus sunt. *Solin.* 4. de Sardinia: Sejuges gentes ad unum morem conjugare.

SEJUNCTIM, adv. disjuncte, separatim. *Tibull.* 4, 1, 103. Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte, Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister Miles, sitque duplex geminis victoria castris. [Ita legend. probat *Heynius*, alii aliter leg. *F.*]

SEJUNCTIO, onis, f. *διάζευξις*, actus sejungendi, separatio, divisio. Habet locum inter figuras sententiarum. *Cic. Or.* 3, 53. Propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, sejunctio, et reditus ad propositum, etc. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 346.] ℙ Discordia, dissidium. *Flor.* 1, 23. Deinde moribundos a sejunctione redisse in gratiam.

SEJUNCTUS, a, um, part. a *sejungo: χωριστός*, separatus, disjunctus. *Cic. Fam.* 1, 9. Si hoc tempore, quo sejuncti fuimus, et una, et Romae fuissemus. Alii leg. *disjuncti.* [*Orell.* habet *diiuncti.*] *Lucr.* 1, 430. nihil est, quod possis dicere ab omni Corpore sejunctum, secretumque esse ab inani. *Cic. Verr.* 2, 3, 84. Defensio remota ab utilitate, sejuncta a voluntate atque sententia legis. *Nep. Pel.* 3. Libet interponere, etsi sejunctum a re proposita est, etc. *Id. Att.* 10. *extr.* Ut appareret, nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. *Quint.* 8, 3, 23. Exercitatio procul a veritate sejuncta. *Claud. VI. cons. Honor.* 407. Laribus sejuncta potestas Exulat, *h. e.* remota a Laribus. *Lucr.* 2, 18. Corpore sejunctus dolor absit. *Appul. de Deo Socrat.* Non usque adeo sejunctos et alienatos a nobis Deos praedico, ut, etc.

SEJUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. *χωρίζω, ἀποζεύγνυμι*, seorsum jungo, separo, semoveo, segrego. *Lucr.* 1, 451. Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali Discidio potis est sejungi, seque gregari. *Cic. Fam.* 10, 6. Sejunge te, quaeso, aliquando ab iis, cum quibus te temporum vincula conjunxerunt. *Nep. Ann.* 3. *f.* Alpes, quae Italiam a Gallia sejungunt. *Just.* 4, 1. *f.* Discedere ac sejungi promontoria, quae ante juncta fuerant, arbitrere. *Stat. Silv.* 5, 3, 241. sejungere matrem Jam gelidis nequeo bustis. *Cic. N. D.* 3, 24. Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget. *Id. Vat.* 10. *extr.* Quod me ex fortissimorum civium numero sejungendum non putaris. [*Alia exempla haec sunto: *Id. Fin.* 1, 20, 66. quibus (amicitiis) partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum sejungi non potest, i. e. avocari. *Id. Coel.* 3. sejungere se a libertate verborum, i. e. abstinere.]

*SELACHŪSA, ae, f. insula Argolidi adjacens, in sinu Saronico, e regione promontorii Spiraei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

SELĀGO, ginis, f. planta herbae Sabinae similis, contra omnem perniciem utilis habita, et fumo contra oculorum vitia. *Plin.* 24, 11, 62. [*Lycopodium Selago, *L.*]

SĒLAS, n. Selas Graeci vocant incensi aeris lucem, inquit *Appul. de Mundo:* Est autem meteori quoddam genus: a *σέλας, αος, τό*, fulgor. *Sen. Q. N.* 1, 15. Fulgores, inquis, quomodo fiunt, quos Graeci sela appellant? *τὰ σέλα.*

*SELE, es, f. oppidum Persidis, in Susiana. *Ammian.* 23, 21. *B. A.*

SĒLECTIO, onis, f. *ἐκλογή*, [**αἵρεσις, πρόκρισις.*] actus seligendi. *Cic. Fin.* 2, 13. *f.* Ut eam rerum selectione exspoliarent. *Id. ib.* 3, 4. Nulla selectione uti. *Id. Leg.* 3, 10. Est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio. *Id. Fin.* 3, 9. *med.* Si selectio nulla sit ab iis rebus, quae contra naturam sint, earum rerum, quae sint secundum naturam. ℙ Selectioni contraria est rejectio. *Id. Fin.* 3, 6. Quae inventa selectione, et item rejectione, etc. *h. e.* quae inventa, adhibita selectione et rejectione, etc.

SĒLECTOR, oris, m. *αἱρέτης*, qui selegit. *August. C. D.* 7, 3. Cujus muneris Deam *(Mentem)* selectores isti inter selecta numina minime posuerunt.

SĒLECTUS, a, um, part. a *seligo: ἐκλεκτός*, electus, delectus, eximius. *Cic. N. D.* 1, 30. *f.* Selectae brevesque sententiae, [*i. e. *κυρίαι δόξαι* Epicuri.] *Ov. Fast.* 5, 71. Romulus hoc vidit, selectaque pectora Patres Dixit, ad hos Urbis summa relata novae. ℙ Dii selecti sunt duodecim mares, Janus, Juppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater: octo feminae, Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta. Ita *Varr. antiquitat. rer. divin. l.* 16., qui de Diis selectis *inscribebatur*, ap. *August. C. D.* 7, 2., qui *ib.* et *c.* 3. de hac appellatione multa disputat: ac demum arbitratur, non ideo dictos selectos, quod praestantiores in mundo administrationes agerent; sed quia populis magis innotescerent. Adde *ib.* 27. et 33. ℙ *Selecti judices* erant judices causarum publicarum, qui una cum praetoribus quaestionum perpetuarum in decurias distributi judicia de criminibus publicis, et capitalibus exercebant: ita dicti, quod a praetore Urbano non sorte, sed judicio, et jurejurando initio magistratus seligebantur ex ordinibus iis, apud quos judicia essent. *Cic. Cluent.* 43. Deinde praetores tantum Urbani, qui jurati debent optimum quemque in selectos judices referre. Adde *Hor. Sat.* 1, 4, 123. et *Ov. Am.* 1, 10, 38. et *Trist.* 2, 132. ℙ *Plin.* 33, 2, 7. docet, decurias judicum pluribus nominibus discretas fuisse, tribunorum aeris, selectorum, judicum, et nongentorum, ubi quod selectos a judicibus distinguit, ideo facit, quia sub Augusto (qui decurias judicum recognovit, et auxit, ut est ap. *Suet. Aug.* 29. et 31.) coepere *selecti* esse nomen ordinis, qui antea erant sortis, *judices* vero dicti, qui alterius et inferioris ordinis erant, et fortasse hoc loco intelliguntur *ducenarii:* quae fuit quarta decuria ab Augusto instituta, ut narrat *Id. l. c.* 32. *f.* Quod *selecti* nomen ordinis fuerit, colligi videtur ex illo *Sen. Ben.* 3, 7. *extr.* Ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controversiam incidit, non potest ad haec sumi judex ex turba selectorum, quem census in album, et equestris hereditas misit. Sed rectius alii *Senecam* censent de iis loqui universim, qui a praetore olim seligebantur, ut dictum est. Hactenus *Forcellinus.* ℙ [Verum, cum ante Augustum tres tantum fuerint judicum decuriae, *senatorum* scilicet, *equitum*, et *tribunorum aeris*, quibus ipse quartam *ducenariorum*, et Caligula quintam item *ducenariorum* addidit (V. DECURIA); ex vetustis lapidibus satis exploratum est, hos omnes nullo discrimine fuisse appellatos modo *judices de selectis (Inscr.* ap. *Grut.* 436, 5.), modo *judices selectos ex decuriis trib.* (Alia ap. *eund.* 479, 6., ubi tamen perperam pro TRIB. leg. TRID.), vel *ex decuriis quatuor* (Alia ap. *Mur.* 760, 1.), vel *ex decuriis quinque* (Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 365, 3.), modo *judices ex quinque decuriis inter selectos* (ap. *eund. ib.* 371, 4.). Quandoque tamen qui ex tribus prioribus decuriis erant, *judices quadringenarii* vocati sunt, ut scilicet distinguerentur ab iis, qui ex duabus postremis *ducenarii* dicebantur. V. QUADRINGENARIUS. Hinc ex *Plin.* 33, 2, 7. patet, eos, qui judicia exercebant, solitos fuisse usurpare diversa et superba nomina, licet eodem omnes pacto et *judices*, et *selecti*, et *ex decuriis tribus*, *quatuor*, *quinque* jure ac merito appellandi essent. *F.*]

[SĒLĒNA, ae, et Selene, es, f. *σελήνη*, luna. Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 376, 7. Justinae Selenae uxori etc. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 613. Licinia M. Crassi Lib. Selene. *F.* ℙ *Nomen inditum Cleopatrae, Antonii triumviri uxori: cum enim Bacchus aut Osiris diceretur Antonius, ita et Cleopatra Luna vel Isis. *Σελήνη* enim est *luna. Suet. Calig.* 26. Al. leg. *Selena*, al. *Helena.* ℙ Item

uxor regis Antiochi, primo Grypi, deinde Pii, ex Aegypto, quae et Cleopatra dicta est. Ejus filii duo, Antiochus Asiaticus, et Seleucus Cybiosactes. *Cic. Verr.* 3, 27. Cf. *Joseph. Antiq.* 13, 29. *B. A.*

[SĔLĒNĬO, onis, f. et Selenium, ii, n. σελήνιον, lunula, dimin. lunae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 427, 9. Cornuficia Ɔ. L. Selenio. Alia ap. *Mur.* 1599, 11. Cornificia L. L. Selenium. *F.*]

SĔLĒNĬON, ii, n. σελήνιον, herba paeonia, ap. *Appul. H.* 64. [**Paeonie.*]

SĔLĒNĪTIS, itidis, f. σεληνῖτις, gemma ex candido translucens melleo fulgore, imaginem lunae continens (quae Graece σελήνη), redditque eam in dies singulos, crescentis minuentisque numeris: nascitur in Arabia. *Plin.* 37, 10, 67. [**Gypsselenit, Marienglas.*]

SELENĪTIUM, ii, n. genus hederae minore acino, racemo sparsiore. *Plin.* 16, 34, 62.

SĔLĒNOGONON, i, n. herba eadem quae selenion. *Appul. H.* 64.

SELENUSĪUM, ii, n. genus tritici praecipuum. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 1. Al. leg. *Selinusium*, quod praestat.

SELEPĪTĀNUS. V. EPIDAURITANUS.

SĔLEUCENSIS, e, adj. ad Seleuciam (Σελεύκειαν) pertinens. Multa sunt autem oppida Seleuciae nomine, in Syria, Mesopotamia, Cilicia, etc., de quib. V. geographos. Hinc Seleucenses, ejus oppidi homines. *Plin.* 5, 32, 42.

SĔLEUCĒNUS, a, um, adj. ad Seleuciam pertinens. *Capitol. Ver.* 8. Incusatis Seleucenis, qui fidem primi ruperunt.

SĔLEUCĬA, ae, f. Σελείκεια, cognomento Magna, urbs Mesopotamiae ad Tigrim fluvium contra Ctesiphontem. *Plin.* 5, 26, 21. Adde 6, 26. et 27., ubi *Babylonia* cognominatur, et 18, 18. Parthorum regia fuit, teste *Coel.* in *Cic. Fam.* 8, 14. *in.* unde *Seleucia Parthorum* audit *Plin.* 10, 48. *B. A.*] ℙ Seleucia cognomento Pieria, urbs Syriae apud ostia Orontis. *Id.* 5, 12, 13. *Cic. Att.* 11, 20. collato *Polyb.* 5, 59. ℙ Item oppidum Elymaidis. *Plin.* 6, 27. ℙ Aliud, in Cilicia, in confinio Isauriae, ad Calycadnum flumen. *Id.* 5, 27. In Isauria ponit *Ammian.* 14, 3. (al. 28.) ℙ Aliud, in Lydia, quod et Tralles et Antiochia dictum. *Plin.* 5, 29. ℙ Alia hoc nomine oppida, sed Latina auctoritate carentia, V. apud *Cellarium. B. A.*] ℙ Seleucia etiam, cognomento ad Belum, urbs Syriae, in Casiotide reg. ad Belum fl. *Id.* 5, 23, 19. ℙ Aliae sunt alibi hoc nomine urbes, de quibus V. geographos.

SĔLEUCĬĀNUS, a, um, adj. a Seleucia, ut Seleuciana provincia, *Cic. Att.* 4, 18., ubi al. leg. *Siliciana.* [**Orell.* habet ex Marg. Cratandrinae *Selicianae unciae*, i. e. liberam contemptionem corruptionis iudiciorum et suffragiorum, qualis nunc exercetur ab ambitiosis illis, qui pecunias mutuas sumunt a Selicio ejusmodique feneratoribus. Neutram lectionem, cujus *Forc.* mentionem fecit, explicari posse confirmat.]

SĔLEUCĪDES, um, f. plur. aves Casii montis incolis gratae. *Plin.* 10, 27, 39. [**Turdus Seleucis, L.*]

*SELEUCIS, idis, f. Σελευκίς, ad Seleucum vel Seleuciam pertinens. *Plin.* 2, 67. Juxta vero ab ortu ex Indico mari sub eodem sidere pars tota vergens in Caspium mare pernavigata est Macedonum armis, Seleuco atque Antiocho regnantibus, qui et Seleucida atque Antiochida ab ipsis adpellari voluere. *B. A.*

[SĔLEUCIS, idis, f. σελευκίς, poculi, navis, et vestis quoddam genus, item calceamentum muliebre, quae omnia sic appellata sunt a Seleuco rege. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1582, 7. Felix Lydes L. dat Seleucidi Lydes L. conjugi. *F.*]

*SELEUCUS, i, m. Σέλευκος, unus ex principibus amicis Alexandri M., qui post mortem ejus primus in Syria regnavit. *Nicator* a victoriis dictus est. Hujus posteri Seleucidae appellati. V. *Just.* 13, 4. 15, 4. etc. ℙ Seleucus II. filius Antiochi Thei, *Callinicus* per ironiam dictus, successit patri. *Just.* 27, 2. et 3. 28, 1. ℙ Seleucus III. cognomento Ceraunus, patri successit. Ei successit frater Antiochus Magnus. ℙ Seleucus IV. Philopator, post Antiochum Magnum rex. *Id.* 32. ℙ Seleucus V. Demetrii Nicanoris filius. *Id.* 39. ℙ Seleucus VI. Antiochi Gryphi filius, cum patruo Cyziceno de Syriaco imperio dimicavit, atque acie victum interfecit. ℙ Seleucus, mathematicus, quem Vespasianus Caesar rectorem et conscium palam habuit. *Tac. H.* 2, 78. ℙ Seleucus, servus Q. Leptae. *Cic. Fam.* 6, 18. ℙ Et citharoedus. *Juven. Sat.* 10, 211. ℙ Fuit et Seleucus nomen montis in Gallia Narbonensi, in Vocontiorum terra, clade Magnensii tyranni memorabilis. *Anton. Itin.* V. *Sirmond.* ad *Sidon. ep.* 5, 6. ℙ *Seleucus* male scriptum pro *Zaleucus.* V. ZALEUCUS. *B. A.*

[SELGĬCUS, a, um, adj. regionem pertinens. *Tert. Pall.* 3. Exinde materia; nec de ovibus dico Milesiis, et Selgicis, et Altinis, aut queis Tarentum, vel Baetica cluit, natura colorante. Pro *Selgicis*, aut *Salgicis*, ut alii legunt, scribendum esse *Gallicis*, satis arguunt scriptorum *l. c.* in V. LANA. *F.*]

SELGĬTĬCUS, a, um, adj. a Selga oppido Pamphyliae, ut Selgiticum oleum, facticium, ex herbis selectis compositum, nervisque admodum utile. *Plin.* 15, 7, 7. et 23, 4, 49.

SĔLIBRA, ae, f. ἡμίλιτρον, dimidia libra: a *semilibra*, per sync.; habet autem primam syllabam brevem, quamvis longa sit in *semis. Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. Malobathri selibris in musti congios duos additis. *Mart.* 4, 46. Et turis, piperisque tres selibrae. *Id.* 10, 57. Argenti libram mittebas: facta selibra est. *Cato R. R.* 84. Selibra farinae. *Varr. L. L.* 4, 30. Se valet dimidium, ut in selibra et semodio. *Liv.* 5, 47. *med.* Selibras farris, et quartarios vini contulerunt.

[SELICĬĀNUS, a, um, adj. ad Q. Selicium pertinens, feneratorem Romanum, de quo ap. *Cic. Att.* 1, 12. et *Fam.* 1, 5. mentio est. *Id. ib.* 10, 16. De villa Seliciana et curasti diligenter, et scripsisti facetissime. *F.*]

SĔLĪGO, inis. V. SILIGO.

SĔLĪGO, is, egi, ectum, a. 3. ἀπολέγω, ἐκλέγω, seorsum lego, secerno, deligo. *Cic. Or.* 15. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet, et seliget; et *ib.* 29. *med.* Quae exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel posse eligere qui quaererent. [*Difficilis locus est *Cic. Fin.* 3, 6. *f.* illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum: cujus sententiam, coll. *Stobaei Ecl. eth.* 2, 7. p. 136. et p. 140. *Heeren.* ita explicat *Orell.* „Ut sagittarius propositum habet σκοπὸν, quo feriat, sic adeptio principiorum naturae nobis σκοπὸς est seligendus, αἱρετέος. Τέλος autem s. ultimum bonorum nobis est honesta actio, ad σκοπὸν illum relata et unice αἱρετή: veluti sagittario hoc quasi ultimum est et expetendum (τέλος αἱρετὸν) omnia ut faciat, quo feriat suum σκοπὸν αἱρετέον, seligendum.] *Ov. Am.* 3, 11, 49. tu selige tantum, Me quoque velle velis, anne coactus amem. *Appul. Met.* 10. Partes optimas quasque devorabam, et rancidiora seligens, abliguriebam dulcia, *h. e.* rejiciens.

SĔLĪNOĪDES, σελινοειδὴς, epitheton brassicae crispae, a similitudine apii foliorum. Σέλινον enim apium est. *Plin.* 20, 9, 33.

[SĔLĪNON et Selinum, i, n. σέλινον, apium (Patavini vulgo *séleno* vocant). *Appul. H.* 8, 116. et 118. *F.*]

[SĔLĪNOPHYLLON, i, n. σελινόφυλλον, herba eadem ac callitrichon, polytrichon, adianton, etc. *Appul. H.* 47. *F.*]

SĔLĪNUNTĪUS, a, um, adj. ad Selinuntem oppidum, et fluvium Siciliae Australis pertinens. *Selinuntii* ejus cives ap. *Plin.* 3, 8, 14.

*SELĪNUS, untis, Σελινοῦς, oppidum (cum fluvio cognomine) Siciliae maritimum et Lilybaeo vicinum. *Virg. A.* 3, 705. *Sil.* 14, 201. *Plin.* 3, 8. Fluminis meminit *Vib. Sequ.* ℙ Item oppidum Ciliciae, ad amnem cognominem situm. *Liv.* 33, 20. *Plin.* 5, 27. Amnis mentio facta est ap. *Lucan.* 8, 260. ℙ Et fluvius Mysiae, circa Pergamum. *Plin.* 5, 30. ℙ Et duorum fluminum nomen, prope Ephesum. *Id.* 5, 29. Fons in urbe Callippia et templum Dianae complexi e diversis regionibus duo Selinuntes. Sic olim legebatur, v. g. in ed. *Elzev.* Sed ed. *Hard.* habet *Selenuntes.* Cf. *Xenoph. Exped. Cyri* 5, 3. *Laert.* 2, 52. *B. A.*

SĔLĪNŪSĬUS, a, um, adj. ad Selinuntem oppidum, et fluvium Siciliae, Achaiae, et Ciliciae pertinens, ut Selinusia creta, *Vitr.* 7, 14. et *Plin.* 35, 6, 27. terra. *Id. ib.* 16, 56. V. SELENUSIUM.

SELIQUASTRUM, i, n. ἕδρα, sedile, sella. *Festus:* Seliquastra, sedilia antiqui generis appellantur, *d* littera in *l* conversa, ut etiam in sella factum est, et subsellio, et solio, quae non minus a sedendo dicta sunt. *Varr. L. L.* 4, 28. Ab sedendo appellantur sedes, sedile, solium, seliquastrum. *Paul. Dig.* 33, 10, 4. Instrumenti significatione rhedae, et seliquastra in supellectili adnumerari solent. Al. leg. *sedularia*, h. e. quae in rheda sedenti subjiciuntur. *Hyg. Astron.* 2, 10. et *ib.* 3, 9. Cassiopeja sedens in seliquastro collocata est.

SELLA, ae, f. ἕδρα, θρόνος, sedes, sedile. *Pl. Curc.* 2, 3, 32. Viden', ut expalluit? datin' isti sellam, ubi assidat, cito? *Cic. Div.* 1, 46. *med.* Cum virgo staret, et Caecilia in sella sederet; et *mox:* Ut in ejus sella requiesceret. *Petr. Sat.* 136. Fracta est putris sella, quae staturae altitudinem adjecerat. *Cic. Cat.* 4, 8. Nulli sunt inventi, qui non ipsum illum sellae, atque operis, et quaestus quotidiani locum salvum esse velint, *h. e.* artificium, quod sedendo exercetur: unde *sellularii. Pl. Poen.* 1, 2, 56. Meretrices, quae tibi olant stabulum, statumque, sellam, et sessibulum merum, *h. e.* quae totos dies prostant sedendo, et amatores exspectando. *Sen. Ben.* 1, 9. Rusticus, inurbanus est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, et vulgo admissis spectatoribus vehi undique perspicuam, *h. e.* sella gestatoria (de qua mox) aperta in publicum prodeuntem, omnibus se conspiciendam dare. ℙ *Sella familiarica*, quae et simpliciter *sella*, locus ad ventrem exonerandum, θρωνίον. *Scrib. Comp.* 193. Ex stomacho cruorem rejiciunt, postea per sellas eundem dejiciunt; et *ib.* 227. Cum desederint ad sellam. *Cato R. R.* 157. *med.* vocat *sellam pertusam.* V. FAMILIARICUS. ℙ *Sella gestatoria*, quae et *sella* absolute, qua ditiores humeris hominum vehuntur, φορεῖον, [*καθέδρα κατάκλιτος v. δίφρος καθάκλιτος ap. *Dionem*, nostr. *Tragsessel.* V. *Scheffer. de re vehicul.* 2, 4.] V. GESTATORIUS. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Romae quoque sella vehebatur. *Juven.* 1, 124. Ostendens clausam et vacuam pro conjuge sellam. *Suet. Aug.* 53. In consulatu pedibus fere, extra consulatum saepe adaperta sella per publicum incessit. *Id. Oth.* 6. *med.* Abditus propere muliebri sella, in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, cum descendisset, etc. [**Muliebris sella* ap. *Plut.* φορεῖον, ap. *Dion.* σκιμπόδιον κατάκλιτον. V. *Scheff. l. l.* 2, 5. et *Lips. Elect.* 1, 9.] *Tac. A.* 14, 4. Agrippina gestamine sellae Bajas pervecta; et *ib.* 15, 57. Vinclo fasciae in modum laquei ad arcum sellae restricto, indidit cervicem. *Id. H.* 1, 27. Sellae aliquem imponere; et *ib.* 35. Sella levari. *Mart.* 12, 17. gestari. *Id.* 2, 57. Recensque sella linteisque lorisque. ℙ Differunt *sella* et *lectica:* quod in illa sedetur, in ista decumbitur. *Suet. Claud.* 25. Viatores, ne per Italiae oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut lectica transirent, monuit edicto. *Mart.* 11, 98. Lectica nec te tuta pelle veloque, Nec vindicabit (*a basiis*) sella saepius clausa; et 10, 10. Lecticam sellamque sequar. ℙ [**Sella*, i. e. sedes magistri, *Lehrstuhl. Cic. Fam.* 9, 18.] sella tibi erit in ludo tanquam hypodidascalo proxima. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ *Sella*, sedes, thronus magistratuum, θρόνος. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. Pallam de sella ac tribunali pronuntiat; et *ib.* 5, 59. Satisne vobis praetori improbo circumdati cancelli videntur in sua provincia, imo vero in sella ac tribunali? *Id. Phil.* 2, 34. Sedebat in Rostris collega tuus amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus. *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Qui sellis consulum adstiterant, in Cornuti sententiam ire coeperunt. *Suet. Galb.* 18. *f.* Neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris: et in senatu curulem perverse collocatam. ℙ De *sella curuli*, V. in CURULIS. ℙ Ephippia. *Impp. Valent., Theod. et Arcad. Cod. Just.* 12, 51, 12. et *Cod. Theod.* 8, 5, 47. Sexaginta libras sella cum frenis, triginta quinque vero averta non transeat. *Veg. Vet.* 4, 6. Ad usum sellae Persis provinciis omnibus meliores praestat equos. V. SELLARIS. ℙ *Duabus sellis sedere*, proverb. de iis, qui duo vel plura negotia inter se diversa eodem tempore suscipiunt: vel qui duobus certantibus, neutri favent, et utriusque amici videri volunt. Hinc in Ciceronem, qui nec Pompejo certus amicus, nec Caesari fuisse videbatur, sed utriusque adulator, usurpavit *Laber.* ap. *Sen. Controv.* 3, 18. *f.* Cum enim ille misisset ad Laberium in quatuordecim sedere volentem, nec locum invenientem: Recepissem te, nisi anguste sederem; Laberius ad Ciceronem remisit: Atqui soles duabus sellis sedere. Adde *Macr. Sat.* 2, 3.

SELLĀRĬA, ae, f. locus, in quo sedes disponi solebant. *Suet. Tib.* 43. Secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum. V. SELLARIUS. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 24. Signa violentia Neronis in Urbem convecta, et in sellariis domus aureae disposita. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 5. Sic habitarunt illi, qui hoc imperium fecerunt, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam sellariae istorum.

SELLĀRĬOLUS, a, um, adj. ἑδραῖος, ad sellariam spectans, ut Sellariolae popinae, idest in quibus desident homines ignavi ad libidinem, et luxum. *Mart.* 5, 70. In sellariolis vagus popinis.

SELLĀRIS, e, adj. ad sellam pertinens. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 92. Sellaris gestatio, *h. e.* gestatio in sella. *Veg. Vet.* 1, 56. *f.* Sellaria jumenta. V. SELLA.

SELLĀRĬUS, a, um, adj. ad sellam pertinens. *Sellarius* in *Gloss. Philox.* exponitur διφροφόρος: est autem δίφρος proprie sella in curru, ubi auriga sedet, et qui e curru pugnat. Quare huc pertinere puto *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 5., in qua varia nomina recensentur agitatorum, et aurigarum, et his inservientium, inter quos et *Sellarius.* ℙ *Sellarii*, portentosae turpitudinis patientes, sub Tiberio. *Tac. A.* 6, 1. Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum, et spintriarum. V. *Suet. l. c.* in SELLARIA.

*SELLASĬA, ae, f. Σελλασία, opp. Laconiae, ad Oenum flumen. *Liv.* 34, 28. V. *Morum* ad *Xen. H. Gr.* 2, 2. *B. A.*

*SELLĒTAE, arum, populi Thraciae, circa Haemum montem, Moesiae inferiori adjacentes. *Plin.* 4, 11. ℙ Eorum caput Deultum. *B. A.*

*SELLI, orum, Σελλοί, populi Epiri, Jovis Dodonaei vates, quorum meminerunt *Strabo* et *Steph. Byz.* V. et *Hom. Il. II.* v. 234. *Selloe, h. e.* Σελλοί, audiunt *Lucan.* 3, 180. ed. *Cort.* ubi al. leg. *Sellae*, minus recte. *B. A.*

[SELLĪFĔRUS, a, um, adj. qui sellam fert. Translato et obsceno sensu de puero pathico usurpat

Vet. Poeta in *Anth. Lat.* T. 1. p. 629. *Burm.* Publica selliferum per loca duxit equum. *F.*]

SELLISTERNIUM, ii, n. apparatus sellarum, quae in supplicationibus sternebantur in templis. Nam, ut ait *Val. Max.* 2, 1. *n.* 2., feminae cum viris cubantibus sedentes coenitabant: quae consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam in Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad coenam invitantur. Hinc *Tac. A.* 15, 44. Hausta aqua templum et simulacrum Deae *(Junonis)* prospersum est: et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae, quibus mariti erant. Est qui leg. *lectisternia:* item *solisternia.* [Sed dubiam *Taciti* lectionem confirmant *Not. Tir.* p. 164. Sella, sellarius, sellisternium. *F.*]

*SELLĪUM, i, n. oppidum Lusitaniae. *Ant. Itin. B. A.*

SELLŬLĂ, ae, f. parva sella. *Tac. H.* 3, 85. In domum uxoris sellula defertur. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio)* 5, 44. Pueri dum e balneis me sellula, ut adsolent, advehunt, imprudentius ad ostium balnei fervens adflixerunt. *Hieron. Reg. S. Pachom. n.* 87. Nemo dormiens supponat nisi reclinem sellulam. *F.*]

SELLŬLĀRĬUS, a, um, adj. ad sellulam pertinens. *Gell.* 3, 1. *med.* Negotiis se plerumque umbraticis et sellulariis quaestibus intentos habent, *h. e.* lucris, quae domi, et sedendo captantur, ut fit a trapezitis, et feneratoribus. ℙ *Sellularii*, ἐδραῖοι, opifices qui sedendo opus faciunt, ut cerdones, textores, etc. *Liv.* 8, 20. Opificum vulgus, et sellularii, minime militiae idoneum genus. *Cic. fr.* ap. *August. contra Pelag.* 2, 37. De plebeja faece sellulariorum. *Appul. Flor. n.* 15. Quem comperio inter sellularios artifices, gemmis faberrime sculpendis laudem magis, quam opem quaesisse; et *ib.* 9. Fateor, me sellularias artes minus callere, vestem de textrina emere, baxeas de sustrina praestinare.

[SELYMBRĬĀNUS, a, um, adj. ad Selymbriam, Σηλυμβρίαν, pertinens, Thraciae urbem, a *Plin.* 4, 11, 18. memoratam. *Inscr.* ap. *Grut.* 1003, 4. A. Rusticius Selymbrianus Puteolis negoti*ator. F.*]

[SĒMANTĪCUS, a, um, adj. σημαντικός, significandi vim habens. *Capell.* 9, 332. Trochaeus (*versus*), qui semanticus dicitur; et *mox:* Semanticus sane, quia, cum sit tardior tempore, significationem ipsam productae et remanentis cessationis effingit. *F.*]

[SĒMĀTUS, a, um, part. ab inus. *semo, as:* diminutus: ab ἥμισυς, dimidius; unde Latinum *semis.* Hinc *Gloss. Philox.* Sematus, ἡμίζωος, ἀπημιένος, *h. e.* semivacuus, semiplenus. Est cogn. R *Inscr.* ap. *Grut.* 424, 11. C. Julius C. F. Volt. Sematus. V. SEMUS. *F.*]

SĒMAXĬUS, a, um, adj. ad medium axem pertinens: a *semis*, et *axis.* V. SARMENTICIUS.

SEMBELLA, ae, f. libellae dimidium: syncope a *semisibella* nummus argenteus apud veteres Romanos. *Varr. L. L.* 4, 36. Sembella, quod sit libellae dimidium, quod semis assis. *Id. ib.* 9, 3. Cum dicimus, eandem rationem habere assem ad semissem, quam habet in argento libella ad sembellam.

*SEMBERRĪTAE, arum, populi Aethiopiae, insulam a Nilo formatam incolentes. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*SEMBOBĪTIS, idis, f. opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*SEMBRACĒNUS, a, um, adj. ut *myrrha Sembracena* ap. *Plin.* 12, 16. Sic dicta fortasse a Sambracate, insula Arabiae cum oppido cognomine. *B. A.*

SĒMEL, adv. ἅπαξ, una vice. Ducunt a *simul*, quia quod semel fit, una opera et simul fit. V. in fine hujus vocis. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac. med.* Cretenses impugnati semel jam, neque finem nisi excidio habituri. *Pl. Capt.* 3, 5, 98. Certum est nulli post haec quicquam credere: satis sum semel deceptus. *Id. Poen.* 1, 2, 148. Juravisti haud semel, sed centies. *Hor. Ep.* 1, 18, 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum. *Nep. Iphicr.* 3. Causam capitis semel dixit bello sociali, simul cum Timotheo. *Pl. Ps.* 1, 3, 30. Potin', ut semel modo hunc cum lucro respicias? et *Varr.* ap. *Plin.* 14, 14, 17. Nunquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Graecum vinum daretur; et *Vell.* 2, 40. *med.* Id ille non plus quam semel usurpare sustinuit. *Nep. Ep.* 7. Neque vero hoc semel fecit, sed saepius; et *Caes. B. G.* 1, 31. Cum his Aeduos semel atque iterum armis contendisse, magnam cladem pulsos accepisse. *Petr. Sat.* 115. Percussi semel iterumque manu pectus. *Cic. Font.* 8. Pecuniam semel atque iterum ac saepius invitissimi dare coacti sunt; et *Phil.* 14, 8. Semel et saepius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt. *Plin.* 12, 14, 32. Tus meti semel anno solebat; et 4, 12, 26. Semel in anno. *Cels.* 1, 3. *f.* Semel die cibum capere; et *Colum.* 12, 30. Semel in diebus triginta sex vinum curare satis est; et *Plin.* 7, 13, 11. Aliis semel in vita datur gignere. *Id.* 2, 35, 35. Scintillam e stella cadere, et augeri terrae appropinquantem, semel unquam proditur, Cn. Octavio, C. Scribonio Coss. *h. e.* semel in omni memoria praeteriti temporis; et *ib.* 25, 22. Semel adhuc jubae effigies mutata in albam est, Urbis anno CCCXCVIII. ℙ Refertur ad numerum, et monadem significat. *Plin.* 7, 48, 49. Sella curuli semel ac vicies sedit; et 2, 108, 112. Vicies et semel centena tria millia passuum; et *Inscr. Cn. Pompeji* ap. *eund.* 7, 26, 27. Occisis, in deditionem acceptis hominum centies vicies semel LXXXIII. M. Adde *Vitr.* 1, 6. ℙ Et ad magnitudinem. *Sen. Q. N.* 6, 16. Sol omni terrarum ambitu non semel major. ℙ Aliquando ponitur pro *primo*, *primum.* Quod enim dixit *Cic. Inv.* 1, 39. *med.* Primo quidem decipi, incommodum est: iterum, stultum: tertio, turpe. Dicere potuit, *semel quidem decipi*, etc. *Caes. B. C.* 1, 10. Vibullium bis in potestatem pervenisse Caesaris, semel ad Corfinium, iterum in Hispania. *Liv.* 23, 9. *f.* Tibi ter proditae patriae sustinendum est crimen: semel, cum defectionis ab Romanis: iterum cum pacis cum Annibale auctor fuisti: tertio hodie, cum, etc. *Suet. Tib.* 6. Parentes vagitu suo paene bis prodidit: semel cum a nutricis ubere: item cum a sinu matris, etc. *Pl. Amph.* 1, 1, 118. Neque se luna quoquam mutat, atque uti exorta est semel; et 3, 1, 13. Nunc Amphitruonem memet, ut occepi semel, esse assimulabo. *Caes. B. G.* 1, 31. *med.* Ariovistum, ut semel Gallorum copias proelio vicerit, superbe et crudeliter imperare. *Hor. Sat.* 2, 1, 24. saltat Milonius, ut semel icto Accessit fervor capiti, numerusque lucernis. *Pl. Most.* 2, 2, 39. Septem menses sunt, cum in hasce aedes pedem nemo intro retulit, semel ut emigravimus, *h. e.* ex quo primum. ℙ Potest etiam reddi *aliquando. Ter. Heaut.* 3, 1, 69. Si semel tuum animum ille intellexerit. *Pl. Epid.* 3, 1, 6. si hercle ego illum semel prehendero, nunquam irridere nos illum inultum sinam. *Nep. Att.* 15. In nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut, etc. [*V. *Brem.*] ℙ Item *prorsus*, *omnino*, *penitus. Cic. Dejot.* 3. Cum facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles. *Id. Att.* 14, 13. *extr.* Antonius quoniam semel induxit animum sibi licere quod vellet, fecisset nihilominus me invito. *Quint. decl.* 6, 2. Nam ut pietatem filii semel indicem, patrem redemit. ℙ Significat etiam in perpetuum, et dicitur de iis, quae non iterantur, vel regressum non habent. *Virg. A.* 11, 418. Procubuit moriens, et humum semel ore momordit. *Quint.* 1, 2, 30. Nec de hoc semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. *Ov. Her.* 5, 103. nulla reparabilis arte Laesa pudicitia est: deperit illa semel. *Lucan.* 8, 707. semel impulit illum Dilata Fortuna manu. *Flor.* 2, 12. Perses semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate. *Burm.* recte suspicatur, *in perpetuum* esse interpretationem v. *semel*, quae postea in textum irrepserit. Huc et illa pertinent *Quint.* 9, 4, 138. *f.* Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quomodo pronuntiandum est. *Id.* 11, 1, 66. Et ut semel plura complectar, nunquam decebit sic agere, quo modo, etc. *Plin.* 29, 5, 32. Ut semel dicamus. ℙ Pro simul. [*Id quod nullo modo demonstrari posse videtur, propter perpetuum utriusque vocis discrimen: *simul* enim spectat plura varia, quae uno tempore fiunt; *semel* designat eam agendi rationem, quae opus aliquod peragendum non dirimit, non per partes ad finem perducit, sed uno quasi laboris ictu perficit. Unde patet, quam parum in *Hor.* loco infra l. *simul* sententiae conveniat: non enim plures placentas una devorasse, sed unam non in partes sectam, totam uno haustu, ut recte *Noster*, absorbuisse Porcius dicitur. Plane eodem modo Graeci vocula ἅπαξ utuntur. *Steph. Thes.* T. 1. p. 483.] *Pl. Aul.* 4, 3, 2. Corvus semel radebat pedibus terram, et voce crocibat sua, *h. e.* eodem tempore. Alii leg. *simul. Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* de Nilo: Quod si e mari ferretur Atlantico, semel oppleret Aegyptum: at nunc per gradus crescit; et *ib.* 2, 8. *extr.* Lumen non paulatim prorepit, sed semel universis infunditur rebus; et *ep.* 71. *med.* Quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdam, nisi saepius macerata et recocta, non perbibit; et *Quint. decl.* 337. *med.* Graves causas allevare possis, si non ingruant, ac semel veniant. Alii leg. *simul;* et *Cic. Off.* 3, 15. Cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur; et *Ulp. Dig.* 37, 14, 16. *f.* Si quis plane non semel alienaverit, sed quasdam res, ante, quasdam postea. Ita *Torrent.*, alii *simul.* Alia congerit *Bentl.* ad illud *Hor. Sat.* 2, 8, 24. Ridiculus totas simul absorbere placentas. Ubi alii leg. *semel*, uno haustu.

SEMĒLE, es, *et Latina positione* Semela, ae, f. Σεμέλη, filia Cadmi Thebarum regis, et Hermiones, ex qua Juppiter Bacchum genuit. Junonis fraude cum petiisset a Jove, ut ea forma ac majestate ad se veniret, qua ad Junonem solebat, fulminis igne usta periit. *Ov. Met.* 3, 260., *Hyg. fab.* 167. et 179. Rursus *Ov. Am.* 3, 3, 37. Tot meruere peti *(igne Jovis)*, Semele miserabilis arsit. *Id. Fast.* 3, 715. Nec referam Semelen, ad quam nisi fulmina secum Juppiter afferret, etc. *Hor. Od.* 1, 19, 2. Thebanaeque jubet me Semeles puer, *h. e.* Bacchus. *Prop.* 2, 21, 29. Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo; et *ib.* 23, 19. Ut Semela est combustus *(Juppiter)*, ut est deperditus Io. *Tibull.* 3, 4, 45. Sed proles Semelae Bacchus. Ita *Broukus.* ex libr. meliorib., non *Semeles.* ℙ *Soror Semeles* ap. *Ov. Ib.* 280. est Ino, seu Leucothea, et ipsa ex Cadmo et Hermione nata. ℙ Bonam Deam, docente *Macr. Sat.* 1, 12., Opem, Faunam, et Fatuam multi esse credunt, Boeoti Semelam.

SĒMĒLĒĬUS et Semeleus, a, um, adj. ad Semelen pertinens, ut Semeleia proles, *Ov. Met.* 3, 520. et *ib.* 9, 540. *h. e.* Bacchus. Et Semeleius Thyoneus, *Hor. Od.* 1, 17, 22. Semelea busta, *Stat. Th.* 10, 903.

*SEMELLITĀNI, orum, populi Siciliae, quorum civitas Semella fortasse, vel Semellina, vel Semellium denique dicta. *Plin.* 3, 8. ubi *Harduinus* mavult *Sementiani*, h. e. Sementii incolae. Fuit autem Sementium, Σεμέντειον, oppidum Siciliae, ut testatur *Diodorus. B. A.*

SĒMEN, ĭnis, n. σπόρος, σπέρμα, γονή, id, ex quo, tanquam causa materiali, res gignuntur, ut frumenti, plantarum, animalium: a *sero*, quasi *serimen*, ut *nomen* a *nosco*, *flumen* a *fluo*, etc. *Cic. Sen.* 15. Terra cum gremio mollito ac subacto semen excepit, primum id occaecatum cohibet, deinde tepefactum, vapore et compressu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem: et *mox:* Terra ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. *Varr. R. R.* 2, 6. de asinis: Duodecimo mense conceptum semen reddunt. *Lucr.* 4, 1034. Ex homine humanum semen ciet una hominis vis. *Cels.* 4, 21. Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis. *Ov. Fast.* 6, 285. Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatas Semine Saturni. *Cels.* 4, 19. *med.* Semina mali Punici. *Plin.* 26, 8, 48. Herbae radix decocta, priusquam semen emittat. *Id.* 18, 18, 48. Semen protinus injiciunt, cratesque dentatas supertrahunt. *Id.* 19, 8, 39. Lactucae semen a bruma jacere. *Id.* 17, 10, 10. Semen serere. *Colum.* 2, 10. solo ingerere. *Id.* 1, 7. *f.* mandare terrae. *Cic. Rosc. Am.* 19. manu spargere. *Virg. G.* 1, 223. committere sulcis. *Colum.* 11, 2. *med.* in areolas disserere. *Ov. Trist.* 3, 8, 2. mittere in humum. *Id. Pont.* 1, 5, 34. condere humo. *Tac. A.* 13, 54. arvis inferre. *Ov. Am.* 3, 10, 11. turgescit semen in agris. *Id. Met.* 7, 123. semine mollit humus. *Plin.* 19, 6, 34. Allium exit in semen; et 21, 11, 38. Viola abit in semen: (*Cato R. R.* 161. de asparago: Donicum in semen videris ire) et *ib.* 35. Amaracum seritur utroque genere, et semine, et ramo. ℙ Speciatim *semen* dicitur genus quoddam frumenti (quae et *zea*) antonomastice, ob praestantiam et ubertatem. *Plin.* 18, 8, 19. Qui zea utuntur, non habent far. Est et haec Italiae, in Campania maxime, semenque appellatur: hoc habet nomen res praeclara, etc. et *ib.* 24, 55. Serere in jugera temperati soli justum est, tritici aut siliginis modios quinque; farris aut seminis (quod frumenti genus ita appellamus) decem; hordei sex. V. ALICA. Si *Isidoro* credimus *Or.* 17, 3., una eademque res sunt adoreum, seu far, zea, semen. ℙ Est etiam *semen* surculus, ramus, talea, malleolus recisus ab arbore pangendi aut inserendi gratia. *Virg. G.* 2, 354. Seminibus positis, superest deducere terram Saepius ad capita. *Colum.* 5, 10. Semina *(pomariis)* lege non minus, quam manubrium bidentis, recta, levia, procera, integro libro. Adde 3, 4. et 6. et *Arbor.* 20. et *Varr. R. R.* 1, 39. et 40. ℙ De piscibus, qui aluntur in piscinis, ut sobolem augeant. *Colum.* 8, 16. Quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis seminibus replebant. ℙ Translate est indoles, genus, sanguis. *Varr. R. R.* 2, 2. Videndum ut boni seminis pecus habeas; et *ib.* 3. Meliore semine eae caprae, quae bis pariunt. *Cic. Phil.* 4, 5. *med.* Virtus, quae propria est Romani generis et seminis. *Id. Agr.* 2, 35. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci, et a vitae consuetudine suppeditantur. [*Liv. 1, 47. ipsa regio semine orta.] *Sen. Herc. Fur.* 987. Sed ecce proles regis inimici latet, Lyci nefandum semen. ℙ Item origo, principium, causa, auctor. *Auct. dial de Or.* 33. Initia et semina veteris eloquentiae. *Cic. Div.* 1, 3. Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsit. *Id. Fin.* 5, 1. In animis quasi virtutum igniculi et semina. *Id. Phil.* 2, 22. *med.* Ut in seminibus est causa arborum et stirpium, sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Sic *Off.* 2, 8. *med.* Nec vero unquam bellorum civilium semen et causa deerit. *Id. Cat.* 1, 12. *extr.* Stirps ac semen malorum omnium. *Ov. Am.* 3, 4, 10. Semina nequitiae. *Pl. Rud.* 2, 2, 21. sceleris semen, *h. e.* auctor. *Tac. H.* 2, 76. *f.* Nova bello semina ministrare. *Id. A.* 12, 48. odiorum jacere. *Liv.* 3, 19. Tribuni semina discordiarum. *Sen. Phoen.* 279. Jacta sunt semina cladis futurae. *Ov. Fast.* 6, 5. Est Deus in nobis: agitante calescimus illo. Impetus hic sacrae semina mentis habet. *Sen. ep.* 73. *f.* Semina in corporibus humanis divina dispersa sunt: quae si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt. ℙ Eleganter *Virg. A.* 6, 6. pars quaerit semina flammae Abstrusa in venis silicis, *h. e.* scintillas latentes; et *Ov. Met.* 15, 347. et habentem semina flammae Materiem jactant, ea concipit ictibus ignem. *Id. Trist.* 1, 8, 42. Et rigidum ferri semina pectus habet. (Adde *Sen. Med.* 834.) *Sever. A.* 270. Quaeritur argenti semen. *Id. ib.* 536.

rerum naturae semina, h. e. elementa. De stellis *Manil.* 5, 726. Tunc conferta licet coeli fulgentia templa Cernere seminibus densis, totisque micare Floribus.

*SEMENSTRIS, e, adj. i. q. semestris. *Pandect.* 18, 7, 10. et 29, 2, 12. V. et *Semestris* in *f. B. A.*

*SEMENSTRŪUM, i, n. i. q. semestrium, ξαμηνίδιον *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SĒMENTĀTIO, onis, f. sementis. *Tert. Spect.* 8. Columnae Sessias a sementationibus, Messias a messibus sustinent.

SĒMENTĬFER. V. SERPENTIFER.

SĒMENTĪNUS. V. SEMENTINUS.

SĒMENTIS, is, f. σπόρος, sparsio seminum per agros, satio, seminatio. In quarto et sexto casu duplicem positionem in *e*, et *i* habet. *Cic. Or.* 1, 58. *med.* Nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio, omnino nesciat. *Id. Verr.* 2, 3, 54. Semente prohibita, aut messe amissa, fructus annuus interibat. *Colum.* 2, 9. Prima sementis rarius serere permittit, novissima spissius postulat. *Caes. B. G.* 1, 3. Sementes quam maximas facere, ut copia frumenti suppeteret. *Cato R. R.* 27. et 30. Sementim facere. *Ov. Fast.* 1, 667. Villice, da requiem terrae semente peracta. *Plin.* 18, 25, 60. Sementibus tempora plerique praesumunt. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 3, 30. Hanc a Diis immortalibus arbitramur malorum sementem esse factam? *Id. Att.* 9, 8. De Reatinorum corona quod scribis, moleste fero, in agro Sabino sementem fieri proscriptionis. ℙ Joculariter *Pl. Merc.* 5, 7, 23. Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnosque obseram. ℙ *Ut sementem feceris, ita et metes*, proverb. quo significamus, ea quempiam relaturum, quae meritus fuerit. Ap. *Cic. Or.* 2, 65. dicenti M. Servilio: Dic mihi, M. Pinari, num si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? respondit Pinarius: Ut sementem feceris, ita metes. ℙ Est etiam sementis tempus. *Cato R. R.* 17. Nuces per sementim incipiunt maturae esse. *Colum.* 2, 10. *med.* Media sementi pars fabae seri, pars ultima debet. Adde *ib.* 9. ℙ Item ipsum semen, quod terrae mandatum est. *Id. ib.* 8. *f.* Ubi venit imber, multorum dierum sementis uno die surgit. ℙ Et ipsa seges enata. *Ov. Fast.* 1, 679. Vos date perpetuos teneris sementibus auctus. *Gell.* 2, 29. Cassita in sementes forte concesserat tempestiviores. ℙ Et ipsum semen animale. *Arnob.* 5, 163. Necesse est credere, et receptacula lapides habuisse genitalia, et jaculatam combibisse sementem, et completis temporibus sustulisse alvos graves, et postremum peperisse feminei moris difficultate connixos.

SĒMENTĪVUS, a, um, adj. ad sementem pertinens. *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* Sementivae feriae, dies is, qui a pontificibus dictus, appellatus a semente, quod sationis causa susceptae. *Paul.* ex *Festo:* Sementivae feriae fuerunt institutae, quasi ex iis fruges grandescere possint. *Varr. R. R.* 1, 2. Sementivis feriis in aedem Telluris veneram, rogatus ab aeditimo. Adde *Macr. Sat.* 1, 16., ubi inter conceptivas recenset: quod et *Fest.* facit in *Conceptivae:* scilicet quia non habebant statum in anno diem, sed indicebantur a sacerdotibus. Hinc *Ov. Fast.* 1, 657. Ter quater evolvi signantes tempora Fastos, Nec sementiva est ulla reperta dies. Cum mihi (sensit enim) lux haec indicitur, inquit Musa: quid a Fastis non stata sacra petis? Utque dies incerta sacro, sic tempora certa, Seminibus jactis est ubi festus ager. Pergit inde *Ov.* multa persequi ad hoc sacrum pertinentia, quod Telluri et Cereri fiebat: nam Haec praebet causam frugibus, illa locum. ℙ *Sementiva pira* ap. *Cat. R. R.* 7., *Varr. R. R.* 1, 59., *Plin.* 15, 15, 16. et *Cloat.* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. *extr.* dicta videntur, quod sera, et sementis tempore, *h. e.* autumno, maturescant: sera certe a *Cloatio* vocantur. ℙ Sementiva quidam vocant triticum, hordeum, fabam, napum, rapam: verna autem, milium, panicum, lentem, cicer, alicam, ut ait *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 1. h. e. quae mature seri oportet, πρωϊσπορα, scilicet autumno (quod est solemne tempus sementis) in venturam aestatem, ut in tritico fit. ℙ Omnibus his loc. alii leg. *sementinus*, quia in MSS. facile *n*, et *u* confunduntur: *Dausqu.* praefert *u*. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 637. *n.* 316. Fannia P. L. Sementiva. Ita fortasse haec mulier est cognominata, quia feriis sementivis nata est. *F.*]

SĒMENTO, as, a. 1. σπερματίζω, semen produco. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Est in primis inutile in pratis enasci herbas sementaturas. Fortasse rectius legendum quis putaverit *semen daturas.*

SĒMERMIS. V. SEMIERMIS.

SĒMESTRIS, e, adj. ἑξμηνος, ἑξάμηνος, qui sex mensium est. *Varr. R. R.* 1, 2. Illic in semestri die, aut nocte quicquam seri, aut alescere, aut meti possit? *illic*, h. e. inter circulum septentrionalem, et inter cardinem coeli. *Cic. Att.* 10, 8. *med.* Semestre regnum. *Caes. B. C.* 1, 9. imperium. *Plin.* 8, 39, 60. Semestris vita; et *ib.* 16, 17. Leones semestres vix ingredi posse. *Id.* 21, 51, 112. Semestris locutus est Croesi filius in crepundiis. *Id.* 10, 25, 36. Semestres aves, hirundines, *h. e.* quae semestri spatio apud nos visuntur. *Alter Plin. ep.* 4, 4. Hunc rogo semestri tribunatu splendidiorem et sibi et avunculo suo facias, *h. e.* militari, qui sex menses durabat. *Juven.* 7, 88. Ille et militiae multis largitur honorem: Semestri vatum digitos circumligat auro, *h. e.* tribunos militares facit, ut et *Lips. de milit. Rom.* 2, 9. interpretatur. Loquitur autem *Juven.* de Paride pantomimo et poeta Neronis, quem semestribus militiolis tumentem (ut ait *Auct. vitae Juvenalis* [*Spurius videtur hic locus *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 704.]) ipse eo loco perstringit. [*Liv. 21, 43. semestris dux.] *Suet. Aug.* 35. *med.* Sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis ante tractaret, *h. e.* consiliarios, qui sibi per senos menses adessent. ℙ Hinc *Semestria, um*, absolute dicuntur libri, in quibus perscripta erant, quae M. Aurelius Antoninus de jure civili constituerat sex illis mensibus, quibus solebat quotannis juri dicundo vacare; quod fecisse videtur ex institutione Augusti. *Scaevola Dig.* 18, 7, 10. Divus Marcus, fore liberos in Semestribus constituit; et *Tryphon. ib.* 2, 14, 46. In Semestribus relata est constitutio divi Marci. Adde *Ulp. ib.* 29, 2, 12. ℙ *Semestris* etiam dicitur dimidium mensis spatium continens, ut *semodius* pro *semimodius*, ἡμιμήνιος, ut *semestris Luna*, h. e. plena. *Appul. Met.* 11. Stellae dispersae coruscabant, earumque media semestris Luna flammeos spirabat ignes. Hinc *semestrium.* [*Exposuit de duplici hac v. *semestris*, sive *semenstris* significatione *Oudend.* ad *Suet. Caes.* 80.] ℙ Sunt qui scrib. *semenstris.* [*Cf. *Oudend.* ad *Suet. Caes.* 80. *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 24. et 21, 43, 15. *Herz.* ad *Caes. B. C.* 9. comparat formam *nanctus*, probatam *Gronovio.*]

SĒMESTRĬUM, ii, n. dimidii mensis spatium, ἡμιμηνιαῖον. *Colum.* 11, 2. Hoc igitur semestrium, et deinceps sequentia tempestatibus adnotatis percensuimus. Alii leg. *semimenstruum*, quia *semestrium* ex analogia sex mensium tempus significare deberet: at *Colum.* certe dimidium mensem intelligit. V. v. praec.

SĒMĒSUS, a, um, adj. ἡμίβρωτος, ἡμιδαής, dimidia parte comesus, arrosus. *Suet. Tib.* 34. Ut parcimoniam publicam exemplo quoque juvaret, solemnibus ipse coenis pridiana saepe ac semesa obsonia apposuit. *Id. Vit.* 13. *extr.* Ne in itinere quidem ullo temperavit, quin circa viarum popinas fumantia obsonia, vel pridiana atque semesa manderet. *Hor. Sat.* 1, 3, 81. Semesi pisces; et *ib.* 2, 6, 85. Semesa lardi frusta. *Juven.* 5, 167. ecce dabit jam Semesum leporem, aut aliquid de clunibus apri. *Petr. Sat.* 141. Cum esset Numantia a Scipione capta, inventae sunt matres, quae liberorum suorum tenerent semesa in sinu corpora.

SĒMET. V. in SUI.

SĒMETRUM, i, n. ἄμετρον, quod est sine mensura, enorme, non symmetrum: vox hybrida ex Latino, *se* sine, et Graeco μέτρον, mensura, modus. *Prud. Psych.* 826. Aurea planitiem spatiis percurrit arundo Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes, Ne commissuris distantibus angulus impar Argutam mutilet per dissona semetra normam.

SĒMI pro semis, in compositis dimidium significat, ut ἡμι pro ἡμισυ. Ipsa composita κατὰ στοιχεῖον hic recensentur.

SĒMĬACERBUS, a, um, adj. ὑπόδριμος, immaturus, subacidus. *Pall.* 9, 13. Uvae semiacerbae succus.

SĒMĬĂDĂPERTUS et Semadapertus, a, um, adj. dimidio sui apertus, semiapertus. *Ov. Am.* 1, 6, 3. aditu fac janua parvo Obliquum capiat semiadaperta latus.

SĒMĬADŌPERTŬLUS, a, um, adj. dimidia parte adopertus. *Appul. Met.* 3. Oculi tremuli, marcidi, jamque semiadopertuli.

SĒMĬAGRESTIS, e, adj. subagrestis. *Aurel. Vict. Caes.* 39. *med.* Maximianum fidum amicitia, quamquam semiagrestem, militiae tamen et ingenio bonum imperatorem jubet.

SĒMĬAMBUSTUS, a, um, adj. ἡμίκαυστος, ἡμιφλογής, semiustus. *Suet. Cal.* 59. Cadaver tumultuario rogo semiambustum. *Sil.* 14, 63. Semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis. Adde 2, 681.

SĒMĬĂMICTUS, a, um, adj. ἡμίγυμνος, dimidia parte amictus, male vestibus opertus, seminudus. *Appul. Met.* 1. Humi jacebat scissili palliastro semiamictus; et *ib.* 7. Centunculus disparibus, et male consarcinatis semiamictus. Adde *ib.* 9.

SEMIAMIRĬCUS, a, um, adj. ad Semiamiram (quae saepius *Sooemias* appellatur) pertinens, quae fuit Elagabali mater: ut Semiamirica senatusconsulta, *Lampr. Elag.* 4.

SĒMĬAMPŪTĀTUS, a, um, adj. dimidia parte amputatus. *Appul. Met.* 1. Baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit.

SĒMĬANĬMIS, e, et Semianimus, a, um, adj. ἡμίζωος, semivivus, semimortuus, seminex. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 396. Oscitat in campis caput a cervice revulsum, Semianimesque micant oculi. *Cic. Div.* 1, 47. ipsa feris transfigens unguibus anguem Semianimum, et varia graviter cervice micantem. *Lucr.* 6, 1266. Languida semianimo cum corpore membra videres. *Virg. A.* 10, 395. Te decisa suum, Laride, dextera quaerit, Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant; et *ib.* 403. curruque volutus Caedit semianimis Rutulorum calcibus arva; et *ib.* 11, 635. Semianimes volvuntur equi. *Liv.* 28, 23. Cum in succensum rogum semianima pleraque injicerent corpora. [*Vell. 2, 27, 3. Telesinus postera die semianimis repertus est.] Adde *Phaedr.* 1, 9., *Juven.* 4, 37., *Sen. Oed. f.*, *Stat. Th.* 2, 83. qui *semianimus* usurpant: et *Sen. Ben.* 4, 37., *Lucan.* 3, 747. et 4, 339. et al. et *Val. Fl.* 5, 135. et *Sil.* 9, 123., qui *semianimis:* Scilicet in quibusdam casibus alterum prae altero melius sonat. ℙ De eo, qui est in magno metu. *Lucan.* 4, 339. Semianimes in castra trahens hostilia turmas, Victoris stetit ante pedes. [*Liv. 1, 48. Semianimis regius comitatus.] ℙ Sunt qui jubent *semanimis* scribi, extrito *i*, praesertim in carmine: alii ubique *i* retineri, et synizesim, seu synecphonesim seu synaeresim fieri. Libri variant. *Pier.* ad *Virg. A.* 3, 578. in suis *semiustum* reperit, non *semustum:* sibique magis placere ad figuram confugere, quam *i* tollere. In eadem sententia sunt *Erythraeus* in *Indice Virg.* in *Semianimem*, et *Dausqu.*, tametsi non in omnibus, quae post *semi* habent vocalem, *i* retinetur, ut in *semesus*, *semuncia.* [*Legitur forma *semanimis* in *inscr.* ap. *Orell.* 4944. RELATUS SEMANIMIS CASU. etc. Ceterum solemnis est in codicibus utriusque formae commutatio.]

SEMIANNŪUS, a, um, adj. dimidium anni continens, semestris. *Capell.* 6, 194. Sol in insula Thule brumali descensu semiannuam facit horrere noctem.

SĒMĬAPERTUS, a, um, adj. ἡμιξάνοικτος, semiadapertus. *Liv.* 26, 39. *f.* Paucos ex multis trepida fuga incidentes semiapertis portarum foribus, in urbem compulit.

SĒMĬASSUS, a, um, adj. semicrematus, semiambustus. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 44. Heu! reliquias semiassi regis, denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas foede divexarier. Alii rectius leg. Neu reliquias sic meas siris, denudatis, etc. [*Ita *Orell.*]

SĒMĬĀTER. V. v. sq.

SĒMĬATRĀTUS, a, um, adj. dimidia parte atratus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 298. Ipsum propter vix liberti semiatrati exsequiantur. Alii leg. *semiatri.*

SĒMĬAXĬUS. V. SARMENTICIUS.

SEMIBARBĀRUS, a, um, adj. qui dimidia parte barbarus est. *Suet. Caes.* 76. Quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam, *h. e.* Narbonenses, ut quidam interpretes putant, quod hi inter barbaros majoris cultus essent, atque elegantiae. *Capitol. Maxim.* 2. Adolescens, et semibarbarus. [*Hieron. adv. Jovin. n.* 1, 48. Leptis urbs semibarbara. *F.*]

SĒMĬBOS, bŏvis, adj. homo dimidia parte bos, qualis fuit Minotaurus. *Ov. A. Am.* 2, 23. Daedalus ut clausit conceptum crimine matris Semibovemque virum, semivirumque bovem. (Adde *Trist.* 4, 7, 18.) Porro hunc versum valde amavit *Ov.*, et reprehendi ab aliis flocci fecit. Rogatus enim aliquando ab amicis suis, ut narrat *Sen. Contr.* 2, 10. *f.*, ut tolleret tres versus, invicem petiit, ut ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret: aequa lex visa est. Scripserunt illi, quos tolli vellent, secreto: hic, quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant: ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit, *Semibovemque virum*, etc. secundum, *Egelidum Borean*, etc. Tertium, quis fuerit, *Seneca* non adjicit.

SĒMĬCĂNĀLĬCŬLUS, i, m. dimidius canaliculus. *Vitr.* 4, 3. *med.* de triglyphis Doricis: In medio canaliculi ad normae cacumen imprimatur: in extremis partibus semicanaliculi intervertantur.

SĒMĪCĀNUS, a, um, adj. μιξόθριξ, capillos habens partim canos, partim nigros. *Appul. Met.* 8. Calvus quidem, sed cincinnis semicanis et pendulis capillatus; et *ib.* 9. Comae semicanae.

SĒMĪCĂPER, pri, comm. gen. ἡμίτραγος, qui dimidia sui parte caper est. Epitheton est Faunorum, et Satyrorum, qui inferiore sui parte capris similes pinguntur. *Ov. Fast.* 5, 101. Semicaper coleris succinctis Faune Lupercis. *Id. Met.* 14, 515. Semicaper Pan.

[SĒMĪCENTĒSĬMUS, a, um, adj. dimidius centesimi. Hinc absolute *semicentesima, ae*, est pars semicentesima. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 13, 9, 3. Ut omnis in posterum duarum semicentesimarum, quae ex hibernis oneribus postulantur, a vobis petitio conquiescat. *F.*]

SĒMĪCINCTIUM, ii, n. ἡμιζώνιον, zona minus lata, cincticulus. *Isid. Or.* 19, 33. *in.* Cinctus est lata zona, et minus lata semicinctium. *Mart.* 14, 153. cujus lemma *Semicinctium:* Det tunicam dives: ego te praecingere possum. Essem si locuples, munus utrumque darem. *Petr. Sat.* 94. Inclusus ego suspendio vitam finire constitui: et jam semicinctio stantem ad parietem spondam vinxeram, cervicesque nodo condebam, cum, etc. V. SARAPIS.

*SEMICIPĪUM, i, n. ἡμικεφάλιον *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SĒMĪCIRCŬLĀRIS, e, adj. ἡμικύκλιος, semicirculi formam habens. Ap. *Colum.* 5, 2., quo loco posita est figura semicirculi, leguntur haec verba:

semicircularis agri forma: quae tamen incertum, sintne *Columellae*, an alterius, qui ad indicandam figuram ea addiderit.

SĒMĪCIRCŬLĀTUS, a, um, adj. semicirculi forma factus. *Cels.* 7, 26. *n.* 2. *f.* Ferramentum fecit rectum in summa parte labrosum, in ima semicirculatum, acutumque.

SĒMĪCIRCŬLUS, i, m. ἡμίκυκλος, dimidium circuli. *Cels.* 7, 26. *n.* 2. *med.* Uncus in semicirculi speciem, retusae latitudinis. ℙ [Est etiam idem ac hemicyclium, in quo sedere confabulantes solebant. *Cic. Fin.* 5, 20. Circulos aliquos, et semicirculos consectari. *Goer.* ita recte edidit, *Scal.* ex quodam MS. leg. *sessiunculas* pro *semicirculos. F.*] [*Optimi codices habent *sessiunculas*, item *Orell.*, qui, licet speciosam *Goerenzii* defensionem lectionis *semicirculos* praedicaverit, tamen suspicioni resistere se non potuisse fatetur, ortum esse hoc vocabulum, aeque ἅπαξ λεγόμενον hoc sensu atque alterum *sessiuncula*, e stupiditate librariorum, qui *circulos* pro figuris mathematicis habuissent.] ℙ Adjective, semicircularis. *Colum.* 5, 2. *med.* Si semicirculus fuerit ager, cujus basis habeat pedes CXL., curvaturae autem latitudo pedes LXX. et *mox:* Si autem minus quam semicirculus erit, arcum sic metiemur.

SĒMĪCLAUSUS et Semiclusus, a, um, adj. *Appul. Met.* 10. Semiclauso ore balbutiens. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 230. Silvane sacra semicluse fraxino, Ut hujus alti summe custos hortuli. [*Silvanus* hic dicitur *semiclusus fraxino*, quia, Dei Termini ritu, caput ejus humerique extabant, reliquum corpus trunco inclusum latebat. *F.*]

SĒMĪCOCTUS, a, um, adj. ἡμίεφθος, dimidia parte coctus, semicrudus. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Ex tritico candidissima atque grandissima eligunt grana, et semicocta in ollis. *Colum.* 8, 5. Hordeum semicoctum.

SĒMĪCOMBUSTUS, a, um, adj. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 859. Alunt olivo semicombustas faces. Adde *Sidon. ep.* 3, 13.

SĒMĪCONFECTUS, a, um, adj. ut Semiconfectus caespes, *Sidon. ep.* 6, 10.

SĒMĪCONSPĪCŬUS, a, um, adj. qui dimidio conspicitur. *Appul. Met.* 5. *in.* Nonnulli per fenestras semiconspicui.

SĒMĪCORPŌRĀLIS, e, adj. idem ac semicorporeus. *Firm. Math.* 2, 12. Aries est signum in coelo masculinum, semicorporale, oculis languidis, erraticum.

SĒMĪCORPŌRĔUS, a, um, adj. dimidio corporeus. *Firm. Math.* 2, 12. Cancer signum est in coelo femininum, mobile, semicorporeum, irrationale, *h. e.* cujus corpus dimidia tantum parte in coelo conspicitur.

SĒMĪCRĔMĀTUS, a, um, ἡμίφλεκτος, dimidia parte crematus. *Ov. Ib.* 636. Membra feras Stygiae semicremata neci. *Mart.* 11, 54. Turaque de medio semicremata rogo.

SĒMĪCRĔMUS, a, um, adj. idem quod semicrematus. *Ov. Met.* 12, 287. Semicremoque novat repetitum stipite vulnus.

SĒMĪCRŪDUS, a, um, adj. ἡμίωμος, dimidia parte crudus. *Colum.* 6, 25. Lupini semicrudi conteruntur. *Suet. Aug.* 1. Semicruda exta. *Stat. Silv.* 4, 9, 48. Quid, si cum bene mane semicrudus Illatam tibi dixero salutem? *idest* cibo pro dimidia parte digesto.

SĒMĪCŪBĪTĀLIS, e, adj. dimidio cubito constans. *Liv.* 42, 65. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum.

SĒMĪCŪPA, ae, f. Ap. *Ammian.* 28, 4. *med.* Semicupae, Cimessores, Statarii, etc. sunt scurrilia nomina otiosae plebis hominum.

SĒMĪDĔUS, i, m. Semidea, ae, f. ἡμίθεος, ἥρως, ἡρωΐνη, ἡμιθέαινα, dimidia parte Deus, h. e. vel ex Deo et homine natus, vel ob virtutem ex homine Deus factus, heros: ut Pan, Hercules, Romulus, Sirenes, etc. V. HEROS et INDIGETES. Usurpatur et substantivi, et adjectivi more. *Ov. Ib.* 81. Vos quoque plebs Superum, Fauni, Satyrique, Laresque, Fluminaque, et Nymphae, Semideumque genus. *Id. Met.* 14, 673. Mille proci cupiunt et Semideique, Deique. *Lucan.* 9, 6. Quodque patet terras inter, lunaeque meatus, Semidei Manes habitant, quos ignea virtus Innocuos vita patientes aetheris imi Fecit, et aeternos animam collegit in orbes. (Creduntur Semidei habitare spatium, quod est inter coelum et terram. *Manil.* 1, 800., *Plin. Pan.* 89. *f.*) *Stat. Th.* 9, 376. Hoc tibi Semidei munus tribuere parentes? *Ov. Her.* 4, 49. Semideae Dryades. *Val. Fl.* 6, 222. clari Taulantis alumnus Semidea genitrice Tages. *Rut. Itin.* 1, 365. Saecula Semideum ferrati nescia Martis: pro *Semideorum*, *h. e.* aetas aurea. *Auson. Idyll.* 11, 21. de Sirenib. Tres volucres, Tres Semideae, tres semipuellae. ℙ *Semideum pecus*, Panes. *Stat. Th.* 6, 111. cana Pales, Silvanusque arbiter umbrae, Semideumque pecus. ℙ *Semideus canis*, latrator Anubis. *Lucan.* 8, 831. Nos in templa tuam Romana accepimus Isin, Semideosque canes, et sistra jubentia luctus. ℙ *Semidei reges* ap. *Stat. Achill.* 2, 362. et *Th.* 3, 518. sunt Argonautae, quos *Id. Th.* 5, 373. et *Achill.* 1, 87. semideos heroas vocat, et *Val. Fl.* 3, 504. reges Diis genitos; et 5, 504. Deum genus; et *Sen. Med.* 227. proles Deum.

SĒMĪDIES, ei, m. dimidium diei. *Auson. Ecl. de rat. dier.* 5. Semidiemque, duosque dies, deciesque novenos. Adde *ib. de rat. solstit. in aequinoct.* 2.

SĒMĪDIGĪTĀLIS, e, adj. qui habet magnitudinem dimidii digiti. *Vitr.* 10, 22. *med.* Terebratur foramen digitale, semidigitale, sesquidigitale.

[SĒMĪDĪVĪNUS, a, um, adj. fere divinus. *M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 5. Legas semidivinum locum ex oratione tua. *F.*]

SĒMĪDOCTUS, a, um, adj. ἡμιμαθής, dimidio doctus, aliquantum doctus, mediocri eruditione imbutus. *Pl. As.* 1, 3, 73. Haeccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu? *Arg.* Tua ista culpa est, quae discipulum semidoctum abs te amoves. *Cic. Or.* 2, 42. Haec ut properans, et apud doctos, et semidoctos ipse percurro. *Mart.* 10, 92. Et semidocta villici manu structas Tonantis aras. *Gell.* 15, 9. Grammaticus semidoctus. V. SEMIPERITUS.

SĒMĪERMIS et Semermis, e, et Semiermus, a, um, adj. ἡμιόπλος, armis male instructus. *Liv.* 30, 28. Tumultuarii exercitus ex agrestium semiermi turba subito collecti. *Id.* 28, 16. Ipse dux in proximos colles cum sex millibus ferme semiermium evasit. Adde 39, 31. *med.* et 40, 58. *med.* Pro altera positione *Tac. A.* 1, 68. Hosti facile excidium, et paucos ac semermos cogitanti, etc. et *ib.* 3, 45. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos. ℙ De scriptione V. in SEMIANIMIS. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 27, 1.]

SĒMĪFACTUS, a, um, adj. ex part. ἀτελής, dimidia tantum parte factus, imperfectus. *Tac. A.* 15, 7. Semifacta opera perrupit, seque vallo extulit. *Hirt. B. Afr.* 83. In portas valli semifactus ruere contendunt.

SĒMĪFASTĪGĬUM, ii, n. dimidiatum fastigium. *Vitr.* 7, 5. *med.*

SĒMĪFER, ra, rum, adj. μιξόθηρ, ἡμίθηρ, qui dimidia sui parte fera est, altera homo, semivir, semihomo, ut Centaurus, Siren, Scylla, Cacus. *Lucr.* 2, 701. Semiferas hominum species exsistere; et *ib.* 4, 588. Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 44. Corpore semifero magno Capricornus in orbe. *Virg. A.* 10, 212. de Tritone: Spumea semifero sub pectore murmurat unda. *Ov. Met.* 12, 405. Hylonome, qua nulla nitentior inter Semiferos altis habitavit femina silvis, *h. e.* Centauros; et *ib.* 2, 633. Semifer interea divinae stirpis alumno Laetus erat, *h. e.* Chiron. Sic *Claud. III. cons. Honor.* 60. non ocius hausit Achilles Semiferi praecepta senis; et *VI. cons.* 634. semiferi Gortynia tecta juvenci, *h. e.* Minotauri. *Id. Gigantom.* 80. de Peloro gigante: femorum qua fine volutus Duplex semiferis connectitur ilibus anguis. *Sen. Phoen.* 119. semifero dolos Sphinx ore nectens. Adde *Herc. Oet.* 966. et 1470., *Stat. Theb.* 9, 220. et *Lucan.* 6, 386. ℙ Dicitur etiam de domestica bestia, quae multum feritatis habet, ut canes ex lupo et cane geniti: *lyciscae* ob id appellati. *Grat. Cyn.* 253. Hic et semiferam Thoum de sanguine prolem Finxit. *Plin.* 8, 57, 82. Glires semiferum animal, cui vivaria in doliis idem, qui apris, instituit. ℙ Homines semiferi, agrestes, montana incolentes, inculti, feris moribus. *Sil.* 3, 541. Illuvie, rigidaeque comae squalore perenni Horrida semiferi promunt e rupibus ora. De Alpium incolis loquitur. *Plin.* 6, 19, 22. de Indis: Genus hominum semiferum, ac plenum laboris immensi. ℙ *Semiferus* in recto casu analogia defendi potest; usu, quod adhuc sciam, non potest. ℙ Multa in hanc vocem scriptorum testimonia ideo protulimus, quia non defuere, qui eam toto Latio exsulare juberent, et *semivir* substituerent.

SĒMĪFORMIS, e, adj. ἡμίμορφος, dimidia sui parte formatus, imperfectus, semifactus, informis. *Colum.* 8, 5. *med.* Tonitrua, quibus vitiantur ova, pullique semiformes interimuntur, antequam toti partibus suis consummentur. *Id.* 4, 25. Semiformis lunae species.

SĒMĪFULTUS, a, um, adj. ex part. dimidia tantum parte fultus. *Mart.* 5, 14. Subsellioque semifultus extremo, Et male receptus altero genu.

SĒMĪFUMANS, antis, adj. ex part. adhuc aliqua parte fumans. Translate. *Sidon. ep.* 1, 7. Qui adhuc in eo semifumantem praefecturae nuper extortae dignitatem venerabatur.

SĒMĪFŪNĬUM, ii, n. funis dimidio tenuior. *Cato R. R.* 135. Funem loreum in plostrum justum pedes LX., semifunium pedes XLV.

SĒMĪGAETŪLUS, a, um, adj. qui ad Gaetulos vel regione, vel moribus accedit. *Appul. Apol.* Memet professus sum Seminumidam, et Semigaetulum.

SĒMĪGERMĀNUS, a, um, adj. de Germanis participans. *Liv.* 21, 38. *f.* Cum quae ad Apenninum ferant, obsepta gentibus Semigermanis fuissent.

SĒMĪGRAECĔ, adv. paene Graeco more. *Lucil.* ap. *Vel. Long. de Orth. in.* 2214. S nostrum, et Semigraece quod dicimu' Sigma Nil erroris habet.

[SĒMĪGRAECŬLUS, a, um, adj. dimin. Semigraeci. *Hieron. ep.* 50. *n.* 2. Si me absque usu Latinae linguae, Semigraeculum barbarumque homo Latinissimus et facundissimus superet. *F.*]

SĒMĪGRAECUS, a, um, adj. ἡμιέλλην, Graecis participans. *Varr. R. R.* 2, 1. Ut Semigraecis pastoribus dicam Graece. *Flor.* 1, 18. Tarentum, Semigraeca ex Lacedaemoniis conditoribus civitas. *Suet. Gr.* 1. Poetae, et oratores Semigraeci, *h. e.* qui utraque lingua, Graeca et Latina, usi sunt.

SĒMĪGRĂVIS, e, adj. paene omnino gravatus. *Liv.* 25, 24. Magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant. Alii [rectius *F.*] leg. *somno graves.*

SĒMĪGRO, as, n. 1. ἀποικέω, ad seorsum habitandum me confero. *Cic. Coel.* 7. *f.* Reprehendistis, a patre quod semigrarit.

SĒMĪHĬANS, antis, a *semi* et *hians*, quod ab *hio*, aliquantum hians. *Appul. Met.* 10. Semihiantes labias comprimere. *Catull.* 61, 219. Dulce rideat ad patrem Semihiante labello. Ut ratio carminis constet, recurrendum est ad synaeresin. V. quae dicta sunt in SEMIANIMIS.

SĒMĪHĬULCUS, a, um, adj. semihians. *Poet. quidam* ap. *Gell.* 19, 11. Dum semihiulco savio Meum puellum savior. De quantitate syllabae, V. v. praec.

SĒMĪHŌMO, inis, m. ἡμιάνθρωπος, semivir, semifer. *Virg. A.* 8, 193. Hic spelunca fuit vasto submota recessu Semihominis Caci. *Id. ib.* 198. vocat monstrum, et 267. semiferum. *Ov. Met.* 12, 536. Haec inter Lapithas, et semihomines Centauros Proelia. *Sedul.* 1, 231. Semihominemque canem supplex homo pronus adoret, *h. e.* Anubim. *Colum.* 10, 19. Quamvis semihominis vesano gramine feta Mandragorae pariat flores: scil. quia radice inferiorem partem hominis refert, *h. e.* crura et pedes. ℙ Item qui incultis et feris est moribus. *Sil.* 11, 180. Ille ego semihomines inter Nasamonas, et inter Saevum atque aequantem ritus Garamanta ferarum Marmarico ponam tentoria mixtus alumno? ℙ Si ratio habeatur ad quantitatem, ubique hic a poetis adhibetur eo modo, quo in SEMIANIMIS dictum est.

SĒMĪHORA, ae, f. ἡμιώριον, spatium dimidium unius horae. *Cic. Rab. perd.* 2. *med.* Meque ex comparato et constituto spatio defensionis in semihorae curriculum coegisti. *Cels.* 3, 21. Id ante meridiem tota hora, post meridiem semihora fieri oportet. Adde *Hirt. B. Afr.* 38.

SĒMĪJĒJŪNĬUM, ii, n. *Tert. adv. Psych.* 13. Stationum semijejunia interponentes.

SĒMĪĬNĀNIS et Seminanis, e, adj. ἀμφίκυρτος, dimidia parte inanis. *Plin.* 2, 18, 16. Luna in quadrato solis dividua est, in triquetro seminani ambitur orbe, impletur autem in adverso, *h. e.* orbe imminuto, major scilicet dimidia, minor plena.

SĒMĪINTĔGER, gra, grum, adj. dimidia parte integer. *Ammian.* 20, 5. Post civitatum excidia, peremptaque innumera hominum millia, pauca, quae semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultaret.

[SĒMĪJŪDAEUS, a, um, adj. qui dimidia parte Judaeus est. *Hieron.* 1. *in Isaj.* 2, 20. Videlicet Judaei, aut Semijudaei, id est Ebionitae. *F.*]

SĒMĪJŪGĔRUM, i, n. ἡμίπλεθρον, medium jugerum. *Colum.* 5, 18. Vel in semijugera omnis modus dirimatur; et *ib.* 1. Galli semijugerum arepennem vocant.

SĒMĪLĂCER, ra, rum, adj. ἡμίφαντος, dimidia parte lacer. *Ov. Met.* 7, 344. Semilacerque toro tentat consurgere.

SĒMĪLĂTER, ĕris, m. *Vitr.* 2, 3. *med.* Una parte lateribus ordines, altera semilateres ponuntur.

SĒMĪLAUTUS, a, um, adj. ex part. male lotus, sordidus. *Catull.* 54, 2. Semilauta crura.

SĒMĪLĪBER, ra, rum, adj. ἡμιελεύθερος, media libertate fruens. *Cic. Att.* 13, 31. Obsecro, abjiciamus ista, et semiliberi saltem simus. *Sen. Br. V.* 5. *f.* Semiliberum te dixit Cicero: at mehercules nunquam sapiens in tam humile nomen procedet: nunquam semiliber erit, integrae semper libertatis et solidae.

SĒMĪLĪBRĂ, ae, f. selibra. *Appul. Herb.* 99. Adipis cervini semilibra.

SĒMĪLIXĂ, ae, m. ἡμισκευοφόρος, qui fere lixa est. *Liv.* 28, 28. Illi primum non Atrium Umbrum semilixam ducem secuti sunt. Ita per contemptum vocatur C. Atrius Umber, qui ab *eod. ib.* 24. gregarius miles dicitur. *Id.* 30, 28. Cui (*Syphaci*) Statorius semilixa ducere exercitus solitus sit. Hic idem *semilixa* per contemptum appellatur, qui tamen ab *eod.* 24, 28. Q. Statorius centurio dicitur.

SĒMĪLIXŬLĂ, ae, f. *Varr. L. L.* 4, 22. V. LIXULAE.

SĒMĪLŪNĀTĬCUS, a, um, adj. qui paulo minus est, quam lunaticus. *Firm. Math.* 7, 3. *f.* Semilunatici nascentur.

SĒMĪMĂDĬDUS, a, um, adj. ex part. ἡμίβροχος, dimidia parte madidus. *Colum.* 2, 4. Ne lutosus ager tractetur, neve exiguis nimbis semimadidus.

SĒMĪMĂRĪNUS, a, um, adj. ἡμιάλιος, qui et de mari et de terra participat. *Lucr.* 5, 890. Aut rapidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas.

SĒMĪMAS, ăris, adj comm. gen. ἀνδρόγυνος, mas simul et femina. *Ov. Met.* 4, 380. Ergo ubi se liquidas, quo vir descenderat, undas Semimarem fecisse videt, etc. *Liv.* 31, 12. *f.* Ante omnia abominati semimares, jussique in mare deportari. Ap. *Ov. Met.*

12, 506. Ceneum Elati filium, qui puella fuerat, et Neptuni munere translatus in virum, Centauri per convicium *semimarem hostem* vocant. ℙ Item castratus, eviratus, exsectus, semivir, ἡμιανδρος. Tales enim masculi vigoris quasi dimidio carent. *Varr. R. R.* 3, 9. et *Colum.* 8, 2. Feminae, gallinae; mares, galli; capi, semimares, quod sunt castrati. *Ov. Fast.* 4, 183. Ibunt semimares, et inania tympana tundent, *h. e.* Galli Matris Deum. *Id. ib.* 1, 588. in magni castus Jovis aede sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis, *h. e.* vervecis.

SĒMĬMASCŬLUS, i, m. semimas, castratus. *Fulgent. Myth.* 3, 5. Berecynthia Attin castrando semimasculum fecit. [*Anacreon Od.* 13. *v.* 2. *Τὸν ἡμιθηλυν Ἄττιν. F.*]

SĒMĬMĀTŪRUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] paene maturus. *Pall.* 7, 12. Hordeum semimaturum.

SĒMĬMĒDUS, a, um, adj. paene Medus, ut Saemigraecus, Seminumida. *Appul. Apol.* Genere mixto fuit, Semimedus, et Semipersa.

SĒMĬMĔTŌPĬA, orum, n. plur. dimidiae metopae. *Vitr.* 4, 3. *med.* In extremis angulis semimetopia sint impressa.

SĒMĬMĪTRA, ae, f. dimidia vel parva mitra. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. *med.* Ornamentorum haec sunt: vittae, mitrae, semimitrae, calvatica, etc.

SĒMĬMORTŪUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμιθανὴς, dimidia parte mortuus, paene mortuus, semivivus. *Catull.* 50, 14. At defessa labore membra postquam Semimortua lectulo jacebant. *Petr. Sat.* 108. Multi utrinque semimortui labuntur. Alii leg. *sine morte. Appul. Met.* 6. An custodiam anus semimortuae formidabis?

SĒMĪNĀLIS, e, adj. σπερματικὸς, ad sementem et semen pertinens. *Colum.* 11, 2. *med.* Viciae seminalis modios quinque, viciae pabularis modios septem. *Auct. Priap.* 26. Seminale membrum, *h. e.* membrum virile. *Lactant. Op D.* 12. Seminales venae. ℙ *Seminalia* ap. *Tert. adv. Marc.* 13. *f.* sunt ipsae segetes, aut messes.

SĒMĪNĀNIS. V. SEMIINANIS.

[SĒMĪNĀRĬA, ae, f. quae semina herbarum vendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 79, 3. Atinia Tyrannis seminaria a porta triumphale. *Reines.* ad *Inscr. cl.* 11. *n.* 79. legendum putat *feminaria*, *h. e.* iatromaea, obstetrix. *F.*]

SĒMĪNĀRĬUM, ii, n. φυτευτήριον, φυτώριον, plantarium, locus in agro, in quo surculi arborum, aut semina seruntur, ut, ubi ad certam magnitudinem adoleverint, in alium locum transferantur: cujus faciendi rationem *Cato R. R.* 46., *Col. Arb.* 1. et 2., *Plin.* 17, 10, 14. et *ib.* 11, 14. et *Pall.* 3, 10. tradunt. Patavini rustici *chiocára* vocant. *Cato R. R.* 40. Sulcos et scrobes seminariis facere. *Id. ib.* 48. Pomarium seminarium ad eundem modum, atque oleagineum, facito. *Varr. R. R.* 1, 29. Seminaria omne genus ut serantur. *Colum.* 11, 2. *med.* Seminaria instituere; et *ib.* Maturas plantas de seminariis in scrobes transferre. *Id.* 5, 6. Ulmorum seminarium paratum habere. *Pall.* 4, 8. *extr.* Seminaria baccarum et seminum facere. *Plin.* 18, 29, 71. purgare sarculo. *Pall.* 6, 4. assidue fodere. *Ulp. Dig.* 7, 1, 9. *med.* Conserendi agri causa seminarium paratum renovare, quasi instrumentum agri. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 1, 115. Vinum hilaritatis dulce seminarium, *h. e.* occasio, origo, principium. *Cic. Cat.* 2, 10. *med.* Qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote, hoc in republica seminarium Catilinarium futurum, *h. e.* ex hoc genere hominum semper multos Catilinae similes exstituros. *Epit. Liv.* 39. Bacchanalia scelerum omnium seminarium. *Cic. Phil.* 13, 2. Veterani seminarium judicum tertiae decuriae. *Liv.* 6, 12. Vix seminario exiguo militum relicto. *Id.* 42, 61. Equites seminarium senatus. *Flor.* 2, 6. *med.* Hispania seminarium hostilis exercitus. *Cic. Pis.* 40. *med.* Ex illo fonte et seminario triumphorum cum arida folia laureae retulisses. *Hieron. in Helv. n.* 20. Hinc discordia, seminarium repudii. *Id. ep.* 27. *n.* 2. Seminarium rixarum. Adde *Curt.* 8, 6., *Appul. Apol.* et *Auson. Grat. act.* 30.

SĒMĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad semina pertinens. *Cato R. R.* 10. *f.* Pilum fabarium unum, farrearium unum, seminarium unum, qui nucleos succernat, unum.

SĒMĬNĀTĬO, onis, f. σπορὰ, actus seminandi. *Varr. R. R.* 2, 6. Ad seminationem onagrus idoneus, quod e fero fit mansuetus facile, *h. e.* ad generationem, ad coitum.

SĒMĪNĀTOR, oris, m. σπορεὺς, qui seminat. *Cic. N. D.* 2, 34. Omnium autem rerum, quae natura administrantur, seminator, et sator, et parens, ut ita dicam, atque educator, et altor est mundus. *Id. ib.* 3, 26. Qui est versus omnium seminator malorum.

*SEMINATRIX, icis, f. *Sarisb. ep.* 61. *B. A.*

SĒMĪNĀTUS, a, um, part. a *semino:* genitus. *Pl. Amph.* 1, 2, 19. Alter decumo post mense nascetur puer, quam seminatus.

[SĒMĪNĔCO, as, a. 1. dimidia ex parte neco. *Not. Tir.* p. 122. Necat, seminecat. *F.*]

*SEMINETHOS, i, opp. Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

SĒMĪNEX vel Seminĕcis, is, adj. ἡμιφαγὴς, qui ex illato vulnere, vel ex morbo morti est vicinus, semivivus, semimortuus, moribundus. *Liv.* 39, 2. *f.* Qui circa regem, seminecem restantem, pugnabant. *Id.* 23, 15. *med.* Seminecem cum in acervo caesorum corporum inventum, curatumque benigno domum remiserat. *Tac. H.* 5, 28. *f.* Integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur. [*Adde *Agr.* 36.] *Sil.* 10, 456. Seminecem extremo vitam exhalabat in auras Murmure deficiens jam Coelius. *Virg. A.* 10, 462. Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta. *Val. Fl.* 6, 176. Semineces crines: sc. *in capite Medusae. Ov. Met.* 1, 228. artus, [*i. e. palpitantes adhuc.] *Albin.* 1, 394. oculi. *Sil.* 4, 164. Seminecum letum peragit gravis ungula pulsu; et 6, 11. Frustra seminecum quaerentia lumina coelum. ℙ In recto casu singulari exempla nondum vidimus.

*SEMINIVERBĬUS, i, m. σπερμολόγος. *Vulg. Act. Apost.* 17, 18. Quid vult seminiverbius hic dicere? *Sarisb.* 7, 19. Apostolus dictus est Seminiverbius. *B. A.*

SĒMĬNĬUM, ii, n. σπέρμα, semen, quo generatur animal. *Pl. Mil.* 4, 2, 67. Nisi huic verri affertur merces, non hic suo seminio quamquam porculam impertiturus est. *Varr. R. R.* 2, 6. Asini optimi, e quorum seminio ego hic procreavi (lege *procuravi*) pullos, et ipsis Arcadibus vendidi aliquoties. ℙ Item genus, proles, indoles, natura. *Id. ib.* 2, 1. *med.* Boves quo sint seminio, quaerendum. *Id. ib.* 3, 9. de gallis gallinac.: Nec tamen sequendum in seminio legendo Tanagricos, qui ad partus sunt steriliores. *Lucr.* 3, 742. cur acris violentia triste leonum Seminium sequitur? ℙ In illo *ejusd. ib.* 765. Si non certa suo cum semine seminioque Vis animi pariter crescit cum corpore quoque: *semen* est ipsa materia genitalis; *seminium* eadem materia generando infusa, et in prolem transmissa.

SĒMĬNO, as, avi, atum, a. 1. σπείρω, semen spargo, et terrae mando, sero, consero. *Colum.* 2, 4. *extr.* Neque in lira, sed sub sulco talis ager seminandus est; et *ib.* 9. *med.* Hordeum altero sulco seminari debet, post aequinoctium. ℙ Item genero, et de animalibus proprie dicitur. *Colum.* 6, 24. Tauri quadrimis minores seminandis armentis parum habentur idonei; et *mox*: Si parte dextra desiluit, marem seminasse manifestum est; et *ib.* 37. Asinum destinare mularum generi seminando. ℙ Item produco. *Virg. A.* 6, 205. Quale solet silvis brumali frigore viscum Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos. ℙ Translate. *Lact.* 1, 22. et 4, 10. Ut cultum Dei per totam terram seminaret.

SĒMĬNŌSUS, a, um, adj. seminibus plenus. *Auct. Priap.* 52. Seminosae cucurbitae.

SĒMĬNŪDUS, a, um, adj. ἡμίγυμνος, dimidia parte nudus. *Liv.* 9, 6. Primi consules prope seminudi sub jugum missi. *Id.* 24, 40. [Ipse rex prope seminudus fugiens. Adde 31, 35. et *Capell.* 1. p. 3. et *Front. princ. hist.* (ed. iterum *A. Maio*) p. 318. ℙ Translate. *Id. ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. *med.* Seminudae sententiae. V. INDECORE. *F.*]

SĒMĪNŪMĪDA. V. in SEMIGAETULUS.

SĒMĬOBŎLUS, i, m. dimidium oboli, ἡμιοβόλιον. *Fann. de ponderib.* 8. Semioboli duplum est obolus. ℙ Scribitur et *semobolus.* V. SEMIANIMIS.

SĒMĬOBRŪTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte obrutus. *Appul. Met.* 9. Dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias vacuum, hominem abscondit.

SĒMĬŌNUSTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte onustus. *Sisenn.* ap. *Prisc.* 10. *f.* p. 909. Sic in eam paludem multi piscium saliendorum causa navibus semionustis commeant.

SĒMĬORBIS, is, m. ἡμίκυκλος, dimidius orbis. *Sen. Q. N.* 1, 8. *med.* In semiorbe nihil prohibet aspici totam pilam. *Ammian.* 20, 3. *med.* Διχόμηνος luna: quae forma semiorbem ostendit. *Id.* 22, 8. Mare semiorbe curvescens.

SĒMĪPĀGĀNUS. V. PAGANUS.

SĒMĪPĀTENS, entis, [adj. ex part. *F.*] semiapertus, dimidio patens. *Sidon. ep.* 7, 6. *med.* Semipatentibus jacere vestibulis.

SĒMĪPĀTER. V. SEMO *f.*

SĒMĪPĔDĀLIS, e, adj. ἡμιποδιαῖος, medii pedis longitudinem habens. *Plin.* 13, 4, 8. Semipedales ramorum relinquentes truncos. *Id.* 32, 1, 1. Echeneis, semipedalis pisciculus. *Id.* 26, 8, 42. Semipedalis altitudo. *Colum.* 12, 50. Asserculi inter se distantes semipedalibus spatiis. Adde *Vitr.* 10, 19. *med.*

SĒMĪPĔDĀNĔUS, a, um, adj. semipedalis. *Colum.* 4, 1. Abunde est, semipedaneam consitis resolutam vitibus terram subjicere.

SĒMĪPĔRACTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] semiperfectus, semifactus. *Paul. Not. carm.* 20, 299. Materiaque eadem defecta in parte perornat Semiperactum hominem, qua toto corpore finxit.

SĒMĪPĔREMPTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] *Tert. carm. de Sodom.* 133. Semiperempta etiamsi qua illic jugera, *h. e.* semiambusta.

SĒMĪPĔRFECTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte perfectus. *Suet. Cal.* 21. Opera sub Tiberio semiperfecta absolvit. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Virtutes semiperfectae.

[SĒMĪPĔRĪTUS, a, um, adj. dimidia parte peritus. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 3. *in.* Omnium artium, ut ego arbitror, imperitum et indoctum omnino esse praestat, quam semiperitum et semidoctum. *F.*]

SĒMĪPERSA, ae, m. V. SEMIMEDUS.

SĒMĪPES, edis, m. ἡμιπόδιον, dimidius pes, mensura octo digitorum. *Cato R. R.* 123. De junipero materiam semipedem crassam concidito minutim. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Tympanum in latitudinem duo pedes, et semipedem in altitudinem palmum. *Vitr.* 2, 3. Later longus pede, latus semipede. *Plin.* 17, 20, 33. Intervallo duum pedum, et semipedis. *Id. ib.* 11, 16. Scrobes non altiores quino semipede esse debere. *Id.* 9, 5, 4. Dentes belluae maximi dodrantium mensura, minimi semipedum. ℙ De dimidio pede in versu. *Gell.* 18, 15. Varro scripsit, observasse se in versu hexametro, quod omni modo quintus semipes verbum finiret. *Auson. epist.* 4, 86. Qui penthemimerin habent priorem, Et post semipedem duos iambos. ℙ *Semipes* ap. *Prud.* περὶ στεφ. 2, 150. est qui altero crure trunco est.

SĒMĬPHĂLĂRĪCA, ae, f. telum phalarica minus, cubitale, quod manu jaculabantur. *Gell.* 10, 25.

SĒMĪPISCĪNA, ae, f. dimid. piscinae, parva piscina, [species piscinae, ap. *Varr. R. R.* 1, 13. Una cohors, ut interdius compluvium habeat locum, ubi aqua saliat, quae intro stylobatas cum venit, fit semipiscina. Ita locum refinxit *Schneiderus* ad *Script. R. R.* T. 2. p. 704. *F.*]

SĒMĪPLĂCENTĪNUS, a, um, adj. aliqua ratione Placentinus. *Cic. Pis.* 6. *f.* Calatinus, credo, aliquis, aut Africanus, aut Maximus, et non Caesonius Semiplacentinus Caiventius. V. GALLICANUS.

SĒMĪPLĒNE, adv. *Sidon. ep.* 4, 22. *med.* Praeterita infructuose, praesentia semiplene dicuntur.

SĒMĪPLĒNUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμιπλέος, plenus pro dimidia parte. *Liv.* 25, 30. *f.* Qui improviso adorti semiplenas stationes, et adapertas fores portae, etc. *Cic. Verr.* 2, 5, 25. Semiplenae naves. *Vell.* 2, 80. legiones. *Colum.* 9, 15. Semipleni favi; et 5, 5. scrobes.

SĒMĪPLOTĬA. V. PLAUTUS.

SĒMĪPŪELLA. V. SEMIDEUS.

SĒMĪPULLĀTUS, a, um, adj. semiatratus, dimidia parte pulla veste indutus. *Sidon. ep.* 1, 7. *med.* Accusatores semipullati.

SĒMĪPULSUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] In fr. incerti *Auct.*, quod *Censorino* adnectitur, in exemplum paeonis denarii referuntur haec verba antiquioris cujusdam poetae, *c.* 14. *f.* Qui repens semipulsus onere gravi fores strepitu terret.

SĒMĪPŪTĀTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμικλάδευτος, dimidia parte putatus, sive caesus. *Virg. Ecl.* 2, 70. Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

[SĒMĪQUĪNĀRĬUS, a, um, adj. qui continet dimidium numeri quinarii. *Semiquinarius*, nulla tamen Latini scriptoris allata auctoritate, agnoscitur a *Prisc.* p. 1355. ℙ Hinc *Semiquinaria, ae*, absolute dicitur dimidia pars versus pentametri, qui ex quinque pedibus, seu quatuor cum duabus caesuris, constat. *Diomed.* 3, 502. Pentameter, id est quinarius, scanditur, ut duae semiquinariae, ita ut posterius comma duos dactylos habeat, et semipedem. V. PENTHEMIMERES.

SĒMĪRĂMIS, is et idis, f. Σεμίραμις, regina Assyriorum, Nini uxor, magnitudine animi, et rerum gestarum claritate, simulque portentosa libidine celebris. Mortuo marito, sexum mentita, et se Nini filium simulans, diu regnavit: firmata potentia, feminam se fassa, plura bella gessit, in Indiam armis penetravit, Aethiopiam subegit, Babylonem condidit, murumque ei cocto latere, et bitumine circumdedit. V. *Just.* 1, 1. et 2. ubi plura. *Id.* 36, 2. Assyriis regibus genus ex regina Semirami fuit. *Id.* 1, 1. *extr.* Relicto filio Ninya, et uxore Semiramide. *Curt.* 7, 6. *med.* Non alium magis admiratus est, quam hunc regem, et Semiramin. *Ov. Met.* 5, 57. dicitur altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem. *Juven.* 2, 108. pharetrata Semiramis. V. EUNUCHUS. ℙ *Scribitur et *Samiramis*, v. g. ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 30. et 3, 44. Sic et *Serapis* scriptum reperitur et *Sarapis. B. A.*

SĒMĪRĂMĬUS, a, um, adj. ad Semiramin pertinens. *Ov. Met.* 5, 85. Inde Semiramio Polydaemona sanguine cretum. *Mart.* 8, 28. Non ego praetulerim Babylonica picta superbe Texta, Semiramia quae variantur acu, *h. e.* Babylonica: quia Babylone Semiramis regnavit. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 162. Semiramiae turres, *h. e.* Babylonicae, quas Semiramis condidit.

SĒMĪRĂSUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte rasus. *Catull.* 59, 4. Cum devolutum ex igne prosequens panem Ab semiraso tunderetur ustore. *Appul. Met.* 9. Homines frontes litterati, et capillum semirasi, et pedes anulati.

SĒMĪRĔDUCTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] aliquantum reductus, retroflexus, interius reductus. *Ov. A. Am.* 2, 613. Ipsa Venus pubem, quoties velamina ponit, Protegitur laeva semireducta manu. [Hoc Veneris schema ita describit *Lampr. Elag.* 5. Ipse Veneris personam subiens, ita ut subito vestes ad pedes defluerent, nudusque una manu ad mammam altera pudendis adhibita, etc. Idem porro est

etiam schema Veneris, quae nunc *de' Medici* dicitur, et Florentiae asservatur, quaeque videtur, ut ait *Ov. l. c.* 584. Partibus obscenis opposuisse manum. V. INTERFEMINIUM. *F.*]

SĒMĬRĔFECTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμιαωχείωστος, dimidia parte refectus. *Ov. Her.* 7, 176. laniataque classis Postulat exiguas semirefecta moras.

[SĒMĬRĒMEX, ĭgis, m. *Septim. Severus* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 5, 116. Semiremex Hercules. *F.*]

SĒMĬRŌSUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte rosus. *Arnob.* 6, 202. Semirosus panis.

SĒMĬRŌTUNDUS, a, um, adj. semicirculi formam habens. *Appul. Met.* 11. Subterraneum semirotundum, *h. e.* Orcus. ℙ Substantive. *Id. ib.* 5. Viso statim proximo semirotundo, *h. e.* lecto semirotundo, sigmate.

SĒMĬRUPTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte fractus, ut Semirupta moenia, *Dict. Cret.* 5, 11. *f.*, ubi alii rectius leg. *semiruta.*

*SĒMĪRUS, i, m. fluvius Italiae inferioris, in Bruttiis, in sinum Scyliceum influens. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

SĒMĬRŪTUS, a, um, adj. ex part. ἡμιβαλής. *Liv.* 32, 17. Purgato loco, qui strage semiruti muri cumulatus erat. [*Est haec vox Livio familiaris, quod exemplis satis multis congestis probat *Drak.* ad 36, 24, 6.] *Flor.* 2, 15. *med.* Plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. *Stat. Silv.* 5, 3, 104. Exsere semirutos subito de pulvere vultus, Parthenope. *Tac. A.* 1, 61. Semirutum vallum. *Lucan.* 1, 24. Semiruta tecta; et 4, 585. Semirutae arces. *Appul. Flor. n.* 15. Oppidum fuisse amplum, semiruta moenium indicant. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 155. semirutas confuso stamine telas, Atque interceptas agnoscit pectinis artes, *h. e.* semilaceras.

SĒMIS, indecl. ἥμισυ, dimidium cujuspiam rei: a voce Graeca allata. *Festus:* Semis, semodius, semuncia ex Graeco trahuntur, sicut et alia nonnulla, quae *s* litteram pro aspiratione eorum habent, ut ἑπτὰ septem, ὕλη silva: sic ista ab eo quod illi dicunt ἥμισυ, declinata sunt. *Varr. L. L.* 4, 36. Sestertius, quod semistertius: dupondius enim et semis antiquus sestertius est. *Ascon.* in *Cic. Pis.* 4. Lex annonaria, ut frumentum populo, quod antea semis aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur, *h. e.* semissibus. Sic *Hor. A. P.* 328. si de quincunce remota est Uncia, quid superest? poterat dixisse, triens, etc. redit uncia, quid fit? Semis. V. SEMISSIS. *Vitr.* 4, 1. *med.* Septem crassitudinis diametros in altitudinem columnae Doricae, Ionicae octo semis constituerunt. *Colum.* 5, 1. *f.* Pars dimidia (*jugeri*) pedes quatuordecim millia et quadringentos: hoc est semis, *h. e.* dimidium jugeri. *Front. Aquaed.* 7. Ductus ejus habet longitudinem a capite ad Urbem passuum sexaginta millium, et MDCCX., et semis: rivo subterraneo passuum quinquaginta quatuor millium CCXXXXVII. semis. *Pall.* 2, 13. *f.* Si campus est, duobus semis pedibus pastinetur: alte duos pedes et semissem, ut *Colum.* quoque 3, 13. *med.* tradit. Rursus *Pall.* 3, 9. *med.* Si duos semis pedes inter vites relinqui placuerit. *Id.* 2, 15. *med.* Fodiemus ergo altam pede uno semis aream. *Ulp. Dig.* 28, 5, 50. *extr.* Partes assis sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, etc. ℙ *Varr. l. c.* docet, veteris consuetudinis esse, ut retro aera dicerentur, ita ut semis tertius, semis quartus pronunciarent: unde sestertius ab semis tertius dictus. ℙ Male *Prisc.* 6, 708. tribuit huic voci genitivum *semissis:* est enim indeclinabilis, ut dictum est, et a Graecis: *semissis* autem priore parte Graeca, posteriore Latina est. V. s. l. ℙ In compositione, *s* abjecto, jungitur cum vocibus a quacumque vocali, aut consonante incipientibus, ut videre est in allatis modo vocabulis, et deinceps afferendis.

SĒMĪSAUCĬUS, a, um, adj. ἡμιγόωτος. Translate. *August. Conf.* 8, 8. *med.* Semisauciam versare et jactare voluntatem.

SĒMĪSĔNEX, sĕnis, m. ita legitur a quibusdam in *Pl. Mil.* 3, 1, 53. O lepidum semisenem, si, quas memorat, virtutes habet. [*Ita omnes MSS. et *edd. vett.*, si quaedam vitia scripturae excipias.] Alii leg. *senem:* alii *senicem:* quia olim declinabant *senex senicis*, vel *senecis* (unde *senecio*), ut *vervex*, *duplex*, *codex*, etc., quod et *Charis* 1, 116. adnotavit. *Plaut. fragm.* ap. *Prisc.* 3, 616. et 6, 724. Datores bellissimi negotioli, senices, soletis esse. [*In priore *Plauti* loco *senicem* contra metrum est a *Lipsio* repositum, quem recentiores secuti sunt.]

[SĒMĪSEPTĒNĀRĬUS, a, um, adj. qui continet dimidium numeri septenarii. *Semiseptenarius*, nulla tamen allata scriptoris Latini auctoritate, agnoscitur a *Prisc.* p. 1355. ℙ Hinc *semiseptenaria*, *ae*, absolute, dicitur pars versus, quae tres pedes, et dimidium continet. *Beda de metr.* p. 2369. Heptemimeres, ubi post tres pedes invenitur syllaba, ut *Cum sua gentiles studeant.* Dicta autem heptemimeres Graece (ἑπτημιμερής) quasi semiseptenaria; quia cum per spondaeos fit, constat septem syllabis, et septima syllaba tenet semipedem. *F.*]

SĒMĪSEPULTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμιταφής, dimidia parte sepultus. *Ov. Her.* 1, 55. Semisepulta virum curvis feriuntur aratris Ossa.

SĒMĪSERMO, onis, m. imperfectus sermo. *Hieron. ep.* 7. *n.* 2. Hic enim aut barbarus semisermo discendus est, aut tacendum.

SĒMĪSICCUS, a, um, adj. *Pall.* 3, 24. Vellendi sunt thalli adhuc semisicci.

SĒMĪSĬCĬLĬCUS, i, m. dimidius sicilicus. *Pall.* 12, 22. *med.* Vini veteris unus semisicilicus.

SĒMĪSOMNIS, e, et Semisomnus, a, um, adj. ἡμίυπνος, fere adhuc dormiens, non satis experrectus, semisopitus. *Cic. Fam.* 7, 1. Cum illi interea spectarent communes mimos semisomni. *Id. Verr.* 2, 5, 36. Cum is etiam tum semisomnis stuperet. *Liv.* 30, 5. Multos semisomnos hausit flamma. Al. leg. *semisomnes.* [*Cf. 9, 24. et 25, 39.] *Pl. Curc.* 1, 2, 22. Anui screanti, siccae, semisomnae potionem afferre. *Tac. A.* 1, 51. Semisomnos, inermos. palantes ceciderant. *Id. H.* 1, 22. Dux semisomnus, ac prope intectus. *M. Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. *f.* Semisomno sopore inter manus centurionum jactabatur.

SĒMĪSŌNANS, antis, part. ab inus. *semisono. Semisonantes litterae*, semivocales. *Appul. de Mundo:* Ex litteris aliae sunt insonae, semisonantes aliae, pars sonantes. *Terent. de carm. her.* p. 2406. Quae tibi cum loquerer septem quoque semisonantes, etc.

[SĒMĪSŌNUS, a, um, adj. idem ac semisonans. *Mar. Victor.* 1. p. 2455. Superest, ut septem reliquas (*litteras*), somisonas, spiritu quoque instrepentes, ordine quodam persequamur. *F.*]

SĒMĪSŌPĪTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμίυπνος, semisomnis. *Ov. Her.* 10, 10. movi Thesea pressuras semisopita manus. *Id. Am.* 1, 14, 20. Purpureo jacuit semisopita toro. *Liv.* 25, 39. Pars semisopitos hostes caedunt. *Appul. Met.* 1. Ille marcidus et semisopitus, in alterum latus evolutus, etc. Ap. *Ov.* utroque loco alii leg. *semisupinus*, quia in *semisopitus* tertia syllaba natura est longa: ap. *Liv.* vero *semisomnos.*

SĒMĪSŌPŌRUS, a, um, adj. semisopitus, semisomnus. *Sidon. carm.* 11, 59. somnoque refusae (*Veneris*) Semisopora levi scalpebat lumina penna (*Amor*).

SĒMĪSPATHĀ, ae, f. ensis dimidio minor, quam spatha. *Veg. Mil.* 2, 15., cujus verba V. in SPATHA; item c. 16.

[SĒMĪSQUARTUS, a, um, adj. cui deest dimidium quartae partis. V. SEMISTERTIUS *f.* *F.*]

SĒMĪSSĀLIS, e, adj. semissem continens. *Modest. Dig.* 50, 12, 10. Ut sors apud eam remaneret, et ipsa usuras semissales exsolveret: *scil.* quibus semissis, seu dimidium assis quotmensibus pro sorte centum assium exigitur, qui sunt sex asses quotannis. V. SEMISSIS.

SĒMĪSSĀRĬUS, a, um, adj. ad semissem pertinens. *Florent. Dig.* 30, 113. Semissarius coheres, *h. e.* qui semissem seu dimidium hereditatis habet.

SĒMĪSSIS, is, m. dimidia pars assis: quasi *semiassis*, a Graeco *semis*, et Latino *as. Varr. L. L.* 4, 36. Sextans ab eo, quod sexta pars assis: quadrans, quod quarta: et triens, tertia pars: semissis, quod semias, id est dimidium assis. *Plin.* 33, 3, 13. Placuit denarium pro decem libris aeris, quinarium pro quinque, sestertium pro dupondio ac semisse. V. AS. ℙ De pecunia aerea, quae dimidium assis valebat. *Epit. Liv.* 60. C. Gracchus legem tulit frumentariam, ut semisse et triente frumentum plebi daretur. (In re simili *Ascon.* in *Cic. Pis.* 4. dicit *semis aeris ac trientibus.*) *Auct ad Her.* 1, 12. Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus laturus esset. *Cic. Sext.* 25. Ut, remissis semissibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur. Loquitur *Cic.* de lege a Clodio lata, ut gratis frumentum daretur populo, quod antea semisse et triente in singulos modios dabatur: ita ut quinta pars vectigalium tolleretur. ℙ Fuit etiam nummus aureus valens dimidium solidi aurei. V. locum *Lampridii* in TREMISSIS. ℙ De homine minimi pretii. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Simius, non semissis homo, contra me arma tulit, et eum bello cepi, *h. e.* qui ne semissem quidem valet. ℙ Dicitur de parte dimidia cujuscumque rei; ut enim *as* totum aliquod significat, v. gr. hereditatem, sortem, jugerum; ita *semissis* dimidiam partem. *Liv.* 6, 16. *f.* Bina jugera et semisses agri assignati. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Justum est proscindi semissem, iterari assem, *h. e.* proscindi jugeri dimidium, iterari jugerum integrum. *Id. ib.* 6, 7. *n.* 3. Sex domini semissem Africae possidebant. cum interfecit eos Nero, *h. e.* dimidium Africae proprie dictae, quae est regio Zeugitana, ut *Id.* 5, 4, 3. docet. *Scaev. Dig.* 36, 1, 78. *med.* Uti post obitum vestrum reddatis, restituatis Titio et Sempronio semissem patrimonii et portionis ejus, quam vobis dedi. *Suet. Ner.* 32. Ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans cogeretur ei, qui, etc. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. Interesse in plantario sesquipedes inter bina semina in latitudinem, in longitudinem semisses, *h. e.* semipedes. ℙ In re usuraria *semissis* est cum pro sorte v. gr. centum denariorum dimidius denarius singulis mensibus penditur, h. e. seni denarii quotannis, quod est dimidium usurae centesimae. *Plin.* 14, 4, 6. Usura multiplicata semissibus, quae civilis ac modica est. *Cic. Fam.* 5, 6. *f.* Omnino semissibus magna copia (*pecuniae*) est; et *Colum.* 3, 3. *med.* Usurae semissium. ℙ Adjective. *Scaev. Dig.* 22, 1, 13. Qui semisses usuras promiserat, per multos annos minores praestitit. *Paul. ib.* 45, 1, 134. Cum praestaturum se caverit pecuniam, et usuras ejus semisses. Adde *ib.* 46, 3, 102. *f.* ℙ *Semissis*, instrumentum semicirculi figura, quo equi inuruntur. *Veg. Vet.* 3, 41. et adjective, Semisse cauterio inurere. *Id. ib.* 2, 11. *f.* ℙ Hinc *semissare*, semisse inurere. *Id. ib.* 1, 26. et 38.

SĒMĪSSO, as, a. 1. V. v. praec.

[SĒMĪSTERTĬUS, a, um, adj. cui deest dimidium tertiae partis. *Prisc. de ponterib.* p. 1347. Sestertius nummus duarum semis librarum per duas II, et S, ex qua incipit semis, perscriptas, HS; unde sestertius dicitur semis tertius, de quo Aruntius haec ait: Sestertius olim dupundius et semis, quasi semistertius, quo tempore denarius decussis valebat. Hoc est, post duo asses sequens tertio loco est semis. *Varr. L. L.* 4, 36. Dupondius enim et semis antiquus sestertius est. Est veteris consuetudinis, ut retro aera dicerentur, ita ut semistertius, semisquartus pronunciarent. Sestertius igitur ab semistertius dictus. V. SEMITALENTUM et SESTERTIUS. *F.*]

SĒMĪSŪPĪNUS, a, um, adj. ἡμισύπτιος, media parte supinus. *Ov. A. Am.* 3, 788. Cum jacet in dextrum semisupina latus. *Mart.* 6, 35. vitreisque tepentem Ampullis potas semisupinus aquam. V. SEMISOPITUS.

[SĒMĪSYLLĂBĂ, ae, f. dimidium syllabae. *Consent. de barb. et metapl.* 18. Metaplasmus aut vocalem litteram excludit, aut syllabam ex una vocali et *m*, aut semisyllabam. *F.*]

SĒMĪTĂ, ae, f. τρίβος, οἶμη, callis angustior, vestigiis commeantium signatus. Differt a *via*, quae latior est, et frequentior. *Varr. L. L.* 4, 4. *med.* Qua ibant, ab itu iter appellarunt: qua anguste, semita, ut semiiter, dictum. *Mart.* 7, 61. Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos; Et modo quae fuerat semita, facta via est. *Cic. Agr.* 2, 35. Romam in montibus positam, coenaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, prae sua Capua planissimo loco explicata, contemnent. *Colum.* 2, 11. In morem horti areas latas facito, ut per semitas aqua ministrari possit. *Virg. A.* 9, 383. Rara per occultos lucebat semita calles; et *ib.* 11, 524. tenuis quo semita ducit. *Liv.* 44, 43. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversae semitae erant, cum perpaucis via divertit. *Plin.* 11, 30, 36. de formicis: Silices itinere earum attritos videmus, et in opere semitam factam. *Virg. A.* 4, 407. de eisd.: opere omnis semita fervet. *Val. Fl.* 2, 429. Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant: Spumea subsequitur fugientis semita clavi, *h. e.* vestigium gubernaculi undas a puppi secantis. *Plin.* 11, 37, 89. Arteriae, id est spiritus semitae. *Claud. Laud. Stil.* 2, 438. quid velox semita Lunae, Pigraque Saturni, etc. *h. e.* cursus. *Id. de Apono*, 25. Herculei monstratur aratri Semita, *h. e.* sulcus, nota, signum. *Id. Rapt. Pros.* 2, 99. de Iride: cum tramite flexo Semita discretis interviret humida nimbis, *h. e.* linea, fascia protensa. Sic *Sen. Troad.* 356. Et stella longa semitam flamma trahens. De angusto freto maris. *Stat. Achill.* 1, 409. Phrixi qua semita jungi Europamque Asiamque vetat. ℙ Eleganter *Quint.* 5, 14, 31. *med.* Locuples et speciosa vult esse eloquentia, etc. Feratur igitur non semitis, sed campis, non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed, ut latissimi amnes, totis vallibus fluat. ℙ *Semita* est etiam ipse trames, qui in utroque margine latae et militaris viae calcatur ab hominibus ad evitandam molestiam jumentorum, vehiculorum, bajulorum, luti, pulveris. *Pl. Trin.* 2, 4, 80. Decedam ego illi de via, de semita. *Id. Curc.* 2, 3, 8. Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in via, quin cadat, quin capite sistat in via de semita. *Sen. ep.* 64. *f.* Si consulem videro, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. ℙ De quacumque via, sive lata, sive angusta, saepe usurpant poetae, *Propert.*, *Sen. Trag.*, *Claud.* etc. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 2, 23. *med.* Jam intelligetis, hanc pecuniam qua via modo visa est exire ab isto, eadem semita revertisse. Alii leg. *eadem*, *semita revertisse*, *h. e.* eadem ratione, sed semita occultiore, et breviore. [*De *Hotom.* et *Wyttenb.* conjectura cum *Schütz. Orell.* legit: pecuniam, quae via modo visa est exire ab isto, eandem semita revertisse.] *Hor. Ep.* 1, 18, 102. Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum, An secretum iter, et fallentis semita vitae. *Juven.* 10, 363. semita certe Tranquillae per virtutem patet unica vitae. *Pl. Cas.* 3, 5, 40. Sciens de via in semitam degredere, *h. e.* sciens et prudens te impedis, in arctum cogis, te induis, via enim lata est et facilis, semita angusta et impeditior. *Phaedr. prol.* 3, 38. Ego porro illius semita feci viam, *h. e.* illius vestigiis insistens progressus sum: et cum ille (*Aesopus*) pauca quaedam scripsisset, cogitavi plura, quam reliqueq

rat. ℙ Jocus in ambiguo est in illo *Pl. Curc.* 1, 1, 35. Nemo ire quemquam publica prohibet via: dum ne per fundum septum facias semitam, dum tete abstineas, nupta, vidua, virgine, juventute, et pueris liberis; ama quodlubet. ℙ *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam*, proverbio dixit *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. de his, qui cum se et res suas curare nesciant, aliis prospiciunt. ℙ *Alta semita* dicta est sexta regio urbis Romae, in qua via fuit, qua ad summum collem Quirinalem ascendebatur. V. *Sex. Ruf.* et *P. Victor.* Alia est illa, de qua *Mart.* 5, 22. Alta Suburrani vincenda est semita clivi.

SĔMĪTACTUS. V. SEGMENTATUS.

[SĔMĪTĂLENTUM, i, n. ἡμιτάλαντον, sex talenta, et semis, *h. e.* cui deest dimidium talenti. *Prisc. de ponderib.* 1347. Hoc quoque secundum Atticos et Ionas, qui ἥμισυ τρίτον dicebant pro δύο ἥμισυ, teste eodem Didymo, qui hoc ponit, ostendens in omni parte orationis et constructionis analogiam Graecorum secutos esse Romanos, unde et Herodotus in primo Historiarum (1, 50.) Ἕλκων σταθμὸν ἑβδομον ἡμιτάλαντον, (*h. e.* habens pondus sex talentorum et semis) Septimum semitalentum dixit pro sex semis talenta. V. SEMISTERTIUS. *F.*]

SĔMĪTĂLIS, e, adj. ad semitam pertinens. *Dii Semitales*, ἐνόδιοι, qui in semitis colebantur, Lares Viales, Compitales, ut Mercurius, Hecate, etc. *Virg. Cat.* 8, 20. Neque ulla vota Semitalibus, Deis, etc.

SĔMĪTĂRĬUS, a, um, adj. ad semitam pertinens. *Semitarii moechi* ap. *Catull.* 37, 16. sunt, qui meretrices triobolares consectantur, in quadriviis, et angiportis, et semitis prostantes.

SĔMĪTĀTIM, adv. per semitas. *Titin.* ap. *Charis.* 2, 194. Ita semitatim fugi, atque effugi patrem.

[SĔMĪTATRIX, icis, f. quae semitis praeest. *Semiatrices Deae* habentur in *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4989.; ita etiam Dii Bivii, Trivii, Quadrivii sunt appellati. *F.*]

SĔMĪTĀTUS. V. SEGMENTATUS.

SĔMĪTECTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμιχάλυπτος, dimidia parte contectus, male tectus, seminudus. *Sen. V. B.* 25. *med.* Malo, quid mihi animi sit, ostendere, pexatus et gausapatus, (alii leg. *praetextatus et chlamydatus*) quam nudis scapulis, aut semitectis. *Appul. Met.* 4. Capuli carie et vetustate semitecti. *Ammian.* 19, 11. *f.* Exercitus ob procursionem subitam semitectus. *Arnob.* 6, 209. Semitectis femoribus Diana. *Capell.* 6, 189. Sordenti pallio semitecti.

SĔMĪTO, as, a. 1. semitis distinguo, ut *limito* est limites constituo. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Semper vero (*vineas*) quintanis semitari, hoc est ut quinto quoque palo singulae jugo paginae includantur. Haec *Plin.*, ubi alii [perperam *F.*] leg. *seminari.*

*SEMITOGĀTUS, ἡμιπέπλινος. *Gloss. B. A.*

SĔMĪTONĬUM, ii, n. ἡμιτόνιον. *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. *f.* Sonum toto minorem veteres quidem semitonium vocitare voluerunt: sed non ita accipiendum est, ut dimidius tonus putetur: quia nec semivocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam sui in duo dividi sibi aequa non poterit; cum enim ex novenario numero constet, novem autem nunquam aequaliter dividantur, tonus in duas dividi medietates recusat. Sed semitonium vocaverunt sonum tono minorem, quem tam parvo distare a tono deprehensum est, quantum hi duo numeri inter se distant, id est ducenta quadraginta tria, et ducenta quinquaginta sex.

[SĔMĪTONSUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte tonsus. *Cyprian. ep.* 77. *med.* Semitonsi capitis capillus horrescit; et *ep.* 78. Semitonsis capitis capillaturam adaequasti. *F.*]

SĔMITRACTĀTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ut Semitractata materia, *Tert. Fuga in persecut.* 1.

SĔMITRĔPĬDUS, a, um, adj. *Appul. Met.* 7. Semitrepidus juxta mucrones Martios constitutus.

SĔMĪTRĪTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμιτριβείς, dimidia parte tritus. *Colum.* 1, 6. *f.* Quo collocata semitrita frumenta protegantur. Adde *Pall.* 1, 36.

SĔMĪVĬĔTUS, a, um, adj. mollis, flaccidus, languidus. *Colum.* 12, 16. Alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semivietas uvas contegunt.

SĔMĪVIR, viri, m. ἡμίανδρος, non perfecte vir, eunuchus. *Ov. Met.* 4, 385. Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde Semivir. [*Semivir* h. l. non ennuchus sed is esse videtur, quem dicunt hermaphroditum. V. integrua l.] *Plin.* 11, 49, 110. Tephrodites homini tantum injuria, aut sponte naturae franguntur, idque tertium ab hermaphroditis et spadonibus semiphiri genus habent. ℙ Ponitur etiam pro eo, quod media parte vir, media bestia est. *Ov. Her.* 9, 141. Semivir Nessus. [*Frustra probatur *Ruhnkenio* conjectura *Heinsii* pro *semivir* legentis *semifer*, quod *semivir* effeminatum, non Centaurum, ex parte virum, ex parte equum significet.] *Id. Fast.* 5, 380. Chiron. *Id. A. Am.* 2, 21. bos, *h. e.* Minotaurus. V. SEMIHOMO. ℙ Translate effeminato, molli. *Virg. A.* 4, 215. Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu. [*Cf. *A.* 12, 99.] *Liv.* 33, 28. Qui tam atrocem caedem pertinere ad illos semiviros credebant. [*Paulo ante *viri molles* vocantur: item *obscoeni viri*, i. e. pathici. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 552.] Adde *Stat. Achill.* 2, 363.

*SEMIVIRĬDIS, e, adj. ἡμίχλωρος, ἡμιθαλής *Vet. Gloss. B. A.*

SĔMĪVĪVUS, a, um, adj. ἡμίζωος, semimortuus. *Cic. Verr.* 2, 1, 17. Ibi hominem ingenuum, fumo excruciatum, semivivum reliquit. *Nep. Eum.* 4. Craterum ex acie semivivum elatum recreare studuit. *Cic. Att.* 7, 2. *extr.* Parthi repente Bibulum semivivum reliquerunt. ℙ Translate. *Id. Sext.* 59. Concionem interrogare solebat, vellentne, me redire: et cum erat reclamatum semivivis mercenariorum vocibus, populum R. negare dicebat, *h. e.* debilibus et nullius vigoris. *Id. Pis.* 14. Qui non admurmuratione, sed voce et clamore, abjecti hominis et semivivi furorem petulantiamque fregistis. *Sen. Br. V.* 13. Ille otiosus est, cui otii sui sensus est: hic vero semivivus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est.

*SEMIVOCABĬLIS, e, adj. semivocalis. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 10. Laterae inloquibiles novem: octo semivocabiles. *B. A.*

SĔMĪVOCĀLIS, e, adj. ἡμίφωνος, ad vocem et sermonem prope accedens. *Varr. R. R.* 1, 17. In tres partes instrumenti genus dividunt, vocale, et semivocale, et mutum: vocale in quo sunt servi: semivocale, in quo sunt boves: mutum, in quo sunt plaustra. *Veg. Mil.* 3, 5. signum militare *semivocale* vocat cornu, buccinam, tubam: *vocale* verba: *mutum* vexilla. ℙ *Semivocales litterae*, semisonantes grammaticis sunt, quarum appellatio a vocali incipit, et in ipsas desinit, ut *ef, el, em, en, er, es, ix:* mutae, quarum nomen ab ipsis incipit, et in vocalem terminatur, ut *be, ce, de, pe, te*, etc. *Quint.* 1, 4, 6. Consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum, mutarumque partiri. Adde *Prisc.* 1, 540.

SĔMĪVOLUCRIS, e, adj. dimidia parte volucris. *Semivolucris puellae* ap. *Sym. ep.* 1, 41. (al. 47.) sunt Sirenes, quae plumam pedesque avium, virginis ora gerunt, ut ait *Ov. Met.* 5, 553. V. SIREN.

[SĔMIUSTŪLĀTĪCĬUS, a, um, adj. qui est unus ex semiustulatis. *Not. Tir.* p. 165. Ustulat, ustulaticius; semiustulat, semiustulatus, semiustulaticius. *F.*]

SĔMIUSTŪLĀTUS, a, um, part. a *semiustulo*, idem quod semiustus. *Cic. Mil.* 13. Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo tu spoliatum imaginibus, exsequiis, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. [*Adde *Phil.* 2, 36. Cf. *Schütz. cl. Cic. s.* h. v. Ceterum notandum, utroque loco ab *Orell.* ex opptimis codd. ut *Palimps., Taurin.* al., pro semiustulatus legi *semustulatus.*] [*Id. fragm. or. pro Tull.* (ed. *A. Peyronio*) 14. Semiustilatus effugit. *F.*] Adde *Varr.* ap. *Non.* 4, 76.

[SĔMĬUSTŪLO, as, a. 1. dimidia parte amburo, negligenter cremo. V. *Not. Tir. l. c.* in SEMIUSTULATICIUS. *Suet. Tib.* 75. *f.* Conclamantibus plerisque, Atellam potius deferendum, et in amphitheatro semiustulandum. ℙ In antiquis MS., teste *A. Peyron.* in *Cic. fragm. or.* p. 161., saepissime *semiustilo* pro *semiustulo* scribitur. *F.*] [*Cf. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 33. *a.*]

SĔMĬUSTUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] ἡμίκαυστος, ἡμιφλεγής, dimidia parte ustus, male ustus, ambustus. [*Liv.* 26, 27. Inventurum semiusto foro consulem vestigia sceleris Campanorum. *Vell.* 2, 119, 5. Semiustum corpus. *Tac. A.* 15, 40. tectorum vestigia semiusta.] *Suet. Dom.* 15. *f.* Evenit, ut, repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes. *Virg. A.* 3, 578. Enceladi semiustum fulmine corpus. *Ov. Fast.* 4, 167. Semiustamque facem vigilata nocte viator Ponet. *Lucan.* 8, 792. Semiustus stipes; et 10, 496. Semiustae classes. *Stat. Th.* 12, 439. clypei fragmen, semiustaque nosco Cingula. *Sil.* 3, 16. dona, quae nuper ab arce Victor fumantis rapuit semiusta Sagunti. ℙ Translate. *Liv.* 22, 40. Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse. ℙ [*Pier.* in vet. exemplarib. quotquot legit, scriptum reperit *semiustus:* alii leg. *semustus*, ubi ratio carminis id postulet. V. SEMIANIMIS. *F.*] [*Cf. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 33. *a.*]

[SĔMĪVULSUS, a, um, [adj. ex part. *F.*] dimidia parte evulsus. *Capell.* 1, 5. Absque lauri arentis paucis admodum foliis, vittisque (alii perperam leg. *vitibusque*) semivulsis. *F.*]

SĔMIZŌNĀRĬUS, ii, m. qui semicinctia facit. *Pl. Aul.* 3, 5, 42. Strophiarii adstant, adstant semizonarii.

*SEMNESERTEUS, ei, m. rex Aegypti, quo regnante Pythagoras navigavit in Aegyptum. *Plin.* 36, 9. Is autem obeliscus, quem Divus Augustus in Circo Magno statuit, excisus est a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, centum viginti quinque pedum, et dodrantis, praeter basin ejusdem lapidis. Is vero, qui est in Campo Martio, novem pedibus minor, a Sesostride. Inscripti ambo rerum naturae interpretationem Aegyptiorum opera philosophiae continent. *B. A.*

SEMNĬON, ii, n. σεμνεῖον, herba pavonis pieturis similis, odore eximio: sic dicta a majestate potentiae, ut ait *Plin.* 24, 17, 102. σεμνὸς enim est venerabilis, colendus.

[SEMNUS, a, um, adj. σεμνὸς, venerandus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 552, 2. M. Valerius Semnus. Alia ap. *eund.* 836, 5. Turrania C. F. Semna. ℙ Etiam *semne, es*, Graeca terminatione, σεμνή, veneranda. Alia ap. *eund.* 932, 11. Q. Atalenus Felix sibi, et Atalenae Semne L. suae carissimae. *F.*]

SĒMO, ōnis, m. Semones erant Dii ex illorum numero, qui minorum gentium dicuntur, hoc est ex hominibus in Deos relati, quasi *semihomines*, seu semihemones (*hemōnem* pro *homine* dixit *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 683.) *Fulgentius de prisc. serm. n.* 11. Semones dici voluerunt Deos, quos coelo nec dignos adscriberent, propter meriti paupertatem, sicut Priapus, Epona, Vertumnus; nec terrenos eos deputare vellent, per gratiae venerationem. *Ov. Fast.* 6, 213. Quaerebam, nonas Sanco, Fidione referrem, An tibi, Semo pater; tunc mihi Saneus ait: Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo: Nomina trina fero. Quidam minus recte leg. *An tibi semipater*, etc. [*V. *Gierig.* ad h. l. item in indice rerum ad *Ov.* Fastos.] *Liv.* 8, 20. Bona (*Vitruvii damnati*) Semoni Sanco censuerunt consecranda. V. SANCUS.

SĒMODĬĀLIS, e, adj. semodio constans, ut Semodialis placenta. *Cato R. R.* 76. *extr.* olla, *Marcell. Empir.* 16. *med.*

*SEMODĬUM, ii, n. ἡμιμόδιον *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

SĒMODĬUS, ii, m. ἡμιμόδιον, dimidius modius: syncope a *semimodius. Cato R. R.* 11. Rotam aquariam unam, modium praeferratum unum, semodium unum. *Colum.* 2, 11. *extr.* Cicera quatuor modiis, nonnunquam et tribus, interdum etiam duobus ac semodio jugerum occupat. *Mart.* 7, 53. Semodiusque fabae cum vimine Picenarum. *Juven.* 14, 66. et tamen uno Semodio scobis haec emendat servulus unus.

SĒMONES. V. SEMO.

SEMONĬA, ae, f. Dea quaedam apud Romanos. *Macr. Sat.* 1, 16. Apud veteres quoque qui nominasset Salutem, Semoniam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, ferias observabat.

SĒMŌTĒ, adv. seorsum, secreto. *Marcell. Empir.* 20. *med.* et agnoscitur a *Diomed.* 1, 399.

[SĒMŌTIM, adv. idem ac semote, separatim. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* Haec quatuor tunduntur, cernuntur: mellis autem Attici libras II. semotim bulliunt, et sic desuper supra memorata mittuntur. *F.*]

SĒMŌTUS, a, um, part. a *semoveo:* ἀποχωρισθείς, remotus, segregatus, secretus, separatus. *Caes. B. C.* 1, 84. Colloquium petunt semoto a militibus loco. *Hirt. B. Afr.* 2. Munitiones semotarum partium tuebantur. *Ter. Andr.* 1, 1, 49. Jam ferme moriens me vocat: accssi: vos semotae, nos soli. *Lucr.* 4, 811. quasi omni Tempore semotum fuerit, longeque remotum. *Id.* 1, 58. Semota a nostris rebus, sejunctaque longe; et *ib.* 45. Semotus a curis; et 2, 19. cura metuque. *Hor. Ep.* 2, 1, 21. et nisi quae terris semota, suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit. *Id. Od.* 1, 3, 32. Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum; et *Auct. dial. de Or.* 2. Ut eorum disputationes, et arcana semotae dictionis penitus exciperem, *h. e.* secretae a vulgo, et privatim domi habitae. *Lactant.* 5, 15. *med.* Quo nihil arrogantius, et nihil a sapientis ratione semotius.

SĒMŌVĔO, es, ovi, otum, a. 2. ἀποχωρίζω, removeo, secerno, separo, sejungo. *Cic. Or.* 3, 5. *med.* Neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris; neque res lumen, si verba semoveris. *Id. Har. resp.* 12. *extr.* Qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant. *Id. Fin.* 5, 8. Voluptas semovenda est. *Ov. Trist.* 5, 7, 65. meque ipse reduco A contemplatu, semoveoque, mali: scil. studio, carminibus. Alii leg. *submoveo.*

SEMPER, adv. ἀεὶ, omni tempore, in omni vita, omne tempus aetatis, usque. Adverbium est latissimi usus. *Ter. Andr.* 1, 1, 8. Postquam te emi a parvulo, ut semper tibi apud me justa et clemens fuerit servitus, scis. *Phaedr.* 3, 14. Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris; et 4, 1. Non semper ea sunt, quae videntur. *Cic. Tusc.* 1, 23. Quod semper movetur, aeternum est. *Virg. A.* 5, 49. dies, quem semper acerbum, Semper honoratum (sic Dii voluistis) habebo. *Plin.* 29, 6, 36. Quod remedium pluribus semperque prodest. ℙ Interdum redundare videtur. *Cic. Rosc. Am.* 18. Cum ruri assiduus semper vixerit. *Liv.* 5, 42. Nec ullum erat tempus, quod a novae semper cladis alicujus spectaculo cessaret. *Catull.* 63, 90. Ibi semper omne vitae spatium famula fuit. *Ov. Fast.* 4, 686. rura assiduis uvida semper aquis. ℙ [*Notanda videtur etiam formula *semper et ubique.* Ita *Quint. Inst.* 1, 1, 29. Quare cum semper et ubique, tum etc.: ubi *Burm.* p. 22. haec laudat: *Petr.* 99. ego sic semper et ubique vixi. *Suet. Aug.* 90. ut semper et ubique pellem vituli marini circumferret, pro

remedio. — Similis dicendi ratio est in illo *Vell.* 2, 23, 4. ut semper et in omni re — praedicarent.] ℙ Adjectivi more. *Ter. Andr.* 1, 2, 4. Heri semper lenitas, verebar, quorsum evaderet, *h. e.* perpetua lenitas. V. HYPHEN. [*Rectius h. l. *semper* ad v. *verebar* a *Ruhnk.* refertur.] Simile videtur esse illud *Plin.* 14, 9, 11. Medium inter dulcia vinumque est, quod Graeci aigleucos (*αἰγλεῦκος*) vocant, hoc est semper mustum. ℙ Cum gen. *Appul. Flor. n.* 16. *f.* Totoque abhinc orbe, totoque abhinc tempore laudes benefacti tui ubique gentium, semper annorum repraesentet (*liber meus*). ℙ [*Confund. *semper* et *saepe*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 352. *b.*]

SEMPERFLŌRĬUM, ii, n. herba eadem quae sempervivum. *Appul. H.* 123.

SEMPERVĪVUS, a, um, adj. qui semper vivit. *Prud. Hamart.* 164. Deus et Sapientia vera, Spiritus et Sanctus, res semperviva. *Appul. H.* 123. Herbae sempervivae folia potui dentur. *Pall.* 1, 35. Contra erucas, semina quae spargenda sunt, sempervivae succo madefiant. V. v. sq.

SEMPERVĪVUM, i, n. *ἀείζωον*, herbae genus, ita dictum a perpetua viriditate, quod et *aizoon* Graeca voce appellat *Plin.* 25, 13, 102., ejusque duo genera enumerat, majus et minusculum: additque majus ab Italis vocari etiam sedum magnum, minusculum ab aliquibus sempervivum: quamquam utrumque genus uno etiam sempervivi nomine appellatur. *Appul. H.* 123. [*Hauslaub, Hauswurz, Immergrün.]

SEMPĬTERNĒ, adv. semper, apud veteres, *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 778. Populoque ut sempiterne sospitent.

SEMPĬTERNĬTAS, atis, f. *Appul. Trism.* Mundus stabili sempiternitate circumvallatus.

SEMPĬTERNO, adv. semper. *Cato* ap. *Charis.* 2, 194. Ego mihi monumenta haec sempiterno posui, quae cepi. *Vitr.* 1, 5. *med.* Ea materia permanet sine vitiis utilis sempiterno. *Solin.* 35. Tenacibus foliis sempiterno inumbrantur.

SEMPĬTERNUS, a, um, adj. *ἀείδιος, αἰώνιος*, semper durans, perpetuus: a *semper*, et *aeternus*. *Cic. Cat.* 4, 9. Ignis Vestae perpetuus et sempiternus. *Pl. Mil.* 3, 3, 15. Immortalis memoria et sempiterna. *Cic. Or.* 2, 40. Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. *Id. Fin.* 5, 20. In omni animali appetit animus agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam potest pati. *Id. Cat.* 4, 4. Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt; et *Pl. Merc.* 3, 4, 2. Homo me miserior nullus est, opinor, neque advorsa cui sint plura sempiterna. *Id. Most.* 1, 3, 67. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum. *Id. Poen.* 5, 4, 84. Diis gratias agere sempiternas. *Varr. R. R.* 1, 2. Sempiternae hiemes. ℙ *Sempiternum*, adverbii more. *Pl. Aul.* 2, 1, 26. Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis.

SEMPRONĬĀNUS, a, um, adj. ad Sempronium aliquem pertinens, ut Sempronianum senatusconsultum, *Cic. Fam.* 12, 29. Semproniana clades, *Liv.* 4, 43. *h. e.* accepta a C. Sempronio Atratino cos.

SEMPRONĬUS, ii, m. nomen proprium civis R. *Reines.* in *Inscr. cl.* 1. *n.* 15. putat Sempronios dictos esse, quasi *Σέμφρονας* Aeolice pro *Σύμφρονας*, h. e. concordes, unanimes: vel quasi *Σώμφρονας*, mentis compotes, prudentes, modestos. Sempronia gens Romae illustris, familias habuit Atratinorum, et Gracchorum, qui patricii fuisse dicuntur, et Tuditanorum, Blaesorum, Sophorum, Longorum, etc. qui plebeji. In Gracchis celebres sunt Tiberius et Cajus fratres, filii Ti. Sempronii Gracchi bis consulis, et Corneliae Africani majoris filiae: qui latis contra senatus voluntatem perniciosis legibus, jussu patrum occisi sunt. V. GRACCHI et *Flor.* 3, 14. et 15. et *Vell.* 2, 2, 3. et 6. et *Epit. Liv.* 58. et 60. ℙ *Semproniae leges* ab his propositae multae fuerunt: *Agraria*, ne quis ex publico agro plus quingenta jugera possideret, isque ager plebi divideretur, exturbatis supra eum modum veteribus dominis: *Frumentaria*, ut semisse et triente in modios frumentum viritim plebi ex publico praeberetur: *Judiciaria*, ut judicia, quae semper antea senatorum fuerant, ad equites transferrentur: *Militaris*, ne minor annis XVII. dare nomen cogeretur: *De suffragiis*, ut sociis Latinis jus suffragii, aeque ac civibus R., esset: *De civitate*, ut omnibus Italicis, paene usque Alpes, civitas daretur: *De civibus R.*, ne quis de capite civis R. injussu populi judicaret. *Vell. l. c.*, *Epit. Liv.* 58. et 60., *Cic. Verr.* 2, 5, 63. et *Cat.* 4, 5. etc. Aliae fuere leges tum ab his propositae, tum a M. Sempronio trib. pleb. multis annis ante Gracchos, quas hic recensere nimis longum esset. V. *Pitisc in Lex.* ℙ Sempronia horrea locus Romae, ubi lege Gracchi frumentum publicum custodiebatur. *Festus.* ℙ **Forum Sempronii*, oppidum Umbriae, ad Metaurum flumen. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 320. *Straboni* est *φόρον Σεμπρώνιον*, *Ptolemaeo φόρος Σεμπρωνίου*. Hodie est *Fossombrone*, vitiato nomine. *B. A.*

[SEMPRULLĂ, ae, f. dimin. perpetua: a *sem. per.* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2066, 9. Carminia Q. F. Semprulla. *F.*]

SĒMUNCĬA, ae, f. unciae dimidium, sive pondus, sive mensura sit. *Varr. L. L.* 4, 36. Sextula, quod sexta pars unciae: semuncia, quod dimidia pars unciae. *Colum.* 12, 21. Coadjicitur in binas urnas ligula cumulata, vel mensura semunciae bene plenae salis cocti. *Liv.* 34, 1. Ne qua mulier plus semuncia auri haberet. *Cic. Caecin.* 6. *f.* Facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam. *Colum.* 5, 1. *med.* Pars vigesimaquarta (*jugeri*) pedes (*habet*) mille ducentos, hoc est semuncia, in qua sunt scripula duodecim. ℙ Translate. *Pers.* 5, 120. sed nullo ture litabis, Haereat in stultis brevis ut semuncia recti, *h. e.* exigua pars. *Ascon.* in *Cic. Mil. f.* Bona ejus, propter alieni aeris magnitudinem, semuncia venierunt, *h. e.* minimo pretio, nummo sestertio. ℙ Est *semuncia* in instrumento rustico ap. *Cat. R. R.* 10. et 11., et creditur a nonnullis esse clitella dimidio minor, quam esse solet. *Gloss. Philox. Κανθήλιον*, semuncia, clitellae. *Cato l. c.* Sirpeas stercorarias tres, semuncias tres, instrata asinis tria. *Et:* Ornamenta bubus, ornamenta asinis instrata tria, semuncias tres.

SĒMUNCĬĀLIS, e, adj. qui mensuram, pondus, vel valorem semunciae exaequat, ut Semunciales asses, ap. *Plin.* 33, 3, 13.

SĒMUNCĬĀRĬUS, a, um, adj. semuncialis. *Liv.* 7, 27. Semunciarium ex unciario fenus factum. V. UNCIA.

SĒMŪRĪNUS, a, um, adj. ad Semurium pertinens. *Mart.* 9, 43. Campis dives Apollo Semurinis. Al. leg. *sic Myrinis.* V. CAMPE.

SĒMŪRĬUM, ii, n. campus vicinus Romae, in quo erat templum Apollinis. *Cic. Phil.* 6, 5. et *Macr. Sat.* 1, 10.

[SĒMUS, a, um, adj. dimidia parte imminutus, semiplenus: ab *ἥμισυ*, dimidium. *Gloss. Philox.* Semus, *ἡμίκενος*. *Eugenius praef.* ad *Dracont.* Semum mihi opusculum videbatur, si non inde aliquid in hoc codiculo haberetur. V. SEMATUS. ℙ Videtur esse idem ac *Semo*, *onis* in *Inscr.* ap. *Grut.* 96, 7. Sanco Fidio Semo patri etc. *F.*]

SĒMUSTUS. V. SEMIUSTUS.

SĒNA, ae, f. oppidum Piceni, sive Umbriae, in litore Adriatici maris, non longe a Metauro fl., a Gallis Senonibus conditum, ut ex *Polybio* 2, 17. constat: idem a *Plin.* 3, 14, 19. *Senogallia* appellatur. *Liv.* 27, 46. Ad Senam castra alterius consulis (*Livii Salinatoris*) erant, et quingentos inde ferme passus Asdrubal aberat. *Eutr.* 3, 10. Asdrubal apud Senam, Piceni civitatem, in insidias compositas incidit. ℙ Eodem nomine fuit fluvius, quatuor ab eodem oppido millibus, qui nunc *Cesano* dicitur. *Sil.* 8, 455. Et Clanis, et Rubico, et Senonum de nomine Sena. Adde 15, 555. *Lucan.* 2, 407. Senaque, et Adriacas qui verberat Aufidus undas. ℙ Etiam in Etruria est urbs *Sena*, quae in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 324. *Saena* dicitur, nunc *Siena*. [*Item in Macedonia, in promontorio Canastraeo, ideoque ad sinum Toronaeum. *Mel.* 2, 3. *in. B. A.*] ℙ *Sena* insula maris Britannici. V. BARRIGENAE. [*Emendavit h. l. *F.*]

SĒNĀCŬLUM, i, n. *βουλευτήριον*, locus ubi senatores conveniebant, seu ubi consultandi gratia consistebant: quemadmodum locus, ubi coenarent, *coenaculum* vocabatur. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Senaculum supra Graecostasim, ubi aedes Concordiae, et basilica Opimia. Senaculum vocatum, ubi senatus, aut ubi seniores consisterent: dictum ut *γερουσία* ap. Graecos. Adde *Festum* afferendum in sqq. ℙ Differt a curia. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 6. Sed ut a luxu perditis moribus ad severissima majorum instituta transgrediar, antea senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie quoque senaculum appellatur, nec exspectabat, ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat, ambiguae laudis civem existimans, qui debitis reipubl. officiis non sua sponte, sed jussus fungeretur, quia quicquid imperio cogitur, exigenti magis quam praestanti, acceptum refertur. ℙ Aliquando senaculum, et curia promiscue a grammaticis accipiuntur. In hac acceptione tria senacula Romae fuerunt, quae a *Festo* his verbis numerantur: Senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur, De senatu habendo: unum ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et Forum, in quo solebant magistratus dumtaxat cum senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium citra (al. *intra*) aedem Bellonae, in quo exterarum nationum legatis, quos in Urbem admittere nolebant, senatus dabatur. ℙ Etiam Elagabalus fecit mulieribus senaculum, ubi solemnibus saltem diebus conventus fieret matronalis, ut in ejus vita prodit *Lampr.* 4. Adde *Vopisc. Aurel.* 49.

SĒNĀRĬŌLUS, a, um, adj. dimin. a *senarius*, ut Versus senarioli, *Cic. Tusc.* 5, 23. Tenebam etiam quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam.

SĒNĀRĬUS, a, um, adj. *ἑξαῖος*, qui constat sex rebus, ut versus senarii, qui constant sex pedibus. *Phaedr. prol.* 1. Aesopus auctor quam materiam reperit, Hanc ego polivi versibus senariis. Hinc *senarius* absolute est versus senarius. *Cic. Or.* 55. Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe abjecti sunt, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Numerus senarius. *Front. Aquaed.* 25. Fistula senaria, *h. e.* cujus diametros est sex quadrantum. [*Emendatus hic locus est a *F.*]

SĒNĀTOR, oris, m. *γερουσιαστής, βουλευτής*. Senatores erant viri primi et supremi ordinis, qui rempublicam prudentia et auctoritate una cum regibus, vel magistratibus, vel imperatoribus, suam in rebus gravioribus sententiam dicendo, gubernabant. *Festus:* Senatores a senectute dici satis constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio rempublicam administraret. Itaque etiam patres appellati sunt, et nunc, cum senatores adesse jubentur, quibusque in senatu sententiam dicere licet: quia ii, qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum ceperunt, et in senatu sententiam dicunt, et non vocantur senatores ante, quam in senioribus sunt censi. *Cic. Leg.* 3, 18. Est enim ipse senator is, cujus non ad actorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic jussa tria sunt, ut adsit: nam gravitatem res habet, cum frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus. Nam brevitas, non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia. ℙ Primi senatores Romae ab rege Romulo centum creati sunt: deinde alii adjecti vel ab ipso, vel certe a subsecutis regibus: item a consulibus, tribunis milit. consulari potestate, et maxime a censoribus. V. PATER et CONSCRIPTUS. Legebantur tum ex ordine patricio, tum ex equestri, et plebejo, ut *Fest.* docet in *Praeteriti*, et in *Qui patres*, et colligitur etiam ex *Liv.* 5, 12. *f.* et 23, 32. Praeter hos in senatum admittebantur etiam ii, qui licet nondum a censoribus in senatum lecti essent, nec senatores dicerentur, tamen ob gestos magistratus, praeturam, consulatum, etc. jus dicendae sententiae in senatu habebant. *Gell.* 3, 18. ℙ Senatorum numerus post C. primos auctus est sub regibus ad CC. Tempore C. Gracchi erant CCC., ut est in *Epit. Liv.* 60. Is DC. equites adjicere voluit, sed non obtinuit. Sulla dictatore et deinceps supra CCCC. fuere. V. *Cic. Att.* 1, 14. *med.* Caesar dictator auxit usque ad DCCCC. (*Dio* 43, 47.). Triumviri post ejus mortem usque ad CIↃ., sed diminuit Augustus, et ad DC. redegit, ut *Suet. Aug.* 35. et *Dio* 54, 14. narrant. ℙ Census senatorius duplo major fuit equestri. Decebat enim amplissimum ordinem cum dignitate teneri. Aetas quaenam fuerit, incertum. Probabile est fuisse post quaesturam. Quaesturae statutus erat annus vigesimus septimus. Trigesimus igitur circiter fuerit aetas senatoria. Sunt tamen, qui putant, vigesimumquintum ingrediendae curiae satis fuisse: inter quos *Lips.* in *Tac.* V. QUAESTURA. Post sexagesimum quintum annum non cogebantur senatores in senatum venire, nec vetabantur, inquit *Sen. Controv.* 1, 8, *med.* Ap. *Sen. alter. B. V.* 20. ponitur annus sexagesimus. ℙ Senatorum ornamenta erant tunica lati clavi, quam in luctu deponebant, et (si patricii essent) luna in calceis: jura, sedendi in orchestra ludis spectandis, et epulas publice habendi in Capitolio. *Cic. Cluent.* 47. *med.*, *Phil.* 13, 13., *Har. resp.* 12. et *pro C. Cornel.* ap. *Ascon.*, *Suet. Caes.* 80. et *Aug.* 35. et 94. *f.* et *Gell.* 12, 8. V. CLAVUS, ORCHESTRA, LUNA. ℙ [Senatores vocati sunt etiam in municipiis, qui saepius decuriones dicuntur. *Inscr.* ap. *Mur.* 2024, 4. Sex. Octavius Sex. F. Pal. Felicianus senator municipii, et aedil., rex sacr. ob honorem, etc. Hic lapis Tusculi repertus est. ℙ Est etiam cogn. R., ut Q. Lucienus Senator ap. *Varr. R. R.* 2, 5. *F.*] ℙ *Senator* fem. gen. V. BALNEATOR.

SĒNĀTORĬUS, a, um, adj. *βουλευτικός*, ad senatorem pertinens. *Cic. Verr.* 2, 1, 2. Socios, leges, rempubl. senatorio consilio maxime posse defendi. *Id. Fl.* 18. Lysanias adeptus est ordinem senatorium. *Id. Manil.* 21. Cujus a senatorio gradu aetas longe abesset. *Id. fragm. pro Cornel.* ap. *Ascon.* Senatoria subsellia a populari consessu (*in ludis*) separare. *Id. Tusc.* 1, 1. Senatoriis muneribus liberatus. [**Id. Off.* 2, 1. literae forenses et senatoriae, i. e. orationes conscriptae in judiciis, pro Rostris, et in senatu habitae.] *Quint.* 11, 1. *med.* Aliud dicendi genus poscit gravitas senatoria, aliud aura popularis. *Suet. Claud.* 24. Senatoria dignitas; et *ib.* 25. domus, *h. e.* quam senator habitat. *Id. Vesp.* 17. Senatorius census. *Tac. A.* 4, 42. *extr.* Albo senatorio eradere aliquem. *Gell.* 14, 8. Senatoria aetas. *Id.* 12, 1. Is erat loci senatorii ex familia nobiliore. *Id.* 4, 10. Liber de officio senatorio. *Plin. Pan.* 2. *f.* Quid tam civile, tam senatorium, quam, etc.? *Sall. or. ad Caes. de republ. ord.* 2, 11. *f.* Homines nobiles cum paucis senatoriis, *h. e.* senatoribus.

SĒNĀTUS, us, et i, m. *βουλή, γερουσία*, ordo virorum, quorum consilio respublica regitur: a *senibus* dictus, quia senectus aptissima est consilio dando. *Cic. Sen.* 6. Consilium, ratio, sententia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum. Apud Lacedaemonios

quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes, *h. e.* γέροντες. *Ov. Fast.* 5, 63. Nec nisi post annos patuit tunc curia seros: Nomen et a senibus mite senatus erat. *Cic. Sext.* 65. *f.* Senatus reipublicae custos, praeses, propugnator. *Id. Har. resp.* 27. Senatus princeps salutis mentisque publicae. *Id. Sull.* 23. Cum in Capitolium nos senatum convocassemus. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* Senatum cogere. *Liv.* 3, 38. *med.* vocare. *Cic. Or.* 3, 1. Senatus frequens, vocatu Drusi, in curiam venit. *Id. Fam.* 12, 25. Eo die non fuit senatus, neque postero; et *Suet. Caes.* 88. Senatum agere; et *Cic. Fam.* 1, 4. Senatus haberi ante calend. Febr. per legem Papiam non potest. *Id. Fl.* 18. Venire in senatum, *h. e.* senatorem fieri. *Id. Verr.* 2, 4, 65. Senatum dimittere. *Id. Q. Fr.* 2, 1. mittere. *Liv.* 3, 38. consulere, *h. e.* ad senatum referre. *Cic. Sen.* 12. *f.* Aliquem e senatu ejicere. *Id. Cluent.* 43. Senatu movere. *Id. Dom.* 31. Legere in senatum, *h. e.* senatorem creare. *Suet. Caes.* 80. allegere. *Liv.* 9, 29. Legere senatum, *h. e.* senatorum nomina recitare: quod erat censorum. V. LĔGO, is, et *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *med.* cooptare. *Suet. Caes.* 80. *extr.* edicere in Pompeji curiam. ℙ Etiam in municipiis et coloniis ordo decurionum *senatus* aliquando appellatur. *Caes. B. G.* 3, 16. *extr.* Omni senatu (*Venetorum in Gallia*) necato, reliquos sub corona vendidit. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Quibus temporibus a seditiosis senatus (*Gaditanus*) trucidatus, aut expulsus est. *Inscr.* ap. *Mur.* 1023, 3. S. P. Q. (*h. e.* senatus populusque) Anagninus. ℙ *Dari senatus* dicebatur, cum legati in senatu audiebantur. *Nep. Ann.* 23., *Cic. Q. Fr.* 2, 13., *Sall. Jug.* 13. *extr.* et *Liv.* saepe. ℙ *Senatus legitimus*, et *indictus* quid sit, V. in INDICTUS. ℙ Est etiam locus, ubi senatores coeunt, curia. *Cic. Cat.* 1, 1. Hic tamen vivit: vivit? immo vero etiam in senatum venit. *Id. fragm.* ap. *Quint.* 9, 3, 50. Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi: in senatu sunt positi. *Id. Acad.* 4, 45. Cum Carneades et Diogenes ad senatum in Capitolio starent. *Suet. Claud.* 25. *f.* In senatu sedere, *h. e.* in orchestra inter senatores. *Id. Ner.* 12. *med.* Deinde in orchestram senatumque descendit. ℙ De altera decl. *Quint.* 1, 6, 27. Quid de aliis dicam, cum, *Senatus, us, ui*, an *Senatus, ti, to* faciat, incertum sit? [*Incerta est scriptura loci. V. *Spalding.* et *Schneid.* 1. p. 471., qui, praeter genitivum, vix alium hujus vocis et *sim.* casum e secunda declinatione inveniri contendit. Quod *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 2, 6, 114. magis ad pedestris orationis scriptores spectare, maxime seriores, ut Ciceronem, Sallustium, putat.] *Cic. Div. Verr.* 5. Quod in unaquaque re beneficio senati populique R. juris habui, id tu mihi eripuisti. *Sall. Cat.* 31. 37. 57. et *fragm.* ap. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2, 2, 28. Senati decretum. *Pl. Cas.* 3, 2, 6. et *Epid.* 2, 2, 5. Senati columen, praesidium popli. *Sisenn.* ap. *Non.* 8, 10. Ex senati consulto. Ciceronis locum ita recitat etiam *Charis.* 1, 116. (cui addunt alii *Fam.* 2, 7. *f.* Ut senati consultum et leges defendas: [*ubi *Orell. senatus consultum* habet.]) Sunt tamen MSS. in quibus *beneficio senatus* legitur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 108. Sex Atilius M. F. Saranus Procos. ex senati consulto, etc. ℙ Etiam *Senatuis* in genitivo olim dictum est. *C. Fann.* ap. *Charis. ib.* Senatuis consulta. Adde *Sisenn.* ap. *Non. l. c.* atque etiam *senatuos* ἀρχαϊκῶς in S. C. de Bacchanal. ap. *Fabrett.* p. 427. *n.* 1. V. FRUCTUS. ℙ Translate. *Pl. Most.* 3, 1, 158. Huc concessero, dum mihi senatum consilii in cor convoco; et *Epid.* 1, 2, 56. Jam senatum convocabo in corde consiliarium. *Id. Most.* 5, 1, 8. Capio consilium, ut senatum congerronum convocem: quem cum convocavi, atque illi me e senatu segregant. Adde *Mil.* 2, 6. *f.*

SĔNĀTUS Auctoritas. V. v. sq.

SĔNĀTUSCONSULTUM, i, n. βούλευμα, sententia et decretum senatus. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Quia difficile plebs convenire coepit, necessitas ipsa curam reipublicae ad senatum deduxit: ita coepit senatus se interponere: et quidquid constituisset, observabatur: idque jus appellatur senatusconsultum. *Cic. Cat.* 1, 1. *f.* Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave. *Id. Q. Fr.* 2, 8. *f.* Senatusconsultum est factum de ambitu in Afranii sententiam; et *ib.* 3. Ad Apollinis senatusconsultum factum est, ea quae facta essent a d. VIII. Id. contra rempubl. esse facta; et *ib.* Eodem die senatusconsultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut, etc. *Id. Fam.* 2, 7. *f.* Ut senati consultum et leges defendas. Al. leg. *senatus.* V. SENATUS. *Id. Phil.* 11, 12. *extr.* Interea provinciae ab iis, a quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex senatusconsulto successum sit. *Vopisc. Aurel.* 20. Aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est senatusconsultum. ℙ Formulam S. C. habes ap. *Cic. Phil.* 5, 13. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. et ap. *Gell.* 15, 11., *Macr. Sat.* 1, 12. et *Front. Aquaed.* 127. ℙ Etiam *senatus auctoritas* decretum senatus erat: cum eo tamen discrimine, quod cum senatus legitimus, id est quo loco, die, numero, et a quo magistratu oporteret, habitus, quippiam decreverat, tum, si tribunorum plebis nemo intercedebat, rata senatus voluntas erat, et *senatusconsultum* dicebatur, eoque inscriptum publicis tabulis consignabatur, et ad aerarium deferebatur. Sin quippiam horum deerat, irfirmum illud decretum erat, nec *senatusconsultum*, sed *auctoritas* vocabatur, propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis testata senatus voluntas habere videbatur. In formul. S. C. ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Siquis huic S. C. intercesserit, senatui placere, auctoritatem perscribi, et de ea re ad senatum populumque referri. *Cic. ib.* 1, 7. *med.* Senatusconsultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit; eaque, quae de ea scripta est, auctoritas cui scis intercessum esse, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur. *Liv.* 4, 57. Si quis intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum. *Suet. Aug.* 94. Senatum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, curasse, ne senatusconsultum ad aerarium deferretur. ℙ Interdum tamen senatus auctoritas S. C. significat. *Cic. Dom.* 37. Ex senatus auctoritate et senatum et omnes bonos meae salutis causa mutata veste vidi. Ex ejus autem orat. *Planc.* 35. et *Sext.* 11. et 12. aperte colligitur, de ea re S. C. factum fuisse. *Id. Leg.* 2, 15. Senatus auctoritas de Bacchanalibus. Ex *Livio* autem constat, senatus illud consultum fuisse. Adde *eund. Ciceronem Fam.* 11, 7. et *ib.* 15, 2. ℙ De S. C. tacito V. TACITUS.

SĔNĔCA, ae, m. Σενέκας, nomen duorum in litteris illustrium virorum. M. Annaeus Seneca rhetor Cordubensis, equestris ordinis, sub Augusto et Tiberio vixit. Ejus sunt Suasoriae, Declamationes, seu Controversiae, et Excerpta, in quibus plurium auctorum utriusque linguae dicta, sententias, divisiones, colores collegit, et inter se contulit. Stilus est ea aetate dignus, licet Hispani hominis. ℙ Tres habuit filios, M. Annaeum Novatum (qui adoptatus a Junio Gallione, Junius Annaeus Gallio postea dictus est), L. Annaeum Senecam, et L. Annaeum Melam: quorum secundus studio philosophiae, et scriptorum gravitate patri longe antecelluit. Romam puer translatus quaesturam gessit, et praeturam, et fortasse etiam consulatum. (V. *Lips. in ejus vita c.* 4.) Sub Claudio in Corsicam exsilio pulsus, quasi unus ex moechis Juliae Germanici filiae, post annos circiter octo, Agrippinae Neronis matris ope reductus, et ipsi Neroni magister appositus, claritudine studiorum, ingenti divitiarum copia et potentia valde inclaruit. Suspicione conjurationis in discipulum imperatorem, ab eo adactus ad mortem, incisis venis periit annos natus circiter LXIII. post Chr. LXV. Vide *Tac. A.* 15, 60. et sqq. Vitam ejus accurate scripsere *Lipsius, A. Schottus*, et *M. Ant. Delrio*, et omnium accuratissime *Carolus de Rosminis.* Laudant *Hieron. Vir. illustr., Tac. multis in loc., Colum.* 3, 3., *Plin.* 14, 4, 5., *alter ep.* 5, 3., *Juven., Mart., Tert., Sidon.* Ejus scripta (quae multa hodie exstant, non tamen omnia) leguntur ab omnibus, non item probantur. *Quint.* 10, 1. *f.* Ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum, et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendo. Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, etc. Lege reliqua usque ad fin. cap. *Gell.* 12, 2. De Annaeo Seneca partim existimant, ut de scriptore minime utili, cujus libros attingere nullum pretium operae sit: quod oratio ejus vulgaris videatur, et protrita; res atque sententiae aut ut inepto inanique impetu sint, aut ut levi, et quasi dicaci argutia; eruditio autem vernacula et plebeja, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiae, neque dignitatis. Alii vero elegantiae quidem in verbis parum esse, non inficias eunt; sed et rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt, et in vitiis morum objurgandis severitatem gravitatemque non invenustam. ℙ Alius ab hoc esse creditur a quibusdam qui tragoedias scripsit, nempe vel M. Seneca hujus filius, vel ex fratre nepos, vel alius L. Annaeus, qui sub Trajano vixerit. Certe quidem Senecam philosophum a tragico distinguit *Sidon. carm.* 9, 231. Plerique alii easdem tragoedias partim philosopho, partim rhetori adjudicant. V. *Fabric. Biblioth. Lat.* 2, 9, 12.

SĔNĔCIO, onis, m. herba, de qua V. ERIGERON. ℙ Docet *Prisc.* 3, 618. esse diminutivum a *senex*, quod *senecis* in obliquis facere deberet, ut ait *Charis.* 1, 116. V. SEMISENEX. Hoc sensu *Afran.* ap. *Prisc. ib.* Tu senecionem hunc satis est si servas anus. ℙ Est et cogn. R., ut Claudius Senecio, ap. *Tac. A.* 13, 12. Herennius Senecio, ap. *eund. Agr.* 2. Tullius Senecio, ap. *eund. A.* 15, 50.

SĔNĔCTA, ae, f. idem quod senectus: ut *juventa* pro *juventus. Caecil.* ap. *Cic. Sen.* 8. Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum Sentire ea aetate esse se odiosum alteri. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 14. Prospiciendum in senecta: nunc adolescentia est. *Hor. Od.* 1, 31, 19. non turpem senectam Degere. *Phaedr.* 4, 1. Mustela annis et senecta debilis. *Just.* 14, 3. *f.* Ne victos quidem in misera et inopi senecta quiescere sinit. *Ov. Met.* 14, 148. consumptaque membra senecta. *Ter. Ad.* 5, 8, 31. Nimium ad rem in senecta attenti sumus. *Varr. L. L.* 4, 1. Quem vidisti formosum, nunc vides deformem in senecta. *Petr. Sat.* 132. *med.* Senectae ultimae mihi lassitudinem imponeres. *Tibull.* 1, 9, 42. cana senecta; et *ib.* 11, 40. pigra; et 3, 5, 16. curva; et *ib.* 25. rugosa. *Mart.* 1, 106. annosa. *Tac. A.* 4, 8. et 29. extrema; et *ib.* 41. vergens. *Plin.* 7, 50, 51. vivax in poenam. *Id.* 35, 4, 7. Exstinctus in longa senecta Antistius Labeo. ℙ De bestiis, plantis, lignis, et lapidibus. *Plin.* 8, 32, 50. Senecta cervi. *Tibull.* 1, 4, 27. et *Virg. G.* 3, 96. equi. *Id. ib.* 1, 186. inopi metuens formica senectae. *Plin.* 17, 27, 43. Senecta ulmorum. *Id.* 16, 27, 51. amygdalae et piri. *Id.* 9, 35, 54. Margaritae flavescunt senecta. ℙ Translate. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 67. Omnia Cecropiae relegis secreta senectae, Discutiens quod quisque novum mandaverit aevo, *h. e.* antiquae eruditionis Graecorum, et priscorum philosophorum placita. *Id. in Eutrop.* 2, 277. putribus jam propugnacula saxis Longo corruerant aevo, pacisque senecta, *h. e.* diuturna pace. ℙ *Senecta serpentium* ap. *Plin.* 28, 11, 48. et 30, 8, 22. et 20, 23, 95. est membrana, quam verno tempore exsuunt. V. v. sq. ℙ Adjective *senectus, a, um*, pro *senilis*, et subauditur *aetas.* Unde *senectam aetatem* dixere *Lucr.* 5, 884. et 894., *Sall. Or. Cottae ad pop.* et *Pl. Trin.* 1, 2, 5. [**Id. Aul.* 2, 2, 75. *Bail.*] Rursus *Lucr.* 3, 774. Quidve foras sibi vult membris exire senectis? *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 9, 869. et 10, 887. Omnes, quibus senecto corpore, animus militaris erat. [**Lindem.* ad *Pl. Trin. l. l.* docet: esse senectus, a, um, participium, a *senesco*, ut *obsoletus* ab *obsolesco*, *solitus* a *soleo*, *gavisus* a *gaudeo* etc.] V. v. sq.

SĔNECTUS, utis, f. γῆρας, senium, senecta: a *seneo.* V. AETAS. *Sen. Cons. ad Marc.* 11. *extr.* Hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum. *Cic. Top.* 7. *f.* Quasi qui adolescentiam florem aetatis, senectutem occasum vitae velit definire. *Id. Fin.* 5, 11. *med.* Homines senectute confecti. *Id. Brut.* 48. T. Aufidius vixit ad summam senectutem. *Id. Phil.* 8, 10. *f.* Cum esset summa senectute, et perdita valetudine. *Nep. Att.* 21. Cum ad extremam senectutem dignitate et fortuna crevisset. *Id. Reg.* 1. Darius senectute diem obiit supremum. *Just.* 41, 5. Arsaces matura senectute decedit. *Hor. Epod.* 8, 3. et rugis vetus Frontem senectus exarat. *Virg. G.* 3, 67. subeunt morbi, tristisque senectus. *Id. A.* 6, 304. (et *Tac. Agr.* 29.) cruda et viridis. *Id. ib.* 7, 440. victa situ, verique effeta; et *ib.* 8, 508. tarda gelu, saeclisque effeta. *Sen. Herc. Fur.* 1027. vivax. *Id. Oed.* 594. sibimet gravis. *Id. Herc. Fur.* 198. cana. *Tibull.* 2, 2, 20. tarda Inducat rugas, inficiatque comas. *Ov. Met.* 14, 143. tremuloque gradu venit aegra senectus. *Lucan.* 1, 343. exsanguis; et 2, 128. fessa. *Stat. Silv.* 3, 3, 156. tarda situ, rebusque exhausta. *Tac. A.* 1, 4. provecta. *Sil.* 13, 583. queribunda. *Curt.* 6, 5. praeceps; et *Juven.* 3, 26. Dum nova canities, dum prima et recta senectus; et 9, 139. obrepit non intellecta senectus; et 10, 190. quam continuis et quantis longa senectus Plena malis! deformem et tetrum ante omnia vultum, Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem, Pendentesque genas, et tales aspice rugas, etc. et *ib.* 198. Una senum facies, cum voce trementia membra, Et jam leve caput, madidique infantia nasi. ℙ [*De populo. *Cic. Fam.* 1, 9, 18. Quum offendisset populum Atheniensem prope jam desipientem senectute etc. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ De bestiis. *Plin.* 11, 37, 64. Senectus in equis, et ceteris veterinis intelligitur dentium brochitate, superciliorum canitie. Adde *Virg. G.* 3, 96. ℙ Meton. *Id. A.* 5, 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus, i. e. canities; et *Val. Fl.* 6, 283. quae vos subito tam foeda senectus Corripuit, fregitque animos? i. e. languor, otium; et *Hor. Epod.* 13, 4. dumque virent genua, Et decet, obducta solvatur fronte senectus, i. e. tristitia, morositas; et *Claud. VI. cons. Honor.* 534. Quam pax intulerat, bello discussa senectus, i. e. sordes. ℙ Membrana illa, quam hiberno situ corpori obductam, verno tempore exeuntes, in ipso fere cavernae aditu angues exsuunt, *senectus* et *senecta* dicitur. *Plin.* 30, 9, 23. Verrucas tollit membrana senectutis anguium; et *ib.* 7, 19. Senectus anguium dysentericis et tenesmis, etc. *Id.* 9, 30, 30. Cancri veris principio senectutem anguium more exsuunt renovatione tergorum. Adde 8, 31, 49. ℙ Item vetustas, antiquitas. *Oc. Am.* 1, 12, 29. vos (*tabellae*) cariosa senectus Rodat. *Juven.* 5, 34. de vino: cujus patriam titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testae; et 13, 214. Album veteris pretiosa senectus. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 2. *med.* Cum ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem, et quasi senectutem; et *ib* 76. *med.* Me admodum delectabat Triarii, in illa aetate, plena litteratae senectutis oratio. ℙ Si credimus *Prisc.* 9, 869. et 887. *senectus*

est ὁ γηράσας, qui senuit, part. a *seneo*. Affert in hanc rem locum corruptum *Catull.* 4, 25. Sed haec fuere non recondita senecta quiete. Sed *Catull.* habet: Sed haec prius fuere: nunc recondita Senet quiete. Dicimus tamen *senecta aetas*, *senecta membra*, *senectum corpus*. V. v. praec. ℙ Ultimam syllabam male corripitur ap. *Corn. Gall.* 1, 246. Continuos gemitus aegra senectus habet.

*SENEMURIS, is, m. rex Aegypti. *Macr. Sat.* 1, 23. ℙ Dictus et *Senepos*. *Id. ib. B. A.*

SENENSIS, e, adj. ad Senam pertinens, Piceni urbem, nunc *Sinigaglia*. V. SENA. *Cic. Brut.* 18. Quos *(ludos)* Salinator proelio voverat. *Liv.* 27, 38. Ea die hi populi ad senatum venerunt: Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, et ab supero mari Senensis. ℙ Etiam ad alteram Senam pertinens, Etruriae urbem. V. SENA. *Plin.* 3, 5, 8. Intus coloniae: Rusellana, Senensis, Sutrina. *Tac. H.* 4, 45. Pulsatum se in colonia Senensi coetu multitudinis et jussu magistratuum querebatur. Hinc *Senenses*, *ium*, incolae illius urbis. *Id. ib. mox:* Additum senatusconsultum, quo Senensium plebes modestiae admoneretur. [*Multis hunc loc. emendav. *F.*]

SĔNĔO, es, ui, n. 2. γηράω, senex sum. *Catull.* 4, 25. de phaselo: nunc recondita Senet quiete. *Pacuv.* ap. *Prisc.* 10, 887. Quamquam aetas senet. *Suet. Aug.* 2. *med.* Avus tranquilissime senuit. ℙ Translate. *Actius* ap. *Prisc. l. c.* Jam jam stupido Thessala somno Pectora languentque, senentque. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 525. Corpusque meum tabe, moerore, errore, macore senet. *Plin.* 2, 46, 45. Mores hominum senuere, non fructus. ℙ Hujus part. praeteriti temporis ap. *Prisc.* est *senectus*, *a*, *um*. V. SENECTUS.

SĔNESCENS, entis, part. a *senesco: γηράσκων*, qui senex fit. *Hor. Ep.* 1, 1, 8. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat. *Cic. Div.* 1, 14. Arbores hiemali tempore cum luna simul senescentes. ℙ Translate. *Id. Fam.* 7, 26. Visa est mihi vel loci mutatio, vel animi remissio, vel ipsa fortasse jam senescentis morbi remissio profuisse. *Id. Or.* 2, 2. *med.* Ut laudem eorum jam prope senescentem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. *Tac. H.* 2, 24. Senescens fama. *Plin. ep.* 8, 12. Litterarum jam senescentium reductor ac reformator. *Varr. R. R.* 1, 37. et *Plin.* 2, 9, 6. Luna senescens. *Cic. N. D.* 2, 19. *med.* hiems. *Varr. L. L.* 5, 1. *f.* mensis. *Gell.* 3, 10. *med.* Quasi jam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt. *Dom.* ap. *Suet. Dom.* 18. *extr.* Forti animo fero comam in adolescentia senescentem, *h. e.* decidentem.

SĔNESCO, i, n. 3. γηράσκω, senex fio. *Cic. Sen.* 11. *extr.* Sensim sine sensu senescit aetas. [*Suet. *Aug.* 2. tranquillissime senuit.] *Ov. Fast.* 6, 771. Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis. *Colum.* 9, 1. *med.* Nec vero patiendus est oryx, aut aper ultra quadrimatum senescere. *Plin.* 7, 4, 3. Feminas gigni celerius, quam mares, sicuti celerius senescere. *Id.* 16, 27, 50. Arbores quo magis senescunt, hoc maturius ferunt. ℙ A similitudine dicuntur *senescere*, quae vim suam, aut pulcritudinem amittunt. *Id.* 18, 28, 67. *n.* 4. Senescunt prata, restituique debent faba in his sata. *Id.* 9, 35, 56. Uniones senescere, coloremque exspirare. *Id.* 37, 5, 18. Smaragdi senescunt, paulatim viriditate evanida. *Id.* 11, 42, 97. Caseus senescit in salem. *Id.* 15, 19, 21. Ficus senescunt in arbore, anusque destillant gummium lacrima. *Ov. A. Am.* 3, 82. continua messe senescit ager. (eand. sentent. habet *Pont.* 1, 4, 13.) *Pall.* 3, 28. Theriacae infusione assidua vim succi senescentis iterare. ℙ Item macie, aut moerore corrumpor, tabesco. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Cum depulsi sunt agni a matribus, diligentia adhibenda est, ne desiderio senescant. *Colum.* 8, 8. Columbae, quasi gravi perpetuae custodiae servitio contristatae, senescunt. ℙ Item decresco, deficio. *Liv.* 29, 3. *extr.* Annibalem ipsum jam et fama senescere, et viribus. *Cic. Tusc.* 2, 2. Oratorum laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat, brevique tempore ad nihilum ventura videatur. *Varr. R. R.* 1, 64. Cum senescit luna. *Sall. in or. Licin. ad pleb. med.* Senescunt vires. *Nep. Alc.* 5. Atheniensium, male gestis in Sicilia rebus, opes senescere, contra Lacedaemoniorum crescere. *Liv.* 30, 19. *f.* Multique alii populi, senescere Punicum bellum cernentes, defecere. *Id.* 5, 21. *f.* Deinde, multa jam edita caede, senescit pugna. *Id.* 3, 12. *f.* Senescentibus vitiis, maturescente virtute, sinerent tantum virum senem in civitate fieri. *Vell.* 1, 17. *f.* Studium cum spe senescit; et 2, 11. *extr.* Nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire. *Ov. A. Am.* 3, 594. has artes tolle, senescet amor. *Sil.* 3, 580. blandoque veneno Desidiae virtus paulatim evicta senescit. ℙ Item torpesco. *Liv.* 25, 7. *f.* Vir inquieti animi, et minime otium, quo tum diutino senescere videbatur, patientis. *Id.* 1, 22. Tullus senescere civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quaerebat. *Sall. Jug.* 39. Avidus consul belli gerundi, moveri, quam senescere omnia, malebat. *Liv.* 35, 12. Aetoli agitandum aliquid mi-scendumque rati, ne cunctando senescerent consilia, *h. e.* evanescerent. [*Id. 21, 53. non esse cum aegro senescendum: de abstinentia a proelio. Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 20, 10.] ℙ De his, qui nimis diu in re quapiam immorantur. *Liv.* 5, 44. Cum Diis hominibusque accusandis senesceret. *Quint. prooem.* 8. *med.* Resistam iis, qui omissa rerum diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt. V. alia in v. praec. ℙ Part. *Senescens* V. s. l. *Senescendus* habet *Varr. L. L.* 5, 2. *f.* Saeculum spatium annorum centum vocarunt: dictum a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt.

SĔNEX, senis, adj. παλαιὸς, γηραιὸς, multorum annorum qui est, vetus, vetustus, antiquus: et fere dicitur de provecta aetate hominum et animalium. *Pomp.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Nam fere pusus tu, tua amica senex 'st. [*Cf. *Bentl.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 66.] *Phaedr.* 5, 10. Senex canis. *Auct. Priap.* 83. Senexve corvus, impigerve graculus. *Ov. A. Am.* 3, 78. Nec faciunt cervos cornua jacta senes. *Mart.* 5, 37. Puella senibus dulcior mihi cycnis. *Id.* 10, 30. Et adesse jussi prodeunt senes mulli. *Id.* 13, 23. Chia seni similis Baccho. *Id.* 5, 18. Et acuta senibus testa cum Damascenis. *Id.* 3, 58. Et multa fragrat testa senibus autumnis, *h. e.* vino multorum autumnorum. *Juven.* 6, 159. Et vetus indulget senibus clementia porcis. *Virg. Cir.* 41. Nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis. ℙ Comparativum est *senior:* at *senius* in recto et quarto casu non est, quod sciam, in usu. *Ov. Trist.* 2, 166. et olim Imperium regat hoc cum seniore senex. *Cic. Leg.* 2, 4. *med.* Quae vis non modo senior est, quam aetas populorum, sed aequalis illius coelum atque terras regentis Dei. *Cels.* 5, 28. *n.* 4. Hoc malo fere corpora seniora tentantur. *Sil.* 16, 598. Sed frigens animis, nec bello prospera turba Ancipiti senior temeraria coepta vetabant. *Sen. Herc. Oet.* 390. Senior aetas. *Id. Hipp.* 742. Fama miratrix senioris aevi. *Ov. Met.* 14, 47. Mortem senioribus imputet annis. *Mart.* 9, 94. Quadrantem duplica de seniore cado. Adde *ib.* 58. et *Plin.* 17, 20, 34. Alia congerit *Broukh.* ad *Tibull.* 1, 7, 88., unde pleraque haec sumpsimus. ℙ *Senex*, *senior*, absolute, vir, aut femina grandis natu. Est autem *senior* idem ac *senex*, nulla habita ratione comparativi, apud poetas, γέρων, γραῦς. *Cic. Sen.* 18. *med.* At sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes: si quaerimus, etiam avari. *Tibull. l. c.* juvenumque catervae Commemorant, merito tot mala ferre senem, *h. e.* anum. Sic ap. *Sen. Hipp.* ita loquitur nutrix vetula, 109. Fortem facit vicina libertas senem. *Tibull.* 1, 9, 50. In veteres esto dura puella senes. *Cic. Coel.* 16. Senex tristis; et *Sen.* 11. Senes stulti, creduli, obliviosi, dissoluti. *Id. ib.* 23. Ut de me ipso aliquid more senum loquar. *Virg. A.* 2, 692. Vix ea fatus erat senior, etc. *Ov. Fast.* 4, 515. Restitit et senior, quamvis onus urget. Supra *v.* 508. et mox *v.* 523. *senem* dicit. *Stat. Silv.* 1, 1, 102. Senior Atticus, *h. e.* Phidias; et *ib.* 3, 94. Senior Gargettius, *h.* e. Epicurus. *Id. Achill.* 2, 382. Senior Thessalus, *h. e.* Chiron. ℙ *Senex* et *vetus* differunt: nam *senex* respicit aetatem ejus, qui diu vixit: *vetus* aetatem aliorum, ante quos vixit, licet fortasse ad senectutem non pervenerit. *Hor.* tamen *Sat.* 2, 1, 34. Lucilium *senem* vocat, qui anno aetatis XLVI. mortem obiit. ℙ *Varr.* ap. *Censor. de die nat.* 14. discrimen statuit inter *seniorem* et *senem:* illum dicit esse ab anno XLV. usque ad LX., quod tunc primum senescere corpus incipiat: hunc ab anno LX. usque ad finem vitae, quod ea aetate corpus senio jam laboret. Sed in usu loquendi hoc non servatur. Nam ap. *Liv.* 30, 30. Annibal annos jam natus XLIV. non *seniorem* se, sed *senem* nominat. Quare verius est *seniorem* et *senem* promiscue adhiberi. ℙ Aliquando *senex* et *senior* est non tam aetatis, quam honoris vocabulum. *Sil.* 1, 564. Jam patribus, clarisque senum sua munia curae. [*Liv.* 34, 60. Scriptum erat, Aristonem privatim ad neminem, publice ad seniores (ita senatum vocabant) mandata habuisse. *Varr. L. L.* 4, 32. Senaculum vocatum, ubi senatus, aut ubi seniores consisterent. *F.*] ℙ Olim declinatum fuit *senex*, *senicis*, aut *senecis:* unde *senecio*, *senica*, *seniculus*, *Seneca*. V. SEMISENEX. ℙ Etiam *senicior* legitur in *Not. Tir.* p. 89. Senex, senior, senicior. ℙ *Portus *Senum* in Thracia fuit, in Bosporo. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

SĒNI, ae, a, adj. ξξ, nomen numerale distributivum. *Liv.* 6, 4. *f.* Cum in sex partes divisus exercitus senis horis in orbem succederet proelio; et *Plin.* 2, 97, 99. Aestus maris senis semper horis reciproci; et 11, 43, 99. Digiti quibusdam in manibus seni; et *Colum.* 8, 11. *med.* Non debent amplius quam terna pavonina et sena generis sui fovere; et *Plin.* 37, 2, 6. Militibus singulis data sena millia sestertium; et *Curt.* 8, 14. Senos viros singuli currus vehebant. ℙ Saepe ponitur pro cardinali *sex* sine distributione. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *f.* Pueri annorum senum septenumque denum senatorium nomen nundinati sunt; et *Ov. Fast.* 5, 623. Corpora post decies senos qui credidit annos Missa neci, sceleris crimine damnat avos; et *Met.* 12, 429. qui sena leonum Vinxerat inter se connexis vellera nodis.

SĔNĬCA, ae, m. vel f. senex, vel anus vilis, et contempta: a *senex*, *senicis* obsoleto. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 59. Pappus hic medio habitat, senica non sescunciae. *Id. ib.* Me exercet senica nequam.

SĔNĬCŬLUS, i, m. γερόντιον, parvus et vilis senex, senecio. *Appul. Met.* 1. *f.* Demonstro seniculum in angulo sedentem; et *mox:* Sufficit mihi seniculi tanta haec contumelia.

SĒNĪDĒNI et Seni deni, ae, a, adj. sexdecim, distributive. *Liv.* 9, 30. Ut tribuni militum senideni in quatuor legiones a populo crearentur. *Tac. A.* 1, 36. Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui senadena fecissent. ℙ Sine distributione. *Vitr.* 6, 9. *med.* Latitudo ejus ne minus pedum senumdenum.

SENĪENSIS, e, adj. ad Seniam pertinens, quae nunc *Segna*, opp. Liburniae. *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 7. Aurelio L. L. Victori Seniae sacerd. prim. corp. Augustalium plebs Seniensium, etc.

SĒNĪLIS, e, adj. γεροντικὸς, ad senes pertinens. *Cic. Sext.* 22. *med.* Senile corpus. *Ov. Met.* 8, 210. Seniles genae; et *ib.* 528. vultus; et *ib.* 13, 66. anni. *Id. Fast.* 5, 58. Senilis ruga. *Id. Met.* 7, 478. egreditur tardus gravitate senili Aeacus. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Stesichori statua senilis. *Plin.* 7, 51, 52. Cato prodidit, senilem juventam praematurae mortis esse signum. *Hor. A. P.* 176. ne forte seniles Mandentur juveni partes, pueroque viriles. *Tac. A.* 1, 7. Adoptio senilis, *h. e.* quae a sene fit. *Cic. Sen.* 11. *med.* Senilis stultitia, quae deliratio appellari solet. *Id. Div.* 2, 23. Senilis prudentia. *Ov. Am.* 1, 9, 4. turpe senilis amor. *Quint.* 11, 1, 32. Morum senilis auctoritas. *Id. decl.* 6, 18. [*p. 146. *ed. Burm.*] inertia. *Plin.* 31, 11, 47. Ulcera senilia, *h. e.* senum. ℙ Translate. *Appul. Met.* 4. Senile illud facinus, *h. e.* facinorosa illa anus, ut scelus dicimus pro scelesto. *Ov. Met.* 15, 212. Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu, Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.

SĒNĪLĬTER, adv. γεροντικῶς, more senum. *Quint.* 1, 11. *in.* Non enim puerum aut femineae vocis exilitate frangi volo, aut seniliter tremere.

[SĔNĪLLA, ae, f. dimin. senis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1441, 6. Aelia Senilla, et M. Fabius Senecio avoncolo. *F.*]

SĒNĬO, onis, m. ἓξὰς, senarius numerus: et dicitur de sex punctis, quae in jactu talorum exsistunt. *Pers.* 3, 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in votis, damnosa canicula quantum Raderet. *Mart.* 13, 1. Non mea magnanimo depugnat tessera talo, Senio nec nostrum cum cane quassat ebur. *Aug.* ap. *Suet. Aug.* 71. Talis enim jactatis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: [*nos: *eine Sechs werfen.*]

SĒNĬOR. V. SENEX.

[SĒNĬOSUS, a, um, adj. qui senio laborat. V. in SOMNIOSUS. *F.*]

SĒNĬPES, ĕdis, adj. sex pedibus constans. *Sidon. carm.* 23, 131. Hic dum senipedem stilum polibat, *h. e.* versus sex pedum, seu senarios. Adde *carm.* 12, 10.

SĒNĬUM, ii, n. γῆρας, aetas senilis, et, quae eam comitatur, infirmitas. Est enim plus aliquid, quam senectus. *Phaedr. epil.* 4. olim senio debilem Frustra adjuvare bonitas nitetur tua. *Stat. Theb.* 8, 262. Adrastus aeger senio. *Tac. A.* 1, 34. Curvata senio membra; et *ib.* 2, 42. Fessus senio; et *ib.* 6, 38. Objectare alicui fluxam senio mentem. *Naev.* ap. *Gell.* 19, 7 Homo mente exsensa, tardigenulo senio oppressus. ℙ *Senium lunae*, ultima ejus decrescentia, cum proxime ad novilunium accedit. *Plin.* 7, 48, 49. ℙ *Senium*, senex. *Sil.* 8, 466. Ora puer, pulcherque habitum, sed corde sagaci Aequabat senium, atque astu superaverat annos. ℙ *Senium*, caries, situs. *Id.* 3, 20. seniumque repellere templis, *h. e.* prohibere, ne situ et vetustate putrescant. ℙ Est convicium in senem molestum, tristem, difficilem. *Ter. Eun.* 2, 3, 10. Ut illum Dii Deaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est. Ubi *Donatus:* Plus dixit *senium*, quam *senem*. Et *senex* ad aetatem refertur, *senium* ad convicium. [*Al. leg. Ut illum di deaeque senem omnes perdant.] Sic Lucilius ait: *At quidem te, senium atque insulse sophista.* Haec *Donat.* ℙ Metonymice *senium* est tristitia, moeror, molestia, taedium, odium, quae cruciant animum, et senium quodammodo ante tempus afferunt. *Pl. Truc.* 2, 5, 13. Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miserae miseria est. *Id. Stich.* 1, 1, 19. Hae mihi dividiae et senio sunt. *Pers.* 6, 16. usque recusem Curvus ob id minui senio. *Turpil.* ap. *Non.* 1, 1. Odio ac senio mihi hae sunt nuptiae. *Accius ib.* Mors amici subigit: quod mihi est senium multo acerrimum. *Titin. ib.* Quot pestes, senia, et jurgia saepe meis aedibus emigrarunt. *Pacuv. ib.* Metus, egestas, senium, exsiliumque, et senectus. Adde *Pomp.* et *Lucil. ib.* ℙ Item languor, desidia, cessatio. *Sil.* 16, 13. stare negata Cogebatur ope, et senio torpescere rerum. *Sen. Ben.* 7, 26. *med.* Torpor mentis, ac senium, et huic contraria inquieti pectoris agitatio. ℙ Item morositas, severitas, tetricitas: quae senum vitia sunt. *Sen. Hipp.* 917. Morumque senium triste, et aspectu grave. *Hor. Ep.* 1, 17, 47. Surge et inhumanae senium depone Camenae. ℙ Est etiam diuturnitas temporis, vetustas. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 1. Senio proficiens vini vita. *Stat.*

Silv. 4, 7, 54. omne mundi senium remensus, *h. e.* chronica scripsit. *Gell.* 20, 1. *med.* Passus est leges istas situ atque senio emori. *Stat. Theb.* 9, 316. cur ipse excitus in arma Ismenos, doctae nosse indulgete sorores: Vestrum opus, ire retro, et senium defendere famae, *h. e.* efficere, ne prisca fama oblivione pereat. *Claud. IV. cons. Honor.* 504. Firmatur senium juris, priscamque resumunt Canitiem leges, *h. e.* antiqua reverentia, et sanctitas.

*SENNĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae, a Senna vel Senno quodam oppido ibi sito fortasse nomen ducentes. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

[SĒNOGALLIENSIS, e, adj. ad Senogalliam pertinens, Piceni oppidum, nunc *Sinigaglia*, cujus *Plin.* 3, 14, 19. meminit. *Front. de colon.* p. 118. *Goes.* Ager Senogalliensis. V. SENA. *F.*]

SĒNONES, um, m. plur. populi Galliae Lugdunensis, [nunc *la Diocesi di Sens*, et *d'Auxerres*. *F.*] *Plin.* 4, 18, 32. Hi aliquando Alpes transgressi una cum aliis Galliae populis in Italiam descenderunt, eamque regionem insedere, quae ab Ufente fluvio usque ad Aesim extenditur; indeque Romam aggressi incenderunt ann. U. C. CCCLXV., tandemque a Furio Camillo victi fugatique sunt. V. *Liv.* 5, 33. etc. Ab his Senogallia condita, et dicta est, ut supra diximus in SENA. *Stat. Silv.* 5, 3, 198. Et Senonum furias Latiae sensere cohortes. ℙ [In num. sing. *Caes. B. G.* 8, 30. Qua ex fuga, cum constaret, Drappeten Senonem provinciam petere. *F.*]

SĒNONĪCUS, a, um, adj. ad Senones pertinens. *Gell.* 17, 21. *med.* Post non longo tempore bellum Senonicum fuit: tum Galli Romam ceperunt.

[SĒNONĪUS, a, um, adj. idem ac Senonicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2096, 12. Volusius Senonius. *F.*]

SENSĀTUS, a, um, adj. *νουνεχής*, sensu pollens. *Firm. Math.* 5, 12. *med.* Mars homines faciet sensatos, callidos, astutos.

SENSĪBĪLIS, e, adj. *αἰσθητὸς*, qui sensu percipi potest, sensilis. *Vitr.* 5, 3. *med.* Vox est spiritus fluens, et aeris ictu sensibilis auditui. *Sen. ep.* 124. Quicumque voluptatem in summo ponunt, sensibile judicant bonum: nos contra intelligibile, qui illud animo damus.

SENSĪBĪLĪTAS, atis, f. *Non.* 2, 800. et 12, 30. sumit pro sententia, et vi verborum. Cave usurpes.

SENSĪBĪLĪTER, adv. *αἰσθητῶς*, per sensus. *Arnob.* 7, 234. Inanis apud Deos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est nidoris alicujus.

SENSĪCŪLUS, i, m. *ἐνθυμημάτιον*, exigua sententia. *Quint.* 8, 5, 14. Inde minuti, corruptique sensiculi, et extra rem petiti.

SENSĪFER, ra, rum, adj. *αἰσθηματοφόρος*, sensum ferens. *Lucr.* 3, 273. Sensifer unde oritur primum per viscera motus; et *ib.* 938. Longe ab sensiferis primordia motibus errant.

[SENSĪFĪCĀTOR, oris, m. qui sensificat. *August. C. D.* 7, 3. Vitumnus vivificator, et Sentinus sensificator. *F.*]

SENSĪFĪCO, as, a. 1. sensibilem reddo, sentifico. *Capell.* 9, 308. Haec *(Musica)* potuit rupes sensificare tonis.

SENSĪFĪCUS, a, um, adj. *αἰσθηματοποιὸς*, sensus causam praestans. *Macr. Sat.* 7, 9. *med.* Septem nervorum *συζυγίαι*, de cerebri ventre nascentes, vicem implent fistularum, spiramentum sensificum ad sua quaeque loca naturali lege ducentes.

SENSĪLIS, e, adj. *αἰσθητὸς*, sensibus subjectus, idem ac sensibilis. *Lucr.* 2, 887. Ex insensilibus ne credas sensile gigni.

[SENSĪLŌQUUS, a, um, adj. qui cum sensu loquitur. *Non.* 2, 898. Vinnulus, sensiloquus, id est illecebrosus. *F.*]

SENSIM, adv. *σχολῇ, ἠρέμα*, [*βραδέως] paulatim, et quasi motu sensum fallente. [*Aliter *Doederl.* 3, 97. sq. hujus vocis sensum explicat: non enim *καὶ ἀντίφρασιν*, quod dicunt, sed opp. *subito*, *repente*, *necopinato*, de iis *sensim* dici contendit, quae ita fiant, procedant, etc. ut, propter tarditatem omnis quasi motus pars cognosci a spectatoribus queat. Discrimen inter *pedetentim*, *sensim*, *paulatim* v. in h. v.] *Pl. Cas.* 4, 4, 1. Sensim superat: tolle limen, nova nupta. *Cic. Sen.* 11. *extr.* Sensim sine sensu senescit aetas. *Id. Tusc.* 3, 22. *f.* Sensim et pedetentim progrediens extenuatur dolor. *Id. Coel.* 11. Verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio ad animos vestros sensim ac leniter accideret. *Gell.* 5, 14. *med.* Leo sensim atque placide, tanquam noscitabundus, ad hominem accedit. *Id.* 12, 1. *f.* Vigor ille sensim atque paulatim exstinguitur. *Id.* 13, 4. Sensim et comiter aliquem admonere. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Villa leniter et sensim, clivo fallente, consurgit. *Plin. alter* 5, 9, 10. Nilus incipit crescere sensim modiceque. *Ov. A. Am.* 3, 565. Ille vetus miles sensim et sapienter amabit. *Cic. Verr.* 2, 3, 68. Non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore, etc. *Id. Phil.* 2, 17. Ille sensim dicebat quod causae prodesset: tu cursim dicis aliena. *Id. Off.* 1, 33. *med.* Magis decere, amicitias sensim dissuere, quam repente praecidere. *Liv.* 2, 45. Non jam sensim, ut ante, per centurionum principes postulant, sed passim omnes clamoribus agunt. *Nep. Att.* 9. Sed sensim is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur, *h. e.* clanculum. Sunt qui leg. *sensus ejus* pro *sensim is*. [*Locus sanus est; neque *sensim* ea, quam Noster vult, quamque rariorem praedicat *Brem.* coll. *Suet. Tib.* 11. notione positum esse dixerim: omnibus enim locis, quos in hanc sententiam adducunt, ut *Liv.* 4, 1., commode propria vocis significatio, quam supra cum *Doederl.* indicavimus, ferri potest.] *Gell.* 1, 11. *med.* Qui fistula brevi sensim graviusculum sonum inspiraret; et 17, 8. Cum omnes sensim atque submissim rideremus; et 12, 5. *f.* et 19, 1. *extr.* Cur sapiens tonitru vehementius facto, sensim pavescat, *h. e.* leviter. *Phaedr.* 4, 16. Parce gaudere oportet, et sensim queri, Totam quia vitam miscet dolor et gaudium, *h. e.* moderate.

[SENSIO, onis, f. *Gloss. Isid.* Sensio, sententia. *Vet. Schol.* ad *Cic. or. pro Sulla* (ed. *A. Maio*) 13. Ne sensio in contrarium vergeret. *F.*] [*Cf. *Beier.* p. 47. *Cl. Niebuhrius* suspicabatur corrigendum esse *propositione sensim in contrarium vergens.*]

SENSUĀLIS, e, adj. *αἰσθητὸς*, sensu praeditus. *Tert. Anim.* 43. Stoici somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 346. Aedem sibi ipse *(Deus)* mente in hominis condidit Vivam, serenam, sensualem, flabilem, solvi incapacem posse, nec destructilem. Adde *Appul. Trismeg.* p. 80. *Elmenh.*

SENSUĀLITAS, atis, f. *Tert. Anim.* 17. Plato irrationalem pronuntiat sensualitatem. Adde 38. *extr.*

*SENSUALĪTER, adv. *Sarisb.* 5, 3. Sensualiter coli. *B. A.*

[SENSŪLUS, i, m. dimin. sensus. *Eugen. Tolet. praef. ad Drac.* Dracontii libellus multis videns erroribus involutos, pro tenuitate mei sensuli subcorrexi. *F.*]

SENSUM, i, n. id quod mente conceptum est, *νόημα*: et usurpatur in num. plurali. *Cic. Or.* 1, 8. *med.* Quod exprimere dicendo sensa possumus. *Id.* 3, 14. *f.* Sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut, etc. Adde *Quint.* 8, 5. *in.* et V. SENSUS, us.

SENSUS, a, um, part. a *sentio*. *Arnob.* 5, 181. Eadem sentire, quae sub tacitis cogitationibus ipsis ab historicis sensa sunt.

SENSUS, us, m. *αἴσθημα, αἴσθησις*, vis sentiendi, facultas animi, qua per corpus objecta sensilia percipit. Sensuum alii sunt externi, alii interni: illi sunt quinque, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus: hi duo, sensus communis, et phantasia sive imaginatio, ad quam pertinet memoria. Differunt autem *sensus*, et *sensa:* illi sunt facultates et instrumenta, quibus res sentimus: haec sunt res ipsae, quas sentimus. *Cic. N. D.* 2, 56. Sensus autem interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. *Id. Tusc.* 1, 20. Neque enim est ullus sensus in corpore, sed viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. *Id. Or.* 2. *f.* Quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest: cogitatione tantum et mente complectimur. *Id. Or.* 2, 87. Ea maxime animis effingi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi. *Id. Phil.* 2, 45. Ut quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt. *Id. fragm.* ap. *August. contra Jul. Pel.* 4, 14. Quis autem tantus est gurges, qui dies et noctes velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? ℙ Ponitur etiam pro actione sentiendi. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. Tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio unquam fuit religionis. *Id. ib.* 3, 5, 46. *f.* An vos quoque hic cruciatus et moeror pari sensu doloris afficit? *Id. Phil.* 9, 6., *Sulp.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *f.*, *Ov. Pont.* 1, 2, 113. et *Phaedr.* 4, 4. Si quis est sensus in morte. *Cic. Rab. perd.* 10. *med.* Vita et sensu carere. *Id. ad Brut.* 1, 9. *med.* Carere omni sensu doloris. ℙ *Sensus Veneris* est facultas fruendae Venereae voluptatis. *Ov. A. Am.* 3, 795. Tu quoque, cui Veneris sensum natura negavit. ℙ Item pro sententia, opinione, mente, cogitatione, animo. *Quint.* 8, 5. *in.* Non raro veteres sic locuti sunt, ut *sensa sua* dicerent: nam *sensus* corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta *sensus* vocaremus. *Cic. Or.* 2, 35. Vultus sensus animi plerumque indicant. *Nep. Dion.* 8. Sensus suos alicui aperire. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Nemo in terris est mihi tam consentientibus sensibus; et *Fam.* 1, 9. *med.* Unum fere sensum fuisse bonorum omnium. *Id. Att.* 15, 7. Valde mihi placebat sensus ejus de republica. *Id. Mil.* 27. Non sum tam vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. *Ter. Ad.* 4, 1, 17. Ego illius sensum pulcre calleo; et *Cic. Par.* 1. Vereor, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta haec videatur oratio. *Id. Part.* 36. Penetrare ad sensum opinionemque judicis. *Id. Leg.* 2, 1. *f.* Inest nescio quid, et latet in animo ac sensu meo. *Id. Phil.* 10, 2. Quis est iste tuus sensus et cogitatio, Brutos ut non probes, Antonios probes? *Id. Or.* 2, 25. *extr.* Definitio in sensum et in mentem judicis intrare non potest. ℙ Item pro affectu et motu animi. *Cic. Rosc. Am.* 44. *f.* Ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore pronuntio. *Id. Or.* 3, 25. Ut oratio admirabilis, ut polita sit, ut sensus, ut dolores habeat. *Id. Fl.* 42. Percipere sensum ex moerore patrio. *Id. Or.* 2, 43. *f.* Tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum. *Id. Am.* 8. Sensus amoris. *Plin. ep.* 1, 8. *extr.* Sensum quendam voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse. *Ov. Trist.* 4, 1, 48. Temporis adversi sic mihi sensus hebet. ℙ Est etiam notitia, judicium, existimatio, cantus, intelligentia. *Cic. Or.* 1, 3. *f.* Ut id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum; et *ib.* 18. Haec erat spinosa et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat; et *ib.* 23. *med.* Sunt enim ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera hujus forensis nostrae dictionis. ℙ *Sensus communis* est judicium, existimatio, opinio, quam omnes habent, aut habere solent de rebus, *κοινὸς νοῦς*, [*αἱ κοιναὶ ἔννοιαι*, Gall. dic. *le sens commun.*] quae existimatio tum a natura ipsa est, tum usu rerum et consuetudine perficitur: unde stulti et hebetes communi sensu carere dicuntur. [*Ap. *Ciceronem* quidem, (etiam *Arnob.* 2, 92.,) *sensus communis* hac significatione ponitur: *Or.* 1, 3. *extr.* 2, 16. *Planc.* 13 et 14. *Dom.* 36. *f.* Et plur. numero *Or.* 3, 50. *med.* et *Cluent.* 6. *med.* — Illud tamen notandum: ita fere semper ab hoc scriptore *sensus* communis dici, ut adjunctum aliquid habeat loci sententiae accommodatum. Hinc interdum pro eo *communis prudentia*, ut *Fin.* 1, 27., *communis opinio Off.* 2, 10. ubi agitur de docendi ratione ad populi captum accommodanda. V. *Beier.* qui laud. *Bard.* in *Hauffii Phil.* II. p. 6. sqq. *Communis mens*, *Or.* 3, 29. — Arctius horum vv. notio contrahitur ap. alios imprimis sub Augusto eoque recentiores scriptores. Ita ap. *Hor. Sat.* 1, 3, 66. *sensus communis* est ea sentiendi agendique ratio, qua ubique tempus, locus, homines cum decoris honestatisque studio respiciuntur. Similem locum habes *Sen. Ben.* 1, 12. et *Ep.* 5. et 105. *Juv.* 8, 73. itemque *Quint. Inst.* 1, 2, 20. ubi *Spald*, teste *Heindf.* ad *Hor. Sat.* l. l., suam ipsius notam postea improbavit. Porro *sensus communis* ap. *Phaedr.* 1, 7. *extr.* dicitur de mente et ratione: opp. animalibus naturaeque rerum inanimae. — Ita quidem, duce imprimis *Heindf.* ad *Hor.* l. l., modum atque ordinem hujus §. melius constituisse videmur, utpote quem Noster ita turbasset, ut summa imis miscuisset.] ℙ Pro ratione, aut usu rationis. *Ulp. Dig.* 1, 9, 1. Nec enim potest dici animal injuriam fecisse, quod sensu caret. *Catull.* 51, 5. misero quod omnes Eripit sensus mihi. ℙ Praeterea *sensus* est verborum sententia, seu id, quod verbis significatur. *Ov. Fast.* 5, 483. Lemures animas dixere silentum: Is verbi sensus, vis ea vocis erat. *Phaedr.* 4, 4. Nec testamenti potuit sensus colligi. *Quint.* 8, 2. Ambiguitas quae turbare potest sensum; et *ib. paulo sup.* Etiam interjectione (qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum) impediri solet intellectus. *Gell.* 7, 2. Horum versuum sensus atque ordo sic, opinor, est. *Sen. ep.* 7. *f.* Egregie dicta circa eundem fere sensum. Sic ipsae quoque sententiae, et cogitata *sensus* dicuntur. *Stat. Silv.* 2, 1, 117. Maeonium sive ille senem, Trojaeque labores Diceret, aut casus tarde remeantis Ulyssis, Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri. *Vell.* 2, 9. *f.* Pomponius sensibus celebris, verbis rudis. [*Taciti exempla v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 424.] ℙ Periodus videtur intelligi a *Quint.* quo integra continetur sententia, 4, 1. *med.* Ridendi vero, qui velut leges prooemiis omnibus dederunt, ut intra quatuor sensus terminarentur.

*SENTA vel Fenta in quibusdam libris vocatur, quae in melioribus *Fatua*. *Fauna* est *Lact.* 1, 22. et *Epit.* 22. ℙ Senta etiam specus fuit in ora Dalmatiae, vasto in praeceps hiatu: in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella. *Plin.* 2, 45. Hodie *Seta* dicitur. *B. A.*

SENTENTIĀ, ae, f. *γνώμη*, id quod animo sentimus, quod nobis videtur, sensus, judicium, consilium, mens, voluntas. *Quint.* 8, 5. Sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. Id cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet: nam et juraturi, ex animi nostri sententia; et gratulantes, ex sententia dicimus. *Pl. Most.* 1, 3, 15. Ut lepide res omnes tenet, sententiasque amantum! et *Mil.* 2, 1, 51. Quoniam inspexi mulieris sententiam; et *Cic. Mur.* 1. Ut vestrae mentes atque sententiae cum populi R. voluntatibus suffragiisque consentiant. *Id. Or.* 1, 37. *extr.* Quoniam sententiae atque opinionis meae voluistis esse participes, nihil occultabo (Adde *ib.* 2, 34.); et *ib.* 18. *f.* Carneades multo uberius iisdem de rebus loquebatur, non qua aperiret sententiam suam, sed, etc. *Id. N. D.* 2, 1. De Diis immortalibus habere non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam. *Id. Fam.* 4, 4. *f.* Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maxime Caesar velle videatur. *Id. Off.* 3, 33. Si honestatem tueri ac retinere sententia est, *h. e.* voluntas, propositum. Sic *Auct. ad*

Her. 3, 21. Pluribus verbis ad eam te hortari, non est sententia. *Cic. Mur.* 30. Mutare sententiam; et *ib. f.* et *Fin.* 4, 52. De sententia decedere. *Id. Att.* 9, 2. Manere in sententia; et *ib.* 1, 20. Permanere in pristina sententia. *Id. Rosc. Com.* 18. perstare. *Id. Fin.* 1, 19. *med.* Desistere sententia. *Id. Tusc.* 2, 12. Desistere de sententia; et *ib.* 5. *med.* dejici; et *ib.* 25. deducere. *Id. Div.* 2, 33. deterreri. *Ter. Heaut.* 1, 1, 114. Siccine est sententia? *Me.* sic; et *Adelph.* 3, 6, 5. Sin aliter de hac re est ejus sententia; respondeat mihi; et *Hec.* 4, 4, 15. Sin est, ut aliter tua siet sententia, accipias puerum. *Ov. Met.* 8, 67. stat sententia tradere mecum Dotalem patriam, finemque imponere bello; et *ib.* 1, 242. dent ocius omnes, Quas meruere pati (sic stat sententia) poenas. ℙ *Quot homines, tot sententiae*, proverb. ap. *Ter. Phorm.* 2, 4, 14. et *Cic. Fin.* 1, 5. *med.*, quod *Hor.* ita expressit *Sat.* 2, 1, 27. quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia; et *Pers.* 5, 52. Velle suum cuique est; et *Virg. Ecl.* 2, 65. trahit sua quemque voluptas. ℙ *De sententia alterius quippiam facere*, sequendo alterius sententiam. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* et *Coel.* 29. Ea quae scribam, sic habeto, me, cum illo re saepe communicata, de illius ad te sententia atque auctoritate scribere. *Id. Att.* 7, 5. *f.* Quid sentis igitur? inquis, nihil scilicet, nisi de sententia tua. *Id. Sull.* 19. *f.* Quorum de sententia tota res gesta est. *Id. ad Capiton. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. med.* Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios. *Id. ib. ad Att. ep.* 3. *f.* Cum ei praescriptum esset, ne quid sine Sexti sententia ageret. *Liv.* 38, 45. Quod quem unquam de sua sententia facere ausum? ℙ *Mea sententia*, ut ego sentio, ut mihi videtur. *Cic. Or.* 2, 23. Demetrius omnium istorum mea sententia politissimus. *Ter. Phorm.* 2, 2, 21. Alere nolunt hominem edacem: et sapiunt mea sententia. *Id. Ad.* 5, 9, 2. Ego edepol hodie mea quidem sententia judico, Syrum fieri esse aequum liberum. ℙ *Ex sententia*, ut volumus, ex voto, feliciter, prospere, *κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην*. *Sall. Jug.* 47. Ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur. *Nep. Alc.* 7. Quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat. *Cic. ad Brut.* 1, 9. *f.* Ut reliqua ex sententia succedant. *Id. Att.* 5, 21. Te ex sententia navigasse, vehementer gaudeo. *Ter. Heaut.* 4, 3, 5. Istuc tibi ex sententia tua obtigisse laetor. *Id. Phorm.* 2, 1, 26. Satin' omnia ex sententia? *Pl. Pers.* 1, 1, 17. *Sa.* Quid agitur? *To.* vivitur. *Sa.* satin' ergo ex sententia? *To.* si eveniunt quae exopto, satis. *Ter. Ad.* 3, 4, 56. Pisces nactus sum ex sententia. *Cic. Att.* 3, 20. Quam omnia essent ex sententia, si nobis animus non defuisset! ℙ *Ex animi sententia*, ex animo, ut vere sentimus, sincere, vere, fideliter, *κατὰ γνώμην*, et est formula jurantis, aut serio affirmateque adseverantis. *Cic. Off.* 3, 29. *f.* Quod ex animi tui sententia juraris, id non facere, perjurium est. *Petr. Sat.* 109. Tabulas foederis signat, queis haec formula erat: Ex tui animi sententia, ut tu, Tryphaena, neque injuriam tibi factam a Gitone quereris, neque, etc. *Liv.* 22, 53. *f.* Ex mei animi sententia, ut ego rempublicam populi R. non deseram. (Similem jurisjurandi militaris formulam habes in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 673. *n.* 13,) Et omisso *ut. Liv.* 43, 15. Censores ita jusjurandum milites adigebant: Ex tui animi sententia tu ex edicto censorum in provinciam Macedoniam redibis. *Cic. Or.* 2, 64. *f.* et *Gell.* 4, 20. Ridicule etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni: Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit; ex mei animi sententia. Ap. *Gell.* leg. etiam posteriore loco, *ex animi tui sententia:* significat autem idem quod ex sententia. *Sall. Jug.* 89. Nam me quidem, ex animi sententia, nulla oratio laedere potest: medius fidius, mehercules: formula adseverandi. ℙ Ad sententiam, quae in consilio dicitur, pertinent haec: *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Causa perorata (*in senatu*) sententias se rogaturum negavit: et *mox:* Marcellinus cum graviter de Clodianis sententiis questus esset, sententiam dixit, ut, etc. *Liv.* 8, 20. *f.* Consul, etsi, inquit, meae partes exquirendae magis sententiae, quam dandae, sunt, tamen, etc. *Cic. Fam.* 1, 2. Perspiciebant enim, in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros. *Id. Att.* 4, 1. *med.* Factum est senatusconsultum in meam sententiam, ut, etc. *Sen. ep.* 102. *med.* An sit aliquid ex distantibus bonum, etiam nunc quaeritur, et pars utraque sententias habet, *h. e.* qui pro ea sentiant. ℙ De prudentia et sapientia, quae dicendae sententiae facultatem praebet. *Cic. Sen.* 6. *med.* Non viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia: et *mox:* Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur, sed consilio, ratione, sententia. *Id. Leg.* 1, 22. Philosophia nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmetipsos nosceremus: cujus praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur. ℙ De suffragio, tabella. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. De quo vos, judices, sententiam per tabellam feretis. *Just.* 22, 3. Tacita de eo suffragia tulerunt, et sententias, priusquam recitarentur, in urnam conjectas obsignari jusserunt. ℙ De decreto, et judicio, quo judex reum vel absolvit, vel damnat. *Cic. Cluent.* 26. *extr.* Sua illum sententia, quam palam omnes laturi essent, condemnatum iri. *Suet. Dom.* 11. Nunquam tristiorem sententiam sine praefatione clementiae pronuntiavit. *Cic. Verr.* 2, 4, 45. *med.* Servus ille innocens omnibus sententiis absolvitur. Ap. *eund. Off.* 3, 16. *med.* judex *sententiam dicit*, cum pronunciat. *Petr. fragm. Trag.* 70. *Burm.* Neuter sententiam tulit decernentis. ℙ Res ipsa quae verbis exprimitur, *sententia* est, *διάνοια*. *Cic. Or.* 39. *med.* Cum continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur. *Id. Dejot.* 9. Dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum. *Id. Off.* 3, 3. *med.* Quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturae vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere semper; et *Lucr.* 4, 562. Internoscere, verborum sententia quae sit. *Cic. Balb.* 8. Totum hoc in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut, etc. *Auct. ad Her.* 4, 53. *f.* Ambiguum, cum verbum potest in duas pluresve sententias accipi. ℙ Pronuntiatum, quo sensus integer verbis exprimitur. *Cic. Phil.* 13, 10. Eas litteras dum recito, dumque de singulis sententiis breviter disputo, velim, ut attente audiatis. *Hor. Sat.* 1, 10, 9. Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se Impediat verbis lassas onerantibus aures. ℙ Apud rhetores sententia est, inquit *Auct. ad Her.* 4, 17., oratio sumpta de vita, quae aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit, hoc modo: Difficile est primum virtutes revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. *Quint.* 8, 5. Consuetudo jam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus: lumina autem, praecipue in clausulis posita, sententias. (Multa toto illo *cap.* de sententiis.) *Cic. Or.* 2, 8. *f.* Acutae crebraeque sententiae. *Id. Brut.* 78. *f.* Concinnae acutaeque sententiae. *Id. Or.* 1, 8. Sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio, et polita. ℙ Etiam integra oratio, qua sapiens alicujus dictum explicatur, *sententia* dicitur. *Quint.* 1, 9. Sententiae quoque, et chriae, et ethologiae, subjectis dictorum rationibus, apud grammaticos scribantur.

SENTENTIĀLĪTER, adv. *γνωμολογικῶς*, sententiae modo. *Macr. Sat.* 5, 16. Et alia plurima, quae sententialiter proferuntur: nec haec apud Virgilium frustra desideraveris (*Ecl.* 8, 63.) Non omnia possumus omnes. (*Ecl.* 10, 69.) Omnia vincit amor. *Tert. Car. Chr.* 18. *med.* Ipse Dominus sententialiter et definitive pronuntiavit (*Joann.* 3, 6.) Quod in carne natum est, caro est.

SENTENTIŎLA, ae, f. *γνωμίδιον, ὑησείδιον*, brevis, levisque sententia. *Cic. Phil.* 3, 9. Sententiolas edicti cujusdam memoriae mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. *Petr. Sat.* 118. Controversia sententiolis vibrantibus picta. *Quint.* 12, 10. *f.* Corruptum dicendi genus, quod puerilibus sententiolis lascivit. *Id.* 9, 2. *med.* Nec meretur fidem, qui pro sententiola jurat. *Id.* 11, 1. *med.* Sententiolis ne flendum est? *Adde* 5, 13. *med.* In bonam partem *Gell.* 17, 12. Non hercle hac sententiola invenuste lusit. *Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἤμερη, ἄλλοτε μήτηρ.*

SENTENTIŌSE, adv. *γνωμικῶς*, per sententias. *Cic. Or.* 2, 71. Saepe etiam sententiose ridicula dicuntur. *Id. Or.* 71. Composite et apte sine sententiis dicere insania est; sententiose autem sine verborum et ordine et modo, infantia. *Id. Inv.* 1, 55. Oratio graviter et sententiose habita.

SENTENTIŌSUS, a, um, adj. *γνωμικὸς*, sententiis, hoc est sapienter dictis abundans, scitus. *Cic. Brut.* 95. Genus dictionis sententiosum, et argutum.

[SENTĬA, ae, f. Deae nomen. *August. C. D.* 4, 11. Dea Sentia sententias inspirando. *F.*]

SENTĪCĒTUM, i, n. *ἀκανθεών*, locus sentibus obsitus, spinetum. Frigide jocatur *Pl. Capt.* 4, 2, 79. Nihil sentio. *Er.* non enim es in senticeto: eo non sentis. *Appul. Flor. n.* 11. Qui herediolum sterile, et agrum scruposum, meras rupinas et senticeta miseri colunt.

SENTĪCŌSUS, a, um, adj. *ἀκανθώδης*, sentibus obsitus, spinosus. Translate. *Afran.* ap. *Fest.* in *Sentes:* Quam senticosa verba pertorquet turba! Alii leg. *tuba.* V. SENTIS. *Appul. Flor. n.* 18. Merces Protagorae tam aspera, tam senticosa versutis et avaris relinquenda est.

[SENTĬFĪCO, as, a. 1. sensu instruo, idem ac sensifico. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 17. Universum corpus movere, et sentificare. *Id. ib.* 3, 2. Nec alia pars animae sentificat oculum, et alia vivificat digitum. *F.*]

SENTĪNA, ae, f. *ἄντλος*, ima interior pars, seu fundus navis, cloacae vicem praestans, quo aquae et sordes confluunt. *Cic. Sen.* 6. Cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant. *Sen. ep.* 30. Quemadmodum in navi, quae sentinam trahit, uni rimae aut alteri obsistitur: ubi plurimis locis laxari coepit et cedere, succurri non potest navigio dehiscenti. *Caes. B. C.* 3, 28. *med.* Milites conflictati et tempestatis, et sentinae vitiis. *Plin.* 10, 70, 90. Pisces sentinae navium odorem procul fugiunt. ℙ Allegorice. *Cic. Fam.* 9, 15. *med.* Sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus, *h. e.* primus: nunc Caesare rerum potito, vix in turba civium consistimus, et infima conditione sumus. [*Cf. *Sall. Cat.* 37, 5. *f.* hi Romam sicuti in Sentinam confluxerunt.] ℙ Translate. *Cic. Cat.* 1, 5. *f.* Sin tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicae, *h. e.* multitudo et faex hominum scelestorum. *Id. Att.* 1, 19. *med.* Qua emptione constituta, et sentinam urbis exhauriri, et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar, *h. e.* faecem populi, turbam forensem, infimum popellum. [**Id. Cat.* 2, 4. O! fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit; et *Agr.* 2, 26. Hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur. *Bail.*] *Quint.* 8, 6, 15. Non enim si Cicero recte sentinam reipublicae dixit, foeditatem hominum significans, idcirco probem illud quoque veteris oratoris: Persecuisti reipublicae vomicas. Adde *Liv.* 24, 29. et *Flor.* 3, 12. Sic *Val. Max.* 2, 7. *n.* 1. sentinam exercitus vocat lixas, institores, scorta.

SENTĪNĀCŬLUM, i, n. instrumentum, quo sentina exhauritur. *Paul. Nol. ep.* 36. (al. 49.) *n.* 3. Post unum, vel alterum brevis sentinaculi haustum humore destricto, siccataque navi, etc.

SENTĪNAS, atis, adj. ad Sentinam pertinens, Umbriae oppidum, nunc dirutum, in agro Fabrianensi: ejus meminit *Front. de colon.* p. 124. *Goes.*, ubi tamen corrupte *Sentis* pro *Sentinum* legitur. *Liv.* 10, 27. et 30. Sentinas ager. Hinc *Sentinates, ium*, absolute, sunt incolae illius oppidi ap. *Plin.* 3, 14, 19. *Inscr.* ap. *Mur.* 565, 1. Sentini, cum in schola sua frequens numerus coll. fabr. Sentinatium convenisset. ℙ Inde etiam factum nomen gentilicium R. hominis ex eodem oppido oriundi. *Inscr.* Sentini reperta, ap. *Grut.* 467, 2. L. Sentinati L. F. Lem. Vero IIII. vir. quinq. jur. dic. ordo et plebs Sentinatium. V. PISAURENSIS. [*Multa huic loco addidit *F.*]

SENTĪNĀTOR, oris, m. qui sentinam exhaurit. *Paul. Nol. ep.* 36. (al. 49.) *n.* 12. Quid huic obfuit seni persona sentinatoris et in nautis vilissima?

SENTĪNO, as, a. 1. *Festus:* Sentinare, satagere: dictum a sentina navis, quam quis ut aqua liberet, evacuare contendit. Itaque sentiuare, subtiliter periculum vitare. Caecilius: Capit consilium, postquam sentinat satis. Haec *Festus.* Quare *sentinare* proprie est sentinam exhaurire: translate satagere. *Paul. Nol. ep.* 36. (al. 49.) *in.* Unum ex omni numero nautarum senem sentinando deputatum relinquunt. Confirmat *August. homil.* 42. *ex* 50. *c.* 9. Addunt et *Gell.* 19, 1. Complorantibus nostris omnibus, atque sentinantibus. Ita *Scal.* ad *Fest.* Sed plerique alii leg. *atque in sentina satis agentibus.*

SENTĪNOSUS, a, um, adj. a sentina. *Cato* ap. *Non.* 2, 645. Si indu naves putidas, et sentinosas commeatum ponere volebant, *h. e.* in sentina vitiosas.

SENTĪNUS, i, m. Deus, qui sensus puerperio largiri putabatur, ut ait *August. C. D.* 7, 2. *f.* ex *Varr. Tert. ad nat.* 2, 11. Hinc Vitumnus, et Sentinus, per quem viviscat infans, et sentiat.

SENTĬO, is, nsi, nsum, a. 4. *αἰσθάνομαι*, sensu percipio. *Lucr.* 3, 384. Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila Obvia sentimus, quando obretimur euntes. *Id.* 1, 298. varios rerum sentimus odores. *Cic. Phil.* 2, 45. Ut quidam, morbo aliquo, et sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt. [**Id. N. D.* 2, 56. Gustatus qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet.] *Pl. Curc.* 1, 2. *f.* Tace, tace: sentio sonitum. *Id. Truc.* 2, 3, 29. Sentio aperiri fores. *Lucr.* 4, 229. et 6, 935. Sentire sonare. *Caes. B. G.* 5, 32. Hostes ex nocturno fremitu vigiliisque de profectione eorum senserunt. *Id. B. C.* 1, 67. Censebant, ut noctu iter facerent: posse prius ad angustias veniri, quam sentirentur. [*— Huc referri posse videntur et ista: *Cic. Cat.* 2, 10, 21. corruant, sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant: quod de hominibus obscuris proverbialiter dictum docet *Beier* ad *Off.* 1. p. 170. coll. *Plat. Alc.* I. c. 36. — *οὐδ' οἱ γέιτονες σφόδρα αἰσθάνωνται;* et *Lucian. in Charont.* v. *Contempl.* 16. *extr.* (T. 1. p. 512, 13. *ed. Reiz.*) *μόγις καὶ τοῖς γείτοσιν ἐξακουσθέντος τοῦ πτώματος.*] *Phaedr.* 3, 10. tentat in tenebris caput. Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit. *Plin.* 32, 4, 16. Sentire morbos articularios. *Lucr.* 3, 647. dolorem. *Id.* 4, 260. frigus. *Id.* 6, 948. Frigus item transire per aes, calidumque vaporem Sentimus. *Liv.* 25, 13. Jam famem Campani sentiebant. [**Id.* 36, 24. fructum victoriae sentire.] ℙ De sensu oculorum. *Pl. Bacch.* 4, 9, 77. Non prius salutem scripsit? *Nic.* nusquam sentio. *Lucr.* 2, 809. plagae quoddam genus excipit in se Pupula, cum sentire colorem dicitur album: Atque aliud porro, nigrum cum, et cetera sentit. Adde 4, 494. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. [**Liv.* 9, 37. vastationem sub Ciminii montis radicibus ja-

cens ora senserat; et 41. nisi quod transitum exercitus ager senserat. *Vell.* 2, 100, sensit terrarum orbis digressum Neronem. *Plin. Pan.* 50, 5. muta quidem illa (aedificia) et anima carentia; sentire tamen et laetari videntur, quod cet.] *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Vites orbitas vinculi sentiunt, vexatione non dubia. *Id.* 11, 42, 97. Caseus ita temperatus, ut vetustatem non sentiat; et 37, 10, 65. Gemma ignem non sentiens. *Id.* 18, 28, 68. *n.* 2. Sentiunt Canis ortum maria, et terrae. [**Virg. G.* 1, 136. Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas: ubi v. *Burm.* Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 236. 700. 8, 197. — *Liv.* 6, 24. *f.* sensit ergo eventus virtutis enisae opem. *Plin. Pan.* 31, 5. si desidem Aegyptum cessantemque Nilum non sensisset urbis annona.] ℙ Pro obnoxium esse. *Id.* 12, 7, 14. Radix celeriter cariem sentit. *Id.* 8, 18, 26. Cameli rabiem sentiunt. *Id.* 9, 49, 73. Morbos universa genera piscium non accipimus sentire. ℙ Saepissime refertur ad animum, et ponitur pro intelligere, percipere, videre. *Cic. Tusc.* 1, 23. *f.* Sentit igitur animus se moveri: quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri. *Id. Off.* 1, 4. Unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid deceat, in factis dictisque qui sit modus. *Id. Arch.* 1. Si quid est in me ingenii, quod sentio, quam sit exiguum; et *ib.* 6. Illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. *Ter. Ad.* 3, 4, 66. Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio: verum quid facias? ut homo est, ita morem geras. *Pl. Truc.* 2, 6, 64. Vehementer nunc mihi est irata: sentio, atque intellego. *Id. Trin.* 3, 2, 23. Scio ego et sentio ipse, quid agam. *Caes. B. G.* 7, 52. Eorum arrogantiam reprehendere, quod plus se, quam imperatorem, de victoria atque exitu rerum sentire existimarent; et *Quint. decl.* 9, 20. *extr.* Qui lucem, libertatem non ignarus, ut primo natalis horae tempore, sed videns sentiensque accepi, *h. e.* quod ait *Ter. Eun.* 1, 1, 27. prudens, sciens, vivus, videnque. V. SCIENS. ℙ Et pro advertere. *Cic. Amic.* 17. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim. [**Id. Or.* 58. Aristoteles paeona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire quum utantur.] *Ter. Ad.* 3, 3, 8. Si me senserit eum quaeritare, nunquam dicet. *Ov. Met.* 13, 287. Est animus certe vestros sensurus honores. [**Suet. Dom.* 18. Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud Senatum etc. i. e. tantum huic rei tribuit, ita superbire hac re solebat. V. *Brem.*] ℙ Et pro experiri damno suo. *Caes. B. G.* 7, 52. Exposuit quid iniquitas loci posset, quid ipse ad Avaricum sensisset. [**Liv.* 45, 28. quae quisque Persei bello privatim ac publice sensisset] *Petr. Sat.* 139. Junonem Pelias sensit, *h. e.* expertus est inimicam et gravem. *Ter. Eun.* 1, 1, 21. Sentiet, qui vir siem. *Sen. Ag.* 829. Te sensit Nemeaeus arcto Pressus lacerto fulmineus leo, Cervaque Parrhasis. *Hor. Od.* 2, 7, 9. Tecum Philippos, et celerem fugam Sensi, relicta non bene parmula. *Val. Fl.* 6, 501. meque ille magistram Sentiet. *Ov. Am.* 1, 6, 71. Qualiscumque vale, sentique abeuntis amorem. [*Cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 16, 5. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 9, 46. et ad *Albinov.* 53.] ℙ Et pro judicare, existimare, opinari. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum: si dubium, non esse conandum. *Id. Cat.* 4, 7. Causa est haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem. *Ter. Ad.* 4, 2, 29. Idem quod ego, sentit te esse huic rei caput. *Cic. Cat.* 3, 2. *med.* Qui omnia de republica praeclara atque egregia sentirent. *Id. Fin.* 1, 19. Vera sentire de Diis immortalibus. *Id. Tusc.* 1, 3. Fieri potest, ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit. ℙ Pro decernere, statuere. *Catull.* 64, 21. Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit. Est qui leg. *sanxit.* ℙ Sentire de aliquo, i. e. censere de aliquo, sententiam habere de aliquo, judicare. *Cic. Fam.* 4, 13. *med.* Familiares vero ejus, et ii quidem, qui illi jucundissimi sunt, mirabiliter de te et loquuntur, et sentiunt. *Id. Tusc.* 5, 8. *extr.* Non est ausus elate et ample loqui, cum humiliter demisseque sentiret. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. in *f.*] *Caes. B. C.* 2, 32. Quid irati gravius de vobis sentire possunt, quam ut eos prodatis, qui se vobis omnia debere judicant? *Quint.* 2, 2. *med.* Si parum a praeceptore laudentur, ipsi de illo male sentiunt. ℙ Sentire cum aliquo, i. q. consentire. *Cic. Rosc. Am.* 49. Fateor, me insanisse, qui cum illis senserim: tametsi inermis, judices, senserim. *Ter. Andr.* 2, 1, 24. Nae iste haud mecum sentit. ℙ Pro, vel ab aliquo sentire, i. e. commodam alicui sententiam ferre. *Pl. Rud.* 4, 4, 56. Omnia patior, dum hic hinc a me sentiat. *Gell.* 5, 10. *f.* Si judices pro mea causa senserint. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Or.* 3, 42. *extr.* Quocumque modo non, ut dictum est, intelligitur, sed ut sensum est. ℙ *Sensti* sync. pro *sensisti*, ap. *Ter. Andr.* 5, 3, 11. in plerisq. libr.

SENTIS, is, m. *ἄκανθα*, spina, rubus, vepres. *Festus:* Sentes cum constet esse spinas, et Afranius in Abducta dixerit, Quam senticosa verba pertorquet turba (al. *lupa:* al. rectius *tuba*) pro spinosis accipi debet. *Colum.* 6, 3. Liberantur arva sentibus, qui aestivo tempore recisi plerumque radicitus intereunt. *Id.* 11, 3. Graeci *κυνόσβατον*, nos sentem canis appellamus. V. CYNOSBATOS. *Pl. Capt.* 1, 2, 85. Asper meus victus sane est. *Par.* sentesne esitas? *Virg. G.* 2, 411. et *A.* 9, 382. Densi sentes. *Id. ib.* 2, 379. aspri. *Id. Ecl.* 4, 29. inculti. *Ov. Met.* 2, 799. hamati; et *ib.* 1, 509. Crura secant sentes. ℙ *Vepres*, et *sentes* conjunguntur in veteri Lege de aquaeductib. ap. *Front. Aquaed.* 129., fortasse, quia illi sunt quaecumque virgulta inutilia, hi spinosa tantum. *Dracont. Hexaem.* 3, 439. Mella darent vepres, sentis sudaret amomum. ℙ Femininum facere videtur *Ov. de nuce* 113. At rubus et sentes tantummodo laedere natae. Nisi ad *arbores* recurras, ex praecedentib. ℙ Translate. *Pl. Cas.* servos furaces *sentes* vocat, 3, 6, 1. *Olym.* Vide fur, ut sentes sub signis ducas. *Co.* qui vero sunt sentes? *Olym.* quia quod tetigere, illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.

SENTISCO, is, n. 3. idem quod sentio, cognosco, adverto. *Lucr.* 3, 394. Quam primordia sentiscant concussa animai; et 4, 587. Et genus agricolum late sentiscere, cum Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans, etc.

*SENTIUS, i, m. nomen proprium virorum R. v. g. C. Sentius Saturninus, praetor Macedoniae, cujus meminit *Cic. Verr.* 2, 3, 93. et *in Pis.* 34. ℙ Cn. Sentius, Syriae praefectus. *Tac. A.* 2, 74. et 79. et 3, 7. *B. A.*

[SENTIX, icis, m. et f. idem ac sentis, rubus: hinc *senticeta* et *senticosus* recte deducuntur. *Appul. Herb.* 87. A Graecis dictus batos, aliis cynosbatos, Itali senticem appellant, alii rubum. *Isid. Or.* 17, 7. Rhamnus genus est rubi, quam vulgo senticem ursinam appellant, asperum nimis et spinosum: sentix dicta a situ, quod est terra inculta, in qua sentices, spinaeque nascuntur. Haec postrema *Isid.* perperam lusit ex illo *Virg. A.* 6, 462. Per loca senta situ. *F.*]

SENTOSUS, a, um, adj. senticosus. *Paul. Nol. carm.* 6, 310. sentosarum purgans concreta viarum. *Fulg. Myth. prol. in.* Tandem inter sentosa nemorum frutecta squalebat viduus sulcis ager.

SENTUS, a, um, adj. *ἀκανθώδης*, horridus, incultus, asper, quasi sentibus obsitus. *Virg. A.* 6, 461. jussa Deum nunc has ire per umbras, Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam. *Prud. in Sym.* 2, 1039. Exstirpamus enim sentos de corpore vepres. *Id. Apoth.* 123. senta rubus. ℙ Translate. *Ter. Eun.* 2, 2, 5. Video hominem sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum, *h. e.* incomptum, horridum. *Donat.* sentum ad horrorem retulit, squalidum ad sordes.

SĔORSUM et

SĔORSUS, adv. *χωρὶς, κατὰ μόνας*, separatim, secreto: quasi *sevorsus*, a *se* separationis vocula, et *vorsus* pro *versus*. *Cato* ap. *Charis.* 2, 195. Qua arte natio sua separata seorsum. *Pl. Epid.* 3, 3, 20. Cave, siris cum filia mea copulari hanc. In aediculam istanc seorsum concludi volo. *Id. Rud.* 5, 2, 26. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt: praeterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus. *Tert. Ad.* 5, 9, 14. Omnibus gratiam habeo, et seorsum tibi praeterea, Demea. *Sall. Jug.* 73. Qui plerumque seorsum a rege exercitum ductare, et omnes res exsequi, quae Jugurthae fesso superaverant. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. *med.* Seorsum a collega puto mihi omnia paranda. *Auct. ad Her.* 3, 4. Seorsum tractandum est hoc ab illo. [**Liv.* 9, 42. 22, 52. — Construitur c. abl. *Lucr.* 3, 563. Seorsum corpore; et 631. seorsum anima.] *Pl. Capt.* 3, 5, 52. At ego ajo recte, qui abs te seorsum sentio, *h. e.* aliter ac tu. [*Cf. *Rut. Lup.* 2, 15. et nihil parcere, egestatis est initium. Item: Seorsum est, beneficium dare libenter: ubi viri docti *seorsum est* expl. aliud est. Quae vis, an huic voci subjecta sit, vehementer dubitat *Ruhnk.* q. v. — *Frotsch.* comp. *Ochsner.* ad *Cic. Ecl.* p. 66. *ed.* 3. *Schaef.* ad *Dionys. Hal. de Comp.* Verb. p. 292.] ℙ Poetis fere disyllabum est, aliquando trisyllabum. *Catull.* 20, 16. Proin viator hunc Deum vereberis, Manumque seorsum habebis: hoc tibi expedit, *h. e.* abstinebis manum, ne quid furto auferas. Alii scrib. *sorsum* eod. sensu. *Lucr.* 4, 496. Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores. *Id.* 3, 638. Vis aliqua ut seorsum partem secernat utramque; et *ib.* 552. Et veluti manus, atque oculus, naresque seorsum; et 4, 492. Quod molle, aut durum est, gelidum, fervensque seorsum, etc. ℙ *Seorsim* barbarum est.

SĔORSUS, a, um, adj. seorsum positus. *Terent. de syllab.* p. 2398. Sed duae fient seorsae syllabae per se breves: *et de carm. iamb.* p. 2439. *f.* Nunc quia quae potui videor tractasse seorsa. *Auson. Idyll.* 17, 5. saepe seorsis Obsistunt studiis. Fortasse quis putet, huc pertinere et illud *Cat.* ap. *Gell.* 7, 10. Pignoriscapio ob aes militare, vocabulum seorsum fit. *Id.* ap. *Fest.* in *Optionatus:* Majores seorsum atque divorsum pretium paravere bonis atque strenuis.

SĔPA et Sepas V. in SEPS.

SĔPAR, āris, adj. omn. gen. divisus, separatus, secretus: ut *dispar, impar. Val. Fl.* 5, 57. caras humus haec non dividet umbras, Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna. *Stat. Th.* 4, 482. tu separe coetu Elysios, Persei, pios, virgaque potenti Nubilius Arcas agat. *Solin.* 7. *f.* Duo flumina natura separi, *h. e.* diversa. *Prud Apoth.* 311. de Trinitate: Sic tamen haec constare tria, ut ne separe ductu Tres faciam.

SĔPĀRĀBILIS, e, adj. *χωριστὸς*, qui separari potest. *Cic. Tusc.* 1, 10. *med.* Vim eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse.

SĔPĀRĀTĒ, adv. idem ac separatim, sed non in usu. Comparat. habet *Cic. Inv.* 2, 51. *f.* Quaedam argumentationes communiter ac similiter tractabuntur, quaedam separatius adjungentur.

SĔPĀRĀTIM, adv. *χωρὶς*, seorsum, divisim, secreto. *Cic. Or.* 1, 3. Qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia quaecumque possent, comprehenderint. *Id. Dom.* 52. *f.* Se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. *Id. Fam.* 13, 12. Alia epistola commendavi tibi legatos Arpinatium, hac separatim Q. Fufidium. *Caes. B. G.* 1, 29. Quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes, mulieresque; et *ib.* 7, 36. Mediocribus intervallis separatim singularum civitatum copias collocaverat. *Id. B. C.* 1, 76. et *Sall. Cat.* 56. Postulat, ut jurent, se exercitum non deserturos, neque sibi separatim a reliquis consilium capturos. *Cic. N. D.* 2, 66. Dii separatim ab universis singulos diligunt. *Id. Fam.* 2, 16. *med.* Nihil accidet ei separatim a reliquis civibus. [**Liv.* 40, 47. Separatim eos ab illis se consulturos. V. *adnotatt. Kreuss.*] *Caes. B. C.* 3, 18. Ad neminem unum summa imperii rediit, sed separatim suam quisque classem ad arbitrium suum administrabat. *Nep. Dat.* 11. Compluribus locis separatim gladios obruit. [**Id. Reg.* 1, 1. quod omnium res gestae separatim sunt relatae, i. e. in certo quodam libro, scripto rebus illorum gestis dedicato. V. *Brem. Liv.* 42, 44. auctoresque et his separatim singulis fuerunt ad cet.]

SĔPĀRĀTIO, onis, f. *ἀφορισμὸς*, actus separandi, sejunctio, segregatio, divio. *Cic. Inv.* 2, 18. Facti a definitione separatio. *Quint.* 7, 1, 31. Congregatio criminum accusantem adjuvat, separatio defendentem. [**Id. ib.* 9, 3, 45. Num est nominum idem significantium separatio.] *Gell.* 2, 8. Separatio animi et corporis in morte. *Tac. H.* 4, 46. Tanquam ea separatione ad caedem destinarentur.

SĔPĀRĀTĪVUS, a, um, adj. [*διαζευκτικὸς, Bail.*] separandi vim habens. *Diomed.* 1, 412. Aut conjunctio separativa.

SĔPĀRĀTOR, oris, m. *χωριστὴς*, qui separat. *Tert. Praescr.* 30. *med.* Unitum ante quam separaretur, posteriorem ostendit separatorem.

SĔPĀRĀTRIX, icis, f. quae separat. *August. Trin.* 11, 10. Voluntas conjunctrix, ac separatrix hujuscemodi rerum.

SĔPĀRĀTUS, a, um, part. a *separo: κεχωρισμένος*, sejunctus, segregatus, divisus. *Cic. Tusc.* 4, 15. Virtus ipsa per se sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis. *Id. Att.* 14, 17. *med.* Ista vero, quae tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant. *Tert. Anim.* 18. *f.* Intellectus separatior. *Nep. Eum.* 10. Cum exercitus ei ter ante separatis temporibus jurasset, se eum defensurum. *Tac. H.* 5, 5. Separati epulis, discreti cubilibus. *Id. G.* 22. Separatae singulis sedes, et sua cuique mensa. *Caes. B. G.* 4, 1. Privati ac separati agri apud eos nihil est. *Hor. Od.* 2, 19, 18. *ad Bacch.* Tu separatis uvidus in jugis Nodo coerces viperino Bistonidum sine fraude crines, *h. e.* remotis, secretis. ℙ *Separatum exordium* ap. *Cic. Inv.* 1, 18. *med.* est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexum orationi. [*Cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 352. sq.]

[SĔPĀRĀTUS, us, m. separatio. *Appul. Flor. n.* 15. Adolescens est visenda pulcritudine, crinibus fronte parili separatu per malas remulsis. *F.*]

*SĔPARI, orum, incolae insulae cujusdam Dalmatiae adjacentis. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

[SĔPĀRIUS, ii, m. qui sepibus agros cingit, easque reparat. *Inscr.* ap. *Pratill. Via App.* p. 160. M. Sabino (lege *Sabinio*) M. L. Onyci separio Artemia O. L. fec. *F.*]

SĔPĀRO, as, avi, atum, a. 1. *χωρίζω, ἀφορίζω*, sejungo, divido, secerno, discludo, distermino, distraho: a *se* (quae divisionem significat) et *paro. Ov. Met.* 4, 448. nec nos mare separat ingens, Nec via, nec montes. *Cic. Agr.* 2, 32. Ut duo maria pertenui discrimine separentur. [*Jam sequi debebant ista:] *Plin.* 9, 15, 20. Angustiae freti Europam Asiamque separantis. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. §. 2. Et scripsit, vascula non separaturum, licet ei optio fuerit relicta: quae Noster perperam in *f.* collocaverat. Adde *Vell.* 1, 17, 3. Ut idem separetur Cato. *Liv.* 42, 55. Thessalorum omnis equitatus separatus erat, scil. per praesidia urbium. V. *Kreyss.* ℙ Duplex autem est verbi constructio: cum et sine praepositione *a.* Prioris generis exempla haec erant a Nostro sine ordine laudata. *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* A populari

consessu senatoria subsellia separare. *Caes. B. G.* 7, 63. *extr.* Neque suum consilium ab reliquis separare audent. *Cic. Off.* 1, 27. *med.* Quod cogitatione magis a virtute potest, quam re separari. *Plin.* 4, 12, 26. Haec latitudo Asiam ab Europa separat. *Curt.* 7, 2. *med.* Separandos a cetero exercitu ratus. Plura *Cic.* exempla v. in *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. Alia haec sunto: *Liv.* 38, 43. Nihil est, quod se ab Aetolis separent, i. e. non debebant postulare, ut melior ipsorum, quam Aetolorum, caussa, conditio esset. — Memorabilis locus est *Vell.* 1, 18, 1. adeo, ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates: ubi *Ruhnk.* vix dubitat, quin a *Velleii* manu sit: *ut corpora gentis illius sparsa sint in alias civitates:* sed vereor ut recte. ℙ Omissa praepositione *a* construitur imprimis apud poetas serioresque prosae orationis scriptores. *Forc.* ex poetis haec adscripserat: *Ov. Her.* 18, 173. Quid mihi, quod lato non separor aequore prodest? *Lucan.* 4, 75. spatium quod separat aethere terram. *Ov. Trist.* 1, 10, 28. Sestos Abydena separat urbe fretum. *Lucan.* 9, 524. Separat ardentem tepida Berenicida Lepti. — Pedestris orationis locos adjicimus istos: *Quint. Decl.* 12, 15. p. 256. Moram tuam itineribus separo. *Vell.* 1, 16, 2. et quemadmodum clausa capso, alioque septo diversi generis animalia, nihilo minus separata aliis.

SĒPĔLĪBĬLIS, e, adj. qui sepeliri, seu tegi, abscondique potest, aut debet. *Pl. Cist.* 1, 1, 64. *Gymn.* Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem. *Sil.* Quid faciam? *Gymn.* in latebras abscondas pectore penitissimo.

SĒPĔLĬO, is, ivi, et ii, ultum, a. 4. *θάπτω*, terrae mando, in sepulcrum infero, terra contego, humo. [*De etymo h. v. disputat *Doederl.* 1, 76. sq. Cf. *ib.* 2, 180.] *Cic. Leg.* 2, 23. *ex XII. Tab.* Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito: credo, vel propter ignis periculum. *(Paul. Recept. sent.* 1, 21, 2. Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis. *Isid. Or.* 15, 11. Prius quisque in domo sua sepeliebatur: postea vetitum est legibus, ne foetore ipso corpora viventium contacta inficerentur. Eadem habet *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 152.; quod vetitum ait *Id.* ad *A.* 11, 206. consule Duillo, *h. e.* ann. U. C. CCCCXVIII.). Quod autem addit, neve urito; indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur, *Ov. Her.* 14, 127. Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa. *Plin.* 11, 30, 36. Formicae sepeliunt inter se viventium solae, praeter hominem. *Petr. Sat.* 111. *med.* Quid proterit hoc tibi, si te vivam sepelieris? *Lucr.* 5, 991. Viva videns vivo sepeliri viscera busto. Loquitur *Lucr.* de eo, qui a feris vivus manditur. *Pers.* 3, 97. Jampridem hunc sepell: tu restas, *h. e.* sepelivi, mortuus est. *Petr. Sat.* 115. *med.* Illum Diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit. ℙ [*Sepelire* dicitur etiam sensu latiore de omnibus iis, quae mortuorum corporibus justa redduntur. Hinc saepissime i. q. uri, cremari. *Liv.* 8, 24. sepultumque Consentiae, quod membrorum reliquum fuit, i. e. concrematum; sequuntur enim haec: ossaque — ad hostes remissa. *Suet. Dom.* 15. sepeliri quoque accuratissime imperavit: ubi v. *Brem.* item ad. *Nep. Eum.* 13, 3. Alias haec duo non confusa esse, Cicero docet l. supra l. V. *Drak.* ad *Liv.* l. l.] ℙ Varios apud varias gentes sepeliendi ritus exsequitur *Sil.* 13, 468. et sqq. ℙ Translate. *Appul. Met.* 8. Crebris potionibus avide ac secure haurientem facile sepelivit ad somnum. *Ov. Pont.* 1, 5, 85. tunc cum mea fama sepulta est. Addunt et *Sen. ep.* 12. Cum se vino et funereis epulis sepelevisset, *h. e.* adeo se ingurgitasset, ut paene mortuus videretur. Sed alii aliter leg. V. SEPULTUS. ℙ Est etiam tollo, deleo, exstinguo. *Lucr.* 2, 170. in aeternum sepelire salutem. *Cic. Manil.* 11. Quod bellum exspectatione Pompeji attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. Adde *Vell.* 2, 129. [*Usitatissimum est *Velleio* hoc dicendi genus: cf. 2, 75, 1. 89, 3. 90, 1. et 126, 2.] *Prop.* 3, 13, 9. Cuncta tuus sepelivit amor, *h. e.* obruit, delevit: interierunt omnia. *Pl. Most.* 5, 2, 1. Ubi somnum sepelivi omnem, atque obdormivi crapulam, *h. e.* finivi, abegi. ℙ Item operio. *Sidon. carm.* 7, 413. jam jamque frequenti Caede sepulturus terram, non hoste sepulto, *h. e.* operturus corporibus caesorum. ℙ Et translate reprimo, occulto. *Cic. Tusc.* 2, 13. *extr.* Amittenda igitur fortitudo est, aut sepeliendus dolor, [*i. e. contemnendus.]

SĒPES, ĕdis, adj. omn. gen. qui sex pedes habet, *ἑξάπους*. Hinc sepedes populi dicuntur formicae ab *Appul. Met.* 6.

SĒPES, is, f. septum ex lignis, ramis arborum, aut spinis consitis, quo clauduntur agri, aut horti, *φραγμὸς, φράγμα. Cic. N. D.* 1, 42. *f.* ex poeta: Ea quae Lemni nocturna aditu occulta coluntur, silvestribus sepibus densa. *Colum.* 11, 3. Vetustissimi auctores vivam sepem structili praetulerunt. *Virg. G.* 1, 270. segeti praetendere sepem; et *ib.* 2, 371. Texendae sepes etiam, et pecus omne tenendum. *Colum.* 10, 27. Sepibus hirtis humum claudere. *Plin.* 17, 14, 24. Casam sepis munimento cingere. *Caes. B. G.* 2, 22. Densissimae sepes. *Ov. Her.* 20, 144. Ad sepem alterius quis tibi fecit iter? et *A. Am.* 3, 562. Cingenda est altis sepibus ista seges. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 56. campum aurea sepes Circuit. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Superciliorum sepes praemuniunt oculos. ℙ *Sepes* in recto sing. habetur et ap. *Virg. Ecl.* 1, 54. Sed et *seps* dici potest. *Ciceronem* testem dat *Auson. Idyll. in Grammaticomast.* 12, 11. Bucolico sepes dixit Maro: cur Cicero seps? Sed quo loco *Cic.* usurparit, ignotum est. *Val. Fl.* 6, 536. pavidos te, inquit, nunc rere magistros, Et stolidum petiisse pecus: non pascua, nec seps Hic tibi, *h. e.* septum, ovile. *Sepes* enim de quolibet septo, et claustro dicitur. Hinc *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 849. ex lectione Scal.: Nam te in tenebrica sepe lacerabo fame Clausum, *h. e.* in tenebricoso carcere. *Ov. Trist.* 4, 1, 81. Sic, si quem nondum portarum sepe receptum Barbarus in campis reperit hostis, agit. [*Hinc *sepes* signif. etiam agrum sepibus munitum: ita h. v. expl. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 14, 127. Atque in universum i. q. arva, agri. *Ov. Met.* 7, 186. nullo cum murmure sepes, Inurataeque silent frondes. *Ib.* 8, 258. Propter humum volitat, ponitque in sepibus ova.] ℙ *Seps*, lacerta. V. infra suo loco. ℙ Scribitur et *saepes*. V. in SEPIO.

*SEPHĒLA, ae, f. *Σεφήλα*, regio Judaeae. *Vulgat. Maccab.* 12, 38. *B. A.*

SĒPIA, ae, f. *σηπία*, genus marini piscis atrum humorem (quod *atramentum* dicitur a *Cic. N. D.* 2, 50.) vomens, quo aquam circa se adeo infuscat, ut ea se celet, et piscatoris manus effugiat, ut ait *Plin.* 9, 29, 45. [*Der Dintenfisch.] ℙ Hinc metonymice pro atramento scriptorio ponitur a *Pers.* 3, 12. Tum queritur, crassus calamo quod pendeat humor: Nigra quod infusa vanescat sepia lympha. [*Vet. Schol.* sepiam pro atramento a colore posuit: quamvis non ex ea, ut Afri, sed ex fuligine ceteri conficiant atramentum. *Auson. epist.* 4, 76. Notasque furvae sepiae, *h. e.* litteras. *F.*]

*SEPĪAS, adis vel ados, f. *Σηπιὰς ἄκρα*, Thessaliae promontorium, in Magnesia, in mari Aegaeo. *Plin.* 3, 9. *Mela* 2, 3. *Val. Fl.* 2, 9. *B. A.*

SĒPĪCŪLA, ae, f. *Appul. Met.* 8. Dum forte passerem incantantem sepiculae consectatur arripere.

SĒPĪMEN, inis, n. idem quod sepimentum. *Appul. Flor. n.* 1. *in.* Colliculus sepimine consecratus.

SĒPĪMENTUM, i, n. *φράγμα*, id, quo aliquid sepitur, et clauditur, septum, sepes. *Varr. R. R.* 1, 14. Tutandi causa fundi tutelarum genera quatuor: unum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile. Primum naturale sepimentum vivae sepis, quod obseri solet virgultis aut spinis: secunda sepes est ex agresti ligno: tertium militare sepimentum est fossa, et terreus agger: quartum fabrile sepimentum est maceria. *Cic. Leg.* 1, 24. Atque haec omnia, quasi sepimento aliquo, vallabit disserendi ratione.

SĒPĬO et Saepio, is, psi, ptum, a. 4. *φράττω, περιβάλλομαι*, vallo, munio, claudo, circumdo custodiae causa: a *sepes*. In *Cenotaph. Pisano L. Caes.* Locus stipitibus robustis saepiatur. *Colum.* 2, 22. Pontifices negant, segetem feriis sepiri debere. *Lucr.* 5, 1249. Nam fovea atque igni prius est venarier ortum, Quam saepire plagis saltum; et *ib.* 468. tum se levis aether Corpore concreto circumdatus undique sepsit: Et late diffusus in omnes undique partes, Omnia sic avido complexu cetera sepsit. *Nep. Them.* 7. Sepire urbem muris. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Oppidum vallo et fossa circumdedi, sex castellis, castrisque maximis sepsi. *Id. N. D.* 2, 57. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit. *Nep. Dion.* 9. Domum custodibus sepsit. *Vell.* 2, 51. Mare praesidiis classium sepserat. *Virg. A.* 1, 415. At Venus obscuro gradientes aere saepsit; et *ib.* 7, 599. nec plura locutus Saepsit se tectis, rerumque reliquit habenas; et *Suet. Aug.* 65. *f.* Agrippam in dies amentiorem in insulam transportavit, sepsitque insuper custodia militum. *Afran.* ap. *Non.* 1, 193. Perii! lacrimae linguam sepiunt, *h. e.* impediunt. *Curt.* 6, 5. *med.* Juga montium praealtae silvae, rupesque inviae sepiunt. *Id.* 9, 4. *f.* Perpetua lorica obducta transitum sepserat. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 31. *med.* Inventa componere: tum ea denique vestire atque ornare oratione: post memoria sepire, *h. e.* complecti, continere. *Id. ib.* 2, 34. *f.* Hoc totum est, nosse regiones, intra quas venere, et pervestiges, quod quaeras: ubi eum locum omnem cogitatione sepseris, nihil te effugiet: *μεταφορὰ* a venatorib. *Id. Att.* 3, 23. Nulla est lex, quae non ipsa se sepiat difficultate abrogationis. *Gell.* 1, 15. Petulantiae verborum coercendae vallum esse oppositum dentium, ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia cohibeatur, sed et quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 39. Quandoquidem iste circumvestit dictis, sepit sedulo, *h. e.* tegit, occultat. ℙ Ad orthographiam quod attinet, qui diphthongum abjiciunt, *Voss., Heins., Erythraeus*, et alii partim notatione nituntur, quod *sepes* sit a *σηκὸς*, stabulum, ovile: partim codice *Virg.* Mediceo, in quo *A.* 7, 600. *sepsit se tectis;* et *ib.* 9, 551. *septa corona* scriptum est. Sed in eod. cod. plura sunt loca, in quibus *ae* apparet, *Ecl.* 1, 54. *saepes; A.* 1, 415. *aere saepsit. v.* 443. *saeptus nebula. v.* 510. *saepta armis.* His addę *Cenotaph. Pisan.* Augusti aevo scriptum, et supra allatum, *saepiatur. Inscr.* ap. *Grut.* 61, 5. *aream saepiendam;* et 864. *saxo saeptum.* Quare *Dausq., Cellar., Noris., Pier.* diphthongum retinent. Neutram scriptionem damnabis: secundam praeferes. V. tamen SCENA.

SĒPĬOLA, ae, f. parva sepia. *Pl. Cas.* 2, 8, 57. Emito sepiolas, lepadas, lolliguncula, hordeias.

[SĒPĬOTĬCUS, a, um, adj. qui est ex sepiae succo. Hinc *Sepioticum, i*, absolute est atramentum, et translate ipsa scriptura. *Fulg. Myth. praef.* Redde quod sepioticon debes, et quidquid libet Niliacis exarare papyris. V. SEPIA. *F.*]

*SEPĬUSSA, ae, f. (fortasse a *σηπία*, sepia,) insula maris Aegaei, prope Cariam, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

SEPLASĬA, ae, f. et aliquando Seplasia, orum, n. plur. forum, platea urbis Capuae, in qua plurimi unguentarii negotiabantur, ut *Fest.* et *Ascon.* in *Pis.* docent. *Cic. Pis.* 11. Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, Campanum consulem repudiavit. *Pompon.* ap. *Fest.* post *Sterilam.* Lepidum unde unguentum, nisi ex Seplasia, est? *Varr.* ap. *Non.* 3, 234. Doti dato insulam Chium, agrum Caecubum, Seplasia Capuae, macellum Romuli. Adde *Cic. Agr.* 2, 34. *f.* et *Sext.* 8., *Plin.* 16, 10, 18., 33, 13, 57. et 34, 11, 25. et *Val. Max.* 9, 1. *n.* 1. *extr.* ℙ In sing. num. *Petr. fragm. Trag.* 76. *Burm.* Oneravi vinum, lardum, fabam, seplasium, mancipia, *h. e.* unguenta, odoramenta, aromata. ℙ Secunda syllaba corripitur ab *Auson. epigr.* 123. ne Aere Seplasiae decipiare cave. A *Marcello* producitur, *de medicina*, 66. Quodque ab Idumaeis vectum Seplasia vendunt.

*SEPLASIARĬUM, i, n. *μυροπώλιον Gloss. Lat. Gr. Seplasiaria* quidam legunt ap. *Petr.* 76. ubi alii *seplasia. B. A.*

SEPLASĬĀRĬUS, ii, m. aromatarius, unguentarius, *μυροπώλης. Lampr. Elag.* 30. Pinxit se ut cupedinarium, ut seplasiarium, ut popinarium. *Inscr.* ap. *Grut.* 636, 12. T. Vettius T. L. Hermes seplasiarius. Alia ap. *Don. cl.* 17. *n.* 19. L. Petilius Tranquillus institor seplasiarius. *Gloss. Isid.* Pantopola, seplasiarius.

SĒPONO, is, sui, situm, a. 3. *ἀποτίθημι, ἀποτάσσω*, seorsum pono, removeo, segrego, separo, reservo. *Cic. Att.* 11, 24. Seponi et occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quae impendet. *Liv.* 1, 53. Captivam pecuniam in aedificationem ejus templi seposuit. *Id.* 6, 37. *med.* Seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus. *Phaedr.* 4, 4. Seponit moechae vestem, mundum muliebrem: Lanificae agellos, pecora, villam, operarios, Potrici plenam antiquis apothecam cadis. *Cic. Or.* 42. Seponere sibi aliquod tempus ad quippiam agendum. *Id. Or.* 3, 33. Ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret. *Ov. Fast.* 3, 730. Primitias magno seposuisse Jovi. *Id. Met.* 5, 380. de mille sagittis Unam seposuit; et *Plin. ep.* 8, 14. *med.* Ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit, ac servat, qui cum victore contendat. *Tac. H.* 2, 33. Interesse pugnae imperatorem, an seponi melius foret, dubitavere, *h. e.* amoveri a periculo. *Ov. Met.* 3, 318. Jovem memorant diffusum nectare curas Seposuisse graves, *h. e.* ad tempus deposuisse. *Sen. Med.* 404. Sepone questus: non levat miseros dolor. *Val. Fl.* 1, 631. linquite, terrae, Spem pelagi, sacrosque iterum seponite fluctus, *h. e.* deponite, abjicite cogitationem, consilium navigandi. *Tac. A.* 2, 59. Augustus, inter alia dominationis arcana, seposuit Aegyptum, *h. e.* ejus administrationem sibi reservans, per praefectum, procuratorem, et juridicum ministravit. V. PRAEFECTUS *f. Id. H.* 1, 1. *extr.* Principatum Nervae, et imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui; et *A.* 6, 19. Aurarias ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit; et *Hor. A. P.* 273. Scimus inurbanum lepido seponere dicto. ℙ Seponere aliquem, amovere, relegare. *Suet. Aug.* 65. Agrippam ob ingenium ferox abdicavit, seposuitque Surrentum. *Tac. H.* 1, 13. *f.* Mox suspectum in Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit; et *ib.* 46. *f.* Seponere aliquem in insulam. *Id. A.* 3, 12. Si legatus obsequium erga imperatorem exsuit, odero, seponamque a domo mea, *h. e.* ex amicorum numero eximam.

SĒPŌSĪTĬO, onis, f. *ἀπόθεσις*, actus seponendi, separatio. *Ulp. Dig.* 50, 12, 2. Si decimam bonorum quis vovit, decima non prius esse in bonis desiit, quam fuerit separata: et si forte qui decimam vovit, decesserit ante sepositionem, heres ipsius hereditario nomine decimae obstrictus est. *Veg. Mil.* 2, 20. Sepositio pecuniae.

SĒPŌSĪTUS, a, um, part. a *sepono: ἀπόταικτος*, seorsum positus, separatus, segregatus. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. *med.* Quod celari opus erat, habebant sepositum ac reconditum. *Id. Div.* 2, 54. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut injussu senatus ne legantur quidem libri. *Id. Att.* 15, 15. *med.* Quod ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam, *h. e.*

repositum et reservatum ad illud fanum ornandum. *Stat. Silv.* 2, 2, 150. Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias. *Mart.* 6, 16. Jugera sepositi pauca tuere loci, *h. e.* horti, qui separatus ab agris esse solet, et septo clausus. ℙ *Sepositus*, remotus, longe positus. *Id. Spect.* 3. Quae tam seposita est, quae gens tam barbara, Caesar, Ex qua spectator non sit in Urbe tua? *Sen. Med.* 335. Bene dissepti foedera mundi Traxit in unum Thessala pinus: Jussitque pati verbera pontum: Partemque metus fieri nostri Mare sepositum, *h. e.* longinquum, dissitum: vel de quo percurrendo homines antea non cogitaverant. V. similem loc. *Val. Fl.* in SEPONO. *Ov. Am.* 2, 12, 11. At mea seposita est, et ab omni milite dissors Gloria, *h. e.* mea propria est, et a militum communione remota. ℙ Item relegatus. *Tac. H.* 1, 10. In secretum Asiae sepositus; et *ib.* 88. Sepositus Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arcta custodia, neque obscura. [*Cf. *Böttich. Lex. Tac.* p. 424. sq.] ℙ Item electus, eximius, pretiosus; hujusmodi enim seponi solent, et ad peculiares rarosque usus reservari. *Mart.* 2, 43. Te Lacedaemonio velat toga lota Galeso, Vel quam sepositio de grege Parma dedit. *Tibull.* 2, 5, 7. nunc indue vestem Sepositam: longas nunc bene pecte comas. ℙ Per sync., ut *repostus*, a poetis *sepostus* usurpatur. *Sil.* 8, 378. ipsius mensis seposta Lyaei Setia; et 17, 281. et seposta triumpho Laurens praeda ducis.

SEPS, sepis, m. et f. *σήψ, σηπός*, genus lacertae, seu parvus serpens, cujus ictu membra percussa putrescunt: Graecae originis vox, a *σήπω*, putrefacio. *Lucan.* 9, 723. Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps; et *ib.* 763. miserique in crure Sabelli Seps stetit exiguus. (V. ibi reliqua, quibus vis tabis ejus describitur.) *Plin.* 29, 5, 32. Lacerta, quam hi sepa, alii chalcidicen vocant, in vino pota morsus suos sanat. *Id.* 23, 2, 29. Oxymeli profuisse fatentur contra serpentes, quas sepas vocant. *Tert. carm. adv. Marc.* 1, 1. *f.* sepis manante veneno. *Auson. Idyll. Grammat.* 12, 14. An Libyae ferale malum sit Romula vox, seps. Adde *Venant. carm.* 8, 6, 195. et *carm.* 7, 160. ℙ Translate *Prud. contra Symm. praef.* 1, 74. Seps insueta subit, serpere flexibus, Et vibrare sagax eloquii caput. ℙ Etiam millepedam, animal e vermibus terrae pilosum, pecori praecipue nocivum, sepa vocant Graeci, quod tabem morsu afferat. *Plin.* 20, 2, 6. ℙ *Seps* pro *sepes*, V. SEPES.

[SEPSĔ, se ipsa. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 3, 8. Quae *(justitia)* omnes magis, quam sepse diligit, aliis nata potius, quam sibi, etc. Hinc patet, in *Senec. l. c.* in REAPSE legendum *id est se ipsa*, non *id est se ipse. F.*]

SEPTAS, ădis, f. dictus est a veteribus numerus septenarius, qui Graece dicitur *ἑπτάς*, spiritu in *s* transeunte, teste *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.*

SEPTEJŪGIS, e, adj. *Septejuges equi*, septem equi ad currum juncti, atque absolute *septejugis*, scil. currus. *Inscr.* ap. *Grut.* 337. *lin.* 8. Inde septejuge vicit; et *lin.* 21. Atque amplius septem equis in se junctis, nunquam ante hoc numero equorum spectato certamine victor eminuit. V. DECEMJUGIS.

SEPTEM, *ἑπτά*, nomen numerale cardinale: a Graeca voce allata. *Virg. A.* 6, 646. septem discrimina vocum. *Cic. Leg.* 2, 11. Thales, qui sapientissimus in septem fuit. (Adde *Off.* 3, 4., *Fin.* 2, 3. et *Am.* 2., et septem Graeciae sapientes significat. V. SAPIENS.) *Sen. Troad.* 439. Septem stellae, *h. e.* Septentrio. ℙ **Septem Arae* vel *Ad septem Aras*, oppidum fuit in Lusitania. *Anton. Itin.* ℙ *Septem Aquae*, lacus Agri Reatini. *Cic. Att.* 4, 15. *med.* ℙ *Septem Maria*, paludes ad Padi ostium. *Plin.* 3, 16. Egesto amnis *(Padi)* impetu in Atrianorum paludes, quae septem maria appellantur. Et *paulo ante:* Deductus *(Padus)* in flumina et fossas inter Ravennam Altinumque per CXX. mill. pass., tamen qua largius vomit, septem maria dictus facere. ℙ *Septem Fratres* dicti montes totidem in Mauritania Tingitana, teste *Mela* 1, 5. *Plin.* 5, 2. *Straboni* sunt *ἑπτὰ ἀδελφῶν μνήματα: Ptolemaeo ἑπτὰ ἀδελφοὶ ὄρος*, quasi si mons sit unicus. *B. A.*

SEPTEMBER, bris, m. *μαιμακτηριών, σεπτέμβριος*, unus ex mensibus anni, ita dictus, quod septimum obtineat locum a Martio, a quo Romulus annum inchoavit. *Varr. L. L.* 5, 4. *f. Auson. de mensib.* Septembri, Octobri autumnus, totoque Novembri. ℙ Adjective. *Cic. Att.* 1, 1. Excurremus mense Septembri. *Hor. Ep.* 1, 16, 16. Septembribus horis. *Suet. Caes.* 83. Idibus Septembribus.

SEPTEMBONUS, a, um, adj. valde, perfecte bonus, (nam numerus septenarius perfectionem quandam continet. V. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6.) ut Septembona brassica, ap. *Cat. R. R.* 157., ubi alii al. leg. *Edd. *Gesner.* et *Schneider.* habent *septem bona. B. A.*

SEPTEMCHORDIS, e, adj. septem habens chordas. *Isid. Orig.* 2, 21. Antiquitus autem cithara septemcordis *(scribe* septemchordis*)* erat. Unde Virgilius, Septem discrimina vocum. *B. A.*

SEPTEMDĔCIM. V. SEPTENDECIM.

SEPTEMFLŪUS, a, um, adj. *ἑπτάῤῥους*, qui septem alveis, rivis, aut fontibus fluit. *Ov. Met.* 15, 753. Perque papyriferi septemflua flumina Nili Victrices egisse rates.

SEPTEMGĔMĬNUS, a, um, adj. *ἑπτάπλους*, septem habens partes. *Virg. A.* 6, 801. Et septemgemini turbant trepida ostia Nili, *h. e.* septemflui. *Stat. Silv.* 1, 2, 191. Septemgemina Roma. *Id. ib.* 4, 1, 6. Et septemgemino jactantior aethera pulset Roma jugo.

SEPTEMMESTRIS, e, adj. ut Septemmestris infans, *Censor. de die nat.* 8. *med. Cic. Att.* 10, 18. *ἑπταμηνιαῖον* vocat. V. NUTRIBILITER.

SEPTEMNERVĂ, ae, f. herba eadem quae plantago major. *Appul. H.* 1. Ita porro est appellata, quia germina habet septem lateribus similia, et nervosa, ut *Id. ib.* ait. V. HEPTAPLEUROS.

SEPTEMPĔDĀLIS, e, adj. *ἑπταποδιαῖος*, septem pedes magnitudinis habens. *Pl. Curc.* 3, 70. Ibi nunc statuam vult dare auream, solidam, faciundam ex auro Philippeo, quae siet septempedalis.

SEPTEMPĔDĀNUS, a, um, adj. ad Septempedam pertinens, nunc *S. Severino*, quod est oppidum Piceni ad Potentiam fluvium. Hinc *Septempedani, orum*, absolute, sunt incolae illius oppidi ap. *Plin.* 3, 13, 18. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 284, 4.

SEPTEMPLEX, plĭcis, adj. omn. gen. *ἑπτάπλους*, septies duplicatus, septem plicaturas habens. *Virg. A.* 12, 925. clypei extremos septemplicis orbes. *Ov. Trist.* 2, 189. ad egressus missus septemplicis Istri, *h. e.* septem ostia habentis. Sic *Met.* 5, 187. genitus septemplice Nilo. *Tert. carm. adv. Marc.* 4, 128. In cujus tenebris septemplex Spiritus, unus Lucebat Sanctus semper.

SEPTEMTRĬO. V. SEPTENTRIO.

[SEPTEMVĪCENNIS, e, adj. qui est annorum septem et viginti. *Inscr.* ap. *Mur.* 1406, 6. Stenniae Veneriae C. Sentius Aulax uxori sanctissimae fecit: fuit in matrimonio ejus annis V. mensib. VI. dieb. IIII., Vixit an. XXVII. Hic sita est septemvicennis Sentii Aulacis Venerĭa, etc. *F.*]

SEPTEMVĪRĀLIS, e, adj. ad Septemviros pertinens, ut Septemviralis auctoritas, *Cic. Phil.* 12, 9. ℙ *Septemviralis vir*, qui septemviratu praeditus est. *Id. ib.* 13, 12. Septemvirales Lento, et Nucula. ℙ *Septemviralia judicia* erant, quae a septem judicibus, ex centumvirorum ordine selectis, exercebantur. Hinc liber Pauli JCti *De septemviralibus judiciis*, citatur in *titulis legis* 7, 28. et 31. *Dig.* 5. *tit.* 2.

SEPTEMVĪRĀTUS, us, m. septemvirorum dignitas. *Cic. Phil.* 2, 38. Eundem in septemviratu nonne destituisti? Adde *Plin. ep.* 10, 8.

SEPTEMVIR, īri, m. Septemviri, *ἑπτάρχοντες*, magistratus Romae septem viris constans: ut epulonum, qui convivia Deorum instruerent: de quibus V. EPULO; item agris dividendis et assignandis: de quibus *Cic. Phil.* 5. et 6., item judiciis exercendis: de quibus V. SEPTEMVIRALIS. *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, jam neutrum. *Lucan.* 1, 602. Septemvirque epulis festis, Titiique sodales. (Adde *Tac. A.* 3, 64.) *Cic. Att.* 15, 19. *extr.* Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri septemvir? *Id. Phil.* 6, 5. *med.* Septemvirum acta sustulimus. V. dicta in QUINDECIMVIRI.

SEPTEMZODĬUM. V. SEPTIZONIUM.

SEPTĒNĀRĬUS, a, um, adj. *ἑπταδικός*, septem continens. *Plin.* 11, 36, 43., *Gell.* 3, 10. et *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Septenarius numerus. *Macr. ib.* multa disserit de hujus numeri perfectione. ℙ *Septenarius versus*, septem pedibus constans, ut *senarius* sex. *Diomed.* 3, 514. Septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambicum pes trisyllabus additur, et fit tale: *Quid immerentibus noces? quid invides amicis?* Similis in Terentio (*Hec.* 3, 2, 14.) Nam si remittent quippiam Philumenae dolores. *Cic.* Septenarios vocat, qui iambici tetrametri sunt, et octo, non septem, habent pedes, *Tusc.* 1, 44. Non intelligo, quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Versus, de quib. *Cic.* loquitur, sunt, Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas foede divexarier. Miratur hoc *Voss. in not.* ad *fragm. trag. Ennii:* putat *Scal. l.* 7. *de re Poet.* deceptum esse: *Lamb.* ut culpa liberet, legit *tam bonos octonarios.* Quid, si dicamus, quicumque versus iambicorum numeros excederent, septenarios vulgari quadam consuetudine dici consuevisse? V. SEMIASSUS. ℙ *Fistulae septenariae* in aquaeductibus sunt, quae diametrum habent septem quadrantum. *Front. Aquaed.* 25. V. et *ib.* 41. ℙ In illo *Mart.* 4, 46. Et crasso figuli polita coelo Septenaria synthesis Sagunti: *Turneb. Adv.* 23, 19. intelligit septem pocula fictilia Saguntina. Alii putant significari vas fictile, septem unciarum capax. Magis placet *Turnebi* sententia. V. SYNTHESIS.

SEPTENDĔCIM et Septemdecim. *ἑπτὰ καὶ δέκα*, nomen numerale cardinale indeclin. *Cic. Verr.* 2, 5, 47. Nos in septendecim populis Siciliae numeramur. *Prisc.* 18, 1170. testatur, *Livium* quoque frequenter *septemdecim* dixisse. Adde in cap. Legis Agrar. ap. *Cic. Agr.* 2, 7. et *Liv.* 38, 33. *f.*, quib. locis in multis MSS. notae numerales XVII. adscriptae sunt.

SEPTĒNI, ae, a, adj. distributivum numeri septenarii, *ἑπτά. Colum.* 12, 28. In serias singulas, quae sint amphorarum septenum, addito medicaminis pondo unciam; et 1, 3. *med.* Liciniana illa septena jugera, quae plebis tribunus viritim diviserat. *Plin.* 7, 25, 25. Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas; et 17, 10, 11. Pineae nucleis septenis fere in ollas perforatas additis; et *Liv.* 40, 29. Duo fasces septenos habuere libros. ℙ Saepissime ponitur pro cardinali *septem*, extra distributionem. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *f.* Pueri annorum senum septenumque denum; et *Plin.* 11, 37, 87. Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos. *Prop.* 3, 21, 16. Et qua septenas temperat unda vias, *h. e.* per septem alveos et ostia fluit. *Ov. Met.* 2, 682. dispar septenis fistula cannis. *Sen. Herc. Oet.* 1850. bis septenos greges deplanxit una mater. ℙ In sing. num. fere poeticum est. *Val. Fl.* 6, 348. contraque ruentem Septeno validam circumfert tegmine molem, *h. e.* clypeo septemplici. *Lucan.* 8, 445. de Nilo: Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis. Sic *Stat. Silv.* 5, 2, 136. Septenus Ister. *Claud. in Ruf.* 1, 185. Hic bibat aestivum septeno gurgite Nilum. *Appul. Apol.* lux haec optata canatur, Quae bis septeno vere tibi remeat. *Auson. Ecl. de rat. puerper.* 4. Septeno moderanda choro. *Plin.* 28, 16, 66. Non removeri septeno circuitu.

SEPTENNIS et Septuennis, e, adj. *ἑπταέτης*, qui septem est annorum. *Pl. Poen. prol.* 66. Puer septuennis surripitur Carthagine. Adde *Men.* 5, 9, 57., *Merc.* 2, 2, 21. et *Bacch.* 3, 3, 36., quibus omnib. loc. *septuennis* legitur in optim. libris. Sic *Prud. περὶ στεφ.* 10, 656. Da septuennem circiter puerum aut minus. At septennis defenditur analogia, ut *quinquennis, sexennis, octennis*, etc. *Capitol. M. Aurel.* 21. Filium nomine Verum Caesarem, exsecto sub aure tubere, septennem amisit. Hinc

SEPTENNĬUM, ii, n. *Prud. Διττοχ.* 24. de Pharaonis somnio: famis duo per septennia tempus. ℙ Ap. *Fest.* in *Sextantarii* habetur *septuennium* antiquo more.

SEPTENTRĬO, onis, m. et Septentriones, um, m. plur. *ἄρκτος*, septem stellae prope polum Arcticum. V. TRIONES. *Festus:* Septentriones septem stellae appellantur a septem bobus junctis, quos triones a terra rustici appellant, quod junctis simul terram arent, quasi terriones. Quidam a septem stellis, quod id astrum Graeci *ἅμαξαν* dicant, quia habet partem quandam temonis specie. Unde ait Ennius: Superat temo stellas. Sed et Physici eum situm septem stellarum contemplati, Septentriones dici ajunt, quod ita sunt sitae septem stellae, ut tetŗnae proximae specie efficiant veluti trigona. Haec *Fest.* Eadem fere *Gell.* 2, 21. Graeci *ἅμαξαν*, idest plaustrum vocant: Latini similiter *plaustrum.* Ex septem stellis duae pariles uno in loco cernuntur, quae pro bobus accipiuntur, reliquae plaustri figuram designant. Itaque et proximum sidus Bootes Graecis, Latinis Bubulcus dicitur, quia more bubulci currum sequitur. Atque hae septem stellae sidus efficiunt, quod dicitur Ursa minor, et a *Vitr.* 6, 11. minor septentrio. Alterum vero sidus, quod Ursa major, et a *Vitr. ib.* septentrio major vocatur, viginti septem stellis constat, quae et ipsae positione plaustrum referunt. ℙ Hinc est, quod frequentius a scriptoribus *septentriones*, cum de sideribus sermo est, in plurali numero usurpantur. *Pl. Amph.* 1, 1, 117. Nam neque septentriones quoquam in coelo commovent. *Caes. B. G.* 7, 83. Erat a septentrionibus collis. *Cic. N. D.* 2, 19. Inflectens autem sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem, aestates et hiemes efficit. ℙ Septentrio item nomen est venti, qui Austro objectus est: ita dicti, quod a septentrionibus stellis spirat. Graece Aparctias appellatur, quod ab Arcto flat. Poetae fabulantur, filium esse Astraei. *Cic. Att.* 9, 6. Ex ea die fuere septentriones venti. *Liv.* 26, 45. Acer septentrio ortus stagnum inclinatum eodem, quo aestus, ferebat. Adde *Sen. Q. N.* 5, 16. ℙ Item ponitur pro polo septentrionali. *Plin.* 6, 22, 24. Siderum in navigando nulla observatio, septentrio non cernitur. ℙ Tmesis est in illo *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 41. Stellae, Quas nostri septem soliti vocitare triones; et *Virg. G.* 3, 381. Talis Hyperboreo septem subjecta trioni Gens; et *Ov. Met.* 1, 64. Scythiam, Septemque trionem Horrifer invasit Boreas. ℙ Est etiam nomen proprium virile. *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 4. D. M. pueri Septentrionis, etc. ℙ Scribitur et *septemtrio*, quae scriptio est in libris et lapidib. ap. *Manut.*, probantibus *Cellario*, et *Dausqu.* Aliis tamen *n.* placet, ut in *tantus, quantus:* et quod *m* ante *t* non facile effertur. V. *Inscr.* modo §. 6. allatam,

SEPTENTRIONĀLIS, e, adj. *ἀρκτικὸς*, ad septentrionem pertinens. *Vitr.* 9, 6. In septentrionali circulo duae positae sunt Arcti. *Plin.* 9, 17, 30. Septentrionalis oceanus. *Id.* 2, 70, 70. (et *Sen. Q. N.* 4, 5.) plaga. *Id.* 15, 16, 18. *n.* 1. Pomaria septentrionalibus fenestris sereno die patere.

P *Septentrionalia* absolute, partes cujuslibet loci septentrionem spectantes. *Id.* 11, 14, 14. Aliubi favi cera spectabiles gignuntur, ut in Pelignis: aliubi mellit copia, ut in Creta: aliubi magnitudine, ut in septentrionalibus. *Id.* 6, 34, 39. Septentrionalia Africae, et Numidiae.

SEPTENTRIONĀRIUS, a, um, adj. idem ac septentrionalis. *Gell.* 2, 22. Septentriones autem habent ob eandem causam unum (*ventum*): is objectus, directusque in Austrum, Latine septentrionarius, Graece *ἀπαρκτίας* appellatus.

SEPTĬCEPSOS. V. BICEPSOS *f*

SEPTĬCIĀNUS, a, um, adj. ut *Septiciana libra* ap. *Mart.* 8, 71., dicta est libra Romana, quae secundo bello Punico, attritis Romanorum opibus, ex duodecim unciis ad octo et semunciam redacta est, dicta creditur *Septiciana* a *Septis*, quo loco Romae negotiatores versabantur, et ad pondus vendebant. *Id.* 4, 89. meminit *argenti Septiciani.*

SEPTĬCOLLIS, e, adj. septem colles habens, *ἑπτάλοφος*. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 412. cum puer Mavortius Fundaret arcem septicollem Romulus, *h. e.* Romam, in qua septem colles fuerunt, Palatinus, Quirinalis, Aventinus, Tarpejus seu Capitolinus, Coelius, Viminalis, et Esquilinus, de quibus suis loc. *Serv.* ad *A.* 6, 784. omittit Tarpejum, et Janiculum substituit.

SEPTĬCUS, a, um, adj. *σηπτικὸς*, vim habens molliendi, absumendi, et exedendi excrescentia: a *σήπω*, putrefacio, consumo. Et dicitur de medicamentis. *Plin.* 30, 4, 10. Haec cum hircino sevo illita lichenas ex facie tollit septica vi. *Id.* 34, 18, 55. Sandarachae dos septica. *Cels.* 5, 19. *n.* 18. Quaedam emplastra exedentia, quae *σηπτικὰ* Graeci vocant; et 7, 21. Medicamenta quae exedunt, nec erodunt, *σηπτικὰ* Graeci vocant.

[SEPTIDRŌMUM, i, n. spatium temporis septeni: vox hybrida a *septem*, et *δρόμος*, cursus, spatium. *Theod. Prisc.* 4, 3. *med.* Manifestum est, septidromum septem spatiis contineri; septimo mense dentes nasci, aliquibus nono; septimo anno infanti dentes cadere; bis septeno pubescere, et nucleantibus mamillis semen generare; ter septenis et uno anno barbam maturare; septidromis aegros periclitari. Perperam *septidomum* et *septidomis* in editionib. legitur. *F.*]

SEPTIĒS, adv. *ἑπτάκις*, septem vicibus. *Cic. Phil.* 2, 37. Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? *Plin.* 16, 40, 79. Septies restituto templo. *Liv.* 28, 6. Euripus septies die temporibus statis reciprocat. Alii leg. *in die.*

SEPTĬFĀRĬAM, adv. *ἑπταμερῶς*, septem partibus. *Santra* ap. *Non.* 2, 779. Volumen unum nos lectitavimus, et postea invenimus septifariam divisum. Est qui leg. *septemfariam.*

SEPTIFLŪUS. V. VESTIFLUUS.

SEPTĬFOLĬUM, ii, n. *ἑπτάφυλλον*, herba sic dicta a foliorum numero. *Appul. Herb.* 116.

SEPTĬFORIS, e, adj. septem fores, seu foramina habens. *Alcim.* 1, 63. Septiforis vultus. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* fistula.

SEPTĬFORMIS, e, adj. septem habens formas. *August. de serm. Dom. in monte* 1, 4. Septiformis gratia Spiritus Sancti.

SEPTĪMĀNĬA, ae, f. primum dicta est regio, seu ager circa Biterras urbem Galliae Narbonensis, qui Septimanis militibus, illuc in coloniam missis, assignatus fuit, ut est ap. *Plin.* 3, 4, 5., deinde tota Narbonensis provincia hoc nomine appellata fuit, quae hodie *Languedoc* dicitur. Ibi primum Gothi in Galliam irruentes sedem posuerunt. *Sidon. ep.* 3, 1. *f.*

SEPTĪMĀNUS, a, um, adj. *ἑβδομαδικὸς*, ad septem pertinens. *Septimani*, milites legionis septimae, ut *secundani* secundae, *sextani* sextae. *Plin.* 3, 4, 5. In mediterraneo coloniae, Arelate Sextanorum, Biterrae Septimanorum, Arausio Secundanorum. Adde *Tac. H.* 3, 25. P Hinc *Septimani* populi Galliae Narbonensis, ut in voce praeced. dictum est. P *Septimanae Nonae*, quae septimo mensis die occurrunt, Martio, Majo, Julio, Octobri; ut *quintanae*, quae quinto. *Varr. L. L.* 5, 4., *Macr. Sat.* 1, 14. et *Censor. de die nat.* 20. P *Feturae septimanae*, partus septimo mense editi. *Arnob.* 3, 105. P *Septimana*, spatium septem dierum, *ἑβδομάς*. *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod.* 15, 5, 5. Dominico, qui septimanae totius primus est dies.

SEPTĪMATRUS, uum, m. plur. festum Minervae, septimo die post idus Martias celebratum, ut in QUINQUATRUS dictum est. *Varr. L. L.* 5, 3., et *Paul.* ex *Festo* in *Quinquatrus.*

*SEPTĪMĬA, ae, f. videtur uxor Sicae fuisse. *Cic. Fam.* 9, 10. et *Att.* 16, 11. *B. A.*

[SEPTĪMILLUS, a, um, adj. dimin. Septimii, *ὑποκοριστικῶς* usurpatum. *Catull.* 45, 13. Sic, inquit (*Acme*), mea vita, Septimille, Huic uni domino usque serviamus. *Id. ib.* 23. Unam Septimius misellus Acmen Mavult. P Est etiam dimin. septimi, et cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1134, 6. Aelius Septimillus. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 373, 4. Acellia Septimilla. *F.*]

[SEPTĪMĪNUS, a, um, adj. ad septimum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1026, 8. Licinius Septiminus. Alia ap. *eund.* 710, 6. Tullia Septimina; et 467, 6. Septimia Septimilla, quae et Revocata. *F.*]

*SEPTĪMĬUS, i, m. nomen Romanum; v. g. P. Septimius Scaevola, senator. *Cic. pro Cluent.* 41. et *Verr.* 1, 13. P Q. Septimius, philosophus, vixit temporibus Antonii Triumviri. *Suet. Gramm.* 18. P Titius Septimius, vates et amicus Horatii. *Id.* in *vita Horat.* et *Hor. Od.* 2, 6. *in.* et *ep.* 1, 9. *in.* itemque *Vet. Schol.* ad *ep.* 1, 31, 9. P Septimius Severus, Imperator. V. *Severus. B. A.*

SEPTĪMO. V. SEPTIMUS.

SEPTĪMONTĬĀLIS, e, adj. ad Septimontii dies pertinens, ut Septimontiale sacrum. *Suet. Dom.* 4. Septimontialis satio fabae, *Colum.* 2, 10. *med. h. e.* quae mense Decembri fit circa Septimontium. Sunt qui perperam leg. *septuncialis*, h. e. qua dimidium jugeri, et ejusdem duodecima pars seritur; etenim de eadem re haec habet *Pall.* 13, 1. *in.* Faba circa Septimontium seri potest.

SEPTĪMONTĬUM, ii, n. erat dies festus Romae III. Id. Decembr., (idem qui et Agonalia,) celebratus ob inclusum pomoeriis septimum collem, ut ait *Plutarchus Quaest. Rom.*, ita dictus, quod in septem montibus fiebant sacra, auctore *Festo*, et *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* Verba *Festi* sunt: Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriae: Palatio, cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur: Veliae, cui item sacrificium: Fagutali, Suburae, Cermalo, Oppio, Coelio monti, Cispiomonti. Octo enumerat *Festus*, quia *Cermalus* non est mons, sed locus imus ad Tiberim (V. CERMALUS.), in quo tamen sacra eodem die fiebant. Adde *Tert. Idol.* 10., qui *ad Nat.* 2, 15. hac de re ita loquitur, quasi *Septimontius* Deus sit, cui sacra illa fiebant.

SEPTĪMONTĬUS. V. in fin. vocis praeced.

*SEPTIMULEIUS, i, m. C. Gracchi interfector, tamesti antea familiaris. Is auro repensum caput Gracchi ad Opimium tulit, plumboque in os addito, parricidio rempublicam etiam circumscripsit. V. *Plin.* 33, 3. *B. A.*

*SEPTĪMUNCĬA, ae, f. oppid. Africae Propriae, in Byzacena. *Anton. Itin. B. A.*

*SEPTĪMUNCIENSIS, e, adj. ad Septimunciam spectans. *Notit. Afric. B. A.*

SEPTĪMUS, a, um, adj. *ἕβδομος*, ultimus in septem. *Hor. Sat.* 2, 6, 4. Septimus octavo propior jam fugerit annus. *Pl. Ps.* 2, 2, 3. Septimas esse aedes a porta, ubi ille habitat. *Mart.* 1, 100. Intra septimas calendas, *h. e.* intra septem menses. *Cic. Cluent.* 27. Ut ipsius Staleni sententia septima decima accederet. *Plin.* 7, 52, 53. Ut in septimum et quinquagesimum atque centesimum vitae duraret annum. *Pl. Pers.* 2, 3, 8. Ibi mercatum dixit esse dieseptimi, *h. e.* die septimo. V. in DIES. P *Septimum*, adv. habet *Cic. N. D.* 3, 32. *extr.* Marius septimum consul. Alii leg. *septies.* P *Septimo* loco, ut *secundo*, *tertio*, etc. Item septies. *Treb. Gall.* 17. Lavit ad diem septimo aestate, vel sexto: hieme secundo, vel tertio. Adde *Vopisc. Flor.* 4. P *Septimus casus* grammaticis est idem cum ablativo, qui ordine sextus est: sed cum discrimine: dicitur enim ablativus, cum per passivum modum utimur: *septimus casus*, cum per activum. *Diomed.* 1, 302., *Prisc.* 5, 673. et *Cledon.* p. 1863., quorum aliquis aliud discrimen statuit, ut *ablativus* sit, cum praepositionem habet, *septimus casus* cum sine illa est. Octavum etiam casum addit *Cledon.* dativo similem, ut cum dicit *Virg. A.* 5, 451. It clamor coelo. P [*Septimus* praenomen R. fuisse videtur. Id enim probare conatus est *Fabrett.* p. 24. *n.* 110. et 111., sed in his duab. inscriptionib. alii *Sep.* et *Septim.* interpretantur *Septimius*, nomen *scil.* gentilicium. Ejusdem tamen sententiam confirmat *Inscr.* ap. *Mur.* 195, 1. Q. Caecilius Q. et VII. L. Hermes Sevir Aug. *h. e.* Quinti et Septimi libertus, duorum nempe fratrum e gente Caecilia. *F.*]

SEPTĪMUSDĒCĬMUS, a, um, adj. decimus septimus. *Vitr.* 9, 4. *f.*

SEPTINGĒNĀRĬUS, a, um, adj. qui septingentorum numerum complectitur. *Varr. R. R.* 2, 10. *f.* Septingenarii enim mei: tu, opinor, octingenarios habuisti: *scil.* greges.

SEPTINGĒNI, ae, a, adj. septingenteni per syncopen. *Plin.* 33, 3, 19. de auro: Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, utpote cujus unciae in septingenas et quinquagenas bracteas spargantur.

SEPTINGENTĒSĪMUS, a, um, adj. *ἑπτακοσιοστὸς*, ultimus, sive unus ex septingentis. *Liv. proem.* 1. Ut quae supra septingentesimum annum repetatur.

SEPTINGENTI, ae, a, adj. *ἑπτακόσιοι*, nomen numerale distributivum. *Liv.* 23, 20. Oppidum firmatum septingentorum militum de exercitu Annibalis praesidio. *Plin.* 3, 5, 11. Insulae absunt a Dianio septingentis stadiis. *Enn.* ap. *Varr. R. R.* 3, 1. Septingenti sunt, paulo plus aut minus, anni. *Mart.* 7, 10. Septingenta Tito debet Lupus, *scil.* 700. sertertia.

SEPTINGENTĪES, adv. sexaginta vicibus. *Plin* 36, 15, 24. *n.* 2. Milonem sestertium septingenties aeris alieni debuisse. *Id.* 28, 12, 50. Quotidie septingenties lacte asinino cutem fovere.

SEPTĬO, onis, f. actus sepiendi, seu locus septus. *Vitr.* 5, 12. *med.* Locus, qui in ea septione finitus fuerit: *et mox:* Inter septiones fundamenta fodiantur. Adde 6, 11. *med. Vopisc. Aurel.* 22. Septio Urbis, *h. e.* partes Urbi additae. *Id.* enim *ib.* 21. narrat, Aurelianum muros urbis Romae dilatasse.

SEPTĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. septem pedes habens. *Sidon. ep.* 8, 9. *in carm.* Hic Burgundio septipes frequenter Flexo poplite supplicat quietem, *h. e.* Burgundio giganteae staturae. Adde *carm.* 12, 11.

[SEPTĬREMIS, is, f. *ἑπτήρης*, navis, quae habet septem ordines remorum. V. HEPTERES. Adjective usurpat *Curt.* 10, 1. *med.* Imperavit ingentium carinas navium ponere: septiremes omnes esse, deducique Babylonem. *F.*]

SEPTIZONĬUM et Septemzodium, ii, n. *ἑπτάζωνον*, aedificium Romae alte assurgens, et septem zonis, seu fasciis cinctum, quae septem veluti moles, aliam supra aliam decrescendo impositas referebant. Duplex fuisse videtur, alterum in regione decima ad caput Appiae viae, non procul a Circo maximo, sub Palatio, exstructum a Severo Imp., alterum vetustius in regione duodecima. Alii unum tantum fuisse ajunt. *P. Victor. de reg. urb. Rom.* ponit in regione decima, *Septizonium vetus*, *alias Severi:* in duodecima, *Septizonium Severi.* Viderint alii. Memoratur a *Suet. Tit.* 1., *Spart. Sever.* 19. et 35. et *Ammian.* 15, 7. *n.* 3. ubi V. adnot.

SEPTŪĀGĒNĀRĬUS, a, um, adj. *ἑβδομηκοστὸς*, septuaginta continens. *Front. Aquaed.* 56. Fistula septuagenaria diametri digitos habet novem, etc. P Item annos natus septuaginta. *Callistr. Dig.* 50, 6, 5. *med.* Si ante quis ad munera municipalia vocatus sit, quam septuagenarius fieret.

SEPTŪĀGĒNI, ae, a, adj. septuaginta, distributiva ratione. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Pyramides quinque, in imo latae pedum quinum seqtuagenum, altae centum quinquagenum. P Ponitur etiam ubi nulla distributio fit. *Colum.* 5, 2. *med.* Septuagies septuageni fiunt quatuor millia et noningenti. P In sing. num. *Plin.* 26, 10, 63. Septuageno coitu durasse libidinem contactu herbae cujusdam.

SEPTŪĀGĒNĪQUĪNI, ae, a, adj. septuaginta quinque, ut Fistula septuagenumquinum. *Front. Aquaed.* 57.

SEPTŪĀGĒSĬES, adv. septuagies. Est *Capell.* 7, 241.

SEPTŪĀGĒSĪMUS, a, um, adj. *ἑβδομηκοστὸς*, ultimus ordine ex septuaginta. *Cic. Div.* 1, 23. Cyrus ad septuagesimum annum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare coepisset. *Liv.* 28, 16. *med.* Scipio cum ceteris copiis, septuagesimis castris, Tarraconem rediit.

SEPTŪĀGĬES, adv. septuaginta vicibus, *ἑβδομηκοντάκις*. *Colum.* 5, 2. *med.* Septuagies septuaginta.

SEPTŪĀGINTA, adj. indecl. numerale cardinale. *ἑβδομήκοντα*, decies septem. *Cic. Verr.* 2, 3, 52. Unus ager Agyrinensis centum segtuaginta aratoribus inanior cum sit.

SEPTŪENNIS. V. SEPTENNIS.

SEPTUM, i, n. *φράγμα*, locus munitus, et quocumque sepimento vallatus et clausus, cujusmodi sunt stabula, ovilia, vivaria, etc. *Cic. Phil.* 5, 4. Omnes fori aditus ita septi sunt, ut, nisi septis revulsis, introiri in forum nullo modo possit. *Id. ib.* 13, 3. Quibus enim septis tam immanes belluas continebimus? *Id. Sext.* 37. Tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum, et fustibus. *Varr. R. R.* 1, 14. Septa, quae tutandi causa fundi fiunt. *Id. ib.* 3, 2. Septa e maceriis ita esse oportere in leporario, ut tectorio tacta sint. *Virg. Ecl.* 1, 34. Quamvis multa meis exiret victima septis. *Colum.* 6, 23. Ut ad sonum buccinae pecus septa repetere consuescat. *Id.* 8, 17. *med.* Animadvertimus intra septa pelagios greges, *h. e.* in piscinis. *Lucr.* 1, 489. et *Virg. G.* 4, 159. septa domorum, *h. e.* domus. *Nemes. Cyn.* 308. Septum lini, *h. e.* retium indago. P *Septa* Romae loca duo in Campo Martio tabulatis septa et clausa, in modum stabuli (unde et *Ovilia* dicta), in quorum altero populus R. stabat comitiorum tempore, antequam ad suffragium vocaretur: in altero magistratus, qui comitiis praeerat, ejusque ministri, praecones, et alii. Distinguebantur pontibus, per quos populus transibat, ut in PONS dictum est. *Ov. Fast.* 1, 53. Est quoque, quo populum jus est includere Septis, *h. e.* dies comitialis. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* In Campo Martio Septa tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi. *Lucan.* 7, 306. Septorumque nefas et clausi proelia Campi. V. OVILE. P In Septis mercatores negotiabantur, venalesque omne genus merces prostabant. *Mart.* 9, 60. In septis Mamurra diu multumque vagatus, Hic ubi Roma suas aurea vexat opes. V. *totum epigr.*, ubi recenset varia rerum venalium genera, quae ibi praeponebantur. P *Septa* item sunt obices, et claustra, quae ad incile opponuntur, aquae derivandae compellendaeve ex flumine causa: sive ea lignea sint, sive lapidea, sive ex alia qualibet materia, ad continendam transmittendamque aquam ex-

cogitata. *Ulp. Dig.* 43. *tit.* 20. qui est *De rivis, l.* 1. ℙ A medicis *septum transversum* dicitur membrana valida in ventre, a praecordiis uterum diducens, a superiore parte non solum intestina, sed jecur quoque, lienemque discernens, *διάφραγμα. Cels. praef.* 1. et 4, 1. et 7, 4. ℙ [*Septum clusum*, est quod introeuntibus aditum negat, quale fuisse videtur illud, quo templum Bonae Deae claudebatur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 3. *n.* 9. Voto suscepto Bonae Deae Astrapton Caesaris vilic. aediculam, aram, saeptum clusum vetustate diruta restituit. *F.*]

SEPTUNCIĀLIS. V. SEPTIMONTIALIS.

SEPTUNX, uncis, m. *ἑπτούγκιον*, mensura, vel pondus septem unciarum, *h. e.* assis partes septem. *Liv.* 33, 19. *f.* Septunces auri in singulos pretium convenit. Adde *Varr. L. L.* 4, 36. ℙ Item in agri mensuris septunx dicitur, qui continet semi jugerum, et jugeri partem duodecimam. *Colum.* 5, 1. *f.* Pars dimidia et una duodecima, pedes sexdecim millia, et octingentos, hoc est septunx, in quo sunt scrupula CLXVIII. *Liv.* 5, 24. Triumvirique ad id creati terna jugera, et septunces viritim diviserant. ℙ Accipitur etiam pro septem cyathis vini. Solebant enim veteres, quando se paulo liberius invitabant, tot vini cyathos ebibere, quot erant litterae in amasiorum amicarumque nominibus, singulosque cyathos appellabant uncias. *Mart.* 8, 51. de phiala ab Instantio Rufo sibi data: Det numerum cyathis Instantl littera Rufi, Auctor enim tanti muneris ille mihi. Si Thelethusa venit, promissaque gaudia portat, Servabor dominae, Rufe, triente tuo. Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem, Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam. *Instantius* constat decem litteris, *Rufus* quinque. Hinc si Thelethusa amica mea venit, epoturus sum trientem, *h. e.* quinque cyathos, qui triens est tuus, *h. e.* numerus tertiae partis nominum tuorum, qui est quindecim. Si dubium est, ventura sit, necne, bibam septuncem, *h. e.* septem cyathos, dimidium nempe praeter propter tuorum nominum. Si omnino ventura non est, bibam utrumque nomen, *h. e.* quindecim cyathos. V. BIBO et QUINCUNX. *Id.* 3, 82. *f.* Septunce multo deinde perditus stertit, *h. e.* bene potus, ebrius.

SEPTŪOSE, adv. *ἀσαφῶς*, obscure: a sepio. *Liv. Andr.* ap. *Non.* 2, 777. Ita septuose dictio abs te datur, quod consecutum sapiens aegre contulit. Etiam *sepio* hoc sensu adhibetur.

SEPTŪPLUS, a, um, adj. *ἑπταπλάσιος*, septem continens. *August. serm.* 83. (al. *de verb. Dom.* 15.) *med.* Septuplum solet pro toto computari, quoniam septem diebus volvitur tempus.

SEPTUS, a, um, part. a *sepio: φραχθείς, φρακτός*, circumdatus, vallatus, munitus. *Pl. Curc.* 1, 1, 36. Dum ne per fundum septum facias semitam. *Cic. Tusc.* 5, 23. Septum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. *Virg. A.* 9, 551. Ut fera, quae densa venantum septa corona. *Val. Fl.* 6, 346. ceu septus in arcto Dat catulos post terga leo. *Liv.* 1, 28. *med.* Albana pubes inermis ab armatis septa, metu cogente silentium tenet. *Ov. Trist.* 3, 11, 13. Sic ego belligeris a gentibus undique septus Terreor, hoste meum paene premente latus. *Cic. Sext.* 44. Stipatus sicariis, septus armatis, munitus indicibus. *Id. Att.* 9, 12. Populi R. exercitus Cn. Pompejum circumsidet, fossa et vallo septum tenet, fuga prohibet. *Id. Har. resp.* 12. Populus R. septus atque inclusus. ℙ Translate. *Id. Phil.* 12, 10. *f.* Cum sis septus legibus et judiciorum metu, non sunt omnia timenda, i. e. munitus; et *Fam.* 16, 23. Non videt, quibus praesidiis philosophiae septus sim. [*Translatae significationis sunt et ista: *Plin. Pan.* 49, 3. septus caritate. Porro *Tac. G.* 19. septa pudicitia agunt, i. e. quarum pudicitia ipsis moribus munita custodibus non eget. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 425.] ℙ Item vestitus, amictus. *Enn.* ap. *Non.* 14, 6. et *Fest.* in *Squalidum*: Regnum reliqui septus mendici stola. *Id. ib.* Squalida septus stola.

*SEPTUS, us, m. i. q. septum. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 106. Sed enim res haud in facili erat, duplici septu munitos accedere. Ita cod. nisi est mendum pro *septo. B. A.*

SEPTUSSIS et Sextussis, m. septem, et sex asses (ad modum *octussis, nonussis, decussis*) defenduntur analogia. *Varr. L. L.* 4, 36. Ab tribus assibus tressis, et sic proportione usque ad nonussis. V. tamen SEXIS.

SĒPULCRĀLIS, e, adj. *ἐπιτάφιος*, ad sepulcrum pertinens. *Ov. Met.* 8, 480. Ante sepulcrales infelix astitit aras. *Id. Her.* 2, 120. Fax sepulcralis.

SĒPULCRĒTUM, i, n. *κοιμητήριον*, locus, ubi frequentia sepulcra sunt. *Catull.* 59, 2. saepe quam in sepulcretis Vidistis ipso rapere de rogo coenam.

SĒPULCRUM, i, n. *τάφος, τύμβος*, locus, ubi corpus, ossave hominis condita sunt, ut *Ulp. Dig.* 11, 7, 2. definit. *Lucr.* 5, 260. terra rerum commune sepulcrum. *Festus:* Sepulcrum est, ut ait Gallus Aelius, in quo mortuus sepultus est: quod antiqui bustum appellabant: isque cippis aut aliqua alia re mortui causa designatus est, intra quos sepultura est facta, *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 12. qui est *De sepulcro violato, l.* 3. Sepulcri appellatione omnem sepulturae locum contineri, existimandum est. *Cic. Leg.* 2, 22. *med.* Siti dicuntur ii, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, et corpus incensum est. *Id. Tusc.* 1, 14. Quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? *Enn.* ap. *eund. ib.* 44. *f.* Neque sepulcrum, quo se recipiat, habet, portum corporis. *Cic. Sen.* 7. Nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam; et *Rosc. Am.* 9. Cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset. *Hor. Sat.* 2, 5, 104. Sepulcrum exstruere. *Id. Epod.* 9, 26. condere. *Cic. Leg.* 2, 26. facere. *Lucan.* 9, 235. praestare alicui. *Ov. Met.* 7, 618. (et *Virg. A.* 6, 152. et *ib.* 3, 67.) Condere aliquem sepulcro. *Id. Her.* 11, 123. Membra imponere sepulcro. *Hor. Od.* 2, 20, 23. ac sepulcri Mitte supervacuos honores, *h. e.* flores, coronas, cippos, columellas, statuas, inscriptiones. *Nep. Dion.* 10. Elatus publice, sepulcri monumento donatus est. ℙ Metonymice. *Ov. Fast.* 2, 33. placatis sunt tempora pura sepulcris, *h. e.* Manibus. *Catull.* 96, 1. Si quidquam mutis gratum, acceptumque sepulcris. ℙ Translate. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 683. Vulturis in silvis miserum mandebat homonem. Heu quam crudeli condebat membra sepulcro! ℙ *Sepulcrum vetus* vocat servus herum suum, capularem senem, ap. *Pl. Ps.* 1, 4, 19. Ejusdem rationis sunt *vetus bustum*, h. e. *τυμβογέρων, silicernium*, ap. *Auct. Priap.* 58. Joculare est et illud *ejusd. Pl. Men.* 1, 2, 43. Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus, et hunc comburamus diem, *h. e.* potemus usque, et condamus diem. ℙ In quibusdam veterib. monum. legitur *sepulchrum:* quibus favet *Gell.* 2, 3. Sed plura sunt, in quibus nulla aspiratio est: quae expungitur a *Serv., Cellar., Dausqu.*, etc. Huc facere possunt, quae in PULCHER dicta sunt. Neque tamen putes verum esse, quod nonnulli docuere cum *Charis.* 1, 56., factum esse *sepulcrum* a *se* seorsum, et *pulcrum*. Est enim a supino *sepultum*, ut *fulcrum* a *fultum, lavacrum* a *lavatum, ambulacrum* ab *ambulatum*. ℙ Fuere qui in prima syllaba diphthongum appingerent. Unde in epitaphio Aureoli ap. *Treb. in* XXX. *Tyr.* 10. Donat saepulcro victor post multa tyranni Proelia, etc. Sed haec nihil habent, cur imitanda sint.

[SĒPULTO, as, a. 1. sepultum servo. *Venant. carm.* 8, 6, 167. Vitalem, ac reliquos, quos cara Ravenna sepultat. *F.*]

SĒPULTOR, oris, m. *ταφεύς, νεκροθάπτης*, qui sepelit. *August. Trin.* 4, 3. Sepultores corporis mortui. ℙ Translate. *Tert. Anim.* 46. *med.* Augustus civilium turbinum sepultor.

*SEPULTORIUS, a, um, adj. *θαπτηριὸς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SĒPULTŪRA, ae, f. *ταφή, τυμβεία*, actus sepeliendi, exsequiae, humatio. *Cic. Verr.* 2, 5, 51. *med.* Dico, in illo supplicio mercedem funeris ac sepulturae constitui, nefas fuisse. *Id. Div.* 1, 27. Sepultura aliquem afficere. *Id. Phil.* 2, 7. *f.* Corpus alicujus ad sepulturam dare. *Id. Sen.* 20. *med.* Cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est. *Suet. Aug.* 17. *med.* Sepulturae honorem tribuere. *Id. Galb.* 20. *extr.* Corpus sepulturae dare. *Just.* 6, 6. *f.* Corpora interfectorum ad sepulturam poscere. *Id.* 3, 5. *f.* et 12, 2. *f.* Sepulturae tradere. *Val. Max.* 9, 8. *f.* mandare. *Tac. A.* 6, 29. Damnatos sepultura prohibere. *Id. H.* 1, 47. Corpora sepulturae concedi, et cremari jussit; et *ib.* 49. Humili sepultura corpus contegere. *Id. A.* 1, 11. Sepultura more perfecta, templum et coelestes religiones decernuntur. *Id. ib.* 16, 16. Illustres viri exsequiis a promiscua sepultura separantur. *Plin.* 7, 52, 53. *extr.* Post sepulturam quoque visorum exempla sunt. *Prop.* 2, 21, 28. Illa sepulturae fata beata tuae. ℙ De sepultura insepulta V. INSEPULTUS. ℙ Videtur etiam poni pro sepulcro. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *f.* Ab Atheniensibus, locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui. *Tac. A.* 2, 73. *f.* In foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur. *Suet. Tib.* 1. Locum sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit. [*Boettich., q. v. in *Lex. Tac.* p. 425., nusquam *sepultura* pro *sepulcro* poni docet, sed ubique hoc verbo exprimi in universum notum.]

SĒPULTŪRĀRIUS, a, um, adj. ad sepulturam pertinens. *Auct. de limit.* p. 296. *Goes.* Fines sepulturarii, sive cinerarii.

SĒPULTUS, a, um, part. a *sepelio: ταφείς*, sepultura affectus, sepulcro conditus. Differt ab humato. *Plin.* 7, 54, 55. Sepultus intelligatur, quoquo modo conditus: humatus vero, humo contectus. *Nep. Paus.* 5. Eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat. *Lucan.* 8, 859. templis, auroque sepultus. *Sen. Ag.* 742. te sequor tota, pater, Troja sepulte. *Hor. Ep.* 2, 1, 88. Ingeniis non ille favet, plauditque sepultis, Nostra sed impugnat. *Ter. Ph.* 5, 7, 49. Nullus sum, sepultus sum, *h. e.* occidi, perii, actum est de me. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 4, 6. (et *Prop.* 1, 22, 3.) Cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium, *h. e.* diruta, excisa. *Id. Manil.* 11. Bellum exspectatione Pompeji attenuatum atque imminutum, adventu sublatum ac sepultum. *Vell.* 2, 75. Bellum adventu Caesaris sepultum atque discussum; et *ib.* 126. Sepultae, ac situ obsitea justiita, aequitas, industria. *Quint. decl.* 12, 24. Pudor projectus, et jam olim sepultus. *Fragm. Petr.* p. 675. *Burm.* Fama sepulta probris, *h. e.* flagitiis obruta, et obscurata. *Cic. Pis.* 5. Haec sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui, *h. e.* abdita, sublata, deleta te consule. *Hor. Od.* 4, 9, 29. Paulum sepultae distat inertiae Celata virtus, *h. e.* ignavae, mersae otio. *Virg. A.* 2, 265. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. *Prop.* 3, 9, 56. assiduo lingua sepulta mero. *Sen. Herc. Oet.* 1246. Sepultae vires, *h. e.* defectae, intermortuae. ℙ *Sepelitus* pro *sepultus* antiquum est. *Cato* ap. *Prisc.* 10. *f.* Mortuus est, sepelitus est.

*SEPYRA, ae, f. vicus sive castellum Ciliciae, in ea montis Amani parte, sub cujus radicibus Arae Alexandri erant. *Cic. Fam.* 15, 4. *B. A.*

SĒQUĀCITAS, atis, f. assiduitas, vel facilitas sequendi. *Sidon. ep.* 9, 9. *med.* Tribuit et quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium. *Id. ep.* 4, 11. Pigra sequacitas.

SĒQUĀCITER, adv. sequendo. *Arnob.* 2, 49. Concludere acutissime syllogismos, ordinare sequaciter inductiones suas. Adde *ib.* 75. et *August. Doctr. Chr.* 2, 22. et *Music.* 4, 10.

SĒQUĀNĪCUS, a, um, adj. ad Sequanos pertinens, qui populi sunt ubi nunc *Burgundia*, ad fontes Sequanae (nunc *die Seine*) fluvii. *Mart.* 4, 19. Hanc tibi Sequanicae pinguem textricis alumnam, etc. *h. e.* endromidem. De Sequanis, et Sequana *Plin.* 4, 17, 31. et *Caes. B. G.* 1, 1. et 2. etc.

[SĒQUĀNUS, a, um, adj. idem ac Sequanicus. *Plin.* 14, 1, 3. Ager Arvernus, Sequanusque et Helvicus. *Lucan.* 1, 425. Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis. *F.*]

SĒQUAX, ācis, adj. omn. gen. *ἀκολουθητικὸς*, qui facile aut assidue sequitur, vel insequitur. *Prop.* 4, 5, 41. Nec te Medeae delectent probra sequacis, *h. e.* secutulejae. *Virg. A.* 10, 364. Arcadas, insuetos acies inferre pedestres, Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci, etc. et *G.* 2, 374. Silvestres uri assidue, capreaeque sequaces Illudunt: scil. frondibus teneris, quas avide sectantur. *Ov. Her.* 4, 46. Torquentem frenis ora sequacis equi, *h. e.* facile obsequentis imperio manus. Alii leg. *fugacis.* [*Ruhnk. legendum conj. *tenacis*, quod v. *torquere* contumaci potius equo, quam sequaci, conveniat.] *Sidon. carm.* 16, 3. Ogygiamque chelyn, quae saxa sequacia flectens Cantibus auritos erexit carmine muros. (saxa sequentia *Ov.* dixit *Met.* 11, 2.) *Claud. Cons. Mall. Theod.* 40. Venae sequaces auri, *h. e.* venae auri ductilis. *Manil.* 5, 143. In lucem eduntur Bacchi Venerisque sequaces, *h. e.* sectatores; et *Lucr.* 3, 315. Inque aliis rebus multis differre necesse est Naturas hominum varias, moresque sequaces, *h. e.* qui naturas illas sequuntur. *Pers. prol.* 6. Hederae sequaces, *h. e.* quae parietibus adhaerent, eosque sequuntur. *Virg. A.* 8, 432. Sequaces flammae, i. e. quae sequuntur et arripiunt quidquid est *combustibile:* praecipue vero ignes fulminum, de quibus *Virg.* loquitur. *Id. G.* 4, 230. Fumi sequaces, *h. e.* qui tenuitate sua omnia penetrant, sequunturque omnes rimas vel tenuissimas. *Id. A.* 5, 193. Maleaeque sequacibus undis, *h. e.* quae praetereuntia navigia insequuntur, et vexant. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 47. metus hominum curaeque sequaces, *h. e.* quae alte pectori inhaerent, et ubique sequuntur: nam, ut ait *Hor. Od.* 3, 1, 39. neque Decedit aerata triremi, et Post equitem sedet atra cura. *Grat. Cyn.* 411. Scabies sequax malum; et *Calp. Ecl.* 1, 31. rumpe moras, oculoque sequaci Quamprimum nobis divinum perlege carmen, *h. e.* qui celeriter sequitur ductus litterarum. (Adde *Stat. Theb.* 3, 500.) *Val. Fl.* 7, 619. prior ense sequaci Aequat humo truncos, *h. e.* habili, et facile sequente motus celeres manus. *Auson. Idyll.* 5, 3. Imbueretque novas artes, sensusque sequaces, *h. e.* facile sequentes, et arripientes quae docentur. ℙ De iis, quae facile flectuntur, quae lenta sunt, et tenacia. *Val. Fl.* 1, 124. lentoque sequaces Molliri videt igne trabes. *Plin.* 11, 37, 45. de cornib.: Adeo sequax natura est, ut in ipsis viventium corporibus ferventi cera flectantur. *Id.* 36, 26, 67. de vitro: Nec est alia nunc materia sequacior: scil. dum candens flatu figuratur. *Id.* 16, 37, 68. Salicis virgae sequacis ad vincturas lentitiae. *Id.* 7, 15, 13. Bituminum sequax, ac lenta natura. *Mart.* 13, 57. Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces, *h. e.* colocasiam, ejusque caulem, qui cum coctus est, araneosus est in mandendo, ut ait *Plin.* 21, 15, 51., *h. e.* in fila minuta, et fibras lentas ac tenaces instar lanae, sub dentibus diducitur. Unde *Mart.* 8, 33. Lenta minus gracili crescunt colocasia filo. *Sen. Hipp.* 1086. Sequaces nodi; et *Val. Fl.* 6, 263. avis visco correpta sequaci. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 45, 5. Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. [*V. *Schwarz.* ad h. l.] *Pacat. Pan. Theod.* 15. Sequaces discipuli, [*i. e. obedientes, dociles.]

SĒQUĒLA, ae, f. *παρακολούθησις*, id quod ex qua piam re sequitur. *Gell.* 6, 1. *med.* Incommoda non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit Chrysippus: quod ipse appellat *κατὰ παρακολούθησιν. Lactant.* 7, 5. *med.* Immortalitas non

sequela naturae, sed merces praemiumque virtutis est. *Id. de Op. D.* 4. Mors sequela morborum est. ℙ Qui aliquem sequitur, accessio. *Tert. Pat.* 5. *f.* Post mannae escatilem pluviam, post petrae aquatilem sequelam desperant de Domino, *h. e.* aquam sequentem et fluentem de petra. *Ulp. Dig.* 47, 2, 14. *med.* Si jumenta tibi commodavero, quorum sequela erat equuleus. *Front. Strat.* 2, 4. Lixas, calonesque, et omnis generis sequelas conclamare jussit, *h. e.* quicumque sequuntur exercitum. *Scaev. Dig.* 46, 3, 93. *med.* Ubi ei obligationi, quae sequelae obtinet locum, principalis accedit, confusa est obligatio.

SĒQUENS, entis, part. a *sequor*, qui sequitur. *Virg. G.* 1, 33. Qua locus Erigonen inter, Chelasque sequentes. *Ov. Met.* 11, 2. Threicius vates et saxa sequentia ducit. *Plin.* 7, 59, 59. Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens, *h. e.* minor, seu posterior. *Hirt. B. G.* 8, 50. *med.* Sequens annus; et *Ov. Met.* 15, 197. hodierna Diana sequente, Si crescit, minor est; major, si contrahit orbem. *Id. Am.* 2, 6, 45. Septima lux aderat, non exhibitura sequentem; et *Mart.* 7, 44. Primum est, ut praestes, si quid te, Cinna rogabo: Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges. *Cajus Dig.* 27, 10, 7. *med.* Si curator sequens pecuniam in rem furiosi vertisset, *h. e.* substitutus in locum curatoris remoti. *Lampr. Alex. Sev.* 37. Panis mundi pondo triginta, panis sequentis ad donandum populo pondo quinquaginta, *h. e.* secundarii. *Stat. Silv.* 4, 9, 17. Te Germanicus arbitrum sequenti Annonae dedit, *h. e.* quae facilis, obsequens, obediens est tibi procuranti. Ita *Gronov.* in *Diatrib. c.* 45. ℙ *Ἐπίθετον*, Latine appositum, a nonnullis *sequens* dicitur, teste *Quint.* 8, 6, 40.

SĒQUENTĬA, ae, f. *Front. Aquaed.* 34. Quinariarum multiplicatio in amplioribus modulis servare sequentiae suae regulam debet. *Polen.* ex opt. MS. legit *consequentiae.*

SĒQUESTER, stra, strum, adj. qui medius est inter plures, et quasi conciliator. *Virg. A.* 11, 133. Bis senos pepigere dies: et pace sequestra Per silvas Teucri, mixtique impune Latini Erravere jugis, *h. e.* mediis et conciliantibus induciis, et quasi spondentibus, impune fore. *Stat. Theb.* 2, 425. nec sceptra fide, nec pace sequestra Poscitis. ℙ Absolute *sequestra, ae,* quae media, et conciliatrix est. *Stat. Theb.* 7, 542. ubi tunc fidei pacisque sequestra Mater eras? *Appul. Met.* 9. Anus quaedam stupri sequestra, et adulterorum internuntia.

SĒQUESTER, stri et stris, m. *μεσέγγυος, μεσίτης, συνθηκοφύλαξ*, est is (definiente *Modestino Dig.* 50, 16, 109.), apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus a *sequendo*, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur: vel, ut ait *Gell.* 20, 11., quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. *Festus:* Sequester is dicitur, qui inter aliquos, qui certant, medius, ut inter eos convenerit, depositum ita tenet aliquid, ut ei reddat, qui id deberi jure, sibi constiterit. Cato in ea oratione, quam habuit de indigitibus: Sinunt, miseros perire, ut bona rapiant, aut si superstites petant, ut sequestro dent. Et Plautus Mercatore (4, 3, 36.) Imo sic sequestro mihi data est. Haec *Festus.* Eadem ratione locutus est *Pl. Rud.* 4, 3, 79. Nisi pars datur, aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur; et *fragm.* ap. *Prisc.* 6, 692. Vidulum hic apponite: ego servabo, quasi sequestro detis: neutri reddibo: donicum res judicata erit haec; et *Cato* ap. *Gell. l. c.* Per Deos immortales, nolite vos sequestro ponere. *Gell. ib.* Quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum, per adverbium dicebant. *Pl. Rud.* 4, 3, 65. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum, aut arbitrum, cujus haec res arbitratu fiat. *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 10, 898. Nunc apud sequestrum vidulum posivimus. *Pomp. Dig.* 16, 3, 12. Cum sequestro recte agetur depositi sequestraria actione. *Ulp. ib.* 5. In sequestrum depositi actio competit, si tamen cum sequestro convenit, ut certo loco rem depositam exhiberet. ℙ *In sequestro deponere*, sequestro ponere. *Paul. ib.* 6. Proprie in sequestro est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur. *Labeo ib.* 16, 3, 33. Servus tuus pecuniam cum Titio in sequestro deposuit ap. Maevium, ea conditione, ut, etc. Adde *Ascon.* mox citandum. ℙ Translate. *Tert. Res. carn.* 51. et 63. Caro in deposito est ubicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei et hominum, Iesum Christum. ℙ Is quoque *sequester* est, apud quem pecunia deponitur cujuspiam rei gratia, et inde quippiam lucratur, ut qui corrumpendos judices suscipit, aut emenda suffragia tribuum. *Cic. Verr.* 1, 12. *f.* Qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii solent esse. Ubi *Ascon.* Deponitur in sequestri, accipitur ab eo, qui corrumpitur: recipitur, id est promittitur ab eo, qui pro judicaturo spondet: pollicetur, qui apud se dicit aut praemium, aut sententiae potestatem esse. Sequestres sunt, apud quos pecunia deponitur: interpretes, per quos inducitur pactio. *Id. Planc.* 19. Unam tribum delige: doce id, quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. Adde *ib.* 16. et *Cluent.* 8. et 26. et *Verr.* 2, 2, 44. et *Coel.* 13. et *Sen. ep.* 118. et *Q. Cic. Petit. cons.* 11. ℙ Item quicumque aliqua ratione medium se interponit, et quippiam alteri conciliat. *Serv.* ad *A.* 11, 133. Sequester est medius inter duos altercantes. *Sen. Consol. ad Helv.* 12. *med.* Menenius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicae gratiae sequester fuit. *Sil.* 6, 347. pacisque sequestrem Mittere. Adde *Lucan.* 10, 472. ℙ Translate. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 7. Qui suam pudicitiam sequestrem perjurii fieri passi sunt, *h. e.* qui se prostituendo, in causa fuerunt, ut judices Clodii pejerarent, dum jurarunt, se nihil in eo judicio daturos gratiae. ℙ [Rectus casus etiam *sequestris* esse potest. Est enim cogn. civis R. ap. *Liv.* 33, 26. L. Julius Sequestris: quam tamen lectionem *Dukerus* in dubium vocat. *F.*]

SĒQUESTRĀRĬUS, a, um, adj. *Sequestraria actio* a JCtis dicitur, qua aliquid apud sequestrem depositum, dum lis transigeretur, ea peracta repetimus. *Pomp. Dig.* 16, 3, 12. et *Ulp. ib.* 4, 3, 9.

[SĒQUESTRĀTIM, adv. separate. *Cassiod. Var.* 11, 1. *f.* Quaeratis forsitan sequestratim principis bona. *F.*]

SĒQUESTRĀTĬO, onis, f. depositio apud sequestrem. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 2. *tit.* 28. qui est *De pecuniae sequestratione prohibita, l.* 1. Quoties ex quolibet contractu pecunia postulatur, sequestrationis necessitas conquiescat: oportet enim debitorem primo convinci, et sic solutioni succumbere.

SĒQUESTRĀTOR, oris, m. *Sym. ep.* 8, 53. (al. 54.) Dolor officiorum familiarium sequestrator, *h. e.* impediens.

SĒQUESTRĀTORĬUM, ii, n. locus, in quo aliquid, tanquam apud sequestrem, deponitur. *Tert. Res. carn.* 52. *f.* Seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis, et inde repetendis.

SĒQUESTRĀTUS, a, um, part. a *sequestro*, sepositus, abjectus, depositus. *Macr. Sat.* 7, 11. Commascula frontem, et sequestrata verecundia, quam in te facies rubore indicat, confer nobiscum libere quod occurrit. *Veg. Vet.* 1, 29. *f.* Sequestratum animal, *h. e.* separatum a ceteris.

SĒQUESTRO, adv. V. in SEQUESTER, stri.

SĒQUESTRO, as, a. 1. apud sequestrum depono. Translate. *Prud. Cath.* 10, 133. Nunc suscipe, terra, fovendum, Gremioque hunc concipe molli. Hominis tibi membra sequestro, Generosa et framina credo. *Tert. Res. carn.* 27. *med.* Corpora medicata condimentis sepulturae, mausoleis et monumentis sequestrantur. *Macr. Somn. Scip.* 2, 14. *med.* Nam causam motus ab eo, quod movetur, ratio sequestrat, *h. e.* secernit, separat; et *ib.* 1, 8. *med.* Qui a rerumpublicarum actibus se sequestrant. *Sidon. ep.* 1, 11. Omni ab infamia vir sequestrandus, *h. e.* collocandus in tuto, ut ad eum pertingere infamia non possit.

SĒQUĬOR, ius, *ἐλάττων, χείρων*, deterior, pejor. Est adj. compar. anomalum, sine positivo: et a *sequor* ducitur a quibusdam, quia quae sequiora sunt, sequuntur post ea, quae meliora: ab aliis a *secus*, quia aliter sunt, quam esse debent. *Liv.* 2, 37. Invitus, quod sequius sit, de meis civibus loquor. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *med.* Sed et personarum contemplatio habenda est: hoc est cujus vitae sint hi, quibus alimenta relicta sunt: utrum frugi vitae, an sequioris. *Appul. Met.* 10. Si sexus sequioris edidissct fetum, *h. e.* feminini. ℙ *Sequius*, adv. aliter quam par est, deterius, pejus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 746. Non modo absens quicquam de te sequius cogitabit, sed, etc. *Sen. Ben.* 6, 42. Vereor, ne homines de me sequius loquantur. *Colum.* 3, 4. *f.* Melius an sequius terrae mandaverit paterfamilias pecuniam, etc. V. alia in SECUS.

*SEQUIPĔDA, ae, c. i, q. pedisequa. *Sarisb.* 1, 13. Sequipeda canis. *Id.* 3, 6. Sequipedarum comitatu stipari. *B. A.*

SĒQUOR, eris, quutus, et cutus sum, dep. 3. *ἕπομαι*, cum aliquo praecedente ire, pone ambulare, consectari, comitari: a voce Graeca allata, mutata priore consonante, et aspero spiritu in *s* verso. *Ter. Eun.* 5, 2. *f.* I prae: sequor. *Id. Heaut.* 4, 1, 51. Sequere me intro hac. *Id. Hec.* 5, 2, 27. Sequimini me intro huc. *Id. Eun.* 2, 3, 54. Comites secuti sunt virginem parasitus cum ancilla. *Nep. Paus.* 4. Apparatu regio utebatur, veste Medica: satellites Medi sequebantur. *Nep. Att.* 6. Sequi magistratum in provinciam, *Hor. Od.* 4, 1, 38. jam volucrem sequor Te per gramina Martii Campi, te per aquas, dure, volubiles. *Virg. A.* 2, 723. dextrae se parvus Iulus Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis. *Tibull.* 1, 3, 56. Messalam terra dum sequiturque mari. *Ov. Met.* 7, 658. Sequi aliquem ad bella. *Id. Fast.* 3, 508. aliquem a tergo. *Liv.* 9, 45. *f.* hostem vestigiis. ℙ *Sequi heredem* dicuntur, quae testamento in ejus dominium veniunt. *Hor. Sat.* 1, 8, 13. heredes monumentum ne sequeretur. Hinc illae notae in lapidib. H. M. H. N. S. *h. e.* hoc monumentum heredes non sequitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 523, 5. Hoc monumentum ext. hered. non sequitur, nec heredes monumentum. *Cato* ap. *Prisc.* 4, 629. Si quis mortuus est Arpinatis, ejus heredem sacra non sequuntur. *Plin.* 9, 35, 60. Et hoc aeternae prope possessionis est: sequitur heredem, in mancipatum venit. ℙ Item feminae, quae amoris causa turpiter viros sectantur: inde *secutulejae* dictae. *Virg. Ecl.* 10, 22. tua cura Lycoris Perque nives alium, perque horrida castra secuta est. *Prop.* 2, 25, 8. Colchis et ignotum nonne secuta virum est? *Ov. Her.* 16, 323. Si pudet, et metuis, ne me videare secuta, Ipse reus sine te criminis hujus agar; et *ib.* 5, 77. quae te per aperta sequantur Aequora, legitimos destituantque toros. *Val. Fl.* 8, 12. non carior ille, Quem sequimur. *Sabin.* 1, 80. Tyndaris externos ipsa secuta viros. ℙ Item aquae jugiter fluentes. *Virg. G.* 1, 106. satis fluvium inducit, rivosque sequentes. Ubi *Serv.:* id est juges, aut secuturos: aut quia, qua duxeris, sequuntur. *Claud. Laud. Stil.* 138. sed densior instat Gestorum series: laudumque sequentibus undis Obruimur. ℙ Item quae lenta sunt, flexibilia, et sequacia. *Cic. Or.* 16. Oratio mollis, et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. *Stat. Achill.* 1, 332. artificis victurae pollicae cerae Accipiunt formas, ignemque, manumque sequuntur. Adde *Plin. ep.* 7, 9. *in carm.* ℙ Et universim quaecumque usum sui facilem praebent, quae non obluctantur, aut resistunt, sed obsequuntur, et parent. *Varr. R. R.* 1, 47. Herbae, dum tenerae sunt, vellendae: prius enim aridae factae rixantur, ac celerius rumpuntur, quam sequuntur. *Val. Fl.* 5, 562. Expertique simul, si tela artusque sequantur. *Quint.* 2, 14. Sed non omnia nos ducentes ex Graeco sequuntur: sicut ne illos quidem, quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. *Virg. A.* 12, 908. Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit Nocte quies, non lingua valet, non corpore notae sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur. (Adde *Ov. Met.* 11, 327. et *Stat. Th.* 11, 602.) *Ov. Her.* 4, 9. Qua licet, et sequitur, pudor est miscendus amori, *h. e.* facile est. ℙ Et quae ratione temporis, aut causarum, aut ordinis succedunt, oriunturve. *Plin.* 13, 22, 43. Converberatam faciem illinens sibi, et secuto die, contra famam, cutem sinceram circumferens. *Lucan.* 2, 528. secuturo jussurus classica Phoebo. *Plin.* 10, 62, 82. Ova in terra incubant, et fetum sequente excludunt anno. *Id.* 6, 23, 26. Secuta aetas propiorem cursum indicavit. *Id.* 17, 2, 2. *med.* Praecoces germinationes, evocatae indulgentia coeli, secutis frigoribus exuruntur; et 6, 34, 39. *f.* Sequentium diligentissimi. *Id.* 34, 10, 22. Cadmia haec ponderosior priore, levior porro secuturis. *Sall. or. Phil. contra Lep. med.* Ubi malos praemia sequuntur, haud facile quisquam graduito bonus est. *Cic. Har. resp.* 18. Ut quisquam poenam, quae sequeretur illud scelus, scire posset. *Id. Or.* 49. Qua tempestate Paris Helenam: et quae sequuntur. *Liv.* 5, 6. *med.* An mediocre discrimen opinionis secuturum ex hac re putatis? *Virg. A.* 12, 51. et nostro sequitur de vulnere sanguis; et *ib.* 9, 503. At tuba terribilem sonitum procul aere canoro Increpuit: sequitur clamor, coelumque remugit. *Cic. Am.* 2, 20. *med.* Dispares enim mores disparia studia sequuntur. *Colum.* 7, 4. Pecus est avidissimum cibi: cui si detrahitur fraude villici, clades sequitur gregem. [**Vell.* 2, 42, 4. sequitur invidia inertiam.] ℙ *Sequi viam*, ire qua via ducit. *Ov. Pont.* 1, 4, 38. Quas sequerer, docuit, quas fugeremque vias. *Plin.* 11, 37, 70. Per cavernam lautumiarum evasit, angustos vulpium aditus sequutus. *Ov. Pont.* 2, 10, 17. Sunt tamen inter se communia sacra poetis, Diversum quamvis quisque sequamur iter. ℙ *Sequi verbum*, vim et significationem verbi spectare. *Cic. Caecin.* 17. *med.* Nonne, si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? ℙ Est etiam *sequi*, adire, petere, accedere. *Virg. A.* 4, 361. Italiam non sponte sequor. *Cic. Att.* 10, 18. Formias nunc sequimur: eadem nos fortasse furiae persequentur; et *ib.* 3, 16. Si spes erit, Epirum; sin minus, Cyzicum, aut aliud quid sequemur. *Flor.* 2, 11. Galli Brenno duce vastaverant Graeciam: mox Orientem secuti, in media Asiae parte sederunt. *Val. Fl.* 1, 2. Fatidicamque ratem, Scythici quae Phasidis oras Ausa sequi. Adde *Ov. Her.* 7, 10. ℙ Item studiose sectari, appetere, quaerere, captare, amplecti, delectari. *Cic. Mur.* 27. Qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitae sunt secuti. *Id. Leg.* 2, 1. Ego vero praesertim hoc tempore anni, et amoenitatem hanc, et salubritatem sequor. *Hor. Sat.* 1, 6, 87. si praeco parvas, aut coactor, Mercedes sequerer. *Ter. Hec.* 3, 5, 31. Sequi commodum alicujus. *Prop.* 2, 13, 11. Cynthia non sequitur fasces, non quaerit honores. *Ov. Met.* 14, 364. Spem vanam sequi. *Nep. Att.* 7., *Ov. Am.* 3, 8, 26. et *Lucan.* 10, 407. castra, *h. e.* militiam: militem esse. *Ov. Fast.* 6, 109. rura. *Ter. Andr.* 4, 5, 16. et *Ad.* 2, 2, 40. lites. *Caes. B. C.* 1, 1. gratiam alicujus. *Id. B. G.* 4, 21. *f.* fidem populi, *h. e.* servare. *Nep. Ep.* 6. alicujus amicitiam. *Plin. prooem.* 35. Nos in iis brevitatem sequemur. [**Vell.* 2, 80, 1. sequi auctoritatem et fidem alicujus: de militibus propter auctoritatem alicujus in partes venientibus. — Alias *sequuntur fidem alicujus*, qui alicui militant. Cf. *Curt.* 3, 8, 5. et *Vell.* 2, 107, 2.] ℙ Item imitari. *Ov. Her.* 16, 325. Nam sequar Aegidae factum. *Nep. Ag.* 4. Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent! *Tac. Agr.* 5. Discere a peritis, sequi optimos. *Hor. Sat.* 2, 8, 39. Invertunt Allifanis vinaria tota Vibidius, Bala-

troque, secutis omnibus imis. ℙ Item probare, approbare, assentiri, obtemperare. *Cic. Fam.* 4, 3. *med.* Eos, qui auctoritatem et consilium tuum non sunt secuti sua stultitia occidisse. *Caes. B. C.* 1, 2. et *Nep. Milt.* 3. *f.* Sententiam alicujus sequi. *Cic. Fl.* 41. *f.* sectam aliquam. *Plin. ep.* 2, 6. consuetudinem. *Cic. Par.* 5, 1. Sequi et colere leges. ℙ *Sequi aliquem auctorem*, ejus doctrinam probare, eique adhaerere. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Plato, quem ego vehementer auctorem sequor. *Id. Off.* 1, 2. *f.* Sequimur igitur hac in quaestione potissimum Stoicos. *Hor. A. P.* 119. Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge, Scriptor. ℙ *Rationem aliquam sequi*, habere, spectare in agendo, aut sentiendo. *Cic. Div.* 2, 6. *extr.* Haec qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides. *Id. Or.* 2, 50. *f.* Trademus etiam, quae nos sequi in dicendo, quaeque maxime spectare solemus. *Id. ad Pomp.* 2. *med. post. ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Nec, si ego, quid tu sis secutus, non perspicio, idcirco minus existimo, te nihil nisi summa ratione fecisse. *Id. Off.* 1, 11. Majores nostri Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt: nollem Corinthum: sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime; et *Div.* 2, 7. Qui thesaurum inventurum, aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? Adde *Sen. Ben.* 2, 7. ℙ *Sequi*, indulgere, obsequi. *Tac. A.* 1, 49. *med.* Sequitur ardorem militum Caesar. *Nep. praef. med.* Non admirabuntur, nos in Grajorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. [*Insolentior hic notandus hujus v. usus videtur ap. *Tac. G.* 38. horrentem capillum retro sequuntur, i. e. ita componunt capillum, ut retro sequatur. V. *Passow.* ad h. l. et *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 425. sq.] ℙ Et stare a partibus alicujus, favere, assectari. *Cic. Am.* 12. *f.* Ut ne quis sibi concessum putet, amicum vel bellum patriae inferentem sequi. (Adde *Att.* 9, 10.) *Virg. A.* 3, 54. Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus. *Caes. B. C.* 1, 1. Pompejo esse in animo reipublicae non deesse, si senatus sequatur. [**Vell.* 2, 49, 4. sequi partes alicujus.] ℙ Item contra, insectari. *Virg. A.* 11, 674. sequiturque, incumbens eminus hasta, Tereaque, Harpalycumque. *Tac. H.* 4, 29. Hostem pilo sequi. *Flor.* 3, 5. *med.* rebelles Asiae reliquias. *Ov. Met.* 2, 498. feras. *Caes. B. G.* 7, 47. Neque prius finem sequendi fecerunt, quam muro oppidi appropinquarunt. ℙ Item evenire, contingere. *Caes. B. G.* 2, 22. *extr.* Itaque in tanta rerum iniquitate, fortunae quoque eventus varii sequebantur. *Nep. Att.* 8. Secutum est illud, occiso Caesare, cum respublica penes Brutos videretur esse. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Hoc exemplo similis et Nealcem successus secutus dicitur. ℙ Item prosequi, persequi. *Tac. H.* 1, 55. Insita mortalibus natura, propere sequi, quae piget inchoare. *Cic. Caecin.* 21. Perge porro hoc item interdictum sequi. ℙ Item fieri, consequens esse, hinc esse. *Cic. Fat.* 12. Nec, si omne enuntiatum aut verum aut falsum est, sequitur illico, esse causas, etc. et *Fin.* 2, 8. Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus. ℙ In transitionibus, proximum est, consequens est. *Cic. N. D.* 2, 32. Ac de prima quidem parte satis dictum est. Sequitur, ut doceam, omnia subjecta esse natura. *Paul. Dig.* 45, 1, 91. *med.* Sequitur videre de eo, quod veteres constituerunt, quoties culpa intervenit debitoris. *Id. ib.* 41, 3, 4. Sequitur de usucapione dicere. *Plin.* 2, 63, 63. Haec dicta sint de aere. Sequitur terra, etc. ℙ Olim *sequor* pro loquor, narro, usurparunt. [*Qua in significatione sunt qui a Gr. ἕπω deducere velint.] Hinc *Pl. Mil.* 4, 6, 6. Obsecro, tute ipsum convenisti? *Milphid.* Cum ipso pol sum secuta. *Lips.* leg. *locuta* contra MSS. et libr. vet. V. dicta in INSECE et INSEQUE. Huc pertinere possunt illa *Sen. Troad.* 236. inclytas laudes juvat, Et clara magni facta genitoris sequi, *h. e.* narrare, referre, persequi; et *Virg. A.* 12, 195. Sic prior Aeneas: sequitur sic deinde Latinus. ℙ *Sequo* antiquos protulisse, notat *Prisc.* 8, 799., eadem scilicet significatione. *Gell.* vero 18, 9. *f.* tradit, *sequo*, et *sequor* consuetudine loquendi differre: nempe *sequo* pro dico olim usurparunt: unde *insequo*. ℙ Part. *Sequens* V. suo loco. *Sequendus* ap. *Cic. Acad.* 4, 30. Ex his sequendas esse alias, alias improbandas; et *Ov. Her.* 2, 138. Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram. ℙ [*Confund. *sequi* et *loqui*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 382. 618. — Porro *sequi*, *persequi* et *prosequi*. V. *Spald.* ad *Quint.* 4. p. 685.]

SĔQŬTŬLĒIUS. V. SECUTULEIUS.

SĔQUĬTOR. V. SECUTOR.

SĔQUĬTUS et Secutus, a, um, part. V. in SEQUOR.

SER, ēris, m. et Sēres, um, m. plur. Σῆρες, populi Scythiae Asiaticae orientalis, justitia olim insignes, ut ait *Mela* 3, 7., nec minus celebres tesignes, ut ait *Mela* 3, 7., nec minus celebres tenuissimis lanis, quas ex arboribus suae regionis collectas, conficiendis pretiosis vestibus in omnes terrae partes mittere solebant. *Plin.* 6, 17, 20. Seres lanicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem: unde geminus feminis nostris labor redordiendi fila, rursusque texendi. Tam multiplici opere tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat. Seres mites quidem, sed et ipsis feris persimiles, coetus reliquorum mortalium fugiunt, commercia exspectant. Haec *Plin. Ammian.* 23, 6. *med.* Agunt ipsi quietius Seres, armorum semper et proeliorum expertes, utque hominibus sedatis et placidis otium est voluptabile, nulli finitimorum molesti. Coeli apud eos jucunda salubrisque temperies, aeris facies munda, leniumque ventorum commodissimus flatus: et abunde silvae sublucidae, a quibus arborum fetus aquarum asperginibus crebris, velut quaedam vellera molientes, ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtemina, conficiunt sericum, ad usus antehac nobilium, nunc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens. Haec *Ammian.* V. SERICUS. *Plin. prooem.* 12. Caedi montes in marmora, vestes ad Seras peti. *Virg. G.* 2, 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. Ubi *Servius:* Alii *depectat* legunt: quod si est, *Seres* posuit pro *Ser*, sicut *trabes* pro *trabs.* Sic Lucanus (1, 19.) Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes. Haec *Serv.*, sed nihil prohibet, *Seres* ap. *Lucan.* esse plur. numeri. [*V. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad h. l. in *ed. Web.*] *Sen. ep.* 90. *med.* Posse nos habitare sine marmorario fabro: posse nos vestitos esse sine commercio Serum. *Ov. Am.* 1, 14, 5. de capillis: erant tenues, ut quos ornare timeres: Vela colorati qualia Seres habent. *Sen. Herc. Oet.* 666. Quae Phoebeis subditus Euris Legit Eois Ser arboribus. *Auson. Idyll. in monosyllab. de Hist.* 12, 24. Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser. Adde *Prop.* 3, 3, 5., *Hor. Od.* 1, 12, 56. etc., *Lucan.* 10, 142., *Sil.* 17, 596., *Petr. Sat.* 119., *Juven.* 6, 402., *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 179. et *IV. cons. Honor.* 257. et *Sidon. carm.* 5, 41. ℙ Illud *Lucan.* 10, 292. de Nilo: Teque vident primi, quaerunt tamen hi quoque, Seres: doctorum ingenia valde torquet. Sunt enim Nili fontes in Africa: Serum sedes in Asia orientali. *Palmer.* putat Seres a *Lucano* pro Aethiopibus positos esse.

SĔRA, ae, f. μοχλὸς, κλεῖθρον, repagulum, fustis, qui opponitur clausis foribus, ut *Fest.* in *Reserare* definit: *Pacuv. ib.* Nunc pandite valvas, removete seras. *Ov. Am.* 2, 1, 27. Carminibus cessere fores: insertaque posti, Quamvis robur erat, carmine victa sera est; et *ib.* 1, 6, 24. excute poste seram. *Id. Fast.* 1, 265. Et jam contigerant portam, Saturnia cujus Dempserat appositas insidiosa seras. *Id. A. Am.* 2, 636. Et centum duris postibus adde seras. *Tibull.* 1, 2, 6. Clauditur et dura janua fulta sera. *Juven.* 6, 346. Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos Custodes? *Petr. Sat.* 16. Sera sua sponte delapsa cecidit, reclusaeque subito fores. ℙ Ex his facile colliges, non fuisse seram, ut nunc, clavis affixam postibus aut valvis, sed exemptilem, et quae apponeretur, ac removeretur. Sic *Varr. L. L.* 6, 6. *extr.* Serae, quibus remotis fores panduntur; et *Fest.* in *Adserere* ducit a *sero*, *is*, quia foribus admota opponitur defixa postibus, quemadmodum ea, quae terrae inseruntur. Alii ducunt a σειρὰ (extrita subjunctiva diphthongi) catena, aut funis, quia his olim fores firmabantur. ℙ Una eademque res esse videntur *pessulus*, *repagula*, *sera.* Sed videntur *pessuli* minores esse, quam illa: pessuli saepe ferrei: illa lignea. *Repagulorum* usus erat etiam in aliis rebus: *pessuli* et *serae* in solis foribus. V. *Salmas. in Exercit. Plin.* p. m. 924. et sqq. ℙ In illo *Silii* 13, 252. Obnixi torquent obices, munimina serae: Alii leg. *sera* aut *ferrea.* Nam sera constanter primam corripit.

*SĔRA, ae, f. subint. *hora. Vet. Gloss.* ἑσπέρα, Sera, vespera, crepusculum. *B. A.*

*SERACHI, orum, populi Asiae, circa lacum Maeotim. *Mela* 1, 19. *B. A.*

SERĀNUS. V. SERRĀNUS.

[SĔRĀPAMMON, onis, m. vox composita ex *Serapis*, et *Ammon*, quae duo sunt Aegyptiorum numina. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 18. T. Aelius Serapammon. ℙ Etiam contracte *Serammon* legitur in Graeca *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 364. Σεράμμων ἐνθάδε κεῖμαι Ἀλεξανδρεὺς πολλὰ μογήσας, *h. e.* Serammon his jaceo Alexandrinus multa passus. *F.*]

SĔRĀPEUM et Serapium, ii, n. Σεραπεῖον, templum Serapis. *Tert. Apol.* 18. *f.* et *Spect.* 8. *f.*, *Lampr. Alex. Sev.* 27. et *Ammian.* 22, 16., ubi in tantum hujus templi Alexandriae magnificentiam extollit, ut uni Capitolio concedat.

SĔRAPHIM, n. plur. indecl. unus ex ordinibus supremae hierarchiae Angelorum. Vox est Hebraica, a שָׂרַף *saraph*, *ussit*, *incendit*, quia a claritate, et aspectus splendore quasi flammantes, et ignei visi sunt. *Isid. Or.* 7, 5., *Prud. Cath.* 4, 5.

[SĔRĀPĬA et Sarapia, orum, n. plur. solemnia sacra in Serapidis honorem, quae fiebant mense Aprili. *Vet. Kalendar.* ap. *Grut.* 138. Sacrum Phariae, item Sarapia. *F.*]

[SĔRĀPĬĀCUS, a, um, adj. ad Serapidem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 7. L. Cornelius Serapiacus. *F.*]

SĔRĀPĬAS, ădis, f. σεραπιάς, et Serapion, ii, n. herba, quae et orchis dicitur, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo, radice gemina, testiculis simili. *Plin.* 26, 10, 62. et *Appul. H.* 15.

SĔRĀPĬCUS, a, um, adj. ut Serapicae coenae, ap. *Tert. Apol.* 39. *med. h. e.* sumptuosae, quales in honorem Serapidis celebrari solebant. Quidam legunt *Serapiacae* eodem sensu. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 890, 15. II. Terentl (*h. e.* duo Terentii) Serapicus et las Optando et Fortunulae amicis optimis D. D. *F.*]

[SĔRĀPĬON, onis, m. dimin. Serapis. Est cogn. P. Cornelii Nasicae consulis ann. U. C. DCXVI., quod illi inditum fuit, quia hujusce nominis victimario perquam similis erat, ut tradunt *Plin.* 7, 12, 10. et *Val. Max.* 9, 14. *n.* 3. *F.* *Porro huc pertinent ista: *Cic. Att.* 6, 1. *med. Liv. Epit.* 55. *Plin.* 21, 3. V. *Spanh. de usu et praest. num. Diss.* 10. p. 62. sq. *Burm.* ad *Quint.* 6, 3. p. 545. *Duker.* et *Drak.* ad *Liv. l. c.* ℙ Et servus Attici. *Cic. Att.* 10, 17. ℙ Et geographus, Antiochenus. *Id. ib.* 2, 4. *in.* et 6. *in.* Commemoratur a *Plin.* in Elenclio scriptorum *l.* 4. ℙ Alius, Ascalonita, qui de interpretatione somniorum scripsit. *Fulg. Mythol.* 1, 13. ℙ Et medicus. *Cels.* 5, 28. ℙ Item pictor, de quo *Plin.* 35, 10. ℙ Et Aegyptius, ab Achilla interemptus, cum a Ptolemaeo, qui jam in Caesaris potestate fuit, legatus rediret. *Caes. B. C.* 3, 109. ℙ Scribitur et *Sarapio* et *Sarapion. B. A.*]

SĔRĀPIS, is, et idis, m. Σεράπις, Deus Aegyptiorum, et praecipue Alexandrinorum, idem qui Apis, et Osiris. Sol autem his nominibus significabatur, ut *Macr. Sat.* 1, 20. *extr.* docet. *Varr.* ap. *August. C. D.* 18, 5. tradit, ideo Serapin dici, quia arca, in qua mortuus ponitur, σορὸς dicitur Graece: unde Apin sepultum primo Sorapin, deinde una littera commutata, Serapin dictum. V. APIS. Alii ducunt a σαίρω, purgo, orno: quia sol ornat omnia. Sed *Plutarch. de Isid. et Osir.* recte monet, vocem non esse Graecam, sed peregrinam. *Mart.* 9, 30. non illam mille catastae Vincebant, nec quae turba Serapin amat. *Plin.* 37, 5, 19. Esse etiam nunc in labyrintho Aegypti colosseum Serapin e smaragdo, novem cubitorum. *Macr. l. c.* Ex his apparet, Serapis et Solis unam esse naturam. *Spart. Sev.* 17. Propter religionem Dei Serapidis. *Inscr.* ap. *Grut.* 85, 4. Pro salute Imp. Caesar. M. Aur. Antonini Aug. voto suscepto Dei magni Serapidis templum, etc. et *n.* 8. Deo invicto Serapi servatori, etc. *Varr.* etiam ap. *Charis.* 1, 69. dixit *Serapis* in gen. ℙ *Serapidem* idem fuisse ac Iosephum Jacobi filium, contendit *Tert. ad nat.* 2, 8. ℙ Secundam corripiunt *Prud. adv. Symm.* 2, 531. Nil potuit Serapis Deus, et latrator Anubis. *Capell.* 2, 43. Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osirim. Adde *Paul. Nol. carm.* 26, 100. ℙ Scribitur et *Sarapis*, Σαράπις, et praefert *Dausqu.*

SĔRĀPIUM. V. SERAPEUM.

[SĔRĀPIUS, a, um, adj. ad Serapidem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 2. Aelia Serapia. *F.*]

[SĔRĀPODŌRUS, a, um, adj. donatus a Serapide: a *Serapis*, et δῶρον, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1623, 14. T. Aelius Serapodorus. *F.*]

*SERAPTĒNUS, a, um, adj. i. q. Sareptanus. *Sidon. carm.* 17, 15. Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna, Quaeque Serapteno palmite missa bibas. Al. leg. *Sareptano. Fulg. Mythol.* 2, 15. Indis assignat Seraptenum *(vinum)* et Meroitanum. V. *Munker.* ad *l. Savaro* ad *l. Sidon. Ritterhus.* ad *Coripp.* 3, 88. *Reland. Palaestin.* 3. p. 985. sq. *B. A.*

SĔRĀRIUS, a, um, adj. qui sero lactis pascitur. *Cato R. R.* 150. Porcos serarios in oves denas singulos pascat. Al. leg. *sectarios*, quod non videtur hic locum habere. *Schneiderus* pro *porcos serarios* legendum putat *arietes sectarios.* [*Emendavit h. l. *F.*]

[SĔRĀTRĪNĂ, ae, f. locus, in quo serae elaborantur. V. FERATRINA. *F.*]

*SERBI, orum, populi Scythiae Asiaticae, ultra lacum Maeotim. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

*SERE, es, f. oppidum Aegypti, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*SERĒNA, ae, f. Σερηνὴ, uxor Stiliconis, socrus Honorii Imperatoris, qui Mariam filiam ipsius uxorem duxit, cujus laudes eleganti carmine celebravit Claudianus. *Claud. de laud. Serenae. B. A.*

SĔRĒNĀTOR, oris, m. epitheton Jovis serenum coelum inducentis. *Appul. de Mundo f.* Dicitur et fulgurator, et tonitrualis, et fulminator, item serenator. *Inscr.* ap. *Gud.* p. 3. *n.* 8. et 9. Jovi O. M. Serenatori sacrum. Adde p. 4. *n.* 1. 2. 3. 5. et 6. ℙ Ap. *Grut.* 23, 1. et 77, 6. et 1009, 9. habetur, Jovi Sereno. V. SERENUS.

SĔRĒNĀTUS, a, um, part. a *sereno*: ἠθριασμένος, serenus factus. *Sil.* 12, 637. Ecce serenato clarum jubar emicat axe, Purgatusque nitet discussis nubibus aether; et *ib.* 665. Laeta serenati facies aperitur Olympi. ℙ Translate. *Sil.* 5, 181. Dona serenato referas solemnia Phoebo, *h. e.* placato. *Venant. carm.* 6, 4, 103. Blanda serenatum circumdat gratia vultum.

[SĔRĒNE, adv. clare. *August. Trin.* 8, 3. Quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius sereniusque videmus. *F.*]

SĔRĒNĪFER, ra, rum, adj. *αἰθρηγεννέτης*, serenitatem inducens. *Avien. Arat.* 988. Axe sereniferi descendit sol Aquilonis. Adde *Prognost.* 414.

[SĔRĒNĪFĪCUS, a, um, adj. qui serenum seu serenitatem affert, item serenus. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 855. Laeta serenifico defundere carmina coelo. *F.*]

[SĔRĒNĪGER, ra, rum, adj. idem ac serenifer. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 295. *Burm.* Pulchra serenigero fulserunt sidera motu. *F.*]

SĔRĒNĪTAS, atis, f. *αἴθρα, εὐδία*, sudum, serenus aer. *Cic. Div.* 2, 45. Tum serenitas, tum perturbatio coeli. *Liv.* 2, 62. Adeo tranquilla serenitas reddita, ut, etc. *Auct. B. Hisp.* 29. Diei solisque serenitas. *Plin.* 18, 35, 80. Autumni serenitas ventosam hiemem facit. *Colum.* 3, 1. *f.* Vinea imbribus magis, quam serenitatibus offenditur. *Plin.* 18, 35, 87. Grues silentio volantes serenitatem praesagiunt. *Id.* 10, 67, 86. Salamandra magnis imbribus proveniens, et serenitate deficiens. ℙ Translate. *Liv.* 42, 62. Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati praesentis fortunae. *Sen. Ira* 3, 25. *f.* Omnia licet facias, Fortuna, minor es, quam ut serenitatem meam obducas, *h. e.* animi tranquillitatem. ℙ Adulatio principibus serenitatem tribuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 286, 2. Maximo principi indulgentissimo domino Valenti triumfatori semper Aug. et D. Herculi sacrum C. Cejonius Rufius Volusianus serenitati ejus dicatus. *Veg. Mil. epit.* 3. Sagittandi peritia, quam in serenitate tua, imperator invicte, Persa miratur.

SĔRĒNO, as, avi, atum, a. I. *αἰθριάζω*, serenum et clarum reddo. *Cic. Div.* 1, 11. Luce serenanti vitalia lumina liquit. *Virg. A.* 1, 259. Vultu, quo coelum tempestatesque serenat. *Claud. de Apono*, 36. Glaucaque fumiferae terga serenat aquae. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 477. Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat, *h. e.* vultu tranquillo spem ostentat. (Adde *Nemes. Ecl.* 4, 16.) *Sil.* 11, 368. tum reddere sese Festinant epulis, et tristia fronte serenant, *h. e.* laeta in speciem fronte tristitiam discutiunt. *Plin.* 2, 6, 4. Sol coeli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat. *Stat. Th.* 2, 55. fusca volucer Deus obsitus umbra Exsilit ad superos, infernaque nubila vultu Discutit, et vivis afflatibus ora serenat. *Sen. Ag.* 519. quisquis es, nondum malis Satiate tantis, coelitum, tandem tuum Numen serena, *h. e.* flecte et propitium praebe. *Stat. Ach.* 1, 120. properatque dapes, largoque serenat Igne domum, *h. e.* illustrat, et quodammodo laetificat.

SĔRĒNUS, a, um, adj. *αἴθριος, εὔδιος*, clarus, purus, sine nubibus, tranquillus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 2, 39. Cum tonuit laevum bene tempestate serena. *Hor. Epod.* 15, 1. Nox erat, et coelo fulgebat luna sereno. *Virg. A.* 5, 104. Lux serena; et *ib.* 6, 707. aestas. *Id. G.* 1, 340. ver serenum. *Ov. Fast.* 6, 718. stella serena. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 4. Aer immotus et serenus. *Virg. A.* 8, 528. Arma inter nubem, coeli regione serena, Per sudum rutilare vident. *Id. G.* 1, 426. Serena nox. *Sen. Thyest.* 263. Dies serenus. *Id. Oed.* 250. Sol sereni maximum mundi decus. *Phaedr.* 4, 16. Faciem ad serenam subito mutatur dies. *Virg. A.* 5, 870. O nimium coelo, et pelago confise sereno! et *Mart.* 4, 64. Coelo perfruitur sereniore. [*Liv. 1, 16. Postquam ex tam turbido die serena et tranquilla lux rediit.] ℙ *Serenum* absolute. *Cato R. R.* 156. Ponito pocillum in sereno noctu; et *Plin.* 11, 24, 28. Aranei sereno texunt, nubilo texunt. *Liv.* 37, 3. Nursiae sereno satis constabat nimbum ortum. *Suet. Aug.* 95. Repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem coelestis arcus orbem solis ambiit. *Val. Fl.* 1, 332. Nec de te credam nostris ingrata serenis. *Lucan.* 1, 530. Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno. *Stat. Silv.* 3, 1, 81. laesique fides reditura sereni. *Sil.* 5, 58. nitidum serenum. *Id.* 12, 3. blandisque salubre Ver Zephyris trepido mulcebat rura sereno. *Virg. G.* 1, 393. soles et aperta serena. [*Cf. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad *Luc.* 1, 58. *ed. Web.*] ℙ *Serenus*, serenitatem inducens, siccus, quia serenitas siccitatis causa est. *Pl. Merc.* 5, 2, 35. Hic Favonius serenus est, istic Auster imbricus. *Virg. G.* 1, 461. unde serenas Ventus agat nubes. ℙ Est etiam clarus, lucidus. *Plin.* 9, 35, 54. de margaritis: Inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum. *Mart.* 6, 42. Aqua candida et serena. *Id.* 3, 58. Cingunt serenum lactei focum vernae. *Pers.* 1, 19. Vox serena. ℙ Translate est quietus, tranquillus, laetus. *Cic. Tusc.* 3, 15. de Socrate: Nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius; sed tranquilla et serena. *Just.* 44, 2. Serena laetitia. *Lucr.* 2, 1092. Quae placidum degunt aevum, vitamque serenam. *Sil.* 14, 80. tractare sereno Imperio vulgum. *Ov. Pont.* 2, 2, 65. Cumque serenus eri t, vultusque remiserit illos, Qui secum terras imperiumque movent. *Id. Trist.* 1, 1, 39. Serenus animus; et *ib.* 9, 40. At mea sunt proprio quamvis moestissima casu, Pectora processu facta serena tuo; et *Pont.* 2, 1, 5. Tandem aliquid, pulsa curarum nube, serenum Vidi. *Sil.* 7, 461. de Pallade: pacemque serenis Condiscens oculis ibat, *h. e.* mitibus, placidis. ℙ Item prosper, felix. *Ov. Trist.* 1, 5, 27. vultu ridet Fortuna sereno. *Sil.* 15, 53. Sed current albusque dies, horaeque serenae. *Id.* 8, 546. Capua rebus servare serenis Inconsulta modum. ℙ *Serenus* est epitheton Jovis, qui semper laetus et felix, nulla tristitia turbatur, et serenam coeli sedem habitat. *Inscr.* ap. *Mur.* 1978, 5. et V. SERENATOR. Hinc *Mart.* 5, 6. et 9, 25. *serenum Jovem* appellat Domitianum. Hinc imperatores *serenissimi* dicti. *Justin. Cod.* 5, 4, 23. *med.* Etsi non serenissimo principi supplicaverint. ℙ Item cogn. R. *Inscr.* in *Mus. Obiciano.* D. M. Serenae, quae vixit annum, menses III., dies XVII. Caepiacus Serenus, et Crispina parentes filiae dulcissimae posuerunt.

SĔRĒNUS, i, m. Q. Serenus Sammonicus, medicus, scripsit heroico carmine de variis morborum curationibus, quae exstant, non ineleganter. Occisus est a Caracalla, inter coenandum, ut narrat *Spart. Carac.* 4. Carus fuit Severo, et Gordiano majori, ut est ap. *Capitol. Gord. jun.* 18. ℙ Filium habuit eodem nomine, qui Gordiani junioris praeceptor fuit. *Id. ib.*

SĒRES. V. SER.

SĒRESCO, is, n. 3. *ξηραίνομαι*, siccus fio: quasi *serenesco*, idest serenus fio, quoniam serenitas sicca est. *Lucr.* 1, 305. Denique fluctifrago suspensae in litore vestes Uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt. ℙ *Sēresco* a *serum*, prima longa, in serum abeo. *Plin.* 11, 41, 96. Omne autem lac igne spissatur, frigore serescit. Alii aliter leg.

*SERGESTUS, i, m. Aeneae nauta ap. *Virg. A.* 4, 288. Adde 5, 121. Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen. Nam a Sergesto (ait *Servius*) Sergia familia fuit, a Cloantho Cluentia. Cf. *A.* 1, 514. *B. A.*

SERGIĀNUS, a, um, adj. Sergiana olea a *Cat. R. R.* 6., *Varr. R. R.* 1, 24. et *Macr. Sat.* 2, 16. enumeratur inter varia olearum genera. *Plin.* 15, 5, 6. eundem *Catonis* locum recitans, et *Colum.* 5, 8. et *Pall.* 3, 18. *Sergiam* vocant. Unde nomen habeat, incompertum: fortasse a quodam Sergio satore et cultore. *Plin.* 15, 3, 4. Sergia, quam Sabini regiam vocant.

SERGIUS, a, um, adj. De Sergia olea V. v. praec. ℙ *Sergia* tribus Romana, una ex rusticis, a gente ejusdem nominis dicta fuisse videtur. *Ascon.* in *or. pro C. Cornel. f.* Nam duae solae tribus eum, Sergia et Quirina damnaverunt. Adde *Front. Aquaed.* 129. et *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 5. Diis Manibus. Octavius Junius Junii F. Sergia Faustinianus Ameria VII. Vir Epulon. etc. Adde 107, 3. et alias insuper multas, in quibus *Ser.* scriptum est. ℙ Mira quaedam de virtute militari M. Sergii Sili, vel Silonis narrat *Plin.* 7, 28, 29. De luxu et gula C. Sergii Oratae *Id.* 9, 54, 80., *Macr. Sat.* 2, 11. et *Val. Max.* 9, 1. *n.* 1. ℙ [*Sergius* fuit praenomen R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 111. Serg. Anicio Nereo Ser. L. etc. Alia ap. *eund. Frat. Arv.* p. 117. Sergius Lucius Diomedes. Alia ap. *Grut.* 1125, 2. Sergius Anicius; et 1145, 3. Sergius Cornelius Vindemitus. ℙ Item cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 478, 5. et *Viscont. Op. var.* T. 2. p. 99. Q. Manlius Q. F. Sergius Rufus. *F.*]

SĒRIA, ae, f. vas fictile oblongum et ventriosum, variae magnitudinis, vino, oleo, aliisque rebus continendis ac servandis. Cum de vinariis sermo est, sunt seriae doliis minores: videtur esse vel ab Hebr. סִיר *sir*, olla, vel a *σηλία*, vas fictile. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Vasa vindemiatoria, aut serias olearias, aut trapetas. *Colum.* 12, 18. *med.* Dolia et seriae, ceteraque vasa ante quadragesimum vindemiae diem picanda sunt. *Ter. Heaut.* 3, 1, 51. Relevi omnia dolia, omnes serias. *Ulp. Dig.* 50, 16, 206. Si frumentum in seriis condatur. *Colum.* 12, 53. *f.* In seriam substernitur sal, deinde offulae carnis spisse componuntur, et alternis sal ingeritur: sed cum ad fauces seriae perventum est, etc. (De his intelligendum illud *Pl. Capt.* 4, 4, 9. Cocum percontabatur, possentne seriae fervescere. [*Sensum h. l. recte exponit *Dousa Plaut. expl.* 1, 20. Voluit hoc poeta: Ergasilus quaesivit ex coquo an integrae seriae, *h. e.* dolia fictilia, in quibus carnes sallitae asservabantur, ad flammam calefieri et coqui possent.] et *Pall.* 4, 10. *med.* de malis Punicis servandis: In seriola cui ad medium aqua mittatur, suspen duntur mala, ne humorem tangant: et seria claditur, ne ventus irrumpat. *Colum.* 12, 28. In serias singulas, quae sint amphorarum septenum, etc. *Liv.* 24, 10. In vico Istrico fontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, ut serias, doliaque, quae in eo loco erant, provoluta, velut impetus torrentis tulerit. *Pers.* 2, 11. o si Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule! *Lampr. Elag.* 6. *f.* Penetrale sacrum Vestae est auferre conatus: cumque seriam, quasi veram, rapuisset, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit. ℙ *Oppidum Hispaniae Baeticae, Fama Julia cognominatum. *Plin.* 3, 1. *Ptolemaeo* est *Σέρια*. *B. A.*

*SERIĀNE, es, f. opp. Syriae. *Anton. Itin. B. A.*

SĒRICĀRIUS, a, um, adj. ad sericum pertinens. [*Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1368. A. Pluvius Epaphroditus negotiator sericarius. *F.*] Alia ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 25. M. Aurelius Flavianus negotians sericarius. In qua *siricarius* scriptum est, et in alia ap. *Don. cl.* 8. *n.* 85.; sed in alia ap. *Mur.* 1046, 5. Thymele Marcellae sericaria, *h. e.* quae Marcellae vestes sericas curat; et absolute ap. *Fabr.* p. 713. *n.* 346. Sericarii D. D. Sunt autem *sericarii*, qui in serico negotiantur, vel opus faciunt. V. SERICUS.

SĒRĪCĀTUS, a, um, adj. *σηρικοφόρος*, indutus serico. *Suet. Cal.* 52. Armillatus in publicum processit, aliquando sericatus, et cycladatus.

SĒRĪCĔUS, a, um, adj. sericus. *Flor.* 3, 11. *med.* Signa auro, sericeisque vexillis vibrantia.

SERICHĀTUM, i, n. genus arboris odoriferae, cujus nomen tantum cognitum est nostro orbi, inquit *Plin.* 12, 21, 45.

*SERICOBLATTĒA, sc. vestis (nam revera adjectivum est), vestis sericae genus, coloris purpurei. *Cod. Just.* 11, 7, 10. V. *Blatta* et cf. *Jac. Gothofr.* ad *l. c. B. A.*

SĒRĪCUS, a, um, adj. *Σηρικός*, ad Seras pertinens. *Ammian.* 23, 6. Serica regio. *Plin.* 34, 14, 41. Ex omnibus generibus palma Serico ferro est. Seres hoc cum vestibus suis, pellibusque mittunt. *Id.* 6, 13, 15. Sericus Oceanus; et *Prop.* 4, 3, 8. hostis. *Hor. Od.* 1, 28, 9. Sericas sagittas tendere. ℙ Saepe refertur ad vestem, quae a Seribus mittebatur, ut in SER dictum est. *Id. Epod.* 8, 15. libelli Stoici inter sericos Jacere pulvillos amant. *Plin.* 21, 3, 8. Serica vestis; [*Tac. A.* 2, 33. ne vestis serica viros foedaret. Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 426. et *intpp.* ad *Eutrop.* 8, 13. *ed. Tzschuck.*] et *Quint.* 12, 10, 47. toga. [*V. *Buttm.*] *Prop.* 4, 8, 23. carpenta, *h. e.* sericis velis ornata. *Claud. Laud. Stil.* 2, 350. frena, *h. e.* habenae sericae. ℙ *Serica, orum*, absolute, sericae vestes. *Prop.* 1, 14, 22. Quid relevant variis serica textilibus? *Mart.* 11, 28. Nec si prima velit de Tusco serica vico. *Id.* 9, 38. Nec dentes aliter, quam serica, nocte reponas. *Claud. in Eutrop.* 2, 336. minimeque viriles Munditiae, compti vultus, onerique vel ipsa Serica. ℙ *Sericum, i*, n. quod texitur ap. Seras, ex arborum foliis. Utrum sit, quod nos dicimus *Seide*, aut a bombyce differat, disquirunt eruditi. [*Videtur potius illud esse, quod dicitur *Calico* vel *Muslin. Bail.*] V. BOMBYX. *Ammian.* 23, 6. *med.* Sericum conficere. *Isid. Or.* 19, 27. Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt: vermiculi enim ibi nasci perhibentur, a quibus haec circum arbores fila ducuntur. Adde *Solin.* 50. [*Serici, orum*, absolute, et *sirici* sunt iidem ac sericarii. *Salv. Gub. D.* 4, 14. *med.* Consideremus solas negotiatorum, et siricorum omnium turbas. V. SERICARIUS *F.*]

SĒRIES, ei, f. *τάξις, διαδοχή*, ordo, et quaedam velut progressio rerum invicem nexarum, aut certa ratione dispositarum. Est a *sero, is, ui*, necto: ut sit proprie de rebus invicem connexis, et alia ex alia pendentibus, ut annuli in catena. *Curt.* 3, 1. *med.* Series vinculorum ita adstricta, ut unde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset. *Id.* 7, 3. *f.* Sic inter se tot juga, velut serie cohaerentia, perpetuum habent dorsum. *Id.* 4, 9. Ferreae laminae serie inter se connexae. *Plin.* 7, 16, 15. Series structurae dentium. *Id.* 11, 37, 69. Duae grandes venae in priora et terga discurrunt, sparsaque ramorum serie, omnibus membris vitalem sanguinem rigant. *Stat. Silv.* 3, 3, 102. longe series porrecta viarum, *h. e.* quarum una in aliam fert, ut venae in corpore. *Appul. Met.* 2. et 10. Series capillorum; et *Tibull.* 1, 3, 63. juvenum, *h. e.* juvenes manibus invicem nexi, choreas agentes. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 4. *extr.* Est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptae colligataeque videantur. *Id. Div.* 1, 55. Fatum appello ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat. *Gell.* 6, 2. Fatum est sempiterna quaedam, et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semetipsa sese, et implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est. *Cic. Or.* 2, 16. Series disputationum. *Val. Max. prol.* 1. historiae. *Quint.* 7, 1, 14. rei actae. *Appul. Met.* 1. *f.* et *ib.* 2. fabularum, *h. e.* longa narratio multarum fabularum, unius post aliam. Sic in *Apol.* Indefessi sermonis aeterna series. *Ov. Trist.* 4, 10, 54. Quartus ab his serie temporis ipse fui; et *Her.* 9, 5. series immensa laborum. *Hor. Od.* 3, 30, 4. innumerabilis annorum. *Ov. Ib.* 64. Sic vitae series tota sit atra tuae. *Stat. Silv.* 4, 3, 145. Vidi, quam seriem morantis aevi Pronectant tibi candidae sorores. ℙ Absolute de serie annorum. *Auson. epigr.* 148. Haec erit aeternae series ab origine Romae. ℙ De perpetua successione in familiis; quod sic eleganter expressit *Virg. A.* 3, 98. Et nati natorum, et qui nascentur ab illis. *Prop.* 4, 11, 69. Et serie fulcite genus. *Ov. Pont.* 3, 2, 109. Digne vir hac serie. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 5. Communio nominis ac familiae, veteris propinquitatis serie cohaerens. [*Cf. *Gierig.* ad *Ov. Met.* 13, 29.] ℙ In plur. num. *Suet. Vesp.* 10. Litium series ubique majorem in modum excreverant. [*Vell. 2, 118, 1. Simulantes fictas litium

series.] ℙ In secundo et tertio casu qui usurpaverit, vix invenies.

SĒRIĒTAS, atis, f. gravitas. *Auson. Parent.* 2, 6. Et gravitas comis, laetaque serietas. *Sidon. carm.* 23, 439. O convivia, fabulae, libelli, Risus, serietas, dicacitates!

SĒRILLA, funiculi spartei. *Festus:* Serilla Verrius appellari putat navigia Istrica ac Liburnica, quae lino ac sparto condensantur: a conserendo, et contexendo dicta (*nempe a* sero, is), quia dicat Pacuvius in Niptris: Nec ulla subscus cohibet compagem alvei, Sed suta lino, et sparteis serillibus: cum *περιφραστικῶς*, et ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur. Alii leg. *serilia*, et *serilibus*, [quod rectius; nam *serilibus* a *serilia* quidem, non item a *serilla* derivari potest. *F.*]

SĒRĬO, adv. *ἐν σπουδῇ*, vere, graviter: cui *joco* opponitur. *Pl. Amph.* 3, 2, 25. Cum ea tu sermonem nec joco, nec serio tibi habeas; et *ib.* 39. Si quid dictum est per jocum, non aequum est, id te serio praevortier. *Liv.* 7, 41. Ne quis eam rem joco, seriove cuiquam exprobraret. *Plin. ep.* 2, 20. *med.* Aurelia ludere hominem putabat, ille serio instabat. *Pl. Amph.* 3, 3, 9. An id joco dixisti? equidem serio ac vero ratus. *Id. Ps.* 4, 7, 94. et *Poen.* 1, 3, 26. et 29. Responde, obsecro, hercle hoc vero serio, quod te rogo. *Id. Amph.* 2, 2, 25. Dic mihi verum serio. *Ter. Eun.* 3, 3, 22. Orare serio aliquem; et 3, 1, 3. Id vero serio triumphat. *Liv.* 4, 25. *f.* Parva res, et vix serio, agenda. *Naev.* ap. *Charis.* 2, 195. Vereor serio. ℙ [*Confund. *serio* et *sero*. V. *intpp.* ad *Curt.* 4, 1, 23. p. 160 *a ed. Snakenb.*]

SĒRĬOLA, ae, f. parva seria. *Pers.* 4, 29. Seriolae veteris metuens deradere limum, *h. e.* parvi vasis vinarii. *Pall.* 4, 10. *med.* Si seriola sub dio obruatur, quae habeat arenas usque ad medium; et *mox:* In seriola, cui ad medium aqua mittatur, suspenduntur mala.

SĒRĬPHĬUS, a, um, adj. *Σεριφιος*, ad Seriphum pertinens: quae est insula parva et ignobilis maris Aegaei, una Cycladum, *Σέριφος*, [*Hodie *Servino.*] ut est ap. *Plin.* 4, 12, 22. In eam saepe Roma sontes relegabantur. *Cic. N. D.* 1, 31. *f.* Si Seriphi natus esses, nec unquam egressus ex insula. *Id. Sen.* 3. *med.* Nec, si ego Seriphius essem, ignobilis; nec tu si Atheniensis esses, clarus unquam fuisses. *Juven.* 10, 170. Ut Gyarae clausus scopulis, parvaque Seripho. *Ov. Met.* 7, 464. planamque Seriphon. *Tac. A.* 4, 21. *extr.* Bonis exutus, interdicto igni atque aqua, in saxo Seriphio consenuit. Adde *Sen. Consol. ad Helv.* 6. ℙ *Seriphium absinthium* memorat *Plin.* 27, 7, 29. et 32, 9, 21. quod et marinum appellatur. ℙ *Σερίφιος βάτραχος*, Seriphia rana, proverb. Graecum de homine taciturno, vel infacundo, vel canendi imperito. Mutae sunt enim ranae, inquit *Plin.* 8, 58, 83., etiam nunc in ea insula: eaedemque alio translatae canunt.

*SERIPPO, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

SĒRIS, is, f. *σέρις*, genus cicoreae, herba est, inquit *Plin.* 20, 8, 32., lactucae simillima, duorum generum: silvestris melior: nigra ista, et aestiva: deterior hiberna, et candidior, utraque amara, stomacho utilissima, praecipue quem humor vexat. *Varr. R. R.* 3, 10. Serunt anseribus herbam, quae vocatur seris, quod ea aqua tacta, etiam cum est arida, fit viridis. *Colum.* 8, 14. Genus intubi, quod *σέρι* Graeci appellant.

[SĒRĬSĀPĬA, ae, f. dapis genus, quod serum sapit, vocaturque etiam acreophagia: a *sērum*, et *sapio. Petr. fragm. Trag.* 56. *Burm.* Serisapia, acreophagiae adlatae sunt. V. ACREOPHAGIA. *F.*]

SĒRĪTAS, atis, f. tarditas. *Sym. ep.* 3, 28. Nec mireris, quod tibi sermo noster sero tradetur; et *mox:* Desine igitur animum nostrum epistolarum seritate metiri.

SĒRĬUS, a, um, adj. *σπουδαῖος*, verus, gravis: cui opponitur ludicer, jocosus, levis. *Non.* 1, 144. dictum esse putat, quasi sine risu, scil. a *se* seorsum, sine, et *risus*. Unde *Gell.* de Tarquinio Prisco, qui bis ad indicatum librorum quorundam pretium riserat, tertia (1, 19.) Ore jam serio, atque attentiore animo fit. [*Praeferendum est illud *Doederl.* 1, 78. docentis, contractum esse *serius* ex *severus*. Neque absonum videtur, quod, (coll. in sententiam suam iis, quae Noster ad f. vocis *serus* laud.,) formam *serus* medio quasi loco positam vult inter *serius* et *severus:* atque adeo v. *serus* ex notione *severi* ortum putat, fretus loco *Lucretii* 4, 462. severa silentia noctis, et euphem. Gr. *εὐφροσύνη* pro *νύξ*.] *Cic. Off.* 1, 29. *med.* Ludo et joco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus; et *ib.* 37. *med.* Si de rebus seriis loquatur, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem. *Ter. Eun.* 3, 3, 7. Rem seriam agere cum aliquo. *Pl. Poen.* 2, 51. Res serias omnes extollo ex hoc die in alium diem; et 5, 3, 50. Opinor, quod ego dixi per jocum, id eventurum esse et severum, et serium; et 5, 5, 41. Si quid per jocum dixi, nolito in serium convertere. *Hor. A. P.* 107. et *Tibull.* 3, 6, 52. Seria verba. *Plin. Pan.* 54. carmina; et *ib.* 82. *extr.* Seriae curae. *Quint.* 6, 3, 37. Vituperatio si gravius posita sit, seria est; si levius, ridicula. [*At in *Spalding. ed.* leg. *severa.*] *Gell.* 5, 21. Homo doctrina seria, ac nihil de verbis laborante. *Suet. Cal.* 32. Saepe in conspectu comissantis seriae quaestiones per tormenta habebantur. *Quint. decl.* 15, 19. Serii et graves affectus; et *Plin. ep.* 4, 25. Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore tam scurriliter ludat? *h. e.* tempore suffragii ferendi in comitiis. Sic *Id. Pan.* 49. serias diei partes opponit remissioribus. ℙ *Seria* absolute, res seriae. *Cic. Fin.* 2, 26. Quicum joca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia. *Sall. Jug.* 101. Joca atque seria cum humillimis agere. *Tac. A.* 2, 13. Per seria, per jocos laudare aliquem. *Id. G.* 24. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent. *Hor. Sat.* 1, 1, 27. Sed tamen amoto quaeramus seria ludo. *Ov. Trist.* 1, 8, 31. Quid, nisi tot lusus, et tot mea seria nosses, Tot nossem lusus, seriaque ipse tua. *Id. Fast.* 5, 341. Nulla coronata peraguntur seria fronte. [*Discrimen inter *serius* et *severus* hoc est, ut prius fere dicatur de rebus, posterius de hominibus: v. *Duk.* ad *Liv.* 23, 7, 11. *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 3, 3, 7. Contra *Doederl.*, q. v. 1, 75. sqq., differentiam utriusque vocabuli ita constituit, ut *severus* active, *serius* neutraliter intelligendum censeat. Illud quidem optimorum scriptt. exemplis constat, *severus* etiam per translat. de rebus dici posse, (V. in SEVERUS.) *serius* de hominibus non nisi ap. seriores usurpari. *Noster* mixta cum ceteris laudaverat ista: *Afran.* ap. *Non.* 1, 144. Non ego te novi tristem, serum, serium; et *Quint. decl.* 15, 3. *f.* Incipis agere serium, gravem: ubi v. *Burm.* p. 308. — Quid differat *gravis*, *serius*, *strenuus*, v. in h. v.] ℙ Item is, quicum seria tractamus. *Plin. ep.* 8, 1. Encolpius lector, ille seria nostra, ille deliciae, exasperatis faucibus pulvere, sanguinem rejecit.

SERMO, onis, m. *λόγος*, oratio, locutio: a *sero, is*, necto; vel, ut *Varro L. L.* 5, 7. *med.* docet, a *serie*, quae et ipsa a *sero* est. Sermo enim, inquit, non potest in uno homine esse solo, sed ubi oratio est cum altero conjuncta. Hinc *Pl. Mil.* 3, 1, 105. Sermones serere; et *Virg. A.* 6, 160. Multa inter sese vario sermone serebant. *Cic. Off.* 1, 37. Sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versatur, sequitur etiam convivia. [*Cf. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 3, 1, 105. — Contra *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. docet: referendum potius ad Gr. *ἔρω*, a quo *serere* et *series* et ipsa descendant. Cohaerere autem Gr. *ἔρω* et *ῥέω*, ut *Germ. reden* et *sprechen:* coll. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 990.] ℙ Significat autem orationem solutam et familiarem, et translaticiam, collocutionem, dialogum: et opponitur versui, atque orationi elaboratae, et forensi. *Cic. Fam.* 1, 9. Hac me mente fuisse, tu in nostris sermonibus, et sollocutionibus vidisti. V. COLLOCUTIO. *Varr.* ap. *Non.* 4, 377. In argumentis Caecilius palmam poscit, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus, *h. e.* in collocutionibus personarum, et dialogis. *Cic. Or.* 2, 80. Narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus; et *ib.* 73. Cum mihi sermo cum Crasso esset de te institutus; et *ib.* 2. Ut eum sermonem, quem illi inter se de his rebus habuissent, mandarem litteris. *Id. Am.* 1. et *Or.* 1, 24. Memini in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. *Id. Or.* 1, 21. *med.* Insperanti mihi cecidit, ut in istum sermonem delaberemini. *Id. Vat.* 1. *med.* Nullum tibi omnino cum Albinovano sermonem ulla unquam de re fuisse. *Id. Fl.* 6. Sermo est tota Asia dissipatus, Pompejum contendisse, etc. *Id. Att.* 7, 23. Mihi venit in mentem, multum fore sermonem, me judicium jam de causa publica fecisse; et *ib.* 3. *f.* Sed haec coram: nam multi sermonis sunt; et *Q. Fr.* 1, 1, 14. Primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis; et *Phil.* 10, 7. Esse in ore et sermone omnium. *Ov. Met.* 12, 105. domito victoria Cycno In sermone fuit. *Sen. ep.* 95. *med.* Memini, fuisse in sermone nobilem patinam; et *Cic. Mil.* 12. *med.* Versari in pervagato civitatis sermone; et *Prop.* 3, 1, 31. Exiguo sermone esse; et *Cic. Att.* 13, 23. *f.* Dare se in sermonem; et *Or.* 1, 21. *f.* Sermonem ordiri. *Id. Off.* 1, 38. conferre cum aliquo. *Ter. Eun.* 4, 1, 8. occipere. *Id. Heaut.* 2, 3, 1. caedere. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. facere inter aliquos. *Id. Marcell.* 2. Quippiam crebris usurpare sermonibus; et *Pl. Trin.* 3, 3, 68. Diem sermone terere. *Cic. Fam.* 7, 32. *f.* Jucundus est mihi sermo litterarum tuarum: *scil.* quia per epistolas cum absentibus loquimur. ℙ Non raro dicitur de obtrectatione, et reprehensione. *Id. Verr.* 2, 4, 7. Ut in sermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. *Id. Coel.* 16. Sermones iniquorum effugere. *Id. Fam.* 3, 8. *med.* remores. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. retundere. *Cic. Att.* 13, 10. restinguere, aut sedare. *Id. Fam.* 9, 3. dare iis, qui, etc.; et *Tac. H.* 4, 4. Materiam sermonibus praebere. Adde *Cic. Cat.* 1, 9. et *Fl.* 5. *extr.* Quo pertinet illud *Pl. Ps.* 1, 5, 4. Filius meus nunc per urbem solus sermo est omnibus, *h. e.* his, de quo sermo est omnium; qui in ore est omni populo, ejus flagitia reprehendenti. *Prop.* 2, 17, 7. Et nunc inter eos tu sermo es. *Cic. Rab. Post.* 14. *f.* Cataplus ille Puteolanus, sermo illius temporis. Sic *Hor. Epod.* 11, 7. Heu me! per urbem fabula quanta fui! et *Prop.* 1, 15, 24. Tu quoque uti fieres nobilis historia; et *Juven.* 10, 167. Ut pueris placeas, et declamatio fias. ℙ In re oratoria, *Auct. ad Her.* 3, 13. tres vocis modos, qui in variis orationis partibus adhibentur, esse ait sermonem, contentionem, amplificationem. Sermonem definit, orationem remissam, et finitimam quotidianae locutioni. Dividit in partes quatuor, dignitatem, demonstrationem, narrationem, jocationem. *Sen. ep.* 15. *med.* Naturale est paulatim incitari, ut litigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem transeant. [*Optime de his exposuit *Ern.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 354. Cf. *Ellendt.* ad *Brut.* p. 175.] ℙ Praeterea dicitur *sermo* carmen pedestri et translaticia locutione confectum, ut satyra. Itaque *sermones* libri satyrarum *Horatii* inscribuntur. *Id. Ep.* 2, 2, 59. hic delectatur iambis, Ille Bioneis sermonibus, et sale nigro. ℙ Item quicumque liber, tractatus, historia, quae a Graecis quoque *λόγοι* dicuntur. *Id. Od.* 3, 21, 9. quamquam Socraticis madet sermonibus; et *ib.* 8, 5. Docte sermones utriusque linquae. Alii leg. *sermonis*. V. hic *Bentl. Plin.* 18, 1, 1. de sua historia: Quippe sermo circa rura est, agrestesque usus. Hinc in plurimis Declamationibus, quae *Quintiliano* tribui solent, *sermo* inscribitur brevis oratio simplici stilo composita, qua ratio et modus docetur cujusque declamationis tractandae. ℙ Denique *sermo* est propria cujusque nationis lingua. *Cic. Off.* 1, 31. Sermone eo debemus uti, qui notus est nobis: ne, ut quidam Graeca verba inculcantes, jure optimo irrideamur. *Nep. Ann.* 13. Libri Graeco sermone confecti. *Id. Them.* 10. Sermo Persarum. [*Att. 4, 1. sermo latinus. V. *Brem.* ad *Them.* 10, 1.] ℙ *Serv.* ad *G.* 1, 93. et *ib.* 3, 250. et *A.* 1, 248. *sermonem* de uno tantum vocabulo dixit. ℙ Est etiam cogn. R., ut M. Marcius Sermo trib. pleb. ap. *Liv.* 42, 21.

SERMOCĬNANTER, adv. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Sermocinanter horas extrahere.

SERMOCĬNĀTĬO, onis, f. figura rhetorica, qua aliquem loquentem inducimus. *Quint.* 9, 2, 31. Sermones hominum assimulatos dicere *διαλόγους* malunt, quam quod Latinorum quidam dixerunt, sermocinationem. *Auct. ad Her.* 4, 52. Sermocinatio est, cum alicui personae sermo attribuitur, et is exponitur cum ratione dignitatis. Adde *ib.* 43. et *Gell.* 19, 8. *in.*

SERMOCĬNATRIX, icis, f. *Quint.* 3, 4. Plato sophista judiciali et concionali tertiam adjecit *προσομιλητικήν*, quam sane permittamus nobis dicere sermocinatricem: quae a forensi ratione disjungitur, et est accommodata privatis disputationibus. *Appul. Met.* 9. Sermocinatrix immodica.

SERMOCĬNOR, aris, dep. 1. *ὁμιλέω*, sermonem habeo, colloquor. *Cic. Inv.* 2, 17. *f.* Cum, quibus in rebus homines in consuetudine scribendi aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. *Id. Verr.* 2, 1, 52. *f.* Libenter ait se esse facturam, et se cum isto diligenter sermocinaturam. *Gell.* 5, 21. *Pluria* forte quis dixit sermocinans, vir apprime doctus. [*Suet. Tib.* 56.]

SERMONĀLIS, e, adj. *Tert. adv. Prax.* 5. Non sermonalis, sed rationalis Deus.

SERMONOR, aris, dep. 1. idem quod sermocinor. De eo sic *Gell.* 17, 2. Sermonari rusticius videtur, sed rectius: sermocinari crebrius, sed corruptius.

SERMUNCŬLUS, i, m. parvus sermo. *Hieron. ep.* 32. *n.* 1. Duas epistolas huic sermunculo annexui. ℙ In malam partem. *Cic. Att.* 13, 10. Sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. *Id. Dej.* 12. Nonne intelligis, Caesar, ex urbanis malevolorum sermunculis haec ab istis esse collecta?

*SERNIOSUS, a, um, adj. a sernia, quod valet scabies. *Theod. Prisc.* 1, 12. Serniosos, quas nos petiginosos dicimus. Cf. *Reines. V. L.* 3, 11. p. 522. *Bail.*

SĒRO, adv. *ὀψέ*, [*extrema diei parte, imminentibus jam tenebris, vespera. Cf. *Vall. Elegg.* 4, 107. et *Cerd.* ad *Virg. A.* 12, 864. Noster laud.] *Cic. Att.* 7, 21. Veni Capuam ad nonas Februar., ita ut jusserat consules: eo die Lentulus venit sero. [*Adde *Quint. Inst.* 6, 3, 49. — interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset, respondit, Sero: ubi v. *Spald.* ℙ Hinc, quoniam quae vespere demum fiunt, cum ante solis occasum perfici debuissent, recte celeritatis, strenuitatis laude privantur, *sero* in universum dicitur de iis quae tarde, non eo, quo constitutum est, tempore peraguntur, nostr. *spät. Forc.* exempla congess. ista.] *Cato R. R.* 5. *med.* Opera omnia mature conficias, face: nam res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies. *Cic. Brut.* 10. Videsne, ut in ea ipsa urbe, in qua nata sit eloquentia, quam sero prodierit in lucem? *Id. Fam.* 7, 22. Etsi domum bene potus, seroque redieram, tamen, etc. *Ov. A. Am.* 3, 676. tam sero cur veniatque roget. ℙ Comp. *Serius* ap. *Hor. Od.* 2, 3, 25. omnium Versatur urna serius ocius Sors exitura; et *Cic. Or.* 3, 20. Ad mysteria biduo serius veneram. *Ov. Met.* 4, 105. Serius egressus vestigia vidit in alto Pulvere certa ferae. *Mart.* 1, 109. Ipse salutabo decima, vel se-

rius, hora. Sup. *Serissime* habet *Caes. B. C.* 3, 75. Ut qaam serissime ejus profectio cognosceretur. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 3. Pira Tarentina serissime legi. [*Hoc loco illud notandum comparativum *serius* ap. seriores, nunquam ap. bonos scriptores, interdum etiam ita usurpari, ut alias *sero*, i. e. frustra, *zu spät*. *Suet. Galb.* 20. in auxilium advolaverunt; sed serius, itinere devio per ignorantiam locorum retardati: ubi v. *Brem.* ℙ Denique *sero* pertinet ad ea, quae fiunt] post tempus, postquam abiit occasio rei gerendae, frustra: [*nostr. *zu spät:* quam notionem *Noster* perperam primo loco posuerat.] *Pl. Trin.* 2, 4, 14. Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit, postquam comedit rem, post rationem putat. *Id. Capt.* 4, 2, 90. Abi stultus: sero post tempus venis. *Id. Men.* 5, 6, 31. Metuo, ne sero veniam, depugnato proelio: *μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία. Ter. Heaut.* 2, 3, 103. Age modo: hodie sero ac nequicquam voles. *Auct. ad Her.* 2, 25. *f.* Vitiosum est, quod jam quasi sero, atque acto negotio dici videtur. *Cic. Att.* 7, 5. *f.* Sero resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. Adde *Sall. in ep. Mitrid. ad Arsac. med., Caes. B. G.* 5, 29., *Nep. Ag.* 3. *f.* et *Suet. Ner.* 49. *med.* Huc pertinet proverb. *Sero sapiunt Phryges*, apud *Fest.* et *Cic. Fam.* 7, 16. quod Trojani decimo denique anno velle coeperant Helenam, quaeque cum ea erant rapta, reddere Achivis, quod et *Dict. Cret.* narrat 4, 22. Eodem sensu Itali dicunt, *a talotta giugnesse la gragnuola. Stat. Th.* 1, 596. Sero memor thalami, moestae solatia morti, Phoebe, paras. *Prop.* 1, 1, 25. Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici. *Juven.* 1, 169. galeatum sero duelli Poenitet. ℙ Differunt *tarde*, et *sero*. Tarde fieri potest quippiam, quod tamen adhuc juvet: sero quod fit, non amplius prodest. *Petr. Sat.* 7. Tarde, immo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum. [*Vera quidem sunt, quae Noster de discrimine vv. *tarde* et *sero* disputat, at non sufficiunt: potius ita differentiam utriusque vocabuli constituerim, ut *tarde* ad ipsum agendi rationem, parum strenue procedentem, *sero* ad tempus refendum sit, quod quis perficiendo operi constitutum praetermittit. ℙ Confund. *sero* et *serio*. V. h. v. in *f.*]

SĔRO, as, a. 1. claudo, a *sera*. Agnoscitur a *Prisc.* 8, 837., nulla tamen addita Latini scriptoris auctoritate.

SĔRO, is, rui, rtum, a. 3. *εἴρω*, necto, connecto, texo, jungo. Est in usu praecipue in compositis *consero, insero, exsero* et aliis. Translate *Enn.* ap. *Charis.* 2, 177. Alternum seritote diem concorditer ambo, *h. e.* ita seriem dierum disponite et ordinate, ut alternis, etc. Sermo esse videtur de Tatio et Romulo, qui alterna vice Romae imperabant. *Liv.* 25, 6. Fati lege rerum humanarum ordo seritur. *Sen. Med.* 281. Quid seris fando moras? *h. e.* nectis, quod dixit *Sen. uterque*, *Val. Fl.* et *Tac.*, et *nectere causas inanes* eodem sensu. *Pl. Most.* 5, 1, 51. Serere negotium, *h. e.* implicare, impedire et difficile reddere. Huc referri possunt, [*immo debent] illa *serere sermones*, *colloquia*, *verba*, etc., quae in v. sq. ponuntur: nam et *Cic. Fam.* 9, 21. *texere epistolas* dixit.

SĔRO, is, sēvi, sătum, a. 3. *σπείρω*, semino, planto. *Caes. B. G.* 5, 14. Plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt. *Virg. G.* 1, 210. Exercete, viri, tauros, serite hordea campis. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. *med.* Ut tantum decumae sit, quantum severis. *Id. Or.* 2, 69. Da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos. *Hor. Od.* 1, 18, 1. Nullam sacra vite prius severis arborem. *Colum.* 11, 3. *med.* Hae res et semine, et plantis seruntur. *Ov. A. Am.* 2, 668. Iste feret segetes: iste serendus ager. *Plin.* 18, 23, 53. Autumno aliquid saturus, Septembri mense fimum inaret post imbrem. ℙ De hominibus. *Cic. Att.* 14, 20. Tertullae (*Cassii uxoris*) nollem abortum: tam enim Cassii sunt jam, quam Bruti serendi. *Id. Leg.* 1, 8. Exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani. ℙ Translate. *Sil.* 1, 80. solers nutrire furores, Romanum sevit juvenili in pectore bellum, *h. e.* Hamilcar in animo Annibalis filii. *Liv.* 28, 25. Ubi sermones inter se serentium circulos vidissent. Sic *Pl. Mil.* 3, 1, 105. Serere sermones alicui, *h. e.* habere cum aliquo. Rursus *Liv.* 24, 31. colloquia cum hostibus. [*V. quae dicta sunt in v. praeced.] *Sen. Med.* 26. incassum querelas et verba, *h. e.* spargere, fundere. Sic *Stat. Ach.* 2, 35. Sic segnes heroes eunt, campumque patentem Alterno sermone serunt. Et absolute. *Id. Th.* 6, 941. Multa duces errore serunt: hi nubila, et altos Occurrisse Notos: adverso roboris ictu Tela repulsa, alii, *h. e.* disserunt, disputant. *Suet. Cal.* 26. Serere causam discordiarum inter plebem et equites. *Pl. Poen.* 1, 1, 67. Ut villicum hanc perdoceamus ut serat fallaciam. Alii leg. *ferat*. *Id. ib.* 3, 2, 10. Serere lites. *Liv.* 3, 40. *med.* civiles discordias. *Id.* 24, 3. *f.* crimina in senatum apud infimae plebis homines. *Id.* 2, 1. certamina cum patribus. *Id.* 21, 10. bella ex bellis. *Just.* 8, 3. opinionem. *Sen. ep.* 104. *med.* sibi causas sollicitudinum. *Virg. A.* 12, 228. rumores varios. *Lucr.* 5, 1288. et *Sil.* 5, 236. Aere solum terrae tractabant: aereque belli Miscebant fluctus, et vulnera vasta serebant, *h. e.* crebra vulnera infligebant, ut qui serunt, densa grana spargunt. Alii leg. *ferebant*. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 642.] ℙ Proverb. est illud *Pl. Epid.* 2, 2, 80. Mihi istic nec seritur, nec metitur, *h. e.* nihil hoc ad me attinet, quia neque damnum affert, neque utilitatem. V. METO.

[SĔRO, onis, m. qui serit, idem ac sejo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 129, 11. L. Gavius Sero. *F.*]

SĔRŌTĪNUS, a, um, adj. *ὄψιος, ὄψιμος*, qui sero venit: et dicitur de pomis, et aliis rebus, quae tardius maturescunt, aut veniunt, aut fiunt. *Plin.* 15, 15, 17. Pira serotina ad hiemem usque ad matrem pendent, gelu maturescentia; et *ib.* 18, 19. et *Colum. Arb.* 21. Ficus biferae, serotinae, et praecoces. *Plin.* 17, 2, 2. Serotinae hiemes: et *mox:* Serotinae aquae. *Id.* 18, 24, 56. Festinatam sementem saepe decipere, serotinam semper. *Id.* 21, 10, 32. Flos serotinus. *Colum.* 8, 5. *f.* Serotini pulli, qui ab solstitio nati capere justum incrementum non potuerunt. ℙ *Serotina loca*, in quibus sero maturescunt plantarum fetus: quibus *praecocia* opponuntur. *Plin.* 17, 11, 16. Ante omnia in similem transferri terram, aut meliorem oportet: nec e tepidis, aut praecocibus in frigidos, aut serotinos situs. *Id.* 18, 24, 54. Non transferendum semen ex praecocibus locis in serotina. ℙ *Raptor serotinus* ap. *Sen. decl.* 3, 21. *f.* est qui sero puellam rapuit. ℙ Paenultima brevis est, ut docet *Voss. de Gramm.* 2, 23. Ut enim a *diu*, *cras*, *prius*, *horno*, *perendie* adverbiis fiunt adjectiva brevia, *diutinus*, *crastinus*, *pristinus*, *hornotinus*, *perendinus;* ita a *sero serotinus*, quod et *Prisc.* tradit 2, 590. Contra quae a nominibus fiunt, longa sunt, ut a *Matuta matutinus*, a *vesper vesperinus*. Contrarium docuit *Scal. de causis L. L. c.* 98.

*SERPA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Anton. Itin. B. A.*

SERPENS, entis, part. a *serpo: ἕρπων*, qui serpit. *Cic. Tusc.* 5, 13. Bestias serpentes quasdam, quasdam esse gradientes. *Id. Sen.* 15. Vitem serpentem multiplici lapsu, et erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum. *Lucan.* 9, 974. in sicco serpentem pulvere rivum. *Sen. Med.* 818. imas urat serpens flamma medullas. *Cic.* in *Arat.* 47. Namque est Ales avis, late sub tegmine coeli Quae volat, et serpens geminis secat aera pennis: *κατάχρησις*. Sic *Lucr.* 5, 690. Propter signiferi posituram totius orbis, Annua sol in quo contudit tempora serpens. *Cic. Cat.* 4, 3. *f.* Hoc malum obscure serpens multas jam provincias occupavit. *Lucr.* 6, 660. Exsistit sacer ignis; et urit corpore serpens Quamcumque arripuit partem, repitque per artus. *Plin.* 24, 14, 77. Ulcera serpentia. *Id.* 7, 24, 24. Serpens somnus. ℙ Absolute. *Id.* 30, 13, 39. Oesypum ad carcinomata ac serpentia valet, *h. e.* ulcera serpentia. ℙ Saepissime est anguis, draco, coluber, *ὄφις:* tum masculino genere, tum feminino: et subintelligitur *bestia*, *draco*, *anguis*, aut quippiam simile: quod et aliquando adjicitur, ut *Suet. Tib.* 72. Erat ei in oblectamentis serpens draco. *Cic. Vat.* 2. Repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti. *Id. Har. resp.* 25. *extr.* Jam ista serpens, quae tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc, compressa atque illisa morietur. *Virg. A.* 2, 214. Corpora natorum serpens amplexus uterque Implicat. *Id. ib.* 11, 753. Saucius at serpens sinuosa volumina versat, Arrectisque horret squamis, et sibilat ore, Arduus insurgens. *Lucr.* 4, 639. ut serpens, hominis quae tacta salivis Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa; et *ib.* 58. cum lubrica serpens Exsuit in spinis vestem. *Lucan.* 9, 397. plena veneno. *Nep. Ann.* 10. Quamplurimas venenatas serpentes vivas colligi imperavit. *Ov. Met.* 3, 38. longum caput extulit antro Caeruleus serpens, horrendaque sibila misit; et *ib.* 2, 651. Serpens dira. *Id. Am.* 2, 13, 13. pigra. *Id. Met.* 7, 534. Miliaque incultos serpentum multa per agros Errasse. *Virg. A.* 8, 436. Serpentum squamae. *Hor. Epod.* 1, 20. avis serpentium allapsus timet. *Cels.* 5, 27. *n.* 3. Serpentium morsus. *Vitr.* 8, 4. Africa nutrix serpentium. ℙ Est et signum coeleste, ap. *Vitr.* 9, 6. et *Hyg. Astr.* 2, 14. et *ib.* 3, 13. V. OPHIUCHUS. Alius est, de quo *Hyg. ib.* 3, 1. V. ANGUIS. ℙ Poeticam serpentis descriptionem habes ap. *Virg. A.* 2, 203. et *Cul.* 161. et *G.* 3, 425., *Ov. Met.* 3, 31., *Stat. Th.* 5, 505. et *Sil.* 6, 151., ubi inusitatae molis anguem a M. Regulo in Africa caesum, ad Bagradam fluvium, describit. Cujus rei mentio fit etiam a *Plin.* 8, 14, 14., *Gell.* 6, 3., *Val. Max.* 1, 8. *n.* 19. *extr.* et *Oros.* 4, 8. ℙ De serpente saucio. V. *Virg. A.* 5, 273. ℙ De vermibus corpori humano innascentibus, et *φθειρίασιν* efferentibus. *Plin,* 7, 51, 52. Ut Pherecydes Syrius serpentium multitudine ex corpore ejus erumpente exspiraverit. Adde *Appul. Flor. n.* 15.

[SERPENSIS, e, adj. ad Serpam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem ad Anam fluv., quae etiamnum nomen servat. Ejus urbis *Itin. Anton.* meminit. *Inscr.* ap. *Grut.* 682, 7. Fabia Prisca Serpensis. *F.*]

SERPENTĀRĬA, ae, f. herba, quae et viperina dicitur, foliis mollibus, gustu aspero, quae prodest ad morsus viperarum. *Appul. Herb.* 5.

SERPENTĪFER, ra, rum, adj. qui serpentes fert. *Virg. Cir.* 477. Aeginamque simul, serpentiferamque Seriphum. Alii leg: *Sementiferam*, h. e. fertilem sementis.

*SERPENTIFORMIS, e, adj. serpentis formam habens. *Vulg. Interpr. Iren.* 1, 34. *B. A.*

SEBPENTĪGĔNA, ae, comm. gen. *ὀφιογενής*, ex serpentibus natus. *Ov. Met.* 7, 212. Vos serpentigenis in se fera bella dedistis. Loquitur de illa juventute, quae ex serpentis a Cadmo occisi dentibus humi satis nata est.

SERPENTĪGER, ra, rum, adj. *ὀφιοῦχος*, qui serpentes gerit. *Ov. Trist.* 4, 7, 17. Sphyngaque, et Harpyias, serpentigerosque Gigantes. Alii leg. *serpentipedesque*, h. e. serpentis similes pedes habentes: quod magis placet: nam *Macr. Sat.* 1, 10. *med.* Gigantum pedes in draconum volumina desinebant.

SERPENTĪNUS, a, um, adj. ad serpentem pertinens. Male quidam legunt ap. *Just.* 32, 4. Omne serpentinum genus: *serpentium* enim legi debet. Habet tamen *August. de Gen. contra Manich.* 2, 26. Nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere dicuntur; et *Ambros. in Luc.* 2, 2, 51. Serpentina pectora.

SERPENTĪPES. V. SERPENTIGER.

SERPĔRASTRA, orum, n. plur. machinulae, adminicula, quae puerorum genibus alligantur, ne vaciae fiant, aut compernes. Sunt qui putant esse a *sirpo*, alligo. *Varr. L. L.* 8, 5. Non sequitur, ut stulte faciant, qui pueris in geniculis alligent serperastra, ut eorum depravata corrigant crura. ℙ Translate. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* De serperastris cohortis meae nihil est quod doleas: ipsi enim se collegerunt admiratione integritatis meae, *h. e.* de praefectis, legatis, tribunis, quaestore, accenso, etc. qui in meo comitatu sunt in provincia. *Serperastra* eos vocat, quia eorum, quibus praeerant, vitia corrigere debebant, ut serperastra distortiones crurum: ipsi tamen male se gerere coeperant, sed exemplo Ciceronis jam resipiscebant. Alii intelligunt sordidos homines, lucris intentos, et honesti nullam rationem habentes: a *serpo:* quasi humi serpant, nil sublime cogitent. Sunt etiam qui mallent *cerberastris*, quasi Cerberi similibus, avidis, voracibus, et pecuniae inhiantibus. [*Orell. hab. *serperastris.*]

SERPILLUM. V. SERPYLLUM.

SERPO, is, psi, n. 3. *ἕρπω*, more anguium incedo, ventre ingredior, repo: a voce Graeca allata, spiritu in sibilum verso, ut *sex* ab *ἕξ*, *septem* ab *ἑπτά*, ut *Fest.* in *Serpsit* docet. *Cic. N. D.* 2, 47. *med.* Alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando. *Id. Fin.* 5, 15. Serpere anguicolos, nare anaticulas, evolare merulas. *Ov. Met.* 12, 13. Serpere caeruleum Danai videre draconem In platanum; et *ib.* 15, 689. Serpit anguis per humum. *Id. Pont.* 3, 3, 102. Utque latens ima vipera serpit humo. ℙ Passive. *Solin.* 32. Cum terra nullo serpatur angue. ℙ Dicitur de aliis rebus per terram repentibus, et progredientibus, vel leni, vel tortuoso cursu. *Tibull.* 1, 8, 13. An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis Caeruleis placidus per vada serpis aquis? *Ov. Trist.* 3, 10, 30. Ister Congelat, et tectis in mare serpit aquis. Adde *Met.* 14, 598. *Liv.* 30, 6. Flamma per continua serpens uno repente omnia incendio hausit. *Virg. A.* 2, 269. et *Plin.* 7, 24, 24. Serpit somnus. *Prop.* 3, 11, 64. Fallacem patriae serpere dixit equum, *h. e.* sensim scandere muros Trojae. *Plin.* 27, 11, 74. Lithospermos (*herba*) jacet, atque serpit humi; et *ib.* 9, 58. Rami in terram serpunt quini, senive. *Id.* 22, 18, 21. Chamaeleon serpit in terra, echini modo spinas erigens. *Id.* 21, 16, 59. Aculeatarum caules aliquarum per terram serpunt; et 17, 20, 33. Inter se radices serpunt, mutuoque discursu nentur. *Claud. IV. cons. Honor.* 641. Per tua lanugo cum serpere coeperit ora. *Cels.* 6, 18. *n.* 2. Ulcus latius atque altius serpit. *Virg. G.* 3, 469. culpam ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia vulgus. *Mart.* 1, 79. Inque ipsos vultus serperet atra lues. *Plin.* 29, 2, 10. Sordes caudarum prosunt gingivis, si carcinoma serpat. *Id.* 27, 12, 91. Polygonon sistit omnia quaecumque serpunt. ℙ *Serpere aerem*, dixit *Lucr.* 6, 118. h. e. flare, meare, spirare. ℙ Translate est sensim, aut occulte progredi, dilatari, crescere. *Flor.* 2, 9. Serpsit tamen latius in proximos bellum, omnemque late Cephaleniam. *Ov. R. Am.* 105. tacitae serpunt in viscera flammae: sc. *amoris. Cic. Am.* 23. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia. *Id. Mur.* 21. *f.* Serpit hic rumor; et *Stat. Th.* 1, 168. jam murmura serpunt Plebis. *Cic. Phil.* 1, 2. Cum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius. *Id. Att.* 1, 13. et *Rab. Post.* 6. *extr.* Hoc serpet longius. *Just.* 31, 3. Ne vicinum malum (*belli*) etiam ad se serperet. *Cic. Div. Verr.* 22. Si paulatim haec consuetudo serpere ac prodire coeperit. *Plin.* 14, 11, 13. Altius cura serpit. *Cic. Or.*

2, 50. Ecce autem, cum te nihil profecisse arbitrarer, serpere occulte coepisti, etc. *h. e.* sensim progredi oratione. *Hor. A. P.* 28. Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae, *h. e.* humili stilo utitur. ℙ Part. *Serpens* V. s. l. ℙ *Serpsit* usi sunt antiqui pro *serpserit*. Messala: serpula serpsit: serpens inrepserit. *Festus.*

SERPULA, ae, f. serpens. V. in v. praec.

SERPULLUM. V. SERPYLLUM.

SERPYLLĬFER, ra, rum, adj. serpyllum ferens. *Sidon. ep. in carm.* 8, 11. Qua serpylliferis olet catinis Baccas per geminas ruber botellus.

SERPYLLUM, Serpillum et Serpullum, i, n. ἕρπυλλον, herba condimentis ciborum apta: ab ἕρπω, serpo, ut *Varr. R. R.* 1, 35. et *Plin.* 20, 22, 29. docent. [**Quendel*, *Feldthymian*, Thymus Serpyllum, *L.*] Nam silvestre serpit, dispergitque sese per humum quibusdam ramusculis tenuibus, qui quacumque terram attigerint, radicem agunt. *Plin. l. c.* Serpyllum a serpendo putant dictum: quod in silvestri evenit, in petris maxime. Sativum non serpit, sed ad palmae altitudinem increscit. Pinguius voluntarium, et candidioribus foliis ramisque. *Virg. Ecl.* 2, 10. Thestylis et rapido fessis messoribus aestu Allia, serpillumque, herbas contundit olentes. *Id. G.* 4, 30. casiae virides, et olentia late Serpilla. Adde *Cat. R. R.* 73., *Colum.* 11, 3. *med.* et *Pall.* 4, 9. *f.* ℙ In veterib. codicib. *Virg.* invenit *Pierius* serpullum: *Catonis* quoque non uni idem habent, ex consuetudine vertendi Graecam *υ* in u.

SERRA, ae, f. πρίων, instrumentum dentatum, quo ligna et lapides secantur. *Plin.* 7, 56, 57. et *Sen. ep.* 90. *med.* ejus inventionem tribuunt Daedalo: *Hyg. fab.* 274. et *Ov. Met.* 8, 241. Perdici, Daedali sororis filio, V. PERDIX. Ex spina piscis formam serrae ductam, *Hyg. l. c.*; ex foliis serratis chamaedryos, alii ap. *Plin.* 24, 15, 80. tradunt. *Ov. l. c.* 244. Ille etiam medio spinas in pisce notatas Traxit in exemplum, ferroque incidit acuto Perpetuos dentes, et serrae reperit usum. *Sen. ep.* 90. *med.* In quadratum tigna decidere, et, serra per designata currente, certa manu trabem scindere. *Virg. G.* 1, 143. Tum ferri rigor, atque argutae lamina serrae. Nam primi cuneis scindebant fissile lignum. *Lucr.* 2, 410. serrae stridentis acerbus Horror. *Cic. Tusc.* 5, 40. Surdi ne stridorem quidem serrae audiunt tum, cum acuitur. *Varr.* ap. *Non.* 3, 197. Id sal virgines Vestales serra ferrea secant. *Colum. Arb.* 9. Vitem serra praecidere. *Vitr.* 2, 7. Lapis albus, qui etiam serra dentata, uti lignum, secatur. ℙ Est et serra perpetua acie sine dentibus, qua marmora secantur. Arena hoc fit (inquit *Plin.* 36, 6, 9.) et ferro fieri videtur, serra in praetenui linea premente arenas, versandoque tractu ipso secante. ℙ *Serra lignea.* V. in SERRO. ℙ Translate. *Tert. Cor. mil.* 3. Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus? *h. e.* de eadem re frustra altercabimur. *Varr. R. R.* 3, 6. Ducere serram cum aliquo, *h. e.* cum aliquo altercari, contendere, certare, alicui adversari. Alii perperam leg. *sertam.* ℙ Festive *serra* dicitur spina dorsi mulieris macrae. *Mart.* 11, 100. Cui serra lumbis, cuspis eminet culo. ℙ *Serra proeliari* dicitur, cum assidue acceditur, recediturque, neque ullo consistitur tempore. Cato de re militari: Sive forte opus sit cuneo, aut globo, aut forcipe, aut turribus, aut serra, uti adoriare. Haec *Festus*, quae aciei nomina etiam a *Gell.* 10, 9. referuntur. *Veg. Mil.* 3, 19. *f.* ejus usum esse ait, cum turbatam aciem reparare opus est: opponitur enim hosti urgenti strenua militum manus, quae tantisper, dum ordines iterum ad pugnam reficiuntur, ejus impetum aggrediendo, et recedendo removetur. ℙ Est et piscis, aut frutex marinus hoc nomine, fortasse quia formam serrae refert. *Plin.* 9, 2, 1. et 32, 11, 53. ℙ Item genus plaustri, quod rotis subter ferreis ac dentatis volvitur, ut excussis frumentis, stipulam in areis conterat, et in cibos jumentorum, propter foeni sterilitatem, paleas comminuat. *Hieron. in Amos.* 1. ℙ Denique *Serra* in sacris nomen erat Tiberini fluminis, si credimus *Serv.* ad illud *Virg. A.* 8, 62. Ego sum, pleno quem flumine cernis Stringentem ripas, et pinguia rura secantem, Caeruleus Tibris.

SERRĀBĪLIS, e, adj. εὔπριστος, qui serra secari facile potest. *Plin.* 16, 43, 82. Serrabilia, ac sectilia, quae modice humida: arida enim lentius serrae cedunt, viridia pertinacius resistunt. Ita *Hard.* Alii perperam leg. *durabilia:* hic enim *Plinius* vertit locum *Theophr. Hist. Plant.* 5, 8., ubi εὔπριστα, καὶ εὔσχιστα habet.

SERRĀCŪLUM, i, n. πηδάλιον, clavus navis. Ita exponitur in *Gloss. Philox. Ulp. Dig.* 9, 2, 29. Parvi referret, navem immittendo, aut serraculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis. Ita quidam leg., et habet etiam *Torrent.* in margine: sed in textu *servaculum*, quod alii ancoram, alii clavum, alii scapham navis interpretantur. *Haloander* edidit *verriculum.* At etiam in *Not. Tir.* p. 182. *serraculum* legitur.

SERRĀCUM. V. SARRACUM.

SERRĀGO, inis, f. scobis, fragmenta minutissima, quae humi cadunt, cum aliquid serra secatur, πρίσμα. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 8. *med.* Cum cervini cornu serragine aspersa. *Id. Acut.* 1, 14. Caprinum cornu nigrum, sed alba ejus serrago. Quidam tribuunt et *Plinio* 37, 2, 10. Infestantur crystalli plurimis vitiis, scabro, serragine, maculosa nube, etc. Alii leg. *scabro*, *ferrugine.* Alii *scabro ferrumine:* quod rectius est.

SERRĀNUS, i, m. alterum cognomen C. Atilii Reguli, qui ann. U. C. CCCCXCVII. et DIV. consul fuit, quique prius Seranus ab agro serendo, mox duplicata consonante Serranus est appellatus. *Cic. Rosc. Am.* 18. Nae tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. Etenim qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. Adde *Sext.* 33. *Plin.* 18, 3, 4. Serentem invenerunt dati honores Seranum, unde cognomen. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 5. Atilium autem, qui ad eum arcessendum a senatu missi erant ad imperium pop. R. suscipiendum, semina spargentem viderunt. *Virg. A.* 6, 845. vel te sulco, Serrane, serentem. Ubi *Servius:* Atilius quidam senator fuit, qui cum agrum suum coleret evocatus propter virtutem meruit dictaturam (corrige *consulatum*). Serranus autem a serendo dictus est. *Claud in Ruf.* 1, 202. Sudabatque gravi consul Serranus aratro. *Id. Cons. Honor.* 4, 414. Sordida Serranus flexit dictator aratra. (Hic auctor memoriae lapsu *dictatorem* dixit, quem *l.* prius *c.* recte *consulem* appellaverat.) ℙ Sunt qui putant, non a *serendo* dictum esse Serranum, quia et orthographia et prosodia huic nominis derivationi repugnat, sed a Sarrano Umbriae oppido, cujus incolae *Sarranates* memorantur a *Plin.* 3, 14, 19.; verum potior videtur esse tot scriptorum veterum auctoritas, qui contrarium affirmant. Nec eorum est approbanda sententia, qui hujusmodi cognomen a Sarra seu Carthagine deducunt, quippe qui male existimant, C. Atilium Regulum Serranum fuisse filium illius M. Atilii Reguli, qui a Carthaginiensibus captus, et crudeliter occisus est, cum *Val. Max.* 4, 4. *n.* 6. affirmet, hunc ejusdem quidem nominis et sanguinis, minime vero illius patrem fuisse. ℙ *Serranae tibiae.* V. SARRANUS.

*SERRAPILLI, orum, populi Pannoniae, ad Dravum amnem. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

*SERRARĬUS, i, m. λιθοτριωτής *Gloss. Cyrill. B. A.*

SERRĀTIM, adv. in modum serrae. *Vitr.* 6, 11. Uti dentes conjuncti muro serratim struantur. *Appul. Herb.* 2. Folia serratim scissa.

SERRĀTORĬUS, a, um, adj. in modum serrae factus. *Ammian.* 23, 4. In modum serratoriae machinae connecti.

[SERRATRĪNĂ, ae, f. locus ubi serra secantur arbores. *Non.* 1, 320. Moletrina a molendo, quod pistrinum dicimus, ut serratrina, ut foetutina. Alii leg. *seratrina*, alii aliter. *F.*]

SERRĀTŪLA, ae, f. V. BETONICA.

SERRATŪRĂ, ae, f. serrandi actus. *Pall.* 3, 17. de insitione: Arborem serra recidemus; post serraturam, plagam ferramentis acutis incidamus.

SERRĀTUS, a, um, part. a *serro:* πριονοειδής, in serrae modum denticulatus, ut serrati dentes, qui inter se distincti sunt, et pectinatim stipati ad similitudinem dentium serrae. *Plin.* 11, 37, 61. Dentium tria genera, serrati, aut continui, aut exserti. Serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut serpentibus, piscibus, canibus; et *ib.* Piscium omnibus serrati dentes, praeter scarum: huic uni aquatilium plani. *Id.* 9, 59, 85. Anthiae spinas in dorso serratas habent. *Id.* 11, 37, 48. Capitis ossa serratis pectinatim structa compagibus. *Petr. Sat.* 136. Anser non dubitavit crus meum serrato vexare morsu. *Plin.* 25, 8, 46. Folia herbae serrata. *Id.* 24, 15, 80. Chamaedrys serrata. *Id.* 25, 6, 30. Centaurii folia lata, serrato ambitu. ℙ *Serrati nummi* ap. *Tac. G.* 5. *f.* sunt, quorum ambitus asper et dentatus est in modum serrae: quod indicium quibusdam videtur, nihil iis resectum, et justi esse ponderis. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 94.

*SERRĒTES, um, populi Asiae, circa Pontum Euxinum, Colchidi vicini. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

SERRĪCŪLA, ae, f. serrula. V. SECURICULA.

*SERRĪUM vel Serrheum, i, n. mons Thraciae cum promontorio cognomine, ad mare Aegaeum, non longe ab Hebro flumine. *Plin.* 3, 11. ubi *Serrium* audit. Σέρριον ὄρος est *Appiano*, Σέρριον ἄκρη *Herod.* et *Steph. Byz.* ℙ Et nomen castelli ibi siti. *Liv.* 31, 16. ubi posterior forma reperitur. *B. A.*

SERRO, as, a. 1. serra seco, πρίζω. *Veg. Mil.* 2, 25. Pali dedolantur, atque serrantur. *Hieron.* 15. *in Isai.* 57, 1. Quod Isaias serrandus sit a Manasse serra lignea. ℙ *Part. *serrans* ap. *Vulgat. Jes.* 41, 15. Habens rostra serrantia, *h. e.* serrata. *B. A.*

SERRŪLĂ, ae, f. πριόριον, parva serra. *Cic. Cluent.* 64. et ap. *Prisc.* 3, 617. Se in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam, ex omni parte dentatam, et tortuosam venire serrulam. *Colum. Arb.* 6. *med.* Vitem juxta aliquem nodum serrula desecato. *Cels.* 7, 33. Aliquid ossis nudetur: dein id serrula praecidendum est. *Varr. R. R.* 1, 50. Serrula ferrea. *Pall.* 1, 43. manubriata.

SERTĂ, ae, f. σχοινίον, funiculus, restis: a *sero*, necto, quia ex pluribus lineis conserta est. Hoc sensu accipi posse videtur in illo *Tibulli* 2, 5, 97. Aut e veste sua tendent umbracula sertis Vincta. Dubia sunt illa *Palladii* 4, 10. *med.* Suspendendi grossi ex caprifico velut linea serta pertusi. Alii leg. *lino*, *velut serta*, *pertusi.* *Id.* 8, 6. Post XL dierum spatium cum serta, quae appensa sunt, auferantur. Alii omittunt *cum.* *Varr. R. R.* 3, 1. Sertam ducere cum aliquo, *h. e.* altercari. Alii rectius leg. *serram.* V. h. v. ℙ Est etiam idem ac sertum. *Charis.* 1, 83. Serta neutro genere dicuntur, sed Propertius feminine dixit. (2, 24, 37.) Cum tua praependent demissa in pocula sertae: et Cornelius Severus *(in fragm.):* Huc ades Aonia crinem circumdata serta. ℙ *Serta Campanica*, herbae genus, de quo V. in CAMPANICUS. Absolute *Cato R. R.* 13. Suffito serta, et schoeno, et palma, quam habent unguentarii.

SERTĀTUS, a, um, adj. coronatus, serto circumdatus. *Capell.* 5. *in.* Caput regali majestate sertatum.

*SERTO, as, a. 1. *Gloss. Vet.* Sertat, στεφανοῖ. Cf. *Sertatus. B. A.*

SERTOREM quidam putant dictum a prendendo, quia cum cuipiam afferat manum, educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor: cum veri similius sit, dictum, qui sereret quid; ac potius adsertorem a serendo cepisse nomen, cum aliquem serat petendo in libertatem eandem, qua ipse sit, id est jungat, quia fruges cum seruntur, terrae jungit: quod totum Verrius ἀνιθάνως introducit. Haec *Festus.* Hinc qui per sationem natus erat, *sertor* praenomen habuit, ut docet *Auct. de nominib.* R., cujus tamen praenominis exemplum adhuc est incompertum: nisi velimus reputare, hunc auctorem praenomen *Servium*, quod *Ser.* scribi solet, cum *Sertore* confudisse.

SERTORĬĀNUS, a, um, adj. ad Sertorium pertinens, ut Sertorianum bellum, *Cic. Phil.* 11, 8. Sertoriani duces, *Id. Manil.* 8. Sertoriani milites, *Id. Verr.* 2, 5, 56. *med.* Sertoriana tempora, *Id. Agr.* 2, 30. *f.* Sertoriana arma, *Sen. ep.* 94. *f.* Fuit autem Q. Sertorius civis R. e Nursia oriundus, qui civili bello Marii, et Sullae, una cum Cinna Marianas partes secutus, Sulla tandem rerum potito, in Hispaniam aufugit, ibique multas res praeclare gessit, et quatuor Romanorum duces contra se missos variis cladibus afflixit. Denique a Perperna socio suo per insidias in coena interfectus est. *Lucan.* 2, 549. Quique feros movit Sertorius exsul Iberos. V. *Flor.* 3, 22., *Vell.* 2, 25. et 30. et *Epit. Livii a l.* 90.

SERTŪLA Campana, herba eadem quae melilotos, ap. *Plin.* 21, 9, 29. V. CAMPANICUS.

SERTUM, i, n. V. v. sq.

SERTUS, a, um, part. a *sero:* συμπεπλεγμένος, consertus, connexus, intextus. *Lucan.* 10, 164. Accipiunt sertas nardo florente coronas. *Appul. Met.* 4. Puellam per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis et solutis adprecantur. *Id. ib.* 10. Jaculis floris serti et soluti Deam propitiantes; et *ib.* 2. Rosa serta et soluta. ℙ *Serta*, *orum*, absolute, sunt flores aut folia in coronam conserta, et intexta, στέφανος. Usurpantur plerumque in plur. num., quia corona ex pluribus foliis aut floribus sertis constat. *Virg. A.* 1, 421. Ture calent arae, sertisque recentibus halant. *Cic. Tusc.* 3, 18. *f.* Incendes odores, et sertis redimiri jubebis, et rosa. *Tibull.* 3, 5, 63. Syrio madefactus tempora nardo Debueram sertis implicuisse comas. *Ov. Fast.* 4, 616. Imposuitque suae spicea serta comae. *Id. Trist.* 5, 3, 3. Festaque odoratis innectunt tempora sertis. ℙ Item *sertum*, *i*, in num. sing. *Auson. Idyll.* 6, 88. roseo Venus aurea serto Moerentem pulsat puerum: scil. Cupidinem. ℙ Distinguere videtur serta a coronis *Pl. As.* ubi ait 4, 1, 58. Tum si coronas, serta, unguenta jusserit ancillam ferre Veneri, aut Cupidini, etc. *Corona* esse proprie videtur, quae fit redimendo capiti: *serta*, quae ornatui in aliis corporis partibus, aut in postibus aedium, etc., licet in circularem textum composita non sint: quae Itali dicunt, *festoni.* V. ENCARPI et PANCARPIUS. ℙ *Serta*, *ae.* V. supra s. l.

SERVĂ, ae, f. δούλη, femina quae in servitute est, ancilla. *Praetor* ap. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. Qui servum, servamve, alienum, alienam recepisse dicetur, etc. *Virg. A.* 5, 284. Olli serva datur, operum haud ignara Minervae. *Liv.* 1, 47. *f.* Servum, servaque natum muliebri dono regnum occupasse. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 40. Livia Liviae Aug. serva a veste purpur; et *n.* 49. Aurelia Liviae Aug. serva a veste.

SERVĀBĪLIS, e, adj. σώσιμος, qui servari potest. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 3. Duracina uva, sine ullis vasis in vite servabilis. *Ov. Trist.* 4, 5, 21. Et tutare caput nulli servabile; si non Qui mersit Stygia, sublevet illud, aqua.

SERVĀCŪLUM. V. SERRACULUM.

SERVANS, antis, part. a *servo:* τηρῶν. *Cic. Tusc.* 1, 28. Tum in eodem orbe in duodecim partes distributo quinque ferri stellas, eosdem cursus constantissime servantes disparibus inter se motibus. *Ov. Met.* 1, 683. de Argo: junctisque canendo Vincere arundinibus servantia lumina tentat. *Virg. A.* 2, 426. cadit et Ripheus, justissimus unus Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi.

SERVĀTĬO, onis, f. actus servandi, seu observan-

di. *Plin. ep.* 10, 121. Usque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam diplomata commodavi, neque in rem ullam, nisi tuam, misi; quam perpetuam servationem meam quaedam necessitas rupit.

SERVĀTOR, oris, m. σωτὴρ, qui servat, conservator, salvator. *Pl. Ps.* 3, 2, 83. Eho, an etiam veneficus? *Co.* Imo edepol vero hominum servator magis. *Cic. Planc.* 36. *extr.* Ego committerem, ut idem perditor reipublicae nominarer, qui servator fuissem; et *ib.* 42. Nemo erit, qui a me mei servatorem capitis divellat. *Liv.* 34, 50. *f.* Prosequentibus cunctis, servatorem, liberatoremque acclamantibus. *Ov. Pont.* 4, 15, 41. Teque meae causam servatoremque salutis. *Id. Met.* 4, 736. Auxiliumque, domus servatoremque fatentur. *Claud. in Eutrop.* 1, 439. Aemilios inter, servatoresque Camillos Eutropius? *Prop.* 4, 6, 37. o Longa mundi servator ab Alba Auguste. ℙ Est epith. Jovis, ut *custos*, *conservator*, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 18, 6. Jovi optimo maximo, servatori, conservatori P. Aelius Chrestus, etc. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 14. Templum Jovis servatoris in portu Atheniensium. ℙ Item spectator. *Lucan.* 8, 171. Doctus ad haec fatur taciti servator Olympi. ℙ Item servans, custodiens. *Id.* 2, 389. Justitiae cultor, rigidi servator honesti. *Claud. B. Get.* 496. servator foederis. *Stat. Theb.* 5, 352. servator cruentus Bebrycii nemoris.

*SERVATORIUM, i, n. φυλακτήριον *Gloss. Gr. Lat.* Medicamentum est, quod vim servandi et muniendi contra morbos habet. *B. A.*

SERVATRIX, icis, f. σώτειρα, quae servat, conservatrix. *Ter. Hec.* 5, 4, 16. O mea Bacchis, servatrix mea! *Cic. Fin.* 5, 9. *f.* Non dubitem dicere, omnem naturam servatricem esse sui. Plerique omnes leg. *conservatricem.* [*Ita *Orell.*] *Stat. Theb.* 5, 672. dux et servatrix cohortis Inachiae. Adde *Ov. Met.* 7, 50. ℙ Est epithet. Dearum. *Inscr.* ap. *Gud.* 31, 7. Divae Dianae servatrici; et 52, 5. Minervae servatrici sacrum. Aliae duae ap. *Fabr.* p. 470. *n.* 109. et 110. Proserpinae servatrici. ℙ Item custos. *Stat. Theb.* 12, 606. Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam Pectoris, incussa movit Tritonia parma.

SERVĀTUS, a, um, part. a *servo:* σεσωσμένος, salvus, conservatus, liberatus. *Pl. Epid.* 5, 1, 37. Dii me ex perdita servatam cupiunt. *Id. Aul.* 4, 6, 11. et *Trin.* 4, 3, 69. Dii me salvum et servatum volunt. *Cic. Att.* 1, 12. *f.* Clodium cum veste muliebri deprehensum domi Caesaris, eumque per manus servulae servatum et eductum. *Id. Arch.* 9. *med.* Urbs ex totius belli ore ac faucibus erepta atque servata. *Ov. Trist.* 3, 1, 49. Adjice servatis unum, pater optime, civem. (In nummo Augusti ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 121. civica corona insculpta est cum epigraphe *Ob civis servatos.*) *Pl. Merc.* 5, 2, 68. Servata res est demum, si illam videro, *h. e.* salva res est. *Inscr.* ap. *Grut.* 48, 5. Q. Servilius vulnere servatus Herculi Deo invic. sign. aereum ex voto pos. ℙ Custoditus. *Hor. Od.* 2, 14, 23. Absumet heres Caecuba dignior Servata centum clavibus. *Ov. Am.* 2, 19, 1. servata puella. *Id. Pont.* 1, 1, 22. servatae leges. *Cic. Cluent.* 35. In quo non modus est adhibitus, non mos consuetudoque servata. *Cic. Fl.* 28. Illa gens *(Judaeorum)* quam cara Diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata, *h. e.* firmis praesidiis a Scauro circumclusa. ℙ Reservatus. *Stat. Theb.* 5, 585. gravioraque tela mereri Servatus Capaneus. ℙ Spectatus, inspectus. *Ov. Trist.* 1, 9, 49. Haec mihi non ovium fibrae, tonitrusve sinistri, Linguave servatae, pennave dixit avis.

SERVĪAE, arum, f. plur. serta coronae. *Plin.* 21, 2, 2. Cum e floribus fierent serta, a serendo serviae appellabantur. Alii rectius legunt *serieve.*

SERVĪĀNUS, a, um, adj. ad Servium Sulpicium pertinens, quem juris civilis auctorem, et virum bene litteratum *Gell.* 2, 10. vocat, et *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* laudat. Hinc Serviana actio in quamplurimis *Digestorum* locis, v. gr. 20, 1, 3. etc.

SERVĪCŪLUS, i, m. *Tert. Idol.* 10. Saturnalia, quae etiam serviculis celebrari necesse est.

SERVIENTIA, ae, f. *Pl. Rud.* 4, 2, 13. Paupertatem heri qui et meam servientiam tolerarem. Alii rectius leg. *paupertatem heri qui et meam sententia tolerarem*, h. e. sapientia, prudentia.

*SERVILĪA, ae, f. mater M. Bruti, Julii Caesaris adultera. *Sueton. Caes.* 50. ℙ Alia, filia Q. Caepionis, quae nuptias Tulliae conciliare volebat. *Cic. Att.* 6, 1. ℙ Servilia Nais, amica Cn. Domitii, qui unus fuit e Caesaris percussoribus. *Sueton. Ner.* 3. ℙ Alia, de qua *Juvenal. sat.* 10, 319. ℙ Alia, Bareae Sorani filia, Annio Pollioni nupta. *Tac. A.* 16, 30. sq. *B. A.*

SERVĪLĪĀNUS, a, um, adj. deductum a Servilio, quod est nomen proprium Romanum, ut Serviliani horti, *Suet. Ner.* 47., *Tac. A.* 15, 55. et *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7.

SERVĪLĪCŌLA. V. SERVULICOLA.

SERVĪLĪI, orum, m. plur. familia plebeja Romae, sed illustris. In ea natus est P. ille Servilius, vir triumphalis, qui a devictis Isauris Ciliciae populis, Isaurici cognomen accepit. *Flor.* 3, 6. et *Epit. Livii* 93. Item P. Servilius Rullus, qui primus Romae solidum aprum in convivio apposuit. *Plin.* 8, 51, 78. Item hujus filius, ille Servilius Rullus legis agrariae promulgator, quem Cicero in consulatu suo subvertit. *Plin. ib.* ℙ Secunda syllaba plerumque longa est, ut ap. *Juven.* 10, 310. mox cum dederit Servilia nummos. Hinc in nummis gentis Serviliae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 308. legitur *C. Servili.* Corripuit tamen *Ennius* ap. *Gell.* 12, 4. *f.* Hunc inter pugnas compellat Servilius sic.

SERVĪLIS, e, adj. δουλικὸς, ad servum pertinens. *Cic. Phil.* 1, 3. *med.* Cujus a cervicibus jugum servile dejecerant. *Id. Sull.* 19. *f.* Munere servili obtulit se ad ferramenta prospicienda. *Id. Pis.* 38. Vestis servilis; et *ib.* 1. Servilis color. *Liv.* 1, 5. *med.* Indoles minime servilis. *Caes. B. G.* 1, 40. Servilis tumultus. *Petr. Sat.* 139. Serviles poenas dare. *Sall. or. Lepidi contra Sull.* Servilia alimenta. *Callistr. Dig.* 48, 20, 1. Servilis conditio. *Paul. ib.* 4, 5, 3. Servile caput nullum jus habet: ideoque nec minui potest. *Caes. B. G.* 6, 19. De uxoribus in servilem modum quaestionem habent. *Quint.* 11, 3. *med.* Humilis atque servilis gestus. *Sall. fragm.* ap. *August. C. D.* 2, 18. Servili imperio patres plebem exercere. *Flor.* 3, 19. Servile bellum; et *ib.* 21. *med.* Marium servilis fuga exemit, *h. e.* instar servi fugitivi, et latitantis. *Hor. Epod.* 4, 19. Servilis manus, *h. e.* servorum exercitus. *Id. Sat.* 2. 7, 110. qui praedia vendit, Nil servile, gulae parens, habet? *Cic. Or.* 2, 80. Servilis percunctatio, *h. e.* Sosiae liberti, sed adhuc hero servilia officia praestantis. *Sen. Tranqu.* 9. *med.* Plerisque, ignaris etiam servilium litterarum, etc. *h. e.* earam, quas vel servi norunt, legere, scribere, rationes conficere: quibus opponuntur *liberales*, eruditiores nempe et libero homine dignae. ℙ *Servile*, adverbii more, serviliter. *Claud. B. Gild.* 364. fractos inglorius armos Supposuit, servile gemens.

SERVĪLĪTER, adv. δουλικῶς, servorum more. *Petr. Sat.* 117. Serviliter ficti dominum consalutamus. *Cic. Tusc.* 2, 23. Ne quid serviliter muliebriterve faciamus. *Flor.* 1, 23. Impotentia feneratorum, quibus in terga quoque serviliter saevientibus, etc. *Tac. H.* 1, 36. Otho protendens manus adorare vulgum, jacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione.

SERVĪLĬUS, a, um, adj. ad Servilios pertinens: ut Servilia familia, *Plin.* 34, 13, 38. ℙ Servilia lex, agraria, lata a P. Servilio Rullo trib. pleb. de vendendis agris Italiae, Syriae, Asiae, et Libyae, et provinciarum, quas Pompejus subegerat, Ciceronе acriter dissuadente, perlata non est. ℙ Servilia altera de civitate, lata a C. Servilio Glaucia trib. pleb., sanxit, ut Latinis jus esset civitatis assequendae in locum ejus, quem accusando repetundarum damnassent. *Cic. Balb.* 24. et *Ascon.* in *or. pro Scauro.* ℙ Servilia item, judiciaria, lata a Q. Servilio Caepione, judicia, quae lege Sempronia ad solos equites R. pertinebant, senatorio ordini communicavit. *Tac. A.* 12, 60., *Cic. Brut.* 43. 44. etc. et *pro Scauro*, et *ib. Ascon.* ℙ *Servilius lacus* (locus Romae in regione octava) appellabatur ab eo, qui eum faciendum curaverat in principio vici jugarii, continens basilicae Juliae: in quo loco fuit effigies hydrae, posita a M. Agrippa. *Festus.* Ibi magna caedes civium R. a L. Sulla rerum potito facta est. *Cic. Rosc. Am.* 32. et *Sen. Prov.* 3.

*SERVĪLĬUS, i, m. nomen Romanum; v. g. P. Servilius Rullus, C. Servilius Glaucia, Q. Servilius Caepio, de quibus V. in v. praec. *Servilius, a, um.* V. et *Servilii.* ℙ Alia cognomina Serviliorum, Ahala, Vatia, Posthums, Geminus, Casca, quae V. suis locis. ℙ Antepaenultima natura longa est, quemadmodum in *servilis.* Corripit tamen *Lucil.* ap. *Gell.* 12, 4. *extr.* Hunc inter pugnas compellat Servilius sic. *B. A.*

SERVĪO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. δουλεύω, in servitute esse, sub domino officium facere, deservire, ministrare. *Cic. Or.* 1, 40. Si quis apud nos servisset, seseque liberasset. *Id. Rab. Post.* 8. *extr.* Quid stultius, quam equitem R. venire in eum locum, ubi parendum alteri, et serviendum sit? *Tac. Agr.* 13. Britanni injurias aegre tolerant jam domiti ut pareant, nondum ut serviant. [*Plin. Pan.* 32, 2. quanto libertati discordi servientibus sit utilius, unum esse, cui serviant: ubi v. *Gierig.*] *Ov. Met.* 15, 827. frustraque erit illa (*Cleopatra*) minata, Servifura suo Capitolia nostra Canopo. *Ter. Ph.* 1, 1, 33. Ea serviebat lenoni impurissimo. [*Id. Andr.* 1, 1, 11. Propterea quod serviebas liberaliter, i. e. quasi liber et ingenuus, non ut alii servi metu ad officia compellebaris] *Virg. A.* 2, 786. Grajis servitum matribus ibo. *Sil.* 17, 191. traducere captam Servitum gentem. Latioque imponere leges. *Pl. Ps.* 1, 5, 105. Aliquem servitum abducere. *Sen. Tranq.* 9. Assuescamus coenare posse sine populo, et servis paucioribus serviri. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac. med.* Quia fama erat, divitem, neque serviturum esse. [*Liv. 34, 50. ne ipsis quidem honestum esse, in liberata terra liberatores servire.] ℙ *Servire servitutem* modus est loquendi antiquorum, ut *Quint.* 7, 3, 26. docet. Habetur ap. *Pl. Mil.* 2, 1, 17., item ap. *Cic. Top.* 6. et *Mur.* 29. *med.* [*Liv. 30, 18. 45, 15.] Addit etiam *Plaut.* dativum personae, ut *Aul.* 4, 1, 6. Qui amanti hero servitutem servit; et *Capt.* 2, 3, 31. Dicito, me servitutem servire huic homini optimo; et *Trin.* 2, 2, 21. Tuis servivi servitutem imperiis et praeceptis, pater. Adde *Capt.* 2, 2, 84. et 3, 4, 12. Item etiam *servire servitute*, dixit *Mil.* 2, 6, 2. et 3, 1, 147. ℙ *Servire* etiam dicuntur, qui sub tyrannide vivunt. *Liv.* 39, 37. Cum sine muris per octingentos prope annos liberi fuissetis, muris, veluti compedibus circumdatis, vincti per centum annos servistis. ℙ Domus et agri *servire* dicuntur, qui aliqua re obnoxii sunt alteri a domino, v. gr. tigno immittendo, aquae ducendae, itineri praestando, etc.; qua de re sunt in *Digestis* tituli omnes libri octavi. *Cic. Agr.* 3, 2. *f.* Capite hoc omnia praedia, quae serviebant, non servient. *Id. Off.* 3, 16. et *Or.* 1, 39. Aedes hae Sergio serviebant. V. SERVITUS et SERVUS, a, um. ℙ [*Servire* dicitur etiam de iis, quae in usum alicujus rei adhibentur. *Plin. Pan.* 40, 1. exilis hereditas: et — tota sepulcro, tota funeri serviet: ubi *Gierig. laud. Quint.* 9, 4, 63. non cohaerent aliis, neque praecedentibus serviunt.] ℙ Translate est usum praebere. *Plin. ep.* 7, 24. Laetor, quod domus C. Cassii serviet domino non minori. *Front. Aquaed.* 18. Omnibus humilior Alsietina est, quae jacentibus locis servit; et 92. Ut Marcia potui tota serviret. *Plin.* 33, 12, 54. Argento feminae laventur, et nisi argentea, solia fastidiant: eademque materia et cibis, et probris serviat. *Id.* 16, 36, 64. Chartis serviunt calami; et *ib.* 37, 70. E scirpis detracto cortice, candelae luminibus, et funeribus serviunt. *Colum.* 4, 29. *med.* Ut totus truncus alieni generis viti serviat: scil. succum praebendo. ℙ Item morem gerere, inservire, praesto esse. *Cic. Planc.* 38. Respublica ageret mecum, ut quoniam sibi servissem semper, nunquam mihi, etc. ut jam mihi servirem, consulerem meis. *Nep. Them.* 1. Diligenter servire amicis. *Tiber.* ap. *Suet. Tib.* 29. Bonum principem senatui servire debere, et universis civibus saepe, et plerumque etiam singulis. ℙ Item parere, indulgere, obsequi. *Sall. fragm.* ap. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2, 2, 28. Senati decreto serviendumne sit. *Cic. Prov. cons.* 1. *f.* In hac sententia dicenda non parebo dolori meo, non iracundiae serviam. *Id. Coel.* 32. Ut in alterius dolore vel pietati, vel indulgentiae vestrae serviatis. *Vell.* 2, 23. Animos extra moenia, corpora necessitati servientes intra muros habebant. [*Cf. elegantem *Ruhnk.* notam.] *Claud. Laud. Stil.* 1, 167. placidi servirent legibus enses. *Id. IV. cons. Honor.* 555. Serviretque tuis, contempto Castore, frenis Cyllarus. *Caes. B. C.* 2, 27. Hi seu vere, quam habuerant, opinionem pertulerunt, sive etiam auribus Vari serviunt, (nam quae volumus, credimus libenter) confirmant, etc. *h. e.* blandiuntur. [*Id. B. G.* 4, 5. servire rumoribus, i. e. iis se accommodare, eos in consiliis capiendis sequi.] ℙ Item operam dare, incumbere. *Sall. Cat.* 56. Domi voluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae servitis. *Cic. Rosc. Am.* 15. Patresfamilias optatissimum sibi putant, filios suos rei familiari maxime servire. *Id. Q. Fr.* 1, 19. *f.* Populi commodis consulere, et utilitati salutique servire. *Id. Tusc.* 5, 3. *f.* Alios gloriae servire, alios pecuniae. *Id. Fam.* 16, 18. valetudini. *Id. Brut.* 69. multorum vel honori, vel periculo. *Vell.* 1, 13. *med.* Semper aut belli aut pacis serviit artibus. [*V. *Ruhnk.*] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Off.* 1, 10. Primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati seviatur. ℙ Item habere rationem, sectari, affectare. *Cic. Or.* 2, 80. Ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. *Id. Or.* 52. *extr.* et 79. In eo libro Isocrates dicit, sese minus jam servire numeris, quam solitus esset; et 54. *f.* Compositio, quae tota servit gravitati vocum, aut suavitati. ℙ Item accommodare se, aptare se. *Cic. ad Brut.* 1, 9. Tibi nunc populo et scenae, ut dicitur, serviendum est. *Id. Att.* 8, 3. et *ib.* 10, 7. Servire tempori. *Id. Off.* 3, 29. Illud idcirco recte dicitur a poeta, quia cum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit. ℙ *Servibam*, et *ibo*, pro *iebam*, et *iam* positiones sunt in quarta conjugatione non inusitatae. *Pl. Capt.* 2, 1, 50. Ne me secus honestes, quam ego te, cum servibas mihi. *Id. Merc.* 3, 2, 3. Antiqua recolam, et servibo tibi. *Id. Trin.* 2, 2, 27. Animo servibit, non sibi. ℙ [*Confund. *servire* et *servare*, V. *Gierig.* ad *Plin. Pan.* 63, 5.]

*SERVIODŪRUM, i, n. opp. Vindeliciae. *Tab. Peuting. B. A.*

SERVĪTĬUM, ii, n. δουλεία, servitus, famulatus. *Ter. Andr.* 4, 1, 52. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo, conari manibus pedibus, noctesque et dies. *Sall. Jug.* 66. Cum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; et 99. *med.* Servitium minari alicui. *Liv.* 2, 23. Ducere aliquem in servitium. *Sall. or. Licin. ad pleb. med.* scelestum imponere alicui; et *ep. Mithrid. ad Arsac. med.* grave alicui demere. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Civitatem a servitio abstrahere. *Ov. Trist.* 4, 6, 8. Servitium subire. *Colum.* 8, 11. Servitio liberatus. *Virg. A.* 1, 289. et *Justin.* 15, 3. *med.* Servitio aliquem premere. *Virg. A.* 3, 327. juvenemque superbum Servitio enixae tulimus, *h. e.* in servitute parientes. ℙ Translate. *Tibull.* 2, 1, 41. Illi etiam tauros primum docuisse feruntur Ser-

vitium, et plaustro supposuisse rotam; et *ib.* 4, 1. Hic mihi servitium video, dominamque paratam. *Ov. A. Am.* 3, 486. Vidi ego pallentes isto terrore puellas, Servitium miseras tempus in omne pati. *Id. Am.* 1, 2, 18. Servitium amoris ferre. *Colum.* 8, 8. de columbis: Ne quasi gravi perpetuae custodiae servitio contristatae senescant. ℙ *Servitia* sunt ipsi servi, seu multitudo servorum. *Cic. Fl.* 38. *f.* Vis absit, ferrum ac lapides removeantur, operae facessant, servitia sileant. *Id. Coel.* 32. Servitia ad caedem, et inflammandam Urbem incitavit. *Colum.* 11, 1. Servitia sic tirunculum villicum contemnunt, ut semen. ℙ Et in sing. num. *Cic. Verr.* 2, 5, 4. *med.* Et tamen coeptum esse in Sicilia moveri aliquot locis servitium suspicor. *Id. Har. resp.* 12. *med.* Omne servitium in alteram scenam immissum, alteri praepositum. Adde *Pl. Curc.* 2, 3, 21. et *Vell.* 2, 82. ℙ Translate. *Plin.* 11, 11, 11. Sunt autem fuci velut imperfectae apes, novissimaeque a fessis et jam emeritis inchoatae, serotinus fetus, et quasi servitia verarum apium. ℙ *Fuit et Servitium nomen oppidi Pannoniae inferioris. *Notit. Imper. B. A.*

SERVĬTOR, oris, m. servus. *Inscr.* ap. *Mur.* 76, 4. Ex imperio Genii Alotiani Euaristus servitor Deorum ex viso lib. an. *h. e.* libenti animo. *Auct. sermon. ad Fratr. in Eremo (inter op. Augustini)* 43. *med.* Pro lecto habere voluit foenum, pro servitoribus bovem et asinum.

SERVITRĬCIUS, a, um, adj. *Stabulum servitricium*, convicium in servum, quemadmodum *stabulum flagitii*, *nequitiae*, etc. Sunt qui putant esse a *tero*, *is*, quasi tritus verberibus, aut fugitivi notis; vel quasi servorum vilissimus, quem terant ceteri, et calcent. Plerique tamen rectius leg. *servitutium.* V. SERVITUS. *Pl. Pers.* 3, 3, 13. Vir summe populi, stabulum servitutium, scortorum liberator, subiculum flagri.

SERVĪTŪDO, inis, f. servitus, servitium. *Liv.* 24, 22. Servitudinis indignitatisque homines expertos, etc. Alii aliter leg. *Festus:* Eritudo, servitudo. *Gloss. Philox.* Servitudo, δουλεία. Quidam addunt *Liv.* 39, 37., sed ibi omnes fere *servitutis.*

SERVĪTUS, utis, f. δουλεία, conditio servorum, servitium, famulatus, sive sub domino, sive sub tyranno. *Florent. Dig.* 1, 5, 4. Servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. *Cic. Phil.* 2, 44. *med.* Pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum. *Ter. Andr.* 1, 1, 9. Servitus justa et clemens. *Pl. Amph.* 1, 1, 12. dura. *Suet. Tib.* 24. misera et onerosa. *Phaedr.* 1, 2. Cum tristem servitutem flerent Attici. *Cic. Cluent.* 7. *med.* Esse in servitute, (*h. e.* haberi in servitute, ut ait *Tac. A.* 12, 53.) *Id. Dom.* 51. et *Nep. Thras.* 1. Servitute oppressam civitatem tenere. *Cic. Prov. cons.* 5. Aliquem in servitutem tradere. *Sall. or. Licin. ad pleb. med.* Servitutem alicui imponere. *Caes. B. G.* 7, 77. perpetuam injungere civitatibus. *Cic. Mur.* 29. Servitutem servire. *Id. Phil.* 6, 7. pati. *Pl. Capt.* 2, 3, 12. ferre. *Id. Aul.* 2, 1, 47. In servitutem redigere. *Ter. Ph.* 4, 3, 48. Dare se alicui in servitutem. *Cic. Pis.* 34. *f.* abducere. *Just.* 8, 1. subire cogere. *Caes. B. G.* 7, 14. Abstrahere liberos in servitutem. *Liv.* 3, 56. addicere; et 44. asserere. *Just.* 15, 4. Cervicibus jugum servitutis excutere. *Cic. ad Brut.* 1, 14. *extr.* Repellere servitutem a civibus. *Id. Am.* 12. *med.* Graeciam servitute liberare. *Liv.* 34, 7. *f.* Exsuere servitutem. ℙ Translate. *Quint.* 2, 16, 9. Nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent, [*i. e. servandis se legibus obligarent.] et 7, 3, 16. Illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus (est enim certe servitus) ad certa se verba adstringendi. ℙ Est et praediorum *servitus*, cum alicui rei obnoxia sunt, ut in SERVIO dictum est. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Servitutem fundo imponere. *Ulp. Dig.* 8, 3, 1. Servitutes praediorum rusticorum sunt hae: iter, actus, via, aquaeductus. *Cajus ib.* 2, 1. Urbanorum praediorum jura talia sunt: altius tollendi, et officiendi luminibus vicini, stillicidium avertendi in tectum, immittendi tigna, etc. ℙ De multitudine servorum, seu potius amantium. *Hor. Od.* 2, 8, 17. pubes tibi crescit omnis, Servitus crescit nova. Ita *Broukus.* ad *Tibull.* 2, 4, 1. Aliis fortasse non placebit, quia bis idem *Horatius* dicere videretur. ℙ *Servitutium* pro *servitutum*, ut *civitatium*, *Arpinatium*, habetur in *Dig.* 8, 2, 31. *extr.* et *ib.* 3, 1. *extr.* in ed. *Torrent.* et al. V. SERVITRICIUS.

SERVĬUS, ii, m. praenomen R., quod saepissime per tres priores litteras *Ser.* scribitur. *Auct.* libelli *de nominib.*, *praenominibus R.* etc. docet, qui primus hoc praenomine sit appellatus, ita dictum fuisse, quod mortua matre in utero servatus sit: alii quod in servitute genitus, vel quod *sero* natus est, quemadmodum *Manius*, qui mane, etc. ℙ Hujusmodi praenomen ita proprium fuit gentis Sulpiciae, ut aliud praeterea praenomen, omisso etiam nomine gentilicio, eidem praeponeretur. Hinc in nummo gentis Sulpiciae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 318. L. Servius Rufus. Quandoque etiam *Servius* loco nominis gentilicii fuit, etenim Otho ait ap. *Tac. H.* 11, 5. post Julios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam imperium intulisse. Hic *Servios* intelligas *Sulpicios*, ex qua gente fuit Ser. Sulpicius Galba Aug. ℙ Servius Tullius, sextus Romanorum rex. *Liv.* 1, 40., *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 7. ℙ Servius Sulpicius JCtus. V. SERVIANUS, et SULPICIUS. ℙ Servius Maurus Honoratus, grammaticus praestans, quem *Macrobius* in Saturnalibus suis loquentem inducit, et 1, 24. *med.* litteratorum omnium longe maximum vocat, Virgilii opera perpetuis adnotationibus illustravit. Vixit sub Valentiniano Imp.

SĒRUM, i, n. ὀρός, pars aquosa in lacte, quae post confectum caseum colatur per fiscellam e vimine (unde a Patavinis vulgo *scolo* vocatur), vel alio modo separatur. *Plin.* 11, 41, 96. Butyrum est spuma lactis, concretiorque, quam quod serum vocatur. *Id.* 28, 9, 33. Lac ablatum igni refrigeratione dividitur, et discedit serum a lacte. *Ov. Fast.* 4, 769. Ubera plena premam: referat mihi caseus aera: Dentque viam liquido vimina rara sero. *Tibull.* 2, 3, 15. Tum fiscella levi detexta est vimine junci, Raraque per nexus est via facta sero. *Virg. G.* 3, 405. acremque molossum Pasce sero pingui. ℙ Per similitudinem dicitur de aquosa parte aliarum rerum. *Plin.* 16, 12, 23. Resinam decoctam minus picis reddere, quoniam in serum abeat. *Catull.* 80, 8. de fellatore: et emulso labra notata sero, *h. e.* semine virili. ℙ *Sērum*, pars sera diei. V. SERUS. ℙ *Hoc seru*, ut *genu*, *gelu*, *tonitru*, ponit *Charis.* 1, 23., sed qui usurpaverit, adducit neminem.

SERVO, as, avi, atum, a. 1. ῥύω, salvum et incolumem praesto, tueor, conservo: a voce Graeca allata. [*V. in SERVUS.] *Cic. Fam.* 14, 2. Qui ceteros servavi, ut nos periremus. *Sall. Cat.* 56. *med.* Dii hanc rempublicam in maxumis saepe periculis servavere. *Ter. Ph.* 5, 3, 24. Ita me servet Juppiter, ut propior illi, quam ego sum ac tu, homo nemo est. *Id. Heaut.* 4, 8, 4. Serva, quod in te est, filium, et me, et familiam. *Cic. Verr.* 2, 3, 57. Quo ex judicio te nulla Salus servare posset. *Nep. Att.* 10. *extr.* Navem servare ex hieme, marique scopuloso. *Pl. Amph.* 1, 1, 157. Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? *So.* servaveris: nam continuas has tres noctes pervigilavi; et *Curc.* 2, 3, 56. Perdis me tuis dictis. *Curc.* imo servo, et servatum volo. ℙ *Servari ab aliquo posse* dicitur a JCtis, quod ex ejus bonis redigi potest. *Paul. Dig.* 25, 5, 2. et *Pomp. ib.* 26, 7, 61. et *Paul. ib.* 17, 1, 45. *f.* et al. ℙ Est etiam retineo, custodio, teneo. *Caes. B. G.* 4, 26. Nostri neque ordines servare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant. *Liv.* 26, 51. Hunc ordinem laboris, quietisque, quoad Carthagine morati sunt, servarunt. *Cic. Fin.* 4, 27. Fides ita contentae numeris, ut concentum servare possint. *Caes. B. C.* 1, 85. Eos neque colloqui, neque induciarum jura servasse. *Cic. Fam.* 2, 17. Servare legem. *Id. Phil.* 7, 8. *med.* pacem cum aliquo. *Nep. Ag.* 2. jusjurandum, religionem. *Cic. Am.* 7. *extr.* amicitiam summa fide, constantia, et justitia. *Id. Off.* 3, 24. promissa. *Ter. Andr.* 1, 5, 45. fidem. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. consuetudinem suam in patrociniis tuendis. *Cato R. R.* 5. ferias. *Plin.* 7, 53, 54. et *Lucan.* 2, 38. modum. ℙ Item in specula esse, videre, sollicite et diligenter observare oculis, cavere custodiae causa. *Ov. Met.* 4, 645. solidis pomaria clauserat Atlas Moenibus, et vasto dederat servanda draconi. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Volumen epistolarum tuarum sub signo habeo, servoque dili gentissime. *Ter. Eun.* 4, 7, 10. Ubi alii? *San.* qui, malum, alii? solus Sannio servat domi. Quidam leg. *domum. Hor. Ep.* 1, 5, 31. Atria servantem postico falle clientem. *Pl. Most.* 2, 2, 21. Natus nemo in aedibus servat, neque qui recludat, neque qui respondeat. *Id. Aul.* 1, 2, 3. Redi nunc jam intro, atque intus serva. *Sta* quippini ego intus servem? an ne quis aedes auferat? nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus; et *Cist.* 1, 1, 106. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas esse hic, et servare apud me. (Translate *Virg. A.* 7, 52. Sola domum et tantas servabat filia sedes, *h. e.* cum nullus esset heres regni et familiae, sola filia haec servabat quodammodo, et fulciebat.) *Pl. As.* 4, 1, 58. Si coronas jusserit ancillam ferre Veneri, tuus servus servet, Veneri eas det, an viro. *Id. Rud.* 4, 1, 4. Sed uxor scelesta me omnibus servat modis, ne qui significem quippiam mulieribus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 411. Quid servas, quo eam, quid agam? quid id attinet ad te? *Virg. A.* 6, 338. Palinurus dum sidera servat, Exciderat puppi. *Caes. B. G.* 2, 33. Praesidia indiligentius servaturos credebant. *Ov. Met.* 2, 538. Nec servaturis vigili Capitolia voce Cederet anseribus. Hinc *servare de coelo* est haruspicum auguria captantium. *Cic. Dom.* 15. *med.* Augures responderunt, cum de coelo servatum sit, cum populo agi non posse. *Id. Prov. cons.* 19. *med.* Cum lex feratur, de coelo servari, obnuntiari, intercedi licere. *Id. Vat.* 7. Quos tu quotidie sciebas servare de coelo. Adde *Sext.* 61. et *Phil.* 2, 32. ℙ Item observare, cavere. *Colum.* 8, 5. *med.* Servat autem qui subjicit, ne singula ova in cubili manu componat. *Liv.* 39, 14. *extr.* Triumviris mandatum est, ut servarent, ne qui nocturni coetus fierent. *Plin.* 17, 17, 28. Servandum in eo ante omnia, ut taleae ex feracibus fiant arboribus. ℙ *Serva*, formula admonentis, similis atque *hoc age*, intende animum, animadverte. *Ter. Andr.* 2, 5, 5. et *Ad.* 2, 1, 18. Hem serva! quasi de improviso respice ad eum. *Pl. Pers.* 5, 2, 29. Hem, serva rursum! *Hor. Sat.* 2, 3, 59. Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva. ℙ Poetice *servare* dicuntur, qui incolunt: tuentur enim et custodiunt. *Virg. G.* 4, 383. Nymphae, Centum quae silvas, centum quae flumina servant; et 459. Immanem ante pedes hydrum moritura puella Servantem ripas alta non vidit in herba. ℙ Item conservare, reponere in aliud tempus. *Colum.* 12, 28. *f.* et *Cato R. R.* 114. Si voles servare in vetustatem, ad alvum movendam servato, nec commisceas cum cetero vino. *Plin.* 30, 13, 39. Vermes in melle servandos censent. *Id.* 36, 17, 28. Lapis chernites mitior est servandis corporibus, nec absumendis. *Cic. Att.* 5, 17. Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras: itaque eo me servavi; et *Planc.* 5. *med.* Ego quoque ad ea tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras. ℙ Cum inf. *Stat. Th.* 9, 187. infectaque sanguine tela Conjugibus servant, parvisque ostendere natis. ℙ Pro tenere, habere. *Virg. A.* 7, 178. paterque Sabinus, Vitisator, curvam servans sub imagine falcem. ℙ *Servasso*, *is*, *it*, ἀοριστικῶς pro *servem*, et *servavero*, ut *amasso*, *levasso*, etc. *Pl. Most.* 1, 3, 71. Si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. *Id. Cist.* 4, 2, 76. At vos Salus servassit. *Id. Cas.* 2, 5, 16. et *As.* 3, 3, 64. Dii te servassint semper.

SĒRUS, a, um, adj. χρόνιος, ὄψιος, qui diu differtur, tardus. *Cic.* vertens *Homeri* carmen, *Div.* 2, 30. Nobis haec portenta Deum dedit ipse creator, Tarda et sera nimis. *Id. Phil.* 1, 5. Ut magis exoptatae Kalendae, quam serae esse videantur. *Id. Fam.* 2, 7. Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla negligentia praetermissa est. *Cels.* 2, 6. *med.* Seriorem mortem, vel maturiorem denuntiare. *Colum.* 4, 23. Siccitas seriorem putationem facit. *Liv.* 2, 3. Bellum spe omnium serius fuit. *Vell.* 2, 131. Successores quam serissimos destinare alicui. *Val. Fl.* 7, 400. sera sub nocte; et *Varr.* ap. *Gell.* 1, 22. et 13, 11. Nescis quid vesper serus vehat. *Sen. Herc. Fur.* 671. nocte sic mixta solet Praebere lumen primus, aut serus dies. *Gell.* 11, 7. Sera eruditio, quam Graeci ὀψιμαθίαν appellant. *Ov. A. Am.* 2, 223. Jussus adesse foro, jussa maturius hora Fac semper venias: nec nisi serus abi. *Id. Pont.* 3, 4, 57. Non ego cessavi, nec fecit inertia serum. *Id. Met.* 15, 383. fetus Melliferarum apium sine membris corpora nasci, Et serosque pedes, serasque assumere pennas. *Id. ib.* 4, 29. et *Fast.* 5, 63. et *Trist.* 4, 10, 73. Seri anni, *h. e.* seniles. *Mart.* 5, 6. serior senectus. *Ov. A. Am.* 1, 65. sera et sapientior aetas; et *Prop.* 3, 1, 35., *Ov. Met.* 6, 138. et *Val. Fl.* 8, 397. Seri nepotes, *h. e.* qui multo post erunt. Sic *Ov. Pont.* 1, 4, 24. Sera posteritas. *Val. Fl.* 3, 779. Hunc sibi praecipuum, gentis de more nefandae, Thessalis in seros Ditis servaverat usus, *h. e.* extremos, et si quando postularet necessitas. *Id.* 3, 279. pars sera componunt lumina dextra, *h. e.* extremum officium claudendi oculos praestante. *Sen. Herc. Fur.* 731. Judicia trepidis sera sortitur reis, *h. e.* ultima apud Inferos. *Prop.* 1, 15, 21. Seri ignes, *h. e.* rogi. *Val. Fl.* 4, 705. serum ut veniamus ad amnem Phasidis, *h. e.* longe positum, et ad quem tarde et sero perventuri sumus. *Virg. G.* 4, 144. Ille etiam seras in versum distulit ulmos, *h. e.* quae tarde crescunt et ad justam magnitudinem lente perveniunt. ℙ Serotinus. *Plin.* 15, 19, 21. de piris: Serissima omnium Amerina, Picentina, etc. *Colum.* 5, 10. *med.* Si voles ficum, quamvis non natura, seram facere, priorem fructum decutito: iterum alterum edet, quem in hiemem differet. ℙ Longus, diuturnus. *Ov. Met.* 13, 403. Imposita est sero tandem manus ultima bello: Troja simul, Priamusque cadunt. ℙ Cum inf. *Prop.* 3, 3, 57. Cur serus versare boves et plaustra Bootes. ℙ *Serum dici*, et *serum* absolute (subaudi tempus) extrema diei pars, vesper, ὀψία. *Liv.* 10, 28. Extrahebatur in quam maxime serum diei certamen. *Id.* 7, 8. Castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere. *Tac. A.* 2, 21. *f.* Jamque sero diei subducit ex acie legionem. *Suet. Aug.* 17. Navali proelio vicit, in serum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctaverit. *Liv.* 33, 48. Multo vino in serum noctis convivium productum. [*V. quae dicta sunt in SERO.] ℙ Saepe *serus* dicitur de iis, quae frustra fiunt, quia nimis tarda, et cum elapsa occasio est: quod et in SERO admonuimus. *Sall. fragm.* ap. *Philarg.* ad *Virg. G.* 4, 144. et *Serv.* ad *A.* 5, 524. et *ib.* 12, 864. Serum bellum in angustiis futurum, *h. e.* frustra pugnam futuram, cum in angustias redacti fuerint. *Val. Fl.* 3, 562. Sera auxilia ciere; et 4, 247. redit Alcidae jam sera cupido. *Mart.* 8, 44. Titulle, moneo, vive semper: hoc serum est, Sub paedagogo coeperis licet: serum est. *Sen. Thyest.* 487. Serum est cavendi tempus in mediis malis. *Id. Hipp.* 594. magna pars sceleris mei Olim peracta est: serus est nobis pudor. ℙ Is ipse, qui nimis sero quippiam facit, et occasionem elabi sivit, *serus* est. *Virg. A.*

10, 94. Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas. *Val. Fl.* 3, 713. Herculeas jam serus opes, spretique vocabis Arma viri. Adde *Ov. Met.* 2, 617. ℙ Cum gen. *Hor. Sat.* 1, 10, 21. O seri studiorum! ὀψιμαθεῖς, qui parum didicistis, quia sero ad litteras animum applicuistis. *Sil.* 3, 255. Consilio viridis, sed belli serus Hertes. Al. leg. *bello.* ℙ *Sera* pro *sero*, more adverbii. *Virg. G.* 4, 122. narcissum sera comantem. ℙ Si *Servio* credas, *serus* est magnus, in illo *Virg. G.* 4, 144. Ille etiam seras in versum distulit ulmos: gravis, tristis, infelix, in illo *A.* 12, 863. avis, Quae quondam in bustis, aut culminibus desertis Nocte sedens, serum canit importuna per umbras; et *ib.* 5, 521. Seraque terrifici cecinerunt omina vates. Addit et fragmentum *Sallustii* supra allatum. Addunt alii illud *A.* 4, 462. Seraque culminibus ferali carmine bubo Saepe queri (Ita enim legit *Non.* 3, 23. Alii *sola.*). Et *Val. Fl.* 6, 431. funesta priusquam Consilia, et seras aperit rex perfidus iras. [*V. quae disputata sunt de his in SERIUS.] ℙ Falluntur, qui primam syllabam corripi posse putant, ex illo *Cic.* in *Arat.* 413. Occidit Andromedae clarum caput, et sera Pistrix: *fera* enim legendum est. [*Cf. quae de cognatione hujus vocabuli cum *severus* et *serius* dicta sunt in h. v.]

SERVŬLA, ae, f. *θεραπίδιον*, exigua serva. *Cic. Att.* 1, 12. *f.* Eumque per manus servulae servatum, et eductum.

SERVŬLICOLA, ae, m. et f. qui servulos colit. *Pl. Poen.* 1, 2, 55. de meretricib.: Versarier inter istas miseras, schoeno delibutas, servulicolas sordidas; et *mox:* Servulorum sordidulorum scorta diobolaria. Alii perperam leg. *servilicolas.*

SERVŬLUS et Servolus, i, m. *δουλάριον*, parvus, aut vilis servus. *Pl. Capt.* 4, 2, 100. Vidi tuum gnatum, et servulum meum Stalagmum: *supra v.* 95. *servum* dixerat: ex quo apparet, non semper diminutivi rationem haberi. Idem videre est *Cist.* 1, 3, 34., *Merc. prol.* 107. et 108. et *Truc.* 2, 4, 74. Sic *Ter. Andr.* 1, 1, 56. Observabam illorum servulos venientes, aut abeuntes. *Cic. Quint.* 6. *med.* Servulum unum abducit. Adde *Plin. ep.* 2, 17. *med.*, 3, 16. *med.* et 6, 16. *f.* et *Varr. R. R.* 3, 17.

SERVUS, a, um, adj. *δοῦλος*, qui alicui servit, subjectus, obnoxius. *Hor. Ep.* 1, 19, 19. O imitatores servum pecus! *Ov. Rem. Am.* 54. servum vitii pectus habere. Al. leg *vitiis. Id. Am.* 1, 6, 26. Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua, *h. e.* quae servorum potus est: vel quae a servo bibitur: contra *aqua libera*, quae a libero. *Petr. fragm. Trag.* 71. *Burm.* Servi, me salvo, cito aquam liberam gustabunt. *Pl. Pers.* 2, 4, 9. Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere. *Ov. Fast.* 6, 558. Serva manus. *Plin.* 10, 23, 31. Ciconia captiva et serva. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac. f.* Omnia non serva, et maxume regna, hostilia ducunt, *h. e.* non subjecta. *Paul. Dig.* 40, 7, 16. Statulibera quidquid peperit, hoc servum heredis est. ℙ *Serva praedia, servae aedes*, quae aliqua re alteri a domino obnoxia sunt, ut in SERVIO et SERVITUS dictum est. *Cic. Agr.* 3, 2. *f.* Libera praedia meliore conditione sunt, quam serva. *Cels. Dig.* 8, 6, 6. *med.* Fundus servus. *Jul. ib.* 2, 34. Servae aedes; et 33. Area serva.

SERVUS, i, m. *δοῦλος, θεράπων*, qui in servitute est, qui non est sui juris, sed alieno dominio subjectus, mancipium, famulus, puer: cui liber opponitur. Dictus est a *servando*, quia imperatores, ut ait *Flor. Dig.* 1, 5, 4., captivos vendere, et per hoc servare, nec occidere solent. Idem docent *Donat.* ad *Ter. Ad.* 2, 1, 28 et *August. C. D* 19, 15. [*Cognatum esse utrumque vocab. *servare* et *servus*, docere videtur locus, quem laud. *Doederl.* 3, 306., ubi v., *Plin. H. N.* 7, 27, 29. M. Sergius ... secundo stipendio dextram manum perdidit; stipendiis duobus ter et vicies vulneratus est; ob id neutra manu, neutro pede satis utilis; uno tantum servo, plurimis postea stipendiis debilis miles.] Alii sic dictum putant, quod in vinculis servari, seu custodiri soleat. Alii ducunt a *θεράπων*. *Mart. Dig.* 1, 5, 4. Servi in dominium nostrum rediguntur aut jure civili, aut gentium. Jure civili, si quis se major viginti annis, ad pretium participandum, venire passus est: jure gentium servi nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur. *Cic. Off.* 1, 31. *med.* Ulysses domi etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit. *Id. Att.* 8, 5. Pollicem, servum a pedibus meum, Romam misi. *Id. Or.* 3, 60. Quem servum ille habuit ad manum. *Suet. Caes.* 74. Philemonem, a manu servum, morte puniit. ℙ Servos liberaliter habendos esse, multis ostendunt *Sen. ep.* 47. et 1., *Clem.* 18. et *Macr. Sat.* 1, 11. Habet aliquid etiam *Cic. Off.* 1, 13. *f.* et de libertis *Plin. ep.* 2, 6. et *ep.* 8, 16. ℙ *Servi publici* erant, qui reipubl. magistratibus, sacerdotibus publice inserviebant, et aliquando lictorum, aut scribarum, aut apparitorum, etc. officio fungebantur, sive servili conditione, sive ingenua essent. *Cic. Phil.* 8, 8. Eum jussu Antonii in convivio servi publici loris ceciderunt. *Liv.* 26, 47. Opifices ad duo millia hominum erant, eos publicos fore populi R. edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixe operam navassent. *Id.* 9, 29. *f.* Potitia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos, ministerii delegandi causa, solemnia ejus sacri docuerat. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 13. Aediles stipati servis publicis non modo prendi non possunt, sed etiam ultro submovent populum. *S. C.* ap. *Front. Aquaed.* 100. Placere senatui, eos qui aquis publicis praecessent, lictores binos, et servos publicos ternos, architectos singulos, et scribas, et librarios, accensos, praeconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebei datur. ℙ *Quot servi, tot hostes*, in proverbio est. De quo Sinnius Capito existimat, errorem hominibus intervenisse, praepostere plurimis enunciantibus: vero enim similius esse, dictum initio, Quot hostes, tot servi. Tot captivi fere ad servitutem adducebantur. Haec *Festus* in *Quot.* Opinionem *Sinnii* falsam esse, vel illud *Senecae* satis ostendit *ep.* 47. Deinde ejusdem arrogantiae proverbium jactatur: Totidem esse hostes, quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Adde *Macr. Sat.* 1, 11. *med.* ℙ Translate *servus* est quivis subjectus. *Cic. Verr.* 2, 1, 22. Vidit enim, eos, qui judiciorum dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse servos. *Id. Cluent.* 53. Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. ℙ Servorum dies festus vulgo existimatur Idibus Augusti, quod eo die Ser. Tullius, natus serva, aedem Dianae dedicaverit in Aventino, cujus tutelae sint cervi, a quorum celeritate fugitivos vocent servos. *Festus.* V. SATURNALIA.

SĒSAMA. V. SESAMUM.

SĒSAMĪNUS, a, um, adj. *σησάμινος;* qui est ex sesamo. *Plin.* 23, 4, 49. Sesaminum (*oleum*) aurium dolores sanat, et ulcera, quae serpunt. Adde 13, 1, 2. et 28, 11, 47.

SĒSAMOĪDES, is, adj. omn. gen. *σησαμοειδής*, sesamo similis. *Sesamoides* n. gen. *sesamoide*, herba est grano amaro, folio minore, quam sesamae. *Plin.* 22, 25, 64. Sesamoides a similitudine nomen accepit, etc. Detrahit bilem in aqua potum. Est aliud sesamoides Anticyrae nascens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant: cetera simile erigeronti herbae. *Id.* 25, 5, 21. Helleborum in Anticyra insula tutissime sumitur, quoniam sesamoides admiscent.

SĒSĀMUM, i, n. et Sesama, ae, f. et Sesama, orum, n. plur. *σήσαμον, σησάμη*, inter aestiva frumenta numeratur a *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 1. et *ib.* 10, 22. et 23., inter legumina a *Colum.* 2, 7. Ab Indis venit, et culmum habet ferulaceum, folia sanguinea, semen vasculis inclusum, ut papaver, ut *Plin.* tradit *l. c.* Hoc adeo gratum est in cibis, ut locum habeat in bellariis et condimentis. *Pl. Poen.* 1, 2, 112. Ut mulsa loquitur! nihil nisi laterculos, sesamum, papaveremque, triticum, et frictas nuces. Al. leg. *papaveremque tritum. Petr. Sat.* 1. *extr.* Mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque, quasi papavere et sesamo sparsa. ℙ Varios habet usus in medicina, quos recenset *Plin.* 22, 25, 64., et *Cels.* 5, 15. ponit inter ea quae molliunt: fitque ex eo oleum, teste eod. *Plin.* 15, 7, 7. *f.* V. SESAMINUS. *Colum.* 11, 2. *med.* Quibusdam regionibus hoc mense sesama seruntur. *Id.* 12, 15. Admiscent torrefacta sesama cum aniso Aegyptio; et *ib.* 57. Sesamum leviter torrefactum cum iis viridibus conterito. *Plin.* 18, 10, 22. Aestiva frumenta diximus, sesamam, milium, panicum. [*Alii intelligunt *sesamum orientale*, *L.*, alii *sesamum indicum*, *L.*] ℙ Cicin, arborem in Aegypto copiosam, quidam sesamum silvestre appellant. *Id.* 15, 7, 7. ℙ Scribitur et *sisamum*, tum in quibusdam libris horum scriptorum, tum ap. *Pall.* 10, 7. et 11, 1.

*SESAMUS vel Sesamos, i, f. oppidum Paphlagoniae. *Mela* 1, 19. ℙ *Sesamum* audit *Plin.* 6, 2. ℙ Recentius nomen *Amastris. Id. ib. B. A.*

*SESANĪUM, i, n. oppidum Aethiopiae, vel fortasse Aethiopiae Aegyptoque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

SESCENAR vel Sescenāris, ris, m. vox antiqua. Videtur esse a *sacena*, quae vox ap. *Festum* exponitur dolabra pontificalis. Itaque sescenarem bovem possumus intelligere, qui hujusmodi dolabra percussus, mactatusque est. *Liv.* 41, 15. Exposuit patribus conscriptis, bovis sescenaris, quem immolavisset, jecur defluxisse. Alii scribunt *sescennaris*, et positum putant sex annorum aetatis. Alii, ut in re admodum obscura, alia comminiscuntur.

SESCŪLYSSES. V. SESQUIULYSSES.

SESCUNCIA, ae, f. *μία ἥμισυ οὐγκία*, uncia, ejusque dimidium; et est pro *sequiuncia:* [accipitur autem pro parte duodecima cum ejusdem dimidio cujuscumque quantitatis. *Cels.* 5, 18. *n.* 28. Malagma, quod habet galbani sine surculis sescunciam. *F.*] *Colum.* 12, 57. Laseris radicis sescuncia. *Id.* 5, 2. Quae summa efficit jugeri sescunciam, scripula duo, et dimidium. *Tryphon. Dig.* 37, 8, 7. Sescuncia hereditatis. *Front. Aquaed.* 26. Digitus quadratus, in rotundum redactus habet diametri digitum unum, et digiti sescunciam. ℙ [Scribitur et *sesconcia. Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 1479, 2., emendata apud *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4563. Locus patet agrei sesconciam quadratus, arca in medio est. *F.*]

SESCUNCIĀLIS, e, adj. sescunciam continens. *Plin.* 13, 15, 29. Mensa crassitudine sescunciali.

SESCUNX et Sesquunx, uncis, m. sescuncia. *Plin.* 36, 25, 62. Fastigium servari in pedes denos sescuncem.

SESCUPLEX et Sesquiplex, icis, adj. sescuplus. [*Sesqui* et *plica.*] *Cic. Or.* 57. Ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par. *Quint.* 9, 4, 47. *Ῥυθμὸς* aut par est, ut dactylus: unam enim syllabam parem brevibus habet: aut sescuplex, ut paeon, cujus vis est ex longa et tribus brevibus; quique ei contrarius, ex tribus brevibus et longa, vel alio quoquo modo, ut tempora tria ad duo relata sesculum faciant: aut duplex, ut iambus (nam est ex brevi et longa), quique est ei contrarius. V. SESQUIPLICARIUS.

SESCUPLUS, a, um, adj. *ἡμιόλιος*, qui numerum, pondus, aut mensuram totam in se continet, et praeterea ejus dimidium. Alio nomine *sesquialter* dicitur. Ex. gr. ternarius dicitur esse sescuplus binarii, quia continet binarium, et ejus dimidium: senarius dicitur esse sescuplus quaternarii, quia quatuor in se continet, et insuper dimidiam ejus partem. *Censor. de die nat.* 1: novem dies cum sex collatos, ait, sescuplam rationem facere. *Quint.* 9, 4, 47. Tria ad duo relata sescuplum faciunt. *Terent. de syllab.* p. 2395. Sescuplum tempus, necesse est, edere istam syllabam; et p. 2412. Sescuplo vel una vincet alterius singulum. ℙ Legitur et *sesquiplus. Plin.* 2, 22, 20. Pythagoras appellat tonum, quantum absit a terra Luna: ab ea ad Mercurium, spatii ejus dimidium: ab eo ad Venerem fere tantundem: a qua ad Solem sesquiplum.

SĒSĒLIS, is, f. *σέσελις*, herba folio foeniculi, sed crassiore, semine quoque non absimili, sed callosiore et hebetiore, capite anethi, in quo granum habet oblongum et angulosum, et cum editur, acre; radice autem longa, et odore non ingrato. Vulgus herbariorum *saxifragiam majorem* appellat. *Cic. N. D.* 2, 50. *f.* Cervaeque paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae seselis dicitur. *Plin.* 8, 32, 50. idem narrat: item 20, 5, 18., ubi etiam *sili* vocari ostendit: *σίλι* quoque *σέσελι* neutr. gen. Graeci dicunt. Unde *Plin.* 25, 8, 52. Cervae monstravere seseli, enixae a partu.

SESIA. V. SESSIA.

*SESONCHOSIS i. q. Sesostris. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 31. Adde 3, 30 et 67—68. *B. A.*

SĒSOSTRIS, is, et idis, m. *Σέσωστρις*, Aegypti regum potentissimus, tam superbus, inquit *Plin.* 33, 3, 15., ut prodatur, annis quibusque sorte reges singulos e subjectis jungere ad currum solitus, atque ita triumphare. *Lucan.* 10, 276. Venit ad occasum mundique extrema Sesostris, Et Pharios currus regum cervicibus egit. *Plin. l. c.* Victo Sesostre Aegypti rege. *Tac. A.* 6, 28. Sesostride primum, post Amaside, dominantibus. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 5. Obeliscus, qui est in Campo Martio, excisus est a Sesostride; et *ib.* 11, 15. Sesostridis filius Nuncoreus. ℙ Media syllaba in duas *o* extendi potest cum Graece *ω* sit. *Paul. Nol.* ap. *Auson. ep.* 19, 21. Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

[SESQUĀTUS, a, um, part. ab inus. *sesquo, as*, quod a *sesqui* derivatur. *Sesquati* porro appellantur duo numeri inter se ita comparati, ut non totus numerus major aliquoties minorem contineat, seu minor majorem aliquoties metiatur; sed ut tantum ea pars, qua minorem excedit major, seu minor exceditur a majore, ambos metiatur. Horum numerorum rationem *Capell.* 7, 251. *superparticularem* vocat. V. SESQUI. *August. Mus.* 1, 9. § 17. Quocirca illi numeri, ubi multiplicato minore fit major, vocentur complicati: hi autem sesquati veteri jam nomine. Nam sesque appellantur, ubi duo numeri ad se ea ratione affecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem major, quota parte sui praecedit major minorem: nam si est tria ad duo, tertia parte sui praecedit major minorem; si quatuor ad tria, quarta; si quinque ad quatuor, quinta, atque ita deinceps: eadem ratio est et in sex ad quatuor, octo ad sex, decem ad octo, et inde licet hanc rationem in consequentibus et in majoribus numeris animadvertere atque explorare. Nominis autem hujus originem non facile dixerim, nisi forte sesque quasi se absque dictum, id est, absque se, quia quinque ad quatuor absque quinta parte sui major hoc est quod minor: et *mox:* Hujus origo nominis non est absurda, etiamsi forte non ea sit, quam secutus est qui hoc nomen instituit. *Id. ib.* §. 18. Numeri sesquati in infinitum possunt pergere, nam duo ad tria, tria ad quatuor, quatuor ad quinque cum dicimus, vides nihil prohibere cetera persequi, nullo resistente fine: sive isto modo velis in eodem genere perseverans, ut duo ad tria, quatuor ad sex, sex ad novem, octo ad duodecim, decem ad quindecim, et deinceps: sive in hoc genere, sive in ceteris, nullus finis occurrit. *Terent. de pedib.* p. 2417. Impar numerus paeonicis utrisque coget Aptare duobus tria, vel quaterna ternis, Sesquata fere quod numeros pars secat istos, *h. e* quod unitas, qua major numerus excedit minorem, utrumque dividit seu

metitur, ut 2 ad 3, 4 ad 3. Alii leg. *sescupla*, alii *sesquialtera*, alii *sesquarta*, sed nihil mutandum. *F.*]

SESQUI, ἐπὶ, insuper, praeterea: est ab allata voce Graeca, praemissa et inserta littera *s*, et mutata π in *qu*, ut ab εἰ prius *sei*, dein *si* factum est, a ποινὴ *poena* et *poesna*, et ab ἕπομαι *sequor*. Cum vero duo priores numeri ex eorum serie, qui sesquati dicuntur, ut tria ad duo, ita inter se affecti sint, ut major minorem contineat, et insuper unitatem, quae quidem est etiam ejusdem minoris numeri dimidium; hinc factum est, ut *sesqui*, quod proprie, ut vidimus, idem significat ac insuper, etiam pro dimidio cujuscumque quantitatis a Latinis plerumque usurpatum fuerit, exceptis tamen vocibus *sesquitertius* et *sesquioctavus*, in quibus idem significat ac Graecorum ἐπὶ, *insuper*, eam scilicet minoris numeri partem, quae a sequente numerali adjectivo *tertius* et *octavus* satis perspicue indicatur. V. SESQUATUS. *Cic. Or.* 56. Pes enim, qui adhibetur ad numeros, partitur ita, ut necesse sit, partem pedis aut aequalem alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse majorem. Ita fit aequalis dactylis (— ⏑ ⏑), duplex iambis (⏑ —), sesquiplex paeoni (— ⏑ ⏑ ⏑), *h. e.* ita in dactylis pars pedis fit aequalis alteri parti, quia syllaba longa duas breves aequat, ut in *dicere:* duplex in iambis, quia habet unam partem altero tanto majorem altera, cum syllaba longa sequens duplo major sit brevi praecedente, ut in *salus:* sesquiplex in paeone, quia cum is constet longa et tribus brevibus, ut *insolitus*, tres illae breves longam dimidio superant. ℙ Frequentius usurpatur in compositione, ut *sesquiciathus*, *sesquidigitus*, *sesquihora*, et alia multa, quae hic ordine subjicimus.

SESQUIALTER, ra, rum, adj. ἡμιόλιος, superdimidius, qui quantitatem aliquam in se continet, ejusque partem dimidiam. *Cic. Univ.* 7. Deinde (*detraxit partem*) tertiam, quae esset secundae sesquialtera, primae tripla: et *mox:* Sesquialteris autem intervallis et sesquitertiis, et sesquioctavis sumptis ex his colligationibus, in primis intervallis sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat. *Vitr.* 3, 1. *med.* [Dimidia adjecta cum facta sunt novem, sesquialterum (*mathematici dicunt*), qui ἡμιόλιος appellatur. *August. Mus.* 2, 10. §. 18. Cum eos pedes considero, in quibus una brevis est, et duae longae, id est bacchicum (⏑ — —), palimbacchium (— — ⏑), et creticum (— ⏑ —), sesquialteri numeri ratione levationem ac positionem in his fieri video. Eadem ratio est et in iis quatuor, in quibus una longa est, et tres breves, qui quatuor paeones ex ordine nominantur (— ⏑ ⏑ ⏑. ⏑ — ⏑ ⏑. ⏑ ⏑ — ⏑. ⏑ ⏑ ⏑ —). et *mox* §. 19. Sesquialtera vero copulatio in duobus et tribus apparet, jam sesquitertia tribus et quatuor. *F.*]

SESQUICŪLĒARIS, e, adj. qui culei mensuram continet, et dimidii. V. SESQUI. *Colum.* 12, 18. *extr.* Sunt autem satis sesquiculearibus doliis picis durae pondo vicena quina.

[SESQUICŪLUS, i, m. qui ita magnis est praeditus natibus, ut videatur habere culum cum dimidio. Est cogn. R. *Mar. Victor.* p. 2456. Strabo, qui et Sesquiculus dictus fuit. *F.*]

SESQUICYATHUS, i, m. cyathus cum dimidio. *Cels.* 6, 7. *n.* 2. Nuces amarae XXV., mellis sesquicyathus.

SESQUIDĪGĪTĀLIS, e, adj. sesquidigitum continens. *Vitr.* 10, 22. *med.* Foramen semidigitale, digitale, sesquidigitale.

SESQUIDĪGĪTUS, i, m. *Vitr.* 8, 6. Canalis latus digitum, altus sesquidigitum. Adde 10, 17.

SESQUIHORA, ae, f. τριημιώριον, una hora cum dimidia. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Egeram horis tribus et dimidia: supererat sesquihora.

SESQUIJŪGĒRUM, i, n. jugerum cum dimidio. *Plin.* 18, 19, 49. *n*, 2. Justum est proscindi jugerum uno die, iterari sesquijugerum. *Id.* 4, 8, 15. Tempe vocantur quinque mill. passuum longitudine, et ferme sesquijugeri latitudine.

SESQUĪLIBRA, ae, f. τριημίλιτρον, una libra cum dimidia alterius. *Cato R. R.* 106. Sesquilibram salis frigito. *Colum.* 12, 36. Sesquilibra rorismarini.

SESQUĪMENSIS, is, m. τριημίμηνον, unus mensis cum dimidia parte alterius. *Varr. R. R.* 1, 27. Ejus (*solis*) cursus annalis primum fere circiter ternis mensibus ad fructus est divisus in quatuor partes, et idem subtilius sesquimensibus in octo. ℙ Adjective. *Id.* 3, 10. *f.* Ad saginandum eligunt pullos circiter sequimenses qui sunt nati. Alii leg. *sesquimense.* [*Schneiderus* vero legend. probat *pullos quatuor sexve menses qui sunt nati. F.*]

SESQUIMODĪUS, ii, m. modius et modii dimidium. *Varr. R. R.* 1, 7. Nuces integras, quas uno modio comprehendere possis, quod putamina suo loco quaeque habet natura composita, easdem si fregeris, vix sesquimodio concipere possis; et 42. In jugerum unum scribunt opus esse Medicae sesquimodium. *Cic. Verr.* 2, 3, 92. *med.* Nunquam tam grati hi sesquimodii tritici, Q. Hortensi, fuissent. *Colum.* 2, 13. Lentis sesquimodius.

SESQUIÓBOLUS, i, m. τριημιόβολον, obolus cum dimidio. *Plin.* 26, 8, 46. Dejectoque quod supernatat, reliquus succus purgat utraque parte, sesquiobolo in aqua mulsa.

SESQUIOCTĀVUS, a, um, adj. ἐπόγδοος, superoctavus, qui continet aliquam quantitatem, ejusque partem octavam. V. SESQUI. *Cic. Univ.* 7. Sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat. V. EPOGDOUS.

SESQUIOPĒRA, ae, f. opera dici unius et dimidiati. *Colum.* 2, 13. Fabae modii quatuor occantur sesquiopera, sarriuntur sesquiopera, metuntur una opera.

SESQUIOPUS, eris, n. opus unius diei. *Pl. Capt.* 3, 5, 65. Inde ibis porro in latomias lapidarias, ibi cum octonos alii lapides effodiant, nisi quotidianus sesquiopus confeceris, sexcentoplago nomen indetur tibi.

SESQUIPĒDĀLIS, e, adj. pedem magnitudinis, et dimidium habens. *Cato R. R.* 15. Sesquipedalis paries. *Vitr.* 10, 21. Arrectaria latitudine sesquipedali. *Id.* 5, 10. Sesquipedales tegulae. *Colum.* 9, 19. Sesquipedalis mensura. *Plin.* 7, 16, 16. Sesquipedales homines. *Catull.* 97, 5. dentes, ὑβριβολικῶς. *Mart.* 7, 14. Sesquipedalis mentula. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 96. Telephus, et Peleus, cum pauper et exsul uterque, Projicit ampullas et sesquipedalia verba, *h. e.* grandia, tumida, gravia, inflata, qualia sunt tragicorum.

SESQUIPĒDĀNĒUS, a, um, adj. sesquipedalis. *Plin.* 9, 27, 43. Attollit e mari sesquipedanea fere cornua.

[SESQUIPĒDIS, e, adj. sesquipedalis. *Gargil. de re hort.* (ed. *A. A. Scottio*) 2, 1. Supra nuces terra sesquipedis ingeritur. *F.*]

SESQUIPES, ĕdis, m. τριημιπόδιον, mensura unius pedis et dimidii. *Colum.* 3, 13. *med.* Nisi tamen si scaturigo palustris obvia, plus, quam sesquipedem, prohibeat infodere. *Mart.* 8, 60. Summa Palatini poteras aequare colossi, Si fieres brevior, Claudia, sesquipede. *Varr. R. R.* 1, 43. Cytisum in sesquipedem ponitur. *Pl. Trin.* 4, 2, 58. Qua facie est homo? *Sy.* sesquipede est, quam tu, longior. ℙ Absolute. *Pers.* 1, 56. cum tibi, Calve, Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

SESQUIPLAGA, ae, f. duo ictus sed impares. *Tac. A.* 15, 67. Cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem jactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo.

[SESQUIPLĀRIS, is, m. miles, qui ob virtutem annonam unam cum dimidio accipiebat. *Veg. Mil.* 2, 7. Torquati duplares, torquati sesquiplares, quibus torques aureus solidus virtutis praemium fuit, quem qui meruisset, praeter laudem interdum duplas; duplares duas; sesquiplares unam semis consequebantur annonam. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 13. Aurelius Quintus duplicarius heres, et Aurelius Aurianus sesq. (*h. e.* sesquiplaris) secundus heres amico optimo F. C. V. DUPLARIS et SESQUIPLICARIUS. *F.*]

SESQUIPLEX. V. SESCUPLEX.

[SESQUIPLICĀRIUS, ii, m. sesquiplaris. *Hyg. Grom. med.* Ala miliaria turmas habet XXIV., in iis decuriones, duplicarii, et sesquiplicarii, idem qui et numerus turmarum. Habent equos singuli decuriones ternos, duplicarii et sesquiplicarii binos. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 104. *n.* 215. T. Fl. Saturnino sesquiplic. ex num. equitum singular. Aug., etc. Alia ap. *Don. cl.* 1. *n.* 147. L. Aufidius Masculinus sesquiplicarius. Alia ap. *Donat* 301, 9. Arbitratu Celari (lege *Celadi*) sesquiplicarii heredis. ℙ *Spon. Miscell. antiqu.* p. 262. in eadem *Inscr.*, quam refert *Fabrett. l. c. in.*, perperam, ut videtur, legit *sesquiplici* pro *sesquiplic.;* quasi vero *sesquiplex* idem significet ac *sesquiplicarius. F.*]

SESQUIPLUS. V. SESCUPLUS.

SESQUISĒNEX, senis, m. qui senis aetatem praetergressus est multis annis, atque adeo est decrepitus. *Vet. Poeta* ap. *Varr. L. L.* 8, 3., ut quidem legit *Turneb. Adv.* 23, 16. et *Scal. in conject.* nam alii aliter.

SESQUITERTIUS, a, um, adj. ἐπίτριτος, supertertius, qui continet aliquam quantitatem, ejusque partem tertiam. V. SESQUI. *Cic. Univ.* 7. Intervalla sesquitertia, et sesquioctava. V. SESQUIALTER et EPITRITUS.

SESQUIULYSSES et Sesculysses, is, m. quasi unus et dimidius Ulysses. *Varro* hoc titulo inscripsit unam e satyris suis, posuitque pro homine astutissimo et callidissimo. Citat hanc satyram *Plin. praef. H. N.* et *Nonius* saepe.

SESSIA, vel Sesia, ae, f. nomen Deae, quae eadem ac Seja, a serendo ita dicta, quod sementi praeesset. *Tert. Spect.* 8. Columnae Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutela fructuum sustinent. V. SEGESTA.

*SESSIBILE, is, n. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 36. *extr.* Et sella ac sessibile Dei. *B. A.*

SESSIBULUM, i, n. sedile, sedes: a *sessum* supin. verbi *sedeo. Pl. Poen.* 1, 2, 56. de meretricib.: Quae tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum, *h. e.* odore declarent, se totos dies stare, aut sedere pro foribus fornicis, dum amatores exspectant. *Appul. Met.* 1. Asside istic, nam prae metu latronum nulla sessibula parare nobis licet.

*SESSICIUS, a, um, adj. Laudatur *Sidon. B. A.*

SESSILIS, e, adj. passive, qui sedendo aptus est: in quo facile sedetur. *Ov. Met.* 12, 401. de equo pulcro: sic tergum sessile, sic stant Pectora celsa toris. ℙ Item qui facile sedet. *Pers.* 5, 127. Vejentanumque rubellum Exhalet vapida laesum pice sessilis obba, *h. e.* quae fundum habet latum, et per se facile stat, ac sedet. A cujus similitudine *sessilia* pira dicuntur, ap. *Plin.* 15, 15, 16., quae minimo pediculo, et ventriosa sunt. ℙ *Sessilis lactuca*, χαμαίζηλος, ἑδραῖος, quae in caulem non crescit, nec assurgit, sed in plano et in latitudinem se spargit *Plin.* 19, 8, 38. et *Mart.* 3, 47. qui 10, 48. *sedentem* vocat. Sic brassica sessili folio. *Plin. ib.* 49. *n.* 3. Sic *Pall.* 11, 11. de malvis: Si transferendis plantis nodum facias in radice, sessiles fient. ℙ *Sessiles verrucae*, depressae, non eminentes. *Plin.* 37, 2, 8.

SESSIMŌNIUM, ii, n. id, in quo sedemus, ut Deorum sessimonia, ap. *Vitr. praef.* 7. *med.*, sunt loca in quibus Dii sedent, *h. e.* templa ubi simulacra Deorum reponuntur, quasi sedeant.

SESSIO, onis, f. ἕδρανσις, sedendi actio. *Cic. Off.* 1, 35. *med.* Status, incessus, sessio, accubitio, habeant illud decorum. *Id. N. D.* 1, 34. Ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio. *Id. Fin.* 5, 12. *med.* Sessiones quaedam, et flexi fractique motus. *Id. Or.* 3, 30. *f.* Ambulatio antemeridiana, aut pomeridiana sessio: [*Recte *Schütz.* in *cl. Cic.* non pro simplici actu sedendi, sed ita positum *sessio* dicit, ut nostrum *Sitzung*, consessus.] ℙ Item locus, ubi sedetur, sedile, sedes. *Cic. Or.* 2, 5. Porticus, et Palaestra, et tot locis sessiones. *Id. Fin.* 5, 1. Polemo, cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus. ℙ Translate. *Cic. Att.* 14, 14. *med.* Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es, *h. e.* illam moram et cessationem, qua Brutus et Cassius, Caesare occiso, in Capitolio tempus otiose triverunt, nec quicquam aliud egerunt, quo respubl. in libertatem restitueretur. *Sedere* enim aliquando est otiosum esse. *Appul. Met.* 4. Ursae diutina captivitate fatigatae, pigra etiam sessione languidae. ℙ *Dies sessionum*, quibus praetor jus dicit pro tribunali sedens, ap. *Ulp. Dig.* 38, 15, 2. *med.*

*SESSITES, ae, m. fluvius Galliae transpadanae, ex Lepontiis in Campos Raudios decurrens, hodie *Sesia* vel *Sessia* dictus. *Plin.* 3, 16. *B. A.*

SESSITO, as, n. 1. καθέζομαι, frequent. saepe sedeo. *Cic. Brut.* 15. Ut quam Deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *f.* At enim illae opimae sunt partes (*corporis*), quas labor subigit, ut femina ipsa, qua sessitandi regio est.

SESSIUNCULA, ae, f. parva sessio. V. SEMICIRCULUS.

SESSOR, oris, m. ἑδρευτής, qui sedet. *Hor. Ep.* 2, 2, 130. In vacuo laetus sessor plausorque theatro. *Sen. Const. sap.* 12. *f.* Pecora verbere domantur: nec irascimur illis, cum sessorem recusaverint. *Suet. Vit. Luc.* Adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis, magna cum sessorum fuga, pronuntiarit, *h. e.* desidentium. [*B. Crus.* legendum censet *consessorum.* Alius locus est ap. *eund. Caes.* 61. nec patientem sessoris alterius primus ascendit.] ℙ Item habitator, incola. *Nep. Cim.* 2, 5. Sessores veteres urbe insulaque ejecit.

SESSORIUM, ii, n. locus ad sedendum. *Petr. fragm. Trag.* 77. *Burm.* Cubiculum, in quo ipse dormio, viperae hujus sessorium, *h. e.* sedes, habitatio, conclave. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. *med.* In vicina porticu gestatio adhibenda, ita ut sella bajulatoria, vel quolibet sessorio leniter atque mediocriter moveantur.

SESSUS, us, m. sessio, sedendi actus. *Appul. Flor. n.* 16. Locum sessui impertiunt.

SESTERTIĀRIUS, a, um, adj. ad sestertium pertinens, ut *Sestertiaria ratio*, ap. *Volus. Maecian. de ass. distribut.* est quae de sestertiis calculandis agit. ℙ Translate *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm.* Glyco autem, sestertiarius homo, dispensatorem ad bestias dedit, *h. e.* qui censu pauper, et cujus patrimonium nummo sestertio emi potest: vel qui patrimonium habet, mille nummos: a sestertio, non nummo, verum pondere, quod valebat nummos mille. Ita *Scheffer.* Rursus *Petr. ib. paulo post:* Dedit gladiatores sestertiarios, jam decrepitos, quos si sufflasses, cecidissent, *h. e.* parvi pretii.

SESTERTIŌLUS, i, m. parvus sestertius. *Mart.* 1, 59. Sed sestertiolum donavit mentula Phoebo Bis decies: hoc da tu mihi, pluris emam, *h. e.* bis decies sestertium.

SESTERTIUS, ii, m. et poetice Sestertia, orum, n. plur. nummus argenteus, quarta pars denarii: valet enim duobus assibus et dimidio: habetque, si redigatur ad rationem Italicae monetae, valorem quinque circiter solidorum Venetorum, qui sunt itidem quarta pars librae Venetae: [rectius alii definiunt, esse quintam prope partem librae Parisiensis. *F.*] Itaque ejus nota est duarum linearum et S, hoc mo-

do HS, vel HS, h. e. duo asses et semis: dictus est enim a *semistertius* per sync. *Varr. L. L.* 4, 36. Sestertius, quod semistertius: dupondius enim, et semis antiquus sestertius est: et veteris consuetudinis est, ut retro aera dicerentur, ita ut semis tertius, semis quartus pronuntiarent. *Vitr.* 3, 1. *med.* Nostri quartam denarii partem, quod efficiebatur ex duobus assibus et tertio semisse, sestertium nominaverunt. *Charis.* 1, 58. Denarii quarta pars dupondius semis, sestertius dicitur, quod de tribus assibus semis deficiat. ℙ *Antiquum sestertium* nominat *Varro* ad differentiam recentioris, qui quatuor asses valuit, mutato plus semel assis pondere, ut est ap. *Plin.* 33, 3, 13., ita tamen, ut sestertius semper quarta pars denarii fuerit. *Cic. Div. Verr.* 10. Cum esset tritici modius HS duobus, in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. *Plin.* 18, 13, 34. Taxatio in libras sestertii singuli, et in penuria bini. ℙ Est vox adjectiva, et subauditur *nummus*, qui interdum exprimitur. *Colum.* 3, 3. *med.* Percipere in annos singulos mille nongentos quinquaginta sestertios nummos; et *ib. f.* Ut non inviti sestertiis sexcentis nummis singula millia viviradicum a me rustici mercentur. *Vitr.* 1, 4. *f.* Constituit moenia, et areas divisit, nummoque sestertio singulis municipibus mancipio dedit. *Cic. Rab. Post.* 17. Ecquis est qui bona Rabirii nummo sestertio sibi addici velit? *Epit. Liv.* 55. Damnatns, sub furca diu virgis caesus est, et sestertio nummo veniit. Adde *Sen. ep.* 95. *med.* et *Val. Max.* 5, 2. *n.* 10. et 8, 2. *n.* 3. In his *nummo sestertio* est parva pecunia, minimo pretio. V. SEMUNCIA. ℙ In plur. num. *sestertium* pro *sestertiorum* usitatissimum est. *Cic. Or.* 46. *extr.* Alias ita loquor, ut concessum est: ut hoc vel *proh Deum* dico, vel *proh Deorum:* alias ut necesse est, cum *trium virum*, non *virorum*, cum *sestertium nummum*, non *nummorum:* quod in his consuetudo varia non est. *Id. Off.* 3, 24. Cum ei testamento sestertium millies relinquatur. *Id. Phil.* 12, 5. *f.* Sestertium septies millies avertisse Antonium pecuniae publicae, judicavistis. ℙ *Sestertiorum* quidam leg. ap. *Cic. Cluent.* 64., sed alii rectius substituunt notam illam HS, quae passim pro ipso vocabulo ponebatur, ut ⨉ pro *denario*, P. pro *pondo*, S pro *semis*, etc. Quod fere semper suspicandum, cum *sestertia* in plurali neutro apud prosae scriptores occurrunt, ut in illo *Plin.* 33, 2, 8. Ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia CCCC census fuisset. Veri enim simillimum est, in MSS fuisse HS CCCC, et legendum esse *sestertium quadringenties*, ut ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 10. HS quadringenties accepisse te arguo contra leges; et *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 2. P. Clodius sestertium centies et quadragies octies domo empta habitavit; et 10, 20, 23. Ex eo quaestu reditus sestertium sexagena millia habuit. ℙ Poetae tamen, per metaplasmum metri gratia, *sestertia* passim dicunt. *Hor. Ep.* 1, 7, 80. Dum septem donat sestertia, mutua septem Promittit. *Mart.* 6, 20. Mutua te centum sestertia, Phoebe, rogavi. *Juven.* 4, 15. mullum sex millibus emit Aequantem sane paribus sestertia libris, *h. e.* sex millib. sestertiorum, quippe qui sex librarum erat. *Cicero* quoque *sestertia* dixit, si sanus est locus *Par.* 6, 3. Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia: ego centena ex meis. Sed *Budeo de Asse l.* 2. corruptus est. Fortasse etiam pro voce notam HS *Cicero* posuit. [**Orell.* vulg. serv.] ℙ *Sestertio amplo emere*, magna vi pecuniae. *Solin.* 27. *f.* Basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni comparaverunt. Ita *Salmas.* ℙ Ratio loquendi per sestertios est hujusmodi: usque ad mille, simpliciter dicitur *quatuor*, *decem*, *viginti*, etc. *sestertii*: cum numerus excedit mille, nec ad decies centena millia pervenit, dicitur *mille sestertii*, vel *sestertium*, *bis mille*, *octo millia*, *viginti quinque millia sestertium*, ete. vel vox *millia* omittitur, ut in allatis poetarum locis. Sic *Plin.* 10, 51, 72. Aesopi histrionis patina HS centum taxata, h. e. *sestertium centum millia:* non *sestertia*, ut dictum est. (Adde 35, 12, 46.) et *Gell.* 5, 2. Bucephalum emptum talentis tredecim: aeris nostri summa est HS CCCXII., *h. e.* sestertium trecentis duodecim millibus: quae summa si notis, non verbis exprimenda sit, hoc etiam modo scribi solet, HS $\overline{\text{CCCXII}}$, ut superducta linea mille significet. Si majorem summam significare velimus, utimur adverbiis *decies*, *vicies*, *ducenties*, subiutelligendo *millies*, vel *mille*, vel *centena millia:* idque sive in singulari ablativo, sive in plurali genitivo *sestertius* adhibeatur. (Haec vero enucleatius explicata reperies ap. *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 1. p. 120. 137. et 274. *ed. Pat.* Nec abs te erit haec adnotasse ex *Plin.* 33, 10, 47. Non erat apud antiquos numerus ultra centum millia; itaque et hodie multiplicantur haec, ut decies centena millia, aut saepius dicantur.) *Juven.* 10, 335. ritu decies centena dabuntur Antiquo, *h. e.* decies centena millia sestertium dotis nomine. *Sen. Cons. ad Helv.* 10. *f.* Apicius cum sestertium millies in culinam congessisset, etc. superfuturum sibi sestertium centies computavit: et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit! *Id. ib.* 9. *f.* C. Caesar centies sestertio coenavit uno die. *Id. ib.* 12. *f.* Quorum pantomimae decies sestertio nubunt. *Plin.* 8, 48. 74. Quae Neroni principi quadragies sestertio nuper stetere. *Nep. Att.* 14. Ut neque in sestertio nuper stetere. *Nep. Att.* 14. Ut neque in sestertio vicies parum se splendide gesserit, neque in sestertio vicies parum se splendide gesserit, neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat. ℙ Diximus, sestertium esse nummum argenteum: sed sub Augusto et deinceps et aereus fuit, quatuor assibus respondens. *Plin.* 34, 2, 2. Hoc (*aes Marianum*) a Liviano cadmiam maxime sorbet, et aurichalci bonitatem imitatur in sestertiis dupondiariisque, Cyprio suo assibus contentis. Ita *Harduinus* legit ex omnium librorum consensu: *Gronovius* vero pro *sestertiis dupondiariisque* legi mallet *sesquassibus dupondiisque*. Sed *Eckhel. D. N. V* T. 6. p. 283. *Harduini* lectionem confirmat nummorum auctoritate. V. ARGENTUM. ℙ Praeterea *sestertius* refertur interdum ad mensuram magnitudinum. *Colum. Arb.* 1. *med.* Agrum planum et succosum sat erit bipalio vertere: quod vocant rustici sestertium, sc. *h. e.* quod genus pastinationis vocant sestertium, sc. cum duos pedes et semissem seu semipedem humus convortitur, ut *Id.* 3, 5. *med.* ait. Ita recte locum interpretatur *Schneiderus* ad *Colum. Arb.* 1., ubi loca huc pertineniia invicem comparavit. *Lex XII. Tab.* ap. *Volus. Maecian. de ass. distrib.* Ambitus parietis sestertius pes esto. Idem aliis verbis sic habet *Festus:* Ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis, ad circumeundi facultatem relictus. ℙ Sestertius fuit etiam locus extra portam Esquilinam duobus passuum millib. cum dimidio ab Urbe distans, ubi cruces et patibula defixa, cadavera abjecta, aliaque, quae ad supplicia plebis. *Vet. Schol. Cruquii* ad *Hor. Epod.* 5. Esquilina porta Romae dicitur, ad Sessorium (lege *Sestertium*), ubi certus erat locus sepulcrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum, viliumque comburenda, aut canibus projicienda. *Plut. Galb.* 28. *τὴν δὲ Γάλβα κεφαλὴν λαβόντες ἔρριψαν, ᾗ τοὺς ἀπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους θανατοῦσιν· ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται.* ℙ Denique genus est vestimenti in illo *Suet. Aug.* 83. Vectabatur et deambulabat, ita ut in extremis spatiis subsultim decurreret, sestertio vel lodicula involutus. *Turn.* putat fuisse vestem duum in omnem partem pedum et semissis. Alii cum *Cujacio* rectius leg. *segestri*, vel *segestrio.*

SESTIACUS, a, um, adj. ad Seston pertinens, quae est arx, seu oppidum Thraciae, in angustiis Hellesponti: cui respondet Abydus in Asia. Quae loca (nunc *die Dardanellen*) nobilia fuere amoribus Heronis et Leandri, quos enarrat *Ov. Her.* 18. et 19. V. HERO, et LEANDER. *Stat. Silv.* 1, 3, 27. Sestiacos nunc Fama sinus, pelagusque natatum Jactet. *Auson. Idyll.* 10, 287. Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles Aequor, Abydeni freta quis miretur ephebi?

SESTIANA vel Sextiana mala, genus quoddam malorum ita dictum a quodam Sestio, qui primus ea in Italiam invexit; vel, ut alii putant, a Sesto urbe Hellesponti, ubi copiose proveniunt. *Colum.* 5, 10. *f.* et 12, 45.. ℙ *Sestianae Arae*, fortasse a quodam Sestio dictae, qui eas in honorem Augusti excitavit, fuere in Hispania haud procul Celtico, Neriove promontorio, in paeninsula. *Plin.* 4, 20, 34. et *Mela* 3, 1. *f.* ℙ *Sestianus conviva* ap. *Catull.* 44, 10. est, qui a Sestio quodam ad coenam invitatus, ab eodem ineptissimam orationem sibi legente paene confectus fuerat. Idem fortasse fuit *Sestius* ille, cujus jocos insulsos *Sestiana dicta* per contemptum appellat *Cic. Fam.* 7, 32., ejusdemque scripto nihil unquam se legisse ait *Σηστιωδέστερον.* [**Emendavit* h. l. *F.*]

SESTIAS, ădis, patron. f. Hero puella, cui patria fuit Sestos: de qua in SESTIACUS dictum est. *Stat. Theb.* 6, 546. sedet anxia turre suprema Sestias in speculis. Adde *Sidon. carm.* 11, 71.

[SESTINAS, atis, adj. ad Sestinum pertinens, Umbriae oppidum, nunc *Sestino*, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 108, 7. Hinc *Sestinates*, *ium*, absolute incolae illius oppidi ap. *Plin.* 3, 14, 19. *F.*]

SESTIS, idis, f. Sestias. *Ov. Her.* 18, 1. Mittit Abydenus, quam mallet ferre salutem, Si cadat ira maris, Sesti puella, tibi. Al. leg. *Sesta*, a *Sestus a, um* pro *Sestiacus.*

SESTIUS. V. SEXTIUS.

SESTOS, i, f. arx Thraciae, de qua V. in SESTIACUS. *Plin.* 4, 11, 18. *Lucan.* 2, 674. Xerxes multum cum pontibus ausus, Europamque Asiae, Sestonque admovit Abydo. Adde 6, 55.

SESTUS, a, um. V. SESTIS.

[SESUNIUM, ii, n. vox ignotae originis. *Festus:* Sedum, alii sadum, appellant herbam, quam Opilius Aurelius sesunium vocari ait, eamque in tegulis seri, nec quamobrem id fiat, indicat. Hic *Festus* stulte, ait *Jos. Scal.*, quaerit, quare sedum seratur in tegulis, putans scilicet ob religionem potius, quam naturam illius herbae, hoc fieri. *F.*]

*SET pro *sed* scriptum interdum in MSS. V. quae *Angelus Maius* ad *Cic. de re publ.* 1, 3. p. 10. ed. *Lond. B. A.*

SETA, ae, f. *χαίτη*, pilus crassior, durior, rigidiorque, quales sues habent, et equi, et boves, etc. *Pl. Cas.* 5, 2, 49. Ita, quasi setis, labra mihi compungit barba. *Cic. Tusc.* 5, 21. Fulgentem gladium, e lacunari seta equina appensum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. *Ov. Met.* 8, 428. de apro: rigidis horrentia setis Terga. *Id. Hal.* 59. de apro pisce: setis iram denuntiat hirtis. *Colum.* 7, 9. Grex suum densae et nigrae setae. *Virg. A.* 7, 666. tegumen torquens immane leonis Terribili impexum seta; et *ib.* 790. vacca setis obsita; et *ib.* 8, 266. de Caco: villosaque setis Pectora Semiferi. *Id. G.* 3, 311. barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci, setasque comantes Usum in castrorum, et miseris velamina nautis. *Val. Fl.* 6, 71. de cerva: setis fulgens et cornibus aureis. *Claud. de hystrice*, 6. mentitae cornua setae Summa fronte rigent. ℙ De pilis crassioribus in corpore hominis. *Ov. Met.* 13, 850. Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae. Adde *Juven.* 2, 11. et *Mart.* 6, 56. ℙ De linea, qua captantur per hamum pisces. *Id.* 1, 56. Et piscem tremula salientem ducere seta. Adde 10, 30. et *Ov. Hal.* 34. ℙ De penicillo e setis. *Vitr.* 7, 9. *med.* Ceram Punicam igni liquefactam, paulo oleo temperatam, parieti seta inducere. *Plin.* 33, 7, 40. Parieti siccato cera Punica cum oleo liquefacta candens setis inducatur.

SETABIS, et Setabitanus, et Setabus. V. SAETABIS.

*SETAE, arum, populi Indiae, medio inter Indum Gangemque loco. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

SETANIA, ae, f. et Setanium, ii, n. *σηταίιον*, species mespilorum. *Plin.* 15, 20, 22. Mespilis tria genera, anthedon, setania, etc. setaniae majus pomum, candidiusque, acini molliore ligno. *Pl. Truc.* 5, 16. Non possunt militares pueri setanio educier. Alii leg. *educari.* ℙ Sunt etiam setaniae caepae quaedam minimae, sed sapidissimae, ap. *Plin.* 19, 6, 32. ℙ Item setanium est bulbi species. *Id. ib.* 5, 30.

SETANIUS. V. SITANIUS.

*SETHERIES, Asiae fluvius, circa Pontum Euxinum ac Bosporum Cimmerium. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

[SETHROITES, ae, m. ad Sethron, *Σέθρον*, pertinens, Aegypti urbem, quae nunc *Isarion*, ad Nili ostium Bubastium sitam. Hinc *nomos Sethroides* ap. *Plin.* 5, 9, 9. Quae juxta Pelusium est regio, nomos habet Pharbaethiten, Bubastiten, Sethroiten, Taniten. *F.*]

SETIA, ae, f. *Sezza*, urbs Campaniae juxta Pomptinas paludes, in colle, patria C. Valerii Flacci, ex plurimorum sententia, quia is C. Valerius Flaccus Setinus Balbus cognominatur; alii tamen, inter quos *Heins.*, *Burm.*, et *Chr. Theoph. Harles*, ex *Mart.* 1, 62. et 77. rectius putant, illum Patavinum fuisse, cum hic *l.* secundo *c.* illum appellet *spem et alumnum Laris Antenorei.* Celebris fuit ejus ager vini feracitate et nobilitate, ut inter ceteros notat *Plin.* 3, 5, 5. Hinc eodem Setiae nomine illud appellat *Stat. Silv.* 2, 6, 90., ubi ait: nec quod tibi Setia canos Restinxit cineres. *Mart.* 13, 112. Pendula Pomptinos quae spectat Setia campos, Exigua vetulos misit ab urbe cados. Ficus quoque indidem laudat *Id. ib.* 23. Chia seni similis Bacchо, quam Setia misit, Ipsa merum secum portat, et ipsa salem. *Sil.* 8, 378. ipsius mensis seposta Lyaei Setia.

SETIGER, ra, rum, adj. *χαιτοφόρος*, qui setas gerit. *Virg. A.* 12, 170. Setigerae fetum suis, intonsamque bidentem Attulit. [*Paul. Nol. ep.* 49. (al. 36.) *n.* 12. Vestis setigera, *h. e.* ex vellere caprino, melote. *F.*] ℙ *Setiger* absolute pro apro. *Ov. Met.* 8, 376. nisi setiger inter opacas Nec jaculis, isset, nec equo loca pervia, silvas. Adde *Mart.* 13, 93.

SETINUS, a, um, adj. ad Setiam urbem pertinens, ut Setini agri, *Plin.* 3, 5, 5. Setinum vinum, *Juven.* 10, 27. et *Mart.* 6, 86. Idem *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 1. scribit, hujusmodi vinum ab Augusto ceteris aliis Italiae vinis fuisse praelatum: ob id fortasse quod cibos concoqui cogit, teste *eod.* 23, 1, 21. ℙ *Setina tribus*, quae bis memoratur in veteri Lap. ap. *Corrad. de vet. Latio*, T. 2. p. 13., videtur fuisse una ex iis, quae bello sociali adjectae sunt, teste *Vell.*, ut in CAMILIA, et DUMIA dictum est.

SETOSUS, a, um, adj. *χαιτήεις*, setis plenus, villosus. *Plin.* 8, 45, 70. Tauri torva fronte, auribus setosis. *Cels.* 2, 8. Corpus, quod maxime lati pectoris atque setosi est. Sic *Virg. Mor.* 99. Setosa inguina. *Id. Ecl.* 7, 29. Setosus aper. *Prop.* 4, 1, 25. Verbera pellitus setosa movebat arator, *h. e.* scuticis ex caprina pelle villosis.

SETULA, ae, f. parva seta. *Arnob.* 7, 226. Solas immolare Diis lanas, vulsasque ex hostiis setulas.

SEU, *ἤ*, *ἤτοι*, conjunctio disjunctiva, qua jungimus ea, quorum alterum, non utrumque affirmamus: a *sive* per apocopen, ut *neu* a *neve.* [**Herzog.* ad *Caes. B. C.* 1, 27. *seu* et *sive* ita differre docet, ut prius subjective intelligi atque referri debeat ad illud, quod in cogitatione positum sit; *sive* objective rationem habeat eorum, qua vere existant: quem usum imprimis *Livii* exemplis confirmat istis: 1, 3. Ascanius Lavinium urbem matri seu novercae reliquit, i. e. vel si tibi videtur, secundum aliam sententiam; et 8, 7. *med.* movet ferocem animum juvenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexsuperabilis vis fati, i. e. penes te est, utrum eligas, incertum est, utrum locum habeat. — Contra *Nep. Eum.* 2. *in.* data est Eumeni Cappadocia, sive

potius dicta, i. e. proprie, vere, rebus accuratius perspectis cet. et *Them.* 6, 5. neque ulli loco parcerent, sive sacer, sive profanus, sive privatus esset, sive publicus: ubi *sive* item non in cogitatione res positas sed vere exsistentes nectit. V. in SIVE.] *Cic. Quint.* 8. *f.* Homines nobiles, seu recte, seu peram facere coeperunt, ita in utroque excellunt, ut, etc. *Caes. B. G.* 5, 30. Facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur; et *ib.* 1, 23. Seu quod timore perterritos Romanos discedere existimarent; sive quod re frumentaria intercludi posse confiderent. *Cic. Verr.* 2, 5, 58. *med.* Civilis dissensionis, et sive amentiae, sive fati, seu calamitatis, non est iste molestus exitus. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 695. 7, 324. et 8, 140. et *Boettich. Lex. Tac.* p. 434. sq.] *Liv.* 21, 7. Saguntini in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinae. *Virg. A.* 12, 684. saxum de vertice praeceps Cum ruit avulsum vento, seu turbidus imber Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas. [*Interdum postponitur. *Lucan.* 5, 244. moesto seu classica paullum Intermissa sono: ubi v. *Cort.*] ℙ Aliquando semel tantum ponitur. *Cic. Quint.* 25. *extr.* O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuntios, seu potius Pegasos habeat! et *Prop.* 2, 20, 29. Seu mare per longum mea cogitet ire puella, Hanc sequar. ℙ Etiam cum necessario repetenda videtur. *Hor. Od.* 1, 3, 15. Quo non arbiter Hadriae Major, tollere, seu ponere vult freta. *Prop.* 2, 20, 34. Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit. *Tac. A.* 15, 45. *extr.* Tradidere quidam, venenum ei per libertum ipsius paratum jussu Neronis: vitatumque a Seneca proditione liberti, seu propria formidine. [*Cf. *Boettich. l. l.*] ℙ Pro vel. *Pers.* 5, 47. Nostra vel aequali suspendit tempora libra Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora Dividit in geminos concordia fata duorum. ℙ Habet etiam vim copulandi, et ampliandi. *Paul. Dig.* 34, 2, 31. Si quis ita legaverit: Uxori meae mundum, ornamenta, seu quae ejus causa paravi, do, lego: placet omnia deberi: sicuti cum ita legatur: Titio vina, quae in urbe habeo, seu in portu, do, lego: hoc enim verbum, scilicet seu, amplian di legati gratia positum est. ℙ Item explicandi. *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 6. Semper virgo Maria Theotocos, seu Deipara.

SĔVĒRĔ, adv. αὐστηρῶς, ἀπότομος, serio, austere, rigide, acriter. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Cum inimicum meum saepe in senatu, modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur. *Id. Fin.* 2, 8. *med.* Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. *Id. Off.* 1, 21. Voluptatem severissime contemnunt, in dolore sunt molliores. *Id. Rosc. Com.* 15. Aetas severissime exacta. *Caes. B. C.* 3, 25. *med.* Caesar Brundisium ad suos severius scripsit, ut nacti idoneum ventum, ne occasionem uavigandi dimitterent. *Sall. Jug.* 18. Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant. *Cic. Mur.* 20. Lites severe aestimatae. *Id. Att.* 10, 12. *med.* Quintum filium severius adhibebo, *h. e.* accipiam, acriter objurgando. *Graevius* mallet *cohibebo.* Sic *Just.* 3, 3. Severius aliquem coercere. *Gell.* 19, 5. increpare. *Suet. Caes.* 43. Jus laboriosissime, ac severissime dicere.

SĔVĒRĬĀNUS, a, um, adj. a Severo, cum est nomen proprium, ut Severiana pira, a quodam Severo insitore sic appellata, *Plin.* 15, 15, 16., ubi *Hard.* leg. *Seviana* a quodam Sevio. ℙ Severianae thermae, a Septimio Severo Imp. constructae. *Spart. Sever.* 19. Sic Severianae legiones in *Inscr.* ap. *Grut.* 169, 7. Et Severianus sodalis in alia ap. *eund.* 379, 7.

[SĔVĒRILLA, ae, f. dimin. Severae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1146, 3. Appia Severilla. *F.*]

[SĔVĒRĪNUS, a, um, adj. deriv. severi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1037, 4. P. Aelio Severino V. E. P. (*h. e.* viro egregio, procuratori) praesidi optimo ordo Cemen. (*h. e.* Cemeneliensium) patrono. *F.*]

SĔVĒRĬTAS, atis, f. αὐστηρότης, gravitas, tristitia, asperitas, duritas. *Ter. Andr.* 5, 2, 16. Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides. *Cic. Sen.* 18. *f.* Severitatem in senectute probo, sed eam modicam; acerbitatem nullo modo. *Id. Brut.* 25. *f.* Homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis. *Id. Mur.* 31. *extr.* Si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati severitatique asperseris. *Id. Or.* 16. *f.* Duritiem et severitatem quandam verbis, et orationis quasi moestitiam sequi. *Hirt. B. Alex.* 48. *extr.* Militarem disciplinam severitatemque minuere; et *ib.* 65. dissolvere. *Cic. Brut.* 93. *f.* Laxare judicum animos, atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traducere. *Id. Or.* 2, 17. *f.* Judex tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus. *Id. Sull.* 33. Severitatem judiciorum lenitate ac misericordia mitigare. *Caes. B. G.* 7, 4. *f.* Severitas imperii. *Cic. Fam.* 9, 14. *med.* animadversionis. *Id. Fin.* 1, 7. *med.* L. Torquatus illam severitatem in filio adhibuit, ut, etc. *Id. Fin.* 3, 1. Voluptatem dimittamus, ne blanditiis ejus illecebrisque impediatur disputandi severitas. *Plin. ep.* 3, 18. *med.* Severitas aurium, *h. e.* acre audientium judicium. *Id. ep.* 2, 5. orationis. *Quint.* 2, 4. *med.* Ingenia puerorum nimia emendationis severitate deficere. ℙ Translate. *Plin.* 13, 3, 4. In M. Ciceronis monumentis invenitur, unguenta graviora esse, quae terram, quam quae crocum sapiunt: quando etiam corruptissimo in genere magis tamen juvat quaedam ipsius vitii severitas, *h. e.* asperitas, insuavitas.

SĔVĒRĬTER, adv. graviter, serio. *Titin.* ap. *Non.* 11, 5. et *Prisc.* 15, 1010. Severiter hodie sermonem amica mecum contulit. *Appul. Met.* 2. et 3. Facinus severiter vindicare. ℙ Item saeviter, aspere, difficile. *Enn. ib.* 16. Severiter fortuna ferri cernunt de victoria. *Id. ib.* Severiter suspectionem ferre falsam, futilium est. *Plaut.* etiam usurpavit, teste *Prisc. l. c.*

SĔVĒRĬTŪDO, inis, f. severitas, tristitia. *Pl. Epid.* 5, 1, 2. et ap. *Non.* 2, 798. Sed eccum incedit Epidicus: quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine? *Appul. Met.* 1. *f.* Morum severitudo.

SĔVĒRUS, a, um, adj. αὐστηρός, σεμνός, gravis, serius, tristis, rigidus, austerus, acerbus, vehemens, asper, durus. Videtur esse a σεβηρός, h. e. σεμνός, [*Doederl.* 1, 76. praeferendum censet vett. *Gramm.* sententiam, qua *severus* cognationem habeat cum *verus*, illud modo negans, non ex *satis verus*, ut ap. *Isid.* 10. vel ex *semper verus*, ut ap. *Perottum*, compositionem factam videri sed ex *se* et *verus*, ita ut *se* ex more Gr. *α* priv., intensivam vim contineat; vel, id quod magis etiam probatur, ut *se* propositionis genus quoddam sit, ut *s* in *scindere* a *caedere*, in *scribere*, *stringere* etc. coll. Gr. ὀμαχρὸς et vern. *schwellen*, *schwören.*] et dicitur proprie de fronte, et vultu. [*De discrimine inter *severus* et *serius* v. in h .v. Quid gravis et *strenuus* differant, dictum in *strenuus*. Porro differentiam inter *severus*, *austerus* et *tristis* habes in his verbis.] *Ter. Heaut.* 5, 3. *f.* Sed ipse egreditur: quam severus! rem, cum videas, censeas, *h. e.* quantam gravitatem vultu praefert! *Cic. Or.* 2, 71. *med.* Vultus quo severior est et tristior, hoc illa, quae dicuntur, salsiora videri solent. *Hor. A. P.* 105. tristia moestum Vultum verba decent, etc. severum seria dictu. *Pl. Mil.* 2, 2, 46. Severa fronte curas cogitans. ℙ Deinde refertur ad animum, cujus indicium vultus est. *Lucr.* 5, 1356. Agricolae severi, *h. e.* duri, laboribus assueti, a molli vita, deliciis et luxu abhorrentes. Sic *Virg. A.* 8, 638. Tatioque seni, Curibusque severis. *Ov. Her.* 18, 63. Severum pectus, *h. e.* alienum ab amore. *Catull.* 5, 2. Rumoresque senum severiorum Omnes unius aestimemus assis. *Cic. Brut.* 31. Q. Tubero vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat. *Id. Off.* 3, 31. *extr.* Qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium *Id. Tusc.* 4, 19. Imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiae. *Prud. Cath.* 2, 33. Nunc severum vivitur: pro severe. ℙ Usurpatur in rebus judicialibus de eo; qui nihil de poena legibus constituta remittendum censet. *Cic. Manil.* 13. *med.* Neque potest severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult. *Id. Verr.* 1, 10. Duo severissimi atque integerrimi judices; et *mox:* L. Cassius ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum severissima. *Id. ib.* 2, 4, 59. *med.* Posteaquam judicia severa Romae fieri desierunt. *Ov. Pont.* 3, 3, 57. Adulterium lege severa vetitum. ℙ In oratoriis de eo, qui serius est, et a facetiis remotus. *Cic. Brut.* 95. Sententiae non tam graves et severae, quam concinnae et venustae; et *ib.* 30. P. Rutilius in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est. *Plin. ep.* 3, 18. *f.* Austeris illis, severisque scriptis dulcia haec blandaque vel justa possessione decedant. *Hor. Od.* 2, 1, 9. severae Musa tragoediae. ℙ Item saevus, erudelis. *Prop.* 4, 11, 22. turba severa Eumenidum. *Pl. Trin.* 4, 1, 6. de Neptuno: Te omnes saevum severumque, atque avidis moribus commemorant. *Id. Cist.* 3, 15. Hau! voluisti istuc severum facere? *h. e.* te ipsum interficere. ℙ Item verus, certus, non fictus. *Id. Poen.* 5, 3, 50. Opinor hercle, hodie quod ego dixi per jocum, id eventurum esse et severum, et serium, Ut haec inveniantur hodie esse hujus filiae. ℙ Item verax, fidelis, et qui se corrumpi non sinit. *Cic. Div. Verr.* 5. Cujus legis non modo a populo R., sed etiam ab ultimis nationibus jampridem severi custodes requiruntur. *Plin.* 11, 52, 113. Trogus auctor severissimus. ℙ De iis, qui sobriam vitam agunt, vino et luxu abstinent. *Hor. Ep.* 1, 19, 9. adimam cantare severis. *Catull.* 27, 5. At vos, quo lubet, hinc abite, lymphae Vini pernicies, et ad severos Migrate. *Tibull.* 3, 6, 21. de Baccho: Jam venit iratus nimium, nimiumque severis. ℙ Transfertur et ad inanima. [*Rationem hujus dicendi generis V. in *serius.*] *Hor. Od.* 1, 27, 9. severi Falerni partem sumere, *h. e.* austeri, acris. *Virg. G.* 3, 37. Furias, amnemque severum Cocyti metuet, *h. e.* tristem, funestum, horribilem. *Hor. Od.* 1, 35, 20. Severus uncus. *Lucret.* 4, 461. severa silentia noctis, *h. e.* in quibus omnia religiose, ut ita dicam, silent et quiescunt. *Id.* 5, 1189. nox et noctis signa severa, *h. e.* sacra, et horrorem incutientia; et *ib.* 36. pelage severa, *h. e.* maria periculosa, infesta, inimica navigantibus. *Pers.* 1, 64. ut per leve severos Effundat junctura ungues, *h. e.* qui acres sunt in deprehendendis rimis, et inaequalitatibus. *Plin. ep.* 6, 31. *med.* Severi dies, *h. e.* quibus res seriae et gravissimae aguntur. *Quint. decl.* 4, 14. Severae hiemes, *h. e.* saevae, rigidae, acres. ℙ *Comas severas Palladis* dixit *Stat. Achill.* 1, 288. quia Pallas Dea severa est, et a mollibus feminarum studiis prorsus aliena. ℙ Pictor severus in coloribus, *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 28. et, Aristolaus e severissimis pictoribus fuit. *Id. ib. n.* 31. h. e. qui veritatem potius et naturam secutus est, quam amoenitatem ac splendorem. ℙ Mons *Severus* fuit in Sabinis prope Reate: ita dictus, quia silvis horridus, ascensu asper et praeruptus. *Virg. A.* 7, 713.

SĔVĒRUS, i, m. nomen propr. Cornelius Severus poeta et declamator Augusti tempore, scripsit bellum Siculum, sed imperfectum reliquit, teste *Quint.* 10, 1. *med.*, atque id ipsum etiam excidit. Est etiam quoddam fragmentum, quod ejus nomine circumfertur de morte Ciceronis, ap. *Sen. Suas.* 7. A *Quint. l. c.* dicitur melior versificator, quam poeta. Carmen *de Aetna*, quod ejus esse falso putatur ex loco *Sen. ep.* 79. *med.* perperam interpretato, a plerisque tribuitur Lucilio Juniori, procuratori Siciliae sub Nerone, ad quem *Seneca* scripsit *ep.* 33. et 79., ejusdemque in operibus suis saepius meminit modo sub Lucilii nomine, modo sub cognomine Junioris. ℙ Severus Sulpicius, episcopus Bituricensis, qui saeculo Christi V. vixit, scripsit non inelegan-ter, ut ea tempora ferebant, de vita S. Martini, libros historiarum, dialogos quosdam et epistolas. ℙ *Cassius Severus, insignis orator, temporibus Augusti ac Tiberii. *Plin.* 12, 12. ℙ Septimius Severus, Imp. Rom., Lepti oriundus, imperium occupavit A. C. 193. De eo *Eutr.* 8, 10. (al. 18.) et *Spartian.* in *Severo.* ℙ Alexander Severus, alius Imp. Rom., urbe Arcena genitus, vixit tertio post natum Christum saeculo. *Eutr.* 8, 14. (al. 23.) et *Lampr.* in ejus Vita. *B. A.*

[SĔVĪNA, ae, f. cogn. Bonae Deae, ob eandem forte rationem, ob quam ita appellati sunt populi Sabini. V. h. v. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 696. *n.* 173. Julia Athenais Mag. Bonae Deae Sevinae. *F.*]

SĔVĪNI. V. SABINI.

SĔVIR et Sexvir, ri, m. unus ex sex viris, quibus aliquis magistratus, aut aliquod collegium constat: ut *decemvir* unus ex decem, *duumvir* ex duobus. In municipiis et coloniis erat suum corpus decurionum, ut senatus Romae. Ex eo erant, qui ceteris civibus majori censu praestabant, quique etiam *sexprimi* vocabantur; alicui vero erant quatuor, aut quinque, aut octo, aut decem, aut quindecim, ideo *quatuorprimi*, *quinqueprimi*, *octoprimi*, *decemprimi*, *quindecimprimi* appellati. V. has voces. Hinc quoties in vetustis Lapidib. *sevir municipii*, vel *urbanus*, aut absolute *sevir*, addito etiam quandoque municipii vel coloniae nomine, legitur, idem esse videtur ac *sexprimus.* Qui vero *sevir*, et *sevir Augustalis* simul appellatur, is et unus ex sexprimis, *h. e.* e ditioribus civibus fuit, et simul unus ex seviris Augustalibus. *Inscr.* ap. *Gud.* 4, 11. M. Floscius IIIIII vir municipii Aequicol., et sevir Augustalis, etc. Alia ap. *Grut.* 471, 5. T. Tadius T. F. Ouf. Catianus VI. vir Urb., etc. et 416, 8. Q. Colius Q. L. Nicomedes medicus ocularius, sexvir Col. Jul. Fanestris; et p. 365, 3. L. Arrius T. F. sexvir Opitergi sibi et suis T. F. I. ℙ Equites R. in Urbe in sex turmas dividebantur, quibus qui praeerant, *seviri* dicti sunt. Idem videntur fuisse, qui Trojae ludum edere solebant. V. TROJA. *Inscr.* ap. *Grut.* 1093, 7. T. Didio M. F. Pal. Prisco III. Viro Capitali, Sevir. Turm. V. Equit. Rom., Trib. Mil. etc. Alia ap. *Gud.* 112, 2. T. Aelio T. F. Pal. Naevio Seviro Equitum Romanorum Turmae Secundae; et 121, 8. Ser. Cornelio Ser. F. Dolabellae Sevir Equit. Rom. Turm. III. *Capitol. M. Aurel.* 6. Pius Marcum sevirum turmis equitum Romanorum, jam consulem designatum, creavit. ℙ *Seviri Augustales* ita dicebantur, qui in municipiis, et coloniis praeerant collegio Augustalium: ii a decurionibus,creabantur, et annua fungebantur dignitate. V. AUGUSTALIS. *Petr. Sat.* 30. G. Pompejo Trimalchioni VI. Viro Augustali Cinnamus dispensator. *Inscr.* ap. *Grut.* 19, 3. C. Plaetorius C. F. Stel. Phoebus VI. Vir Augustal.; et *ib.* 6. Pro salute coloniae, et ordinis decurionum et populi Tudertis Jovi Opt. Max. L. Cancrius Clementis L. Primigenius Sexvir II. Augustalis, et Flavialis. Alia ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 135. C. Valerius C. libertus Faustus Sexvir Augustalis primus, vivos sibi, etc. Alia ap. *Mur.* 19, 3. Asclepio Deo L. Cornelius Hyginus Sevir Augustalis. Alia ap. *Grut.* 449, 1. T. Petidio T. F. Fabia Cessino, adlecto supra numer. Sevirum Augustalium. Adde aliam ap. *Gud.* 120, 10. ℙ Scribebatur et hoc modo (ut videre est ap. *Grut.* 371, 7., *Mur.* 1110, 1. et 2. *Gud.* 4, 11.) IIIIIII. Vir. ℙ Plura de his V. ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 99. et *Noris.* in *Cenotaph. Pis.*

SĔVĪRĀLIS, e, adj. ad seviros pertinens. *Capitol. M. Aurel.* 6. Edenti Marco cum collegis ludos sevirales Pius adsedit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1103, 9. Seviralis coena. ℙ *Seviralis* idem qui sevir. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 5. P. Numerius Martialis Astigitan. seviralis. Alii leg. *Sevir Augustalis.* Alia ap. *Gud.* 208, 5. L. Alfio L. F. Valentino ordo seviralium ob merita ejus

SĔVĪRĀTUS, us, m. dignitas seviri. *Inscr.* ap.

Grut. 400, 7. Hic pro seviratu in remp. dedit HS ∞ ∞, etc. Adde aliam 378, 1. et *Petr. fr. Trag.* 71. *Burm.* ¶ Scribitur et *Sexviratus. Inscr.* ap. *Grut.* 150, 4. Ob honorem sexviratus.

SĒVO, as. V. SEBO.

*SEVO, onis, m. mons Germaniae septemtrionalis. *Plin.* 4, 13. Ab gente Ingaevonum, quae est prima inde Germaniae. Sevo mons ibi immensus, nec Riphaeis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur (*the Baltic*), refertus insulis, quarum clarissima Scandinavia est. ¶ Mons Sevo (ait *Cellarius*), quem *Plinius* memoravit, quia immanem sinum usque promontorium Cimbrorum efficit, quod in supremo septemtrionalis Jutiae est, nunc *Scagen* dictum; ipse necesse est cum sinu suo procurrat longius, sitque illud jugum montium immane, quod Norwegiam a Suedia discludit. *B. A.*

*SEVOCĀTOR, oris, m. ἀποχωριστής *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SĒVŎCĀTUS, a, um, part. a *sevoco:* seorsum vocatus, seductus. *Petr. Sat.* 110. Ancilla sevocatum me non minus decoro exornavit capillamento. ¶ Translate. *Cic. Div.* 1, 30. Cum est somno sevocatus animus a societate, et a contagione corporis, *h. e.* separatus, sejunctus.

SĒVŎCO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκαλέω, seorsum voco, abduco, seduco: et proprie de his dicitur, qui secreto collocuturi cum aliquo, eam a turba vocando seducunt. *Cic. Phil.* 2, 14. Cum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus sevocari. *Pl. Men.* 5, 9, 25. Sevocabo herum. *Caes. B. G.* 5, 6. *med.* Principes Galliae sollicitare, sevocare singulos, hortarique coepit, ut, etc. [*Suet. Cal.* 36. quum maxime placitam sevocasset.] *Liv.* 7, 16. *f.* Tribuni plebis, ne quis postea populum sevocaret, capite sanxerunt, *h. e.* extra Urbem vocaret, a patribus seduceret. *Cic. Mur.* 7. Facis, ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur. ¶ Sevocare se, secedere. *Pl. Aul.* 3, 6, 13. Quid tu te solus e senatu sevocas? *Id. Merc.* 2, 3, 45. Quid illuc est, quod ille solus se in consilium sevocat? ¶ Translate est separare, sejungere, abducere, abstrahere. *Catull.* 65, 1. Etsi me assiduo confectum cura dolore Sevocat a doctis, Hortale, virginibus. *Cic. Tusc.* 1, 31. A voluptate, a re familiari, a republ., a negotio omni sevocare animum. [*Id. N. D.* 3, 8. difficile est mentem ab oculis sevocare.] *Id. Or.* 20. Ab his non multo sècus, quam a poetis, haec eloquentia, quam quaerimus, sevocanda est, [*i. e. distinguenda.] ¶ *Sevocare aliquid ad se*, separare a reliquis, et ad se trahere. *Cic. Quint.* 3. *f.* Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat. [*V. *Gronov. observ.* 2, 19. p. 189. *ed. Fr.*]

*SEURBI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

*SEUTHES, ae, rex quidam Thraciae, de quo *Nep. Alcib.* 8. *B. A.*

*SEUTHUSA, ae, f. insula Rhodo vicina. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

SĒVUM cum derivat. V. SEBUM.

SEX, ἕξ, nomen numerale cardinale, indeclinabile: a voce Graeca allata, mutato spiritu in *s*, quomodo ab ἑπτὰ est septem. *Liv.* 7, 5. *f.* T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit. *Cic. Rosc. Am.* 7. Sex et quinquaginta millia passuum. ¶ Sex septem. *Lucr.* 4, 578. Sex etiam septem loca vidi reddere voces. *Ter. Eun.* 2, 3, 39. Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus sex septem prorsum non vidisse proximis. *Hor. Od.* 1, 1, 58. Sed quadringentis sex septem millia desint. ¶ [In antiquis Lapidibus saepe videre est *sexs* scriptum, ut in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 11. *n.* 51. Ollas continuas sexs. *F.*]

SEXĀGĒNĀRIUS, a, um, adj. qui sexaginta continet, ut Sexagenaria fistula, *Front. Aquaed.* 54. ¶ Item qui habet annos sexaginta, ἑξηκονταετής. *Quint.* 6, 3. *med.* Cicero objurgatus, quod Publiliam, cum sexagenarius esset, virginem duxisset, cras, inquit, mulier erit. *Eutr.* 8, 7. Hadrianus obiit major sexagenario, *h. e.* annos natus sexaginta et amplius. V. MAGNUS *f.* ¶ Sexagenarios per pontem mittendos, male diu popularitas intellexit, cum Varro de vita populi R. l. 2. honestam causam religiosamque patefecerit. Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur, sexagenarios de ponte dejici oportere, id est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. Haec *Non.* 12, 22. Alias hujus proverbii causas affert *Festus* his verbis: Sexagenarios de ponte olim dejiciebant: cujus causam Manilius hanc refert, quod Romam qui incoluerint primi Aborigines, hominem, sexaginta annorum qui esset, immolare Diti patri quotannis soliti fuerint: quod facere eos destitisse adventu Herculis, sed religione postea veteris moris scirpeas hominum effigies de ponte in Tiberim, veteri modo, mittere instituisse. Alii dicunt, morante in Italia Hercule, quod quidam ejus comitum habitaverint secundum ripam Tiberis, atque Argeos se ab Argivis vocaverint agris: quorum proditam memoriam redintegrari, eo gente missum ab Graeca legatum quendam Argaeum, diu cum iis Romae moratum esse: is ut obierit, institutum a sacerdotibus, ut effigies scirpea ex omnibus, cum, quae publicae erant rei, nunciavisset, per flumen ac mare in patriam remitteretur. Sunt qui dicant, post Urbem a Gallis liberatam, ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines jaci in Tiberim: ex quo numero unus filii pietate occultatus, saepe profuerit patriae consilio sub persona filii: id ut sit cognitum, ei juveni esse ignotum, et sexagenariis vita concessa: latebras autem ejus, quibus arcuerit senem, id est cohibuerit et celaverit, sanctitate dignas esse visas: ideoque Arcaea appellata. Sed exploratissimum illud est causae: quo tempore primum per pontem coeperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi, deligerent imperatorem. Cujus sententiae est etiam Sinnius Capito. Vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius in Repudiato. Hactenus *Festus.* ¶ [*Sexagenaria procuratio* est dignitas illius, qui ob aliquam procurationem sexagies sestertium stipendii nomine accipiebat, qui *ad* HS. $\overline{\text{LX}}$. *procurator* dicitur in *Inscr.* ap. *Mur.* 514, 1.; quemadmodum *ducenarius procurator*, qui ducena accipiebat. V. DUCENARIUS. *Inscr.* ap. *Passion.* p. 10. *n.* 3. Septimius Verus Hermogenes sexagenaria procuratione suffragio ejus ornatus. *F.*]

SEXĀGĒNI, ae, a, adj. ἑξήκοντα, nomen numerale distributivum, quod et pro cardinali *sexaginta* ponitur. *Liv.* 8, 8. Postremo in plures ordines instruebantur. Ordo sexagenos milites habebat. *Monum. Ancyr.* ap. *Grut.* 231. Trecentis et viginti millibus plebis urbanae sexagenos denarios viritim dedi. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 9. Mausoli opus patet ab Austro et Septentrione sexagenos ternos pedes. ¶ Extra distributionem. *Cic. Verr.* 2, 5, 21. Haec sexagena millia modium, quae Mamertinis remiseras. *Varr. R. R.* 2, 3. Caprae ferae sunt, quae saliunt e saxo pedes plus sexagenos.

SEXĀGĒNĬQUĪNI, ae, a, adj. sexaginta quinque, ut Fistula sexagenumquinum, *Front. Aquaed.* 55.

SEXĀGĒSĬES, adv. idem quod sexagies. *Capell.* 6, 198. de terrae ambitu: Illa stadia quingenta trecentis sexagesies complicata, etc.

SEXĀGĒSĬMUS, a, um, adj. ἑξηκοστὸς, numerus ordinalis sexaginta continens. *Flor.* 2, 2. Intra sexagesimum diem. *Cic. Att.* 5, 13. Ephesum venimus a. d. XI. cal. Sext. sexagesimo et quinto post pugnam Bovillam. *Augustus* ap. *Gell.* 15, 7. Spero, laetum et benivolentem celebrasse quartum et sexagesimum natalem meum. *Mart.* 4, 79. Condita cum tibi sit jam sexagesima messis. Adde 6, 70. ¶ Absolute. *Plin.* 29, 1, 8. Quarumdam rerum sexagesima denarii unius imperata, *h. e.* pars sexagesima denarii ponderis.

SEXĀGĒSIS inscribitur una ex Satyris Menippeis *Varronis*, ex qua multa fragmenta servavit *Nonius.*

SEXĀGĬES, adv. ἑξηκοντάκις. *Cic. Phil.* 2, 18. Si sestartium sexagies peteret, *h. e.* sexagies centena millia sestertium. *Id. Rosc. Am.* 2. Bona patris hujusce Sex. Roscii, quae sunt sexagies, *h. e.* sexagies centena millia sestertium. Adde *Caes. B. C.* 1, 23.

SEXĀGINTA, ἑξήκοντα, decies sex, nomen numerale cardinale, indeclinabile. *Cic. Leg.* 2, 24. *med.* Rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adjici aedes alienas, invito domino. *Petr. Sat.* 122. Sanguine Germano, sexagintaque triumphis Esse nocens coepi. *Liv.* 44, 4. Cum imperator major sexaginta annis omnia militaria munera impigre ipse obiret. *Mart.* 7, 9. Cum sexaginta numeret Cassellius annos; et 12, 26. Sexaginta teras cum limina mane senator. Hoc loco *sexaginta* de magno numero dicitur, ut ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 47. *f.* Possum sexaginta decreta proferre, in quibus ut ego pecuniam non dicam intercessisse, ipsa decretorum novitas iniquitasque declarat. Sed alii cum *Donato* ad *Ter. Ph.* 4, 3, 63. leg. *sexcenta:* quod certe usitatius est, et *Ciceroni* familiarius.

SEXANGŬLĀTUS, a, um, part. ab inus. *sexangulo*, sexangulus, ut Sexangulata crystallus, ap. *Solin.* 33. *f.*

SEXANGŬLUS, a, um, adj. ἑξαγώνιος, sex angulos habens. *Ov. Met.* 15, 382. Nonne vides, quos cera tegit sexangula, fetus Melliferarum apium sine membris corpora nasci? *Plin.* 11, 11, 12. de apib.: Sexangulae omnes cellae: singulorum eae pedum opere. (Idem fere habet, licet aliis verbis, *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* In favo sex angulis cella, totidem, quot habet ipsa (*apis*) pedes.) *Id.* 37, 5, 20. Berylli poliuntur sexangula figura.

SEXĀTRUS, sextus dies post Idus. *Varr. L. L.* 5, 3. Ab Tusculanis post diem sextum Idus similiter vocatus sexatrus, et post diem septimum septimatrus. V. QUINQUATRUS.

[SEXCĒNĀRIUS, a, um, adj. ex sexcentesimo numero constans. *Caes. B. C.* 3, 4. Exspectabat funditorum cohortes sexcenarias duas, *h. e.* quae sexcentis funditoribus, ut quadringenariae, quae militibus quadringentis, constabant. *F.*]

SEXCĒNI, ae, a, adj. numerale dispertitiv. sexcenteni. *Colum.* 3, 3. Singula jugera vinearum sexcenas urnas vini praebuisse. *Curt.* 5, 1. *f.* Equitibus sexceni denarii tributi. Adde *Plin.* 29, 1, 5.

SEXCENTĒNI, ae, a, adj. ἑξακόσιοι, sexceni, sexcenti. *Cic. Verr.* 2, 5, 25. Civitatibus certum pretium, sexcentenos nummos nautarum missioni constituere. *Colum.* 3, 5. In singulis ordinibus, qui ducenos quadragenos pedes obtinent, sexcenteni malleoli pangendi sunt; et *ib.* 9. Sexcentenas urnas priscis cultoribus singula vinearum jugera fudisse.

SEXCENTĒSĬMUS, a, um, adj. ἑξακοσιοστὸς, ultimus, sive unus ex sexcentis. *Plin.* 8, 7, 7. Anno Urbis sexcentesimo quinquagesimo quinto. ¶ [Etiam *sescentesimus* scribitur: ita enim scriptum se invenisse testatur *A. Maius* ad *Cic. de Rep.* 1, 37.; ut etiam *sescentos ib.* 48., et *sescentis ib.* 2, 10., tum *sescentorum* in membranis Palatin. fragm. *Cic. Font.* 4., quae scriptura, ut ipse addit, aliis quoque exemplis facile confirmatur. *F.*]

SEXCENTI, ae, a, adj. numeral. cardinale, ἑξακόσιοι, sexies centum. *Pl. Pers.* 1, 2, 36. Oravi, ut nummos sexcentos mihi dares utendos mutuos. *Gell.* 1, 1. Curriculum stadii pedum esse numero sexcentum: pro *sexcentorum:* quod habet etiam *Lucil.* ap. *Non.* 8, 85. ¶ Saepe usurpatur pro numero ingenti, et indefinito, ut μύριοι apud Graecos, et apud nos quoque *mille.* Qua ratione et *millies* Latine dictum est. *Pl. Aul.* 2, 4, 41. Sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium. *Ter. Ph.* 4, 3, 63. Sexcentas proinde scribito mihi dicas: nihil do. *Cic. Att.* 14, 12. Quid? Dejotari nostri causa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam: sexcenta similia; et *ib.* 6, 4. In quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas: sexcenta praeterea. Adde *Verr.* 2, 2, 48. et *Div.* 2, 14. *extr.* et *Att.* 7, 2., *Pl. Trin.* 3, 3, 62., *Mart.* 6, 59. etc. Sic *Pl. Bacch.* 4, 9, 110. Cave, tibi ducenti nummi dividiae fuant: sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.

SEXCENTĬES, adv. ἑξακοσιάκις, sexcentis vicibus. *Cic. Att.* 4, 16. Ut forum laxaremus, et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sestertium. *Pl. Men.* 5, 4, 8. Suspirabo plus sexcenties in die. *Lampr. Commod.* 15. Sexcenties vicies.

SEXCENTOPLĀGUS, a, um, adj. ἑξακοσιόπληγος qui sexcentas plagas accipit. *Pl. Capt.* 3, 5, 68. Sexcentoplago nomen indetur tibi.

SEXDĔCIM, etc. V. SEDECIM.

SEXDĔQUINQUE, adv. pro et sexdecim. *Vet. Plebiscit.* ap. *Fest.* in *Publica pond.* Sextarius aequus cum librario siet: sexdequinque librae in modio sient. Ita *Scalig.*

SEXENNIS, e, adj. ἑξαέτης, qui est sex annorum. *Pl. Poen.* 4, 2, 80. Inde surreptus fere sexennis. *Plin.* 8, 32, 50. de cervis: Singulos annis adjicientibus ramos usque ad sexennes.

SEXENNĬUM, ii, n. ἑξαετία, tempus sex annorum. *Cic. Div.* 1, 44. *extr.* Quod quidem sexennio post Vejos captos factum esse vidimus. *Pl. Poen. prol.* 66. Puer septuennis subripitur Carthagine sexennio prius quidem, quam moritur pater.

SEXĬES, adv. ἑξάκις, sex vicibus. *Liv.* 4, 32. Vejentem hostem sexies victum pertimescant. *Plin.* 18, 16, 43. Medica secatur incipiens florere: id sexies evenit per annos. *Vell.* 1, 15. *extr.* Eporedia colonia deducta est, Mario sexies, Valerioque Flacco Coss.

[SEXIS, n. indecl. sex asses. *Capell.* 3, 80. S littera i praecedente finita neutra monoptota sunt, ut tressis, sexis. ¶ Est etiam idem ac numerus senarius. *Id.* 7, 255. Utque ex duobus triplo sexis implevit, sic senario numero duos adjiciendo supertertium invenit. V. SEPTUSSIS *F.*]

SEXITANUS. V. SAXETANUS.

SEXPRĪMI, orum, m. plur. sex viri, qui in ordine decurionum principes sunt. *Cic. N. D.* 3, 30. L. Allienus chirographum sexprimorum imitatus est. [*Fragm. juris antejust.* (ed. *A. Maio*) p. 37. Hi quoque, qui sunt ex collegio sexprimorum, habent a tutelis excusationem. V. DECEMPRIMI. ¶ Item num. sing. qui in aliquo ordine est ex sex primoribus. *Inscr.* ap. *Donat.* 321, 7. et *Fabr.* p. 386. *n.* 223. Qui fuit scriba quaestorius sexsprimus. Alia ap. *Mur.* 977, 6. P. Septumius P. F. Col. Scr. Q. de sexs primis. *F.*]

SEXSIGNĀNI, orum, m. plur. cognomen est datum Cocossatibus populis Aquitaniae, ap. *Plin.* 4, 19, 33., sicut Tarbellis *Quatuorsignani:* ideo fortasse, inquit *Harduinus*, quia apud illos sex signa militum praesidii causa manebant, apud hos quatuor.

SEXTĀDĔCĬMĀNI, orum, m. plur. milites legionis sextadecimae. *Tac. H.* 3, 22. Sextadecimanos, duoetvicesimanosque, et primanos laevum cornu complesse.

SEXTĀNĔUS, a, um, adj. sextus: ut Sextaneus limes, *Var. Auct. de limit.* p. 239. et 258. *Goes.* et al.

SEXTĀNI, orum, m. plur. populi Galliae Narbonensis, quorum urbs Arelate. V. SEPTIMANUS Hi memorantur a *Plin.* 3, 4, 5. et *Mela* 2, 5. *Inscr.*

ap. *Grut.* 257, 6. Divae Faustinae Aug. Sextani Arelatenses.

SEXTANS, antis, m. pars assis, ut ait *Varr. L. L.* 4, 36., hoc est unciae duae: ut in AS dictum est. Dicitur tum de signata pecunia, tum de pondere, tum de mensura. *Liv.* 2, 33. *extr.* Huic (*Agrippae Menenio*) sumptus funeri defuit. Extulit eum plebs sextantibus collatis in capita. *Plin.* 33, 10, 47. Populus R. Agrippae Menenio sextantes aeris in funus contulit. *Laberius* ap. *Gell.* 16, 9. Servus sextantis verbis nefariis utitur, *h. e.* minimi pretii. Alii leg. *sexcentis.* ℙ De pondere, *h. e.* sexta parte librae. *Ov. Med. fac.* 65. Sextantemque trahat gummi cum semine Tusco. *Plin.* 26, 11, 74. Mentae sextans, vivi sulphuris uncia, ex aceto simul trita. *Mart.* 8, 71. ligulam misit sextante minorem. ℙ De mensura, h. e. sexta parte alicujus certae quantitatis, aut magnitudinis, v. gr. hereditatis, pedis, jugeri, etc. *Cic. Fam.* 13, 23. *med.* Testamento heres ex parte dimidia et tertia est Capito: in sextante sunt ii, quorum, etc. *Paul. Dig.* 44, 2, 30. Ex sextante heres institutus. *Colum.* 12, 23. Picis sextans et semuncia in sextarios quinque et quinquaginta (*vini*) adjicitur, *h. e.* se xta pars sextarii, qui sunt duo cyathi: nam sextarius duodecim cyathos continet. Sic *Mart.* 5, 64. Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni. *Suet. Aug.* 77. Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit: aut, si excessisset, rejiciebat. *Plin.* 13, 15, 29. Tiberio principi mensam fuisse quatuor pedes, sextante, sicilico excedentem, tota vero crassitudine sescunciali. *Colum.* 5, 1. *med.* Jugeri pars sexta pedes quatuor millia et octingentos, hoc est sextans. Adde *Varr. R. R.* 1, 10. ℙ Mathematici sextantem appellant sextam partem numeri esx, quod est unum. *Vitr.* 3, 1. *med.* ℙ Scribitur et *sestans.*

SEXTANTĀLIS, e, adj. sextantem continens, ut Sextantales fusi, ap. *Vitr.* 10, 6. h. e. crassitudinem habentes duarum unciarum, seu pollicum.

SEXTANTĀRIUS, a, um, adj. sextantem continens, aut pondus habens sextantis. Asses qui a principio librales erant, bello Punico primo (ut ait *Plin.* 33, 3, 13.) aut secundo (ut *Fest.* in *Sextantarii*) sextantarii facti sunt, *h. e.* sextantis seu duarum unciarum pondere, ita ut ex libra aeris sex asses fierent: idque eo quod respublica impensis non sufficiebat. *Plin. l. c.* Constitutum, ut asses sextantario pondere ferirentur. *Fest. l. c.* Sextantarii asses in usu esse coeperunt, etc. V. AS.

*SEXTANTĬO. V. voc. seq. *B. A.*

*SEXTATĬO, onis, nomen loci in Gallia Narbonensi. *Anton. Itin.* ℙ *Sextentio* audit *Tab. Peutinger.* et *Theodulf. B. A.*

[SEXTĀRĬĀLIS, is, f. mensura scil., quae sextarium aequat. *Inscr.* ap. *Grut.* 223, 2. Sextarialis exacta . . . . DD. NN. Arcadii et Honorii. *F.*]

SEXTĀRĬOLUS, i, m. parvum vas sextarium continens. *August.* ap. *Auct. Vit. Hor. med.* Itaque licebit, in sextariolo scribas.

SEXTĀRĬUS, ii, m. mensurae genus, duas heminas seu cotylas continens, *h. e.* duodecim cyathos: habetque pondus viginti unciarum: ita dictus quia sexta pars est congii. Duodequinquaginta sextarii quadrantal vini faciunt: sexdecim modium frumenti. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 71., *Fest.* in *Publica pond.* ℙ Est mensura dum liquidorum, tum aridorum. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 14. Si e sextario hemina fusa est. *Hor. Sat.* 1, 1, 74. Panis ematur, olus, vini sextarius. *Cic. Off.* 2, 16. Aquae sextarium mina emere. *Vopisc. Tac.* 11. Ipse fuit vitae parcissimae, ita ut Sextarium vini tota die nunquam potaverit, saepe intra heminam. *Colum.* 2, 9. *f.* Panicum et milium sextariis fere quatuor jugerum implent, *h. e.* quarta modii parte: modius enim sexdecim sextarios habet; et *ib.* 10. *extr.* Jugerum agri non amplius quatuor sextariis raporum seminis obserendum est. Adde *Plin.* 18, 13, 35. *Id.* 24, 14, 79. Sextarius sorborum. *Colum.* 12, 5. salis. *Ulp. Dig.* 47, 2, 21. *med.* frumenti. ℙ Vas sextarii capax. *Cato R. R.* 13. *f.* Urnam quinquagenariam unam, sextarium olearium unum, labellum unum. ℙ Sexta pars cujusque rei. *Plin.* 27, 4, 10. de androsaemone: Usus ad purgandam alvum tusae cum semine, potaeque matutino, vel a coena duabus drachmis in aqua mulsa, vel vino, vel aqua pura, totius potionis sextario. ℙ Scribitur et *sestarius.*

SEXTĬĀNUS. V. SESTIANA.

SEXTĬCEPSOS. V. BICEPSOS.

*SEXTILĬA, ae, f. uxor L. Vitellii, Vitellii Imperatoris mater. *Suet. Vit.* 3. *Tac. H.* 2, 64. *B. A.*

SEXTILĬĀNUS, a, um, adj. ad Sextilium aliquem pertinens, ut Sextiliana pira, *Cloat.* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. *extr.* et *Mur.* 257, 2.

SEXTĪLIS, is, m. mensis anni: a *sextus*, quod sextum obtineret locum a Martio, a quo Romulus annum inchoavit. *Ov. Fast.* 1, 42. et *Varr. L. L.* 5, 4. *f. Hor. Ep.* 1, 7, 1. Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum, Sextilem totum mendax desideror. ℙ Adjective. *Id. ib.* 11, 19. Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus. ℙ Postea *Augustus* appellatus est, ex decreto senatus, a Caesare Octaviano Augusto, qui hoc mense, victo M. Antonio, bellis civilibus finem imposuit. *Suet. Aug.* 31. V. AUGUSTUS.

*SEXTILIUS, i, m. nomen Romanum; v. g. C. Sextilius Rufus, praefectus classis C. Cassii. Quaestor fuit primus in Cyprum missus a Romanis. *Cass.* in *Cic. Fam.* 12, 13. Adde *Fam.* 13, 48. ℙ Formatur a *Sextus*, ut *Quintilius* a *Quintus. B. A.*

[SEXTĬO, onis, m. dimin. sexti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1402, 7. C. Tarius C. F. Sextio. *F.*]

SEXTĬUS et Sestius, nomen proprium Romanum, ut P. Sextius Florus, L. Sestius Magnus. Sextia gens Romae duplex, patricia, et plebeja: illa per *s* scribitur, haec per *x*, ut ex Lapidibus ostendit *Manut.* in *Orthogr.*, cui adsentiuntur *Dausquius* et *Cellarius.* ℙ *Sextia lex* dicta est a latore L. Sextio trib. plebis, ut consulum alter ex plebe crearetur: qua lege is primus consul de plebe est factus. *Liv.* 6, 35. et 41. et 7, 1. ℙ *Sextia tabula*, taberna argentaria cujusdam Sextii Romae in foro, in qua tabulis perscribebantur acta in foro ipso, actiones, contractus, vadimonia, et hujusmodi, eaeque tabulae, si opus esset, in judicio proferebantur. *Cic. Quint.* 6. Similis erat *tabula Valeria*, de qua *Id. Fam.* 14, 2. ℙ Sextiae Bajae, Aquae Sextiae, Salluviorum, nunc *Aix*, oppidum Galliae Narbonensis, colonia Romanorum, condita a C. Sextio proconsule post victam Salluviorum gentem ann. U. C. DCXXX. Circa eam copia aquarum fuit calidis et frigidis fontibus. *Epit. Liv.* 61., *Plin.* 3, 4, 5. et *Flor.* 3, 3. *Sidon. carm.* 23, 12. Nuper quadrupedante cum citato Ires Phocida, Sextiasque Bajas.

SEXTO, adv. ἕκτον, ut secundo, tertio, quarto. ℙ Pro sexies, sex vicibus. *Treb. Gall.* 17. Lavit ad diem septimo aestate, vel sexto. V. SECUNDO adv.

SEXTULĂ, ae, f. unciae sexta pars, assis septuagesima secunda, quia duodecim sexies ducta efficiunt LXXII. *Varr. L. L.* 4, 36. Aeris minima pars, sextula, quod sexta pars unciae. *Remn. Fann. de ponderib.* 22. Sextula quae fertur: nam sex his uncia constat. ℙ Pars septuagesima secunda jugeri, pedes continens CCCC., ut *Colum.* docet 5, 1. *med.* ℙ aut hereditatis: quia hereditas *as* vocatur. *Cic. Caecin.* 6. Facit heredem ex deunce et semuncia Caecinam, ex duabus sextulis M. Fulcinium: Aebutio sextulam aspergit. Quod ait *aspergit*, respicit ad vas continens mensuram *sextulae*, hoc est fortasse sextam partem sextarii, seu cyathos duos. Unde mox dicit: Iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controversiarum putat: quasi *sextula* vas ansatum sit.

*SEXTUPLEX, icis, et

*SEXTUPLUS, a, um, adj. ἑξαπλοῦς. *Gloss. Cyrill. B. A.*

SEXTUS, a, um, adj. ἕκτος, ultimus in sex. *Cic. Off.* 3, 23. Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quaestionum. *Pl. Ps.* 4, 2, 5. Sextum a porta proximum angiportum. *Ov. Fast.* 2, 682. sextus ab urbe lapis. *Vell.* 1, 3. et 2, 17. Aletes, sextus ab Hercule. ℙ Sextum. *Cic. Pis.* 9. C. Marius sextum consul. *Cato* ap. *Gell.* 10, 1. *f.* Carthaginienses sextum de foedere decessere. ℙ *Sextus* praenomen R. ab ordine nascendi inditum, ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 445, 2. Sex. Octavius Sex. F. Celsus. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut in alia ap. *Mur.* 339, 2. Sex. Virejus Sextus. *F.*]

SEXTUSDĒCĪMUS, a, um, adj. δέκατος. *Colum.* 11, 2. *f.* Sextodecimo cal. Jan. *Tac. A.* 1, 37. Sextadecima legio; et *ib.* 17. Sextusdecimus stipendii annus. Adde *Vitr.* 1, 6.

SEXTUSSIS. V. SEPTUSSIS.

SEXU. V. SEXUS.

[SEXŪĀLIS, e, adj. ad sexum pertinens. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. Pessulum sensim cum sexualibus manibus in muliebre verendum mitti jubemus, *h. e.* per manus alterius feminae, quae est ejusdem sexus. *F.*]

SEXVIR. V. SEVIR.

SEXUNGŪLA dicitur a *Pl. Truc.* 2, 2, 57. meretrix rapax, et amatorum bona consumens: quasi senos in manibus digitos habeat. Sic *Id. Aul.* 3, 6, 17. Mihi intromisisti in aedibus quingentos cocos cum senis manibus, *h. e.* furaces.

SEXUS, us, m. et n. et Sexu, u, n γένος, ἕξις, habitus, natura, id quo animal masculum a femina distinguitur. *Fest.* ex correct. *Scal.* Sexus, aliter sexu, natura, habitusque: ex Graeco, quam illi vocant ἕξιν. Afranius in Privigno sic ait: Orbus virili sexu adoptavit sibi. Pacuvius in Atalanta: Triplicem virili sexu partum procreat. *Cic. Inv.* 1, 24. *med.* Hominum genus et in sexu consideratur, virile an muliebre sit. *Lucan.* 10, 91. nullo discrimine sexus Reginam scit ferre Pharos. *Mart.* 9, 9. Tanquam parva foret sexus injuria nostri. *Plin. ep.* 10, 97. *f.* Multi omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus. *Plin. alter* 10, 55, 76. Livia cum parere virilem sexum admodum cuperet. *Tac. A.* 3, 34. *med.* Sexum natura invalidum deserere; et *ib.* 16, 10. *extr.* Modo muliebri ejulatu, aliquando sexum egressa, voce infensa clamitabat. *Plin.* 7, 52, 52. Feminarum sexus huic malo videtur maxime opportunus. ℙ *Prisc.* 5, 653. Plantus hoc sexus, hujus sexi neutro genere protulit in Rudente (1, 2, 19.) Virile sexus nunquam ullum habui. *Sall. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Concurrentibus undique virile et muliebre sexus. Ita legit etiam *Non.* 3, 193. addens et illud *Sisennae Hist. l.* 3. Tum in muro virile ac muliebre sexus, populi multitudine omni collocata. Alii tamen leg. *secus.* V. SECUS indecl. ℙ De bestiis *Plin.* 27, 2, 2. et 28, 17, 68. et 32, 2, 5. etc. ℙ Αἰδοῖα quoque ipsa, quibus sexus distinguuntur, *sexus* appellantur ab *eod.* 22, 8, 9. ℙ De femina. *Gloss. Philox.* Sexus, σχῆμα γυναικεῖον. *Sil.* 3, 114. Sin solo aspicimur sexu, etc. V. integr. loc. ℙ Arboribus, inquit *Plin.* 13, 4, 7., immo potius omnibus, quae terra gignat, herbisque etiam, utrumque sexum esse, diligentissimi naturae tradunt. Hinc de lapide magnete usurpat 36, 16, 25.; de aetite *ib.* 21, 39.; de ture 12, 14, 32. ℙ In plur. num *Spart. Hadr.* 18. *f.* Lavacra pro sexibus separavit.

SI

SI, *si*, conjunctio conditionalis: a voce Graeca allata, quam originem confirmat priscorum mos scribentium *sei*, ut in aliis, quae *i* producunt. Regit tum indicativum, tum conjunctivum. *Cic. Fam.* 2, 7. Nunquam labere, si te audies. *Id. ib.* 4. *f.* Exspectationem facillime vinces, si hoc statueris. *Caes. B. G.* 1, 14. Si obsides ab iis sibi dentur, et si Aeduis de injuriis satisfaciant, sese cum iis pacem facturum. *Sil.* 1, 646. fluctus Si prohibere piget, vestras effringet in urbes. ℙ Servit correctioni. *Cic. Fam.* 11, 8. Romae delectus habetur: si hic delectus appellandus, cum ultro se offerunt omnes. ℙ Habet interdum vim confirmandi, ut *quia*, *siquidem*, *quandoquidem*, aut similia. *Cic. Cat.* 1, 3. Quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox obscurare coetus nefarios potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? *Virg. G.* 1, 7. vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista. *Liv.* 7, 31. Commoti patres vice fortunarum humanarum, si ille praepotens opibus populus adeo infractos gereret animos, ut, etc. ℙ Huc et illa pertinent *Virg. A.* 1, 607. Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid Usquam justitiae est, et mens sibi conscia recti, Praemia digna ferant. (Adde *ib.* 2, 537.) *Cic. Rab. perd.* 1. Si est boni consulis ferre opem patriae, succurrere saluti, etc. Adde *Prop.* 3, 13, 21. ℙ Item adversandi, pro etsi, quamvis, etiamsi. *Ter. Eun.* 1, 1, 4. Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret; et 5, 2, 26. Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen. *Cic. Off.* 3, 8. *extr.* Satis enim nobis persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste esse faciendum. Adde *Att.* 5, 4., *Pl. Cist.* 1, 1, 29. et *Nep. Phoc.* 1. ℙ Item optandi, pro utinam. *Virg. A.* 6, 186. Aeneas sic voce precatur: Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat nemore in tanto! *Pers.* 2, 10. o si Ebullit patrui praeclarum funus! et, o si Sub rastro crepet argenti mihi seriae dextro Hercule! ℙ Item dubitandi, pro *an. Liv.* 31, 9. *f.* Ad collegium pontificum referre consul jussus, si posset recte votum incertae pecuniae suscipi. *Id.* 39, 50. *med.* Nihil aliud locutum ferunt, quam quaesisse, si incolumis Lycortas evasisset. Adde 29, 25. et 40, 49. *f.*, *Virg. A.* 4, 110., *Plin. Pan.* 2. Similia sunt illa *Ter. Eun.* 3, 4, 7. et *Heaut.* 1, 1, 118. Visam, si domi est. *Id. Ph.* 3, 3, 20. Vide, si quid opis potes afferre huic. *Caes. B. G.* 1, 8. *extr.* Saepius noctu, si perrumpere possent, conati. *Liv.* 1, 57. Tentata res est, si primo impetu capi Ardea posset. *Pl. Cist.* 1, 3, 37. Operam servus dat, si possiet meretricem illam invenire. *Id. Poen. prol.* 12. Jamdudum exspecto, si tuum officium scias. ℙ Si praecedit negatio, *si* pro *an* perrarum est. *Pall. de insit. prooem.* Nescio, si tuum ad has minutias inclinetur ingenium. ℙ Refertur etiam ad tempus, pro ubi, postquam. *Catull.* 14, 16. Non non hoc tibi salse sic abibit. Nam si luxerit, ad librariorum Curram scrinia, etc. *Virg. A.* 5, 64. si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit. *Ter. Ph.* 2, 1, 17. Herus si redierit, molendum usque in pristino. *Pl. Stich.* 5, 5, 18. Postidea loci, si hoc eduxeris, lepidam cantationem aliquam occipito. ℙ *Si est, ut*, pro si. *Pl. Poen.* 5, 2, 102. Si ita est, ut tu sis Iachonis filius, signum esse oportet in manu laeva tibi. *Ter. Hec.* 4, 1, 43. Si est, ut dicat, velle se, redde: sin est autem ut nolit, recte ego consului meae. *Id. Ad.* 3, 6, 4. Si est; facturus ut sit officium suum, faciat: sin aliter, etc. Adde *Ph.* 2, 1, 40., *Hec.* 3, 5, 51. et 4, 4, 102. ℙ *Si ne*, si non. *Pl. Rud.* 3, 4, 26. Vos adeo, ubi ego innuero vobis, si me ei caput exoculassitis, item ego vos virgis circumvinciam. ℙ *Si*, ac si, quasi. *Id. Capt.* 3, 3, 57. Nam si servus meus esses, nihilo secius mihi obsequiosus semper fuisti. ℙ *Si non*, nisi, *εἰ μή. Lucr.* 2, 39. Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum est, Si non forte, etc. ℙ *Si* pro sive. *Pl. Curc.* 1, 1, 4. Si media nox est, sive est prima vespera, est eundum quo imperant. *Gell.* 2, 28. Eas ferias si quis polluisset, hostiam, si Deo, si Deae immolabant. ℙ Aliquando omittitur. *Cic. Off.* 3, 19. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione

heres posset scriptus esse, in foro, mihi crede, saltaret. *Id. Phil.* 13, 11. *med.* Recesseris; undique omnes insequentur: manseris; haerebis. *Virg. A.* 6, 31. Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes. *Ov. Fast.* 6, 113. Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba; Reddebat tales protinus illa sonos. *Prop.* 4, 5, 9. Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum. *Sen. Thyest.* 744. Hactenus sistat nefas, pius est. Adde *Ov. Rem. Am.* 745., *Tibull.* 1, 7, 43., *Hor. Sat.* 1, 3, 15., *Stat. Th.* 2, 242. *Juven.* 3, 78. ℙ Multa de vi et usu hujus particulae, *Prisc.* 18, 1141.

[SIAGITANUS, a, um, adj. ad Siagam pertinens, Africae proconsularis urbem, quae a *Ptolem.* 4, 3. *Siagal*, et in *Tab. Peut.* appellatur *Siagu*, quamque *Morcell. Afr. Christ.* T. 1. p. 169. eandem ac *Gigga*, seu *Zigga* censet. *Inscr.* ap. *Grut.* 270, 2. Senatus, populusque Siagitanus. Adde alias ap. *Maff. Mus. Ver.* 457, 2. et 458, 8. *F.*]

SIAGON, ōnos, f. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. et 4. siagonas appellat temporum et maxillarum musculos: Graece *αἱ σιαγόνες* maxillas significant.

SIAGONITAE, arum, m. plur. *σιαγονῖται*, maxillarum musculi. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. et *ib.* 3, 6. et 8.

*SIAGU, oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Tab. Peut. B. A.*

*SIAMBIS, insula medio inter Britanniam Juvernamque mari. *Plin.* 4, 16. *B. A.*

[SIARIENSIS, e, adj. ad Siaram pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, inter Hispalim, et Utteram, quae ap. *Plin.* 3, 1, 3. Siarum dicitur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1118, 1. Municipium Siariense. Alia ap. *Grut.* 803, 5. Splendidissimus ordo Siariensium. *F.*]

*SIATA, ae, insula inter Galliam Britaniamque. *Itin. marit.* (in *Anton. Itin.*) *B. A.*

*SIBARAE, arum, gens Indiae, cujus meminit *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*SIBDE, es, vel Sibda, ae, f. *Σίβδη*, Cariae oppidum, Halicarnasso ab Alexandro Magno attributum. *Plin.* 5, 29. Meminit et *Steph. Byz. B. A.*

SIBĔ pro sibi olim scriptum, usurpatumque fuisse a T. Livio, affirmat *Quint.* 1, 7. *med.*, ut etiam *quase* pro *quasi*. V. h. v. *Inscr.* mendosa quidem ap. *Mur.* 1517, 6., quae tamen Vicetiae etiamnum ita legitur: V. F. Ti. Allenius Florus sibe, et Alleniae Murrae libertae uxori, et fills libertis suis, et Ti. Allenio Tyranno. Alia mendosa item et mutila ap. *Grut.* 977, 4., quaeque nunc ita legitur in *Mus. Patav.* C. Gavio C. L. Jucundo contubernali suo, et sibe Octavia Methe V. S. F. In F. P. XII., in agr. P. XII.

SIBI. V. SUI.

*SIBI, oppidum Arabiae, a Graecis Apate dictum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

SIBILATRIX, icis, f. quae sibilat. *Capell.* 9, 307. Silvanum arundinis enodis fistula sibilatrix decuit.

SIBĪLĀTUS, us, m. actus sibilandi, sibilus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 27. Cum quodam vehementi sibilatu.

SIBĪLO, as, n. 1. *συρίττω*, sibilum edo. *Virg. A.* 11, 754. de angue: Arrectisque horret squamis, et sibilat ore. *Lucan.* 2, 698. Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes. *Quint. decl.* 12, 16. *f.* Intonat coelum, scissis rudentibus tempestas sibilat *Sil.* 17, 257. procella Antemnae immugit, stridorque immite rudentum Sibilat. ℙ *Sibilare aliquem* est sibilis insectari, contemnere. *Hor. Sat.* 1, 1, 66. populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi. *Cic. Att.* 2, 19. Populares isti jam etiam modestos homines sibilare docuerunt. ℙ Est etiam proprium amatoris, puellam in via occurentem ad se sibilis allicientis. *Pl. Merc.* 2, 3, 71. Quando (*ancilla*) incedat per vias, contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent, vellicent, vocent, molesti sunt. ℙ Translate. *Ov. Met.* 12, 279. ferrum igne rubens Stridet, et in trepida submersum sibilat unda.

SIBĪLUM, i, n. et Sibilus, i, m. *συριγμός*, sonus, qui fit ore compressis dentibus, v. gr. cum *s* littera vehementius pronuntiatur (unde ipsa sibilus potius, quam littera a nonnullis habita est), item ab aere, et vento, cum in vehementiori flatu scinditur, ut in silvis. Saepe anguibus tribuitur: et dicitur etiam de cantu, quem vel ore, vel tibia sibilando edimus. Vox est ficta a sono, ut ait *Quint.* 8, 6. *med.* et *Auct. ad Her.* 4, 31. per onomatopoeiam, ut mugitus, murmur. *Ov. Met.* 15, 669. cristis aureus altis In serpente Deus praenuntia sibila misit. *Virg. Ecl.* 5, 82. venientis sibilus Austri. *Lucr.* 5, 1381. Et Zephyri cava per calamorum sibila primum Agrestes docuere cavas inflare cicutas. *Ov. Met.* 13, 785. de fistula: Senserunt toti pastoria sibila montes. *Stat. Th.* 6, 338. stupuit qui sibila cannae. *Vet. Poeta* ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Strepitus, fremitus, clamor tonitruum, et rudentum sibilus. *Liv.* 25, 8. *f.* Ut quocumque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretur. *Colum.* 2, 3. Boves ad aquam duci oportet, sibiloque allectari, quo libentius bibant. *Val. Fl.* 6, 201. dum sibila respicit Iron Cuspidis Argivae, Pyliam latere accipit hastam. *Sil.* 9, 247. stridentis sibila teli. *Val. Fl.* 7, 525. Torquere sibila. *Lucan.* 9, 631. fundere; et *ib.* 724. effundere. *Ov. Met.* 4, 493. dare. ℙ Sibilis explodimus, et contemnimus. *Cic. fragm.* ap. *Charis.* 1, 61. In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili. *Id. Rosc. Com.* 11. E scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur; et *Att.* 2, 18. Clamoribus, et conviciis, et sibilis consectari aliquem; et *ib.* 19. Conscindere aliquem sibilis. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 6. *extr.* vexare. *Cic. Pis.* 27. Da te populo, committe ludis, sibilum metuis? *Id. Sext.* 59. *med.* Non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant, *h. e.* equi essedariorum propter repentina populi totius sibila extimescebant. ℙ Veteres etiam *sibilus, us*, declinarunt teste *Prisc.* 6, 715., ubi affert illud *Sisennae* in *Hist.* 12. Procul sibilus significare consuli coepit. Sed haec verba probant quidem, esse masculini generis, at non 4. decl. In *edit.* tamen *Krehlii Lips.* 1819. unus e *Codd.* habet *sibilu.*

SIBĪLUS, a, um, adj. sibilans. *Virg. G.* 3, 421. de colubro: Tollentemque minas, et sibila colla tumentem; et *A.* 2, 211. Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. Adde *A.* 5, 277. Sic *Val. Fl.* 3, 50. Setigerum latus, et torvae coma sibila frontis. Loquitur de Pane, cui caput est pinu acuta praecinctum. V. PAN.

SĪBĪNA vel Sibyna, ae, f. *σιβύνη*, Illyricis est telum venabuli simile. *Ennius:* Illyrici restant, sicis sibinisque fodentes. Haec *Paul.* ex *Festo.* Hesychius: *Σιβύνη, ὅπλον δόρατι παραπλήσιον. Gloss. Philox. Σιβύνη*, venabulum. *Tert. adv. Marc.* 1, 1. ex *Isai* 2, 4. Concidunt machaeras suas in aratra, et sibynas, quod genus venabulorum est, in falces. *Vulgata* habet *lanceas.*

[SIBLIANUS, a, um, adj. ad Sibliam pertinens, Phrygiae urbem, in cujus nummo ap. *Sestin. Cl. gen.* p. 126. *CEIBΛIIΩN. Plin.* 5, 29, 29. Ex hoc conventu deceat nominare Acmonenses, Peltenos, Siblianos. In *editionib.* perperam legitur *Silbianos. F.*]

SĪBUS, a, um, adj. callidus, vel acutus: a *σοφός*, sapiens. *Paul.* ex *Festo.* Hinc *persibus*, valde callidus.

*SIBUZATES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Caes. B. G.* 3, 27. V. SIBYLLATES. *B. A.*

SIBYLLA, ae, f. *Σίβυλλα*, virgo fatidica, seu, ut *Varro* infra citandus ait, cujus pectus numen recipit, et quae vaticinatur. Ducunt a *οἰός* Aeolice pro *θεός*, et *βυλὴ* pro *βουλὴ*, quasi Dei consilium. Ita *Lact.* mox citand. et *Serv.* ad *A.* 3, 445. et *ib.* 6, 12. Alii ap. *Voss.* aliunde. *Pl. Ps.* 1, 1, 23. Has quidem litteras, credo, nisi Sibylla legerit, interpretari alium posse neminem. *Cic. Div.* 2, 54. Sibyllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. ℙ Sibyllae decem fuerunt. Prima fuit *Persica*, cujus mentionem fecit *Nicanor*, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secunda *Libyca*, cujus meminit *Euripides* in Lamiae prologo. Tertia *Delphica*, de qua *Chrysippus* loquitur in eo libro, quem de Divinatione composuit. Quarta *Cumaea* in Italia, quam *Naevius* in libris belli Punici, *Piso* in Annalibus nominat. Quinta nata Babyloniae, quae *Erythraea* appellata est, quam *Apollodorus Erythraeus* affirmat, suam fuisse civem, eamque Graecis Ilium petentibus vaticinatam et perituram esse Trojam, et Homerum mendacia scripturum. Sexta *Samia*, de qua scripsit *Eratosthenes* in antiquis Annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septima *Cumana*, nomine *Amalthaea*, quae ab aliis *Demophile*, vel *Herophile* nominatur. Octava *Hellespontica*, in agro Trojano nata, vico Marpesso, circa oppidum Gergythium, quam scribit *Heraclides Ponticus* Solomis, et Cyri fuisse temporibus. Nona *Phrygia*, quae vaticinata est Ancyrae. Decima *Tiburtina*, nomine *Albunea*, quae Tibure colebatur ut Dea, juxta ripas Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur tenens in manu librum. Hujus sacra senatus in Capitolium transtulit. *Varro* ap. *Lact.* 1, 6. Vide *August. C. D.* 18, 23. ac imprimis, quae de his commentariolo integro complexus *Onuphrius Panvinius*, item *Is. Voss.* etc. Non enim desunt eruditi, qui totam hanc historiam oppugnant. ℙ Harum omnium celeberrima et nobilissima Erythraea fuit. Nam *Fenestella* ap. *Lact. l. c.* de quindecimviris tractans, ait, restituto Capitolio retulisse ad senatum C. Curionem consulem, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllae conquisita Romam reportarent: itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem a *Varr. l. c.* scriptum est. Celebris item fuit Sibylla Cumaea, cujus libri a Romanis occulebantur, nec eos ab ullo, nisi a quindecimviris, inspici fas erat. Hanc, ut poetae fabulantur, Apollo adamavit, et ei obtulit poscendi, quod vellet, arbitrium. Illa hausit arenam manibus, et tam longam vitam poposcit, oblita petere perpetuam juventutem. Cum illam vitae longitudinem obtinuisset, tamen Venerem pati dedignata est. Sibyllae hujus ope Aeneas ad Inferos descendit, et iterum ad Superos regressus est. Eo tempore Sibylla annos septingentos transegerat, illi sexcenti adhuc anni in humana forma supererant, quibus elapsis paullatim decrescere debebat, donec ad minimam molem, et in simplicem vocem redigeretur. *Ov. Met.* 14. a *v.* 104. et *Serv.* in *A.* 6, 321. ℙ Aeque clara Cumana fuit, quae novem libros attulisse dicitur ad regem Tarquinium Priscum, et pro eis trecentos aureos postulasse; cum rex aspernatus esset pretii magnitudinem, et derisisset mulieris insaniam, illa in conspectu regis tres combussit, ac pro reliquis idem pretium postulavit. Tarquinius multo magis mulierem insanire ratus est. Denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motus est rex, ac reliquos trecentis aureis emit. *Lact. l. c.*, *Gell.* 1, 19. qui hoc tribuit Tarquinio Superbo; et *Plin.* 13, 13, 27. qui tres tantum libros eidem Superbo oblatos scribit, et duos ab ipsa crematos, tertium in Capitolio repositum, una cum illo periisse ex incendio, Sullanis temporibus. *Juven.* 8, 126. Credite, me vobis folium recitare Sibyllae, *h. e.* merum Dei oraculum, verissimum vaticinium. *Folium* dicit, quia Sibylla Cumaea in more habuit responsa sua foliis arboris inscripta dare, ut ap. *Virg. A.* 3. a *v.* 444. ℙ *Sibylla* est etiam cogn. R. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* Bello Punico hi ludi (*Apollinares*) ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea Sibylla cognominatus est, et postea corrupto nomine primus Sylla coepit vocitari.

*SIBYLLĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae, quorum meminit *Plin.* 4, 19. ℙ Fortasse i. q. *Sibuzates. B. A.*

SIBYLLĪNUS, a, um, adj. *Σιβύλλινος*, qui est Sibyllae. *Cic. N. D.* 2, 3. *extr.* Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum. *Id. Har. resp.* 13. Sibyllinus sacerdos. *Id. Cat.* 3, 4. Sibyllina fata. *Id. Verr.* 2, 4, 49. Sibyllini libri. *Hor. Carm. saecul.* 5. versus. *Plin.* 11, 29, 35. Sibyllina remedia, *h. e.* inspectio librorum Sibyllinorum, quoties reipubl. calamitas accideret, cujus nec causa, nec finis inveniretur, ut ait *Liv.* 5, 13. ℙ *Libri Sibyllini*, fuere plures libri decem Sibyllarum, qui Romae in Capitolio diligentissime asservabantur. *Lact.* 1, 6. M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Graecos quidem, neque apud Latinos vixit, in libris rerum divinarum, quos ad C. Caesarem scripsit pontificem maximum, cum de quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminae vates Sibyllae sunt a versibus nuncupatae, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis Deorum denuntiandis, etc. *et infra:* Et sunt singularum singuli libri, qui, quia Sibyllae nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntque confusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest praeter Erythraeae, quae et nomen suum carmini verum inseruit, et Erythraeum se nominatum iri praelocuta est, cum esset orta Babyloniae. Haec *Lactant.* Sed nonnulli, teste *Serv.* in *A.* 6, 321., dicunt, Sibyllam Erythraeam, quae deinde Cumaea dicta est, fuisse. Hanc Romana fata conscripsisse, incenso Apollinis templo libros Romam allatos esse. ℙ Primum Tarquinius Priscus emit tres libros Sibyllae Cumanae trecentis aureis, jussitque eos in Capitolio religiosissime asservari. V. v. praec. Denique progressu temporis ex omnibus urbibus Italiae, Graeciae, et aliarum regionum cujusque Sibyllae libri diligentissime conquisiti, et Romam allati sunt. ℙ Asservabantur in Capitolio, in cella subterranea, in arca quadam lapidea. Horum legendorum, et interpretandorum causa duumviri a Tarquinio Superbo instituti sunt, qui *duumviri sacrorum* appellabantur. Deinde decemviri, ac tandem quindecimviri creati sunt. *Cic. Div.* 1, 2. V. QUINDECIMVIRI. ℙ Hos libros Stilicho, cum adversus Honorium et Arcadium principes defectionem moliretur, exussit. *Rut. Itin.* 2, 51. Nec tantum Geticis grassatus proditor armis, Ante Sibyllinae fata cremavit opis. ℙ *Sacerdotes*, seu *duumviri*, seu *decemviri*, seu *quindecimviri Sibyllini* erant sacerdotes, quorum erat Sibyllinos libros custodire; et quoties prodigia contigissent, libros illos aperire, et interpretari, et lectisterniis ad pulvinaria Deorum factis, eos placare, illorumque minas avertere. *Cic.* et *Liv.* multis in locis. ℙ [*Sibullinus* scribitur in *Kalend. Praenestin. mense April.* Ex libris Sibullinis. *Inscr.* opt. notae ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2276. Pater patratus populi Laurentis foederis ex libris Sibullinis percutiendi. *F.*]

SIBYNA. V. SIBINA.

SIC, adv. similitudinis, *οὕτω, οὕτως*, ita, hoc modo. *Cic. Div.* 2, 58. *med.* Sive sic est, sive illo modo. *Id. Leg.* 1, 17. *f.* Illa, quae aliis sic, aliis secus videntur. *Ter. Andr.* 3, 4, 9. Quid ais? *Si.* sic res est; et 1, 2, 4. Mirabar, hoc si sic abiret. *Id. Phorm.* 5, 8, 17. Sic factum est. *Sall. Jug.* 117. *extr.* Ac statim rex sic incipit. *Cic. ad Quir.* 4. Quemadmodum propinqui mihi non adfuerunt, sic adjutores ita multi fuerunt, ut etc. ℙ *Sic est*, ita se res habet: formula colligendi ex supra dictis. *Hor. Epod.* 7, 17. Sic est, acerba fata Romanos agunt. ℙ Varias habet post se sibi respondentes

particulas. *Cic. Planc.* 8. *med.* Praefectura plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit. *Id. Fam.* 13, 1. *med.* Atticum sic amo, ut alterum fratrem; et *ib.* 2, 14. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. *Id. ib.* 7, 17. Sic ei te commendavi, ut diligentissime potui; et *ib.* 13, 69. Apud eum sic fui, tamquam domi meae. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. *f.* Ego sic nihil exspecto, quomodo Paulum consulem. *Cic. ad Quir.* 9. Sic ulciscar facinorum singula, quemadmodum a quibusque sum provocatus. *Id. Sen.* 8. *f.* Graecas litteras sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. *Claud. IV. cons. Honor.* 281. Non sic excubiae, non circumstantia pila, Quam tutatur amor. ℙ *Sic* asseverantis in responsionibus. *Ter. Phorm.* 2, 2, 1. *Phorm.* Itane patris ais conspectum veritum hinc abisse? *Ge.* admodum. *Phorm.* Phanium relictam solam? *Ge.* Sic. *Phorm.* Et iratum senem? *Ge.* oppido. *Sen. Hipp.* 645. Amore nempe Thesei casto furis. *Phaedr.* Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo. ℙ Et adjurantis, precantis, optantis, *Ov. Met.* 8, 886. sic has Deus aequoris artes Adjuvet, ut nemo jamdudum litore in isto Constitit. *Tibull.* 1, 4, 1. Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape, Ne capiti soles, ne noceantque nives. *Hor. Od.* 1, 3, 1. Sic te diva potens Cypri, Sic fratres Helenae, etc. *Virg. Ecl.* 9, 30. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos: Sic cytiso pastae distentent ubera vaccae; Incipe, si quid habes. ℙ In demonstrando. *Ter. Eun.* 3, 5, 53. Ego limis aspecto sic per flabellum clanculum. *Pl. Amph.* 1, 1, 151. Hem! nunc jam ergo: sic colo. *Cic. Or.* 63. *f.* Verborum ordinem immuta: fac sic, Comprobavit filii temeritas. ℙ Pro ideo. *Pl. Most.* 2, 2, 20. *Theu.* Quid vos? insanine estis? *Tra.* quidum? *Theu.* sic, quia foris ambulatis, etc. ℙ Pro talis. *Ter. Phorm.* 3, 2, 42. Sic sum: si placeo, utere. *Id. Andr.* 5, 4, 16. Sic, Crito, est hic. *Pl. Amph.* 2, 1, 57. Satin' tu sanus es? *So.* sic sum, ut vides. *Cic. Rosc. Am.* 30. *med.* Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe accedere; et *Rosc. Com.* 10. *f.* Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. ℙ Apponitur adverbiis, et videtur significare leviter, modice, sine cura, negligenter. *Ter. Phorm.* 1, 2, 94. Quid paedagogus ille? Quid rei gerit? *Ge.* sic, tenuiter. *Id. Heaut.* 3, 2, 12. Et quidem hercle forma luculenta. *Chre.* sic satis. *Hor. Od.* 2, 11, 14. sub hac pinu jacentes sic temere. ℙ Absolute. In *fragm. Petr.* p. 687. *Burm.* Non ergo, ut pecudes libidinosae, Caeci protinus irruamus illuc: Sed sic sic sine fine feriati, etc. *Donat.* ad illud *Ter. Andr.* 1, 2, 4. Mirabar, hoc si sic abiret: Sic pro leviter, et negligenter: quod Graeci οὕτως dicunt. Alia est ratio in illo *Virg. A.* 4, 660. Sed moriamur ait, sic, sic juvat ire sub umbras, *h. e.* certe hoc modo. *Servius* leg. *sic? Sic juvat*, etc., ut sit quasi interrogatio et responsio. ℙ *Sic*, cum nihil praecessit, pro adeo, omnino, prorsus. *Virg. A.* 12, 280. hinc densi rursus inundant Troes, Agyllinique, et pictis Arcades armis. Sic omnes amor unus habet decernere ferro.

SICA, ae, f. δόλον, μάχαιρα, ἐγχειρίδιον, brevis gladius. In *Gloss. Philox.* dicitur Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές, Thracius gladius incurvus. Ducunt quidam a *sico* pro *seco:* sed obstat quantitas. Quid a *pugione* differat, V. in PUGIO. *Enn.* ap. *Fest.* in *Sibina.* Illyrici restant, sicis, sibinisque fodentes. *Cic. Cat.* 2, 10. *med.* Hi non solum amare et amari, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt; et *ib.* 1, 6. *extr.* Sicam defigere in corpore alicujus; et *ib.* extorquere alicui de manibus. *Id. fr. contra C. Anton.* ap. *Ascon. f.* distringere in aliquem. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 12. Latus alicujus sica confodere. *Quint. decl.* 321. *med.* Pecunia sicas percussorum acuit. *Mart.* 3, 16. Das gladiatores, sutorum regule Cerdo: Quodque tibi tribuit subula, sica rapit. Hinc colliges, sica usos gladiatores: et ex 11, 28. etiam chirurgos: quo loco latet etiam obscenus sensus, ut et ap. *Catull.* 56, 7. V. SICULA. ℙ Metonymice est caedes occulte facta. *Cic. Off.* 3, 8. et *N. D.* 3, 30. Hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur. ℙ Translate. *Plin.* 18, 1, 1. Arbore, et saxo apri dentium sicas exacuunt.

SICAMBER, ra, rum, adj. qui est ex Sicambria. *Ov. Am.* 1, 14, 49. Nescio quam pro me laudat nunc iste Sicambram, *h. e.* feminam e Sicambria, cujus coma nunc ornor. *Tac. A.* 4, 47. Sicambra cohors.

SICAMBRI, orum, m. plur. Σίγαμβροι, populi Germaniae inferioris ad Rhenum. Horum mos erat, crines in nodum torquere. Hinc *Mart. Spect.* 3. Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

SICAMBRIA, ae, f. Sicambrorum regio. *Claud. in Eutrop.* 1, 383. Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.

SICANI, orum, m. plur. populi Hispaniae, apud fl. Sicanum, seu Cingam, quorum oppidum Sicane: ita dicti a Sicano rege. Hi ante Trojanum bellum eodem Sicano duce in Siciliam migrarunt, unde insula de regis nomine Sicania appellari coepit. *Virg. A.* 5, 293. Undique conveniunt Teucri, mistique Sicani. *Serv. var. in loc.* et *Sil.* 14, 34. ℙ *Sicani, gens vetusta in Latio, in Rutulorum finibus, Tiberis ripas accolentes. *Gell.* 1, 10. *Virg. A.* 7, 795. Cf. et 8, 328. et 11, 317. V. *Siculus. B. A.*

SICANIA, ae, f. Sicilia. *Ov. Met.* 5, 495. Sicaniam peregrina colo, sed gratior omni, etc. Adde *Plin.* 3, 8, 14. V. v. praec.

SICANIS, idis, f. patron. quae ad Sicaniam pertinet. *Ov. Ib.* 600. Plurima qua flammas Sicanis Aetna vomit.

SICANIUS, a, um, adj. ad Sicaniam, seu Siciliam pertinens. *Virg. A.* 8, 416. Insula Sicanium juxta latus, Aeoliamque Erigitur Liparem. *Ov. Met.* 15, 279. Sicanias volvens Amasenus arenas. *Sil.* 1, 34. fractisque in gurgite coeptis Sicanio Libycis. *Lucan.* 3, 59. Curio Sicanias transcendere jussus in urbes. *Val. Fl.* 2, 29. Sicanium fretum. *Mart.* 2, 46. et 11, 8. Sicaniae apes, *h. e.* Hyblaeae: nam Hybla in Sicilia est. *Stat. Silv.* 5, 3, 41. Sicanium crocum. V. CROCUM.

SICANUS, a, um, adj. Siculus. *Sil.* 10, 314. illic Sicana procumbit pubes, hic Hernica turba. *Id.* 14, 258. Cetera Elissaeis aderat gens Sicana votis. *Virg. Ecl.* 10, 4. cum fluctus subterlabere Sicanos. *Ov. Her.* 15, 57. quae montes celebras, Erycina, Sicanos. *Auson. Griph.* 46. Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana Medimna.

SICARIUS, ii, m. ξιφοφόρος, qui sica hominem interficit, et quicumque arma gestat paratus ad quamlibet caedem hominis, gladiator, grassator. *Cic. Rosc. Am.* 14. Vetus videlicet sicarius, homo audax, et saepe in caede versatus; et *ib.* 3. *f.* Homines sicarii atque gladiatores. *Quint.* 10, 1. Nam per abusionem sicarios etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocumque commiserint. *Just. Inst.* 4, 18. §. 5. Item lex Cornelia de sicariis, quae homicidas ultore ferro persequitur, vel eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. *Tac. A.* 13, 44. *extr.* Condemnare aliquem lege de sicariis. *Suet. Caes.* 11. *f.* Quaestionem de sicariis exercere. *Cic. Rosc. Am.* 36. Cum de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui sicarius est: hoc est, qui eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quaeritur. *Hor. Sat.* 1, 4, 3. Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur, Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui Famosus. ℙ *Inter sicarios,* de sicariis: formula, cum de judicio, et judice homicidii agitur. *Cic. Fin.* 2, 16. *f.* L. Tubulus, qui cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset, etc. *Id. Rosc. Am.* 32. Sexcenti sunt, qui inter sicarios, et de veneficiis accusabant. *Id. Phil.* 2, 4. Qui cum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus.

*SICCA, ae, f. urbs Numidiae, Romanorum colonia. *Plin.* 5, 3. *Sall. B. J.* 56. (al. 60.) ℙ Incolae Siccenses dicti. V. *Siccensis. B. A.*

SICCABILIS, e, adj. qui siccari potest. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *n.* 138. Quidam tanquam siccabilem humoris ophitem lapidem ligaverunt, *h. e.* humoris siccativum. V. IMPLEBILIS.

*SICCAMEN, enis, n. siccatio. Laudatur *Isid. B. A.*

SICCANEUS, a, um, adj. καταξηρος, qui est naturaliter siccus, et nullo humore irriguus. *Colum.* 2, 17. Ejus prati animadvertimus duo genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum. *Id.* 4, 30. Riguus, aut siccaneus locus.

SICCANUS, a, um, adj. idem ac siccaneus. *Plin.* 16, 17, 19. de ulmis: Italia Attineas vocat excelsissimas, et ex iis siccanas praefert, quae non sint riguae. *Pelag. Veter.* 7. Siccanum olus.

SICCARIUS, a, um, adj. *Serv.* ad *A.* 1, 710. Veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensae apponebantur: ut hodie apud plures pocula in canistris argenteis apponuntur, quae canistra siccaria dicuntur.

SICCATIO, onis, f. actus siccandi. *Plin.* 34, 13, 33. Emplastra, quibus quaeritur refrigeratio, et siccatio.

SICCATIVUS, a, um, adj. siccatorius, ut Siccativum malagma ap. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *med.*

SICCATORIUS, a, um, adj. siccandi vim habens, *Theod. Prisc. de diaeta* 10. Origanum est siccatorium.

SICCATUS, a, um, part. a *sicco:* τηρούμενος, exsiccatus. *Ov. Med. fac.* 57. hordea ventosas siccata per auras. *Plin.* 24, 10, 118. Herba sive viridis, sive in foeno siccata. *Id.* 30, 13, 39. Adeps siccatus in sole; et 27, 12, 88. Radices concisae, et sole siccatae. *Id.* 15, 13, 12. Pruna siccata in rugas. * *Id. ib.* 29, 37. Myrtus siccata usque in ariditatem in umbra. *Hor. Od.* 1, 35, 26. diffugiunt cadis Cum faece siccatis amici. *Ov. Met.* 13, 689. Nymphae quoque flere videntur, Siccatosque queri fontes; et *ib.* 5, 575. Arethusa virides manu siccata capillos. *Id. Am.* 3, 5, 14. Siccata ovis, *h. e.* cui lac mulgendo detractum. *Quint. decl.* 10, 3. ubera. *Ov. Met.* 6, 340. longo Dea fessa labore, Sidereo siccata sitim collegit ab aestu.

SICCE, adv. οὕτω, sic, apposita adjectione syllabica *ce,* ut in *hocce* pro *hoc. Pl. Rud.* 2, 4, 12. Non licet te sicce placide bellam belle tangere? Alii leg. *sic;* alii rectius *sic, sic.*

SICCE, adv. ξηρῶς, aride. *Colum.* 6, 12. Ne bos in aquam pedem mittat, et ut sicce stabuletur. ℙ Translate. *Cic. opt. gen. Or.* 4. *med.* Eos solos Attice dicere, id est quasi sicce, *h. e.* presse, tenuiter, subtiliter.

SICCENSIS, e, adj. ad Siccam pertinens, Africae proconsularis urbem, Numidiam versus, ubi nunc *Kef*, ut putat *D' Anville*, quae ab insigni Veneris Erycinae templo dicta est Veneria, ut constat ex *Val. Max.* 2, 6. *n.* 15., *Solin.* 27. *in.* et ex hac *Inscr.* ap. *Grut.* 1015, 2. P. Quintius L. F. Quir. Terminus domo Sicca Veneria. Hinc *Siccenses, ium*, absolute sunt incolae illius urbis. *Sall. Jug.* 60. Simul magna voce *(Jugurtha)* Siccenses hortatur; et *mox:* Ni Marius evadere oppido properavisset, magna pars Siccensium fidem mutavissent. *Inscr.* ap. *Don.* 266, 6. Ordo Siccensium.

SICCESCO, is, n. 3. ξηραίνομαι, siccus fio. *Vitr.* 2, 10. Arbores venarum rigorem permutantes siccescendo, propter raritatem fiunt inanes et evanidae. *Cels.* 7, 7. *n.* 15. Nunquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere. *Colum.* 12, 28. Foenum Graecum vetere vino macerato, deinde in sole exponito, aut in furno, ut siccescat. *Plin.* 18, 34, 77. *n.* 3. Aquilonem praenuntiat terra siccescens repente.

SICCIFICUS, a, um, adj. siccandi vim habens. *Macr. Sat.* 7, 16. *extr.* Inest aeri vis quaedam remedialis, et siccifica.

SICCINE? sicne? itane? οὕτως; εἶτα; adv. interrogandi, et increpandi: ex *sic* et *ne* conflatum, syllabica adjectione interjecta. *Ter. Eun.* 4, 7, 34. et *Ad.* 1, 2, 48. Siccine agis? *Pl. Merc.* 1, 2, 46. Siccine mihi obsequens es? *Id. Ps.* 5, 1, 1. Siccine hoc fit? *Prop.* 2, 12, 6. Siccine lente jaces? *Sil.* 9, 25. Siccine, sic, inquit, grates pretiumque rependis, Paule, tuis capitis? ℙ Sine increpatione. *Prop.* 3, 4, 9. Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?

SICCITAS, atis, f. ξηρότης, aritudo, ariditas, deficientia humoris. *Pl. Rud.* 3, 2, 18. Ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi. *Plin.* 13, 4, 9. de palmularum quodam genere: In Aethiopia friatur (tanta est siccitas), et farinae modo spissatur in panem. *Id.* 18, 31, 74. Uvam calidam ne legito, hoc est in ejus siccitate, ac nisi imber intervenerit. ℙ Saepe dicitur de ariditate terrae ex deficientia pluviae. *Caes. B. G.* 4, 38. Siccitates paludum. *Liv.* 40, 29. Siccitate, et inopia frugum insignis annus fuit. Sex menses nunquam pluisse, memoriae proditum est. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. *in.* Aquam belle sane fluentem vidi, praesertim maxima siccitate. *Cels.* 2, 1. *med.* In siccitatibus acutae febres oriuntur. *Varr. R. R.* 1, 31. Siccitatibus in poma aquam addi quotidie vesperi. *Plin.* 10, 65, 85. Proventus murium siccitatibus; et 31, 4, 29. Omnis aqua hieme dulcior, aestate autem minus, autumno minime: minusque per siccitates. ℙ [*De regionibus arenosis. *Cic. Agr.* 2, 27. nisi mavultis in Sipontina siccitate collocari. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Allegorice: [*de ingenio parum fecundo.] *Auct. ad Her.* 4, 6. *f.* Isti cum se ipsos fontes esse dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, si, cum id polliceantur aliis, arescant ipsi siccitate. ℙ In corpore est gracilitas obesitati contraria, et vitiosi humoris deficientia. *Varr.* ap. *Non.* 4, 426. Persae propter exercitationes pueriles modicas eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur, sufflatove corpore essent. *Cic. Sen.* 10. *extr.* Summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exsequi omnia regis officia et munera; et *Tusc.* 5, 34. *f.* Siccitas consequitur continentiam in victu. ℙ Transfertur ad orationem. *Id. N. D.* 2, 1. Neque enim flumine conturbor inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas, *h. e.* deficientia succi et sanguinis, atque adeo nervorum, firmitatis, et virium. [*Parum *Noster* hunc locum intellexit. *Siccitas* significat eam orationem, quae omnibus ornamentis caret, quae naturali quadam simplicitate et veritate gaudet: *der nüchterne, schlichte, Affect- und Glanzlose Ausdruck.* Cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 355. sq. et v. plura in SICCUS. — Alia ratione de genere tenui orationis intelligendum in loco quem *Noster* mox laudat:] *Brut.* 82. *med.* V. SICCUS.

SICCO, as, avi, atum, a. 1. ξηραίνω, ἄζω, siccum reddo, arefacio. *Virg. Ecl.* 3, 95. ipse aries etiam nunc vellera siccat. *Id. A.* 4, 687. atros siccabat veste cruores. *Gell.* 5, 14. *med.* Siccare atque detergere cruorem. *Ov. Met.* 4, 82. Solque pruinosas radiis siccaverat herbas. *Lucr.* 6, 625. una nocte vias persaepe videmus Siccari, mollisque luti concrescere crustas. *Colum.* 12, 44. *med.* et *Plin.* 12, 13, 27. Siccare quippiam in sole. *Id.* 27, 9, 55. (et *Ov. Met.* 11, 770.) sole capillos. *Id.* 21, 11, 36. aliquid ad lunam. *Id.* 17, 11, 15. et 25, 5, 21. in umbra. *Id.* 21, 6, 17. umbra. *Id.* 19, 5, 24. fumo. *Id.* 15, 29, 37. folia in farinam. *Id.* 12, 22, 48. Palustria aestate siccantur. *Id.* 2, 103, 106. *med.* Fluvius omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur. *Prop.* 1, 19, 23. lacrimas siccare cadentes. *Sen. Oed.* 57. Quin ipsa tanti pervicax clades mali Siccavit oculos. ℙ Absolute. *Cato R. R.* 112, 2. Uvas relinquito in vinea: et ubi pluerit, et siccaverit, tum deligito. [*Adde *Apic.* 3, 18. tundis cuminum et postea infundis in aceto: cum siccaverit, postea melle omnia compre-

hendis: et al. cf. *Bünem.* ad *Lactant.* 7, 3, 8.] ℙ Illa pertinent ad medicinam, *Plin.* 23, 1, 13. Pampini triti et impositi tumorem omnem siccant; et 24, 4, 6. Viscum siccat strumas. *Id.* 20, 14, 53. Menta arterias (*h. e. fauces*) humidas siccat. *Id.* 36, 17, 28. Assius lapis suppurata siccat. *Id.* 23, 1, 13. Siccare pituitam oris. *Id.* 31, 6, 33. Marinae aquae calefiunt ad nervorum dolores, item corpora siccanda. *Id.* 12, 12, 26. Folium nardi gustu maxime siccans os. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 426. Cum studio in gymnasio duplici corpus siccassem pila, *h. e.* exercuissem, et gracile reddidissem, atque adeo a noxiis humoribus exsiccassem. *Virg. A.* 10, 834. Vulnera siccabat lymphis, *h. e.* aqua frigida sistebat sanguinem. ℙ Pro exhaurire. *Cic. Phil.* 5, 3. Ille paludes siccare voluit. *Suet. Caes.* 44. Destinabat siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum. *Hor. Sat.* 2, 6, 68. Siccat inaequales calices conviva. *Virg. Ecl.* 2, 42. Bina die siccant ovis ubera. Adde *Lucan.* 4, 314. et *Hor. Epod.* 2, 45. ℙ Allegorice. *Mart.* 8, 70. Cum siccare sacrum largo Parmessida posset Ore, verecundam maluit esse sitim, *h. e.* cum multa posset carmina scribere, et egregius poeta haberi, abstinuit, et eam famam gloriamque recusavit.

SICCŎCŬLUS, a, um, adj. *ξηρόφθαλμος*, siccos habens oculos. *Pl. Ps.* 1, 1, 73. Pumiceos oculos habeo: non queo lacrumam exorare ut exspuant unam modo. *Calid.* quid ita? *Ps.* genus nostrum semper siccoculum fuit.

SICCUS, a, um, adj. *ξηρὸς*, *ἀζαλέος*, humore carens, aridus. *Hor. Od.* 3, 11, 22. stetit urna paulum Sicca, dum grato Danai puellas Carmine mulces. *Id. Sat.* 2, 4, 15. Sicci agri. *Quint.* 2, 4. Vitandum teneris adhuc plantis siccum, et sine humore ullo solum. *Colum.* 12, 15. Vasa in horreum siccissimum reponere. *Tibull.* 1, 4, 6. aestivi tempora sicca Canis. *Hor. Od.* 3, 29, 20. Sicci dies, *h. e.* fervidi, et sine pluvia. *Plin.* 18, 12, 31. Siccum coelum. *Id.* 11, 29, 35. ver. *Virg. A.* 2, 357. catulique relicti Faucibus exspectant siccis, *h. e.* jejunis; et *G.* 4, 97. sicco terram spuit ore viator. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 553.] *Ulp. Dig.* 43, 8, 1. *med.* Via sicca: cui *palustris* opponitur. *Prop.* 4, 10, 12. Spolia sicca sanguine, *h. e.* nullo sanguine tincta. [**Sil.* 7, 213. sicci sanguinis enses, i. e. qui caedis edendi non habent copiam.] *Prop.* 2, 11, 12. Siccus lacus. *Lucan.* 4, 331. Siccae nubes, [*ubi v. *Cort.*] *Tibull.* 3, 6, 18. Sicca pocula. *Sen. Troad.* 50. Siccus ensis, *h. e.* incruentus. Sic *Stat. Theb.* 8, 383. Stat medius campis etiamnum cuspide sicca Bellipotens. *Ov. Trist.* 4, 9, 18. Sicca signa, *h. e.* Ursa utraque nunquam in mare occidua. *Mart.* 4, 3. Siccae aquae, *h. e.* nives. [**Lucan.* 4, 291. sicca vulnera, i. e. ubi sanguis fluere desiit: V. *Cort.* ad h. l.] ℙ Absolute. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 8. Male in siccis malleolus seritur, *h. e.* in locis siccis. *Id.* 16, 36, 66. Multum praelata arundo, quae in siccis provenit: scil. ei, quae in aquaticis. *Id.* 26, 7, 22. Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda, neque in mari, neque in sicco. Adde 9, 8, 8. *Quint.* 12, 11. *med.* Aqua piscibus, sicca terrenis, spiritus volucribus convenit, *h. e.* terra. *Virg. A.* 10, 301. Donec rostra tenent siccum. *Id. G.* 1, 362. cumque marinae In sicco ludunt fulicae. Adde *Prop.* 3, 8, 6. ℙ Sicci oculi, siccae genae, siccum lumen, h. e. sine fletu, et lacrimis. Primum habent *Sen. Tranq.* 15., *Prop.* 1, 17, 11., *Quint.* 6, 2. et *Mart.* 1, 93. (nam ap. *Hor. Od.* 1, 3, 18. pro *siccis* oculis *Bentl.* mavult *rectis.*); alterum *Prop.* 4, 11, 76., *Ov. Her.* 11, 10. et *Sen. Herc. Oet.* 1689.; postremum *Lucan.* 9, 1044. [*Cf. *Cort.* ad *Eund.* 8, 108.] Quin absolute *siccus* dicitur qui non flet. *Sen. Herc. Oet.* 1269. Siccus aerumnas tuli. V. v. praec. ℙ *Siccum corpus*, adstrictum, et superfluis humoribus carens: cui opponitur obesus, pituitosus, gravedinosus, etc. *Pl. Mil.* 3, 1, 189. Mulier sicca, succida, [*i. e. quae et gracilis et solido sit corpore, eo habitu, quem succulentam gracilitatem dixit *Appul. Met.* II. p. 115. *Elm.*] *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Corpora graciliora siccioraque. *Catull.* 23, 12. Atqui corpora sicciora cornu, Aut si quid magis aridum est, habetis. V. SICCITAS. Hinc translate. *Cic. opt. gen. Or.* 3. Oratores Attici sani, et sicci, *h. e.* pressi, et sine redundantia. *Id. Brut.* 55. Nihil erat in ejus oratione, nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum. [*Simili ratione *Quint. Inst.* 2, 4. *sicca et severa* conjungens, eam ingenii formam intelligit, quae a lasciva redundantia pariter atque sterilitate et infirmitate abhorret: *solide*, *gründliche Wissenschaft:* cf. *Macrob. Sat.* 5, 1., ubi *orator siccus et sobrius*, et tenuis et quandam dicendi frugalitatem amans, pingui et florida oratione lascivienti opponitur. V. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 355. sq. et cf. quae diximus in SICCITAS. — Alia vero significat v. *siccus* in duobus quae a *Nostro* laudata sequuntur exemplis:] *Quint.* 11, 1, 32. In juvenibus siccum, et sollicitum, et contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa severitatis invisum est. *Gell.* 14, 1. Sicca et incondita, et propemodum jejuna oratio, [*ubi *siccus*, metaphora item a senili infirmitate deducta, eam orationem spectat, quae senum ab omni ubertate, copia et laetiore cultu in dicendo abstinentiam affectat.] ℙ *Siccus*, qui non bibit, sitiens. *Pl. Pers.* 5, 2, 41. Jamdiu factum est, postquam bibimus: nimis diu sicci sumus. *Id. Curc.* 1, 262. Egon' salva vim, quae siti sicca sum? *Id. ib.* 1, 2, 22. Liber tibi screanti, siccae, semisomnae affert potionem. *Id. Ps.* 1, 2, 51. Vestros pantices madefacitis, cum ego sim hic siccus. *Hor. Od.* 4, 5, 38. dicimus integro Sicci mane die, dicimus uvidi. [*V. *Heindf.* ad *Sat.* 2, 2, 14.] *Ov. Met.* 2, 278. Sicca vox, *h. e.* siti aridas fauces habentis. ℙ Translate ponitur pro sobrio. *Pl. As.* 5, 2, 6. Meum virum fui rata siccum, frugi, continentem. *Par.* at nunc scito, illum madidum, nihili, incontinentem. *Cic. Acad.* 4, 27. *med.* Dormientium et vinolentorum, et furiosorum visa imbecilliora esse, quam vigilantium, siccorum, sanorum. Adde *fragm.* ap. *Non.* 4, 426. et *Agr.* 1, 1., *Sen. ep.* 18. et *Hor. Ep.* 1, 19, 9. Hinc translate siccum ingenium, sicca voluptas: quae V. in SOBRIUS. [*Interdum est etiam i. q. rudis *Suet. Gr.* 4. ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur.] ℙ Item pro paupere, tenui. *Hor. Ep.* 1, 17, 11. Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum Te tractare voles, accedes siccus ad unctum. ℙ *Sicca puella* est, quae in concubitu sine voluptatis sensu jacet, minime pruriens, et opponitur udae. V. UDUS. *Ov. A. Am.* 2, 686. Siccaque de lana cogitat ipsa sua. *Mart.* 11, 81. Et jacet in medio sicca puella toro. ℙ *Sicca luna* dicitur a *Prop.* 2, 13, 71. et a *Plin.* 17, 9, 8. eadem ratione, qua *sitiens;* ut *Plin.* ipse interpretatur *ib.* 14, 24., hoc est minime pluvia, aut ventosa. [*Huc pertinet illud *Luc.* 4, 50. siccisque Aquilonibus horrens: ubi v. *Cort.* Porro huc transferri poterant, quae ab initio posita sunt: *sicca tempora*, *siccae dies*, *siccum coelum* etc.] ℙ *Panis siccus*, solus, sine potu, sine jure, sine pulmentario. *Sen. ep.* 83. Panis deinde siccus, et sine mensa prandium. *Vopisc. Tac.* 11. Panem, nisi siccum, nunquam comedit, eundemque sale atque aliis rebus conditum. *Capitol. Anton.* 13. Senex etiam, antequam salutatores venirent, panem siccum comedit ad sustentandas vires. *Plin.* 22, 25, 68. Vocis studiosis, et contra distillationes, siccum panem esse primo cibo, utilissimum est. *Id.* 26, 7, 18. Agaricum manducatum siccum, ut ex intervallo merum sorbeatur. Itali quoque dicunt *pan secco*, o *solo:* nos: *trocknes Brod.*] ℙ *Siccum medicamentum* ap. *Scrib. Comp.* 71. est siccandi vim habens.

*SICDELIS, insula inter Britanniam Galliamque. *Itin. Marit.* (in *Anton. Itin.*) *B. A.*

SICĔLĬCON, i, n. herba quae alio nomine psyllion dicitur, radice tenui, grana similia fabae habens in cacumine, folia canino capiti non dissimilia, semen autem pulici. *Plin.* 25, 11, 90.

SICĔLIS, idis, f. *Σικελίς*, quae est ex Sicilia. Graeca vox. *Ov. Her.* 15, 52. Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo. *Virg. Ecl.* 4, 1. Sicelides Musae, paulo majora canamus, *h. e.* Musae Theocriti: nam in Eclogis *Virgilius* imitatus est *Theocritum*, qui fuit ex Syracusis, Siciliae urbe.

[SICELITĀNUS, a, um, adj. ad Siceliam Caesaream pertinens, Africae Mauretaniae urbem. *Inscr.* ap. *Mur.* 1096, 1. L. Aemilius M. F. Quir. Rectus domo Roma, qui et Carthaginensis, et Sicelitanus, etc. *F.*]

*SICENDUS, i, m. lacus Thessaliae, mutas habens ranas, quae tamen alio translatae coaxabant, vocalesque fiebant, teste *Plin.* 8, 58. *B. A.*

SICĔRA, ae, f. *σικέρα*, quaevis potio, excepto vino, quae inebriare potest: est ab Hebr. שָׁכַר *secar*, potio inebrians, quod a שָׁכַר *sacar*, inebriatus est. *Hieron. ep.* 52. *n.* 1. Sicera Hebraeo sermone omnis potio nuncupatur, quae inebriare potest, sive illa, quae e frumento conficitur, sive e pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior colatur. Adde *Isid. Or.* 20, 3. *f.* Usurpat et *Tert. adv. Psych.* 9. ex *Levit.* 10, 9.

*SICHAEUS, i, m. *Σιχαῖος*, Didonis maritus, qui et *Sicharbas* dictus, teste *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 347. Huic conjux Sichaeus erat, ditissimus agri Phoenicum etc. Adde 352. *Ov. Her.* 7, 97. et 99. ℙ Adjective ap. *Virg. A.* 4, 552. Non servata fides cineri promissa Sichaeo. Al. leg. *Sichaei.* Confert Heynius *laticem Lyaeum*, *Romula tellus*, et similia. Is quoque per *y* ubique scribit, non per *i.* ℙ Quantitas antepaenultimae anceps, ut patet ex locis citatis. *B. A.*

SICĬLĬA, ae, f. *Σικελία*, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus (propter tria promontoria, Pelorum contra Italiam, Pachynum contra Graeciam, Lilybaeum contra Africam), aut Triquetra, a triangula specie; insula est maris mediterranei, angusto freto ab Italia divisa, et quondam extremo ejus agro Bruttio cohaerens, mox, interfuso mari, avulsa XV. mill. in longitudinem freto, in latitudinem autem MD pass. *Plin.* 3, 8, 14. et 2, 88, 90., *Sen. Q. N.* 6, 29., *Virg. A.* 3, 410. et seqq., *Sall.* ap. *Serv. ib.*, *Sil.* 14, 11. et sqq., ubi omnia ejus oppida recenset; et *Ov. Met.* 15, 290. ℙ Dictam quidam putant a *sicilio*, seco: quia secta et divisa ab Italia est: alii a Siculo rege Neptuni filio: V. *Sil. l. c.* et *Solin.* 5. ℙ Adjective *Pl. Rud.* 2, 6, 59. Sicilia insula. V. ARABIA. ℙ **Sicilia minor* dicta est a quibusdam Naxos insula, teste *Plin.* 4, 12. ℙ Sicilia in antiquo Lexico exponitur *σμίλα ἀρβήλιον*, *σμίλα χαρτοτόμος*. *B. A.*

*SICILIBBA, ae, f. opp. Africae Propriae. *Augustin. adv. Donat.* 7, 3. et *Tab. Peut.* ℙ Sicilibba est etiam *Ant. Itin.* ubi tamen alio in loco *Sicilibra* appellatur. ℙ Reperitur et *Sicilippa. B. A.*

SĬCĬLĬCŬLA, ae, f. gladiolus, falcula, sicula, pugiunculus. *Pl. Rud.* 4, 4, 125. Post est sicilicula argenteola, et duae connexae maniculae.

SĬCĬLĬCUS, i, m. *δίδραχμον*, pars assis quadragesimaoctava, seu quarta pars unicae, quae scrupula sex, sive, quod in idem recidit, drachmas duas continet: a *sicilio* dictus sicilicus videtur; siquidem ait *Festus*: Sicilium dictum, quod semunciam secet. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 20. Drachmam si gemines, aderit, quem dicier audis, Sicilicus. *Scaevola Dig.* 33, 1, 21. *med.* Cum noverca universae hereditatis habeat dodrantem, semunciam, et sicilicum, ℙ In mensuris est quarta pars pollicis. *Plin.* 13, 15. 29. Mensa solida tribus sicilicis infra quatuor pedes, totidemque infra semipedem crassitudinis, *h. e.* lata pedes quatuor, minus dodrante pollicis, seu tribus pollicis partibus. *Id.* 31, 6, 31. Libramentum aquae in centenos pedes sicilici minimum erit. *Front. Aquaed.* 28. Senaria fistula capit quinariam unam, et quincuncem, sicilicum. ℙ *Sicilicus horae* est quarta pars duodecimae partis horae: v. g. quinque minuta, ut vocant, efficiunt duodecimam partem horae: illa quinque si in quatuor partes tribuantur, harum unaquaeque erit sicilicus, qui minima horae pars apud Romanos fuisse videtur. *Plin.* 18, 32, 75. de luna: Secunda die supra terras erit horae unius dextante sicilico. ℙ In jugero est summa pedum DC. Habet enim jugerum pedes quadratos 28,800, ut *Colum.* 5, 1. docet; horum pars duodecima sunt pedes 2,400., hujus quarta pars 600. *Id. ib.* 2. Dicemus hanc summam pedum quadratorum (39,000) esse in eo triquetro: quae mensura efficit jugerum, et trientem, et sicilicum. ℙ *Sicilicus*, idem ac *ἀσσάριον* fuit nummus aereus, qui pondere aequabat unciae partem quartam, valebat autem denarii argentei decimam. *Inscr.* ap. *Mur.* 1063, 1. Decurionibus Nescaniensium sing. HS X., binos civibus atque incolis, item servis stationariis singulis X. sicilicos (dedit). ℙ Fuit etiam grammaticorum nota, et idem erat ac comma. *Mar. Victor.* p. 2467. Si prius quam distinctum (*h. e.* finis periodi) concluditur, mora fuerit necessaria, *ἀπλῆν* aversam, id est sicilicum in ima parte versus ponite. ℙ Item alia nota supra litteras consonantes, quae ab antiquis geminabantur, vel supra vocalem *u*, cum eam producere, seu per duas vocales *ou* efferre solebant. *Id.* p. 2456. Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius, Lucullus, Memmius, et cetera his similia, sed supra litteram, quam geminari oportebat, sicilicum imponebant, cujus figura haec est', quod erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris. *Isid. Or.* 1, 27. *f.* Sic et ubi litterae consonantes geminabantur, sicilicum superponebant, ut Sel'a, Ser'a, As'eres. Veteres enim non duplicabant litteras, sed supra sicilicos apponebant, qua nota admonebatur lector, geminandam esse litteram. In nummis gentis Pomponiae ap. *Morell. Fam. Rom. tab.* 2. Mu'sa scribitur, et in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 39. Divo Ju'lio jussu populi Romani, etc. ℙ In antiquis monumentis saepe *sicilicus* non litteris scribebatur, sed hac nota ⸗ indicabatur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 226. Ped. V ≂ ≺ ⸗ *h. e.* pedes quinque, unciae tres seu quadrans semuncia, sicilicus. ℙ Scribitur et *siciliquus.* [*Multis hunc locum auxit et emendavit *F.*]

SĬCĬLĬENSIS, e, adj. Siculus. *Cic. N. D.* 3, 10. Siciliense fretum. ℙ *Siciliensis* et *Siculus* interdum sic differunt, ut *Hispaniensis* et *Hispanus*, *Corinthiensis* et *Corinthius*: quae V. s. l. *Suet. Aug.* 70. Bellum Siciliense, *h. e.* a Romanis in Sicilia gestum. *Id. Cal.* 51. Siciliensis peregrinatio. *Cic. Fam.* 13, 38. Quaestura mea Siciliensis. *Id. Brut.* 9. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus. *Id. Verr.* 1, 9. Fisci Sicilienses, *h. e.* pecuniae collectae in Sicilia, et Romam portatae. *Id.* dixerat *ib.* 8. Fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem Romanum esse translatos.

SICILIMENTUM, i, n. herba siciliendo resecta, idest quam foenisecae prima sectione relictam, iterata sectione demetunt. *Cato R. R.* 5. *f.* Idem foenum cordum, sicilimenta de prato demito, eaque arida condito.

SICILIO, is, ivi, itum, a. 4. *τέμνω*. Verbum est proprie ad prata pertinens, quae tunc siciliri dicuntur, cum ea, quae prima sectione relicta sunt a foenisecis, iterata sectione demetuntur. *Varr. R. R.* 1, 49. Quo facto sicilienda prata, id est falcibus consecanda, quae foenisecae praeterierunt, ac quasi herba tuberosum reliquerunt campum: a qua sectione arbitror dictum sicilire pratum. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Prata quoties secta sunt, siciliri, hoc est, quae foenisecae praeterierunt, secari. Adde *Colum.* 2, 22.

[SĪCĪLIS, is, f. mucro, spiculum. *Plin.* 6, 13, 15. de mari Caspio: Ubi coepit in latitudinem pandi, lunatis obliquatur cornibus, velut ad Maeotium lacum ab ore descendens, sicilis (ut auctor est M. Varro) similitudine. Alii *Scythici arcus* pro *sicilis* leg. *Festus:* Siciles, hastarum spicula lata. Ennius. Incedit veles volgo sicilibu' latis. Alii apud *Festum* leg. *sicilices*, in *Enn.* autem *sicilicibu'*. Utrumque porro a *sicilio* esse videtur. *F.*]

SĪCĪLISSO vel Sicilicissito, as, n. 1. Siculos imitor, Siculorum lingua male loquor. *Pl. Men. prol.* 12. Non Atticissat, verum Sicilicissitat. *Festus* in voce *Atticissat* hoc eodem loco *Plauti* legit *Sicilissat.* V. SICULE.

*SICIMINA, ae, mons Italiae superioris, in Gallia cisalpina, in regione qua Macri Campi. *Liv.* 45, 12. *B. A.*

SICINNISTĀ, ae, m. σικιννιστής, qui sicinnium saltat. *Gell.* 20, 3. Quos sicinistas vulgus dicit, qui rectius locuti sunt, sicinnistas littera N gemina dixerunt. Sicinnium enim genus veteris saltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quae nunc stantes canunt. Posuit hoc verbum Lucius Accius poeta in Pragmaticis, appellarique sicinnistas ait, nebuloso nomine: credo propterea nebuloso, quod sicinnium cur diceretur, ei obscurum esset. Haec *Gellius.*

SICINNIUM, ii, n. ἡ σίκιννις, genus saltationis Satyrorum propriae. *Vet. Schol.* ad *Arist. Nub.* 540. Τρία εἴδη ὀρχήσεως· ἐμμέλεια μὲν τραγική, σίκιννις σατυρική, κόρδαξ κωμική. Harum nempe prior gravis et moderata; altera, in qua Satyri singuli incondite saliebant; tertia, ubi lasciviores fiebant corporis motus. Sunt qui deducunt a σείω, quatio, et κινέω, moveo: alii a quodam Sicinno Cretensi, hujus saltationis inventore. V. *Gell. l. c.* in v. praec. Huc pertinere videtur, quod habet *Festus:* Sinciniam (al. *sincinium*) cantionem solitariam. Hinc *Isid. Or.* 6, 19. Cum unus canit, Graece μονῳδία, Latine sincinium dicitur; cum vero duo canunt, bicinium appellatur; cum multi, chorus. Ex his patet, utrumque vocem deducere a *sine*, vel *singulus*, et *cano*, quia erat cantus unius sine tibiis accinentibus. [*Hujus loci optime curam gessit *F.*]

*SICĪNUS, i, Σίκινος, insula maris Aegaei, inter Peloponnesum et Cretam, juxta Melum insulam. Olim Oenoe dicta. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

SICLUS, i, m. [moneta argentea Hebraeorum, quatuor drachmarum Atticarum pondere, seu semunciae circiter Romanae: est ab Hebr. שֶׁקֶל *séqel*, quod a שָׁקַל *sáqal*, ponderavit. *Hieron.* in *Ezech.* 1, 4, 9. Siclus, id est stater, habet drachmas quatuor: drachmae autem octo Latinam unciam faciunt. *Id.* tamen sui oblitus haec habet *Quaest. Heber. ad Genes.* 24, 22., et ex eo *Isid. Or.* 16, 25. Secel, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur, unciae pondus habet. Alii ap. *Hieron. l. c.* legere mallent *semunciae* pro *unciae*. Alii nihil mutandum putant, rati nimirum, duplicem fuisse apud Hebraeos siclum, sacrum seu sanctuarii, et profanum seu communem; illum autem hoc duplo fuisse majorem. Sed accuratiores critici arbitrantur, siclum sanctuarii eundem fuisse ac profanum; vocatum autem sanctuarii, ut pondus justum et exactum indicaretur, ad exemplar scil. illius, quod ibidem servabatur. *F.*]

*SICORIS, is, Σίκορις, fluvius Hispaniae Tarraconensis, in Iberum influens. *Caes. B. C.* 1, 40. 48, 62 et 63. *Lucan.* 4, 14. 130 et 335. *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 328. *Auson. ep.* 25, 58. *Plin.* 3, 3. ℙ *Thucyd.* ineunte l. 6. est Σικανός. ℙ Reperitur et *Sicorus. B. A.*

*SICORUS, fluvius. V. v. praec. *B. A.*

SICTOR, oris, pro *sector*, a *sico* pro *seco*, legi quidam putant ap. *Cat. R. R.* 144., ubi alii rectius *strictor.*

SĪCŪBĬ, adv. εἴπου, εἴ ποθι, εἴ πῃ, si in aliquo loco, si uspiam: a *si*, et *ubi*, inserto *c* ad hiatum vitandum. *Cic. Tusc.* 1, 43. Sicubi me nactus eris, sepelito. *Id. Att.* 15, 29. Ad M. Aelium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit. [*Liv. 7, 13. sicubi loco cessum; et 9, 41. sicubi est certamen, scutis magis quam gladiis geritur res.] *Ter. Eun.* 3, 1, 13. Tum sicubi eum satietas hominum, aut negotI si quando odium ceperat, etc. *Virg. G.* 3, 332. Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra. Adde *Stat. Achill.* 2, 410. ℙ Est etiam idem ac alibi. *Appul. Met.* 2. [*p. 93. *Oudend.*] Pone tergum Deae saxum insurgit, in speluncae modum muscis et herbis et foliis et virgultis, et sicubi pampinis: et arbusculis alibi de lapide florentibus.

SĪCŬLA, ae, f. ξιφίδιον, parva sica: et translate *Catull.* 67, 21. Languidior tenera cui pendens sicula beta, etc. ψολή, mentula. [*Siculae sunt falces *Varroni L. L.* 4, 31. *Bail.*]

SĪCŬLĒ, adv. Siculorum more, aut lingua. *Festus* in *Atticissat*: Atticissat, Attice loquitur. Plautus: Non Atticissat, sed Sicilissat: id est Sicule loquitur.

*SICULŌTAE, arum, populi Dalmatiae, quorum meminit *Plin.* 3, 22. itemque *Ptolemaeus. B. A.*

SĪCŬLUS, a, um, adj. ad Siciliam pertinens. *Virg. A.* 1, 38. Sicula tellus; et *ib.* 3, 696. Siculae undae. *Id. Ecl.* 2, 21. Siculi montes; et *ib.* 10, 51. Siculus pastor, *h. e.* Theocritus poeta, qui a *Statio* dicitur *Silv.* 5, 3, 151. Siculus senex. *Ov. Trist.* 3, 11, 41. tyrannus, *h. e.* Phalaris Siciliae rex crudelis. *Claud. B. G.* 187. et *Pers.* 3, 39. juvencus, *h. e.* bos aeneus Phalaridis. Hinc *Juven.* 6, 485. Praefectura domus Sicula non mitior aula. *Prop.* 2, 1, 28. Siculae classica bella fugae, *h. e.* navalis pugna in mari Siculo, qua Sex. Pompejus Cn. F. ab Augusto victus fugatusque est: de quo *Flor.* 4, 8. Hic autem Pompejus dicitur a *Lucan.* 6, 422. Siculus pirata. *Id.* 7, 146. Martius incaluit Siculis incudibus ensis, *h. e.* in officina Vulcani, quae fingitur esse in insula Lipare juxta Siciliam. Sic *Stat. Silv.* 1, 1, 3. Siculis an conformata caminis Effigies lassum Steropen Brontenque reliquit. *Sen. Herc. Fur.* 80. et *Oet.* 1308. Siculus vertex, *h. e.* Aetna. *Juven.* 13, 50. Sicula torvus cum conjuge Pluton, *h. e.* Proserpina in Siculis arvis rapta. *Sen. Herc. Fur.* 549. Siculae regna Proserpinae. *Mart.* 7, 24. Siculi fratres, *h. e.* Amphinomus, et Anapis: de quibus V. ANAPIS. *Stat. Silv.* 5, 3, 51. Siculum sepulcrum, *h. e.* Anchisae, in cujus funere solemnes exsequias *Virg. A.* 5. describit; et *Th.* 12, 156. Siculosque licebit Exorare Deos, *h. e.* Palicos. V. PALICUS. *Id. Silv.* 2, 1, 10. tergeminum Sicula de virgine carmen, *h. e.* Sirene. ℙ *Siculi logi* opponuntur Atticis, qui illis valde praestant. *Pl. Pers.* 3, 1, 66. Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi, atque Attici omnes, nullum Siculum acceperis. *Ascon.* ad *Cic. Div. Verr.* 12., hunc ipsum *Plauti* locum recitat, monetque, Siculos neutra lingua, Graeca et Latina, bene usos fuisse. Huc pertinet alius *Plauti* locus supra allatus in SICILISSO. ℙ *Siculi, orum*, Siciliae populi. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *extr.* Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant. ℙ *Siculi etiam olim populi Italiae inferioris, in Lucania, teste *Plin.* 3, 5. ℙ Item gens vetusta, quae olim Latium incolebat. *Id. ib.* Cf. *Sicani.* ℙ Alia olim, in Galiia Togata. *Id. ib.* 14. *B. A.* ℙ *Siculum* pro *Siculorum* est *Lucr.* 6, 642.

*SICUM, i, n. opp. Illyridis. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

SICUNDĒ, adv. εἴ ποθεν, si ex aliquo: ex *si*, et *unde*, inserto *c* hiatus vitandi causa, ut in *sicubi. Cic. Att.* 13, 30. Sicunde potes, erue, qui decem legati Mummio fuerint. *Liv.* 26, 38. Nec consul Romanus tentandis urbibus, sicunde spes aliqua se ostendisset, deerat. *Suet. Cal.* 51. Non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat.

SICUT et Sicuti, adv. similitudinis, ὡς, ὥσπερ, quemadmodum, velut, ut, tanquam. [*Differentiam inter *velut* et *sicut*, coll. *Herz.* ad *Sall.* 2, 8. et 52, 36., *Kritz.* ad *eund.* 53, 5. ita constituit, ut hoc justae comparationi inserviat, illud levem tantum similitudinem significet.] *Cic. ad Brut.* 1, 5. *f.* Hac de re scripsi ad eum, ut tuo judicio uteretur, sicut in rebus omnibus. *Caes. B. G.* 1, 44. *med.* Provinciam suam esse hanc Galliam, sicuti illam nostram. *Sall. Cat.* 2. Multi mortales vitam, sicuti peregrinantes, transiere. *Ov. Her.* 10, 137. Aspice demissos lugentis in ore capillos, Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum. *Cic. ib.* 8. *med.* Me sicut alterum parentem et observat, et diligit. *Id. Acad.* 4, 28. Tibi illud, sicut caput et famam tuam, defendere necesse erit. *Id. Fam.* 6, 6. *extr.* Me amicissime Caesar amplectitur: familiares quidem ejus, sicuti neminem. *Id. Par.* 5, 1. Sapienti etiam Fortuna ipsa cedit: sicut sapiens poeta dixit: Suis ea cuique fingitur moribus. *Id. Inv.* 2, 3. Ex his duabus diversis, sicuti familiis, unumquodque est conflatum genus. [*Singularis hujus vocis usus est ap. *Pl. Mil.* 4, 1, 28. sq. Quin tu illam inte abs te abire, quo lubet; sicut soror Ejus huc gemina venit Ephesum et mater arcessuntque eam: ubi *Lindem. Sicut* indicat, ad eundem modum, quo illud, posse et hoc fieri. Igitur *sicut — arcessunt* proprie sic explicanda: Ad eundem modum, eadem ratione, qua illae arcessunt, poteris illam abs te abire jubere, quo lubet. *Du kannst sie ja gehen lassen, wohin sie will; wie denn gerade ihre Schwester und Mutter angekommen sind, um sie zu holen.* — Porro notandus locus, Livii 34, 9. Romanam amicitiam, sicut minoribus viribus, quam Massilienses, pari colebant fide. Cf. 9, 17. ad quem locum v. *Drak.*] ℙ Initium comparationis. *Virg. A.* 8, 22. Sicut aquae tremulum labris ubi lumen ahenis, Sole repercussum, aut radiantis imagine lunae, Omnia pervolitat late loca. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Petauristas:* Sicuti mechanici cum alto exsiluere petauro, ℙ Elegans est ejus usus in his. *Cic. Fam.* 7, 32. *med.* Illa quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non moverunt, *h. e.* ut revera erant ridicula: et *Liv.* 25, 24. Terrendique magis hostes erant, quam fallendi: sicut territi sunt. *Ov. Met.* 12, 203. poteratque viri vox illa videri, Sicut erat. [*Est haec affirmantis, concedentis dicendi ratio. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 43. p. 304. et 3, 33. p. 409. et quos ibi praeter exempla laud. *Davis.* et *Heindf.* ad *N. D.* 2, 31, 78. *pr. Goerenz.* ad *Legg.* 1, 5, 17. p. 21. *Matth.* ad *Rosc. Am.* 8, 22. *f.*] ℙ *Sicut eram, as, at*, ὥστε εἶχον, ες, ε, in re subita: et ad exprimendum rei statum et conditionem praesentem. *Ov. Met.* 5, 601. Sicut eram, fugio sine vestibus; et *ib.* 3, 178. Sicut erant, viso nudae sua pectora Nymphae Percussere viro. *Stat. Th.* 7, 819. non arma manu, non frena remisit: Sicut erat, rectos defert in Tartara currus. Adde *ib.* 3, 680., *Lucan.* 2, 365., *Suet. Cal.* 45. etc. [*V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 715. Cf. *Cort.* ad l. *Luc.* modo l. qui tamen non *sicut erat*, sed *Sic ut erat* legit.] ℙ Sequente *ita*, et *sic*, et *item. Quint.* 1, 2. *f.* Sicut firmiores in litteris profectus alit aemulatio, ita incipientibus jucundior imitatio. *Cic. Tusc.* 1, 17. Num dubitamus, an, sicut pleraque, sic et hoc? *Id. Or.* 1, 26. Nullae lites sunt, quae cogant homines, sicut in foro bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. [*V. *B. Cras. cl. Suet.* l. l.] ℙ *Sicuti*, tanquam si, quasi. *Sall. Cat.* 38, 1. Honestis nominibus, alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant. [*Eodem modo legitur *ib.* 28, 1. et 31, 5. Adde *Liv.* 7, 11. fuga Tibur, sicut arcem belli Gallici, petunt. Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 160. *b. ed. Fr.*] ℙ Pro ut. *Pall.* 5, 2. Deinde sicut adolescit, terram subinde colligimus. ℙ [*Interdum est etiam i. q. exempli causa, nostr. *wie. Suet. Aug.* 86. Affuit et clientibus: sicut Scutario cuidam, etc. et 85. ex quibus nonnulla in coetu familiarium — recitavit: sicut rescripta Bruto de Catone cet.] ℙ *Sic ut* divisim, adeo ut. V. SIC.

SĪCŪTI. V. in v. praec.

SICYON, ōnis, f. Σικυών, ῶνος, urbs Peloponnesi in Achaia, in colle sita, cujus regio olei ferax est. Patria fuit Arati poetae. Pingendi etiam ars in ea floruit. *Plin.* 36, 4, 4. Sicyon diu fuit officinarum omnium metallorum patria. *Ov. Pont.* 4, 15, 10. Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos. *Id. ib.* 319. Aut, ut olivifera quondam Sicyone fugata, etc. Adde *Stat. Th.* 4, 50. et *Plin.* 4, 5, 6. ℙ In sexto casu *Sicyoni* pro *Sicyone* habet *Pl. Cist.* 1, 3, 8. et 42. et *Ps.* 4, 2, 38. ℙ *Fuit et Sicyon dictus locus, sive opp., in Africa. *Plin.* 37, 2. Mnaseas Africae locum Sicyonem appellat. *B. A.*

*SICYONIS, idis, f. insula maris Aegaei, e regione Epidauri, ex qua Minerva Sicyonia appellata. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

SICYONĬUS, a, um, adj. Σικυώνιος, ad Sicyonem pertinens. *Virg. G.* 2, 519. teritur Sicyonia bacca trapetis. ℙ *Sicyonii, orum*, populi Sicyonis incolae. Molles hi, et munditiei nimii amatores aliquando fuerunt, praesertim in calceis. Hinc *Cic. Or.* 1, 54. Si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles, et apti ad pedem, quia non essent viriles. ℙ Hujusmodi calcei dicuntur etiam *Sicyonia, orum*, absolute. *Lucil.* ap. *Fest.* pedibus Sicyonia demit honesta. *Lucr.* 4, 1118. et pulcra in pedibus Sicyonia rident. Adde *Virg. Cir.* 169.

SICYOS Agrios, σίκυος ἄγριος, cucumis silvestris, nomen fructis, ap. *Appul. Herb.* 113.

*SIDĒNE, es, f. regio Ponti, quam permeat Sidenus fluvius. *Plin.* 6, 4. Sidene, flumenque Sidenum, quo alluitur etc. Sic ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Sideni. B. A.*

[SĪDENSIS, e, adj. ad Sidam, ut vocat *Liv.* 35, 13., seu Siden, ut *Plin.* 5, 27, 26., Pamphyliae urbem pertinens, quae nunc *Candeloro* vocatur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 705. *n.* 256. T. Fl. Coelius Severus Sidensis medicus. V. SIDETAE. *F.*]

*SIDĒNUS (sc. fluvius) vel Sidenum (sc. flumen), in Ponto. *Plin.* Locum V. in SIDENE. *B. A.*

SĪDĔRĀLIS, e, adj. ἀστερισκός, ad sidera pertinens. *Plin.* 7, 49, 50. Poscere videtur locus ipse sideralis scientiae sententiam. *Id.* 18, 24, 56. Sideralis difficultas, *h. e.* quae circa siderum cognitionem est.

SIDĔRĀTĪCIUS, a, um, adj. sideratus, ut Sideraticia jumenta, *Veg. Vet.* 3, 35.

SIDĔRĀTIO, onis, f. θέμα, constitutio siderum, constellatio, sidus natalicium, horoscopus. *Firm. Math.* 4, 13. *extr.* Haec tamen omnia, licet a malo signata fuerint, talis siderationis influxu, benevolarum stellarum ut plurimum testimoniis minuuntur. ℙ *Sideratio* item vocatur morbus plantarum, cum siccitate Caniculae, vel Cancri exarescunt atque emoriuntur insitae ac novellae arbores, praecipue vites ac ficus. A Graecis vocatur ἀστροβολία, vel ἀστροβολισμός, sideris percussio. *Plin.* 17, 24, 37. n. 4. Sideratio tota e coelo constat, quapropter et grando in his causis intelligi debet, et carbunculatio, et quod pruinarum injuria evenit; et *mox:* Proprium tamen siderationis est ab ortu Canis siccitatum vapor, cum insitae ac novellae arbores moriuntur, praecipue ficus et vites. ℙ Per translationem accommodatur animalibus, quae membro aliquo, aut corpore universo exarescunt: unde et *siderata* appellantur. Aliqui dicunt, hunc morbum e coelo vi quadam sideris provenire existimari, quod repentino quodam impetu evenit. V. SIDUS. *Marc. Emp.* 20. *med.* Antidotos hiera facit ut ad tremulos, et ad siderationes tentatos utralibet, una enim cum contractione, altera cum remissione nervorum conspicitur. Unde liquet, cur *Mart.* sideratam optet linguam Baccharae, qui, siquid peteretur, haud intelligere se simulabat. Locus est 7, 92. Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus, Dicere ne possis, Bacchara, quid sit opus.

Sic 11, 85. Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua.

SIDERĀTUS, a, um, part. a *sideror: ἀστρόβλητος*, qui siderationis morbo affectus est, qui sidere vexatur et laeditur. *Plin.* 28, 16, 63. Sideratis urina pulli asinini nardo admixto perunctione prodesse dicitur. *Veg. Vet.* 2, 39. Jumentum si fuerit sideratum, his agnoscitur signis, etc, V. v. praec.

SIDĔREUS, a, um, adj. *ἀστρῶος, ἀστερόεις*, ad sidera pertinens, stellatus, stellans, coelestis. *Ov. Met.* 15, 665. Siderei ignes, h. e. astra. *Id. Am.* 3, 10, 21. Arx siderea, h. e. coelum. Sic *A. Am.* 2, 39. (et *Virg. A.* 10, 3.) sedes. *Id. Met.* 4, 169. lux; et *ib.* 6, 341. Sidereus aestus, *h. e.* calor solis. *Id. Fast.* 4, 941. canis. *Id. Met.* 15, 31. Et caput extulerat densissima sidereum nox. *Id. ib.* 11, 445. Sidereus conjux, *h. e.* Ceyx Luciferi filius. *Prop.* 3, 19, 10. Siderea Dea, *h. e.* Luna. *Claud. in Eutr.* 2, 330. Sidereae aves Junonis, *h. e.* pavones cauda gemmata, et quasi stellis distincta. *Id. ib.* 1, 351. stat cassis utrique Sidereis hirsuta jubis, *h. e.* splendentibus instar sideris. *Mart. Spect.* 2. Sidereus colossus, *h. e.* solem referens, et soli dicatus. *Virg. A.* 12, 167. Aeneas Sidereo flagrans clypeo, et coelestibus armis, *h. e.* splendenti. *Colum.* 10, 292. Nec tam sidereo fulget Thaumantias arcu. *Val. Fl.* 7, 166. Sidereus sanguis, *h. e.* genus coeleste, Deorum filius. *Id.* 2, 104. Venus sidereos diffusa sinus, *h. e.* pulcros, coelestes. *Id.* 8, 122. de aureo vellere Phrixi: villisque comantem Sidereis pellem, *h. e.* pretiosis, pulcherrimis. ℙ Ad pulcritudinem, decusque Diis dignum referuntur et illa *ejusd.* 4, 490. sidereo Pollux interritus ore; et *ib.* 330. tenues ire cruores Siderea de fronte vident; et *ib.* 8, 26. Tum quoque siderea clarus procul ore juventa; et *Sen. Oed.* 409. Bacchi sidereus vultus. *Mart.* 10, 66. Si tam sidereos manet exitus iste ministros, *h. e.* tam formosos. Sic 9, 37. Siderei mares, *h. e.* pueri pocillatores Domitiani. *Stat. Silv.* 2, 1, 41. Sidereique orbes, radiataque lumina coelo, *h. e.* oculi sidera referentes. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 252. Salve sidereae proles Augusta Serenae; et *Laud. Seren.* 219. Sidereae ulnae. *Id. Cons. Mall. Theod.* 265. Stilicho dum prospicit orbi, Sidereusque gener, *h. e.* divinus Honorius. ℙ Item insignis, excellens, divinus. *Colum.* 10, 434. Siderei vatis referens praecepta Maronis. ℙ *Ov. Pont.* 4, 16, 6. Iliacusque Macer, sidereusque Pedo, *h. e.* qui de coelo et sideribus scripsit, sicut Macer de rebus Iliacis. *Stat. Silv.* 2, 2, 112. sidereas exercet Pollius artes, *h. e.* studia rerum divinarum et coelestium.

SĬDĒRĬON, ii, n. *σιδήριον*, herba sic dicta, quod omnia vulnera ferro illata sanat: nam *σίδηρος* ferrum significat. *Plin.* 25, 4, 15. et 26, 14, 87.

*SIDERIS, is, fluvius Asiae ulterioris, in Hyrcania, vel fortasse in Hyrcaniae confinio. *Plin.* 6, 16. ubi ablativum *Sideri* habes. V. *Syderis. B. A.*

SĬDĒRĪTES, ae, m. *σιδηρίτης*, lapis magnes: a *σίδηρος*, ferrum, quia ferrum trahit. *Plin.* 36, 16, 25. de magnete: Sideriten ob hoc alio nomine appellant quidam Heracleon. ℙ Gemma item est ex genere adamantium, ferrei splendoris, pondere ante ceteros, sed natura dissimilis: nam et ictibus frangitur, et alio adamante perforari potest, quod et Cyprio evenit, etc. *Plin.* 37, 4, 15.

SĬDĒRĪTĒSIS, is, f. herba eadem ac heliotropium. *Appul. Herb.* 49. Alii leg. *sideritis.*

SĬDĒRĪTIS, is, f. *σιδηρῖτις*, herba, cujus multa genera affert *Plin.* 25, 5, 19. et multae virtutis est in vulneribus curandis. ℙ Item gemma ferro similis, quae litigio illata discordias facit. *Id.* 37, 10, 67.

SĬDĒRŌPOECĬLOS, i, f. *σιδηροποίκιλος*, gemma ferrei coloris, et guttis variantibus: a *σίδηρος*, ferrum, et *ποίκιλος*, varius. *Plin.* 37, 10, 67.

SĬDĒROR, aris, pass. 1. *ἀστροβολίζομαι, σφακελίζω*, est sidere afflari, arescere. V. SIDERATIO. *Plin.* 9, 16, 25. Fluviatilium silurus Caniculae exortu sideratur, et alias semper fulgure sopitur.

*SIDEROSUS, a, um, adj. *ἀστροπλήξ, ἐπιπληκτικὸς Gloss. Lat. Gr. B. A.*

[SĬDĒTAE, arum, m. plur. incolae Sidae seu Sides, Pamphyliae urbis. *Liv.* 35, 48. Adjiciebat, navalium copiarum dextrum cornu Sidonios et Tyrios, sinistrum Aradios, et ex Pamphylia Sidetas tenere. V. SIDENSIS. *F.*]

SĬDĬCĪNUS, a, um, adj. ad Sidicinum Teanum Campaniae oppidum pertinens. *Virg. A.* 7, 726. et quos de collibus altis Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta Aequora. *Sil.* 5, 551. Sidicina cohors. *Plin.* 15, 3, 4. Olivae transmarinae Italicis praeferuntur in cibis, et in ipsa Italia Picenae, et Sidicinae. ℙ *Sidicini, orum*, sunt ejus oppidi incolae. *Cic. Phil.* 2, 41., *Liv.* 7, 29.

SĬDO, is, īdi, n. 3. *καθιζάνω*, ad sedendum me demitto, deorsum feror, descendo et sisto, subsido, consido. *Plin.* 10, 63, 87. de canib.: Existimantur in urina attollere crus fere semestres: id est signum consummati roboris: feminae hoc idem sidentes. *Virg. A.* 6, 202. de columbis: liquidumque per aera lapsae, Sedibus optatis gemina super arbore sidunt. *Ov. Met.* 1, 307. Quaesitisque diu terris, ubi sidere detur, In mare lassatis volucris vaga decidit alis. *Plin.* 18, 35, 83. Nebulae in vallibus sidentes. *Prop.* 4, 3, 31. Tum queror, in toto non sidere pallia lecto, *h. e.* jacere, sed excuti, ex jactatione et insomnia. Sic *Ov. Am.* 1, 2, 2. neque in lecto pallia nostra sedent. *Plin.* 6, 22, 24. Mare certis canalibus ita profundum, ut nullae ancorae sidant, *h. e.* ad fundum perveniant, et in eo haereant. *Id.* 16, 10, 19. Secures in quocumque genere arborum deprehendunt marem: quippe respuuntur, et fragosius sidunt, aegrius evelluntur, *h. e.* intrant atque haerent in ligno. ℙ *Sidere* naves dicuntur, cum brevi vado deprehensae, carina in arenam impingunt: ex quo fit, ut saepe quassentur: vel cum gravi ictu percussae, soluta compage pandantur et mergantur. *Tac. A.* 2, 6. Quaedam naves planae carinis, ut sine noxa siderent; et *ib.* 1, 70. Quo levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret. *Nep. Chabr.* 4. Navis rostro percussa coepit sidere; et *Prop.* 2, 11, 31. navis mediis sidat onusta vadis. ℙ Universim *sidunt*, quae non innatant. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 4. Rosae folia tusa, in linteolo in mustum collata cum ponduscuIo, ut sidat. *Id.* 12, 25, 54. de balsamo: In tepida aqua gutta sidens ad ima vasa. *Id.* 16, 38, 73. Lignum in longitudinem fluctuatur: et quae pars fuit ab radice, validius sidit. *Colum.* 12, 24. Deinde patiemur picem considere, et cum siderit, aquam eliquabimus. Est qui leg. *sederit.* [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 427. sq.] ℙ Translate. *Sen. Const. Sap.* 2. Adversus vitia civitatis degenerantis, et pessum sua mole sidentis, stetit solus, et cadentem rempuhlicam retinuit. *Plin.* 15, 18, 20. Sidentia imperii fundamenta. *Tac. H.* 2, 15. Trepidatum apud naves: donec sidente paulatim metu, etc. ℙ *Lucan.* 7, 791. sidentes in tabem spectat acervos, *h. e.* acervos cadaverum paulatim decrescentes, putrefactis carnibus. Sic *Stat. Silv.* 5, 3, 199. Vix requies flammae: nec dum rogus ille Deorum Siderat, *h. e.* consumptis lignis, ruerat. *Prop.* 3, 7, 37. Non flebo in cineres arcem sidisse paternos Cadmi. Simile est illud *Virg. A.* 2, 625. visum est considere in ignes Ilium. ℙ *Prisc.* 10, 889. negat *sidi* esse praeteritum hujus verbi; mox p. 893. videtur admittere, sed haec habet: Sido praeterea *sidi* facit: cujus praeteritum in usu non est, dubitationis vel alternitatis causa; debuit enim *sisi* esse. Sed utimur praeterito sedeo verbi, id est *sedi*, pro supradicti quoque verbi praeterito.

*SIDO, rex Suevorum. *Tac. A.* 12, 29. *B. A.*

SĪDON, ōnis vel ōnis, f. *Σιδών, ῶνος*, et *όνος*, urbs Syriae in Phoenicia, in ora maris Mediterranei cum portu capaci. Nomen accepit, teste *Just.* 18, 3., a piscium ubertate, quos *sidonas* Phoenices vocant. *Plin.* 5, 19. 17. Sidon, artifex vitri, Thebarumque Boeotiarum parens: a tergo ejus mons Libanus orsus, etc. *Lucan.* 3, 217. pretiosaque murice Sidon. *Sil.* 8, 438. Stat fucare colos nec Sidone vilior Aulon, Murice nec Libyco. *Virg. A.* 1, 623. Atque equidem Teucrum memini Sidona venire.

SĪDONĬCUS, a, um, adj. ad Sidonem pertinens, Sidonius. *Sall. Jug.* 81. Ejus civitatis *(Leptis in Africa a Sidoniis conditae)* lingua modo conversa connubio Numidarum: leges, cultusque pleraque Sidonica. ℙ *Sidonicus* legitur etiam ap. *Val. Fl.* 6, 95., sed ibi critici mutandum censent.

SĪDŌNIS, idis, f. *Σιδωνίς*, et *Σιδονίς*, quae est ex Sidone, Tyria, Phoenicia. *Ov. A. Am.* 3, 252. Perque fretum falso, Sidoni, vecta bove, *h. e.* Europa, filia Agenoris Phoeniciae regis. (Adde *Stat. Th.* 9, 334.) *Id. Met.* 14, 79. Non bene discidium Phrygii latura mariti Sidonis, inque pyra, etc. *h. e.* Dido filia Beli regis Tyriorum. *Id. Fast.* 3, 649. Sidonis interea magno clamore per agros, etc. *h. e.* Anna soror Didus: de qua et *Sil.* 8, 70. Sidonis in Latia trepidabat naufraga terra; et *ib.* 194. Cum nullam Aeneadae thalamis Sidonida nacti, etc. *Ov. Met.* 10, 267. Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis, *h. e.* purpura Tyria. V. in v. sq.

SĪDŌNĬUS, a, um, adj. *Σιδώνιος*, et *Σιδόνιος*, ad Sidonem pertinens: et ponitur etiam pro Phoenicio, et Tyrio: quia Phoenicii Sidone primum, mox Tyri (utriusque urbis conditores) imperitarunt. *Ov. Pont.* 1, 3, 77. Liquit Agenorides Sidonia moenia Cadmus. *Virg. A.* 4, 545. quos Sidonia vix urbe revelli; et *ib.* 75. Sidoniasque ostentat opes. *Id. ib.* 11, 74. Ipsa suis manibus quondam Sidonia Dido. *Ov. Met.* 3, 129. Hos operis comites habuit Sidonius hospes, *h. e.* Cadmus. *Id. Trist.* 4, 3, 2. Sidoniae rates. *Mart.* 7, 32. Aut ubi Sidonio taurus amore calet, *h. e.* Europae Sidoniae. *Stat. Th.* 1, 5. Sidonii raptus, *h. e.* quibus Juppiter sub tauri forma Europam abduxit. ℙ *Sidonii, orum*, Sidonis populi, aut Tyri. *Ov. Fast.* 3, 107. Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sidoniis, Helicen Graja carina notet. ℙ *Sidonia, ae*, ipsa Sidon, et regio circa jacens. *Just.* 11, 10. Abdalonymus rex ab Alexandro Sidoniae constitutus. ℙ Refertur ad purpuram, quae Tyri, et Sidone optima fiebat, feraci concharum ora illa litorali. *Ov. Trist.* 4, 2, 27. Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro. *Prop.* 2, 13, 55. Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis. *Virg. A.* 4, 137. Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo. *Tibull.* 3, 3, 18. Tinctaque Sidonio murice lana juvat. *Mart.* 13, 154. Ebria Sidoniae cum sim de sanguine conchae, Non video, quare sobria lana vocer. *Sen. Herc. Oet.* 663. Nec Sidonio mollis aheno Repetita bibit lana rubores. ℙ Item ad Carthaginienses, qui Tyro et Sidone oriundi, eorumque auctor Sidonia Dido. *Sil.* 1, 9. conventaque patrum Sidonii fregere duces; et 5, 474. Haesit in opposito cuspis Sidonia ligno, *h. e.* hasta militis Carthaginiensis; et 17, 213. omnis in altum Sidonius visus converterat undique miles. ℙ Item ad Thebas Boeotias, quas Cadmus Tyrius condidit. *Stat. Th.* 7, 442. unde urbem etiam turresque videre Sidonias.

SIDONĬUS, ii, m. C. Sollius Sidonius Apollinaris, Gallus, patria Lugdunensis, religione Christianus, Arverniae episcopus, floruit saeculo Christi quinto, scripsitque epistolarum libros aliquot, et carmina (quae omnia exstant) stilo non illo quidem inerudito, sed duriusculo, praesertim in epistolis, in quibus etiam multa inveniat Latinae linguae studiosus nullo modo imitanda, verba audacter novata, aut insolenter deducta, phrasesque inconditas, et a Latina gravitate longe abhorrentes. Ille tamen, ut ejus temporis ratio studiorum erat, maximas laudes consecutus est, statua etiam Apollinari laurea, Romae in foro Trajani collocata, ob poesim ab Anthemio Augusto donatus.

SĪDUS, eris, n. *ἄστρον*, signum coeleste ex pluribus stellis compositum, ut sunt duodecim illa, quibus constat Zoadicus, Canis, Ursa, Andromeda, Lepus, et plurima alia, quae ab *Hygino l.* 2. et 3. *Astron.*, a *Manil.* et *Firm.* in *Astron.* recensentur. Etymon ejus esse videtur ab *εἶδος*, species. Certum est, vocem esse Latinam: quare non per *y*, sed per *i* scribi debet. Ita enim testibus *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.* habent libri veteres, et eruditorum consuetudo. *Cic. Somn. Scip.* 3. Hominibus animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis. *Macr.* in hunc loc. *Somn. Scip.* 1, 14. *med.* Neque enim hic res una gemina appellatione monstratur, ut ensis, et gladius; sed sunt stellae quidem singulares, ut erraticae quinque, et ceterae, quae non admixtae aliis, solae feruntur: sidera vero, quae in aliquod signum stellarum plurium compositione formantur, ut Aries, Taurus, Andromeda, Perseus, vel Corona. Sic et apud Graecos aster, et astron diversa significant: et aster stella una est; astron, signum stellis coactum, quod nos sidus vocamus. Haec *Macrobius*, cujus quidem oratio de re ipsa vera est: sed non item interpretatio verborum *Ciceronis*, qui duabus his vocibus unam eandemque rem significavit, ut locum integrum legenti planum fiet. Sunt tamen alii, qui *sidus* eo sensu usurparunt. *Val. Fl.* 4, 92. Sol auricomus, cingentibus Horis, Multifidum jubar, et bisseno sidere textam Loricam induitur; et 3, 731. nox sidera sustulit astris. Alii aliter leg. *Manil.* 1, 464. formas distinguere tantum Contenta, et stellis ostendere sidera certis. *Ov. Fast.* 5, 345. Baccho placuisse coronam, Ex Ariadnaeo sidere nosse potes. *Plin.* 18, 31, 74. de Arcturo: Signum orientis ejus sideris servetur hirundinum abitus. ℙ Frequentissime pro stella usurpatur, *ἀστήρ*. *Cic. Tusc.* 5, 24. Cum sidera viderit innumerabilia coelo inhaerentia cum ejus ipsius motu congruere, certis infixa sedibus. *Hor. Ep.* 17, 5. Refixa coelo devocare sidera. *Id. ib.* 41. Perambulabis astra sidus aureum. *Tibull.* 2, 1, 87. jam Nox jungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro. *Ov. Met.* 4, 315. radiantia nocte micabant Sidera. *Juven.* 8, 149. Nocte quidem: sed luna videt, sed sidera testes intendunt oculos. ℙ Siderum apposita, praesertim apud poetas sunt: alta, *Virg. A.* 3, 619. aurea, *Id. ib.* 1, 496. candida, *Lucr.* 5, 1209. lucida, *Hor. Od.* 1, 3, 2. micantia, *Catull.* 64, 206. palantia, *Lucr.* 2, 1030. publica, *Ov. Her.* 18, 150. radiantia, *Id. Met.* 7, 325. sparsa, *Sen. Hipp.* 961. surgentia, *Virg. A.* 6, 850. sublimia, *Sen. Herc. Fur.* 7. vaga, *Id. Octav.* 1. volantit, *Virg. A.* 5, 528. etc. ℙ De planetis, *Ov. Met.* 14, 172. Quod loquor, et spiro, coelumque et sidera solis Respicio, ille dedit. *Tibull.* 2, 1, 47. calidi cum sideris aestu Deponit flavas annua terra comas. *Just.* 13, 7. *extr.* Solstitiales ortus sideris primus invenit. *Plin.* 7, 60, 60. A columna Maenia ad carcerem inclinato sidere, *h. e.* solis umbra. *Id.* 2, 8, 6. et *Juven.* 6, 168. Summum Saturni sidus. *Lucan.* 1, 661. et *Plin.* 2, 8, 6. Veneris salubre sidus. *Sen. Med.* 750. Sidus noctium, *h. e.* luna: quam *Plin.* 2, 9, 6. vocat novissimum sidus, et terris familiarissimum. *Petr. Sat.* 119. Orbem jam totum victor Romanus habebat, Qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque. ℙ Per synecdochen coelum significant. *Juven.* 11, 63. de Aenea, et Hercule: Alter aquis, alter flammis ad sidera missus. ℙ *Sidera tangere*, magnum esse, felicem, et Diis parem. *Ov. Met.* 7, 61. Et Diis cara ferar, et vertice sidera tangam. *Prop.* 1, 8, 43. Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis. Sic *Hor. Od.* 1, 1, 35. Quod si me Lyricis vatibus inseris, Sublimi feriam sidera vertice. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 3, 3, 2. O sidus Fabiae, Maxime, gentis ades, *h. e.* decus, lux, ornamentum; et *ib.* 4, 6, 9. Fabiae lux, Maxime, gentis. *Colum.* 10, 96. Pangite nunc varios, terrestria sidera, flores. ℙ Metonymice designant *sidera* tempus nocturnum, tunc enim conspicua sunt. *Stat. Th.* 8, 219. vario producunt side-

ra ludo Ante domos, intraque. *Prop.* 1, 3, 38. Languidus exactis, hei mihi, sideribus. *Juven.* 5, 22. Sideribus dubiis, *h. e.* summo mane, cum aurora incipiente incipiunt stel-lae evanescere. ℙ Item certum anni tempus. *Virg. G.* 1, 1. quo sidere terras Vertere conveniat. *Id. A.* 4, 309. hiberno moliris sidere classem. *Ammian.* 22, 13. *med.* Sidere etiam tum instante brumali. *Tac. A.* 1, 70. Sidere aequinoctii maxime tumescit oceanus. ℙ Item coeli temperamentum. *Plin. Pan.* 15. Et diversam aquarum coelique temperiem, ut patrios fontes, patriumque sidus, ferre consuevisti. *Juven.* 12, 103. Nec Latio, aut usquam nostro sub sidere talis Bellua *(elephantus)* concipitur. ℙ Item varias coeli tempestates, et influentiam, quae ab sideribus in terras demitti putatur: et fere de mala dicitur. *Ov. Met.* 4, 424. Aetherioque recens exarsit sidere limus, *h. e.* calore; et *ib.* 5, 281. Ne dubitate, precor, tecto grave sidus, et imbrem (Imber erat) vitare meo, *h. e.* ventum, procellam. *Virg. A.* 12, 451. Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus It mare per medium. Ubi *Serv :* Vel immensa, vel magna tempestate: per sidus enim tempestas significatur, ut *(A.* 11, 259) scit triste Minervae Sidus. *Claud. in Eutrop.* 2, 423. orba magistro Fertur in abruptum casu, non sidere puppis. ℙ Hinc dicitur de quodam morbi genere, quod ex influxu mali sideris nasci creditur, ut in SIDERATIO dictum est. *Plin.* 2, 41, 41. Afflantur alii sidere, alii commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente. *Petr. Sat.* 2. Animosque juvenum ad magna surgentes, veluti pestilenti quodam sidere afflavit. *Mart.* 11, 85. Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua. *Id.* 7, 92. Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus. ℙ *Sidus confectum* dicitur, cum ea tempestas, quam sidus inferre putatur, peracta est. *Plin.* 18, 25, 57. Alias citius, alias tardius coeli effectu ad terram deciduo: vulgo, serenitate reddita, confectum sidus audimus. *Id.* 16, 23, 36. Circumaguntur folia ulmi, tiliae, oleaeque per solstitium: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum. ℙ Creduntur sidera praeesse nativitati hominum, eorumque vitam moderari in utramque partem: et *natale sidus* dicitur, sub quo quisque nascitur. *Cic. Div.* 2, 43. Cum ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertant et notent sidera natalicia Chaldaei, quaecumque lunae juncta videantur. *Juven.* 7, 194. distat enim, quae Sidera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus. *Id.* 16, 3. Me pavidum excipiat tironem porta secundo Sidere. *Stat. Silv.* 3, 4, 63. o sidere dextro Edite! multa tibi Divum indulgentia favit. *Prop.* 1, 6, 26. Vivere me duro sidere certus eris. *Ov. Trist.* 5, 10, 45. O duram Lachesin! quae tam grave sidus habenti Fila dedit vitae non breviora meae! *Id. Ib.* 217. Te fera, nec quidquam placidum spondentia, Martis Sidera presserunt, falciferique senis. *Stat. Th.* 2, 158. geminae mihi namque, nepotum Laeta fides, aequo pubescunt sidere natae, *h. e.* aetate pares. ℙ *Sidera decidua* V. in DECIDUUS. ℙ De splendore formae, et pulcritudine. *Stat. Silv.* 3, 4, 26. Hic puerum egregiae praeclarum sidere formae Conspicit. *Val Fl.* 5, 467. nebulamque erumpit Iason, Sideris ora ferens. *Hor. Od.* 3, 9, 21. Quamquam sidere pulcrior Ille est. ℙ De pulcris oculis. *Ov. Met.* 1, 498. videt igne micantes, Sideribus similes oculos. *Id. Am.* 2, 16, 44. et *Prop.* 2, 2, 24. oculi geminae, sidera nostra, faces. ℙ Adhibetur in blanditiis. *Suet. Cal.* 13. *extr.* Sidus, et pullum, et pupum, et alumnum appellantes. ℙ *Ad sidera* hyperbole de ingenti altitudine. *Prop.* 3, 1, 57. Pyramidum sumptus ad sidera ducti. *Mart.* 9, 62. Sic viret, et ramis sidera celsa petit; et 8, 36. Haec, Auguste, tamen, quae vertice sidera pulsat, Per domus est coelo. ℙ *Ferre ad sidera*, impense laudare. *Virg. Ecl.* 9, 29. tuum nomen Cantantes sublime ferent ad sidera cycni. *Calpurn. Ecl.* 3, 42. Et solet illa meas ad sidera ferre camenas. ℙ Antiqui sidera Deos fecere. *Sen. Herc. Fur.* 12. Ferro minaci terret Orion Deos, *h. e.* Pleiades; et *ib* 584. Tu non ante tuam respice conjugem, Quam cum clara Deos obtulerit dies. *Id. Thyest.* 842. de Chao: ibit in unum congesta sinum turba Deorum. Adde *ib.* 893.

*SIDUS, untis, f. Σιδοῦς, opp. Atticae maritimum, in Megaride. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

*SIDŪSA, ae, f. Σιδοῦσα, insula maris Aegaei, prope Ephesum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*SIDYMA, orum, n. plur. vel fortasse ae, f. Σίδυμα, oppidum Lyciae, in monte situm. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

SIEM, sies, siet, pro *sim*, *sis*, *sit*, frequens est apud comicos, *Plautum* praesertim. V. SUM. *f.*

SIFĀRUS. V. SUPPARUM.

[SĪFĪLĀTĬO, onis, f. idem ac sibilatus. V. *Non. l. c.* in v. sq. *F.*]

SĪFĪLO, as, a. 1. idem ac sibilo. *Non.* 12, 49. Sifilare (quod nos vilitatem verbi vitantes sibilare dicimus; et est maledica vocis significatio, vel contumeliosa popularium, cum sifilationibus quis exploditur) a Graeco ducere originem invenimus. Hujus rei auctor est venerabilis Homerus, lib. XIV. Iliad. (v. 140.) *Ἀλλ' ὁ μὲν ὡς ἀπόλοιτο, Θεὸς δὲ ἑ σιφλώσειεν.*

SĪFUNCŪLUS. V. SIPHUNCULUS.

*SIGA, ae, f. oppidum in Mauritania Caesariensi, cum portu, ad mare Mediterraneum. *Plin.* 5, 2. *Mela* 1, 5. ℙ Hinc *Portus Sigensis* ap. *Anton. Itin. B. A.*

SĪGĂLĬON, onis, m. numen ap. Aegyptios in sacris Isidis, et Serapidis, quod digito labiis impresso silentium imperare videbatur: alio nomine Harpocrates: a *σιγάω*, sileo. *Auson. ep.* 25, 27. Aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet.

[SĪGĒ, es, et ēnis, f. *σιγή*, taciturnitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 404, 4. Egnatuleja Sige; et 984, 13. C. Matius C. L. Logus sibi et concubinae suae Pompejae Ɔ. L. Sigeni amantissimae suae. V. CALYBA. *F.*]

SĪGĒIUS et

SĪGĒUS, a, um, adj. Σίγειος, ad Sigeum pertinens, quod est promontiorum Troadis cum oppido cognomine, teste *Plin.* 5, 30, 33, apud ostia Scamandri fluvii, contra Tenedum insulam. In eo Achilles sepultus est, ut significat *Cic. Arch.* 10. et *Fam.* 5, 12. Scribit *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 312. dictum esse a *σιγή*, silentium propter Herculis taciturnitatem, qui prohibitus a Laomedonte hospitio, simulavit abscessum, et inde contra Trojam per silentium venit. *Virg. l. c.* Sigea igni freta lata relucent; et *ib.* 7, 294. Sigeis occumbere campis. *Stat. Achill.* 1, 84. Quem tu illic natum Sigeo in pulvere! *h. e.* in proeliis ad Trojam. *Val. Fl.* 2, 498. Sigea bestis, *h. e.* marinum monstrum ad litus Troadis, quod occidit Hercules. *Ov. Her.* 1, 33. Hac ibat Simois: hic est Sigeia tellus. ℙ Pro Latino, seu Romano. *Sil.* 9, 203. Seu Laurens tibi, Sigeo sulcata colono Arridet tellus.

SĪGILLĀRĬĂ, orum, et ium, n. plur. dies festus Romanorum, ita dictus a *sigillum*, quod ultro citroque sigilla, sive imagunculas, et munuscula alia missicularent. Hoc festum *Lucilius* indicat, cum ait ap. *Porph.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 87. servorum festu' dies est, Quem plane hexametro versu non dicere possis. Nam *Sigillariorum* vocem versus hexameter non admittit. Ideo sic per periphrasin *Auson. Eclog. de Fer. Rom.* 32. Festa sigillorum nomine dicta colunt. ℙ *Sigillaria* continuo erant post Saturnalia. *Macr. Sat.* 1, 10. *f.* Saturnalia uno tantum die, idest quartodecimo calendarum solita celebrari, sed post in triduum propagata. Sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum, et laetitiam religionis extendit. *Id. ib.* 11. *f.* causam nominis affert, quod Hercules, occiso Geryone cum in Latium venisset, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, ponte Sublicio in flumen demisit, ut aqua secunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur. Sed verior illa origo existimatur, subdit *Id. ib.*, Pelasgos postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed fictilia, et *φωτὸς* aestimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset, coepisse Saturno cereos potius accendere, et in sacellum Ditis, arae Saturni cohaerens, oscilla quaedam pro suis capitibus ferre: ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur, et sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, quae homines pro se atque suis piaculum pro Dite Saturno facerent. ℙ De icunculis Deorum. *Tert. Or.* 12. *med.* Cum perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis, residendo. ℙ Ipsa quoque munuscula, quae praecipue Saturnalibus missitari mos erat, *sigillaria*, et *sigillaricia* dicta sunt: et putantur fuisse panes dulciarii, et placentulae aliqua forma insignitae, v. gr. avis, puelli, et hujusmodi: quales hodieque panes columbae figura pueris per Paschales dies donari solent. *Sen. ep.* 12. Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre. *Tiber.* ap. *Suet. Claud.* 5. Quadraginta aureos, in Saturnalia, et Sigillaria mississe ei. *Spart. Carac.* 1. *extr.* Quae a parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donavit. ℙ *Sigillaria* denique vicus fuit Romae, in regione Urbis septima, ubi sigilla, et alia minuta opera fabre facta vendebantur. *Gell.* 2, 3. Librum emptum in Sigillariis viginti aureis. Adde 5, 4., *Suet. Claud.* 16. *f.* et *Ner.* 28. *med.* Sic *Scaevola Dig.* 32, 1, 102. Lances, quas de Sigillaribus emi.

SĪGILLĀRĬĀRĬUS, ii, m. qui sigillaria facit, *h. e.* sigilla et alia minuta opera. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 15. T. Flavio T. F. Largonio fabro flaturario sigillariario, etc. Habetur haec etiam ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 89. et bis ap. *Fabr.* p. 177. *n.* 359. et p. 720. *n.* 415., ubi *sigillariario* legitur, quod mendum fuisse videtur illius, qui eandem exscripsit. V. SIGILLARIUS, ii, et FLATURARIUS.

SĪGILLĀRĪCĬUS, a, um, adj ad sigillaria pertinens. *Spart. Hadr.* 17. Saturnalicia, et Sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit. Subaudi *munera:* et V. SIGILLARIA. ℙ *Sigillaricius annulus* est, quo utimur ad obsignandas epistolas, vel aliam quampiam rem sigillo notandam. *Vopisc. Aurel.* 50. Uxori et filiae annulum sigillaricium quasi privatus instituit.

SĪGILLĀRĬUS, a, um. V. SINGILLARIUS.

SĪGILLĀRĬUS, ii, m. qui sigilla conflat. *Inscr.* ap. *Grut.* 1035, 3. C. Tudicelio Fel. Afro sigillario, etc. Haec eadem habetur ap. *Manut.* in *Orthogr.* et ap. *Fabr.* p. 243. *n.* 669.; uterque autem legit *sigillariario*, q. v. v. s. l.

SĪGILLĀTIM. V. SINGILLATIM.

SĪGILLĀTOR, oris, m. qui sigilla facit, sigillarius. *Inscr.* ap. *Mur.* 936, 2. Agatabolus F. L. Pyrrhus figulus sigillator.

SĪGILLĀTUS, a, um, part. ab inus. *sigillo:* sigillis, idest parvis signis seu imaginibus ornatus, ut Scythi sigillati, id est emblematis et crustis ornati. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Jubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre. *Id. Att.* 1, 10. Putealia sigillata duo. *Treb. in* XXX. *Tyr.* 16. de Herode: Homo Graecae luxuriae, cui erant sigillata tentoria, et aurati papiliones, *ζωδιωτὰ. Imppp. Theod., Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 15, 7, 11. Nulla mima gemmis, nulla sigillatis sericis, aut textis utatur auratis. *Prud.* sigillatum sal, *Hamart.* 707. vocat statuam salis, in quam versa est uxor Loth, ut habetur *Genes.* 19, 26.

*SIGILLIARIARĬUS, i, m. i. q. sigilliarius. *Inscr. Fabr.* p. 177. *B. A.*

SĪGILLĬŎLUM, i, n. parvum sigillum, *σφραγίδιον. Arnob.* 6, 197. Et abstinetis a risu, cum pro Diis immortalibus, sigilliolis hominum et formis supplicatis humanis? Adde p. 204.

*SIGILLO, as, a. 1. *σφραγίζω Gloss. Lat. Gr. B. A.*

SĪGILLUM, i, n. *ἀγαλμάτιον, σφραγίδιον*, parvum signum, imaguncula, icuncula, parva statua: a *signum*, ut *tigillum* a *tignum. Cic. Verr.* 2, 4, 22. Apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia: et *mox:* Sigillis avulsis, reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit. *Hor. Ep.* 2, 2, 180. Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas Sunt qui non habeant, est qui non curat habere. *Ov. A. Am.* 1, 407. Circus ornatus sigillis. *Plin.* 36, 24, 59. Usus gypsi in albariis, sigillis aedificiorum, et coronis gratissimus. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 357. Cn. Turpilius Cn. F. Turpilianus Aed. et Pr. Sac. Volk. (*h. e.* aedilis, et praetor sacris Volkanalibus) sigillum Volkani ex voto posuit Arg. P. XV. Scrp. IX. (*h. e.* argenti pondo quindecim, scriplis novem). ℙ De figuris in tela depictis, aut intextis. *Ov. Met.* 6, 85. de Pallade texente: certamina quatuor addit Clara colore suo, brevibus distincta sigillis. ℙ De imagine, quae annulo signatorio in cera aliave materia imprimitur, obsignandis litteris, amphoris, scriniis, etc. *σφραγιστήρ. Hor. Ep.* 1, 20, 3. Odisti claves, et grata sigilla pudico. *Cic. Acad.* 4, 26. *extr.* Quid si in ejusmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero? ℙ Proprio et primario sensu usurpatur etiam pro parvo signo, seu vestigio. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 326. Remige pennigero qua non facit ala sigillum.

SIGLA, orum, n. plur. *σημεῖα, σίγλαι*, notae cempendiariae, litterae singulares, quae vocem integram significant, ut S. V. B. E. E. Q. V. *Si vales, bene est, ego quidem valeo:* dicta per syncop. pro *sigilla:* unde per sync. *singla*, deinde *sigla:* quia singulae litterae vocem integram significant: unde a *Gell.* 17, 9. *litterae singulariae* dicuntur. *Just.* in *ep. ad Sen. et omn. pop. f.* Eandem poenam falsitatis constituimus adversus eos, qui leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est et nomina prudentium, et titulos, et librorum numeros per consequentias litterarum volumus, non per sigla, manifestari. Adde in *ep. ad Antecessor. f.* Utroque loco *sigla* habet *Torrent.* et ita legit etiam *Cujac. l.* 12. *Observv. c.* 40. *Haloand.* habet *signa.*

SIGMA, ātis, n. *σίγμα*, lectus ad mensas rotundas accommodatus, vel ligneum sedile, in quo perpetuus lectulus status erat ad convivas recipiendos. Nam veteres olim recta linea sedebant, lectulis ita dispositis, ut ab una tantum parte discumberetur; postea sigma inventum est, ut eidem mensae plures assidere possent. V. STIBADIUM. Dictum est autem a figura semicirculari Graecae litterae *σ*, quae majori forma ad similitudinem Latinae C scribebatur, ut videre est in antiquis monumentis. Itaque *Appul. Met.* 5. semirotundum appellat. *Lampr. Elag.* 25. Primus invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur: et *mox:* Habuit et hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad coenam, item octo luscos, et item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, et octo pingues, cum capi non possent uno sigmate, ut de his omnibus risus citaret. *Mart.* 10, 48. Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum. *Id.* 14, 87. Accipe lunata scriptum testudine sigma: Octo capit: veniat quisquis amicus erit. ℙ Eodem nomine appellatur solium semicirculare in balneis. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Ita ut ministeriorum sese non impediente famulatu, tot possit recipere sellas, quot solii sigma personas. Adde *carm.* 17, 6.

SIGNĀCŬLUM, i, n. signum. *Tert. Apol.* 21. Neque de ipso signaculo corporis, neque de consor-

tio nominis cum Judaeis agimus, *h. e.* de circumcisione. *Prud. Psych.* 360. Post inscripta oleo frontis signacula. ℙ Item sigillum, imaguncula. *Appul. Flor. n.* 9. Etiam crepidas sibimet compegerat, et annulum in laeva aureum faberrimo signaculo; et *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. §. 36. Sigillis videlicet prius sacculo pecuniae impressis vel a praetore, vel ab iis, coram quibus signacula remota sunt.

SIGNANTER, adv. signate, expresse, peculiariter, singulatim. *Auson. Grat. act.* 4. Signanter et breviter omnia indicare. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 13. *f.* Signanter et proprie supra dixerat.

SIGNĀRIUS, ii, m. ζωδιοποιὸς, qui signa, *h. e.* statuas facit, signifex. *Inscr.* ap. *Mur.* 963, 4. Maetio Aprili artifici signario, qui vixit annis XXXII. etc.

SIGNĀTĒ, adv. evidenter, significanter. *Gell.* 2, 6. Qui proprie et signate locuti sunt. *Ammian.* 23, 6. Signatius aliquid explicare.

SIGNĀTIO, onis, f. notatio, significatio. *Auct. dial. de Or.* 16. Hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem signatione ista determinetis. Est qui minus recte leg. *significatione. Tert. ad Uxor.* 2, 9. Furtiva signatio, *h. e.* signi crucis formatio.

SIGNĀTOR, oris, m. σφραγιστὴς, qui signat: et praesertim qui testamenti, aut alterius negotii tabulas, aliudve quid, adscripto prius nomine suo, confirmat, deinde annulo suo signat, ad fidem faciendam. *Sall. Cat.* 16. Juventutem multis modis mala facinora edocebat: ex illis testes, signatoresque falsos commodare, etc, *Suet. Tib.* 23. Illatum Augusti testamentum, non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, recitavit per libertum. *Val. Max.* 7, 7. *n.* 2. Testamentum patris, quo praeteritus erat, rescidit, cum in eo Tullianus Pompeji M. familiaris, ipso quidem Pompejo signatore, heres scriptus esset. *Scaevola Dig.* 18, 3, 8. Testatus est, se sacculum cum pecuniis signatorum signis obsignasse. *Juven.* 10, 334. Tyriusque palam genialis in hortis Sternitur, et ritu decies centena dabuntur Antiquo: veniet cum signatoribus auspex. ℙ *Signator* est etiam inter artifices pecuniae cudendae. *Inscr.* ap. *Grut.* 1066, 5. et 1070, 1. V. MALLEATOR.

SIGNĀTORĬUS, a, um, adj. ad signandum pertinens. *Val. Max.* 8, 14. *n.* 4. Annulo, quo signatorio utebatur, insculptam illam traditionem habuit. *Paul. Dig.* 50, 16, 74. Signatorius annulus ornamenti appellatione non continetur.

SIGNĀTŪRA, ae, f. signum annulo appositum. *Suet. Ner.* 17. Cautum, ut in testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur. ℙ Perperam *Forcellinus* cum aliis Lexicographis haec verba est interpretatus; etenim *signaturis* non est casus ablat. plur. a recto sing. *signatura*, sed dativ. plur. a particip. *signaturus*. Sensus autem hic est: cautum est, ut primae duae cerae seu paginae testamentorum a testatore, suo tantum nomine inscripto, testibus, qui signaturi essent, vacuae heredum nominibus ostenderentur, quos nosse testium non interesset; constat enim post testatoris nomen continuo heredum etiam nomina inscripta fuisse in testamentis. V. *Dasumii testamentum* in *Annal. dell' Instituto*, etc. T. 3. p. 387. *F.*]

SIGNĀTUS, a, um, part. a *signo:* σημειωθεὶς, signo aliquo notatus. *Tibull.* 4, 1, 97. aut signata cita loca tangere funda; et *Sen. Ag.* 354. de vacca: Nescia aratri, nullo collum signata jugo. *Virg. G.* 2, 379. admorso signata in stirpe cicatrix; et *ib.* 4, 15. Et manibus Procne pectus signata cruentis. *Ov. Met.* 8, 539. Signata saxa nomine. *Id. A. Am.* 1, 291. de tauro: Signatus tenui media inter cornua nigro. *Stat. Th.* 3, 681. laceris turbata capillis, Et fletu signata genas. ℙ Item obsignatus, sigillo impresso notatus, σφραγισθεὶς. *Cic. Att.* 11, 1. Accepi a te signatum libellum, quem Anteros attulerat. *Nep. Pel.* 3. Signata epistola. *Tibull.* 4, 7, 7. Signatae tabellae. *Caes. fragm.* ap. *Charis.* 1, 60. Locellum tibi signatum remisi. *Hor. Ep.* 1, 13, 2. Augusto reddes signata volumina, Vini. *Plin.* 35, 6, 14. de rubrica Lemnia: Nec nisi signata venundabatur: unde et sphragidem appellavere. *Mart.* 13, 30. Caseus Etruscae signatus imagine lunae. ℙ *Signata jura*, h. e. foedera sancita, et quasi sigillo impresso utrinque firmata. *Lucan.* 3, 301. signataque jura, Et causas, non fata sequi. ℙ Translate clausus, obseratus, custoditus. *Prop.* 4, 1, 145. Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt Limina. *Varr.* ap. *Non.* 4, 431, Signata sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt sacri. *Lucil.* ap. *eund.* 2, 783. Chrysidem negat signatam reddere, *h. e.* integram, inviolatam. Sic *Tert. Exhort. ad cast.* 12. Adsume de viduis fide pulcram, pauperate dotatam, aetate signatam. ℙ Est etiam notatus, perscriptus. *Ov. Fast.* 2, 7. Idem sacra cano, signataque tempora Fastis. *Plin.* 3, 5, 6. Coloniarum mentione signata, quas ille in eo prodidit numero. ℙ *Signata pecunia* est cusa. *Cic. Verr.* 2, 5, 25. Navis plena argenti facti, atque signati; et *Plin.* 33, 3, 13. Denarius signatus Victoria. *Ov. Fast.* 1, 229. cur navalis in aere Altera signata est, altera forma biceps? ℙ Item significatus. *Cic. Or.* 19. *med.* Quamquam omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. ℙ Comp. *Signatior* habet *Tert. Res.* ta *carn.* 13. Quid expressius atque signatius in hanc causam? aut cui alii rei tale documentum? *h. e.* significantius.

SIGNĪFĂCĬO, is, a. idem quod significo. *Maetian. Dig.* 36, 1, 45. *med.* Si auditus capaces sunt, vel interrogati nutu possunt signifacere. Ita *Torrent.*, alii *significare.*

SIGNĪFER, ra, rum, adj. σημειοφόρος, signum, vel signa ferens. [*Primo loco exempla collocari debebant ista:] *Lucan.* 3, 558. in signifera residens puppe magister, *h. e.* in qua sunt signa, seu imagines Deorum pictae, vel inculptae. *Val. Fl.* 1, 337. Signifer crater, *h. e.* asper signis exstantibus, ut est ap. *Virg. A.* 9, 263. et *Ov. Met.* 12, 235. [*Ita praecipue dicitur de coelo stellis ornato.] *Cic. Div.* 2, 42. Vim quandam esse ajunt signifero in orbe, qui Graece ζωδιακὸς dicitur, talem, ut, etc. *h. e.* circulo, in quo sunt duodecim signa, quae sol annuo cursu percurrit. *Lucan.* 7, 363. et 8, 172. Signifero quaecumque fluunt labentia coelo Sidera. *Id.* 3, 254. Signifer polus. ℙ *Signifer* absolute, signifer circulus, signifer orbis. *Vitr.* 6, 1., *Plin.* 2, 10, 7., *Sen. Q. N.* 7, 23., *Claud. in Ruf.* 1, 365. etc. ℙ Item qui in exercitu signum seu vexillum fert. *Cic. Div.* 1, 35, Cum signifer primi hastati signum non posset movere loco. *Caes. B. G.* 2, 25. Signifero interfecto, signo amisso, etc. *Ov. Am.* 2, 12, 14. Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui. ℙ Translate est dux, auctor, caput. *Cic. Mur.* 25, Valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum. *Id. Planc.* 30. *f.* Qui causae nostrae duces, et quasi signiferi fuissent. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Cum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te signifero ac principe, collocaram, senatum deseruerit. *Id. Sull.* 12. Cum princeps, cum auctor, cum signifer esset juventutis.

SIGNĪFEX, ĭcis, m. ἀγαλματοποιὸς, qui signa facit, id est statuas ex aere, vel marmore. *Appul. Met.* 2. Summum specimen operae fabrilis egregius ille signifex prodidit. *Id. de Deo Socrat. f.* Nescio, ut Lysippus, fingere: sed non pudet me non esse significem. Alii leg. *significum*, a recto *significus*, *i. Arnob.* 6, 199. Inter significes ille memoratus est Phidias primus. *Sidon. ep.* 6, 12. Pictoribus, significibusque Graecia illustris. *Capell.* 1, 13, Vivos vultus aeris aut marmoris signifex animator inspirat.

SIGNĪFĪCĀBĬLIS, e, adj. significans. *Varr. L. L.* 5, 7. Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem.

SIGNĪFĪCANS, antis, part. a *significo:* σημαῖνων, qui significat, apertus in loquendo, et evidens. *Quint.* 9, 2. *med.* Locorum dilucida et significans descriptio. *Id.* 12, 10. *med.* Qui solos esse Atticos credunt, tenues, et lucidos, et significantes, sed quadam eloquentiae frugalitate contentos. *Id.* 11, 1. *in.* Verba Latina, et significantia, et nitida. *Id.* 8, 6. Tranfertur nomen ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius est. *Plin.* 8, 40, 61. de cane venatico: Visa fera, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est, cauda primum, deinde rostro! *Gell.* 1, 15. *med.* de blateronib.: Quod genus homines a Graecis significantissimo vocabulo καταγλωσσοι appellantur.

SIGNĪFĪCANTER, adv. ἐπισήμως, ἐκφαντικῶς, ἐμφατικῶς, expresse, evidenter. *Sen. Controv.* 3, 20. *med.* Quotidiano verbo satis significanter usus est. *Quint.* 11, 1. *med.* Breviter ac significanter ordinem rei proferre; et 12, 10. *med.* Proprie et significanter rem indicare. *Id.* 10, 1. *med.* Quis narrare significantius potest, quam qui, etc.? *Cic. Fam.* 3, 12. Non majore quidem studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatem tuam defendissem. *Gell.* 1, 25. Graeci significantius consignantiusque cessationem istam pugnae ἐκεχειρίαν appellarunt. *Id.* 17, 2. *med.* Probabilius significantiusque sic dici videbitur. *Quint. in serm. decl.* 247. Illud quam fieri potest brevissime et significantissime comprehendite.

SIGNĪFĪCANTĬA, ae, f. σημασία, ἔκφασις, significatio. *Quint.* 10, 1. *f.* Tanta verborum, etiam quae assumpta sunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. *Tert. Resurr. carn.* 21. Instrumenta divina nullam admittunt figuratae significantiae suspicionem. *Arnob.* 7, 230. Series, quae sequitur, librorum significantias continet. *Lact.* 4, 26. Quaecumque Christus passus est, habuerunt figuram et significantiam magnam. Addunt quidam et *Varr.* ap. *Non.* 4, 384., sed ea verba non *Varronis*, sed ipsius *Nonii* sunt.

SIGNĪFĪCĀTĬO, onis, f. σημείωσις, ἐπισημασία, indicium, signum. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Nutu et significatione appellare aliquem. *Id. Manil.* 3. Uno nuntio atque una litterarum significatione cives R. necandos trucidandosque denotavit. *Caes. B. G.* 5, 51. Ad portas castrorum clamor oriretur: quo clamore significatio victoriae fieret; et *ib.* 6, 28. *extr.* Ut ignes fieri prohibeat, ne qua adventus ejus procul significatio fiat. *Id. B. C.* 3, 65. Significatione per castella fumo facta. *Id. B. G.* 7, 12. *f.* Cum ex significatione Gallorum, novi aliquid ab iis iniri consilii, intellexisset. *Cic. Off.* 1, 36. *med.* Ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. *Id. Div.* 2, 69. Significationes valetudinis. *Plin.* 18, 35, 86. Coeli murmur non dubiam (*tempestatis venturae*) habet significationem; et *Cic. Cluent.* 11. Cum testamentum mutare cuperet, in ipsa significatione hujus voluntatis est mortuus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 14. *f.* Ejusmodi theatrum totius Asiae virtutibus est datum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Id. Or.* 2, 43. Haec adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas; et *ib.* 36. Orator, qui primum quam minimam artificii alicujus, deinde nullam Graecarum rerum significationem daret; et *Off.* 1, 15. Neminem esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat. ℙ Minus est quam demonstratio. *Id. Or.* 3, 59. Omnes hos motus subsequi debet gestus non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans. ℙ Speciatim est signum benevolentiae, studii, plausus. *Liv.* 31, 15. Significationes et acclamationes multitudinis, assentatione immodica pudorem onerantis. *Cic. Sext.* 49. *med.* Populi judiciis atque omni significatione florere. Adde *ib.* 57. *f.* et *ib.* 59. ℙ Praeterea apud rhetores est oratio, quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione. Ea fit per exuberationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem. *Auct. ad Her.* 4, 53. *med.* et *Cic. Or.* 3, 53. et *Or.* 40. *extr.* V. EMPHASIS. [*Cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 357. sq.] ℙ Significatio verbi est ejus vis, et sensus. *Cic. Part.* 31. Ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat, aut velit. *Plin.* 18, 3, 3. Verba priscae significationis. *Gell.* 12, 13. Verborum verae atque propriae significationes longiore usu mutantur. *Id.* 15, 13. *Testor*, et *interpretor* significatione reciproca dicuntur. Adde *Quint.* 10, 1. Ap. *Vitr.* 5, 8. *incerta significatio verborum* est in locis circumsonantibus, quia non verba distincte, sed verborum sonitus confuse auribus infertur.

SIGNĪFĪCĀTĪVUS, a, um, adj. σημαντικὸς, significandi vim habens. *Ulp. Dig.* 45, 1, 75. Boni appellatio non est certae rei significativa. *Cajus ib.* 50, 16, 232. Haec enuntiatio et quantitatis, et aestimationis significativa est.

SIGNĪFĪCĀTŌRĬUS, a, um, adj. significativus. *Tert. adv. Herm.* 32. Verbum factitationis significatorium.

*S[IGNIFICĀTUM, i, n. i. q. significatio. *Gloss. Lat. Gr.* Significatum, σημασία, δήλωσις. Cf. *Arnob.* 1, 3. *extr. B. A.*

SIGNĪFĪCĀTUS, a, um, part. a *significo:* σημανθεὶς, ostensus, indicatus, notatus. *Cic. Har. resp.* 12. *med.* Quod ex aliquo disjuncto diversoque monstro significatum caveremus, etc. *Tac. H.* 1, 18. Quae fato manent, quamvis significata, non vitantur. *Plin.* 3, 21, 25. Insulae, praeter supra significatas, Absyrtium, Arba, etc. *Id.* 6, 29, 34. Haec est regio secundo volumine a nobis significata.

SIGNĪFĪCĀTUS, us, m. significatio, signum. *Vitr.* 9, 7. *f.* Siderum et occasus et ortus, tempestatumque significatus. *Plin.* 18, 25, 59. Ipsi dies raro non aliquos tempestatum significatus habent; et *ib.* 31, 74. Arcturus oritur prid. Id. Septembris vehementissimo significatu terra marique per dies quinque. ℙ Item vis, sensus. *Gell.* 5, 12. *Ve* particula duplicem significatum, eundemque inter sese diversum capit. *Arnob.* 1, 3. Unde novit antiquitas miseriarum haec nomina? unde bellis significatum dedit? pestilentiam, grandines qua potuit ratione signare, aut inter suas voces, quibus oratio explicabatur, assumere? *h. e.* nomen, quo significarentur.

SIGNĪFĪCO, as, avi, atum, a. 1. σημαίνω, δηλόω, signum facio, per signa ostendo, indico, declaro. *Cic. Verr.* 2, 3, 91. Hoc enim mihi significasse et annuisse visus est. *Id. Or.* 1, 26. *f.* Hic omnes assensi, significare inter sese, et colloqui coeperunt; et *ib.* 3, 13. Significare ac declarare aliquid. *Id. Fam.* 5, 13. Itaque hoc saepius dicendum, tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius; et *ib.* 2, 19. Accepi a te missas litteras, etc. sed neque unde, neque quo die datae essent, aut quo tempore te exspectarem, significabant. *Id. Att.* 4, 1. *med.* Gratulationem alicui significare plausu maximo. *Id. Agr.* 2, 12. Intercessio stultitiam intercessoris significatura. *Id. Rosc. Am.* 20. Canes significant, si fures venerint. *Id. Att.* 1, 11. Quippiam significare alicui per litteras. *Ov. Trist.* 5, 10, 36. per gestum. Sic *Met.* 3, 643. nutu. *Caes. B. G.* 2, 13. Voce significare coeperunt, sese in ejus fidem ac potestatem venire. *Id. ib.* 7, 40. *f.* Manus tendere, et deditionem significare; et *ib.* 26. *f.* Conclamare, et significare de fuga Romanis coeperunt. *Id. B. C.* 1, 86. Voce et manibus ex vallo significare coeperunt, ut

statim dimitterentur. *Nep. Ag.* 8. Vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus in his regem neminem significaret. ℙ Pertinet ad haruspicinam, et divinationem. *Tibull.* 2, 1, 25. viden', ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra Deos? *Cic. Div.* 1, 1. Gentem nullam video, quae, non significari futura, et a quibusdam intelligi, praedicique posse, censeat. *Ov. Met.* 15, 576. Quid sibi significent, trepidantia consulit exta. *Id. ib.* 9, 494. Quid mihi significant ergo mea visa? ℙ Item praenuntio, praemonstro. *Colum.* 11, 2. Ventus Africus tempestatem significat. XV. Cal. Febr. Aquarius incipit oriri: ventus Africus: tempestatem significat; et *paulo post:* Siderum occasus tempestatem facit: interdum tantummodo significat. *Sic saepe eod. cap.* et *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 1. Significatur imber Librae occasu. *Id. ib.* 35, 69. Luna significabit serenos dies. *Id.* 2, 103, 106. *med.* Fons Neminie alio atque alio loco exoritur, annonae mutationem significans. ℙ Notat sensum, vimque verborum. *Cic. Tusc.* 1, 36. *med. Carere* hoc significat, egere eo, quod habere velis. *Id. Caecin.* 30. *med.* Videtis, hoc uno verbo significari res duas. *Phaedr.* 2, 8. haec significat fabula, Dominum videre plurimum in rebus suis. Adde 4, 10. ℙ Veteres dixerunt etiam *significor* deponentis forma, teste *Gell.* 18, 12. *f.* V. *Inscr.* allatam in DEXTANS.

SIGNĬFĬCUS, i, m. V. in SIGNIFEX.

[SIGNĪLIS, e, adj. ad Signum coeleste pertinens. *Capell.* 6, 193. Cum in Alexandria etiam Canopos quarta parte interstitii signilis ultra terras emineat, Trionesque geminos, et devexa non cernat, *h. e.* intervalli quod est inter quodlibet Signum coeleste, nempe graduum triginta. *F.*]

SIGNĪNUS, a, um, adj. ad Signiam, nunc *Segni*, pertinens, quae est urbs Volscorum in Latio, Romanorum colonia. Ejus regionis vinum austeritate maxime celebre est; ideoque utile continendae alvo, inter medicamina numeratur, ut *Plin.* docet 14, 6, 8. *n.* 3. Sic *Cels.* 4, 5. *med.* Vinum quam asperrimum, maxime Signinum. (Adde 4, 19.) *Mart.* 13, 116. Potabis liquidum Signina morantia ventrem. Hinc *Sil.* 8, 380. spumans immitti Signia musto. *Colum. vero* 10, 131. laudat cymata, quae pariunt Marrucini, et Signia monte Lepino. *Id.* 5, 10. inter pira generosissima enumerat *Signina:* quod et *Plin.* facit 15, 15, 16. addens ab aliis appellari *testacea*, a colore: fortasse quia Signiae testa nobilis erat: unde *Signinum opus.* Meminit horum pirorum et *Juven.* 11, 73., item *Cloatius* ap. *Macr. Sat.* 2, 15., *Cels.* 2, 24. et 4, 19. et *Scrib. Comp.* 104. ℙ Signinum opus quid sit, docet *Plin.* his verbis 35, 12, 46. Quid non excogitavit ars? fractis etiam testis utendo sic, ut firmius durent, tusis calce addita: quae vocant Signina: quo genere etiam pavimenta excogitavit. *Colum.* 1, 6. *med.* Solum perfossum, et amurca madefactum, velut Signinum opus, paviculis condensatur. *Vitr.* 8, 7. *f.* Signinis operibus ex tectis, aut a superioribus locis excipiendae sunt copiae *aquarum. Pall.* 1, 17. Signini parietes. ℙ Absolute. *Colum.* 9, 1. Infossi lacus Signino consternuntur, qui receptam pluviatilem contineant. *Ulp. Dig.* 43, 20, 1. *f.* Si quis terrenum rivum Signinum facere velit. ℙ *Signini, orum*, Signiae incolae. *Plin.* 3, 5, 9. et *Liv.* 27, 10.

SIGNĪTĔNENS, entis, adj. signa tenens, signifer, signis seu sideribus ornatus. *Varr. L. L.* 4, 3. Itaque dicit Andromacha (ap. *Enn.*) Nocti: Quae cava coeli signitenentibu' confici' bigis.

SIGNO, as, avi, atum, a. 1. σημειόω, notam appono, signum appingo, aut imprimo. *Festus:* Signare dicitur signis notare, velut in pecoribus fit: sed antiqui eo pro scribere utebantur: unde et subsignare, et consignare invenitur positum pro subscribere, et conscribere. *Virg. G.* 2, 269. Quin etiam coeli regionem in cortice signant, Ut quo quaeque *(arbor)* modo steterit, qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi, Restituant. *Pl. Cist.* 4, 2, 28. Ecce locum signat, ubi cistella excidit. *Mart.* 9, 53. Signandi *(dies)* melioribus lapillis. *Id.* 14, 33. Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis. *Hor. A. P.* 158. Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo Signat humum, *h. e.* vestigia facit. *Virg. G.* 3, 171. summo vestigia pulvere signent. *Ov. Am.* 3, 8, 42. (et *Virg. G.* 1, 126.) Signabat nullo limite mensor humum. *Id. Fast.* 4, 819. Moenia signare aratro. *Id. Met.* 10, 210. Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbam; et *ib.* 13, 753. octonis iterum natalibus actis, Signabat teneras dubia lanugine malas. ℙ De scribente. *Ov. Met.* 2, 326. Corpora dant tumulo, signantque hoc carmine saxum: Hic situs est Phaeton, etc. *Virg. A.* 3, 387. rem carmine signo. *Colum.* 1, 3. *med.* Quod vir eruditissimus traditum vetus praeceptum numeris signavit. *Pl. Rud.* 5, 2, 7. Cubitum longis litteris signabo jam usquequaque, si quis, etc. [**Vell.* 2, 16, 1. quin rem saepe agitatam animo meo — signem stilo.] ℙ Translate. *Cic. Fat.* 19. Visum objectum imprimet, et quasi signabit in animo suam speciem. *Ov. R. Am.* 417. Tunc animo signa quodcumque in corpore mendae est. *Mart.* 6, 27. Filia, quae patrii signatur imagine vultus, *h. e.* vultu refert patrem. ℙ De pingente, aut sculpente. *Id.* 9, 75. Florentes nulla signavit imagine vultus. ℙ Est etiam sigillo obsignare. *Plin. ep.* 2, 20. Aurelia, ornata femina, signatura testamentum, etc. [*Cf. quae dicta sunt in V. SIGNATURA.] *Ov. Am.* 2, 15, 15. ut arcanas possim signare tabellas, Neve tenax ceram, siccave gemma trahat. *Mart.* 9, 88. Nunc signat meus annulus lagenam. *Id.* 5, 39. Supremas tibi tricies in anno Signanti tabulas, *h. e.* testamentum. Et absolute eod. sensu *Id.* 10, 70. Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam. ℙ Translate. *Id.* 4, 45. Ut qui prima novo signat quinquennia lustro, *h. e.* claudit aetatis annum quintum, et ad sextum, qui alterius lustri initium est, transit. *Plin. ep.* 10, 44. Vota pro incolumitate tua et suscipimus, et solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi, semperque signari, *h. e.* concipi et firmari: ducta translatione a testamentis, quae signantur, ut rata sint. *Claud. in Eutrop.* 1, 380. et flavis signabat jura Suevis, *h. e.* statuebat, dabat. ℙ *Signare aurum, argentum, aes* est nummos publica nota impressa cudere. *Cic. Leg.* 3, 3. Aes, argentum, aurumve publice signanto. *Plin.* 33, 3, 13. Proximum scelus fecit, qui primus ex auro denarium signavit. ℙ Interdum *signare* est ostendere, designare, indicare, explicare. *Auct. dial. de Or.* 23. Neminem nominabo, genus hominum signasse contentus. *Id.* 6, 2. *med.* Et ut proxime utriusque differentiam signem, illud comoediae, hoc tragoediae simile. *Id.* 1, 4. *med.* Sed mihi locum signare satis est: non enim doceo, sed admoneo docturos. *Claud. Laud. Stil.* 2, 291. Signat prodigiis casus natura futuros. *Quint.* 2, 14. Non omnia nos ducentes ex Graeco sequuntur, sicut ne illos quidem, quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt, *h. e.* significare. *Id.* 12, 10. Quae proprie signari poterant, circuitu coeperunt enuntiare. *Id. decl.* 12, 12. Parum proprie hoc legis verbo nefas istius signatur. *Lucan.* 4, 655. Signare nomine terras, *h. e.* dare nomina terris, appellare. *Mart.* 9, 17. de Earino: Nomine qui signat tempora verna suo. [**Vell.* 2, 115, 1. quali adjutore legatoque fratre meo — usus sit, — testatum est, et amplissimorum honorum, — signat memoria.] ℙ Item observare. *Virg. A.* 2, 422. primi clypeos mentitaque tela Agnoscunt, atque ora sono discordia signant. *Id. ib.* 12, 2. videt, sua nunc promissa reposci, Se signari oculis. *Mart.* 9, 60. Myrrhina signavit, seposuitque decem. ℙ Item ornare, decorare, insignire. *Virg. A.* 6, 781. Et pater ipse suo Superum jam signat honore. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 272 si Bacchus amator Dotali potuit coelum signare Corona.

SIGNUM, i, n. σημεῖον, nota, indicium: quidquid nos in alterius rei notitiam ducit. [*Noster in hujus vocabuli notionibus explicandis exemplorumque ordine constituendo ita rectam rationem neglexerat, ut ejus constituendae hic qualiscumque modus inundus sit visus. Ac primo quidem loco non translatae significationis exempla, ut a Nostro factum fuerat, sed ista debebant collocari, in quibus *signum* est nota, quae cognoscendi causa alicui rei adjecta, impressa est:] *Virg. G.* 1, 263. Aut pecori signum, aut numerum impressit acervis. *Cic. Or.* 2, 41. si signa et notas ostenderem locorum. [**Id. Fin.* 5, 25. fures rerum signa commutant. *Ov. Met.* 3, 16. Servitii signum nullum cervice gerens. ℙ Hinc absolute signum est id, quod notitiae causa ponitur. *Curt.* 5, 2, 7. ergo perticam, supra praetorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum. *Id.* 7, 11, 21. vela, signum capti verticis conspexit. *Virg. A.* 5, 130. Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam Constituit, signum nautis, pater.] *Quint.* 6, 3. *med.* Tabernae erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum. ℙ [*Ita solemne vocabulum est in rebus militaribus, ac primum quidem significat vexillum, non, ut Noster docuerat, quia fere effigies erat alicujus animalis, ut aquilae, lupi, draconis, apri, equi, etc. sed quod vexillum notae loco erat militibus, unde cognoscerent, quo se colligerent, ubi suos invenirent. Illud tamen notandum, designari quidem interdum v. *signum* aquilam, ut princeps signum legionum; plerumque tamen opponi aquilae, manipulorum et cohortium vexilla exprimens. Prioris generis exempla haec sunto:] *Liv.* 33, 7. Tam densa caligo obcaecaverat diem, ut neque signiferi viam, nec signa milites cernerent. *Caes. B. G.* 2, 25. Signifero interfecto, signo amisso; et *ib.* 4, 26. Signa subsequi; et *ib.* 5, 16. et 33. Ab signis discedere. *Sall. Jug.* 48. *med.* abesse; et *ib.* 55. Neque signa, neque ordines observare. *Id. Cat.* 9. *f.* Signa relinquere. [**Vell.* 2, 61, 2. sublatis signis ad Caesarem se contulerunt.] *Sall. Jug.* 60., *Nep. Dat.* 6. et *Caes. B. G.* 2, 25. et *ib.* 7, 67. inferre, *h. e.* in hostem ferre, armis et animis infestis ad hostem accedere, pugnam inire. *Sall. Cat.* 63. Maxumo clamore, signis infestis concurrunt: pila omittunt: gladiis res geritur. *Cic. Pis.* 21. Conferre signa cum hoste. Sic *Id. Manil.* 23. et *Liv.* 2, 50. Collatis signis pugnare, *h. e.* integris et quasi signabit in animo suam speciem. *Ov. R. Am.* 417. Tunc animo signa quodcumque in corpore mendae est. *Mart.* 6, 27. Filia, quae patrii signatur imagine vultus, *h. e.* vultu refert patrem. ℙ De pingente, aut sculpente. *Id.* 9, 75. Florentes aciebus utrinque dispositis et appositis. *Virg. A.* 11, 517. Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis. V. COLLATUS. ℙ [*Inservit v. *signum* interdum etiam circumscribendis legionibus ita ut *signum legionum* pro *legionibus ipsis* dictum videatur. *Vell.* 2, 112, 5. Apud signa quoque legionum trepidatum.] ℙ Et translate. *Cic. Font.* 16. At infestis prope signis inferuntur Galli in Fontejum, et instant atque urgent summo cum studio, etc. ℙ Sub signis milites esse dicuntur, cum suis ordinibus dispositi, atque armati in castris, in agmine, in acie sunt. *Lucr.* 5, 997. At non multa virum sub signis millia ducta Una dies dabat exitio. *Planc.* ad *Coss. Fam.* 10, 8. *med.* Legiones habeo quinque sub signis, reipublicae conjunctissimas. *Liv.* 3, 51. *med.* Porta Collina Urbem intravere sub signis. *Cic. Att.* 16, 8. Legionem sub signis ducere. *Tac. H.* 2, 14. Quingenti Pannonii nondum sub signis. [*— Pro manipulorum cohortiumque vexillis positum est in his:] *Cic. Cat.* 2, 6. *med.* Arma, secures, fasces, tubae, signa militaria, aquilam illam argenteam, etc. *Lucan.* 1, 6. infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, etc. *Tac. H.* 2, 29. Circumdatum aquilis signisque. [**Id. A.* 1, 18. una tres aquilas et signa cohortium locant cp. 34. vexilla cohortium vocantur. Plura v. in *Böttich. Lex. Tac.* p. 428. ℙ Interdum *signum* pro manipulo, cohorte dicitur: nostr. *Ein Fähnlein. Liv.* 33, 1. Cum unius signi militibus pergit ire ad urbem: et 9. tribunus cum viginti signorum militibus; 25, 23. signi unius milites; 39, 20. legionis secundae signa tria. *Auct. B. Hisp.* 18. e suo signo periisse homines triginta quinque.] ℙ Praeterea *signa* sunt in re militari sonus tubae pugnam, aut iter, aut aliud quippiam indicentis, tesserae, et unum, aut duo verba (rarius plura) ab imperatore concepta, quibus utebantur in obeundis vigiliis. *Suet. Ner.* 9. Primo imperii die signum excubanti tribuno dedit *Optimam matrem;* et *Cal.* 56. Tribuno signum petenti, *Priapum*, aut *Venerem* dare consueverat. *Id. Claud.* 42. Quoties hostem, vel insidiatorem ultus esset, excubitori tribuno signum de more poscenti non temere aliud dedit, quam Ἀνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ; et *Virg. A.* 7, 637. it bello tessera signum. V. TESSERA; et *ib.* 3, 239. dat signum specula Misenus ab alta Aere cavo. *Sall. Cat.* 62. et *Virg. A.* 10, 310. Signa canunt: primus turmas invasit agrestes Aeneas. *Liv.* 4, 31. Incertam aciem, signum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus, invasere Vejentes: *cani* dixit, quia signum pugnae tubarum cantu proponi consuevit, quo miles ad proeliandum accenderetur. ℙ Dicitur etiam *signum dare* eod. sensu. *Ter. Eun.* 4, 7, 11., *Liv., Tac.* etc. Hinc *signo dato*, cum jussu imperatoris initur pugna, et acies tota movetur ad rem gerendam. *Caes. B. G.* 1, 52. Nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt. *Sall. Jug.* 24. Milites Jugurthini, signo dato, castra hostium invadunt. *Cic. Har. resp.* 11. Vis innumerabilis repente fornicibus ostiisque omnibus in scenam, signo dato, immissa irrupit. ℙ Translate, cum multi simul aliquid aggrediuntur. *Cic. Pis.* 15. Mei capitis servandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenit. *Sen. Br. V.* 12. *med.* Quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria discurrant. *Id. ep.* 95. *med.* Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos, signo dato, ad inferendam coenam discurritur. ℙ *Signum petere*, translate. *Sen. Ben.* 4, 2. Virtus ducere debet, imperare, summo loco stare: tu illam jubes signum petere, *h. e.* exspectare nutum voluptatis, eique parere. ℙ Signum tollere. Translate auctorem fieri, praeire hortando, invitando. *Cic. Marcell.* 1. His omnibus, ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. ℙ [*Hinc *signa* dicuntur pro notis, a re aliqua aliquo loco impressis. *Virg. A.* 8, 212. Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant, i. e. vestigia: [*qui usus dicendi sexcentis poetarum locis posset uberius explicari. ℙ Unde notio orta est, qua in universum pro indicio alicujus rei *signum* v. ponitur.] *Cic. Inv.* 1, 30. Signum est, quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, ut cruor, fuga, pallor, pulvis, et quae his sunt similia. *Id. Or.* 2, 45. *f.* Neque facile est perficere, ut judex ad misericordiam adducatur, nisi tu ei signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis. *Ter. Andr.* 3, 2, 1. Quae adsolent, quaeque oportet signa esse ad salutem, omnia huic esse video; et *Nep. Ages.* 7. *f.* Domum qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat: contra, plurima patientiae atque abstinentiae. *Id. Att.* 17. Quod est signum, nullam unquam inter eos querimoniam intercessisse. *Quint.* 3, 6. Rem aliquam signis colligere. *Cic. Div.* 2, 26. *f.* Signum quibusdam dare cantandi. ℙ De ostentis, et quae mali aut boni aliquid praenuntiant. *Cic. Div.* 1, 35. Equus ejus repente concidit: nec eam rem habuit religioni, objecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium; et *ib.* 2, 70. *f.* Medici signa quaedam habent ex venis et ex spiritu aegroti: multisque ex aliis futura praesentiunt. *Virg. G.* 3, 503. Haec ante exitium primis dant signa diebus. Adde *ib.* 440. et *ib.* 4, 253. et *Cels.* 2, 3, 4. et 5. ℙ Speciatim est statua, effigies, simulacrum, imago vel fusilis, vel sculptilis, vel intexta; quia signum est ejus, cujus simile est. *Sall. Cat.* 11. Signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari. *Cic. Verr.*

2, 4, 1. Nego signum ullum aeneum, marmoreum, eburneum fuisse, quin, etc. *Id. Off.* 1, 41. Pictores, et ii, qui signa fabricantur. *Virg. A.* 9, 263. argento perfecta, atque aspera signis Pocula. Adde *ib.* 5, 267. *Id. ib.* 536. Cratera impressum signis; et *ib.* 1, 652. pallam signis auroque rigentem. *Statuae*, et *signa* differunt in illo *Cat.* ap. *Gell.* 3, 7. Gratiam praecipuam claritudinis inclutissimae decoravere monimentis, signis, statuis, elogiis, historiis; et *Plin. ep.* 1, 20. Statuas, signa, picturas nihil magis, quam amplitudo commendat. Scil. *signa* proprie sunt simulacra Deorum, *statuae* imagines hominum, quod probatur auctoritate *Inscr.* ap. *Grut.* 174, 8. Junia D. F. Rustica signum aereum Martis, et signum Cupidinis, et statuas sibi et C. Fabio Juniano F. suo posuit. ℙ De imagine annulo, aliive rei insculpta, ad obsignandum, *σφραγίς*. *Cic. Cat.* 3, 5. Ostendi tabellas Lentulo, et quaesivi, cognosceretne signum: annuit. Est vero, inquam, signum quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri. *Id. ib.* 3. Litterae, integris signis, praetoribus traduntur. *Id. Quint.* 6. Tabulae signis hominum nobilium consignantur. *Id. Att.* 9, 10. *med.* Volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo, servoque diligentissime; et *Agr.* 1, 7. Nos sub signo claustrisque reipublicae positum vectigal servare non potuisse. ℙ Est etiam sidus, h. e. plurium stellarum conjunctio, *ἄστρον, ζῴδιον:* quia secundum fabulas alicujus animalis similitudinem habet. *Cic. Div.* 1, 5. Si Luna defecisset in signo leonis. *Ov. Fast.* 5, 113. Nascitur Oleniae signum pluviale capellae. *Id. Met.* 13, 618. cum sol duodena peregit Signa. [**Prud. Apoth.* 615. signorum tractus, i. e. sidera lente et tractim moventia. V. *Gron. observv.* 2, 1. p. 112. *ed. Fr.*] ℙ Collegit Signorum omnium coelestium nomina uno carmine *Auson. Eclog. de* signis coelestib. V. ℙ *Signum* est etiam populare cognomentum, vel agnomen alicui facetiarum causa inditum, quod *vocabulum* quoque *Tac. A* 1, 23. apellat. *Vopisc. Aurel.* 6. Aurelianus fuit gladii exserendi cupidus; nam cum essent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic, et alius, qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus apposuerat *manu ad ferrum;* ut si forte quaereretur, quis Aurelianus aliquid vel fecisset, vel gessisset, suggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum*, atque cognosceretur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1382, 8. Octaviae Felicitati signo Leonti conjugi dulcissimae et incomparabili Aur. Felicissimus signu (lege *signo*) Leontius B. M. F. Adde aliam ap. *Grut.* 631, 7. in qua *Lucilius Metrobius signo Sapricius.* Adde aliam ap *Fabrett.* p. 252. *n.* 42. ℙ Signum etiam dicitur tempus syllabarum, quod et Graeci *σημεῖον* vocant. *Mar. Victor.* p. 2485. *Σημεῖον* autem veteres *χρόνον*, id est tempus, non absurde dixerunt ex eo, quod signa quaedam accentuum, quae Graeci *προσῳδίαν* vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponuntur, unde tempora signa Graeci dixerunt. ℙ Sunt qui putant, primam syllabam corripi posse, quod sit ante mutam et liquidam. *Lucr.* 5, 916. Nil tamen esse signi, etc. Sed alii leg. *Nil tamen est signi.* [**Ita Eichstadt.*]

*SIGUS, opp. Numidiae. *Tab. Peut.* ℙ Scribitur et *Sugus. B. A.*

SIL, silis, n. *ὦχρα*, genus coloris fossicii, lutei, seu flavi. Videtur dictum ab *ἰλύς*, limus. *Plin.* enim *l.* mox *c.* Sil proprie limus est. In sexto casu *sile* habet. *Id.* 33, 12. In argenti et auri metallis nascuntur etiam pigmenta, sil, et caeruleum. Sil proprie limus est. Optimum ex eo, quod Atticum vocatur: proximum marmorosum: tertium genus pressum, quod alii Syricum vocant ex insula Syro; et *ib.* 13, 56. Sile pingere instituere primi Polygnotus et Mycon, Attico dumtaxat. Hoc secuta aetas ad lumina usa est: ad umbras autem Syrico, etc.; et *ib.* 57. Teritur difficillime sil: in medendo leviter mordet, adstringitque, et explet ulcera. *Vitr.* 7, 11. Gleba silis boni coquitur, ut sit in igne candens: ea autem aceto exstinguitur, et efficitur purpureo colore. ℙ Estne peregrini vox nominis, an Latii, sil? *Auson.* quaerit *Idyll. Technopaegn. in Grammat.* 12, 8. ℙ Est etiam *silis* idem ac seselis herba. V. SILATUM.

[SILA, ae, f. mons silvosus Italiae inferioris, in Bruttiis, Apennini illuc procurentis jugi pars extrema, picariis celebris. V. BRUTTIUS et PICARIA. *Virg. G.* 3, 219. Pascitur in magna Sila formosa juvenca. *Id.* 12, 715. Ac velut ingenti Sila, summoque Taburno. *Plin.* 3, 5, 10. Inde Apennini silva Sila. *F.*]

SILACEUS, a, um, adj. ad sil pertinens. *Plin.* 35, 7, 32. Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere: ex albis Melino, ex silaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento. *Vitr.* 7, 4. *med.* et *ib.* 5. Cunei silacei, et miniacei.

*SILANA, ae, f. opp. Thessaliae. *Liv.* 35, 13. ℙ Silana, *χρήνη*. V. in SILANUS. *B. A.*

[SILANIANUS, a, um, adj. ad Silanum pertinens, ut Silanianum SC., quod factum est P. Cornelio Dolabella et C. Junio Silano Cos. (*h. e.* ann. a Ghr. n. X.) de servis, cujus dominus occisus fuerit, *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *F.*]

*SILANION, onis, m. nobilis statuarius, Atheniensis. *Plin.* 34, 8. *Cic. Verr.* 4, 57. *Vitr. praef.* 6. *med. B. A.*

SILANUS, i, m. vultus aeneus vel marmoreus, in cujus ore desinit fistula, unde aqua effunditur: ita dicitur, quia ille plerumque refert personam Sileni, qui Graece *Σιληνός*, et Dorice *Σιλανὸς* appellatur. Id apparet ex nummis ap. *Morell. Fam. Rom.* in gente Junia *tab.* 1. *n.* 6, qui hanc Sileni personam in aversa parte habent, simulque alludunt ad cognomen D. Junii Silani. *Gloss. Philox. Κρουνὸς*, fluor, tubus, silvanus (lege silanus). Item Silanus, Silana, *χρήνη*, Silanum, *ὑδρεῖον. Lucr.* 6, 1262. Multa siti prostrata viam per, proque voluta Corpora silanos ad aquarum strata jacebant. *Cels.* 3, 18. *med.* Confert etiam aliquid ad somnum silanus juxta cadens. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3321. C. Julius Severus ob honorem magisterl Coll. Fabrum silanum pecunia sua fecit, Muciano et Fadiano (lege *Fabiano*) Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CCI. Adde *Hyg. fab.* 169. ℙ Differt a *rivo*, quia silanus est artificio factus, cujus fistula e ligno, plumbo, aere, etc., rivus canalis terrenus aut lapideus, per quem pars aquae e flumine aut fonte decurrit. *Festus* in *Tullios.* Tullios alii dixere silanos, alii rivos. ℙ *Silanus* est etiam cogn. R. V. SILANIANUS. [**Emendavit hunc locum F.*]

SILARUS, i, m. *Sele*, *Σίλαρις*, fluvius Picentinorum, eos a Lucanis disterminans. Oritur ex Apennino, et in Salernitanum sinum exit. Non virgulta modo ejus aquis immersa, sed et folia lapidescunt, alias potu salubri. *Plin.* 2, 103, 106. et *Sil.* 8, 582. ℙ *Et fluvius Italiae superioris, in Gallia Togata, medio loco inter Claternam et Forum Corneli. *Tab. Peut. B. A.*

SILATUM, inquit *Festus*, antiqui pro eo, quod nunc jentaculum dicimus, appellabant, quia jejuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant. Vox est adjectiva, et subauditur *vinum* sili sive seseli conditum.

SILAUS, i, m. apium palustre, herba nascens glareosis et perennibus rivis, cubitalis apii similitudine. Coquitur ut olus acidum, magna utilitate vesicae. *Plin.* 26, 8, 56.

[SILBIANUS, a, um, adj. ad Silbium pertinens, Phrygiae majoris urbem, cujus meminit *Ptolem.* 5, 2. Hinc *Silbiani, orum*, incolae illius urbis ap. *Plin.* 5, 29, 29. *F.*]

SILENA, ae, f. *Lucr.* 4, 1162. Simula, Silena, ac Satura est, *h. e.* ea femina, quae *simula*, nempe naso simo et colliso est, *Silena aut Satyra* vocatur, quia Silenus, et Satyri simis naribus pinguntur.

*SILENI, orum, populi Indiae, Indum amnem accolentes. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

SILENS, entis, part. a *sileo: σιγῶν, ἄφωνος*, qui silet, tacitus. *Plin.* 8, 40, 61. de cane venatico: Visa fera, quam silens et occulta, quam significans demonstratio est, cauda primum, deinde rostro! *Ov. Fast.* 2, 609. Duc, ait, ad Manes: locus ille silentibus aptus. *Val. Fl.* 7, 407. vultu defixus uterque silenti. ℙ Metonymice *anni silentes*, quinque illi, quos totos silebant novi discipuli Pythagorae, solum ea quae dicerentur, audientes. Unde *Ov. Met.* 15, 66. *coetus silentum*, *dictaque mirantum* vocat Pythagoreos auditores. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 157. Pythagorae monitus, annique silentes. ℙ Metaleptice dicitur de Manibus: quorum cum nulla sint corpora, nullae item voces. *Virg. A.* 6, 264. Dii, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes; et *ib.* 432. ille (*Minos*) silentum Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit. *Ov. Met.* 15, 772. sedes intrare silentum; et *ib.* 5, 356. et rex pavet ipse silentum. *Val. Fl.* 1, 750. pia turba silentum. *Claud. in Ruf.* 1, 125. et *Rapt. Pros.* 2, 237. Silens populus. *Sen. Med.* 740. vulgus silentum. *Id. Hipp.* 221. silens nocte perpetua domus, *h. e.* Inferi. ℙ Poetice de locis solitariis, et de temporibus dicitur, quibus siletur, et nulla est vox, aut strepitus. *Virg. G.* 1, 476. Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes. *Id. A.* 9, 393. dumisque silentibus errat. *Petr. Sat.* 89. Qualis silenti nocte remorum sonus Longe refertur: sc. Cum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres, ut ait *Virg. A.* 4, 525. Sic *Tibull.* 1, 5. 16. Vota novem Triviae nocte silente dedi. *Stat. Th.* 1, 337. Titanis late mundo subvecta silenti, Rorifera gelidum tenuaverat aera biga, *h. e.* tempore noctis: qua ratione *tacentes tenebras* dixit *Quint. decl.* 10, 7. ℙ Item de tranquillis et quietis. *Lucan.* 1, 579. Silentes aurae. *Colum.* 12, 25. venti. *Id.* 4, 29. *med.* Dies tepidus, et silens a ventis; et 3, 19. Eligere sationi silentis, vel certe placidi spiritus diem. *Plin.* 18, 28, 69. Quae silente coelo serenisque noctibus fiunt. *Val. Fl.* 5, 523. Silens unda. ℙ *Silens luna* dicitur, cum non apparet, *h. e.* in interluniis. *Plin.* 16, 39, 74. Arbores utilissime in coitu lunae sterni: quem diem alii interlunii, alii silentis lunae appellant. Adde *Cat. R. R.* 29, 40., et 50. et *Colum.* 2, 10. ℙ Rustica, sed commoda metaphora *silentes* ferularum *coliculos* dicit *Colum.* 12, 7., qui nondum folia emiserunt; et *silentem florem* vitis albae, qui nondum sese aperuit; et 4, 27. *silentes vineas*, quae nondum germinarunt: eodemque sensu *ib.* 29. *silens sarmentum:* et 11, 2. *med. silentes surculos.* ℙ *Silentia ova* ap. *eund.* 8, 5. sunt, in quibus nullus pullorum motus sentitur. ℙ *Silentes leges* ap. *Lucan.* 5, 31. cum justitium est, et forum tacet, ut fit in bello praesertim civili. Sic *Plin. Pan* 36. Quam juvat cernere aerarium silens et quietum, et quale ante delatores erat! *h. e.* sine litibus et strepitu forensi. ℙ *Quercus silentes* ap. *Lucan.* 3, 179. sunt Dodonaeae nulla edentes oracula. ℙ *Silentia arma* ap. *Calp. Ecl.* 1, 67. cessantia, quiescentia pacis tempore.

SILENTER, adv. tacite. *Juvenc.* 3, 462. qua pinguia rura silenter Agmine Jordanis viridis prorumpit amoeno.

SILENTIARIUS, ii, m. *ἡσυχοποιὸς*, servus, qui conservis suis in privatorum, aut principum domibus silentium indicit. Huc pertinent illa *Sen. ep.* 47. Infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet: virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur. *Salv. Gub. D.* 4, 3. Servi quippe pavent actores, pavent silentiarios, pavent procuratores; ab omnibus caeduntur, ab omnibus conteruntur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus Ver.* 445, 4. P. Aelius Aug. Lib. Telesphorus silentiarius. Alia ap. *Fabr.* p. 206. *n.* LIV. T. Aelius Theon Aug. Lib. silentiarius. ℙ Postremis imperii R. temporibus servile hujusmodi ministerium ita nobilitatum fuit, ut dignitas palatina evaderet; hinc silentiarii fuerunt triginta cum tribus eorum decurionibus, qui in palatio Augustorum ad quietem pertinentia curabant. *Imp. Anastas. Cod.* 15, 62, 25. Viros clarissimos sacri nostri palatii silentiarios, circa latus nostrum militantes, de tutelis, et curationibus excusari sancimus. *Imp. Justin. ib.* 3, 28, 30. *f.* Spectabiles silentiarii. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 207. *n.* 512. Q. Servilius M. F. Quir. Saturninus silentiarius domesticus. Alia ap. *Grut.* 1053, 10. Julius Felix Valentinianus V. C. et ex silentiario sacri palatii. [**Hunc locum ita emendavit F., ut totus ab ipso vindicari jure meritoque possit.*]

[SILENTIOSE, adv. silenter. *Cassiod. Var.* 11, 1. *med.* Paucis litigia nodosa dissolvit, bella ferventia sub quiete disponit, silentiose geritur publicum bonum. *F.*]

SILENTIOSUS, a, um, adj. silens, tacitus, quietus. *Appul. Met.* 11. *in.* Nactus opacae noctis silentiosa secreta.

SILENTIUM, ii, n. *σιγή*, reticentia, taciturnitas: sive a loquendo abstineatur, sive a quovis alio strepitu. *Cic. Or.* 3, 35. *extr.* Haec cum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit, et ceteris silentium fuit. *Id. Q. Fr.* 2, 1. Lupus egit causam agri Campani sane accurate: auditus est magno silentio. *Id. Att.* 5, 16. *f.* De Partho silentium est; et *Plin. ep.* 1, 6. Silentium quod venationi datur; et *Ter. Hec. prol. f.* Causam accipite, et date silentium. *Liv.* 1, 16. Obtinere silentium; et *Ov. A. Am.* 2, 603. praestare silentia rebus. *Plin. ep.* 1, 23. (et *Suet. Cal.* 55.) Silentium indicere. *Id. ep.* 4, 17. et *ep.* 7, 6. tenere intra se. *Id. Pan.* 55. et *Virg. A.* 10, 63. rumpere. *Ov. Met.* 9, 691. suadere digito. *Tac. A.* 1, 25. manu poscere. *Gell.* 15, 2. Tum silentio ad audiendum petito, loqui coeptabat. *Cic. Att.* 2, 19. *med.* Silentio quippiam transire; et *Part.* 23. et *Sull.* 21. praeterire; et *Phil.* 13, 6. (et *Just.* 43, 1.) praetermittere; et *ib.* 7, 3. praetervehi. *Quint.* 5, 13. *med.* dissimulare. ℙ *Silentium facere*, silentio uti, silentium adhibere, *σιωπὴν ποιεῖν. Pl. Amph. prol.* 15. Ita huic facietis fabulae silentium. *Cic. Div.* 1, 28. Tu tamen silentium fieri jussisti. *Ov. Fast.* 1, 183. Desierat paucis: nec longa silentia feci: Sed tetigi verbis ultima verba meis. *Plin.* 32, 5, 18. Illatis rubetis in populum, silentium fieri. Hinc *silentio facto*, cum omnes conticuerunt. *Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. Extemplo silentio facto, cum voce maxima conclamat. Adde *Petr. Sat.* 14. *extr.*, *Liv.* 21, 7. *f.* et *Quint.* 5, 2. ℙ *Silentium facere* est etiam indicere, in causa esse, ut sileatur. *Phaedr.* 5, 5. Silentium ipsa fecit exspectatio. *Liv.* 2, 45. *med.* Fabius cum silentium classico fecisset, etc. *Tac. H.* 3, 20. Antonius inserens se manipulis, ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, affirmabat, etc. *Pers.* 4, 7. Fert animus calidae fecisse silentia turbae Majestate manus. Adde *Curt.* 10, 6. ℙ Ablativus *silentio*, sine verbis aut strepitu. *Caes. B. G.* 7, 11. 18. et 58. Media nocte silentio profectus, ad hostium castra pervenit. *Liv.* 9, 38. *f.* Nocte deinde, silentio, ut mos est, L. Papirium dictatorem dixit. *Cic. Tusc.* 2, 20. Cum pueros Lacedaemone videris excipientes gravissimas plagas, et ferentes silentio; si te forte dolor aliquis convellerit, exclamabis ut mulier? et *Jabol. Dig.* 19, 2, 51. Videtur autem in hac specie id silentio convenisse, ne quid praestaretur. ℙ *Per silentium*, et *cum silentio*, silentio. *Ter. Ph. prol.* 30. Date operam, adeste aequo animo per silentium. *Tac. A.* 4, 53. Profusis diu, ac per silentium lacrimis. *Ter. Eun. prol. f.* Date operam, et cum silentio animum attendite. ℙ *Pecunia silentium vendere*, ap. *Ascon. arg. or. pro C. Cornel. med.* est pecunia accepta ab accusatione desistere. ℙ Translate est quies, otium, cessatio, desidia, secordia. *Ter. Hec. prol.* 2, 35. Nunc turba nulla est: otium et silentium est. *Liv.* 2, 45. Novum seditionis genus, silentium otiumque inter ar-

matos. *Id.* 37, 38. Biduum deinde silentium fuit neutris transgredientibus amnem. *Cic. Pis.* 14. Curiae taciturnitas silentium perpetuum judiciorum ac fori. *Sall. Cat.* 1. Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant. *Sil.* 3, 145. Quantum etenim distant a morte silentia vitae? *Tac. Agr.* 3. Tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus; et *ib.* 6. Silentium praeturae, *h. e.* quae nullis actis, et sine jurisdictione transigitur; et *ib.* 39. Studia fori, et civilium artium decus in silentium acta, *h. e.* jacere, et latere coacta. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. *med.* Mundus coeli vastus constitit silentio, *h. e.* a motu cessavit, et nullum sonitum edidit. ℙ Item oblivio, cum alicujus facta silentur, et in tenebris jacent. *Sen. ep.* 21. Pauca ingenia caput exserent, et in idem quoque silentium abitura, oblivioni resistent. *Plin. ep.* 9, 14. Proferre aliquem e tenebris et silentio. Huc pertinet etiam locus *Silii* modo allatus. *Sall. Cat.* 2. Eorum ego vitam, mortemque juxta aestimo, quoniam de utraque siletur. ℙ *Silentium noctis*, teste *Varr. L. L.* 5, 2. *med.*, est idem quod concubium, et nox intempesta. Universim autem est tempus nocturnum, quo tacent cuncta et quiescunt. *Liv.* 5, 32. Se vocem noctis silentio audisse clariorem humana. *Sil.* 5, 2. alta silentia noctis. *Lucan.* 5, 508. vasta silentia noctis, *h. e.* cum late silent omnia. *Virg. A.* 2, 235. tacitae per amica silentia lunae, *h. e.* luna favente Graecis luce sua per noctis silentium. ℙ Im auspiciis *silentium* est, cum nihil vitii intervenit. *Festus:* Silentio surgere, ait *(Atejus Capito)* dici, ubi qui post mediam noctem auspicandi causa ex lectulo suo silentio surrexit, et liberatus a lecto, in solido se posuit: sedetque, ne quid eo tempore dejiciat: rursusque se in lectum reposuit. Hoc enim est proprie silentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas. Veranius ait, non utique ex lecto, sed ex cubili: nec rursus se in lectum reponere necesse esse. *Id.* in *Sinistrum:* Sinistrum in auspicando significare ait Atejus Capito, laetum et prosperum auspicium: at silentium dubii dumtaxat vacat vitio. Igitur silentio surgere cum dicitur, significat non interpellari, quo minus rem gerat. *Cic. Div.* 2, 34. Peritum esse necesse est eum, qui silentium quid sit, intelligat, Id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere, perfecti auguris est. Illi autem qui in auspicium adhibetur, cum imperavit is, qui auspicatur: *Dicito, si silentium esse videbitur;* nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, *silentium esse videri.* Haec *Cic.* ℙ De ligno enodi, densoque, et quod ictu non resonet, et in caedendo, aut premendo nihil strepat. *Plin.* 16, 16, 28. In primis materies honorata buxo est, raro crispanti, nec nisi radice: cetero lenis quies materiae, silentio quodam, et duritiae, ac pallore commendabilis.

SĪLENTUS, a, um, adj. silens, solitarius (vox prisca) ut Silenta loca, *Naevius* ap. *Gell.* 19, 7.

SĪLĒNUS, i, m. Σιληνός, Bacchi nutricius et paedagogus, semper asino vehi solitus, semperque ebrius, quem *Aratus* in gratiam alumni inter sidera translatum dicit. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6. quae *Silenus* inscribitur, 13. Alii Mercurii filium, alii Panos et Nymphae, alii ex guttis cruoris Coeli natum esse dixerunt. ℙ Dictus est a σιλλαίνειν, *h. e.* petulanter ludere. *Hor. A. P.* 239. Custos famulusque Dei Silenus alumni. ℙ Sileni quoque ceteri comites Bacchi dicti fuere. Imo et Bacchus ipse Silenus vocatus est, ut ex *Suida* constat. *Cic. Tusc.* 1, 48. Fertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur, docuisse regem, *Non nasci homini longe optimum esse, proximum autem quam primum mori. Virg. Ecl.* 6, 13. Chromis, et Mnasylus in antro Silenum pueri somno videre jacentem, Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho. *Ov. Fast.* 1, 413. Te quoque, inexstinctae Silene libidinis urunt. Nequitia est, quae te non sinit esse senem. *Id. A. Am.* 1, 513. Ebrius ecce senex pando Silenus asello Vix sedet, et pressas continet arte jubas. Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque, petuntque; Quadrupedem ferula dum malus urget eques; In caput aurito cecidit delapsus asello: Clamarunt Satyri, surge age, surge, pater. ℙ Multi sunt in fabulis Sileni, nempe proceres Nysae urbis Indorum, qui expugnata a Baccho patria, ipsum in reliqua expeditione Indica secuti dicuntur. V. NYSIGENA. ℙ Fuit hoc nomine et Graecus historicus, qui res Annibalis descripsit. *Cic. Div.* 1, 24. **Nep. Hannib.* 13. *Liv.* 26, 49. *Plin.* 4, 22. *Strabo* est Σλανος. Cf. *Voss. de Hist. Graec.* 3, 189. et V. *Magon. B. A.*

SĪLĒO, es, ui, a. 2. σιγάω, taceo, silentio utor. *Festus:* Silere tacere significat, victo verbo ab *S* littera, quae nota silentii est. Discrimen esse quidam putant inter *sileo*, et *taceo*, ex illo *Plauti Poen. prol.* 3. Sileteque, et tacete, atque animum advortite. *Front.* p. 2196. Silet, cujus loquentis sermo comprimitur: ab ipsa significatione litterae *S.* tacet, qui ne loqui quidem coepit. [*Jure *Doederl.* 1, 85., ubi v., praeferendam censet, quam Popma p. 641. laudat VV. DD. sententiam: *Silere* nihil aliud esse ac nihil soni edere, *tacere* contra ne verbum quidem proferre, loquendo abstinere, reticere. Quam differentiam comprobatu quidem difficilem propter hanc ipsam utriusque verbi simillimam ideoque poetis sine sensus detrimento saepius permixtam notionem firmat bonorum prosae orationis scriptorum usu, oppositorum genere, derivatorum ratione atque Graecorum comparatione.] ℙ In usu haec differentia non servatur. *Pl. Capt.* 3, 1, 19. Quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent: quis ait, huc? aut quis profitetur? inquam: quasi multi silent. *Cic. Sull.* 29. Si cum ceteri de nobis silent, non etiam nosmetipsi tacemus. *Cic. Att.* 2, 18. *f.* Aveo pugnare, magna sunt hominum studia. Sed nihil affirmo: tu hoc silebis. *Id. Fl.* 3. Fuit in Cilicia tribunus militum: ea res siletur. *Id. Div. Verr.* 10. *med.* Silebitur toto judicio de maximis illius furtis. [**Ter. Ph.* 5, 2, 13. De iurgio siletur.] *Ov. Met.* 12, 575. Nec tamen ulterius, quam fortia facta silendo, Ulciscar fratres. *Id. Pont.* 3, 1, 148. Nec factum defende meum: mala causa silenda est. *Id. ib.* 2, 2, 61. Lingua sile: non est ultra narrabile quidquam. Γνῶμη est illud *Sen. Hipp.* 876. Alium silere quod voles, primus sile. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 1, 1. Silent enim diutius Musae Varronis, quam solebant, *h. e.* nihil scribit Varro, nihil edit. *Hor. Od.* 4, 8, 21. Si chartae sileant quod bene feceris; et *ib.* 9, 30. non ego te meis Chartis inornatum silebo. *Sen. Herc. Oet.* 39. Nulla me tellus silet. *Virg. A.* 9, 190. silent late loca, *h. e.* nullus amplo spatio exauditur strepitus. *Id. G.* 1, 247. intempesta silet nox. V. SILENS et SILENTIUM. ℙ Est etiam cessare, otiosum esse. *Cic. Mil.* 4. Silent leges inter arma. *Albinov.* 1, 185. Jura silent, mutaeque tacent sine vindice leges. *Val. Fl.* 4, 281. fixaque silet Gradivus in hasta, *h. e.* quod ait *Stat. Th.* 7, 10. posita respirat cuspide Mavors. *Tac. H.* 3, 47. Nec ceterae rationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium moverat. *Cic. Leg.* 3, 17. *f.* Si quando ambitus sileat. ℙ Cum inf. *Auct. B. Hisp.* 3. *med.* Unus ex nostris respondit, ut sileat verbum facere, *h. e.* verbis abstineat. ℙ Item quietum, tranquillum esse. *Virg. A.* 5, 127. Tranquillo silet, immotaque attollitur unda Campus. *Id. Ecl.* 9, 57. et *Val. Fl.* 7, 542. Silet mare. *Sen. Med.* 627. Restitit torrens, siluere venti. *Colum.* 2, 21. Si compluribus diebus undique silebit aura. *Ov. Met.* 7, 185. homines volucresque, ferasque Solverat alta quies: nullo cum murmure sepes, Immotaeque silent frondes, silet humidus aer. ℙ *Silitum est*, tacitum est. *August. C. D.* 16, 2. *med.* Deinceps usque ad Abraham de justorum aliquorum commemoratione silitum est, per annos amplius quam mille. Alii leg. *silentium est.*

SĪLER, ĕris, n. frutex aquosis locis crescens: qui nobis incognitus esse creditur. *Plin.* 16, 18, 31. Non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, siler. *Id.* 24, 10, 44. Sileris folia illita fronti capitis dolores sedant. Ejusdem sedem tritum in oleo phthiriases coercet. Serpentes et hunc fruticem refugiunt: baculumque rustici ob id ex eo gerunt. *Virg. G.* 2, 12. molle siler, lentaeque genistae. Ubi *Serv.:* Arboris genus est: et notandum genus neutrum de arbore: quod est admodum rarum. ℙ Item Silarus fluvis. *Lucan.* 2, 425. radensque Salerni Culta Siler.

SĪLESCO, is, n. 3. silere incipio, conticesco. *Virg. A.* 10, 101. eo dicente, Deum domus alta silescit. ℙ Translate est sedari, quietum fieri. *Ter. Ad.* 5, 2, 9. Quid ego nunc agam? nisi, dum hae silescunt turbae, interea in angulum aliquo abeam. *Catull.* 46, 2. Jam coeli furor aequinoctialis Jucundis Yephyri silescit auris. *Ov. Trist.* 2, 151. de ventis: Sed modo subsidunt, intermissique silescunt.

*SĪLĒUM, i, n. Σίλειον *Steph. Byz.* opp. Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 14. *B. A.*

SĪLEX, ĭcis, m. et f. πυρίτης λίθος. Videtur proprie esse lapis sectilis, ut in LAPIS dictum est. Unde *Vitr.* 2, 5. Etiam de calce diligentia est adhibenda, uti de albo saxo, aut silice coquatur: et quae erit ex spisso et duriore, erit utilior in structura: quae autem e fistuloso, in tectoriis. Videtur *Vitr.* designare eam, quae ab Italis dicitur *scaglia.* ℙ Sed et quodcumque parvae molis saxum *silex* dicitur, ut id, ex quo ignis excuti solet: et tum adjective, tum substantive usurpatur. *Pl. Poen.* 1, 2, 77. Illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest. *Mil.* Pol id quidem haud mentire: nam tu es lapide silice stultior. *Liv.* 30, 43. *med.* Ut fetiales privos lapides silices, privasque verbenas secum ferrent. *Id.* 1, 24. *f.* Porcum saxo silice percussit. *Fest.* in *Lapidem:* Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, haec verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. *Liv.* 41, 27. Clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt. *Juven.* 6, 349. Pedibus silicem atrum conterere, *h. e.* peditem per vias silice stratas incedere. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio) ep.* 5, 40. Si facile silicem toleravero, quantum pote ad te curram, *h. e.* viam silice stratam. *F.*] *Virg. A.* 1, 178. silici scintillam excudit Achates. *Ov. Met.* 7, 107. terrena silices fornace soluti Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum. *Colum.* 3, 11. *med.* Est vineis amicus etiam silex, cui superpositum est modicum terrenum. *Ov. Met.* 11, 30. torquere silices; et *ib.* 7, 139. jaculari in hostes. ℙ Dicitur et de magnis saxis, petra, rupe, marmore. *Lucr.* 6, 683. de Aetna: totius subcava montis Est natura, fere silicum suffulta cavernis. *Virg. A.* 6, 470. Nec magis incepto vultum sermone movetur, Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes. *Suet. Cal.* 37. *med.* Jactae moles profundo mari, excisae rupes durissimi silicis. *Virg. A.* 8, 233. Stabat acuta silex praecisis undique saxis, Speluncae dorso insurgens. *Sen. Phoen.* 69. Nudus hic pendet silex. *Lucan.* 4, 304. juventus duris silicum lassata metallis. *Stat. Silv.* 1, 2, 148. Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum Saxa virent. ℙ *Silice vias sternere* proprie est exstruere silice multangulo, qui lapidi seu saxo quadrato opponitur. V. QUADRATUS. *Liv.* 41, 27. Censores vias sternendas silice in Urbe, glarea extra Urbem substernendas marginandasque primi omnium locaverunt; et *mox:* Et extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, *h. e.* lapide quadrato; et paulo post: Et extra eandem portam in Aventinum porticum silice straverunt. ℙ Translate dicitur de duritia animi. *Quint. decl.* 6, 19. *f.* Non erat illi ferreum pectus, nec cor silice concretum, ut haec pati posset aequo animo. *Tibull.* 1, 1, 77. non tua sunt duro praecordia ferro Vincta: nec in tenero stat tibi corde silex. *Ov. Trist.* 3, 11, 4. Et dicam silices pectus habere tuum. *Id. Pont.* 4, 10, 3. Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum Duritiae confers, Albinovane, meae? ℙ [*Mons Sicicilis*, nunc *Monselice*, oppidum haud ignobile in Venetia, inter Ateste ac Patavium. Illius mentio est ap. *Paul. Diac. de reb. gest. Langob.* 2, 14. *Id. ib.* 4, 26. Sequenti tempore Langobardi castrum Montis Silciis invaserunt. *F.*]

SĪLIĀNUS, a, um, adj. ad Silium aliquem pertinens: quod est nomen propr. R. hominis. *Cic. Att.* 12, 27. Silianum negotium; et *ib.* Siliana villa. Adde *ib.* 31.

SĪLĪCĀRĬUS, a, um, adj. ad silicem pertinens. *Silicarii*, qui silice vias sternunt. Eorum opera erat in aquaeductibus sarciendis. Vias enim stratas perrumpebant reparandis aquaeductuum vitiis: postea rursus sternebant. *Front. Aquaed.* 117. Familia deducitur in villicos, castellarios, circitores, silicarios, tectores.

*SĪLICENSIS, e, adj. *Hirt. B. Alex.* 57. Segoviam ad flumen Silicense venit. ℙ Fortasse i. q. Singulis. Item flumen esse posse, quod hodie *the Xenil* audit, censet *Martiniere, le Grand. Dict. Geographique* etc. Sunt quibus locus corruptus videtur esse. *B. A.*

SĪLICERNĬUM, ii, n. περίδειπνον, coena funebris, quam alio nomine exsequium scriptores vocant. Sed et Verrius existimat, silicernium dici, quod nos farcimen dicimus, quo fletu familia purgabatur: quia, cujus nomine ea res instituebatur, is etiam silentium (al. *silicem)* cerneret. Caecilius: Credidi, silicernium ejus me esse esurum. Haec *Festus: Serv.* ad illud *A.* 5, 92. Libavitque dapes, etc. Leviter gustavit epulas superpositas, quae silicernium vocantur, quasi silicenium, supra silicem positae: quae peractis sacris, senibus dabantur, ut se cito morituros cognoscerent. Haec *Serv. Non.* 1, 235. Silicernium pessime intelligentes, ita posuisse Terentium putant, quod incurvitate silices cernat senex. Silicernium est proprie convivium funebre, quod senibus exhibetur. Varro: Funus exsequiati laute, ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus. *Haec Non.* ℙ De farcimine *Arnob.* 7, 229. Quid sibi haec volunt, apexabo, isicia, silicernia, longabo? quae sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus. ℙ Est convicium in senem, quasi ejus causa brevi silicernium futurum sit. *Ter. Ad.* 4, 2, 48. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium. Ubi *Donatus:* Coena quae infertur Diis Manibus, quod eam silentes cernant, idest umbrae possideant: vel quod qui haec inferant, cernant tantum, neque degustent: nam de his quae libantur inferis, quisquis comederit, aut hiberit, funestatur. Aut erit silicernium senex, qui jam jamque silentibus umbris cernendus sit: et sic est melius, quam ut quidam Xenophonta *(Voss.* mallet *geronta*, γέροντα) interpretantes putant, sic nos silicernium intelligere, *h. e.* silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratae saxo viae intentus, vel sarcophagi jam jam appropinquantis sibi. Haec *Donat.* V. *Voss.* et *Martin. Etymol.* [At *Jac. Baileyus* recte putat pro *Xenophonta*, vel Vossiano γέροντα, legendum ξυντροφόντα, particip. nempe praet. perf. med. verbi συντρέφομαι, nubilam mentem habeo: fretus auctoritate *fragm. Aristoph.* (ἐν Νήσοις) ap. *Brunk.* p. 257. a *Suida*, et *Photio* citati. Ὡς εἰς τὴν γὰν κύψασα κἀτω καὶ συντροφιὰ βαδίζει. Locus, ut videtur, est de incurva et ὀρθρωπῷ vetula. *F.*] ℙ *Silicernius, a, um*, adj. *Fulg. de prisco serm. n.* 8. Silicernios dici voluerunt senes jam incurvos, quasi jam sepulcrorum suorum silices cernentes. Unde Cincius Alimentus: Qui dum jam silicernius finem sui temporis exspectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitati-

bus insultavit. *Capell.* 8, 271. de Sileno: Silicerniumque nutans Tentat celerare cursum.

SILICERNIUS, a, um, adj. V. v. praec.

SILICEUS, a, um, adj. λίθινος, ad silicem pertinens. *Cato R. R.* 18. Inibi lapides siliceos totum forum, etc. Alii leg. *silices*. *Vitr.* 8, 3. *f.* Saxa silicea, quae neque ferrum, neque ignis potest per se dissolvere. ℙ Translate. *Sen. Ira* 3, 8. Impudicorum coetus fortem quoque, et siliceum virum emollit, *h. e.* durum, et a voluptatibus alienum. Alii rectius leg. *si liceat*.

*SILICI, orum, gens Asiae duplex, in Assyria, Armenia, etc. degentes: quorum pars una *Silici montani*, altera *Silici Classitae* audiebat. *Plin.* 6, 26. ed. *Hard.* nam in ed. *Elzev.* appellantur *Silices*. *B. A.*

SILĪCIA, ae, f. hoc est foenum Graecum (herba quae pabuli gratia seminatur) scarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco: quantoque pejus tractatur, tanto provenit melius. Ita *Plin.* 18, 16, 39., qui 24, 19, 120. Nec foeno Graeco, inquit, minor auctoritas, quod telin vocant, alii carphos, aliqui buceras, alii aegoceras, quoniam corniculis semen est simile: nos siliciam. Vis ejus siccare, mollire, dissolvere, etc. Alii leg. *silicam*, alii *siliclam*, alii *siliquam*. *Colum.* 2, 11. *med.* Foenum Graecum, quod siliquam vocant rustici. [**Fönnkraut, Bockshorn.*]

SILICIUS, ii, m. *Plin.* 16, 16, 27. Bruscum intortius cripsum: molluscum simplicius sparsum. Et, si magnitudinem mensarum caperet, haud dubie praeferretur citro. Nunc intra pugillares, lectorumque silicios, aut laminas raro usu spectatur. Ubi *Hard.* Ita libri omnes etiam scripti, et quos terimus, et quos Salmasius vidit. Sed latet adhuc ejus vocis significatus: nisi forte pro operimento laminae lectis mensisve addito accipi quis velit. Sunt qui *silaceas laminas* hic legant, hoc est silis colore tinctas. Haec *Hard.*

SILĬCŬLA pro Siliquula, ae, f. parva siliqua. *Varr. R. R.* 1, 23. Lupinum cum necdum siliculam cepit, *h. e.* priusquam siliquetur, ut *Plin.* loquitur 17, 9, 6.

SILĪGĬNĀRĬUS et Siliginiarius, ii, m. siliginis distributor, venditor, pistor. *Ulp. Dig.* 47, 2, 52. §. 11. Si siliginario quis dixerit, ut quisquis nomine ejus siliginem petisset, ei daret. *Inscr.* ap. *Grut.* 81, 10. Corpus pistorum siliginiariorum. Alia ap. *Reines cl.* 1. *n.* 254. et ap. *Donium cl.* 9. *n.* 11. Colleg. siliginiariorum.

SILĪGĬNĔUS, a, um, adj. ex siligine factus, σιλιγνίης, ut Siliginea farina, ap. *Cat. R. R.* 12. et *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. *Sen. ep.* 119. *med.* Utrum hic panis sit plebejus, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. *Id. ep.* 123. *med.* Malum panem, inquis. Exspecta: bonus fiet: etiam illum tenerum tibi et siligineum fames reddet. Sic *Varr.* ap. *Non.* 2, 149. Vel maxime illic didici, et sitienti videri aquam mulsum, esurienti panem cibarium siligineum. [*Mart.* 9, 3. Illa (*mentula*) siligineis pinguescit adultera cunnis, *h. e.* panibus siligineis in formam cunni factis, quales in honorem Cereris fiebant, teste *Athenaeo* 14, 14.; quemadmodum et in mentulae figuram, ut constat ex *Mart.* 14, 69., cujus lemma *Priapus siligineus*. Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum, Ipsa licet rodas inguina, purus eris. *F.*]

SĪLĪGO, iginis, f. σίλιγνις, genus tritici levissimi et candidissimi, ex quo laudatissimus panis conficitur. [*Triticum hibernum. *L.*] *Colum.* 2, 6. Tritici genera complura cognovimus. Verum ex his maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam et pondere et nitore praestet. Secunda conditio est habenda siliginis, cujus species in pane praecipua pondere deficitur. *Plin.* 18, 8, 20. *n.* 1. Siliginem proprie dixerim tritici delicias: candor est et sine virtute, et sine pondere, conveniens humidis tractibus, quales Italiae sunt, et Galliae comatae; et *ib.* 9, 20. *n.* 1. E siligine lautissimus panis, pistrinarumque opera laudatissima. Praecellit in Italia, si Campana Pisis natae misceatur. *Varr. R. R.* 1, 23. In pingui terra rectius seruntur olus, triticum, siligo, linum. *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 4. Far sine arista est: item siligo, excepta quae Laconica appellatur; et *ib.* 7, 10. *n.* 7. In area exteruntur triticum, et siligo, et hordeum. *Colum.* 2, 9. *med.* Omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem convertitur in siliginem. ℙ De farina. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Justum est, e grano Campanae, quam vocant castratam, e modio redire sextarios quatuor siliginis, vel e gregali sine castratura sextarios quinque, praeterea floris semodium, *Juven.* 5, 70. Sed tener et niveus (*panis*), mollique siligine factus Servatur domino; et 6, 471. coctaeque siliginis offas Accipit, et madidae. ℙ [Etiam *seligo* scribitur, ut legitur in veteri pane, qui ab Herculaneis ruinis erutus adhuc Neapoli servatur cum hac *Inscr.* Seligo C. Granii e cicere. V. *Gori Symb.* 2. T. 2. p. 139. Hinc vocis etymon quispiam deduxerit ex Hebr. שֶׁלֶג *seleg*, nix: etenim niveus vocatur a *Juven. l. c.* panis e siligine factus. *F.*]

SĪLĪQUA, ae, f. λοβός, folliculus, involucrum, theca (unde Italicum vulgare *tega*), qua continentur legumina, ut fabae, pisa, faseoli, cicer, etc. et si quid est leguminum simile. *Virg. G.* 1, 74. laetum siliqua quassante legumen; et *ib.* 195. Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset. *Varr. R. R.* 1, 23. Si ad siliquam non ita pervenit, ut fabam legere expediat. *Plin.* 18, 12, 30. Fabae siliquae caulesque gratissimo sunt pabulo pecori. ℙ Per synecdochen ipsa legumina, tenuiorum cibus. *Hor. Ep.* 2, 1, 123. vivunt siliquis, et pane secundo. *Pers.* 3, 55. juventus siliquis, et grandi pasta polenta. Adde *Juven.* 11, 58. ℙ Per antonomasiam *siliqua*, et *siliqua Graeca* dicitur arbor ceronia, et ejus fructus digitum longus, falcatus, pollicari latitudine, in quo cortex ipse manditur, succo exiguo, sed praedulci: semina inclusa projiciuntur. Graece est κεράτιον, ξυλόκερας: quia inflexum corniculum refert. Recentiores Graeci χαρούβαν vocant, corrupta voce a κυράβιον, vel κυρήβιον, cornu: unde κυρηβάω, cornu peto. Hinc *caruba* et *caroba* Italorum. *Plin.* 15, 24, 26., *Colum.* 5, 10. *f.* et 7, 9. et *Arb.* 25. et *Pall.* 3, 25. *med.* et *de Insit.* 117. ℙ Quibus locis abundat, cibus est suum pergratus, ut est ap. *Col. cit.* 7, 9. Unde *Lucae* 15, 16. filius ille prodigus cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. ℙ Sunt qui putant, de his intelligenda esse loca *Hor. Pers.* et *Juven.* quae ad legumina referri diximus. ℙ *Siliqua Syriaca* ejusdem speciei est ac Graeca, nisi quod peculiarem aliquam vim habet in medicina. *Plin.* 23, 8, 79. et *Scrib. Comp.* 121. ℙ Etiam foenum Graecum *siliquam* rustici appellant, teste *Colum.* 2, 11. *med.*, ut in SILICIA diximus. ℙ Denique *siliqua* nomen est exigui ponderis, nempe seminis in siliqua Graeca latentis. Siliquae sex scrupulum faciunt: decem et octo drachmam. *Rhem. Fann. de ponderib.* 10. Semina sex alii siliquis latitantia curvis Attribuunt scriplo: lentes veraciter octo. Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos Bis duo. ℙ In illo *Imp. Justin. Cod.* 4, 32, 26. *f.* Interdicta licentia creditoribus ex pecuniis fenori dandis aliquid detrahere, vel retinere siliquarum nomine, vel sportularum, vel alterius cujuscumque causae gratia: *siliqua* est vigesimaquarta pars solidi. *Gothofred.*

SĪLĪQUĀSTRUM, i, n. πιπερίτις, herba hortensis: a *siliqua*, quod siliquae habeat similitudinem: ut *mentastrum* a *menta* ob eandem causam. *Plin.* 19, 12, 60. Panax piperis saporem reddit, magis etiam siliquastrum ob id piperitidis nomine accepto. Adde 20, 17, 66.

[SĪLĪQUĀTĀRĬUS, ii, m. *esattore della gabella*, quae dicitur siliquaticum. *Cassid. Var.* 2, 26. Si pensionem hujus tituli siliquatrio praestat, monopolium quoque negotiator exerceat. Si vero siliquatarius hunc titulum negotiatoribus judicat abrogandum, nullam ab eis exigat pensionem. *F.*]

[SĪLĪQUĀTĪCUM, i, n. vectigal, quod in nundinis penditur fisco ob venditionem proponendam. Id inductum fuit a Theodosio et Valentiniano Augg., augendo jam exhausto aerario, ut nundinis quibusque, decreto provincialium loco et tempore constitutis, ex qualibet mercium negotiatione in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, ac similiter emptor alteram dimidiam fisco inferret, ut est in eorum *Novell.* 1, 51. *Cassiod. Var.* 4, 19. Siliquatici namque praestationem, quam rebus omnibus nundinandis provida definivit antiquitas, in frumentis, vino et oleo dari praesenti tempore non jubemus. Adde *ib.* 2, 30. et *ib.* 3, 25. *F.*]

SĪLĪQUOR, aris, dep. 1. est siliquam, seu integumentum emittere, siliqua tegi. *Plin.* 17, 9, 6. Nihil esse utilius lupini segete, prius quam siliquetur, aratro vel bidentibus versa. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 5. Siliquantur vero omnia diversis diebus, et ab ima primum parte paulatim flore subeunte. ℙ [Est item verbum neutrum. *Plin.* 18, 16, 42. Ocimum erat e pabulis, segete viridi desecta, antequam siliquaret. Alii perperam leg. *gelaret*, vel *genicularet*: etenim *Varr. R. R.* 1, 31. de eod. ait: *antequam genat siliquas*. *F.*]

SILIS. V. SIL.

SĪLĬUS ĪTĂLĪCUS (C.), orator et poeta consularis, quo anno occisus est Nero, consulatum gessit cum M. Galerio Trachalo, anno U. C. DCCCXXI., a Chr. n. LXVIII. De patria ambigitur, ex Italicane oppido Hispaniae Baeticae, an Pelignorum urbe natus sit. V. ITALICA. Post consulatum, et proconsulatum Asiae, in honesto otio vitam produxit usque ad annum aetatis LXXV., obiitque in secessu Campaniae ex inedia, taedio insanabilis clavi, relicto filio consulari. Scripsit de bello Punico secundo libris XVII., Latine quidem, sed parum poetice, et majore cura, quam ingenio, ut ait *Plin. ep.* 3, 7., ubi eum impense laudat: cui adde *Mart.* 4, 14. et 7, 63. et al. et *Christoph. Cellar.* in *Dissert.* de C. Silio Italico. ℙ *P. Silius, propraetor Bithyniae et Ponti. *Cic. Fam.* 7, 8. et alibi. *B. A.*

SILLOGRAPHUS, i, m. σιλλογράφος, qui mordacia carmina scribit. *Ammian.* 22, 16. *med.* Chalcenterus Didymus, qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, judicio doctarum aurium incusatur.

SILLUS, i, m. σίλλος, genus carminis apud Graecos, simile Latinorum satyrae, cujusmodi librum in Platonem composuisse Timonem, *Gell.* 3, 17. refert. [*Cic. Att.* 16, 11. Ut sciant παῖδες παίδων sine sillo Luciliano, eum (*M. Antonium*) ex C. Fadii filia liberos habuisse, *h. e.* sine convicio, quo maxime usus est Lucilius in satyris suis. Alii minus recte leg. *vallo*, alii *ullo*. *F.* **Orell. vallo* habet, *sine sillo*, *Jac. Gro.* conjecturam probabilitate carentem praedicans. Alii aliter. V. reliqua ap. *Orell.*]

SILLYBUS, i, m. σίλλυβος, index, membranula, pittacium, in quo auctorum nomina, et operum tituli inscribuntur, quodque tergis voluminum et codicum a bibliopegis agglutinatur. *Cic. Att.* 4, 4. Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris, iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci, ut opinor, σιλλύβους, appellatis. *Id. ib.* 5. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione et sillybis: eos velim laudes. *Id. ib.* 8. Nihil venustius, quam illa tua pegmata, postquam mi sillybis libros illustrarunt. In *locis cit.* quidam leg. *sittybis*, alii *syllabis*, sed perperam; nam σιττύβια sunt membranulae, quibus involvuntur libri, ut a pulveris, tinearum et temporis injuriis integri serventur: *syllabi* autem sunt indices eorum, quae in operibus continentur.

SĪLO, onis, m. σιμός, idem quod silus, *h. e.* qui simus est et repandis naribus sursum versus. *Pl. Rud.* 2, 2, 11. Ecquem recalvum, ac silonem senem, statutum, ventriosum: tortis superciliis, contracta fronte, etc? Est qui leg. *silenum*, aut *silanum*. *Plin.* 11, 37, 59. docet, cognomina Simorum, et Silonum apud Romanos a naribus orta esse. In *Gloss.* quoque *Philox.* tam *silo*, quam *silus* dicitur σιμός. Quare non audiendus *Nonius*, qui 1, 191. silonem esse dicit, qui prominentia supercilia habet. Nihil enim ei suffragatur *Varro* illis verbis: Nonne unum scribunt esse grandibus superciliis, silonem, quadratum? Nam si silo is esset, qui prominentia habet supercilia, inepte *Varro* praemisisset *grandibus superciliis*. ℙ [Est etiam cogn., ut Arruntius Silo in *Dig.* 48, 19, 27. V. *Plin. l. c.* supra. *F.*]

SILPHĬUM, ii, n. σίλφιον, Graeca appellatio laserpitii. *Cato R. R.* 157. *med.* et *Plin.* 19, 3, 15. et 22, 23, 48. Graece usurpat *Colum.* 6, 17. et 12, 7. et 57.

*SILPĬA, ae, f. oppidum Hispaniae. *Liv.* 28, 12. *extr. B. A.*

SILVA, ae, f. ὕλη, locus arboribus natura ipsa consitus, et caeduus: a voce Graeca allata. Quid a nemore, et luco differat, in LUCUS dictum est. *Cic. Att.* 12, 15. Cum mane me in silvam abstrusi densam et asperam. *Id. Or.* 3, 5. Locus in media silva maxime et opacus, et frigidus. *Ov. R. Am.* 183. sonant silvae mugitibus altae. *Id. Her.* 16, 107. Ardua proceris spoliantur Gargara silvis. *Id. Met.* 10, 687. Templa Deum Matris nemorosis abdita silvis; et *ib.* 6, 521. In stabula alta trahit silvis obscura vetustis. *Id. Am.* 3, 1, 1. Stat vetus et multos incaedua silva per annos. *Id. Met.* 4, 776. abdita longe, Deviaque, et silvis horrentia saxa fragosis. *Prop.* 1, 20, 7. Silva umbrosa. *Sen. Herc. Fur.* 836. nigra. *Lucr.* 5, 42. profunda. *Plin.* 16, 32, 59. Terracina silvis nucum scatet. *Ov. Met.* 1, 475. Silvarum latebrae. *Tibull.* 4, 13, 9. secretis vivere silvis. *Prop.* 2, 15, 29. Solae silvae. *Val. Fl.* 3, 21. Fatigare silvas: *scil.* venando. ℙ [**Silvae* et *calles* ap. *Suet. Caes.* 19. dicuntur, cum de provincia sermo, ubi bella non gerenda, nihil gloriae parandum, cum latronibus tantum conflictandum. V. *B. Crus.*] ℙ De loco quibuscumque plantis consito. *Colum.* 7, 9. *med.* Eruere radiculas aquatilis silvae, tanquam scirpi, juncique, et arundinis. [**Virg. G.* 1, 152. Subit aspera Silva Lappaeque tribulique. *Bail.* Adde *ib.* 76. tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos silvamque sonantem; et *ib.* 4, 273. de centaureo: uno de cespite silva. *Silvas* cannabias dixit *Grat. Cyn.* 47. pro segete.] ℙ In illo *Cic. Verr.* 2, 1, 19. *med.* Signa, quae apud te nuper in silva disposita sub divo vidimus: *silva* est *viridarium*, ut ait *Ascon.* ℙ Metonymice *silva* sunt ipsae arbores, et ligna. *Virg. G.* 2, 26. Silvarumque aliae pressos propaginis arcus Exspectant, et viva sua plantaria terra: Nil radicis egent aliae, *h. e.* vites. *Prop.* 1, 14, 5. Et nemus omne satas intendat vertice silvas. *Stat. Th.* 2, 248. Ture Deos, fractisque obtendunt limina silvis. *Sen. Oed.* 542. Ingens arbor umbra gravi silvas minores urget. *Albin.* 1, 255. Tandem ubi complexa (*flamma*) est silvas, alimentaque sumpsit, etc. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 409.] ℙ Etiam una arbor *silva* dicitur a poetis. *Stat. Th.* 6, 280. de Tantalo: qui fallentibus undis Imminet, aut refugae sterilem rapit aera silvae. *Mart.* 11, 41. Cedentes oneri ramos, silvamque fluentem Vicit, *h. e.* quercum pondere corporis inflexit. ℙ Hyperbole est in illo *Lucani* 6, 205. densamque ferens in pectore silvam, *h. e.* plurima tela infixa. [*Plura exempla laudat hujus ap. seriores imprimis poetas usitati dicendi generis *Cort.* ad h. l.] ℙ Translate est quaecumque congeries, et prima veluti materia, ex qua deinde quod volumus, secernimus. *Cic. Or.* 3. *f.* Omnis ubertas, et quasi silva dicendi, Ab Aca-

demia ducta est. *Id. Or.* 3, 26. *f.* Primum silva rerum sententiarumque comparanda est, haec formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis. [*Utriusque loci sententiam eleganter exposuit *Ern.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 359.] Et *Cic. Or.* 30. Quae referuntur ad agendum, in officii disceptatione versantur, quo in genere quid rectum faciendumque sit, quaeritur: cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subjecta. *Gell. praef.* Quia variam, et miscellam, et quasi confusaneam doctrinam conquisierant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt: namque alii *Musarum* inscripserunt, alii *Silvarum*, etc. Sic *Suet. Gram. f.* Reliquit non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui. [**Pl. Mil.* 4, 4, 18. Domi esse ad eam rem video silvai satis, i. e. materiae veluti ad aedificandas dolorum machinas.] ℙ Hinc materia, quam vocant primam, Graece *ὕλη*, *silva* passim vocatur a *Chalcidico* vertente Platonis *Τιμαῖον*. ℙ *Silvas* inscripsit *Statius* varia poematia sua in libros quinque distributa (ut videre est in ejus epistola libro quarto praefixa), vel quia sunt varii argumenti, ut variae sunt arbores in silva: vel potius quia rudia ipsi visa sunt et impolita, et lignorum modo ex silva excisorum similia, utpote quae magnam partem extemporali impetu et subitis versibus fusa sunt. De his *Sidon. carm.* 9, 227. quod Papinius tuus meusque pedum minore rhythmo Pingit gemmea prata silvularum. *Quint.* 10, 3. *med.* Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt, hanc silvam vocant. Repetunt deinde et componunt quae effuderant. ℙ Translate. *Juven.* 9, 12. vultus gravis, horrida siccae Silva comae, *h. e.* capilli impexi et implicati instar arborum in silva, et nullo unguento delibuti. ℙ *In silvam ligna ferre.* V. LIGNUM. ℙ *Silvai frundusai* est *Ennii* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. ℙ *Silua* apud poetas interdum est trisyllaba per diaeresin, ut *Prisc.* docet 1, 546. *Hor. Od.* 1, 23, 4. Aurarum, et siluae metu. *Id. Epod.* 13, 3. nunc mare, nunc siluae Threicio Aquilone sonant. Quib. loc. etiam prior syllaba corripitur. ℙ Sunt qui *sylva* scribunt, ex Graeco *ὕλη*, sed invitis *Gifanio*, *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.*, *Voss.*, litteratis Lapidibus, et antiquis libris.

[SILVĀNAE, arum, f. plur. Deae quaedam agrestes, quae et Sulevae, seu Suleviae sunt appellatae. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 84. Silvanabus et Quadribis Aug. sacrum. *F.*]

*SILVANECTAE, arum, populi Galliae Belgicae, uhi urbs hodierna *Sentis*, olim Augustomagus. *Notit. Imper.* p. 147. Praefectus Laetorum gentilium Remos et Silvanectas Belgicae Secundae. ℙ *Civitas Silvanectensium* audit ipsa urbs *Not. Prov. B. A.*

*SILVANECTENSIS. V. in v. praec. *B. A.*

[SILVĀNUS, a, um, adj. ad silvam pertinens, silvester. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 452, 6. M. Plautius M. F. A. N. Silvanus Cos. Alia ap. *Mur.* 2062, 1. Publilia Silvana. *F.*]

SILVĀNUS, i, m. *Ὑλικος Θεὸς*, Deus minorum gentium, praeses silvarum, pecorum, et agrorum. Dicitur *ὑλικὸς Θεὸς*, h. e. Deus *τῆς ὕλης*, quae est materia prima elementorum omniumque rerum: qua ratione cum Pane confunditur. Vocis etymon est ab *ὑλαῖος*, silvester, quod olim *ὑλάος*, deinde *ὑλάνος*, mox praeposito *s* ob aspiratam, et inserto digammate Aeolico *v*, Silvanus factus est. In fabulis dicitur adamasse Cyparissum puerum: cujus cervam, delicias ejus, cum imprudens occidisset, atque ille dilecti feri desiderio contabuisset, vertisse in arborem cognominem: quam propterea assidue gestare dicitur. Unde *Virg. G.* 1, 20. Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum. Haec *Serv. ib.* addens ex opinione quorundam, primum illum plantationes instituisse: ideo *ab radice* dictum esse. Alii fabulam de Cyparisso ad Apollinem referunt. V. CYPARISSUS. Rursus *Virg. A.* 8, 600. Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos, Arvorum pecorisque Deo, lucumque, diemque. *Id. Ecl.* 10, 24. Venit et agresti capitis Silvanus honore, Florentes ferulas, et grandia lilia quassans. *Ov. Met.* 14, 639. Silvanusque suis semper juvenilior annis; et *ib.* 1, 193. monticolae Silvani. (Plures Silvanos *Ov.* facit, ut plures Panes sunt. Fauni, etc. Sic *Lucan.* 3, 402. ruricolae Panes, nemorumque potentes Silvani.) *Hor. Epod.* 2, 21. et te, pater Silvane, tutor finium. *Inscr.* ap. *Mur.* 70, 6. Silvano sancto patri, et custodi, pecudifero, lactifero, glandifero, pomifero, cannabifero, linifero Q. Zosimus Q. L. Tertull. grammaticus, L. Sergius L. L. Cipariss. mensor, C. Paetilius C. L. Strabo caelator, C. Rufius C. L. Charito musicus ex voto F. F. *Vet. Auct. de limit.* p. 294. *Goes.* Omnis possessio quare Silvanum colit? quia primus in terra lapidem finalem posuit. Nam omnis possessio tres Silvanos habet: unus dicitur domesticus, possessioni consecratus: alter dicitur agrestis, pastoribus (al. *pastionibus*) consecratus: tertius orientalis, qui (lege *cui*) est in confinio locus (lege *lucus*) positus, a quo inter duos pluresve fines oriuntur: ideoque inter duos pluresve est lucus. *Domesticus* idem videtur fuisse ac *Casanicus*, quam vocem V. s. l. Plures vero fuisse Silvanos, constat etiam ex *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 543. Calybe Silvanis V. S. L. M. ℙ Mars aliquando Silvanus cognominatus est, praesertim a Romanis rusticis. Martem enim auctorem gentis habuere, et, cum rem rusticam impense colerent, tutorem finium, pascuorum praesidem, et silvarum. *Cato R. R.* 83. Votum pro bubus, ut valeant, sic facito. Marti Silvano in silva interdius, etc. Huc pertinet et illud *Lucilii* ap. *Non.* 2, 324. Luporum exactorem Silvanum, et fulguritarum arborum. Ita leg. *Lips.* Lupus enim Marti sacer est. Suspicari non absurde possumus, in *Catone* non unum, sed duos Deos nominari, et particulam *et* vel deesse, vel subaudiri: propterea quod in veteribus monumentis ap. *Grut.*, *Reines.*, *Mur.* et alios separatim semper haec duo numina ponuntur, et in Regione Urbis quinta separatas aedes habuisse leguntur. ℙ [*Siluanus* apud poetas aliquando est tetrasyllabus per diaeresin, prima autem syllaba longa, cum itidem longa sit in *ὕλη*, silva, unde derivatur; licet brevis sit in *silua*. V. SILVA. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4957. Hercules invicte, sancte Siluane, notor Hic advenisti, ne quid hic fiat mali. G. P. R. F. *h. e.* Genio populi R. feliciter. *F.*] ℙ *Fuit et Silvanus nomen proprium virorum R., v. g. ejus, qui Carbonis et Silvani legem tulit, quae Plautia vel Plotia dicitur; nam Silvanus ille e familia Plotia fuit. ℙ Silvanus, filius Boniti Galli, de Constante Imperatore egregie meritus, cum calumniis se apud illum impetitum cerneret, Coloniae a militibus Imperatorem se salutari passus est: sed Ursicinus eum paullo post, ab Imperatore missus, sustulit. *Aurel. Vict. de Caesar. c.* 42. et *Epit. c.* 64. *B. A.*

SILVĀTICUS, a, um, adj. *ὑλαῖος*, ad silvam pertinens, silvester. *Cato R. R.* 11. Falces vineaticas sex, scirpiculas quinque, falces silvaticas quinque, arborarias tres. Adde *Varr. R. R.* 1, 22. ℙ Opponitur sativo, et domestico. *Cato R. R.* 8. Laurus silvatica. *Plin.* 30, 8, 22. Cinis muris silvatici. *Varr.* ap. *Non.* 18, 23. Sues silvaticos in montibus sectari venabulo, aut cervos.

SILVESCO, is, n. 3. *ὑλομανέω*, *ἀπολοχμόομαι*, in silvam abire, silvestres et infructuosas arbores fieri, nimia ramorum ubertate luxuriari. *Cic. Sen.* 15. *med.* Vitem ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. *Colum.* 4, 11. Nec pati, vitem supervacuis frondibus luxuriantem silvescere. ℙ [Translate. *Arnob.* 3, 109. Capilli silvescentium crinium velleribus involuti. *F.*]

SILVESTER et Silvestris, e, adj. *ὑλώδης*, silvam habens, arboribus abundans. *Cic. N. D.* 2, 53. Montes vestiti atque silvestres. *Id. Am.* 19. Locis montuosis delectamur, atque silvestribus. *Id. Tusc.* 5, 27. *f.* Bestiae frigus, famem, montivagos atque silvestres cursus lustrationesque patiuntur. *Id. Brut.* 74. *med.* Inculta et silvestris via. *Liv.* 27, 26. Tumulus silvestris. *Plin.* 13, 10, 19. Silvestris regio tam vastis arboribus, ut, etc. *Hor. Ep.* 2, 2, 186. Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum. *Ov. Met.* 13, 815. silvestri nata sub umbra Mollia fraga leges. ℙ In silvis nascens: cui opponitur sativus, agrestis, domesticus. *Plin.* 11, 16, 15. Silvestre mel. *Id.* 18, 12, 30. Silvestris faba. *Id.* 8, 41, 63. rosa. *Id.* 15, 13, 12. Silvestria pruna. *Id.* 21, 7, 18. Silvestria omnia odoratiora sativis. *Id.* 16, 27, 50. Silvestriora omnia tardiora; et 22, 25, 72. Est et alterum genus ejus silvestrius, odore gravi. *Id.* 8, 21, 30. Silvestres tauri majores agrestibus. *Prop.* 3, 7, 51. Silvestre uber, *h. e.* lupae mamma. *Val. Fl.* 8, 252. silvestria praemia, *h. e.* praedae ex venatione in silvis. ℙ In silvis degens: et refertur etiam ad mores agrestes, rusticos, a deliciis alienos. *Petr. Sat.* 131. *med.* testis silvester aedon, Atque urbana progne. Alii leg. *silvestris.* V. ACER adj. *Plin.* 36, 12, 17. *n.* 2. Sphinx, silvestre numen accolentium. *Hor. A. P.* 390. Silvestres homines, etc. Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus. *Sen. Hipp.* 461. Truculentus, et silvester, et vitae inscius Tristem juventam colis. *Virg. Ecl.* 1, 2. Silvestrem tenui Musam meditaris avena, *h. e.* carmen rusticum et pastorale. Sic *Lucr.* 4, 590. Fistula silvestrem ne cesset fundere Musam.

*SILVI, orum, gens Asiae fera, in Albaniae regione. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

SILVĪCOLA, ae, m, et f. *ὑλοκάτοικος*, silvarum incola. *Prop.* 3, 11, 34. puellae Oscula silvicolis empta dedere viris. *Virg. A.* 10, 551. Silvicola Faunus. *Ov. Fast.* 4, 746. Silvicolam tepido lacte precare Palen.

SILVĪCULTRIX, icis, f. silvicola, ut Cerva silvicultrix, *Catull.* 63, 72.

SILVIFRĀGUS, a, um, adj. silvas frangens. *Lucr.* 1, 274. vis venti montes supremus Silvifragis vexat flabris.

SILVĪGER, ra, rum, adj. silvam gerens, silvosus. *Plin.* 31, 3, 26. Hyrcani montes silvigeri ab Aquilonis tantum parte sunt. *Inscr.* ap. *Mur.* 41, 13. Silviger Deus.

[SILVĪNUS, a, um, adj. deriv. a silva. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 359. *n.* 85. M. Ulpius Silvinus. Alia ap. *Grut.* 348, 2. Aemilia Silvina. *F.*]

*SILVIUS vel Sylvius, i, m. *Συλοΐος*, Aeneae (*Livio* Ascanii, V. infra) filius, a quo postea omnes Albani reges Silvii dicti sunt ab hujus nomine: sicut postea Romani Imperatores Augusti vocantur. Haec *Servius*, enarrans hunc locum *Virg. A.* 6, 761. Primus ad auras Aetherias Italo commistus sanguine surget Silvius. *Festus:* Sunt appellati Albani reges, a Laviniae filio, quem post excessum Aeneae gravida relicta, timens periculum et suae vitae et ejus, quem utero gerebat, in silvis latens enixa est, qui restitutus in regnum est post mortem Ascanii praelatus Iulo fratris filio: cum inter eos de regno ambigeretur. ℙ Silvius Aeneas, Silvii supra dicti filius, teste *Liv.* 1, 3. Silvius deinde regnat, Ascanii filius, casu quodam in silvis natus. Is Aeneam Silvium creat. Aliter *Virg. A.* 6, 769. ad quem locum V. *Heyn.* V. *Aeneas f. B. A.*

[SILUMIUS, ii, m. Deus Daeicus, seu Pannonicus, alibi ignotus. *Inscr.* Vindobonensis ap. *Maff. Mus. Ver.* 239, 3. Deo Silumio domestico Senti (*h. e.* Sentii) Aper, et Philumenus V. L. P. *h. e.* votum libentes posuerunt. *F.*]

SILUNCŪLUS, i, m. aliquantum silus. *Arnob.* 3, 108. Ergo esse dicendum est quosdam capitones, silunculos, frontones, labeones, etc. Alii melius leg. *ciluncules.* V. CILUNCULUS.

SILVOSUS, a, um, adj. *ὑλώδης*, silva, vel arborum densitate obsitus. *Liv.* 9, 2. Saltus duo alti, angusti, silvosique sunt. ℙ [*Copia et abundantia formam silvae referens.] *Plin.* 12, 5, 11. Superiores rami emicant silvosa multitudine. *Vitr.* 8, 1. *f.* Crebrae arbores, et silvosae.

*SILURA insula. V. in v. seq. *B. A.*

*SILŪRES, um, m. populi Britanniae, quos *Camdenus* statuit in Herefordia, Radnoria, Brechinia, Monumethia et Glamorgiana. *Tac. A.* 12, 32. Silurum colorati vultus, etc. Adde *Agr.* 11. *Plin.* 3, 16. *Ptolemaeo* sunt *Σίλουρες*. ℙ *Silurum insulae* memorantur a *Solin.* 35. (*Salmasius* ait in MSS. esse *Siluram insulam*), eaedemque putantur esse, quae notiore nomine Cassiterides. V. *Cassiterides* et cf. *Cellar. Geogr. Antiq.* 2, 4. §. 83. *B. A.*

SILŪRUS, i, m. *σίλουρος*, piscis genus, de quo *Plin.* 9, 15, 17. Praecipua magnitudine thynni. Sunt et in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado: et *mox:* Silurus grassatur, ubicumque est, omne animal appetens, equos natantes saepe demergens. *Id.* 32, 9, 33. Ischiadicos liberant salsamenta et siluro infusa clystere. *Juven.* 4, 32. magna qui voce solebat Vendere municipes fracta de merce siluros. Ex hoc loco *Juvenalis* colligere licet, silurum in Aegypto parvi pretii piscem fuisse, et inter vulgares cibos. Quare longe a vero abesse videntur, qui Italorum *storione* fuisse putant. V. *Hard.* ad *Plin. cit.* 9, 15, 17.

SILUS, a, um, adj. *σιμὸς*, idem quod silo, *h. e.* qui est naso sursum versus repando: unde galeae quoque a similitudine silae dicebantur. Ita *Festus. Cic. N. D.* 1, 29. Ecquos (*Deos*) arbitramur silos, flaccos, frontones, capitones, quae sunt in nobis? V. similem loc. *Arnob.* in SILUNCULUS. ℙ Fuit cogn. R., ut M. Sergius Silus, in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 306. et C. Terentius Silus, in *Inscr.* ap. *Grut.* 343, 2.

SILVŪLA, ae, f. parva silva. *Colum.* 8, 15. Vel in silvulis tamaricum, aut sirporum frutetis immorari. *Sidon. carm.* 9, 229. de Statio: pedum minore rhythmo Pingit gemmea prata silvularum. V. SILVA.

*SILUUM vel Silvum, i, n. *Σίλουον*, oppidum Istriae. *Tab. Peut. B. A.*

SILYBUM, i, n. *σίλυβον*, herba chamaeleoni albo similis, aeque spinosa: lacteum succum habet, qui densatus in gummi sumitur cum melle, praecipueque bilem trahit. *Plin.* 22, 22, 42. et 26, 7, 25. [*Gundelia Tournefortii, *L.*]

SĪMA, ae, f. *ἐπιπλὶς*, in architectura est supremum coronae membrum obtusius et hebetius, instar nasi caprarum (unde nomen) quod Itali *gola diritta* vocant, ut cymatium *gola rovescia*. *Vitr.* 3, 3. *f.* Insuper coronas simae, quas Graeci *ἐπιπλίδας* dicunt, faciendae sunt, altiores octava parte coronarum altitudinis. *Inscr.* ap. *Grut.* 207. *col.* 1. Insuper simas pictas ferro offigito.

SĪMĀTUS, a, um, part. a *simo:* simus factus. *Sulpic. Luperc.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 516. *Burm.* Simataeque jacent pando sinuamine nares.

SĪMAETUS cum derivatis. V. SYMAETHUS.

*SIMBRUĪNA stagna, et Simbruini colles, in Aequorum agro fuere. Vicinum oppidum Sublaqueum. *Tac. A.* 11, 13. Fontes aquarum, Simbruinis collibus deductos, urbi intulit. *Id. ib.* 14, 22. Discumbentis Neronis apud Simbruina stagna (loco Sublaqueum nomen est) ictae dapes (*flumine*) mensaque disjecta. *B. A.*

*SIMĒNA, orum, oppidum Lyciae. *Plin.* 5, 27. *Steph. Byz.* est *Σίμηρα*. *B. A.*

*SIMĒNUS, i, m. caelator argenti. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

SĪMIA, ae, f. *πίθηκος*, animal hominum figurae proximum, et hominum gestus imitans, idemque

turpissimum, sine cauda: nam caudatum cercopithecum dicitur: a *simus*, quia pressis est naribus. Usurpatur tam de mare, quam de femina. Multa, et mira de eo *Plin.* 8, 54, 80. et 11, 44, 100. *Ennius* ap. *Cic. N. D.* 1, 35. Simia quam similis, turpissima bestia, nobis! ℙ Translate dicitur de nimis studioso et inepto imitatore. *Pl. Most.* 4, 2, 4. Vide ut fastidit simia! *Plin. ep.* 1, 5. Rusticum insectatur, atque etiam Stoicorum simiam appellat. *Capitol. Maxim. jun.* 1. Tatianus dictus est simia temporis sui, quod cuncta imitatus esset. *Sidon. ep.* 1, 1. Oratorum simia. ℙ Est etiam *simius, ii*, m. *Phaedr.* 1, 10. Tum judex inter illos sedit simius. *Mart.* 14, 202. Callidus emissas eludere simius hastas. *Claud. in Eutr.* 1, 303. humani simulator simius oris. ℙ Et translate. *Sen. Contr.* 4, 26. *f.* Quid putatis, ajebat, Argentarium esse? Cestii simius est. Fuerat enim Argentarius Cestii auditor, et erat imitator. Adde *Hor. Sat.* 1, 10, 18. ℙ Est etiam convicium vilis, nequam, et turpis hominis. *Laber.* ap. *Charis. l. c.* Simium deamare occipit. *Afran. ib.* Quis est hic simia, qui me hodie ludificatus est? *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Malui collegae ejus me obligare, quam illius simiae vultum subire.

SĪMĬLA, ae, f. σεμίδαλις, flos farinae triticeae, quae et *similago* dicitur. *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 2. Similago e tritico fit laudatissima. Ex Africo justum est e modiis redire semodios et pollinis sextarios quinque. Ita autem appellant in tritico, quod florem in siligine. Hoc aerariae officinae, chartariae utuntur. Praeterea secundarii sextarios quatuor, furfurumque tantundem. Panis vero e modio similaginis CXXII. (*pondo*, seu *librae*), e floris modio CXVII. *Cels.* 2, 18. *med.* Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio. Firmius est triticum, quam milium. Ex tritico firmissima siligo, deinde simila, deinde cui nihil ademptum est, quod ἀνώνυμον Graeci vocant. *Mart.* 13, 10. cujus lemma *Simila ex tritico*. Nec poteris similae dotes numerare, nec usus: Pistori toties cum sit, et apta coco.

SĪMĬLĀGĬNĔUS, a, um, adj. ex similagine factus, ut Similagineus panis, ap. *Sen. ep.* 119., ubi alii leg. rectius *siligineus*.

SĪMĬLĀGO, aginis. V. in SIMILA.

SĪMĬLĔ, adv. idem ac similiter. *Cic. Acad.* 4, 5. Simile vos cum perturbare, ut illi rempublicam, sic vos philosophiam bene jam constitutam velitis, etc. Plerique tamen leg. *similiter*. [*Ita *Orell.*, docens vulgatam *simile* miro judicio probari *Oudend.* ad *Appul.* T. 1. p. 614. Neque tam esse compendium scripturae quam modum Appuleianum: coll. *ib.* p. 358.] Et *Cic. Agr.* 1, 4. *f.* Hic tamen excipit Pompejum: simillime, atque in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur. *Id. Tusc.* 2, 23. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: simillime animus intentione sua depellit depressum omnem ponderum; remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. *Phaedr.* 5, 5. Acclamat populus, scurram multo similius Imitatum.

SĪMĬLĪGĔNUS, a, um, adj. qui est similis generis. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 19. Admiscere sibi similigena.

SĪMĬLIS, e, adj. ὅμοιος, qui cum aliquo similitudinem habet, parilis, aequalis, geminus, consimilis. *Cic. Leg.* 1, 10. Nihil est unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus. *Id. N. D.* 2, 61. Virtutes, e quibus vita beata exsistit par et similis Deorum. *Id. Rosc. Com. f.* Simillima et maxime gemina societas hereditatis est. *Id. Rosc. Am.* 40. *extr.* Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. *Id. Fin.* 3, 15. *f.* Dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum. *Id. Cluent.* 16. C. et L. Fabricii fratres gemini fuerunt, homines inter se cum forma, tum moribus similes, municipum autem suorum dissimillimi. *Id. Acad.* 4, 37. Democritus huic in hoc similis, uberior in ceteris. *Id. Fam.* 12, 5. Id eo facilius credebatur, quia simile vero videbatur; et *ib.* 9, 21. Quid simile habet epistola aut judicio, aut concioni? *Id. Verr.* 2, 5, 12. *med.* Filius patri similis. *Id. Brut.* 13. *med.* Rhodii seniores, et Atticorum similiores. *Id. N. D.* 2, 50. *extr.* Plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus. (Notandus locus: bis genitivum ponit, deinde dativum in eadem constructione. [*Similis casuum variatio est ap. *Lucr.* 4, 1204. Tum similes matrum materno semine fiunt, Ut patribus patrio: quem locum laud. *Heindf.* ad h. *Cic.* exempl. ubi v. Adde *Pl. Men.* 5, 9, 30. Neque aqua aquae, neque lacte est lacti similius, quam hic tui est, tuque hujus.] Ap. *Terent.* saepius genitivum regit, quam dativum. [*Docent Grammatici, v. *similis*, cum ad mores referatur, genitivo: cum ad formam corporis, dativo jungi. Quam regulam certe non omnibus scriptoribus servatam (V. praeter alios *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 33. p. 257.), *Ramsh. Gr. Lat.* §. 108. 3. p. 320. sq. ita restringit, ut genitivum in voce *similis* aliisque tum poni dicat, cum illud spectent, quod proprium alicujus rei vel hominis, atque ita conjunctum sit, ut dicerni nequeat: dativum autem, cum de eo loquaris, vel quod forte, ad tempus alicui rei vel homini tribuatur.] *Plin.* 10, 35, 52. Cantus (*columbarum*) similis atque idem. *Appul. Met.* 10. Puella in Deae Junonis speciem similis. *Pl. Mil.* 2, 6, 48. Pro Dii immortales! similiorem mulierem, magisque eandem non reor. *Virg. A.* 1, 593. Os, humerosque Deo similis. ℙ Differunt *par*, et *similis*. *Par* est, qui tantundem habet: *similis*, qui proxime accedit. *Liv.* 45, 43. Haerente adhuc memoria Macedonici triumphi, L. Anicius triumphavit de rege Gentio. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. [*Cf. quae de his disput. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 14, 4.] ℙ Regit post se varias particulas. *Cic. Verr.* 2, 3, 83. *f.* Si docere vis, aliquid ab isto simile in aestimatione, atque a ceteris esse factum. *Id. Fin.* 4, 12. *med.* Nec, si sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, ac si ampullam perdidisset. (Alii leg. *et si.* V. SIMILITER.) *Id. Sen.* 6. Similes sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant. *Id. Div.* 2, 64. Similes sunt Dii, si ea nobis objiciunt, quorum nec scientiam, neque explanatorem habeamus, tanquam si Poeni, aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. ℙ Dicitur de effigie picta aut sculpta, alicujus faciem referente. *Id. Tusc.* 1, 15. Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervae; et *Juven.* 2, 6. Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit. *Stat. Silv.* 3, 3, 200. te lucida saxa, Te similem doctae referet mihi linea cerae; et *ib.* 1, 1, 100. Apelleae cuperent te scribere cerae, Optassetque novo similem te ponere templo Atticus, Elei, senior, Joyis; et *ib.* 2, 7, 129. Vultus, qui simili notatus auro Stratis praenitet. Adde *Mart.* 1, 110. et 9, 104. ℙ *Simile* est similitudo, *h. e.* oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. *Cic. Fin.* 3, 14. Utunturque simili: ut si cothurni laus esset, etc. et *ib.* 16. Ab iis hoc simile ponitur. Ut enim, inquiunt, si, etc. et *ib.* 4, 27. *med.* Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeque peccat, etc. [*Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. Vidi pullulos tuos tam simili facie tibi, ut nihil sit hoc simili similius. *F.*] ℙ *Simile est* antique, similis est. *Titin.* ap. *Non.* 3, 205. Formicae pol persimile est rusticus homo. *Naev. ib.* Pol haud parasitorum simile est; et *ib.* Tu pueri pusilli simile es. ℙ *Simile* adv. V. s. l. ℙ *Similis* fuit etiam cogn. R., ut P. Sulpicius Similis praefectus Aegypti sub Trajano Aug., ut ex *vet. Inscr.* probavit *J. Labus.* in *Dissert. di un' Epigr. Lat.* p. 101.

SĪMĬLĪTAS, atis, f. similitudo. *Vitr.* 2, 9. *med.* Non potest id robur, quod abies, nec cupressus, quod ulmus, nec ceterae easdem habent inter se naturae rerum similitates. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 827. Vide, quid fert morum similitas.

SĪMĬLĪTER, adv. ὁμοίως, cum similitudine, simili ratione, pariter, item, aeque. *Pl. Men.* 1, 2, 36. Age, me aspice: ecquid assimulo similiter? *Cic. Brut.* 66. Omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. *Id. Or.* 3, 54. Et illa quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter. *Id. Or.* 2, 16. *f.* Qui certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua non incommode persequuntur: similiter arbitror in hac ratione dicendi. ℙ Cum dativo. *Plin.* 11, 25, 30. Aranei pariunt vermiculos ovis similes: etc. similiter his et scorpiones terrestres, vermiculos ovorum specie pariunt. ℙ Post se easdem particulas, quas *similis*, regit. *Cic. Off.* 1. 25. Similiter facere eos, qui contenderent, etc. ut si nautae certarent, etc. *Id. N. D.* 3, 3. *extr.* Similiter facis, ac si me roges, cur, etc. *Id. Phil.* 1, 4. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. ℙ *Similiter et* pro *ac*, vel *ut*, quidam recte leg. *Fin.* 2, 7. *med.*, [quod aliis exemplis confirmat *J. A. Goerenzius.* V. *Ciceronis l. c.* ex *Fin.* 4, 12. in SIMILIS. *F.*] ℙ Gradus V. in SIMILE.

SĪMĬLĪTŪDO, inis, f. ὁμοιότης, species, forma eadem, imago, collatio, exemplar. *Cic. Inv.* 1, 41. Omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. *Id. Fin.* 5, 24. Gloria habet formam honestatis, et similitudinem. *Id. Off.* 3, 4. Similitudinem quandam gerebant speciemque sapientum. *Id. Phil.* 7, 2. *med.* Nos ab ineunte aetate studiorum societas similitudoque conjunxit. *Id. Or.* 2, 87. Haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam est et similitudo, habet hanc vim, ut, etc. *Id. Brut.* 16. *med.* Est nonnulla in iis etiam inter ipsos similitudo. *Id. N. D.* 2, 64. *med.* Ut exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae. *Caes. B. C.* 3, 48. Genus radicis, quod admixtum lacte multum inopia levabat. Id ad similitudinem panis efficiebant. *Cic. Leg.* 1, 8. *med.* Est igitur homini cum Deo similitudo. ℙ [*Sunt qui ad modum aliorum *substant.*, quae cum adjectivi vel verbi, unde deriventur, jungi casu soleant, etiam v. *similitudo* cum dativo construi posse doceant; laudantes in suam sententiam *Cic. N. D.* 1, 34. *f.* Ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus, quam figura: ubi v. *Heindf.*, qui comp. *Heusing.* ad *Vechner. Hellenolex.* 1, 2, 17. p. 264. porro *Plat. Theaetet.* §. 84. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. et *Mos.* Contra disputat *Wopk.* in *Lectt. Tull.* 2, 3. et *Orell.* ad h. l., qui *ad similitudinem* non ad *deo* referendum, sed absolute intelligendum, quod ad similitudinem attinet: *deo* autem pendere a v. *propius* docent.] ℙ Apud rhetoras est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile, ut *Auct. ad Her.* 4, 45. definit. Item locus et sedes argumentorum: qui dicitur locus a simili. *Cic. Top.* 10. et *Or.* 2, 40. De his *Quint.* 8, 3. *med.* Praeclare ad inferendam rebus lucem repertae sunt similitudines: quarum aliae sunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compositae. ℙ De imagine picta aut sculpta formam alicujus referente. V. SIMILIS. *Cic. Or.* 2. *f.* Nec vero ille artifex, cum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret. *Sen. ep.* 71. Nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi, etc. *Plin.* 35, 12, 43. Fingere ex argilla similitudines, Dibutades figulus primus invenit; et 34, 7, 18. Similitudines exprimere; et 35, 10, 36. *n.* 14. Imaginem adeo similitudinis indiscretae pinxit, ut, etc. ℙ De imitatione dicendi. *Cic. Or.* 2, 23. Hanc similitudinem qui imitatione assequi volent, tum exercitationibus crebris, tum scribendo maxime persequatur; et *mox:* Esse multos videmus, qui neminem imitentur, et suapte natura quod velint, sine cujusquam similitudine consequantur. [*In duobus his modo laud. locis v. *similitudo* est i. q. nos dicimus *Vorbild.* Simili notione, quamquam in alia re, positum est ap. *Eund. Univ.* Nullius animantis deus in fingendo mundi similitudinem secutus est. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.]

SĪMĪNĪNUS, a, um, adj. *Obseq. Prod.* 103. In Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter simininо capite. ℙ *Siminina herba* est, quae Graece pythecion dicitur, et cynocephalion, et ab Italis cerebrum canis. *Appul. Herb.* 86.

SĪMĬŎLUS, i, m. πιθήκιον, parvus simius: et translate homo nequam et nullius pretii. *Cic. Fam.* 7, 2. *med.* Hic simiolus animi causa me, in quem inveheretur, delegerat.

[SIMITTŪRNSIS, e, adj. ad coloniam pertinens in Numidia, cui Simittu nomen, haud longe a Bulla Regia, cujusque mentio est in *Antonini Itin.* Hinc *Plin.* 5, 4, 4. Oppida civium Romanorum, Simittuense, Thunusidense, etc. *F.*]

SĪMĬTU, adv. ἅμα, una, simul, eodem tempore: vox antiqna, et fere comica. *Pl. Amph.* 2, 1, 84. Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum. *Id. Merc.* 1, 2, 8. Ita tres simitu res agendae sunt. *Id. Truc.* 1, 2, 6. Ut simitu adveniunt ad scorta congerrones, *h. e.* simul atque. Adde *Ps.* 4, 2, 55. et al. ℙ [Cum paenultima longa. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 814. Gratia habetur utrisque, illique, sibique simitu. *Inscr.* ap. *Fea Framm. de fast. cons.* p. 10. n. 26. Planctibus heu miserae matris, patrisque simitu. Haec vero pertinet ad ann. a Chr. n. CXXI. *F.*]

SĪMĬUS, ii, m. V. in SIMIA.

SĪMO, ās, a. 1. simum facio *Non.* 2, 771. Simat, deprimit. Lucilius lib. VII. Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim.

SĪMO, onis, m. nomen propr. hominis, a simis naribus ductum. Persona senex est ap. *Pl. Most.* et *Ps.* et *Ter. Andr.* ℙ Scribit *Plin.* 9, 8, 7. et ex eo *Solin.* 12., delphinos, cum simum rostrum habeant, *simones* dici, et hoc nomen miro modo agnoscere, et malle ita appellari. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 991, 2. Q. Talonius Q. L. Simo. *F.*]

*SĪMŌIS, entis, m. Σιμόεις, fluvius, qui ex Ida monte Trojano defluens, juxta Trojam labitur; et mari appropinquans, commiscetur Xantho, et in paludem cogitur. Deinde exit in mare juxta Sigaeum promontorium. *Virg. A.* 1, 622. et 6, 88. *Hor. Epod.* 13, 21. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

SĪMON, ōnis, m. Σίμων, nomen propr. D. Petri apostoli, antequam Christum secutus esset: est Hebraice שִׁמְעוֹן *simòn*, obediens, a שָׁמַע *samàh*, obedivit. *Juvenc.* 4, 184. mentemque Simonis Circumstant tristem verbis praesagia Christi. [*Emendavit hunc locum *F.* *Meminit *Id.* 1, 452. *Sedul.* 3, 451. ubi quantitas metrica eadem est. ℙ Et historicus, qui *de re equestri* scripsit. *Plin.* 34, 8. ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Sarmenem.* ℙ Et dux insignis, Judaeus. *Tac. H.* 5, 9. ℙ Fuit et Simon insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. ℙ et pictor. *Id.* 35, 11. *B. A.*]

*SĪMŌNIĀNI, orum, Simonis magni asseclae. *Is. Or.* 8, 5. ℙ Fuit autem hic Simon magus quidam atque impostor, Samaria oriundus, a Petro Spiritus Sancti gratiam mercari volens. Inde Simoniae nomen inditum. *B. A.*

*SĪMŌNĪDES, is, m. Σιμωνίδης, Ceus, poeta melicus. V. in SIMONIDEUS, a, um. Alius Simonides, prioris ex filia nepos. *Cic. de re publ.* 2, 10. ed. *A. Maio. B. A.*

SĪMŌNĪDĔUS, a, um, adj. Σιμωνίδειος, ad Simonidem pertinens. *Catull.* 38, 7. Paulum quidlibet adlocutionis Moestius lacrimis Simonideis, *h. e.* carmine lugubri, et neniis, quibus scribendis praecipue inclaruit Simonides, Σιμωνίδης, poeta Ceus, de quo *Quint.* 10, 1. scribit, praecipuam ejus virtutem fuisse in commovenda miseratione: ut quidam in hac

eum parte omnibus ejusdem operis auctoribus praeferant. V. CEUS adj.

SIMPLĀRIS, e, adj. simplus, simplex, [ut in militia *simplaris* dicitur, qui unam, seu simplicem accipit annonam; duplaris, qui duplam. *Veg. Mil.* 2, 7. Armaturae duplares, quae binas consequuntur annonas: simplares, quae singulas; et *mox*: Candidati duplares, candidati simplares. *F.*] V. DUPLARIS et CANDIDATUS.

SIMPLĀRĬUS, a, um, adj. simplaris, simplus. *Simplaria venditio*, pro qua necesse venditor non habet de dupla emptori repromittere, sed de simpla dumtaxat. *Pomp. Dig.* 21, 1, 48. *extr.* Simplariarum venditionum causa ne sit redhibitio, in usu est. Alii leg. *simplarium*, a *Simplaris*.

SIMPLEX, icis, adj. omn. gen. ἁπλοῦς, purus, uniusmodi, qui una re constat, nihil aliud habet adjunctum, nullo modo est compositus, ut sunt elementa rerum, aer, aqua, etc., cui opponitur *duplex*, *multiplex*, *varius*, etc. Dictum putant, quasi *sine plica*. *Cic. N. D.* 2, 11. Omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] *Id. Fat.* 13. Quaedam sunt in rebus simplicia, quaedam copulata. *Id. Inv.* 2, 57. Esse quasdam cum adjunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. *Quint.* 1, 5. *in.* Verba sunt aut nostra, aut peregrina; aut simplicia, aut composita; aut propria, aut translata. *Cic. Or.* 24. Ornatus verborum duplex: unus simplicium, alter collocatorum, *h. e.* cum singula et sola considerantur. *Id. Font.* 6. Unum est et simplex aurium judicium; et *Sull.* 3. Simplex officium, atque una est bonorum omnium causa, *Id. Caecin.* 2. Nihil est in re praesertim aperta ac simplici, quod excellens ingenium requiratur. *Ter. Heaut. prol.* 5. Hodie sum acturus Heautontimorumenon, Duplex quae ex argumento facta est simplici. [**Tanaq. Faber.* et *Bentl.* verissime legunt *simplex*, *quae ex argumento facta est duplici*, i. e. una fabula est, sed argumentum duplex, duo senes, duo adolescentes, duae amicae. Ita *Ruhnk.* ad h. l.] *Ov. Am.* 2, 6, 32. Pellebatque sitim simplicis humor aquae; et *Nep. Timol.* 1. Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est, [*i. e. varia et mutabili. V. *Brem.*] *Hor. Od.* 4, 14, 13. plus vice simplici; et *Ov. Met.* 6, 254. Simplex vulnus; et *Tac. H.* 5, 23. Naves, quae simplici ordine agebantur. [**Auct. B. Alex.* 37. et *Afr.* 13. 59. aciem simplicem dirigere, i. e. milites ita in acie collocare, ut unus tantum ordo sit.] *Quint.* 9, 4. *med.* Quod habet non simplicem differentiam, *h. e.* non unam, sed plures. *Cic. Inv.* 2, 1. *f.* Nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura constituit, *h. e.* uno in genere. *Plin.* 25, 7, 36. et *ib.* 10, 77. Herba simplici caule. *Id.* 16, 39, 76. Larix, abies, pinus quadripartitos venarum cursus bifidosque habent, vel omnino simplices, *h. e.* recta discurrentes. Sic *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* Auditus flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret. *Quint.* 9, 1. *med.* In armorum certamine adversos ictus, et rectas ac simplices manus cum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est: aversae tectaeque minus sunt observabiles. ℙ *Simplex cibus*, purus, non varius, et multiplici condimento carens. *Plin.* 11, 53, 117. Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera, et condimento perniciosior. *Hor. Sat.* 2, 2, 72. memor illius escae, Quae simplex olim tibi sederit. *Tac. G.* 23. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Adde *Mart.* 4, 30. ℙ *Simplex mors*, quae una tantum de causa venit: contra *gemina*, et *non una*, quae ex pluribus simul. *Suet. Caes.* 74., *Just.* 12, 10. et 44, 4., *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *G.* 3, 482., *Virg. ib.*, *Lucan.* 3, 751. [*Recte *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 718. *simplicem mortem* explicat non cum cruciatu conjunctam: scil. servi sub furca caesi in crucem agi solebant.] ℙ Est etiam apertus, sincerus, candidus, minime callidus, aut versutus, aut vafer: [*ut nostr. *einfältig*. V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 52. *Beier* ad *Cic. Off.* 1. p. 148.] *Cic. Planc.* 9. Tota illa aspera, et montuosa, et fidelis, et simplex, et fautrix suorum regio se hujus honore ornari arbitrabatur. *Id. Att.* 10, 6. Mirabilia multa: nihil simplex, nihil sincerum. *Ov. Her.* 12, 89. haec animum movere puellae Simplicis. *Id. Met.* 15, 120. Quid meruere boves, animal sine fraude, dolisque Innocuum, simplex? *Id. Her.* 17, 176. Simplicis utamur commoditate viri; et *Stat. Achill.* 2, 171. Heu simplex nimiumque rudis, qui callida dona, Grajorumque dolos, variumque ignorat Ulyssem! *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. *f.* Trebatius tuum erga me animum simplicem atque amicum aperuit. *Tac. G.* 22. Simplices cogitationes; et *Hor. Sat.* 1, 3, 63. Simplicior si quis, qualem me saepe libenter Obtulerim tibi, Maecenas, etc. *Sen. Ira* 2, 16. *f.* Simplicissimi omnium habentur iracundi: fraudulentis enim et versutis comparantur, et simplices videntur, quia expositi sunt. *Mart.* 10, 20. Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis, *h. e.* teneris, rudibus, et nondum doli capacibus. *Suet. Tib.* 61. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum, [*h. e. apertorum, in quibus nulla fraus vel dolus. Ita *Quint. Inst.* 9, 2, 59. quae simplicem quandum et non praeparatam ostendendo orationem minus nos suspectos judici faciunt. Contra §. 69. verba dubia et quasi duplicia dicit. V. in SIMPLICITER.] et *Petr. Sat.* 101. Se nullum dolum malum consilio adhibuisse, sed mente simplicissima et vera fide in navigium comites induxisse. [**Vell.* 2, 129, 1. simplex virtus: opp. ostentationi et arrogantiae; et 116, 4. simplicissimus dux. ℙ *Simplex* opponitur etiam ancipiti, significatque illud, quod sine periculo fieri potest. *Cic. Att.* 12, 7. Simplex est manere (filium) illud (scil. in Hispaniam ire) anceps.]

SIMPLĪCĪTAS, atis, f. ἁπλότης, ratio rei simplicis, non involutae, non mixtae, aut variae. *Plin.* 13, 15, 30. Mensae vitia, lignum: ita vocatur materia surda, et indigesta simplicitas, aut platani foliorum modo digesta, *h. e.* non crispa, non virgata, maculis non distincta. ℙ Translate est ingenuitas, sinceritas animi, ubi dolus abest, aut versutia: [*nostr. *Einfalt*. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 64.] *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Pinxit pueros duos, in quibus spectatur securitas, et aetatis simplicitas; et *ib.* de Apelle: Fuit non minoris simplicitatis, quam artis; nam cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris. *Ov. A. Am.* 1, 241. Tunc (*in vino*) aperit mentes aevo rarissima nostro Simplicitas. *Id. Am.* 2, 4, 17. Sive es docta, places raras dotata per artes: Sive rudis, placita et simplicitate tua. *Id. Her.* 16, 314. Utere non vafri simplicitate viri. *Id. Am.* 1, 3, 14. Simplicitas nuda. *Id. A. Am.* 3, 113. rudis. *Mart.* 10, 47. prudens; et 11, 20. Romana *Vell.* 2, 125. *f.* generosissima. [*Usitatissimum est hoc sensu *Vell.* Cf. praeter l. l. 2, 10, 3. simplicitatis nobilissimae juvenis; et 72, 3. eminentissimae simplicitatis vir; et 43, 4. viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest: ubi justitiae officia et verecundiae bonitatisque hac voce significari videntur. *Suet. Claud.* 25. simplicitate eorum et fiducia motus, *h. e.* ingenio aperto, ab omni dissimulatione alieno, nostr. *Geradheit, natürliche Offenheit*. V. in SIMPLEX.]

SIMPLĪCĬTER, adv. ἁπλῶς, singulariter, sine adjuncto, absolute. *Cic. Inv.* 2, 3. *f.* Exponere aliquid simpliciter sine ulla exornatione; et *ib.* 33. *med.* Quaedam genera causarum simpliciter, et ex sua vi considerantur: quaedam sibi aliud controversiae genus assumunt. *Id. Top.* 22. Cum quaeritur, quale quid sit, aut simpliciter quaeritur, aut comparate. *Id. Or.* 3, 37. Verborum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde conjuncte. *Ov. A. Am.* 1, 106. frondes Simpliciter positae, scena sine arte fuit; et *Plin.* 16, 16, 27. Bruscum intortius crispum, molluscum simplicius sparsum, *h. e.* rectiore venarum discursu. *Hieron.* l. *in Matth.* 2, 23. Nunquam diceret per prophetas, sed simpliciter, per prophetam. ℙ Translate est aperte, sincere, sine dolo, sine astutia, sine simulatione. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Cavendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias videaris. *Plin. ep.* 5, 3. Amice simpliciterque reprehendere aliquem. *Liv.* 34, 57. Ignorare se dixit, quidnam perplexi sua legatio haberet, cum simpliciter ad amicitiam petendam venissent. *Cic. ad Quir.* 10. Mihi neque in sententia simpliciter referenda fidem, nec in perferendo labore industriam defuturam. *Id. Arch.* 12. Quae de causa breviter simpliciterque dixi, ea confido probata esse omnibus. *Id. Off.* 2, 9. Si est simpliciter breviterque dicendum. *Plin. ep.* 1, 13. Alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere, *h. e.* sine simulatione. *Id. ep.* 6, 22. Qui se simpliciter credunt amicis, *h. e.* parum caute, inconsulte. *Tac. H.* 3, 53. *f.* Simultates Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque implacabilius nutriebat, *h. e.* apertius; et *ib.* 1, 15. *f.* Ego, ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur. *Curt.* 8, 14. *extr.* Simplicius famam aestimabat in hoste, quam in cive. [*Cf. quae notata sunt in SIMPLEX.]

SIMPLĪCĬTUS, adv. simpliciter. Plaut. Merc. (*prol.* 14.) Sed eam simplicitus dicam, si opera est auribus. Ita *Non.* 2, 825., sed lege: Sed, ea ut sim implicitus, dicam, si, etc.

SIMPLĪCO, as, a. 1. simplum facio. *Pall.* 2, 15. *med.* Lapis subter, vel testa ponenda est, ut radicem non simplicet, sed repercussa respergat, *h. e.* unam tantum radicem non emittat. Eand. sententiam, sed aliis verbis habet *Colum.* 5, 10. *med.* et *Arb.* 22.

SIMPLŪDĬĀRĬA funera sunt, in quibus adhibentur dumtaxat simpli ludi: quasi *simpliludiaria*. His opponuntur indictiva, in quibus adhibentur non ludii modo, sed etiam desultores. *Festus.*

SIMPLUS, a, um, adj. ἁπλοῦς, unicus, simplex, non duplus, aut multiplex. *Cic. Top.* 11. *med.* Alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea quae cum aliquo conferuntur, ut duplum simplum, multa pauca, longum breve. *Pl. Poen.* 5, 6, 25. Obsecro te, ut liceat simplum solvere, *h. e.* tantum dumtaxat, quantum debeo, non duplum: quia alius dixerat *ib.* 14. Duplum pro furto mihi opus est. *Liv.* 29, 15. *med.* Alii negare, tantum militum effici posse: vix, si simplum ex formula imperetur, enixuros. ℙ *Simpla* ap. JCtos quid sit, V. in DUPLUS.

[SIMPTAX, acis, f. hoc nomine ap. Dacos appellatur plantago, vel arnoglossa. *Appul. Herb.* 1. *F.*]

SIMPŪLĀRĬĀRĬUS, ii, m. qui simpula facit *Inscr.* ap. *Mur.* 965, 2. M. Minucius M. libertus Lampadius simpulariarius vivus fecit S. et suis, etc.

SIMPŪLĀTOR, oris, m. V. in SIMPULO.

SIMPŪLĀTRIX, icis, f. mulier rebus divinis dedita: a *simpulum*. *Fest.* Simpulum vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libatur: unde et mulieres rebus divinis deditae simpulatrices dicuntur.

SIMPULLUM. V. in SIMPULUM.

SIMPŪLO, onis, m. *Fulg. de prisco serm. n.* 47. Summates dicuntur viri potentes: simpulones dicuntur convivae: nam et amicus sponsi, qui cum eo per convivia ambulat, simpulator dicitur. Sutrius (al. *Succius*) in comoedia piscatoria: Summates viri simpulones (al. *simpolones*) facti sunt ganei. *Gloss. Isid.* Simpulator, conviva, amicus sponsi, assiduus cum eo in convivio.

SIMPŪLUM, i, n. calix, quo vinum in sacrificiis libabatur, κύαθος. *Festus:* Simplum vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libatur. Originem afferre conatus est *Varro L. L.* 4, 26. *med.* his verbis: Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt: et quo sumebant minutatim, a sumendo simpulum nominavere. ℙ In hujusce locum in conviviis e Graecia successit epichysis et cyathus; in sacrificiis remansit guttus et simpulum. *Appul. Apol.* Eadem paupertas etiam populo R. imperium a primordio fundavit: proque eo in hodiernum Diis immortalibus simpulo et catino fictili sacrificat. Adde *Cic. Har. resp.* 11. et *Arnob.* 4, 148., ubi alii leg. *simpuvium*. ℙ *Excitare fluctum in simpulo* proverb. tragoedias agere in nugis, ut ait *Cic. Or.* 2, 51. in re levi turbas movere, in parva republica tumultum ciere. *Cic. Leg.* 3, 16. Excitabat fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius ejus in Aegaeo excitavit mari. ℙ Pro *simpulum* quidam legunt *simpullum* ap. *Juven.* 6, 342. et *Prud. περὶ στεφ.* 2, 514., quibus locis plerique omnes *simpuvium*.

SIMPŪVIATRIX dicitur mulier, quae simpuvium porrigit in sacrificiis. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 343.

SIMPŪVIUM, ii, n. vas ligneum esse docet *Non.* 15, 12., sed et fictile fuit, et quidem vinarium: et usum habuit in sacris: idem omnino quod *simpulum*, aut valde simile. A *bua*, h. e. potione, unde *imbuo*, dictum quidam putant: alii a *συμπίνω*, quasi *sympinium*, quod sacerdotes ex eo simul bibebant. *Plin.* 35, 12, 46. In sacris, etiam inter has opes hodie non murrhinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpuviis. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Ipsi illi Libero simpuvio vinitari. V. VINITO. (Adde 15, 21.) *Cic. fragm.* ap. *eund.* 4, 434. Quam simpuvia pontificum Diis immortalibus grata sint, Samiaeque capedines. *Juven.* 6, 341. Et quis tunc hominum contemptor numinis? et quis Simpuvium ridere Numae, nigrumque catinum Ausus erat? *Arnob.* 7, 235. Date, quaeso, immortalibus Diis bibant: scyphos, brias, pateras, simpuviaque depromite. Est qui leg. *sympiniaque*. V. SIMPULUM.

SĪMUL, adv. ἅμα, ὁμοῦ, una, pariter, cum. [*Significat temporis conjunctionem: quo differt *una*, quae vox conjunctionem loci, facti et conditionis indicat. Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 12, 17. Unde parum videtur, quod veluti contra propriam part. notionem *Noster* infra laudaverat: referri etiam ad tempus, et significare eodem tempore: coll. *Charis.* 2, 197. *Una* locum, *simul* vero spatium designat. Recte itaque dicimus: *simul consules fuerunt*, *una ambulabant*; et *Corn. Front. ib.* p. 2193. *Simul* locum demonstrat, *una* congregationem. Neque exempla, *Pl. Amph.* 2, 2, 83. *Cic. Brut.* 64. *Id. Att.* 1, 1. *med.* et *ib.* 16. quibus sententiam firmaverat, differunt ab iis, quae deinceps congesta videmus.] *Cic. Att.* 5, 10. *f.* Propter vicinitatem totos dies simul eramus invicem. *Hor. Sat.* 1, 5, 31. interea Maecenas advenit, atque Coccejus, Capitoque simul Fontejus. *Ter. Andr.* 3, 2, 31. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio. *Pl. Amph.* 1, 1, 69. Colloquuntur simul: convenit; et 2, 2, 172. Coenavisti mecum: ego accubui simul. *Id. Most.* 1, 2, 64. Nunc simul res, fides, fama, virtus, decusque deseruerunt. *Id. Truc.* 1, 1, 25. Si iratum est scortum forte amatori suo, bis periit amator, ab re, atque animo simul. ℙ Admittit *cum* et ablativum. *Cic. Verr.* 2, 4, 31. Tui nominis aeterna memoria simul cum templo illo consecratur. *Id. Fam.* 15, 4. *med.* Cum Q. frater legatus mecum simul cohortibus praeesset; et *ib.* 16, 9. Eodem tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia. *Nep. Eum.* 3. *med.* Intelligebat, si copiae suae cognossent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras, *h. e.* statim ac nuntiatum esset. ℙ Et omissa praepositione. *Hor. Sat.* 1, 10, 84. te dicere possum, Pollio; te, Messala, tuo cum fratre; simulque Vos, Bibule, et Servi; simul his te, candide Furni. *Tac. A.* 4, 55. Hypaepeni, Trallianique, Laodicenis, et Magnetibus simul, transmissi, ut parum validi. *Sil.* 3, 268. His simul, immitem testantes corpore solem, Exusti venere Nubae. Adde 5, 417. et *Tac. A.* 3, 64. et *ib.* 6, 9., *Sen. Troad.* 1015. et *Sever. Actn.* 57. Adde etiam *Ov. Trist.* 5, 10, 29. Quippe simul nobis habitat discrimine nullo Barbarus. Alii leg. *nobiscum*.

[*Ramsh. §. 149. p. 459. perperam docet: esse hunc ablativum loci. In eo tamen verum vidit: simul c. abl. absol. minus frequenter usurpari, quam cum praepos. *cum* et *abl.* ℙ Ex iis, quae supra de discrimine partt. *simul* et *una* disputavimus, satis apparet, quomodo utraque conjungi possit, quod haud raro fieri imprimis apud poetas solet: Noster laud.] *Pl. Pocn.* 3, 1, 50. Omnes simul didicimus tecum una, ut respondere possimus tibi. *Ter. Heaut.* 5, 1, 34. Clinia haec fieri videbat mecum una simul, [*ubi *Ruhnk.* per pleonasmum *una* et *simul* jungi vult: quod non continuo verum praedicaverim, licet illud non negaverim, multis in locis ita rem esse comparatam, ut una harum partt. pro altera posita parum mutare sententiam videatur. Est vero, ut in comici poetae sermone, abundantiae genus quoddam, quod recte *Noster* infra notaverat, ap. *Pl. Amph.* 2, 1, 17. Nec potest fieri, tempore uno homo idem duobus locis ut simul sit.] ℙ Pro statim, postquam, quamprimum. *Cic. Acad.* 4, 27. Simul inflavit tibicen, a perito carmen cognoscitur. *Id. Fam.* 6, 18. Simul accepi a Seleuco tuo litteras, statim quaesivi e Balbo, etc. Utroque loco est qui leg. *simul atque*, aut *ac*, vel *ut:* quemadmodum et in illo *Fin.* 3, 6. Simul autem cepit intelligentiam, multo eam pluris aestimavit; et *Att.* 8, 11. *f.* Simul aliquid audiero, scribam ad te. [*Orell. ubique *simul* absolute positum exhibet.] *Ter. Phorm.* 5, 4, 4. Hic simul argentum repperit, cura se expedivit. *Liv.* 26, 24. Simul clamor, index capti oppidi, est exauditus, undique Aetoli, desertis stationibus, in arcem fugiunt. *Hor. Od.* 3, 4, 37. Vos Caesarem altum, militia simul Fessas cohortes reddidit oppidis, Pierio recreatis antro. (Sic alibi saepe.) *Ov. Fast.* 1, 567. Quod simul evulsum est, fragor aethera terruit ipsum. *Phaedr.* 3, 16. Simul cognovit vocem laudari suam, Cupide advolavit. *Lucr.* 6, 1022. Quod simul est rarior aer factus, continuo fit, ut, etc. *Liv.* 23, 29. *f.* Simul inclinatam aciem Mauri viderunt, extemplo fuga effusa nuda cornua deseruere. *Id.* 4, 5. Simul ego vocare tribus in suffragium coepero, tu statim sacramento juniores adiges. *Id.* 6, 1. Fabio, simul primum magistratu abiit, ab tribuno dicta dies est. [*Cf. *Drak.* ad *Liv.* 6, 1, 6. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 6, 18. *Vechner. Hellenol.* p. 141. sq. *Görenz.* ad *Cic. Legg.* 1, 3, 9. *id.* ad *Acadd.* 2, 61, 51. et ad *Fin.* 3, 6, 21. Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 9.] ℙ Saepius hoc sensu habet post se *ac*, *atque*, *et*, *ut*. *Cic. N. D.* 1, 38. *f.* Simul ac mihi collibitum est, praesto est imago. *Id. Verr.* 2, 1, 13. Simul ac primum ei occasio visa est, quaestor consulem deseruit. [*Simulac primum est* Gr. ὡς πρῶτον. Cf. *Suet. Caes.* 30. *Ner.* 43. et *Burm.* et *Brem.* ad utrumque locum; *intpp.* ad *Liv.* 6, 1, 6.] *Cic. Mur.* 10. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt. *Id. Att.* 10, 16. *f.* Epistola tua, quam accepi, simul et in Cumanum veni, eodem die. Alii leg. *simul ut.* [*Orell. habet *et.*] *Catull.* 64, 31. Quae simul optatae finito tempore lucis Ut venere, domum conventu tota frequentat Thessalia. *Cic. Fin.* 2, 11. Omne animal, simul ut ortum est, et seipsum, et omnes partes suas diligit. ℙ [*Neque mutatur particulae notitia, cum nectendis inservit orationis singulis partibus; (*Noster:* jungit et diversas causas) semper enim significat temporis conjunctionem. *Forc.* laudaverat ita:] *Sall. Jug.* 27. Hi, quod in invidia res erat, simul et a Numidis obsecrati, triduo navim ascendere; et *ib.* 97. Milites modesto imperio habiti, simul et locupletes, Marium ad coetum ferre. [*Docet *Cort.* multis exemplis laudatis ad *Sall. Cat.* 19, 2. crebro Sallustio hanc vocem ut particulam copulat. usurpari in sententiis connectendis, si levior quaedam ad graviorem adjiciatur.] *Caes. B. C.* 3, 43. Caesar circumvallare Pompejum instituit, haec spectans, quod angusta re frumentaria utebatur; quod Pompejus multitudine equitum valebat, etc. simul ut pabulatione Pompejum prohiberet; tertio ut auctoritatem minueret. [*Adde *Suet. Ner.* 21. intravit ordine suo, simul praefecti praet. citharam sustinentes, post tribuni mil., juxtaque amicorum intimi; et *Vesp.* 6. exemplar epistolae — simul rumor — praeterea — et.] ℙ Pro similiter, pariter. *Cic. Verr.* 1, 4. Cujus praetura urbana aedium sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio: simul in jure dicundo, bonorum possessionumque, contra omnium instituta, addictio. *Pl. Capt.* 1, 1, 11. Ubi res prolatae sunt, cum rus homines eunt, simul prolatae res sunt nostris dentibus. [*Ita saepissime dicitur sequentibus *ac*, *atque*, *que*, *et*. Nubem exemplorum habes ap. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 429. Quaedam praebet etiam *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 718.] ℙ Nonnunquam geminatur, ut *tum tum:* similemque usum habet. *Caes. B. G.* 4, 13. *med.* Germani frequentes ad eum venerunt, simul sui purgandi causa, simul ut, si quid possent, de induciis impetrarent. *Liv.* 2, 65. Increpando simul temeritatem, simul ignaviam, pudore metum excussit. *Id.* 29, 35. Simul et a classe navales socii, simul et terrestris exercitus urbi est admotus. [*Adde *Suet. Caes.* 67. simul et ad speciem, et quo sq. ubi v., quae *Oudend.* docte disputavit contra *Burm.*, qui in Addendis cum *Cort.* ad *Plin. ep.* 2, 17, 5. deletum voluit *et* prius post *simul.* Excitavit ille *Caes. B. G.* 4, 24. simul et de navibus desiliendum, et in fluctibus pugnandum; et 7, 48. simul et cursu et spatio pugnae defatigati. V. *Duk.* et *Drak.* ad *Liv.* 26, 43, 6., ubi *J. Fr. Gronov.* et ipse exemplis prius *et* post *simul* impugnaverat, *Drak.* ad 32, 18, 3. 33, 12, 2., ubi utriusque usus plurima exempla dedit. Ita Graeci utriusque usus plurima exempla dedit. Ita Graeci modo ἅμα, καὶ, modo ἅμα τε, καὶ, modo ἅμα μὲν, ἅμα δὲ et hoc nonnunquam repetitum: cf. *Lex. Xenoph.* s. v. ἅμα. Dedimus haec ex *B. Crusii cl. Suet.* p. 718. sq.] *Tac. Agr.* 25. Cum simul terra, simul mari bellum impelleretur. ℙ [*Confund. *simul* et *semel.* V. h. v. in f.]

SĬMŪLACRUM, i, n. εἴδωλον, ἄγαλμα, imago, forma, effigies [*ad alicujus similitudinem efficta.] a *simulo. Cic. Arch.* 12. Statuae et imagines non animorum simulacra, sed corporum. *Id. Verr.* 2, 2, 65. *f.* Forsitan vix convenire videretur, quem ipsum hominem cuperent evertere, ejus effigiem simulacrumque servare. *Id. Inv.* 2, 1. Zeuxis Helenae se pingere simulacrum velle dixit. *Tac. A.* 2, 41. Vecta *(in triumpho)* simulacra montium, fluminum, proeliorum. *Id. H.* 2, 3. Simulacrum Deae non effigie humana. *Plin.* 5, 5, 5. Balbus in triumpho gentium urbiumque nomina ac simulacra duxit. [*Plin. *Pan.* 16, 3. falsae simulacra victoriae. V. *Gierig.*] *Plin.* 15, 11, 10. Simulacra noctium conscia, *h. e.* imagines Deorum, qui cubiculis dormitoriis praesunt. *Virg. A.* 2, 172. et 232. simulacrum vocat equum durateum Trojae fatalem. ℙ [*Simulacrum est etiam id, ad cujus formam, effigiem aliquid effingitur. *Suet. Caes.* 84. Aurata aedes ad simulacrum templi Veneris Gen., h. e. ad formam; ad similitudinem. V. *Duk.* ad *Flor.* 4, 2, 88.] ℙ Translate est quodcumque signum, nota, imago, similitudo. *Cic. Fam.* 10, 1. In republica nec leges sunt, nec judicia, nec omnino simulacrum aliquod, aut vestigium civitatis. *Id. Off.* 1, 15. Vivitur non cum perfectis hominibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis, [*i. e. similitudines honesti. V. *Beier.*] *Id. Div.* 2, 33. *extr.* Haec simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. *Virg. A.* 5, 585. pugnaeque cient simulacra sub armis, i. e. ludicras pugnas. *Lucr.* 2, 42. belli simulacra ciere. *Liv.* 29, 2. Classem in portu, simulacrum edentem navalis pugnae, ostendit. *Sil.* 7, 119. pugnaeque agitat simulacra futurae. *Stat. Theb.* 8, 341. et vati *(Amphiarao)* mortis simulacra rependit, *h. e.* tumulum inanem, ut ait *Virg. A.* 6, 505., funus imaginarium, fictas exsequias. *Pl. Most.* 1, 2, 6. Alicujus rei similem esse, et simulacrum habere. ℙ [*Significat *simulacrum* etiam descriptionem, imaginem rei, quam quis oratione praebet. *Liv.* 24, 16. simulacrum celebrati ejus diei; et 45, 25. non inseram simulacrum viri copiosi, quae dixerit, referendo.] ℙ De spectris, quae noctu, aut in somno obversantur. *Plin. ep.* 7, 27. *med.* Ne vacua mens audita simulacra, et inanes sibi metus fingeret. *Virg. G.* 1, 478. simulacra modis pallentia miris Visa sub obscurum noctis. *Ov. Her.* 9, 39. simulacra inania somni; et *Am.* 1, 6, 9. noctem, simulacraque vana timebam. *Id. Met.* 3, 432. Credule, quid frustra simulacra fugacia captas? ℙ *Serv.* ad illud *A.* 4, 654. Et nunc magna mei sub terras ibit imago: haec habet: Tribus constamus, anima, quae superna est, et originem suam petit: corpore, quod in terra deficit: umbra, quam Lucretius sic definivit (4, 368.), spoliatus lumine aer. Ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo: nec est quicquam reliquum de homine, quod Inferos petat. Sed definierunt, esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum, Inferos petat: et est species corporea, quae non potest tangi, sicut ventus. Et post pauca monet, simulacra haec esse etiam eorum, qui per apotheosin Dii facti sunt: simul docet, a poetis usurpari promiscue umbram, simulacrum, imaginem. *Sil.* 13, 650. Succedunt simulacra virum concordia, patris, Unanimique simul patrui: ruit ipse per umbram, Oscula vana petens, juvenis. *Virg. A.* 2, 772. Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae Visa mihi ante oculos. *Prop.* 1, 19, 11. Illic quidquid ero, tua semper dicar imago. ℙ Inter simulacrum et statuam id ipsum interesse quidam putant, quod inter signum ac statuam, ut nempe illud Deorum sit, haec hominum. V. SIGNUM. Sed tamen et de hominibus *simulacrum* dici, ostendunt exempla supra posita. *Statuam* de Diis minus proprie dixit *Mart.* 12, 78. Ante Jovis statuam crepuit satur histrio.

SĬMŬLĀMEN, inis, n. προσποίημα, simulacrum, assimulatio, repraesentatio. *Ov. Met.* 10, 726. de Adonide: repetitaque mortis imago Annua plangoris peraget simulamina nostri. Loquitur de sacris annuis in honorem Adonidis, quae *Adonia* dicebantur, in quibus Adonis plangebatur, ac luctus Veneris referebatur. *Auson. Idyll.* 10, 228. Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes, *h. e.* gaudet videns in flumine imaginem sui.

SĬMŬLĀMENTUM, i, n. simulatio, fictio. Legitur ap. *Gell.* 15, 22. in *titulo*, ubi affert historiam de Q. Sertorio duce, deque astu ejus, commenticiisque simulamentis, etc., si modo ii tituli ullam habent in lingua Latina auctoritatem. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 65. Omnes protinus incolae cultu nil tristi, enim laeticiae simulamento obviam una muneribus effunduntur. *B. A.*

SĬMŪLANS, antis, part. a *simulo:* simulator, imitator. *Hor. Ep.* 2, 1, 240. aera Fortis Alexandri vultum simulantia. *Ov. Am.* 2, 6, 23. de psittaco: Non fuit in terris vocum simulantior ales. Alii leg. *simulacior* a *simulax:* quod placet *Heinsio*, displicet *Burmanno*, et aliis.

SĬMŪLANTER, adv. simulate, ficte. *Appul. Met.* 8. Quoad simulanter revicta Charite suscipit: Istud quidem, etc.

SĬMŪLĀTĒ, adv. ὑποκριτικῶς, ficte, simulanter. *Cic. N. D.* 2, 61. Impia consuetudo est contra Deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 4. Sint aures tuae, quae id quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate questus causa insusurretur. Alii leg. *aut simulate*, quasi inter haec duo discrimen sit. In *fragm. Petr.* p. 680. *Burm.* simulatius exit Proditionis opus, famamque onerare laborat.

SĬMŪLĀTĬLIS, e, adj. simulatus, fictus. *Venant. Vita S. Mart.* 2, 276. Nec stat imagineis simulatilis umbra figuris.

SĬMŪLĀTĬO, onis, f. [*proprie significat similitudinem, imitationemque. *Laud. Noster* in *f.* locum *Plinii* 11, 44, 100. Simiarum genera perfectam hominis simulationem continent, facie, naribus, auribus, etc. Ita *edd. vett. A.* 1470. et 1472. *Hard. al. similitudinem.* Porro *Juvenc.* 2, 554. de Elia: quem turbine jussa corusco Flammipedum rapuit simulatio quadrijugorum. Ita tamen differunt *simulatio* et *imitatio*, ut prius hoc esse vel sectari studeat, quod quis re neque est, neque esse potest vel debet: *imitatio* ea spectet, quae quis non habet, cum studio vero assequi cupit et potest. V. *Doederl.* 3, 12. coll. *Gron. Diatr. in Stat.* p. 72. *Hand.* Cf. SIMULATOR, SIMULATUS et SIMULARE. ℙ Hinc in malam partem dici solet de iis, quae sola quidem imitatione contenti nudam rei speciem, imaginem ita in medium proferunt, ut rem ipsam habere videantur: vana alicujus rei ostentatio, fictio, Gr. ὑπόκρισις, εἰρωνεία. Huc pertinent ex iis, quae *Forc.* laudaverat,] *Cic. Att.* 7, 1. *med.* Quam non est facilis virtus! quam vero difficilis ejus diuturna simulatio! *Id. Agr.* 2, 6. Ut totius reipublicae domini constituerentur, legis agrariae simulatione atque nomine. *Id. ad Quir.* 9. Qui per simulationem amicitiae me nefarie prodiderunt. *Id. Brut.* 14. L. Brutus summam prudentiam simulatione stultitiae texit. *Caes. B. G.* 5, 48. *extr.* Agere cum simulatione timoris; *Tac. H.* 1, 58. Saevitiam militum, plerosque ad poenam exposcentium, saepius approbat, partim simulatione vinculorum frustratur, *h. e.* in vinculis detinendo eos, qui a militibus proscebantur, ut morti subtraheret. *Id. ib.* 2, 61. Provocare arma Romana simulatione numinum ausus est, *h. e.* simulans, se Deum esse, et a Diis agi. [*Adde *Cic. Acad.* 4, 46, 140. Fallax imitatio simulatioque virtutis. ℙ Deinde in universum ponitur absolute pro cujuscumque generis ficta agendi ratione, fallacia, dolo.] *Cic. Off.* 2, 12. *med.* Si qui simulatione, et inani ostentatione, et ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. *Id. N. D.* 1, 2. In specie fictae simulationis pietas inesse non potest. *Vell.* 2, 48. *med.* Hic primo pro Pompeji partibus, mox simulatione contra Pompejum et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. *Cic. Or.* 2, 46. Nihil opus est simulatione et fallaciis. [*Adde *Caes. B. G.* 4, 13. perfidia et simulatione uti. Porro *Terent. Heaut.* 4, 5, 34. non meum est simulatio: ita leg. pro vulg. *non mea est sim.* V. *Bentl.* quem seq. *Ruhnk.*] ℙ In plur. num. *Id. A.* 4, 54. Agrippina simulationum nescia; et *ib.* 6, 45. *extr.* Simulationum falsa perdiscere. *Plin. Pan.* 72. *f.* Alia tristium inventio, alia gaudentium: neutrum simulationes expresserint. ℙ *Simulatio* est rei, quae nulla est: *dissimulatio* quae vere sunt, obtegit. *Cic. Off.* 3, 15. Ex omni vita simulatio, dissimulatioque tollenda est. V. DISSIMULO.

SĬMŪLĀTOR, oris, m. [*imitator. *Ov. Met.* 11, 634. Excitat artificem, simulatoremque figurae, Morphea. *Claud.* in *Eutrop.* 1, 303. Humani qualis simulator simius oris. Ita melius collocasse videmus hunc locum, quem *Noster* in *f.* posuerat: V. in SIMULATIO. ℙ Hinc plerumque malo sensu *simulator* dicitur, qui cum studio fallendi alicujus rei faciem, imaginem profert, Gr.] ὑποκριτής, *Sall. Cat.* 5. Animus audax, subdolus, varius, cujus rei libet simulator ac dissimulator: *simulator* falsi, *dissimulator* veri. *Tac. A.* 14, 57. Simulator segnitiae. *Lucan.* 4, 922. Ut sibi commisi, simulator Sabura belli. ℙ [*Deinde absolute *simulator* est, qui alia verbis proloqui alia continere solet animo.] *Cic. Off.* 1, 30. *med.* in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominaverunt, Socratem accepimus. [*Cf. *Beier.* ad h. l.] *Tac. A.* 13, 47. Suspectabat Cornelium Sullam — callidum et simulatorem interpretando. [*Haec *Noster* excitaverat, Adde *Cic. Pet. Cons.* 10. quibus rebus benevolus et simulator diiudicari possint.]

SĬMŪLATRIX, icis, f. quae simulat. *Stat. Th.* 4, 550. qualis, si crimina demas, Colchis, et Aeaeo

simulatrix litore Circe, *h. e.* quae homines in fictas feras vertebat. V. PIATRIX.

SIMULĀTUS, a, um, part. a *simulo:* [*ad similitudinem alicujus rei effictus] *Virg. A.* 4, 512. Sparserat et latices simulatos fontis Averni. Ubi *Servius:* In sacris, quae exhiberi non poterant, simulabantur, et erant pro veris. *Sil.* 16, 305. Simulatae exsequiae, *h. e.* quae ducuntur his, quorum corpora alibi sepulta sunt. [*Adde *Lucr.* 1, 688. neque sunt (corpora) igni simulata, i. e. similia. Porro quod Noster infra laud.:] *Virg. A.* 3, 349. parvam Troiam, simulataque magnis Pergama, *h. e.* assimulata. *Cic. Att.* 9, 8. Hic ego vellem habere Homeri illam Minervam simulatam Mentori, cui dicerem (*Odyss.* 3, 22.) Μέντορ, πῶς τ' ἄρ' ἴω, etc. h. e. quae Mentoris se similem fecerat, et sub ea specie Telemacho apparuerat. ℙ [*Hinc *simulatus* malo sensu dicitur imprimis de eo, quod cum fallendi, decipiendi consilio in similitudinem alicujus rei factum est.] *Ov. Am.* 1, 3, 23. de Europa: super pontem simulato vecta juvenco. *Sen. Tro.* 447. Hector vera ex Achille spolia simulato tulit, *h. e.* ex Patroclo Achillis armis induto. *Virg. A.* 1, 713. mirantur Iulum, Flagrantesque Dei vultus, simulataque verba, *h. e.* Cupidinem sub Iuli forma latentem ejusque verba simulantem. ℙ [*Denique *simulatus* in universum dicitur pro falso, doloso, πλαστὸς, ὑποποίητος.] *Cic. Caecin.* 5. *med.* Si in ejusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum, atque imitatione simulatum. *Nep. Dion.* 3. Aliquamdiu inter eos simulata amicitia mansit. *Virg. A.* 4, 105. sensit enim simulata mente locutam. *Sen. Ag.* 626. Simulata dona. [*Vell.* 1, 11, 1. a mendacio simulatae originis appellatus. ℙ *Simulatus* est etiam i. q. simulans. *Quint. decl* 4, 6. p. 80. *ed. Burm.* Ideoque confidentiam simulatus, non potes, inquit, efficere.]

SIMŬLO, as, avi, atum, a. 1. [*simile quippiam facio, imitor, refero. *Noster* laudaverat ista:] *Mart.* 2, 35. Cum sint crura tibi, simulent quae cornua lunae. *Virg. A.* 6, 590. de Salmoneo: nimbos, et non imitabile fulmen Aere, et cornipedum pulsu simularat equorum. *Hor. Ep.* 1, 19, 12. si quis vultu torvo ferus, et pede nudo, Exiguaeque togae simulet textore Catonem, Virtutemne repraesentet, moresque Catonis? [*Ov. Met.* 3, 275. (*Juno*) simulavit anum. *F.*] [*Simpliciter *Homerus Il.* 3, 386. Γρηῒ δέ μιν εἰκυῖα παλαιγενεῖ. Eadem verba habet *Id. Fast.* 4, 517. simularat anum: quod *Homerus* expressit: γρηῒ παλαιγενεῖ ἐναλίγκιος. *Id. Met.* 6, 596. furiis agitata doloris, Bacche, tuas simulat.] ℙ Pro pingere, describere. *Calpurn. decl.* 21. Simuletur hoc factum non tantum colore, sed aere, si possit, et lapide. *Hor. A. P.* 20. Cupressum simulare. [*Ov. Met.* 6, 80. Percussamque sua simulat de cuspide terram Prodere cum baccis foetum canentis olivae, i. e. pingendo exprimit. *Sil.* 15, 430. antrum — quod acus simulavit in ostro. ℙ Hinc malo plerumque sensu dicitur, significatque fingere, mentiri, specie simulationis ostentare, me habere quod non habeo, Gr. ὑποκρίνομαι.] et differt a *dissimulo*, quod dicitur, cum rem aliquam veram non habere nos fingimus, quam re vera habemus: *simulamus* enim quod non est, *dissimulamus* quod est. (Videtur tamen *Sall.* ita *simulo* usurpasse, ut utrumque simul significet, *Jug.* 100. Ad simulanta negotia altitudo ingenii incredibilis. *Planc. ad Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. *med.* Nunquam dffitebor, multa me et simulasse invitum, et dissimulasse cum dolore. *Cic. Off.* 1, 30. *med.* Solon, quo tutior vita ejus esset, furere se simulavit. *Pl. Trin.* 1, 2, 68. Qui omnia se simulant scire, nec qnicquam sciunt. *Id. Mil.* 3, 3, 35. Volo, te quasi militi animum adjeceris, simulare. *Id. Pers.* 4, 5, 5. Simulato, quasi eas prorsum in navem. *Sen. Thyest.* 384. Simulare fugam. *Tac. H.* 1, 81. constantiam. *Id. A.* 12, 47. obsequium. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 25. vesaniam. *Id.* 34, 2, 3. scientiam alicujus rei; et *Ov. A. Am.* 1, 678. gaudia vultu. *Id. Am.* 2, 2, 36. lacrimas. *Id. R. Am.* 493. Et sanum simula: ne, si quid forte dolebis, Sentiat. *Liv.* 25, 8. *extr.* Annibal Aegrum simulabat. *Sen. Herc. Oct.* 429. simulare furentem. *Ter. Heaut.* 4, 1, 22. Si meum imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit: non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare, *h. e.* fingere, se velle mortem filiae. ℙ Passive. *Ov. Her.* 17, 36. Si modo, quem praefers, non simulatur amor; et *ib.* 21, 199. et tecto simulatur lumine somnus. ℙ [*Absolute. *Ov. Her.* 2, 51. Credidimus lacrimis: an et hae simulare jubentur?] ℙ Passive impers. *Ter. Heaut.* 5, 1, 28. Quid est, quod amplius simuletur? ℙ [*Discrimen quale sit inter *simulare* et *imitari* colliges ex iis, quae exposuimus in v. *simulatio.*] ℙ *Simulare in aliquem* tmesis est, pro insimulare aliquem. *Pl. Stich.* 1, 2, 19.

SIMULTAS, atis, f. ἔχθος, παλιγκοτία, latens odium inter eos, qui amici esse videntur, inimicitia: a *simulo.* [*Cf. *Non.* p. 437. *Popm.* p. 515. *Hill.* p. 480. al.] Dicitur fere de privata, aliquando etiam de publica. *Paul.* ex *Festo:* Simultas, id est odium, dicta ex contrario, quia minime sunt simul. Potest et a simulatione dicta existimari, quia simulate loquuntur ad invicem. Prior *Pauli* notatio frigida videtur. [*Doederl.* 3, 72. sq. (probata vocis origine a *similo*, propter synonym. v. *aemulari,*) proprie *simultas* dici putat de publica inimicitia, quam duo eosdem honores in civitate petentes habeant. In quo consentientem quidem habet *Herz.* ad *Caes. B. G.* 5, 44. qui tamen rectius deduci h. v. contendit a *simul*, coll. nostr. *Eifersucht*, *Jalousie*, *Rivalität.* Cui sententiae non repugnare videntur duo exempla, quae *Noster* ex *Hyg.* infra laudavit.] *Cic. Planc.* 31. *med.* Simultates, quas mecum habebat, deposuit. *Id. Manil.* 24. Multas simultates partim obscuras, partim apertas suscepi. *Id. Fl.* 35. *f.* Simultates cum aliquo exercere. *Suet. Caes.* 73. excipere. *Plin. ep.* 2, 18. *extr.* subire. *Quint.* 4, 1. *med.* gerere cum aliquo. *Tac. H.* 3, 53. simplicius, vel callide, eoque implacabilius nutrire. *Id. A.* 3, 54. facere; et *Ov. Am.* 1, 8, 82. Saepe simultates ira morata facit. *Just.* 2, 6. *med.* Erant inter Athenienses et Dorienses simultatum veteres offensae. *Caes. B. G.* 5, 43. Omnibus annis de loco summis simultatibus contendebant. *Tac. A.* 14, 38. Bonum publicum privatis simultatibus impedire. [*Livii* exempla v. in *Gloss. Liv.* s. h. v.] ℙ In sing. num. *Caes. B. C.* 2, 25. Huic simultas cum Curione intercedebat. *Nep. Att.* 17. Nunquam cum sorore fuisse in simultate. *Ter. Ph.* 2, 1, 2. Simultatem alicujus revereri. *Suet. Ner.* 25. alicui indicere. *Id. Aug.* 62. Simultate cum socru exorta. *Ov. R. Am.* 661. ubi nulla simultas Incidit. *Juven.* 15, 33. Inter finitimos vetus atque antiqua simultas, Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus Ardet adhuc, Ombos, et Tentyra. [*Liv.* 26, 27. sibi privatam simultatem cum Campanis nullam esse; et 23, 13. simultas cum familia Barcina leviorem auctorem faciebat.] ℙ *Simultas*, pactum, conditio, quae inter duos simul convenit. *Hyg. fab.* 22. 84. et 185. Cum complures eam peterent in conjugium, simultatem constituit, se ei daturum, qui secum quadrigis certasset, victorque exisset. *Id. fab.* 67. Sphinx regi Creonti simultatem constituit, si carmen, quod posuisset, aliquis interpretatus esset, se inde abire.

SĬMULTER, adv. idem ac similiter. *Pl. Ps.* 1, 3, 148. Exossaabo eum simulter, ut muraenam cocus. Alli leg. *similiter. Non.* 2, 780. legit *simulte:* quod mendum esse videtur.

SĬMŬLUS, a, um, adj. dimin. a *simus. Lucr.* 4, 1162. Simula (*puella*), Silena, ac Satyra est. V. SILENA, et SATYRUS.

SĪMUS, a, um, adj. σιμὸς, qui nares depressas, et repandas habet, silo, silus. *Naev.* ap. *Non.* 4, 277. Lascivum Nerei simum pecus ludens classem lustrat. *Virg. Ecl.* 10, 7. Dum tenera attondent simae virgulta capellae. *Plin.* 9, 8, 7. Delphini dorsum repandum, rostrum simum. *Maru.* 6, 39. Puer sima nare, turgidis labris. *Virg. Mor.* 106. Saepe viri nares acer jaculatur apertas Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu, *h. e.* vultu aversantis: quod cum fit, nares dilatantur, et deprimuntur. ℙ Translate. *Cels.* 8, 10. *n.* 7. *med.* Vulsella, quali fabri utuntur, injicienda est ab ea parte, qua sima est. ℙ Fuisse *Simus* etiam cogn. R., affirmat *Plin.* 35, 37, 59.

*SIMYRA, ae, f. Σιμύρα, opp. Phoeniciae, cum castello. *Plin.* 5, 20. *Mela* 1, 12. *B. A.*

SIN, εἰ δὲ, ἢν δὲ, κἄν, sed si, si vero, si autem: conjunctio conditionalis et adverativa: ex *si*, et *ne.* [*Semper ad progressum *si*, vel positum, vel cogitatione supplendum spectare debet. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 342. *Ramsh.* §. 193. *n.* 3. et 4. p. 871. sqq. *Web. Exerc. styli Lat.* T. 1. p. 300. *Goerenz.* in *Jahnii Anall. Philoll.* et *Paedag.* 1, 2. p. 323.] *Ter. Andr.* 1, 3, 5. Si illum relinquo, ejus vitae timeo: sin opitulor, hujus minas. *Pl. Poen. prol.* 50. Nisi molestum est, nomen dare vobis volo comoediai: sin odio est, dicam tamen. *Cic. Att.* 9, 15. Si mihi veniam dederit, utar illius conditione: sin minus, impetrabo aliquid a me ipso. *Id. Fam.* 11, 14. Si ita est, omnia faciliora: sin aliter, magnum negotium. *Pl. Cas.* 2, 6, 24. Si quod volumus, eveniet, gaudebimus: sin secus, patiemur aequis animis. *Cic. Att.* 10, 7. Si vir esse volet, praeclara συνοδία: sin autem, erimus nos, qui solemus. *Colum.* 7, 3. Primum esse admissurae tempus vernum, Parilibus, si sit ovis matura: sin vero feta, circa Julium mensem. ℙ Absolute pro *sin aliter*, aut *sin minus. Cic. Att.* 16, 13. *med.* Si pares aeque inter se, quiescendum: sin, latius manabit, etc. ℙ Non praecedente *si*, cujus tamen vis subintelligitur. *Nep. Ag.* 1. Primum ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset: sin is virilem sexum non reliquisset, tunc eligebatur qui proximus esset propinquitate. *Cic. Am.* 21. Primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctae potius amicitiae, quam oppressae videantur. *Id. Off.* 2, 21. Danda est opera, ne tributum conferendum sit: sin qua necessitas obvenerit, etc. *h. e.* si vero aliqua necessitas. *Id. Att.* 13, 22. *f.* Ego, ut constitui, adero: atque utinam tu quoque eodem die. Sin quid (multa enim), utique postridie, *h. e.* si vero aliquid acciderit, quo minus eo die adesse queam. *Id. Or.* 3, 24. *extr.* Sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nulli fuerunt: sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi, *h. e.* si vero aliquando. ℙ *Quod sin*, quod si. *Val. Fl.* 5, 667. da vellera, rector, Et medios nos cerne mari: quod sin ea Mavors Abnegat, ... Ibimus indecores. *Locus singularis.* [Sed *Burm.* ex *Cod.* legit *quod si mea Mavors*, quod rectius videtur. *F.*]

SĪNĀPI, n. indecl. et Sinapis, is, f. σίνηπι, genus oleris, semen habens acerrimum gustu, et comedenti lacrimas ciens. Si vocis etymon aliquod quaeras, erit qui putet, vocem esse compositam ex Hebr. שֵׁן pro שָׁנַן h. e. *san* pro *sanàn*, acuit, et אַף *aph*, nasus; quia ejus seminis halitus nares maxime afficit. *Isid. Or.* 10, 10. Sinapis appellatur, quod folio sit similis napis. *Plin.* 10, 8, 54. Acerrimum sapore, ignei effectus, ac saluberrimum corpori sinapi; et *mox:* Usus ejus etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectum acrimoniae. Coquuntur et folia, sicut et reliquorum olerum. Sunt autem trium generum: unum gracile, alterum simile rapi foliis, tertium erucae. *Id.* 20, 22, 87. Sinapi Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublime vis feratur, judicavit, quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret. Adde ibi reliqua, quibus persequitur ejus in medicina utilitates. *Cels.* 2, 21. refert inter ea, quae mali succi sunt. *Colum.* 10, 122. Seque lacessenti fletum factura sinapis. *Pl. Ps.* 3, 2, 28. Teritur sinapis scelerata cum illis, qui terunt. *Id. Truc.* 2, 2, 6. Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam: tam esse tristem posse. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. Neque triste quaeritat sinapi, neque caepe moestum. *Pall.* 11, 11. Hoc mense sinapim seremus. *Plin.* 21, 12, 41. Sinapis avidissimae sunt apes. ℙ In sexto casu etiam in *e* desinit. *Varr. R. R.* 1, 59. *f.* Servare rapa consecta in sinape. ℙ Qui putant, etiam *sinape* dici in recto casu, nituntur illo *Colum.* 11, 3. Sinape et coriandrum, ita uti sata sunt, sua sede immota permanent. Sed saniores critici leg. *sinapi.* ℙ Ap. *Petr. fragm. Trag.* 66. *Burm.* et ap. *Apic.* 6, 4. et 8, 7. et *sinape*, et *senape* neutro gen. legitur.

[SĪNĀPISMUS, i, m. σιναπισμός, curatio per sinapi. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. Item sinapismus, qui maxime vehementem fortitudinem locis humore corruptis, atque, ut ita dixerim, habentibus (lege *labentibus*) admovet ac ministrat. *F.*]

SĪNĀPIZO, as, a. 1. σιναπίζω, sinapi instar emplastri imposita, erosionem carnis facere. *Veg. Vet.* 2, 6. et *ib.* 3, 34. et *Coel. Aurel Tard.* 5, 2.

*SINAPŌDES, um, populi Africae, qui inflexis et lentis cruribus potius serpere, quam incedere videbantur, ut refert *Mela* 3, 11. *B. A.*

SINCĒRĒ, adv. ἀκεραίως, candide, vere, ex animo, ingenue, non simulate, sine mendacio. *Att.* ad *Cic Att.* 9, 10. *f.* Si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter. *Cic. ib.* 3, 15. *med.* Crassi libertum nihil puto sincere locutum. *Ter. Eun.* 1, 2, 96. Si istuc crederem sincere dici, quidvis possem perpeti. *Caes. B. G.* 7, 20. Quod ut intelligatis sincere a me pronuntiari, audite Romanos milites. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 8. Provincias sincere administrare. *Catull.* 109, 4. Sincere, et ex animo dicere. *Gell.* 7, 3. *f.* Ita nos sincerius exploratiusqne vel corrigere poterit, vel probare. *August. ep.* 3. (al. 137.) *ad Volus. f.* Invicem sincerissime se diligunt homines.

SINCĒRĬTAS, atis, f. ἀκεραιότης, puritas, integritas. *Plin.* 15, 6, 6. de oleo faciendo: Crebrius vasa mutanda, fiscinas spongia tergendas, ut quam maxime pura sinceritas constet. *Sen. V. B.* 15. Nec summum bonum habebit sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile meliori. *Colum.* 4, 26. Pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandae, atque alia convertenda, quae sinceritatem habent, alia submovenda, quae cariosa sunt. *Pall.* 1, 3. Habitatorum color sanus, capitis firma sinceritas, inoffensum lumen oculorum. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 8. Femina nonagesimum annum transgressa, cum summa animi et corporis sinceritate. *Id.* 5, 3. *n.* 2. *extr.* Vitae summa sinceritas, *h. e.* morum integritas. *Phaedr.* 4, 12. Ad perniciem solet agi sinceritas; et *Gell.* 14, 2. Multa et illustria exempla probitatis et sinceritatis. *Id.* 2, 23. *f.* Ad horum sinceritatem veritatemque verborum an adspiraverit Caecilius, consideremus.

SINCĒRĬTER, adv. sincere, ἀκεραίως. *Gell.* 13, 16. Bonas artes qui sinceriter cupiunt, hi sunt vel maxime humanissimi.

SINCĒRUS, a, um, adj. ἀκέραιος, ἀνυπόκριτος, ἀκίβδηλος, purus, integer, nulla alia re admixtus, incorruptns, verus. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 1, 2, 97. Sincerum, purum, sine fuco, et simplex, ut mel sine cera. Alii ducunt a σὺν, cum, et κηρὸς, et *syncerus* scribi volunt. Sed neque ex Graeco vox adscita est, neque y habet in vet. libris, ut *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.* testantur. [*Alii faciunt a *semel* et κεράω. Alii ab ἀκήρατος.] *Hor. Ep.* 1, 2, 54. Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit. *Cic. Am.* 25. Secernere omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. *Ov. Met.* 8, 664. bicolor sinceris atque veris. *Ov. Met.* 8, 664. bicolor sincerae bacca Minervae. *Sen. ep.* 108. *med.* Ex amphora primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit. *Colum.* 12,

45. *f.* Conseminalium vinearum non est tam firmum vinum, quam si per se sincerum amineum, vel apianum condideris. *Plin.* 21, 6, 17. Croci sinceri probatio, si imposita manu crepat. *Id.* 28, 9, 37. Sincera axungia, *h. e.* sine admixto sale. *Id.* 37, 8, 32. Callais (*gemma*) nascitur apud Sacas, sed fistulosa, et sordium plena: sincerior multo, praestantiorque in Carmania. *Gell.* 4, 5. Fabii annales, bonae atque sincerae vetustatis libri. ℙ Translate *sincera gens* ap. *Tac. G.* 4. et *sincerus populus* ap. *eund. H.* 4, 64. *extr.* et *Suet. Aug.* 40. est nullis externis connubiis, aut moribus, aut institutis permixtus. [*Liv.* 30, 11. sincerum equestre proelium, i. e. merum, quum tantum equites pugnant.] ℙ Incorruptus, ingenuus, candidus, integer, verus, non fictus. *Cic. Att.* 10, 6. Mirabilia multa: nihil simplex, nihil sincerum. *Id. Quint.* 1. *f.* Nihil est jam sanctum, neque sincerum in civitate. *Ov. Met.* 7, 453. adeo nulli sincera voluptas: Sollicitique aliquid laetis intervenit. *Just.* 10, 1. Sincerius gaudium capere. *Liv.* 29, 4. Nihil sincera fide cum Romanis acturum. *Tac. A.* 3, 64. Sincera inter matrem filiumque concordia; et *ib.* 2, 42. Sincerae caritatis fidem assequi. *Auct. dial. de Or.* 28. *f.* Sincera, et integra, et nullis pravitatibus detorta natura. *Gell.* 6, 8. *f.* Scipionem fama, cum esset adolescens, haud sincera fuisse. *Id.* 1, 2. *med.* Verus atque sincerus Stoicus. *Id.* 15, 1. Q. Claudius, optimus et sincerissimus scriptor. *Cic. Brut.* 83. Thucidides rerum gestarum pronuntiator sincerus; et *Div.* 2, 57. Demosthenes jam tum *φιλιππίζειν* Pithiam dicebat, quo licet existimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. ℙ De integritate et sanitate corporis, quod nullo morbo, aut vulnere vitiatum est. *Ov. Met.* 12, 99. sine vulnere corpus, Sincerumque fuit. *Id. ib.* 1, 190. sed immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. *Pl. Rud.* 3, 4, 52. Sincerissimum corium, *h. e.* tergum nullis cicatricibus, aut vibicibus. *Id. Men.* 2, 2, 15. Porci sacres sinceri. *Gell.* 18, 10. Cum medicus jam me sinceriore corpusculo factum diceret. *Ov. de nuce*, 35. Cernite sinceros omnes ex ordine truncos. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 19. Vitem, donec ad sincera veniatur, recidendam: quoniam e vitioso materia utilis non exeat. *Cic. Fam.* 13, 50. Hoc mihi da, ut M'. Curium sartum et tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves. *Gell.* 5, 1. Animi partes aut sincerae, aut aegrae. ℙ Refertur ad orationem. *Cic. Or.* 8. Atheniensium fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum, audire, atque elegans. *Id. Brut.* 55. Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum. *Gell.* 13, 26. Homeri versus simplicior, et sincerior. ℙ *Sinceris*, *e*, aliquando declinatum est: non tamen imitandum. *Gloss. Phil.* Sinceris, *εἰλικρινής*. *Charis.* 1, 61. et 194. Sincerus dicitur, non sinceris, ut Virg. (*G.* 4, 285.) Insincerus apes tulerit cruor. Sed neutraliter hoc sincere dicitur. Terent. (*Eun.* 1, 2, 96,) Si istud crederem sincere dici. Haec *Charis.* Sed *sincere* ap. *Terent.* adverbium est.

SINCĬPUT, ipitis, n. dimidia capitis pars: quasi *semi caput*, ut *Vel. Long. de orthogr.* p. 2237. docet. *Gloss. Philox.* Sinciput, *ἡμικεφάλιον*, *ἡμίκρανον*, *ἡμικέφαλον*. Suum sincipita, *h. e.* caput bifariam dissectum conditum, et fumo suspensum servare in usum cibi, mos fuit. *Plin.* 8, 51, 77. Interdicta coenis abdomina, glandia, testiculi, vulvae, sincipita verrina. *Pers.* 6, 69. mihi festa luce coquatur Urtica, et fissa fumosum sinciput aure. *Pl. Men.* 1, 3, 28. Laridum, pernonidem, aut sinciput, aut polimenta porcina. *Juven.* 13, 84. comedam, inquit, flebile nati Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto. ℙ Per synecdochen est totum caput, et cerebrum in eo. *Pl. Men.* 3, 2, 41. et 4, 2, 69. Non tibi sanum est, adolescens, sinciput, ut intelligo. *Sidon. carm.* 5, 418. fortique lacerto Dissicit ancipiti miserabile sinciput ense. ℙ Quidam volunt, *sinciput* esse anteriorem partem capitis, sicut *occiput* posteriorem. Unde *Gloss. Philox.* Sinciput, *βρέγμα*. Sed hoc non satis eam significationem probat.

*SINDA, ae, f. *Σίνδα*, oppidum Lycaoniae, in confinio Galatiae atque Cappadociae. *Plin.* 5, 27. *Sindos* vocatur a *Mela* 1, 19. ℙ Hinc *Sindicus*, *a*, *um*, ad Sindam spectans. *Plin.* 6, 5. Sindica civitas, *h. e.* ipsa Sinda. *Id.* 4, 12. Sendica (pro *Sindica*) regio. *B. A.*

*SINDENSES, ium, incolae Sindae, oppidi Pisidiae. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

SINDON, onis, f. *σινδών*, *όνος*, pannus lineus, lintea tunica, linteum. Vox peregrina. *Mart.* 2, 16. Quid torus a Nilo, quid sindone tinctus olenti. *Id.* 4, 19. de endromide: Ridebis ventos hoc munere tectus, et imbres: Non sic in Tyria sindone tutus eris, *h. e.* linteo purpura tincto. *Id.* 11, 1. Quo tu, quo, liber otiose, tendis Cultus sindone non quotidiana? *h. e.* ornatu non vulgari. *Auson. Ephem.* in *pareb.* 2. Puer eja surge, et calceos, Et linteam da sindonem, Da quidquid est, amictui Quod jam parasti, ut prodeam.

*SINDONES, um, incolae Sindae, oppidi Lycaoniae. *Mela* 1, 19, *B. A.*

*SINDUS, i, m. ab accolis dictus est Indus fluvius. *Plin.* 6, 20. *Σινθος*, audit *Auctori Peripli maris Erythraei*, citato ab *Harduino* ad l. *B. A.*

SINE, *ἄνευ*, absque, citra, extra: praepositio ablativo serviens. Videtur esse a *sino*, ut *pone* a *pono*. *Cic. Coel.* 32. Homo sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis. [*Liv.* 9, 5. se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos.] *Ter. Heaut.* 2, 3, 73. Non fit sine periculo facinus magnum et memorabile. *Varr. L. L.* 7, 6. Casus sine controversia sunt quinque. *Virg. A.* 2, 777. O dulcis conjux! non haec sine numine Divum Eveniunt. ℙ [*Ponitur et sine casu. Huc pertinet locus, quem *Forc.* perperam ab initio posuerat. *Cic. Att.* 8, 3. *med.* Infero mari nobis navigandum est: age iam, cum fratre, an sine? ℙ Porro notandum, solitum esse ap. bonos scriptores dicendi morem, *sine ullo*, etc. *Caes. B. C.* 1, 49. sine ullo periculo. — Pro eo ap. *Plaut.*, *Terent.* et *Ov.* est *sine omni*, etc. — Praecedente negatione dicitur etiam *sine aliquo*, etc. *Cic. Div.* 7, 19, 3. cogitare debebis, nullam artem sine interprete et sine aliqua exercitatione percipi posse. Discrimen inter *sine ullo* et *sine aliquo* exposuit *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 338. Cf. *Caes. B. C.* 3, 73. et *Nolten. Lex.* p. 1811. *Vorst. de lat. merito susp.* 8. ℙ Saepissime voces *sine dubio* a *Quint.* ejusque aequalibus junguntur eo significatu, quo est Francogallorum *sans doute*, cum introducitur exceptio, sed quae non esse magni momenti deinde ostendatur, ubi sequuntur particulae *sed*, *autem*, *tamen*, retro spectantes ad illud *sine dubio*; est ergo pro *quidem*. *Quint. Inst.* 1, 6, 12. Quaedam sine dubio conantur eruditi defendere, ut etc. — Illi autem: porro *ib.* §. 38. sine dubio — sed; et 2, 15, 6. quos sine dubio ipse non probat, quamquam ibi non sequitur corrigens particula, est igitur simpliciter pro *tamen*. Cf. 5, 7, 28. 10, 53. 8, 3, 67. — Aliam prorsus vim habet 1, 10, 12. acceptam sine dubio antiquitus opinionem: ubi simpliciter affirmat. Prior dicendi usus an ap. *Cic.* ejusque aequales inveniatur, equidem non dixerim. Vix tamen puto. Idem usus in *Decl. Qu.* 3. p. 48. *ed. Bip.* sine dubio — tamen; p. 166. sine dubio — sed; p. 171. sine dubio — tamen; p. 312. sine dubio tamen. Ita *Spald.* ad *Quint. Inst.* 1, 6, 12.] ℙ Metri causa suo casui a poetis postponitur. *Hor. Sat.* 1, 3, 68. Nam vitiis nemo sine nascitur; et *ib.* 5, 99. Dum, flamma sine tura liquescere limine sacro, Persuadere cupit. ℙ [*Docet *Ramsh. Gr. Lat.* §. 150. 3. p. 467. *absque* et *sine* ita differre, ut hoc: id quod vere, illud: quod cum conditione absit, significet.]

*SINGAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*SINGAMES (*Σιγγάμης Arrian.* in *Periplo Ponti*), fluvius Colchidis. *Plin.* 6, 4. ed *Hard.* ubi ed. *Elzev.* exhibet *Singania*. *B. A.*

*SINGĂRA, orum, urbs Mesopotamiae, in ripa Tigris. *Plin.* 5, 24. *B. A.*

*SINGENTIĀNA RADIX, herba, quae et acoros et radix nautica appellatur. *Appul. de herb.* 6. *B. A.*

*SINGIDŪNUM, i, n. oppidum Moesiae superioris. *Anton. Itin. B. A.*

[SINGILIENSIS, e, adj. ad Singilin pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, quae ita a Singuli proximo fluvio cognomine vocata videtur, postea et Antiquaria, ut in *Ant. Itin.*, nunc *Antequera:* illius meminit *Plin.* 3, 1, 3. *Inscr.* ap. *Grut.* 395, 7. Corneliae Blandinae Singiliensi ordo M. Lib. Sing. (*h. e.* municipii liberi Singiliensium) impensam funeris et locum sepulturae decrevit. Alia ap. *eund.* 426, 7. Cives Singilienses; et 437, 4. Ordo Singiliensium. *F.*]

SINGILIO, onis, m. genus vestis brevioris et simplicis, *ἁπλοΐς*. *Gallien.* in *ep.* ap. *Treb. Claud.* 17. Singiliones Dalmatenses decem. Alii leg. *cingiliones*, h. e. parvos cinctus. Alii aliter. V. *Salmas.*

SINGILLĀRIUS, a, um, adj. idem ac singularius. *Tert. Anim.* 6. Singillarius motus. *Id. adv. Valent.* 18. ductus. Utrobique alii minus recte leg. *sigillarius.*

SINGILLĀTIM, adv. *καθ' ἕκαστον*, *καθ' ἕνα*, *καθ' ἕν*, *ἑνικῶς*, singulatim. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 820. Sic singillatim nostrum unusquisque movetur, *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Nam quid ego de ceteris civium R. suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquar? *Caes. B. G.* 3, 2. Legiones, neque eam plenissimam, detractis cohortibus duabus, et compluribus singillatim, qui commeatus petendi causa missi erant, absentibus, propter paucitatem despiciebant; et *ib.* 5, 52. Legionem collaudat, centuriones singillatim appellat. *Sall. Cat.* 49. *med.* Ipsi singillatim circumeundo, magnam illi invidiam conflaverant. Alii leg. *sigillatim*, alii rectius *singulatim*. *Ter. Phorm.* 5, 8, 42. Quid ego commemorem singillatim, qualis ego in hunc fuerim? *Suet. Aug.* 9. Proposita vitae ejus velut summa, partes singillatim exsequar.

SINGLĂRĬTER, adv. syncope pro singulariter. *Lucr.* 6, 1065. Quae memorare queam inter se singlariter apta.

SINGŬLĀRĬĒ, adv. idem quod singulariter. Usus est *Cicero*, teste *Charis.* 2, 195.

SINGŬLĀRIS, e, adj. *ἴναχος*, unus, solus, unicus. *Caes. B. G.* 4, 26. Ubi ex litore aliquos singulares egredientes conspexerant, impeditos adoriebantur; et *ib.* 7, 8. Ne singulari quidem homini unquam eo tempore anni semitae patuerant. *Cic. Agr.* 2, 35. *f.* Singularis homo privatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet. *Id. Univ.* 4. *med.* Singularem Deus hunc mundum, atque unigenam procreavit. *Plin.* 28, 10, 42, Democritus etiamnum effectus ejus auget, qui singularis natus sit, *h. e.* solus in eo partu. *Id.* 27, 9, 55. Herba singularis, non fruticosa. *Sen. Troad.* 1027. secans fluctus rate singulari. *Auson. Perioch. l.* 7. *Iliad.* Proelium singulare conserere; et *Gell.* 12, 23. Tres istae voces, intra, citra, ultra, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, in, cis, uls. ℙ Singulus, peculiaris. *Cic. Acad.* 1, 7. *med.* Quintum genus, e quo essent astra, mentesque singulares, *h. e.* animae singulorum. *Id. Fam.* 1, 9. *in.* Quem antea tantummodo communi officio civium, non aliquo erga me singulari beneficio debitum praestitissem. *Id. Sull.* 1. Cum communi ambitionis invidia, tum singulari Autronii odio. ℙ *Singularis potentia*, et *singulare imperium* ap. *Nep. Dion.* 9. et *Reg.* 2. est monarchia. [*Singularis libido, i. e. unius. *Rut. Lup.* 2, 3. p. 140. *b.* V. *Ruhnk.*] ℙ *Singularis numerus* ap. grammaticos est, quo res una significatur: ita *singularis casus*, *singulare verbum*. *Quint.* 1, 5. *med.* Numeri, in quibus nos singulare ac pluralem habemus, Graeci et *δυϊκον*. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Cujus verbi (*trabes*) singularis casus recte correptus, ac facta trabs. *Id. ib.* 9, 3. *med.* Duobus modis imponitur vocabulum, aut re singulari, aut multitudine: singulari, ut cicer; multitudine, ut scalae; et *ib.* 7, 37. Alii dicunt in singulari, hac ovi et avi; alii, hac ove et ave. ℙ *Locus singularis*, in quo quis solus degit, solitarius. *Suet. Aug.* 72. Si quando quid secreto agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis. Solitarius et solivagus est in illo *Psalmi* 79, 14. Singularis ferus depastus est eam, *μονιὸς ἄγριος*, aper, vel lupus solivagus. ℙ De his quae in unum tantum cadunt, non etiam ad plures pertinent. *Cic. Verr.* 2, 3, 88. *med.* Sunt quaedam omnino in te singularia, quae in nullum alium hominem dici, neque convenire possunt. *Id. Cat.* 4, 3. Mihi gratias egistis singularibus verbis. ℙ *Singularis*, praestans, eximius, rarus, unicus (in utramque partem), qualia esse solent, quae sola sunt. *Cic. Acad.* 4, 43. Aristoteles, meo judicio, in philosophia prope singularis. *Id. Brut.* 85. Cato summus et singularis vir. *Id. Div.* 2, 47. Homines ingenio atque animo singulares. *Id. Or.* 1, 38. Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et divina vis ingenii; et *ib.* 3, 4. Amor in rempublicam incredibilis et singularis. *Id. Att.* 14, 15. *f.* Singularis et incredibilis virtus. *Id. ib.* 11, 17. Ex ipsius (*Tulliae*) virtute, humanitate, pietate non modo eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui, sed, etc. *Petr. Sat.* 111. Singularis exempli femina. *Cic. in Sen.* 3. Singularis et praestantissima virtus. *Id. Manil.* 1. *f.* Pompeji singularis eximiaque virtus. *Id. Fam.* 1, 9. *in.* Omnia in te ipsum summa et singularia studia deberem. *Nep. Att.* 4. *med.* Ciceroni in omnibus ejus periculis singularem fidem praebuit. *Caes. B. G.* 2, 24. Treviri, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis. *Id. ib.* 7, 77. Singularis et nefaria crudelitas, *Cic. Verr.* 2, 3, 44. *med.* Singularis nequitia et turpitudo. *Id. ib.* 4, 7. impudentia. *Id. Fam.* 13, 41. Pompejus gratias tibi agit singulares. *Plin.* 22, 17, 20. Herba urceolaris contra ulcera, rupta, lapsusque singularis; et 8, 32, 50. *f.* Singulare abigendis serpentibus, odor adusto cervino cornu. *Id.* 11, 37, 79. *extr.* Singulare remedium aegre parientibus. *Id.* 36, 22, 44. In Siphnio lapide singulare, quod excalfactus oleo nigrescit. ℙ *Singulares*, *ium*, vel *Singularii*, *orum*, in *Cod. Just.* 1, 27, 1. fuerunt, qui notis seu singulariis litteris excipiebant, *notarii* etiam dicti. V. NOTA et SIGLA. ℙ *Singulares equites.* V. SINGULARIUS.

SINGŬLĀRĪTAS, atis, f. *μονὰς*, unum aut solum esse. *Tert. adv. Valent.* 37. Solitas, singularitas, unitas. *Id. Anim.* 13. Singularitas tuta est et indiscreta substantia. *Id. Exhort. ad cast.* 1. De exitu singularitatis cogitare, *h. e.* vitae sine uxore actae. ℙ Singularis numerus. *Charis.* 1, 72. Alia singularitate carent, ut arma, castra, scalae: alia pluralitate, ut garum, oleum.

SINGŬLĀRĪTER, adv. *ἑνικῶς*, in singulari numero, cum de uno tantum loquimur. *Quint.* 1, 5. *med.* *Scala* et *scopa*, contraque *hordea* et *mulsa* non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter, et singularia pluraliter efferuntur. (Adde *Fest.* in *Penatis.*) *Id.* 9, 3. *med.* De pluribus singulariter (*dicere*): (*Virg. G.* 3, 346.) Haud secus a patriis acer Romanus in armis. *Ulp. Dig.* 27, 6, 1. Hoc edictum, licet singulariter scriptum sit, si tamen plures intervenerint, qui tutores non erant, locum habere debet. ℙ Item separatim sejunctim. *Paul. Nol. carm.* 21, 727. Ut a juventa singulariter sedens, Tacitaque seclusus domo, Amet quietae tecta solitudi-

nis. ℙ Eximie, magnopere, unice. *Cic. Verr.* 2, 2, 47. Quem in quaestura mea singulariter dilexissem. *Plin. ep.* 1, 22. Quem singulariter et miror, et diligo.

SINGŪLĀRIUS, a, um, adj. *ἴδιος*, idem quod singularis, unus, simplex, peculiaris. *Turp.* ap. *Non.* 8, 60. Homo unica est natura, et singularia. *Gell.* 17, 9. In his epistolis inveniuntur litterae singulariae sine coagmentis syllabarum. V. SIGLA, et NOTA. *Pl. Capt.* 1, 2, 3. His indito catenas singularias: istas majores, demito, *h. e.* simplices, quibus singulus vinciatur, non majores, quae duos comprehendant, [*ex *Turnebii* interpretatione sunt singularum librarum. Affert exempla haec: *ballistae* centenariae, quae saxa jaciunt centenarum librarum; *talentariae*, quae saxa talenti pondere.] ℙ Eximius, excellens, rarus. *Gell.* 9, 4. *med.* Esse homines ap. eandem coeli plagam singulariae velocitatis. ℙ *Singularii* et *singulares equites* fuerunt militum genus praetorianis proximum tum custodiae munere, tum praetenturae vicinia in castris, ab Augusto ex provincialibus institutum. Dicti *singulares* videntur a singulari imperatoris corpus custodiendi munere, quo fungebantur; vel a singulari virtute, qua ceteris excellebant. *Hyg. Gromat.* p. 4. *ed. Schelii.* Equites praetoriani latere dextro praetorii, singulares imperatoris latere sinistro tendere debent. *Tac. H.* 4, 70. Accessit ala singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. *Inscr.* ap. *Grut.* 371, 4. M. Aurelio M. F. Celso donis donato ab Imp. Caes. Aug. bello Act. Sicil. et Hisp. L. Aurelius Celsus Eq. Sing. Aug. patri B. M. P. et p. 1028, 2. L. Petronio L. F. Sab. Tauro Volusiano V. (adde *C.*) Cos. ordinario, etc. praeposito equitum singulariorum Augg. NN, etc. et 367, 2. M. Atilio M. F. Fab. Paeto VI. Viro ex singularibus Imp., etc. Adde aliam ap. *Don. cl.* 6. *n.* 18.

SINGŪLĀTIM, adv. idem quod *sigillatim*, et *singillatim:* a *singuli*. *Cic. Div. Verr.* 15. *extr.* Ut ad ea, quae dixerint, certo loco, aut singulatim respondeam; et 22. *f.* Ut ea, quae singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus. *Plin.* 18, 30, 72. Panicum et milium singulatim pectine manuali legunt Galliae. Adde *Ter. Ph.* 5, 8, 43. Quib. loc. alii leg. *singillatim*, aut *sigillatim*: idem enim valent. *Singulatim* legit etiam *Non.* in duobus fr. *Caecilii*, et *Coelii*, quae affert 2, 820.

SINGŪLI. V. SINGULUS.

SINGULTĀTUS, a, um, part. a *singulto*, cum singultu emissus. *Ov. Trist.* 3, 5, 16. Et singultatis oscula mixta sonis.

SINGULTIM, adv. *μετὰ λυγμοῦ*, cum singultu. *Appul. Met.* 2. Lamentabiles questus singultim instrepebat. ℙ *Singultim loqui* est loqui sermone interrupto, et veluti voce identidem compressa, quod usuvenire solet verecundis, et timidis natura. Talem locutionem *λαγνοφωνίαν* vocant Graeci. *Hor. Sat.* 1, 6, 56. Ut veni coram, singultim pauca locutus. Infans namque pudor prohibebat plura profari.

SINGULTĬO, is, n. 4. *λύζω*, singultum edo, singulto. *Plin.* 23, 1, 24. Vinum non dandum singultientibus, nec si cum febri dyspnoea sit. *Cels.* 5, 26. *n.* 19. Vesica vulnerata, stomachus afficitur: itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt. *Appul. Met.* 3. Lacrimis promicantibus crebro singultiens. ℙ Translate, de gallina gloriente. *Colum.* 8, 11. *f.* Sequiturque grex velut matrem gallinam singultientem. V. SINGULTUS. ℙ Usurpatur et de mentula in coitu palpitante. *Pers.* 6, 72. Cum morosa vago singultiet inguine vena. V. PALPITO.

SINGULTO, as, n. 1. *λύζω*, singultum edo, singultiens sum: frequent. a *singultio*. *Virg. A.* 9, 332. Tum caput ipsi aufert domino, truncumque reliquit Sanguine singultantem. *Sil.* 2, 361. Parietibusque domus imbellis femina servet Singultantem animam. *Id.* 1, 388. et *Val. Fl.* 2, 211. ora singultantia: scil. recisi capitis. *Stat. Silv.* 5, 5, 26. Discordesque modos, et singultantia verba Molior, *h. e.* singultu interrupta, et impedita. Sic *Calp. Ecl.* 6, 22. vel te certamine quisquam Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces Rumpis, et expellis male singultantia verba? ℙ Active, cum singultu emitto. *Ov. Met.* 5, 133. quem postquam vulneris auctor Singultantem animam, et versantem lumina vidit, etc. *Stat. Th.* 5, 260. Semineces pueri trepidas in limine vitae Singultant animas. ℙ [Translate usurpatur de aqua, quae per foramen aliquod exiens singultum simulat. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Vis undae ferventis per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat. *F.*]

SINGULTUS, us, m. *λυγμὸς*, *λύγξ*, motus citus, intermissus et creber stomachi, et septi transversi, ex copia cibi, ex acri humore, in fletu, in morte. Volunt quidam esse a *gula*, quasi *sonum gulae:* alii a *singulus*, quia singulatim, et per intervalla venit. *Cic. Planc.* 31. Non modo lacrimulam, sed multas lacrimas, et fletum cum singultu videre potuisti. *Hor. Od.* 3, 27, 24. Mitte singultus: bene ferre magnam Disce fortunam. *Catull.* 64, 130. haec extremis moestam dixisse querelis, Frigidulos udo singultus ore cientem. *Ov. Am.* 3, 9, 11. Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli: Oraque singultu concutiente sonant. *Tac. H.* 3, 10. Pectus atque ora singultu quatiens. *Virg. A.* 9, 414. Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat. *Stat. Th.* 3, 90. Corruit, extremisque animae singultibus errans Alternus nunc ore venit, nunc vulnere sanguis. *Virg. G.* 3, 506. de equis aegrotantib.: imaque longo Ilia singultu tendunt. *Ov. Trist.* 1, 3, 41. Hac prece adoravi Superos ego: pluribus uxor, Singultu medios impediente sonos. *Id. Met.* 11, 420. Singultuque pias interrumpente querelas. *Lucan.* 4, 180. Arma rigant lacrimis, singultibus oscula rumpunt. *Plin.* 23, 1, 27. Acetum singultus cohibet. *Id.* 20, 17, 73. Anisum singultus olfactum inhibet; et 21, 18, 72. Sedare singultus; et 28, 6, 15. emendare; et 20, 14, 53. sistere. ℙ Translate. *Plin.* 18, 35, 87. Corvi singultu quodam latrantes. *Colum.* 8, 5. Custos debet speculari parientes: quod se facere gallinae testantur crebris singultibus interjecta voce acuta; et *ib.* 11. *f.* Pulli reducuntur ad villam persequentes nutricis singultus.

SINGŪLUS, a, um, adj. *ἕκαστος, εἷς*, unusquisque per se, h. e. separatim ab alio, unus, solus: nomen dispertitivum, quod, ut cetera ejus generis, in plurali numero usurpatur. *Cic. Or.* 67. Saepe singulis pedibus utendum est, plerumque binis, non fere ternis amplius. *Id. Fin.* 2, 13. *med.* Singulas potius, quam omnia. *Id. Cat.* 4, 6. *med.* Singulas unius cujusque domos, et hoc universum reipublicae domicilium delere conati sunt. *Id. Agr.* 2, 31. Honestius eum agrum vos universi, quam singuli, possideretis. *Id. Or.* 3, 55. *med.* Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices; frequentes, an pauci, an singuli. *Phaedr.* 1, 31. Milvius coepit vesci singulas; et *Liv.* 5, 15. Prodigia interim multa nunciari: quorum pleraque, quia singuli auctores erant, parum credita. *Quint.* 11, 3. *med.* Qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt; et *Caes. B. G.* 2, 20. *extr.* Ab opere, singulisque legionibus singulos legatos Caesar discedere vetuerat; et *ib.* 1, 48. Equitum millia erant sex, totidem numero pedites, quos ex omni copia singuli singulos suae salutis causa delegerant. *Cic. Rosc. Am.* 32. In singulis rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. *Cato R. R.* 148. Vini in culleos singulos quadragenae et singulae urnae dabuntur; et *Colum.* 5, 3. Has summas sic multiplicato: quinquies et vicies duceni quadrageni singuli, fiunt sex millia et XXV; et *Caes. B. G.* 3, 14. Centuriones, quibus singulae naves erant attributae; et *Cic. Att.* 9, 15. Ille legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti. *Id. Verr.* 2, 2, 53. *med.* Describebat censores binos in singulas civitates; et *Agr.* 2, 31. *med.* Duodena describit in singulos homines jugera. *Id. Phil.* 5, 19. Quantam pecuniam militibus earum legionum in singulos Caesar pollicitus sit, tantum dari placere. *Id. Leg.* 2, 12. Plures Deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes sunt. ℙ Dum describit medicamina, passim legimus ap. *Cels.* 6, 11. Croci, myrrhae, singulorum p. II. et *ib.* 10. Et cinnamomi, myrrhae, casiae singulorum p. I. Nostri medici in suis *Recipe* dicunt *ana;* q. v. v. s. l. Eod. sensu *Cels.* dicit etiam *pares portiones* (V. PORTIO): et utrumque jungit *citat. c.* 11. ℙ *In dies, in annos singulos, singulis diebus, annis*, ad temporis continuationem pertinent. *Cic. Verr.* 2, 2, 51. Lex, quae in annos singulos Jovis sacerdotem sortito capi jubebat. *Id. N. D.* 2, 34. *f.* Quod efficitur in coelo singulis diebus et noctibus. ℙ *In singulos dies* cum comparativis, et verbis augmentum significantibus. *Cic. Att.* 5, 7. Quotidie, vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto. *Id. ib.* 2, 22. Ut in dies singulos studia in nos hominum augeantur. *Id. Cat.* 1, 2. Crescit in dies singulos hostium numerus. ℙ *Singuli*, solitarii, soli. *Sen. Ot. Sap.* 1. Proderit per se ipsum secedere: meliores erimus singuli; et *Q. N. praef.* 4. Quod est miserrimum, nunquam sumus singuli. ℙ In sing. num. *Pl. Cist.* 4, 2, 34. At at singulum video vestigium, i. e. singularem, unicum, *μόνον*. *Gell.* 19, 8. *med.* De *coelo*, et *tritico* non inficias eo, quin singulo semper numero dicenda sint. Et distributive. *Id.* 18, 13. *med.* Nisi dixerat, nummo singulo multabatur. ℙ Quidam putant, notationem verbi significari in illo *Varr.* ap. *Non.* 2, 787. Tum vero doces historiam necessariam, semel unum singulum esse; et *ib.* Hoc erat incommodi, quod nesciebamus, semel unum singulum esse. Sed *Vossio* placet ex Hebraeo petere.

SĪNIS, is, m. *Σίνις*, crudelissimus latro Corinthi, qui Isthmum obsidebat, et captos homines inflexis vi arboribus alligabat, remissisque discerpebat: unde *πιτυοκάμπτης* dictus est. Nomen habet a *οἰνῶ*, noceo: unde male a quibusdam *Scinis*, aut *Sinnis* scribitur: quod et *Broukus.* admonuit ad illud *Prop.* 3, 21, 37. Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Grajis Saxa, et curvatas in sua fata trabes. Adde *Ov. Met.* 7, 440. et *Her.* 2, 70. et *Sen. Herc. Oet.* 1393. et *Hipp.* 1169. et *Sen. alter. Clem.* 2, 4. ℙ Occisus est a Theseo. *Stat. Th.* 12, 576. Non trucibus monstris Sinin, infandumque dedisti Cercyona?

SINISTER, stra, strum, adj. *σκαιός, ἀριστερός*, qui est a parte laevae manus, laevus: cui opponitur *dexter:* ab *ἀριστερός*, ut primo fuerit *sinisterus:* unde *sinisterior* comparativum, et *sinisteritas*. *Tibull.* 4, 1, 103. Seu libeat duplici sejunctum cernere Marte, Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister Miles. *Caes. B. C.* 2, 23. A sinistra parte nudata castra. *Suet. Aug.* 92. Si calceus sinister pro dextero induceretur. *Phaedr.* 5, 7. concidit casu gravi Nec opinus, et sinistram fregit tibiam. *Ter. Eun.* 4, 7, 5. Tu, Simalio, in sinistrum cornu, tu, Syrisce, in dexterum. *Hor. Od.* 1, 2, 18. Amnis vagus sinistra Labitur ripa. *Nep. Dat.* 3. Gerens dextra manu clavam, sinistra copulam. *Caes. B. C.* 1, 75. Sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt. *Cic. Div.* 1, 39. Cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum. *Id. Phil.* 12, 5. Aspicite a sinistra illam equestrem statuam. *Id. Acad.* 4, 40. Supra infra, dextra sinistra, ante post. *Pl. Merc.* 5, 2, 38. Aspice nunc ad sinistram. [*Liv.* 9, 27. sinistris — repentino consilio Poetelii consulis additae vires, i. e. sinistris partibus, opponuntur enim dextrae parti.] ℙ Sinistrum alicui esse. *Colum.* 1, 5. *med.* Fere pestilens est solum, quod est remotum ac sinistrum soli et apricis flatibus, *h. e.* septentrionali plagae obversum. ℙ Sinistrae manus multus fuit usus in ludo pilae trigonalis. *Mart.* 14, 46. Si me mobilibus scis expulsare sinistris, etc. Adde 7, 72. ℙ Plurimus item in furtis, quia ejus motus facilius, quam dexterae, occultantur. *Ov. Met.* 13, 110. Nec clypeus, vasti caelatus imagine mundi, Conveniet timidae, nataeque ad furta sinistrae. *Catull.* 47, 1. Porci, et Socration, duae sinistrae Pisonis, *h. e.* quorum opera in furtis suis Piso utitur. V. ASPENDIUS. ℙ Comparativum *sinisterior* eandem ac positivum significationem habet. *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 30. *med.* Cornu sinisterius, quod erat infirmius, pedem referre coepit. *Ov. Met.* 2, 138. Neve sinisterior pressam rota ducat ad Aram, *h. e.* currus ad sinistram deflexus. *Cels.* 4, 1. *med.* Cor in pectore sub sinisteriore mamma situm. *Suet. Tib.* 6. *f.* Sinisteriore funali equo. *Id. Dom.* 17. Sinisteriore brachio fasciis obvoluto. *Inscr.* ap. *Grut.* 573, 1. Ex tabula aenea, quae fixa est Romae in Capitolio ad aram gentis Juliae deforas podio sinisteriore. ℙ Translate est adversus, inimicus, noxius, infelix, quia quae sinistra manu fiunt, minus apte et prave fiunt. *Ov. Trist* 5, 7, 63. Ipse loquor mecum, desuetaque verba retracto: Et studii repeto signa sinistra mei. *Sen. Troad.* 983. Quis tam sinister dividit captas Deus? *Prop.* 3, 2, 9. pugnamque sinistram Cannensem; et *ib.* 23, 32. Et veniat formae ruga sinistra tuae. *Val. Fl.* 3, 303. heu Divis visa sinistris Regna mihi! *Virg. G.* 1, 444. Arboribusque, satisque Notus, pecorique sinister. *Id. A.* 10, 110. errore malo Trojae, monitisque sinistris. *Tac. A.* 6, 32. *med.* Sinistra fama; et *H.* 2, 93. *f.* Sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat. *Id. A.* 1, 74. Sinistros de aliquo sermones habere. ℙ Item pravus, perversus. *Phaedr. epil.* 2. Sinistra quos in lucem natura extulit, Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere. *Curt.* 7, 4. Natura mortalium hoc quoque nomine prava et sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno. *Ov. Trist.* 2, 257. Quodcumque attigerit, siqua (*matrona*) est studiosa sinistri, Ad vitium mores instruet inde suos. *Tac. Agr.* 5. *f.* Sinistra erga eminentes interpretatio; et *Plin. ep.* 7, 28. Igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant. *Tac. H.* 5, 5. de Judaeis: Cetera instituta sinistra foeda pravitate valuere. ℙ Cum gen. *Sil.* 1, 56. de Annib.: Ingenio motus avidus, fideique sinister Is erat. *Id.* 3, 253. pravus fidei, dixit. Alii tamen leg. *sinistrae.* ℙ In auspiciis *sinister* ap. Romanos faustum, prosperum, felix, laetum significat: apud alias gentes adversum, infelix, triste. Causam habes in LAEVUS, ubi multa hac de re. Quare non audiendus *Festus*, et *Serv.* ad *A.* 2, 693. qui *sinistras aves*, *sinistrumque*, *et sinistimum auspicium* dici ajunt, *quod sinat fieri*, h. e. addicat, admittat. *Cic. Div.* 2, 39. Ita nobis sinistra videntur, Grajis et barbaris dextra, meliora; et *ib.* 35. Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, praeterquam ad comitia. *Pl. Epid.* 2, 2, 1. et *Ps.* 2, 2, 72. Habete animum bonum: liquido exeo foras auspicio, avi sinistra. *Catull.* 45, 8. Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante, Dextram sternuit approbationem. Adde *Virg. Ecl.* 9, 15. et *Ov. Trist.* 1, 9, 49. ℙ Ex instituto Graecorum Laodamia ap. *Ov. Her.* 13, 49. Dii, precor, a nobis omen removete sinistrum. ℙ Reperitur tamen etiam in consuetudine Romana sinistrum auspicium pro adverso. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 2. *f.* Sinistris quidem auspiciis amicitiae conditionem secuti, sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultae nobilitatis exempla. ℙ Comp. *Sinisterior* est quasi a genitivo *sinisteri*, cum, ut observat *Prisc.* 3, 600., in usu *sinistri* tantum reperiatur. In ed. *Putschii* perperam legitur *sinistrior* pro *sinisterior*. Sup. *Sinistimus* pro *sinisterrimus* agnoscitur ab *eod. Prisc. ib.* 605. et 607. Sic *dextimus* a *dexter*, et ab *exter* fit *extimus*.

SINISTĔRĬTAS, atis, f. *σκαιότης, σκαιοσύνη*, imperitia, rusticitas: cui opponitur dexteritas. *Plin. ep.* 9, 5. Plerique dum verentur, ne gratiae potentium nimium impertiri videantur, sinisteritatis, atque etiam malignitatis famam consequuntur. *Id. ep.* 6, 17. Quae tanta gravitas? quae tanta sapientia? quae immo pigritia, arrogantia, sinisteritas, ac po-

tius amentia? in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas, ad quem tanquam amicissimum veneris?

SĪNISTĪMUS. V. SINISTER.

SĪNISTRĀ. V. SINISTER.

SĪNISTRĒ, adv. *σκαιῶς*, prave, perverse, in malam partem. *Hor. A. P.* 451. hae nugae in seria ducent In mala derisum semel, exceptumque sinistre. *Tac. H.* 1, 7. Utraque caedes sinistre accepta: et inviso semel principe, seu bene, seu male facta premunt; et *ib.* 3, 52. *f.* Sinistre de aliqua re rescribere. *Plin. Pan.* 45. *med.* Porro non tam sinistre constitutum est, ut qui malum principem possumus, bonum non possimus imitari, *h. e.* non tam prava natura comparati sunt homines.

SĪNISTRORSUM et Sinistrorsus, adv. *ἐπ' ἀριστερᾶ*, sinistram versus. *Suet. Galb.* 4. Villa colli supposita, prope Terracinam, sinistrorsum Fundos petentibus. [**Oudend.* ex optimis libris recepit *sinistrorsus.*] *Front. Aquaed.* 5. Concipitur Appia in agro Lucullano, via Praenestina, inter milliarium septimum et octavum, diverticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. *Caes. B. G.* 6, 24. Silva Hercynia recta fluminis Danubii regione, pertinet ad fines Dacorum: hinc se flectit sinistrorsus, diversis a flumine regionibus. *Hor. Sat.* 2, 3, 50. Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique Error. *Id. Epod.* 9, 20. Puppes sinistrorsum citae. V. Interpret. et praecipue *Bentl.* ℙ *Sinistroversus* integrum est. *Lactant.* 3, 6. Qui se in alteram partem inclinaverunt, aut dextro, aut sinistroversus ceciderunt.

SĪNISTROVERSUS. V. v. praec.

[SĪNISTUS, i, m. *Ammian.* 28, 5. Sacerdos apud Burgundios omnium maximus vocatur Sinistus, et est perpetuus. Fortasse est a *συνίστωρ*, conscius, testis; quasi vero Diis rerum omnium conscius. *F.*]

*SINNA, ae, f. opp. Illyridis, in Dalmatia, alio nomine Cinna vel Chinna. *Tab. Peut. B. A.*

*SINNAUS, i, lacus in Asia, circumnascente absinthio infectus, ut scribit *Plin.* 2, 103. *B. A.*

*SINNUS (fluvius) vel Sinnum (flumen) in Italia superiore, in Gallia Cispadana. *Tab. Peut. B. A.*

SĪNNĪĀNUS, a, um, adj. ad Sinnium Capitonem pertinens, ut Sinniana opinio, *Gell.* 5, 21. *f.* Sinnii Capitonis, cum laude docti grammatici meminit *Id. ib. et c.* 20. et *Fest.* in *Sexagenarios*, in *Sinistrae*, in *Salva*, et alibi saepe.

SĪNO, is, ivi, situm, a. 3. *ἐάω*, patior, permitto, fero. [*Sunt qui deducere velint a Gr. *ἐάω.*] *Cic. Cat.* 1, 5. Non feram, non patiar, non sinam. *Pl. Poen.* 1, 1, 18. Suspende, vinci, verbera: auctor sum, sino. *Ter. Heaut.* 2, 3, 76. *Sy.* Si sinas, dicam. *Clin.* sine. *Clit.* sino; et 4, 1, 53. Non licet hominem ita esse saepe, ut vult, si res non sinit. *Id. Eun.* 1, 1, 20. Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo: mori me malim: sentiet, qui vir siem: *ἔλεψις*. *Liv.* 30, 15. Cum orasset eum, ut quantum res sineret, etc. et *Plin. ep.* 4, 10. *f.* Moretur ergo in libertate, sinentibus nobis, fruatur legato, etc. ℙ Cum inf. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *f.* Cato concionatus est, comitia haberi non siturum. *Id. Fin.* 1, 16. *f.* Improbitas nunquam sinit eum respirare. *Id. Phil.* 11, 13. Qui latrocinium in Syriam penetrare non sivisset. *Liv.* 35, 5. *med.* Si restitui ordines sissent, integro rursus proelio dimicaturos. *Caes. B. G.* 4, 2. *f.* Vinum ad se omnino importari non sinunt. *Sall. in or. ad Caes.* 1. Ut quae tibi placuerint, ea Dii immortales approbent, beneque evenire sinant. *Pl. Poen.* 3, 3, 10. Quod certe scio nec fore, nec Fortunam situram fieri. *Id. Most.* 1, 4, 15. Sine, sine cadere me. *Id. ib.* 5, 2, 22. Sine me dum istuc judicare; et *Ps.* 3, 2, 50. Sine sis loqui me. *Phaedr.* 3, 16. Dormire me non sinunt cantus tui. *Ter. Ad.* 1, 2, 23. Haec si neque ego, neque tu fecimus, non sivit egestas facere nos. ℙ Cum conjunctivo, et particula *ut*, quae aliquando subintelligitur. *Id. Andr.* 1, 2, 17. Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suum. *Id. Hec. prol.* 2. Sinite, exorator ut sim; et 4, 2, 14. Neque sinam, ut mea pertinacia esse dicat factum. *Id. Andr.* 5, 3, 24. Dicat, sine. *Si.* age, dicat: sino; et *ib.* 29. Sine, me expurgem; et 30. Sine, te hoc exorem. *Virg. Ecl.* 9, 43. Huc ades: insani feriant, sine, litora fluctus. ℙ Passive. *Colum.* 12, 17. Vinum in dolium conditur, et ibi sinitur fermentari; et 11, 2. Vites regelare sinuntur. *Cic. Sext.* 44. Accusare eum moderate per senatus auctoritatem non est situs; et *Plin.* 14, 1, 3. Vitis succi gratia exire sinitur pluribus modis. *Cato R. R.* 89. Nec plus aqua sita siet horam unam. ℙ Cum dativo. *Juvenc.* 2, 24. Et sine defunctis defunctos condere terrae. ℙ Cum accus. rarum est. *Virg. A.* 9, 619. Tympana vos, buxusque vocant Berecyntia Matris Idaeae: sinite arma viris, et cedite ferro. *Id. G.* 4, 47. Neu propius tectis taxum sine. *Plin.* 6, 14, 17. Serpentium multitudo transitum non sinit. ℙ Satius tamen est, ellipsin agnoscere, ut infinitivum aliquod subintelligatur: ut in his, quae subjicio. *Pl. Ps.* 4, 7, 14. Nam me in taberna usque adhuc sineret Syrus. *Virg. A.* 10, 426. At non caede viri tanta perterrita Lausus, Pars ingens belli, sinit agmina. *Esse* in his commode subauditur. *Ter. Heaut.* 1, 1, 38. Sine me, vacuum tempus ne quod dem mihi laboris: *supple* hos rastros humeris gestare. *Id. Ad.* 3, 2, 23. Hem quisquis es, sine me; *supple* ire. *Virg. A.* 10, 598. Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis, *h. e.* sine me habere, aut servare. *Id. G.* 4, 6. In tenui labor, at tenuis non gloria, siquem Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo, *h. e.* sinunt haec dicere. ℙ *Ne Dii sinant, siverint*, formula abominantis, ut *Dii prohibeant*, etc. *μὴ γένοιτο. Plin. ep.* 2, 2. Illud nec Dii sinant, ut infirmior. *Pl. Merc.* 2, 2, 50. At ne deteriorem tamen hoc facto ducas. *Lys.* Egone te? ne Dii siverint. *Liv.* 28, 28. *med.* et 33, 21. Ne istud Juppiter opt. max. siverit. Alii leg. *sierit*, alii *sirit;* quod est syncope a *siverit. Pl. Bacch.* 3, 3, 64. Periit tibi sodalis. *Mne.* ne Dii sirint. *Id. Poen.* 5, 1, 20. Meas hic ut gnatas reperire me siritis. *Id. Trin.* 2, 4, 119. Ne tu illum agrum tuum siris unquam fieri. ℙ *Sinit* pro *sinat*, *ἀρχαϊκῶς*, ut *edit* pro *edat. Pl. Curc.* 1, 1, 25. Num tu pudicae cuipiam insidias locas? *Phae.* nemini: nec me ille sinit Juppiter. Alii leg. *sirit;* et *Virg. Cir.* 239. Ut scelere infando (quod nec sinit Adrastia) Laedere utrumque uno studeas errore parentem. ℙ *Sistis* pro *sivistis*, quidam leg. in illo *Accii* ap. *Cic. Sext.* 57. *f.* Exsulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini. Alii *sivistis.* [*V. *Orell.* qui *sistis* habet.] ℙ *Sissem* pro *sivissem* est *Livii* 3, 18. et 35, 5. ℙ Pro *sivi* in praeterito *sini* olim dixere. *P. Rutil.* ap. *Diomed.* 1, 371. Quod si me invitum abire sinisset. *Scaurus ib.* Proelium non sini fieri. Adde *Pl. Most.* 2, 1, 54. et *Cas.* 4, 2, 13. et *Ter. Andr.* 1, 2, 17., sed dubia lectione. ℙ Et *sii*, quod in secundis et tertiis personis hodieque usurpatur. *Varr. ib.* Ad mortem perducere non sii. Terent. in Adelph. (1, 2, 23.) Quia non siit egestas. Ita *Diomed. ib.*, alii *sivit.* V. *Terentii* l. c. supra in §. 2.

*SĪNON, onis, m. *Σίνων* (*παρὰ τὸ σίνεσθαι*,) Aesimi filius (quanquam ex Sisypho genitum tradit *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 79. quod et ipse facit Virgilius: V. *Aeolides*), ideoque Ulyssi consanguineus. V. *Tzetz.* ad *Lycophr.* et *Tryphiod.* ap. *Munker.* ad *Hygin fab.* 108. Insignis veterator et proditor fuit in exercitu Graecorum. *Virg. A.* 2, 97. sq. *Hyg. fab.* 108. *Dict. Cret.* 5, 12. Specularum significationem invenit, teste *Plin.* 7, 56. ℙ Fuit et *sinon* herbae nomen. *Plin.* 27, 13. Sinon concoctiones facit, sapore simillima piperi. Sic ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *simul. B. A.*

*SĪNONĪA, ae, f. insula maris Etrusci, Latio adjacens, hodie *Sanone* dicta. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 3, 6. *B. A.*

SĪNOPENSIS, e, adj. ad Sinopen (*Σινώπην*) pertinens, quae est urbs Asiae minoris in Paphlagonia, in ora Ponti Euxini, regia Mithridatis, patria Diogenis Cynici, cujusque *Plin.* 6, 2, 2. et *Val. Fl.* 5, 109. meminere. *Ulp. Dig.* 50, 15, 1. *f.* Sinopensis colonia. ℙ *Sinopenses, ium*, illius urbis incolae, ap. *Tac. H.* 4, 83. *f.*

SĪNOPEUS, ĕi et ĕos, adj. m. *Σινωπεύς*, trisyll. in nominat. Sinopensis. *Ov. Pont.* 1, 3, 67. Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus. *Pl. Curc.* 3, 72. Persas, Paphlagonas, Sinopeas, Arabas, Syros. ℙ Sunt qui scribunt *Synopeus.*

SĪNOPĪCUS, a, um, adj. *Σινωπικός*, Sinopensis, ut Sinopicum minium, *Cels.* 5, 6. et 6, 6. *n.* 19. h. e. rubrica, quae optima apud Sinopen eximitur, ut *Vitr.* docet 7, 7.

SĪNOPIS, idis, f. *σινωπίς, σινώπη*, rubricae genus praestantissimum: a Sinope urbe Ponti, unde et *γῆ Ποντική*, terra Pontica, item rubrica Pontica dicebatur. Sed generatim pro rubrica sumebatur, ut *magnes* proprie, qui ex Magnesia, sed generatim sic vocatus lapis, qui ferrum trahit. *Plin.* 35, 6, 13. Sinopis inventa est primum in Ponto, inde nomen, a Sinope urbe. Nascitur et in Aegypto, Balearibus, Africa, sed optima in Lemno, et in Cappadocia, effossa e speluncis, etc. Adde *Vitr.* 7, 7.

*SĪNTĪCE, es, f. et

*SĪNTĪCUS, a, um. V. in v. sq. *B. A.*

*SĪNTĪI, orum, populi Macedoniae, inter Strymonem et Chabrium flumina. *Liv.* 42, 51. ℙ Hinc *Sinticus, a, um*, ad Sintios pertinens, ut *Heraclea Sintica*, de qua V. *Heraclea* in *f.* ℙ *Sintice*, sc. *γῆ, terra*, dicta est regio, qua siti. *Liv.* 44, 46. *B. A.*

SĪNŪĀMEN, inis, n. curvamen, inflexio in modum sinus. *Prud. Psych.* 870. quarum (*columnarum*) tegit edita calculus albens In conum caesus capita, et sinuamine subter Ductus concharum in speciem. *Juvenc.* 1, 87. Felicem gestans uteri sinuamine fetum. *Id.* 3, 56. de Herodiade saltante: Alternos laterum celerans sinuamine motus. Adde *Sidon. carm.* 22, 151.

SĪNŪĀTĬO, onis, f. *κόλπωσις*, curvatio instar sinus. *Fulg. Myth. praef. f.* Corniculata lunae sinuatio.

SĪNŪĀTUS, a, um, part. a *sinuo: κολπωτὸς*, curvatus instar sinus, inflexus, arcuatus. *Tac. H.* 5, 11. Colles claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. *Sen. V. B.* 4. Exercitus in cornua, sinuata media parte, curvatur. *Cels.* 4, 1. *med.* Intestinum late fusum, atque sinuatum; et 8, 1. *med.* Vertebrarum processus paululum sinuati. *Ov. Met.* 8, 380. celerem Tegaea sagittam Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu; et *ib.* 14, 51. Parvus erat gurges curvos sinuatus in arcus. *Id. Am.* 2, 19, 29. Dum servat Juno sinuatam cornibus Io. *Plin.* 2, 9, 6. Luna sinuata in orbem. *Claud. in Eutrop.* 2, 312. Inque modum veli sinuatis flamine pennis Pulverulenta volat, *h. e.* inflatis: nam inflata vela sinum faciunt. *Id. VI. cons. Honor.* 175. Sinuati flexus. *Sil.* 6, 225. de angue: tergoque residens, Cetera sinuatis glomerat sub pectore gyris; et 15, 173. Hinc legit Ausonius sinuatos gurgite ductor Anfractus pelagi, *h. e.* sinuosa litora.

SĪNŪESSĀNUS, a, um, adj. ad Sinuessam pertinens, vetus oppidum Campaniae, in ora, in Latio adjecto, ubi Massicus mons desinit: olim Sinope dictum, ut *Plin.* 3, 5, 9. docet, nunc *Mandragone. Cic. Fam.* 12, 20. Sinuessanum diversoriolum contempsisti. *Hor. Ep.* 1, 5, 5. Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum. *Mart.* 11, 8. Sinuessanus lacus, *h. e.* cujus aquae saluberrimae. *Plin.* 31, 2, 4. Sinuessanae aquae sterilitatem feminarum, et virorum insaniam abolere produntur. *Mart.* 13, 111. De Sinuessanis venerunt Massica prelis. *Ov. Met.* 15, 715. niveisque frequens Sinuessa columbis.

SĪNUM, i, n. et Sinus, i, m. et us, m. genus vasis vinarii. *Varr. L. L.* 4, 26. Vas vinarium grandius, sinum: ab sinu, quod sinum majorem cavationem, quam pocula, habebat. *Non.* quoque 15, 34. vas sinuosum fuisse dicit. Probabilius tamen (nam obstat quantitas prioris syllabae) ducitur a Graeco *δῖνος*, quod item vasis nomen est. *Varr. L. L.* 8, 16. Inusitatis formis vasorum recentibus a Graecia allatis, oblitteratae antiquae consuetudinis sinorum et capidarum species cedunt. *Id.* ap. *Non. l. c.* et *Prisc.* 6, 114. Ubi erat vinum in mensa positum, aut galeola, aut sinum. Alii leg. *sinu. Virg. Ecl.* 7, 33. Sinum lactis, et haec te liba, Priape, quotannis Exspectare sat est. *Vet. Poet.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 363. *Burm.* Tempus vernum haedus petulans, et garrula hirundo Indicat, et sinus lactis, et herba virens. *Atta* ap. *Servium l. c.* Nempe ad mensam, ubi sermo de sinu solet suboriri. *T. Valgius* ap. *Serv.* et *Philarg.* ad *G.* 3, 177. Et sinum vini cessamus fundere Baccho. *Pl. Curc.* 1, 1, 82. Eine hic cum vino sinus fertur? et 1, 2, 13. Expeto invergere in me liquores tuos sino ductim. *Id. Rud.* 5, 2, 31. Talentum argenti inerat in crumena: praeterea sinus, epichysis, cantharus, etc. *Mart.* 3, 58. Avidi sequuntur villicae sinum porci.

SĪNŪO, as, avi, atum, a. 1. *κολπόω*, in sinus flecto, curvo: et fere poetice usurpatur. *Sen. Herc. Fur.* 1197. Quis potuit arcum flectere, aut quae dextera Sinuare nervum vix recedentem mihi? *Virg. A.* 2, 208. de anguib.: sinuantque immensa volumine terga. *Ov. Met.* 9, 63. longum formatus in anguem, etc. flexos sinuavi corpus in orbes; et *ib.* 3, 42. Serpens immensos saltu sinuatur in arcus. *Sever. Aetn.* 46. Ima per orbes Squameus intortos sinuat vestigia serpens. *Virg. G.* 3, 191. de equo: gradibusque sonare Compositis, sinuetque alterna volumina crurum, *h. e.* alternis crura inflectat gradiendo. *Claud. IV. cons. Honor.* 538. Cum vectaris equo, simulacraque Martia ludis, Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum Acrior? *h. e.* variis flexibus decurrere. *Calp. Ecl.* 6, 68. scopulisque cavum sinuantibus arcum Imminet, exesa veluti testudine concha, *h. e.* formantibus. *Tac. A.* 6, 37. Euphratem albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes. [*Adde *G.* 35. donec in Cattos usque sinuetur gens, ubi v. *Hess.*] *Cels.* 8, 1. *med.* Processus ossis magis etiam extremis partibus sinuatur, *h. e.* in sinum desinit. *Ov. Met.* 14, 501. cubitique leves sinuantur in alas; et *ib.* 3, 682. dividuae sinuantur cornua lunae; et *ib.* 2, 875. tremulae sinuantur flamine vestes, *h. e.* implentur, et in sinus inflantur. Sic *Lucan.* de velo inflato *sinus* dixit 6, 472. Synaeresis est in illo *Silii* 10, 181. tergo qua balteus imo Sinuatur, coxaque sedet munimen utraque. Ead. synaeresi usus est *Id.* in SINUATUS. ℙ *Sinuare Oceanum* ap. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 268. est undosum facere. ℙ *Sinuari* campus dicitur a *Tac. A.* 2, 16. qui extremitates habet varie inflexas, et sinus instar cavatas. Sic *Mela* 1, 7. Ionia aliquot se ambagibus sinuat, *h. e.* oram habet inaequaliter flexam et varios sinus efficientem. ℙ *Sinuare*, cavare, sinum facere. *Cels.* 7, 2. *med.* Danda opera, ut imus sinus exitum habeat, ne quis humor intus subsidat, qui proxima, et adhuc sana rodendo sinuet.

SĪNŪOSĒ, adv. per varios sinus. Translate. *Gell.* 12, 5. *med.* Dicam ego indoctius, ut ajunt, et apertius, quae fuisse dicturum puto sinuosius atque solertius, si quis nunc adesset Stoicorum, *h. e.* magis recondite, et remote a vulgi captu, ex intimis Stoicae disciplinae penetralibus.

SĪNŪOSUS, a, um, adj. *κολπώδης*, multos habens sinus et cavitates, curvatus, flexuosus. *Plin.* 16, 6, 8. Folia sinuosa lateribus. *Id.* 11, 37, 69. Cor prima domicilia sanguini praebet sinuoso specu, et in magnis animalibus triplici. *Id.* 5, 29, 31. Maeander ita sinuosus flexibus, ut saepe credatur reverti. *Val. Fl.* 2, 451. dum litora blando Anfractu sinuosa legunt; et 3, 277. Sinuosa aequora. *Sen. Troad.* 828. maris lati sinuosa Troezen, *h. e.* quae posita est ad

sinum Argolicum in Peloponneso. *Virg. G.* 1, 244. flexu sinuoso elabitur anguis; et *A.* 11, 753. Saucius at serpens sinuosa volumina versat. *Ov. Am.* 1, 1, 23. Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum. *Id. Her.* 8, 23. (et *Prop.* 4, 1, 15.) Sinuosa vela. *Id. Met.* 5, 68. vestis, *h. e.* ampla, laxa, atque adeo multos sinus habens. ℙ Translate. *Quint.* 2, 4. de historia: Ut ea sit neque arida prorsus atque jejuna, neque rursus sinuosa, et arcessitis descriptionibus lasciva, *h. e.* excessuum, digressionum, et diverticulorum plena, quibus justo longior fit, ut via, quae non recta est, sed flexuosa. *Gell.* 14, 2. *med.* Est enim disceptatio ista multijugae et sinuosae quaestionis, *h. e.* longae, et multos quasi recessus habentis. *Pers.* 5, 27. Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi, Voce traham pura, *h. e.* in intimo pectore; et *Rut. Itin.* 1, 322. Nec sinuosa gravi cura labore caret, *h. e.* velificatio flexuosa per varios sinus et anfractus litoris, quae gravi labore non caret, ubi toties mutato vento et flexu litoris mutanda etiam velorum dispositio, et vento accommodanda est.

SINUS, us, m. κόλπος, spatium, quod est intra pectoris brachiorumque complexum: item sedentis, quod pectore et femoribus continetur: quod et gremium dicitur: item ipsa vestis, qua ea pars corporis amicitur. *Phaedr.* 5, 5. Ille in sinum repente demisit caput; et *ib.* 36. ille profert ipsum porcellum e sinu. *Id.* 4, 13. Gelu rigentem quidam colubram sustulit, Sinuque fovit. *Hor. Od.* 2, 18, 27. Ferre quippiam in sinu. *Id. Sat.* 2, 3, 172. Aliquid ferre sinu laxo. (Proverbialiter est non curare, negligere.) *Ter. Heaut.* 3, 3, 2. Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere. *Petr. Sat.* 24. *f.* Manum demisit in sinum, et pertrectato vasculo tam rudi, etc. *Ov. Her.* 8, 62. Perque sinum lacrimae fluminis instar eunt. *Id. Trist.* 4, 1, 98. Inque sinum moestae labitur imber aquae. *Id. Am.* 3, 6, 68. Spargebat tepidos flebilis imbre sinus. *Tac. H.* 3, 10. Opposuit sinum Antonius stricto ferro, aut militum se manibus, aut suis moriturum obtestans; et *Vell.* 2, 75. *f.* Bimum puerum gestans sinu. [*Suet. Aug.* 35. Praetentare sinum alicujus; et *Caes.* 82. toga caput obvolvit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet: coll. *Val. Max.* 4, 5, 2. togam manu demisit.] ℙ De utero. *Ov. Fast.* 5, 256. Tangitur, et tacto concipit illa sinu. *Sen. Octav.* 764. de Jove: Quem modo Ledae pressisse sinum Tectum plumis, pennisque ferunt. *Id.* translate *ib.* 404. Et ipsa Tellus laeta fecundos sinus Pandebat ultro. [*Tac. A.* 13, 13. suum potius cubiculum ac sinum offerre.] ℙ De crumena, quae in zona et sinu gestari solet. *Cic. Verr.* 2, 5, 57. Cedo mihi, quaeso, ex ipsius sinu litteras Syracusanorum. *Suet. Cal.* 46. Ut conchas legerent, galeasque et sinus replerent, imperavit. *Colum.* 10, 310. Aere sinus gerulus plenos gravis urbe reportat. *Ov. Am.* 1, 10, 18. Quo pretium condat, non habet ille sinum. *Prop.* 2, 13, 11. Cynthia non sequitur fasces, non quaerit honores: Semper amatorum ponderat illa sinus. ℙ [*Hinc translate ponitur pro lucro, emolumento: imprimis malam in partem: simili ratione nos dicimus: *in seinen Beutel stecken.* Ita usurpatum *sinus* est in locis, quos *Noster* perperam antecedentis §. exemplis adscripserat istos: *Lampr. Commod.* 14. *extr.* Agebantur omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur, h. e. pretio vendidisse, et in quaestum lucrumque suum convertisse; et *ib.* Omnia jura subvertit, praedam omnem in sinum contulit. — Notandus etiam memorabilis locus *Plinii H. N.* 36, 15. ubi M. Scaurus vr. rapinarum provincialium sinus, i. e. in cujus sinum omnes rapinae congestae.] ℙ *Sinum laxare, expedire*, est lucrum, aut munera exspectantis. *Sen. ep.* 119. Sinum laxa: merum lucrum est. *Id. V. B.* 23. *f.* Quid expeditis sinum? donabit, etc. Contra *Sen. alter Thyest.* 430. Cur bonis tantis sinum subducis? *h. e.* cur tanta bona recusas? ℙ In sinum condi solent, quae clam alios esse volumus. *Suet. Aug.* 35. Ne admissum quidem tunc quemquam senatorem, nisi solum, et praetentato sinu. *Sen. Herc. Fur.* 1010. Licet Tonantis profuga condaris sinu, Petet undecumque temet haec dextra. ℙ Hinc *in sinu* est clam, occulte, nullo vidente. *Cic. Tusc.* 3, 21. *extr.* Ut in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant; et *Prop.* 2, 19, 70. In tacito cohibe gaudia clausa sinu. Adde *Tibull.* 4, 13, 8. et *Sen. ep.* 105 Sic *Sabin.* 1, 124. tu preme solers Laetitiam, et tacito gaudia conde sinu. *Tert. Pud.* 6. Plaudere in sinum. ℙ Refertur ad intimam familiaritatem, et amorem, et convictum. [*Cf. *Matth.* ad *Cic. Cat.* 2, 10, 22.] *Cic. Fam.* 14, 4. *med.* Cicero meus quid aget? iste vero sit in sinu semper et complexu meo. *Id. Cat.* 2, 10. Postremum genus est proprium Catilinae, de ejus delectu, immo vero de complexu ejus ac sinu. *Id. Q. Fr.* 2, 13. de Pompejo: Mihi credite, in sinu est: neque ego discingor, *h. e.* est mihi amicissimus: neque hanc amicitiam dissolvere cogito. *Id. ad Brut.* 1, 7. Bibulum noli dimittere e sinu tuo, tantum jam virum. *Ter. Ad.* 4, 5, 75. Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? ὑποδεκτέος ἐν κόλπῳ: impense amandus. *Plin. ep.* 8, 16. *extr.* Est enim quaedam etiam dolendi voluptas, praesertim si in amici sinu defleas. [*Plura ejusdem generis exempla habes ap. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 21. p. 133. *b. ed. Fr.*] *Tac. A.* 6, 45. *extr.* Etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat; et *Auct. dial. de Or.* 28. Suus cuique filius gremio ac sinu matris educabatur. [*Adde *Agr.* 4. *Plin. Pan.* 7, 5. successorem e sinu uxoris accipias? i. e. privignum.] ℙ *In sinu*, in visceribus, in intima parte. *Sil.* 4, 33. exterrent immania coepta, Inque sinu bellum; et 6, 651. pestiferos mitis Campania cursus Tardavit, bellumque sinu indefensa recepit. *Sall. Cat.* 56. *f.* Intra moenia, in sinu Urbis sunt hostes. *Claud. in Eutrop.* 2, 575. nascuntur in ipso Bella sinu. *Tac. H.* 3, 38. *med.* In Urbe ac sinu cavendum hostem. *Plin. Pan.* 56. Consulatus gestus in hoc Urbis otio, et intimo sinu pacis. *Tac. A.* 13, 40. *med.* Productiore cornuum sinistro, ut si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur, *h. e.* media et interiore acie. [*Cf. *Böttich. Lex. Tac.* p. 432.] ℙ *In sinu*, in potestate. *Scaevola Dig.* 22, 3, 27. Omnes fortunas et substantiam, siquam a matre susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione. [*Huc pertinet etiam illud, quod alieno loco *Noster* laudaverat, *Plin. Pan.* 45, 2. horum in sinum omnia congerebant: ubi *Gierig.* comparat notum illud ex SS. litteris διδόναι εἰς τὸν κόλπον. — Porro *Tac. H.* 3, 69. tanquam omnis respublica in Vespasiani sinum cessisset; et cp. 19. opes Cremonensium in sinu praefectorum fore: coll. *Cic. Verr.* 2, 1, 50. Optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat.] ℙ *Sinus*, locus abditus, latebra, recessus. *Tac. H.* 2, 92. *extr.* Abditis pecuniis per occultos, aut ambitiosos sinus. *Gell. praef. med.* Non enim fecimus altos nimis et obscuros in his rebus quaestionum sinus. [*Plura invenies ap. *Böttich.* in *Lex. Tac. l. l.*] ℙ *Sinus*, refugium: ducta translatione ab infantibus, in sinum matris, tanquam in locum tutum, confugientibus. *Plin. Pan.* 6. *med.* Confugit in sinum tuum concussa respublica. *Plin. ep.* 8, 12. Studiosos amat, fovet, provehit: multorumque qui aliqua componunt, portus, sinus, praemium. [*V. *Böttich. l. l.*] ℙ *Spuere in sinum* solebant veniam a Diis spei alicujus audacioris petentes, ut *Plin.* 28, 4, 7. docet. V. DESPUO. ℙ Saepe *sinus* dicitur de curvatura, flexu, et cavitate cujuscumque rei. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. Torvu' draco serpit, subter supraque revolvens Sese, conficiensque sinus e corpore flexos. *Colum.* 4, 25. Pars falcis, quae flectitur, sinus nominatur; et *mox:* Cum vinitor retrahere quid debet, sinu utitur: cum allevare, scalpro. *Cels.* 8, 1. Sinus ossis: cui opponitur *processus.* *Id.* 7, 2. *med.* ulceris. *Colum.* 6, 11. Suppuratio ferro rescinditur: expressus deinde sinus ipse, qui eam continebat, urina eluitur. ℙ De comis, quae in modum sinus humeris innatant. *Ov. Am.* 1, 14, 25. Quam se praebuerunt ferro patienter et igni, Ut fieret torto flexilis orbe sinus! *Id. A. Am.* 3, 148. Sustineat similes fluctibus illa sinus. ℙ De veste ampla, ejusque plicaturis. *Virg. A.* 1, 324. Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes. *Liv.* 21, 18. *f.* Tum Romanus sinu ex toga facto, hic, inquit, vobis bellum et pacem portamus, *h. e.* diducto sinu togae (de quo V. in TOGA.), tanquam si quippiam in eo vellet gestare. V. QUADRIGARIUS. ℙ Absolute, de veste quacumque. *Ov. Fast.* 2, 309. (et *ib.* 5, 28.) Ibat odoratis humeros perfusa capillis Maeonis, aurato conspicienda sinu; et *Her.* 13, 36. Indue regales, Laodamia, sinus. *Stat. Silv.* 2, 1, 131. Enormes non ille sinus, sed semper ad annos Texta legens, modo puniceo velabat amictu, Nunc herbas imitante sinu. Adde *Tibull.* 1, 10, 70. ℙ *Sinus retis*, pars retis laxa, quae cum quid incidit, inflectitur. *Pl. Truc.* 1, 1, 15. Quando abiit rete pessum, tunc adducit sinum. *Plin.* 11, 24, 28. de tela aranei: Quam laxus ad flatus, ac non respuenda quae veniant, sinus! *Juven.* 4, 34. Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi, Implevitque sinus. Adde *Mart.* 13, 100. et *Grat. Cyn.* 29. ℙ *Sinus veli*, media ejus pars, quae vento curvatur, et sinum efficit; et ipsum velum. *Ov. A. Am.* 3, 500. Plenaque curvato pandere vela sinu. *Lucan.* 6, 471. puppimque ferentes In ventum tumuere sinus. *Virg. A.* 3, 454. cursus in altum Vela vocet, possisque sinus implere secundos. *Tibull.* 1, 3, 38. Effusum ventis praebueratque sinum. *Ov. Pont.* 4, 9, 73. Et siquem dabit aura sinum, laxate rudentes. *Virg. A.* 5, 830. Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus; et *ib.* 16. Obliquatque sinus in ventum. *Sil.* 7, 242. dum desinat aura, sinusque Destituat tumidos, subducto flamine, ventus. ℙ Denique *sinus* est in ora maris terra curvata et recedens, ac velut sinum praebens aquis incurrentibus: a Graecis quoque κόλπος dicitur: unde Ital. *golfo.* *Cic. Verr.* 2, 5, 12. In ipso aditu atque ore portus, ubi primum ex alto sinus ad urbem ab litore flectitur; et *ib.* 56. Sinus maritimos obsidere. *Id. Att.* 16, 6. Duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet, Paestanus, et Vibonensis: utrumque pedibus aequis transmisimus. *Virg. A.* 1, 247. Illyricos penetrare sinus. *Plin.* 2, 43, 44. Et e fluminibus, ac sinubus, et e mari videmus ventos consurgere. ℙ [*Significat *sinus* oram etiam ipsam maritimam, terras circa sinum jacentes. V. *Drak.* ad *Liv.* 28, 5, 15. segetibus in sinu Aenianum vastatis; deinde etiam angulus terrae qui *Horatio* dicitur, *regio quae alteri quasi se insinuans* (v. *sinuans*) *sinus maritimi speciem praebet. Tac. A.* 14, 9. Viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subjectos sinus editissima prospectat (oras in quas mare multis locis incurrit, promontoria insulasque efficiens); 4, 67. (Capreae insula) prospectabat pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. *H.* 3, 66. Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti; *G.* 1. cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens; cp. 37. eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent (cf. cp. 35. Germania — in Septentrionem ingenti flexu redit); *Agr.* 23. Omnis propior sinus (Caledoniae) tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus, *(das ganze Land mit seinen Buchten und Landspitzen bis zum Isthmus).* — Altera significatione, qua est mediterraneus terrae angulus, legitur ap. *Eund. G.* 29. qui decumates agros (Rhenum inter Danubiumque) exercent — limite acto promotisque praesidiis, sinus imperii et pars provinciae habentur; *Ann.* 4, 5. dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur. Cf. *Curt.* 3, 9, 12. Paulatim deinde se laxare sinus montium et majus spatium aperire coeperant; *Plin. H. N.* 2, 44. vallium sinus; 4, 1. tertius Europae sinus Acroceraunii incipit montibus, finitur Hellesponto; cp. 27. reliqua ejus sinus dicantur, et maria quidem ejus nuncupavimus (igitur maria quoque complectitur, ut priori signif. non solum oras maritimas sed etiam promontoria et adjacentes terrae vocantur ingens in mediterraneo sinus; cp. 17. Parthiae amoenissimus sinus; cf cp. 28. in Carmaniae *angulo* sunt Chenolophagi. Transscripsimus haec ex *Böttich. Lex. Tac.* p. 431. sq. Porro adde, quae *Noster* supra laudaverat *Sen. Oed.* 582. Subito dehiscit terra, et immenso sinu Laxata patuit; et *Herc. Fur.* 679. Lethe immensi sinus, h. e. altitudinis. Cf. *Lucan.* 3, 459. sq. telluris inanes Concussisse sinus quaerentem erumpere ventum Credidit, i. e. interiores terrae et cavi recessus: ubi *Cort.* laud. *Sen. Tro.* 171. terra mugitu fremens Concussa, totos traxit ex imo sinus, ibique *Gron.*] ℙ Praecidere sinum. V. PRAECIDO. ℙ *Sinus*, vas. V. SINUM. ℙ [*Confund. *sinus* et *nisus.* V. *intpp.* ad *Liv.* 42, 65.]

SION, ii, n. σῖον, herba, de qua V. in LAVER. *Plin.* 26, 8, 56. Inde heminae semuntur per triduum: reliquum ex vino cum sio. ℙ *Sion*, indecl., fuit nomen collis in parte meridionali Hierusalem, in quo exstructa fuit arx David. Primam syllabam producit *Prud. Hamart.* 460., quae rectius corripitur.

SIPARIUM, ii, n. αὐλαία, περιπέτασμα, velum in scena, alio nomine aulaeum, teste *Festo:* [videtur esse a σίφαρος, velum navis, idem ac supparum, q. v. v. s. l. Ex locis mox afferendis illud argui potest, *siparium* proprie fuisse parvum velum interius in scena, quod populo obstabat, dum actus commutabantur; aulaeum vero, quod scenam claudit, quodque deprimitur, cum fabula incipit; attollitur, cum eadem acta est. *F.*] *Auct. libelli de Fabul. Lud. Theatr. Scen. cap. de appar. Scenae.* Apud Romanos aulaea in scena primum sternebantur, cum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit: velabaturque ipsa scena sipariis, quae posterior aetas pro aulaeis sumpsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat praeterea velum minutum, quod populo obsistebat in Consumptis actus commutabantur. *Juven.* 8, 185. scena, dum opibus, vocem, Damasippe, locasti Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli. *Cic. Prov. cons.* 6. *extr.* A suis Graecis subtilius eruditus, quibuscum jam in exostra heluatur: antea post siparium solebat. ℙ Aulaeum a sipario distinguit *Appul. Met.* 10. Aulaeo subducto, et complicitis sipariis, scena disponitur; et *ib.* 1. Aulaeum tragicum dimoveto, et siparium scenicum complicato. ℙ Refertur praecipue ad comoediam, ut soccus; quemadmodum aulaeum, et cothurnus ad tragoediam. *Sen. Tranq.* 11. *med.* Publius quoties mimicas ineptias, et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora, et hoc ait: Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest. ℙ [Etiam circa tribunal praetoris velum erat, quod siparium ex usu scenae dicebatur. *Quint.* 6, 1, 32. Sed non ideo probaverim depictam in tabula sipariove imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus. *Id. ib.* 3, 72. Cum ejus accusator in sipario omnibus locis aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemptum ex alea pinxisset. *F.*] [*V. *Spald.* ad utrumque locum.]

SIPARUM et

*SIPHAE, arum, opp. Boeotiae, qua in Phocidem vergit. *Plin.* 4, 3. *B. A.*

SIPHARUM. V. SUPPARUM.

SIPHNIUS, a, um, adj. Σίφνιος, ad Siphnum, nunc *Sifanto*, pertinens, quae est maris Aegaei insula, una ex Cycladibus, ut *Plin.* 4, 12, 22. docet. *Id.* 36, 22, 44. In Siphnio lapide singulare, quod excalfactus oleo nigrescit durescitque, natura mollissimus.

SIPHO, ōnis, m. σίφων, ωνος, tubus, fistula,

canalis, per quem aqua fluit, et derivatur, aut arte in altum emittitur: videtur esse ab Hebr. שָׁאַב *saab*, et שָׁאַף *saaph*, exantlavit. *Sen. Q. N.* 2, 16. Solemus duabus manibus inter se junctis aquam concipere, et compressa utrinque palma, in modum siphonis exprimere. *Plin.* 2, 65, 66. de aqua in summis jugis erumpente: Quo spiritu acta, et terrae pondere expressa, siphonum modo emicat. *Id.* 32, 10, 42. Sugentia ora *(hirudinum)* forficibus praecidunt: ac veluti siphonibus defluit sanguis. *Colum.* 3, 10. Omne alimentum virentis per medullam trunci, veluti per siphonem, quem diabeten vocant mechanici, trahitur in summum. *Id.* 9, 14, *med.* Apibus fame laborantibus in canaliculis defrutum, aut passum praebere: quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut insistentes apes quasi per siphonem succum evocent. *Fragment. legis rivaliciae* ap. *Fest.* post *Sicyonia:* Montani, paganive siphonibus aquam dividunto: donec eam inter se diviserint, praetoris judicatio esto. *Juven.* de urina longo tractu emissa, 6, 308. micturiunt hic, Effigiemque Deae longis siphonibus implent. *Lucan.* de nube longa, et instar fistulae aquas trahente, 7, 156. Et trabibus mixtis avidos siphonas aquarum. Alii leg. *typhonas.* [**Cort.*, q. v., leg. *siphonas.*] ℙ Fuit inter instrumenta exstinguendis incendiis idonea, haustam hamis aquam in omnes aedium partes reddendo. *Plin. ep.* 10, 42. Nullus in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda. *Ulp. Dig.* 32, 7, 12. *med.* Acetum quoque, quod incendii exstingendi causa paratur: item centones, siphones, etc. ℙ De tenui fistula usurpavit *Cels.* 1, 8. *f.*

[SIPHONĀRĬUS vel Siponarius, ii, m. qui siphone utitur ad exstinguenda incendia. Cum vero ad hoc muneris cohortes vigilum institutae fuissent ab Augusto, consentaneum erat, ut inter eos milites essent qui siphone etiam uterentur. *Inscr.* ap. *Mur.* 788, 3. D. M. T. Avidii Romani militis Coh. VII. Vig. siponarii 7. Laetorii, etc. *F.*]

SIPHUNCULUS, i, m. σιφώνιον, parvus sipho. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* In hoc fonte crater, circa siphunculi plures miscent jucundissimum murmur; et *med.* E stibadio aqua, velut expressa cubantium pondere, siphunculis effluit, cavato lapide suscipitur. ℙ [Legitur alicubi *sipunculus*, adspiratione extrita. *Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Aquae de sipunculis concinnius saliunt, quam de imbribus. *F.*]

SĬPO, as, a. I. jacio, disjicio. *Fest.* in *Prosapia.* Hinc *dissipo*, *insipo*, *obsipo*. *Accius* ap. *Non.* 3, 66. Abtorque proram, ac sipa tortas copulas. Alii minus recte *suppa*, aut *supra* legunt. ℙ Dixere etiam *supo*. *Festus:* Supat significat jacit: unde dissipat, disjicit; et obsipat, objicit.

SIPOLINDRUM, i, n. nomen ficti aromatis, joculariter usurpatum a coquo ap. *Pl. Ps.* 3, 2, 43.

SĪPONTĪNUS, a, um, adj. ad Sipontum pertinens. *Cic. Agr.* 2, 27. In Sipontina siccitate collocari. *Inscr.* ap. *Mur.* 1081, 6. Magiae Q. F. Severinae ordo dec. populusque Sipontinus aere conlato. Est autem Sipontum urbs Apuliae Dauniae, in ora litorali, ad radices Gargani montis. *Plin.* 3, 11, 16. Ap. *Melam.* 2, 4. *med.* est *Sipuntum*, a Graeco Σιπους, οῦντος, quod imitatus *Sil.* 8, 635. Quaesivit Calaber, subducta luce repente Immensis tenebris, et terram et litora Sipus. *Calabrum* vocat, quia Calabriae contermina Apulia est. *Lucan.* 5, 377. et subdita Sipus Montibus.

SĪPONTUM. }
SĪPUS. } V. in v. praec.

SĬPYLĒĬUS, a, um, adj. Σιπύλειος, ad Sipylum pertinens, montem et urbem Maeoniae, seu Lydiae, ubi Nioben in saxum conversam fabulantur. *Sen. Ag.* 376. et *Herc. Oet.* 184. Stat nunc Sipyli vertice summo flebile saxum. *Stat. Silv.* 5, 1, 33. genitrix Sipyleia. *Auson. Epitaph. n.* 27. Thebarum regina fui, Sipyleia cautes Quae modo sum: laesi numina Latoidum.

[SĬPYLENSIS, e, adj. idem ac Sipyleius. *Ulp. Regul.* 22, 6. Deos heredes instituere non possumus, praeter Jovem Tarpejum, Apollinem Didymaeum, Martem in Gallia, Minervam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, Matrem Deorum Sipylensem, quae Smirnae colitur, et Coelestem Salinensem Carthaginis. *F.*]

SĬQUANDO, adv. εἴποτε, si aliquando, si aliquo tempore. *Cic. Am.* 15. Siquando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt. *Ter. Eun.* 3, 1, 14. Negotii siquando odium ceperat. *Liv.* 8, 4. Siquando unquam usurpandae libertatis tempus optastis. *Virg. G.* 3, 98. siquando ad proelia ventum est. *Id. A.* 12, 851. Siquando letum horrificum morbosque Deum rex Molitur. V. alia in QUANDO. ℙ *Siquando*, siquando unquam. *Ov. A. Am.* 2, 15. Nunc mihi, si quando, puer, et Cytherea favete. *Stat. Achill.* 1, 509. Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri. Adde *Val. Fl.* 5, 474., ubi alia congessit *Broukus.* ℙ Scribitur et conjuncte, et divisim: rectius tamen junges cum *Manut.*, *Dausqu.* et aliis.

SĬQUĬDEM, εἴγε, εἴπερ, quoniam, quandoquidem, quippe, etenim. Conjunctio causalis ex *si* et *quidem:* quae particulae significationem suam non servant: *si* vero etiam quantitatem mutat. *Caes. B. G.* 6, 35. Illius patientiam paene obsessionem appellabant, siquidem ex castris egredi non liceret. *Sall. Or. Licin. ad pleb. f.* Plebes pro victa est, et in dies magis erit: siquidem majore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem. *Cic. Att.* 6, 1. Quare non οἴχεται tua industria, quod vereris; sed praeclare ponitur: siquidem id egisti, ut ego delectarer. *Id. Par.* 3, 1. *f.* Sequitur igitur, ut etiam vitia sint paria: siquidem pravitates animi recte vitia dicuntur. *Pl. Stich.* 5, 5, 16. Siquidem mihi saltandum est, tum vos date, bibat, tibicini. *Ov. Met.* 11, 218. nec avi magis ille superbit Nomine, quam soceri: siquidem Jovis esse nepoti Contigit haud uni: conjux Dea contigit uni; et *ib.* 10, 104. pinus Grata Deum matri: siquidem Cybeleius Attis Exsuit hac hominem, truncoque induruit illo. Adde *Juven.* 6, 620. et *Stat. Silv.* 3, 3, 151. ℙ Significat etiam si certe, si tamen, si modo; et rectius junctim scribitur, quam divisim, cum hic quoque prima syllaba corripiatur. [**Contra sunt *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 346. p. 300. et quod quidem exempla ibi allata docent, etiam *Ramsh.* §. 193. *n*, 2. Item *Orell.*, qui in sua Ciceronis editione semper disjunctim hanc vocem exhibet.] *Ov. Fast.* 4, 603. Hoc quoque tentemus, siquidem jejuna remansit: Sin minus, inferni conjugis uxor erit. *Id. Am.* 3, 7, 17. Quae mihi ventura est, siquidem ventura, senectus? Alii leg. *siqua est ventura. Ter. Heaut.* 2, 3, 90. *Sy.* Quid aliud tibi vis? *Clit.* Siquidem hoc fit. *Sy.* siquidem? Experiundo scies? *Id. Andr.* 3, 1, 7. et *Eun.* 4, 4, 49. Quid ego audio? actum est, siquidem haec vera praedicat. *Cic. Planc.* 8. *med.* Tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci, siquidem cum Atinatibus conferantur. *Id. Cat.* 2, 4. O fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam hujus Urbis ejecerit! *Id. Pis.* 35. *f.* Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarii? siquidem potest vi et metu extortum, honorarium vocari. *Sen. Ag.* 304. Nil moror jussu tuo aperire ferro pectus aerumnis grave. *Clyt.* Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam. *Ter. Hec.* 4, 1, 45. Siquidem ille ipse non vult, et tu sensisti esse in eo peccatum, aderam, etc. [**Docet *Ruddim.* 2. p. 356. *siquidem* in significatione conditionali indicativum vel subjunctivum sine discrimine adscisci. Quod recte falsum arguit *Stallb. ib.*] ℙ Sequente *tamen* vim habet v. *quamvis*, *Colum. praef. f.* Ille, quem nos perfectum esse volumus agricolam, siquidem artis consummatae non sit, etc. multum tamen profecerit, si, etc. *Pl. Rud.* 5, 3, 5. Tuusne est? *La.* rogitas? siquidem hercle Jovis fuit, meus est tamen. Adde *Mil.* 2, 2, 32.

SĬQUIS et Siqui, siqua, et siquae, siquod, et siquid, εἴτις, si aliquis: ex *si* et *quis*, aut *qui* conflatum. *Ter. Heaut.* 1, 1, 99. Ingenio te esse in liberos leni puto, et illum obsequentem, siquis recte aut commode tractaret. *Cic. Cluent.* 12. Itaque ei legat grandem pecuniam a filio, siqui natus esset. *Id. Caecin.* 30. Siqui meam familiam de meo fundo dejecerit: siqui mihi praesto fuerit cum armatis hominibus. *Virg. Ecl.* 7, 40. Siqua tui Corydonis habet te cura, venito. *Hor. Sat.* 2, 6, 10. O si urnam argenti fors quae mihi monstret! Alii leg. *qua*, h. e. si qua ratione. *Ter. Heaut. prol.* 44. Si quae laboriosa est, ad me curritur. Alii leg. *qua. Cic. Att.* 4, 2. *med.* Si quae vis esset facta. Alii leg. *qua.* [**Ita *Orell.*] *Virg. A.* 4, 520. siquod non aequo foedere amantes Curae numen habet. *Pl. Most.* 1, 2, 3. Atque in meo corde, si est quod mihi cor, eam rem volutavi. *Plin.* 2, 23, 21. Sicui libeat altius ista persequi. *Id.* 30, 11, 30. Sicujus cura efficacior esset inquirentis. *Id.* 9, 44, 67. Siquem nandi voluptas invitet. *Virg. G.* 3, 489. siquam *(hostiam)* ferro mactaverat. *Pl. As.* 1, 1, 104. Si quid opus fuerit. *Cic. Verr.* 2, 5, 8. Ut crimini reo putemus esse oportere, siquo de homine severius judicavit. *Id. Att.* 1, 10. *extr.* Quasi mihi siqua parta erunt, per te parta sint. *Ov. Fast.* 5, 276. Jus tibi discendi, siqua requiris, ait. *Cic. Att.* 16, 5. *med.* Etiam rogo, ut siquae minus antea constanter ab eo fieri videbantur, ea judices illum abjecisse. *Virg. A.* 1, 582. Siquibus ejectus silvis aut urbibus errat; et *ib.* 2, 420. siquos obscura nocte per umbram Fudimus. [**Magnopere discrepant VV. DD. in constituenda ratione utriusque formulae, *siquis*, *siqua*, *siquid;* et *siqui*, *siquae*, *siquod*. Quorum quidem omnium sententiam commemorare, licet vel maxime desideratum, quum fuerit longum, propter fines huic libro circumscriptos, eam tamen hic repetere non dubitavimus, utpote quae nobis prae ceteris visa est, et cujus jam in v. QUIS mentionem fecimus: quam *Ramsh.* in *Gr. Lat.* §. 159. 2. p. 567. hanc dedit: *quis* nonnisi substantive poni, *qui* nonnisi adjective cum alio substantivo jungi. Unde facilis videtur eorum locorum dijudicatio, in quibus *si quis* et *si qui* promiscue vulgo posita dicantur. Qui secus de his judicaverint, eos laudatos invenies ap. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 69, 242. p. 177. sq. et *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 21, 74. p. 143. sq. — Illud modo notandum, *siqui* saepissime ex antiquo dicendi usu adhiberi pro vulg. *siquis. Ramsh.* l. l. haec habet: *Cic. Rosc. Am.* 38. In privatis rebus si qui rem mandatam negligentius gessisset, eum etc. *Suet. Aug.* 79. Augustus gaudebat, si qui sibi acrius contuenti vultum submitteret. Cf. quem Noster ab in. laud. *Cic. Caecin.* 30. — Porro *siquis* multis in locis ita usurpatur, ut pro relativo, adjuncto conditionis quodam genere, positum videatur, ut Gr. εἴτις pro ὅστις, nostr. *wer etwa.* Cf. *Zumpt.* §. 737. p. 551. sq. Ex nube exemplorum, quam *Ramsh.* l. l. collegit, pauca depromsimus ista: *Cic. N. D.* 2, 48. Araneolae quasi rete contexunt, ut siquid inhaeserit conficiant. *Id. Brut.* 87. Tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate. *Sen. Polyb.* 20. Septem illa miracula, et si qua his multo mirabiliora sequentium annorum exstruxit ambitio, aliquando solo aequata visentur.] ℙ Eleganter *ullus*, *alius* additur. *Virg. A.* 10, 861. res siqua diu mortalibus ulla. *Suet. Claud.* 40. Vociferatus est, siquem alium, et se liberum esse. ℙ *Siqua* femininum recti casus singularis est a *siquis:* at *siquae* est a *siqui.* Similiter *siqua* neutrum plurale est a *siquis:* et *siquae* a *siqui.* Certius tamen est in neutro plurali *siqua*, quam *siquae*, et omnino praeferendum. ℙ In sexto singulari *siqui*, et *siqua* est siqua ratione. *Pl. Trin.* 1, 2, 83. Siqui probiorem facere possis. *Id. Cist.* 1, 3, 35. Siqua queat reperire, quae sustulerit. *Virg. A.* 1, 22. Siqua fata sinant. ℙ *Siquo*, si aliquo, h. e. si in aliquem locum. *Cic. Att.* 8, 2. Eas litteras siquo ille misit, in publico proponat velim.

*SIRACI, orum, populi Sarmatiae Asiaticae, ultra lacum Maeotim, Caspio mari vicini. *Plin.* 4, 12. *Tac.* 12, 15. et 16. *B. A.*

*SIRAE, arum, nomen oppidi, in Odomantica regione. *Liv.* 45, 4. *B. A.*

SIRAEUM, i, n. σίραιον, Graece idem est, quod Latine sapa. *Plin.* 14, 9, 11. Siraeum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant, ingenii, non naturae opus est, musto usque ad tertiam partem mensurae decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.

SIRAPA, ae, f. genus condimenti, quod fit ex sampsa, *h. e.* succo olearum expresso, cui admiscentur sal, carenum, cyminum, semen foeniculi, et anisum Aegyptium. Haec ejus conficiendae ratio est a *Colum.* 12, 49., cujus lemma est aliis *Sirapa quomodo fiat:* aliis *Sampsa quomodo fiat.* Ipse toto illo capite ea voce abstinet: ut de ejus Latinitate dubitari merito possit.

[SIRBĒNUS, a, um, adj. qui incondite et confuse loquitur: a συρβηνός, tumultuosus, quod a συρβή, tumultus. *Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Neque balbam virginem, quae Vestalis sit, capi fas est, neque sirbenam. *F.*]

*SIRBONIS LACUS, λίμνη Σιρβωνὶς *Ptolemaeo*, et Σίρβων et Σιρβωνὶς *Steph. Byz.*, in Aegypto inferiore fuit, non longe amari Mediterraneo, Palaestinae vicinus. Meminit *Plin.* 5, 13. *B. A.*

SIRCĬTŪLA, ae, genus uvae condituris aptae. *Colum.* 12, 43. *med.*

SIRCŬLA, ae, f. genus uvae. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. Veniculam, ollis aptissimam, Campani malunt sirculam vocare: alii staculam.

SĪRĒDŌNES, um, f. plur. Σειρήδονες, eaedem quae Sirenes. *Auson. Idyll.* 11, 20. Tres in Trinacria Siredones: omnia terna.

SIREMPS et Sirempse (quorum alterum rectus casus videtur, alterum obliquus) vox antiqua, quae significat *similis re ipsa*, ut *Festus* exponit. *Pl. Amph. prol.* 73. Sirempse legem jussit esse Juppiter, Quasi magistratum sibi, alterive ambiverit, *h. e.* similem re ipsa legem esse voluit, ac si quis per ambitum magistratum obtinuisset. *Sen. ep.* 91. *med.* Omnium rerum, quas terra premit, siremps lex esto, *h. e.* eadem lege et conditione tenentur. *Vet. S. C.* ap. *Front. Aquaed.* 129. Et adversus eum siremps lex, jus, causaque omnium rerum omnibus esto, utique uti esset, esseque oporteret, si is adversus hanc legem rivum, specum rupisset forassetve. Adde *fragm. judiciar.* ap. *Grut.* 508. *lin.* 21. et p. 628. *f.* et 629. *lin.* 1. et *Caton.* ap. *Fest.* Consule *Marin.* qui *Frat. Arv.* p. 568. alia vetusta refert monumenta, in quibus haec vox legitur. [**Emendavit h. l. *F.*]

SĪREN, ēnis, f. Σειρήν, ῆνος, fabulosum maris monstrum, superiori parte virginis alatae formam habens, inferiorem volucris, clunibus, cauda, et pedibus gallinaceis. Tres fuisse dicuntur, Acheloi fluminis, et Calliopes, vel Terpsichores, vel Melpomenes Musae filiae, quarum nomina Parthenope, Lysia, et Leucosia: aliis quatuor, Aglaosis, vel Aglaopis, Thelciope, Pisno, et Ilyge, seu Lygia. Sed ternarius numerus pervulgatior est. Primo juxta Pelorum Siciliae promontorium, post in Capreis, insulis Tyrrheni maris, habitaverunt, canentesque suaviter una tibiis, altera lyra vel cithara, tertia voce, nautas praetereuntes morabantur, et in naufragia deducebant, vel illectos cantu sopiebant, sopitos mactabant, devorantque. Cum illac aliquando Ulysses navigaret, a Circe monitus, sociis aures cera obstruxit, se ad malum alligari jussit, atque ita periculum evasit. Qua re Sirenes contemni se ra-

tae, impatientia doloris se in mare praecipitaverunt. Eo enim fato natae erant, ut tamdiu viverent et grassarentur, quamdiu cantantes eas audiens nemo esset praetervectus. Addunt, fuisse olim virgines pulcherrimas, socias Proserpinae: quam raptam cum diu terra quaesissent, mari quoque quaerere optasse: ita volucres factas: vel, quod ei auxilium contra Plutonem non tulissent, a Cerere in marina monstra conversas. *Hyg. praef. med.* et *fab.* 125. et 141., *Claud. Rapt. Pros.* 3, 254., *Serv.* ad *A.* 5, 861., *Ov. Met.* 5, 552. et sqq. et *Mart.* 3, 64. Revera, inquit *Serv.*, fuerunt meretrices, quae transeuntes quoniam deducebant ad egestatem, his fictae sunt inferre naufragia. *Ciceroni Fin.* 5, 18. videntur non vocum suavitate, aut novitate cantandi navigantes revocasse, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Fuerunt, qui et aves quasdam in India esse tradiderunt, Sirenas appellatas, cantu homines mulcentes, ut deinde somno sopitos lacerarent, ut *Plin.* 10, 49, 70. narrat. *Sil.* 14, 473. Siren assuetos effudit in aequore cantus. *Virg. l. c.* scopulos Sirenum advecta subibat. *Ov. R. Am.* 789. Illo Lothophagos, illo Sirenas in antro Esse puta: remis adjice vela tuis. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 204. de eadem: telae labor illi; Sirenes requies; sermonum gratia mecum, *h. e.* quiescebat a labore audiendo Sirenum comitum cantus. *Petr. Sat.* 5. Seu Lacedaemonio tellus habitata colono, Sirenumque domus, *h. e.* Neapolis, quae et *Parthenope* a tumulo Sirenis appellata est, ut *Plin.* docet 3, 5, 9. *med.* ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 3, 14. vitanda est improba Siren, Desidia. *Vet. Poeta* ap. *Suet. Gr.* 11. Cato grammaticus, Latina Siren: scil. propter facultatem poeticam. *Juven.* 14, 18. qui gaudet acerbo Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis Comparat, *h. e.* cantionem vel suavissimam. ℙ Sunt etiam *sirenes* fucorum genus inter apes. *Plin.* 11, 16, 16.

SĪRĒNUS, a, um, et

SIRĒNĬUS, a, um, adj. Σειρηναῖος, et Σειρήνιος, ad Sirenas pertinens. *Gell.* 16, 8. *f.* Ne in illis dialecticae gyris atque maeandris, tanquam apud Sirenios scopulos, consenescas. *Ammian.* 29, 2. *med.* Ut videretur aures occlusisse ceris, quasi scopulos Sirenios transgressurus. Alii leg. *Sirenaeos*. *Hieron. ep.* 82. *n.* 5. Sirenaeos cantus obturata aure pertransis. V. SIREN.

*SIRENUSSAE, tres insulae vel potius scopuli, in sinu Paestano, nomen accipientes a Sirenibus in promontorio sepultis e regione insularum sito. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

SIRĬACUS, a, um, adj. ad Sirium astrum pertinens. *Avien.* in *Arat.* 285. Et ceu Siriaco torretur spica calore.

SIRĬASIS, is, f. σειρίασις, morbus, ex inflammatione membranarum crebri cum corporis totius siccitate, qualem vehemens solis aestus tempore solstitii, aut diebus canicularibus solet afferre, imprimis pueris, quem fortasse solstitialem morbum *Plautus* vocat in *Trin.* 2, 4, 143. Est a σειριάω, aestu laboro: quod a Σείριος, Sirius. *Plin.* 32, 10, 48. Siriases infantium spongia frigida crebro humefacta sanat. *Id.* 22, 21, 29. Folia infantium distillationibus, quod siriasin vocant, illita medentur. *Id.* 30, 15, 47. Ossibus in canino fimo inventis adustio infantium, quae vocatur siriasis, adalligatis emendatur.

SĪRĬCĀRĬUS. V. SERICARIUS.

[SIRICUS, i, m. nomen est equi Circensis, in *Tab. marm.* ap. *Grut.* 341., quod esse videtur pro *Sericus* (V. SERICARIUS, et SERICUS.), vel a gente Serum, vel a pili mollitie.

SIRIM, is, it, pro *siverim*. V. in SINO.

[SIRĪNUS, a, um, adj. ad Sirin pertinens, urbem et fluvium cognomines ad sinum Tarentinum: fluvii meminit *Plin.* 3, 11. 15. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1552. Numini Herculis Acheruntini Vitalis C. L. Severus C. V. Sir. Reg. V. S. L. *h. e.* centum vir Sirinae regionis votum solvit libens. ℙ *Sirini*, *orum*, incolae illius urbis et regionis ap. *Plin. l. c. F.*]

[SIRĪO, is, m. dimin. Sirii. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Guar. Comment.* 8. p. 44. M. Plarenius Sirio. *F.*]

[SĪRIS, is, m. Σῖρις, alterum nomen Nili fluvii omnium maximi in Aegypto. *Prisc. Perieg.* 211. currens solis ad ortus Siris ab Aethiopum populis cognomine fertur: Versum cultores Nilum dixere Syenes. *Plin.* 5, 9, 10. Nec ante Nilus, quam se totum aquis concordibus rursus junxit: sic quoque etiamnum Siris, ut ante, nominatus per aliquot milia. *Dionys. Perieg.* v. 223. ℙ Siris, Σῖρις, fluvius Lucaniae, in sinum Tarentinum influens. *Plin.* 3, 11. ℙ Siris etiam cognominatum est Heraclea oppidum, in ripa fluminis situm. *Id. ib.* V. *Heraclea. B. A.*

SĪRĬUM, ii, n. herba, alio nomine Artemisia, et serpyllum majus. *Appul. Herb.* 10. [*Nostr. *Beifuss.*]

SĪRĬUS, ii, m. Σείριος, stella in ore Caniculae, vel, ut placet *Hyg. Astr.* 3, 34. et *ib.* 2, 35., in capite Canis, quae in coeli centro cum Sole conjuncta aestum ejus duplicat, mortaliumque corpora nimio calore languida reddit. *Virg. A.* 3, 141. tum steriles exurere Sirius agros. *Id. G.* 4, 425. Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. *Tibull.* 1, 8, 21. arentes cum findit Sirius agros. *Val. Fl.* 5, 369. cum magis asperat ignes Sirius, et saevo cum nox accenditur auro. *Lucan.* 10, 211. rapidos qua Sirius ignes Exserit. *Claud. Laud. Seren.* 6. flores Sirius urit aestibus. *Id. de Apono*, 92. saevo Sirius igne nocet. *Id. Nupt. Honor. Fescenn.* 20. gelido specu Torrentiorem fallere Sirium. V. CANICULA. ℙ Adjective. *Virg. A.* 10, 272. (et *Colum.* 10, 289. liquida si quando nocte cometae Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor. *Prud. Cath.* 12, 22. Et siquod astrum Sirio Fervet vapore.

SIRMIENSIS, e, adj. ad Sirmium pertinens, quae est urbs Pannoniae inter fluvios Savum et Dravum: ut Sirmiensis civitas, *Plin.* 3, 25, 28.

*SIRMIO, onis, paeninsula Italiae Superioris, in Gallia Transpadana, in sinu Benaco, nec procul a Mincio flumine. *Catull.* 32, 1. et 12. *B. A.*

*SIRMĬUM, i, n. Σίρμιον, urbs Pannoniae, V. in SIRMIENSIS. *B. A.*

*SIRNIDES, um, insulae quaedam Cretae, nempe Sammonio promontorio adjacentes. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

[SIRŌNĂ, ae, f. Deae cujusdam nomen Gallorum propriae: ea videtur esse Diana, quia plerumque in vetustis monumentis cum Apolline jungitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 37, 10. Apollini Granno et sanctae Sironae sacrum. Adde aliam *ib.* 11. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2047. In H. D. D. Apollini et Sironae aedem cum signis C. Longinius Speratus Vet. Leg. XXI. Pr. P. F. etc. in suo posuerunt. Adde alias *n.* 2048. et 2049. *F.*]

SIRPĀTUS. V. SIRPO.

SIRPĔ, is, n. σίλφιον, silphium, planta eadem ac laser, apud Cyrenenses nascens. V. LASERPITIUM. *Pl. Rud.* 3, 2, 16. Si speras, tibi hoc anno multum futurum sirpe, et laserpitium, *h. e.* largum fore proventum sirpis, et succi ejus. ℙ Legitur et *syrpe*.

SIRPĔA, ae, f. corbis ampla ex viminibus, quae plaustro imponitur vehendo stercori, aliave qua re minuta. V. BENNA. *Varr. L. L.* 4, 31. *f.* Sirpea, quae virgis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus, aliudve quid evehitur. *Cato R. R.* 10. et 11. Sirpeae stercorariae. *Varr. R. R.* 1, 23. *med.* Ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates. *Ov. Fast.* 6, 680. in plaustro sirpea lata fuit. Adde *Just.* 33, 4. ℙ Sunt qui scrib. *scirpea* a *scirpus*.

*SIRPI, oppid. Pannoniae inferioris. *Ant. Itin. B. A.*

SIRPĪCES olim dicti, qui postea irpices. *Varr. L. L.* 4, 31.

SIRPĪCŬLĂ, ae, f. et Sirpiculus, i, m. vas ex junco, aliove quo lento vimine confectum: a sirpando, id est ab alligando. *Prop.* 4, 2, 40. Sirpiculis medio pulvere ferre rosam. *Colum.* 10, 304. cano jam vimine textum Sirpiculum ferrugineis cumalate hyacinthis. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 57. Sirpiculi olerorum. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Jugum continet sirpiculos, *h. e.* corbes. *Pl. Capt.* 4, 2, 36. Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis, *h. e.* nassis piscatoriis. Nisi forte malis intelligere ipsas virgas, ex quibus nassae fiunt: nam et *Varr.* sic videtur accipere *sirpiculas*, cum ait earum usum esse alligandis fascibus, fustibus, faculis. V. ejus verba in SIRPO. ℙ *Sirpiculae falces* pro *sarpiculae falces* adjective ap. *Cat. R. R.* 11. et *Varr. R. R.* 1, 22. videntur esse, quibus sarpuntur vineae, unde sarmenta fiunt. Hinc aberrasse in etymologia et usu sirpicularum videtur *Varr. L. L.* 4, 31., cujus locum vide in SIRPO. ℙ Sunt qui scribunt *scirpiculae*, tanquam a *scirpo*. ℙ In loco *Plauti* allato *surpiculis* est in lib. veterib. Sic *irpices* et *urpices* dictum est, *recipero* et *recupero*, etc.

SIRPĬCUS, a, um, adj. ad sirpe pertinens, ut Sirpicum lac, h. e. laserpitium. V. LASERPITIUM.

SIRPO, as, a. 1. vincio, alligo, necto: ab εἴρω, necto, deinde cum digammate Aeolico εἴϙFω, tandem σειρπω. *Varr. L. L.* 4, 31. Sirpiculae (*falces*) vocatae a sirpando, id est ab alligando: sic sirpata dolia quassa, cum alligata, dicta. His utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas; et *ib. f.* Sirpea, quae virgis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur. *Id.* ap. *Non.* 2, 113. Cupas vinarias sirpare noli. ℙ Sunt qui scribunt *scirpo*, ut sit a *scirpus*.

SIRPUS, i, m. αἴνιγμα, aenigna: a *sirpo*, ligo, implico. *Gell.* 12, 6. Quae Graeci dicunt aenigmata, hoc genus quidam e nostris veteribus sirpos appellaverunt. Alii leg. *scirpos*.

SIRULŪGUS, i, m. animal quoddam, quod nec quale esset, nec ubi nasceretur, traditum est ab auctoribus. Ita *Plin.* 30, 15, 52., ubi *Hard.* ex MSS. *Subjugus* legit.

SĪRUS, i, m. σειρός, et σιρός, spelunca subterranea condendo et asservando frumento effossa. *Varr. R. R.* 1, 57. Quidam granaria habent sub terris, speluncas, quas vocant σειρούς, ut in Cappadocia, et Thracia. Adde *ib.* 63. et *Plin.* 18, 30, 73., qui Latinis litteris *siros* habet. *Colum.* 1, 6. Transmarinis quibusdam provinciis puteorum in modum, quos appellant siros, exhausta humus, editos a se fructus recipit. *Curt.* 7, 4. Siros vocant Barbari, quos ita solerter abscondunt, ut nisi qui defoderunt, invenire non possint. Meminit, sed tacito nomine, etiam *Hirt. B. Afr.* 65., item *Vitr.* 6, 8., ubi vocat cryptas. ℙ Quidam putant esse vocem Persicam. Sunt etiam qui scribunt *syrus*, sed minus recte. ℙ *Sirus*, scopa. V. SYRUS, i.

SIS, contractum ex *si vis*, in sermone familiari. *Cic. Or.* 45. *f.* Libenter etiam verba jungebant, ut *sodes* pro *si audes*, *sis* pro *si vis*. *Pl. As.* 3, 3, 93. Sis, herum tuis factis sospitari, da mihi istas viginti minas; et 2, 2, 43. Sis amanti subvenire familiari filio. Alii hic leg. *si vis*. ℙ Fere adhibetur, cum quippiam imperatur, praesertim apud comicos. Quia enim, inquit *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 7, 29., imperativa sunt contumeliosa, addebant *sis*, ad imperium leniendum: quamquam et severe imperantis est, et stomachantis. *Pl. Cas.* 2, 2, 31. Tace, sis, stulta: noli, sis, tu illi advorsari. *Id. Pers.* 3, 3, 8. Accipe, sis, argentum, impudens: tene, sis, argentum. *Ter. l. c.* Cave, sis: nescis, cui nunc maledicas viro; et 2, 3, 19. Fac, sis, nunc promissa appareant; et *Heaut.* 1, 2. *f.* Vide, sis, ne quo hinc abeas longius. Adde *Plaut.* saepissime, cujus illa sunt *age sis*, *cape sis*, *apage sis*, *abi sis*, *cedo sis*, etc., quae quidam etiam conjuncte scribunt. *Cic.* quoque usurpavit *Rosc. Am.* 16. *f.* Age nunc, refer animum, sis, ad veritatem. ℙ Aliquando praeponitur ipsi verbo. *Pl. Mil.* 2, 2, 26. Sis, jube transire huc, quantum potest; et *ib.* 45. Illuc sis, vide, quemadmodum abstitit, severa fronte curas cogitans. *Ter. Ad.* 5, 1, 4. Illud sis, vide exemplum disciplinae! *Pl. Pers.* 4, 4, 104. Ne, sis, plora: libera eris actutum. ℙ Plurale est *sultis*, si vultis. *Pl. As. prol.* 1. Hoc agite, sultis, spectatores nunc jam. *Id. Capt.* 3, 5, 9. Adstringite isti, sultis, vehementer manus. *Id. Poen.* 3, 6, 19. Domos abeamus nostras, sultis, nunc jam. *Id. Rud.* 1, 2, 8. Facite, sultis, nitidae ut aedes meae sint. *Id. Stich.* 1, 3, 67. Adeste, sultis. *Enn.* ap. *Fest.* Pandite, sulti', genas, et corde relinquite somnum. ℙ *Sis*, suis. *Enn.* V. SOS. ℙ *Sis* antique pro genitivo *sui* usurpatum fuisse, testis est *Prisc.* 13, 955.

SISĀPO, ōnis, f. opp. Hispaniae Baeticae, ubi praestantissimum minium fodiebatur. *Plin.* 3, 1, 3. et 33, 7, 40. Hinc *Cic. Phil.* 2, 19. Quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod cum sociis, tanquam Sisaponem, tenebas? Ubi *Turneb. Adv.* 10, 12. alludit, inquit, ad miniaria metalla Sisaponensium, quae societates publicanorum exercebant: dicit enim, Antonium non unum possessorem Miseni fuisse, sed possessionis socios habuisse multos. V. MINIARIUS.

SISĀPONENSIS, e, adj. ad Sisaponem pertinens, ut Sisaponensis regio, *Plin.* 33, 7, 40. Sisaponenses miniarii, *Id. ib. f.*

[SISĀRA, ae, f. herbae genus. *Plin.* 11, 16, 15. Ericem Athenienses tetralicem appellant, Euboea sisaram. *Varr. R. R.* 3, 16. Ex alia re faciunt liquidum mel, ut ex sisarae flore. *Pontedera Antiqu. Rom.* et *Graec.* p. 459. ex *Crescentio* legit *ciceris*, aut ex conjectura *cicerae*. *F.*]

[SISCIĀNUS, a, um, adj. ad Sisciam pertinens, celebrem Pannoniae superioris urbem, ad confluentem fluviorum Savi et Colapis, quae nunc *Siseck:* ejus meminit *Plin.* 3, 25, 28. *Hieron.* in *Chron.* ad ann. a Chr. n. CCCVIII. Quirinus episcopus Sisianus gloriose pro Christo interficitur. *Inscr.* ap. *Donat.* 1, 8. I. O. M. Fulm. Ful. sacrum Fl. Verus Metrobalanus Proc. Aug. N., Praepos. splendidissim. Vect. ferr. (*h. e.* vectigalium ferri) per Asclepiadem Ark. Stat. Sisc. V. S. L. M. *h. e.* arcarium stationis Siscianae votum solvit libens merito. ℙ *Sisciani*, *orum*, incolae illius urbis. Alia *Inscr.* ap. *eund.* 407, 23. Respublica Siscianorum. *F.*]

SISENNA, ae, m. L. Cornelius Sisenna civis R. orator et historicus. Erat, inquit *Cic. Brut.* 64., doctus vir, et studiis omnibus deditus, bene Latine loquens, non sine facetiis, sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis: interjectusque inter duas aetates Hortensii et Sulpicii, nec majorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere. Hujus omnis facultas ex historia ipsius perspici potest: quae cum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum. Haec *Cicero Sall. Jug.* 100. L. Sisenna optume et diligentissime omnium, qui eas res (*h. e.* bellum civile Sullanum) dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus fertur. *Vell.* 2, 9. Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis: sed opus belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Coelius, aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, et Valerius Antias. Haec *Vell. Ov. Trist.* 2, 443. Vertit Aristiden Sisenna, nec obfuit illi Historiae turpes inseruisse jocos. [*Cf. *Ern. ind. geogr.* et *hist.* s. h. v. ℙ Alius *Sisenna*, fortasse scurra, est, quem *Hor.* memorat in *Sat.* 1, 7, 8. ubi v. *Heindf.*]

SISER, ĕris, n. σίσαρον, ἄγριον σέλινον, ut reddit *Charis.* 1, 19. herba pastinacae non dissimilis, de

qua *Plin.* 19, 5, 28. Siser et ipsum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis a Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas praecipua. Inest longitudine nervus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta, quae mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. *Colum.* 11, 3. *med.* Pastinaca et siser, atque inula convalescunt alte pastinato, et stercorato solo. Adde 10, 114. et 12, 58. [*Radicis genus est, aut quod nos dicimus *Zuckerwurzel*, Sium Sisarum, *L.*, aut *Möhre*, *Mohrrübe*, Daucus Carota, *L.* Cf. *Schneid.* in *ind. Scriptt. R. R.*] ℙ In masc. gen. *Plin.* 20, 5, 17. Hicesius ideo stomacho utile videri dixit, quoniam nemo tres siseres edendo continuaret: *ib.* recenset ejus varios usus in medicina. *Colum.* 10, 114. Jam siser, Assyrioque venit quae semine radix. ℙ [*Est nomen liberti. *Cic. Att.* 11, 13. Sed al. aliter leg. V. *Orell.*]

SISICHTHON, onis, m. σεισίχθων, ονος, epitheton Neptuni terram quatientis, ut *ennosigaeus*: a σείω, quatio, et χθών, ονός, terra. *Ammian.* 17, 7. *f.* Neptunum, humentis naturae potestatem, Ennosigaeon, et Sisichthona poetae veteres et theologi nuncupaverunt.

*SISIGAMBIS, is, f. Σισιγαμβις, uxor Darii, ab Alexandro capta. *Curt.* 3, 3. ℙ Et Darii mater. *Id.* 5, 2. *B. A.*

*SISOLENSES, ium, gens Latii pervetusta, nomen, ut probabile est, a Sisola vel Sisolo quodam oppido sic dicto, nomen ducentes. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

SISON Agrion, herba caule foeniculi, radice magna, nigra, et gravissimi odoris, succo plena, flore nigro, alio nomine peucedanos, et pinastellus. *Appul. Herb.* 94.

SISPES, itis, omn. gen. et

SISPITĂ, ae, f. idem ac Sospes, et Sospita. Ita vero vocatur et Juppiter, et Juno in vetustis lapidibus et nummis. *Festus:* Sispitem Junonem, quam vulgo Sospitem appellant, antiqui usurpabant: cum ea vox e Graeco videatur sumpta, quod est σώζειν. [*Alia v. in SOSPES.] *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 47. et *Fabr.* p. 603. *n.* 3. M. Amius M. F. Pal. Balbus sacerdos Junonis Reg. Sisp. fecit vivens (*sibi*) et Amio Junio filio sacerdoti Jovis Sisp., etc. *Junoni Sispitae* etiam legitur in nummo Antonini Pii ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 14. et in alio Commodi *ib.* p. 107. [*Emendavit h. l. *F.*]

SISTENTO, as, a. 1. idem ac ostento. *Tac. A.* 15, 18. Nero frumentum corruptum in Tiberim injecit, quo securitatem annonae sistentaret. Ita leg. *Lipsius*, quamvis fateatur in omnibus libris esse *sustentaret:* [cum tamen sit legendum *ostentaret*, quod optimae habent editiones. [*Doederl.* 3, 306. offensus v. *plebis* cum *frumentum* conjuncta legendum censet: *quo plebis securitatem annonae sustentaret*, i. e. labantem, ob belli metum.] Idem *Lips.*, ad confirmandam suam lectionem, adducit locum *F.*] *Pl. Truc.* 2, 2, 14. Advenisti huc sistentatum cum exornatis ossibus. [Alii tamen plures rectius leg. *Adveni istuc, sis, tentatum cum exornatis ossibus. F.* [*Doederl.* l. l. prob. lectio *sistentatum*, quippe quae duobus *Vatic.* MSS. firmetur.]

SISTO, is, stiti, statum, a. 3. ἐφίστημι, stare facio quod erat in cursu aut motu: ab ἱστάω, sive ἵστημι. [*Forc.* omnia ita miscuerat, ut in iis quae sequuntur novus qualiscunque constituendus ordo esset.] *Virg. A.* 4, 489. Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro. *Id. ib.* 6, 465. (et *Prop.* 4, 10, 36.) Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro. *Ov. Rem. Am.* 80. in primo limine siste pedem. [*Porro ex iis quae Noster passim laud. huc pertinent ista:] *Prop.* 2, 1, 86. Sistere currum. *Virg. A.* 12, 355. equos. *Sil.* 2, 98. cervum vulnere. [*Alia ejusdem poetae exempla haec sunto: 1, 382. Aradum cuspide sistit; et *ib.* v. 164. non ense virum sistere erat; et 12, 274. certamine sisti posse ducem. Adde *Liv.* 1, 37, 3. ut equites sisterent Sabinas legiones: cf. 2, 65, 2. — Porro 6, 29. Non prius se ab effuso cursu sistunt. *Tac. H.* 2, 23. *Ann.* 4, 9. ℙ Hinc translate retinere, reprimere.] *Liv.* 1, 12. et 30, 12. et *Tac. A.* 12, 39. Sistere fugam militum. *Tibull.* 1, 2, 44. iter fluminis. *Plin. ep.* 2, 17. Xystus ventum sistit. *Id. ep.* 7, 9. *in carm.* fontes incendia sistunt. *Tac. A.* 15, 54. Vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare monet. *Mart.* 13, 116. et *Plin.* 20, 23, 96. Sistere ventrem. (Sic *Id.* 22, 25, 61. et 23, 6, 60. Sistenda alvus.) *Ov. Fast.* 1, 367. lacrimas. *Id. Met.* 14, 835. et *Sen. Hipp.* 1263. fletus. *Plin. ep.* 10, 97. Vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est: quae videtur sisti et corrigi posse. *Sen. Agam.* 203. et *Med.* 157. Sistere impetum. *Id. Hipp.* 248. furorem. *Ov. Her.* 16, 69. certamina. [*Id. Fast.* 4, 387. Ante tamen, quam summa dies spectacula sistat.] *Id. Her.* 20, 179. Siste metum, virgo: stabili potiere salute. *Id. Met.* 7, 711. Siste tuas, ingrate, querelas; et *ib.* 5, 490. immensos siste labores; et *ib.* 3, 153. Sistite opus praesens, nodosaque tollite lina, *h. e.* intermittite. *Tac. A.* 4, 48. Thracibus permissum vastare, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur. [*Plura *Taciti* exempla, in quibus coercendi, inhibendi notione positum h. v. est, collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 433.] *Ov. Pont.* 3, 1, 16. Nec tibi sunt fontes, laticis nisi paene marini: Qui potus dubium sistat, alatne sitim. ℙ Est etiam firmare nutantem, ruentemve fulcire. *Plin.* 20, 3, 8. Succus cum aceto mobiles dentes sistit. [*Plin. Pan.* 50. Magnum hoc tuum erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere. ℙ Hinc translate.] *Virg. A.* 6, 858. Hic rem Romanam, magno turbante tumultu, Sistet. *Liv.* 3, 20. *f.* Non ita civitatem aegram esse, ut consuetis remediis sisti possit. [*Cf. 2, 29. *it. cp.* 44. ℙ Hinc est collocare, ponere; ac dicitur primum de vectoribus, qui onera humeris translata sistunt in loco aliquo. *Ov. Met.* 9, 109. Officioque meo ripa sistetur in illa Haec, ait, Alcide. Ex iis quae *Forc.* laud. huc pertinent ista:] *Pl. Ps.* 5, 2, 7. Molliter siste nunc me: cave, ne cadam: non vides me, ut madide madeam? *Virg. G.* 2, 488. o qui me gelidis in vallibus Haemi Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra! *Id. A.* 2, 620. et tutum patrio te litore sistam. — Deinde sensu latissimo ponitur, significatque in universum aliquid aliquo adducere et adductum statuere, ponere, collocare aliquo loco. *Forc.* laud. ista:] *Virg. A.* 2, 245. Et monstrum infelix sacrata sistimus arce. *Id. ib.* 8, 85. Aeneas suem mactat, et cum grege sistit ad aram. [*Adde *Ov. Met.* 15, 132. victima sistitur ante aras. *Id. ib.* 8, 670. post haec sistitur crater.] *Virg. A.* 4, 634. Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem; et *Pl. Mil.* 2, 3, 73. Pedes ego illam jam huc tibi sistam in viam. — [*Ita dicitur etiam de imperatore, copias aliquo adductas in loco constituto collocante.] *Virg. A.* 10, 308. Turnus rapit acer Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit, *h. e.* opponit Aeneae militibus exscensionem molientibus. *Tac. H.* 3, 77. Multa nocte cohortes expeditas summis montium jugis super caput hostium sistit. — [*Huc pertinent etiam poetici generis exempla.] *Virg. A.* 10, 322. Intorquens jaculum, clamanti sistit in ore. [*Sil.* 4, 612. in lumine sistit spicula ferae. — Porro usitatissimum est verbum *sistendi* in exstruendis, condendis iis, quae ad Deos pertinent, et sim.] *Tac. A.* 4, 37. Cum Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset; et *H.* 4, 53. Ut templum iisdem vestigiis sisteretur. *Id. A.* 15, 18. Romae tropaea de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur. ℙ *Sistere fana*, inquit *Festus*, cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum sacrorum constituere: quod Antistius Labeo ait in commentario quintodecimo juris pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis et Diis habere. ℙ [*Etiam translate ita multifariam usurpatur. Exempla, quae *Forc.* congesserat, erant ista:] *Aug.* ap. *Suet. Aug.* 28. Ita mihi salvam ac sospitem rempublicam sistere in sua sede liceat, [*h. e.* in firmo fundamento quasi aedificium constituere.] *Pl. Poen.* 5, 2, 122. Restituentur omnia: suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit. *Ov. Met.* 15, 492. ah quoties flenti, Theseius heros, Siste modum dixit, h. e. pone modum lacrimis. [*At *Heins.* ne latinum quidem esse putans *siste modum*, suasit *sit modus* etc. *Both.* conj. *siste metum;* sed cum in *Zulich.* legeretur *siste modo*, maluit: *a quoties, fletum, Theseus heros, Siste modo, dixit.*] *Prop.* 3, 15, 41. Tu modo servitio vacuum me siste superbo, *h. e.* pone, constitue me liberum a superbo servitio. *Pl. Merc.* 5, 2, 49. Quid si animus fluctuat? *Eu.* Ego istum in tranquillo et tuto sistam: ne time. ℙ [*Est etiam vox forensis; et *sistere se* dicuntur, qui citati in jus apparent stato die cum adversario: nostr. *sich stellen.*] *Cic. Quint.* 6. Testificatur iste, P. Quintium non stitisse, se stitisse; et *ib.* 7. *extr.* Ita disceditur, ut Idib. Septembr. P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret. *Pl. Curc.* 1, 3, 6. Ubi es tu, qui me libello Venerio citavisti? ecce me: sisto ego tibi me: et mihi contra itidem te ut sistas, suadeo. *Ulp. Dig.* 2, 10, 1. Si reus dolo actoris non stiterit. *Id. ib.* 6, 3. Cum quis in judicium sisti promisit, neque adjecit poenam, si statum non esset; et *ib.* 9, 1. Si quis eum, de quo noxialis actio est, judicio sisti promisit. Adde *Paul. ib.* 2. et 6. ℙ Huc et illa pertinent. *Cic. Off.* 3, 10. *f.* Vas factus est alter ejus sistendi, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. *Pl. Rud.* 3, 4, 72. Promisimus carnifici aut talentum magnum, aut hunc hodie sistere. *Ulp. Dig.* 2, 9, 5. Si servum in eadem causa sistere quis promiserit, et liber factus sistatur. ℙ Hinc *sistere Vadimonium*, obire, stato die in judicio adesse. *Cic. Quint.* 8. Venit Romam Quintius, vadimonium sistit. *Nep. Att.* 9. *med.* Tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. *Gell.* 2, 14. In libro vetere M. Catonis scriptum sic erat: Quid, si vadimonium capite obvoluto stitisses? Recte ille quidem *stitisses* scripsit: sed falsi et audaces emendatores, *e* scripto per libros, *stetisses* fecerunt, tanquam *stitisses* vanum et nihili verbum esset. Quin potius ipsi nequam et nihili sunt, qui ignorant, *stitisses* dictum a Catone, quoniam *sisteretur vadimonium*, non *staretur.* Haec *Gell.* Passive *Inscr.* ap. *Grut.* 690, 5. lege perenni, Sisti quae cunctos jubet ad vadimonia mortis. ℙ [*Hinc *sistere se* est: copiam sui facere, se exhibere, se praesentare: ducta est haec loquendi ratio a consuetudine forensi.] *Cic. Att.* 3, 25. Abs te peto, des operam, ut te ante Kal. Januar., ubicumque erimus, sistas; et *ib.* 10, 16. *f.* Te vegetum nobis in Graecia siste. ℙ [*Jam sequantur intransitivi generis exempla, quae Noster non solum ceteris miscuerat, sed inter ipsa etiam ita pessimo more confuderat, ut translatae notionis locos iis anteposuisset, qui propriam vim h. v. referrent.] *Varr. L. L.* 5, 2. *med.* Solstitium, quod sol eo die sistere videatur. *Lucr.* 4, 215. conlectus aquae digitum non altior unum, Qui lapides inter sistit per strata viarum. *Id.* 2, 602. Aeris in spatio magnam pendere docentes Tellurem, neque posse in terra sistere terram, *h. e.* niti. *Virg. G.* 1, 479. sistunt amnes, terraeque dehiscunt. *Id. A.* 11, 872. Nec quisquam instantes Teucros, ictumque ferentes Sustentare volet telis, aut sistere contra. [*Adde *Tac. H.* 3, 21. sistere tertium legionem in — aggere jubet. ℙ Translate.] *Virg. A.* 3, 7. Incerti, quo fata ferunt, ubi sistere detur. *Sen. Thyest.* 744. Hactenus sistat nefas, pius est Atreus, i. e. hic finem habeat, desinat. ℙ [*Hic imprimis notanda formula est *sisti potest*, et *non sisti potest*: i. e. coerceri, reprimi, firmari, ab exitio vindicari non potest: actum est: pereundum est. Huc primo pertinet exemplum, quod *Noster* alieno loco male intellectum laud., *Liv.* 3, 16. Vix concordia sisti posse videbatur. Porro.] *Liv.* 2, 29. *med.* Totam plebem aere alieno demersam esse: nec sisti posse, ni omnibus consulatur. *Id.* 45, 19. Si vero ad externum bellum domestica seditio adjiciatur, sisti non posse. Adde alia ex *eod.* et *Tac., Just., Curt.* etc. congesta a *Gronov.* ad *Liv.* 4, 12. Et active *Cic. Verr.* 2, 3, 96. Quid possumus contra illum praetorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempublicam sistere negat posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur? *h. e.* stare. Est qui mallet *subsistere.* [*Vulg. habet *Orell.*] ℙ *Ore, aut capite sistere* est, vultu aut capite terrae impacto, subsistere: quod faciunt, qui gravi et subito casu decidunt. *Pl. Capt.* 4, 2, 11. Interminor, nequis mi obsiterit obviam; nam qui obsisterit, ore sistet; et *Curc.* 2, 3, 8. Nec quisquam sit, etc. quin cadat, quin capite sistat in via de semita. ℙ *Sistere* absolute, pro esse, exsistere. *Manil.* 3, 529. Tempora quod sistant propriis parentia Signis. *Id.* 4, 546. Felix aequato genitus sub pondere Librae, Judex extremae sistet vitaeque necisque. ℙ Veteres grammatici *Charis.* 3, 220., *Diomed.* 1, 369. et 376. et *Prisc.* 10, 903. praeteritum faciunt *steti*, atque etiam *statui*: et illud quidem, cum absolute usurpatur neutrorum more: hoc autem, cum active addito accusativo. Haec tamen nullo testimonio confirmant. Verius dixeris, *stiti* in solo usu esse rei forensis: in aliis non item. Nam ex verbis *Gellii* satis colligitur, a *sisto* non gigni *steti*, sed *stiti.* [*Cf. *Ruddim.* 1. p. 254. sq.] ℙ Partic. *Sistens* ap. *Tac. H.* 1, 35. Galba irruenti turbae neque aetate, neque corpore sistens, *h. e.* resistens, ut plerique optima conjectura legendum putant; videtur enim prima syllaba absorpta a finali praecedentis verbi, ut saepissime alibi in MSS.

SISTRĀTUS, a, um, adj. qui sistrum gerit. *Mart.* 12, 29. Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba, *h. e.* sacerdotes Isidis.

SISTRUM, i, n. σεῖστρον, crepitaculum aeneum, quo Aegyptii sacerdotes in Isidis sacris uti solebant: ἀπὸ τοῦ σείειν, hoc est a quatiendo, propterea, quod concussum, argutum sonorumque ederet tinnitum. *Ov. Am.* 2, 13, 11. Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi. *Mart.* 14, 54. Haec quatiat tenera garrula sistra manu. *Ov. Met.* 9, 783. crepuitque sonabile sistrum. *Id. Pont.* 1, 38. Jactantem Pharia tinnula sistra manu. *Id. A. Am.* 3, 635. Phariae sistris operata juvencae, *h. e.* sacris Isidis. *Claud. IV. cons. Hon.* 574. Nilotica sistris Ripa sonat. *Stat. Silv.* 3, 2, 102. Multisonum sistrum. *Sen. V. B.* 27. Sistrum concutere. *Appul. Met.* 1. aerea, argentea, atque etiam aurea sistra memorat. ℙ Hoc instrumentum apud Aegyptios vicem tubae exhibebat. *Virg. A.* 8, 696. patrio vocat agmina sistro. *Prop.* 3, 9, 43. Romanamque tubam crepitanti pellere sistro. *Lucan.* 10, 63. de Cleopatra: Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro. *Isid. Orig.* 3, 4. et *ib.* 18, 4. *extr.* scribit, Amazonas quoque sistro feminarum exercitum vocasse. ℙ Sistri figuram et descriptionem habes a *B. Bacchinio* T. 6. *Antiquit. R. Graevii*, et a *Montfaucon. Antiquit. explic.* T. 2. P. 2. et ap. *Fabrett. Inscript.* p. 489. et sqq. Paucis describit *Appul. l. c.* hoc modo. Dextera ferebat aerenm crepitaculum, cujus per angustam laminam, in modum baltei recurvatam, trajectae mediae paucae virgulae, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem.

SISURNĂ, ae, f. σισύρνα, vile stragulum, vel tunica ex pellibus. *Ammian.* 16, 5. *med.* Nocte dimidiata semper exsurgens, non e plumis, vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete et σισύρᾳ, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat, occulte Mercurio supplicabat.

SISYMBRIUM, ii, n. σισύμβριον, herba, de qua

Plin. 20, 22, 91. Sisymbrium silvestre, a quibusdam thymbraeum appellatum, pedali non amplius altitudine: quod in riguis nascitur, simile nasturtio est. Quod in sicco ortum, odoratum est, et inseritur coronis, angustiore folio. *Ov. Fast.* 4, 869. Cumque sua dominae date grata sisymbria myrto, Textaque composita juncea vincla rosa, *Plin.* 19, 8, 55. Serpyllo et sisymbrio montes plerique scatent, sicut in Thracia: utique deferunt ex his avulsos ramos, seruntque; et *ib.* 10, 57. Ocimum senecta degenerat in serpyllum, et sisymbrium in calamintham. Inter herbas edules numeratur in *Edict. Dioclet.* p. 16 Sisymbriorum fascis habens N. viginti ℵ decem. [*Fortasse herba, quam nos dicimus *Brunnkresse.*]

SĪSYPHĒIUS, a, um, adj. Sisyphius. *Avien. Arat.* 597. de Merope: postquam Sisypheia vincla, Et thalamos saevo sortita est omine Divum. Hic male prima corripitur, metri necessitate.

SĪSYPHĪDES, ae, m. Σισυφίδης, patronimicum, Ulysses Sisyphi filius ex Autolyca, quam Laertae desponsatam ille violaverat. *Ov. A. Am.* 3, 313. His sua Sisyphides auditis paene resolvit Corpora: nam sociis illita cera fuit. Adde *Serv.* ad *A.* 6, 529.

SĪSYPHĪUS, a, um, adj. ad Sisyphum pertinens. *Propert.* 2, 13, 63. Vel tu Sisyphios licet admirere labores, Difficile ut toto monte volutet onus. *Sen. Herc. Oet.* 942. Sisyphia cesset cervix, et nostros lapis Impellat humores. *Ov. Met.* 13, 31. de Ulysse: sanguine cretus Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi. V. v. praec. *Id. Her.* 12, 204. I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes, *h. e.* Creusae Corinthiorum regis filiae. Corinthi enim quondam Sisyphus regnavit. Sic *Stat. Th.* 2, 380. Sisyphii portus, *h. e.* Corinthi. *Sil.* 14, 51. Sisyphius Isthmus, *h. e.* Corinthiacus.

SĪSYPHUS, i, m. Σίσυφος, Aeoli filius, aetate Danai regis Argivorum, vel Lyncei filii Aegisthi, qui Danao successit. Uxorem habuit Meropen, unam ex Plejadibus, ut docent *Ov. Fast.* 4, 175., *Serv.* ad *G.* 1, 138. et *Hyg. Astron.* 2, 21., ex qua Glaucum genuit. Fratrem habuit Salmoneum, quocum gravissimas inimicitias gessit, ejusque filiae Tyroni vim intulit. *Hyg. fab.* 60. ℙ Alius fuit (si modo alius) itidem Aeoli filius, regnante Athenis Aegaeo, mortalium omnium suae aetatis astutissimus. Unde cum Ulyssi aequat prudentia *Plato* ap. *Cic. Tusc.* 1, 41. *med.* Quin et Ulyssis patrem fuisse, *Serv.* ad *A.* 6, 529. tradit. V. SĪSYPHIDES. Hic cum Isthmum Corinthi occupavisset, et latrociniis Atticam infestaret, quoscumque capere poterat, ingentis saxi pondere oppressos interficiebat, ut *Vet. Schol. Statii* ad *Th.* 2, 380. tradit: vel, ut alii volunt, eos sibi pedes lavare jubebat, operique intentos in mare dejiciebat. Tandem a Theseo interfectus est, et apud Inferos ea poena damnatus, ut ingens saxum in montis verticem humeris deferat, quo cum pervenerit, deorsum volvat, rursusque repetat. *Ov. Met.* 4, 459. Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum. *Id. Ib.* 177. Sisyphus est illic saxum volvensque, petensque. Adde *ib.* 193., *Prop.* 4, 11, 23., *Sen. Med.* 747., *Hor. Od.* 2, 14, 19. et *Epod.* 17, 68., *Mart.* 5, 80. et 10, 5., *Cic. Tusc.* 1, 5., *Hyg. fab.* 60., *Virg. A.* 6, 616., *Stat. Th.* 4, 537. et *Sil.* 11, 477. et 13, 610. ℙ *Sisyphon* accusat. Graecae positionis habet *Ov. Met.* 13, 26. ubi Aeoliden saxum grave Sisyphon urget. ℙ *Sisyphum appellavit suum nanum Antonius. *Hor. Sat.* 1, 3, 47. ubi V. *Vet. Schol. B. A.*

SISYRINCHĬON, ii, n. σισυρίγχιον, genus bulbi apud Graecos, in quo illud mirum, quod radix ejus hieme crescit, vere minuitur. *Plin.* 19, 5, 30., ubi *Hard.* mallet *sysirynchion*, συσιρύγχιον, a rostri suilli similitudine: a σῦς, sus, et ῥύγχος, rostrum.

SĪTANĪUS Panis, σιτάνιος, et σιτάνειος ἄρτος, hornotinus, e trimestri tritico factus, memoratur a *Plin.* 22, 25, 68. Sitanium triticum, 18, 7, 10. *n.* 3. σιτάνιος πυρός. Dictus est a σῖτες, hoc anno: quia non, ut vulgare frumentum, fine anni seritur, anno insequente metendum, sed vere satum eodem anno maturescit. V. ALICASTRUM. ℙ Scribitur et *setanius.*

SĪTARCHĬA, ae, f. σιταρχία, annona quae navigandi, aut quocumque modo iter agendi gratia paratur: a σῖτος, frumentum, annona. Facete *Appul. Met.* 2. Vinum istud sorbeamus hodie omne; hac enim sitarchia navigium Veneris indiget sola, ut in nocte pervigili et oleo lucerna, et vino calix abundet. *Hieron. Vita Malch. n.* 10. Camelis ascensis, et nova sitarchia, idest annona, refocillati, decima tandem die ad Romana castra venimus. (*idest annona* deest in multis MSS.) *Id. praef. Comment. in Matth. ad Euseb. med.* Miror, cur Romam subito navigaturus hanc tibi a me quasi sitarchiam dari volueris, ut Matthaeum breviter exponam. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 12, 61. Inter sitarchiam et securim necessariam putato ad navem vehendam. ℙ Sunt qui scrib. *sitarcia*, aspiratione extrita, tanquam sit a σιτάρχεια, annona, quod compositum a σῖτος, et ἀρχέω, sufficio; nam σιταρχία proprie est praefectura annonae: ab ἄρχων, princeps. Nihilominus optimi libri multi habent *sitarchia*, in allatis scriptorum locis. ℙ *Sitarcia*, metonymia continentis pro contento, est sacculus, pera, in qua annona reconditur. *Vulg. Interpr. Reg.* 1, 9, 7. Panis defecit in sitarciis nostris, *h. e.* in cophinis nostris; Graecus textus habet ἐκ τῶν ἀγγείων τῶν ἡμῶν. Hinc *Isid. Or.* 20, 9. Sitarciae nautarum sunt.

SĪTARCĬA, ae, f. V. in v. praec.

SĪTELLA, ae, f. κανάδιον, parva situla. Pro urna, e qua sortes ducuntur. *Pl. Cas.* 2, 4, 17. Et sitellam huc tecum efferto cum aqua, et sortes; et 2, 5, 34. Conjiciam sortes in sitellam, et sortiar; et 2, 6, 44. Deos quaeso, ut tua sors ex sitella effugerit. *Liv.* 25, 3. *f.* Sitella allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent. *Cic. fragm. pro Cornel. majestat. reo*, ap. *Ascon.* Dum tabellae diribentur, dum sitella defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit. [*Legenda est *Wunderi* in *varr. lectt.* etc. *praef.* 158. sqq. doctissima dissertatio de discrimine verborum *sitellae* et *cistae*, quae communis sententia virorum doctorum, qui de comitiis Rom. exposuerunt, promiscue usurpata esse de vase, in quod tabellae a suffragia ferentibus conjectae sint, contendit.]

SĪTHON, ōnos, adj. Σίθων, ονος, Thracius. *Ov. Fast.* 3, 719. de Baccho: Sithonas, et Scythicos longum enumerare triumphos. Alii leg. *Bistonas.*

*SĪTHŌNE, es, f. Σιθώνη, oppidum Macedoniae, ad sinum Toronaeum. *Plin.* 4, 10. ubi ed. *Elzev.* exhibet *Sitone*, errore, credo, typographico. *B. A.*

SĪTHŌNIS, ĭdis, f. Σιθωνίς, quae est ex Sithonia, seu Thracia. *Ov. Her.* 2, 6. Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates. *Id. Rem. Am.* 605. Sithoni, tunc certe vellem non sola fuisses, *h. e.* Phyllis filia Lycurgi regis Thraciae.

SĪTHŌNĬUS, a, um, adj. Σιθόνιος, ad Sithoniam pertinens, quae est Thraciae pars Macedoniam spectans: et sumitur pro ipsa Thracia: unde *Sithonius*, Thracius: item Septentrionalis. *Ov. Pons.* 4, 7, 25. Sithonio regi ferus interceperat illam. *Id. Met.* 13, 571. Sithonii agri; et *ib.* 6, 588. Sithoniae nurus. *Id. Her.* 11, 13. Sithonius Aquilo. *Virg. Ecl.* 10, 66. Sithoniae nives. ℙ *Sithonii, orum*, absolute sunt Thraces, ap. *Hor. Od.* 1, 18, 9. et *Plin.* 3, 11, 18.

*SĪTĬA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*SĪTĪBUNDUS, a, um, adj. i. q. sitiens, διψαλέος *Onomast. Vet. Plaut. Aul. in scena suppos.* v. 28. In opibus magnis pauperes, Et sitibundi in medio oceani gurgite. *B. A.*

SĪTĪCEN, inis, m. τυμβαύλης, qui apud sitos, h. e. sepultos canit: a *situs*, et *cano*, ut *liticen* a *lituus*, *tubicen* a *tuba. Gell.* 20, 2. Nos autem in Capitonis Ateji Conjectaneis invenimus, siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos et sepultos; eosque habuisse proprium genus tubae, quo canerent, a ceterorum tubicinum differens. Usus est hac voce *Cato* ap. *eund. ib.* ap. *Non.* 1, 268. Eadem legitur in *Not. Tir.* p. 173. Liticen, siticen, fidicen.

[SĪTĪCŬLA, ae, f. dimin. sitis. *Not. Tir.* p. 169. Sitit, siticula, siticulosus. *F.*]

SĪTĪCŬLOSUS, a, um, adj. δίψιος, sitiens, humore carens, siccus, aridus. *Vitr.* 7, 2. Cum siccum et purum ferrum ex calce educetur, indicabit eam evanidam et siticulosam. *Hor. Epod.* 3, 15. Nec tantus unquam siderum insedit vapor Siticulosae Apuliae. *Colum.* 3, 11. *f.* Siticulosum solum, et peraridum. *Id. Arb.* 16. Aspera et siticulosa loca. *Auct. Priap.* 64. Agente terra per Caniculam rimas, Siticulosam sustinens diu aestatem. ℙ De sitiente, simpliciter. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Tum respondentes poculis potiones, quarum rigentes cyathi siticuloso cuique metuerentur. ℙ Sitim inducens, διψητικός. *Plin.* 23, 6, 55. Melimela et reliqua dulcia stomachum et ventrem solvunt, siticulosa, aestuosa.

SĪTĪENS, entis, part. a *sitio: διψαλέος*, qui sitit. *Phaedr.* 4, 8. Cum decidisset vulpis in puteum inscia, Devenit hircus sitiens in eundem locum. *Ov. Met.* 14, 277. pocula arenti sitientes hausimus ore. *Id. Am.* 3, 6, 97. Sitiens viator. ℙ Translate est vehementer cupiens, avidus. *Cic. Tusc.* 5, 6. *med.* Quo affluentius voluptates undique haurit, eo gravius ardentiusque sitiens. *Petr. Sat.* 121. Sitientia regna, *h. e.* Inferi, quo omnes exspectat avarus Portitor, ut *Albinov.* 1, 357. ait. *Cic. Planc.* 5. *med.* Sitientem me virtutis tuae deseruisti, ac dereliquisti. *Ov. Rem. Am.* 247. ut abfueris, avidus sitiensque redibis. *Cic. Att.* 2, 14. Quantam tu mihi moves exspectationem de sermone Bibuli! proinde ita fac venias ad sitientes aures. *Plin.* 14, 22, 28. Ebrius jam sanguine civium, et tanto magis eum sitiens. *Sil.* 3, 577. haud unquam parcus pro laude cruoris, Et semper famae sitiens. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 6. *extr.* Sitiens ultionem. *Gell.* 12, 2. *f.* Homo avarus, et avidus, et pecuniae sitiens. ℙ De locis humore carentibus, siccis, aridis. *Virg. Ecl.* 1, 65. Sitientes Afri. *Plin. ep.* 10, 91. Valde sitiens colonia, *h. e.* quae aqua deficitur. *Ov. Pont.* 1, 8, 60. Et dare, quas sitiens combibat hortus, aquas. *Id. A. Am.* 2, 231. sitiens Canicula. *Eum. Grat. act.* 9. *f.* Agri diuturno ardore sitientes. *Plin.* 15, 3, 3. Cum sitienti oleae imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam. *Id.* 13, 4, 7. de palma: Gaudet et riguis, totoque anno bibere cum amet, anno sitienti. *Calpurn. Ecl.* 5, 49. cum longa dies sitientes adferet aestus, *h. e.* sitim facientes. Alii leg. *sitientibus.* Rursus *Plin.* 17, 9, 8. Fimum miscere terrae, plurimum refert Favonio flante, ac luna sitiente, *h. e.* serena, non imbrifera; et *ib.* 14, 24. Oleas et ficos inseri per ver tantum, luna sitiente, hoc est sicca. Haec *Plin.* Sunt qui putant, *sitientem lunam* eandem esse ac *silentem*, h. e. cum circa interlunium est, et exigua, aut nulla luce: propterea quod *Cato R. R.* 29. et 40. eadem, quae *Plin.* tractans, *luna silenti* dixit: *sitientem* vero tunc appellari, quia cum humore vel maris, vel fluminum ali quidam philosophi docuerint, tunc sitiat, cum expers luminis et silens est. *Hard.* mallet *Catonis* verba corrigi, et *sitienti* reponi, [quod rectius videtur. V. SILENS. *F.*] ℙ Absolute *Plin.* 10, 73, 94. et 31, 7, 39. Orygem perpetuo sitientia Africae generant. *Id.* 25, 11, 88. Lonchitis nascitur in sitientibus. ℙ *Sitiens*, et *siccus* differunt. Ille humore caret, et habere quaerit, et aliquando habet: hic nunquam habet. *Id.* 12, 28, 61. Bryon optima circa Gnidum, in sitientibus, aut siccis, asperisque.

SĪTĬENTER, adv. διψαλέως, cum siti, cupide, ardenter. Translate. *Cic. Tusc.* 4, 17. Nec sitienter quid appetens ardeat desiderio. *Lact.* 2, 1. Hauriendis voluptatibus sitienter incumbere.

[SITIFENSIS, e, adj. ad Sitifim, nunc *Setif*, pertinens, coloniam Africae, sedem praesidis unius ex duabus provinciis, in quas Mauretania dividebatur. *Sex. Ruf. Brev.* 4. Mauretaniae duae, hoc est Sitifensis et Caesariensis, sunt praesidiales. *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 1. Itemque (*per provincias*) Mauretaniam Sitifensem, et Caesariensem. *F.*]

SĪTĬO, is, ivi, itum, a. 4. διψάω, humorem appeto, bibere cupio, siti laboro: [num ab Hebr. שָׁתָה *satàh*, bibi? *F.*] *Pl. Cas.* 3, 6, 5. Tu amas, ego esurio, et sitio. *Id. Curc.* 1, 2, 14. *Phae.* Sitit haec anus. *Pa.* quantillum sitit? *Phae.* modica est: capit quatrantal. *Mart.* 10, 96. Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem. *Ov. Fast.* 1, 215. Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda, Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae. ℙ Proverbii species est illud *ejusd. Met.* 2, 670. mediis sitiemus in undis, *h. e.* bona quidem habebimus, sed frui non dabitur. Itali dicunt, *morir di fame in un forno de schiacciatine.* Quo trahi potest illud, quamquam alia sententia, dictum a *Petr. fragm.* p. 683. *Burm.* Flumine vicino stultus sitit. ℙ *Sitire* transfertur ad plantas, agros, loca humore carentia, siccitate laborantia, arentia. [*Cic. Or.* 24. sitire agros.] *Plin.* 17, 14, 24. Oleae circa media succus: inde et surculi, cacumina sitiunt. *Ov. Fast.* 4, 939. Est canis (Icarium dicunt) quo sidere moto, Tosta sitit tellus. *Virg. Ecl.* 7, 57. Aret ager; vitio moriens sitit aeris herba. *Plin.* 17, 26, 40. Novellae arbores minus sitiunt, *h. e.* minus desiderant pluvias. *Id. ib.* 2, 2. Humor ex nivibus, non universus ingurgitans, sed, quo modo sititur distillans, velut ex ubere alit omnia, quae non inundat, *h. e.* quo modo a seminibus postulatur. *Front. Aqu.* 87. Caelium et Aventinum sola Claudia per arcus Neronianos ducebatur. Quo fiebat, ut quotiens refectio aliqua intervenisset, celeberrimi colles sitirent. Adde *Colum.* 12, 9. [*Cic. Q. Fr.* 3, 1. ipsi fontes jam sitiunt.] ℙ Item ad animum, et significat vehementer cupere. *Id. ib.* 3, 5. *med.* Nec sitio honores, nec desidero gloriam. *Id. Phil.* 5, 7., *Justin.* 1, 8. et *Sen. Thyest.* 103. Sitire sanguinem alicujus. Sic *Stat. Th.* 12, 595. sitit meritos etiamnum haec hasta cruores. V. alia in SĪTIENS. ℙ Cum gen. *Symm. ep.* 1, 27. (al. 33.) Ajunt, cochleas, cum sitiunt aeris, atque illis de coelo nihil liquitur, succo proprio victitare.

*SĪTIOGĀGUS, i, fluvius Asiae ulterioris, circa sinum Persicum. *Plin.* 6, 23. Flumen Sitiogagus, quo Pasargadas septimo die navigatur. *B. A.*

SĪTIS, is, f. δίψα, δίψος, appetitus humoris, cupiditas bibendi. In plurali num. non habet usum. *Cic. Fin.* 1, 11. Cum cibo et potione fames sitisque depulsa est. *Id. Sen.* 8. *f.* Diuturnam sitim explere cupiens. *Id. Tusc.* 1, 5. *med.* Siti enectus Tantalus. *Phaedr.* 3, 16. Siti ardere. *Ov. de nuce*, 65. sicca laborare. *Hirt. B. G.* 8, 41. *extr.* consumi; et *B. Afr.* 69. *extr.* perire. *Pl. Curc.* 1, 2, 26. siccum esse. *Tac. H.* 2, 49., *Plin.* 11, 54, 119. et *Ov. Met.* 3, 415. Sitim haustu gelidae aquae sedare. *Claud. de Phoenice*, 14. prohibere. *Ov. Met.* 4, 103. compescere; et *ib.* 98. deponere vicini fontis in unda; et *ib.* 12, 156. et *ib.* 15, 322. levare; et *ib.* 6, 354. relevare; et *ib.* 7, 569. exstinguere. *Virg. Ecl.* 5, 47. restinguere. *Hor. Od.* 2, 2, 14. pellere. *Sil.* 8, 573. avertere undis; et 7, 170. fonte defendere. *Sen. Herc. Oet.* 1077. rabidam undis excutere. *Curt.* 7, 5. reprimere. *Plin.* 20, 17, 73. cohibere. *Id.* 23, 7, 67. simulare; et *ib.* 63. afferre. *Id.* 20, 6, 23. Allium sitim giguit; et *ib.* 23, 99. Cardui radix potoribus sitim facit. *Id.* 11, 2, 1. Sitim accendere. *Virg. G.* 3, 482. ubi ignea venis Omnibus acta si-

tis miseros adduxerat artus. *Prop.* 4, 9, 21. sicco torret sitis ora palato. *Hor. Sat.* 1, 2, 114. Fauces urit sitis. *Tibull.* 1, 3, 78. Acris sitis. *Ov. Her.* 4, 174. arens. *Mart.* 1, 50. et *Plin.* 11, 2, 1. avida. *Stat. Th.* 3, 329. anhela; et *ib.* 4, 724. horrida torquet. *Sen. Troad.* 583. saeva. *Id. Agam.* 19. fervida exustus siti; et *Curc.* 4, 16. Sitis praecipue fatigatos et saucios exurebat. *Sil.* 1, 260. Exercetque sitim, et spectato fonte recedit, *h. e.* fatigat et sustinet non indulgendo. *Tac. G.* 4. Sitim aestumque tolerare. *Virg. G.* 3, 327. et *Ov. Met.* 5, 446. Sitim colligere, *h. e.* sitientem fieri. *Plin.* 22, 24, 51. Apes in siti proniores esse ad iracundiam. ℙ Translate est nimius calor, et inde deficientia humoris, ariditas, siccitas terrae et plantarum. *Plin.* 19, 2, 8. Spartum alitur etiam demersum, veluti natalium sitim pensans: scil. quia in sitienti solo nascitur. *Virg. A.* 4, 42. deserta siti regio. *Id. G.* 2, 353. hiulca siti findit Canis aestifer arva. *Tibull.* 1, 4, 36. Et Canis arenti torreat arva siti. *Stat. Th.* 4, 699. Inachios haurit sitis ignea campos. *Colum.* 11, 3. *med.* de olerib.: Sitis aestatis restinguitur fontibus. ℙ Item vehemens cujuscumque rei cupiditas. *Cic. Par.* 1, 2. Neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis. *Hor. Ep.* 1, 18, 23. Quem tenet argenti sitis importuna, famesque. *Juven.* 10, 140. tanto major famae sitis est quam Virtutis. *Quint.* 6, 3. In dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi sitim. *Claud. in Ruf.* 1, 220. Crescebat scelerata sitis, praedaeque recentis Incestus flagrabat amor. ℙ *Site* in sexto casu, ut *igne*, perrarum est, nec imitabile: tametsi *Prisc.* 7, 761. concedere videtur. *Venant. carm.* 2, 13, 3. Carcere, caede, fame, vinclis, site, frigore, flammis.

SĪTISTUS, a, um, adj. σιτιστός, altilis, saginatus: a σῖτος, frumentum. *Plin.* 29, 3, 11. *med.* Ova fiunt et tota lutea, quae vocant sitista, cum triduo incubita tolluntur. Quidam male leg. *schista* contra MSS. et *Hard.*

[SĪTĪTES, ae, m. σιτίτης, saginatus. *Plin.* 37, 7, 25. Proximos carbunculos illis, quos vocant sititas, innato fulgore radiantes, *h. e.* quasi saginatos ob colorem saturum, eundemque innatum. Ita legit *Hard.* alii habent *syrtitas*. *F.*]

SĪTITOR, oris, m. διψητικός, διψῶν, qui sitit. *Mart.* 12, 3. Clarus Hyanteae Stella sititor aquae. ℙ Translate. *Appul. in. Met.* 1. Sitior novitatis. *Capell.* 1, 21. sanguinis.

SĪTĪVĒ, adv. quoad situm, ratione situs aut loci. *Tert. adv. Prax.* 29. *med.* Licet aqua fontis sitive patiatur in fluvio, dum non in fonte patitur, sed in fluvio. Alii rectius pro *sitive* leg. *sit*, *quae.*

SĪTŌNA, ae, m. σιτώνης, qui annonae praeest. *Papir. Just. Dig.* 50, 8, 9. Sitonas indemnes esse oportere, qui non segniter officio suo functi essent. Σιτῶναι Graece dicuntur ab *Arcad. ib.* 4, 18., qui curatores rei frumentariae sunt. V. v. sq.

SĪTŌNĬA, ae, f. σιτωνία, cura rei frumentariae, et annonae: a σῖτος, frumentum, annona. *Ulp. Dig.* 50, 5, 2. Sextumdecimum aetatis annum agentem ad munus sitoniae vocari non oportet.

SĪTTĂCĒ, es, f. σιττάκη, idem ac psittacus, apud Indos. *Plin.* 10, 42, 58. India hanc avem mittit, sittacen vocat, viridem toto corpore, etc.

[SITTĬĀNUS, a, um, adj. ad Sittium pertinens, hinc *Sittianorum colonia* dicta est Cirta urbs, Numidiae metropolis. *Plin.* 5, 2, 3. et *Mela* 1, 6. V. CIRTENSIS. *F.*]

SITTYBĂ, ae, f. V. SILLYBUS.

SĪTŪĀTUS, a, um, part. ab inus. *situo*: situs. *Flor.* 2, 18. Numantia in tumulo apud flumen Durium situata. Ita leg. quidam, sed apage barbariem verbi, et repone *sita* cum optim. libr.

SĪTŪLA, ae, f. ὑδρία, χάλκις, vas ad aquam hauriendam, urna, hydria. *Pl. Amph.* 2, 2, 39. Si situlam cepero, illi puteo animam omnem intertraxero. *Paul. Dig.* 18, 1, 40. *extr.* Rota, per quam aqua traheretur, nihilominus aedificii est, quam situla. *Vet. Epigr.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 493. *Burm.* Extractam puteo situlam cum ponit in horto. ℙ De urna, ex qua educuntur sortes, sitella. *Pl. Cas.* 2, 6, 6. Adsunt quae imperavisti omnia, sortes, situla, atque egomet; et *ib.* 11. Appone hic sitellam: sortes cedo mihi. [*Cf. *Wund.* 1. in *Sitella* 1.]

SĪTŪLUS, i, m. idem quod situla, vas aquarium. *Cato R. R.* 10. et 11. Trullas tres, situlum aquarium unum, pelvim unam. *Vitr.* 10, 9. *f.* Ferrea catena habens situlos pendentes aereos congiales. *Paul. Sent.* 3, 7. *f.* Mundo muliebri legato, ea cedunt, per quae mundior mulier, lautiorque efficitur, velut speculum, conchae, situli: item pyxides, unguenta, etc.

SĪTUS, a, um, part. a *sino*: κείμενος, positus, jacens: et de iis fere dicitur, quae stabilem sedem habent; quia unumquodque, inquit *Voss.*, ibi situm est, ubi illud sivimus. [*Doederl.* 1, 135. sqq. de discrimine inter *cubare*, *jacere* et *situm esse* disputans, V. in JACEO, docet: quod *situs*, *a*, *um* nonnisi de rebus inanimis adhibeatur, id quidem usu magis quam origine vocis confirmari; et quo de insulis et terris, eodem jure de hominibus humi prostratis *situm esse* dici posse videri. Sed paucos esse eosque seriorum scriptorum locos, in quibus *situs* de rebus natura procreatis dicatur. (At cf. *situs*, *us.*) Ap. bonos semper de urbibus aliisque arte perfectis rebus usurpari. Exempla autem, in quibus ad homines pertinere praedicetur, ea esse aut male intellecta, ut *Ter. Ph.* 1, 2, 47., ubi *sita erat* non ad virginem sed ad matrem defunctam referendum; et in altero *Heaut.* 5, 2, 44. *situs erit* passive accipiendum, ut ap. *Cic. Sext.* 41. *accusare situs est:* et *in spe sinor*, idem esse ac *sperare sinor:* aut prorsus nihil ad rem facere, quippe in quibus regionum, urbiumque magis quam populi notio obversetur animo.] *Cato R. R.* 89. Ne plus (*h. e.* diutius) aqua sita siet horam unam. *Nep. Alc.* 5. *f.* Urbes Graecae, quae in ora sitae sunt Asiae. *Liv.* 30, 24. *med.* Insula sinum claudit, in quo sita Carthago est. *Vell.* 2, 120. *med.* Gentes cis Rhenum sitae. [*Adde *Plin. H. N.* 7, 2. gentem in convallibus sitam.] *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac. med.* Quin socios, amicos, procul juxtaque sitos, inopes potentesque, trahunt, exciduntque. [*Similis locus est *Tac. A.* 12, 10. jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos caedibus exhaustos. Quo loco et fortasse Sallustiano quoque *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 434. homines, contra regulam a *Doederl.* supra constitutam, nescio an recte, non pro loco et terra dici perhibet.] *Plin.* 4, 12, 23. Icaros sita est ab exortu solstitiali Deli. *Id.* 9, 59, 85. Insulae ante promontorium sitae. *Id.* 6, 16, 18. Regio contra Parthiae tractum sita. *Id.* 5, 1, 1. Urbs ex adverso Carthaginis sita. *Id.* 2, 107, 60. *n.* 1. Ara sub dio sita. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 12. Statuae ad aedem Felicitatis sitae fuere. ℙ Item positus, simpliciter. *Cic. Or.* 1, 15. Haec sita sunt ante oculos. *Enn.* ap. *Gell.* 2, 29. *extr.* Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm. *Plin.* 10, 64, 84. de fetu in utero: Homo in semet conglobatus, inter duo genua naribus sitis. ℙ Item aedificatus, positus. *Tac. A.* 3, 38. Urbem Philoppopolim a Macedone Philippo sitam; et *ib.* 6, 41. Urbes Macedonibus sitae; et *ib.* 2, 7. Vetus ara Druso sita. [*Sic nemo praeter *Tacitum* locutus esse videtur; cf. tamen *Sall. Jug.* 37. Circum murum situm in praerupti montis extremo planities limosa. *Liv. Epit.* 51. castra ad Nepherim oppidum loco difficili sita; *Caes. B. C.* 1, 61. id erat oppidum positum ad Iberum, in quibus omnibus locis transitivam verbi significationem rectius fortasse intellexeris quam intrans. *Böttich. Lex. Tac.* p. 433. sq.] ℙ Speciatim *situs* dicitur mortuus et conditus. Proprie autem *sitos* esse volunt, qui alicubi ad tempus conditi sunt, alio transferendi aliquando, et justo sepulcro condendi. Id tamen scriptores non servant. *Cic. Leg.* 2, 22. *med.* Declarat Ennius de Africano: *Hic est ille situs.* Vere: nam *siti* dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, et corpus incensum est. *Liv.* 26, 25. *f.* Hic siti sunt Acarnanes, qui pro patria pugnantes mortem occubuere. *Plin.* 13, 13, 27. Cn. Terentium repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa situs fuisset. *Lucr.* 3, 905. Aut in melle situm suffoçari atque rigere; et *Gell.* 20, 2. Siticines appellati, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos, et sepultos. [*Liv. 1, 2, 6. situs est, quemcunque eum dici jus fasque est, super Numicium flumen; ubi similes locos *Ciceronis*, *Ovidii*, *Tibulli*, *Plauti* attulit *Drakenb.*] ℙ Hinc notae illae in lapidib. sepulcr. H. S. E. *hic situs est*, ap. *Grut.* et alios. ℙ *Situs est*, positus est. *Cic. Mur.* 38. *extr.* Hujusce rei potestas omnis in vobis sita est, judices. *Sall. Jug.* 33. *extr.* Id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. *Nep. Ep.* 9. In ejus unius pernicie patriae sitam putabant salutem. *Cic. Acad.* 4, 12. Assensio, quae est in nostra sita potestate. *Id. Att.* 7, 9. *f.* Si pugnandum est, quo tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm est. *Id. Fin.* 1, 17. *f.* Est autem situm in nobis, ut et adversa oblivione obruamus, et secunda suaviter meminerimus. *Id. Arch.* 1. *med.* Huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem, et salutem ferre debemus. ℙ *Situs est*, permissus est. *Id. Sext.* 44. *med.* Accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.

SĪTUS, us, m. τοποθεσία, θέσις, qualitas et conditio loci, positio, natura. *Cic. Acad.* 4, 19. Cimmeriis aspectum solis sive Deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci, quem incolebant, situs. *Id. Verr.* 2, 5, 10. *med.* Urbem Syracusas elegerat, cujus hic situs, atque haec natura esse loci coelique dicitur, ut, etc. *Caes. B. G.* 3, 12. Erat hujusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis linguis promontoriisque, neque pedibus aditum haberent, neque navibus, etc. et *ib.* 5, 57. Sub castris vagabatur, ut situm castrorum cognosceret. *Sall. Jug.* 19. *f.* Res postulare videtur, Africae situm paucis exponere. *Just.* 37, 3. Omnium urbium situs ac regiones cognovit. *Cic. N. D.* 2, 61. *f.* Figura situsque membrorum. *Id. Acad.* 4, 39. Corpora nostra non novimus: qui sint situs partium, quam vim quaeque pars habeat, ignoramus. *Plin.* 9, 20, 36. Passeres a rhombis situ tantum corporum differunt: dexter resupinatus est illis, passeri laevus. *Id.* 16, 12, 23. Pix optima ubique ex apricis, Aquilonis situ, *h. e.* quam praebent loca Aquiloni obversa. *Virg. A.* 3, 451. de Sibylla: Nec revocare situs, aut jungere carmina curat, *h. e.* dispositiones, ordines foliorum responsis inscriptorum. ℙ Ponitur et pro regione, loco. *Plin.* 2, 108, 112. Latitudo terrae a meridiano situ ad septentrionem. *Id.* 3, 12, 17. In hoc situ interiere Cominii, Tradiates, Caedicii. *Id.* 2, 47, 48. Permutant et duo naturam cum situ: Auster Africae serenus, Aquilo nubilus. *Id.* 27, 2, 2. Tangunt carnes aconito, necantque gustatu earum pantheras, nisi hoc fieret, repleturas illos situs. ℙ Metonymice est illuvies, squalor, mucor, et sordida illa lanugo, qua obducuntur res diu neglectae uno in loco, aut longo intervallo non usurpatae, ex humore, pulvere, aliisve sordibus, ex deficientia solis aut aeris non perflabilis: unde putredo, caries, paedor, putor, εὐρώς, ῶτος, ὑγπαρία, αὐχμός. [*Discrimen inter *situs* et *illuvies* V. in h. v.] *Prop.* 4, 5, 70. immundo pallida mitra situ. *Pl. Truc.* 5, 23. Corrumpor situ: ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui. *Mart.* 8, 3. cum rupta situ Messalae saxa jacebunt. *Tibull.* 1, 11, 50. tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs. *Val. Fl.* 4, 183. Ossa tetra situ; et 3, 400. Cimmerium tellus Caeruleo tenebrosa situ. *Sen. Ben.* 3, 2. Quae in usu sunt, et manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum situs adeunt. *Ov. Am.* 1, 8, 51. Aera nitent usu: vestis bona quaerit haberi: Canescunt turpi tecta relicta situ; et *ib.* 12, 29. ad tabellas: vos cariosa senectus Rodat, et immundo cera sit alba situ. *Gell.* 9, 4. Ipsa volumina ex diutino situ squalebant. *Sil.* 7, 534. Detergere situm ferro; et *Stat. Th.* 3, 582. Horrentesque situ gladii. *Colum.* 12, 17. Hoc nunquam situm aut mucorem contrahit, si non humido loco positum est: et *ib.* 4. Locum esse debere quam siccissimum, ne situ penora mucorem contrahant; et *ib.* 3. *med.* Ne aut supellex, vestisve condita situ dilabatur. *Id.* 1, 1. Longo aevi situ qualitatem coeli, statumque mutari. De annis et senecta est etiam illud *Ov. Met.* 7, 302. refert inter meritorum maxima, demptos Aesonis esse situs. *Virg.* quoque huc trahendus *A.* 7, 440. victa situ, verique effeta senectus. ℙ De terra diu inculta, squalida, aspera. *Ov. Trist.* 3, 10, 70. Cessat iners rigido terra relicta situ. *Colum.* 2, 18. Prata situ vetustatis obducta. *Virg. A.* 6, 462. Per loca senta situ. ℙ Transfertur ad squalorem corporis ex neglecto cultu, aut morbo, aut inopia. *Lucan.* 6, 515. tenet ora profanae Foeda situ macies. *Val. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 3, 12. Situ nidoris barba paedore horrida: *situm nidoris* alii intelligunt malum odorem, cujusmodi ex situ exspirare solet. *Plin.* 21, 6, 17. Pessimum esse crocum, quod situm redolet. *Auct. Priap.* 83, 29. Araneosus obsidet fores situs. *Catull.* 25, 1. Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo, Vel pene languido senis, situque arancoso. V. h. v. ℙ Item ad animum, cum ex otio, inertia, aut desuetudine ruditatem quandam atque hebetudinem contrahit. *Quint.* 1, 2. *med.* Excitanda mens et attollenda semper est, quae in hujusmodi secretis languescit, et quendam velut in opaco situm ducit. *Id.* 12, 5. Ut bona ingenii, studiique in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. *Ov. Trist.* 5, 12, 1. Scribis, ut oblectem studiis lacrimabile tempus, Ne pereant turpi pectora nostra situ. *Id. Pont.* 1, 5, 7. Et mihi, siquis erat, ducendi carminis usus Deficit, estque minor factus inerte situ. Adde *Trist.* 3, 14, 36. [*Liv. 33, 45. marcescere otio situque civitatem.] ℙ De oblivione posteritatis. *Sen. ep.* 58. Quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit, *h. e.* quot verba vetustas et oblivio deleverit. *Stat. Th.* 3, 99. Tu tamen egregius fati mentisque, nec unquam Indignum passure situm. *Prop.* 1, 7, 18. de libr. et carminib.: Flebis in aeterno surda jacere situ. ℙ De infrequentia et solitudine. *Stat. Silv.* 2, 1, 67. muta domus, desolatique penates, Et situs in thalamis, et moesta silentia mensis. ℙ De iis, quae in desuetudinem abierunt. *Vell.* 2, 126. Sepultae ac situ obsitae justitia, aequitas, industria, civitati redditae. *Gell.* 20, 1. *med.* Passus est leges istas de tam immodico supplicio, situ atque senio emori.

SĪVĔ, εἴτε, ἐάν τε, ἤ, ἤτοι, conjunctio disjuncti va et dubitativa: duarum enim, aut trium, aut plurium rerum aliquam affirmat, sed non determinat, quaenam ea sit, et in dubio relinquit. [*Kritz. ad *Sall. Cat.* 49. *f.* docet, *sive* bis positum eam vim habere, ut idem eventus ad varias et inter se diversas caussas referatur, quarum quamquam utraque vera esse possit, tamen utra locum habeat incertum relinquatur. Coll. *Zumpt. Gr. Lat.* § 338. p. 293. Cf. quae de discrimine inter *sive* et *seu* disputavimus ad h. v. — Quid differant *aut — aut*, *vel — vel* et *ve*, v. in his vv.] Tum indicativum regit, tum conjunctivum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 7. Sive Deo, sive Deae C. Ter. Dexter ex voto posuit. *Caes. B. G.* 1, 12. Ita sive casu, sive consilio Deorum, quae pars civitatis calamitatem intulerat, ea princeps poenas persolvit; et *ib.* 23. Seu quod timore perterritos Romanos discedere existimarent, sive quod re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio, nostros insequi coeperunt. *Sall. in f. or. ad Caes.* 1. Sive hac, seu meliore via perges,

a me quidem pro virili parte adjutum fuerit. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Tecta villarum praestant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso litore utare. *Cic. Acad.* 4, 19. Cimmeriis quidem, quibus aspectum solis sive Deus aliquis, sive natura ademerat, sive ejus loci, quem incolebant, situs, ignes tamen aderant. *Pl. Amph.* 4, 3, 14. Ubi quemque hominem aspexero, sive ancillam, sive servum, sive uxorem, seu adulterum, seu patrem, sive avum videbo, obtruncabo in aedibus. *Id. ib. prol.* 69. Seu qui ambiissent palmam histrionibus, Seu quoiquam artifici, seu per scriptas litteras, Seu qui ipsi ambissent, seu per internuncium, Sive adeo aediles perfidiose quoi duint; Sirempse legem jussit esse Juppiter, Quasi magistratum sive alterive ambiverit. ℙ Interdum post *sive* ponitur *an. Tac. A.* 11, 26. Abrumpi dissimulationem, etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedia ipsa pericula ratus, urgebat. *Id. ib.* 14, 59. Plautum ea non movere: sive nullam opem providebat; seu taedio ambiguae spei; an amore conjugis et liberorum. [Cf. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 193. *a.* et *Off.* 1. p. 337.] ℙ Item *si. Cic. Div.* 2, 72. Superstitio instat et urget, et quo te cumque verteris, persequitur: sive tu vatem, sive tu omen audieris: sive immolaris, sive avem aspexeris: si Chaldacum, si haruspicem videris: si fulserit, si tonuerit: si tactum aliquid erit de coelo, si ostenti simile natum factumve quippiam. ℙ Interdum priore loco omittitur. *Hor. Od.* 1, 6, 17. Nos convivia, nos praelia virginum Cantamus, vacui, sive quid urimur, *h. e.* sive cum vacui sumus, sive cum amamus. *Sen. Herc. Oet.* 1260. Quaecumque pestis, sive quaecumque es fera, Palam timeres. *Just.* 2, 9. *f.* Ducenta millia Persae eo proelio, sive naufragio amisere. Adde 38, 3. *f.* [*Cf. *Oudend.* ad *Suet. Vesp.* 6. *Brem.* ad Ejusdem *Claud.* 13. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 10. et 2, 8, 16.] ℙ Non raro ponitur pro *vel si*, aut *et si*, (est enim ex *si* et *vel* conflatum): ut *neve* significat *et ne. Ter. Andr.* 1, 2, 19. Dehinc postulo, sive aequum est, te oro, Dave, ut, etc. et 1, 5, 56. Te obtestor, ne hanc deseras, si te in germani fratris dilexi loco; sive te haec solum semper fecit maximi, seu tibi morigera fuit in rebus omnibus. *Pl. Merc.* 5, 4, 33. Si hercle scivissem, sive adeo joculo dixisset mihi, se illam amare, nunquam facerem, ut illam amanti abducerem. Adde *Ps.* 1, 5, 124. et al. Ubi ait *Cic. Fam.* 9, 13. *med.* Peto igitur a te, vel si pateris, oro: *sive pateris* potuit dicere: quod facit *Fin.* 1, 6. *med.* Si omnes atomi declinabunt, nullae unquam cohaerescent: sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur, erit hoc, etc. *Liv.* in formula veris sacri indicendi, 22, 10. Si nocte, sive luce, sive servus, sive liber faxit, probe factum esto, *h. e.* si nocte, vel si luce, seu servus, seu liber. ℙ Etiam *seu* pro *vel si* ponitur. *Val. Fl.* 1, 836. siquando pectore ductor Vulnera nota gerens, etc. Seu venit in vittis castaque in veste sacerdos. ℙ *Sive* aliquando vim habet explanandi. *Quint.* 1, 4. *med.* Aristarchus, et aetate nostra Palaemon vocabulum, sive appellationem, nomini subjecerunt, tanquam species ejus. ℙ *Sive etiam* auget sententiam. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. *med.* Te rogo, ne contrahas aut demittas animum, neve obrui magnitudine negotii sinas: contraque erigas ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. [*Non *sive*, sed *etiam* auget sententiae vim.] ℙ In sponsionibus *sive* est et si. V. NI. ℙ Cadentis Latinitatis temporibus *sive* idem significat ac *etiam*, vel *et. Inscr.* ap. *Grut.* 27, 3. M. D. M. I. (*h. e.* Magnae Deum Matris Idaeae) et Attinis L. Cornelius Scipio Orfitus V. C. augur taurobolium, criobolium fecit die IIII. Kal. Mart. Tusco et Anullino Coss. *h. e.* ann. a Chr. n. CCXCV. V. plura huc pertinentia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 4., et PHERECRATIUS, et PORTUENSIS, [*Ultima emendavit *F.*]

SM

SMĂRAGDĬNĔUS, a, um, et
SMĂRAGDĪNUS, a, um, adj. σμαράγδινος, ad smaragdum pertinens. *Cels.* 5, 19. *n.* 4. Emplastrum, quod perviride est, smaragdinum appellatur. *Capell.* 1, 17. Smaragdinea viriditas. *Venant. carm.* 8, 8, 18. Atque smaragdineo janua poste viret. ℙ Primam produxit, non imitandus, *Prud. Psych.* 862. Has inter species smaragdina gramine verno Prata virent.

SMĂRAGDĪTES, ae, m. dictus est mons juxta Calchedonem, in quo smaragdi legebantur. *Plin.* 37, 5, 18.

SMĂRAGDUS et Zmaragdus, i, m. μάραγδος, et σμάραγδος, gemma coloris viridis, et pellucida. *Plin.* 37, 5, 16. Tertia auctoritas (*nam prima adamanti, altera margaritis*) smaragdis perhibetur, pluribus de causis. Nullius coloris aspectus jucundior est: nam herbas quoque virentes avide spectamus: smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Praeterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Praeterea longinquo amplificantur visu, inficientes circa se repercussum aera, etc. Pergit deinde recensere eorum genera, item vitia. *Id. ib. extr.* Quorum corpus extensum est, eadem, qua specula, ratione supini imagines rerum reddunt. Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo. *Lucr.* 4, 1119. grandes viridi cum luce smaragdi Auro includuntur. *Ov. Met.* 2, 24. In solio Phoebus claris lucente smaragdis. *Stat. Theb.* 2, 276. arcano lucentes igne smaragdi, *h. e.* arcano splendore. *Mart.* 4, 28. Donasti tenero, Chloe, Luperco Indos sardonychas, Scythas smaragdos. (Adde 14, 109.) *Plin.* 37, 5, 17. docet, nobilissimos smaragdorum esse Scythicos, ab ea gente, in qua reperiuntur, appellatos. [*Nota: *Smaragdi* nomine ap. Veteres non unam gemmarum speciem, sed omnes omnino viridis coloris gemmas intelligi. — Secundum eam, quam *Veltheim* hujus rei disquisitionem instituit, Veterum smaragdus fortasse est gemma, quam nos dicimus *Aquamarin.* Laudat haec, quae ultimo loco posita sunt, Vir doctus in *Wolf. litt. anall.* 4. p. 340.] ℙ Femin. genere. *Lucan.* 10, 121. crebra maculis distincta smaragdo. Alii leg. *crebro. Claud. VI. cons. Honor.* 563. Inter Erythraeas surgentia colla smaragdos. Etiam *l. c. Ov.* pro *claris smaragdis* alii ex MSS. leg. *clara smaragdo.* ℙ Secundam syllabam corripuit *Mart.* 5, 11. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno Portat in articulo Stella, Severe, meus: scil. Graecos poetas imitatus, quibus nihil est negatum, ut idem ait 9, 12., quique interdum vocalem corripiunt ante κτ, μν, πτ, ut ex *Homero*, *Hesiodo*, *Theocrito* ostendit *Gretserus.* ℙ Metonymice est color viridis. *Auct. carm. de Phoenice*, 135. Albicat insignis mixto viridante smaragdo. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 343. P. Antonius Zmaragdus. *F.*] ℙ *Broukhus.* ad *Tibull.* 1, 1, 51. et ad *Prop.* 2, 13, 43., *Pier.* ad *Virg. A.* 7, 648. *Dausqu.* et *Manut.* in *Orthogr.* et alii magni nominis critici ex vet. lapidib. et Latina veteri consuetudine, *zmaragdus* scribi malunt: immo in omnibus vocibus ab *sm* incipientibus *s* in *z* mutari, ut *Zmyrna*, *Zmintheus*, etc. His nos quoque subscribimus: neque tamen alteram scriptionem non probamus, longo usu probatam, et defensam a *Prisc.* 1, 564.

SMARIS, ĭdis, f. σμαρίς, pisciculus marinus litoralis, qui a *Gesnero* maena candida vocatur. *Plin.* 32, 9, 34., *ib.* 10, 45. et *ib.* 11, 53. *Ov. Hal.* 120. Fecundumque genus, maenae, lamyrosque, smarisque.

*SMARRES vel Smarris, is, m. rex Aegypti, qui obeliscum subrexit. *Plin.* 36, 9. *B. A.*

SMECTĪCUS, a, um, adj. σμηκτικός, habens vim abtergendi et purgandi. *Plin.* 30, 4, 10. Omnium quidem cochlearum cinis spissat, calfacit smectica vi.

SMEGMĂ, ătis, n. σμῆγμα, omne medicamentum, quod valet ad emaculandum, et abstergendum: a σμήχω, abstergo. *Plin.* 22, 25, 74. Si vero coelesti aqua discoquantur, succus ille smegma fit, quo fovere gangraenas utilissimum. *Id.* 24, 7, 28. Mastiche lentisci replicandis palpebris, et ad extendendam cutem in facie, et smegmata adhibetur.

SMEGMĂTĪCUS, a, um, adj. σμηγματικός, qui habet vim detergendi. *Plin.* 31, 7, 42. Sudorem ciet, alvum solvit in vino, et aqua, acopicis, et smegmaticis utilis. Alii rectius leg. *acopis*, *et smegmatis* pro *smegmatibus.*

SMERDĂLĔOS seu Smerdaleus, a, um, adj. σμερδαλέος, aspectu terribilis. *Auct. Priap.* 69. Smerdaleos certe nisi res non munda vocatur, Et paediconum mentula smerdalea est. Hic *Auct.* ludit in ambiguo, qui paediconum mentulam smerdaleam vocat tum propter ejus magnitudinem turpitudinemque, quod indicat Graeca vox σμερδαλέος, tum propter periculum ejus merda inquinandae, dum puerorum podices intrat. Eadem fere sententia *Juven.* 9, 43. *penem legitimum* dixit, et *Id.* 6, 337. eundem ingenti volumini, quod Itali *rotolo* dicunt, ob figurae similitudinem comparat. V. MERDACEUS et PSOLOIS. [*Plura adjecit *F.*]

*SMERDIS, is, m. Cambysis Persarum regis frater, quem cum Cambyses per somnium vidisset regio throno insidentem, metuens ne regnum occuparet, occidi jussit. Fuit et alter Pseudo-Smerdis, magus, qui post Cambysis mortem fratrem se illius esse assimulavit, eoque astu in regni successionem irrepsit. Regnavitque aliquot menses, donec fraude per Phaedimam, Otanis filium, detecta, conspiratione septem optimatium est interfectus. *Just.* 1, 9. V. et *Herod.* 3. *B. A.*

[SMĬĀLĬA, orum, vel ium, n. plur. armillae. Haec vox cadentis fortasse Latinitatis ex unico lapide inscripto, et in Celtiberia, Hispaniae regione, reperto hactenus innotescit, ejusque etymon repetendum videtur ex vetusta Celtarum lingua, unde adhuc apud Germanos *schmal*, et apud Anglos *small* significat angustum quid, minutum, gracile et attenuatum; vel potius ex Illyrico *zmia*, quod serpentem denotat, unde, priore littera mutata, *smialis*, serpentinus; constat enim Illyricos esse gentem Celticam: hujusmodi porro nomen cum nupero armillarum apud Italos nomine, *smaniglie*, apprime convenit, quippe quae in serpentis formam ex auro tenuato effictae mulierum brachia olim stringebant: adde in eodem lapide, in quo varia recensentur ornamenta muliebria, qualia sunt basilium, inaures, quadribacium, post smialia statim anulos quatuor, qui in digitis argentei simulacri Isidis erant, memorari, nec armillarum ullam fieri in eodem mentionem. *Inscr.* ap. *Mur.* 139, 1. In smiăliis zmaragdi N. VIII., margarita N. VIII., in digito minimo anuli duo gemmis adamantinis, etc. *F.*]

[SMĪLA, ae, f. σμίλη, scalprum. *Arnob.* 5, 172. Vellem videre Jovem secreta rimantem ferventi smila. Ita legit *Stewechius* et *Orellius*, alii *secreta rimantem vervecis ultima. F.*]

SMILAX, ăcis, f. Σμίλαξ, nomen puellae, de qua V. in CROCUM. ℙ Herba hoc nomine similis est hederae, e Cilicia primum quidem profecta, sed in Graecia frequentior, densis geniculata caulibus, spinosis frutectosa ramis, folio hederaceo, parvo, non anguloso, a pediculo emittente pampinos, flore candido olente lilium. Fert racemos labruscae modo, non hederae, colore rubro, complexa acinis majoribus nucleos ternos, minoribus singulos, nigros durosque: infausta omnibus sacris, et coronis, quoniam sit lugubris, virgine ejus nominis, propter amorem juvenis Croci, mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans, plerumque festa sua polluit, hederam existimando. E smilace fiunt codicilli: propriumque materiae est, ut admota auribus lenem sonum reddat. Haec *Plin.* 16, 35, 63.

SMILĬON, ii, n. σμιλίον, nomen collyrii ap. *Cels.* 6, 6. *n.* 18, et 19. Graece σμιλίον est scalpellum: a σμίλη, scalprum. Fortasse inde collyrio nomen factum, quod scalpri vicem praebeat, supercrescentia et sordida in oculis exedendo, et purgando. ℙ [Hoc nomine est etiam emplastrum quoddam. *Marcell. Empir.* 35. *f.* Compositio emplastri, quod appellatur smilion, facit ad omnes nervorum contractiones relaxandas, et ad quaslibet contusiones placandas, doloresque sedandos; conficitur sic, etc. *F.*]

SMINTHĔUS, a, um, adj. Σμινθεύς, ad Sminthem pertinens. *Sen. Thyest.* 176. Sminthea tenuit spolia Phoebei senis, *h. e.* Astynomen filiam Chrysae sacerdotis Apollinis. V. CHRYSES.

SMINTHEUS, i, m. disyl. Σμινθεύς, cognomentum Apollinis, quo in Mysia, et Phrygia colebatur, a σμίνθος vel σμίνθιξ, quod Cretensium, aut Phrygum lingua murem significat: quia Scamander Creta profugus, et alibi sedes quaerens, oraculo Apollinis monitus est ibi sistere et habitare, ubi a muribus infestaretur: cumque in Phrygia mures arcuum nervos, et loramenta armorum ei rosissent, ibi sedem posuit, et Apollini Smintheo templum exstruxit. *Serv.* ad *A.* 3, 108. Alii narrant, ipsum Apollinem sub specie humana mures sagittis confixisse. *Ov. Met.* 12, 585. Talibus intonsum compellat Sminthea dictis. *Id. Fast.* 6, 425. Consulitur Smintheus. ℙ A *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* dicitur Smintheus, ὅτι ζέων θεῖ, quia fervens currit. De hac notatione viderint etymologi.

SMINTHĬUS, a, um, adj. Σμίνθιος, ad Sminthem pertinens. *Arnob.* 3, 119. Apollo Sminthiorum pernicies murium. Adde *Dict. Cret. B. Troj.* 14. et 47.

SMYRNĂ et Zmyrna, ae, f. Σμύρνη, puella Cinyre Cypriorum regis filia, de qua V. in MYRRHA. ℙ De ea poema fuit Q. Cornelii Cinnae, accurate elaboratum, quod temporis injuria interceptum est. *Catull.* 95, 1. Smyrna mei Cinnae nonam post denique messem, Quam coepta est, nonamque edita post hyemem; et *ib.* 6. Smyrnam incana diu saecula pervoluent. ℙ Dicitur et de arbore atque humore, in quem Smyrnam versam esse fabulantur. *Lucr.* 2, 503. Et contemptus odor smyrnae, mellisque sapores. *Pl. As.* 5, 2, 78. Anima foetetne uxoris tuae? *De.* smyrnam olet. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. *med.* Xylocassia, smyrna, amomum. Alii scrib. *smurna*, et ap *Lucr.* et *Plaut.* myrrha. ℙ *Smyrna* est etiam urbs Ioniae maritima ad Meletem fluvium, nomen ducens a Smyrna Amazone, quae eam condidit, ut *Plin.* 5, 29, 31. tradit, hodie *Smyrna.* Habita est Homeri patria: unde *Stat. Silv.* 4, 2, 9. Nectat adoratas et Smyrna, et Mantua lauros, *h. e.* et Homerus, et Virgilius; et *ib.* 2, 7, 34. Grajo nobilior Melete Baetis. Adde *Claud. Laud. Seren.* 147. ℙ Smyrna cognomine Trachea est Ephesus, et ipsa opus Amazonum. *Plin. l. c.* ℙ De scriptione V. in SMARAGDUS. *V. et *Angelum Maium* ad *Cic. de re publ.* 1, 8. p. 24. ed. *Lond. B. A.*

SMYRNAEUS et Zmyrnaeus, a, um, adj. Σμυρναῖος, ad Smyrnam urbem pertinens. *Plin.* 5, 29, 31. *f.* Smyrnaeum conventum magna pars Aeoliae frequentat. *Id.* 25, 11, 87. Smyrnaeum hyssopum. ℙ Item ad Homerum pertinens, Homericus. *Lucan.* 9, 984. Quantum Smyrnaei durabunt vatis honores. *Sil.* 8, 595. Mantua Smyrnaeis aemula plectris. *Sidon. carm.* 2, 184. Mantua quas acies, pelagique pericula lusit, Smyrnaeas imitata tubas; et *carm.* 23, 131. Hic cum senipedem stilum polibat, Smyrnaeae vice doctus officinae. ℙ *Smyrnaei*, *orum*, absolute sunt incolae illius urbis, ap. *Liv.* 37, 16.

SMYRNĬON, ii, n. σμύρνιον, herba caule apii, foliis latioribus, et maxime circa stolones multis, quorum a sinu exsiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato, et cum quadam acrimonia ju-

cundo, colore in luteum languescente, capitibus caulium orbiculatis, ut anethi; semine rotundo, nigro, quod arescit incipiente aestate: radix quoque odorata gustu acri mordet, succosa, mollis: cortex foris niger, intus pallidus: odor myrrhae habet qualitatem: unde et nomen. Nascitur et in saxosis collibus, et in terrenis. Latine dicitur olus atrum. *Plin.* 27, 13, 109. et 19, 8, 48. [*Smyrnium olus atrum, *L.*, *Pferdesilge.*] ℙ *Smyrnium olus*, adjective, *Id.* 19, 12, 62.

SMYRRHIZĂ, ae, f. σμυρρίζα, herba, quae et myrrha, seu myrrhis. *Plin.* 24, 16, 97. V. MYRRHA.

SMYRUS, i, m. piscis genus, ap. *Plin.* 32, 11, 53.

SO

*SOBII, orum, populi Indiae, circa fontes Indi fluminis. *Curt.* 9, 4. *in. B. A.*

*SOBOLATAE, arum, Sabaeorum civitas ad Mare Rubrum, includens suis muris templa sexaginta. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

SOBOLES et rectius Suboles, is, f. γενεά, progenies, proles, propagatio, filius: a *sub*, et *olesco*, cresco, quia sub patribus crescit. *Cic. Or.* 3, 38. enumerat inter eas voces, quae a poetis liberius usurpantur, et habent tamen etiam in oratione aliquando locum, si loco ponantur. Ut *soboles* scribatur, consuetudini, inquit *Manut.* in *Orthogr.*, largior auribus indulgenti; licet antiquiores libri habeant *suboles*, et iis lapides consentiant: ut omittam satis apertam compositionem ex *sub* et *olesco*. Corfirmat *Manutii* sententiam *Festus* his verbis: Suboles ab olescendo, id est crescendo dictae, ut adolescentes quoque, et adultae, et indoles dicitur. [*Cf. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 720. sq.] Lucretius libro quarto (*v.* 1225.) Sive virum suboles, sive est muliebris origo. Virgilius (*Ecl.* 4, 49.) Cara Deum suboles, magnum Jovis incrementum. Haec *Festus*. Confirmat *Pier.* ad *Virg. ib.*, item ad illud *Aen.* 4, 327. Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam suboles. *Prop.* 4, 1, 79. Me creat Archytae soboles Babylonius Horos. *Plin.* 6, 7, 7. Sarmatae Medorum, ut ferunt, soboles. *Ov. Met.* 1, 251. sobolemque priori Dissimilem populo promittit origine mira. *Hor. Carm. saec.* 17. Sobolem producere. *Cic. Marcell.* 8. Constituenda judicia, revocanda fides, propaganda soboles. *Poll* ad *Cic. Fam.* 10, 33. Robur et soboles militum interiit. *Colum.* 7, 6. *f.* Anniculae capellae confestim depellenda soboles. *Hor. Od.* 3, 13, 8. Soboles lascivi gregis, *h. e.* haedus. *Plin.* 7, 2, 2. Armentorum maribus interemptis, praeterquam sobolis causa. ℙ Proprie est in arboribus et plantis stolo, h. e. nova stirps post aliam enata: metaphorice dicitur de animalium progenie: παφφυὰς, παραβλάστη. *Plin.* 17, 10, 12. Multarum radicibus pullulante sobole densa. *Colum.* 12, 10. Caepa, quae non fruticavit, nec habuit soboles adhaerentes. *Id.* 5, 6. Ulmum nemo jam serit ex samera, sed ex sobolibus. *Id. Arb.* 5. *med.* Possunt etiam soboles *(vitium)* per brumam caedi, eo magis quod frigoribus exstirpatae minus recreantur; et *ib.* 26. *f.* Materia, quam inseveris, si sobolem, vel superiores ramos habebit, omnia praecidito. ℙ De crinibus succrescentibus. *Varr.* ap. *Non.* 6, 43. Ante aures modo ex subolibus parvuli intorti demittuntur sex cincinnuli. *Appul. Met.* 2. Cum capillus frequenti sobole cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat.

SOBOLESCO et rectius Subolesco, is, n. 3. ὑποφύομαι, subcresco, subnascor, ut soboles in plantis. *Liv.* 29, 3. *f.* Juventutem majorem semper, frequentioremque pro tot caesis exercitibus subolescentem. *Ammian.* 14, 11. Subolescere imperio adultos ejus filios, mussitantes.

SOBRĬĒ, adv. νηφαλέως, σωφρόνως, temperanter. *Cic. Off.* 1, 30. Intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie. ℙ Item caute, prudenter, cum cura, ut temperantes homines solent. *Pl. Pers.* 4, 1, 1. Si quam rem accures sobrie atque frugaliter, solet illa recte sub manus succedere. *Id. Capt.* 2, 1, 29. Cauto est opus, ut hoc sobrie, sineque arbitris, accurate agatur, docte, et diligenter. Adde *Mil.* 3, 1, 217.

SOBRĬĒFACTUS, a, um, part. ab inus. *sobriefacio*, ad sobrietatem redactus. *Appul. Met.* 8. Sobriefactus sermone.

SOBRĬĒTAS, atis, f. νῆψις, σωφροσύνη, temperantia in potu. *Sen. Tranqu. f.* Tristis sobrietas removenda paulisper. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 9. Uxorem, quod vinum bibisset, fustim interemit: existimante unoquoque, optimo illam exemplo violatae sobrietatis poenas pependisse. ℙ Item universim temperantia, frugalitas. *Ulp. Dig.* 1, 7, 17. *f.* Interdum et ditiorem permittitur adoptare pauperiori, si vitae ejus sobrietas clara sit. *Prud. Psych.* 450. His se sobrietas, et totus sobrietatis Abstinet exsuviis miles. *Ammian.* 31, 10. *med.* Sobrietas consiliorum. ℙ Ap. *Appul. Met.* 5. *f.* Sobrietas est Dea Veneris inimica.

SOBRĪNĂ, ae, f. ἀνεψιά. *Pl. Poen.* 5, 2, 108. Mihi sobrina tua mater fuit. ℙ *Sobrina prior* ap. *Tac. A.* 12, 64. est eadem, quae *sobrina propior*. V. v. sq.

SOBRĪNUS, i, m. ἀνεψιὸς, ἀνεψιαδοῦς, quasi sororinus. *Festus:* Sobrinus est, ut ait Gallus Aelius, patris mei consobrini filius, et matris meae consobrinae filius. Femina eisdem de causis appellat fratrem, et fratrem patruelem, et consobrinum, et propius sobrino et sobrinae. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 3, 5, 9. Sobrini sunt ex duabus sororibus. Consobrini ex fratre et sorore. *Cajus Dig.* 38, 10, 3. Sexto gradu sunt tritavus, trinepos, etc. item qui ex fratribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis undique propagantur: qui proprie sobrini vocantur. Eadem habet *Justin. Instit.* 3. *tit.* 6. *Ter. Andr.* 4, 5, 6. Estne hic Crito sobrinus Chrysidis? is est. *Cic. Off.* 1, 17. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque. Adde *Ter. Phorm.* 2, 3, 37., ubi quidam putant, *sobrinum* late de quocumque cognato usurpari. Item *Tac. A.* 12, 6., ubi sobrinae pro consobrinis accipiuntur, ut monet *Lipsius*. Propius sobrino, inquit *Festus*, est consobrini mei filius, et consobrinae meae filia, et patris mei consobrinus, et matris meae consobrinus. *Cajus Dig. l. c. l.* 1. *extr.* Propius sobrino propius sobrina, isti sunt patrui magni, amitae magnae, avunculi magni, materterae magnae filius filia. Hoc est (subdit *Ulp. ib. l.* 2.) patris ejus, de cujus cognatione quaeritur, consobrinus consobrina, sive frater patruelis. *Paul. cit. l.* 10. Patrui magni filius ei, de cujus cognatione quaeritur, propius sobrino vocatur: nam, ut Masurius ait, eum quis appellat propius sobrino, qui est patris matrisve consobrinus aut consobrina; et *paulo post:* His omnibus, quos a patrui nepote proposuimus, is, de cujus cognatione quaeritur, propius sobrino est: nam patris vel matris eorum consobrinus est. Eadem his habet *Justin. l. c.*

SOBRĬO, as, a. 1. sobrium facio. Est *Paul. Nol., carm.* 21, 685. et 24, 106., ipsique relinquendum.

SOBRĬUS, a, um, adj. νηφάλιος, qui in potu temperans est, vini parcus: a *bria:* cui opponitur *ebrius*, vel est a σώφρων, moderatus. *Pl. Truc.* 4, 4, 2. Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium. *Sen. ep.* 18. Multo fortius est, ebrio ac vomitante populo, siccum ac sobrium esse. *Cic. Acad.* 4, 17. Ne vinolenti quidem quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii. *Mart.* 3, 16. Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam; et 11, 6. Possum nil ego sobrius: bibenti Succurrent mihi quindecim poetae. *Ov. Fast.* 6, 785. suburbana rediens male sobrius aede, *h. e.* ebrius. *Tibull.* 1, 7, 27. ipse bibebam Sobria supposita pocula victor aqua; et 2, 1, 46. Mixtaque securo sobria lympha mero. *Prop.* 3, 15, 11. nox sobria, *h. e.* quae sine vino transigitur. *Tac. A.* 13, 15. Irrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis. *Mart.* 1, 28. non sobria verba, *h. e.* quae effutiuntur ab ebrio. ℙ *Sobria uva*, quae ebrietatem non affert. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. Inerticulam e nigris appellavere, justius sobriam dicturi, inveterato praecipue commendabilem vino, sed viribus innoxiam: siquidem temulentiam sola non facit. ℙ *Sobrium vicum* dictum putant Cloatius et Aelius, quod in eo nullus tabernae locus, neque cauponae fuerit. Alii, quod in eo Mercurio non vino, sed lacte solitum sit supplicari. Ita *Festus*. ℙ *Sobria rura*, vitibus non consita. *Stat. Silv.* 4, 2, 36. sic vitifero sub palmite nudos Umbravit colles, et sobria rura Lyaeus. ℙ Translate est a luxu alienus, abstinens, frugi, parcus. *Cic. Verr.* 2, 3, 27. Homines satis fortes, et satis plane frugi ac sobrii. *Ter. Ad.* 1, 2, 14. Non fratrem videt rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium? *Hor. Od.* 2, 10, 7. caret invidenda Sobrius aula. *Claud. IV. cons. Honor.* 411. Sobria paupertas. *Id. in Eutrop.* 1, 229. divitiis mens. *Stat. Silv.* 5, 1, 78. et digna evolvere tantas Sobria corda vices. *Appul. Met.* 5. Lares pauperes nostros, sed plane sobrios, revisamus. *Sen. V. B.* 12. *f.* Non aestimatur voluptas illa Epicuri (ita enim mehercules sentio) quam sobria et sicca sit. [*Huc pertinere videtur etiam locus *Hor. Sat.* 2, 3, 5. At ipsis Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo Dic aliquid etc.: ubi v. *Heindf.* Porro *Vell.* 2, 63, 1. Sobrius dum erat Antonius, i. e. antequam in luxuriam penitus degeneravisset.] ℙ Item attentus, vigilans, diligens, cautus. *Cic. Coel.* 31. Quae nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, omnia labore et diligentia est consecutus. *Id. Or.* 2, 32. *med.* Omnes eas causas, diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo, et prope decantatas habere debent. *Ov. Am.* 1, 12, 5. limen transire memento Cautius, atque alte sobria ferre pedes. ℙ Item sanus, mentis compos. *Ter. Eun.* 4, 4, 35. Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi? *Id. Andr.* 4, 4, 39. Tu pol homo non es sobrius; et *Heaut.* 4, 3, 29. Satin' sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane perdis. [*Huc referri posse videtur notabilis oppositio *iracundi* et *sobrii* ap. *Vell.* 2, 41, 1. magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus.] ℙ Refertur et ad ingenium, et ad genus dicendi. *Sen. ep.* 114. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiato, hoc quoque afflatur. *Gell.* 7, 14. *f.* Violenta et rapida Carneades dicebat, scita et teretia Critolaus, modesta Diogenes et sobria. ℙ De gradibus haec *Charis.* 1, 61. *Sobrius* comparari non debet: neque enim *sobrior*, neque *sobriissimus* dici potest: quamvis Laberius *sobrior* dixerit.

SOCCĀTUS, a, um, part. ab inus. *socco, as*, soccis indutus. *Sen. Ben.* 2, 12. *f.* De capite consularis viri soccatus audiebat. V. SOCCUS.

SOCCĬFER, ra, rum, adj. qui soccos gestat. *Sidon. carm.* 9, 215. Socciferi jocos Menandri spectare. V. SOCCUS.

SOCCŬLUS, i, m. dimin. ἐμβάδιον, parvus soccus simpliciter. *Sen. Ben.* 2, 12. Socculum auratum, immo aureum, margaritis distinctum ostendere. *Suet. Vit.* 2. *f.* Detractumque socculum dextrum (*Messalinae*) inter togam, tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus. *Plin.* 9, 35, 56. Cum et pedibus margaritas, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt. Adde *Plin. alter.* 9. *ep.* 7.

SOCCUS, i, m. ποδεῖον, ὑπόδεσις, ἐπικρατίδες, genus calceamenti tum virile, tum muliebre, apud Graecos. Itaque pallium et soccos iis tribuit *Cic. Rab. Post.* 10., ubi narrat, P. Rutilium Rufum a Mithridate Mitylenis conquisitum ad necem, crudelitatem regis vestitus mutatione vitasse, soccosque et pallium sumpsisse. *Id. Or.* 3, 32. Hippias Eleus gloriatus est, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. *Ter. Heaut.* 1, 1, 72. Accurrunt servi, soccos detrahunt. *Catull.* 61, 9. *ad Hym.* Huc veni niveo gerens Luteum pede soccum. *Pl. Bacch.* 2, 3, 97. Divesne est istic Theotimus? *Chry.* etiam rogas? qui soccis habeat auro suppactum solum? *Id. Trin.* 3, 2, 94. Fulmentas soccis suppingere. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 13. Calceare aliquem soccis. ℙ Erant cothurnis humiliores: quare soccis comoedi, cothurnis tragoedi in scena utebantur. Unde metonymice his tragoedia, illis comoedia, et levioris generis carmen significatur. *Hor. A. P.* 80. Hunc (*iambum*) socci cepere pedem, grandesque cothurni; et *ib.* 90. Indignatur enim privatis, ac prope socco Dignis carminibus narrari coena Thyestae. *Ov. Pont.* 4, 16, 29. Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis: Et tua cum socco Musa, Melisse, levis. *Id. Rem. Am.* 375. Grande sonant tragici: tragicos decet ira cothurnos: Usibus e mediis soccus habendus erit. *Quint.* 10, 2. *med.* Nec comoedia in cothurnos assurgit, nec tragoedia ingreditur socco. *Mart.* 8, 3. An juvat ad tragicos soccum transferre cothurnos? *Plin.* 7, 30, 31. Magnum et Menandro in comico socco testimonium regum Aegypti et Macedoniae contigit, classe, et per legatos petito. Adde *Plin. alter. ep.* 9, 7. et *Hor. Ep.* 2, 1, 174. ℙ Apud Romanos si quando viri principes soccis usi leguntur, ut Caligula ap. *Suet.* 52., *Sen. Ben.* 2, 12. et *Plin.* 37, 2, 6., mollitiei damnantur ab iisdem scriptoribus. Simile est illud *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Stetit soleatus praetor populi R. cum pallio, etc.

SŌCER et Sŏcĕrus, et Socrus, i, m. pater mariti mei: cui *nurus* respondet: est ab ἐκυρὸς per metathesin. *Socer magnus* est mariti mei avus, cui *pronurus* respondet; *socer major* est mariti mei proavus. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. §. 6. Hinc socer Thetidis est Aeacus pater Pelei Thetidis mariti. *Sen. Herc. Fur.* 733. Aditur illo Gnossius minor foro: Rhadamantus illo; Thetidis hoc audit socer. ℙ *Socer* est etiam uxoris meae pater, πενθερὸς, cui *gener* respondet. *Socer magnus*, qui et *prosocer*, est uxoris meae avus, cui *progener* respondet; *socer major* est uxoris meae proavus. *Modest. Dig. l. c.* et *Festus* in *Magnum* et *Major*. *Cic. Off.* 1, 35. *f.* Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur. *Mart.* 9, 71. Cum gener atque socer diris concurreret armis, *h. e.* Cn. Pompejus, et C. Caesar: de quibus et *Virg. A.* 6, 831. Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monoeci Descendens: gener adversis instructus Eois. *Flor.* 4, 2. *med.* Crassi morte apud Parthos, et morte Juliae Caesaris filiae, quae nupta Pompejo, generi socerique concordiam matrimonii foedere tenebat, statim aemulatio erupit. ℙ Etiam sine addito, soceri et socrus appellatione avus quoque, et avia uxoris vel mariti continetur, uti docet *Terent. Dig.* 50, 16, 146., item *Paul. ib.* 23. 2, 14. *f.* et *Pomp.* ap. *Ulp. ib.* 3, 1, 3. ℙ *Socerus* in recto casu. *Pl. Men.* 5, 5, 54. Abiit socerus, abiit medicus, nunc solus sum. *Id. Cas.* 4, 2, 18. Meus socerus, compar, commaritus villicus. *Lips.* hic mallet *socienus*, *h. e.* socius: nam *socerus* hic locum non habere videtur. In priore autem exemplo quidam suspicantur, *socrus* scriptum fuisse: quia veteres *hic* et *haec socrus* dixere. (V. SOCRUS.) ℙ Sed et *socrus*, *i*, per sync. pro *socerus* dictum fuit. *Inscr.* ap. *Mur.* 532. Catia Silvina conjugi pientissimo, et . . . . nurus socro dulcissimo ponendum curaverunt.

SŌCĔRĂ et Socra, ae, f. eadem ac socrus in vetustis monumentis. V. SOCRUS. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 172. *n.* 332. D. M. Aur. Galli Trib. Leg. VII. Cl. Aur. Amma conjugi karissimo cum Gallitta filia, et Laeta socera titulum posuerunt. Alia ap. *Grut.* 546, 5. L. Julius Maximus conjux conjugi incomparabili et filio patri (lege *pater*) pientissimo, et

socerae tenacissimae memoriae P. et 745, 9. L. Metilius Hermes socere incomp. Alia ap. *Mur.* 1445, 4. Bonitati pientissime L. Petronius Severus socere incomparabili. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 289. Palladio Politice socera F. C. genero pientissimo; et *n.* 4221. D. M. Titiae T. F. Titullae socrae, etc. [*Plura adjecit *F.*]

SOCERUS. V. SOCER.

*SOCHIS, Σόχις, Aegypti rex, qui numini solis apud Heliopolin obeliscos quatuor quadraginta octo cubitorum longitudine dedicavit. *Plin.* 36, 8. V. SOTHIS. *B. A.*

*SOCHO, oppidum Judaeae. *Vulg. Jes.* 15, 35. et 48. et *Hieron. B. A.*

SOCIABILIS, e, adj. συναγελαστικὸς, qui facile alteri jungitur, societatis amans, convictu et consuetudine gaudens. *Plin.* 16, 42, 82. Abies maxime sociabilis glutino, in tantum ut findatur ante, qua solida est. *Liv.* 40, 8. *med.* Sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges, salutarem per multa saecula ipsis patriaeque. *Sen. ep.* 95. *med.* Natura nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit.

SOCIALIS, e, adj. [*Perperam *Noster* propriam vocis notionem secundo loco posuerat; primum enim dicitur *socialis* universim i. q. ad sodales, amicosque privatos pertinens, Gr. ἑταιρικός.] *Sen. B.* 5, 11. *f.* Beneficium dare socialis res est: aliquem conciliat, aliquem obligat; et *ib.* 7, 1. *f.* Homo sociale animal, et in commune genitus, mundum ut unam omnium domum spectat. *Appul. Met.* 5. Sociales amicitiae. ℙ Saepe est conjugalis: maxima enim omnium est societas mariti et uxoris. *Ov. Met.* 7, 800. Mutua cura duos, et amor socialis habebat. *Id. Pont.* 3, 1, 73. socialis amor, foedusque maritum. *Id. Fast.* 2, 729. socialis torus. *Id. Her.* 4, 17. et *Met.* 14, 380. socialia foedera. *Id. Am.* 3, 11, 45. lecti socialia jura. *Id. Her.* 21, 155. sacra; et *ib.* 12, 139. carmina, *h. e.* epithalamium. ℙ [*Hinc est i. q. ad socios pertinens, h. e. populos foedere, societate, amicitia junctos, Gr. συμμαχικός.] *Cic. Div. Verr.* 5. Haec lex socialis est, hoc jus nationum exterarum est. *Id. Verr.* 2, 2, 6. Lege judicioque sociali sociorum querimonias audire oportet. *Liv.* 34, 57. *f.* Cum qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali foedere jungendam coeant. *Id.* 31, 21. Socialis exercitus, *h. e.* sociorum. Sic *Tac. A.* 4, 73. Sociales turmae; et *ib.* 12, 31. copiae sine robore legionum, *h. e.* auxilia. *Flor.* 3, 6. Rhodiorum classes. *Tac. A.* 2, 57. Cuncta socialia prospere composita, *h. e.* res sociorum. *Flor.* 3, 18. et *Juv.* 5, 31. Bellum sociale, *h. e.* quo socii populi R. adversus eum gesserunt ob negatum jus civitatis R. V. *Flor. ib.*

SOCIALITAS, atis, f. *Plin. Pan.* 49. Non remissionibus tuis eadem frequentia, eademque illa socialitas interesset?

SOCIALITER, adv. *Hor. A. P.* 258. sede secunda Cederet, aut quarta socialiter.

SOCIATIO, onis, f. conjunctio. *Capell.* 2, 26. *extr.* Sic igitur rata inter eos sociatio copulam nuptialem constrinxit.

SOCIATRIX, icis, f. συμμίκτειρα, quae sociat. *Val. Fl.* 5, 499. Sed me nuda fides, sanctique potentia justi Huc tulit, ac medii sociatrix gratia Phrixi.

SOCIATUS, a, um, part. a *socio:* συμμιχθεὶς, unitus, junctus, consociatus. *Cic. Leg.* 1, 11. *f.* Omne genus hominum sociatum inter se esse. *Id. Flacc.* 9. Testium studium cum accusatore sociatum. *Id. Somn. Scip.* 3. Concilia coetusque hominum jure sociati. *Ov. Met.* 8, 546. Theseus sociati parte laboris Functus, *h. e.* quem aliis sociatus susceperat. *Just.* 30, 2. Sociatus cum aliquo. *Sen. Oed.* 662. Merope sociata Polybo; et *Ov. Ib.* 15. Perpetuo mihi sociata foedere lecti. Et rursus *Sen. Octav.* 284. Sociata toris Augusti.

SOCIENNUS, i, m. idem ac socius, apud veteres. *Pl. Aul.* 4, 4, 32. Illi socienno tuo jam interstringam gulam. *Id. Amph.* 1, 1, 228. Amphitruonis sociennum me esse, volui dicere. Alii hic leg. *socium nae me esse.* Adde *Cas.* 4, 2, 18. ut in SOCER dictum est.

SOCIETAS, atis, f. κοινωνία, ἑταιρία, communio, conjunctio, consociatio. *Liv.* 1, 14. Infida regni societas. *Cic. Leg.* 1, 10. Si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris. *Id. Fin.* 4, 2. *med.* Nati sumus ad congregationem hominum, et ad societatem communitatemque generis humani; et *ib.* 5, 23. Conjunctio inter homines hominum, et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum. *Id. N. D.* 2, 48. Pinna cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi. *Id. Phil.* 2, 10. *f.* Utinam, Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses! *Id. Rosc. Am.* 34. Nullam societatem, neque sceleris neque praemii, cum homine ullo coieras. *Id. Fin.* 2, 14. *med.* Implicare se primum civium, deinde omnium mortalium societate. *Id. Brut.* 1. Vir conjunctissimus mecum consiliorum omnium societate. *Petr. Sat.* 83. Recipere aliquem in societatem. *Cic. Quint.* 3. Facere cum aliquo societatem omnium rerum. *Id. Phil.* 13, 17. *f.* Omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confitetur. *Id. Cat.* 1, 13. *extr.* Hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se, ac nefaria societate conjuncti. *Id. Off.* 1, 7. Artibus, opera, facultatibus devincire hominum inter homines societatem. *Id. Fin.* 5, 23. Tueri societatem conjunctionis humanae. *Id. Har. resp.* 20. Conflare nefarias cum multis scelerum pactiones et societates. *Id. Am.* 5. *extr.* Ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura. *Id. Fam.* 10, 6. *med.* Se ab impiorum civium societate sejungere. *Id. Or.* 1, 10. *med.* Missos facio mathematicos, musicos, quorum artibus dicendi vis ne minima quidem societate contingitur. Alii leg. *conjungitur.* *Id. Fat.* 2. Cum hoc genere philosophiae magnam habet orator societatem. *Id. Fam.* 9, 14. *med.* A te peto, ut me in societatem tuarum laudum venire patiare. *Id. Off.* 1, 17. *med.* Omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. *Just.* 10, 1. Assumere aliquos in societatem facinoris. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 3. Societas nominum, *h. e.* cum idem nomen pluribus rebus est. ℙ De conjunctione et foedere populorum, aut regum inter se, συμμαχία, *Nep. Con.* 2. Cum Lacedaemonii in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant. *Id. Alc.* 4. *extr.* Ioniam a societate averterunt Atheniensium. *Id. Reg.* 3. Societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. *Id. Them.* 8. Societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset. *Id. Arist.* 2. *f.* Ut civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent. *Id. Chabr.* 2. Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant. *Caes. B. G.* 6, 2. Treviri Ambiorigem sibi societate et foedere adjungunt. *Sall. Cat.* 41. Impellere Allobroges ad societatem belli. *Id Jug.* 79. *f.* Leptitani Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum; et *ib.* 85. Societatem amicitiamque conjungere cum populo R. *Tac. A.* 12, 13. Rex Izates Meherdatis societatem palam induerat. *Just.* 6, 5. *f.* Ut hostes nunc paterentur, cum quibus juncti tunc arctissimis societatis vinculis fuerant. ℙ De conjunctione eorum, qui simul negotiantur: itemque metonymice de ipsis sociis. *Cic. Quint.* 3. Quintius fecit societatem earum rerum, quae in Gallia comparabantur; et *ib.* Magna fide societatem gerere. *Paul. Dig.* 17, 2, 74. Societatem contrahere. *Ulp.* et alii *ib.* 5. etc. coire. *Caes. B. C.* 3, 3. Magnam pecuniam societates earum provinciarum sibi numerare coegerat, *h. e.* publicanos: et *mox:* Milites ex familiis societatis deligere. *Cic. Sext.* 14. Nulla erat Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium, quod non honorificentissime decrevisset de mea salute; et *Dom.* 56. Omnes societates, omnes ordines. *Paul. Dig.* 2, 14, 15. Magistri societatum. *Torrentino* est *lex* 14. et habet *societatium*, ut *civitatium*, etc. *Plin.* 9, 8, 9. Cum homine delphini societate piscantur.

SOCIO, as, avi, atum, a. 1. συμμίγνυμι, συναγελάζω, jungo, conjungo, quasi socium socio appono. *Cic. Fl.* 9. Quid si testium studium cum accusatore sociatum est? *Id. Or.* 3, 32. *f.* Cum tu summi imperii gubernatione districtus tantam vim rerum cum dicendi exercitatione sociaris. *Id. Planc.* 30. *med.* Cum periculum vitae tuae mecum sociare voluisses. *Liv.* 39, 13. *f.* Eos esse, qui aut conjurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. *Ov. Her.* 3, 109. et *Met.* 10, 635. Sociare cubilia cum aliquo, *h. e.* nubere, socio toro jungi; et *Virg. A.* 4, 16. se alicui vinclo jugali. *Id. ib.* 1, 604. aliquem domo. *Stat. Th.* 1, 132. juvencos aratro impositio. *Sil.* 11, 149. dextras. *Val. Fl.* 5, 282. curas. Sic *Tibull.* 3, 3, 7. gaudia cum aliquo. *Sil.* 1, 76. se participem in casus omnes. *Val. Fl.* 5, 290. manus alicui. *Liv.* 4, 4. sanguinem. *Colum.* 3, 3. *med.* diligentiam cum scientia. *Seren. Sam.* 48, 894. Tunc apii succus lento sociatur olivo. *Ov. Met.* 11, 5. percussis sociantem carmina nervis. Sic *Hor. Od.* 4, 9, 4. Verba loquor socianda chordis. ℙ Ap. *Just.* 10, 1. *med.* Ostenti prorsus genus, ubi in tanto populo non solum sociari, verum etiam sileri parricidium potuit, *h. e.* a pluribus sociis perpetrari.

SOCIOFRAUDUS, a, um, adj. qui socium fraudat, aut, ut ait *Cic. Rosc. Am.* 40., qui socium omni fraude fallit. *Pl. Ps.* 1, 3, 128. Bustirape, furcifer, sociofraude, parricida.

SOCIUS, a, um, adj. σύζυγος, κοινωνὸς, adjunctus, consors, particeps, comes. Videtur esse ab ὀικεῖος, vel οἶκοιος, domesticus, familiaris: [*Doederl. a *sequi* deducit. V. 3, 87.] et non solum adjective, sed etiam absolute usurpatur. Quid *socius* a *comes* et *sodalis* differat, v. in COMES. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Hujus belli ego particeps, et socius, et adjutor esse cogor. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 55. Aliud socius, aliud particeps: nam particeps, qui certam habet partem, et non indivise agit, ut socius. *Cic. Font.* 17. Habere domi fortunarum omnium socium participemque possunt. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis. *Id. Font.* 17. Vitae socia virtus, mortis comes gloria fuisset. *Id. Brut.* 12. Eloquentia pacis est comes, otiique socia. *Id. ib.* 1. Socium et consortem gloriosi laboris amiseram. *Id. Att.* 11, 14. Praeter Laelium neminem habeo culpae socium. *Pl. As.* 2, 2, 22. Illic homo socium ad malam rem quaerit, quem adjungat sibi. *Phaedr.* 1, 5. Socium esse cum aliquo. *Ov. Am.* 2, 11, 7. Ecce fugit notumque torum, sociosque Penates. *Id. Her.* 11, 122. nati collige membra tui, Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro, *h. e.* in eodem sepulcro cum matre. *Id. Fast.* 6, 73. Aurea possedit socio Capitolia templo Mater, *h. e.* Juno eodem templo cum Jove colitur; et *ib.* 1, 608. Hic socium summo cum Jove nomen habet, *h. e.* Augusti cognomen habet, quod Jovi convenit. *Id. Trist.* 5, 10, 35. Exercent illi sociae commercia linguae, *h. e.* utrique genti communis. *Id. Fast.* 5, 496. Jupiter et frater Carpebant socias, Mercuriusque, vias, *h. e.* simul ibant eadem via. *Id. A. Am.* 1, 492. Moras socias jungere, *h. e.* simul morari. *Id. Met.* 5, 378. (et *Stat. Th.* 1, 130.) Socium regnum, *h. e.* in quo duo simul imperitant; et *ib.* 13, 375. Spes sociae, *h. e.* cum plures idem sperant. *Id. Fast.* 2, 618. et *Stat. Silv.* 1, 6, 48. Sociae dapes. Sic *Id. Th.* 8, 240. Sociae foedera mensae. *Plin.* 12, 1, 5. Platanus est clara in Lycia gelidi fontis socia amoenitate, *h. e.* adjunctum habens gelidum fontem. ℙ De iis, qui sanguine juncti sunt. *Ov. Trist.* 4, 5, 29. Socius sanguinis, *h. e.* consanguineus, frater. *Id. Met.* 3, 260. Transferre odium in socios generis. ℙ De conjugali vinculo. *Id. ib.* 9, 795. socios Hymenaeus ad ignes Convenit; et *ib.* 14, 678. Socium tori sibi deligere. *Id. Her.* 2, 33. Socii anni. *Id A. Am.* 3, 377. Socius lectus. *Sall. Jug.* 82. *f.* Singuli quam plurimas uxores habent: ita animus multitudine distrahitur: nulla pro socia obtinet. ℙ De regibus et populis foedere junctis, σύμμαχος. *Cic. Dom,* 20. Cyprius rex, cujus majores huic populo socii atque amici semper fuerunt. *Caes. B. C.* 3, 80. Praetor Thessaliae cum se victoriae Pompeji comitem esse mallet, quam socium Caesaris in rebus adversis. *Id. B. G.* 1, 5. *extr.* Helvetii Bojos receptos ad se socios sibi adsciscunt; et *ib.* 3, 9. *extr.* Veneti socios sibi ad id bellum Osismios, Lexobios, Nannetes arcessunt. *Ov. Am.* 3, 15, 10. Cum timuit socias anxia Roma manus, *h. e.* bellum sociale. *Id. Met.* 13, 352. Socia classis. *Tac. A.* 13, 57. Civitas Juhonum socia nobis. *Quint.* 3, 8. Sociae civitatis eversionem deflere. *Virg. A.* 2, 371. Socia arma. ℙ Translate. *Val. Fl.* 7, 625. iterum ad socias convertere Colchidos artes, *h. e.* tanquam auxiliatrices. *Id.* 3, 161. Nec pharetram, aut acres ultra Tirynthius arcus Exercet, socia sed disjicit agmina clava, *h. e.* quam semper secum habebat. *Cic. Phil.* 2, 18. Cum tamen tu, nocte socia, per tegulas demitterere. ℙ Apud Romanos, cum de auxiliis sermo est, saepe memorantur *socii, et nomen Latinum:* illi sunt quicumque in Italia populi cum R. populo societate juncti (V. *Flor.* 3, 18. et *Liv.* 22, 61. *f.*); hi oppida et populi Latium incolentes. *Sall. Jug.* 43. 44. et 47., *Cic. Amic.* 3. *f.* et *Liv.* saepe. ℙ De sociis navalibus V. NAVALIS. ℙ In gen. plur. *socium* pro *sociorum* frequenter dicitur. *Pl. Men.* 1, 2, 25., *Liv.* 32, 8. et 35, 20., *Sil.* 12, 630. etc. ℙ De his, qui pecuniam, et negotia simul curant. *Cic. Verr.* 2, 3, 20. Nego, quemquam esse, quin saepe audierit, socios istius fuisse decumanos. Socii putandi sunt, quos inter res communicata est: ego rem totam fortunasque aratorum omnes istius fuisse dico. *Ter. Heaut.* 3, 1, 9. Socium esse alicui in negotio. *Cic. Rosc. Am.* 40. Rei pecuniariae socium fallere. *Id. Quint.* 24. Socium sibi in bonis edere aliquem; et *ib.* 3. Socium sibi aliquem adjungere. *Plin.* 33, 7, 40. Hoc adulteratur minium in officinis sociorum, *h. e.* eorum, qui societate coita minium Romam advehunt. V. MINIARIUS. ℙ De garo *sociorum* V. GARUM. ℙ *Pro socio*, formula juris, qua significatur actio persequendi in judicio illum, qui socium fraudaverit. Qua de re est *titulus* 2. *lib.* 17. *Digest. Cic. Quint.* 3. *f.* Qua in re ita diligens erat, quasi ii, qui magna fide societatem gererent, arbitrium pro socio condemnari solerent. *Papin. l. c. l.* 81. Quaesitum est, an si pro socio ageret dotis, quantitatem percipere deberet. ℙ *Socii* interdum appellatio est familiaris et benevolentiae significatio. *Virg. A.* 1, 202. *Aeneas loquitur.* O socii, (neque enim ignari sumus ante-malorum) O passi graviora, etc. Adde *ib.* 2, 387.

SOCORDIA, ae, f. a *se*, h. e. sine, et *cor*, ut *Fest.* docet: unde et *secordia* scriptum est. [*Licet *Festus* verissime haec tradat, tamen jam mature altera forma in usu fuisse videtur. Consentit *Voss. Etymol.* p. 158. et *Drak.* ad *Liv.* 1, 22, 5. cf. *Schneid. Gr. L.* 1. p. 12. Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 4, 1. ubi v. — *Cort. secordia* scripsit.] *Festus:* Secordiam quidam pro ignavia posuerunt. Cato pro stultitia posuit, cum ait: Quod ostenderetis immensam timiditatem ac secordiam, causa erat, ne quid negotii publici vel privati gereretur. [*Atque est ignavia, desidia, et quae inde oritur negligentia, Gr. βλακεία, prima vocis significatio: Noster, adjectis iis: *socord.* proprie esse animi et cordis, seu sapientiae, ut *segnitia* corporis, eam secundam fecerat, exemplis laudatis istis:] *Ter. Andr.* 1, 3, 1. Nihil loci est

segnitiae, neque socordiae. Ubi *Donat.* Segnitiae ad agendum; socordiae ad considerandum. *Pl. As.* 2, 1, 6. Abs te socordiam omnem reice, et segnitiem amove. *Id. Ps.* 1, 2, 11. Somnum socordiamque ex pectore amovere. *Auct. ad Her.* 2, 23. Philosophia vitanda est: affert enim socordiam atque desidiam. Adde *Sall. Cat.* 4. *Id. ib.* 60. Scitis, socordia atque ignavia Lentuli quantam cladem attulerit. *Id. Jug.* 2. Ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt. *Tac. A.* 2, 38. Languescet industria, intendetur socordia. *Id. Agr.* 31. Felicitas in socordiam vertit. [*Vell. 2, 118, 1. In summam socordiam perduxere Quintilium. ℙ Hinc est, quod multis in locis ponitur pro stultitia, Gr. ἀσυνεσία, μωρία, ἄνοια.] *Liv.* 7, 35. Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit. *Tac. A.* 4, 35. *f.* Socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. *Id. ib.* 12, 67. Nec vis medicamenti statim intellecta, socordiane Claudii, an vinolentia. *Suet. Claud.* 3. Si quem socordiae argueret, stultiorem ajebat filio suo Claudio. [*V. *Brem.* ad h. l. *Curt.* 7, 4, 3. socordia Darii crevisse hostium famam.] ℙ Primam syllabam corripuit, non imitandus, *Prud. Apoth.* 194. Caecorum caecos loquor, atra secordia quorum Corde tenebroso verum perpendere nescit. Sic primam in *socors*, *Cath.* 1, 33. Ne somnus usque ad terminos Vitae socordis opprimat. ℙ *Diomed.* 1, 214. recenset inter ea nomina, quae carent plurali numero.

SOCORDĬTER, adv. *χαυβλαχευμένως*, pigre, negligenter. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 3. Socordius ire milites occoepere. *Liv.* 1, 22. Ab Albanis socordius res acta.

SOCORDĬUM, ii. V. ASCLEPIODOTON.

SOCORS, ordis, adj. omn. gen. a *se*, h. e. sine, et *cor*, ut in SOCORDIA dictum est: unde et *secors* scribitur. [*Primum significat] piger, remissus, ignavus: et quod inde sequitur, negligens, incuriosus, *ἀργὸς*, *μεθήμων*. *Sall. in or. Licin. ad pleb.* An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? *Ter. Ad.* 4, 5, 59. Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos Deos? et illam sine tua opera in cubiculum iri deductum domum? Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo. *Tac. H.* 3, 31. Gregarius miles futuri socors, et ignobilitate tutior. ℙ [*Hinc est stolidus, vecors, stultus, stupidus, sine mente, sine consilio, Gr. *ἀκάρδιος*, *ἄνους*, *ἀσύνετος*, *ἀβέλτερος*.] *Pl. Cist.* 4, 2, 5. Si hera mea sciat, tam socordem esse, etc. Quam ne in manibus tenui atque accepi hic ante aedes cistellam? ubi ea sit, nescio. *Cic. N. D.* 1, 2. *f.* Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. *Tac. H.* 4, 37. Ut est vulgus sine rectore praeceps, pavidum, socors; et *ib.* 3, 36. de Vitellio: Plus apud socordem animum laetitia, quam cura, valuit. *Id. A.* 13, 47. Socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando; et *H.* 3, 50. Is Silvanus socordem bello, et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat. *Id. A.* 4, 39. At Sejanus nimia fortuna socors: quasi extra se positus. *Appul. Apol.* Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens natus est. *Sidon. ep.* 5, 7. *f.* Tiberius callidior, Claudius socordior, Nero impurior. ℙ *Socors* prima correpta usurpavit *Prudentius*. V. SOCORDIA.

[SOCRA, ae, f. V. SOCERA. *F.*]

SOCRATES, ae, et is, m. *Σωκράτης*, philosophus Atheniensis, filius Sophronisci marmorarii, et Phaenaretae obstetricis, quem, teste Laertio, omnium mortalium sapientissimum, oraculi responsum judicavit; vixit paulo ante Platonem, cujus etiam praeceptor fuit. A *Quint.* 1, 10. appellatur omnium philosophorum fons; a *Cic. Fin.* 2, 1. philosophiae parens. Primus enim, ut *Id.* ait *Tusc.* 5, 4., philosophiam devocavit e coelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere, *h. e.* philosophiae moralis inventor, et institutor fuit. Zeno tamen Epicureus, ut est ap. *Cic. N. D.* 1, 34., *Lactant.* 3, 20. *f.* et *Minuc. Octav.* 38. scurram Atticum appellavit. Cum ad provectam aetatem pervenisset, accusatus, tanquam communes Deos contemneret, et novos introduceret, cum se daemonem familiarem habere dixisset, cujus consilio in rebus gerendis uteretur, capitis damnatus est: itaque in carcere sumpta cicuta interiit. Plebs secundum ejus mortem facti poenitens, accusatores exsilio multavit, eique statuam aeneam dedicavit. Plura de eo *Plato*, *Cic.* in *Acad.*, *de Fin.* et *Tusc.* et *Val. Max.* 3, 4. *n.* 1. *extr.* [*Cf. *Schütz. cl. Cic. ind. geogr. et hist.* s. h. v.] ℙ In plur. num. *Socratae* scribitur. *Gell.* 14, 1. *med.* Socratae simul et Antisthenae, et Platones multi, genere, forma, ingenio, moribus, vita omni et morte pari. ℙ Fuit etiam hoc nomine quidam pictor. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 31. Alius sculptor. *Id.* 36, 5, 4, 10.

SOCRĂTĬCUS, a, um, adj. ad Socratem pertinens, *Σωκρατικός*. *Cic. Off.* 1, 1. et 29. Philosophi Socratici. *Hor. A. P.* 310. Rem tibi Socraticae potenter ostendere chartae. *Id. Od.* 3, 21, 9. Non ille, quamquam Socraticis madet Sermonibus, te (*amphoram*) negliget horridus, *h. e.* callet omnia praecepta moralis philosophiae. *Id. ib.* 1, 29, 14. Libros Panaetl, Socraticam et domum, *h. e.* scripta philosophorum, qui a Socrate fluxerunt. *Ov. Ib.* 496. Ut qui Socraticum de nece legit opus, *h. e.* scripta Platonis, in quibus Socrates inducitur de animae immortalitate disserens. *Pers.* 5, 36. teneros tu suscipis annos Socratico, Cornute, sinu, *h. e.* pectore pleno moralis philosophiae. [*Juven.* 2, 10. Inter Socraticos notissima fossa cinaedos, *h. e.* puer pathicus famosus, qualis Socrati fuisse Alcibiades perhibetur. Alii perperam leg. *Sotadicos*. V. *Cic. Fat.* 5. et *Quint.* 4, 4. Hinc *Firm. Math.* 7, 14. *f.* Ut cum cinaedis impura libidinis cupiditate jungantur, sintque Socratici paedicones. *F.* [*Cort. ad *Lucan.* 1, 106. scrib. censet *Socratius*, non *Socraticus*.]

SOCRŬALIS, e, adj. ad socrum pertinens. *Sidon. ep.* 7, 2. *med.* et 6, 2. Socrualis munificentia. *Id. ib.* 8, 9. hereditas.

SOCRUS, us, f. viri mei mater: cui *nurus* respondet: est ab *ἑκυρὰ* per metathesin. *Socrus magna* est mariti mei avia, cui *pronurus* respondet: *socrus major* est mariti mei proavia. V. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. §. 6. *Ov. Fast.* 2, 626. Quae premit invisam socrus iniqua nurum. Adde *Cic. Cluent.* 2. ℙ *Socrus* est etiam uxoris meae mater, *πενθερὰ*, cui *gener* respondet. *Socrus magna*, quae et prosocrus est, cui *progener* respondet. *Socrus major* est uxoris meae proavia. V. *Modest. l. c. Juven.* 6, 230. Desperanda tibi salva concordia socru. Adde *Cic. Verr.* 2, 2, 8. *f.* ℙ Etiam sine addito, socrus appellatione avia quoque uxoris vel mariti continetur. V. SOCER. ℙ Olim *socrus* masc. gen. pro *socer* usurparunt: dicebant enim *socerus*, et per sync. *socrus*. *Prisc.* 6, 698. Socer, soceri, cujus femininum cum secundum analogiam haec socera esse deberet, haec socrus in usu est. Vetustissimi tamen communiter *hic et haec socrus* proferebant. Accius in Atreo: Simul et Pisaea praemia erepta a socru possedit suo.

*SOCUNDA, oppidum Hircaniae. *Ammian.* 23, 6. *Vales.* p. 378. (al. 25.) *B. A.*

[SODĂLĬA, ae, f. idem ac sodalis. *Inscr.* ap. *Grut.* 1134, 2. Munatiae Pietati C. Julius Zenon sodaliae bene merenti. *F.*]

SODĂLIS, [*e, adj. ad sodales, sodalitium pertinens, convivium amans, *gesellschaftlich*, *kameradschaftlich*. *Ov. R. Am.* 586. Quae relevet luctus, turba sodalis abest. ℙ Hinc *sodalis*, *is*, m. et f. substantive dicitur] is, quocum versari animi causa solemus: qui rerum leviorum laetiorumque particeps est, ut convivii, studiorum, venationis, atque exercitationum ludicrarum, socius, amicus, *σύσσιτος*, *ἑταῖρος*. *Festus:* Sodales quidam dictos putant, quod una sederent essentque: alii, quod ex suo dapibus vesci soliti sint: alii quod inter se invicem suaderent quod utile esset. [*Fortasse a *sodes*, i. e. amicus. Ita *Lünem.* in *Lex. Lat.*] *Pl. Most.* 5, 2, 32. Sodalem me esse scis gnato tuo. *Id. Cas.* 3, 3, 18. Hic sodalis tuus, amicus optimus. *Lent.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. *f.* Qui sodalis et familiarissimus Dolabellae eram. *Ter. Ad.* 4, 5, 74. Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret? *Mart.* 12, 34. Nulli te facias nimis sodalem. Gaudebis minus, et minus dolebis. *Cic. Sen.* 13. *med.* Primum habui semper sodales: sodalitates autem, me quaestore, constitutae sunt. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice. *Ov. Pont.* 2, 4, 35. Constantique fide veterem tutare sodalem. *Plin. ep.* 2, 13. Cum hoc seria, cum hoc jocos miscui: quid enim illo aut fidelius amico, aut sodale jucundius? *Id. ep.* 7, 4. Elegos celeriter explicui: deinde in Urbem reversus sodalibus legi: probaverunt. Adde *ep.* 8, 21. [*Curt. 10, 4, 17. ad quod rex quoque cum sodalibus vocatus venit, i. e. aulicis. Simili notione positum videtur ap. *Plin. Pan.* 81, 4. nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus: ubi v. intpp.] ℙ Interdum male sonat, et eos significat, qui apud Italos *compagnoni*, compotores, congerrones: qui aliquando coire solebant ad corrumpendas tribus in comitiis, ad conjurationes in patriam, ut in bello Catilinario, etc. Unde hujusmodi sodalitia legibus vetabantur. *Cic. Planc.* 19. Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico, et habuisse in petitione multos cupidos sui, gratiosos: quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. *Id. Verr.* 2, 1, 36. Nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo cupiditate. *Pl. Pers.* 4, 4, 12. Tu in illis es decem sodalibus: te in exsilium ire hinc oportet. ℙ Translate, de rebus, quae simul esse solent. *Hor. Od.* 3, 18, 6. Larga nec desunt Veneris sodali Vina craterae. *Id. ib.* 1, 25, 19. Aridas frondes hiemis sodali Dedicet Euro. ℙ Praeterea sodales sunt, inquit *Cajus Dig.* 47, 22, 4., qui ejusdem collegii sunt, quam Graeci *ἑταιρίαν* vocant. Hinc sodales Titiales, Augustales, Antoniniani, Alexandriani, Marciani, Helviani, etc. *h. e.* sacerdotes a nominibus imperatorum, quorum, post *ἀποθέωσιν* memoriam sacris, colebant, appellati. V. suis locis. *Inscr.* ap. *Grut.* 412, 6. Sodales A. Novio A. L. Pleconti seviro Augustali; et 479, 6. C. Valerio C. F. Pap. Mariano sodali sacror. Tusculanor. etc. et 63, 1. Silvano sacrum Sodal. ejus et Larum donum posuit Ti. Claudius Aug. Lib. Fortunatus, etc. ℙ Etiam artificum corpora sodales habent. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 2. Pectinarii lanarii sodales posuere. ℙ Vult *Charis.* 1, 115., si de homine dicatur, in sexto casu in *e* desinere; in *i*, si de re.

SODĂLĬTAS, atis, f. *ἑταιρία*, *συσσιτία*, convictus, consuetudo, familiaritas sodalium una saepe viventium. *Cic. Verr.* 2, 1, 37. *med.* Ab aliquo officia tutelae, sodalitatis, familiaritatisque flagitare. *Tac. A.* 15, 68. Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit. *Gell.* 20, 4. Adolescentem a sodalitatibus convictuque scenicorum abducere. ℙ Item coetus ipse hominum animi causa convenientium, et convivia inter se celebrantium, laetisque sermonibus ac lusibus laetas horas agentium. Narrat *Cato* ap. *Cic. Sen.* 13. hujusmodi sodalitates se quaestore primum institui coepisse, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis, inter honestos et graves homines: quae paulatim, ut fit, in malum degeneravere, dum per occasionem sodalitatis illicitae coitiones existere, et prava consilia vel in rempublicam, vel in privatos agitari coepta sunt: corruptiones judiciorum, emptiones suffragiorum largitionibus per ambitum factis, conspirationes in patriam, molitiones rerum novarum. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Senatusconsultum factum est, ut sodalitates decuriatique discederent: lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur. V. v. praec. et SODALITIUM. ℙ Rerum sacrarum causa. *Cic. Coel.* 11. Neque vero illud me commovet, quod sibi in Lupercis sodalem esse Coelium dixit. Fera quaedam sodalitas, et plane pastoricia atque agrestis germanorum Lupercorum; quorum coitio illa silvestris ante est instituta, quam humanitas atque leges.

SODĂLĬTĬĂRIUS et Sodaliciarius, a, um, adj. qui sodales amat, colit, eorumque sodalitate libenter utitur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 329. *n.* 481. et *Gor. Inscr. Etr.* T. 3. p. 99. Sodaliciarius bonus. Alia ap. *Grut.* 602, 5. et *Gor. l. c.* T. 1. p. 268. Sodaliciaria consilii boni. *Not. Tir.* p. 59. Sodalis, sodalitas, sodalicium, sodaliciarius. [*Emendavit hunc locum *F.*]

SODĂLĬTĬUM et Sodalicium, ii, n. *συσσίτιον*, *ἑταιρία*, coitio et consuetudo sodalium, amicitia, sodalitas. *Catull.* 100, 4. Fraternum vere dulce sodalitium. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 1. *extr.* Rogavit, ut se in societatem amicitiae, tertium sodalitii gradum intima culturum benevolentia, reciperent. ℙ De coetu hominum rerum sacrarum causa. *Inscr.* ap. *De-Lama*, *Iscriz. di Parma* p. 35. Sodalicio Cultor. Hercul. L. Domitius Secundio ob Hon. Patroc. S. H. ded. *h. e.* honorem patrocinii signum hoc dedit. ℙ [De coena, quae a sodalibus celebratur. *Auct. ad Her.* 4, 51. Venit in aedes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum. Perspicit argentum, visit triclinium stratum, etc. *F.*] ℙ De coitione, et conspiratione factiosa. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Unde illi Marianis sodalitiis rapinarum provincialium sinus? *Mart. Dig.* 47, 2, 1. Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse sodalitia. Ap. *Plin. ep.* 10, 97. et *Trajan.* ad *Plin. ib. ep.* 43. *hetaeria* appellatur. ℙ Praesertim vero de coitione, quae fiebat ad emenda largitione suffragia: quod ultimis reipublicae temporibus factitatum est, ut tribus decuriare, et conscribere per ambitum auderent, qui candidato cuipiam impense favebant, distributaque pecunia cogerent quodammodo ad dandum suffragium. *Cic. Planc.* 15. Nomine legis Liciniae, quae est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es.

SODĂLĬTĬUS, et Sodalicius, a, um, adj. *ἑταιρικός*, ad sodales, et sodalitum pertinens. *Ov. Trist.* 4, 10, 46. Jure sodalitio, qui mihi junctus erat. Alii leg. *sodalitii*. *Just.* 20, 4. *f.* Tercenti ex juvenibus sodalitii juris sacramento quodam nexi. Alii leg. *sodalitii jure*. *Mart. Dig.* 47, 22, 1. Praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia sodalitia, neve milites collegia in castris habeant. Ita *Torrent.*, *Gothofr.* et *Cujac. Observ.* 7, 30. Alii *collegia* omittunt priore loco. *Ammian.* 15, 9. *f.* Druidae sodaliciis adstricti consortiis.

SODES, amabo, quaeso, oro: verbum familiare conflatum ex *si*, et *audes*, [*antiq. pro *audies*. V. *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 1, 2, 1.] ut *Cic. Or.* 45., *Festus*, et *Non.* 2, 834. docent, ut *sis* si vis, *illico* in loco, *sultis* si vultis, *scilicet* scias licet. Habet autem vim blande rogandi et hortandi. *Cic. Att.* 7, 3. *f.* Tartessium istum tuum mihi exeunti jube, sodes, nummos curare. *Ter. Andr.* 1, 1, 57. Rogitabam: heus puer, dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? Ubi *Donat. Dic* imperativum est: ideo temperavit injuriam blandimento. *Sodes* est, si audes, ut *sis*, si vis: nam delirat, qui *σῶς ζῇς* interpretatur sodes. *Juven.* 6, 279. Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem *Ter. Heaut.* 3, 1, 50. Dicens: asperum, pater, hoc (*vinum*) est: aliud lenius, sodes, vide; et 3, 3, 19. Tace, sodes. *Hor.*

Ep. 1, 7, 15. vescere, sodes. *Id. A. P.* 438. Quintilio si quid recitares, corrige, sodes, Hoc, ajebat, et hoc. *Pers.* 3, 89. inspice, sodes. *Catull.* 103, 1. Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo, etc. *Ter. Hec.* 5, 4, 1. Vide, mi Parmeno, etiam, sodes, ut mihi haec certa et clara attuleris; et 5, 1, 26. Scin' quid volo potius, sodes, facias? et *Heaut.* 4, 4, 16. *Sy.* At scin' quid, sodes? *Bacch.* quid? *Sy.* Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, *h. e.* scisne, quid volo, sodes, facias? *Hor. Sat.* 1, 9, 40. dubius sum, quid faciam, inquit, Tene relinquam, an rem. Me, sodes: non faciam, ille. *Appul. Met.* 1. Sed jam cedo tu, sodes, qui occoepe-ras, fabulam remetire. ℙ *Sodes*, amice. *Sidon. carm.* 23, 233. O sodes, quoties tibi loquenti Byzantina sophos dedere regna. [*Hinc sunt, qui susp. *sodes* proprie esse substantiv., i. q. *amicus*, cognatum cum *sodalis*.] ℙ Integrum *si audes* habet *Pl. Trin.* 2, 1, 17. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes. Ita enim MSS. et Edd. primae, teste *Taubm.* Alium loc. ex *eodem fragm. Vidular.* affert *Prisc.* 13, 960. et *vet. Schol. Pers.* ad 3, 89. Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem? Simile est illud *ejusd. Pl. Aul.* 2, 1, 48. Dic mihi, quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem?

*SODII, orum, populi Asiae, in Iberia. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

*SODINUS, i, m. fluvius Gedrosiae seu Capissenae regionis navigabilis, qui in Cophem recipitur. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

SODOMA, ae, f. et Sodomum, i, n. et Sodoma, orum, n. et Sodomi, orum, m. plur. Σοδομά, urbs Palaestinae, ad lacum Asphaltitem, quondam maxima, de coelo cum aliis tacta, et a lacu absorpta, cujus adhuc vestigia apparent. Hic poma proveniunt aspectu quidem pulcherrima, sed levi tactu fumum exhalant, fuliginem favillaceam intrinsecus continentia. *Solin.* 35. de Judaea: Duo oppida, unum Sodomum, alterum Gomorrhum. *Sever. Sulpic. Hist. sacr.* 1, 6. Sodoma divinis ignibus conflagravit. *Tert. Apol.* 40. Sodoma, et Gomorrha igneus imber exussit. *Sedul.* 1, 105. Loth Sodomae fugiente chaos, dum respicit uxor. *Tert. carm. de Sodom.* 127. Nusquam sunt Sodomi, nusquam illorum impia lucent Moenia; [et 163. Hae Sodomum et Gomorum signatae in saecula poenae Gentibus injustis. *Sodomum* et *Gomorum* sunt gen. plur. pro *Sodomorum* et *Gomororum*. *F.*]

SODOMITAE, arum, m. plur. Σοδομῖται, incolae Sodomorum. *Prud. Apoth.* 384. A Domino Dominus flammas pluit in Sodomitas. ℙ Adjective. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 195. Sodomita nec latet cinis Testis perennis funeris. *Id. Psych.* 42. Quam (*pudicitiam*) patrias succincta faces Sodomita libido Aggreditur. Hic rectum esset *Sodomitis, itidis*, Σοδομῖτις, ιδος, nam *Sodomita*, Σοδομίτης, ου, masculina positio est.

SODOMITICUS, a, um, adj. ad Sodomitas pertinens. *Hieron.* in *Ezech.* 5, 16, 49. Rerum omnium abundantia, otium, et deliciae peccatum Sodomiticum est.

[SOGDIANI, orum, m. plur. populi incolentes regionem Sogdianam in Asia, ultra lacum Maeotim, quorum urbs primaria nunc *Bucharest.* *Plin.* 6, 16, 18., *Curt.* 7, 4. et *Mela* 3, 5. *F.*]

*SOGIONTII, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

SOL, solis, m. ἥλιος, planetarum princeps, qui exortu suo diem efficit, occasu noctem. *Varr. L. L.* 4, 10. *med.* Sol, vel quod ita Sabini, vel quod solus ita lucet, ut ex eo dies sit. *Cic. N. D.* 2, 27. Cum sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet. *Id. Or.* 3, 45. *f.* Sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem. *Id. N. D.* 2, 19. Sol, qui astrorum obtinet principatum, ita movetur, ut cum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis partibus opacet: ipsa enim umbra terrae soli officiens noctem efficit, etc. *Id. Somn. Scip.* 4. Mediam fere regionem sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperator, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce illustret et compleat. *Id. Tusc.* 1, 28. Sol omnium temporum moderator et dux. (V. *Plin.* 2, 6, 4. in laudes solis effusum: item *Macr. Somn. Scip.* 1, 10. et 20.) *Id. Acad.* 4, 26. (et *ib.* 41. *f.*) Solem plusquam duodeviginti partibus majorem esse, quam terram; et *ib.* Sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videtur. *Id. Fin.* 2, 8. Asoti, qui solem, ut ajunt, nec occidentem unquam viderunt, nec orientem. *Id. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Sol paululum a meridie jam devexus videtur. *Plin.* 8, 50, 76. Sol declivis in occasum. *Hor. Sat.* 1, 4, 29. Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio. *Juven.* 2, 132. officium cras Primo sole mihi peragendum in valle Quirini; et *Virg. G.* 1, 288. sole novo terras irrorat Eous. *Sen. Herc. Oet.* 487. de specu: Non ille primos accipit soles locus, Non ille seros. *Prop.* 3, 8, 2. sole rubente. *Ov. Met.* 15, 30. Candidus Oceano nitidum caput extulerat sol. *Stat. Th.* 5, 85. Sol operum medius summo librabat Olympo Lucentes, ceu staret, equos. *Phaedr.* 3, 19. Sole medio; et *Hor. Ep.* 1, 5, 3. supremo; et *Cic. Or.* 3, 55. Sol praecipitans. *Ov. Met.* 1, 63. occiduus; et *ib.* 338. et *Claud. B. Gild.* 48. uterque, *h. e.* oriens, et occidens. *Ov. Trist.* 3, 5, 55. nitidus. *Id. Met.* 7, 663. et *Virg. G.* 1, 232. aureus; et *ib.* 92. rapidus. *Val. Fl.* 4, 92. auricomus. *Lucan.* 2, 482. coruscus. *Hor. Sat.* 2, 4, 23. gravis. *Id Ep.* 1, 10, 17. acutus. *Claud. Laud. Stil.* 2, 60. igneus. *Virg. Ecl.* 2, 13. Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. *Just.* 44, 1. Africa violento sole torretur. *Cic. Or.* 2, 14. Ambulare in sole; et *Plin.* 35, 17, 57. In sole curatio haec fiat; et 37, 9, 52. In sole aperto projectus. *Id.* 21, 17, 68. Proferre aliquid in solem. *Ter. Ad.* 4, 2, 46. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit, *h. e.* quibus in sole coenaturi accumbant. *Cic. Brut.* 9. Procedere in solem et pulverem, *h. e.* in adspectum, in publicum. *Virg. G.* 3, 439. (et *A.* 2, 475.) serpens Lubrica convolvit sublato pectore terga Arduus ad solem. *Colum.* 12, 14. Mala ponere in sole, donec arescant. *Plin.* 14, 8, 10. Uvae decerptae siccantur sole acri. ℙ Metonymice, radii, lux, et calor solis. *Mart.* 8, 14. Hibernis objecta notis specularia puros Admittunt soles, et sine faece diem. *Prop.* 4, 9, 46. Libyco sole perusta coma. *Hor. Ep.* 16, 13. Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini. (Adde *Val. Fl.* 2, 287.) *Ov. Trist.* 5, 8, 31. Si numeres anno soles et nubila toto, Invenies nitidum saepius isse diem, *h. e.* dies serenos, et nubilos. ℙ Item dies. *Virg. A.* 3, 203. Tres adeo incertos caeca caligine soles Erramus pelago, totidem sine sidere noctes. *Sil.* 3, 554. Bis senos soles, totidem per vulnera saeva Emensi noctes. [*Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 295, 1. Filius hic situs est Julii Bassi Bassianus annos qui vixit X. et XIIII. soles. ℙ *Dies solis* est dies Dominicus, *la Domenica* apud Italos. *Inscr.* ap. *Oderic. Dissert.* p. 357. IIII. Kal. Jan. die solis. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 508. Imp. Caes. Fl. Val. Constantinus Felix Maximus nundinas die solis perpeti anno constituit, *h. e.* die dominico per totum annum. V. DOMINICUS *F.*] ℙ Item annus, quia videtur quotannis Martio quodammodo renovari. *Nemes. Cyn.* 120. de canib. bis vicinus plenum jam mensibus acrem In Venerem permitte marem: sit femina, binos Quae tulerit soles. ℙ Item locus soli expositus, et apricatio. *Cic. Att.* 7, 11. Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim, quam omnia istiusmodi regna. *Id. ib.* 12, 6. Pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus. V. ASSUS. ℙ De pareliis. *Sen. Q. N.* 1, 11. Quid eas vocem? imagines solis? Historici soles vocant, et binos ternosque apparuisse, memoriae tradunt. ℙ Translate res eximia atque unica. *Cic. N. D.* 2, 5. Quo anno P. Africanus, sol alter, exstinctus est. *Id. Am.* 13. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. *Id. Att.* 9, 10. *med.* de afflicta Pompeji fortuna: Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur. ℙ [*Translatae significationis sunt etiam ista: *Id. Brut.* 9. Processerat in solem et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti umbraculis: ubi *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. haec notat: *Sol*, quum umbrae opponitur significat in re militari pugnas, proelia vera, quae opponuntur exercitationibus militaribus; in oratoria autem orationes in foro aut concionibus, quae opponuntur declamationibus. Porro *Id. ib.* laudat *Mur.* 14. cedat umbra soli, i. e. jurisprudentia rei militari.] ℙ *Sole ipso est clarius*, proverb. de re aperta et manifesta. *Arnob.* 1, 28. Simile est illud *Lactant.* 7, 1. *med.* Nec si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinae. ℙ *Nondum omnium dierum sol occidit*, aliud proverb. ap. *Liv.* 39, 26. nondum omnium rerum finis adest: [**Es ist noch nicht aller Tage Abend.*] ℙ *Corporibus nihil est utilius sale et sole*, aliud ap. *Plin.* 31, 9, 45. *med.* ℙ In fabulis est Apollo et Phoebus, Deus lucis, vitae, medicinae, sagittandi, et Musarum praeses. V. APOLLO. Fingunt poetae curru vehi, quem equi trahant duo Xanthus et Aethon, quos nominat *Mart.* 8, 21.; vel quatuor, ut est ap. *Ov. Met.* 2, 153. Eum currum describit *Id. ib.* 107., et solis jam jam mane ascensuri apparatum *ib.* 118. et *Val. Fl.* 4, 90., vespere descendentis *Stat. Th.* 3, 407. Regiam quoque solis domum descriptam habes ab *eod. Ov.* initio ejusd. libri. ℙ Quamvis autem *Apollo* ad fabulas referatur, *Sol* ad naturam, hoc tamen saepe nomine pro illo utimur. *Cic. N. D.* 3, 19. Circe et Pasiphae e Perseide Oceani filia natae, patre Sole. *Val. Fl.* 1, 503. Sed non et Scythici genitor discrimine nati Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces. ℙ *Solis gemma* ap. *Plin.* 37, 10, 67. vocatur, quae candida est, et ad speciem sideris in orbem fulgentes spargit radios. Eadem habent *Solin.* 37. et *Isid. Or.* 16, 10. ℙ *Solis promontorium* appellatur mons in Mauritania ap. *Plin.* 5, 1, 1. *Solis fons* fuit in Africa in medio nemore Jovis Ammonis ap. *Curt.* 4, 7. *med.* et *Mel.* 1, 8. *Solis insula* in Carmania ap. *Plin.* 6, 23, 26. Alia etiam inter Indiam et Taprobanen ap. *eund. ib.* 22, 24. *Solis urbs* est ipsa urbs Heliopolis ap. *Mel.* 3, 8. et *Plin.* 36, 3, 14., quae *Solis oppidum* appellatur ab *eod.* 5, 9, 11. *Solis ostia* sunt in India ap. *Mel.* 3, 7. [Ultima emendavit *F.*]

SOLAGO, iginis, f. herba eadem ac heliotropium. Duplex est, major, et minor. De utraque *Appul. Herb.* 49. et 63.

SOLAMEN, inis, n. παρηγόρημα, παραμύθιον, solatium. Vox fere poetica. *Lucan.* 7, 180. sed mentibus unum Hoc solamen erat, quod, etc. *Virg. A.* 10, 858. equum duci jubet: hoc decus illi, Hoc solamen erat; et *ib.* 493. Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est, Largior. *Id. ib.* 3, 661. ea sola voluptas, Solamenque mali. *Sabin.* 1, 4. Solamen longis illa fuere malis. *Val. Fl.* 3, 319. tenui luctum solamine fallens; et 4, 443. hoc animam solamine mulcens. *Sen. Med.* 539. Solamen petere. *Id. Herc. Oet.* 1090. cantibus quaerere. ℙ [*Solamen* videtur etiam significare annonaria subsidia. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 50. et *Mur.* 1099, 6. Praef. annonae ad . . . . . Hispanum recensendum, item solamina transferenda, item vecturas navicularii exsolvendas. *F.*] ℙ Quidam tribuunt et *Cic. Am.* 27. *f.* Magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solamen. Sed plerique omn. leg. *solatium*.

[SOLAMENTUM, i, n. idem ac solamen. *Paul. Nol. carm.* 18, 343. Pervigili tamen haec dat solamenta dolori. Adde *Not. Tir.* p. 63. *F.*]

[*SOLANEUS, a, um, adj. *Theod. Prisc.* 1, 16. Lacerta solanea. *Bail.*]

*SOLANIDAE insulae in Asia fuerunt, Gedrosiae adjacentes. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

SOLANUM, i, n. στρύχνος, et στρύχνον: herba eadem quae trychnos. *Plin.* 27, 13, 108. et *Cels.* 2, 33. V. TRYCHNOS.

SOLANUS, a, um, adj. ἀπηλιώτης, et Attice ἀφηλιώτης, qui a sole est: ita vocatur ventus flans ab oriente aequinoctiali, contra Zephyrum, ap. *Vitr.* 1, 6. *med.* et in *Inscr.* ap *Marin. Iscriz. Alb.* p. 177. Item ventus *subsolanus* dicitur a *Plin.* 2, 47, 46., *Sen. Q. N.* 5, 16., *Veg. Mil.* 5, 8., *Isid. Or.* 13, 11. et in *Vet. Epigr.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 387. *Burm.* [*Multis hunc l. emendavit *F.*]

SOLARIS, e, adj. ἡλιακός, ad solem pertinens, ut Solare lumen, *Ov. Trist.* 5, 9, 37. Solaris arcus, *Sen. Q. N.* 1, 10. circulus, *Plin.* 2, 23, 21. Piceae pars solaris, *h. e.* quae ad solem obversa est, *Id.* 16, 12, 23. Solaris herba, *Cels.* 5, 27. *n.* 5. h. e. heliotropium, quia se cum sole circumagit.

SOLARIUM, ii, n. et Solarium horologium, ὡρολόγιον ἡλιακόν, instrumentum, quo horae diei in lineis cognoscuntur ad solem, gnomone umbram faciente. Unde *Pers.* 3, 4. quinta dum linea tangitur umbra. *Plin.* 7, 60, 60. Princeps Romanis solarium horologium statuisse, ante undecim annos, quam cum Pyrrho bellatum est, ad aedem Quirini, L. Papirius Cursor, a Fabio Vestale proditur. M. Varro primum statutum in publico, secundum Rostra in columna, tradit, bello Punico primo, a M. Valerio Messala consule, etc. *Varr. L. L.* 5, 2. Meridies ab eo, quod medius dies. *D* antiqui, non *R*, in hoc loco dicebant, ut Praeneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in basilica Aemilia et Fulvia inumbravit. *Plaut. fragm.* ap. *Gell.* 3, 3. Ut illum Dii perdant, primus qui horas repperit, Quique adeo primus statuit hic solarium. ℙ Etiam quod postea ex aqua horarium factum est a P. Cornelio Nasica censore, *solarium* dictum est, non mutata appellatione, teste *Censorino de die nat.* 23. *f.* Hinc *Cic. N. D.* 2, 34. *med.* Cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligis, declarari horas arte, non casu. ℙ *Ad solarium* dictus videtur fuisse Romae ipse locus sub Rostris, in foro, ubi solarium horologium depictum erat, quo homines conveniebant negotiorum, aut otii causa. *Cic. Quint.* 18. *med.* Vixit enim semper inculte atque horride: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *Auct. ad Her.* 4, 10. Ita petulans es atque acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, sed pone scenam, et in ejusmodi locis exercitatus sis. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Est etiam *solarium* locus editus supra domum, lithostroto pavimento tectus, soli expositus, ad apricandum idoneus, quo nunc quoque utuntur Neapolitani, ita appellatum, quod soli pateat, ut *Isid. Or.* 15, 3. ait: ἡλιοστήριον. Deinde cum ex tegulis et imbricibus tecta in usu esse coeperint, solarii nomen permansit loco, qui tecto contegebatur, fuitque extrema domus contignatio tecto supposita. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 724. *n.* 443. Donum dedit collegio Aesculapii et Hygiae locum aediculae cum pergula, et solarium tectum junctum, in quo populus collegii supra scripti epuletur, *h. e.* coenaculum. *Pl. Mil.* 2, 4, 25. Neque solarium est apud nos, neque hortus ullus, neque fenestra, nisi clatrata. Adde 2, 3, 69. *Macr. Sat.* 2, 4. de jocis Augusti: Cum de Tyriae purpurae, quam emi jusserat, obscuritate quaereretur, dicente venditore, Erige altius, et suspice; his usus est salibus: Quid? ego, ut me populus R. dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? *Suet. Ner.* 16. Formam aedificiorum Urbis novam excogitavit, et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incen-

dia arcerentur. [*Cf. *Tac. A.* 15, 43. Adde *Suet. Claud.* 10. prorepsit ad solarium proximum, i. e. heliocaminum: ubi male *Burm.* c. al. *scalarium.* V. *Ernest. Excurs.* ad h. l. et *Lips.* ad *Tac. A.* 13, 5.] *Pall.* 6, 11. Nunc circa extremum mensem pavimenta in solariis fiunt. Adde *Ulp. Dig.* 8, 2, 17. V. DOMA et SUBDIVAL. ℙ Etiam in sepulcris aliquando solaria fuisse, colligimus ex *Inscr.* una ap. *Fabr.* p. 102. *n.* 238. et altera ap. *Don. cl.* 12. *n.* 4.

SOLĀRIUM, ii, n. vectigal, quod pro solo penditur: a *solum*, quod terram notat. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* Si tamen obstet aedificium id publico usui, utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere, aut, si non obstet, solarium ei imponere. Sic enim vectigal hoc appellatur ex eo, quod pro solo pendatur. *Paul. ib.* 30, 1, 39. *med.* Heres cogitur legati praedii solvere praeteritum vectigal, vel tributum, vel solarium, vel cloacarium, vel pro aquae forma. [*Inscr.* ap. *Fea Framm. di Fast. cons.* p. 77. Permissum sit ei aedificare a solo juris sui pecunia sua praestaturus (sic pro *praestaturo*) solarium, sicut ceteri; et *mox:* Igitur aream adsignari ei jubeatis praestaturo, secundum exemplum ceterorum, solarium. V. SOLATIUM. *F.*]

SOLĀTIOLUM, i, n. exiguum solatium, ut Solatiolum doloris, *Catull.* 2, 6.

*SOLĀTIOR, aris, dep. l. *Sarisb.* in *Metal.* 2, 10. *B. A.*

SOLĀTIUM, ii, n. παραμυθία, levamen doloris, aegritudinis, calamitatis, solamen, consolatio, fomentum. *Cic. Verr.* 2, 4, 60. Ut illi haberent haec oblectamenta et solatia servitutis. *Id. Tusc.* 2, 24. *extr.* Haec sunt solatia, haec fomenta summorum dolorum. *Id. Arch.* 7. *f.* Haec studia rebus adversis perfugium ac solatium praebent. *Id. Prov. cons.* 7. Sed fruatur sane hoc solatio. *Id. Fam.* 11, 26. Maximo meo dolore hoc solatio utor, quod, etc. *Id. ib.* 7, 3. *med.* Vacare culpa magnum est solatium. *Id. Am.* 3. Non egeo medicina: me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod, etc. *Caes. B. C.* 1, 22. *f.* Hoc est mihi solatio. *Plin. Pan.* 13. Solatium fessis, aegris opem ferre. *Cic. Am.* 27. *f.* Aetas ipsa magnum affert mihi solatium. *Id. Brut.* 3. Et praesentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis. *Id. Phil.* 9, 5. *extr.* Cujus luctus nullo solatio levari potest. *Ov. Met.* 11, 329. (et *Pont.* 4, 11, 17.) Dicere solatia cuipiam; et *ib.* 9, 653. adhibere menti; et *Trist.* 4, 10, 117. praebere. *Id. Rem. Am.* 241. centum solatia curae Et rus, et comites, et via longa dabunt. ℙ De consolatione, quam ultio injuriae affert. *Cic. Verr.* 2, 5, 49. Ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. *Ov. Met.* 7, 482. Arma juves oro pro gnato sumpta, piaeque Pars sis militiae: tumulo solatia posco. *Tac. A.* 3, 12. Sin facinus vindicandum detegitur, vos vero nos parentes justis solatiis afficite. *Lucan.* 2, 91. solatia fati Carthago, Mariusque tulit: pariterque jacentes Ignovere Deis. *Stat. Theb.* 1, 596. moestae solatia morti, Phoebe, paras. *Just.* 1, 8. Tomyris orbitatis dolorem non in lacrimas effudit, sed in ultionis solatia intendit. Adde *Phaedr.* 1, 9. ℙ Translate. *Lucan.* 8, 469. noctique rependit Lux minor hibernae verni solatia damni. ℙ Eleganter pro subsidio ponitur, cum scilicet re ipsa indigentibus opem ferimus. *Cic. Agr.* 2, 29. Unumne fundum pulcherrimum populi R. caput vestrae pecuniae, subsidium belli, horreum legionum, solatium annonae disperire patiemini? *Val. Max.* 4, 8. *n.* 2. *extr.* Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur. Adde *Spart. Hadr.* 9. *f.* et *Tac. A.* 15, 39. ℙ Pro pretio est in illo *Ulp. Dig.* 8, 4, 13. Ut si quis voluerit ex lapidicinis caedere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum pro hoc solatium domino praestet, *h. e.* pretium in compensationem detrimenti. *Alciat.* mallet *solarium*, quod magis placet. ℙ [In antiquis *Inscriptt.* et ap. *Front.* in *fragm.* ab *A. Maio* editis saepissime legitur *solacium.* *F.*]

SOLĀTOR, oris, m. παράκλητος, qui aliquem solatur. *Tibull.* 1, 3, 15. Ipse ego solator, etc. *Stat. Silv.* 5, 5, 40. Ille ego lugentum mitis solator.

SOLĀTUS, a, um, part. a *solor*, qui consolatus, vel hortatus est. *Virg. A.* 5, 708. his Aeneam solatus vocibus, infit. *Id. G.* 1, 293. longum cantu solata laborem. *Hor. Sat.* 2, 3, 35. tempore quo me Solatus, jussit sapientem pascere barbam. ℙ *Solatus* item part. a *solo:* solus relictus, desolatus. *Sen. Oed.* 4. Avida peste solatae domus. ℙ Item a sole correptus, nimio aestu, aut nimia apricatione male affectus, ἡλιωθείς: a *sol. Plin.* 29, 6, 38. Sic et solatis, id est sole correptis prosunt. Similiter *Cels.* 1, 3. *med.* Si quis vero exustus in sole est, etc. ℙ Absolute. *Festus:* Solatum, genus morbi, maxime a rusticantibus dicitur: cujus meminit etiam Afranius, etc.

SOLDURII, orum, m. plur. iidem ac devoti, id est arctissimum genus amicorum, apud Gallos. *Caes. B. G.* 3, 22. Adcantuanus, qui summam imperii tenebat, cum sexcentis devotis, quos illi soldurios appellant: quorum haec est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint: siquid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiae devovisset, mori recusaret. [*Oberlin.* ad *h. l.* ejusdem fere generis putat esse *soldurios*, ac *ambactos*, q. v. v. s. l. *F.* *Cf. *Moeb.* ad l. *Caes.* l.] ℙ *Σολόδουροι sunt *Athen.* 16, 13. Inde derivatum, credo, nostrum *soldier:* quanquam aliter statuunt *Johnsonus* in Lexico, et *Johnsoni* nuperus editor, *H. J. Toddius. B. A.*

SOLDUS. V. SOLIDUS.

*SOLE, es, f. opp. Hyrcaniae. *Ammian.* 23, 25. (c. 6. *Vales.* p. 378.) *B. A.*

SOLEA, ae, f. σάνδαλον, ὑπόδημα, ἐμβάδιον, κρηπίς, genus plani calceamenti, quo solum pedis tantummodo subtegitur, ansulis in superiore parte coeuntibus revinctum: et differt a calceo, quo et calx, et superior pes munitur: item a crepida. V. CREPIDA. [*Doederl.* 1, 177. originem hujus vocis ad *salire* referri posse arbitratur.] *Gell.* 13, 21. Omnia ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, cetera prope nuda, et teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnunquam voce Graeca crepidulas. *Lucil.* ap. *eund.* 3, 14. scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat, Praefectam strigilem, soleam improbu' dimidiatam. ℙ Communes erant soleae viris ac feminis: (earumque usum apud Italos habent, quae dicuntur *pianelle*, *pantofole*, *mule*) sed viri iisdem domi, foris calceis utebantur. Soleatum enim prodire aliquem, molle erat et indecorum et turpe: ideoque crimini datum Verri et Pisoni a *Cic. Verr.* 2, 5, 33. et *Pis.* 6., item Balbo quaestori ab *As. Poll. Fam.* 10, 32. Similiter *Castricius* ap. *Gell. cit.* 13, 21. senatores reprehendit, quod per Urbem cum soleis ingrederentur. [*Vet. Lex* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 569. Neive quis in poplico luci praetextam, neive soleas habeto. *F.*] *Cic. Har. resp.* 21. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, etc. est factus repente popularis. *Prop.* 2, 22, 40. Prosilit in laxa nixa pedem solea. *Pers.* 5, 169. solea puer objurgabere rubra. *Juven.* 6, 610. mentem vexare mariti, Et solea pulsare nates. [Hinc *Lucian.* in *Philopseud.* 29. Ἐλεὶ σανδάλῳ γε χρυσῷ ἐς τὰς πυγὰς, ὥσπερ τὰ παιδία, παίεσθαι ἄξιοι ἂν εἶεν οἱ ἀπιστοῦντες. *F.*] *Ov. A. Am.* 2, 212. Et tenero soleam deme, vel adde pedi. *Mart.* 14, 65. cujus lemma *Soleae lanatae:* Defuerit si forte puer, soleasque libebit Sumere, pro puero proderis ipse tibi. *Plin.* 34, 6, 14. Corneliae Gracchorum matri statua sedens posita, soleisque sine amento insignis. ℙ Mensae accubituri soleas deponebant, ne strata lectorum inquinarent. Unde *soleas poscere* est a coena surgere volentis. *Pl. Truc.* 2, 4, 12. Cedo soleas mihi: properate, auferte mensam; et *ib.* 16. Jam rediit animus: deme soleas: cedo bibam. *Mart.* 3, 50. Deposui soleas: affertur protinus ingens Inter lactucas oxygarumque liber. Adde *Hor. Sat.* 2, 8, 77. A pedibus accumbentium dominorum stabant servi soleas custodientes: qua de re *Mart.* 12, 88. [Bis Cotta soleas perdidisse se questus, Dum negligentem ducit ad pedes vernam. V. PES. *F.*] ℙ Huc pertinet illud *Sen. Controv.* 4, 25. *med.* Praetor ad occidendum hominem soleas poposcit, *h. e.* tantum non inter epulas, et jam jam a mensa surrecturus: quod magnae crudelitatis signum est. ℙ Jumentis quoque soleae suppingebantur: num autem ferreae clavis ferreis, ut nunc, an alio modo, disquirunt eruditi: negat *Matth. Gesnerus* in *Lex. Auctor. R. R.* usum clavorum ante Vegetium fuisse: [quod confirmat etiam *Schneiderus* in *Ind. corund. Auctor.:* satis autem compertum est, veteres jumentorum pedibus sparteas plerumque soleas aut coriaceas subligasse; hinc in *Edict. Diocl.* p. 20. mentio est de aptatura pedum jumentorum, minime autem de soleis ipsorum ungulis ope ferreorum clavorum suffigendis. *Catull.* 17, 26. Ferream ut soleam tenaci in voragine mula *(derelinquere solet). F.*] *Colum.* 6, 12. Solea spartea pes bovis induitur. [*Garg. de re Hortensi* (ed. *A. A. Scottio*) 4, 8. Sparto liganda persica adversum plurima incommoda existimant: hodieque nonnulli jumentorum soleas in itinere derelictas prae medio truncis ramisque suspendunt. *F.*] *Suet. Ner.* 30. *f.* Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus. *Plin.* 33, 11, 49. Poppaea conjux Neronis principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induit. ℙ Ipsa jumenti ungula *solea* dicitur. *Veg. Vet.* 1, 56. *med.* Ferramento concisorio animalium soleas purgare. ℙ *Solea* dicitur etiam materia robustea, super quam paries craticius exstruitur, inquit *Verrius* ap. *Fest.*, quia pro solo est. ℙ Item genus piscis plani instar soleae, βούγλωσσος, [**Sohle*, *Zungenfisch*, Pleuronectes Solea, *L.*] *Ov. Hal.* 124. Fulgentes soleae candore, et concolor illis Passer. Adde *Plin.* 9. *c.* 15. 16. et 20. et 32. *c.* 9. et 11. Ludit in utroque significatu calceamenti et piscis *Pl. Cas.* 2, 8, 59. ℙ Item ligneae compedes. *Cic. Inv.* 2, 50. Quidam judicatus est parentem occidisse: ei statim ligneae soleae in pedes inductae sunt: os autem obvolutum est folliculo, et praeligatum: deinde est in carcerem deductus. ℙ Denique *solea* est instrumentum olearium: de quo *Colum.* 12, 50. *med.* Oleo conficiendo molae utiliores sunt, quam trapetum: trapetum, quam canalis, et solea. *Coel. Rhod.* 13, 4. *f.* mallet *solena*, h. e. canalis, fistula, σωλήν. Sed res adhuc obscura manet.

*SOLEADAE, arum, gens Indica. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[SOLĒĀRIS, e, adj. ad soleam pertinens, soleae similis. *Spart. Carac.* 9. Opera Romae reliquit, thermas nomine suo eximias, quarum cellam solearem architecti negant posse ulla imitatione, qua facta est, fieri; nam et ex aere, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est, et tantum est spatii, ut id ipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Alii *soliarem* legunt. *J. A. Guattani* in opere, cui titulus: *Della gran cella soleare delle terme di Caracalla*, sibi videtur detexisse inter ruinas thermarum Antoniniarum locum hujusce cellae, quae longa est spithamis, seu *palmi Romani*, CCLXXVI., lata vero CVIII., eamque probat ea concameratione tecta fuisse, quae Italice *volta piana* dicitur. Hanc sustentatam arbitratur regulis aeneis in modum cancellorum implicatis, quae muris lateralibus et pilis angularibus adnectebantur, quemadmodum *Vitr.* 5, 10. docet, structas fuisse concamerationes balnearum: solearem vero vocatam fuisse, quod haec concameratio cancellatim reticulata quandam referebat figuram soleae, quae supra pedem teretibus habenis ita innexis vinciebatur. *F.*]

SOLEĀRIUS, ii, m. ἐμβαδοποιὸς, sutor solearum. *Pl. Aul.* 3, 5, 40. Solearii adstant, adstant molochinarii. *Inscr.* ap. *Grut.* 283, 1. [Corpus coriariorum magnariorum solaeariorum (sic pro *soleariorum*). Alia ap. *eund.* 648, 13. L. Braetius Litarinus solearius. V. *Inscr.* in BAXEARIUS, ubi *soliarium* pro *solearium* legitur. *F.*]

SOLĒĀTUS, a, um, part. a *soleo*, *as:* κρηπιδούμενος, soleis indutus. *Castricius* ap. *Gell.* 13, 21. Soleatos vos populi R. senatores per Urbis vias ingredi, nequaquam decorum est. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Stetit soleatus praetor populi R. cum pallio purpureo, tunicaque talari. V. SOLEA. *Mart.* 12, 83. Colliget et referet lapsum de pulvere follem, Etsi jam lotus, jam soleatus erit, *h. e.* post lavationem soleas resumpserit. Sic *Petr. Sat.* 27. Qui soleatus pila prasina exercebatur, *h. e.* postquam laverat: insolens autem erat post lavationem pila ludere: illa enim lusio balneum praecedere solebat. *Sen. Ira* 3, 18. *f.* Ne senatores populi R. soleatus occideret, *h. e.* privatim domi, et noctu, atque adeo indicta causa: quod immanis crudelitatis est. V. SOLEA.

SOLEMNIS, Sollemnis et Solennis, e, adj. ἐνήσιος, ἑόρτιος, qui certis temporibus quotannis fit, et cum celebritate, festus, celebris: et refertur praecipue ad sacra. *Festus* ducit a *sollo*, quod Osco totum, aut omnem significat, et *annus:* alii a *solus* Latino et *annus:* alii a Graeco ὅλος, totus, et ὀμνὸς, augustus. Magis est ex analogia secunda notatio, et scribi *solennis*, ut *perennis:* probaturque a *Dausquio* et *Augustino serm.* 186. (al. 267.) de temp.: Nihilominus plus antiquitati dandum censent *Manut.* et *Cellar.*, quam analogiae, et *sollemnis* aut *solemnis* scribendum, ex antiquissimis libris et lapidibus, quorum plures L geminatum habent, quidam et simplicem. Cum in vetustis lapidibus, inquit *Noris. dissert.* 4, 6. *in Cenotaph. Pis.*, habeamus *sollemne*, *solemne*, et *solenne*, eamque diversam orthographiam doctissimi scriptores secuti sint; non ausim certos ejus vocabuli characteres statuere. *Festus:* Solemnia sacra dicuntur, quae certis temporibus, annisque fieri solent. *Cic. Har. resp.* 9. Statas solemnesque caeremonias pontificatu contineri. *Id. Tusc.* 1, 47. Cum illam ad solemne et statum sacrificium curru vehi jus esset. *Cic. Pis.* 22. Quid dicam eos dies, qui, quasi Deorum immortalium festi ac sollemnes, sunt adventu meo redituque celebrati? *Virg. A.* 8, 102. Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem Amphitryoniadae magno, Divisque ferebat; et *ib.* 9, 626. Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona. *Id. Ecl.* 5, 74. et cum sollemnia vota Reddemus Nymphis. *Appul. Met.* 11. Solemnissimas preces de casto praefatus ore. *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. *in.* Quae tu scribis, te ea mihi addis die tibi sollemnissimo natali meo precatum. *F.*] *Cic. Mil.* 27. Supplicio alicujus sollemnes religiones expiare. *Id. Or.* 3, 51. Solemnes epulae. *Id. Leg.* 3, 3. ludi; et *Verr.* 2, 5, 72. *med.* coetus ludorum. *Id. Dom.* 47. et *Ov. Met.* 10, 4. Solemnia verba, *h. e.* quae in sacris solemnibus adhibentur. *Virg. A.* 2, 202. Solemnes arae, *h. e.* in quibus solemnia sacra fiunt. *Tac. H.* 1, 55. Legiones solenni calendarum Januar. sacramento adactae. *Ov. Am.* 3, 13, 11. praesonuit solemni tibia cantu: scil. in sacris. Sic *Pont.* 4, 8, 29. Solemnia tura; et *Trist.* 3, 13, 16. Solemnis ignis, *h. e.* qui in ara accenditur. *Id. Fast.* 5, 597. circus, *h. e.* in quo sacri solemnesque ludi celebrantur. ℙ *Solemne* et *solemnia*, absolute, celebritas. *Liv.* 38, 57. Ita inter publicum solenne sponsalibus rite factis, *h. e.* inter epulas sacrorum causa celebratas. *Cic. Har. resp.* 10. *extr.* Omnia sollemnia ac justa ludorum summa cum caeremonia esse servata. *Tac. A.* 11, 26. *extr.* Cuncta nuptiarum solennia celebrat. *Suet. Ner.* 2. Solemnia triumphi. ℙ De exsequiis. *Tac. A.* 12, 69. Claudio funeris solemne, perinde ac divo Augusto, cele-

bratur. *Virg. A.* 6, 380. Et statuent tumulum, et tumulo solemnia mittent. *Stat. Theb.* 8, 208. Talia fatidico peragunt solemnia regi. Adde *Virg. A.* 3, 301. et *ib.* 5, 53. et *Ov. Am.* 1, 13, 4. ℙ *Solemnis*, consuetus, usitatus, solitus, legitimus. *Virg. A.* 12, 192. socer arma Latinus habeto: Imperium solemne socer. *Hor. Ep.* 2, 1, 103. Romae dulce diu fuit, et solemne, reclusa Mane domo vigilare. *Stat. Theb.* 8, 174. Heu, ubi laurigeri currus, solenniaque arma! *Val. Max.* 4, 1. *n.* 2. Non prius ad accipiendum exercitum ivit, quam de dictatura sua omnia solemni jure acta comperisset. Sic *Ulp. Dig.* 28, 1, 21. Si plures fuerint testes adhibiti, sufficit solennem numerum exaudire. *Cic. Mil.* 10. Cum sciret, iter solemne, legitimum, necessarium Miloni esse Lanuvium ad flaminem tradendum. *Id. Quint.* 6. Nullum esse officium tam sanctum atque sollemne, quod non avaritia violare soleat. *Suet. Aug.* 56. Quoties comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solemni. *Hor. Ep.* 1, 18, 48. pulmenta laboribus empta, Romanis solemne viris opus. *Phaedr. prol.* 3. Quoniam mihi solemnis debetur gloria. ℙ Absolute. *Cic. Att.* 7, 6. Nostrum illud solemne servemus, ut nequem istuc euntem sine litteris dimittamus; et *Suet. Aug.* 44. Feminis gladiatores promiscue spectare solemne erat. *Tac. A.* 3, 6. *extr.* Proin repeterent solennia, *h. e.* quae quotidie, et ex more publice fiunt; et *Gell.* 15, 2. Convivia agitare Athenis hebdomadibus lunae, solemne nobis fuit. *Plin.* 28, 9, 37. Novae nuptae intrantes, etiamnum solemne habent postes adipe attingere, *h. e.* in more et religione. *Papin. Dig.* 28, 3, 1. Testamentum non jure factum dicitur, ubi solennia juris defuerunt. ℙ *Insanire solemnia* ap. *Hor. Ep.* 1, 1, 101. h. e. solemniter, publice, vehementer.

SOLEMNĬTAS, Sollemnitas et Solennitas, atis, f. ἑορτή, solemnis dies, solemne. *Gell.* 2, 24. *f.* Quo edicto per dierum varias solemnitates usque ad duo millia sumptus coenarum propagatus est. *Solin.* 7. *med.* Hoc spectaculum *(ludorum Isthmiorum)* per Cypselum tyrannum intermissum, Corinthii solemnitati pristinae reddiderunt. *Auson. Grat. act.* 36. Ad solemnitatem condendi honoris occurreret, *h. e.* ineundi consulatus. ℙ JCtis *solemnitas* est, cum ea servantur, quae jus et consuetudo exigit. *Paul. Dig.* 26, 8, 19. Ad ea, quae solemnitatem juris desiderant, explicanda, tutore auctore opus est. *Ulp. ib.* 1, 7, 25. Neque adoptare quis absens, nec per alium ejusmodi solemnitatem peragere potest.

SOLEMNĬTER, Sollemniter et Solenniter, ἐξ ἔθους, νομικῶς, more solemni, ex instituto, ex annua et stata consuetudine, cum celebritate. *Liv.* 5, 46. In Quirinalem collem pervenit: ibique omnibus solenniter peractis, in Capitolium ad suos rediit. *Just.* 12, 13. *med.* Intermissum olim convivium solemniter instituit, totusque in laetitiam effusus, etc. *Plin.* 8, 1, 1. Ad quendam amnem greges elephantorum descendere, ibique se purificantes solemniter aqua circumspergi. *Appul. Met.* 3. Lusus, quem publice gratissimo Deo Risui per annua diverticula solemniter celebramus. *Pall.* 1, 28. *f.* Ita pascendi sunt *(pulli gallinacei)* usque ad sextum mensem: deinde hordeum poteris praebere solemniter. ℙ Ap. JCtos *solemniter* fieri dicuntur, quae ex praescripto juris et recepto forensi more fiunt. *Ulp. Dig.* 45, 1, 30. Si quis scripserit, se fidejussisse, videntur omnia solenniter acta. *Marcell. ib.* 26, 7, 27. Tutor pro pupillo in judicium vocatus solenniter cavit. *Ulp. ib.* 12, 2, 3. Solenniter jurare.

SOLEMNĬTUS, adv. solemniter. *Liv. Andron.* ap. *Non.* 2, 821. Solemnitusque adeo ditem laudet lubens.

SOLEN, ēnis, m. σωλήν, piscis quidam marinus, qui et δόναξ appellatur a Graecis, quia cavae arundinis similitudinem habet: item αὐλὸς a similitudine tubae: item ὄνυξ a colore unguis: σωλὴν a figura canalis, aut fistulae. Sunt qui putant esse, quas *cappe lunghe* Itali dicunt. [**Solen, L.*] *Plin.* 32, 11, 53. Solen, sive aulos, sive donax, sive onyx, sive dactylus. *Id.* 10, 69, 88. Ad sonum mergere se dicuntur solenes. *Id.* 11, 37, 52. Solenes fugiunt admota ferramenta.

SOLENS, entis, part. a *soleo:* εἰωθώς, solitus. *Pl. Amph.* 1, 1, 43. Si dixero mendacium, solens meo more fecero. *Id. Cas.* 5, 1, 14. Lubens fecero, et solens. *Id. Truc.* 1, 2, 29. Mala femina es. *Astaph.* solens sum: ea est disciplina. *Id. Epid.* 2, 2, 53. Occepere aliae mulieres duae post me sic fabulari inter sese: ego abscessi solens paulum ab illis, *h. e.* ut soleo, et ut quisque solet, cum duobus secreto inter se colloquentibus adstat.

SOLENSIS, e, adj. Σολεύς, ad Solos pertinens Ciliciae urbem, quae postea Pompejopolis dicta est. V. SOLOECISMUS. *Plin.* 11, 9, 9. Aristomachus Solensis. ℙ *Soleus* disyl. idem est. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 42. Mydon Soleus Pyromachi statuarii discipulus.

SOLENTĪNI. V. SOLUNTINI.

[SOLĔO, as, avi, atum, a. 1. calceos soleis instruo. *Edict. Diocl.* p. 22. Corium bubulum confectum ad solenda (lege *soleanda*) calceamenta ✕ septingentis quinquaginta. *F.*]

SOLĔO, es, solitus sum, n. 2. εἴωθα, ἐθίζομαι, consuevi, mos meus est, est meae consuetudinis. *Cic. Rosc. Com.* 16. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. *Id. Or.* 1, 30. Ratio consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti. *Id. Off.* 1, 39. Si domus aliquando alio domino solita est frequentari. *Caes. B. C.* 1, 67. Quibus rebus coerceri milites, et in officio contineri solent. *Phaedr.* 3, 9. Ut fieri solet. *Ter. Andr.* 2, 5, 15. Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet. *Id. Hec.* 2, 1, 18. Ruri crebro esse soleo. *Pl. Curc.* 5, 2, 6. Nugas garris. *Curc.* soleo: nam propter eas vivo facilius. *Id. Men.* 1, 2, 30. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis. *Pen.* ita ego soleo: commoditatis omnes articulos scio. *Ter. Eun.* 2, 2, 48. *Gna.* Ecquid beo te? *Par.* men'? papae! *Gna.* sic soleo amicos. *Cic. Att.* 8, 5. Solet eum, cum aliquid furiose fecit, poenitere. ℙ [*Notandus hic notissimus verbi *solere* usus, quo in sententiis interjectis haud raro absolute ponitur, vel *neutro relativi*, vel *ut* particula addita: itaque positum significat, *ut consuetudo*, sive, *ut mos est.* *Noster* laud. ista.] *Cic. Cluent.* 59. Cum quaedam in collibus, ut solet, controversia pastorum, esset orta. *Ter. Ad.* 1, 1. *f.* credo, jam, ut solet, jurgabit. *Sall. Cat.* 29, 2. Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit. Plura v. ap. *Kritz.* ad h. l. ℙ Porro *Id.* ad *Eund.* 47, 1. docet: verb. *solere* iterdum ita poni, ut non sit *morem habere*, sed ut repetitam ejus verbi quod inde pendet actionem significet, adeoque vim adverbiorum *saepe* vel *frequenter* obtineat: Exempla laudata sunt ista: *Sall. Cat.* 47, 2. sermonibus, quos ille habere solitus erat. *Jug.* 4, 5. audivi, praeclaros viros solitos ita dicere. *Ib.* 108, 3. Bocchum cum animo suo volvere solitum, Jugurtham Romanis, an illi Sullam traderet. *Tac. A.* 1, 73. *extr.* Cassium solitum interesse ludis. *Cic. Fam.* 2, 17. *med.* Bibulum solitum dicere.] ℙ De consuetudine amatoria. *Pl. Cist.* 1, 1, 38. Viris cum suis praedicant nos solere: suas pellices esse ajunt. *Catull.* 113, 1. Consule Pompejo primum duo, Cinna, solebant Moechi: illo facto consule nunc iterum, Manserunt duo; sed creverunt millia in unum Singula. ℙ *Solui* in praeterito antiquum est. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 9, 782, Neque subsidiis, uti soluerat, compositis. *Coel. Antipater* ap. *Non.* 10, 35. Duos et septuaginta lictores domum deportavisse fasces, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. *Cato* quoque, et *Ennius* ita locuti sunt, teste *Varr. L. L.* 8, 61. *extr.* ℙ In futuro non solet adhiberi, quia habet vim praeteriti; neque enim futuris potest aliquis consuescere. *Charis.* 3, 221. et *Diomed.* 1, 352. ℙ Part. *Solens* V. s. l. ℙ *Solinunt* pro *solent* dixerunt antiqui. *Fest.* in *Nequinunt.*

SOLERS et Sollers, ertis, adj. omn. gen. ἀγχίνους, συνετός, ingeniosus, perspicax, sagax, peritus, sciens: cui contrarium est *iners.* Est a *solus*, et *ars*, quasi solus in arte sit, inquit *Donat.* ad *Ter. Eun.* 3, 2, 25., vel a Graeco ὅλος, aut ab Osco *sollus* (vel *solus*, quia veteres ante *Ennium* non geminabant consonantes, ut *Fest.* docet in *Solitaurilia)* totus, quasi totus ars, ὅλος ἀρετή: vel in omni re prudens, ut ait *Fest.* in *Sollo:* vel totam artem possidens. Hinc scribendi differentia. *Manutio* et *Cellario* placet *sollers*, quia sic est in vet. libr. et lapidib., *Dausquius* praefert *solers:* et multis defendit. *Ter. l. c.* Fac periculum in litteris, fac in palaestra, in musicis: quae liberum scire aequum est adolescentem, solertem dabo. *Catull.* 64, 293. Post hunc consequitur solerti corde Prometheus. *Ov. Fast.* 3, 840. Ingenium sollers. *Tibull.* 1, 8, 29. Primus aratra manu solerti fecit Osiris. *Liv.* 7, 14. Solerti animo rem novam excogitare. *Nep. Cat.* 3. Et agricola solers, et reipublicae peritus, et juris consultus. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 36. Pictor ingeniosus et solers in arte. *Cic. Brut.* 67. Habuit a natura genus quoddam acuminis, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers. *Id. N. D.* 2, 51. *f.* Haec omnia esse opera providae sollertisque naturae; et *ib.* 47. *med.* Quam sit sollers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. *Virg. G.* 4, 327. pecudum custodia sollers, *h. e.* perita et diligens. *Cic. Sen.* 15. *extr.* Insitiones, quibus nihil invenit agricultura solertius. *Id. Rosc. Com.* 11. Quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. *Sall. Jug.* 101. Sulla rudis antea et ignarus belli, solertissumus omnium factus est. ℙ Cum inf. *Hor. Od.* 4, 8, 6. Parrhasius, aut Scopas, Hic saxo, liquidis ille coloribus Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum. *Ov. Am.* 2, 7, 17. sollers ornare Cypassis. *Sil.* 1, 79. sollers nutrire furores; et 8, 260 accendere sollers Invidiam. ℙ Cum gen. *Hor. A. P.* 407. Musa lyrae solers. *Sil.* 7, 126. Sollers cunctandi Fabius. ℙ Translate. *Cato R. R.* 8. *extr.* Fundum urbanum ita paret, itaque conserat, uti quam solertissimum habeat, *h. e.* fertilissimum, et omne genus fruges ferentem: ducta metaphora ex eo, quod solers ingenium nihil non excogitare et facere potest: ita fertilis ager et bene cultus nullos non fructus potest producere. ℙ *Solers* est etiam vafer, callidus, astutus. *Ov. Met.* 4, 775. Id se sollerti furti, dum traditur, astu Supposita cepisse manu. *Id. Her.* 20, 25. Non ego natura, nec sum tam callidus usu: Sollertem tu me, crede, puella facis. ℙ In ablativo etiam in *e* desinit. *Id. Pont.* 4, 14, 35. Quis patriam sollerte magis dilexit Ulysse? ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* in *Annal. dell' Instit.* T. 2. p. 260. L. Bellicius Sollers. *F.*]

SOLERTER et Sollerter, adv. φιλοτέχνως, συνετῶς, ingeniose, perite, sagaciter. *Tac. A.* 6, 21. Sollerter patefacere futura. *Cic. Leg.* 1, 8. *extr.* Naturam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est. *Id. N. D.* 2, 35. Sollertius simulare aliquid. *Ov. Met.* 14, 624. Pomona coluit solertius hortos. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. *f.* Tu operum lineamenta sollertissime perspicis.

SOLERTIA et Sollertia, ae, f. ἀγχίνοια, συνεσία, εὐστοχία, vis et acumen ingenii, celeritas animi in cogitando et efficiendo, perspicacitas, industria, prudentia. *Phaedr.* 1, 28. Vindicta docili patet solertiae. *Cic. N. D.* 2, 48. Data est quibusdam bestiis etiam machinatio quaedam atque sollertia, ut in araneolis, etc. *Tac. G.* 30. Cattis multum, ut inter Germanos, rationis ac solertiae. *Cic. Div.* 1, 41. *med.* Chaldaei sollertia ingeniorum antecellunt. *Id. ib.* 33. Nulla ars imitari sollertiam naturae potest. *Id. Off.* 1, 44. Adhibere agendi cogitandique sollertiam. *Id. opt. gen. Or.* 4. Judicandi sollertia. *Gell.* 20, 1. *med.* lepida verborum. ℙ In plur. num. *Vitr. praef.* 7. *med.* Omnibus scriptoribus infinitas ago gratias, quod egregiis ingeniorum solertiis ex aevo collocatis, abundantes aliis alio genere copias praeparaverunt. ℙ Item versutia, calliditas, vafritia, fraus. *Cic. Off.* 1, 10. *extr.* Decipere hoc quidem est, non judicare: quocirca in omni re fugienda est talis sollertia. *Lucan.* 8, 283. Hinc anceps dubii terret solertia Mauri. *Tibull.* 1, 4, 3. Quae tua formosos cepit solertia? Adde *Tac. A.* 14, 4.

*SOLĔTUM, i, n. oppid. Calabriae. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

SOLĔUM, i. V. SOLIUM.

SOLEUS. V. SOLENSIS.

*SOLI vel Soloe (Σόλοι), orum, urbs Ciliciae. *Liv.* 37, 56, De Solis urbe. Adde 33, 20. *Soloe* formam habent *Mela* 1, 13. *Plin.* 5, 17. ℙ Postea Pompeiopolis dicta. V. POMPEIOPOLIS. ℙ *Solae* indecl. habet *Mart. Capell.* 3. *in.* p. 50. *Grot.* ℙ V. SOLENSIS et SOLOECISMUS. ℙ Alia urbs hoc nomine in Cypro, nomen a Solone legumlatore ducens. *Plin.* 5, 31. Σόλοι est *Ptolemaeo. B. A.*

SOLĬAR, aris, n. id quo solium integitur. *Varr.* ap. *Non.* 1, 10. Phrygio qui pulvinar poterat pingere, soliar levigabat. *Fest.* in *Solla:* Soliaria vocantur Babylonica, quibus sedilia sternuntur. Ita leg. *Scal.* utroque loco. V. SOLLA.

SOLĬĀRIS, e, adj. ad solium balinei pertinens: ut Soliaris cella, ap. *Spart. Carac.* 9. h. e. in qua solium positum est. V. SOLEARIS.

SOLĬĀRĬUS, ii, m. qui solia facit. *Inscr.* ap. *Grut.* 643, 8. M. Caecilio Sp. F. Suc. Rufo soliario ab luco Semeles, etc.

SOLĪCĂNUS, a, um, adj. qui solus canit. *Capell.* 2, 33. Dum haec Musae nunc solicanae, nunc concinentes interserunt, etc.

[SOLĪCĀTĬO, onis, f. apricatio, sive insolatio. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 2. *f.* Item solicationes, quas Graeci ἡλιώσεις vocant, adhibendae sunt. *F.*]

SOLĪCISMUS. V. SOLOECISMUS.

SOLĪDĀMEN, inis, n. solidamentum. *Venant. carm.* 6, 2, 115. Unus amor vivo solidamine junctus alescat.

SOLĪDĀMENTUM, i, n. firmamentum, firmitas. *Lact. Op. D.* 7. *in.* Deus igitur solidamenta corporis, quae ossa dicuntur, nodata et adjuncta invicem nervis alligavit atque constrinxit.

SOLĪDĀTĬO, onis, f. actus solidandi, στερέωσις. *Vitr.* 5, 3. Solidationes ita erunt faciendae. Loquitur *Vitr.* de fundamentis aedificiorum, quae palustri solo exstruuntur. Adde 7, 1.

SOLĪDATRIX, icis, f. quae solidat. *Arnob.* 4, 131. Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet.

SOLĪDĀTUS, a, um, part. a *solido:* στερεωθείς, induratus, solidus factus, firmatus. *Vitr.* 2, 3. *f.* Terra cum est levis aere solidata, non recipit in se, nec combibit humorem. *Tac. H.* 2, 19. Solidati muri, propugnacula addita, auctae turres. *Lucan.* 8, 691. infuso facies solidata veneno, *h. e.* medicamine firmata contra putrefactionem. *Plin.* 35, 6, 18. Spuma maris solidata cum limo; et *Pall.* 1, 17. Solum alto rudere solidatum; et *ib.* 36. Area ungulis pecorum, et aquae admixtione solidata. *Claud. in Ruf.* 2, 27. terga Danubii soldata, *h. e.* gelu concreta. ℙ Translate. *Pall.* 4, 14. *f.* Annicula mula debet per montes asperos pasci, ut itineris laborem in tenera aetate solidata contemnat. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Artus exercitatione solidati. *Auct. Pan. ad Constant.* 1. Imperium Romanum ex diuturna convulsione solidatum.

SOLĬDĒ, adv. στερεῶς, firme, firmiter, valide. *Colum.* 12, 54. In cistam vimineam, quae neque spisse, solide tamen, et crassis viminibus contexta sit, rapa componito. *Gell.* 19, 5. Aqua solidius concreta. ℙ Item compacta ratione, integre, ple-

ne. *Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Si quis vestrum voluerit suae rei causa facere, non est quod illum pudeatur: nemo nostrum solide natus est, *h. e.* ita ut nihil vacui in ventre habeat, aut nihil ventosum, quod subinde exire quaerat. De peditu loquitur. Sic *ib.* 102. Ita vero tanquam solidos alligaturus, quibus non soleat venter injuriam facere? ℙ Translate est vehementer, valde, plane, integre, vere. *Ter. Andr.* 5, 5. *f.* Hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia. *Pl. Trin.* 4, 2, 47. Hic homo solide sycophanta est; et *ib.* 8. Neque, natus, necne is fuerit, id solide scio. *Appul. Met.* 3. Solide formidare.

SŌLĬDESCO, is, n. 3. στερεοῦμαι, solidus fio, duresco, firmor, coeo. *Vitr.* 2, 6. Moles, quae construuntur in mari, sub aqua solidescunt. *Plin.* 11, 37, 87. Cartilago rupta non solidescit.

SŌLĬDĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. χαιλίπους, qui solidos habet pedes, ut equus; non bifidos, ut bos. *Plin.* 10, 65, 84. Contra naturam solidipedum, aut bisulcorum; et *ib.* 73, 93. Solidipedes, et e bisulcis sues aluntur omni cibatu.

SŌLĬDĬTAS, atis, f. στερεότης, qualilas corporis solidi, in quo nihil est vanum et vacuum, sed omnes ejus partes ejusdem generis, atque unum sunt. *Cic. Fin.* 1, 6. Democritus atomos quas appellat, idest corpora individua, propter soliditatem censet in infinito inani ita ferri, ut, etc. *Id. N. D.* 1, 38. Si tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent soliditatem, nec eminentiam. *Id. Univ.* 5. Cum soliditas mundo quaereretur: solida autem omnia uno medio, nunquam duobus, semper copulentur. ℙ Item firmitas, durities. *Vitr.* 2, 6. *med.* de topho: Calida humoris jejunitas aqua répente satiata confervescit, et vehementer efficit ea coire, celeriterque una soliditatis percipere virtutem; et *ib.* 8. *med.* Qui maxime religando confirmat parietum soliditatem. ℙ *Soliditates* ap. *eund.* 7, 3. sunt tectoria ipsa calce, arena et marmore solidata. ℙ Tota res quaepiam, ὁλότης. *Imp. Gord. Cod.* 11, 35, 2. Quoties duobus non separatim, sed pro indiviso munus injungitur, et ita ut unusquisque eorum periculo soliditatis videatur obstrictus. *Imp. Anton. ib.* 4, 52, 2. Soliditatem possessionis vendere. ℙ *Soliditas* in arboribus ex crassitie materiae noscitur, et una pro altera ponitur. *Pall.* 1, 6. *med.* Pro macie, vel soliditate vitium nutrienda sarmenta potator injungat. *Id.* 3, 17. Surculum convenientem soliditati arboris inserendae sic deponere, ut, etc.

SŌLĬDO, as, avi, atum, a. 1. στερεόω, solidum et firmum reddo, consolido, roboro, induro. *Vitr.* 7, 1. Si congesticius locus fuerit, fistucationibus cum magna cura solidetur. *Virg. G.* 1, 179. Et vertenda (*area*) manu, et creta solidanda tenaci. *Plin. ep.* 8, 20. et *Plin. senior* 28, 16, 65. Solidare ossa fracta. *Id.* 24, 16, 95. nervos abscissos. *Id.* 11, 37, 88. Nervi non solidantur incisi. *Id.* 34, 17, 48. Solidare stanno fistulas. *Cels.* 8, 6. Cartilaginem non glutinari, circa tamen carnem increscere, solidarique eum locum. *Pall.* 6, 9. Ubi caseus coeperit solidari, *h. e.* indurari. *Sen. Q. N.* 3, 25. *f.* Ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex spuma solidantur, *h. e.* concrescunt in saxa. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 242. Atria vestit ebur: trabibus solidatur ahenis Culmen. *Tac. A.* 15, 43. Aedificia ipsa certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino solidarentur. *Pall.* 3, 31. Vinum myrtite stomachum solidare titubantem solet. ℙ *Solidare rationes*, aequare, ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in summa, ut ait *Ascon.* in *Cic. Verr.* 2, 1, 36. *f.* ℙ *Solidare aliquid*, ratum et firmum reddere. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 15, 9, 1. Illud etiam constitutione solidamus, ut, etc.

SŌLĬDUS, a, um, adj. στερεὸς, plenus, integer, verus, nihil habens inanitatis, nulla parte laxatus, et cavus, neque ex dissimilibus compositus, sed totus sui generis. *Festo* placet, in *Solitaurilia*, esse ab Osco *solus* (quod post Ennium *sollus* scripsere) idem fere significante: hoc autem ab ὅλος, totus, natum videtur. [*Recte nobis *Doederl.* 1, 178. Osco *solus* nimium tribui arbitratus *solidus* a *solum*, q. v., deducere videtur: neque contra sumus ejusdem *ib.* propositae sententiae esse *solidus* epitheton perpetuum terrae, opp. mare, lacus, aer, etc. Cujus generis exempla a *Nostro* passim laudata hinc primo loco posuimus ista:] *Plin.* 2, 64, 64. Terra solida atque conferta. *Ov. Met.* 15, 262. Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus, Esse fretum. *Id. ib.* 14, 49. solida ponit vestigia ripa; et 2, 147. et solidis etiamnum sedibus adstas: [*ubi v. *Gierig.* Adde *Eund. Fast.* 6, 404. Nunc solida est tellus, quae lacus ante fuit: et *Amor.* 1, 8, 18. Et solidum longo carmine findit humum. *Virg. A.* 9, 214. Sit, qui me raptum pugna pretiove redemtum Mandet humo solida. ℙ Hinc *solidum* absolute eodem sensu:] *Virg. G.* 2, 231. In solido puteum demittere, h. e. ubi terra concava non est. *Ov. Fast.* 4, 821. Fossa sit ad solidum, h. e. fodiendo usque ad terram solidam. Adde *Val. Max.* 2, 4. *n.* 5. Sic *Colum.* 4, 30. Perticae cacuminibus panguntur eousque, dum ad solidum demittantur. *Flor.* 2, 2. Coacti hostes (in navibus) quasi in solido decernere. *Tac. A.* 4, 62. Fundamenta theatri per solidum subdere. ℙ [*Porro *solidum* translate pro loco securo, tuto: cujus generis exempla perperam *Forc.* cum antecedentibus miscuerat.] *Virg. A.* 11, 426. multos alterna revisens Lusit, et in solido rursus Fortuna locavit. *Sen. Ben.* 3, 4. Praesentia bona nondum tota in solido sunt. ℙ [*Deinde *solidus* dicitur etiam de aliis rebus, quae nihil habent inanitatis, quae nulla parte laxatae, et cavae, neque ex dissimilibus compositae, sed totae sui generis sunt: quod Noster ab inito monuit.] *Cic. Div.* 1, 24. Cum Annibal columnam auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravit: eumque solidam invenisset, etc. *Plin.* 13, 15, 29. Mensa solida quatuor pedum: cui commissa opponitur. *Id.* 11, 37, 45. Omnibus cornua cava: cervis tota solida. *Cic. Top.* 4. Paries solidus, vel fornicatus. *Virg. G.* 2, 79. de insitione: Finditur in solidum cuneis via, *h. e.* ubi truncus integro et sincero ligno est. Sic ap. *Sen. Q. N.* 3, 25. *med.* solidi lapides opponuntur pumicosis, qui multas habent cavitates. *Virg. A.* 2, 765. Crateres auro solidi. *Id. G.* 3, 26. In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto Gangaridum faciam. *Id. A.* 6, 69. solido de marmore templum; et *ib.* 552. solidoque adamante columnae. *Colum.* 7, 8. Cum paulo solidior caseus factus est. *Pall.* 11, 14. *f.* Quod si vinum nascitur virtute solidius. *Petr. Sat.* 102. Ita tanquam solidos alligaturus? *h. e.* concretum corpus habentes. V. SOLIDE. ℙ Et quia quae solida sunt, dura, firma, valida, fortia esse solent, haec eadem saepissime *solidus* significat. *Hor. Sat.* 2, 1, 77. fragili quaerens illidere dentem, Offendet solido. *Virg. G.* 3, 88. solido graviter sonat ungula cornu. *Id. A.* 9, 809. saxis solida aera fatiscunt; et *ib.* 11, 553. telum solidum nodis et robore cocto. *Ov. Her.* 9, 60. et *Met.* 15, 230. Solidi tori Herculis; et *ib.* 3, 696. abstractus solidis Tyrrhenus Acoetes Clauditur in tectis; et *Stat. Th.* 8, 408. Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos. ℙ *Solidum corpus* est quod trinis dimensionibus constat, cui *planum* opponitur. *Cic. N. D.* 2, 18. Cum duae formae praestantes sint, ex solidis globus, ex planis circulus, aut orbis. *Gell.* haec definit 1, 20. ℙ Est etiam *solidus* integer, totus, perfectus, ὅλος. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Cnaeus noster clementer id fert: sorte caret; usura, nec ea solida, contentus est. *Just.* 30, 4. Terrae motus solidas civitates absorbuit. *Juven.* 11, 205. quamquam solida hora supersit Ad sextam. *Hor. Od.* 1, 1, 20. partem solido demere de die. *Id. Sat.* 2, 3, 239. Filius Aesopi detractam ex aure Metellae (Scilicet ut decies solidum absorberet) aceto Diluit insignem baccam, *h. e.* integram summam HS. 1,000,000. *Plin.* 8, 14, 14. In India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. *Virg. A.* 6, 253. Et solida imponit taurorum viscera flammis. *Varr.* ap. *Non.* 4, 451. Navibus duodecim domo profectum decem annos solidos errasse: i. e. totos decem annos. *Liv.* 4, 8. *f.* Ut in eo magistratu parum solidum consulatum explerent, *h. e.* non integrum, quia novem tantum menses duraverat. ℙ Translate [**solidus* multifariam dicitur de constanti, certo, stabili.] *Hor. Od.* 3, 3, 1. Justum et tenacem propositi virum Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida, *h. e.* constanti. *Virg. A.* 2, 638. quibus integer aevi Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires. *Cic. Off.* 3, 17. Sed nos veri juris, germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus. *Id. Planc.* 12. Haec sunt indicia solida et expressa, haec signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. *Id. Tusc.* 3, 2. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata. *Id. Phil.* 5, 18. Quid enim stultius, quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam anteferre verae, gravi, solidae gloriae? *Id. Vat.* 3. *med.* Homo imperitissime solidae laudis veraeque gloriae. *Id. Fin.* 1, 18. Negant, bonum quidquam esse, nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine. *Id. Or.* 3, 26. *med* Ita sit nobis ornatus et suavis orator, ut suavitatem habeant austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. *Id. Fin.* 1, 21. In poetis evolvendis nulla solida utilitas, omnisque puerilis est delectatio. *Id. Planc.* 8. *extr.* Hi tot equites R. quid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt! solidam, et robustam, et assiduam frequentiam praebuerunt. *Tac. H.* 2, 7. Victores, victosque nunquam solida fide coalescere. ℙ [*Translatae significationis sunt et ista:] *Ter. Andr.* 4, 1, 23. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium, nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres? et *Eun.* 5, 2, 32. Ut solidum parerem hoc mihi beneficium. *Pl. Curc.* 3, 35. Inibis a me solidam et grandem gratiam. *Id. Merc.* 1, 1, 20. Quemque attigit, magno atque solido mactat infortunio. *Id. Epid.* 3, 3, 10. Malefacta solida. *Sen. Ira* 1, 16. Duriora remedia jam solida nequitia desiderat, *h. e.* vetus, et quae altas in animo radices egit. ℙ *Solidae rationes*, in quibus omnia quadrant, et neque plus quidquam, neque minus invenitur in summa, inquit *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 36. *f.* V. SOLIDO. ℙ *Solidum*, absolute, totum, res universa. *Cic. Rab. Post.* 17. Ita bona veneant, ut solidum suum cuique solvatur; et *Tac. A.* 6, 17. Senatus praescripserat, duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocaret. Sed creditores in solidum appellabant, *h. e.* totam summam fenoris reposcebant. *Jabol. Dig.* 45, 2, 2. Cum duto eandem pecuniam aut promiserunt, aut stipulati sunt, ipso jure et singulis in solidum debetur, et singuli debent. *Ulp. ib.* 3. Ubi duo rei facti sunt, potest vel ab uno eorum solidum peti: hoc enim est duorum reorum, ut unusquisque eorum in solidum sit obligatus. ℙ *Soldus* syncope est. *Hor. Sat.* 1, 2, 111. Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem, Quaerere plus prodest, et inane abscindere soldo? *Id. Sat.* 2, 5, 65. Nasicae metuentis reddere soldum, *h. e.* omne et solidum aes alienum quod habet, sed parte aliqua creditorem fraudantis. *Mart.* 4, 37. Ex insulis fundisque tricies soldum, Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi, *h. e.* integra summa tricies HS. sine diminutione. ℙ *Solidum* adverbii ritu, solide, valde. *Appul. Met.* 5. At Venus irata solidum exclamat repente. ℙ *Solidum*, ratum, firmum, certum. *Cic. Div. Verr.* 7. At enim solidum id est, ut me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari velit, *h. e.* ratum, firmum, certum est. Alii leg. *solum*, [*quod *Orell.*, licet vulgatam exhib., minime tamen contemnendum censet.] ℙ *Solidus* absolute cadente Latinitate est nummus aureus justi ponderis et integer, ad discrimen dimidiati et tertiarii. *Praetor* ap. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. *med.* multat poena *solidorum decem* eum, qui in subgrunda protectove id positum habeat, cujus casus nocere cui possit. Hoc idem referens *Imp. Justin. Institut. tit.* 4, 5. ait, poenam *decem aureorum* constitutam esse. ℙ Valuit priore imperii Romani tempore denariis viginti quinque, seu HS. centum, cum nempe XL., vel XLV. ex singulis auri libris signabantur. V. AUREUS. Postremis vero ejusdem imperii temporibus illius pondus et valor ita imminutus est, ut ex singulis auri libris LXXII. solidi percussi fuerint, qui pondus, et valorem prope aequaverant Ital. monetae, quae nunc *zechino* dicitur. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 10, 70, 5. Quotiescumque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in LXXII. solidos libra feratur accepta. *Lampr. Alex. Sev.* 39. Conflari quartarios jussit, et tremisses tantum, solidosque formari. V. ibi *Salm.* Adde *Ulp Dig.* 11, 4, 1. et *Edict. aedilium* ap. *eund. ib.* 21, 1, 42., itemque *Macrum ib.* 49, 14, 34. Sic *Appul. Met.* 10. Venenum comparare sollicitatus, centumque aureos solidos offerens pretium.

SŌLĬFER, ra, rum, adj. ἡλιοφόρος, solem ferens, epitheton orientalis plagae. *Sen. Herc. Oet.* 159. Parthus soliferae suppositus plagae.

SŌLĬFERRĔUM et Solliferreum, i, n. ὁλοσιδήρεον, genus teli: ab Osco *sollus*, idest totus, et a *ferrum*, quod totum sit ferreum. *Fest.* in *Solitaurilia*: Quia sollum Osce totum, et solidum significat: Unde tela quaedam solliferrea vocantur tota ferrea. *Liv.* 34, 14. *f.* Ut emissis soliferreis, falaricisque gladios strinxerunt.

SŌLĬFŪGA. V. SOLIPUGA.

*SOLIFUNDĬUM, i, n. *M. Front. ad M. Antoninum Princip. Hist. fragm.* 7. (ed. *A. Maio*): Vereor ne quando (taceo in solifundiis)..... *concentibus* et modis absonum quid etc, Sed dubium vocabulum est. V. *Maium* ad l. Cf. vocabulum *Latifundium. B. A.*

SŌLĬGĔNA, ae, adj. comm. gen. ἡλιογενὴς, qui ex sole genitus est. *Val. Fl.* 5, 317. nec fama fefellit, Soligenam Aeetem media regnare sub Arcto.

SŌLĬLOQUĬUM, ii, n. μονολογία, sermo solius secum. *August. Soliloq.* 2, 7. *f.* Hujusmodi sermocinationes, quoniam cum solis nobis nobis loquimur, soliloquia vocari et inscribi volo, novo quidem, et fortasse duro nomine, sed ad rem demonstrandam satis idoneo.

[SOLIMARA, ae, f. Deae cujusdam nomen apud Gallos Bituriges. *Inscr.* ap. *Mur.* 114, 1. Solimarae sacrum, aedem cum suis ornamentis Firmana C. Obricii F., mater D. S. D. *h. e.* filia, mater, sc. sacrorum, de suo dedit. *F.*]

[SOLIMARICENSIS, e, adj. ad Solimaricam pertinens, Galliae urbem, a Mosa fluv. XVI. millib. pass. dissitam, ubi nunc vicus *Soulasse:* ejus mentio est in *Itin. Ant. Inscr.* ap. *Mur.* 1082, 2. Jovi Opt. Max. vicani Solimaricenses. *F.*]

*SOLIMNIA, ae, f. maris Aegaei insula, in sinu Thermaico. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

*SOLINATES, ium, populi Umbriae antiqui, a Solino quodam oppido sic dicto fortasse nomen ducentes. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

SOLINO, Verrius ait esse, consulo. *Festus.*

SOLĪNUS, i, m. C. Julius Solinus, patria Aegyptius, ut eruditis quibusdam videtur (peregrinum certe fuisse, non Romanum, satis indicat affectatus ejus stilus, incomptaque locutio): scripsit librum de variis rebus memorabilibus, qui *Polyhistor* inscribitur, in quo multa ab aliis scriptoribus excerpsit, praesertim a *Plinio*. Exstat etiam fragmentum carminis de variis marinis piscibus, in *Anth. Lat.* T. 2. p. 383. *Burm.* editum. Quo tempore vixerit, non

satis constat. Posteriorem Alexandro Severo, Mammaeae filio, fuisse contendit *Salmasius*, qui luculenta in eum commentaria edidit.

SOLĬPŪGA, Solipunga, Solpūga et Salpūga, ae, f. genus muscae, aut formicae venenatae. *Gloss. Philox.* Solipuga, *ἡλιοκεντρὶς, μυῖας εἶδος. Festus:* Solipunga, genus bestiolae maleficae, quod acrius concitatiusque fit fervore solis, a quo nomen traxit. *Plin.* 29, 4, 29. Est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia: solipugas Cicero appellat, salpugas Baetica. *Id.* 8, 29, 43. Citra Cynamolgos Aethiopas late deserta regio est, a scorpionibus et solipugis gente sublata. *Id.* 22, 25, 81. Et leguminibus innascuntur bestiolae venenatae, quae manus pungunt, et periculum vitae afferunt, solipugarum generis. *Lucan.* 9, 837. Quis calcare tuas metuat, salpuga, latebras? Alii hic leg. *salpiga, solpuga, salpynga.* Est etiam qui ubique malit *solifuga:* quod MSS. et editis melioribus in *Plinio* ab *Harduino* refutatur: in *Lucano* vero locum habere non potest. *Gloss. Philox.* Solifuga, *μισήλιος. Solin.* 4. Sardinia est quidem absque serpentibus, sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga Sardis agris: animal perexiguum, qua aranei forma, solifuga dicta, quod solem fugiat. In metallis argentariis plurima est: occultim reptat, et per imprudentiam supersedentibus pestem facit. Adde *Arnob.* 2, 59, et 7, 223. Sed *Gloss. Philox.* non animal describit, sed quemcumque radios et lucem solis fugientem. *Solin.* vero, qui sua fere omnia descripsit ab aliis, vel in vitiosos codices incidit, vel de sua male prompsit. Certe levissimus auctor ab *Scal.* in *Euseb.* appellatur.

SOLISTERNĬUM et Sollisternium, ii, n. idem videtur esse, quod lectisternium. *Festus* in *Solla.* Solla sternere dicuntur, qui sollisternium habent. V. SELLISTERNIUM.

SOLISTĬMUM tripudium, dicebatur, cum in auspicando esca ex ore pulli decidebat: quod prosperum auspicium erat. *Cic. Div.* 1, 15. *f.* Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis. Necesse est enim, offa objecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. Quod autem scriptum habetis, avi tripudium fieri, si ex ea quid in solum ceciderit: hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis. *Id. ib.* 2, 34. *extr.* Cum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant. *Liv.* 10, 40. Nam cum pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nuntiavit. *Plin.* 10, 21, 24. de gallis gallinaceis: Horum sunt tripudia solistima. ℙ Est haec vox a *solum, h. e.* terra, ut ex verbis *Ciceronis* allatis colligitur: quidam tamen malunt deducere ab Osco *sollus, h. e.* totus: atque hac ratione duplici *ll* scribunt. *Festus:* Sollistimum Appius Pulcher in Auguralis disciplinae libro primo ait esse tripudium, quod avi excidit ex eo, quod illa fert. ℙ *Sollistimum* etiam dicitur, cum saxum solidum, aut arbos viviradix sponte, nullo impellente, aut jaciente, aut caedente, ruit, ut docet *Festus ib.* Hoc idem *tripudium sonivium* dicitur a *Serv.* ad illud *A.* 3, 90. tremere omnia visa repente. V. SONIVIUS.

SOLITĀNAE Cochleae, genus cochlearum amplae magnitudinis in Africa: quarum meminere *Varr. R. R.* 3, 14. *med.* et *Plin.* 9, 56, 82. et 30, 6, 15., ubi *Hard.* putat, nomen traxisse a promontorio Solis itidem in Africa. Ap. *Varr.* quidam male leg. *Solitannae.* Verba ejus sunt *l. c.* Valde amplae sunt, quamquam ex Africa, quae vocantur solitannae, ita ut in eas octoginta quadrantes conjici possint.

SOLĪTĀNĔUS, a, um, adj. solitarius, separatus, sejunctus. *Theod. Prisc. praef.* 3. Solitaneum libellum confeci de mulierum curis: solitaneum, inquam, et remotum a publico spectaculo. ℙ Videtur etiam idem esse, quod solitus, consuetus. *Marcell. Empir.* 20. *med.* Ad solitaneos stomachi dolores malagma sic compones, etc.

SOLĪTĀRĬUS, a, um, adj. *ἔρημος*, solus, solivagus, sine consortio. *Cic. Inv.* 1, 44. *f.* Oportet animadvertere, ne cum aliter multa sint judicata, solitarium aliquod aut rarum judicatum afferatur. *Id. Am.* 23. *f.* Natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur. *Id. N. D.* 2, 11. Omnem naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam simile menti. *Plin. Pan.* 49. *med.* Distentus solitaria coena, *h. e.* cum solus quis coenavit. *Gell.* 2, 12. Qui non alterutrae parti sese adjunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo civitatis secesserit. *Id.* 7, 3. *med.* Sed enim Cato non nudam, neque solitariam, nec improtectam hanc epagogen facit, sed multis eam modis perfulcit. *Id.* 13, 3. Necessitudo dicitur jus quoddam et vinculum religiosae conjunctionis: idque unum solitarium significat, *h. e.* id unum tantum. *Nazar. Pan. Constant.* 33. *med.* Solitario modo id egit, ut, etc. *h. e.* solummodo. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 13. Multi imperium universae reipublicae solitarium cupierunt, *h. e.* ut ipsi soli in republica imperarent: regnum in republica affectarunt. ℙ *Solitarius*, qui solus degit, frequentiam consortiumque vitat, secessu et solitudine delectatur. *Cic. Off.* 2, 11. Etiam solitario homini, atque in agro vitam agenti, opinio justitiae necessaria est. *Quint.* 1, 2. *med.* Solitaria et velut umbratili vita pallescere. *Varr. R. R.* 3, 16. Apes non sunt solitaria natura, ut aquilae, sed ut homines.

SOLĪTAS, atis, f. solitudo, hoc est cum aliquis solus est. Vox antiqua. *Accius* ap. *Non.* 2, 893. Tuam solitatem memoras, formidas tibi, *h. e.* te solum esse, sine ullo socio et adjutore. *Appul. Met.* 9. Oportune nactus Myrmecidis solitatem, ei amorem suum aperit. *Id. Apol.* Crates, multis servis a se remotis, solitatem delegit. Adde *Tert. adv. Valent.* 37., ubi *solitas* est *μονότης, ητος.*

[SOLĪTĀTIM, adv. cum solitate. Utitur hac voce *Front. de eloqu.* (ed. *A. Maio*) p. 235. *F.*]

SOLITAURILĬA, um, n. plur. hostiarum trium diversi generis immolationem significat, tauri, arietis, verris: quod omnes eae solidi integrique sint corporis: a *sollus*, vel *solus*, quod Osce totum et solidum significat: vel a *solus*, et *taurus* qua virilia significat, quia harum hostiarum inviolati sunt tauri, quae pars scilicet caeditur in castratione: (nam vervecibus et hircis mos erat abscindi, cum immolarentur, ut colligitur ex *Mart.* 3, 24. Teter ut immundae carnis abiret odor.) Sunt qui putent, ex tribus hostiis praecipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. Quidam dixerunt, omnium trium vocabula confusa, suis, ovis, tauri, effecisse, ut uno modo appellarentur universae. Haec ex *Festo*, cujus postrema verba occasionem dederunt suspicandi, ipsam vocem *solitaurilia* corruptum esse, et *suovitaurilia*, vel (quod saepius legitur) *suovetaurilia* rectum esse, ut habetur ap. *Cat. R. R.* 141., *Varr. R. R.* 2, 1. *med.*, *Liv.* 1, 44. et 8, 10. *extr.* et *Tac. A.* 6, 37. et *H.* 4, 53. in plurimis, et optimis libris. Non desunt tamen, qui contra sentiunt, nempe *solitaurilia* veram esse appellationem: quae quia vulgo inerudito minus nota esset, mutatam esse in *suovetaurelia*, quod viderent tres revera hostias, suem, ovem, taurum in eo sacrificio mactari. Quibus ego me libentius adjunxerim. *Charis.* 1, 84. Suovetaurilia quidam putant dicenda, a victimis sue, ove, et tauro: sed Valgius de rebus per epistolam quaesitis, solitaurilia dicta ait esse: tauri autem nomen pro omnibus maribus sumptum esse. *Quint.* quoque 1, 5. *f.* ita dixisse credendus est, ubi quarundam vocum obscuriorem notationem explicans, ut *capsis, lupercalia;* si *suovetaurilia* dixisset, promptum erat cuique *suem, ovem, taurum* intelligere: at in *solitaurilia* magis abdita notatio erat, et merito explicanda. V. tamen *adnotat. Spaldingii* ad *Quint. l. c.* ℙ Hoc sacrificium usurpabatur in lustrationibus agrorum, populi, exercitus, et hujusmodi. *Cato l. c.* Agrum lustrare sic oportet. Impera suovitaurilia circumagi, etc. *Varr. l. c.* Populus R. cum lustratur suovitaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus. *Liv. cit.* 1, 44. Instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit. *Tac. cit. H.* 4, 53. Lustrata suovetaurilibus area. *Liv. cit.* 8, 10. Telo, super quod stans consul precatus est, hostem potiri fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri. *Ascon.* in *Div. Verr.* 3. Censores completo quinquennio urbem lustrabant, et solitaurilia sacrificia de sue, ove, tauro faciebant. ℙ *Solitaurilia* duplicis generis erant; nam ita Numae lex ap. *Festum* in *Opima:* Solitaurilia utra voluerit, caedito. Alia enim vocabantur majora, in quibus nempe hostiae majores, *h. e.* adultae et perfectae aetatis; alia minora, in quibus minores hostiae, *h. e.* adhuc lactentes immolabantur. Hinc *suovetaurilia lactentia* vocantur haec minora a *Cat. R. R.* 141. Mars pater ejusdem rei ergo macte hisce suovetaurilibus lactentibus esto. De majoribus vero mentio est ap. *Marin. Inscr. Frat. Arv. n.* 32. Q. Licinius Nepos immolavit suovetaurilibus majoribus. Adde *ib. n.* 41. et 43. Quando autem majores vel minores hostiae in suovetaurilibus immolarentur, docet *Serv.* ad *A.* 12, 170. In rebus, quas volebant finiri celerius, senilibus et jam decrescentibus animalibus; in rebus vero, quas augeri et confirmari volebant, de minoribus et adhuc crescentibus sacrificabant.

SOLĪTĒ, adv. pro more, ex consuetudine. *Pl. Amph.* 1, 1, 131. Ubi sunt isti scortatores, qui solitē inviti cubant? Plerique omnes, [praeter *Bothium*, *F.*] perperam soli leg. *Id. Mil.* 2, 3, 11. Tute scis solite tibi: mihi ne dixis: scire nolo, *h. e.* tu solus id pro more scito, quippe qui saepe talium tibi sis conscius. ℙ [Sunt qui putant in utroque loco cit. *sōlītē* esse a *solus*, et significare sine alio, remotis arbitris, quos inter fuit et *Forcellinus*, sed vehementer errant. *F.*] [**Lindem.* in altero Pl. loco, et versu et sensu flagitante, scripsit: *Tute sci soli* tibi.]

SOLĪTO, as, n. 1. *ἐωθα*, frequenter soleo. *Gell.* 7, 1. Scipionem Africanum solitavisse noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare.

SOLĪTŪDO, inis, f. *ἐρημία*, locus, ubi nemo, vel unus habitat, recessus, secessus, regio deserta. *Cic. Am.* 23. *med.* Si aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, et in solitudine uspiam collocaret. *Id. Inv.* 1, 26. *med.* Loci solitudo, aut celebritas. *Id. Verr.* 2, 4, 51. Audistis, quae solitudo esset in agris, quae vastitas, quae fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. *Id. Att.* 12, 26. Mihi solitudo et recessus provincia est. *Id. Verr.* 2, 5, 67. Si in aliqua desertissima solitudine, ad saxa, et ad scopulos haec conqueri vellem. *Caes. B. G.* 6, 22. Civitatibus *(Germanorum)* maxima laus est, quam latissimas circum se, vastatis finibus, habere solitudines. *Sall. Jug.* 98. Ad summum montis egressus est: ubi postquam solitudinem intellexit, etc. *h. e.* neminem alium adesse praeter se. *Cic. Brut.* 63. Erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo. *Mart.* 3, 44. quacumque venis, fuga est, et ingens Circa te, Liguriне, solitudo. *Cic. Fam.* 2, 16. Discedere in aliquas solitudines. *Id. Pis.* 22. *med.* Quos tum maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diverticula flexionesque quaesisti! [**Vell.* 2, 55, 4. solitudines aviae. De discrimine inter *solitudo* et *vastitas* V. in h. v.] ℙ De eo, qui est derelictus ab omnibus, qui neminem habet, a quo praesidium exspectet. *Cic. Quint.* 1. *f.* Si nullo praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae. *Id. Caecin.* 5. Iste, qui jamdiu Caesenniae viduitate ac solitudine alitur. *Id. Verr.* 2, 1, 58. *f.* Ut liberorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio munita sit, *h. e.* cum patrem amiserint. *Id. Q. Fr.* 1. *f.* Si tuam solitudinem, communemque calamitatem nemo despexerit, *h. e.* quod sine me fratre in exsilium pulso relictus est. *Nep. Thras.* 2. Neque vero hic non contemptus est primo a tyrannis, sed ejus solitudo, *h. e.* quod non plus habebat secum, quam triginta de suis. [**V. Brem.*] *Tac. A.* 11, 32. Messalina interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa, etc. [**Plin. Pan.* 48, 5. Non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret: ubi v. *Gierig* ℙ Confund. *solitudo* et *sollicitudo.* V. *Spald.* ad *Quint.* 2. p. 456. 3. p. 393. *crit.* et 4. p. 14.]

SOLĪTUS, a, um, part. a *soleo: εἰωθὼς*, qui consuevit. *Hor. Sat.* 2, 3, 245. Luscinias soliti impenso prandere coemptas. *Sall. Jug.* 4. Saepe audivi praeclaros viros solitos ita dicere. *Prop.* 2, 2, 8. Nec solitus ponto vivere torvus aper. *Ov. Pont.* 3, 4, 42. Ipsa potest solitum nosse corona caput, *h. e.* quod solitum fuit coronari. *Virg. A.* 2, 461. turris, unde omnis Troja videri, Et Danaum solitae naves, et Achaica castra. ℙ Est etiam adj. *ἐθή-μων, ἠθὰς*, consuetus. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 218. Praeter solita vitiosis magistratibus. *Tac. A.* 3, 5. Germanico ne solitos quidem, et cuicumque nobili debitos honores contigisse. *Prop.* 1, 20, 46. Miratae *(Dryades)* solitos destituere choros. *Tibull.* 1, 1, 38. solito membra levare toro. *Virg. A.* 11, 415. o si solitae quidquam virtutis adesset! *Ov. Met.* 11, 241. Quod nisi venisses, variatis saepe figuris, Ad solitas artes, auro foret ille potitus. *Id. Fast.* 4, 148. ad solitum rusticus ibit opus. *Id. Her.* 21, 125. at melius fuerat More bonis solito spem non corrumpere fraude. ℙ *Solitum*, absolute. *Virg. A.* 11, 383. Proinde tona eloquio, solitum tibi. *Id. G.* 1, 413. et *Hor. Od.* 1, 6, 20. Praeter solitum. *Val. Fl.* 7, 66. Solito superbior. *Ov. A. Am.* 2, 411. blandior. *Id. Fast.* 5, 547. citius. *Id. Her.* 15, 47. Plus solito. *Liv.* 25, 7. *med.* Visus sol rubere solito magis. *Sen. Ben.* 6, 36. Aetna immensa ignium vi supra solitum ardens. *Vell.* 2, 41. *f.* Siquando aliquid ex solito variaret.

SOLĪVĀGUS, a, um, adj. *φιλέρημος, οἰοπόλος*, qui solus vagatur. *Cic. Tusc.* 5, 13. de bestiis: Alias volucres coelo frui libero; serpentes quasdam, quasdam esse gradientes: earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas. *Id. Univ.* 6. *f.* Coeloque solivago, et volubili, et in orbem incitato complexus est, *h. e.* quod per se movetur. *Id. Off.* 1, 44. Solivaga cognitio, et jejuna videatur, *h. e.* quae in se ipsa solam vertitur, nec aliorum utilitati consulit. [*Id. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 25. Non est enim singulare, nec solivagum genus hoc *(hominum) F.*] *Capell.* 1, 15. Solivaga virginitas, *h. e.* quae comparem detrectat.

[SOLĪVERSOR, oris, m. qui solum, sive humum vertit, quod est porcorum proprium, Hinc in ludicro testamento M. Grunnii Corocottae Porcelli, (de quo vide in BUBULARIUS) ita ad porcellum ait cocus ap. *Grut.* inter suppositicia p. 18. *n.* 5. Veni huc eversor domi, soliversor, fugitive porcelle, etc. *F.*]

SOLĬUM, ii, n. *θρόνος*, sella regalis, thronus. *Fest.* ex lectione *Scal.* et *Voss.* Solia appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possunt sedere. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 510. Solum proprie est armarium uno ligno factum, in quo reges sedebant propter tutelam corporis sui: dictum quasi solidum: modo jam abusive sellam regalem intelligimus. Adde *ib.* 7, 169. *Cic. Fin.* 2, 21. *med.* Picta in tabula voluptas, pulcherrimo vestitu et ornatu regali, in solio sedens. *Virg. A.* 10, 116. solio tum Juppiter aureo Surgit; et *ib.* 11, 301. solio rex infit ab alto; et *ib.* 8, 178. Accipit Aeneam, solioque invi-

tat acerno; et *ib.* 7, 169. solio medius consedit avito. *Ov. Fast.* 6, 353. solium regale. ℙ Metonymice est regnum. *Id. Her.* 14, 113. Ille ferox solus solio sceptrisque potitur. *Claud. IV. cons. Hon.* 213. Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset. *Val. Fl.* 2, 309. donat solio sceptrisque paternis. *Id.* 6, 742. Quem genitor Colchis solioque reponere fratris Jam statuit. *Lucan.* 4, 690. Solio avorum aliquem depellere. *Lucr.* 5, 1135. regibus occisis subversa jacebat Pristina majestas soliorum, et sceptra superba. ℙ *Solium eburnum* ap. *Claud. Laud. Stil.* 199. est sella curulis. Adde *IV. cons. Honor.* 588. ℙ Et cadavera defunctorum, praesertim regum, solio ponebantur, vel in exsequiis, vel in sepulcro, sarcophagi vice. *Curt.* 10, 10. Septimus dies erat, ex quo corpus regis jacebat in solio. *Suet. Ner.* 50. In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante Lunensi ara, etc. *Flor.* 4, 11. *extr.* Cleopatra in mausoleum se recipit. Ibi maximos induta cultus, in differto odoribus solio juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est. *Plin.* 35, 12, 46. Quin et defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere. Alii rectius leg. *doliis.* V. adnotata ad *Plin. l. c.* in DOLIUM. *Paul. Nol.* non semel usurpat de loculo in altari, in quo conduntur SS. Martyrum corpora, ut *carm.* 34, 6. Et magni solium breve Confessoris adorat. Adde *carm.* 24, 317. Hoc sensu etiam *soleum* scribitur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 343. Locus concessus T. Aelio Timotheo patri soleum l., item P. Antonio Zmaragdo nutritori soleum l. ℙ Sella, qua sedentes JCti jus domi respondent. *Cic. Leg.* 1, 3. Cum non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem. *Id. Or.* 2, 33. Ista tum a Crasso discemus, cum se de turba, et a subselliis in otium, ut cogitat, soliumque contulerit. Alii leg. *solitudinemque.* [**Orell.* hab. *soliumque.*] ℙ Est etiam sella concava, labrum, alveus in balineis, in quem se demittebant lavaturi, ἐμβαὸς, πυέλιον. *Festus:* Alvei quoque lavandi causa instituti, quo singuli descendunt, solia dicuntur. *Vitr.* 9, 3. et *Cels.* 1, 3. et 4. Casu venit in balneum, ibique cum in solium descenderet, etc. *Suet. Aug.* 82. *extr.* Insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat. *Plin.* 33, 12, 54. Feminae laventur, et, nisi argentea, solia fastidiant. *Cels.* 7, 26. *n.* 5. In solium aquae calidae resupinus demittendus est. *Pall.* 1, 41. Scire convenit, quoniam de balneis loquimur, quae sunt malthae calidariae, frigidariae, ut siquando in soliis scissa sunt opera, possit repente succurri. Meminit et *Cato R. R.* 10. ℙ Ad alios usus. *Plin.* 19, 2, 8. Spartum perfusum aqua calida in solio, ac siccatum stans, compendium operae fatetur. ℙ Notationem alii aliam tradidere. *Fest.* videtur a *solus* ducere, Osco vocabulo, quo totus, integer, solidus significatur: quia olim solia ex uno ligno fiebant. Item tamen subdit, a sedendo potius dictum esse videri: nempe quasi *sedium*, ut *sella* quasi *seda.* Adde *Serv. l.* ab in. *c.* et *Voss.* in *Etym.* ℙ Ex allatis scriptorum locis patet, fuisse solia tum lignea, tum argentea, et in balneis etiam structilia.

SOLLA, inquit *Festus* appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possint sedere. *Scal., Voss., Graev.*, et alii leg. *solia.*

SOLLEMNIS, etc. V. SOLEMNIS.

SOLLERS, etc. V. SOLERS.

SOLLĬCĬTĀTĬO et Solicitatio, onis, f. ἔπειξις, πείρασις, instigatio, concitatio, quae fit spe aut metu incusso, ut inducatur aliquis ad quippiam prave agendum. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Milites ornari volui a senatu, ut ab omni omnium sollicitatione aversos eos, tales vobis praestare possem, quales adhuc fuerunt. *Cic. Cluent.* 19. *med.* De insidiis, quae fierent Avito: et de sollicitatione Diogenis, etc. *Id. Cat.* 3, 9. *med.* Sollicitatio Allobrogum. *Sen. Contr.* 2, 15. *med.* Tot sollicitationibus expugnari non potuit, tam fideliter pudicitiam custodivit. *Ter. Andr.* 1, 5, 25. Nuptiarum sollicitatio, *h. e.* quae mihi a patre fit, ut uxorem ducam. Ita legit *Donat.*, atque addit: Sollicitudo est, quae inhaeret mentibus: sollicitatio, quae ab alio fit. Plerique alii leg. ex plerique MSS. *sollicitudo.*

SOLLĬCĬTĀTOR et Solicitator, oris, m. ἐπειχτὴς, qui ad pravum quid inducere conatur, impulsor, instigator. *Sen. Contr.* 2, 15. *med.* Testamentum sollicitatoris, *h. e.* qui alienam uxorem de stupro appellavit. *Paul. Dig.* 47, 11, 1. Sollicitatores alienarum nuptiarum. Adde *eund. ib.* 11, 3, 14. *f.* et *Ulp. ib.* 11., ubi *sollicitator* dicitur alieni servi corruptor.

SOLLĬCĬTĀTUS et Solicitatus, a, um, part. a *sollicito:* loco motus, labefactatus, commotus, quassatus. *Lucr.* 2, 961. dolor est, ubi materiai Corpora vi quadam per viscera viva, per artus Sollicitata, suis trepidant in sedibus intus: Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas. Adde *Mart.* 11, 46. ℙ Translate. *Just.* 2, 13. *extr.* Ut viae cadaveribus implerentur, alitesque et bestiae, illecebris sollicitatae, exercitum sequerentur, *h. e.* illectae, invitatae; et 23, 1. Sollicitati praeda, infestas regiones reddebant. *Id.* 38, 1. *f.* Sollicitatus ad colloquium. *Plin.* 6, 22, 24. ad amicitiam; et 25, 2, 3. Asclepiades sollicitatus ex urbe Roma, praecepta pro se misit, *h. e.* a Mithridate enixe invitatus, ut Roma ad eum veniret. *Just.* 12, 2. Alexander in Italiam a Tarentinis sollicitatus. ℙ Est etiam tentatus, incitatus, instigatus, impulsus ad prave agendum. *Cic. Har. resp.* 20. Exercitus Luculli sollicitatus. *Liv.* 2, 42. Sollicitati dulcedine agrariae legis animi plebis. *Sall. Jug.* 22. Imperii cupidine sollicitata plebe. *Caes. B. G.* 7, 37. Sol- Sollicitatus pecunia, *Liv.* 31, 5. *f.* Ut sociis gratiae agerentur, quod diu sollicitati, ne obsidionis quidem metu fide decessissent. *Ov. Met.* 14, 669. Helene non pluribus esset Sollicitata procis. *Just.* 1, 7. *f.* Amicum, in adulterium uxoris sollicitatum, hostem sibi fecit.

SOLLĬCĬTĒ et Solicite, adv. ἐπιμελῶς, cum sollicitudine, diligenter, accurate. *Sen. ep.* 116. *med.* Sollicite custodire se. *Ov. Pont.* 4, 6, 43. vestri non immemor unquam, Qui mala sollicite nostra levatis, ero. Alii leg. *solliciti. Gell.* 1, 3. *f.* Haec Theophrastus caute, et sollicite, et religiose disseruit. *Id.* 3, 16. *f.* Accurate atque sollicite quaerere aliquid. *Sil.* 6, 572. Sollicite laetus, *h. e.* laetus quidem, sed cum aliqua solicitudine. [**Drak.* expl. laeti ob reditum, solliciti ob vulnera.] ut ap. *Ov. Met.* 10, 287. timide gaudere. *Ulp. Dig.* 26, 7, 3. Sollicite curare aliquid. *Plin. ep.* 3, 8. aliquid petere. *Id. ep.* 6, 15. *extr.* Tam solicite recitaturis providendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. *Id. ep.* 1, 19. *extr.* Solicitius custodiendus est honor; et *ep.* 4. Solicitius et intentius tui me, quam mei, excipiunt. *Sen. ep.* 93. *f.* Minimum est, de quo solicitissime agitur. *Suet. Claud.* 18. Annonae curam solicitissime semper egit.

SOLLĬCĬTO et Solicito, as, avi, atum, a. 1. loco moveo, agito, labefacto: a *solum*, locus, et *cito*, *as*, moveo, ut *Fest.* ex quorundam sententia docet. Unde patet, cur unico *l* scribatur. Alii ducunt ab Osco *sollus*, totus, quasi totum moveo: et liquidam scribendo geminant, quod ex antiquis lapidib. *Manut.* probat. Idem dic de *sollicitus*, et derivatis. Sunt qui putant, in soluta oratione utroque modo scribi posse: in metro duplici *ll* tantum, ut prima syllaba producatur. [**Schneid.* in *Gr. Lat.* 1, 407. docet, non propter derivationem ab Osco *sollus*, utpote quae incertissima, sed ideo duplici *l* scribendum esse, quod in omnibus fere lapidum inscriptt. illud scribendi genus obtinere videatur.] *Lucr.* 5, 163. Mundum sollicitare suis de sedibus. ℙ [*Saepius ponitur latiori sensu commovendi, agitandi, turbandi: unde varia ap. poetas orta dicendi genera, ad tellurem aratro subigendam etc. pertinentia, quae nonnulli etiam prosae orationis scriptores imitati sunt.] *Tibull.* 1, 8, 28. Primus aratra manu solerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitavit humum. *Ov. Fast.* 4, 395. herbae, Quas tellus, nullo sollicitante, dabat. *Virg. G.* 2, 418. Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus; et *ib.* 2, 503. Sollicitant alii remis freta caeca. *Id. A.* 12, 403. nequidquam spicula dextra Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum, *h. e.* tractando extrahere conatur. *Cels. praef.* 1. *f.* Vomitu stomachum, aut purgatione alvum sollicitare, *h. e.* ciere. *Ov. Am.* 3, 1, 5. Liminis adsricti sollicitare forem, *h. e.* movere, aperire. Alii leg. *fidem* pro *forem.* [*Cf. *Gron. Observv.* 2, 11. p. 152. *ed. Fr.*] et *ib.* 1, 7, 14. arcu sollicitare feras, *h. e.* agitare, venari. *Id. Met.* 11, 169. tum stamina docto Pollice sollicitat. *Claud. in Eutrop.* 1, 505. quid Martia signa Sollicitas? non est jaculis hastisve petendus, *h. e.* quid moves signa et arma? *Colum.* 9, 8. Salebris solicitari, *h. e.* concuti, jactari, succuti. ℙ Obsceno sensu *Ov. Am.* 3, 7, 74., *Petr. Sat.* 20. et *Mart.* 11, 22. et 46., item 3, 75., 6, 71. et 8, 56. ℙ Translate est allicere, invitare, movere, excitare. [*Spectat autem mutationem superioris status, sententiae, fidei — studiose et intente quaesitam. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 2, 12. p. 91. *a.* Huc pertinet locus, quem *Noster* infra posuerat *Lucr.* 4, 665. Sollicitatque ferox non aequis viribus hostes.] *Sen. Ben.* 3, 11. Parentum conditionem sacravimus, quia expediebat liberos tolli: sollicitandi ad hunc laborem erant, incertam adituri fortunam. [*Hic debebat constitui locus, quem *Forc.* nescio cur infra sejunctim posuerat, *Plin. ep.* 4, 13. *f.* Rogo, ut circumspicias praeceptores, quos solliciture possimus, h. e. tentare et allicere, ut docendi munus suscipiant.] *Plin.* 8, 23, 35. Cerastis eminere cornicula, quorum motu sollicitent ad se aves. *Ov. Fast.* 1, 303. Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco, Magnarumve fames sollicitavit opum. *Val. Fl.* 1, 260. Illum nec valido spumantia pocula Baccho Sollicitant, veteri nec conspicienda metallo Signa tenent. *Mart.* 12, 74. Nullum sollicitant haec, Flacce, toreumata furem. *Val. Max.* 4, 5. *n.* 1. *extr.* Cum Spurina mira specie feminarum sollicitaret oculos. *Claud. VI. cons. Hon. praef.* 11. Me quoque Musarum studium sub nocte silenti Artibus assuetis sollicitare solet. ℙ Item tentare, invitare ad aliquid prave agendum, καταπειράζω. *Cic. Cluent.* 16. *med.* Cujus servum Fabricius ad venenum Avito dandum, spe et pretio sollicitare coepit. *Id. Fam.* 15, 2. *med.* Dixit, se sollicitatum esse, ut regnare vellet. *Sall. Cat.* 49. *med.* Liberti Lentuli opifices atque servitia ad eum eripiendum sollicitabant. *Caes. B. C.* 3, 22. Quos ex aere alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. *Just.* 2, 12. Themistocles sollicitare Ionas in partes suas statuit. *Hirt. B. G.* 8, 23. Sollicitare civitates, et conjurationem contra Caesarem facere. *Nep. Paus.* 3. *f.* Servos sollicitare spe libertatis. *Ov. Her.* 20, 80. judicium alicujus donis. *Id. Met.* 7, 720. donisque pudicam Sollicitare fidem. *Id. Pont.* 3, 3, 30. Non me legitimos sollicitasse toros. *Id. Am.* 3, 9, 36. Sollicitor nullos esse putare Deos. ℙ Hinc universim urgere, instare. *Caes. B. G.* 3, 8. *med.* Reliquasque civitates sollicitant, ut in ea libertate, quam a majoribus acceperant, permanere, quam Romanorum servitutem perferre mallent. *Ov. Met.* 9, 681. usque suum vanis Telethusa maritum Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arcto. Adde *Sil.* 6, 562. *Tibull.* 3, 4, 53. Pro qua sollicitas coelestia numina votis. ℙ Cum inf. *Lucan.* 5, 68. finemque expromere rerum Sollicitat Superos. *Lucr.* 4, 1189. sollicitat spatium decurrere amoris. ℙ Item inducere, hortari, persuadere. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 51. Potest nos sollicitare lacus iste, ut committere illum mari velimus. *Plin. ep.* 3, 19. In his me multa sollicitant, aliqua, nec minora, deterrent. ℙ Item vexare, agitare, turbare, anxium et sollicitum reddere, πιέζω. *Cic. Att.* 1, 18. *med.* Multa sunt, quae me sollicitant anguntque. *Id. Fin.* 1, 16. Temeritas, et libido, et ignavia semper animum excruciant, et semper sollicitant, turbulentaeque sunt. *Ter. Andr.* 5, 3, 15. Cur me excrucio? cur me macero? cur meam senectutem hujus sollicito amentia? *Mart.* 7, 54. somnia, Quae moveant animum sollicitentque meum. *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* Ea me cura vehementissime sollicitat. *Ov. Trist.* 4, 8, 6. me nullo sollicitante metu. *Id. Fast.* 5, 40. Sollicitare aliquem bello. *Tibull.* 3, 5, 12. Nec cor sollicitant facta nefanda meum. *Virg. A.* 4, 380. Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. *Sen. Med.* 271. Sollicitare Deos, *h. e.* carminibus et veneficiis vexare. *Id. Octav.* 270. Renovare luctus parce cum fletu, pios Manes parentis neve solicita tuae, *h. e.* ne turbes. *Juven.* 16, 28. se Excusaturos non sollicitemus amicos, *h. e.* moleste non petamus ab amicis. ℙ Sollicitare pacem. *Liv.* 1, 21. Qui castra, non urbem, posita in medio ad sollicitandam omnium pacem crediderant. *Id.* 34, 16. *extr.* Sub corona veniere omnes, ne saepius pacem sollicitarent. ℙ *Hor. Sat.* 2, 2, 42. mala copia quando Aegrum sollicitat stomachum.

SOLLĬCĬTŪDO et Solicitudo, inis, f. μέριμνα, ἐπιμέλεια, angor animi, cura, negotium, molestia. *Cic. Tusc.* 4, 8. Sollicitudo est aegritudo cum cogitatione. *Id. Cluent.* 61. Quidquid hoc tempore habet sollicitudinis ac negotii, id omne a matre est conflatum. *Id. Off.* 3, 21. *med.* Angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus. *Id. Cluent.* 18. Ad respondendum surrexi, qua cura, Dii immortales! qua sollicitudine animi! quo timore! *Id. Div.* 2, 41. *med.* Utinam Deus sapientes Stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa sollicitudine et miseria crederent! *Q. Cic.* ad *Tiron. Fam.* 16, 8. et *Ter. Phorm.* 4, 1, 22. Istaec mihi res sollicitudini est. *Id. ib.* 2, 4, 1. Quanta me cura et sollicitudine afficit gnatus! *Auct. dial. de Or.* 13. *med.* Remotus a sollicitudinibus et curis. *Ter. Andr.* 4, 1, 26. Nescis, quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines. *Cic. Fam.* 9, 17. *f.* Sollicitudinem alicui afferre. *Pomp.* ad *Coss. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Nunc scitote, me esse in summa sollicitudine. *Cic. Fin.* 1, 16. Eas ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a Diis immortalibus supplicii causa importari putant. *Hor. Od.* 1, 18, 3. neque *(vino)* Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines. *Id. Epod.* 13, 10. Levare duris pectora Sollicitudinibus. *Id. Sat.* 2, 8, 67. torquerier omni Sollicitudine districtum. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Sed dices, me ipsum mihi sollicitudinem struere. *Plin.* 2, 12, 9. Liberare aliquem sollicitudine. *Id.* 33, 1, 6. Gemmarum sollicitudo, *h. e.* anxia cura, ne gemmae in anulis casu aliquo frangantur. ℙ Inter curam et sollicitudinem hoc esse discrimen ajunt, quod cura est in spe bonorum, sollicitudo in metu malorum. *Don.* ad *Ter. Andr.* 1, 5, 34. ait, sollicitudinem magis esse rerum incertarum. Illud certius videtur, sollicitudinem semper esse cum aegritudine et dolore animi, curam non item. Quare magis afficit illa, quam ista. Unde *Quint. prooem.* 8. *med.* Illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo esse solicitudinem, [*h. e. verborum non debemus negligentes esse, sed majorem etiam rerum curam postulo. Cf. *Sen. ep.* 75, 115. et quae ad v. *accuratus* et *calumniari* adnotavimus. Haec *Ernest.* in *Lex. technol. Lat. rhet.* p. 361. — *Id. ib.* docet, v. *sollicitus* et *sollicitudo* rhetores uti solere, ubi majorem quandam in dicendo vel calliditatem vel artem et studium significare vellent: hinc a *Quint.* 4, 2, 126. *fictum* et *sollicitum*, quoniam in utroque multum curae et studii consumeretur, ut synon. conjungi. — Porro *Id. ib.* alio, inquit, sensu *Plin. ep.* 5, 17. Calpurnii verecundiam, quam in voce et pronuntiatione ostendisset, ita laudat, ut *multum sanguinis*, *mul-*

tum sollicitudinis in ore habuisse eum dicat. In quo quidem loco *sanguine* pudorem quendam ex genarum rubore conspicuum, *sollicitudine* autem eum oris habitum significasse videtur, qui dicentis metum, ne forte displiceat audientibus, et modestam imbecillitatis professionem declarat. ℙ Confund. *sollicitudo* et *solitudo*. V. h. v. in f.]

SOLLĪCĪTUS et Solicitus, a, um, adj. [*Etymon est a *sollicito*, ubi v., ac proprie significat: loco motus, commotus, jactatus, agitatus. *Noster* ad f. laudaverat ista:] *Virg. G.* 4, 262. Ut mare sollicitum stridet refluentibus undis; et *Ov. Fast.* 5, 720. Utile sollicitae sidus uterque rati. *Lucr.* 1, 343. Sollicitus motus. ℙ [*Translate, quo significatu longe frequentius usurpatur, denotat curis affectum, cogitabundum cum aegritudine timoris, trepidum, inquietum, anxium, perturbatum; cui securus, opponitur, Gr. πολυμέριμνος. V. *Mart.* 4, 84. et 5, 31.] *Cic. Fin.* 2, 17. *med.* Anxio animo, aut sollicito esse. *Id. Att.* 2, 18. Suspenso animo et sollicito esse; et *ib.* 24. Amor omnis sollicitus atque anxius est; et *ib.* 9, 6. *med.* Antea sollicitus eram, et angebar, cum, etc. *Id. Sen.* 19. Quarta restat causa, quae maxime angere, atque sollicitam habere senectutem videtur, appropinquatio mortis. *Virg. A.* 9, 89. nunc sollicitam timor anxius angit. *Cic. Agr.* 1, 8. Civitas sollicita suspicione, suspensa metu, perturbata seditionibus. *Id. Fam.* 7, 3. Sollicitum te habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei. *Id. Att.* 8, 6. Quam sum sollicitus, quidnam futurum sit! et *ib.* 11, 6. Sollicitum esse te cum de tuis fortunis, tum de me ac de dolore meo, sentio. *Lamprid. Elag.* 14. Mater sollicita filio, *h. e.* de, vel pro filio. *Ter. Andr.* 1, 5, 33. Ex hoc misera sollicita est, quia, etc. *Id. Heaut.* 1, 1, 76. Tot mea solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant. *Quint.* 9, 4. *med.* Nec sum in hoc sollicitus, dum res ipsa volentibus discere appareat. *Just.* 2, 7. *med.* Sollicitus, ne tacendo parum reipublicae consuleret. *Tibull.* 4, 10, 5. Solliciti sunt pro nobis. *Gell.* 19, 1. Sollicitus pro vita. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. *med.* Sollicitiorem certe hominem neminem puto fuisse. *Sen. Ben.* 3, 13. Innocentiam sollicitiore habituri loco. *Tac. H.* 4, 58. Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis solicitior, aut pro me securior. *Quint.* 7, 1. Nos circa lites raras solicitiores. *Sen. Br. V.* 15. *f.* Illorum brevissima ac solicitissima aetas est, qui, etc. *Quint. decl.* 280. *med.* Hoc est, quod sollicitissimum facit. ℙ Illa poetica sunt *Ov. Pont.* 2, 3, 18. et sibi quid sit Utile, sollicitis supputat articulis. *Id. Trist.* 5, 2, 2. de epistola: Et tibi sollicita solvitur illa manu; et *Pont.* 4, 9, 130. sollicito quas damus ore preces. *Id. Met.* 15, 786. Phoebus Lurida sollicitis praebebat lumina terris. *Mart.* 11, 45. Solicitus pudor. *Id.* 9, 59. Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos, *h. e.* de quibus ego solicitus sum, judicium tuum veritus. *Id.* 12, 60. Turbida solicito transmittis Caecuba sacco, *h. e.* ipse solicitus. ℙ *Sollicitum habere aliquem*, sollicitudinem afferre, laborem, molestiam. *Pl. Men.* 4, 2, 11. Clientes sollicitos habent patronos; et *ib.* 20. Me hodie nimis sollicitum cliens quidam habuit: neque quod volui agere quidquam licitum est: ita me attinuit, ita me detinuit. *Ter. Heaut.* 3, 1, 51. Relevi omnia dolia, omnes serias: omnes sollicitos habui. ℙ De his, quae solicitum habent. *Cic. Am.* 15. In tyrannorum vita omnia semper suspecta, atque sollicita. *Hor. Sat.* 2, 6, 79. Sollicitae opes. *Ov. Pont.* 1, 5, 61. Sollicita cura. *Id. Met.* 6, 500. senecta. *Id. Trist.* 1, 11, 2. via; et *ib.* 4, 10, 116. lux; et *ib.* 1, 50. fuga; et 85. Hic ego sollicitae jaceo novus incola sedis; et *ib.* 3, 11, 10. et *Her.* 1, 12. Sollicitus metus; et *ib.* 18, 196. amor. *Id. A. Am.* 3, 374. dolor. *Id. Am.* 1, 6, 64. carcer, *h. e.* quem nequis rumpat, solliciti sumus; et *A. Am.* 1, 101. Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos, Cum juvit viduos rapta Sabina viros. ℙ Tribuitur et bestiis. *Id. Fast.* 6, 741. Solliciti terrentur equi, frustraque retenti Per scopulos dominum, duraque saxa trahunt; et *ib.* 5, 372. Imbelles caprae, sollicitusque lepus. *Id. Met.* 11, 599. Sollicitive canes, canibusve sagacior anser, *h. e.* vigilaces, attentique. Adde *Liv.* 5, 47.

SOLLĪCŪRĬUS, a, um, adj. in omni re curiosus. *Liv. Andron.* ap. *Fest.* in *Sollo*.

SOLLĪFERRĔUM. V. SOLIFERREUM.

SOLLISTERNĬUM. V. SOLISTERNIUM.

SOLLUS, Osce est totus, et solidus: et videtur esse ab ὅλος. Prisci scripsere solus: Ennius consuetudinem mutavisse fertur. *Fest.* in *Solitaurilia*, et alibi. [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 415. sq.]

SOLO, as, a. 1. ἐρημόω, solitarium reddo, desolo, vasto: a *solus*. *Stat. Theb.* 4, 36. quantas polo, vasto: a *solus*. *Stat. Theb.* 4, 36. quantas populis solaverit urbes. (Est qui leg. *spoliaverit:* atque ita habetur in nostro MS.) et *ib.* 5, 149. solare domos, juvenumque senumque Praecipitare colos. V. SOLATUS.

*SOLOBRISAE, arum, gens Indica, cujus meminit *Plin.* 6, 20. *B. A.*

SOLOECISMUS, i, m. σολοικισμός, vitium grammaticale, impar et inconveniens compositura partium orationis, ut *Sinnius Capito* ap. *Gell.* 5, 20. definit. Vel, (ut *Auct.* ad *Her.* 4, 12.) est, cum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur. *Juven.* 6, 456. soloecismum liceat fecisse marito. *Gell.* 15, 9. Tam immanem soloecismum nihil veritus est. *Mart.* 5, 39. Unus cum sitis; duo, Calliodore, sedetis. Surge: soloecismum, Calliodore, facis. Adde *Suet. Gr.* 22. ℙ Fit quatuor praecipue modis, ut *Quint.* docet 1, 5. *med.;* adjectione, ut *Veni de Susis in Alexandriam:* detractatione, ut *Ambulo viam*, *Aegypto venio*, *Ne hoc fecit:* transmutatione, qua ordo turbatur, ut *Quoque ego*, *Enim hoc voluit*, *Autem non habuit:* immutatione, cum aliud pro alio ponitur, hoc per omnes partes orationis deprehenditur, frequentissime in verbo. V. plura *ib.* et ap. *Charis.* 4. *in. Diomed.* 2, 448. etc. ℙ Ipsa appellatio Graeca est, ducta a Solis Ciliciae urbe, a Solone condita, ubi paucos Athenienses eum reliquisset, paulatim coeperunt patrium sermonem corrumpere; unde σολοικίζειν dicti sunt. Negat tamen *Gell. cit.* 5, 20. Atticos σολοικισμοῦ voce usos esse, sed σολοίκου: Latine autem a *Sinnio Capitone*, et aliis ejusdem aetatis appellari *imparilitatem*, a vetustioribus *stribliginem*. Nostri quoque antiquiores, inquit, *soloecum* facile, *soloecismum* haud scio an unquam dixerint. Huc spectat hic locus *Capell.* 3, 50. Grammatice protulit quoque limam quandam artificialiter expolitam, quae octo partibus auratis, velut diversis nexionibus interstincta vibrabat. Ex qua scabros dentes vitiliginesque linguarum et sordes, quas in Soloe quadam civitate contraxerat, leni sensim attritione purgabat. ℙ Soloecismos poetarum, si qui in iis reperiantur, schemata appellari docent *Quint.* 1, 8. *f.*, *Charis. l. c.*, *Diomed.* 2, 446. et 449. Tamen *Serv.* ad *A.* 5, 120. medium quid interesse ait inter haec duo, quod *figuram* appellat. V. SCHEMA. ℙ Translate *soloecismum facere*, est in re aliqua peccare. *Mart.* 11, 20. Saepe soloecismum mentula nostra facit, *h. e.* illegitimo coitu abutitur. Quo pertinet illud *Cic. Att.* 14, 6. Nihil enim tam σόλοικον, quam τυραννοκτόνους in coelo esse, tyranni facta defendi; et *ib.* 2, 10. Est enim ὑποσόλοικον, cum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναφαίνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem. *Hieron. in Helv. n.* 16. Apud Christianos soloecismus est magnus et vitium, turpe quid vel narrare, vel facere. ℙ Abjecta praepositiva diphthongi, quod in Graecis saepe poetae faciunt, fit σολικισμός, *solicismus* secunda correpta. *Auson. epigr.* 138. Da rectum casum, jam solicismus erit. Hic *Auson.* soloecismum pro barbarismo posuit. V. integr. *epigr.*

SOLOECISTA, ae, m. σολοικιστής, qui soloecismos loquitur. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 6. Et te nequaquam soloecistam ac barbarum, sed mendacem, subdolum, impudentem esse convincam.

*SOLOECOPHĀNES, σολοικοφανές, Soloecismi speciem habens. Figura eadem est, quae et Alloeosis: ut, *Praeneste sub ipsa*, cum *Praeneste* sit neutrius generis; sed retulit ad *civitatem*. *Ter.* in *Prol. Eun.* 32. In Eunuchum suam: subint. *fabulam*, *comoediam*. ℙ *Manutius* σολοικοφανὲς inconsequentem et obscuram dixit esse locutionem, cujusmodi illa est *Cic. Fam.* 4, 6. quae incipit, *Quare ad eam spem, quam extra ordinem* etc. usque ad ejus periodi finem. Hujus generis vitia etiam ex orationibus *Cic. Verr.* aliquot annotavit *Asconius. B. A.*

SOLOECUM, i, n. σόλοικον, idem quod soloecismus. *Gell.* 5, 20. Nostri quoque antiquiores soloecum facile, soloecismum haud scio an unquam dixerint. *Id.* 17, 2. *med.* Si dicas *in medium ponere*, id esse soloecum putant.

SOLON, ōnis, m. Σόλων, vir Atheniensis, vel, ut alii tradunt, Salaminius, unus ex Sapientibus Graeciae, peritus politices et legum ferendarum, qui Atheniensibus leges dedit post Codri mortem, annumque ordinavit ac menses. Pisistrato per tyrannidem Athenas occupanti sponte cessit, variasque urbes peragravit, tandemque in Cypro insula mortuus est. Laudatur passim a scriptoribus tanquam justissimus. *Juven.* 10, 274. Et Croesus, quem vox justi facunda Solonis, etc. *Cic. Off.* 1, 30. *med.* Versutum et callidum factum Solonis, qui quo et tutior vita ejus esset, et plus aliquanto reipublicae prodesset, furere se simulavit. ℙ *Rectum *Solo* pro Solon habes ap. *Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 2, 1. itemque *Gell.* 11, 18. *in.* ed. *Gronov.* ℙ Alius est, cujus meminit *Liv.* 44, 45. *B. A.*

[SOLONĀTES, ium, m. plur. incolae urbis Solonae, nunc *Città del Sole*, in Gallia Cispadana medio inter Caesenam et Faventiam loco. Eos nominat *Plin.* 3, 16, 20. et *Inscr.* ap. *Grut.* 1093, 2. Curator Solonatium. *F.*]

*SOLONĬUM, i, n. campus agri Lanuvini, ut docet *Cic. Div.* 1, 36. Adde 2, 31. et *Att.* 2, 2. ℙ Adjective *Liv.* 8, 12. *in.* Solonius ager *B. A.*

SOLOR, aris, atus sum, dep. 1. παραμυθέομαι, consolor, spem facio, dictis alloquor, levo, et recreo. Est vox plerumque poetica: et refertur tum ad personas, tum ad res ipsas, propter quas solamen adhibetur. *Pl. Epid.* 1, 2, 9. Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis. *Hor. ep.* 2, 1, 131. inopem solatur et aegrum. *Virg. A.* 4, 393. lenire dolentem Solando cupit, et dictis avertere curas; et *ib.* 9, 290. solare inopem, et sucurre relictae. *Ov. Fast.* 5, 237. Solari aliquem verbis amicis. *Stat. Theb.* 2, 353. dolorem amplexu. *Id. Silv.* 4, 4, 49. otia vitae cantu. *Virg. G.* 4, 464. de Orpheo: cava solans aegrum testudine amorem. *Id. A.* 9, 489. tela curas solabar aniles. *Id. ib.* 12, 110. Solari metum. *Ov. Fast.* 2, 821. lacrimas alicujus. *Tac. A.* 2, 36. repulsam. *Sen. Oct.* 184. mala. *Plin. ep.* 8, 11. Desiderium fratris amissi aut nepote, aut nepte solari. *Tac. A.* 16, 13. Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est, ut amissa urbi reponerent. *Pl. As.* 3, 1, 37. Solari spem suam. *Ov. Trist.* 4. 6, 49. Una tamen spes est, quae me soletur in istis, Haec fore morte mea non diuturna mala. *Val. Fl.* 4, 578. nec spe dubios solabor inani. *Hor. Od.* 2, 5, 6. juvenca solans aestum gravem fluviis. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 196. Aethiopum pluviis solabitur aestus. *Ov. Met.* 11, 685. solantia tollite verba; et *ib.* 448. Multaque respondit timidum solantia pectus. ℙ Solari famem: solari aliquem cibo. *Virg. G.* 1, 159. Concussaque famem in silvis solabere quercu. *Id. A.* 5, 41. fessos opibus solatur amicis. *Hor. Sat.* 2, 6, 117. me silva cavusque Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. ℙ Sunt qui et *Cic.* tribuunt *Vat.* 11. *f.*, sed ibi plerique omnes leg. *consolatur*. ℙ *Prisc.* 8, 791. et 792. enumerat inter ea, quae etiam passionem significant. Hinc part. *solandus* passive ap. *Ov. Trist.* 5, 4, 41. qua consolatus amicum Sis ope: solandus cum simul ipse fores. V. CONSOLOR.

*SOLORĬUS, i, m. nomen montis, vel montis potius jugorum, in Hispania. *Plin.* 3, 1. Tarraconensis *(Hispania)* autem hinc adfixa Pyrenaeo totoque ejus latere decurrens — Solorio monte et Oretanis jugis Carpetanisque et Asturum a Baetica atque Lusitania distinguitur. ℙ Hodiernum nomen, si recte judicat *Hard.*, est *Sierra de los Vertientes. B. A.*

SŎLOX, ōcis, adj. omn. gen. qui totus est et integer, nam Osce *solus* est totus et solidus (V. SOLLUS); hinc *pecus solox* dicuntur oves, quae tota lana seu intonsae et intectae in montibus pascebantur sacrificiis asservatae: inde etiam earum lana crassior solox dicta est. *Gloss. Philox.* Solox, ἱρὸν παχύ. *Festus:* Solox lana, crassa, et pecus, quod passim pascitur non tectum. Titinius: Ego ab soloci lana ad purpuram data: et Lucilius: Pascali pecore et montano, hirto atque soloci. [*Doederl.* 1, 178. *Festi gloss.* modo laudatam esse corruptam certo praedicat. *Paul.* ex *Festo:* Solox lana, crassa; vel pecus, lana contectum, i. e. densissime tectum. Ceterum *solox* forma tantum, non origine distat a *solidus*, ubi v.] *Front. de eloqu.* (ed. *A. Maio*) p. 228. Ingratiis tamen tibi purpureum pallium erit sumendum, non pallium philosophorum soloci lana. [*Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 78. docet: solocem lanam eandem esse, quam alias rudem, i. e. infectam, non carminatam appellassent.] ℙ Hinc *solox* absolute accipitur etiam pro veste ex lana soloci. *Tert. Pall.* 4. *med.* Endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit. ℙ Translate. *Sym. Ep.* 1, 1. *med.* Quare elaboratam filo soloci accipe cantilenam. *Cic. Fam.* 9, 12. dixit *crasso filo* eodem sensu. [*Emendavit h. l. *F.*]

SOLPŪGA. V. SOLIPUGA.

SOLSĔQUĬUM, ii, n. ἡλιοτρόπιον, herba solem sequens, quae et heliotropium. *Appul. Herb.* 49.

SOLSTĬTĬĀLIS, e, adj. τροπικός, ad solstitium pertinens, quod mense Junio in tropico Cancri fit; nam alterum, quod Decembri in Capricorno, *bruma* dicitur. *Cic. Tusc.* 1, 39. *f.* Solstitialis dies, *h. e.* longissimus omnium, quo solstitium fit. *Id. N. D.* 3, 14. *f.* Cur sol se referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemque brumali: qui *solstitialis circulus* dicitur a *Varr. L. L.* 8, 18. et *Plin.* 2, 11, 8. et *ib.* 70, 70. Ap. *eund.* 18, 34, 77. *n.* 1. exortus solstitialis est ea pars coeli, in qua sol exoritur solstitio; quem 12, 14, 30. ortum solis aestivi appellat. Eodem modo *Solin.* 25. Tingitana, qua solstitiali plagae obvia est, exsurgit montibus septem. *Ov. Pont.* 2, 4, 25. Longa dies citius brumali sidere, noxque Tardior hiberna solstitialis erit. *Id. Fast.* 6, 790. et *Vitr.* 9, 5. Solstitiale tempus. ℙ *Herba solstitialis*, quae solstitii die nascitur, eodemque exarescit nimio solis calore. *Pl. Ps.* 1, 1, 36. Quasi solstitialis herba paulisper fui: repente exortus fui, repentino occidi. *Auson. Prof.* 6, 35. Solstitialis Velut herba solet, Ostentatus Raptusque simul. *Plin.* 26, 5, 6. vocat *herbam solstitialem* condurdum, flore rubro, quae suspensa in collo strumas comprimat. *Hard.* ait, condurdum esse ad hunc diem herbariis incognitam. Ceterum *solstitialis* generatim dicta videtur quaevis herba, quae unico solstitii die nascitur et moritur, quemadmodum etiam eodem sensu *caniculata* uva quaedam fortasse appellata est. V. CANICULATUS. Sic *acini solstitiales* ap. *eund.* 14, 16, 18. sunt, qui in uvis labruscae aestu et solstitio pereunt: nam alii in iisdem durant, licet nunquam maturescant. ℙ *Spina solstitialis* ap. *Colum.* 8, 18. est, quae solstitio et aestate provenit, vel floret. ℙ *Morbus solstitialis* ap. *Pl. Trin.* 2, 4, 143. quis sit, non est exploratum. Alii intelligunt comitialem; alii subitaneum; alii uno die conficientem; alii vehementissimae et ardentis febris, cujusmodi in magnis fervoribus incidere solent; alii denique quemcumque morbum aestivum. V. SIRIASIS. ℙ *Solstitialis* interdum simpliciter refertur ad aestatem, et calo-

res. *Liv.* 35, 49. Cum miraremur, unde illi solstitiali tempore tam multa venatio. *Lucan.* 6, 337. medios ignes coeli, rabidique Leonis Solstitiale caput. ℙ Item ad cursum solis annuum: estque idem ac solaris. *Liv.* 1, 19. Tricenos dies singulis mensibus luna non explet: desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe. *Serv.* ad *A.* 4, 653. Cui ultra centum et viginti solstitiales annos concessum non est.

SOLSTITĬUM, ii, n. *ἥλιου τροπή*, tempus illud, quo sol stare videtur aliquantisper, tum quando signum Cancri ingreditur Junio mense, tum quando Capricorni Decembri: illud est solstitium aestivum, quo sol incipit a nobis recedere: hoc hibernum, quo ad nos accedere. Stare, inquam, videtur, quia in Cancro inter finem progressus, et initium descensus mora aliqua quietis intercedit: similiter in Capricorno inter finem descensus, et initium regressus. *Colum.* 11, 2. *f.* XVI. Cal. Jan. sol in Capricornum transitum facit: brumale solstitium, ut Hipparcho placet. *Id.* 7, 3. *med.* Ut ante aestivum, quam hibernum solstitium convalescat. *Plin.* 2, 103, 106. Fons tertia noctis hora ab aestivo solstitio exundat. ℙ Optimi quique scriptores hoc nomine aestivum significant: nam hibernum *brumam* vocant. *Varr. L. L.* 5, 2. Alter motus solis est, alter coeli, quod movetur a bruma ad solstitium. Solstitium, quod sol eo die sistere videatur. *Cic. N. D.* 2, 7. Solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci. Adde *Varr. R. R.* 1, 28. et *Plin.* multis in locis, qui 18, 28, 68. *n.* 1. solstitium peragi docet in octava parte Cancri, VIII. cal. Jul., et verti eo die folia arborum, ut alia parte coelum respiciant, quam qua spectavere pridie: quod et *Varr. R. R.* 1, 46. et *Gell.* 9, 7. in olea, populo alba, salice, ulmo et tilia fieri scribunt. Adde *Plin.* 16, 22, 34. ℙ Per synecdochen ponitur pro aestate. *Hor. Ep.* 1, 11, 18. Paenula solstitio, campestre nivalibus auris. *Virg. G.* 1, 100. Humida solstitia, atque hiemes orate serenas. *Id. Ecl.* 7, 47. Solstitium pecori defendite, [*i. e. calorem aestivum.] *Ov. Trist.* 5, 10, 7. Nec mihi solstitium quidquam de noctibus aufert: Efficit angustos nec mihi bruma dies. *Sen. Ben.* 1, 12. Mittere alicui vestimenta aestiva bruma, hiberna solstitio. Adde *Sen. alter. Hipp.* 766. ℙ Olim et *solis institium* scriptum fuit. V. INSTITIUM.

SOLUBILIS, e, adj. *λύσιμος*, qui solvi facile potest, solutilis. *Ammian.* 16, 8. *med.* Fossam ponte solubili superstravit. *Minuc. Octav.* 34. Mundus Deo soli solubilis, et mortalis. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 506. corruptela Contaminatae carnis ac solubilis, *h. e.* morte solvendae. ℙ Active, solvens, relaxans. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. Solubilis plurimus aer esse perspicitur.

[SOLVENSIS, e, adj. ad Solvam pertinens, opp. Norici, nunc *Softeld*, quod, quia colonia fuit a Vespasiano Aug. deducta, Flavium Solvense a *Plin.* 3, 14, 27. dicitur. Ejus coloniae mentio est in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 120, 7. et 244, 2. *F.*]

SOLUM, adv. *μόνον*, dumtaxas, solummodo, tantum, tantummodo. *Cic. Leg.* 1, 20. *med.* De re una solum dissident: de ceteris mirifice congruunt. *Id. Tusc.* 3, 5. *med.* Quasi vero atra bili solum mens, ac non saepe vel iracundia, vel timore, vel dolore moveatur. *Id. Phil.* 2, 32. Nos nuntiationem solum habemus, consules etiam inspectionem. *Caes. B. G.* 1, 12. *f.* Non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est. *Id. ib.* 20. Quibus opibus non solum ad minuendam gratiam, sed paene ad perniciem suam uteretur. *Sall. Cat.* 40. Neque sulum cives, sed cujuscumque modi genus hominum sollicitabat. *Nep. Thras.* 1. *extr.* Non solum princeps, sed et solus initio bellum his indixit. *Id. Att.* 20. *extr.* Cum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet. *Hor. Sat.* 1, 6, 84. pudicum servavit ab omni Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi.

SŌLUM, i, n. *πέδον*, *ἔδαφος*, fundus, fundamentum, ima pars. [*Isidorus *solum* derivat a *solidus*. *Doederl.* 1, 178. vice versa *solidus* a *solum* deducens, hujus vocabuli originationem a *saliendo* facit, coll. Gr. *ἅλσος*, ita ut proprie *solum* non cujuscunque generis fundum et fundamentum, sed locum designet saltando, choris ducendis aptum: nostr. *Tanzplatz*, *Tummelplatz*. Plura in hanc rem eleganter disputata v. ap. ipsum.] *Caes. B. G.* 7, 72. Fossam pedum viginti directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant. *Cic. Par.* 6, 3. Aurata tecta in villis, et sola marmorea facere, [*i. e. pavimenta.] *Sen. Ag.* 475. Venti rapiunt pelagus infimo eversum solo. Vetus Lapis ap. *Fabr.* p. 678. *n.* 47. Sacraria Numinum vetustate dilapsa a solo restituit. *Liv.* 30, 26. Incendium, quo clivus Publicius ad solum exustus est; et 24, 47. *f.* Foedum incendium, quo solo aequata omnia inter Salinas, ac portam Carmentalem. *Vell.* 2, 4. Numantiam excisam aequavit solo. Et translate. *Cic. Brut.* 74. et *Or.* 3, 37. *f.* Solum, et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam et Latinam. ℙ Area, cui aedificium superponitur. *Paul. Dig.* 13, 7, 21. Domo pignori data, et area ejus tenebitur: est enim pars ejus. Et contra jus soli sequitur aedificium. ℙ Universim quidquid sustinendo aptum est, *solum* dicitur. Unde *Virg. A.* 7, 111. *Cereale solum* vocat paniceas quadras, seu adorea liba, quibus usi Troes epulis imponendis. *Id. ib.* 5, 199. vastis tremit ictibus (*remigantium*) aerea puppis, Subtrahiturque solum, *h. e.* mare naves sustinens. Sic *Val. Fl.* 4, 712. Pontique jacentis Omne solum. [*Suet. Claud.* 20. et ad introitum profundo jam solo mole objecta; ubi al. leg. *salo* ob verba Dionis: *ἐν ἀντῷ τῷ πελάγει.*] *Ov. Fast.* 1, 109. Flamma petit altum: propior locus aera cepit: Sederunt medio terra fretumque solo. *Id. Met.* 1, 73. Astra tenent coeleste solum. *Stat. Th.* 1, 55. de Oedipo caeco: manibusque cruentis Pulsat inane solum, *h. e.* cavum, quo sedent et sustinentur oculi. ℙ *Varr. R. R.* 1, 47. Solum hominis exitium herbae, et semitae fundamentum, *h. e.* vestigium pedum, [*planta pedis.] Sic *Lucr.* 1, 925. Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo, *h. e.* nullius pedibus calcata; et *Varr. R. R.* 2, 9. Canes debent esse pedibus magnis, unguibus duris ac curvis, solo nec ut corneo, nec nimium duro, sed ut fermentato ac molli. *Prud. περὶ στεφ.* 14, 116. Nunc virginali perdomitus (*draco*) solo, *h. e.* pede, calce pressus. (Adde *ib.* 7, 65. et *Cath.* 3, 128.) *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi amictui est Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum; cubile, terra. *Cato R. R.* 76. Placentam sic facito. Farinae siligineae libras duas, unde solum facias in tracta, etc. et *Mart.* 9, 74. Et mordere luto putre vetusque solum. Sic *Pl. Bacch.* 2, 3, 98. Qui soccis habeat auro subpactum solum. *Prud. Apoth.* 734. triverit udum Non submersus iter, sola pendulus, et pede sicco, *h. e.* pendens in soleis. ℙ Saepe de terra, et agro dicitur. *Cic. Agr.* 2, 25. *f.* Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro perstringi non possit? *Id. Brut.* 4. *med.* Serere aliquid in inculto et derelicto solo. *Colum.* 2, 2. Solum pingue, putre, densum, etc. et *in. praef.* defatigatum et effetum. *Ov. Met.* 6, 246. ponere membra solo; et *Tac. H.* 1, 41. Solo quippiam affligere; et *Ov. Her.* 1, 47. Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis Ilios, et, murus quod fuit ante, solum? ℙ *Solum terrae*, ipsa terra. *Lucr.* 5, 1288. Aere solum terrae tractare, *h. e.* arva colere. *Catull.* 63, 7. Et jam recente terrae sola sanguine maculans. *Caes. B. G.* 1, 11. Sibi praeter agri solum nihil esse reliqui: i. e. agri superficiem nudatam satis omnibus vastatione hostili. ℙ *Solum*, quicumque locus, regio, sedes. *Cic. Leg.* 2, 2. Sum illi villae amicior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. *Id. Cat.* 4, 7. *extr.* Hoc commune patriae solum, carum, dulce, atque jucundum. *Ov. Met.* 8, 184. tractusque soli natalis amore. *Id. Pont.* 2, 11, 28. Maxima Fundani gloria, Rufe, soli, *h. e.* oppidi Fundorum. *Id. Fast.* 3, 291. Picus, Faunusque, etc. Romani numen utrumque soli. *Cic. Balb.* 5. *med.* Vos, mutae regiones, imploro, et sola terrarum ultimarum. ℙ Hinc *solum vertere* est alio migrare. *Id. ib.* 11. *med.* Hanc ante civitatem amittere non potuissent, quam hujus solum civitatis mutatione vertissent. *Id. Caecin.* 34. *med.* Qui volunt poenam aliquam subterfugere, eo solum vertunt, hoc est sedem ac locum mutant. *Id. Quint.* 28. *med.* Exsilii causa solum vertere. *Id. Par.* 4. *f.* Omnes scelerati exsules sunt, etiam si solum non mutarunt. ℙ *Res soli* dicuntur a JCtis, quae terra nituntur, ut aedes, agri, plantae, et ceterae res immobiles, quae solo conjunguntur. *Plin. ep.* 6, 19. Candidatos tertiam patrimonii partem conferre jussit in ea, quae solo continerentur; et *Suet. Tib.* 48. Ut feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent. [*V. *Brem.*] *Sen. Q. N.* 2, 1. Tertia pars de agris, terris, arbustis, satis quaerit, et, ut Jurisconsultorum verbo utar, de omnibus, quae solo continentur. *Ulp. Dig.* 13, 3, 1. Omnes res per hanc condictionem peti, sive mobiles sint, sive soli. *Id. ib.* 43, 15, 1. *med.* De possessione rei soli experiri. ℙ *Quodcumque in solum venit*, proverbium, quo significatur, quidlibet, quidquid occurrit, quidquid casus fert, quod in buccam venit, temere: ductum fortasse a frugibus, quae sementi non respondent, sed enascuntur interdum inutilia quaedam, atque in solum veniunt, praeter agricolae exspectationem. *Id. N. D.* 1, 23. *f.* Quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. *Id. Fam.* 9, 26. Convivio delector: ibi loquor quod in solum, ut dicitur. *Varr.* ap. *Non.* 9, 8. Libet me epigrammata facere: et quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit, ponam. *Manut.* huc pertinere ait haec duo loca *Afranii*, ap. *Non.* 2, 426. Orbitatem tuae senectuti malam metui, quod in solum non venit caeco ac dementi. *Id.* ap. *eund. ib.* Ne eveniret, quod nunc agitur, in solum. Utrobique *Nonius* legit conjunctim *insolum*, et male interpretatur *insolitum*. [*Alias hujus proverbii interpretationes v. in *Wolf. anall.* litt. 4. p. 347. sq. ℙ Confund. *solo* et *loco*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 28.]

SOLUMMODO, adv. *μόνον*, solum, tantummodo. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 35. Unam solummodo Zenonis statuam Cypria in expeditione non vendidit Cato. *Quint. f. serm. decl.* 247.*Ita illud quoque, *nuptiis collocata*, efficit uxorem: sed non hoc solummodo erit. *Ulp. Dig.* 9, 2, 23. Pretii solummodo fieri aestimationem; et *ib.* 11, 5, 1. *f.* Solummodo poenalem actionem negatam. Adde *Tert. Res. carn.* 26. *med.* et *Minuc. Octav.* 35. *f.*, quae loca *Cell.* in *Cur. poster.* jam congesserat.

[SOLUNTINI, orum, m. plur. *Σολοντῖνοι*, incolae Soluntis, Siciliae oppidi nunc excisi, inter Panormum et Thermas Himerenses, in monte hodie *Catalfano* nuncupato. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Heracliensium, Gelensium, Soluntinorum incommoda proferentur. In editionib. perperam legitur *Solentinorum*. *F.*]

SOLVO, is, vi, lutum, a. 3. *λύω*, *διαλύω*, quod ligatum est, a vinculis libero. *Ter. Andr.* 5, 4. *f.* Davus non recte vinctus est: jube solvi, obsecro. *Virg. Ecl.* 6, 23. quo vincula nectitis? inquit. Solvite me, pueri. *Hor. Od.* 3, 21, 22. solvere nodum. *Id. Ep.* 1, 1, 8. equum senescentem. *Ov. Met.* 3, 700. lapsae nullo solvente catenae; et *Plin. ep.* 2, 8. Laqueos si solvere negatur, abrumpam. *Phaedr.* 1, 2. Solvere frenum. *Prop.* 1, 3, 21. corollas de fronte. *Tibull.* 2, 1, 7. vincla jugis boum. *Sen. Thyest.* 797. currus, *h. e.* equos a curru. *Ov. Fast.* 4, 333. funem a stipite. *Id. Met.* 9, 58. nexus a corpore. *Id. Fast.* 3, 2. comas casside; et *ib.* 4, 135. redimicula collo. *Id. Met.* 11, 682. nec crinem solvere curat, Scindit. *Virg. A.* 4, 574. solvere vela, *h. e.* expandere. *Id. ib.* 7, 403. crinales vittas. *Brutus* ad *Cic. Fam.* 11, 10. ergastula, *h. e.* servos catenatos in ergastulis. *Nep. Ann.* 11. et *Cic. Att.* 15, 4. *f.* epistolam, *h. e.* linum incidendo aperire, quod *Id. Nep.* dixit *Paus.* 4. vincula epistolae laxare. *Ov. Trist.* 1, 2, 2. ratis quassatae membra; et *Prop.* 2, 7, 44. texta; et *Tac. A.* 1, 69. pontem; et *Val. Fl.* 1, 433. collectas jam solvit fibula vestes. ℙ *Solvere navem* ap. *Pl. Mil.* 4, 7, 17., *Caes. B. G.* 4, 36. et *B. C.* 1, 28. et *Nep. Ann.* 8. est, soluto fune discedere a litore, et in altum provehi. Sic *Cic. Att.* 1, 13. Solvere ancoram; et *Lucan.* 4, 583. rates litore; et 2, 649. cavas a litore puppes. *Prop.* 3, 5, 53. classem. *Id.* 1, 8, 11. Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena. ℙ Saepe hoc sensu *solvere* absolute ponitur. *Cic. Fam.* 16, 9. Nos eo die coenati solvimus. *Id. Off.* 3, 12. Complures mercatores Alexandria solvisse. *Caes. B. C.* 3, 101. Solvere a terra. *Id. B. G.* 4, 28. Naves ex portu leni vento solverunt. ℙ Translate est laxare, relaxare. *Colum.* 9, 13. Tithymalus ventrem solvit. *Plin.* 14, 18, 22. Thasia uva solvit alvum. *Cels.* 1, 3. *med.* Alvum adstringit labor, sedile, etc. contra solvit aucta ambulatio atque esca. ℙ Item aperire incidendo. *Colum.* 6, 14. Cum vena intumuit, cultello solvitur. ℙ Solvere os. *Ov. Met.* 7, 190. ternis ulutatibus ora Solvit. *Tibull.* 4, 5, 14. Impia in aversos solvimus ora Deos. Sic *Ov. Met.* 3, 261. tum linguam ad jurgia solvit. *Lucan.* 1, 472. de Fama: Innumeras solvit falsa in praeconia linguas. *Sen. Thyest.* 682. Solvere vocem. ℙ Pro discutere. *Plin. ep.* 6, 16. Nox omnibus noctibus nigrior densiorque, quam tamen faces multae variaque lumina solvebant. *Cels.* 2, 6. *med.* Eo tempore, quo ebrietas solvi debet. *Plin.* 37, 10, 54. Lassitudinem solvere. *Virg. A.* 4, 55. Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem. *Quint.* 6, 3. Risus tristes affectus solvit. ℙ Item languidum reddere, vires adimere, resolvere. *Virg. G.* 4, 199. nec corpora segnes In Venerem solvunt; et *ib.* 3, 523. ima Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes. *Quint.* 9, 4. Solvere vires. *Id.* 1, 2. Infantiam statim deliciis solvimus. *Virg. A.* 12, 955. ast illi solvuntur frigore membra. *Ov. Met.* 7, 185. homines, volucresque, ferasque Solverat alta quies. ℙ Pro putrefacere. *Virg. G.* 4, 302. Tunsa per integram solvuntur viscera pellem. *Lucan.* 6, 87. et 7, 809. tabes solvit corpora. ℙ Item conficere, finire. *Curt.* 8, 9. *f.* Nec ullus corporibus, quos senectus solvit, honos redditur. ℙ *Solvere alicui vitam* est adimere, solvere animam a corpore. *Prop.* 2, 7, 77. Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam. *Sen. Troad.* 600. me fata maturo exitu, facilique solvant. ℙ Solvi, i. e. mori. *Petr. Sat.* 111. Solvi inedia. *Flor.* 4, 12. Massiliae morbo solvitur; et *ib.* 11. *extr.* Admotis ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est. Adde *Ov. Am.* 2, 10, 36. Sic *Plin.* 2, 25, 23. *extr.* Cometas nasci humore fortuito et ignea vi, ideoque solvi. ℙ *Solvere* universim, quae solida ac dura sunt, comminuere, dissolvere, liquefacere. *Lucan.* 3, 506. de igne: Nec solum silvas, sed saxa ingentia solvit: Et crudae putui fluxerunt pulvere cautes. *Lucr.* 1, 492. Conlabefactatus rigor auri solvitur aestu. *Sen. Ag.* 553. Tridente rupem subruit pulsam pater Neptunus, solvitque montem, *h. e.* discidit, fregit. *Id. Herc. Fur.* 237. Utrinque montes solvit, abrupto obice; et *Herc. Oet.* 729. Nives ut Eurus solvit, aut tepidus Notus; et *Lucan.* 4, 83. Jamque Pyrenaeae, quas nunquam solvere Titan Evaluit, fluxere nives. ℙ Solvere in aliquid. *Lucan.* 8, 106. Solvere lumina in lacrimas. *Id.* 2, 408. nullum tellus se solvit in amnem. *Id.* 9, 451. auster liquido se turbine solvit in auras. *Id.* 8, 830. tellus Aegyptia, in Aethiopum putres solvaris arenas. *Prop.* 4, 4, 77. Romulus excubias decrevit in otia solvi, *h. e.* milites in excubiis intermittere vigilias et otio se dare. ℙ Pro violare, rumpere. *Sen. Oed.* 527. Imperia solvit, qui tacet jussus loqui. *Liv.* 1, 49. *med.* Solvere morem traditum a prioribus. *Quint.* 11, 3. *med.* Fori sanctitatem ludorum tala-

rium licentia solvere. *Lucan.* 6, 768. nec verba, nec herbae Audebunt longae somnum tibi solvere Lethes. *Id.* 2, 435. donec confinia pontus Solveret incumbens, terrasque repelleret aequor. ℙ Item dirimere, dissociare, separare. *Prop.* 4, 4, 57. Solvere commissas acies; et 2, 25, 5. amicos. *Tibull.* 1, 2, 60. amores cantibus aut herbis. ℙ Solvere jejunium, famem, i. e. finire. *Ov. Met.* 5, 534. Non ita fata sinunt, quoniam jejunia virgo Solverat. *Lucan.* 3, 282. Longaque Sarmatici solvens jejunia belli Massagetes, quo fugit, equo. *Sen. Thyest.* 64. Tuamque ad istas solvimus mensas famem. ℙ Item explicare, explanare, enodare. *Cic. Fin.* 1, 7. Solvere captiosa, ambigua distinguere, *Sen. Oed.* 101. Nodosa sortis verba, et implexos dolos, Ac triste carmen alitis solvi ferae, *h. e.* Sphingis. *Quint.* 2, 17. *med.* argumentum. *Id.* 7, 2. *f.* ambiguitatem. *Gell.* 18, 2. quaestionem. ℙ Solvere versum, verba aliter collocando ligatam metri rationem tollere. *Hor. Sat.* 1, 4, 60., *Quint.* 1, 9. et 9, 4. *med.* ℙ Et quoniam qui pecuniam, vel aliud alicui debent, quodammodo ligati sunt et obnoxii creditori, *solvere* est debitum reddere, aere alieno liberare, pecuniam numerare. *Cic. Att.* 1, 3. Misimus, qui pro vectura solveret. *Id. Verr.* 2, 3, 72. *f.* Permultis civitatibus pro frumento nihil solvit omnino. *Id. Cluent.* 12. Eam pecuniam praesentem Oppianicus non debitam mulieri solvit. *Id. Off.* 3, 23. *med.* Si sapiens adulterinos nummos acceperit pro bonis, cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis? *Id.* ad *Planc. post. ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ut pecuniam Buthrotii ad diem solverent, *h. e.* die statuto. *Sen. Ben.* 6, 17. *extr.* Solvere praeceptori pretium operae. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere: quod enim praetori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare, *h. e.* se illud dare, quod mihi debitum ego non acceperam. Sic *Plin. ep.* 2, 4. Summa erat solvenda de meo. Contra *Cic. Att.* 7, 18. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio solvat. *Sall. Cat.* 36. Aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possum. *Nep. Cim.* 1. Solvere populo litem aestimatam; et *Quint. decl.* 9, 9. *med.* mercedem. *Sen. ep.* 7. *f.* Unum haec epistola in debitum solvet: duo in antecessum accipe; et *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. *med.* Pensionis portionem in frumento potius, quam in pecunia solvere. *Paul. ib.* 1, 45. Impensam aedificiorum solvere. *Jabol. ib.* 40, 7, 39. *med.* Dama servus, cum heredi meo annorum septem operas solverit, liber esto, *h. e.* praestiterit. *Papin. ib.* 23, 4, 26. *med.* Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut, si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suae dos solveretur, *h. e.* redderetur, refunderetur. *Pl. Bacch.* 4, 9, 137. Ego ad forum ibo, ut solvam militem, *h. e.* absolvam, solutione facta dimittam. ℙ Solvendo non esse, non habere in bonis, unde aes alienum dissolvatur. *Liv.* 31, 13. Cum solvendo aere alieno respublica non esset. *Cic. Fam.* 3, 8. Sumptus decerni legatis nimis magnos, cum solvendo civitates non essent. *Id. Phil.* 2, 2. Quo tempore me augurem nominaverunt, tu nec solvendo eras, nec te ullo modo, nisi eversa republ., incolumem fore putabas. Adde *Att.* 13, 10. *extr.* et *Off.* 2, 22. *f.* Et addito dativo personae. *Quint. decl.* 9, 9. *extr.* Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi solvendo non sumus; et *decl.* 2, 3. Constabat, patrem filio senem solvendo non esse. ℙ *Non esse ad solvendum* eod. sensu. *Vitr.* 10, 6. *f.* Ut ad solvendum non esset. ℙ Solvere poenas, poenas dare. *Sall. Jug.* 72. Condemnatus verberatusque, capite poenas solvit. *Sen. Oed.* 936. ita ne tam magnis breves Sceleribus poenas solvis? *Id. Hipp.* 1176. Hac manu poenas tibi solvam. *Ov. Fast.* 5, 303. At si negligimur, magnis injuria poenis Solvitur: et justum praeterit ira modum. ℙ Solvere injuriam, liberare se ab injuria, injustae dominationis jugum repellendo. *Sall. or. Lepidi contra Sull.* Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam, aut mori per virtutem? ℙ Pro satisfacere, par pari rependere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Magna mihi debebat beneficia: et cum homo avarus, ut ea solveret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit. *Ter. Ad.* 5, 7, 80. Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re male feceris. Huc pertinent duo loca *ex decl. Quint.* in §. 21. allata. ℙ *Solvi* dicuntur et quae pietati, officio, fidei debentur. *Sen. Hipp.* 1198. Solvere inferias viro. *Cic. Rosc. Am.* 8. *med.* Qui nondum etiam omnia paterno funeri justa solvisset. *Tac. A.* 1, 61. Solvere suprema militibus. *Cic. Marcell.* 9. Cum patriae, quod debes, solveris. *Id. Brut.* 4. *f.* Exspectabo ea, quae polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo: et erunt mihi pergrata, si solveris. *Id. Phil.* 3, 4. *f.* Vota ea, quae nunquam solveret, nuncupavit. *Nep. Lys.* 3. et *Prop.* 4, 2, 17. Solvere vota Jovi. *Ov. Fast.* 1, 642. Voverat, et voti solverat ante fidem. *Plin. ep.* 10, 44. Solemnia vota pro incolumitate tua et suscipimus, domine, pariter et solvimus. *Afran.* ap. *Non.* 12, 21. Solvo operam Dianae, *h. e.* sacra facio. (Hinc illa in vet. votivis *Inscr.* V. S. L. M. *votum solvit libens merito*: sc. is qui voti compos factus est. Et expresse in plurali ap. *Grut.* 36, 1. Votum solverunt libens merito. V.

LIBENS.) *Vell.* 2, 25. *f.* Post victoriam Sulla grates Dianae solvit. *Ter. Andr.* 4, 1, 19. Tandem inventa est causa: solvisti fidem, *h. e.* exsolvisti, liberasti, promissis stetisti (*εἰρωνικῶς.*) adstringitur enim fides, cum pollicemur: solvitur, cum praestamus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Suam fidem solutam esse. Adde *Flor.* 1, 1. *med.* et *Val. Max.* 7, 3. *n.* 5. ℙ Saepissime est liberare, et refertur ad animum. *Cic. Caecin.* 34. et *Liv.* 7, 3. Ut religione civitas solvatur. *Just.* 21, 3. Solvere civitatem voto. *Hor. Od.* 4, 2, 54. me solvet vitulus, relicta Matre qui largis juvenescit herbis In mea vota. *Auct. ad Her.* 3, 2. et *Liv.* 31, 50. Solvere aliquem legibus; et *Prop.* 4, 6, 41. metu. *Id.* 3, 20, 2. amore. *Sen. Hipp.* 101. curis; et *Ag.* 75. non curarum Somnus domitor pectora solvit. *Virg. A.* 1, 566. Solvite corde metus, Teucri, secludite curas; et *ib.* 2, 26. omnis longo solvit se Teucria luctu. *Hor. Epod.* 17, 45. Solvere aliquem dementia, *h. e.* liberare a veneficio dementiae. *Ov. Fast.* 2, 39. Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci Caede per Aemonias solvit Acastus aquas, *h. e.* purgavit, caedis crimine absolvit. ℙ Absolute. *Mart.* 9, 29. Dulce decus scenae, ludorum fama, Latinus Ille ego sum, plausus deliciaeque tuae: Qui spectatorem potui fecisse Catonem, Solvere qui Curios Fabriciosque graves, *h. e.* a gravitate et tristitia removere, hilarare, recreare. *Hor. Sat.* 2, 6, 83. ut arctum Solveret hospitis animum; et *Virg. A.* 10, 111. Nec Rutulos solvo, *h. e.* fatis libero, eximo, excipio. ℙ Praeteritum *Solvi* poetis aliquando est trisyllabum. *Tibull.* 4, 5, 16. Nulla queat posthac nos soluisse dies. *Catull.* 2, 13. Quod zonam soluit diu ligatam.

SOLUS, a, um, gen. solius, dat. soli, adj. *μόνος*, incomitatus, solitarius, usus. *Cic. Off.* 3, 10. Cui cum visum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. *Ter. Heaut.* 1, 1, 76. Hem, tot mea solius solliciti sunt causa, ut, etc. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Cum haec sit communis universi populi, illa solius tua. *Cic. Mur.* 21. Ea dicam vobis audientibus, quae ipsi soli, re integra, saepe dixi. *Id. Att.* 5, 17. *med.* Scaevola solos novem menses Asiae praefuit. *Ter. Ph.* 3, 3, 24. Quantum opus est tibi argenti? *Phaedr.* solae triginta minae. *Just.* 20, 3. Locrenses sola quindecim millia militum habebant. *Cic. Or.* 3, 18. Stoici soli ex omnibus eloquentiam virtutem esse dixerunt. *Id. Har. resp.* 7. Qui locus solus ex privatis locis omnibus hoc juris habet, ut, etc. *Sall. or. Lepidi contra Sull.* Solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit. *Ter. Ph.* 4, 1, 21. Nam ego meorum solus sum meus. *Plin.* 10, 23, 33. *extr.* Coturnices morbum comitialem solae animalium sentiunt, praeter hominem. *Mart.* 4, 2. Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis. ℙ Sine alio, remotis arbitris. *Ter. Ph.* 4, 3, 15. Prendo hominem solum: cur non, inquam, etc. *Pl. As.* 2, 2, 95. Me senex seduxit solum seorsum ab aedibus. *Caes. B. G.* 1, 18. Liscum retinet: quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat. *Ter. Hec.* 3, 1, 15. Omnem rem narrabit continuo sola soli. Adde 4, 1, 41. *Id. Eun.* 3, 5, 31. Imperat, ut maneam solus cum sola. ℙ Cum *unus* jungitur. *Ter. Ad.* 5, 3, 47. Solum unum hoc vitium affert senectus hominibus. *Cic. Pis.* 40. Te unum solum suum depeculatorem, vexatorem venisse senserunt. *Id. Har. resp.* 7. *med.* Uno illo solo antistite sacrorum dissentiente. ℙ Solitarius, desertus, infrequens. *Cic. Div.* 28. *med.* et *fragm.* ap. *Quint.* 5, 13. *med.* Cum in locis solis moestus errares. *Nep. Eum.* 8. *f.* Si per loca sola contenderet, sperabat, se imprudentem hostem oppressurum. *Sall. Jug.* 110. Cum parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam. *Quint.* 7, 2. *med.* Locus clausus, vel reclusus; frequens, vel solus. *Ter. Andr.* 2, 4, 3. Venit meditatus alicunde ex solo loco. *Virg. G.* 3, 249. male tum Libyae solis erratur in agris. *Id. Ecl.* 10, 14. sola rub rupe. *Tibull.* 1, 1, 60. in solo pascere monte pecus. *Ter. Ph.* 5, 7, 85. Hoc scelus hinc deportarier in solas terras. *Catull.* 64, 57. Desertam in sola miseram se cernit arena. ℙ *Soli* in gen. pro *solius*, et in dat. femin. *solae* pro *soli* auctores habent. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 694. De omni Tusculana civitate soli Lucii Mamili beneficium gratum fuit. *Pl. Mil.* 4, 2, 28. Cedo te mihi solae solum. *Ter. Eun.* 5, 7, 3. Mihi solae ridiculo fuit, quae, etc. ℙ *Sole* in vocativo. *A. Ticidas* ap. *Prisc.* 5, 673. Felix lectule talibus sole amoribus.

*SOLUS, untis, f. Σόλους, Siciliae oppidum, non procul a Lilybaeo promontorio. *Plin.* 3, 8. ℙ *Soluntum* est *Anton. Itin.* et *Tab. Peuting. B. A.*

SOLŪTĒ, adv. *λελυμένως*, libere. *Cic. Div.* 2, 48. Si aut furore divino incitatus animus, aut somno relaxatus solute moveatur ac libere. *Tac. A.* 13, 47. Quo solutius lasciviret. ℙ Translate est sine cura, remisse, lente. *Cic. Brut.* 80. *med.* Solute, leniter, oscitanter dicere. *Liv.* 23, 37. Milites in stationibus solute ac negligenter agentes. *Id.* 39, 1. Exercitus sub imperio Cn. Manlii solute ac negligenter habiti. *Sen. Q. N.* 6, 3. Quaedam a fabris negligentius solutiusque composita. *Albinov.* 2, 103. Caesar amicus erat: poterat vixisse solute. ℙ Item libere, clare, facile. *Cic. Brut.* 92. Propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam; et *ib.* 29. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere. *Tac. A.* 4, 31. Ipse compositus alias, et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret, *h. e.* quoties pro aliquo diceret. *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. *f.* Judex non meram negotiorum gestorum actionem imitatur, sed solutius aequitatem sequitur.

SOLŪTĪLIS, e, adj. *λύσιμος*, qui facile solvi potest. *Suet. Ner.* 34. Solutilem navem, cujus vel naufragio, vel camerae ruina periret, commentus est.

SOLŪTIM, adv. solute, laxe. *Tert. Pall.* 5. Tota molitio pallii operire est solutim, id est uno circumjectu.

SOLŪTĬO, onis, f. *λύσις*, actus solvendi, explicatio, dissolutio. *Cic. Or.* 1, 25. Linguae solutio, vocis sonus, latera, vires. *Id. Tusc.* 3, 25. *med.* Ipsam aegritudinem, *λύπην* Chrysippus, quasi solutionem totius hominis, appellatam putat. ℙ Item dissolutio argumenti, quaestionis. *Sen. Ben.* 5, 12. Quaedam in oblectamentum ac jocum sic illigantur, ut eorum solutio imperito difficilis sit: quae ille, qui implicuit, sine ullo negotio separat, quia commissuras eorum et moras novit: et nihilominus illa habent aliquam voluptatem: tentant enim acumen animorum, et intentionem excitant. *Gell.* 18, 2. Solutio captionis sophisticae. ℙ Item languor, imbecillitas. *Plin.* 23, 6, 60. Sanare ventris et stomachi solutiones. ℙ Et dissolutio pecuniae. *Cic. Off.* 2, 24. Fides nulla esse potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. *Id. Manil.* 7. *med.* Solutione impedita, fides concidit. *Ulp. Dig.* 46, 8, 12. Solutionem facere.

SOLŪTOR, oris, m. *Tert. adv. Marc.* 4, 17. Solutori utique pignus restituendum esse. ℙ Item qui aperit. *August. Mor. Manich.* 2, 13. *f.* Solutor signaculi. ℙ Est etiam cogn. R., ut Cornelius Solutor in *Inscr.* ap. *Mur.* 876, 3.

[SOLUTRIX, icis, f. quae solvit. *Diomed.* 3, 484. Morbo Sicilia laborabat: Siculi variis et assiduis caeremoniis Dianam placantes, finem malis invenerunt, eandem Lyen (a *λύω*, *solvo*) cognominaverunt, quasi solutricem malorum. *F.*]

SOLŪTUS, a, um, part. a *solvo*: *λελυμένος*, *λυθείς*, a vinculo expeditus. *Cic. Att.* 1, 13. Epistola, quam, ancora soluta de phaselo, dedisti. *Pl. Truc.* 4, 3, 63. Reus solutus causam dicit, testes vinctos attines. *Phaedr.* 3, 7. Canis solutus catena. *Hor. Epod.* 10, 1. Navis soluta; et *Ov. Am.* 2, 11, 23. Funis solutus. *Id. Her.* 11, 4. Charta soluta, *h. e.* explicata, evoluta. *Nep. Ann.* 11. epistola, *h. e.* aperta. *Plin.* 10, 36, 52. Solutus volatus; et *Cic. Div.* 1, 2. Motus solutus ac liber. *Prop.* 4, 6, 31. crines in colla soluti. *Hor. Od.* 1, 30, 5. Gratiae zonis solutis. *Ov. A. Am.* 1, 41. Loris solutis ire; et *ib.* 2, 47. Cerae solutae igne. *Id. Am.* 3, 6, 93. Nives solutae. *Hor. Od.* 1, 4, 10. Flos, terrae quem ferunt solutae, *h. e.* ab hieme et glacie liberae. *Ov. A. Am.* 2, 237. imber coelesti nube solutus. *Claud. in Ruf.* 2, 258. galeasque solutis Humectat lacrimis. *Quint. decl.* 9, 7. Solutus lacrimis. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 1. *extr.* Os promptius, et solutius. *Scrib. Comp.* 27. Cicatrices solutae, *h. e.* resolutae, diductae, rursus apertae, *ἀναλυόμεναι*. ℙ *Soluta terra* dicitur, quae rarior est, et versari facile potest, cui opponitur densa, spissa, et gravis. *Colum.* 3, 14. Soluta et facilis terra. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 8. Tenerum et solutum solum. *Front. Aquaed.* 15. Solutiores ripae, *h. e.* quas facile fluens amnis abradit. Sic *Plin.* 25, 9, 57. Agaricon mas spissior, femina solutior. ℙ *Soluta alvus* est cita, fusa. *Plin.* 14, 18, 22. Solutam alvum firmare. ℙ Translate est dissolutus. *Tac. A.* 4, 73. Solutum obsidium. *Juven.* 9, 79. conjugium. *Sall. Jug.* 45. Plebis vis soluta, atque in multitudinem dispersa. *Id. ib.* 43. *f.* Milites, quos, soluto imperio, licentia corruperat. *Gell.* 18, 2. Soluta quaestio; et *ib.* 13. captio. ℙ Item liber, expeditus. *Cic. Verr.* 2, 2, 75. Animo soluto et libero esse. *Id. Rab. Post.* 5. *f.* Solutus ac liber lege. *Id. Or.* 2, 6. Solutus opere. *Id. Agr.* 1, 9. a cupiditatibus, liber a delictis. *Hor. Epod.* 2, 4. omni fenore. *Id. Sat.* 1, 6, 129. mala ambitione. In *aedil. edicto* ap. *Gell.* 4, 2. noxa. *Just.* 14, 2. metu mortis. *Id.* 3, 3. religione jurisjurandi. *Plin.* 22, 4, 4. senatus cura belli. *Quint.* 5, 14. Anima soluta corpore. *Cic. Fam.* 3, 5. Quo mea ratio facilior et solutior esse posset, *h. e.* expeditior. *Id. Fam.* 1, 9. *f.* Si essent omnia mihi solutissima, tamen in republica non alius essem. *Id. Fin.* 1, 10. Cum soluta nobis est eligendi optio. *Tac. A.* 4, 35. Maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere, etc. *Catull.* 31, 7. O quid solutis est beatius curis? ℙ Cum gen. *Hor. Od.* 3, 17, 16. Famuli soluti operum. ℙ *Risus solutus* est effusus, liberior, cachinnus. *Virg. G.* 2, 386. Versibus incomptis ludunt, risuque soluto. ℙ *Solutus homo*, hoc est a curis liber, atque adeo mente hilaris, serenus, laetus. *Hor. Ep.* 1, 5, 19. Fecundi calices quem non fecere disertum? Contracta quem non in paupertate solutum? ℙ *Solutus gaudio vultus* ap. *Petr. Sat.* 91. est gaudio plenus. V. integrum locum. ℙ *Soluta oratio* est, quae metro caret, *πεζὸς λόγος*: cui

carmen opponitur. *Varr. L. L.* 5, 11. Libri duo de oratione soluta, de poetica unus; et *ib.* 6, 1. Ut in soluta oratione, sic in poematis. Adde *Cic. Or.* 3, 48., *Varr. L. L.* 9, 3. *f.* et *Gell.* 7, 14. ℙ Huc pertinent illa *Ov. Trist.* 4, 10, 23. totoque Helicone relicto, Scribere conabar verba soluta modis. *Tibull.* 4, 1, 36. Canere vincto pede, aut soluto. *Stat. Silv.* 5, 3, 101. sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere. *Quint.* 10, 1. Historia est quodammodo carmen solutum. ℙ Porro *soluta* dicitur oratio, non quod numeris et pedibus careat: (debet enim, ut belle fluat, et apte cadat, suos numeros habere, qui plane iidem sunt ac ii, quos poetae in carminibus adhibent: qua de re multa *Cic. Or.* 3, 44. et sqq. et *Or.* 56. et sqq. et *Quint.* 9, 4. etc.) sed quia ab adstricta illa metrica lege soluta est, et liberius incedit. Est enim elaboratae verborum compositionis praecipua laus, *ut quamvis* oratoriis numeris *vincta sit*, *tamen soluta videri possit*, ut *Quint. ib.* loquitur. Quare *idem Quint.* non longe ab initio ejusdem *cap.* 4. prosam orationem in duo genera dividit, ut *alia vincta sit, atque contexta* (qualis est in orationibus); *alia soluta*, *qualis in sermone*, *et epistolis. Quod non eo*, inquit, *dico, quia non illud quoque solutum habeat suos quosdam, et forsitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo, et epistola: sed non fluunt, nec cohaerent, nec verba de verbis trahunt: ut potius laxiora in his vincula, quam nulla sint*, etc. ℙ *Numeri lege soluti* ap. *Hor. Od.* 4, 2, 11. sunt versus ad libitum poetae efficti, non quidem sine metro, sed modo hac, modo illa metri lege compositi, modo breviores, modo longiores, modo lyrici, modo heroici, etc. ut fit in dithyrambis. ℙ *Solutus in dicendo*, expeditus, facilis, copiosus, et verbis ad voluntatem fluentibus, quidquid libuerit, clare explicans. *Cic. Brut.* 47. Philippus satis creber in inveniendis, solutus in explicandis sententiis. *Id. ib.* 48. Omnium oratorum solutissimus in dicendo; et *ib.* 70. Torquatus a natura ad dicendum satis solutus atque expeditus. ℙ *Soluti agri* dicuntur a *Siculo Fl. de condit. agror.* p. 3. *Goes.* quorum fines deprehendi non possunt: *insoluti* autem, quorum fines deprehendi possunt et finiuntur. *Aggen. de limit. agror.* p. 49. Loca insoluta dicuntur, quae aut in saxosis et sterilibus locis sunt, aut in paludibus, ubi nulla potuit exerceri cultura: quia, dum non esset, quod excoli potuisset, nullis necesse fuit limitum regulis obligari. ℙ Ponitur etiam *solutus* pro languenti, debilitato, fracto. *Just.* 9, 6. Solutus mero. *Virg. A.* 9, 236. somno vinoque soluti. *Ov. Met.* 8, 712. annis aevoque soluti; et *ib.* 11, 612. membra languore soluta. *Petr. Sat.* 138. Aniculae solutae mero ac libidine. *Stat. Th.* 3, 255. Aequor longa ventorum pace solutum, *h. e.* tranquillum, quietum. ℙ Et absolute *Petr. Sat.* 140. Lumborum solutorum esse. *Lucan.* 2, 559. Solutus et defectus. ℙ Hinc *solutus stomachus* est, qui cibum non retinet, vel non concoquit: quem morbum *Cels.* 4, 5. resolutionem stomachi appellat. *Petr. Sat.* 117. Solutioris stomachi esse. *Scrib. Comp.* 92. Solutum stomachum habere. ℙ Hinc etiam *solutus* dicitur de mortuis. *Ov. Ib.* 146. Sive manu facta morte solutus ero. *Petr. Sat.* 111. Solutus inedia. *Flor.* 4, 11. *f.* Sic morte, quasi somno, soluta est. *Sen. epigr. super exsilio ad Corsicam:* Parce relegatis, hoc est jam parce solutis. Alii plerique leg. *sepultis.* ℙ Sumitur item pro effeminato, molli, delicato. *Cic. Brut.* 62. *f.* Solutus et mollis in gestu. *Quint.* 11, 3. Sinum togae in dextrum humerum ab imo rejicere, solutum ac delicatum est. *Id.* 1, 2. Pueri soluti ac fluentes. ℙ Item pro remisso, negligenti. *Cic. Cat.* 2, 12. Mea lenitas si cui solutior visa est. *Liv.* 3, 8. Solutiore cura esse. *Tac. A.* 16, 18. Dicta factaque ejus solutiora, et quamdam sui negligentiam praeferentia. *Aurel. Vict. Caesar.* 33. Secundis rebus solutior. *Just.* 34, 2. Apud eos neglecta omnia et soluta fuere. *Plin. ep.* 2, 11. Sententia solutior, *h. e.* minus severa. ℙ Item pro immoderato, effreni, et qui nulla re coerceri et astringi potest, qui modum non servat. *Liv.* 27, 31. Quo minus conspectus, eo solutior erat. *Id.* 2, 3. Libido solutior. *Sen. Const. Sap.* 11. Solutissimae linguae esse. *Suet. Aug.* 44. Spectandi solutissimum morem corrigere. *Tac. H.* 2, 99. Nimia fortunae indulgentia soluti in luxum. *Appul. Apol.* Soluta audacia praeditus. *Eum. Pan. ad Constant.* 2. Solutam perditamque disciplinam reformare. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 2. Vita solutior. *Just.* 3, 3. Soluti mores. ℙ Denique *solutus* est dissolutus, persolutus. *Cic. Att.* 16, 6. Hoc, quod satisdato debeo, peto a te, ut plane expedias, et solutum relinquas. *Ulp. Dig.* 46, 3, 1. Solutum debitum. *Scaevola ib.* 33, 1, 1. *med.* Soluta summa pecuniae. ℙ Translate. *Virg. A.* 7, 5. Exsequiis rite solutis. *Ov. Fast.* 5, 452. justa soluta Remo; et *ib.* 6, 248. vota soluta Deae. ℙ *In solutum accipere*, accipere ad satisfactionem, aut certe ad deductionem debiti. Et *dare in solutum*, vel *pro soluto*, transferre aliquid in creditorem, in liberationem debiti. *Sen. Ben.* 2, 26. et *Ulp. Dig.* 46, 3, 45. Sic *Hermogenian. ib.* 41. *tit.* 4. *qui inscribitur* Pro soluto, 1. Pro soluto usucapit, qui rem debiti causa recepit; et *Marcell. ib.* 46, 3, 48. Pro soluto habere aliquid; et *Sen. ep.* 8. *f.* Hoc non imputo in solutum. ℙ *Solutus*, ipse creditor, cui debitum solutum est. *Paul. Dig.* 12, 1, 31. Omne quod habiturus esset actor, si litis contestandae tempore solutus fuisset, restituendum est. Ita *Torrent., Haloand., Gothofred.* et alii.

SOLYMA, ae, f. et Solyma, orum, n. plur. urbs Palaestinae, quae postea Hierosolyma appellari coepit. *Arat.* 2, 825. Jamque peragratis Paulus stationibus orbis Ad Solymam venturus erat. *Mart.* 11, 94. Solymis quod natus in ipsis.

SOLYMI, orum, m. plur. pop. Asiae, qui postea Milyes appellati sunt, Lyciis et Pisidis proximi, quorum meminit *Herodot.* 1, 173., *Plin.* 5, 27, 4. eosdem ac Pisidas facit. ℙ Item pop. Palaestinae, quorum urbs Solyma, postea Hierosolyma. *Tac. H.* 5, 2. *extr.* Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse. Adde *Juvenc.* 4, 80.

SOLYMUS, a, um, adj. ad Solymos Palaestinae pertinens. *Juven.* 6, 543. Interpres legum Solymarum. *Stat. Silv.* 5, 2, 138. An Solymum cinerem, palmetaque capta subibis Non sibi felices silvas ponentis Idumes? *Val. Fl.* 1, 13. Solymo nigrantem pulvere fratrem, *h. e.* Titum Domitiani fratrem, qui Solymam evertit.

SOMNĬĀLIS, e, adj. ad somnium pertinens. *Fulg. Myth.* 1. *in.* Ordior fabulam somniali figmento delusam. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 10. *n.* 4. Cultores Herculis Somnialis, *h. e.* qui somnia divina immittere credebatur de rebus futuris faciendis, vel fugiendis. Alia ap. *Fabr.* p. 692. *n.* 130. Herculi Somniali ex oraculo. V. *eund.* p. 429. de hujus Herculis sodalicio disputantem.

SOMNĬĀTOR, oris, m. qui somniat, vel somniis fidem adhibet. *Sen. Contr.* 3, 22. *med.* Erat autem ex somniatoribus totus; ubicumque illum defecerat color, somnium narrabat. *Tert. adv. Gnost.* 2. *med.* Ne credatis sermonibus somniatoris illius: scil. Iosephi Iacobi filii.

SOMNĬCŪLOSE, adv. ὑπνωτικῶς, dormitando negligenter. *Pl. Capt.* 2, 1, 31. Haud somniculose hoc agendum est. *Id. Amph.* 2, 1, 75. Non soleo ego somniculose heri imperia persequi.

SOMNĬCŪLOSUS, a, um, adj. ὑπνώδης, ὑπνωτικός, plenus somno et ignavia. *Colum.* 11, 1. *med.* Somniculoso villico plurima effugiunt. *Id.* 1, 8. Socors et somniculosum genus mancipiorum. *Cic. Sen.* 11. Quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis. *Mart.* 3, 58. Somniculosi glires. ℙ Item qui somnum ac torporem inducit, ναρκωτικός. Hoc sensu dixit *Laber.* ap. *Gell.* 9, 12. et *Non.* 2, 795. Ecastor multum somniculosum: ut *Gell.* ipse testatur. Sic *Cinna ib.* Somniculosam ut Poenus aspidem Psyllus. *Plin.* enim 29, 4, 18. tradit, ab aspidibus percussos torpore et somno mori. V. SOMNIFER. ℙ [Item qui in somno fingitur. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 12. Hoc unum ex annalibus sumptum amoris mei argumentum poeticum; et sane somniculosum. *F.*]

[SOMNĬCŪLUS, i, m. dimin. parvus somnus. *Not. Tir.* p. 135. Somnus, somniculus. *F.*]

SOMNĬFER, ra, rum, adj. ὑπνοφόρος, qui affert somnum. *Plin.* 18, 25, 61. Visque somnifera etiam sativo papaveri. *Ov. Met.* 1, 671. de Mercurio: virgamque potenti Somniferam sumpsisse manu; et *ib.* 9, 693. de aspide: Plenaque somniferi serpens peregrina veneni. *Lucan.* 9, 701. Aspida somniferam tumida cervice levavit. V. *ib.* 815. et dicta in SOMNICULOSUS.

*SOMNIFĔRA, ae, f. herba alias strychnon. *Appul. de herb.* 74. *B. A.*

SOMNĬFĬCUS, a, um, adj. ὑπνωτικός, ναρκωτικός, somnum faciens, somnifer. *Plin.* 24, 4, 17. Cimicibus vincitur aspidum somnifica vis. *Id.* 37, 10, 57. Somnifica medicamenta.

[SOMNĬGER, ra, rum, adj. idem ac somnifer, qui gerit somnum. *Dracont.* 1, 212. de luna: Candida somnigeris collustrat cornibus axes. *F.*]

SOMNĬO, as, avi, atum, n. et a. 1. ὀνειρώττω, in somno aliquid, quasi vigilans, video, per quietem videre videor. *Cic. Div.* 2, 59. Totas noctes dormimus, neque ulla fere est, qua non somniemus: et miramur aliquando id, quod somniarimus, evadere? *Enn.* ap. *Cic. Acad.* 4, 16. Nam videbar somniare, me esse mortuum. *Cic. Div.* 2, 65. Nemone unquam alius ovum somniavit? et *ib.* Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis; et *ib.* 67. *extr.* Somniare de aliquo. *Colum.* 1, 8. ineptias. *Ter. Eun.* 1, 2, 113. Dies noctesque me ames, me desideres, me somnies, me exspectes, de me cogites. *Pl. Rud.* 3, 1, 5. (et *Mil.* 2, 4, 47.) Hac nocte mirum atque inscitum somniavi somnium; et *ib.* 4, 68. Quod ego in somnis somniavi. *Tert. Anim.* 47. Somniaturi servi. ℙ Passive impersonaliter. *Plin.* 28, 4, 14. Aristoteles et Fabianus, plurimum somniari circa ver et autumnum, tradunt. ℙ *Somniare* dicuntur, qui aliquid inepte, et sine ratione dicunt, faciunt, volunt. *Pl. Pers.* 2, 3, 5. Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam, eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de coelo. *Dic. N. D.* 1, 8. Portenta et miracula non dissentium philosophorum, sed somniantium. *Id. Att.* 9, 13. *med.* De Lanuvino Phameae erravi: Trojanum somniabam. *Pl. Curc.* 4, 3, 14. Quas tu mihi tabulas, quos tu mihi Luscos libertos, quos Summanos somnias? *Id. Merc.* 5, 2, 109. Eho! quae tu somnias? hic homo non sanus est. *Id. Amph.* 2, 2, 65. et *Capt.* 4, 2, 68. Hic vigilans somniat. V. VIGILANS. ℙ Deponentis forma. *Petr. fragm. Trag. c.* 74. Hic, qui in pergula natus est, aedes non somniatur.

SOMNIOSUS, a, um, adj. *Plin.* 28, 19, 79. Somniosos fieri lepore sumpto in cibis, Cato arbitratur, *h. e.* somniculosos: nam ipse *Cato* ap. *Diomed.* 1, 358. Lepus multum somni adfert, qui illum edit. Alii tamen rectius leg. ap. *Plin.* Somnos fieri.

*SOMNISOLŪTOR, oris, m. ὀνειροκρινής *Gloss. Gr. Lat.* ℙ Est interpres somniorum. *Solvere* hic valet interpretari. *B. A.*

SOMNĬUM, ii, n. ὄναρ, ὄνειρος, ἐνύπνιον, visum in somno, species nobis dormientibus apparens. Multa de somniis *Cic. Div.* 1, 20. et sqq. et *ib.* 2, 58. et sqq., *Plin.* 10, 75, 98., *Lactant. Op. D.* 18., item *Macr. Somn. Scip.* 1, 3., ubi eorum naturam et genera persequitur. *Cic. Fin.* 5, 20. Ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari. *Pers.* 2, 57. Somnia pituita qui purgatissima mittunt. *Ov. A. Am.* 2, 328. Somnia laeta videre. *Id. Her.* 19, 196. vera cernere. *Id. Met.* 11, 614. vana. *Sen. Herc. Fur.* 1082. fusus humi saeva feroci Corde volutat somnia. *Plin.* 26, 8, 36. tumultuosa.. *Plin. alter ep.* 1, 18. Somnium triste. *Petr. Sat.* 100. *med.* turbulentum; et *ib.* 104. Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris; et *ib.* Expiare somnium. *Plin.* 20, 13, 51. Imaginari aliquid per somnium. *Pl. Curc.* 2, 2, 3. Somnium alicui conjicere. ℙ *Somnium* pro *somniorum* habet *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 21. Quo se vertant tantae sortes somnium. *Enn. ib.* 58. Interpretes somnium. ℙ *Somnium*, res vana, spes inanis, nugae. *Ter. Ad.* 2, 1, 50. De argento, somnium: mox, cras redi. *Id. Ph.* 3, 2, 9. Verum hercle hoc est. *Do.* somnia. *Id. Ad.* 3, 4, 30. Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es: ille, somnium. *Lucr.* 1, 104. multa tibi jam fingere possum Somnia, quae vitae rationes vertere possint. *Quint.* 6, 2. *med.* Otia animorum, et spes inanes, et velut somnia quaedam vigilantium. ℙ *Somnium* pro somno et sopore. *Virg. A.* 5, 838. aetheriis delapsus Somnus ab astris, Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans. ℙ *Somnio admonitus* vel *monitus* is dicitur, qui ab aliquo numine monumentum quoddam facere se jussum per somnium putabat. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 2. Nemesi sanctae Campestri P. Aelius P. F. Aelia Pacatus somnio admonitus posuit. Alia ap. *eund.* 102, 1. M. Aur. Pacorus Spei aram cum paemento (lege *pavimento*) somnio monitus sumptu suo D. D.

SOMNOLENTĬĂ, ae, f. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Ubi somnolentiae cubiculariorum dormiendi locus est.

SOMNOLENTUS, a, um, adj. somno plenus. *Appul. Met.* 1. *extr.* In media verba somnolentum desinere. *Id. ib.* 10. Gravedine somnolenta jam demersus. *Solin.* 20. de alce: Cum dormiendum est, somnolentam arbor sustinet. ℙ Legitur et *somnulentus.*

SOMNŌRĪNUS. V. v. sq.

SOMNURNUS, a, um, adj. ὑπνωτικός, qui in somno videtur: a *somnus*, ut a *corylus colurnus* pro *corulnus. Varr.* ap. *Non.* 2, 790. Levis mens cum somnurnas imagines Affatur, non umbrantur somno populae. Alii leg. *somnorinas imagines*, h. e. per somnium visas. Alii *sonorinas*, h. e. quae sonum in somnis edere videntur, ut accidit iis, qui aurium tinnitu laborant.

SOMNUS, i, m. ὕπνος, dormiendi actus, sopor, quies: a voce Graeca allata. *Gell.* 13, 9. Quod Graeci ὑπὲρ, nos *super* dicimus: quod illi ὕπιος, nos *supinus:* quod ὑφορβὸς, nos *subulcus:* quod item illi ὕπνος, nos primo *sypnus*, deinde per *v* Graecae, Latinaeque *o* litterae cognationem *somnus. Cic. Tusc.* 1, 38. *med.* Mortem somni simillimam volunt esse. *Sen. Herc. Fur.* 1069. Somne frater durae languide mortis. *Plin.* 10, 75, 98. Est autem somnus nihil aliud, quam animi in medium sese recessus. *Ter. Heaut.* 3, 1, 82. Somnum hac nocte oculis non vidi meis. *Cic. Fam.* 7, 30. de Caninio: Toto suo consulatu somnum non vidit. *Id. Tusc.* 4, 19. *med.* Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset: quaerentibusque respondebat, Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. *Id. Brut.* 80. *f.* Somnum isto loco vix tenebamus. *Id. Att.* 9, 10. Cum me aegritudo somno privaret. *Just.* 11, 13. Confectum curis Alexandrum somnus arripuit. *Cic. Somn. Scip.* 1. *med.* Me arctior, quam solebat, somnus complexus est; et *ib.* 2. *extr.* E somno excitare aliquem. *Id. Tusc.* 1, 47. *med.* Dare se somno. *Id. N. D.* 2, 57. Palpebrae somno conniventes. *Virg. A.* 6, 520. confectus curis somnoque gravatus; et *ib.* 2, 302. Excuti somno. *Sen. Oct.* 123. ingens excutit somnum pavor. *Virg. G.* 3, 530. nec somnos abrumpit cura salubres. *Hor. Epod.* 5, 96. pavore somnos auferam. *Id. Od.* 1, 25, 3. Nec tibi somnos adimunt. *Id. Sat.* 1, 5, 15. mali culices ranaeque palustres

Avertunt somnos; et *ib.* 83. Somnus me aufert; et *Virg. G.* 4, 496. conditque natantia lumina somnus. *Ov. Met.* 11, 631. labitur somnus in artus. *Id. Her.* 19, 46. Sed movet obrepens somnus anile caput; et *Sen. Tro.* 441. Brevisque fessis somnus obrepsit genis. *Plin.* 7, 24, 24. Somnus serpit. *Petr. Sat.* 21. et 22. Cum gravatus tot malis in somnum laberetur. *Plin.* 26, 8, 47. Plantago datur et in somnum euntibus; et *Quint.* 9, 4., *Ov. Met.* 3, 676. et *Virg. A.* 7, 88. Petere somnum; et *Val. Fl.* 8, 65. Lumina somno mergere; et 2, 71. Somno cedere. *Sen. Herc. Fur.* 1044. Vultus in somnum cadit. *Id. Oct.* 717. Somno resolvi. *Caes. B. C.* 2, 38. *med.* opprimi. *Plin.* 9, 13, 15. graviore premi. *Petr. Sat.* 86. altiore obdormire. *Virg. A.* 4, 560. ducere somnos; et *Ov. Met.* 2, 735. de Mercurio: virga, qua somnos ducit, et arcet, *h. e.* inducit, et prohibet: *ducere somnos* hoc eod. sensu *Hor. Epod.* 14, 2. et *Sen. Herc. Oet.* 645. dixere. *Plin.* 14, 18, 22. Duo genera vini: unum, quo somnus conciliatur, alterum, quo fugatur. *Id.* 30, 15, 48. et 26, 3, 8. Allicere somnos. *Id.* 32, 2, 11. Surculi ex vino poti somnum afferunt. *Id.* 20, 17, 73. Anisum potum somnum concitat. *Id.* 21, 19, 77. Odor baccharis somnum gignit. *Id.* 19, 8, 38. Lactucae somnum parere creduntur. *Id.* 23, 8, 75. et *Ov. Met.* 7, 153. Nuces somnum faciunt. *Hor. Epod.* 2, 27. Fontesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves. *Cels.* 3, 18. Somnum medicamentis arcessere. *Tibull.* 1, 3, 88. Somno fessus. *Liv.* 7, 36. torpidus. *Plin. Pan.* 63. marcidus. *Ov. Am.* 1, 2, 3. vacuus. *Suet. Aug.* 16. arcto devinctus. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1., *Lucr.* 1, 133. et *Virg. A.* 2, 265. sepultus. *Quint.* 4, 2. *med.* languidus. *Sen. Herc. Fur.* 1075. Somnus lenis et placidus. *Ov. Her.* 11, 29. facilis. *Sil.* 7, 300. levis. *Plin.* 8, 36, 54. et *Sen. Herc. Fur.* 1051. gravis. *Ov. Am.* 1, 13, 7. et *Lucan.* 10, 354. pinguis. V. PINGUIS. *Cels.* 1, 3. *med.* et *Ov. Met.* 7, 523. plenus: quo sensu *altus* ab *Hor. Sat.* 2, 1, 8. dicitur. *Val. Fl.* 4, 16. alta quies, liquidique potentia somni. V. LIQUIDUS. *Ov. Met.* 11, 593. ignavus. [*Front. ad Ver. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *f.* pernox. *F.*] *Mart.* 12, 18. Ingenti fruor improboque somno, Quem nec tertia saepe rumpit hora. *Id.* 9, 93. Somnus securus. ℙ *In somnis*, dum dormitur, et somniatur. *Cic. N. D.* 1, 29. *f.* Illa nostra Sospita, quam tu nunquam ne in somnis quidem vides, nisi, etc. *Id. Div.* 1, 53. *f.* Qui se tradit quieti praeparato animo, cum bonis cogitationibus, certa et vera cernit in somnis; et *ib.* 2, 70. Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. *Virg. A.* 2, 270. In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector Visus adesse mihi, etc. Adde *ib.* 4, 466. et 554. et al. ℙ *Per somnum, per somnos*, in somno. *Cic. Div.* 2, 11. Illud videbatur animo, per somnum sensibus et curis vacuo, praevideri. *Plin.* 23, 1, 24. Nec si per somnos genitura effundatur. ℙ Laudes somni persequitur *Sen. Herc. Fur.* 1065., item *Ov. Met.* 11, 623., et de eodem docte disputat *Tertull. Anim.* 43. ℙ In fabulis est Deus filius Erebi et Noctis, ut est ap. *Hyg. praef.*, cujus regiam apud Cimmerios positam, item comites et potentiam describunt *Ov. l. c.* 592. et *Stat. Theb.* 10, 84. Fingitur alatus, et rore Stygio perfusus, gerens virgam, et cornu papavere plenum, quo perfundit quos corripit. [Lepidam de Somno fabulam narrat *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *f. F.*] *Stat. Theb.* 2, 143. illos post verbera fessos, Exceptamque hiemem, cornu perfuderat omni Somnus; et *ib.* 5, 197. consanguinei mixtus caligine Lethi, Rore madens Stygio, morituram amplectitur urbem Somnus, et implacido fundit gravia otia cornu; et *ib.* 6, 27. et cornu fugiebat Somnus inani. *Sil.* 10, 352. curvoque volucris Per tenebras portat medicata papavera cornu; et *mox:* quatit inde soporas Devexo capiti pennas, oculisque quietem Inrorat, tangens Lethaea tempora virga. *Tibull.* 2, 1, 89. venit tacitus fuscis circumdatus alis Somnus. Adde *Stat. Theb.* 10, 148. et *Achill.* 620. et *Val. Fl.* 8, 72. ℙ *Sen. Herc. Fur.* 1068. Somnum facit Astraeae filium. V. ASTRAEA. ℙ Ad Somnum Deum pertinent et illa apud poetas. *Claud. B. Gild.* 213. Humentes jam noctis equos, Lethaeaque Somnus Frena regens, tacito volvebat sidera curru. *Ov. Met.* 11, 623. Somne, quies rerum, placidissime Somne Deorum. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 67, 8. et 99, 5. et ap. *Mur.* 993, 1. ℙ Metonymice *somnus* est inertia, desidia, ignavum otium. *Sall. Cat.* 2. *f.* Multi mortales dediti ventri atque somno. *Cic. Sext.* 66. Qui se patriae, qui laudi, qui gloriae, non qui somno et conviviis et delectationi natos arbitrantur. *Vell.* 2, 1. In somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. *Plin. praef.* 14. Requirenda sunt etiam ea, quae invenerant prisci, desidia rerum internecione memoriae inducta. Cujus somni causas, etc. *Tac. H.* 2, 90. de Vitellio: Somno et luxu pudendus. ℙ Item somnium. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Talia commemorat lacrumans, exterrita somno. ℙ Translate est tranquillitas. *Stat. Theb.* 3, 255. longa ventorum pace solutum Aequor, et imbelli recubant ubi litora somno. *Id. Silv.* 3, 2, 73. pigro torpebant aequora somno. ℙ Pro nocte. *Virg. G.* 1, 208. Libra die somnique pares ubi fecerit horas. *Sil.* 3, 200. Miscuerat lucem somno Deus. *Virg. A.* 1, 474. tentoria Rhesi primo prodita somno, *h. e.* prima parte noctis. ℙ De morte. *Hor. Od.* 3, 11, 38. Surge, ne longus tibi somnus, unde Non times, detur. *Sil.* 5, 528. manantem in viscera mortem Accipit, et longo componit lumina somno. *Id.* 7, 633. erratque niger per lumina somnus. *Vnl. Fl.* 3, 178. frigidus orbes Purpureos jam somnus obit. *Inscr.* Patavina ap. *Mur.* 434, 7. Hunc somno aeternali patria retinet. ℙ *Servus ad somnum*, qui ad cubiculum heri excubans, silentium facit, ne dormientem quis interpellet. *Curt.* 6, 11.

SOMPHOS, i, f. ita appellatur quoddam cucurbitae genus: a σομφὸς, inanis, fungosus. *Plin.* 20, 3, 7. Cucurbita quoque silvestris invenitur, somphos a Graecis appellata, inanis (unde et nomen), digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens. *Hard.* leg. *spongos.*

SŌNĂBĬLIS, e, adj. ἠχώδης, qui sonum facile reddit, sonans, resonans. *Ov. Met.* 9, 783. crepuitque sonabile sistrum.

SŌNANS, antis, part. a *sono:* ἠγώδης, ἠχῶν, sonum edens, sonorus. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 57. inter *sonans* et *sonorus* discrimen statuit. *Sonorum*, inquit, est quidquid sine intermissione sonum servat: *sonans*, quod ad tempus auditur. *Cic. N. D.* 2, 8. *f.* Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur: si platani fidiculas ferrent numerose sonantes. *Ov. Met.* 10, 89. et fila sonantia movit; et *ib.* 12, 375. Excipit ille ictus galea clypeoque sonantes. *Virg. A.* 9, 660. pharetramque fuga sensere sonantem: sc. ex conflictu sagittarum. *Id. ib.* 3, 233. de Harpyiis: Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis; et *ib.* 11, 863. teli stridorem, aurasque sonantes Audiit; et *ib.* 12, 521. immissi ignes Arentem in silvam, et virgulta sonantia lauro, *h. e.* crepitantia; et *G.* 3, 149. Oestrus acerba sonans; et *A.* 9, 125. Amnis rauca sonans, *h. e.* cum strepitu inter saxa decurrens. Sic *ib.* 6, 551. Phlegethon torquet sonantia saxa. *Id. Ecl.* 10, 58. per rupes videor, lucosque sonantes Ire: scil. propter murmur fontium, vel fluminum interfluentium, vel ventorum inter arbores flantium. Sic *A.* 7, 82. lucosque sub alta Consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro Fonte sonat. *Id. ib.* 6, 704. Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis. Adde *ib.* 3, 442. et *G.* 4, 363. *Plin. ep.* 6, 16. *med.* Meatus animae gravior et sonantior. ℙ De verbis et voce hominum. *Virg. A.* 6, 50. majorque videri, Nec mortale sonans. *Id. ib.* 752. natumque, unaque Sibyllam Conventus trahit in medios turbamque sonantem. *Ov. Met.* 12, 46. de Fama: tota est ex ore sonanti. Alii leg. *aere. Plin. ep.* 1, 16. Sonantia verba et antiqua; et *ep.* 2, 19. *med.* Auditorem potius dulcia haec et sonantia, quam austera et pressa delectant. *Cic. Arch.* 10. *f.* Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus. *Mart.* 7, 46. Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes Mittere.

SŌNAX, acis, adj. omn. gen. ἠχώδης, valde sonorus, personans. *Ov. Met.* 1, 333. Tritona vocat, conchaeque sonaci Inspirare jubet. Alii leg. *sonanti. Appul. Met.* 4. Passim maria persultantes Tritonum catervae: hic concha sonaci leniter buccinat, ille, etc. *Id. ib.* 8. Aper dentibus attritu sonaci spumeus.

SONCHUS, i, m. σόγχος, herba, de qua *Plin.* 22, 22, 44. Estur et sonchos uterque, albus, et niger: lactucae similes ambo, nisi spinosi essent: caule cubitali, anguloso, intus cavo, sed qui fractus copioso lacte manet. Albus, qui e lacte nitor, utilis orthopnoicis lactucarum modo, etc. [* *Gänsedistel, Saudistel*, Sonchus oleraceus, *L.*]

*SONDRAE, arum, gens Indica. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

SŌNĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. qui pede sonat. In sacris Isidis sistra manu quatiebant, scabilla pede, saltitantes. V. SCABELLUM. *Grat. Cyn.* 42. Vix operata suo sacra ad Bubastia lino Velatur sonipes aestivi turba Canopi. ℙ Ap. poetas de equo fere dicitur, qui soliditate ungulae solo insultans, numerosum quendam sonitum edit. Unde *Virg. G.* 3, 191. de pullo equino: Carpere mox gyrum incipiat, pedibusque sonare Compositis; et *ib.* 83. et solido graviter sonat ungula cornu. *Id. A.* 11, 600. fremit aequore toto Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis. *Val. Fl.* 3, 334. vadit sonipes cervice remissa. *Catull.* 63, 41. Sol pepulit noctis umbras vegetis sonipedibus. *Sen. Hipp.* 1082. pavida sonipedes mente exciti Imperia solvunt. Adde *Stat. Theb.* 5, 3., *Sil.* 1, 222., *Claud. in Ruf.* 2, 35. etc.

SŌNĪTO, as, n. 1. ἀνηχέω, frequenter sono. *Solin.* 2. *med.* Locrensium cicadae ultra ceteras sonitant. Alii leg. *sonant.*

SŌNĪTUS, i, m. V. v. sq.

SŌNĬTUS, us, m. ἦχος, sonus, strepitus. *Auct. ad Her.* 4, 15. In proelio prae ignavia tubae sonitum perferre non potes. *Stat. Silv.* 1, 1, 68. Innumeros aeris sonitus. *Vitr.* 1, 1. *med.* Sonituum discrimina, quae Graeci ἠχεῖα vocant. *Id.* 6, 1. *med.* Nationum spiritus sonitibus gravioribus exprimuntur. *Cic. Tusc.* 1, 40. *med.* Reliquum veneni sic e poculo ejecit, ut id resonaret: quo sonitu reddito arridens, etc. *Nep. Alc.* 10. Sonitu flammae excitatus. *Virg. A.* 8, 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Ov. Ib.* 161. Verbera torta dabunt sonitum. *Id. Met.* 5, 616. Terreri sonitu pedum; et *Tibull.* 1, 1, 66. soporem Nec sonitus placidae ducere possit aquae; et *Virg. A.* 6, 586. sonitus imitatur Olympi; et *Pl. Trin.* 5, 2, 52. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subito foras? et *Plin.* 9, 10, 12. Sonitus stertentium; et 20, 5, 20. et *ib.* 15, 57. aurium; et 18, 35, 85. maris; et *Prop.* 1, 20, 48. et *Lucr.* 6, 132. Venti faciunt sonitum. *Petr. Sat.* 89. Dare sonitum. *Ov. Met.* 3, 498. reddere; et *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Tintinnabula vento agitata, longe sonitus referunt. [*Virg. G.* 1, 474. Armorum sonitum toto Germania coelo Audiit. *Pl. Mil.* 4, 8, 67. Sonitum fecere fores, *h. e.* crepuerunt. *Cic. Or.* 1, 12. Quid tam furiosum, quam verborum sonitus inanis, nulla subjecta sententia. *F.*] ℙ [*Translate.] *Id. Or.* 28. Eloquentia, quae cursu magno sonituque fertur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur. *Id. Att.* 1, 14. *med.* Nosti in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, ut eos usque istinc exauditos putem, *h. e.* clamores et strepitus me dicente, et tonante. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 364.] ℙ Olim *sonitus*, *i*, declinavere. *Pacuv.* ap. *Non.* 8, 67. Quidnam autem hoc soniti est, quod stridunt fores? Adde *Caecil. ib.*

SONĬVĬUS, a, um, adj. a *sono* ductum. *Sonivium tripudium* est a *sono*, sicut *solistimum* a *solo*. *Festus:* Sonivio, significat in carmine Saliari et Augurali, sonanti. Sonivium tripudium, ut ait Appius Pulcher, quod sonet, cum pullo excidit puls, quadrupedive ex ore. *Cic. Fam.* 6, 6. Non igitur ex alitis involatu, nec ex tripudiis solistimis, aut soniviis tibi auguror, sed, etc. *Plin.* 15, 22, 24. Nuces cadendo tripudium sonivium faciunt. Ita leg. *Hard.* ex MSS.

SŌNO, as, nui, itum, raro avi, atum, n. 1. ἠχέω, sonum, aut strepitum edo. *Caes. B. C.* 3, 105. Tympana sonuerunt. *Prop.* 4, 7, 61. Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes, Miratisque sonant Lydia plectra choris; et *ib.* 8, 49. rauci sonuerunt cardine postes. *Virg. A.* 7, 637. classica jamque sonant. *Mart.* 5, 78. Parvi tibia condyli sonabit. *Id.* 1, 77. aera sonant, *h. e.* nummi, dum tractantur, et numerantur. *Id.* 14, 223. Cristataeque sonant undique lucis aves, *h. e.* canunt. [**Virg. A.* 12, 477. (hirundo) nunc humida circum Stagna sonat, i. e. cum cantu volat.] *Id. ib.* 6, 557. Verbera saeva sonant. [**Ov. Met.* 3, 75. Terraque rasa sonat squamis.] *Hor. Sat.* 1, 8, 46. Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi. *Id. Epod.* 13, 2. nunc mare, nunc siluae Threicio Aquilone sonant. [*Ita saepius de fluctuum fremitu. *Lucan.* 5, 614. sonat Jonio vagus Hadria ponto, i. e. fluctus Jonii in Hadriatico sonitum edunt. V. *Cort.* plura laudantem. Cf. *Virg. G.* 2, 163. Julia qua ponto longe sonat unda refuso: ubi v. *Heyn.* — Etiam de fontibus. Ita *Virg.* de fonte Albunea: *A.* 7, 84. nemorum quae maxuma sacro Fonte sonat. *Ov. Met.* 3, 161. Fons sonat a dextra.] *Petr. fragm. Trag.* 60. *Burm.* Repente lacunaria sonare coeperunt, totumque triclinium intremuit. *Prop.* 4, 7, 52. de Cerbero: sic mihi molle sonet, *h. e.* miti latratu me apud Inferos excipiat. *Tibull.* 2, 4, 37. Hinc fletus, rixaeque sonant. *Id.* 3, 6, 35. Nec bene mendaci risus componitur ore: Nec bene sollicitis ebria verba sonant, *h. e.* clare expediteque exprimuntur. *Pl. Ps.* 1, 3, 74. Inanis cedis: dicta non sonant, *h. e.* verba carent sono pecuniae numeratae. [**Cic. Somn. Sc.* 5. Natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera acute sonent. *Ov. Her.* 10, 15. Sonuerunt pectora, i. e. ab ictibus, quibus percutiebantur: ubi *Ruhnk.* laudat *Tibull.* 1, 7, 42. Crura licet dura compede pulsa sonent. — *Lucan.* 3, 657. Quominus aera sonent: ubi *Cort.* laud. *Sil.* 4, 570. Obvia tum medio sonuerunt spicula corde. Adde *Lucan.* 7, 575. Pectoris arma sonant. *Virg. A.* 9, 631. sonat una fatifer arcus: *Homer. Il. δ*, 125. *Λίγξε βιὸς*, etc. Cf. *Virg. A.* 11, 652. et 774.] ℙ Impersonaliter. *Appul. Met.* 5. Jubet citharam loqui, psallitur: tibias agere, sonatur: choros canere, cantatur. ℙ Habet saepe ablativum instrumenti, quo sonum edimus. *Hor. Od.* 2, 13, 26. Et te sonantem plenius aureo, Alcaee, plectro. *Phaedr.* 3, 16. Dormire me non sinunt cantus tui, Sonare cithara quos putes Apollinis. Alii aliter leg. *Lucan.* 6, 426. Nec quaesisse libet, primis quid frugibus altrix Aere Jovis Dodona sonet. ℙ Pro resonare. *Virg. G.* 3, 554. Balatu pecorum, et crebris mugitibus amnes, Arentesque sonant ripae, collesque supini. *Ov. Met.* 12, 226. Femineo clamore sonat domus. *Mart.* 3, 58. Sonantque turres plausibus columbarum. [**Liv.* 29, 17. dies noctesque omnia passim mulierum puerorumque — ploratibus sonant.] ℙ Cum accusativo est referre, significare. *Virg. A.* 1, 332. nec vox hominem sonat. *Cic. Off.* 3, 21. *med.* Haec duo verbo inter se discrepare, re unum sonare videntur. *Id. Fin.* 2, 2. *extr.* Non intelligit, quid sonet haec vox voluptatis. *Pers.* 3, 21. sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo. ℙ Saepe refertur ad vocem, et sermonem. *Cic. Brut.* 74. Suavitas vocis, et lenis appellatio litterarum, Catulo bene loquendi famam confecerat: Cotta sonabat contrarium Catulo, subagreste quiddam, planeque sub-

rusticum. *Pl. Rud.* 1, 4, 10. Quaenam vox mihi prope hic sonat? *Juven.* 3, 90. Miratur vocem angustam, qua deterius nec Ille sonat, quo mordetur gallina marito. *Mart.* 7, 51. Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit, *h. e.* leget, recitabit, cantabit. *Virg. A.* 12, 529. Murrhanum hic atavos, et avorum antiqua sonantem Excutit, effunditque solo. ℙ Poetice est dicere, canere, verbis celebrare, praedicare. *Ov. Met.* 10, 205. Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt. *Id. A. Am.* 1, 205. vinces: votivaque carmina reddam: Et magno nobis ore sonandus eris. *Hor. Epod.* 17, 38. Paratus expiare, seu poposceris Centum juvencis, sive mendaci lyra Voles sonari. *Ov. Fast.* 3, 389. merces mihi gloria detur: Nominaque extremo carmine nostra sonent. *Virg. G.* 3, 294. Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum. *Stat. Silv.* 4, 2, 66. modo Germanas acies, modo Daca sonantem Proelia. *Nemes. Ecl.* 1, 26. Linus et Orpheus acta viri laudesque sonarent. *Prop.* 2, 23, 16. Pythius in longa carmina veste sonat: scil. voce, et lyra. Sic *Hor. Epod.* 9, 5. Sonante mixtis tibiis carmen lyra. *Id. Sat.* 1, 4, 43. Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os Magna sonaturum. [*Cf. *Heindf.*] ℙ Passive. *Albinov.* 1, 107. Alcyonum tales ventosa per aequora questus Ad surdas tenui voce sonantur aquas. ℙ In illo *Silii* 12, 171. sonat inde, citato Agmina disponens passu: tu limina dextrae Servabis portae, Nero: tu converte cohortes, etc. *sonat* est clara elataque voce loquitur. Simile est ap. *eund.* 2, 491. primaque sonant te voce minores, *h. e.* loquuntur et vocant. Simile est etiam illud *Prop.* 4, 9, 13. de Caco: furem sonuere juvenci, *h. e.* mugitu prodidere. ℙ *Bene*, aut *male sonat*, sententia recte, aut perperam se habet. *August. Retract.* 1, 4. Quod dixi, ad sapientiae conjunctionem non una via perveniri, non bene sonat. ℙ Praeteritum *sonavi* praeterquam quod confirmatur ex part. *sonaturus*, reperitur etiam ap. *Tert. ad Scap.* 3. Pristina tonitrua quid sonaverint, sciunt qui obduruerunt. ℙ In quibusdam personis ac temporibus est tertiae conjugationis. Unde *sonit* pro *sonat* dixere. *Accius* ap. *Non.* 10, 4. Curvo litore unda labunda sonit. Adde *Enn. ib.* Et *sonunt* pro *sonant*. *Accius ib.* Ibo ad eam, ut sciscam, quid velint: valvae sonunt. *Enn. ib.* Neque irati, neque blandi quidquam sincere sonunt; et ap. *Prisc.* 9, 863. Litora lata sonunt. Et *sonere* pro *sonare*. *Accius ib.* Valvas sonere sensi regias. *Lucr.* 3, 157. Caligare oculos, sonere aures, succidere artus. Adde *ib.* 887. Unde *Prisc. l. c.* supinum *sonitum* agnoscit. ℙ *Non. ib.* etiam praeterit. *sonivi* videtur agnoscere.

SŌNOR, oris, m. ἦχος, βρόμος, sonus, strepitus. *Lucr.* 4, 571. Pars *(vocum)* solidis adlisa locis, rejecta sonorem Reddit; et 5, 335. organici melicos peperere sonores. *Virg. G.* 3, 199. summaeque sonorem Dant silvae. *Id. A.* 7, 462. magno veluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis spumantis aheni; et *ib.* 9, 651. et saeva sonoribus arma. *Tac. A.* 1, 65. Barbari laeto cantu, aut truci sonore subjecta vallium complebant; et *ib.* 4, 48. Ut suo quisque periculo intentus, sonorem alterius proelii non acciperet. *Val. Fl.* 5, 306. mixtumque sonoribus imbrem; et *Cic. Or.* 18. Omnes sonorum gradus persequi. [**Sonorum* pertinet ad *sonus* vocabulum.]

SŌNORĒ, adv. λιγέως, cum sono, aut strepitu. *Gell.* 4, 20. Et in jure stans, clare nimis ac sonore oscitavit.

SŌNORĪNUS. V. SOMNURNUS.

*SONORĪTAS, atis, f. *Sarisb.* 1, 16. Magna vocis sonoritas. Cf. *Barth. Advers.* 44, 9. *B. A.*

SŌNORUS, a, um, adj. ἠχώδης, sonum edens, aut strepitum, sonans, resonans. Quomodo a *sonans* differat, V. in SONANS. *Tibull.* 3, 4, 69. Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora. *Claud. IV. cons. Honor.* 149. Aes sonorum. *Id. Laud. Stil.* 2, 26. tonitru. *Id. in Ruf.* 2, 80. Sonori arcus. *Id. in Eutrop.* 2, 105. Sonorus axis currus. *Stat. Theb.* 4, 34. Calliope regina sonori nemoris, *h. e.* in quo Musae cantus exercent suos. *Virg. A.* 12, 139. Diva, stagnis quae fluminibusque sonoris Praesidet. V. SONANS. *Id. ib.* 57. Luctantes ventos, tempestatesque sonoras. *Stat. Theb.* 11, 281. ubi Phocidos arma sonorae? scil. propter oraculum Apollinis Delphici. *Claud. B. Gild.* 512. Insula sonora fluctibus. ℙ *Sonori versus* sunt, qui crepitant pronunciatione fragosa, et exsultantem informant dictionem: ut (*Virg. A.* 9, 503.) At tuba terribili sonitu procul aere canoro Increpuit; et (*ib.* 8, 596.) Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Haec. *Diomed.* 3, 498.

SONS, sontis, adj. omn. gen. βλαβερός, nocens, noxius: a *οἴνης*, quod idem significat, a *οἴνομαι*, noceo. [**Degen.* ad *Cic. Off.* 1, 24, 82. v. *sons* contractum putat ex *sinons*; improb. *Beier. ib.*] Rectus casus videtur olim fuisse *sontes*, inde *sons*, ut a *plebes plebs*, a *mentis* (quod dixit *Ennius*) *mens*, etc. *Festus:* Sons, nocens: ut ex contrario insons, innocens. *Stat. Th.* 5, 610. qui te, mea gaudia, sontes Exstinxere Dei? *Pl. Capt.* 3, 1, 15. Sontes condemnant reos. *Stat. Th.* 4, 640. et ab igne supremo Sontes lege morae, *h. e.* quae nocent sepultura carentibus. ℙ Hinc [*ad eos pertinet, qui cujuscumque facinoris rei sunt, Gr. ὑπαίτιος. Exempla *Forc.* laudaverat ista.] *Virg. A.* 10, 851. Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem. *Ov. Met.* 13, 563. Immergitque manus, foedataque sanguine sonti etc. i. e. viri homicidae: [*Alii *sanguine sontis:* sed *sonti* defendit *Wopkens.* in *Miscell. Obss. Nov.* T. X. p. 88.] et 7, 847. corpusque meo mihi carius ulnis Sontibus attollo, h. e. manibus meis, quibus ipsum occideram. *Stat. Th.* 5, 488. fremit impia plebes Sontibus accensae stimulis. ℙ [*Unde eodem sensu substantive positum significat maleficum.] *Cic. Off.* 1, 24. Idque est viri magni, rebus agitatis, punire sontes, servare multitudinem. *Id. Phil.* 2, 8. Comprehensio sontium mea, animadversio senatus fuit. *Id. Leg.* 3, 3. Minores magistratus vincula sontium servanto, capitalia vindicanto. *Stat. Th.* 4, 475. de Plutone: Cui servire dati Manes, aeternaque sontum Supplicia. *Cic. Fam.* 4, 13. Sontibus opitulari, *h. e.* reos eloquentia defendere. *Ov. Met.* 11, 268. fraterno sanguine sontem, Expulsumque domo patria Trachinia tellus Accipit, *h. e.* reum caedis fratris. [*Liv. 3, 58. nullo relicto sonte. Discrimen inter *sons* et *noxius* indicavimus in h. v.]

SONTĪCUS, a, um, adj. βλαβερός, sons, noxius, gravis, vehemens. *Morbus sonticus*, ita gravis, ut solitas functiones impediat, et justam excusationem praebeat, quo minus in judicium vocatus se sistere quis cogatur, aut quippiam aliud agere: cujusmodi est v. gr. morbus comitialis. *Festus:* Sonticum morbum in XII. significare ait Aelius Stilo certum cum justa causa: quem nonnulli putant esse, qui nocet, quod sontes significet nocentes. *Id.* in *Insons.* Morbus dici existimatur sonticus, quia perpetuo noceat. *Cincius* ap. *Gell.* 16, 4. recenset inter ea, quibus excusabantur milites, si praefinita die non adfuissent. *Gell.* 20, 1. *med.* Morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem non per se morbum, sed morbum sonticum appellant. *Venul. Dig.* 21, 1, 65. Quoties morbus sonticus nominatur: eum significari Cassius ait, qui noceat, nocere autem intelligi, qui perpetuus sit, non qui tempore finiatur. Sed et morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem, postquam is natus sit, *h. e.* quem in ventre matris non contraxerit, et secum extulerit, sed post nativitatem supervenerit. Alii tamen leg. *postquam sanatus sit.* Mallet *Gothofred.* legi *damnatus*, vel *accusatus sit. Marc. Dig.* 42, 1, 60. Morbus sonticus, etiam invitis litigatoribus ac judice, diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cuique rei agendae impedimento est litiganti. Porro quid magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quam febrem appellant? *Paul. ib.* 5, 1, 46. sonticum morbum dicit, quo judex furere coepit. Adde *Ulp. ib.* 2, 11, 2. *Plin.* 36, 19, 34. Gagatis lapis deprehendit sonticum morbum, et virginitatem suffitus. Haec *Plin.* ex *Dioscorid.* 5, 146., qui pro *sontico* habet ἐπιληπτικόν. ℙ *Sontica causa*, justa, vera, legitima, ex morbo sontico. *Festus:* Sontica causa dicitur a morbo sontico, propter quem, quod est gerendum, agere desistimus. Cato: Quid dicam causae exstitisse, timidus ne sis? an impedimento tibi causam sonticam fuisse? *Tibull.* 1, 9, 51. Parce, precor, tenero: non illi sontica causa est, Sed nimius luto corpora tingit amor, *h. e.* non ob sonticum morbum, sed propter amorem luteo est colore et pallet. *Naevius* ap. *Fest.* Sonticam oportet esse causam, quamobrem perdas mulierem.

*SONTĪNI, orum, populi Italiae inferioris, a Sontia vel Sontio quodam oppido fortasse sic dicti. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

[SONTĪUS, ii, m. nunc *Lisonzo*, fluvius Italiae superioris, in Carnis, in Adriaticum influens. *Cassiod. Var.* 1, 18. Deo propitio Sontii fluenta transmisimus, ubi primum Italiae nos suscepit imperium. ℙ *Sontius, a, um*, adj. qui ad eundem fluvium pertinet. *Jornand. de reb. Get.* 57. Theodericus Venetiarum fines ingressus, ad pontem, Sontium nuncupatum, castrametatus est. *F.*]

SŌNUS, i, m. ἦχος, φθόγγος, κροῦμα, quidquid aurium sensu percipitur, strepitus, vox. *Cic. Somn. Scip.* 5. Hic quis est, qui complet aures meas, tantus et tam dulcis sonus? et *N. D.* 2, 60. Ad nervorum eliciendos sonos, ac tibiarum apta manus est admotione digitorum; et *ib* 58. *f.* Varietas sonorum in tibiarum nervorumque cantibus; et *ib.* 59. *f.* Lingua sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum ad dentes et ad alias partes pellit oris. *Id. Or.* 1, 59. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipere. *Phaedr.* 1, 2. missum tigillum subito vadi Motu sonoque terruit pavidum genus. *Id.* 3, 18. Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono? et *Virg. G.* 3, 83. de equo: si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit. *Id. A.* 12, 618. arrectasque impulit aures Confusae sonus urbis, et illaetabile murmur. *Hor. A. P.* 348. Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens: Poscentique gravem persaepe remittit acutum. *Ov. Met.* 4, 391. tympana raucis Obstrepuere sonis. *Id. Fast.* 1, 433. asellus Intempestivos edidit ore sonos. *Lucan.* 6, 692. Silvarumque sonum, fractaeque tonitrua nubis. *Id.* 3, 541. Remorum sonus. *Sen. Herc. Oet.* 1002. verberum crepuit sonus. [*Porro *Liv.* 21, 28. cum ingenti sono fluminis.] ℙ Saepe refertur ad verba, et vocem. *Cic. Tusc.* 5, 26. Nos in vocibus occupatos, inanes sonos fundere. *Ov. Met.* 3, 377. de Echo: illa parata est Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat. *Id. Fast.* 6, 114. Reddebat tales protinus illa sonos; et *ib.* 1, 100. de Jano: Edidit hos nobis ore priore sonos; et *ib.* 3, 26. Et peragit tales arbore nixa sonos; et *Pont.* 3, 3, 22. Talibus affata est libera lingua sonis. *Id. Fast.* 6, 507. Latias Saturnia Bacchas Instimulat fictis insidiosa sonis. *Stat. Th.* 12, 317. fugere animus, visusque, sonusque, Inclusitque dolor lacrimas. *Tac. G.* 3. Affectatur praecipue asperitas soni, et fractum murmur; et *Sen. Herc. Oet.* 1128. Sed quis non modicus fragor Aures attonitas movet? Et est Herculeus sonus. *Virg. A.* 2, 423. ora sono discordia signant. ℙ Item ad prosodiam, sive accentum, quo verba exprimuntur. *Cic. Or.* 17. *extr.* Mira est quaedam natura vocis: cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus. [*De ea, quam in rebus oratoriis v. *sonus* significationem habeat, exposuit *Ern.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 364. sqq.] ℙ Olim fuit et quartae declinationis. *Sisenna* ap. *Non.* 8, 67. Postquam sonu signorum proelium magno cum clamore virorum commissum est.

*SONUS, i, m. Σῶνος, Indiae fluvius, in Gangem cadens. *Plin.* 6, 18. *B. A.*

SŌNUS, us, m. V. SONUS, i.

[SOPĀTER, tris, m. salvus pater: a σῶς, salvus, et πατήρ, pater. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 3. C. Cassius Sopater. *F.*]

[SOPESCO, is, a. 3. soporem contraho. *Not. Tir.* p. 135. Sopit, sopescit. *F.*]

[SOPHAENICTUS, vel Sophaenitus, i, m. qui doctis aenigmatibus utitur: a σοφὸς, sapiens, et αἰνικτὸς, aenigmaticus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Cardinal. Iscriz. ined. n.* 9. M. Aurelius Sophaenitus. *F.*]

SOPHĒNĒ, es, f. Σοφήνη. pars Syriae, qua Taurum transit, ut *Plin.* 5, 12, 13. docet. *Lucan.* 2, 592. Cappadoces mea signa timent, mollisque Sophene.

SOPHĬA, ae, f. σοφία, sapientia. Hac voce *Cicero* si quando utitur, Graecis litteris scribit. At *Sen. ep.* 89. Sapientia est, inquit, quam Graeci σοφίαν vocant. Hoc verbo quoque Romani utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur: quod et togatae tibi antiquae probabunt, et inscriptus Dossenni monumento titulus: Hospes resiste, et sophiam Dossenni lege. Haec *Sen.* Sic *Mart.* 1, 112. Cum tibi sit sophiae par fama, et cura Deorum. *Afran.* ap. *Gell.* 13, 8. Usus me genuit, mater peperit Memoria: Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam. *Enn.* ap. *Fest.* in *Sas*, ex lectione *Scal.* Nec quisquam Sophiam, sapientia quae perhibetur, In somnis vidit prius, quam sam discere coepit. Adde *Lact.* 3, 16. *med.* ℙ Paenultimam produxit *Prud. in Sym.* 1, 34. aetheriae coluerunt dogma Sophiae. Sic a quibusd. citatur hic versus in *Anth.* Gr. Σύριγξ οὔνομ' ἔχεις. ᾄδει δέ σε μέτρα σοφίης.

SOPHIĀNUS, a, um, adj. ad Sophiam pertinens. *Coripp. Laud. Just.* 4, 287. venerabile templum, Et Sophianarum splendentia tecta novarum, *h. e.* templum S. Sophiae, seu Iesu Christi, qui Sapientia est Dei Patris, a Justiniano Imp. Constantinopoli excitatum.

[SOPHĪCUS, a, um, adj. ad sophum pertinens. *Auct. carm. de Providentia* 763. Hic sophicas artes Graecorum, et vana secutus Dogmata. *F.*]

SOPHISMA, ātis, n. σόφισμα, genus fallacis argumentationis, conclusio fallax, commentum et falsa oratio ita composita, ut vera esse videatur. *Cic. Acad.* 4, 24. Quorum sunt contorta et aculeata quaedam sophismata: sic enim appellantur fallaces conclusiunculae. *Sen. ep.* 45. *med.* Idem de istis captionibus dico, quo enim nomine potius sophismata appellem? *Id. ep.* 111. Quid vocentur Latine sophismata, quaesisti a me. Multi tentaverunt illis nomen imponere: nullum haesit: videlicet, quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero usus est: cavillationes vocat. *Gell.* 18, 13. Sophisma diluere ac refellere.

SOPHISMĀTĪCUS. V. v. sq.

SOPHISMĀTĬUM, ii, n. parvum, vel breve sophisma, σοφισμάτιον. Legitur ap. *Gell.* 18, 13. *in lemmate*, ubi alii leg. *sophismatico* pro *sophismatio.*

SOPHISTA, ae, et Sophistes, ae, m. σοφιστής, imitator philosophorum, philosophus apparens, qui fictam quandam et inanem sapientiae speciem jactitat, qui eloquentiam et sapientiam omnium artium, ostentationis, et quaestus gratia profitetur. Olim enim eloquentia et sapientia conjunctae erant. Differt ab oratore, quia sophista est artifex callidus et ingeniosus, qui artificiosae orationis delicias affectat. Deinde orator versatur circa eloquentiam forensem, sed sophista circa epidicticam, seu demonstrativam. *Cic. Acad.* 4, 23. At quis est hic? num sophistes? sic enim appellantur ii, qui ostentationis, aut quaestus sui causa philosophantur. *Id. N.*

D. 1, 23. Nam Abderites quidem Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus, etc. ℙ Sophistarum mos fuit paratos esse subito et improviso de quacumque re dicere, et in conventu quaestionem poscere. *Cic. Fin.* 2, 1. Eorum erat iste mos, qui tunc sophistae nominabantur: quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est jubere dicere, qua de re quis vellet audire. *Lucil.*, ex *Dousae* lectione, ap. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 10. At Dii te perdant, sonium atque insulse sophista. ℙ Cum sophistis Socrates bellum perpetuum gessit, ut patet ex Hippia majore *Platonis*, ex Protagora, et aliis dialogis. *Cic. Fin.* 2, 1., *Brut.* 8. etc. ℙ Interdum tamen hoc nomine appellati sunt sani eloquentiae doctores, et dicendi periti. *Cic. Or.* 19. *f.*, *Juven.* 7, 167. et *Gell.* 17, 5.

SOPHISTICE, es, f. σοφιστική, sophistica ars, cavillatrix, fallax. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Sophistice imitata juridicialem statum, dat opinionem stultis, quasi justitiae studeat, quam iniquitati falvere constat. ℙ *Sophistice*, adv. σοφιστικῶς, dolose. *Imp. Zeno Cod.* 8, 10, 12. §. 3. Sophistice legem interpretari, et cavillari.

SOPHISTICUS, a, um, adj. σοφιστικός, ad sophistas pertinens, captiosus, fallax, dolosus. *Tiro Tullius* ap. *Gell.* 7, 3. *med.* Res admodum insidiosa et sophistica. *Gell.* 18, 2. Captionis sophisticae solutio. *Arnob.* 1, 36. Sophistica se ostentatione jactare. *Prud. Apoth.* 2. *praef.* 41. Idcirco mundi stulta delegit Deus, ut concidant sopistica. Respicit *Prud.* illud *Pauli Cor.* 1, 1, 27. Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.

[SOPHISTRIA, ae, f. σοφίστρια, deceptrix. *Hieron.* in *Chron. Euseb.* ad ann. DCCLXX. *ab Abraham.* Hydram callidissimam fuisse sopistriam asserit Plato. *F.*]

SOPHOCLES, is, m. Σοφοκλῆς, filius Sophili, Atheniensis, tragicorum poetarum princeps, aequalis Euripidis et Periclis: a σοφός, sapiens, et κλέος, gloria. In republica honores tum civiles attigit, tum militares: sed praecipuam gloriam consecutus est tragoediis, quas ultra centum ac viginti conscripsit, et vicies ac ter victoriam reportavit. Propter hoc studium cum rem familiarem videretur administrare negligentius, a filiis in judicium vocatus, ut quasi desipiens a dominio removeretur, Oedipodis Colonaei fabulam, quam proxime scripserat, judicibus legit, quaesivitque, num desipientis illud opus esset: eorumque sententiis liberatus est. Obiit ex gaudio ob insperatam victoriam ex tragoedia eadem, centum prope annos natus. *Cic. Off.* 1, 40. et *Sen.* 7., *Plin.* 7, 29, 30. et *ib.* 53, 54. et 37, 2, 11. *n.* 1., *Just.* 3, 6. *extr.*, *Vell.* 1, 16., *Val. Max.* 4, 3. *n.* 1. *extr.* et 8, 7. *n.* 12. *extr.* et 9, 12. *n.* 5. *extr.* et *Gell.* 17, 21. *med.* etc. *Hor. Ep.* 2, 1, 163. Quid Sophocles, et Thespis, et Aeschylos utile ferrent. ℙ In genitivo etiam *Sophocli* dicitur. *Gell.* 12, 11. Versus Sophocli prudentissimi poetarum. Adde 13, 18. V. ACHILLES. ℙ In vocativo *Sophocle. Cic. Off.* 1, 40. *med.* Praetorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.

SOPHOCLEUS, a, um, adj. Σοφόκλειος, ad Sophoclem pertinens. *Cic. Fam.* 16, 18. *extr.* An pangis aliquid Sophocleum? fac, opus appareat. *Virg. Ecl.* 8, 10. Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. Adde *Ov. Am.* 1, 15, 15.

[SOPHOMENE, es, f. illuminata: est a σοφωμένη pro σοφουμένη, partic. pass. verbi σοφόω, doctum, sapientem reddo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *De-Vita, Antiq. Benev.* p. 9. *n.* 7. C. Lepidio Rufioni Augustali Sophomene. *F.*]

*SOPHONIA, ae, f. insula olim parva maris Aegaei, ante Magnesiam, mox terris juncta. *Plin.* 2, 89. *B. A.*

*SOPHONISBA, ae, f. uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Carthaginiensis. *Liv.* 30, 12 et 15. *B. A.*

SOPHORTIAE Vites inter Graeculas enumerantur a *Colum.* 3, 2. *med.* probabilem quidem gustum habentes, sed quae in nostris, inquit, regionibus et raritate uvarum, et acinorum exiguitate minus fluunt.

SOPHOS, adv. σοφῶς, vox Graeca sapienter significans, cujus usus in acclamationibus, praesertim cum recitantes, aut causas in foro agentes prece aut pretio corrogati laudabant: qua de re multa *Plin. ep.* 2, 14. Hinc *Mart.* 1, 50. Mercetur alius grande et insanum sophos; et *ib.* 77. Praeter aquas Helicon, et serta lyrasque Dearum, Nil habet, et magnum semper inane sophos; et 3, 46. Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo: At tibi tergeminum mugiet ille sophos. *Id.* 1, 67. Non sex paranum mugiet ille sophos. *Id.* 1, 67. Non sex paratur aut decem sophos nummis. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* Clamare sophos. *Sidon. ep.* 9, 13. in *carm.* 2. *f.* Stupuit virum loquentem Diadematis potestas, Toga, miles, ordo equester Populusque Romularis: Et adhuc sophos volutant Fora, templa, rura, castra. V. LAUDICENUS.

[SOPHRONISCUS, i, m. σωφρονίσκος, dimin. a σώφρον, sobrius. Est cogn. servile in *Inscr.* ap. *Marangon. Acta S. Victor.* p. 147. Ita etiam fuit nominatus pater Socratis philosophi, ut narrat *Val. Max.* 3, 4, 1. *extr. F.*]

SOPHUS et Sophos, i, m. σοφός, sapiens: et fere de philosophis dicitur. *Mart.* 7, 32. Te secreta quies, te sophos omnis amat. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Fin.* 2, 8. In quo Laeliu' clamores sophos ille solebat Edere: et *mox:* Laeliu' praeclare et recte sophos, illeque vere. Alii leg. *sophus. Phaedr.* 3, 14. tum victor sophus, *h. e.* Aesopus. *Id.* 4, 16. Factus periculo tum gubernator sophus, etc. (Sic *Prop.* 2, 21, 30. Credet et illa suo docta puella malo.) *Auson. epigr.* 22, 25. Sapiensque supra Graeciae septem viros Octavus accessit sophos. ℙ *Sophus* et *Sophe*, σοφὸς et σοφή, est etiam cogn. R. *Pomp, Dig.* 1, 2, 2. *med.* Fuit post eos maximae scientiae Sempronius, quem populus R. Sophum appellavit, nec quisquam ante hunc hoc nomine cognominatus est. Hinc *Liv.* 9, 45. P. Sulpicio Saverrione, P. Sempronio Sopho consulibus, *h. e.* ann. U. C. CCCCL. *Inscr.* ap. *Mur.* 1434, 13. Antonia Sophe. ℙ *Sophus* non modo personam, sed rem etiam spectat, et elegantiam dictionis et gravitatem significat. *Venant. carm.* 3, 23, 1. Ardua suscepi missis epigrammata chartis, Atque cothurnato verba rotata sopho.

SOPIO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. κοιμίζω, somnum alicui induco, dormire facio, soporo, consopio. *Liv.* 9, 30. Alii alios epularum causa invitant, et vino oneratos sopiunt. *Id.* 24, 46. *f.* Sonitus imbris lentior aequaliorque accidens auribus, magnam partem hominum sopivit. *Tibull.* 3, 4, 19. Nec me sopierat menti Deus utilis aegrae Somnus. *Ov. Met.* 7, 149. pervigilem herbis sopire draconem; et *ib.* 213. Custodemque rudem somni sopistis. Alii leg. *somno.* ℙ Translate est morti dare: quia consanguineus est leti sopor. *Sil.* 10, 152. quem funda procul per inane voluta Sopierat. ℙ *Sopiri*, mente linqui, sensu omni ad tempus privari, καρούσθαι: et hoc enim est morti simile. *Liv.* 8, 6. Lapsus per gradus, capite graviter offenso, impactus imo ita est saxo, ut sopiretur: exanimatum auctores non omnes sunt. *Id.* 1, 41. Jubet bono animo esse; sopitum fuisse regem subito ictu. *Plin.* 9, 16, 25. Fluviatilium silurus semper fulgure sopitur. ℙ Est etiam cessare, aut quiescere facio, sedo. *Vell.* 2, 125. Sed haec omnia veteris imperatoris maturitas brevi sopiit ac sustulit. *Claud. Laud. Stil.* 1, 3. Connubii necdum festivos regia cantus Sopierat. *Id. in Ruf.* 2, 324. Coeperat humanos alto sopire labores Nox gremio. *Plin.* 2, 47, 48. Venti medio diei aut noctis plerumque sopiuntur.

SOPITUS, a, um, part. a *sopio:* καταχοιμισθείς, somno oppressus, dormiens. *Petr. Sat.* 87. Sopitum me excitavit. *Cic. Div.* 1, 51. Animus, sopito corpore, vigilat. *Liv.* 25, 9. *med.* Ex improviso adortus sopitos vigiles, in cubilibus suis obtruncat. *Virg. A.* 10, 642. Aut quae sopitos deludunt somnia sensus. *Phaedr.* 3, 10. uxor, Sopita primo quae nil somno senserat. *Lucr.* 3, 432. Sopiti in somnis cernimus, etc. *Liv.* 8, 16. *med.* Vino et epulis sopitos hostes aggredi. *Sen. Med.* 701. et *Colum.* 10, 367. magicis sopitus cantibus anguis. *Ov. Fast.* 3, 305. Vina quies sequitur: gelido Numa prodit ab antro, Vinclaque sopitas addit in arcta manus. *Liv.* 9, 37. *med.* Paulo ante lucem, quod aestivis noctibus sopitae maxime quietis tempus est. ℙ De mortuo. *Lucr.* 3, 918. Tu quidem, ut es leto sopitus, sic eris aevi Quod superest, cunctis privatu' doloribus aegris; et *ib.* 1052. Homerus Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete est. ℙ De eo, qui sensu ad tempus privatur ex ictu, aut morbo, ἐκπλήκτος, κατάπληκτος. *Lucr.* 6, 794. Castoreoque gravi mulier sopita recumbit. *Liv.* 42, 15. Saxa duo ingentia devolvunt, quorum altero caput ictum est regi, altero humerus sopitus; [*hunc locum aliter scribendum et distinguendum censet *Kreyss.* q. v.] et *ib.* 16. Tollentes sopitum vulnere, ac nihil sentientem. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus sopitus odoris novitate, fluctuatusque similis exanimi. *Petr. Sat.* 138. *f.* Resipiscerent partes veneficio, credo, sopitae. V. v. praec. ℙ *Sopitus ignis*, cessante flamma, celatus, sub cinere abditus. *Virg. A.* 5, 743. et *ib.* 8, 410. cinerem et sopitos suscitat ignes; et 542. Herculeis sopitas ignibus aras Excitat. ℙ Translate est sedatus, lenitus, mitigatus, compressus, repressus. *Lucr.* 1, 30. Effice, ut interea fera moenera militiai Per maria ac terras omnes sopita quiescant. *Vell.* 2, 89. Sopitus ubique armorum furor. *Plin.* 2, 79, 81. Sopitum mare. *Colum.* 6, 37. Sopitum pecudis ingenium modica exercitatione concuti, atque excitari. *Cic. Coel.* 17. *f.* Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 1. *extr.* His vitiis sopita gloria in infamiam convertitur. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 264. Surgite sopitae, quas obruit ambitus, artes. *Id. Rapt. Pros.* 2. *praef.* 1. Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus.

*SOPOLIS, is, m. pictor celeber tempore Ciceronis. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* *Plin.* 35, 11. ed. *Hard.* ubi aliae edd. *Sopylon.* In MSS. est Σώπολιν. [*Etiam ap. *Cic.* mimme certa est lectio. *B. A.*]

SOPOR, oris, m. [*proprie succus papaveris, fortasse a Gr. ὀπός. *Plin.* 20, 18, 76. E nigro papavere sopor gignitur. ℙ Hinc medicamen, poculum soporiferum, etiam mortiferum. Gr. φάρμακον ὑπνωτικόν.] *Nep. Dion.* 2. *f.* Patri soporem medicus dare coegit. *Sen. ep.* 83. *f.* Licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec sopore sumpto dormiturum. *Id. Ben.* 5, 13. *extr.* Veneficus qui soporem, cum venenum crederet, miscuit. Adde *Quint. decl.* 246. [*Huc pertinet etiam locus quem *Noster* mox in sqq. laudaverat, *Tibull.* 4, 4, 9. Sancte, veni, tecumque feras, quicunque sopores, Quicunque et cantus corpora fessa levant: ubi v. *Brukh.* ℙ Hinc effectu pro causa efficiente posito est somnus cum gravedine, κάρος. *Plin.* 21, 18, 71. Junci semine somnum allici: sed modum servandum.] ℙ Poetae simpliciter pro somno accipiunt. [*V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 80.] *Lucr.* 4, 455. suavi devinxit membra sopore Somnus. *Pl. Rud.* 4, 2, 11. Lucrum praeposivi sopori et quieti. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Cum jam quieti corpus nocturno impetu Dedi, sopore placans artus languidos. *Petr. Sat.* 100. In soporem labens; et *ib.* 101. prostrata sopore Urget membra quies. *Lucr.* 4, 769. jacet languetque sopore; et *ib.* 996. levem ex oculis volucremque soporem Discutere. *Ov. Met.* 11, 677. Soporem excutere. *Tibull.* 1, 2, 1. Adde merum, vinoque novos compesce dolores, Occupet ut fessi lumina victa sopor. *Prop.* 3, 15, 42. ad Bacchum: Atque hoc sollicitum vince sopore caput. *Lucan.* 5, 689. corpora segnis Nostra sopor tenuit. *Vall Fl.* 1, 48. cum serus fessos sopor alligat artus. *Virg. A.* 2, 253. complectitur; et *ib.* 3, 511. irrigat. *Sen. Octav.* 117. Et fessa fletu lumina oppressit sopor. *Catull.* 63, 37. Piger labantes languore oculos sopor operit. *Ov. Her.* 16, 100. Lumina cum placido victa sopore jacent; et *ib.* 19, 56. subit furtim lumina fessa sopor. *Virg. A.* 4, 522. placidum carpebant fessa soporem Corpora; et *ib.* 8, 405. placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem. ℙ Quaecumque de Somno fabulantur, Sopori tribuunt *Virg. A.* 6, 278. Tum consanguineus Leti Sopor. *Prop.* 1, 3, 45. Dum me jucundis lapsam Sopor impulit alis. *Claud. in Ruf.* 2, 325. pigrasque Sopor diffuderat alas. Adde *Stat. Th.* 2, 59. ℙ [*Significat *sopor* etiam eum statum, quo quis non somno captus sed vino etc. oppressus omni sensuum facultate caret. *Betäubung, Gefühllosigkeit. Quint. Inst.* 4, 1, 125. neque dormire excitatus, neque vigilare ebrius poterat; sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque jactabatur; et *ib.* §. 123. Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum. Ita etiam intelligi potest in duobus locis a *Nostro* mox laud. *Plauti Amph.* 1, 1, 147. et 150.] ℙ Translate est segnities, otium. *Tac. H.* 2, 76. Torpere ultra, et polluendam perdendamque rempubl. relinquere, sopor et ignavia videretur. *Mart.* 7, 42. Inde sopor nobis et placet alta quies. ℙ De morte. *Lucr.* 3, 466. Interdumque gravi lethargo fertur in altum Aeternumque soporem. *Pl. Amph.* 1, 1, 147. Homines quatuor in soporem collocastis nudos; et *ib.* 150. Sopori aliquem dare. *Plaut.* potest intelligi etiam de defectu animi, et amissione sensus. ℙ Ut *somnus*, ita et *sopor* pro somnio ponitur. *Claud. VI. cons. Hon. praef.* 9. Blandaque largitur frustra sitientibus aegris Irriguus gelido pocula fonte sopor. Adde *ib.* 25. ℙ *Sopor* in fabulis est auriga currus Lunaris. *Stat. Th.* 12, 307. ℙ Denique *sopor* est tempus capitis: fortasse quia circa tempora praecipue videtur somnus in opinione vulgi dominari. Unde ap. *Virg. A.* 5, 854. Somnus volens Palinurum in mare projicere, ramum Lethaeo rore madentem super utraque quassat tempora. *Stat. Silv.* 2, 3, 29. laevumque soporem Naïdos aversa fertur tetigisse sagitta. Itali dicunt *dar un pugno nel sonno*, cum quis pugno tempus alicui ferit.

SOPORATUS, a, um, part. a *soporo:* καταχοιμισθείς, somno correptus, sopitus. *Ov. Am.* 1, 9, 21. Saepe soporatos invadere profuit hostes. *Val. Fl.* 5, 334. soporatos artus premit alta quies. *Plin.* 10, 75, 97. Aquatilia ipsa quiete cernuntur placida, ceu soporata, neque aliud quam caudas moventia. *Val. Fl.* 5, 238. Rapta soporato fuerint cum vellera luco, *h. e.* soporato dracone, qui lucum servat. ℙ Translate. *Curt.* 7, 1. Recruduit soporatus dolor. ℙ Est etiam soporifero medicamento (qui *sopor* dicitur) imbutus, soporifor. *Virg. A.* 5, 854. ramum Lethaeo rore madentem, Vique soporatum Stygia. *Id. ib.* 6, 420. Melle soporatam, et medicatis frugibus offam Objicit. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 280. de equis Plutonis: Stagnaque tranquillae potantes marcida Lethes, Aegra soporatis spumant oblivia linguis. ℙ [*Confund. *soporatus* et *suppuratus.* V. *Freinsh.* et *Cellar.* ad *Curt.* l. modo l.]

SOPORIFER, ra, rum, adj. ὑπνωτικός, soporem inducens, somnifer. *Plin.* 19, 8, 38. Atra lactuca, quae meconis appellatur, a copia lactis soporiferi. *Id.* 9, 13, 15. Dextrae pinnae vim soporiferam inesse. *Virg. A.* 4, 486. Spargens humida mella, soporiferumque papaver. *Spart. Hadr.* 26. *extr.* Soporifera potio. *Lucan.* 3, 8. Inde soporifero cesserunt languida somno Membra ducis. *Ov. Trist.* 4, 1, 47. soporiferae biberem si pocula Lethes. *Id. Met.* 11, 586. Soporifera Somni aula. *Petr. Sat.* 128. et *Sil.* 7, 287. nox. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 404. soporiferas nocturna silentia terris Explicuere vices.

SOPORO, as, avi, atum, a. l. καταχοιμίζω, sopo-

rem induco, sopio. *Cels.* 2, 2. *med.* Si saepius expergiscitur aliquis, quam assuevit, deinde iterum sopogiscitur aliquis, quam assuevit, deinde iterum soporatur. ℙ Item sensum ac vires ad tempus adimo, hebescere facio. *Scrib. Comp.* 180. Opium mentem soporat, sensusque abalienat. *Plin.* 28, 8, 29. Aquarum impetus sisti, serpentes soporari. *Id.* 21, 31, 105. Aspidum naturae halicacabum in tantum adversam, ut radice ejus propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum. *Stat. Th.* 11, 93. hebet infera coelo Taxus, et insuetos angues nimia astra soporant. ℙ *Soporare ignem*, est exstinguere. *Stat. Th.* 6, 235. instant flammis, multoque soporant imbre rogum.

SOPORUS, a, um, adj. ὑπνωτικὸς, sopore plenus, somnolentus, soporifer. *Val. Fl.* 2, 222. invadunt dapibus vinoque soporos. *Virg. A.* 6, 390. Umbrarum hic locus est, Somni, Noctisque soporae. *Lucan.* 2, 236. sed nocte sopora, Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes, Atria cognati pulsat non ampla Catonis. Adde *Stat. Th.* 1, 403.

*SOPYLUS. V. SOPOLIS. *B. A.*

SORA. V. SORANUS.

SORACTE et Sauracte, is, n. et Soractes, is, m. mons Faliscorum in Etruria prope Tiberim: ubi templum Apollinis fuit: [nunc *Monte di S. Silvestro* vocatur. *F.*] *Virg. A.* 11, 785. sancti custos Soractis Apollo; et *ib.* 7, 695. Hi Fescenninas acies, aequosque Faliscos: Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva. *Servius* hic male in Hirpinis collocat, qui sunt ultra Samnites, et Campaniam: nisi intelligat quasdam familias in Faliscorum agro: de quibus *Plin.* 7, 2, 2. Haud procul urbe Roma, in Faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur Hirpi: hae sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur. *Sil.* 8, 494. et sacrum Phoebo Soracte frequentant. *Id.* 7, 662. Phoebei Soractis honor. *Varr. R. R.* 2, 3. In Sauracti, Fiscello caprae ferae sunt, quae, etc.

*SORACTIA, ae, f. oppid. Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

SORACTĪNUS, a, um, adj. ad Soracte pertinens, ut Soractinae lapicidinae, *Vitr.* 2, 17.

SORACUM, i, n. σώρακος, vas quoddam, puta corbis, cista, qua ornamenta portantur scenicorum. Pl. in Persa (3, 1, 64.) Librorum eccillum habeo plenum soracum. Haec *Festus.* Enumeratur a *Polluce* inter vasa rustica: etsi παρὰ τοῖς κωμῳδοποιοῖς, inquit 10, 29., οὕτως ὠνομάσθη τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν. Quidam putant *soracum*, et *saracum* seu *sarracum* idem esse: sed hoc certe genus vehiculi est, *soracum* vasis: nisi dicas, *soracum* esse cistam ampliorem, quae vehiculo imponitur, ut benna. Differunt etiam quantitate paenultimae, quae in *sarracum* a *Juvenale* producitur (V. h. v.), in *soracum* a *Plauto* corripitur.

SORANUS, a, um, adj. ad Soram (etiamnum *Sora*) pertinens oppid. et coloniam Latii prope Arpinum, ad Lirim amnem, cujus *Plin.* 3, 5, 9. meminit. *Liv.* 9, 24. Soranus transfuga. *Inscr.* ap. *Grut.* 409, 9. Legio IIII. Sorana. ℙ Dis pater cognomento *Soranus* dictus est, teste *Servio* ad *A.* 11, 785., cujus appellationis originem alii a σορὸς, sepulcrum, deducunt: alii a Soranis, id numen praecipue colentibus. ℙ [*Soranus* est etiam cogn. R., ut ap. *Cic. Or.* 3, 11. Q. Valerius Soranus: sed rectius ita appellatus ex patria Sora. *F.*]

SORBĔO, es, ui, a. 2. ῥοφέω, aliquid liquidum, aut quod mandi opus non est, spiritum retrahendo haurio: a sono, qui tunc fieri solet, ut *Varro* sentit *L. L.* 5, 8. *f.*, vel a Graeca voce allata, per metathesin, et aspero spiritu in *s* verso. *Pl. Mil.* 3, 2, 8. Consimile est quod stertas, quasi sorbeas. *Plin.* 30, 14, 45. Quae fimum anserinum cum aqua sorbuerint. *Id.* 29, 3, 11. Crudum ovum sorbere. *Id.* 28, 1, 2. ex homine calidum sanguinem. [**Curt.* 5, 13, 24. sorbere aquam. *Suet. Cal.* 37. ut pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet.] *Lucan.* 4, 314. et lacte negato, Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis; et 7, 843. totas avide sorbere medullas. ℙ *Simul flare, sorbereque haud facile est*, proverb. ap. *Pl. Most.* 3, 2, 104. quo significatur, duas res uno eodemque tempore peragi, perdifficile esse. ℙ Universim accipitur pro haurire, in se trahere. *Mart.* 12, 29. Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem. *Lucr.* 6, 1127. Et cum spirantes mixtas hinc ducimus auras, Illa quoque (*h. e.* particulas pestilitate imbutas) in corpus pariter sorbere necesse est. *Juven.* 6, 305. Sorbere aera. *Virg. A.* 3, 421. Charybdis imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus. *Sen. Hipp.* 1049. Pistrix citatas sorbet, aut reddit naves; et *Val. Fl.* 1, 637. alnus Solvitur, et vasto puppis mare sorbet hiatu. *Ov. Met.* 9, 172. sorbent avide praecordia flammae; et *ib.* 1, 40. flumina sorbentur a terra. *Plin.* 2, 80, 82. Hiatus terrae alias remanet, ostendens quae sorbuit, alias occultat ore compresso. *Stat. Silv.* 4, 3, 29. Sorbebatque rotas maligna tellus, *h. e.* non sustinebat, sed subsidendo mergebat: de lutosa via loquitur. Sic *Sil.* 4, 577. Haurit subsidens fugientum corpora tellus, Infidaque soli frustrata voragine sorbet. *Auct. Pan. ad Constant.* 18. Tibris violentus et turbidus hostem reipubl. sorbuit; et *Plin.* 13, 12, 25. Minus sorbet politura charta, magis splendet. *Id.* 34, 2, 2. Cordubense aes cadmiam maxime sorbet. *Stat. Th.* 3, 328. Insomnes oculos rubor excitat, oraque retro Sorbet anhela sitis, *h. e.* reducit, adducit, retrahit. *Sil.* 4, 162. Arva natant, altusque virum cruor, altus equorum Lubrica belligerae sorbet vestigia turmae, *h. e.* ita replet, ut quasi sorbeat, et abscondat. [**Drak.* duriorem judicat locutionem.] *Id.* 10, 267. et totum tunc primum ante ora fuere Sorbentes Latium campi, *h. e.* campi, in quibus Cannarum pugna commissa est, haurientes totius Latii sanguinem. ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. *med.* Me ab eo ita observari scio, ut ejus ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam, *h. e.* non solum facile subeam, sed etiam aequo animo feram. *Id. Phil.* 11, 5. Quem gurgitem? quam voraginem? quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis? ℙ In praeterito etiam *sorpsi* apud auctores legimus, inquit *Diomed.* 1, 363. Confirmat *Charis.* 3. *in.* Certe in compositis quibusdam usitatum est. [*Formam *sorpsi* barbarismi damnat *Val. Probus*, col. 1480. *Caper*, 2240, et *Velius Longus* 2233. V. *Ruddim.* 1, 216. et *Ramsh.* §. 61. p. 129.] V. ABSORAEO. ℙ A *sorbui* supinum debet esse *sorbitum*, ut ab *habeo habitum*, a *praebeo praebitum*: a *sorpsi* vero *sorptum*. *Prisc.* 9. *f.* [**Sorbitum* in supino veteres dixisse arguit verbale *sorbitio* ap. *Pers.* 4, 2. et alios. *Sorptum* nunquam in usu fuit. V. *Ramsh. l. l.*] ℙ *Probus* ap. *Prisc. ib.* etiam *sorbo, is*, agnoscit. Unde *Tibull.* 4, 1, 72. de Scylla: Cum canibus rapidas inter freta sorberet undas. *Fulgeo, ferveo, strideo*, etc. idem patiuntur. Sunt qui leg. *serperet.* [*Corruptus locus est. V. *Heyn.*]

SORBILIS, e, adj. ῥοφητὸς, qui facile sorbetur. *Petr. Sat.* 33. Pavonis ova gallinae jussi supponi: et mehercules timeo, ne jam concepta sint: tentemus tamen, si adhuc sorbilia sunt. *Cels.* 2, 18. *med.* Ovum molle, vel sorbile imbecillissimae materiae est. *Colum.* 8, 17. *med.* Quique sunt cibi sorbilibus proximi, ut recens caseus.

SORBILLO, as, a. 1. ἀποῤῥοφέω, minutim ac paulatim sorbeo. *Ter. Ad.* 4, 2, *f.* Cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem. *Appul. Met.* 2. Vinum paulatim labellis minuens, sorbillat dulciter. ℙ Translate. *Id. ib.* 3. Fotidis meae semiadopertulos oculos adnixis et sorbillantibus saviis sitienter hauriebam, *h. e.* quasi sorbillans deosculabar. ℙ Quidam malunt *sorbilo* simplici liquida scribere. [*Cf. *Bentl.* ad *Ter. l. c.*]

SORBILUM, i, n. *Pl. Poen.* 1, 2, 185. Nam mihi jam video propter te victitandum sorbilo, *h. e.* misero sorborum cibo, quorum genus unum *torminale* appellant, teste *Plin* 15, 21, 23. Vel in gemitu et suspiriis: nam gementes similem sorbentium sonum edunt. Vel praeparco victu, et aegrorum proprio, quibus vis morbi vix paululum sorbere permittit.

SORBITIO, onis, f. ῥόφησις, actus sorbendi: item id ipsum, quod sorbendo sumimus, ῥόφημα, jusculum, *h. e.* cibi fortioris portio, multa aqua macerata. *Pers.* 4, 2. sorbitio tollit quem dira cicutae, *h. e.* Socratem. *Plin.* 24, 19, 120. Sumitur et sorbitio e farina ad pectus exulceratum. *Phaedr.* 1, 26. Liquidam sorbitionem in patena ponere. *Plin.* 22, 25, 66. Sorbitionem tamen dari totam vetuit. *Cato R. R.* 157. *med.* Sorbitione liquida hoc per dies septem dato. *Colum.* 6, 10. Lentis minute molitae miscentur aquae calidae sextarii duo, factaque sorbitio per cornu infunditur. *Cels.* 2, 30. Sorbitio ex alica, vel ex panico, vel ex milio. *Plin.* 20, 16, 62. Cunila cum farina, oleo et aceto in sorbitionem temperata; et *ib.* 21, 84. Malva in lacte cocta, et sorbitionis modo sumpta. ℙ Absolute de sorbitione cicutae intelligunt eruditi illud *Caecilii* ap. *Fest.* in *Senium.* Sine, suam senectutem ducat: utique ad senium sorbitio, *h. e.* sine, eum diu vivere, et ad ultimam senectutem pervenire: utique cum in senio fuerit, eum manet mors cicutae veneno inferenda. ℙ Absolute de oryza, vel ptisana in sorbitionem diluta. *Cels.* 2, 25. Aliena stomacho sunt omnia praedulcia, omnia pinguia, sorbitio, panis fermentatus, etc, *Sen. ep.* 78. *f.* Omnia ista facile *(aegri)* perferemus, sorbitionem, aquam calidam, etc. ℙ Siquando *Cels.* sorbitionem ab oryza, aut ptisana distinguit, ut 2, 22., oryzam, aut ptisanam pro generibus frumenti accipit, ex quibus sorbitio fit.

SORBITIUM, ii, n. *Ser. Sam.* 21, 360. Sorbitium mentae. Alii leg. *Sorbitio.*

SORBITIUNCULA, ae, f. parva sorbitio, jusculum. *Hieron. Vit. Hilar. n.* 11. Fiebat ei de farina et comminuto olere sorbitiuncula. Adde *Marcell. Empir.* 10. *med.* [*Plin. Valer.* 1, 54. et *Not. Tir.* p. 168. *F.*]

SORBUM, i, n. σῦον, fructus sorbi arboris. [**Speierling, Arlesbeere.*] *Plin.* 15, 21, 23. Sorbis quadruplex differentia. Aliis eorum rotunditas mali, aliis turbinatio piri, aliis ovata species: haec obnoxia acori. Odore et suavitate rotunda praecellunt: ceteris vini sapor: generosissima, quibus circa pediculos folia. Quartum genus torminale appellant, remedio tantum probabile, assiduum proventu, minimumque pomo, arbore dissimile, foliis paene platani. *Id. ib.* et *Cato R. R.* 7. *extr.* Sorba sapa condire. *Varr. R. R.* 1, 59. *med.* Sorba dissecta, et in sole macerata, ubicumque sint posita, in arido facile durare: (de conditura eorum V. et *Colum.* 12, 16. *f.*) *Mart.* 13, 26. Sorba sumus molles nimium durantia ventres. ℙ De satione eorum *Colum.* 5, 10. *f.* et *Pall.* 2, 15. ℙ Vinum ex his fieri, docet *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3. Hinc *Virg. G.* 3, 379. et pocula laeti Fermento atque acidis imitantur vinea sorbis.

SORBUS, i, f. ὄα, ὄη, et ὄιη, et οὔα, arbor sorba fereus. [**Sperberbaum*, Sorbus domestica, *L.*] *Colum.* 5, 10. *f.* Sorbi quoque, et Armeniaci, atque Persici non minima est gratia. *Plin.* 16, 18, 30. Aquosis montibus gaudent acer, fraxinus, sorbus, tilia, cerasus.

SORCTUS. V. SURREGIT.

SORDĔO, es, ui, n. ῥυπάω, sordidus sum, sordibus turpor, squalidus sum. *Accius.* ap. *Non.* 2, 773. Cum manus materno sordet sparsa sanguine. *Pl. Truc.* 2, 4, 28. Jam lavisti? *Phron.* jam pol mihi quidem, atque oculis meis: num tibi sordere videor? *Sen. ep.* 5. Non splendeat toga: ne sordeat quidem. *Alcim.* 3, 393. Sorduerit nimium lacero circumdata peplo. *Pall.* 12, 19. Si sordet oleum, calentes sales injici jubent: ita mundum reddi. *Id.* 4, 6. Cicera distat a cicercula solo colore, quo sordet, et nigrior est. *Gell.* 9, 2. Incola sordentium ganearum. *Stat. Silv.* 4, 8, 39. Albanoque cadum sordentem promere fumo; et *Mart.* 1, 42. Dum nulla teneri sordent lanugine vultus. ℙ Translate. *Gell.* 2, 23. Si conferas Graeca ipsa, oppido quam jacere atque sordere incipiunt, quae Latina sunt. *Id.* 19, 13. Ignobilia nimis et sordentia verba, *h. e.* quae ab infimis hominibus usurpantur. ℙ *Sordere* dicuntur ea, in quibus nimia parsimonia apparet, aut avaritia. *Pl. Poen.* 5, 4, 6. Arabius, murrhinusque omnis odor complebat: haud sordere visus est festus dies, Venus, nec tuum fanum. *Favor.* ap. *Gell.* 15, 8. Avium atque altilium nisi tantum apponatur, ut a cluniculis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere. *Manil.* 4, 270. Mite genus docilesque fluunt ab sidere *(Aquarii)* partus. Pectora nec sordent, *h. e.* animi non sunt illiberales. ℙ Hinc pro contemni, vilem aestimari, nihili pendi. *Virg. Ecl.* 2, 44. sordent tibi munera nostra. *Hor. Ep.* 1, 11, 4. Cunctane prae campo, et Tiberino flumine sordent? *Liv.* 4, 25. *med.* Adeo se suis etiam sordere, nec a plebe minus, quam a patribus contemni. *Curt.* 10, 10. Sordent prima quaeque, cum majora sperantur: γνώμη. Cum infinito. *Auct. Pan. Constant.* 24. *f.* Nec vero tantummodo vetera illa dictatorum et consulum, ac deinceps magnorum principum, sed etiam pulcherrima patris tui facta superasti: sordet enim alios ex proximo tempore comparare.

SORDES, is, f. ῥύπος, ῥύπασμα, spurcitia, immunditia, lutum, faex. Saepius in plur. num. adhibetur, quam in singulari. [**Doederl.* 2, 38. sq. hujus verbi originationem a Gr. σάιρω, i. e. verro, prae ceteris ferendam censet, ita ut *sordes* proprie ad res siccas pertineat atque idem sit, quod nostr. *Auskehricht. Stercus* eo differre, quod maxime res humidas spectet. Sensu latissimo *sordes* esse *Schmutz, stercus Unrath.* — Quid differat *squalor* v. in h. v.] *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* Ut siqua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhaeresceret. *Hor. Ep.* 1, 2, 53. Auriculas *(juvant)* citharae collecta sorde dolentes. *Pl. Poen.* 1, 2, 101. Pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi. *An.* Immo etiam in imo oculo parum sordis est. *Ov. A. Am.* 1, 519. et sint sine sordibus ungues. *Claud. in Eutr.* 2, 383. Non alius lanam purgatis sordibus aeque Praebuerit calathis. *Plin.* 36, 26, 65. Arenae fluctibus volutatae nitescunt, detritis sordibus. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 18. Custodire aliquid a pulvere et sordibus. *Cic. Phil.* 1, 8. *extr.* Sordes eluere. *Juven.* 5, 11. sordes farris mordere canini, *h. e.* sordidum panem. *Lucr.* 6, 1268. pellis super ossibus una, Ulceribus tetris prope jam, sordique sepulta: *sordi* pro *sorde*, ut *colli, igni, orbi, parti*, pro *colle, igne*, etc. ℙ Translate dicitur de infima plebe, de pauperibus, servis, humili loco natis. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti: apud sordem urbis et faecem multo melius nunc, quam reliquisti. *Plin. ep.* 7, 29. Quam essent mimica et inepta, quae in hoc coenum, in has sordes abjicerentur. *Petr. Sat.* 126. Quaedam feminae sordibus calent. *Tac. H.* 1, 84. *med.* Cujus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus. *Calp. Ecl.* 7, 80., sed mihi sordes, Pullaque paupertas, et adunco fibula morsu Obfuerunt. ℙ Item de luctu, moerore, squalore ex calamitate. *Cic. Fam.* 14, 2. *med.* Te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic jacere in lacrimis et sordibus! *Id. Pis.* 36. *med.* Diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque jacuisti. *Id. Cluent.* 6. *f.* Mater squalore hujus et sordibus laetatur; et *ib.* 67. *extr.* Ne optatissimum spectaculum hujus sordium, atque luctus, et tanti squaloris amitteret. *Id. Dom.* 23. Filiae meae fletus assiduus, sordesque lugubres vobis erant jucundae. Adde *ad Quir.* 3. *med.* ℙ Item de habitu reorum, qui data opera sordidati, pauperes, et squalidi apparebant, quo facilius misc-

ricordiam moverent. *Val. Max.* 7, 8. *n.* 7., *Tac. A.* 4, 52. et *Auct. dial. de Or.* 12. Sic *Petr. Sat.* 122. quia poena tropaeis Imminet, et sordes meruit victoria nostra. *Suet. Vit.* 8. Ignominiosis notas, reis sordes, [*i. e. judicio s. criminibus reos liberavit.] damnatis supplicia dempsit. V. SORDIDATUS. ℙ Item de probro, dedecore, nota, flagitio. *Cic. Sext.* 28. Virtus splendet per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. *Id. Att.* 1, 16. Satius est illum in infamiae relinqui sordibus, quam infirmo judicio committi. Alii leg. *in infamia relinqui, ac sordibus. Hor. Sat.* 1, 6, 68. Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra Objiciet vere quisquam mihi. ℙ Item saepe de nimia parsimonia, et avaritia. *Cic. Mur.* 36. Populus R. non amat profusas epulas, sordes inhumanitatem multo minus. *Id. Fl.* 3. *med.* Nullum hujus in privatis rebus factum avarum, nullam in re familiari sordem posse proferri. *Tac. H.* 1, 52. Sordem et avaritiam Fonteji Capitonis integre mutaverat. *Hor. Sat.* 2, 5, 105. Sepulcrum sine sordibus exstruere. *Quint.* 6, 3. Incusans ejus sordes dicebat, calceos eam veteres vendere, solere. *Plin. ep.* 2, 6. *extr.* Nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriae et sordium novam societatem; et *ep.* 12. Damnatus sordium. *Juven.* 14, 124. cogit minimas ediscere sordes, *h. e.* rationem quaestus faciendi etiam in rebus minimis. *Appul. Met.* 1. Extremae avaritiae et sordis infimae infamis homo. [*Suet. Vesp.* 19. unius e regibus suis turpissimarum sordium.] ℙ Est convicium. *Cic. Pis.* 26. O tenebrae, o lutum, o sordes! O paterni generis oblite, materni vix memor! ℙ *Sordes verborum*, verba ab infima plebe usurpata, jacentia, ignobilia. *Auct. dial. de Or.* 21. Sordes verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem. V. v. praec. et SORDIDE et SORDIDUS, ℙ De recto sing. nihil constat: nisi quod *sordis* dixisse fertur *Ambrosius* ap. *Bedam de Orth.* 2345.

SORDESCO, is, n. 3. ῥυπαίνομαι, sordidus fio. *Hor. Ep.* 1, 20, 11. ad libr. suum: Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi Coeperis. *Plin.* 11, 12, 12. de melle: Nunc vero e tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, sordescens. *Id.* 33, 3, 19. Manus sordescunt decidua materia. *Gell.* 4, 12. Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, *h. e.* silvescere, in inutiles herbas ire, incultum fieri.

SORDĬCŪLA, ae, f. parva sordes. *Marc. Empir.* 8. §. 6. Si oculum sordicula aliqua fuerit ingressa.

SORDĬDĀTUS, a, um, part. a *sordido: δυσείμων*, pannis obsitus, incultus, neglectus. *Cic. Pis.* 27. *f.* Servi sordidati ministrant. *Pl. As.* 2, 4, 90. Quamquam ego sum sordidatus, frugi tamen sum. *Ter. Heaut.* 2, 3, 56. Scin' tu hanc, quam dicit sordidatam ac sordidam? *sordidatam* refertur ad illud, quod supra dixerat v. 54. pannis obsita; *sordidam* ad illud, neglecta, immunda illuvie: nam sordidus a natura dicitur, sordidatus fit urgente necessitate. Ita *Donatus.* [*Doederl.* 2, 44. ita discrimen statuit: *sordidus* obsitus est sordibus; *sordidatus* veste indutus est sordida: coll. *Popma* p. 644. et *Ern.* 2274.] ℙ Translate. *Sidon. ep.* 3, 13. *extr.* Sordidatissima conscientia. ℙ *Sordidati* sunt rei delati, qui eo tempore una cum propinquis et affinibus obsoleta veste utebantur, barba intonsa et capillo, ad misericordiam aucupandam: quod dicebatur *mutare vestem*, ut est ap. *Liv.* 6, 20. Hinc *Cic. Pis.* 41. *f.* Nec minus laetabor, cum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum viderem. *Id. Verr.* 2, 2, 25. *f.* Romam venerunt sordidati, maxima barba et capillo. *Id. Or.* 2, 47. Sensi magnopere moveri judices, cum excitavi moestum et sordidatum senem. ℙ Item faciebant in periculo constituti, gravique aliqua calamitate. Unde Vitellius, in rebellione provinciarum, et post victorias Vespasiani ap. *Suet. Vit.* 15. primo diluculo sordidatus descendit ad Rostra, multisque cum lacrimis, etc.

SORDĬDĒ, adv. ῥυπαρῶς, cum sordibus, immunde, spurce. *Val. Max.* 9, 13. *n.* 2. Donec caput ejus sordide in loco sedentis abscinderetur, *h. e.* alvi levandae causa: alii tamen rectius *sordido* leg. *Lampr. Elag.* 33. *med.* Per plateas tractus est sordidissime, per cloacas ductus. ℙ Translate *sordide nasci*, humillimis natalibus: ex parentibus scilicet, qui sordidis artibus vitam tolerant. *Auct. dial. de Or.* 8. Quo sordidius et abjectius nati sunt, eo clariora, etc. *Gell.* 15, 4. Victum sordide invenisse comparandis mulis et vehiculis. ℙ *Sordide loqui*, verbis translaticiis, et ex infima plebe petitis. *Suet. Rhet.* 6. Declamabat genere vario, modo splendide atque adornate; tum ne usquequaque scholasticus videretur, circumcise ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis. *Pl. Mil.* 4, 2, 11. Loquitur lautе, et minime sordide, *h. e.* non loquitur de rebus nihili, et sordidis. ℙ *Sordide concionari*, nimis humiliter, abjecte, demisse, oblitum dignitatis, gravitatis, decori. *Cic. Att.* 15, 2. L. Antonium concionatum esse, cognovi tuis litteris, et aliis, sordide: sed id quale fuerit, nescio. *Id. Or.* 2, 83. Acclamatio adversa populi aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur; aut hominum offensione, etc. ℙ Saepe avare, illiberaliter, ἀνελευθέρως. *Id. ib.* 86. Nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium ejus, quod pactus esset, pro illo carmine daturum. *Plin. ep.* 3, 9. Proconsulatum non minus violenter, quam sordide gesserat. *Suet. Dom.* 9. Omnes circa se largissime prosecutus, nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent.

SORDĬDO, as, a. 1. ῥυπαίνω, sordidum facio, foedo. *Lactant. Ira D. f.* Templum cordis non fumo, non pulvere, sed malis cogitationibus sordidatur. *Sidon. carm.* 23, 347. Cedit terra rotis, et orbitarum Moto pulvere sordidatur aer.

SORDĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. sordidi. *Juven.* 3, 149. Si toga sordidula est, si rupta calceus alter Pelle patet. ℙ Item vilis, infimus, de faece hominum. *Pl. Poen.* 1, 2, 58. Servulorum sordidulorum scorta diobolaria.

SORDĬDUS, a, um, adj. ῥυπαρὸς, sordibus infectus, immundus, spurcus, inquinatus, et inquinans. *Stat. Th.* 5, 635. terraque et sanguine vultum Sordidus. *Hor. Od.* 2, 1, 21. Videre magnos jam videor duces Non indecoro pulvere sordidos. *Id. ib.* 4, 11, 11. Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum. *Ov. A. Am.* 3, 222. Quas geritis vestes, sordida lana fuit. *Mart.* 7, 20. Buccis placentae sordidam linit mappam. *Id.* 12, 83. Lintea si sumas, nive candidiora loquetur, Sint licet infantis sordidiora sinu. *Id.* 11, 98. Nec triste mentum, sordidique lichenes. *Ov. Met.* 2, 29. (et *Colum.* 10, 44.) Autumnus calcatis sordidus uvis. *Id. ib.* 8, 647. furca levat ille bicorni Sordida terga suis, *h. e.* fumosa. *Sen. Thyest.* 566. Ensis sordidus. *Stat. Silv.* 4, 5, 13. Nos parca tellus, pervigil et focus, Culmenque multo lumine sordidum Solantur, *h. e.* multa fuligine infectum ex assiduo igne et lucernis. ℙ *Sordida* dicuntur rura a poetis, quia nullum ibi munditiarum cultus, ut in urbe; agricolae et bestiae in sordibus degunt. *Virg. Ecl.* 2, 28. sordida rura, Atque humiles habitare casas. Sic *sordida aratra* ap. *Claud. IV. cons. Honor.* 414. Hinc *sordida otia*, quae ruri aguntur, ubi nullus togae usus, et qualicumque cultu victuque libere et sine ullius offensione vivitur. *Mart.* 1, 56. Hoc petit: esse sui, nec magni ruris arator, Sordidaque in parvis otia rebus amat. ℙ *Sordida vestis* dicitur tum squalida et inquinata, tum detrita et lacera. *Virg. A.* 6, 31. de Charonte: Sordidus ex humeris nodo dependet amictus. *Mart.* 1, 104. Sordidior multo post hoc toga, paenula pejor: Calceus est sarta terque quaterque cute. ℙ Hinc refertur ad paupertatem: quia munditiae et cultus ab ea longe absunt: item ad humilitatem, abjectionem, vile genus, infimam sortem. *Cic. Fl.* 22. Causam committere homini egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine censu. *Id. Leg.* 3, 16. Lex Gabinia lata ab homine ignoto et sordido. *Id. Att.* 8, 4. *med.* Nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam praecise negavi. *Petr. Sat.* 132. Convocat omnes quasillarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui jubet. *Mart.* 8, 33. Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis, Quam fert cum parvo sordidus axe cliens. *Id.* 5, 17. Dum tibi noster eques sordida conditio est. Adde *Just.* 11, 9. *extr.* ℙ *Sordida tecta* sunt casae pauperiorum, mapalia. *Lucan.* 4, 396. Sic *Sen. Herc. Oet.* 124. lapsaque sordidae fient templa casae; et *Cic. Att.* 12, 27. Sordida villula, et valde pusilla. *Mart.* 12, 57. Laremque villae sordidum petam. Adde *Lucan.* 5, 9. ℙ *Sordidus panis*, cibarius, plebejus. *Sen. ep.* 18. Panis durus ac sordidus. Adde *Pl. As.* 1, 2, 16. Sic ap. *Colum.* 3, 2. gustus sordidus aut vilis est sapor vini, quo pauperes uti solent: cui opponitur nobilis et pretiosus. ℙ *Res sordidae*, viles, contemnendae, abjectae. *Pl. Epid.* 3, 4, 10. Strenuiori deterior si praedicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae. ℙ De iis quae foedi coloris sunt. *Val. Fl.* 1, 775. Sordidus et multa pallens ferrugine taurus. ℙ Est etiam delibutus, infectus. *Mart.* 8, 3. nona sororum, Cui coma et unguento sordida vestis erat. ℙ Saepe est turpis, infamis, foedus, flagitiosus. *Cic. Off.* 2, 14. Cum periculosum est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere. *Id. Att.* 9, 9. *med.* Iste omnium turpissimus et sordidissimus, qui consularia comitia a praetore ait haberi posse, est ille quidem, qui semper in republ. fuit. *Sen. Ira* 2, 34. Cum inferiore contendere, sordidum, *h. e.* inglorium. ℙ Item praeparcus, tenax avarus: item ad illiberalem ac vilem quaestum pertinens: [*nostr. *schmutzig.*] *Cic. Off.* 2, 6. *med.* Aut pretio ac mercede ducuntur: quae sordidissima est illa quidem ratio, et inquinatissima, et iis, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur; et *ib.* 1, 42. Illiberales et sordidi quaestus mercenariorum, omniumque, quorum operae, non quorum artes, emuntur: est enim illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. *Phaedr.* 4, 19. Qui dum quadrantes aggeras patrimonio, Coelum fatigas sordido perjurio. *Hor. Od.* 2, 16, 15. Cupido sordidus. *Liv.* 22, 25. *f.* Loco non humili solum, sed etiam sordido ortus: patrem lanium fuisse ferunt. ℙ Sordidatus, rei habitu moestitiam et luctum praeferente squalens. *Cic. Mur.* 40. Nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lacrimis ac moerore perditus, vester est supplex, judices. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 177. Tum lacernas effusa comas, et pulvere canos Sordida. ℙ *Sordida verba*, ex trivio petita, ex sordidiore vulgi usu, translaticia: cujusmodi ex *Laberio* multa *Gell.* 16, 7. commemorat. *Id.* 19, 13. *Nanos* sordidum esse verbum et barbarum. *Id.* 17, 2. *f. Arrabo* in sordidis verbis haberi coeptus: ac multo videtur rectius *arra;* et *Quint.* 10, 1. Humilibus interim verbis et vulgaribus est opus: et quae cultiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. *Id.* 8, 3. *med.* notat, *sarracum* sordidum nomen esse, sed Ciceronem ideo usurpasse, ut contemptum hominis augeret, quem destructum volebat. ℙ *Sordida oratio* eod. sensu dicitur a *Quint.* 8, 3. *med.* Proinde quaedam hebes, sordida, jejuna, tristis, ingrata, vilis oratio est. ℙ *Sordida vox*, rauca, aspera, rudis, rustica, fusca. *Sen. Contr. praef.* 1. *med.* Vox erat illi robusta, sed sordida lucubrationibus, et negligentia, non natura infuscata.

SORDĬTŪDO, inis, f. ῥύπασμα, idem ac sordes. *Pl. Poen.* 5, 2, 10. Ut mihi absterserunt omnem sorditudinem.

SORDŬLENTUS, a, um, adj. sordidatus. *Tert. Poen.* 11. *in.* Etiam incommoda corporis reformidant, quod illotos, quod sordulentos, quod extra laetitiam oportet deversari.

SOREX, ĭcis, m. μῦς, mus agrestis et rusticus, qui quid a mure differat, in MUS dictum est. Est a Graeco ὗραξ, quod muris genus est rostro suillo. *Colum. Arb.* 15. Vites, quae secundum aedificia sunt, a soricibus, aut muribus infestantur. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Scio me esse spectatum suem, quae prae pinguitudine carnis non modo surgere non posset, sed etiam ut in ejus corpore sorex, exesa carne (lege *adipe*), nidum fecisset, et peperisset mures. *Plin.* 8, 57, 82. Soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus. *Id.* 2, 41, 41. Soricum fibras respondere numero lunae, exquisivere diligentiores. *Id.* eandem rem narrans 11, 37, 76. et 29, 4, 15. non *sorices*, sed mures dicit: ut intelligas, unum pro altero promiscue usurpari: quod et ex allato *Varronis* loco apparet. ℙ *Sorex suo indicio perit*, proverb. de eo, qui se ipse prodit, suique exitii causa est. *Ter. Eun.* 5, 7. [*al. 6.] *f.* Egomet meo indicio, miser, quasi sorex, hodie perii. Ubi *Donat.* Proprium soricum est vel stridere clarius, quam mures, vel strepere magis, cum obrodunt frivola: ad quam vocem multi se intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus (*Bacch.* 4, 8, 46.) Si tibi est machaera, et nobis veruina est domi, qua quidem te faciam, si tu me irritaveris, confossiorem soricina nenia. V. NENIA. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2644. C. Norbanus Sorex. ℙ Primam producit *Ser. Sam.* 4, 57. Si praegnans artus captivi soricis edit; et *Vet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 452. *Burm.* Catus in obscuro cepit pro sorice picam. Corripit vero *Auct. carm. Philom.* 62. Et gryllus gryllat, desticat inde sorex; et *Vet. epigr.* in *Anth. l. c.* p. 453. Immensi soricis catus dum membra vorasset. *F.*]

*SORICARĬA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Auct. B. Hisp.* 27. ℙ Fortasse i. q. Soritia, si lectio certa. *B. A.*

SORĬCĪNUS, a, um, adj. μύσιος, ad soricem pertinens, ut Soricina nenia, ap. *Pl. Bacch.* 4, 8, 46. V. v. praec. et NENIA.

SORICŪLĀTUS. V SORORICULATUS.

SORĪTES, ae, m. σωρείτης, argumentatio, quae multas ratiocinationes acervatim convolvit atque complectitur: a σωρὸς, acervus, quia pronuntiata multa accumulat. Similiter *Pers.* 6, 8. et *Capell.* 4. *in.* appellant *acervum.* Fuit propria argumentatio Stoicorum, et originem habuit a Chrysippo philosopho Stoico. *Cic. Div.* 2, 4. Aut quomodo soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare. Sed nihil opus est. Ut enim ipsa philosophia, et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est. *Id. Acad.* 4, 16. Et primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur: quod genus minime in philosophia probari solet, cum aliquid minutatim et gradatim additur, aut demitur. Soritas hos vocant, etc. *Id. ib.* 33. *f.* An tu in soritis poteris hoc, cum voles; ille in reliquis rebus non poterit? *Sen. Ben.* 5, 19. *f.* Sorites inexplicabilis subit, cui difficile est modum imponere, quia paulatim surrepit, et non desinit serpere. ℙ Male primam corripit *Capell.* 4. p. 135. *in carm.* Fallax soritas cumque sensim congeris. ℙ *Cic. l.* prius *c.* habet dat. sing. *soriti*, quod est vel a σωρείη, vel per metaplasmum a σωρεῖτι: etenim genitivus ubique est σωρείτου, primae nempe declinationis.

*SORĪTĬA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Auct. B. Hisp.* 27. ℙ I. q. Soricaria, ut videtur, si lectio certa. *B. A.*

SORIX aut Saurix, icis, m. avis tributa Saturno ab auguribus, quia tarditati, et vetustati, et senectuti convenit: nam et in veteranis maxime versatur locis, et noctium est, et noctis maxime primae, et

quia tempestatis nuncius, atque index parvi laris. Haec *Mar. Vict. Gramm.* 1, 2470. *f.*, quem penes sit fides.

SOROR, oris, f. ἀδελφή, patris mei filia. Quidam ducunt a *sero*, *is*, quod eodem mecum semine sata ac genita sit. *Antist. Labeo* ap. *Gell.* 13, 10. ex eo dictam scribit, quod quasi seorsum nascitur, separaturque ab ea domo, in qua nata est, et in aliam familiam transgreditur. *Pl. Curc.* 5, 2, 57. Salve, mea soror. *Pla.* salve, mi frater. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. ita sola Post illa, germana soror, errare videbar. *Virg. G.* 2, 494. Panaque, Silvanumque seuem, Nymphasque sorores. ℙ *Soror Phoebi* est Luna. *Ov. Her.* 11, 45. Jam novies erat orta soror pulcherrima Phoebi. *Id.* absolute *Fast.* 3, 109. Signaque, quae longo Frater percenseat anno, Ire per haec uno mense Sororis equos. ℙ *Soror Jovis*, Juno. *Virg. A.* 1, 51., *Ov. Fast.* 6, 27. et *Her.* 16, 164. et *Sen. Herc. Fur.* 1. ℙ De Parcis. *Hor. Od.* 2, 3, 15. Dum res, et aetas, et sororum Fila trium patiuntur atra. *Prop.* 2, 10, 44. Jussisset quaevis de tribus una soror. Adde *Tibull.* 3, 3, 35., *Ov. Her.* 12, 3. et *Mart.* 4, 54. et 73. etc. ℙ De Furiis. *Ov. Met.* 6, 662. Vipereasque ciet Stygia de valle sorores; et *ib.* 10, 349. atro crinitas angue sorores. ℙ De Musis. *Tibull.* 3, 4, 45. Sed proles Semelae Bacchus, doctaeque Sorores Dicere non norunt, quid ferat hora sequens. Adde *Prop.* 3, 1, 17. et *ib.* 2, 37., *Ov. Trist.* 5, 12, 45. et *Mart.* 1, 77. etc. ℙ De quinquaginta Danaidibus. *Prop.* 4, 11, 27. si fallo, poena Sororum, Infelix humeros urgeat urna meos. Adde *ib.* 7, 67. et *Ov. Her.* 14, 15. ℙ Est etiam (ut *frater*) blanda appellatio amicae honestae et familiaris. V. FRATER. *Virg. A.* 11, 823. Hactenus, Acca soror, potui; et *ib.* 1, 325. monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum. Adde *Ov. Met.* 1, 351. ℙ Interdum *soror* (ut etiam *frater*) vocatur turpis amica. V. FRATER. *Petr. Sat.* 127. Feminam ornatam, et hoc demum anno virum expertam concilio tibi, o juvenis, sororem. *Tibull.* 3, 1, 26. Teque suis jurat caram magis esse medullis: Sive sibi conjux, sive futura soror. *Mart.* 12, 20. Quare non habeat, Fabulle, quaeris, Uxorem Themison? habet sororem. Adde 2, 4. et *Sen. Hipp.* 611. ℙ *Sorores* etiam dictae, quae non ex iisdem parentibus natae, sed in eodem collegio seu sodalitate aliqua essent. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 60. Caesiae Sabinae Cn. Caesii Athicti sorores piissimae. V. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 135. *ed. Pat.* ℙ Translate dicitur de rebus simillimis, et quasi gemellis. *Pl. Poen.* 1, 3, 8. Obsecro te hanc per dexteram, perque hanc sororem laevam. *Virg. Mor.* 28. Interdum fessae succedit laeva sorori, Alternatque vices, *h. e.* manus laeva succedit dexterae. *Catull.* 66, 51. Abjunctae paulo ante comae mea fata sorores Lugebant, *h. e.* reliqui capilli pone verticem in capite Berenices relicti, et a cetera coma disjuncti, quam illa sibi in vertice detotonderat. *Mart.* 14, 148., cujus lemma *Lodices.* Nudo stragula ne toro paterent, Junctae nos tibi venimus sorores. *Plin.* 13, 4, 9. Minus speciosae, sed sapore caryotarum sorores, ob hoc adelphides dictae, proximam suavitatem habent. ℙ Τρώμη est illud *Petr. Sat.* 84. Nescio quomodo bonae mentis soror est paupertas. [*Emendavit hunc locum *F.*]

SORORCŬLA, ae, f. ἀδελφίς, parva soror: et est vox blandientis. *Plaut. fragm.* ap. *Prisc.* 3, 612. Germana mea sororcula.

SORORĬCĪDA, ae, m. et f. sororem occidens. *Cic. Dom.* 10. *med.* De me quod tulisse te dicis patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti?

[SORORĬCĪDĬUM, ii, n. occisio sororis. *Gloss. Philox.* Sororicidium, ἀδελφοκτονία. *F.*]

SORORICULĀTUS, a, um, adj. *Plin.* 8, 48, 74. Undulata vestis prima e laudatissimis fuit: inde sororiculata defluxit. Ita *Hard.* ex omnib. suis MSS., nam editi habent *soriculata.* Addit autem, utriusque vocis incertam esse originationem, et inexploratam adhuc significationem ac vim: in *Not. Tir.* p. 159. *sororeclatum* inter pannorum genera censeri. Quidam putant dici *soriculatam* a *soricibus*, quod in ea lineae intextae sóricum figuram quodammodo referrent: alii a σωρὸς, vel σώρακος, acervus, copia alicujus rei, a copia colorum et plicarum. Alii *sororeclatam* a *surus*, h. e. fustis seu virga, quod latioribus regulis virgata esset, quasi *suro regulata.* Alii denique a *sero* deducunt, quasi *sericulata.* [*Fortasse legendum *orbiculata.* Ita *Lünem.* in *Lex. lat.* s. h. v.]

SORORĬO, as, n. 1. pariter cresco, duarum sororum geminarum instar. *Festus:* Sororiare, mammae dicuntur puellarum, cum primum tumescunt, ut fraterculare, puerorum. Plaut. in Frivolaria: Tum papillae primulum sororiabant: illud volui dicere, fraterculabant. *Plin.* 31, 6, 33. Mammas sororiantes, praecordia, maciemque corporis piscinae magis corrigunt, *h. e.* nimis pariter turgentes vel noxia lactis copia, vel alio quopiam vitio.

SORORĬUS, a, um, adj. ἀδελφικὸς, ad sororem pertinens. *Cic. Sext.* 7. *med.* Homo fraternis flagitiis, sororiis stupris infamis. *Ov. Fast.* 3, 559. Pellitur Anna domo, lacrimansque sororia linquit Moenia, *h. e.* Didus. *Pl. Curc.* 5, 2, 60. Tu ut hodie adveniens coenam des sororiam: hic nuptialem cras dabit, *h. e.* ob repertam sororem. *Ov. Met.* 4, 334. et *ib.* 9, 538. Sororia oscula, *h. e.* casta, pudica, cujusmodi et dare et accipere sororem decet. ℙ *Sororium tigillum*, locus Romae Junoni sacer, in quarta regione Urbis, in angiportu, ferens a Carinis deorsum ad Cyprium vicum. *Festus:* Sororium tigillum appellatur hac de causa. Ex conventione Tulli Hostilii regis, et Metii Suffetii ducis Albanorum, trigemini Horatii et Curiatii cum dimicassent, ut victores sequeretur imperium, et Horatius noster exsuperasset, victorque domum reverteretur, obvia soror, cognita morte sponsi, sui fratris manu occisi, aversata est ejus osculum: quo nomine Horatius interfecit eam. Quamquam a parente absolutus sceleris erat, accusatus tamen parricidii apud duumviros damnatusque, provocavit ad populum: cujus judicio victor, duo tigilla tertio superjecto, quae pater ejus constituerat, velut sub jugum missus, subiit, consecratisque ibi aris Junoni Sororiae, et Jano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est auguriis approbantibus. Ex quo sororium id tigillum est appellatum. Haec *Festus.* Adde *Liv.* 1, 26. et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 4. ℙ [Sequiori Latinitatis aevo *sororius* dictus est maritus sororis meae, sicut *sororia* videtur appellata fuisse, licet desit auctoritas Latini scriptoris, soror uxoris meae. *Inscr.* ap. *Grut.* 482, 1. T. Vareno Probo QQ. Col. Sarmiz. (*h. e.* quinquennali coloniae Sarmizegetusae) M. Cominius Quintus sacerdos arae Aug. sororio pientissimo. Haec porro *Inscr.* Gallieni Aug. tempora praecedit, quibus Romanorum dominatio in Dacia, cujus urbs primaria fuit Sarmizegetusa, deficere coepit. Alia ap. *Reines. cl.* 16. *n.* 6. D. M. Aufidii Militaris L. Ignius Charito sororius ejus, et Dulcicius Claudianus soror. Alia Christiana ap. *Grut.* 1052, 11. Cognatus dulcissimus sororio amantissimo. ℙ Hinc corrigendus est *Forcellinus* in V. COGNATUS, qui deceptus *Fabretti* auctoritate *cognatum* dixit maritum sororis meae, cum reapse *cognatus* dictus fuisset frater mariti mei, et frater uxoris meae, qui antiquitus *levir* dicebantur: quemadmodum cognata dicta fuerit soror mariti mei, et uxor fratris mei, quae prius *glos* appellatae sunt. Has porro appellationes probant haec monumenta. *Inscr.* ap. *Grut.* 895, 4. D. M. Vibior. Cominian. Valerii Pii, et Severae Claudianae, et Severi, et Valeriae Cominianae Domitia Domitiana C. F. marito, privignae, cognato, et socru. Alia ap. *Mur.* 716, 4. L. Mamercio Sp. F. Januario, et Pacciae Lucretianae P. Paccius Januarius filio naturali, et Mamercia Grapte mater filio, et cognatae piissimis. Alia ap. *De-Vita Antiqu. Benev.* p. 49. *n.* 80. Veidiae Fortunatae conjugi Munii Vitalis Munius Proculejanus cognatae bene merenti fecit. Adde alias ap. *Fabrett.* p. 147. *n.* 184. et p. 222. *n.* 589. *F.*]

SORS, sortis, f. κλῆρος, fortuitus rei eventus, id quod cuique accidit sortiendo. [*De origine vocis et quaenam sit notionum series, v. infra.] *Cic. Div.* 2, 41. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet: tota res est inventa fallaciis aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 3. Quaestorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit. *Id. Verr.* 2, 2, 51. Cum suffragiis tres creati sunt, res revocatur ad sortem. *Prop.* 3, 8, 27. Sit sors et nobis talorum interprete jactu. ℙ *Sortes* sunt sortis instrumenta, idest tessellae seu tabellae inscriptae. *Cic. Div.* 1, 34. *f.* Cum oraculum ab Jove Dodonaeo petivissent, legatique illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia et sortes ipsas, et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit, et aliud alio dissipavit; et *ib.* 2, 41. Perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum litterarum notis; et *ib.* Sortes, quae Fortunae monitu, pueri manu miscentur atque ducuntur. Disserit ibi plura *Cic.* de sortibus, et de origine Praenestinarum. *Liv.* 22, 1. Faleriis sortes sua sponte attenuatas: unamque excidisse ita scriptam, Mavors telum suum concutit. *Cic. Verr.* 2, 2, 51. Conjicere sortes in hydriam. *Pl. Cas.* 2, 5, 34. in sitellam. *Caes. B. C.* 1, 6. Dejicere sortes: scil. in urnam. *Tert. Spect.* 16. *in.* Semper oculi in urna ejus *(praetoris)* cum sortibus volutantur. ℙ *Sortes convivales* erant tabellae inaequalissimarum rerum, obsignatae et clausae, quae in mensa lusus causa proponebantur offerentibus pretium: emptor deinde quisque suam tabellam resignabat, et alius quidem rem pretiosam parvo admodum sibi deberi, alius aliquo pretio rem nihili reportasse reperiebat. *Suet. Aug.* 75. *f.* Solebat et inaequalissimarum rerum sortes, et aversas tabularum picturas in convivio venditare, incertoque casu spem mercantium vel frustrari, vel explere: ita ut per singulos lectos licitatio fieret, et seu jactura, seu lucrum communicaretur. ℙ Hujusmodi vero *sortes* etiam gratuito quandoque convivis distribuebantur, et in cochlearibus inscriptae. *Lampr. Elag.* 21. *f.* Eunuchos pro apophoretis dedit, dedit quadrigas, equos stratos, mulas, basternas et rhedas, et aureos millenos, et centena pondo argenti. Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius (nempe *convivae sors*) exhiberet decem camelos, alius decem muscas; alius decem libras auri, alius decem plumbi; alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut vere sortes essent, et fata tentarentur. De ejusmodi *sortibus* (apophoreta enim sunt res, quae simili sorte assignabantur convivis) est integer liber *Mart.* 14., in quo *epigr.* 1. 19. 40. 144. 170. hujusmodi *sortium* mentionem faciunt. V. APOPHORETA. ℙ In sing. num. *Cic. Lig.* 7. Tuberonis sors conjecta est ex senatusconsulto, cum ipse non adeset, *h. e.* tabella Tuberonis nomine inscripta, in urnam cum aliis missa est. *Id. Att.* 1, 19. Cum de consularibus mea prima sors exisset: scil. ut legatus in Gallias mitterer. *Virg. A.* 5, 490. Convenere viri, dejectamque aerea sortem Accepit galea: et primus clamore secundo Hyrtacidae ante omnes exit locus Hippocoontis. *Liv.* 41, 18. Ponere sortem in sitellam. *Id.* 21, 42. Cum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent, et dejecta in id sors esset, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret: ut cujusque sors exciderat, alacer, etc. Alii leg. *ceciderat*, alii *exierat. Vell.* 1, 1. Sortiti sunt, uter patria decederet: sors Tyrrhenum contigit. ℙ Sorte ducere. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 201. Sorte ductos fusti necat. *Tac. A.* 1, 54. et *ib.* 13, 29. Sorte ducebantur, ex numero praetorum, qui praeessent. ℙ Ducere sortem, vel sortes. *Cic. Verr.* 2, 4, 64. Cum surgeret nemo, neque sententiam diceret, sors ducitur. *Virg. A.* 9, 268. praedae ducere sortem; et *ib.* 6, 22. stat ductis sortibus urna. ℙ Conjicere in sortem. *Liv.* 30, 1. *med.* Tum praeturum provinciae in sortem conjectae. Jurisdictionem urbanam Paetus Aelius, Sardiniam Cn. Lentulus est sortitus. ℙ *Sorte* sextus casus adverbii ritu, κλῆρωτί. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. Simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Aequaliter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere. *Virg. A.* 1, 511. operumque laborem Partibus aequabat justis, aut sorte trahebat. In *S. C.* ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *med.* Sorte in provincias proficisci. *Ov. A. Am.* 1, 581. Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem. ℙ Meae sortis hoc est. *Liv.* 35, 6. Litterae allatae Q. Minutii a Pisis, comitia suae sortis esse: ceterum adeo suspensa omnia in Liguribus se habere, ut abscedi inde sine damno reipubl. non possit. ℙ *Sorti* dicunt interdum poetae pro *sorte*, sexto casu, ut *igni, navi, colli*, etc., quidquid alii contra sentiant. *Virg. G.* 4, 165. de apib.: Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti. Eadem ratione locutus est *Sil.* 7, 368. Sic ap. *Liv.* legit *Gronov.* ex MSS. 29, 20. Cui provincia Sicilia sorti evenisset. *Pl. Cas.* 2, 7, 6. Equidem tamen sorti sum victus. ℙ Extra sortem, i. e. sine sortitione. *Cic. Verr.* 2, 2, 51. Jubet extra sortem Theomnastum renuntiari. Quod *Virg.* dixit *A.* 9, 270. ipsum illum clypeum cristasque rubentes Excipiam sorti. *Suet. Caes.* 20. Agrum Campanum divisit extra sortem ad XX. millibus civium. ℙ Dicitur etiam *sors* de oraculis, et somniis, per quae credebant res futuras divinitus significari: item de carminibus illustrium poetarum, quae tessellis inscripta habebant pro sortibus. *Cic. Div.* 2, 56. Cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae: Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 3. Legati ad Delphicum oraculum missi retulerunt, praecipi sortibus, ut, etc. *Virg. A.* 4, 346. et 377. Lyciae sortes, *h. e.* responsa Apollinis Lycii. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 21. Ut se edoceret obsecrans Apollinem, Quo sese vertant tantae sortes somnium. *Lampr. Alex. Sev.* 14. Cum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus, et primis quidem sortibus: Te manet imperium coeli, terraeque, marisque; et *mox:* Cum parentis hortatu animum a philosophia et musica ad alias artes traduceret, Virgilii sortibus hujusmodi illustratus est (*Aen.* 6, 848.): Excudent alii spirantia mollius aera, etc. ℙ Item de Fato, seu fatali necessitate. *Virg. A.* 10, 501. Nescia mens hominum Fati, Sortisque futurae. *Ov. Trist.* 5, 3, 27. Me quoque si fas est exemplis ire Deorum, Ferrea Sors vitae difficilisque premit. ℙ Item de Fortuna, et Casu, τύχη. *Virg. Ecl.* 9, 5. quoniam Sors omnia versat. Alii leg. *Fors. Tac. H.* 4, 1. Passim trucidatis, ut quemque Sors obtulerat. *Lucan.* 9, 126. O felix, quem Sors alias dispersit in oras! Plurima sunt loca in quibus *Sors* et *Fors* commutantur: quae indicavit *Drakemborch.* ad *Sil.* 15, 105. ℙ De statu et conditione cujusque. *Hor. Sat.* 1, 1, 1. Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa Contentus vivat, laudet diversa sequentes? *Id. Od.* 4, 11, 21. Telephum, quem tu petis, occupavit. Non tuae sortis juvenem, puella dives. *Suet. Aug.* 19. Ne ultimae quidem sortis hominum conspiratione, et periculo caruit. *Tac. A.* 12, 41. Sortem alicujus miserari. ℙ *Sors*, inquit *Festus*, et patrimonium significat: unde *disertiones* pro *dissortiones*, divisiones patrimoniorum: *consortes*, qui eodem simul patrimonio gaudent. *Liv.* 1, 34. Puero in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. ℙ Item summam, si-

ve caput, et primam pecuniam, quae confertur, ut inde lucrum fiat, ut *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* docet. *Pl. Most.* 3, 1, 34. Qui mihi neque fenus, neque sortem argenti danunt. *Ter. Ad.* 2, 2, 35. Hei mihi! etiam de sorte venio in dubium miser. *Mart.* 5, 42. Debitor usuram pariter, sortemque negabit. *Papin. Dig.* 33, 2, 24. Fenus quoque sortium, quas defunctus collocavit, praestabitur. *Plin. praef. H. N. med.* Sors fit ex usura. *Inscr.* ap. *Grut.* 280. *f.* Mulctentur sorte una cum anatocismo binae centesimae usurae. ℙ [*Haud alienum videtur brevibus hic mentionem facere eorum, quae *B. Crusius* in *cl. Suet.* p. 725. sq. de hujus vocis origine notionumque serie disputaverit, quorum summa haec est: *Sors* i. esse q. *fors;* utrumque autem descendere a Gr. ἔρω. (Cf. SERMO.) Esse enim fatum, s. quod superior voluntas fieri et esse jusserit, in quo non ratio nec consilium, sed temeritas et casus regnare videatur: coll. *Cic. Div.* 2, 41, 85. et *Becm. Orr. L. L.* p. 466. Hinc *sors* saepe esse i. q. oraculum, quale edi mos fuerit per tabellas inscriptas. Unde *sors* i. q. tabella, qua decernatur de aliqua re quasi interventu divino, ubi ratio consiliumque humanum decernere non velit, vel non possit. Frequentissimum ob superstitionem antiquorum hominum usum sortis in electione judicum, sacerdotum, in dividendis provinciis, aliisque negotiis, ubi de pluribus judicium humanum esse non potuisset. Hinc *sortes convivales*, de quibus V. *Forc.* supra. Deinde *sors* dici de conditione hominum, ut fato s. voluntate suprema decernatur, nostr. *Loos, Schicksal.* Maxime pertinere ad exitum vitae, fato cuique destinatum, nostr. *Bestimmung.* Denique *sors*, ubi summam pecuniae significet fenori datam, eandem vim obtinere. Esse enim bonum a fortuna datum et fortunae commissum. Difficiliorem esse rationem Gronovii, qui *libro de pec. vet.* p. 415. sic dictam putet, quod conferat jungatque et adnectat sibi impendium vel usuram. Niti eam interpretationem impeditam derivatione a v. *series.*] ℙ Denique progeniem, prolem. *Ov. Fast.* 6, 29. Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem Feci: Saturni sors ego prima fui. ℙ *Sortis* in recto casu est *Pl. Cas.* 2, 6, 28. Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua. Vidit hoc etiam *Prisc.* 7, 751. ℙ *Sorti* in sexto casu, V. supra. ℙ [*Confund. *sors* et *fors*. V. supra et cf. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 12. 4, 503. — *Sors* et *mors*. *Id. ib.* 7, 818. *Sors* et *spes*. *Id. ib.* 8, 454. — *Sortis* et *soricis*. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 292. sq.]

SORSUM. V. SEORSUM.

SORTĬCŬLA, ae, f. κληρίδιον, dimin. sortis. *Suet. Ner.* 21. Sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo. In *Vet. Tab.* ap *Grut.* 590. *lin* 7. Sorticulam unam buxeam longam digitos IIII. et p. 510. *f.* Quo judices sorticulas conjiciant.

SORTĬFER. V. in v. sq.

SORTĬGER, ra, rum, adj. sortes gerens, oracula fundens. *Lucan.* 9, 512. stat sortiger illic Juppiter. Alii leg. *sortifer*, alii *vertior*.

SORTĬLĔGUS, a, um, adj. [*sortes, oracula praebens. *Hor. A. P.* 218. Utiliumque sagax rerum, et divina futuri, Sortilegis non discrepuit sententia Delphis, i. e. Delphico oraculo, ubi responsa per sortes reddebantur. Perperam *Noster* hunc locum in f. posuerat. ℙ Hinc substantive] minister inserviens iis, qui per sortes oraculorum futura quaerebant, κναμευτής, χρησμῳδός. Tollebat is vel per se, vel per manus pueri, sortes ex urna, et consulentibus legebat, ostendebatque: quem describere videtur *Tibull.* 1, 3, 10. Dicitur ante omnes consuluisse Deos. Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi Rettulit e trinis omnia certa puer. Alii aliter leg. [*Cf. *Heyn.*] *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 648. *n.* 415. C. Stiminius Heracla sortilegus ab Venere Erycina. Alia p. 668. *n.* 529. Sex. Maesio Sex. F. Rom. Celso sortilego Fortunae Primigeniae, etc. *Lucan.* 9, 581. Sortilegis egeant dubii, semperque futuris Casibus ancipites: me non oracula certum, Sed mors certa facit. Huc pertinet alia *Inscr.* ap. *Grut.* 132, 6. Sacro suscepto, sortibus sublatis, C. Gallio Atticus Mediolanens. ℙ Erant ex his, qui quaestus causa per sortes futura se praedicere profitebantur, et superstitiosis conjecturis incautos fallebant. *Cic. Div.* 1, 58. Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius uti solebat, agnoscere.

SORTĬO, is, n. 4. idem ac sortior. *Varr.* ap. *Non.* 7, 22. Cum venerint censores, inter se sortiant. *Pl. Cas.* 2, 6, 43. Tibi permitto, tute sorti. Adde *Enn.* ap. *Non.* 7, 24.

SORTĬOR, iris, itus sum, dep. 4. λαγχάνω, κληρόω, sortes duco, sortitionem facio, in sortem conjicio. *Pl. Cas.* 2, 5, 34. Conjiciam sortes in sitellam, et sortiar tibi, et Chalino. *Cic. N. D.* 1, 35. *med.* Hoc est non considerare, sed quasi sortiri, quid loquare. *Id. Fat.* 20. Num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? *Tac. H.* 2, 41. et *Suet. Claud.* 7. Sortiri de aliqua re. *Vell.* 1, 1. *f.* Sortiti sunt, uter patria decederet. *Liv.* 2, 8. Valerius Horatiusque consules sortiti, uter dedicaret. Horatio sorte evenit. ℙ Cum accusativo. *Cic. Agr.* 2, 8. Sortietur tribus idem Rullus: homo felix educet, quas volet tribus. *Id. Fam.* 1, 9. *f.* Dixit, sese sortiturum esse cum collega provinciam. *Id. Cluent.* 46. Hoc tu facies censor, ut non animadvertas in omnes, sed carpas, ut velis, et paucos ex multis ad ignominiam sortiare? *Id. Q. Fr.* 2, 1. Sortiri judices per praetorem urbanum. *Id. Verr.* 2, 2, 17. Paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. V. DICA. *Sen. Herc. Fur.* 732. Minos judicia trepidis sera sortitur reis. *Hor. Od.* 1, 4, 18. Nec regna vini sortiere talis. ℙ Est etiam per sortes aliquid recipere, sorte obtinere, sortito consequi. *Suet. Caes.* 18. Ex praetura ultiorem sortitus Hispaniam. *Juven.* 13, 49. nondum aliqnis sortitus triste profundi Imperium. Adde *Plin.* 4, 9. et *ep.* 6, 22. *f.* ℙ Translate est partiri, dividere, velut sorte ducta quid cuique obtingat. *Virg. A.* 8, 444. Ocius incubuere omnes, pariterque laborem Sortiti; et *ib.* 9, 174. Omnis per muros legio, sortita periclum, Excubat, exercetque vices; et *ib.* 3, 634. sortitique vices, una undique circum Fundimur. ℙ Item nancisci, et tanquam sorte datum, aut frui, aut pati. *Hor. Sat.* 1, 6, 52. felicem dicere non hoc me possunt, casu quod te sortitus amicum. *Ov. Trist.* 1, 6, 21. Tu si Maeonium vatem sortita fuisses, Penelopes esset fama secunda tuae. *Suet. Aug.* 99. Sortitus exitum facilem et qualem semper optaverat. *Juven.* 14, 96. Quidam sortiti metuentem sabbata patrem, Nil praeter nubes, et coeli numen adorant; et 15, 143. homines venerabile soli Sortiti ingenium. *Sen. Phoen.* 244. fata quis tam tristia Sortitus unquam? *Plin. ep.* 1, 3. Reliqua rerum tuarum post te alium dominum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse. *Ulp. Dig.* 37, 4, 3. *med.* Si emancipatus, uxore ducta, filium fuerit sortitus. ℙ Locum etiam habet, cum quippiam, aliquo delectu adhibito, facimus. *Just.* 26, 3. *extr.* In matrimonio sortiendo judicium patris secuta. *Virg. G.* 3, 70. (et *Nemes. Cyn.* 205.) ac ne post amissa requiras, Anteveni, et subolem armentis sortire quotannis, *h. e.* substitue. *Id. A.* 12, 919. Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat, Sortitus fortunam oculis. Ubi *Serv.:* Hunc locum ad feriendum oculis elegit Aeneas, fortuna destinaverat vulneri.

SORTIS. V. SORS.

SORTĬTĬO, onis, f. κλήρωσις, λᾶξις, actus sortiendi, distributio, aut electio quae ductis sortibus fit. *Cic. Planc.* 22. Neque enim majores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *med.* Ut judicum sortitione facta, comitia haberentur. *Id. Cluent.* 46. Sortitione in aliquos animadvertere. *Pl. Cas.* 2, 6, 38. Deos quaeso, mihi ut sortitio eveniat.

SORTĬTO, adv. κληρωτί, sortiendo, ductis sortibus, sortitione. *Cic. Verr.* 2, 2, 51. Lex, quae in annos singulos Jovis sacerdotem sortito capi jubebat. In *S. C.* ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. *med.* Eos, qui praetores fuerunt, sortito in provincias mitti placere. ℙ Translate est fato quodam, aut necessitate naturae, inevitabiliter: nam *sors* et fatum significat: et quae sorte obtingunt, certo nostra sunt. *Pl. Merc.* 1, 2, 24. *Char.* Quid est negotii? *Acanth.* periimus. *Char.* principium inimicis dato. *Acanth.* at tibi sortito id obtigit. *Hor. Epod.* 4, 1. Lupis et agnis quanta sortito obtigit, Tecum mihi discordia est.

SORTĬTOR, oris, m. κληρωτής, qui sortitur. *Sen. Troad.* 981. Quis tam impotens, ac dirus, et iniquae ferus Sortitor urnae regibus reges dedit?

SORTĬTUS, a, um, part. a *sortior*, qui sortitus est. Varios ejus usus in significatione activa V. in SORTIOR. ℙ Passive. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Ab iis consiliis, quae erant omnibus sortita in singulos candidatos, magnus timor candidatorum, *h. e.* consilia judicum, qui sorte ducti erant in singulos candidatos. *Prop.* 4, 11, 19. Aut si quis posita judex sedet Aeacus urna, In mea sortita vindicet ossa pila. V. PĬLA. *Stat. Silv.* 5, 2, 57. Mille urbes Asiae sortito rexerit anno. *Ammian.* 18, 6. *med.* Miles morum probitate spectata sortita conjuge, liberisque susceptis, etc.

SORTĬTUS, us, m. idem ac sortitio. *Cic. Dom.* 19. *med.* Quid si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti, *h. e.* una rogatione contra legem Caeciliam Didiam. *Manut.* mallet *scitu*, et *tulisti*, quia trib. pleb. ferebat legem, et quidem sine sortitione. *Virg. A.* 3, 323. quae sortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile, *h. e.* de qua captiva sortitio nulla facta est, cui victori addiceretur. *Stat. Th.* 6, 389. Et jam sortitus Prothous versarat ahena Casside, *h. e.* sortes ipsas ad sortitionem. *Pl. Cas.* 2, 4, 26. Si id factum est, ecce me nullum senem: si non impetravit, etiam specula in sortitu est mihi, *h. e.* spes aliqua est in sortitione et eventu. *Stat. Th.* 12, 555. hominum, inclyte Theseu, Sanguis erant homines, eademque in sidera, eosdem Sortitus animarum, alimentaque vestra creati, *h. e.* ut sortirentur haberentque easdem animas, quas ceteri homines.

SORY, yos, n. σῶρυ, τὸ, genus chalcitidis (qui est lapis, ex quo aes coquitur), de quo *Plin.* 34, 12, 30. Sory Aegyptum maxime laudatur, multum superato Cyprio, Hispaniensi, et Africo; quamquam oculorum quoque curationi quidam utilius Cyprium putant: sed in quacumque natione optimum, cui maximum virus in olfactu, trituque pinguiter nigrescens, et spongiosum. Stomacho res contraria in tantum, ut quibusdam olfactu modo vomitiones moveat: et Aegyptium quidem tale. Alterius nationis contritum splendescit, ut misy, et est lapidosius. Prodest et dentium dolori, et oris ulceribus gravibus, quaeque serpunt. Uritur carbonibus, ut chalcitis. *Id. ib.* 29. Chalcitis tria genera continet, aeris, et misyos, et soryos. [*Hollandus exponit: *Duskish or ash — colour coppresse. Bail.*] Adde *Cels.* 6, 9. *med.*, ubi alii scrib. *soreos* pro *soryos*. [*Scribon.* 51. — Fortasse *Atramentstein.*]

SOS pro Eos antiqui dicebant, ut Ennius libro primo: Constitit inde loci propter sos Dia Dearum. Et libro tertio: Circum sos quae sunt magnae gentes opulentae. Libro septimo: Cum censent terrere minis, hortantur ei sos. Libro undecimo: Contendunt Grajos. Graecos memorare solent sos. Interdum pro suos ponebant, ut cum per dativum casum idem Ennius effert: Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit. Hactenus *Festus.* Adde alium *Ennii* locum ap. *eund.* in *Puelli*, et *Non.* 2, 688. ex lectione *Dacerii*, et *Hieron. Columnae.* ℙ *Sum* quoque dixere pro *eum:* et *sas* pro *eas.* V. SAS.

*SOSAGŌRAS, ae, m. medicus quidam, de quo *Cels.* 5, 18. *B. A.*

[SŌSANDER, dri, m. vir salvus: a σῶς, salvus, et ἀνήρ, vir. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 751. *n.* 579. Tito Flabio (*h. e.* Flavio) Sosandro, etc. *F.*]

SOSIĀ, ae, m. Σωσίας, nomen servilis personae, ap. *Pl. Amph.* et *Ter. Andr.* ductum ἀπὸ τοῦ σώσασθαι, quasi in bello servatus.

SOSIĀNUS, a, um, adj. ad Sosium aliquem pertinens. Est autem *Sosius* nomen propr. civis R. ap. *Cic. Att.* 8, 6. et al., *Vell.* 2, 85., *Nep. Att.* 22. et in multis *Inscr.* ap. *Grut.* Hinc *Sosianus Apollo* ap. *Plin.* 13, 5, 11. et 36, 5, 4. *n.* 8., ita dictus, quod ejus signum e cedro Seleucia Romam advectum est a C. Sosio quaestore M.' Lepidi. Ita *Hard.* Alii dictum putarunt a σώζω, servo.

[SOSĪBĬUS, a, um, adj. σώσιβιος, qui vitam servavit: a σώζω, servo, et βίος, vita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1103, 1. L. Cincius M. F. Sosibius. *F.*]

*SOSIGĔNES, is, m. Σωσιγένης, astrologus insignis, cujus opera usus est Caesar, cum annum ad Solis rationem redigeret. *Plin.* 18, 25. *B. A.*

SOSĬI, orum, m. plur. fuere Romae Horatii tempore celebres librarii scriptorum opera exscribentes, compingentes, venditantes. *Hor. Ep.* 1, 20, 2. et *A. P.* 345.

*SOSĬLUS, i, m. Σώσιλος, scriptor Graecus, Lacedaemonius, vitam Hannibalis scripsit. *Nep. Hannib.* 13. *B. A.*

*SOSIMĔNES, is, m. medicus quidam, de quo *Plin.* 18, 17. *B. A.*

[SOSĬŎLA, ae, f. dimin. Sosi. Est cogn. R. V. SOSUS. *F.*]

[SOSĪPŌLIS, is, m. σωσίπολις, servator civitatis. a σῶσις, salus, et πόλις, civitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 253, 8. Cura agentibus Cn. Sergio Mercurio, M. Licinio Privato, T. Claudio Sosipole magistris QQ. lustri XXIX. *F.*]

*SOSĪRATE, es, f. oppid. in Elymaide. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

[SOSIS, is, f. salus: videtur esse ab inus. σῶσις, εως, quod a σώω, vel σώζω, salvo; ut τρῶσις, vulneratio, est a τρώω, vulnero. Hinc factum cogn. R. utriusque generis. *Cic. Fam.* 13, 30. L. Manlius Sosis fuit Catinensis, sed est una cum reliquis Neapolitanis civis R. factus, decurioque Neapoli. *Inscr.* ap. *Mur.* 982, 11. Venuleja Ɔ. L. Sosis. *F.*]

SOSPES, itis, adj. omn. gen. σῶος, salvus, incolumis: a σώζω, servo: et dicitur tum de personis, tum de rebus. [*Doederl.*, qui ductus auctoritate nominis *Juno sospita*, et *Festi* testimonio infra a *Forc.* laudato, 1, 35. antiquissimam hujus vocis significationem non passivi, sed activi generis fuisse arbitratur, originationem facit a *suppetere* vel potius ab ejus frequentativo *suppeditare.* Cujus sententiae rationes v. ap. ipsum. Cf. *eund. ib.* 3, 306 sq. — Discrimen inter *sospes, salvus* et *incolumis* expositum est in h. v.] *Pl. Cas.* 4, 4, 1. Sensim superattolle limen pedes, nova nupta: sospes iter incipe hoc. *Id. As.* 1, 1, 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuae superesse vitae sospitem et superstitem. *Id. Capt.* 4, 2, 93. Tuum in portu Philopolemum vivum, salvum et sospitem vidi. *Plin. Pan.* 67. *med.* Ut Dii te sospitem incolumemque praestarent. *Ov. Her.* 6, 147. per me tutus sospesque fuisses. *Hor. Od.* 3, 14, 9. Virginum matres, juvenumque nuper Sospitum, *h. e.* qui nuper salvi ab expeditione bellica redierunt. *Id. ib.* 1, 28, 25. sic, quodcumque minabitur Eurus, Plectantur silvae, te sospite. ℙ De rebus. *Id. ib.* 37, 13. Vix una sospes navis ab ignibus. *Augustus* ap *Suet. Aug.* 28. Ita mihi salvam et sospitem rempublsistere in sua sede liceat. *Pl. Rud.* 3, 2, 15. Si speras eam eventuram exagogam Capuam salvam et so

spitem. ℙ Est etiam prosper, felix. *Hor. Carm. saecul.* 39. Jussa pars mutare lares et urbem Sospite cursu. *Pl. Poen.* 5, 4, 15. Juppiter, quem penes spes vitae sunt hominum, da diem hunc sospitem, quaeso. *Juven.* 13, 177. manet illa tamen jactura, nec unquam Depositum tibi sospes erit. ℙ *Sospitem* pro eo qui servat, dixisse videtur *Ennius*, teste *Festo*. Sic *sospita* est servatrix.

SOSPĪTA, ae, f. *σώτειρα*, servatrix. Hinc *Juno Sospita* ap. Lanuvinos. *Cic. N. D.* 1, 29. Tam hercle, quam tibi illam vestram Sospitam, quam tu nunquam, ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva, nec Romana Juno. *Id. Div.* 1, 2. Quin etiam memoria nostra templum Junonis Sospitae L. Julius refecit. *Ov. Fast.* 2, 55. Phrygiae contermina Matri Sospita delubris dicitur aucta novis. V. SISPITA.

SOSPĪTĀLIS, e, adj. *σωτήριος*, qui sospitem facit, salutaris. *Pl. Ps.* 1, 3, 18. Quis est, qui moram occupato molestam obtulit? *P.* Qui tibi sospitalis fuit. *Macr. Sat.* 1, 17. Sol sospitalis et medicus Deus.

SOSPĪTĀLĪTAS, atis, f. salus, incolumitas. *Macr. Sat.* 1, 17. Victores Romanos ad spectacula Dei sospitalitatis reduxit. Alii rectius leg. *sospitalis*.

SOSPĪTAS, atis, f. felicitas, incolumitas, prosperitas. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* Apollinem modo sospitatem, modo pestem significantibus cognominibus adoramus.

SOSPĪTĀTOR, oris, m. *σωτὴρ*, servator: a *sospes*. *Appul. Met.* 9. Unus ex his, de coelo scilicet missus mihi sospitator; et *ib.* 4. Fortissimi fidelissimique mei sospitatores juvenes. In *nummo Caracallae* ap. *Mediobarb.* Jovi Sospitatori. Adde alium Sept. Getae, *ib.* et ap. *Vaillant.* p. 121. et 128. ed. 1696. ℙ De IESU CHRISTO *Arnob.* 2, 96. Ratio, cur non nuper, sed hodie sospitator nostri generis adveniret.

SOSPĪTATRIX, icis, f. servatrix, ut Dea sospitatrix, *Appul. Met.* 11.

SOSPĪTO, as, a. 1. *σώζω*, sospitem reddo, servo, tueor. *Verrius* ap. *Fest.* ait esse bona spe afficere, aut bonam spem non fallere. *Ennius* ap. *Non.* 2, 819. Regnumque nostrum ut sospitent superstitentque. *Pacuv. ib.* Populoque ut faustum sempiterne sospitent: scil. regnum. *Catull.* 34, 22. Romulique, Ancique, ut solita es, bona Sospites ope gentem. *Pl. Aul.* 3, 6, 10. Dii plus plusque istuc sorpitent, quod nunc habes. *Liv.* 1, 16. Uti volens propitius suam semper sospitet progeniem. *Pl. As.* 3, 3, 93. Sis, herum tuis factis sospitari, da mihi istas viginti minas. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 7, 34.

[SOSTHĒNES et Sostenes, is, m. incolumis: a *σῶς*, salvus, et *σθένω*, valeo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 922, 43. Tauriscus Sostensis Germanici Caesaris L. (*h. e.* liberti) servus. *F.*]

*SOSTRĀTUS, i, m. *Σώστρατος*, chirurgus insignis, de quo *Cels. praef. l.* 7. Adde *c.* 4. et 14. ℙ Alius, Cnidius, architectus nobilis, qui Pharon, turrim illam Aegypti formosissimam, exstruxit. *Plin.* 36, 12. V. PHARUS. ℙ Sostratus etiam inter sculptores, qui ex aere simulacra signaque faciebant. *Id.* 34, 8. ℙ Ap. *Juven.* 10, 178. Sostratus malus poeta est: ut *Scholiastes* interpretatur: possit et declamator aliquis malus eo nomine intelligi. *B. A.*

[SOSUS, i, m. salvus: a *σῶς*, salvus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1125, 5. Aeliae Sosiolae filiae dulcissimae Minutius Sosus, et Aelia Primitiva parentes. ℙ Hoc nomine fuit appellatus etiam industrius pavimentorum strator Pergamenus ap. *Plin.* 36, 25, 60. *F.*]

SOTĀDĒUS, a, um, adj. *Σωτάδειος*, ad Sotadem pertinens, qui fuit Cretensis, poeta lascivus, et obscena multa scripsit: unde *cinaedus* dictus est a *Mart.* 2, 86. Hinc Sotadeum carmen. *Quint.* 1, 8. de lectione pueri: Elegia vero, utique quae amat, et hendecasyllabi, et quibus sunt commata Sotadeorum (nam de Sotadeis ne praecipiendum quidem est), amoveantur, si fieri potest. ℙ Delectatus est versibus recurrentibus, seu reciprocis, aut retrogradis, de quib. in RECURRO et RECIPROCUS dictum est. Unde *Mart. l. c.* nec carmine glorior supino, Nec retro lego Sotadem cinaedum. ℙ Sed sunt tamen varii generis Sotadei versus, quorum exempla habes ap. *Quint.* 9, 4. *med.*, *Serv.* in *centimetr.* p. 1819. et 1824., *Terent. ib.* p. 2415. et 2446. et *Mar. Victor. art. Gramm.* 3. p. 2562. et 2584. et 4. p. 2601. item *Auson. ep.* 14, 29.

SOTĀDĬCUS, a, um, adj. *Σωταδικός*, Sotadeus, ut Sotadici versus, *Plin. ep.* 5, 3. V. in v. praec. Sic *Gell.* 7, 9. *f.* L. Attius in Sotadicorum libro primo *sesciderat* dixit, *h. e.* in iis, quae Sotadis more, aut metro scripsit. V. SOCRATICUS. *f.*

SŌTER, ēris, m. vox Graeca, quae idem est ac servator, *σωτήρ*. *Cic. Verr.* 2, 2, 63. Eum non solum patronum istius insulae, sed etiam sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit: is est nimirum soter, qui salutem dedit. V. SALVATOR. *Serv.* ad *A.* 8, 652. Hodieque ara in Capitolio est Jovis Soteris, in qua liberati obsidione Gallorum, coria et sola vetera concremaverunt.

[SŌTĒRA, ae, f. et Soteris, idis, f. servatrix: a *σώτειρα*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 345, 9. Junia Sotera. Alia ap. *Grut.* 358. Antoniae Soteridi uxori, etc. ℙ *Sōtira* etiam scribitur, quod nomen est obstetricis ap. *Plin.* 28, 7, 23. *F.*]

SOTĒRIA, orum, n. plur. munera, quae convalescentibus, et a morbo, aut aliquo servatis periculo ab amicis mittebantur: a *σώζω*, servo. *Mart.* 12, 56. Nam quoties surgis, soteria poscis amicos. ℙ *Soteria* etiam dicuntur vota, vel sacrificia pro salute amici persoluta. Unde *Stat. Silv.* 1, 4. carmen gratulatorium, quod pro restituta Rutilia Gallico salute cecinit, inscripsit *Soteria*.

[SOTĒRĬCHUS, i, m. *σωτήριχος*, servator. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 193, 8. Q. Antulejus Soterichus. ℙ Scribitur etiam sine aspiratione, ut saepe solent Latini. Hinc ap. *Cic. Balb.* 2. Marcius Sotericus homo libertinus; et ap. *Gell.* 12, 2. Sotericus appellatur malus quidem artifex lectorum: unde Soterici lectus ponitur pro impolito, et nulla arte facto. *F.*]

[SOTĒRĬUS, a, um, adj. *σωτήριος*, salutaris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1717, 8. Novius M. L. Soterius. Alia ap. *Grut.* 657, 5. Aurelia Soteria. *F.*]

*SOTIĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae, ad Aturum flumen. *Caes. B. G.* 3, 20. et 21. ℙ *Sottiates* audiunt *Plin.* 4, 19. *B. A.*

SOTIGĒNA. V. OPIGENAM.

*SOTTIĀTES. V. SOTIATES.

[SOZOMĒNUS, ă, et ē, um, adj. servatus, *σωζόμενος*, part. praes. pass. verbi *σώζω*, servo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1127, 6. Calpurnius Sozomenus. Aliae ap. *Fabrett.* p. 500. *n.* 46. et 47. Aquilia Sozomena. Alia ap. *Grut.* 3, 1. Mariana Sozomene. *F.*]

[SOZON, ontis, m. *σώζων*, servans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 101, 5. D. Fabricius Sozon. *F.*]

SOZUSĀ, ae, m. *σώζουσα*, herba artemisia, seu serpyllum majus. *Appul. Herb.* 10. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 551. *n.* 24. Vettia Sozusa. *F.*]

SP

[SPĀCO, us, et onis, f. *Σπακώ*, nomen propr. uxoris regii pastoris, qui, cum Cyrum infantem in silva expositum, et a cane femina lactatum invenisset, eidem puerum pro filio educandum tradidit: est a *σπάξ*, *ακός*, quo nomine, teste *Herodot.* 1, 110., Persarum lingua, et etiamnum ap. Hyrcanos, testante *T. Fabro*, canis *spac* vocatur. *Just.* 1, 4. *f.* Nutrici (*Cyri*) Spaco postea nomen fuit, quia canem Persae sic vocant. *F.*]

SPĀDĪCĀRĬUS, ii, m. qui colore spadicis inficit. *Firm. Math.* 3, 7. *med.* Si Saturnus sic positam Venerem forti radiatione respexerit, faciet aut spadicarios, aut textores, vel pigmentorum inventores.

SPĀDĪCUM, i, n. idem quod spadix. *Ammian.* 24, 3. *med.* Termites, et spadica cernit assidua, quorum ex fructu mellis et vini conficitur abundantia.

SPĀDIX, īcis, m. *σπάδιξ*, avulsus termes e palma cum fructu, ut *Gell.* 2, 26. et 3, 9. *f.* diserte docet, et nos in PHOENICEUS. (V. SPATHA.) Hinc ponitur pro colore fructum ejus arboris referente, ut *ib.* diximus. Ital. *color bajo*. V. BADIUS. *Virg. G.* 3, 81. de colorib. equor: honesti Spadices, glaucique: color deterrimus albis, Et gilvo. Ubi *Serv.*: quos phoeniciatos vocant, pressos, myrteos: ipsi sunt badii. ℙ Est etiam instrumentum quoddam musicum, cujus meminit *Pollux Onom.* 4, 9. inter ea, quae pulsantur: sed non describit. *Quint.* 1, 10. *med.* Apertius profitendum puto, non a me praecipi psalteria, et spadicas etiam virginibus probis recusanda; sed etc.

SPĀDO, onis, m. *σπάδων*, eunuchus, castratus, qui virilitate caret, sive manu id damnum passus sit, sive morbo, sive natura. Esse videtur a *σπάω*, traho, vello, evello: ut proprie sit is, cui evulsi sunt testiculi; quemadmodum thlibias, cui compressi; thlasias, cui fracti. *Dig.* 50, 16, 128. Spadonum generalis appellatio est: quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt: item thlibiae, thlasiae, sed et siquod aliud genus spadonum est, continetur. *Id. ib.* 23, 3, 39. Si spadoni nupserit mulier, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne. *Juven.* 14, 91. Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides. *Claud. in Eutr.* 1, 296. nusquam spado consul in orbe, Nec judex, ductorve fuit: quodcumque virorum Est decus, eunuchis scelus est. ℙ Specialiter spadones sunt, qui valetudine aliqua praepediti, aut vitio corporali, liberos creare non possunt, quamvis *τὰ γόνιμα μορία* habeant: differuntque a castratis, quibus manu et ferro abscissa sunt. *Cajus Dig.* 1, 7, 2. Et hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt: castrati autem non possunt. *Ulp. ib.* 28, 2, 6. Spadonem quoque posse postumum heredem scribere, et Labeo, et Cassius scribunt: quoniam nec aetas, nec sterilitas ei rei impedimento est: sed si castratus sit, Julianus non putat. *Mart. ib.* 40, 2, 14. Si spado velit matrimonii causa manumittere, potest: non item castratus. ℙ *Spadones equi*, ap. *Veg. Vet.* 4, 7. opponuntur testiculatis. ℙ Translate *spadones* dicuntur a rusticis surculi vitium steriles, et nullam spem fructus ostendentes, ut docet *Colum.* 3, 10. *med.* Sic palmarum quoddam genus, nullo intus pomi ligno, quamdiu sunt novellae, spadonum nomine appellantur, teste *Plin.* 13, 4, 8.; item arundinum nullam lanuginem ferentium, *Id.* 16, 36, 66. Hinc etiam dicta Belgis *spadonia mala*, a conditione castrati seminis, ut *Id.* ait 15, 14, 15. h. e. nullum intus semen habentia: et *spadonia laurus* est *ib.* 30, 39. ℙ [Primam hujus vocis syllabam male produxit *Arator* 1, 670. qua spado jugatis Aethiopum pergebat equis. *F.*]

SPĀDONĀTUS, us, m. conditio castratorum. *Tert. Cult. fem.* 9. Se spadonatui assignant propter regnum Dei.

SPADONĬUS, a, um, adj. ad spadonem pertinens: et translate sterilis, ut Spadonia laurus, *Plin.* 15, 30, 39. et Spadonia mala, *Id. ib.* 14, 15. V. SPADO.

SPAERITA. V. SPHAERITA.

SPAGAS vocatur in Asia resina, quae fit e picea. *Plin.* 14, 20, 25.

*SPALATHRA, *Σπάλαθρα*, opp. Thessaliae maritimum, in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

*SPALEI, orum, populi Asiae ulterioris, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

[SPANDĪTUS, a, um, part. pro *expanditus* ab *expando*, *is*, idem ac expansus. V. *Pelagonii l. c.* in ORTHOGILLUS. *F.*]

[SPANĬUS, a, um, adj. *σπάνιος*, rarus, infrequens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 315. *n.* 396. M. Lollius Spanius. *F.*]

SPĀNUS, a, um, adj. *Σπάνος*, Hispanus, legitur a multis ap. *Veg. Vet.* 4, 6., *Scrip. Comp.* 256., *Coel. Aurel. var. in locis*, et *Plin. Val.* 1, 50. Cave, usurpes.

SPARĀGUS. V. ASPARAGUS.

*SPARATA, ae, opp. Moesiae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

SPARGĀNĬON, ii, n. *σπαργάνιον*, herba quae ab aliis platanaria, ab aliis butomos appellatur: cujus radix ex vino albo adversus serpentes bibitur. *Plin.* 25, 9, 63. [**Igelskolbe*, Sparganium ramosum, *Sm.*]

SPARGO, inis, f. asperginem significat. *Venant. carm.* in *ep. ad Felicem episc. Namnetic.* 3. Elisa salis spargine me contigit irrorari.

SPARGO, is, rsi, rsum, a. 3. *σπείρω*, *σκορπίζω*, passim aliquid jacio, in omnes partes diffundo, dissemino: a *σπείρω*, aut ejus aorist. 2. *ἔσπαρον*, ut primo et proprie dicatur de seminibus. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. *med.* Hastati spargunt hastas: fit ferreus imber. *Virg. A.* 12, 51. Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus. *Prop.* 4, 3, 65. Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 1. Sagittarius cum funditore utrinque summo studio spargunt fortissime. *Lucr.* 2, 194. missus corpore sanguis Emicat exsultans alte, spargitque cruorem. *Phaedr.* 3, 1. amphora, Odorem quae jucundum late spargeret. *Virg. Ecl.* 8, 30. Spargere nuces. *Id. A.* 6, 885. flores. *Cic. Phil.* 3, 6. *f.* nummos populo de Rostris. *Ov. Met.* 5, 646. rudi humo semina; et *ib.* 3, 105. humi jussos, mortalia semina, dentes; et *ib.* 7, 122. vipereos dentes in agros aratos. *Val. Fl.* 1, 14. faces. *Virg. A.* 7, 531. arma per agros; et *ib.* 9, 629. (et *Ecl.* 3, 87.) juvencus pedibus spargit arenam. *Id. ib.* 3, 605. Spargite me in fluctus, *h. e.* dilacerate, et immergite. Plenius *Id. ib.* 4, 600. abreptum divellere corpus, et undis Spargere; et *Lucan.* 5, 684. Invitis spargenda dabas tua membra procellis. *Plin.* 4, 15, 29. Rhenus ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit, *h. e.* late se diffundit. *Petr. Sat.* 22. Lucernae humore defectae tenue lumen spargebant. *Sen. Med.* 73. de stella Veneris: te cupiunt nurus Quamprimum radios spargere lucidos. *Plin.* 37, 10, 67. Solis gemma ad speciem sideris in orbem fulgentes spargit radios. *Sil.* 5, 55. flammiferum tollentes aequore currum Solis equi sparsere diem. *Sen. Ag.* 94. densam nemus spargens umbram. *Id. Oed.* 416. Spargere effusos sine lege crines: Rursus adductos revocare nodo. ℙ De arboribus et herbis, ramos et radices late fundentibus. *Plin.* 16, 33, 60. Cupressus spargit extra se ramos. *Id.* 12, 12, 26. Cacumina in aristas se spargunt. *Id.* 11, 37, 45. Natura cervorum cornua sparsit in ramos. *Id.* 24, 19, 118. Gramen ex cacumine novas radices spargit. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 21. Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut, etc. *Id. Arch.* 12. Omnia, quae gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. *Mart.* 6, 60. Et nomen toto sparget in orbe suum. *Virg. A.* 2, 98. spargere voces In vulgum ambiguas. ℙ Pro dividere, in multas partes ferre, dissipare, distrahere, dispergere. *Tac. A.* 3, 21. Tacfarinas spargit bellum, ubi instaretur, cedens, ac rursus in terga remeans. *Id. H.* 2, 76. *med.* Spargere legiones. *Id. ib.* 3, 46. exercitum per provincias. *Lucan.* 1, 468. de Caesare: per omnem Spargitur Italiam, *h. e.* cohortes suas spargit. *Ov. Met.* 8, 343. aper ruit, et spargit canes. *Curt.* 5, 13. *med.* Ut vestigia fugae spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus Bactra petebant. *Virg. G.* 4, 28. de apib.: si forte morantes Sparserit, aut praeceps Neptuno immerserit Eurus; et *Sen. Troad.* 1042. Solvet hunc

coetum, lacrimasque nostras Sparget huc illuc agitata classis. *Liv.* 33, 15. *f.* Ita se in fugam passim sparserant, ut, etc. *Val. Fl.* 4, 315. Bebrycas extemplo spargit fuga. *Ov. Met.* 14, 470. Spargimur, et ventis inimica per aequora rapti, etc. *h. e.* alius alio tempestate compellimur. *Liv.* 37, 20. Dilapsi ceteri sparserant se toto campo. *Val. Fl.* 6, 613. stabulis qualis leo saevit opimis Luxurians, spargitque famem, mutatque cruores, *h. e.* avidam edendi rabiem in totum pecus exercet, dentes infigendo modo in hoc, modo in illud. ℙ *Spargere flumen in sulcos* ap. *Lucan.* 4, 142. est in varios rivos dividere, ut tranari possit. ℙ *Spargere metus* ap. *Val. Fl.* 2, 118. et 3, 55. est usquequaque multis incutere. ℙ De rumore et fama. *Ov. Met.* 8, 267. Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes Theseos. *Stat. Th.* 9, 32. Fama per Aonium rapido vaga murmure campum Spargitur in turmas. Absolute. *Tac. H.* 2, 58. *f.* Spargebatur insuper, Albinum insigne regis usurpare. *Hor. Sat.* 2, 5, 102. unde mihi tam fortem, tamque fidelem? Sparge subinde. Rursus *Tac. H.* 2, 86. *f.* Sparguntur per Gallias litterae. ℙ Est interdum prodigere. *Hor. Ep.* 2, 2, 195. Distat enim spargas tua prodigus, an, etc. ℙ Item jactare, versare. *Val. Fl.* 1, 421. Taurea vulnifico portat celataque plumbo Terga Lacon, saltem in vacuos ut brachia ventos Spargat. *Stat. Achill.* 2, 440. spargere caestus. *Pers.* 5, 32. totaque impune Suburra Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo. *Val. Fl.* 5, 248. et 6, 584. tua nunc terris, tua lumina toto Sparge mari. *Mart.* 3, 82. Manumque doctam spargit omnibus membris. ℙ Item dividere, diducere. *Plin.* 21, 8, 22. Colorum genera tractamus, in species multas sese spargentia. *Ulp. Dig.* 27, 7, 3. *med.* Ne per multos tutela spargatur, *h. e.* a multis administretur. *Ov. Met.* 7, 442. de Sini: et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus, *h. e.* divulsuras, discerpturas. ℙ *Spargere aliquem*, in varia loca mittere, in diversas oras ablegare. *Val. Fl.* 5, 488. suus ut magnum rex spargit ab Argis Alciden. *Just.* 27, 3. Eumenes, sparsis consumptisque fratribus bello intestinae discordiae, quasi vacantem Asiae possessionem invasurus, etc. ℙ *Spargere aliquid*, subinde commemorare. *Quint.* 8, 3. *med.* Sed de hac parte et in alio nobis opere plenius dictum est, et in hoc saepe tractabitur, et adhuc spargetur omnibus locis. *Iuven.* 9, 84. Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes Argumenta viri, *h. e.* tollis liberos, et gaudes subinde inserere libris actorum (in quibus cujusque pueri nativitas perscribebatur) indicia certa, te esse virum. ℙ Saepe est conspergere, perfundere, tingere, madefacere, *πάσσω, καταπάσσω. Tibull.* 1, 1, 14. Et placidam soleo spargere lacte Palen. *Virg. A.* 6, 229. ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi; et *ib.* 11, 191. Spargitur et tellus lacrimis, spargunturque et arma. *Ov. Trist.* 4, 3, 42. Sparsissent lacrimae pectora nostra piae. *Mart.* 10, 26. Spargere fletibus ora alicujus. *Id.* 3, 65. gleba spargitur imbre. *Virg. A.* 4, 635. corpus fluviali spargere lympha. *Ov. Fast.* 5, 677. lauro sparguntur ab uda Omnia, quae, etc. *Hor. Od.* 2, 13, 6. et penetralia Sparsisse nocturno cruore Hospitis. *Virg. G.* 2, 347. virgulta per agros Sparge fimo pingui. *Id. Ecl.* 5, 40. Spargite humum foliis, *h. e.* consternite. *Id. A.* 7, 754. spargere somnos Vipereo generi, *h. e.* infundere, immittere soporem. ℙ Absolute. *Cic. Par.* 5, 2. Ut in familia qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, etc. *h. e.* qui, quod ait *Phaedr.* 2, 5., alveolo conspergunt humum aestuantem, sedantes pulverem; aut pavimenta tergendi causa. Adde *Plaut. fragm.* ap. *Gell.* 18, 12. ℙ Pro irrigare, habet *Plin.* 13, 24, 47. Cytisum seritur aut vere semine, vel caule autumno: si semine, madidum; et si desint imbres, satum spargitur. ℙ Illa translata sunt, et poetica, *Virg. A.* 4, 584. Aurora novo spargebat lumine terras; et *ib.* 12, 113. summos spargebat lumine montes Orta dies. *Prop.* 3, 3, 46. Sparserit et nigras alba senecta comas. *Ov. A. Am.* 1, 236. spargitur amore pectus, *h. e.* perfunditur, imbuitur. *Virg. Ecl.* 5, 7. antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis, *h. e.* circumvestivit, et distinxit. Sic *ib.* 9, 19. humum florentibus herbis Spurgere; et *A.* 7, 199. Picum Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas. *Ov. Met.* 11, 606. quarum (*herbarum*) de lacte soporem Nox legit, et spargit per opacas humida terras; et *ib.* 309. nox coelum sparserat astris; et *Tac. G.* 17. Detracta ferarum vela mina spargunt maculis, pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit, *h. e.* distinguunt, ornant. *Sen. Herc. Oet.* 18. Sparsit peremptus aureum serpens nemus, *h. e.* occupavit, et mole sua quasi contexit.

*SPARIANTIS, idis vel idos, f. immolata a patre Hyacintho ex responso pro Atheniensibus. *Hygin. fab.* 238. *B. A.*

SPARSĬLIS, e, adj. qui spargi potest. *Tert. Pud.* 2. Tanta sparsilia eorum, qui Deo adulantur. *Sciopius* legit *futilia.*

SPARSĬM, adv. *σποράδην*, hic et illic, multis variisque in locis. *Appul. Met.* 10. In excelsum prorumpit vino crocus diluta, sparsimque defluens, pascentes circa capellas odoro perpluit imbre. *Gell.* 11, 2. Praeterea ex eodem libro Catonis haec etiam sparsim, et intercise commeminimus. Addunt et *Plinii* locum 36, 7, 11., sed ibi *Hard.* ex MSS. leg. *sparsa.*

SPARSĬO, onis, f. *διασπορά*, actus spargendi: speciatim ita appellatur effusio croci, balsami, et hujusmodi fragrantium liquorum, quae ope fistularum fiebat in theatris et amphitheatris, ut populus ibidem congregatus eximiis odoribus recrearetur. *Sen. Contr.* 5. *praef. med.* Quis ferret hominem de sparsionibus dicentem, odoratos imbres? V. *Mart. Spect.* 3. et 5. 25. et *Sen. ep.* 90. *med.* et V. CROCUM. Reprehendit autem *Senec.* Musam rhetorem, qui id dixerat: post quem dixit et *Appul.*, ut est in dictione praeced. *Sen. alter Q. N.* 2, 9. Numquid dubitas, quin sparsio illa, quae ex fundamentis mediae arenae crescens, in summam altitudinem amphitheatri pervenit, cum intensione aquae fiat? *Inscr.* Pompejis reperta, edita autem in *Mus. Barbon. Relaz. degli scavi Pomp. dall' ann.* 1824. p. 6. Dedicatione thermarum muneris Cn. Alleji Nigidii Maji . . . venatio, athletae, sparsiones, vela erunt. ℙ Aliud fuit sparsionis genus, quo dona variarum rerum a principe in populum ad diripiendum spargebantur. *Stat. Silv.* 1, 6, 65. Jam noctis propioribus sub umbris Dives sparsio quos agit tumultus, *h. e.* sparsa in populum ludis missilia omne genus a Domitiano, ut ab eo diriperentur: de quib. *Suet. Dom.* 4. *extr.* Die proximo omne genus rerum missilia sparsit: et quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiavit. V. MISSILIS.

SPARSĪVUS, a, um, adj. qui spargitur. *Sparsiva pila* vocabatur in ludis puerilibus, cum unus eorum in altum eam projiciebat, aliis vero assilientibus cura erat ejusdem arripiendae, priusquam terram attingeret, quod ludi genus a *Polluce Onom.* 9, 7, 106. *οὐρανία* appellatur. *Petr. Sat.* 27. Ipse paterfamiliae soleatus inter pueros pila sparsiva exercebatur, nec eam amplius repetebat, quae terram contigerat. Alii perperam leg. *prasina.* Ceterum sunt qui putant, hic mentionem esse de eo pilae ludo, quae trigonalis appellatur, q. v. v. s. l.

SPARSUS, a, um, part. a *spargo: σπαρθείς*, huc illuc jactus, in omnes partes diffusus, disseminatus. *Plin.* 22, 10, 12. Tribuli semen tritum, et in aquam sparsum pulices necat. *Ov. Fast.* 4, 730. sparsa tangere corpus aqua. *Id. A. Am.* 1, 164. Sparsaque sollicito tristis arena foro. *Id. Met.* 5, 655. Dona fero Cereris, latos quae sparsa per agros Frugiferas messes, alimentaque mitia reddant. *Id. Ib.* 305. Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant, Sparsa per Ambracias quae jacuere vias. *Id. Met.* 10, 151. Sparsaque Phlegraeis victricia fulmina campis. ℙ Translate. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 367. Alii fiducia gnaritatis locorum in occultam fugam sparsi. *Virg. A.* 3, 126. (et *Ov. Met.* 2, 264.) sparsasque per aequor Cycladas, et crebris legimus freta consita terris. *Id. ib.* 1, 606. Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem, etc. *Ov. Fast.* 1, 502. et sparsas per loca sola casas. *Id. Her.* 15, 73. jacent collo sparsi sine lege capilli. V. PASSUS, a, um. *Id. Met.* 3, 169. sparsos per colla capillos Colligere in nodum. *Id. A. Am.* 15, 41. sparsis in terga capillis. *Hor. Od.* 3, 20, 13. leni recreare vento Sparsum odoratis humerum capillis. *Prop.* 2, 1, 7. vidi ad frontem sparsos errare capillos. *Virg. A.* 5, 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Sen. Hipp.* 961. sparsa cito sidera mundo. *Plin.* 16, 34, 62. Selenitium (genus hederae), cujus est minor acinus, sparsior racemus. *Venant. Vita S. Martin.* 1, 129. Uberior Nilo, generoso sparsior Istro. *Mart.* 8, 44. Foro triplici sparsus, *h. e.* per tria fora vagabundus. ℙ Item disjectus, dissipatus. *Val. Fl.* 5, 432. At juga vix Tethys, sparsumque recolligit axem: *scil.* Phaethontis: de quo *Ov. Met.* 2, 318. Sparsaque sunt late laceri vestigia currus. *Lucan.* 1, 502. sparsa compage carinae. *Liv.* 37, 13. Sparsa tempestate classis. *Lucan.* 8, 203. Sparsus ab Aemathia fugit quicumque procella. ℙ Item divisus, diductus. *Id.* 3, 259. sparsus in agros Fertilis Euphrates Phariae vice fungitur undae. ℙ Item discerptus. *Sen. Herc. Oet.* 1391. hinc illinc fremens, Artusque nostros dirus immittat Sinis: Sparsus silebo. ℙ Et afflictus, prostratus, fusus. *Sen. Herc. Oet.* 25. cecidit ante aras suas Busiris: una est Geryon sparsus manu. ℙ Saepe est perfusus, aspersus, conspersus, *παστός*. *Acc.* ap. *Non.* 2, 773. et *Stat. Achill.* 2, 412. Manus materno sordet sparsa sanguine. *Virg. A.* 4, 21. sparsos fraterna caede Penates. *Phaedr.* 4, 24. Duo juvenes sparsi pulvere. *Ov. Fast.* 1, 312. Sparsaque coelesti rore madebit humus. *Epit. Liv.* 50. Cum unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet. Est qui leg. *farsum. Liv.* 41, 21. *f.* Anguis aureis maculis sparsus. *Virg. Ecl.* 2, 41. Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo. *Lampr. Alex. Sev.* 41. Pallium auro sparsum, *h. e.* distinctum, *χρυσόπαστον. Sen. Ben.* 4, 6. Tectum nitidius, auro, aut coloribus sparsum. *Ov. A. Am.* 1, 71. Porticus Livia priscis sparsa tabellis. *Id. Met.* 8, 567. raris jam sparsus tempora canis. *Cic. Att.* 1, 13. Litterae cum humanitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis. ℙ Absolute. *Ter. Heaut.* 5, 5, 17. Rufam illam virginem caesiam, sparso ore, adunco naso, *h. e.* vultu lentigine obducto: vel, ut alii volunt, ore nimis diducto: quod minus placet. ℙ In illo *Virg. G.* 4, 229. prius haustus sparsus aquarum Ore fove: *Servius* illud *sparsus* pro *spargens* esse putat, participium pro participio. Sed hoc nimis durum est. Alii leg. *haustu sparsus aquarum Ora fove*, sed adhuc involuta locutio est, et sententia. V. *Heynium* ad h. l.

SPARTĂ, ae, et Graeca positione Sparte, es, f. *Σπάρτη*, urbs Peloponnesi in Laconia, ad Eurotam fluvium, condita a Sparto Inachi nepote, olim Spartanae reipublicae caput, nunc vicus, aut oppidum, *Misitrà*, vel *Misistrà* ab incolis dictum. *Plin.* 4, 5, 8. V. LACEDAEMON. *Virg. A.* 2, 577. Scilicet haec Spartam incolumis, patriasque Mycenas Aspiciet. *Prop.* 3, 12, 1. Multa tuae, Sparte, miramur jura palaestrae. *Ov. Her.* 1, 67. Misimus et Sparten. Sparte quoque nescia veri. *Stat. Th.* 7, 412. et templis Sparte praesaga reclusis. ℙ *Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει*, Spartam sortitus es, hanc orna: proverb. Graecum, et Graece plerumque usurpatum, deductum ex Graeca voce *σπάρτη, ης*, quae significat funem sparteum, et praecipue funiculum fabrorum, quo, rubrica vel alio colore tincto, lineam in ligno vel lapide ducunt, quam in caedendo, secando, poliendo potissimum sequantur. Funiculus autem (apud Hebraeos קָבַל) designat partem quandam agri fune extento dimensam, atque etiam sortem vel hereditatem; funibus enim veteres ad agros dividendos utebantur, immo ad viarum mensuram designandam, hinc apud Aegyptios *schoenus* hac significatione accipitur. V. h. v. Ex his patet, hujusmodi proverbium non ad urbem Spartam pertinere; sed eodem significari, quaecumque sors obtigerit, eam esse ornandam, *h. e.* ea quemque contentum esse debere. Hinc *Hieron. ep.* 52. *n.* 5. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, habens victum et vestitum, his contentus sum. *Cic. Att.* 4, 6. Reliquum est, *σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει, h. e.* quam vitae rationem habere coeperis, hanc deinceps etiam te sequi, oportet. *Id. ib.* 1, 20. Eam, quam mihi dicis obtigisse, *σπάρταν*, non modo nunquam deseram, sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 9. *in.* Cum nullus cupiditati locus, nulla satietatis spes est, singulis sparta non sufficit sua. *Auct.* hic loquitur de viris pathicis, et feminis tribadibus, qui indebitas corporis partes obscenis usibus subjugant, seu praepostera libidine utuntur. ℙ *Sparte* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 919, 7. Claudia Sparte.

[SPARTĂCĬUS, a, um, adj. ad Spartacum pertinens, ut Spartacium bellum, ap. *Flor.* 3, 20. in *lemmate. F.*]

[SPARTĂCUS, i, m. *Σπάρταχος*, famosus gladiator, ex Thracia oriundus, qui una cum Oenomao et Crixo, effracto Lentuli ludo gladiatorio, cum septuaginta sociis erupit Capua, manuque servorum congregata, quasi justo exercitu comparato, bellum ingens excitavit ann. U. C. DCLXXIX., quod et Spartacium et servile vocatum fuit. Hujus patrati gloria penes M. Licinium Crassum fuit. *Hor. Od.* 3, 14, 19. Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa. *Id. Epod.* 16, 5. Spartacus acer. V. *Liv. Epit.* 95., *Vell.* 2, 30., *Flor.* 3, 20. et *Lucan.* 2, 554. ℙ Ita per antonomasiam vocavit Antonium *Cic. Phil.* 4, 6. Est igitur, Quirites, populo Romano, victori omnium gentium, omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. *F.*]

SPARTĀNUS, a, um, adj. ad Spartam pertinens, Laconicus. *Virg. A.* 1, 320. Spartana virgo. *Liv.* 38, 17. disciplina, dura et horrida. *Petr. Sat.* 105. Ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi, *h. e.* summa patientia, nam Spartanis solemne fuit quotannis ad aram Dianae pueros suos loris caedere, eosque contra dolorem firmare, ut vocem continere discerent, et gemitus abstinere: unde *plagipatidas* eos *Pl. Capt.* 3, 1, 12. appellat. *Mart.* 8, 28. Spartanus tibi cedet olor, *h. e.* cycnus candidissimus: et respicit ad fabulam Jovis, qui sub cycni figura Ledam Spartanam compressit. *Id.* 1, 56. Spartanum saxum, *h. e.* marmor Laconicum, quod magno in pretio fuit. *Id.* 14, 164. Spartanus discus, *h. e.* quo se multum exercebant Spartani: et Hyacinthus puer a Phoebo invito occisus est. *Lucan.* 10, 60. quantum impulit Argos, Iliacasque domos facie Spartana nocenti, *h. e.* Helene Lacaena. *Id.* 4, 441. et *Sen. Hipp.* 35. Spartani canes, *h. e.* venatici, quos etiam *Virg. G.* 3, 405. et *Ov. Met.* 3, 208. memorant. V. LACO. *Juven.* 8, 101. Spartana chlamys, *h. e.* purpurea: quia prope Spartam Taenarum est optimo murice abundans; et *ib.* 218. Spartanum conjugium, *h. e.* Hermiones filiae Menelai Spartanorum regis cum Oreste. *Sil.* 2, 8. Poplicola ingentis Volusi Spartana propago, *h. e.* Sabina, quia Spartanorum coloni multi Lycurgi tem-

pore in Sabinos transmigraverant, ut *Dionys. Halic.* 2, 83. et *Just.* 20, 1. tradunt. ℙ *Spartani, orum,* absolute, Lacedaemonii. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 153., *Just.* 2, 11. etc.

SPARTĀRIUS, a, um, adj. ad spartum pertinens. *Spartaria* dicta est Carthago in Hispania, quia sparti feracissimus ejus ager. *Plin.* 31, 8, 43. Garum e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis spartariae cetariis. ℙ *Spartaria, orum,* loca sparti feracia. *Id.* 11, 8, 8. In Hispania multa in spartariis mella spartum sapiunt.

SPARTĒOLI, orum, m. plur. per contemptum ita vocantur VII. cohortes Vigilum ab Augusto institutae, in tutelam urbis Romae, quae arcendis incendiis noctu continuas vigilias agebant, vel quia calceis aut tunicis sparteis utebantur: vel a sparteis funibus, quorum multus est usus in restinguendis incendiis. V. SPARTUM. Et *Vet. Schol.* ad *Juven.* 2, 14, 305. Per translationem disciplinae militaris sparteolorum Romae, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt causa ignis. *Tert. Apol.* 39. *med.* Ad fumum coenae Serapiacae sparteoli excitabuntur: *scil.* quia adeo lautae erant, ut culina comburi videretur, ad cujus ignem restinguendum Vigilum opera necessaria erat.

SPARTĒUS, a, um, adj σπάρτινος, e sparto factus. *Cato R. R.* 3. *f.* et *Colum.* 12, 50. *med.* Funes cannabini et spartei. *Appul. Met.* 9. Helcium sparteum: et *mox:* Copula spartea. *Cato R. R.* 11. Urnas sparteas rex, amphoras sparteas quatuor. *Sparteas* appellatas quidam putant, quae fictiles cum essent, sparto sirparentur, sicut et apud nos vitreae phyalae eodem pacto sirpari solent. *Colum.* 6, 12. Solea spartea pes bovis induitur. ℙ *Spartea, ae,* absolute, solea spartea. *Colum. cit.* 6, 12. Linamentis pes involutus spartea munitur; et *ib.* 15. Bos spartea calceata per triduum suffuso aceto curatur. *Pall.* 12, 6. *med.* Spartea suspensa de ramis. *Plin.* 19, 2, 7. ex sparto calceamina et pastorum vestes fieri, tradit.

SPARTI, aut Spartoi, orum, m. plur. Σπάρτοι, sati, seminati: a σπείρω, sero. Ita dicti sunt a Graecis homines armati, quos repente e terra exstitisse fabulantur ex dentibus anguis Cadmi manu satis: statimque mutuis vulneribus inter se necatos, paucis exceptis, qui in conditu Thebarum Cadmo fuerunt adjumento, ut *Censorin. de die nat.* 4. *f.* loquitur. *Hyg. fab.* 178. Meminit et *Varro* ap. *Gell.* 17, 3. Hinc *Lact.* 3, 4. Pereunt igitur universi hoc modo, et, tanquam Sparti illi poetarum, sic se invicem jugulant. Alii perperam leg. *Spartiatae. Ammian.* 19, 8. *f.* Quo exemplo terrigenas illos, non sinibus terrae emersos, sed exuberanti pernicitate credimus natos: qui quoniam inopini per varia visebantur, Sparti vocitati, humo exsiluisse, vetustate, ut cetera, fabulosius extollente, sunt existimati. In *Chron. Euseb.* ap. *Hieron.* ad ann. ab Abraham DCLXXXXV. habetur, adversus Cadmum Boeotiae fines vix ingressum ita subito insurrexisse regionum finitimarum populos, ut e terra exstitisse viderentur, tanquam sata ex agris. Inde orta fabula dentium satorum, et *Spartorum* appellatio.

SPARTĬĀCUS, a, um, adj. Spartanus. *Appul. Met.* 1. Hymettos Attica, Isthmos Ephyraea, Taenaros Spartiaca.

SPARTĬĀNUS. V. CAPITOLINUS, i, m.

SPARTĬĀTES, ae, m. Spartanus. *Cic. Fam.* 5, 12. Agesilaus Spartiates. *Pl. Poen.* 3, 5, 35. Quem tibi nos Spartiatem esse diximus. *Cic. Tusc.* 5, 27. Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. *Id. Div.* 1, 34. *f.* Maximum illud portentum iisdem Spartiatis fuit.

SPARTĬĀTĬCUS, a, um, adj. Spartanus. *Pl. Poen.* 3, 4, 9. Narrabo tibi res Spartiaticas.

SPARTĬCUS, a, um, adj. Σπαρτικός, Spartanus. *Virg. Cul.* 399. hic est et Spartica myrtus, Atque hyacinthus. *Scal.* mallet *Parthica*, alii *Memphica,* alii alia, quia ex Sparta non fit *Sparticus.*

SPARTOPŌLĬOS, i, f. gemma sic dicta a colore sparti, et a πολιός, canus. *Plin.* 37, 11, 73. Polia (*gemma*) canitiem quandam sparti indicat; eandem duriorem nigra spartopolios.

SPARTOR, oris, m. inter ministeria Circensia fuisse creditur, is nimirum, qui spargebat vestes certantium aurigarum. In *Tab. marmorea*, ubi recensetur familia quadrigaria cujusdam T. At. Capitonis, ap. *Grut.* 339, 5. cum moratore, tentore, agitatore, etc. *spartor* quoque ponitur, *h. e.* qui Circum creta spargebat: sed sunt qui putant *strator* esse legendum.

SPARTUM, i, n. σπάρτον, herba sponte nascens, et quae seri nequit, juncusque proprie aridi soli, uni terrae dato vitio: namque id malum telluris est: nec aliud ibi seri, aut nasci potest. Plurimum gignitur circa Carthaginem Hispaniae: fiuntque ex eo strata rusticis eorum, ignes facesque, calceamina, et pastorum vestis. Utile est navium armamentis, machinis aedificationum, aliisque desideriis vitae. In aquis invictum est: in sicco praeferunt e cannabi funes. Haec *Plin.* 19, 2, 7. Recte monet *Hard.*, esse a σπείρω, non qua serere significat, quia spartum non seritur; sed qua conserere, innectere, quia nectendis funibus maxime inservit. *Liv.* 22, 20. Magna vis sparti ad rem nauticam congesta. ℙ De fune sparteo. *Plin.* 28, 4, 11. In quartanis fragmentum clavi involutum lana collo subnectunt, aut spartum e cruce. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 31. Et piger, qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus arrodit. *Pausanias* 10, 29. hanc eandem rem describens, quod *Plinius* spartum, ipse σχοινίον appellat, *h. e.* juncum. V. OCNUS.

SPĀRŪLUS, i, m. dimin. spari, qua piscem significat. *Ov. Hal.* 106. Et super aurata sparulus cervice refulgens. Adde *Mart.* 3, 60. V. v. sq.

SPĀRUM, i, n. et saepius Sparus, i, m. genus teli. Spara, inquit *Fest.*, parvissimi generis jacula, ab eo quod spargantur, dicta. Lucilius: Tum spara, tum rumices portantur, tragula porro. *Non.* 18, 12. Spari tela sunt non bellica. Sall. Catillinae bello (*c.* 59.) Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii praeacutas sedes portabant. *Varr.* ap. *Non. ib.* et *n.* 21. Aut ille, cervum qui volabile currens Sparo secutus, trajicit. *Virg. A.* 11, 682. Agrestisque manus armat sparus. Ubi *Serv.:* Bene agrestis: nam est rusticum telum in modum pedi recurvum. Varro ait, esse telum missile, a piscibus ducta similitudine, qui spari vocantur. *Sil.* 3, 388. Rhyndacus his ductor; telum sparus; et 8, 523. Omnibus in pugna fertur sparus. *Sisenn.* ap. *Non.* 18, 21. Sparis ac lanceis eminus peterent hostes. *Liv.* 34, 15. Cato, si quis extra ordinem avidius procurrit, et ipse interequitans sparo percutit, et tribunos castigare jubet. *Nep. Ep.* 9. Ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt. *Id. ib. mox:* Si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 5. *extr. de eod. Epam.* Trajectus hasta, sanguine et spiritu deficiens, etc. et *Cic. Fin.* 2, 30. Evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam; et *Fam.* 5, 12. Tum denique sibi avelli jubet spiculum, postea quam, etc. Non stat sententia *Servii* et *Nonii*, quod non sit telum bellicum, cum tot locis videas in bello et proeliis adhiberi: nisi dicamus, a rusticis primo usurpatum, inde ad militares usus fuisse traductum. ℙ *Sparus* est etiam piscis marini genus, collo aurei coloris, adeo ut aurata primo intuentibus esse videatur. *Plin.* 32, 11, 53. et *Cels.* 2, 18. *med.* V. v. praec.

SPASMA, ātis, n. idem quod spasmus, σπάσμα. *Plin.* 25, 8, 43. Herba utilissima ad ea, quae spasmata vocant. *Id.* 27, 17, 72. Spasmata et percussu vitiata fimo aprugno curant.

SPASMUS, i, m. σπασμός, convulsio nervorum, et rigor: a σπάω, traho. *Cels.* 2, 1. *med.* nervorum distentionem vocat. *Plin.* 24, 7, 24. Ad aurium dolores, spasmos, tremores, opisthotonos, etc. et 22, 8, 9. Renibus, stranguriae, opisthotonicis, spasmis, lumbis, hydropicis, etc. *Id.* 30, 12, 36. Serpentium senectus spasmos fieri prohibet. *Id.* 32, 8, 29. Spasmos stomachi sedare, *h. e.* vehementiores singultus stomachum torquentes. *Scrib. Comp.* 171. Spasmo vexari.

SPASTĬCUS, a, um, adj. σπαστικός, cui aliquid intus convulsum est. *Plin.* 21, 19, 77. Radicem decoctam bibere, spasticis, eversis, convulsis, suspiriosis, salutare. *Id.* 20, 22, 89. Spastici nervi. *Id.* 25, 5, 24. cynici. V. CYNICUS. V. etiam SPATHICUS.

SPĀTĀLĒ, es, f. nomen Nymphae: a σπαταλή, luxuria, deliciae. *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 167. Et gravibus Spatale baccis diadema serebat Intextum, rubro quas legerat ipsa profundo. Ap. *Mart.* 2, 52. est nomen meretricis. V. EVIRO. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 33. *n.* 165. Cornelia Dolabellae L. Spatale.

SPĀTĀLĬUM. V. SPATHALIUM.

SPĀTĀLOCINAEDUS, i, m. cinaedus delicatus: a σπάταλος, delicatus, ut est in *Gloss. Philox.;* unde σπαταλή, mollities, et σπαταλάω, lascivio. *Petr. Sat.* 23. Huc huc convenite nunc spatalocinaedi.

[SPĀTĀLUS, a, um, adj. σπαταλός, lascivus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 716, 6. M. Ulpius Spatalus. Alia ap. *Mur.* 1469, 6. Julia Spatala. *F.*]

[SPĀTANGĬUS, i, m. σπάταγγος et σπατάγγη, piscis ex genere echinorum, *Impp. Hon. et Theodos. Cod. Theod.* 14, 20, 1. Spatangium sane in primae qualitatis piscem imputari praecipimus, quod decem librarum pondus sua magnitudine minime excedere videtur. *F.*]

SPĀTHA, ae, f. σπάθη, rudicula, latiusculum et oblongium instrumentum, quo miscentur pharmaca, et alia. *Colum.* 12, 41. Sit puer, qui spatha lignea, vel arundine permisceat poma, ne possint aduri; et *ib.* 22. Picis metretam adde in labrum, et in eodem infundito cineris lixiviae congios duos, deinde permisceto spatha lignea. *Plin.* 34, 11, 26. Delimatam aeris scobem aceto spargunt, versantque spathis saepius die, donec absumatur. *Scrib. Comp.* 45. Movere spatha medicamentum, ne extra fundatur. *Cels.* 7, 12. *f.* Si rimae in labris altius descenderunt, necessarium est tenui ferramento adurere. quod spathae simile quasi transcurrere, non imprimi debet. *Id.* 8, 15. spatham ligneam describit crassitudine duorum digitorum, longitudine ab ala usque ad digitos manus, qua ad humerum luxatum reponendum medici utuntur. Quo loco est qui legit *spathula.* ℙ Item instrumentum textoriam, quo vice pectinis fila densantur. *Sen. ep.* 90. Tela suspensis ponderibus rectum stamen extendit: subtemen insertum, quod duritiam utrinque comprimentis tramae remolliat, spatha coire coguntur et jungi, etc. ℙ Item palmae arboris ramulus, seu palmes, unde dactyli dependent: quae et *spathe, es,* Graeca positione dicitur. *Plin.* 16, 26, 28. Palma sola in spathis habet fructum racemis propendentem. ℙ Item genus arboris, cujus usus est in unguentis, quam alii elaten vocant, alii palmam. *Plin.* 12, 28, 62. item 23, 5, 5, 53., ubi recenset ejus utilitates in medicina. Adde *Scrib. Comp.* 269. ℙ Denique genus gladii latioris (unde Italis *spada*) sic dictum a spathae, qua miscetur, similitudine. *Veg. Mil.* 2, 15. In prima acie dimicantes, principes vocantur. Haec erat gravis armatura, qui habebant cassides, ocreas, scuta, gladios majores, quos spathas vocant, et alios minores, quos semispathas nominant. *Tac. A.* 12, 35. de Britannis: Si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum; si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. *Appul. Met.* 1. Circulatorem aspexi equestrem spatham praeacutam mucrone infesto devorasse; et *ib.* 9. Militi spatham eripere. *Spart. Hadr.* 10. Cum sine gemmis fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet. *Capitol. Max. jun.* 3. Fecit et spathas argenteas, fecit etiam aureas, et omnino quidquid ejus pulcritudinem posset juvare. *Tert. Cult. fem.* 13. Timeo cervicem, ne margaritarum et smaragdorum laqueis occupata, locum spathae non det.

SPATHĂLĬUM et Spathalion, ii, n. σπαθάλιον, ramulus palmae cum dactylis dependentibus, ut in v. praec. dictum est. *Mart.* 13, 27. in lemmate: Spathalion caryotharum. ℙ Item ornamentum muliebre circa manus. *Plin.* 13, 25, 12. Juba tradit, circa Troglodytarum insulas fruticem esse, qui vocetur charitoblepharos, efficacem in amatoriis: spathalia eo facere et monilia feminas. *Tert. Cult. fem.* 13. Nescio, an manus spathalio circumdari solita. in duritia catenae stupescere sustineat. ℙ Legitur et *spatalium.*

[SPATHĀRĬUS et Spatarius, a, um, adj. ad spatham pertinens, ut Spatharia fabrica. V. h. v. ℙ *Spatharius, ii,* absolute, est qui spathas conficit, vel potius servat. *Inscr.* ap. *Mur.* 2013, 6. et *De-Lama Guida Parm.* p. 104. Salvius Antoniae Drusi spatarius. Alia ap. *Mur.* 1852, 12. Emulac spatarius domni patricii Bilisarii, etc. *F.*]

SPATHĒ. U. SPATHA.

[SPATHĪCUS, a, um, adj. *Firm. Math.* 4, 1. *med.* Si luna feratur ad solem, interdum facit spathicos, et qui assiduis valetudinum vitiis contrahantur. *Gesnerus* recte suspicatur legend. *spasticos,* id quod admonere videtur verbum *contrahantur. F.*]

[SPATHOMĒLĒ, es, f. σπαθομήλη, specillum latum, spathae formam habens: a σπάθη, spatha, et μῆλη, specillum. *Pelag. Vet.* 31. Quamcunque melotidem, vel spathomelem miseris, ibit per ipsam fistulam, nec dolorem equus sentierit. *F.*]

SPATHŪLA, ae, f. dimin. spathae. V. SPATHA. ℙ *Spathuna porcina* ap. *Apic.* 4, 3. est costa suillа latior, ita dicta, quod spatham refert. Alii leg. *spatulam* minus recte.

[SPĀTĬĀLIS, e, adj. ad spatium pertinens. *Not. Tir.* p. 63. Spatium, spatiosus, spatialis. *F.*]

SPĀTĬĀTOR, oris, m. qui spatiatur. *Festus:* Spatiatorem, erratorem. Cato in M. Coelium, si se appellavisset: In coloniam mehercules scribere nolim, si triumvir sim, spatiatorem atque Fescennium. *Macr. Sat.* 2, 10. *med.* M. Cato senatorem non ignobilem M. Coelium, spatiatorem et Fescenninum vocat, eumque staticulos dare ait.

SPĀTĬĀTUS, a, um, part. a *spatior: περιπατῶν. Petr. Sat.* 86. Ergo aliquot horis spatiatus, in hospitium reverti. *Ov. Fast.* 3, 469. spatiataque (*conjux*) litore curvo, Edidit incultis talia verba comis. ℙ Translate. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus certis diebus auctu magno per totam spatiatus Aegyptum. *Stat. Silv.* 4, 7, 1. Jamdiu lato spatiata campo Fortis heroos, Erato, labores Differ, atque ingens opus in minores Contrahe gyros.

SPĀTĬŎLUM, i, n. dimin. spatii. *Pall.* 1, 38. Alvearia collocentur, spatiolis inter se patentibus, segregata. *Arnob.* 4. *f.* Propter quaedam spatiola defanata.

SPĀTĬOR, aris, atus sum, dep. 1. περιπατέω, ambulo, deambulo, spatium pedibus conficio. *Cic. Rosc. Am.* 21. *f.* Adeo negligens esse coepit, ut cum in mentem veniret ei, desideret, deinde spatiaretur. *Id. opt. gen. Or.* 3. Spatiari in xysto. *Petr. Sat.* 90. in porticibus. *Ov. Met.* 2, 572. dum per litora lentis Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena. *Id. A. Am.* 1, 67. Pompeja lentus spatiare sub umbra. *Virg. G.* 1, 389. cornix sola in sicca secum spatiatur arena. *Id. A.* 4, 62. Dido ante ora Deum pingues spatiatur ad aras. *Prop.* 1, 20, 9. Sive Gigantea spatiabere litoris ora. *Ov. A. Am.* 3, 11, 17. fixus lateri spatiantis adhaesi. Adde *ib.* 2, 2, 3. et *A. Am.* 1, 491. et *Trist.* 2, 286., quibus locis de

ambulatione in porticu loquitur. ℙ Translate. *Prop.* 2, 10, 19. Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa, *h. e.* prodeat, dum efferor. *Plin.* 17, 8, 4. Intus, ut in metallis, spatiante vena; et *ib.* 10, 12. Radices amore solis atque imbris in summa tellure spatiantur. *Ov. Met.* 4, 362. Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales, Sublimemque rapit: pendens caput illa pedesque Alligat, et cauda spatiantes implicat alas; et *ib.* 14, 629. vitis luxuriem premit, et spatiantia passim Brachia compescit. *Sen. Ira* 3, 10. *med.* Prodest morbum suum nosse et vires ejus, antequam spatientur, opprimere, *h. e.* se diffundant et crescant.

SPĀTĬOSĒ, adv. εὐρυχώρως, late, ample, magno spatio, aut tempore. *Plin.* 19, 5, 29. Inula seritur intervallis ne minus ternorum pedum, quoniam spatiose fruticat. *Id.* 31, 11, 47. Spongias imponi oportet sic, ut sanas quoque partes spatiose operiant. *Prop.* 3, 19, 3. Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes, Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

SPĀTĬOSĬTAS, atis, f. spatium. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Convenientibus mensuris exactissima spatiositate quadratur.

SPĀTĬOSUS, a, um, adj. εὐρύχωρος, multum spatii habens, amplus, vastus, capax, latus, magnus. *Lucan.* 3, 505. nigri spatiosa volumina fumi. *Id.* 6, 106. Spatiosi colles. *Vitr.* 6, 8. Aedificia spatiosiora. *Sil.* 8, 483. portus, quo non spatiosior alter Innumeras cepisse rates. *Colum.* 5, 5. Interordinia neque spatiosiora, quam decem pedum, neque contractiora, quam quatuor. *Id.* 6, 2. Spatiosum stabulum. *Plin.* 4, 20, 34. Amnis quatuor mill. pass. ore spatiosus; et *ib.* 12, 26. Spatiosa insula; et *ib.* 1, 1. Spatiosum aequor; et 2, 97, 99. Spatiosior laxitas. *Claud. epist.* 1, 19. Tradita captivo spatiosior India Poro. *Plin. Pan.* 63. *f.* Campus, spatiosissima sedes hominum Deorumque. *Ov. Am.* 1, 14, 3. de capillis: quid erat spatiosius illis? Contigerant imum, qua patet usque, latus. *Claud. Laud. Stil.* 2, 370. spatiosa Quirinus Frena regit. ℙ Saepe notat magnitudinem corporis: quia magna corpora magnum loci spatium occupant. *Ov. A. Am.* 2, 645. Omnibus Andromache visa est spatiosior aequo: Unus, qui modicam diceret, Hector erat. *Id. Rem. Am.* 421. Saepe necat morsu spatiosum vipera taurum. *Id. Med.* 3, 56. Spatiosum corpus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 338. Spatiosi artus. *Val. Fl.* 4, 244. Ingentes humeros, spatiosaque pectoris ossa Protulit. ℙ Translate. *Sen. ep.* 88. *med.* Magna et spatiosa res est, sapientia: vacuo illi loco opus est. *Quint.* 9, 4. *f.* spatiosas voces appellat, [quae ex multis syllabis constant. ℙ Refertur etiam ad tempus. *Ov. Her.* 1, 9. quaerens spatiosam fallere noctem, *h. e.* longam. *Id. Am.* 1, 8, 81. Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram. *Id. Met.* 8, 528. Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles Foedat humi fusus, spatiosumque iucrepat aevum; et *ib.* 12, 186. spatiosa senectus; et *ib.* 13, 206. spatiosi tempore belli, *h. e.* diuturni. ℙ [*Confund. *spatiosus* et *speciosus.* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* p. 142. *Gierig.* ad *Plin. Pan.* 63, 7.]

SPĀTĬUM, ii, n. στάδιον, locus, ubi cursu certatur, curriculum, stadium: a σπάδιον Aeolice et Dorice pro στάδιον, [ut habet *Hesychius: Σπάδιον, τὸ στάδιον.* Hinc *Gregor. Corinth. de dial. Aeol.* §. 44. *Ἀντὶ δὲ τοῦ τ τὸ π. στολὴν σπολὴν, σταλεὶς σπαλεὶς. F.*] *Virg. G.* 1, 512. Ut cum carceribus sese effudere quadrigae, Addunt se in spatia; et *ib.* 3, 202. Hic *(equus)* vel ad Elei metas et maxima campi Sudabit spatia. *Cic. Sen.* 23. *med.* Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. ℙ De ipso cursu, vel deambulatione, quae in spatio fit. *Virg. A.* 5, 584. Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus Adversis spatiis. *Id. ib.* 7, 380. de trocho: ille actus habena Curvatis fertur spatiis. *Ov. Hal.* 68. de equis: Seu septem spatiis Circo meruere coronam. [*Suet. Dom.* 4. singulos (missus) a septenis spatiis ad quina corripuit, *h. e.* quinquies, non septies uno missu curricula circum metam agi jussit.] [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 12. Deinde cum essent perpauca *(in porticu)* inter se uno, an altero spatio conlocuti. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Brut.* 90. Haec idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere possis, et videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. *Id. Am.* 12. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. *Id. Rab. perd.* 2. *med.* Me ex comparato et constituto spatio defensionis, in semihorae curriculum coegisti. *Lucr.* 6, 91. Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis Currenti spatium praemonstra, callida Musa. *Hor. Ep.* 1, 14, 8. istuc mens animusque Fert, et avet spatiis obstantia rumpere claustra. *Id. Sat.* 2, 6, 100. jamque tenebat Nox medium coeli spatium. *Ov. Met.* 15, 874. Spatium aevi finire; et *ib.* 225. transire juventae. *Id. Trist.* 3, 4, 33. et *Pl. Stich.* 1, 2, 14. decurrere vitae. *Sen. Troad.* 398. mors est Velocis spatii meta novissima. *Ter. Ad.* 5, 4, 5. Nam ego vitam duram, quam vixi adhuc, prope jam excurso spatio, mitto. *Virg. A.* 9, 275. Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas Insequitur, venerande puer, etc. ℙ De loco, in quo ambulatur. *Cic. Leg.* 1, 4. *med.* Quin igitur ad illa spatia nostra, sedesque pergimus? ubi cum satis erit deambulatum, requiescemus; et *ib.* 5. In cupressetis Gnosiorum, et spatiis silvestribus crebro insistens. [*Huc pertinet etiam locus, quem Noster §. sequenti adscripserat, *Cic. Or.* 3. Academiae spatia, i. e. ambulacra, porticus.] *Stat. Silv.* 3, 5, 90. Templaque, et innumeris spatia interstincta columnis, *h. e.* porticus, quae sunt loca ambulationibus apta. *Ov. Met.* 7, 670. Phocus in interius spatium, pulcrosque recessus Cecropidas ducit. *Sen. Thyest.* 649. In multa dives spatia discedit domus. ℙ De ipsa ambulatione. *Cic. Mur.* 34. Si uno basilicae spatio honestamur. *Id. Or.* 1, 7. Cum in ambulationem ventum esset, Scaevolam, duobus spatiis tribusve factis, dixisse, etc. [*Suet. Aug.* 83. extremis spatiis, i. e. sub finem ambulationis. Cf. *Goerenz.* ad *Cic. Legg.* 1, 5, 15. *Böttich. Lex. Tac.* s. h. v.] ℙ Dicitur etiam de quocumque loco, τόπος, μέσον. *Nep. Eum.* 5. Cum vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi. *Virg. Ecl.* 3, 105. Tres pateat coeli spatium, non amplius, ulnas. *Caes. B. G.* 1, 38. Flumen paene totum oppidum cingit: reliquum spatium mons continet. *Id. B. C.* 3, 92. Inter duas acies tantum erat relictum spatii, ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. *Nep. Eum.* 9. Dimidium fere spatium *(itineris)* confecerat, cum, etc. *Caes. B. C.* 3, 61. *f.* Tempora rerum et spatia locorum animadvertere. ℙ Et de intervallo loci, διάστημα. *Caes. B. C.* 2, 16. Tormentorum usum spatio propinquitatis interire; et *B. G.* 2, 30. Quo tanta machinatio ab tanto spatio institueretur; et *ib.* 3, 17. Cum hostis contra eum duum millium spatio consedisset; et *ib.* 2, 17. Cum legiones magnum spatium abessent. *Id. ib.* 7, 23. Ne inter se contingant trabes, sed paribus intermissae spatiis, etc. *Ov. Met.* 8, 794. Neve viae spatium te terreat, accipe currus. ℙ Praeterea significat rei cujuspiam magnitudinem. *Ov. Met.* 3, 95. Dum spatium victi victor considerat hostis. *Lucan.* 9, 732. nec tutus spatio est elephas. *Sen. Hipp.* 806. Spatium vasti corporis. *Juven.* 4, 39. spatium admirabile rhombi. *Id.* 6, 503. si breve parvi Sortita est lateris spatium. *Claud. II. cons. Stil.* 290. spatio summas aequantia fagos cornua cervi; et *Plin.* 7, 17, 17. Quod sit hominis spatium a vestigio ad verticem, id esse passis manibus inter longissimos digitos, observatum est. *Gell.* 1, 1. Spatium modusque plantae Herculis. ℙ *In spatium*, in longum spatium: quia spatia curriculorum, vel ambulationum, ut porticus, xysti, et hujusmodi, fere in rectam longitudinem porrigi solent. *Ov. Met.* 7, 782. de fera currente: nec limite callida recto, In spatiumve fugit, sed decipit ora sequentis, Et redit in gyrum; et *ib.* 11, 174. de Mida: nec Delius aures Humanam stolidas patitur retinere figuram, Sed trahit in spatium; et *Prop.* 2, 23, 3. de porticu: Tota erat in spatium Poenis digesta columnis. Alii leg. *in speciem. Sil.* 13, 562. Tum jacet in spatium sine corpore pigra vorago, Limosique lacus. ℙ Transfertur saepe ad significandum tempus, seu intervallum et longitudinem temporis. [*Cf. *Böttich.* l. l.] *Caes. B. G.* 6, 17. Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt. *Cic. Arch.* 1. Quod longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis. *Id. Quint.* 1. Diligentia quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest; et *Ter. Hec.* 3, 3, 14. Neque, ut celari posset, tempus spatium ullum dabat, *h. e.* moram, inquit *Donat.* Sic *Ov. Rem. Am.* 277. Ne properes, oro: spatium pro munere posco. *Cic. Verr.* 1, 18. *extr.* Etsi spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus. *Liv.* 8, 32. Orabant, ut irae suae spatium, et consilio tempus daret. *Ter. Ph.* 4, 4, 21. Spatium apparandis nuptiis, vocandi, sacrificandi, dabitur paululum. *Caes. B. C.* 1, 3. Sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant. *Prop.* 3, 20, 31. Aut spatia annorum lenibunt vulnera nostra. *Plin.* 18, 22, 51. Fons certis horarum spatiis dispensatur inter incolas. *Cic. Caecin.* 2. *med.* et *Caes. B. G.* 5, 17. Ut quam minimum spatii ad se colligendos Romanis darent. *Prop.* 2, 19, 29. Parvo dilexit spatio Minoida Theseus; et *Ov. Ib.* 41. (et 134.) prius hanc animam auferat illa dies, Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit; et *Cic. Or.* 2, 86. *med.* Hoc interim spatio conclave illud concidit; et *Off.* 2, 23. Tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus tenebantur; et *Fin.* 4, 1. et *Or.* 1, 33. Spatium sumere ad cogitandum. *Id. Att.* 5, 14. Antequam aliquo loco consedero, neque longas a me, neque semper mea manu litteras exspectabis: cum erit spatium, utrumque praestabo. *Val. Fl.* 2, 356. Et Deus ipse moras spatiumque indulget amori. *Stat. Th.* 10, 704. Da spatium tenuemque moram, male cuncta ministrat Impetus. ℙ De tempore, quo verba metimur in pedibus carminum. *Cic. Or.* 57. Trochaeus, qui est eodem spatio, quo choreus. ℙ De anno. *Plin.* 7, 50, 51. Quosdam morbos post sexagesimum vitae spatium non accidere. ℙ Qui scribunt *spacium*, qua id ratione faciant, non facile dixerim.

SPĀTŪLĀ, ae. V. SPATHULA.

SPĒCĂ. V. SPICA.

SPĒCĬĀLIS, e, adj. εἰδικὸς, peculiaris: cui *generalis* opponitur. *Sen. ep.* 58. *med.* Quod est, genus est primum et antiquissimum, et, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem sunt, sed specialia, *Quint.* 5, 7. *f.* Divinorum testimoniorum duplex tractatus: generalis alter, regaturne providentia mundus: specialis alter contra partes divinationis; et *ib.* 10. *med.* Generale tempus est nunc, olim sub Alexandro, cum apud Ilium pugnatum est: speciale habet et constituta discrimina, aestate, hieme, noctu, interdiu; et fortuita, in pestilentia, in bello, in convivio. *Id.* 12, 2. *med.* Cum sit omnis generalis quaestio speciali potentior: quia universo pars continetur. ℙ Item peculiaris, singularis, cui *communis* opponitur, ἴδιος. *Trebell. in XXX. Tyr. de Quieto*, 14. Non praetermittendum de Macrianorum familia id dicere, quod speciale semper habuerunt. Alexandrum M. viri in annulis, mulieres in reticulis exsculptum semper habuerunt. *Dracont.* 2, 425. Nec generale malum sensit specialior hospes. Adde *Paul. Nol. carm.* 28, 25.

SPĒCĬĀLĬTAS, atis, f. *Front. de differ. verb.* p. 2197. Speciem, et specialitatem, et specietatem. Species divisio est generis: specialitas ficta est ab Antonio grammatico (scil. M. Ant. Gniphone, de quo *Suet. Gr.* 7.): specietas, qualitatis. V. SPIRITALITAS.

SPĒCĬĀLĬTER, adv. εἰδικῶς, ἰδίως, per species, peculiariter: cui *generatim* opponitur. *Cels.* 5, 21. *n.* 4. Et id, quod specialiter sil vocatur. *L. Targa* hic, et 2, 18. insiticium *specialiter* esse probat, ideoque expungendum. *Colum.* 12, 2. Oportebit suo quidque loco generatim, atque etiam specialiter nonnulla disponere. *Id.* 3, 19. *f.* An plurium generum vites habendae sint, eaeque separatae et distinctae specialiter; an confusae et mixtae catervatim. *Quint.* 5, 10. *med.* Temporis duplex significatio: generaliter enim, et specialiter accipitur; et *ib.* 7. *in.* Cum specialiter quidem, sed tamen multos pariter invadere patroni solent. *Paul. Dig.* 45, 1, 58. Si quis fructum, deinde usum stipulatus fuerit, nihil agit, nisi in omnibus novandi animo hoc facere specialiter expresserit. *Ulp. ib.* 44, 4, 2. Specialiter exprimendum est, de cujus dolo quis quaeratur. *Appul. Met.* 11. Veste mea distracta, sufficientem corrasi summulam: et id ipsum praeceptum fuerat specialiter. *Capitol. M. Aurel.* 17. Contra Germanos res feliciter gessit. Specialiter ipse bellum Marcomannicum. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. Qui perniciosius atque specialius jactantur.

SPĒCĬĀRĬUS, a, um, adj. ad speciem pertinens, quatenus annonam significat. V. SPECIES. *Caes. B. C.* 3, 53. Cohortem postea duplici stipendio, frumento, vel speciariis militaribusque donis amplissime donavit. Ita editi plerique habent. Cum tamen in MSS. aliter legatur, merito haec vox suspecta eruditis est. Itaque quidam legendum putant, *frumento, veste, pecuniariis militaribusque donis:* at *Oberlinus* secutus *Vossium* sic: *frumento, veste, et aliis militaribus donis.* ℙ *Speciaria, ae*, absolute, quae species seu aromata vendit. V. SPECIES. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 753. *n.* 509. Thalassiae Mimae C. Pisonis Nothi speciariae contubern. benemerenti. Alii rectius leg. *spectariae.* [*Emendavit hunc l. *F.*]

SPĒCĬĀTIM, adv. specialiter. *Cic. in Sen.* 8. *f.* C. Messius legem speciatim initio de salute mea promulgavit. Alii *separatim* rectius leg. *Capell.* 9, 318. Sonus phthongus vel speciatim, vel generatim appellatur. Sed generale vocabulum habent et specialia, quae ἰδιότητα Graja voce perhibentur.

SPĒCĬĀTUS, a, um, adj. in species divisus, in aliqua rerum specie positus. *Tert. adv. Herm.* 40. Quid hodie informe in mundo? quid retro speciatum in materia?

SPĒCIES, ei, f. σχῆμα, εἶδος, id quod in quaque re extrinsecus apparet, et oculis cernitur, imago, facies, forma, effigies: a *specio* video, cerno. *Cic. Rosc. Am.* 22. *f.* Esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 58. Duo signa eadem specie atque forma. *Pl. Most.* 4, 2, 49. Puere, praeter speciem stultus es; et *Liv.* 36, 10. *f.* Plures, quam quot satis in usum erant, ignes cum accendisset, speciem quam quaesierat, hosti fecit, omnem ibi R. exercitum esse. *Plin.* 11, 25, 30. Scorpiones terrestres pariunt vermiculos ovorum specie. *Ov. Met.* 15, 305. tumor ille loco permansit, et alti Collis habet speciem; et *ib.* 743. specie coeleste resumpta. *Virg. A.* 2, 407. Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus. ℙ Item quod mente videtur. *Fest.* Speciem quam nos dicimus, εἶδος Graeci dixerunt: Platon quidem ideam. *Cic. Acad.* 1, 8. Hanc illi ideam appellabant, jam a Platone nominatam: nos recte speciem possumus dicere. (Adde *Top.* 7. quem locum infra recitabimus.) *Id. Or.* 5. Insidebat in ejus mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat; et *ib.* 14. Excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrare. *Id. Off.* 3, 20. *f.* Species, forma, et notio boni viri. ℙ Item spectrum, visum: qualia sunt, quae in somnis apparent. *Cic. Acad.* 4, 17. Eadem est in somniis species eorum, quae vigilantes videmus. *Liv.* 8, 6.

Consuli dicitur visa species viri majoris, quam pro humano habitu, angustiorisque. *Id.* 26, 19. Nocturnae species. Adde *Lucr.* 1, 125., *Ov. Met.* 11, 677. et *Sil.* 13, 394. ℙ Item pulcritudo. *Varr.* ap. *Non.* 4, 407. Quae casta aetas? quae vestis adolescentium? quae teneris species? *Pl. Rud.* 2, 4, 2. Edepol specie lepida mulier. *Ov. Fast.* 5, 353. Et monet, aetatis specie, dum floreat, uti. *Juven.* 10, 310. I nunc, et juvenis specie laetare tui. *Vitr.* 3, 2. Eustyli ratio et ad usum, et ad speciem, et ad firmitatem rationes habet explicatas. ℙ Item ornamentum, decus. *Liv.* 34, 52. *extr.* Praebuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui servitute exempti fuerant; et 37, 40. Ingentes ipsi erant: addebant speciem frontalia, et cristae, etc. ℙ Item similitudo. *Cic. Off.* 3, 2. *med.* Si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur; et *ib.* 4. Similitudinem quandam gerere speciemque sapientis; et *ib.* 2, 11. Nisi prae te speciem boni viri feras. *Id. Coel.* 6. Catilina multos fortes viros et bonos specie quadam virtutis assimulatae tenebat. ℙ Item splendor, amplitudo, dignitas, majestas. *Cic. Dom.* 33. *med.* O speciem dignitatemque populi R., quam reges, quam nationes exterae pertimescunt? *Id. Verr.* 2, 1, 22. Vidi forum adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri. ℙ Item simulacrum, imago, signum. *Cic. in carm. de suo consul. Div.* 1, 12. Sancta Jovis species claros spectaret ad ortus; et *mox:* Haec tardata diu species, etc. celsa est in sede locata. ℙ Universim quidquid primo aspectu apparet. *Id. Sen.* 16. Agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 1. *f.* Species ipsa tam gratiosi liberti, aut servi dignitatem habere non potest. *Id. Cat.* 2, 8. Horum hominum species est honestissima, voluntas vero et causa impudentissima. *Id. N. D.* 2, 3. *med.* Veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. *Liv.* 40, 12. Ultro mihi non insidiatoris modo, sed latronis manifesti, et percussoris speciem induit. *Sall. Jug.* 31. Cujus rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat. ℙ *Specie*, *in speciem*, *per speciem*, secundum id quod apparet. *Cic. Am.* 13. *med.* Securitas specie quidem, blanda, sed reapse multis locis repudianda; et *Liv.* 35, 31. Specie liberam Demetriadem esse, revera omnia ad nutum Romanorum fieri. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Praeclara classis in speciem, sed inops et infirma. *Liv.* 3, 9. *extr.* Dilata in speciem actione, re ipsa sublata. *Id.* 39, 35. Per speciem auxilii Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis Thracum inferendum; et 1, 41. Cum jam exspirasset Tarquinius, celata morte, per speciem alienae fungendae vicis suas opes firmavit. *Ov. Met.* 3, 685. Inque chori ludunt speciem, lascivaque jactant Corpora; et *ib.* 15, 508. cumulusque inanis aquarum In montis speciem curvari et crescere visus. ℙ *Prima specie*, primo aspectu. *Cic. Fin.* 4, 22. Ea, quae prima specie admirationem; re explicata risum movent. *Id. Or.* 3, 25. Ea quae sensus nostros specie prima acerrime commovent. ℙ Aliquando sumitur pro oculorum acie; nempe a *specio*, cerno, ut dictum est. *Lucr.* 4, 242. Propterea fit, uti speciem quo vertimus, omnes Res ibi eam contra feriant forma atque colore. *Id.* 5, 722. de luna: eam partem, quaecumque est ignibus aucta, Ad speciem vertit nobis oculosque patentes. *Vitr.* 5, 9. *med.* Aer ex viridibus perlimat speciem; et 3, 2. *f.* Contracturae propter altitudinis intervallum scandentis oculi speciem fallunt; et 9, 4. *med.* Si tantis intervallis nostra species potest id animadvertere. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 439.] ℙ Quia res, quae videntur, et sub aspectum cadunt, singulares sunt (neque enim universalia, et genera oculis cernimus) sumitur species pro re particulari: et primo quidem pro parte subjecta generi, quae et *pars* et *forma* dicitur, et habet sub se individua. *Cic. Or.* 1, 42. Genus est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. *Sen. ep.* 58. *med.* Primum illud genus quaerimus, ex quo ceterae species suspensae sunt, etc. Homo species est, ut Aristoteles ait, canis species: commune his vinculum animal. *Cic. Inv.* 1, 27. Cum genere idem sit, fit aliud, quod parte quadam et specie differt. *Id. Or.* 10. Virtutes specie dispares, prudentia conjunguntur. Adde *Varr. R. R.* 3, 3. ℙ Videtur poni et pro individuo, in illo *Lucr.* 2, 364. Nec vitulorum aliae species per pabula laeta Derivare queunt animum. Aptius tamen intelliges imagines, aspectus, formas. ℙ Item pro quaestione rei particularis, quae et *casus* appellatur, *ἐκθέσεις*. *Plin. ep.* 10, 64. Tu, domine, consulendus fuisti tam de iis, quam de illis, qui in perpetuum relegati, nec restituti, in provincia deprehenduntur: nam haec quoque species incidit in cognitionem meam; et *Ulp. Dig.* 9, 2, 5. *f.* Proponitur autem apud eum species talis: Sutor puero discenti forma calcei cervicem percussit. Sic et *Paul. ib.* 31, 1, 85. Proxime ex facto incidit species talis: Libertus patronum heredem instituit, etc. ℙ Item pro materia seu re certa et singulari. *Scaev. ib.* 34, 2, 19. Uxori legaverat bonorum suorum decimam, et mancipia, et species argenti, quas expresserat; et *mox:* Codicillis multas species vestis, argenti specialiter reliquit. *Cajus ib.* 41, 1, 7. *med.* Cum quis ex aliena materia speciem aliquam suo nomine fecerit. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 1, 2, 10. Publicarum specierum transvectio; et *Impp. Arcad. et Hon. ib.* 11, 13, 3. Annonariae species. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. ib.* 9, 1. Omnibus fabricis non pecunias pro speciebus, sed ipsas species inferri praecipimus. *Pall.* 11, 14. Judicare, utrum vendenda sit species, an tenenda, *h. e.* vinum. ℙ Speciatim de aromatis, et condimentis: unde qui ea vendunt, *speziali* Italice nunc dicuntur. *Macr. Sat.* 7, 8. *med.* de sinapi et pipere: Species et acres, et calidae superficiem, cui apponuntur, exulcerant. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. §. 7. enumerat species pertinentes ad vectigal, cinnamomum, piper, costum, nardum, casiam, amomum, zinziberi, aroma Indicum, etc. item alia diversi generis, ebur, ferrum, carbasum, gemmas, sericum, lanam, etc. ℙ De iis, ex quibus fiunt medicamenta. *Pall.* 11, 14. *f.* Diu agitare curabis, ut speciorum vis omne musti corpus inficiat. *Marcell.* in *carm. de medicam.* 10. Descriptas species, et tondera mensurarum, etc. et *ib.* 46. Adde et aromaticas species, quas mittit Eous. ℙ Olim in patrio casu *specii* dixere. *Cn. Matius* ap. *Gell.* 9, 14. *med.* An maneat specii simulacrum in morte silentum. V. DIES. ℙ In gen. et dat. plur. apud optim. scriptores non fuit in usu. *Cic. Top.* 7. Formae sunt, quas Graeci *ἰδέας* vocant: nostri species appellant: non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, *specierum* et *speciebus* dicere: et saepe his casibus utendum est: at *formis* et *formarum* velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Haec *Cicero*. Quare multo minus audiendi *Charis.* 1, 18. et *Diomed.* 1, 281. qui *specieum*, *materieum*, *luxurieum* dici docuerunt.

SPĔCĬĒTAS. V. SPECIALITAS.

SPĔCILLĀTUS, a, um, adj. specillis seu parvis speculis distinctus. Patina argentea specillata, vel, ut *Salmas.* mallet, *specelata*, ap. *Vopisc. Prob.* 4. referentem epistolam Valeriani Imp., est ita elaborata, ut crebra ceu parva specula habeat, ut, vel uno intuente, populus totidem imaginum fiat, ut *Plin.* loquitur 33, 9, 45. V. et *Sen. Q. N.* 1, 5. *med.*

SPĔCILLUM, i, n. *μήλη, σπαθομήλη*, instrumentum chirurgorum ad exploranda vulnera, ad inungendum, tergendum, etc. *Cic. N. D.* 3, 22. *f.* Aesculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt: qui specillum invenisse, primusque vulnus dicitur obligavisse. *Varr. L. L.* 5, 8. *med.* Quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum. *Cels.* 7, 8. Specillo tentandum est, alte ne id repletum, an in summo tantum glutinatum sit. *Plin.* 7, 53, 54. C. Julius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens, etc. *Id.* 32, 7, 24. Corporis humor specillis derasus. *Cels.* 6, 9. *med.* Specillum lana involutum in calidum oleum demittitur, eoque dens fovetur; et *ib.* 7. *n.* 5. Ubi vermes *(in auribus)* orti sunt, protrahendi oriculario specillo sunt. *Id.* 5, 28. *n.* 12. Demittere specillum in fistulam; et *ib. n.* 3. *f.* Quidquid *(ulceri)* inspergitur, averso specillo infundi debet. ℙ Est etiam dimin. speculi. *Not. Tir.* p. 56. Speculum, specillum.

SPĔCĬMEN, inis, n. *δεῖγμα, δεῖξις*, indicium, significatio, exemplum, argumentum: quale est illud, quod in mercibus speciendum proponi solet, ut ex eo emptores rem totam aestiment: a *specio*. *Pl. Most.* 1, 2, 51. Ubi unum emeritum est stipendium, igitur tum specimen cernitur, quo eveniat aedificatio. *Cic. Or.* 3, 40. Ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere. *Virg. G.* 2, 238. Salsa autem tellus, et quae perhibetur amara, Tale dabit specimen, etc. *Cic. Div. Verr.* 8. *f.* Tu vero, Caecili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? *Id. Tusc.* 1, 14. *med.* Num dubitas, quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura? *Plin.* 7, 55, 56. *extr.* Specimen securitatis antegenitali sumere experimento, *h. e.* argumentum. *Cic. Tusc* 5, 19. C. Caesar, in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis, *h. e.* exemplum. Sic *N. D.* 3, 32. *med.* Temperantiae prudentiaeque specimen Q. Scaevola. *Liv.* 38, 17. *extr.* Servantes antiquum specimen animorum. *Tac. A.* 3, 4. Studia hominum accensa in Agrippinam: cum decus patriae solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent. *Lucr.* 4, 209. Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur, Quam celeri motu rerum simulacra ferantur. ℙ Imago, species, decus, insigne. *Virg. A.* 12, 162. cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen. *Val. Fl.* 6, 57. Insuper auratos collegerat ipse dracones, Matris Horae specimen. Adde *Sen. Phoen.* 184.

[SPECĪNI, orum, m. plur. ita sunt appellati milites quidam, quo Celtica lingua eosdem fuisse ac Italorum *guastatori*, putat *Hier. Aquini* in *Lett. del Forogiulio* p. 33., quem penes sit fides. *Inscr.* ap. *Mur.* 804, 6. Caviae P. F. Virunae L. Dindius Respectus ⅂. Leg. XIII. Geminae, P. Dindius Speratus ⅂. Specinorum August. Alia ap. *eund. Asquin. l. c.* p. 13. D. M. Virdomaro Battonis F. Cl. Virio D. Motens. Mil. Coh. III. Pr. ⅂. Specin. Aug., Mil. An. XX. Vix. Ann. LXII. T. F. I. *F.*]

SPĔCIO, is, exi, a. 3. *σκοπέω*, video, apud veteres: verbum hoc magnam habere videtur similitudinem cum *σκοῦ* Scytharum, quam vocem *Herodot.* 4, 27. docet, oculum significare. *Varr. L. L.* 5, 8. Spectare dictum ab specio antiquo, quo etiam Ennius usus: Vos epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant. Et quod in auguriis augures dicunt, avem specere. *Id. ib.* Speculum, quod in eo specimus imaginem. *Pl. Cas.* 3, 1, 2. Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur. *Enn.* ap. *Fest.* in *Spicit.* Spexit de montibu' celsis. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *med.* Haec erunt specienda. Alii leg. *spectanda.*

SPĔCĬOSĒ, adv. *εὐειδῶς, ὡραίως*, pulcre, magnifice, ornate, multa cum specie. *Plin.* 35, 7, 31. Speciose vehi, *h. e.* navi picta et ornata. *Colum.* 2, 2. *med.* In opere boves arcte junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes et elatis capitibus. *Liv.* 34, 7. Equus tuus speciosius ornatus erit, quam uxor vestita. *Hirt. B. Afr.* 48. *f.* Aciem quam speciosissime potuit, instruxit. *Hor. Ep.* 1, 18, 52. adde, virilia quod speciosius arma Non est qui tractet; et *Quint.* 9, 4. *in.* Annon eam, quae emissa optime est, hastam speciosissime contortam ferri videmus? et *mox:* Aliquid vehementer, dulciter, speciose dictum. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 6. Africani humanitas speciose lateque patuit. *Id.* 2, 9. *n.* 4. Dictatura speciosissime functus.

SPĔCĬOSĬTAS, atis, f. species, pulcritudo. *Tert. Cult. fem.* 2. *f.* Naturalis speciositas.

SPĔCĬOSUS, a, um, adj. *εὐειδής, ὡραῖος*, specie et aspectu jucundus, pulcher, formosus. *Ov. A. Am.* 3, 421. Se quoque det populo mulier speciosa videndam. *Petr. Sat.* 140. Filiam speciosissimam cum fratre ephebo reliquit. *Cels.* 2, 2. Si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est. *Sen. ep.* 87. Habet domum formosam: familiam nemo speciosiorem producit. *Quint.* 11, 3. Assueta gymnasiis et oleo corpora, quamlibet sint in suis certaminibus speciosa atque robusta, si militare iter, facesque et vigilias imperes, deficiant: cum decore et agilitate se exercentia: atque adeo jucunda spectantibus. *Hor. Ep.* 1, 16, 45. Introrsus turpis, speciosus pelle decora. ℙ Refertur ad orationem. *Quint.* 10, 1. *f.* Candidum, et lene, et speciosum dicendi genus. *Id.* 1, 5. Dicere aliquid proprium, speciosum, sublime. *Id.* 5, 14. *med.* Locuples et speciosa vult esse eloquentia, *h. e.* quae teneat aures, ut quae pulcra sunt, tenent oculos. Item ad splendorem, claritatem, opes, divitias. *Tac. A.* 3, 55. Ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur. *Id. Agr.* 44. Opibus nimiis non gaudebat: speciosae contigerant. *Quint. decl.* 9, 16. *med.* Speciosa fortuna. *Petr. Sat.* 83. Senex, qui videbatur nescio quid magnum promittere: sed cultu non proinde speciosus. Huc pertinet illud *Ulp. Dig.* 50, 16, 100. Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus: item eorum, qui ornamentis senatoriis utuntur. ℙ De iis, quae in speciem bona, aut vera apparent, re non sunt. *Ov. de Mida*, cui datum fuerat, in aurum vertere quidquid contingeret, *Met.* 11, 133. Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno; et *ib.* 7, 69. Conjugiumne vocas, speciosaque nomina culpae Imponis, Medea, tuae? et *Liv.* 1, 23. *med.* Si vera potius, quam dictu speciosa dicenda sunt. *Tac. A.* 1, 81. Dicta speciosa verbis, re inania aut subdola. *Id. H.* 2, 20. Postquam pax et concordia speciosis et irritis nominibus jactata sunt. ℙ Et universim de iis, quae prima specie probantur. *Cic. Att.* 16, 7. *med.* Reversionis has speciosas causas habes, justas illas quidem et magnas, sed nulla justior, quam, etc. *Hor. Ep.* 2, 2, 116. Proferet in lucem speciosa vocabula rerum. *Sen. Ben.* 3, 7. Hoc enim in beneficio speciosissimum est, quod dedimus vel perdituri.

SPĔCĬTO, as, a. 1. frequent. a *specio*. *Pl. Cist.* 1, 1, 92. Per Dionysia mater pompam me specitatum duxit. Plerique omnes leg. *spectatum:* etenim *Id. Curc.* 4, 2, 45. Ea me spectatum tulerat per Dionysia: sed ab hoc *specito* per sync. factum est *specto*.

SPĔCĬUM, ii, n. idem quod specillum, si credis *Perotto* in *Cornucop.*, ubi refert haec *Pacuvii* verba: Ut medici faciunt, qui prius specio vulnus tentant. Sed hic *Pacuvii* locus suspicione laborat. Aut enim ficticius est, aut *specillo* legendum.

SPECLĀRĬĀRIUS. V. SPECULARIARIUS.

SPECLĀRĬUS. V. SPECULARIUS.

SPECLĀTOR. V. SPECULATOR.

SPECTĀBĬLIS, e, adj. *θεατός*, qui spectari undique potest, aspectabilis. *Cic. Univ.* 8. Et corpus quidem coeli spectabile effectum est: animus autem oculorum effugit obtutum. *Ov. Met.* 3, 708. Monte fere medio est, cingentibus ultima silvis, Purus ab arboribus, spectabilis undique campus. *Id. Trist.* 3, 8, 35. Haeret, et ante oculos, veluti spectabile corpus, Haeret Fortunae forma videnda meae. ℙ Item spectari dignus, admirabilis, *περιβλεπτος*. *Id.*

Pont. 2, 2, 81. Ipse super currum placido spectabilis ore Tempora Phoebea virgine nexa tulit. *Id. Met.* 6, 165. Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba, Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro; et *ib.* 7, 496. spectabilis heros, Et veteris retinens etiamnum pignora formae, Ingreditur; et *ib.* 705. de Dea: roseo spectabilis ore. *Id. A. Am.* 1, 557. coelo spectabile sidus. *Val. Fl.* 1, 427. Illis Taenario pariter tremit ignea fuco Purpura: quod gemina mater spectabile tela Duxit opus. *Plin.* 4, 8, 15. Mons topiario naturae opere spectabilis; et 5, 1, 1. Flumen Asana portu spectabile; et *mox:* Spectabilis proceritas arborum. *Id.* 16, 37, 68. Salices praetenues viminibus texendis spectabili subtilitate; et *ib.* 31, 56. E capillamentis radicum montani spectabiles lagenas, et alia vasa nectunt; et *Tac. Agr.* 31. Pulcra est spectabilis victoria. ℙ Sub imperatoribus *spectabilis* fuit appellatio certarum dignitatum propria, ut *illustris*, *clarissimus*, etc. *Paul. Dig.* 1, 15, 3. Spectabilis vir, qui praefectus vigilum appellatur. *Imp. Theodos. et Valent. Cod.* 7, 62, 32. Appellationes spectabilium judicum. *Imp. Leo Cod.* 2, 7, 11. *f.* Apud virum spectabilem proconsulem, vel praefectum Augustalem.

SPECTĂBILĬTAS, atis, f. appellatio ejus, qui *spectabilis* vocatur, ut in v. praec. dictum est. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 9, 27, 5. et *ib.* 12, 26, 1. Sed hic loquendi modus a linguae Latinae puritate longe abest.

SPECTĂCŬLUM, i, n. *θέαμα*, quidquid spectatur: et praecipue ludi, certamina, venationes, fabulae, quae in circo, et theatris populi causa fiunt: de quibus est *Martialis* integer libellus. *Cic. Phil.* 1, 15. Brutus ludis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus R. tribuerit absenti. *Id. Mur.* 34. *f.* Spectacula sunt tributim data, et ad prandium vulgo vocati. *Liv.* 28, 21. et 39, 42. *med.* Spectaculum gladiatorium. Alii leg. *gladiatorum. Ov. A. Am.* 3, 351. spectacula scenae. *Plin.* 2, 26, 25. Edere spectaculum gladiatorum. *Id.* 33, 5, 27. Neronis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni. *Mart.* 1, 105. Quis spectacula non putet Deorum? *h. e.* digna, quibus Dii intersint. ℙ *Pl. Curc.* 5, 2, 47. Exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt, *h. e.* aulaea, vela, et cetera instrumenta scenica. ℙ De ipso theatro, in quo spectacula eduntur. *Suet. Cal.* 31. *(Principatum)* Tiberii ruina spectaculorum ap. Fidenas memorabilem factum, queri solebat. *Id. Tib.* 40. id ipsum narrans, *amphitheatri ruina* dixit. *Calp. Ecl.* 7, 23. Vidimus in coelum trabibus spectacula textis Surgere, Tarpejum prope despectantia culmen. ℙ Universim quidquid spectandum objicitur. *Cic. N. D.* 2, 56. Sunt homines quasi spectatores rerum coelestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. *Id. Phil.* 10, 4. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis et litoribus luctuosum! cedere e patria servatorem ejus, manere in patria perditores. *Pl. Poen.* 1, 1, 80. Multa tibi Dii dent bona, cum mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum. *Liv.* 10, 40. *f.* Insequitur acies ornata armataque, ut hostium quoque magnificum spectaculum esset. *Virg. A.* 6, 37. Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit, *h. e.* pictas sive sculptas tabulas contemplari. *Sil.* 11, 324. Si perferre nequit spectacula tanta senectus; et *Ov. Met.* 3, 246. et *ib.* 7, 780. Capere spectacula praedae, *h. e.* usurpare oculis praedam venando partam. *Id. A. Am.* 2, 581. Praebere spectacula, *h. e.* dare de se aliis spectaculi et delectationis causam. Sic *Cic. N. D.* 2, 62. Circuitus solis, et lunae, reliquorumque siderum spectaculum hominibus praebent. *Id. Att.* 10, 2. *extr.* Homini non amico nostra incommoda spectaculo esse nollem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. *extr.* Magnum et jucundum tibi fortuna spectaculum parabat. ℙ Sumitur et pro loco, unde spectatur. *Liv.* 1, 35. *f.* Circo designatus locus est: loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent: fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. *Cic. Sext.* 58. *f.* Tantus est ex omnibus spectaculis plausus excitatus, ut, etc. *Ov. Met.* 10, 668. resonant spectacula plausu. Adde *Liv.* 45, 1., *Vitr.* 5, 6., *Tac. A.* 14, 13., *Suet. Dom.* 10., *Calp. Ecl.* 7, 49. et *Fest.* in *Forum.* ℙ Et pro ipsis spectatoribus. *Sil.* 8, 556. spectacula tantae Ambae acies virtutis erant. Ita *Heins.* Alii: spectacula tanta Ante acies virtutis erant. *Id.* 2, 230. spectacula tantum Este, viri. Alii leg. *ferte* pro *este.* ℙ *Spectaclum* sync. *Prop.* 4, 8, 21. Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit. Adde *ib.* 56.

SPECTĂMEN, inis, n. idem quod specimen, probatio, experimentum. *Pl. Men.* 5, 6, 1. Spectamen bono servo id est, ut absente hero rem heri diligenter tutetur. ℙ Item spectaculum. *Appul. Met.* 4. Miserum funestumque spectamen aspexi, Thrasyleonem nostrum catervis canum saevientium cinctum; et *ib.* 7. Novum et memorandum spectamen, virginem asino triumphantem.

SPECTĂMENTUM, i, n. spectaculum. *Front. de differ. voc.* p. 2203. Spectacula, loca sunt, unde spectamus; spectamenta, quae spectantur.

SPECTĀTE, adv. *εὐδοκίμως*, egregie, feliciter. *Plin.* 21, 1, 1. Quae spectatissime floreant, celerrime marcescere; et *Ammian.* 28, 3. *f.* Rebus spectatissime administratis.

SPECTĀTIO, onis, f. *θέα*, actus spectandi. *Lactant.* 7, 9. *med.* Homo memor conditionis suae, qua Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat: quam spectationem Trismegistus *θεωρίαν* rectissime nominavit. ℙ De ludorum spectatione. *Cic. Fam.* 7, 1. *med.* Apparatus spectatio tollebat omnem hilaritatem. *Id. Att.* 13, 44. Animum levari tum spectatione, tum etiam religionis opinione et fama: sc. pompae circensis. *Vitr. praef.* 10. *f.* Ea omnia quae scenicis moribus per machinationem ad spectationes populo comparantur. Adde *ib.* 1. ℙ *Spectatio pecuniae*, examen et probatio, *δοκιμασία. Cic. Verr.* 2, 3, 78. Ex omni pecunia certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione, et collybo; deinde pro nescio quo cerario. V. SPECTATOR et SPECTO. ℙ Translate. *Flor.* 2, 7. Macedonicum bellum nomine amplius, quam spectatione gentis fuit, *h. e.* consideratione, respectu, aestimatione. Estque eadem sententia, quae *Livii* 31, 1. Pacem Punicam bellum Macedonicum excepit, periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore: claritate tamen regum antiquorum, vetustaque fama gentis, et magnitudine imperii prope nobilius.

SPECTĀTIVUS, a, um, adj. *θεωρητικός*, ad spectandum seu contemplandum pertinens. *Quint.* 3, 5. *med.* Thesim a causa sic distinguunt, ut illa sit spectativae partis, haec activae. Illic enim veritatis tantum gratia disputari, hic negotium agi.

SPECTĀTOR, oris, m. *θεατής*, qui aliquid spectat. *Cic. N. D.* 2, 56. Sunt enim e terra homines non ut incolae, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque coelestium. *Id. Or.* 1, 24. *f.* Quem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. *Liv.* 24, 34. Archimedes unicus spectator coeli siderumque, i. e. speculator. *Mart.* 10, 51. Et non unius spectator lectulus undae, Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris. ℙ Speciatim dicitur de iis, qui ad ludos spectandi causa conveniunt. *Cic. Har. resp.* 11. Quorum ludorum ipsi Dii te spectatorem esse voluerunt. *Pl. Amph.* 5, 3, 3. Nunc spectatores clare plaudite. ℙ Sumitur etiam pro judice, probatore. *Ter. Eun.* 3, 5, 18. Cum me ipsum noris, quam elegans formarum spectator siem. Ubi *Donat.* Spectator, probator, ut pecuniae spectatores dicuntur. V. SPECTATIO. *Claud. Laud. Stil.* 1, 147. Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas, *h. e.* considerans et inspiciens.

SPECTATRIX, icis, f. *θεάτρια*, quae spectat. *Sen. Consol. ad Marc.* 18. *med.* Videbis nihil humanae audaciae intentatum: erisque et spectatrix, et ipsa pars magna conantium. *Ov. A. Am.* 2, 12, 25. Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros: Spectatrix animos ipsa juvenca dabat. *Pl. Merc.* 3, 4, 12. (et 5, 2, 1.) Divum atque hominum quae spectatrix atque hera eadem es hominibus, *h. e.* Fortuna. *Lucan.* 3, 129. turba Spectatrix scelerum, *h. e.* quae assueta est videre scelera. *Ammian.* 30, 8. Nec metu, nec adulandi foeditate constricta posteritas, incorrupta praeteritorum solet esse spectatrix, *h. e.* solet perpendere, et judicare.

SPECTĀTUS, a, um, part. a *specto:* visus. *Hor. A. P.* 190. Fabula, quae posci vult, et spectata reponi. *Ov. Met.* 4, 311. deducit pectine crines, Et quid se deceat, spectatas consulit undas. *Id. Pont.* 3, 4, 17. Spectatum vates alii scripsere triumphum. Est aliquid, memori visa notare manu. Nos ea vix avidam vulgo captata per aurem Scripsimus. Adde *ib.* 2, 1, 19. ℙ SP. *h. e.* spectatus, scribitur in pluribus eburneis tesseris, quae gladiatoribus, quoties ipsi in publico spectaculo vicissent, donabantur, quaeque ex torquibus (a *Capitol. Pert.* 8. memoratis) appensae quasi testes pugnarum ab iisdem devictarum pendere ante pectus solebant. V. PHYLACTERIUM. Hinc in monumentis sepulcralibus gladiatorum saepe legere est numerum pugnarum earundem. (V. *Inscr.* ap. *Mur.* 617, 1., alias ap. *Donat.* 244, 3. et 6. et ap. *Maff. Mus. Ver.* 125, 4. etc.) Postquam plures hujusmodi tesseras essent consecuti, rude donabantur, mox manumissi pileum libertatis sumebant. V. PILEO. Longe diversam earum litterarum interpretationem dederat *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 417., alii alias: sed eam, quam modo produximus, primus attulit *Hieron. Amatius* in *Giorn. Arcad.* T. 32. p. 105.; pluribus deinde argumentis, et scriptorum Latinorum auctoritate confirmavit *Jo: Labusius* in *notis* ad *Morcell. Diss. delle tessere*, etc. p. 148., eandemque amplexus est *Orellius* in *Coll. Inscr. Lat.* T. 2. p. 377. Huc spectat locus *Hor. Ep.* 1, 1, 2. Spectatum satis, et donatum jam rude quaeris, Maecenas, iterum antiquo me includere ludo. *Inscr.* ap. *Grut.* 334, 7. Faustus Antoni Sp. K. Apr. M. Lep. L. Arr. Cos. *h. e.* Faustus Antonii *(servus) spectatus Kalendis Aprilibus*, M. Lepido, L. Arruntio *consulibus*, sc. ann. U. C. DCCLIX. Adde alias ap. *Fabr.* p. 38. *n.* 189. 190. 191. et sqq. ℙ Saepe est cognitus, exploratus, probatus, *δοκιμασθείς. Cic. Div. Verr.* 4. et *Verr.* 1, 10. Homo in rebus judicandis spectatus et cognitus. *Id. Fl.* 26. Lacedaemoniorum spectata ad nobilitata virtus. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 60. Tuam probatam mihi et spectatam maxime adolescentiam. *Liv.* 1, 57. *extr.* Spectata castitas. *Pl. Pers.* 2, 1, 4. Me quidem jam satis tibi spectatam censueram esse, et mores meos. *Cic. Cluent.* 16. Utebatur medico ignobili, sed spectato homine, Cleophanto. *Id. Off.* 2, 11. Qui pecunia non movetur, hunc igni spectatum arbitrantur: quia fulvum spectatur in ignibus aurum, ut *Ov. Trist.* 1, 5, 25. ait. *Virg. A.* 6, 687. tuaque spectata parenti Vicit iter durum pietas; et *ib.* 8, 151. bello spectata juventus. *Cic. Phil.* 3, 10. *med.* L. Cinnae spectata multis magnisque rebus singularis integritas. *Ov. Met.* 14, 108. de Aenea: vir factis maxime, cujus Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes. *Gell.* 13, 21. Summa vir auctoritate, et a divo Hadriano in mores atque litteras spectatus. *Liv.* 1, 57. *med.* Id cuique spectatissimum sit, quod necopinato viri adventu occurrerit oculis. *Sall. or. Licin. ad pleb. f.* Mihi satis spectatum est, Pompejum malle principem volentibus vobis esse, quam, etc. ℙ Item probus, excellens, egregius, illustris. *Pl. Merc.* 2, 2, 46. Nihil est, quod tu mihi succenseas: fecere tale ante spectati viri. *Cic. Amph.* 2. *f.* Perfectus et spectatus vir. *Id. Fam.* 5, 12. *med.* Auctoritas clarissimi et spectatissimi viri, et in reipubl. maximis gravissimisque causis cogniti, atque in primis probati. *Id. Rosc. Am.* 50. *f.* Caecilia, spectatissima femina. *Sil.* 1, 440. grata quo non spectatior alter Voce movere fora, atque orando fingere mentes. ℙ Item spectabilis, insignis, nobilis, pulcher. *Plin.* 11, 37, 44. Spectatissimum insigne gallinaceis, corporeum, serratum. *Id.* 15, 30, 40. Spectatissima laurus in monte Parnasso. *Id.* 4, 18, 32. Paeninsula spectatior. *Id.* 11, 1, 1. Nusquam alibi spectatior naturae artificium, *quam in insectis;* et 36, 9, 14. *n.* 4. de obeliscis: Accessit difficultas mari Romam devehendi, spectatis admodum navibus. ℙ *Spectatus sum* deponentis forma, spectavi. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* In Arcadia scio me esse spectatum suem, quae prae pinguitudine, etc. Est qui leg. *isse:* alii *scio esse spectatam.*

SPECTILE. V. SPETILE.

SPECTĬO, onis, f. actus speciendi, seu aspiciendi. Speciatim usurpatur in rebus auguralibus, in quibus augures habebant duntaxat spectionem; magistratus, quippe qui omne jus auspiciorum possidebant, et spectionem, et obnuntiationem. Sed tamen spectio duplex est: spectio avium, fulgurum, etc. et spectio, seu consideratio, et judicium de iis, quae apparuissent, sinerentne, an impedirent res agendas. Igitur augures habebant quidem primum genus spectionis; sed alterum ad magistratus pertinebat. Nuntiatis enim ab augure, quae visa essent, pertinebat ad magistratum, ut videret, an iis auspiciis rem gerere vellet. Similiter nuntiatio duplex est: nuntiatio augurii, et nuntiatio avocandae concionis, quae fere *obnuntiatio* vocatur. Augures habebant spectionem, et solum augurii nuntiationem; magistratus et spectionem, et nuntiationem avocandae concionis, seu obnuntiationem. *Fest.* (ut *Scal.* corrigit) Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione. Spectio, et nuntiatio data erat iis magistratibus, qui omne jus auspiciorum habent; auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando, quaecumque vidissent. At iis spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando. *Varr. L. L.* 5, 8. *med.* Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant spectionem, qui non habeant. *Cic. Phil.* 2, 32. Quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, et consul esses, minus facere potuisses? Vide, ne etiam facilius. Nos enim nuntiationem solum habemus, consules, et reliqui magistratus etiam spectionem. Alii perperam leg. *inspectionem.* Haec *Ciceronis* verba verbis *Festi* non repugnant. Sententia enim est. Nos augures habemus tantum jus nuntiandi magistratui de eo, quod viderimus; consules et reliqui magistratus habent etiam jus considerandi anguria, et judicandi, utrum iis res gerendae impediantur, necne. Igitur secundum *Festum* augures habebant duntaxat spectionem, non etiam nuntiationem, idest solum spectionem avium, et fulgurum, et nuntiationem augurii, non etiam nuntiationem avocandae concionis; magistratus vero habebant et spectionem, idest judicium de auguriis, et nuntiationem, idest obnuntiationem ad dissolvenda comitia. Secundum *Ciceronem* augures habebant solum nuntiationem, non etiam spectionem, idest simpliciter jus nuntiandi sua auguria, non vero de iis statuendi; magistratus autem habebant et spectionem, idest considerationem, et judicium de auspiciis, et nuntiationem, idest obnuntiationem, qua declarabant comitia divinitus prohiberi.

SPECTO, as, avi, atum, a. l. *ὁράω*, aspicio, intueor: frequentat. a *specio*. ut *Varr. L. L.* 5, 8. *med.* docet. Nam ab hoc factum est *specito*, et *specto* per syncopen. *Cic. Somn. Scip.* 7. *f.* Alte spectare si voles, atque hanc sedem et aeternam domum contueri. *Pl. Most.* 3, 2, 106. Vise, specta tuo arbitratu. *Cic. Tusc.* 1, 19. *med.* Cum laxati curis sumus. spectare aliquid volumus, et visere.

Ov. A. Am. 3, 513. Spectantem specta, ridenti mollia ride. *Pl. Most.* 4, 2, 27. Illi homines quid volunt? quid intro spectant? et 3, 2, 151. Quaeso, huc ad me specta, cornicem ut conspicere possis; et *ib.* 131. Age, specta, postes cujusmodi! quanta firmitate facti! *Sen. Herc. Oet.* 1138. partem in omnem specta poli. *Ter. Eun.* 3, 5, 53. Ego limis specto sic per flabellum clanculum. *Just.* 1, 1. *f.* Siderum motus diligentissime spectare. ℙ Passive impersonaliter. *Plin.* 10, 70, 89. Cum, plausu congregari feros (*pisces*) ad cibum assuetudine, in quibusdam vivariis spectetur. ℙ Cum infinito. *Sen. Herc. Oet.* 629. Intraque suos currere fines Spectet toto flumine Gangem; et *ib.* 325. minaces ire per coelum faces specta. ℙ De iis, qui ludis intersunt: unde *spectator*, *spectaculum*. *Cic. Har. resp.* 11. Ni tu Megalesia illo die spectare voluisses. *Suet. Claud.* 21. Vox praeconis irrisa est, invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset. *Ov. A. Am.* 1, 99. Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae. *Quint.* 6, 3. *med.* Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Carpathium Titius Maximus, an spectasset: fecit Carpathius dubitationem ejus stultiorem, dicendo: non, sed in orchestra pila lusi. *Pl. Rud.* 4, 7, 23. Spectavi ego pridem comicos ad istum modum sapienter dicta dicere, atque iis plaudier. ℙ Translate est vergere, versum esse, e regione esse. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Quid attinuit, crucem in ea parte figere, quae ad fretum spectaret? *Caes. B. G.* 1, 1. Belgae spectant in septentriones, et orientem solem. *Varr. R. R.* 1, 24. Ager, qui in ventum Favonium spectat; et *ib.* 4. *f.* Permagni interest, ubi sint positae villae, quo spectent porticibus, ostiis, ac fenestris. *Colum.* 12, 16. *med.* Urceolos ita collocato, ut ora eorum deorsum spectent. *Hor. Ep.* 1, 1, 74. me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. *Liv.* 33, 17. Acarnania solem occidentem et mare Siculum spectat. *Plin.* 4, 22, 26. Ab eo latere, quo Gadis Hispaniam spectat. ℙ Item videre, animadvertere. *Ter. Andr.* 1, 4, 4. Importunitatem spectate aniculae. *Id. Eun.* 5, 6, 24. Andaciam meretricum specta. *Id. Heaut.* 5, 2, 38. Nunc aliud specta: matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria solent esse. *Cic. Phil.* 1, 8. *med.* In judice spectari et fortuna debet, et dignitas. *Pl. As.* 4, 1, 33. Spectandum, ne cui annulum det, neque roget. ℙ Item aestimare, judicare. *Cic. Tusc.* 5, 10. *extr.* Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia *Id. Rosc. Com.* 10. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico aestimabat. *Ter. Andr.* 4, 1, 22. Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo! ℙ Item probare, examinare, explorare. *Ov. Trist.* 1, 5, 25. fulvum spectatur in ignibus aurum. *Pl. Pers.* 3, 3, 35. Non hercle, cui nunc hoc (*argentum*) dem spectandum, scio. V. SPECTATIO et SPECTATOR. *Lucr.* 3, 55. in dubiis hominem spectare periclis Convenit. *Nerva* in *Edicto* ap. *Plin. ep.* 10, 66. Quaedam sine dubio, Quirites, ipsa felicitas temporum edicit, nec spectandus est in iis bonus princeps, quibus illum intelligi satis est, cum hoc sibi quisque civium meorum spondere possit, me, etc. *h. e.* certis documentis et experimentis cognoscendus est. ℙ Item tendere, inclinare. *Cic. Fam.* 4, 2. Omnia utriusque consilia ad concordiam spectaverunt. *Liv.* 25, 3. *extr.* Res ad seditionem spectat. *Id.* 1, 9. Haud dubie ad vim spectare res coepit. *Nep. Them.* 6. Hoc longe alio spectabat, atque videri volebant. *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 20. Summa judicii mei spectat huc, ut meorum injurias ferre possim. *Cic. Or.* 1, 20. *med.* Ars continetur rebus cognitis, penitusque perspectis, et in unum exitum spectantibus. *Id. Phil.* 7, 9. *med.* Quorsum haec omnis spectat oratio? ℙ Item cogitare, aliquid, tanquam finem agendi, sibi proponere. *Id. Att.* 8, 7. Incredibiliter pertimuit: nihil spectat, nisi fugam. *Id. Fam.* 5, 8. *med.* Ut primum forum attigi, spectavi semper, ut tibi possem quam maxime esse conjunctus. *Varr. R. R.* 3, 6. Pavones pauciores esse debent mares, quam feminae, si ad fructum spectes; si ad delectationem, contra: formosior enim mas. *Virg. Ecl.* 3, 48. Si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes. *Cic. Vat.* 10. Ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectaras, *h. e.* aspiraveras. ℙ Item pertinere. *Cic. Agr.* 2, 26. *med.* Ad hanc emptionem duo genera agrorum spectant. *Id. Leg.* 2, 23. Ea non tam ad religionem spectant, quam ad jus sepulcrorum. *Papin. Dig.* 2, 14, 42. Necessitas solvendi debitorem spectaret. Alii leg. *ad debitorem*. ℙ Item suspicere, admirari. *Hor. Ep.* 1, 16, 57. Vir bonus, omne forum quem spectat, et omne tribunal. *Id. Od.* 4, 14, 17. Spectandus in certamine Martio. *Plin.* 10, 42, 52. de picis: Nec vulgaris illis forma, quamvis non spectanda. *Id.* 32, 6, 21. Ostrea crassitudine potius spectanda, quam latitudine. ℙ Item rationem habere. *Cic. Off.* 2, 20. At vero ille tenuis, cum quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam putet, etc. ℙ Pro exspectare. *Cic. Somn. Scip.* 6. A quibus spectare gloriam certe nullam potestis. *Id. Att.* 2, 3. Quod a me ajunt Caesarem sic spectare, ut non dubitet. Utroque loco alii leg. *exspectare*. Etiam *Pl.* sic usurpare videtur *Bacch.* 1, 2, 1. Jamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor, spectans, quas tute res hoc ornatu geras.

SPECTRUM, i, n. εἴδωλον, φάσμα, φάντασμα, simulacrum, idolum, phantasma, imago rei alicujus, quae oculis sese offert, vel phantasiae occurrit: a *specio*. *Cic. Fam.* 15, 16. Qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari: nam ne te fugiat, Catius Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quae Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. V. reliqua ejus epistolae, et *C. Cass. ib.* 19. et IDOLUM.

SPECTUS, us, m. idem ac aspectus, apud veteres: a *specio*. *Pacuv.* ap. *Fest.* Amplus, rubicundo colore, et spectu protervo ferox. *Plin.* 2, 54, 55. In sedecim partes coelum in eo spectu diviserunt Tusci. *Hard.* ex MSS. *aspectu* edidit. *Appul. Met.* 3. Obliquato tamen spectu rem admirationis maximae conspicio. Plerique leg. *aspectu*.

SPĔCŪLA, ae, f. parva spes, ut *recula* exigua res. *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* Et eo magis, quod in communibus miseriis hac tamen oblectabar specula. *Pl. Pers.* 2, 5, 9. Estne quid in te speculae? *Id. Cas.* 2, 4, 27. Si non impetravit, etiam specula in sortitu est mihi. *Cic. Cluent.* 26. *med.* Qui aliquid ex ejus sermone speculae degustarat.

SPĔCŪLA, ae, f. σκοπή, locus editus, unde aliquid eminus prospici potest: cujusmodi est summus malus in navi, et summa turris, aliusve eminens locus, ubi vigilias milites agunt. *Varr. L. L.* 5, 8. *med.* Speculum, quod in eo specimus imaginem: specula, de qua prospicimus. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. *f.* Praedonum adventum significabat ignis e specula. *Appul. de Mundo:* Excursores diurni, atque nocturni exploratores, ac nuncii et specularum incensores assidui, *h. e.* πυροσκοπαί. *Lucan.* 6, 278. vix proelia Caesar Senserat, elatus specula quae prodidit ignis. *Virg. A.* 3, 239. dat signum specula Misenus ab alta Aere cavo. *Cic. Fam.* 4, 3. Multo ante, tanquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram. *Stat. Th.* 6, 546. sedet anxia turre suprema Sestias in speculis. *Plin.* 7, 56, 57. Specularum significationem Trojano bello Sinon invenit. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 7, 7. Idcirco in hac custodia, tanquam in specula, collocati sumus, ut vacuum metu populum R. nostra vigilia et prospicientia redderemus. *Colum.* 7, 3. *f.* Grex custodis officium, sublimem celsissimamque oculorum veluti speculam desiderat. ℙ *Esse in speculis*, vigilare, et prospicere. *Cic. Verr.* 1, 16. Nunc homines in speculis sunt: observant, quemadmodum sese unusquisque vestrum gerat in retinenda religione. *Id. Dejot.* 8. Regem semper in speculis fuisse, cum a te animo esset alieno. *Id. Mur.* 37. Ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite atque in cervicibus nostris restiterunt. *Claud. B. Gild.* 149. Restitit in speculis fati; et *B. Get.* 569. omnes gentes pendere paratas In speculis. Adde *Ov. Her.* 18, 12. ℙ De rupe, et edito cacumine. *Virg. A.* 10, 454. utque leo, specula cum vidit ab alta Stare procul campis meditantem proelia taurum. *Id. Ecl.* 8, 59. Praeceps serii specula de montis in undas Deferar.

SPĔCŪLĂBĬLIS, e, adj. qui videri, et conspici potest. *Stat. Th.* 12, 624. Linquitur Eois longe speculabile proris Sunion.

SPĔCŪLĂBUNDUS, a, um, adj. speculans. *Suet. Tib.* 65. *med.* Aptatis enim navibus ad quascumque legiones meditabatur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem signa, quae tolli procul mandaverat. (*Sisenna* ap. *Non.* 7, 26. eadem ratione dixit *populabundus agros.*) *Tac. H.* 4, 50. Festus Hadrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem tendit.

SPĔCŪLĀMEN, inis, speculatio, cogitatio, inspectio. *Prud. Apoth.* 88. Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco, Humentique acie, potuit nebulosus adire.

[SPĔCŪLAR. V. SPECULARIS. *F.*]

[SPĔCŪLĀRĬĀRĬUS et Speclariarius, ii, m. qui specularia facit, vel curat. *Inscr.* quam Romae nuper ex autographo exscriptam misit *B. Borghesius.* D. M. Ti. Claudio Symmacho Aug. Lib. speclariario domus Palatinarum (legend. fortasse *Palatinae* V. M. h. e. vene pro *bene merenti*) fecit Epictetus nutricio suo. vixit annis LXXXII. V. v. sq. *F.*]

SPĔCŪLĀRIS, e, adj. κατοπτρικός: a *speculum*, vel a *speculor*. *Sen. Q. N.* 1, 5. *med.* Qui speculari ratione effici judicant visum, *h. e.* speculi modo. ℙ *Specularis lapis* est vitri modo translucidus, quo in tenues laminas dissecto utebantur admittendo lumini et ventis excludendis, vitri vice. *Plin.* 36, 22, 45. Specularis vero (quoniam et hic lapis nomen obtinet) finditur in quamlibet tenues crustas. Hispania hunc olim citerior tantum dabat: jam et Cypros, et Cappadocia, et Sicilia, et nuper inventum Africa, etc. Invenitur et niger aliquando. Sed candido natura mira, cum sit mollitia nota, perpetiendi soles rigoresque: nec senescit, si modo injuria non arsit: et *mox:* Invenere et alium usum in ramentis quoque, circum maximum ludis circensibus sternendi, ut sit in commendatione candoris. *Lact. Op. D.* 8. *med.* Mens est, quae per oculos ea, quae sunt opposita, transpicit, quasi per fenestras lucente vitro aut speculari lapide obductas. *Plin.* 9, 35, 56. Indicos uniones specularium lapidum squama assimulat. *Petr. fragm. Trag.* 68. *Burm.* Sustulerunt servi omnes mensas, et alias attulerunt, scobemque croco et minio tinctam sparserunt, et quod nunquam ante videram, ex lapide speculari pulverem tritum. ℙ *Specularia*, *ium*, et *iorum*, absolulte. His obducuntur fenestrae, lecticae, et alia ad defendendum frigus, et ventos. *Sen. ep.* 90. *med.* Quaedam nostra demum prodisse memoria scimus, ut specularium usum, perlucente testa clarum admittentium lumen. *Id. Prov.* 4. *med.* Quem specularia semper ab afflatu vindicarunt. *Id. ep.* 86. *med.* In balneum latis specularibus diem admittere. *Id. Q. N.* 4, 13. Coenationem velis ac specularibus munire. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Zotheca, specularibus et velis obductis, reductisve, modo adjicitur cubiculo, modo auferatur. *Juven.* 4, 21. Quae vehitur clauso latis specularibus antro. *Colum.* 11, 3. *med.* Possunt etiam vasis majoribus (*in quibus sati sunt cucumeres*) rotulae subjici, quo minore labore producantur, et rursus intra tecta recipiantur: sed nihilo minus specularibus integi debebunt, ut etiam frigoribus, serenis diebus, tuto producantur ad solem. *Plin.* 19, 5, 23. Pensiles cucumerum hortos promoventibus in solem rotis olitoribus, rursusque hibernis diebus intra specularium munimenta revocantibus. Adde *Mart.* 8, 14. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 171. *n.* XXXIII. C. Julius Aug. L. a speculariis, *h. e.* qui domus Augustae specularia curat. V. v. praec. ℙ *Specular*, *aris*, in num. sing. absolute, idem ac specularia. *Tert. Anim.* 53. *med.* Unde illi (*animae*), velut per corneum specular, obsoletior lux rerum est, *h. e.* animae corpore, tanquam consepto suo, inclusae difficilior est rerum cognitio. ℙ *Specularis* a *spĕcula*. *Plin.* 7, 56, 57. Specularem significationem Trojano bello Sinon invenit. *Hard.* ex MSS. leg. *specularum*.

SPĔCŪLĀRĬUS et Speclarius, ii, m. qui specula facit in mulierum usum, vel ea, quae cubiculorum parietibus inserebant veteres ad ornamentum, de quibus *Plin.* 36, 26, 67. meminit. *Aur. Arcad. Dig.* 50, 6, 6., ubi est qui mallet *spicularii*, h. e. spiculorum artifices. Enumerat enim *Arcad.* opifices militares. Quis autem locus speculis in exercitu? Sunt tamen *specularii* in *Cod. Just.* 10, 64, 1. et *Cod. Theod.* 13, 4, 2., ubi *Imp. Constant.* artifices, non militares recenset. ℙ Item *speclarius* per syncopen dicitur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 36. M. Ogulnio Feroci aedituo aedis Concordiae collegium speclariorum patrono optimo D. D. Alia ap. *Mur.* 972, 3. C. Pomponius Apollonius Speclar. V. A. XLV. V. SPECIARIUS. [*Multis hunc locum emendavit *F.*]

SPĔCŪLĀTĬO, onis, f. actus speculandi, et explorandi. *Ammian.* 26, 10. Speculationibus fidis Equitius doctus, conversam molem belli totius in Asiam. ℙ [Item contemplatio. *Boeth. Cons. phil.* 4. *pros.* 1. Quae usque adhuc tua fudit oratio, tum sui speculatione divina, tum tuis rationibus invicta patuerunt. *Id. ib.* 5. *pros.* 2. Humanas animas liberiores quidem esse necesse est, cum se in mentis divinae speculatione conservant. *F.*]

SPĔCŪLĀTOR, oris, m. διόπτης, σκοπιήτης, πρόσκοπος, qui tacite, et a longe speculatur, explorator: cujusmodi sunt, quos in bello praemittunt ad res hostium explorandas. [Discrimen, si quod est, inter *explorator* et *speculator*, V. in ea voce. *F.*] *Varr. L. L.* 5, 8. *med.* Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat quae volumus. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. *med.* Gavius iste, quem repentinum speculatorem fuisse dicis. *Liv.* 22, 33. Speculator Carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romae deprehensus. *Id.* 31, 24. Speculator contemplatus regium agmen e specula quadam, etc. *Nep. Alc.* 8. *f.* Cum per speculatores comperisset, vulgum in terram praedatum exisse. *Sall. Jug.* 114. Dicit, sibi ex speculatoribus cognitum, Jugurtham haud procul abesse. *Caes. B. G.* 2, 11. Hac re statim per speculatores cognita, etc. ℙ [*Speculatores* in legionibus, et cohortibus praetorianis primum a M. Antonio institutos fuisse, narrat *Appian. B. C.* 5, 132., ut specularentur et explorarent consilia, itinera et numerum hostium, et comperta tribuno militum renunciarent. Videntur fuisse decem in qualibet legione, ac propterea unus in singulis cohortibus, cum legio ex cohortibus decem constaret. Etenim in *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCXII., a *Jo. Labusio* edita in *Ara di Hainburgo* legitur p. 63. *Cornicularii*, *commentarienses*, *speculatores legionum III. Antoniniarum P. S. devotissimi numini ejus:* scil. imperatoris Caracallae: mox subjiciuntur nomina trium cornicularium, trium commentariensium et triginta speculatorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 169, 7. Schola speculatorum legionum I. et II. Adjutricum. Alia ap. *eund.* 520, 5. Q. Annio Apro speculatori Leg. VI. Gem. Fel., etc. et 540, 10. C. Fabius C. F. Ser. Crispus Cartag. Specul. Coh. VI. Pr. etc. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1222. L. Veturius Praef. turmae speculat. Valerien. *Tac. H.* 1, 25. Barbius Proculus tesserarius speculatorum. *F.*] [*Cf. *auct. b. Hisp.* 13. spe-

culator de legione secunda Pompeiana captus a militibus et interfectus est: unde apparet reipublicae jam temporibus singulas legiones speculatorum ordinem habuisse.] ℙ Ex his eligebantur, qui litteras et mandata imperatorum perferrent. [*Cujusmodi speculatores primum a Suetonio, loco mox l., commemorantur. Ceterum nota, *Tacitum* de hujus generis speculatoribus in historiarum tantum libris, nusquam in annalibus sermonem facere.] *Suet. Cal.* 44. Magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad Forum usque pertenderent. *Tac. H.* 2, 73. Vix credibile memoratu est, quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria, adactum in verba ejus Orientem nunciavere. [*Cf. *Lipsium* ad *Tac. A.* 4, 41.] ℙ [Etiam in militia navali erant speculatores, qui in mari eodem speculandi munere fungebantur. *Inscr.* ap. *Mur.* 855, 3. M. Staberius M. F. Quir. Lacer 7. Coh. VI. Speculat. Class. Misen. Ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 53. habetur nummus M. Antonii, in cujus parte postica sunt tria signa militaria navium proris infixa cum hac *Inscr.* Chortis Speculatorum. *F.*] ℙ Aliquando adsumpti sunt ad custodiam corporis principis, ut satellites, *σωματοφύλακες:* nam speculatores strenuissimi militum esse solebant; [*a speculando s. circumspiciendis insidiis ita dicti. V. *Lips.* ad *Tac. H.* 1, 24., ubi ut falsam damnat scripturam *spiculatores*, et quos citavit *Oudend.* ad *Suet. Cal.* 44. et *Claud.* 35.] Adhibiti sunt etiam, ut carnificis munus obirent sumendo de reis supplicio. *Tac. H.* 2, 11. *f.* Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris praetoriis cohortibus; et *ib.* 33. Cum Othone praetoriarum cohortium, et speculatorum, equitumque valida manus discessit. Adde *ib.* 1, 31. His locis sunt qui leg. *spiculatores:* ut et in illo *Senecae Ira* 1, 16. *med.* Centurio supplicio praepositus, condere gladium speculatorem jubet. ℙ Translate, et extra militiam. *Cic. N. D.* 1, 30. Physicus, id est speculator venatorque naturae. *Prop.* 2, 22, 31. Quo tu matutinus, ait, speculator amicae. *Sil.* 1, 679. Fabius cauta speculator mente futuri. *Liv.* 40, 7. Ad has excipiendas voces speculator e convivis Persei missus. *Sen. Q. N.* 4, 6. Cleonis fuisse publice praepositos *χαλαζοφύλακας*, speculatores futurae grandinis. *Plin.* 11, 8, 8. de apib.: Et subinde consumptis in proximo floribus, speculatores ad pabula ulteriora mittunt. ℙ Item per sync. *Speclator* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 391, 2. Claudius Speclator Aug. Lib.

SPĔCŪLĀTORĬUS, a, um, adj. ad speculandum, vel ad speculatores pertinens: ut Speculatoria caliga, *Suet. Cal.* 52. qua utebantur milites speculabundi consilia hostium. Absolute *speculatoria* est *caliga speculatoria* ap. *Tert. Cor. mil.* 1. Miles speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit, terrae sancte insistere incipiens, calceatus de Evangelii paratura. *Morosissimam* vocat *Auct.*, quia fortasse pluribus ea vinculis adalligari cruribus solebat. *Caes. B. G.* 4, 26. Scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit: naves leviores ad excurrendum et speculandum: has *exploratorias* vocat *Veg.*, et haec de iisdem habet *Mil.* 4, 37. Ne candore prodantur, colore Veneto, qui marinis est fluctibus similis, vela tinguntur et funes: cera etiam qua ungere solent naves, inficitur: nautae quoque vel milites Venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes. *Liv.* 35, 26. *f.* Ipse Philopoemen in levi speculatoria nave fugit. *Id.* 36, 42. *f.* Una et octoginta rostratis navibus, multis praeterea minoribus, quae aut apertae rostratae, aut sine rostris speculatoriae erant, Delum trajecit. ℙ *Speculatorium*, absolute, locus, unde speculamur, specula. *Appul. de Mundo:* Nuncii speculatoriorum incensores assidui. Alii rectius leg. *specularum.*

SPĔCŪLĀTRIX, icis, f. quae speculatur. *Cic. N. D.* 3, 18. *med.* Furiae Deae sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris. *Sen. Contr.* 1, 6. *med.* Dixit, timere se, ne haec speculatrix esset, et piratis omnes occasiones indicaret. *Val. Fl.* 7, 190. Caucasiis speculatrix Juno resedit Rupibus. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Virtus, cum foras spectat, et est fida speculatrix utilitatis alienae, justitia nominatur. [*Inscr.* opt. notae ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 136. Speculatrix ac propugnatrix morum periculorum. *F.*] ℙ Translate. *Stat. Silv.* 2, 2, 3. Cellosa Dicarchaei speculatrix villa profundi, *h. e.* quae mare prospicit.

SPĔCŪLĀTUS, a, um, part. a *speculor*, qui exploravit, aut contemplatus est. *Tac. A.* 2, 40. Speculati noctem incustoditam, vinctum in palatium traxere. *Virg. A.* 10, 290. speculatus litora Tarcho; et *ib.* 5, 515. Jam vacuo laetam *(avem)* coelo speculatus. ℙ Item qui in aqua, veluti in speculo, intuitus est. *Colum.* 6, 35. de equab.: Mentis error discutitur, si deducas ad aquam. Tum demum speculatae deformitatem suam, pristinae imaginis abolent memoriam. ℙ *Speculatum cubiculum* ap. *Suet. Vit. Hor. med.* est speculis circum ornatum. Ceterum illud comma critici insiticium esse putant. [*Plura addidit *F.*]

SPĔCŪLĀTUS, us, m. speculatio. In sexto casu sing. *Plin.* 10, 73, 94. Feles quam occulto speculatu in musculos exsiliunt! Alii leg. *occulte speculatae.*

SPĔCŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. *κατοπτεύομαι*, in speculis sum, prospicio, exploro, contemplor. *Cic. Verr.* 2, 5, 62. *med.* Iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitivorum esse missum. *Ov. Met.* 1, 666. montis sublime cacumen Occupat, unde sedens partes speculetur in omnes. *Prop.* 3, 2, 13. Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus. *Pl. Trin.* 4, 2, 22. Credo edepol, quo mox furatum veniat, speculatur loca. *Id. Most.* 2, 1, 82. Concedam a foribus huc, hinc speculabor procul, unde advenienti sarcinam imponam seni. *Id. Mil.* 3, 1, 13. Speculabor, ne quis nostro consilio venator adsit; et *Truc.* 4, 1, 10. Nunc speculabor, quid ibi agatur. *Cic. Tusc.* 5, 20. *med.* Sic noctu ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur et perscrutaretur ante. *Id. Fl.* 24. Cum speculatur atque obsidet Rostra vindex temeritatis, et moderatrix officii curia. *Id. Cat.* 1, 2. *extr.* Multorum te oculi et aures non sentientem speculabuntur atque custodient; et *Sall. Jug.* 116. Praemissus ab Jugurtha subdole speculatum ejus consilia. *Just.* 25, 3. *f.* Amissi regni speculaturus eventum Thessalonicam se recepit. *Id.* 31, 2. Senatus ad speculandos actus Annibalis legatum in Africam mittit. *Tac. H.* 3, 38. Principum offensas acriter speculari; et *Vell.* 2, 120. *med.* Speculari opportunitatem. ℙ Item intueor, contemplor. *Just.* 22, 6. *med.* Castra deinde quinto lapide a Carthagine statuit, ut damna carissimarum rerum, vastitatemque agrorum, et incendia villarum de muris ipsius urbis specularentur. *Virg. G.* 1, 257. signorum obitus speculamur et ortus; et *ib.* 4, 166. de apib.: Inque vicem speculantur aquas et nubila coeli.

SPĔCŬLUM, i, n. *κάτοπτρον*, instrumentum ex vitro, chalybe, argento, stanno, et similibus, in quo imaginem nostram videmus; a *specio:* a quo *speciculum*, et per sync. *speculum*, ut *Prisc.* docet 4, 626. De usu speculorum multus est *Sen. Q. N.* 1, 17. Speculum argenteum memorat *Plin.* 33, 9, 45. primum fecisse Praxitelem, Pompeji M. aetate: cum apud majores fuerint Brundisina, ex stanno et aere mixtis. Brundisina, inquam, quia Brundisii in hanc rem laudatissima ex stanno temperabantur, donec argenteis uti coepere et ancillae, ut *Id.* ait 34, 17, 48. Speculo e smaragdo utebatur Nero spectandis gladiatoribus, ut *Id.* 37, 5, 16. narrat. Item e carbunculis nigrioribus specula fieri, *ib.* 7, 25. tradit. *Id.* 28, 7, 23. Hebetata aspectu specula recipere nitorem. *Id.* 7, 15, 13. Speculorum fulgor. *Cic. Univ.* 13. *f.* Imagines, quae finguntur et redduntur in speculis; et *ib.* 14. Speculorum laevitas. *Ov. A. Am.* 3, 135. quod quamque decebit, Eligat, et speculum consulat ipsa suum. *Id. Met.* 15, 232. Flet quoque, ut in speculo rugas aspexit aniles Tyndaris. *Hor. Od.* 4, 10, 6. quoties in speculo te videris alterum. *Mart.* 6, 64. Tonsus ad speculum. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 43. Suam imaginem pinxit ad speculum. *Mart.* 9, 17. Consilium formae speculum. *Appul. Apol.* Specula vel uda, vel suda, plana, tumida et globosa, cava. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. §. 8. Nec speculum vel parieti adfixum, vel etiam quod mulier mundi causa habuit, argenti appellatione continebitur. *Isid. Or.* 16, 15. Obsidius lapis niger est. Ponitur in speculis parietum, propter imaginum umbras reddendas. ℙ De ipsa imagine. *Pl. Men.* 5, 9, 4. *Men. Sos.* Quid vides? *Mes.* speculum tuum. *Men. Sos.* quid negotii est? *Mes.* tua est imago, tam consimilis, quam potest. ℙ *Speculo placere* ap. *Ov. A. Am.* 3, 681. est placere propter cultum et ornatum corporis: quia mulieres ad speculum fingi et ornari solent. ℙ *Lympharum speculum* ap. *Phaedr.* 1, 4. est aqua pellucida, quae, veluti speculum, imagines reddit. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 5, 22. Pueri, in quibus, ut in speculis, natura cernitur. *Ter. Ad.* 3, 4, 51. Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. *Macr. Sat.* 5, 2. *med.* Omne opus Virgilianum de quodam Homerici operis speculo formatum est, *h. e.* in Homeri opus, tanquam in speculum, inspiciendo. ℙ *Speculus, i*, m. gen. h. e. parvus specus, usurpatus est a quodam *Paul. Aquilej.* ap. *Barth.* in *Advers.* 43, 17. In speculo falsitatis se occulere, *h. e.* angulo. Cave usurpes. ℙ [*Confund. *speculum* et *specillum.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 339. *a.*]

SPĔCŬS, us, m. olim f. aliquando et n. *σπέος, ἄντρον*, cavitas montis, rupes cavata, antrum, spelunca: a voce Graeca allata. *Virg. G.* 4, 418. est specus ingens Exesi latere in montis. *Hor. Od.* 3, 25, 2. quae in nemora, aut quos agor in specus! *Ov. Met.* 3, 29. Est specus in medio *(silvae)* virgis ac vimine densus, Efficiens humilem lapidum compagibus arcum, Uberibus fecundus aquis: hoc conditus antro, etc. *Id. ib.* 4, 409. specus est tenebroso caecus hiatu. *Id. Fast.* 4, 495. Est specus exesi structura pumicis asper. *Suet. Ner.* 31. *extr.* Thesauri vastissimis specubus abditi. *Claud. Fesc.* 18. Cum post labores sub platani voles Virentis umbra, vel gelido specu Torrentiorem fallere Sirium. *Liv.* 1, 21. Fons perennis ex opaco specu. *Gell.* 5, 14. *med.* Specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro et recondo. *Varr.* ap. *Non.* 3, 194. Specus tenebricosa. *Accius ib.* (*Prisc.* 6, 713. citat *Pacuv.*) scruposa. *Pacuv.* ap. *Fest.* Strata arena ingens specus. *Enn. ib.* Sub monte altae specus intu' patebant, (Aliter hunc locum referunt *Fest.* et *Prisc. l. c.*) *Sen. Troad.* 178. Scissa vallis aperit immensos specus. ℙ De Inferis. *Virg. A.* 7, 568. Hic specus horrendum, saevi spiracula Ditis Monstratur. (*Serv.* notat, antiquos codices habere *horrendus:* quod sane minus apte sonaret hoc loco. Quare *horrendum* retinere satius est, et genus neutrum: quod imitatus est *Sil.* 13, 425. qua se primum rupta tellure recludit Invisum coelo specus.) *Sen. Ag.* 2. Adsum profundo Tartari emissus specu. *Id. Thyest.* 105. Gradere ad infernos specus. *Id. Hipp.* 1201. Taenarei specus. *Id. Med.* 742. Tartari ripis ligatos squalidae Mortis specus. ℙ De caverna manu excavata. *Virg. G.* 3, 376. de Scythis: Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra. *Suet. Ner.* 48. Hortante Phaonte, ut in specum egestae arenae concederet. *Varr. R. R.* 3, 17. *extr.* Perducere specus e piscinis in mare. *Liv.* 10, 10. Specu facto, ad stationes Romanas itinere occulto perveniunt. Adde *Vitr.* 10, 22. ℙ De canali tecto in aquaed., per quem defluit aqua. *Front. Aquaed.* 17, 91, 124. et al. *Vitr.* 8, 7. ℙ Translate. *Virg. A.* 9, 700. reddit specus atri vulneris undam Spumantem. Ubi *Servius:* Poetica exaggeratio: specum enim pro cavatione posuit. De alvo *Phaedr.* 4, 5. de mustela: Quos immolatos victor avidis dentibus Capacis alvi mersit tartareo specu. *Sil.* 6, 276. de serpente: specus ultima jamque Ingenti cauda .... Haeret humi, *h. e.* imus venter. Alii *spes* pro *specus* leg. *Petr. Sat.* 89. de equo Trojano: Aperitur ingens claustrum, et obducti specus, Qui castra caperent. *Auct. Priap.* 83, 34. Triplexque, quadruplexque compleas specum, *h. e.* terque quaterque ineas pudendum muliebre. ℙ In secunda declin. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 713. Speca apposita, quo aqua devia abiret. *Accius* ap. *Non.* 8, 31. Quod Dii depressum altis clausere specis.

SPEGMĀ, ātis, n. *Plin.* 34, 13, 36. In aerariis officinis et spegma fit, jam liquato aere, atque percocto, additis etiamnum carbonibus flatuque accensis: ac repente vehementiori flatu exspuitur aeris palea quaedam. Solum, quo excipiatur, esse stratum debet. *Hard.* fatetur, sic esse etiam in MSS. Mallet tamen *psegma*, *ψῆγμα*, quae vox Graece ramenta et micas significat: a *ψάω*, radendo detergeo: aptiorque huic aeris paleae esse videtur.

SPĒLAEUM et Spelēum, i, n. *σπήλαιον*, spelunca: a *σπέος*, specus. *Virg. Ecl.* 10, 52. Certum est in silvis inter spelaea ferarum Malle pati. *Claud. B. Get.* 354. spelaea subit metuenda ferarum. *Prud. tetrastich. vet. Testam.* 5. hoc illud millibus emptum Speleum, sanctae requies ubi parta favillae, *h. e.* spelunca, in qua sepelivit Abraham uxorem suam Saram, ut habetur *Genes.* 23, 17. ℙ In sacris Mithrae qui initiabantur, in spelunca arcanis caeremoniis operam dabant: quare ubicumque id sacrum fiebat, spelunca effodiebatur. V. MITHRAS. *Tert. Cor. mil. f.* Qui cum initiatur in spelaeo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, dehinc capiti suo accommodatam monetur obvia manu depellere, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 34, 5. Deo Soli Invicto Mithrae Fl. Septimius Zosimus hoc speleum constituit. Adde *ib.* 7. et 9. quae habentur etiam ap. *Manut.* in *Orthogr.*, cui propterea magis placet sine diphthongo scribi. Contra *Dausqu.* diphthongum retinet ex Graeca origine. ℙ *Fuit et Spelaeum nomen loci in Macedonia, prope Pellam. *Liv.* 45, 33. *B. A.*

SPELTĀ, ae, f. genus frumenti, quod idem putatur cum zea. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 10. Semina sex alii siliquis latitantia curvis Attribuunt scripulo, lentes veraciter octo, Aut totidem speltas numerant tristesve lupinos. [*Hieron. in Ezech.* 1, 4, 9. Quam nos viciam interpretati sumus, Septuaginta, Theodotioque posuerunt *ὀλύραν*, quam alii avenam, alii secale putant. Aquilae autem prima editio, et Symmachus *ζέας*, sive *ζείας* interpretati sunt, quas nos vel far, vel gentili Italiae Pannoniaeque sermone spicam, speltamque dicimus. V. *Edict. Dioclet. l. c.* in SCANDULA et ALICA et FAR. *F.*]

SPĒLUNCĀ, ae, f. *σπήλυγξ, γγος*, specus, antrum: [est a Graeca voce allata. *F.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Spelunca quaedam infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse. *Virg. A.* 1, 64. ventos Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris; et *ib.* 6, 237. Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu; et *ib.* 8, 193. Hinc spelunca fuit vasto summota recessu Semihominis Caci. *Ov. Am.* 3, 1, 3. Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens. *Val. Fl.* 4, 177. spelunca apparuit ingens, Arboribus super et dorso contecta minanti. *Prop.* 3, 2, 27. affixis viridis spelunca lapillis. ℙ [*Spelunca*, villae nomen, inter mare Amyclanum Fundanosque montes, nativo in specu; cujus os, lapsis repente saxis, obruit quosdam ministros Tiberii: cum Sejanus genu vultuque et manibus super Caesarem suspensus, opposuit se incidentibus, atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. Haec fere ex *Tac. A.* 4, 59. V.

Suet. Tib. 39. et *Plin.* 3, 5, 9. Nunc locus ille *Sperlonga* dicitur. *F.*]

SPELUNCAE, arum, nomen loci in Apulia. *Anton. Itin. B. A.*

SPĔLUNCOSUS, a, um, adj. cavatus in modum speluncae. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *in.* Loca speluncosa.

[SPENDO, onis, et *F.*]

[SPENDON, ontis, m. libans, sacrificans: *σπένδων*, particip. praes. act. a *σπένδω*, sacrifico. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 865, 12. L. Varius Spendo. Alia ap. *Fabr.* p. 66. *n.* 15. L. Caecilius Spendon. Alia ap. *Grut.* 939, 5. Locus sepulturae emptus de P. Didio Spendonte. *F.*]

[SPENDŪSĂ, ae, f. *σπένδουσα*, part. praes. act. a *σπένδω*, sacrifico. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 605, 10. Claudia Spendusa. *F.*]

SPĔRĂ. V. SPHAERA.

SPĔRĂBĬLIS, e, adj. *ἐλπιστὸς*, qui sperari potest. *Pl. Capt.* 3, 3, 3. Hic ille est dies, cum nulla vitae meae salus sperabilis est.

[SPĔRĂTĪNUS, a, um, adj. ad speratum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 494, 4. Insequens Speratinus. *F.*]

[SPĔRĂTĬO, onis, m. dimin. sperati. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Grut.* 1114, 2. Speratio Caesaris verna hic situs est. *F.*]

SPĔRĂTUS, a, um, part. a *spero*: *ἐλπισθείς*. *Cic. Q. Fr.* 1, 15. Cogita, nos non de reliqua et sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare. *Liv.* 28, 41. Magis partam, quam speratam gloriam amplecti. *Caes. B. G.* 6, 7. Ne speratam praedam ex manibus dimitterent. *Hor. Ep.* 2, 1, 9. Ploravere suis non respondere favorem Speratum meritis. *Pl. Stich.* 4, 2, 5. (parasitus loquitur) Sperate Pamphilippe, o spes mea! salve: salvum gaudeo peregre te in patriam redisse. *Id. Merc.* 3, 4, 13. et 5, 2, 2. Spem speratam cum obtulisti hanc mihi, grates ago. ℙ *Speratus*, is, quem sibi maritum fore aliqua sperat: *sperata*, quam quis sibi sperat uxorem. V. PACTUS. *Afran.* ap. *Non.* 2, 810. Curre, et nuntia venire me, et meum speratum adduce. *Id. ib.* Speratam non odi tuam. *Pl. Poen.* 5, 4, 97. Sperata, salve. *Arnob.* 4, 140. Uxores Dii habent? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? Adde *Pl.* ap. *Varr. L. L.* 5, 7. *f.*, *Hyg fab.* 31. et 33. et *Non.* 5, 69. ℙ Blandiendi gratia etiam uxor *sperata* dicitur. *Pl. Amph.* 2, 2, 44. Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam.

SPERCHĒIS, ĭdis, f. *Σπερχίς*, patronym. a Spercheos, *Σπερχειός*. *Ov. Met.* 2, 250. Aestuat Alpheos, ripae Spercheides ardent; et *ib.* 7, 230. Necnon Peneae, necnon Spercheides undae. Est qui leg. *Sperchiades* eod. sensu. V. v. sq.

SPERCHĒOS et Sperchīus, i, m. *Σπερχειός* et *Σφερχειὸς*, fluvius Thessaliae, qui ex Pindo oriens in sinum Maliacum defluit: in cujus faucibus Echinus, oppidum, situs est, ut *Plin.* 4, 7, 14. docet. Huic Achilles voverat comas, si Troja incolumis rediisset. Per *e* rectius scribi videtur, quam per *i*, ut ab *Ἀλφεῖος*, Alpheus, a *Πηνειὸς*, Peneus, etc. quamquam et altera scriptio proba est. *Virg. G.* 2, 487. Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis Taygeta. *Ov. Met.* 1, 579. Populifer Spercheos, et irrequietus Enipeus. *Stat. Th.* 4, 838. Sperchiusque minax. *Id. Achill.* 1, 239. Et tenuis Sperchios aquis; et *ib.* 628. quaerisne meos, Sperchie, natatus, Promissasque comas? ℙ Est etiam hoc nomine oppidum apud eundem fluvium. *Plin. l. c.* ℙ Item grammaticus quidam ap. *Auson. Profess.* 8, 2.

*SPERCHĪAE, arum, f. opp. Thessaliae, i. q. Spercheos. *Liv.* 32, 13.

SPERCHĪŌNĪDES, ae, m. patron. *Ov. Met.* 5, 86. Caucasiumque Abarin, Sperchionidenque Lycetum, *h. e.* habitantem juxta ripas Sperchii amnis.

SPERCHĪUS. V. SPERCHEOS.

SPĔRES, Antiqui pluraliter dicebant, ut Ennius lib. secundo: Et semel effugit speres ita funditu' nostras. Ex lib. sextodecimo: Spero, si speres quidquam prodesse potis sunt. Haec *Festus. Varr.* ap. *Non.* 2, 788. Sublimis speribus natato maria. *Id. ib.* et 1, 54. Et aviditatem speribus lactet suis. *Eum. Pan. Constant.* 15. Pleni sperum, vacui commodorum. ℙ *Nonius ib.* etiam *sperem* in singulari usurpatum dicit, sed nullo exemplo confirmat.

SPERMA, ătis, n. *σπέρμα*, semen: a *σπείρω*, sero. *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 1, 11. ex *Genes.* 38, 9. Onan, quia spermata in terram effunderet, exstinctus a Domino refertur. **Schol. Antiq.* in *Juvenal. Sat.* 1, 42. p. 578. ed. *Cramer. B. A.*

SPERMĂTĬCUS, a, um, adj. *σπερματικὸς*, ad sperma pertinens. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. *n.* 180. Seminales vias Graeci spermaticos poros appellant.

SPERNAX, acis, adj. omn. gen. *καταφρονητής*, qui spernit, et contemnit. *Sil.* 8, 465. Ductor Piso viros spernaces mortis agebat. *Sidon. ep.* 4, 9. Nec in proferendo alloquio minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax.

SPERNO, is, sprevi, spretum, a. 3. *ἀφορίζω*, separo, segrego. *Enn.* ap. *Non.* 4, 435. Melius est virtute jus: nam saepe virtutem mali nanciscuntur: jus atque aequum se a malis spernit procul. *Pl. Capt.* 3, 3, 2. Nunc spes, opes, auxiliaque a me segregant spernuntque se. *Id. Mil.* 4, 6, 17. Ille illas spernit segregatque ab se omnes, extra te unam. ℙ Item rejicio, abspello, fastidio, contemno, *ἀπίζω*. *Virg. A.* 4, 678. comitemne sororem Sprevisti moriens? *Id. ib.* 7, 261. Munera nec sperno. *Pl. Mil.* 4, 4, 34. Te ita volo assimulare, prae illius forma quasi spernas tuam. *Cic. Phil.* 13, 9. *f.* Neque eos solum praesentes, sed multo magis nos, a quibus illi erant missi, sprevit et pro nihilo putavit. *Hor. Sat.* 2, 2, 14. siccus, inanis sperne cibum vilem. *Plin. ep.* 8, 6. *med.* Spernere sestertium centies quinquagies, *h. e.* recusare. *Hor. Ep.* 1, 2, 55. Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas. *Id. Od.* 3, 3, 49. Spernere aurum. *Ov. Met.* 8, 740. numina Divum. *Phaedr.* 3, 10. Nil spernat auris, nec tamen credat statim. ℙ Plus est quam *contemno:* importat enim insuper rejectionem et fastidium. Habet autem locum saepe in amoribus. *Pl. Mil.* 4, 2, 59. Ut quae te cupit, eam ne spernas. *Ov. Met.* 14, 35. spernentem sperne: sequenti Redde vices. *Tibull.* 1, 4, 77. me, qui spernentur amantes, Consultent. *Ter. Eun.* 1, 2, 91. Ob haec facta abs te spernor. *Cic. Coel.* 15. *extr.* Cur huic, qui te spernit, molesta es? *Sen. Herc. Fur.* 348. non equidem reor Fore ut recuset, ac meos spernat toros. ℙ Part. *Spernendus* ap. *Liv.* 30. *f.* Polybius haudquaquam spernendus auctor. *Colum.* 1, 1. Non spernendus auctor rei rusticae Saserna. *Tac. A.* 14, 40. Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur. ℙ *Sprerunt* syncope pro *spreverunt* est *Prudentii* in *Dittoch. n.* 31. [*Cf. de hoc et sequenti verbo *Doederl.* 2, 178. sq. et 3, 323.]

[SPERNOR, aris, dep. 1. idem ac adspernor. *Front. de eloqu.* (ed. *A. Maio*) p. 227. Si placebis tibi pio aliquo cultu parentis, pietatem spernabere? *F.*]

SPĔRO, as, avi, atum, a. 1. [*Indefinitae est potestatis verbum, cujus etymon *Doederl.* 3, 56. a *specerare*, forma intensiva ad modum verborum *lacerare* et *tolerare* facta a *specere*, Gr. *ΣΚΕΠΕΙΝ*, ducendum putat. Hinc proprie non in spe esse s. spem habere significat, sed in universum de incertis futuri eventis, sive bonis, sive malis, quae exspectantur, dicitur, Gr. *ἐλπίζω*, *Gall. esperer*, nostr. *vermuthen*. Cf. *Perizon.* ad *Sanct. Min.* 4, 14, 21. p. 442. *Ed. B. Vechner. Hellenolex.* p. 509. ibique *Heusing. Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 4, 10. — *Charis.*, *Donatus*, et alii permulti catachresin agnoscunt: negat *Voss. Instit. orat.* 4, 12, 3., sed *sperare* poni pro opinari, putare, credere futurum, id quod nolumus. Exempla *Noster* infra laudaverat ista:] *Cic. Rosc. Am.* 4. Sin a vobis (id quod non spero) deserar, tamen animo non deficiam. *Pl. Most.* 1, 3, 39. *Sca.* Moneo ego te: te deseret ille aetate et satietate. *Phil.* non spero. *Sca.* Insperata accidunt magis saepe, quam quae speres. *Q. Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. Te tam mobili in me meosque esse animo, non sperabam. *Virg. A.* 4, 419. Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero. (*Quint.* 8, 2. Proprietati contrarium est vitium id, quod apud nos improprium, *ἄκυρον* apud Graecos, vocatur: quale est, tantum sperare dolorem.) *Val. Fl.* 3, 294. Exstinguine mea (fatis hoc defuit unum) Speravi te posse manu? *Stat. Th.* 6, 138. Non hoc Argolidum coetu circumdata matrum Speravi, te, nate, sequi. *Flor.* 3, 1. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Adde *Virg. A.* 11, 275., *Prop.* 2, 4, 3., *Stat. Th.* 2, 607., *Ter. Andr.* 2, 3, 21. et *Treb. Gall.* [*Adde *Suet. Caes.* 60. quum minime quis moturum speraret: ubi mera interpretatio est *putaret*. V. *Oudend.* ad h. l. et ad *B. Alex.* 63. *Duk.* ad *Flor.* 3, 1.] ℙ Huc et illa pertinent. *Virg. A.* 1, 546. Si genus humanum, et mortalia temnitis arma, At sperate Deos memores fandi atque nefandi. Ubi *Servius:* Abusive, timete, ut alibi (*A.* 4, 419.) Hunc ego si potui, etc. Veteres tamen sperare dicebant, Deorum auxilia rogare. Plautus in Milite (4, 5, 10.) Deos sperabo, teque postremo. In Casina (2, 5, 38.) Diis sum fretus: Deos sperabimus. Haec *Serv.* Sed loca *Plauti* per ellipsin rectius intelligi videntur: *Deos propitios fore sperabo.* Sic *Cist.* 2, 3, 51. Perfectum ego dabo negotium. *Phan.* Deos teque spero. ℙ Hujus generis esse ajunt et illud *Juven.* 4, 57. jam quartanam sperantibus aegris. Alii, quod *Cels.* dixit 3, 15. *f.* quartanam neminem jugulare, aegros intelligunt in eam optare verti quotidianam febrem, quia extra periculum erunt. ℙ [*Maxime autem in bonam rem dicitur atque idem est, quod] spem habeo, in spe sum, confido, exspecto, fiduciam habeo quippiam ex voto successurum: cui *timeo* contrarium est. *Cic. Cluent.* 7. Ut neque accusator timere, neque reus sperare debuerit. *Id. Att.* 6, 9. Spero enim, et, ut me jubet Acastus, confido, te jam, ut volumus, valere. *Id. Fam.* 12, 18. Id ego et speraram, prudentia tua fretus; et ut confiderem, fecerunt tuae gratissimae mihi litterae. *Nep. Mil.* 1. Ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui. *Cic. Att.* 13, 17. Tuae litterae recte sperare jubent. *Id. Dejot.* 14. Jubes enim, eum bene sperare, et bono animo esse. *Id. Att.* 1, 13. *med.* A quo nihil speres boni reipublicae, quia non vult: nihil metuas mali, quia non audet. *Caes. B. G.* 5, 40. *extr.* Legatos ad Caesarem mittant: sperare se pro ejus justitia, quae petierint, impetraturos. *Id. B. C.* 3, 7. Omnia ex victoria, et ex sua liberalitate sperarent; et *ib.* 96. *extr.* Ut a quo genere hominum victoriam sperasset, ab eo initio fugae facto, paene proditus videretur. *Cic. Att.* 9, 7. Ita neque de otio nostro spero jam. *Id. Tusc.* 1, 34. Spero, fore, ut contingat id nobis. *Q. Cic. Pet. cons.* 5. *med.* Qui abs te aliquod beneficium aut habent, aut, ut habeant, sperant. *Plin. Pan.* 37. Quae nunquam ut aliena et speranda, sed ut sua semperque possessa cepissent. *Prop.* 2, 7, 45. de Penelope: Visura et quamvis nunquam speraret Ulyxem, Illum exspectando facta remansit anus. *Ἑλληνισμός:* quamvis numquam se visuram speraret. ℙ Interseritur sermoni, ut *credo*, etc. *Ter. Andr.* 2, 1, 14. Interea fiet aliquid, spero. *Id. Ad.* 3, 4, 47. Salvus sit, spero: est similis majorum suorum. *Cic. Fat.* 2. Oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti. *Id. Arch.* 2. Quaeso, ut mihi detis hanc veniam, accomodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam. ℙ Saepe jungitur cum infinitis praesentis temporis, in quibus tamen quaedam semper vis futuri intelligitur. *Cic. Att.* 1, 1. Ita quiddam spero nobis profici, cum percrebrescit, plurimos nostros amicos inveniri; et *ib.* Cetera spero prolixa esse. *Ter. Eun.* 3, 3, 14. Credo, ei placere huc: sperat a me avellere. *Cic. Fam.* 1, 6. *med.* Spero, te mihi ignoscere, si ea non timuerim. *Id. Att.* 12, 6. *extr.* Spero esse, ut volumus. *Id. Fat.* 8. Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos, ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut, etc. [*Liv.* 25, 6. nisi hoc sperassemus, in provinciam nos ad grave bellum mitti, et sanguine nostro senatui satisfacturos esse.] *Ter. Eun.* 5, 3, 11. Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo. ℙ Item praeteriti, et simile est v. opinor, credo. *Cic. Att.* 1, 1. *f.* Spero me tibi causam probasse: cupio quidem certe. *Ter. Ad.* 1, 2, 72. Sperabam jam defervisse adolescentiam. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. *f.* De nostra Tullia spero cum Crassipede nos confecisse. *Sen. Ben.* 1, 14. Habeat aliquam familiarem notam, per quam speret, se propius admissum. *Catull.* 84, 3. Et tum mirifice sperabat se esse locutum, Si, etc. ℙ Metonymice est suscipere, conari, aut cogitare. *Colum. praef.* 1. *med.* Nec si illa praestantis ingenii vis defecerit, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi; sed quod sapienter speravimus, perseveranter consectari. ℙ [*Discrimen inter *sperare* et *exspectare* *Doederl.* l. l. non in eo tantum ponit, quod v. *exspectare* rei exitum qualemcunque sensu latissimo respiciat, *sperare* plerumque felicem eventum spectet; sed in v. *exspectare* etiam optandi, metuendi ideoque consilii cujusdam latere notionem, *spero* autem ut in cogitatione positum non nisi opinionem significare. Hinc *exspectare*, nisi objecti locum substantivum teneat, semper cum *ut* vel *dum*, *sperare* semper cum infin. construi. At construitur *spero* etiam cum *ut* et conjunct. Cujus generis exemplum laudaverat *Noster Q. Cic. Pet. cons.* 5. *med.* Qui abs te aliquod beneficium aut habent, aut, ut habeant, sperant. Adde *Caes. B. C.* 3, 85. Hoc sperans, ut movendis castris pluribusque adeundis locis commodiore frumentaria re uteretur: ubi v. *Held. Sen. Contr.* II, p. 281. *Bip.* Non speramus, ut Flamininum judex probet, sed ut dimittat. Disputant in hanc rem *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 87. *Brem.* ad *Nep. Hann.* 1, 1. *Gernh.* ad *Cic. Sen.* 4, 14. *Ramsh.* §. 183. *Zumpt.* §. 623. ℙ Confund. *sperare*, *putare*, *existimare*. V. *intpp.* ad *Cic. Sull.* 1, 2. — *Spero* et *spiro*. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 137. — *Sperare* et *spectare*. *Id.* ad *Eund.* 4, 797. 5, 523.]

*SPERNŬLIS, is, *καταφρονητὴς Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SPES, spei, f. [*Ut gr. *ἐλπὶς* sensu latissimo dicitur de incertis rerum futurarum eventis, sive bonis, sive malis, quae exspectantur. V. SPERO. Hinc primo loco posuimus exempla, in quibus, ut de rebus malis, pro metu, timore v. *spes* positum docent. *Sall. Cat.* 20, 13. mala res, spes multo asperior. *Id. Jug.* 88, 1. Metellus, contra spem suam, laetissumis animis excipitur. *Forc.* laudaverat ista:] *Lucan.* 5, 454. Coelo languente fretoque, Naufragii spes omnis abit. *Stat. Th.* 9, 129. dum spes nulla necis. *Liv.* 2, 3. Cum haud cuiquam in dubio esset, bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit. ℙ [*Longe vero frequentissimus hujus verbi usus est, quo in rebus bonis dicitur et significat fiduciam, exspectationem boni.] (V. *Tibull.* 2, 7. *in.*) *Cic. Tusc.* 4, 37. *med.* Si spes est exspectatio boni, mali exspectationem esse necesse est metum. *Id. N. D.* 3, 6. Miserum est, nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremum, et tamen commune solatium. *Id. Cat.* 2, 11. *f.* Bona spes cum omnium rerum desperatione confligit. *Id. Att.* 11, 11. Ne spes quidem ulla ostenditur, fore melius. *Id. Fam.* 12, 1. Reipubl. omnis spes in vobis est. *Id. Att.* 9, 10. *med.* Aegroto, dum anima est, spes esse dicitur. *Ter.*

Heaut. 5, 2, 28. *Sy.* Modo liceat vivere, est spes. *Clit.* quae? *Sy.* nos esurituros satis. *Id. Ad.* 3, 5, 9. In te spes omnis, Hegio, nobis sita est. *Id. Eun.* 2, 2, 9. Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet? *Cic. Tusc.* 1, 41. Spes me tenet, bene mihi evenire. *Id. Cluent.* 3. Spes me tenet, hunc locum futurum, etc. *Liv.* 27, 28. *med.* Spes affulget. *Ter. Andr. prol.* 25. Quid spei sit reliquum. *Caes. B. C.* 2, 5. Plenus spei bonae atque animi adversus eos proficiscitur. *Tac. A.* 14, 53. Quartusdecimus annus est, ex quo spei tuae admotus sum, *h. e.* sum tibi magister datus. *Cic. Tusc.* 5, 12. *in carm.* In se ipso omnem spem sui reponere. *Id. Or.* 1, 7. omnem dignitatis suae in aliquo collocare. *Id. Verr.* 2, 5, 16. *extr.* sibi aliquam in aliqua re ponere. *Id. ib.* 6, 1. omnem otii ponere in aliquem. *Id. ib.* 2, 14. *f.* bonam de se habere. *Petr. Sat.* 97. Hic spem pleniorem concepit, quo diligentius oppessulatas invenit fores. *Cic. Fam.* 9, 1. In spem venio, appropinquare tuum adventum; et *ib.* 12, 25. In spem libertatis ingressus sum. *Id. Att.* 3, 16. Litterae spem faciunt mihi. *Id. Sext.* 43. et *Lig.* 10. *f.* Spem dare. *Id. Agr.* 1, 8. ostendere improbis, timorem bonis injicere. *Id. Fam.* 3, 6. et *ib.* 6, 9. et *Att.* 7, 16. afferre. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. abjicere. *Hor. Sat.* 2, 5, 26. deponere. *Cic. Mur.* 13. perdere. *Id. Verr.* 2, 1, 7. *med.* corrumpendi judicii alicui praecidere. *Id. Cat.* 4, 4. *med.* eripere; et *ib.* 11. alicujus fallere, aut superare. *Quint.* 1, 1. de aliquo quam optimam capere. *Cic. Planc.* 23. Excitare aliquem ad spem. *Id. Dom.* 10. Erigere ad spem libertatis; et *ib.* 28. *f.* In spem maximam et verisimam adduci. *Id. Phil.* 10, 10. Magna spe et prope explorata libertatis causam suscepimus. *Id. ad Pompej. post ep.* 2, 11. *l.* 8. *ad Att.* Eram in magna spe, fore, ut, etc. et *ib. f.* Dum in spe pax fuit. *Id. Att.* 6, 1. *f.* De Egnatii nomine nec nulla, nec magna spe sumus; et *ib.* 11, 19. Quod nulla equidem habeo in spe; et *ib.* 13, 23. *f.* Id quidem in optima spe pono. *Id. ad Pompej. post ep.* 1, 11. *l.* 8. *ad Att.* Nunc auctoritate et consilio tuo in spe firmiore sumus; et *ib.* 6, 2. *med.* Magna in spe sum, nihil mihi temporis prorogatum iri. *Ter. Heaut.* 2, 3, 9. Quanta de spe decidi! *Id. Eun.* 5, 8, 1. Qua spe, aut quo consilio huc imus? *Cic. Mur.* 15. *f.* Hostium classis Italiam, spe atque animis inflata, peteret. *Id. Agr.* 1, 9. Spe duci. *Id. Att.* 3, 9. *med.* niti. *Id. Fam.* 5, 13. *med.* teneri. *Sen. ep.* 8. decipi. *Ter. Andr.* 4, 1, 24. falsa producere aliquem. *Petr. Sat.* 140. *extr.* capi. *Just.* 11, 1. *med.* aliquem implere. *Cic. Phil.* 2, 18. *f.* Adolescens summa spe et animi et ingenii praeditus. *Liv.* 9, 23. *extr.* Contra spem, *h. e.* contra quam sperabatur. *Cic. Fam.* 4, 4. Praeter spem. *Just.* 2, 6. Ultra spem. *Scrib. Comp.* 122. Supra hominis spem. ℙ *Spem pretio emere*, rem incertam certa jactura quaerere, proverb. ap. *Ter. Ad.* 2, 2, 11. ℙ *Tac. A.* 1, 8. Augusti testamentum Tiberium et Liviam heredes habuit: in spem secundam nepotes pronepotesque. Primam spem hereditatis habebant Tiberius et Livia: secundam, si hi defecissent, nepotes pronepotesque. [**Hor. Sat.* 2, 5, 47. leniter in spem Adrepe officiosus: ubi v. *Heindf.*] ℙ Cum officii alicujus denominationi additur *spe*, idem valet ac designatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 393, 5. C. Coelio Aniceto Mil. Coh. II Pr., Sing. Trib., spe Beneficiario. Huic ordo sanctissimus decurionum ob spem processus ejus honorem decurionatus gratuitum obtulit, etc. ℙ Metonymice *spes* est id ipsum, in quo spem habemus. *Virg. Ecl.* 1, 14. capella modo gemellos, Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit. *Id. G.* 4, 162. aliae *(apes)* spem gentis adultos Educunt fetus. *Id. A.* 2, 281. O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum. [*Ita saepissime *spes* dicitur de liberis propter spem, quam parentes de bonis liberis habent. Haec *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 94., ubi laud. *Petr.* 4. Spes suas ambitioni donant. *Ov. Met.* 2, 719. Spemque suam motis avidis circumvolat alis. V. *Gron. Observv.* 3,23. p. 319. *ed. Fr.* Cf. *Ruhnk.* etiam ad *Albin.* 39. — *Spald.* ad *Quint. prooem.* 6, 12., ubi *spes* in plur. de uno filio dicitur: quod ex usu factum docent *Drak.* ad *Liv.* 4, 36, 2. et *Reitz.* ad *Lucian. Tyrannic. Vol.* 4. p. 601. *Bip. ib.* p. 525. — *Vell.* 2, 103, 1. Sed fortuna, quae subduxerat spem magni nominis, jam tum reipublicae sua praesidia reddiderat. *Suet. Tib.* 11. quasi ad occasionem majoris spei commoraretur, i. e. imperii. *Burm.* praefert *rei*, quam recte *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 730. inutilem judicat mutationem. Cf. etiam *Brem.* — *Id. Vit.* 14. nova spe, i. e. spe rerum novarum v. *Oudend.* 14. nova spe, i. e. spe rerum novarum v. *Oudend.* ad h. l. et *Tib.* 11. ℙ Saepissime *spes* et *res* sibi opponuntur, ubi *spes* i. q. *species* in dicendi rationibus: *in speciem*, *specie*, etc. *Cic. Or.* 30. *f.* Sunt omnia, sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudati. *Liv.* 34, 12. spem pro re ostentandam, i. e. quod in speciem fuit, uti *Liv.* ipse cp. sq. dicit. *Cic. Fam.* 12, 25. Non solum spe, sed certa re jam et possessione deturbatus sum. *Id.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 877. non enim spes laudanda, sed res est. *Liv.* 36, 40. spem pro re ferentes.] ℙ *Spes* Dea habita est: aedemque habuit Romae non uno in loco. *Ov. A. Am.* 1, 445. Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum: Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est. *Liv.* 2, 51. Pugnatum est ad Spei aequo Marte. Adde 24, 47. *extr.*, 25, 7. et 40, 51., *Pl. Cist.* 4, 1, 18., *Tibull.* 2, 7, 10. et *Inscr.* ap. *Grut.* 102. 1. 3. 2. ℙ *Spes* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1269, 4. Nonia Spes. ℙ In plur. num. rectus casus in usu est, et quartus. *Cic. Cat.* 3, 7. Omnes Catilinae copiae, omnes spes atque opes concidisse. *Sall. Jug.* 87. Mihi spes omnes in memet sitae. Adde *Pl. Curc.* 2, 3, 28. et *Ter. Ad.* 3, 2, 33., *Liv.* 6, 28., *Hor. Od.* 4, 11, 25. et *Sil.* 13, 287. Dixit tamen *Paul. Nol. carm.* 18, 243. spebus frustrata indage peremptis. Cui adde *Sulpic. Sever. dial.* 3, 10. et *Sidon. ep.* 1, 9. ℙ *Speres*, *rum*, in plur. num. V. supra s. l. ℙ [*Confund. *spes* et *species* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 24. *Burm.* ad *Vell.* p. 570. — *Spes* et *sors*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 454.]

SPĔTĪLE vocatur infra umbilicum suis quod est carnis, proprii cujusdam habitus: qua etiam antiqui per se utebantur. Plautus enumerandis vilibus obsoniis, in Carbonaria sic meminit: Ego pernam, sumen sueris, spetile, callum, glandia. Haec *Festus:* ubi alii leg. *spectile.*

*SPEUSIPPUS, i, m. Σπεύσιππος, philosophus Atheniensis, Platonis ex sorore nepos, Academicae philosophiae quasi heres ab eo relictus. *Cic. Acad.* 1, 4. *Id. de Or.* 3, 18. et *Nat. Deor.* 1, 13. V. et *Gell.* 3, 17. *B. A.*

SPEUSTĬCUS, a, um, adj. σπευστικός, festinatus: a σπεύδω, festino. *Plin.* 18, 11, 27. Panis varia genera, alias ab obsoniis appellati, ut ostrearii: alias a deliciis, ut artolagani: alias a festinatione, ut speustici: necnon a coquendi ratione, ut furnacei, *h. e.* ut interpretatur *Hard.*, cui nec fermentum apponitur, nec calefit aqua; sed statim subacta farina igni committitur.

SPHĂCOS, i, m. σφάκος, salviam herbam notam Graece significat. *Plin.* 24, 6, 17. est idem quod *sphagnos.* ℙ Item elelisphacos. *Id.* 22, 25, 71.

SPHAERĂ, ae, f. σφαῖρα, globus, corpus solidum rotundum, unica superficie contentum, in cujus medio punctum est, a quo omnes lineae rectae ad circumferentiam, vel ad ambientem superficiem, sunt aequales. *Cic. N. D.* 2, 18. Cum duae formae praestantes sint, ex solidis globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet), ex planis autem circulus, aut orbis. *Id. ib.* 21. Habent suam sphaeram stellae inerrantes, ab aetheria conjunctione secretam et liberam. *Id. Or.* 3, 40. Quamvis sphaeram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse. *Id. Tusc.* 1, 25. *f.* Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit. *Cato R. R.* 82. Sphaeras pugnum altas facito. V. SPHAERITA. ℙ *Sphaera* etiam dicitur descriptio motus siderum: [etenim hujusmodi nomen videtur esse ab Hebr. et Chald. verbo סָפַר *saphar*, numeravit, descripsit, recensuit *F.*] Ejus plura sunt genera: alia enim est Graecanica, alia Barbarica, alia Persica, alia Indica. Graecanica est, in qua describuntur ortus et occasus siderum, prout a Graecis in suo hemisphaerio visuntur: Barbarica, quae accommodata est ad clima Aegyptiorum: et sic de reliquis. P. Nigidius φαινόμενα ad inclinationem coeli Aegyptiaci, et Graecanici scripsit: alterum librum vocavit *sphaeram Barbaricam*, alterum *Graecanicam.* Ex utroque testimonia afferuntur a *Varr.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 19. et *ib.* 2, 190., item ab ipso *Serv.* ad *G.* 1, 43. et 218. Haec ex *Jos. Scal.* ad *Manil.*, ubi plura hac de re. *Jul.* quoque *Firm.* Barbaricae sphaerae meminit 8, 18. et 31., et toto fere eo libro de ea disserit: sed videtur eo nomine Graecanicam intelligere. Persequitur enim vires et apotelesmata astrorum iis vocabulis, quibus Graece nominantur. Porro quemadmodum Graeci omnes eos βαρβάρους vocarunt, qui exteras regiones habitabant; eadem ratione Latinis licere potuit vel ipsos Graecos vocare *barbaros*, qui ab suis moribus non parum abhorrebant: quamquam plerumque solent ab ea appellatione excludi. ℙ *Sphaera* ap. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 6. *f.* et *ib.* 5, 11. *med.* est pila lusoria. ℙ Abjecta aspiratione, et vocali priore diphthongi *spera* dicitur, et prima corripitur a *Prud. Apoth.* 278. licentia non imitanda. **Spera* est in ed. *Weitz. Prudentii.* In aliis, v. g. ed. *Cellar.*, est *sphaera.* ℙ *Sfaera* pro Sphaera interdum scriptum. V. *Maium* ad *Cic. de re publ.* 1, 14. p. 39. ed. *Lond.* et cf. *Philosophus. B. A.*

SPHAERĀLIS, e, adj. σφαιρικός, ad sphaeram pertinens, sphaericus. *Macr. Sat.* 7, 16. Ovi forma teres, ac paene sphaeralis; et *ib.* 9. Motus sphaeralis, quo movetur coelum, quo sidera. *Id. Somn. Scip.* 1, 22. Sphaeralis extremitas.

SPHAERĪCUS, a, um, adj. sphaeralis. *Macr. Somn. Scip.* 2, 14. *f.* Sphaerico motu in orbem rotari. ℙ *Sphaericus numerus*, Italice *numero cubico*, ita definitur a *Cassiod. de Arithm.* Sphaericus numerus est, qui a circulato numero multiplicatus a se inchoans ad se convertitur, ut verbi gratia, quinquies quini, viginti quinque. Hinc circulus, dum in se ipsum multiplicatus fuerit, facit sphaeram, id est, quinquies XXV. CXXV.

SPHAERĬON, ii, n. σφαιρίον, nomen collyrii ap. *Cels.* 6, 6, 21., ita a forma appellati.

SPHAERISTĀ, ae, m. σφαιριστής, qui pila, vel globis ludit. *Sidon. ep.* 2, 9. *med.* Ecce huc sphaeristarum contra stantium paria inter rotatiles catastropharum gyros duplicabantur. In *Tab. Ant.* ap. *Mur.* p. 305. Saturninus Sphaer., *h. e.* sphaerista, seu qui pilarum custos vel sarcinator erat: ibi enim recensentur nomina plurium servorum, qui in villa Augusta Antiatina erant.

SPHAERISTĔRĬUM, ii, n. σφαιριστήριον, locus pilae lusui destinatus, a σφαιρίζω, pila ludo: idem antiquitus coryceum dicebatur. Erant sphaeristeria cubicula in balneis, in quibus se tum aliis rebus, tum pilae ludo exercebant. *Plin. ep.* 5, 6. Apodyterio superpositum est sphaeristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. *Suet. Vesp.* 20. Valetudine prosperrima usus est, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces ceteraque membra sibimet ad numerum in sphaeristerio defricaret. Adde *Plin. ep.* 2, 17. ℙ Significat etiam ipsum ludi genus. *Lampr. Alex. Sev.* 30. Post lectionem, operam palaestrae, aut sphaeristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* In cujus *(umbrae)* opacitate pilae vacamus, donec arborum imago contractior intra spatium ramorum recussa cohibeatur, atque illic aleatorium lassis, consumpto sphaeristerio, faciat.

SPHAERĪTĀ, ae, f. σφαιρίτης, supple πλακοῦς, placentae genus, in cujus solo sphaerae, seu globuli multi positi sunt: a *sphaera.* *Cato R. R.* 82. Sphaeritam sic facito, ita uti spiram; nisi sic fingito, de tractis, caseo, melle sphaeras pugnum altas facito, eas in solo componito: densas eodem modo componito, atque spiram, itemque coquito. Alii leg. *spaeritam.*

SPHAEROĪDES, is, adj. omn. gen. 3. σφαιροειδής, sphaerae similis, sphaericus. *Vitr.* 8, 6. *med.* Archimedi placet aquam non esse libratam, sed sphaeroides habere schema.

SPHAEROMACHĬĀ, ae, f. σφαιρομαχία, pugna pilaris, et praecipue certamen illud, quod et harpastum dicitur. Graeca vox, a σφαῖρα, globus, et μάχη, pugna. *Stat. Silv. praef.* 4. *f.* Sed et sphaeromachias spectamus, et pilaris lusio admittitur. *Sen. ep.* 80. Hodierno die non tantum meo beneficio mihi vaco, sed spectaculi, quod omnes molestos ad sphaeromachiam avocavit.

[SPHAERŪLĂ, ae, f. dimin. sphaerae. *August. de Genes. ad litter.* 2, 15. de luna: Si ex una sphaerulae suae parte semper lucet. *F.*]

[SPHAERUS et Spaerus, i, m. cogn. R. a σφαῖρα, globus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 201. *n.* 489. M. Quinctilius M. L. Spaerus. *F.*]

SPHAGNOS, i, m. σφάγνος, et σφαγος, alio nomine bryon, βρύον. Hac voce significantur cani arborum villi, quales in quercu maxime videmus, sed odore praestantes. *Plin.* 12, 23, 50. et 24, 6, 17.

[SPHINGĂ, ae, f. V. SPHINX. *F.*]

[SPHINGĀTUS, a, um, adj. qui sphingis figuram habet. V. SPHINX. *F.*] ℙ *Augusti libertus, olim paedagogus. *Suet. Aug.* 89. *B. A.*

SPHINGION, ii, n. V. in v. sq.

SPHINX, ingis, f. Σφίγξ, monstrum apud Thebas, cujus caput et manus puellae, corpus canis, alae avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis: a σφίγγω, stringo, quod in scopulo insidens viae imminenti, ad portam Thebarum, aenigmata proponere soleret praetereuntibus ita difficilia, ut se expedire non possent; quod si illa aenigmata non dissolverent, ad eos advolabat, illosque ad se in rupem tractos unguibus lacerabat. *Sen. Phoen.* 119. Ubi sedit alta rupe, semifero dolos Sphinx ore nectens. *Id. Oed.* 92. Nec Sphinga caecis verba nectentem modis Fugi. *Auson. Idyll.* 11, 40. Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella. Haec in fabulis. Re vera autem Sphinx erat, quemadmodum ex Socrate tradit Scholiastes Euripidis, ἐγχωρία χρησμολόγος δύσγνωστα μαντευομένη, vates ejus regionis, quae responsa daret intellectu difficilia. Indeque a *Sophocle* in *Oedip. tyranno* vocatur ἡ ῥαψῳδός, idest contexens carmina. Vide, sis, quae de Sphinge notavit *Jos. Scaliger*, *Animadvers. Euseb. ad ann.* 757. *Stat. Th.* 1, 66. si Sphingos iniquae Callidus ambages te praemonstrante resolvi. ℙ Cum Oedipus Thebas ingressurus esset, Sphinx aenigma ejusmodi ei proposuit: Quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset. Oedipus aenigmatis nodum dissolvit, et dixit hominem esse, qui in infantia manibus et pedibus repens verius, quam incedens, quadrupes est: factus vir, ut qui nullo alio, quam pedum, adminiculo nititur, bipes: ingravescentibus autem annis, assumpto scipione, tripes. Hanc solutionem Sphinx tam aegre tulit, ut statim se de saxo praecipitaverit. *Pl. Poen.* 1, 3, 34. Isti orationi Oedipo opus conjectore est, qui Sphingi interpres fuit. *Quint.* 6, 3. *med.* Ex historia etiam ducere urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, cum ei dixisset Hortensius: non intelligo haec aenigmata: atqui debes,

inquit, cum Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam magnae pecuniae. Adde *Plin.* 3, 8, 18. ℙ Sphinge in annulo insculpta, inter initia Augustus signavit epistolas et diplomata, teste *eod.* 37, 1, 4. et *Suet. Aug.* 50. ℙ Sphinx item animal est ex genere simiarum, reliquo corpore hirsuto, pectore glabro, mammis ut mulierum, facie rotundiore, et ad muliebrem formam accedente. *Plin.* 8, 21, 30. Lyncas vulgo frequentes, et sphingas fusco pilo, mammis in pectore geminis, Aethiopia generat. *Solin.* 27. *f.* Inter simias habentur et sphinges, villosae comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Adde *Melam* 3, 9. ℙ Haec et *sphingion* dicitur a *Plin.* 6, 29, 34. et 35. et 10, 72, 93. ℙ Etiam *sphinga*, *ae*, f. declinatur. *Sidon. ep.* 5, 7. Confestim videbis illic et oculos Argi, et manus Briarei, et Sphingarum ungues. ℙ *Sphingae* quoque appellantur sellae majores, quae duabus sphingis suffultae sunt. *Isid. Orig.* 20, 11. de sellis: Sphingae sunt, in quibus sphingatae effigies, quos nos gryphos dicimus.

SPHONDYLI, orum, m. plur. *σφόνδυλοι*, concharum marinarum genus, ap. *Colum.* 8, 16. *med.* V. SPONDYLUS.

SPHONDYLIUM. V. SPONDYLIUM *f.*

SPHRAGIS, idis, f. *σφραγίς*, Graece signum, sigillum, notam significat, quae annulo alicui rei imprimitur. *Plin.* 37, 8, 37. sphragidas vocari tradit gemmas quasdam, quoniam optime signent. *Id.* 35, 6, 14. rubricam Lemniam, quia non nisi signata venundabatur, sphragidem appellari. *Cels.* 5, 20. *n.* 2. Polyidae *σφραγὶς* nominatur pastillus glutinandis vulneribus aptus. *Id. ib.* 26. *n.* 23. *med.* Imponere vulneri Polyidae sphragidem.

SPHRAGITIS, idis, f. nota, stigma, signum impressum, *σφραγῖτις*. *Prud. περὶ στεφ.* 10. de his, qui Matris Deum sacris initiabantur, 1076. Quid, cum sacrandus accipit sphragitidas? Acus minutas ingerunt fornacibus: His membra pergunt urere, utque igniverint, Quamcumque partem corporis fervens nota Stigmarit, hanc sic consecratam praedicant.

SPHYRAENA. V. SUDES.

SPICA, ae, f. et Spicum, i, n. et Spicus, i, m. *στάχυς*, collectio plurium granorum in summo culmo frumenti, hordei, et hujusmodi: est a Graeca voce allata, quae ab Aeolibus, a quibus plura Latini mutuati sunt, *σπάχυς* dicebatur. *Varr. R. R.* 1, 48. Spica ea, quae mutilata non est, in hordeo et tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam: et etiam primitus spica cum oritur, vaginam: et *mox:* Spica autem, quam rustici, ut acceperunt antiquitus, vocant specam, a spe videtur nominata: eam enim quod sperant fore, serunt. *Cic. Fin.* 4, 14. *med.* Fruges ab herba ad spicam perducere; et *ib.* 5, 30. Seges spicis uberibus et crebris. *Catull.* 19, 11. et tenera virens spica mollis arista. *Ov. Am.* 3, 10, 3. Flava Ceres tenues spicis redimita capillos. *Id. Met.* 8, 291. de apro Calydonio: Nunc matura metit fleturi vota coloni, Et Cererem in spicis intercipit. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 4. Frumenta quaedam in tertio genu spicam incipiunt concipere, quaedam in quarto; et *ib.* 24, 55. Macies soli spicam minutam facit, et inanem. *Tibull.* 2, 5, 84. Distendet spicis horrea plena Ceres. ℙ Proverb. sunt illa *Ov. Trist.* 5, 6, 43. His qui contentus non est, in litus arenas, In segetem spicas, in mare fundat aquas. Similiter dicitur *in silvam ligna ferre*, et *noctuas Athenas mittere.* V. LIGNUM et NOCTUA. ℙ A frumentis ad alias plantas transfertur, spicae simile quippiam ferentes. *Plin.* 21, 8, 23. Amaranto spica purpurea verius, quam flos. *Id.* 22, 25, 79. Bromos semen est spicam ferentis herbae. *Id.* 12, 12, 26. Nardi cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote spicas ac folia celebrant. *Ov. Fast.* 1, 76. (et *Prop.* 4, 6, 74.) Et sonet accensis spica Cilissa focis, *h. e.* crocus, cujus cacumen in capillamenta et fila aristarum similia desinit. *Cato R. R.* 70. et *Colum.* 8, 5. *f.* et 10, 112. Spica allii: nucleus, ex quo quadruplici aut majore numero caput allii constat. V. STICA. Ap. *Veg. Vet.* 4, 13. spica nardi, spica Celtica, spica Syriaca, Indica, herbarum nomina sunt. ℙ In sidere Virginis stella est, quae *spica* dicitur. V. VIRGO. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. *extr.* Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo. Adde *Plin.* 18, 31, 74., *Manil.* 5, 271., *Colum.* 11, 2. *med.* et *Germanic.* in *Arat.* 96. ℙ Neutro gen. usurpavit etiam *Varr.* ap. *Non.* 3, 230. Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum; et *Cic. Sen.* 15. Fundit frugem spici, ordine structam, etc. Ita enim leg. *Non. ib.* et multi critici ex optim. libris: *Festus* in *Restibili:* Farreo spico agrum serere. V. ARISTATUS. Idem *Festus*, etiam *spicus* masculine dictum, tradit: afferens antiquum hunc versum: Quasi messor per messim unumquemque spicum colligit. *Serv.* ad *G.* 1, 111. in usu esse ait in masculino utrumque numerum, in neutro singularem tantum. *Mamert.* tamen *Grat. act. ad Julian.* 23. Non spica triticea, non viles uvarum racemi, sed opes atque divitiae nihil laborantibus ingeruntur. Addit *Serv. ib.* 314. abusive *spicos* de maturis frugibus dici: proprie spicos esse, cum per culmi folliculum, id est extremum tumorem, aristae adhuc tenues in modum spiculi eminent. ℙ *Spicus crinalis* est vel hasta caelibaris, qua nuptae caput comebatur: vel acus discriminalis, discerniculum dividendis a fronte capillis. *Capell.* 9. p. 306. Crinalem spicum pharetris deprome, Cupido, Libens capillum solvere. Alii leg. *crinale spicum*, ut *le* producatur propter *sp* sequentes: alii *crinale spiclum*, syncope pro *spiculum.* ℙ *Spica testacea*, laterculus minor oblongus acuminatus, cujus usus est in pavimentis spicatis. *Vitr.* 7, 1. *f.* Supra autem sive ex tessera grandi, sive ex spica testacea *pavimenta* struantur. V. SPICATUS et VERMICULUS.

[SPICĀRIUM, ii, n. videtur esse diminut. spicae, ex forma nominis Graecanica. V. PSYCHARIO. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 678. *n.* 40. Claudia Spicarium. *F.*]

SPICĀTUS, a, um, part. a *spico: σταχνώδης*, spicam ferens. *Plin.* 24, 15, 24. Chamaecissos spicata est tritici modo. *Id.* 21, 17, 61. Herbarum spicatarum genus. ℙ *Spicatae faces*, ligna multifida, h. e. in usum facum in tenues particulas aristarum modo dissecta. *Grat. Cyn.* 484. Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianae Sistimus. V. INSPICO. ℙ *Spicatus*, in modum spicae aristis instructus. *Minuc. Octav.* 17. *f.* Animantes alias armatas cornibus, alias dentibus septas, et fundatas ungulis, et spicatas aculeis, etc. ℙ *Spicata testacea*, pavimenta ex laterculis seu testis in modum spicae dispositis. *Vitr.* 7, 1. *med.* Item testacea spicata Tiburtina sunt diligenter exigenda. *Plin.* 36, 25, 62. Similiter fiunt spicata testacea. V. SPICA.

SPICĔUS, a, um, adj. *σταχύινος*, qui est ex spicis. *Virg. G.* 1, 314. spicea messis. *Ov. Am.* 3, 10, 36., *Tibull.* 1, 1, 20. et *Claud. B. Gild.* 136. spicea serta. *Prop.* 4, 2, 14. Et coma lactenti spicea fruge tumet, *h. e.* ipsa spica. *Plin.* 18, 2, 2. Arvorum sacerdotes Romulus instituit, spicea corona, quae vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data: quae prima apud Romanos fuit corona. *Gell.* 6, 7. *f.* Cujus sacerdotii (*fratrum Arvalium*) insigne est spicea corona, et albae infulae. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 25. 32. et 35. Sacerdotes (*fratres Arvales*) sumptis praetextis et coronis spiceis vittatis lucum Deae Diae summoto ascenderunt. Hinc *B. Borghesius* in *Decad. num.* 8. *n.* 2. recte arguit, coronam spiceam vittatam, quae est ap. *Morell. Fam. Rom.* in nummis G. Juniae *tab.* 3. *n.* 5. et G. Mussidiae *tab.* 1. *n.* 1. et 2., esse insigne sacerdotii fratrum Arvalium, in cujus collegium cooptati fuerunt D. Junius Brutus, et L. Mussidius Longus, qui in iisdem nummis nominantur.

SPICĬFER, ra, rum, adj. *σταχυοφόρος*, spicas ferens. *Sen. Herc. Oet.* 598. Spicifera Dea, *h. e.* Ceres. *Manil.* 2, 442. Spicifer Nilus, *h. e.* agros fecundans.

SPICĬLĔGĬUM, ii, n. *σταχυολογία*, collectio spicarum, in agro a messoribus praeteritarum. *Varr. R. R.* 1, 53. Messe facta, spicilegium venire oportet. *Id. L. L.* 6, 7. Nemo reprehensus, qui e segete ad spicilegium reliquit stipulam.

SPICIO, is, spexi, a. 3. aspicio, specio. *Festus:* Spicit quoque sine praepositione dixerunt antiqui. Plautus (*Mil.* 5, 1, 100.) Flagitium est, si nihil mittetur: quo supercilio spicit! Et Ennius libro sextodecimo: Quos ubi rex paulo spexit de collibu' celsis. *Cato ib.* Nec spiciunt, neque ratos esse volunt. Haec *Festus. Pl. Truc.* 5, 8. Supplicium ad te hanc mnam fero auri, si mihi rides: spice. Alii minus recte leg. *espice*, ut dedimus supra in ESPICIO.

SPICLUM. V. SPICULUM.

SPĪCO, as, a. 1. spicam emittere facio. *Dracont.* 1, 587. Ventus alit fructus, et ventus spicat aristas, Ventilat aestivo quas flatu mollior aura. ℙ Item in spicae formam dispono. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 6. Grana in stipula crinito textu spicantur. ℙ Translate. *Grat. Cyn.* 117. Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos, Quam longa exigui spicant hastilia dentes! *h. e.* dentes in aristarum modum cuspidant sarissas, quae sunt praelongae hastae Macedonum.

SPICŪLA, ae, f. herba chamaepitys. *Appul. H.* 26. ℙ Item dimin. spicae. *Not. Tir.* p. 157. Spica, spicula, spicilegium.

SPICŪLĀRĬUS. V. SPECULARIUS.

SPICŪLĀTOR, oris, m. satelles spiculo armatus, et circa principem custodiae causa positus; qui carnificis munus aliquando exercet. *Firm. Math.* 8, 26. Si vero Mars in dejectis locis fuerit inventus, spiculatores faciet: qui nudato gladio hominum amputent cervices. Alii leg. *speculatores*, ut etiam ap. *Tac. H.* 2, 11. *f.* et alibi, ut monuimus in SPECULATOR. Sic in *Evang. D. Marci* 6, 27., ubi in Graeco textu est *ἀποστείλας σπεκουλάτορα*, Vulgata habet *misso spiculatore.*

SPICŪLĀTUS, a, um, part. a *spiculo:* in modum spiculi acuminatus. *Solin.* 52. *med.* Mantichorae cauda veluti scorpionis aculeo spiculata.

SPICŪLO, as, a. 1. *ἀκονάω*, cuspidem acuo. *Plin.* 11, 2, 1. de insectorum aculeo: Telum vero perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio!

SPICŪLUM, i, n. *λόγχη, ἀκων, στόρθυγξ, ὑγγος*, proprie est parvum spicum, h. e. spica exigua. Sumitur autem pro ferro in modum spicae acuminato, quod hastae, aut lanceae, aut pilo praefigitur. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Epaminondas tum denique sibi avelli jubet spiculum, posteaquam, etc. V. dicta in SPARUM. *Id. Pis.* 26. L. Crassus spiculis prope scrutatus est Alpes, ut ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quaereret. *Ov. Met.* 8, 374. vibrata per auras Hastarum tremulo quatiebant spicula motu. ℙ Per synecdochen est ipsa hasta. *Virg. A.* 7, 164. Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis Spicula contorquent; et *ib.* 687. pars spicula gestat Bina manu. ℙ Posteriori aevo idem fuit quod pilum. *Veg. Mil.* 2, 15. Missile majus ferro triangulo unciarum novem, hastili pedum quinque semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur. ℙ Saepe de sagittae cuspide dicitur. *Hor. Od.* 1, 15, 17. Hastas et calami spicula Gnossii. ℙ De minutis hamatisque acuminibus, quibus ipsa cuspis instruitur. *Cels.* 7, 5. *n.* 2. Sagitta saepius ab altera parte, quam ex qua venit, recipienda est: praecipueque quia fere spiculis cingitur, quae magis laniant, si retro, quam si contra trahuntur. ℙ Et *συνεχοχικῶς* de ipsa sagitta. *Virg. A.* 7, 497. Ascanius curvo direxit spicula cornu. *Id. Ecl.* 10, 60. Partho torquere Cydonia cornu Spicula. *Lucan.* 7, 148. Spiculaque extenso Paean pythone recoxit. *Ov. Met.* 12, 605. arcus obvertit in illum, Certaque letifera direxit spicula dextra. ℙ Translate est quivis aculeus. *Virg. G.* 4, 236. de apib.: laesaeque venenum Morsibus inspirant, et spicula caeca relinquunt. (Adde *ib.* 74.) *Ov. Fast.* 5, 541. Scorpion immisit Tellus: fuit impetus illi Curva gemelliparae spicula ferre Deae. *Id. Met.* 11, 334. similisque juvenco Spicula crabronum pressa cervice gerenti. ℙ De telis Cupidinis. *Prop.* 2, 10, 1. Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis, Spicula quot nostro pectore figit Amor. Adde *Ov. Am.* 1, 1, 22. et *A. Am.* 2, 708. et *ib.* 3, 516. et *Sen. Hipp.* 334. ℙ De malis, quae animum pungunt. *Ov. A. Am.* 2, 519. Litore quot conchae, tot sunt in amore dolores: Quae patimur, multo spicula felle madent. ℙ *Spiculum solis* ap. *Prud. Cath.* 2, 6. est solis radius. ℙ *Spiclum* syncope. *Lucr.* 3, 199. At contra lapidum conjectum, spiclorumque Nenu potest.

SPICŬLUS, a, um, adj. in modum spiculi factus. *Tert. Pud.* 7. *f.* Non lucernae spiculo lumine, sed totius solis lancea opus est. *Schioppius* in *hunc loc.* legit *spiculi.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Melchiorri* et *Visconti*, *Sillog. d' Iscriz. n.* 59. Spiculo fratri Julia Restituta fecit. Alia ap. *Grut.* 748, 5. Valeria Spicula. *F.*]

SPĪCUM, et

SPICUS. V. in SPICA.

[SPĪLUMĒNE, es, f. *σπιλουμένη*, *h. e.* maculata: ita appellata est statua aenea, quae sordidam quandam mulierem repraesentabat: a *σπιλόω*, maculo. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Praxiteles item fecit Stephusam, Spilumenen, Oenophorum. *F.*]

SPĪNA, ae, f. *ἄκανθα*, aculeus sentis, rubi, et similium, quo pungimur. *Hor. Ep.* 2, 2, 212. Quid te exempta levat spinis de pluribus una? *Ov. Pont.* 2, 2, 34. Saepe creat molles aspera spina rosas. *Prop.* 4, 5, 1. Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum. *Virg. Ecl.* 5, 39. spinis surgit paliurus acutis. *Id. A.* 3, 594. et *Ov. Met.* 14, 166. Consertum tegumen spinis, *h. e.* illigatum spinis pro fibulis. Sic *Tac. G.* 17. Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum. *Petr. fr. Trag.* 69. *Burm.* Cydonea mala spinis confixa, ut echinos efficerent. *Id. Sat.* 32. *extr.* Spina argentea dentes perfodere. ℙ Spinam facere dicitur asparagus, cum percrevit, et spinosus fit. *Plin.* 21, 15, 54. In totum spina est asparagus, scorpio: nullum enim folium habet. *Mart.* 13, 21. Mollis in aequorea quae crevit spina Ravenna, Non erit incultis gratior asparagis. *Colum.* 11, 3. *med.* Asparagus cum spinam fecerit, collectis seminibus ipsis, etc. ℙ *Spina solstitialis*, et *spina alba* ap. *Colum.* 6, 18. et 7, 9. species plantarum sunt spinas ferentium. Similiter *spina fullonia*, *Indica*, *nigra*, *regia*, *sitiens* ap. *Plin. var. in locis.* ℙ Dicitur etiam de aculeis animantium, ut hystricis, piscium, etc. *Cic. N. D.* 2, 47. Animantes aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae. *Plin.* 8, 35, 53. Hystrices generat India et Africa spina contectas. *Id.* 9, 59, 85. Anthiae (*pisces*) cum unum hamo teneri vident, spinis, quas in dorso serratas habent, lineam secare traduntur. Adde *Ov. Hal.* 46. *Id. ib.* 128. Lubricus et spina nocuus non gobius ulla. *Cic. fr.* ap. *Quint.* 8, 3. *med.* Humus lutulenta vino, spinis cooperta piscium. ℙ *Spina*, vertebrarum series in dorso animalium, a collo ad extremum usque os: quia ipsae vertebrae processus habent utrinque spinarum similes. *Cels.* 8, 1. Caput spina excipit: ea constat ex vertebris quatuor et viginti, etc. *Varr. R. R.* 2, 7. et *Colum.* 6, 29. Equus exiguo capite, lato pectore, spina duplici, ventre substricto, etc. Sic *Virg. G.* 3, 87. At duplex agitur per lumbos spina, *h. e.* lata. *Plin.* 11, 37, 68. Cervix spinae adnectitur, spina lumbis, ossea, sed tereti structura, per media fora-

mina a cerebro medulla descendente. *Ov. Met.* 8, 805. pendere putares Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri. Adde *Sil.* 6, 271. de angue. ℙ [*Sacra spina* est ima perpetuae spinae, quam Graeci ἱερὸν ὀστοῦν vocant, quoniam primum, infante concepto, nascitur; ideoque ex hostia id primum a Gentilibus Diis suis dabatur, unde et spina sacra dicitur. Haec *Isid. Or.* 11, 1. *n.* 96. [*Front. ad amic.* (ed. *A. Maio*) 1, 16. Graeci ἱερὸν ὀστοῦν, Suetonius Tranquillus spinam sacram appellat. Ego me neque Graecum, neque Latinum vocabulum ullius membri nosse mallem, dum istius doloris expers vitam degerem. *Hieron.* in *Chron. Euseb.* ad ann. a Chr. n. XII, Messala ulcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit. ℙ *Spina* est etiam medius Circi tractus, ubi obelisci, simulacra Deorum et alia hujusmodi erant; ea porro ita appellata videtur, quia piscium et hominum os medio in dorso productum repraesentat. V. AGGER et EURIPUS. *Cassiod. Var.* 3, 51. Spina *(Circi)* infelicium captivorum sortem designat, ubi duces Romanorum, supra dorsa hostium ambulantes, laborum suorum gaudia percepperunt. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 588. In Circo, in spina: hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt. V. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 5. p. 205. *ed. Mediol. F.*] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 14, 4. Certemus, spinas animone ego fortius, an tu Evellas agro, *h. e.* cupiditates, curas. ℙ De subtili pressaque loquendi ratione. *Cic. Fin.* 4, 28. Stoici horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione, et moribus. Quam illorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panaetius, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior. *Id. Tusc.* 4, 5. Stoici cum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt: illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt, spinas partiendi et definiendi praetermittunt. ℙ *Spina* appellata fuit urbs ad Padum sita non longe ab urbe Venetiarum. Hinc *Spineticum ostium* ap. *Plin.* 3, 16, 20.

*SPINAE, arum, locus sive oppidum in Britannia. *Ant. Itin.* ℙ *Camdenus* tradit, jam viculum esse, prisci nominis tamen non penitus expertem, qui *Spene* (*Speen*) vulgo vocetur: ex oppido autem in vicinia Novum Burgum, Anglice *Newbury* (*Newbery*) enatum esse. *B. A.*

SPĪNĀLIS, e, adj. ad spinam pertinens, ut Spinalis medulla, *Macr. Sat.* 7, 9. *med.* h. e. quae per spinam dorsi descendit: quae longum cerebrum a medicis est vocata, quia ab eo derivatur, et usu ac dignitate praecipua est.

*SPINATĪCUS, i, m. piscis quidam. *Sarisb.* 8, 7. Pisciculis, quos vulgo asparagos, vel spinaticos, vel ripileones vocant, contentus. *B. A.*

SPINĔĀ. V. SPIONIA.

SPINĔOLĀ, ae, f. genus rosae vilissimum, plurimis, sed minutissimis foliis. *Plin.* 21, 4, 6.

SPĪNESCO, is, n. 3. spinosus fio. *Capell.* 6, 227. Hanc ego crediderim sentis spinescere membris, Neque hirta crura vellere.

[SPINĒTĪCUS, a, um, adj. ad Spinam pertinens, urbem olim ad Padum sitam. V. SPINA. *F.*]

SPĪNĒTUM, i, n. ἀκανθών, locus spinis abundans. *Virg. Ecl.* 2, 9. Nunc virides etiam occultant spineta lacertos. *Plin.* 10, 74, 95. Asinus spinetis se scabendi causa atterens. ℙ [Translate. *Hieron. in Helv. n.* 2. Non dialectorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquirimus. V. SPINOSUS. *F.*]

SPĪNĔUS, a, um, adj. ἀκάνθινος, e spinis factus. *Ov. Met.* 2, 789. de Invidia: baculumque capit, quod spinea totum Vincula cingebant. *Solin.* 7. *f.* Perdices spineis fruticibus ac surculis receptus suos vestiunt.

SPĪNĪENSIS, is, m. Deus spinas ex agris exstirpare creditus, aut provenire prohibens. *August. C. D.* 4, 21. *f.*

SPĪNĪFER, ra, rum, adj. ἀκανθοφόρος, spinas ferens. *Cic. in Arat.* 178. Spiniferam subter caudam Pistricis adhaesit. Alii leg. *spinigeram. Pall. de insit.* 81. Spiniferae pruni. *Prud. Cath.* 5, 31. Spinifera rubus.

SPĪNĪGER, ra, rum, adj. spinifer. *Prud.* περὶ στεφ. 11, 119. Scissa minutatim labefacto corpore frusta Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.

[SPINO, onis, m. parvus fluvius prope Romam, qui instar numinis colebatur. *Cic. N. D.* 3, 20. *extr.* Et in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Almonem, Nodinum, alia propinquorum flumina videmus. *F.*]

SPINOSŬLUS, a, um, adj. dimin. spinosi, aliquantum spinosus. Translate. *Hieron. ep.* 69. *n.* 2. Primum spinosulus noster obmutuit, postea vero, etc. V. v. sq.

SPĪNOSUS, a, um, adj. ἀκανθώδης, spinis abundans. *Varr. R. R.* 2, 3. *med.* Caprae in spinosis locis pascuntur. *Ov. Met.* 2, 810. cum spinosis ignis supponitur herbis. *Plin.* 30, 11, 30. Spinosa frutecta. *Id.* 20, 23, 99. folia. *Id.* 19, 3, 17. Spinosus caulis. *Id.* 12, 15, 34. Cortex scaber et spinosus. *Id.* 24, 12, 67. Spinosior arbor. *Cels.* 8, 9. *f.* Si quid ex vertebra fractum est, punctiones in ea sentiuntur, quia necesse est, ea fragmenta spinosa esse. ℙ Translate. *Catull.* 64, 71. Ah misera, assiduis quam luctibus externavit Spinosas Erycina serens in pectore curas! *h. e.* quae animum pungunt et lacerant. ℙ De subtili ac presso loquendi genere: atque adeo duro, difficili, aspero, injucundo: cui opponitur copiosum, fusum, uber. *Cic. Or.* 1, 18. *f.* Haec erat spinosa quaedam et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. *Id. Fin.* 3, 1. *med.* Stoicorum non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius disserendi genus. *Id. Tusc.* 1, 8. *med.* Uberius ista, quaeso: haec enim spinosiora prius, ut confitear, me cogunt, quam ut assentiar. *Id. Or.* 32. *med.* Aristoteles tradidit praecepta plurima disserendi: et postea qui dialectici dicuntur, spinosiora multa peperere. *Varr. L. L.* 7, 28. *extr.* De hoc genere parcius tetigi, quod librarios haec spinosiora indulgentius laturos putavi. *August. Doctr. Chr.* 2, 37. Praeceptorum nodosissimae et spinosissimae disciplinae.

[SPINTHĀRUS, i, m. nomen propr. servi aut liberti Ciceronis: a σπινθαρίς, scintilla. *Cic. Att.* 13, 25. ejusdem meminit. *F.*]

SPINTHER, ēris, n. videtur esse a σφιγκτήρ, annulus, quod a σφίγγω, stringo. *Festus*: Spinther vocabatur armillae genus, quod mulieres antiquae gerere solebant brachio summo sinistro. Plautus (*Men.* 3, 3, 4.) Jubeasque spinther novum reconcinnarier. *Id. ib.* 7. Sein' quod hoc sit spinther? *Men.* nescio, nisi aureum. Adde *Prisc.* 5, 646. ℙ *Spinther* fuit nomen histrionis secundarum, qui ob similitudinem cognomen dedit P. Cornelio Lentulo, qui cum Q. Caecilio Metello Nepote ann. U. C. DCLXXXXVII. consul fuit. [**Cic. Att.* 12, 52. 13, 7. 10.] *Plin.* 7, 12, 10., *Quint.* 6, 3. *med.* et *Val. Max.* 9, 14. *n.* 4.

SPINTHRĬA et Spintria, ae, comm. gen. repertor monstrosae libidinis, novique concubitus: a σπινθήρ, scintilla, igniculus, nempe a monstrosarum libidinum ardore: [vel potius a σφιγκτήρ, annulus, podex, qua parte tres exoleti sibi invicem juncti libidinari solebant. (V. SPINTHER.) Hoc concubitus genus describit etiam *Auson. epigr.* 119. *F.*] *Tac. A.* 6, 1. Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum, et spintriarum, ex foeditate loci, et multiplici patientia. *Suet. Tib.* 43. Monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso. *Id. Cal.* 16. Spintrias monstruosarum libidinum aegre ne profundo mergeret, exoratus, Urbe submovit. *Id. Vit.* 3. *extr.* [Pueritiam, primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, et ipse perpetuo spintriae cognomine notatus. *F.*]

*SPINTUM, i, n. opp. Aethiopiae, vel Aethiopiae Aegyptoque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

SPĪNTURNĪCĬUM, ii, n. genus avis deformis, et inauspicatae: dimin. spinturnicis. *Pl. Mil.* 4, 1, 42. Pithecium haec est prae illa, et spinturnicium. [*Cf. *Lindem.* ad h. l.]

SPINTURNIX et Spintyrnix, īcis, f. est avis genus turpis figurae (occursatrix artificum, perdita spinturnix.) Ea Graece dicitur, ut ait Santra, σπινθαρίς. Haec *Festus:* verba autem uncis inclusa sunt veteris poetae, cujus nomen intercidit. *Plin.* 10, 13, 17. de incendiaria avi: Alii spinturnicem eam vocant: sed haec ipsa quae esset inter aves, qui se scire diceret, non inveni.

SPĪNŬLĀ, ae, f. ἀκάνθιον, exigua spina. *Arnob.* 2, 49. Inhaerentem spinulam callo sanare. ℙ Est etiam vertebrarum series in hominis dorso. V. SPINA. *Appul. Met.* 10. Longe suavior Venus placide commoveri, cunctantique lente vestigio, et leviter fluctuante spinula, et sensim annutante capite coepit incedere.

SPĪNUS, i, f. arbor silvestris spinosa, non unius generis: est enim sterilis: est et baccas ferens gustu asperas etiam cum maturuere: item pruna. [*Prunus spinosa, *L.*] *Pall. de insit.* 63. Et steriles spinos, et inertem fetibus onum. *Virg. G.* 4, 145. Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentes. *Servius* hic ait, esse, qui pruna fert generis masculini: quem penes sit fides. Certe *Charis.* 1, 117. femininum agnoscit, *ab hac spino:* idemque docet, si sit quartae declinationis, *ab hac spinu:* affertque haec *Varronis* verba: In Asia fax ex spinu alba praefertur: quod purgationis causa adhibetur.

SPĪO, us, f. Σπειώ, Nympha maris, una ex quinquaginta filiis Nerei et Doridis, ut *Hyg. praef. fab.* docet. *Virg. G.* 4, 338. et *A.* 5, 826. Nesaee, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.

SPIONĬA, ae, f, genus vitis et uvae. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. Aestum fert spionia, quam quidam spineam vocant, autumnisque et imbribus pinguescit: quin immo nebulis una alitur: ob id Ravennati agro peculiaris. *Colum.* 3, 2. *med.* Spionia dapsilis musto, et amplitudine magis uvarum, quam numero fertilis. Adde *ib.* 7. et 21.

SPIONĬCUS, a, um, adj. ad spioniam pertinens, ut Spionicus gustus, *Colum.* 3, 21. h. e. ipsum vinum spioniae.

SPĪRĂ, ae, f. σπεῖρα, linea flexuosa faciens orbes non redeuntes in se: revolutio, sive circulus, qui in se ipsum non recurrit. De variis rebus usurpatur. *Fest.* Spira dicitur et basis columnae unius tori: aut duorum, et genus operis pistorii: et funis nauticus in orbem convolutus: ab eadem omnes similitudine. Pacuvius, Quid cessatis socii ejicere spiras sparteas? Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, cum ait, Spiras legionibu' nexunt. Haec *Festus.* Igitur spira sumitur pro basi, seu potius parte basis columnae, inter plinthum et imum scapum, constans uno, aut duobus toris (ut ait *Festus*), qui Italice nunc *tondini*, *bottaccini*, *bastoncini* appellantur (V. SPIRULA). Item pro ima parte stylobatae. *Plin.* 36, 23, 56. In Ephesiae Dianae aede primum columnis spirae subditae, et capitula addita: placuitque altitudinis octava pars in crassitudine, et ut spirae haberent crassitudinis dimidium, septimaeque partes detraherentur summarum crassitudini. Adde *Vitruv.* 3, 3., 4, 1. et 7. et 5, 9. ℙ Item pro genere operis pistorii. *Cato R. R.* 77. Spiram sic facito, quantum voles, pro ratione, ita uti placenta fit, eadem omnino facito, etc. ℙ Dicitur et de fasciis galeri sub mento stringi solitis. *Juven.* 8, 206. de faucibus aurea cum se Porrigat, et longo jactetur spira galero. ℙ Item de muliebri capilli ornamento. *Plin.* 9, 35, 58. Lolliam Paulinam, quae fuit Caji principis matrona, nec serio quidem, aut solemni caeremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium coena, vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque. *Val. Fl.* 6, 396. Aegida tum primum virgo, spiramque Medusae Tercentum saevis squalentem sustulit hydris. ℙ Item de sinuosis anguium flexibus. *Virg. G.* 2, 154. Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Id. A.* 2, 217. de anguib.: spirisque ligant ingentibus. Simile est illud *Lactant. Op. D.* 11. *med.* Intestinorum multiplices spirae, ac longitudo in se convoluta. ℙ Dicitur etiam de arborum venis et nodis in orbem convolutis. *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1. Publicum omnium vitium vocant spiras, ubi convolvere se venae atque nodi: *rebuffi* dicuntur vulgo ab Italorum fabris lignariis, molestiores difficilioresque tractatu, quam nodi. ℙ [*Spira*, ut etiam Graecorum σπεῖρα, significat item cohortem, seu aliquam hominum multitudinem. *Inscr.* mendosa ap. *Fabr.* p. 533. *n.* 385., emendata ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 556. Fla. Procla Cal. et spira pro salu. Augg. NN., M. Aur. Sabinus D. D. D. Suppl. C. Jul. Calocaero Ierof. *h. e.* Flavia Procla Calocaeri *(uxor)* et spira (scil. cohors initiatorum Bacchi) pro salute Augustorum nostrorum, M. Aur. Sabinus dono dederunt, supplicante C. Jul. Calocaero hierophanta. Alia ap. *Marin. l. c.* Pro salute DD. NN. Impp. Severi et Antonini Augg. sacrarium Dei Liberi cum aedicula et columnis suis donum dederunt spirae. Alia ap. *Mur.* 1095, 1. Libero Patri spira Ulubrana D. S. P. F. *h. e.* de sua pecunia fecit. Adde aliam ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 94. *n.* 47. et p. 375. *n.* 131. *F.*]

SPĪRĀBĬLIS, e, adj. ἔμπνευστος, qui spirat aut spirare potest, flabilis, animalis. *Cic. N. D.* 2, 36. Terra circumfusa undique hac animali spirabilique natura, cui nomen est aer. *Id. Tusc.* 1, 17. *f.* Animos, cum e corpore excesserint, sive illi sint animales, idest spirabiles, sive ignei, sublime ferri; et *ib.* 29. Natura mentis ignea aut spirabilis. *Virg. A.* 3, 600. per sidera testor, Per superos, atque hoc coeli spirabile lumen. ℙ Item ad spiritum reddendum, et recipiendum idoneus. *Plin.* 9, 7, 6. Quoniam et pulmonum vice aliis possunt alia spirabilia inesse viscera.

SPĪRĀCŬLUM, i, n. ἀναφύσημα, ἀναπνοή, spiramentum, locus, per quem aer, aut odor exspiratur, aut exhalat. *Virg. A.* 7, 568. Hic specus horrendum, saevi spiracula Ditis. *Plin.* 2, 93, 95. Spiracula vocant, alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes. *Solin.* 7. In Laconica spiraculum est Taenaron. *Val. Fl.* 3, 553. nitidi spiracula fontis: locus, ex quo fons erumpit. *Pall.* 7, 7. *f.* Apes inclusas per triduum tenebimus, et exigua tantum spiracula relinquemus in cella. *Id.* 11, 14. *f.* Relicto brevi foramine *(in dolio)*, quo aestuantia vina suspirent, sed exemptis quadraginta diebus, et hoc spiraculum claudis. ℙ Est etiam inspiratio divina. *Juvenc.* 1, 115. de Zacharia Jo. Bapt. patre: Mox etiam assuetam penetrant spiracula mentem, *h. e.* dona prophetiae.

SPĪRAEA, ae, f. σπειραία, herba, cujus folia coronamentis apta sunt; quidam eandem esse putant ac illam, quam viburnum *Matthiolius* vocat. *Plin.* 21, 9, 29. [**Spierstaude*, Spiraea, *L.*]

*SPIRAEUM, i, n. promontorium Argolidis, in sinu Saranico, e regione Aeginae insulae. *Plin.* 4, 5. *Ptolemaeo* est Σπείραιον ἄκρον. *B. A.*

SPĪRĀMEN, inis, n. spiraculum, spiramentum. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 692. Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas. Alii leg. *spiracula. Lucan.* 2, 183. Hic aures, alius spiramina naris aduncae Amputat. *Id.* 6, 90. tali spiramine Nesis Emittit Stygium nebulosis aera saxis; et 10, 247. sunt qui spiramina terris Esse putent, magnosque cavae compagis hiatus. ℙ Item spiratio, spiritus. *Ammian.* 17, 7. *med.* Plerumque observatur, terra tremente, ventorum apud nos spiramina nulla sentiri. *Claud. Idyll.* 5.,

36. Ille lacessitus longo spiraminis actu Arcanis trahitur gemma de conjuge nodis. *Stat. Theb.* 12, 268. Reficere spiramina fessi ignis, *h. e.* instaurare ignem paene exstinctum insufflando. ℙ [Item aspiratio quaevis in littera H pronuncianda. *Terent. de syllab.* p. 2400. Una nam spiramen addit omnibus vocalibus, *Hasta* quando et *Hedera* dicis, *Hister*, *Hospes* atque *Humus*. *F.*]

SPĪRĀMENTUM, i, n. idem quod spiraculum, spiramen. *Virg. G.* 1, 90. Seu plures calor ille vias, et caeca relaxat Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas; et *ib.* 4, 38. de apib.: in tectis certatim tenuia cera Spiramenta linunt; et *Just.* 4, 1. de Aetna: Ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. *Pall.* 1, 35. *med.* Omnes parvulos aditus, et reliqua spiramenta talparum diligenter obstruere. *Virg. A.* 9, 579. abditaque intus Spiramenta animae letali vulnere rumpit, *h. e.* pulmones. Simile est illud *Ov. Met.* 15, 342. Nam sive est animal tellus, et vivit, habetque Spiramenta locis flammam exhalantia multis, etc. *h. e.* pulmones, os, nares. *Plin.* 32, 10, 42. et 34, 17, 49. Laxare spiramenta. *Id.* 12, 3, 7. Dare per cavernas radicibus spiramentum. *Id.* 15, 17, 18. *n.* 2. Cotoneis in concluso spiramentum omne adimendum. ℙ Translate. *Tac. Agr.* 44. *extr.* Evasit illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit, *h. e.* quaedam veluti spatia: [*Pausen.*] *Ammian.* 29, 1. *med.* Sumptumque est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium, dum quaeritur, an sumi deberet. ℙ *Spiramentum venti* ap. *Vitr.* 7, 4. est spiratio. V. CONCEPTACULUM. ℙ Est etiam odor, halitus. *Macrob. Sat. praef.* 1. *med.* Ut qui odora pigmenta conficiunt, ante omnia curant, ut nullius sint odoris propria, quae condientur, confusura (alii leg. *confusuri*) videlicet omnium odoraminum in spiramentum unum.

SPĪRANS, antis, part. a *spiro: πνέων*, qui spirat. *Plin.* 12, 19, 42. Tot generum aurae spirante concentu. *Id.* 21, 18, 69. Cypiro Phoenicio odor exiguum spirāns; et 20, 13, 51. *extr.* Ruta in maximo usu est difficile spirantibus. *Virg. A.* 8, 304. Cacus spirans ignibus; et *ib.* 7, 281. et 2, 140. equi spirantes naribus ignem. *Id. G.* 3, 356. spirantes frigora Cauri. ℙ Metonymice est vivens. *Plin.* 11, 37, 85. Sues spirantes a muribus tradunt arrosas. *Cic. Mil.* 33. *med.* Et sunt qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cujus non restiterit cadaveri curia? *Tac. Agr.* 12. *extr.* Margarita viva ac spirantia avelli saxis. *Id. A.* 12, 51. Zenobiam spirantem ac vitae manifestam advertere pastores. Adde *Sil.* 15, 448. ℙ De pictis sculptisve imaginibus, quibus ad vivum quispiam repraesentatur. *Virg. A.* 6, 848. Excudent alii spirantia mollius aera: Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus. *Id. G.* 3, 34. Parii lapidis spirantia signa. *Plin. ep.* 3, 6. Corinthium signum effingit senem stantem: ossa, musculi, nervi, venae, rugae etiam, ut spirantis, apparent. *Gell.* 7, 5. Opplevit omnia non simulacris neque imitamentis, sed luctu et lamentis veris et spirantibus. ℙ De vivente, sed morti proximo. *Sall. Cat.* 64. Catilina longe a suis, inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans. *Cic. Sext.* 24. *f.* Et spirante etiam republica, ad ejus spolia detrahenda advolaverunt. *Id. Q. Fr.* 1, 3. Non vidisses fratrem tuum, sed quandam effigiem spirantis mortui. *Id. Dom.* 52. *med.* Ut in vivi et jam spirantis caput bustum suis manibus imponeret. *Plin.* 28, 1, 2. Gladiatorum sorbere sanguinem calidum spirantemque. *Virg. A.* 4, 64. spirantia consulit exta. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 670.]

[SPĪRARCHES, ae, m. *σπειράρχης*, qui spirae praest, vel chorum ducit. V. SPIRA. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 676. *n.* 29. Pontius daduchus spirarches Liberi Patris stibadium *constit*uit loco *suo*. Alia *ib. n.* 30. Achilleus spirarches Liberi Patris stibadium constituit loco suo. *F.*]

SPĪRĀTĬO, onis, f. actus spirandi. *Scrib. Comp.* 47. Nec spiratio interpelletur. *Id. ib.* 180. Opium spirationem impedit. *Id. ib.* 185. et 197. Odor spirationis. *F.*]

SPĪRĀTUS, us, m. facultas spirandi. *Plin.* 11, 3, 2. Arcente spiratum densitate et altitudine humoris.

[SPĪRĬDĬON, onis, m. *Σπειρίδιων*, nomen proprium: ex *σπειρίδιον*, dimin. a *σπεῖρα*, cohors. *Quint.* 6, 1. *med.* Nec ignotum quid Glyconi, cui Spiridion fuit cognomen, acciderit. *Sen. Contr.* 35. *f.* Glycon Spiridion isto Romanos vicit. *F.*]

SPĪRILLUM vocari ait Opilius Aurelius caprae barbam. *Festus.* V. ARUNCUS.

SPĪRĬTĀBĬLIS, e, adj. *Serv.* ad illud *A.* 3, 600. coeli spirabile lumen: vult nos credere, *Ciceronem* in libris de Deorum natura dixisse *spiritabilis* pro *spirabilis*.

SPĪRĬTĀLIS, e, adj. *πνευματικός*, ad spiritum, h. e. flatum, aerem, ventum pertinens. *Vitr.* 10, 1. Machinarum est unum genus scansorium, quod Graece *ἀκροβατικὸν* dicitur: alterum spiritale, quod apud eos *πνευματικὸν* appellatur: tertium tractorium: id autem Graeci *βάναυσον* vocant; et *mox:* Spiritale est, cum spiritus expressionibus impulsus et plagae vocesque *ὀργανικῶς* exprimuntur. *Veg. Vet.* 3, 76. Spiritales partes pulmonis. *Lactant. Op. D.* 11. Spiritalis fistula, *h. e.* aspera arteria, per quam spiritus meat. *Arnob.* 3, 108. Arteriae spiritales. ℙ Item corpori seu materiae oppositus. *Solin.* 23. *f.* In corporibus nostris commercia sunt spiritalia. *Tert. Apol.* 22. Dicimus, esse substantias quasdam spiritales; et *paulo post:* Malitia spiritalis, *h. e.* daemonum; et *mox:* Spiritales vires. *Id. Monog.* 1. Quos spiritales merito dici facit agnitio spiritalium charismatum. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 13. si superno rore respergas jecur, Et spiritali lacte pectus irriges. ℙ Legitur et *spiritualis*, quod quidem grammaticis magis placet, cum sit a *spiritus:* verum antiquis monumentis non satis confirmatur.

SPĪRĬTĀLĬTAS, atis, f. natura spiritalis. *Tert. adv. Marc.* 5, 8. *med.* Vides, Apostolum et in distributione facienda unius spiritus, et in spiritalitate interpretanda prophetae conspirantem. Alii minus recte pro *spiritalitate* leg. *specialitate*.

SPĪRĬTĀLĬTER, adv. secundum spiritum. *Tert. Baptism.* 4. *extr.* Caro spiritaliter mundatur.

SPĪRĬTŪĀLIS. V. SPIRITALIS.

SPĪRĬTUS, us, m. aer leniter fluens, aura, ventulus. *Plin. ep.* 5, 6. Aestatis mira clementia: semper aer spiritu aliquo movetur: frequentius tamen auras, quam ventos habet. ℙ Item *πνεῦμα*, aer, quem spiramus, halitus. *Cic. N. D.* 2, 53. *extr.* Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu. *Crass.* ap. *Cic. Or.* 1, 1. *extr.* Vel evulsa lingua, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. *Colum.* 6, 9. Longior, et cum quodam impedimento tractus spiritus. *Virg. G.* 3, 505. attractus ab alto Spiritus: interdum gemitu gravis. *Tibull.* 1, 9, 57. Lenem spiritum agere; et *Quint.* 11, 3. *med.* Spiritum crebro recipere; et *ib.* trahere; et *ib.* colligere; et *ib.* cum stridore per raritatem dentium non recipere, sed resorbere. *Cic. Or.* 3, 47. Longissima est complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest; et *Part.* 6. *med.* Oratio sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto. *Prop.* 1, 16, 32. Surget et invitis spiritus in lacrimis, *h. e.* suspiritus: quo sensu *Gell.* 12, 5. Spiritus et anhelitus e pectore ejus evadere, non dolorem magis indicantes, quam pugnam adversum dolorem. *Virg. Cul.* 180. de angue: Spiritibus rumpit fauces, *h. e.* sibilis. ℙ Item facultas ipsa respirandi. *Cic. N. D.* 2, 54. Aspera arteria ad pulmones usque pertinet, excipitque animam eam, quae ducta est spiritu; et *ib.* 55. *med.* Spiritu in pulmones anima ducitur: ea calescit ab eo spiritu. *Id. Or.* 1, 61. *f.* de Demosth.: Cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut, etc. et *Ov. Met.* 12, 516. super ora caputque Crevit onus, neque habet, quas ducat, spiritus auras. ℙ Item universim quivis aer, ventus. *Plin.* 2, 5, 4. Spiritus, quem Graeci, nostrique eodem vocabulo aera appellant. *Sen. Q. N.* 5. 13. *extr.* Vehementior spiritus, ventus est; leviter fluens, aer. *Quint.* 12, 11. *med.* Aqua piscibus, circumfusus nobis spiritus volucribus convenit. *Cic. Cat.* 1, 6. Potestne tibi hujus vitae haec lux, aut hujus coeli spiritus esse jucundus? *Virg. A.* 12, 465. velut Edoni Boreae cum spiritus alto Insonat Aegaeo. *Colum.* 3, 19. *f.* Praestat eligere sationi silentis, vel certe placidi spiritus diem. *Varr. R. R.* 1, 57. Quo spiritus non pervenit, ibi non oritur curculio. *Pall.* 8, 9. Plerumque terra sulfur, alumen, bitumen educit, quorum spiritus mixti anhelitum pestis exhalant. *Id.* 1, 3. Noxius coeli spiritus. *Cels.* 2, 7. *med.* Alvus cum multo spiritu redditur, *h. e.* pedito. ℙ Translate est animus. *Ov. Trist.* 3, 3, 61. Nam si morte carens vacuam volat altus in auram Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis; Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras. *Id. Met.* 15, 165. errat, et illinc Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus Spiritus, eque feris humana in corpora transit. *Virg. A.* 4, 336. dum spiritus hos reget artus. Adde *Prop.* 3, 16, 10. et *Tac. A.* 16, 34. ℙ *Spiritus mundi*, anima mundi. *Virg. A.* 6, 724. coelum, ac terras, camposque liquentes, etc. Spiritus intus alit. ℙ Ut *anima*, sic et *spiritus* pro persona ponitur. *Vell.* 2, 123. *f.* Subrefectus conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, *h. e.* Tiberii. ℙ Saepe est elatus animus. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. L. Caecilium nonne omni ratione placavi? quem hominem? qua ira? quo spiritu? *Id. Verr.* 2, 1, 30. Quid ego nunc in alteram actionem Cn. Dolabellae spiritus, quid hujus lacrimas et concursiones proferam? Ubi *Ascon.* Plus significavit dicendo *spiritus*, quam si animositatem, contentionemve diceret. *Id. Sull.* 9. *med.* Res enim gestae, credo, meae me nimis extulerunt, ac mihi nescio quos spiritus attulerunt. *Caes. B. G.* 1, 33. *extr.* Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur. *Id. B. C.* 3, 72. His rebus tantum fiduciae ac spiritus Pompejanis accessit, ut vicisse jam sibi viderentur. *Liv.* 2, 35. Minitans patriae, hostilesque jam tum spiritus gerens; et *mox:* Multis saepe bellis, pestilentia postremo amissa juventute, fractos spiritus esse. *Cic. Agr.* 2, 34. *f.* Hunc Capuae Campano supercilio, regio spiritu cum videremus, etc. *Id. Cluent.* 39. Jam insolentiam noratis hominis: noratis animos ejus ac spiritus tribunicios. *Albinov.* 1, 277. Spiritus ille minax, et Drusi morte superbus. *Sen. Herc. Fur.* 384. Spiritus altos gerere. *Id. Troad.* 252. spiritus truces, et minas alicujus ferre. *Id. Ag.* 248. tumidos Fortuna alicui dat. *Id. Troad.* 743. alicui facere; et *ib.* 268. frangere. *Tac. A.* 16, 26. cohibere; et *ib.* 15, 21. mitigare. ℙ In bonam partem. *Curt.* 5, 8. *f.* Oro, et obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiatis. *Plin.* 8, 40, 61. de Alex. M.: Generosi spiritus imperator. *Liv.* 21, 1. *f.* Ingentis spiritus vir. *Phaedr. epil.* 3. Sed difficulter continetur spiritus, Integritatis qui sincerae conscius, etc. *Prop.* 2, 2, 2. Haesisti: cecidit spiritus ille tuus. Adde *Virg. A.* 5, 648. ℙ De oestro et facultate vaticinandi, et poetica. *Liv.* 5, 22. Spiritu divino tactus. *Prop.* 3, 15, 40. Qualis Pindarico spiritus ore sonat. *Vell.* 1, 16. Per divini spiritus viros Aeschylum, Sophoclem, Euripidem illustravit tragoedias. *Cic. Arch.* 8. Poetas quasi divino quodam spiritu inflari. ℙ Item vita, quae in respirando videtur consistere. *Id. Phil.* 10, 10. Non est viri, dubitare, eum spiritum, quem naturae quis debeat, patriae reddere. *Id. Verr.* 2, 5, 45. Ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur. *Id. Sen.* 9. Quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. *Vell.* 2, 22. et 87. Cleopatra illata aspide, morsu ejus spiritum reddidit. *Id. ib.* Privare aliquem spiritu; et *Sen. Troad.* 328. Spiritum alicui eripere. ℙ Aliquando est odor, qui aere diffunditur. *Lucr.* 3, 223. Spiritus unguenti suavis diffugit in auras. *Cels.* 5, 26. *n.* 31. *f.* Spiritus foedi odoris. *Gell.* 9, 4. *med.* Gens spiritu florum naribus hausto victitans. ℙ *Spiritus Sanctus*, tertia Sanctissimae Trinitatis Persona. *Auson. Eph.* 2, 15. Deus precandus est mihi, Ac Filius summi Dei, Majestas uniusmodi Sociata Sancto Spiritu. *Veg. Mil.* 2, 5. Milites lecti jurant per Deum, et per Christum, et per Spiritum Sanctum, et per majestatem imperatoris. Adde *Cod.* 1, 1, 1. etc. ℙ Primam corripuit contra leges metricas *Sedul. hymn.* 1. *f.* Cum Sancto Spiritu gloria magna Patri. *Beda de metr.* p. 2374. ita eum excusat: Ut gloriam, inquit, Sanctae et Individuae Trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticae dispositionis. Alii leg. *Spirtu*. ℙ Ap. grammaticos spiritus est H, nota vehementioris flatus in loquendo: quae et *aspiratio* dicitur. Est autem duplex, asper, et lenis, ut *Prisc.* 2, 572. docet. *Auson. Idyll.* 12. *de monosyll. Graec. et Lat.* 19. Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans H. ℙ In tertio casu singulari, et secundo plur. qui usurpaverit, vix fortasse invenies. ℙ [*Confund. *spiritus* et *strepitus*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 202. *a.* — *Spiritus* et *suspiritus*. V. *Gronov. observv. in eccles.* 11. p. 612. *ed. Fr.* — *Spiritus* et *spes*. V. *Brem.* ad *Nep. Dion.* 5, 5.]

SPĪRO, as, avi, atum, a. 1. *πνέω*, flo: et dicitur de aere et ventis. *Plin.* 8, 38, 58. Obturatis, qua spiraturus est ventus, cavernis. *Virg. A.* 4, 562. nec Zephyros audis spirare secundos? *Ov. Met.* 7, 532. Letiferis calidi spirarunt flatibus Austri. *Id. Pont.* 4, 10, 43. At Notus adverso tepidum qui spirat ab axe. *Lucan.* 8, 246. spirat de litore Coo Aura fluens. *Gell.* 2, 22. *med.* Etesiae ex alia atque alia parte coeli spirant. *Sen. Ag.* 532. Coelo novae spirant procellae. *Juven.* 9, 67. bruma spirante. ℙ Translate a ventis secundis. *Prop.* 2, 8, 85. Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis, Non ego nequitiae dicerer esse caput, *h. e.* mihi obsequeretur. ℙ Saepe de odoribus dicitur, qui aura differuntur. *Virg. A.* 1, 407. Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere. *Pers.* 6, 35. spirant cinnama surdum. *Virg. G.* 4, 31. graviter spirantis copia thymbrae. *Stat. Silv.* 3, 3, 211. Semper odoratis spirabunt floribus arae. *Val. Fl.* 5, 589. multa spirat coma flexilis aura. *Juven.* 6, 461. facies pinguia Poppaeana spirat. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 81. Quidquid turiferis spirat Panchaia silvis. ℙ Item de respiratione animantium. *Cic. N. D.* 3, 40. Quae deseri a me, dum quidem spirare potero, nefas judico. *Cels.* 2, 4. Mali morbi testimonium est, vehementer et crebro spirare. *Val. Fl.* 4, 436. Spirare animam tenuem. *Mart.* 2, 26. querulum. ℙ Pro vivere. V. SPIRANS. *Sen. Thyest.* 756. Spirant venae, corque adhuc pavidum salit. Et translate. *Cic. Brut.* 24. *extr.* Videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse. *Hor. Od.* 4, 9, 10. spirat adhuc amor, Vivuntque commissi calores Aeoliae fidibus puellae. ℙ De his, quae ad vivum expressa sunt in signis aut tabulis. *Mart.* 11, 9. Spirat Apellea redditus arte Memor. *Id.* 7, 84. Spirat et arguta picta tabella manu. *Sil.* 2, 429. at senior Siculis exsultat in arvis. Spirantem credas certamina anhela movere. *Id.* 14, 657. spirantes referens subtemine vultus. *Claud. IV. cons. Hon.* 591. Et variis spirat Nereia bacca figuris. V. SPIRANS. ℙ Est etiam spirando emittere, exhalare, exspirare. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 154. Enceladus Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur. *Juven.* 7, 111. immensa cavi spirant mendacia folles. *Lucan.* 9, 678. Quos habuit vultus lunati vulnere ferri Caesa caput Gorgon! quanto spirasse veneno Ora reor! *Val. Fl.* 6, 157. paribus spirans Medea venenis. *Lucan.* 5, 82. vastos telluris hiatus Divinam spirare fidem, *h.*

e. responsa et oracula. ℙ Item spirando exire. *Ov. Met.* 8, 356. de apro: Lux micat ex oculis, spiratque e pectore flamma. *Lucr.* 6, 890. Quod genus endo mari spirat fons, dulcis aquai Qui scatit. ℙ *Spirare aliquid* est prae se ferre, ostentare, plenum esse, et sibi polliceri. *Liv.* 3, 46. Inquietum hominem, et tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis quaerere. *Hor. Od.* 4, 13, 19. Spirare amores. *Prop.* 2, 12, 53. et *Val. Fl.* 2, 185. magnum aliquid. *Stat. Silv.* 5, 3, 10. Certe ego magnanimum qui facta attollere regum Ibam, altum spirans, Martemque aequare canendo. *Hor. Ep.* 2, 1, 166. spirat tragicum satis, et feliciter audet. *Flor.* 1, 22. Feritas quiddam spirabat indomitum. *Virg. A.* 7, 510. rapta spirans immane securi. *Sil.* 3, 240. Mago quatit currus, et fratrem spirat in armis, *h. e.* fratris Annibalis virtutem militarem refert. Sic 15, 414. fratris spirans ingentia facta. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 6. totum spirant praecordia Phoebum. *Sen. Thyest.* 503. Dum spirat ira sanguinem, nescit tegi. Est qui leg. *sperat*. *Petr. Sat.* 122. de Sole: namque ore cruento Deformis: titubans, vultus caligine texit: Civiles acies jam tum spirare putares. *Claud. Laud. Stil.* 2, 340. insigne Minervam Spirat opus, *h. e.* ostendit factum se esse a Minerva. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 138. et 7, 183. ℙ Confund. *spiro* et *spero*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 137.]

[SPIRON, ontis, m. *σπείρων*, seminans: a *σπείρω*, semino. Est nomen propr. servile in *Inscr.* ap. *Grut.* 1156, 1. *F.*]

SPIRŪLA, ae, f. parva spira. *Arnob.* 2, 73. Spirulas et botulos facere, *h. e.* placentas parvas in modum spirae confectas. V. SPIRA. *Serv.* ad *A.* 2, 217. Bases columnarum spirulas dicunt. V. SPIRA.

SPISSĀMENTUM, i, n. *στύμμα, πύκνωμα*, quaevis res spissata et densa, ne aliquid hiscat, aut fluitet. *Sen. ep.* 31. Sapiens eris, si clauseris aures: quibus ceram parum est obdere: firmiori spissamento opus est, quam usum in sociis Ulyssem ferunt. *Colum.* 12, 47. *med.* Olivas in amphoram conjicito, et cum ad fauces vas repleveris, adjicito muriam duram: tum spissamento facto de arundinum foliis olivam premito, ut infra jus mersa sit; et *ib. med.* Cum jam paene amphoram impleverunt, foeniculi spissamento deprimunt baccam; et *ib.* 7. Foeniculi aridi spissamentum imponere; et *ib.* 6. *f.* Adjecto spissamento aridi foeniculi, quo deprimantur ita sorba, ut semper jus supernatet.

SPISSĀTIO, onis, f. spissamentum, spissitudo. *Sen. ep.* 86. *f.* Terram non aggessit tantum, sed calcavit, et pressit: negat quicquam esse hac, ut ait, spissatione efficacius. Alii leg. *pisatione*, vel *pinsatione*.

SPISSĀTUS, a, um, part. a *spisso: πυκνωθείς*. *Ov. Met.* 15, 250. Ignis enim densum spissatus in aera transit. *Lucan.* 4, 76. de nubibus: Jamque polo pressae largos densantur in imbres, Spissataeque fluunt; et 9, 943. humus spissata: cui opponitur *resoluta in pulverem*. *Plin.* 20, 7, 24. Spissatum lac. *Id.* 32, 11, 54. Dentes pectinatim spissati. *Id.* 11, 32, 37. Ros spissatus sole.

SPISSĒ, adv. *πυκνῶς*, dense, sive ad multam spissitudinem. *Colum.* 2, 9. Prima sementis rarius serere permittit, novissima spissius postulat. *Plin.* 36, 25, 63. Dein spisse calcatis carbonibus inducitur, sabulo, calce, ac favilla mistis. *Id.* 29, 2, 9. Lana indita auribus obturatis spissius. *Petr. Sat.* 18. Spissius basiare aliquem, *h. e.* crebrius. *Plin.* 37, 8, 36. Non translucet molochites, spissius virens, et crassius, quam smaragdus. ℙ Metaleptice ponitur pro tarde, aegre, difficulter. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 422. Habet hoc senectus in se, cum pigra est ipsa, ut spisse omnia videantur confieri. *Cic. Brut.* 36. Cum tamen spisse, atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. *Naevius* ap. *Non. l. c.* At enim tu nimis spisse atque tarde incedis. *Varr. ib.* Nascimur enim spissius, quam emorimur.

SPISSESCO, is, n. 3. *πυκνόομαι*, spissus fio. *Lucret.* 6, 175. cavam spissescere nubem. *Cels.* 5, 27. *n.* 4. Humor spissescens.

SPISSIGRĀDUS, a, um, adj. *βραδυπόρος*, qui tarde incedit, qui tarde passuum motu in ambulando utitur. *Pl. Poen.* 3, 1, 3. Homines spissigradissimos, tardiores, quam corbitae sunt in tranquillo mari.

SPISSĪTAS, atis, f. *πυκνότης*, spissitudo. *Vitr.* 2, 9. *med.* Propter spissitatem non potest recipere liquorem. *Plin.* 18, 30, 73. In tritico maxime crescunt animalia, quoniam spissitate sua concalescit.

SPISSĪTŪDO, inis, f. idem quod spissitas. *Sen. Q. N.* 2, 30. *extr.* Est autem nubes spissitudo aeris crassi. *Scrib. Comp.* 4. et 5. Haec diluuntur aceto et rosa in mellis spissitudinem. *Cato* hoc sensu *crassitudinem* dixit.

SPISSO, as, a. 1. *πυκνόω*, spissum facio. *Plin.* 11, 41, 90. Omne lac igne spissatur. *Id.* 13, 4, 9. Et farinae modo spissatur in panem. *Id.* 26, 13, 83. Vis ejus (*herbae*) spissare corpora, *h. e.* adstringere, *στύφειν*. Sic *Cels.* 2, 1. *med.* Aquilo sanum corpus spissat, et mobilius atque expeditius reddit. *Plin.* 28, 15, 61. Calculum dicitur onager, cum interficiatur, reddere urina, liquidiorem initio, sed in terra spissantem se. *Lucan.* 4, 777. Ergo acies tantae parvum spissantur in orbem. ℙ Est etiam frequentius aliquid facere, quod prius lente fiebat. *Petr. Sat.* 140. Ille lente parebat imperio, et clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium, *h. e.* frequentius succuteret.

SPISSUS, a, um, adj. *πυκνὸς, παχὺς*, densus, creber, plenus: cui opponitur *rarus*, *solutus*, et in fluidis *liquidus*. *Lucr.* 2, 444. quae nobis durata ac spissa videntur. *Sen. ep.* 76. *med.* Navis firma, et juncturis aquam excludentibus spissa. *Hor. Od.* 3, 19, 25. et *ib.* 4, 3, 11. Spissa coma. *Id. A. P.* 205. sedilia. *Virg. A.* 9, 508. Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris. *Hor. Ep.* 1, 19, 41. spissis indigna theatris Scripta pudet recitare. *Id. Od.* 2, 15, 9. Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus. *Ov. Met.* 9, 222. spissa grando; et *ib.* 5, 621. Spissae nubes. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Spississima ex omni materie, ideo et gravissima, judicatur ebenus et buxus. *Colum.* 4, 33. Spissius autem semen propter varios casus deponitur. *Virg. A.* 5, 336. Spissa arena. *Id. G.* 2, 236. si scrobibus superabit terra repletis, Spissus ager; et *ib.* 241. spisso vimine quali. *Id. A.* 2, 621. Spissae noctis umbrae. *Petr. Sat.* 114. tenebrae. *Sen. Herc. Fur.* 710. Spissa caligo. *Ov. Met.* 11, 367. Spissus sanguis; et *ib.* 1, 23. Et liquidum spisso secrevit ab aere coelum; et *ib.* 12, 437. utque liquor rari sub pondere cribri Manat, et exprimitur per densa foramina spissus. *Id. Her.* 21, 166. Spissa amoma, [*i. e. pinguia unguenta. V. *Ruhnk.*] *Pl. Epid.* 2, 2, 46. tunica, *h. e.* densae texturae. *Petr. Sat.* 31. Spississima basia alicui impingere, *h. e.* creberrima. *Lucan.* 9, 604. Spissior ignis, *h. e.* intensior calor. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 53. In utroque genere dicendi et principia tarda sunt, et exitus tamen spissi et producti esse debent, *h. e.* sententiis et verbis copiosi. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 367.] *Sen. ep.* 81. *med.* Minimum ex nequitia, levissimumque ad alios redundat: quod pessimum ex illa est, et, ut ita dicam, spississimumque, domi remanet, et premit habentem. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. Scribebam illa, quae dixeram, *πολιτικὰ*, spissum sane opus, et operosum, *h. e.* difficile et multi laboris. *Id. Or.* 3, 36. Me quidem in Academiam totum compulisti: in qua velim sit illud, quod saepe posuisti, ut non necesse sit consumere aetatem: sed etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam, ante quam, etc. Adde *Fam.* 2, 10. *f.* et *Att.* 10, 18., quae duo loca pertinere possunt etiam ad notionem sequentem: nam ℙ Metonymice est tardus: quia res spissa cum difficultate et tarde conficitur. *Cic. cit. Att.* 10, 18. Hoc quoque timide scribo: ita omnia adhuc tarda et spissa. *Pl. Cist.* 1, 1, 77. Spissum istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit. *Caec.* ap. *Non.* 4, 422. Nihil ego Spei credo: omnes res spissas facit. Adde *Titin.*, *Turpil.*, *Pacuv*, *ib.* ℙ *Pro spisso*, tarde, sero. *Pl. Poen.* 3, 5, 46. Haruspices si quid boni promittunt, pro spisso evenit: id quod mali promittunt, praesentarium est.

SPITHAMA, ae, f. *σπιθαμή*, palmus, constans e duodecim digitis. *Hieron.* in *Isai* 11, 40, 12. *Σπιθαμὴ* autem: hoc est palmus, extentam significat manum a pollice usque ad extremum digitum. *Plin.* 7, 2, 2. Supra hos extrema in parte montium Trispithami, Pygmaeique narrantur, ternas spithamas longitudine non excedentes. V. PALMUS. [*Emendavit hunc locum *F.*]

*SPLANCHNA, orum, n. plur. *σπλάγχνα*, viscera, exta, ap. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 10. *B. A.*

SPLANCHNOPTES, ae, m. *σπλαγχνόπτης*, Graeca vox, assantem exta significans: *σπλάγχνα* enim exta sunt, *ὀπτάω* asso, torreo. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 21. Stipax Cyprius uno celebratur signo, Splanchnopte: Periclis Olympii vernula hic fuit exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens. Adde 22, 17, 20.

SPLEN, splenis, m. *σπλήν*, Graece est viscus illud in sinistra parte animalis ventriculo appositum, quod Latine *lienem* dicimus. Sunt qui deducunt per syncop. a *σπίλος*, sordes, quia veteres putabant, splenem esse excrementorum jecoris receptaculum; cum e contrario nunc constet, illum non a jecore sanguinem accipere, sed jecori tradere. Creditur esse sedes risus. *Pers.* 1, 12. Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno. *Vitr.* 1, 4. *med.* Pecora quae pascuntur proxime Gnoson, splenem habent: quae autem ex altera parte, non habent apparentem splenem. *Colum.* 7, 10. *f.* Vitiosi splenis dolor sues infestat. *Plin.* 25, 5, 20. Sues, qui radicem Teucrii ederint, sine splene inveniri. *Id.* 24, 19, 120. Foenum Graecum spleni medetur; et *ib.* 15, 80. Trixago ad splenem ex aceto sumitur. *Id.* 23, 1, 16. Vitis alba splenem, ternis obolis pota, triginta diebus consumit.

SPLENDENS, entis, part. a *splendeo: λαμπρὸς*, splendidus, fulgens. *Pl. Rud. prol.* 3. Splendens stella candida. *Ov. Met.* 3, 53. splendenti lancea ferro. *Virg. A.* 12, 417. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit. *Tibull.* 1, 9, 11. Succo splendente genas onerare; et *Claud. epigr.* 9, 1. porrectam splendenti fragmine venam, *h. e.* crystallo. *Id. Gigantom.* 77. splendentior igni Aureus ardescit clypeus. *Hor. Od.* 1, 19, 5. Urit me Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius. ℙ Translate. *Plin.* 9, 5, 4. Auctores habeo in equestri ordine splendentes, visum ab his in Gaditano oceano marinum hominem, *h. e.* claros, illustres, nobiles.

SPLENDĒO, es, dui, n. 2. *λάμπω*, splendorem emitto, luceo, fulgeo, niteo. [Inter *fulgeo* et *splendeo* hoc statuit discrimen *Front. de different. verb.* p. 2191., ut *fulgere* dicantur, quae natura lucem habent, ut sol, ignis: *splendere*, quae arte, ut aurum, argentum. *F.*] [*Etymon vocis *Doederl.* 2, 71. facit a *plenus*, ita ut *splendidus* et *plenus* eodem modo cohaereat, quo *candidus* et *canus*.] *Pl. Poen.* 1, 2, 101. Pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi. *Lucr.* 5, 1257. claro splendere colore. *Virg. A.* 7, 9. nec candida cursus Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Sparsis hastis longis campus splendet, et horret. *Sen. Ag.* 434. Splendetque classe pelagus, et pariter latet. *Lucan.* 9, 516. Eois splendent donaria gemmis. *Catull.* 64, 44. Sedes fulgenti splendent auro atque argento. *Mart.* 4, 79. Condita cum tibi sit jam sexagesima messis, Et facies multo splendeat alba pilo; et 2, 29. Et splendent vulso brachia trita pilo. *Id.* 8, 77. Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat. *Id.* 9, 3. Splendet Erythraeis perlucida moecha lapillis. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Cubiculum marmore splendet. *Juventius* ap. *Gell.* 18, 12. Pallium face ut splendeat, *h. e.* nitidum sit, et sine maculis. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 28. Virtus splendet per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. *Sen. Troad.* 1138. fulgent genae, Magisque solito splendet extremus decor. *Liv.* 38, 53. Petilii vexati sunt probris, quod splendere aliena invidia voluissent, *h. e.* clari fieri accusatione Scipionis Africani. *Hor. Od.* 3, 3, 25. Jam nec Lacaenae splendet adulterae Famosus hospes, *h. e.* floret, viget. *Phaedr.* 4, 24. Splendebat hilare poculis convivium, *h. e.* abundabat, large et liberaliter hero praebente. ℙ Part. *Splendens* V. in v. praec. ℙ Praeterit. *splendui* agnoscitur a *Charis.* 3, 216., *Diomed.* 1, 363., *Prisc.* 9, 868. et habet *August. Confess.* 10, 27.

SPLENDESCO, is, n. 3. *ἀγλαΐζομαι*, splendidus fio, luceo, splendeo. *Virg. G.* 1, 46. Incipiat sulco attritus splendescere vomer. *Ov. Pont.* 2, 10, 23. Vidimus Aetnaea coelum splendescere flamma. *Id. Met.* 10, 177. splendescunt succo pinguis olivi. *Sen. Herc. Oet.* 791. largo sacer splendescat ignis ture. *Appul. Met.* 11. Palla nigerrima, splendescens atro colore. ℙ Translate. *Cic. Par. praef.* Nihil est tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, et tanquam excolatur. [*Id. Sen.* 9. Canorum illud in voce splendescit etiam in senectute. *Bail.*] *Plin. ep.* 5, 11. Perfectum opus absolutumque est: nec jam splendescit lima: sed atteritur.

SPLENDĪCO, as, n. 1. splendeo. *Appul. Met.* 5. Praenitent vestes, splendicant gemmae. Alii leg. *splendidant;* et *ib.* Cum mihi etiam tunc depiles genae levi pueritia splendicarent.

SPLENDĪDĒ, adv. *λαμπρῶς*, cum splendore, lucide: et translate nobiliter, praeclare, magnifice. *Cic. Tusc.* 3, 25. *f.* Et acta aetas honeste ac splendide tantam affert consolationem, etc. *Id. Quint.* 30. Magnifice et splendide ornare convivium. *Petr. Sat.* 21. In cella tres lecti strati erant, et reliquus lautitiarum apparatus splendidissime expositus. *Nep. Att.* 14. Parum splendide se gerere in HS. vicies. *Cic. Off.* 1, 1. *extr.* Ornate et splendide dicere. *Id. Fin.* 1, 2. *med.* Quid habent, cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint, neque sint conversa de Graecis? *h. e.* nitide et eleganter. *Hor. Od.* 3, 11, 35. perjurum fuit in parentem Splendide mendax, et in omne virgo Nobilis aevum, *h. e.* decore, cum virtute: loquitur de Hypermnestra, Danai filia, quae quadraginta novem sororibus jussu patris maritos suos occidentibus, una Lynceo suo pepercit. *Hirt B. Alex.* 24. Splendidius atque honestius contra regem, quam contra fugitivorum manum bellum gerere. *Gell.* 14, 1. *med.* Latius ea, et amoenius, et splendidius, et profluentius exsequebatur. *Sen. ep.* 47. *med.* Splendidissime natus, *h. e.* illustri genere. *Suet. Vesp.* 14. Hostis sui filiam splendidissime maritavit.

SPLENDĪDO, as, a. 1. splendidum reddo, polio. *Appul. Apol. f.* Splendidare dentes. ℙ Item splendidus sum. V. SPLENDICO.

SPLENDĪDUS, a, um, adj. *λαμπρὸς*, qui splendet, lucidus, clarus, nitidus: a *splendeo:* [*ubi v.] *Cic. Somn. Scip.* 3. *f.* Splendidissimo candore inter flammas elucens circulus. *Tibull.* 4, 1, 123. Splendidior liquidis cum sol caput extulit undis. *Plin.* 18, 35, 80. Splendidum coelum; et *Lucr.* 6, 207. flammeus et splendidus colos. *Mart. Spect.* 11. Splendida venabula. *Id.* 2, 36. Splendida sit nolo, sordida nolo cutis. *Id.* 9, 50. de toga: Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana. *Ov. Her.* 21, 162. multo splendida palla croco. *Id. Fast.* 5, 336. splendida mensa. *Sen. Thyest.* 457. Splendidum ebur. *Id. Hipp.* 246. Comae splendidae; et *ib.* 800. Colla splendida; et *Hor. Od.* 3, 13, 1. fons splendidior vitro; et *Front. Aquaed.* 93. Fluvius frigidissimus

ac splendidissimus. *Lucr.* 6, 1185. Sudorisque madens per collum splendidus humor. Sic *Hor. Sat.* 2, 3, 140. maledicit utrique, vocando Hanc furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis, *h. e.* χολὴ ξανθὴ, flava, ex qua ira nascitur. V. BILIS. Vitream bilem dixit *Pers.* 3, 8. ℙ Translate est speciosus. *Cic. Fin.* 1, 18. *f.* Quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine. *Ov. Rem. Am.* 240. Praetendens culpae splendida verba suae. *Hor. Od.* 4, 7, 21. Cum semel occideris, et de te splendida Minos Fecerit arbitria, *h. e.* praeclaram et aequam sententiam, et probatam omnibus tulerit. ℙ Item perspicuus, clarus, apertus. *Cic. Brut.* 75. Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenere; et *ib.* 79. Splendida et grandis oratio; et *ib.* 58. Splendidioribus verbis uti. *Id. ib.* 55. Vox cum magna, tum suavis et splendida. *Id. Or.* 49. Splendidus nominibus illuminatus est versus. ℙ Item illustris, nobilis, clarus. *Hor. Ep.* 2, 1, 236. et *Ov. Her.* 13, 118. splendida facta. *Prop.* 3, 18, 8. Splendidaque a docto fama refulget avo. *Cels. praef. med.* Nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluit, ne occidisse, nisi servasset, videretur; et *Cic. Fl.* 20. *med.* Vir splendidissimus atque ornatissimus civitatis suae. *Hirt. B. Alex.* 40. *f.* Splendidi ac illustres viri, equites R. *Cic. Fin.* 2, 18. C. Plotius eques R. splendidus. *Vell.* 2, 88. Equestri sed splendido genere natus: (V. SPLENDOR.) et *ib.* 116. *med.* Sejanus splendidissimis functus ministeriis. *Plin. ep.* 4, 4. Hunc rogo semestri tribunatu splendidiorem et sibi, et avunculo suo facias. ℙ Universim splendida dicuntur, quae magna et praestantia sunt, quia facile incurrunt in oculos, et quadam luce perstringunt, et admirationem pariunt. *Cic. Off.* 1, 18. *med.* Splendidissimum videri, quod animo magno elatoque, humanasque res despiciente factum sit; et *ib.* 8. *med.* In maximis animis, splendidissimisque ingeniis plerumque existunt honoris, imperii, gloriae cupiditates. *Id. Verr.* 2, 4, 18. Homo et domi nobilis, et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus. ℙ Praecipue vero ad divitias refertur, lautitiam, liberalitatem, magnificentiam. *Cic. Par.* 5, 2. *med.* Reviviscat M'. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa nihil splendidum, nihil ornatum fuit, praeter ipsos. *Nep. Att.* 13. *med.* Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. *Vell.* 2, 105. Liberaliter lauteque otio abutens: ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres. *Nep. Alc.* 11. Cum Athenis splendidissima civitate natus esset, etc. *Virg. A.* 1, 641. At domus interea regali splendida luxu Instruitur. *Catull.* 64, 46. Tota domus gaudet regali splendida gaza. *Petr. Sat.* 12. Splendida vestis; (*ib.* 14. *f.* vocat pretiosissimam. Fortasse respicit ad fulgorem purpurae.) *Quint.* 11, 3. *med.* Cultus oratoris sit, ut in omnibus honestis debet esse, splendidus et virilis. *Hor. Od.* 3, 16, 25. Contemptae dominus splendidior rei, Quam si, etc.

SPLENDĬFĪCĒ, adv. splendide. *Fulg. Myth. praef.* 1. *med.* Admodum splendifice intermicanti quodam sui vultus coruscamine.

SPLENDĬFĪCO, as, a. 1. splendidum et lucidum facio. *Capell.* 9. p. 309. Lumina ambrosium splendificant diem.

SPLENDĬFĪCUS, a, um, adj. splendorem faciens, splendidus. In Thesauro *Basil. Fabri* affertur antiquus hic versus, ex *Fabrett.* Splendificumque jubar radianti carperet haustu. *Locus est p. 101. *B. A.*

SPLENDOR, oris, m. αὐγὴ, λάμψις, lux, fulgor, claritas, nitor. [*De differentia inter *splendor* et *lux Sen. ep.* 21. haec docet: Quod interest inter splendorem et lucem, cum haec certam habeat originem, ille niteat alieno. V. *Doederl.* 2, 70. Quid *nitor* differat v. in h. v.] *Pl. Merc.* 5, 2, 39. Coelum splendore plenum. *Ov. Fast.* 5, 366. Splendor flammae. *Gell.* 2, 6. Nitores et splendores auri. *Auct. ad Her.* 4, 50. Existimat, se gemmae nitore, et auri splendore aspectus omnium praestringere. *Pl. Mil.* 1, 1, 1. Curate, ut splendor sit meo clypeo clarior, quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent. *Id. As.* 2, 4, 20. Jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris? et *Aul.* 4, 1, 16. Redigere compedes in splendorem. *Suet. Dom.* 14. Porticuum parietes phengite lapide distinxit, e cujus splendore per imagines, quidquid a tergo fieret, provideret. *Plin.* 33, 7, 40. Splendor minii. *Id.* 37, 4, 15. Gemma splendoris ferrei; et 12, 4, 9. Ebenus trunco enodi, materie splendoris nigri. *Lucr.* 4, 211. splendor aquai, (sic Splendor aquarum, *h. e.* puritas, *Front. Aquaed.* 89.) *Ov. Fast.* 5, 366. floris. Sic *Claud. Rapt. Pros.* 2, 92. Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro Induit. *Lucr.* 4, 1023. Cum Babylonica magnifico splendore rigantur, *h. e.* pretiosis coloribus: v. gr. purpureo tincta. ℙ Translate. *Auct. dial. de Or.* 37. His accedebat splendor rerum, et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant, *h. e.* res magnae, notabiles, illustres, magna negotia. *Just.* 6, 3. *med.* Ne a rebus gestis ejus, et gloriae splendore decederet. *Plin. ep.* 10, 3. *f.* Et natalium, et paternarum facultatum splendor. ℙ Saepe est magnificentia, liberalitas, largus divitiarum usus: haec enim maxime, splendoris instar, feriunt oculos, et admirationem pariunt. *Cic. Fl.* 12. Majores nostri in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti, tenuissimo victu vivebant: in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocabant. *Id. Coel.* 31. *f.* Si quem horum aliquid offendit, si purpurae genus, si amicorum catervae, si splendor, si nitor, etc. *Gell.* 1, 14. Splendor domus atque victus. ℙ Item claritas, nobilitas, dignitas, gloria, honor. *Cic. Sull.* 1. Dignitatis suae splendorem obtinere. *Id. Or.* 1, 45. *extr.* Q. Mucii janua et vestibulum maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrantur. *Id. Cluent.* 69. *f.* Honesti homines et summo splendore praediti. *Suet. Vesp.* 1. *f.* Splendor et vetustas familiae. *Plin. Pan.* 84. *f.* Verum honorem non in titulorum splendore, sed in judiciis hominum reponere. *Tac. H.* 1, 84. Senatus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium praestringere. *Suet. Aug.* 35. Senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba, ad modum pristinum et splendorem redegit. ℙ Speciatim dicitur de dignitate equestris ordinis, qui erat in civitate honestissimus. *Cic. Fam.* 12, 27. Sex. Aufidius splendore equiti Romano nemini cedit. *Id. Rosc. Am.* 48. *med.* Qui equestrem splendorem pati non potuerunt. Adde *Fam.* 1, 3. et V. SPLENDIDUS. ℙ Item decus, ornamentum. *Id. Caecin.* 10. Dixit senator populi R., splendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, Fidiculanius Falcula. ℙ *Splendor verborum* est nitor, vis, et significantia, qua res in bono lumine collocantur. *Plin. ep.* 7, 9. Proprietas splendorque verborum. *Hor. Ep.* 2, 2, 111. Audebit, quaecumque parum splendoris habebunt, Et sine pondere erunt, et honore indigna feruntur, Verba movere loco, quamvis invita recedant. Adde *Cic. Or.* 31. et 49. ℙ *Splendor vocis* est claritas, et canora suavitas. *Cic. Brut.* 68. et 71. Actio ejus habebat et in voce magnum splendorem, et in motu summam dignitatem. *Plin.* 20, 6, 21. Porrum sectivum voci splendorem affert, καθαίρει τὴν ἀρτηρίαν, inquit *Dioscor.* 2, 179.

SPLENDORĬFER, ra, rum, adj. splendorem ferens. *Tert. Judic. Dom.* 131. Solque cadit, splendorifero qui lumine clarus.

SPLENĔTĪCUS, a, um, adj. σπληνώδης, lienosus, qui ex splene laborat. *Plin.* 20, 9, 34. Item spleneticis in vino albo per dies quadraginta. *Pall.* 8, 6. Hoc vini genus spleneticis proderit. Alii utrobique leg. *splenicis*. *Appul. Herb.* 34. Centauria major ad splenetieos. V. SPLENICUS.

SPLENĬĀTUS, a, um, adj. σπληνιωτὸς, spleniis distinctus. *Mart.* 10, 22. Cur spleniato saepe prodeam mento.

SPLĒNĪCUS, a, um, adj. σπληνικὸς, splene laborans, lienosus. *Plin.* 24, 10, 47. Hederae vaso splenicos bibentes sanari invenio; et *ib.* 9, 41. Homini splenico cibum potumque dant in vasis ex myrice factis. *Id.* 31, 11, 47. Splenicis spongiae impositae prosunt. His et aliis *Plinii* locis multis veteres Editiones 1469., 1470. et 1472. fere habent *spleneticus*. In sua *Hard.* semper edidit *splenicus*, quod magis accedit ad Graecam analogiam σπλὴν, σπληνικὸς, et probabilius est. Ita etiam *Pelag. Vet.* 13. *in.* Cum splenicus *(equus)* est, et venter increscit.

SPLĒNĬUM, ii, n. σπλήνιον, herba, quae spleni medetur, quaeque usitatius dicitur *asplenum*. *Plin.* 25, 5, 20. Invenit et Teucer eadem aetate teucrion, quam quidam hemionion vocant, spargentem juncos tenues, folia parva, asperis locis nascentem, austero sapore, nunquam florentem. Neque semen gignit. Medetur lienibus. Constatque sic inventam. Cum exta super eam projecta essent, adhaesisse lieni, eumque exinanisse. Ob id a quibusdam splenion vocatur. Haec *Plin.* ℙ A splenis forma ejusdemque colore ita etiam appellatur panniculus, vel fascia medicamento, aut emplastro illita, quae fronti, aut oculis aliquo morbo laborantibus imponitur. *Plin.* 29, 6, 38. *med.* Superimponi oportet splenium e melle decoctum, lanamque succidam ex oleo aut vino. *Id.* 30, 11, 30. *f.* Aranei tela cum ipso, in splenio resinae ceraeque imposita fronti. ℙ Hinc ita etiam vocantur linteola, vel parva coria, stellata, aut lunata figura, quae elegantiae et ornatus causa, vel naevis abscondendis vultui olim apponebant veteres, quemadmodum nuper apud nos etiam factitabant feminae, ideoque Italice *nei*, Gallice vero *mouches* nuncupantur. De servo stigmatis in fronte notato, et ad equestrem dignitatem evecto ita *Mart.* 2, 29. Et numerosa linunt stellantem splenia frontem: Ignoras quis sis? splenia tolle, leges. De tenuitate folii cujusdam sic *Id.* 8, 33. Talia lunata splenia fronte sedent. *Plin. ep.* 6, 2. Regulus candidum splenium in hoc aut in illud supercilium transferebat. Huc spectat etiam illud *Ov. A. Am.* 3, 202. Parvaque sinceras velat aluta genas. [*Multis h. l. auxit *F.*]

[SPLONISTAE, arum, m. plur. incolae oppidi in Dalmatia, quod in *Dionis fr. l.* 56. a *Jac. Morellio* editis Σπλανὸν dicitur, et loci natura et operibus et propugnatoribus munitissimum celebratur. Eorum mentio tantummodo habetur in *Inscr.*, quam vide in V. RIDITAE. *F.*]

SPODĬUM, ii, n. σπόδιον, dimin. a *spodos*, σποδὸς, Graece est parva, aut minutior cinis. Sumitur autem pro quodam excremento seu scoria metallorum, postquam in fornacibus cocta et fusa sunt: de quo multa *Plin.* 34, 13, 33. et 34. ubi et *spodon* vocat, et varias ejus utilitates recenset. *Id. ib.* 18, 52. Fit et spodium ex plumbo, eodem modo, quo ex Cyprio aere diximus. V. POMPHOLYX. ℙ Item pro cinere aliarum rerum combustarum. *Id.* 23, 4, 38. Spodium e cauliculis *(oleastri)* vehementius inhibet rheumatismos.

SPODOS, i, f. σποδὸς, idem quod spodium. *Plin.* 34, 13, 33. V. POMPHOLYX.

SPOLĒTĀNUS, a, um, et

SPOLĒTĪNUS, a, um, adj. a Spoleto, seu Spoletio urbe, ut Spoletinus populus, *Cic. Balb.* 21. ℙ *Vina Spoletina* inter optima habita sunt. Unde *Mart.* 13, 120. De Spoletinis quae sunt cariosa lagenis Malueris, quam si musta Falerna bibas. Adde 14, 116. ℙ *Spoletini, orum*, ejus urbis cives. *Plin.* 3, 14, 19. et *Liv.* 45, 43. *Inscr.* ap. *Grut.* 476, 7. Ordo Spoletinorum. ℙ Dicitur et *Spoletanus*. *Liv.* 27, 10. Aesernini, et Spoletani, et Placentini. Alii leg. *Spoletini*. *Prisc.* 2, 592. probat *Spoletanus*: ut a *Spoletum;* ea ratione, qua a *Paestum* fit *Paestanus*, a *Toletum Toletanus*, a *Beneventum Beneventanus*.

SPOLĒTĬUM, ii, et Spoletum, i, n. *Spoleti*, urbs Umbriae, olim R. colonia, ad Tessinum fluvium. *Liv.* 45, 43. Rex Gentius Spoletium in custodiam ductus. *Id.* 22, 9. Annibal usque ad Spoletum venit. *Spoletium* habent etiam *Vell.* 1, 14. *f.* et *Flor.* 3, 21. *f.*, *Epit. Liv.* 20., *Aurel. Vict. Epit.* 31. et *Suet. Vesp.* 1., ubi alii leg. *Spoletum:* quod habetur etiam ap. *Plin.* 11, 37, 73., *Suet. Gr.* 21. et *Jul. Obsequ. de prodig.* 122. Sed *Spoletium* videtur antiquius: unde prius *Spoletinus;* ut a *Spoletum* deinde derivatum est *Spoletanus*.

SPOLĬĀRĬUM, ii, n. ἀποδυτήριον, locus in quo vestes exsuuntur. Et speciatim locus arenae proximus, quo recipiebantur, et exsuebantur gladiatores in arena jugulati: vel occidebantur qui graviter vulnerati sine spe vitae erant. *Sen. ep.* 93. *f.* Numquid aliquem esse tam stulte cupidum vitae putas, ut jugulari in spoliario, quam in arena malit? Hinc illae acclamationes in Commodum Imp. ap. *Lampr. Commod.* 18. et 19. Hostis patriae, parricida, gladiator in spoliario lanietur. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 489, 12. Quod is ludum etiam gladiatorium et spoliarium solo empto sua pecunia extructum publice optulerit. Alia ap. *Donat.* 465, 10. Primitivus curator spoliarii. ℙ Item quivis locus, in quo quis vita, aliave re privatur. *Sen. Prov.* 3. *med.* Videant largum in foro sanguinem, et supra Servilium lacum (id enim proscriptionis Sullanae spoliarium est) senatorum capita. *Sen. alter Contr.* 5, 33. de debilitante expositos: Volo nosse illum specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium. *Plin. Pan.* 36. Quam juvat cernere aerarium silens et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc templum illud, nunc vere Deus, non spoliarium civium, cruentarumque praedarum saevum receptaculum. ℙ [Est etiam locus in balneis, in quo loturi vestes deponebant. *Gloss. Isid.* Spoliaria, exteriores balnearum cellulae. V. APODYTERIUM. *F.*]

SPOLĬĀTĬO, onis, f. σκύλευσις, spoliorum detractio: et universim privatio cujuscumque rei. *Cic. Agr.* 1, 3. *f.* Hinc vos quas spoliationes, quam nundinationem juris ac fortunarum fore putatis? *Liv.* 29, 8. *med.* Avaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit. *Cic. Verr.* 2, 4, 59. Spoliationes fanorum atque oppidorum. *Id. Mur.* 40. *med.* Spoliatio consulatus. *Id. Phil.* 2, 11. *med.* dignitatis.

SPOLĬĀTOR, oris, m. σκυλευτὴρ, λαφυραγωγὸς, qui alterum spoliat. *Cic. Verr.* 2, 4, 36. Neque solum spoliata illa patiere, sed etiam spoliatorem vexatoremque eorum defendes? *Juven.* 1, 46. Cum populum gregibus comitum premat hic spoliator Pupilli prostantis.

SPOLĬĀTRIX, icis, f. σκυλεύτρια, quae spoliat. *Cic. Coel.* 21. Tune *(ausa es)* Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis? *Mart.* 4, 29. Sic spoliatricem commendat fastus amicam.

SPOLĬĀTUS, a, um, part. a *spolio:* σκυλευθεὶς, privatus quacumque re. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Cum illum spoliatum, stipatumque lictoribus videres; et *Brut.* 2. Cum forum populi R., quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, et Romanis Graecisque auribus digna, spoliatum atque orbatum videret. *Id. Pis.* 16. *med.* Nunc meam spoliatam fortunam cum tua florente conferam. *Id. Att.* 6, 1. Nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. *Vell.* 2, 80. *extr.* Vita, rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata, quam tueri non poterat, dignitas. *Virg. A.* 12, 935. corpus spoliatum lumine; et *Petr. Sat.* 108. spoliati capitis dedecus; et *Sen. Phoen.* 29. huc omni duce spoliatus ibo; et *Petr. fr.* 668. *Burm.* Guttura nunc aliae magnis monilibus ornent, Aut gemmas aptent capiti, tu sola placere Vel spoliata potes, *h. e.* vel inornata et incompta. V. MONILE. *Ov. Met.* 15, 213. Hiems spoliata capil-

los. ℙ Cum gen. *Lucr.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 654. spoliatus luminis aer. Alii leg. *lumine.* In libris *Lucretii* hoc hemistichium non apparet.

SPOLIO, as, avi, atum, a. 1. *σκυλεύω*, vestes detraho, exsuo. *Liv.* 2, 55. Consules spoliari hominem, et virgas expediri jubent; et *mox:* Quo ferocius clamitabat, eo infestius circumscindere et spoliare lictor. *Lucan.* 7, 627. Spoliare cadaver. *Nep. Thras.* 2. *extr.* jacentem veste. *Petr. Sat.* 135. Dentibus folliculos leguminum perite spoliat, atque in terram, veluti muscarum imagines, despuit, *h. e.* detrahit: legumina spoliat tunicis, seu involucris. ℙ Item universim privo, depraedor, expilo, aufero. *Ter. Hec.* 1, 1, 7. ad meretricem: Hortor, ne cujusquam misereat, quin spolies, mutiles, laceres quemque nacta sis. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Apollonium omni argento spoliasti ac depeculatus es; et *ib.* 2, 5. Monumenta antiquissima spoliavit nudavitque omnia. *Id. Acad.* 4, 19. Tune eam philosophiam sequere, quae spoliat nos judicio, privat approbatione, orbat sensibus? *Id. Or.* 1, 55. Vide ne dum novo et alieno ornatu velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam spolies atque denudes. *Id. Sull.* 25. *med.* Spoliare fana sociorum. *Virg. A.* 6, 168., *Ov. Ib.* 625. et *Just.* 16, 4. *extr.* aliquem vita. *Virg. A.* 11, 8. hostem telis. *Ov. Pont.* 4, 11, 8. conjuge. *Id. Met.* 12, 439. Ast ego, dum parat hunc armis nudare jacentem, etc. gladium spoliantis in ima Ilia demisi. *Id. Fast.* 4, 753. Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco. *Id. Her.* 16, 107. Ardua proceris spoliantur Gargara silvis. *Sen. Med.* 609. Spoliare Pelion umbra. *Just.* 8, 3. *extr.* aliquem regno. *Cic. Off.* 3, 19. probatum hominem fama. *Id. Dom.* 21. *f.* aliquem praesidio. *Id. Planc.* 9. fortunis. *Id. Mur.* 41. dignitate. *Id. Coel.* 2. Quae accusatores deformandi hujus causa, detrahendae spoliandaeque dignitatis gratia dixerunt; et *ib.* 8. Parcat juventus pudicitiae suae, ne spoliet alienam.

SPOLIUM, ii, n. *σκύλον*, pellis a corpore animalis detracta, exsuviae. *Ov. Her.* 4, 100. Illa ferae (*apri*) spolium pignus amoris habet; et *ib.* 6, 13. Pervigilem spolium pecudis servasse draconem, *h. e.* arietis Phrixei. *Id. Met.* 9, 113. Alcides pharetraque gravis, spolioque leonis. *Lucr.* 5, 951. Necdum res igni scibant tractare, neque uti Pellibus, et spoliis corpus vestire ferarum. *Id.* 4, 58. lubrica serpens Exsuit in spinis vestem: nam saepe videmus Illarum spoliis vepres volitantibus auctas. ℙ Transfertur ad omne id, quod hosti detrahitur, aut quocumque modo alicui ereptum aufertur. De *spoliis opimis* V. in OPIMUS. *Cic. Manil.* 18. *extr.* Forum exsuviis nauticis, et classium spoliis ornatum reliquerunt, *h. e.* rostris navium. Sic *Flor.* 1, 11. *med.* Parta de Antio spolia C. Maenius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit. Sic *Suet. Aug.* 18. *extr.* Locum castrorum exornatum navalibus spoliis Neptuno et Marti consecravit. *Cic. Rosc. Am.* 50. Si spoliorum causa vis hominem occidere, spoliasti: et *mox:* Quis pirata fuit tam barbarus, ut, cum integram praedam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? *Liv.* 5, 36. et 39. Caesorum spolia legere. *Just.* 24, 6. Opima praeda, et Orientis spoliis onusta. *Tac. A.* 12, 54. Proeliis congredi, spolia et praedas ad procuratores referre: (*spolia*, quae adhaerent hosti, ut vestes, arma, pecunia: *praedae* quaecumque alia hostium fuere.) et *ib.* 39. Spolia et captivos largiri. *Virg. A.* 4, 93. spolia ampla referre. *Cic. Off.* 3, 5. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. *Pl. Bacch.* 4, 9, 44. Eum uno mendacio devici: uno ictu extempulo cepi spolia. *Just.* 6, 5. *f.* Ut Athenae a Lacedaemoniis dirutae ex spoliis Lacedaemoniorum restituerentur. *Tac. A.* 15, 52. Invisa, et spoliis civium exstructa domus. *Id. H.* 4, 42. Ex funere reipubl. raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus; et *ib.* 14. Explere se spoliis et sanguine. *Id. ib.* 1, 2. de delatorib.: Alii sacerdotia et consulatus, ut spolia, adepti; procurationem alii, et interiorem potentiam. ℙ In sing. num. *Petr. Sat.* 13. Tuniculam tanquam mendici spolium fastidiose venditare. *Suet. Caes.* 64. Paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis. *Just.* 19, 3. Praedam non esse talem, quam veluti spolium victi hostis ostentent. *Virg. A.* 10, 500. Quo nunc Turnus ovat spolio; et *ib.* 12, 94. validam vi corripit hastam, Actoris Aurunci spolium. *Ov. Met.* 8, 87. nefandi Fert secum spolium sceleris.

SPONDA, ae, f. in *Gloss. Philox.* dicitur *ἐπίλαιον.* Est autem exterior lecti aut grabati tabula, aut tigillum, cui adnectuntur restes, quibus culcita sustinetur. *Ov. Met.* 8, 655. torus est de mollibus ulvis Impositus lecto, sponda pedibusque salignis. *Petr. Sat.* 97. Imperavi Gitoni, ut raptim grabatum subiret, annecteretque pedes ac manus institis, quibus sponda culcitam ferebat. ℙ Item alterutrum lecti latus: et proprie exterius, qua ascenditur: nam interius *pluteus* dicitur. *Mart.* 3, 91. Exciduntque senem, spondae qui parte jacebat. Namque puer pluteo vindice tutus erat. *Ov. Fast.* 2, 345. Ascendit, spondaque sibi propiore recumbit. *Hor. Epod.* 3, 22. Cubare in extrema sponda. Adde *Suet. Caes.* 49., ubi Caesar per convicium *sponda interior regiae lecticae* vocatur. V. FORNIX et STABULUM. ℙ Per synecdochen est ipse lectus, *κλίνη. Virg. A.* 1, 701. aulaeis cum se regina superbis Aurea composuit sponda, mediamque locavit. *Mart.* 10, 5. Orciniana sponda, *h. e.* lectus funebris, sandapila, feretrum.

SPONDAEUS, i, et Spondēus, i, m. *σπονδαῖος*, et *σπονδεῖος*, pes duabus syllabis longis constans, ut *omnes, Trojae, possunt:* a *σπονδή*, libatio, quod eo *ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐχρωντο*, idest in libationibus utebantur, ut scribit Hephaestionis Scholiastes, et *Diomed.* 3, 472. *Cic. Or.* 64. Ne spondaeus quidem funditus est repudiandus. Etsi quod est e duabus longis, hebetior videtur et tardior, habet stabilem quendam, et non expertem dignitatis gradum: in incisionibus vero multo magis, et in membris: paucitatem enim pedum gravitatis suae tarditate compensat. V. *Quint.* 9, 4. ℙ *Pontificius pes* dictus est olim a Numa Pompilio, qui Salios induxit aequis gressibus spondeo melo Deos placantes: quasi tarditas illa vocum et altius insideret eorum auribus, et prosperam voluntatem jugibus votis firmaret. *Diomed. l. c.* ℙ Adjective *spondaeum* est carmen spondaicum. *Cic.* ap. *Boeth. Mus.* 1, 1. Admonuisse tibicinam, ut spondaeum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum et gravitate cantus illorum *(juvenum)* furentem petulantiam consedasse. Hoc idem narrat *Quint.* 1, 10. *med.*

SPONDAICUS, a, um, adj. ad spondaeum pertinens. *Terent.* ap. *Prisc. de versib. Com.* p. 1321. Vitiant iambum tractibus spondaicis. ℙ *Spondaicus versus* in heroicis est, qui ex solis spondaeis constat: quem quidam Molossicum dixerunt, ut: Romani victores Germanis devictis. Tale est et apud Homerum *Ψυχὴν κυκλίσκων Πατροκλῆος δειλοῖο. Diomed.* 3, 494. et 513. ℙ Sic nominari potest etiam qui omnes spondaeos habet praeter paenultimum, ut illud *Virg. A.* 2, 265. Invadunt urbem somno vinoque sepultam. Item qui spondaeum habet loco dactyli, ut *Id. Ecl.* 4, 49. Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.

SPONDĀLIA. V. SPONDAULIUM *f.*

[SPONDAULES, ae, m. *σπονδαύλης*, qui duabus tibiis in templis, antequam libationes fierent, canebat: a *σπονδή*, libatio, et *αὐλή*, tibia. *Mar. Vict.* 1, 2478. Spondeus (pes) e duabus longis (*constat*), ut *rēgēs*, temporum quatuor, dictus a tractu cantus ejus, qui per longas tibias in templis a supplicantibus editur. Unde et spondaulae appellantur, qui hujusmodi tibias inflare assueverunt. *Isid. Or.* 1, 17. Unde et ii, qui tibiis canebant in sacris Gentilium, spondaulae nominabantur. V. v. sq. *F.*]

SPONDAULIUM, ii, n. genus quoddam carminis trochaici in sacris adhibiti, quo etiam tibicines, cum modos facerent, utebantur. *Diomed.* 3, 472. Spondeus (*pes*) dictus *παρὰ τὴν σπονδήν*, quia in templis hoc pede quaedam carmina componebantur, scilicet ut libantes sonum vocis abominosae audire non possent: cum aulis paribus, ture incensis altaribus, musicus choros geminis gressibus explicaret, et aequipedi sono tibicen spondaulium canere juberet. *Cic. Or.* 2, 46. Cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur spondaulia illa dicentis, etc. Ita legend. putant *Salmasius*, et *Voss.* in *Etymol. Turneb. Advers. l.* 20. *c.* 17. mavult *spondialia*, *Gruter.* vero *spondalia.*

[SPONDĒ, es, f. *σπονδή*, libatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 242, 13. Postumia A. L. Sponde. *F.*]

SPONDĒO, es, spopondi, sponsum, a. 2. *ἀναδέχομαι*, promitto, polliceor. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* et *Verrius* ap. *Fest.* a *sponte* dictum putant, quod *spondere* dicatur, qui sponte, id est voluntate, promittit. Alii a *σπονδή*, libamen, item foedus, quod a *σπένδω*, libo: quod in foederibus et pactionibus libamina Diis offerebant. Hanc notationem agnoscit idem *Verrius ib.* Quare primo et proprie usum habet in contractibus, pactis, sponsionibus, stipulationibus, fidejussionibus, cum quis se daturum quippiam, aut facturum pollicetur, vel pro altero se obligat. *Colum. praef.* 10. *in.* Fenoris tui, quod stipulanti spoponderam tibi, reliquam pensiunculam percipe. *Cic. Planc.* 19. *in.* Quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit; et *Hor. Ep.* 2, 2, 67. Hic sponsum vocat, hic auditum scripta; et *Liv.* 9, 5. Spoponderunt consules, legati, quaestores, tribuni militum, etc. De pace Caudina loquitur; et *ib.* 8. *f.* Quod spondendo pacem servasset exercitus populi R. *Sen. Ben.* 4, 39. *med.* Sponsum descendam, quia promisi, *h. e.* ibo ad forum, ut pro aliquo spondeam. *P. African.* ap. *Gell.* 7, 11. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? ℙ Praecipue in sponsalibus: nam *spondere* dicitur pater, qui filiam alteri in matrimonium promittit (unde *sponsus* et *sponsa*). *Pl. Trin.* 5, 2, 43. Spondēn ergo tuam gnatam uxorem mihi? *Charm.* spondeo, et mille auri Philippum dotis; et 2, 4, 170. Tuam sororem filio posco meo. *Le.* Quando ita vis, Dii bene vortant, spondeo. Adde *Aul.* 2, 2, 78. et *Curc.* 5, 2, 74. et alibi. V. DESPONDEO. ℙ Et universim polliceri, promittere, in quacumque re: et majorem se obligandi vim significat, quam *promitto. Sen. ep.* 19. Jam non promittunt de te, sed spondent. *Virg. A.* 5, 17. non, si mihi Juppiter auctor Spondeat, hoc sperem Italiam contingere coelo. *Cic. Mur.* 41. *f.* Inimicissimum huic conjurationi futurum esse: promitto et spondeo. *Id. Phil.* 5, 18. *extr.* Promitto, recipio, spondeo. *Id. Fam.* 13, 17. *f.* Spondebo tibi, vel potius spondeo, in meque recipio, eos esse Curii mores, ut, etc. *Id. Caecin.* 3. Qui quod spopondit, qua in re verbo se uno obligavit, id non facit, condemnatur. *Id. Att.* 11, 6. Ea spondent, confirmant, quae, etc. *Id. Phil.* 5, 11. Legiones, quibus honores et praemia spopondistis. *Ov. Met.* 10, 395. Spondere fidem alicui. *Plin. ep.* 1, 14. *f.* At ego mea fide spondeo, futurum, ut, etc. *Sen. Ben.* 4, 12. *med.* Spondere pro judicato. *Cic. Fam.* 15, 21. Quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed etiam mihi de te. *Id. Att.* 12, 14. Scire velim quando dicar spopondisse, et pro patre, anne pro filio. ℙ Illa quodammodo translata sunt. *Ov. Ib.* 217. Te fera, nec quidquam placidum spondentia Martis Sidera presserunt. *Just.* 7, 6. Magna de illo spes fuit, propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum. *Colum.* 3, 2. Vitis tum praecipua est, si nec nimis celeriter spondet, et primo quoque tempore deflorescit, *h. e.* florescendo uvam promittit. ℙ *Spondere sibi*, sibi pólliceri. *Sen. Octav.* 924. Regitur fatis mortale genus, nec sibi quidquam spondere potest firmum et stabile. *Just.* 3, 4. Tantum sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes. ℙ De vaticinantibus, et oraculis. *Val. Fl.* 6, 117. Illius et dites monitis spondentibus Indi, etc. *Id.* 3, 504. sponde, affore reges. *Suet. Tib.* 12. De infante Scribonius mathematicus praeclara spopondit. V. SPONSOR. ℙ *Spondere animo*, vel *animis*, ut *pendere. Liv.* 28, 38. *med.* Spondebantque animis, bellum id, quod instaret, P. Cornelium finiturum. ℙ Olim spondere ponebatur pro dicere: unde et respondere adhuc manet. *Festus.* ℙ *Spopondi* antiquum praeteritum, ut *pepugi, peposci, memordi*, et alia, quae *Gell.* 7, 9. collegit. *Valer. Antias ib.* Et ceteri qui pacem speponderant. Addit *Gell.* Tullium quoque, et C. Caesarem *memordi, pepugi, spepondi* dixisse. [Habet etiam *Inscr.* ap. *Mur.* 337, 5. et 439, 1. Stipulatus est M. Herennius Agricola, spepondit T. Flavius Artemidorus. *F.*] ℙ Sponsis bene, beneque, volueris, in precatione augurali Messala augur ait significare spoponderis, volueris. *Festus.* Pro *volueris* priore loco *Scal.* legit *voleris*, recitatque in *Conject. Varr.* p. *m.* 91. augurum formulam antiquae precationis his verbis: Jovis pater, si mihi es auctor, urbi populoque Rom. Quiritium, haec sane sarteque esse, uti tu nunc mihi bene sponsis, beneque voleris. ℙ *Sponderat* pro *spoponderat* ap. *Tert. carm. adv. Marc.* 3, 135. Fixa fides Domini, quae sponderat, omnia fecit. [*Alia de hujus vocis originatione v. in SPONTE.]

SPONDĒUM, i, n. *σπονδεῖον*, poculum libatorium in sacrificiis adhibitum: a *σπονδή*, libatio. *Appul. Met.* 11. De penetrali fonte petitum (*liquorem*) spondeo libat. Alio sensu V. SPONDAEUS.

SPONDĒUS. V. SPONDAEUS.

SPONDIĀLIA. V. SPONDAULIUM *f.*

*SPONDOGUS, i, m. lanugo quaedam in rosa silvatica. *Marc. Empir.* 27. *B. A.*

[SPONDŪLA, ae, f. dimin. spondae. *Not. Tir.* p. 155. Sponda, spondula. *F.*]

SPONDYLE, es, f. *σπονδύλη*, genus serpentis, seu insecti tetri odoris, quod omnes arborum radices rodendo persequitur, ut *Plin.* tradit 27, 13, 118.

SPONDYLĪUM, ii, n. *σπονδύλιον*, [*σφονδύλιον,*] genus plantae ex ferularum genere, a panace differens foliis tantum, quia sunt minora, platani divisura: non nisi in opacis nascens: semine, quod eodem nomine est, silis speciem habente, et medicinae tantum utili. Ita *Plin.* 12, 26, 58., qui 24, 6, 16. recenset ejus utilitates in medicina. Adde *Scrib. Pomp.* 2. et 5., ubi et *sphondylium* legitur. [*Bärenklau, Porst*, Heracleum Sphondylium, *L.*]

SPONDYLUS, i, m. *σφόνδυλος*, et *σπόνδυλος*, vertebra, articulus, nodus spinae dorsi in animalibus. *Plin.* 29, 4, 20. Primum spondylum draconis aditus potestatum mulcere. *Id.* 32, 10, 38. Tertianis mederi dicitur et spondylus percae adalligatus. *Veg. Vet.* 4, 1. In cervice jumenti sunt spondyli septem. ℙ Item callus ostreorum, et similium concharum, quo et utraque testa continetur, et sua caro testae adhaerescit: Graece *τράχηλος*, quia colli quodammodo vice fungitur. *Plin.* 32, 6, 21. Praecipua habentur (*ostrea*) spissa, neque in luto capta, neque in arenosis, spondylo brevi atque non carnoso, nec fibris lacinioso. *Id. ib.* 11, 54. Intus pro spondylo grandis caro est. ℙ Item genus piscis marini e concharum genere. [**Stachelmuschel*, Spondylus gaederopus, *L.*] *Metell.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Ante coenam echinos, ostreas, peloridas, spondylos (al. *sphondylos*, quod idem est), turdum, asparagos. *Mart.* 7, 20. Rosos tepenti spondylos sinu condit. Adde *Sen. ep.* 95. *med.*, *Plin.* 32, 11, 53. et *Colum.* 8, 16. *med.*, ubi quoque alii leg. *sphondylus.* [Scribitur vero *sphondulus* in *Edict. Diocl.* p. 15. Sphonduli marini N. centum ✕ quinquaginta. *F.*]

[SPONGĀRIUM, ii, n. *σπογγάριον*, diminut. v.

σπόγγος, spongia. Est nomen cujusdam collyrii ab *Alex. Trall. l.* 2. *c.* 1. memorati, cujus etiam compositionem *Id. ib.* docet. *Inscr.* ap. *Töchon, cachets des ocul.* p. 65. C. Cintusminii Blandi spongarium lene. *F.*]

SPONGIA, ae, f. σπόγγος, σπογγιὰ, molle corpus, rarum et fistulosum, medium inter animal et plantam, et utriusque naturae particeps; cujusmodi a Graecis ζωόφυτα appellantur, ab Italis *piantanimali.* Est enim sensu praeditum, et avulsoris manum refugit, contrahens se: quod idem fluctu pulsante facit: avulsum relinquit in petra, cui adhaerescit, veluti cruoris vestigium: idem tamen immobile instar fruticis, et progrediendi virtute omnino carens. Nascitur in marinis petris, aliturque conchis, pisce, limo. V. *Plin.* 9, 45, 69. et 31, 11, 47., ubi de his plura. *Id.* 11, 37, 46. Capita ostrearum generi nulla, nec spongiis, nec aliis fere, quibus solus ex sensibus tactus est. *Cic. N. D.* 2, 55. In pulmonibus inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo. *Lucr.* 4, 619. ceu plenam spongiam aquai Si quis forte manu premere exsiccareque coepit. *Suet. Vesp.* 16. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret; quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur uti, quod quasi et siccos madefaceret, et exprimeret humentes. ℙ Varius earum usus, ad distringendum et mundandum, strigilum et linteorum vice: tergendis mensis et pavimentis; exhauriendis siccandisque liquoribus: imbibunt enim facile, nec reddunt, nisi comprimantur. V. PENICULUS. *Mart.* 13, 47. Ut levis accepta spongia turget aqua. *Id.* 14, 144. Haec tibi sorte datur tergendis spongia mensis Utilis, expresso cum levis imbre tumet. *Plin.* 34, 18, 50. Supernatans aqua tollitur spongiis. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Spongiae, quibus columnae, pavimenta, podia exterguntur. *Mart.* 12, 48. infelix damnatae spongia virgae, *h. e.* lignum in latrinis ad emundanda obscoena, adhaerente spongia: quod militem quendam Germanum, damnatum ad bestias, in gulam farsisse narrat *Sen. ep.* 70. *med.* et praeclusisse spiritum vitandi supplicii causa. ℙ *Spongia aliquid effingere*, extergere. V. EFFINGO. ℙ Et pictores eluendis coloribus spongia utuntur. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. narrat de Protogene, cum spumam in ore anhelantis canis exprimere vellet, nec ex sententia res illi succederet, iratum arti spongiam impegisse tabulae, et reponente illa ablatos colores, casu verae spumae speciem exstitisse: idem Nealci evenisse in spuma equi. ℙ Et qui scribunt, delendis quae non placuere: quae a *Varr.* ap. *Non.* 2, 212. spongia deletilis dicitur. *Macr. Sat.* 2, 4. *in.* de Augusto: Ajacem tragoediam scripserat, eamdemque, quod sibi displicuisset, deleverat: postea Lucius gravis tragoediarum scriptor interrogabat eum, quid ageret Ajax suus: et ille, *In spongiam,* inquit, *incubuit.* Eadem narrat *Suet. Aug.* 85. *Id.* vero *Cal.* 20. eos, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos. Adde *Mart.* 4, 10. et *Auson. ep.* 7, 54. V. LACTICOLOR. Hinc frustra laborant, qui dictum *Augusti* aliter intelligi volunt, ut est ap. *Leon. Allat. in antiquit. Etrusc.* §. 60. V. infra. ℙ Aliae sunt praeterea spongiarum utilitates. *Plin.* 23, 1, 27. Acetum calidum in spongia medetur sedis vitiis; et *ib.* 23. Cardiacis in mamma laeva merum in spongia imponi potest. Adde 31, 11, 47., ubi multiplices earum usus in medicina enumerat: praecipue vero in extergendis vulneribus, ac fovendis, et in comprimendo sanguine. ℙ *Spongia* item vocabatur thorax seu lorica in modum spongiae elaborata, qua utebantur interdum milites, et gladiatores: quemadmodum *pluma*, si plumae, et *squama*, si squamae figuram haberet, dicebatur. V. PLUMA. PLUMATUS, et SQUAMA; hinc etiam clibanarii appellati sunt milites, quibus thorax in clibani modum esset. V. CLIBANARIUS. Ita interpretatur etiam *Lipsius de mil. R.* 3, 6. hunc locum *Liv.* 9, 40. de Samnitib.; Spongia pectori tegumentum, et sinistrum crus ocrea tectum, galeae cristatae, etc. et *Tert. Spect.* 25. Poterit et de misericordia moveri defixus in morsus ursorum, et spongias retiariorum? Huc spectat quoque jocus Augusti ap. *Macr.* supra *cit.*, qui ideo facetus est, quia simul et spongiam innuit, qua scripta minus probata delebantur, et eam, qua pectus munire solebant milites et gladiatores. Constat enim, Ajacem Telamonium in pectus sibi ensem adegisse. ℙ A similitudine *spongiae* dicuntur asparagorum radices. *Colum.* 11, 3. *med.* Sativi asparagi semina cum sic obrueris, ut quantum tres digiti seminis comprehendere queunt, singulis fossulis deponas, fere post quadragesimum diem inter se implicantur, et quasi unitatem faciunt: quas radiculas sic illigatas atque connexas olitores spongias appellant. *Plin.* 19, 8, 42. Hortensium (*asparagorum genus*) seritur spongiis. Adde *Pall.* 4, 9. *med.* ℙ Item mentae. *Plin. ib.* 47. Seritur menta, vel, si nondum germinat, spongia. ℙ Item confervae. *Id. ib.* 4, 22. Carnosa aliqua appellabimus, ut spongias in humore pratorum enascentes. V. CONFERVA. ℙ Item pilula, quae in mediis spinis cynorrhodi nascitur. *Id.* 29, 4, 30. et 25, 2, 6. ℙ Item ferri massa fracta, postquam liquatum est. *Id.* 34, 14, 41. Mirum, cum excoquitur vena, aquae modo liquari ferrum, postea in spongias frangi. ℙ Spongiae lapides inveniuntur in spongiis, et sunt nativi. *Id.* 36, 19, 35. ℙ Est et lapis fistulosus hoc nomine: de quo *Pall.* 1, 10. *med.* Calcem quoque ex albo saxo duro, vel Tiburtino coquemus, aut rubro, aut spongia, aut marmore. Adde *Vitr.* 2, 6. ℙ [Fuit etim cogn. R. *Cic. Att.* 1, 16. de judicib. qui Clodium absolverunt: Si judicium est, quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciant, id Talnam, et Plautum, et Spongiam, et ceteras hujusmodi quisquilias statuere, nunquam esse factum. *F.*]

SPONGIO, as, a. 1. σπογγίζω, spongia abstergeo. Est *Apicii* 1, 26. et 8, 1., eique, ut coquo et culina dignum, relinquendum. [*V. *Barth. Adv.* 38, 2.]

SPONGIOLA, ae, f. σπόγγιον, parva spongia. De pilula, quae in cynorrhodo nascitur, ut in SPONGIA diximus, usurpat *Plin.* 25, 2, 6. De radicibus implexis asparagi, ut in ead. voce dictum est. *Colum.* 11, 3. *med.*

SPONGIOLUS, i, m. genus fungi pratensis, qui et fungulus appellatur. [*Nostr. *Pfifferling.*] *Apic.* 5, 1. Lenticula ex spongiolis, sive fungulis. Adde 2, 1. et 3, 20.

SPONGIOSUS, a, um, adj. σπογγιώδης, spongiae similis, fistulosus, rarus. *Cels.* 4, 1. Pulmo spongiosus, ideoque spiritus capax. *Plin.* 11, 37, 72. Pulmo spongiosus. *Id.* 18, 11, 27. Panis tenuis et spongiosa inanitate. *Id.* 36, 21, 42. Pumices spongiosi et aridi.

SPONGITIS, is, f. gemma spongiam referens. *Plin.* 37, 10, 67. *Sic in ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* est *spongites. B. A.*

[SPONGIUS, a, um, adj. idem ac spongiosus. *Cassiod. Var.* 11, 38. de papyro: Nescio qua vacuitate plena, et plenitudine vacua, bibula teneritudine spongium lignum. *F.*]

SPONGIZO, as, a. 1. σπογγίζω, spongia extergo. *Apic.* 7, 16. et 8, 7.

SPONGOS, i, f. σπόγγος, idem ac spongia. *Juvenc.* 4, 697. tunc concitus unus Cogebat spongo turpi, calamoque revincto Impressum labiis acidum potare saporem. ℙ Ita etiam vocatur quoddam cucurbitae genus. V. SOMPHOS. [*Emendavit hunc locum *F.*]

SPONSA, ae, f. μνηστὴ, νύμφη, mulier alicui promissa in matrimonium, pacta, sperata, et nondum uxor. V. SPONDEO. *Ter. Andr.* 2, 1, 24. Sponsam hic tuam amat. *Hor. Ep.* 1, 19, 21. Flebili sponsae juvenemque raptum Plorat. ℙ De viro molli. *Mart.* 6, 64. et sponsam possit te sponsa vocare. ℙ *Suam cuique sponsam, mihi meam,* proverbium ex veteri poeta ap. *Cic. Att.* 14, 20, quo significatur, unicuique suum esse gustum.

SPONSALICIUS, a, um, adj. ad sponsos, vel sponsalia pertinens. *Sidon. ep.* 7, 2. *med.* Sponsalicia donatio. *Impp. Leo et Anthem. Cod.* 5, 1, 5. et *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. ib.* 2, 1. arrha.

SPONSALIS, e, adj. νυμφικὸς, ad sponsum, sponsamve, aut nuptias pertinens. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Quo die sponsum erat, dicebatur sponsalis. *Imppp. Honor., Theod. et Constant. Cod. Theod.* 3, 16, 2. Sponsalem largitatem obtinere. *Hieron. ep.* 54. *n.* 15. Sponsales tabulas scribere. ℙ *Sponsale*, absolute de thalamo nuptiali. *Tert. adv. Valent.* 31. ℙ *Sponsalia, ium*, et *orum*, stipulatio, seu promissio futurarum nuptiarum. *Ulp. Dig.* 23, 1, 2. Sponsalia dicta sunt a spondendo. Nam moris fuit veteribus stipulare et spondere sibi uxores futuras. *Juven.* 6, 25. Conventum tamen, et pactum, et sponsalia nostra Tempestate paras. ℙ *Sponsalia* apud Latinos per stipulationem contrahebantur, idest per interrogationem, et promissionem factas inter eum, qui daturus erat aliquam mulierem in uxorem, et inter eum, qui aecepturus. *Gell.* 4, 4. Sponsalia in ea parte Italiae, quae Latium appellatur, hoc more atque jure solita fieri scripsit Serv. Sulpicius in libro, quem scripsit de dotibus. Qui uxorem, inquit, ducturus erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia. Tunc quae promissa erat, sponsa appellabatur: qui sponderat ducturum, sponsus. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. Judices cognoscebant; et *mox:* Hoc jus sponsaliorum observatum dicit Servius ad id tempus, quo civitas universo Latio lege Julia data est. *Plin.* 9, 35, 58. Mediocrium sponsalium coena. *Sen. Ben.* 1, 9. *med.* Decentissimum sponsaliorum genus. *Liv.* 38, 57. Sponsalibus rite factis. *Ov. Her.* 19, 29. Dictatis ab eo feci sponsalia verbis. *Suet. Aug.* 53. Dies sponsaliorum. ℙ *Sponsalia* interdum sumuntur pro convivio sponso praeberi solito. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. A. d. VIII. Id. Apr. sponsalia Crassipedi praebui. Huic convivio Quintus tuus defuit. *Id. ib.* 5. scripserat, Tulliam suam Crassipedi prid. Non. Apr. esse desponsatam. ℙ Item pro arrhis et muneribus sponsorum. *Imp. Alex. Sev. Cod.* 5, 3, 3. Pollicitatione a fratre quondam tuo sponsalium gratia facta, etc. Adde *Impp. Dioclet. et Maxim. ib.* 71, 8.

SPONSIO, onis, f. ἐπάγγελμα, promissio, stipulatio, obligatio: a *spondeo.* Plus est, quam promissio. Fert enim insuper obligationem praestandi quod spopondimus, ut ex *Ulp. Dig.* 21, 1, 19. colligitur. *Paul. Dig.* 50, 16, 7. Sponsio appellatur non solum, quae per sponsi interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioque. *Cic. Leg.* 2, 16. *med.* Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, quo obligamur Deo. ℙ Speciatim est contentio, et altercatio, quae fit deposito pignore, quod ejus sit, qui vicerit, ἐγγύη. Fere autem post se habet particulas *si*, et *ni*: hoc sensu: *spondesne centum*, inquit petitor, *si servus hic meus sit?* h. e. si probavero meum esse: respondet reus, *spondeo si tuus sit.* Contra reus: *spondesne centum, ni tuus sit?* h. e. si vincam, non esse tuum: respondet petitor, *spondeo, ni meus sit. Cic. Quint.* 27. Sponsio quae in verba facta est? Si ex edicto praetoris bona possessa non sint. *Id. Fam.* 7, 21. Cum dicerem, tibi videri, sponsionem illam nos sine periculo facere posse, Si bonorum Turpiliae possessionem praetor mihi dedit. Alii leg. *ni. Petr. fragm. Trag.* 70. *Burm. extr.* Coepit dominum suum sponsione provocare, Si prasinus proximis Circensibus primam palmam *(tulerit). Cic. Verr.* 2, 3, 57. Rubrius Apronium sponsione lacessivit, ni Apronius dictitaret, te sibi in decumis esse socium; et *ib.* 59. Sponsio est, ni te Apronius in decumis socium esse dicat. *Id. ib.* 7, 54. Cogere eum coepit HS. duobus millibus sponsionem facere cum lictore suo, ni furtis quaestum faceret. *Val. Max.* 2, 8. *n.* 2., *Macr. Sat.* 2, 13. *med.* et *Petr. l. c.* Sponsione aliquem provocare. *Cic. Quint.* 27. vincere. *Id. Caecin.* 31. Vincere sponsionem. Alii leg *sponsione;* et *ib.* Condemnari sponsionis. *Liv.* 40, 46. *f.* Fulvius queri, se ab eo semper lacessitum, et in probrum suum sponsionem factam. *Id.* 39, 43. *f.* Conditio Quintio fertur, ut si id factum negaret, sponsione se defenderet. *Plin.* 35, 10, 37. Picti nobiles, palustri accessu villae, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur. *Id.* 33, 1, 6. Celebratior quidem annulorum usus cum fenore coepisse debet: argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum annulo exsiliente. *Ulp. Dig.* 19, 5, 18. *f.* Si quis sponsionis causa annulum accepit, nec reddidit victori. [*Cf. *Rostii progr.* de usu vocc. *si* et *ni* in sponsionibus, *Lips.* 1820. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 326. sqq. et *P. E. Huschk.* de causa Siliana cet. *Rostochii* 1824.] ℙ Sequente *quod* pro *ni. Val. Max.* 6, 1. *n.* 10. Cum sponsionem se facere paratum diceret, quod adolescens ille, etc. *Id.* 7, 2. *n.* 4. A. M. Lutatio judex aditus de sponsione, quam is cum adversario, quod vir bonus esset, fecerat. ℙ Cum infinito. *Macr. Sat.* 2, 13. *med.* Cleopatra sponsione provocavit, insumere se posse in una coena sestertium centies. ℙ *Sponsio* dicta est etiam ipsa pecunia, quae in sponsionibus deponebatur, auctore *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* ℙ *Sponsio*, genus promissionis publicae, sponsoribus adhibitis, et jurejurando interposito: cum imperator cum hoste paciscitur, et pacem promittit. V. in PACTIO. *Liv.* 9, 5 Itaque non foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est: quid enim aut sponsoribus in foedere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur? et *mox:* Nomina omnium, qui spoponderunt, exstant: ubi si ex foedere acta res esset, praeterquam duorum fecialium, non exstarent. *Id. ib.* Facere pacem per sponsionem; et *ib.* 41. *extr.* Ocriculani sponsione in amicitiam accepti; et *ib.* 11. Sponsione commissa civitas obligata; et *ib.* 8. Sponsione se obstringere; et *ib.* 9. *med.* Sponsionem interponere. *Sall. Jug.* 81. Per indutias sponsionem faciunt, uti certo die legati proficiscerentur, etc. ℙ *Papin. Dig.* 1, 3, 1. legem vocat, communem reipublicae sponsionem, *h. e.* vinculum et conjunctionem; quia sponsio contrahentes obligat. Similiter *Demosthenes ib.* 2. Νόμος ἐστὶν πόλεως συνθήκη κοινή.

SPONSIS, sponderis. V. SPONDEO.

SPONSIUNCULA, ae, f. parva sponsio. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm. med.*

SPONSO, as, a. 1. μνηστεύω, sponsalia facio. *Paul. Dig.* 23, 2, 38. Inde oriundam uxorem ducere non potest, quamvis sponsare non prohibeatur. ℙ Translate. *Tert. Virg. vel.* 16. Illi *(Christo)* sponsasti maturitatem tuam. *Nol. carm.* 18, 43. Et variis animam sponsantes dotibus adstant.

SPONSOR, oris, m. ἐγγυητὴς, qui spondet, et pro altero se obligat: tum proprie, tum translate. *Cic. Fam.* 6, 19. De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompejo, si Galba consponsor tuus redierit, non desinam cum illo communicare. *Id. Att.* 1, 8. Tulliola tuum munusculum flagitat, et me ut sponsorem appellat: mi autem abjurare certius est, quam dependere. (Adde *ib.* 10. *extr.*) *Id. Prov. cons.* 18. Pompejus idem mihi testis de voluntate Caesaris, et sponsor est illi de mea. *Manil.* 2, 606. de Pylade et Oreste: Optavitque reum sponsor non posse reverti: Sponsoremque reus timuit, ne solveret ipsum. ℙ *Sponsores* dicuntur Dii ejus rei, quam ex oraculo, vel auspicio portendere visi sunt. *Ov. Her.* 2, 33. Promissus socios ubi nunc Hymenaeus in annos?

Qui mihi conjugii sponsor et obses erat. *Sen. ep.* 82. Desii jam de te esse sollicitus. Quem, inquis, Deorum sponsorem accepisti? ℙ Cum vocibus feminini generis, ut *auctor*, *successor*, etc. *Ov. Her.* 16, 114. Sponsor conjugii stat Dea picta sui. [*V. *Ruhnk.* ad h. l., qui laud. *Lips.* ad *Tac. G.* 28. et *Burm.* ad h. *Ov.* l.] ℙ *Sponsorum*, qui Italice *compari* dicuntur, [*nostr. *Pathen*,] in baptismo meminit *Tert. Baptism.* 18. *med.*

SPONSUS, a, um, part. a *spondeo:* promissus. *Ter. Eun.* 5, 9, 6. Scis, Pamphilam meam inventam civem? scis, sponsam mihi? *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Pecunia sponsa. *Hor. Sat.* 1, 3, 94. quid faciam, si Prodiderit promissa fide, sponsumve negarit? ℙ *Sponsum*, *i*, absolute, sponsio. *Varr. ib.* et *L. L.* 6, 6. Sponsus contra sponsum rogatus. *Cic. Quint.* 9. Sponsionem facere maluit: fecit, te judicem sumpsit: ex sponso egit. Alii leg. *sponsu.* ℙ *Sponsus*, *i*, qui desponsus est, nondum maritus, *νυμφίος*. *Cic. Inv.* 2, 26. *med.* Sponsi nomen appellans identidem. *Hor. Od.* 3, 2, 10. Sponsus regius. ℙ Item procus, seu qui sponsus esse vult, *μνηστήρ*. *Hor. Ep.* 1, 2, 28. Sponsi Penelopae, nebulones. ℙ *Sponsa*, *ae*, V. suo loco.

SPONSUS, us, m. sponsio. In sexto casu sing. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Qui spoponderat filiam, despondisse dicebatur, quod de sponte ejus, id est voluntate exierat: non enim si volebat, dabat, quod sponsu erat alligatus. *Cic. Att.* 12, 19. De sponsu si quid perspexeris, etc. *Phaedr.* 1, 16. Fraudator nomen cum locat sponsu improbo, Non rem expedire, sed mala videre expetit. Alii aliter leg. ℙ [*Ad sponsum advocare*, est vocare ad sponsionem pro alio faciendam. *Cic. or. in Clod.* et *Curion.* (ed. *A. Maio*) 3. Accesserunt ita pauci, ut eum non ad concionem, sed sponsum diceres advocasse, *h. e.*, ut ait *Vet. Schol.* ad *h. l.*, non aliter pauci ad Rostra venerunt, quam si convocasset eos, qui pro se sponderent. *F.*] ℙ *Ex sponsu agere* dicitur, qui rem promissam in judicio persequitur; et, ut loquitur *Ulp. Dig.* 21, 1, 10., ex stipulatu agit. *Sulpic.* ap. *Gell.* 4, 4. Si post eas stipulationes *(sponsalium)* uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. *Varr. l. c.* Non spondet ille, qui dicit, spondeo, si jocandi causa dixit: neque agi potest cum eo ex sponsu.

SPONTĀLIS, e, adj. idem quod spontaneus, ultroneus. *Appul. Met.* 4. Cumque nulli nostrum spontale parricidium suadens persuadere posset; et *ib.* 11. *f.* Spontalis sobrietas.

SPONTĀLĬTER, adv. sponte. *Sidon. ep.* 8, 9. Id non modo non coactus, verum etiam spontaliter facio.

[SPONTĀNĔĒ, adv. sponte. Translate sine causa. *Theod. Prisc.* 1, 8. Tumores repentinos sub auribus innatos, parotidas vocamus, quas aliquando ex aegritudine, aliquando etiam spontanee apparuisse cognovimus. *F.*]

SPONTĀNEUS, a, um, adj. *αὐτόματος*, *αὐθαίρετος*, voluntarius, naturalis. *Sen. ep.* 121. *med.* Agilitas spontaneus motus est. *Macr. Somn. Scip.* 2, 12. Appetitus spontaneae mortis. *Arnob.* 3, 114. Spontaneas esse numinum benignitates. *Impp. Sever. et Anton. Cod.* 2, 3, 2. Actiones contra emptores spontanea voluntate suscipere. ℙ Addunt quidam locum *Plinii* 28, 7, 23. Si purgatio illa post virginitatem prima sit, aut in virginea aetate spontanea. Sed *Hard.* ex MSS. edidit *aut in virgine aetatis sponte.*

SPONTIS, gen. et in ablat. Sponte, f. nomen ceteris casibus deficiens (a recto inusitato *spons*) significat voluntatem, libentiam. [*Doederl.* 3, 103. sq. *sponte*, *spondeo*, et *pondus* a *pendere* deducit, ita ut *sponte* idem fere sit, quod *perpenso*, *aus eigner Erwägung:* oppositum esse, id, quod cogente aliqua vi vel necessitate fiat. A *voluntate* ita differre, quod *sponte* consilii, liberi arbitrii, *voluntate* nonnisi intentionis, studii actum significet. Atque cum v. *judicio* conjunctum *sponte* tempus, *judicio* finem perpendendi spectare. — Discrimen inter *sponte* et *ultro* expositum est in h. v.] *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Spondeo a sponte: nam id valet, a voluntate. Ideo Lucilius scribit de Cretea, cum ad se cubitum venerit sua voluntate: Sponte ipsam suapte adduxerit, ut tunicam et cetera rejiceret. Eandem voluntatem Terentius significat, cum ait (*Adelph.* 1, 1, 50.) Satius esse sua sponte recte facere, quam alieno metu. Haec *Varro.* Rursus *Ter. Andr.* 4, 2, 9. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga; et *C. Cotta* ap. *Charis.* 2, 195. Tu de tua sponte hic cum religione. Itaque *sponte*, et *sua sponte* facere dicitur, qui libens, et ultro, et nullo cogente, aut hortante, aut submonente facit. *Caes. B. G.* 1, 44. Ariovistus respondit, transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum et arcessitum a Gallis; et *ib.* 6, 13. Et sua sponte multi in disciplinam conveniunt, et a propinquis parentibusque mittuntur. *Stat. Th.* 10, 809. sponte ultroque peremptus. *Cic. Part.* 37. *f.* Qui sua sponte et voluntate fecissent. *Id. Fam.* 9, 14. Verissime possum respondere, te, quae facias, tuo judicio et tua sponte facere, nec cujusquam egere consilio. *Id. ib.* 4, 3. Neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente et denuntiante te. *Id. Phil.* 4, 3. Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte suoque judicio excitatam. *Id. Att.* 15, 27. Gaudeo id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram. *Plin. ep.* 6, 29. *extr.* Opto, ut ea potissimum jubear, quae me deceat vel sponte fecisse. *Lucan.* 5, 500. Sponte per incautas audet tentare tenebras, Quod jussi timuere, fretum. *Virg. A.* 4, 340. Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, et sponte mea componere curas, etc. *Id. ib.* 11, 827. simul his dictis linquebat habenas Ad terram non sponte fluens; et *ib.* 4, 361. Italiam non sponte sequor. *Sil.* 13, 156. Praevetitum namque, et capital committere Martem Sponte viris, i. e. sine venia ducis. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, aut ratione carentibus. *Petr. Sat.* 16. Sera sua sponte delapsa cecidit. *Cic. Sen.* 19. *f.* Sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur. *Id. Leg.* 1, 17. Vera et falsa, consequentia et contraria sua sponte, non aliena, judicantur. *Id. Or.* 32. *extr.* Haec quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor; et *Liv.* 5, 43. Inde ex loco superiore, qui prope sua sponte in hostem inferebat, impetu facto, fudere Gallos. *Virg. G.* 2, 10. aliae *(arbores)* nullis hominum cogentibus, ipsae Sponte sua veniunt. ℙ Quia qui sponte facit, solus facit, idcirco *sponte* pro *solus* ponitur, h. e. nullo socio, aut adjutore. *Caes. B. G.* 1, 9. Iis cum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Aeduum mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis hoc impetrarent. *Id. ib.* 5, 28. Civitatem ignobilem atque humilem Eburonum sua sponte populo R. bellum facere ausam, vix erat credendum. *Cic. Fam.* 7, 2. *med.* Magnum quiddam spectavit: nec sua sponte, sed eorum auxilio, qui, etc. Adde *Verr.* 2, 2, 10. ℙ Cum gen. [*Quae nonnisi apud seriores frequentatur dicendi ratio. Taciti locos v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 441., ubi praeter similem vocis *voluntate* usum, etiam Curtii locum invenies notatum, proxime quidem ad illum v. *sponte* ap. seriores frequentatum morem accedentem, 4, 1, 16. deditionem magis popularium, quam sua sponte fecerat.] *Tac. A.* 2, 59. Acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte principis Alexandriam introisset: (inconsulto Tiberio, inquit *Suet. Tib.* 52. de eadem re loquens.) *Id. ib.* 12, 42. Gnarus, cujus sponte praeficeretur; et *ib.* 13, 42. Sponte litigatoris praemium honestae operae assequi; et *ib.* 4, 7. Exstructa sponte praefecti castra; et *ib.* 51. *f.* Sponte incolarum; et *Lucan.* 1, 99. Paxque fuit non sponte ducum. *Val. Fl.* 4, 357. Cum trepida Inachiae pellex subit ora juvencae Sponte Dei, *h. e.* jussu et voluntate Jovis. *Lucan.* 5, 136. sponte Deorum Cirrha silet. *Albinus* ap. *Prisc.* 7, 741. Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis Sponte Deum patuere, *h. e.* Diis faventibus. [*Multa seriorum poetarum exempla collegit *Cort.* ad *Luc.* 1, 234.] ℙ *Suae spontis esse*, sui arbitrii, sui juris, dominum sui esse. *Cels.* 1, 1. Sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet. Ap. *Colum.* 9, 4. Citysus suae spontis, *h. e.* sine satu proveniens: cui opponitur sativa; et 11, 3. *med.* Aqua suae spontis, *h. e.* quae sponte fluit: cui opponitur manu illata. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Despondisse animum dicitur, ut despondisse filiam, quod suae spontis statuerat finem, *h. e.* suae voluntatis. ℙ De recto casu, *Auson. Idyll.* 12. *per interr. et respons.* 11. Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.

SPONTĪVUS, a, um, adj. spontaneus. *Solin.* 2. *med.* Caudae villus, quem spontivo damno amittit. Ita *Salm.* ex MSS. Alii *spontaneo.*

[SPORĀ, ae, f. *σπορά*, satio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2325. Optatia Spora. *F.*]

SPORĀDES, um, f. plur. *Σποράδες νῆσοι*, insulae XIX. in Aegaeo mari inter Cyclades, et Cretam: ita dictae a *σπείρω*, spargo, quia dispersae sunt, non ordine positae, ut Cyclades. *Mela* 2, 7. *med.* et *Plin.* 4, 12, 23. *Prisc. Perieg.* 550. Continuo Sporadas ceu stellas aspicis almas.

SPORTĀ, ae, f. *σπυρίς*, vas quali, aut fiscinae, aut corbis simile, e vimine, aut junco, aut sparto, aliave leviore materia, ad varios usus, qui in subjectis exemplis apparent. Dicta est vel a *sparto*, quod affirmat *Isid. Or.* 20, 9., vel ab *asportando*, ut vult *Non.* 2, 833. vel, quod magis placet, a voce Graeca allata. *Varr.* ap. *Non. ib.* Opsonium conjectum in unam sportam. *Mart.* 10, 37. Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani. *Ulp. Dig.* 33, 9, 3. *f.* Nec frumenti, nec leguminum thecae, vel arculae forte, vel sportae, vel si qua alia sunt, quae horrei penuarii instruendi gratia habentur, etc. *Cato R. R.* 11. Sportae faecariae. V. FAECARIUS. *Colum.* 12, 6. Dolium aqua coelesti repleto: in eam indito sportam junceam, vel sparteam, quae replenda est sale candido, quo candidior muria fiat. *Id.* 8, 7. Singulae caveis angustioribus, vel sportis inclusae pendeant, etc. *Plin.* 18, 7, 17. Amylum emollitum, linteo aut sportis saccatum. *Id.* 21, 14, 49. Cera fit expressis favis, liquatis igni, tunc sporta colatis. *Ascon.* in *Verr.* 1, 8. Sportae, sportulae, sportellae nummum sunt receptacula. *Sall. fragm.* ap. *Non. l. c.* E muris canes sportis demittebant. ℙ Proverb. de re parvi pretii. *Petr. Sat.* 113. *f.* Si quid ingenui sanguinis habes, non pluris illam facies, quam sportam. ℙ *Sporta* pro *sportula*, h. e. quae loco coenae rectae dabatur, legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 440, 8., [sed rectius *sportula* ex MSS. *Redii. F.*]

SPORTELLA, ae, f. *σπυρίδιον*, dimin. sportulae. *Ascon.* in *Verr.* 1, 8. Sportae, sportulae, sportellae nummum sunt receptacula. *Suet. Dom.* 4. Senatui, equitique panariis, plebi sportellis cum opsonio distributis. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* Ex apri dentibus sportellae dependebant duae palmulis textae, altera caryotis, altera Thebaicis repleta. ℙ Metonymice genus est quoddam edulii, vel a figura sic dictum, vel quod in sportella inferebatur. *Cic. Fam.* 9, 20. Dediscendae tibi sunt sportellae et artolagani tui. [*Gronov.* rectius putat, hic intelligi ipsas sportulas, in quibus artolagani et hujusmodi bellaria apponi solebant. *F.*]

SPORTŬLA, ae, f. *σπυρίδιον*, parva sporta. *Pl. Men.* 1, 4, 1. Sportulam cape, atque argentum: eccos tres nummos habes, non pluris illam facies, quam sportam. ℙ *Sporta* pro *sportula*, h. e. quae loco coenae rectae dabatur, legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 440, 8., [sed rectius *sportula* ex MSS. *Redii. F.*]

SPORTELLA, ae, f. *σπυρίδιον*, dimin. sportulae. *Ascon.* in *Verr.* 1, 8. Sportae, sportulae, sportellae nummum sunt receptacula. *Suet. Dom.* 4. Senatui, equitique panariis, plebi sportellis cum opsonio distributis. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* Ex apri dentibus sportellae dependebant duae palmulis textae, altera caryotis, altera Thebaicis repleta. ℙ Metonymice genus est quoddam edulii, vel a figura sic dictum, vel quod in sportella inferebatur. *Cic. Fam.* 9, 20. Dediscendae tibi sunt sportellae et artolagani tui. [*Gronov.* rectius putat, hic intelligi ipsas sportulas, in quibus artolagani et hujusmodi bellaria apponi solebant. *F.*]

SPORTŬLA, ae, f. *σπυρίδιον*, parva sporta. *Pl. Men.* 1, 4, 1. Sportulam cape, atque argentum: eccos tres nummos habes. *Ascon.* in *Verr.* 1, 8. Sportae, sportulae, sportellae nummum sunt receptacula. *Pl. Curc.* 2, 3, 10. Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis. *Id. Stich.* 2, 1, 17. Arundinem fert, sportulamque, et hamulum piscarium. *Appul. Met.* 1. *f.* Sportula cum piscibus. ℙ Quia sportae tum opsoniis, tum nummis reponendis aptae erant, factum est, ut *sportulae* nomine primum ciborum portio, coenae quae satis esset, significaretur: deinde certa pecuniae summa ad coenam coemendam: idque loco coenae rectae, quae a ditioribus olim praeberi solebat clientibus, et salutatoribus, et sectatoribus suis: qua de re in RECTUS dictum est. Eaque summa fere erant centum quadrantes, h. e. asses vigintiquinque, ut diximus in QUADRANS, seu HS. X. Aliquando liberaliores plura dabant. *Juven.* 3, 249. Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo? Centum convivae: sequitur sua quemque culina. *Suet. Ner.* 16. Adhibitus sumptibus modus: publicae coenae ad sportulas redactae. *Mart.* 3, 14. Romam petebat esuritor Tuccius: Occurrit illi sportularum fabula: A ponte rediit Mulvio. *Id.* 14, 125. Si matutinos facile est tibi rumpere somnos, Attrita veniet sportula saepe toga. *Id.* 10, 27. Et tua tricenos largitur sportula nummos. [Sic *Id.* 9, 73. Clausa mihi texto cum prandia vimine mittis. *Inscr.* ap. *Grut.* 1094, 2. Cujus *(possessionis)* de reditu die natalis sui sportularum divisio semper celebraretur. Alia ap. *Mur.* 681, 2. Huic primo omnium splendidissimus ordo ex sportulis suis ob merita ejus statuam ponendam censuere. Consule *Marin. Frat. Arv.* p. 398. et sqq. *F.*] ℙ Cum Claudius imperator munus populo editurus esset extraordinarium et breve, dierumque paucorum; edixissetque, velut ad subitam condictamque coenulam invitare se populum; id munus a similitudine *sportulam* appellavit. *Suet. Claud.* 21. ℙ *Sportulam furunculus captat*, proverb. de his, qui falso quippiam sibi vindicant: ductumque ab iis, qui cum neque clientes sint, neque sectatores, sportulam tamen affectant. *Tert. adv. Marc.* 3, 16. ℙ Dicitur etiam *sportula* quaevis largitio, aut munusculum. *Plin. ep.* 2, 14. de agentibus causas centumvirales: Convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulae, quam in triclinio, dantur. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 118. Merito vereris, ne in speciem diamoeries incidat invitatio; quae et in numero modum excedit, et quasi per corpora, non viritim singulos ex notitia ad solemnes sportulas contrahit. Respondet *Trajan.* ad ea quae scripserat *Plin. ep. praeced.*, solere qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare. *Mart. Dig.* 30, 1, 117. Nihil proponi, cur prohibeatur heres aedificia distrahere, e quorum reditu sportulae sint relictae. *Papin. ib.* 50, 2, 6. Minores XXV. annorum decuriones facti, sportulas decurionum accipiunt. [*Cyprian. ep.* 34. Ceterum presbyterii honorem designare nos illis (*Celerino* et *Aurelio* lectorib. ordinatis) jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas, aequatis quantitalibus, partiantur nobiscum provectis et corroboratis annis suis. *F.*]

[SPORTŬLO, as, n. l. sportulam accipio. *Cypr. ep.* 66. Qui in Ecclesia Domini ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis et negotiis saecularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificio non recedant, sed die ac nocte coelestibus rebus et spiritualibus serviant. V. *ejusd. l. c. in* SPORTULA *f. F.*]

[SPORUS, i, m. *σπόρος*, semen. Est nomen proprium pueri, quem Nero, exsectis testibus, tanquam feminam sibi denupsit. Ejus meminit *Suet. Ner.* 28. et alibi. ℙ Item cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1046, 5. M. Ulpius Sporus. *F.*]

SPRĒTIO, onis, f. contemptus. *Liv.* 40, 5. Ex composito sermones ad spretionem Romanorum trahebant. Alii leg. *ad spem* aut *speciem*, [sed nihil mutandum. *F.* *V. *Lexicon Liv.* s. h. v., ubi plura ejusmodi vocabula enumerantur.]

SPRĒTOR, ōris, m. ἐξουθενητής, qui spernit, contemptor. *Ov. Met.* 8, 613. utque Deorum Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus. *Nemes. Cyn.* 79. Spretor morarum. *Appul. Met.* 3. [*p. 209. *Oudend.*] Spretor matronalium amplexuum.

SPRĒTUS, a, um, part. a *sperno:* neglectus, rejectus, contemptus. *Virg. A.* 1, 31. manet *(Junoni)* alta mente repostum Judicium Paridis, spretaeque injuria formae. *Id. G.* 4, 232. simul os terris ostendit honestum Plias, et Oceani spretos pede reppulit amnes. *Cic. N. D.* 2, 3. *med.* Veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. *Id. Or.* 13. *f.* Dulce orationis genus, et solutum, et effluens, spretum et pulsum foro; et *ib.* 3. *f.* Eloquentia forensis spreta a philosophis et repudiata. *Hor. Epod.* 6, 13. Lycambae spretus infido gener. *Liv.* 21, 63. Spretorum Deorum conscientia. *Ov. Met.* 15, 36. spretarumque agitur precum reus; et *ib.* 7, 375. Spretus amor. *Plin.* 8, 22, 34. Euanthes inter auctores Graecos non spretus. ℙ Sq. gen. *Sil.* 12, 28. Parthenope non divēs opum, non spreta vigoris.

SPRĒTUS, us, m. contemptus. *Appul. de Deo Socr. in.* Insolentissimo spretu Deos negligit. *Sidon. ep.* 3, 14. *extr.* Spretui maximo est judiciis otiosorum Latinae linguae proprietas.

SPŪMA, ae, f. ἀφρός, rara quaedam faex, quae per ebullitionem, aut vehementem agitationem rebus liquidis supernatat: a *spuo, is. Cic. N. D.* 3, 23. Venus spuma procreata. *Virg. A.* 1, 39. spumas salis aere ruebant. *Plin.* 10, 63, 83. *f.* Spumas ore fundere. *Sen. Ag.* 441. Dirimunt canae caerulum spumae mare. *Ov. Met.* 7, 415. de Cerbero: Et sparsit spumis albentibus agros. *Id. ib.* 3, 73. de angue: plenis tumuerunt guttura venis, Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus. *Id. ib.* 7, 263. posito medicamen aheno Fervet, et exsultat, spumisque tumentibus albet. *Val. Fl.* 1, 687. volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum, et spumas vomit aere tridenti. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. *med.* Cum spumas ageret in ore, arderent oculi, voce maxima, vim me sibi afferre, clamitabat. *Plin.* 33, 6, 34. Spuma argenti: λιθάργυρος: de qua *Id. ib.* 35. plura; et 34, 18, 54. Spumae argenti potus letalis. *Id.* 11, 41, 96. Butyrum, spuma id est lactis. *Id.* 29, 6, 37. Spuma cochlearum. *Id.* 28, 11, 48. equi: et 31, 9. 45. salis. *Mart.* 14, 26. Caustica Teutonicos accendit spuma capillos, *h. e.* sapo. *Id.* 8, 33. Et mutat Latias spuma Batava comas, *h. e.* idem.

SPŪMĀBUNDUS, a, um, adj. spumis abundans, spumosus, spumeus. *Appul. Apol.* Faciem tuam spumabundus conspuisset.

SPŪMANS, antis, part. a *spumo:* ἀφριάεις, spumas emittens, spumeus, spumosus. *Lucr.* 3, 493. spumans ut in aequore salso Ventorum validis fervescit viribus unda. *Virg. A.* 1, 742. ille impiger hausit Spumantem pateram. *Id. Ecl.* 5, 67. Pocula bina novo spumantia lacte. *Id. A.* 9, 456. plenos spumanti sanguine rivos. *Cels.* 7, 23. Spumans bilis. *Virg. G.* 4, 140. spumantia cogere pressis Mella favis. *Id. A.* 6, 882. Seu spumantis equi foderet calcaribus armos; et *ib.* 4, 158. Aper spumans; et *ib.* 2, 209. salum. *Lucan.* 9, 927. lingua; et 6, 719. spumantia ora; et 1, 371. Spumans Rhenus. *Sen. Thyest.* 59. ignibus subditis spumans ahenum. *Colum.* 10, 44. musto spumantes exprimet uvas. ℙ Item spumis aspersus. *Quint. decl.* 9, 5. Spumantes scopuli. *Virg. A.* 4, 135. Stat sonipes, et frena ferox spumantia mandit; et *ib.* 5, 124. spumantia litora; et *ib.* 10, 300. Spumantes rates. *Lucan.* 7, 699. caede catervae. *Virg. A.* 4, 664. Ensis spumans cruore. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 55. Spumans ex ore scelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem. *Juven.* 13, 14. spumantibus ardens Visceribus, *h. e.* iratus.

SPŪMĀTUS, a, um, part. a *spumo*, spuma aspersus. *Cic. Prognost. Div.* 1, 7. Saxaque cana, salis niveo spumata liquore.

SPŪMĀTUS, us, m. spumae ebullitio, vel ipsa spuma, ἀφρισμός. *Stat. Silv.* 1, 4, 102. anguis abundat spumatu.

SPŪMESCO, is, n. 3. ἀφροῦμαι, spumosus fio. *Ov. Her.* 2, 87. At si nostra tuo spumescant aequora remo.

SPŪMĔUS, a, um, adj. ἀφριόεις, spumans, spumosus. *Virg. A.* 2, 419. Spumeus Nereus imo ciet aequora fundo; et *ib.* 496. aggeribus ruptis cum spumeus amnis Exit. *Ov. Met.* 3, 571. torrens spumeus et fervens. *Mart.* 14, 221. spumeus aper. *Prud. Cath.* 3, 66. Spumea mulctra gerunt niveos Ubere de gemino latices. *Id. περὶ στεφ.* 1, 101. furens homo Spumeas efflans salivas. *Lucan.* 9, 798. Spumeus accenso non sic exundat aheno Undarum cumulus. *Id.* 5, 190. Spumea tunc primum rabies vesana per ora Effluit. ℙ Item spumam referens. *Plin.* 15, 28, 33. Succus albis uvis candidus, lacteus in capite ficis, spumeus malis, nullus persicis. *Id.* 20, 19, 79. Heraclion, aliis aphron, foliis speciem passerum praebentibus: radice in summa terrae cute, semine spumeo. *Pall.* 4, 13. Colores *(in equis)* hi praecipui: badius, albineus, russeus, etc. sequentis meriti spumeus, maculosus, murinus.

SPŪMĬDUS, a, um, adj. *Appul. Apol.* Humor crassus, et spumidus; et *mox:* Tabes albida et spumida.

SPŪMĬFER, ra, rum, adj. spumam ferens, spumiger, spumans. *Ov. Am.* 3, 6, 46. Amnis spumifer. Alii leg. *spumiger. Id. Met.* 11, 140. fons. *Stat. Achill.* 1, 59. de equis Nept.: Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus.

SPŪMĬGĔNĂ, ae, m. et f. ex spuma genitus: epithet: Veneris. *Capell.* 9, 310. Ipsum spumigenae salum Cytheres.

SPŪMĬGER, ra, rum, adj. spumifer. *Lucr.* 5, 983. Spumigeri suis adventu, validique leonis. *Manil.* 5, 74. Spumigeri lupi. V. SPUMIFER.

SPŪMO, as, avi, atum, ἀφρίζω, spumam emitto, spumas ago. *Plin.* 32, 7, 25. Aceti cyathum decoquere, et postquam desierit spumare, tepidum infundere. *Petr. Sat.* 113. *f.* Spumabit pateris hornus liquor. *Virg. G.* 2, 6. spumat plenis vindemia labris; et *ib.* 3, 309. Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra, Laeta magis pressis manabunt flumina mammis. *Id. A.* 8, 672. fluctu spumabant caerula cano; et *ib.* 11, 548. summis Amasenus abundans Spumabat ripis. *Lucan.* 6, 399. equus spumat habenis; et *ib.* 3, 572. cruor altus in undis Spumat. *Sen. Oed.* 358. Et felle nigro tabidum spumat jecur. *Claud. in Ruf. praef.* 1, 9. Amnis vipereo spumavit saepe veneno. *Id. Laud. Stil.* 2, 252. infesto spumavit remige Tethys. *Id. Rapt. Pros.* 2, 243. Spumat aper. ℙ Cum accus. *Id. ib.* 1, 281. de equis Pluton.: Stagnaque tranquillae potantes marcida Lethes, Aegra soporatis spumant oblivia linguis. ℙ Pro fervere, et fermentari. *Cels.* 5, 27. *n.* 4. Terra respersa aceto spumat: ζυμοῦται. ℙ [*Confund. *spumat* et *fumat.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 754.]

SPŪMOSUS, a, um, adj. ἀφρώδης, spumans, spumeus. *Catull.* 64, 121. Spumosa litora. *Plin.* 11, 37, 72. Spumosus pulmo. *Ov. Met.* 1, 570. fluvius spumosis volvitur undis. *Lucan.* 2, 627. Spumosum aequor. *Claud. IV. cons. Honor.* 548. spumosis morsibus *(equi)* aurum Fumat; et *VI. ib.* 458. Addua quo scissas spumosior incitat undas. ℙ Translate de carmine inflato, et quasi turgenti. *Pers.* 1, 96. nonne hoc spumosum, et cortice pingui?

SPŪO, is, spui, sputum, a. 3. πτύω, salivam ejicio: a verbo Graeco allato. *Plin.* 28, 4, 7. Veniam quoque a Deis spei alicujus audacioris petimus, spuendo in sinum. *Solin.* 1. *med.* Antoniam Drusi non spuisse, percelebre est. ℙ Item spuendo emitto. *Virg. G.* 4, 97. et terram sicco spuit ore viator Aridus. [*Cerda ad hunc locum laudat *Petr.* verba: turbatum sputo pulverem.]

SPURCĀMEN, inis, n. spurcities. *Prud. Cath.* 9, 56. Gregis suilli sordida spurcamina.

SPURCĀTUS, a, um, part. a *spurco:* foedatus. *Catull.* 108, 1. Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus Spurcata impuris moribus intereat.

SPURCĔ, adv. ῥυπαρῶς, immunde, foede, impure, turpiter. *Colum.* 7, 9. *f.* Quamvis sus in pabulationem spurce versetur, mundissimum tamen cubile desiderat. ℙ [*Translate.] *Auct. ad Her.* 1, 5. Si quod eorum superbe, perfidiose, crudeliter, flagitiose factum proferemus. *Cic. Phil.* 2, 39. *extr.* Qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris: sc. probri insimulaveris pudicissimam feminam. *Cato* ap. *Plin.* 29, 1, 7. Graeci nos quoque dictitant barbaros, et spurcius nos, quam alios opicos, appellatione foedant. *Cic. Att.* 11, 13. Deinde perscribit spurcissime, quas ob causas fecerit.

SPURCĬDĪCUS, a, um, adj. αἰσχρολόγος, qui spurca loquitur. *Pl. Capt. Prol.* 56. Neque spurcidici insunt versus.

SPURCĬFĪCUS, a, um, adj. ῥυπαροποιός, qui spurca et foeda facit. *Pl. Trin.* 4, 1, 7. Nam te omnes commemorant spurcificum, immanem, intolerandum, vesanum.

SPURCĬLŌQUĬUM, ii, n. sermo de rebus turpibus. *Tert. Resurr. carn.* 4. *extr.* Spurciloquio experiri in congressibus.

SPURCĬTĬA, ae, f. et Spurcities, ei, f. ἀκαθαρσία, ῥυπαρία, sordes, immunditia. *Colum.* 1, 5. *med.* Quodcumque rubiginis aut spurcitiae resedit, siccare atque detergere. *Lucr.* 6, 976. At contra nobis coenum teterrima cum sit Spurcities, eadem subus haec jucunda videtur. *Plin.* 33, 4, 21. Sudoris, qui e camino jactatur, spurcitia in omni metallo scoria appellatur. *Id.* 17, 9, 6. Spurcitiae suum, *h. e.* fimum suillum. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* A spurcitiis purgare alvum apum. *Colum.* 12, 27. *f.* Spumam et omnem spurcitiam eximere. *Appul. Met.* 8. Spurcitie sanguinis effeminati madescere.

SPURCO, as, avi, atum, a. 1. ῥυπαίνω, foedo, maculo, inquino, vitio. [*Etymon v. in *spurcus:* est nostr. *besauen, besudeln.*] *Paul. Dig.* 47, 11, 1. Si quis fimo aliquem perfuderit, luto oblinierit, aqua spurcaverit. *Ulp. ib.* 9, 2, 27. *med.* Qui vinum spurcavit, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiavit. *Pl. Men.* 1, 2, 57. Ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili. ℙ [*Translate. Cf. *Catulli* locum in v. SPURCATUS, a, um laud.] *Prud. in Sym.* 1, 60. Juppiter incesta spurcavit labe Lacaenas.

SPURCUS, a, um, adj. ῥυπαρός, μιαρός, sordidus, immundus, foedus: a *spuo*, ut quibusdam placet. [*Alii contractum putant ex *se* et *purus.* Alii a *spurius* deducunt. V. *Doederl.* 2, 52., qui a *porcus* derivat, ita ut sit *spurcus* proprie i. q. Gr. ὑοειδής, nostr. *schweinisch.* — Discrimen inter *spurcus* et *obscoenus* positum quidem esse nonnisi in diversa, quam utrumque vocabulum praebeat, rerum imagine; sed *spurcus* magis sensus externos, *obscoenum* laedere animum. — *Ernesti* 1278. *Immundi* contagionem semper fugiam; *spurci* vel adspectum aegre feram; *obscoeni* gestus ac voces abominer.] *Lucr.* 6, 781. multae homini res Acriter infestant sensus spurcaeque gravesque. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 425. Quaeque aspectu sunt spurca, et odore. *Sen. ep.* 70. *med.* Praeferendam esse spurcissimam mortem servituti mundissimae. *Gell.* 17, 19. *med.* Vas spurcum atque pollutum; et *mox:* Aut si quid est urina spurcius. *Catull.* 78, 8. et 99, 10. Spurca saliva. *Cic. Dom.* 18. Hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua. *Id. fr.* ap. *Non. l. c.* Cum iter facerem Claternam tempestate spurcissima, *h. e.* die nubilo, pluvio, ventoso, tempestate foeda, ut ait *Virg. G.* 1, 323. Sic *Plin.* 17, 2, 2. Nubilum spurcum. ℙ *Spurcus ager* est malis herbis, lolio, avena, et similibus conspurcatus. *Colum. praef. med.* Quid cultus, quid silvester ager; quid humidus et graminosus; quid succus et spurcus, etc. ℙ Spurcum vinum, inquit *Festus*, est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo, cui aqua admixta est, defrutumve, aut igne tactum est; mustumve antequam defervescat. ℙ *Spurcus* est etiam obscoenus, impurus, incestus. *Pl. As.* 4, 1, 62. Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit. *Mart.* 1, 35. Abscondunt spurcas haec monumenta lupas, *h. e.* meretrices. ℙ Translate est impudens, impurus. *Id.* 4, 56. Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno, Qui potes insidias dona vocare tuas. ℙ Item vilis, abjectus, ignobilis, sordidus. *Cic. Tusc.* 2, 17. *f.* Ergo hoc poterit Samnis, spurcus homo, vita illa dignu', locoque (ex *Lucil. l.* 4. *sat.*): vir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione et ratione corroboret? *Varr.* ap. *Non. l. c.* Ne quis lictorem spurcum, hominem liberum prehendere, jussisse velit. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 18.] ℙ Refertur ad animum et mores. *Cic. Dom.* 10. Heluo spurcissimus. *Id. Phil.* 11, 1. Duo haec capita nata sunt post homines natos teterrima et spurcissima. *Id. Verr.* 2, 1, 37. *med.* Homo avarissime et spurcissime, redde bona sodalis filio. *Gell.* 14, 2. *med.* Homo probri plenus, spurcissimaeque vitae ac deformatissimae.

[SPŪRĬĀNUS, a, um, adj. ad Spurium aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 684, 8. C. Fontejus Spurianus. *F.*]

[SPURĪNNA, ae, m. cogn. R. ex Etruscis derivatum. Hoc cognomine praeditum juvenem Etruscum memorat egregia forma *Val. Max.* 4, 3. *n.* 1. *extr.* Alius fuit Spurinna haruspex, qui Caesari praedixit, ut Martias caveret Idus, ut constat ex *Cic. Div.* 1, 52., et *Fam.* 9, 24., et *Suet. Caes.* 81. Alius fuit Vestricius Spurinna Othonianarum partium dux ap. *Tac. H.* 2, 11. et 18., cujus jam senis mores laudat *Plin. ep.* 2, 7. et *ep.* 3, 1. *F.*]

[SPURĪNUS, a, um, adj. ad spurium pertinens. Est cogn. R. Q. Petilii Cos. ann. U. C. DLXXVIII. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 293. *F.*]

SPŪRĬUS, a, um, adj. νόθος, [πορογενής. *F.*] *Auct. lib. de nominib. R. f.* Spurii, patre incerto geniti, quasi σπόροι. [*Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 1, 64. Unde solent spurii filii appellari vel a Graeca voce, quasi σποράδην concepti, vel quasi sine patre filii. *F.*] *Modest. Dig.* 1, 5, 23. Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet: qui et spurii appellantur παρὰ τὴν σποράν. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 6, 55, 6. Ex libera conceptus et servo, velut spurius habetur. *Mart. Dig.* 49, 15, 26. Divi Severus et Antoninus rescripserunt: Si uxor cum marito ab hostibus capta fuerit, et ibidem ex marito enixa sit: si reversi fuerint, justos esse et parentes et liberos, et filium in potestate patris: quod si cum matre sola revertatur, quasi sine marito natus, spurius habebitur. *Appul. Met.* 6. [*p. 397. *Oudend.*] Vilis ancillae filius, nepos Veneris audiet. Quamquam inepta ego frustra filiam dicam. Impares enim nuptiae, et praeterea in villa sine testibus, et patre non consentiente factae, legitimae non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur. ℙ [Hinc qui in patris servitute concepti fuerant, *spurii* ejusdem, vel *spurii filii* dicuntur in vetustis monumentis. *Inscr.* Patavina ap. *Mur.* 194, 2. et *Aless. Stor. di Este* p. 244. T. Aretius T. C. L. L. Apiolus IIIIII. Vir, idem Augustalis sibi, et Aretiae Modestae Lib. suae, et T. Aretio Proculo spurio Modestae Lib. Fil., etc., *h. e.* libertae filio. Hic vides, T. Aretium Proculum fuisse filium spurium Aretiae Modestae libertae, et T. Aretii Apioli, *h. e.* natum esse ex eadem, antequam ipsa libertatem consequeretur. Alia ap. *Fabr.* p. 46. *n.* 258. C. Julio C. L. Palleo C. Rulius Sp. F. Col. Palleus patri indulgentissimo; et *ib. n.* 259. C. Velius A. F. Scaptia sibi et concubinae suae, et Veliae Sp. F. Tertiae filiae meae; et *n.* 260. L. Voluseno Sp. F. Agrypnus Caes. *(h. e.* Caesaris servus) filio pientissimo. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 143, 4. P. Valerius Spurii F. Montanus vivus fecit

patri Ilarioni. *F.*] ℙ Ceterum *Spurius* fuit praenomen R. frequentissimum, ut Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus Cos. ann. U. C. CCCCXXXVIII. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 291. Id autem non ex eo ductum videtur, quod qui primus eo praenomine usus est, illegitimo patre natus sit; sed quod utcumque sine patre fuerit, nam primae duae litterae SP., quibus Spurius scribitur, *sine patre* significant, ut docet *Plutarch.* in *Quaestionib. R.* ℙ *Spurii* dicti sunt, teste *Just.* 20, 1., Lacedaemonii conditores Tarenti, ob eam causam, quae in voce PARTHENIAE dicta est. ℙ Translate. *Auson. epist.* 18. *f.* Quique notas spuriis versibus apposuit, *h. e.* Aristarchus, qui quos non probavit in Homero versus, obelo notavit. *Id. in VII. Sap. prooem.* 13. Pone obelos igitur, spuriorum stigmata vatum, *h. e.* malorum poetarum. ℙ *Spurium*, *ii*, n. ap. *Isid. Or.* 9, 5. *med.* Muliebrem naturam veteres spurium vocabant, velut ἀπὸ τοῦ σπόρου, hoc est, seminis, non patris nomine. *Plutarch. l. c.* a Sabinis dicit sic appellatam: *Τοὺς Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον.* Hinc *Appul. Apol.* Posse, dicitis, ad res Venereas sumpta de mari spuria et fascina, propter nominum similitudinem, etc.

SPŪTĀMEN, inis, n. sputum. *Prud. Apoth.* 744. humectam sacro sputamine terram Contrectans. Adde *Tert. adv. Gnost.* 10.

SPŪTĀMENTUM, i, n. sputamen. *Tert. Spect.* 30. Hic est ille arundine et colaphis diverberatus, sputamentis dedecoratus, felle et aceto potatus. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. *extr. B. A.*

SPŪTĀTĪLĬCUS, a, um, adj. *καπάπυστος*, consputatione dignus, levis. *Cic. Brut.* 74. *extr.* de C. Rusio: Fuit accusator, inquit, vetus: quo accusante C. Rutilium, Sisenna defendens dixit, quaedam ejus sputatilica esse crimina. Tunc C. Rusius, Circumvenior, inquit, judices, nisi subvenitis. Sisenna, quid dicas, nescio: metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit, scio, tilica, nescio. Maximi risus: Sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui.

SPŪTĀTOR, oris, m. *πτυστής*, qui frequenter spuit. *Pl. Mil.* 2, 1, 52. Minime sputator, screator sum.

SPŪTISMĂ, ătis, n. sputus. *Vitr.* 7, 4. *f.* Quod poculis, et sputismatis effunditur, simul atque cadit, siccescit. Alii [**Schneid.* cum *Scalig.*] rectius *pytismatis* legunt, [nam *sputisma* nec Graecum, nec Latinum est. *F.*]

SPŪTO, as, n. l. *ἀναπτύω*, frequenter spuo. *Pl. Capt.* 3, 4, 18. Nam illic isti, qui sputatur, interdum morbus venit, *h. e.* morbus comitialis, quem nominantes solemus despuere, ut *Plin.* 10, 23, 33. et 28, 4, 7. docet. *Id. Merc.* 1, 2. 27. Tua causa rupi ramices, jamdudum sputo sanguinem, [**Cf.* SPUO.]

SPŪTUM, i, n. *πτύσμα*, purgamentum oris, saliva quae ex ore ejicitur. *Sen. Constant.* 1. *f.* Cato voces improbas, et sputa pertulit. *Prop.* 4, 5, 66. Sputaque per dentes ire cruenta cavos. *Mart.* 2, 26. Inque suos mittit sputa subinde sinus. *Cels.* 2, 8. *med.* Sincerum sputum edere, sive rufum est, sive cruentum, sive album, sive glutinosum, sive spumans. *Lucr.* 6, 1186. Tenuia sputa, minuta. ℙ Translate. *Mart.* 8, 33. Hoc linitur sputo Jani caryota calendis, *h. e.* hac lamina, seu crusta adeo tenui ac levi, ut instar sputi vix haereat, atque extergeri facile possit.

SPŪTUS, i, m. vel Sputus, us, m. idem ac sputum. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 4. Cum plurimo sputu; et *ib.* 3, 2. Jugis sputus. Quidam lexicographi addunt etiam locum *Lactantii* 4, 18. Dabant autem Deo alapas manibus incestis, et impurato ore exspuebant venenatos sputos. Alii leg. *sputus.* At haec non sunt verba *Lactantii*, sed alterius, qui interpretatus est Sibyllinos versus a *Lactantio* ibi recitatos.

S Q

SQUALDUS. V. SQUALUS.

SQUĂLENS, entis, part. a *squaleo:* [*asper, horridus, duritie, crusta, callo indutus, qui humore, succo caret: *starr, steif. Virg. G.* 2, 348. Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas, i. e. asperas. *Manil.* 5, 271. Squalens arista, *h. e.* aculeata et pungens. *Sil.* 3, 655. et 4, 376. Squalentes campi, *h. e.* arenosi et inculti. Sic *Tac. A.* 15, 42. Squalens litus. *Lucan.* 1, 205. et 5, 39. squalentibus arvis Aestiferae Libyes. *Id.* 8, 57. atro squalentibus arvis Aestiferae Libyes. *Petr. Sat.* 120. nigro squalentes pulvere vestes. *Petr. Sat.* 120. nigro squalentia pumice saxa. *Claud. B. Gild.* 24. Squalens clypeus, *h. e.* situ et rubigine obsitus. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 150. de Tritone: squalentia murice terga Purpureis mollita rosis, *h. e.* aspera, hirta, aculeata. *Id. B. Get.* 293. Colla catenati vidit squalentia Cimbri, *h. e.* catenis detrita, asperata, et quasi squamis obducta. *Ov. Fast.* 5, 397. squalentia tela venenis, *h. e.* multo veneno imbuta et horrida. — Huc pertinent etiam ista *Virg. A.* 10, 314. tunicam squalentem auro; et *ib.* 12, 87. auro squalentem alboque orichalco Circumdat loricam humeris. Porro *Id. G.* 4, 91. Alter (rex apum) erit maculis auro squalentibus ardens; et *ib.* 13. picti squalentia terga lacerti. *Sil.* 2, 585. Caeruleus maculis auro squalentibus anguis: ubi sententiam loci parum intellexisse videntur, qui splendoris notionem inesse dixerint: quippe quam v. *squalere* nusquam contineat. V. in SQUALEO. ℙ Hinc *squalens* imprimis est, qui sordibus, luto ita est obsitus, ut quasi crusta tectus videatur. *Ov. Met.* 4, 655. Squalentia ora Medusae. ℙ Et quoniam *sordidae vestes* proprie erant reorum, moestorum, etc. *squalens* saepe hoc sensu dici solet. *Sen. Oed.* 554. Squalente cultu moestus ingreditur senex. *Juven.* 8, 16. Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum Squalentes traducit avos. *Ennius* ap. *Fest.* squalida septus stola. *Capell.* 6, 192. Nec indecenter, et squalentior peragratrix coelicolarum auratam curiam credar intrasse. ℙ Ita interdum *squalens* epith. est coeli nubibus obtecti, et perniciem portendentis. *Stat. Th.* 1, 646. nubibus atris Et squalente die, *h. e.* horrido ob pestilentiam.] ℙ Sunt qui duplici liquida *squallens, squallor, squallidus*, etc. scribunt, adversantibus *Manut., Dausqu., Cellar.*, a quibus stant veteres libri, et lapides. [**Cf. Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 417.]

SQUĂLENTĬA, ae, f. squalor, sordes. *Tert. Exhort. ad cast.* 10. Ingredi non secundum carneae squalentiae concupiscentiam. [Alii rectius leg. *carnis calentes concupiscentias. F.*]

SQUĂLĔO, es, ui, n. 2. *αὐχμάω*, asper, horridus sum. [*Ac proprie quidem pertinet ad corpora quorum, ut cochlearum, sim., superficies per se quidem dura et quasi exsiccata est. (Exempla V. in SQUALENS.) — Porro ad ea, quorum facies nimia siccitate torrida facta est: Quo pertinent loci, in quibus de agris cultura carentibus usurpatur. *Virg. G.* 1, 508. Squalent abductis arva colonis. Plura v. in SQUALENS. — Porro exempla, in quibus *Noster* v. *squalere* pro *arere*, *supra modum siccum esse* acceperat. *Lucan.* 4, 755. Oraque projecta squalent arentia lingua; et 9, 503. squalebant pulvere fauces. *Sil.* 14, 591. Squalebat tellus vitiato fervida dorso. Adde *Lucan.* 9, 626. Quibus adjungi posse videtur illud *Ov. Met.* 15, 627. Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo. — Deinde ad res quasi crusta, callo cujuscunque generis ita obductas, ut horrere videantur, nostr. *starren:* Huc referendi sunt loci, in quibus splendendi notione verbum *squalere* positum docuerunt. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 182. Filaque concreto cogit squalere metallo. Plura v. in SQUALENS. — Imprimis autem hac significatione de rebus sordidis, multo situ obtectis usurpatur.] *Quint.* 10, 1. *med.* Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem his inesse, qui terreat. *Pl. Pers.* 4, 8, 2. Ita mihi supellex atque aedes meae. *Ov. Met.* 1, 373. Ad delubra Deae, quorum fastigia turpi Squalebant musco; et *ib.* 14, 411. humus squalet serpentibus atris. *Albinov.* 1, 295. squalent immissis ora capillis. *Sil.* 19, 511. Pulvere canities atro, arentique cruore Squalebat barba. *Sen. Troad.* 20. nube ceu densa obsitus, Alter favilla squalet Iliaca dies. *Stat. Th.* 1, 221. Et Phaethontaea mundum squalere favilla. *Mart.* 9, 48. Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas, Quidquid et hirsutis squalet imaginibus. *Gell.* 9, 4. Ipsa volumina ex diutino situ squalebant, habituque tetro erant. ℙ Translate de iis, qui in luctu et moerore sunt, quia tunc cultus corporis negligitur. *Cic. Sext.* 14. Erat in luctu senatus, squalebat civitas, publico consilio mutata veste. *Id. Mil.* 8. Luget senatus, squalent municipia, afflictantur coloniae. *Paul. Nol. carm.* 15, 97. Squaluit in vacua captivus imagine mundi. ℙ [*Ad etymon verbi, quod attinet, *Gell.* 2, 6. (quem *Noster* laudaverat ad v. *squalens*) *squalere* derivat a *squama.* Gellii verba haec sunt: Tertium restat ex iis, quae reprehensa sunt, quod *tunicam squalentem auro* dixit. Id autem significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. *Squalere* enim dictum est a squamarum crebritate asperitateque, quae in serpentium pisciumque coriis visuntur. Quam rem et alii, et hic quidem poeta locis aliquot demonstrat (*A.* 11, 770.) quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. Et alio loco (*ib.* 487.) Jamque adeo rutilum thoraca indutus ahenis Horrebat squamis. Accius in Pelopidis in scribit: Ejus serpentis squamae squalido auro et purpura praetextae. Quidquid igitur nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id *squalere* dicebatur. Sic in corporibus incultis squamosisque alta congeries sordium *squalor* appellatur: cujus significationis multo assiduoque usu totum id verbum ita contaminatum est, ut jam *squalor* de re alia nulla, quam de solis inquinamentis dici coeperit. Haec *Gell.*, quibus totum hoc verborum genus, *squalens, squalere, squalor, squalidus* luculenter illustrari dixerat *Forc.* Quam vocis deductionem *Doederl.* 2, 40. sq. (ubi triplicem ejus rationem conjicit) ita probat, ut v. *squama* non originem v. *squalere* contineat, sed utrumque vocabulum et *squalere* et *squama* ad v. *scabere* referendum videatur. Ceterum *squalere* et *horrere*, licet interdum idem fere significare videantur, in eo tamen discrimen habere, quod in *squalere* exsiccati, illepidi, foedi et cujus adspectum fugeremus notio praevaleat: *horrere*, (q. v.,) ad rigidum, firmum, quod flecti nequeat timoremque injiciat, spectet.] ℙ Part. *Squalens* V. s. l. *Squalendus* in *Not. Tir.* p. 66. Squalor, squalidus, squalendus, squalescit. ℙ Sunt qui scrib. *squalleo.* V. SQUALENS.

SQUĂLES, ei, f. squalor apud veteres: ut Squale perire ap. *Varr.*, cujus locum vide in SCABRES.

SQUĂLESCO, is, n. 3. squalidus fio. Agnoscitur a *Fl. Capro de Orthogr.* p. 2240. V. SQUALEO.

SQUĂLĬDĒ, adv. sordide, horride, inculte. Translate. *Cic. Fin.* 4, 3. Peripatetici ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, cum definientes, tum partientes, ut Stoici etiam: sed hi squalidius: illorum vides quam niteat oratio, *h. e.* incultius, inornatius, horridus.

SQUĂLĬDĬTAS, atis, f. squalor. Translate. *Ammian.* 26, 5. *extr.* Ne omnia confundentes, squaliditate maxima rerum ordines implicemus, *h. e.* obscuritate.

SQUĂLĬDUS, a, um, adj. *αὐχμηρὸς, ὑπαρὸς*, incultus, sordidus, asper, horridus. V. dicta in SQUALENS, [*et in SQUALERE, unde facile intelliges, qualis et hic constituendus ordo sit.] *Enn.* ap. *Fest.* et *Non.* 14, 6. Cedo ac caveo vestitus, squalida septus stola. *Just.* 21, 5. Pannosus et squalidus. *Sen. Troad.* 883. Depone cultus squalidos, festos cape. *Juven.* 9, 15. Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura. *Pl. Truc.* 5, 42. Homo horridus et squalidus. *Ter. Eun.* 2, 2, 5. Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum. Ubi *Donat.* Sentum ad horrorem retulit; squalidum ad sordes; aegrum ad maciem; pannis annisque obsitum ad vestitum et ad tristitiam. *Ov. Met.* 15, 38. Squalidus reus. *Plin. ep.* 4, 9. *f.* Moesta et squalida senectus. *Lucr.* 2, 468. Scilicet, esse globosa, tamen cum squalida constent, *h. e.* aspera. *Sen. Hipp.* 471. Orbis jacebit squalido turpis situ. *Id. Oed.* 2. Et nube moestum squalida exoritur jubar. *Id. ib.* 625. Paedore foedo squalidam obtentus comam. *Id. Herc. Oet.* 1756. reliquias magni Herculis, Cineremque jactans squalidum, Alcmene gemit. *Plin.* 15, 29, 36. Myrtus patricia exuberans ac laeta, plebeja retorrida ac squalida. *Catull.* 64, 42. Squalida desertis robigo infertur aratris. *Ov. Fast.* 1, 558. Squalidaque humanis ossibus albet humus; et *ib.* 2, 181. Ursa per incultos errabat squalida campos. *Id. Am.* 2, 42. squalidus carcer. ℙ Translate. *Cic. Or.* 32. *extr.* Haec tenenda sunt oratori: sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. ℙ In illo *Tac. H.* 2, 60. Suetonium, ac Licinium tristi mora squalidos tenuit: donec auditi, necessariis magis defensionibus, quam honestis uterentur: *squalidos tenere* est reorum numero habere, et in vinculis: quia *squalor* reorum est, et carceris. ℙ In bonam partem *Accius* ap. *Gell.* 2, 6. *f.* et *Non.* 6, 26. Ejus serpentis squama squalido auro et purpura praetextae, *h. e.* multo auro atque aspero, instar squamae, atque adeo rutilo et nitenti. V. SQUALENS.

SQUĂLĬTAS, atis, et

SQUĂLĬTŪDO, inis, f. idem quod squalor. *Accius* ap. *Non.* 3, 231. Etsi operta squalitate est, luctuque horrificali. *Lucil. ib.* et 4, 440. Squalitate summa, scabie summa, aerumna obrutam. *Accius cit.* 3, 231. Speciem humanam inusitatam, egregiam, indignam clade et squalitudine.

SQUĂLOR, oris, m. [*asperitas corporis, cujus superficies vel per se humore caret, vel nimia siccitate torridi faciem subiit: oppon. LAEVOR. *Lucr.* 2, 424. quaecumque (causa) molesta atque aspera constat, Non aliquo sine materiae squalore reperta est. V. SQUALENS, SQUALERE, et SQUALIDUS. ℙ Hinc maxime dicitur de sordium congerie, illuvie, qua quid quasi crusta, duritie obductum videtur: saepius etiam in universum pro sordibus refertur ad cultum corporis neglectum atque horridum, Gr. *αὐχμὸς, ὑπαρία.*] Unde *Tac. G.* 31. vocat *squalorem* crinem barbamque summissam; et *Ov. Her.* 13, 37. omittere novas et pretiosas vestes, comam negligere. *Pl. Cist.* 1, 1, 116. Immundas fortunas aequum est squalorem sequi. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. *f.* Surrexisset Apronius, non squaloris plenus ac pulveris, sed unguentis oblitus, vino vigiliisque languidus. *Plin. ep.* 7, 27. Senex macie et squalore confectus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 330. Erebi se sponte relaxat Squalor, et aeternam patitur rarescere noctem. *Liv.* 2, 23. Obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus pallore ac macie perempti. *Id.* 21, 40. *f.* Umbrae hominum, fame, frigore, illuvie, squalore enecti. *Calpurn. Ecl.* 1, 43. Et redit ad terras tandem, squalore situque, Alma Themis, posito. *Plin.* 34, 14, 39. Ferro vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 8. *med.* Aquarum ductibus pessumdatis, plena cuncta squaloris et pulveris, *h. e.* siccitatis: nam et *squalere* arere est. V. SQUALEO. ℙ De luctu et moestitia dolentis aliqua calamitate, aut rei. *Cic. Cluent.* 6. *f.* Mater instituit accusatores, instigat testes: squalore hujus et sordibus laetatur, exitium exoptat. *Id. ib.* Spectaculum hujus sordium atque luctus, et tanti squaloris. *Id. Verr.* 2, 5, 48. *extr.* Hoc ornatu ad vos confugiunt: aspicite, judices, squalorem sordesque sociorum. *Id. Mur.* 40. Squalore sordidus, confectus

morbo, lacrimis ac moerore perditus. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. In luctu et squalore esse. *Tac. H.* 1, 54. Legati in squalorem moestitiamque compositi. *Claud. in Eutrop.* 1, 177. procerum squalore repletus Carcer. ℙ [*De discrimine inter *squalor* et *sordes* V. *Doederl.* 2, 43. sq.] ℙ In plur. num. *Quint.* 6, 1. *med.* At sordes, et squalores, et propinquorum quoque similem habitum scio profuisse. ℙ Sunt qui scrib. *squallor.* V. SQUALENS.

SQUĀLUS, a, um, adj. squalidus. *Enn.* ap. *Non.* 2, 792. et 10, 2. Lavere lacrimis vestem squalam et sordidam. Alii leg. *squalidam:* alii *squaldam* per sync. ℙ *Squalus*, *i*, [apud nostrates vulgo *squalo F.*], piscis, cui nomen ab asperitate squamarum inditum videtur: nam *squalus* et *squalidus* etiam asperum significant. [*V. SQUALEO.] Memorant *Varro R. R.* 3, 3. *f.*, *Plin.* 9, 24, 40. et *ib.* 51, 74. item *Ov. Hal.* 123., sed ubique dubia lectione: etenim ap. *Varr.* et *Ov. l. c.* legitur *scarus.* V. RHINA.

SQUĀMA, ae, f. λεπίς, φολίς, dura cartilago, quae piscibus et anguibus pro cute est. [*Etymon vocis v. in SQUALEO.] *Cic. N. D.* 2, 47. Animantium aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae: pluma alias, alias squama videmus obductas. *Virg. A.* 11, 753. serpens sinuosa volumina versat, Arrectisque horret squamis. *Id. ib.* 5, 88. de angue: maculosus et auro Squamam incendebat fulgor. *Ov. Met.* 4, 576. Durataeque cuti squamas increscere sentit. *Id. Her.* 12, 101. Pervigil ecce draco squamis crepitantibus horrens. *Claud. in Eutrop.* 1, 295. Elevat hunc pluma, squamis hunc Fabula vestit, *h. e.* versum in piscem narrat. *Sidon. ep.* 5, 17. Linteum villis onustum, quod pridiana squama politum casu sub ipsis aediculae valvis bipatentibus de janitoris erecto trochleatim fune nutabat. ℙ Per synecd. est piscis. *Juven.* 4, 25. Hoc pretium squamae! potuit fortasse minoris Piscator, quam piscis, emi. ℙ Translate. *Virg. A.* 9, 707. duplici squama lorica fidelis, et auro, *h. e.* anulis, et catenulis squamas referentibus. Sic *ib.* 11, 487. Turnus thoraca indutus, ahenis Horrebat squamis; et *ib.* 770. quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. (Adde *Ov. Met.* 3, 63. [*et V. SQALEO.] *Plin.* 29, 1, 8. Squamam in oculis emovendam potius, quam extrahendam; et 34, 15, 46. Squama ferri; et 32, 4, 14. tegumenti testudinis. *Id.* 9, 35, 56. specularium lapidum. *Id.* 34, 11, 24. milii, *h. e.* cortex tenuis, quo involvitur. *Cels.* 2, 12. aeris: λεπὶς χαλκοῦ. ℙ *Squamam sermonis* dixit *Sidon. ep.* 3, 3. incultae orationis rubiginem, asperitatemque loquendi. ℙ Qui scribunt *squamma*, adversos habent *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.* et alios.

SQUĀMANS, antis, part. ab inus. *squamo:* squamas habens, squamosus. *Manil.* 5, 412. cum se Delphinus in astra Erigit, et squamans stellis imitantibus exit. Alii leg. *squamam*, ut *exire squamam* locutio Graeca sit, et valeat, squamam emittere, exserere, exhibere.

SQUĀMĀTIM, adv. ad similitudinem squamarum. *Plin.* 16, 10, 19. Nucamenta squamatim compacta dependent.

SQUĀMĀTUS, a, um, part. ab inus. *squamo*, squamis obductus. *Tert. Apol.* 21. Squamatus, aut cornutus, aut plumatus amator.

SQUĀMĔUS, a, um, adj. φολιδωτὸς, plenus squamis. *Virg. G.* 2, 154. neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Id. A.* 2, 218. squamea terga. *Ov. Met.* 7, 272. membrana. ℙ Translate. *Claud. IV. cons. Honor.* 522. Quis decor, incedis quoties clypeatus, et auro Squameus, et rutilus cristis, et casside major! *h. e.* aurea lorica indutus. V. SQUAMA.

SQUĀMĬFER, ra, rum, adj. λεπιδοφόρος, squamas ferens, squamosus, squamiger. *Sen. Med.* 685. Squamifera latebris turba desertis adest, *h. e.* angues. *Lucan.* 9, 709. Squamiferos ingens haemorrhois explicat orbes.

SQUĀMĪGER, ra, rum, adj. squamas gerens, squamosus, squamifer. *Plin.* 11, 37, 50. Pennatorum animalium buboni tantum, et oto plumae velut aures: ceteris cavernae ad auditum: simili modo squamigeris atque serpentibus. *Ov. Met.* 4, 716. Squamigera cervix, *h. e.* collum anguis. *Lucr.* 1, 378. Nam quo squamigeri poterunt procedere tandem, Ni spatium dederint latices? *h. e.* piscibus. *Id.* 2, 342. et 1081. mutaeque natantes Squamigerum pecudes.

SQUĀMOSUS, a, um, adj. φολιδωτὸς, squamiger, squamatus. De anguibus. *Prop.* 3, 21, 27. squamoso labuntur ventre cerastae. *Virg. G.* 4, 408. Squamosus draco. *Ov. Met.* 3, 41. Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet. *Claud. Laud. Stil.* 1, 263. Splendent vipereae squamosa pelle pharetrae. *Prud. Hamart.* 423. Squamosum thoraca gerens de pelle colubrae. ℙ De piscibus. *Pl. Rud.* 4, 3, 5. Squamosum pecus. *Prud.* περὶ στεφ. 5, 444. Squamosa agmina. *Colum.* 8, 17. Squamosi greges. *Sen. Hipp.* 1048. Squamosa belua. ℙ Translate. *Lucan.* 4, 324. torrentur viscera flamma, Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis, i. e. siccis, et asperis instar squamarum. *Plin.* 37, 5, 18. Smaragdi venosi et squamosi.

SQUĀMŬLA, ae, f. λεπίδιον, parva squama. *Cels.* 7, 26. *n.* 3. Urina secum trahens quasdam quasi squamulas. *Id.* 6, 2. Porrigo est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt. *Id.* 5, 28. *n.* 17. de impetig.: Videntur esse in ea quasi bullulae quaedam, ex quibus interposito tempore quasi squamulae solvuntur.

[SQUARROSUS, a, um, adj. scabrosus, rudis, tactu asper. *Festus:* Squarrosi, ab eadem squamarum piscium similitudine dicti, quorum cutis exsurgit ob assiduam illuviem. Lucilius. Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra. Alii leg. *scarrosi* et *scarrosa*, quasi a *scarreo*, quod *Jos. Scaligero* idem est ac *scaber sum.* Neque sane, si *Dacierio* fides, a squamis squarrosi dicti, sed a *squarra*, vel, ut veteres scribebant, *scara*, quod purum putum Graecum est ἐσχάρα, id est crusta ulceribus cavis excrescens. Ceterum nonnullis videtur *squamosi* et *squamosa* ap. *Festum* corrigendum esse, quod derivationi convenientius. V. SQUAMOSUS. *F.*]

SQUATĪNA, ae, f. ῥῖνα, ῥίνη, piscis ex genere planorum, quo propter squalorem, hoc est asperitatem cutis, ligna et ebora poliuntur. Graece dicitur ῥῖνα vel ῥίνη, quia eo res limantur: nam ῥίνη lima est. V. RHINA. *Plin.* 9, 12, 14. Aspera cute, ut squatina, qua lignum et ebora poliuntur. *Id. ib.* 51, 74. Ex planis squatina bis sola autumno, Vergiliarum occasu parit. *Id.* 32, 11, 53. Rhina, quem squatinam vocamus. *Hard.* habet *squatum*, quod idem est. [*Engelfisch*, *Meerengel.*]

[SQUATUS, i, m. idem ac squatina. *Isid. Or.* 12, 6. *med.* Squatus dictus, quod sit squamis acutis; unde et ejus cute lignum politur. *Gloss. Philox.* Squatus, ῥῖνα, εἶδος ἰχθύος. Angli etiamnum *skate* appellant. V. v. praec. *f. F.*]

*SQUIBALA (a *squima* pro cyma, quemadmodum fere et *squilla* et *scilla* scriptum reperimus), i. e. stercus, fimus, retrimentum, quisquiliae, minutiae, etc. *Veg. Vet.* 1, 4. (al. 2, 19.) Si inveneris — stercoris modicum hoc est duas aut tres pilulas squibula etc. i. e. ὀχυβάλα. Sed glossema merum videtur esse. In ed. *Schneid.* uncinis inclusa vox est. *B. A.* [*Cf. *Doederl.* 2, 39.]

SQUILLA, ae, f. herba bulbum ferens edulem: de quo V. SCILLA. *Hor. Sat.* 2, 8, 42. Affertur squillas inter muraena natantes; et *ib.* 4, 58. Tostis marcentem squillis recreabis, et Afra Potorem cochlea. *Pall.* 3, 29. Sarmentum intra squillae bulbum demergunt: cujus beneficio asserunt sata omnia comprehendere facilius. ℙ Item pisciculus, qui cum pinna concha comparandi cibi init societatem. *Cic. N. D.* 2, 48., *Plin.* 9, 42, 66. et *Mart.* 13, 83. ℙ In Libya majores multo squillas quam alibi, cum dictum esset Apicio gulonum principi; cupiditate illo navigavit, teste *Suida* in Ἀπίκιος: cumque falsum reperisset, intacta Africa rediit. *Juven.* 5, 80. Aspice, quam longo distendat pectore lancem, Quae fertur domino squilla, et quibus undique septa Asparagis, qua despiciat convivia cauda.

SQUĪNUANTHOS. V. SCHOENANTHUS.

S T

ST, σῖγα, sibilus, quo utimur silentium indicentes, digito ori admoto, in sermone familiari: cui interdum *tace* adjicitur. *Vet. Poeta* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. ex lectione *Scal.* Isis, et Harpocrates, digito qui significat st! *Cic. Fam.* 16, 24. Sed st! litteras tuas exspecto. *Naev.* ap. *Charis.* 2, 214. St! tale verbum cave faxis. *Ter. Andr.* 4, 1, 59. Hem st! mane: concrepuit a Glycerio ostium. *Id. Heaut.* 3, 3, 36. De fallacia dicis? st! inveni quandam nuper. *Pl. Cas.* 2, 1, 5. St! tace, atque abi. *Id. Epid.* 2, 2, 1. St! st! tacete: habete animum bonum. *Id. Ps.* 2, 2, 5. St! tace, tace: meus hic est homo. ℙ [*St* pro *est* ap. *Plautum* et *Terentium* passim, vocali scilicet, vel muta antecedente. Sic *iniquissima 'st* scribitur in *palimps. Ambros. Cic. de rep.* 1, 34. *f.* (ed. *A. Maio*), et *fifficile 'st* in *fragm. Cic. pro Fontejo* 2. (ed. *B. G. Niebuhrio*) V. *ejusd.* notas *ib.* p. 60. et 114. et *Marin. Iscriz. Alb.* p. 141. Simile prorsus habent Itali, cum dicunt *lo 'mperadore* pro *lo imperadore. F.*]

*STABERĬUS EROS, grammaticus quidam. *Plin.* 35, 17. ℙ Fortasse i. q. Staberius Hiera audit *Suet. Gr.* 13. ubi al. leg. *Laberius.* V. EROS. *B. A.*

STABĬĀNUS, a, um, adj. ad Stabias pertinens, ut Stabianus ager, *Plin.* 31, 2, 5. et 32, 2, 8. et Stabianum litus, *Sen. Q. N.* 6, 1. Fuere Stabiae oppidum Campaniae, ultra Pompejos, in ora, inter ostia Sarni amnis, et Surrentum: fuere, inquam, usque ad Cn. Pompejum et L. Catonem Coss. ann. U. C. DCLXV. pridie cal. Maji, quo die L. Sulla legatus bello sociali id delevit: quod nunc in villas abiit, ut *Plin.* 3, 5, 9. narrat. *Colum.* 10, 133. Fontibus et Stabiae celebres, et Vesvia rura. *Plin.* 31, 2, 8. fontem Stabiani agri calculosis mederi, prodit.

STĀBĬLĪMEN, inis, n. βεβαίωμα, id quo aliquid stabilitur, firmamentum. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 3, 27. Mihi portento coelestum pater prodigium misit, regni stabilimen mei.

STĀBĬLĪMENTUM, i, n. idem ac stabilimen. *Pl. Curc.* 2, 3, 88. Haec sunt ventri stabilimenta, pane, et assa bubula, poculum grande. V. PANIS. *Plin.* 11, 7, 6. Propolis nondum cera, sed favorum stabilimentum. *Val. Max.* 7, 6. *n.* 1. Sicilia et Sardinia, gradus et stabilimenta bellorum.

STĀBĬLĬO, is, ivi, itum, a. 4. βεβαιόω, stabilem reddo, firmo, fulcio. *Caes. B. G.* 7, 73. *med.* Confirmandi et stabiliendi causa singuli ab infimo solo pedes terra exculcabantur. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Semita nulla pedem stabilibat. *Colum.* 4, 33. Castanea stabiliendis vineis habilis. *Sen. Thyest.* 567. Ille labentes renovare muros, Hic situ quassas stabilire turres. *Plin.* 20, 20, 81. Porcilaca mobiles dentes stabilit commanducata. *Id.* 10, 23, 30. Grues Pontum transvolaturas saburra stabiliri. *Id.* 9, 31, 51. Tradunt echinos saevitiam maris praesagire, correptisque operiri lapillis, mobilitatem pondere stabilientes; et *ib.* 28, 44. Loligini pedes duo, quibus se velut ancoris stabiliunt. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 24. Cum alter stabilire rempubl. studuerit, alter evertere. *Accius* ap. *eund. Sext.* 58. Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat. *Pl. Amph.* 1, 1, 39. Regi Thebano regnum stabilivit suum. *Cic. Leg.* 1, 24. Stabilire leges. *Sall. or. ad Caes. de republ. ord.* 1. *f.* pacem et concordiam. *Plin.* 33, 2, 8. Cicero stabilivit nomen equestre in consulatu suo. *Gell.* 12, 5. Cum eum ad retinendam patientiam, testimonio tolerantiae, quam videbat, perhibito, stabilisset.

[STĀBĬLĬO, onis, m. dimin. stabilis, qui stabilit, seu stabilem reddit. Est cogn. R. non infrequens. *Inscr.* ap. *Grut.* 173, 3. Sex. Pontius Sex. Lib. Stabilio. Adde alias ap. *Fabr.* p. 645. *n.* 385., *Mur.* 1742, 1. et *Maff. Mus. Ver.* 217, 6. *F.*]

STĀBĬLIS, e, adj. βέβαιος, ad standum aptus, firmus, fixus, fundatus, optime constitutus. *Cic. Fl.* 42. Via plana et stabilis: cui opponitur *praeceps et lubrica. Lucr.* 5, 1120. Fundamentum stabile. *Tac. A.* 2, 21. Stabile proelium. Sic *Id. H.* 2, 35. Stabili gradu e ripa vulnera dirigere; et *Cato R. R.* 7. Lotium suillum ad radicem addere oportet, ut mala stabilia fiant, *h. e.* non decidua ante maturitatem: vel quae durant incorrupta. *Ov. Fast.* 4, 303. de navi: Illa velut medio stabilis sedet insula ponto. ℙ Translate. *Sen. Oct.* 924. Regitur fatis mortale genus, Nec sibi quidquam spondere potest Firmum et stabile. *Cic. Acad.* 4, 9. Decretum stabile, fixum, ratum esse debet. *Id. Amic.* 17. Firmi et stabiles et constantes amici; et *ib.* 15. *f.* Amicitiarum stabilis et certa possessio. *Id. Inv.* 1, 30. Animus sine fide stabilis amicis esse non potest. *Ter. Ad.* 1, 1, 40. Errat longe, qui imperium credit gravius esse, aut stabilius, vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur. *Hor. Carm. saecul.* 26. Quod semel dictum stabilis per aevum Terminus servet. *Ov. A. Am.* 3, 557. Stabiles annis animi, *h. e.* homines confirmatae et constantis aetatis. *Id. Trist.* 5, 14, 29. Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet: Quae maneat stabili, cum fugit illa, pede. *Plin.* 31, 3, 28. Sabulum masculum promittit aquas certas, stabilesque, et salubres, *h. e.* perennes. Sic *Cato R. R. praef.* Ex agricolis stabilissimus quaestus consequitur. *Tac. A.* 1, 43. *extr.* Discedite a contactu, ac dividite turbidos: id stabile ad poenitentiam, id fidei vinculum erit. ℙ *Stabilis patria*, *domus*, ubi quis perpetuo habitat. *Pl. Merc.* 3, 4, 68. Qui finis fugae? quae patria aut domus tibi stabilis esse poterit? *Cic. Marcell.* 9. Vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem, et domicilium certum non habebit. Adde *Pl. Aul.* 2, 2, 56. ℙ In pedibus et numeris orationis *stabiles* dicuntur syllabae longiores, quia stant quodammodo et morantur: contra breves celeriter decurrunt. *Quint.* 9, 4. Horum pedum nullus non in orationem venit: sed quo quique sunt temporibus pleniores, longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem; breves celerem ac mobilem; et *ib.* Omnes ii, qui in breves excidunt, minus erunt stabiles. ℙ *Stabile est*, certum est, statutum, decretum est. *Pl. Bacch.* 3, 4, 25. Profecto stabile est, me patri aurum reddere.

STĀBĬLĪTAS, atis, f. βεβαιότης, στερεότης, firmitas, constantia. *Cic. N. D.* 2, 47. Eorum quae gignuntur e terra, stirpes stabilitatem dant iis, quae sustinent. *Plin.* 23, 3, 37. Amurca dentium stabilitati efficacissime subvenit. *Caes. B. G.* 4, 33. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant. *Cic. Tusc.* 5, 14. Aut corporis firmitate, aut fortunae stabilitate confidere. *Id. Off.* 1, 15. Benevolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia judicemus. *Id. Fin.* 1, 20. Videtur stabilitas amicitiae vacillare. *Id. Am.* 22. Stabilitatem amicitiae confirmare. *Id. Tusc.* 5, 30. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant: nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli evanuerunt.

STĀBĬLĪTER, adv. firme. *Vitr.* 10, 14. Tympanum stabiliter includatur. *Suet. Claud.* 20. Molem stabilius fundare.

STĀBĬLĪTOR, oris, m. qui firmat et stabilit aliquid. *Sen. Ben.* 4, 7. Deus, quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est.

STĀBĬLĪTUS, a, um, part. a *stabilio:* βεβαιωθείς, firmatus, constitutus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. *extr.* Auspicio regni stabilita scamna solumque. *Lucr.* 3, 202. quo quaeque magis cum pondere magno, Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt. *Plin.* 10,

23, 33. Pondusculis lapidum apprehensis, aut gutture arena repleto, stabilitae (*coturnices*) volant. ℙ Translate. *Cic. Marcell.* 9. *med.* Nisi haec urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, etc. *Liv.* 9, 20. *f.* Res Capuae stabilitas Romana disciplina fama vulgavit.

STĂBŬLĀRĬUS, a, um, adj. ad stabulum pertinens. *Stabularius* absolute, est dominus stabuli, qui stabulum exercet, ut ait *Ulp. Dig.* 4, 9, 1., h. e. permittit jumenta apud se stabulari, ut *Cajus ib.* 5. definit. ℙ Item qui mercede homines eorumque jumenta hospitio excipit, *πανδοχεύς:* nam *stabulum* tum ad jumenta pertinet, tum ad homines. Videtur a caupone differre in eo, quod *caupo* viatoribus necessaria ad victum praebet: *stabularius* etiam tectum et lectum. *Ulp. Dig.* 47, 5, 1. *f.* Viatorem sibi eligere caupo, vel stabularius non videtur. *Sen. Ben.* 1, 14. Nemo se stabularii aut cauponis hospitem judicat. *Appul. Met.* 1. Sumo sarcinulam, et pretio mansionis stabulario persoluto, capessimus viam. *August. C. D.* 18, 18. Stabularias mulieres in caseo dare solere viatoribus, unde in jumenta illico verterentur. ℙ [*Stabularium*, *ii*, n. absolute, est locus, ubi jumenta stabulantur. *Colum.* 6, 23. *f.* Si pecora velut ex militari disciplina, intra stabularii castra manserint. *F.*]

STĂBŬLĀTĬO, onis, f. *ἐπισταθμευσις*, mansio in stabulo, seu locus, ubi animalia stabulantur. *Colum.* 6, 3. Itaque hibernae stabulationi boum praeparanda sunt stramenta.

[STĂBŬLĀTUS, a, um, part. a *stabulor*, qui stabulum praebet. *Paul. Nol. carm.* 18, 344. Ut bubus stabulata suis loca corpore fuso Pressa superjaceat, *h. e.* loca, in quibus boves ejus stabulari solebant. *F.*]

STĂBŬLO, as, a. 1. *σηκάζω*, in stabulum recipio. *Varr. R. R.* 1, 11. Danda opera, ut pabulo vendito alienum pecus in suo fundo pascat, et stabulet. ℙ Est etiam verbum neutrum idem significans quod *stabulor*, idest in stabulo degere, seu stationem habere. *Virg. A.* 6, 286. Centauri in foribus stabulant. *Stat. Th.* 1, 275. Geticoque pecus stabulare sub Haemo. Adde *ib.* 457. et *Virg. G.* 3, 224. et *A.* 6, 286.

[STĂBŬLO, onis, m. qui stabulat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 72. Jovi O. M. Cingl duo Stabulo et Aulus. *F.*]

STĂBŬLOR, aris, atus sum, dep. 1. *αὐλίζομαι*, in stabulo sum, dego, habito. *Ov. Met.* 13, 822. pecudes multae stabulantur in antris. *Varr. R. R.* 3, 3. *med.* Aviaria, in quibus stabulentur turdi ac pavones. *Colum.* 6, 12. Datur opera, ut bos sicce stabuletur. *Id.* 8, 16. *med.* Pisces, qui, quod in petris stabulentur, saxatiles dicti sunt. *Sil.* 3, 399. Tartessos stabulanti conscia Phoebo, *h. e.* occiduo, et equos ad stabulum disjunctos ducenti. *Gell.* 6, 3. Serpens in illis locis stabulans.

STĂBŬLUM, i, n. *αὔλιον, σταθμὸς*, locus, in quo jumenta et pecora, aliaeque bestiae degunt. *Virg. G.* 4, 433. Stabuli custos; et *ib.* 3, 184. de equo: et stabulo frenos audire sonantes; et *ib.* 295. stabulis in mollibus herbam Carpere oves; et *ib.* 302. de capris: Et stabula a ventis hiberno opponere soli. *Id. A.* 10, 723. Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans. *Id. ib.* 6, 179. Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum. *Id. G.* 4, 191. de apib.: Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt. Adde *ib.* 14. et *Colum.* 9, 6. *f.* *Id.* 8, 1. Stabula avium cohortalium; et *ib.* 11. Stabulum pavonum. *Id. ib.* 17. *med.* stabula vocat etiam vivaria piscium. ℙ Metonymice sunt ipsa armenta et greges. *Val. Fl.* 1, 682. cum stabulis et messibus ingens Ira Deum, et Calabri populator Sirius arvi Incubuit; et 6, 613. stabulis qualis leo saevit opimis. *Mart.* 8, 28. Tartessiacus stabuli nutritor Iberi Baetis, *h. e.* ovium Hispanarum. *Grat. Cyn.* 154. Mansueta stabula. ℙ Dicitur etiam de diversorio, ubi mercede excipiuntur viatores, *πανδοχεῖον*. Quid a caupona differat, V. in STABULARIUS. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. *med.* Caupones et stabularios eos aeque accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent. *Petr. Sat.* 6. et 8. Cum nec invenirem, quo loco stabulum reliquissem. *Mart.* 6, 94. Sic etiam in stabulo semper, sic coenat in agro. *Plin. ep.* 6, 19. *med.* Deforme arbitratus, honorem petituros urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo, quasi peregrinantes, habere. *Appul. Met.* 9. Hospitio proximi stabuli recepti, cognoscimus lepidam fabulam. *Spart. Septim. Sev.* 1. *f.* Dormienti in stabulo serpens caput cinxit. ℙ Et speciatim de lupanari, fornice, prostibulo, *πορνεῖον*. *Pl. Poen.* 1, 2, 53. An te ibi vis inter istas versarier prosedas, pistorum amicas, quae tibi olant stabulum statumque? *Cic. Phil.* 2, 18. Hujus in sedibus pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinae sunt. ℙ *Stabulum Nicomedis* ap. *Suet. Caes.* 49. per convicium dictus est C. Caesar, qui credebatur Nicomedi Bithyniae regi turpiter obsequutus. V. FORNIX Similiter convicia sunt illa ap. *Pl. Cas.* 2, 1, 22. Stabulum nequitiae; et *Truc.* 2, 7, 31. flagitii; et *Pers.* 3, 3, 13. servitutium. ℙ De pastoricia casa, tugurio, mapali. *Just.* 1, 4. *med.* Motus misericordia, puerum defert ad stabula. ℙ De quacumque dtatione, sede, habitatione, loco. *Sall. Jug.* 21. Queis cibus erat caro ferina, atque humi stabulum, uti pecoribus. Alii leg. *pabulum*. *Pl. Most.* 2, 1, 3. Occidit spes nostra: nusquam stabulum est confidentiae. *Id. Aul.* 2, 2, 55. Et te utar iniquiore, et meus me ordo irrideat: neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat.

STACHYS, yos, f. *στάχυς*, herba porri similitudinem habens, longioribus foliis, pluribusque, et odoris jucundi, colorisque in luteum inclinati. *Plin.* 24, 15, 86. [**Rosspolei.*] ℙ [Est etiam cogn. R. virile. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 599, 9. C. Julius Stachys. Alia ap. *Grut.* 241. *col.* 3. C. Baberius Stachys. *F.*]

[STACHYUS, a, um, adj. *σταχύινος*, spiceus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 121. *n.* IX. L. Arruntius Stachyus. Adde aliam ap. *Mur.* 982, 2. *F.*]

STACTĂ, ae, et Stacte, es, f. *στακτή*, oleum ex myrrha sudans: a *στάζω*, stillo. *Plin.* 12, 15, 35. Sudant sponte, prius quam incidantur, stacten dictam. *Lucr.* 2, 846. Sicut amaracini blandum, stactaeque liquorem. *Pl. Most.* 1, 3, 151. Vin' unguenta? *Ph.* Quid opus est? cum stacta accubo, *h. e.* cum muliere, quae ipsa suavior est stacta. Hinc vetula quaedam ita vinum alloquitur ap. *eund. Curc.* 1, 2, 6. Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa. *Colum.* 10, 173. Sed melior stacte ponatur Achaica myrrha. Alii leg. *stactis*, ut sit rectus casus, *stactis*, *is*, ab inus. *στακτίς*. *Plin.* 13, 1, 2. Myrrha et per se unguentum facit sine oleo, stacte dumtaxat. *Myrrham stacten*, et *stactam* conjungit etiam *Scrib. Comp.* 125. et 145.

[STACTON et Stactum, i, n. *στακτὸν*, ita appellatur collyrium, a *στακτὸς*, stillaticius, qui instillatur, cujus compositionem habes ap. *Scrib. Comp.* 34. Stacton, quod vocant ad eadem facit, etc. *Inscr.* ap. *Töchon, Cachets des ocul.* p. 56. L. Junii Philini stactum opobalsamatum ad claritatem. Alia ap. *eund. ib.* p. 63. Quintiliani stact. ad cla. *F.*]

[STACTUS, a, et e, um, adj. *στακτὸς*, stillaticius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1757, 9. L. Turselius Stactus. Alia ap. *Fea, Framm. de' Fast. cons.* p. 35. Tossia Stacta. Alia ap. *Fabrett.* p. 58. *n.* 330. Cassia Stacte. *F.*]

STACŬLĂ, ae, f. genus vitis. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. V. SIRCULA.

*STADĬA, ae, f. vetus nomen Cnidi, Cariae oppidi. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

STĂDĬĀLIS, e, adj. ad stadium pertinens. *Vet. Auct.* gromaticus ap. *Rigalt.* p. 298. et *Goes.* p. 321. Stadialis ager habet passus CXXV., id est pedes DCXXV. Cujus mensura octies computata milliarium facit, quod constat quinque millibus pedum.

[STĂDĬĀRĬUS, a, um, adj. ad stadium pertinens. *Not. Tir.* p. 174. Stadium, stadiārius, stadiodromus. *F.*]

STADĬATUS, a, um, adj. *σταδιαῖος*, qui habet stadium proximum, vel stadii longitudinem. *Vitr.* 5, 11. *med.* Extra autem (*palaestram*) disponantur porticus tres, una ex peristylio exeuntibus, duae dextra atque sinistra stadiales. *Philander* ita interpretatur: in quibus ceu tectis stadiis per hiemem coelo non sereno athletae exercerentur. Sed cum etiam milliariae seu milliarenses porticus essent, seu mille pedes longae, quidni et stadiatae seu stadiariae, h. e. pedes DCXXV. longae? Hinc etiam *Aelian. Var. Hist.* 9, 3. narrat, Perdiccam, et Craterum solitos fuisse circumferre secum in expeditionibus tentoria stadialia, in quibus se palaestra exercerentur.

*STADĬEUS, ei et eos, m. *Σταδιεύς*, insignis pictor, Atheniensis. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

STĂDĬODROMUS, i, m. *σταδιοδρόμος*, qui in stadio cursu certat, qui stadium percurrit. *Firm. Math.* 8, 8. Si Mars respexerit leporem coelestem in horoscopo, faciet stadiodromos. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. Qui fecit stadiodromon Astylon, qui Olympiae ostenditur. V. STADIARIUS.

*STADISIS, is, oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

STĂDĬUM, ii, n. *στάδιον*, curriculum, locus, in quo cursu et lucta certabant athletae, quod erat spatium sexcentorum viginti quinque pedum, sive centum et viginti quinque passuum, teste *Plin.* 2, 23, 21. et *Colum.* 5, 1., quae octava pars est milliarii, quippe quod mille constat passibus. *Cic. Off.* 3, 10. Qui stadium currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. *Id. Tusc.* 2, 23. *med.* Ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt. ℙ Stadium ab Hercule institutum tradunt, eumque pedibus suis metatum esse id stadium, quod erat Pisis apud Jovem Olympium, idque fecisse longum pedes sexcentos, ut *Gell.* 1, 1. tradit. Inde postea alia stadia in terris Graeciae ab aliis instituta sunt, quae similiter fuere pedum DC., sed tamen aliquanto breviora, propter differentiam magnitudinis pedis Herculani, et ceterorum hominum. Duo igitur fuere stadiorum genera, Italicum DCXXV. pedum, et Graecum seu Olympicum DC., quae tamen nihil inter se discrepare, quidam putant, quia pes Graecus semuncia Romanum excedit: et sexcentae semunciae constituunt pedes illos XXV., quibus Romanum Graeco stadio majus esse dicitur. His adde tertium ex *Censor. de die nat.* 13. mille pedes continens, h. e. passus CC., Pythicum dictum. ℙ Est etiam mensura cujuscumque spatii CXXV. passus continentis. *Cic. Fin.* 5, 1. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecimus. *Id. Acad.* 4, 31. *med.* Si ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta, *Plin.* 2, 21, 19. Pythagoras a terra ad lunam CXXVI. millia stadiorum esse collegit; et *ib.* 108, 112. Universum hunc circuitum CCLII. millium stadium prodidit; et 19, 3, 15. Per quatuor millia stadium: pro *stadiorum*. (Adde *Sall. fr.* ap. *Non.* 9, 1.) *Manil.* 3, 445. Sidera ut in stadiis oriantur quaeque, cadantque. ℙ Masc. gen. *Macr. Somn. Scip.* 1, 15. *med.* Ultra trecentos et sexaginta stadios longitudinem in se continere non poterit. ℙ Translate est quivis locus contentionis, studii, certaminis. *Auct. ad Her.* 4, 3. Ut in stadium artis rhetoricae prodere non audeant. *Prop.* 3, 20, 25. Illic vel stadiis animum emendare Platonis Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis. Alii leg. *spatiis*. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Cetera non possunt habere neque vim, neque venustatem, remoto illo stadio contentionis, quam *ἀγῶνα* vos appellatis. Plerique alii leg. *studio*. [*Ita *Orell.* nulla lectionis varietate indicata.]

STAGĪRĪTES, ae, m. *Σταγειρίτης*, qui est ex Stagira, seu Stagiris, *Στάγειρα*, urbe Macedoniae, prope sinum Strymonicum, ut Aristoteles Stagirites, *Cic. Acad.* 1, 4. *med.*, *Ammian.* 27, 4., *Plin.* 4, 10, 17. et *Val. Max.* 5, 6. *f.* ℙ *Stagerites* legitur ap. *Varr. R. R.* 2, 1. *in.* in ed. *Gesneri* et *Schneideri*, extrita nempe *ι*, altera ex duabus vocalibus diphthongi *ει*.

STAGMA et Stamma, ătis, n. *στάγμα*, stilla, gutta: et ipse humor stillans: vox Graeca a *στάζω*, stillo. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 907. Dum sanguis extra defluit scaturiens, Perfusa pulcher menta russo stagmate fert. Ita *Salmas.* ad *Lampr. Elagab.* 25. ex veterib. libr. Alii omnes leg. *stemmate*, quo significatur sanguis; eo enim fuso martyres vere nobilitantur.

STAGNANS, antis, part. a *stagno: λιμνάζων*, stagnum, aut paludem faciens. *Plin.* 31, 3, 21. Medici stagnantes pigrasque aquas merito damnant. *Id.* 5, 9, 10. Nilus originem habet in monte inferioris Mauritaniae, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem; et *Virg. G.* 4, 288. effuso stagnantem flumine Nilum. *Claud. Idyll.* 4, 38. de eod. Nilo: Effluit Aegaeo stagnantior, acrior alto Ionio, *h. e.* latior, effusior. *Lucan.* 4, 134. Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus Navigat Oceano. *Sil.* 5, 95. nec laeva, stagnantibus undis, Effugium patet. ℙ Item de locis, quae stagnantibus aquis opplentur. *Plin.* 2, 80, 82. Terrae motus fervens in humidis, fluctuans in stagnantibus. *Id.* 17, 26, 40. Stegnante solo uvas demetit. *Sil.* 10, 89. Stagnantes ripae. ℙ Hyperbole est in illo *ejusd.* 6, 36. stagnantem caede, et facilem discedere terram Ense fodit; et 12, 43. Dauni stagnantia regna Sanguine.

STAGNĀTĬLIS, e, adj. ut Stagnatiles pisces, *Plin. Val.* 5, 42.

*STAGNĀTOR, oris, m. *κασσιτεροουργὸς Gloss. Gr. Lat. γανωτὴς Id. B. A.*

STAGNĀTUS, a, um, adj. *λιμνασθεὶς*, aqua stagnante oppletus, paludosus. *Colum.* 10, 11. Nam neque sicca placet, nec quae stagnata palude. *Ov. Met.* 15, 269. stagnata paludibus hument. ℙ *Stagnatus*, stanno obductus: ut Stagnatum vas. *Plin. Val.* 1, 31. *med.* Mittes in stagnatum. *Id.* 3, 14. *med.* Omnia autem in oleo separatim calefacta in stagnato coques. V. STANNATUS. ℙ Translate, firmatus, munitus. *Veg. Vet.* 1, 18. *extr.* Trinis potionibus stagnata animalia, integro anno a morbo intacta servari. *Stat. Silv.* 3, 2, 109. Cur vada desidant, et ripa coerceat undas Cecropio stagnata luto.

STAGNENSIS, e, adj. ad stagnum aquae pertinens, stagnatilis. *August. enarrat. in Psalm.* 1, 103. *f.* Fulicas aves esse marinas, vel stagnenses novimus.

STAGNĔUS, a, um, adj. idem quod stanneus. *Pl. fr.* ap. *Fest.* in *Narita:* Muriaticam autem video in vasis stagneis, naritam bonam, etc. *Colum.* 12, 41. In cacabo figuli novo, vel in stagneo coquitur. *Ulp. Dig.* 48, 10, 9. Nummos stagneos, plumbeos emere. Ita *Torrent.*, alii *stanneos* legunt. *Pall.* 6, 7. Duabus angustis regulis stagneis, sicut forcipibus, ipsos nervos apprehendunt, qui Graece *χοιμαστῆρες*. (*Colum.* 6, 26., unde hausit *Pall.*, habet *ligneis.*) *Scrib. Comp.* 30. *extr.* Reponitur pyxide stagnea.

STAGNĪNUS, a, um, adj. ad stagnum aquae pertinens, ut Stagninus color perviridis, *Front. Aquaed.* 7., sed locus est lacunis interruptus, et dubia admodum lectio.

STAGNO, as, avi, atum, n. 1. *λιμνάζω*, stagnum, seu paludem facio: et dicitur de aquis, cum litora, aut ripas praetergressae, alicubi immotae considunt. *Plin.* 13, 11, 22. Papyrum nascitur in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatae stagnant. *Curt.* 8, 9. Ganges ubi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur; et 9, 2. *med.* Flumen quo latius fusum est, hoc placidius stagnat. V. alia in STAGNANS. ℙ *Stagnare* dicuntur etiam loca stagnantibus aquis oppleta. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 534. Nam moenia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis adverso aestu maris. *Ov. Met.* 1, 324. stagnat paludibus Orbis. V. STAGNANS

P Active pro inundare aquis stagnantibus. *Tac. A.* 1, 76. Continuis imbribus auctus Tiberis plana Urbis stagnaverat. P Significat etiam indurare, solidare, adstringere, firmare; fortasse e Graeco στεγνόω. *Just.* 36, 3. *med.* Mare mortuum neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur. P Et translate. *Id.* 37, 2. *med.* Mithridates ita se adversus insidias exquisitioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit, *h. e.* firmavit, munivit; et *Veg. Vet.* 3, 2. Boves stagnare adversus omnes aegritudines. P Part. *Stagnans.* V. s. 1.

STAGNOSUS, a, um, adj. aquis stagnantibus abundans. *Sil.* 6. 653. dum stagnosi spectat templumque domosque Literni. Sic *Id.* 532. stagnisque palustre Liternum. *Ammian.* 17, 13. Pleraque incrementis fluminum redundantia, stagnosa et referta salicibus. *Appul. Herb.* 8. Nascitur In stagnosis, vel umbrosis locis.

STAGNUM, i, n. λίμνη, aqua e mari aut flumine exundans et quiescens. *Festus:* Stagnum dici quidam putant, quod in eo aqua perpetuo stet. Alii, quod is locus a Graecis στεγνὸς dicitur, quia bene contineat aquam. *Varr. L. L.* 4, 5. Stagnum, quod Graece στεγνὸν, quod nomen habet primum. Hinc ad villas rotunda stagna, quod rotundum facillime continet: anguli maxime laborant. A lacu quomodo differat, V. in LACUS §. 1., tametsi poetae facile aliud ponunt pro alio. *Ov. Met.* 1, 38. Addidit et fontes, immensaque stagna, lacusque. *Cic. Prognost. Div.* 1, 9. de ranis: Absurdoque sono fontes, et stagna cietis. *Hor. Od.* 2, 15, 3. undique latius Extenta videntur Lucrino Stagna lacu. *Hirt. B. Afr.* 80. Stagnum salinarum. *Virg. A.* 6, 323. Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem. *Id. G.* 1, 383. volucres Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri; et *ib.* 4, 18. stagna virentia musco. *Id. A.* 11, 458. Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni. *Sil.* 4, 82. stagna vadoso turbari nescia fundo. *Stat. Silv.* 2, 2, 28. nulloque tumultu Stagna modesta jacent. *Id. ib.* 4, 4, 6. Stagnum navale, *h. e.* lacus ad naumachiam. P Poetae passim de mari usurpant. *Virg. A.* 1, 129. emissam hiemem sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis. Ubi *Serv.* Stagnum dicitur aqua stans: sed nunc profunda maris significat, ab eo quod non nisi nimia tempestate turbantur. *Id. ib.* 10, 765. medii per maxima Nerei Stagna. *Lucan.* 8, 853. rubri stagna profundi. *Ov. Fast.* 4, 278. Phrixeae stagna sororis, *h. e.* Hellespontus. *Sil.* 7, 282. Cuncta per et terras, et lati stagna profundi Condiderat somnus. P *Stagnum* pro *stannum* quidam dixere: unde *stagneus*, et *stagnatus.*

[STAGON, ōnis, f. σταγών, gutta. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 645. *n.* 388. Scutiae L. L. Stagoni L. Scutius P. F. fecit. *F.*]

STAGONIAS, ae, m. σταγονίας, dicitur a Graecis genus turis mammosum, cum haerente lacrima priore consecuta alia miscuit se: a στάζω, stilo. *Plin.* 12, 14, 32.

STAGONITIS, itis, f. σταγονῖτις, succus stillans resinae modo ex quadam ferula, qui et galbanum dicitur. *Plin.* 12, 25, 56.

[STAJANUS, a, um, adj. ad Stajum aliquem pertinens. Est cogn. Silvani a quodam Stajo, qui ei numini templum et aram fecit Beneventi. *Inscr.* ap. *De Vita Antiqu. Benev.* p. 4. *n.* 17. Silvano Stajano Felicitas pro filio Crescentino votum libens solvit. *F.*]

*STAILUCUS, i, oppidum vel vicus Pannoniae superioris. *Tab. Peut. B. A.*

STALAGMIAS, ae, m. 1. σταλαγμίας, stiria, seu gutta cujusdam succi stillantis, ex quo atramentum sutorium fit. *Plin.* 34, 12, 32.

STALAGMIUM, i, n. σταλάγμιον, inauris ex bacca pendula, oblonga: ita dictum, quia guttae aqueae pendentis (quae Graece σταλαγμὸς) similitudinem refert. *Festus:* Stalagmium genus inaurium videtur significare. Caecilius: Jam ex aure ejus stalagmium domi habeo. *Pl. Men.* 3, 3, 18. Inaures da mihi faciundas pondo duum nummum stalagmia.

STAMEN, inis, n. στήμων, Dorice στάμων, lanae pars longior, et nervosior, quae pectendo separata a breviore, netur in filum, quod validum et bene tortum, ordiendae telae principium est: cui subtemine transversim intertexto, tela fit: a voce Graeca allata: vel, si malis Latinae originis esse, a *stando*, quod eo stat omne in tela velamentum, ut ait *Varr. L. L.* 4, 23., vel potius quod qui stantes texebant, stamen suspensis ponderibus ad perpendiculum extendebant, ut ait *Sen. ep.* 90. med. et in RECTA, ae, dictum est. *Tibull.* 1, 3, 85. positaque lucerna Deducat plena stamina longa colo; et *ib.* 7, 84. Ducit inops tremula stamina torta manu. *Prop.* 1, 3, 41. stamine fallere somnum, *h. e.* nendo. *Ov. A. Am.* 1, 695. Rejice succinctos operoso stamine fusos. *Id. Her.* 3, 75. data pensa trahemus; Et minuent plenas stamina nostra colos; et *ib.* 9, 79. et *Met.* 12, 475. Stamina torquere digitis, aut pollice. *Sen. Herc. Oet.* 373. Udum stamen manu intorquere. *Claud. in Eutrop.* 1, 274. nere. *Ov. Met.* 4, 178. Stamina tenuissima; et *ib.* 4, 221. Levia versato ducentem stamina fuso; et *ib.* 6, 54. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis; et *ib.* 576. Stamina barbarica suspendit callida tela; et *ib.* 4, 275. radio stantis percurrens stamina telae. P Poetae saepe referunt ad Parcas, at vitam significant, aut sortem vitae. *Prop.* 4, 7, 51. Juro ego fatorum nulli revocabile stamen. *Tibull.* 1, 8, 1. Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes Stamina, non ulli dissoluenda Deo. *Ov. Trist.* 4, 1, 63. Hic quoque cognosco natalis stamina nostri: Stamina de nigro vellere facta mihi; et *ib.* 5, 13, 24. Non ita sunt fati stamina nigra mei. *Id. Ib.* 245. at Clotho jussit promissa valere, Nevit et infecta stamina pulla manu. *Lucan.* 6, 777. tristia Parcarum stamina; et 3, 19. rumpunt stamina Parcae, *h. e.* vitam adimunt. *Juven.* 10, 252. nimio de stamine queri, *h. e.* de vita nimis diuturna. Adde *Tibull.* 3, 3, 35., *Sil.* 1, 282., *Sen. Oed.* 981., *Juven.* 12, 65. et 14, 249., *Claud. B. Gild.* 203. etc. P De quocumque filo. *Prop.* 4, 4, 39. Prodita quid mirum fraterni cornua monstri, Cum patuit lecto stamine torta via? *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. Singula retium stamina centeno quinquageno filo constabant. P De filo araneae. *Ov. Met.* 6, 144. Cetera venter habet, de quo tamen illa remittit Stamina, et antiquas exercet aranea telas. Adde *Plin.* 11, 24, 28. P De fidibus. *Ov. Met.* 11, 170. tum stamina docto Pollice sollicitat. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 624. *Burm.* Musica contingens subtili stamina pulsu. P Per synecd. est vestis. *Claud. in Eutr.* 1, 304. et *Laud. Stil.* 2, 346. et *Rapt. Pros.* 2, 34. P Ap. *Prop.* 4, 9, 51. est infula aut vitta in capite sacerdotis. Adde *Sil.* 3, 25. P Per metaphoram fibrae in ligno, fila in herbis, et floribus recto ordine in longum protensa. *Plin.* 16, 38, 73. Quibusdam pulpa sine venis, mero stamine et tenui constat: haec maxime fissila. *Id.* 21, 5, 11. de lilio: Ita odor, colorque duplex, et alius calycis, alius staminis: *tenue filum* ante dixerat: Itali nunc *stame* vocant.

STAMINARIUS, a, um, adj. a stamine. *Staminariae* titulus est comoediae a Laberio compositae, quae intercidit. *Gell.* 16, 7. Laberius in Staminariis.

STAMINATUS, a, um, adj. stamine contextus, ut Staminatae vestes, ap. *Petr. fragm. Trag.* 41. *extr. Burm.*, sed locus est valde dubius, aliis alia legentibus.

STAMINEUS, a, um, adj. ad stamen pertinens. *Prop.* 3, 4, 26. Staminea rhombi ducitur illa rota, *h. e.* licio e filis varii coloris quadam religione et artificio circa rhombum contortis, quod habere credebatur in veneficiis vim maximam. *Id.* 2, 21, 35. Deficiunt magico torti sub carmine rhombi. *Lucan.* 6, 460. quos Traxerunt torti magica vertigine fili. *Ov. Fast.* 2, 575. Tum cantata ligat cum fusco licia rhombo. Adde *Am.* 1, 8, 7. et *Petr. Sat.* 131., quae omnia jam viderunt viri docti. Itaque *rota rhombi staminei* est rhombus licio implicitus, et rotatus. Quo pertinere videtur illud *Virg. Ecl.* 8, 73. Terna tibi haec primum triplici diversa colore Licia circumdo. P In lignis *stamineae venae* sunt fibrae rectae, et in longum ductae instar extensi staminis. *Plin.* 16, 43, 83. Magna et glutini ratio propter ea, quae sectilibus laminis, ac in alio genere operiuntur. Stamineam in hoc usu probant venam, et vocant feruleam.

[STANNATUS, a, um, adj. stanno obductus. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* In cacabo stannato coquuntur ad tertias. V. STAGNATUS. *F.*]

STANNEUS, a, um, adj. qui est e stanno. *Plin.* 29, 2, 10. et 30, 5, 12. Stannea pyxis; et *ib.* 7, 19. In stanneo vase decoquitur.

STANNUM, i, n. metalli genus, quod in fodinis invenitur cum argento, et in fornace primum liquescit. *Plin.* 34, 16, 47. Plumbi nigri origo duplex est. Aut enim sua provenit vena, nec quicquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mixtisque venis conflatur. Ejus, qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur; qui secundus, argentum; quod remansit in fornacibus, galena, quae portio est tertia addita venae. Haec rursus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus. *Id. ib.* 17 Stannum illitum aeneis vasis saporem gratiorem facit, et compescit aeruginis virus: mirumque, pondus non auget. Specula quoque ex eo laudatissima Brundisii temperabantur: donec argenteis uti coepere. *Id.* 33, 9, 45. Optima specula apud majores fuerant Brundisina, stanno et aere mixtis. De stanno loquitur etiam *Hieron. in Zach.* 1, 4, 10. et *Isid. Or.* 16, 22. docentes, mixta et adulterata metalla stanno per ignem dissociari; plumbum ab auro et argento secerni; ferrum et aes ab igne defendi, cerussamque ex eo, sicut ex plumbo, fieri. P Ex allatis *Plinii* locis constare quidam putant, stannum aliud fuisse metalli genus a cassitero seu plumbo albo: hoc autem nomine significari genus quoddam metalli, quod nobis ignotum est. Ceterum plures alii arbitrantur, unum idemque fuisse, et ab antiquis Romanis plumbum album fuisse appellatum, quia sonitu, mollitie et pondere plumbum imitatur, candore autem argentum simulat: recentiores vero Romanos stannum vocasse commune et vile illud metallum, quod ex plumbo, quandoque etiam ex aere conflatur; cassiteri nomen purissimo illi Graecorum et Britannorum stanno reliquisse. [*Cf. *Beemanni Beiträge z. Gesch. d. Erfindungen* 4, 330.]

STANS, antis, part. a *sto:* ἑστὰς, qui stat, rectus, erectus. *Cic. Brut.* 77. *f.* Qui ausi aliquando sunt stantes loqui. *Suet. Vesp.* 24. Imperatorem ait stantem mori oportere. *Hor. Sat.* 1, 4, 10. saepe ducentos versus dictabat stans pede in uno, *h. e.* perbrevi tempore. *Id. Od.* 1, 35, 14. Proruere stantem columnam. *Liv.* 32, 24. Romani et ruinas muri supervadebant, et scalas ad stantia moenia inferebant. *Ov. Fast.* 3, 819. stantes radio percurrere telas. V. RECTA, ae. *Plin.* 30, 14, 45. Ovorum perdicis putaminum cinis stantes mammas servat, *h. e.* ne flaccidae et deciduae fiant. P [*De *judice stante* haerent VV. DD. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 84, 289. ad stantem judicem dicant: cum *Manutio* ad *Fam.* 13, 10. intelligit judices leviorum causarum, quorum inter judices, qui vulgo dicuntur, aut proprie, nulla mentio. Nisi quis malit praetorem intelligere cum de plano respondet, aut arbitrum privatim sumptum.] P Translate. *Cic. Cat.* 2, 1. *med.* Quod incolumes cives, quod stantem urbem reliquit, quanto illum moerore afflictum putatis? P Item qui stat, et non movetur. *Prop.* 4, 6, 27. Phoebus linquens stantem se vindice Delon. *Hor. Od.* 3, 27, 9. Stantes paludes. *Ov. Met.* 4, 731. et *ib.* 7, 200. concussaque sisto, Stantia concutio cantu freta, *h. e.* tranquilla. *Id. Pont.* 4, 7, 8. tigido stantia vina gelu; et *Sen.* eod. sensu *Hipp.* 58. Stans Ister. P Item exstans, prominens. *Ov. Fast.* 6, 133. Grande caput, stantes oculi. *Prop.* 4, 5, 12. Stantia currenti diluerentur aqua, *h. e.* quaecumque exstant e terra, et erecta sunt, aquis obruerentur. [*Accuratius uberiusque de his loquemur in STO.]

STAPES, ĕdis, m. et Stapia, ae, et Stupeda, ae, f. ἀναβολεύς, instrumentum ab ephippiis dependens, quo pedes ascensuri insistimus, et equitantes insistimus. Voces sunt incertae admodum, vel potius nullius in Latina lingua auctoritatis. Nam quod *Salmas.* ad *Spart. Carac.* 7. scribit, *stapedes* usurpari ab *Hieron.*, cum locum non indicaverit, suspectus est: et quae pro *stapia* affertur ab aliis Inscriptio Romae, satis ostendit novitiae scriptionis esse.

STAPHIS, ĭdis, f. σταφίς, genus vitis, quae etiam astaphisagria, et Latinis pituitaria, et pediculari dicitur. *Plin.* 23, 1, 13. Astaphisagria, sive staphis, quam uvam taminiam aliqui vocant falso: suum enim genus habet: cauliculis nigris rectis, foliis labruscae, fert folliculos verius, quam acinos, virides, similes ciceri, in his nucleum triangulum. Maturescit cum vindemia, nigrescitque: cum taminiae rubentes norimus acinos, sciamusque illam in apricis nasci, hanc non nisi in opacis. *A Pall.* 1, 27. dicitur *staphis agria*, et Graece a *Cels.* 3, 21. *med.* σταφὶς ἀγρία. V. TAMINIA.

[STAPHYLE, es, f. σταφυλὴ, et σταφύλη, uva passa (seu pendens uvae racemus, item perpendiculum, seu libella fabrilis: ab ἵστημι, quod a στάω, sto. Hinc Itali ob formae similitudinem *staffile* nunc vocant corium, vel veretrum bubulum, quo sontes verberantur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 252, 5. Antonia Staphyle. *F.*]

STAPHYLINOS, i, m. σταφυλῖνος, genus pastinacae agreste, et erraticum, sponte proveniens. *Plin.* 19, 5, 27. et 25, 9, 64. P Est et species ejus sativa: de qua *Colum.* 9, 4. *med.* Tum agrestis pastinaca, et ejusdem nominis edomita, quam Graeci σταφυλῖνον vocant; et 10, 168. mollemque sinum staphylinus inumbret.

STAPHYLODENDRON, i, n. σταφυλόδενδρον, genus arboris, de quo ita *Plin.* 16, 16, 27. Est et trans Alpes arbor simillima aceri albo materia, quae vocatur staphylodendron, fert siliquas, et in iis nucleos sapore nucis avellanae.

STAPHYLOMA, ătis, n. σταφύλωμα, vitium oculi acino uvae simile. *Veg. Vet.* 2, 19.

[STAPHYLUS, i, m. filius Bacchi, et Ariadnes, seu potius Thesei et Ariadnes, utrumque enim tradit *Plutarch.* in *Theseo:* a σταφυλὴ, uva, uvae racemus. **Aristophanis* tamen *Scholiasta* in *Plutum* hunc non Bacchi filium, sed amicum appellat. *Probus*, enarrator *Virgilii*, non Staphylum a *staphyle*, sed *staphylen* a Staphylo dictum existimat. Sic enim in illud *Georg.* 1, 9. *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis:* Aetolus pastor Staphylus, quum Oenei capellas in pabulum duceret, notavit unam praecipue secedentem a grege, laetiorem caeteris, recipientem se serius in praesepia. Cujus rei ut causam cognosceret, secutus est eam clam. Et in remota stipite animadvertit uvam edentem pomum sibi incognitum: et sustulit, regique pertulit Oeneo. Qui expresso humore delectatus, quum eum vetustate cognosceret mitescere, Libero patri apposuit accepto a se hospitio. Cujus rei cultum quum demonstraret, Liber, ut perpetua inventorum esset gloria, constituit, ut ab Oeneo *oenos* appellaretur vinum, a Staphylo uva *staphyle.* Haec *Probus.* V. et *Apollod.* 1, 9. et *Schol.* ad *Apoll. Rhod.* 3, 997. P Staphylus, Sileni filius, primus vinum aqua misceri do-

cuit, teste *Plin.* 7, 37. ℙ Staphylus, historicus, Naucratites, memoratus *Plin.* 5, 31. V. *Voss. de hist. Graec.* 3, 416. *B. A.* ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1301, 6. A. Aquinius Staphylus. *F.*]

STAPĬA. V. STAPES.

*STASĒAS, ae, m. Στασέας, Neapolitanus, philosophus Peripateticus, multos annos Romae apud M. Pisonem vixit. *Cic. de Orat.* 1, 22. *extr.* et 23. *in.* Adde *de Fin.* 5, 3. et 25. *extr. B. A.*

STĂSĬASTES, ae, m. nomen fabulae *Accii*, ex qua fragmenta servavit *Non.* 1, 73., 4, 275. et 280. et 12, 26. Graece significat seditiosum: a στασιάζω, dissideo, factiosus sum.

[STĂSĬMĬĂNUS, a, um, adj. ad Stasimum aliquem, vel Stasimen aliquam pertinens. Est cogn. R. V. STASIMUS. *F.*]

[STĂSĬMUM, i, n. στάσιμον, ita vocatur in choris tragicis pars quaedam carminis: a στάσιμος, stabilis. *Mar. Victor.* 2, 2522. Hoc loco dicam, cur, cum sint duae periodi, seu stasima, ut quidam vocant, pari inter se conjugatione copulata, alterum vocetur anapaesticon, alterum dactylicon: et *mox:* Ut nominis mutatio diversitatem daret, hujusmodi stasimo, seu periodo, usus. *F.*]

[STĂSĬMUS, a, vel e, um, adj. στάσιμος, stativus, firmus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 44. *n.* 249. Q. Flavius Q. L. Stasimus. Alia ap. *eund.* p. 320. *n.* 428. L. Valerio Narcisso LL. Valerii Ursus et Stasimianus filii patri piissimo fecerunt, et Flavia T. F. Stasimo uxor. *F.*]

STĂTA Mater, Dea apud Romanos: eandem fuisse ac Vestam Matrem probat *Marin. Frat. Arv.* p. 379., utramque enim a *stando* ducunt. *Festus:* Statae Matris simulacrum in foro colebatur. Postquam id collustravit (*Scal.* legit *Coelius stravit*), ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisque vicos retulerunt ejus Deae cultum. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 297, 6., emendata ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 3. p. 108. Statae Matri Sac. Q. Coelius Q. L. Apollonides Mag. vici, etc. Adde alias ap. *Mur.* 33, 1. et 2., et 59, 8., *Amadut. Anecd. litt.* T. 1. p. 459. et *Marin. Frat. Arv.* p. 614.

STATĀNUM vinum inter generosiora enumeratur a *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 3., provenitque in Campania non longe a Falerno agro. Adde 23, 1, 21.

STATĀNUS, et Statulinus, seu Statilinus, i, m. Deus praeses puerilitatis: a *stando*, huic enim sacra fiebant, eum primum pueri stare, et ingredi inciperent. *Varr.* ap. *Non.* 12, 56. et *August. C. D.* 4, 21. V. STATINA.

STĂTĀRĬUS, a, um, adj. σταδιαῖος, qui stat, fixus, immotus. *Statarius labor* ap. *Sidon. ep.* 5, 17. *med.* est, quia stantibus, aut sedentibus fit. *Stataria retia* ap. *eund. ep.* 2, 2. *med.* sunt, quae ope suberinorum corticum in aqua diutius suspensa retinentur. *Statarius miles* ap. *Liv.* 9, 19. et 22, 18. est, qui in acie et pugna ordines servat, et pede immoto pugnat, neque loco pelli se patitur. *Stataria pugna*, et *congressio* ap. *Ammian.* 4, 2. et 20, 8. qua pede collato pugnatur, et immobili, σταδίη μάχη. Describitur a *Pl. Amph.* 1, 1, 83. In fugam se tamen nemo convortitur, nec recedit loco, quin statim rem gerat. Animam amittunt, priusquam loco demigrent. Quisque uti steterat, jacet, obtinetque ordinem. ℙ *Statarium prandium* ap. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 11. *extr.* quod a stantibus, et in procinctu capitur. ℙ *Statarius lixa* dicitur a *Pacat. Pan. Theodos.* 31. per convicium Maximus tyrannus, qui tempore Theodosii senioris imperium affectaverat: quasi non statarius et fortis miles, sed quasi lixa aut vilis cato semper in exercitu fuerit. *Armigerum lixam* eum vocat *Auson. de clar. urbib. n.* 7, 7. Etiam ap. *Liv.* 30, 28. *statarius semilixa*, ut quidem nonnulli legunt, dicitur per contemptum centurio quidam: quem locum videtur in mente habuisse *Pacatus.* Verum *Gronov. Observ.* 4, 7. lectionem mutat, et ex eod. *Liv*, 24, 48. *Statorius* reponit. V. SEMILIXA. ℙ *Stataria comoedia* dicitur, quae lenis est et tranquilla, neque affectibus aestuans: contra *motoria*, laboriosa, turbulenta, et a discursantibus personis ac tumultuantibus acta: ex quibus tertium genus exsistit, mixtum ex utroque actu. Ita docent *Calphurn.* in *prolegom. Heaut.* et ad ejusdem *prol.* 35, et *Donat.* in *Adelph. prol.* 24. et al. Qualis *stataria* sit, et *motoria* praeclare significat *Ter. Heaut. prol.* 35. Date potestatem, mihi Statariam agere ut liceat per silentium: Ne semper servus currens, iratus senex, Edax parasitus, sycophanta autem impudens, Avarus leno assidue agendi sint mihi Clamore summo, cum labore maxumo. ℙ Hinc translate. *Cic. Brut.* 30. *extr.* Volo enim, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta; et *ib.* 68. C. deinde Piso, statarius, et sermonis plenus orator, etc. [**Statarios oratores* explicat *Gronov.* in *Observv.* 4, 7. p. 389. *ed. Fr.*]

STĀTER, ēris, m. στατήρ, pondus: ab ἵστημι, appendo, pondero. Item peculiariter pondus quatuor drachmarum. Item moneta quatuor drachmas valens. Varii fuere stateres, variique valoris apud Hebraeos, Graecos, etc. De Hebraeorum argenteo *Hieron. in Math.* 3, 17, 26. Stater dicitur, qui duo habet didrachmata.

STĂTĒRA, ae, f. σταθμός, ζυγός, instrumentum, quo res sine lancibus ponderantur: ab ἵστημι, appendo, libro, pondero. Proprie differt a trutina, ut species a genere. Duae enim species trutinae, libra, quae binas habet lances; statera, quae scapo constat punctis distincto, quae pondera discriminant. *Vitr.* 10, 8. Id autem ex trutinis, quae staterae dicuntur, licet considerare. Cum enim ansa propius caput, unde lancula pendet, ubi ut centrum est collocata, et aequipondium in alteram partem scapi, per puncta vagando, quo longius, aut etiam ad extremum perducitur paulo, etiam pari pondere amplissimam pensionem parem perficit, per scapi librationem et examinationem longius a centro recedentem. *Stat. Silv.* 4, 9, 46. Sed certa velut aequus in statera, Nil mutas, sed idem mihi rependis. *Plin.* 31, 3, 23. Statera judicare de salubritate aquarum. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 178, 5. Imp. Diocletianus C. Aug. Pius Felix operibus in colle hoc excavato saxo quaesitam aquam jugi profluvio ex tofo hic scatentem invenit Marc*ia* salubriorem, Tiber*ina*, leviorem statera judicat*am*, etc. *Cic. fragm. pro Scaur.* ap. *Ascon.* Obsignare stateras. *Varr.* ap. *Non.* 6, 41. Statera auraria. ℙ Sumitur et pro libra. *Petr. Sat.* 35. Super Libram *(signum coeleste)* imposuerat stateram, in cujus altera parte scriblita erat, in altera placenta. *Suet. Vesp.* 25. Dicitur vidisse quondam per quietem stateram positam examine aequo, cum in altera lance Claudius et Nero starent, in altera ipse ac filii. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 38. Haec nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. ℙ A similitudine staterae vel librae, dictum est jugum, unde vincto fune, et alligata mula, currus trahebatur. In *Gloss. Philox.* dicitur ζυγός, quod et jugum, et stateram significat. *Stat. Silv.* 4, 3, 33. impeditum Tardabant iter orbitae tacentes, Dum pondus nimium querens, sub alta Repit languida quadrupes statera. ℙ Item vasa quaedam escaria, rotunda et concava, instar lancium librae. *Plin.* 33, 11, 52. ex *Corn. Nepote:* Tympana se juvene appellata stateras et lances, quas antiqui magidas appellaverant. ℙ Metonymice est rei pretium. *Plin.* 12, 26, 57. de succo panacis: Laudatur candor ejus coacti: sequens pallido statera. ℙ [*Confund. *statera* et *litera* et *cetera.* V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 211. a.]

STĂTĬCE, es, f. στατική, herba septem caulibus veluti rosae capita sustinens, quae vim habet sistendi alvum. *Plin.* 26, 8, 33. *n.* 7. [*Statice Armeria, *L.*]

STĂTĬCŬLUM, i, n. ἀγαλμάτιον, parva statua, sigillum vel potius parvus cippus seu stela, in qua inscriptio aliqua ornamenti causa collocatur: a stando. *Plin.* 34, 17, 48. Ad aurea quoque, non modo argentea staticula inanis luxuria pervenit. *Id.* 37, 10, 54. de achatis: Reddunt etiam species fluminum, nemorum, et jumentorum, etiam esseda, et staticula, et equorum ornamenta. Hinc *Tert. adv. Gnost.* 2. ex *Deuter.* 12, 3. Evertetis et comminuetis staticula eorum (*Deorum*), et excidetis lucos eorum, et sculptilia eorum Deorum concremabitis igni. *Id. ib. f.* ex *Levit.* 26, 1. Non facietis vobis manufacta, nec sculptile, nec staticulum statuetis vobis. Utrobique in textu Hebr. legitur מַצֵּבָה *mazebà*, quod cippum, columnam, stelam, in qua aliquid scribebatur, significat. *Vulgata* vero priori loco minus recte *statuas*, in altero recte habet *titulos*, quibus, ut ait *Hieron.* in *Osee* 2, 10, 2., singuli (*Dii*) suis appellantur nominibus. Ex his patet, staticula fuisse cippos seu stelas, quae ante sculptiles Deorum statuas collocatae inscriptionem cum eorundem nomine praeferebant. Simile prorsus dicendum de duobus *Plinii loc.* nuper citatis. [*Emendavit hunc locum *F.*]

STĂTĬCŬLUS, i, m. ὄρχημα, genus saltationis statariae, ὄρχημα στάσιμον, h. e. quod non discurrendo, sed exiguo corporis motu peragebatur. *Staticulos dare*, et *staticulum saltare*, est hujusmodi saltationem edere. *Macr. Sat.* 2, 10. *med.* M. Cato senatorem non ignobilem M. Coelium, spatiatorem et Fescenninum vocat, eumque staticulos dare his verbis ait: Descendit de cantherio: inde staticulos dare, ridicularia fundere. Et alibi in eundem: Praeterea cantat, ubi collibuit: interdum Graecos versus agit, jocos dicit, voces demutat, staticulos dat. *Pl. Pers.* 5, 2, 43. Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea faciebat. [Ita *Lambinus* et *Bothius*, alii, refragantibus MSS. et metro, leg. *saltem staticulum dem*, ita ut *saltem* non verbum, sed adverbium fuerit; quasi vere minime Latinum fuerit *staticulum saltare.* V. SALTO. *F.*]

[STATĬELLAS, atis, adj. omn. gen. et *F.*]

[STATĬELLENSIS, e, adj. ad Aquas Statiellas pertinens, Liguriae oppidum, nunc *Aqui*, inter Dertonam et Vada Sabatia, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Cardinal. Iscriz. Velit.* p. 171. *n.* 106. L. Vettio L. F. Optato Tro. (*Tromentina tribu*) Aquis Statiellis Evoc. Aug., etc. Hinc *Statiellas ager* ap. *Liv.* 42, 7. et *Statiellates*, *ium*, absolute ap. *eund. ib.* 8. et 21. sunt incolae illius oppidi. Et *Statiellenses*, *ium*, iidem ac Statiellates ap. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. *f.* Pridie Nonas Maji, ex castris, finibus Statiellensium. Vale. *F.*]

[STATĬELLI, orum, m. plur. incolae oppidi, quod Aquae Statiellae est appellatum. V. v. praec. *Plin.* 3, 5, 7. Vagienni, Statielli, Veliates (leg. *Vellejates*). *F.*]

STĂTĬLĪNUS. V. STATANUS.

*STATĬLĬUS, i, m. nomen proprium virorum R., v. g. L. Statilius, socius Catilinae, de quo *Cic. Catil.* 3, 3. *Sallust. B. Cat.* 17. ℙ L. Statilius Taurus, augur. *Cic. Att.* 12, 13. et 14. ℙ Statilius nomen histrionis non adeo boni. *Id. Rosc. Com.* 10. *B. A.*

STĂTIM, adv. ἱσταμένως, σταδιαίως, stando, firmiter, stabili pede, constanter, perseveranter: videtur esse ab adverb. στάδην, stando. [*Cur non a *stando?* — Discrimen inter adverbia nostro vocabulo synonyma indicat *Zumpt.* in *Gr. Lat.* §. 272. p. 247. sq.] *Pl. Amph.* 1, 1, 82. Fugam in se nemo convortitur, Nec recedit loco, quin statim rem gerat; et *ib.* 120. Ita statim stant signa. *Enn.* ap. *Non.* 4, 423. Qui res cum Achivis gesserunt statim. (Adde *Afran. ib.*) *Ter. Phorm.* 5, 3, 6. Ex his praediis talenta argenti bina statim capiebat, *h. e.* perpetuo, aequaliter singulis annis. *Accius* ap. *Charis.* 2, 195. Vectigalia legerant vestra, et servantur statim, *h. e.* statute, ordinate, inquit *Charisius.* ℙ Saepius est illico, protinus, e vestigio, nulla mora interposita, confestim, εὐθὺς, αὐτίκα, παραχρῆμα. *Caes. B. G.* 1, 53. *extr.* De se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur. *Sall. Jug.* 59. *f.* Postremos in agmine tentare, ac statim in colles regredi. *Cic. Hac. resp.* 1. *f.* Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est statim a P. Servilio confectus ac trucidatus. *Flor.* 2, 2. Statim, ac sine mora; et 2, 8. Statim, et e vestigio. *Mart.* 6, 30. Sex sestertia si statim dedisses. *Liv.* 3, 22. Principio anni statim res turbulentae. *Id.* 4, 53. Impigre primo statim adventu arcem recipit. *Tac. A.* 6, 3. Hoc pretium adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus. *Sen. Tranqu.* 11. *med.* Qui scit, hoc sibi, cum conciperetur, statim condictum, etc. *h. e.* jam inde a principio. ℙ Cum particulis *ut*, *ac*, *atque*, *cum*, *a* vel *ab*, *post*, *quam.* *Cic. Fam.* 2, 13. Meque ab eo diligi statim coeptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi. *Id. Att.* 2, 12. Litteras scripsi hora decima, statim ut tuas legeram. *Id. ib.* 12, 18. Ut heri me salutavit, statim Romam profectus est. *Id. ib.* 15, 12. Dicebat, se statim iturum, simul ac ludorum apparatum iis tradidisset. *Ulp. Dig.* 1, 16, 1. Proconsul ubique proconsularia insignia habet statim atque Urbem egressus est. *Pall.* 5, 3. Semen statim cum spargitur, obruendum est: et *mox:* Ocimum cito nasci dicitur, si, statim cum severis, aqua calida perfundas. *Colum.* 11, 1. *med.* Statim a prima luce. *Plin.* 18, 7, 18. A prima statim maturitate. *Id.* 16, 10, 18. Piceae rami paene statim ab radice modici. *Suet. Aug.* 83. Exercitationes campestres statim post civilia bella omisit. *Pall.* 3, 15. *f.* Statim post putationem. *Mart. Dig.* 1, 16, 2. Proconsules statim quam Urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem. *Ulp. ib.* 7, 9, 1. *med.* Quarum prior statim committitur, quam aliter fuerit usus. ℙ [*Notandus hujus particulae usus post participia absoluta, quo, ut Gr. ἐυθέως, ἔπειτα, inservit enotandis iis, quae quacunque ex causa magni momenti sunt. *Nep. Cim.* 2, 3. Namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit. V. *Brem.*] ℙ Pro recenter, modo. *Pall.* 1, 35. *f.* Ventriculus vervecis statim occisi. ℙ *Statim* pro firmiter primam producit: pro illico corripit, ut docet *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 5, 3, 7. et alii, Sunt tamen, qui producunt etiam pro illico: quos imitari non est opus. *Avien.* in *Arat.* 397. Tum succisa Ceres statim cum mergite culmi. *Alcim.* 2, 180. Quadam nos statim luituros morte reatum.

STĂTĪNA, ae, f. Dea, quae infantibus stare incipientibus praeerat. *Tert. Anim.* 39. Prima constitutio infantis super terram Statinae Deae sacrum est. V. STATANUS. ℙ *Stătīnae*, *arum*, aquae in Campania, in Pithecusa insula, quae subito terraemotu natae sunt. *Stat. Silv.* 3, 5, 104. Aenariaeque lacus medicos, Statinasque renatas. Similia habet *Plin.* 2, 88, 89.

STĀTĬO, onis, f. στάσις, actus standi seu consistendi: cui opponitur itio, motus. Unde ap. *Lucr.* 4, 389. et 396. et 5, 479. et 519. *manere in statione* est quiescere, non ire, non moveri. Et *statio terrae* ap. *Manil.* 2, 70. est ejus immobilitas. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 23. Solus immobilem stationis gradum retinens, *h. e.* statum locumque servans, quem occuparverat. ℙ *Stationem facere* ap. *Vitr.* 9, 4. *med.* et *Plin.* 2, 17, 15. dicitur sidus, cum stare videtur, nec progredi. Nam stellae, inquit *Plin.* 2, 16, 13., percussae, in qua diximus, parte (h. e. *cum distant a sole CXX. partibus*), et triangulo solis radio inhibentur rectum agere cursum, et ignea vi levantur in

sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideoque existimantur stare: unde et nomen accepit statio. *Id. ib.* 15, 12. alias esse ait stationes matutinas, alias vespertinas: de quibus consulantur astrologi. ℙ Commoratio, habitatio. *Cic. Att.* 6, 9. *extr.* Athenis statio mea nunc placet. *Ov. Fast.* 5, 719. de Cast. et Poll.: alterna fratrem statione redemit, [*i. e.* impetravit, ut, quoties ipse ad inferos descendisset, frater interea coelesti honore frueretur.] *Pall.* 1, 43. Aratra aurita, quibus possint, contra stationes humoris hiberni, sata celsiore sulco attolli, *h. e.* ubi humor diu moratur, nec defluit. ℙ Item positus, situs, *θεμεσιομός*. *Vitr.* 1, 2. ℙ Saepissime sumitur pro loco, ubi milites stant praesidii causa: et pro ipsis militibus: item pro ipsa custodia et praesidio, *ὑπόστημα, φυλακτήριον*. *Caes. B. G.* 6, 41. Quod cohortes ex statione et praesidio essent emissae. *Sall. fr.* ap. *Charis.* 2, 185. Noctu diuque stationes et vigilias tentare. *Liv.* 10, 32. *f.* Ad stationem Romanam, in porta segniter agentem vigilias perveniunt. *Id.* 5, 44. *f.* Ubi nox appetit, sine munimento, sine stationibus ac custodiis, passim ferarum ritu sternuntur. *Caes. B. C.* 1, 59. Longiore circuitu custodias stationesque equitum vitabant. *Id. B. G.* 5, 15. Impetu in eos facto, qui erant in statione pro castris collocati; et *ib.* 4, 32. Duas cohortes in stationem succedere jussit; et *ib.* 7, 69. Ibi castella viginti tria facta, in quibus interdiu stationes disponebantur, ne qua subito irruptio fieret. *Liv.* 3, 5. Vigiliae in urbe, stationes ante portas, praesidiaque in muris disposita. *Tac. A.* 14, 8. Anicetus villam statione circumdat; et *ib.* 13, 24. Statio cohortis adsidere ludis solita, demovetur; et *Suet. Tib.* 37. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. *Tac. H.* 1, 28. et 29. Stationem agere; et *A.* 13, 35. stationem, et vigilias inire. *Virg. A.* 9, 183. portam statione tenere. *Claud. in Ruf.* 2, 59. vigili muros statione tueri. *Virg. A.* 9, 222., *Suet. Aug.* 24. et *Stat. Th.* 11, 240. Stationem deserere, relinquere. [**Ov. Fast.* 5, 60. Et pro Diis aderant in statione suis: ubi *in statione esse* aut est, ut *Flor.* 1, 1, 15. de his ipsis juvenibus ait, ad subita belli excubare, aut latiore sensu bella gerere. Ita *Gierig.* ℙ Maxime significat *statio* milites, qui custodiae simul et honoris causa ante fores excubias agunt: *Leibwache. Suet. Tib.* 24. statione militum, hoc est vi et specie dominationis assumpta. *Ner.* 21. adjuvante vulgi preces etiam statione mil., quae tunc excubabat; et *ib.* 34. abducta militum et Germanorum statione (Praec. honore omni et potestate privavit); et *ib.* 47. ut comperit, stationem militum recessisse. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 734.] ℙ De ipsa vigilia, quae a militibus in statione agitur. *Petr. Sat.* 102. Unus nauta stationis perpetuae interdiu noctuque jacet in scapha. [**Suet. Oth.* 6. quod ejusdem (cohortis) statione et Cajus fuerit occisus.] ℙ Translate. *Cic. Sen.* 20. Vetat Pythagoras, injussu imperatoris, id est Dei, de praesidio et statione vitae decedere. *Vell.* 2, 124. Pugnans cum Caesare senatus, ut stationi paternae succederet, *h. e.* imperio. *Ov. Trist.* 2, 219. imperii statione relicta. *Auct. dial. de Or.* 17. Adjice sextam jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rempl. fovet, *h. e.* sextum annum imperii. *Vell.* 2, 131. Eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos. [Hinc *stationem* absolute pro *statione imperii* dixit *Antoninus Pius* inter *ep. Front.* ad *eund.* (ed. *A. Maio*) 6. Non difficile mihi persuasi, mi Fronto carissime, vel praecipue hunc diem, quo me suscipere hanc stationem placuit, a te potissimum vere religioseque celebrari. *F.*] (Adde *August.* in *ep* ap. *Gell.* 15, 7. *extr.*) *Juven.* 6, 272. Uberibus semper lacrimis, semperque paratis In statione sua. [**Plura* habes ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 141. sq. et ap. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 45.] *Ov. Met.* 1, 626. de oculis Argi: suis vicibus capiebant bina quietem: Cetera servabant, atque in statione manebant; et *ib.* 9, 33. Brachiaque opposui, tenuique a pectore varas In statione n. nus. ℙ Est etiam locus ubi otiosi in Urbe degunt, et variis sermonibus tempus terunt. *Plin. ep.* 1, 13. Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt. *Juven.* 11, 4. omnis Convictus, thermae, stationes, omne theatrum. Adde *Plin. ep.* 2, 9. et *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. ℙ De locis, ubi conveniebant de jure consulentes. *Gell.* 13, 13. Quaesitum esse memini in plerisque Romae stationibus jus publice docentium aut respondentium, an, etc. [**Suet. Ner.* 37. quod tabernas tres de domo sua circa Forum civitatibus ad stationem locasset, h. e. ad stationem legatorum, Romam missorum, ut ibi negotia sua tractarent. V. *intprr.* ad *Gell. l. l.* et *Gesner.* ad *Plin. ep* 1, 13, 2.] ℙ *Stationes municipiorum* ap. *Plin.* 16, 44, 86. (quas *P. Victor* fuisse dicit in regione Urbis octava, in foro) erant loca, ubi legati municipiorum et civitatium de suis negotiis agentes conveniebant: quae loca eis publice aliquando assignata sunt. Adde *Suet. Ner.* 37. ℙ *Stationes fiscales*, de quibus *Imp. Anton. Cod.* 4, 31, 1. et *Imp. Alex. ib.* 10, 5, 1. et *ib.* 8, 43, 2. et *Imppp. Valent., Valens et Grat. Cod. Theod.* 12, 6, 19., loca erant in provinciis, ubi degebant homines rebus fisci curandis praepositi: praerant enim hujusmodi homines rationibus hereditatum, et legatorum, quae a privatis principi relinquebantur. *Inscr.* ap. *Mur.* 525, 3. Si facta non fuerint, tunc fisco stationis annonae duplum funeraticium dare debebitis. Alia ap. *Grut.* 451, 3. L. Petronius Sabinus procurator Augg. stationis hereditatium. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 128, 1. M. Ulpius Cadmus Aug. Lib. princeps tabularius in statione XX. hereditatium. V. AUCTORITAS et EUPHRATES. ℙ De *stationibus agrariis* V. AGRARIUS. ℙ Praeterea in mari, et fluminibus statio est locus, ubi naves tuto possunt consistere, *ναύσταθμος, ναύλοχον*. *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. *med.* Stationem a statuendo dicimus: is igitur locus demonstratur, ubicumque naves tute stare possunt. *Servius* ad *A.* 2, 23. et ad *ib.* 10, 297. docet, *stationem* esse portum temporalem, *portum* stationem perpetuam. Vel dic, *portum* esse arte paratum navibus locum, *stationem* natura. *Caes. B. C.* 3, 6. Cerauniorum saxa inter, et alia loca periculosa quietam nactus stationem, et portus omnes timens, quos teneri ab adversariis arbitrabatur; et *ib.* 8. A Salonis ad Orici portum stationes litoraque omnia classibus occupavit. *Vell.* 2, 72. *f.* Tempestatem fugientibus statio pro portu est. *Virg. G.* 4, 421. Deprensis olim statio tutissima nautis. *Id. A.* 2, 23. malefida carinis. ℙ Translate. *Ov. Her.* 7, 89. Fluctibus ejectum tuta statione recepi. ℙ De stabulo jumentorum. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *f.* Domum ad stationem jumentorum locare. *Pall.* 1, 21. Plancae roboreae supponantur stationibus equorum. ℙ De loco, ubi morantur homines, jumenta, et vehicula cursui publico destinata: unde *stationarii. Inscr.* in lamina aerea ap. *Mur.* 1015, 1. et *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 421. De statione Caesaris Aug. tabellaris diplomarii, discede. V. DIPLOMARIUS. ℙ De quocumque loco apto ad manendum. *Ov. Fast.* 2, 673. Termine, post illud levitas tibi libera non est: Quod positus fueris in statione, mane. *Virg. G.* 4, 8. Principio sedes apibus statioque petenda. *Id. A.* 5, 128. apricis statio gratissima mergis. *Ov. Am.* 1, 7, 68. (et *A. Am.* 3, 434.) Pone recompositas in statione comas, *h. e.* capillos suo quemque loco apte come. *Petr. Sat.* 120. *med.* Expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis, Et permutata rerum statione rebellant, *h. e.* loco et statu, quem cuique rei natura assignavit. ℙ Denique apud Christianos veteres *stationes* fuere conventus, in quibus stantes, non genu flexo, orabant, quod diebus Dominicis, et Paschali tempore servatur adhuc. *Tert. Or.* 29. *med.* Dic stationis, nocte vigiliae meminerimus. *Id. adv. Psych.* 1. Arguunt nos, quod stationes plerumque in vesperam producamus. Adde *ib.* 10. et *ad Ux.* 2, 4.

STATIONALIS, e, adj. ad stationem pertinens. *Stationale sidus*, quod in statione est, ut diximus in v. praec. *Plin.* 2, 15, 12. Martis stella stationalis semis mensibus commoratur in Signis.

STATIONARIUS, a, um, adj. stationalis. *Stationarii milites*, qui in stationibus sunt custodiae et praesidii causa, ut in STATIO dictum est. *Ulp. Dig.* 11, 4, 1. *med.* Praesides, et magistratus, et milites stationarios dominum adjuvare debere in inquirendis fugitivis. *Paul. ib.* 4. Limenarchae, et stationarii fugitivos deprehensos recte in custodiam retinent. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. *f.* Praefectus Urbi debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem. V. *Inscr.* in V. SICILICUS. ℙ Item qui cursui publico inserviunt per intervalla dispositi, ut evectione utentibus equos, aut vehicula expediant. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 5, 1.

[**STATIORON*, i, n. herba al. chamaeleon. *Appul. de Herb.* 25. *Bail.*]

STATIUS, ii, m. *Gell.* 4, 20. *f.* Statius servile nomen fuit: (a *stando*) Plerique apud veteres servi eo nomine fuerunt. Caecilius quoque ille comoediarum poeta inclutus, servus fuit, et propterea nomen habuit Statius. Sed postea versum est quasi in cognomentum; appellatusque Caecilius Statius. Haec *Gell.* V. CAECILIUS, ii. ℙ [Fuit etiam praenomen R., ut St. Arruntius Florus in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 27. *n.* 120. V. alias ap. *eund. ib. n.* 121. 122. 123. etc. *F.*] ℙ Fuit etiam nomen propr. hominis ingenui, ut Q. Statius Q. F. Pom. Gallus in *Inscr.* ap. *Grut.* 470, 9. et L. Statius L. F. Quir. Valens ap. *eund.* 707, 7. ℙ Item cogn. P. Papinius Statius, poeta Latinus magni spiritus, patria Neapolitanus, Juvenalis et Martialis aequalis, floruit Domitiani temporibus: cujus postremo vitae anno mortem obiit: scripsit Silvas, in quibus eruditum se ostendit; Thebaidem, in qua sublimem; Achilleidos libros duos, opus imperfectum, in quo blandum. Extemporali pangendi carminis facultate, cujus non unum exemplum in Silvis reliquit, Domitiano carus fuit: a sublimitate vero carminis *Aquilinus* est dictus: tametsi alicubi audentior videtur, et inflatior. Pauperem fuisse, tragoediam quoque scripsisse, notat *Juven.* 7, 82. Curritur ad vocem jucundam, et carmen amicae Thebaidos, laetam fecit cum Statius urbem, Promisitque diem: tanta dulcedine captos Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi Auditur: sed cum fregit subsellia versu, Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven. Laudat etiam *Sidon. carm.* 9, 227. Non quod Papinius tuus meusque Inter Labdacios sonat furores, Aut cum forte pedum minore rhythmo Pingit gemmea prata silvularum. Adde in *prosa f. carm.* 22. et V. *Fabric. Biblioth. Lat.* 2, 16.

STATIVUS, a, um, adj. *στατὸς*, qui stat: ut *Stativa aqua*, quae non decurrit, *στατὸν ὕδωρ*. *Varr.* ap. *Non.* 3, 155. De stativis aquis, ut sunt lacus, et stagna, et putea, et maria. *Firm. Math.* 1, 2. *f.* Nunc directo cursu, nunc retrogrado, nunc stativa tarditate subsistunt. ℙ *Stativae feriae*, ut *Macr.* docet *Sat.* 1, 16., erant universi populi communes, certis et constitutis diebus ac mensibus, et in Fastis statis observationibus annotatae: in quibus praecipue servabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Eaedem et *statae* dictae. *Festus:* Feriae statae appellabantur, quod certo statutoque die observarentur. ℙ *Praesidium stativum* ap. *Cic. Phil.* 12, 10. et *Liv.* 41, 4. et 44, 40. sunt milites in statione positi praesidii causa. ℙ *Stativa castra*, castra diutius uno loco fixa, in quibus moratur exercitus quietis causa, aut donec rei gerendae occasio se offerat, *στάθμος*. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. Pulcherrimo Syracusarum luco stativa sibi castra faciebat. *Sall. Jug.* 48. Quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites in stativis castris habuit. *Caes. B. C.* 3, 30. Uterque eorum ex castris stativis exercitum educunt. *Tac. A.* 3, 21. *f.* Illigatus praeda stativis castris adhaerebat. ℙ Ea saepe absolute *stativa* dicta, praesertim a *Livio*, apud quem *stativa habere* est militem stativis castris tenere, 2, 52., 37, 33., 38, 15. *extr.* et *ib.* 40. et al. *Id.* 39, 30. Paucos dies quietis stativis manserunt. *Tac. H.* 1, 66. Lento agmine ductus exercitus, ipsa itinerum spatia, et stativorum mutationes venditante duce. ℙ De mora iter facientium, extra rem militarem. *Plin.* 6, 23, 26. Sed quia major pars itineris conficitur noctibus propter aestus, et stativis dies absumuntur, etc. ℙ In illo *Cic. Agr.* 2, 15. *extr.* Numquid causae est, quin omnes agros, urbes, stativa, portus, totam denique Bithyniam decemviri vendituri sint? *stativa* alii intelligunt stationes navium: alii stagna, aut lacus, aut paludes piscosas aquarum stativarum. ℙ *Stativae, arum*, f. plur. stativa. *Lampr. Alex. Sev.* 45. Deinde per ordinem mansiones, deinde stativae, deinde ubi annona esset accipienda. Sic in omnibus libris, teste *Casaub.* ℙ *Stativa lux* est, quam sterigmon (*στηριγμὸν*) Graeci vocant, sine cursu jugi, sed prolixa lux, stellaeque fluor et ignitus liquor: qui cum latius quatitur, cometes vocatur. *Appul. de Mundo med.*

STATONENSIS et Statoniensis, e, adj. ad Statoniam (*Στατωνίαν*) pertinens, oppidum Etruriae (quod a *Vitr.* 2, 7. *praefectura Statoniensis* vocatur, ubi nunc *Castro* est) inter Saturniam et Rosetum, cujus ager vino generoso nobilis. *Varr. R. R.* 3, 12. Statonensis ager. *Plin.* 2, 95, 96. et 36, 22, 49. Ager Statoniensis. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 5. Statoniensia vina. *Sen. Q. N.* 3, 25. *med.* Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi: alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Statoniensi. ℙ Populi *Statones* sunt *Plinio* 3, 5, 8., sed procul dubio *Statonienses* scribendum.

STATOR, oris, m. *στήσιος, ἐπιστάσιος*, qui stat opem laturus, adest, favet: vel qui sistit, et firmat. [*Hoc utique verius. V. *Gronovii observv.* 4, 15. p. 459. *ed. Fr.*] *Liv.* 1, 12. Tu pater Deum hominumque, deme terrorem Romanis, foedam fugam siste. Hic ego tibi templum Statori Jovi voveo. (Adde *August. C. D.* 3, 13.) *Sen. Ben.* 4, 7. Et Jovem illum optimum ac maximum rite dices, et tonantem, et statorem: qui non ut historici tradiderunt, ex eo quod, post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est. Ita etiam *statorem* pro eo qui stat, non sedet, accipitur ab *Hieron. in Jovin.* 1. *n.* 48. *f.* Quod si Deorum nomina vitae hominum praejudicant, offendet ergo Statorem Jovem, qui libenter sederit. *Inscr.* ap. *Grut.* 23, 3, 4. et 5. I. O. M. Statori. *Ov. Fast.* 6, 793. Tempus idem Stator aedis habet, quam Romulus olim Ante Palatini condidit ora jugi. *Plin.* 2, 53, 54. Inter Statores, ac Tonantes, et Feretrios, Elicium quoque accepimus Jovem. *Vell.* 2, 131. Auctor ac stator Romani nominis, Mars Gradive. Alii leg. *sator.* ℙ Fuere hoc nomine in provinciis ministri publici magistratuum, similes lictorum, viatorum, apparitorum, qui in postico praetorii stabant, praesto futuri jubenti magistratui, praecipue litteris et nuntiis perferendis. *Cic. Imp.* ad *Coel. Fam.* 2, 19. Existimavi esse faciendum, ut ad te statores meos et lictores cum litteris mitterem; et *ib.* 17 ad Canin. proquaest.: Litteras ad te mihi stator tuus reddidit Tarsi. Adde *Planc.* ad *Cic. ib.* 10, 21. et *Ulp. Dig.* 4, 6, 10. In veteribus Lapidibus ap. *Grut.* 1031, 3. et *Reines. cl.* 8. *n.* 4. habetur *stator praetorius.* In alio ap. *Grut.* 258, 8. memorantur *statorum evocati*, et *centuriae statorum*; et 600, 6. *stator Augustorum.* ℙ Ap. *eund.* 631, 3. legitur *Stator civitatis Viennen.* nempe servus publicus, accensus, seu viator, ut *Reines. cl.* 1. *n.* 19. docet. *Petr. Sat.* 126. Nisi aut servos viderint, aut statores altius cinctos. ℙ Hujusmodi ministros Alexander Severus (ut est ap. *Lampr. Alex. Sev.* 52.) sustulit: ex quo *Ulp. Dig.* 1, 16, 4. Nemo proconsulum statores suos habere potest: sed vice eorum milites ministerio in provinciis funguntur. ℙ Ap.

Auct. Priap. 53. custos horti *stator* dicitur, qui alibi *circitor*. V. h. v.

[STĀTORĪNUS, a, um, adj. ad statorem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1588, 13. Eutitia Statorina. *F.*]

[STĀTORĬUS, a, um, adj. ad statorem pertinens. Est nomen propr. serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 179, 6. Statorius Aniceti: sc. servus. ℙ Fuit et nomen gentilicium R. V. SEMILIXA. *F.*]

STĀTŪA, ae, f. *ἄγαλμα, ἀνδριάς*, signum, simulacrum ex aere, aliove metallo, lapide, aut ligno, imaginem referens cujuspiam, honoris et memoriae causa. *Pl. Curc.* 3, 69. Statuam vult dare auream solidam faciendam ex auro Philippeo, quae siet septempedalis, factis monumentum suis. *Id. Bacch.* 4, 4, 1. Hunc hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro. *Cic. Pis.* 38. *med.* Illi statuam istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suavissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt. *Enn.* ap. *Treb. Claud.* 7. de Scipione: Quantam statuam faciet populus R., quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur! *Cic. Phil.* 5, 15. Eique statuam equestrem inauratam in Rostris statui placere. *Id. Dom.* 30. *f.*, *Nep. Timoth.* 2. *f.* et *Phaedr. epil.* 2. Statuam alicui ponere. *Plin.* 33, 9, 46. et 34, 5, 11. alicui dicare. *Id.* 34, 6, 15. Statua donare aliquem. *Caes. B. C.* 3, 105. *extr.* In templo Victoriae, ubi Caesaris statuam consecraverant. *Nep. Chabr.* 1. Illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluit, quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. *Hor. Sat.* 2, 5, 39 seu rubra Canicula findet Infantes statuas. *Sall. or. de rep. ord.* 2, 9. *f.* Inertissumi nobiles, in quibus, sicut in statua, praeter nomen nihil est additamenti. ℙ De statuis multa, quod ad earum historiam pertinet, *Plin.* 34, 4, 5. et 6. Scribunt *Liv.* 40, 34. et *Val. Max.* 2, 5. *in.* et *Ammian.* 14, 6. pedestrem statuam auratam primam omnium in Italia positam fuisse patri suo a M'. Acilio Glabrione: equestrem itidem auratam primam L. Sullae, narrat *Cic. Phil.* 9, 6. *Cassiod.* vero *Var.* 7, 15. Has *(statuas)* primum Tusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas paene parem populum Urbi dedit, quam natura procreavit. ℙ *Statua* plerumque hominum effigiem; signum vero Deorum significat. V. SIGNUM et SIMULACRUM. ℙ *Statua* saepissime effigiem significat ex metallo (V. STATUARIUS.), sed quandoque etiam ex marmore, ut constat ex *Plin.* 36, 7, 11. Statuas ex eo *(ex marmore porphyrite Aegypti)* Claudio Caesari procurator ejus in Urbem ex Aegypto advexit Vitrasius Pollio; et *mox:* Memnonis statua. Haec a *Tac. A.* 2, 61. *saxea effigies* dicitur. ℙ *Statua verberea*, convicium in hominem elinguem, insulsum, fatuum, et verberonem. *Pl. Capt* 5, 1, 31. et *Ps.* 4, 1, 7. [*V. *Lindem.* ad Pl. l. prius l.] ℙ *Statua taciturnior*, proverb. de infacundo, elingui, infante. *Hor. Ep.* 2, 2, 83. ℙ Proverbii speciem habet et illud *Catulli* 81, 4. inaurata pallidior statua. Item illud *Petr. Sat.* 102. *med.* Juvenes adhuc laboris expertes, statuarum ritu patiemur pannos et vincula? *h. e.* immoto corpore statuarum modo diu manebimus pellibus involuti, vinculisque constricti? ℙ Statua M. Ludii fuit in regione Urbis octava in columna, teste *P. Victore.* De ea *Festus:* Statua est Ludii, ejus qui quondam fulmine ictus in Circo, sepultus est in Janiculo: cujus ossa postea, ex prodigiis oraculorumque responsis, senatus decreto intra Urbem relata, in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt: superque ea columna cum ipsius effigie posita est. ℙ *Statuai* pro *statuae* dixit more suo *Lucr.* 3, 78., ubi alii leg *statuarum.*

[STĀTŪĀLIS, is, m. qui statuas facit, idem ac statuarius. *Inscr.* ap. *Mur.* 937, 13. C. Aquilius (lege *Aquili N. F.)* Aciliani studioli statualis hic ossa condita sunt, *h. e.* statuarii, qui opus exercet in studiolo Aciliano. V. STUDIUM. *F.*]

STĀTŪĀRĬUS, a, um, adj. *ἀνδριαντοποιητικός*, ad statuas pertinens, quae ex metallis fiunt. *Plin.* 34, 7, 16. Fuisse statuariam artem familiarem Italiae quoque et vetustam, indicat Hercules ab Euandro dicatus; et *ib.* 9, 20. Aeris temperatura statuaria. *Id* 36, 5, 4. *n.* 11. Laocoon, opus omnibus et picturae, et statuariae artis praeponendum. ℙ *Statuarius* absolute, statuarum artifex, *ἀγαλματοποιός*. Differt a sculptore: hic enim est, qui scalpro opus quodcumque facit ex gemma, ex marmore, ex ligno, ex ebore; *statuarius* vero, qui statuas solummodo fusiles ex metallo. Nobilissimos statuariorum apud veteres *Quint.* 12, 10. *med.* et *Plin.* 34. *c* 7. et 8. recitant. *Id.* 36, 4, 5. *n.* 14. Invenio et Canachum, laudatum inter statuarios, fecisse marmorea. *Quint.* 2, 11. *med.* Si quaeram, quae sit materia statuarii, dicetur aes; si quaeram, quae sit excusoris, id est ejus fabricae, quam Graeci *χαλκευτικὴν* vocant, similiter aes esse respondeant. Atqui plurimum a statuis differunt vasa. Adde *ejusd. l. c.* in SCULPTURA. *Sen. ep.* 88. *med.* Statuarii, marmorarii et ceteri luxuriae ministri. *Hieron.* in *Isai.* 13, 46, 6. Quod aurum argentumque contulerint, et conducto statuario fecerint idola. ℙ *Statuaria* absolute, ars statuaria, *ἀνδριαντοποιητική*. *Plin.* 35, 12, 45. Praxiteles plasticen matrem statuariae, scalpturaeque, et caelaturae esse dixit. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 3. Non omittendum, hanc artem *(sculpturam)* tanto vetustiorem fuisse, quam picturam, aut statuariam, quarum utraque cum Phidia coepit LXXXIV. Olympiade.

STATŪLĪBER, i, m. et Statulibera, ae, f. est, inquit *Festus*, qui testamento certa conditione proposita, jubetur esse liber: et si per heredem stet, quo minus statuliber praestare possit, quod praestare debet, nihilominus liber esse videtur. *Paul. Dig.* 40. *tit.* 7. *qui est* De statuliberis, *l.* 1. Statuliber est, qui statutam et destinatam in tempus, vel in conditionem habet libertatem. *Ulp. Regular. tit.* 3. Qui sub conditione testamento liber esse jussus est, statuliber appellatur. *Id. Dig.* 40, 7, 6. Si statulibera poenae serva facta sit, etc. quamvis ipsi statuliberae nihil proficiat, etc.

STĀTŪLĪNUS. V. STATANUS.

[STĀTŪLĬUS, a, um, adj. qui stare potest. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 94, 6. L. Pompejus Statulius. *F.*]

STĀTŪMĀRĬA, ae, f. herba alio nomine proserpinaca, ap. *Appul. Herb.* 18., [quae ita videtur appellata a *statumino*, quia, ut ipse ait *ib.*, ad eos qui sanguinem rejiciunt, utilis est. *F.*]

STĀTŪMEN, inis, n. *στήριγμα*, quicquid ad rem statuendam et muniendam additur, quo ea stare possit. Hinc dicitur de palo, sive pedamento vitis, *χάραξ*. *Colum.* 4, 16. Vehementioribus statuminibus statim impedanda est. Adde *ib.* 2. ℙ Item de fixis stipitibus cujusdam machinae, qua jumenta clausa curantur. *Colum.* 6, 19. Primis autem duobus statuminibus imponitur firmum jugum, ad quod jumenta capistrantur. ℙ *Caesari* quoque statumina sunt, quae *Plinio* costae, hoc est arrectaria ligna, quae latera navis suppingunt. Inquit enim *B. C.* 1, 54. Carinae primum et statumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium, viminibus contextum, coriis integebatur. ℙ Usurpatur etiam pro strato eo, quod alicui rei substernitur. *Vitr.* 7, 1. Tunc insuper statuminetur, ne minore saxo, quam quod possit manum implere, statuminibus inductis ruderetur. *Plin.* 13, 12, 24. de charta facienda, *med.* Igitur e secundo corio statumina facta sunt; e primo subtegmina, *h. e.* primae philyrae, quae substernuntur, instar staminis in tela.

STĀTŪMĪNĀTIO, onis, f. munitio ea in pavimentis, quae fit lapidibus et caementis libralibus et manualibus, sine calce et arena, cui deinde ruderatio superinducitur, quae calce, arena, et rudere efficitur. *Vitr.* 7, 1. *med.* Statuminatione facta, rudus inducatur.

STĀTŪMĪNO, as, a. 1. *ἐρείδω, στηρίζω, χαρακόω*, statuminibus quibusdam sustineo, fulcio, firmo. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 21. Eodem modo vineam statuminato. *Id.* 18, 6, 8. *n.* 3. Ora autem earum *(fossarum)* binis utrinque lapidibus statuminari et alio superintegi. *Vitr.* 7, 1. Tum insuper statuminetur, ne minore saxo, quam quod possit manum implere.

STĀTŪNCŪLĀ, ae, f. *Petr. fragm. Trag.* 50. *Burm.* Ex hac massa fabri sustulerunt, et fecerunt catilla, paropsides, statunculas. Sunt qui leg. *statunculos:* quod agnoscitur etiam a *Donato edit.* 2, 1747.

STĀTŪO, is, tui, tutum, a. 3. *ἵστημι*, erigo, stare facio, constituo: et fere de his dicitur, quae ubi posueris, erecta stant. *Cic. Leg.* 2, 26. *extr.* Super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum. *Id. Verr.* 2, 2, 20. Syracusani statuam postea statuerunt. *Id. Inv.* 2, 23. Ut ii, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent. *Colum.* 4, 26. Pedamenta jacentia statuenda, declinata corrigenda. *Liv.* 21, 58. Nec explicare quidquam, nec statuere poterant; nec quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente. *Ov. Fast.* 3, 529. pro rigidis calamos statuere columnis. *Virg. A.* 1, 728. (et *ib.* 7, 147.) Crateras magnos statuunt, et vina coronant. *Id. ib.* 6, 380. Et statuent tumulum, et tumulo solemnia mittent; et *ib.* 9, 637. Et statuam ante aras aurata fronte juvencum. *Id. ib.* 2, 294. Statuere moenia. Sic *ib.* 1, 557. et *ib.* 4, 655. urbem. *Caes. B. C.* 1, 81. et *Nep. Eum.* 7. tabernaculum. *Hor. Od.* 2, 13, 10. et *Plin.* 17, 11, 16. arborem. *Id.* 36, 9, 14. *n.* obeliscum. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 19. pedamentum inter duas vites. *Val. Fl.* 1, 188. et *Ov. Met.* 7, 240. aras e caespite. *Nep. Milt.* 7. *med.* Incensis operibus, quae statuerat, Athenas rediit. *Pl. Ps.* 1, 5, 137. Disturba, quas statuisti, machinas. *Id. Pers.* 5, 1, 7. Statuite hic lectulos: ponite hic quae assolent. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 30. Quae regio orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur. *Auct. ad Her.* 3, 3. *med.* In omnibus jus aequabile statui convenit. *Just.* 18, 5. *med.* Statuere sedes alicubi; et 9, 5. Pacis legem universae Graeciae statuit. *Hor. Sat.* 2, 2, 129. Nam propriae telluris herum natura, neque illum, Nec me, nec quemquam statuit, *h. e.* perpetuum fecit. ℙ Est etiam universim pono, colloco, sisto, *τίθημι*. *Plin.* 7, 60, 60. Princeps Romanis solarium horologium statuit ad aedem Quirini L. Papirius Cursor. *Liv.* 1, 13. Ubi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit. *Val. Fl.* 3, 653. Jamque ratam Scythicis auster statuisset in oris. *Val. Max.* 3, 1. *n.* 2. *f.* Ipsum Marium si quis eo loci statuisset, etc. *Liv.* 21, 42. Captivos montanos vinctos in medio statuit. *Id.* 23, 16. Media porta robora legionum, duabus circa portis novos milites levemque armaturam statuit; et *Cic. Or.* 1, 57. *f.* Statuere aliquem ante oculos. *Pall.* 11, 22. vas in loco frigido sicco, quem nullus fumus infestet. *Ter. Ad.* 3, 2, 18. Sublimem medium arriperem, et capite pronum in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam. ℙ *Statuere exemplum*, edere. *Ter. Heaut. prol.* 51. Extemplum statuite in me, ut adolescentuli vobis placere studeant potius, quam sibi. *Pl. Rud.* 3, 2, 6. Statuite exemplum impudenti, date pudori praemium. [*V. *Gronov. Observv.* 4, 11. p. 427. sq. *ed. Fr.*] ℙ Aliquando est destituere. *Mart.* 4, 28. Nudam te statuet tuus Lupercus. V. GLABRARIA. ℙ Et sistere, *h. e.* immotum facere. *Prop.* 4, 9, 4. Et statuit fessos fessus et ipse boves. *Pl. Bacch.* 2, 3, 57. Navem extemplo statuimus: cum jam vident nos stare, occeperunt ratem turbare in portu. *Arnob.* 1, 30. Famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas, et a pernicie corporum suos labi jussere per tramites. [*Cf. *Gron. Observv.* 4, 26. p. 539. *ed. Fr.*] ℙ Translate est fixum in animo habere, sentire, putare, pro certo habere, censere, judicare, prorsus existimare. *Cic. Or.* 2, 28. Sine ulla dubitatione sic statuo et judico, neminem tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. *Id. Mur.* 14. *f.* Cum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video. *Id. Quint.* 24. Quid, si tu ipse, Sex. Naevi, statuisti, bona P. Quintii ex edicto possessa non esse? *Id. Fam.* 5, 13. Quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere; et *Att.* 1, 5. Qui in te satis consilii statuerim esse. *Id. Off.* 1, 2. Temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. *Sall. in or. ad Caes.* 2, 6. Sic apud animum meum statuo, malum facinus in se committere, qui incommodo reipubl. gratiam sibi conciliet. *Liv.* 6, 39. *f.* Proinde ipsi primum statuerent apud animos, quid vellent; deinde comitiis tribuniciis declararent voluntatem. *Id.* 34, 2. Vix statuere apud animum meum possum, utrum pejor ipsa res, an pejore exemplo agatur. Adde *Cic. Or.* 3, 22. *Catull.* 68, 37. nolim statuas, nos mente maligna Id facere, *h. e.* credas, persuasum habeas. ℙ Item decerno, sancio, constituo, delibero. *Caes. B. C.* 3, 86. Pompejus suorum omnium hortatu statuerat proelio decertare. *Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ut consules de Caesaris actis cognoscerent, statuerent, judicarent. *Id. Att.* 4, 2. *med.* Pontifices de religione statuisse, in senatu de lege staturos. *Nep. Amilc.* 1. Carthaginienses statuerunt belli finem facere. *Tac. A.* 6, 18. In Pompejam Sabinam exsilium statuitur; et *ib.* 16, 4. Pro magnitudine delicti poenam statui par esse. *Id. ib.* 13, 28. Statutumque quantum aediles curules poenae irrogarent. *Nep. Eum.* 11. Nondum enim statuerat, servaret eum, necne. *Caes. B. G.* 1, 11. Non exspectandum sibi statuit, dum, etc. et *ib.* 7, 21. Statuunt, ut decem millia hominum in oppidum submittantur. *Ov Met.* 4, 81. statuunt, ut custodes fallere tentent. *Cic. Phil.* 2, 38. Statuitur, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. *Val. Fl.* 2, 566. Statuere alicui munera, *h. e.* dare, decernere. [*Suet. *Tib.* 13. Nihil super ea re statuere.] ℙ *Statuere de aliquo*, saepe refertur ad judicem, aut magistratum poenam decernentem. *Sall. Cat.* 56. Cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae decernere. *Caes. B. G.* 1, 19. *extr.* Petit, ut vel ipse de eo, causa cognita, statuat, vel civitatem statuere jubeat; et *ib.* 20. Obsecrare coepit, ne quid gravius in fratrem statueret. *Tac. A.* 2, 85. Satis visum de Vistilia statuere: eaque in insulam Seriphon abdita est. *Cic. Or.* 10. Consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas. *Just.* 2, 15. Crudeliter statuere in aliquem. *Ov. Pont.* 2, 2, 119. de Augusto: Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse: Cuique fere poenam sumere poena sua est. ℙ *Statuere de se*, in se poenas sumere, sibi ipsi vim et mortem inferre, non exspectata judicum, aut principis damnatione. *Tac. A.* 6, 29. Damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta. ℙ *Statuere res privatas* ap. *Ov. Trist.* 2, 95. est judicare, disceptare: ferendis sententiis privatas lites judicis munere cognoscere et componere. ℙ Est etiam praefinire, praescribere, constituere, assignare. *Cic. Fam.* 6, 22. Cum consilii tui eum tibi finem statueris, quem, etc. *Ter. Hec.* 1, 2, 21. Haud opinor commode finem statuisse orationi militem. *Hor. Sat.* 1, 2, 111. Natura statuit modum cupidinibus. *Sall. Cat.* 37. Senatus ceterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere. *Tac. A.* 3, 13. Statuitur biduum criminibus objiciendis. *Liv.* 28, 35. Tempus locumque colloquio statuere. *Id.* 21, 44. Neque eos, quos statuit, terminos observat. *Ter. Hec. prol.* 2,

41. Nunquam avare pretium statui arti meae. *Plin.* 14, 4, 6. In singulas amphoras centenos nummos statuere. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Nimium magnam mercedem statuis. *Ov. Pont.* 2, 7, 25. Cinyphiae segetis citius numerabis aristas, etc. Quam tibi nostrorum statuatur summa malorum. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Quantum tuo judicio tribuendum esse nobis putes, statues ipse. ℙ [*Confund. *statuere* et *tueri*. V. *intpp.* ad *Cic. Sull.* 22. p. 131. *ed. Fr.*]

STĀTŪRA, ae, f. *μέγεθος*, status, seu modus, seu quantitas corporis stantis. *Cic. Phil.* 2, 16. *f.* Velim, mihi dicas, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura. *Auct. ad Her.* 4, 47. Forma, et specie, et statura esse apposita ad dignitatem; et *ib.* 33. *f.* Parva statura. *Colum.* 3, 8. Natura Germaniam decoravit altissimorum hominum exercitibus: sed et alias gentes non in totum fraudavit praecipuae staturae viris. *Id.* 6, 24. *f.* Altinae vaccae sunt humilis staturae. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6. Quadratae veterum staturae. V. QUADRATUS. *Pl. As.* 2, 3, 21. Statura commoda. *Id. Poen.* 5, 2, 152. haud magna. *Suet. Tib.* 68. Corpore fuit amplo, statura, quae justam excederet; et *Caes. B. G.* 6, 20. Hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 3, 236. ℙ Translate. *Colum.* 5, 5. de arbor: Producat in tantam staturam, quantam permittit agricola, *h. e.* crassitudinem, et altitudinem.

STĀTUS, a, um, part. a *sisto:* exhibitus. *Ner. Dig.* 2, 11, 14. Si procurator ita stipulatus, ut sistat dumtaxat eum, quem stipularetur, non etiam poenam, si status non esset, etc. et *mox:* Tantum ex ea stipulatione, non stato reo, procuratori debeatur. *Ulp. ib.* 9, 1. Si desinat servus esse promissoris, non videri in eadem causa statum. ℙ Item constitutus, condictus, *τεταγμένος*. *Festus:* Status dies vocatur, qui judicii causa est constitutus cum peregrino: ejus enim generis ab antiquis hostes appellabantur, quod erant pari jure cum populo R., atque hostire ponebatur pro aequare. Plautus in Curculione (1, 1, 5.) Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum, quo imperant (Venus, Cupidoque) ingratiis. *Cic. Off.* 1, 12. Indicant duodecim Tabulae: Aut status dies cum hoste. ℙ Item certo et definito tempore aut die recurrens, fixus, stabilis, (de quibus V. STATIVUS.) *stata sacra*, quae certo anni tempore fiunt, neque transferuntur: quibus opponuntur conceptivae et imperativae, quae incertam sedem habent. *Cic. Har. resp.* 9. Statas solemnesque caeremonias pontificatu contineri. *Id. Tusc.* 1, 47. Solemne et statum sacrificium. *Liv.* 27, 23. Ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. *Ov. Fast.* 2, 527. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit. *Plin.* 9, 23, 39. Muraena quocumque mense parit, cum ceteri pisces stato pariant. *Id.* 11, 37, 65. Stato tempore id evenit. *Id.* 28, 8, 28. Statas febres arcere. *Id.* 18, 29, 69. *n.* 5. Stati siderum cursus. *Ov. Fast.* 1, 310. Ponemusque suos ad stata signa dies. *Sen. Ben.* 4, 28. et *Lucan.* 10, 210. Stati ventorum flatus. *Tac. H.* 4, 81. Statos aestivis flatibus dies, et certa maris opperiebatur. *Plin.* 7, 49, 50. Stata vitae spatia a stellis accipi. *Plin. alter ep.* 4, 30. Fons ter in die statis auctibus ac diminutionibus crescit, decrescitque. *Id. ep.* 3, 19. Agri reditum sicut modicum, ita statum praestant. *Tac. H.* 3, 30. Magna pars Italiae stato in eosdem dies mercatu congregata. *Censor. de die nat.* 8. Stellae tam vagae, quam statae. ℙ *Status* et *statutus* differunt: *status* est, qui certo et definito tempore recurrit, ut dictum est: *statutus*, qui tempore certo quidem, sed indicto. Quare melius *statutus*, quam *status* legitur in illo *Livii* 24, 27. Statutus est comitiis dies, quo, etc. Item in illo 29, 13. Tres in anno statutos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. Sed in MSS. hae duae voces saepe commutantur, ut viri docti in *Livio l. c.* observarunt. Immo *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* dixit *statutos dies* pro *statos;* et *Val. Fl.* 2, 488. nostrae stata dona salutis Adnue, *h. e.* statuta, pacta, promissa. ℙ *Stata forma*, media inter pulcherrimam et deformissimam. *Gell.* 5, 11. *f.* Inter pulcherrimam feminam et deformissimam media quaedam forma est, quae et a nimiae pulcritudinis periculo, et a summae deformitatis odio vacat: qualis a Q. Ennio in Mellanippa perquam eleganti vocabulo stata dicitur: quae neque *κοινὴ* futura sit, neque *ποινή*. Quam formam modicam et modestam Favorinus non mehercle inscite appellabat uxoriam. Ennius autem in ista, quam dixi, tragoedia eas fere feminas ait incolumi pudicitia esse, quae stata forma forent.

STĀTUS, us, m. *στάσις*, actus standi: cui *motus* opponitur. *Lucr.* 3, 293. Est etiam quoque pacati status aeris ille. *Pl. Poen.* 1, 2, 53. An te ibi vis inter istas versarier servulicolas sordidas, quae tibi olant stabulum statumque, sellam et sessibulum merum? *Cic. Fin.* 3, 17. Habitus oris et vultus, status, motus. *Id. Off.* 1, 35. *med.* Status, incessus, sessio, accubatio teneant illud decorum. ℙ Item actus standi: cui opponitur sessio, aut jacendi actus. *Id. Or.* 18. *med.* Status erectus et celsus. *Gell.* 2, 1. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu, perdius atque pernox, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis. ℙ Item statura, magnitudo corporis. *Colum.* 1, 9. Longissimum quemque, aratorem faciemus: mediastinus qualiscumque status potest esse. *Id.* 8, 2. *med.* In gallinaceis maribus status altior quaeritur. *Id.* 7, 9. Scrofae probantur longissimi status; et *ib.* 12. *med.* Pecuarii canis status longior productiorque ad hos casus magis habilis est. *Pall.* 3, 25. *med.* Plantae cydoniorum majoris status. ℙ Item habitus quicumque et positio corporis. *Nep. Chabr.* 1. *f.* Illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluit. Ex quo factum est, ut postea athletae his statibus in statuis ponendis uterentur. *Pl. Amph.* 1, 1, 110. Quoniam formam cepi hujus in me et statum, decet et facta et mores hujus habere me similes. *Ter. Eun.* 3, 5, 49. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem, qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum. Ubi *Donatus:* Statura corpori adscribitur, status ad habitum refertur. Ergo status est *σχῆμα*, statura longitudo corporis. ℙ De statu pugnantium. *Petr. Sat.* 95. *f.* Alius, furca de carnario rapta, statum proeliantis componit. Sic *Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. Manlius scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit; et *Liv.* 30, 18. Turbare ac statu movere hostem, *h. e.* gradu movere. *Hor. Od.* 3, 4, 51. quid minaci Porphyrion statu Contra sonantem Palladis aegida Posset? *Pl. Mil.* 4, 9, 12. In statu stat senex, ut adoriatur moechum, *h. e.* se composuit ad adoriendum, instar gladiatoris pugnaturi. Unde translate ad pugnas forenses, *Cic. Or.* 37. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus; sed magno semper usi impetu, saepe adversarios de statu omni dejecimus. ℙ A rhetoribus *status* dicitur quaestio, quae ex prima causarum conflictione nascitur: v. gr. *Occidisti hominem: non occidi.* Ex hac conflictione nascitur status, *occiderisne hominem,* quia in eo tota causa stat et consistit. V. *Quint.* 3, 6., *Cic. Top.* 25., *Part.* 29. item *Inv.* 1, 8., ubi *constitutionem* appellat, ut etiam *Auct. ad Her.* 1, 11. V. CONSTITUTIO. ℙ Translate ponitur frequentissime pro modo, quo quaeque res stat, conditione, qualitate fortunae, loco, ordine. *Cic. Att.* 4, 2. Tibi declaravi, adventus noster qualis fuisset, et quis esset status, atque omnes res nostrae quemadmodum essent, ut in secundis fluxae, ut in adversis, bonae. *Id. Har. resp.* 28. Hunc statum, qui nunc est, qualiscumque est, nulla alia re, nisi concordia, retinere possumus. *Sen. Ag.* 308. Secede mecum, ut rerum statum dubium ac minacem juncta consilia explicent. *Ov. Trist.* 5, 1, 5. Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen. *Liv.* 24, 28. Nullius civitatis statum fortunatiorem beatioremve fore. *Sex. Aur. Epit.* 13. Perdito atque profligato statu R., in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus *(Trojanus). Cic. Sull.* 11. *f.* Ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, etc. quinque hominum perditorum poena redemi; et *ib.* 22. Status reipublicae maxime judicatis rebus continetur; et *Fam.* 6, 1. Suum statum tenere. *Id. ib.* 4, 1. Aliquid de pristino statu retinere. *Id. Balb.* 7. Quo quisque loco natus est, hunc vitae statum usque ad senectutem obtinere debet. *Id. Verr.* 1, 4. *f.* Restituere aliquid in pristinum statum. *Id. Pis.* 28. Ut meliore simus loco, ne optandum quidem est: deteriore statu ut simus, unus est inferior gradus, aut interitus, aut servitutis. *Liv.* 26, 5. et 32, 11. Cum in hoc statu res esset. *Id.* 3, 68. Privatae res vestrae in quo statu sunt? Alii omitt. *in. Id.* 22, 22. Hoc statu rerum in Hispania, P. Scipio in provinciam venit; et *ib.* Eum in secretum abductum monet, quo statu sit res. *Cic. Par.* 2. *med.* Consecutus sum, ut eo statu essem, quem, etc. *Brut.* ad *Brut. et Cass. Fam.* 11, 1. Quo in statu simus, cognoscite. *Cic. N. D.* 1, 12. Nihil semper suo statu manet. *Id. Univ.* 13. Constanter in suo statu manere; et *Off.* 2, 1. *med.* Utinam respublica stetisset, quo coeperat, statu! et *ib.* 1, 20. *med.* Acerba ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas. *Id. Cluent.* 38. Declinare de suo statu. *Id. Att.* 8, 15. Convellere aliquem de pristino statu. *Id. Verr.* 2, 2, 4. Fecerunt, ut me prope de vitae meae statu, dolore ac lacrimis deducerent; et *Att.* 1, 20. *med.* Neque de statu nobis nostrae dignitatis est recedendum. *Id. ib.* 3, 10. Ex amplo statu concidere. *Id. Pis.* 2. Convellere statum reipublicae. *Auct. ad Her.* 4, 16. Collocare aliquem in amplissimo statu. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *f.* Si vicerimus, tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum. [*Caes. *B. G.* 7, 6. Quum jam ille urbanas res virtute Cn. Pompeji commodiorem in statum pervenisse intelligeret.] *Tac.* in plur. num. *A.* 3, 28. *f.* Multorum excisi status: et terror omnibus intentabatur. [*Vell. 2, 72, 5. Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus: ubi v. *Ruhnk.* et 2, 2, 3. Omnium statum concutientibus, i. e. fortunas omnium. Vexatissimus locus est, cujus hanc lectionem primus dedit *Lips.* quem secutus etiam *Ruhnk.* Cf. *Böttich. Lex. Tac.* p. 442.] ℙ *Status mentis*, sanitas, constitutio, ratio. *Cic. Par.* 1. *extr.* Voluptas mentem e sua sede et statu dimovet. *Sen. Troad.* 1047. Qui status mentis miseris, ubi omnis terra decrescet, pelagusque crescet. *Sen. alter ep.* 81. *med.* Res magna, et ex beatissimo animi statu profecta. ℙ *Status hominum* ap. JCtos duplex est, vel enim liberi sunt, vel servi, ut ait *Cajus Dig.* 1. *tit.* 5. (qui *De statu hominum* inscribitur) *l.* 3. ℙ *Status aetatis* ap. eosd. est aetas XXV. annorum. *Papin. ib.* 31, 1, 79. *med.* Quamquam testamento cautum esset, ut cum ad statum suum frater pervenisset, ei demum solveretur. Adde *Imp. Alexandr. Cod.* 6, 53, 5. ℙ *Status mundi, coeli, aeris*, ratio, qualitas. *Cic. Or.* 3, 45. *med.* Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus, hunc statum esse hujus totius mundi atque naturae, rotundum ut coelum, terraque ut media sit, sol ut circum feratur, etc. *Id. Div.* 2, 44. Eadem omnibus, qui eodem statu coeli et stellarum nati sunt, accidere necesse est. *Liv.* 37, 12. *extr.* Non exspectato solis ortu, ex quo statum coeli notare gubernatores possent. *Colum.* 11, 2. *f.* Prid. Id. Januar. incertus status coeli. *Id.* 2, 10. *f.* Pluvius coeli status. *Sen. Oed.* 1054. mitior coeli status. ℙ *Fulmen status* dicitur a *Sen. Q. N.* 2, 39., ubi quietis, nec agentibus quidquam, nec cogitantibus quidem fulmen intervenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet. ℙ In plur. num. *Pl. Mil.* 2, 2, 51. Concrepuit digitis, laborat, crebro commutat status, *h. e.* corporis positiones. Adde *Tac. A.* 3, 28. *f.*

STĀTŪTĬO, onis, f. *στάσις*, actus statuendi, erigendi, erectum collocandi. *Vitr.* 10, 5. *med.* Una statutio ligni hanc habet utilitatem, quod, etc.

STĀTŪTUS, a, um, part. a *statuo: σταθείς*, erectus, destitutus. *Varr. R. R.* 1, 14. Sepes fit palis statutis crebris, e virgultis implicatis. *Plin.* 3, 5, 9. Milliarium statutum in capite Romani fori. *Id.* 16, 40, 76. *n.* 2. Obeliscus in Vaticano Circo statutus. ℙ Item positus, impositus. *Id.* 36, 9, 14. *n.* 3. Egestis laterculis allevatas naves excepisse onus statutum. ℙ *Statutus homo*, celsus, erectus, procerus. *Pl. Rud.* 2, 2, 11. Recalvum ac silonem senem, statutum, ventriosum, etc. ℙ Translate est decretus, constitutus, deliberatus. *Cic. Verr.* 2, 3, 41. Sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum, omnes judices rejicere. *Id. Fam.* 4, 2. *f.* Si habes jam statutum, quid tibi agendum putes. *Gell.* 2, 24. Putaverunt Fannia lege perpetuos centenos aeris statutos. *Just.* 6, 1. In colloquium vocatur, et statutis conditionibus ab armis dimittitur. *Id.* 1, 10. Cum ad statutam horam omnes convenissent. *Id.* 16, 4. Statuto tempore, quo urbem Mithridati traderet. *Cic. Har. resp.* 15. Sacrificia in sacello, statuto loco, factitare. *Liv.* 31, 29. Concilium Aetolorum statuta die futurum erat. *Suet. Claud.* 42. *extr.* Institutumque, ut quotannis diebus statutis historiae recitarentur. ℙ *Status* et *statutus* quid differant, V. in STATUS, a, um.

*STAURI, orum, populi Asiae ulterioris, circa Caspium mare. *Plin.* 6, 16. Mox gentes Tapyri, Anariacae, Stauri, Hyrcani, etc. *B. A.*

STĔĀTĪTIS, is, f. *στεατῖτις*, gemma similis sevi, quod Graece *στέαρ* dicitur. *Plin.* 37, 11, 71. *Ita ed. *Hard.* Ed. *Elzev.*, more suo, *steatites. B. A.*

STĔĀTŌMA, ătis, n. *στεάτωμα*, tumor in corpore apparens, cui subest pingue quiddam sevi simile: a *στέαρ*, sevum. Ejus naturam et curationem *Cels.* 7, 6. tradit. *Id. ib.* Steatomatis tunica secanda est, quia, etc. *Plin.* 26, 14, 87. Cyclamini radix contra steatomata efficax. Adde *Veg. Vet.* 2, 30.

STĔGA, ae, f. *στέγη*, locus in navi contectus, tabulatum navis, in quo nautae ambulant: a *στέγω*, tego. *Petr. Sat.* 100. eam appellat constratum puppis. Qua ratione et *Cic. Verr.* 2, 5, 34. et 40. navem constratam dicit, quae *Caesari B. C.* 1, 56. tecta. *Pl. Bacch.* 2, 3, 44. Forte assedi in stega. *Id. Stich.* 3, 1, 12. Sine advocatis ibidem in cercuro, in stega, in amicitiam atque gratiam convortimus.

*STEGĀNOS, i, insula maris Mediterranei, non procul a Rhodo. *Plin.* 5, 31. ℙ Fuit et Steganos unus ex tribus alveis maris, quibus adibatur Alexandria Aegypti. *Id. ib.* Namque fallacibus vadis Alexandria tribus omnino aditur alveis mari, Stegano, Posideo, Tauro. ℙ Dicebatur (ait *Hofmannus*) sic, quod esset *στεγανὸς*, i. e. clausus, munitus et firme factus; vel *ὁ δυνάμενος στέγειν καὶ συνέχειν τὰς νῆας*. *B. A.*

STEGNUS, a, um, adj. *στεγνὸς*, adstrictus, ut *Stegnae febres* dicuntur, quae cutem adstringunt, ejusque spiracula praecludunt, impediuntque humorum transpirationem. *Plin.* 23, 7, 23. Fici maturae calorem refrigerant: ob id non negandae in febribus constrictis, quas stegnas vocant.

STĒLA, ae, et Stele, es, f. *στήλη*, pila, columna, cippus notis inscriptus. Vox Graeca. *Plin.* 6, 28, 32. *med.* Insula, in qua scriptae sunt stelae lapideae litteris ignotis. Adde *ib.* 29, 34. *Capell.* 2, 35. Notas eminentibus saxis jussit adscribi, atque intra specum per Aegyptiorum adyta collocari: eademque saxa stelas appellans, Deorum stemmata praecepit continere.

*STELENDĒNA regio in Syria fuit, circa Palmyram. *Plin.* 5, 26. Infra Palmyrae solitudines Stelendena regio est. *B. A.*

STĒLEPHŌROS, i, f. *στελεφοῦρος*, herba e genere spicatarum, alopecuro similis, tota spica florens. *Plin.* 21, 17, 71. [*Fortasse *Ravenna-Zuckerrohr*, Saccharum Ravennae, *L.*]

STĒLICHO. V. STILICHONIUS.

STĒLIS, idis, f. *στελίς*, genus visci ex arbore larice et abiete desudans. *Plin.* 16, 44, 93.

STELLĀ, ae, f. *ἀστήρ*, corpus coeleste, lucidum, fere radiatum, astrum, sidus: volunt esse ab *ἀστήρ*, diminutiva forma *asterula*, mox *astella*, deinde per aphaeresin *stella*. Fuit qui putaret, *stellam* dici, quasi *luminis stillam:* quod ridet atque improbat *Quint.* 1, 6. *med.* [**Doederl.* 3, 52. derivandum censet a Gr. *τέλλω*.] Differunt stellae a sideribus, quod illae singulae sunt, et dicuntur etiam de planetis: haec ex pluribus stellis componuntur, ut in SIDUS dictum est. *Plin.* 27, 5, 19. de astere herba: Caulículus foliis oblongis: in cacumine capitula stellae modo radiata. *Cic. Somn. Scip.* 4. Orbis coelestis extimus: infixi sunt illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni; et *ib.* 3. *med.* Illi sempiterni ignes, quae sidera et stellas vocatis. *Id. N. D.* 2, 46. Sunt stellae natura flammeae: quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole excitantur: quibus altae renovataeque stellae refundunt, etc. et *ib.* 1, 13. *f.* Ponticus Heraclides errantibus stellis divinitatem tribuit. *Virg. G.* 1, 336. (et *Plin.* 18, 25, 57.) Frigida Saturni stella, *h. e.* sidus. Sic *Id. ib.* 222. Gnossiaque ardentis decedat stella Coronae. (Adde *Cic. Or.* 3, 45., ut enim *sidera* pro *stellis* ponuntur, sic e contrario.) *Id. A.* 2, 694. Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. *Id. G.* 1, 365. Saepe etiam stellas, vento impendente, videbis Praecipites coelo labi. *Ov. Met.* 2, 320. longoque per aera tractu Fertur, ut interdum de coelo stella sereno, Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri. *Sen. Troad.* 356. Et stella longa semitam flamma trahens. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. O magna templa coelitum Commixta stellis splendidis. *Virg. A.* 9, 21. Palantes polo stellae; et *ib.* 4, 482. (et *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1.): ardentes; et *ib.* 11, 202. et *Enn. ib.* fulgentes. *Ov. Met.* 7, 100. micantes. *Hor. Od.* 3, 15, 6. candidae. *Lucan.* 9, 12. vagae, et astra fixa polis. *Ov. Met.* 15, 749. Stella comans; et *Sen. Med.* 310. stellis pingitur aether. *Id. Ag.* 465. Nox prima coelum sparserat stellis. ℙ De stellis multa *Sen. Q. N. l.* 1. et 3., *Plin.* 2. *c.* 8. etc. et *Macr. Somn. Scip.* 1, 14. 15. 16. etc. ℙ *Terra feret stellas*, proverb. de re, quae nunquam fiet. *Ov. Trist.* 1, 8, 3. ℙ Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas. *Tibull.* 1, 4, 6. h. e. aeternum, semper, in perpetuum. ℙ Stellam significare ait Atejus Capito laetum et prosperum, auctoritatem secutus P. Servilii auguris, quae ex lamella aerea, adsimilis stellae, locis inauguratis infigatur. Haec *Festus.* Alii leg. *quia et lamella*, etc. ℙ *Stella diurna.* V. DIURNUS. ℙ *Lucret.* fulmina *stellas fulgentes* vocat 6, 356. ℙ Translate de iis, quae stellae radiatae figuram referunt. *Colum.* 4, 17. *med.* Vitis in stellam dividatur; et *infra:* Nihil refert jugum in stellam decussari atque diduci, nisi et palmites adjugentur; et *ib.* 26. Brachia sub stella quadripartito locabimus. *Id.* 3, 13. *f.* stellam vocat duas regulas in speciem Graecae litterae X decussatas. *Plin.* 18, 10, 23. Pisere spicam farris tosti pilo praeferrato, fistula serrata, et stella intus denticulata; et *ib.* 31, 74. Inventa Graecanica *(torcula)* mali rugis per cochleas bullantibus, palis affixa arbori stella, etc. V. *Plinii l. c.* in v. sq. ℙ De cicindelis. *Id.* 18, 27, 67. *n.* 1. Tibi inter herbas tuas spargo peculiares stellas, easque vespere ostendo, etc. ℙ De punctis lucidis in gemmis. *Id.* 37, 7, 25. In carbunculis stellas intus ardere. *Id. ib.* 9, 51. Ceraunia habet intus stellam concursantem; et *ib.* 10, 67. Syrtides intus stellas continent languidas. Sic *Suet. Ner.* 25. Vestis purpurea, distinctaque aureis stellis. ℙ De oculis. *Claud. Idyll.* 1, 36. Jam breve decrescit lumen, languetque senili Segnis stella gelu. ℙ Est etiam nomen piscis marini, stellae figura, cui parva admodum caro intus, extra durius callum. Huic tam igneum fervorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat. *Plin.* 9, 60, 86. et 32, 11, 53. ℙ Item cogn. R., ut L. Arruntius Stella, Patavinus (ut constat ex *Mart.* 1, 62.), poeta nobilis, idem fortasse, qui ann. a Chr. n. CI. sub Trajano fuit consul suffectus cum L. Julio Marino, ut putat *Marin. Frat. Arv.* p. 753. ex *Inscr.* ap. *Grut.* 456, 5. Hic ab amicis *Statio* et *Martiale* passim laudatur; ille primum *Silvarum suarum* librum ei inscripsit, ejusque cum Violantilla matrimonium epithalamio, quod exstat *Silv.* 1, 2., celebravit; hic ejusdem saepissime meminit in epigrammatis suis.

STELLANS, antis, part. a *stello*: *ἀστεροῦσσων*, stellis distinctus, ornatus, stellis micans, sidereus: et fere poetice usurpatur. *Cic. de suo cons. Div.* 1, 11. Stellans nox; et *ib.* 12. Olympus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 363. Stellantes nox picta sinus. *Lucr.* 4, 212. coelo stellante, *h. e.* nocte serena. *Virg. A.* 7, 210. stellantis regia coeli. *Val. Fl.* 5, 623. summi stellantia patris Tecta. *Ov. Fast.* 5, 603. Tauri ora stellantia, *h. e.* sideris Tauri. ℙ Translate. *Ov. Met.* 1, 723. gemmis caudam *(pavonis)* stellantibus implet. *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 2. Signum maturitatis lucentes vespere per arva cicindelae: ita appellant rustici stellantes volatus: Graeci vero lampyridas. *Val. Fl.* 3, 98. stellantia tegmina, *h. e.* vestis nitens, et auro, quasi stellis, distincta. Sic *Plin.* 31, 2, 8. Tungri civitas Galliae fontem habet insignem, plurimis bullis stellantem. *Val. Fl.* 2, 499. stellantia glauca Lumina nube tremunt, *h. e.* oculi stellarum modo micantes.

STELLĀRIS, e, adj. ad stellam pertinens. *Macr. Somn. Scip.* 1, 14. *med.* Heraclitus dixit, animam esse scintillam stellaris essentiae. ℙ *Stellaris* absolute, *h. e. scientia*, ap. *Pert. Pall.* 6. Qui stellarem conjectat: scil. astrologus.

STELLAS, ātis, et Stellatis, is, m. et f. Stellas campus seu ager, in Campania prope Cales. *Cic. Agr.* 2, 31. *med.* Quasi vero paulum differat ager Campanus ac Stellatis. Adde *ib.* 1, 7., *Suet. Caes.* 20., *Liv.* 9, 44., 10, 31. et 22, 13. et in num. plur. Stellates campi, *Sil.* 11, 268. ℙ Item in Etruria prope Capenam oppidum: ex quo Stellatina tribus nomen habuit. V. v. sq. ℙ Rectus casus *Stellas* analogia defenditur: nam sic *Arpinas*, *Capenas*, *Privernas*, *Suffenas*, etc.

STELLĀTĪNUS, a, um, adj. ad Stellatem in Etruria agrum pertinens. *Festus:* Stellatina tribus dicta, non a campo eo, qui in Campania est, sed eo, qui parum abest ab urbe Capena: ex quo Tusci profecti Stellatinum eum campum appellaverunt. *Liv.* 6, 5. *f.* Tribus quatuor ex novis civibus additae, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis. *Inscr.* ap. *Grut.* 35, 3. T. Antistius T. F. Stellatina Severianus. *Alia* 484, 3. T. Vennonio T. F. Stell. Aebutiano, etc. *Alia* 410, 7. T. Flavio L. F. Ste. Cimbro etc. ℙ [Item ad Stellatem in Campania campum pertinens. *Inscr.* ap. *Matth. Zona*, *Raccolta d'Iscriz. della città di Calvi* p. 4. Clivom ab Janu (*h. e.* Jano) ad cisiarios portae Stellatinae sua pecunia stravit. *F.*]

STELLĀTIS. V. STELLAS.

STELLĀTŪRA, ae, f. lucellum et compendium tribunorum militarium, et aliorum ducum, ex subtractione partis annonae, quae militi ab imperatore assignata erat. *Spart. Pesc.* 3. Tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui jussit. *Lampr. Alex. Sev.* 15. *med.* Annonam militum diligenter inspexit: tribunos, qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali poena affecit. *Salm.* ad *l. Spart. c.* docet, *stellaturam* dictam esse pro *stellionaturam:* hanc autem esse calliditatem, versutiam, fraudem: quia *stellio* dicatur homo versutus, fraudulentus, improbus (unde in *Gloss. Philox.* stellionator, *ἐπιθέτης*, impostor est): hujusmodi habitos, qui annonam militibus subtrahebant. *Casaub. ib.* rectius putat dici a *στέλλειν*, mittere: quia tribuni ex commeatu militibus dato id lucelli sibi faciendum fraudulenter curabant. ℙ Ex *Cod. Just.* 12, 38, 12. et *Cod. Theod.* 7, 4, 28. colligi videtur, posterioribus temporibus permissum fuisse tribunis hujusmodi emolumenta percipere, quia nimirum collapsa jam militari disciplina imperatores coacti quasi fuerint stellaturam eisdem tribunis concedere.

STELLĀTUS, a, um, part. a *stello: ἀστεροωτός*, *ἀστερόεις*, stellis conspersus, stellans, sidereus. *Cic. Tusc.* 5, 3. Nec vero Atlas sustinere coelum, nec Prometheus affixus Caucaso, nec stellatus Cepheus traderetur, nisi, etc. *h. e.* factus sidus, et stellis instructus. *Val. Fl.* 2, 42. Austraque, et effusis stellatus crinibus aether. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 8. Ut patuit stellata domus, *h. e.* sedes Deorum, Olympus. *Id. IV. cons. Hon.* 208. de Cast. et Poll.: Stellati pariter crines. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 261. atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat, *h. e.* capulus ensis multis iaspidibus, quasi stellis, distinctus. *Plin.* 37, 9, 37. inter varias iaspidum species esse ait et stellatam rutilis punctis. *C. Memmius* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus. *Plin.* 10, 67, 86. Salamandra, animal lacerti figura, stellatum. *Ov. Met.* 5, 461. variis stellatus corpora guttis; et *Plin.* 37, 10, 66. Gemma stellata nunc sanguineis, nunc auratis guttis. *Id.* 19, 1, 6. Vela colore coeli, stellata, per rudentes iere in amphitheatro Neronis. *Paul. Nol. carm.* 25, 178. Cella stellato speciosa tholo, *h. e.* aureis stellis ornato. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 130. Haec *(Nympha)* graditur stellata rosis, *h. e.* rosis, ceu stellis, ornata. *Ov. Met.* 1, 664. Stellatus Argus, *h. e.* oculis plurimis instructus: de quo *Nemes. Cyn.* 31. Stellatumque oculis custodem virginis Ius; et *Stat. Theb.* 6, 277. inocciduis stellatum visibus Argum. *Fulg. Myth.* 2, 3. Pavus stellatum caudae curvamen concavans, etc. *Sil.* 13, 109. Hic latera intextus stellatis axibus agger, *h. e.* lignis cancellatim decussatis, et in modum stellae radiatae prominentibus. Adde *Lucan.* 3, 455. Sunt qui *stellatos axes* intelligunt axes rotarum radiatos: sed hoc in *Silii* et *Lucani* locis citat. locum non habet. [**V. Cort.* ad *Luc. l. c.*]

STELLĪFER et Stelliferus, ra, rum, adj. *ἀστεροφόρος*, stellas ferens, stelliger, stellatus, stellans. *Cic. Somn. Scip.* 5, Summus ille coeli stelliferi cursus. *Sen. Hipp.* 785. te stellifero despiciens polo. *Coripp. Joan.* 1, 232. Et jam stelliferus maris asperat Hesperus undas.

[**STELLIFĪCUS*, a, um, adj. *Victorin. Pict. de Christo Deo* et *Hom.* 113. Cuspide fulminea noctis diviserat umbram Stellifico temone jubar. *Bail.*]

STELLĪGER, ra, rum, adj. stellifer. *Sen. Herc. Oet.* 1907. Atlas stelligeri vector Olympi; et *ib.* 1313. ubi illa, quae mundum tulit, stelligera cervix? *Stat. Theb.* 12, 565. Stelligeri jubar omne poli. *Sil.* 13, 863. ille Deum gens Stelligerum attollens apicem, Trojanus Iulo Caesar avo, *h. e.* C. Julius, in cujus nece cometes apparuit, creditus anima ejus in Deos relati, uti narrant *Augustus* ap. *Plin.* 2, 25, 23. et *Suet. Caes.* 88., qua de causa simulacro capitis ejus stella adjecta est. *Varr.* ap. *Non.* 4, 174. Viae stelligerae aetheris.

STELLĪMĪCANS, antis, part ab inus. *stellimico:* stellis micans. *Varr.* ap. *Prob.* ad *Virg. Ecl.* 6, 31. Limbus pictus bis sex signis stellimicantibus.

STELLIO, onis, m. *ἀσκαλαβώτης*, *γαλεώτης*, animal non dissimile lacertae, multo tamen minus, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum. Duplex Latinae vocis etymon ponit *Festus:* Stellionem genus ajunt lacertae: quod Verrius dictum ait, quia virus stillet cibo, potius quam, quod alii, a stellarum similitudine, quia varium est. Hinc *Ov. Met.* 5, 461. aptumque colori Nomen habet, variis stellatus corpora guttis. *Gloss. Philox.* interpretantur *ἀσκαλαβώτην*. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 4, 22. etiam *γαλεώτην* vocari scribit: ubi refert, *Terentium* a quibusdam erroris argui, quod pro Menandrico illo *γαλεώτης γέρων*, dicat colore mustelino, cum *γαλῆ* quidem mustela sit, sed *γαλεώτης* stellio. Est et tertia appellatio, *κωλώτης*, ut indicat *Suidas.* [*Lacerta gecko, *L.*] *Plin.* 29, 4, 28. Hunc *(stellionem)* Graeci coloten vocant, et ascalaboten, et galeoten. Rore et araneis vescitur, teste *eod.* 11, 26, 31. Morsus ejus raro interimit hominem, tamen semistupidum facit, et varie afficit. *Virg. G.* 4, 243. nam saepe favos ignotus adedit Stellio. *Colum.* 9, 7. Nec venenatus stellio, nec obscenum scarabaei, vel papilionis genus, lucifugaeque blattae, ut ait Maro, per laxiora spatia januae favos populabuntur. Negat *Plin.* 29, 4, 28. verum stellionem in Italia nasci: nam esse plenum lentigine, stridoris acerbi, et vesci: quae omnia a nostris stellionibus (de quib. *Virg.* loquitur) aliena sunt. ℙ In Fabulis fuit puer quidam, qui cum Cererem potantem vidisset, avidamque vocasset, ab ea potionis parte aspersus, in hoc animal versus est. *Ov. Met.* 5, 451. ℙ Translate dicitur de homine malo, doloso, fraudulento, invido, quia hoc animal exsuit quotannis cutem, exsutamque devorat, invidens homini comitialis morbi remedium. *Plin.* 30, 10, 27. Operae pretium est scire, quomodo praeripiatur, cum exsuitur membrana hiberna, alias devoranti eam, quoniam nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt. Inde stellionem nomen ajunt in maledictum translatum. Haec *Plinius. Appul. Met.* 5. *f.* Sed nunc irrisui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis stellionem istum cohibeam? etc. Ubi Venus irata filium Cupidinem stellionem vocat. ℙ [*Paul. Ant. Paoli* in *Dissert. della relig. de' Gentili per alc. animali*, p. 175. et sqq. contendit, stellionem esse, quem Itali *lucertola verminara* dicunt, eumque inferiorem tantum Italiae partem inhabitare solitum, ejusque formam, colorem, moresque fuse describit. *F.*] ℙ Fuit etiam cogn. R., ut C. Afranius Stellio, ap. *Liv.* 39, 23. et 55. *extr.*

*STELLIONĀTOR, oris, m. *ἐπιθέτης* *Gloss. Gr. Lat.* pro *ἐπιθέτης*, *h. e.* impostor. *B. A.*

STELLIONĀTUS, us, m. criminis genus, cum dolo quid factum est, et titulus criminis deficit, ut siquis rem alienam sciens obliget, vel cuipiam pigneratam alii denuo oppigneret, vel in pignore dando pro auro aes subjecerit, vel sciens statuliberum dissimulata ejus conditione vendiderit, vel creditor numeratam jam sibi pecuniam iterum acceperit, etc. *Ulp. Dig.* 47. *tit.* 20. qui inscribitur *Stellionatus*, *l.* 3. et 13, 7, 36. et 17, 1, 29. *f.* et 40, 7, 9.

[STELLIUNCŪLUS, i, m. dimin. stellionis, parvus stellio. *Not. Tir.* p. 176. Stellio, stelliunculus. *F.*]

STELLO, as, a. 1. punctis lucidis stellarum modo distinguo, orno. *Plin.* 37, 7, 28. de quibusd. gemm.: Commendatio summa, quoniam fere stellarum Hyadum et numero, et dispositione stellantur: ob id Chaldaeis in caerimoniis habitae. *Capell.* 2, 29. *in carm.* Qui coelum stellet fomes, *h. e.* stellis splendorem praestet. ℙ Translate. *Sym. ep.* 3, 11. *f.* Ipsa vero pars materiae digna laudari quanto verborum stellatur auro! Alii leg. *stillat:* sed *Juret.* priorem lectionem defendit. *Dracont.* 1, 717. Qui *(Deus)* roseis stellare nemus, vel floribus agros Imperat. Alii pro *roseis* leg. *rosulis.*

[STELLŪLA, ae, f. dimin. stellae, asteriscus. *Hieron. ep.* 112. *n.* 19. Ubi autem asterisci, id est stellulae praelucentes *(sunt)*, ex Theodotionis editione ab Origine additum est. V. ASTERISCUS. *F.*]

STEMMA, ātis, n. *στέμμα*, *στέφανος*, sertum, corona: a *στέφω*, corono. Vox Graeca. *Firm. Math.* 3, 8. *in.* Magnos viros facient, qui sacris et gloriosis stemmatibus coronentur. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 908. Perfusa pulcher menta russo stemmate Fert, et cruenti pectoris spectat decus. V. STAGMA. ℙ Speciatim de coronis dicitur, seu sertis foliorum implicatis, quibus cingebantur et nectebantur invicem imagines, in quibus e cera expressi erant vultus majorum: de quib. *Plin.* 35, 2, 2. Apud majores in atriis expressi cera vultus singulis disponebantur armariis,

ut essent imagines, quae comitarentur gentilicia funera. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. *Sen. Ben.* 3, 28. Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima aedium collocant, etc. ℙ Hinc ponitur pro serie cognationis, ac nobilitate familiae. *Sen. ep.* 44. Hoc est in philosophia boni, quod stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem revocentur, a Diis sunt. *Stat. Silv.* 3, 3, 43. Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis Linea, nec proavis demissum stemma, sed, etc. *Pers.* 3, 28. an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis? *Juven.* 8, 1. Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri? *Suet. Ner.* 37. Cassio Longino objectum est, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Caesaris imagines retinuisset. *Id. Galb.* 2. Imperator stemma in atrio proposuit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret. *Mart.* 5, 35. Longumque pulcra stemma repetit a Leda. ℙ Translate. *Id.* 8, 6. Argenti fumosa (al. *furiosa*) sui cum stemmata narrat, *h. e.* nobilitatem et pretium. Sic *Prud. Cath.* 7, 81. Stemma jejunii, *h. e.* vetustas. ℙ [*Stemma*, *ae*, f. est cogn. R. V. SCHEMA. *Inscr.* ap. *Nibby, Viagg. antiqu.* T. I. p. 104. Juliae Stemmae, vixit ann. XXX., Jull Eutactianus, Atthis, Similis, Laetus, Evenus (pro Ebenus) filii matri carissimae. *F.*]

STĒNA, orum, n. plur. *τὰ στενὰ*, loca angusta, fauces. Vox Graeca. *Liv.* 32, 5. Quod levis armaturae erat, ad occupandas, quae ad Antigoneam fauces sunt (stena vocant Graeci), misit. ℙ [Hinc *Stenae Deirae*, *Στεναὶ Δειραὶ*, *h. e.* angusta colla, seu juga, vocantur insulae quaedam Aegypti ulterioris: a *στενὸς*, angustus, et *δειρή*, collum, jugum. *Plin.* 6, 29, 34. Mons Pentedactylos, insulae Stenae Deirae aliquot. *F.*]

*STENACUM, i, n. opp. Norici. *Ant. Itin. B. A.*

STĒNĒBOEĬUS et Stenoboeius, a, um, adj. *Στενέβοιος* et *Στενόβοιος*, ad Steneboeam, seu Stenoboeam pertinens, quae, ut est ap. *Hyg. fab.* 57. et 243., filia fuit Iobatae, uxor Proeti Argivorum regis, et amore capta Bellerophontis, cum ab eo esset rejecta, se ipsa amoris impotentia interfecit. V. BELLEROPHON. Hinc *Steneboeius herus* ap. *Sidon. carm.* 11, 74. est ipse Bellerophon. ℙ Scribitur et *Stheneboeus*, *Σθενέβοιος*.

STĒNOCORĬĀSIS, is, f. *στενοκοριασις*, morbus equorum, cum amissis viribus visus eorum constringitur et debilitatur, a *στενὸς*, angustus, et *κόρη*, pupilla. *Veg. Vet.* 2, 16.

[STĒNON, ontis, m. *στένων*, gemens: part. a *στένω*, gemo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 159, 5. M. Salvio Stenonti Salvia Icmas. *F.*]

STENTŌRĔUS, a, um, adj. ad Stentora pertinens, qui fuit in exercitu Graecorum (V. *Hom. Il.* 5, 785.) voce adeo immani, ut quinquaginta simul vociferantium clamores vinceret. Hinc *Juven.* 13, 112. Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis. *Arnob.* 2, 97. Heroas infantes sub uberibus matrum Stentoreos edidisse vagitus.

*STENTŌRIS, portus Thraciae, cum oppido cognomine, ad Hebri fluminis ostium. *Plin.* 4, 11. ℙ *Στεντορίδος λίμνης*, illic viciniae, meminit *Herod.* 7, 57. *B. A.*

[STEPHĂNĂ, ae, f. nom. propr. serv. R., a *στέφανος*, corona. *Inscr.* ap. *Grut.* 999, 1. Valentina ancilla, quae et Stephana. *F.*]

*STEPHĂNE, es, f. *Στεφάνη*, i. e. corona, Sami insulae vetus nomen. *Plin.* 5, 31. ℙ Item oppidum Paphlagoniae. *Id.* 6, 2. ℙ Stephane etiam dicta est olim Praeneste. *Id.* 3, 5. Praenestini, urbe quondam Stephane dicta. ℙ Et mons Thessaliae, in Phthiotide. *Id.* 4, 8. *B. A.*

[STEPHĂNEPHŌRIS, idis, f. dimin. a *στεφανηφόρος*, coronam ferens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1243, 6. Avilia Stephanephoris. *F.*]

STEPHĂNEPLŌCOS, i, f. *στεφανηπλόκος*, coronas e variis floribus nectens: a *στεφάνη*, corona, sertum, et *πλέκω*, necto. Nomen fuit tabulae a Pausia pictae, qua pinxit Glyceram ingeniosam artificem jungendorum in sertis florum mixtura admirabili. *Plin.* 21, 2, 3. et 35, 11, 40. *n.* 23. Alii scrib. *stephanoplocos* eod. sensu: a *στέφανος* pro *στεφάνη*.

STEPHĂNĒPŌLIS, is, f. *στεφανηπῶλις*, coronarum venditrix: a *στεφάνη*, corona, et *πωλέω*, vendo. Ita dicta est Glycera (de qua in v. praec.) quoniam venditando coronas sustentavit paupertatem: eodemque nomine vocata est tabula Pausiae, in qua depicta erat cum corona sedens: quae tabula e nobilissimis illius pictoris fuit. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 23., ubi alii leg. *stephanopolis*, a *στέφανος* pro *στεφάνη*.

[STEPHĂNĬO, onis, m. dimin. a *στέφανος*, corona. Ita nominatus est mimus, qui primas togatas saltare instituit. *Plin.* 7, 48, 49. Minus miror Stephanionem, qui primus togatas saltare instituit, utrisque saeculariibus ludis saltasse, et Divi Augusti, et quos Claudius Caesar consulatu suo quarto fecit. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 703. *n.* 246. L. Aufustius L. L. Stephanio. *F.*]

[STEPHĂNISCĬDĬUM, ii, f. dimin. a *στεφανίσκος*, corolla. Est nomen serv. R. *Pl. Stich.* 5, 4, 57. Pergre advenientes te expetimus, Stephaniscidium, mel meum. Haec eadem ancilla paulo ante *Stephanium* appellatur. V. h. v. *F.*]

STEPHĂNĪTIS, is, f. *στεφανῖτις*, genus vitis et uvae coronariae, h. e. natura sua, non cultorum artificio, coronas imitantis. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Item picina omnium nigerrima: et coronario naturae lusu stephanitis, acinos foliis intercursantibus. Adde *Macr. Sat.* 2, 16. *extr.* Laudantur et a *Colum.* stephanitae, 3, 2. Neque solum quae jucunditate saporis, verum etiam quae specie commendari possint, conseri debent, ut stephanitae, ut tripedaneae, ut unciariae, etc. A recto singulari *stephanitis* rectus pluralis est *stephanites* vel *stephanitides*. Mutavit *Colum.*, eumque secutus *Isid. Or.* 17, 5.

[STEPHĂNĬUM, ii, f. *στεφάνιον*, dimin. *τοῦ στέφανος*, corona. Est nomen serv. R. *Pl. Stich.* 5, 4, 54. Mea suavis, amabilis, amoena Stephanium. V. STEPHANISCIDIUM. *F.*]

STEPHĂNOMĒLIS, is, f. herba efficax ad sanguinem per nares fluentem, ut *Plin.* 26, 13, 84. docet. Sunt qui putant, ita dici, quod in coronis melino colore placeat.

STEPHĂNOPLŌCOS. V. STEPHANEPLOCOS.

STEPHĂNOPOLIS. V. STEPHANEPOLIS.

STEPHĂNOS Alexandri, herba, species chamaedaphnes, frutice ramoso, folio crassiore ac molliore, quam lauri. *Plin.* 15, 30, 39. ℙ Latine dicitur pervinca, et folium victoriae. *Appul. Hrrb.* 58. ℙ *Stephanos aphrodites*, alia herba est, quae et sisymbrium. *Id. Herb.* 105.

[STEPHĂNUS, i, m. *στέφανος*, corona. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 53. T. Flavius Stephanus. *F.*] ℙ *Insignis statuarius. *Plin.* 36, 5. Hippiades (i. e. fortasse *statuae equestres*) Stephani. ℙ Stephanus Byzantius, grammaticus et geographus, floruit sub exitum saeculi quinti. Elaboravit spissum opus, *Ἐθνικα* inscriptum, sive *Lexicon Grammatico-geographicum*, cujus fragmentum, et epitome ab Hermolao, Grammatico Constantinopolitano, sub Imperatore Justiniano facta, supersunt. Inscriptio autem *περὶ πόλεων* a librariis recentioribus proficiscitur. *B. A.*

[STEPHŪSĂ, ae, f. plecteus coronam: *στέφουσα*, part. a *στέφω*, plecto. Ita appellata est statua aenea Praxitelis, quae mulierem repraesentabat coronas plectentem. V. *Plinii l. c.* in SPILUMENE. *F.*]

[STERCEJĂ, ae, f. mulier, quae parvulos in cunis curat, et a stercore purgat. *Tert. adv. Valent.* 8. Quare non et stercejae, et syntrophi nominantur? Alii leg. *stercojae*, sed nihil mutandum, nam et *sterceratus* pro *stercoratus* legitur. V. h. v. ℙ Convicium est in mulierem ap. *Petr. fragm. Trag.* 75. *Burm.* Tu autem, sterceja, etiamnum ploras? In *Cod. Trag.* legitur quidem *sterteja*, sed perperam fortasse. V. STERTĒJUS. *F.* et *B. A.*]

STERCŌRĀRĬUS, a, um, adj. *κοπρικὸς*, ad stercora pertinens. *Varr. R. R.* 1, 22. enumerat aratra cum vomeribus sex, crates stercorarias quatuor. ℙ De stercoraria porta V. in STERCUS.

STERCŌRĀTĬO, onis, f. *κοπρισμὸς*, actus stercorandi, laetaminis sparsio per agros. *Varr. R. R.* 2, 2. Oves stercoratione faciunt in annum segetes meliores. *Colum.* 2, 16. Tempestivam stercorationem facere. *Plin.* 18, 23, 53. Stercorationis ratio.

STERCŌRĀTUS, a, um, part. a *stercoro*: *κεκοπρισμένος*, stercore aspersus et fecundatus. *Cato R. R.* 8. Ficos in loco crasso, aut stercorato serito. *Plin.* 18, 23, 53. Ager si nimium stercoratus est, aduritur; et *ib.* Milium, panicum, rapa nisi in stercorato non serantur. *Colum.* 11, 2. *med.* Fabam ante Idus Novembr. occatam habeas quam pinguissimo loco: si minus, quam stercoratissimo. ℙ *Stercorata colluvies* ap. *eund.* 1, 6. est colluvies stercoris. ℙ *Capell.* 3, 80. In dubitationem veniunt stercus et fenus, in *e*, an in *o* mutent. Feneratus dicimus: item veteres sterceratos agros dicebant, non stercoratos.

STERCŌRĔUS, a, um, adj. *κοπρικὸς*, stercore plenus, foedus, spurcus. Translate. *Pl. Mil.* 2, 1, 12. Miles impudens, stercoreus, plenus perjurii atque adulterii.

STERCŌRO, as, avi, atum, a. 1. *κοπρίζω*, stercus per agros spargo, laetifico. *Cato R. R.* 36. Stercorare segetem. *Varr. R. R.* 1, 38. Quae loca in agro stercoranda, videndum. *Cic. Sen.* 15. *f.* Homerus Laertem colentem agrum, et eum stercorantem facit. *Colum.* 2, 16. Refrigescere agrum, qui non stercoretur: peruri, si nimium stercoretur. Adde *Plin.* 18, 23, 53. *Id.* 17, 9, 7. Ubi non sit pecus, culmo ipso, vel etiam silice stercorare arbitrantur. ℙ *Stercorare latrinas* ap. *Ulp. Dig.* 7, 1, 15. est stercus agitando egerere, et latrinas exhaurire: quemadmodum *stercorare agrum* est stercus agitando spargere. *Haloand.* edidit *extergere*, quae est interpretatio v. *stercorare*, quod habetur in ed. *Torrentini*, et agnoscitur a *Cujac. Observ.* 11, 36. ℙ Significat etiam agros non modo stercore, sed alia etiam re laetificare. *Varr. R. R.* 1, 7. In Gallia Transalpina intus ad Rhenum agros stercorant candida fossicia creta. V. CRETA.

STERCŌROSUS, a, um, adj. *κοπριώδης*, stercore abundans. *Colum.* 11, 3. *med.* Pingue et stercorosum solum. *Id.* 9, 4. *f.* Stercorosae herbae; et 8, 3. *f.* Stercorosa aqua, *h. e.* faeculenta, immunda. *Sen. Q. N.* 3, 26. *med.* Mari haec est natura, ut omne immundum stercorosumque litoribus impingat. *Cato R. R.* 46. Locus quam optimus, apertissimus et stercorosissimus. Alii leg. *stercoratissimus*.

STERCŪLĬNIUM. V. STERQUILINIUM.

[STERCŪLĬO, onis, m. qui stercorat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 425, 4. C. Julius Sterculio. *F.*]

STERCŪLĬUS, Stercŭlus, et Stercutius, dictus est Picumnus Fauni filius, qui primus stercorandi rationem invenisse dicitur, ob id eo nomine a Romanis cultus. *Lact.* 1, 20. *f.* Colitur et Sterculius, qui stercorandi agri rationem primus induxit. *Plin.* 17, 9, 6. Italia regi suo Stercutio ob hoc inventum immortalitatem tribuit. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 449. Janum bifrontem et Sterculum Colit senatus. *Macr. Sat.* 1, 7. scribit, hoc nomine Saturnum appellatum esse. (V. *August. l. l.* in v. sq.) Ap. *Plin. l. c. Hard.* ex MSS. legit *Stercutus*. Ap. *Tert Apol.* 25. alii leg. *Sterculius*, alii *Sterculus*, ut in *Prud.* Ap. *Macr. l. c.* habetur *Stercutus*. Ap. *August. C. D.* 18, 15. *Stercutius:* item *Sterces*, ut dicemus in v. sq.

STERCUS, ŏris, n. *σπέλεθος*, *σκὼρ*, *κόπρος*, excrementum, laetamen, fimus, et quidquid fecundandis agris usui est. [**Doederl.* 2, 39. deducit a *tergere*.] In fabulis ap. *August. C. D.* 18, 15. Sterces fuit Pici pater, a quo peritissimo agricola inventum ferunt, ut fimo animalium agri fecundarentur: quod ab ejus nomine stercus est dictum. Hunc quidam Stercutium vocatum ferunt. Qualibet autem ex causa eum Saturnum appellare voluerint, certe tamen hunc Stercen, sive Stercutium merito agriculturae fecerunt Deum. Hactenus *August.* De variis generibus stercoris *Varr. R. R.* 1, 38., *Colum.* 2, 14. et 15., *Plin.* 17. *c.* 9. et *Pall.* 1, 33. verba faciunt. *Hor. Epod.* 12, 10. Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 813. Hic in stercore humi, stabulique fimo atque sucerdis. *Colum.* 2, 9. *med.* Novalia stercore saturare; et *ib.* 16. *med.* Ingerere stercus vitibus. *Plin.* 17, 18, 6. ex *Cat. R. R.* 29. Circum oleas ablaqueare, et stercus addere. *Colum.* 2, 16. Pulverem stercoris per segetem spargere; et *ib.* caprinum manu jacere; et *ib.* spargere, et inarare; et *ib.* 22. aequare, *h. e.* per agrum aequaliter dissipare. *Cato R. R.* 29. terra operire; et *ib.* 10. vectare. ℙ *Festus:* Stercus ex aede Vestae XVII. cal. Jul. defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini: qui locus clauditur porta stercoraria: tantae sanctitatis majores nostri esse judicaverunt. In *Fastis* ap. *eund.* in *Quando*. Quando stercus delatum, fas. Eodem modo in Fastis notatur dies, quo stercus purgatur ab aede Vestae. *Ov. Fast.* 6, 227. et 713. in Tiberim sordes illas jaci consuevisse, tradit. ℙ Pro faece et scoria metallorum. *Scrib. Comp.* 188. Acetum melle mixtum, in quo ferri stercus, quod *σκωρίαν* Graeci vocant, ustum, prius infervescat saepius. ℙ Si quis foedum hominem, et veluti faecem populi per metaphoram *stercus* dicere velit, turpitudinem non effugiet. *Cic. Or.* 3, 41. Nolo, morte dici Africani castratam esse rempubl., nolo, stercus curiae dici Glauciam. Quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Haec *Cic.*

STERCŪTĬUS. V. STERCULIUS.

STĒRĔLYTIS, itidis, f. spuma argenti durata et soluta instar pulveris: [a *στερεὸς*, solidus, et *λύω*, solvo. *Plin.* 33, 6, 35. Quidam duo genera faciunt spumae, quae vocant sterelytida, et peumenen. Alii rectius leg. *cerchnitida*, a *κερχνὶς*, quod a *κερχνὸς*, pulvis, ut sit instar pulveris soluta: et *pegnymenen*, a partic. *πηγνυμένη*, quod a *πήγνυμι*, coagmento, ut sit concreta et fixa, non in pulverem putris. *F.*]

STĒRĔOBĀTA, ae, f. fulcimentum e muro exstructum, in quo columna cum sua basi, seu stylobata nititur: a *στερεὸς*, firmus, solidus. A nonnullis architectis Italis *zocco* vocatur. *Vitr.* 3, 3. Uti firmiora sint inferiora superioribus, quae stereobatae appellantur: nam excipiunt onera.

STERGETHRON, i, n. *στέργηθρον*, ita nominatur ab aliquibus semperviva herba, quia, ut ait *Plin.* 25, 13, 102., amatoriis convenit: a *στέργω*, amo. Adde *Appul. l. c.* in AMORIFICUS.

[STERGŪSA, ae, f. *στέργουσα*, diligens, amans: particip. praes. act. a *στέργω*, amo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1336, 3. Decia Stergusa. *F.*]

*STERĬA, ae, f. *Στερία*, oppidum Atticae. *Plin.* 4, 7. Potamos, Steria, Brauron *cet.* Sic ed. *Hard.* Locum omittunt edd. vett., v. g. *Elzev. B. A.*

STĒRIGMUS, i, m. *στηριγμὸς*, a *στηρίζω*, firmiter statuo, figo. V. STATIVUS.

STĒRĪLĒFĬO, is, n. pass. anom. sterilesco. *Solin.* 27. *med.* Leaenae fetu primo catulos quinque edunt: deinde per singulos partus numerum decoquunt annis insequentibus: postremo cum ad unum materna fecunditas recidit, sterilefiunt in aeternum. Alii leg. *steriles fiunt:* alii *sterilescunt*.

STĒRĪLESCO, is, n. 3. *ἀγονέω*, *χερσεύομαι*, sterilis fio. *Plin.* 8, 16, 17. Leaenam primo fetu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus: ab uno sterilescere; et *ib.* 50, 76. Caprae pinguitudine sterilescunt. *Id.* 17, 10, 11. Amygdalas

in pingui terra mori ac sterilescere. ℙ Translate. *Val. Cat. Dir.* 9. Impia Trinacriae sterilescant gaudia vobis.

STĔRĬLĬCŬLA, ae, f. vulva porcae virginis, seu castratae. *Petr. fragm. Trag.* 35. *Burm.*, ubi alii *stericula*, alii aliter leg.

STĔRĬLIS, e, olim Sterilus, a, um, adj. ἄκαρπος, ἄγονος, nihil ex se gignens, prolem, aut fructum non ferens: a στερέω, privo. *Festus:* Sterilam mulierem appellabant, quam Graeci στεῖραν dicunt, quae non capit semen genitale. *Hor. A. P.* 65. sterilisve palus prius, aptaque remis Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum. *Juven.* 7, 49. litus sterili versamus aratro. *Virg. G.* 1, 70. Sterilis arena; et *ib.* 84. steriles incendere profuit agros; et *ib.* 2, 70. Et steriles platani malos gessere valentes. *Id. A.* 6, 251. sterilemque tibi, Proserpina, vaccam. *Colum.* 2, 1. *med.* Hominis tum demum declaratur sterile senium, cum nullum conceptum edere valet. *Mart.* 9, 9. et *Catull.* 63, 69. Steriles viri, *h. e.* eunuchi. *Id.* 67, 26. Sterila semen. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Galli Tanagrici ad partum sunt steriliores. *Plin.* 10, 60, 80. Sterilia ova, *h. e.* irrita. *Ov. A. Am.* 1, 553. Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristae, *h. e.* inanes. *Virg. Ecl.* 5, 37. Infelix lolium, et steriles dominantur avenae. *Ov. Am.* 3, 7, 31. Ceres sterilem vanescit in herbam. ℙ Cum gen. *Plin.* 33, 7, 40. Steriles plumbi lapides. Adde 15, 30, 39. ℙ Metonymice. *Id.* 17, 21, 35. *n.* 3. Serere e pampinariis sterile est, *h. e.* sterilitatem inducit. *Hor. Od.* 3, 23, 5. Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis, nec sterilem seges Robiginem, *h. e.* quae sterilem facit. *Lucan.* 4, 108. Sterile frigus. *Mart.* 8, 68. Sterilis hiems. ℙ Translate. *Sen. Thyest.* 173. Sterile vadum, *h. e.* sine aqua. *Appul. Met.* 1. Civitas summo vertice montis sita, et ob id ab aquis sterilis. *Sen. Herc. Oet.* 133. Steriles foci. *Pl. Mil.* 3, 1, 15. Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe, *h. e.* nemo unus hinc prospicitur. *Lucr.* 2, 844. Et sonitu sterila, et succo jejuna feruntur, *h. e.* carentia sonitus (ut *sublima* ap. *eund.* 1, 340.). Est qui leg. *sterilia*, ut sit synaeresis. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. Videt enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, Februarium sterilem futurum, [*h. e. munera nulla, repudiatis legatorum (qui hoc Febr. in senatu audiebantur) postulationibus ad se perventura. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Pl. Truc.* 1, 2, 3. Ne qui manus attulerit steriles intro ad nos, gravidas foris exportet, *h. e.* vacuas: de fure loquitur. *Plin. Pan.* 56. Quod momentum, quod immo temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? *Id. ep.* 5, 2. Epistolae steriles, *h. e.* quae sine munusculis mittuntur; et *ep.* 17. *f.* Saeculum sterile et effetum. *Stat. Th.* 6, 70. cassa et sterilis fama. *Mart.* 10, 58. in sterili vita labore perit; et *ib.* 18. et *Juven.* 12, 97. Sterilis amicus, *h. e.* qui nihil donat: aut a quo nihil speratur. *Pl. Truc.* 2, 1, 30. Sterilis amator a datis. *Mart.* 1, 77. et *Juven.* 7, 203. Sterilis cathedra, *h. e.* professio docendi, aut recitandi nullum ferens emolumentum. *Ov. Met.* 1, 496. sterilem sperando nutrit amorem, *h. e.* quem nullus successus manet. *Tac. A.* 1, 17. Sterilis pax, *h. e.* quae nulla militibus praemia parit. *Prop.* 4, 11, 62. domus, *h. e.* in qua nulli liberi. *Papin. Dig.* 22, 1, 7. Nummi steriles, *h. e.* qui nullas usuras pariunt. ℙ Cum gen. *Tac. H.* 1, 3. Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. [**Vell.* 1, 18, 3. steriles talium studiorum urbes.] *Pers.* 5, 75. heu steriles veri! quibus una Quiritem Vertigo facit, *h. e.* nescii, a vero alieni.

STĔRĬLĬTAS, atis, f. στείρωσις, infecunditas. *Cic. Div.* 1, 57. *med.* Nonnunquam etiam quae sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. [**Id. Agr.* 2, 26. genus agrorum propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum; et *Div.* 1, 18. Mula peperit, foetus exstitit in sterilitate naturae. *Schütz. cl. Cic.*] *Plin. ep.* 10, 24. Agrorum continuae sterilitates. *Colum.* 3, 15. *med.* Malleoli vitium sterilitate affecti. *Vell.* 1, 1. *f.* Sterilitas frugum. Sic *Colum.* 2, 10. annonae. *Plin.* 36, 4, 4. *n.* 1. Sicyonem fames invasit ac sterilitas. *Id.* 25, 7, 33. Clymeno pota sterilitatem etiam viris fieri. *Id.* 18, 14, 26. de lupino: In humido vermiculi umbilicum ejus in sterilitatem castrant. *Id.* 16, 26, 47. Arborum densitas sterilitatem facit. *Id.* 28, 8, 27. Sterilitatem mulierum emendare; et 31, 2, 2. abolere. [**Suet. Aug.* 42. magna quondam sterilitate; et *Claud.* 18. ob assiduas sterilitates.] ℙ Translate. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 5. Sterilitas coelestis, [*i. e. mala coeli temperies indeque pessima vis, quam exserit:] et *prooem.* 14. fortunae. *Id.* 15, 29, 36. Languida auctoritas patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit majestas.

STĔRĬLUS. V. STERILIS.

STERNAX, acis, adj. omn. gen. qui sternit, ut Sternax equus, qui sessorem excutit, ac in terram dejicit, καταβιβαστὴς ἵππος. *Virg. A.* 12, 344. Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten. *Sil.* 1, 261. correptis sternacem ad proelia frenis Frangere equum. *Avien. Perieg.* 203. pecoris cursu sternacis in aequor Inachis illata est. ℙ *Sternaces cives* ap. *Sidon. ep.* 5, 14. *f.* qui supplices humi se sternunt. Sic *ep.* 4, 12. *f.* Respondit ipse, quamquam esset trepidus et sternax, et prae reatu balbutiret ore.

STERNO, is, stravi, stratum, a. 2. στορέω, στρώννυμι, humi spargo, aut expando, substerno. [*Etymon faciunt a Gr. στέρω, στέρνω etc. *Doederl.* 2. p. 180. cognatum dicit cum *terere.*] *Tibull.* 1, 8, 59. Namque opibus congesta tuis hic glarea dura Sternitur, hic apta jungitur arte silex. *Ov. Met.* 4, 741. Mollit humum foliis, natasque sub aequore virgas Sternit. *Id. ib.* 8, 657. Vestibus hunc (*lectum*) velant, quas non nisi tempore festo Sternere consuerant. *Id. Fast.* 4, 654. Sternitur in duro vellus utrumque toro. *Id. Am.* 2, 14, 8. Sternatur pugnae tristis arena tuae. *Plin.* 6, 29, 34. Bubulos utres binos sternentes ponte, piraticam exercent. *Id.* 31, 11, 47. Spongiae ad lunam et pruinas sternuntur inversae, ut candorem bibant. *Grat. Cyn.* 487. Sternere arma per flores. ℙ Metonymice est tegere, operire: quia sternendo fit, ut id, supra quod aliquid sternimus, tegamus. *Hor. Od.* 3, 17, 9. cras foliis nemus Multis, et alga litus inutili Demissa tempestas ab Euro Sternet. *Virg. G.* 3, 297. Et multa duram stipula filicumque maniplis Sternere subter humum. *Val. Fl.* 5, 175. Litora sternuntur nive. *Plin.* 33, 5, 27. Arenam Circi chrysocolla sternere. *Id.* 18, 6, 8. *n.* 3. fossas silice, vel glarea. *Virg. A.* 8, 719. Ante aras caesi terram stravere juvenci: ἐμφασις: significat enim ingentem hostiarum numerum. Sic *ib.* 9, 666. Sternitur omne solum telis; et *Sil.* 6, 602. Tyrrhenas sternere valles Caedibus. ℙ *Sternere viam*, tegere et munire lapidibus, ὁδοποιεῖν. *Liv.* 10, 23. *f.* Semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt. *Id.* 41, 27. Censores vias sternendas silice in Urbe locaverunt. *Lucr.* 3, 1043. de Xerxe: viam qui quondam per mare magnum Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum: jactis pontibus. ℙ Translate. *Stat. Th.* 12, 812. praesens tibi fama benignum Stravit iter. *Sil.* 12, 513. hoc iter Alpes, Hoc Cannae stravere tibi. ℙ *Sternere lectum*, apparare, instruere, stragulis et pulvillis, aliisve rebus ornare dormiendi, aut coenandi causa. *Cic. Cluent.* 5. *f.* Lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni jubet. *Id. Mur.* 36. Rogatus est, ut triclinium sterneret: atque ille stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos. *Juven.* 6, 5. Silvestrem montana torum cum sterneret uxor Frondibus, et culmo, vicinarumque ferarum Pellibus. *Plin.* 24, 9, 38. Foliis viticis cubitus sibi sternunt. Adde *Ter. Heaut.* 1, 1, 73. et *Adelph.* 2, 4, 21., *Pl. Stich.* 2, 2, 33. et *Men.* 2, 3, 3. et *Mart.* 8, 67. Sic arceram sternere. *Lex. XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. Absolute *Plin. ep.* 7, 27. *med.* Jubet sterni sibi prima domus parte: poscit pugillares, stilum, lumen. ℙ *Sternere equum*, ephippio tegere et instruere. *Liv.* 37, 20. *f.* Equos non sternere, non infrenare, aut ascendere facile poterant. Adde *Veg. Vet.* 3, 78. ℙ Est enim dejicere, prosternere, καταβάλλω. *Virg. A.* 2, 305. rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores. *Liv.* 27, 47. *f.* Fessi somno ac vigiliis sternunt corpora passim. *Colum. Arb.* 6. Vitis, si flecti potest, factis sulcis optime sternitur, atque ita renovellatur. *Plin.* 8, 9, 9. Elephanti stabula Indorum dentibus sternunt. *Virg. A.* 2, 602. inclementia Divum Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam. *Sil.* 10, 459. sonipes arrectis auribus acrem Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum, Quem tunc captivo portabat in agmina dorso. ℙ Translate. *Virg. G.* 1, 331. mortalia corda Per gentes humilis stravit pavor. ℙ Saepissime refertur ad stragem et caedem. *Liv.* 31, 21. Cum omni parte caede ingenti sternerentur. *Stat. Th.* 7, 755. Sternuntur terrae Menelas pedes, Antiphus, etc. *Virg. A.* 2, 364. Plurima perque vias sternuntur inertia passim Corpora. *Lucan.* 4, 320. quos barbarus hostis Fontibus immixto stravit per rura veneno. *Virg A.* 10, 119. Sternere caede viros. *Liv.* 24, 38. *med.* omnia ferro. *Virg. A.* 11, 485. aliquem pronum solo; et *ib.* 8, 566. aliquem leto; et *ib.* 10, 697. humi; et *ib.* 12, 464. morti; et *ib.* 11, 796. Sterneret ut subita turbatam morte Camillam. *Id. ib.* 6, 859. sternet Poenos, Gallumque rebellem, *h. e.* fundet, bello superabit. Sic *Tibull.* 1, 11, 29. alius sit fortis in armis, Sternat et adversos Marte favente duces. ℙ *Sternere se*, et *sterni*, humi se prosternere. *Virg. G.* 4, 432. Sternunt se somno diversae in litore phocae. *Id. A.* 3, 509. Sternimur optatae gremio telluris. *Val. Fl.* 8, 258. inque sui sternuntur velleris auro. *Id.* 7, 143. supplex hinc sternitur hospes, Hinc pater. *Sil.* 12, 339. In Capitolinas certatim scanditur arces, Sternunturque Jovi. ℙ *Sterni* dicuntur loca, quae porriguntur in longum, et late extenduntur. *Plin.* 4, 15, 29. Insulae Frisiorum, Chaucorum, Sturiorum, quae sternuntur inter Helium ac Flevum. *Id.* 3, 5, 9. Ibi Laborini campi sternuntur. ℙ *Sternere crines* ap. *Stat. Th.* 6, 173. est solutis nodis demittere, protendere, spargere, passis crinibus esse: quod in luctu fieri solebat, et in precando. ℙ Denique *sternere* est in planum extendere, aequare, componere: [*ut Gr. στορεῖσθαι.] cum de mari sermo est, quod agitatum intumescit fluctibus, cessante vento planum fit et tranquillum. *Manil.* 1, 155. Tertia sors undas stravit, fluctusque natantes. *Virg. A.* 8, 88. Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis Sterneret aequor aquis. *Id. ib.* 5, 763. placidi straverunt aequora venti. *Plin.* 2, 47, 47. Ante brumam septem diebus, totidemque postea sternitur mare halcyonum feturae. Adde *Sen. Troad.* 177. [*Cf. *Gronov. observv.* 3, 22. p. 309. sq. *ed. Fr.*] ℙ *Strarat*, *strasset*, syncope pro *straverat*, *stravisset. Varr.* ap. *Non.* 2, 131. Duabus culcitis ac duabus toros plagulis cum strasset. *Manil.* 1, 774. et victor strarat qui classibus aequor.

STERNŪMENTUM, i, n. πταρμός, sternutatio: a *sternuo*, ut *sternutamentum* a *sternuto*. *Plin.* 2, 7, 5. Parva dictu, in auguriis sternumenta, et offensiones pedum. *Id.* 28, 2, 5. Sternumento revocari ferculum, mensamve. *Id.* 25, 5, 21. Farina eorum sternumentum facit. *Id.* 32, 3, 13. Sternumenta olfactu movent castorea. *Id.* 28, 6, 15. Sternumenta pinna gravedinem emendant: et *mox:* Emendare sternumenta et singultum. *Gell.* 12, 5. *f.* Sternumentis quati. Alii leg. *sternutamentis* et hic, et ap. *Plin.* ℙ Metonymice est res, quae sternumentum movet. *Cels.* 6, 7. *n.* 9. Sternumenta quoque admota id commode elidunt. Hic *Cels.* loquitur de pulice aliove animali in aurem ingresso, et per sternumentum ejiciendo. *Plin.* 25, 11, 86. Fit et ex callitriche sternumentum; et *ib.* 13, 109. Radix ranunculi sicca concisa sternumentum est. Alii leg. *sternutamentum.*

STERNŪO, is, ui, n. 3. πταίρω, πτάρνυμαι, flatum e pectore impetu emitto, septo transverso impellente, cum concussione capitis. *Plin.* 2, 40, 40. Adorare aliquem, cum sternuerit. *Id.* 28, 6, 15. Senes laboriosius sternuere. *Id.* 19, 3, 15. Sternuente capra. ℙ Translate. *Ov. Her.* 19, 151. Sternuit et lumen (posito nam scribimus illo), Sternuit, et nobis prospera signa dedit. ℙ *Sternuere omen*, sternuendo omen dare. *Prop.* 2, 2, 33. Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus Aureus argutum sternuit omen Amor? (*Macrob. de differ. et societ. Graeci et Lat. serm. cap. de frequentat.* legit: Candidus augustum, etc. Est etiam qui *stertuit* reponit.) *Catull.* 45, 17. Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante, Dextram sternuit approbationem.

STERNŪTĀMENTUM, i, n. πταρμός, sternutatio: a *sternuto*. *Cic. Div.* 2, 39. *f.* Pedis offensio nobis, et abruptio corrigiae, et sternutamenta erunt observanda. *Plin.* 28, 2, 5. Cur sternutamentis salutamus? quod etiam Tiberium Caesarem, tristissimum (ut constat) hominem, in vehiculo exegisse tradunt. *Id.* 21, 22, 93. (et *Cels.* 8, 9.) Amaracum aridum sternutamenta movet. *Id.* 23, 1, 27. Acetum olfactu sternutamenta cohibet. *Cels.* 8, 4. *f.* Sternutamentum excitare; et 3, 20. evocare. *Scrib. Comp.* 10. concitare; et *ib.* proritare. ℙ De re, quae sternutamentum facit, V. STERNUMENTUM.

STERNŪTĀTĬO, onis, f. πταρμός, actus sternutandi. *Appul. Met.* 9. Ut est ingenium metalli, crebras ei sternutationes commovebat. *Scrib. Comp.* 10. *extr.* Sternutationem invitare.

STERNŪTO, as, avi, atum, n. 1. πτάρνυμαι, frequentativum a *sternuo*. *Petr. Sat.* 98. Giton collectione spiritus plenus, ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet (Adde *ib.* 102.) *Colum.* 7, 5. *f.* Nepetae surculi lana involuti naribus inseruntur, donec sternutet ovis. Alii leg. *sternuat:* quae varia lectio est etiam ap. *Plin.* 28, 8, 24.

STĔRŌPE, es, f. Στερόπη, filia Atlantis, una Pleiadum, quam nonnulli Asteropen vocant. A Marte amata fuit, ex quo Parthaonem peperit, qui fuit rex Calydoniae. *Ov. Fast.* 4, 172. Nam Steropen Marti concubuisse ferunt. ℙ Relata est inter astra. *Ov. Trist.* 1, 11, 14. Saepe minax Steropes sidere pontus erat. ℙ [Ita etiam appellata una ex duabus equabus Solis ap. *Hyg. fab.* 183. *F.*]

STĔRŌPES, ae, vel is, m. filius Neptuni et Amphitrites, frater Brontae et Pyracmonis, unus ex Vulcani ministris: a στεροπή, fulgor, per aphaeresin, pro ἀστεροπή. *Virg. A.* 8, 425. Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon. *Ov. Fast.* 4, 288. ubi tingere ferrum Brontesque, et Steropes, Acmonidesque solent. Adde *Stat. Silv.* 1, 1, 4. et *Claud. III. cons. Honor.* 195. et *Rapt. Pros.* 1, 239. V. BRONTES.

STERQUILĪNĬUM et Sterquilinum, ii, n. κοπρών, receptaculum fimi et stercoris. *Cato R. R.* 2. Stercus foras efferri, sterquilinium fieri. *Varr. R. R.* 1, 13. Secundum villam duo habere oportet sterquilinia, aut unum bifariam divisum: alteram enim partem ferri oportet e villa novam, alteram veterem tolli in agrum. *Phaedr.* 3, 12. In sterquilino pullus gallinaceus Dum quaerit escam. Adde *ib.* 38. *extr.* et *Colum.* 1, 6. *f.* ℙ Est convicium in hominem vilem, ut lutum, coenum. *Pl. Cas.* 1, 26. Est sterquilinio effosse, tua illaec praeda sit! *Id. Pers.* 3, 3, 2. Eho! lutum lenonium, commictum coenum, sterquilinium publicum, impure, inhoneste. Adde *Ter. Ph.* 3, 2, 41. ℙ Legitur et *sterculinium* et *ster*

culinum (est enim a *stercus*) tum in *Gloss. Philox.*, tum ap. *Marcell. Empir.* 34. *med.* et *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. ℙ Ceterum *sterquilinum* seu *sterculinum* ubique legendum censet *Victorius* ap. *Cat.* et *Varr. l. c.*, et *Bentl.* ad *Ter. l. c.*, qui ex auctoritate Codicum *sterquilinium* aut *sterculinium* errorem esse librariorum putat; eundemque sequitur *Heus. Emend.* p. 338. et *Schneiderus* ad *Cat. l. c.* aliique permulti. **Comment. ad Terent.* ex cod. *Ambros.* ed. *A. Maio*, p. 65. ed. *Mediol.* STERCILINIVM pro Sterquilinium. *B. A.*

STERTEJUS, a, um, adj. qui stertit, ignavus, desidiae plenus. *Petr. fr. Trag.* 75. *Burm.* Tu autem sterteja, etiamnum ploras? Alii leg. *stertera* eadem sententia. Sic appellatur femina, quae singultiens sonum stertentis edere videtur. Sunt tamen qui reponendum censent *sterceja*; q. v. v. s. l.

STERTĪNĬUS, a, um, adj. ad Stertinium pertinens. *Hor. Ep.* 1, 12, 20. Empedocles, an Stertinium deliret acumen, *h. e.* L. Stertinii, civis R., philosophi Stoici, cujus meminit *Id. Sat.* 2, 3, 32. et 296.

STERTO, is, ui, n. *ῥέγχω*, dormiendo rhoncos edo. Saepe autem dicitur de arcte dormientibus: item de pigris et inertibus. *Pl. As.* 5, 2, 22. Labore delassatus noctem totam stertit. *Id. Mil.* 3, 2, 6. *Lu.* sorbet dormiens. *Pa.* quid, sorbet? *Lu.* illud, stertit, volui dicere: sed quia consimile est, quod stertat, quasi sorbeat. *Capell.* 8, 270. Silenus jam dudum laxatus in somnos, forte repente blandum stertens ranae sonitum desorbentis increpuit. *Cic. Att.* 4, 3. *f.* Marcellus candidatus ita stertebat, ut ego vicinus audirem. *Id. Acad.* 4, 29. Placet Chrysippo, cum gradatim interrogetur, etc. quiescere, id est quod ab iis dicitur, *ἡσυχάζειν*. Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas. *Hor. Sat.* 1, 3, 17. noctes vigilabat ad ipsum Mane: diem totum stertebat. *Juven.* 1, 57. ad calicem vigilanti stertere naso, *h. e.* simulare dormientem, cum maxime vigilet. *Pers.* 3, 3. Stertimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat; et 5, 132. Mane piger stertis: surge, inquit avaritia. *Ter. Eun.* 5, 8, 49. Fatuus est, insulsus, tardus: stertit noctesque et dies. *Lucr.* 3, 1062. Vigilans stertis: proverb. in hominem tardum, hebetem: item inertem, desidiosum, otio vitae tempus male terentem. Simile est illud *Plauti Amph.* 2, 2, 65. et *Capt.* 4, 2, 68. Vigilans somniat; et *Ps.* 1, 3, 151. Ad eam rem usus est hominem astutum, doctum, scitum, et callidum, qui imperata effecta reddat, non qui vigilans dormiat. ℙ Praeteritum *stertui* agnoscitur a *Prisc.* 10, 903., et confirmatur praeterito *destertui*.

STĒSICHŌRĬUS, a, um, adj. ad Stesichorum pertinens. Stesichorium metrum constat pentametro acatalecto, ut est hoc: Marsya cede domi tua carmina Phoebo. *Serv.* in *Centimetr.* p. 1820. ℙ Stesichorium est et illud, quod constat heptametro catalecto, ut: Aeacides juvenis trahit Hectora: plangite Pergama Troes. *Id. ib.* p. 1281. ℙ Item illud inter anapaestica, quod constat trimetro acatalecto, ut: Latet in thalamo tibi virgo decens Veneris specie. *Id. ib.* p. 1822.

STĒSICHŌRUS, i, m. *Στησίχορος*, poeta Lyricus Graecus, ex Himera Siciliae urbe, in cujus infantis ore lusciniam ferunt aliquando consedisse canentem. *Quint.* 10, 1. *med.* Stesichorum, quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces, et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis, in agendo simul loquendoque, debitam dignitatem: ac, si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse: sed redundat atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiae vitium est. *Hor. Od.* 4, 9, 8. Stesichorique graves Camoenae. *Stat. Silv.* 5, 3, 154. Stesichorusque ferox.

STHĔNĔBOEĬUS et Sthenoboeius. V. STENEBOEIUS.

[STHĔNĔLĒIS, idis, f. patron. *Ov. Met.* 12, 581. In volucrem corpus nati Stheneleida versum Mente dolet patria, *h. e.* Cycnum, filium Stheneli, in avem sui nominis mutatum. Plerique leg. *Phaethontida*, alii *Cycneida*; at *Heinsius* leg. putat *Ledeida. F.*]

STHĔNĔLĒĬUS, a, um, adj. *Σθενέλειος*, ad Sthenelum pertinens: qui fuit filius Capanei, pater Eurysthei, et ad Trojam cum Graecis multa cum laude militavit: unde *Hor. Od.* 1, 15, 23. Urgent impavidi te Salaminius Teucer, et Sthenelus sciens Pugnae. Adde *Od.* 4, 9, 20. et *Stat. Achill.* 1, 469. Fuit amicus Diomedis, procus Helenae, atque unus ex iis, qui in equum Trojanum se condiderunt, ut *Hyg. fab.* 81. 108. et 257. tradit. *Ov. Her.* 9, 25. de Hercule: Quem non mille ferae, quem non Stheneleius hostis, Non potuit Juno vincere, vincit Amor, *h. e.* Eurystheus, qui *Stheneius* dicitur ab *eod. Met.* 9, 273. Sic *ib.* 2, 368. proles Stheneleia Cycnus.

*STHENIS, idis, insignis pictor, Olynthius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*STHENO, us vel onis, f. *Σθενώ*, una ex filiabus Phorci ac Cetus, Medusae soror. *Hyg. fab. praef. B. A.*

STĪBĂDĬUM, ii, n. *στιβάδιον*, lectus semicirculi formam habens, mensis rotundis accomodatus, quo usi Romae sunt pro tribus lectis, postquam mensae citreae, quae rotundae erant, in honore magno apud omnes esse coeperunt: est *στιβάδιον* diminutivum a *στιβάς*, quod est stratum cubandi causa, a *στείβω*, calco, quia conculcatur et comprimitur pondere accumbentium. Nempe *στιβάς* proprie significat torum ex herbis, aut frondibus factum, quali olim veteres usi sunt; postea ex alia materia fieri consuevit: ab ejus forma semirotunda dictum est etiam sigma. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 702. Antiqui stibadia non habebant, sed stratis lectis epulabantur; unde et triclinium sterni dicitur. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Stibadium candido marmore, vite protegitur: vitem quatuor columellae Carystiae subeunt; e stibadio aqua, velut expressa cubantium pondere, siphunculis effluit. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* In coenatiuncula stibadium, et nitens abacus. *Id. ep.* 1, 11. *med.* Tantum remoratus, quantum stibadii circulum celerantia ministeria percurrunt. *Mart.* 14, 87. in cujus lemmate est *Stibadium:* Accipe lunata scriptum testudine sigma: Octo capit; veniat, quisquis amicus erit. ℙ [Ordo accumbendi in stibadio alius fuit, ac in triclinio (de quo postremo V. in ACCUMBO.); circa Augusti tempora stibadio pro triclinio uti coeperunt Romani, in eoque locus omnium honoratissimus habitus est primus in cornu dextero; secundus ab illo fuit primus in cornu sinistro; proximas huic, tertius, quartus, quintus, ac reliqui deinceps ordine subsequebantur; ita ut in pleno stibadio ultimus primo proximus esset, ab eodem primo remotissimus ex adverso in altero cornu secundus. Hic convivarum ordo colligitur tum ex *Sulpic. Sev. Vit. S. Mart.* 20., qui Magni Maximi Aug. convivium *περιτάκλινον* describit, cum is ann. a Chr. n. CCCLXXXIV. Treveris esset; tum ex *Sidon. ep.* 1, 11., in qua Majoriani Aug. convivium *ἐννεάκλινον* narratur, quod Arelate ann. CCCCLXI. habitum fuit; tum ex convivio Christi cum Apostolis, cujus in *Euang. Divi Joann. c.* 13. mentio est. *Sulpic. Sev. l. c.* Convivae aderant summi atque illustres viri, praefectus idemque consul Evodius, frater regis, et patruus, medius inter hos Martini presybter accubuerat, ipse autem (*Martinus*) sellula juxta regem posita consederat. *Sidon. l. c.* Postridie jussit Augustus, ut epulo suo circensibus ludis interessemus. Primus jacebat cornu sinistro consul ordinarius Severinus; juxta eum Magnus, olim ex praefecto, nuper ex consule; recumbente post se Camillo filio fratris; Paeonius hinc propter; atque hinc Athenius; hunc sequebatur Gratianensis; ultimus ego jacebam, qua purpurati (*Augusti*) latus laevum margine in dextro porrigebatur. De convivio autem Christi cum Apostolis consule *Sirmondum* in *not.* ad *Sidon. l. c.* ℙ Numerus convivarum in triclinio fuit plerumque ternarius, ad summum novenarius. *Gell.* 13, 11. M. Varro dicit, convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, et progredi ad Musarum; id est proficisci a tribus, consistere in novem: ut, cum paucissimi convivae sunt, non pauciores sint, quam tres; cum plurimi, non plus quam novem. Item novenarius fuit in convivio Nasidieni ap. *Hor. Sat.* 2, 8.: idem ap. *Pl. Stich.* 3, 2, 31. Ceterum aliquando plures quam novem fuisse, patet ex *Macr. Sat.* 2, 9., qui anno U. C. circiter quingentesimo pontifices decem in duobus tricliniis, et sex feminas in tertio cubuisse narrat in coena pontificali, more fortasse Graecorum; ait enim *Cic. Pis.* 27. *f.* Graeci stipati quini in lectulis, saepe plures. Extra ordinem etiam habendus numerus duodevicesimus convivarum in platano ann. circirter a Chr. n. LXX., cum C. Licinius Mucianus esset legatus Asiae, ut habetur ap. *Plin.* 12, 1, 5., quemadmodum etiam illa coena Caligulae, quam hic in rure Veliterno in platano itidem agitavit cum quatuordecim comitibus, quamque ideo is nidum appellavit, ut *Id. ib.* narrat. Si quis porro, completo jam convivarum numero, advenisset, in subsellio prope lectum sedebat, ut patet ex *Plaut. l. c.* Sedentes etiam epulabantur qui erant in luctu, ex *Plutarch.* in *Cat. min. c.* 56.; item feminae plerumque ex *Val. Max.* 2, 1. *n.* 2.; item pueri praetextati ex *Tac. A.* 13, 16. et *Suet. Aug.* 64. et *Claud.* 31. ℙ In stibadio vero varius fuit: ita enim *Mart.* 14, 217., cujus lemma *Obsonator:* Dic quotus, et quanti cupias coenare, nec unum Addideris verbum: coena parata tibi est. Quinque porro fuerunt ap. *Sulpic. Sev. l. c.*, sex ap. *Mart.* 9, 60., septem ap. *eund.* 10, 48., octo ap. *eund.* 14, 87., novem saepissime, ut ap. *Sidon. l. c.* in §. 2. et *Lampr. Elag.* 29., duodecim ap. *Suet. Aug.* 70., quae coena ideo *δωδεκάθεος* vulgo est vocata, quia convivae Deorum Dearumque, qui Consentes dicuntur, habitu discubuerant; unde corrigendus est error *Capitolini*, qui in *Ver.* 5. affirmat, Verum omnium primum duodecim convivas invitasse, cum tamen notissimum sit dictum de numero convivarum, *Septem convivium, novem vero convicium.* (V. h. v.) Etiam tertiusdecimus conviva saepe additus fuit, qui rex convivii dicebatur, et erat Apollinis loco, ut satis luculenter apparet ex *Macr. Sat.* 1, 7. Euangelus, Dysarius, et Horus superveniunt convivio, in quo, excepto rege convivii, tot erant convivae, quot Musae sunt. Tum omnes orare, blandeque ad commune invitare consortium Euangelum, et cum eo pariter ingressos. Quid ergo perfecto numero, inquit Evangelus, quaeritis adjiciendos? Et Vettius (*convivii rex*), Hoc, inquit, nobis praesentia vestra praestabit, ut et Musas impleamus, et Gratias. Haec ex *Macrobio.* Hinc factum est, ut, cum tresdecim etiam fuissent convivae in postrema Christi coena, de qua mentio est in *Euang. Joann. l. c.*, cumque unus ex illis Judas Iscariotes Christi proditor fuerit, usus apud nostrates obtinuerit, ut tertiusdecimus convivarum numerus ominosus habeatur. *F.*]

STĪBI. V. in v. sq.

STĪBĬUM, ii, n. quod et Stibi, et Stimmi dicitur, metalli genus. Graece dicitur *στίβι, στίμμι, στίμμις*: a *στιβίω*, seu *στείβω*, adstringo, quod eam vim habet. Usus ejus est mulieribus in fucanda facie. Peculiariter vero ad venustandos oculos olim stibio utebantur. *Plin.* 33, 6, 33. In iisdem argenti metallis invenitur, ut proprie dicamus, spumae lapis candidae nitentisque, non tamen translucentis: stimmi appellant, alii stibium, alii alabastrum, alii larbason. Duo ejus genera, mas, et femina, etc. Vis ejus adstringere et refrigerare: principalis autem circa oculos: namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatet oculos. Et fluxiones inhibet oculorum, exulcerationesque, etc. Haec *Plin.* Ap. *Cels.* 6, 6. saepe in compositionibus collyriorum stibium memoratur, ut *n.* 6, 8, 12, 13. etc. ℙ Dicitur etiam *stibi, is. Plin.* 29, 6, 37. Additis duabus sextis denarii e stibi, etc. *Scrib. Comp.* 27. Recipit collyrium haec: Croci P. IV., cadmiae P. IV., stibis P. IV., etc. Adde *ib.* 34.

STĪCĂ, ae, f. tunica involvens singulos allii nucleos. *Cato R. R.* 70. et *Colum.* 11, 3. *med.* et 10, 112. Ita legunt et interpretantur *Salm.*, *Graev.* et *Voss.*, quos contra *spicam*, veterem lectionem, acriter et merito tuetur *Pontedera* ad *l. c. Cat.* V. SPICA.

STICHĂ et Stica, ae, f. *στιχή*, Graecis est uvae genus, quam Latini apianam dicunt: a *στίχ, στιχός*, ordo: nempe ab acinorum ordine. *Plin.* 14, 9, 11.

STICHUS, i, m. nomen servi, ap. *Plautum*, quo comoediam suam inscripsit: a *στίζω*, pungo, quia servi, praesertim fugitivi, punctis quibusdam in facie, aliave parte notabantur.

*STICTE, es, f. una e canibus venaticis Actaeonis. *Ov. Met.* 3, 217. *Hyg. fab.* 181. *B. A.*

STĪCŪLĂ, ae, f. genus vitis ap. *Colum.* 3, 2. *f.* fortasse eadem ac sticha: ejusque est diminutivum: nomen habens ex eo, quod acina lineis, venulis, striisque distincta et ordinata producit.

STĪGMĂ, ātis, n. *στίγμα*, punctum, nota, signum, quod servorum, praecipue fugitivorum, aliorumque, quos infamia notare placeret, frontibus inurebatur: a *στίζω*, pungo. Interdum haec erant simplices notae, interdum litterae, et verba. *Petr. Sat.* 103. Sequar, ego, frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puniti; (alii leg. *puncti.*) et *mox:* Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris, et notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit; et *ib.* 105. *f.* Stigmata captivorum frontibus impressa. *Vitr.* 2, 8. *med.* Stigmata alicui imponere. *Sen. Ben.* 4, 37. *f.* Stigmata alicui inscribere. *Quint.* 7, 4. *med.* scribere. *Suet. Cal.* 27. Deformare quempiam stigmatum notis. *Mart.* 10, 56. Tristia servorum stigmata delet Eros. *Plin.* 30, 4, 10. Stigmata delentur columbino fimo. ℙ Translate de quavis nota infamiae, v. gr. de famosis versibus. *Mart.* 6, 64. At si quid nostrae tibi bilis inusserit ardor, Vivet, et haerebit, totoque legetur in orbe: Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte; et 12, 62. Frons haec stigmate non meo notanda. *Suet. Caes.* 73. A quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat. ℙ De notis in facie ab imperito tonsore novacula factis. *Mart.* 11, 84. Haec quaecumque meo numerasti stigmata mento, Antiochi ferrum est, et scelerata manus. ℙ Fuerunt stigmata etiam notae inustae in manu aut brachio tironibus militiam ingressis, per quas inter milites scribebantur, postquam experimento compertum fuerat, eos militaribus muneribus pares futuros. Quod et in aliis servis publicis factitatum est. Hinc *Veg. Mil.* 1, 8. Sed non statim punctis signorum inscribendus est tiro dilectus, verum ante exercitio praetentandus, etc. *Id. ib.* 2, 5. Puncturis (lege *victuris*) in cute punctis milites scripti, et matriculis inserti. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 11, 9, 3. Stigmata, hoc est notae publicae fabricensium brachiis ad imitationem tironum infligantur, ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci. Idem statuit *Imp. Zeno ib.* 42, 10. de aquaeductuum custodibus, quorum manibus suum nomen imprimi decernit, ut manifesti sint omnibus, nec ad alios usus abducantur. ℙ *Stigma, ae*, f. V. SCHEMA. *Petr. fr. Trag.* 45. *Burm.* Quamdiu vixerit, habebit stigmam, nec illam nisi Orcus delebit. Adde *ib.* 69.

STIGMĂTĬAS, ae, m. *στιγματίας*, servus notis compunctus. *Cic. Off.* 2, 7. O miserum, qui fideliorem et barbarum, et stigmatiam putaret, quam conjugem! Ita leg. passim, et *Non.* 1, 194. Est tamen qui perperam malit *stigmaticum.*

STIGMATICUS. V. v. praec. et STIGMOSUS.

*STIGMĂTUS, a, um, part. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 12. Veritas literis stigmata. *B. A.*

STIGMO, as, avi, a. 1. notis, seu stigmatis noto, στιγματίζω. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1079. de Gallis Cybeles: Quamcumque partem corporis fervens nota Stigmarit, hanc sic consecratam praedicant.

STIGMOSUS, a, um, adj. στιγματώδης, qui stigmate compunctus est. *Petr. Sat.* 109. Dicta vetuit in calvos, stigmososque jaculari. Alii minus recte leg. *stigmaticosque. Arulenus Rustic.* ap. *Plin. ep.* 1, 5. Vitelliana cicatrice stigmosus.

STILBON, ontis, m. στίλβων, coruscans, Graece ita appellatur stella Mercurii: a στίλβω, corusco. Graece habet *Cic. N. D.* 2, 20., Latine *Auson. Idyll.* 18, 11. et *Capell.* 8, 287., qui ejus lumen *vibrabile*, et *vibrabundum* appellat. **Hyg. Astron.* 2, 42. *extr.* ℙ Fuit et Stilbon nomen unius e canibus Actaeonis. *Hygin. fab.* 181. ℙ Stilbon, philosophus. V. *Stilpon. B. A.*

*STILICHO vel

*STILICHON, Στιλίχων, V. *Stilichonius, a, um. B. A.*

STILICHONIUS, a, um, adj. ad Flavium Stilichonem pertinens. *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 177. Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum, *h. e.* Maria filia Stilichonis, quae Honorio Imp. R. nupsit. Fuit enim Stilicho, natione Vandalus, vir fortissimus, et dux inclytus, qui a Theodosio M. (cujus filiam adoptivam Serenam duxit uxorem) tutor datus Arcadio, et Honorio filiis, multa feliciter bella gessit, insignesque victorias reportavit: quas ob res impense a *Claudiano* poeta laudatur. Inde socer Honorii factus, cupiditate imperii, quod Eucherio filio parere conatus est, tanta in rem Romanam meretor corrupit: ac demum tanquam rebellis et prodiator ab Honorio ipso interfici jussus est Ravennae ann. a Chr. n. CCCCVIII. *Orot.* 7, 37. et 38. ℙ Rectus casus est etiam *Stilichon*, ut videre est in *Inscr.* ap. *Grut.* 110, 9., ubi et aspiratio omittitur: item 1054, 5. et 1056, 4. ℙ *Stelicho* bis legitur in gemma onyche ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4999.

STILLA, ae, f. στάλαγμος, gutta: dimin. a *stiria*, ut *Festus* in *Stiricidium*, et *Serv.* ad *G.* 3, 366. docent. [**Doederl.* 3, 2. docet, *stilla* posse simplicissima ratione per *stigula* intelligi, sicut *palus* per *pagulus*, ortumque habere, ut *titillare* in tetigisse, in *tinguere*, θιγεῖν, τέγγειν. *Stiria* autem non esse primitivam v. *stillae*, sed aut gravioris pronuntiationis, aut, quod ipsi etiam probabilius videtur, forma tantum diversum vocabulum ejusdem originationis. Porro *Stilla* significare liquidam guttam, *stiria* congelatam.] *Front. de diff. verb.* p. 2199. statuit discrimen inter guttam et stillam, quod illa manet, haec cadit. Sed et *gutta* dicitur quae cadit. [*Rectius videtur *Doederl.* 3, 2. sq. *Pseudopalaemon* discrimen utriusque vocabuli ita constituisse: *Gutta* ymbrium est, *stilla* olei vel aceti: vel latiore sensu: *gutta* esse natura, *stilla* arte formatum.] *Cic. Fin* 3, 14. Ut inderit magnitudine maris Aegaei stilla muriae. *Plin.* 29, 4, 22. Ex eo adipe, cum opus sit, ternis stillis additis in oleum, perunguntur. *Vitr.* 2, 9. Incidatur arboris crassitudo ad mediam medullam, et relinquatur, uti per eam exsiccescat stillando succus. Tum autem, cum sicca et sine stillis erit arbor, dejiciatur. ℙ De quacumque modica quantitate. *Mart.* 12, 70. Atque olei stillam daret enterocelicus unctor. *August. ep.* 140. Paucula temporum stillae.

STILLĀTĪCĬUS, a, um, adj. stillatim cadens, στραγγλας, στακτός. *Plin.* 16, 11, 22. Eadem resina si cum aqua levius decoquatur, coleturque, rufo colore lentescit, ac stillaticia vocatur.

STILLĀTIM, adv. περισταλάδην, per stillas. *Varr. L. L.* 4, 5. Stillicidium, eo quod stillatim cadat; flumen, quod fluit continue.

[STILLĀTĬO, onis, f. *Hieron. in Mich.* 1, 2, 6. Aquila interpretatus est, *ne stilletis stillantes*, eloquium, ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium in similitudinem pluviae descendentis, stillationem vocans. *F.*]

STILLĀTĪVUS, a, um, adj. stillaticius, ut Stillativum mel, *Plin. Valer.* 1, 18.

STILLĀTUS, a, um, part. a *stillo: ἐσταλαγμένος*, stillando effusus. *Ov. Met.* 2, 364. stillataque sole rigescunt De ramis electra novis; et *ib.* 10, 501. stillataque cortice Myrrha Nomen herile tenet.

STILLĬCĬDĬUM, ii, n. σταλαγμός, humor stillatim cadens: et ipse casus humoris stillatim defluentis: a *stilla*, et *cado*. [*De discrimine inter *stillicidium* et *stiricidium*. V. in h. v.] *Varr. L. L.* 4, 5. Stillicidium, eo quod stillatim cadat; flumen, quod fluit continue. *Lucr.* 1, 313. Stillicidi casus lapidem cavat. *Sen. Q. N.* 4, 3. Quare rotunda sit grando, etiam sine magistro scire poteris, cum adnotaveris, stillicidium omne conglomerari. *Plin.* 17, 12, 18. Stillicidia pinus, quercus, ilicis, ponderosissima: nullum cupressi; et *mox:* Stillicidii brevis definitio est: omnium, quae projectu frondis ita defenduntur, ut per ipsas non defluant imbres, stilla saeva est. *Id.* 30, 8, 21. Herinacei caro stillicidia in vesica emendat: ταγγονρίαν; et *ib.* Stillicidium urinae. *Id.* 28, 8, 32. Urina lyncum stillicidia vesicae inhiberi. *Tert. Spect.* 27. *extr.* Stillicidia mellis. ℙ Etiam de sanie aut sanguine manante dicitur. *Sen. ep.* 101. *f.* Invenitur qui malit inter supplicia tabescere et perire membratim, et toties per stillicidia amittere animam, quam semel exhalare: scil. cruce suspensum mori. *Id. Ira* 3, 18. M. Marius, quem Catilina ante bustum Q. Catuli carpebat, per stillicidia sanguinem dabat, *h. e.* gattatim: nam ei Catilina, jussu Sullae, perfregerat crura, eruerat oculos, amputaverat manus, et paulatim ac per singulos artus laceraverat. ℙ Saepe dicitur de aqua ex projecturis tectorum cadente. *Cic. Or.* 1, 28. Jura parietum, luminum, stillicidiorum. *Vitr.* 2, 1. Fastigia facientes, proclinatis tectis stillicidia deducebant. *Paul. Dig.* 8, 6, 8. Si stillicidii immittendi jus habeam in aream tuam. *Id. ib.* 2, 19. Si ex tegula casitaverit stillicidium; et *mox:* Servitutem stillicidii alicui imponere; et *f.* Si in aedificio cadit stillicidium, supra aedificare ei conceditur, dum tamen stillicidium recte recipiatur. *Ulp. ib.* 16. Imponere vicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum.

STILLO, as, avi, atum, a. 1. στάζω, stillatim humorem emitto, aut infundo. *Plin.* 12, 23, 49. Africa ammoniaci lacrimam stillat in arenis suis. *Id.* 20, 5, 20. Caepam coctam, in anriculis sonitum aut gravitatem emendantes, cum adipe anserino stillavere. *Hor. A. P.* 429. Rorem ex oculis siillare, *h. e.* lacrimulas fundere. ℙ Translate. *Juven.* 3, 122. cum facilem stillavit in aurem Exiguum de naturae patriaeque veneno. ℙ Saepius neutrorum more adhibetur, sine casu, vel cum ablativo. *Varr. R. R.* 1, 41. Vas, unde stillet lente aqua. *Lucr.* 6, 943. in speluncis saxa superna Sudant humore, et guttis manantibu' stillant. *Sen. Thyest.* 1061. frusta artuum lentis ignibus stillare jussi. *Cic. Phil.* 2, 12. Qui stillantem prae se pugionem tulit; et *Juven.* 6, 109. acre malum semper stillantis oculi; et 5, 79. et multo stillaret paenula nimbo. *Tibull.* 3, 4, 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma: et 1, 8, 51. Illius e nitido stillent unguenta capillo. *Prop.* 2, 7, 88. ferro stillat cruor. *Ov. Met.* 1, 112. Flavaque de viridi stillabant ilice mella. *Id. Am.* 1, 8, 11. Sanguine (siqua fides) stillantia sidera vidi. *Lucan.* 7, 837. sanguineis stillavit roribus arbor. *Sen. Octav.* 513. Stillans sanies per putres vultus. *Lucan.* 6, 547. nigramque per artus Stillantis tabi saniem. *Mart.* 10, 56. Non secat et tollit stillantem Fannius uvam: unde multa pituita decurrit, ut *Cels.* 6, 14. scribit, cum medicamento illita est. *Lucr.* 4, 1053. dulcedinis in cor Stillavit gutta. ℙ Catachresis est in illo *Stat. Th.* 3, 536. Certis inexperto rorantes sanguine ventos, Et plumis stillare diem; et *Calpurn. Ecl.* 6, 22. vel te certamine quisquam Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces Rumpis, et expellis male singultantia verba? *h. e.* aegre, et per intervalla, et quasi stillatim exeuntes. Sic *Sen. ep.* 40. Aeque stillare illam (*orationem*) nolo, quam currere: nec extendat aures, nec obruat.

[STILLOSUS, a, um, adj. qui rigidis est membris: videtur esse a *stilus*, qua rectum aliquod significatur, ideoque *stilosus* fortasse scribendum. *Veg. Vet.* 2, 54. Orthocola jumenta, vel stillosa dicuntur, quae, etc. V. in ORTHOCOLUS. *F.*]

STĪLO, as, n. 1. stilum, seu virgam simplicem emitto. *Colum.* 4, 33. Simulatque semina castanearum stilaverint, etiam bima transferri queunt. [Ita *Gesnerus* et *Schneiderus* recte ediderunt: alii perperam *stillaverint*. V. similia loca in STILUS. *F.*]

[STĪLO, onis, m. qui stilum scribentium tractat. Est cogn. R. *Suet. Gr.* 3. L. Aelius cognomine duplici fuit: nam et Praeconinus, quod pater ejus praeconium fecerat, vocabatur; et Stilo, quod orationes nobilissimorum cuique scribere solebat. V. PRAECO. *F.*]

*STILPON vel Stilpo, onis, Στίλπων, philosophus, Megarensis, Zenonis Cittiei praeceptor. *Cic. de Fat.* 5. et *Acad.* 4, 24. *Sen. ep.* 9. *Plin.* 7, 53. ed. *Hard.* ubi pro *Stilponis* ed. *Elzev.* habet *Stilbonis*. Cf. *Laert.* 2, 113. *B. A.*

STĪLUS, i, m. στύλος. Graece columnam significat: a voce allata: cujus ratione sunt qui *stylus* scribunt: quamquam cum in Latinam linguam vox translata sit, consuetudo obtinuit, ut Latinis etiam litteris scriberetur. Itaque primo significat instrumentum ligneum, vel ferreum, vel alterius materiae, quod in modum columnae teres, erectum, acuminatumque sit. *Colum.* 11, 3. *med.* Et ligneo stilo laxatis vel rubi, vel ferulae medullis, stercus immittere. *Pall.* 4, 10. *med.* Si vermibus occupentur, stilo aereo purgandi sunt. ℙ Item teres virgultum. *Colum.* 11, 3. *med.* Stilus asparagi. *Id.* 5, 10. *f.* Danda est opera, ut dum (*amygdalae*) teneros ramulos habent, veluti pampinentur, et ad unum stilum primo anno semina redigantur. *Id. ib. med.* Omnis autem nux unam radicem mittit, et simplici stilo prorepit: cum ad scrobis solum radix pervenenerit, etc. V. STILO, as. ℙ Saepissime ponitur pro instrumento scriptorio ferreo, vel aeneo, quo in ceratis tabulis veteres scribebant, quod ab una parte acuminatum erat ad litteras formandas, ab altera obtusum et planum ad delendum, si opus esset, quod scriptum fuerat, et ceram rursus complanandam: alio nomine *graphium* dictum est. *Plin.* 34, 14, 39. Stilo (*ferreo*) scribere intutum (al. *vetitum*), ut vetustissimi auctores prodiderunt. Hinc *Isid. Or.* 6, 9. Graeci et Tusci primum ferro in cera scripserunt, postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Postea institutum est, ut ceram ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satyra dicens: Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus Osseo. *Sympos. Aenigm.* 1. de stilo: De summo planus, sed non ego planus in imo: Versor utrinque manu, diverso et munere fungor: Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit. *Pl. Bacch.* 4, 4, 63. Effer cito stilum, ceram, tabellas, et linum; et *ib.* 76. Cape stilum propere, et tabellas: quod jubebo, scribito istic; et *mox* 97. Cedo tu ceram ac linum actutum, age obliga, obsigna cito. ℙ Metonymice pro forma scriptionis, seu structura verborum, charactere, phrasi, genere dicendi. [*Perperam *stilus* hac significatione etiam ap. *Cic.* usurpari docuerat *Noster* cum multis aliis: quos semel refutasse videtur *Ernest.* in *Technol. lat. rhet.* p. 372. sqq. ubi recte monet, *Plinii* junioris demum temporibus et sequentibus morem illum invaluisse, ut *stilus* pro ipsa dicendi forma et ratione acciperetur. Cf. *Spald.* ad *Quint.* 2. p. 474. et 4. p. 136. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 26. p. 76.] *Suet. Aug.* 85. Tragoediam magno impetu exorsus, non succedente stilo, abolevit [*Adde *Macr. Sat.* 5, 1. Stili dicendi duo sunt; unus est maturus et gravis, alter huic contrarius, ardens erectus et infensus etc. cf. *Auct. Dial. de Oratt.* 39; *Gell. N. A.* 3, 3. stilo atque facetia sermonis Plauto congruentis.] ℙ Item pro ipso scribendi exercitio. *Cic. Or.* 1, 33. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector et magister. *Id. ib.* 3, 49. Cum exercitatione, tum stilo, qui et alia, et hoc maxime ornat et limat, formanda nobis oratio est. [*Huc pertinent etiam ista: *Ter. Andr. prol.* 12. dissimili oratione sunt (fabulae) factae, ac stilo. *Cic. Brut.* 45. Orationes Attico stilo scriptae: quae *Forc.* perperam §. antecedenti adscripserat. Porro *ib.* 26. unus enim sonus est totus orationis et idem stilus. *Quint. Inst.* 2, 4, 13. 6, 1, 42. 7, 1, 54. et al. et ad hos locos *Spald.*] ℙ *Stilum vertere* est ejus partem planam scriptis impingere, ut ea deleantur, inducantur, mutentur. *Hor. Sat.* 1, 10, 72. Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint, Scripturus. *Cic. Verr.* 2, 2, 41. Vertit stilum in tabulis suis, quo facto causam omnem evertit suam. Huc pertinet et illud ejusdem *Cic. Or.* 2, 23. Ubertas orationis stilo depascenda est, *h. e.* resecanda sunt superflua. ℙ Est etiam votum, sententia, suffragium, quod nempe stilo in tabellis scribebatur. *Appul. Met.* 10. Cum jam sententiae pares, cunctorum stilis ad unum sermonem congruentibus, ex more perpetuo in urnam aeream deberent conjici. ℙ Denique *stili* dictae sunt ferreae cuspides, sudes acutae, stimuli, acumina latenter humi infixa, in quae hostes incauti incidentes, et praecipue equitatus, sese misere induebant. *Stimuli* a *Caes. B. G.* 7, 73. dicuntur. V. CERVUS et TRIBULUS. *Hirt. B. Afr.* 31. *med.* Extra vallum stili caeci, mirabilem in modum consiti, vel sine defensoribus aditum adversariis prohibebant. *Sil.* 10, 413. Quaque patet campus planis ingressibus hosti, Cervorum ambustis imitantur cornua ramis, Et stilus occulitur, caecum in vestigia telum.

*STIMICON, onis, m. nomen proprium pastoris ap. *Virg. Ecl.* 5, 55. Jampriden Stimicon laudavit carmina nobis. *B. A.*

STIMMI, n. στίμμι. V. STIBIUM.

*STIMON, onis, oppidum Thessaliae. *Liv.* 32, 14. Stimonem et Lampsum. *B. A.*

STIMULA, ae, f. Dea apud veteres nominata a stimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur, ut interpretatur *August. C. D.* 4, 11. et 16. ℙ *Vet. Schol.* ad *Juven.* 2, 3. scribit, Bacchanalia Romae condemnata fuisse, cum probatum esset senatui, honestissimas feminas ad Stimulae Deae lucum foede adulterari. Quare quod ait *Liv.* 39, 12. Expromeret sibi, quae in luco Similae (al. *Semelae*) Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri. *Stimulae* alii reponunt. Dubia res erat etiam *Ovidii* tempore, *Fast.* 6, 503. Lucus erat: dubium, Semelae, Stimulae ne vocetur. *Stimulam* quidam dici putant, quod Venerem stimulet.

STIMULATIO, onis, f. κεντισμός, actus stimulandi. *Plin.* 35, 2, 2. Erat haec stimulatio ingens. *Tac. H.* 1, 90. Nec metu aut amore, sed ex libidine servitii privata cuique stimulatio.

STIMULATOR, oris, m. κέντωρ, qui stimulat. *Cic. Dom.* 5. Seditionis quidem stimulator et concitator tu fuisti. Alii leg. *instimulator*. [*Ita *Orell.* estque jure praeferendum.] *Claud. in Ruf.* 2, 501. Arctoi stimulator perfide Martis. Adde *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 5.

STIMULATRIX, icis, f. quae stimulat, lena. *Pl. Most.* 1, 3, 46. Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici. Adde *ib.* 62.

STIMULATUS, a, um, part. a *stimulo:* stimulo, cuspide punctus, κεντρισθείς. *Colum.* 7, 3. Ea res ferum prohibet a rixa, cum stimulatum suo ictu ipse se sauciat. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 9. Equos vehementer calcaribus stimulatos in adversos Samnites egit. ℙ Translate est instigatus, impulsus. *Cic. Dom.* 55. Si aram aliquam in litore deserto, somniis stimulatus, aut religione aliqua, consecraret

Catull. 63, 4. Atys stimulatus furenti rabie. *Stat. Th.* 8, 93. oro, minas, stimulataque corda remulce. *Ov. Met.* 4, 235. Stimulatus ira. *Mart. Spect.* 19. taurus stimulatus flammis. *Ov. A. Am.* 1, 591. Jurgia praecipue vino stimulata caveto. *Claud. II. cons. Stil.* 341. stimulata fames. *Id. in Eutr.* 2, 269. Rhodano stimulatus Arar, *h. e.* impulsus ad cursum. Est enim Arar lenti fluminis, Rhodanus praecipitis: cum miscentur, hic illum secum trahit.

STĪMŪLĒUS, a, um, adj. ad stimulum spectans, ut Supplicium stimuleum, quod stimulis infligitur. *Pl. Mil.* 2, 6, 31. Nisi mihi supplicium stimuleum de te datur.

STĪMŪLO, as, avi, atum, a. 1. *κεντέω*, stimulo fodio, pungo. *Lucan.* 7, 570. (et *Sil.* 16, 367.) Nobilis hunc Durius stimulabat in aequore currum, *h. e.* hos equos ad currum junctos. *Id.* 4, 441. Quadrijugos atro stimulat Bellona flagello. [**Sil.* 4, 169. de tubicine: stimulas cornu.] ℙ Translate est cruciare, sollicitum habere, curam afferre. *Pl. Cist.* 2, 1, 4. Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser. *Id. Capt.* 3, 4, 67. Deliramenta loquitur: larvae stimulant virum. *Cic. Rosc. Am.* 2. *f.* Hunc sibi ex animo scrupulum ut evellatis, postulat, qui se dies noctesque stimulat ac pungit. *Id. Par.* 2. *f.* Te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant judiciorum. [**Cf. Schütz. cl. Cic.*] *Claud. in Ruf.* 2, 326. curis animum stimulantibus aegrum. ℙ Item impellere, commovere, concitare. *Cic. Fam.* 3, 12. *f.* Ut vetus nostra simulas antea stimulabat me, ut caverem, ne, etc. sic affinitas novam curam affert cavendi, ne, etc. *Auct. dial. de Or.* 37. Non minus rubore, quam praemiis stimulabantur, ne, etc. *Plin. ep.* 6, 5. *med.* Qui modo ad Celsum, modo ad Nepotem cursitabant, nunc quasi stimularent et accenderent, nunc quasi conciliarent componerentque. *Liv.* 3, 68. Incitare et stimulare aliquem. *Id.* 1, 23. *med.* Cupido imperii populos ad arma stimulat. *Sall. Cat.* 18. Inopia et mali mores stimulant ad vexandam rempublicam. *Liv.* 1, 22. Tum aetas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat. *Lucan.* 1, 208. de leone: ubi se saevae stimulavit verbere caudae, Erexitque jubam. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 207. Stimulare in arma. *Tac. H.* 2, 44. Extrema desperatione ad iram saepius, quam in formidinem stimulabantur. *Ov. Trist.* 1, 6, 9. rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris Incustoditum captat ovile lupus. *Plin.* 9, 8, 9. Stimulare fugam hostium, *h. e.* praebere hostibus fugiendi causam. ℙ Cum inf. *Sil.* 12, 503. sparsosque per arva juvencos Jactare accensis stimulavi cornibus ignes. *Lucan.* 6, 423. stimulante metu fati praenoscere cursus. ℙ Pro orexim facere, cupidinem excitare. *Plin.* 23, 7, 67. Persicorum succus sitim stimulat. *Id.* 20, 5, 15. Stimulari Venerem hoc cibo, certum est. *Id.* 2, 8, 6. Veneris sidus animalium omnium conceptus stimulat, *h. e.* excitat animalia ad concipiendum. Absolute. *Id.* 9, 35, 54. Conchas, ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt.

STĪMŪLŌSUS, a, um, adj. stimulis plenus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 9. et *Acut.* 3, 18. Stimulum desiderium Venereae voluptatis.

STĪMŪLUS, i, m. et Stimulum, i, n. *κέντρον*, aculeus, fustis acutae cuspidis, quo rustici boves suppungunt: a *στίζω*, pungo. [*Ita et *Passov.* in *Lex. Gr.* s. h. v. *Doederl.* 1, 161. originem videt in *stipes.*] *Tibull.* 1, 1, 10. Aut stimulo tardos increpuisse boves. *Pl. Men.* 5, 2, 112. Jam astiti in currum, jam lora teneo, jam stimulum in manum est. *Colum.* 2, 2. *f.* Stimulo lacessere juvencum. ℙ *Si stimulos pugnis caedis, manibus plus dolet*, proverb. ap. *Pl. Truc.* 4, 2, 55. quo significatur, suo damno quempiam adversari, quem vincere nunquam possit. Huic simile est illud ap. *Ter. Ph.* 1, 2, 28. Nam quae inscitia est adversum stimulum calces? V. CALCITRO. ℙ Stimulis puniebant servos nocentes. Hinc stimulorum seges, *Pl. Aul.* 1, 1, 6. Stimulorum loculi, *Cas.* 2, 8, 11. Stimulorum tritor, *Pers.* 5, 2, 17. convicia sunt in malum servum. *Id. Most.* 1, 1, 53. Ita te forabunt patibulatim per vias stimulis. *Id. As.* 2, 4, 12. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit, qui latera conteram tua, quae occalluere plagis. *Id. Curc.* 1, 2, 40. Stimulo fodere aliquem. *Cic. Phil.* 2, 34. *med.* Quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius? num exspectas, dum te stimulis fodiam? haec te, si ullam partem habes sensus, lacerat, haec cruentat oratio. ℙ Stimulus cuspidatus, ap. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. est cuspis ferrea, qua purgatur vomer. ℙ In bellicis munitionibus *stimuli* erant sudes acutae humi latenter defixae ad hostium incursionem sistendam. *Caes. B. G.* 7, 73. Taleae pedem longae ferreis hamis infixis totae in terram defodiebantur, mediocrioribus intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant; et *ib.* 82. Postea quam propius successerunt, se ipse stimulis inopinantes induebant. ℙ Idem ac flagellum, quo aurigae equos ad cursum incitant. *Sil.* 7, 701. cecidere et lora repente Et stimuli. *Id.* 16, 431. ni Proditus elapso foret inter verba flagello, etc. Pro stimulis dorso quatiuntur inania lora. ℙ Per translationem ponitur pro cruciatu, et omni eo, a quo vexamur. *Cic. Tusc.* 2, 27. Non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunae contemnamus, licebit. [*Cf. *ib.* 3, 16.] *Sen. Phoen.* 206. Novos stimulos dolori sufligere. *Id. Ag.* 133. Mixtus dolori subdidit stimulos timor. ℙ Item pro incitamento, *Cic. Arch.* 11. *f.* Quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat. *Id. Sext.* 5. Quot stimulos admoverit homini fortassis studioso victoriae. [*Cf. *Coel.* 5.] *Lucan.* 1, 262. dubiaeque in proelia menti Urgentes addunt stimulos. *Quint.* 10, 7. *med.* Addit ad dicendum etiam pudor stimulos. *Lucan.* 2, 324. acres irarum movit stimulos. *Liv.* 30, 14. Non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis. *Ov. Trist.* 5, 1, 76. Ingenio stimulos subdere Fama suo let. *Id. Met.* 1, 244. Stimulos adjicere furenti; et *ib.* 726. Caecos stimulos condere alicui in pectore. *Virg. A.* 9, 718. stimulos acres sub pectore vertis. *Hor. Sat.* 2, 7, 94. acres Subjectat lasso stimulos, versatque negantem. *Virg. A.* 11, 452. arrectae stimulis haud mollibus irae. *Id. ib.* 4, 405. Stimulis agere aliquem. *Sil.* 1, 113. acuere. *Ov. Pont.* 2, 11, 19. quod fuerat stimulis factura sine ullis, Plenius, quod fuerat stimulis factura sine ullis, Plenius

bantur haec (*signa, tabulas pictas, vasa, et hujusmodi artificia*) esse quamplurima apud socios, ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent: apud eos autem, quos vectigales, aut stipendiarios fecerant, tamen haec relinquebant, ut haberent haec oblectamenta et solatia servitutis. *Plin.* 3, 3, 4. et 4, 22, 35. multa oppida in Hispania Romanorum stipendiaria recenset. *Liv.* 24, 47. Quam ob noxam Romanorum vectigalem ac stipendiariam Italiam Africae facerent? ℙ Hinc aliquando civitates, quae stipendiariae fuissent, ob merita vectigales factae; quae vectigales fuissent, eadem de causa liberae et immunes ab omni sumptu et munere essent. *Liv.* 37, 55. *f.* Ceterae civitates Asiae, quae Attali stipendiariae fuissent, eaedem Eumeni vectigal penderent: quae vectigales Antiochi fuissent, eae liberae atque immunes essent. ℙ *Stipendiarius miles*, qui stipendium accipit. *Hirt. B. Afr.* 43. Qui Achillam octo cohortibus stipendiariis Numidis Gaetulisque obsidebat. *Liv.* 8, 8. Clypeis antea Romani usi sunt; deinde postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere, *h. e.* postquam stipendia mererent; nam antea milites gratuitam operam rei publicae navabant. V. STIPENDIUM. Etiam ap. *Varr. L. L.* 4, 36. *f.* Milites stipendiarii ideo (*dicti sunt*), quod stipem accipiebant, *h. e.* pensam, non numeratam accipiebant. Sic contra *Ennius* ap. *eund. ib.* Poeni stipendia pendunt, *h. e.* stipem pensam Romanis tribuunt. Ap. *Veg. Mil.* 1, 18. stipendiarii milites sunt, qui aliquot stipendia fecerunt, et opponuntur tironibus. Alii tamen leg. *stipendiosi*, h. e. qui multa stipendia fecerunt, veterani.

STIPENDIĀTUS, a, um, part. a *stipendior:* is cui stipendium alendi causa solvitur. *Tert. adv. Marc.* 3, 13. de infantib. Ponticis: Pannis armati, et butyro stipendiati, [qui ante norint lanceare, quam lancinare. *F.*]

STIPENDIOR, aris, dep. 1. *a stipendio*, μισθοφορέω, stipendia facio, vel mereor. *Plin.* 6, 19, 22. Regi eorum (*Prasiorum in India*) peditum sexcenta millia, equitum triginta millia, elephantorum novem millia per omnes dies stipendiantur.

STIPENDIOSUS. V. STIPENDIARIUS.

STIPENDIUM, ii, n. ἀποφορά, aes militare, merces militaris: a *stipe pendenda:* quia nondum signato argento, militibus initio quaestores aes grave appensum diribuere. *Plin.* 33, 3, 13. Quin et militum stipendia, hoc est stipis pondera, dispensatores, libripendes, etc. Primis temporibus Romani de suo quisque munus militiae obibant. Post Auxur captum, initio belli Vejentis, sub tribunis mil. consul. potest. circa ann. U. C. CCCXLVII. decretum a senatu est, ut stipendium miles de publico acciperet, ut *Liv.* 4, 59. *extr.* et *ib.* 60. tradit: item *Fest.* in *Privato.* Et tunc quidem pediti, post annos vero circiter tres, eodem Vejenti bello, etiam equiti adsignatum est, teste *eod.* 5, 7. Stipendium peditis fere denarius fuit, centurionis duplex, equitis triplex, ut ex *Tac. A.* 1, 17. et *Liv.* 5, 12. *f.* et 7, 41. *extr.* intelligimus. *Plin.* 33, 3, 13. In militari stipendio semper denarius pro decem assibus datus. *Caes. B. C.* 1, 87. Cum stipendium ab legionibus, paene seditione facta, flagitaretur, cujus illi diem nondum venisse dicerent. *Cic. Att.* 5, 14. Stipendium militibus usque ad Id. Quint. persolutum. *Id. Or.* 2, 64. Cum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, *h. e.* militantem. *Id. Balb.* 27. Victorem exercitum stipendio afficere. *Id. Pis.* 36. Stipendium militibus numerare. ℙ *Stipendia facere, merere*, militare. *Sall. Jug.* 67. Ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis sese exercuit. *Nep. Cat.* 1. Primum stipendium meruit annorum decem septemque. *Liv.* 3, 27. Cum stipendia pedibus propter pauertatem fecisset. *Id.* 5, 7. Equis se stipendia facturos promittunt. *Id.* 21, 43. Tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipendia facere, *h. e.* militiam militare, ex qua multum praedae faciatis. ℙ Metonymice significat unius anni militiam. *Pl. Epid.* 1, 1, 36. Si in singulis stipendiis ad hostes exsuvias dabit. *Sall. or. ad Caes.* 1. *f.* Providendum ne militia injusta, aut inaequalis sit; cum alii triginta, pars nullum stipendium faciet. *Tac. A.* 1, 17. Quod tricena, aut quadragena stipendia senes tolerent. *Hirt. B. G.* 8, 8. Legio octavo jam stipendio functa. *Plin.* 7, 28, 29. Secundo stipendio dextram manum perdidit. *Liv.* 31, 8. *f.* Stipendia multa habere. ℙ *Homo confectis*, aut *emeritis stipendiis*, ap. *Cic. Manil.* 9. *f. Liv.* 3, 57. *f.* et *Sall. Jug.* 88. est, qui legitimum militiae tempus explevit. Nam lege cautum erat, ut cives R. triginta annorum spatio, intra decimum septimum, et quadragesimum septimum, militiae operam darent, equites quidem decem annos, pedites vero viginti, ut *Lips.* docet *de mil. R.* 1, 2. et 5, 19. Eam militiam cum explessent, *emeritis stipendiis*, et *veterani* esse dicebantur. Sed non semel contigit, ut aut ita publica re postulante, aut praemiorum spe, aut imperatorum artibus ultra id tempus sub vexillis detinerentur, aut, si dimissi essent, revocarentur. V. EVOCATUS. Initio principatus Tiberii, seditionis militaris compescendae causa, sancitum esse scribit *Tac. A.* 1, 36., ut missio daretur vicena stipendia meritis, exauctorarentur qui senadena fecissent, ac retinerentur sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis. *Liv.* 39, 18. *f.* Ut P. Aebutio emerita stipendia essent, *h. e.* ut haberetur, tanquam si legitimum militandi tempus implevisset, licet nullum stipendium fecisset. ℙ *Nullius stipendii* ap. *Sall. Jug.* 87. et *Tac. H.* 2, 76., qui nunquam militavit. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 14. At illa quanti sunt! animum tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque, ut dicitur, vivere. *Sen. ep.* 93. *med.* Functus omnibus humanae vitae stipendiis, *h. e.* officiis. *Colum.* 3, 6. *f.* Sed ubi plurimis velut emeritis annorum stipendiis fides surculo constitit, nihil dubitandum est de fecunditate. V. JURISONUS. ℙ *Stipendium* interdum est tributum quodque, quia principio tributum impositum est, ut ex eo stipendia militantibus solverentur, ut ex *Liv.* 4, 60. et *Tac. H.* 4, 74. constat. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 36. *f.* Poeni stipendia pendunt. *Vell.* 2, 39. Stipendium conferre. *Liv.* 38, 16. exigere. *Caes. B. G.* 1, 44. capere jure belli, quod victores victis imponere consueverunt. *Cic. Balb.* 18. Afros, Sardos agris stipendioque multare. *Caes. B. G.* 5, 27. Liberari stipendio. ℙ Translate est quaevis multa, aut poena. *Catull.* 64, 173. Indomito nec dira ferens stipendia tauro, *h. e.* tributum septem adolescentulorum, ac totidem puellarum, quod ab Atheniensibus Minotauro quotannis pendebatur. *Hor. Epod.* 17, 36. Quae finis, aut quod me manet stipendium? Effare: jussas cum fide poenas luam. ℙ Item subsidium, suppetiae. *Colum.* 1, 1. *med.* Et alii tamen (*scriptores*) obscuriores aliquod stipendium nostro studio contulerunt. ℙ Item impendium, sumptus. *Id.* 2, 2. *med.* Ignorans plus esse reditus in ubertate frugum, quam stipendii, si majora mercemur armenta. Est qui leg. *impendii.*

STIPES, itis, m. στύπος, κορμός: a voce Graeca allata: unde fuere qui *stypes* scriberent. Proprie significat fustem terrae defixum, ut *Fest.* definit: qui in *Stipatores* a *stipa* (unde *stipare*, firmare) deducere videtur. *Ov. Fast.* 2, 641. Termine, sive lapis, sive es defossus in agro Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes. *Tibull.* 1, 1, 15. de eod.: Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florea serta lapis. *Prop.* 4, 2, 59. Stipes acernus eram properanti falce dolatus. *Caes. B. G.* 7, 73. Truncis arborum, aut admodum firmis ramis abscissis, perpetuae fossae ducebantur. Huc illi stipites demissi, ab ramis eminebant. *Id. B. C.* 1, 27. Fossas transversas viis praeducit, atque ibi sudes stipitesque praeacutos defigit. *Ov. Fast.* 4, 331. querno religant a stipite funem. *Mart.* 7, 32. nudi stipitis ictus hebes, *h. e.* pali erecti, ad quem se exercebant tirones. *Suet. Ner.* 29. Deligatus ad stipitem; et *Plin.* 8, 5, 5. Alligatus stipiti. *Sen. ep.* 14. Adigere per medium hominem, qui per os emergat, stipitem. 9 Dicitur et de quocumque trunco arboris, fuste, sude. *Plin.* 17, 27, 43. Amygdalae ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite, et ab ima parte circumforato defluens pituita abstergeatur. *Tibull.* 1, 15, 17. Neu pudeat prisco vos (*Lares*) esse e stipite factos. *Ov. Ib.* 239. viridi de stipite factas Admorunt oculis usque sub ora faces. *Virg. A.* 4, 444. Consternunt terram concusso stipite frondes. *Prop.* 4, 2, 18. Cum pirus invito stipite mala tulit: scil. per insitionem. *Pall.* 5, 4. Zizyphus seritur ossibus, et stipite, et planta. *Catull.* 64, 288. tulit radicitus altas Fagos, ac recto proceras stipite lauros. *Virg. A.* 7, 524. non jam certamine agresti, Stipitibus duris agitur, sudibusve praeustis, Sed ferro ancipiti decernunt. *Sen. Herc. Fur.* 1230. stipitem huc vastum date, *h. e.* clavam. *Ov. Fast.* 3, 751. Constitit ispe super ramoso stipite nixus; et *Rem. Am.* 446. Cassaque seducto stipite flamma perit. *Id. Fast.* 5, 506. Ignis in hesterno stipite parvus erat. ℙ Per synecdochen est ipsa arbor. *Id. ib.* 3, 37. Martia, picus, avis gemino pro stipite pugnant, Et lupa: tuta per hos utraque palma fuit. *Id. de nuce*, 32. Audiat hoc cerasus, stipes inanis erit. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 179. Stamine, quod molli tondent de stipite Seres, Frondea lanigerae carpentes vellera silvae. ℙ De virga tenui, aut calamo. *Lucan.* 9, 820. Stipite quae diro virgas mentita Sabaeas Toxica. *Mart.* 13, 19. Mittit praecipuos nemoralis Aricia porros. In niveo virides stipite cerne comas. ℙ Est convicium in hominem stupidum, stultum, stolidum, fatuum. *Ter. Heaut.* 5, 1, 3. In me quidvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Cic. Pis.* 9. Qui tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. *Id. Har. resp.* 3. *med.* Non plus quam stipitem illum, qui quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. Adde *in Senat.* 6. et *Claud. in Eutrop.* 1, 126.

*STIPHĒLUS, i, m. nomen Centauri a Caeneo in Pirithoi nuptiis trucidati. *Ov. Met.* 12, 459. *B. A.*

STĪPĪDOSUS, a, um, adj. durus, ligneus, stipitem referens, ut Stipidosa radix, *Appul. Herb.* 67. Stipidosi fruticis rami, *Id. ib.* 74.

STĪPO, as, avi, atum, a. 1. στείβω, στάγω, calcando ac densando impleo, in unum cogo, arcte compono, et firmo: a *stipa*, vel a voce Graeca allata. *Virg. G.* 4, 164. et *A.* 1, 436. apes liquentia mella Stipant, et dulci distendunt nectare cellas. *Petr. Sat.* 89. Stipant graves equi recessus Danai. *Flor.* 3, 19. *med.* In ore abdita nuce, quam sulphure et igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. *Colum.* 10, 404. Armeniisque, et cereolis, prunisque Damasci Stipantur calathi. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Uvas foliis involutas (*servandi causa*) vinaceis stipare. *Varr. L. L.* 4, 36. *f.* Quod asses librae pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparent: a stipando stipem dicere coeperunt. *Virg. A.* 3, 465. stipatque carinis Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas, etc. *Claud. Laud. Stil.* 2, 397. Quae tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi! *Appul. Met.* 3. Populus caveae conseptum mira celeritate complevit: aditum etiam et tectum omne fartim stipaverant. *Hor. Sat.* 2, 3, 11. Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolin Archiloco? comites educere tantos? *h. e.* sarcinam componere ex voluminibus Platonis, Menandri, etc. arcte colligatis, quos tecum rus efferres. *Tert. Virg. vel.* 12. *extr.* Stipare calceum, *h. e.* adstrictum induere, et quem pes totum impleat, nulla laxitate deformante. [**Sil.* 11, 503. multo stipatur curia coetu, i. e. repletur.] ℙ *Stipare se*, lateri alicujus haerere, immiscere se. *Prop.* 3, 6, 13. Custodum gregibus seu cum se stipat euntem. ℙ *Stipare aliquem*, circumsequi et comitari, honoris, aut custodiae causa: et dicitur de frequentia, et turba. *Val. Fl.* 7, 556. At sua magnanimum contra Pagasea juventus Prosequitur, stipatque ducem. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 55. comitantur euntem Naides, et socia stipant utrinque corona. *Cic. Phil.* 3, 12. Senatum stipavit armatis. *Virg. A.* 4, 136. Tandem progreditur magna stipante caterva. [**Cic. Phil.* 5, 6. Vidi Cinnam, — Sullam — Caesarem — non possum affirmare nullis telis eos stipatos fuisse; hoc dico nec multis, nec occultis.] ℙ *Stipari*, frequentia circumdari. *Cic. Mil.* 1. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. *Claud. in Ruf.* 2, 76. Stipatur sociis. V. STIPATUS. ℙ *Stipari*, denso agmine coire. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 311. Cunctaque praecipiti stipantur saecula cursu, Insignem visura nurum.

STIPS, stīpis, f. κέρμα, aerea pecunia minuta, aera, asses: a *stipando:* quia cum olim asses librales essent, non in arca, sed in cella componebant stipabantque, qui magnam eorum summam habebant. Ita *Varro*, cujus verba in v. praec. retulimus. Sic *Festus:* Stipem dicebant pecuniam signatam, quod stiparetur; et *Ulp. Dig.* 50, 16, 27. Stipendium a stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica aera colligatur. ℙ Fere dicitur de pecunia, quae a pluribus parva quantitate confertur, vel in opus aliquod publice faciendum, vel in honorem Deorum, vel pauperibus alendis, ἔρανος. *Varr. L. L.* 4, 36. *f.* Diis cum thesauris asses dant, stipem dicunt. *Suet. Aug.* 57. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant. *Plin.* 33, 10, 48. Populus Ramanus stipem spargere coepit Sp. Postumio, Q. Martio coss. (tanta abundantia pecuniae erat), ut eam conferret L. Scipioni: ex qua is ludos fecit, *h. e.* sponte et ultro conferre. *Id.* 18, 3, 4. Statua ei a populo stipe collata, statuta est. *Cic. Leg.* 2, 9. Praeter Idaeae Matris famulos, eosque justis diebus, nequis stipem cogito; et *ib.* 16. Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus: implet enim superstitione animos, et exhaurit domos. *Liv.* 25, 12. *f.* Edixit, ut populus per eos dies stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. *Ov. Pont.* 1, 1, 39. Ante Deum Matrem cornu tibicen aduneo Cum canit, exiguae quis stipis aera neget? *Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* de Nili fontib.: In haec ora stipem sacerdotes, et aurea dona praefecti, cum solemne venit sacrum, jaciunt. *Plin. ep.* 8, 8. Fons purus et vitreus, ut numerare jactas stipes, et relucentes calculos possis. *Tac. H.* 5, 5. Stipes cogere; et *ib.* 4, 53. Passimque injectae fundamentis (*Capitolii*) argenti aurique stipes. *Quint. decl.* 9, 15. *extr.* Stipem ponere Fortunae, *h. e.* offerre. *Suet. Aug.* 91. *f.* Ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus praebens. *Sen. V. B.* 25. In Sublicium pontem me transfer: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt. *Id. Ben.* 4, 29. Quis beneficium dicat quadram panis, aut stipem aeris abjecti? *Mart. Dig.* 47, 22, 1. Stipem menstruam conferre. *Liv.* 38, 45. *med.* colligere a tyrannis, *h. e.* exiguum tributum. *Ammian.* 26, 10. *med.* Stipe precaria victitare; et *Plin.* 10, 63, 83. Ancilla mercenariae stipis, *h. e.* corpore quaestum faciens. ℙ De lucro, et emolumento. *Quint.* 1, 12. *f.* Fructum eloquentiae non ex stipe advocationum petere, sed, etc. *Colum.* 8, 1. Villaticae pastiones non minimam colono stipem conferunt. *Curt.* 4, 1. *med.* Ob inopiam suburbanum hortum exigua stipe colens. ℙ De strenis. *Suet. Cal.* 42. Edixit, et strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo aedium ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu

omnis generis turba fundebat. *Ov. Fast.* 1, 189. Dulcia cur dentur, video: stipis adjice causam, Pars mihi de festo ne labet ulla tuo: o quam te fallunt tua saecula, dixit, Qui stipe mel sumpta dulcius esse putes! ℙ De multa pecuniaria. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 1. *extr.* Stipem exsolvere. [*Exposuit de hac re *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 13. p. 99.] ℙ Rectus casus *stips* agnoscitur a *Charis.* 1, 27. et 85., ubi etiam negat, dici in significatione trunci, sed *stipes*. *Petr.* tamen *fragm. Trag.* 43. *Burm.* Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cui terrae filio patrimonium elegavit. ℙ *Stipes* pro *stips* videtur dixisse *Tert. Spect.* 17. Locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, praedicatur. *Prud.* vero *stipis* dixit, ultima brevi, *in Sym.* 2, 910.

STĬPŬLA, ae, f. *καλάμη*, calamus frumentorum, et tenuia in eo folia, quae facile arescunt. V. dicta in CULMUS. *Plin.* 18, 18, 47. Peragitur messis stipula nunquam cubitali; et *ib.* 10, 20. *n.* 3. de tritico: Tercentae sexaginta stipulae ex uno grano. *Virg. G.* 1, 315. Frumenta in viridi stipula lactentia turgent. *Plin.* 17, 27, 47. Stipula hordeacea. *Id.* 14, 16, 19. *n.* 2. milii. *Ov. Fast.* 4, 725. Stipulae fabales; et *ib.* 1, 205. Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem, Nec foenum capiti supposuisse, fuit. *Id. Met.* 8, 630. domus stipulis et canna tecta palustri. ℙ *Stipula illecta* sunt spicae in messe dejectae, necdum lectae, quas rustici, cum vacaverint, colligunt. Haec *Cajus Dig.* 50, 16, 30. De his *Varr. L. L.* 6, 7. Nemo reprehensus, qui e segete ad spicilegium reliquit stipulam. *Id. R. R.* 1, 53. Messe facta stipulam legere. *Ter. Ad.* 5, 3, 62. Meridie ipso faciam, ut stipulam colligat. *Ov. Am.* 1, 8, 89. multi si pauca rogabunt, Postmodo de stipula magnus acervus erit. ℙ In pratis *stipula* est, quae post foenisiciam remanet. *Varr. R. R.* 1, 49. Tum de pratis stipulam rastellis eradi, atque addere foenisiciae cumulum. ℙ *Flamma de stipula*, ignis parum durans. *Ov. Trist.* 5, 8, 19. Nos quoque floruimus: sed flos erat ille caducus: Flammaque de stipula nostra, brevisque fuit. ℙ Est etiam canna, calamus, arundo, avena, quia ad modum calami fistulata est, et nodis instructa. *Plin.* 37, 10, 67. Syringitis (*gemma*) stipulae internodio similis, perpetua fistula cavatur. *Virg. Ecl.* 3, 26. non tu in triviis, indocte, solebas, Stridenti miserum stipula disperdere carmen? ℙ [In *Vet. Kalend. Farnes.* ap. *Grut.* 139. mense Augusto legitur: *Stupulae incenduntur:* quod quidem convenit cum Italico *stoppie*, nam saepissime Latinorum *u*, rarius vero *i*, in Italorum *o* mutatur. V. STIPA. *F.*]

STĬPŬLĀTĬO, onis, f. *ἐπερώτησις*, contractus, qui fit per interrogationem unius, v. gr. *decem dare spondes?* et alterius responsionem, *spondeo*, vel *dabo*: ex quibus paritur obligatio. Ejus formulas V. in STIPULOR. Dicta est, inquit *Isid. Or.* 5, 24. *f.*, a *stipula:* veteres enim quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant: quam iterum jungentes, sponsiones suas agnoscebant. Vel quia in contractibus agrariis stipulam manu tenebant, quae agrum integrum repraesentaret. *Varr. L. L.* 4, 36. *f.* et *Fest.* in *Stipem* ducunt a *stipe*, idest aere seu pecunia: et *stipulari* proprie esse, cum aliquis interrogatus spondet stipem. Alii a *stipa*, et *stipando*, h. e. firmando: quia per stipulationem contractus firmantur. *Paul.* 5. *recept. sentent. tit.* 7. et *Justin.* 3. *Instit. tit.* 15. ex eo, quod *stipulum* veteres firmum appellaverunt: fortasse a *stipite* descendens. *Pomp. Dig.* 45, 1, 5. *med.* Stipulatio est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturumve se, quod interrogatus est, respondet. *Cic. Leg.* 2, 21. *med.* Ut ea pecunia ex stipulatione debeatur. *Id. Rosc. Com.* 12. *f.* Aliquem stipulatione alligare. *Ulp. Dig.* 45, 1, 1. Stipulationem conficere; et *ib.* contrahere. *Paul. ib.* 2. exstinguere; et *ib.* Ex stipulatione liberari; et *ib.* 4. *med.* Stipulatione teneri. *Ulp. ib.* 35, 3, 1. et *ib.* 3. *f.* Stipulationem interponere. ℙ *Acceptam stipulationem facere alicui*, est eum, qui per stipulationem promisit, obligatione liberare. *Ulp. ib.* 44, 4, 7. ℙ *Stipulationem committi alicui* est contrahi, ita ut qui spopondit, reus fiat et obnoxius. *Paul. ib.* 45, 1, 2. *f.* et *Ulp. ib.* 38. ℙ Sumitur autem *stipulatio* fere pro verbis interrogantis, cui respondet in respondente *sponsio*. *Ser. Sulpic.* ap. *Gell.* 4, 4. Contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. *Paul. l. c.* 8. In illa stipulatione: Si calendis Stichum non dederis, decem dare spondes? quaeritur, etc. *Ulp. ib.* 38. Stipulatio ista: habere licere spondes? hoc continet, etc. Adde *ib.* 47. et *Jul. ib.* 56. etc. ℙ De stipulatione Aquiliana V. AQUILIANUS.

STĬPŬLĀTĬUNCŬLA, ae, f. *ἐπερωτημάτιον*, parva stipulatio. *Cic. Or.* 1, 38. Cum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula.

STĬPŬLĀTOR, oris, m. *ἐπερωτητής*, *συγγραφεύς*, qui stipulatur, et fere eum significat, qui contractum initurus interrogat: cui respondet *promissor*, et *reus*. Neque probat *Isid.* quod ait *Or.* 1, 24. *f.* promissores *stipulatores* vocari. *Jul. Dig.* 2, 10, 3. Si stipulator dolo Titii, et promissor dolo Maevii impeditus fuerit, quo minus, etc. *Ulp. ib.* 45, 1, 41. *f.* Ex quo apparet, diei adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore. Adde *eund. ib.* 43. etc. *Suet. Vit.* 14. Feneratorum et stipulatorum, publicanorumque, qui unquam se aut Romae debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit, *h. e.* qui stipulandi periti erant, et in usuris exercendis (quae cuique ex stipulatione debebantur) omnes stipulationum formulas callebant. Ideo *Suet.* eos cum feneratoribus conjungit. Hujusmodi stipulatores in basilicis fori Romani stare solebant, ut colligitur ex *Pl. Curc.* 4, 1, 12.

STĬPŬLĀTUS, a, um, part. a *stipulor*, stipulando contractus, stipulatione promissus. *Cic. Rosc. Com.* 5. Haec pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. Stipulatam non esse, taciturnitas testium concedit.

STĬPŬLĀTUS, us, m. stipulationis contractus. *Paul.* 5. *recept. sentent. tit.* 7. Cum facto promissoris res in stipulatum deducta intercidit, agi ex stipulatu potest. *Quint. decl.* 12, 21. Ex stipulatu legati nostri perimus. *Ulp. Dig.* 45, 1, 1. Acquiret ei ex stipulatu actionem.

STĬPŬLOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἐπερωτάω*, est certis verbis interrogare, vel rogare aliquem, an velit quippiam facere aut dare: quo adnuente, legitima obligatio oritur, [*nostr. *sich angeloben lassen.*] Cui respondet *promittere*, *spondere*. De notatione diximus in STIPULATIO. Stipulandi formula est ap. *Pl. Ps.* 4, 6, 14. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier. Ut concepisti verba, viginti minas dabin'? *Ball.* dabuntur; (Adde 1, 1, 115.) et *Varr. R. R.* 2, 3. Itaque stipulantur sic: Illas capras hodie recte esse, et bibere posse, habereque recte licere; haec spondesne? (Adde *ib.* 5. *med.*) *Ser. Sulpic.* ap. *Gell.* 4, 4. Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum. In contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui stipulabatur, ex sponsu agebat; et *mox:* Judex eum, qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat. *Ulp. Dig.* 45, 1, 1. *med.* Si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas. *Id. ib.* 34. Multum interest, utrum ego stipuler rem, cujus cnmmercium habere non possum; an quis promittat. *Modest. ib.* 2, 1. Qui stipulatur, reus stipulandi dicitur: qui promittit, reus promittendi habetur. *Cic. Rosc. Com.* 4. *extr.* Stipulatus es? ubi? quo die? quis spopondisse me dicit? nemo. *Jul. Dig.* 45, 1, 56. *f.* Si a te stipulatus fuero fundum Sempronianum, deinde eundem fundum, detracto usufructu, ab alio stipuler, prior stipulatio non novabitur. *Paul. ib.* 35. Si stipuler, ut id fiat, quod natura fieri non concedit; non magis obligatio consistit, quam cum stipulor, ut id detur, quod dari non potest. *Id. ib.* 19, 2, 54. *med.* Quod locator et conductor invicem de se stipulati sunt. *Id. ib.* 12, 1, 40. et 45, 1, 46. Centesimis calendis dari, utiliter stipulamur: quia praesens obligatio est, in diem autem dilata solutio. *Jul. ib.* 3, 1. Cum servus stipulatur, nihil interest, sibi, an domino, an vero sine alterutra eorum adjectione dari stipuletur. *Juven.* 7, 165. Quantumvis stipulare, et protinus accipe, quod do, *h. e.* pete, postula. *Ulp. Dig.* 46, 7, 3. Stipulari stipulationem. *Inscr.* ap. *Mur.* 337, 5, et 439, 1. Haec recte dari, fieri, praestarique stipulatus est M. Herennius Agricola, spepondit T. Flavius Artemidorus. ℙ Interdum *stipulari* dicitur etiam qui promittit. *Paul. ib.* 13, 4, 7. Si certo loco condicturum se quis stipulatus sit. *Ulp. ib.* 12, 6, 26. *f.* Si decem, aut Stichum stipulatus solvam quinque, quaeritur, an possim, etc. *Id. ib.* 46, 3, 5. *med.* Si quis usuras solverit, quas non erat stipulatus. Adde *Jul. ib.* 18, 1, 39. etc. ℙ *Prisc.* 8, 794. putat adhiberi etiam passiva significatione pro rogari, seu interrogari; vel contractu teneri: ut in illo *Suet. fr.* Lactoria *(lex)*, quae vetat minorem annis XXV. stipulari: *ἐπερωτᾶσθαι.* [*Etiam *Cic. in or. pro Q. Rosc.* 5, 14. passivo sensu hoc verbum adhibuit: pecunia necesse est aut data, aut stipulata sit.] ℙ *Stipulo*, *as*, positione activa. *Sym. ep.* 1, 11. Sponsionem stipulat affectio, *h. e.* firmat. *Juret.*, ap. quem est *ep.* 5., legit *stipulatur.*

STĬPŬLUM Veteres dixere firmum, ut in STIPULATIO dictum est. ℙ In *Gloss. Philox.* stipulum est *καλάμη*.

STĬRĬA, ae, f, *σταλαγμός*, gurta liquoris concreta et pendens cadenti simills. [*Originem hujus vocis et quid differat a *gutta* et *stilla* notavimus in h. v.] *Virg. G.* 3, 365. Et totae solidam in glaciem vertere lacunae: Stiriaque impexis induruit horrida barbis. *Claud. B. G.* 326. stant colla pruinis Aspera: flaventes adstringit stiria setas. *Tert. Pall.* 4. vocat *stiriam leoniam* setas et pilos in pelle leonis humore aut glacie induratos. *Plin.* 34, 12, 32. E scrobium lateribus distillantes hiberno gelu stirias, stalagmiam vocant. *Mart.* 7, 37. Turpis ab inviso pendebat stiria naso. ℙ *Fuit et Stiria insula maris Mediterranei, Cypro a parte occidentali objecta. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

STĬRĬĀCUS, a, um, adj. stillans, stillaticius: a *stiria*, gutta. *Solin.* 27. *med.* de sirpe: Pingue roscidum cum arefactum inolevit, guttis stiriacis legitur.

STĬRĬCĬDĬUM, ii, n. idem ac stillicidium: a *stiria.* [**Doederl.* ductus ratione discriminis inter *stiria* et *stilla* conjecit, esse *stiricidium* fortasse grandinis genus, nostr. *Graupeln.*] *Fest.* Stiricidium, quasi stillicidium, cum stillae concretae frigore cadunt. *Cato ib.* Nihilominus voluit semper de stiricidio in re praesenti cognoscere.

STIRPESCO, is, n. 3. *ῥιζοφυτοῦμαι*, in stirpem convertor. *Plin.* 9, 8, 42. de asparago: Nam si defringatur, stirpescere, et intermori.

STIRPĬTUS, adv. *ῥιζόθεν*, usque ab ima stirpe, radicitus, funditus. *Ulp. Dig.* 47, 7, 3. Si quis ex seminario, id est stirpitus, arborem transtulerit. *Sidon. ep.* 1, 2. Barba concavis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas ad usque forpicibus evellit. ℙ Transl. *Cic. Tusc.* 4, 38. Hunc errorem, quasi radicem omnium malorum, stirpitus philosophia se extracturam pollicetur.

STIRPS, stirpis, m. et f. *ῥίζα*, *ῥιζόφυτον*, radix, et imus truncus arboris, qua haeret radicibus: item totus ipse truncus, ex quo rami exeunt. [*Nominativus hujus vocis exhibetur etiam forma *stirpis* et *stirpes*. Sic in bonis edd. Livii reperitur. V. *Drakenb.* ad 1, 1.] *Cic. Or.* 43. Arborum altitudo nos delectat: radices stirpesque non item: sed esse illa sine his non potest. *Virg. A.* 12, 781. Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus, etc. Dixerat *ib.* 773. lenta in radice. *Id. ib.* 208. (et *Colum.* 5, 9. *med.*) sceptrum in silvis imo de stirpe recisum. *Id. G.* 2, 209. Antiquasque domos avium cum stirpibus imis Eruit. *Cic. N. D.* 2, 81. Arbores tantummodo per stirpes aluntur suas. *Plin.* 16, 36, 65. Arundo omnis ex una stirpe numerosa. *Cic. Verr.* 2, 5, 38. et 50. Siculi milites palmarum stirpibus alebantur. *Paulo supra*, item *c.* 33. vocat radices palmarum agrestium. Sic *Tac. H.* 4, 60. Virgulta, et stirpes, et internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiaeque exemplum fuere.) *Tibull.* 1, 9, 45. et *Prop.* 3, 23, 33. Vellere albos a stirpe capillos. Et metaphorice *Sall. Cat.* 10. Carthago ab stirpe interiit, *h. e.* funditus. ℙ Per synecdochen ponitur pro tota arbore, aut parte ejus quacumque. *Lucr.* 5, 1098. Emicat interdum flammai fervidus ardor, Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur; et *ib.* 1364. stirpes committere ramis, *h. e.* inserere; et *Virg. G.* 2, 23. Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis: hic stirpes obruit arvo, *h. e.* integras arbores cum radicibus; et *ib.* 367. de vitib.: ubi jam validis amplexae stirpibus ulmos Exierint, *h. e.* ramis, materia. *Cato R. R.* 40. Capito tibi scissam salicem: ea stirpem praecisum (al. *praecisam*) circumligato, ne liber frangatur: Ubi id feceris, surculum praeacutum inter librum et stirpem artito primores digitos duos; et *Colum.* 3, 5. *extr.* de malleolis: Probatissimum genus stirpis deponere. *Id.* 5, 6. *med.* Arbor decacuminanda est juxta ramulum, qui videbitur esse nitidissimus: ita tamen, uti supra eum trunco stirpem dodrantalem relinquas, ad quam ramus alligetur; et *mox*: At si robusti rami erunt, ita ferro amputentur, ut exiguam stirpem prominentem trunco relinquas; et *Plin.* 8, 26, 40. Hippopotamus satietate obesus exit in litus, recentes arundinum caesuras speculatum: atque ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus venam vulnerat, etc. Ita *Hard.* ex MSS., alii *acutissimam.* [*Praeter *Virg. Ennius* et *Pacuvius* v. *Stirps* hoc genere posuerunt. Reliquis vero femininum usitatius. V. *Ruddin.* 1, 35.] ℙ De quacumque planta, virgulto. *Cic. Fin.* 5, 11. *med.* Cum arborum et stirpium eadem paene natura sit. *Id. N. D.* 2, 64. *med.* Stirpium et herbarum utilitates longo usu percepimus. *Lucan.* 4, 42. Dum scopulos stirpesque tenent, atque, hoste relicto, Caedunt ense viam. ℙ Translate est origo, causa, principium, fons, radix. *Pl. Trin.* 1, 2, 180. Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, unde quidquid auditum dicant; nisi id appareat, famigeratori res sit cum damno et malo. *Cic. Cat.* 12. *extr.* Exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta reipublicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium, *Id. Tusc.* 3, 34. Stirpes aegritudinis omnes elidendae sunt. *Id. Div.* 2, 72. Ut religio propaganda est, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendae sunt. *Id. Fin.* 4, 2. Differo eam partem, quae quasi stirps est hujus quaestionis. *Id. Coel.* 32. *f.* Firmata jam stirpe virtutis. *Id. Tusc.* 3, 6. Audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere: tamen aliquid relinquetur fortasse. Ita sunt altae stirpes stultitiae. ℙ Item origo generis in familiis. *Cic. Am.* 19. *f.* Qui aliquandiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint. *Nep. Att.* 18. Juniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit. *Cic. Or.* 1, 39. Cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem nominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent. *Pacuv.* ap. *Non.* 3, 237. Dubito, quod primordium capessam ad stirpem exquirendum. *Virg. A.* 1, 630. Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat. *Enn.* ap. *Non. l. c.* et *Fest.* in *Stirps:* Nomine Pyrrhus, uti memorant a stirpe supremo. *Virg. A.* 5, 711. Dardanius divinae stirpis Acestes. *Sall. Jug.* 14. Me jam ab stirpe socium et amicum

populo R. regno expulit; et *Ov. Fast.* 1, 363. Flebat Aristaeus, quod apes ab stirpe necatas, Viderat. ℙ Item propago, nepotes, posteri; quia *stirps* non solum truncum, sed etiam ramum significat. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Ut tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberum. *Virg. A.* 6, 864. Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem? Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum? *Id.* 4, *ib.* 622. vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum Exercete odiis; et *ib.* 11, 166. Aeneas Romanae stirpis origo. *Just.* 16, 1. *med.* Nec cessasse, quoad omnem stirpem regiae sobolis deleret. *Tac. Ann.* 2, 37. *f.* En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum; et *ib.* 1, 58. *f.* Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit. Sic. *Liv.* 1, 1. *f.* Brevi stirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit. ℙ Item conditio, genus, ordo. *Vell.* 2, 4. Mentitus regiae stirpis originem; et *ib.* 29. Pompejus genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae. *Nep. Eum.* 1. Neque aliud huic defuit, quam generosa stirps.

[*STIRSOZILA, ae, f. herba, at centaurea minor. *Appul. de Herb.* 35. *Bail.*]

STĪVA, ae. f. ἐχέλη, aratri ea pars, quam arator manu tenet, et premit, sulci dirigendi gratia. [**Die Pflugsterze.*] *Varr. L. L.* 4, 31. Vomer, quod vomit eo plus terram: dens, quod eo mordetur terra: supra id regula quae stat, stiva, a standō; et in ea transversa regula, manicula, quod manu bubulci tenetur, qui quasi est temo inter boves. Vult *Varro* esse a *standō*, quasi *stativa;* et distinguit stivam a manicula: auctores non distinguunt. *Virg. G.* 1, 174. Stivaque, quae currus a tergo torqueat imos. *Ov. Fast.* 4, 825. Inde premens stivam designat moenia sulco. *Id. Met.* 8, 218. Aut pastor baculo, stivaeque innixus arator. Adde *Colum.* 1, 9. *in.*

STLĀTA, et Stlatta, ae, f. genus navigii, inquit *Fest.*, latum magis, quam altum, sic appellatum a latitudine: sed consuetudine, qua, stlocum pro locum, et stlitem antiqui pro litem dicebant. *Gell.* quoque 10, 25. *stlatas* inter varias navium appellationes enumerat. *Auson. ep.* 22, 31. Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate Tarnim, et Garumnam permeat. *Caper de Orthogr. f.* p. 2246. dicit esse navem piraticam; et inde fieri adjectivum *Stlataris.* Etiam in *Gloss. Philox.* Stlatta, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 62. A. Tettius A. L. Stlatta. *F.*]

STLĀTĀRIS, e. V. v. praec.

STLĀTĀRĬUS, et Stlattarius, a, um, adj. ad stlatam pertinens. [*Gloss. Philox.* Stlattarius, ἐργόμωκος. *F.*] *Petr. Sat.* 108. Stante ergo utraque acie, cum appareret futurum non stlatarium bellum, aegre expugnavit gubernator, ut Triphaena inducias faceret: ludicrum, fictum: fortasse quia stlata non erat navis bello idonea. Interpretum variae sunt sententiae, aliis interpretationem, lectionem aliis sollicitantibus. V. *Burmanni* editionem. *Juven.* 7, 134. Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo, *h. e.* peregrina et pretiosa, longe navi advecta. Sunt qui latum clavum intelligunt: a *stlatus* latus. Alii alia comminiscuntur. ℙ *Vet. Schol. Juven.* 7, 134. affert hunc versum ex *Ennio:* Et melior navis, quam quae stlataria portat. Sed in *Ennii* fragmentis non apparet.

STLEMBUS, gravis, tardus: sicut Lucilius pedibus stlembum dixit, cum refert equum pigrum et tardum. *Festus.*

STLIS, itis, f. ita pro *lis, itis* ap. veteres, *Festo* in *Stlata*; et *Quint.* 1, 4. sestibus. *Inscr.* ap. *Grut.* 350, 7. P. Albio P. F. Gal. Maximo X. viro stlitibus judicand. etc. Adde 381, 3. et 407, 2. et alibi saepe: item *Spart. Hadr.* 2. eadem ubique formula. X. *Vir stlitibus judicandis. Pomp. Dig.* 1, 2, 2. §. 29. Deinde *(post creationem praetoris peregrini)* cum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset, decem viri litibus judicandis constituti sunt. Meminit etiam *Cic. Or.* 46. Porro decemviri isti videntur fuisse ex corpore illorum centum, qui causas centumvirales cognoscebant. *Dio* 54, 26. *Οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι.* Ii porro erant ex viginti viris, qui e familia senatoria eligebantur. *Auct. Pan. ad Pison.* 41. Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum, Et firmare jubet centeno judice causas. *Suet. Aug.* 36. Ut centumviralem hastam, quam quaestura functi consuerant cogere, decemviri cogerent. Adde *Plin. ep.* 5, 21. ℙ Ap. *Cic., Pomp.* et *Spart.* legitur *litibus.*

STLOCUS, locus. V. in STLATA.

[STLOGA, ae, m. videtur esse a λογὰς, delectus, praepositis litteris *st*, ut in *stlata, stlembus, stlis, stlocus.* Est alterum cognomen R. M. Peducaei Priscini, qui cum T. Hoenio Severo consul fuit ann. a Chr. n. CXLI. *Inscr.* ap. *Marin. Frat Arv.* p. 194. et 239. Severo, et Stloga Cos. V. *eund. ib. l. c. F.*]

STLOPPUS, vel Stlopus, i, m. vox per onomatopoeiam ficta ad exprimendum sonum buccarum inflatarum, si percutiantur. *Pers.* 5, 13. Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas. Agnoscit etiam *Prisc.* l. *f.* Alii tamen leg. *sclopus.*

[STLUPINI, orum, m. plur. incolae urbis, quae a *Ptolem.* 2, 17. Στλοῦπι vocatur, in Liburnia. Hinc *Stlupini* memorantur a *Plin.* 3, 21, 25. *F.*]

STO, stas, steti, statum, n. l. ἵστημι, rectus insisto, pedibus nixus maneo, erectus sum: cui opponitur *sedeo, jaceo:* a στάω, στῶ, unde ἵστημι idem significans. *Pl. Capt. prol.* 1. Hos quos videtis stare hic captivos duos, hi stant ambo, non sedent. *Cic. Div.* 1, 46. Cum virgo staret, et Caecilia in sella sederet. *Ter. Eun.* 2, 2, 40. et *Pl. Ps.* 1, 5, 42. Quid agitur? *Ps.* statur hic ad hunc modum. *Liv.* 38, 5. Consul arietibus muros quatiebat, etc. Oppidanos primo pavor ac trepidatio cepit: deinde ut praeter spem stare muros viderunt, etc. *Cic. Verr.* 2, 1, 23. Duo signa, quae nunc ad impluvium tuum stant, quae multos annos ad valvas Junonis Samiae steterunt. *Virg. A.* 3, 48. Obstupui, steteruntque comae; et *Stat. Th.* 3, 326. stant fulti pulvere crines. ℙ De aedificiis, postquam perfecta sunt. *Val. Fl.* 1, 96. Juno Argolicas, Macetumque per urbes Spargit, inexpertos tentare parentibus austros Aesoniden: jam stare ratem, remisque superbam Poscere quos revehat. ℙ [**Stare* dicuntur etiam, quorum statuae ponuntur. *Hor. Sat.* 2, 3, 183. aeneus ut stes, i. e. interpr. *Schol. Cruq.* ut tibi erigatur aenea statua. Cf. *Ruhnk.* ad *Albinov.* 269. Ita saepissime ap. Gr. χρυσοῦν, χαλκοῦν ἑστάναι. V. *Hemsterh.* ad *Lucian.* 1. p. 165.] ℙ Est etiam consistere, manere, quiescere. *Virg. Ecl.* 2, 26. Cum placidum ventis staret mare. *Ter. Heaut.* 4, 7, 3. I: quid stas, lapis? *Id. Phorm.* 1, 4, 18. et *Pl. Merc.* 5, 2, 32. Sta illico. *Char.* Male facis, properantem qui me commorare; et *Sil.* 12, 105. de militib. fugientib.: State, o miseri, queis gloria summo Dedecori est. *Hor. Od.* 3, 28, 5. Inclinare meridiem Sentis, ac veluti stet volucris dies, Parcis deripere horreo Cessantem amphoram. *Plin. ep.* 5, 12. *extr.* Nescit semel incitata liberalitas stare. *Sen. Oed.* 585. gelidus in venis stetit Haesitque sanguis. *Virg. G.* 3, 84. de equo generoso: Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus. *Pl. Amph.* 1, 1, 120. Ita statim stant signa, neque nox quoquam concedit die. *Lucan.* 2, 718. Vanaque percussit pontum Symplegas inanem, Et statura redit, *h. e.* non amplius se motura. Adde *Val. Fl.* 8, 195. ℙ Item morari, manere, esse. *Cic. Pis.* 6. *med.* Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo. *Id. Cat.* 2, 3. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire. *Ov. Trist.* 2, 289. Cum steterit Jovis aede. *Id. Her.* 18, 208. Et melius nulla stat mea puppis aqua. *Id. Met.* 11, 692. stetit hoc miserabilis ipso Ecce loco. *Sen. Troad.* 1178. Quam prope a Priamo steti! *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Stetit soleatus praetor populi R. cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in litore. *Id. Or.* 3, 61. Servum habuit, qui staret occulte post ipsum, etc. *Val. Fl.* 4, 631. Me Pangaea super rursus juga, neque paterna Stare Tyro, dulcesque iterum mihi surgere soles, Nunc reor. *Cic. Phil.* 2, 4. Qui hoc ipso tempore stant cum gladiis in conspectu senatus. ℙ De servis, qui praesto sunt ad obsequia. *Ter. Eun.* 3, 5, 46. Sto exspectans, si quid mihi imperent. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 15, 12. Nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie stabant. *Suet. Caes.* 49. Stare alicui ad cyathum et vinum, [*i. e. pincernae ministerium Nicomedi praestitisse. Ceterum verba *et vinum B. Crusio, Oudend.* et *Wolf.* e glossa venisse videntur.] ℙ Notandus etiam hujus verbi usus, quo de navibus dicitur in portu, statione versantibus, commorantibus. *Liv.* 37, 16. neque circa urbem tuta statio erat, nec ante hostium portus in salo stare poterant; et 42, 28. stetit classis; et 36, 20. naves stabant; et 27, 11. classem in portu stare; et 45, 2. naves, quae in Tiberi stabant; et 37, 13. pars (classis) in salo ad ostium portus in anchoris stetit. *Virg. A.* 6, 902. anchora de prora jacitur, stant littore puppes.] ℙ De meretricibus prostantib. *Juven.* 10, 239. Quod steterat multis in carcere fornicis annis. *Hor. Sat.* 1, 2, 30. alius nullam, nisi olente in fornice stantem. *Ov. Am.* 1, 10, 21. Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere. [*Graecis est καθῆσθαι, καθέζεσθαι ἐπ' οἰκήματος. ℙ Etiam de centurionibus poenae causa prostantibus. *Suet. Aug.* 24. ut stare per totum diem juberet ante Praetorium. Cf. notam *B. Crusii.*] ℙ Pro morari, cessare, otiosum esse. *Sil.* 12, 104. numerabat inertes Atque actos sine Marte dies, ac stare pudebat; et *ib.* 68. quis terminus, inquit, Ante urbes standi Grajas, oblite tuorum Factorum miles? *Ter. Andr.* 5, 6, 15. Propera, arcesse, quid stas? quid cessas? ℙ Pro haerere, versari. *Virg. A.* 1, 650. Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. *Sil.* 2, 638. dulcisque labor sua nomina natis Reddere, et in vultu genetrici stare suorum. ℙ Et durare. *Sil.* 3, 94. te longa stare senecta, Aevumque extendisse velim. ℙ [*In re militari significat primo simpliciter in acie, in armis esse, pugnare. Huc pertinent ista.] *Liv.* 26, 44. Et primo haud impari stetere acie: subsidia deinde, etc. *Id.* 37, 59. *f.* Quota parte virium suarum ibi dimicavit Antiochus? In Asia totius Asiae steterunt vires. *Nep. Ep.* 10. Postquam pugnari cum Lacedaemoniis coepit, in primis stetit. *Stat. Th.* 8, 322. stetit audaces effusus in iras, Conseruitque manus. *Pl. Amph.* 1, 1, 86. Quisque uti steterat, jacet, obtinetque ordinem. *Juven.* 3, 290. Stat contra, starique jubet. ℙ [*Deinde pertinet ad milites, qui in acie et contra hostem constanter permanent: opp. fugere. *Cic. Tusc.* 2, 23. ut fit in proelio, ut ignavus miles, simulac viderit hostem, fugiat, ob eamque causam pereat nonnunquam: cum ei, qui steterit, nihil tale evenerit. *Liv.* 22, 60. Cum in acie stare, ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt. ℙ Hinc *stare* solemne vocabulum est de pugna, quae durat. Ita saepissime ap. *Liv.* Cf. 27, 2. diu pugna neutro inclinata stetit; et 7, 7. primo stetit ambigna spe pugna; et 8, 38. ita anceps dicitur certamen stetisse; et 29, 2. ibi aliquamdiu atrox pugna stetit.] ℙ Translate. *Cic. Fam.* 1, 4. Ad XVI. cal. Febr. cum in senatu pulcherrime staremus, quod jam illam sententiam Bibuli fregeramus, unumque certamen esset relictum, sententia Volcatii. ℙ Hinc *stare ab aliquo*, vel *cum aliquo* ponitur pro favere, alicujus causam tueri, ejus partes sequi. *Nep. Dat.* 6. *med.* Coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant; ab hisque stare, quos reliquerant. *Id. Ag.* 5. *f.* Si eos exstinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterunt. *Liv.* 26, 41. Cum Dii prope ipsi cum Annibale starent. *Id.* 2, 12. *f.* (et 38, 25. et *Ov. A. Am.* 1, 200.) Pro jure gentium stetit fortuna. *Cic. Brut.* 79. Talis tribunus plebis fuit, ut nemo, contra civium perditorum dementiam, a senatu et a bonorum causa steterit constantius. *Id. Inv.* 1, 3. Stare a mendacio contra veritatem. *Just.* 5, 4. Tantum fuit in uno viro momenti, ut unde stetisset, eo se victoria transferret. [*Cf. *Gloss. Liv.* s. v. *stare.*] ℙ Contra *stare in aliquem* est adversari. *Ov. Her.* 7, 166. Nec steterunt in te virque paterque meus. [**Liv.* 6, 39. Nonum se annum jam velut in aciem adversus optimates stare.] ℙ Item exstare, prominere. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 421. Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo. *Plin.* 28, 19, 77. Magi propinant virgini novem grana fimi leporis, ut stent perpetuo mammae. *Ov. Met.* 12, 401. sic tergum sessile, sic stant Pectora celsa toris. ℙ Item haerere, fixum esse. *Id. ib.* 8, 414. missisque duabus, Hasta prior terra: medio stetit altera tergo; et *ib.* 5, 132. Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum. *Sil.* 1, 527. Et stant loricae squamis horrentia tela. *Id.* 4, 142. Cornus et oblatae stetit inter tempora frontis. ℙ *Stare* vultus dicitur, qui non mutatur, et constantiam firmitatemque animi, aut etiam stuporem prae se fert. *Id.* 15, 29. stans vultus, et ore Incessuque viro propior. (Contra *Genes.* 4, 6. Quare iratus? et cur concidit facies tua?) *Stat. Th.* 10, 693. cur ad patrios non stant tua lumina vultus? *h. e.* aspectum patris non sustinent. *Lucan.* 5, 214. nunc vultu pavido, nunc torva minaci: Stat nunquam facies. *Val. Fl.* 4, 639. stant ora metu, nec fessa recedunt Lumina. ℙ *Stat*, praestitutum, praefinitum, fixum est. *Virg. A.* 10, 467. Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus Omnibus est vitae. ℙ *Stat*, certum est, deliberatum est. *Nep. Att.* 21. Mihi stat alere morbum desinere. *Virg. A.* 2, 750. Stat casus renovare omnes, omnemque reverti Per Trojam. *Cic. Att.* 3, 14. *extr.* Nos in Asiam convertemus: neque adhuc stabat, quo potissimum: sed scies. *Id. Fam.* 9, 2. *f.* Modo nobis stet illud, una vivere in studiis nostris. *Ter. Eun.* 2, 1, 18. et *Liv.* 21, 30. Annibali sententia stetit, pergere ire, atque Italiam petere. *Sil.* 3, 68. Quos ut seponi stetit, et secernere ab armis, etc. *Val. Fl.* 5, 289. stat pectore fixum, Aeetae sociare manus. ℙ *Per me stat*, sum in causa. *Ter. Andr.* 4, 2, 16. Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat, quominus haec fierent nuptiae, volo: sed si id non poterit, id faciam in proclivi quod est, per me stetisse, ut credat. *Quint.* 3, 6. *med.* Deserui, tempestatibus, fluminibus, valetudine impeditus: id est, non per me stetit, sed per illa. Adde *Liv.* 6, 33. Cum infinito. *Scaevola Dig.* 32, 1, 36. Si per eum non stetit, parere defuncti voluntati. *Cic.* eod. sensu dixit, *Fam.* 1, 4. Nemo est qui nesciat, quo minus discessio fieret, per adversarsios tuos esse factum. [**Suet. Aug.* 28. Quasi per ipsum staret, ne redderetur, i. e. quasi ipse impediret. V. exempla collecta a *Drakenb.* ad *Liv.* 8, 2, 2.] ℙ Praeterea *stare* dicuntur, quae operta et oppleta sunt: quasi constent et sustineantur ea re, qua opplentur. *Sisenn.* ap. *Non. l. c.* Coelum caligine stat. *Caecil. ib.* Ager stat sentibus. *Lucil.* ap. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 4, 2, 16. stat sentibu' fundus. *Virg. A.* 12, 407. jam pulvere coelum Stare vident. *Stat. Th.* 7, 124. Pulvereo stant astra globo. *Claud. Laud. Stil.* 1, 257. stant pulvere Syrtes Gaetulae. *Enn.* ap. *Porph.* (ad illud *Hor. Od.* 1, 9, 1. Vides, ut alta stet nive candidum Soracte!) stant pulvere campi. *Boeth. Consol. philos.* 1. *metr.* 3. Nimbosisque polus stetit imbribus. *Virg. A.* 6, 300. de Charonte: stant lumina flamma. (*Dantes Infern.* 3, 109. *Caron dimonio con occhi di bragia.*) [*Drydenus vertit: *His eyes, like hollow furnaces on fire.*] In *Cod. Mediceo* habetur *flammae*, ita tamen ut postrema vocalis *e* transversa lineola secta sit. *Pierius* in antiquis aliquot exemplaribus invenit *flammea*, quod illi magis placet, ut sit versus dactylicus: sic *ib.*

33. quin protinus omnia Perlegerent oculis: ubi iis adversatur, qui *omnem* scripsere. Verum *stant lumina flamma* lectio est ceteris praeferenda. ℙ Item quae aliquo pretio constant. *Liv.* 34, 50. Polybius scribit, centum talentis eam rem Achaeis stetisse. *Hor. Sat.* 1, 2, 122. quae neque magno Stet pretio, nec cunctetur, cum est jussa venire. *Liv.* 3, 60. Si extemplo rem fortunae commisisset, haud scio, an magno detrimento certamen staturum fuerit; et 23, 30. Multo sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit. *Ov. Fast.* 2, 812. Heu quanto regnis nox stetit una tuis? *Virg. A.* 10, 494. haud illi stabunt Aeneia parvo Hospitia. *Sen. Ira* 1, 2. Nulla pestis humano generi pluris stetit. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 1. Populo R. libertatem suam magno stetisse. Adde *Propert.* 2, 7, 8., *Sil.* 17, 81., *Mart.* 3, 75., *Vell.* 2, 64. *f.* et *Quint. decl.* 13. *in.* ℙ Item qui vigent, in suo statu manent, incolumes sunt, dignitatem suam retinent. *Cic. Fam.* 7, 2. *med.* Eorum auxilio, qui, me stante, stare non poterant. *Id. Phil.* 2, 10. *extr.* Quae si valuissent, respublica staret, tu concidisses. *Id. Cat.* 2, 10. Qui homines si stare non possunt, corruant, sed ita, ut, etc. *Id. Off.* 2, 1. *med.* Utinam respublica stesisset quo coeperat statu! *Id. Fam.* 13, 29. *f.* Per quos homines ordinesque steterim, quibusque munitus fuerim, non ignoras. *Ov. Trist.* 1, 9, 17. et *ib.* 5, 14, 21. Dum stetimus, turbae quantum satis esset, habebat Nota quidem, sed non ambitiosa, domus. ℙ [**Stare* etiam dicuntur, qui habent, unde vivant, vitam transigant: opp. ruere, statu excidere. *Cic. Flacc.* 6. qui domi stare non poterant, largo ac liberali viatico commoveret. *Id. Pis.* 6. Egere, foris esse Gabinium, sine provincia stare non posse. *Suet. Oth.* 5. nisi Principem se stare non posse. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 40, 9.] ℙ Pro niti, consistere, contineri. *Liv.* 45, 19. *med.* Regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia. *Id.* 8, 7. Disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti. *Val. Fl.* 3, 673. Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis Nostra salus? ℙ *Stare* dicitur aut comoedia, aut ejus actor, cum placet. *Ter. Hec. prol.* 2, 6. In his, quas primum Caecilii didici novas, partim sum earum exactus, partim vix steti. *Id. Phorm. prol.* 9. Si intelligeret, cum stetit olim nova, actoris opera magis stetisse, quam sua. Sic *Hor. Ep.* 2, 1, 176. Securus, cadat, an recto stet Fabula talo; et *Sat.* 1, 10, 16. Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est, Hoc stabant, hoc sunt imitandi. *Petr. Sat.* 2. Corruptae eloquentiae regula stetit et obtinuit. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 16.] ℙ Saepe est etiam constantem esse, permanere, perseverare. *Cic. Rab. perd.* 10. Fidem non Rabirius, sed Marius dedit: idemque violavit, si in fide non stetit. *Sil.* 11, 3. stat nulla diu mortalibus usquam, Fortuna titubante, fides. *Cic. ad Brut.* 1, 10. *med.* Qui si steterit idem, mihique paruerit, satis videmur habituri praesidii. *Mart.* 8, 71. nam stare, aut crescere debent Munera. *Virg. A.* 4, 539. Aut bene apud memores veteris stat gratia facti. *Cic. Att.* 5, 18. Stamus animis, et quia consiliis bonis utimur, speramus etiam manu. *Hor. Sat.* 2, 3, 212. Tu prudens scelus ob titulos cum admittis inanes, Stas animo? i. e. es mentis compos? *Sen. Thyest.* 634. Si steterit animus: si metu corpus rigens Remittet artus, *h. e.* si se collegerit et firmarit. ℙ [*Bene stare* est quod Itali *star bene* dicunt, valere. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 3, 19. Dum tu jacebis, et mihi animus supinus erit; quod si tu, Diis juvantibus, bene stabis, et meus animus bene constabit, qui nunc torretur ardentissimo desiderio tui. *F.*] ℙ Item acquiescere, consentire, contentum esse: cum ablativo. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 392.] *Cic. Tusc.* 5, 28. Omnia ad suum arbitrium referre, suis stare judiciis. *Id. Cluent.* 47. *f.* Si uterque censor censoris opinione standum non putavit. *Id. Att.* 7, 15. Omnes cupiebant, Caesarem stare conditionibus iis, quas tulisset. *Id. Off.* 3, 25. *med.* Facere promissa, stare conventis. *Liv.* 7, 35. et 34, 22. *extr.* Quae pars major erit, eo stabitur consilio. *Id.* 21, 19. Etsi priore foedere staretur, satis cautum erat Saguntinis. *Id.* 8, 40. *extr.* Nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur. *Ov. Met.* 2, 818. Stemus, ait, pacto, velox Cyllenius, isto. *Quint.* 7, 6. *extr.* et *ib.* 10. Verbis legis standum sit, an voluntate. *Id.* 5, 6. Stare jurejurando. ℙ Et addita praepositione. *Cic. Fin.* 1, 14. Stare oportet in eo, quod sit judicatum. *Id. Att.* 2, 4. Cura, ut cum Titinio transigas, si in eo, quod ostenderat, non stat, mihi maxime placet, ea quae male empta sunt, reddi. ℙ Cum dativo. *Liv.* 7, 6. Nunc famae rerum standum est. Alii leg. *fama. Callistr. Dig.* 42, 1, 32. Alioquin rei judicatae stabitur. *Ulp. ib.* 26, 7, 3. Meritoque patris statur voluntati. *Id. ib.* 36, 3, 6. Repromissio exigenda est, voluntati defuncti statum iri. *Id. ib.* 4, 7, 23. *f.* Nihil aliud est, arbitri sententiae stare, quam id agere, ut arbitri sententiae pareatur. *African. ib.* 2, 1, 18. conventioni. *Ulp. ib.* 4, 3, 21. religioni. *Id. ib.* 19, 1, 13. *f.* Ut aut stetur emptioni, aut discedatur. ℙ *Stare*, loco verbi *Sum*, cum aliqua significatione diuturnitatis. *Varr.* ap. *Non.* 4, 79. et 421. denique avarus Quis sanus? cui si stet terra et tradītus orbis, Furando tamen, et morbo stimulatus eodem, Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi. *Ov. A. Am.* 1, 520. Inque cava nullus stet tibi nare pilus. *Prop.* 3, 17, 20. Infamis stupro stat Pelopea domus; et *ib.* 21, 21. Nam quantum ferro, tantum pietate potentes Stamus. *Val. Fl.* 7, 354. nec notis stabat contenta venenis. *Sen. Hipp.* 472. Vacuum sine ullis classibus stabit mare. *Ov. Fast.* 5, 383. saxo stant antra vetusto, Quae justum memorant incoluisse senem. ℙ *Stĕtĕrunt* paenult. brevi dixere *Virg. A.* 2, 774. et *ib.* 3, 48. et *Ov. Her.* 7, 166., ad quem locum similia multa congessit *Heins.*

[STOBĒNSIS, e, adj. ad Stobos pertinens, Macedoniae municipium, nunc *Stip*, cujus meminit *Liv.* 39, 53. et *Plin.* 4, 10, 17. Hinc *Stobenses, ium*, absolute, incolae illius municipii, ap. *Paul. Dig.* 50, 15, 8. Stobenses juris Italici sunt. Nummus ap. *Mionnet, Descript. de méd. ant. Supplém.* T. 3. p. 107. Municipium Stobensium. *F.*]

STOEBĒ V. PHEOS.

STOECHAS, ădis, f. στοιχάς, et στιχάς, herba nascens in insulis ejusdem nominis, odorata, coma hyssopi, amara gustu, ut *Plin.* 27, 12, 107. tradit: ubi etiam recenset ejus utilitates in medicina. [**Stöchaskraut*, Lavandula Stoechas, *L.*] Sunt autem *Stoechades* insulae tres Galliae Narbonensis, nunc *d' Hyères*, contra ostia Olbii amnis: de quibus *Plin.* 3, 5, 11. Tres Stoechades a vicinis Massiliensibus dictae, propter ordinem: quas item nominant singulis vocabulis, Proten, et Mesen, quae et Pomponiana vocatur: tertia Hypaea. Haec *Plin.* Porro στοῖχος ordinem significat, πρώτη primam, μέση mediam: ὑπαία postrema est.

STOĪCĒ, adv. Στωϊκῶς, Stoicorum more. *Cic. Par. praef.* Stoice solet, nullis oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. *Id. Mur.* 35. Agit mecum severe, et Stoice Cato.

STOĪCI, orum, m. plur. Στωϊκοί, genus philosophorum, qui a Zenone Cittieo originem habuere: ita dicti a στοά, porticus, quod Zeno Athenis in porticu philosophiam docuit, nempe in porticu illa, quae Poecile dicta est a varietate picturae, idesi a ποικίλος, varius, quam Polygnotus gratuito pinxit. Deum dicebant esse rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem, item legem naturalem recta imperantem, prohibentemque contraria: iidem divinitatem tribuebant aetheri, astris, annis, mensibus, annorumque mutationibus. Nihil bonum existimabant, nisi honestum. Felicitatem in sola virtute constituebant. Itaque eorum axiomata fuerunt, solum honestum bonum esse: in quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum: solum sapientem esse divitem, formosum, regem, omnes stultos servos esse: peccata esse aequalia, et hujusmodi. Funditus perturbationes animi sustulerunt, hoc est, voluerunt sapientem omnino esse sine perturbationibus. Haec et alia multa eorum placita passim leges ap. *Cic.*, praesertim in libris philosophicis et in Paradoxis. V. etiam orationem ejus *pro Murena*, ubi salse eos ridet in persona M. Catonis, *c.* 29. et 30. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* in *ind. geogr.* et *hist.*]

STOĪCĪDA, ae, m. idem ac Stoicus, sed per contumeliam, quasi sit is, qui Stoicus videri velit, et tamen moribus sit omnino contrariis Stoicae disciplinae et severitati. *Juven.* 2, 64. Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem Stoicidae. Quidam volunt significare virum mollem, et Stoicidam nomen esse femininum de viro dictum, ea ratione, qua ap. *Virg. A.* 9, 617. quidam Rutulorum Trojanos per convicium sic ridet: O vere Phrygiae, neque enim Phryges, etc.

STOĪCUS, a, um, adj. Στωϊκός, ad Stoicos pertinens. *Cic. Fam.* 9, 22. *f.* Schola Stoica. *Hor. Epod.* 8, 15. Stoici libelli. *Mart.* 7, 69. Stoica turba. *Id.* 11, 84. Tondeat hic inopes Cynicos, et Stoica menta. *Sen. ep.* 123. *f.* Stoica secta; et *ep.* 13. lingua; et *ep.* 22. sententia; et *ep.* 59. significatio. *Gell.* 19, 1. disciplina. *Juven.* 13, 121. dogmata. *Sen. Apocol. med.* Stoicus Deus, *h. e.* rotundus, ut ait *Cic. N. D.* 2, 17.

*STOĪDIS insula juxta Cassandrum, quaestuosa margaritis. *Plin.* 5, 25. et 9, 35. *B. A.*

STOLA, ae, f. στολή, vestis muliebris ad talos usque demissa, sinuosa, rugis plicisque abundans, et zona ad corpus adstricta: cui pallium, aut palla superinduitur: a στέλλω, qua amicire, induere significat. *Enn.* ap. *Non.* 3, 49. Et quis illaec est, quae lugubri succincta est stola? *Cic. Phil.* 2, 18. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. Alii rectius leg. *muliebrem togam.* [**Orell.* habet: Sumpsisti virilem quam statim muliebrem togam reddidisti.] (Similis hujus est locus in *Petr. Sat.* 81.) *Sen. V. B.* 13. Hoc tale est, quale vir fortis stolam indutus. *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. *med.* Vestimenta muliebria sunt, quae matrisfamilias causa comparata sunt: quibus vir non facile uti potest sine vituperatione: veluti stolae, pallia, tunicae, etc. *Hor. Sat.* 1, 2, 99. Ad talos stola demissa, et circumdata palla. *Mart.* 3, 93. Rugosiorem cum geras stola frontem. ℙ Fuit propria matronarum honestarum: nam meretrices toga utebantur. *Ov. Pont.* 3, 3, 51. Scripsimus haec istis, quarum nec vitta pudicos Contingit crines, nec stola longa pedes. *Mart.* 10, 5. Quisquis stolaeve, purpuraeve contemptor, Quos colere debet, laesit impio versu. Adde *Ov. Trist.* 2, 251. Matronarum stola rubra fuisse videtur: etenim *Auct. Priap.* 12. vetulam matronam describit *stola rufa* indutam; et *Prop.* 2, 19, 81. Illaque plebejo, vel sit sandicis amictu, *h. e.* toga, ut blebejae mulieres, vel stola purpurea, ut matronae solent. Sed fortasse rubra dicebatur stola, quia purpurea insita imam ejus partem ambiebat. ℙ Metonymice ponitur pro ipsa matrona. *Stat. Silv.* 1, 2, 235. Hic eques, hic juvenum coetu stola mixta laborat. *Plin.* 33, 3, 12. Atque inter stolam plebemque hunc medium feminarum equestrem ordinem fecit. Adde *Val. Max.* 2, 1. *n.* 5. ℙ Stola utebantur etiam citharoedi, quae et palla dicebatur. V. PALLA. *Varr. R. R.* 3, 13. Q. Hortensius cum in agro Laurenti esset, Orphea vocari jussit: qui cum eo venisset cum stola et cithara, et cantare esset jussus, buccinam inflavit, ubi tanta circumfluxit nos cervorum, aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo, ut, etc. *Orphea* dixit, quia hic quasi Orpheus alter bestias ad se congregavit. ℙ Apud Graecos communis omnium vestium appellatio est: quos et Latini veteres imitati sunt, ut *Non.* 14, 6. observavit. ~*Enn. ib.* Regnum reliqui septus mendici stola. *Id. ib.* et ap. *Fest.* in *Squalidum:* Cedo, et caveo vestitus, squalida septus stola. ℙ Hinc *Appul.* de veste sacerdotali usurpavit, *Met.* 11. Perfectis solemnibus, processi duodecim sacratus stolis, habitu quidem religioso satis, sed effari de eo nullo vinculo prohibeor: et *mox:* Hanc Olympiacam stolam sacrati nuncupant. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut Sex. Stola judex, ap. *Cic. Fl.* 20., cujus nomen gentilicium ignoratur. *F.*]

STOLĀTUS, a, um, adj. stola indutus, ἐστολισμένος. *Vitr.* 1, 1. *med.* Stolatae mulieres. Caligula imperator ap. *Suet. Cal.* 23. Liviam Augustam proaviam, propter vafritiam, Ulyssem stolatum appellabat. ℙ Et quia stola matronarum propria est, *stolatus* matronalem, et honestum significat. *Mart.* 1, 36. Quis Floralia vestit, et stolatum Permittit meretricibus pudorem? *Petr. fragm. Trag.* 44. *f. Burm.* Antea stolatae ibant nudis pedibus, passis capillis, mentibus puris, et Jovem aquam exorabant: [et *Inscr.* ap. *Grut.* 563, 7. Tertinia Victorina femina rarissima stolata quondam, *h. e.* matrona, quemadmodum in alia ap. *eund.* 546, 5. His terris tegitur Aelia matrona quondam. *F.*]

STOLĪDĒ, adv. ἀνοήτως, ἠλιθίως, sine ratione, stulte, inepte, dementer. *Pl. Aul.* 3, 2, 1. Quid stolide clamas? *Liv.* 7, 5. Praevalidum juvenem, et stolide ferocem viribus suis cernebat; et *ib.* 10. Gallus stolide laetus, et linguam etiam ab irrisu exserens. *Id.* 25, 19. *med.* Id non promissum magis stolide, quam stolide creditum. *Just.* 2, 3. Opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum. *Ammian.* 19, 5. Stolidius erumpentes, dimicantesque fortissime. ℙ Translate. *Plin.* 15, 14, 15. Mala pulmonea stolide tument.

STOLĪDĪTAS, atis, f. ἀβελτερία, ἠλιθιότης, dementia, stultitia, fatuitas. *Flor.* 3, 3. de Cimbris: Athesim flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica corporibus egressi. *Arnob.* 2, 80. Nam stoliditas inveniri quae major potest, quam mala esse nulla contendere, et tanquam malos perdere et condemnare peccantes? Adde *Gell.* 18, 4. *med.* et *Appul. Flor.* 3.

STOLĪDUS, a, um, adj. ἠλίθιος, ἀνόητος, rationis expers, brutus, excors, fatuus, stultus: impetu magis, quam ratione utens. *Pl. Bacch.* 5, 1, 2. Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 2, 56. stolidum genus Aeacidarum Bellipotentes sunt magi' quam sapientipotentes. *Caecil.* ap. *Fest.* Sed ego stolidus, gratulatum me oportuit prius. *Ter. Andr.* 3, 1, 12 Jam scio, ah! vix tandem sensi stolidus. *Pl. Amph.* 4, 2, 8. Quid me adspectas, stolide? *Id. Bacch.* 3, 6, 19. Ii se cum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant. *Id. Capt.* 3, 4, 123. Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis. *Id. Mil.* 4, 2, 33. Nullum est hoc stolidius saxum. *Aurel. Vict. Caesar.* 41. *f.* Vir litterarum prorsus expers et ingenio stolidior. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 18, 4. Lentulus, perincertum, stolidior, an vanior. *Pl. Trin.* 1, 2, 162. Nihil est profecto stultius, neque stolidius, neque mendaciloquius. *Ov. Met.* 13, 775. Risit, et, o vatum stolidissime, falleris, inquit; et *ib.* 6, 50. Perstat in incepto stolidaeque cupidine palmae In sua fata ruit, *h. e.* victoriae, quam contra Deam ferre neutiquam poterat; et *ib.* 11, 176. de Mida: nec Delius aures Humanam stolidas patitur retinere figuram, *h. e.* asininas. *Liv.* 34, 46. *med.* Consul armatos paulisper continuit, ut stolidam fiduciam hosti augeret. *Auct. Pan. ad Const.* 22. Stolidae atque ferinae mentes. *Auson. Idyll.* 10, 165. Coloni certantes stolidis clamoribus; et *ib.* 275. puer pisces stolido captat prensare natatu, *h. e.* vano, irrito. *Catull.* 17, 24. stolidum excitare veternum. *Mart.* 1, 42. Stolida procacitate ludere, *h. e.* inepta petulantia jocari. *Tac. H.* 4, 15. Vir stolidae audaciae. *Pers.* 2, 28. Idcirco stolidam prae-

bet tibi vellere barbam Juppiter? *h. e.* ipse Juppiter stolidus. ℙ Translate. *Cic. Top.* 15. Hujus generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo, ut locus, tempus, materiae, ferramenta. ℙ Addit *Gell.* 18, 4. *f.* ex *Apollinari Sulpicio,* stolidos dici etiam tetros, et molestos, et illepidos, quos Graeci μοχθηρούς, et φορτικούς dicunt. Quae significatio metonymia est. Solent enim molestiam afferre, qui stolidi et stulti sunt. ℙ *Stolidum*, et *stultum esse* pro eodem habet *Val. Max.* 6, 9. *n.* 3. *extr.* Si quod est discrimen, *stultus* est, qui cum possit ratione uti, non utitur tamen: *stolidus*, qui ne potest quidem.

STOLO, onis, m. παρασπάς, άδος, φυτευτήριον, id quod e radice circum arbores enascitur, germen inutile, et trunco succum subtrahens: est a στέλλω, mitto: hinc Itali etiam *messa* appellant. *Plin.* 17, 20, 34. Castanea ipsa se colit umbra stolones supervacuos enecante; et *ib.* 13, 20. Omnia celerius adolescunt stolonibus ablatis, unamque in stirpem redactis alimentis; et *ib.* 26, 39. Amygdalae reciduntur veteres totae, ac rursus a stolone aliquo resurgunt. *Id.* 27, 13, 109. Smyrnion caulem habet apii, folia latiora, et maxime circa stolones multos. ℙ Cognomen fuit Romanum in gente Licinia, ut P. Licinius Stolo. *Plin.* 17, 1, 1. *med.* Stolonum cognomen Liciniae genti: ita appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis: unde et pampinatio inventa primo Stoloni dedit nomen. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Stolonis illa lex, quae vetat plus D jugera habere civem R., et qui propter diligentiam culturae Stolonum confirmavit cognomen, quod nullus in ejus fundo reperiri poterat stolo, quod effodiebat circum arbores, e radicibus, quae nascerentur e solo, quos stolones appellabant. V. LICINIANUS. ℙ Quidam putant convicium esse in bardum atque hebetem (ut *frutex* ap. *Plaut.*, et inde *stolidus* derivari) ex illo *Auson. ep.* 4, 94. Sed jam non potes, o stolo, doceri. Alii tamen leg. *non potis, o Theon, doceri.*

[STOLUS, i, m. στόλος, commeatus, profectio, expeditio navalis. *Imp. Constant. M. Cod. Theod.* 13, 5, 7. Navicularii, ad exemplum Alexandrini stoli, quaternas in frumento centesimas consequantur. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 114, 4. Οἱ ναύκληροι τοῦ πορευτικοῦ Ἀλεξανδρίνου στόλου. ℙ Est etiam cogn. libertinum R. *Inscr.* ap. *Grut.* 74, 1. Stolus Lib. *F.*]

STOMACACE, es, f. στοματακάκη, vitium gingivae, cum dentes decidunt: a στόμα, et κακόν, quod oris vitium est. *Plin.* 25, 3, 6. cujus verba V. in SCELETYRBE.

STOMACHABUNDUS, a, um, adj. valde stomachans, indignabundus. *Gell.* 17, 8. Aspicit puer guttum atrocibus oculis stomachabundus, et concussum vehementius iterum in aulam vertit.

STOMACHANS, antis, part. a *stomachor:* ἀγανακτῶν, indignans, moleste ferens. *Cic. Brut.* 95. Non probantur haec senibus: saepe videbam cum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum. *Id. Or.* 1, 36. Quos multas horas exspectavit, cum in campum properaret, ridens et stomachans Scaevola. *Sen. ep.* 4. Alius se praecipitavit a tecto, ne dominum stomachantem diutius audiret.

STOMACHANTER, adv. cum stomacho et indignatione. *Aug. V. N. med.* Quasi stomachanter arridens.

[STOMACHATUS, a, um, part. a *stomachor. Appul. Met.* 5. *f.* Foras sese proripit infesta, et stomachata biles Venereas. *F.*]

STOMACHICUS, a, um, adj. στομαχικός, qui stomachi dissolutione laborat. *Sen. ep.* 24. *med.* Dolorem stomachicus in ipsis deliciis perfert. *Plin.* 25, 5, 24. Medetur stomachicis, spasticis cynicis, ischiadicis, etc. *Id.* 20, 9, 39. Usus scyllae ad splenicos et stomachicos (si non sentiant ulcus), quibus innatet cibus. Adde 24, 14, 75. V. STOMATICUS.

STOMACHOR, aris, atus sum, dep. 1. ἀγανακτέω, aegre fero, indigne, patior, aversor, indignor, irascor: more stomachi cibos aversantis, et rejicientis: vel quia stomachus sedes bilis est. *Cic. ad Capit. Att.* 16. *ult.* Non dubito, quin mirere, atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re agam saepius. *Sen. ep.* 12. Occasionem stomachandi arripere. *Augustus* ap. *Suet. Tib.* 21. *f.* Sive quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor valde, Tiberium meum desidero. *Cic. Fam.* 15, 16. Stomachari et moleste ferre. *Id. Att.* 4, 21. *med.* Stomachari et moleste senectus facit: stomachor omnia. *Id. Amariorem* me senectus facit: stomachor omnia. *Id. Fam.* 10, 26. Itaque jucundissimis tuis litteris stomachatus sum in extremo. *Id. N. D.* 1, 33. *f.* Stomachabatur, si quid asperius dixeram, *Ter. Eun.* 2, 3, 30. Id adveniens mecum stomachabar modo. *Cic. Or.* 2, 66. *med.* Cum Scipio stomacharetur cum C. Metello. *Hor. Ep.* 1, 1, 104. cum prave sectum stomacheris ad unguem.

STOMACHOSE, adv. cum stomacho, indignanter. *Cic. Att.* 10, 5. Rescripsi ei stomachosius, cum joco tamen familiari. *Id. ib.* 11. de eod.: Cum eo θυμικώτερον eram jocatus.

STOMACHOSUS, a, um, adj. ὀργίλος, qui facile stomachatur, indignabundus, iracundus. *Hor, Ep.* 1, 15, 11. quo tendis? non mihi Cumas Est iter, aut Bajas, laeva stomachosus habena Dicet eques. *Firm. Matth.* 5, 10. *f.* Homines animo malo, et stomachoso. ℙ Item cum stomaeho et indignatione conjunctus, irae et querelarum plenus. *Cic. Brut.* 67. Genus acuminis saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. *Id. Or.* 2, 69. Me quidem valde illa movent stomachosa et quasi submorosa ridicula. *Id. Fam.* 3, 11. *f.* Stomachosiores meas litteras quas dicas esse, non intelligo. *Sen. Ira* 1, 4. *f.* recenset irarum genera, amarum, acerbum, stomachosum, clamosum, difficile, asperum.

STOMACHUS, i, m. στόμαχος, canalis, seu fistula (quae et gula dicitur a *Plin.* 11, 37, 66. et 68.), qua cibus ab ore in ventriculum defertur. *Cic. N. D.* 2, 54. Linguam, ad radices ejus haerens, excipit stomachus, quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt ore: is utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur. Atque is agitatione et motibus linguae, cum depulsum, et quasi detrusum cibum accepit, depellit. *Cels.* 4, 1. Deinde duo itinera incipiunt: alterum asperam arteriam nominant, alterum, stomachum; et *infra:* Stomachus vero, qui intestinorum principium est, nervosus a septima spinae vertebra incipit, ac circa praecordia cum ventriculo committitur. ℙ Per synecdochen sumitur, ut quidam volunt, pro infima parte ejus canalis, quae ventriculo inseritur. *Plin. l. c.* 68. Summum gulae fauces vocantur, extremum stomachus. ℙ Verius tamen *Plin.* hoc loco ipsum ventriculum intelligit, in quo cibi conficiuntur: qui saepissime *stomachi* appellatione significatur. *Cic. N. D.* 2, 49. Haec avis scribitur conchis se solere implere, easque cum stomachi calore concoxerit, evomere. *Plin.* 23, 1, 26. Stomachus dissolutus, aut cibos non perficiens. *Id. ib.* 22. Vinum dulce minus inebriat, sed stomacho innatat: austerum facilius concoquitur. *Cels.* 4, 5. *med.* Vulgatissimum pessimumque stomachi vitium est resolutio, id est, cum cibi non tenax est. *Lucr.* 4, 632. Dummodo quod capias, concoctum didere possis Artubus, et stomachi humectum servare tenorem. *Hor. Sat.* 2, 2, 18. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet; et *ib.* 38. Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. *Petr. Sat.* 103. Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 13. Stomacho est ita languenti, ut vix id, quod sibi placeat, reperiat. *Juven.* 5, 49. Si stomachus domini fervet vinoque ciboque. *Id.* 4, 67. stomachum laxare saginis. *Suet. Cal.* 58. Marcens stomachus pridiani cibi onere. *Cels.* 1, 3. *med.* Aestuantem stomachum potione refrigerare. *Plin.* 27, 7, 28. Malaciam stomachi et inflationes discutere. *Id.* 20, 22, 91. dissolutiones cohibere. *Id.* 23, 6, 56. infirmitatem sanare. *Id.* 20, 17, 73. inflationibus mederi. *Id.* 32, 8, 29. spasmos sedare. *Id.* 22, 22, 33. Prodesse stomacho. *Id.* 23, 2, 32. Stomachum adjuvare; et 27, 4, 4. confirmare. *Cels.* 4, 5. fovere. *Plin.* 26, 7, 18. corroborare *Id.* 30, 6, 15. recreare; et 32, 6, 21. reficere. *Id.* 23, 9, 81. sistere. *Id.* 20, 5, 15. excitare, et fastidium abstergere. *Id.* 23, 1, 7. (et *Cels.* 4, 5.) infestare; et 25, 5, 18. laedere; et 26, 8, 37. offendere. *Id.* 13, 23, 44. movere. *Cels.* 4, 5. *f.* comprimere. *Plin.* 23, 1, 23. Stomachus in vomitiones effunditur. *Cels.* 4, 5. exaestuat. *Hor. Sat.* 2, 4, 78. Magna fastidia movere stomacho; et *ib.* 8, 9. Stomachum lassum pervellere; et *ib.* 2, 43. lassum sollicitare. *Cels.* 1, 8. Stomacho laborare. *Juven.* 6, 100. valere. *Plin. ep.* 6, 16. *f.* Stomachus illi natura invalidus, angustus, et frequenter interaestuans erat. *Plin. alter* 20, 17, 68. acida ructans. *Id.* 32, 7, 26. Fortiores stomachi, *h. e.* qui facile concoquunt. *Id.* 23, 8, 74. Stomachi acrimonia et rosiones. *Id.* 32, 1, 3. Nausea et redundatio stomachi. *Sen. ep.* 2. *med.* Fastidientis stomachi est, multa degustare. ℙ Quae stomacho apta sunt, quaeque aliena in cibis *Celsus* 2. 24. 25. 26. et 27. accurate recenset. ℙ Transfertur ad animum, et significat appetitum, desiderium, cupiditatem. [*Omnino *stomachus* signif. ingenium hominis cujusque aut animum in rebus aut probandis aut fastidiendis. Cf. *Schütz. cl. Cic.* Quod factum esse monet *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 738. more veterum, quo animi affectus ab intestinis corporis partibus repetere et denominare soliti essent: coll. Hebr. רַחֲמִים פִּלְּיוֹחֶלֶב, Gr. καρδία, ἦπαρ, σπλάγχνα, χόλος, al.] *Plin. ep.* 1, 24. In hoc agello *(emendo)* Tranquilli mei stomachum multa sollicitant, vicinitas urbis, opportunitas viae, modus ruris, etc. *Cic. Fam.* 7, 1. Ludi apparatissimi, sed non tui stomachi: conjecturam enim facio de meo. ℙ Item fastidium, indignationem, iram: quia stomachus sedes est bilis. *Id. Att.* 4, 16. *med.* Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitat, olim concalluit. *Id. Tusc.* 4, 24. Tracta definitionem fortitudinis, intelliges, eam stomacho non egere. *Id. Q. Fr.* 3, 5. *med.* Puto, te existimaturum, a me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos. *Id. Fam.* 2, 16. *f.* Hoc adspersi ut scires, me tamen in stomacho solere ridere. *Id. Att.* 5, 1. *med.* Quae tum mihi majori stomacho, quam ipsi Quinto, fuerunt. *Id. Verr.* 2, 2, 20. Homo exarsit iracundia ac stomacho. *Id. Q. Fr.* 3, 8. Epistola plena stomachi et querelarum. *Quint.* 10, 1. *med.* Plus stomacho, quam consilio dare. *Suet. Tib.* 59. *extr.* Bile et stomacho aliquid fingere. ℙ *Facere*, aut *movere stomachum*, iram, indignationem excitare. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Non illi quidem ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi, sed certe ut facere se arbitrarentur. *Id. Att.* 5, 11. Ita mihi videtur non minus stomachi nostro, quam Caesari, fecisse; et *ib.* 6, 3. *f.* In quo tamen ille mihi risum magis, quam stomachum movere solet. ℙ *Cic.* in *fragm.* ap. *Quint.* 6, 3. *f.* Haec aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho, *h. e.* patientia. Dicit enim *Cic. Att.* 4. et *Fam.* 1. locis modo allatis, se stomachum perdidisse, *h. e.* multa indignari desiisse. et dissimulare didicisse. ℙ *Bonus stomachus*, qui facile quocumque cibo contentus est, et facile concoquit. Translate. *Quint.* 2, 3. Interim sufficere illos minores existimant, et bono sane stomacho, contenti sunt. *Id.* 6, 3. *med.* de risum moventibus: Jucundissima sunt ex his omnibus lenia, et, ut sic dixerim, boni stomachi, *h. e.* quae sunt velut cibi, qui facile concoquuntur, et bonum stomachum faciunt.

[STOMOMA, ătis, n. στόμωμα. *Plin.* 34, 11, 25. Squamae aeris est alterum genus subtilius, ex summa scilicet lanugine decussum, quod vocant stomoma. Adde *Cels.* 6, 6. *n.* 5., qui tamen Graecis litteris scribit. *F.*]

STOMATICE, es. V. in v. sq.

STOMATICUS, a, um, adj. στοματικός, ad os pertinens: a στόμα, os, oris. *Stomaticus*, qui oris aliquo vitio laborat. *Plin.* 24, 14, 75. Idaeus rubus stomaticis ex aqua bibendus datur. *Hard.* legit stomachicis, tum ex MSS., tum ex ipso *Plin.* qui 16, 37, 71. scribit, contra stomachi vitia Idaeum rubum ex aqua bibi: et ex *Dioscor.* qui 4, 38. de eadem re loquens, στομαχικοῖς habet. ℙ *Stomatice*, *es*, f. στοματική, compositio medicamenti ad oris morbos. *Plin.* 22, 9, 11. Glycyrrhiza commanducata stomatice est. *Id.* 23, 7, 71. Fit ex pomo panchrestos stomatice. *Id.* 24, 17, 73. Mora, quae ex his nascuntur, vel efficaciorem stomaticen praebuerint, quam sativa morus. *Scrib. Comp.* 64. Ad faucium uvaeque tumorem stomatice hac fere utuntur.

STORAX et STORACINUS. V. STYRAX et STYRACINUS.

STOREA et Storia, ae, f. ψίαθος, stragulum, teges e juncis, aut canis, aut funibus, aut vitilibus, aut stramentis intexta: a στορέω, sterno. V. PSIATHIUM. *Caes. B. C.* 2, 9. *med.* Storeas ex funibus ancorariis tres in longitudinem parietum turris latas quatuor pedes fecerunt. *Liv.* 30, 3. *f.* Hibernacula storea pars maxima tecta. *Plin.* 15, 16, 18. *n.* 1. Cadiva poma separari, stramentis, storeis, paleisve substerni. ℙ *Storia* legitur in nonnull. MSS. *Caesar.* et *Plin.*

[STORGE, es, f. στοργή, amatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 362, 10. Statilia Storge. *F.*]

*STORIA, ae, f. i. q. historia, ut *Spanus* pro *Hispanus* apud cadendis Latinitatis scriptores. *Vet. Schol.* in *Juven.* 7, 99. edente *Cramero:* In scribenda storia. ℙ *Storia* stragulum. V. *Storea. B. A.*

[STORIANUS, a, um, adj. ad storiam, seu stoream pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Schiass. G. al. Mus. Bologn.* p. 43. M. Pomponius M. F. Nu. Storianus. *F.*]

*STRABELLINI, orum, populi Italiae inferioris. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

[STRABILIO, onis, m. dimin. strabi, seu strabonis. Est cogn. R. *Inscr.* ap *Fabr.* p. 477. *n.* 145. P. Varius P. L. Strabilio. *F.*]

STRABO, onis, m. στραβός, et στραβών, ἑτερόφθαλμος, qui oculis est distortis, et transversa tuetur: a voce Graeca allata. *Cic. N. D.* 1, 29. Ecquos Deos si non tam strabones, at paetulos esse arbitramur? *Hor. Sat.* 1, 3, 44. strabonem Appellat paetum pater; et pullum, male parvus Si cui filius est. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, strabonem. *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* In Sagittario *(nascuntur)* strabones, qui olera spectant, lardum tollunt. *proverb.* de iis, Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt, ut ait *Juven.* 2, 3. V. DISCONCINNUS. [*V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 44. et quem ibi laud. *Heins.* ad *Ov. A. Am.* 2, 659.] ℙ De iis, qui invident. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 109. Nulli me invidere, neque strabonem fieri saepius deliciis me istorum. *Varr. ib.* Multi enim qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti: habet quiddam enim ἑλνατικὸν provincialis formosula uxor. ℙ Fuit cogn. R. in gente Fannia, Pompeja, etc. quod ortum a primo eorum, qui perversos habuit oculos. *Plin.* 11, 37, 55. Oculi uni animalium homini depravantur: unde cognomina Strabonum, et Paetorum. ℙ *Strabo, Στράβων, Ponticus, ex Amasia sc. urbe Ponti, philosophus Stoicus et Geographus, claruit Romae temporibus Augusti et Tiberii. Amicitia usus est Aelii Galli, quocum Nilum navigavit, et totam fere Aegyptum lustravit, et magnam Africae partem. Scripsit commentarios geographicos, qui etiam hodie omnium manibus teruntur. V. *Voss. de Hist. Gr* 6. *B. A.*

STRABONUS, a, um, et

STRABUS, a, um, adj. idem qui strabo. *Petr. fragm. Trag.* 68. *Burm. f.* Duo vitia habet: recu-

titus est, et stertit: nam quod strabonus est, non curo. *Varr.* ap. *Prisc.* 6, 684. De Venere paeta strabam facit. Adde *Ov. A. Am.* 2, 659. ut quidem legit *Heins.* **Symmach. Laudat. fr.* ed. *Maio*, c. 2. Ferunt amavilem (amabilem) Venerem toto orbe laudatam strabis intendisse. subaud.

N

oculis. In cod. est STRABIS: exinde suspicor legendum omnino *strabonis.* *B. A.*

STRĀGES, is, f. στρῶσις, ὄλεθρος, ruina, casus, clades rerum fractarum, et huc illuc stratarum: item ipsae res ruina stratae et dispersae: a *sterno, stravi:* unde et stragulum. [*Varias de discrimine verborum *strages, strues, acervus*, etc. sententias enarravit suamque adjecit *Doederl.* 2, 118.] *Liv.* 4, 33. *med.* Ruinae igitur similem stragem eques, quacumque pervaserat, dedit. *Id.* 5, 43. Impetu facto, strage ac ruina fudere Gallos. *Id.* 42, 63. Pro diruto muro novum, raptim ex ipsa ruinae strage congestis saxis, exstruebant. *Id.* 35, 30. Pro se quisque, armis abjectis, in circumjectas itineri silvas diffugiunt: momentoque temporis strage armorum septa via est. *Id.* 10, 34. *med.* Recentibus vestigiis fugae, ac strage rerum in trepidatione nocturna passim relictarum. *Id.* 40, 2. Atrox vento tempestas coorta multis sacris profanisque locis stragem fecit. *Virg. A.* 12, 453. dabit ille (*nimbus*) ruinas Arboribus, stragemque satis, ruet omnia late. *Sil.* 3, 205. Strages nemorum. *Tac. A.* 1, 76. aedificiorum et hominum. *Id. H.* 1, 86. Tiberis strage obstantis molis refusus. ℙ Saepe dicitur de iis, qui in proelio cadunt, aut alia quapiam ratione magno numero occiduntur. *Liv.* 7, 23. *f.* Impulsi retro ruere alii super alios, stragemque inter se caede ipsa foediorem dedere. *Just.* 10, 3. Regiam cognatorum caede, et strage principum replet. *Virg. A.* 9, 526., *Cic. Leg.* 3, 9. *f.* et *Just.* 33, 2. Magnas strages edere. *Cic. Div.* 1, 12. in *carm. de suo consul.* stragem horribilem caedemque vereri. *Tac. A.* 14, 36. Umbonibus et gladiis stragem caedemque continuare. *Virg. A.* 6, 830. quantas acies stragemque ciebunt! *Cic. Phil.* 3, 12. *f.* Ille ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia! *Val. Flacc.* 6, 507. jamque omnis Hiber, Drancaeaque densa Strage cadit legio. *Liv.* 7, 24. Complere strage campos. *Claud. Laud. Stil.* 1, 231. Vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis Stragibus aequavit Stilicho. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 16. Cum in concionibus meo nomine ad invidiam uteretur, Dii immortales! quas ego pugnas, et quantas strages edidi!

*STRAGULĀTUS, a, um, stragula variatus. *Vulgat. Proverb.* c. 31. v. 22. *B. A.*

STRĀGŪLUM, i, n. στρῶμα, [*σρωμνή,] ἐπίβλημα, omnis vestis, quae sternitur, praesertim lecto vel tricliniari, vel cubiculari: a *sternendo*: unde *stratum*, et *strages.* Vox adjectiva. *Varr. L. L.* 4, 35. Quidquid insternebant (*super culcitam*) a sternendo stragulum appellabant. *Sen. ep.* 87. *in.* Culcita in terra jacet, ego in culcita: ex duabus paenulis altera stragulum, altera opertorium facta est. *Cic. Tusc.* 5, 21. Collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto. *Plin.* 8, 58, 83. Talpae, quarum e pellibus cubicularia vidimus stragula. *Mart.* 2, 16. Zoilus aegrotat: faciunt hanc stragula febrem. Adde *Tibull.* 1, 1, 65., *Mart.* 14, 147. et 148., *Val. Max.* 4, 3. *n.* 11., *Plin.* 7, 51, 52. et 20, 14, 54., quibus locis semper de lecto sermo est. Eodemque sensu adhibetur procul dubio *stragula vestis* ab *Hor. Sat.* 2, 3, 118. et a *Liv.* 39, 6. *med.* et a *Cic. Verr.* 2, 4, 26. *med.* et verisimilius, etiam *Verr.* 2, 1, 10 et *ib.* 2, 2, 7. *f.* et 72. Confirmat haec *Ulp.* cujus verba sunt *Dig.* 50, 16, 45. ex optima edit. *Torrent.* In stratum omne vestimentum contineri, quod injiciatur, Labeo ait: neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περίστρωμα. In victum ergo vestem accipiemus, non stragula: in stratum (al. *stratu*) omnem stragulam vestem. Haec *Ulp.* Est autem περίστρωμα tum Graecis, tum *Ciceroni*, id quo lectus sternitur. V. PERISTROMA. Ap. JCtos *victus* non modo cibum, sed omne quod induimus, continet. Dicit itaque *Ulp.*, in victu stragulum non contineri, bene tamen in stratu. ℙ Videtur tamen *stragulum* significare etiam vestimentum hominis. *Suet. Ner.* 50. Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus usus calend. Januar. fuerat. *Petr. fr. Trag.* 42. *Burm.* Tamen bene elatus est vitali lecto, stragulis bonis; et 77. *f.* Stiche, profer vitalia, in quibus me volo efferri; et 78. Non est moratus Stichus, sed et stragulam albam, et praetextam in triclinium attulit. Videntur, inquam, *Suet.* et *Petr.* significare vestem, qua homo induitur: sed commodius de operimento lecti funebris intelligentur, cum ceteri scriptores modo allati ea significatione adhibuerint: prorsus ut vere dixerit *Valla elegantiar.* 6, 46., stragulam vestem non pro vestimento hominis, sed pro lecti operimento tantum apud auctores inveniri. Reprehendit quidem *Vallam Alexander ab Alex.* 3. *genial. dier.* 19., objicitque, praeter locum *Suetonii*, etiam verba *Festi* in *Vestis:* Vestis generaliter dicitur, ut stragula, forensis, muliebris: *et Livii* 34, 7. Cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familiae tuam purpureum amiculum habere non sines? *et Pauli Dig.* 34, 2, 25. Vestis etiam ex pellibus constabit, cum et tunicam, et stragula pellicea nonnulli habeaut. Verum nemo non facile intelliget, nihil haec contra *Vallam* necessario conficere. Decepit, opinor, *Alexandrum ab Alex.* nomen vestis, qua credidit significari id quod induimus, cum latius pateat ad ca quoque, quae sternimus. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 118.] ℙ Pro veste stragula *vestimentum stragulum* dixit *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. ℙ *Stragula veredi* ap. *Mart.* 14, 86. sunt ephippia. ℙ De iis, quae substernuntur ab avibus in nido exstruendo. *Plin.* 10, 33, 51. Perdices ovis stragulum molle pulvere contumulant. *Solin.* 7. *f.* Ovis stragulum pulvis est.

STRĀGŪLUS, a, um, adj. ut Stragula vestis. V. in dictione praec.

STRĀMEN, inis, n. κάρφη, κάρφος, stipula, culmus, palea, frondes, vel quidvis aliud, quod solo quiescendi gratia sternitur, ut sunt culmi, qui pecori substernuntur. *Virg. A.* 11, 67. Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt. *Ov. Met.* 5, 447. tectam stramine vidit Forte casam. *Sil.* 10, 561. mollesqae virenti Stramine composuere toros. *Id.* 13, 814. culmique e stramine fultum Pressit laeta torum. *Stat. Theb.* 6, 56. *de rogo:* ima virent agresti stramina cultu. *Ov. Her.* 5, 15. super stramen foenoque jacentes. *Id. Fast.* 3, 184. Aspice de canna straminibusque domum. *Val. Flacc.* 4, 497. *de Harpyiis:* atque illisis stramina mensis Foeda rigant, *h. e.* toros e stramine. *Plin.* 10, 54, 75. Remedium uontra tonitrus, clavus ferreus sub stramine ovorum positus, *h. e.* sub foeno, quod substernunt ovis, gallina incubante.

STRĀMENTĀRĪUS, a, um, adj. ut Falces stramentariae, quibus stramen caeditur, *h. e.* messoriae. *Cato R. R.* 10. Falces foenariae tres, stramentariae sex.

STRĀMENTĪCĬUS, a, um, adj. καρφίνης, qui est e stramine, stramineus. *Petr. fr. Trag.* 63. *Burm. f.* Strigae puerum involaverant, et supposuerant stramenticium. *Act. B. Hisp.* 16. Casae stramenticiae hibernorum causa aedificatae.

STRĀMENTOR, aris, dep. 1. stramentum colligo. Hinc *Stramentatum ire* ea ratione, qua dicimus *frumentatum ire*, etc. *Hyg. fab.* 14. *med.* Idmon ap. Lycum cum stramentatum exisset, ab apro percussus decidit.

STRĀMENTUM, i, n. κάρφος, idem quod stramen, culmus, palea, stipula: a *sterno*, quia substernitur pecori. *Liv.* 25, 39. Ignes casis stramento arido tectis injiciunt. *Hirt. B. G.* 8, 15. *f.* Fasces stramentorum ac virgultorum incendere. *Nep. Ag.* 8. Cum in acta cum suis accubuisset, stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis. *Hor. Sat.* 2, 3, 117. Incubare stramentis. *Plin.* 15, 16, 18. *n.* 1. Poma stramentis, storeis, paleisve substerni. *Id.* 8, 48, 73. Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris; et 37, 3, 13. Lyncurium folia et stramenta ad se rapit. ℙ De lecto pecudum in stabulis. *Phaedr.* 2, 8. cur frondis parum est? Stramenta desunt? *Cato R. R.* 5. *med.* Stramenta si deerunt, frondem iligneam legito: eam substernito ovibus bubusque. *Colum.* 6, 3. Hibernae stabulationi boum praeparanda sunt stramenta. *Plin.* 18, 7, 18. Hordei palea ex optimis: stramento vero nullum comparatur. Adde *Pl. Truc.* 2, 2, 23. ℙ De culmo, seu palea frumentorum. *Varr. R. R.* 1, 50. Tertio modo metitur, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistra summum prehendunt: infra manum stramentum, quod terrae haeret, postea subsecatur. [*Liv. 2, 5. defectam cum stramento segetem, etc.] ℙ Differt tamen a palea: haec enim de frumentis dicitur: *stramentum* quamcumque stipulam significat sternendo aptam. *Plin.* 10, 33, 49. Insulam muniunt opere, palea et stramento rostrum ejus firmantes. ℙ Videtur etiam significare centonem stramentis fartum, quo sternuntur muli et asini ad vehendas sarcinas. *Caes. B. G.* 7, 45. Magnum numerum impedimentorum ex castris, mulorumque produci, eque iis stramenta detrahi, mulionesque cum cassidibus, equitum specie, circumvehi jubet. [*Mor., cui assent. *Oberl.*, expl. *stramenta mulorum*, sarcinas iis impositas, clitellas, ea, quibus muli insternuntur. V. exempla quaedam ex *Appul.* ap. *Ciacconium* et *Ondend.* ad *h. l.* Lectio tamen dubia est, aliis alia conjicientibus.] ℙ Pro veste stragula. *Cajus Dig.* 50, 16, 234. Verbum vivere quidam putant ad cibum pertinere: sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis et vestimenta, et stramenta contineri, sine his neminem vivere posse.

STRĀMĪNĔUS, a, um, adj. καρφίνης, καρφώδης, qui est e stramine, stramenticius. *Ov. Fast.* 5, 631. Illum stramineos in aquam misisse Quirites. *Id. Am.* 2, 9, 18. Roma Stramineis esset nunc quoque densa casis, *h. e.* stramine tectis.

STRANGĬA, [*vel potius Strangias, ae.] στραγγίας [*πυρός,] genus tritici in Graecia. *Plin.* 18, 7, 12, *n.* 1.

STRANGŪLĀBĬLIS, e, adj. qui strangulari potest. *Tert. Anim.* 32. Anima ascensu scalarum fatigabilis, submersu piscinarum strangulabilis.

STRANGŪLĀTĬO, onis, f. πνῖξις, πνιγμὸς, actus strangulandi, suffocatio. *Plin.* 20, 15, 57. Cuminum silvestre strangulationes vulvae potum in vino aperit, *h. e.* compressionem et angustiam. *Id.* 23, 1, 13. His nucleis ad purgationem uti non censuerim, propter ancipitem strangulationem.

STRANGŪLĀTOR, oris, m. qui strangulat. *Spart. Sev.* 14. Narcissum Commodi strangulatorem leonibus objecit.

STRANGŪLATRIX, icis, f. quae strangulat. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 1103. Manus strangulatrix faucium.

STRANGŪLĀTUS, a, um, part. a *strangulo:* πνικτὸς, intercluso spiritu necatus. *Tac. A.* 6, 25. Strangulatus laqueo, et in Gemonias projectus. *Suet. Claud.* 27. Piro per lusum in sublime jactato, et hiatu oris excepto strangulatus. *Plin.* 7, 7, 5. Fabius Senator in lactis haustu uno pilo strangulatus. *Id.* 8, 16, 20. A Lysimacho strangulatus leo. *Id.* 10, 12, 15. Pessima corvorum significatio, cum glutiunt vocem, velut strangulati. *Id.* 32, 10, 38. Strangulatae in oleo ranae. *Id.* 28, 7, 20. Capillorum odore vulvae morbo strangulatas respirare.

STRANGŪLĀTUS, us, m. idem ac strangulatio. *Plin.* 20, 18, 75. Datur et olfactandum ex aceto in strangulatu vulvae. *Id.* 26, 15, 95. Peucedanum strangulatus vulvae nidore ustum recreat. V. STRANGULATIO.

STRANGŪLO, as, avi, atum, στραγγαλέω, gulam comprimo, et spiritum intercludo: a voce Graeca allato. [*Doederl. 2, 82. originem hujus verbi a *traho* repetit. Discrimen inter *strangulare, suffocare* aliaque ejus synonyma exposuit *Id.* 3, 189. ita, ut *strangulare* vi extrinsecus illata proprie sit fune alicui fauces constringere, *suffocare* spiritum intercludere significet vi nulla extrinsecus illata. *Cic. Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. *f.* Domitium Caesaris hospitem, a contraria factione nummis acceptis, comprehendit, et strangulavit. ℙ Tum in universum constringendi vim habet, atque idem fere denotat, quod *suffocare.*] *Cels.* 2, 1. *f.* Obesi plerumque acutis morbis, et difficultate spirandi strangulantur. [*Suet. *Claud.* 27. piro strangulatum] *Cels.* 4, 4. Cucurbitula cirea fauces admovetur, ut id, quod strangulat, evocet. *Plin.* 20, 7, 26. Venena, quae strangulando necant. *Id.* 33, 4, 21. In cuniculis vapor et fumus strangulat. *Ov. Ib.* 593. Comicus ut periit mediis, dum nabat, in undis, Et tua sic Stygius strangulet ora liquor. *Plin.* 24, 19, 13. Strangulari pullos avidius devorantes. *Id.* 22, 13, 15. Semen urticae vulvas strangulantes aperit. *Quint.* 11, 3. *med.* de toga: Sinus, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut balteus, nec strangulet, nec fluat, *h. e.* nimis constringat. ℙ Translate. *Plin.* 31, 1, 1. Aquae nubium obtentu vitalem spiritum strangulant, *h. e.* aerem comprimunt. *Id.* 16, 34, 62. Hedera arbores sugit et strangulat. *Id.* 17, 8, 4. Glissomarga (*genus terrae spissioris*) signini modo solum strangulat, *h. e.* occludit, ne sata proferat. *Quint. prooem.* 8. *med.* Laeto gramine sata strangulant. *Colum.* 4, 26. Vinculum (*vitem*) incidit, et truncum strangulat. *Plin.* 2, 43, 43. Strangulare sonitum, *h. e.* cohibere, supprimere. *Quint.* 11, 3. Fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant. *Stat. Silv.* 2, 2, 150. Non tibi sepositas infelix strangulat arca Divitias, *h. e.* comprimit, nec quidquam in usum exire patitur. ℙ Refertur ad animum. *Ov. Trist.* 5, 1, 63. Strangulat inclusus dolor, atque exaestuat intus. *Juven.* 10, 12. Sed plures nimia congesta pecunia cura Strangulat. *Quint. decl.* 12. *in.* Quamvis, judices, innumerabiles me indignandi causae initio statim actionis strangulent, quia nec dicere universas semel possum, nec gregatim erumpentes differre gemitus; primum tamen, etc. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 10, 33, 1. et *Cod. Theod.* 12, 3, 1. Si quis decurionum praedia venditor necessitate coactus addicit, interpellet judicem competentem, omnesque causas singillatim, quibus strangulatur, exponat, *h. e.* quibus cogitur ad venditionem. ℙ *Strangulare mulierem* ap. *Cic. Fam.* 9, 22. est futuere.

STRANGŪRĬA, ae, f. στραγγουρία, urinae stillicidium, cum per intervalla, et guttatim defluit: a στράξ, στραγγὸς, gutta, et οὖρον, urina. *Pelag. Vet.* 8. *med.* Ipsius passionis genera sunt tria: unum quod dicitur dysuria, quando tardius (*equus*) mejat; alterum stranguria, quando cum dolore et cum difficultate mejat; tertium ischuria, quando omnino non mejat. Eadem fere verba habet *Veg. Vet.* 3, 15. *in.* Eundem morbum ita exprimit *Cato R. R.* 156. *med.* Nunc de illis, quibus aegre lotium it, quibusque substillum est. *Id. ib.* 127. Ad dyspepsiam, et stranguriam. *Cic. Tusc.* 2, 19. *f.* Quamvis idem forticulum se in torminibus, et in stranguria sua praebeat. *Plin.* 27, 11, 14. Calculos frangi, stranguriam discuti. *Cels.* 2, 1. *med.* Urinae difficultas, στραγγουρίαν quam appellant.

STRANGŪRĬOSUS, a, um, adj. στραγγουρικὸς, stranguria laborans. *Marc. Empir.* 26. *med.*

STRĀTA, ae. V. STRATUS, a, um.

STRĀTĀGĒMA. V. STRATEGEMA.

STRATE. V. STRATUS, a, um.

STRATĒAE. V. SCRANTIAE.

STRĀTĒGĒMA, ātis, n. στρατήγημα, callidum mi-

litare consilium, solers inventum, et astutia ad hostem circumveniendum. Vox Graeca, a *στρατηγέω*, exercitum duco, bellum administro. *Cic. N. D.* 3, 6. *f.* Consilium illud imperatorium fuit, quod Graeci *στρατήγημα* appellant. De his est *c.* 4. *l.* 7. *Val. Max.*, item libri quatuor *Sex. Jul. Frontini.* ℙ De quocumque callido consilio. *Cic. Att.* 5, 2. *med.* Interim Rufio noster, quod se a Vestorio observari videbat, strategemate hominem percussit: nam ad me non accessit. ℙ Sunt qui scribunt *stratagema:* item qui secundam syllabam corripiunt. Neutri imitandi.

STRĂTĒGĒMĂTĬCUS, a, um, adj. *στρατηγηματικός*, strategema continens, solers, callidus, astutus. Graece habet *Front. Strateg. praef.* 1. Latine vero *ib. praef.* 4. V. STRATEGICUS.

STRĂTĒGĒUM, i, et Strategĭum, ii, n. *στρατηγεῖον*, et *στρατήγιον*, locus, quo conveniebant milites, tentorium imperatoris, praetorium. *Vitr.* 5, 9. *in.* Uti Patris Liberi fanum, Smyrnae strategeum, Trallibus porticus. Alii rectius leg. *Smyrnae Stratoniceum*, h. e. templum Veneris Stratonicidis. V. STRATONICIS.

STRĂTĒGĬA, ae, f. *στρατηγία*, praefectura, seu locus, ubi praefectus jurisdictionem habet. *Plin.* 6, 9, 10. de Armenia: Dividitur in praefecturas, quas ii *στρατεγίας* vocant. *Id.* 4, 11, 18. Thracia in strategias quinquaginta divisa.

[STRĂTĒGĬCUS, a, um, adj. qui ad strategum, seu imperatorem pertinet. *Front. Strat. praef.* 4. In hoc libro exhibebo exempla potius strategicon, quam strategematicon, *h. e.* exempla potius rerum a duce provide, utiliter, magnifice, constanter factarum, quam earum, quae ducis solertia et calliditate fiunt. *F.*]

[STRĂTĒGĬS, idis, f. *στρατηγίς*, navis praetoria: a *στρατηγός*, praetor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1582, 9. Herennia ϙ. L. Strategis. *F.*]

STRĂTĒGUS, i, m. dux exercitus, *στρατηγός: ἀπὸ τοῦ ἄγειν τὸν στρατὸν*, a ducendo exercitu. *Pl. Curc.* 2, 3, 6. Nec strategus, nec tyrannus quisquam. ℙ [Ita praecipue est appellatus qui rei militari praeerat in quolibet Aegypti nomo. Cum vero tota Aegyptus in tres partes divideretur, in superiorem sc. seu Thebaidem, in mediam seu Memphiticam, quae et septem nomorum, et in inferiorem seu maritimam, quae et Delta fuit appellata; qui harum unicuique praeerat, epistrategus (V. EPISTRATEGIA); quique huic in universa epistrategia vicariam praestabat operam, strategus dicebatur, ut probat *A. Peyronius* in *Papyr. Graec. Mus. Taurin. P.* 1. p. 67. *Inscr.* ap. *Grut.* 130, 1. M. Artorius M. F. Pal. Priscus . . . rateg. Thebaid. *h. e.* strategus Thebaidis. *Orellius* in *Collect. Inscr. Lat. n.* 3881. supplendum putat, *epistrategus Thebaidis. F.*] ℙ Pro magistro convivii. *Pl. Stich.* 5, 4, 20. Strategum te facio huic convivio.

*STRATĬI, orum, incolae Strati. *Liv.* 43, 22. V. STRATOS. *B. A.*

STRĂTĬOTES, ae, m. *στρατιώτης*, Gracca appellatio herbae millefolii. V. v. sq. *Plin.* 24, 18, 105. Celebratur et a Graecis stratiotes: sed ea in Aegypto tantum, et inundatione Nili nascitur, aizoo similis, ni majora haberet folia. Refrigerat mire, et vulnera sanat, etc.

STRĂTĬOTĬCE, es, f. *στρατιωτική*, herba eadem ac millefolium. *Appul. Herb.* 88. Graeci chiliophyllon, alii stratioticen; Latini millefolium, alii militarem dixere. Hanc herbam Achilles invenit, unde vulnera ferro facta sanabat, et ob id Achilleos vocatur. V. ACHILLEOS et MILLEFOLIA.

STRĂTĬOTĬCUS, a, um, adj. *στρατιωτικός*, militaris: a *στρατιώτης*, miles. *Pl. Mil.* 4, 8, 49. Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici. *Id. Ps.* 2, 2, 9. Stratioticum nuntium advenientem percutiam probe; et 4, 1, 12. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo qui cluear? ℙ [*Stratioticum, i*, absolute appellatur collyrium quoddam ad aspritudinem et caliginem oculorum, cujus compositionem *Scrib. Compos.* 33. docet. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 237. M. Ulpii Heracletis stratioticum. *F.*]

*STRATĬUS, i, m. Eumenis regis medicus. *Liv.* 45, 19. *B. A.*

*STRATO vel

*STRATON, onis, m. *Στράτων*, nomen multis Graecis hominibus commune; v. g. Strato, Lampsacenus, filius Arcesilai, Theophrasti auditor, qui negavit mundum a diis esse. *Cic. Acad.* 1, 9. et 4, 38. Ade *Fin.* 5, 5. et *N. D.* 1, 13. et cf. *Laert.* 5, 58. et 59. *Pausan. Corinth. med.* p. 65. *Wechel.* ℙ Strato, servus medicus. *Cic. Cluent.* 63. ℙ Et persona muta ap. *Terentium* in *Eunucho.* ℙ Plures hoc nomine recenset *Laert.* 5, 61. ℙ *Stratonis Turris*, urbs Palaestinae, dicta et Caesarea. *Plin.* 5, 13. *Στράτωνος πύργος* est *Straboni*, et *Καισάρεια Στράτωνος Ptolemaeo.* ℙ *Stratonis insula* in sinu Arabico fuit. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*STRATOCLĒA vel Stratoclĭa, ae, f. *Στρατόκλεια*, Asiae oppidum, in Bosporo Cimmerio. *Plin.* 6, 6. *B. A.*

*STRATOCLES, is, m. *Στρατοκλῆς*, insignis comoedus. *Quint.* 11, 3. *Juven.* 3, 99. *B. A.*

STRĂTŌNĪCENSIS, e, et Strătŏnīceus, i, adj. tetrasyllab. *Στρατονικεύς*, ad Stratoniceam, *Στρατονίκειαν*, vel Stratonicen, *Στρατονίκην*, pertinens; quae est urbs Cariae mediterranea, teste *Plin.* 5, 29, 29. et *Liv.* 33, 18., ita appellata ab Antiocho I. Syriae rege in honorem Stratonices, uxoris suae. Hinc Stratonicensis ager, *Liv. ib.* et Menippus Stratonicensis, *Cic. Brut.* 91. et Metrodorus Stratoniceus, [*Id. Acad.* 4, 6. Absolute *Stratonicenses, ium*, sunt incolae illius urbis ap. *Tac. A.* 3, 62. *F.*]

[STRĂTŌNĪCEUM. V. STRATEGEUM.

[STRĂTŌNĪCIS, idis, f. *Στρατονικίς*, denominativ. a Stratonice, avia Seleuci II. Callinici, Syriae regis, in cujus honorem templum Veneris, quod Smyrnae erat, idem Seleucus asylum declaravit, ipsamque Venerem appellavit Stratoniciden, ut constat ex Graeca *Inscr.* in *Marm. Oxoniens. n.* 2. Hinc *Tac. A.* 3, 63. Smyrnaei *(retuleram)* oraculum Apollinis, cujus imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint. *F.*]

[STRĂTŌNĪCUS, i, m. victor exercitus, idem ac *nicostratus:* a *στρατός*, exercitus, et *νικάω*, vinco. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 154, 1. P. Aelius Stratonicus. ℙ *Stratonicus* fuit etiam quaestor Philippi regis, postea Alexandri M., cujus divitiae ap. Graecos, ut Crassi apud Romanos, in proverbium venerunt. Hinc *Pl. Rud.* 4, 2, 26. Apud reges rex perhibebor: post animi causa mihi navem faciam atque imitabor Stratonicum, oppida circumvectabor, ubi nobilitas mea erit clara. ℙ Item insignis statuarius ap. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 24. *F.*]

STRĂTŌPĒDUM, i, n. *στρατόπεδον*, Graece castra significat; est enim a *στρατός*, exercitus, et *πέδον*, castra. *Jul. Obsequ. de prodig.* 116. Stratopedo, ubi senatus haberi solet, corvi vulturem tundendo rostris occiderunt. Alii leg. *strategeo.*

STRĂTOR, oris, m. *ἀναβολεύς*, qui equum domini sternit, ipsumque in equum sustollit *Ulp. Dig.* 1, 16, 4. Nemo proconsulum stratores suos habere potest, sed vice eorum milites ministeriis in provinciis funguntur. ℙ Stratores imperatorum erant sub dispositione tribuni stabuli: equos imperatoris diligenter probabant, ephippiis ornabant, et inscensuro adducebant, manu tollentes in equum, nondum usu *stapedarum* invento, ut *Salm.* docet ad illud *Spartiani Caracall.* 7. Cum illum in equum strator ejus levaret, pugione latus ejus confodit. *Ammian.* 30, 5. *f.* Cum eum *(Valentinianum Imp.)* oblatus non susciperet equus, anteriores pedes praeter stratorem erigens in sublime: innata feritate concitus, dexteram stratoris militis jussit abscidi. *Id.* 29, 3. *med.* Constantianus strator paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus est in Sardiniam. *Inscr.* ap. *Grut.* 631, 8. A. Maternius Nemausus strator Cos. et Lucius Lucinus mensor frumenti. Adde *Cod.* 1, 27, 1. *med.*, ubi *Schola stratorum* nominatur: item *ib.* 12. *tit.* 25. qui *De stratoribus* inscribitur, et habetur etiam *Cod. Theod.* 6. *tit.* 31. V. STRATUS, a, um.

*STRATORĬUM, i, n. stragulum. *Vulg.* 2 *Sam.* 17, 28. *B. A.*

STRĂTŌRĬUS, a, um, adj. ad sternendum pertinens. *Paul. Sentent.* 3. *tit.* 7. *med.* Supellectile legata, vitrea vasa, et vestes stratoriae legato cedunt, *h. e.* vestis stragula.

STRĀTUM. V. STRATUS, a, um.

STRĀTŪRĂ, ae, f. *στρῶσις*, stratum, sternendi opus. *Suet. Claud.* 24. Collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorum munus injunxit. *Pall.* 1, 4. Aream bipedis sternis: inclinata sit tamen stratura ad fornacem. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 126, 1. In porticu column. IIII. cum superficie, stratura, pictura, volente populo, dedit. ℙ In illo *Pall.* 12, 7. *med.* Terrae tamen equae stercus admiscent, facientes straturam alterno ordine subinde crescentem: *stratura* est, quod alii dicunt *tabulatum*, cum sternitur primo terra toto fundo scrobis, deinde stercus equae: tum rursus terra, postea stercus usque ad summum.

STRĀTUS, a, um, part. a *sterno: στρωτός*, humi dejectus, dissipatus, extensus per humum. *Virg. Ecl.* 7, 54. Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma. *Id. A.* 1, 704. stratoque super discumbitur ostro. *Suet. Ner.* 48. Strata sub pedibus vestis. *Plin.* 36, 10, 15. Strato lapide ad magnitudinem obelisci; et *Ov. Met.* 7, 254. Exanimi similem stratis porrexit in herbis. *Id. Fast.* 3, 813. Strata arena; et *ib.* 6, 316. Strataque erat tepido tegula quassa solo. ℙ Item prostratus, jacens. *Cic. Or.* 3, 6. et *Liv.* 25, 37. Stratus humi. *Hor. Od.* 1, 1, 21. viridi membra sub arbuto Stratus. *Quint.* 6, 1. *med.* Stratum jacere, et genua complecti. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem. *Albinov.* 1, 280. Strata per obscenas corpora nuda vias. *Liv.* 7, 36. et 37, 20. Strata somno corpora. *Id.* 4, 29. Strati caede hostes. *Id.* 23, 42. Acies fusae strataeque. *Lucr.* 6, 1194. rigida strati morte jacebant. *Lucan.* 2, 135. Collina tulit stratas quot porta catervas! *h. e.* caesas; et *Just.* 2, 11. *extr.* Inter ingentes stratorum hostium catervas. *Ov. Her.* 10, 106. Strataque Cretaeam bellua tinxit humum. *Sil.* 12, 153. stratus ruina mons. *Plin.* 10, 63, 83. Ursi humanitus strati, i. e. decumbentes more hominum. *Id.* 13, 4, 8. Arbor strata in solo humido tota radicatur. *Id.* 27, 8, 42. Herba foliis oleae in terra stratis. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 29. Existimant se facilius Diis satisfacturos, si eorum plaga perculsi, afflictos se et stratos esse fateantur. *Liv.* 26, 41. *med.* Virtus populi R. haec omnia strata humi erexit ac sustulit. *Lucan.* 3, 390. Urbs strata metu. *Sen. Herc. Oet.* 101. Stratum regnum, *h. e.* eversum. ℙ *Stratum mare* apud poetas est tranquillum, aequatis et complanatis fluctibus. *Virg. Ecl.* 9, 57. Et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes (Aspice) ventosi ceciderunt murmuris aurae. *Ov. Her.* 10, 49. Jam venti ponent, strataque aequaliter unda, Caeruleis Triton per mare curret equis. Adde *Val. Fl.* 3, 605. et V. STERNO. ℙ Hinc translate. *Tac. H.* 1, 58. Post victoriam demum, stratis jam militum odiis, dimissus est, *h. e.* placatis. Sic *Stat. Silv.* 2, 5, 1. Quid tibi constrata mansuescere profuit ira? ℙ *Stratae vites* ap. *Colum.* 5, 4. sunt, quae ab enata stirpe confestim velut projectae, per humum porriguntur. ℙ Saepe *stratus* est opertus, contectus. *Virg. G.* 2, 183. strati baccis silvestribus agri. *Lucret.* 5, 1416. Cubilia strata herbis. *Plin.* 34, 13, 36. Solum, quo excipiatur spegma, esse stratum debet. *Id.* 33, 12, 54. Stratae argento balineae, ita ut vestigio locus non sit. *Just.* 4, 1. Solum stratum sulphure et bitumine. *Sil.* 9, 39. strati deleto milite campi. *Juven.* 10, 175. Stratum classibus mare. ℙ *Stratus equus*, ephippiis ornatus, instratus, *ἐπισαγμένος. Liv.* 37, 20. Non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos. ℙ Hinc *stratum* absolute, ephippia, aut clitellae, aut sagma, centunculus: quibus equi, et jumenta sternuntur. *Id.* 7, 14. *med.* Mulis strata detrahi jubet. *Plin.* 7, 56, 57. Frenos et strata equorum invenit Pelethronius. *Ov. Met.* 8, 33. Purpureusque albi stratis insignia pictis Terga premebat equi. *Sen. ep.* 80. *f.* Equum empturus solvi jubet stratum. Hinc proverb. ap. *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm.* Qui animum non potest, stratum caedit. ℙ *Stratus lectus*, stragula veste instructus, super qua jacemus. *Pl. Poen.* 3, 3, 84. In lecto lepide strato. *Juven.* 9, 52. Strata cathedra, *h. e.* pulvinis, cervicalibus, tapetibus fulta. *Suet. Caes.* 84. Lectus *(funebris)* eburneus, auro et purpura stratus. ℙ Hinc *stratum* absolute, et *strata, orum*, lectus, culcita. *Virg. A.* 3, 513. Haud segnis strato surgit Palinurus. *Val. Fl.* 7, 141. stratoque graves projecerat artus. *Liv.* 21, 4. *med.* Quies neque molli strato, neque silentio arcessita. *Lucr.* 4, 847. lecti mollia strata. *Ov. Am.* 1, 2, 1. Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur Strata, nec in lecto pallia nostra sedent? *Id. Her.* 14, 32. Strata premere corpore. *Virg. A.* 4, 391. collapsaque membra Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt. *Ov. Met.* 10, 267. Collocare aliquem stratis concha Sidonide tinctis; et *ib.* 5, 34. Exsilire stratis; et *Val. Fl.* 1, 310. prosilire; et *Claud. in Ruf.* 2, 339. desilire; et *Epithal. Pall. et Celer.* 29. exsurgere; et *Lucan.* 1, 239. stratis excita juventus; et *Virg. A.* 3, 176. Corripere e stratis corpus; et *ib.* 8, 415. Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit. ℙ Proprie locutus est *Suet. Cal.* 51. Ad majora tonitrua proripere se e strato, sub lectumque condere solebat: *stratum* enim est, quo lectus insternitur. *Plin.* 16, 36, 64. Strata cauponarum; et 19, 2, 7. Carthaginiensis Hispaniae portio montes quoque sparto operit: hinc strata rusticis eorum, etc. ℙ *Stratus, i*, m. *Gell.* 15, 8. *f.* Stratus, auro, argento, purpura amplior aliquot hominibus, quam Diis immortalibus adornatur. ℙ *Via strata*, silice munita. *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. Sternere viam lapide, quae terrena sit: vel contra lapide stratam terrenam facere. *Lucr.* 4, 416. et *Virg. A.* 1, 426. strata viarum. Hinc *strata*, absolute, via: apud sequioris aevi scriptores. *Eutrop.* 9, 19. In itineris medio, quod inter Constantinopolin et Heracleam est stratae veteris. *Juvenc.* 1, 316. Sternite jam stratas, omnis sit recta viarum Semita. *Id.* 3, 655. rediensque in margine cernit Stratae tendentem diffusa umbracula ficum. Alii leg. *strate*, adv. h. e. diffuse, late. Adde *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15, 3, 6. ℙ Ap. *Vitr.* 10, 19. *med. stratum* est tabulatum in turri militari.

STRĂTUS, i, m. V. v. praec. ℙ *Stratos vel *Stratus, i, Στράτος*, urbs Acarnaniae, ad Acheloum flumen, in confinio Aetoliae. *Mela* 2, 3. *med. Plin.* 4, 1. quorum uterque, id quod facit et *Thucyd.* 2, 8. *extr.* et 103. *extr.* itemque *Steph. Byz.*, in Acarnania ponunt. Acarnaniae tribuit etiam *Liv.* 36, 11. 38, 4. 43, 21. 22. 23. qui tamen de ea, tanquam de Aetoliae urbe, loquitur 43, 21. Stratus validissima tum urbs Aetoliae erat; sita est — prope amnem Acheloum. ℙ Item fluvius Hyrcaniae, ex Caucaso monte defluens, inque mare Caspium sese exonerans. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

STRĂTUS, us, m. stratum, stragulum, h. e. quidquid sternendo seu operiendo aptum est. *Varr. R. R.* 1, 50. *f.* Stramentum ab stratu, quod id substernatur pecori: *stratu* hoc loco est supinum. *Solin.* 45. *med.* de bucephalo: Accepto regio stratu, neminem unquam alium, praeter dominum, vehere dignatus est. *Plin.* hoc idem ita eloquitur 8, 42, 64. Ne-

minem hic alium, quam Alexandrum, regio instratus ornatu, recepit in sedem. V. *Ulpiani l. c.* in STRAGULUM.

STRĔBŬLA, ae, f. et Strebula, orum, n. plur. caro circum coxendices: est a στρεβλὸς, flexuosus. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Caro strebula, Opilius scribit, circum coxendices sunt nobis; id Graecum est ab hujus loci versura. *Fest.* Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas Graeci μηρία dicunt, quae in altaria imponi solebant, ut Plautus ait in Frivolaria, Strebula agnina. *Arnob.* 7, 230. Non enim placet carnem strebulam appellare, quae taurorum e coxendicibus demitur. V. CERASTIBOLA.

STRĒNA, ae, f. ξένιον, munus, quod dabatur die festo, et fere anni initio, boni ominis gratia. *Festus:* Strenam vocamus, quae datur die religioso, ominis boni gratia, a numero, quo significatur, alterum, tertiumque venturum similis commodi, veluti trenam, praeposita S littera, ut in loco, et lite solebant antiqui. *Sym. ep.* 10, 28. (al. 35.) Ab exortu paene urbis Martiae strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuae anni novi auspices primus accepit. ℙ Hujusmodi strenas solebant donare clientes patronis, civesque principibus; quod ultimum quidem sub Augusto coepit, Tiberius vero prohibuit, ne ultra calendas Januar. exerceretur. *Suet. Cal.* 42. Edixit et strenas ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo aedium Cal. Januar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. V. *eund. Aug.* 57. et *Tib.* 34. et adde *Pomp.* ap. *Non.* 1, 56. ℙ Etiam a principibus datae sunt aliquando clientibus, et subjectis. De his enim loquitur *Auson. ep.* 18, 3. quaestoris amici Curam pro strenis excubuisse tuis. ℙ Dabantur boni ominis gratia, ut ex *Festo* discimus. Hinc *strena bona*, bonum omen est. *Pl. Stich.* 5, 2, 24. Domum redeundi principium placet: bona scaeva, strenaque obviam occessit mihi. Adde 3, 2, 8.

STRĒNĬA, ae, f. eadem ac Strenua. *Varr. L. L.* 4, 8. Hinc oritur caput sacrae viae, ab Streniae sacello. Alii leg. *Steriniae.*

[STRĒNĬON, onis, m. aliquantum luxuriosus, dimin. a στρῆνος, luxus, et στρηνιάω, luxuriose vivo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1377, 12. L. Mindius Strenion. *F.*]

STRĒNŬA, ae, f. Dea, quae strenuum facere credebatur, quae et *Strenia.* Ex hujus Deae luco viris strenuis Cal. Januar. mittebantur verbenae felicis arboris, quae exinde strenae vocatae videntur, ut in STRENA diximus. *August. C. D.* 4, 16.

STRĒNŬĒ, adv. naviter, fortiter, prompte, ἀκριβῶς. *Gell.* 15, 4. Mandata sibi pleraque impigre et strenue facere. *Plaut. fragm.* ap. *Charis.* 2, 195. Converrite scopis, agite strenue. *Id. Aul.* 2, 2, 86. Sequere propere me ad macellum strenue. *Id. Bacch.* 3, 3, 41. et *Men.* 5, 6, 26. Strenue facere; et *Val. Max.* 2, 6. *n.* 2. hostem invadere. *Cic. Rab. perd.* 10. *f.* arma capere pro aliquo. *Id. Q. Fr.* 2, 4. *f.* domum aedificare. *Plaut. fragm.* ap. *Charis. l. c.* fateri. *Veg. Mil.* 1, 17. Per hos strenuissime omnia bella confecta. *Pl. Ps.* 1, 5, 94. *Ps.* Abs te argentum sumam. *Si.* tu a me sumis? *Ps.* strenue. ℙ Celeriter. [*Docet *Doederl.* 2, 129. sq. *strenuus* proprie quidem celeritatis notionem parum involvere; sed cum *strenuus* etiam eum significare possit, qui studium et laborem rebus celeriter gerendis adhibeat, proxime illud hac significatione accedere ad *pernix*, quod utrumque vocab. vim extrinsecus allatam nullam admittat. Differentiam esse tamen in eo, quod *pernix* habeat, quo nitatur, *strenuus* non habeat.] *Pl. Rud.* 2, 6, 8. Quo, malum, properas? nam equidem te nequeo consequi tam strenue. *Id. Trin.* 4, 4, 10. Strenue curre in Piraeum. *Cic. Att.* 16, 6. Ego adhuc magis commode, quam strenue navigavi: remis enim magnam partem: prodromi nulli. Adde *Pl. Poen.* 1, 2, 193. et *Men.* 5, 7, 48.

STRĒNŬĪTAS, atis, f. τὸ δραστήριον, ἀνδραγαθία, agilitas, vigor, promptitudo, diligentia, sedulitas Erat Galanthis una ex ancillis Alcmenes, faciendis strenua jussis, ut ait *Ov. Met.* 9, 307., et Officiis dilecta suis. Hanc Juno cum in mustelam vertisset, subdit *Ov. ib.* 320. Strenuitas antiqua manet. *Varro* quoque hanc vocem agnoscit *L. L.* 7, 5. *med.*

STRĒNŬO, as, n. 1. strenuum hominem ago, strenuitatem prae me fero. *Pl. Ps.* 2, 2, 34. Dum tu strenuas, res erat soluta.

[STRĒNUS, i, m. στρηνὸς, asper. Est nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 48, 2. Strenus Brisiae F. *F.*]

STRĒNŬUS, a, um, adj. ἀνδραγαθητὴς, δραστήριος, acer, agilis, non cessans, navus, ad res gerendas impiger, alacer, promptus: cui opponitur *iners, ignavus* Volunt esse a στρηνὴς, quod *Hesychio* est etiam ἰσχυρός. [*Papias deducit a *sterno.* — *Doederl.* 2, 128. sq. adjectivum praedicat verbi *stringere*, quocum a *trahere* originem repetat. Hinc *strenuus* proprie synonymum esse v. *strictus*, communicata inter utrumque adstricti, constricti *(des Angezogenen, Festgeschnürten,* opp. *fluxus, laxus, remissus, luxuriosus* et *languidus.)* notione, ita tamen, ut *strictus* passive non sine vituperatione id, quod externa vi constringatur, (nostr. *knapp, kurz, karg,*) significet; *strenuus* (proprie de personis,) active eum spectet, qui nulla externa vi coactus, suam ipsius animum consiliumque sequutus ipse cum laude ad res gerendas se instiget. — Discrimen inter *strenuus, severus, gravis* hoc posuit, ut *strenuus* ipsam agendi rationem, *severus* mentem atque consilium, *gravis* modum in alios exhibitum spectet. — *Fortis*, quod saepe c. *strenuus* conjunctum legatur, (interdum nostr. *gestreng,*) majorem hoc indicare nobilioremque animi facultatem.] *Cic. Phil.* 2, 32. Caesari obviam longissime processisti: celeriter isti, redisti, ut cognosceret te si minus fortem, attamen strenuum. *Hirt.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Noli me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram. *Gell.* 14, 3. Cyrus vir gnavus, et strenuus. *Quint.* 12, 3. In proeliis strenuus et fortis. *Ov. Met.* 9, 307. Una ministrarum faciendis strenua jussis. *Ter. Phorm.* 3, 1, 12. Strenuum hominem se praebere in re aliqua. *Hor. Ep.* 1, 7, 71. nunc i: rem strenuus auge. *Cato R. R. praef.* Mercator strenuus, studiosusque rei quaerendae; et *ib.* Viri fortissimi, et milites strenuissimi. *Pl. Epid.* 3, 4, 10. Strenuiori deterior si praedicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae. *Lucil.* ap. *Prisc.* 3, 601. Villicus paulo strenuior si evaserit. *Tac. H.* 4, 69. Sumi bellum etiam ab ignavis: strenuissimi cujusque periculo geri; et *ib.* 1, 46. Inops pro locuplete, et iners pro strenuo. *Id. ib.* 2, 14. *f.* Strenui, ignavique in victoria idem audent; et *ib.* 86. Vir strenuus manu, sermone promptus; et *ib.* 3, 57. Neque fidei constans, neque strenuus in perfidia. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Operam reipublicae fortem atque strenuam perhibere. *Nep. Dat.* 1. Vir manu fortis, et bello strenuus; et *ib.* 6. Animo strenuo facere aliquid. *Plaut. fragm.* ap. *Gell.* 7, 7. Potin' es tu homo facinus facere strenuum? *Curt.* 9, 1. *med.* Strenuo saltu in vehicula transilire. *Pl. Rud.* 2, 2, 8. Adolescens strenua facie, rubicundus, fortis; et *Gell.* 3, 1. *f.* Corpore esse bene habito et strenuo. *Ov. Fast.* 4, 781. per ardentes stipulae crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede; et *Colum.* 10, 18. Strenua toxica, *h. e.* quae celeriter perimunt. *Cels. praef.* 7. *med.* Chirurgus esse debet manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente. *Ov. Trist.* 1, 10, 34. navis Transeat instabiles strenua Cyaneas, *h. e.* cita. *Hor. Ep.* 1, 11, 28. Strenua nos exercet inertia, *h. e.* strenui quidem sumus, sed prave, quia operam nostram male collocamus, et inertium similes nihil agimus: ὀξύμωρον. ℙ Cum gen. *Tac. H.* 3, 42. *extr.* Valerius Paulinus strenuus militiae. ℙ [*Ap. *Eund. ib.* 1, 52. *strenuus* etiam in malam partem dicitur pro inquieto, factioso.]

STRĔPĬTO, as, n. 1. κτυπέω, strepitum facio: frequent. a *strepo. Virg. G.* 1, 413. Inter se foliis strepitant. *Tibull.* 2, 2, 17. strepitantibus advolat alis. Alii leg. *trepidantibus. Id. ib.* 5, 73. arma ferunt strepitantia coelo. Alii leg. *crepitantia. Val. Fl.* 4, 288. pulsis strepitant incudibus urbes. *Ov. Met.* 11, 365. fragore gravi strepitans loca proxima terret Bellua vasta, lupus. *Albinov.* 1, 183. de luctu funebri: Incerti clauduntque domos, strepitantque per urbem. ℙ [*Solemnem vocabulorum *strepitare, crepitare, trepidare* confusionem vindicat *Burm.* ad *Quint. Decl.* 13, 3. p. 274. coll. *Drak.* ad *Sil.* 14, 310.]

STRĔPĬTUS, us, m. ψόφος, ingratus sonitus, crepitus, fragor: a *strepo. Pacuv.* ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Strepitus, fremitus, clamor tonitruum, et rudentum sibilus. *Caes. B. G.* 6, 6. *f.* Majore strepitu et tumultu, quam populi R. fert consuetudo, castra moveri jubet; et *ib.* 4, 33. Ipso terrore equorum, et strepitu rotarum ordines perturbant. *Tibull.* 1, 2, 35. et *ib.* 7, 68. strepitus pedum; et *Ov. Trist.* 3, 7, 36. senectus strepitum passu non faciente venit. *Id. Met.* 11, 650. nullos strepitus facientibus alis. *Quint. decl.* 12, 19. Pecuniae strepitus. *Hor. Ep.* 2, 1, 202. Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum. Tanto cum strepitu ludi spectantur. *Ov. Met.* 14, 782. Verso cardine strepitum facere; et *ib.* 7, 840. fronde levem strepitum faciente caduca. *Cic. Verr.* 1, 15. *extr.* Non strepitu, sed maximo clamore suam populus R. significavit voluntatem. *Liv.* 2, 27. Neque decretum exaudiri consulis prae strepitu et clamore poterat; et *ib.* 29. Decernente ferocissimo quoque, non sententiis magis, quam clamore et strepitu. *Val. Fl.* 5, 650. Pallas irridens strepitumque, minasqua Gradivi; et *Liv.* 39, 15. *med.* Vino, strepitibus, clamoribusque nocturnis attoniti. *Cic. Att.* 13, 48. Heri nescio quid in strepitu videor audisse, cum diceres, te in Tusculanum venturum, *h. e.* confuse, indistincte, quod *Pl.* dixit *Capt.* 5, 4, 27. audivi quasi per nebulam. De Acheronte omnes ad se trahente, *Virg. G.* 2, 490. felix, qui metus omnes, strepitumque Acherontis avari Subjecit pedibus, *h. e.* terrorem, formidinem ex opinione vulgari. ℙ De grato sono. *Hor. Ep.* 1, 2, 31. Ad strepitum citharae. *Id. Od.* 4, 3, 17. Temperare dulcem strepitum testudinis aureae. ℙ Translate dicitur de comitatu, turba, fastu. *Quint. decl.* 13, 4. Cum evocasset me subito trepidum, totoque fortunae suae strepitu circumstetisset. *Virg. A.* 6, 865. Qui strepitus circa comitum? ℙ De vano apparatu eloquentiae. *Petr. Sat.* 1. Nunc et rerum tumore, et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. ℙ [*Significat *strepitus*, (opp. ars occulta ex simplicitatis imitatione,) eum eloquentiae apparatum, quo se orator veluti prodit, et fallendi auditoris consilium temere exponit. V. *Quint. Inst.* 4, 2, 57 — 59. et cf. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 374.] ℙ Olim fuit 2. declinationis. *Enn.* ap. *Non.* 8, 52. Quid in castris strepiti est. ℙ Observatum est has voces *strepitus* et *crepitus* saepe in libris commutari. *Drakemb.* ad *Liv.* 5, 47. et 39, 15. etc. Hinc *strepitus ventris* ap. *Petr. Sat.* 117. Tollebat subinde altius pedem, et strepitu obsceno simul atque odore[viam implebat; et *ib.* 17.] Manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis. ℙ [*Confund. etiam *strepitus* et *spiritus.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 202. a.]

STRĔPO, is, ui, n. 3. ψοφέω, strepitum edo. Verbum est per onomatopoeiam factum, ut *strideo, vagitus, sibilus. Cic. Div.* 1, 16. Cum Achivi coepissent inter se strepere. *Tac. A.* 1, 25. Vocibus truculentis strepere. *Hor. Od.* 4, 12, 4. fluvii strepunt Hiberna nive turgidi. *Id. ib.* 2, 1, 18. Litui strepunt. *Virg. A.* 8, 2. rauco strepuerunt cornua cantu. *Sil.* 15, 145. moto strepuere tonitrua mundo. *Plin.* 11, 10, 10. Apes in alveo strepunt; et *ib.* 17, 17. Murmur apum intus strepit. *Virg. A.* 9, 808. strepit assiduo cava tempora circum Tinnitu galea. *Val. Fl.* 6, 302. Lancea caeruleas circum strepit incita vittas. *Tac. Agr.* 45. Intra Albanam villam sententia Messalini strepebat. ℙ Cum accus., more activorum. *Liv.* 2, 45. Haec cum sub ipso vallo portisque streperent, haud aegre consules pati, *h. e.* strependo clamitarent, et jacerent in Romanos. *M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* 3, 9. Omnes omnium populorum praesides Deos, atque ipsum lucum, qui Capitolium montem strepit, quaeso, tribuat nobis, etc. ℙ Dicuntur etiam *strepere* loca, in quibus strepitus fit. *Liv.* 22, 14. *med.* Strepunt aures clamoribus plorantium; et 21, 11. *med.* Cum omnia variis clamoribus streperent. *Virg. A.* 6, 709. strepit omnis murmure campus. *Plin.* 5, 1, 1. Mons tibiarum cantu, tympanorumque sonitu strepere. *Tac. A.* 2, 23. Placidum aequor mille navium remis strepere. *Id. H.* 2, 84. Armorum paratu strepere provinciae; et *ib.* 62. Ex urbe atque Italia irritamenta gulae gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus: scil. multitudine commeantium. ℙ Metonymice. *Plin.* 8, 42, 64. Scythici equitatus equorum gloria strepunt, *h. e.* cluent, celebrantur sermonibus.

STREPSĬCĔROS, ōtis, m. στρεψίκερως, animal quoddam transmarinum, cornua habens erecta, et in leve fastigium exacuta, rugarumque ambitu contorta, quemadmodum *Plin.* 11, 37, 45. describit. Est ἀπὸ τῆς στρέψεως τῶν κεράτων, a contortione cornuum. *Capitol. Anton.* 10. Edidit munera, in quibus elephantos, et strepsicerotas, et crocodilos etiam exhibuit. Adde *Plin.* 8, 53, 79.

STREPTOS, i, f. στρεπτὸς, uvae genus, ita dicta, quod cum sole circumagitur: a στρέφω, verto. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7.

STRĬA, ae, f. πτὺξ, ῥάβδωσις, eminens linea inter canaliculos, sive sulcos columnae striatae. *Strix* enim dicitur pars cava et depressior: *stria*, quae inter duos canaliculos exstat: quemadmodum in arato agro *sulcus* est terra vomere cavata: *porca*, quod inter duos sulcos exstat. [Ita ex *Philandro* rem definit *Forcellinus.* Verum *Polenius* et *Stratico* ad *Vitr.* 3, 3. *f.* rectius putant, ubicumque ap. *eund. Vitr.* alii *striges* legunt, ex optimis MSS. vel *striae*, et uno in loco *strigles* legendum, striarum vero tres distingui species. Prima est, quae constat cavitatibus seu canaliculis alternatim inter plana dispositis, Italice *scanalature* sic scilicet ⁀∪∪∪, de qua agit *Vitr. l. c.:* altera, quae fit ex simplicibus planis angulos efficientibus, ita ut nullae exstent cavitates, sic ⩘: tertia, quae cavitates habet, nullis quidem interpositis planis, ut prima distinctas, sed terminatas angulis, sic ∪∪∪, de quibus duabus postremis *Vitr.* 4, 3. agit. Ita manifestum est, striarum nomen generale esse, et sumi pro toto ornamento ex parte cava et eminula composito; pro cava tantum parte, et pro parte eminula et proturbante; quemadmodum eodem sensu *ruga* utramque partem, nempe tum exstantem, tum cavam significat in pelle, et in veste. *Vitr.* 3, 3. *f.* Columnarum striae faciendae sunt XXIV., ita excavatae, uti normae in cavo striae cum fuerit conjecta, circumacta ita anconibus striarum dextra ac sinistra angulos tangat, ut acumen normae circum rotundatione tangendo pervagari possit. Crassitudines *(h. e. li pianuzzi)* striarum faciendae sunt, quantum adjectio in media columna ex descriptione invenietur. *Id.* 4, 1. *med.* Trunco toto *(columnae)* strias, uti stolarum rugas, matronali more demiserunt. *Id. ib.* 4. *med.* Si duae columnae aeque crassae lineis circummetientur, e quibus una sit non striata, et altera striata, et circa striglium cava et angulos striarum linea corpora tangat, tametsi columnae aeque crassae fuerint, lineae, quae circumdatae erunt, non erunt aequales; quod striarum et striglium circuitus majorem efficiet lineae longitudinem. *F.*] ℙ Per similitudinem etiam de canaliculis boletorum usurpatur. *Plin.* 22, 22, 46. Quorundam ex his facile nosçuntur venena, diluto

rubore, rancido aspectu, livido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labro.

STRIĀTŪRA, ae, f. ῥάβδωσις, ipsa forma striata. *Vitr.* 4, 3. *f.* Ita Dorica columna sui generis striaturae habebit perfectionem. *Sidon. ep.* 4, 8. Concha senis cavatur striaturis.

STRIĀTUS, a, um, part. a *strio:* ῥαβδωτὸς, formatus in strias. *Vitr.* 7, 5. *med.* Pro columnis statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati. *Plin.* 9, 33, 52. Striata concha: (cui opponitur *laevis.*) *Id.* 21, 5, 11. de lilio: Candor ejus eximius, foris striati, et ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis effigie calathi. *Id.* 27, 4, 5. Aloe ex obliquo striata. *Appul. Met.* 10. *in.* Adolescens senili tristitie striatam gerens frontem, *h. e.* rugis contractam, caperatam.

STRIBLĬGO, inis, f. σολοικισμὸς, barbarae orationis vitium, alias soloecismus: a στρεβλὸς, curvus, pravus. *Gell.* 5, 20. Soloecismus Latino vocabulo a Sinnio Capitone, ejusdemque aetatis aliis imparilitas appellatus, vetustioribus Latinis stribligo dicebatur, a versura scilicet, et pravitate tortuosae orationis, quasi sterobiligo quaedam. *Arnob.* 1, 36. Stribligines et vos istas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis?

STRIBLĬTĀ. V. SCRIBLITA.

STRICTĒ, adv. στενῶς, arcte, presse. *Gell.* 16, 3. *med.* Fasciis ventrem strictissime circumligare. *Pall.* 4, 8. Oleam terebra perforabis, tum duos ramos tolles, et stricte in foramen utrumque conjicies. *Id.* 1, 6. Post bonam vindemiam strictius, post exiguam latius puta. ℙ Translate. *Cic. Am.* 16. *med.* Nec observare stricte, ne plus reddat, quam acceperit. Alii leg. *restricte.* [*Ita *Orell.*] *Paul. Dig.* 8, 2, 19. *med.* Si quis strictius interpretetur.

STRICTIM, adv. λιγδὴν, stricte. *Pall.* 1, 13. Facta et strictim juncta crates. *Pl. Capt.* 2, 2, 18. Utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio, [*i. e. proxime ad cutem, Gr. ἐν χρῷ κείρειν. V. *Lindem.*] ℙ Saepe accipitur pro compresse, breviter, singula stringendo, quae sparsa ac diffusa sunt, breviter et quasi summatim colligendo. *Cic. Cluent.* 10. Cum ea, quae copiosissime dici possunt, breviter a me strictimque dicuntur. [*Id. N. D.* 3, 8. quibus de quaestionibus tu strictim, nostri multa solent dicere.] *Sall. Cat.* 4. *f.* Res gestas populi R. strictim perscribere. [*Pro *strictim* h. l. bene *Tellerus* vindicavit *carptim*; quem secutus *Kritz.* docet, *strictim*, i. e. breviter, ferri hic non posse, primum quia brevitatis notio non possit consociari c. verbo *perscribere*, i. e. accurate scribere, nulla re graviore omissa; tum quia adjecta verba, *ut quaeque memoria digna videbantur*, aperte v. *carptim*, i. e. κατὰ κεφάλαια, neque vero *strictim* explicent.] *Varr. L. L.* 8, 28. *extr.* Haec nunc strictim dicta, apertiora fient infra. *Cic. Att.* 2, 1. Librum strictim attigisti. [*i. e. obiter. Cf. *Or.* 1, 35. ubi leg. strictim aspicere.] *Gell.* 1, 3. *med.* Hunc locum, omnium rerum aliarum difficillimum, strictim atque cursim transgressus est. [*Suet. *Tib.* 73. strictim scribere de aliqua re.]

STRICTĬPELLAE. } V. SCRANTIAE.
STRICTĬVELLAE. }

STRICTĬVUS, a, um, adj. θρεπτικὸς, qui stringitur, ut Strictivae olivae, quae manu colliguntur, ad differentiam caducarum. *Cato R. R.* 146. Oleae caducae modii quinquaginta, strictivae modii decem.

STRICTOR, oris, m. qui oleas adhuc pendentes manu stringit, et colligit. *Cato R. R.* 144.

STRICTŪRA, ae, f. [*detractio decerpendi actus, *das Abstreifen, Abpflücken;* ita de lectione oleae, quae manu fit.] *Colum.* 12, 48. Maturam olivam in strictura factam colymbadem, de muria tollito, *h. e.* cum stringeretur, seu manu legeretur. ℙ Est etiam constrictio, compressio: cui *solutio* opponitur. *Plin Valer.* 4, 2. Stricturam stomachi, vel praeclusa praecordia relaxare. Adde *Coel. Aurel. Acut.* 1, 7, 9. et 10. *Tard.* 4, 8. *med.* et *ib.* 5, 4. ℙ [*Hinc dicitur *strictura*] massa ferri rudis (praesertim candens) quae malleo stringi ac densari potest. *Non.* 1, 77. et 12, 23. dicit esse proprie scintillam, quae de ferro candente erumpit, cum malleis cuditur: quod aut stricte emittatur, idest celeriter; aut oculos sui fulgore perstringat. *Plin.* 34, 14, 41. Differentia ferri numerosa: aliud brevitate sola placet; aliud rubiginem celerius sentit. Stricturae vocantur hae omnes, quod non in aliis metallis, a stringenda acie vocabulo imposito. *Gloss. Philox.* Stricturae, λελιπαμμένον, ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ σιδήρου πίπτον, ὥσπερ σπινθῆρες. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 173. de Ilva insula: Nascitur quidem illic ferrum, sed in stricturam non potest cogi, nisi transvectum in Populoniam Tusciae civitatem, ipsi insulae vicinam. *Lucil.* ap. *Non. cit.* 1, 77. Crebrae ut scintillae, in strictu ris, quod genus olim Ferventi ferro. *Virg. A.* 8, 420. striduntque cavernis Stricturae chalybum, et fornacibus ignis anhelat. Addi solet *Caes. B. G.* 3, 21. *f.*, sed dubia est ibi lectio. V. SECTURA. ℙ De ipsa massae candentis tunsione et densatione, quae malleo fit. *Prud. contra Sym.* 2, 285. Decoquat in massam fervens strictura secures Rursus, et ad proprium restillet vena metallum.

STRICTUS, a, um, part. a *stringo:* [*σφιγκτὸς, adstrictus, constrictus, compressus, contractus.] *Gell.* 15, 17. Quercus in duas partes diducta, stricta denuo et cohaesa dilacerandum hominem feris praebuit. *Stat. Silv.* 4, 3, 79. Qui terras rapere, et rotare silvas Assueram (pudet!) amnis esse coepi. Sed grates ago strictus, *h. e.* ripis coercitus. *Lucan.* 2, 697. Stricta carbasa deducere, *h. e.* contracta et involuta vela antennis demittere et explicare. *Stat. Th.* 3, 534. de aquilis: Invasere globum nivei gregis: uncaque pandunt Caedibus ora novis, et strictis unguibus instant. *Auson. Idyll.* 14, 3. Strictior Eoos praecesserat aura jugales, *h. e.* magis adstringens, utpote frigidior. *Liv.* 22, 51. *med.* Stricta matutino frigore vulnera. *Val. Fl.* 1, 513. strictosque insedimus amnes: et translate. *Lucan.* 4, 652. pectora pigro Stricta gelu. *Scrib. Comp.* 45. *extr.* Emplastri stricti spissitudo, *h. e.* densi. Sic *Pall.* 7, 1. Mandatis areis aquam spargunt, et minuta ibi pecura diu spatiari, ac proculcare compellunt: et, cum terra ungulis stricta fuerit, spectant solidam siccitatem. *Id.* 6, 7. *med.* Testiculi *(juvenci)* stricta pelle clauduntur, aut deciduntur, *h. e.* contacta et intenta. *Veg. Vet.* 3, 16. Strictum ventrem solvere. *Inscr.* ap, *Grut.* 960, 7. Tu, pede qui stricto vadis per senta, viator, *h. e.* brevi passu. ℙ Item contentus, adductus. *Stat. Th.* 11, 513. It praeceps sonipes, strictae contemptor habenae. ℙ Item erectus, intentus. *Id. ib.* 530. Fulmineos veluti praeceps cum cominus egit Ira sues, strictisque erexit corpora setis. ℙ Translate, gravis, severus: quia hujusmodi constricta fronte, ut ait *Petr. Sat.* 132. *f.* esse solent. *Manil.* 5, 106. strictos nec crede Catones, Aut Brutum, etc. *Id.* 1, 769. Quique animi vires, et strictas pondere mentes Prudentes habuere viri, *h. e.* auctoritate graves. Sic *Stat. Silv.* 3, 5, 87. Nulla foro rabies, aut strictae jurgia legis. *Jabolen. Dig.* 29, 2, 85. Restitutio stricto jure non competebat; et *Paul. ib.* 39, 3, 2. *med.* Haec aequitas suggerit, etiamsi stricto jure deficiamur. ℙ [*Hinc adj. i. q. angustus, arctus, στενός.] *Ov. R. Am.* 233. Sed tamen est artis strictissima janua nostrae. Contra *Id. Am.* 1, 8, 77. et *Fast.* 2, 456. janua laxa. *Hyg. Gromat.* 3. *col.* 1. Si strictior fuerit pedatura. ℙ [*De oratore rebusque litterariis i. q. brevis, concisus.] *Auct. dial. de Or.* 25. At strictior Calvus, numerosior Asinius. Alii leg. *adstrictior. Quint.* 10, 1. *med.* Plenior Aeschines, et magis fusus, et grandiori similis, quo minus strictus est. *Sen. Ben.* 4, 37. *f.* Philippo epistolam strictam ac liberam scripsit. ℙ Item parcus, tenax. *Firm. Math.* 5, 2. *in.* Faciet strictos, avaros, sordidos, et qui in omni vita laetitiae gratiam vitent. ℙ Strictus, leviter vulneratus, perstrictus. *Stat. Th.* 8, 533. Qualis setigeram Lucana cuspide frontem strictus aper, penitus cui non in fossa cerebro Vulnera. ℙ *Stricta poma, frondes*, manu decerptae. *Caes. B. C.* 3, 58. Foliis ex arboribus strictis equos alere. *Hor. Ep.* 1, 14, 28. bovemque Disjunctum curas, et strictis frondibus exples. *Liv.* 23, 55. Olea manu stricta. V. STRINGO. ℙ *Stricta manus*, in pugnum compressa: quod fit, cum quippiam corripimus et tenemus. Hinc *strictus ensis*, stricta manu prehensus: [*Strictus *gladius* est nudatus, vagina liberatus. V. in *stringo.* Hinc *stricta manus* poetice dicitur manus stricto gladio armata atque in hostem protenta. V. infra.] *Virg. A.* 10, 577. strictum rotat acer Lucagus ensem; et *ib.* 650. strictumque coruscat Mucronem; et *ib.* 715. stricto concurrere ferro. *Flor.* 2, 5. (et *Lucan.* 5, 12. et *Manil.* 6, 626.) In principum colla strictae secures *Sen. Oed.* 89. Stricta tela. Sic *strictae manus*, telo armatae. *Ov. Am.* 1, 6, 14. Non timeo strictas in mea fata manus. Adde *Trist.* 5, 2, 30. et V. STRINGO.

STRICŬLUS. V. HISTRICULUS.

STRĪDĔO, es, et Strido, is, idi, n. 2. et 3. τρίζω, stridorem edo, acutum, et ingratum fere sonum emitto, strepito, sibilo. Vox est per onomatopoeiam a sono facta, ut τρίζω. Dicitur autem de variis multarum rerum sonis, ut ex subjectis apparet exemplis. *Ov. A. Am.* 3, 229. de puella: Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet. *Virg. A.* 6, 287. bellua Lernae Horrendum stridens. *Hor. Sat.* 2, 8, 78. Stridere secreta divisos aure susurros. *Juven.* 5, 159. ut per lacrimas effundere bilem Cogaris, pressoque diu stridere molari. *Cels.* 2, 6. *med.* Mors denuntietur, ubi aeger, qui mentis suae non est, neque id facere sanus solet, dentibus stridet. *Tibull.* 1, 3, 71. serpentum Cerberus ore Stridit; et *Virg. G.* 4, 556. Stridere apes utero, et ruptis effervere costis. *Plin.* 29, 6, 39. Gryllus retro ambulet, terram terebret, stridat noctibus. *Ov. Fast.* 6, 140. Striges horrenda stridere nocte solent. *Virg. G.* 3, 536. stridentia plaustra; et *ib.* 1, 401. cycni ludunt stridentibus alis. *Enn.* ap. *Prisc.* 8, 817. Missaque per pectus dum transit, striderat hasta; et *Lucan.* 9, 827. quam segnis strideret arundinis aer, (*h. e.* sagittae Scythicae). Sic *Virg. A.* 12, 692. strident hastilibus aurae, *Id. ib.* 9, 632. et *ib.* 12, 319. Stridens sagitta; et *ib.* 9, 705. phalarica; et *ib.* 586. funda; et *ib.* 5, 502. nervo stridente sagitta, etc. volucres diverberat auras. *Id. ib.* 2, 418. Ventis stridens silva. *Ov. Trist.* 1, 11, 19. stridunt aquilone rudentes. *Lucr.* 2, 410. serrae stridentis acerbus Horror. *Virg. A.* 1, 453. foribus cardo stridebat ahenis. *Sen. Thyest.* 770. et *Ov. Met.* 6, 646. Stridet in verubus jecur; et *ib.* 4, 122. vitiato fistula plumbo Scinditur, et tenues stridente foramine longe Ejaculatur aquas. *Virg. A.* 8, 450. stridentia tingunt Aera lacu. [*Ov. Met.* 9, 171. ipse cruor, gelido seu quondam lamina candens Tincta lacu, stridit, coquiturque ardente veneno: ubi *Gierig.* laud. *Lucr.* 6, 147. Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem. Adde *Ov. Met.* 12, 278. ad illud (ferrum) Stridet, et in trepida submersum sibilat unda.] Sic *Virg. A.* 4, 420. striduntque cavernis Stricturae chalybum; et *ib.* 4, 689. infixum stridit sub pectore vulnus. *Id. G.* 4, 262. Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis; et *A.* 1, 106. stridens aquilone procella. *Plin. ep.* 9, 26. Stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt. *Virg. A.* 8, 690. totum spumare reductis Convulsum remis, rostrisque stridentibus aequor, *h. e.* proris strepentibus, dum findunt aquas, et, ut ait *Id. ib.* 1, 39., spumas salis aere ruunt. *Claud. in Eutrop.* 2, 105. Subsidunt Pangaea rotis, altaeque sonoro Stridunt axe nives *(scrizzano* vulgo dicunt Patavini). *Catull.* 64, 264. Barbara terribili stridebat tibia cantu. *Lucan.* 1, 431. Batavique truces, quos aere recurvo Stridentes acuere tubae. *Id.* 6, 622. ne, membris sole perustis, Auribus incertum feralis strideat umbra, *h. e.* indistincte loquatur, et pro vocibus confusum stridorem edat. Sic *Mela* 1, 8. *med.* Troglodytae strident magis, quam loquuntur; et *Plin.* 5, 8, 8. Troglodytae specus excavant: hae illis domus: stridorque, non vox. ℙ Universim tribuitur umbris mortuorum, quae resonare videntur quiddam triste et acutum, ut ait *Hor. Sat.* 1, 8, 41. quod est *stridere.* Unde *Stat. Th.* 7, 770. stridunt animae, currumque sequuntur. *Accius* ap. *Prisc.* 8, 867. Cum strideret retracta rursus inferis. ℙ In MSS. poetarum saepius legi *stridit, stridunt*, quam *stridet, strident*, observarunt *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. Met.* 9, 171. et al. [*Cf. *Ramsh.* §. 74. p. 208. sq. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 690.] ℙ *Prisc.* 8, 817. et *Prob.* in *Cath.* p. 1480. agnoscunt etiam praeteritum *stridui.* ℙ Quod primam corripuit *Virg.* tum *cit.* 8, 690., tum *ib.* 5, 143. *rostrisque stridentibus*, valde torquet grammaticorum ingenia: cum semper alibi tum ab ipso *Virg.*, tum ab aliis poetis omnibus producatur. *Pierius* testatur, ita legi in bona antiquiorum codicum parte: ita quoque refert *Prisc.* 1, 562. In aliquo tamen ex MSS. antiqu. habetur *rudentibus:* in nonnullis *tridentibus:* quod videtur *Virgilii* imitator *Val. Fl.* 1, 688. Infinditque salum, et spumas vomit aere tridenti. *Pierio* haec lectio placet: *Burmanno* nihil certius est, quam sic *Virgilium* dixisse: item *Heynio.*

STRIDOR, oris, m. τρισμὸς, ῥοῖζος, ῥοιβδηθμὸς, sonus inconditus, acutus, et ingratus stridentis. Tribuitur hominibus, animalium multis, itemque aliis rebus, ut subjecta exempla docent. *Cic. Agr.* 2, 26. *med.* Sullanus ager latissime continuatus tantam habet invidiam, ut veri ac fortis tribuni plebis stridorem unum perferre non possit. [*i. e. Si quis tribunus plebis populum, iis quibus Sulla agros diviserat, infestum, concionibus suis concitaverit.] *Hor. Od.* 1, 34, 14. hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto Sustulit, hinc posuisse gaudet. *Plin.* 5, 8, 8. Troglodytis stridor, non vox. *Id.* 8, 9, 9, (et *Ov. Met.* 8, 287.) Elephanti minimo suis stridore terrentur. *Id.* 11, 51, 112. Alia insecta murmur edunt, ut apes: alia cum tractu stridorem, ut cicadae. *Id. ib.* 29, 35. Grandiores locustae tanto volant pennarum stridore, ut aliae alites credantur. *Id.* 29, 4, 28. Stellio plenus lentigine, stridoris acerbi. *Sil.* 6, 177. Cerbereus stritor, *h. e.* sibilus serpentum, qui sunt in juba et villis Cerberi: nam *serpentum Cerberus ore Stridit*, ut ait *Tibull.* 1, 3, 71. Sic *Ov. Met.* 9, 65. Cumque fero movi linguam stridore bisulcam, *Petr. Sat.* 136. Anseres foedo, ac veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem. *Ov. Met.* 14, 100. Simiae rauco stridore queruntur. *Hirt. B. Afr.* 72. et 84. Stridor elephantorum. [*Cf. *Liv.* 44, 5.] ℙ Speciatim tribuitur umbris defunctorum, quibus *stridere*, non loqui *Lucan.* 6, 622. tribuit. *Petr. Sat.* 122. Ecce inter tumulos atque ossa carentia bustis Umbrarum facies diro stridore minantur. *Claud. in Ruf.* 1, 126. Illic umbrarum tenui stridore volantum Flebilis auditur questus. [*ℙ Solemne quoque vocabulum est de murmure illo sagae magico. *Tibull.* 1, 2, 47. Jam tenet infernas magico stridore catervas: ubi v. *Broukh.*] ℙ De rebus inanimis. *Sen. Ira* 2, 25. *f.* Cujus aures tracti subsellii stridor offendit. *Cic. Tusc.* 5, 40. Stridor serrae, cum acuitur. *Accius* ap. *eund. ib.* 1, 28. Horrifer aquilonis stridor. *Cic. Progn. Div.* 1, 8. *extr.* Densus stridor cum celso e vertice montis Ortus, adaugescit scopulorum saepe repulsu. *Propert.* 3, 5, 61. stridorem audire procellae. *Lucan.* 1, 237. et *Senec. Thyest.* 575. lituum. *Virg. A.* 1, 91. et *Ov. Met.* 11, 495. rudentum. *Juven.* 14, 23. catenae. *Hirt. B. Afr.* 83. fundarum et lapidum. *Calpurn. Ecl.* 3, 61. acerbae avenae. *Lucan.* 3, 154. magnoque reclusas Testatur stridore fores. *Ov. Med.* 11, 608. Janua, quae verso stridorem cardine reddat.

Id. ib. 12, 275. et vulnere sanguis inustus (*quia flagranti torre vulnus inflictum erat*) Terribilem stridore sonum dedit; et *Vitruv.* 2, 4. Arena, quae manu confricata fecerit stridorem, erit optima. *Plin.* 20, 6, 21. Porrum sanat stridores aurium; et 11, 51, 112. Stridorem dentibus facere, *h. e.* frendere. *Cels.* 2, 7. Oculorum quoque frequens nutus, et insolens stridor dentium insanae signa sunt i. e. sonus, qui attritu dentium oritur. *Apul. Met.* 10. Attritu dentium longus stridor redditus. *Hieron. ep.* 117. *n.* 7. *de muliere:* Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens stridore ad se juvenes vocat. Hinc *Id. ep.* 54. *n.* 7. Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos. [**Sil.* 7, 605. pugnas aeris stridore cientem, i. e. tubarum cantu. V. *Drakenb.*]

STRĪDŬLUS, a, um, adj. λιγὺς, λιγερὸς, ῥοιζώδης, stridens, crepitans. *Ov. Trist.* 3, 12, 29. per Istrum Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit. *Id. Met.* 10, 6. fax lacrimoso stridula fumo. [*nempe humida cum stridore fumabat.] *Sen. ep.* 56. tenuis et stridula vox. *Claud. IV. cons. Honor.* 380. Stridula examina: *scil.* apum. *Id. Gigant. de gigantib.* quos anguipedes finxere, *v.* 8. Stridula volventes gemino vestigia lapsu. *Id. in Ruf.* 3, 218. Stridula fraxinus, *h. e.* sagitta volans: nam *Virg. A.* 12, 267. sonitum dat stridula cornus, et auras Certa secat. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 203. Stridula coniferis modulatur carmina ramis. [**Sil.* 9, 627. Stridula monstri manus, i. e. Stridula elephanti proboscis.]

STRĪGA, ae, f. Patavini vulgo *stregia* dicunt. *Festus:* Strigae appellabantur, odines rerum inter se continuate conlocatarum: a stringendo dictae. *Colum.* 2, 19. Foenum siccatum coarctabimus in strigam, atque ita in manipulos vinciemus. ℙ Item *striga* est castrense vocabulum, intervallum turmarum significans, in quo equi strigantur. Unde et strigosi dicuntur corpore macilento. *Hyg. Gromat.* p. 13. *col.* 1. Per strigas strictius, seu laxius tendere. *Charis.* 1, 85. et *Caper de verb. dub.* p. 2250. Hinc *strigare*, consistere. V. STRIGO, as. ℙ Item in re agraria *strigam* dicunt sulcum, qui uno ductu in longitudinem peragitur: ut *scamnum* in latitudinem. *Front. de agror. qualit.* p. 38. *Goes.* et *Aggen. commentar. in eund.* p. 46. Hinc mensuram per strigas et scamna agere, *Hyg. de limit. constit.* p. 198. etc. *Varr. R. R.* 1, 29. *f.* Qua aratrum vomere lacunam in strigam facit, sulcus vocatur. Alii leg. *in striam*, at *Non.* 1, 305. qui eundem locum affert, legit *istriam.* ℙ *Striga*, strix. *Appul. Met.* 5. Scelestarum strigarum nequitia. Alii *feminarum. Petr. fr. Trag.* 63. *Burm.* Cum puerum mater misella plangeret, subito strigae coeperunt, etc. et *mox:* Jam strigae puerum involaverant, et supposuerant stramenticium, etc. V. STRIX.

STRĪGĀTUS, a, um, part. a *strigo*, strigae formam habens. *Aggen.* l. *comment. in Front.* p. 46. *Goes.* Strigatus ager est, qui a septentrione in longitudinem in meridianum decurrit. Scamnatus autem, qui eo modo ab occidente in orientem crescit. Et latitudinem hanc secundum idioma artis voluit Frontinus in orientem intelligi.

STRĪGES. V. STRIX.

*STRIGILARĬUS, i, m. (ξιστροποιὸς *Gloss. Gr. Lat.*) qui facit strigiles. *B. A.*

STRĪGĬLECŬLA, ae, f. στλεγγίδιον, diminut. parva strigilis. Ita eam describit *Apul. Flor. n.* 9. Praedicabat, fabricatam sibimet honestam strigileculam, recta fastigatione clausulae, flexa tubulatione ligulae, ut et ipsa in manu capulo motaretur, et sudor ex ea rivulo laberetur.

STRĪGĬLIS, is, f. στλεγγὶς, ξύστρα, instrumentum serratum, curvum, manubrio et canaliculo instructum, quo utebantur praecipue in balineis ad destringendam cutem, abradendas sordes, et sudorem detergendum: a *stringo*, qua radere significat. [*Cf. *Eschenb.* de unctionibus 3. p. 478 sq. et *Böttig. Aldobrand. Hochzeit*, p. 159.] Figuram habes ap. *Mercurial. de arte gymnast.* 1, 8., descriptionem aliquam in v. praec. *Varr.* ap. *Non.* 3, 195. In candelabro pendet strigilis. *Hor. Sat.* 2, 7, 109. sub noctem puer uvam Furtiva mutat strigili. *Pl. Stich.* 1, 3, 78. Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam. *Mart.* 14, 51., cujus lemma *Strigiles.* Pergamus has misit curvo destringere ferro. Non tam saepe teret lintea fullo tibi *Suet. Aug.* 80. Callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduoque et vehementi strigilis usu plurifariam concretis, ad impetiginis formam. *Plin.* 28, 4, 14. Linteorum, strigiliumque vehementia; et *Colum.* 6, 31. *f.* Ovium papulae ferventissimo sole usque eo strigile raduntur, quoad eliciatur sanguis. *Pall.* 5, 4. *de zizypho:* Si arbor haec tristis est, ferrea strigili subrasa hilarior fiet. *Pers.* 5. 126. I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer. *Cic. Fin.* 4, 12. *med.* Si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat, *h. e.* unctio et balineum: metonymia. [*Apte commemoravit *Görenz.* ad h. l. *Appul. Flor.* p. 122. *ed Bipont.* Strigilem et ampullam ceteraque baluci utensilia.] ℙ Est etiam specillum, quo in aures medicamentum infunditur. *Cels.* 6, 7. In aurem medicamentum commodissime per strigilem instillatur. *Plin.* 25, 13, 103. *med.* Aurium dolori succus strigili calefactus infunditur. ℙ Hispania *strigiles* vocat auri parvulas massas, quod aurum super omnia solum in massa, aut ramento capitur: cetera enim in metallis reperta igni perficiuntur: hoc statim aurum est. Ita *Plin.* 33, 3, 19. ℙ *Strigilium* per sync. pro *strigilinum* habet *Vitruv.* 4, 4. *med.*, qua voce significat canaliculos inter strias. V. STRIA. Item *striglibus* pro *strigilibus* legitur ap. *Juven.* 3, 262. domus (*h. e.* servorum familia) sonat unctis Striglibus, et pleno componit lintea gutto. Alii leg. *strigilibus*, ita ut pes proceleusmaticus aequivaleat dactylo: alii ommittunt *et*, et primam perperam producunt. [*ℙ *Accus.* in *im* frequentiorem, quam in *em.* nominat *Non.* V. *Ruddim.* 1, 78.]

STRĪGMENTUM, i, n. ξύσμα, ῥύπος, sordes, quae destringuntur et absterguntur de corporibus: quae destringendo. *Cels.* 2, 6. *med.* Alvus quoque varia a *stringendo. Cels.* 2, 6. *med.* Alvus quoque varia pestifera est, quae strigmentum, sanguinem, bilem, viridem repraesentat. *Plin.* 9, 51, 74. Anguillae atterunt se scopulis, ea strigmenta viviscunt. *Id.* 28, 4, 13. Sordes hominis in magnis fecere remediis gymnasia Graecorum: quippe ea strigmenta molliunt, calfaciunt, discutiunt, sudore et oleo medicinam facientibus. *Val. Max.* 9, 14. *n.* 2. *extr.* Gymnicorum servus strigmenta gymnassii colligens. *Plin.* 15, 4, 5. Usum olei ad luxuriam vertere Graeci, in gymnasiis publicando. Notum est, magistratus honoris ejus octogenis sestertiis strigmenta olei vendidisse. V. PICULA. *Pall.* 1, 17. *med.* Picem et axungiam in olla miscebis: calcem superadjicies: cumque velut strigmentum feceris, inseres locis piscinae curruptis ac manantibus; et *Cels.* 5, 22. *n.* 4. Quae urina pueri coguntur, donec strigmenti crissitudo sit. ℙ Ponitur etiam pro quocumque ramento. *Plin.* 20, 3, 8. *de cucurbita silvestri:* Succus ex strigmentis illitus cum rosaceo, et aceto febrium ardores refrigerat.

STRĪGO, as, n. l. idem quod stringo, et dicitur de equis, et jumentis, cum interquiescunt, et destringuntur ad urinam mittendam. aut vires recuperandas. Hinc ita loquitur mula ad muscam se increpantem, ap. *Phaed.* 3, 6. Quapropter aufer frivolam insolentiam: Namque ubi strigandum, et ubi currendum est, scio. Alii leg. *tricandum*, alii *tardandum*, quorum postremum rectius videtur: hic enim non de quiete, sed de tarditate sermo est; adde *tardandum* recte opponi posteriori *currendum*, et illi in secundo versu: *Quam tarda es?* respondere. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Ie arando versum peragi, nec strigare in actu spiritus, *h. e.* non interquiescere, usque dum totus versus agri conficiatur. Ita ex codicib. et MSS. legit *Hard.* Hoc idem praeceptum ita eloquitur *Colum.* 2, 2. *f.* Sed nec in media parte versurae consistat, ut spe cessandi totum spatium bos agilius enitatur. Adde *Virg. Cat.* 8. ubi *mulas strigare* pro *stringere* recte edidit *Heynius* post *Scaligerum.* ℙ Translate. *Sen. ep.* 31. Rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci, ac strigare permiserint, admirabor, et clamabo: tanto melior; surge, et respira, etc. Alii pro *vinci*, *ac strigare* rectius leg. *vitia consurgere.*

STRĪGO, onis, vel Strigor, oris, m. homo maleficus. *Plaut. Bacch.* 2, 3, 46. Longum est, strigonem maleficum exornarier. Ita legit *Muretus l.* 12. *var. lect. c.* 19.: alii rectius *triconem* leg. *Festus* strigones, vel strigores dici ait homines densarum virium. ℙ Est etiam cognomen R., ut M. Fufius M. F. Strigo XV. vir sub Augusto in *Fast. Capitolin.* ap. *Sanclement. n.* 24.

STRĪGOSUS, a, um, adj ἰσχνὸς, στριφνὸς, [*ἄτροφος, V. *Victor. Var. Lect.* 4, 22.] macilentus, et dicitur proprie de bestiis, quorum corpora fames, aut nimius labor stringit, et enecta reddit. *Colum.* 7, 6. *extr. de capellis:* Ut largi sit uberis, et non strigosissimi corporis. *Id. ib.* 12. *med.* Canis neque tam strigosus aut pernix esse debet, nec tam obesus aut gravis. *Liv.* 27, 47. Equi strigosiores. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 20. et *Non.* 2, 762. Equum nimis strigosum, et male habitum, sed equitem ejus uberrimum et habitissimum viderunt. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 16. *f.* In Lysia saepe sunt etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius: verum est certe genere toto strigosior, *h. e.* tenuior, jejunior in dicendo, et in verbis parcior. [*Cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 374.] ℙ Primae syllabae quantitas brevis videtur. *Maecenas* ap. *Suet. Vit. Hor.* Hinno me videas strigosiorem. *Lucil.* ap. *Gell.* 11, 7. *f.* et *Non.* 2, 84. Hicce strigosu', bovinatorque, ore improbu' duro. Ita leg. *Scal.*, alii *Hic strigosu'*, vel *Est strigosu':* alii *tricosu'*. Porro *Lucil.* strigosum accipit pro tergiversatore: a *strigando*, cum jumenta in actu interquiescunt, et progredi recusant. Hac ratione cum *bovinatore* aptius jungitur. Videtur autem sermo esse de malo debitore, qui aes alienum aut cunctatur solvere, aut improbe inficiatur. Si *tricosus* legas, eadem erit sententia.

STRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. σφίγγω, arcte premo, comprimo, ut fit intento fune nectendo, vel contractis manuum digitis tenendo: a voce Graeca allata. [**Doederl.* 1, 82. *stringo* et *strangulo* a *traho* derivat. Exemplorum ordinem a *Nostro* satis turbatum dedimus istum.] *Ov. Fast.* 2, 324. Stringebant magnos vincula parva pedes. *Lucan.* 5, 143. Stringit vitta comas; et 9, 773. dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque Viscera. *Claud. Fesc.* 19. frondens hedera stringitur aesculus. *Id. Laud. Ser.* 175. stringere vulnera; et *Cons. Prob. et Olybr.* 85. caesariem crinali cultu. *Pall.* 3, 17. Vimine stringere surculum insitum. [*— Eadem comprimendi vis est in his:] *Gell.* 17, 8. *f.* Mare gelu stringi et consistere. *Stat. Silv.* 1, 2, 244. Non talis niveos strinxit Lavinia vultus, Cum Turno spectante rubet, *h. e.* contraxit prae verecundia. [*— Dicitur etiam pro alligare, annectere.] *Pl. Ps.* 1, 2, 65. Te, quasi Dircam olim gnati Jovis devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium. [*Hinc.] *Quint. Decl.* 10, 8. *med.* morti stringunt atque alligant, tanquam reum corpus, animum; et *ib.* 4. Gelidi piger corporis sanguis omnes in mortem strinxerat venas. [*Unde translate, i. q. impedire, inhibere, cohibere.] *Juv.* 8, 148. Ipse rotam stringit multo sufflamine consul. [*Usurpatur hoc verbum notione comprimendi, coarctandi, contrahendi etiam in rebus oratoriis. Sic *Quint.* 4, 2. *f.* narrationis loco rem stringere: ubi v. *Spald. Sil.* 8, 48. Sed pressis stringam revocatam ab origine famam Narrandi metis, breviterque antiqua revolvam, h. e. strictim persequar breviter dicam. Porro potestatis, imperii vocabulum est ap. *Claud. B. G.* 371. quaecumque meo gens barbara nutu Stringitur, adveniat, *h. e.* imperio et ditione mea coercetur ac regitur. Laudant etiam locum *Cic. Off.* 3, 31. ubi *stringere* coercendi notione positum velint: sed *Orell.* cum optimis edd. legit *astringendam.* ℙ Hinc dicitur etiam pro radere, leviter tangere: nostr. *streifen.*] *Virg. A.* 5, 163. Litus ama, et laevas stringat, sine, palmula cautes. *Ov. Am.* 3, 2, 12. Nunc stringam metas interiore rota. *Prop.* 3, 9, 23. Et duo in adversum immissi per moenia currus Ne possent tacto stringere ab axe latus. *Ov. Met.* 11, 733. Stringebat summas ales miserabilis undas. *Claud. Laud. Stil.* 2, 273. Transvehitur Tuscos, Apenninusque volatu Stringitur. *Ov. Met.* 1, 535. canis leporem jam jamque tenere Sperat, et extento stringit vestigia rostro. ℙ Item leviter vulnerare, perstringere. *Virg. A.* 10, 478. hasta Tandem aliquid magni strinxit de corpore Turni; et *ib.* 331. tela stringentia corpus. *Sen. Ben.* 2, 6. Gladius idem et stringit, et transfurat. *Ov. Met.* 11, 776. Coluber dente pedem strinxit. *Stat. Silv.* 1, 2, 80. illam summa leviter etc. Lampade, parcentes, et inermi strinximus arcu. ℙ Huc et illa pertinent, a poetis usurpata. *Ov. Am.* 1, 7, 56. summa tepido stringitur unda Noto, *h. e.* leviter movetur, crispatur. Sic *Mart.* 10, 30. Hic summa leni stringitur Thetis vento. *Claud. in Ruf.* 2, 336. Jam summum radiis stringebat Lucifer Aemum, *h. e.* tenui luce illustrabat: vix prima aurora apparebat. ℙ Translate est laedere. *Sen. Prov.* 4. *med.* Hunc levis aura non sine periculo stringet. *Quint. decl.* 2, 23. Ea membra contactu stringuntur ignium. *Ov. Trist.* 2, 349. Sic ego delicias, et mollia carmina feci, Strinxerit ut nomen fabula nulla meum; et *ib.* 5, 6, 21. tua delicto stringuntur pectora nostro. *Virg. A.* 10, 824. (et *ib.* 9, 294.) Et mentem patriae strinxit pietatis imago, *h. e.* tetigit, commovit. ℙ Saepe est manu decerpere, avellere: quia fit stringendo manum. *Cato R. R.* 65. Oleam, ubi nigra erit, stringito. *Varr. R. R.* 1, 55. Digitalium durities non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit. *Virg. G.* 1, 305. quernas glandes nunc stringere tempus. V. STRICTUS. ℙ Item caedere, putare, amputare, decutere: praesertim cum de iiis sermo est, quae facile et uno ictu caeduntur. *Colum.* 6, 3. *f.* Possunt etiam folia ficulnea probe dari, si sit eorum copia, aut stringere arbores expediat. *Virg. G.* 2, 367. ubi jam validis amplexae stirpibus ulmos Exierint, tunc stringe comas, tunc brachia tonde. *Id. Ecl.* 9, 60. hic ubi densas Agricolae stringunt frondes. *Id. A.* 1, 556. (et *Sil.* 6, 352.) stringere remos, *h. e.* frondibus et ramusculis decisis remos facere. *Id. G.* 1, 314. cum flavis messorem induceret arvis Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo, *h. e.* secaret. ℙ Item detrahere, abradere, deminuere, destringere. *Id. A.* 8, 62. ego sum, pleno quem gurgite cernis Stringentem ripas, et pinguia culta secantem, Caeruleus Tibris. *Lucr.* 1, 485. Sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis Stringere. *Hor. Sat.* 1, 2, 7. avi cur, atque parentis Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem, *h. e.* paulatim absumat. ℙ *Stringere gladium*, manu compressa tenere feriendi causa: [**Stringere gladium* est ensem nudare, evaginare: nostr. *zücken.* V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 7, 185.] passim ap. poetas, *Virg.*, *Ov.*, *Phaedr.*, *Lucan.*, *Val. Fl.*, *Mart.*, *Sen. Trag.* etc. Etiam, manibus gladios stringere, dixit *Virg. A.* 12, 278. Neque solum poetae, sed et *Liv.* 7, 40. Vos prius in me strinxeritis ferrum, quam ego in vos. *Just.* 38, 4. Adversus latronem pro salute ferrum stringere. Adde *Liv.* 7, 5. et 9, 5. et *Plin. ep.* 3, 16. Sic stringere arcum, *Val. Fl.* 5, 580. h. e. arripere et intendere. Et stringere bellum, *Flor.* 3, 21. h. e. strictis gladiis pugna-

re. Translate. *Ov. Rem. Am.* 377. Liber in adversos hostes stringatur iambus. *Suet. Cal.* 53. Peroraturus, stricturum se lucubrationis suae telum, minabatur. V. STRICTUS.

STRINGOR, oris, m. actus stringendi. *Lucr.* 3, 694. Morbus ut indicat, et gelidai stringor aquai, *h. e.* frigus aquae, quo dentes perstringuntur: de dentibus enim ibi est sermo.

STRINGOTOMIUM. V. SYRINGOTOMIUM.

STRIO, as, a. 1. *ὀυμοτομέω*, strias facio, in strias excavo. *Vitr.* 4, 3. *f.* Columnas autem striari viginti striis oportet. *Plin.* 19, 8, 42. Asparagus caulem educens, tempore ipso fastigatus in toros striatur.

STRITABILLAE. V. SCRANTIAE.

STRITARE ab eo, qui sistit aegre. Ita *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Porro ita indicari videtur incessus eorum, qui attae appellantur. V. ATTA.

STRITAVUM antiqui dicebant pro tritavum, qui est pater atavi et ataviae: ut stlitem pro lite. *Festus.* Sic etiam dixere *stlatam, stlocum*, pro *latam, locum.*

STRIX, strĭgis, f. avis nocturna, Graece *στρίγξ*, a *στρίζω* pro *τρίζω*, strido. Haec nomen dedit maleficis mulieribus, quae infantibus insidiari creduntur. De utrisque *Plin.* 11, 39, 95. Fabulosum arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. Esse in maledictis jam antiquis strigem, convenit: sed quae sit avium, constare non arbitror. *Festus:* Strigas, ut ait Verrius, Graeci *στρίγγας* appellant, quod maleficis mulieribus nomen inditum est: quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis eas veluti avertere Graeci: *Στρίγγ' ἀπόπεμπον, νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπὸ λαοῦ Ὄρνιν ἀώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας ἔλαυνε.* Ita *Scal.* legit. *Tibull.* 1, 6, 16. e tectis strix violenta canat. *Petr. Sat.* 134. Quae striges comederunt nervos tuos? *Prop.* 4, 5, 17. Consuluitque striges nostro de sanguine. *Id.* 3, 4, 29. Et strigis inventae per busta jacentia plumae, [*ubi v. *Burm. Sec.*] *Ser. Sam.* 59, 1044. Praeterea si forte premit strix atra puellos, Virosa immulgens exsertis ubera labris. *Ov.* notationem vocis e Latino deducit: atque ita poetice aves describit *Fast.* 6, 133. Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinae: Canities pennis, unguibas hamus inest. Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes, Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lactentia viscera rostris: Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomen, sed nominis hujus Causa, quod horrenda stridere nocte solent. Alii leg. *horrendum stridere nocte:* alii *horrenda voce. Pl. Ps.* 6, 2, 30. Cum condiunt, non condimentis condiunt, sed strigibus, vivis convivis intestina quae exedint. [*V. *Salm.* ad *Tert. de Pall.* p. 471., et *Lindenbr.* in *Gloss.* ad *Cod. Legg. Antiq.* p. 1483.] ℙ Strigem, mulierem monstrosam et maleficam alia ratione describere videtur *Stat. Th.* 1, 597. ℙ Dicuntur etiam *strigae, arum*, hujusmodi mulieres maleficae. V. STRIGA. ℙ Ap. *Vitr.* 3, 3. *f.* et 4, 4. *med.* sunt qui *strigem* legunt pro *striam*, sed vide quae diximus in STRIA.

*STROBILUM, i, n. promontorium sinus Arabici. *Mela* 3, 8. *B. A.*

STROBILUS, i, m. *στρόβιλος*, nux pinea: a *στροβέω*, torqueo, quia tortuosa est, et in vorticem finiens. *Ulp. Dig.* 32, 53. *extr.* De pinu etiam integri strobili ligni appellatione continebuntur.

STROBUS, i, f. arbor in Carmania proveniens, quam petunt ad suffitus, perfusam vino palmeo accendentes: cujus odor redit a cameris ad solum jucundus, sed aggravans capita, citra dolorem tamen. Hoc somnum aegris quaerunt. His commerciis Carrhas oppidum aperuerunt, quod est illis nundinarium. Haec *Plin.* 12, 17, 40. ℙ Est etiam nomen ladani. *Id. ib.* 37.

STROMA, ătis, n. *στρῶμα*, stratum, stragulum, culcita. Vox Graeca, a *στρώννυμι*, sterno. *Capitol. Ver.* 4. *f.* Trahens coenam in noctem, et in toro convivali condormiens, ita ut levatus cum stromatibus in cubiculum perferretur.

STROMBUS, i, m. *στρόμβος*, concha tortilis in mari: a *στρόμβος*, turbo, trochus, quod idem est ac *στρόβιλος*. *Plin.* 32, 10, 39. Strombi in aceto putrefacti lethargicos excitant odore. *Id. ib.* 11, 53. Scepini, strombus, solen, sive aulos.

*STRONGYLION, onis, m. *Στρογγυλίων*, insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

STRONGYLOS, i, f. et Strongyle, es, f. *Stromboli*, *Στρογγύλη*, insula Siciliae, in mari Tyrrheno, una Aeoliarum. *Plin.* 3, 9, 14. Tertia Strongyle, a Lipara millia passuum ad exortum solis vergens: in qua regnavit Aeolus: quae a Lipara liquidiore flamma tantum differt: e cujus fumo, quinam flaturi sint venti, in triduum praedicere incolae traduntur; unde ventos Aeolo paruisse, existimatum. *Sil.* 14, 259. perflataque Strongylos austris. Alii *Trogilos.* ℙ Est etiam strongyle genus aluminis, de quo *Plin.* 35, 15, 52. ℙ *Strongyla, ae*, absolute, est imago in clypeo, expresso usque ad thoracem vultu: a *στρογγύλος*, rotundus. *Tert. Pall.* 4. *med.* de Achille: Aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigaeum strongyla servat.

STROPHA, ae, et Strophe, es, f. *στροφή*, Graece est versio, versura, flexus, revolutio: a *στρέφω*, verto. *Vitr.* 10, 8. *med.* Remi circa scalmos strophis religati, cum manibus impelluntur et reducuntur, etc. navem protrudunt. Alii leg. *struppis*, h. e. vinculis. ℙ In hymnis Deorum *stropha* erat pars carminis, quae canebatur in primo ambitu circum aras, ut in ANTISTROPHE dictum est. *Macr. Somn. Scip.* 2, 3. *med.* In ipsis quoque hymnis Deorum per strophan et antistrophan metra canoris versibus adhibebantur, ut per strophan rectus orbis stelliferi motus, per antistrophan diversus vagarum regressus praedicaretur. ℙ Translate est tergiversatio fraudulenta, excusatio dolosa, fallacia per verba subdola, quibus quis fallere aggressus, huc illuc se convertit, ut elabendi viam inveniat. *Phaedr.* 1, 14. Verbosis acquisivit sibi famam strophis. *Sen. ep.* 26. *med.* Non timide componor ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis, de me judicaturus sum. *Mart.* 11, 7. Jam certe stupido non dices, Paula, marito, etc. Caesar in Albanum jussit me mane venire, Caesar Circejos: jam stropha talis abit. *Plin. ep.* 1, 18. *f.* Ego aliquam strophan inveniam, agamque causam tuam. *Prud. Apoth. pooem.* 37. Vae captiosis sycophantarum strophis! vae versipelli astutiae! *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 14. Hoc est, quod destruit strophas ingenioli tui. Adde *ib. n.* 7.

STROPHADES, um, f. plur. *Strivali*, *Στροφάδες*, duae insulae parvae maris Ionii, ante Cyparissium promontorium, ita dictae a *στροφή*, conversio, nempe a conversione Calais et Zethae, qui Harpyias a regno Phinei ejecerunt, et ad has usque insulas persecuti sunt: ubi admoniti, ut Jovis canes ulterius persequi desisterent, reversi sunt. *Virg. A.* 3, 209. Strophades Grajo sunt nomine dictae Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno, etc. Adde *Val. Fl.* 4. a *v.* 500. ℙ More adjectivi usurpat *Vet. Auct. argum.* ad *Virg. A.* 3. in *Anth. Lat.* T. 1. p. 379. *Burm.* Naufragus ut fuerit Strophadas compulsus ad undas.

STROPHIARIUS, ii, m. *στροφιοποιός*, qui strophia facit. *Pl. Aul.* 3, 5, 42. Strophiarii adstant, adstant semizonarii.

STROPHIOLUM, i, n. dimin. strophii. *Plin.* 21, 2, 2. Tenuioribus *(coronis)* utebantur antiqui, stroppos (al. *strophia*) appellantes: unde nata strophiola. *Tert. Cor. mil.* 15. Quid caput strophiolo, aut dracontario damnas, diademati destinatum? *Not. Tir.* p. 158. Strophium, strophiolum.

STROPHIUM, ii, n. *στρόφιον*, fascia brevis, quae virginalem tumorem cohibet papillarum, ut *Non.* 14, 8. definit. *Turp. ib.* Me miseram! quid agam? inter vias epistola cecidit mihi, infelix! inter tuniculam ac strophium quam collocaveram. *Cic. ib.* Cum strophio accurate praecingerere. *Varr. ib.* Suspendit Laribus marinis molles pilas, reticula, ac strophia. *Catull.* 64, 65. Non tereti strophio luctantes vincta papillas. Adde *Plaut. fr.* ap. *Non. l. c.* ℙ Item fasciola, qua flores in serta nectuntur. *Festus in Stroppus.* ℙ Translate. *Prud. Cath.* 3, 26. Sperne, Camena, leves hederas, Cingere tempora queis solita es: Sertaque mystica dactylico, Texere docta, liga strophio, Laude Dei redimita comas, *h. e.* carmine dactylico. ℙ Item sertum. *Virg. Cop.* 31. Eja age, pampinea fessus requiesce sub umbra, Et gravidum roseo necte caput strophio. ℙ Item vinculum. *Appul. Met.* 11. Navis absoluta strophis ancoralibus pelago redditur.

*STROPHIUS, i, m. *Στρόφιος*, Phocidis rex, Crisi filius, pater Pyladis. *Ov. Pont.* 2, 6, 25. Strophio natus, *h. e.* Pylades, Orestis amicus. *B. A.*

[STROPHOMA, ătis, n. *στρόφωμα*, strophus. *Hieron. in Isaj.* 13, 8. Tunc strophomata, quae nos torsiones ventris interpretati sumus, et dolores tenebant eos, similes doloribus parturientium. *F.*]

STROPHOSUS, a, um, adj. stropho laborans. *Veg. Vet.* 3, 57. Si equus strophosus erit, etc. ℙ Item subdolum significat, et a stropha derivatur. V. eam vocem. *Venant. carm.* 8, 9, 17. Ne fur strophosus foveam detrudat in atram. Hic *Auct.* perperam produxit primam *strophosus.* In *Not. Tir.* p. 80. Stropha, strophosus.

STROPHUS, i, m. *στρόφος*, et *στροφὸς*, morbus ventris, cum circa umbilicum intestina torquentur, ut ait *Cels.* 2, 7., ubi Graece usurpat, ut et *Scrib. Comp.* 121. et *Fest.* in *Vermina*, et *Plin. Valer.* 2, 22. *extr.* Latine autem *Pelag. Vet.* 2. *med.* et *Veg. Vet.* 1, 43. et 57. et *Appul. Herb.* 26.

STROPPUS, i, m. priscis Latinis fuit fascia, taenia, corona: corrupta voce a *στρόφιον*, strophium. *Festus:* Stroppus est, ut Atejus Philologus existimat, quod Graece *στρόφιον* vocatur, et quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur: quale sit strophium. Itaque apud Faliscos diem festum esse, qui vocatur Strupearia, quia coronati ambulent: et a Tusculanis, quod in pulvinari imponatur Castoris, struptum vocari. (V. STRUPPUS.) *Plin.* 21, 2, 2. Tenuioribus (*coronis*) utebantur antiqui, stroppos (al. *strophia*) appellantes: unde nata strophiola.

STRUCTE, adv. cum apparatu, ornate. [*Front. ad Verum* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Historiam quoque scripsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide. *F.*] *Tert. Cult. fem.* 11. Quae vobis causa est structius prodeundi?

STRUCTILIS, e, adj. *κατασκευαστός*, qui struendo, seu componendo fit: ut *columna structilis*, quae ex pluribus lapidibus structa est: cui *solida* opponitur: et *canalis structilis*, ex variis saxis, aut lateribus, et calce constructus. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 51. Hoc autem cum in columnis omnibus, tum maxime in structilibus vetustis, ubi tumoris est aliquid, evenit. *Ulp. Dig.* 8, 5, 8. Super eum parietem columnas structiles imponere, quae tectum porticus ambulatoriae sustineant. *Vitr.* 8, 7. Ductus aquae fiunt rivis per canales structiles, aut fistulis plumbeis, aut tubulis fictilibus. *Id.* 5, 9. *med.* Structiles cloacae. *Colum.* 12, 50. *med.* Structile gemellar. *Id.* 11, 3. *in.* Vetustissimi auctores vivam saepem structili praetulerunt, *h. e.* maceriae. *Pomp. Dig.* 50, 16, 215. Statuae adfixae basibus structilibus. *Q. Mucius ib.* 241. Quae opere structili, tectoriove non continentur. *Prud. Hamart.* 190. Viderat argillam, simulacrum et structile flatu Concaluisse Dei, *h. e.* manu factum. ℙ Est etiam ad struendum aptus. *Mart.* 9, 76. Non silice duro, structilive caemento, Nec latere cocto Tucca balneum fecit, sed, etc.

STRUCTIO, onis, f. *κατασκευή*, actus struendi, et rem aliam super aliam ordine componendi. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 16. Scalaris structio. *Firm. Math.* 8, 9. Arma venatoribus parabunt, ut retia, venabula, sagittas, et quidquid ad structionem ejus studii pertinet. *Pall.* 12, 22. *med.* Lectas baccas condies, rutam et petroselinum sternes inter spatia structionis, *h. e.* inter strata olivarum: paulo ante dixerat: Substrato lauro alternas crates baccarum saepius ordinabis. ℙ Translate. *Tert. Patient.* 3. *f.* Ratio et structio fidei.

STRUCTOR, oris, m. *κατασκευαστής*, qui struit et ordine componit. De eo, qui convivium curat, fercula docte disponit, et mensam exstruit, cibos carpit, *τραπεζοποιός. Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 707. quibus ordine longo Cura penum struere, etc. ordinare, componere: unde et structores dicuntur ferculorum compositores. *Petr. Sat.* 35. Repositorium rotundum duodecim habebat Signa in orbe disposita, supra quae proprium convenientemque materiae structor imposuerat cibum: super Arietem cicer arietinum, super Taurum bubulae frustum, etc. *Mart.* 10, 48. Et, quae non egeant ferro structoris, ofellae. *Juven.* 5, 120. Structorem interea, ne qua indignatio desit, Saltantem spectes, et chironomonta volanti Cultello. Adde 11, 136. ℙ De fabro murali, *τοιχοδόμος. Cic. Q. Fr.* 2, 6. In aream tuam veni, res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum. Adde *Att.* 14, 3., *Capitol. Ver.* 5., *Lampr. Elag.* 27., *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6., *Imp. Constant. Cod.* 10, 64, 1. et *Inscr.* ap. *Grut.* 106, 8., ubi *structorum collegium* memoratur. Alia ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 233. C. Julius Salvius structor parietarius. ℙ Translate. *Appul. Flor. n.* 23. Quippe structor orationis hujus egomet, non e meo monte lapidem directim caesum afferam, sed, etc.

STRUCTORIUS, a, um, adj. ad structorem pertinens. *Tert. Apol.* 14. Neptuni structorias operas Laomedonti locat.

STRUCTURA, ae, f. *κατασκευή*, ordinata multarum rerum compositio, constructio, ordo. *Cels.* 8, 1. *med.* Ossa in manu oblonga omnia, et triangula, structura quadam inter se connectuntur, cum invicem superior alterius planities sit. *Plin.* 13, 19, 34. Structura membranarum (*mali Punici*) quaedam, ut in favis, communis. *Lucan.* 6, 64. Prima quidem surgens operum structura fefellit Pompejum, *h. e.* fossae et valli, quo circumvallabatur. *Macr. Sat.* 2, 9. Hortensius cum incederet elaboratus ad speciem, collegae de injuriis diem dixit, quod sibi in angustiis obvius offensu fortuito structuram togae destruxerat, *h. e.* aptam togae dispositionem corpori applicitae, rugis de industria compositis, et sinu apte fluente. ℙ Saepe dicitur de ratione aedificandi, *τοιχοδομία. Caes. B. C.* 2, 9. Ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur. *Quint.* 9, 4. *med.* In structura saxorum rudium etiam ipsa enormitas invenit, cui applicari, et in quo possit insistere. *Plin.* 36, 22, 49. Silex globosus contra injurias fortis, sed ad structuram infidelis; et *ib.* 51. Reticulata structura, qua frequentissime Romae struunt, rimis opportuna est. *Liv.* 21, 11. *med.* Caementa non calce durata erant, sed interlita luto, structurae antiquae genere. Adde *Itin.* 2, 8. ℙ Ponitur et pro ipsa mole structa. *Id.* 5, 12. Erit ex una parte statio: tunc ex altera parte structuris, sive aggeribus expediantur progressus. Eae autem structurae, quae in aqua sunt futurae, videntur sic esse faciendae, etc. *Plin.* 36, 22, 50. Quae laesa fuerint, in subterranea structura aptantur utilius. *Front. Aquaed.* 123. Ut ex humore structura combibat, et in unitate corroboretur. ℙ Translate est apta compositio verborum in dicendo. *Cic. Brut.* 8. Ante Isocratem verborum quasi structura, et quaedam ad numerum conclusio nulla erat. *Id. Or.* 44. Ut fiat quasi structura quaedam, nec tamen fiat operose. *Id. opt. gen. Or.* 2. Sed et verborum est structura quaedam, duas res efficiens, numerum et le-

nitatem. *Ov. Pont.* 4, 13, 3. Unde saluteris, color hic tibi protinus index, Et structura mei carminis esse potest: Non quia mirifica est, sed quod nec publica certe, etc. Adde *Quint.* 8, 5. *med.* et *ib.* 6. *f.* ℙ Etiam in sententiis disponendis sua structura est: nam, ut ait *Cic. opt. gen. Or.* 2., et sententiae suam compositionem habent, et ad probandam rem accommodatum ordinem. *Auct. dial. de Or.* 22. *f.* Nullum sit verbum velut rubigine infectum: nulli sensus tarda et inerti structura, in morem Annalium, componantur.

STRUCTUS, a, um, part. a *struo: κατασκευασθείς*, apte compositus, exstructus, aedificatus, constructus, cum res plures alia super aliam ordine collocantur. *Cic. Sen.* 15. Fundit frugem spici, ordine structam, et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Caes. B. C.* 2, 10. Fastigiatus, atque ordinatim structus. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 16. Speluncae saxis structae asperis, pendentibus. *Plin.* 31, 3, 24. Aqua fornicibus structis perducta. *Prop.* 3, 16, 4. Herculeo structa labore via, *h. e.* silice munita. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 211. herbis Pallentes thalamos, et structa cubilia musco, *h. e.* strata, fulta, farta. *Virg. A.* 3, 84. templa saxo structa vetusto; et *ib.* 5, 811. Structa meis manibus perjurae moenia Trojae. *Vitr.* 2, 8. *med.* Domos regias e latere structas licet videre. *Ov. Her.* 21, 99. structam de cornibus aram. *Id. Met.* 9, 230. Arboribus caesis, etc. Inque pyram structis; et *ib.* 1, 677. pastor structis cantat avenis, *h. e.* ordine compactis. *Id. Pont.* 3, 2, 32. et *Sil.* 2, 599. Structi rogi. *Sen. Herc. Fur.* 1216. structum acervans nemore congesto aggerem. *Tibull.* 4, 1, 133. additus aris Laetior eluxit structos super ignis acervos, *h. e.* tus et odores cumulatos. *Sil.* 4, 746. de Apennino: Canus apex structa surgebat ad astra pruina. Est qui leg. *stricta.* Absolute *Lucr.* 4, 361. Structa saxorum, *h. e.* saxa structa, parietes, muri. ℙ Transfertur ad compositionem verborum. *Cic. Or.* 41. Sed haec, nisi collocata, et quasi structa et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare non possunt; et *ib.* 70. Si compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum. *Ov. Pont.* 2, 5, 19. structos inter fera proelia versus; et *ib.* 4, 13, 20. Structaque sunt nostris barbara verba modis. ℙ Et ad alia. *Tac. A.* 2, 65. *f.* Structae insidiae; et *Liv.* 8, 8. Acies manipulatim structa, i. e. instructa. *Auct. Pan. ad Constant.* 6. Acies in cunei modum structa. *Suet. Caes.* 56. *med.* Siqua occultius perferenda essent, per notas scripsit, id est sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset.

STRŪES, is, f. *θεσμὸς, θήμων, σωρὸς*, acervus, congeries rerum alia super aliam cumulatarum. *Liv.* 44, 41. Milites Macedones confusa strue implicantur, *h. e.* sub phalangis forma instructi. *Ov. Pont.* 2, 1, 40. Armaque cum telis in strue mixta suis. *Petr. Sat.* 123. passim turmaeque, virique, Armaque congesta strue deplorata jacebant. *Liv.* 23, 5. et *Tac. H.* 2, 70. et *ib.* 3, 83. Strues corporum. Sic *Sen. Oed.* 33. Inter deflenda lacrimis funera et populi struem, incolumis adsto. *Plin.* 14, 4, 5. Strues uvarum in vineis. ℙ Saepe dicitur de congerie lignorum. *Liv.* 21, 37. Arboribus circa immanibus dejectis, struem ingentem lignorum faciunt. *Plin.* 16, 11, 22. Resina cocta struis congerie, velut in carbonis usu. *Arnob.* 7, 222. Lignorum struibus incensis. Alii leg. *struicibus.* ℙ De rogo. *Sen. Phoen.* 112. Erectam ad ignes funebrem ascendam struem. *Lucan.* 8, 757. nulla strue membra recumbunt. *Tac. G.* 27. Struem rogi vestibus et odoribus cumulare. ℙ Pertinet etiam ad sacra. *Festus:* Strues genera liborum sunt, digitorum conjunctorum non dissimilia, qui superjecta panicula in transversum continentur. *Id.* in *Ferctum:* Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quae qui afferebant, strufertarii appellabantur. *Ov. Fast.* 1, 276. Haec adolet flammis cum strue farra (lege *ferta*) suis. *Cato R. R.* 134. Priusquam porcum feminam immolabis, Jano struem commoveto sic: Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor: et *infra:* Ob struem obmovendam, et fertum libandum; et *ib.* 141. Item cultro facito struem, et fertum uti adsiet. *Inscr.* ap. *Grut.* 121. *lin.* 23. Immolavit porcam et agnam struibus effertis, etc. Est qui leg. *struibus et fertis*, ex illo *Festi* (in voce sequenti) Sacrificia quaedam strue et ferto solemnibus verbis faciunt. ℙ Quod *strues* collectivum nomen est, jungitur verbis pluralis numeri in *Cenotaph. Pisano L. Caes. med.* Uti locus ante eam aram, quo ea strues congerantur, componantur, pateat quoquo versus pedes XL. *Strues* hic non libum, sed lignorum congeriem significat.

STRUFERTĀRIOS appellabant antiqui homines conductos mercede, qui ad arbores fulguritas, aut piacularium commissarum causa, sacrificia quaedam strue et ferto solemnibus verbis faciunt: Precor te, Juppiter, ut mihi volens propitius sies: quod et nullo etiam fiebat adhibito strufertario. *Festus.*

STRŬIX, ĭcis, f. strues, cumulus, exstructio, *κατασκευή. Festus:* Struices antiqui dicebant exstructiones omnium rerum. *Pl.* (*Men.* 1, 1, 25.) Cereales coenas dat: ita mensas exstruit: tantas struices concinnat patinarias. Et Livius: Per struices saxeas lapsu accidit. Haec *Festus.* Verborum autem *Plauti* sententia est, coenas illum opiparas dare, mensas cumulando ferculis plurimis, et quasi alte patinis exstruendo: subdit enim *v.* 27. Standum est in lecto, si quid de summo petas. *Solin.* 28. Salibus domos exstruunt, quos in modum cautium e montibus excitatos, ad usum aedium caementiciis nectunt struicibus. *Arnob.* 7, 222. Lignorum struicibus incensis. ℙ Translate. *Naevius* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 267. Struix malorum.

STRUMA, ae, f. *χοιράς*, tumor morbosus, de quo *Cels.* 5, 28. *n.* 7. Struma quoque est tumor, in quo subter concretae quaedam ex pure et sanguine quasi glandulae oriuntur, quae febres movent, nec unquam facile maturescunt: quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent. Nascuntur maxime in cervice: sed et in alis, et inguinibus, et in lateribus. *Id.* 1, 9. *f.* Frigida aqua strumas excitat. *Plin.* 8, 51, 77. Sues, obnoxium genus morbis, anginae maxime, et strumae. *Id.* 22, 14, 16. Foliis urticae strumas discuti: vel, si suppuraverint, erodi, complerique. *Id.* 26, 5, 14. Strumas comprimere. *Id.* 24, 15, 89. ad suppurationem perducere. *Id.* 32, 8, 28. sanare. *Vitr.* 8, 3. Strumarum tumores minuere. ℙ Allegorice. *Cic. Att.* 2, 9. *med.* Vatinii strumam sacerdotii *διβάφω* vestiant, *h. e.* turpitudinem vitae ejus operiant et honestent honore augurali. *Id. Sext.* 65. Hi medentur reipublicae, qui exsecant pestem aliquam, tanquam strumam civitatis. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Catull.* 52, 2. Sella in curuli Struma Nonius sedet. Perperam haec interpretatur *Boeth. Consol. philos.* 3. *pros.* 4. Unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam appellat. De hoc Nonio Struma V. *Plin.* 37, 6, 21.

STRUMĀTĬCUS, a, um, adj. idem ac strumosus. *Firm. Math.* 8, 19. *f.* Vicesima tertia pars Arietis si horoscopo fuerit inventa, strumaticum faciet.

STRŪMĔA, ae, f. *βατράχιον*, ranunculus, herba ita dicta ab herbariis nostris, inquit *Plin.* 25, 13, 119., quoniam medetur strumis, et panis, parte in fumo suspensa. *Appul. Herb.* 8. vocari ait Latinis herbam sceleratam: quia comesa maligni est effectus, noxia et mortifera, inquit *Humelbergius.*

STRŪMELLA, ae, f. parva struma. *Marcell. Empir.* 15. *med.*

STRŪMENTUM, i, n. idem quod instrumentum: a *struo. Tert. ad Uxor.* 1, 7. Continentia ad strumentum aeternitatis demonstrata. *Sciopp.* legit *instrumentum.*

STRŪMOSUS, a, um, adj. *χοιραδώδης*, qui strumis laborat. *Colum.* 7, 10. Subus strumosis sub lingua sanguis mittendus est. *Juven.* 10, 308. Nec praetextatum rapuit Nero loripedem, vel Strumosum, atque utero puriter gibboque tumentem.

STRŪMUS, i, m. herba, alio nomine strychnos, et cuculus, acinos habens nigros: utilis ad strumas: unde nomen. *Plin.* 27, 8, 44. et *Appul. Herb.* 74.

STRŬO, is, xi, ctum, a. 3. *κατασκευάζω*, rem aliam super aliam collocando compono, exstruo, construo, aedifico, molior. *Voss.* putat esse syncopen a *στερεόω*, stabilem reddo. *Cato R. R.* 38. Lateribus summam fornacem calcariam struito aut caementis. *Hirt. B. G.* 8, 41. Vineas agere, e aggeres struere coepit. *Ov. Met.* 1, 153. Altaque congestos struxisse ad sidera montes. *Sen. Agam.* 335. cum montes montibus altis Superimpositi, struxere gradus Trucibus monstris. *Tac. H.* 5, 13. *extr.* Struere cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis. *Val. Fl.* 5, 295. Struere navem. *Hor. Sat.* 1, 1, 35. acervum. *Id. Od.* 2, 18, 19. domos. *Plin.* 36, 22, 51. Reticulata structura, qua frequentissime Romae struunt, rimis opportuna est. *Capitol. Macrin.* 12. *f.* Vivos homines parietibus inclusit, et struxit, *h. e.* inaedificavit. *Mart.* 8, 6. muros struxit Apollo lyra. *Id.* 10, 97. Dum levis arsura struitur Libitina papyro, *h. e.* rogus. *Lucan.* 3, 240. et *Virg. A.* 11, 204. Innumeras struxere pyras. *Tac. A.* 2, 22. Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo, *h. e.* tropaeum. *Prop.* 4, 3, 20. Et struxit querulas rauca per ossa tubas, *h. e.* compactis ossibus tubas composuit. *Plin.* 11, 10, 10. de apib.: Aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt: *scil.* favos, aut ceras. *Claud. in Eutr.* 2, 185. Inque orbem tereti mitra redimente capillum Struxerat, *h. e.* in tutulum composuerat: quod dixit *Juven.* 6, 502. Altum aedificare caput. *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 216. et *Gigant.* 123. Struere torum, *h. e.* culcitis, et pulvillis, et multa stragula veste alte componere. Sic *Lucan.* 9, 841. congestae struxere cubilia frondes, Et culmis crevere tori. *Virg. A.* 1, 708. et *Sil.* 11, 279. Struere penum, *h. e.* magnam ciborum copiam parare in coenam. *Sen. Thyest.* 148. mensam hospitibus, *h. e.* ferculis instruere, cumulare. (Eod. sensu dixit *Virg. A.* 5, 54. strurre altaria donis.) *Tac. A.* 15, 37. convivia. ℙ *Rem struere* significat, augere rem familiarem. *Pers.* 2, 44. Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque Arcessis fibra. (Huc pertinet, quod ait *Festus*, antiquos *struere* dixisse pro adjicere, augere.) *Petr. Sat.* 120. med. Ipsa suas vires odit Romana juventus, Et quas struxit opes, male sustinet. ℙ Pro parare, comparare. *Appul. Met.* 4. *f.* Feralium nuptiarum miserrimae virgini choragium struitur. *Id. ib.* 11. *f.* Siquam rem voluptati struendae molireris. ℙ *Struere telam* ap. *eund. Met.* 6. est texere. Et translate, *struere orationem* ap. *eund. Apol.* et *Quint.* 7, 10. *med.* Pro intexere est etiam illud *Val. Fl.* 1, 428. gemina mater spectabile tela Duxit opus: bis Taygeton, silvasque comantes Struxerat, *h. e.* intexuerat, ut et montis et nemorum altitudinem exprimeret. ℙ *Struere viam*, munire, aperire, facere. *Sen. Thyest.* 810. Numquid struitur via Phlegraeos Alta per hostes? *Tac. H.* 3, 49. Viam sibi ad potentiam struere. Al. leg. *vim.* ℙ Significat etiam ordine disponere, ordinare, instruere. *Virg. A.* 9, 42. Struere aciem. *Liv.* 42, 51. Castra ante urbem ponit, omnesque armatos in campo struxit. *Id.* 9, 31. *med.* Jam sine praecepto ullius sua sponte struebatur acies. ℙ Transfertur ad orationem. *Cic. Or.* 3. 43. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis. *Prob. Valer.* ap. *Gell.* 13, 20. Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis. ℙ *Struere verbum*, componere ex duobus aut pluribus vocabulis. *Quint.* 1, 5. *f.* Ex praepositione et duobus vocabulis dure videtur struxisse Pacuvius: Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus. ℙ Saepe est machinari, moliri, parare: et fere in malam partem: quod *Ter.* fabricam fingere, *Heaut.* 3, 2, 34. dixit. *Id. ib.* 3. Num me fefellit, hosce id struere? *Virg. A.* 4, 235. Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur? *Id. ib.* 2, 59. qui se ignotum venientibus ultro, Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis, Obtulerat. *Cic. Cluent.* 64. Struere et moliri cuipiam aliquid calamitatis. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Struere alicui sollicitudinem. *Id. Or.* 2, 51. *med.* odium in alios, et a nobis demovere. *Sen. ep.* 10. pericula alicui. *Liv.* 23, 17. *med.* et *Ov. Met.* 1, 198. insidias. *Pl. As.* 1, 1, 57. sycophantias. *Liv.* 23, 31. mendacium. *Id.* 2, 3. *f.* clam consilia recuperandi regni. *Sen. Hipp.* 502. fraudes feris. *Id. Herc. Oet.* 1468. dolos. *Mart*, 9, 71. sacrilegum nefas. *Tac. A.* 11, 12. crimina et accusatores; et *ib.* 1, 13. Omnesque variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt; et *ib.* 4, 10. *extr.* Struere mortem alicui. *Id. ib.* 2, 42. Amoliri juvenem specie honoris statuit: struxitque causas, aut sorte oblatas arripuit; et *ib.* 4, 67. *f.* Ultro struebantur qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus, vel, etc. *h. e.* subornabantur. ℙ Item condere, decernere, animo suo proponere, parare, disponere. *Val. Fl.* 1, 535. Juppiter loquitur: cum varios struerem per saecula reges. *Id.* 3, 617. Scythicis struerem cum funera terris. *Id.* 6, 728. Struere pugnas. ℙ *Struere pedem* in XII. Tab. est movere. *Festus:* Pedem struere alii putant significare, retrorsus ire; alii in aliam partem; alii fugere; alii gradum augere; alii minuere, ac vix pedem pedi praeferre, otiose ire, remorari. *Id.* in *Pedem:* Pedem struit, in duodecim significat, fugit, ut ait Ser. Sulpicius. *Id. ib.* addit, Antiquos struere dixisse pro adjicere, augere.

STRUPĔĀRĬA. V. STROPPUS.

STRUPPUS, i, m. *Festus:* Struppi vocantur in pulvinaribus fasciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponuntur. *Id.* in *Capita:* Capita Deorum appellabantur fasciculi facti de verbenis. V. STROPPUS. ℙ *Isid. Or.* 19, 4. struppos esse dicit vincula ex loro vel lino facta, quibus remi ad scalmos alligantur. (V. *Vitr. l. c.* in STROPHA.) *Livius ib.* Tuncque remos jussit religare struppis. *Grachus* ap. *Gell.* 10, 3. *med.* Struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit. Alii leg. *stuppis*, aut *stupis*, *h. e.* stuppeis funibus: alii *strophiis*, ali *stroppis.*

STRUTHĔA, et Struthia mala, *στρουθία μῆλα*, et *στρουθιόμηλα*, cotoneorum malorum genus, sed odoratius vibrans, et serotino proventu, ut *Plin.* 15, 11, 10. docet. *Cato R. R.* 7. Poma, mala struthea, cotonea, scantiana. *Pl. Pers.* 1, 3, 7. Commisce mulsum, struthea, coluteaque appara. *Colum.* 5, 10. *f.* Cydonia, quorum genera sunt tria, struthia, chrysomeliana, mustea.

STRUTHĔUS, i, m. *Festus:* Strutheum in mimis praecipue vocant obscenam partem virilem, a salacitate videlicet passeris, qui Graece *στρουθὸς* dicitur. Unde et *passer* Latine eod. sensu aliquando positum est. V. PASSER.

STRUTHĬO, onis, m. *στρουθίων*, avis peregrina, passer marinus Latina appellatione dicta, omnium grandissima, et paene bestiarum generis, in Africa, altitudinem equitis equo insidentis excedens, et celeritatem vincens, ad hoc datis pennis, ut currentem adjuvent: cetero non est volucris, nec a terra tollitur. Ungulae ei cervinis similes, quibus dimicat, bisulcae, et comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerit pedibus. Concoquendi sine delectu devorata mira natura; sed non minus stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultaverit, latere se existimans. Plurima ova parit, eaque amplitudine, ut eorum putamina poculorum vicem praebeant. So-

la alitum, ut homo, utrinque palpebras habet: et in senecta calvet. Haec ex *Claud. in Eutr.* 2, 310. et *Plinio* locis mox designandis, et ex *Tert. Virg. vel.* 17. *med.*, qui *bestiam altegradiam* vocat. *Capitol. Gord.* 3. *f.* In qua pictura continentur cervi CC., equi feri XXX., struthiones Mauri miniati CCC., etc. *Vopisc. Firm.* 6. Firmum et elephantum rexisse, et hippopotamo sedisse, et sedentem ingentibus struthionibus vectum esse, et quasi volitasse. *Lampr. Elag.* 30. Sexcentorum struthionum capita una coena multis exhibuit ad edenda cerebella. ℙ *Plin.* 10, 1, 1. et *ib.* 22, 29. et 11, 37, 47. et 56. et 28, 6, 18. semper *struthiocamelum* vocat: prima vocabuli parte a στρουθίων, struthio, altera a cameli magnitudine sumpta: licet Graece στρουθοκάμηλος dicatur, a στρουθὸς, passer, et struthio. V. PASSER. Sic *Petr. Sat.* 137. Rogo, inquam, noli clamare: ego tibi pro ansere struthiocamelum reddam.

STRUTHIOCAMĒLINUS, a, um, ad struthiocamelum pertinens. *Plin.* 29, 5, 31. Et sevum struthiocamelinum venisse sestertiis XXX.

STRUTHIOCAMĒLUS, i, m. στρουθοκάμηλος. V. STRUTHIO.

STRUTHĬON, ii, n. στρουθίον, Graecum nomen herbae, de quo in LANARIUS et in RADICULA dictum est. *Cels.* 5, 18. *n.* 2. et *ib.* 22. *n.* 8., *Plin.* 19, 3, 18. et 24, 11, 58. et 26, 12, 76.

STRUTHOPODES, um, m. et f. plur. στρουθόποδες, qui pedes habent similes passeris (qui Graece στρουθὸς) vel struthionis. *Plin.* 7, 2, 2. In meridianis Indiae viris plantas esse cubitales, feminis adeo parvas, ut struthopodes appellentur.

STRYCHNOS, i, m. et Strychnum, i, στρύχνος, et στρύχνον, herba, quae et strumus, et cuculus dicitur. *Plin.* 27, 8, 44, ℙ Item quae usitatius trychnos. *Id.* 21, 31, 105.

STRYMON, et Strymo, ōnis, m. Στρυμών, όνος, fluvius Macedoniae, seu Thraciae, qui ex Haemo monte ortus, in Aegaei sinum (qui inde *Strymonicus* dicitur) influit, et Macedoniam a Thracia dividit. *Plin.* 4, 10, 17. Macedoniae terminus amnis Strymon, ortus in Haemo. Memorandum, in septem lacus eum fundi, priusquam dirigat cursum. *Sen. Q. N.* 1. *praef. med.* Ultra Istrum Dacus non exeat: Strymo Thracas includat. *Virg. G.* 4, 508. Rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam. *Plin.* 22, 10, 12. Thraces, qui ad Strymona habitant, foliis tribuli equos saginant. ℙ Ad ejus ripas magni gruum greges habitare dicuntur. *Claud. B. Gild.* 475. Ingenti clangore grues aestiva relinquunt Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo. *Lucan.* 3, 199. Strymon tepido committere Nilo Bistonias consuetus aves; et 5, 711. Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt, Poturae te, Nile, grues. Adde *Sen. Oed.* 604. ℙ A poetis pro Thracia ponitur. *Stat. Th.* 5, 188.

STRYMONIS, idis, adj. f. Στρυμονὶς, quae ad Strymona pertinet: et pro muliere Thracia ponitur. *Prop.* 4, 4, 69. qualis celerem prope Thermodoonta Strymonis abscissos fertur aperta sinus, *h. e.* Amazon: nam Amazones e Scythia, Sarmatia, et Thracia oriundae. ℙ Etiam Bithynia Strymonis dicta est, teste *Plin.* 5, 32, 40., fortasse quia, inquit *Hard.*, Thessali, qui in ea aliquando imperitarunt, alicui ejus amni Strymonis nomen dederunt. *Hesych.* Στρυμόνιοι, οἱ Βίθυνοι τὸ πρότερον.

STRYMONĬUS, a, um, adj. Στρυμόνιος, ad Strymonem, et Thraciam pertinens. *Virg. G.* 1, 120. et *A.* 10, 265. Strymoniae grues. *Mart.* eod. sensu 9, 30. Strymonius grex. *Sen. Ag.* 470. Strymonius altas aquilo contorquet nives. *Ov. Ib.* 602. Diripiantque tuos insanis unguibus artus Strymoniae matres, Orpheos esse ratae. *Stat. Th.* 3, 526. Strymonia Arctos, *h. e.* Septentrio.

*STUBĔRA, ae, f. oppidum Macedoniae, medio inter Axium et Erigonem amnes loco. *Liv.* 31, 39. et 43, 18. et 19. Στυβέρρα est *Polybio*, Στύμβαρα *Straboni*. *B. A.*

STŪDENS, entis, part. a *studeo*: μαθητὴς, qui studet, praesertim litteris, studiosus. *Plin. ep.* 5, 5. *med.* In lectulo suo compositus in habitu studentis; et *ib.* 7, 13. Epistola negat te studere: sed est tam polita, quae, nisi a studente, non potest scribi. *Quint.* 1, 2. Utiliusne sit domi studentem continere, an frequentiae scholarum tradere. *Sidon. ep.* 9, 14. *med.* Studentum copiosissimus, *h. e.* eloquentissimus. *Aurel. Vict. Epit.* 16. *med.* Philosophiae studens, litterarumque Graecarum peritissimus.

STŪDĔO, es, dui, n. 2. σπουδέω, σπουδάζω, ἐπιτηδεύω, φροντίζω, curam, diligentiam, conatum in aliqua re pono, operam do, animum adjungo, de re quapiam habenda laboro, curo, enitor: a σπουδέω. [*Doederl.* 1, 125. sq. originem *h. v.* videt in *tundo*, duplici quidem ratione, primum, qua *tundo* synonymum sit verbi *impellere*, tum maxime, qua *tundere* significet, aliqua re occupari.] *Ter. Andr.* 1, 1, 28. Quod faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos; horum ille nihil egregie praeter cetera studebat: et tamen omnia haec mediocriter. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Id. Hec.* 2, 1, 2. Omnes mulieres eadem aeque student, noluntque omnia. Ubi *Donat.* Majoris operis est studere, quam velle. *Nep. Dat.* 4. et *Pel.* 2. Taurum transiit, eoque, quo studuerat, venit. *Phaedr.* 1, 27. Qui humiles nati, dici locupletes student. *Sall. Cat.* 1, 1. Qui sese student praestare ceteris animalibus. [Cf. *Kritz.* ad h. l. qui pronomen cum verbo *studeo* cet. perspicuitatis et numeri causa conjungi docet.] *Pl. As.* 1, 1, 52. Atque ego me id facere studeo: volo amari a meis. *Cic. Off.* 2, 20. At vero ille tenuis non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat, gratum se videri studet. *Nep. Dion.* 6. *f.* Invidiam non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit. *Cic. Phil.* 6, 7. Unum sentitis omnes, unum studetis, Antonii conatum avertere a republica. *Mat.* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Dissensionem nascentem exstingui, summe studui. *Ter. Heaut.* 2, 4, 1. Edepol te laudo, id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent. *Hirt. B. Alex.* 1. Caesar studebat maxime, ut partem oppidi a reliqua parte urbis excluderet. *Quint.* 10, 2. Pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. [*Liv. 40, 56. Id studere, ne super etc.] *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. Si qui in ea re studebat: etc. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. Cui rei, cui gloriae, cui virtuti studes? patrimonione augendo? etc. [*Aliud ejusdem constructionis cum dat. gerundii exemplum hoc est: *Flor.* 1, 9. Brutus cum studere revocandis in urbem regibus liberos suos comperisset, securi eos percussit.. Cf. *Zumpt.* §. 664. p. 513.] *Pl. As.* 5, 2, 17. Is ap. scortum corruptelae et liberis lustris studet. *Cic. Fin.* 1, 18. *med.* Sero sentiunt, frustra se aut pecuniae studuisse, aut imperiis, aut opibus, aut gloriae. *Id. Coel.* 11. Studere praeturae. *Id. Fin.* 4, 24. virtuti, laudi, dignitati. *Id. Cat.* 1, 1. *f.* et *Caes. B. G.* 3, 10. et *ib.* 4, 5. rebus novis. *Id. ib.* 6, 20. labori et duritiei; et *ib.* 21. et 28. agriculturae; et *ib.* 7, 28. praedae; et *ib.* 4. *f.* equitatui; et *ib.* 3, 10. libertati; et *ib.* 6, 13. memoriae, [*i. e. exercere:] et *ib.* 20. sacrificiis; et *B. C.* 3, 79. celeritati. [*Liv.* 35, 45. paci studere.] *Pl. Pers.* 3, 1, 9. escis alienis, *h. e.* parasitari. *Id. Truc.* 2, 5, 7. vitae alicujus, *h. e.* dare operam ut vivat. *Pall.* 3, 23. Si calidae et siccae provinciae studemus, *h. e.* si agrum colimus regionis siccae et calidae. *Hirt. B. Alex.* 12. Alicui rei studere atque inservire. *Caes. B. G.* 7, 14. Omnibus modis huic rei studendum, ut pabulatione Romani prohibeantur. ℙ Cum accus. *Plaut. Mil. f.* Magis metuant, minus has res studeant. ℙ Cum gen. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Qui te nec amet, nec studeat tui. ℙ De opera, quae datur litteris. *Cic. Or.* 1, 3. Studere alicui scientiae. *Id. Fam.* 4, 3. *f.* Postquam illi arti, cui studueram, nihil esse loci viderem, *h. e.* eloquentiae. *Id. Brut.* 93. litteris. *Auson. Praefatiunc.* 2, 13. et *Quint.* 7, 2. medicinae. *Cic. Fin.* 5, 2. *f.* Ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. V. STUDENS s. l. [*Ap. argenteae aetatis scriptores *studere* absolute dicitur pro: litteris operam dare, ita tamen, ut inter nostram loquendi formam et veterum morem hoc interesse videatur, quod ap. nos *studere* sit, vitae genus sequi, ubi victum quaeras ex literis: ap. illos, litteras tractare diligenter. V. *Spald.* ad *Quint. Inst.* 2, 2, 7. coll. *Gesn.* ad *Plin. epp.* 3, 5, 5. Alia exempla habes etiam in *B. Crusii cl. Suet.* p. 739.] *Quint.* 12, 11, 19. Computamus annos, non quibus studuimus, sed quibus viximus. *Suet. Tib.* 61. Quibusdam custodiae traditis non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis et colloquii usus. *Plin. ep.* 5, 18. Ego in Tuscis et venor, et studeo. [*Maxime autem hoc modo oratoriae artis proprium est verbum. *Tac. dial.* 21. videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse; et 32. legitime studuisse — oratorem; et 34. juvenibus in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina. Laud. haec *Boettich.* in *Lex. Tac.* coll. *Spald.* ad. *Quint.* l. l. et *Frotsch.* ad *Eund.* 10, 7, 26.] ℙ Cum accus. *Cic. in Sen.* 6. *med.* Cum etiam litteras studere incipit, et helluo immanis cum Graeculis philosophari. *Alii leg.* litteris. *Titin.* ap. *Prisc.* 4, 629. Ferentinatis populus Graeca studet. ℙ Pro festinare, σπεύδειν. *Nep. Chabr.* 4. Dum primus studet portum intrare. ℙ Saepe est favere, alicujus partes sequi. *Ov Am.* 3, 2, 67. Cui studeas, video: vincet, cuicumque favebis. *Hirt. B. Alex.* 62. Nonnullae civitates rebus Cassii studebant, plures Marcello favebant. *Sall. Cat.* 51, 3. Neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. [*Cf. *Kritz.* ad h. l.] *Cic Mur.* 36. Cur quemquam, ut studeat tibi, ut de adjuvet, rogas? [*Id. Coel.* 4. Multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo (Catilinae) studuerunt, i. e. familiaritate ejus utebantur.] *Nep. Lys.* 1. *med.* Qui Atheniensium rebus studuissent. ℙ Item optare, cupere. *Cic. Part.* 1. Studeo, mi pater, Latine ex te audire ea, quae etc. *Id. Att.* 13, 20. Scire igitur studeo, quid egeris. *Sall. Cat.* 38. Vetera odere, nova exoptant: odio suarum rerum mutari omnia student. *Liv.* 1, 57. Rex Romanus tum ipse ditari, tum praeda delinire popularium animos studebat. ℙ Passive impersonaliter. *Plin.* 35, 12, 44. Ante eum quam pulcherrimas (*imagines*) facere studebatur. *Hard.* leg. *studebant.* [*Flor.* 3, 10. Contentus (*Caesar*) his (non enim provinciae, sed nomini studebatur), revectus est. ℙ Etiam *studeo* pro *studui* ut *posivi* pro *posui* usurpatum est. *M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Ego hodie ab hora nona noctis in secundam diei, bene disposito cibo, studivi. *F.*]

[STŪDĬOLUM, i, n. dimin. studii, scriptiuncula magno studio elucubrata. *M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Scripsi, quod aut Lymphis, aut Volcano dicarem, venatoris plane aut vindemiatoris studiolum, qui jubilis suis cubiculum meam perstrepunt, causidicali prorsum odio et taedio. ℙ Item locus, in quo liberalium artium magistri opera sua exercent. V. *Inscr.* in STATUALIS. *F.*]

STŪDĬOSĒ, adv. σπουδαίως, cum cura et studio, diligenter, cupide, lubenti animo. *Cic. ad Planc.* 1. *post. ep.* 16. l. 16. *ad Att. f.* Ego quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo. *Id. Q. Fr.* 3, 3. Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur. *Id. Div. Verr.* 12. *med.* Ut homines te libenter studioseque audiant. *Ter. Heaut.* 2, 3, 44. Texentem telam studiose ipsam offendimus. *Suet. Gr.* 20. Studiose et avide imitari aliquem. *Cic. Brut.* 42. Hic causas studiose recipiebat. *Id. Or.* 2, 62. *med.* Studiose pila ludere. *Pl. Cas. prol.* 12. expetere Plautinas fabulas. *Ov. Met.* 5, 578. nec me studiosius altera saltus Legit, nec posuit studiosius altera. casses. *Cic. Fam.* 15, 54. Ego cum antea studiose commendabam Marcilium, tum multo nunc studiosius, quod, etc. *Colum.* 8, 11. Studiosius pullos enutrire. *Caes. B. G.* 6, 27. Uros studiose foveis captos interficiunt. *Just.* 43, 3. *med.* Phocenses studiosius mare, quam terras, exercuere. *Nep. Ag.* 3. Quo studiosius armarentur, insigniusque ornarentur. *Plin ep.* 4, 26. Libellos, quos studiosissime comparasti. *Suet. Cal.* 54. Artem aliquam studiosissime exercere. *Id. Aug.* 45. Spectare studiosissime pugiles. *Cic. Off.* 3, 28. Utilia studiosissime persequi.

STŪDĬOSUS, a, um, adj. σπουδαῖος, diligens, cupidus, amans, accuratus, sollicitus, qui aliqua re delectatur. *Varr. R. R.* 1, 17. *f.* Operarios studiosiores ad opus fieri, liberalius tractando. *Plin. ep.* 6, 16. *med.* Et quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. *Tibull.* 4, 6, 15. Praecipit en natae mater studiosa, quid optet. *Just.* 9, 8. Fuit rex armorum, quam conviviorum apparatibus studiosior. *Petr. fr. Trag.* 52. *Burm.* In argento plane studiosus sum: habeo scyphos urnales, etc. *Suet. Caes.* 46. Munditiarum lautitiarumque studiosissimus. *Ov. Met.* 14, 321. Rex fuit utilium bello studiosus equorum; et *ib.* 7, 675. nemorum, caedisque ferinae. *Id. A. Am.* 3, 423. placendi. *Cic. Am.* 20. *med.* venandi, aut pilae. *Hor. Sat.* 2, 5, 80. culinae, aut Veneris. *Id. Od.* 3, 27, 29. Europe studiosa florum. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *med.* Studiosissimus aleae lusor. ℙ Cum dativo, ut videtur, *Pl. Mil.* 3, 1, 201. Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullae aliae est. ℙ De cupido litterarum, et praecipue eloquentiae, φιλοδήμου, φιλόλογος, φιλομαθὴς. [*Cic. Or. 1, 59. Adolescentes dicendi studiosi. *Id. Fam.* 4, 3. *med.* doctrinarum. *Nep. Att.* 1. litterarum. *Suet. Ner.* 32. juris. ℙ Dicitur etiam absolute eodem sensu.] *Cic. opt. gen. Or.* 5. Cum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus; putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, etc. *Hor. Ep.* 1, 3, 6. Quid studiosa cohors operum struit? *Plin. ep.* 6, 27. Ipse studiosus, litteratus, etiam disertus. *Id. ep.* 3, 5. *f.* Soleo ridere, cum me quidam studiosum vocant, qui si comparer illi (*Plinio patruo*), sum desidiosissimus. *Cic. Acad.* 31. Clitomachus, homo et acutus, ut Poenus, et valde studiosus ac diligens. *Quint.* 1, 1. *med.* Ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse, *h. e.* de studio et secta philosophiae. *Plin. ep.* 1, 22. *f.* Libellos, et pugillares, studiosumque otium repetere. *Sen. Tranq.* 9. *med. de bibliotheca Alexandrina:* Non fuit elegantia illud, aut cura, sed studiosa luxuria: imo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverant. [*Imprimis notandum *studiosos* absolute ap. seriores esse eloquentiae cultores, quos *Cic. dicendi* studiosos dixit. V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 375. et cf. quae notavimus in STUDEO.] ℙ Hinc *Studiosus* titulus fuit operis a *Plinio sen.* conscripti, de quo ita *Plin. alter ep.* 3, 5. Speciosi tres (*h. e.* tres libri) in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus oratorem ab incunabilis instituit et perficit. ℙ De eo, qui favet, σπουδαιογὴς, ἐπιτήδειος. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriae παῤῥησίαν, eripui; et *ib.* 3, 22. *f.* Mei studiosos habeo Dyrrhachinos. *Id. Acad.* 4, 40. Semper enim, ut scitis, studiosus nobilitatis fui. *Suet. Tib.* 11. *med.* Studiosior alterius partis. *Cic. Fam.* 5, 19. Te studiosiorem in me colendo fore. *Id. Verr.* 2, 2, 47. *med.* Quem in provincia existimationis meae studiosissimum cupidissimumque cognossem. *Ov. Trist.* 4, 10, 91. ad vos studiosa revertor Pectora, qui vitae quaeritis acta meae.

STŪDĬUM, ii, n. σπουδὴ, cura, voluntas, animus, ardor, cupiditas. [*De orig. v. in STUDEO.] *Cic. Invent.* 1, 25. *med.* Studium est animi assidua

et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiae, poetices, geometriae, litterarum. *Lucret.* 4, 981. Usque adeo magni refert studium atque voluntas. *Caes. B. G.* 4, 24. *f.* Non omnes eadem alacritate ac studio, qua in pedestribus uti proeliis consueverant, utebantur. *Cic. Fam.* 4, 3. *med.* Summo studio curaque discere aliquid. *Id. ad Brut.* 1, 15. Cura et studium reipublicae; et *ib.* 8. Tibi omnes fortes viri navare operam et studium volunt. *Id. Fam.* 2, 6. Omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem figere in re aliqua; et *ib.* 10, 1. Omne consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad aliquid conferre. *Id. Att.* 12, 26. De voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius et cupiditate, non dubito. *Id. Rosc. Am.* 17. Qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet. *Id. Verr.* 2, 4, 1. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium, *h. e.* conquirendorum signorum; et *Sen.* 16. Studio rerum rusticarum provectus sum. *Id. Acad.* 4, 20. *med.* Ardere studio veri reperiendi. *Hor. Sat.* 2, 3, 105. Studio citharae deditus. *Nep. Ep.* 2. *extr.* In armis plurimum studii consumebat. *Tac. Hist.* 4, 12. Studium nandi praecipuum. *Cic. Off.* 1, 29. *extr.* Studia venandi. *Id. Agr.* 2, 35. Carthaginienses natura loci propter portus suos ad studium fallendi studio quaestus vocabantur. *Ter. Andr.* 1, 1, 29. Animum ad aliquod studium adjungere, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos. *Id. Heaut. prol.* 23. Applicare se ad studium musicum. *Cic. Sen.* 23. Efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi. *Id. Fin.* 5, 2. Suo quisque studio maxime ducitur. *Hor. Sat.* 2, 1, 27. quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia. *Cic. Sen.* 20. *f.* Sunt pueritiae certa studia: sunt et ineuntis adolescentiae: sunt extrema quaedam studia senectutis, *h. e.* ludi, oblectamenta, exercitationes. ℙ Saepe dicitur de amore et opera, quae in litteras et disciplinas impenditur. *Cic. Tusc.* 5, 3. In rerum contemplatione studium ponere. *Id. Balb.* 1. Litteris ac studiis doctrinae deditus. *Id. Att.* 8, 11. Ne, nihil cum proficiam, dedecori sim studiis ac litteris nostris. *Id Mur.* 13. *f.* Nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire. *Id. Or.* 1, 60. *med.* In omni recto studio atque humanitate versari. *Id. Sen.* 14. Si habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius. *Id. Arch.* 3. Conferre se ad studium scribendi. *Id. Fam.* 9, 8. *med.* Utinam quietis temperibus haec inter nos studia exercere possemus. *Hor. Sat.* 1, 10, 21. O seri studiorum! ὀψιμαθεῖς. *Quint.* 1. *prooem.* Studia alicujus ab infantia formare. *Petr. Sat.* 85. alicujus ordinare. *Suet. Gr.* 9. leviter attingere. *Hor. Ep.* 2, 2, 82. Septem annos dare studiis. *Vell.* 2, 59. Apolloniam eum in studia miserat. *Petr. Sat.* 116. In hac urbe litterarum studia non celebrantur. *Suet. Aug.* 8. Praemissus Apolloniam studiis vacavit. *Inscr.* ap. *Mur.* 895, 3. Ti. Claudius Lemnus Divi Claudii Augusti Lib. a studiis. ℙ Item de amore, benevolentia, favore. *Suet. Vit.* 15. Ad retinendum ceterorum hominum studium ac favorem, nihil non publice privatimque largitus est. *Id. Caes.* 71. Studium et fides erga clientes. *Id. Cal.* 15. Incendere studia hominum omni genere popularitatis. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Tibi profiteor atque polliceor eximium et singulare meum studium in omni genere officii. *Tac. A.* 4, 55. Studium urbium Asiae in populum Romanum. *Lucan.* 2, 377. Studiis, odiisque carens. [*ℙ Saepius etiam in malam partem dicitur *studium*, pro cupiditate sceleris. *Cic. Sull.* 25. sed etiam consuetudine et studio in omni flagitio cet. esse versatum. Interdum est i. q. factio. Huc pertinent ex iis, quae *Forc.* §. antecedenti adscripserat illa. *Cic. Verr.* 2, 1, 13. Quasi vero id cupiditate defendendae nobilitatis. *Liv.* 24, 28. *F.* Quominus cupiditatis ac studii visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. *Tac. A.* 14, 42. Senatu ipso erant studia. *H.* 4, 6. Senatum in studia diducere.] ℙ *Studia*, mores, consuetudines, voluntates. *Nep. Alc.* 11. Postquam Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare. *Id. Att.* 16. Omnia de studiis principum, vitiis ducum, matationibus reipubl. perscripta sunt. ℙ Ablativus *studio* significat data opera, de industria, cupide, libenter. *Cic. Rosc. Am.* 32. *extr.* In animo est leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem, ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. *Modest. Dig.* 40, 5, 13. Si praegnans ancilla moram non studio manumissoris, sed fortuitu, patiatur, ne manumittatur, etc. ℙ Multi sunt praeterea in hac voce loquendi modi. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 15. Lacaenis virginibus magis palaestra, Eurotas, sol, pulvis, labos, militia in studio est, quam, etc. *Id. Fin.* 2, 19. *med.* Ardentiore studio mortem petere, quam, etc. *Caes. B. G.* 4, 31. Summo studio quippiam administrare. *Cic. Or.* 3, 61. Ingenio peracri, et studio flagranti aliquid facere. *Id. Att.* 16, 13. *f.* Ardere studio alicujus rei. *Id. Acad.* 1, 2. Teneri studio philosophiae. *Id. Or.* 2, 1. Incensus studio dicendi. *Id. Q. Fr.* 2, 15. Omnia sua studia conferre in aliquid. *Id. Att.* 15, 4. *f.* Navare cuipiam studium suum. *Id. Fam.* 4, 3. *f.* dare bonis artibus. *Id. Or.* 2. Dare se studio eloquentiae. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 10. Omne suum studium in doctrina et sapientia collocare. *Id. Brut.* 41. Multum studii ad dicendum, et ad bonarum rerum disciplinas adhibere. *Id. Fin.* 1, 1. Multum studium multamque operam ponere in philosophando; et *Or.* 1, 8. *f.* In id studium, in quo estis, incumbite. *Id. Or.* 1. Tardare, et restinguere studia hominum. *Id. Fin.* 1, 1. Veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. *Id. ad Brut.* 1, 14. *med.* Omni studio a te contendo, ut, etc. ℙ *Studium*, locus, ubi studiis datur opera, μουσεῖον. *Capitol. M. Aurel.* 26. Apud Aegyptios civem se egit et philosophum in omnibus studiis, templis, locis (*Salmas.* minus recte leg. *stadiis*). *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod* 14, 9, 3. Hi (*magistri publici*) omnibus modis privatarum aedium studia sibi interdicta esse cognoscant. V. STUDIOLUM. ℙ Item ipsum studentium corpus seu collegium artificum. *Inscr.* ap. *De-Vita Antiqu. Benev.* p. 27. *n.* 1. Patronus studiorum IIII Martensium Verzobianum, et Martensium Palladianum, et ..... Alia *ib. n.* 2. C. Vesedio Rufino patrono studium Palladianum. Hinc alia *ib.* p. 28. *n.* 7. C. Vibio Crespino ab avo et majoribus collegiüm (*h. e.* collegiorum) civitatis patrono collegium Martense Verzobianum.

*STULPĪNI, orum, populi Illyridis, de quibus *Plin.* 3, 21. *B. A.*

STULTĒ, adv. μωρῶς, ἀνοήτως, insipienter, dementer, fatue. *Varr. L. L.* 8, 32. Dupliciter stulte dicunt. *Pl. Trin.* 2, 4, 14. Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit, postquam comedit rem, post rationem putat. *Liv.* 30, 13. Stultius atque intemperantius. *Sen. Contr.* 5, 34. *f.* Nec minus stulte Aemilianus dixit, etc. Gargius multo stultius. *Pl. Trin.* 2, 4, 60. Stulte facere, et stulte fabularier. *Ter. Heaut.* 2, 3, 81. Vis amare, vis potiri, tuum esse in potiundo periculum non vis: haud stulte sapis: siquidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere. *Ov. A. Am.* 593. Occidit Eurytion stulte data vina bibendo, *h. e.* nullo adhibito modo; et *ib.* 3, 357. Stulte ludere proelia latronum, *h. e.* imperite. *Cic, Att.* 7, 10. Stulte omnia et incaute. *Id. Rab. Post.* 8. *f.* Potestati se regis commisit: verum si quaerimus, stulte: quid enim stultius, quam, etc.? *Id. N. D.* 2, 28. Haec et dicuntur, et creduntur stultissime.

STULTESCO, is, n. 3. stultus fio. *Pl. Most.* 4, 2, 49. Puere, praeter speciem stultescis. Alii rectius leg. *stultus es.*

*STULTĪCEN, inis, n. *Sarisb.* 6, 16. Stulticines, qui nunquam virilia tractarunt, *h. e.* qui stulta et amatoria canunt. *B. A.*

*STULTĪCINĬUM, i, n. *Sarisb.* 1, 6. Stulticinia amatoria personare. *B. A.*

STULTĪLOQUENTĬA, ae, f. idem ac stultiloquium. *Pl. Trin.* 1, 2, 185. Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

STULTĪLOQĬUM, ii, n. μωρολογία, stultus sermo. *Pl. Mil.* 2, 3, 25. Nisi supprimis tuum stultiloquium.

STULTĪLŎQUUS, a, um, adj. qui stulte loquitur. *Pl. Pers.* 4, 3, 45. Tace stultiloque; nescis quid instet boni.

STULTĪTĬA, ae, f. μωρία, ἄνοια, amentia, dementia, fatuitas. *Cic. Div.* 2, 43. O delirationem incredibilem! Non enim omnis error stultitia dicenda est. *Id. Tusc.* 3, 30. Est enim proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. *Plin.* 11, 52, 115. Auricularum magnitudo loquacitatis et stultitiae non est. *Ter. Ph.* 4, 3, 54. Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia dicam; scientem, an imprudentem, incertus sum. *Pl. Stich.* 1, 2, 82. Stultitia est, venatum ducere invitas canes. *Caes. B. G.* 7, 77. *med.* Stultitia ac temeritas. *Ov. Trist.* 3, 6, 35. Stultitiamque meum crimen debere vocari. ℙ Pro imperitia. *Plin. ep.* 1, 24. Mala emptio semper ingrata, eo maxime, quod exprobrare stultitiam domino videtur. *Ulp. Dig.* 21, 2, 51. Quid refert, sordibus judicis, an stultitia res perierit? ℙ Interdum gravia quaedam crimina stultitiae nomine appellantur, elevandi et extenuandi causa. *Pl. Aul.* 4, 10, 22. Tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam, *h. e.* ob stuprum filiae tuae illatum. Adde *eund. Most.* 5, 2, 35. et *Ter. Heaut.* 5, 2, 8.

STULTĪVĬDUS, a, um, adj. qui stulte et prave videt. *Pl. Mil.* 2, 3, 64. Vin' jam faciam, ut stultividum te fatearis? neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti?

STULTŬLUS, a, um, adj. dimin. stulti. *Appul. Met.* 9. Tu, stultule asine, intra terminos pistrini contentus. Alii rectius leg. *astutule.*

STULTUS, a, um, adj. ἀνόητος, μωρός, nullius consilii, improvidus, insipiens. Putant esse a *stolidus*, unde per sync. *stoldus:* inde *stultus.* Est proprie is, qui ea non videt, quae homines fere sciunt et intelligunt: ita tamen, ut videre ac scire possit, ac debeat, si mentem adhibere velit. Quare minus est, quam *demens*, *insanus*, *fatuus.* *Ter. Eun.* 2, 2, 1. Dii immortales! homo homini quid praestat, stulto intelligens! *Cic. Par.* 4. *in.* Ego vero te non stultum, ut saepe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum, rebus vincam necessariis. *Id, Phil.* 3, 9. Ut hominem stultum etiam magis infatuet. V. FATUUS. *Ter. Eun.* 2, 2, 23. Hic homines prorsus ex stultis insanos facit. *Id. Heaut.* 5, 1, 4. In me quidvis harum rerum convenit, quae dicta sunt in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus. *Pl. Men.* 1, 3, 85. Mulier haec stulta atque inscita est. *Sall. in or. Philippi contra Lep.* Quae pessumi atque stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus facienda sunt. *Cic. Font.* 6. *f.* Quid est, ubi discerni possit stultus auditor et credulus ab religioso et sapienti judice? *Id. Am.* 26. *f.* Haec in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. *Pl. Amph.* 3, 2, 26. Nisi sis stultior stultissimo. *Id. Curc.* 4, 3, 19. Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes. *Ter. Ad.* 4, 7, 6. Ah stulte! tu de psaltria me somnias agere. *Id. Eun.* 5, 1, 20. Comprehendi jube, quantum potest. *Tha.* quid illo faciemus, stulta? et 4, 6, 23. Quod cavere possis, stultum admittere est. *Cic. Or.* 3, 35. *med.* Malim equidem indisertam prudentiam, quam stultam loquacitatem. *Caes. B. C.* 3, 59. Stulta et barbara arrogantia elati. *Prop.* 2, 25, 20. Stultus, quod stulto saepe timore tremo. *Sall. Cat.* 51. Stultae laetitiae poenas dedit. *Hirt. B. G.* 8, 10. *f.* Stultae cogitationes. *Phaedr.* 5, 7. Stultus error. *Id.* 3, 17. Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria. *Liv.* 45, 23. *med.* Infelix consilium furiosus orator stultissimum fecit. *Tibull.* 1, 4, 30. Stulti dies, *h. e.* in adolescentia stulte acti, non utendo bonis, quae offerebantur. *Sen. ep.* 15. *f.* Quam tu vitam dici existimas stultam? Babae, et Ixionis? non ita est: nostra dicitur, quos caeca cupiditas in nocitura praecipitat: qui non cogitamus, etc. *Mart.* 2, 16. Ostendit stultas quid, nisi morbus, opes? *h. e.* jactantiae causa prolatas. *Id.* 14, 49. Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti? Exercet melius vinea fossa viros, *h. e.* cujus jactandi labor vanus est et inutilis. Sic *Id.* 2, 86. Et stultus labor est ineptiarum. ℙ *Stultus*, imperitus. *Paul. Dig.* 22, 6, 9. *f.* Sciant ignorantiam facti, non juris prodesse, nec stultis solere succurri, sed errantibus. *Venulej. ib.* 43, 23, 4. Ne melioris conditionis sint stulti, quam periti. ℙ De stultorum feriis V. in QUIRINALIS.

STŪPA. V. STUPPA.

STŪPĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. ἐκπλήττω, stupidum reddo. *Liv.* 5, 39. *med.* Privatos deinde luctus stupefecerat publicus pavor. *Sil.* 9, 122. membra et sensus gelidus stupefecerat horror.

STŪPĔFACTUS, a, um, part. a *stupefacio*: ἐκπληθεὶς, stupidus factus, attonitus. *Cic. Or.* 3, 14. *med.* In quo igitur homines exhorescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? *Virg. G.* 4, 365. ingenti motu stupefactus aquarum. *Sen. Thyest.* 547. truculentus Atreus Fratris aspectu stupefactus haesit. *Lucan.* 4, 633. Constitit Alcides stupefactus robore tanto. Adde *Val. Fl.* 6, 228. et *Ov. Her.* 14, 97.

STŪPĔFĬO, is, n. stupens fio, stupeo, admiror. *Prop.* 2, 10, 7. Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu. Alii volunt *tepefiat:* contra stat *Broukusius.*

STŪPENDUS, a, um, part. a *stupeo:* θαυμαστός. *Val. Max.* 5, 7. *n.* 1. Virtutibus et vitae meritis stupendus. *Nazar. Pan. Constant.* 6. Venire ad ingentium virtutum stupenda penetralia.

STŪPENS, entis, part. a *stupeo:* ἐκπληθεὶς, ἔκθαμβος, qui stupet, exterritus, amens: et refertur ad animum, cum extra se quodammodo est. *Cic. Somn. Scip.* 5. Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, quid hic, inquam, etc.? *Flor.* 1, 16. *med.* Stupens occasione tanta dux hostium. *Hor. Od.* 2, 13, 33. illis carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures. *Quint. decl.* 7, 3. Stupentes et attoniti. *Liv.* 6, 36. *med.* Tribuni capti et stupentes animis. Alii leg. *animi:* alii *stupentibus animis. Gell.* 10, 8. Milites stupentis animi, a naturali habitu declinantis. ℙ Item ad corpus. *Flor.* 2, 12. *f.* Rex attonitus adhuc, tanquam subito malo stupens. *Curt.* 8, 4. *med.* Calor stupentia membra commovit. ℙ Translate. *Plin.* 14, 21, 27. Vini natura non gelascit: alias ad frigus stupens tantum, *h. e.* vim ac veluti spiritum amittens.

STŪPĔO, es, ui, n. 2. ἐκπλήττομαι, sensum membrorum amitto, torpesco, obstupesco. In multis MSS. *stipeo* haberi, jam in OBSTIPEO, et OBSTUPESCO adnotavimus: quod firmat opinionem eorum, qui a *stipes* deducunt, quantitate mutata: quasi qui stupet, stipitis instar, aut trunci sit. Alii tradunt a στύφω, adstringo. V. STUPOR *in. Cic. Verr.* 2, 5, 36. *f.* Cum is etiam tum semisomnis stuperet. *Sen. Herc. Fur.* 621. Membra laetitia stupent. *Hor. Sat.* 2, 2, 5. Cum stupet insanis acies fulgoribus: est allegoria. *Sen. Ag.* 238. Jacensque vultus languido obtutu stupet. *Plin.* 27, 2, 2. Torpescunt scorpiones aconiti tactu, stupentque pallentes. ℙ De rebus inanimis. *Mart.* 9, 100. Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur Qui fluit, an pigro quae stupet unda lacu. Sic *Val. Fl.* 5, 603, Riphaea stupuerunt flumina bruma, *h. e.* prae glacie desierunt fluere; et *Sen. Herc. Fur.* 763. Stupent ubi undae, se-

gne torpescit fretum. *Sever. A.* 341. Si nihil irritet flammas, stupeatque profundum, *h. e.* quiescant ima montis viscera, et nullo ignis aestu agitentur. *Ov. Met.* 10, 42. stupuitque Ixionis orbis, *h. e.* devolvi desiit, stetit. *Sen. Thyest.* 990. Vix lucet ignis, ipse quin aether gravis Inter diem noctemque desertus stupet, *h. e.* hebeti ac maligna luce est. ℙ Saepe transfertur ad animum. *Stupere* enim dicitur, qui torpore quodam animi captus languet, aut inopia consilii, aut rei novitate aut magnitudine tarditatem injiciente. *Sen. Ag.* 508. Tenet horror artus: omnis officio stupet Navita relicto; et *Pers.* 3, 32. stupet hic vitio, et fibris increvit opimum Pingue; et *Ov. Rem. Am.* 806. Et stupeant multo corda sepulta mero. *Quint.* 11, 6. *med.* Nonnulli senes in schola facti, stupent novitate, cum in judicia venerunt. *Liv.* 8, 13. *f.* Illorum animos, dum exspectatione stupent, praeoccupari oportet. *Ov. Her.* 8, 111. Saepe malis stupeo: rerumque oblita locique, etc. *Id. Am.* 2, 6, 47. Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato. Clamavit moriens lingua: Corinna, vale. ℙ Frequenter ponitur pro valde mirari: quasi ex se rapi prae admiratione, admirando defixum esse, *θαμβέω*, *θαυμάζω*. *Cic. Fin.* 2, 23. *f.* Haec cum loqueris, nos barones stupemus. *Quint. decl.* 2, 15. Juvenis adhuc in silentio suo stupet; et *decl.* 4, 2. Stupere gaudio. *Virg. A.* 1, 499. Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno. *Mart.* 5, 63. Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis. *Sen. Hipp.* 607. Curae leves loquuntur, ingentes stupent. *Hor. Sat.* 1, 4, 28. Hunc capit argenti splendor: stupet Albius aere. *Id. Od.* 2, 13, 33. illis carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures. *Id. Sat.* 1, 6, 17. Qui stupet in titulis et imaginibus. *Virg. A.* 10, 446. stupet in Turno, corpusque per omne Lumina volvit. *Ov. Met.* 5, 509. Mater ad auditas stupuit, ceu saxea, voces. *Val. Fl.* 4, 711. Tum freta ad subitam stupuere ratem. *Just.* 26, 1. *med.* Ad tam saevam dominationem stupentibus omnibus. *Mart.* 12, 52. Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos. *Virg. Ecl.* 6, 37. Jamque novum terrae stupeant lucescere solem. ℙ Hoc sensu regit et accusativum, per *ἑλληνισμόν*, apud poetas. *Virg. A.* 2, 31. Pars stupet innuptae donum, exitiale Minervae. *Petr. Sat.* 29. Dum omnia stupeo, paene resupinatus crura mea fregi. *Val. Fl.* 5, 96. omina Mopsus Dum stupet; et 2, 620. stupuitque fragorem. *Stat. Th.* 4, 448. Et nova clamosae stupuere silentia valles. *Mart.* 12, 15. et stupet superbi Regis delicias, gravesque lusus. *Juven.* 13, 16. stupet haec, qui, etc. Adde *Stat. Th.* 8, 150., *Claudian. Cons. Mull. Theod.* 23. et *Rapt. Pros.* 2. *prooem.* 45. et *Calpurn. Ecl.* 7, 24.

STŪPESCO, is, n. 3. *ἐκπλήττομαι*, stupefio, stupidus fio. *Cic. Or.* 3, 26. Incidat, aspiciat, admiretur, stupescat.

STŪPĔUS. V. STUPPEUS.

STŪPĬDĬTAS, atis, f. *ἔκπληξις*, tarditas, stupor. *Cic. Phil.* 2, 32. In quo incredibilem stupiditatem homines cognoscite. *Accius* ap. *Non.* 3, 235. Ita imperitus stupiditate erumpit se, inops consilii.

STŪPĬDO, as, a. 1. stupidum reddo. *Capell. in.* 6. Pectore saxificam dicunt horrere Medusam, Quod pavidum stupidet sapiens solertia vulgus; et 7. *in.* Seria marcentem stupidant commenta maritum.

STŪPĬDUS, a, um, adj. *ἀναίσθητος*, *ἔκπληκτος*. extra se positus, torpore captus, hebes, tardus, stultus, rei novitate perculsus, admiratione defixus. *Pl. Poen.* 5, 4, 79. Misera timeo, quid hoc sit negotii: ita stupida sine animo adsto. *Auct. ad Her.* 4, 52. Hic alii omnes stupidi timore obmutuerunt. *Pl. Epid.* 4, 2, 13. Quid stas stupida? quid taces? *Cic. Fat.* 5. *f.* Zopyrus physiognomon stupidum esse Socratem dixit, et bardum: quod jugula concava non haberet. *Id. Par.* 5, 2. Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. *Ter. Hec. prol.* 1, 4. Ita populus studio stupidus in funambulo animum occuparat. *Mart.* 11, 7. Stupidus maritus, *h. e.* qui non sentit, se ab uxore ludi. *Varr.* ap. *Non.* 4, 437. Andromeda vincta et proposita ceto, non debuit patri suo, homini stupidissimo, in os exspuere vitam. ℙ *Stupidus* in mimis est persona tarditatem quidem ac stultitiam simulans, sed acutis dictis risum movens. *Capitol. M. Aurel.* 29. Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehendit: de quo minus in scena, praesente Antonino dixit, cum stupidus nomen adulteri uxoris a servo quaereret, et ille diceret ter, *Tullus;* et adhuc stupidus quaereret; respondit ille, *jam dixi ter, Tullus dicitur. Arnob.* 7, 239. Delectantur Dii stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu atque plausu, factis et dictis turpibus, etc. In *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 127, 3. Aurelius Eutyches stupidus gregis urbani. De his *Juven.* 5, 171. pulsandum vertice raso Praebebis quandoque caput. Talis erat Panniculus ille ap. *Mart.* 2, 72. et 5, 61. et illud sigillum, quod eundem repraesentabat ap. *eund.* 14, 210., cujus lemma *Morio:* Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa. Quisquis plus justo non sapit, ille sapit. *Juv.* quoque idem significare videtur 8, 196. mortem sic quisquam exhorruit, ut sit Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi? Hujusmodi homines in privatorum domibus *moriones*, et *fatui* dicebantur, qui risus causa apud ditiores alli solebant. V. FATUUS, ubi in *Sen. l. c.* pro *vivere* corrige *videre.* ℙ *Stupidi colles* ap. *Venant.* 3. *carm.* 12, 39. sunt qui culturam non sentiunt.

[STUPLO, onis, m. cogn. R. ignotae originis et significationis. *Inscr.* Patavina ap. *Gud.* 119, 4. C. Laelius Stuplo. *F.*]

STŪPOR, oris, m. *ἀναισθησία*, alienatio quaedam sensuum, torpor, tarditas, stupiditas: videtur esse a *στύπος*, Laconice, unde multa habent Latini, *στύπος*, stipes. *Ov. Pont.* 1, 2, 29. Fine carent lacrimae: nisi cum stupor obstitit illis, Et similis morti pectora torpor habet. *Cic. Tusc.* 3, 6. Istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. *Id. Phil.* 2, 45. Quidam morbo aliquo et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; et *ib.* 3, 6. *med.* Qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxit. *Virg. G.* 3, 523. oculos stupor urget inertes. ℙ Transfertur ad animum. *Cic. Phil.* 2, 26. *med.* Tantus te stupor, oppressit, ut non scias, etc. et *ib.* 12. *med.* Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite: sic enim dixit, etc. et *mox:* Sit in verbis tuis hic stupor: quanto in rebus sententiisque major. *Ov. A. Am.* 2, 361. Qui stupor hic, Menelae, tuus? tu solus abibas: Isdem sub tectis hospes et uxor erant. Adde *Phaedr.* 1, 13. et 14. et *Mart.* 14, 210. ℙ De homine stupido, ut *scelus* de scelerato. *Catull.* 17, 21. Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit. ℙ Est etiam ingens admiratio, quae hominem quasi extra se rapit, *θάμβος*. *Just.* 12, 7. Exercitus in sacros Dei ululatus instinctus, cum stupore regis, sine noxa discurrit. *Claud. II. cons. Stil.* 344. stupor omnibus Indis. *Just.* 22, 6. *f.* Stupor omnes, et admiratio incessit, unde tam subitum bellum. *Arnob.* 1, 28. Res magna, et admirationis stupore condigna.

STŪPORĀTUS, a, um, part. ab inus. *stuporo:* stupidum reddo. *Tert. Cult. fem.* 3. Omnis gloria vana, et stuporata, *h. e.* quam stupore et insana admiratione homines prosequuntur.

STUPPA et Stūpa, ae, f. *στύππη*, et *στύπη:* est a *stipo, as*, vel a *στύφω*, adstringo, denso, spisso: quia stuppa rimae et foramina, praesertim navium, obstruuntur. *Festus* docet, linum impolitum a Graecis Doriis stuppam appellari. *Plin.* 19, 1, 3. Quod in lino proximum cortici fuit, stupa appellatur deterioris lini, et lucernarum fere luminibus aptior. *Varr.* ap. *Gell.* 17, 3. Liburni plerasque naves loris suebant: Graeci magis cannabo et stuppa. *Liv.* 21, 8. *f.* de falarica: Id telum stuppa circumligabant, linebantque pice. *Virg. A.* 5, 682. udo sub robore *(navium ustarum)* vivit Stuppa vomens tardum fumum. Adde *Lucr.* 6, 880., *Caes. B. C.* 3, 101. et *Pers.* 5, 135. ℙ In MSS. modo uno, modo duplici *p* scribitur. *Dausquius* duplicem praefert: cui adstipulatur *Festus.* Si originem a *στύφω* admittimus, simplici scribemus. [*Praeferendum est *Stuppa*, ital. *stoppa.* Ita *Schneid.* in *Gr. Lat.* 1. p. 427. coll. *Oudend.* ad *Caes. Ner.* 38.] ℙ Secundum antiquam orthographiam, inquit *Serv.* ad *l. c. Virg.*, *stipam* dicendum esset, a *stipando.* [*Ineptam hanc etymologiam dicit *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 740.]

STUPPĀRĬUS et Stūparius, a, um, adj. ad stuppam pertinens. *Plin.* 19, 1, 3. Virgae lini arefactae tunduntur stuppario malleo.

STUPPĔUS et Stūpeus, a, um, adj. ex stuppa factus. *Virg. A.* 2, 235. pedibusque (*equi lignei*) rotarum Subjiciunt lapsus, et stuppea vincula collo Intendunt; et *Ov. Met.* 14, 547. Stuppea praerumpit Phrygiae retinacula classis. *Virg. G.* 1, 309. Stuppea torquentem Balearis verbera fundae. *Id. A.* 8, 694. Stuppea flamma manu, telique volatile ferrum Spargitur, *h. e.* malleolus stuppa compactus, et pice illitus. V. MALLEOLUS. *Grat. Cyn.* 36. aprico Tuscorum stupea campo Messis, *h. e.* linum collectum in Etruria. *Appul. Apol.* Capillus ipse horrore implexus, stuppeo tomento assimilis.

STUPRĀTĬO, onis, f. violatio. *Arnob.* 2, 73. Ad oris sacri *(feminae)* comparatae stuprationem. Ita *Salm.*, alii rectius leg. *ad oris stuprum paratae.*

STUPRĀTOR, oris, m. *διαχορίζων*, qui stuprat. *Sen. Hipp.* 896. Hic dicet ensis, quem tumultu territus Liquit stuprator. *Quint.* 7, 5. *f.* Stuprator an tus Liquit stuprator. *Quint.* 7, 5. *f.* Stuprator an decem millia dare debeat, quae poena huic crimini constituta est. Adde *Suet. Dom.* 8.

STUPRĀTUS, a, um, part. a *stupro: διαχορισθείς*, stupro violatus. *Cic. Fin.* 2, 20. *f.* Stuprata per vim Lucretia a regis filio. *Liv.* 8, 22. Quod eum crimine Lucretia a regis filio. *Liv.* 8, 22. Quod eum crimine Lucretiae matrisfamiliae absolvisset. *Id.* 39, 15. Simillimi feminis mares stuprati et constupratores. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 18. *med.* Afflicta respublica est, empto stupratoque judicio, *h. e.* corrupto tum pecunia, tum pactione turpi noctium incestarum. V. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 7. Alii leg. *constuprato.*

STUPRĒ, adv. *αἰσχρῶς*, turpiter. *Neleus* ap. *Fest.* in *Stuprum.* Foede stupreque castigor cotidie.

STUPRO, as, avi, atum, a. 1. *διαχορίζω*, stuprum infero, vitio: *Voss.* in *Etym.* derivat a *στύω*, penem erigo. *Cic. Fin.* 5, 23. Inventus est, qui interficeret filiam, ne stupraretur. Adde *Pl. Aul. prol.* 36. et *Truc.* 4, 3, 47. ℙ Translate est foedare, contaminare, corrumpere. *Cic. Har. resp.* 15. Tu meam domum religiosam facere potuisti? qua mente? quam amiseras: qua manu? qua disturbaras: quo pulvinari? quod stupraras. *Tert. Apol.* 6. Quae *(leges)* theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant.

STUPROSUS, a, um, adj. in stupra propensus. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 8. Stuprosae mentis acer punitor.

STUPRUM, i, n. *διαχόρευσις*, *φθορά*, proprie est turpis concubitus cum virgine, vel vidua, ut docet *Papin. Dig.* 48, 5, 6., sicut adulterium in nuptam committitur. Quo sensu *Cic. Tusc.* 4, 35. Stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique. ℙ Sed accipitur etiam pro quavis turpi corruptione alterius feminae, vel pueri. *Sall. Cat.* 25. Mulieres, quae ingentes sumptus stupro corporis toleraverant. *Liv.* 10, 31. Matronae stupri damnatae. *Cic. in Sen.* 6. Vini, somni, stupri plenus. *Id. Fin.* 5, 22. *f.* Quae per vim oblatum stuprum voluntaria morte lueret, inventa est. *Id. Dom.* 40. Incesto flagitio et stupro polluit caeremonias. *Id. Off.* 3, 9. Stuprum alicui inferre. *Id. Mil.* 27. facere cum aliqua. *Suet. Cal.* 24. Stupri consuetudinem facere cum sororibus. [**Sall. Cat.* 23, 3. stupri vetus consuetudo: ubi v. *Kritz.*] *Tac. A.* 14, 2. admittere. *Cic. N. D.* 3, 27. Conjugem illicere in stuprum. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 6, 44. Rapere ad stuprum virgines matronasque. *Just.* 8, 6. Omni sollicitatum spe regni, simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit. *Id.* 9, 6. Stuprum per injuriam passus. *Colum.* 7, 6. Caper immodicus libidinis, stupro matrem supervenit. *Tac. A.* 6, 1. Pubem ingenuam stupris polluere. *Id. ib.* 14, 31. Stupro violare. *Quint.* 4, 2. Aliquem appellare de stupro. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 12. compellare; et *ib. n.* 6. Se stupri crimine coinquinare; et *n.* 10. Stupri commercium habere. *Tac. H.* 4, 44. Stupro aliquam cognoscere. *Val. Max.* 6, 8. *n.* 1. Ire ad stuprum. *Prop.* 4, 7, 57. Clytemnestrae stuprum, *h. e.* Clytemnestra ipsa stupro et adulterio infamis. Sic *stupor* homo stupidus, *scelus* scelestus. ℙ Stuprum pro turpitudine, probro, dedecore antiqui dixerunt. Appius: Nequid fraudis stuprique ferocia pariat. Naevius: Seseque ii perire mavolunt ibidem, quam cum stupro redire ad suos populares. Idem: Sin illos deserant fortissimos viros, magnum stuprum populo fieri pergestis. Haec *Festus.*

STŪPŬLA. V. STIPULA.

*STURA, ae, fluvius Latii, i. q. Astura. *Festus.* ℙ Alius, in Italia superiore, nempe in Gallia cispadana, in Padum influens. *Plin.* 3, 16. *B. A.*

*STURII, orum, populi Germanici, ad Rheni ostium. *Plin.* 4, 15. *B. A.*

*STURIUM, i, n. insula maris Mediterranei, Galliae objecta. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[STURNĪNI, orum, m. plur. incolae Sturni, oppidi Calabriae, nunc *Steraccio. Plin.* 3, 11, 16. *f.* Palionenses, Sturnini, Tutini. *Hard.* pro *Sturnini* leg *Turnini. F.*]

STURNUS, i, m. *ψάρ*, avis quaedam, de qua *Plin.* 10, 24, 35. Sturnorum generi proprium catervatim volare, et quodam pilae orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus; et 18, 17, 45. Pestem a milio atque panico, sturnorum passerumve agmina abigere. *Ulp. Dig.* 19, 2, 15. Omnem vim, cui resisti non potest, dominus colono praestare debet, ut puta fluminis, graculorum, sturnorum. *Plin.* 10, 42, 59. Habebant Caesares juvenes sturnum, item luscinias, Graeco atque Latino sermone dociles. *Stat. Silv.* 2, 4, 18. Auditasque memor penitus demittere voces Sturnus. *Mart.* 9, 55. Sturni inopes, *h. e.* qui parvo emuntur, atque inopum cibus sunt, [**der Staar, die Sprehe*, Sturnus vulgaris, *L.*]

STYGĬĀLIS, e, adj. idem ac Stygius. *Virg. Cir.* 374. Hinc magico venerata Jovi Stygialia sacra. Ita legit *Scal.* [*V. *Heyn.*]

STYGĬUS, a, um, adj. *Στύγιος*, ad Stygem, et Inferos pertinens. *Virg. A.* 6, 323. Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem; et *ib.* 374. Stygiae aquae. *Id. G.* 4, 505. Stygia cymba, *h. e.* Charontis. *Id. A.* 4, 638. et *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 257. Juppiter Stygius, *h. e.* Pluto. *Virg. A.* 9, 104. Stygius frater. *Id. ib.* 6, 252. rex. *Stat. Th.* 4, 526. Stygia Juno, *h. e.* Proserpina. *Val. Fl.* 1, 730. Stygii manes; et *ib.* 781. Stygiae domus; et 3, 398. Stygia nox. *Lucan.* 6, 733. Stygiae canes, *h. e.* Harpyiae, et Furiae, quae sunt canes Jovis, ut *Serv.* ad *A.* 3, 209. et *ib.* 6, 257. docet. *Virg. A.* 7, 476. Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis. *Id. G.* 3, 501. Stygiae tenebrae. *Hor. Od.* 4, 8, 25. Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum, *h. e.* morti. *Val. Fl.* 2, 173. Stygiae taedae, *h. e.* faces Furiarum; et *ib.* 106. Virgines Stygiae, *h. e.* Furiae. *Ov.* quoque *Met.* 10, 313. stipitem Stygium pro face Furiali dixit. *Lucan.* 9, 838. Stygiae sorores, *h. e.* Parcae. *Sen. Herc. Oet.* 1245. Stygius custos; et *ib.* 1257. canis, *h. e.* Cerberus. *Prop.* 2, 20, 71. Stygia sedeat sub arundine remex, *h. e.* quae plurima in ripa Stygis provenit: quam deformem arundinem *Virg. G.* 4, 478. vocat. *Claud. in Ruf.* 2, 167. (et *Ov. Met.* 1, 139.) Stygiae umbrae, *h. e.* manes. *Id. III. cons. Honor.* 185. Luget avarities Stygiis innexa catenis, *h. e.* Infernis, insolubilibus. ℙ [*Hinc translate dicitur *Stygius*, ut nostr. *höllisch*, de quacumque re pestifera, perniciosa, mortifera cet. Ex iis, quae *Forc.* mixta cum reliquis laudaverat, huc pertinent

ista:] *Virg. A.* 5, 855. ramum Lethaeo rore madentem, Vique soporatum Stygia, h. e. mortifera. *Ov. Met.* 15, 791. Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo, h. e. qui cantu mortem significare videtur; unde ab eodem *funereus* dicitur *ib.* 10, 453. et *ferale carmen Virg. A.* 4, 462. ei tribuit. *Ov. Met.* 3, 75. de angue venenifero: quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras, h. e. exitiali, mortifero. *Claud. in Ruf.* 1, 304. Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes, h. e. venenum mortiferum. ℙ [*Et quoniam artes magicae inferorum auxilio exercebantur, *stygius* etiam dicitur pro *magicus. Noster* laud. ista:] *Lucan.* 6, 766. Stygium carmen, *h. e.* magicum. Sic *Sen. Oed.* 621. Stygiae preces; et *Val. Fl.* 6, 155. Stygia ars.

STYLOBĀTA et Stylobates, ae, m. et is, m. στυλοβάτης, basis, sive pes columnae, quia eo στύλος βαίνει, columna stat. Differt a *stereobata*, quia stereobatae sunt parietes, qui subjiciuntur columnis, et onera excipiunt, stylobatae sunt ea, quae stereobatis superimponuntur et super quae demum disponuntur columnae. *Vitr.* 3, 3. Exstructis fundamentis, ad libramentum stylobatae sunt collocandi: supra stylobatas columnae disponendae. *Varr. R. R.* 3, 5. Subter columnarum stylobaten est lapis, etc. et *paulo supra:* Secundum stylobatis interiorem partem dextra et sinistra, etc.

STYLUS. V. STILUS.

STYMMA, ătis, n. στύμμα, spissamentum, quod stringit: a στύφω, adstringo. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 3. *med.* Ea vero, quae sunt leviter stringentia, et quae appellantur stymmata, nunc incongrua judicamus. V. HEDYSMA.

STYMPHĀLĬCUS, a, um, adj. ad Stymphalum lacum pertinens. *Pl. Pers.* 1, 1, 4. Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo deluctari mavelim, quam cum amore. V. STYMPHALIS.

STYMPHĀLĬDES. V. in v. sq.

STYMPHĀLIS, is, et idis, f. Στυμφηλίς, quae ad Stymphalum pertinet. *Plin.* 2, 103, 106. In eo flu vio, ut in Arcadiae Stymphali (supple *palude*) enascuntur aquatiles musculi. *Ov. Met.* 9, 187. et *Fast.* 2, 273. Stymphalides undae. ℙ *Stymphalides aves* Martis alumnae, in Stymphalo monte, et lacu tanta multitudine fuisse fabulantur, ut solem obumbrarent, et Arcadiam omnem pervolitantes, popularentur agros, vexarent incolas: emissis pennis suis, tanquam sagittis, configentes: seu potius tantum plumarum stercorumque de se emittentes, ut homines et animalia necarent, agros et semina operirent. Cum prope ea loca Argonautae venissent, iisque resistere non possent, ex Phinei monitu clypeos et hastas sumpserunt, et more Curetum sonitu eas abegerunt. Tandem Hercules creberrimo sagittarum jactu insecutus, confecit ac delevit: vel, ut alii volunt, crepitaculorum assiduo terriculamento alio migrare coegit. *Hyg. fab.* 20. et 30. et *Serv.* ad *A.* 8, 300. Hinc *Claud. Idyll.* 2, 1. Audieram memorande tuas, Stymphale, volucres Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu: Nec mihi credibilis ferratae fabula pinnae Visa diu. *Id. Rapt. Pros.* 2. *prooem.* 37. de Hercule: Solvis Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu Appetis. *Mart.* 9, 102. Aeripedem silvis cervum, Stymphalidas undis Abstulit. *Sen. Phoen.* 422. atra nube subtexens diem Stymphalis. *Id. Ag.* 849. sagittis Nube percussa Stymphalis alto Decidit coelo. Adde *eund. Med.* 783. et *Herc. Fur.* 244. et *Oet.* 17. et 1390. ℙ Scribit *Plin.* 11, 37, 44. paucis animalium in capite, nec nisi volucribus, apices esse, ut phoenici plumarum serie, pavonibus crinitis arbusculis, stymphalidi cirro, phasianae corniculis. ℙ Secundam syllabam corripit *Auson. Idyll.* 19, 5. Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.

STYMPHĀLĬUS, a, um, adj. Stymphalicus. *Catull.* 68, 112. de Hercule: Tempore, quo certa Stymphalia monstra sagitta Perculit imperio deteriorisheri.

STYMPHĀLUS, i, m. et Stymphalum, i, n. Στύμφηλος, et Στύμφηλον, mons Peloponnesi, in Arcadia, altissimus: item lacus, et fluvius, qui ex eodem monte per agrum Argivorum fluit: item urbs ad radices ejusdem montis posita. *Lucr.* 5, 31. uncisque timendae Unguibus Arcadiae volucres Stymphala colentes, *Stat. Silv.* 4, 6, 100. de Hercule: quantusque nivalem Stymphalum, quantusque jugis Erymanthon aquosis Terrueris. *Id. Th.* 4, 298. Monstriferumque Erymanthon, et aerisonum Stymphalon. V. STYMPHALIS. De urbe *Plin.* 4, 6, 10. Oppida Arcadiae Psophis, Mantinea, Stymphalum, Tegea, etc. [*Suet. *Vita Ter.* 5.]

STYPA. V. STIPA.

STYPTĒRĬA, ae, f. στυπτηρία, alumen: a στύφω, adstringo, quia adstringendi vim habet. *Ulp. Dig.* 27, 9, 3. *extr.* Si lapicidinas, vel quae alia metalla pupillus habuerit stypteriae, vel alterius materiae. [Adde *Plin. Valer.* 1, 14. *med. F.*]

[STYPTĒRĬAZŌSA Aqua, a στυπτηριάζουσα, alumen exhalo, unde part. στυπτηριάζουσα. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1. *in.* Natatio maritima, et aquarum naturalium, et magis frigidarum, quae aluminis naturam exhalant, quae stypteriazusas vocaverunt, sive ferrugineas, quas siderizusas appellant. In ed. leg. *stypteriazas*, et *siderizasas. F.*]

STYPTĬCUS, a, um, adj. στυπτικός, adstringendi et obstruendi stipandique vim habens: a στύφω, adstringo, denso. *Plin.* 24, 13, 73. Inter medicamenta, quae styptica vocant, nihil efficacius ruri mora ferentis radice. *Id.* 32, 9, 36. Herbae ei natura est styptica. [*Id.* 21, 23. Quae ex his Phoenicium colorem habet, radice contrita cuicunque animalium imposita, ulcerum facit stypticam vim. Al. leg. *ulcus facit septica vi. Bail.*] *Macr. Sat.* 7, 16. *f.* Est in aere vis acrior, quam medici stypticam vocant. *Pall.* 3, 31. Quod vinum medicinae quoque proderit, ubi stypticis est utendum. [*Gargil. de re hort.* (ed. *A. A. Scottio*) 1, 3. Cydonea Dioscorides et diuretica existimat austeritatis beneficio. Ceterum styptica comprimere urinam magis, quam agere consuerunt. *F.*] ℙ Dicitur et de saporibus, quae austera sunt, et gustatu linguam adstringunt. *Pall.* 2, 17. Vini veteris styptici hemina; et 11, 14. Vinum album et stypticum prodest stomacho laxiori. *Firm. Math.* 2, 12. *med.* Stypticus sapor.

[STYRĀCĪNUS et Storacinus, a, um, adj. στυράκινος, qui ex styrace est. *Sulpic. Sev. Dial.* 1, 19. Casu abbas storacinam virgam jampridem aridam manu gerebat: hanc solo figit, atque advenae id operis imponit, ut tamdiu virgulae aquam ministraret, donec viresceret. *F.*]

STYRAX et Storax, ăcis, m. στύραξ, arbor in Syria nascens, cotoneo malo similis, lacrimae ex austero jucundioris: intus similitudo arundinis, succo praegnans. Placet maxime pinguis, purus, albicantibus fragmentis. Colos praefertur rufus, et pinguiter lentus: deterior furfurosus, et cano situ obductus. Post Syriacum laudatur ex Pisidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta minime. Haec *Plin.* 12, 25, 55. et 24, 6, 15., ubi docet varios ejus usus in medicina. *Id.* 12, 17, 40. Ex Syria revehunt (*Arabes*) styracem, acri odore ejus abigentes suorum (*odorum*) fastidium. *Id.* 10, 70, 90. et *Ser. Sam.* 46, 864. Styracis odore serpentes fugantur. *Virg. Cir.* 168. Non styrace Idaeo fragrantes picta capillos, *h. e.* ex Ida Cretae. Alii hic leg. *storax.* Sicut ap. *Solin.* 33. *med.* Arabes myrrhae sarmentis ignes fovent: quorum fumo satis noxio, nisi odore cremati storacis occurrant, plerumque insanabiles morbos contrahunt. Adde *Paul. Nol. carm.* 24, 276. 277. et 280. ℙ Hinc factum servo nomen *Storax* ap. *Ter. Ad.* 1, 1, 1., ubi *Donatus:* Puer ab odore *Storax.* *V. *Comment. ad Terent.* e cod. *Ambros.* ed. *A. Maio*, p. 53. *extr.* ed. *Mediol. B. A.* [Est et cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 587, 3. C. Julius Divi Aug. L. Styrax ab epist. Lat. *F.*]

STYX, ygis, f. Στύξ, fons Arcadiae ex Pheneo lacu, et ex Nonacri monte manans ex saxo, et in flu vium evadens, tam frigidus, ut ejus aqua pota statim enecet, ferrum et aes erodat, solaque mulae ungula possit contineri, cetera vasa frigoris vehementia statim dirumpantur. *Plin.* 2, 103, 106., *Sen. Q. N.* 3, 25. et *Vitr.* 8, 3., ubi tradit, hoc veneno necatum Alexandrum ab Antipatro, in mulina ungula per Iollam filium perlatum: quod et *Just.* 12, 14., *Curt.* 10, 10. et *Plin.* 30, 16, 53. narrant. *Theophrastus* tradit, in Styge pisces parvos esse: qui et ipsi letales sunt, auctore *Plin.* 31, 1, 19. ℙ *Homerus* finxit, Stygem Inferni esse paludem, cujus fabulae occasionem cepit ex Styge fonte Nonacridis regionis. *Virg. G.* 4, 478. limus niger, et deformis arundo Cocyti, tardaque palus inamabilis unda Alligat, et novies Styx circumfusa coercet. *Serv.* ad *A.* 6, 295. Acheronta vult quasi de imo nasci Tartaro, hujus aestuaria Stygem creare: de Styge autem nasci Cocyton. ℙ Hanc Inferni paludem Superi tanta in religione habuerunt, ut per Stygem jurare soliti essent, et nefas ducerent quidquam eorum, quae per Stygem jurassent, non observare: siquis autem Deorum hoc jusjurandum violasset, centum annis a nectare abstineret, et numinis majestate esset privatus. Hac de re *Servius* sic scribit, enarrans illum locum *Virg. A.* 6, 133. Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est, Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre Tartara. Dicitur, inquit, Victoria Stygis filia bello Gigantum Jovi favisse: pro cujus remuneratione Juppiter tribuit, ut jurantes Dii per ejus matrem, non audeant fallere. Ratio autem haec est. Styx moerorem significat: unde ἀπὸ τοῦ στυγεροῦ, idest a tristitia, Styx dicta est. Dii autem laeti sunt semper: unde et immortales. Ergo quia moerorem non sentiunt, jurant per rem suae naturae contrariam, idest tristitiam, quae est aeternitati contraria. Ideo jusjurandum per exsecrationem habent. Haec *Serv.* Hinc *Virg. A.* 6, 323. Stygiamque paludem, Dii cujus jurare timent, et fallere numen. *Ov. Met.* 3, 290. Stygii quoque conscia sunto Numina torrentis, timor, et Deus ille Deorum; et *Ib.* 78. Imperjuratae laberis amnis aquae. *Stat. Theb.* 8, 30. et Styx perjuria Divum Arguit. *Sil.* 13, 568. At magnis semper Divis regique Deorum Jurari dignata palus, picis horrida rivo, Fumiferum volvit Styx inter sulphura limum. *Stat. Achill.* 1, 269. si progenitum Stygos amne severo armavi. *Stygos* est Graeca positione pro *Stygis.* ℙ Ponitur pro ipsis Inferis: et pro morte, qua ad Inferos itur. *Virg. G.* 1, 243. Styx atra, manesque profundi. *Mart.* 4, 60. Inter laudatas ad Styga missus aquas. ℙ Et pro veneno. *Sen. Oed.* 163. Miscuit undis Styga Sidoniis.

S U

SUAD TED, idem ait esse, sic te. *Festus:* quae verba *Scal.* sic legenda conjicit: Sed ted, idem ait esse, sine te. *Se* enim, et *sed* pro *sine* olim dictum est. V. SE. V. *idem* videtur Verrium Flaccum designare.

SUĀDĀ, ae, f. disyll. Πειθώ, suasionis Dea, a *suadeo.* Ac Graece eodem modo vocatur Pitho, Πειθώ, ἀπὸ τοῦ πείθειν, suadere. *Cic. Brut.* 15. Suadaeque medulla. Πειθὼ quam vocant Graeci, cujus effector est orator, hanc Suadam appellavit *Ennius*, ut, quam Deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. *Id. Sen.* 14. M. Cethegum, quem recte Suadae medullam dixit Ennius, etc. *Gell.* 12, 2. hunc locum *Ennii* referens, habet: Flos delibatus populi, et suada medulla: ut *suada medulla* per appositionem dictum sit. Alii suspicantur *Suadai* legendum esse. *Quintiliano* 2, 15. *med.* minus placet haec vox, tanquam dura declinatione a *suadeo* formata. V. SUADUS.

SUĀDĒLA, ae, f. idem ac Suada, Πειθώ. Aliqui dicunt, ex *Plutarcho*, Suadelam nuptiis una cum Venere praefuisse. *Phurnutus* etiam scribit, assidere Veneri Gratias, Suadelam, Mercurium, quod Suadela oratione et gratia amatores pelliciat. V. *Capell. l. c.* in PITHO. *Hor. Ep.* 1, 6, 38. Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque. ℙ Est etiam idem ac suasio. *Pl. Cist.* 2, 3, 24. Jam perducebam illam ad me suadela mea. *Appul. Dogm. Plat.* 2. *f.* Si consilio et suadela depravata consuetudo deflecti non poterit. *Id. Met.* 9. His et hujuscemodi suadelis, etc.

SUĀDENTER, adv. cum suasione. *Arnob.* 2, 56. Suadenter loqui in litibus.

SUĀDĒO, es, asi, asum, a. 2. trisyll. πείθω, suavibus et accommodatis verbis aliquem in opinionem meam inducere conor, hortor, moneo, auctor sum: videtur esse ab ἥδω vel ἄδω, delecto. Differt a *persuadeo*, cujus contrarium est *dissuadeo:* quia *suadet*, qui hortatur incerto eventu: qui *persuadet*, id obtinuit ad quod hortabatur: qui ergo *dissuadet*, id obtinuit, ad quod dehortabatur. *Cic. Phil.* 2, 11. *med.* An C. Trebonio persuasi? cui ne suadere quidem ausus essem. Adde *ib.* 10. Hoc tamen discrimen non est fortasse perpetuum. V. PERSUADEO. [*Jam ea exempla primo loco ponenda nobis visa sunt, in quibus intransitive v. *suadere* usurpatum est. Ex iis, quae *Forc.* laud. huc pertinent ista:] *Ter. Andr.* 4, 1, 36. Nunquam destitit instare, suadere, orare, etc. [*Adde locum *Cic. Phil.* 2, 11. *med.* modo laudatum. Alia haec sunto: *Curt.* 3, 8, 6. Defuturos enim qui suaderent, si suasisse periculum esset; et *ib.* nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserint. *Ter. Andr.* 2, 3, 11. Suadere noli. — Porro huc referenda sunt ista: *Ter. Heaut.* 5, 2, 43. Recte suades; et *Phorm.* 3, 3, 9. Sane hercle pulchre suades. — Etiam de rebus inanimis. *Virg. A.* 9, 340. suadet enim fames: cf. *ib.* 10, 724. et *Sil.* 7, 668. suadente pavore; *it.* 12, 12. Adde, quem *Noster* infra laudaverat,] *Plin. ep.* 3, 7. ita suadentibus annis. ℙ *Verba suadentia* ap. *Stat. Theb.* 11, 435. sunt mollia, placida, sermo ad pacem hortantis. ℙ Pro persuadere. *Cic. Arch.* 6. Nisi mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita, etc. [*V. infra de constructione hujus loci. ℙ Transitive c. accus. rei et dat. personae.] *Cic. Att.* 13, 88. *f.* Tu quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. *Id. Fam.* 7, 3. Coepi suadere pacem. *Quint.* 3, 8. *med.* C. Caesari suadentes regnum. *Just.* 3, 2. Parcimoniam omnibus suasit. *Ov. Met.* 9, 691. digitoque silentia suadet. [*Vell. 2, 52, 2. suadere diversa. *Suet. Oth.* 8. quietem et concordiam suadentibus: et *Caes.* 14. asperiora Suadentibus. — Porro huc pertinet formula: *suadere legem*, h. e. legem, quum promulgata est, oratione commendare. *Noster* laud.] *Cic. Sen.* 5. *med.* legem Vasconiam magna voce suasi; et *Liv.* 45, 21. Privatis suadendi dissuadendique legem potestatem facere. [*Adde *Cic. Brut.* 23. Cato legem suadens in Galbam multa dixit. *Mil.* 18. in hac rogatione suadenda. *Off.* 3, 30. Mancinus rogationem suasit. ℙ Ap. seriores construitur cum praeposs. *de* et *circa.*] *Quint.* 3, 8. *med.* Suasuris de pace, bello, copiis, haec duo nota esse voluit. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 49. Quid Claudiopolitanis circa balineum suadendum sit. ℙ [*Sequitur *ut* ap. optimos scriptores et poetas. V. *Zumpt.* §. 615. p. 483.] *Cic. Fam.* 9, 6. *med.* Suades, ut ab eo petam. *Nep. Lys.* 3. Suadet Lacedaemoniis, ut dux deligatur. — [*Omittitur ap. eosdem.] *Nep. Con.* 4. Se suadere, dixit, Pharnabazo id negotii daret. *Petr. Sat.* 35. *extr.* Suadeo, inquit, coenemus. [* — Ap. seriores sequitur *ne*, *quemadmodum*, *pronomen relat.* cet.] *Vell.* 2, 63. Cum acerrime suasisset Lepido, ne se cum Antonio jungeret. *Plin. ep.* 5, 6. Suasisti, ne facerem. *Tac. H.* 4, 8. *f.* Suadere Prisco, ne supra principem scanderet. *Plin. ep.* 7, 9. *f.* Dum tibi, quemadmodum studere debeas, suadeo. *Plin. alter* 14, 7, 9. Apollodorus medicus in volumine, quo suasit Ptolemaeo regi, quae vina biberet, laudavit Oreticum, Leucadium, etc. [*Seq.

accus. participii fut. pass. *Suet. Tib.* 32. praesidibus, onerandas tributo provincias suadentibus. Ap. poetas construitur c. infin. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* p. 76. *ed. Friedem. Zumpt.* l. supra c.] *Phaedr.* 1, 15. Suadebat asino fugere. *Virg. G.* 4, 264. galbanos suadebo incendere odores. [*Adde *Ov. Fast.* 5, 704. his amor, ut repetant, illis, ut reddere nolint, suadet. *Virg. A.* 11, 254. fortuna jubet lacessere bella. *Sil.* 1, 11. ensis suadet, rumpere pacem. *Lucr.* 1, 176. suadente auctumno vites fundi. Et sic multis locis possent haec adaugeri, si tanti esset. ℙ Accus. c. inf. v. *suadere* et sim. ex *Zumpt.* sententia, l. supra l. prolata nonnisi mutata verbi sententia sequi posse videtur. Huc primum pertinet locus, quem supra posuimus *Cic. Arch.* 6. ubi *suadere* persuadendi notionem vindicat. Porro huc referri possunt, quae Noster laudaverat ita, ut cum accusativo v. *suadendi* constructum dixisset. *Ter. Hec.* 3, 5, 31. Me pietas matris potius commodum suadet sequi. *Virg. A.* 12, 813. Juturnam misero, fateor, succurrere fratri Suasi. V. *Ruhnk.* ad *Ter. l. l.* ℙ Constructio accusativi personae c. verbo *suadere* nonnisi ap. eos usurpatur, quorum rationem dicendi nemo facile imitabitur.] *Tert. Hab. mul.* 1. Tu es, quae eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit. *Appul. Met.* 9, [*194. p. 642.] tunc uxorem ejus tacite suasi, ac denique persuasi, secederet paululum. [*V. *Oudend.* ad h. l. et *Burm.* ad *Phaedr.* 1, 15, 6. Ita *Cic.* quoque locutum esse volunt duobus locis: *Fam.* 13, 4. *med.* Haec eo spectant, ut te horter et suadeam: ubi *Lamb.* conj. *et tibi suadeam:* et *prov. cons.* 17. me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, sed etiam rogavit. V. *Ruddim.* 1, 148. sq.] ℙ Passive. *Pl. Trin.* 3, 2, 44. Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet. *Suet. Claud.* 10. Accitusque et ipse per tribunos plebis in curiam ad suadenda quae viderentur. [*Injuria *Ern.* praefert *censenda.* Lenius est v. pro censere, auctorem esse. Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 740. qui in nota ad h. l. legatos ipso voc. *suadere* usos existimat, ut minoris potestatis, quam *censere*, ergo hominem, quem rebus praefici nollent. Cf. etiam *Brem.* — At cadentis Latinitatis temporibus passivus hujus v. usus satis frequens perhibetur a *Barth.* ad *Claud. Pan.* Mallii, V. 213.] ℙ Commode tribuitur rebus inanimis. *Virg. A.* 2, 9. suadentque cadentia sidera somnos. *Id. Ecl.* 1, 56. Saepe levi somnum suadebit inire susurro. *Ov. Am.* 1, 6, 59. Nox, et Amor, vinumque nihil moderabile suadent. *Id. Her.* 7, 55. Ut pelago suadente etiam retinacula solvas. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 27. Interim navibus, interim vehiculis uti, prout loca suaserint. *Lucan.* 1, 162. hostiles luxum suasere rapinae. *Claud. in Eutrop.* 2, 179. crimina suadet egestas. ℙ Primam syllabam in duas per diaeresin diduxit *Vet. Auct. Epigr.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 33. *Burm.* Quis tibi taurobolus vestem mutare suasit? [*Adde *Lucr.* 4, 1153. Veneremque suadent Ut placent.]

*SUADIBĬLIS, e, adj. *εὐπειθής*, ut *sapientia suadibilis* ap. *Vulg. Jac.* 3, 17. *h. e.* quae suasioni cedit. *B. A.*

SUĀDĬLŪDĬUS. V. SUAVILUDIUS.

SUĀDUS, a, um, adj. *πειθανός*, suadendi vim habens, flexanimus. *Stat. Theb.* 4, 452. Inclinat Bacchi latices, et munera verni Lactis, et Actaeos imbres, suadumque cruorem Manibus. *Appul. Met.* 11. *f.* Divini somnii suada majestas. *Sym. ep.* 3, 6. Delenifica et suada facundia. *Capell.* 1, 2. Jupiter delinitus suadae conjugis amplexibus. *Serv.* ad *A.* 1, 724. Sane Veneri multa nomina dicuntur imposita: nam alii suadam appellant, quod ipsa conciliatio suada sit: dicitur etiam obsequens, etc.

[*SUALTERNICUM, i, n. *σοναλτέρνικον*, genus electri. *Plin.* 37, 2. ubi *Hard.* leg. *Subalternicum*, q. v. s. l. *Bail.*]

[SUANENSIS, e, adj. ad Suanam pertinens, Etruriae oppidum, nunc *Sovana.* Hinc *Suanenses, ium*, absolute, incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 5, 8. Pistorium, Perusia, Suanenses. *F.*]

*SUANETES, ium, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*SUANI, orum, populi Colchidis. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

*SUARDONES, um, populi Germaniae, inter Albim et Oderam flumina. *Tac. Germ.* 40. *B. A.*

*SUARI, orum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

SUĀRĬUS, a, um, adj. *ὕειος, ὑϊνος*, ad sues pertinens. *Plin.* 21, 3, 7. Suarius negotiator. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. *med.* Forum suarium sub ipsius cura est: sed et ceterorum sive pecorum, sive armentorum. ℙ Absolute *ὑοβότης*, subulcus. *Plin.* 8, 51, 77. Compertum, agnitam vocem suarii furto abactis. ℙ Et qui suillae carnis negotiator est. Hujusmodi plures erant, et corpus constituebant: unde *corpus suariorum et confecturariorum* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 1. Adde 647, 7. et *Sym. ep.* 10, 27. (al. 34.) ℙ *Suaria, ae*, negotiatio, aut annona suaria. *Tab. edicti* ap. *Grut.* 647, 7. Cum suarios videremus damnis adfectos, et eos etiam ordines, qui suariam faciunt; et *mox:* Ut duae partes suariis, tertia vero his ordinibus sufficiat, qui suariam recognoscunt.

*SUARNI, orum, populi Asiae, circa Caucasum montem. *Plin.* 6, 11. *B. A.*

*SUASA, ae, f. opp. Aethiopiae, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[SUASĀNUS, a, um, adj. ad Suasam pertinens, nunc dirutam Umbriae urbem prope hodiernum *Pergola*, ad amnem Senam; illius urbis meminit *Inscr.* ap. *Grut.* 369, 5. Hinc *Suasani, orum*, incolae illius urbis ap. *Plin.* 3, 14, 19. Sarsinates, Spoletini, Suasani. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 402, 1. ubi pro *Suasaeor.* videtur legendum *Suasanor.*, ut legitur etiam in alia ap. *Oliver. Marm. Pisaur. n.* 148. Colleg. centonariorum Suasanor. *F.*]

SUĀSĬO, onis, f. *παράκλησις*, actus suadendi, adhortatio. *Sen. ep.* 95. Non tantum praeceptionem, sed etiam suasionem, et consolationem, et exhortationem necessariam judicat. *Gell.* 10, 19. *f.* Omni suasionum admonitionumque genere utens, sectatores suos ad rationes bonae indolis ducebat. ℙ Ap. rhetores est oratio deliberativi generis, quippiam suadens, aut dissuadens, quae et *suasoria* dicitur. *Cic. Or.* 11. *med.* Plura sunt orationum genera, eaque diversa, laudationum, scriptionum, et historiarum, et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum. *Id. Cluent.* 51. M. Brutus in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus. Adde *Or.* 2, 81. et *Quint.* 3, 8.

SUĀSOR, oris, m. *εἰσηγητής*, qui suadet, impulsor, hortator. Minus est, quam *auctor:* hic enim perficit, quod suaserat: *suasor* aliquando repellitur. *Suet. Tib.* 27. *f.* Alium dicentem *sacras ejus occupationes;* et rursum alium, *auctore eo senatum se adisse;* verba mutare, et pro *auctore suasorem*, pro *sacris laboriosas* dicere coegit. *Cic. Off.* 3, 30. Atque hujus deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. *Pl. Most.* 3, 3, 13. Me suasore et impulsore id factum, audacter dicito. *Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Haec epistola non suasoris est, sed rogatoris. *Id. Phil.* 2, 12. Quid enim interest inter suasorem facti, et probatorem? et *ib.* 1, 3. *f.* Repudiatis malis suasoribus. *Id.* ap. *Quint.* 3, 8. *med.* Suasoris finis est utilitas ejus, cui quisque suadet. *Enn.* ap. *Gell.* 7, 2. Annibal audaci cum pectore dehortatur, Ne bellum faciam: quem credidit esse meum cor Suasorem summum, et studiosum robore belli. *Ov. Fast.* 4, 75. Trojanae suasorem Antenora pacis. [*Vell. 2, 44, 4. Caesar legem tulit, —, suasore legis Pompeio.]

SUĀSORĬUS, a, um, adj. *παραινετικός*, ad suadendum pertinens. *Appul. Met.* 5. [*p. 330. *Oudend.*] Psyche Cupidini imprimens oscula suasoria, *h. e.* quae illum ad petita sibi concedenda suaderent. *Quint.* 3, 8. Pars deliberativa, quae eadem suasoria dicitur, de tempore futuro consultans, quaerit etiam de praeterito: officiis constat duobus, suadendi ac dissuadendi. ℙ Absolute dicitur de oratione, qua deliberantibus suademus aliquid, aut dissuademus: cujusmodi sunt octo illae M. Senecae rhetoris. V. CONTROVERSIA. *Quint.* 2, 1. *med.* Si grammatices munus usque ad suasorias (quae sunt apud rhetorem materiae inter rudimenta dicendi) prorogatur, tardius rhetore opus est. *Id.* 2, 4. *med.* Sunt et illae paene totae ad deliberativum pertinentes genus: ducendane uxor, petendine sint magistratus: namque hae, personis modo adjectis, suasoriae erunt. *Petr. Sat.* 6. Qui Agamemnonis suasoriam exceperat. *Quint.* 3, 8. *med.* Declamare suasorias.

SUASUM, colos appellatur, qui sit ex stillicidio fumoso in vestimento albo, Plautus (*Truc.* 2, 2, 16.) Quia tibin' suaso infecisti, propudiosa, pallulam? Quidam autem legunt, *insuaso:* nec desunt qui dicant, omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari: quod quasi persuadetur in alium ex albo transire. Haec *Festus:* ad quae *Salmasius* adnotavit, proprie *suasa* et *insuasa* dici, quae colorem aliquem penitus imbiberunt, et saturata sunt: ducta loquendi ratione a Graecis, qui ea *πεπεισμένα* dicunt. Maxime autem imbibi colorem fumi in tigno, quod diutino stillicidio subjectum fuerit: unde in *Gloss. Philox.* Insuasum, *εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου.* ℙ [Ceterum *Jo. Galvanius* in *Memor. Moden. di relig.* T. 18. recte probat, *suasum* colorem similem esse *impluviato*, et *usticio*, qui nempe croceus est, sed subfuscus, quo saepissime usos fuisse veteres Romanos, constat ex picturis Herculanensibus, et Pompejanis, quoque etiamnum summopere gaudent nostrates feminae rusticanae: vocem autem corruptam censet a *subarsus* vel *subassus*, Italice *arsiccio*, demptis scilicet litteris *b* et *r*, vel simplici *s* pro duplici *ss*, ut vulgus solet, adhibita. Porro *insuasus* pro *suasus* sequiori aevo scriptum fuisse videtur, fortasse ex perperam lecto *Plauti l. c.*, ubi ex *tibin' suaso* factum fuerit *tibi insuaso. F.*]

SUĀSUS, a, um, part. a *suadeo.* In *argum. Aul. Plaut.* 1, 6. Megadorus a sorore suasus ducere Uxorem. ℙ [*Suasum, i*, absolute, est dictum suave, quod ideo aliquem ad quidlibet patrandum suadet. *Tert.* seu *Cypr. Gen.* 103. Illa (*Eva*) sub haec pandit: Serpentis suasa loquentis Accepi fallente dolo, blandoque rogatu. *F.*]

SUĀSUS, us, m. idem ac suasio. *Ter. Phorm.* 5, 1, 3. Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria afficiatur. *Ulp. Dig.* 9, 2, 9. Siquis per vim, vel per suasum medicamentum alicui infundit.

SUĀTIM, adv. *ἴσως*, ad similitudinem suis. *Nigid.* ap. *Non.* 1, 190. Sunt etiam adsimulanter dicta haec, canatim, suatim, bovatim, quae ab animalibus sumuntur.

SUĀVĔ, adv. V. SUAVIS.

SUĀVĔOLENS et Suave olens, entis, adj. ex part. *ἡδύπνοος*, suavem odorem habens. Vox est trisyllaba per synaeresin. *Catull.* 19, 13. Pallentesque cucurbitae, et suaveolentia mala. *Id.* 61, 6. Cinge tempora floribus Suaveolentis amaraci.

SUĀVĔOLENTĬA, ae, f. Translate. *Sidon. ep.* 8, 14. Ad suaveolentiam pudicitiae impellere. Adde *August. Confess.* 8, 6.

SUĀVĬĀTĬO et Saviatio, onis, f. *φίλησις*, osculatio. *Pl. Bacch.* 1, 2, 8. et 12. et *Ps.* 1, 1, 63. Suavis suaviatio. *Gell.* 18, 2. Suaviationes puerorum, et puellarum.

[SUĀVĬĀTUS et Saviatus, a, um, part. a *suavio*, osculatus. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 33. Filiae meae jussu tuo osculum tuli: nunquam mihi tam suavis, tamque saviata visa est. *F.*]

SUĀVĬDĬCUS, a, um, adj. suavis, vel suavia dicens, ut Suavidici versus, ap. *Lucr.* 4, 180.

[SUĀVĬDUS, a, um, adj. idem ac suavis. *Theod. Prisc. de diaeta* 20. Suavida sit potio ad bibendum. *F.*]

[SUĀVĬLLĀ, ae, f. dimin. suavis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 516. *n.* 234. Ex figlinis Fulviae Suabillae: scil. pro *Suavillae*, permutata, ut saepissime, littera *v* in *b. F.*]

SUĀVILLUM et Savillum, i, n. genus placentae ex farina, caseo, ovo, et melle, ap. *Cat. R. R.* 84. Idem ab *Athenaeo l.* 14. p. 647. *σουβιτίλλον*, et in *Not. Tir.* p. 176. subitillum vocatur.

SUĀVĬLŌQUENS, entis, adj. ex part. *ἡδιεπής, ἡδυλόγος*, qui suaviter loquitur. *Cic. Brut.* 15. ex *Ennio:* Additur orator Corneliu' suaviloquenti Ore Cethegus Marcu'. *Cic. fragm.* ap. *Gell.* 12, 2. Suaviloquens jucunditas. *(Sen. ib.* hanc vocem et in *Enn.* et in *Cic.* reprehendit, defendit *Gell.) Quint.* 11, 3. §. 31. Vox vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum. Ita fiet illud, quod Ennius probat, cum dicit, suaviloquenti ore Cethegum fuisse, non quod Cicero in his reprehendit, quos ait latrare, non agere. *Lucr.* 1, 943. Suaviloquens carmen.

SUĀVĬLŌQUENTĬA, ae, f. *ἡδυεπία*, loquendi suavitas, facultas suaviter loquendi. *Cic. Brut.* 15. Et oratorem appellat, et suaviloquentiam tribuit.

SUĀVĬLŌQUUS, a, um, adj. idem ac suaviloquens. *Lucr.* 2, 528. nunc suaviloquis, age, paucis Versibus ostendam, etc. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 560. Suaviloquae Claudiae Garrulae, quae vixit annis III. mensibus V. diebus III. Memomenus et Helpis parentes infelicissimi.

SUĀVĬLŪDĬUS, ii, m. qui suavitate ludorum oblectatur. *Tert. Spect.* 20. et *Cor. mil.* 6. Alii leg. *suadiludius*, et exponunt de eo, qui ludum suadet. Utrobique autem loquitur de publicis spectaculis.

SUĀVĬO, as, a. l. idem ac suavior. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 49. Ego illam non amplectar, ego non suaviem? *Nov. ib.* Congenues, suavies.

SUĀVĬŌLUM et Saviolum, i, n. *φιλημάτιον*, dimin. suavii. *Catull.* 99, 2. Suaviolum dulci dulcius ambrosia; et *ib.* 14. Suaviolum tristi tristius helleboro.

SUĀVĬOR, et Savior, aris, atus sum, dep. l. *φιλέω*, suavium do, cum voluptate, aut prae gaudio osculor. *Cic Att.* 16, 3. *f.* Atticam nostram cupio suaviari: ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa. *Id. Brut.* 14. Brutus, qui de matre suavianda tam acute conjecit. *Gell.* 3, 15. Quum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur. Alii leg. *saviarentur. Catull.* 9, 9. Jucundum os oculosque suaviabor.

SUĀVIS, e, adj. *ἡδύς*, dulcis, conditus, gratus, jucundus. [*Doederl. 1, 61. et 3, 257. *etym.* hujus v. facit a *suadere. Buttm.* in *Lexil.* 2, 103. a Gr. *ἀδύς* derivat.] Vox disyllaba, quae dicitur primo de iis, quae sensus afficiunt, et delectant. [*Quo differt a *jucundus*, quod proprie animum afficit laetitia. *Dulcis* et *suavis Ernest.* 387. ita differre docet, ut hoc ad olfactum, illud ad saporem referendum censeat. Quod verum intelligens *Doederl.* 3, 256. sq. latiorem promiscuumque usum ex intima utriusque vocabuli notionum cognatione derivat.] *Pl. Most.* 5, 1, 66. Elixus esse, quam assus, soleo suavior. *Hor. Sat.* 2, 8, 91. Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes, Suaves res, si, etc. *Lucr.* 4, 659. quod suave est aliis, aliis fit amarum. *Plin.* 20, 11, 44. Apium suaviores aquas potui incoctum praestat. *Id.* 25, 9, 61. Radix suavissimi gustus et odoris. *Cic. Verr.* 2, 3, 9. *f.* Ut odor Apronii teterrimus oris et corporis unisti suavis et jucundus videretur. *Phaedr.* 3, 1. Hanc postquam totis avida traxit naribus, O suavis anima, *inquit*, etc. *Lucr.* 3, 223. Spiritus unguenti suavis. *Id.* 1, 7. tibi suaves daedala tellus Submittit flores. *Plin.* 9, 41, 65. Suavior et lenior color. *Nemes. Cyn.* 319. suavique rubescere luto. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Olli respondet suavi' sonus Egeriai. *Quint.* 11, 3. *med.* Laudatur in Catulo suavis appellatio litterarum. *Id.* 12, 10. *med.* Sua-

ves accentus. *Gell.* 19, 9. *med.* Voce admodum quam suavi versus cecinit Valerii Aeditui. *Lucr.* 4, 454. cum suavi devinxit membra sopore Somnus. ℙ Inde transfertur ad ea, quae animo jucunda sunt. *Cic. Balb.* 16. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur, qui erranti comiter monstrant viam, benigne, non gravate. *Enn.* ap. *Gell.* 12, 4. docte', fidelis, Suavis homo. *Cic. Fam.* 13, 26. Audierat, quam suavis esset inter nos, et quanta conjunctio. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Mihi suavissimum est, tuae memoriae dare operam. *Lucr.* 1, 140. sperata voluptas Suavis amicitiae. *Hor. Sat.* 1, 10, 23. at sero o lingua concinnus utraque Suavior. *Phaedr.* 5, 5. Temperatae suaves sunt argutiae; et *Pl. Cist.* 1, 3, 43. Is amore illam deperit, et illa hunc contra: qui est amor suavissimus; et 1, 1, 17. Ita hodie hic acceptae sumus suavibus modis. *Id. Stich.* 5, 4, 54. Mea suavis, amabilis, amoena Stephanium. ℙ *Suave est*, jucundum, dulce est. *Hor. Sat.* 1, 1, 51. suave est ex magno tollere acervo. *Lucr.* 2, 1. Suave, mari magno, turbantibus aequora ventis. E terra magnum alterius spectare periclum. ℙ *Suave* ritu adverbii, suaviter. *Hor. Sat.* 1, 4, 76. Suave locus voci resonat conclusus. *Virg. Ecl.* 4, 43. suave rubenti Murice; et *ib.* 3, 63 suave rubens hyacinthus. ℙ Primam syllabam diduxit *Sedul.* 1, 274. Est leve cujus onus, cujus juga ferre, suave est.

[SUAVISATOR, oris, m. qui suavia serit, vel profert: a *suavis*, et *sator:* ita appellatur cocus in in *Vespae judic.* 93. ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min.* T. 2. p. 238. Es coce suavisator, dulcis sed tu quoque pistor. Alii male leg. *suavisa. F.*]

[SUAVISONUS, a, um, adj. suave sonans. *Naev.* ap. *Non.* 3, 136. Suavisonum melos. Alii leg. *suave summe melos. F.*]

SUAVITAS, atis, f. ἡδος, γλυκύτης, dulcedo, jucunditas, suavitudo, qua sensus afficiuntur. *Cic. Phil.* 2, 45. Quidam morbo aliquo et sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt. *Id. N. D.* 2, 64. Multitudo et suavitas piscium. *Plin.* 19, 3, 12. Misy praecipuum suavitate odoris ac saporis. *Id.* 23, 7, 64. Lac caprifici suavitatem carnibus affert. *Id.* 31, 8, 44. Garum transiit ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suavitatem, ut bibi possit. *Capell.* 9, 308. Denique mox ingressa (*Harmonia*), atque ejusdem orbis sonuere concentus, cuncta illa, quae dissona suavitas commendarat, velut mutescentia tacuerunt. *Cic. Sen.* 17. Suavitas odorum, qui afflantur e floribus. *Plin.* 22, 25, 65. Hordeum candorem dentibus, et suavitatem oris facit; et *Cic. opt. gen. Or.* 3. Non sunt contenti bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quaerunt, quandam etiam suavitatem coloris; et *Plin. ep.* 5, 16. Suavitas puellaris cum virginali verecundia. Sic *ep.* 2, 13. *med.* Mira in sermone, mira etiam in ore ipso vultuque suavitas. *Quint.* 6. *prooem. med.* et 11, 3. et *Nep. Att.* 1. Erat in puero summa suavitas oris et vocis; et *Cic. Off.* 3, 33. Conquirere undique suavitates; et *Q. Fr.* 3, 1, 2. Equidem hoc affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus additis, et silva vindicata. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 43. Mira in cognoscendo suavitas et delectatio. *Id. Coel.* 11. Qui in reliqua vita mitis esset, et in hac suavitate humanitatis, qua prope jam delectantur homines, versari perjucunde soleret. *Id. Fam.* 3, 1. Tibi persuade, carissimum te mihi esse propter multas suavitates ingenii, officii, humanitatis tuae; et *Am.* 18. *f.* Suavitas quaedam sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. *Plin. Pan.* 49. *f.* Non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia coenarum, sed suavitatem tuam jucunditatemque miramur, *h. e.* comitatem, benignitatem, facilitatem; et *ep.* 6, 31. *med.* Suavitas, simplicitasque convictus; et *ep.* 7. Cujus litterae tantum habent suavitatis, hujus sermonibus quantum dulcedinis inest! *Id. ep.* 3, 1. *med.* Mira carminibus dulcedo, mira suavitas. *Nep. Att.* 4. Tanta suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum. ℙ [*De significatione hujus v. in rebus oratoriis v. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 315. sq.]

SUAVITER, adv. ἡδέως, jucunde, dulciter. *Cic. Acad.* 4, 4. *med.* Video, quam suaviter voluptas sensibus blandiatur. *Plin.* 25, 9, 70. Peucedanum odore suaviter gravi. *Cic. Or.* 3, 11. *f.* Eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo facile superabit. Sic *Plin. ep.* 3, 15. Suavissime et peritissime legere: *suavissime*, i. q. a *Nep.* et *Quint.* suavitas oris dicitur: *peritissime*, i. q. a *Quint.* 11, 3. §. 35. vocis modo sustinendae, modo deponendae distinctio appellatur. *Petr. fragm. Trag.* 71. *Burm.* Facere sibi suaviter: et *ib.* 75. Ut nobis suaviter sit. *Hor. Sat.* 1, 6. *f.* His me consolor victurum suavius, ac si Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset; et *ib.* 9, 4. quid agis, dulcissime rerum? Suaviter, ut nunc est, inquam. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 17. *f.* Secunda jucunde ac suavitur meminisse. *Id. Fam.* 3, 12. Sicut tu amicissime et suavissime optas; et *ib.* 13, 18. Litterae suavissime et humanissime scriptae. *Id. Brut.* 29. Neque refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere.

SUAVITUDO, inis, f. idem ac suavitas. *Pl. Stich.* 5, 5, 14. Age mulsa mea, suavitudo, salta: *Stich.* 5, 5, 14. Age mulsa mea, suavitudo, salta: *Auct. ad Her.* 3, 12. *extr.* Res saltabo ego simul. *Auct. ad Her.* 3, 12. *extr.* Res eaedem vocis firmitudini, et pronuntiationis suavitudini prosunt. Adde *Turpil.* ap. *Non.* 2, 797.

SUAVIUM, et Savium, ii, n. φίλημα, osculum. Falluntur, qui *Donatum* secuti ad *Ter. Eun.* 3, 2, 3. suavium tantum libidinum esse autumant. Nam ait *Cic. Att.* 16, 11. *extr.* Atticae, quoniam hilarula est, meis verbis suavium des. ℙ Est a *suavis*, ut *Varr.* ap. *Non.* 5, 11. docet, neque aliter videtur ab osculo differre, quam quod osculum ab *ore* dicitur, suavium a *suavitate*, ut *Non. ib.* notat. *Pl. Ps.* 4, 1, 38. Savia super savia dare alicui. *Id. Cas.* 5, 2, 14. Savium poscere. *Id. Curc.* 1, 1, 60. oppingere; et 1, 3, 54. Tene, priusquam hinc abeo, savium. *Appul. Met.* 6. Si quis fugitivam Veneris ancillam demonstrare poterit, conveniat Mercurium accepturus indicinae nomine ab ipsa Venere septem savia suavia. ℙ Est etiam vox blandientis. *Ter. Eun.* 3, 2, 3. Meum suavium, quid agitur? Adde *Pl. Poen.* 1, 2, 153. ℙ Interdum usurpatur pro ipso ore, vel pro ipsis labiis ad suaviandum compositis. *Vet. Poeta* ap. *Gell.* 19, 11. Dum semibulco savio meum puellum savior. *Pl. Mil.* 2, 1, 16. Itaque meretrices dum labiis ductant eum, majorem partem videas valgis suaviis. *Id. As.* 4, 1, 52. Tu labellum abstergeas potius, quam cuiquam savium faciat palam, *h. e.* si gravedo profluat, tu labrum superius si extergeas, ne illa os suum ita comparet, ut aliquem quasi basiatura esse videatur. Multa in hanc rem *Taubm.* in *ed.* 3. p. 792. ℙ *Suavium* pro *savium* legitur etiam apud ipsum *Pl. As.* 5, 2, 41., *Stich.* 5, 6, 3. et al.

SUB, ὑπὸ, subter: a voce Graeca allata, ut *ab* ex ἀπό. [*Cf. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 230. *Noster*, ut solet, ita omnia miscuerat, ut novum hunc qualemcunque rerum ordinem dare nobis sumeremus, secuti maxime verba V. Cl. *B. Crusii* in *cl. Suet.* p. 740. sq. Significat autem *sub* aliquem v. aliquid loco vel tempore vel conditione propinquum et conjunctum esse cum aliquo, sed ita ut inferius sit illo, accedat, pareat, ab illo pendeat. Jungitur c. abl., et accedente motus et appropinquationis notione, cum accusativo. I. Cum ablat. *a*) de loco: ubi quietem significat: Ex iis quae *Noster* laudaverat, huc pertinent ista: *Cic. N. D.* 2, 37. Sub terra habitare, nec unquam exire supra terram. *Hor. Od.* 1, 1, 25. Manet sub Jove frigido Venator. *Pl. Capt.* 3, 5, 72. Interdius sub terra lapides eximet, i. e. in lapicidinis. *Id. Aul.* 4, 4, 1. Foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo. Adde *Liv.* 22, 17. Sub terra, ut mos est, necata fuerat. Al. *sub terram. Suet. Gr.* 9. sub tegulis habitare; et *ib.* 11. tegula sub una. — Construitur *sub* c. abl. etiam cum verbis movendi: *Noster* laudaverat *Liv.* 22, 57. sub terra vivi demissi sunt in locum saxo conseptum, i. e. in locum sub terra, i. e. subterraneum. V. *Duk. Petr. fragm. Trag.* 38. et 74. *Burm.* Vinum sub mensa effundere. *Liv.* 3, 28. *extr.* Sub hoc jugo dictator hostes misit. Adde *Cic. Dom.* 20. ut Cyprius rex sub praecone subjiceretur; et al. At vehementer errant, qui *sub* his in locis cum notione motus in locum positum putent. Sententia omnium ejusmodi locorum est: motum fieri *in loco:* non *in locum.* ℙ Hinc multifariam adhibetur de iis, quae proxime ad aliquid editiore vel priore loco positum ita accesserunt, ut quasi tecta, recondita ideoque sub eo esse, versari, fieri videantur. Varia in his etiam ratione explicant: modo enim i. esse volunt, quod *proxime ad. Varr. R. R.* 1, 50. sub urbe Roma. *Virg. A.* 5, 323. Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores. *Liv.* 1, 3. sub Albano monte; et 9, 37. sub Ciminii montis radicibus jacens ora. Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 48. *Caes. B. G.* 1, 16. Gallia sub Septemtrionibus posita est. *Vell.* 2, 94, 2. Sub oriente quae sunt provinciae. — Modo pro *ante* accipiunt. *Caes. B. C.* 1, 57. *extr.* Sub oculis domini suam probare operam studebant. *Liv.* 4, 28. Et jam lucescebat, omniaque sub oculis erant. *Quint. decl.* 16, 9. Ponite sub oculis alligatos. *Flor.* 2, 15. Classem sub ipso ore urbis incendit. ℙ Pro *in. Virg. A.* 1, 453. sub ingenti lustrat dum singula templo. *Id. ib.* 9, 244. Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem. *Id. ib.* 7, 179. Vitisator curvam servans sub imagine falcem. *Ov. Am.* 3, 13, 19. Illius indicio silvis inventa sub altis. *A. Am.* 1, 67. Pompeja lentus spatiare sub umbra. *Id. Trist.* 1, 3, 19. Nata procul Libycis aberat diversa sub oris. *Prop.* 3, 7, 36. Tuta sub exiguo flumine nostra ratis. *Mart.* 11, 84. Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat. *Cels.* 5, 26. *n.* 31. *extr.* Plurimique sub frigido sudore moriuntur. ℙ *b*) De tempore. *Flor.* 2, 17. *med.* Cum sub nocte castra consulis adiisset, pilo vigilis exceptus est; et *Plin.* 8, 32, 50. *med.* Cervi soli animalium omnibus annis, stato veris tempore, cornua amittunt: ideo sub ipsa die quam maxime invia petunt. *Aristotel.*, ex quo *Plin.* sumpsit *Hist. animal.* 9, 5. Ὅταν (τὰ κέρατα) ἀποβάλλωσι, κρύπτουσιν ἑαυτοὺς τὴν ἡμέραν. *Sen. ep.* 71. Consilium sub die nasci debet: et hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod ajunt, nascatur, *h. e.* eo ipso die, vel tempore, quo consilio opus est. *Lucan.* 10, 510. sub tempore vatis Proteos; et *Caes. B. C.* 3, 27. Ne sub ipsa profectione milites oppidum irrumperent, portas obstruit; et *Ov. Met.* 12, 183. Multaque me fugiunt primis spectata sub annis. *Cels.* 3, 18. *med.* Sub somno plerique senescunt. *Ov. Am.* 14, 7. Quis furor est, quae nocte latent sub luce fateri. *Id. Met.* 1, 494. faces (viator) sub luce reliquit. *Liv.* 25, 24. Sub luce urbem ingressus. *Ov. Fast.* 5, 491. sub eodem tempore. *Liv.* 45, 10. *f.* sub adventu Romanorum. *Cels.* 2, 3. *f.* sub fine morbi. *Suet. Claud.* 43. sub exitu vitae. — *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 55, 1. cum *Burm.* ad *Vell.* 2, 24. et *Oudend.* ad *Front.* 1, 5, 9. et 3, 9, 1. omnino negat discrimen esse inter formulas, ubi *sub* ablativo, vel accusativo jungitur, collata silva exemplorum utriusque usus. At recte *Brs. Crus.* l. l. notionis diversitatem agnoscit, qua ablativus conditionem remque adeo praesentem significet, cui immineat et ingruat aliquis eventus, accusativus motum et appropinquationem rei *s.* eventus ad tempus notatum: usum vero loquentium et scribentium in re proclivi promiscue versatum esse facile posse concedi. Ita Graecos usum praeposs. εἰς et ἐν, Latinos *in* c. abl. et accus saepe miscuisse. *Ramsh.* §. 148. p. 458. docet: *sub* c. ablativo majorem propinquitatem, vicinitatem significare, quam c. accus. Cf. *Brem.* ad *Nep. Att.* 12, 3. *Herz.* ad *B. G.* 8, 49. ℙ *c*) De conditione, sive statu, a quo quis pendet, cui subjectus est. *Nep. Eum.* 7. Cujus sub imperio phalanx erat Macedonum. *Liv.* 25, 40. Sub Annibale magistro omnes belli artes edoctus. *Suet. Tit.* 8. *med.* Quaedam sub eo fortuita ac tristia acciderunt. *Nemes. Eclog.* 1, 13. Nunc album caput, et Veneres tepuere sub annis. Adde *Liv.* 42, 52. Sub assidua militia fuerat; et 35, 19. sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi. *Suet. Claud.* 25. Sub Augusto, i. e. imperante Augusto; et *Tib.* 7. sub priore marito, i. e. quum subesset adhuc priori marito. *Vesp.* 2. educatus sub paterna avia. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 8, 8. *Liv.* 9, 37. (et *Virg. A.* 5, 440.) Mansuros se sub armis, et aut nocte, aut certe luce prima castra hostium invasuros, h. e. armatos. *Id.* 43, 10. *med.* sub ictu esse. Ita sub sarcinis, sub onere esse saepius ap. *Caes.* Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 17. qui laudat *Burm.* ad Ejusd. *Met.* 8, 313. *Colum.* 1, 1. *f.* Coloni sub exspectatione successorum rapinis magis, quam culturae student, h. e. dum exspectant alios, qui sibi mox succedent; et *ib.* 2. *in.* Sub hoc metu cum familia villicus erit in officio. — Hinc ap. seriores usurpatur ad significandum societatis, conjunctionis quoddam genus, ubi nos similiter adhibemus *unter. Nemes. Ecl.* 1, 3. Compositum gracili sub arundine carmen, *h. e.* ad modos fistulae; et *Virg. Cop.* 2. Crispum sub crotalo docta movere latus, *h. e.* ad strepitum crotali. ℙ Adeoque de conditione, cui adstringitur aliquid, ubi Gr. ἐπὶ, nos *unter. Cic. Arch.* 20. Jussit praemium ei tribui sub ea conditione, nequid postea scriberet. *Suet. Cal.* 48. *f.* Sub poena mortis denuntiavit, nequid ageretur. *Just.* 18, 6. Elissae nuptias sub belli denuntiatione petit. Adde *Suet. Tib.* 44. sub conditione, ut. Gr. ἐφ' ᾧ. V. *Lex. Xen.* s. v. ἐπὶ *n.* 21. cf. *Wesseling.* ad *Diodor.* 2, 24. Porro *Suet Aug.* 21. sub lege, ne. *Caes.* 78. sub exceptione, si tamen. ℙ Denotat interdum auxiliandi, adjuvandi quandam rationem. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 13, 71. et *Burm.* ad *Ov. Met.* 5, 62. *Ner.* 35. Denique occidit sub crimine adulteriorum, i. e. subjectam crimini adult. *Tac. H.* 2, 26. Cum fratrem ejus sub eodem crimine vinxissent. *Tac. A.* 3, 36. Quam fraudis sub judice damnavisset; et 1, 26. an praemia sub dominis, poenas sine arbitro esse? *Just.* 1, 5. *extr.* Ut sub specie venationis dolus lateret. *Id.* 5, 8. *f.* Ne rempublicam sub obtentu liberationis invaderet. ℙ Inservit etiam circumscribendo ablativo, ita tamen ut vim ejus augeat. *Tac. A.* 4, 12. Ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem; 3, 68. Tiberius, quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo (exemplo prolato) acciperentur, libellos recitari jubet. *Lucr.* 4, 787. sub verbo omnia creat natura, i. e. ad nutum et jussum. — Huc pertinent etiam ista: *Inscr.* non optimae notae, ap. *Grut.* 438, 1. Statuam sub aere constituit, *h. e.* ex aere. Sic 406, 1. et 465, 8. *sub Impp. Valent. et Valente.* Statuam sub auro constitui locarique jusserunt, *h. e.* auratam. ℙ II. Cum Accusativo; ubi motum in locum signif.: *a*) de loco: *Caes. B. G.* 1, 7. et 12. Exercitum ejus sub jugum missum. *Ov. A. Am.* 1, 172. Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem. *Id. Met.* 11, 670. sub Tartara mitte. ℙ — Etiam sic inservit significandae appropinquationi, sed minori. V. supra. *Caes. B. G.* 1, 21. Hostes sub montem consedisse. *Tac. H.* 5, 11. Judaei sub ipsos muros struxere aciem. *Cic. Acad.* 4, 23. *med.* Ea quae sub sensus subjecta sunt. *Ov. Met.* 12, 389. hostem mediam ferit ense sub alvum. *Lucan.* 7, 363. Quidquid sub Noton et Borean hominum sumus. *Flor.* 3, 5. *med.* Sub Orientem secutus Armenios — Porro huc pertinent ista: *Cic. Fam.* 10, 16. Sub eas litteras statim recitatae sunt tuae; et *Q. Fr.* 2, 1. Senatus fuit frequentior sub dies festos; et *Liv.* 35, 31. *med.* Sub hanc vo-

cem fremitus variantis multitudinis fuit; et 7, 31. Sub haec dicta omnes in vestibulo curiae procubuerunt. *Ov. Fast.* 3, 642. Sub verbum querulas impulit aura fores. *Id. Met.* 4, 522. Euoe Bacche, sonat. Bacchi sub nomine Juno Risit, *h. e.* statim ut Bacchi nomen audit. ℙ *b)* De tempore. V. quae de discrimine constructionis c. abl. et c. accus. diximus supra. *Caes. B. C.* 1, 28. Pompejus sub noctem naves solvit: i. e. nocte incipiente. *Id. B. G.* 2, 33. Sub vesperum Caesar portas claudi jussit. *Liv.* 27, 15. *f.* Sub ortum ferme lucis. *Virg. G.* 1, 445. Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rumpent radii. *Liv.* 1, 22. Sub idem tempus legati ad res repetendas missi. *Id.* 22, 47. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. *Suet. Aug.* 16. Sub horam pugnae tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. [*Plura v. ap. *B. Crus.* l. l.] ℙ Formulae *desub Noster* exempla laudaverat ista: *Colum.* 12, 34. Sed mustum de sub massa, et limpidum sit. V. MASSA. *Pall.* 11, 21. Ex musto de sub pedibus rapto curabis infundere. *Bassus Julius* ap. *Sen. Contr.* 1, 3. *f.* Virgo de sub saxo. *Flor.* 2, 3. De sub Alpibus, id est de sub ipsis faucibus Italiae. *Veg. Vet.* 2, 19. De sub oculo sanguinem detrahere; et *ib.* 53. De sub ipsis dolorum locis; et *ib.* 54. item *ib.* 1, 25. *f.* De sub circo sanguis subtrahi debet. Τφὲν in his esse, et *desub* junctis vocibus scribendum quidam putant. V. DESUB. ℙ *Sub manu, sub corona, sub hasta, sub dio* et *divo, sub ascia:* V. in MANUS, CORONA, HASTA, DIUM, ASCIA. ℙ Aliquando redundare videtur. *Prop.* 4, 7, 95. Haec postquam querula mecum sub lite peregit. ℙ *Sub vos placo*, in precibus fere cum dicitur, significat id quod supplico, ut in Legibus: Transque dato, endoque prolato. *Festus:* Similis transpositio est in illo *Ter. Andr.* 5, 1, 15. Per ego te Deos oro. ℙ In compositione, sequente vocali, remanet: ut etiam si sequatur *b, d, l, n, s, t. v.* Ante *c, f, g, m, p, r*, modo remanet, modo in eas transit. Significat autem interim diminutionem, ut *subdulcis, subirascor:* interim occultationem, ut *suborno:* interim subtus, ut *subhaereo:* interim motum ex imo in altum, ut *subrigo:* interim vicem, et subjectionem sub alio, ut *submagister*, etc.

SŪBABSURDĒ, adv. ὑπατόπως, aliquantum inconvenienter. *Cic. Or.* 2, 68. Quae a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur.

SŪBABSURDUS, a, um, adj. ὑπάτοπος, aliquantulum absurdus. *Cic. Or.* 2, 67. Sunt enim illa subabsurda, sed eo ipso nomine saepe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis. Adde *ib.* 71. *Id. Att.* 16, 3. *med.* Tempus discessus subabsurdum. ℙ Videtur *Cicero* primus, et fortasse etiam solus hanc vocem usurpasse. Nam *Quint.* 1, 5. *f.* Incompositus, reconditus, et, quo Cicero utitur, subabsurdus; et 6, 3. Et, ut verbo Ciceronis utar, dicimus aliqua subabsurda.

SŪBACCŪSO, as, a. 1. ὑπομέμφομαι, nonnihil, et leviter accuso. *Cic. Planc.* 35. Quod meum discessum quasi reprehendere et subaccusare voluisti. *Id. Att.* 16, 7. Addebant etiam, me desiderari. Adde *ib.* 13, 46.

SŪBĂCĪDUS, a, um, adj. ὕποξυς, aliquantum acidus. *Cato R. R.* 108. Si vinum subacidum erit, non durabit. *Plin.* 12, 25, 54. Esse debet *(succus)* lenis, non subacidus.

SŪBACTĀRĬUS. V. CORIARIUS.

SŪBACTĬO, onis, f. φύρασις, actus subigendi, maceratio. *Vitruv.* 2, 4. *extr.* Arena fluviatica bacillorum subactionibus in tectorio recipit soliditatem. *Arnob.* 3. p. 107. Subactionibus ciborum dentes trini generis, atque in officia trina compositi. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 30. *med.* Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores fetus possit et grandiores edere: subactio autem est usus, auditio, lectio, litterae.

SŪBACTOR, oris, m. qui subigit, πυγιστής, τριβεύς, idem ac paedicor. *Lampr. Commod.* 3. Subactore suo Antero post se in curru locato, triumphavit. *Id. Elag.* 5. Posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis; et 31. Subactorum bene vasatorum multitudo; et *mox.* Rasit et virilia subactoribus suis novacula manu sua.

SŪBACTUS, a, um, part. a *subigo:* φυραθείς, χειφυρής, mollitus, maceratus. *Festus:* Subactus modo significat mollitus: modo victus: modo compulsus, ut cum dicimus, pecus sub arbore subactum: modo coactus. *Cic. Sen.* 15. Terra gremio mollito ac subacto semen sparsum excipit. *Plin.* 17, 18, 29. Locus bipalio subactus; et 33, 6, 32. Pelles subactae. *Id.* 32, 7, 27. Ichthyocolla in aqua decocta, dein contusa et subacta ad liquorem usque mellis. *Id. ib.* 9, 36. Cancri triti, sicque cinere et oleo subacti. *Id.* 34, 11, 27. Aerugo cum resinae terebinthinae tertia parte subacta. *Colum.* 4, 29. *med.* Fissuram luto subacto linire. *Cels.* 6, 3. Emplastrum ex aceto subactum. *Marcell. Empir.* 36. Tamdiu batues, donec sit subactissimum. ℙ Translate excultus. *Liv.* 42, 52. Ipsi a pueris eruditi artibus militiae, tot subacti atque durati bellis. V. SUBACTIO. ℙ Subtiliter ac diligenter elaboratus. *Vitruv.* 10, 13. Funduli ambulatiles ex torno subtiliter subacti. ℙ Item victus, domitus. *Cic. Font.* 1. Galli partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati; et ib. 12. Ut velint isti quiescere: id quod victi ac subacti solent. *Id. Rosc. Am.* 47. *f.* In isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus oppressusque populus R. est. *Hor. Od.* 2, 1, 23. Et cuncta terrarum subacta, Praeter atrocem animum Catonis; et *ib.* 5, 1. Nondum subacta ferre *(bos)* jugum valet Cervice. *Colum.* 6, 2. *med.* Subactus bos. ℙ Item coactus, impulsus. *Pl. Amph.* 5, 2, 13. Haud promeruit, quamobrem vitio vorteres: mea vi subacta est facere. *Liv.* 1, 5. Metu subactus. *Id.* 45, 8. Prima percontatio fuit, qua subactus injuria contra populum R. bellum suscepisset. *Tac. A.* 6, 16. Multitudine periclitantium subactus. *Virg. A.* 12, 494. insidiisque subactus. *Tac. A.* 13, 13. Vi amoris subactus; et *ib.* 15, 13. Desperatione exercitus dux subactus. *Id. H.* 4, 70. Metu subacti legionarii. ℙ Item obscene attrectatus. *August. C. D.* 6, 9. Adest Dea Prema, ut subacta *(nova nupta)* ne se commoveat, comprimatur. ℙ Hinc *subacti* dicuntur viri molles et pathici, μαλθακοὶ, de quibus multa habet *Coel. Aurel. Tard.* 4, 9. V. SUBACTOR, et SUBIGO. ℙ *Subacta, orum*, absolute, sunt novalia, agri recens culti. V. PERAEQUATIO.

SŪBACTUS, us, m. subactio. In sexto casu sing. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. Optimum frumentum esse, quod in subactu congium aquae capiat.

SŪBADJŪVĀ, ae, m. qui sub aliquo auxilium, seu ministerium praebet. *Imppp. Grat. Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 6, 27, 3. *f.* Ut periculum se et adjutor, et subadjuvae subituros esse cognoscant. *Imp. Leo Cod. Just.* 12, 20, 4. Hujus beneficii praerogativam subadjuvis etiam, qui singulis inveniuntur temporibus, deferri jubemus.

SŪBADMOVĒO, es, a. 2. sensim aut occulte admoveo. *Colum.* 6, 36. *f.* Hujuscemodi mari sensim magistri subadmovere debent generis ejusdem feminam. *Schneiderus* ex MSS. ita legit et edidit: *hujusce sensum magistri lacessunt admota generis* etc.

[SŪBAEDĬĀNUS, a, um, adj. qui est sub aedibus. *Inscr.* ap. *Mur.* 1185, 8. Muciliano fil. Adjutor et Marcia parentes, qui vix. A. IIII. M. VIII. D. XV., benem. fecer. ex corpore subaediano. *F.*]

SŪBAERĀTUS, a, um, adj. ὑπόχαλκος, subter se aes habens, ut *Aurum subaeratum*, quod foris quidem aurum ostendit, intus autem aes occultat. *Pers.* 5, 106. Nequa subaerato mendosum tinniat auro.

SŪBĂGĬTĀTĬO, et Subigitatio, onis, f. actus subagitandi, seu clam et obscene attrectandi. *Pl. Capt. f.* Ad pudicos mores facta haec fabula est: neque in hac subigitationes fiunt, neque ulla amatio.

SŪBĂGĬTATRIX, et Subigitatrix, icis, f. quae subigitat. *Pl. Pers.* 2, 2, 45. Ne me attrecta, subigitatrix.

SŪBĂGĬTO, et Subigito, as, avi, atum, a. 1. παίω, σινέω, clam agito, attrecto, subigo, concutio, in re obscena: frequentat. a *subigo. Ter. Heaut.* 3, 3, 6. Ejus amicam subigitare. [*Vet. Schol.* ed. ab *A. Maio.* Tractum a porcis verbum, qui quando lac sugunt, matrem subagitant. *F.*] *Pl. Mil.* 3, 1, 58. Neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio; et 5, 9. Cur es ausus subagitare alienam uxorem, impudens? *Id. Cas.* 5, 4, 2. Nunc tu, si vis subigitare me, proba est occasio. Alii leg. *sine, os sublectare.* Adde *Merc.* 1, 2, 90. et 91. ℙ Item sollicito. *Appul. Apol.* Cur autem tam absurdis, tamque tabernariis blanditiis mulierem subagitarem? [*M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 5. Igitur Tiberianus bibliothecarius tibi subigitandus est. *F.*]

SŪBAGRESTIS, e, adj. ὑπαγρεῖος, aliquantum agrestis. *Cic. Brut.* 74, Sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam, planeque subrusticum. *Ammian.* 14, 11. *med.* Subagreste ingenium. **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 2, 7. Subagreste consilium. *B. A.*

SŪBĂLĀRIS, e, adj. ὑπομασχάλιος, qui sub alis seu axillis est. Unde scribit *Lampr. Elag.* 19. *extr.* Nec cubuit in accubitis facile, nisi iis, quae pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares, saepe culcitas mutans, *h. e.* plumas sub alis perdicum. Alii leg. *plumas perdicum, subalares saepe culcitas mutans*, h. e. pulvinos, quibus humeri et brachia cubando fulciuntur. ℙ Item qui sub alis fertur, ut Subalare telum ap. *Nep. Alc.* 10. *med.* Familiaris sui subalare telum eripuit, *h. e.* e balteo dependens. ℙ *Subalare, is*, absolute est zona, quae et redimiculum et succintorium vocatur, atque describitur ab *Isid. Or.* 19, 33. descendens per cervicem, et a lateribus colli divisum (al. *dimissum*) utrarumque alarum sinus ambiens, atque hinc inde succingens, ut constringens latitudinem, vestes ad corpus contrahat atque componat. *Edict. Dioclet.* p. 25. De zonis militaribus. Subalare Babylonicum ✕. centum, *h. e.* e pelle Babylonica confectum.

SŪBALBENS, entis, adj. ex part. subalbus. *Cassiod. Var.* 5, 34. Chamaeleon aureo tantum capite, reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur.

SŪBALBĬCANS, antis, adj. ex part. idem ac subalbidus. *Varr. R. R.* 3, 9. de gallis: Oculis ravis, ac nigris, palea rubra subalbicanti.

SŪBALBIDUS, a, um, adj. ὑπόλευκος, aliquantulum albidus. *Plin.* 21, 25, 96. Ramulos habet candidos, folia subalbida, abrotono similia. *Cels.* 5, 28. *n.* 8. Pars corrupta subalbida.

SŪBALBUS, a, um, adj. ὑπόλευκος, aliquantum albus. *Varr. R. R.* 1, 9. *med.* Sabulo subalbus ad serendos surculos alienus.

SŪBALPINUS, a, um, adj. sub Alpibus situs, ut Subalpina Italia, *Plin.* 16, 11, 22. Subalpini montes, *Id.* 25. 7, 34.

SŪBALTERNĪCUM, genus electri fulvi. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1.

SŪBĂMĀRUS, a, um, adj. ὑπόπικρος, aliquantulum amarus. *Cic. Fat.* 4. *f.* Ut alios dulcia, alios subamara delectent. ℙ *Subamarum* adverbii more. *Ammian.* 27, 11. *med.* Subamarum arridens.

[SŪBAMBŪLO, as, n. 1. subter ambulo. *Not. Tir.* p. 147. Ambulat, perambulat, subambulat. *F.*]

SŪBĂPĔRĬO, is, a. 4. ὑπαιολγω, subtus aut occulte aperio. *Arnob.* 2, 84. Petestis monstrare, quid nivem in plumeas subaperiat crustulas. *Apic.* 8, 7. Subaperies auriculam sub cutem.

SŪBĂQUĀNĔUS, a, um, adj. ὕφυδρος. *Tert. Anim.* 32. Subterraneum, et subaquaneum viventia carent haustu aeris.

*SUBAQUILĪNUS, a, um, adj. paullulum aquilinus, *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 13. Quippe ipse visu arguto naribusque subaquilinis fuit. *B. A.*

SŪBĂQUĬLUS, a, um, adj. colorem habens ad aquilum accedentem. *Trebell. in* XXX. *Tyr. de Zenob.* 30. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris. *Pl. Rud.* 2, 4, 9. Eja, corpus cujusmodi! subvoltorium! illud quidem, subaquilum volui dicere.

SŪBĂRĀTOR, oris, m. qui subarat. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Vel etiam subarator imprudens luxavit radices.

SŪBĂRĀTUS, a, um, part. a *subaro*, subtus aratus. *Plin.* 16, 28, 51. Et subarata ocius senescunt.

SŪBĂRESCENS, entis, part. ex inus. *subaresco*, aliquantum arescens. *Vitruv.* 7, 3. *med.* Trulissatione subarescente.

SŪBARGŪTŪLUS, a, um, adj. aliquantulum argutus. *Gell.* 15, 30. Si forte iidem garruli natura, et subargutuli sunt.

SŪBĂRMĀLIS, e, adj. idem ac subalaris, ut *Subarmalis vestis*, et *Subarmale, is*, absolute, est genus vestimenti, quod sub armum gestatur, velut tunica. *Capell.* 5, 136. Subarmalis autem vestis illi *(feminae)* peplo quodam circa humeros involuto Latialiter tegebatur. *Valer.* in *ep.* ap. *Treb. Claud.* 14. Subarmale unum cum purpura Maura. *Spart. Sever.* 6. *extr.* Praetorianos cum subarmalibus inermes sibi jussit occurrere. Adde *Vopisc. Aurel.* 13.

SŪBĂRO, as, a. 1. ὑπαρόω, subtus arando terram moveo. *Plin.* 16, 27, 50. Item quae subarantur, aut quae ablaqueantur, celeriora neglectis.

SŪBARROGANTER, adv, aliquantum arroganter. *Cic. Acad.* 4, 36. Vereor, ne subarroganter facias, si dixeris tuam.

[SŪBĂRUNDĬNO, as, a. 1. arundine fulcio. *Dracont.* 1, 171. Vinea pampineos subarundinat ebria campos. *F.*]

SŪBASPĔR, ra, rum, adj. aliquantum asper. *Cels.* 5, 28. *n.* 19. *de vitiligine:* Ἄλφος fere subasper et non continuus.

SŪBASSĀTUS, a, um, part. a *subasso*, lente, aut modice assatus. *Apic.* 7, 5. Carnem elixam sale subassatam perfundere.

SŪBASSENTĬENS, entis, adj. ex part. *Quint.* 11, 3. *med.* Sunt et illi breves gestus cum manus leviter pandata, parvis intervallis, et subassentientibus humeris movetur.

SŪBASSO, as, a. 1. verbum culinarium, lente, aut modice asso, ut Subassare tubera. *Apic.* 7, 14. pisces, 4, 2. *med.* leporem lento igne, 8, 8. *med.* sumen in craticula, 7, 2.

SŪBĂTĬO, onis, f. appetitus in Venerem. V. SUBO. *Plin.* 8, 51, 77. *de suib.* Remedium, ne prima subatione, neque ante flaccidas aures coitus incipiat. Item de mulieribus ap. *Fulg. Planc. de prisc. serm.* 46. Valgia sunt labellorum obtortiones in subatione peractae.

SŪBAUDĬO, is, a. 4. *Ascon.* in *Cic. Verr.* 1, 2. *Senatorio* enim bis subauditur; et senatorio ordini, et nomini senatorio; et ad 9. ad illa verba: *sed etiam Q. Metellum:* subaudi consulem. ℙ Item paulum audio. *Appul. Met.* 5. Nec unquam viri mei vidi faciem, sed tantum nocturnis subaudiens vocibus etc.

SŪBAUDĪTĬO, onis, f. actus subaudiendi. *Serv.* ad *A.* 10, 80. In subauditione ponuntur ea, quae non possumus dicere aperte. *Hieron. quaest. Hebr.* in *Reg.* 2, 3, 13. Est enim hic defectus, et necessaria subauditio.

SŪBAUDĪTUS, a, um, part. a *subaudio. Ulp. Dig.* 28, 5, 1. *extr.* Non putavit valere, quoniam deest aliquid: sed et ipsa valebit subaudito *Jubeo.*

SŪBAURĀTUS, a, um, part. a *subauro*, auro leviter illitus. *Petr. Sat.* 32. Habebat in minimo digito sinistrae manus annulum grandem subauratum,

extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum. [*Inscr.* ap. *Reines. cl.* 3. *n.* 62. Statua equestris subaurata. *F.*]

[SŪBAURO, as, avi, atum, a. 1. auro leviter illinio, inauro. *Inscr.* in *Novell. lett. di Firenze* T. 10. p. 615. Basilicam poliendam, statuam subaurandam de sua pecunia curavit. *F.*]

SŪBAUSCULTO, as, a. 1. *ὑπακροάομαι*, leviter et quasi praetereundo ausculto. [*Omnes, quos *Forc.* laudavit, loci declarant, *subauscultare* non esse leviter et quasi praetereundo auscultare, sed clam alicui rei audiendae admovere aures.] *Pl. Mil.* 4, 2, 3. Tace, subausculte mus, ecqua de me fiat mentio. *Cic. Or.* 2, 36. *f.* [*Si palam audire eos non auderes,] subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrent, attendere. *Id. Att.* 10, 18. Omnes enim *Κωφυκαῖοι* videntur subauscultare, quae loquor. Adde *Top.* 20. [*Staienus — ea locutus est bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis, rei capitalis jure damnatus est.]

SŪBAUSTĒRUS, a, um, adj. aliquantum austerus. *Cels.* 3, 6. *f.* Vinum austerum, vel certe subausterum. Adde 6, 6. *n.* 8.

*SUBBAJŪLO, as, a. 1. *Vet. Interpr. Iren.* 5, 11. Altera ungula subbajulat aliam, *h. e.* sustinet. *B. A.*

SUBBALBĒ, adv. aliquantum balbe. *Spart. Get.* 5. Subbalbe canorus.

SUBBALLIO, onis, m. Ballionis (quod est servi nomen) vicarius. *Pl. Ps.* 2, 2, 13. Tune ns Ballio? *Ps.* Imo vero ego ejus sum Subballio. V. SUBNERO.

SUBBALTĒĀTUS. V. BALTEATUS.

SUBBĀSĪLĪCĀNUS, a, um, adj. qui sub basilicis versatur, ut *subrostranus*, qui plurimum obambulat sub Rostris. *Pl. Capt.* 4, 2, 35. Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forum. [*Id.* hos homines item sic nominat *Curc.* 4, 1, 11. Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito. Hi in *Gloss. Philox.* vocantur *basiliciarii*. *F.*]

[SUBBĀTŪO, is, a. 3. subter batuo. *Not. Tir.* p. 117. Batuit, rebatuit, subbatuit. *F.*]

SUBBĪBO, is, a. 3. *ὑποπίνω*, aliquantum bibo, aliquanto liberalius bibo. *Pl. Truc.* 4, 3, 58. Qui improbus est, sive subbibit, sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio est improbus. *Suet. Ner.* 20. *med.* Si paulum subbibisset.

SUBBĪNI, ae, a, adj. idem quod bini. *Manil.* 4, 846. Ipsa (docet titulus causae) quae ecliptica signa Dixere antiqui, pariter subbina laborant, Nec vicina loco, sed quae contraria fulgent. [At *Bentl.* legit *sed bina*. *F.*]

SUBBLANDĪOR, iris, dep. 4. clam blandior. *Pl. Cas.* 3, 3, 22. Non matronarum officium est, sed meretricium, viris alienis subblandirier. ℙ Item simpliciter, blandior. *Id. A.* 1, 3, 32. Et quoque catulo meo subblanditur novus amator. *Lucil.* ap. *Non.* 7, 30. Hic me ubi videt, subblanditur, palpatur, caput scabit, pedes legit. *Pl. Bacch.* 4, 8, 35. Ut subblanditur carnufex? et 3, 4, 19. Mihi inani atque inopi subblanditur: pro *subblandietur*: quod in verbis quartae conjugat. non est insolens.

SUBBRĔVIS, e, adj. aliquantum brevis. *Plin.* 21, 7, 20. Saliunca folio quidem subbrevi, et quod necti non possit.

SUBCOELESTIS, e, adj. qui est sub coelo. *Tert. adv. Valent.* 31. Hebdomas subcoelestis.

SUBCAERŪLĔUS, a, um, adj. aliquantum caeruleus. *Cels.* 6, 5. *f.* Creta subcaerulea.

SUBCANDĪDUS, a, um, adj. *ὑπόλευκος*, aliquantulum candidus, ad colorem candidum nonnihil accedens. *Plin.* 27, 8, 39. Folia bovis linguae similia, minora, subcandida. Adde *ib.* 12, 94.

SUBCĀVUS, a, um, adj. subter cavus. *Lucr.* 6, 556. Ventus per loca subcava terrae collectus. *Cato R. R.* 151. Areas subcavas facito, uti aquam continere possint. Adde *Var. Auct. de limit.* p. 252. et 260. et 303. *Goesii.*

SUBCENTŪRIO, as. V. SUCCENTURIO.

SUBCENTŪRIO, onis, m. *ὑφεκατόνταρχος*, qui centurioni subjicitur, seu centurionis vices gerit, optio centurionis. *Liv.* 8, 8. *f.* Ut subcenturionem sibi, quem vellet, legeret, qui tutaretur eum ab uno destinato hoste. [In *Inscr.* ap. *Grut.* 53, 10. pro *Sub Cos. Leg.* III. *Ital.* legendum videtur *Subcent. Leg.* III. *Ital. F.*]

SUBCĔRNO, et Succerno, is, crevi, cretum, a. 3. *ἐκχοίνω*, *σήθω*, cribro secerno: [*nostr. *durchsieben.*] *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Postea farinario cribro subcernunt. *Cato R. R.* 25. Vinaceos quotidie recentes succernito, etc. cribrum illius rei parato; et *ib.* 37. Partem de nucleis succernito; et 151. Dimidiatum digitum terram altam subcernito. ℙ Metonymice est agitare, succutere. *Sev. Aetn.* 492. de mari aestu agitato: Ac primum tenuis sinus exigit ulteriores: Progrediens late diffunditur, et subcernens.

[SUBCĪNERĪCĬUS, a, um, adj. [*ὑπόσταχυος.] *Isid. Or.* 20, 21. Subcinericius panis (*sub*) cinere coctus, et reversatus: ipse est et focacius. *Hieron.* in *Osee* 2, 8, 7. De hac farina fiet subcinericius panis. [*Vulg. Reg.* 3, 14. et 17. *Gen.* 18, 6. *Exod.* 12, 39.] V. MAMPHULA. *F.*]

SUBCINGO, etc. V. SUCCINGO.

SUBCĪSĪVUS. V. SUBSECIVUS.

SUBCOACTUS. V. COACTUS, a, um.

SUBCOENO, as, a. 1. [*inferiore parte vescor, infra coeno.] *ὑποδειπνέω*. *Quint.* 6, 3. *med.* Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi, et versati postero die appositi essent, Festinemus, alii subcoenant, inquit: [*nempe, quod inferiore parte adesi essent.]

[SUBCOLORĀTUS, a, um, adj. aliquantisper coloratus. *Isid. Or.* 8, 10. Tertia (*charta*) hieratica dicta, quod ad sacros libros eligebatur, similis Augusteae, sed subcolorata. *F.*]

SUBCONSUL, ulis, m. minister consulis. *Jos. Scal. l.* 1. *ep.* 66. legi putat in *Inscr.* ap. *Grut.* 53, 10. Sed V. SUBCENTURIO.

SUBCONTŪMĔLĬOSĔ, adv. *ὑφυβριστικῶς*, aliquantum contumeliose. *Cic. Att.* 2, 7, Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius.

SUBCOQUO, is, a. 3. leniter coquo. *Marcell. Empir.* 36. *med.* Mixta omnia subcoquantur igni.

SUBCORNĪCŪLĀRĬUS, ii, m. optio, aut adjutor cornicularii. *Inscr.* ap. *Grut.* 1108, 4. T. Flavius Proculus scriba, subcornicularius. In ead. ap. *Don. cl.* 6. *n.* 105. et *Mur.* 787, 1. perperam pro *scrib.* legitur *trib.*

[SUBCORRĪGO, is, exi, ectum, a. 1. aliquantulum corrigo. V. in SENSULUS. *F.*]

SUBCORTEX, icis, m. et f. interior cortex, Patavini vulgo *sottoscorza*, Latini etiam alburnum dicunt. *Veg. Vet.* 4, 28. Cortices mali granati, subcorticem de ipsa arbore.

SUBCRASSŪLUS, a, um, adj. aliquantum crassus. *Capitol. Gord.* 6. Corporis qualitate subcrassulus.

SUBCRESCO. V. SUCCRESCO.

SUBCRĒTUS et Succretus, a, um, part. a *subcerno:* ut Calx cribro succreta, *Cato R. R.* 18. *f.* Testa tusa, et subcreta, *Vitr.* 2, 5. ℙ Jocularіter *Pl. Poen.* 3, 1, 9. Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum? nam iste quidem gradus succretus est cribro pollinario.

SUBCRISPUS, a, um, adj. qui crines habet aliquantulum crispos. *Cic. Verr.* 2, 2, 44. Videtis illum subcrispo capillo nigrum? *Varr. R. R.* 2, 5. Caudae inferior pars frequentibus pilis subcrispa; et *ib.* 7. Juba equi subcrispa.

SUBCRŪDUS, a, um, adj. *ὤπωμος*, non omnino coctus. *Cato R. R.* 156. Brassicam coquito paulisper, uti subcruda siet. *Cels.* 6, 13. Subcrudum incidendum, ne, si diutius ibi pus permanserit, os laedat. Adde 7, 2.

SUBCRŪENTUS, a, um, adj. *ὕφαιμος*, aliquantulum cruentus. *Cels.* 4, 18. Descendunt autem pituitae, mucisque similia, interdum etiam leviter subcruenta. *Id.* 5, 18. *n.* 24. Si facie contusa livor subcruentus est.

SUBCŬBO, etc. V. SUCCUBO.

SUBCULTRĀTUS, a, um, part. a *subcultro*, cultro concisus. *Apic.* 8, 8. *med.* Thymum subcultratum.

SUBCULTRO, as, a. 1. cultro subter incido, seco. *Apic.* 4, 2. Subcultrare pulpas.

SUBCUMBUS, aut Succumbus, terminus in agris, dictus videtur, quia basis, aut stylobatae, quae columnae succumbit, similis est. *Var. Auct. de limit.* p. 265. et 302. *Goesii.*

SUBCŬNĔĀTUS, a, adj. ex part. cuneis subter firmatus, et fultus. *Vitr.* 6, 11. Subjecti, et subcuneati postes.

SUBCŪRĀTOR, oris, m. *ὑποχηδεμών*, qui curatoris locum tenet. *Julian. Dig.* 3, 5, 29. Eidemque alium subcuratorem constitutum.

SUBCURSOR. V. SUCCUSSOR.

SUBCURVUS, a, um, adj. *Ammian.* 26, 9. *extr.* Corpore non indecoro, nec mediocris staturae, subcurvus.

SUBCUSTOS, odis, comm. gen. *ὑποφύλαξ*, *ἀντιφύλαξ*, qui pro alio custode substitutus est. *Pl. Mil.* 3. 2, 54. Hunc subcustodem suum foris ablegavit.

*SUBCUTILĬAE, arum, locus in Sabinis, ubi aquae sunt frigidissimae, et stomacho utilissimae. *Cels.* 4, 5. *B. A.*

SUBDĔALBO, as, n. 1. subter dealbo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 28. Teges, ruina ne jacentem subdealbet. Alii leg. *sub Deo albet.*

SUBDĔBĪLIS, e, adj. aliquantum debilis. *Suet. Vit.* 17. Venter obesus, alterum femur subdebile.

SUBDĔBĪLĪTĀTUS, a, um, adj. *ὑπεξασθενῶν*, aliquantulum debilitatus. *Cic. Att.* 11, 5. Te subdebilitatum novas rationes tuendi mei quaerere.

SUBDĔFĬCĬENS, entis, part. a *subdeficio:* sensim deficiens. *Curt.* 7, 7. *med.* Haec quassa adhuc voce subdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat.

SUBDĔFĪCĬO, is, n. 3. sensim deficio. *August. serm.* 343. *ed. recentior. f.* Si in labore subdeficimus, adjutorium imploremus.

[SUBDĬĀCONUS, i, m. *ὑποδιάκονος*, qui uno gradu diacono inferior est. *Imppp. Valent., Valens et Grat. Cod.* 1, 3, 6. Presbyteros, diaconos, subdiaconos, atque exorcistas, et lectores, ostiarios, et acolythos etiam personalium munerum expertes esse praecipimus. *F.*]

SUBDĬĀLIS, e, adj. *ὕπαιθρος*, sub dio positus. *Plin.* 14, 1, 3. Una vitis in Liviae porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat. *Id.* 34, 12, 29. Cadmia super terram ex subdialibus petris caeditur. *Id.* 36, 25, 62. Subdialia Graeci invenere, talibus domos contegentes tractu tepente, *ὑπαίθρια*, *ὕπαιθρα*. V. SUBTEGULANEUM.

SUBDIFFĪCĬLIS, e, adj. *ὑποχαλεπός*, aliquantum difficilis. *Cic. Am.* 19. Exsistit hoc loco quaedam quaestio subdifficilis.

SUBDIFFĪDO, is, n. 3. *Cic. Att.* 15, 20. Ego quo die audivi, subdiffidere coepi.

[SUBDĪMĬDĬUS, a, um, adj. *ὑπημιόλιος*, subsesquialter: huic opponitur superdimidius, seu sesquialter. *Capell.* 7, 251. Superdimidius numerus est, qui ipsum aliquem numerum, et dimidium ejus habet. Contra ex iisdem numeris minor majori subdimidius est, quem Graeci *ὑφημιόλιον* appellant. Superdimidii rationem habent tria ad duo: subdimidii duo ad tria. *F.*]

*SUBDINUM, i, n. oppidum Galliae Lugdunensis. *Tab. Peut. B. A.*

SUBDISJUNCTĪVUS, a, um, adj. *Procul. Dig.* 50, 16, 124. Haec verba, ille, aut ille, non solum disjunctiva sunt, sed etiam subdisjunctiva: disjunctivum est, veluti cum dicimus, Aut dies, aut nox est, quorum posito altero, necesse est tolli alterum: Subdisjunctivi autem genera sunt duo; unum cum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut possit neutrum esse, ut, Aut sedet, aut ambulat: alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, ut possit esse utrumque, veluti cum dicimus, Omne animal aut facit, aut patitur. *Prisc.* 16, 1030. Conjunctiones subdisjunctivae sunt, quae voce disjunctivarum utrumque tamen esse significant, vel simul, ut copulativae, vel discrete. Simul, ut Terentius in Eunucho: vel rex semper maximas mihi gratias agebat: pro *etiam rex.* Discrete utrumque tamen esse significat, ut tota die vel legit iste, vel cogitat.

SUBDISTINCTĬO, onis, f. alia post primam distinctio. *Mall. Theod. de metr.* 3, 8. Sed quoniam de syllabis ac pedibus abunde dictum est, ad ipsam metrorum demonstrationem, distinctionem, subdistinctionem veniamus. ℙ Est etiam nota interruptionis in legendo, qua pronuntiationis terminus ita suspenditur, ut statim id, quod sequitur, succedere debeat: *ὑποστιγμή*. *Diomed.* 2, 432.

SUBDISTINGUO, is, a. 3. subdistinctionis notam appono, et sermonis cursum suspendo. V. v. praec. *Ascon.* in *Cic. Verr.* 2, 2, 13. *ad illud:* Si quid perperam judicarit senatus: Multi subdistinguunt, et separatim addunt, *senatus*, ut quasi per interrogationem ostendat, etc.

SUBDĬTĪCĬUS, a, um, adj. *ὑποβολιμαῖος*, *ὑπόβλητος*, suppositicius. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Si hunc subditicium archipiratam in eandem custodiam dedisset. *Quint.* 1, 4. Et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subditicios summovere familia. *Pl. Ps.* 2, 4, 62. Ubi hominem exornavero, subditicium fieri ego illum militis servum volo. *Lampr. Elag.* 17. Sed porticus defuerant, quae postea ab hoc subditicio Antonio exstructae sunt.

SUBDĬTĪVUS, a, um, adj. *ὑποβολιμαῖος*, idem quod subditicius, et alterius loco positus. *Pl. Amph.* 2, 2, 198. Namque de illo subditivo Sosia mirum nimis est. *Arnob.* 5, 179. Sed allegoricis sensibus, et subditivis intelliguntur omnia illa secretis. Adde *Suet. Ner.* 7. [*Al. hic *subditum* leg. contra libros. V. *Oudend.* et *Duk.* ad *Flor.* 3, 16.] et *Sen. Oed.* 803. ℙ *Subditivus* inscribitur una ex *Caecilii* comoediis. *Gell.* 15, 9.

SUBDĬTO, as, a. 1. frequent. a *subdo*. *Lucr.* 6, 603. vis ipsa pericli Subditat hunc stimulum quadam de parte timoris, *h. e.* addit, subdit.

SUBDĬTUS, a, um, part. a *subdo: ὑποτιθείς*, suppositus, subtus immissus, subjectus. [*Cic. *N. D.* 2, 10. aquae, quae subditis ignibus effervescunt. V. *Heindf.*] *Ov. Met.* 8, 661. erat mensae pes tertius impar: Testa parem fecit: quae postquam subdita clivum Sustulit, etc. *Suet. Dom.* 17. Pugio pulvino subditus. *Liv.* 8, 30. *med.* Congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit. *Ov. Fast.* 4, 856. subdita flamma rogo. [*Sil.* 17, 224. subdita taedis Carthago.] *Ov. Her.* 4, 57. Pasiphae decepto subdita tauro. *Id. Met.* 14, 553. Carina subdita navigiis; et *ib.* 12, 141. Vincla galeae subdita mento. *Plin.* 4, 11, 18. Coeletae (*populi*) majores Haemo, minores Rhodopae subditi. [*Sil.* 1, 194. Libye subdita Cancro.] et *Ov. Pont.* 4, 9, 128. est oculis subdita terra tuis. *Hirt. B. Afr.* 84. Cum elephantus in lixam inermem impetum fecisset, eumque sub pede subditum, pondere suo premeret. *Lucr.* 4, 448. At si forte oculo manus uni subdita subter Pressit cum quodam sensu, fit uti videantur Omnia, quae tuimur, fieri tum bina tuendo. *Virg. G.* 3, 371. avidis ubi subdita flamma medullis. *Id. Cul.* 90. haec cura est subdita cordi. ℙ *Subdita* dicuntur medicamenta, quae in podicem immittuntur. *Plin.* 20, 5, 20. Caepae haemorrhoidas pellunt, subditae pro balanis. *Id.* 22, 9, 11. Glycyrrhizae usus in

subditis, decoctae ad tertias. ℙ Item alterius loco positus. *Cic. Verr.* 2, 3, 5. Quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suae reservavit? *Festus:* Subditus dicitur is, qui in demortui judicis locum judex datur his, qui eum habuerant judicem in eandem rem. Adde *Paul. Dig.* 5, 1, 60. *Prop.* 3, 21, 34. Nec solvit Danaas subdita cerva rates. ℙ Item subditicius. *Ter. Heaut.* 5, 3, 12. Subditum se suspicatur. [*V. *Bentl.* ad h. l. et *Ruhnk.*] *Liv.* 40, 9. Me subditum, et pellice genitum appellant. ℙ Item subornatus. *Tac. A.* 4, 59. Adsimulabat judicis partes, subditis, qui accusatorum nomina sustinerent. ℙ Item subjectus imperio, aut dominio alterius, ἀρχόμενος. *Tibull.* 4, 1, 67. inferno Plutonis subdita regno Magna Deum proles. *Pers.* 5, 124. Liber ego. Unde datum hoc sumis tot subdite rebus? An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?

SUBDIU, adv. καθ' ἡμέραν, idem quod die, sive interdiu. *Pl. Most.* 3, 2, 77. Audivit hic esse aestatem perbonam: subdiu coli absque sole perpetuum diem. Est qui leg. *sub dio.*

SUBDIVAL, alis, n. pars domus superior, quae sub dio est. *Tert. adv. Jud.* 11. Subdival domus. V. SUBDIALIS et SOLARIUM.

SUBDIVĀLIS, e, idem quod subdialis. *Ammian.* 19, 11. Nostri pruinis subdivales moras difficile tolerabant.

SUADIVĪDO, is, a. 3. post primam divisionem rursus divido. *August. C. D.* 6, 3. *med.* Tres libros ita subdivisit, ut primus sit, etc. Adde *Trin.* 3. *prooem.*

SUBDIVĪSIO, onis, f. alia divisio post primam divisionem. *Hieron. ep.* 58. *n.* 8. Praecipue in eo libro mihi subdivisio placuit. Adde *Justin. Cod.* 3, 28, 37. et 6, 2, 22.

SUBDIVĪSUS, a, um, part. a *subdivido*, rursus divisus. *Tert. adv. Jud.* 11. *f.* Hebdomades, quae sunt subdivisae in abscisionem, etc.

*SUBDIUS, a, um, adj. *ὑπαίθριος Gloss. Gr. Lat.* Cf. *Salmas. de Pall.* p. 137. *B. A.*

SUBDO, is, didi, ditum, a. 3. *ὑποτίθημι*, subjicio, suppono: quasi subtus do. *Tac. A.* 4, 62. Coepto amphitheatro, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit. *Cato R. R.* 105. Mustum in ahenum infundito, ignem subdito: ubi bullabit vinum, ignem subducito; et *ib.* 84. Sub textum subde paulisper, postea eximito. *Ov. Met.* 4, 631. ultima tellus Rege sub hoc, et pontus erat, ubi Solis anhelis Aequora subdit equis, et fessos excipit axes. *Sueth. Oth.* 11. Cum pugionem pulvino subdidisset. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 5. Subdere furcas vitibus. *Id.* 8, 16, 21. leones jugo. *Tac. A.* 12, 24. tauros aratro. *Ov. Met.* 4, 721. se aquis. *Id. A. Am.* 2, 732. et *Pont.* 2, 6, 38. calcar equo. *Sen. Herc. Fur.* 366. facem tectis. [*Cf. de hac dictione *Gron. observv.* 2, 12. p. 155. sq. *ed. Fr.*] et *Pl. Curc.* 2, 3, 18. aliquem sub solum, *h. e.* humi sternere: et *Appul. Met.* 5. Lucernam subdere aliquo tegmine, *h. e.* tegere, abscondere. ℙ Translate. *Liv.* 8, 32. *f.* Subdere ignem ac materiam seditioni. *Ov. Trist.* 5, 1, 76. Ingenio stimulos subdere Fama solet. *Sen. Ag.* 133. Metus subdit stimulos dolori. *Liv.* 7, 40. Subdere alicui spiritus. [*Id. 6, 34. is risus stimulos parvis mobili rebus animo muliebri subdidit.] ℙ Significat etiam objicere. *Plin. ep.* 3, 19. Vereor, ne sit incautum, rem tam magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere. *Lucr.* 5, 102. rem aliquam oculorum subdere visu, *h. e.* subjicere oculis: *visu* pro *visui.* ℙ Item sufficere, substituere in locum alterius. *Cic. Dom.* 32. Quis in meum locum judicem subdidit? *Gell.* 1, 4. *f.* Immutavit ergo, et subdidit verbum ei verbo, quod omiserat, finitimum. [*Plin. *Pan.* 25, 3. qui in locum erasorum subditi fuerant: ubi v. *Gierig.* — *Tac. A.* 12, 40. ne feminae imperio subderentur.] ℙ Praesertim cum dolus et fraus subest. *Tac. A.* 14, 40. Subdere testamentum, *h. e.* fictum pro vero subjicere et ostendere; et *Paul. Dig.* 4, 10, 19. partum, *h. e.* unum pro altero matri apponere, vel ei, quae non peperit, alienum infantem subjicere. *Tac. A.* 1, 6. *f.* (et *ib.* 15, 44.) Abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, *h. e.* falso reos egit; et *ib.* 3, 67. Et nequis necessariorum juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur; et *ib.* 6, 36. Subdito rumore, tanquam Mesopotamiam invasurus; et *Appul. Met.* 10. In ejus potionis vice subditur alia: scil. venenata. ℙ Item subornare, summittere. *Pl. Merc. arg.* 2, 9. Hic filium subdiderat vicini: pater Vicinum. V. SUBDITUS. ℙ Item subscribere, adscribere, subjicere. *Gell.* 12, 11. (et 19, 11.) Versus ipsos ex poematis Furianis, in quibus haec verba sunt, subdidi. *Auson. ep.* 19. His litteris jucundissimum poema subdideras. ℙ Item loquendo verba addere. *Auson. Grat. act.* 23. Hic tu paulisper haesisti, deinde illico subdidisti: Quid de duobus consulibus, etc. ℙ Item subjicere, domare. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 34. Caesaris vexilla linquunt, eligunt signum Crucis: Proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis, Praeferunt insigne lignum, quod Draconem subdidit. *Claud. II. cons. Stil. praef.* 8. Subderet Hispanum legibus Oceanum. *Id. IV. cons. Hon.* 42. Subdidit Oceanum sceptris. [*Tibull. 1, 2, 89. sq. Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores, Post Veneris vinclis subdere colla senem.]

SUBDŎCĔO, es, a. 2. *ὑποδιδάσκω*, vicem praeceptoris occupo, vel horis subsecivis doceo, [*hypodidascali munere fungi: *einen Hülfslehrer abgeben.*] *Cic. Att.* 8, 4. Ciceronesque nostros meo potius labore subdoceri, quam me alium vis magistrum quaerere. *August. Conf.* 8, 6. Subdocere grammatico.

SUBDOCTOR, oris, m. qui post alium docet: [*Unterlehrer.*] *Auson. Profess.* 22. Victorio subductori, sive proscholo.

SUBDOLE, adv. *ὑπούλως*, callide. *Pl. Trin.* 2, 1, 12. Subdole blandiri. *Cic. Brut.* 9. Acute, subdole, versute.

SUBDOLUS, a, um, adj. *ἀπατηλός*, fraudulentus, astutus, dolosus, occulte decipiens. *Pl. Epid.* 2, 3, 13. Quo pacto fiat subdola adversus senem. *Ov. A. Am.* 1, 598. Fac, titubet blaeso subdola lingua sono. *Sall. Jug.* 42. At Jugurtha, cognita vanitate legati, subdolus ejus augere amentiam. *Id. Cat.* 5. Animus audax, subdolus, varius. *Tac. A.* 6, 51. Occultus ac subdolus fingendis virtutibus; et *ib.* 6. Immanem animum subdola modestia tegens. *Pl. Capt.* 3, 3, 5. Subdola mendacia. [*Vell. 2, 102, 1. Perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia.] ℙ Transfertur ad inanima, quibus falli quis potest. *Tac. H.* 5, 14. Ea loci forma, incertis vadis subdola, et nobis adversa. *Mart.* 3, 58. Sed tendit avidis rete subdolum turdis. [*Lucr. 2, 560. subdola pellacia ponti; cf. 5, 1003.]

SUBDOMO, as, ui, itum, a. 1. domo, subigo. *Pl. As.* 3, 3, 112. Sic isti solent superbi subdomari.

*SUBDUBITĀTOR, oris, m. qui dubitare videtur. *Augustin. B. A.*

SUBDŪBITO, as, n. 1. *ὑπενδοιάζω*, nonnihil addubito, parumper dubito. *Cic. Fam.* 2, 13. *med.* Significabas te subdubitare, qua essem erga illum voluntate. *Id. Att.* 14, 15. Jam enim dico meum: antea, crede mihi, subdubitabam.

SUBDŪCO, is, xi, ctum, a. 3. [*Primum significat auferre aliquid alicui rei suppositum, subtrahere. *Suet. Tib.* 14. subducere gallinae ovum. *Curt.* 4, 9, 18. quum rapidior unda vestigium subduceret. *Cat. R. R.* 115. ubi bullabit vinum, ignem subducito. *Virg. A.* 6, 524. fidum capiti subduxerat ensem. *Mart.* 8, 59. Subducere alicui pallia a cubito. *Lucr.* 1, 1099. Subducat terra se raptim pedibus. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 2, 48. Subducere id quo nititur adversariorum causa. Simile est illud *Fin.* 4, 15. neque intelligunt, se rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere. ℙ Quoniam vero subtrahendi actus plerumque clam fieri solet, *subducere* multis in locis idem est, quod] clam auferre, surripere. *Pl. Curc.* 2, 3, 81. Condormiscit: ego ei subduco anulum. *Id. Merc. prol.* 65. Fluvius rapidus raptori pueri subduxit pedes; et *Liv.* 9, 11. Furto aliquid subducere. *Mart.* 12, 29. Subduxit mappas quatuor Hermogenes. *Varr. R. R.* 2, 1. Atreus pecudem auream sibi Thyestem subduxe queritur: pro subduxisse. (V. *Cic. N. D.* 3, 27.) In illo *Ulp. Dig.* 47, 11, 7. Sacularii, qui vetitas in sacculis artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt, etc. *subducere* est elicere pecuniam ad se carminibus, vel qua alia ratione illicita: *subtrahere* est manu auferre. *Subducimus* arte, *subtrahimus* manu. Ita *Cujac. Observ.* 10, 27. ℙ Item demere, auferre. *Cic. Tusc.* 2, 17. *med.* Subduc cibum unum diem athletae. *Virg. Ecl.* 3, 5. alienus oves custos bis mulget in hora: Et succus pecori, et lac subducitur agnis. *Juven.* 11, 142. Nec frustrum capreae subducere, nec latus Afrae Novit avis noster tirunculus. *Ov. Fast.* 3, 587. carbasa torto lino, *h. e.* funibus deducere, et vento subtrahere. Sic *Lucan.* 6, 287. vela procellae. *Ov. A. Am.* 3, 123. terrae subducitur aurum; et *Lucan.* 6, 519. nubes subducunt sidera. ℙ Transl. *Suet. Tib.* 22. Subducere materiam tumultus. *Vell.* 2, 103, 1. subduxit fortuna spem. ℙ Saepe est eripere ac liberare a molestia aut periculo. *Virg. A.* 10, 50. et 615. Subducere aliquem pugnae; et *ib.* 80. manibus alicujus. *Juven.* 1, 15. manum ferulae. *Ov. Trist.* 1, 4, 27. animam saevae morti. *Id. Pont.* 1, 5, 24. colla oneri. *Vell.* 2, 72. aliquem periculo. ℙ Subducere se: clanculum et sensim se removere. *Pl. As.* 5, 2, 62. Tempus est subducere hinc me. *Nep. Alc.* 4. Clam se a custodibus subducere. *Ov. Met.* 7, 781. se a vulnere. *Id. Trist.* 5, 14, 27. se nimbo. *Ter. Eun.* 4, 7, 24. Mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum, et cum eo clam te subduxti mihi: pro subduxisti. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. De circulo se subduxit. *Ulp. Dig.* 10, 2, 14. Rem de judicio subducere. *Vell.* 2, 93, 3. Subducere se tempori, i. e. secedere ad evitanda temporis pericula. ℙ Usurpatur etiam in re militari, ubi significat, aut: milites ex posteriore aciei parte in primam protrahere, *ὑπάγειν*; aut: pugnantibus anterioribus, eos qui in secunda vel tertia acie collocati sunt, clam contractos abducere. *Sall. Cat.* 59, 3. Reliqua signa in subsidio arctius collocat. Ab his centuriones omnes lectos, et evocatos cet. in primam aciem subducit. *Liv.* 44, 37. ex postrema acie triarios primos subduxit; et 22, 48. Hasdrubal, qui ea parte praeerat subductos ex media acie Numidas, ad persequendos passim fugientes mittit; 27, 48. Cohortes aliquot subductas ex dextro cornu. — *Id.* 40, 30. Ut hae duae turmae ostenderentur; dein subducerentur, ubi equitatus hostium castris procucurrissent, i. e. pedem referre juberentur; et 36, 18. Hostes pulsi loco intra munimenta, subductis ordinibus concesserunt; 7, 34. Spatium consuli dedit ad subducendum agmen in aequiorem locum. ℙ *Subducere alvum*, ducere, ciere. Proprie videtur esse, per inferna ciere, ut clysteribus. *Cels.* 3, 4. Asclepiades medicamenta sustulit, alvum non toties, sed fere tamen in omni morbo subduxit. ℙ Sed etiam de ea ductione dicitur, quae per superna fit. *Gell.* 4, 11. Is cibus et subducit sensim alvum, et laevigat. ℙ *Subducere rationem*, ducere, inire, putare: quod fere fit subducendo ab altera summa, ut, quid in altera reliquum sit, appareat. [*Praeferenda *B. Crus.* sententia, qui in *cl. Suet.* p. 742. hunc dicendi morem ad subjectos singulis ordinibus numeros refert.] *Pl. Capt.* 1, 2, 89. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 436. Ineundis subducendisque rationibus. ℙ Ad illud *Ter. Ad.* 5, 4, 1. Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, etc. *ducere*, inquit *Donat.*, est digitis computare ap. alium, et palam: *subducere*, apud seipsum, et secreto. Sed hoc discrimen non est perpetuum. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Assidunt, subducunt: ad nummum convenit. ℙ [*Haec significatio transfertur ad argumentationes et deliberandi rationes. *Cic. Fam.* 1, 9. rationibusque subductis summam feci cogitationum mearum. *Fin.* 2, 19. Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis proelium ineunt? *N. D.* 3, 29. Medea et Atreus — inita subductaque ratione nefaria scelera meditantes. ℙ Significat etiam sursum ducere, Gr. *ἀράσσω*. Ita frequentissimi iterum usus est in rebus militaribus et navalibus. *Sall. Jug.* 103. Milites dispersos in unum contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem subduxit. Sic *Caes. B. G.* 1, 24. Copias in proximum collem subduxit. *Liv.* 37, 10. Dixit, subducturum per simulationem reficiendi quasdam naves, *h. e.* ex aqua in terram, et sub navalia tracturum. Adde 31, 22. 42, 27. 45, 2. Porro *Virg. A.* 1, 555. et 577. et *Caes. B. C.* 3, 23. *Pl. Most.* 3, 2, 50. Navis subducta erat in tuto. ℙ Hinc in universum tollendi vindicavit notionem. *Liv.* 27, 28. *med.* Cataractam funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possent. *Pl. Aul.* 2, 7, 3. In puteo coenam coquant: inde coctam sursum subducemus corbulis. *Cato R. R.* 157. *f.* Brassicam ad nasum admoveto: ita subducito susum animam, quam plurimum poteris. *Plin.* 2, 11, 8. Haec ratio mortales animos subducit in coelum. *Ov. Fast.* 2, 347. tunicas ora subducere ab ima; et *ib.* 5, 611. de Europe: Saepe puellares subducit ab aequore plantas; et *Sen. ep.* 48. *med.* Subducere supercilia: quod est severi hominis, aut tristis. V. SUBDUCTUS. ℙ Denique *subducere* dicitur etiam de iis, quorum altitudo sensim ad terram demittitur, atque desinit *Virg. Ecl.* 9, 7. qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo. Cf. *Gron. Observv.* 4, 17. p. 417. *ed. Fr. Plin. ep.* 5, 6. *med.* Hic quoque fons nascitur, simulque subducitur, i. e. in terram, unde prosiluit, recurrit, descendit, evanescit.]

SUBDUCTĀRIUS, a, um, adj. idem ac ductarius, quo quid subducitur, seu levatur. *Cato R. R.* 12, 68. et 135. Funes loreos quinque, subductarios quinque, medipontos quinque.

SUBDUCTIO, onis, f. *ὑπαγωγή*, *ὑπεξαγωγή*, *ὑφαίρεσις*, actus subducendi, idest subtrahendi. *Caes. B. G.* 5, 1. Ad celeritatem onerandi, subductionesque, paulo facit humiliores *(naves)* quam quibus in nostro mari uti consuevimus. *Vitr.* 10, 5. *f.* Funibus, et trochleis subductiones navium efficiuntur. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 23. Si antea quam fundamenta urbi jacerentur, subductiones aquae purgamentisque relinquendas procuraret. *B. A.* ℙ Item ratio, computus. Translate. *Cic. Or.* 30. Statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent.

SUBDUCTUS, a, um, part. a *subduco:* [*ablatus, subtractus, de eo, quod alicui rei subjacet, suppositum est. V. in SUBDUCO. ℙ Hinc i. q. ereptus. *Caes. B. C.* 2, 23. Naves ex praedonum bello subductas reficiendas curaverat. *Lucan.* 2, 717. Rapta puppe minor subducta est montibus Argo. *Triphon. Dig.* 28, 2, 28. Subductus de potestate. ℙ Item furto ablatus. *Mart.* 14, 42. Subducta est puero namque lacerna tuo. *Hor. Od.* 1, 3, 27. ignis aetheria domo subductus. *Id. Ep.* 1, 17, 54. Aut cistam effractam, et subducta viatica plorat. ℙ Item amotus, ablatus. *Virg. A.* 3, 565. Subducta ad Manes imos desedimus unda. *Vell.* 2, 100. *extr.* Julia relegata in insulam, patriaeque et parentum subducta oculis. ℙ Item remotus. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Cubiculum subductum omnibus ventis. *Capell.* 6, 192. Concavis subductioris terrae latebris abderetur. ℙ Hinc est sursum ductus. *Virg. A.* 3, 135. sicco subductae litore puppes. *Ov. Am.* 2, 9, 21. Longaque subductam celant navalia pinum. V. SUBDUCO. ℙ Inde omnino dicitur pro sublatus, *ὑπαχθείς.*] *Hor. Sat.* 1, 2, 26. tunicae usque ad inguen subductae. *Plin.* 9, 46, 70. de caniculis marinis: Ac saepe jam subducti, e manibus auferuntur, *h. e.* ex aqua in navem sublati. *Id.* 20, 14, 53. Mentae recentis succus narium vitia spiritu subductus emen-

dat; et 30, 13, 38. Sanguinem sistit in naribus coagulum agninum subductum, vel infusum. ℙ *Subductum supercilium*, adductum, elatum: quod tristitiae, aut gravitatis, aut severitatis indicium est. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 436. Cum antehac videbam stare tristes, turbido vultu, subductis cum superciliis setines. *Varr. ib.* Ego, unus scilicet antiquorum hominum, subductis superciliis dicam. Adde *Sen. Ben.* 1, 1. et *Laevium* ap. *Gell.* 19, 7. (ubi quidam putant ipsum *subductisuperciliicarptores* vituperones suos appellasse.) Sic *Prop.* 2, 8, 13. Nunc volo subducto gravior procedere vultu.

SUBDULCIS, e, adj. *ὑπογλυκὺς*, nonnihil habens dulcedinis. *Plin.* 26, 8, 37. Radix subdulcis, in petris nascens, aut sub arboribus vetustis. *Id. ib.* 10, 63. Intus album includi, sapore subdulce.

SUBDŪRUS, a, um, adj. aliquantum durus, subdifficilis. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. Subdurum, et in summo perasperum. *Q. Cic. Pet. cons.* 12. Hoc probabile est; illud alterum subdurum tibi homini Platonico suadere.

[SUBDUPLUS, a, um, adj. ita appellatur numerus, qui ab alio bis continetur, ut unitas a binario. *Boeth. Arithm.* 1, 23. Si bis majorem numerum minor numerus metiatur, subduplus vocabitur. *F.*]

SŪBĔDO, is, ēdi, esum, a. 3. *ὑποτρώγω*, subtus edo. *Ov. Met.* 11, 783. e scopulo, quem rauca subederat unda, Decidit in pontum.

SŪBELLO. V. SUBVELLO.

SŪBĔO, is, ivi, et ii, itum, n. 4. *ὕπειμι, δύνω*, subtus eo, succedo, ingredior. Regit saepe accusativum vi praepositionis: est enim ab *eo*, et *sub*. *Ov. Fast.* 1, 313. Octipedis frustra quaeruntur brachia Cancri: Praeceps occiduas ille subivit aquas. *Hor. Sat.* 1, 9, 21. asellus Cum gravius dorso subiit onus. *Caes. B. G.* 1, 36. *extr.* Qui intra annos quatuordecim tectum non subissent. *Plin.* 10, 45, 62. Leones jugum subeant. *Virg. A.* 3, 113. Et juncti currum dominae subiere leones. *Id. ib.* 2, 707. care pater, cervici imponere nostrae: Ipse subibo humeris. *Ov. Met.* 4, 600. de anguib.: in appositi nemoris subiere latebras. *Liv.* 27, 4. *med.* Coelo sereno interdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem solis subisset. *Cels.* 3, 6. *med.* Venae, incipiente febre, subeunt et quiescunt, *h. e.* subsidunt. ℙ Cum abl. *Stat. Th.* 1, 406. subit uno tegmine, cujus Fusus humo gelida partem prior hospes habebat. *Virg. A.* 6, 222. pars ingenti subiere feretro: *feretro* potest esse etiam tertius casus, ut in illo *Varr. L. L.* 4, 23. Stamen a stando: subtemen, quod subit stamini. V. infra. ℙ Saepe est accedere. *Caes. B. G.* 7, 86. *med.* Alii tela conjiciunt, alii testudine facta subeunt. *Liv.* 34, 16. Legionem subire ad portam castrorum jussit. *Virg. A.* 8, 359. ad tecta subibant. *Liv.* 31, 45. Diversis partibus rex, et legatus R. ad urbem subeunt. *Id.* 2, 31. Loco iniquo subeundum erat ad hostes. *Id.* 36, 18. *f.* Multi temere subeuntes vallum transfixi sunt. *Val. Fl.* 4, 299. hos inter Pollux subit, et trucis ultro Advolat ora viri. *Ov. Pont.* 4, 7, 33. Ingentique gradu contra ferrumque, locumque, Saxaque brumali grandine plura subis. *Virg. A.* 9, 371. Jamque propinquabant castris, murosque subibant. Alii leg. *muro. Id. ib.* 7, 160. tecta Ardua cernebant juvenes, muroque subibant. Alii leg. *murosque. Servius* ait *muros* secundum naturam esse, *muro* per dativum, figuratum. Quid, si *muro* sit ablativus? *Virg. ib.* 3, 292. Litoraque Epiri legimus, portuque subimus Chaonio, et celsam Buthroti ascendimus urbem: *portu* ut sit dativus, erit pro *portui*, ut *aspectu*, *concubitu*, *victu*, etc. (de quibus V. in ASPECTUS.) V. *Pier.* in h. l. Porro *subimus* hic est potius *ingredimur*, quam *accedimus*, ut ap. *Sil.* 5, 283. Aut dumis subit, albenti si sentit in aethra Librantem nisus aquilam, lepus ore citato. Alii *dumos* legunt. *Sen. Hipp.* 209. Subire in penates. *Hor. Ep.* 1, 7, 33. Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti. *Lucan.* quoque pro intrare posuit 1, 211. latum subeant venabula pectus; et *Val. Fl.* 3, 105. subit ilia cuspis; et *Juven.* 16, 2. si subeantur prospera castra; et *Hor. Sat.* 1, 5, 25. Millia tum pransi tria repimus, atque subimus Impositum saxis late candentibus Anxur. ℙ Item ascendere. *Hirt. B. G.* 8, 15. Si forte Romani subire collem conarentur. *Liv.* 27, 18. *med.* Quanquam ascensus difficilis erat, assuetudine tamen succedendi muros subierunt primi. *Plin.* 31, 3, 21. Levissima est imbrium aqua, ut quae subire potest, ac pendere in aere; et *mox:* Nec levitatis in pluvia aqua argumentum est, subisse eam in coelum; et *ib.* 6, 31. Aqua subit altitudinem exortus sui. *Id.* 4, 11. *med.* Haemi excelsitas sex mill. passuum subitur. ℙ Item succrescere, existere, enasci. *Virg. G.* 1, 279. area creta solidanda tenaci, Ne subeant herbae. *Mart.* 7, 83. Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci, Expingitque genas; altera barba subit. ℙ Item succedere, sequi. *Liv.* 27, 2. Primae legioni tertia, dexterae alae sinistra subiit. *Varr.* ap. *Non.* 4, 444. In quarum locum subierunt, inquilinae impietas, perfidia, impudentia. *Ov. Met.* 1, 129 fugere pudor, verumque, fidesque: In quorum subiere locum fraudesque, dolique. *Val. Fl.* 4, 197. amnem taurus Primus init: mox omne pecus, formidine pulsa, Pone subit. (Addе *Virg. A.* 2, 725.) *Ov. Fast.* 4, 43. Isque, Latine, tibi pater est: subit Alba Latinum; et *Met.* 8, 699. casa parva Vertitur in templum: furcas subiere columnae; et *ib.* 1, 114. subiit argentea proles Auro deterior. ℙ Item ire in aliquem aggrediendi causa. *Val. Fl.* 6, 322. congressu subiit Gesander iniquo. *Virg. A.* 9, 342. incensus et ipse Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem, Fadumque, Hebesumque subit, Rhoetumque, Abarimque. *Quint.* 4, 5. Interim fallendus est judex, et variis artibus subeundas, ut, etc. ℙ *Subire* translate dicitur, qui adit loquendi gratia, qui dictis aggreditur, qui respondet. *Val. Fl.* 2, 555. Illum torva tuens, atque acri lubricus astu Rex subit et patrio fatur male laetus amore. *Stat. Th.* 9, 510. tandem precibus commota Tonantem Juno subit: Quonam miseros, sator inclyte Divum, etc? *Id. ib.* 8, 84. At tibi quos, inquit, Manes, qui limite praeceps Non licito per inane ruis? subit ille minantem, etc. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 173. subit ille loquentem Talibus. ℙ *Subire*, clam irrepere, furtim ingredi. *Ov. Am.* 1, 2, 5. Nam, puto, sentirem, si quo tentarer amore. An subit, et tacita callidus arte nocet? *Id. Heroid.* 19, 56. subit furtim lumina fessa sopor. *Id. A. Am.* 1, 741. non tutum est, quod ames laudare sodali. Cum tibi laudandi credidit, ipse subit. Adde *Prop.* 1, 9, 26. et 2, 20, 68. ℙ Saepe etiam significat in mentem venire, succurrere, redire in memoriam. *Liv.* 36, 20. Deinde cogitatio animum subiit, in dignum esse, etc. *Ov. Met.* 12, 472. nec mentem subiit, quo praemia facto, Quaque viri falsam speciem mercede pararis? *Id. Trist.* 2, 291. Proxima adoranti Junonia templa subibit, Pellicibus multis hanc doluisse Deam. *Id. Her.* 18, 61. de Luna: faveas, Dea candida, dixi, Et subeant animo Latmia saxa tuo. *Sen. Med.* 555. Melioris tibi memoria nostri subeat. *Virg. A.* 2, 562. subiit deserta Creusa, Et direpta domus. *Ov. Trist.* 3, 8, 38. et quid sim, quid fuerimque, subit; et *ib.* 13, 24. In tantis subeunt nec bona verba malis. *Plin. prooem.* 12. et 35, 7, 31. Subit antiquitatem mirari. *Id.* 25, 3, 7. Qua in reputatione misereri sortis humanae subit. *Quint. decl.* 6, 11. *med.* Miseratio, quae cogitationi nostrae subit. ℙ Item post venire, advenire. *Cic. Or.* 1, 33. *med.* Omnes sententiae, verbaque omnia sub acumen stili subeant et succedant necesse est. *Curt.* 3, 2. *f.* Sera deinde poenitentia subiit regem. *Virg. G.* 3, 66. Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus. *Ov. Pont.* 4, 15, 29. Et pudet, et metuo, semperque, eademque precari, Ne subeant animo taedia justa tuo. ℙ Saepissime vero est adire, suscipere rem molestam, difficilem, asperam, laboriosam. *Cic. Att.* 3, 15. *f.* Quod si fuisset, istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subisses. *Id. Rosc. Am.* 11. *med.* Licet omnes in me terrores, periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo. *Id. Dom.* 38. *med.* Poenam subire, ac sustinere. *Id. Prov. cons.* 17. Quamvis excipere fortunam, subire vim atque injuriam malui, quam, etc. et *ib.* 9. *f.* Tela intenta in patriam subire atque excipere. *Id. Verr.* 2, 5, 71. Inimicitiae sunt? subeantur: labores? suscipiantur. *Id. Tusc.* 2, 5. *f.* Ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor. *Id. Mur.* 2. *f.* Cui video maximas reipubl. tempestates esse subeundas. *Id. Pis.* 18. Subire sempiternas foedissimae turpitudinis notas. *Id. Verr.* 2, 3, 55. periculum. *Id. Dom.* 32. *med.* vim et iracundiam populi incitati. *Id. Cluent.* 46. poenam capitis. *Id. Off.* 3, 29. voluntarium cruciatum retinendi officii causa. *Caes. B. C.* 2, 81. necessariam deditionem; et *ib.* 3, 77. subitum casum. (Sic *ib.* 13. Eundem casum subiturus.) *Cic. Q. Fr.* 1, 3. *med.* dimicationem. *Id. Partit.* 28. *med.* judicium. *Id. Quint.* 31. inimici vultum superbissimum. *Id. Dom.* 27. *f.* nomen exsulis. *Id. Att.* 11, 6. *med.* In oppido aliquo mallem resedisse: minus sermonis subiissem, minus accepissem doloris. Huc et illa pertinent *Val. Fl.* 7, 428. Subire jussa. *Ov. Her.* 4, 23. amores. *Id. Trist.* 4, 6, 8. servitium. *Id. Am.* 1, 7, 28. Debita sacrilegae vincla subite manus. *Val. Fl.* 3, 702. Ipse ducis curas, meritosque subiret honores, *h. e.* susciperet, assumeret. ℙ Cum dativo. *Cic. Div. Verr.* 14. *med.* Poterisne ejus orationis subire invidiae? Ita legit *Asconius*, et adscribit: Quasi Latine dixit, ut *Magno ponderi subire.* Alii omn. leg. *invidiam.* Sed et illud *quasi* suspectum est. Praeterea hoc est contra morem *Ciceronis*, ut ex allatis exemplis apparet. Addunt quidam ex *Tibull.* 1, 4, 41. duro subiisse labori. Sed *duros labores* habent plerique omnes: quos defendit *Broukus.* Illa vero dubia sunt *Virg. A.* 6, 222. ingenti subiere feretro; et *ib.* 7, 161. muroque subibant; et *Prop.* 3, 17, 14. Quae voluit liquido tota subire Deo. Attamen nullam, quod sciam, habet varietatem lectionis illud *Virg. A.* 8, 125. Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt. Nisi velis contendere *muro* et *luco* esse ablativos casus, ut in loco *Statii* supra allato, *subit uno tegmine.* ℙ Cum infinito. *Stat. Silv.* 5, 2, 105. adversaque tela subisti Pellere inermis adhuc. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 46. Jam clavum, totamque subit torquere carinam. ℙ In ludo talorum *subire* dicebatur, qui jactum aliquem nominabat, quo veniente vinceretur: *vocare*, qui aliquem, quo exsistente vinceret. *Ov. A. Am.* 3, 355. Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte Quam subeat partem callida, quamque vocet. Ita *Mazzon.* in *Defens. Dantis. l.* 1. *c.* 11. ℙ Habet obscenam sententiam in illo *Juven.* 2, 50. Hispo subit juvenes, *h. e.* paedicat; et *Prop. l. c.*, ubi *subire* est pro *ire sub.*

SŪBER, ĕris, n. *ἴψος, φελλός, φλοιὸς δένδρου*, arbuscula glandifera, corticem habens praecrassum, cui inniti solent, qui natare discunt. [*Korkeiche, Pantoffelholz*, Quercus suber, *L.*] *Plin.* 16, 8, 13. Suberi minima arbor, glans pessima, rara, cortex tantum in fructu, praecrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus. Usus ejus ancoralibus maxime navium, piscantiumque tragulis, et cadorum obturamentis: praeterea in hiberno feminarum calceatu. *Id. ib.* 25, 41. Serotino autem germine malus, tardissimo suber. Ubi perperam aliqui legebant *tardissimus*, ut probarent etiam masculini generis esse posse. *Colum.* 4, 26. Nam est praecipua cuneis fissa olea, quercus, et suber, et siqua sunt similia robora. *Id.* 9, 6. Si regio ferax est suberis, haud dubitanter utilissimas alvos *(apibus)* faciemus ex corticibus: quia nec hieme rigent, nec candent aetate. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 9. Cortice in orbem detracto necantur arbores, excepto subere, quod sic etiam juvatur. *Id.* 16, 40, 76. *n.* 3. In aquis non fluitat suber, si dematur cortex; et *ib.* 21, 33. Folia non decidunt ilici, suberi, taxo. *Virg. A.* 7, 742. Tegmina queis capitum raptus de subere cortex.

SŪBĒRECTUS, a, um, part. a *suberigo:* erectus subrectus. *Appul. Met.* 2. Effultus in cubitum, suberectusque in torum porrigit dexteram. *Marcell. Empir.* 20. Artus subrecti, recubantesque.

SŪBĒRĔUS, a, um, adj. qui est ex subere. *Seren. Sam.* 34, 649. Subereus cortex. *Colum.* 9, 1. *med.* Idque genus clatrorum fabricatur ex robore querceo, vel subereo. Ita cum *Pontedera* legit *Schneiderus*, fretus codicum auctoritate, cum antea legeretur *ex robore, quercu, vel subere.*

SŪBĒRĒS, ei, f. idem quod suber, ut constat ex *Festo* post *Strufertarios*, et *Stura.* Suberies, inquit, arboris genus, ex qua cortex natatorius detrahitur. His verbis addit *Isid. Or.* 17, 7. *med.* Ideo appellata suberies, eo quod fructus ejus sues edunt: porcorum enim sunt alimenta, non hominum, et dicta suberies quasi subedies: scil. a *sus* et *edo.* Addiderat *Festus* auctoritatem *Lucilii*, quae temporis injuria intercidit.

SŪBĒRĪGO, is, exi, ectum, a. 3. surrigo, sustollo. *Sil.* 15, 154. Ut cum saeva fretis immisit proelia Corus, Isthmon curvata sublime suberigit unda.

SŪBĒRĪNUS, a, um, adj. idem quod subereus. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Piscator stataria retia suberinis corticibus extendit. Graece *φελλοί.* ℙ *Suberinus* fuit etiam cogn. R. ap. *Plin. ep.* 6, 33.

SŪBERRO, as, n. 1. *ὑποπλανάομαι*, sub aliqua re erro, ut Suberrare montibus, hoc est errare sub montibus. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 254. Indigenas fluvios, Italis quicumque suberrant Montibus.

SŪBEX. V. SUBICES.

[SŪBEXCŪSO, as, a. 1. aliquantisper excuso. *Salv. Gubern. D.* 4, 3. *med.* Scriptura Ecclesiastica quasi subexcusare quodammodo miserorum omnium noxas videtur dicens: (*Proverb.* 6, 30.) Non grandis est culpae, cum quia furatus fuerit. Furatur enim, ut esurientem impleat animam. *F.*]

SŪBEXHĪBĔO, es, a. 2. idem quod exhibeo, vel aliqua ratione exhibeo. *Arnob.* 6, 195. Praesentiam vobis quandam his numinum subexhiberi simulacris.

SŪBEXPLĪCANS, antis, part. ab inus. *subexplico*, subtus explicans, expandens. *Arnob.* 7, 251. de Aesculapio: Repsit ut coluber, non pedibus se ferens, neque suas subexplicans itiones, sed ventre nixus ac pectore.

SUBFERMENTĀTUS, a, um, part. ab inus. *subfermento*, aliquantum fermentatus. *Tert. adv. Valent.* 17.

SUBFERVĔO, etc. V. SUFFERVEO.

SUBFĪO. V. SUFFIO.

SUBFLĀVUS et Sufflavus, a, um, adj. aliquantum flavus. *Suet. Aug.* 79. Capillum (*habuit*) leniter inflexum et subflavum.

[SUBFRĀGOSUS, a, um, adj. aliquantum fragosus. *Not. Tir.* p. 132. Fragilis, subfragosus. *F.*]

SUBFRĪGĪDĔ, adv. *ὑποψυχρῶς*, aliquantum frigide. *Gell.* 2, 9. Nimis minute, ac prope etiam subfrigide Plutarchus in Epicuro accusando *λεπτολογεῖ.*

SUBFRĪGĪDUS, a, um, adj. *ὑπόψυχρος*, nonnihil frigidus. *Ammian.* 17, 11. *f.* Oblatrantes argumento subfrigido.

[SUBFULGŪRAT, abat, impers. 1. aliquantum fulgurat. *Not. Tir.* p. 118. Fulgurat, subfulgurat. *F.*]

SUBFUSCŪLUS et Suffusculus, a, um, adj. dimin. subfusci. *Ammian.* 22, 16. *f.* Homines Aegyptii plerique subfusculi sunt, et atrati. *Appul. Met.* 2. Procerus, et subfusculus.

SUBFUSCUS et Suffuscus, a, um, adj. aliquan-

tum fuscus. *Tac. Agr.* 12. *f.* Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca et liventia.

[SUBGĔLO, as, a. 1. aliquantum gelo. *Not. Tir.* p. 178. Adgelat, subgelat. *F.*]

SUBGĔRO, etc. V. SUGGERO.

[SUBGLŪTĪNO, as, a. 1. aliquantisper, vel subter glutino. *Not. Tir.* p. 178. Adglutinat, subglutinat. *F.*]

SUBGLŪTĬO, is, n. 4. *Veg. Vet.* 3, 60. Intestini vexatio his agnoscitur signis: prioribus pedibus transvaricat, et dolore subgluit. [*Gesnerus* interpretatur *singultit;* at *Schneiderus* claudicationem hic latere suspicatur; ego potius *cum difficultate aliqua et dolore glutit* interpretandum arbitror. *F.*]

SUBGRANDIS, e, adj. aliquantum grandis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. *f.* Subgrande cubiculum autem, et hibernum altum valde probavi.

SUBGRĂVIS, e, adj. ὑποβαρὴς, aliquantulum gravis. *Plin.* 27, 9, 53. Radice tenui, nigra, subgravi odore. Alii cum *Hard.* leg. *gravi odore.*

SUBGRĔDIOR. V. SUGGREDIOR.

SUBGRUNDĂ et Suggrunda, ae, f. γεῖσον, projectura tecti, qua stillicidium a pariete arcetur: a *sub,* et *grunda:* q. v. v. s. l. *Varr. R. R.* 3, 3. *med.* Apes enim subter subgrundas ab initio villatico usae sunt recto. *Vitr.* 10, 21. Testudo habet subgrundas proclinatas. Adde *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. et *Jabolen.* 50, 16, 242.

SUBGRUNDĂRĬUM, ii, n. *Fulg. de prisc. serm. n.* 7. Subgrundaria antiqui dicebant sepulcra infantium, qui necdum quadraginta dies implessent: quia nec busta dici poterant, quia ossa, quae comburerentur, non erant: nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret. Unde Rutilius Geminus in Astyanacte ait: Melius subgrundarium misero quaereres, quam sepulcrum. Haec *Fulg.* [Ad hanc vocem haec adnotat *Morcell. de stil. inscript. Lat.* T. 1. p. 186. *ed. Pat.* Credo, quod, ut hirundini nidus, ita exiguo pueri corpusculo subter subgrundas loculus esse possit. Hinc *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 448, 2. et *Mur.* 1755, 2. Protectum ante ollaria et sua impensa Dis Manibus fecer. *F.*]

SUBGRUNDĀTĬO, onis, f. γείσωσις, idem quod subgrunda. *Vitr.* 4, 2. Cantherii prominentes ad extremam subgrundationem.

SUBGRUNDĬUM, ii, n. subgrunda. *Vitr.* 2, 9. *f.* Tabulae in subgrundiis collocatae. *Plin.* 25, 13, 102. Aizoum alii vocant hypogeson (ὑπόγειον), quoniam in subgrundiis fere nascitur.

SUBGRUNNĬO, is, n. 4. submissim grunnio. *Paul. Nol. carm.* 27, 345. gestu (*sus*) subgrunnit alumno Blandus, et olfaciens motando dat oscula rostro.

SUBGŪLĂRIS, e, adj. qui est sub gula, in bestiis. *Inscr.* ap. *Grut.* 647, 6. Capite, pedibus, et sevo lactante, et subgulari, lanio cedentibus.

SUBHAERĔO, es, n. 2. subtus, aut aliquantum haereo. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 10. Ulterior tui conspectus in suspicione et crimine subhaereat, necesse est. Addunt *Cels.* 5, 28. *n.* 12. *med.* At cartilago ubi subhaesit, ipsa sedes docet. Sed alii rectius leg. *subsit.*

SUBHASTĂRĬUS, a, um, adj. hastae et auctioni subjectus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 13, 6, 9. Quaecumque possessiones subhastariae sorte distractae sunt.

SUBHASTĀTĬO, onis, f. auctio, venditio, quae hasta posita fit. *Imppp. Valent., Theodos. et Arcad. Cod.* 4, 44, 16. Nec sub nomine subhastationis publicae locus fraudibus relinquatur.

SUBHASTĀTUS, a, um, part. a *subhasto,* sub hasta venditioni expositus. V. HASTA. *Impp. Sever. et Anton. Cod.* 7, 53, 3. Res, quae pignori datae sunt, diu subhastatas emptorem invenire non potuisse.

SUBHASTO, as, a. 1. λαφυροπωλέω, hastae et auctioni subjicio, in auctione vendo. V. HASTA. *Solin.* 10. Nupturae non parentum arbitrio transeunt ad maritos, sed quae prae aliis specie valent, subhastari volunt, et licentia taxationis admissa, non moribus nubunt, sed praemiis.

[SUBHĒRES, edis, m. heres secundus, (V. HERES.) vel substitutus. *Inscr.* mendosa ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 2. p. 186. et ap. *Mur.* 865, 1., emendata ap. *Spreti Monum. Ravenn.* T. 1. *tab.* 2. *n.* 70. M. Val. Satur. III. Piet. Vix. An. XX. Mil. Mens VI. M. Val. Capito ex E. Her. Fr. (*h. e.* eadem heres fratri), L. Dom. Mart. Dup. Sub. P. C. (*h. e.* L. Domitius Martialis duplaris subheres ponendum curavit. Alia ap. *Mur.* 793, 6. L. Aurelius Nigrinus H. (*h. e.* heres) ex eadem fratri B. M. et C. Aurelius Turus Subh. III. Minerv. B. M. posuerunt. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat.* p. 3612. Basilius Germanus III. Triump. Her., item Subhe. C. Julius Constans III. Virt. benemerenti posuerunt. Alia ap. *Guarin. Comment.* 8. p. 44. C. Postumius Valens Pr. Her. (*h. e.* prior heres), et M. Plarenius Sirio Sub. (*h. e.* subheres). *F.*]

SUBHORRESCO, is, n. 3. nonnihil, aut subtus horresco. *Sisenn.* ap. *Non.* 5, 7. Subito mare subhorrescere, caecosque fluctus in se provolvere.

SUBHORRĬDUS, a, um, adj. ὑποφρικώδης, aliquantulum horridus. *Cic. Sext.* 9. Quia eum tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant.

SUBHŪMĬDUS, a, um, adj. aliquantum humidus. *Cels.* 6, 6. *med.* Subhumidi oculi.

*SUBI, fluvius Hispaniae Tarraconensis, non longe a Tarracone. *Plin.* 3, 3. *Subis* appellatur a *Mela* 2, 6. *B. A.*

SUBJĂCĔO, es, cui, n. 2. ὑπόκειμαι, subtus jaceo, seu situs sum, subjectus sum. *Plin.* 2, 17. *med.* Fenestris subjacet vestibulum villae. *Plin. alter* 10, 63, 83. Feles coeunt mare stante, femina subjacente. *Id.* 18, 30, 73. Frumentum si tegulis subjaceat, confervescere. [*Curt.* 5, 3, 18. subjacentes petrae. ℙ Hinc est i. q. adjacere, in propinguo esse, versari. Huc pertinent, quae *Noster* cum praecedentibus miscuerat, ista:] *Plin. ep.* 2, 17. Haec fenestra subjacens mare longius quidem, sed securius intuetur. *Colum.* 1, 2. Campus in prata et arva digestus aedificio subjaceat. [*Adde *Plin. ep.* 5, 6. subjacere monti.] ℙ Translate. *Quint.* 7, 4. Subjacet utilitati etiam illa defensio, si, etc. *Id.* 3, 6. Causa, cui plurimae subjacent lites; et *ib. f.* Quaestionum, quae velut subjacentes ad illud, quo judicium continetur, referuntur, saepe in unam cadere plures posse. *Prud. Cath. praef.* 14. et male pertinax Vincendi studium subjacuit casibus asperis; et *in Sym.* 2, 965. his vitiis subjacuit. *Appul Met.* 11. Vita, quae multis casibus subjacet. *Lact.* 2, 8. *med.* Deum credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subjacente ac parata. *Appul. Dogm. Plat.* 2. *f.* Inopes divitum impotentiae subjacentes. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 4, 40, 4. Viliores personae capitali supplicio subjaceant.

SUBJACTO, as, a. 1. jacto, prae me fero. *Coripp. fragm.* 29. Ille etiam, solis qui se subjactat amicum. ℙ Alio sensu V. in SUBJECTO.

*SUBJECTA, ae, f. basis machinae. *Vitr.* 10, 15. Adde *Bald. Lex. Vitr.* p. 119. *Turneb. Advers. Lips. de Mach.* 3, 2. *B. A.*

SŪBĪCES, um, m. plur. *Gell.* 4, 17. *f.* Ennius in tragoedia, quae Achilles inscribitur, subices pro aere alto ponit, qui coelo subjectus est, in his versibus: Per ego Deum sublimes subices humidas, Unde oritur imber, sonitu saevo et spiritu. *Festus* ita refert verba *Ennii:* Nubes per ego Deum subices humidas, Unde oritur, etc. Ergo *nubes Deum subices* dixit, quia subjectae sunt Deorum pedibus: vel, ut alii volunt, quia sub coelum subeunt. Sed *nubes* videtur esse ab interprete. *Non.* 2, 764. Subices, nove positum, non a subjiciendo, sed ab altitudine. Ennius Achille: Per ego Deum sublimes, etc.

SŪBĪCŪLUM. V. SUDICULUM.

[SŪBIDCIRCO, adv. *Not. Tir.* p. 125. Idcirco, subidcirco. *F.*]

SŪBĪDUS, a, um, adj. *Aedituus* vetus poeta ap. *Gell.* 19, 9. Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis, Qnid mi abs te quaeram? verba labris abeunt. Per pectus miserum manat subido mihi sudor: sic tacitus, subidus; duplo ideo pereo. *Subidus* videtur esse a *subando,* et significare libidine aestuantem, mollem, deliciis amorum deditum, minime durum, aut rusticum: ut sit sensus: amore quidem aestuo, et tamen tacere cogor: ideo duplici de causa pereo. Alii interpretantur scientem, videntem, peritum rei amatoriae: unde *insubidus* ponitur pro rudi, rustico, ignaro.

SUBJECTĔ, adv. demisse, humiliter, more hominis jubjecti. *Caes. B. C.* 1, 84. *extr.* Haec quam potest demississime, atque subjectissime exponit.

*SUBJECTĪBĬLIS, e, adj. *Vulg. Baruch.* 1, 18. Et non fuimus subjectibiles ei, *h. e.* non obedivimus. *B. A.*

SUBJECTĬO, onis, f. ὑπόθεσις, actus subjiciendi et supponendi. *Subjectio testamentorum* ap. *Liv.* 39, 18. est falsi testamenti suppositio pro vero. *Subjectio sub aspectum* ap. *Cic. Or.* 3, 53. et *sub oculos* ap. *Gell.* 10, 3. *med.* est ὑποτύπωσις, forma rerum verbis expressa, evidentia. ℙ Est etiam adjectio, additio. *Auct. ad Her.* 4, 17. Illud quoque probandum est genus sententiae, quod confirmatur subjectione rationis. Ap. *Vitr.* 9, 8. *f.* subjectiones sunt, quae post aliquod inventum adduntur. *Id. ib.* 9. Ex quorum libris siquis velit subjectiones invenire, poterit, dummodo sciat analemmatos descriptiones. ℙ Item figura verborum apud rhetores, qua orator alium interrogat, ac statim ipse responsionem subjicit, ἀνθυποφορά. *Auct. ad Her.* 4, 23. Subjectio est, cum interrogamus adversarios, aut quaerimus ipsi, quid ab illis, aut quid contra nos dici possit: deinde subjicimus id, quod dici oportet, aut quod non oportet, aut nobis adjumento futurum sit, aut obfuturum ipsis. *Quint.* 9, 2. Cum alium rogaveris, non exspectare responsum, et statim subjicere: quod schema quidam per subjectionem vocant.

SUBJECTĪVĔ, adv. *Capell.* 4, 120. Cum dicimus, Cicero disputat, si accedat huic sententiae, in Tusculano, declarative accessit; si accedat, Romanus, subjective. Quidquid igitur nominativo casui accedit, subjective accedit: quidquid declarative accedit, variis casibus et modis accedit.

SUBJECTĪVUS, a, um, adj. qui subjicitur, seu postponitur. *Tert. Virg. vel.* 4. *f.* et *Appul. Dogm. Plat.* 3. ubi partem propositionis *subjectivam* vocat, quod scholae *subjectum.* Adde *Capell.* 4, 120.

SUBJECTO, as, avi, atum, a. 1. [*subjicio, suppono, ὑποτίθημι, a *sub* et *jacto. Ov. Met.* 4, 359. Subjectatque manus. ℙ Item adjicio, admoveo. *Hor. Sat.* 2, 7, 93. Urget enim dominus mentem non lenis, et acres Subjectat lasso stimulos. ℙ Hinc ex imo in altum jacto, ἀναῤῥίπτω.] *Lucr.* 6, 700. Saxaque subjectare, et arenae tollere nimbos. *Virg. G.* 3, 240. ima exaestuat unda Vorticibus, nigramque alte subjectat arenam. *Varr. R. R.* 1, 52. E spica exteruntur grana: iis tritis, oportet e terra subjectari vallis aut ventilabris, cum ventus spirat lenis. Multi leg. *subjactari.*

SUBJECTOR, oris, m. ὑποβολεύς, qui subjicit: et fere in malam partem accipitur *Cic. Cat.* 2, 4. Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subjector, etc.? *h. e.* qui falsa testamenta pro veris subjicit.

SUBJECTUS, a, um, part. a *subjicio:* ὑποτιθεὶς, subtus positus. *Caes. B. G.* 4, 17. *f.* Sublicae pro pariete subjectae vim fluminis exciperent. *Plin.* 14, 10, 12. Vinacea prelo subjecta. *Id.* 30, 14, 44. Penna vulturina subjecta pedibus adjuvat parturientes. *Cic. Somn. Scip.* 6. Cingulus terrae subjectus Aquiloni. *Hirt. B. Alex.* 28. *f.* Locus excelsior, planitia ex omnibus partibus subjecta. *Ov. Fast.* 6, 269. Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa, Aere subjecto tam grave pendet onus. *Id. Met.* 1, 229. artus subjecto torruit igni; et *ib.* 13, 438. Exanimem e scopulo subjectas misit in undas; et *ib.* 913. admiraturque colorem, Caesariemque humeros, subjectaque terga tegentem. *Suet. Vit.* 17. Mento mucro gladii subjectus, ut visendam praeberet faciem. *Ov. Met.* 15, 618. depresso subjectis bubus aratro, *h. e.* sub jugum junctis. ℙ [*Hinc i. q. admotus, immissus, propinquus] *Plin.* 2, 67, 67. *extr.* Ut totum hoc, ceu subjectum oculis, quantum sit, ostendam. *Liv.* 7, 34. Habere hostem suis telis subjectum; et *paulo sup.:* Subjectus ad omnes ictus. *Ov. Met.* 7, 598. victima collapsa sine ictibus ullis, Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros. (Sic *Virg. G.* 3, 492. Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.) *Id. Am.* 2, 14, 27. Vestra quid effoditis subjectis viscera telis? *Serv.* ad *Virg. l. c.* Dicendo *suppositi* feriendi genus ostendit. Nam interdum sub inferiori parte, interdum desuper feriebantur. *Curt.* 9, 5. Nudum hostis latus subjecto mucrone hausit. *Liv.* 7, 10. Romanus mucrone subjecto, uno alteroque ictu ventrem hausit. Utroque loco alii leg. *subrecto.* [*In *Suet.* loco praeferendum *subrecto.* V. *B. Crus.* Servii nimis argutam sententiam neque ferendam putamus: *sub* nil nisi motum, directionem in locum aliquem hic significat. Adjecti, additi significatum habet *subjectus* etiam in hoc *Ov. Met.* 13, 718. Irrita, subjectis fugere incendia pennis. — Ejusdem generis sunt, i. e. propinquitatis, vicinitatis notionem habent, quae Noster deinceps laudaverat *Tac. A.* 1, 65. subjecta vallium, i. e. subjectae, in propinquo sitae valles; et *Hirt. B. Alex.* 35. Facilius Armeniam defendere posset, subjectam suo regno, quam Cappadociam, longius remotam. ℙ Translate est imperio et ditioni subditus. *Cic. N. D.* 2, 30. Nulli est naturae obediens aut subjectus Deus. *Caes. B. G.* 7, 77. Gallia securibus subjecta, perpetua premitur servitute; et *ib.* 1. Qui jam ante se populi R. imperio subjectos dolerent. *Liv.* 26, 49. Tristi servitio subjectus. *Virg. A.* 6, 854. Parcere subjectis, et debellare superbos. ℙ Item obnoxius. *Cic. Fin.* 5, 12. *extr.* Res, quae subjectae sunt sensibus. *Id. Acad.* 4, 23. *med.* Ea, quae sub sensus subjecta sunt. *Id. Tusc.* 5, 1. *med.* Si virtus subjecta sub varios incertosque casus famula fortunae est; et *ib.* 4, 26. *med.* Mare est subjectum ventis. *Hor. Sat.* 2, 6, 47. subjectior in diem et horam Invidiae. *Cic. Quint.* 15. *med.* Cujus non modo fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praecone subjectus est. *Id. fragm.* ap. *Lactant.* 5, 8. *f.* Homines non intelligunt, se esse consanguineos et subjectos omnes sub unam eandemque tutelam. *Id. Or.* 1, 46. Ut in rerum privatarum causis oratori juris civilis scientia necessaria est; sic in causis publicis concionum, senatus, et antiquitatis memoria, et publici juris auctoritas, et regendae reipubl. ratio, tanquam aliqua materies, iis oratoribus, qui in republ. versantur, subjecta esse debet, *h. e.* exposita, in promptu, et sub manu posita, parata et nota. ℙ Illa quoque translata sunt. *Cic. Or.* 1, 12. Verborum sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia. *Id. Fin.* 2, 2. *f.* Diligenter oportet exprimi, quae vis subjecta sit vocibus. *Id. Off.* 1, 17. *f.* Quae pars subjecta generi est, eam sic definiunt, etc. *Id. Tusc.* 4, 7. *f.* Sub metum subjecta sunt pigritia, pudor, terror, etc. ℙ *Subjectum* ap. logicos est id, de quo sermo instituitur, *Capell.* 4, 105. et *Appul. Dogm. Plat.* 3., ubi de syllogismo. ℙ Item additus. *Cic. Or.* 3, 54. *med.* et *Quint.* 9, 3. *f.* Ad propositum subjecta ratio: αἰτιολογία. *Phaedr.* 1, 19. Habent insidias hominis blanditiae mali, Quas ut vitemus, versus subjecti monent. *Gell.* 7, 2. Verba Caesellii subjecta sunt.

P *Subjecta tabella* est *falsificata*. *Ov. Pont.* 2, 6, 69. Nec mea subjecta convicta est gemma tabella Mendacem linis imposuisse notam. P *Subjectus partus*, suppositus, falso pro filio habitus. *Ulp. Dig.* 37, 10, 1. *f.*, item *ib.* 3. et *Papin. ib.* 12. et 48, 18, 1. P *Subjectus petitor*, subornatus, dolo malo petens, sycophanta. *Quint.* 4, 2. *med.* Suspicione subjecti petitoris non carebit. P [*Est etiam *subjectus* in altum jactus, elatus. *Albinov.* 255. Tandem ubi complexa est (flamma) silvas, alimentaque sumpsit, Aethera subjectis lambit et astra comis. *Virg. G.* 4, 385. Ter flamma ad summum tecti subjecta refulsit. *Liv.* 6, 24. Camillus a circumstantibus subjectus in equum.] P Tetrasyllabum. *Sen. Hipp.* 287. Siqua *(ora)* ferventi subjecta Cancro, Si qua Parrhasiae glacialis Ursae.

SUBJECTUS, us, m. subjectio, suppositio. In sexto casu sing. *Plin.* 26, 15, 90. Aristolochia vulvas procidentes inhibet fotu, vel subjectu.

SŪBIGĬTO. V. SUBAGITO.

SŪBIGO, is, egi, actum, a. 3. *ὑπάγω*, subtus ago, duco, subjicio. *Varr. R. R.* 2, 4. Sues pastum exigunt aestate mane: et antequam aestus incipiat, subigunt in umbrosum locum. *Sil.* 15, 218. Subigere classem ad moenia. P Item in altum agere. *Virg. G.* 1, 201. qui adverso flumine lembum Remigiis subigit; et *A.* 6, 302. Ipse ratem conto subigit. *Liv.* 26, 7. *f.* Naves in flumine Vulturno comprehensas subigi ad id castellum jussit. *Sil.* 13, 610. Ast alius subigit saxum contra ardua montis; et 17, 641. Subigere ad sidera. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Albinov.* p. 124. *ed. Friedem.*] P Item jungere. *Sen. Hipp.* 1002. Celsos sonipedes ocius subigit jugo. P Item domare, ad jugum, aut onus assuefacere. *Colum.* 6, 2. Vitulos, qui de grege feri comprehenduntur, sic subigi convenit. P Item in obscenis mulierem, vel puerum sibi subdere stuprandi causa. *Auson. epigr.* 142. Uxorem habere, subigere ancillam velit. *Suet. Caes.* 49. Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem. V. SUBIGUS. P Item subtus, aut intus agitare, miscere, macerare, *ἀναδέω, φύρω*. *Cato R. R.* 74. Farinam in mortarium indito, aquae paulatim addito, subigitoque pulcre: ubi bene subegeris, defingito. *Id. ib.* 18. *med.* De glarea et calce arenato primum corium facito: id pilis subigito. *Plin.* 17, 14, 24. Cato argillae arenam fimumque bubulum admisceri, atque ita usque ad lentorem subigi jubet. *Id.* 32, 10, 44. Subigere aliquid oleo. *Id.* 18, 11, 27. panem ex ovis aut lacte. *Id.* 11, 37, 61. Multis piscium dentes in lingua et toto ore, ut turba vulnerum molliant, quae attritu subigere non queunt; et 15, 8, 8. Amurca subigere areas, *h. e.* conspergere, et arescere sinere, ne rimas faciant. *Macr. Sat.* 2, 2. Subigere gallam. V. GALLA. P *Subigere manus labore agresti* ap. *Quint. decl.* 3, 4. doma re, fatigare. P Subigere terram, bipalio fodere, aratro versare. *Cato R. R.* 161. Locum subigere oportet bene: ubi erit subactus, āreas facito. *Colum.* 3, 5. *med.* Bipalio subigere. *Virg. G.* 1, 125. Ante Jovem nulli subigebant arva coloni. *Cic. Agr.* 2, 31. Homines glebis subigendis exercitati. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 439. Segetes agricolae subigunt aratris multo ante, quam serant. P Est etiam tractare. *Ov. Met.* 6, 19. Sive rudem primos lanam glomerabat in usus, Seu digitis subigebat opus. P Item fricare, defricare. *Colum.* 6, 3. Nec minus quotidie corpora pecudum, quam hominum defricanda sunt: ac saepe plus prodest pressa manu subegisse terga, quam si largissime cibos praebeas. P Item acuere. *Virg. A.* 7, 626. spicula lucida tergent Arvina pingui, subiguntque in cote secures. P Item cogere, compellere, quasi mollire, macerare, et frangere duritiam quippiam facere recusantis. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 91. et 4, 759. *Boettich. Lex. Tac.* p. 443. sq.] *Pl. Poen.* 1, 2, 77. Illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest. *Id. Most.* 5, 2, 52. Ego illum verberibus, ut sit quietus, subegero. *Tac. A.* 2, 40. Ut ederet socios, subigi non potuit. *Liv.* 9, 41. Hostes oppugnando ad deditionem subegit; et *mox:* Tarquinienses metu subegerat frumentum exercitui praebere; et *ib.* 1. Subigi ad necessitatem dedendi res. *Curt.* 7, 7. *med.* Quod Spitamenes fame, in deditionem subacturus obsedit. *Sall. Cat.* 10. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. *Id. Jug.* 33. Obviam ire factionis potentiae animus subigit. *Virg. A.* 3, 257. Dira fames subigat malis absumere mensas. P Item mollire, frangere. *Sen. Thyest.* 302. Illinc egestas tristis, hinc durus labor, Quamvis rigentem tot malis subigent virum. *Varr. L. L.* 8, 11. Subigere aures populi consuetudine: cum verbum aliquod novum respuunt. P Item cruciare, macerare. *Accius* ap. *Non.* 1, 1. Mors amici subigit: quod mihi est senium multo acerbissimum. P Item in potestatem ditionemque redigere. *Cic. Cat.* 3, 12. Mihi vivendum est cum illis, quos vici et subegi. *Id. Balb.* 10. Quos armis subegimus, atque in ditionem nostram redegimus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 439. Subigere et domare bellando. *Sall. Cat.* 2. Urbes capere, nationes subigere. *Cic. Rosc. Am.* 36. Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse. *Just.* 30, 3. *f.* Graecos sub jugum Macedonici imperii subigere. *Tab. aen.* ap. *Grut.* 502. *col.* 2. *lin.* 35. Druso Germaniam subigenti tutam securamque a tergo pacem praestiterunt. P *Subigere pontum remis* ap. *Val. Fl.* 1, 471. est remos agitando versare, miscere, ut qui farinam aqua subigunt. P *Subigit* prima producta. *Cic. Div.* 1, 47. Subigit ipsa feris transfigens unguibus anguem. Alii leg. *ipsa feris subigit:* alii *subjicit*. Sunt qui scribi mallent *subligit*. P [*Confund. *subigere* et *cogere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 759.]

[SŪBĬGUS, i, m. Deus apud Romanos, qui adesse sponsae prima connubii nocte creditus est. *August. C. D.* 6, 9. §. 3. Adest Deus Subigus, ut viro *(nova nupta)* subigatur. V. SUBIGO.

SUBJĬCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. *ὑποτίθημι*, suppono: a *sub*, et *jacio*. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere coeperunt. [**Vell.* 2, 74, 4. Subjicere ignem rebus ac penatibus suis: et metaph. 2, 48, 3. Subjicere facem bello civili.] *Ov. Met.* 3, 167. Altera depositae subjecit brachia pallae. *Id. Trist.* 4, 1, 73. gladioque latus, scutoque sinistram, Canitiem galeae subjicioque meam. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Si parum habet lactis mater, subjiciat agnum sub alterius mammam. *Colum.* 6, 2. *med.* Boum ventri et sub femina manum subjicere. *Id. ib.* 30. *f.* Subjicere collyria, quae ventrem movent. *Id.* 12, 39. Subactam brisam praelo subjicere. *Nep. Pel.* 3. Epistolam in pulvinum subjiciens. Alii leg. *sub pulvinum*. *Plin.* 26, 11, 69. Si aizoum ignorantis pulvino subjiciatur. *Caes. B. G.* 1, 26. Nunnulli inter carros rotasque mataras ac tragulas subjiciebant, nostrosque vulnerabant. *Liv.* 3, 69. Subjicere aliquid oculis. *Quint.* 8, 6. sub oculos. *Auct. ad Her.* 4, 47. *extr.* sub aspectum. *Plin.* 18, 26, 62. ova gallinis; et 10, 59, 79. Incubanda ova subjici utilissimum novem aut undecim. Adde *ib.* 54, 75. [**Suet. Aug.* 13. ut statuae Caesaris subjiceretur (caput.) Al. submitteretur. Illud aptius. V. *B. Crus.*] P Translate. *Cic. Fin.* 2, 4. *med.* Huic verbo *(voluptas)* omnes qui ubique sunt, duas res subjiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. *Quint.* 7, 3. Certum est de nomine: sed quaeritur, quae res ei subjicienda sit. P Item sursum jacio. *Ov. Met.* 10, 183. Tollere Taenarides orbem properabat: at illum Dura repercusso subjecit ab aere tellus In vultus, Hyacinthe, tuos. *Virg. A.* 12, 288. et corpora saltu Subjiciunt in equos. *Liv.* 31, 37. *f.* Pavidum regem in equum subjecit. *Virg. Ecl.* 10, 74. Quantum vere novo viridis se subjicit alnus. P Item subdo. *Tibull.* 4, 1, 117. Libera Romanae subjecit colla securi. *Tac. A.* 13, 55. Gentem suam ditioni nostrae subjiciebant. *Flor.* 2, 17. Scipio Hispaniam omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio. *Cic. Off.* 2, 6. *f.* Subjiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. *Auct. ad Her.* 2, 31. Nos sub eorum potestatem subjiciemus. *Plin. Pan.* 65. Subjicere se legibus. *Cic. Off.* 2, 23. *f.* Hastam in foro ponere, et bona civium voci subjicere praeconis; et *Quint.* 15. et *Dom.* 20. Subjicere sub praecone. *Suet. Cal.* 38. *med.* Auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subjecit, et venditavit. Sic *Id. Tit.* 8. *f.* Delatores subjici, ac venire imperavit, *h. e.* hastae subjici tanquam servos. *Cic. Inv.* 1, 5. Infinitam et immensam huic artificio *(oratorio)* materiam subjicere videtur. P Item subigo, ago sub. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Oves sub umbriferas rupes et arbores patulas subjiciunt. *Caes. B. C.* 3, 56. (et 37.) Omnibus deinceps diebus Caesar exercitum in aciem produxit, ut paene castris Pompeji legiones subjiceret. [**Id. ib.* 3, 74. Subjicere aciem collibus, i. e. ad collium radices adducere; et *ib.* 85. Subjicere se loco, i. e. ad eum accedere.] P Item objicio, expono. *Cic. Or.* 1, 46. *med.* Scelus fraudemque nocentis subjicere odio civium. *Id. Planc.* 23. *med.* Ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis. *Caes. B. G.* 4, 36. Infirmis navibus hiemi navigationem subjiciendam non existimabat. *Liv.* 38, 48. *f.* Subjicere calumniae ea, quae Dii comprobaverunt. *Quint.* 7, 1. *med.* universam domum periculo. P Item substituo, sufficio, [*ut Gr. *ὑποτίθεσθαι.*] *Hirt. B. Alex.* 26. Copias integras vulneratis defessisque subjiciebat. *Festus*: Subici aries dicitur, qui agitur, ut caedatur: quod fit, ut ait Cincius, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur ab eo, qui scelus admisit, poenae pendendae loco. Hanc ipsam rem *Servius* aliis verbis confirmat ex veteri lege Numae (*ad Ecl.* 4, 43. et *ad G.* 3, 387.) qua reus homicidii jubebatur arietem pro se offerre, P Item veris falsa suppono, dolo muto. *Nep. Lys.* 4. Librum gravem conscripsit, in quo summis eum effert laudibus: quem cum legisset, dum obsignatur, alterum pari magnitudine signatum subjecit, in quo ejus avaritiam accusaret. *Cic. Phil.* 14, 3. Subjicere testamenta. *Quint.* 9, 2. *med.* testamentum marito. *Ulp. Dig.* 25, 4, 1. *f.* partum. *Id. ib.* 13, 7, 36. In pignore dando pro auro aes subjicere creditori. *Just.* 1, 9. Prostrato Mergide, cui regnum debebatur, fratrem suum subjecit Oropasten. *Plin.* 10, 9, 11. narrat, coccygem avem *pullos subjicere*, quia in alienis nidis semper parit. P Item ministro, praebeo. *Cels.* 1. *praef.* Quod si scientiam hanc non subjiciat evidens causa, multo minus eam posse subjicere, quae in dubio est. *Lucan.* 7, 574. Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat. P Item submitto. *Caes. B. C.* 1, 33. Subjicitur etiam L. Metellus ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat. *Quint.* 5, 7. *med.* Testes frequenter subjici ab adversario solent, et omnia profutura polliciti, diversa respondent. P Item addo, affero, subdo loquendo, aut scribendo. *Cic. Sull.* 21. Jam vero quod subjicit, Pompejanos esse a Sulla impulsos, id cujusmodi sit, intelligere non possum. *Id. Div.* 2, 50. *f.* Et quidem cur sic opinetur, rationem subjicit. *Auct. ad Her.* 4, 2. Ut unumquodque genus exemplorum sub singulos artis locos subjicere possis. *Sil.* 1, 113. Ilis acuit stimulis, subicitque haud mollia dictu. *Plin. Pan.* 20. *med.* Edicto subjecisti, quid in utrumque vestrum esset impensum. *Varr. R. R.* 1, 7. Subjicit Scrofa: de forma culturae hoc dico, etc. *Gell.* 2, 20. Verba Varronis subjeci: Villaticae pastionis genera sunt tria, etc. *Virg. A.* 3, 313. vix pauca furenti Subjicio, *h. e.* respondeo. [*Cf. *B. Crus. cl. Suet.* p. 743.] P Item suggero, submoneo, in memoriam revoco. *Ter. Phorm.* 2, 3, 40. Si meministi id, quod olim dictum est, subjice. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Cupio, mihi ab illo subjici, si quid forte praetereo. *Id. Flacc.* 22. *med.* Hic mihi Macandrius, quasi ministrator, aderat, subjiciens, quid in suos cives, si vellem, dicerem. *Liv.* 3, 48. *f.* Ceteraque, quae in tali re muliebris dolor querentibus subjicit. *Id.* 45, 18. *extr.* Praesens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia. *Prop.* 1, 7, 19. Et frustra cupies mollem componere versum: Nec tibi subjiciet carmina serus amor. *Ov. Met.* 7, 304. Spes est virginibus Pelia subjecta creatis, Arte suum parili revirescere posse parentem, *h. e.* injecta. Sic *Quint. decl.* 3. *init.* Haec furenti tribuno mens subjecta est, ut juberet, etc. P *Subjici* dicuntur, quae sub alia quapiam re comprehenduntur, continentur. *Auct. ad Her.* 3, 4. Quatuor partes, quae subjiciuntur sub vocabulo recti. *Cic. Top.* 8. Formarum certus est numerus, quae cuique generi subjiciantur. P Refertur hinc ad ordinem, et significat postponere. *Quint.* 9, 4. *med.* Minus peccabit, qui longis breves subjiciet: et adhuc qui praeponet longae brevem. *Id.* 1, 4. *med.* Vocabulum, sive appellationem nomini subjecerunt, tanquam species ejus; et *ib.* 5. Dicere apte, quod est praecipuum, plerique ornatui subjiciunt. P *Cic. Leg.* 2, 18. *med.* Terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam, ferroque subjiciendam superstitionis aliquid accesserit. Est qui mallet *subigendam*. Illud vero hic observandum, in MSS. saepissime tum hoc loco *subjiciendam*, tum in aliis etiam aliorum scriptorum *subicio*, *subicit*, *subiciunt*, etc. uno *i* scriptum esse: licet primam corripere non sit opus: quod et in aliis a *jacio* compositis factitatum est. *Pier.* ad illud *A.* 5, 104. Subjiciunt verubus prunas. In antiquis, inquit, *subiciunt*, duobus *ii* in unum, idque figura oblonga, coeuntibus. Sic ap. *Fest. loco supra allato.* Subici aries dicitur, etc. Plura hac de re habes ap. *Noris.* in *Cenotaph. Pis. dissertat.* 4, 4. P [*Confund. *subjicere* et *sufficere* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 96. b. sq. *ed. Fr.* — Item *subjici* et *subdici*. V. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 186. b.]

SUBJĬCĬTO. V. SUBAGITO.

SŪBIMPŪDENS, entis, part. ab *sub*, et *pudet: ὑπαναίσχυντος*, nonnihil impudens. *Cic. Fam.* 7, 17. Interdum timidus in labore militari, saepe autem etiam subimpudens videbare.

SŪBINĀNIS, e, adj. *ὑπόκενος*, nonnihil vacui habens, aut inanitatis. *Cic. Att.* 2, 17. Quin etiam, quod est subinane in nobis, et non *ἀφιλόδοξον*, etc.

SŪBINDĒ, adv. *εἶτα*, deinde, postea. *Petr. Sat.* 7. At subinde, ut in locum secretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit. *Hor. Ep.* 1, 8, 15. primum gaudere, subinde Praeceptum auriculis hoc instillare momento. *Colum.* 2, 4. *f.* Ager aretur ultima parte mensis Augusti, subinde Septembri sit iteratus. *Tac. Agr.* 14. Consularium primus A. Plautius praepositus, subinde Ostorius Scapula. *Vell.* 1, 7. *med.* Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam. *Tac. A.* 6, 2. *med.* Quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem, an subinde alios? P Item mox, paulo post, protinus. *Liv.* 7, 10. *med.* Uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit; et 30, 7. Duae subinde urbes captae direptaeque; et 39, 39. Hac sedata contentione, alia subinde C. Decimii praetoris morte exorta est. Sic 23, 27. *med.* Universa gens postero die in deditionem venit. Nec diu in pacato mansit: nam subinde ab Carthagine allatum est, ut, etc. P Item crebro per intervalla, identidem, *θαμινά, ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε*. *Petr. Sat.* 117. Nec contentus maledictis, tollebat subinde altius pedem, et obsceno strepitu simul atque odore viam implebat. *Liv.* 10, 17. Vendite ista, et illicite lucro mercatorem, ut sequatur agmen. Ego subinde suggeram quae vendatis. *Colum.* 6, 30. Si diligenter subinde emundata fuerit humus. *Suet. Cal.* 30. Tragicum illud subinde jactabat: Oderint, dum metuant. *Plin. ep.* 2, 7. *f.* Erit pergratum mihi hanc effigiem ejus subinde respicere. *Mart.* 5, 39. semel fac illud, Mentitur tua quod subinde tussis. *Suet. Cal.* 50. *med.* Mentis va-

letudinem et ipse senserat: ac subinde de secessu, deque purgando cerebro cogitavit; et *Liv.* 35, 21. *f.* Praedae minus inventum est, quod subinde spolia agrorum capta domos mittebant.

[SŪBINDĪCĀTUS, a, um, part. a *subindico*, aliquantum indicatus. *Ruf. invect. in Hieron.* 1, 39. Quae Apostolum subindicasse dicis, tu indica, qui non solum ea, quae subindicata, verum et quae confirmata ab eo scribis esse, nunc damnas. *F.*]

[SŪBINDĪCO, as, avi, atum, a. 1. aliquantum indico. V. in v. praec. *F.*]

SŪBINDO, is, a. 3. subjungere, adjungere. *Aurel. Vict. Or. Rom.* 3. Secundum quod noster (*Virg. A.* 8, 357.) cognomento sic intulit *Hanc Janus Pater*, etc. ac subindit *Janiculum huic*, etc. Alii leg. *subinde.*

SUBINFĔRO, ers, tuli, latum, anom. subjicio, subdo, subjungo. *August. de Genes. ad litt.* 3, 24. *in.* Subintulit de omnibus, *h. e.* subjungit. *F.*]

SŪBINFLĀTUS, a, um, adj. ex particip. inflatus, superbiens. *Arnob.* 2, 46. In opinionem scientiae subinflati pectoris tumore tolli. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 2. et 3. Vultus subinflatus.

SŪBINFLŪO, is, n. 3. subtus fluo. *Sen. Q. N.* 3, 30. Aliae aquae subinfluunt terras, aliae circumfluunt.

SŪBINJECTUS, a, um, part. a *sub*, et *injicio. Sen. Contr.* 13. *in.* Subinjecta manu satelles, quid moraris? inquit; jam exposita tormenta sunt.

SŪBINSULSUS, a, um, adj. ὑπάλυκος, aliquantulum insulsus. *Cic. opt. gen. Or.* 3. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est.

SŪBINTELLĪGO, is, a. 3. subaudio. *Hieron. ep.* 145. *med.* Hoc dico, non quod te avarum didicerim, sed quod subintelligam, idcirco adhuc militiae operam dare, ut impleas sacculum.

SŪBINTRO, as, a. 1. ὑπεισέρχομαι, subeo, subintroeo, succedo. *August. C. D.* 1, 32. Populo bellicoso, et solis antea ludis Circensibus assueto, ludorum scenicorum delicata subintravit insania. Adde *Tert. contra Marc.* 5, 3. ex *ep. ad Galat.* 2, 4.

SŪBINTRODŪCO, is, a. 3. *August. ep.* 137. (al. 78.) *med.* Cum nullo modo adducerer, ut per commendationem meam eum alicui fratri subintroducerem.

SŪBINTRŌĔO, is, n. 4. subintro. *Arnob.* 6, 198. Cum qui Juppiter fuerat, idem possit existimari Mars esse; et qui Mavors fuerat, subintroire speciem possit Hammonis.

SŪBINVĪDĔO, es, n. 2. ὑποφθονέω, aliquantulum invideo. *Cic. Fam.* 7, 10. Subinvideo tibi ultro te etiam arcessitum ab eo.

SŪBINVĪSUS, a, um, part. a *subinvideo*, ὑπομισώδης, aliquantulum invisus. *Cic. Rab. Post.* 14. *f.* Subinvisum ap. malevolos Postumi nomen propter opinionem pecuniae nescio quam.

SŪBINVĪTO, as, a. 1. ὑποκαλέω, aliquantulum invito, et provoco. *Cic. Fam.* 7, 1. *f.* Quod me quadam epistola subinvitaras, ut ad te scriberem.

SŪBIRASCOR, eris, dep. 3. ὑποργίζομαι, nonnihil irascor. *Cic. Fin.* 2, 4. Etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. *Id. Fam.* 11, 24. Antea subirascebar brevitati tuarum litterarum. *Id. Att.* 9, 7. *f.* In Epirum quod me non invitas, subirascor.

SŪBIRĀTUS, a, um, adj. aliquantum iratus. *Cic. Or.* 1, 16. *f.* C. Lucilius homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat, familiaris. *Id. Fam.* 3, 9. Rescripsi tibi subiratus. *Appul. Met.* 4. Ad haec anus subiratior jubebat, etc.

SUBIS, is, f. avis, quae aquilarum nidos infestat, et earum ova frangit. *Plin.* 10, 14, 17. ex *Nigidio.*

SUBISCALIRE. V. SUBSCALARIS.

SŪBĪTĀNĔUS, a, um, adj. idem quod subitus. *Colum.* 1, 6. *f.* Si subitaneus imber incesserit.

SŪBĪTĀRĬUS, a, um, adj. idem ac subitus, ut *Subitarii milites*, qui subito colliguntur. *Liv.* 3, 4. *extr.* Ad eum (*exercitum*) explendum Latini, Hernicique, et colonia Antium dare Quintio subitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) jussi. Adde 40, 26. et 3, 30. Exercitum subitarium scribere. *Pl. Mil.* 2, 2, 70. Hanc rem age; res subitaria est, *h. e.* quae celerem operam poscit. *Tac. A.* 15, 39. Nero subitaria aedificia exstruxit, quae multitudinem acciperent, *h. e.* subito ac temere facta. Sic *ib.* 14, 20. Pompejum incusatum a senioribus, quod mansuram theatri sedem posuisset: nam antea subitariis gradibus, et scena in tempus structa, ludos edi solitos. *Gell.* 9, 15. Subitaria dictione periculum sui facere.

*SUBITATĬO, onis, f. *Vulg. Sapient.* 5, 2. Mirabuntur in subitatione salutis, i. e. subito exortu: ἐν τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας. *B. A.*

SŪBĪTILLUM. V. SUAVILLUM.

SŪBĬTO, adv. ἐξαίφνης, repente, repentino, ex tempore. [*Discrimen hujus adverbii et synonym. exponit *Zumpt.* §. 272. p. 247.] *Cic. Or.* 1, 33. Etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque cogitatius dicere. *Id. Planc.* 20. Consul comitia habere coepit subito, praeter opinionem omnium. *Id. Font.* 15. Cum tot bella aut a nobis necessario suscipiantur, aut subito atque improvisa nascantur. *Pl. Amph.* 1, 3, 4. Quid istud est, mi vir, negotii, quod tu tam subito domo abeas? *Ter. Ph.* 1, 4, 2. Ita nunc imparatum subito tanta te impendent mala. *Pl. Mil.* 2, 2, 21. Ita abripuit repente sese subito. *Caes. B. G.* 1, 40. *med.* Desperantes jam de pugna et dispersos subito adortus, magis ratione ac consilio, quam virtute vicit. *Virg. G.* 4, 499. Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras Commixtus tenues, fugit diversa. *Phaedr.* 4, 16. Faciem ad serenam subito mutatur dies. ℙ Item celeriter, cito, propere, αὐτίκα. *Caes. B. G.* 2, 33. Scutis ex cortice factis, aut viminibus intextis, quae subito, ut temporis exiguitas postulabat, pellibus induxerant. *Lucr.* 2, 391. subito per colum vina videmus Perfluere: at contra tardum cunctatur olivum. *Pl. Ps.* 1, 1, 47. Ex tabellis jam faxo scies, quam subito argento mihi usus invento siet. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 7. Breviores has litteras tabellario properanti subito dedi. *Nep. Dat.* 7. Sed tam subito copias contrahere non potuit. *Phaedr.* ex iis, quae *Gudius* reperit, *fab.* 4. Mus subito accurrens, non est quod timeas, ait. *Quint. decl.* 17, 11. Virus praesentaneum paro, quod statim, quod subito corripiat. ℙ *De subito* conjunctim scribitur. V. DESUBITO.

[SŪBĪTO, as, avi, atum, a. 1. re subitanea et insolita percello. *Cyprian. ep.* 57. Ad proelium apparet fortiores nuper subitatos esse, et novae atque insuetae rei pavore trepidasse. Hinc in *Vulg. Sapient.* 5, 2. Subitatio insperatae salutis, *h. e.* subitus adventus. *F.*]

SŪBĪTUS, a, um, part. a *subeo: αἰφνίδιος*, repentinus, improvisus. *Cic. Fam.* 10, 16. *med.* Ne in rebus tam subitis, tamque angustis a senatu consilium petendum putes. *Id. Or.* 1, 33. Subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit. [*Cf. *ib.* exercitationes subitae; et *Tac. dial.* 10. fortuitae ac subitae dictionis impetus. Ap. Gr. est: αὐτοσχεδιάζειν vel αὐτόθεν, ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ἐκ τοῦ παραυτίκα λέγειν. V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 377.] *Cic. Tusc.* 3, 22. Maris subita tempestas, quam ante provisa, terret navigantes vehementius. *Caes. B. G.* 3, 8. Ut sunt Gallorum subita et repentina consilia. *Plin. ep.* 1, 16. Causas agens polite et ornate, sive meditata, sive subita proferret. *Nep. Dion.* 6. Has tam inopinatas res consequuta est subita commutatio. *Hirt. B. G.* 8, 11. *extr.* Subitas hostium incursiones sustinere. *Tac. H.* 2, 96. Neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat; et *ib.* 4, 76. Adventare ex Italia non subitum militem, sed veterem expertumque belli. [**Subitus miles* i. q. subitarius. Ita solus *Tacitus* locutus videtur:] et *ib.* 3, 47. Haud temnendae manus dux Trapezuntem subitus irrupit. *Plin. ep.* 1, 13. Cum dictum esset, recitare Nonianum, subitus recitanti, inopinatusque venit. *Id. ep.* 8, 10. *f.* Relinquere liberis imagines non subitas, *h. e.* non recentes, aut novas. *Plin. alter* 22, 24, 51. Aquae mulsae duo genera: subitae ac recentis, alterum inveteratae. ℙ Absolute. *Pl. Pers.* 4, 4, 35. Si tibi venisse est opus, mihi quoque empta est: si tibi subiti nihil est, tantundem est mihi, *h. e.* si nulla te subita urget causa, cur vendas cito, neque me urget. *Id. Trin.* 5, 2, 50. Aperite propere, et Lesbonicum foras evocate: ita subitum est, propere quod eum conventum volo, *h. e.* ita res subitaria est, repentina atque urgens, propter quam cito eum volo alloqui. Sic *Cic. Fam.* 13, 2. Nam propter opera instituta multorum, subitum est ei remigrare. *Tac. A.* 15, 59. Etiam fortes viri subitis terrentur. *Liv.* 25, 15. *f.* Ut ad subita belli, si Annibal venisset, equites vim sustinere posset. *Id.* 9, 43. Ut ad subita rerum duo justi scriberentur exercitus. ℙ *Per subitum*, subito. *Sil.* 10, 504. Talia dum pandit, vicinus parte sinistra Per subitum erumpit clamor; et 15, 145. Per subitum moto strepuere tonitrua mundo. Adde *ib.* 404., 14, 330., 12, 653., 8, 628. et 7, 594. ℙ *Ad subitum* eadem significatione. *Cassiod. praef. Var. med.* Quae impolitae dictiones sic poscuntur ad subitum, ut vix vel scribi posse videantur. ℙ *In subitum*, in rem subitam. *Sil.* 7, 525. Quem postquam rapidum vidit procedere castris Hinc Libys, hinc Fabius, simul accendere sagaces In subitum curas. ℙ *In subito*, in re subita. *Plin.* 7, 44, 45. Convolante quidem numerosa illa cohorte, sed (ut necesse erat in subito) tarde. ℙ *Subitum*, subito, per subitum. *Sil.* 15, 462. cum subitum campo perstrinxerat aures Murmur triste tubae. ℙ *Clivus subitus*, minime clemens, abruptus, qui non paulatim, sed statim, et in ipso initio arduus assurgit. *Stat. Th.* 6, 258. Campum exire vetat, longo quem tramite planum Gramineae frondes, sinuataque caespite vivo Mollia non subitis augent fastigia clivis.

SUBJŪGĀLIS, e, adj. ὑποζύγιος, sub jugo assuetus, domitus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 333. Jumenta, pecua, subjugales beluas.

SUBJŪGĀTOR, oris, m. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Suffragator bonorum, malorum subjugator. [*Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 838. Imp. Caes. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio Fel. P. P. subjugatori orbis terrarum respublica Aeclanensium. *F.*] **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 37. Hostium subjugator. *B. A.*

SUBJŪGĀTUS, a, um, part. a *subjugo:* ut Subjugata provincia. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 21. Quod quisque de subjugata provincia per triumphum apportavisset. *Arnob.* 4, 129. Cum ap. Furculas Claudinas decus publicum subjugatum est. *Eutr.* 4, 17. A Numantinis bis Romani exercitus fuerunt subjugati. In *edicto Maximini Imp.* ap. *Lactant. Mort. persecut.* 34. Multi periculo subjugati, *h. e.* territi et domiti. Adde *Prud. περὶ στεφ.* 10, 419. et 777.

SUBJŪGIS, e, adj. ὑποζύγιος, ὑποζυγιώδης, qui sub jugo est, qui jugo assuevit. *Plin.* 11, 49, 109. Ostentabat (*Nero*) hermaphroditas subjuges carpento suo equas. Alii plerique leg. *subjunctas.* ℙ *Subjugia lora*, quibus jugum collis boum, vel equorum aptatur. *Cato R. R.* 63. et 135. Subjugia in plostrum lora pedes XVIII., in aratrum subjugia lora pedes XII.

SUBJŪGĬUM, ii, n. ζυγόδεσμον, retinaculum, quo jumenta sub jugo junguntur. *Vitr.* 10, 8. *med.* Eadem ratione jumenta, cum juga eorum subjugiorum loris per medium temperantur, aequaliter trahunt onera. *Schneiderus* legend. putat *subjugiis loris.*

SUBJŪGO, as, a. 1. ὑποτάσσω, debello, et imperio subjicio, quasi sub jugo pono. *Claud. VI. cons. Honor.* 249. nulla est victoria major, Quam quae confessos animo quoque subjugat hostes. *Lactant.* 4, 10. *med.* Ingratum populum legi subjugavit. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 9. Curatores, qui ad colligendos publicos reditus eligi solent, personali muneri subjugantur, *h. e.* adstringuntur. *Scaevola ib.* 4, 8, 43. Si maligne hoc fecerit, poenae subjugabitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 281, 2. Orbem terrae Romano nomini subjuganti domino nostro Fl. Constantio Pio Fel. semper Aug. Annius Antiochus V. P. etc. V. alia in SUBJUGATUS. ℙ Item subjungo. *Terent. de syll.* p. 2395. Consonae cum subjugatur (*vocalis*), vel relatae in consonam, Temporis parte, atque duplo sit, necesse est, praedita.

SUBJŪGUS, a, um, adj. qui sub jugo est, ὑποζύγιος. *Appul. Met.* 7. Protinus uxor ejus avara molae machinariae subjugum me dedit. ℙ *Plin.* 30, 15, 52. tradit, animal esse *subjugum* nomine; quod nec quale esset, nec ubi nasceretur, auctores tradiderunt.

SUBJUNCTĪVUS, a, um, adj. qui subjungitur. *Subjunctivus modus*, qui etiam conjunctivus, et adjunctivus dicitur, ὑποτακτικός, est unus ex modis verborum, ita dictus, quia subjungitur alteri verbo, vel potius alterum verbum ei subjungitur. Nam eget aliqua re, ut sententia locutionis plena sit, ut: Cum clamem, quare me tacere dicis? *Diomed.*, *Prisc.*, *Appul.* ℙ *Subjunctivae conjunctiones*, quae duo verba postulant, ut sententia sit completa, ut *si*, *cum*, *antequam*, *quamvis*, etc. *Charis.* 2, 200.

SUBJUNCTŌRĬUM, ii, n. quodvis vehiculum, quod subjunctis jumentis trahitur. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 5, 10. Nulli de cetero subjunctorio privato animalia publica praebeantur.

SUBJUNCTUS, a, um, part. a *subjungo:* sub jugum missus. *Plin.* 11, 49, 109. Ostentabat (*Nero*) hermaphroditas subjunctas carpento suo equas. Alii leg. *subjuges. Virg. A.* 10, 157. puppis rostro subjuncta leones, *h. e.* subjunctos seu appositos habens leones. *Vitr.* 10, 6. Boves subjuncti. ℙ Item adjunctus, conjunctus. *Cic. Har. resp.* 17. Video in haruspicum responsis haec esse subjuncta. Alii leg. *Quint.* 7, 9. Saepe, utri duorum antecedentium sermo subjunctus sit, in dubio est: unde est controversia: Heres meus uxori meae dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum. Uter eligat, quaeritur. *Manil.* 2, 325. sin summa prioris, Et pars confertur subjuncti prima, etc. *h. e.* sequentis, subsequentis. ℙ Item substitutus. *Gell.* 1, 25. Exempta una littera sonitus vastioris, et subjuncta lenioris.

SUBJUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. ὑποζεύγνυμι, sub jugum mitto ad currum jungo. *Virg. Ecl.* 5, 29. curra subjungere tigres. *Colum.* 6, 2. *med.* Juvenci vacuo plostro subjungendi. *Manil.* 4, 231. libet subjungere currus, Ardentes et equos ad mollia ducere frena. ℙ Translate. *Virg. A.* 8, 502. Nulli fas Italo tantam subjungere gentem. Externos optate duces, *h. e.* imperio continere, et ducis munere cum ea fungi. ℙ Et simpliciter, jungere sub. *Lucr.* 3, 422. Tu fac, utrumque uno subjungas nomen eorum, *h. e.* jungas sub una re. Alii leg. *uni*, h. e. adjungas, attribuas uni eidemque rei. ℙ Est etiam subigo, subjugo. *Cic. Verr.* 2, 1, 21. Urbes multas sub imperium populi R. ditionemque subjunxit. *Vell.* 2, 39. *f.* Novas provincias imperio nostro subjunxit. *Cic. Agr.* 2, 36. Ut sub vestrum jus, jurisdictionem, potestatem urbes, nationes, provincias, reges subjungeretis. ℙ Translate. *Claud. Idyll.* 1, 30. Tum multis gravior tandem subjungitur annis, *h. e.* subigitur, superatur, vincitur. Alii *subducitur* malunt. *Hor. Ep.* 1, 1, 19. Et mihi res, non me rebus subjungere conor, *h. e.* subdere, subjicere. Alii leg. *submittere.* ℙ Item addo, adjungo, adjicio. *Cic. Or.* 1, 50. *med.* Omnes artes oratori subjungere. *Id. Or.* 27. Aristoteles translationi haec ipsa subjunxit, *h. e.* subjecit tanquam species ejus. *Colum.* 2, 12. *f.* Subjungenda est sarritioni runcatio. *Ov. Met.* 5, 339. Calliope querulas praetentat pollice

chordas, Atque haec percussis subjungit carmina nervis. *Quint.* 9, 4. Cavendum, ne decrescat oratio, et fortiori subjungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur, aut latroni petulans. *Id.* 10, 7. *med.* Tum iis, quae dicit, quae subjuncturus est, quae ultra spectanda sunt, etc. *Plin. ep.* 7, 33. *med.* Dicit Senecio quae res ferebat: aliqua subjungo; et *ep.* 5, 14. Subjunxit preces, multumque lacrimarum. *Front. Aquaed.* 102. Non est alienum subjungere, qui post Messalam huic officio praefuerint. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 94. Amisenos, quorum libellum epistolae tuae subjunxeras, etc. ℙ Item substituto. V. *Gell. l. c.* in v. praec. ℙ *Subjungier* paragoge. *Prud. in Sym.* 2, 586. pro *subjungi*.

SUBLĂBĬUM, ii, n. herba, quae et cynoglosson, et lingua canis appellatur. *Appul. Herb.* 96.

SUBLĂBOR, eris, lapsus sum, dep. 3. ὑποῤῥέω, ὑπολισθαίνω, retro aut paulatim aut occulte labor, dilabor, decido. *Sen. ep.* 71. *f.* Imperfecta necesse est, labent, et modo prodeant, modo sublabantur aut succidant. Sublabentur autem, nisi ire et niti perseveraverint. *Val. Fl.* 6, 556. et cassa frendens sublabitur ira. ℙ Translate. *Sen. Oed.* 817. prima languescit senum Memoria, longo lassa sublabens situ.

SUBLĂBRO, as, a. 1. cibum intra labra mitto, ut interpretatur *Non.* 2, 774. *Novius ib.* Jam ego illi subiens sublabrabo esui illud sinciput.

[SUBLĂCENSIS, e, adj. ad Sublaqueum, nunc *Subbiaco*, pertinens, oppidum Aequorum, in Latio, ad fontes Anionis, de quo ita *Plin.* 3, 12, 17. Ex alia parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus tres amoenitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim. Hic, teste *Tac. A.* 14, 22., fuit Neronis villa, quam *Sublacensem* villam appellat *Front. Aquaed.* 93., qui *ib.* 7, 14. et 15. *viae Sublacensis* ab eodem ibi stratae meminit. *F.*]

SUBLACRĪMANS, antis, part. ab inus. *sublacrimor*, aliquantum lacrimans, ut Sublacrimantes oculi, ap. *Veg. Vet.* 1, 30.

SUBLĂMĪNA, ae, f. lamina, quae alicui rei supponitur. *Cato R. R.* 21. Sublaminas polulas minutas supponito. Alii leg. divisim *sub laminas*.

SUBLAPSUS, a, um, part. a *sublabor*, dilapsus. *Plin. ep.* 10, 75. Aedificia vetustate sublapsa reparare in melius. *Virg. A.* 7, 354. prima lues udo sublapsa veneno Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem. *Id. ib.* 12, 684. montis saxum de vertice praeceps Cum ruit avulsum vento, seu turbidus imber Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas. ℙ Translate. *Id. ib.* 2, 169. Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri Spes Danaum.

SUBLĂQUĔO, as, a. 1. lacunar facio. *Inscr.* ap. *Grut.* 172, 14. Cn. Sulpicius Cn. F. Ruf. IIII. Vir Jur. Dic. sublaqueavit, trabes tecti ferro suffixit, lapide stravit, podio circumclusit sua pec.

[*SUBLAQUEUM, i. V. *Sublacensis*.]

SUBLĀTĒ, adv. ἐπαιρομένως, elate, sublimiter. *Ammian.* 22, 15. *med.* Nilus diebus centum sublatius fluens; minuitur postea. ℙ Translate est magnifice, splendide. *Cic. Brut.* 55. Quoniam ergo bonorum oratorum duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium, *h. e.* sublimi dicendi genere. *Id. Dom.* 36. Nihil enim unquam de me dixi sublatius, adsciscendae laudis causa potius, quam criminis depellendi, *h. e.* arrogantius. Sic *Ammian.* 15, 12. Avidi jurgiorum, et sublatius insolescentes.

SUBLĀTĔO, es, n. 2. subtus lateo, ὑπολανθάνω. *Varr. R. R.* 1, 48. Aristae quasi cornua sunt spicarum, quae primitus cum oriuntur, neque plane apparent, qua sublatent, herba ea vocatur vagina. Alii leg. *qua sub latent herba, ea vocatur vagina*.

SUBLĀTĬO, onis, f. ἄρσις, actus sustollendi, elatio. *Quint.* 9, 4. *med.* Tempus sonum metitur, ut a sublatione ad positionem iisdem sit spatiis pedum; et *mox:* Rhythmi qua coeperunt sublatione ac positione, ad finem usque decurrunt. ℙ Transfertur ad animum. *Cic. Fin.* 2, 4. *f.* Stoici voluptatem sic definiunt: Sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui. ℙ Est etiam ablatio, vel destructio. *Quint.* 7, 1. *f.* An restitutio pro sublatione judicii sit, et perinde valeat, ac si judicium non fuisset.

SUBLĀTUS, a, um, part. a *sustollo:* ἀρθείς, elatus, elevatus. *Caes. B. G.* 4, 23. *f.* Datum signum, sublatae ancorae. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. *f.* Praedonum adventum significabat ignis e specula sublatus. *Id. ib.* 2, 1, 5. *med.* Civis R. sublatus in crucem; et *ib.* 3, 3, 3. Quae manibus sacra quaedam reposita in capitibus sustinebant. *Id. Agr.* 2, 35. Roma in montibus posita, et convallibus, coenaculis sublata atque suspensa. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Ut boves capitibus sublatis arent. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 404. Scorpius cauda sublata. *Virg. A.* 9, 749. et *ib.* 12, 729. sublatum alte consurgit in ensem. *Id. ib.* 2, 474. Lubrica convolvit *(coluber)* sublato pectore terga; et *ib.* 804. sublato montem genitore petivi; et *Lucr.* 1, 95. Iphianassa sublata virum manibus, tremundaque ad aram deducta; et *Phaedr.* 5, 7. Inter manus sublatus, et multum gemens domum refertur. *Hor. Ep.* 6, 7. Agam per altas aure sublata nives, *h. e.* subrecta. *Ov. Met.* 7, 354. sublatus in aera pennis. *Id. Fast.* 3, 851. Nunc potes ad solem sublato dicere vultu, etc. *Virg. A.* 2, 338. sublatus ad aethera clamor. *Gell.* 16, 19. *med.* Carmen quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit. ℙ Item susceptus, educatus: quo sensu *tollere* dicebant. *Virg. A.* 9, 205. Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes Sublatum erudit. *Hor Sat.* 2, 5, 45. Si cui praeterea validus male filius in re Praeclara sublatus aletur. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 72. Qui liberi nati expositi, deinde sublati a quibusdam, et in servitute educati sunt. ℙ Translate. *Tac. A.* 15, 52. Ne L. Silanus eximia nobilitate, disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium invaderet. *Id. ib.* 11, 21. Tali omine in spem sublatus. ℙ Interdum est superbiens, inflatus, elatus. *Ter. Hec.* 3, 5, 56. Quia paululum vobis accessit pecuniae, sublati animi sunt. *Caes. B. G.* 1, 15. Quo proelio sublati Helvetii audacius subsistere coeperunt. *Tac. A.* 13, 11. Juvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus. *Virg. A.* 10, 501. Nescia mens hominum fati sortisque futurae, Et servare modum, rebus sublata secundis. *Ov. Hal.* 54. de leone: Quoque venit, fidens magis et sublatior ardet, Concussitque toros, et viribus addidit iram. ℙ Item ablatus, remotus. *Virg. A.* 8, 175. dapes jubet et sublata reponi Pocula. *Prop.* 2, 12, 9. Quam multa apposita narramus verba lucerna! Quantaque sublato lumine rixa fuit! *Tac. A.* 15, 29. *f.* Sublatum capite diadema imagini subjecit. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 404. Sublatus pudor omnis. *Virg. A.* 12, 26. sine, me haud mollia fatu Sublatis aperire dolis. *Cic. Rosc. Am.* 1. *f.* Non modo ignoscendi ratio, sed etiam cognoscendi consuetudo jam de vivitate sublata est. *Id. ad Brut.* 1, 6. Jampridem hoc ex nostra consuetudine sublatum esse debet. *Hor. Od.* 3, 24, 31. Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi. *Cic. Manil.* 11. *med.* Bellum adventu Pompeji sublatum atque sepultum. *Id. Or.* 1, 58. Veteres leges novis legibus esse sublatas. *Just.* 13, 5. *f.* Morte Leonati laetatus est: quippe et aemulum sublatum, et vires ejus accessisse sibi gratulabatur.

*SUBLAVIO vel Sublabio, onis, oppidum Rhaetiae. *Anton. Itin. B. A.*

SUBLĂVO, as, a. 1. subtus lavo, subluo. *Cels.* 6, 18. *n.* 10. Si anus, vel os vulvae procidit, considerari debet, purumne sit, quod provolutum est, an humore mucoso cirdumdatum. Si humidum est, vino austero sublavandum est. Est qui leg. *subluendum*. *Capitol. M. Aurel.* 19. Ut, occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublavaret, *h. e.* τὴν φύσην sublueret. *Appul. Herb.* 74. Si mulier laboret inferius, herbae solatae succo se sublavet. V. SUBLUO.

SUBLETĬO et Sullectio, onis, f. collectio post primam lectionem facta, substitutio in locum alterius. *Tert. adv. Marc.* 4, 31. *med.* Mandat de plateis et vicis civitatis facere sublectionem. ℙ [*Sullectio* est etiam diminutivum masculinum, et nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 255. Dulcissimae filiae Publiciae Maximinus pater, et Sullectio et Eunoea nutritores. *F.*]

SUBLECTO, as, a. 1. [*frequent. a *sublicere*, ut *delectare*, a *delicere*, *allectare* ab allicere. V. *Lindem.* ad *Pl.* l. l.] oblectando clam decipio. *Pl. Mil.* 4, 2, 74. Ut ludo! *Mi.* Quid ego? ut sublecto os! V. SUBAGITO.

SUBLECTUS et Sullectus, a, um, part. a *sublego:* [*Sub aliqua re lectus.] *Colum.* 12, 17. Ficus viridis cum sublecta est, in amphoras conditur. ℙ Item surreptus. *Pl. Rud.* 3, 4, 43. Liberos parentibus sublectos habebis. ℙ [*In alius locum substitutus.] *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Hinc legitima: et collegae, qui una lecti: et qui in eorum locum supposito, sublecti, additi, adlecti. *Inscr.* ap. *Grut.* 421, 2. et accuratius ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 56. C. Julius C. F. Fab. Antiochus Philopappus Cos., frater Arvalis, sullectus inter praetorios ab Imp. Caesare Nerva Trajano optumo Augusto, Germanico, Dacico.

SUBLĔGO, is, egi, ectum, a. 3. ἀναλέγω, subtus lego, sub aliqua re colligo. *Colum.* 12, 50. Si bacca tempestatibus in terram decidit, necesse est eam sublegere. *Hor. Sat.* 2, 8, 10. puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit, et alter Sublegit quodcumque jaceret inutile. ℙ Translate est clam excipere, aucupari, intercipere. *Pl. Mil.* 4, 2, 98. Clam nostrum hunc sermonem sublegerunt. Adde *Turpil.* ap. *Non.* 4, 271. Sic *Virg. Ecl.* 9, 21. Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper, *h. e.* te non sentiente percepi. ℙ Item sufficere, substituere. *Liv.* 23, 23. Et ita in demortuorum locum sublecturum. *Cic. in toga cand.* ap. *Ascon. f.* Nescis, me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum, et meo beneficio in tertium locum esse sublectum? [*Tac. A.* 11, 35. in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque e senatu — paucis jam reliquis familiarum quas Romulus majorum et L. Brutus minorum gentium appellaverunt, exhaustis etiam quas dictator Caesar — et Augustus — sublegere. Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* l. l.] *Just.* 3, 3. Lycurgus populo *(Spartano)* sublegendi senatum potestatem permisit. *Val. Max.* 6, 4. *n.* 1. Majori parti senatus principes Latinorum in ordinem suum sublegi placebat.

SUBLESTUS, a, um, adj. infirmus, tenuis. [*Voss.* in *Etym.* derivat ab ὑπόλισπος, quod ab ὑπό, sub, et λίσπος, gracilis. Hinc fortasse *lesto* Italorum derivandum est. *F.* *Demonstravit *Doederl.* 2, 101. sq. *sublestus* formatum esse a *sublevare*, ut *astus* ab *acuere*, *vastus* a *vacare* vel *vagari*, *faustus* a *favere; sublestamque fidem* ap. *Pl.* eandem esse atque *elevatam fidem* ap. *Suet. Cal.* 8.] *Festus:* Sublesta antiqui dicebant infirma et tenuia. Plautus in Persa (3, 1, 20.) Ad paupertatem si immigrant infamiae, gravior paupertas fit, fides sublestior. Idem in Nervolaria vinum ait sublestissimum, quia infirmos faciat vel corpore, vel animo. Haec *Festus.* Eodem fere modo *Non.* 2, 830. Sublestum est leve, frivolum. Plautus: Nam ubi ad paupertatem, etc. *Pl. Bacch.* 3, 6, 13. Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide. ℙ Quod *Festus* de vino dixit, nonnullis minus placet. Potius enim *sublestissimum vinum* esse aqua multa dilutum, tenue, sine viribus.

SUBLĔVĀTUS, a, um, part. a *sublevo:* sublatus, erectus. *Caes. B. C.* 2, 34. *med.* Ut in ascensu, non uisi sublevati a suis, primi non facile eniterentur. Adde *B. G.* 7, 47. *f.* [*Id. ib.* 1, 48. Sublevatus juba equi: de eo, qui prehensa juba attollitur, et ex ea pendens ab equo portatur.] ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 37. *med.* Zopyrus derisus est a ceteris, ab ipso autem Socrate sublevatus.

SUBLĔVO, as, avi, atum, a. 1. ὑπεξαίρω, sursum levo, erigo. *Cic. Att.* 10, 4. Qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne lublevabat quidem. *Auct. ad Her.* 4, 50. Sinistra mentum sublevat, *h. e.* sustollit, et sustinet. *Liv.* 28, 20. Primi sequentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui praeirent, in summum evadunt. [*Cf. 5, 47. *Suet. Vesp.* 34. inter manus sublevantium exstinctus est.] *Plin.* 11, 17, 17. Apes regem fessum humeris sublevant: validius fastigatum ex toto portant. *Id.* 9, 8, 9. Piscatores retia furcis sublevant. *Virg. A.* 10, 831. et terra sublevat ipsum Sanguine turpantem comptos de more capillos. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 89. nodus, qui sublevat ensem, *h. e.* sustinet. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 160. hanc pisce volutam Sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris, *h. e.* vehit, Sic *Id. II. cons. Stil.* 358. vix sublevat unum Tarda ratis. ℙ *Sublevare se*, se erigere. *Caes. B. G.* 6, 26. Alces crura sine nodis articulisque habent, neque, si quo afflictae casu conciderunt, erigere se, aut sublevare possunt. ℙ Translate est favere, juvare, erigere, tueri. *Cic. Div. Verr.* 2. *med.* Videor non omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere; et *Verr.* 2, 3, 92. *med.* Eadem illa aestimatione alter sublevarat aratores, alter everterat. *Plin. ep.* 5, 14. Reum non modo non presserunt, verum etiam sublevaverunt *Suet. Cal.* 53. *f.* Vel onerare sententia sua aliquem, vel sublevare. *Cic. Caecin.* 9. Non minus nos stultitia illius sublevat, quam laedit improbitas. *Id. Phil.* 7, 9. Sublevare vicinos suis facultatibus. *Nep. Att.* 2. fugam alicujus pecunia. *Tac. A.* 3, 12. *med.* innocentiam. *Ov. Trist.* 1, 3, 101. absentem auxilio. *Hirt. B. G.* 8, 34. oppidanos re frumentaria. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* testes, *h. e.* si titubare videantur, opportunis interrogationibus confirmare, et veluti in gradum reponere. [*Suet. Tib.* 48. ne provincias quidem ulla liberalitate sublevavit.] ℙ Item minuere, levare, mitigare, lenire: ea scilicet, quae gravia sunt et molesta, levia et lenia reddere. *Caes. B. C.* 3, 80. *med.* Docuit, quantum usum haberet ad sublevandam omnium rerum inopiam, potiri oppido pleno atque opulento. *Cic. Tusc.* 4, 10. Sublevare calamitates hominum indignorum. *Id. Mur.* 4. pericula. *Id. Sull.* 27. res adversas amicorum. *Id. Am.* 24. offensionem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 3. *med.* odia. *Tac. A.* 14, 4. metum. *Caes. B. G.* 6, 31. *f.* laborem militum. *Id. B. C.* 3, 73. *med.* Si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam. *Q. Cic. Pet. cons.* 1. Nominis novitatem dicendi gloria maxime sublevabis, *h. e.* minues invidiam, qua, homo novus cum sis, non laborare non potes. *Varr. R. R.* 3, 14. Tuas partes, inquit, sublevavit Appius, e Merula noster. ℙ [*Infirmare *Cic. Coel.* 4. sublevabis causam inimici; et *ib.* 29. sublevare quaestionem, est impedire, tollere, ut ne haberi possit, v. c. de servo, cum manumittitur. *Schütz. cl. Cic.* At *Orell.* hab. *sublata*.]

SUBLĪCĂ, ae, f. trabs praelonga, humi statuta, et erecta ad quippiam sustinendum, pertica, palus. V. v. sq. *Liv.* 23, 37. Turrem ex ipso muro excitavit consul aliquanto altiorem, quia muro satis per se alto, subjectis validis sublicis, pro solo usus erat. Alii leg. *subliciis*, ut sit a recto *sublicium*. *Vitr.* 3, 3. *in.* Si solidum non invenietur, tunc is locus fodiatur, et palis configatur, sublicaeque machinis adigantur quam creberrimae. Adde *Caes. B. C.* 3, 49. ℙ De trabibus, quae in alveo fluminis defixae pontem sustinent: πρόβολος, ῥοπή. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna bina sesquipedalia in flumen defixerat, non sublicae modo directa ad perpendiculum, sed, etc. et *ib.* 7, 35. *f.* Iisdem sublicis, quarum pars inferior

integra remanebat, pontem reficere coepit. Adde *Liv.* 1, 37.

SUBLĪCES, um, m. plur. idem ac sublicae. [*Festus:* Sublicium pontem quidam putant esse appellatum a sublicibus peculiari vocabulo Volscorum, quae sunt tigna in latitudinem extensa, quae non aliter Formiani vocant, quam a nomine eorum; et quae ab aliis auctoribus sublices vocantur, quod sub eis aqua liquens haberetur. *Schneiderus* autem ad *Vitr.* 3, 3. putat, *sublices* esse a *sublex*, *icis*, quod ab ὑποβλὴς, ῆτος, vel ab ὑποβλὲξ, ἔγος (ut ἐπιβλὴς, pessulus), quia palus in aqua defixus ponti subjicitur. *Gloss. Philox.* Sublices, καταπῆγες οἱ ἐν τῷ ποταμῷ τὴν γέφυραν ὑποβαστάζοντες. *F.*]

SUBLĪCIUM. V. SUBLICA.

SUBLĪCIUS Pons, qui et Aemilius, unus ex Romae pontibus, cujus adhuc durant vestigia, sub monte Aventino, ad eam partem Tiberis, qua Janiculum ab urbe dirimit, sine clavis ferreis ea arte constructus, ut trabes sine fulturis eximi possent, ac reponi. Id enim religiosum esse coepit, ex quo, defendente Coclite, aegre revulsus est. Dictus est autem *Sublicius*, quod ligneus esset, et sublicis fulciretur. *Plin.* 36, 15, 23. ℙ Exstructus fuit ab Anco rege, cui placuit Janiculum Urbi conjungere. *Liv.* 1, 33. ℙ Ab hoc ponte saepius a pontificibus refecto, ut cis et uls Tiberim sacra fierent, pontifices dictos esse, *Varr. L. L.* 4, 15. existimat. *Id. ib.* 6, 3. *med.* ait, ab hoc ponte Argeorum simulacra quotannis a sacerdotibus jaci solere. Hinc *Ov. Fast.* 5, 621. Tum quoque priscorum virgo (*Vestalis*) simulacra virorum Mittere roboreo scirpea ponte solet.

SUBLĪDO, is, isi, isum, a. 3. aliquantum oblido. *Prud. Apoth.* 915. de tibiae sono: Aut exile trahens sonitus producit acutos, Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.

SUBLĪGACŪLUM, i, n. περίζωμα, vestis qua pudenda teguntur: ita dictum, ut ait *Non.* 1, 121., quod subtus ligetur. Cum femoralia olim non haberent Romani, velamen subligabant verecundiae causa. *Cic. Off.* 1, 35. *f.* Scenicorum quidem mos tantam habet veteri disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, siquo casu evenerit, ut corporis partes quaedam aperiantur, aspiciantur non decore. [**F. Heusing.* ex *Non. Ms.* perantiquo *Gu.* et *ed. Merc.* hic commendat syncopen *subligaclo.* Cf. *Beier.* ad h. l. et *Goer.* ad *Acad.* II, 64, 108.]

SUBLĪGAR, āris, n. idem ac subligaculum. *Plin.* 12, 14, 32. Subligaria signantur artifici (*tus metenti*): scil. ne in tractando ture aliquam partem artifex in ea recondat. *Mart.* 3, 87. Si pudor est, transfer subligar in faciem. Adde *Juven.* 6, 70. [**V. Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 35.]

SUBLĪGĀTĬO, onis, f. actus subligandi. *Pall.* 1, 6. *med.* Subligatio acerbis uvis facienda est, quando excutiendi aut rumpendi acini nulla formido est.

SUBLĪGĀTŪRA, ae, f. subligaculum, περίζωμα. *Theod. Prisc.* 1, 26. Herniarum perseverantiam subligatura percurare. [Alii rectius divisim ita legunt: *Hoc herniarum perseverantiam intus sub ligatura, etiam veterum, percurabit. F.*]

SUBLĪGĀTUS, a, um, part. a *subligo*, subtus ligatus. *Mart* 7, 67. Harpasto quoque subligata ludit, *h. e.* subligaculo velata.

SUBLĪGO, as, avi, atum, a. 1. ὑποδέω, subtus ligo. *Cato R. R.* 33. et ex eo *Plin.* 17, 22, 36. *n.* 20. Ubi uva varia fieri coeperit, vites subligato. *Virg. A.* 8, 459. Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem; et *ib.* 11, 10. clypeumque ex aere sinistrae Subligat, atque ensem collo suspendit eburno. *Val. Fl.* 5, 444. truncas nemorum effigiesque virorum Rite locat quercus, simulataque subligat arma. *Id.* 6, 700. Subligat extrema patrium cervice tiaram. *Id.* 5, 579. Quis procul ille virum nobis, quem balteus asper Subligat? *Stat. Theb.* 6, 366. chelyn lauro textumque illustre coronae Subligat.

[SUBLĪMĀTOR, oris, m. qui aliquem sublimat. *Salv. Gub. D.* 1, 8. Deus est probator (*Abrahami*), quia tentari asperis voluit; sublimator, quia potentiorem omnibus fecit. *F.*]

SUBLĪMĀTUS, a, um, part. a *sublimo*, in sublimi positus. *Vitr.* 6, 9. *med.* Granaria sublimata, et ad septentrionem spectantia disponantur. ℙ Item in altum evectus. *Appul. Met.* 3. Mox femina mutata in bubonem, sublimata in altum forinsecus totis alis evolat. ℙ Translate. *Aurel. Vict. Epit.* 4. *med.* Pallas praetoriis ornamentis sublimatus.

SUBLĪMĔ, adv. V. SUBLIMIS.

SUBLĪMEN, inis, n. limen superius ostii, ut vult *Scal.* ad *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* p. 235.: aliis inferius; quod magis placet. Hic tamen pro *sublimen* cum aliis *Schneiderus* legendum putat *supplementum*, quem consule. *Prop.* 2, 19, 57. At nullo dominae teritur sublimine amor. Alii rectius divisim leg. *sub limine.*

SUBLĪMIS, e, adj. μετέωρος, ὑψηλὸς, altus, excelsus, elevatus, supra nos positus, ut limen superum ostii: ut ait *Festus* in *Sublimavit. Idem:* Sublime est in altitudinem elatum, ut Ennius in Thyeste: Aspice hoc sublime candens, quem vocant omnes Jovem: (refertur hic versus etiam a *Cic. N. D.* 2, 25. et *ib.* 3, 4.) *Virg. in G.* 1, 242. Hic vertex nobis semper sublimis. *Sen. Q. N.* 2, 1. Omnis de universo quaestio in coelestia, sublimia, et terrena dividitur. Prima pars naturam siderum scrutatur. Secunda tractat inter coelum terramque versantia: haec sunt nubila, imbres, nives, tonitrua: quaecumque aer facit, patiturque. Haec sublimia dicimus, quia editiora sunt imis. [**Etym. Doederl.* 2, 101. sq. facit a *sublevare*, ita ut *sublimis* contractum ex *sublevimis* eadem ratione, qua *subtilis* ex *subtegilis*, similem habeat terminationem ac *incolumis.* Primam vocis significationem esse, qua pertineat ad id, quod nullo fundamento posito medium sit inter terram et coelum, antiquitusque proprium vocabulum fuisse de aere; deinceps invecto in Latium Gr. v. ἀὴρ, quod magis naturam aeris spectet, significando aeris loco inservisse. Reliqua de hoc vocabulo perquam eleganter disputata, quae huc transferre longum erat, lege sis ap. ipsum.] *Virg. G.* 1, 404. Apparet liquido sublimis in aere Nisus. *Tibull.* 1, 7, 83. Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo Spectat. *Ov. Met.* 1, 666. montis sublime cacumen. *Virg. A.* 12, 133. alii portis sublimibus adstant. *Id. ib.* 9, 682. quercus sublimi vertice nutant. *Hor. Od.* 3, 1, 45. novo Sublime ritu molior atrium. *Ov. Met.* 2, 1. Regia solis erat sublimibus alta columnis, *Plin.* 2, 59, 60. Arcus (*iridis*) sublimes sunt humili sole, humilesque sublimi. [**Varr. R. R.* 1, 57. Granaria sublimia.] *Juven.* 11, 24. quanto sublimior Atlas Omnibus in Libya sit montibus. *Lucan.* 3, 86. Sublime nemus. *Id.* 7, 342. Sublimis equus. *Colum.* 3, 8. Armentis sublimibus insignis Mevania est, Liguria parvis; et *Hor. Od.* 1, 15, 31. Sublimi fugies mollis anhelitu, *h. e.* elato vultu anhelans ex cursu et ascensu in fuga: facilius enim sublata facie spiritus ducitur. *Id. ib.* 3, 26, 11. sublimi flagello Tange Chloen, *h. e.* alte sublata, ut sit gravior ictus. *Sen. Tro.* 1088. Sublimi gradu incedit Ithacus. ℙ Saepe *sublimis* dicitur, qui in altum per aera fertur. *Liv.* 1, 16. *f.* (et *ib.* 34. et *Virg A.* 1, 419.) Haec locutus sublimis abiit. *Ov. Met.* 5, 648. Jam super Europen sublimis et Asida terras Vectus erat juvenis. *Virg. A.* 11, 722. Consequitur (*accipiter*) pennis sublimem in nube columbam. *Id. ib.* 5, 255. quem praepes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis. ℙ Item qui sublimi loco sedet. *Catull.* 68, 49. tenuem texens sublimis aranea telam. *Ov. Met.* 6, 650. sedens solio Tereus sublimis avito. *Id. Her.* 12, 179. Tyrio jaceat sublimis in ostro. *Virg. A.* 7, 285. Aeneadae Sublimes in equis redeunt. ℙ *Sublimem rapere*, *arripere*, aut *ferre aliquem* ap. *Pl. As.* 5, 2, 18., *Men.* 5, 7, 6. et 5, 8, 3. et *Mil.* 5, 1. et *Ter. Andr.* 5, 2, 20. et *Adelph.* 3, 2, 18. est invitum aliquem vi abripere inter manus, ita ut terram non contingat. Fiebat id fere servis, qui rapiebantur ad poenam. ℙ *Sublime* absolute est altitudo, sublimitas. *Cic. N. D.* 2, 56. Sonus natura in sublime fertur. *Suet. Claud.* 27. et *Oth.* 2. Jactare aliquid in sublime. *Plin.* 10, 38, 54. Aves ejaculantur sese in sublime. *Id.* 31, 6, 31. Aqua surgens in sublime. *Id.* 18, 35, 87. Grues per sublime volantes. *Id.* 27, 12, 105. Datur decoctum ejus contusis, ex sublimi devolutis. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 2. Dianae facies in sublimi posita. ℙ Ponitur et adverbii ritu pro sublimiter. *Cic. Tusc.* 1, 43. Theodori nihil interest, humine, an sublime putrescat; et *Div.* 2, 31. *f.* Scuta, quae fuerant sublime fixa, sunt humi inventa; et *N. D.* 2, 39. *f.* Aer fusus et extenuatus sublime fertur; et *Liv.* 21, 30. *med.* Eos ipsos, quos cernant, legatos, non pennis sublime elatos Alpes transgressos; et *Lucret.* 6, 96. sublime volantes Aetheriae nubes. *Virg. G.* 1, 318. ventorum concurrere proelia vidi, Quae gravidam late segetem ab radicibus imis Sublime expulsam eruerent. *Sil.* 11, 275. multoque procul splendentibus ostro Accipitur sublime toris; et *ib.* 132. sublime sedens. ℙ Translate *sublimis* est excellens, praestans, egregius. *Hor. A. P.* 457. sublimes versus ructatur. *Juven.* 7, 28. Qui facis in parva sublimia carmina cella. *Hor. Ep.* 2, 1, 164. natura sublimis et acer. *Mart.* 9, 1. et 79. sublimi pectore vates. ℙ Item magnus, grandis. *Hor. Ep.* 1, 12, 15. Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures. ℙ Item illustris, nobilis. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Antiqui reges, ac sublimes viri. *Juven.* 8, 231. Quis, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi Inveniet quidquam sublimius? *Virg. A.* 10, 143. quem pulsi pristina Turni Aggere murorum sublimem gloria tollit. *Id. ib.* 1, 263. sublimemque feres ad sidera coeli Magnanimum Aeneam. *Ov. Trist.* 4, 10, 121. Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare Fama solet. *Lucan.* 10, 377. communis gloria nobis: Nos quoque sublimes Magnus facit. *Plin.* 22, 5, 5. Qua claritate nihil in rebus humanis sublimius duco. ℙ Item qui altiore animo est, magnanimus, fortis. *Ov. Fast.* 1, 301. Non Venus et vinum sublimia pectora fregit, Officiumve fori, militiaeve labor. *Id. Pont.* 3, 3, 103. Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum, Grandius ingenio nec tibi nomen inest. *Hor. A. P.* 165. *de juven. morib.* Sublimis, cupidusque, et amata relinquere, pernix, *h. e.* elatus, audens, ὑπέροχος. ℙ Stilus sublimis dicendi est eorum, qui grandiloqui sunt cum sententiarum gravitate et majestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves, ut *Cic. Or.* 5. *f.* loquitur. [**Cf. Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 378. sq.] *Ov. Am.* 3, 1, 39. Non ego contulerim sublimia carmina nostris, *h. e.* tragica elegiacis, *Plin. ep.* 9, 26. Visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam, ut tumida, quae ego sublimia; ut improba, quae ego audentia; ut nimia, quae ego plena arbitrabar. *Quint.* 11, 1, Quid prodest, si genus sublime dicendi parvis in causis, parvum limatumque grandibus adhibeamus? Adde 8, 3. ℙ Olim *sublimus*, *a*, *um*, dictum est. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 8, 45. Sublima nebula coelum obscurabat. *Accius ib.* Saepe ex humili sede sublima evolat. *Lucret.* 1, 340. per maria ac terras, sublimaque coeli. ℙ Sup. *Sublimissimus* ap. *Tert. Apol.* 33. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Adde *Sym. ep.* 6, 57. (al. 56.) et *Imp. Justin. Cod.* 7, 62, 39.

SUBLĪMĬTAS, atis, f. ὑψηλότης, altitudo, elevatio. *Quint.* 12, 5. *med.* Sublimitas corporis. *Colum.* 8, 3. Cellarum sublimitas divitatur tabulatis. *Plin.* 19, 5, 24. Cucurbitarum natura sublimitatis avida; 2, 16, 13. Sublimitates lunae. ℙ Translate. *Id.* 7, 25, 26. Illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas, captis Pompeji scriniis epistolarum, concremasse ea optima fide, atque non legisse. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 5. Haec est in pictura summa sublimitas. ℙ De sublimi dicendi stilo. *Plin. ep.* 1, 10. Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit; et *ep.* 16. Splendor et sublimitas narrandi. *Quint.* 8, 3. Sublimitas, et magnificentia, et nitor; et *ib.* 6. *med.* Praecipueque ex his oritur sublimitas, quae audaci et proxime periculum translatione tolluntur. *Id.* 8, 8. Sublimitas heroici carminis.

SUBLĪMĬTER, adv. μετεώρως, ὑψηλῶς, alte, sublime. *Cato R. R.* 70. Bos ipsus, et qui dabit (*medicamentum*), facito, ut uterque sublimiter stent, *h. e.* celso et erecto corpore. *Colum.* 8, 11. Pavo nec sublimiter potest, nec per longa spatia volitare; et *ib.* 15. Locus munitur sublimiter pedum quindecim maceria. *Ov. Hal.* 69. sublimius altum Attollit caput. ℙ Refertur ad orationem. *Quint.* 9, 4. *f.* Quis dubitat, alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda?

[SUBLĪMĬTUS, adv. cum saltu. *Front. ad Ver. imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Pauci militum equum sublimitus insilire, ceteri aegre calce, genu, poplite repere. Hoc *Plin.* 8, 16, 19. *saltu insilire* dixit; et *Virg. A.* 12, 288. corpora saltu subjiciunt in equos. *F.*]

SUBLĪMO, as, avi, atum, a. 1. μετεωρίζω, in altum sublevo, tollo, exalto. *Enn.* ap. *Non.* 2, 775. Sol, qui candentem in coelo sublimat facem. *Festus:* Sublimavit, dixit (*Cato*), in altum extulit, Originum libro secundo: In maximum decus, atque in excelsissimam claritudinem sublimavit. Id autem dicitur a limine superiore, quia supra nos est. *Appul. Flor. n.* 2. Aquila cum se nubium tenus altissime sublimavit. *Prud. Apoth.* 913. de sono tibiae: Aut tumidum largo sublimat flamine bombum, Aut raucos frangit modulos, etc. *Macr. Sat.* 1, 24. *med.* Si aliarum disciplinarum doctrina destitueretur, haec illum vel sola professio sublimaret. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 29. *med.* Quem sublimat et illustrat consulatus. *Tert. ad Valent.* 20. Corpora gravia, levia, sublimantia. *Hieron. ep.* 1. *n.* 11. O divinae potentiae sublimanda majestas!

[SUBLĪMUS, a, um, adj. aliquantisper limus. *Tert. Pall.* 4. *med.* Si praestat oculos abducere ab ejusmodi propudiis, aspice tamen vel sublimis (*scil.* oculis,) *h. e.* oculis saltem aliquantulum limis. ℙ *Sublimus* idem ac *sublimis.* V. h. v. *F.*]

SUBLINGĪO, onis, m. servus culinarius, coci discipulus, lingendis magis patinis, quam coquendis obsoniis idoneus. *Pl. Ps.* 3, 2, 103. Jam hic quoque scelestus est coqui sublingio.

[SUBLINGUĪUM, ii, n. id quod sub lingua est. *Isid. Or.* 11, 1. *med.* Sublinguium, operculum gurgulionis, quasi parva lingua, quae foramen linguae recludit, operitve. *F.*]

SUBLĪNĬO, is, a. 4. idem quod sublino. *Pl. Mil.* 2, 1, 75. Sublinitum est os custodi mulieris. V. dictionem sq.

SUBLĪNO, is, lēvi, lĭtum, a. 3. ὑποχρίω, subtus linio, primum colorem induco. *Plin.* 33, 5, 27. Sublinunt chrysocollam arenosam, priusquam inducant, atramento, paraetonio. *Id.* 35, 6, 26. Si purpuram facere malunt, caeruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt. ℙ Item substernere, supponere. *Id.* 36, 23, 55. Uliginosa (*loca*), et ubi salsugo vitiat, testaceo sublini utilius. *Id.* 37, 7, 31, Sardonyche argenteis bracteis sublinitur, *h. e.* substratur suppositis bracteis; et *mox:* Inveniuntur et circa Leucada, quae bractea aurea sublinuntur. *Cato R. R.* 15. Maceriam locari oportet, uti sublinat conductor, *h. e.* calce inducat. ℙ Translate *sublinere os alicui* est illudere et pro ridiculo habere: tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, ut *Non.* 1, 219. docet. Cujus ludi exempla habes ap. *Virg. Ecl.* 6, 22. et *Petr. Sat.* 22. Hinc de iis dicitur, qui simulatione officii, aut ficte blandiendo, fallunt, decipiunt, fraudant, ὑποστομίζειν. *Pl. Mil.* 2, 5, 57. Ut sublinitur os custodi cauto,

conservo meo! et *Merc.* 2, 4, 17. Vin' patri sublinere pulcre me os tuo? *Cha.* sane volo. *Id. Capt.* 3, 4, 123. Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis. *Id. Aul.* 4, 6, 2. Fidei censebam maximam multo fidem esse: ea sublevit os mihi paenissime.

SUBLĪTUS, a, um, part. a *sublino*, subtus illitus. *Plin.* 11, 37, 45. Urorum cornua in laminas secta translucent, multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, *h. e.* nunc in superiori parte picta, nunc subtus aliquo colore supposito ornata. *Id.* 33, 6, 32. Argentum vivum, cum aera inaurantur, sublitum bracteis pertinacissime retinet. *Id.* 30, 9, 23. Lacertae viridis sanguis, jumentorum pedes sublitus sanat. ℙ Translate *sublitum os* alicui dicitur, cum is deceptus est, et fraudatus, ut dictum est in v. praec. *Pl. Capt.* 4, 2, 3. Ad illum modum sublitum os esse hodie mihi? *Id. Epid.* 3, 4, 55. Senex tibi os est sublitum plane et probe.

*SUBLIPPUS, a, um, adj. ὑπόπτιλλος, *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

SUBLĪVĬDUS, a, um, adj. *ὑποπέλιδνος*, aliquantulum lividus. *Cels.* 5, 28. *n.* 1. Pustulae eminent sublividae, aut pallidae. Adde *n.* 11. *med.*

SUBLŪCĀNUS, a, um, adj. *ἀμφίλυκος*, qui sub lucem fit, sublustris. *Plin.* 11, 12, 12. Sublucanis temporibus.

SUBLŪCĔO, es, xi, n. 2. *ὑποφαύσκω*, subtus vel aliquantum luceo. *Ov. Am.* 1, 5, 5. Qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo. *Cic.* in *Arat.* 289. Aries sublucet corpore totus. *Plin.* 14, 20, 25. Experimentum picis, si fragmenta subluceant. *Id.* 9, 36, 60. Nigrantis rosae colore sublucens. *Ov. Her.* 21, 215. Concidimus macie: color est sine sanguine, etc. Candida nec mixto sublucent ora rubore. *Virg. G.* 4, 275. violae sublucet purpura nigrae, *h. e.* apparet nitor purpurae sub nigrore violae.

SUBLŪCĬDUS, a, um, adj. aliquantum lucidus, *ὑπολαμπής*. *Appul. Met.* 6. *in.* Sublucidus lucus.

SUBLŪCO, as, a. 1. *ὑποκαθαίρω*. *Festus:* Sublucare arbores est ramos eorum supputare, et veluti subtus lucem mittere. V. COLLUCO.

SUBLŪGĔO, es, a. 2. breviter lugeo. In *cenotaph. Pisano C. Caesar.* Matronas, quae in colonia nostra sunt, sublugere, etc. V. *Fragm. Jur. civ. Antejust.* in LUGEO.

SUBLŬO, is, ui, utum, a. 3. *ὑπολούω*, subtus lavo, expurgo. *Cels.* 4, 15. Quoties desedit, subluere aqua calida. *Colum.* 6, 32. Intertrigo bis in die subluitur aqua calida. *Caes. B. G.* 7, 69. Cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant, *h. e.* subter fluendo alluebant. *Mart.* 6, 8. Inguina sic toto subluis in solio. V. SUBLAVO.

SUBLŪRĬDUS, a, um, adj. *ὑποπέλιδνος*; aliquantulum luridus. In *supposit. Amphitr. Plauti, scena quae incipit*, Quis tam vasto, *in fine.* Ut primum coivit cicatrix rufula, sublurida.

SUBLUSTRIS, e, adj. *ὑπόλαμπρος*, lumine aliquo illustratus, ut Sublustris nox, et Sublustris umbra, quae habet aliquid luminis. *Virg. A.* 9, 373. Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit immemorem. *Hor. Od.* 3, 27, 31. Nocte sublustri nihil astra praeter Vidit, et undas. *Val. Fl.* 3, 141. simul aspera victor Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra. Adde *Liv.* 5, 47. ℙ Transfertur ad ea, quae habent aliquid ornamenti. *Gell.* 13, 21. *med.* Quae quoniam sunt eloquentiae Latinae tunc primum exorientis lumina quaedam sublustria, libitum est, ea mihi *ἀπομνημονεύειν*.

SUBLŪTĔUS, a, um, adj. aliquantum luteus. *Arnob.* 5, 164. Color purpurei luminis offectione subluteus. *Appul. Flor. n.* 12. Non color lacteus ille, vel lividus, vel utrinque subluteus.

SUBLŪTUS, a, um, part. a *subluo*, subtus lavatus. *Mart.* 2, 42. Zoile, quid solium subluto podice perdis?

SUBLŪVĬES, ei, f. *ῥύπος*, sordes et immunditiae, quas et illuviem, et proluviem vocamus. *Appul. Met.* 9. Via subluvie coenosa lubrica. *Ammian.* 15, 4. Nec limosa subluvie tardatur properans flumen Rhenus. ℙ Est etiam genus morbi in discrimine ungulae ovium nascens ex collectione saniei. *Colum.* 7, 5. *med.* Clavi quoque dupliciter infestant ovem, sive cum subluvies atque intertrigo in ipso discrimine ungulae nascitur, seu cum idem locus tuberculum habet. Adde *Plin.* 30, 9, 23. Videtur autem esse a *luo*, *λύω*, solvo, quia circa ungulas cutis resolvitur, ut fit in reduvia, quae et ipsa subluvici species dici potest. V. v. sq.

[SUBLŪVĬUM, ii, n. idem ac subluvies. *Marcell. Empir.* 18. *f.* Ad digitorum et articulorum subluvium, vel suppurationem sedandam atramentum sutorum ex aceto tempera, etc. *F.*]

SUBMĂGISTER, tri, m. *ὑποδιδάσκαλος*, promagister. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 82, 1. Deo invicto Mithrae C. Lucretius Mnester, M. Aemilius Phiietus Summag. anni primi M. Aemilii Chrysanthi D. S. D. D. *Marin. Frat. Arv.* p. 55. eas litteras *Summag.* non *submagistri*, ut *Maffejus*, sed *sub magisterio* interpretatur; quemadmodum *summoenianus* dicitur is, qui *sub moenibus* est: ejusdem enim viri ita mentio fit in alia *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 464. *n.* XVIII. Sub M. Aemilio Chrysantho Mag. (*h. e.* magistro) anni primi.

SUBMĂNANS, antis, part. ab inus. *submano*, subtus manans. *Vitr.* 8, 1. *med.* Aquae ex montibus sub terra submanantes.

SUBMĂNUS. V. SUMMANUS.

SUBMASSA. V. MASSA.

[SUBMĔDIUS, a, um, adj. qui medium obtinet locum. *Diomed.* 2, 432. Lectioni posituras accedere oportet, quas Graeci *θέσεις* vocant. Hae tres sunt: distinctio, subdistinctio, media distinctio sive mora, vel, ut quibusdam videtur, submedia; quarum diversitas tribus punctis diverso loco positis indicatur. *F.*]

SUBMEJO, is, n. 3. subtus mejo. *Marcell. Empir.* 8. §. 5. *med.* Ubi cutio manu apprehensus fuerit, statim se submejit.

SUBMEJŬLUS, i, m. qui in lectulo mingit. *Marcell. Empir.* 26. *f.* Ignorans submejulus, *h. e.* infans.

SUBMĔMORĀTĬO, onis, f. *ὑπόμνημα*, tribuitur *Modestino Dig.* 27, 1, 13. *f.*, sed is locus e Graeco *Modestini* est conversus.

[SUBMĔO, as, n. 1. subter meo. *Not. Tir.* p. 131. Meat, remeat, submeat. *F.*]

SUBMERGO et Summergo, is, ersi, ersum, a. 3. *καταδύω*, sub aqua mergo. *Virg. A.* 1, 43. Pallasne exurere classem Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto? *Tac. A.* 14, 5. Navem submergere. ℙ Translate. *Arnob.* 3, 101. Intercipere scripta, et publicatam submergere lectionem.

SUBMERSĬO, onis, f. *ὑπόδυσις*, actus submergendi. *Arnob.* 5, 182. Jovem pro pluvia, Cererem pro terra vultis audire, et pro Libera ac patre Dite submersionem seminis atque jactum. *Firm. Math.* 1, 2. *f.* Quem vides natantem ex crebra submersionis trepidatione deficere.

SUBMERSUS et Summersus, a, um, part. a *submergo: βρύχιος, καταδύς*, demersus. *Cic. Div.* 1, 33. *f.* Cum equum demisisset in flumen, summersus equus voraginibus non exstitit. *Id. ib.* 2, 39. *med.* Quanta maris est pulcritudo! quot genera partim submersarum, partim fluitantium, et innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium! et *Colum.* 12, 4. *f.* Salgama non innatent, sed semper sint jure submersa. *Caes. B. C.* 3, 39. Faucibus portus navem onerariam submersam objecit. *Virg. A.* 1, 583. Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi Submersum; et *ib.* 73. submersaque obrue puppes. *Id. ib.* 5, 125. Saxum quod tumidis submersum tunditur olim Fluctibus. *Just.* 2, 1. *med.* Si omnes quondam terrae submersae profundo fuerunt. *Ov. Met.* 1, 277. ferrum igne rubens Cum faber eduxit, lacubus demittit, at illud Stridet, et in trepida submersum sibilat unda. *Claud. B. Gild.* 42. Urbs submersa. ℙ Translate. *Id. IV. cons. Honor.* 221. Vile latens virtus: quid enim submersa tenebris Proderit obscuro?

SUBMERSUS, us, m. submersio. *Tert. Anim.* 32. *med.* Anima submersu piscinarum strangulabilis.

SUBMĔRUS, a, um, adj. qui meri aliquantum habet admixtum. *Pl. Stich.* 1, 3, 115. Nae iste edepol vinum poculo pauxillulo saepe exantlavit submerum scitissume.

[SUBMĔTĬOR, iris, dep. 4. aliquantisper metior. *Not. Tir.* p. 118. Metitur, submetitur. *F.*]

[SUBMĪCO, as, n. 1. furtim et celate mico. *Not. Tir.* p. 110. Micat, submicat. *F.*]

[SUBMIGRO, as, n. 1. occulte migro. *Not. Tir.* p. 145. Migrat, submigrat. *F.*]

SUBMĪNĬĂ, ae, f. ap. *Pl. Epid.* 2, 2, 48. nomen est vestis femineae, fortasse a minii colore sic dictae, quia miniacei ruboris nonnihil habeat.

[SUBMĪNĬSCOR, eris, dep. 3. aliquantum miniscor. *Not. Tir.* p. 125. Reminiscitur, subminiscitur. *F.*]

SUBMĪNISTRĀTĬO, onis, f. *χορηγία*, actus subministrandi, praebitio. *Tert. Apol.* 48. *f.* Ignis jugis habens divinam subministrationem incorruptibilitatis.

SUBMĪNISTRĀTOR, oris, m. *χορηγός*, qui subministrat, praebitor. *Sen. ep.* 114. *f.* Subministrator libidinum, testisque.

SUBMĪNISTRĀTUS, a, um, part. a *subministro*, suppeditatus, praebitus. *Caes. B. G.* 4, 20. In Britanniam proficisci contendit, quod hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat.

SUBMĪNISTRĀTUS, us, m. subministratio. In sexto casu sing. *Macr. Sat.* 7, 12. *med.* Potionis totius haustus in omne corpus simul penetrat, cibus autem exiguo subministratu paulatim penuriam consolatur.

SUBMINISTRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκπορίζω*, suggero, suppedito, praebeo. Locum autem praecipue habet in iis, quae non tota simul, sed per partes praebentur. *Cic. Dejot.* 9. Sese exspoliare maluit, quam tibi pecuniam non subministrare. *Id. Coel.* 9. Palam in eum tela jaciuntur, clam subministrantur. *Quint.* 5, 7. Subministrare tela ad manum. *Colum.* 5, 10. *med.* aquam radicibus. *Caes. B. G.* 1, 40. *med.* Frumentum Sequanos, Lingones subministrare. *Plin.* 33, 6, 31. Puteus qui CCC. pondo argenti Annibali subministravit in dies. *Id.* 34, 14, 41. Terrae aliae ferrum molle tantum, plumboque vicinius subministrant, aliae fragile et aerosum. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. *f.* Quoniam tabellarios subministras, hodierni diei res gestas habebis. *Id. Inv.* 1, 5. *med.* Aristoteles huic arti plurima adjumenta atque ornamenta subministravit. *Suet. Tib.* 61. Subministrare alicui occasiones saeviendi. *Just.* 6, 7. Tantum animorum viriumque patriae et penatium conspectus subministrat. *Sen. ep.* 104. *med.* Ipsa pax timores subministrabit. *Hirt. B. Alex.* 35. Quod Cappadocia magnam commeatus copiam erat subministratura. *Caes. B. G.* 3, 25. Lapidibus telisque subministrandis.

[SUBMĪNŬO, is, a. 3. aliquantulum minuo. *Not. Tir.* p. 5. Reminuit, subminuit. *F.*]

SUBMISSĔ et Summisse, adv. *σιγῇ*, remisse, leniter, submissa voce. *Petr. Sat.* 105. *f.* Sciscitari submissius coepit, quod ergastulum intercepisset errantes. *Cic. Or.* 8. Demosthenes in illa pro Ctesiphonte oratione summissius a primo; deinde cum de legibus disputat, pressius; post sensim incedens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. *Claud. B. Gild.* 247. si signa petisset Obvia, defecto submissius hoste dolerem, *h. e.* minus. ℙ Item fluxe, cum de vestibus cingendis loquimur. *Cur. Fortunat. Art. rhet.* 3. *f.* Quemadmodum cingemur? nec submisse, nec succincte. V. *Suetonii l. c.* in CINGO. ℙ Item demisse, modeste, *ταπεινῶς*. *Cic. Planc.* 5. Qui mihi non nimis submisse supplicarat. *Id. Off.* 1, 26. Ut quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus. *Quint.* 6, 5. Aspere, an leniter, an etiam submisse loqui expediat *Tac. H.* 3, 9. *f.* Submisse scribere alicui. *Ov. A. Am.* 3, 582. Multaque submisse, multa minanter agat. ℙ *Submisse dicere*, stilo dicendi subtili, tenui, et sine ornatu uti. *Cic. Or.* 2, 53. *med.* Qui aut breviter, aut submisse dicunt, docere judicem possunt, commovere non possunt.

SUBMISSIM, adv. submisse. *Suet. Aug.* 74. Nam et ad communionem sermonis tacentes, etiam submissim fabulantes provocabat. *Gell.* 17, 8. Sensim atque submissim ridere.

SUBMISSĬO, onis, f. *ταπείνωσις, χάλασμα*, actus submittendi, depressio. *Cic. Off.* 1, 41. Ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, ex ceteris similibus facile judicabimus, quid eorum apte fiat. *Id. Top.* 18. Parium comparatio nec elationem habet, nec submissionem: est enim aequalis. ℙ *Submissio orationis* ap. *Cic. Or.* 25. *med.* est, cum stilo ac genere dicendi utimur tenui, subtili, humili, et consuetudinem imitante, ut *Id.* ait *ib.* 23.

[SUBMISSORĬUM, ii, n. discus, seu ferculum, quo cibi convivis submittuntur in mensam. V. MISSORIUM. *F.*]

SUBMISSUS et Summissus, a, um, part. a *submitto:* clam missus. *Juven.* 1, 35. quem Massa timet, quem munere palpat Carus, et a trepido Thymele submissa Latino. ℙ Item post missus, aut substitutus. *Caes. B. C.* 1, 85. *med.* Legiones missas in Hispaniam, classes paratas, submissos duces rei militaris peritos. ℙ Item *ὑποτεθημένος*, demissus. *Liv.* 1, 4. *med.* Lupam submissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut, etc. *Ov. Met.* 7, 191. in dura submisso poplite terra, Nox, ait, etc. *Id. Pont.* 3, 1, 149. submissaque terrae Ad non mortales brachia tende pedes. *Colum.* 6, 30. *med.* Cervix jumenti cum capite aggravata, et in terram summissa. *Ov. Met.* 8, 637. Coelicolae parvos tetigere penates, Submissoque humiles intrarunt vertice postes; et *Plin.* 11, 37, 54. Summissi oculi. *Curt.* 6, 6. *med.* Praerupta rupes qua spectat occidentem: eadem, qua vergit ad orientem, leniore submissa fastigio. *Liv.* 44, 9. Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigatam testudinem faciebant. *Cic. Or.* 17. *f.* Et contenta voce atrociter dicere, et submissa leniter; et *Albin.* 1, 283. Saepe Nero illacrymans submissa voce loquetur, Cur adeo fratres heu! sine fratre Deos? Sic *Quint.* 11, 3. *med.* Summisso murmure loqui. ℙ Translate est demissus, abjectus, non elatus, suppressus: tum in malam partem, tum in bonam. *Cic. Tusc.* 4, 30. Ne quid humile, summissum, molle, effeminatum, fractum abjectumque faciamus. *Id. Off.* 1, 34. *med.* Privatum oportet aequo et pari cum civibus jure vivere, neque submissum et abjectum, neque se efferentem. *Quint.* 11, 1. *med.* Summissa adulatio. *Hirt. B. G.* 8, 31. Non dubitabat, quin eae civitates recenti calamitate submissiores essent futurae. *Lucan.* 8, 594. Submissis precibus adorare. *Val. Fl.* 7, 476. Arripit Aesoniden dextra, ac submissa precatur. ℙ Illa poetica sunt. *Petr. Sat.* 123. *f.* quem fracto gurgite Pontus, Et veneratus erat submissa Bosporus unda. *Sil.* 12, 640. Summissas tendunt alta ad Capitolia dextras, *h. e.* elatas ritu precantium. V. SUBMITTO. *Ov. Her.* 20, 77. Utque solent famuli, cum verbera saeva verentur, Tendere submissas ad tua crura manus. *Sen. Herc. Fur.* 810. Cerberus patiens trahi, Herumque fassus, ore submisso obsequens. *Sil.* 6, 414. nunquam submissus colla dolori. ℙ *Submissa prata* ap. *Varr. R. R.* 1, 49. sunt in arando vel secando relicta, ut herba in foenum crescat. V. SUBMITTO. ℙ *Submissa vox*, non elata, non erecta, non contenta, qualis

esse rogantium solet. *Ov. Pont.* 4, 3, 41. Quid fuerat Magno majus? tamen ille rogavit Submissa fugiens voce clientis opem. Adde *Met.* 7, 90. et *Mart.* 8, 75. Sic *Quint.* 11, 3. *med.* Vox in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis et submissa; et *ib. f.* An non haec, *misellus* et *pauperculus* submissa atque contracta, *fortis* et *vehemens* et *latro* erecta et concitata voce dicenda sunt? ℙ Huc et illa pertinent *ejusd. ib. med.* In laudationibus (nisi si funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, similibus, laeta et magnifica et sublimis est actio. Funebres conciones, consolationes, plerumque causae reorum, tristes atque submissae; et 9, 4. *f.* In prooemiis plerumque submissi, in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati, atque ipso etiam motu celeres sumus. ℙ Item flexus ad misericordiam, placatus, quasi victus precibus et subactus. *Stat. Th.* 1, 662. ardentem, tenuit reverentia, caedis Latoiden, tristemque viro summissus honorem Largitur vitae. ℙ *Submissus orator*, qui utitur dicendi genere tenui, subtili, humili. *Cic. Or.* 23. Summissus est, et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quam opinione, differens; et *ib.* 26. *med.* Hanc ego judico formam summissi oratoris, sed magni tamen, et germani Attici. ℙ Item subornatus. *Suet. Ner.* 28. Acten libertam paulum afuit, quin justo sibi matrimonio conjungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam dejerarent.

SUBMISSUS, us, m. immissio, inductio. *Tert. adv. Marc.* 5, 16. *med.* Ex submissu erroris ulciscitur.

SUBMITTO et Summitto, is, isi, issum, a. 3. *ὑποβάλλω, ὑφίημι, ἐπαφίημι*, clam mitto. *Cic. Verr.* 2, 1, 41. *med.* Iste tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillae matrem summittebat; et *ib.* 5, 28. Summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, ut transigerent. Adde *Liv.* 6, 6. ℙ Item post mitto, aut in locum alterius. *Caes. B. G.* 4, 26. Quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. *med.* Ut provinciam tuear, dabo operam, quoad exercitus huc submittatis. *Caes. B. G.* 7, 81. *f.* Qua ex parte premi nostros intellexerant, iis auxilio ex ulterioribus castellis deductos submittebant. Et absolute *ib.* 85. Laborantibus submittit. *Cic. Prov. cons.* 4. *med.* Huic vos non submittetis? ℙ Item subjicio, suppono. *Colum.* 4, 14. Canterius vitibus submittendus est. *Id.* 7, 3. *med.* Servare debebit, ne minori quadrimae, neve ei, quae excessit annos octo, prolem submittat: neutra enim aetas ad educandum est idonea; et *ib.* 4. Singuli agni binis nutricibus submittuntur: nec quicquam subtrahi submissis expedit, quo saturior lactis agnut celeriter confirmetur. *Pall.* 8, 4. Tauris vaccas submittere: scil. ut impleantur. *Id.* 4, 13. *med.* Generosas equas alternis annis submittere debebimus. *Id.* 8, 4. In feturam submitti possunt vaccae. *Nemes.* de maribus pro *admittere* usurpavit *Cyn.* 114. Huic *(cani feminae)* parilem submitte marem. ℙ Item demitto. *Liv.* 45, 7. Consul introeunti regi dextram porrexit, submittentemque se ad pedes sustulit. *Id.* 2, 7. et *Plin.* 7, 30, 31. Submittere fasces, *h. e.* inclinare ac deprimere, non subrectos gestare. V. FASCIS. *Plin.* 10, 48, 67. Phasianae geminas ex pluma aures submittunt, subriguntque. *Id.* 8, 1, 1. Elephanti regem adorant, genua submittunt. *Ov. Fast.* 3, 372. Submittere oculos. *Id. Met.* 3, 592. Ille caput viridi fessum submisit in herba; et *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Tiberis navium patiens hieme dumtaxat, et vere: aestate submittitur, immensique fluminis nomen arenti alveo deserit. ℙ Est etiam ab inferiori parte emittere, fundere, producere. *Lucr.* 6, 818. Sic et Averna loca alitibus summittere debent Mortiferam vim, de terra quae surgit in auras. *Id.* 1, 193. ut sine certis imbribus anni Laetificos nequeat fetus submittere tellus. *Prop.* 1, 2, 9. Aspice, quot submittat humus formosa colores. *Lucan.* 4, 410. non pabula tellus Pascendis submittit equis. ℙ Item subministrare, suppeditare. *Hor. Sat.* 2, 4, 43. Vinea submittit capreas non semper edules. *Id. Od.* 4, 4, 63. non monstrum submisere Colchi majus. ℙ Item sursum mittere, tollere. Unde *summittere manus*, supinas coelo ferre, ut ait *Hor. Od.* 3, 23, 1., quod est adorantium Deos. *Sen. Oed.* 226. Et pias, numen precatus, rite summisi manus. *Sil.* 4, 411. Credite summissas Romam nunc tendere palmas; et 1, 673. Submissi palmas, lacerato tegmine vestis, Affligunt proni squalentia corpora terrae: *ἐλεινισμός*. Adde 12, 640. ℙ Item, cum de pecudibus sermo est, educare, et servare ad gregem supplendum. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Quos arietes submittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quae geminos parere solent; et *ib.* 3. In nutricatu haedi, trimestres cum sunt facti, tum submittuntur, et in grege incipiunt esse. *Virg. Ecl.* 1, 46. Pascite, ut ante, boves, pueri, submittite tauros. *Colum.* 7, 9. Hoc fit longinquis regionibus, ubi nihil nisi submittere expedit. *Varr. R. R.* 2, 3. Mares submittere ad admissuram: quod *Virg.* dixit *G.* 3, 73. submittere pullos equorum in spem gentis; et *ib.* 159. submittere vitulos pecori habendo. *Ulp. Dig.* 7, 1, 70. Quamdiu submittantur et suppleantur capita *(gregis)*, quae demortua tunt. ℙ Similiter in plantis *submittere* est relinquere in putando, et crescere sinere in spem fructus. *Colum. Arb.* 5. Duas materias relinquito, alteram, quam vitis constituendae causa submittas, alteram subsidio habeas. *Id.* 4, 31. Salix cum germinavit, ad unam perticam submittitur; et *ib.* 14. Nec vitis plus quam in unum flagellum est submittenda. *Id.* 3, 10. *med.* Submittere pampinarium in resecem. *Id.* 11, 3. *med.* alternos frutices atri oleris in semen. Eadem ratione *submittere prata* ap. *Cat. R. R.* 8. est omissa aratione sinere, ut herba in foenum crescat. *Colum.* 11, 2. *med.* Prata, vel arva purgantur, et in foenum submittuntur. V. SUBMISSUS, a, um. ℙ *Submittere capillum* aut *barbam*, est promittere: quod fere in luctu fiebat, et a reis. Illud *Plinii* est *ep.* 7, 27. *f.*, utrumque *Senecae Cons. ad Pol.* 36., *Tac. G.* 31., *Suet. Caes.* 67. et alibi. ℙ Translate. *Cic. Am.* 20. Ut ii qui superiores sunt, summittere se debent in amicitia; sic quodam modo inferiores extollere; et *Planc.* 10. Appellavi populum, tribubus submisi me, et supplicavi. *Liv.* 27, 31. de rege Maced.: Submittendo in privatum, fastigium, quo minus conspectus, eo solutior erat. *Id.* 38, 52. de Scip. Afric.: Major animos erat, quam ut submitteret se in humilitatem causam dicentium. *Id.* 6, 6. *med.* Submittere imperium alteri; et *Just.* 13, 2. Nemine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se submitteret; et *Plin. ep.* 3, 13. Ut in pictura lumen non alia res magis, quam umbra commendat, ita orationem tam submittere, quam attollere decet. *Cic. Div. Verr.* 15. Ut in actoribus Graecis fieri videmus, saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat, *h. e.* de actione remittere. *Ov. Her.* 4, 151. Submittere se culpae, *h. e.* culpam admittere. *Virg. A.* 4, 414. animos submittere amori; et *ib.* 12, 832. inceptum frustra submitte furoreu, *h. e.* remitte, depone. *Plin.* 29, 1, 8. Aemuli pretia submittunt. ℙ Submittere animum, animum despondere, demittere. *Brut. et Cass.* ad *Anton. Fam.* 11, 3. *med.* Neque enim decet periculo ulli submittere animum nostrum. *Liv.* 23, 25. Ne qui Cannensi ruinae non succubuissent, ad minores calamitates animos submitterent. Adde 6, 34. ℙ Pro *subornare*. V. SUBMISSUS.

SUBMIXTUS. V. SUCCINCTUS.

SUBMOENIANUS, etc. V. SUMMOENIANUS.

SUBMOESTUS, a, um, adj. subtristis. *Ammian.* 30, 1. Demisse ambulans, semperque submoestus.

SUBMOLESTE, adv. *ὑποδυσφόρως*, aliquantum moleste. *Cic. Att.* 5, 21. Te non esse Romae meo tempore pernecessario, submoleste fero.

SUBMOLESTUS, a, um, adj. *ὑποδυσχερής*, nonnihil molestus. *Cic. Att.* 16, 4. *f.* Illud est mihi submolestum, quod parum properare Brutus videtur.

SUBMONĔO, es, a. 2. *ὑπαναμιμνήσκω*, latenter, leviter, paucis moneo. *Ter. Eun.* 3, 5, 22. Submonuit me Parmeno, quod ego arripui. *Suet. Aug.* 53. *med.* Patres salutavit nominatim singulos, nullo submonente.

*SUBMONSTRO, as, a. 1. latenter seu leviter monstro. *Arnob.* 3. *med.* p. 143. *Herald.* (al. p. 113.) Divinationis scientiam largitur hariolantibus Pythius, et cur obliquata, dubia, cur obscuritatibus submersa caligine dat saepius submonstratque responsa? *B. A.*

*SUBMONTORĬUM, i, n. oppidum Vindeliciae. *Notit. Imper.* ℙ In *Anton. Itin.* est *Summontorium. B. A.*

*SUBMORŌSE, adv. *August. B. A.*

SUBMOROSUS, a, um, adj. *ὑποδύσκολος*, nonnihil morosus. *Cic. Or.* 2, 69. Me quidem hercule valde illa movent stomachosa, et quasi submorosa ridicula, non cum a moroso dicuntur: tum enim non sal, sed natura ridetur.

SUBMOTOR et Summotor, oris, m. qui submovet. *Liv.* 45, 29. Submotor aditus, praeco, accensus, insueta omnia oculis auribusque.

SUBMOTUS et Summotus, a, um, part. a *submoveo*: *ὑπωθείς*, dimotus, remotus, repulsus. *Cic. Fl.* 7. Quae scisceret plebes, aut quae populus juberet; summota concione re multos dies promulgata et cognita juberi vetarique voluerunt. *Liv.* 26, 38. *med.* Cum starent submoto populo accusator et reus. *Hor. Epod.* 11, 18. Desinet imparibus certare submotus pudor. *Ov. Trist.* 3, 4, 41. Nunc quoque submotum studio defendis amicum, *h. e.* quod *Id.* dicit *Pont.* 4, 16, 47. submotum patria proscindere, livor, Desine. Sic *ib.* 3, 4, 91. Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum; et *Trist.* 4, 9, 17. Ut Scythicis habitem longe submotus in oris. *Plin. ep.* 3, 11. Philosophi ab Urbe submoti. *Id. ep.* 2, 12. Submotus a proconsulatu. *Vell.* 2, 68. a republica; et *ib.* 126. Summota e foro seditio. *Tac. Agr.* 23. Summoti velut in aliam insulam hostes. *Lucan.* 8, 689. submota est capiti tabes. *Virg. A.* 8, 192. Hic spelunca fuit vasto submota recessu Semihominis Caci. ℙ *Submoto incedere* (subaudi *populo*) dicitur magistratus, cum procedit praeeunte lictore, qui viam inter turbam aperiat. *Liv.* 28, 27. *f.* Sederunt in tribunali, lictor apparuit, submoto incesserunt, fasces cum securibus praelati sunt. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 25, 32. et 35. Sacerdotes *(h. e.* fratres Arvales) sumptis praetextis et coronis spiceis vittatis lucum Deae Diae summoto ascenderunt. *Plin.* 8, 46, 71. de Api: Cum se proripuit in coetus, incedit summoto, grexque puerorum comitatur. *Hard.* legit *summotu lictorum.*

SUBMOTUS, us. V. v. praec.

SUBMOVĔO et Summoveo, es, ovi, otum, a. 2. *ὀπωθέω, μεθίστημι*, amoveo. dimoveo, removeo, repello, arceo. *Cic. Quint.* 8. *extr.* Jubet recusantes nostros advocatos acerrime submoveri. *Plin. Pan.* 55. *med.* Arcere et submovere aliquid. *Caes. B. G.* 7, 50. *f.* Irrupit in medios hostes, duobusque interfectis, reliquos a porta paulum submovit. *Hirt. B. G.* 8, 10. Hostes paludem transgressi nostros longius submovebant. *Caes. B. C.* 2, 11. *med.* Hostes ex muro ac turribus submovere. *Sall.* in *ep. Pomp. ad senat.* ab Alpibus in Italiam. *Liv.* 4, 17. *f.* ex agro Romano trans Anienem. *Id.* 37, 11. Inde facile telis ancipitibus hostem submoturus. *Id.* 45, 10. Submovere hostium lembos statione. *Flor.* 3, 6. piratas mari. *Suet. Caes.* 16. aliquem administratione reipublicae. *Sen. Ira* 2, 34. et *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 11, 1. *f.* a republica, *h. e.* arcere ab honoribus. *Suet. Aug.* 45. *f.* aliquem Urbe atque Italia; et *Lucan.* 2, 385. hiemem tecto; et *Liv.* 45, 23. *med.* aliquem a bello; et *Cic. Rosc. Am.* 25. *extr.* improbos maleficio magnitudine poenae. *Plin.* 3, 19, 23. Ubi Alpes Germaniam ab Italia submovent; et *Hor. Od.* 2, 10, 15. informes hiemes reducit Juppiter, idem Submovet; et *ib.* 18, 21. Submovere litora maris. Translate *Val. Max.* 2, 6. *n.* 7. Submovendam superstitionem esse existimans. ℙ Est verbum lictorum, qui incedenti magistratui, aut comprehendi aliquem jubenti, inter turbam viam faciunt. *Liv.* 2, 56. Submoveri Laetorius jubet, praeterquam qui suffragium ineant. *Id.* 4, 50. Cum submoventes passim lictores centurionesque vexarent turbam. *Id.* 45, 7. *med.* Donec consul lictores misisset, qui submovendo iter ad praetorium facerent. *Id.* 3, 48, 1, lictor, submove turbam, et da viam domino ad prehendendum mancipium. *Sen. ep.* 94. *f.* Non est, quod feliciorem eum judices, cui submovetur, quam quem lictor semita dejicit. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, submove vitia. *Plin. H. N. praef.* Alia via occurris ingens, et submoves ingenii fascibus. *Hor. Od.* 2, 16, 9. Non enim gazae, neque consularis Submovet lictor miseros tumultus Mentis, et curas. ℙ In re pastorizia *submovere* est vendere, in illo *Colum.* 7, 3. *med.* Hiemis saevitia pastorem decipit, et eas oves interimit, quas ille, tempore autumni ratus adhuc esse tolerabiles, non submoverat; et *ib.* 4. Qui agni submoveri debent, paucissimos post dies quam editi sunt, immaturi fere mactantur. ℙ *Submosses* syncope pro *submovisses*, est *Hor. Sat.* 1, 9, 48.

[SUBMULTIPLEX, icis, adj. omn. gen. de numero usurpatur, qui ab alio aliquoties continetur, ut duo a quatuor. *Boeth. Arithm.* 1, 23. Numerus vocatur submultiplex, qui in alterius comparatione productus, plus quam semel majoris numerat summam. *F.*]

[SUBMULTIPLĬCĬTAS, atis, f. conditio numeri, qui alterius est submultiplex. *Boeth. Arithm.* 1, 23. Cum autem multiplicitas, et submultiplicitas infinita sit, eorum quoque *(numerorum)* species per proprias generationes in infinita consideratione versantur. V. REPLICATIO. *F.*]

*SUBMURĀNUM vel Summuranum, i, n. locus in Lucania. *Anton. Itin.* ℙ Dictus quasi *sub Muranum*, ob Murani oppidi viciniam. Cf. *Succosa. B. A.*

TUBMURMŪRO, as, n. 1. submisse murmuro. *August. Confess.* 6, 9. Submurmuraverunt argentarii, qui subter erant. Adde *ib.* 8, 11.

SUBMUSSI. V. SUMMUSSI.

[SUBMŪTĂBĬLIS, e, adj. aliquantum mutabilis. *Not. Tir.* p. 53. Mutabilis, remutabilis, submutabilis. *F.*]

*SUBMUTATĬO, onis, f. *ὑπαλλαγὴ Gloss. Cyr. B. A.*

SUBMŪTO et Summuto, as, a. 1. aliquid pro alio muto, *ὑπαλλάττω:* quod Graecum verbum ab *ὑπὸ, sub*, et *ἀλλάττω, muto*, ipsam Latinae vocis vim exprimit. *Cic. Or.* 27. Hanc hypallagen rhetores, quia quasi submutantur verba pro verbis; metonymiam grammatici vocant, quod nomina transferantur.

SUBNASCOR, eris, atus sum, dep. 3. *ὑποφύομαι*, subtus, seu ab inferiori parte nascor, post nascor, pullulo, succresco. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 9. Tilia et vitis corticem mittunt, sed non vitalem, nec proximum corpori; verum eum, qui, subnascente alio, expellitur. *Id.* 16, 22, 34. Neque eadem folia durant, sed subnascentibus aliis, tum arescunt vetera. *Id.* 12, 3, 7. Arbor omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis subnascentibus. *Id.* 17, 20, 34. Castaneae solutae sponte cadunt ex arbore, atque subnascuntur. *Id.* 11, 39, 94. Quadrupedibus pilum cadere atque subnasci, annuum est; et *ib.* 23, 27. Subnasci plumas. ℙ Translate. *Sen. Ira* 2, 10. *f.* Numquid ille, cujus navigium multam aquam trahit, ipsi navigio irascitur? occurrit potius: nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur. *Id. Br. V.* 5

med. Haec ulcera cum ipsis membris absciderat: alia subnascebantur. Adde *Sil.* 14, 65.

SUBNĀTO, as, n. 1. sub aquis nato, mergor. *Sil.* 14, 483. pars subnatat unda Membrorum, pars exstat aquis. *Appul. Met.* 4. de curru Veneris in mari: Currus bijuges alii subnatant.

SUBNĀTUS, a, um, part. a *subnascor:* subtus natus. *Ov. Hal.* 90. Num vada subnatis imo viridentur ab herbis.

SUBNECTO, is, xui, xum, a. 3. *ὑποδέω*, sub aliqua re necto, subligo, adnecto. *Plin.* 28, 2, 5. et *ib.* 4, 11. et *ib.* 7, 23. Subnectere collo quippiam. *Ov. Met.* 11, 482. demittite cornua, rector Clamat, et antennis totum subnectite velum; et *Virg. G.* 3, 166. laxos tenui de vimine circlos Cervici *(vituli)* subnecte. *Id. A.* 1, 496. Aurea subnectens exsertae cingula mammae; et *ib.* 4, 139. Aurea purpuream subnectit fibula vestem: ubi *Serv.: subnectit* quid aliud est, quam sursum nectit, ac per hoc succinctum facit? *Val. Fl.* 2, 103. tereti crinem subnectitur auro. *Arator.* 1, 1040. lateri subnexuit arcae, etc. ℙ Translate est subjungere, subjicere, scribendo aut loquendo. *Just.* 14, 1. *f.* Primo gratias agit: deinde callide subnectit, conflictas a se epistolas esse; et 43, 4. Subnectit et hanc fabulam. *Quint.* 7, 10. *med.* Deinde proxima subnectens, struxerit orationem. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 15. Cui gloriae Punicarum feminarum, ut ex comparatione turpius appareat, dedecus subnectam.

SUBNĔGO, as, a. 1. *ὑπαρνοῦμαι*, fere, vel quodammodo nego. *Cic. Fam.* 7, 19. Quod praesenti tibi prope subnegarem, non tribuerem certe, absenti debere non potui.

[SUBNĔRO, onis, m. ita est appellatus Domitianus, quia, quasi alter seu secundus Nero, ejusdem scelera omnia imitatus est: idem *Nero calvus* itidem dictus, quia calvitio erat deformis, et, ut refert *Suet. Dom.* 18., calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco vel jurgio objectaretur. *Tert. Pall.* 4. *med.* Ne caninae forte constantiae mandatum sit, impuriorem Physcone, et molliorem Sardanapalo Caesarem designare, et quidem Subneronem. Hinc *Id. Apol.* 5. Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, Christianos damnare; et *Juven.* 4, 37. Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni. *F.*]

SUBNERVO, as, a. 1. *νευροκοπέω*, nervos incido, enervo, debilem facio. *Tert. adv. Jud.* 10. *med.* In concupiscentia sua subnervaverunt taurum, id est Christum, quem interfecerunt, et nervos ejus suffigendo clavis desaevierunt. *Appul. Apol.* Calumnias praecipitasti, et subnervasti.

SUBNEXUS, a, um, part. a *subnecto. Stat. Silv.* 5, 3, 113. Cum stata laudato caneret Quinquennia versu, Ora supergressus Pylii senis, oraque regis Dulichii, specieque comam subnexus utraque, *h. e.* coronatus.

SUBNĪGER, gra, grum, adj. *ὑπομέλας*, nonnihil habens nigredinis, nigricans, fuscus. *Pl. Merc.* 3, 4, 55. Subnigri oculi. *Id. Ps.* 4, 7, 120. Ventriosus, crassis suris, subniger, magno capite. *Varr. R. R.* 2, 9. Canes labris subnigris, aut rubicundis. *Cels.* 5, 28. *n.* 4. Cutis colorem habet ex rubro subnigrum.

[SUBNITĬDO, as, a. 1. subter nitido, lucidum reddo. *Venant. Carm.* 8, 7, 189. Credo, alter *(archangelus)* cuperet plantis substernere palmas, Ille excussa ala subnitidare viam. *F.*] *Al. leg. *solveret ipse viam. B. A.*

[SUBNĪTOR, eris, dep. 3. subter nitor. *Not. Tir.* p. 122. Nititur, subnititur. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 70. Nunc alterna movens suspenso pollice crura, Molliter inflexo subnitens poplite sidit. *F.*]

SUBNIXUS, a, um, part. a *subnitor: ὑπερεισάμενος*, aliqua re supposita nixus. *Virg. A.* 1, 510. solioque alte subnixa resedit. *Cic. Somn. Scip.* 6. Duos circulos coeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides. *Manil.* 1, 375. Quaeque intra gelidum Capricorni sidus, et axe Imo subnixum vertuntur sidera Mundum, *h. e.* axe Australi, qui nobis depressus est. *Claud. VI. cons. Honor.* 49. subnixasque jugis immanibus aedes. *Id. in Eutr.* 2, 442. cunctantia pronus Per vada reptabat coeno subnixa tenaci, *h. e.* quorum fundus coenosus. *Virg. A.* 4, 217. Maeonia mentum mitra, crinemque madentem Subnixus, *h. e.* subligatus, et circumdatus: mitra enim et caput cingit, et ansulis subnectitur. *Id. ib.* 3, 402. Parva Philoctetae subnixa Petilia muro. Ubi *Servius:* civitas cincta muro modico, ut: *crinemque madentem Subnixus.* ℙ Translate est munitus, firmatus, atque adeo fidens. [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio)* 2, 25. Subnixus victoriis divitiisque. *F.*] *Mart.* 1, 40. Si quis erit magnae subnixus robore mentis. *Ascon.* in *Mil.* 8. *extr.* Subnixus libertinorum et servorum manu; et *Tac. A.* 1, 11. Civitas tot illustribus viris subnixa; et *ib.* 11, 1. Multis et validis propinquitatibus subnixus. *Liv.* 4, 42. Ubi illi patricii spiritus, ubi subnixus et fidens innocentiae animus? *Quint. decl.* 3, 3. *med.* Cum tota subnixum Numidia fregimus Jugurtham. ℙ Item elatus, inflatus, superbiens. *Coel.* ap. *Non.* 4, 452. Et Latini subnixo animo ex inerti victoria, consilium ineunt. (Alii pro *Coel.* leg. *C. Claud.* (intellige *Quadrig.*) ex quo haec citat verba *Gell.* 17, 2. Ea dum fiunt, Latini subnixo animo. *Subnixo*, inquit *Gell.*, quasi sublimi, et supra nixo: verbum bene significans, et non fortuitum: demonstratque animi altitudinem. Verisimile est, eundem locum et a *Nonio*, et a *Gellio* designari.) *Liv.* 26, 13. *med.* et 25, 41. Non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium, victoria insolenti subnixos. *Cic. Or.* 1, 58. Qui ejus artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant. *Pl. Pers.* 2, 5, 6. Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriose, *h. e.* elatis cubitis et lacertis, ut qui utrinque aliorum brachiis innixi incedunt. ℙ Scribitur et *subnisus.* V. NIXUS, a, um.

SUBNOTĀTIO, onis, f. *ὑπογραφή*, subscriptio. *Imp. Leo Cod.* 1, 23, 6. Ea fas sit dici rescripta, quae in chartis sive membranis subnotatio nostrae subscriptionis impresserit. *Impp. Valent. et Valens. Cod. Theod.* 8, 5, 22. Minime quosque transire patiantur, antequam seriem evectionis aspexerint, et congrua subnotatione dimiserint.

SUBNŌTO, as, a. 1. *ὑποσημειόω*, clam noto, observo, animadverto. *Mart.* 1, 28. Et non sobria verba subnotasti. *Id.* 6, 82. Quidam me modo, Rufe, diligenter Inspectum, velut emptor aut lanista, Cum vultu digitoque subnotasset. ℙ Ponitur etiam pro subscribere, *ὑπογράφειν. Plin. ep.* 1, 10. *med.* Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas. (V. SUBSCRIBO.) *Appul. Dogm. Plat.* 3. In inferiori linea particulares *(propositiones)* subnotentur; et *Suel. Cal.* 41. Praebita advenientibus pecunia fenebris: appositique, qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantium Caesaris reditus. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 132. Subnotanda summula.

SUBNŪBA, ae, f. quae uxoris loco in domo est, pellex. *Ov. Her.* 6, 153. Quod gemit Hysipyle, lecti quoque subnuba nostri Moereat. Alii rectius leg. *succuba:* quam vocem vide suo loco.

SUBNŪBILUS, a, um, adj. *ὑπονέφελος*, aliquantum nubilus, subobscurus. *Caes. B. C.* 3, 54. Alteram noctem subnubilam nactus, tertia inita vigilia, silentio exercitum eduxit. *Ov. Rem. Am.* 599. Limes erat tenuis longa subnubilus umbra.

[SUBNŪO, is, n. 3. furtim innuo. *Not. Tir.* p. 127. Innuit, renuit, subnuit. *F.*]

SŪBO, as, n. 1. *καπράω*, *θνάω*, Venerea libidine prurio, coitum appeto. Dicitur proprie de suibus feminis, ut *surio* de maribus. *Plin.* 10, 63, 83. Verres subantis audita voce, nisi admittatur, cibum non capit. ℙ Translate dicitur etiam de aliis animalibus. *Appul. Apol.* Memento de solis piscibus haec volumina a me conscripta: qui eorum coitu progignantur, qui ex limo coalescant, quoties, et quid anni cujusque eorum generis feminae subent, mares suriant. *Lucr.* 4, 1190. Nec ratione alia volucres, armenta feraeque, Et pecudes, et equae maribus subsidere possent, Si non, ipsa quod illorum subat, ardet abunde Natura, etc. ℙ Item de mulieribus. *Hor. Epod.* 12, 11. jamque subando Tenta cubilia, tectaque rumpit. *Tert. Apol.* 46. Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recubantis ardori subantem. ℙ Etiam de viris aliquando usurpatur. *Id. Apol.* 14. Juppiter subans in sororem. *Hieron. in Jovin.* 1. *n.* 38. Dicam et ego nuptiatatoribus meis, qui post castitatem et diuturnam continentiam subant ad coitum, et pecudum more lasciviunt. *Id. in eund.* 2. *n.* 36. Nunc restat, ut Epicurum nostrum subantem in hortulis suis inter adolescentulos, et mulierculas, alloquamur.

SŪBOBSCĒNUS, a, um, adj. *ὑπαισχρος*, non omnino vacans obscenitate. *Cic. Or.* 26. Ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobsceno, ne mimicum: nec petulanti, ne improbum.

SŪBOBSCŪRĒ. adv. aliquantum obscure. *Gell.* 3, 14. Subtiliter quidem, sed subobscure explicat; et 10, 1. Varro breviter et subobscure dixit.

SŪBOBSCŪRUS, a, um, adj. *ὑποσκοτεινὸς*, aliquantum obscurus, intellectu difficilis. *Cic. Brut.* 7. *extr.* Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri. Adde *Or.* 3.

*SUBOCRĪNI, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. ℙ Ab Orca fortassis oppido vetere cognominati. *B. A.*

SŪBOCŪLĀRIS, e, adj. qui est sub oculo, ut Suboculares venae, *Veg. Vet.* 4, 4.

SŪBODĬOSUS, a, um, adj. *ὑπομίσητος*, aliquantulum odiosus. *Cic. Att.* 1, 5. Cum eas audire (quod erat subodiosum) leve putassem.

SŪBODOROR, aris, dep. 1. *Ammian.* 26, 1. Implendi negotii praesagiis, ut subodorari dabatur. Alii rectius leg. *opinari.*

SŪBOFFENDO, is, a. 3. *ὑποβλάπτω*, aliquantulum offendo. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Nam apud illam perditissimam, atque infimam faecem; populi Pompejus propter Milonem suboffendit.

SŪBOLĔO, es, ui, n. 2. *ὑπόζω*, proprie est aliquantum olere, paulum odoris emittere, translate aliquid indicii dare: unde *subolet mihi*, sentio, praesentio. *Pl. Ps.* 1, 5, 7. Id jampridem sensi, et subolet mihi. *Id. Trin.* 3, 2, 72. Scio equidem te, animatus ut sis: video, subolet, sentio. *Id. Cas.* 2, 3, 59. Subolet jam uxori, quod ego machinor; et 3, 2, 24. Mirum, ni subolet jam hoc huic vicinae meae. *Ter. Heaut.* 5, 1, 26. Ut ne paululum quidem suboleat, esse amicam hanc Cliniae.

SŪBOLES. V. SOBOLES.

SŪBOLESCO. V. SUBOLESCO.

SŪBOLFĂCIO, is, a. 3. olet mihi, subodoror. *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm. med.* Sed subolfacio, quod nobis epulum daturus est Mammea.

[SŪBONĔRO, as, a. 1. subter onero. *Not. Tir.* p. 131. Onerat, reonerat, subonerat. *F.*]

SŪBOPTIO, onis, m. V. OPTIO.

SŪBORĬOR, eris, ortus sum, dep. 3. *ὑποφύομαι*, subnascor, exsurgo, in locum alterius abeuntis orior. *Lucr.* 1, 1034. Ex infinito suboriri copia posset. *Plin.* 2, 93, 95. Metallorum opulentia tam varia, tam fecunda, tot saeculis suboriens.

*SUBORNATĬO, onis, f. *JCt.* in *Digest. B. A.*

SUBORNĀTOR, oris, m. qui subornat, instruit, et submittit fallendi, et nocendi causa. *Paul. Sent.* 5. *tit.* 13. Perinde subornatores, ac delatores puniuntur. *Ammian.* 15, 5. *med.* Subornatore et conscio praefecto praetorii. *Lampr. Commod.* 19. *f.* Subornatores servorum.

SUBORNĀTUS, a, um, part. a *suborno: κατασκευασθείς*, indutus, vestitus, ornatus. *Sen. Ben.* 3, 28. *med.* Paenulati isti, in militum, et quidem non vulgarem cultum subornati. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 10. Praeturae insignia invasit, praecedentibus in modum lictorum, et apparitorum, publicorumque servorum subornatis. *Petr. Sat.* 21. Cinaedus myrtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus; et *ib.* 36. Videmus leporem pinnis subornatum, ut Pegasus videretur. ℙ Translate est instructus, paratus. *Just.* 39, 2. Occupato Syriae regno, spernere coepit ipsum Ptolemaeum, a quo fuerat subornatus in regnum; et *Petr. fragm. Trag.* 26. *Burm. f.* Horologium in triclinio, et buccinatorem habet subornatum, ut subinde sciat, quantum de vita perdiderit. ℙ Refertur ad animum. *Cic. Leg.* 1, 22. *f.* Qui se ipse norit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam sapientiam. *Sen ep.* 24. Homo non eruditus, nec ullis praeceptis contra mortem aut dolorem subornatus. ℙ In malam partem, ad nocendum aut fallendum clam instructus, *κατασκευαστός. Cic. Vat.* 1. *f.* Accusatores instructi et subornati. *Liv.* 38, 43. Ad invidiam ei faciendam, legatos Ambracienses subornatos criminibus in senatum introduxit. *Suet. Ner.* 34. *med.* Libertum ejus, ut percussorem sibi subornatum, arripi constringique jussit.

SUBORNO, as, avi, atum, a. 1. *κατασκευάζω*, instruo, orno. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med.* Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem praesta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes, *h. e.* subinde, cum opus erit, instruas. *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 16. Apulejana pecunia Brutum subornastis. Subdit *Cic.* Quid, si omnibus suis copiis excellentem virum respublica armasset? *Just.* 38, 8. Subornare aliquem in regnum. *Id.* 9, 7. in bellum, *h. e.* instigare. V. SUBORNATUS. ℙ Saepe est clam instruere contra aliquem, submittere. In *argum. Mil. Plaut.* 2, 13. Suam clientam solicitandum ad militem subornat: capitur ille, sperat nuptias. *Just.* 11, 11. Per praemissos subornat antistites, quid sibi responderi velit. *Cic. Cluent.* 59. *f.* Hominem subornatis, qui sibi manus allatas esse dicat. *Id. Dejot.* 6. Medicum indicem subornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni. *Id. Rosc. Com.* 17. Falsum subornavit testem. *Liv.* 24, 31. *f.* Militem subornant, ut Syracusas perferret nuntium convenientem eis, quae ad Mylam falso nuntiata erat.

SUBORTUS, us, m. idem quod ortus, exortus. *Lucr.* 5, 303. Sic igitur solem, lunam, stellasque putandum Ex alio atque alio lucem jactare subortu. ℙ Est etiam idem quod occasus: nam quemadmodum *ortus* dicitur, cum sidus aliquod supra terras apparet; ita *subortus*, cum sub terris oritur. *Manil.* 3, 326. Stent veri stellarum ortus, verique subortus. *Quod *subortus* pro occasu laudatur ex *Manil.*, illud plane portenti instar putat esse *Bentleius* (apud quem est v. 508.), versumque totum censet expungendum. *B. A.*

SUBOSTENDO, is, a. 3. idem fere quod ostendo. *Tert. adv. Marc.* 4, 38. *med.* et *adv. Valent.* 1.

SUBOSTENSUS, a, um, part. a *subostendo*, ostensus, promissus. *Tert. Baptism.* 19. Spes adventus Domini subostensa.

*SUBOTA, orum, insula maris Aegaei. *Liv.* 44, 28. ter; ubi *insula interjecta Elaeae et Athο* dicitur, *h. e.* inter oppidum Elaeam et Othum montem. *B. A.*

[SUBPAEDĂGOGUS, i, m. qui secundo loco paedagogus est. *Inscr.* ap. *Donat.* 311, 1. T. Flavio Aniceto subpaedagogo puerorum Caes. N. *F.*]

SUBPAETŪLUS et Suppaetulus, a, um, adj. aliquantum paetulus. *Varr.* ap. *Non.* 6, 43. Oculi subpaetuli nigellis pupillis.

SUBPALLĬDUS et Suppallidus, a, um, adj. *ὑπωχρος*, aliquantum pallidus. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. *med.* *Ἰχὼρ* crassus, sublividus, aut subpallidus. *Id.*

2, 4. *f.* Si id, quod excernitur, est exiguum, album, idemque subpallidum.

SUBPALPOR. V. SUPPALPOR.

SUBPĀTĔO et Suppateo, es, ui, n. 2. subtus pateo. *Appul. Met.* 8. Delapsus in proximam foveam, quae fruticibus imis subpatet. *Id. ib.* 7. Immitto me campis subpatentibus.

SUBPERTURBO. V. SUPPERTURBO.

SUBPINGO. V. SUPPINGO.

SUBPINGUIS et Suppinguis, e, adj. ὑπολίπαρος, aliquantum pinguis. *Cels.* 6, 4. Densam cutem, et subpinguem, et ex toto glabram facit.

[SUBPLĀNO, as, a. 1. subtus plano. *Not. Tir.* p. 80. Replanat, subplanat. *F.*]

[SUBPLŌRO, as, a. 1. mox ploro. *Not. Tir.* p. 121. Plorat, replorat, subplorat. *F.*]

[SUBPONTIUM, ii, n. locus sub ponte. *Not. Tir.* p. 179. Pons, tripontium, subpontium. *F.*]

[SUBPRAEDĀNUS, a, um, adj. qui sub praeda est. *Not. Tir.* p. 149. Praedator, subpraedator, subpraedanus. *F.*]

[SUBPRAEDĀTOR, oris, m. secundus praedator, qui post alium praedatur. V. v. praec. *F.*]

[SUBPRAEFECTŪRA, ae, f. dignitas subpraefecti. *Inscr.* ap. *Mur.* 54, 6. Neptuno Deisqu. Aug. T. Abudius Verus post Subpraefect. Class. Ravenn., templo restituto, molibus extruct., domo exculta, in area D. D. concessa sibi dicavit. *F.*]

SUBPRAEFECTUS, i, m. qui loco praefecti praest. *Inscr.* ap. *Grut.* 208. Alfenius Senecio Subpraef. Class. Pr. Mis. Alia ap. *eund.* 359, 3. T. Appalio T. F. Vel. Alfino Secundo Subpraef. Class. Praet. Ravenn. etc. Alia ap. *Fea, Framm. de Fast. cons.* p. 82. Imp. Caes. M. Aurelio Antonino Aug. Imp. Caes. P. Septimii Severi Aug. filio devota numini et majestati ejus Coh. V. Vig. (*h. e.* cohors quinta Vig. (*h. e.* cohors quinta Vigilum), C. Julio Quintiliano Pr. (*h. e.* praefecto), M. Firmio Amyntiano S. Pr. (*h. e.* subpraefecto), L. Speratio Justo Tr.

SUBPRAETOR, oris, m. agens vice praetoris. Vox nihili, ex falsa interpretatione hujus *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 5. C. Tatio Maximo Pr. (*h. e.* praefecto), T. Flavio Anterotiano S. Tr. (*h. e.* subpraefecto), Q. Plotieno Sabino Tr. Coh. V. Vig. (*h. e.* tribuno cohortis quintae Vigilum). Agitur hic de Vigilibus, quibus non *subpraetor*, sed *subpraefectus* praeerat, ut constat ex alia *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 473. Novatiliani subpraefecti Vigilibus. V. plura huc pertinentia ap. *eund. ib.* et v. praec. *f.*

[SUBPRESSĪCIUS, a, um, adj. qui sub seu post alium premitur. *Not. Tir.* p. 39. Subpressorium, subpressicius. *F.*]

[SUBPRESSŌRIUM, ii, n. idem ac pressorium. V. v. praec. PRESSORIUS. *F.*]

SUBPRINCEPS, ipis, m. secundus a principe, seu primo. [*Inscr.* ap. *Grut.* 417, 5. Q. Hed. L. F. Pol. Rufo Lolliana Gentiano X. viro Stl. Jud. Puteolano Sup. veteranor., etc. At ex schedis *Ramberti* sic emendatius et plenius effertur X. *viro Stl. Jud., Censit. P. H. C., Curat. Splend.... Puteolano .... Supe.... Vete anor.;* ideoque restituendum videtur *Curat. Splend. Col. Puteolanor. et Superaequ. veteranor.* h. e. Superaequanorum veteranorum, quorum urbs in Pelignis fuit. ℙ Hujus autem vocis auctoritas confirmatur ex hac *Inscr.* ap. *Grut.* 347, 1. P. Aelio P. F. Papir. Marcello Cent. Frum., subprincipi peregrinorum, etc. Quamvis *Marin. Frat. Arv.* p. 474. aliter hic esse legendum, aut interpretandum fidenter admodum affirmaverit, ego tamen, qui mense Januario ann. MDCCCXXVI. lapidem ipsum Fulginiae adhuc exstantem pluries per septem dies attentius inspexi, sic marmorarii oscitantia insculptum vidi SVB PRINCIPI. PE = PEREGRINORVM. Unde liquet, *subprinceps* fuisse vocem peregrinorum militum ita propriam, quemadmodum fuit etiam *princeps peregrinorum*, cujus mentio est in duabus *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 717. *n.* 383. et *Maff. Mus. Ver.* 425, 1., illiusque munus idem fortasse sic denotari in *Inscr.* ap. *Grut.* 22, 3. Agens vice principis peregrinorum. *F.*]

[SUBPRINCĪPĀLIS, e, adj. qui est post principalem. *Capell.* 9. p. 315. Tertius tonus παρυπάτη ὑπάτων, id est, subprincipalis principalium. *F.*]

SUBPROCŪRĀTOR, oris, m. procuratoris vice agens. *Inscr.* ap. *Grut.* 4, 4. Avianus Aug. (*Trajani*) Lib. Subproc. Aurariar. Alia ap. *eund.* 591, 1. Hypaticus Augg. Lib. Subproc. XX. *h. e.* vicesimae hereditatum.

SUBPŪDET. V. SUPPUDET.

[SUBQUADRUPLUS, a, um, adj. ita appellatur numerus, qui ab alio numero quater continetur. *Boeth. Arithm.* 1, 23. Si majorem numerum minor numerus quater metiatur, subquadruplus vocabitur; et sit per haec in infinitum progressio. *F.*]

[SUBQUARTUS, a, um, adj. ita appellatur numerus minor, qui cum alio majore comparatus ab eodem continetur cum quarta ejusdem parte: quemque *subsesquiquartum* vocat *Boeth. Arithm.* 1, 24. *Capell.* 7, 252. Aut subquartus (*numerus*), quem ὑποτέταρτον Graeci appellant. Subquarti rationem habent quatuor ad quinque, octo ad decem: et *mox:* Ratio numeri subquarta. V. SUBDIMIDIUS. *F.*]

SUBRĀDĬO, as, a. 1. irradio, illustro. *Tert. Resurr. carn.* 29. Allegoricae scripturae resurrectionem subradiant, *h. e.* indicant.

SUBRĀDO, is, f. subtus rado. *Cato R. R.* 50. In vinea ficos subradito alte, ne eas vitis scandat. ℙ Item praestringo. *Ammian.* 28, 2. Ultra flumen aedificiis positis, subradens barbaros fines.

SUBRANCIDUS, a, um, adj. ὑπόσαπρος, aliquantulum rancidus. *Cic. Pis.* 27. *f.* Exstructa mensa non conchyliis, aut piscibus, sed multa carne subrancida.

SUBRĀSUS, a, um, part. a *subrado*, aliquantum vel subtus rasus. *Pall.* 5, 4. Arbor ferrea strigili subrasa hilarior fiet.

SUBRAUCUS, a, um, adj. ὑποβραγχώδης, aliquantulum raucus. *Cic Brut.* 38. Omnisque motus cum verbis sententiisque consentiens, vox permanens, verum subrauca natura.

SUBRECTĬO, onis, f. actus erigendi. *Arnob.* 5, 184. Phallorum illa, fascinorumque subrectio, quos ritibus annuis adorat et concelebrat Graecia. V. SURRECTIO.

SUBRECTUS et Surrectus, a, um, part. a *subrigo:* ὑπορθεὶς, in rectum elatus, erectus, arrectus. *Liv.* 8, 8. *med.* Triarii sub vexillis considebant, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. *Sen. Q. N.* 6, 21. Novos montes subrectos extollere. *Sil.* 2, 599. Surrecta moles. *Sen. Ben.* 5, 15. *f.* Urbem subrectis intrate vexillis. *Id. ep.* 86. Turres in propugnaculum villae utrinque subrectae. *Liv.* 7, 10. *med.* Romanus mucrone subrecto, cum insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit. *Lucan.* 9, 634. Surgunt aversa subrecta fronte colubrae. *Colum.* 7, 3. Minime nocent intorta potius, quam surrecta et patula cornua. *Id. Arb.* 4. Vinearum fere genera in usu tria sunt, jugata, humi projecta, et deinde tertia, quae est a terra subrecta, more arborum in se consistens. *Sen. Herc. Fur.* 790. Aure subrecta canis captat sonum; et *Plin.* 11, 37, 50. Aures in equis indicia animi praeferunt, fessis marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus. *Id.* 10, 38, 54. Aves subrectae, pronae, obliquae, in latera, in ora feruntur. *Vopisc. Aurel.* 37. Surrectus ad stipitem bestiis objectus est. ℙ Absolute. *Plin.* 10, 18, 20. Pici arborum cavatores, scandentes in subrectum felium modo. Alii leg. *subreptum.* ℙ Est etiam *subrectus* aliquantum seu modice erectus. Unde *subrectus locus*, et *subrectior vallis* ap. *Auct. rei agrar.* p. 240. 252. et 260. *Goesii.*

SUBRĔFECTUS, a, um, part. ab inus. *subrefício:* aliquantum refectus. *Vell.* 2, 123. Subrefectus aspectu, alloquioque carissimi.

SUBRĔGŬLUS, i, m. *Ammian.* 17, 12. *f.* Agilimundus subregulus, aliique optimates. Adde *Sulpic. Sev.* 2. *Hist. sacr.* 10.

SUBRĔMĂNĔO, es, n. 2. idem quod remaneo. *Tert. Anim.* 18. *med.* A qua nec in fine subremanet.

SUBRĔMĪGO, as, n. 1. ὑπηρετέω, subtus remigo. *Plin.* 9, 29, 47. Brachiis subremigans, media cauda, ut gubernaculo, se regit. *Virg. A.* 10, 227. laeva tacitis subremigat undis. ℙ Translate. *Calpurn. Flacc. decl.* 20. Duce luxuria, et subremigante, seu potius velificante nequitia, in illos impudicitiae scopulos, et ipsa famae suae naufragia delatus. *Seren. Aetn.* 295. de organo hydraulico: Quae (*ars*) tenuem impellens animam subremigat undam, *h. e.* occulte quasi remis subagitat.

SUBRĔNĀLIS, e, adj. qui est sub renibus, ut Subrenalis morbus. *Veg. Vet.* 1, 8. et 15.

SUBRĔPO et Surrepo, is, psi, ptum, n. 3. ὑφέρπω, ὑποδύομαι, subtus aut clam repo, latenter subeo, obrepo. *Cic. Sext.* 59. Emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat. *Colum.* 9, 1. *f.* Haec animalia propter exiguitatem corporis facile clathris subrepunt. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Subrepenti lacertae cominus sagitta insidians. [*Hor. Sat.* 2, 6, 100. inde Ambo propositum peragunt iter urbis aventes Moenia nocturni suprepere.] *Claud. Rapt. Pros.* 3, 251. Solvitur in laticem: subrepit crinibus humor, *h. e.* subtus et sensim fluit. *Lucan.* 2, 505. moturas ingentia pondera turres Erigit, et mediis subrepit vinea muris. [*Cf. *Cort.* ad h. l.] *Claud. in Ruf.* 1, 176. ductusque maligno Stamine fatorum claram subrepsit in aulam. ℙ Translate. *Ov. Met.* 7, 155. Somnus in oculos subrepit. *Id. Fast.* 3, 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. *Stat. Th.* 11, 476. tacitus subrepsit fratribus horror. *Plin.* 8, 22, 34. Huic oblivionem cibi subrepere ajunt. *Lucan.* 2, 390. nullosque Catonis in actus Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas. *Tibull.* 1, 1, 85. Jam subrepet iners aetas, nec amare decebit. [*Quint. Decl.* 18, 9. p. 356. *ed. Burm.* In matris adspectu coalescit infantia, pueritia consurgit, juventa subrepit, speciosum suum quotidie videt, miratur, amplectitur.] *Catull.* 77, 3. Siccine subrepsti mi, atque intestina perurens Mi misero, eripuisti omnia nostra bona? pro *subrepsisti. Quint.* 4, 1. *med.* Insinuatio surrepat animis, maxime ubi frons causae non satis honesta est. *Sen. Consol. ad Marc.* 1. *med.* Vide, quam non subrepam tibi, nec furtum facere affectibus tuis cogitem. [*Tibull.* 4, 3, 21. Et quaecunque meo furtim subrepet amori, i. e. amorem mihi debitum intercipiet, ad se avertet.] *Plin.* 21, 2, 3. Paulatim et Romae subrepsit adpellatio; et *Sen. ep.* 90. *in.* Surrepentibus vitiis, in tyrannidem regna versa sunt. [**Sil.* 15, 136. pectora subrepit terror. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 753. ubi praeter alia multa comparatur locus *Aeschyl. Agam.* 278. χαρὰ μ' ὑφέρπει.] ℙ Passive impersonaliter. *Quint.* 4, 5. *med.* Ita subrepetur animo judicis. ℙ *Subrepere*, subnasci, succrescere. *Calpurn. Ecl.* 2, 42. Ars mea nunc malo pira temperat, et modo cogit Insita praecoquibus subrepere persica prunis. ℙ [*Confund. *subrepere* et *surripere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 753.]

SUBREPTĪCĬUS et Surrepticius, a, um, adj. κλοπαῖος, clam, aut furto ablatus: a *subripio. Pl. Men. prol.* 60. Adoptat illum puerum surrepticium. Adde *Poen.* 5, 2, 2. ℙ Item furtivus, clanculārius, celatus, a *subrepo. Id. Curc.* 1, 3, 48. Quousque, quaeso, ad hunc modum inter nos amore utimur semper surrepticio?

SUBREPTĬO et Surreptio, onis, f. ὑφαρπαγή, actus subripiendi, occultum furtum: a *subripio. Appul. Met.* 10. Dejerant uterque, nullam se prorsus fraudem, nullam denique subreptionem factitasse. ℙ Item actus subrependi, obreptio: a *subrepo.* Hinc *per subreptionem quippiam elicere*, aut *impetrare*, ap. *Imppp. Theod. et Val. Cod.* 1, 14, 2. est obtinere aliquid per falsam rei narrationem vel simulatae causae subreptionem.

SUBREPTĬTO, as, n. 1. ὑφερπίζω, frequent. a *subrepo. Cato* ap. *Gell.* 10, 13. In cubiculum subreptitavit e convivio. Alii [rectius *F.*] leg. *surrectitavit*, h. e. crebro surrexit.

SUBREPTĪVUS, a, um, adj. ut Subreptiva defensione muniri, *Imppp. Valent. Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 12, 16, 1.

SUBREPTUS, a, um, part. a *subrepo.* Scandere in subreptum *Plinio* 10, 18, 20. est subrependo scandere. V. SUBRECTUS. ℙ Alio sensu. V. SURREPTUS.

SUBRĒSĬDĔO, es, n. 2. subsisto, pausam facio, cesso. *Tert. ad Ux.* 2, 1. [Hoc maximum propositum vitae subresedi, *h. e.* paululum intermisi: alii pro *subresedi* leg. *supremi praesidii. F.*]

SUBRĪDĔO, es, isi, a. 2. ὑπομειδιῶ, leviter, aut latenter rideo. [*Cf. de h. v. *Doederl.* 3, 252.] *Cic. Rosc. Com.* 8. Roscius fraudavit Fannium: qua de causa? Subridet Saturio, veterator, ut sibi videtur: sit, etc. *Ov. Am.* 3, 1, 33. limis subrisit ocellis. *Mart.* 6, 82. Subrisi modice. *Pers.* 3, 110. Candida vicini subrisit molle puella. *Claud. in Eutrop.* 2, 108. subrisit crudele pater. *Virg. A.* 10, 742. subridens mixta Mezentius ira.

SUBRĪDĬCŬLE, adv. ὑπογελοίως, aliquantulum ridicule. *Cic. Or.* 2, 61. At in male olentem, Video me a te circumveniri, subridicule Philippus.

*SUBRIDICŬLUS, a, um, adj. aliqusntum ridiculus. *Augustin. B. A.*

SUBRĪGO et Surrigo, [*et *surgo*, nam eadem vox est, quam ex more suo *Noster* separatim exposuit,] is, exi, ectum, a. 3. ὑπαίρω, ἀναίρω, recta in altum tollo, erigo, arrigo, sustollo: a *sub* et *rego. Virg. A.* 4, 183. Subrigere aures. *Sen. Herc. Fur.* 392. caput; et *Stat. Th.* 2, 27. de Cerbero: omnes capitum subrexit hiatus. *Sen. Ira* 1, 1. *med.* Horrent et subriguntur capilli. *Plin.* 10, 29, 45. Upupa crista visenda plicatili, contrahens eam subrigensque per longitudinem capitis. *Id.* 9, 29, 47. Paulatim subrigens se. *Sen. Q. N.* 6, 4. Terrae motus defert montes, subrigit plana, valles extuberat. *Plin.* 18, 35, 89. Trifolium folia contra tempestatem subrigere certum est. *Id.* 36, 9, 14. *n.* 2. Cum subrecturus esset obeliscum. *Arnob.* 5, 176. et 177. Subrigere phallos. *Hieron. Vit. Hilar. n.* 43. Et jam membra, solidata ad standum, hominem surrigebant. V. SUBRINGO. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 3, 3, 76. praecipuos merito subrexit in actus, i. e. promovit eum ad summos honorum gradus. ℙ *Surgite*, pro *surrigite* est *Plauti* in fine *Epidici.* Lumbos surgite atque extollite.

SUBRĪGŬUS, a, um, adj. ὑποβρεχής, aliquantum irriguus. *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 2. In agro crasso aut humido, aut subriguo oleam seri jussit a messe ad brumam.

[SUBRINGO, is, a. 3. idem ac subrigo. *M. Aur.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2. *ep.* 15. Ubi id audivi, calcar equo subringo, equum in oves inigo. *Maius* ita legi in codice affirmat, ego nullus dubito, scriptum fuisse *subringo* pro *subrigo* amanuensis oscitantia. *F.*]

SUBRINGOR, eris, dep. 3. aliquantulum ringor, stomachor, irascor. *Cic. Att.* 4, 5. Erimus uberiores, si et ille libenter accipiet, et hi subringentur, qui villam me moleste ferunt habere.

SUBRĬPIO. V. SURRIPIO.

*SUBRITI, oppidum Cretae. *Tab. Peut.* ℙ Σουβριτα est *Ptolemaeo. Notit. Episcop.* Ὁ Σουβρίτου, *Subriti Episcopus. B. A.*

*SUBROGATIO, onis, f. Substitutio: ἀντεισαγωγή. *Gloss. Vet. B. A.*

SUBRŌGĀTUS vel Surrogatus, a, um, part. a *subrogo*: suffectus. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 2. Magistratibus non subrogatis. [*Sex. Ruf. Brev.* 2. Consules

(*Romae*) fuerunt a Bruto et Publicola in Pansam et Hirtium, numero DCCCLXVII., praeter eos, qui in eundem annum sorte aliqua sunt subrogati. *F.*]

SUBROGO, vel Surrogo, as, a. 1. ἀντικαθίστημι, substituo, alterum in demortui, vel munere suo perfuncti locum sufficio. *Cic. ad Brut.* 1, 5. *f.* Statim enim collegam sibi subrogasset. *Liv.* 2, 7. Quia nec collegam subrogaverat in locum Bruti. *Id.* 23, 24. Ad consules subrogandos veniret. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 36. In annum posterum decemviros alios subrogaverunt. [*Adde cp. 37.] ℙ Lex subrogari dicitur, cum ei aliquid adjicitur. *Ulp. Regul. tit.* 1. *F.*]

*SUBROMŪLA, ae, f. locus Italiae, in Hirpinis. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

SUBROSTRĀNUS, a, um, adj. qui plurimum obambulat sub Rostris, quod faciebant homines otiosi, omniumque rumorum aucupes: ut subbasilicanus, qui sub basilica. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *f.* Te ad IX. Cal. Jun. subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant periisse. Alii leg. *subrostrarii.*

SUBRŌTĀTUS, a. um, part. ab inus. *subroto.* Subrotatus aries dicitur a *Vitr.* 10, 19. *med.* militaris machina, quae rotis suppositis agitur.

SUBROTUNDUS, a, um, adj. ὑποστρόγγυλος, aliquantum rotundus, ut subrotunda radicula, ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 14.

SUBRŪBĔO, es, n. 2. ὑπερυθραίνομαι, aliquantum rubeo, nonnihil rubeo. *Ov. A. Am.* 2, 316. Plenaque purpureo subrubet uva mero. *Pall.* 4, 10. *med.* Grossi incipiunt subrubere.

SUBRŪBER, ra, rum, adj. aliquantum ruber. *Cels.* 5, 28. *n.* 8. Subrubra caro.

SUBRŪBĔUS, a, um, adj. idem ac subruber. *Non.* 16, 8. Ostrina ab ostri colore, qui est subrubeus.

SUBRŬBĬCUNDUS, a, um, adj. ὑπερυθρός, rubicundulus, aliquantum rubicundus. *Plin.* 25, 13, 106. Herba ex trixaginis specie, et mollitia, cauliculis subrubicundis. *Sen. Ira* 3, 4. Subrubicundus vultus. *Cels.* 5, 28. *n.* 4. Ulcus subrubicundum. Adde *ib.* 26. *n.* 20.

[SUBRŪDIS, e, adj. aliquantum rudis. *Not. Tir.* p. 123. Rudis, subrudis. *F.*]

SUBRŪFUS, a, um, adj. ὑποπυρρός, aliquantulum rufus. *Pl. Capt.* 3, 4, 115. Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus. *Plin.* 37, 10, 61. Indica gentium suarum habet nomen, subrufo colore, in attritu sudorem purpureum emanat.

SUBRŪMO: as, a. 1. sub mammam submitto: a *ruma. Festus:* Subrumari dicuntur haedi, cum ad mammam admoventur, quia ea rumis vocabatur: vel quia rumine trahunt lac sugentes. *Colum.* 7, 4. Ut et suis quotidie matribus et alienis non amantibus agni subrumentur. *Id.* 12, 3. *f.* Pastores fetus ovium subrumantes.

SUBRUMPO, is, upi, uptum, a. 3. idem ac rumpo. *Arnob.* 2, 82. Aliorum subrumpant, et labefaciant scita.

SUBRŪMUS, a, um, adj. ὑπομάστιος, qui adhuc sub mamma est: a *ruma*, qua mammam notat. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* (et *ib.* 11.) Si parum habet lactis mater, subjiciat sub alterius mammam, qui appellantur subrumi, id est sub mamma. Antiquo enim vocabulo mamma rumis, ut opinor. *Festus* in *Ruminalis:* Mamma autem rumis dicitur. Unde rustici haedos lactentes subrumos vocabant, qui adhuc sub mammis habentur.

SUBRUNCĀTOR, vel
SUBRUNCĪNĀTOR. V. IMPORCITOR.

SUBRUNCĪVI vel Surruncivi limites, in agris dicuntur, ubi terra runcatur, et a vepribus, sentibusque purgatur, ut iter facientibus expedita transitio sit. Differunt ab actuariis, quia hi omnium iter facientium commodo inserviunt; subruncivi vero finitimorum, et mensurae tantum disterminandoe causa sunt constituti. *Hyg. de limit.* p. 152. 177. et 209. *Goesii.*

SUBRŬO, is, ui, utum, a. 3. ὑποράττω, subtus fodio, suffodio. *Liv.* 34, 29. Jam testudinibus admotis murus subruebatur: jam arietibus quatiebatur. *Id.* 21, 11. Subruendus murus ab imo. *Plin. ep.* 8, 17. Amnis subruit montes. *Lucr.* 6, 544. Terra superne tremit magnis concussa ruinis Subter, ubi ingentes speluncas obruit aetas. [*Curt. 4, 6, 21. subrui muros cuniculis.] ℙ Metonymice est diruo, destruo, everto, funditus proruo, καταπτίζω. [*Caes. *B. G.* 2, 6. testudine facta portas succeduut, murumque subruunt, i. e. caedunt dolabra, donec collabatur. Ita *Mor.* in *Ind.* ad *Caes.*] *Tac. H.* 3, 28. Subruere vallum. *Id. ib.* 20. Perfringere ac subruere muros. *Ov. Met.* 15, 228. Subruit haec aevi demoliturque prioris Robora. *Id. Trist.* 3, 11, 23. Subruere est arces, et stantia moenia virtus. Adde *Prop.* 3, 3, 53. ℙ Translate. *Lucr.* 4, 863. rarescit corpus, et omnis Subruitur natura: dolor quam consequitur rem, *h. e.* labefactatur, et infirmior fit natura animalis. *Liv.* 41, 23. Nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur, *h. e.* libertatis fundamenta labefactari. *Hor. Od.* 3, 16, 13. dissidit urbium Portas vir Macedo, et subruit Reges muneribus. *Id. Ep.* 2, 1, 179. Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum Subruit, ac reficit. *Tac. H.* 2, 101. Militum animos obstinatos pro Vitellio, variis artibus subrucbat, *h. e.* tentabat, ut fidem mutarent. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 112. Ne multorum securitas subruatur. *Sen. Hipp.* 773. Res est forma fugax: dum licet, utere. Tempus te tacitum subruet.

SUBRUSTICĒ, adv. ὑπαγροίκως, aliquantum rustice. *Gell. praef. med.* Nos vero, ut captus noster est, incuriose, et immeditate, ac prope etiam subrustice, ex ipso loco ac tempore hibernarum vigiliarum *Atticas noctes* inscripsimus.

SUBRUSTĬCUS, a, um, adj. ὑπάγροικος, aliquantum rusticus. *Cic. Brut.* 74. *med.* Sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam, planeque subrusticum. *Id. Fam.* 5, 12. Pudor quidam paene subrusticus.

[SUBRŪTĪLO, as, n. 1. rutilum seu clarum fio. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 25. Si purgata mentis intendas acie, subrutilare tibi jam debet, quid sit anima. *Hieron.* 15. in *Isai.* 54. 12. Est et alius iaspis nivi et spumae marinorum fluctuum similis, et clementer quasi mixto cruore subrutilans. *F.*]

SUBRŪTĪLUS, a, um, adj. ὑπόπυρρος, in rutilum vergens colorem. *Plin.* 10, 3, 3. Genus aquilarum media magnitudine, colore subrutilo, rarum conspectu. *Id.* 36, 21, 39. Aetites gallae similis, aut subrutilus. *Id.* 24, 11, 54. Frutex subrutilus.

SUBRŪTUS, a, um, part. a *subruo: ὑπορυχθείς*, subtus cavatus, suffossus. *Vitr.* 5, 12. *med.* Arena fluctibus subruta efficiet in mare pilae praecipitationem. *Hirt. B. Afr.* 50. Erat convallis satis magna latitudine, altitudine praerupta, crebris locis speluncae in modum subrutis. *Liv.* 5, 21. Subrutis cuniculo moenibus, arcem jam plenam hostium esse. *Id.* 33, 17. *med.* Multis simul locis aut subruti, aut ariete decussi ruebant muri. *Colum.* 5, 5. *med.* Tum subruta parte ima, leviter pilam commovere. ℙ Item suffodiendo, aut diruendo eversus, afflictus. *Caes. B. C.* 2, 12. Captam suam urbem vident, opera perfecta, turrem subrutam. *Liv.* 31, 46. *f.* Muri pars, ariete incusso subruta, multis jam locis prociderat. [*Id. Fragm. lib.* 91. p. 371. subrutis fundamentis: ad quem locum v. *Kreyss.* p. 385.] *Prop.* 3, 7, 55. Claustraque Pelusl Romano subruta ferro. *Stat. Th.* 9, 474. genibusque obnixus et haerens Subruta fallaci servat vestigia limo, *h. e.* pedes eversos, et consistere in vestigio nequeuntes propter limum lubricum et fallentem. *Hirt. B. Afr.* 47. *f.* Subito imbre grandineque consecuta, aqua omnes subruti disjectique, per castra passim vagabantur, *h. e.* paene obruti.

SUBSALSUS, a, um, adj. ὑφάλμυρος, salis saporem nonnihil referens. *Plin.* 21, 29, 103. Subsalsa gustanti herba. *Cels.* 5, 12. Dare potui tepidam aquam subsalsam.

*SUBSANNATĬO, onis, f. μυκτηρισμός *Gloss. B. A.*

*SUBSANNĀTOR, oris, m. *Vulg. Siracid.* 33, 6. *B. A.*

SUBSANNO, as, a. 1. χλευάζω, ἐκμυκτηρίζω, sanna irrideo. *Tert. adv. Jud.* 11. *med.* Ecce ipsi quasi subsannantes. *Hieron. ep.* 40. *n.* 2. Quadrante indignam eloquentiam nare subsanno: quid ad te, qui disertus es? V. SANNA. *Nemes. fr. de aucup.* 8. et rauca subsannat voce magistri Consilium.

SUBSAXĀNUS, a, um, adj. Bonae Deae Subsaxanae aedes ponitur a *P. Vict.* in Reg. XII. urbis Romae: nomenque habuit ex eo, quod sub saxo exstructa fuit, ut *Ov.* significat *Fast.* 5, 149.

[SUBSCĀLĀRIS, e, adj. qui sub scalis est. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4331. In his praediis insula Sertoriana bolo (scil. insulam Sertorianam volo) esse Aur. Cyriacetis filiae meae, cenacula N. VI., tabernas N. XI. et repossone subiscalire. Ita legitur in lapide pro *repositionem subscalarem*, h. e. *un ripostiglio sotto la scala, un sottoscala. F.*]

[SUBSCALPO, is, a. 3. subter scalpendo pruritum excito. *Capell.* 1, 4. Venus pruritui subscalpentem circa ima corporis Psyches apposuerat voluptatem. *F.*]

SUBSCRĪBENDĀRĬUS, ii, m. qui subscribit. Est nomen officii, de quo aliquoties mentio fit in *Cod. Theod.*, ut 7, 4, 1. et 8, 4, 8. Erat autem minister comitis seu ducis rei militaris, similis actuario, sed majoris tamen dignitatis. Sed haec ad cadentem Latinitatem pertinent. V. *Gothofred.* ad *cit.* 7, 4, 1.

SUBSCRĪBO, is, psi, ptum, a. 3. ὑπογράφω, sub aliqua re scribo, adscribo. *Cic. Cluent.* 36. *med.* Statuis inauratis, quas posuit ad Juturnae, subscripsit, reges ab se in gratiam esse reductos. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 13. *l.* 9. *ad Att.* Caesar nobis litteras perbreves misit, quarum exemplum subscripsi. *Treb.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. *med.* Concinnavi tibi manusculum ex instituto meo, et tibi infra subscripsi. *Colum.* 5, 6. Seminaria ulmorum parentur ea ratione, quam deinceps subscripsimus. [*Ov. *Met.* 9, 563. Neve merere, meo subscribi causa sepulcro: ubi v. *Gierig. Suet. Caes.* 80. Subscripsere quidam L. Bruti statuae: utinam viveres; item ipsius Caesaris, etc. ℙ Hinc absolute, nomen suum comprobandi causa tabulis, rationibus subjicere.] *Mart. Dig.* 20, 6, 8. *f.* Si subscripserit in tabulis emptionis, concessisse videtur. *Ulp. ib.* 2, 13, 6. Si plures tutores tutelam simul administraverint, aut omnes edere debent, aut certe unius editioni subscribere. *Scaevola *ib.* 40, 7, 40. *med.* Cum testator non potuerit rationibus subscribere, testamento tamen subscripserit. *Callistrat. ib.* 35, 1, 80. *f.* et *Jul.* 34, 3, 12. Subscribere rationes. ℙ [*Hinc translate est adstipulari, assentiri, favere, ratum habere, confirmare. Cujus generis exempla *Noster* laudaverat ista:] *Ov. Trist.* 1, 2, 3. Neve, precor, magni subscribite Caesaris irae. *Cels.* 3, 4. Ulterioribus diebus cubantis etiam luxuriae subscripsit: primis vero tortoris vicem exhibuit. *Colum.* 1, 2. Si fortuna voto subscripserit. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 96. Tuo desiderio subscripsi. *Phaedr.* 3, 10. Subscribere gratiae, aut odio. *Manil.* 2, 551. sed totidem bellum subscribitur astris, *h. e.* firmatur astrorum influxu; [*V. *Gronov. observv.* 2, 6. p. 128. *ed. Fr.* ubi legitur: et a totidem bellum subscribitur astris.] et *ib.* 834. Utcumque admixtis subscribant viribus astra. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 4. Subscribere amoribus alicujus. [*Liv. 33, 47. subscribere odiis accusationibusque Hannibalis, i. q. adjuvare. V. *Bauer.* ad h. l. p. 211. At *Kreyss.* scribendum censet odiis accusatorum. Adde 10, 22. Subscripsit orationi ejus consul. ℙ Dicitur etiam de imperatoribus subscripto nomine poenam vel aliud quid confirmantibus. *Suet. Nero* 10. Quum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur. *Oth.* 7. nec quidquam prius pro potestate subscripsit. *Cal.* 29. numerum puniendorum ex custodia subscribens.] ℙ Frequens est ejus usus in judiciis. Nam qui reum aliquem deferebat, et accusare parabat, non ante admittebatur, quam ejus, cui litem intendebat, nomen in libello perscripsisset, et praeterea adscripsisset suum: qua re subjiciebat se eidem poenae, si crimen non probasset. V. v. sq. [*Cf. *Salmas. mod. usur. c.* 3. p. 103. et quos laudat *Burm.* in *ind. Vell.* s. h. v.] Similiter advocati et patroni, paratos se ad eandem accusationem professi, operamque suam primario accusatori polliciti, nomina sua eidem libello subjiciebant: unde et *subscriptores* dicti. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. Att.* 6, 3.] *Cic. Cluent.* 47. *med.* In L. Popillium, qui Oppianicum condemnarat, subscripsit L. Gellius, quod is pecuniam accepisset, quo innocentem condemnaret. *Id. Q. Fr.* 3, 3. *med.* Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Caecilio, Sullae filio. *Nep. Att.* 6. Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit. *Vell.* 2, 69. *f.* Capito Agrippae subscripsit in C. Cassium. *Plin. ep.* 5, 1. *med.* Post hoc ille cum ceteris subscripsit centumvirale judicium, mecum non subscripsit, *h. e.* litem intendit ceteris, mihi non intendit. *Pl. Poen.* 3, 6, 5. Cras subscribam homini dicam, *h. e.* scribam, intendam. *Ulp. Dig.* 47, 2, 92. et *ib.* 1, 3. Subscribere in crimen. *Scaevola ib.* 48, 10, 24. in crimine. *Tac. Agr.* 45. Praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, *h. e.* accusarentur. Delatores enim libello dato, subscriptoque suo nomine, etiam suspiria deferebant. V. *Sen. Ben.* 3, 26. [*De origine causarum subscribendarum ita disputant viri docti, ut alii ad Catonem Censorium referant, quibus favet locus *Gellii* 4, 20. ubi censor (Cato) causam subscripsisse traditur: alii ad posteriora tempora, confisi loco Livii 39, 42. ubi v. *Duk.* et *Drak.* qui Livio plus tribuit, quam Gellio.] ℙ Est etiam *subscribere*, simpliciter adnotare, perscribere. *Cic. Verr.* 2, 3, 51. Lege Hieronica numerus aratorum quotannis apud magistratus subscribitur; [**sie müssen sich angeben und sich einschreiben.*] et *Quint.* 12, 8, 8. Nec tanta sit acturo memoriae fiducia, ut subscribere audita pigeat. [**Buttm.* ad h. l. notat: subscribimus, subnotamus audita, cum non omnia verbo tenus tanquam dictata calamo excipimus: sed ea potissimum, quae memoriae usui futura sunt.] ℙ Censores subscribere dicebantur, cum aliquem propter delictum nota inurebant: quia ejus notae causam in tabulis perscribebant. *Cic. Cluent.* 42. Video, animadvertisse censores in judices quosdam illius consilii Juniani, cum istam ipsam causam subscriberent; et *ib.* 44. Ac primum illud statuamus, utrum quia censores subscripserint, ita sit; an quia ita fuerit, illi subscripserint; et *ib.* 45. Nam haec, quae de judicio corrupto subscripserint, quis est, qui ab illis satis cognita arbitretur? ℙ Sub imperatoribus *subscribere* in fine epistolarum et rescriptorum erat, non nudum numen adscribere imperatoris, aut officialis (hoc enim potius *subnotare* dicitur), sed verba aliquot chirographo principis aut officialis subjicere, quibus vel exprimeretur illud ipsum, quod libello petebatur, ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 607, 1.; vel vota, et bona verba ad eos, ad quos litterae mittebantur. *Lampr. Commod.* 13. Ipse Commodus in subscribendo tardus et negligens, ita ut libellis una forma multis subscriberet, in epistolis autem plurimis, Vale, tantum scriberet. *Suetonii* quoque illud huc pertinet, *Tib.* 32. Cum Rhodiorum magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederant, ne verbo quidem insectatus, ac tantummodo jussos subscribere remisit. V. v. sq. [*Cf. *B. Crus. cl. Suet.* p. 744. Huc pertinere videtur etiam *Hor. Sat.* 1, 10, 92. I, puer, atque meo citus haec sub. scribe libello: ubi v. *Heindf.*] ℙ *Subscribere* pro clam et occulte scribere, videtur usurpari a *Suet. Aug.* 27. Pinarium equitem R. cum, conçionante se

apud milites, subscribere quaedam animadvertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit. [*V. *Burm.* ad *Aug.* 27. et *Ern.* ad *Tac. Agr.* 45.] ℙ *Subscribere aliquid* alicui ap. *Tert. Virg. vel.* 10., est permittere, concedere, assignare. Adde *Idol.* 13. et *Anim.* 40.

SUBSCRIPTIO, onis, f. *ὑπογραφή, ἐπιγραφή*, actus subscribendi, et illud ipsum, quod subscribitur. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Cum in turma inauratarum equestrium animadvertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi. ℙ [*Absolute, de nominis notatione sub tabulis, rationibus, vel alia quadam scriptura, assensus, comprobationis causa facta. V. in SUBSCRIBO.] *Callistrat. Dig.* 48, 10, 15. Si testator specialiter subscriptione sua declaraverit, dictasse, etc. Adde *Paul. ib.* 14. ℙ In re forensi est adscriptio nominis sui facta ab eo, qui alterum est accusaturus (quae et *inscriptio* dicitur): item ab iis, qui accusaturo se adjutores praebent, ut in SUBSCRIBO dictum est: unde et pro accusatione ponitur. *Ulp. Dig.* 48, 2, 7. Si cui crimen objiciatur, praecedere debet in crimen subscriptio, quae res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi non futuram. *Cic. Div. Verr.* 15. *f.* Ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt. *Sen. Ben.* 3, 26. *f.* Cum Maro convivas testaretur, et jam subscriptionem componeret. *Quint. decl.* 15, 6. Numquid inique, judices, in tanti sceleris subscriptione deposco, ne, etc.? *Gell.* 2, 4. Cum de constituendo accusatore quaeritur, cuinam potissimum ex duobus pluribusve accusatio subscriptioque in reum permittatur, etc. *Quint. decl.* 319. Ut sequatur adulterii poenam alia subscriptio, alii judices, et alia sortitionis fortuna. *Sen. Apocol. f.* Postulat nomen ejus recipi: edit subscriptionem: Occisos senatores XXX., equites R. CCCXV. etc. Ex hoc loco colligimus, in hujusmodi subscriptionibus non solum nomen rei, qui accusandus esset, sed etiam causas, propter quas accusari deberet, perscriptas fuisse. [*V. *Brem.* ad *Nep. Att.* 6, 3.] ℙ Item quod a principe, aut ab ejus officiali litteris, aut libello oblato subjicitur, ut diximus in v. praec. *Ulp. Dig.* 1, 4, 1. Quodcumque imperator per epistolam et subscriptionem statuit, legem esse constat. ℙ *Subscriptio censoria* est adscripta subjectio causae, propter quam censores in aliquem animadverterunt, ut similiter in v. praec. exposuimus. *Cic. Cluent.* 42, 43. et 44. ℙ Est etiam simplex adnotatio, perscriptio. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. *extr.* In agro Leontino jugerum subscriptio ac professio non est plus XXX. millium.

SUBSCRIPTOR, oris, m. qui subscribit: et praecipue qui alteri quempiam accusare parato socium se atque adjutorem profitetur, ut in SUBSCRIBO dictum est. *Cic. Div. Verr.* 15. Venit paratus cum subscriptoribus exercitatis et disertis. Ubi *Ascon.* Subscriptores dicuntur, qui adjuvare accusatorem causidici solent. *Id. Dom.* 19. Ille novitius Ligur, venalis adscriptor et subscriptor tuus. *Id. Q. Fr.* 3, 4. Gabinius absolutus est. Omnino nihil accusatore Lentulo subscriptoribusque ejus infantius. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Sine ullo subscriptore descendit, et Tuccium reum fecit. ℙ Translate est fautor, approbator. *Gell.* 5, 21. Velim doceas nos, cur *pluria* non Latine, sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro, quos subscriptores approbatoresque hujus verbi habemus. *Id.* 19, 8. *med.* Non ut hujus sententiae legisque fundus subscriptorque fierem, sed, etc.

SUBSCRIPTUS, a, um, part. a *subscribo: ὑπογραφθείς*, scripto subnotatus. *Modest. Dig.* 29, 2, 50. Post subscriptam epistolam. *Mart. ib.* 7, 6. Codicillos non alios valere, quam sua manu signatos et subscriptos. *Macer. ib.* 48, 2, 8. Qui duo judicia adversus duos reos subscripta habet. V. SUBSCRIBO.

[SUBSCRŪPOSUS, a, um, adj. aliquantisper scruposus, vel scrupulosus. *Ammian.* 21, 16. *in.* Examinator meritorum nonnunquam subscruposus, palatinas dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo. Alii leg. *scrupulosus*, alii *subscrupulosus. F.*]

SUBSCUS, udis, f. tabella lignea, vel alius materiae, utrinque in modum caudae hirundinis succisa, quae immittitur, ut trabes, aliave committat. *Festus:* Subscudes appellantur cuneatae tabellae, quibus tabulae inter se configuntur, quia quo immittuntur, succuditur. Pacuvius in Niptris: Nec ulla subscus cohibet compagem alvei. Plautus in Astraba: Terebratus multum sit, et subscudes addite. ℙ Differt a securicula; quia haec ex una tantum parte in modum parvae securis seu hirundininae caudae formatur, et immittitur: subscus vero ex utraque parte eam figuram habet, et utrinque compingitur; hujusmodi est ferrum illud, quod in molendini superiorem molam immissum, eam sustinet et versat, quod proinde a *Vitr.* 10, 10. subscus ferrea appellatur. *Id.* 4, 7. Eae trabes ita sint compactae subscudibus, et securiculis, ut compactura duorum cubitorum habeat laxationem. *Cato R. R.* 18. *f.* Orbem olearium facito: subscudes iligneas adindito: eas ubi confixeris, clavis corneis occludito. ℙ In plur. num. *subscudines* pro *subscudes* dixit *August. C. D.* 15, 27., cujus verba V. in EPIGRUS.

SUBSĔCIVUS vel Subsicivus, (a *sub* et *seco,*) vel Subcīsivus, vel Succīsivus, (a *sub* et *caedo,*) a, um, adj. qui succiditur, seu subsecatur. Hinc subsecivum tempus est, quod veluti subsecatur et detrahitur a gravioribus et ordinariis negotiis, et occupationibus, et in alias res obiter et quasi furtim impenditur: et subseciva opera, quae tali tempore impenditur. [*B. *Crus.* in *cl. Suet.* p. 744. deducendum vocabulum putat a v. *subsecare*, ideoque non scribendum *subcesiva*, etc. coll. *Oisel.* et *Gronov.* ad *Gell.* 13, 24, 4. *Goerenz.* ad *Cic. Legg.* 1, 4, 13. Contra est *Spalding.* ad *Quint.* 1, 12, 13. (coll. *praef. Vol.* 1. p. 80.) qui *succisivus* veram scripturam putat: a *succidendo.* Cf. *Zumpt.* ad *supplem. annot.* ad *Quint.* p. 68. V. infra.] *Gell.* 18, 10. *med.* Quantum temporis habui subsicivi, medicinae quoque libros attigi. *Plin. praef. H. N. med.* Succisivis temporibus ista curamus, idest nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis. *Cic. Or.* 2, 89. *med.* Quae ego sero, quae cursim arripui, quae subsecivis operis, ut ajunt; iste a puero, summo studio, summis doctoribus. *Grut.* legit *subcisivis* ex MSS. [*Ita etiam *Orell.*] *Sen. ep.* 53. *med.* Exercet philosophia regnum suum; dat tempus, non accipit: non est res subseciva, ordinaria est, *h. e.* non est obiter, et quasi aliud agendo tractanda, sed primis et ordinariis curis, et serio. *Plin. ep.* 3, 15. Rogas, ut aliquid subsecivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis; et *Cic. Leg.* 1, 3. *med.* Subsiciva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior, ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. ℙ Translate. *Arnob.* 5, 179. Qui Deos generis asseverat fuisse terreni, quamvis eos privet sublimitate coelitum, subsicivis tamen accumulat laudibus, *h. e.* similibus laudum divinarum, ejusdemque generis, ac veluti inde sumptis, et quasi resectis. ℙ In re agraria Subseciva, inquit *vet. Auct. de limit.* ap. *Goes.* p. 293., sunt proprie quae sutor de materia praecidens, quasi supervacua abjicit: inde *subsecivi agri*, quos in pertica divisos recusant, quasi steriles aut palustres. Praeterea, ut *Idem* docet, subseciva in agris dicuntur partes, quae in divisura agri non efficiunt centuriam, idest jugera ducenta. Quare generatim subseciva dicuntur portiunculae agrorum, quae velut reliquiae in dividendo superfuerunt. *Varr. R. R.* 1, 10. Ab hoc principio mensores nonnunquam dicunt in subsicivum esse unciam agri, aut sextantem, aut quid aliud, cum ad jugerum pervenerunt. *Suet. Dom.* 9. *f.* Subseciva, quae divisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus ut usucapta concessit. Adde *Rei agrar. Script.* ap. *Goes.* p. 17. 23. 39. 45. 59. 68. etc. et *Tabulam aeneam* ap. *Grut.* 1081, 2. tempore Domitiani scriptam, ubi *subsiciva* exaratum est. ℙ Ponitur interdum *subsicivus* pro interrupto, et mutationi obnoxio. *Appul. de Deo Socrat.* Cum vivacitas illic aeterna et indefecta sit, hic caduca et subcisiva. ℙ Item pro eo, quod reliquum est, quod superest. *Appul. Met.* 11. Quod subcisivum, quamvis iteratae jam traditioni remansisset. *Id. ib.* 3. Sed una tantum subcisiva solicitudo nobis relicta est. Adde *ib.* 8. Ad scriptionem quod attinet, quemadmodum veri similior est notatio a *sico* pro *seco:* ita probabilior videtur scriptio *subsicivus*, aut *subcesivus.*

SUBSĔCO, as, cui, sectum, a. 1. *ὑποτέμνω*, subtus, seu in ima parte seco, abscindo, deseco. *Varr. R. R.* 1, 50. Falce secundum terram succidunt stramentum, et manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra; et 49. Herba subsecari falcibus debet. *Ov. Ib.* 275. Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas Subsecuit partes, unde creatus erat. *Id. Fast.* 4, 438. Illa papavereas subsecat ungue comas. *Id. Fast.* 6, 230. Non ungues ferro subsecuisse licet.

SUBSECTUS, a, um, a *subseco:* subtus resectus, abscissus. *Varr. R. R.* 1, 23. Quaedam legumina serunda non tam propter praesentem fructum, quam in annum prospicientem: quod ibi subsecta et relicta terram faciunt meliorem. *Colum.* 2, 9. Quaedam subterraneae pestes adultas segetes radicibus subsectis necant. Adde *Pall.* 10, 3.

SUBSĔCUNDĀRIUS, a, um, adj. *ὑποδευτεραῖος. Gell. praef. f.* Quantum vitae mihi deinceps erit, quantumque a tuenda re familiari dabitur otium; ea omnia subsiciva et subsecundaria tempora ad colligendas hujuscemodi memoriarum disceptatiunculas conferam. Ubi *Gronovius:* Suspicari possis posterius *sub* imprudentia librarii repetitum, cum scripsisset Auctor *subsiciva et secundaria.*

[SUBSELLIĀRIUM et Subsellarium, ii, n. locus in theatro, in quo magistratuum subsellia collocabantur. *Inscr.* ap. *Marin.* p. 527. L. Atejus M. F. Capito duomvir Quinq. curiam, tabularium, scaenarium, subsellarium loco privato de sua pecunia C. C. N. F. (*h. e.* civibus Castro Novanis faciunda) coeravit, porticus, cenacula ex decurionum decreto de sua pecunia C. C. N. faciunda coeravit, idemque probavit. *F.*]

SUBSELLIUM, ii, n. *ἕδρα, βάθρον*, sedes, scamnum: a *sella. Varr. L. L.* 4, 28. Ut subsipere, quod non plane sapit, sic quod non plane erat sella, subsellium dictum: ubi in ejusmodi duo, bisellium dictum. ℙ Differt a sella, quia non habebat integrae sellae formam, ut ex *Varrone* apparet: constat enim, subsellium fuisse parvum scamnum quatuor suffultum pedibus rectis, et sine reclinatorio, quale videre est quaestorum ap. *Morell. Numism. fam. Rom.* in nummis G. Calpurniae *tab.* 3. *n.* VI., aedilium pleb. in G. Critonia, tribunorum pleb. in G. Caninia; de quibus consule *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 317. Unde *Ascon. in Div. Verr.* 15. Subsellia sunt tribunorum, triumvirorum, quaestorum, et hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec in tribunalibus, sed in subselliis considebant. *Suet. Claud.* 23. De majore negotio acturus in curia, medius inter consulum sellas tribunicio subsellio sedebat. ℙ Hinc, quemadmodum minores magistratus subsellio sedere solebant, factum est, ut is qui eo utebatur, imi subsellii vir diceretur. *Pl. Stich.* 3, 2, 33. Scis tu, me dudum esse imi subsellii virum, *h. e.* qui non in lecto tricliniari, sed in subsellio prope ipsum lectum sedet. *Cels.* 7, 26. *n.* 1. Homo resupinus super subsellium, aut lectum est collocandus. ℙ Speciatim dicitur de sedibus, seu pulpitis in theatro, in quibus spectatores sedere consueverant. *Suet. Aug.* 44. Ut quoties quid spectandi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus. Adde *Pl. Amph. prol.* 65. et *Poen. prol.* 5. et *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon. p. m.* 132. ℙ Item de sedibus in curia, ubi senatores sedebant. *Cic. Cat.* 1, 7. Quid quod ab adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? quid quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? [*Cf. *Phil.* 2, 8. 5, 7.] ℙ Item de sedibus judicum, ac praesertim eorum judicum, qui publicis judiciis disceptandis operam dabant. *Cic. Vat.* 14. *med.* Quaero ex te, num quis reus post Urbem conditam in tribunal sui quaesitoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, etc. Ubi *Bud.* Hoc in loco tribunal Cicero praetori assignavit, qui judiciis publicis praeerat, et quaesitor vocabatur, subsellia vero judicibus, qui reos sententiis suis tabellaribus judicabant. *Id. Cluent.* 34. Accusabat tribunus plebis idem in concionibus, idem ad subsellia; et *ib.* 40. Rem ab subselliis in rostra detulit. ℙ Item de sedibus, in quibus sedebant rei, accusatores, et testes. *Cic. Rosc. Am.* 6. *med.* Quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video. ℙ Metonymice subsellia ponuntur pro publicis judiciis. *Cic. Or.* 1, 8. *med.* Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris. *Id. Brut.* 89. Grandiorem et pleniorem vocem desiderant subsellia. *Id. Fam.* 3, 9. *med.* Longi subsellii judicatio, *h. e.* quae longa inquisitione, et a multis senatoribus in curia transigitur. [*Ceterum nota: *judicationem longo subsellii* esse tarditatem senatus in decernendo triumpho: ita *Ern.* contra *Graev.*, qui cum *Nostro* de judiciariis subselliis interpretatur.] ℙ *Homo a subselliis*, est peritus in causis negotiisque forensibus. *Cic. Div. Verr.* 15. Hinc *habitare in subselliis* ap. *eund. Or.* 1, 62. est saepe causas agere; et *a subselliis ad otium se conferre* ap. *eund. ib.* 2, 33. est a causis agendis cessare. ℙ *Versatus in utrisque subselliis* ap. *eund. Fam.* 13, 10. is dicitur, qui et judex, et patronus in causis privatorum fuit. ℙ Denique subsellia interdum ponuntur pro ipsis hominibus, qui in subselliis sedent. *Mart.* 1, 27. Sextiliane, bibis, quantum subsellia quinque.

[SUBSENTĀTOR, oris, m. assentator. *Plaut. fragm.* ap. *Front. ad M. Caes.*](ed. *A. Maio*) 2. *ep.* 13. Qui data fide firmata fidentem fefellerint, subdoli subsentatores, regi qui sunt proximi, qui aliter regi dictis dicunt, aliter in animo habent. *F.*]

SUBSENTĬO, is, a. 4. subolet mihi. *Ter. Heaut.* 3, 1, 62. Etsi subsensi id quoque, illos ibi esse, et id agere inter se clanculum.

SUBSĔQUENS, entis, part. a *subsequor*, qui subsequitur. *Cic. N. D.* 2, 20. *f.* Stella solem tum antecedens, tum subsequens. *Plin.* 11, 29, 35. Subsequenti anno, exitu veris emittunt, etc.

SUBSĔQUENTER, adv. *Messala Corvin. Progen. Aug.* 23. Nunc ad reges Romanos, consules, dictatores, tribunos militares, ac plebejos subsequenter calamum deducam. V. *Augustini l. c.* in PRAECENTOR.

SUBSĔQUOR, eris, cutus et quutus sum, dep. 3. *ἑφέπομαι*, statim aut post sequor, insequor. *Pl. Amph.* 2, 1, 1. Age, i tu secundum. *So.* sequor, subsequor te. *Id. Bacch.* 4, 4, 72. Cedo manum, ac subsequere propius me ad fores. *Ov. Met.* 3, 17. Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu. [*Id. *Fast.* 2, 336. Et praefert cautas subsequiturque manus.] *Caes. B. G.* 2, 11. et *ib.* 5, 18. Equitatum praemisit, Labienum cum legionibus subsequi jussit; et *ib.* 4, 26. Nostri neque ordines servare, neque signa subsequi poterant. ℙ [*Hinc subsequi sensu latiore est i. q. proxime sequi, comitem, socium, conjunctum esse cum aliqua re.] *Ov. Her.* 20, 131. Subsequi aliquem furtim. *Cic. Or.* 3, 59. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus; et *mox:* Manus minus arguta, digitis subsequens verba, non exsequens. *Just.* 38, 1. Egregium prorsus facinus, ni subsequuta fraus esset. *Ov. Pont.* 2, 7, 1. Esse salutatum

vult te mea littera primum, etc. Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas. [*Suet. Claud. 44. Etiam de subsequentibus diversa fama est. Lucr. 2, 195. Ergo formarum novitatem corporis augmen subsequitur. Vell. 1, 4, 3. subsequenti tempore, i. e. proximo. Tib. 4, 2, 8. Componit furtim subsequiturque decor. Liv. 8, 36. Si ducis consilia favor subsecutus militum foret.] ℙ Translate. Cic. Fam. 3, 1. med. Libertus tuus ut mihi reddidit a te litteras plenas et amoris et officii, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem litterarum tuarum, [*i. e. imitatus est, expressit.] et Part. 7. med. Quae plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, ejusque vim ac varietatem subsequentur. [*Plin. Pan. 84, 5. Te enim imitari, te subsequi student.] ℙ Pro simplici *sequi* Paul. Dig. 42, 2, 6. In his omnibus subsequi praetorem voluntatem orationis divi Marci debere. Adde Papin. ib. 49, 15, 10. extr.

[SUBSĒQUUS, a, um, adj. idem ac subsequens. Oros. 1, 1. Fidem annuntiatione futurorum, et subsequa probatidne fecerunt. F.]

SUBSĒRĬCUS, a, um, adj. ut Subserica vestis, quae vel solum stamen, vel solum subtemen sericum habet. Lampr. Elag. 26. Primus Romanorum holoserica veste usus fertur, cum jam subserica in usu essent. Adde Gall. in ep. ap. Treb. Claud. 17.

SUBSĒRO, is, a. 3. ὑποφυτεύω, ἐπισπείρω, in locum demortuae plantae aliam substituo, post, vel subinde sero, planto: a *sero, is, evi.* Colum. 4, 15. Nam plurimum interest, adhuc nova consitione, pedamen omne vestiri, nec mox vincam tum subseri, cum fructus capiendus est. Ulp. Dig. 7, 1, 13. Qui agrum non proscindit, qui vites non subserit. ℙ Est item subnectere, subjicere, subjungere: a *sero, is, ui.* Ammian. 16, 7. Res monuit super Eutherio pauca subserere.

SUBSERTUS, a, um, part. a *subsero, is, ui*, subter insertus. Appul. Met. 7. f. Subsertis manibus exsolvit suam sibi fasciam.

SUBSERVĬO, is, a. 4. ὑπηρετέω, sub aliquo servio, inservio. Pl. Men. 5, 2, 16. Ita istaec solent, quae viros subservire sibi postulant, dote fretae, feroces. ℙ Translate. Ter. Andr. 4, 3, 19. Ego hinc ab dextera venire me adsimulabo: tu ut subservias orationi, utcumque opus sit, verbis, vide, *h. e.* sermoni meo tuas accommodes responsiones, et interrogata subjicias ea, quae in rem nostram erunt.

SUBSESSA, ae, f. ἐνέδρα, insidiae, quibus in itinere exercitus imparatus, ac nihil tale suspicans opprimi solet: a *subsideo*, quod interdum significat delitescere. Veg. Mil. 3, 6. med. Adversarii in iis locis, quae sibi opportuna intelligunt, subsessas occultius collocant; et ib. 22. Si ab his, qui in subsessa fuerint, observentur; et *mox:* Qui vero superventus, et subsessas passus est, culpam suam non potest excusare. Serv. ad A. 11, 268. Hostium dolos subsessas vocamus.

SUBSESSOR, oris, m. ἐπίβουλος, qui delitescens insidiatur. Sen. Hipp. 51. Tu praecipiti clamore feras subsessor ages. Petr. fragm. Trag. 40. Burm. Retia erant picta, subsessoresque cum venabulis. Serv. ad A. 11, 268. Subsessores dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt. Id. ad ib. 5, 498. Subsessores vocantur, qui occisuri aliquem delitescunt. ℙ Translate. Val. Max. 2, 1. n. 5. et 7, 2. extr. n. 1. Subsessores oculi alieni matrimonii. Arnob. 4, 142. Subsessoris et adulteri persona.

SUBSICCO, as, a. 1. aliquantum sicco. Colum. 6, 14. f. Tumor cervicis aqua madefactus subsiccatur.

[SUBSĬCĬUM, ii, n. id quod subsectum est, unde *subsicivus* vel *subsecivus*. Legitur haec vox in Not. Tir. p. 152. F.]

SUBSĬCĪVUS. V. SUBSECIVUS.

*SUBSICŪUS, a, um, adj. subsequus. Jul. Valer. res gest. Alex. M. (ed. A. Maio) 2, 21. extr. Ut cum his communis commodi disceptator subsicui metus vos formidine solverem. B. A.

SUBSĪDENS, entis, part. a *subsido*. Colum. 6, 1. Dorso recto planoque, vel etiam subsidente, *h. e.* aliquantum inflexo, seu curvo; et ib. 29. Lati lumbi et subsidentes.

SUBSĪDENTĬA, ae, f. quidquid ex aqua stagnante sordium in fundo subsidit. Vitr. 8, 3. med. Dissipant quae ex aquarum subsidentia in corporibus offenderunt.

SUBSĪDĔO, es, edi, essum, n. 2. ἐφεδρεύω, occulte sedeo, latenter subsisto insidiandi causa. Usum habet in praeteritis: in reliquis *subsido* fere adhibetur. [*Praeferendum videtur illud: pertinere omnes locos, in quibus perfecti forma *subsedit* occurrat, non ad *subsideo* sed ad *subsido:* solent enim composita verbi *sido* praeteritum et supinum mutuari a *sedeo*. V. Ruddim. 1, 237. et Ramsh. §. 60. p. 120. Hinc facile intelliges, cui quodque horum exemplorum, quae *Noster* hic laudavit, loco adscribendum sit in *subsido*.] Cic. Mil. 19. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret; nec in eo loco subsedit, quo ille noctu venturus esset? Virg. A. 11, 268. devicta Asia subsedit adulter. Alii leg. *devictam Asiam*. V. infra et SUBSIDO. ℙ Item subsisto, consisto. Cic. Att. 5, 16. Itaque subsedi in ipsa via, dum haec summatim tibi perscriberem. Caes. B. G. 6, 35. extr. Multitudo calonum, quae in castris subsederat, facta potestate sequitur. Suet. Vit. 1. f. Quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriae; et Id. Vesp. 1. Subsedisse in oppido Reatino, uxore ibidem ducta. Quint. 2, 1, 3. Ut aetas altioribus disciplinis debita, in schola minore subsideat. Alii leg. *subsidat*. [*V. Burm.] ℙ Item descendo, pessum eo. Lucr. 6, 588. per mare pessum Subsedere suis pariter cum civibus urbes. Petr. Sat. 137. f. Nuces mersit in vinum: et sive in summum redierant, sive subsederant, ex hoc conjecturam capiebat. Colum. 12, 50. med. Siquae faeces aut amurcae in fundis vasorum subsederint, statim emundentur. Epit. Liv. 112. Ptolemaeus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. ℙ Cum accus. significat insidiari, quasi occulte sedere nocendi occasionem exspectando. Ammian. 28, 4. med. Subsident aliqui copiosos homines, senes aut juvenes, orbos vel caelibes, ad voluntates condendas allicientes, *h. e.* captant. Alii leg. *subsidunt*. (V. SUBSESSA et SUBSESSOR.) Virg. A. 11, 268. devictam Asiam subsedit adulter, *h. e.* dolo captavit, posseditque. Alii leg. *devicta Asia*. V. SUBSIDO.

SUBSĪDĬĀLIS, e, adj. subsidiarius. Ammian. 14, 6. med. Subsidiales acies; et 27, 10. f. Subsidialis manus: *eod. sensu.*

SUBSĪDĬĀRĬUS, a, um, adj. in subsidium positus. *Subsidiarii milites*, ἐπίκτητοι, sunt, qui, instante pugna, post aciem locantur, ut laborantibus aut fessis subsidio sint. V. SUBSIDIUM. Caes. B. C. 1, 83. Has cohortes subsidiariae, et rursus aliae totidem suae cujusque legionis subsequebantur. Liv. 9, 27. Subsidiarias cohortes, quae integrae ad longioris pugnae casus reservabantur, in primam aciem extemplo emisit. Id. 6, 8. Terror non in primam tantum aciem, sed etiam ad subsidiarios perlatus. Hirt. B. Alex. 14. Subsidiariae naves. Adde Liv. 5, 38. et 9, 32. f. et Tac. A. 1, 63. ℙ *Subsidiarius palmes* (qui et *praesidiarius*, et *custos*, et *resex*) translate dicitur a rusticis, qui relinquitur in vite in subsidium reliquorum, si forte fructum non ferant. Colum. 4, 24. ℙ *Subsidiaria actio*, quae datur in subsidium pupilli adversus magistratus, qui tutores minus idoneos dederunt. Ulp. Dig. 27, 8, 1. V. Cod. 5, 75, 1. et 5.

SUBSĪDIOR, aris, dep. 1. subsidio sum. Hirt. B. G. 8, 13. Perterriti non solum ii, qui aut cominus opprimebantur, aut eminus vulnerabantur, sed etiam qui longius subsidiari consueverant.

SUBSĪDĬUM, ii, n. ἐπίταγμα, militum numerus extra aciem locatus, qui laborantibus in proelio, aut fessis opem ferat. *Festus:* Subsidium dicebatur, quando milites subsidebant in extrema acie, labentique succurrebant: quod genus militum constabat ex iis, qui emeruerant stipendia, locum tamen retinebant in exercitu: quae erat tertia acies triariorum, ut Plautus in Frivolaria: Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent triarii. Varr. L. L. 4, 16. Triarii quoque dicti, quod in acie tertia ordine extremis subsidio deponebantur: quod hi subsidebant, ab eo subsidium dictum: a quo Plautus: Agite nunc, etc. Ex *Festo* et *Varr.* discimus, primo et proprie *subsidium* dici de triariis. Liv. 4, 28. Subsidia, et secundam aciem adortus; et 6, 13. Impulsa frons prima, et trepidatio subsidiis inlata. [*Ceterum notandum, quando de triariis sermo sit, semper dicendum esse *subsidia: subsidium* singl. numero indefinite quamcunque militum copiam, auxilio positam, significat: multis tamen in locis etiam pluralis numerus hoc sensu adhibetur.] ℙ Sed et quaecumque cohortes, aut turmae seponuntur ab acie, ut, ubi opus sit, insurgant, συμμαχία, βοήθεια. Caes. B. G. 2, 25. Rem esse in angusto vidit, neque ullum esse subsidium, quod submitti posset; et ib. 26. Cum aliis alii subsidium ferrent; et ib. 7. Funditores Baleares subsidio oppidanis mittit; et ib. 8. Legionibus in castris relictis, ut, si quid opus esset, subsidio duci possent. Tac. A. 12, 38. extr. Turmae missae ad subsidium; et ib. 55. Missi in subsidium equites. Id. ib. 15, 3. Legiones duas subsidium Tigrani mittit. Caes. B. G. 2, 22. f. Certa subsidia collocare; et ib. 4, 31. Ad omnes casus subsidia comparare. Liv. 9, 32. Quia nullis recentibus subsidiis fulta prima acies fuit. Sall. Cat. 62. Cohortes veteranas in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Alii (ut Non. 8, 50.) leg. *in subsidio*. [*Kritz. leg. *subsidiis*. V. supra.] Liv. 34, 15. Ad secundam legionem, quae insubsidio posita erat, equo revehitur. Caes. B. C. 3, 78. Ut per Illyricum Italiae subsidio proficisceretur. Id. B. G. 7, 87. Cum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. Liv. 2, 53. Pars Sabinis eunt subsidio, pars Romanos adoriuntur. Nep. Ag. 8. Cum subsidio Thaco in Aegyptum ivisset. Id. Chabr. 1. et Liv. 2, 48. et Cic. Att. 8, 7. Subsidio venire alicui. ℙ Est etiam praesidium, h. e. copiae aliquo in loco custodiae et munimenti causa positae. Tac. A. 4, 5. Sed praecipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Sisenn. ap. Non. 4, 349. Duae cohortes de subsidio procedunt, atque equites protelant. ℙ Translate quodcumque auxilium opemque significat. Cic. Fam. 15, 4. med. His ego subsidiis ea sum consecutus, quae nullis legionibus consequi potuissem. Id. Quint. 1. med. Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi. Id. Att. 1, 8. med. Bibliothecam, subsidium senectuti, parare. Id. Or. 1, 60. med. Subsidium bellissimum existimo esse senectuti otium. Ov. Ib. 285. Nec tibi subsidio sit praesens numen. Caes. B. G. 2, 29. f. Omnes in fuga sibi subsidium posuerunt. Tac. A. 11, 26. Subsidium ab audacia petere; et ib. 15, 53. rei familiari orare; et Cic. Cat. 2, 5. Cum industriae subsidia, atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumerentur. Id. Manil. 12. med. Siciliam, Africam, Sardiniam, tria frumentaria subsidia reipubl., firmissimis praesidiis munivit. Plin. 35, 10, 36. n. 20. Huic picturae quater colorem induxit, subsidio injuriae et vetustatis, *h. e.* munimentum ac remedium contra injurias et vetustatem. Gell. praef. Adnotare multa indistincte atque promiscue, eaque ad subsidium memoriae, quasi quoddam litterarum penus recondere. [*Liv. 27, 5. fidissimum annonae subsidium. ℙ *Subsidia* dic. etiam homines, in quibus spes auxilii posita est. Suet. Cal. 12. deserta desolataque reliquis subsidiis aula, h. e. hominibus, in quibus spes imperii subsideret. Tac. A. 1, 3. munimenta dicit, ἐρύματα δώματος. V. Lips. ad h. l.] ℙ Perfugium, portus, suffugium. Tac. A. 2, 63. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Caesaris fuit; et ib. 3, 60. Eodem subsidio (*asylorum*) obaerati adversus creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur; et ib. 4, 67. Mare circa Capreas importuosum, et vix modicis navigiis pauca subsidia, *h. e.* stationes, quibus subsiderent. [*Liv. 22, 32. subsidium fortunae, i. e. quo confugere in adversa fortuna licet.]

SUBSĪDO, is, idi, n. 3. ὑφίσταμαι, deorsum sido, descendo, pessum eo. Lucr. 5, 493. Sidebant campi, crescebant montibus altis Ascensus: neque enim poterant subsidere saxa. Ov. Met. 1, 43. Jussit et extendi campos, subsidere valles. [*Cf. Gron. observv. 4, 17. p. 476. ed. Fr.] Lucan. 1, 645. terraene dehiscent, Subsident urbes? [*V. Cort.] et Ov. Fast. 2, 457. Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna; et Lucan. 3, 695. implicitis gaudent subsidere membris, Mergentesque mori; et Virg. A. 12, 491. Substitit Aeneas, et se collegit in armis, Poplite subsidens. [*Liv. 44, 5. alii (elephanti) clunibus subsidentes prolabebantur.] Sen. ep. 108. med. In amphora gravissimum quodque turbidumque subsidit. Sic Plin. 28, 6, 19. In urina quod subsidit, si album est, significat dolorem imminere. In praeterito Claud. VI. cons. Hon. 344. hic tabescente solutus Subsidit galea, liquefactaque fulgure cuspis Canduit, et subitis fluxere vaporibus enses. Colum. 12, 41. med. Quae in colo subsiderunt, diligenter contrita levigantur. *Subsedi* a *subsideo* hoc sensu frequentius est. [*Imprimis frequens v. *subsidēre* est de aqua aestuante, aliisque rebus inde translationem habentibus. V. Burm. ad Quint. 3, 8, 60. Neque ego negaverim saepius subsidere in controversiis impetum dicendi prooemio, etc. Cf. etiam *Spald.*] ℙ Item maneo, remaneo, resto. Varr. R. R. 3, 16. f. Si apes ex alvo minus frequentes evadunt, ac subsidit pars aliqua. ℙ *Subsidere* de pecude femina marem admittente. Lucr. 4, 1190. Nec ratione alia volucres, armenta, feraeque, Et pecudes, et equae maribus subsidere possent. Hor. Epod. 13, 31. juvet ut tigres subsidere cervis. ℙ Translate. Sen. Thyest. 283. anime, quid rursus times? Et ante rem subsidis? *h. e.* labascis, concidis, deficis. Alter Sen. ep. 94. f. Ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari et conspici fructus est. Id. ep. 13. Formidata subsidunt, et sperata decipiunt. Virg. A. 12, 835. commixti corpore tanto Subsident Teucri, *h. e.* latebunt. Quint. 11, 3. med. Exercitatio vocis talis sit, qualis usus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine, *h. e.* minuatur, deficiat. ℙ Aliquando est clam sedere insidiandi causa, latenter invadere, dolo occupare: videturque esse proprium venatorum feras insidiis excipientium. V. SUBSESSOR. Auson. ep. 4, 30. Aut spumantis apri cursum clamoribus urges, Subsidisque fero. Cic. Mil. 19. Si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum atque exspectandum fuit. Prop. 1, 8, 15. Atque ego non videam tales subsidere ventos, Cum tibi provectas auferet unda rates, *h. e.* exoriri ventos quasi ex insidiis, cum navis in altum provecta fuerit. ℙ Cum accus. Sil. 13, 221. subsidere saepe leonem, Nudus inire caput pugnas, certare juvenco Assuerat. (*subsistere feras* dixit Liv. 1, 4. eod. sensu) Translate. Lucan. 5, 227. subsidere regnum Chalcidos Euboicae, vana spe rapte, parabas. V. SUBSIDEO. [*De constructione hujus verbi cf. Gron. observv. 1, 17. p. 74. ed. Fr. Drak. ad Sil. l. l. et Cort. ad Lucan. l. l. ubi Mart. Lag., assent. Heyn., satis superque videtur edocuisse, pro *regnum* esse *regno* legendum: quod *subsidere* hic non insidiandi, sed permanendi, vivendi in loco aliquo significationem habeat.]

SUBSĪDŪUS, a, um, adj. in imo subsidens. Grat. Cyn. 474. Subsiduasque fraces, diffusaque Massica prisco Sparge cado.

SUBSIGNĀNUS, a, um, adj. qui sub signis, seu vexillis est; unde subsignanus miles nihil differre videtur a vexillario. Erat autem subsignanus neque legionarius, neque auxiliarius; ita dictus, quod non

sub aquila, quae ad legiones pertinebat, sed sub proprio vexillo, seu signo militaret. Erat e Romanis copiis, et eadem disciplina merebat, qua legiones: immo e legionibus sumptus existimatur, et veterani loco habitus, donec assignatis agris et praemiis militia prorsus solveretur. V. VEXILLARIUS. *Tac. H.* 1, 70. *extr.* Subsignanum militem, et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit. *Id. ib.* 4, 33. Id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare: auxilia passim circumfusa sunt. Adde *Ammian.* 29, 5. *med.* ubi *subsignanus* videtur significare quoscumque scriptos milites, et sub signis suis ordinatos.

SUBSIGNĀTĬO, onis, f. *ὑποσφράγισμα, ὑπογραφή*, actus subsignandi, subscriptio. *Paul. Dig.* 50, 16, 39. Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est: nam veteres subsignationis verbo pro subscriptione uti solebant. ℙ Translate. *Tert. Poen.* 2. *med.* Poenitentiae subsignatio.

SUBSIGNĀTUS, a, um, part. a *subsigno*. V. v. praec. *Callistrat. Dig.* 50, 6, 5. *med.* Ne extenuentur facultates conductorum, quae subsignatae sunt fisco, *h. e.* subscriptione obligatae. [*Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207. *col.* 3. Ubi praedia satis subsignata erunt. V. v. sq. *F.*]

SUBSIGNO, as, avi, atum, a. 1. *ὑπογράφω*, subtus scribo, subnoto. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 2. Traditas notas subsignabimus, Catonis maxime verbis; et *ib.* 25, 61. Mirabilior naturae providentia, in qua Ciceronis sententiam ipsius verbis subsignabimus. ℙ Item noto, perscribo. *Cic. Fl.* 32. *med.* Quaero, sintne ista praedia censui censendo: habeant jus civile: sint necne sint mancipi: subsignari apud aerarium, apud censorem possint. [*Nempe *subsignari praedia* dicuntur, cum in censum deferuntur, h. e. sub nomine civis R. in tabulis censoriis scribuntur. Ceterum hic locus confirmat Salmasii disputationem de mod. *Usur.* 11. cujus haec est summa: subsignare esse subscribere, et differre a signare. *Ern. cl. Cic.*] ℙ Item subscribo, confirmo, approbo. *Fest.* in *Resignare:* Resignare antiqui pro rescribere ponebant, ut adhuc subsignare dicimus pro subscribere. V. SUBSIGNATIO. *Plin. ep.* 3, 1. *f.* Eundem mihi cursum, eundem terminum statuo: idque jam nunc apud te subsigno. ℙ Item obligo, obnoxium reddo. *Id. ep.* 10, 3. Non sine magna fiducia subsigno apud te fidem pro moribus Romani mei. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207. *col.* 1. Qui redemerit, praedes dato, praediaque subsignato duumvirum arbitratu. *Justin. Cod.* 5, 37, 28. *med.* Res, quarum gubernationem gerunt, pro cautela litis subsignare. V. v. praec.

SUBSĪLĬO et Sussilio, is, ivi, et ui, sultum, n. 4. *ἁλλομαι*, sursum salio, subsulto, exsulto. *Varr.* ap. *Non.* 2, 515. et 4, 377. Non subsilis, ac plaudis? *Pl. Curc.* 1, 2, 64. Pessuli, heus pessuli, subsilite, obsecro, et mittite istam foras. *Lucr.* 2, 191. subsiliunt ignes ad tecta domorum. *Appul. Met* 8. Pegasus in altum, et adusque coelum subsilit ac resultat. *Prop.* 4, 8, 45. Me quoque per talos Venerem quaerente secundos, Semper damnosi subsiluere canes. ℙ Translate. *Sen. ep.* 13. Saepe Fortuna supra te fuit, nec tamen tradidisti te, sed subsiliisti, et acrior constitisti.

SUBSILLES. V. IPSULLICES.

SUBSĪMĬLIS, e, adj. *παρεοικώς, παρόμοιος*, ad alicujus rei similitudinem accedens. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. *Μελιληρα* subalbida, mellique albo subsimilis. *Ulp. Dig.* 35, 3, 1. *med.* Hodie tamen subsimile aliquid fit in fideicommissis.

SUBSĪMUS, a, um, adj. *ὑπόσιμος*, aliquantulum simus. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* de bubus: Pilosis auribus, compressis malis, subsimi, ne gibberi.

SUBSĪPĔRĔ, inquit *Varr. L. L.* 4, 28., dicitur id, quod non plane sapit.

SUBSISTO, is, stiti, a. 3. *ἱστημι*, sisto, stare facio, retineo. *Liv.* 1, 4. *f.* Hinc, robore corporibus animisque sumpto, jam non feras tantum subsistere, sed in latrones praeda onustos impetus facere. [**Subsistere* hic est nostr. *stellen, bestehen*, impetum excipere, sustinere, Gr. *ὑποστῆναι.*] *Id.* 9, 31. Praepotentem armis Romanum, nec acies subsistere ullae, nec castra, nec urbes poterant. Alii hic leg. *sustinere*, sed prior locus dubiae lectionis non est. [*Mera glossa est *sustinere*, cujus notionem hic vindicat *subsistere*, Gr. *ὑφίστασθαι.*] ℙ Item obsisto, sustineo, duro ad ferendum aliquid, par sum. *Tibull.* 4, 1, 195. ausim Pro te vel solus densis subsistere turmis. *Liv.* 27, 7. Maxime movit patres Asdrubalis transitus in Italiam, vix Annibali atque ejus armis subsistentem. *Virg. A.* 9, 806. Ergo nec clypeo juvenis subsistere tantum, Nec dextra valet. *Pl. Epid.* 1, 1, 77. Tantae in te impendent ruinae: nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. *f.* Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. [*V. *Gron.* et *Drak.* ad *Liv.* 27, 7.] *Claud. in Eutrop.* 2, 368. Ne tantis unum subsistere posse periclis. *Caes. B. G.* 5, 10. Maxima coorta tempestate, prope omnes naves afflictas, atque in litore ejectas esse, quod neque ancorae funesque subsisterent, neque nautae gubernatoresque vim tempestatis pati possent. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 3, 4, 83. Res quoque tanta fuit, quantae subsistere summo Aenecidos vati grande fuisset onus. *Cels. Dig.* 21, 2, 62. Subsistere liti, *h. e.* litem sustinere: quod *subsistere* absolute dixerunt *Paul. ib.* 45, 1, 85. *med.* et *Venul. ib.* 139. et in *Cod.* 8, 45, 23. adsistere negotio. *Haloand.* in *cit.* 21, 2, 62. edidit *litem sustinere*, quae videtur esse interpretatio vv. *liti subsistere.* [**Tibull.* 4, 1, 2. ut infirmae nequeant subsistere vires: v. *Heyn.*] ℙ Item gradum, vel cursum sisto. *Petr. Sat.* 111. Visa pulcherrima muliere, primo, quasi quodam monstro turbatus, substitit, deinde, etc. *Plin.* 8, 4, 5. Traditur elephas, vestigio hominis animadverso, priusquam homine, intremiscere insidiarum metu, subsistere ab olfactu, circumspectare, etc. *h. e.* postquam olfecit, pedem sistere. *Caes. B. C.* 2, 41. Reliqui in itinere substiterant. *Virg. A.* 11, 506. Tu pedes ad muros subsiste, et moenia serva; et *ib.* 608. Jamque intra jactum teli progressus uterque Substiterat; et *ib.* 12, 622. adductisque amens subsistit habenis. *Id. ib.* 10, 86. Tibris tacita refluens ita substitit unda, Mitis ut in morem stagni, etc. [**Plin. Pan.* 30, 4. amnis intra usurpata semper collium substiterat atque haeserat.] *Plin.* 27, 9, 47. Concavus alarum sinus, in quo subsistit ros salsus. *Cels.* 8, 16. Si cubitus excidit, radius interdum distrahitur, interdum subsistit, *h. e.* in sua sede remanet, ut *Id.* loquitur *ib.* 10. ℙ Item moror, maneo. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi. *Plin. ep.* 4, 1. Erimus ibi dedicationis die: subsistemus fortasse et sequenti. *Id. ep.* 6, 16. *med.* In commune consultant, intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. [*Rejiciunt haec sententiam *Oudend.* ad *Suet. Vit.* 5. propositam etiam *Brem.* probatam: *subsistere* sensu permanendi non dici, nisi de illo, qui in itinere et cursu constiterit, et moram egerit. Hincque praeferenda ap. *Suet. l. l.* lectio: quum succedenti fratri legatus substitit: ubi alii male *substitutus est.* V. *Ernest.* et *B. Crus. Vell.* 2, 57, 2. subsistere domi eo die.] ℙ De his, qui insidiandi causa subsidunt, *Liv.* 22, 12. In aliquo flexu viae, si excipere degressum in aequum posset, occultus subsistebat. Adde 9, 23. ℙ Translate, *Tac. A.* 12, 53. Contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere. *Plin.* 12, 25, 54. Proceritas fruticis intra bina cubita subsistit. *Ov. Met.* 1, 207. Substitit ut clamor; et *Fast.* 1, 538. Substitit in medios praescia lingua sonos. [**Sligtenhorst.* malebat: *in mediis sonis:* contra quem recte *Gierig.:* ut *desinere* in aliquam rem dr., ita et *subsistere* pro *desinere* eodem modo construi posse.] et *ib.* 4, 349. Substitit hic Erato; et *Plin.* 6, 28, 32. *f.* Gentes ditissimae, ut apud quas maximae opes Romanorum Parthorumque subsistant; et 33, 1, 7. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum, *h. e.* ii tantum dicebantur equites, qui equo publico merebant. *Quint.* 9, 4. *med.* Si nihil refert, brevis an longa sit ultima, idem pes erit: verum, nescio quomodo, sedebit hoc, illud subsistet, *h. e.* hoc apte claudetur, illud utcumque desinet. ℙ Item subsido, deficio. *Ov. Her.* 15, 195. dolor artibus obstat: Ingeniumque meis substitit omne malis. ℙ Item haereo, sustineo assensum. *Ulp. Dig.* 3, 3, 33. Servum quoque, et filiumfamilias procuratorem posse habere ajunt: et quantum ad filiumfamilias, verum est: in servo subsistimus. Adde *Cels. ib.* 12, 1, 32. ℙ Item adsisto, adsum, opem fero. *Appul. Met.* 6. Per ego te frugiferam tuam dextram istam deprecor, miserandae Psyches animae, supplicis tuae, subsiste; et *ib.* 11. Tu meis jam nunc extremis aerumnis subsiste. Adde 2, 5. et *ib.* 8. ℙ Denique pro valere, consistere. *Imp. Gord. Cod.* 2, 13, 14. Non eo minus sententia adversus te lata juris ratione subsistit. *Id. ib.* 3, 3, 1. Sententia ab eis prolata nullo jure subsistit. Adde *Impp. Diocl. et Maxim. ib.* 7, 2, 11. ℙ *Subsistere sententia* dicitur, quae per se stat sine adminiculo, et seorsum ab aliis. *Quint.* 8, 5. *med.* Facit res eadem concisam quoque orationem: subsistit enim omnis sententia: ideoque post eam utique aliud est initium.

SUBSĪTUS, a, um, adj. ex part. subter situs. *Appul. Met.* 6. *in.* Inter subsitae convallis lucum.

SUBSOLĀNĔAE, quae sub solo res appellantur. Subsolanei, qui infimum solum colunt: ut qui in terram, supersolanei. *Festus:* cujus verba corrupta esse videntur.

SUBSOLĀNUS, a, um, adj. sub sole positus. *Subsolanus ventus*, et *Subsolanus* absolute, est qui ab ortu aequinoctiali spirat: ita dictus, quia sub sole nasci videtur, qua ratione a Graecis quoque *Ἀπηλιώτης* appellatur. *Plin.* 2, 47, 46. Ab oriente aequinoctiali Subsolanus, ab oriente brumali Vulturnus; illum Apeliotem, hunc Eurum Graeci appellant. Eadem omnino scribit *Sen. Q. N.* 5, 16. In num. plur. *Cels.* 2, 1. *in.* Si genus aliud ventorum est, salubriores Septentrionales quam Subsolani, vel Austri sunt. ℙ *Subsolani montes* in Oriente ad aequinoctialem ortum obversi. *Plin.* 7, 2, 2. Sunt et Satyri, subsolanis Indorum montibus pernicissimum animal.

*SUBSOLĀRIS, e, adj. *Sarish.* 2, 22. Si subsolarium ratio inveniri non potest, quis suprasolarium rationem redditurus est? *B. A.*

SUBSŌNO, as, n. 1. subtus sono. Translate *Sisenn.* ap. *Charis.* 2, 175. Quanti dantur? tanti, inquit Olympias: simul haec dicens suavium dedit, ut scilicet subsonaret, quanti pretii, *h. e.* clam indicaret.

SUBSORTĬOR, iris, dep. 4. *ἐπιλαγχάνω, ὑποκαθίστημι*, est sorte aliquem in rejectorum judicum loco substituere. Electis enim sorte judicibus, qui judicaturi erant, liberum erat accusatori, ac reo ex eo numero eos rejicere, qui iniqui sibi futuri putabantur: qua rejectione facta, iterum sortiebantur alios judices, ad legitimum numerum complendum: quod *subsortiri* dicebatur. *Cic. Verr.* 2, 1, 19. *f.* Cum iis judicibus, quos in horum locum subsortitus est. *Id. Cluent.* 35. Sive quod ex lege subsortitus judicem non esset. *Ascon.* in *cit. Verr.* 2, 1. Quos in horum locum subsortiturum se Verres esse credebat.

SUBSORTĪTĬO, onis, f. *ὑποκατάστασις*, suffectio, quae sorte fieri solebat a praetore ad supplendum numerum judicum. *Cic. Verr.* 2, 1, 61. Nam de subsortitione illa Juniana judicum nihil dico. *Id. Cluent.* 33. Et quod C. Verres praetor urbanus, homo sanctus et diligens, subsortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur. *Suet. Caes.* 41. *extr.* Quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a praetore fieret. V. v. praec.

SUBSPARGO, is, a. 3. clam, seu subtus spargo. *Tert. Res. carn.* 63. *f.* Haereticorum versutiis semina subspargere.

SUBSTĀMEN, inis, n. subtemen, filum, quod sub stamine texitur. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 2, 66. Vestes molli intextae substamine.

SUBSTANTĬA, ae, f. *ὑπόστασις, οὐσία*, essentia, natura, qua quaeque res est. [**das Wesen.* Argenteae aetatis vox. V. *Spald.* ad *Quint.* 1. *prooem.* 21. et 6. *prooem.* 7.] *Sen. ep.* 58. *med.* Et haec quae non sunt, rerum natura complectitur, quae animo succurrunt, tanquam Centauri, Gigantes, et quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem coepit, quamvis non habeat substantiam. *Quint.* 7, 2. Sed et illud potest videri extra hoc propositum conjecturae genus, cum de aliquo homine quaeritur, quis sit: nam et substantia ejus sub oculos venit, ut non possit quaeri, an sit. *Id.* 3, 6. *med.* Aut de substantia quaestio est, aut de qualitate. *Id.* 1. *prooem. med.* et 2, 15. *med.* Substantia rhetoricae. Adde *Nazar. Pan. Constant.* 14., *Venul. Dig.* 26, 7, 50., ubi *substantia rei* est ipsa res: et *Appul. Dogm. Plat.* 1. Hinc *Paul. Dig.* 50, 16, 14. Earum rerum pretium non in substantia, sed in arte positum est; et *ib.* 41, 5, 2. Qui potius substantiam intuetur, quam opinionem. ℙ Dicitur et de re familiari, patrimonio, facultatibus, censu, fortunis. *Auct. dial. de Or.* 8. Sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, potentissimi sunt civitatis. *Aurel. Vict. Or. gent. R.* 19. In una parte regnum, in altera totius patrimonii summam, atque omnem paternorum bonorum substantiam posuit. *Paul. Sentent.* 2. *tit.* 29. Potior esse debet non solum gradu generis, sed et substantia rei familiaris. *Quint. decl.* 15, 9. Cujus census ex manibus, ex laboribus substantia. Adde *Papin. Dig.* 5, 3, 51. et *Ulp. ib.* 36, 1, 16. et *ib.* 47, 8, 2. *f.* et *ib.* 10, 5. *extr.* [**Inscr.* ap. *Orell.* 1197. qui universam substantiam suam ad rempublicam pertinere voluit.] ℙ De cibo, quo corpus alitur, et sustentatur. *Prud. Cath.* 7, 39. decem recursibus Quater volutis sol peragrans sidera Omni carentem cerneret substantia. ℙ De materia seu argumento alicujus tractatus. *Front. Strat.* 4. *praef.* Quae idcirco separavi, quia, quamvis clara, diversae tamen erat substantiae. ℙ *Substantia emptionis* ap. *Papin. Dig.* 18, 1, 72. est id quo emptio consistit. Cetera sunt *adminicula.*

SUBSTANTĬĀLIS, e, adj. ut Substantialis differentia. *Tert. Res. carn.* 45. *f.* ℙ Ap. *Ammian.* 21, 1. Substantiales potestates dicuntur daemones, sive spiritus incorporei.

SUBSTANTĬĀLĬTER, adv. *Tert. adv. Valent.* 7. 4. et *adv. Marc.* 35. *f.*

SUBSTANTĬŌLA, ae, f. dimin. substantiae. *Hieron. ep.* 108. *n.* 26. Paterna et materna substantiola, *h. e.* facultatula. *Id. ep.* 125. *n.* 16. Qui pauperes sunt, et tenui substantiola.

SUBSTANTĪVĀLIS, e, adj. *Tert. adr. Valent.* 27. *f.* Substantivalis, non agnitionalis forma.

SUBSTANTĪVUS, a, um, adj. *ὑπαρκτικός*, substantialis, qui per se stare potest, ut Substantiva res, ap. *Tert. adv. Prax.* 26. et *adv. Hermog.* 26. ℙ *Substantivum nomen* a grammaticis non veteribus, sed recentioribus dicitur, quod in oratione per se stare potest, ut *orator, sermo, prudentia;* cui opponitur adjectivum. V. *Voss. de Grammat.* 3, 6. ℙ *Verbum substantivum* dicitur a grammaticis *Sum, es, est. Prisc.* 8, 812.

SUBSTERNO, is, stravi, stratum, a. 3. *ὑποστορέω*, subtus sterno, humi spargo, subjicio. *Ter. Andr.* 4, 3, 11. Ex ara hinc sume verbenas tibi, atque eas substerne. *Cato R. R.* 37. Ex segete vellito ebulum, cicutam, et circum salicta herbam altam, ulvamque: eam substernito ovibus. Adde *ib.* 5. *Just.* 3, 3. Nihil eos somni causa substernere. *Plin.* 20, 14, 56. Nepetam substernere in metu obdormituris, utile est. *Id.* 36, 25, 62. de paviment. subdialib.: Neces-

sarium binas per diversum coassationes substerni. Adde *Ov. Met.* 15, 399. ℙ Absolute. *Plin.* 18, 23, 53. Justum est, singulas vehes fimi denario ire: nisi contingat hoc, male substravisse pecori colonum apparet. *Cato R. R.* 5. Pecori et bubus diligenter substernatur. ℙ *Substernere semina hordei*, est subserere, subterjacere. *Colum.* 5, 9. *med.* ℙ *Substernere colorem*, est sublinere, primum colorem inducere, ut qui superinducetur, magis haereat ac niteat. *Plin.* 26, 10, 66. Fucus marinus, lactucae similis, qui conchyliis substernitur. ℙ *Substernere delicias*, est subministrare. *Lucr.* 2, 22. [*V. *Eichstadt.* in *ind.*] ℙ Item substernendo tegere. *Cic. N. D.* 2, 52. Gallinae avesque reliquae cubilia sibi nidosque construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt. *Varr. R. R.* 1, 57. Solum paleis substernunt. *Plin.* 36, 14, 21. Fundamenta calcatis substravere carbonibus, dein velleribus lanae. *Appul. Met.* 10. Lectum stragula veste substernere. ℙ *Substernere pullos*, sub pullis quippiam sternere. *Plin.* 10, 33, 49. Confingunt nidos, et occultandis habiles pullis, et substernendis molles. ℙ Translate. *Prop.* 3, 5, 47. Fortuna insidias pontum substravit avaris, *h. e.* struxit in lato mari insidias avaris. [*Cf. *Brukh.*] ℙ Pro subjicere, supponere. *Cic. Univ.* 8. Omne quod erat concretum atque corporeum, substernebat animo. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 14. Ejusdem culpae homines elephantis proferendos substravit. *Catull.* 64, 331. Languidulosque paret tecum conjungere somnos, Levia substernens robusto brachia collo; et *ib.* 403. Ignaro mater substernens se impia nato, *h. e.* prostituens, succumbens. Sic *Suet. Aug.* 68. Quasi pudicitiam A. Hirtio substraverit.

SUBSTILLUM, i, n. tempus humidum, sive ante pluviam, quia jam stillat, sive post eam, quia stillare nondum desinit. *Fest.* Substillum antiqui appellabant tempus ante pluviam jam paene uvidum, et post pluviam non persiccum, quod jam stillaret, aut nondum desiisset. *Tert. Pall.* 2. Aut imbres ruunt, et siqua missilia cum imbribus, dehinc substillum, et denuo sudum. ℙ Ponitur etiam pro morbo, quo stillatim urina emittitur, quam Graeci vocant στραγγουρίαν. *Cato R. R.* 156. *f.* Nunc de iis, quibus aegre lotium it, quibusque substillum est.

SUBSTITŪO, is, tui, tutum, a. 3. ὑφίστημι, subtus statuo, subjicio, suppono. *Pall.* 4, 10. *med.* Plantae in scrobe depositae lapides substituendi sunt. ℙ Translate est subdere, obnoxium reddere, subjicere. *Plin. ep.* 6, 31. *med.* Substituere aliquem crimini, *h. e.* reum facere, et accusare. *Quint.* 7, 4. Fortuna saepe substituitur culpae; et *decl.* 1, 10. Substituere aliquem reum. *Cels. Dig.* 38, 1, 30. aliquem arbitrio. ℙ Item pono ante, objicio. *Liv.* 28, 35. Ceperat jam ante Numidam admiratio viri: substitueratque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam, [*i. e. finxerat sibi, animoque conceperat, praeceperat.] *Ov. Rem. Am.* 573. Ut possis odisse tuam, Pari, funera fratrum Debueras oculis substituisse tuis. ℙ Item post aliquid pono. *Hirt. B. Afr.* 59. Post elephantos armaturas leves Numidasque substituerat. ℙ Item sufficio, in locum alterius pono. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. *med.* In eorum locum substituere et supponere coepit cives Romanos. *Nep. Alc.* 7. *med.* Ut absenti magistratum abrogarent, et alium in ejus locum substituerent. *Suet. Caes.* 76. Utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses. *Cajus Dig.* 4, 7, 1. Si quis alienando rem, alium nobis adversarium suo loco substituerit. *Colum.* 5, 6. *in.* Primam quamque arborem senio afflictam submoveat, et in vicem novellam sobolem substituat. *Id.* 4, 17. Aeternitati eorum sic consulimus, ut demortuis seminibus alia substituamus. *Cic. Verr.* 2, 3, 69. Nunc pro te Verrem substituisti alterum civitati. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 15. Consenuit haec tabula carie: aliamque pro ea Nero substituit. *Vell.* 2, 58. Quem substiturus sibi Caesar designaverat consulem. [*Liv. 29, 1. Ita trecentis Siculis Romani equites substituti.] ℙ De substituendis in testamento heredibus V. *JCtos Dig* 28. *tit.* 6. Sic *Suet. Tib.* 76. Eo testamento heredes aequis partibus reliquit Cajum et Tiberium nepotes, substituitque invicem. [*Cf. *Galb.* 9. et *B. Crus.* in v. *substituere* et *heres.*]

SUBSTITŪTIO, onis, f. ὑποκατάστασις, actus substituendi, ut Substitutio heredis, de qua integer titulus est 6, 28. *Dig.* Unde *Papin. ib. leg.* 7. Substitutionem facere. *Ulp. ib.* 8. Ex substitutione heredem esse; et *ib.* Aliquem ad substitutionem admittere. [V. *Caji Institut. l.* 2. §. 174. — 184. (ed. *Goesch.*) ubi de variis substitutionum generibus agitur. *F.*] ℙ Extra rem testamentariam. *Arnob.* 3, 104. Ut nova quaque suboriente fetura, quidquid prior aetas abstulisset, recidiva substitutio subrogaret.

SUBSTĪTŪTĪVUS. V. PRAEDICATIVUS.

SUBSTĪTŪTUS, a, um, part. a *substituo:* suffectus. *Cic. Div.* 2, 2. *f.* Philosophiam nobis pro reipublicae procuratione substitutam putabamus. *Liv.* 38, 42. *med.* Consules alterum in Europa, alterum in Asia, velut pro Philippo atque Antiocho substitutos regnare. *Suet. Tib.* 4. Pontifex in locum Scipionis substitutus. *Quint.* 7, 6. *f.* et *Ulp. lib. Regul. tit.* 22. §. 33. et 34. Substitutus heres. V. SUBHERES.

SUBSTO, as, n. 1. ὑφίσταμαι, subtus sum, subsum, lateo. *Cels.* 6, 10. *med.* Si, pure substante, non rumpuntur hi tumores, incidendi sunt. (Adde 2, 7. *med.*) *Cic. Top.* 5. Esse ea dico, quae cerni tangive possunt: non esse quae tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt, ut si usucapionem, tutelam, agnationem definias, quarum rerum nullum substet quasi corpus. Pleriq. omnes leg. *subest.* [*Etiam *Orell.*] ℙ Item subsisto, resisto, resto. *Ter. Andr.* 5, 4, 11. Perii! metuo, ut substet hospes, [*i. e. ut sustineat, ut satis firmus sit ad patris intemperiem. *Ruhnk.*]

SUBSTOMACHANS, antis, part. ab inus. *substomachor:* aliquantum stomachans, subiratus. *August. Conf.* 3. *extr.* Substomachans taedio.

SUBSTRĀMEN, inis, n. ὑπόστρωμα, quod animalibus, hominibus, vel alii cuipiam rei substernitur. *Varr. R. R.* 3, 10 Sed habeant molle substramen e palea, aliave aliqua re. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 46. Flos lectus, flos vincla toris, substramina flores. *Sil.* 12, 444. Lubrica roboreis aderant substramina plaustris. Adde *Varr. R. R.* 3, 6. et 9.

SUBSTRĀMENTUM, i, n. idem quod substramen. *Cato R. R.* 161. de asparago: Quo anno severis, sub stramentis per hiemem operito, ne peruratur. Alii leg. divisim *sub stramentis.*

[SUBSTRĀTORĬUS, a, um, adj. ad substratum pertinens. *Not. Tir.* p. 90. Stratorius, substratorius. *F.*]

SUBSTRĀTUS, a, um, part. a *substerno:* ὑποστρωθείς, subtus per solum stratus, humi sparsus, extensus. *Plin.* 17, 11, 16. Substrata glarea. *Id.* 20, 21, 84. folia. *Id.* 28, 9, 42. Pelles cervorum substratae. *Id.* 37, 6, 23. Sardonyches Arabicae excellunt candore, substrato nigerrimo colore. *Liv.* 22, 51. *f.* Substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus. ℙ Item sternendo opertus. *Plin.* 19, 5, 24. Substratus arena locus.

SUBSTRĀTUS, us, m. ὑπόστρωσις, actus substernendi. In sexto casu sing. *Plin.* 18, 30, 72. Culmum, cum inaruit, baculo frangunt, substratu animalium. *Id.* 24, 9, 38. Vitices suffitu atque substratu fugant venenata.

SUBSTRĔPENS, entis, part. ab inus. *substrepo*, aliquantum strepens. *Appul. Met.* 5. Tertiata verba semianimi voce substrepens.

SUBSTRICTUS, a, um, part. a *substringo:* σφιγκτός, constrictus. *Colum.* 2, 3. Boves cum ab opere disjunxerit, substrictos confricet. *Sen. Hipp.* 1002. Celsos sonipedes ocius subigit jugo, Et ora frenis domita substrictis ligat. ℙ Item arctus, adstrictus, adductus, contractus: cui opponitur laxus, prominens, effusus. *Plin.* 32, 3, 13. Testes castorum parvos esse, substrictosque et adhaerentes spinae, nec adimi sine vita animalis posse. *Colum.* 6, 20. Taurus ventre paulo substrictiore. *Sil.* 15, 608. sonipesque, virique Substricti corpus. *Ov. Met.* 3, 216. Canis substricta gerens ilia. *Id. ib.* 11, 752. Substricta crura gerens mergus, *h. e.* gracilia. *Gell.* 7, 12. Romani primo sine tunicis, sola toga amicti fuerunt: postea substrictas et breves tunicas citra humerum desinentes habebant.

SUBSTRĪDENS, entis, part. ab inus. *substrido*, aliquantum stridens. *Ammian.* 16, 4. Ira exundante substridens.

SUBSTRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. ὑποσφίγγω, idem quod ab inferiore parte stringo, constringo, adstringo, contraho, subcingo, complico. *Nep. Eum.* 5. *med.* Substringere caput equi loro. *Sen. Troad.* 88. sinus, *h. e.* vestes succingere. *Sil.* 1, 689. lintea malo; et *Suet. Galb.* 21. Excreverat in dexteriore latere ejus caro, propendebatque adeo, ut aegre fascis substringeretur. *Tac. G.* 38. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. *Lucan.* 3, 280. auroque ligatas Substringens, Arimaspe, comas. [*Id. 6, 656. Et coma vipereis substringitur horrida sertis: ubi v. *Cort.*] ℙ Translate. *Quint.* 10, 5. Ipsis sententiis adjicere licet oratorium robur, et omissa supplere, et effusa substringere: [*V. *Spalding.*] et *decl.* 18, 7. *f.* Abstinebant coram patre complexibus: omnis familiaritas substringetur in publico; et *Juven.* 6, 432. maritus Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis; et *Hor. Sat.* 2, 5, 95. aurem substringe loquaci, *h. e.* subjice, obnoxiam praebe, accommoda: quasi stringe, et alliga loquaci seni: ut habeat te obstrictum et obaudientem, quandocumque loqui voluerit. [*V. *Heindf.*, cui prob. *Gesneri* explicatio: arrige, nostr. *spitze die Ohren. Forc.* rationem habet etiam *Schol. Cruq.* ad h. l.] ℙ Item cohibeo, supprimo. *Marc. Empir.* 8. §. 7. *med.* Collyrium diamisyos, quod facit ad asperitudines oculorum tollendas, et ad lacrimas substringendas.

SUBSTRUCTĬO, onis, f. ὑποστέγασμα, quidquid sub terra struitur ad firmamentum aedificii, ut fundamenta, arcus, fornices, camerae, pilae, etc. et fere de magnis aedificiis dicitur. *Vitr.* 6, 11. Maxima autem esse debet cura substructionum, quod in his iufinita vitia solet facere terrae congestio. *Id.* 1, 5. Itaque non solum in muro, sed etiam in substructionibus parietes hac ratione religati, non cito vitiabuntur. *Plin. ep.* 10, 48. de theatro: Fulturae ac substructiones, quibus subinde suscipitur, non tam firmae mihi, quam sumptuosae videntur. Adde *Colum.* 1, 5. *f.* ℙ Etiam quae supra terram fiunt, in ima aedificii parte, *substructiones* dicuntur: praesertim si crassiora sint, et rudiora ac firmitatem ostentantia. *Caes. B. C.* 2, 25. Castra Vari admodum munita natura loci, una ex parte ipso oppido Utica, altera theatro, quod est ante oppidum, substructionibus ejus operis maximis. *Colum.* 2, 2. *med.* Saxosum agrum facile est expedire lectione lapidum: quorum si magna est abundantia, velut quibusdam substructionibus partes agri sunt occupandae, ut reliquae emundentur. ℙ Item quaecumque aedificia, et fabricae, praesertim amplae et magni operis. *Liv.* 38, 28. Substructionem super Aequimaelium in Capitolio, et viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt. [*Cf. 6, 4.] *Cic. Mil.* 20. Quo in fundo propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium; et *ib.* 31. *med.* Substructionum insanae moles. [*Inscr.* ap. *Orell.* 3267. Q. Lutatius Q. F. Q. N. Catulus cos. substructionem et tabulatum ex S. C. faciund. curav.: ubi v. *Orell.*] ℙ Ap. *Front. Aquaed.* 3, 5, 6. et alibi *substructio* est paries et quodcumque aliud solidum opus, etiam supra terram structum ad sustinendos aquaeductus: et distinguitur a rivo subterraneo, et opere arcuato.

SUBSTRUCTUS, a, um, part. a *substruo*, ab imo exstructus. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Locus substructus, ubi nationum subsisterent legati. *Liv.* 6, 4. *f.* Capitolium saxo quadrato substructum, *h. e.* firmatum muro ab radicibus montis excitato, ne terra Capitolium sustinens dilaberetur: de quo *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 2. Tunc senes aggeris vastum spatium, et substructiones insanas Capitolii mirabantur. *Id.* 33, 4, 21. Convallis et intervalla substructis canalibus junguntur. ℙ *Substructum*, absolute, substructio. *Vitr.* 8, 7. *med.* Substructum ad libram factum. ℙ [**Substructa meta* ap. *Sil.* 7, 676. explicat *Heinsius*, aliam super aliam superstruendo harundinem metae formam efficiens.]

SUBSTRŪO, is, uxi, uctum, a. 3. ὑποτειχίζω, subtus struo, ab imo exstruo, a fundamentis aedifico. *Vitr.* 8, 7. *med.* Intervalla montium substruere ad libramenta; et *mox:* Cum venerit ad imum, non alte substruitur, ut sit libramentum quam longissimum. *Cels. Dig.* 8, 1, 10. Si iter legatum sit, qua, nisi opere facto, iri non possit; licet fodiendo, substruendo iter facere. *Pl. Most.* 1, 2, 39. Parentes fabri liberum sunt, et fundamentum substruunt liberorum, extollunt, parant sedulo in firmitatem. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 5. Templum Dianae Matri D. D. Appulejus architectus substruxit, *h. e.* exstruxit. [*Glarea substruendae viae ap. *Liv.* 41, 27. quaenam sint, v. in GLAREA.]

*SUBSULTANĔUS, a, um, adj. *Gloss. Lat. Gr* Subsultaneus, ἠθικός. Lege ἁλτικός. *B. A.*

SUBSULTUM, adv. subsiliendo, per saltus. *Suet. Aug.* 83. Ita ut in extremis spatiis subsultim decurreret.

SUBSULTO et Sussulto, as, n. 1. ὑφάλλομαι, frequenter subsilio. *Pl. Cas.* 2, 7, 10. Ut subsultabat, postquam vicit villicus! *Id. Capt.* 3, 4, 104. Tu subsultas, ego miser vix asto prae formidine. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. Monosyllaba si plura sunt, male continuabuntur, quia necesse est, compositio multis clausulis concisa subsultet. *Id.* 11, 3. *med.* Prima est observatio recte pronuntiandi, aequalitas, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis.

SUBSUM, sŭbes, n. anom. ὑπεῖμι, subtus sum, sub aliqua re sum. *Lucr.* 3, 274. Nam penitus prorsus latet haec natura, subestque. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. *med.* Subest intra cutem vulnus. *Tibull.* 2, 5, 27. Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae. *Virg. G.* 3, 388. Nigra subest udo tantum mi lingua palato. *Hor. Od.* 4, 5, 40. Cum sol Oceano subest. *Id. Ep.* 1, 1, 95. si forte subucula pexae Trita subest tunicae. *Plin.* 11, 37, 78. Praecordiis subest venter stomachum habentibus. ℙ [*Hinc conjunctus sum cum aliqua re, insum, lateo in aliquo.] *Ov. Pont.* 2, 7, 9. Qui semel est laesus fallaci piscis ab hamo, Omnibus unca cibis aera subesse putat. *Tibull.* 1, 10, 18. Saepe solent auro multa subesse mala. *Cic. Fin.* 5, 10. *f.* Intelligatur aliquam subesse causam, ut, etc. *Nep. Alc.* 1. Nec causa suberat, quare, etc. *Cic. Phil.* 9, 2. In qua periculi suspicio non subesset. *Id. Att.* 3, 25. Subest spes. *Just.* 1, 9. dolus; et 24, 2. *extr.* fraus. *Val. Fl.* 7, 386. culpa. *Auct. ad Her.* 2, 8. Non temere famam nasci solere, quin subsit aliquid. [*Curt. 6, 9, 11. subest silentio facinus. ℙ Obnoxium, expositum esse.] *Ov. A. Am.* 1, 397. bene si celabitur index, Notitiae suberit semper amica tuae, *h. e.* res, dicta, facta dominae semper erunt nota tibi. ℙ Significat etiam vicinum esse, imminere, instare: tum loco, tum tempore. *Sall. in ep. Mithrid. ad Arsac. med.* Illi suberat regnum Ariobarzanis. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Putabam, posse me subesse propinquis locis, ut si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. *Hor. Ep.* 1, 14, 24. Nec vicina subest, vinum praebere taberna Quae possit tibi. *Ov. Met.* 11, 359. Templa mari subsunt. *Caes. B. G.* 1, 25. Pedem referre, et quod mons suberat circiter M. passuum, eo

se recipere coeperunt. [*Liv. 27, 18. Suberat et altera inferior submissa fastigio planities.] *Caes. B. G.* 3, 27. Paucae nationes, anni tempore confisae, quod hiems suberat, id facere neglexerunt. *Cic. Mil.* 16. Cum dies comitiorum subesset. *Pl. fr.* ap. *Fest.* in *Fiber.* Sic me subes quotidie, quasi fiber salicem. [*Ov. *Fast.* 3, 60. Et suberat flavae jam nova barba comae.] ℙ Praeteritum *subfui* non est in usu.

[SUBSŪO, is, ui, utum, a. 3. subtus suo. *Not. Tir.* p. 136. Suit, insuit, consuit, subsuit. *Acron.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 29. Matronae stola utuntur demissa usque ad imos pedes, cujus imam partem ambit institа subsuta. Institа autem dicitur τὸ περιπέδιλον, quod togae subsuebatur, quo matronae utebantur. Subsutam vestem praetextam dixit. V. SUBSUTUS. *F.*]

SUBSURDUS, a, um, adj. aliquantum surdus. Translate. *Quint.* 11, 3. Sit ipsa vox non subsurda, rudis, immanis, etc.

[SUBSŪTŪRĀ, ae, f. sutura panni quae fit in ima vestium muliebrium parte. *Edict. Dioclet.* p. 21. Sarcinatori in veste subtili replicaturae ✕ sex, eidem aperturae cum subsutura holosericae ✕ quinquaginta, eidem aperturae cum subsutura subsericae ✕ triginta, subsuturae in veste grossiori ✕ quatuor. *F.*]

SUBSŪTUS, a, um, part. a *subsuo:* subtus sutus. *Hor. Sat.* 1, 2, 28. sunt qui nolint tetigisse, nisi illas, Quarum subsuta talos tegat institа veste, *h. e.* matronas, cujus stola institа purpurea erat praetexta. V. SUBSUO.

SUBTĂBĬDUS, a, um, adj. aliquantum tabidus. *Ammian.* 26, 6. *med.* Stetit itaque subtabidus: excitum putares ab inferis.

SUBTĂCĬTUS, a, um, adj. aliquantum tacitus. *Prud. Hamart.* 174. Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam.

SUBTAL. V. SUBTEL.

[SUBTĂLĀRIS, e, adj. qui sub talo est. *Isid. Or.* 19, 34. Talares calcei socci sunt, quia inde nominati videntur, quod ea figura sint, ut contingant talum: sicut subtolares, quod sub talo sunt, quasi subtalares. *F.*]

SUBTECTUS, a, um, part. a *subtego*, subtus tectus. *Vitr.* 9, 6. de siderib.: Sub Avis cauda pedes Equi sunt subtecti.

SUBTEGMEN. V. SUBTEMEN.

SUBTĔGO, is, a. 3. subtus tego. *Ammian.* 19, 7. Ferrea munimenta coelum omne subtexerunt. Alii leg. *subtexunt.*

SUBTĔGŪLĀNĔUM, ii, n. ὑπόστερον, κατάστεγον, στεγαστόν, pavimentum sub tecto, quod alias barbaricum dicitur, ex testis tusis, rudere, et calce constans, [quale Venetiis nunc passim usitatum est. *F.*] Differt a subdiali, quod Graeci vocant ὑπαίθριον, positum sub dio, sive aere aperto. *Plin.* 36, 25, 61. Pavimenta credo primum facta, quae nunc vocamus barbarica, atque subtegulanea.

SUBTEL, elis, n. cavum pedis: idem enim est in pede, quod vola in manu. *Prisc.* 5, 644 In el correptam neutri generis sunt, mel, fel, subtel, τὸ κοῖλον τοῦ ποδός. At *Perottus* mavult *subtal*, et sic dici, quod sub talo sit.

SUBTĔMEN et Subtegmen, inis, n. *κρόκη, ἐφυφή, ῥοδάνη*, filum molle, et parum tortum, quod transversum in tela sub stamine texitur. *Varr. L. L.* 4, 23. Stamen a standо, quod eo stat omne in tela velamentum: subtemen, quod subit stamini. *Vitr.* 10, 1. *med.* Connexus staminis ad subtegmen. *Ov. Met.* 6, 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis: Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. *Virg. A.* 3, 483. Fert picturatas auri subtemine vestes. Alii leg. *subtegmine*, alii divisim *sub tegmine.* Notat hic *Servius*, male quosdam *subtemen* stamen accipere, cum stamen de auro esse non possit. *Plin.* 11, 24, 28. de araneo: Tam tereti filo et tam aequali deducit stamina, etc. circinato orbe subtegmina adnectens. *Id.* 13, 12, 24. de charta: E secundo corio statumina facta sunt, e primo subtegmina. ℙ Poetae per synecdochen utrumque filum, et totam telam intelligunt: [*nostr. *Gewebe.*] *Tibull.* 4, 1, 121. fulgentem Tyrio subtemine vestem Induere. [*V. *Heyn.* qui *subtemen* pro *filo* accipit.] *Val. Fl.* 6, 227. picto subtemine bracae; et 8, 234. croceo subtemine vestes. *Stat. Th.* 7, 656. rubet Tyrio subtemine thorax. *Claud. IV. cons. Hon.* 600. tribuere colorem Phoenices, Seres subtemina, pondus Hydaspes. Adde *Rapt. Pros.* 1, 257. et *Nemes. Cyn.* 91. ℙ Pro ipso stamine ponitur in illo *Capitol. Pert.* 8. Vestis subtegmine serico, aureis filis insignior. Neque enim, ut ait *Serv. l. c.*, stamen ex auro esse potest. Multis hoc idem explicat *Salm.* ad *Capitol.* [*Inutilis omnis *Salmasii* disputatio de eo, quod *subtemen* hic pro stamine positum dicit: *subtemen*, sicut in antecedentis §. exemplis, significat in universum texturam, textum, *Gewebe*, *Stoff*. ℙ *Subtemen* dicitur etiam sensu latiore pro filo: nostr. *Garn.* Ita intellig. duobus in locis, quos *Forc.* et *Furnal.* supra laudaverant. *Pl. Merc.* 3, 1, 20. Subtemen tenue nere; et *Front. de nep. am.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. *med.* Nulla profecto tam sit importuna et insciens lanifica, quae herili togae solidum aut nodosum, servili autem subtile et tenue subtegmen neverit. Adde *Ter. Heaut.* 2, 3, 52. Anus Subtemen nebat.] ℙ De filo Parcarum. *Hor. Epod.* 13, 22. Unde tibi reditum certo subtemine Parcae Rupere. *Catull.* 64, 327. Currite ducentes subtemina, currite fusi. ℙ De quocumque filo. *Nemes. Cyn.* 311. Alternosque metus subtemine tendere longo, *h. e.* linea. V. FORMIDO. ℙ Ad scriptionem. *Varro*, ut dictum est, a *stamine* ducit: alii a *subteximen* (a *subtexo*) per sync. [*Hoc probatur etiam *Schneidero* in *Gr. Lat.* 1. p. 485.] Utrumlibet postulat, ut *subtemen* scribatur: quod firmat et concordia MSS., et criticorum consensus. Alii a *subtego* derivant, et *subtegmen* malunt. Sunt etiam qui ita distinguunt, ut *subtemen* sit, quod explicatum est: *subtegmen* vero pannus, qui subsuitur vestibus. Sed hoc hactenus, quod sciam, probatum est nemini.

SUBTENDO, is, a. 3. sursum tendo, extollo. *Virg. Cir.* 7. Altius ad magni subtendit sidera mundi. Alii leg. *suspendit.* [*Scaligeri emendationem *subtendit* probat etiam *Heyn.*, q. v.] ℙ Item subtus tendo, ὑποτείνω. *Front.* in *exposit. form.* p. 32. *Goes.* Linea subtendens, *h. e.* quae sub alia linea tenditur, γραμμὴ ὑποτείνουσα.

[SUBTĔNĔO, es, a. 2. subtus teneo. *Cato R. R.* 25. Vinaceos lectos cestibus subtento. Syncope pro *subteneto.* Ita edidit, *Pontedera* duce, *Schneiderus.* V. CESTUS. *F.*]

SUBTENTO, as, a. 1. ὑποπειράομαι, idem quod tento. *Pl. Truc.* 2, 2, 15. Advenisti huc subtentatum cum exornatis ossibus. Alii leg. *sistentatum.* V. SISTENTO *f.*

SUBTENTUS, a, um, part. a *subtendo*, subtus extensus. *Cato R. R.* 10. *f.* Lectum in cubiculo unum, lectos loris subtentos quatuor, *h. e.* de tabulato, seu solario loris propendentes, qui mos erat antiquorum.

SUBTĔNŪIS, e, adj. ὑπόλεπτος, aliquantulum tenuis. *Varr. R. R.* 2, 7. Juba crebra, fusca, subcripsa, subtenuibus setis, implicata in dexteriorem partem cervicis.

SUBTER, ὑπὸ, praepos. locum denotans inferiorem, sicut *super* superiorem signat: a *sub*, ut *inter* ab *in*, *praeter* a *prae.* Ferme accusandi casum poscit, sive quietis, sive motus verbis adjungatur. *Cic. Tusc.* 1, 10. Iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit. [*Liv. 8, 9. manu subter togam ad mentum exserta.] *Virg. A.* 8, 366. angusti subter fastigia tecti Ingentem Aeneam duxit. *Petr. Sat.* 98. Arundinem subter lectum mittere. *Ov. Met.* 5, 502. subterque imas ablata cavernas Hic caput attollo. *Prop.* 2, 25, 67. umbrosi subter pineta Galesi. ℙ Cum ablativo, [*Ita rarissime et nonnisi ap. poetas praepositionem *subter* construi docent. At *Ramsh.* §. 150. p. 469. laud. loc. *Cic. Tusc.* 5, 1, 4. Virtus omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet.] *Virg. A.* 9, 514. subter densa testudine. *Catull.* 65, 7. Rhoeteo subter litore. ℙ Absolute adverbii more. [*Hujus §. exempla primo loco ponenda erant.] *Cic. Or.* 3, 5. *f.* Omnia haec, quae supra et subter, unum esse. (Adde *Lucr.* 6, 535.) *Id. Somn. Scip.* 4. *med.* Deinde subter mediam fere regionem sol obtinet. Qui *subtermediam* unam esse vocem putant, valde errant. ℙ [*Inservit etiam significandae appropinquationi. *Liv.* 34, 20. equo citato subter murum hostium ad cohortes advehitur, i. e. prope murum.] ℙ Componitur, vel potius apponitur variis verbis, quae infra κατὰ στοιχείων recensemus: ita ut magnam partem et conjunctim scribi possit, et divisim. Habet autem eandem vim, quam *sub.*

SUBTĔRACTUS, a, um, adj. ex part. *Cels.* 5, 28. *n.* 1. Idque vitium subteractis quasi quibusdam radicibus serpit.

SUBTĔRANHĔLO, as, n. 1. subter anhelo. *Stat. Silv.* 1, 1, 56. insessaque pondere tanto Subteranhelat humus.

SUBTERCĂVĀTUS, a, um, part. ab inus. *subtercavo. Solin.* 2. *f.* de avib. Diomedeis: Cum fetificum adest tempus, rostro scrobes excavant, deinde surculis superpositis texta cratium imitantur, et sic contegunt subtercavata.

SUBTERCURRENS, entis, part. ab inus. *subtercurro*, subtus currens. *Vitr.* 9, 6. Perseus dexterioribus subtercurrens basim Vergiliarum, sinisterioribus caput Arietis.

SUBTERCŪTĀNĔUS, a, um, adj. qui subter cutem est. *Aurel. Vict. Epit.* 14. *f.* Subtercutaneus morbus. *Veg. Vet.* 3, 2. *med.* humor.

SUBTERDŪCO, is, uxi, uctum, a. 3. ὑφαιρέω, ὑφέλκω, subduco, subtraho. *Subterducere se*, se subducere, clam abire. *Pl. Mil.* 2, 3, 71. Serva istas fores, ne tibi clam se subterducat istinc, atque huc transeat. *Id. As.* 2, 2, 12. Si huic occasioni tempus sese subterduxerit, nunquam indipiscet postea.

SUBTERFLŪO, is, n. 3. ὑποῤῥεῖν, subtus fluo. *Vitr.* 8, 2. *med.* Amnis ex lacu sub montes desertos subterfluens. *Plin.* 8, 50, 76. Torrente rapido minaciter subterfluente. ℙ Translate. *Eum. Pan. Constant.* 15. Ita eos felicitas ingrata subterfluit, ut semper pleni sperum, praesentibus careant, dum futura prospectant.

SUBTERFUNDO, as, a. 1. *Lactant.* 2, 8. *med.* Cum fabricaretur coelum, terraque subterfundaretur.

SUBTERFŪGĬO, is, ugi, a. 3. ὑποφεύγω, clam fugio, me subduco. *Pl. Bacch.* 4, 6, 1. Nimio illaec res est magnae dividiae mihi, subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum. *Ulp. Dig.* 42, 6, 20. Nam et eum, qui recedit, hoc est qui subterfugit, ut ne secum aliqua actio moveatur, latitare placet. ℙ Item devitare, detrectare. *Pl. Merc.* 1, 2, 83. Nequicquam mare subterfugi saevis tempestatibus. *Cic. Verr.* 1, 3. Ut quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret. *Id. Caecin.* 34. *med.* Poenam subterfugere, aut calamitatem. *Id. Fam.* 15, 1. *med.* periculum. *Id. Off.* 3, 26. Ulyssem insimulant simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse. [*Liv. 31, 10. quae (coloniae) ingentem illam tempestatem Punici belli subterfugissent. *Suet. Vesp.* 23. subterfugere jus fisci.] *Quint. decl.* 6, 12. Quid sit postea consecutum, subterfugit dicere.

*SUBTERFUGĬUM, i, n. *Sarisb. ep.* 118. Alicujus subterfugiis obviare. *B. A.*

SUBTERHABĬTUS, a, um, part. ab inus. *subterhabeo*, posthabitus. *Appul. Met.* 1. Qui meis amoribus subterhabitis, etc. Alii rectius leg. *insuper habitis.* V. INSUPER.

SUBTERJĂCĔO, es, n. 2. *Alcim.* 1, 196. Hic gens ardentem coeli subterjacet axem.

SUBTERJĂCĬO, is, a. 3. *Pall.* 3, 18. Hordei grana subterjaciuntur.

SUBTĔRĬOR, ius, oris, adj. compar. a subter, idem quod inferior. *Aemil. Macer.* 2, 13. Nocuus sanguis per subteriora dicitur expelli. *Innocent. de casis litter.* p. 232. *Goes.* Subteriores termini.

SUBTERLĂBOR, eris, lapsus sum, dep. 3. ὑπολιθαίνω, labor sub aliqua re. *Virg. Ecl.* 10, 4. de Arethusa: Cum fluctus subterlabere Sicanos. [*Id. G. 2, 157. subterlabentia flumina muros.] *Auson. Idyll.* 10, 21. Et virides Baccho colles, et amoena fluenta Subterlabentis tacito rumore Moselae. ℙ Ponitur etiam pro clam elabi, et effugere. *Liv.* 30, 25. Sed neque rostro ferire celeritate subterlabentem poterant.

SUBTERLĪNO, is, lini, vel levi, litum, a. 3. ὑποχρίω, subtus lino, imam rei alicujus partem perlino. *Plin.* 28, 7, 23. Sotira obstetrix tertianis quartanisque efficacissimum dixit, plantas aegri subterlini.

SUBTERLŬO, is, a. 3. subtus lavo, subluo. *Claud. VI. cons. Honor.* 177. Gurgite sidereo subterluit Oriona.

SUBTERLŪVĬO, onis, f. subluvies, proluvies. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 2. Loca humoris assidui subterluvione cadentia.

SUBTERMĔDIUS. V. SUBTER.

SUBTERMĔO, as, n. 1. ὑποπορεύομαι, subtus transeo. *Claud. Idyll.* 6, 61. Et junctos rapido pontes subtermeat aestu.

SUBTERNĀTANS, antis, part. ab inus. *subternato:* subnatans. *Solin.* 52. *med.* Delphines crocodilos eliciunt ad natandum, demersique astu tenera ventrium subternatantes secant.

SUBTERNUS, a, um, adj. idem quod infernus: a *subter. Prud. Hamart.* 930. rapidos subterna nocte caminos. Alii leg. *subtetra. Id. adv. Sym.* 1, 392. Relligionis opem subternis poscere ab antris.

SUBTĔRO, is, trivi, tritum, a. 3. συντρίβω, comminuo. *Colum.* 12, 5. Salis sextarium subterito, et subtritum cum quartario mellis aceto diluito. ℙ Ponitur etiam pro attritu subtus consumere. *Cato R. R.* 72. Boves ne pedes subterant, prius, quam in viam quoquam agas, pice liquida cornua infima ungito. *Sen. ep.* 51. *med.* Quamlibet viam patiuntur jumenta, quorum durata in aspero ungula est: in molli palustrique pascuo saginata, cito subteruntur.

SUBTERPENDENS, entis, part. ab inus. *subterpendeo*, subtus pendens. *Pall.* 4, 10. Mala sine terrae tactu subterpendentia.

SUBTĔRRĀNĔUS, a, um, adj. ὑπόγειος, qui est sub terra. *Cic. Att.* 15, 26. *med.* Subterranei specus. *Colum.* 1, 6. Vinctis quam saluberrimum subterraneum ergastulum, angustis illustratum fenestris. *Pall.* 10, 2. Subterranea animalia. *Juven.* 2, 149. regna. *Plin.* 36, 22, 50. structura; et *ib.* 13, 19. *n.* 2. domus. *Sen. Q. N.* 3, 16. *f.* Subterranei mures. *Flor.* 1, 12. *f.* Non scalis nec irruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium. ℙ *Subterraneum, ei*, n. absolute, est locus subterraneus. *Appul. Met.* 11. Cum ad Inferos demearis, ibi quoque in ipso subterraneo subrotundo me tibi propitiam frequens adorabis.

SUBTERRĒNUS, a, um, et

SUBTERRĔUS, a, um, adj. idem quod subterraneus. *Appul. Met.* 9. Subterrenas orbis plagas illuminabat. *Arnob.* 7, 226. Opinionem necesse est frustrari, quam super atris pecudibus habetis, Divisque subterreis.

SUBTERSĔCO, as, a. 1. subtus seco. *Cic.* in *Arat.* 273. medium subtersecat hic Capricornum.

[SUBTERSTERNO, is, travi, atum, a. 3. subtus sterno. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 17. Xerxem maria quidem muro munivis-

se, profundum etiam navibus constravisse, exercitu Graeciam complevisse, aera ipsum subterstravisse jaculis et sagittis, etc. *F.*]

SUBTERTĔNŬO, as, a. 1. *Lucr.* 1, 312. Annulus in digito subtertenuatur habendo. Scribi tamen potest divisim *subter tenuatur.* [**Eichstadt.* expl. Sensim deteritur.]

[SUBTERTĬUS, a, um, adj. subsesquitertius, ut *Subtertius numerus,* qui nempe ab altero cum tertia ejusdem parte continetur. *Capell.* 7, 252. Subtertius (*numerus*), quem Graeci *ὑπότριτον* appellant. Subtertii rationem habent tria ad quatuor, sex ad octo. V. SUBDIMIDIUS. *F.*]

SUBTERVĂCANS, antis, part. ab inus. *subtervaco: Sen. Q. N.* 6, 25. Decidant in illum subtervacantem locum. Nisi malis divisim scribere *subter vacantem.*

SUBTERVŎLO, as, n. 1. *Stat. Th.* 3, 669. fragor intonat ingens Hortantum, et vasto subtervolat astra tumultu.

SUBTERVOLVO, is, a. 3. subtus volvo. *Ammian.* 22, 8. *f.* Ita Pontus perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subtervolvi credantur.

SUBTEXO, is, xui, xtum, a. 3. *συνυφάω,* subtus texo, pertexo, contexo, subnecto. *Juven.* 7, 192. Appositam nigrae lunam subtexit alutae. ℙ [**Hinc translate inferiori alicujus rei parti aliquid subjungere. *Ov. Met.* 14, 367. subtexere nubes soli, hoc est, praetexere, inducere. — Unde multis in locis operiendi, contegendi notionem vindicat.] *Virg. A.* 3, 583. coelum subtexere fumo. *Sen. Phoen.* 422. atra nube subtexens diem Stymphalis. *Id. Hipp.* 955. Nunc atra ventis nubila impellentibus Subtexe noctem. *Val. Fl.* 5, 414. Sol diem tubtexit Olympo, *h. e.* lucem et diem coelo spargit. *Stat. Silv.* 3, 1, 127. Cum grave nocturna coelum subtexitur umbra. *Lucan.* 7, 519. ferro subtexitur aether, *h. e.* multitudine telorum. Adde *Lucr.* 5, 467. et 6, 481. [**V. *Cort.* ad *Lucan.* l. l.] ℙ Saepe est historiam, carmenve conscribere: quod commoda metaphora *texere,* et *pertexere* dicitur. *Nep. Att.* 18. Sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. *Tibull.* 4, 1, 211. Inceptis de te subtexam carmina chartis. [**V. *Broukh.*] ℙ Scribendo addere, subjicere, subjungere. *Liv.* 37, 48. *f.* Subtexit deinde fabulae huic, legatos in senatu interrogatos esse, etc. *Colum.* 11, 1. Ut olitoris curam subtexerem villici officiis. *Vell.* 1, 14. Huic rei civitates propagatas haud intempestive subtexturi videmur. [**Suet. Aug.* 94. *in.* non ab re fuerit, subtexere, quae — evenerint. ℙ Est etiam offerre, objicere, opponere. *Ammian.* 16, 20. Concursus ingens Romani exercitus, ut incendium restingueretur: Judaeorum quoque clamor et studium, quo subtexerent impedimenta Romanis, ne subvenirent. Ita locum emendavit. *Gron.* in *observv.* in *eccles.* 21. p. 668. *ed. Fr.*]

SUBTEXTUS, a, um, part. a *subtexo,* pertextus, opertus. *Lucan.* 4, 103. nec Phoebum surgere sentit Nox subtexta polo. ℙ Subjectus, subjunctus. *Auson. Prof.* 5, 3. Subtextus esto flebili threno patris, Laudi ut subibas aemulus. ℙ Intextus, immixtus. *Manil.* 3, 522. Et subtexta malis bona sunt.

SUBTĬLILŌQUENTĬA, ae, f. subtilis oratio. *Tert. contr. Marc.* 5, 19. *med.*

SUBTĬLĬLŌQUUS, a, um, adj. subtiliter loquens. *Tert. adv. Marc.* 5, 19. *med.*

SUBTĪLIS, e, adj. *λεπτός,* tenuis, minutus, acutus, exilis, gracilis: cui *crassus, plenus* opponitur. Ducunt a *tela,* quae tenuibus filis constat. [**V. *Ernest. n.* 63.] *Plin.* 11, 5, 4. Mel succus dulcissimus atque subtilissimus; et 18, 7, 14. Subtilis farina. *Id.* 16, 36, 66. Subtilior arundo. *Id.* 18, 13, 34. Raporum semen praestantius, quo subtilius. *Sen. ep.* 76. *med.* Gladium bonum dices, cui ad secandum subtilis acies. *Lucr.* 4, 86. Quae vulgo volitant subtili praedita filo. *Id. ib.* 899. ventus subtili corpore tenuis. *Id.* 6, 224. Ignis subtilis. *Id.* 4, 113. et 120. primordia subtilia atque minuta. *Catull.* 54, 3. Subtile et leve peditum Libonis. *Id.* 64, 63. Subtilis mitra. *Manil.* 4, 718. Perque coloratas subtilis Graecia gentes Gymnasium praefert vultu, fortesque palaestras, *h. e.* gracilis agilisque. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 8, 38. Fervida subtile exsurdant vina palatum: quod de saporibus acriter acuteque judicat. (Unde palatum doctum et eruditum dixit *Colum.* 8, 16. *med.* et *ib.* Subtilior gula). *Id. ib.* 7, 101. Subtilis et callidus judex; et *Ep.* 2, 1, 292. Judicium subtile videndis artibus; et *Cic. Fam.* 15, 6. Sincerum et subtile judicium. Sic *Plin.* 18, 17, 46. Subtilis et illa sententia: serenda ea in tenuiore terra, quae non multo indigent succo. *Plin. alter ep.* 4, 14. *med.* Sapiens subtilisque lector. Sic *Quint.* 1, 4. *med.* Scrutabitur mille praeceptor acer et subtilis origines nominum. *Sen. Q. N.* 7, 3. Democritus subtilissimus antiquorum omnium. *Cic. N. D.* 2, 47. Quae sit in figuris animantium, et quam solers tubtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum; et *Or.* 1, 23. Non intelligo, quamobrem, non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur; et *Cels.* 7, 7. *n.* 13. Ubi suffusio vetustior facta est, manus curationem desiderat: quae inter subtilissimas haberi potest. *Plin.* 31, 3, 23. Subtilissimum inventum. Sic *Plin. alter ep.* 6, 33. *f* Sunt multa (non auderem nisi tibi dicere) elata, multa pugnantia, multa subtilia. Rursus *Plin.* 18, 13, 35. Subtilis observatio. *Id.* 2, 108, 112. (et *Quint.* 2, 5.) Improbum ausum: verum ita subtili argumentatione comprehensum, ut pudeat non credere, *h. e.* accurata. *Id.* 11, 16, 16. de apib.: Fetus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos et subtilis quaestio est. *Plin. ep.* 4, 17. Ille vir, quo neminem aetas nostra graviorem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit, *h. e.* in omni officio attentum, sedulum, assiduum: scilicet vel minutissima quaeque subtiliter consectantem, ne videatur officio defuisse. *Sever. Aetn.* 143. Tu modo subtiles, animo duce, percipe curas, *h. e.* intentas, acres, solertes. Sic *Manil.* 3, 43. subtili rem summam perspice cura. ℙ Saepe refertur ad locutionem. *Cic. Att.* 5, 14. *extr.* Habes epistolam plenam festinationis et pulveris: reliquae subtiliores erunt, *h. e.* diligentiores, et singula accuratius persequentes. *Id. Fin.* 3, 1. *f.* Stoicorum non ignoramus, quam sit subtile, vel spinosum potius dicendi genus, *h. e.* simplex, purum, inornatum, et ad docendum solummodo aptum. *Id. Or.* 1, 39. et *ib.* 3, 8. Scaevola oratione maxime limatus atque subtilis, rem explicans propriis, aptisque verbis. *Id. Off.* 1, 1. *f.* Demetrius Phalereus disputator subtilis, orator parum vehemens. ℙ Porro *subtile dicendi genus* est tertia illa species orationis, quae et tenuis et acuta, et pressa, et submissa, et humilis, et incompta, et modica, et temperata a *Cicerone* dicitur, *Or.* 5. *f.* et *ib.* 21. et 23. et sqq. et *Or.* 2, 29. *med.*, ab aliis *stilus infimus* appellatur. Habet autem locum in rebus parvis, in epistola, et cum docendus est judex. V. ACUTUS et ACUMEN. *Cic. cit. c.* 21. Quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo. [**Optime vim *subtilitatis,* quae ad eloquentiam veterem pertinebat, intelliges ex doctissima *Ernest.* disputatione in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 382. sqq. cujus summa haec est: Veteres in subtilitate, sive eam orationi, sive oratori ipsi tribuissent, eas maxime virtutes cogitasse, quae ad probandi docendique artificium necessariae fuissent. Ita ap. *Ciceronem* quidem et *Quint.*, cujus duos locos profert 10, 1, 78. et 12, 10. coll. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 4, 4. — Sed aevo Senecae ita videri immutatam paululum rationem loquendi, ut *subtilitas* dicta esset illa quoque virtus declamatoris, qua effecissent, ut, singulae controversiae quaestiones, de quibus dicturus fuisset, notae et apertae auditoribus essent, ne insidias iis facere, aut aliquid callide dissimulare videretur. *Sen. Controv. I. praef.* p. 67. *ed. Bipont.* Deprehendi tamen et in hoc verbi usu nonnulla illius primarii fontis vestigia.] ℙ *Ad subtile,* subtiliter, exacte. *Censor. de die nat.* 17. Saeculum quid sit, usque adhuc arbitror ad subtile examinatum non esse.

SUBTĪLITAS, atis, f. *λεπότης, λεπτομέρεια,* gracilitas, exilitas, tenuitas. *Vitr.* 4, 1. *med.* Muliebris subtilitas. Paulo ante *gracilitatem* dixerat; et *Plin.* 10, 76, 88. Insecta, immensae subtilitatis animalia; et 28, 9, 41. Subtilitas ferramentorum, *h. e,* acies. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 11. Subtilitas lineae. *Id.* 33, 12, 55. Fecit idem et coquos, magiriscia appellatos, parvulis potoriis: sed e quibus ne exempla quidem liceret exprimere: tam opportuna injuriae subtilitas erat; et 35. *prooem.* Morosa caelandi, fingendique, ac tingendi subtilitas. *Petr. Sat.* 31. Aliis sequentibus ad pedes, et paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus, *h. e.* valde leniter purgantibus, ut ait *Hor. Ep.* 1, 7, 51. Rursus *Plin.* 21, 1, 1. In hortis seri coronamenta jussit Cato, inenarrabili florum maxime subtilitate. *Id.* 2, 65, 65. Subtilitas humoris. ℙ Translate est acumen, perspicacia, solertia. *Sen. ep.* 113. Dicam, si mihi accommodaveris subtilitatem et intentionem tuam. *Tac. Agr.* 9. Militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior calliditatem fori non exerceat. *Plin.* 18, 34, 77. Aristoteles, vir immensae subtilitatis. *Id.* 11, 37, 77. Subtilitas mentis. *Id.* 2, 65, 65. Magna sua gloria inventores Graeci subtilitate geometrica docent, etc. et *ib.* 108, 112. Eratosthenes in omni litterarum subtilitate solers. *Id.* 35, 3, 4. Perversa grammaticorum subtilitas; et 17, 22, 35. *n.* 9. Subtilitas parcimoniae compendia invenit. ℙ In oratione est puritas, venustas, et naturalis quasi color, nullo adhibito artis pigmento. *Cic. Fam.* 4, 4. Facile cedo tuorum scriptorum subtilitati et elegantiae. *Id. Or.* 3, 7. *f.* Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, vim Demosthenes habuit; et *Brut.* 17. Qui in Graecis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant. *Id. N. D.* 2, 1. Flumen inanium verborum, et subtilitas sententiarum. ℙ Hinc ponitur ad significandum stilum infimum, de quo in v. praec., *tenuitas, jejunitas, siccitas, exilitas, acumen* etiam dicitur. *Cic. Brut.* 82. et *Or.* 23. ℙ *Subtilitas,* res inventa et excogitata subtiliter. *Petr. Sat.* 17. *med.* Impetum morbi monstrata subtilitate lenire.

SUBTĪLITER, adv. *λεπτῶς,* minute, tenuiter, graciliter. *Lucr.* 6, 1029. aer per crebra foramina ferri Privas ad partes subtiliter insinuatus. *Id.* 2, 740. Res subtiliter connexae. *Plin.* 5, 12, 13. Subtilius dividere aliquid. *Pall.* 3, 21. *extr.* Subtiliter fodere. ℙ Translate est acute, ingeniose. *Plin. ep.* 1, 10. Disputat subtiliter, graviter, ornate. *Cic. Verr.* 2, 4, 57. *med.* Iste eruditus homo, et Graeculus, qui haec subtiliter judicat, qui solus intelligit. ℙ Item minute, singillatim, diligenter. *Id. Att.* 2, 21. De republica quid ego tibi subtiliter? tota periit. *Id. Balb.* 22. A quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita. *Id. Fl.* 17. *extr.* Sed de hoc teste, totoque testimonio Mithridatico disseruit subtiliter et copiose Q. Hortensius. *Id. Att.* 1, 13. *f.* Sed haec ad te scribam alias subtilius. *Liv.* 3, 5. *f.* Interfecta inde quatuor millia, et, exsequendo subtiliter numerum, ducentos ait et triginta. *Cels. praef. in.* Aesculapius, quoniam adhuc rudem et vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est. Adde 4, 3. ℙ Refertur ad orationem puram, nativam, et inornatam, et ad stilum infimum dicendi, ut in SUBTILIS dictum est. *Cic. Fam.* 9, 21. Privatas causas, et eas tenues agimus subtilius: capitis aut famae scilicet ornatius. *Ib.* paulo post *submisse* dicit. *Id. Or.* 28. Is est eloquens, qui et humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate potest dicere.

SUBTĪMĔO, es, a. 2. *ὑποφοβοῦμαι,* aliquantulum timeo, subvereor. *Cic. Phil.* 2, 14. *f.* Numquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur?

SUBTINNĪO, is, n. 4. aliquantum tinnio. *Tert. Pall.* 4. *med.* Ut Bacchantibus indumentis subtinniret, cymbalo incessit.

SUBTĪTŪBANS, antis, part. a *subtitubo: Prud. Apoth.* 651. dubitabile pectus Subtitubante fide.

[SUBTĪTŪBO, as, n. 1. aliquantisper titubo. *Venant. Vit. S. Martin.* 2, 475. Qui pede subtitubo, balbutio faucis anhelo. *F.*]

SUBTOLARIS. V. SUBTALARIS.

SUBTORQUĔO, es, a. 2. subtus torqueo. *Not. Tir.* p. 80. Torquet, retorquet, subtorquet. *F.*]

SUBTRACTUS, a, um, part. a *subtraho:* ablatus, subductus. *Sen. Here. Fur.* 1242. Arma flagito propere mihi subtracta reddi. *Lucr.* 6, 604. Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur In barathrum. *Tac. H.* 3, 7. Subtractus militum irae, ad Vespasianum missus est. *Plin.* 8, 37, 56. Si herinaceus vivat subtractus fuga.

SUBTRĂHO, is, axi, actum, a. 3. *ὑφέλκω, ὑφαίρω,* [**proprie, id quod sub aliqua re est, abstrahere, auferre: hinc in universum] clam aufero, adimo, subduco. *Caes. B. G.* 7, 22. Aggerem cuniculis subtrahebant. *Hirt. B. G.* 8, 33. Si oppidani impedimenta clandestina fuga subtrahere conarentur. *Pl. Cas.* 2, 2, 28. Peculium subtrahere alicui, *h. e.* surripere. *Ov. Trist.* 5, 2, 40. colla jugo. *Id. Ib.* 424. Subtrahitur presso mollis arena pedi. [**Etiam ista hic non debebant omitti, in quibus *subtrahere* simili ratione ac *subducere* dicitur de militibus ex secunda vel tertia acie in primam protractis, vel hinc illinc desumptis atque in unum collectis. *Liv.* 10, 14. hastatos primae legionis subtrahere ex acie; et 44, 37. ab dextro primum cornu singulorum paullatim signorum milites subtrahens. ℙ Unde translate ponitur sensu latissimo pro auferre, adimere, amovere, liberare, privare aliquem aliqua re.] *Curt.* 7, 2. *med.* Materiem consternationis subtrahendam ratus. *Cic. Dom.* 5. Ut materiem subtraheremus furori tuo. *Id. Mur.* 37. *extr.* Nolite mihi subtrahere vicarium meae diligentiae. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 284. Subtrahere alicui cibum. *Cels.* 3, 4. Eam materiam, quae laedere videtur, ducendo saepius alvum, subtrahere, *h. e.* detrahere. *Liv.* 6, 1. et 8, 29. L. Furium morbo gravi implicitum fortuna bello subtraxit. *Id.* 9, 26. Calavios mors, haud dubie ab ipsis conscita, judicio subtraxit. *Just.* 16, 4. *extr.* Quasi minis populi occulte eos subtracturus. *Colum.* 11, 1. *med.* Ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur; et *Ov. Ib.* 131. Finiet illa dies, quae te mihi subtrahet olim; et *Her.* 14, 132. vires subtrahit ipse timor. [**Alia exempla haec sunto: *Curt.* 6, 9, 31. tormentis subtrahere aliquem. *Quint. Inst.* 8, 2. p. 676. *ed. Burm.* necessaria quoque orationi subtrahunt verba; et *ib.* 9, 3. p. 816. in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur; et *ib.* 6, 3. p. 565. ne tamen judicium Marsi subtraham. *Decl.* 1, 9. p. 24. *ed. Burm.* quae tam iratis manibus sanguinem tuum fortuna subtraxit? *Curt.* 6, 10, 7. et 9 subtrahere aliquem, i. e. non appellare, reticere *weglassen, nicht erwähnen.* Simili ratione h. v. usurp. *Tac. A.* 1, 81. subtractis candidatorum nominibus, et ea quo significatione subtracta.] ℙ *Subtrahere se,* se subducere. *Virg. A.* 6, 465. Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro. *Liv.* 44, 16. Subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis, quae non probabat, coepit. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Quo ego me libentius a curia, et ab omni parte reipubl. subtraho. *Colum.* 1, 9. *med.* Subtrahere se labori. *Id.* 7, 9. *med.* Mater non educando, labori subtrahitur; et *Flor.* 4, 12. *med.* Cum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit, *h. e.* subtrahentem se ab R. imperio, et ad Parthos transeuntem.

Ulp. Dig. 21, 1, 17. *med.* Pignori datus servus domino se subtraxit. [*Vell.* 2, 86, 4. Itaque discrimini vestro me subtraham: ubi v. *Ruhnk.* ℙ *Subtrahere se* significat etiam: negare, se auctorem rei alicujus esse. Ita ap. *Liv.* 28, 25. Subtrahente se quoque, ut credidisse potius temere, quam finxisse, rem talem videri posset. ℙ Ex neutrorum more dicitur pro discedere, clam se amovere, ut Gr. ἀποστρέφειν, ὑποστρέφειν, ap. *Suet. Caes.* 65. repente interdiu vel noctu subtrahebat. *Plin. Pan.* 86, 2. Praefectum praet. non ex ingerentibus sed ex subtrahentibus legere: ubi tamen *Schwarz.* dubitat, an simpliciter *subtrahere* dici queat sine pronomine. Neutr. usum defendunt *Brem.* ad *Suet.* l. l. et *B. Crus.* in *el. Suet.* p. 745. Neque *Gierig.* contra stat ap. *Plin.* l. c.]

[SUBTRIPLUS, a, um, adj. ita appellatur numerus, qui ab alio numero ter continetur. *Boeth. Arithm.* 1, 23. Si majorem numerum minor numerus ter metiatur, subtriplus vocabitur. *F.*]

SUBTRISTIS, e, adj. ὑπολυπηρός, aliquantulum tristis. *Ter. Andr.* 2, 6, 16. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi. *Hieron. ep.* 60. *n.* 1. Stilus ipse quasi sentiens, et cera subtristior. Adde *ep.* 107. *n.* 9.

SUBTRĪTUS, a, um, part. a *subtero*: ὑποτετριμμένος, subtus tritus. *Pl. As.* 2, 2, 73. Asini vetuli, claudi, quibus subtritae ad femina erant ungulae. *Colum.* 6, 15. Subtriti pedes boum eluuntur calefacta bubula urina. Adde *Plin.* 28, 16, 72. ℙ Item tritus, contritus. *Colum.* 2, 11. *f.* Cicera mixta paleis subtritis pecori praebetur. *Plin.* 20, 20, 82. M. Varro coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam aestate servari putat. *Id.* 30, 9, 23. Lacertae viridis sanguis subtritus, et hominum et jumentorum pedes sublitus sanat.

SUBTURPĬCŬLUS, a, um, adj. dimin. subturpis. *Cic. Att.* 4, 5. Etiam subturpicula mihi videbatur esse παλινῳδία.

SUBTURPIS, e, adj. ὕπαισχρος, turpitudinis nonnihil habens conjunctum. *Cic. Or.* 2, 66. Et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia.

SUBTUS, adv. ὑπένερθε, subter, infra: a *sub*, ut *intus* ab *in*. Quidam veteres grammatici ita distinguunt, ut *subter* sit, quod ab aliqua re superiori premitur; *subtus*, quod demissum altius non contingitur. Verius dices differre in usu: *subter* enim casus regit, *subtus* non item. *Cato R. R.* 48. Uti subtus homo ambulare possit, facito. *Varr. R. R.* 2, 9. Labris neque resimis superioribus, neque pendulis subtus. *Lucr.* 1, 1059. animalia subtu' vagari Contendunt. Adde 6, 855., *Varr. L. L.* 4, 30., *Pl. Cas* 5, 2, 26. et *Tac. H.* 4, 23. *med.*, ubi alii leg. *intus.*

[SUBTUSSĬO, is, a. 4. aliquantum tussio. *Veg. Vet.* 3, 25. Cui cum sub linguam tetigeris, subtussiet. *Schneiderus* tamen haec corrupta esse, et ex *Hippiatr. Graecor.* aliter omnino esse legenda monet. *F.*]

SUBTŪSUS, a, um. part. ab inus. *subtundo:* aliquantum tusus, seu percussus. *Tibull.* 1, 11, 55. Flet teneras subtusa genas. Alii leg. *suffusa.*

[SUBTŪTUS, a, um, adj. aliquantum tutus. *Commod. Instruct.* 30, 18. Subtutus in prosperis esto. *F.*]

SUBVAS, ădis, m. qui subsistit in locum prioris vadis, seu qui pro ipso vade spondet. *Gell.* 16, 10. recitat varia priscarum legum vocabula, in his *vades* et *subvades.*

*SUBŪBER, eris, ὑπογάλακτος, ὑπομάστιος. *Vet. Gloss. B. A.*

SŪBŪCŬLA, ae, f. ὑπόβασις, ὑποδύτης, ὑποστολή, interula, tunica interior, vestis intima, sub tunica: ab *sub*, quasi *subducula*, quod subtus inducatur. Virorum propria fuisse videtur, ut in INDUSIUM diximus. *Varr.* ap. *Non.* 14, 36. Postea quam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare subuculam et indusium. *Id. L. L.* 4, 30. Capitium ab eo, quod capit pectus: alterum, quod subtus, a quo subucula: alterum, quod supra, a quo supparus. *Hor. Ep.* 1, 1, 95. rides, si forte subucula pexae Trita subest tunicae. *Suet. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, et subuculae thorace laneo muniebatur. ℙ Est etiam hoc nomine genus libi in sacris. *Festus:* Subuculam Aelius Stilo, et Cloatius iisdem fere verbis demonstrant vocari, quod Diis detur ex alica, et oleo, et melle. Nam de tunicae genere notum est omnibus.

SŪBŪCŬLĀTUS, a, um, adj. subucula indutus *Quint.* 8, 3, 32. Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quaedam, ut a Cicerone subuculatum, et ab Asinio fimbriatum, et figulatum. Alii rectius pro *subuculatum* leg. *sullaturit.* [*Ita *Spald.*, q. v.]

SŪBŪDUS, a, um, adj. aliquantum udus. V. SUDUS.

SUBVECTĬO, onis, f. συγκομιδή, actus subvehendi, comportatio. *Caes. B. G.* 7, 10. Nec ab re frumentaria, duris subvectionibus, laboraret. *Liv.* 44, 8. Frumenti tarda subvectio erat. *Vitr.* 1, 5. Cum opportunitates fluminum, seu per portus marinae subvectiones, habuerint ad moenia comportationes expeditas. Adde *praef.* 2. et *Tac. A.* 13, 51. *extr.*

SUBVECTO, as, avi, atum, a. 1. adveho, comporto, vecto: frequent. a *subveho. Virg. A.* 6, 303. Et ferruginea subvectat corpora cymba. *Id. ib.* 11, 131. saxa subvectare humeris. *Pl. As.* 2, 2, 74. Asini, qui tibi subvectabant rure virgas ulmeas. Adde *Stat. Silv.* 1, 6, 32., *Sil.* 4, 21. et *Colum. praef.* 6. [*Tac. A.* 15, 43.]

SUBVECTOR, oris, m. qui subvehit. *Avien. Perieg.* 199. Bosphorus Inachiae subvector virginis olim.

SUBVECTUS, a, um, part. a *vubveho:* vectus, comportatus. *Virg. A.* 5, 721. Et nox atra polum bigis subvecta tenebat. *Id. ib.* 8, 58. Adversum superes remis subvectus ut amnem. *Ov. Met.* 8, 796. illa dato subvecta per aera curru Devenit in Scythiam; et *ib.* 6, 422. subvectaque ponto Barbara Mopsopios terrebant agmina muros. *Tac. A.* 15, 39. Subvecta utensilia ab Ostia. *Suet. Cal.* 15. Matris fratrisque cineres Romam Tiberi subvectos mausoleo intulit. *Tac. A.* 15, 18. Naves Tiberi subvectas ignis absumpsit, *h. e.* adverso flumine tractas. Adde *Liv.* 24, 40. [*Vell.* 2, 106, 3.] V. SUBVEHO.

SUBVECTUS, us, m. idem ac subvectio. In sexto casu sing. *Tac. A.* 15, 4. Et provisi ante commeatus, quorum subvectu, etc.

SUBVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. ὑποκομίζω, proprie est ex inferiore loco in altiorem vehere. Hinc *Rut. Itin.* 1, 153. de Tiberi: placidis commercia ripis Devehat hinc ruris, subvehat inde maris, *h. e.* secundo flumine Romam vehat opes agrorum ex Sabinis, Etruria, etc. adverso merces peregrinas, appellentibus Ostiam navibus. *Lucr.* 5, 516. Ast alium *(aerem fluere)* subter, contra qui subvehat orbem. *Plin.* 36, 12, 17. *n.* 3. Quanam ratione in tantam altitudinem subvecta sint caementa. *Caes. B. G.* 1, 16. Frumentum, quod flumine Arari navibus subvexerat. *Tac. A.* 2, 60. Germanicus Nilo subvehebatur; et *Virg. A.* 11, 477. ad templum summasque ad palladis arces Subvehitur magna matrum regina caterva. Ubi *Servius.* Proprie: matronae enim pilentis vehebantur ad templa pergentes. ℙ *Subvehere naves* ap. *Plin.* 21, 12, 43. et *Tac. A.* 2, 8. et *ib.* 15, 8. *f.* est contrario flumine agere. ℙ Item universim advehere, convehere, comportare. *Liv.* 9, 15, 23. et 43. Insessis omnibus viis, per quas commeatus ex Samnio subvehebantur. *Id.* 22, 16. Cum tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret. *Stat. Silv.* 3, 2, 88. quali te subvehat aura Doris Agenorei furtis blandita juvenci. Adde *Juven.* 5, 89. et *Appul. Met.* 9. *f.*

SUBVELLO, is, a. 3. subtus vello. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 202. Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor, *h. e.* pilos corporis mihi vello. Est qui leg. *subellor*, h. e. quasi subere defricor.

[SUBVENDICO, as, a. 1. aliquantum vendico. *Coripp. Joann.* 5, 742. dextrumque latus subvendicat undis Aequoreis, laevum gradiens umbone tuetur. *F.*]

SUBVĔNĬO, is, eni, entum, n. 4. ὑπέρχομαι, ἐπέρχομαι, post venio, intervenio, supervenio. *Tac. H.* 2, 26. Protrita hostium acie, versi in fugam etiam qui subveniebant; et *ib.* 36. Nec multo post Vestricius cum cohortibus subvenit. *Id. A.* 2, 11. *f.* Ceteros vis sua, aut equites cum Stertinio subvenientes periculo exemere; et *ib.* 1, 75. Pius Aurelius questus labefactas aedes suas, auxilium patrum invocabat. Resistentibus aerarii praetoribus, subvenit Caesar, pretiumque aedium Aurelio tribuit. [*Ita ap. *Plin.* legitur: tantundem salis nocte subvenit, quantum die auferas.] ℙ Metonymice est subsidio venire, suppetias advenire, opem ferre, auxiliari, succurrere, βοηθέω. *Cic. Off.* 1, 43. *f.* Patriae subvenire et opitulari. *Pl. Men.* 5, 7, 20. Et operam dabo, et defendam, et subvenibo sedulo. (ἀρχαΐχως pro *subveniam*, ut *audibo* pro *audiam*, etc.) *Id. Aul.* 2, 8, 24. Apollo quaeso, subveni mihi, atque adjuva. *Id. Merc.* 5, 4, 35. Serva, et subveni. *Gell.* 11, 7. *f.* Rogo, praetor, subveni, succurre. *Pl. Ps.* 4, 7, 47. Nisi quid leno hic subvenit mihi. *Cic. Div.* 1, 27. Visum est ei illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. *Id. Cluent.* 1. *extr.* Vestri auxilii est, judices, hujus innocentiae in hac calamitosa fama subvenire. *Sall. Jug.* 18. Pauci subveniendum Atherbali censebant. *Ov. Am.* 2, 16, 28. Et subventuros auferet unda Deos. *Plin.* 2, 7, 5. Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens. [*Alia exempla haec sunto! *Liv.* 25, 31. quod (frumentum) ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciosa fames instabat; et 33, 5. ni castris exciti repente pedites equitesque in tempore subvenissent.] ℙ Saepe ad morbos refertur, et significat mederi, prodesse. *Cic. Att.* 16, 14. *f.* Gravedini, quaeso, omni ratione subveni. *Id. Cluent.* 24. *f.* Acrioribus saluti suae remediis subveniendum putavit. *Plin.* 22, 25, 61. Alica longo morbo ad tabitudinem redactis subvenit. *Id.* 23, 3, 37. Amurca dentium stabilitati subvenit efficacissime. *Id.* 32, 9, 37. Castoreum comitiali morbo correptis olfactu subvenit. ℙ Lex quoque et praetor *subvenire* dicitur, cum favet, consulit, actionem dat. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 68. Sed meae naturae accommodatius est credere, etiam statui ejus *(Flavii Archippi)* subventum interventu principis. *Ulp. Dig.* 36, 1, 1. Quamquam autem senatusconsultum subventum voluit heredibus, subvenit tamen et fideicommissario. *Id. ib.* 47, 10, 7. *med.* Si verberibus vulneravit non mediocriter *(libertum patronus)*, aequissimum erit praetorem ei subvenire. Adde *ib.* 39, 2, 15. *med.* ℙ Passive impersonaliter. *Sall Jug.* 58. *f.* Priusquam ex castris subveniretur. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Huic quoque rei subventum est maxime a nobis. Adde *Liv.* 23, 14. *med.* et 34, 18. [*V. *Beier* ad *Cic. Off.* 2, 29. ℙ *Subvenit*, i. q. *subvenitur* ap. *Tac. A.* 4, 72. hinc ira et questus, et postquam non subveniebat, *(da ihnen keine Erleichterung gewährt würde)*, remedium ex bello.] ℙ De iis, quae memoriae occurrunt. *Gell.* 19, 7. Ut quaeque vox digna animadversione subvenerat, memoriae mandabamus.

SUBVENTO, as, n. 1. frequent. a *subvenio. Pl. Rud.* 1, 4, 11. Spes bona, obsecro, subventa mihi.

SUBVENTOR, oris, m. qui subvenit. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 1. Populi subventor; et 1095. *n.* 7. Subventor civium necessitatis aurariae, *h. e.* qui maxima auri vi necessitates civium sublevavit.

[SUBVENTRILE, is, n. locus sub ventre, abdomen. *Gloss. Philox.* Ὑποσθλιον, sumen, subventrile. *Marcell. Empir.* 28. *f.* Leporinum stercus, atque etiam pili, vel lana ejus de subventrili cum melle decocta ruptis intestinis celeriter medetur. *F.*]

SUBVERBUSTUS, a, um, adj. στιγματίας, servus, verbero: a *verber*, ut a *jus justus*, ab *arbor arbustum*, ab *onus onustus.* Secundum *Festum* dicitur quasi *sub veru ustus*, *b* pro *u* posito. Scribit enim: Subverbustam, veribus ustam significat Plautus, cum ait, Ulcerosam, compeditam, subverbustam, sordidam. Sed pro *veribus* critici monent legendum *verberibus.* Hinc opponitur libero et liberali. *Tert. Pall.* 4. *med.* Quantum denotatui passivitas offert libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus, dediticiis in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus!

SUBVĔRĔOR, eris, itus sum, dep. 2. εὐλαβέομαι, aliquantulum vereor. *Cic. Fam.* 4, 10. Venit enim mihi in mentem subvereri interdum, ut te delectet tarda decessio.

SUBVERSĬO, onis, f. actus subvertendi. Translate. *Arnob.* 1, 7. Subversio humani generis; et 5. p. 165. Animorum subversiones.

SUBVERSO, as, a. 1. frequent. a *subverto. Pl. Curc.* 4, 1, 23. Vel qui ipsi vortant, vel qui alios subversandos praebeant. Alii leg. *vel, quae aliis subvorsentur. praebeant*, *h. e.* quae ab aliis subvorsentur.

SUBVERSOR, oris, m. eversor. *Tac. A.* 3, 28. Suarum legum auctor idem, ac subversor. [*Alcim.* 2, 75. de diabolo: rectam quam condidit auctor *(naturam)*, ad pravos subversor transtulit usus. *F.*]

SUBVERSUS, a, um, part. a *subverto:* καταστρεφθείς, eversus, subrutus. *Sall Cat.* 13. Subversi montes, constrata maria. *Plin.* 5, 31, 39. Arisbe terrarum motu subversa. *Tac. A.* 13, 39. *med.* Obices portarum subversi. *Id. H.* 3, 7. Galbae imagines subversas recoli jussit. *Sen. Troad.* 220. clade subversa est pari Imposita celso parva Lyrnessos jugo. ℙ Translate. *Plin.* 17, 25, 38. Pudicitia subversa. *Just.* 5, 4. *med.* Maximi imperii subversi, et rursum recepti auctor. *Lucr.* 5, 1135. Ergo regibus occisis subversa jacebat Pristina majestas soliorum, et sceptra superba. *Tac. H.* 4, 42. Regulum subversa Crassorum et Orphiti domus in summum odium extulerat.

SUBVERTO, is, ersi, ersum, a. 3. καταστρέφω, subtus movendo verto, ut fit in arando, everto, perverto, deturbo, dejicio. *Colum.* 11, 2. *med.* Qui lupinum stercorandi causa serit, nunc demum aratro subvertit. *Hor. Ep.* 1, 10, 43. calceus olim Si pede major erit, subvertet; si minor, uret. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13 *f.* Neque recessit usquam, donec subvertit; et *Ov. Fast.* 6, 645. tantas operum subvertere moles; et *Lucan.* 3, 436. subvertere silvam. *Plin.* 15, 18, 20. simulacrum. *Suet. Cal.* 34. Statuas ita subvertit atque disjecit, ut restitui salvis titulis non valuerint. *Id. Ner.* 47. Litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit. ℙ Translate [*ut gr. καταβάλλειν.] *Ter. Ad.* 5, 3, 49. Ne nimium modo bonae tuae istae nos rationes, Micio, et tuus iste animus aequus subvertat, *h. e.* re familiari evertat: fortunis nos exturbet; et *Just.* 6, 3. *med.* Ne tot bellis quaesitum imperium brevis momenti culpa subverteret; et *Lucan.* 8, 273. sparsit potius Pharsalia nostras, Quam subvertit, opes; et *Just.* 12, 5. Patriae mores subvertere; et *Sall. Jug.* 32. Decretum consulis subvertere, i. e. abrogare. *Id. Cat.* 10. Avaritia fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit. *Id. or. Phil. contra Lep. med.* Subvertere leges ac libertatem. *Val. Max.* 7, 8. *n.* 1. Subvertere testamentum; et *Tac. A.* 3, 7. subdola mora probationes scelerum. *Quint.* 7, 6. interpretationem adversarii. *Id.* 9, 4. Si id demum naturale esse dicunt, quod a natura primum ortum est, tota haec ars orandi subvertetur. *Plin. ep.* 3, 4. *med.* Est ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. *Pl.* aliis verbis hoc idem dicit *Trin.* 2, 2, 41. Benefacta be-

nefactis aliis pertegito, ne perpluant. ℙ [*Subvertere aliquem* est perdere, affligere, nostr. *stürzen*. *Suet. Tib.* 65. Sejanum vix tandem, et astu magis ac dolo, quam princ. auctoritate, subvertit. Huc pertinet etiam, quod *Forc.* supra laudaverat, illud *Tac. A.* 4, 71. *extr.* Florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga afflictos palam ostentabat.]

[SUBVESPERTĪNUS, a, um, adj. qui sub vespere est. Ita appellatur ventus Favonius seu Zephyrus a *Veg. Mil.* 5, 8., quemadmodum huic contrarius a pluribus subsolanus dicitur; qui et Apeliotes. *F.*]

SUBVESPĔRUS, a, um, adj. ventus est occidentalis ap. *Vitr.* 1, 6. cujus verba sunt: Dextra et sinistra circa Austrum Euronotus et Altanus flare solent: circa Africum Libonotus et Subvesperus: circa Favonium Argestes, et certis temporibus Etesiae, etc. Videtur autem significare Italorum *Garbino verbo Ponente:* [*vel *der West-Nord-West*, vel *der West-Süd-West*:] qui ventus apud Latinos alios scriptores proprio nomine caret: *Vitruvius* enim quatuor et viginti numerat ventos, alii ad summum duodecim.

[SUBVESTĬO, is, a. 4. subtus vestio. *Dracont.* 1, 642. Et nova subvestit reparatas pluma volucres. *F.*]

[SUBVĔSUS, a, um, part. ab inus. *subvescor*, aliquantum comesus. Translate est consumptus. *Hieron. in Jerem.* 1, 2, 37. Omne contritum est, et ita subvesum, ut nihil in eo utilitatis valeant reperire. Videtur legend. *subesum*, ut sit part. a *subedo*. *F.*]

SUBVEXUS, a, um, adj. aliquantum ab imo in altum flexus, leniter acclinis, atque adeo facilem ascensum praebens. *Liv.* 25, 36. Nec natura quidquam satis arduum, aut abscissum erat, quod hosti aditum ascensumque difficilem praeberet: omnia fastigio leni subvexa. Alii leg. *subnixa*.

SUBVILLĬCUS, i, m. qui sub villico est, ejusque vice agit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1112, 1. Hermeroti vicario suo Lupercus subvillicus hortorum Antonianor. benemerenti fecit.

SUBVĪRĬDIS, e, adj. ὑπόχλωρος, aliquantum viridis. *Plin.* 25, 9, 65. Herba foliis subviridibus. *Id.* 37, 10, 55. Balanitae subvirides. *Scrib. Comp.* 201. et 202. Emplastrum subviride.

SŪBŪLA, ae, f. περόνη, ferramentum subtile oblongum, peracuta acie instructum: quale est, quo cerdones corium perforant, suendi causa. *Colum.* 6, 5. *med.* Aenea subula pars auriculae latissima circumscribitur; et *mox:* Media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur. *Mart.* 3, 16. Das gladiatores, sutorum regule, cerdo: Quodque tibi tribuit subula, sica rapit. *Pall.* 7, 14. Caprini stercoris baccam subula subtiliter excavare. ℙ *Subula leonem excipere*, proverb. ad grave periculum leviter se munire. *Sen. ep.* 82. *extr.* Et adversus mortem tu tam minuta jacularis? subula leonem excipis? *Id.* non absimili sententia, *ep.* 85. Pudet in aciem descendere pro Diis hominibusque susceptam, subula armatum. ℙ *Subula* videtur esse etiam acuta pars marculi, qua lapicidae utuntur ad poliendos lapides. *Simplic. de re agr.* p. 88. *Goes.* Si superior tantum pars dolata est, et inferior subulis impolita relicta. Alius *ib.* p. 3. Terminus si superius politus fuerit, et inferius subulis impolitus, monumentalis est, non habet fidem finitionis.

[SŪBULCĔRO, as, a. 1. aliquantum, vel subter ulcero. *Not. Tir.* p. 180. Exulcerat, reulcerat. *F.*]

SŪBULCUS, i, m. συβώτης, ὑφορβός, suum custos, porcarius, suarius. V. PORCULATOR. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Ut subulcus facile circumspicere possit, nequi porcellus a matre opprimatur; et *f.* Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad buccinam.

SŪBŪLO, onis, m. αὐλητής, tibicen. *Fest.* Subulo Tusce tibicen dicitur. Itaque Ennius: Subulo quondam marinas propter adstabat plagas. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Apud Ennium, Subulo finitimas propter adstabat aquas. Subulo dictus, quod ita dicunt tibicinem Tusci. Quocirca radices ejus in Etruria, non Latio, quaerendum est. ℙ *Subulones* etiam dicuntur cervorum quoddam genus rectis cornibus, et in modum subulae acuminatis, simplicibus, et non ramosis; vel potius in modum tibiae rectis et simplicibus. *Plin.* 11, 37, 45. Aliis simplicia tribuit *(cornua)*, ut in eodem genere *(cervorum)* subulonibus ex argumento dictis, *Id.* 28, 17, 67. Sunt et qui suum fimi cinerem profuisse scripserint in passo, et cervi pulmonem, maxime subulonis. ℙ *Subulo* item dicitur paedico, quasi subula perforans. Ita exponit *Turneb.* locum illum *Ausonii epigr.* 70. Perversae Veneris postico vulnere fossor, Lucili vatis subulo, pullipremo. Alii aliter. ℙ Est etiam cogn. R., ut P. Decius Subulo ap. *Liv.* 43, 17. et P. Blavius P. F. Arn. Subulo in *Inscr.* ap. *Mur.* 799, 5. *F.*]

[SŪBUMBRO, as, a. 1. subtus umbro. *Not. Tir.* p. 169. Umbrat, obumbrat, subumbrat. *F.*]

[SŪBUNDO, as, a. 1. aliquantum, vel subtus undo. *Not. Tir.* p. 125. Undat, exundat, redundat, subundat. *F.*]

[SŪBUNGO, is, xi, ctum, a. 3. subter ungo. *Not. Tir.* p. 130. Subungit, subunxit, subunctum. *F.*]

[SUBVOCO, as, a. 1. subter voco. *Not. Tir.* p. 53. Vocat, revocat, subvocat. *F.*]

SUBVOLO, as, n. 1. ὑποπέταμαι, sursum volo. *Cic. Tusc.* 1, 17. Sic hae sursum rectis lineis in coelestem locum subvolent. *Ov. Met.* 14, 506. numerusque ex ordine major Subvolat, et remos plausis circumsonat alis. Adde *ib.* 577. et *ib.* 11, 790.

SUBVOLVO, is, a. 3. ὑποχυλίω, sursum volvo. *Virg. A.* 1, 429. Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa.

*SUBUR, oppidum Hispaniae Tarraconensis, ad Rubricatum flumen. *Mela* 2, 6. *Plin.* 3, 3. *Ptolemaeo* est Σούβουρ, hodie, si recte *Harduinus*, *Villa nova*. ℙ Et fluvius in Mauritania Tingitana. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

SŪBURA, rectius quam Suburra, ae, f. vicus et tribus urbana Romae, in regione secunda, ubi forum rerum venalium, praesertim quae edules; et habitatio meretricum. Fuit olim prima e quatuor regionibus urbis, ut docet *Varr. L. L.* 4, 8., cum secunda esset Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina. Aucta urbe, et in quatuordecim divisa, remansit in secunda, quae et Coelimontana appellatur. Unde dicta sit, habes a *Varr. l. c.* Subura: Junius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe. Cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego a pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. Nunc scribitur tertia littera B, non Pagus Sucusanus, quod succurrit Carinis. *Festus*: Suburam Verrius a pago Sucusano dictam ait: hoc vero maxime probat eorum auctoritate, qui ajunt, ita appellatam et regionem urbis, et tribum a stativo praesidio, quod solitum sit succurrere Esquiliis, infestantibus eam partem urbis Gabinis: indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C litteram, non B scribatur. *Quint.* 1, 7. *f.* Subura cum tribus litteris notatur, C tertiam ostendit. *Mart.* 7, 31. (et 10, 94.) Quidquid villicus Umber, aut colonus, aut Tusci mihi, Tusculive mittunt, Aut rus marmore tertio notatum: Id tota mihi nascitur Subura. *Id.* 12, 18. Subura clamosa. *Id.* 6, 66. Famae non nimium bonae puellam, Quales in media sedent Subura, etc. *Pers.* 5, 32. totaque impune Suburra Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo. ℙ Ibi fuisse structorum scholam, colliges ex illo *Juven.* 11, 140. hebeti lautissima ferro Caeditur, et tota sonat ulmea coena Suburra. ℙ De tribu. *Inscr.* ap. *Grut.* 525, 5. L. Aufustii L. F. Subura Rufini Cen. cohor. VII. Vigil. etc. et 524, 5. C. Attio T. F. Sub. Vitaliano, etc. et 536, 3. C. Cassius C. F. Sub. Hermes, etc. In fragm. *tab. marmoreae* ap. *eund.* 201, 10. aliquot tribuum nomina per compendium scripta sunt hoc modo: *Pal. Suc. Esq. Col. Rom. Vol.:* in duabus aliis 104, 6. et 239, 3. Trib. Suc. junior, *h. e.* tribus Sucusana, seu Suburana juniorum.

SŪBURĀNENSIS, e, adj. ad Suburam pertinens, Suburanus. *Fest.* in *October:* Non levis contentio inter Suburanenses, et Sacravienses, *h. e.* habitantes in Subura.

SŪBURĀNUS, rectius quam Suburranus, a, um, adj. ad Suburam pertinens, ut Suburana regio, *Varr. L. L.* 4, 8. Suburana tribus, *Id. ib.* 9., *Cic. Agr.* 2, 29. et *Plin.* 18, 3, 3., de qua *Festus:* Suburanam tribum antea Sucusanam per C appellabant ex nomine regionis: nam partem imam illam quoque tradunt Sucusanam dictam. Verrius autem ait, se miratum esse, cur non a nomine pagi Sucusani, in quo milites exercerentur. *Mart.* 5, 22. Alta Suburani vincenda est semita clivi, *h. e.* collis Esquilini, ad quem e Subura adibatur. ℙ *Suburanae canes* quibusdam videntur esse meretrices (quae maxime in Subura habitabant) ap. *Hor. Epod.* 5, 57. Senem, quod omnes rideant, adulterum Latrent Suburanae canes. Sed *Hor.* notat quidem senem itantem in Suburam meretricum causa, sed canes simpliciter intelligit in eo vico noctu vigilantes. *Mart.* quoque ad meretrices respicit 11, 78. Ergo Suburanae tironem trade magistrae; et *ib.* 61. Quem cum fenestra vidit a Suburana Obscena nudum lena, fornicem clausit.

SŪBURBĀNĪTAS, atis, f. τὸ προάστειον, locorum suburbanorum situs, urbis vicinitas. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. de Sicilia: Sic populo Romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciae. *Sym. ep.* 2, 22. Nunc intuta est latrociniis suburbanitas. Adde *Sidon. ep.* 7, 2. *med.*

SŪBURBĀNUS, a, um, adj. προάστειος, sub urbe positus, urbi vicinus. *Cic. Rosc. Am.* 46. Rus amoenum et suburbanum. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. Fundus suburbanus. *Id. Div.* 2, 32. ager. *Ulp. Dig.* 49, 4, 1. *med.* Suburbana villa. *Cic. Or.* 1, 21. *extr.* Suburbanum gymnasium. *Colum.* 11, 2. Suburbana Italiae regio. *Hor. Sat.* 2, 4, 15. Caules suburbanus, *h. e.* qui in suburbano horto nascitur. Sic *Mart.* 13, 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis. *Plin.* 26, 4, 9. Suburbana Italia, *h. e.* ea pars Italiae, quae vicina est Romae. *Mart.* 5, 1, Plana suburbani qua cubat unda freti, *h. e.* maris urbem Antium alluentis. *Plin.* suburbana litora 9, 18, 31. appellat maris Romae vicini prae mari Rubro. *Tac. A.* 3, 47. Suburbana peregrinatio, *h. e.* per loca Urbi proxima; et *ib.* 13, 43. crimina, *h. e.* quae prope Romam quis admisit. ℙ *Suburbanum* absolute (subaudi *rus*, *praedium)* fundus, aut villa vicina. *Plin.* 31, 3, 25. Avaritia in villas ac suburbana publicam salutem detorquens. *Id.* 8, 40, 61. Volcatium asturcone e suburbano redeuntem canis a grassatore defendit. *Mart.* 5, 35. Dum sibi redire de Patrensibus fundis Ducenta clamat clamat coccinatus Euclides, Corinthioque plura de suburbano. *Cic. Rab. Post.* 10. Senatores summo loco natos in hortis aut suburbanis suis cum mitella saepe videmus. Adde *Att.* 16, 13. et *Verr.* 2, 1, 20. *extr.* ℙ [*Suburbani*, absolute, sunt incolae Ariciae, Laurenti, Lanuvii, Tiburis et Praenestis, quae oppida non procul ab urbe Roma erant. *Ov. Fast.* 6, 57. Juno loquitur: Nec tamen hunc nobis tantummodo praestat honorem Roma; suburbani dant mihi manus idem. *F.*]

SŪBURBĬCĀRĬUS, a, um, adj. idem ac suburbanus, ut Suburbicariae regiones, Suburbicariae partes, *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 11, 1, 9. et *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 28, 12. Picenum et Tuscia, suburbicariae regiones. Adde *ib.* 16, 12.

SŪBURBĬUM, ii, n. προάστειον, frequentes extra urbem domus instar vici urbani aedificatae. *Cic. Phil.* 12, 10. Qui Terminalibus nuper in suburbium, ut eodem die reverterer, ire non ausus sim?

SŪBURGĔO, es, a. 2. subtus aut prope urgeo. *Virg. A.* 5, 202. furens animi dum proram ad saxa suburget Interior, spatioque subit Sergestus iniquo, Infelix! saxis in procurrentibus haesit.

[SUBURĪTĀNUS, a, um, adj. ad Subur pertinens. Σούβουρ ap. *Ptolem.* 2, 6., oppidum Hispaniae Tarraconensis, cujus ita meminit *Plin.* 3, 3, 4. Regio Ilergetum, oppidum Subur. Hinc *Suburitani, orum*, absolute, sunt illius oppidi incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 414, 3. L. Furio L. F. Faventino Suburitani publice. *F.*]

SŪBŪRO, is, ussi, ustum, a. 3. leviter uro. *Suet. Aug.* 68. Solitusque sit crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret.

SŪBURRĀ. V. SUBURA.

SŪBUSTĬO, onis, f. Ap. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 15, 1, 32. subustio thermarum vocatur, quae ab *Ammian.* 31, 1. succensio lavacri dicitur, hoc est calefactio, quia lavacra ex inferiore loco calefiebant.

SŪBUSTUS, a, um, part. a *suburo*, semiustulatus. *Paul. Nol. carm.* 7, 37. Tamen subusti corporis signis miser Vitam tenebit, non tenebit gloriam.

SUBVULSUS vel Subvolsus, a, um, part. a *subvello. Scipio Afric.* ap. *Gell.* 7, 12. Qui barba volsa, feminibusque subvolsis ambulet. V. VELLO.

SUBVULTŪRĬUS, a, um, adj. qui fusco colore est instar vulturis. *Pl. Rud.* 2, 4, 9. Eja corpus cujusmodi! subvulturium illud quidem, subaquilum volui dicere.

*SUCCABAR, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. ℙ Etiam *colonia Augusta* audit *Plin. l. c.* et *municipium Sugabarritanum Ammian.* 29, 5. *med.* ed. *Vales.* (al. 26.) *Ptolem.* est Ζουχάββαρι. *B. A.*

[SUCCĀSĪNUS, a, um, adj. qui sub seu infra Casinum est. Ita sunt appellati Interamnates, qui prope Casinum erant. V. INTERAMNAS. *F.*]

*SUCCASSES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

SUCCĔDĀNĔUS et Succidaneus, a, um, adj. διάδοχος, ἀνταρδρος, qui alteri succedit, qui pro altero subjicitur. *Just.* 38, 6. Avum suum Pharnacem per cognationum arbitria succedaneum regi Pergameno Eumeni datum. *Pl. Epid.* 1, 2, 36. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam? Ut meum tergum stultitiae tuae subdas succedaneum? *Ulp. Dig.* 26, 7, 3. *f.* Nec patiuntur, ut succedanei sint alieni periculi. *Id. ib.* 27, 8, 4. Magistratus quidem in omne periculum succedit: heres ipsius dolo proximae culpae succedaneus est. *Imppp. Valent. et Valens Cod.* 10, 31, 27. Si militari avo, et patre centurione nascetur, pater erit succedaneus functionis. *Impp. Grat. et Valent. ib.* 11, 65, 3. Is pro eo, quem succedaneum subrogavit, perpetuae solutioni statuatur obnoxius. ℙ *Succedanea*, et *succidanea hostia* est, quae in locum alterius succedit, et mactatur, si forte priore illa litatum non sit. *Festus:* Succidanea hostia appellatur, quae secundo loco caedebatur: quod quasi succideretur, dicta. Quidam a succedendo, non a succidendo dictam putant. Haec *Festus.* In vet. S. C. ap. *Gell.* 4, 6. Si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet. Alii leg. *robus accederet*, *h. e.* bos rufus. *Appul. Met.* 8. Postquam non cervam pro virgine, sed asinum pro homine succidaneum videre. *Serv.* ad *A.* 2, 140. Hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari veteri more solet: in cujus locum quae supposita fuerat, succidanea. (Adde ad *ib.* 8, 641.) *Gell. l. c.* Succidaneae hostiae dicuntur, e littera per morem compositi vocabuli in *i* litteram commutata. Non quasi succidaneae appellatae: quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliae post easdem ductae hostiae caedebantur: quae quasi prioribus jam caesis, luendi piaculi gratia subdebantur, et succidebantur: ob id succidaneae nominatae, littera *i* scilicet tractim pronuntiata. Audio enim, quosdam eam litteram in hac voce barbare corripere. Eadem autem ratione verbi praecidaneae quoque hostiae dicuntur, etc.

Haec *Gell.* Eadem lis est de notatione in voce *Praecidaneus*, quam vide.

SUCCĔDO et Subcedo, is, essi, essum, n. 3. [*sub aliquid cedo, i. e. gradum dirigo, me confero, subeo, Gr. ὑποδύομαι: a *sub* et *cedo*. *Cic. Dom.* 44. *f.* Qui tectum, quo imbris vitandi causa succederet, nullum haberet: nostr. *untertreten*. *Val. Fl.* 6, 505. Quales instanti nimborum frigore moestae Succedunt ramis volucres. *Lucr.* 52, 287. Quod, simulac primum nubeis succedere soli Coepere, i. e. sub solem, ita ut solem tegant. *Virg. A.* 11, 103. Corpora redderet, ac tumulo sineret succedere terrae, i. e. sepeliri. — Cum Accus. *Appul. Met.* 5. p. 147. Larem nostrum laetae succedite! ℙ Hinc translate est se submittere, subjicere, obedientem se alicui rei perferendae praestare, *sich unterziehen, unterwerfen*. Ita *Virg. A.* 2, 723. succedere oneri; et *ib.* 3, 541. curru succedere sueti Quadrupedes. — Etiam cum accus. *Calp. decl.* 29. ne pecora quidem jugum, nisi paria, succedunt: ubi v. *Burm. Just.* 8, 2. Externae dominationi, quam in suis timuerant, sponte succedunt. ℙ Deinde dicitur in universum pro intrare, ingredi, pedem inferre. *Virg. Ecl.* 5, 6. et 19. Antro succedere; et *A.* 1, 631. tectis succedere. *G.* 3, 418. tecto assuetus coluber succedere et umbrae. Cf. *Ov. Met.* 8, 350. ℙ Hinc de iis usurpatur, qui se pugnae, proelii tumultibus caedibusque inferunt. *Virg. A.* 9, 663. ipsi in certamina rursus Succedunt. Adde *ib.* 10, 690. Mezentius ardens Succedit pugnae; et *ib.* 11, 826. succedat pugnae. *Liv.* 9, 27. Eques in pugnam succedit. ℙ Item vindicat notionem prope accedendi, appropinquandi, ubi solemnis fere vox est in rebus militaribus: constructionem usitatiorem quidem volunt c. accus. vel praeposs. *ad*, *in*, *sub*: rariorem cum dativo. Cf. *Ruddim.* 2. p. 148. *Ramsh.* §. 124. p. 374. *Perizon.* ad *Sanct. Min.* p. 381. *Caes. B. G.* 2, 6. portas succedunt murumque subruunt. *Liv.* 38, 9. Id cum per colloquia principum succedens murum, parum proficeret. *Sall. Hist.* 6. p. 1008. cum murum hostium Successisset. — *Caes. B. G.* 1, 24. *extr.* Sub primam nostram aciem successerunt. — *Liv.* 10, 14. Fabius quadrato agmine ad praedictas hostium latebras succedit. *Id.* 7, 37. Infestis signis ad castra hostium succedit; et 30, 8. succedere ad stationes hostium; 44, 21. ad moenia; 26, 44. ad urbem. — *Liv.* 24, 19. quum multa, succedentes temere moenibus, Romani milites acciperent vulnera. *Hirt. B. Alex.* 30. *med.* Milites munitionibus successerunt. *Virg. A.* 2, 478. Succedunt tecto, flammasque ad culmina jactant. *Id. ib.* 7, 214. Atra subegit hiems vestris succedere terris. Huc pertinere videtur etiam illud *Caes. B. C.* 2, 24. Sed hoc itinere est fons, quo mare succedit longius, i. e. accedit magis magisque ad hos, qui sunt in continenti, expanditur toto litore. *Mor.* ℙ Saepissime absolute dicitur hoc sensu, ut nostr. *anrücken, vorrücken*. *Liv.* 31, 36. Ubi latentem intra vallem sensit, exprobrans metum successit; 32, 12. consul valle media cum militum robore succedit; 41, 18. ea pars, in qua ipse erat, impigre succedebat. *Tac. H* 3, 27. densa testudine succedunt. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 175. Supra hostium munitionem succedunt. *Liv.* 9, 31. ubicumque iniquo successum est loco: cf. 9, 14. *it.* 10, 34. *Tac. A.* 3, 1. classis paullatim successit. — *Hirt. B. Alex.* 30. Lassos milites ad oppugnanda castra succedere noluit. ℙ Porro *succedere* dicitur pro sursum cedere, in altiorem, editiorem locum ex inferiore ascendere: et sic fere semper militare vocabulum. V. *Wolf.* ad *Tac. A.* 2, 20. contra quem frustra stare videtur *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 446. Omnes enim loci, quos jam suggeramus, ita sunt comparati, ut, nisi scandendi, altiora occupandi notionem verbo *succedere* concesseris, veram eorum sententiam vix intellexisse videaris. Exempla haec sunto: *Liv.* 27, 18. Ceterum, quamquam ascensus difficilis erat, et prope obruebantur telis saxisque, assuetudine tamen succedendi muros, et pertinacia animi, subierunt primi. *Id.* 22, 28. levis armatura — praeoccupatum inferiore loco succedens tumulum; et 5, 43. quo successerit magis in arduum; et 31, 45. prompte succedentium muros. *Tac. A.* 2, 20. Si murum succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur; et *ib.* 81. origi scalas jussit, ac promptissimum quemque succedere. *Sil.* 10, 597. ut hostis Nequidquam armatos ausit succedere muros. — Huc pertinent et ista: *Virg. A.* 7, 36. et laetus fluvio succedit opaco, i. e. ad superiores, interiores terrae partes adverso flumine navigat. Porro ap. *Eund. G.* 4, 227. alte succedere coelo, i. e. altum petere, in coelum redire et astris admisceri. *Id. A.* 12, 234. Ille quidem ad superos succedet fama. *Lucr.* 5, 1369. sylvas in dies magis succedere in montem; et 6, 1190. minutatim a pedibus frigus succedere non dubitabat; et 5, 1122. quoniam ad summum succedere honorem Certanteis, iter infestum fecere viai; et *ib.* v. 1274. Nunc jacet aes, aurum in summum successit honorem. ℙ Tum *succedere* est subsequi: ac primum quidem de iis, qui situ locorum vicinitate gaudent. *Caes. B. G.* 4, 3. Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum civitas, etc. — Hinc pertinet ad eos, qui alios praecedentes in locum aliquem subsequuntur, maxime in rebus bellicis. *Caes. B. G.* 5, 16. *extr.* Ut integri et recentes defatigatis succederent: *Id. ib.* 4, 32. Cohortes, quae in stationibus erant, secum proficisci, duas in stationem succedere jussit. *Liv.* 9, 27. *med.* Succedere in pugnam. *Id.* 6, 4. proelio. *Id.* 9, 32. Nec prius inclinata res est, quam secunda acies Rom. ad prima signa integri fessis successerunt. *Hirt. B. Alex.* 10. *extr.* Naves quas potuit, ad terram detrahit: quem in locum illos successuros non existimabat. — Spectat etiam honoris gradum, conditionem, statum, ad quem quis ab alio occupatum progreditur. *Cic. Verr.* 2, 4, 37. *med.* succedam ego vicarius tuo muneri. *Nep. Cat.* 2. Voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. *Id. Ep.* 7. et *Cic. Phil.* 2, 25. in alterius locum succedere. *Just.* 2, 4. *med.* (et *Plin.* 36, 27, 70.) regno. *Id.* 7, 3. *extr.* in jura affinitatis. *Liv.* 21, 3. in paternas opes. *Id.* 4, 11. Consules, quo majori gloriae rerum domi forisque gestarum succedere se cernebant, eo impensius etc. i. e. quo major esset gloria eorum, quibus succederent. *Id.* 24, 5. vix quidem ulli bono moderatoque regi facilis erat favor apud Syracusanos, succedenti tantae caritati Hieronis. *Id.* 37, 14. Succedere ad navale imperium. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Fam.* 3, 6. Te antea, quam tibi successnm esset, decessurum fuisse, scil. in provincia. Sic *Pis.* 36. Cum tu, non solum, quod tibi succederetur, sed quod Gabinio non succederetur, exsanguis et mortuus concidisti. *Liv.* 9, 18. male gestis rebus alterius successum est. ℙ Pertinet etiam ad ordinem. *Cic. Phil.* 11, 15. Nihil enim semper floret; aetas succedit aetati. *Id. Balb.* 1. *f.* Etenim ei succedo orationi, quae in animis omnium penitus insedit. *Plin.* 21, 11, 39. In Italia violis succedit rosa, i. e. nascitur post violas. *Ov. Met.* 15, 199. Quid? non in species succedere quatuor annum Adspicis, —? ubi v. *Gierig.* et *Jahn.* ℙ De tempore. *Caes. B. C.* 3, 49. quibus quotidie melius succedere tempus — videbant, i. e. videbant, commeatui et frumento in dies melius tempus subsequuturum in locum angustiarum, quibus premerentur. Transfertur etiam ad denotandam imitationem, similitudinem quandam. *Just.* 19, 1. Filii sicut generi, ita et magnitudini patris successerunt. *Plin.* 24, 19, 108. Graminis succus dulcis est; in vicem ejus succedit decoctum. ℙ Interdum cum notione succrescendi positum videtur. *Ov. Met.* 11, 80. Adspicit in teretes lignum succedere suras: ubi multi edd. *succrescere* habent. *Plin.* 9, 39, 63. Purpurae Tarentinae successit dibapha Tyria. ℙ Denique *succedere* dicuntur cujuscunque generis res, qrae prospere cedunt, ex sententia, ex voto procedunt, Gr. προχωρεῖν, εὐτυχεῖν. *Pl. Mil.* 3, 2, 59. (et 4, 4, 7. et *Pers.* 4, 1, 2.) Lepide hoc successit sub manus negotium. *Ter. Andr.* 4, 1, 56. Parum succedit, quod ago. *Nep. Dat.* 6. Haec propter hiemale tempus minus prospere succedebant. *Liv.* 42, 58. Postquam inceptum non succedebat. *Caes. B. G.* 7, 26. postquam res nulla successerat. *Liv.* 24, 19. neque satis inceptis obsidio succederet. *Id.* 33, 5. Postquam nihil conceptae temere spei succedebat. *Virg. A.* 11, 794. Audiit, et voti Phoebus succedere partem Mente dedit: partem volucres dispersit in auras. *Plin.* 28, 8, 27. quod si successerit. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* quod fere quae ante, pleraque non succedunt. ℙ Impersonaliter. *Ter. Andr.* 4, 1, 47. Hac non successit. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. si ex sententia successerit. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. *extr.* si perinde ut mereor, mihi successerit. *Petr. Sat.* 24. Ne contubernali meo melius succederet. *Liv.* 25, 37. *f.* si successisset coeptis. *Id.* 38, 25. Et successisset fraudi, ni cet. et 40, 11. *extr.* si facinori eorum successerit. *Quint.* 1, 5. *f.* Sed res tota magis Graecos decet: nobis minus succedit.] ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 2, 45. Nolle inultos hostes, nolle successum non patribus, non consulibus.

SUCCENDO, is, endi, ensum, a. 3. ὑποκαίω, igne subjecto accendo, incendo, concremo. *Ov. Met.* 5, 442. flammifera pinus succendit ab Aetna. *Sen. Herc. Oet.* 790. Succendere aras. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 15, 1. *extr.* turrim ligneam. *Ov. R. Am.* 721. Thestias absentem succendit stipite natum. *Caes. B. G.* 7, 24. Fumare aggerem, quem cuniculo hostes succenderant. *Lucan.* 2, 413. Succendit Phaethon flagrantibus aethera loris; et *ib.* 269. fulminibus succenditur aer. *Calpurn. Ecl.* 5, 89. Lurida conveniet succendere galbana septis. ℙ Translate. *Lucan.* 9, 792. Nasidium percussit prester, illi rubor igneus ora Succendit; et 6, 165. movit tantum vox illa furorem, Quantum non primo succendunt classica cantu; et *Prop.* 1, 2, 15. Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe.

SUCCENSĔO, es, sui, n. 2. ἀγαναχτέω, irascor: quasi ira succensus sum: vel a *sub*, et *censeo*. *Cic. Rosc. Com.* 16. Ex perfidia et malitia Dii hominibus irasci et succensere consuerunt. *Id. Dej.* 13. Non jam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. *Id. Tusc.* 1, 41. *f.* Nec vero iis, a quibus condemnatus sum, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. *Pl. Pers.* 3, 3, 26. Id tibi succensui, quia te negabas credere argentum mihi. *Id. Trin.* 5, 2, 42. Si id mea voluntate factum est, est quod mihi succenseas. *Liv.* 25, 6. Quod ob meritum nostrum succensuistis, P. C., nobis, aut succensetis. *Ter. Phorm.* 2, 3, 14. Adolescenti nihil est quod succenseam. *Caes. B. C.* 1, 84. Non esse aut ipsi, aut militibns succensendum, quod, etc. *Ov. Her.* 21, 185. Cur, quae succenset, quod adhuc tibi pacta puella Non tua fit, fieri nec tua possit, agit? *Suet. Vesp.* 5. C. Caesar succensens propter curam verrendis viis non adhibitam. *Gell.* 6, 2. *med.* Peccata quoque hominum, et delicta non succensenda sunt. ℙ In nonnullis MSS., teste *Gronov.* et *Drakemborch.* ad *Liv. l. c.*, scriptum est *suscensuistis*, et *suscensetis*, eo modo, quo *suscipio* scribimus, olim *succipio* scribebatur, ut *Servius* docet ad *A.* 1, 148.

SUCCENSĬO, onis, f. calefactio, ut Succensio lavacri, *Ammian.* 31, 1. V. SUBUSTIO. ℙ Item accensio, illustratio. *Tert. Resurr. carn.* 12. Redaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio exstinxerat. ℙ Item indignatio, ira: a *succenseo*. *Sym. ep.* 5, 35. (al. 37.) Litterae tuae officii plenitudine memoriam succensionis oblitterant.

SUCCENSUS, a, um, part. a *succendo:* accensus, incensus, ἐμπεπυρωμένος. *Cic. Pis.* 18. *med.* Si sapiens in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur. *Liv.* 28, 23. In succensum rogum injicere corpora. *Ov. Met.* 13, 413. Succensa templa. *Lucan.* 1, 657. Succensus Phoebi flagrasset curribus aether. *Tibull.* 2, 5, 81. Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis. ℙ Translate. *Ov. Her.* 15, 167. Deucalion Pyrrhae succensus amore. *Prop.* absolute eod. sensu, 3, 17, 15. de Myrrha: Crimen et illa fuit patria succensa senecta. *Sen. Herc. Fur.* 779. Lapithaeque multo in bella succensi mero. *Id. Hipp.* 541. succensas agit Libido mentes. *Sil.* 1, 169. Succensus ira. *Val. Fl.* 3, 585. pavent montes, luctu succensus acerbo Quid struat Alcides, tantaque quid apparet ira. *Claud. IV. cons. Hon.* 242. ira rabie succensa tumescit, Contrahitur tepefacta metu. *Id. Laud. Stil.* 2, 221. mens facibus succensa pudoris. *Id. Rapt. Pros.* 1, 270. niveos infecit purpura vultus Per liquidas succensa genas. *Juvenal.* 7, 39. succensus dulcedine famae.

SUCCENTĬVUS et Subcentivus, a, um, adj. qui post alium, et cum eo canit. *Varr. R. R.* 1, 2. Aliud pastio, et aliud agricultura, sed affinis: et ut dextera tibia alia, quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. ℙ Translate est etiam inferior. V. INCENTIVUS.

SUCCENTOR et Subcentor, oris, m. qui succinit, et cantum suum cum alio, sed submissius, accommodat: hanc enim eandem significationem habet verbum *succino*, cujus est verbale. Translate *Ammian.* 19, 12. *med.* Paulo succentore fabularum crudelium, *h. e.* impulsore. ℙ *Isid. Or.* 6, 19. aliter succentorem definit: ait enim tres esse in cantando gradus, primum succentoris (h. e. ejus qui cantum incipit), secundum incentoris, tertium accentoris. Sed haec ad Ecclesiam et psallentes in choro pertinent.

SUCCENTŬRIĀTUS et Subcenturiatus, a, um, part. a *succenturio*, ὑποκαταξωσμένος, qui additus in supplementum centuriae. *Ter. Phorm.* 1, 4, 52. Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero succenturiatus, siquid deficies. Ubi *Donatus:* Tota metaphora de re militari est. Succenturiati dicuntur, qui explendae centuriae gratia subjiciunt se ad supplementum ordinum. *V. *Comment. ad Ter.* e cod. *Ambros.* ed. *A. Maio*, p. 64. ed. *Mediol. B. A.*

SUCCENTŬRIO et Subcenturio, as, a. 1. ἐπιλαγχάνω, est in locum occisorum militum alios substituere: a *centuria*. *Festus:* Succenturiare est explendae centuriae gratia supplere, subjicere. Plautus in Saturione: Succenturia centum, require, qui te delectet domi. Et Caecilius in Triumpho: Nunc meae malitiae astutia opus est: succenturia. ℙ Translate. *Gell.* 15, 8. Et alia esca melior, atque amplior succenturietur.

SUCCENTUS et Subcentus, us, m. cantus, qui post alium incipit, et cum eo consonat. *Capell.* 1, 6.

SUCCERDA. V. SUCERDA.

SUCCERNO. V. SUBCERNO.

[SUCCESSĪNUS, a, um, adj. ad successum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1073, 6. Sex. Quintius Sex. Quinti Successini Lib. Fortunatus. *F*]

SUCCESSĬO, onis, f. ὑπόδυσις, actus succedendi et subeundi. *Cic. Fin.* 1, 11. In omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. ℙ Item substitutio in locum alterius in hereditate, in administratione, in imperio, etc. διαδοχή. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic. ad Brut.* 1, 17. *med.* Quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur, in Antonii locum successio? *Plin.* 7, 13, 11. Cum Asiam obtineret post consulatum, Neronis principis successione, veneno ejus interemptus est; et *Tac. A.* 4, 12. Pervertere Germanici liberos, quorum non dubia successio: scil. ad principatum. *Suet. Oth.* 4. *extr.* Ut jam vix ullus esset, qui non et sentiret et praedicaret solum successione imperii dignum. *Id. Cal.* 12. Ad spem successionis admoveri. *Just.* 9, 2. Adoptare aliquem in successionem regni. *Id.* 3, 3. Magistratibus judicia per annuas successiones permisit. *Plin. ep.* 1, 12. et 10, 24. Plerumque morbi quoque per successiones quasdam, ut alia, traduntur. *Tac G.* 32. Jura successionum. *Flor.* 4, 2. *med.* Se-

natus de successione Caesaris agitabat, *h. e.* de mittendo successore Caesari Gallias administranti. *Plin.* 30, 1, 2. de magia: Mirum, durasse artem tam longo aevo, commentariis non intercidentibus, praeterea nec claris, nec continuis successionibus custoditam, *h. e.* professoribus ejus ordine succedentibus. ℙ De filiis, et nepotibus *Id.* 12, 14, 30. Familiae, quae per successiones jus sibi vindicant. *Auct. Pan. ad Maxim.* etc. 2. Substituere successiones, *h. e.* liberos, qui succedant patribus. *Appul. Met.* 8. Vobis facile est puerum illum novissimum successionis meae, atque unicam stirpem, sospitem mihi facere. *Lactant.* 6, 23. Duorum sexuum conjunctionem generandi causa datam esse viventibus, ut successionem parent. ℙ Est etiam successus, eventus. *August. V. B.* 26 referens sententiam, et fortasse etiam ipsa verba *Cic.* in *Hortens.* Omne institutum, voluntatemque omnem successio prospera consecuta est.

SUCCESSĪVUS, a, um, adj. qui post alium succedit. *Lactant. Op. D.* 12. *f.* Duobus sexibus maris ac feminae copulatis, successiva proles paritur.

SUCCESSOR, oris, m. *διάδοχος*, qui in alterius locum succedit. *Cic. Fl.* 14. *extr.* Cum successor aliquid immutat de institutis priorum. *Id. Fam.* 3, 3. Quae successori conjunctissimo et amicissimo commodare potest is, qui provinciam tradit. *Id. fragm. or. pro Scauro* (ed. *A. Peyronio*) 33. Successori decessor invidit. *Ov. Met.* 3, 589. studii successor et heres. *Id. Trist.* 4, 10, 53. Successor fuit hic *(Tibullus)* tibi, Galle; Propertius illi *(Virgilio)*, *h. e.* floruit post. *Id. Met.* 13, 51. de Philoctete: quo successore sagittae Herculis utuntur, *h. e.* herede. *Callistr. Dig.* 48, 19, 26 Unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur, *h. e* filius non portabit iniquitatem patris, ut dicitur *Ezech.* 18, 20. ℙ Translate. *Ov. Rem. Am.* 462. Successore novo tollitur omnis amor, *h. e.* novo amore subeunte. *Id Met.* 14, 117. iste tuus tam raro proelia passus, Integer est clypeus: nostro, qui tela ferendo Mille patet plagis, novus est successor habendus. *Id. Fast.* 5, 77 Junius mensis successor Maji. ℙ *Successorem alicui dare* dicitur, cum imperium alicui ante tempus abrogatur, aut magistratu submovetur. *Spart. Hadrian.* 9. et 11., *Lampr. Alex. Sev* 32. et *Capitol. Anton.* 5. Quo pertinent illa *Plin. ep.* 9, 13. *f.* Collega Certi consulatum, successorem Certus accepit, *h. e.* cum Vectius Proculus, et C. Publicius Certus a Domitiano in annum a Chr. n. XCVII. consules suffecti designati essent, hoc interfecto, Proculus quidem consulatum accepit, Certus autem in senatu a Plinio accusatus damnatusque consulatu privatus est, et alium veluti successorem habuit. *Suet. Aug.* 88. Legato consulari successorem dedit, ut rudi et indocto; et *Dom.* 1. *extr.* Mirari se, Vespasiano dictitante, quod successorem non et sibi mitteret. ℙ Cum feminino genere. *Cornel. Sev.* ap. *Charis.* 1, 66. Iguea nam coelo ducebat sidera Phoebe, Fraternis successor equis. V. AUCTOR.

SUCCESSORĬUS, a, um, adj. ad successionem pertinens. *Ammian.* 14, 8. Seleucus cum post Alexandrum successorio jure teneret jura Persidis *Ulp. Dig.* 38. *tit.* 9. (qui *De successorio edicto* inscribitur) 1. *in.* (et *Papin. ib* 2.) Successorium edictum ideirco propositum est, ne bona hereditaria vacua sine domino diutius jacerent. *Ulp. ib* 22, 6, 1. *f.* Ex successorio capite bonorum possessio alicui competit.

SUCCESSUS, a, um, part. a *succedo*, qui prospere successit, feliciter evenit, *προκεχωρημένος*. *Auct. prol. Ps. Plaut.* 7. Et lege, et legionibus hos *(malos)* fugitastis, Quirites, successis bonis. *Cic fil. ad Tiron. Fam.* 16, 21. *med.* Cum omnia mea causa velles mihi successa. Alii aliter leg. *Ov. Met.* 2, 788. successorumque Minervae Indoluit. Alii rectius leg. *successurumque:* alii etiam aliter. ℙ Est etiam cognomen R. *Inscr.* ap. *Mur* 172, 1. P. Vallius Successus. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 324. P. Equitius Successus, M. Atilius Successus.

SUCCESSUS, us, m. *ἐπόδυσις*, actus succedendi, accessus. *Caes. B. G.* 2, 20. Quarum rerum magnam partem temporis brevitas, et successus, et incursus hostium impediebant. ℙ Item locus, in quem succedi et intrari potest, cavum, spelunca, antrum. *Arnob.* 5, 173. Per profundae altitudinis specum rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vehit, et terrarum absconditur successibus rursus; et 7, 251. Ex molibus inaequaliter aggeratis successus quidam et fornices, in quos serpens se intulit raptim. ℙ Item cursus, decursus, spatium. *Just.* 1, 8. *extr.* Cyrus regnavit annos triginta, non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu admirabiliter insignis. ℙ Saepe est prosperus eventus, *εὐτυχία*. *Phaedr.* 2, 3. Successus improborum plures allicit. *Virg. A.* 2, 386. successu exsultans animisque Coroebus; et *ib.* 12, 914. Successum Dea dira negat. *Tac. H.* 4, 28. *med.* Successu rerum ferocior. *Plin.* 7, 7, 5. Successu aliquo tumens. *Id.* 2, 23, 21. Mirum, quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquo invitata successu. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 2. Uvae pictae tanto successu, ut in scenam aves advolarent. *Id.* 29, 4, 19. Successus petitionum a potestatibus, et a Diis etiam precum. *Liv.* 2, 50. Multo successu Fabiis audaciam crescere. *Ov. R. Am.* 624. Successumque artes non habuere meae. *Id. Her.* 2, 85. careat successibus opto, Quisquis ab eventu facta notanda putat. *Id. Met.* 8, 273. pleni successibus anni Primitias, frugem Cereri, sua vina Lyaeo, Palladios flavae latices libare Minervae. Et cum addito. *Liv. prooem. extr.* Ut orsis tanti operis successus prosperos darent.

*SUCCI, orum, populi Moesiae (a quibus fortasse Sucidava nomen traxit). *Ammian.* 26, 7. *med. Vales.* (p. 347. *Lindenbrog.*) *B. A.*

SUCCIDĀNĔUS. V. SUCCEDANEUS.

SUCCIDIA, ae, f. *κωλήν, ταριχεία*, tergum suis, sive massa carnis porcinae sale durata, et in quotidianos usus servata. *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* Succidia ab suibus concidendis. Nam id pecus primum occidere coeperunt domini, et, ut servarent, salire. *Id. R. R.* 2, 4. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam suspenderit in carnario potius ab laniario, quam ex domestico fundo. *Cic. Sen.* 16. *med.* Jam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant. ℙ Translate. *Cato* ap. *Gell.* 13, 24. Succidias humanas facere, *h. e.* homines occidere.

SUCCĪDO et Subcido, is, succīdi, succisum, a. 3. *ὑποτέμνω, ὑποκόπτω*, idem ac caedo, vel subtus caedo, subseco: a *sub*, et *caedo. Enn.* ap. *Fest.* in *Supernatus:* His pernas succidit iniqua superbia Poeni. *Plin.* 16, 12, 23. Postea tota arbor succiditur, et medulla ejus uritur. *Colum.* 2, 2. *med.* Nemorosi fructosique tractus duplex cura est, vel exstirpandis radicitus arboribus et removendis; vel, si rarae sint, tantum succidendis, etc. Adde 11, 2. *med. Ov. Met.* 7, 227. de herb.: Partim succidit curvamine falcis aenae. *Virg. G.* 1, 297. At rubicunda Ceres medio succiditur aestu. *Sil.* 15, 536. Immatura seges rapido succiditur ense. *Id.* 14, 134. Ite, gregem metite imbellem, ac succidite ferro.

SUCCĪDO et Subcido, is, īdi, n. 3. *ὑποπίπτω*, subtus cado, concido. *Pl. Curc.* 2, 3, 30. Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt. [*Cf. *Curt.* 9, 5, 7.] et *Lucr.* 5, 110. Succidere horrisono posse omnia victa fragore; et 3, 157. Caligare oculos, tremere aures, succidere artus. [*Adde 5, 483. succidit repente terra.] *Virg. A.* 12, 910. et in mediis conatibus aegri Succidimus. *Sen. Ag.* 862. te duce succidit Mendax Dardaniae domus. Adde *Manil.* 2, 259. ℙ Translate. *Sen. ep.* 71. *med.* Succidere mentem, et incurvari, et succumbere: quorum nihil sapienti viro potest evenire: stat rectus sub quolibet pondere.

SUCCĪDUS. V. SUCIDUS.

SUCCĪDŪUS, a, um, adj. *ὑποπίπτων, σφαλερός*, cadens, aut pronus ad cadendum. *Ov. Her.* 13, 23. tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu. *Id. Met.* 10, 458. at illi Poplite succiduo genua intremuere. *Stat. Theb.* 7, 397 succiduasque adportat matribus agnas, *h. e.* tenellas, et subinde succidentes. *Id. ib.* 4, 661. de comitatu Bacchi: sunt illic Ira, Furorque, et nunquam sobrius Ardor, Succiduique gradus. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 153. Succidui titubant gressus. *Stat. Theb.* 10, 116. primosque hortantia somnos Languida succiduis exspirant lumina flammis. ℙ Translate est deficiens. *Sidon. ep.* 7, 6. *f.* Cum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis heredem, in illa ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos, *h. e.* deficiente clericorum ordinatione propter episcopos a Gothis exsilio multatos.

[SUCCĪNĀTUS, a, um, adj. succini colorem referens. *Isid. Or.* 20, 3. *med.* Succinatum vinum succineae gemmae simile est, id est fulvi coloris. *F.*]

SUCCINCTĒ, adv. cum veste succincta. [*Curius Fortunat. art. rhet.* 3. *f.* Quemadmodum cingemur? nec submisse, nec succincte. *F.*] *Ammian.* 20, 11. *med.* Miles dimicare succinctius parans per sublimes aggestus, *h. e.* promptius, expeditius: succincti enim expeditiores sunt ad agendum. ℙ Translate est breviter. *Id.* 28, 1. (et 15, 8.) Nec pigebit docere succincte. *Sidon. ep.* 1, 9. Fabor super his aliqua succinctius.

SUCCINCTIM, adv. breviter, idem ac succincte. *Claud. Mamert. Stat. anim. praef.* Succinctim, atque uti digito denotare.

SUCCINCTORĬUM, ii, n. subligar, campestre, praecinctorium, *περίζωμα. August. de Gen. contra Manich.* 2, 15. *f.*, item *serm. de verb. Dom.* 10. *f.* et *contr. Jul Pelag.* 2, 6. et *C. D.* 14, 17. ex *Genes.* 3, 7. [et *Isid. Or.* 19, 33. *F.*]

SUCCINCTŪLUS, a, um, adj. dimin. succincti. *Appul. Met.* 2. Ipsa linea tunica mundule amicta, et russea fasciola altiuscule sub ipsas papillas succinctula.

SUCCINCTUS et Subcinctus, a, um, part. a *succingo: ὑποζωστος, εὐσταλής*, zona adstrictas corpori, et alte collectas vestes habens, accinctus, praecinctus. Dicitur de iis, qui paupere vestitu utuntur. *Virg. A.* 7, 187. Quirinali lituo, parvaque sedebat Succinctus trabea. *Mart.* 2, 46. Tu spectas hiemem succincti lentus amici. ℙ Item de his, qui quippiam administrant: quia succincti expeditiores sunt. *Petr. Sat.* 21. Myrtea subornatus gausapila, cingulo que succinctus; et *mox:* Quartilla alte succincta; et *ib.* 28. *f.* Ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo. *Virg. A.* 6, 555. Tisiphone palla succincta cruenta; et *ib.* 12, 400. ille retorto Paeonium in morem senior succinctus amictu. *Ov. Am.* 3, 2, 31. Talia succinctae pinguntur crura Dianae. *Id. Met.* 10, 536. Nuda genu, vestem ritu succincta Dianae. *Non.* 14, 27. Meretrices apud veteres succinctiore veste utebantur. Afranius Excepto Meretrix cum veste longa? Peregrino in loco solet tutandi causa sese sumere. *Prop.* 4, 3, 62. Succinctique calent ad nova lucra popae. *Mart.* 12, 24. Succinctus cursor. *Lucan.* 1, 612. Succincti ministri. *Juven.* 4, 24. Succinctus patria quondam, Crispine, papyro, *h. e.* servus ex Aegypto. *Id.* 8, 162. Et cum venali Cyane succincta lagena. *Ov. Trist.* 1, 11, 31 Barbara pars laeva est avidae succincta rapinae, *h. e.* expedita, parata, intenta. *Claud. VI. cons. Hon.* 299. exsertum raperem succinctior agmen, *h. e.* promptior, expeditior. ℙ Dii Lares formabantur Gabino habitu cinctuque obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo. *Pers.* 5, 31. Bullaque succinctis Laribus donata pependit: *εὐζώνοις*. ℙ *Succinctus aliqua re*, qui ad cincturam aliquid gerit. *Enn.* ap. *Fest.* in *Cracentes*, et *Auct. ad Her.* 4, 52. Gladio succinctus, tenens jaculum. *Liv.* 7, 5. et 40, 7. *f.* Quatuor juvenes ferro subcincti; et *M. Ant.* ap. *Cic. Phil.* 13, 16. Ser. Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis. ℙ Illa poetica sunt: *Virg. Ecl.* 6, 75. (et *Cir.* 59.) de Scylla: Candida succinctam latrantibus inguina monstris; et *Cul.* 330. Scylla rapax canibus succincta Molossis. (Adde *Lucr.* 5, 890., *Tibull.* 3, 4, 89. ubi alii leg. *submixta.* [*Quod non ferendum: *succinctus* solennis fere vox in hac re.] et *Sen. Med.* 350.) *Id. A.* 10, 634. de Junone: agens hiemem nimbo succincta per auras. *Sen Oct.* 262. Erinnys soluta crine, succincta anguibus. *Claud. B. Get.* 201. Famaque nigrantes succincta pavoribus alas. *Stat. Silv.* 5, 1, 77. succinctaque pectora curis, Et vigiles sensus, et digna evolvere tantas Sobria corda vices, *h. e.* instructa seriis gravibusque cogitationibus. ℙ *Succincta arbor*, brevibus et trunco adstrictis instructa ramis, ut pinus. *Ov. Met.* 10, 103. Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus; et *ib.* 15, 693. Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus, Murmura pinetis fiunt. *Plin.* 16, 10, 17. Arbores graciles, succinctioresque, et enodes. ℙ Translate. *Mart.* 2, 1. succincti quae sint bona, disce, libelli, *h. e.* brevis. *August. ep.* 157. *med.* Succinctior brevitas. ℙ *Succinctus*, circumdatus, cinctus. *Plin.* 4, 1, 1. Ita succincta Rhodopes, mox et Haemi vallatur excelsitas; et 20, 17, 73. Nervi, quibus succinctum est corpus. *Claud. Laud. Stil.* 1, 174. succincta Ceraunia nimbis; et *Ov. A. Am.* 1, 695. Rejice succintos operoso stamine fusos; et *Cic. Agr.* 2, 32. Carthago cum hominum copiis, tum ipsa natura ac loco, succincta portubus, armata muris: duplici portu instructa. *Liv.* 21, 10. Subcinctus armis legionibusque. *Just.* 6, 1. Duo praefecti regis, maximarum gentium viribus succincti; et 35, 1. *f.* Totius ferme Orientis viribus succinctus. *Quint.* 12, 5. Haec arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus, *h. e.* instructus, munitus, paratus. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 9, 678. succincti corda machaeris, *h. e.* ferrea corda habentes, id est dura et cruenta cogitantes, ut ipse *Serv.* exponit.

SUCCĪNĔUS, a, um, adj. *ἠλεκτρικός*, qui est ex succino. *Plin.* 22, 23, 47. Quando ipsae suis manibus deliciae praeparant hunc cibum *(fungos)* solum, et cogitatione ante pascuntur, succineis novaculis, aut argenteo apparatu comitante. *Harduin.* intelligit novaculas, quibus manubria e succino sunt.

SUCCINGO et Subcingo, is, inxi, inctum, a. 3. *ὑποζώννυμι*, subtus cingo. *Vitr.* 9, 7. Anguis porrigens agmen stellarum intortus, subcingit regionem Cancri. *Grat Cyn.* 271. adstricti succingant ilia ventres. ℙ Item vestes cingulo adstringo et colligo, ut solemus, cum expeditiores esse volumus ad opus aliquod faciendum, praecingo, accingo. *Juven.* 6, 445. Crure tenus medio tunicas succingere. V. SUCCINCTUS. *Ov. Met.* 13, 732. Scylla feris atram canibus succingitur alvum. [*ℙ Translate.] *Cic. Verr.* 2, 5, 56. Hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et majoribus canibus succinxerat, *h. e.* instruxerat, munierat, vallaverat. Sic *Petr. Sat.* 5. *extr.* His animum succinge bonis: sic flumine largo Plenus, Pierio defundes pectore verba. *Plin. Pan.* 49. Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit. *Mamert Grat. act. ad Jul.* 1. *extr.* Non mihi solum, quem tanta potestate succinxeras, etc.

SUCCINGŪLUM et Subcingulum, i, n. balteus: a succingo. *Festus:* Succingulum appellabant antiqui balteum. Plautus (*Men.* 1, 3, 17.) Ab Hippolyta succingulum Hercules aeque magno neutiquam abstulit periculo.

SUCCĪNO et Subcino, is, inui, entum, a. 3. *ὑπάδω*, post cano, canendo subsequor: a *sub* et *cano:* cui *praecino* opponitur. *Calp. Ecl.* 4, 79. Cantibus iste tuis alterno succinet ore. [*Petr. Sat.* 69. Tubicines imitatus est, succinente Habinna. *F.*] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 17, 48. clamat: victum date: succinit alter: Et mihi dividuo findetur munere quadra. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Agricultura succinit pa-

storali vitae, quod est inferior, ut tibia sinistra dextrae.

SUCCĪNUM, i, n. ἤλεκτρον, idem quod electrum, tum quod ex quibusdam arboribus fluit, tum quod inter metalla numeratur. De utroque multa *Plin.* 37. *c.* 2. et 3. V. ELECTRUM. De gummi arborum *Mart.* 3, 65. Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita, Pallidus Eoo ture quod ignis olet. *Id.* 5, 37. Quod succinorum rapta de manu gleba. *Juven.* 6, 572. Pinguia succina. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Arboris succum prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. ℙ De metallo *Appul. Met.* 2. Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum, argentum alibi clarum, et aurum fulgurans, et succinum mire cavatum in capides, ut bibas. ℙ Sunt qui mallent *sucinum* scribi, a *succus:* quod rectius per *c* simplex scribitur.

[*SUCCĪNUS, a, um, adj. ad succinum pertinens, e succino fabricatus. *Mart.* 4, 59. Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit, Fluxit in obstantem succina gemma feram. Alii leg. *succina gutta*, ut 6, 15. Dum Phaethontea formica vagatur in umbra, Implicuit tenuem succina gutta feram.]

SUCCĬPĬO, is, pro *suscipio* quidam putant legi ap. *Lucr.* 5, 403., sed non est a consueta et optima scribendi ratione recedendum. Quamvis *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2226. discrimen statuit inter *suscipere amicum*, et *succipere aquam:* quod exploditur etiam a *Dausqu.* in *Orthogr.* [*Cf. *Schneid.* 1. p. 606.]

SUCCĪSĬO, onis, f. actus succidendi. *Sidon. ep.* 1, 2. Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio.

SUCCISĪVUS. V. SUBSECIVUS.

SUCCĪSUS, a, um, part. a *succido. Caes. B. G.* 4, 38. Omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis. *Id. ib.* 5, 9. Crebris succisis arboribus omnes introitus erant praeclusi. *Virg. A.* 9, 435. flos succisus aratro; et *ib.* 10, 699. poplite Palmum Succiso volvi segnem sinit. *Sen. Med.* 702. redeat Herculea manu Succisa serpens, caede se reparans sua. *Claud. in Eutr.* 1, 190. pejus in aurum Aestuat: hoc uno fruitur succisa libido, *h. e.* exsecta.

SUCCLĀMĀTĬO et Subclamatio, onis, f. ἐπιφώνημα, actus succlamandi, vociferatio. *Liv.* 40, 36. Si ex eo, quod aut inter se loquantur, aut subclamationibus apud concionantem imperatorem significent, quid sentiant, conjectandum sit, etc. et 28, 26. *med.* Ferociter ad tribunal imperatoris, ut ultro territuri, subclamationibus concurrunt. *Suet. Ner.* 24. Adjurante hypocrita, non animadversum id inter exsultationes succlamationesque populi.

SUCCLĀMĀTUS et Subclamatus, a, um, part. a *succlamo*, clamoribus exceptus, exagitatus. *Quint. decl.* 18, 9. Publica subclamatus invidia; et *decl.* 19, 3. Omnium maledictis succlamatus.

SUCCLĀMO et Subclamo, as, a. 1. ἐπιφωνέω, post alterius orationem clamo, acclamo: tum in bonam, tum in malam partem. *Liv.* 3, 50. Haec Virginio vociferanti subclamabat multitudo, nec illius dolori, nec suae libertati se defuturos. *Id.* 26, 22. Post haec cum centuria subclamasset, nihil se mutare sententiae; et *ib.* 3. Tanta ira incensa est, ut capite anquirendum concio subclamaret. *Id.* 44, 45. *med.* Quidam ausi sunt ex media concione subclamare: abite hinc, ne, etc. Adde 6, 40., *Flor.* 2, 6., *Vell.* 2, 31. *f.* et *Val. Max.* 6, 2. *n.* 3. et 9, 1. *n.* 6. *extr.* ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 42, 52. Cum per omnem orationem satis frequenti assensu subclamatum esset. *Id.* 21, 18. *f.* Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, subclamatum est. Adde 10, 25.

[SUCCLĪNO, as, n. 1. aliquantum inclino. *Venant.* in *ep. praem. carm.* 6. *l.* 5. *f.* Versus autem ex obliquo descendentes ab angulis ratione stant, etsi positione succlinant. *F.*]

SUCCO, onis, m. qui succum extrahit: [ita per contemptum vocatur fenerator, qui usuras ex debitoribus severe admodum exigit. *Cic. Att.* 7, 13. [*b. in *ed. Orell.*] Oppios enim de Velia succones dicis, *h. e.* αἰνιγματικῶς Oppios feneratores in Velia habitantes, de quibus mentionem item facit *Id. ib.* 8, 7.: videtur autem alludere ad ipsum nomen *Oppii*, cum ὀπὸς Latine succum significet. Alii minus recte *saccones, salacones, sanctones*, etc. legunt. *F.* **Salacones*, ex suspicione *Man.* et *Urs.*, quam probat *Gron.*, minime contemnendum videtur *Orell.*]

SUCCOLLĀTUS et Subcollatus, a, um, part. a *succollo*, humeris et collo sublatus. *Suet. Oth.* 6. *med.* Succollatus, et a praesente comitatu imperator consalutatus. *Plin.* 35, 10, 37. de picturis Ludii: Nobiles, palustri accessu villae, succollatis sponsione mulieribus, labantes trepidique feruntur. Alii leg. *succollantium specie mulieres*, *labentes trepidaeque.*

SUCCOLLO et Subcollo, as, a. 1. collo humerisque suppositis porto. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Apes regem suum sequuntur, quocumque it, et fessum sublevant, et, si nequit volare, succollant. (*Virg. G.* 4, 217. Attollunt humeris, dixit.) *Suet. Claud.* 10. *med.* Ab his lecticae impositus, et, quia servi diffugerant, vicissim succollantibus, in castra delatus est.

SUCCONDĬTOR et Subconditor, oris, m. qui sub conditore operam suam dat, qui conditori paret. Conditorem autem intellige, qui inter ministros Circenses numeratur: de quo in CONDĪTOR dictum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 5. Chresto conditori, Epaphro sellario, Menandro agitatori, Helleti succonditori, etc. Adde 340, 3.

*SUCCOSA vel Subcosa, ae, f. opp. Hetruriae. *Ant. Itin.* ℙ Sic dictum, quod *sub Cosam* conditum. Cf. *Submuranum* et *Succasini. B. A.*

SUCCOSUS. V. SUCOSUS.

SUCCRESCO et Subcresco, is, evi, n. 3. ὑποφύομαι, ab imo cresco: et proprie de plantis dicitur. *Colum.* 4, 14. *med.* Utique frequenter solum exercendum est, dum id incremento suo vites inumbrent, nec patiantur herbam subcrescere. *Ov. Met.* 9, 352. succrescit ab imo, Totaque paulatim lentus premit inguina cortex. *Pl. Trin.* 1, 1, 9. Mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrime. ℙ Item subtus cresco. *Cels.* 7, 7. *n.* 8. Sub ordine naturali pilorum *(in palpebris)* alius ordo subcrescit, qui intus ad oculum tendit. ℙ Item post cresco, et universim augeor, incrementum sumo. *Ov. Met.* 8, 679. quoties haustum cratera repleri Sponte sua, per seque vident succrescere vina, Attoniti novitate pavent. *Cic. Or.* 3, 61. Non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati, sed et ingenio acri, et studio flagranti, etc. Sic *Liv.* 10, 13. Et se gloriae seniorum subcrevisse, et ad suam gloriam consurgentes alios laetum aspicere, [*i. e. paullatim eandem gloriam se consecutum.]

SUCCRĒTUS. V. SUBCRETUS.

SUCCROTĬLUS et Succrotillus, a, um, adj. tenuis, exilis, gracilis. *Festus:* Succrotilla tenuis dicebatur et alta vox. Titinius: Femina fabulare succrotilla vocula. Afranius in Epistola: Loquebatur succrotilla voce serio. Plautus in describendis mulierum cruribus, in Syro: Cum extortis talis, cum succrotillis crusculis. Haec *Fest.*, qui alibi aliter refert hunc Plauti versum. V. CROCOTILUM, et TODI.

SUCCŬBĂ et Subcuba, ae, m. et f. qui, vel quae sub aliquo cubat: et speciatim qui in re Venerea se alteri subjicit, ὑπόκοιτος. Igitur *succuba* est mulier adultera, quae in locum legitimae uxoris se alteri viro subjicit. *Ov. Her.* 6, 153. lecti quoque succuba nostri Moereat, et leges sentiat ipsa suas. *Heinsius* legit *subnuba. Appul. Met.* 5. Tunc indignata Venus exclamavit: vel maxime Psychen ille meae formae succubam, mei nominis aemulam vere diligit, *h. e.* quae debitum meae pulcritudini cultum intercipit. Adde *ib.* 10. In mascul. gen. *florulentum succubam* dixit *Prud. περὶ στεφ.* 10, 192. scortum masculum intelligens, h. e. Hyacinthum ab Apolline adamatum.

[SUCCŬBĪTĀNUS, a, um, adj. ad Succubonem pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, a *Plin.* 3, 1, 3. memoratam, quae nunc *Sieras de Ronda* dicitur. *Treb. Claud.* 14. Purpura Succubitana. *Capitol. M. Aurel.* 1. Proavus paternus *(M. Aurelii)* Annius Verus praetorius ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator. *F.*]

[SUCCŬBĬUS, a, um, adj. qui succubat, id est cubat sub aliqua re, ut concubius, qui simul cubat. *Inscr.* ap. *Mur.* 851, 1. A. Sejo Zosimiano Trib. Leg. XI. Cl. Succuviae, etc. Ita pro *Succubiae.* Haec eadem mendosa legitur ap. *Grut.* 466, 5. et 562, 2. Hoc vero cognomine legio XI. Claudia donata esse videtur, quod in insidiis posita, ideoque succubans victoriam aliquam adepta sit. *F.*]

SUCCŬBO et Subcubo, as, bui, bitum, n. 1. ὑπόκειμαι, cubo sub aliqua re. *Appul. Met.* 1. *in.* Humi prostratus grabatulo succubans jacet; et *ib.* 9. Illum, qui ad instar testudinis alveum succubabat, depulso tegmine cunctis palam facere.

SUCCŬBO et Subcubo, onis, m. idem ac succuba. *Titin.* ap. *Non.* 3, 204. Contempla ancillas, quam arbitres illarum subcubonem. Alii perperam leg. *subcuboneum esse.*

SUCCŬDO et Subcudo, is, udi, usum, a. 3. idem quod cudo, seu cudendo fabricor. *Varr. L. L.* 4, 24. Lorica a loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli e ferro, sub id vocabulum, ex anulis ferream tunicam.

SUCCŬLENTUS. V. SUCULENTUS.

SUCCUMBO et Subcumbo, is, cubui, cubitum, n. 3. ὑποπίπτω, subtus cado, cedo, vincor, inferior sum. *Catull.* 64, 369. ancipiti succumbens victima ferro. *Plin.* 36, 15, 34. *n.* 3. Trahuntur moles internae tantae, non succumbentibus causis operis. *Nep. Eum.* 11. *f.* Non enim cum quoquam arma contuli, quin mihi succubuerit. *Liv.* 22, 54. *extr.* Pugna adversa, cui hic ipse Annibal succubuit. [*Cf. 23, 25.] *Ov. Her.* 12, 49. et *Met.* 1, 714. Succumbere somno. [*In loco *Met.* 1, 714. non legitur *succumbere somno* sed *succumbere* absolute intellig., ut nostr. *zufallen.*] *Manil.* 1, 463. Quidquid subduxit flammis natura, pepercit Succubitura oneri. [**Prop.* 3, 10, 23. Tibia nocturnis succumbat rauca choreis, i. e. deficiat tibicen et impar sit saltationibus nimis productis. *Heins.* vult *incumbat. Id.* 2, 34, 47. Sed non ante gravi taurus succumbit aratro, Cornua quam validis haeserit in laqueis. *Sil.* 14, 609. succubuit medicina malis.] ℙ *Succumbere oneri* alio sensu dixit *Liv.* 6, 32. Cui succumbere oneri coacta plebes, quia quem delectum impedirent, non habebant tribuni plebis, i. e. onus subire et ferre. ℙ Submittere se, adorandi causa. *Arnob.* 6, 201. Rationale homines animal, coctilibus testis succumbitis, aeris laminas adoratis. ℙ Subjicere se ditioni. *Claud. in Ruf.* 1, 195. Plenaque privato succumbunt oppida regno; et *ib.* 2, 153. succumbere poscit Cuncta sibi. ℙ Saepe refertur ad animum. *Cic. Tusc.* 3, 17. Cur succumbis, cedisque fortunae? et *ib.* 2, 23. *extr.* Dolere, animove succumbere. *Id. Sen.* 11. Nec languescens succumbebat senectuti. *Id. Fin.* 1, 15. Succumbere doloribus, eosque humili animo imbecilloque ferre. [**Id. Sull.* 25. non fortunae ipsi succumbere, i. e. de ambitu damnatum non quiescere, sed conjurare. In *Off.* 1, 20, 66. *succumbere fortunae* dicitur pro eo, quod est a fortuna vinci, et jacere, atque abjectum habere animum.] *Caes. B. G.* 7, 8. Cohortatur, ne labori succumbant. *Sen. Ag.* 993. et *Ov. Trist.* 4, 10, 103. Succumbere malis. *Cic. Planc.* 33. *med.* Jam succumbam isti tuae orationi: in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium, nimium me gratum esse concedam. *Liv.* 22, 54. *med.* Nunquam, salva urbe, tantum pavoris tumultusque intra moenia Romana fuit: itaque subcumbam oneri, neque aggrediar narrare, quae edissertando minora vero fecero. *Ov. Her.* 3, 91. Succumbere precibus alicujus. [*V. *Ruhnk.*] *Id. Met.* 7, 749. et *Virg. A.* 4, 19. culpae, *h. e.* culpam admittere. [**Liv.* 3, 59. Neque erat dubium, quin, turbato reipubl. statu, tempori succubuissent, i. e. nimis cessissent.] ℙ Absolute. *Cic. Fin.* 2, 29. *f.* Turpe est viro debilitari, dolore frangi, succumbere. *Nep. Eum.* 5. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit. *Sen. Herc. Fur.* 1315. Succumbe, virtus, perfer imperium patris; et *Troad.* 950. Labefacta mens succubuit. ℙ [*Ita etiam de morbo dicitur. *Suet. Ner.* 98. Nolae succubuit: nostr. *er legte sich.*] ℙ Cum infinito. *Arnob.* 1, 38. Quam *(mortem)* nec ipsam perpeti succubuisset, tanta si non agenda res esset. ℙ In re Venerea usurpatur de femina, quae se viro subjicit. *Varr. R. R.* 2, 10. *med.* Virginibus in Illyrico mos eorum non denegavit, ut succumberent, quibus vellent. *Tab. aen.* ap. *Grut.* 502. *col.* 1. Priscus Tarquinius patre Demarato Corinthio natus, et Tarquiniensi matre, quae tali marito necesse habuerit succumbere. Adde *Catull.* 111, 3., *Ov. Fast.* 2, 810., *Petr. Sat.* 126. et *Mart.* 13, 64. et 14, 201., ubi de scorto masculo sermo est. V. SUCCUBA.

SUCCURRO et Subcurro, is, urri, ursum, n. 3. ὑποτρέχω, subtus curro, subeo, succedo. *Lucr.* 5, 764. Tempore eodem aliud nequeat succurrere Lunae Corpus. *Cic. Rosc. Am.* 11. *med.* Licet undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo. ℙ Item saepe accurrere auxilii ferendi gratia, opem ferre, subvenire, ἐπικουρέω. *Cic. Or.* 1, 37. Laborantibus succurrere, aegris mederi. *Id. Rab. perd.* 1. *f.* Ferre opem patriae, succurrere saluti fortunisque communibus. *Caes. B. G.* 5, 43. *med.* Succurrit illi Varenus, et laboranti subvenit. *Nep. Att.* 11. *med.* Non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. *Sall. Cat.* 63. Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere. *Colum.* 11, 1. *med.* Deficienti succursurus. *Caes. B. C.* 3, 70. His tantis malis haec subsidia succurrebant, quo minus omnis deleretur exercitus. *Id. B. G.* 7, 80. Expeditos levis armaturae interjecerant, qui suis cedentibus auxilio succurrerent. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. C.* 3, 52. Plura castella pariter, distinendae manus causa, tentaverat, ne ex proximis praesidiis succurri posset; et *ib.* 80. Nuntios mittit, ut sibi subsidio veniant: se confidere munitionibus oppidi, si celeriter succurratur. *Cels.* 8, 4. Os fractum, nisi succursum est, gravibus inflammationibus afficit. *Liv.* 3, 58. Cujus adversae fortunae velit succursum. ℙ Dicitur saepe de his, quae prosunt in medicina. *Plin.* 31, 10, 46. Nitrum succurrit et venenis fungorum ex posca potum. *Id.* 26, 15, 90. Crethmos succurrit strangulationibus. *Id.* 20, 23, 97. Cannabis succurrit alvo jumentorum. *Id.* 23, 1, 27. Intellectum ibi remedium est, potuque succursum. ℙ Est etiam occurrere, in mentem venire, subire. *Cic. Att.* 14, 1. *med.* Ut quidque succurrit, libet scribere. *Cic. fil. ad Tir. Fam.* 16, 21. *med.* Illud etiam mihi succurrebat, grave esse, me de judicio patris judicare. *Liv.* 6, 12. Non dubito, tot bella gesta legentibus illud quoque subcursurum, unde toties victis Volscis suffecerint milites. *Aug.* ap. *Suet. Tib.* 21. *f.* Succurritque versus ille Homericus, *Τοὔνου δ' ἐσπομένοιο*, etc. [*Cf. *Tit.* 10. ibique *Brem.*] *Plin.* 7, 48, 49. Et illud adnotare succurrit, unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur. *Id.* 17, 1, 1. et 34, 18, 51. Mirari succurrit. *Petr. Sat.* 102. Illud miror, tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuae interdiu noctuque jacere in scapha.

[SUCCURSOR et Subcursor, oris, m. videtur esse is, qui in tauriciniis seu venationibus bestiario succurrit cum tauro pugnanti, idemque fortasse ac subsessor, q. v. v. *Inscr.* ap. *Gud.* 106, 1. Primo duumviratu Apollinaribus in foro pompam, tauros,

taurocentas, succursores, pontarios paria III., pugiles catervarios, et pyctas *(dedit)*. ℙ *Subcursor* alio sensu. V. SUCCUSSOR. *F.*]

SUCCUS. V. SUCUS.

SUCCUSSĀTOR, oris, m. *ὑποσειστὴς*, equus, qui duriore gressu sessorem concutit. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 55. Succussatoris tetri tardique caballi.

SUCCUSSĀTŪRA, ae, f. succussus equi prave ingredientis. *Non.* 1, 60. Gradarius equus est, molli gradu, et sine succussatura nitens.

SUCCUSSIO, onis, f. *Sen. Q. N.* 21. Succussio est, cum terra quatitur, et sursum ac deorsum movetur.

SUCCUSSO, as, a. 1. *καταοείω*, frequent. a succutio, proprieque dicitur de equis, qui duriore gradu incedentes, sessorem succutiunt, ut *Non.* 1, 55. notat. *Accius ib.* Agite, ac, vulnus ne succusset gressus, caute ingredimini.

SUCCUSSOR, oris, m. idem ac succussator. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 55. Hunc Campanus sonipes succussor nullu' sequetur. Est qui leg. *subcursor*.

SUCCUSSUS, a, um, part. a *succutio*, agitatus, sursum deorsum motus. *Sen. Thyest.* 696. Tota succusso solo Nutavit aula. *Appul. Met.* 1. Grabatulus succussus et inquietus. ℙ Translate. *Val. Max.* 6, 9. *extr. n.* 5. Semel dumtaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiae salebra succussum.

SUCCUSSUS, us, m. *ὑποτιναγμὸς, ὑποσεισμὸς*, actus succutiendi, seu succussandi. *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Pedetentim, inquit, ite, et sedato nisu, ne succussu arripiat major dolor.

SUCCŪTIO et Subcutio, is, ussi, ussum, a. 3. *ὑποσείω*, subtus quatio, sursum ac deorsum movendo agito. *Lucr.* 6, 549. ubi fortis equum vis Ferratos utrinque rotarum succutit orbes. *Sen. Q. N.* 6, 21. *med.* Nec succutiuntur tunc omnia, nec inclinantur, nec vibrantur. *Id. ib.* 5, 1. Si legeris (*Virg. Ecl.* 2, 26.) Cum placidum ventis staret mare: scito, illud non stare, sed succuti leviter: et dici tranquillum, quia nec huc, nec illo impetum capiat. *Ov. Met.* 2, 166. Succutiturque alte, similisque est currus inani. *Appul. Met.* 2. Puella illud cibarium vasculum crebra succutiens. *Id. Apol.* Manus contraxisset, caput succussisset.

SŪCERDA, ae, f. *χοιρεία κόπρος*, stercus suillum. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 813. Hic in stercore humi, stabulique fimo atque sucerdis. *Titin.* ap. *Fest.* Quid habes, nisi unam arcam sine clavi? eo condis sucerdas. ℙ Ap. *Fest.* eo stat vocabulorum ordine, ut duplici *ce* scribi oporteat: atque ita a multis scribitur.

*SUCHE, opp. Aegypti inferioris, in terra Troglodytica, ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. Oppidum Suche, insula Daphnidis. ℙ Hodiernum nomen videtur esse *Suachen* vel *Suaquen*. *B. A.*

*SUCIDAVA, ae, f. opp. Moesiae inferioris. *Ant. Itin.* Meminit et *Ptolemaeus*. V. *Succi*. *B. A.*

[SŪCĪDO et Succido, as, a. 1. humorem affundo. *Plin. Val.* 2, 9. Cyminum Syriacum bonum in aceto infusum succidabis. *F.*]

SŪCĪDUS et Succidus, a, um, adj. suci plenus. *Sucida lana*, recens detonsa, et necdum purgata: a *sucus*. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Tonsurae tempus inter aequinoctium vernum et solstitium, cum sudare inceperunt oves: a quo sudore recens lana tonsa sucida appellata est. *Mart.* 11, 27. Succida palliolo vellera quinque petit. *Juven.* 3, 24. vinum, quod sucida nolit Lana pati. *Cels.* 8, 3. *f.* Imponenda vulneri lana succida. *Plin.* 29, 2, 9. varios refert lanae sucidae usus in medicina. *Id. ib.* 10. appellat *succidas sordes*, quae pecudum lanis adhaerent. ℙ *Solum sucidum*, sucosum. *Appul. Apol.* Regio fecunda, et coelum pluvium, et ventus clemens, et sol apricus, et solum succidum. V. SUCOSUS. ℙ *Meretrix sucida* ap. *Pl. Mil.* 3, 1, 193. est bene habita, suci plena. ℙ De ratione scribendi V. in SUCUS.

[SŪCĪNĪĀNUS, a, um, et *F.*]

[SŪCĪNĪENSIS, e, adj. ad Sucinium pertinens, dirutum oppidum ad lacum Ciminium in Etruria, cujus meminit *Ammian.* 17, 7. *f.*, quod *oppidum Suciniense* appellatum fortasse est a sucini seu succini feracitate; cum etiam *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. *med.* narret, alium lacum juxta Atlanticum mare, itemque alium in Africa dare succinum fluitans. Ex eodem autem oppido nomen adhaesisse videtur sacerdotio cuidam, cujus mentio est in hac *Inscr.* ap. *Grut.* 322, 7. P. Aelio Porciano sacerdoti Suciniano, qui vixit annis XXIII., mensib. VII. Idem quoque sacerdos memoratur in duabus mutilis *Inscriptionib.* in *Giorn. di Pisa* T. 16. p. 174. et 175., altera Latina, in qua *sacerdos Sucinianus*, altera Graeca, in qua *ἱερεὺς Σουκινιανῶν* dicitur. Huc etiam spectat Ti. Claudius Domnio Sucinianus archineaniscus in *Inscr.* ap. *Grut.* 331, 5. *F.*]

[SŪCOSĪTAS et Succositas, atis, f. abundantia suci. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 29. Ejus *(fici)* quamquam sit reflata succositas, tamen manet veluti mellosa dulcedo. *F.*]

SŪCOSUS et Succosus, a, um, adj. *ὀπώδης*, suco plenus, suculentus, humidus. *Cels.* 2, 18. Ex ipsis pomis firmiora, quae sucosa, quam quae fragilia sunt. *Colum.* 2, 17. Melius habetur foenum, quod suapte natura succoso gignitur solo, quam quod irrigatum aquis eligitur. *Plin.* 17, 10, 14. de solo hortis idoneo: Sit ergo siccum succosumque, bipalio subactum, etc. *siccum* opponitur palustri, *succosum* arido et gracili. *Colum.* 4, 29. Stirpium genera, quae firmioris et succosioris libri sunt. *Plin.* 25, 9, 70. Radix crassa succosa. *Id.* 25, 13, 103. Succosa folia. *Id.* 24, 6, 22. Picea pinguem et turis modo succosam resinam fundit. *Id.* 12, 25, 55. Styrax minus succosus. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 5. Massilia vinum gemino sapore, quando et condiendis aliis pinguius gignit, quod vocant succosum. ℙ *Sucosa lana* ap. *Seren. Sam.* 60, 1054. est sucida. ℙ Translate. *Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm.* Reliquos collibertos ejus cave contemnas: valde succosi sunt, *h. e.* pecunia abundantes, opulenti.

*SUCRANA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

SUCRONENSIS, e, adj. ad Sucronem pertinens, fluvium, atque olim etiam oppidum Hispaniae Tarraconensis. *Cic. Balb.* 2. Proelium Sucronense, *h. e.* quo Pompejus apud Sucronem cum Sertorio pugnavit: de quo *Sall. fragm. H.* 3. *in ep. Pomp. ad senat.* et *Flor.* 3, 22. Ap. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72. Varius Sucronensis trib. pl. *h. e.* Sucrone oppido.

SUCTUS, a, um, part. a *sugo:* emunctus. *Pall.* 3, 26. *f.* Porca sex nutrire debet, quia frequentiore numero sucta deficiet.

SUCTUS, us, m. *σπάσις, ἀποθηλασμὸς*, actus sugendi. *Varr.* ap. *Non.* 2, 767. Ut cremento corpora herent majora parvo, ut suctu candida lactis. *Plin.* 10, 75, 98. Somniat infans, et suctum imitatur. *Id. ib.* 46, 63. Bibunt aves suctu; et 8, 36, 34. Ursi priorum pedum suctu vivunt; et 9, 30, 48. Polypus luctatur complexu, et sorbet acetabulis ac numeroso suctu.

SŪCŪLA, ae, f. *χοιρίδιον*, parva porca: diminutivum suis, quasi *suicula*, ut *bucula* a *bos*. *Pl. Rud.* 4, 4, 125. Post est securicula argenteola, et duae connexae maniculae, et sucula. *Gr.* Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis. Ubi *Pl.* alludere videtur ad machinam tractoriam, de qua mox dicemus. [*Viscont.* tamen *Mus. Pio-Clem.* T. 3. p. 234. *ed. Med.* putat, ad stellulam. *F.*] ℙ *Suculae* etiam Latinis dicuntur stellae in capite Tauri, quae Graecis *Ὑάδες*, Hyades appellantur: quod sidus vehemens est, et terra marique turbidum, tamque in ortu suo, quam occasu, pluvias, tempestates, largosque imbres concitat. Nomen id ex veterum imperitia originem cepit. Putarunt enim, quia *ὗς* Graece suculam, sive parvam suem notat, sidus hoc ita appellatum, quia suculae similitudinem referat. Sed errorem hunc refellit *Cic. N. D.* 2, 43. Tauri, inquit, caput stellis conspersum est frequentibus. Has Graeci stellas *ὑάδας* vocitare suerunt: a pluendo: *ὕειν* enim est pluere. Nostri imperite suculas, quasi a suibus essent, non ab imbribus nominatae. Adde *Plin.* 2, 39, 39. et 18, 26, 66. et *Tiron. Tull.* ap. *Gell.* 13, 9. Ipse autem *Gell. ib.* veteres Romanos conatur ab imperitia defendere. [At *Perizonius* ad *Sanctii Minerv.* 1, 10. imperitiae arguit tum *Ciceronem*, tum *Gellium*, tum etiam *Plinium*, quippe qui non viderint, v. *sucula* derivasse Latinos ab *ὗω*, pluo, mutata nempe aspiratione in *s*, et inserta *c* inter vocales, ut a *βάω*, vado, est *baculus;* a *πόω*, bibo, praeterit. *πέπωκα*, unde *pocum*, mox *poculum. F.*] ℙ Est etiam *sucula* machina tractoria. Eam ita describit *Budaeus:* Sucula est machina tractorii generis: constat autem tereti ligno, duobus aut pluribus vectibus trajecto utrinque, aequa exstantibus longitudine. Haec dum versatur, funis, qui ductarius dicitur, circa eam obvolvitur. Sic vocata est a scrophae similitudine. Nempe quod etiam haec machina suum porculum haberet. Nam in media circiter sucula batillus, aut uncus, qui figebatur, ut teneret funem, qui dum versabatur, sucula circumplicabatur, porculus vocabatur. Ejus etiam *Festus* meminit. *Cato R. R.* 19. Porculum in media sucula facito. *Vitr.* 10, 2. Cum autem funis habet caput ad suculam religatum, et vectes ducentes eam versant, funis se involvendo circa suculam extenditur; et ita sublevat onera ad altitudinem, et operum collocationes. ℙ Habet usum etiam in torculari et prelo, ut videre est ap. *Cat. R. R.* 12. et 18. et *Ulp. Dig.* 19, 2, 19.

SŪCŪLENTUS et Succulentus, a, um, adj. *ἰσχνὸς*, suci plenus, sucosus, pinguis, obesus. *Appul. Met.* 2. *in.* Inenormis proceritas, succulenta gracilitas, rubor temperatus; et *ib.* 10. Corpus obesa pinguitie compleveram, corium arvina succulenta molliveram. *Paul. Nol. carm.* 21, 631. Quia succulenti corporis licentia Retunditur jejuniis. *Prud. Hamart. praef.* 57. Caro in sororem tela mentem dirigit: Mens in cerebro ventilatur ebrio, Ex quo furores suculentos colligit.

SŪCŪLUS, i, m. *ὑΐδιον*, parvus sus, porcellus. *Justin. Institut. tit.* 2, 1. *med.* §. 37. Agni, haedi, et vituli; equuli, et suculi.

SŪCUS et Succus, i, m. *χυμὸς*, humor tam in animalium, quam in plantarum corporibus, quo illa aluntur. Intelligitur autem humor aliquid habens crassitiei, aut lentitudinis: nam purus liquor, qualis est aquae, sucus non est. Hinc *Plin.* (cujus verba in SAPOR retulimus) negat, in aqua sucum esse. Est a *sugo*, quod singula membra quantum ex eo opus est, exsugant attrahantque. Si duplici *cc* scribatur, erit a supino *suctum*, *t* in *c* converso. Verum in antiqu. codicib. MSS. fere unico scribitur, teste *Pier.* ad *Virg.*, *Drakembork.* ad *Sil.* et *Lucan.*, *Delrio* ad *Claud.*, *Heinsio*, *Dausqu.* etc. Quare *sucus* scriptio est tutior, quamvis *succus* videatur receptior [*V. *Schneid.* 1, 402. sq.] [Sunt tamen qui recte deducant ab inus. *ὑγρος*, unde *ὑγιὴς*, sanus, qui nempe vitalibus humoribus abundet. *F.*] [*Nobis quidem praeferenda videtur a Lat. *sugo* hujus vocis derivatio.] *Lucr.* 4, 618. sucum sentimus in ore, cibum cum Mandendo exprimimus. *Plin.* 14, 1, 3. Vites succum terrae uvis bibunt. *Cic. N. D.* 2, 47. Stirpes ex terra sucum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur. *Id. ib.* 55. Ex intestinis et alvo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur; et *Ter. Eun.* 2, 3, 26. Color verus, corpus solidum et succi plenum, i. e. bene habitum. Plenum et forte, inquit *Donat.*, non flaccidum: nam succus est humor in corpore, quo abundant bene valentes: succus proprie, quasi *sugus*, quem sibi ex alimentis membra sugunt, ut se repleant; succus est interior pinguedo membrorum. Sic *Appul. Apol.* Facies decora, et succi palaestrici plena. Contra *Auct. Priap.* 33. puella, Quae suco caret, atque petra pumex. *Virg. Ecl.* 3, 5. Hic alienus oves custos bis mulget in hora: Et succus pecori, et lac subducitur agnis. *Pl. Capt.* 1, 1, 12. Cochleae in occulto latent: suo sibi suco vivunt, si ros non cadit. *Tibull.* 1, 7, 13. Tum succos herbasque dedi, queis livor abiret, *h. e.* succos herbarum, ut *pateris et auro* ap. *Virg.* V. ENDIADYS. *Ov.* eadem sententia, *Trist.* 2, 455. Et quibus e succis abeat de corpore livor. *Petr. Sat.* 88. Herbarum succos exprimere. *Sen. Med.* 712. succos legunt Lucis Suevi nobiles Hercyniis, *h. e.* herbas succis plenas. *Ov. Her.* 5, 109. Tu levior foliis, tum cum, sine pondere succi, Mobilibus ventis arida facta, volant. *Plin.* 18, 14, 58. *extr.* Succus caprini capitis decocti. *Id.* 12, 28, 63. nuci expressus. *Id.* 22, 25, 66. ptisanae. *Id.* 13, 1, 1. rosae; et *ib.* 2. unguenti. ℙ Dicitur et de aliis liquoribus. *Ov. Met.* 2, 119. de equis Solis: ignemque vomentes Ambrosiae succo saturi. (Adde *Virg. A.* 12, 419.) *Id. ib.* 10, 176. et succo pinguis olivi Splendescunt. *Tibull.* 1, 11, 47. Pax aluit vites, et succos condidit uvae. *Sil.* 7, 169. pocula succis mulcere Lyaei. *Plin.* 8, 32, 50. Succus lactis. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 233. sparsosque bibunt violaria succos; et *Lucan.* 3, 237. bibunt tenera dulces ab arundine succos; et *Hor. Sat.* 1, 4, 100. nigrae succus loliginis. *Id. ib* 2, 8, 46. garum de succis piscis Hiberi, *h. e.* liquamine. *Ser. Sam.* 60, 1052. qui candidus ovi Sucus inest. *Pall.* 3, 23. Succo villarum subdita loca, *h. e.* sterquiliniis. ℙ *Succus*, alimentum, *τροφή*. *Varr. R. R.* 1, 23. Rectius in tenuiore terra seruntur ea, quae non multo indigent suco. Adde *Plin.* 18, 17, 46. ℙ De medicamentis. *Ov. Her.* 2, 184. et *A. Am.* 2, 335. amari pocula succi; et *ib.* 491. Illa Machaonios superant medicamina succos. *Id. Pont.* 4, 3, 53. 1, bibe, dixissem, purgantes pectora succos. *Id. Her.* 12, 181. et *Met.* 14, 403. Succus veneni. *Lucan.* 6, 581. Diris sucis conspergere aliquem. ℙ Metonymice est sapor. *Hor. Sat.* 2, 4, 70. Picenis cedunt pomis Tiburtia succo; et *ib.* 8, 27. coenamus aves, conchylia, pisces, Longe dissimilem noto celantia succum; et *ib.* 4, 13. Ova succi melioris. *Ov. Hal.* 103. Piscis succo ingratus. ℙ Translate est vis, vigor, robur, copia, nervi, pondus: ducta metaphora a corpore succi pleno, et bene habito. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. *Quint. prooem.* 1. *f.* His omnibus admiscebitur dicendi ratio, quae non modo studiosos instruat, sed alere facundiam, vires augere eloquentiae possit: nam nudae illae artes nimia subtilitatis affectatione omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt. ℙ Commode ad orationem refertur. *Cic. Or.* 3, 25. Ornatur oratio genere primum, et quasi colore quodam et succo suo. *Id. ib* 2, 22. *f.* Omnes etiam tum retinebant illum Periclis succum, sed erant paulo uberiore filo. *Id. Brut.* 9. Haec enim aetas effudit hanc copiam: et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. *Id. Or.* 23. Orationis subtilitas etsi non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut etiam, si illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine. *Quint.* 10, 1. *med.* Historia quoque alere orationem quodam molli jucundoque succo potest. [*Quam vim *sucus* habeat, cum de virtute oratoris dicitur, demonstravit *Ernest.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 388.] ℙ *Succuum* pro *succorum* (quod a *succus*, *us*, m. 4.) habet *Appul. Met.* 10. Sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita. Ita ap. *eund. ib.* 9. Coenosi succus caries.

SŪCOSĀNUS. V. SUBURANUS.

SŪDĀBUNDUS, a, um, adj. sudans. *Auct. Pan. ad Pis.* 176. totaque ludos Turba repente suos jam sudabunda relinquit.

SŪDĀRĬŎLUM, i, n. dimin. sudarii, linteolum. *Appul. Apol.* Si hodie illud sudariolum tu intercepisses.

SŪDĀRĬUM, ii, n. *καψιδρώτιον, ῥινόμακτρον*, linteum, quo sudor faciei detergetur, et nares purgantur. *Catull.* 12, 14. et 25, 7. Sudarium Saetabum. *Mart.* 11, 39. Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba. *Suet. Ner.* 48. Adoperto capite, et ante faciem obtento sudario, equum ascendit, quatuor solis comitantibus. *Quint.* 6, 3. Cum reus, agente in eum Calvo, candido frontem sudario tergeret. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Sudario manus tergens, quod in collo habebat. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 7. Sudario coarctatis ore et faucibus, incluso spiritu poenam morte praecurrit. *Hieron. ep.* 52. *n.* 9. Alioqui ridiculum, et plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium orariumque non habeas, gloriari.

SŪDĀTĬO, onis, f. *ἵδρωσις*, actus sudandi. *Sen. ep.* 86. *med.* Piscinae, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus. *Cels.* 3, 2. *med.* Se primo die protinus sublaturos languorem aut dejectione, aut vomitu, aut sudationibus sperant. ℙ Item locus ipse, in quo sudor elicitur, sudatorium. *Vitruv.* 5, 11. *med.* E regione frigidarii collocetur concamerata sudatio.

SŪDĀTOR, oris, m. *ἱδρωτὴρ*, qui sudat. *Plin.* 23, 1, 23. Dysentericis, sudatoribus, in longa tussi, in epiphoris, meracum.

SŪDĀTORĬUM, ii, n. *ὑπόκαυστον*, caldarium, vaporarium, Laconicum, locus in balneis testudinis instar constructus, ab igne sine fumo accensus ad eliciendum sudorem. *Sen. V. B.* 7. Circa balnea, et sudatoria, ac loca aedilem metuentia. *Id. ep.* 51. *med.* Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis? in quae siccus vapor corpora exhausturus includitur.

SŪDĀTORĬUS, a, um, adj. *ἱδρωτικὸς*, ad sudationem pertinens. *Pl. Stich.* 1, 3, 73. Vel unctiones Graecas sudatorias, vel alias malacas. *Cassiod. Var.* 2, 39. *med.* de fonte Aponi: Fluentorum natura inhalat primae cellulae sudatoriam qualitatem.

SŪDĀTRIX, icis, f. *Mart.* 12, 18. Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat, *h. e.* quae sudorem elicit, quippe quae ampla et gravis sit.

SŪDĀTUS, a, um, part. a *sudo: ἱδρωμένος*, sudore madefactus. *Quint.* 11, 3. *med.* Vigilandae noctes, et fuligo lucubrationum bibenda, et in sudata veste durandum. ℙ Item per sudorem emissus, in modum sudoris fluens. *Ov. Met.* 10, 308. Cinnamaque costumque suam, sudataque ligno Tura ferat. ℙ Poetice est multo labore, et sudando confectus. *Sil.* 4, 435. multoque labore Cyclopum Sudatum thoraca capit. *Claud. II. cons. Stil.* 94. Lingonico sudatas vomere messes *Id. Rapt. Pros.* 2, 16. sudata marito Fibula, *h. e.* a marito. *Id. epigr.* 23, 12. zona castae manibus sudata Serenae. *Prud. contra Sym.* 2, 550. Sudata bella. ℙ *Sudatus labor*, sudando exantlatus. *Stat. Th.* 5, 189. gelidoque labor sudatus in Haemo. Adde *Sil.* 3, 91. Sic *Pacat. Pan. Theodos.* 8. Actae sub pellibus hiemes, aestates inter bella sudatae.

[SUDERTANUS, a, um, adj. ad Sudertum pertinens, Etruriae oppidum, nunc *Sovreto. Liv.* 26, 23. Forum Sudertanum. Hinc *Sudertani, orum*, absolute, incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 5, 8. Suanenses, Saturnini, Sudertani. *F.*]

SŪDES, vel Sudis, is, f. *κάμαξ*, pertica, contus, vallus. Usum habet praecipue in bellis. *Caes. B. C.* 1, 27. Fossas transversas viis praeducit, atque ibi sudes, stipitesque praeacutos defigit. *Id. B. G.* 5, 18. Ripa acutis sudibus praefixis munita; et *ib.* 39. et *Virg. A.* 7, 524. Sudes praeustae. *Sil* 6, 559. jaciuntque sudes, et inania tela. *Lucan.* 6, 174. Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto Detrudit muris. *Ov. Met.* 12, 299. Qua juncta est humero cervix, sude figis obusta. Ingemuit, duroque sudem vix osse revellit Rhoetus. *Liv.* 40, 6. *f.* Multa vulnera sudibus facta; et 26, 51. Sudibus inter se in modum justae pugnae concurrerunt. Utroque loc. alii leg. *rudibus.* [*Nihil mutandum. V. *Duederl.* 3, 265.] ℙ Et in re rustica. *Virg. G.* 2, 25. Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos; et *ib.* 359. Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes. Adde *Plin.* 17, 14, 24. et *ib.* 22, 35. *n.* 19. et 14, 1, 3., quibus locis et sepi muniendae, et viti pedandae sudes adhibentur. ℙ Translate. *Juven.* 4, 127. de rhombo pisce: peregrina est bellua: cernis Erectas in terga sudes? *h. e.* spinas praeacutas. (Hoc sensu usurpat etiam *Prud. Apoth.* 127.) *Appul. Met.* 7. Saxeas sudes incursando conterebam, *h. e.* acutas cautes. ℙ De positione recti casus nihil adhuc vidi. Si *sudiculum* diminutivum est a *sude*, videtur *sudis* in recto praeferendum. Sic enim et a *fidis* est *fidicula*, et a *mollis molliculus*, etc., contra *trabecula* a *trabes*, et *plebecula* a *plebes*. Adde, quod *sudis*, nomen piscis, satis confirmat, *sudis* de conto rectius dici, quam *sudes*. De quo pisce *Plin.* 32, 10, 54. Sunt praeterea a nullo auctore nominati, sudis Latine appellatus, Graece sphyraena, rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed non degener. Itali vocant *pesce argentino.* [*Esox Sphyraena, *L.*, ex genere piscium, nobis quidem *Hecht* appell.]

SŪDĬCŬLUM, i, n. quod sudorem exprimit. *Paul.* ex *Festo.* Sudiculum, flagelli genus erat, quod vapulantes sudantes facit. *Pl. Pers.* 3, 3, 13. Vir summe populi, stabulum servitutium, scortorum liberator, sudiculum flagri, compedium tritor, pistrinorum civitas, *h. e.* qui saepius exercendo ipsum quasi flagrum sudare faciat. Alii nullo commodo sensu leg. *subiculum*, quasi qui flagris subjicitur.

SŪDĬFĬCUS, a, um, adj. serenum, seu sudum inducens. Affertur haec vox in *Thesauro L. L.*, confirmaturque duobus carminibus ex *Gell.* 2, 22. et 30., quae quidem carmina in *Gellio* non inveniuntur nisi Graeca, quae aliquis forte in Latinum vertens, Graecum *αἰθριγενέτης* transtulit *sudificus.*

*SŪDĪNES, is, scripsit de gemmis. *Plin.* 9, 35. et 37. 7, 8. et 9. *B. A.*

SŪDIS. V. SUDES.

SŪDO, as, avi, atum, a. 1. *ἱδρόω*, sudorem emitto. *Cic. Or.* 2, 55. Cum ille diceret, se sine causa sudare; minime mirum, inquit, modo enim existi de balneis. [*Jocus Crassi in Brutum, qui amisso patrimonio balnea vendere coactus fuerat.] *Id. Div.* 2, 27. Deorum sudasse simulacra, nuntiatum est. *Hor. A P.* 413. Multa tulit, fecitque puer, sudavit, et alsit. *Petr. Sat.* 116. In montem sudantes conscendimus. *Liv.* 27, 4. *f.* Quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. *Lucr.* 6, 942. in speluncis saxa superna Sudant humore. ℙ [*Hinc translate, quocumque humore madere.] *Enn.* ap. *Non.* 10, 4. Franguntur hastae, terra sudat sanguine. Adde *Virg. A.* 2, 582. *Id. G.* 1, 117. cavae tepido sudant humore lacunae. *Sil.* 2, 455. Heu, quantum Ausonio sudabitis, arma, cruore! *Mart.* 14, 221. Parva tibi curva craticula sudet ofella. ℙ Item vehementer laborare: quia magnum laborem sudor consequitur. *Cic. Sext.* 66. *med.* Sudandum est his pro communibus commodis, adeundae inimicitiae, etc. *Id. Fam.* 3, 12. *med.* Vides sudare me, jamdudum laborantem, quomodo ea tuear, et te non offendam. *Ter. Phorm.* 4, 3, 23. Sudabis satis, si cum illo inceptas homine. [*V. *Ruhnk.*] *Lucr.* 5, 1128. incassum defessi sanguine sudant, Angustum per iter luctantes ambitionis. *Stat. Th.* 5, 443. de Hyla: Lernaeaque tollens Arma, sub ingenti gaudet sudare pharetra. *Prop.* 4, 1, 70. Has meus ad metas sudet oportet equus. ℙ Passive impersonaliter. *Sil.* 13, 72. Quidquid ad Idaeos Xanthum, Simoentaque nobis Sanguine sudatum est. *Sen. ep.* 4. *extr.* Parabile est, quod natura desiderat: ad supervacua sudatur. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 10, 526. et ferrea sudant Claustra remoliri. ℙ Cum accus. *Prud. Cath.* 2, 76. Jacob luctator Angeli Sudavit impar proelium. *Inscr.* ap. *Grut.* 336, 5. ad divortia Rheni Pervasi hostiles depopulatus agros, Dum tibi, Roma, decus, aeternaque sudo tropea. *Pers.* 5, 149. ut nummi, quos his quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos sudare deunces, *h. e.* parere, laborando et sudando quasi emittere. ℙ [*Transitive c accus. rei, quae sudando emittitur.] *Just* 36, 3. Arbores certo anni tempore balsamum sudant. *Virg. Ecl.* 4, 30. Et durae quercus sudabunt roscida mella; et *ib.* 8, 54. Pinguia corticibus sudent electra myricae. *Nemes. Ecl.* 1, 76. dulcia mella Sudabunt taxi. *Mart.* 13, 101. Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri. ℙ Passive. *Tac. G.* 45. *med.* Nemora Orientis, ubi tura et balsama sudantur. ℙ [*Etiam humor ipse dicitur *sudare*, qui sudando emittitur. *Sil.* 7, 191. dulcis humor sudavit ab uvis. *Virg. G.* 2, 118. odorato sudantia ligno Balsama. ℙ Confund. *sudare* et *suadere.* V. *Spald.* ad *Quint.* 3. p. 219. *crit.*]

SŪDOR, oris, m. *ἱδρὼς*, humor per cutem animalis erumpens aut labore, aut metu, aut morbo: ab *ὕδωρ*, humor. *Cic. Or.* 3, 2. Tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus, ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit. *Id. Div.* 1, 34. Herculis simulacrum multo sudore manavit. *Petr. Sat.* 6. *extr.* In cursu fatigatus, et sudore jam madens. *Virg. A.* 12, 338. Equi sudore fumantes. *Hor. Sat.* 1, 9, 10. cum sudor ad imos Manaret talos. *Phaedr.* 4, 24. Juvenes sudore multo diffluentes corpora. *Sen. ep.* 11. Quibusdam etiam constantissimis sudor erumpit. *Sen. alter Troad.* 487. Sudor per artus frigidus totos cadit; et *Oed.* 923. gelidus fluit Sudor per artus. *Ov. Met.* 5, 632. Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus. *Virg. A.* 2, 174. salsusque per artus Sudor iit; et *ib.* 3, 175. gelidus toto manabat corpore sudor. *Lucr.* 6, 944. manat nobis e toto corpore sudor. *Virg. A.* 5, 200. sudor fluit undique rivis. *Ov. Met.* 9, 57. sudore fluentia multo Brachia. *Flor.* 2, 4. Alpina corpora mox ut caluere pugna; statim in sudorem eunt. *Suet. Ner.* 24. Sudorem frontis brachio detergere. *Mart.* 5, 79. Sudor inhaereret madida ne veste retentus. *Plin.* 21, 13, 44 Sudore diffluere. *Id.* 7, 18, 18. Sudorem emittere. *Id.* 27, 9, 48. Sudores evocare. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. ciere. *Cels.* 2, 17. (et *Plin.* 24, 11, 60.) movere. *Id. ib.* elicere. *Plin.* 24, 6, 20. et *ib.* 9, 38. Sudores, et sudorem facere: et eodem sensu *Nep. Eum.* 5. *med.* excutere; et *Scrib. Comp.* 217. ducere, *h. e.* ciere, elicere. *Plin.* 35, 17, 57. immodicos sistere. *Id.* 23, 1, 25. coercere; et *ib.* 9, 81. cohibere; et *ib.* 4, 39. discutere. *Id.* 28, 19, 79. inhibere. *Id.* 20, 13, 51. reprimere. *Id.* 35, 15, 52. sedare. *Quint.* 11, 3. *med.* Nudus sudor, *h. e.* athletarum, qui nudi sunt. ℙ Metonymice est labor. *Virg. A.* 9, 458. phaleras multo sudore receptas. *Quint.* 5, 7. Maximus tamen patronis circa testimonia sudor est. *Cic. Or.* 1, 60. *f.* Stilus ille multi sudoris est. *Id. Font.* 1. *med.* Multo ejus sudore ac labore sub populi R. ditionem ceciderunt. [*Vell. 2, 128, 3. summo cum sudore.] *Stat. Th.* 5, 124. Plena mihi domus, atque ingens, en cernite, sudor, *h. e.* labor in pariendo. *Capitol. Maxim.* 2. *extr.* Sexdecim lixas (*in militari ludo*) uno sudore devicit; et *ib.* 3. Septem fortissimos milites uno sudore vicit, *h. e.* uno labore, et non interquiescendo. *Cajus. Instit.* 3. (ed. *Goesch.*) §. 146. Si gladiatores ea lege tibi tradiderim, ut in singulos, qui integri exierint, pro sudore denarii XX. mihi darentur, *h. e.* pro pugna gladiatoria. ℙ Translate est quivis humor sudoris modo erumpens. *Ov. Met.* 2, 198. Scorpios nigri madidus sudore veneni. *Varr. L. L.* 4, 4. Hinc sudor quivis deorsum in terra, imber. Alia aliter leg. *Plin.* 16, 11, 21. Primus sudor picis aquae modo fluit canali, etc. Sequens liquor crassior jam, etc. *Id.* 23, 8, 79. Sudor virgae corni arboris, lamina ferrea candente exceptus. *Id.* 35, 15, 52. Alumen est sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus. *Id.* 11, 12, 12. de melle: Sive ille est coeli sudor, sive quaedam siderum saliva. ℙ *Sudor maris* ap. *Lucr.* 2, 464. est ipsa aqua marina. Alii leg. *udor*, h. e. humor. ℙ Saepe, inquit *Sen. Q. N.* 3, 15. *f.*, colligitur roris modo tenuis et dispersus liquor, qui ex multis in unum locis confluit. Sudorem aquileges vocant: quia guttae quaedam vel pressura loci eliduntur, vel aestu evocantur. *Vitr.* 8, 1. *med.* In terra autem nigra sudores et stillae exiles inveniuntur, quae ex hibernis tempestatibus collectae, in spissis et solidis locis subsidunt. *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. *med.* Si aqua sudoribus manando, in aliquem primum locum effluere, atque ibi apparere incipit, ejus hoc esse caput dicemus.

SŪDORUS, a, um, adj. sudore madens. *Appul. Flor. n.* 16. Sudoro affatim corpore, diutine obrigui.

SŪDUS, a, um, adj. *αὔθριος*, serenus et siccus. *Festus:* Sudum Verrius ait significare subudum, sed auctorum omnium fere exempla volunt, ut sudus siccum significet. Sudum enim, quasi seudum, id est sine udo, ut securus sine cura dictum est. *Virg. G.* 4, 77. de apib.: Ergo ubi ver nactae sudum, camposque patentes, Erumpunt portis. (*Philarg.* ad h. l., *Non.* 1, 131. et *Serv.* ad *A.* 8, 529 cum *Verrio* sentiunt, et exponunt subhumidum, et semihumidum: sed standum est a *Festo.*) *Lucil.* ap. *Non. ib.* et *Varr.* ap. *Non.* 4, 2. ventorum suda flamina. *Appul. Met.* 11. Coelum autem, nubilosa caligine disjecta, nudo sudoque luminis proprii splendore candebat. *Id. de Deo Socrat.* Sudae nubes: quod multi legunt etiam ap. *Sen. Q. N.* 2, 26. *extr.* ℙ *Sudum* absolute (subaudi *coelum*), coelum serenum, *αὔθρα;* praesertim post pluviam. *Pl. Mil.* 1, 1, 1. Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior, quam solis radii esse, cum sudum est, solent. *Id. Rud.* 1, 2, 34. Exsiccare arundines, qui pertegamus villam, dum sudum est. *Cic. Fam.* 16, 18. *med.* Horologium mittam, et libros, si erit sudum. *Virg. A.* 8, 528. Arma inter nubes, coeli in regione serena, Per sudum rutilare vident. Adde *Val. Fl.* 2, 115. ℙ *Sudum*, adverbii modo. *Prud. Cath.* 7, 79. metalli lux argentei Sudum polito praenitens purgamine. ℙ *Sudus*, subudus, subhumidus, ut *Verrius, Philarg.* et *Nonius* volunt. *Arnob.* 7, 212. Nisi forte hostiarum Deus animas devorat, pasciturque de cnissis, quas evomunt ardentia viscera, adhuc suda de sanguine, et prioribus humecta de succis. Alii leg. *uda.*

*SUE, oppidum Asyriae. *Plin.* 6, 26. Gaugamela, item Sue in rupibus. *B. A.*

*SUECONI, orum, populi Galliae Belgicae. *Plin.* 4, 17. *B. A*

[SUELĬTĀNUS, a, um, adj. ad oppidum pertinens in Hispania Baetica, haud longe a Malaca, a *Plin.* 3, 1, 3. *Suel*, a *Ptolem. l.* 2. *c.* 4. *Σουέλ*, in *Anton. Itin.* vocatum *Sivel*, unne *Fuengirola* dicitur. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 189. Municipium Suetilanum. *F.*]

*SUELLĒNI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*SUELTERI, orum, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

*SUEMUS, i, m. fluvius Thraciae, in Hebrum cadens. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

SŬĒO, es, evi, etum, n. 2. *εἴωθα, ἐθίζομαι*, soleo. *Lucr.* 1, 54. Appellare suemus, et haec eadem usurpare; et *ib.* 301. Usurpare oculis, nec voce cernere suemus: *synaeresis;* et 6, 954. quin ferri quoque vim penetrare suevit. *Prop.* 4, 10, 17. Urbis virtutisque parens sic vincere suevit. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 43. Has Graeci stellas Hyadas vocitare suerunt: pro sueverunt. *Claud. in Ruf.* 2, 488. arcanaque suevit Prodere. *Id. in Eutr.* 1, 194. negle-

etaque sueverat arcae Claustra remoliri. *Sil.* 15, 766. Romanae vulnera suerint Quanta afferre manus: pro sueverint. *Cic. Fam.* 15, 8. *extr.* A te id, quod suesti, peto: pro suevisti. Al. leg. *consuesti:* [*quod haud contemnendum censet *Orell.*]

SUERIS pro *suis.* V. SUS

*SUERTAE, arum, populi Indiae, de quibus *Plin.* 6, 20. *B. A.*

SUESCO, is, n. 3. *ἐθίζομαι,* consuesco, assuesco. *Tac. A.* 2, 44. Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae; et *ib.* 52. Ut Tacfarinas lectos viros. et Romanum in modum armatos castis attineret, disciplina et imperiis suesceret, *h. e.* assuefaceret milites: active. Alii referunt ad ipsum Tacfarinatem. *Auson. ep.* 16, 91. natus tuus Suescat peritis fabulis Simul jocari, et discere. Quidam tribuunt et *Cic. Fam.* 6, 8., sed ibi pro *cum suescerent* alii rectius leg. *consuessent.*

*SUESIA, ae, f. palus in Germania. *Mela* 3, 3. *B. A.*

SUESSĀNUS, a, um, adj. ad Suessam pertinens, opp. Latii adjecti, seu Campaniae, inter Lirim et Teanum, quae colonia Romana, cognomine Aurunca, nunc *Sessa*, patria *Lucilii:* unde *Auson. ep.* 15, 9. Rudes Camenas qui Suessae praevenis. *Sil.* 8, 398. detritaque bellis Suessa. *Inscr.* ap. *Mur.* 816, 7. Curator Kal. coloniae Suessatinae. At *Gabr. Cotugno, Mem. di Venafro* p. 95. rectius habet *Suessanae.* ℙ Alia fuit Suessa Pometia in Latio antiquo, prope Norbam et Satricum, nunc diruta. *Cic. ad Brut.* 1, 8. C. Nasennium municipem Suessanum tibi commendo. *Cato R. R.* 22. Suessanum rus. ℙ *Suessani, orum,* absolute, cives et incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 151, 3. et 262, 7. etc. [*Emendavit hunc l. *F.*]

[SUESSAS, atis, adj. omn. gen. idem ac Suessanus. *Gargil. de re hortensi* (ed. *A. A. Scottio*) 4, 11. Ex veteribus multi Suessatibus ollulis impicato singula poma clausere umbilico. In *Cod. palimpsesto* scribitur *Suesatibus. F.*]

[SUESSETĀNUS, a, um, adj. ad Suessam pertinens, urbem Hispaniae Tarraconensis. *Liv.* 28, 24. Ager Suessetanus. Hinc *Suessetani, orum,* absolute, incolae illius urbis ap. *eund.* 25, 34. et 39, 41. *F.*]

[SUESSIONES et Suessones, ium, m. plur. populi Galliae, in ea regione, ubi nunc urbs *Soissons* exstat. *Suessiones* ap. *Caes. B. G.* 2, 3. 12. et 13. et *Hirt. B. G.* 8, 6. dicuntur; *Suessones* ap. *Lucan.* 1, 423. longisque leves Suessones in armis. *F.*] ℙ *Eorum caput *Augusta Suessionum* (*Αὔγουστα Οὐεσσόνων Ptolemaeo*) appellatur in *Ant. Itin.* prius Noviodunum: ut dubitari facile non possit, huic Augustum ornamenta addidisse, et Augustam de suo nomine appellasse. Medio aevo *Suessiones, Suessones* ac *Suessonae* vocari coeptum. V. *Anton. Itin.* et *Greg. Turon.* 4, 9. *B. A.*

[SUESSULĀNUS, a, um, adj. ad Suessulam pertinens, dirutam Campaniae urbem, in loco qui nunc *Sessola* dicitur, inter Calatiam et Acerras. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 390. L. Pompejo Felicissimo immuni Dendr. Suessul. etc. Hinc *Suessulani, orum,* absolute, incolae illius urbis ap. *Liv.* 8, 14. et *Plin.* 3, 5, 9. *F.*]

SUETONIUS TRANQUILLUS, grammaticus et rhetor Romanus, scriptor, Vopisci judicio, emendatissimus et candidissimus, Plinii junioris amicus, ut patet ex hujus *ep.* 95. *l.* 10. Scripsit stilo eleganti et erudito duodecim priorum imperatorum Vitas, librum de illustribus grammaticis, alterum de claris rhetoribus; quae omnia exstant. Vitae quorundam poetarum, ut Horatii, Lucani, Juvenalis; libellus item de viris illustribus, ejusdemne Suetonii sint, necne, disputant critici, aliis affirmantibus, aliis negantibus. ℙ *C. Suetonius Paulinus, Othoniani belli dux, ante Britanniae etiam imperio praefectus. *Tac. A.* 14, 29. et 34. ℙ Suetonius Lenis, tertiae decimae legionis tribunus angusticlavius, pater Suetonii Tranquilli. *Suet. Oth.* 10. *B. A.*

*SUETRI, orum, populi Galliae Narbonensis, in Alpibus maritimis, non procul a Varo flumine. *Plin.* 3, 4. *Σουήτριοι* sunt *Ptolemaeo. B. A.*

[SUĒTUS et Suētus (*disyll.*), a, um, part. a *sueo: εἰωθώς, ἐθιστός,* assuetus. *Sall. fr.* ap. *August. C. D.* 2, 18. Discordia, et avaritia, atque ambitio, secundis rebus oriri sueta mala. *Hor. Sat.* 1, 8, 17. furesque, feraeque suetae Hunc vexare locum. *Lucr.* 2, 902. porro ex aliis sentire suetis. *Liv.* 5, 43. *extr.* Abstinere suetus ante talibus conciliis. *Virg. A.* 3. 541. equi curru succedere sueti. *Tac. H.* 5, 6. Lacus suetas aquis volucres non patitur. *Id. A.* 2, 52. Sueti latrociniis. *Lucan.* 1, 325. Bella nefanda parat, suetus civilibus armis.

SUĒVIA, ae, f. Suevorum regio. *Tac. G.* 43. et 45. *extr.*

SUĒVĬCUS, a, um, adj. ad Sueviam et Suevos pertinens, ut Suevicum mare, *Tac. G.* 45.

[SUĒVĬUS, ii, m. poeta quidam Latinus citatus a *Macr. Sat.* 2, 14. V. MORETUM. ℙ Idem fortasse fuit, qui a *Suet. Gr.* 5. M. Saevius Nicanor appellatur, ideoque alteruter ex altero corrigendus est. *F.*]

SUĒVUS et Suēvus (*disyll.*), a, um, adj. ad Sueviam pertinens, Suevicus. *Caes. B. G.* 1, 53. Duae fuere Ariovisti uxores: una Sueva natione, altera Norica. *Sil.* 5, 133. cui vertice surgens Triplex crista jubas effundit crine Suevo, *h. e.* in morem Suevorum obliquato. ℙ Absolute. *Claud. IV. cons. Honor.* 655. Crinitusque tuo sudabit fasce Suevus. ℙ *Sueri, orum, Σουήβοι,* et *Σουήονοι,* populi Germaniae, inter Albim et Vistulam siti, de quibus *Cellar. Geogr.* 2, 5. consule. *Caes. B. G.* 4, 1. Suevorum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur, etc. *Tac. G.* 38. Suevorum non una, ut Cattorum Tencterorumque gens: majorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris Germanis sic Suevorum ingenui a servis separantur, etc. *Lucan.* 2, 51. Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos. *Albin.* 1, 17. Ille genus Suevos acre, indomitosque Sicambros Contudit. Adde *ib.* 312.

[SUFĒNAS et Suffenas, atis, m. ita est appellatus Latii populus, de quo *Plin.* 3, 12, 17. Trebulani, qui cognominantur Mutuscaei, et qui Suffenates. ℙ Hinc factum cogn. R., ut Sex. Nonius Sufenas, in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 261. *F.*]

SUFES et Suffes, etis, m. supremus apud Carthaginienses magistratus: est ab Hebr. שֹׁפֵט *sophèt,* judex, plur. שֹׁפְטִים *sophetim,* judices: etenim ap. Carthaginienses, ut olim apud Hebraeos, judices suprema utebantur auctoritate. *Liv.* 28, 37. Mago ad colloquium suffetes eorum (*Gaditanorum,* qui Carthaginensium colonia erant), qui summus Poenis est magistratus, cum quaestore elicuit. *Id.* 30, 7. Senatum itaque suffetes, quod velut consulare imperium apud eos (*Carthaginienses*) erat, vocaverunt. *Festus:* Sufes dictus Poenorum magistratus, ut Oscorum meddixtuticus. Calidius in oratione in Q. Caecilium: Nonne vobis, judices, ignem et fumus prosequi, et flamma videtur? Senatus censuit, referentibus sufetis: (pro *sufetibus:* fortasse ad evitandam repetitionem syll. *ibus.*) *Sen. Tranq.* 3. *med.* Non vis enim nisi consul, aut prytanes, aut ceryx, aut sufes administrare rempublicam. *Tab. aen.* ap. *Grut.* 470, 2. Agente Celere Milchonis Gulassae filio, sufete. Adde aliam *ib.* 1.

*SUFETŪLA, ae, f. opp. Africae Propriae, in Byzacena, ad Bagradam flumen. *August. adv. Donat.* 6, 26. *Ant. Itin. B. A.*

SUFFARCĪNATUS et Subfarcinatus, a, um, part. a *suffarcino: συνεσκευασμένος,* subtus sarcinas, vel involucra habens. *Pl. Curc.* 2, 3, 10. Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis. *Ter. Andr.* 4, 4, 30. Verum: vidi Cantharam suffarcinatam. *Appul. Met.* 9. Munificentia publica saginati, vaticinationisque crebris mercedibus suffarcinati piissimi illi sacerdotes. ℙ Translate. *Id. ib.* 10. At ego, quamquam jam bellule suffarcinatus, esurienter exhibitas escas appetebam, *h. e.* affatim cibis saginatus, et obesus factus.

SUFFARCĪNO, as, a. 1. onero, impleo: a *sub,* et *farcio:* quasi sarcinis et involucris onero. *Appul. Met.* 9. Veteratricem feminam multis exorat precibus, multisque suffarcinat muneribus.

SUFFARRĀNĒUS et Subfarraneus, a, um, adj. qui far in castra convehit. *Plin.* 7, 43, 44. Cicero auctor est, P. Ventidium mulionem castrensem suffaraneum fuisse: scil. hic sermo est de P. Ventidio Basso, cujus ita meminit *Cic. Fam.* 10, 18. Ventidii mulionis castra despicio. Hic porro, ut ait *Gell.* 15, 4., victum sibi aegre quaesivit, et sordide invenit comparandis mulis et vehiculis: qui tamen ann. U. C. DCCXI. consul fuit: de quo est lepidum *epigr.* 8. inter *Catal. Virg.* [*Suspecta haec vox est *Turnebo, Hard.*, al.]

SUFFECTIO, onis, f. substitutio. *Arnob.* 5, 166. Putorem temperare suffectione unguentorum. *Id.* 7, 212. Numquid forte Dii aluntur his sacris, et ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus est suffectione materiae? *Tert. Anim.* 28. Animarum alterna mortuorum atque viventium suffectio. ℙ Item tinctura. *Arnob.* 7, 251. Obsita squamis terga, macularum suffectionibus varia.

SUFFECTŪRA, ae, f. supplementum. *Tert. adv. Marc.* 1, 28. *med.* Suffectura est quodammodo spiritus animae.

SUFFECTUS et Subfectus, a, um, part. u *sufficio: ἐπικατασταθείς,* subrogatus, substitutus. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. *med.* Si Appii os haberem, in cujus locum suffectus sum. *Tac. A.* 4, 16. Filius patri suffectus. *Liv.* 2, 8. Suffectus in Lucretii locum M. Horatius Pulvillus: scil. in consulatu. V. CONSUL. De Caninio Rebilo in paucas horas consule suffecto in locum Q. Fabii Maximi, verba faciunt *Cic. Fam.* 7, 30., *Suet. Caes.* 76., *Plin.* 7, 53, 54., *Tac. H.* 3, 37. *extr.* et *Macr. Sat.* 2, 3. ℙ Item additus. *Sen. Q. N.* 5, 16. Quatuor coeli partes in ternas dividunt, et singulis ventos binos suffectos dant. ℙ Item infectus, coloratus. *Virg. A.* 2, 210. de anguib.: Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni; et *Val. Fl.* 2, 105. Et maculis suffecta genas; et 1, 821. suffecta lumina leto; et *Sen. Q. N.* 1, 5, *med.* Nubes sole suffecta. Alii leg. *sufferta,* h. e. solis luce oppleta.

*SUFFĔNUS, i, m. poeta ineptissimus, sui admirator, in aliorum vitia dicax, ad sua caecus. Hinc *Suffeni,* qui stulte sibi placent, dicuntur *φλαυτοι. *Catull. carm.* 22. (al. 20.) 18. Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam, Quem non in aliqua re videre Suffenum Possis. *B. A.*

SUFFERCTUS. V. SUFFERTUS.

SUFFĒRENTIA, ae, f. tolerantia. *Tert. Or.* 4. *med.* et *adv. Macr.* 4, 15.

SUFFĔRO et Subfero, ers, tuli, a. anom. [*prima significatio est, ferre aliquid sub aliquam rem ad tolerandum, subjicere, dedere, offerre.] *Pl. Poen.* 4, 2, 33. Ut ubi mihi vapulandum est, tute corium sufferas. *Id. fr.* ap. *Non. l. c.* Intro ad uxorem: sufferamque meum tergum ob injuriam. ℙ *Sufferre aestimationem* ap. JCtos est offerre, vel praestare, vel exsolvere. *Ulp. Dig.* 21, 2, 21. Si venditor victus litis aestimationem sustulerit. *Cajus ib.* 30, 1, 69. *extr.* Ut ob hoc delictum quasi litis aestimatio a legatario sufferatur heredi. ℙ Est item suppeditare, sufficere. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Nutricare octonos porcos parvulos primo possunt: incremento facto, a peritis dimidia pars removeri solet, quod mater neque potest sufferre lac, neque congenerati alescendo roborari. ℙ [*Deinde idem est, quod portare. *Arnob.* 2, 83. An axis eum (mundum) sustineat, an ipse se potius vi propria sufferat. — Hic commemorari posse videtur etiam locus *Suet. Cal.* 50. ut colligere semet ac sufferre vix posset, i. e. quod nos dicimus *sich halten, sich fortschleppen.* ℙ Hinc in universum est perferre, sustinere, subsistere, par esse, non cedere, Gr. *ὑφίστημι.*] *Ter. Heaut.* 3, 1, 43. Satrapes si siet amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat, nedum tu possis. (*Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. *f.* Non si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem.) *Pl. Merc.* 1, 2, 4. Vix suffero hercle anhelitum, i. e. vix recipio spiritum: et ut *Id. ib.* ait 15. animam nequeo vertere. *Virg. A.* 2, 491. Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi Custodes sufferre valent. ℙ Sufferre laborem, vulnera, etc. sustinere, tolerare, ferre. *Prop.* 3, 20, 21. Quod superest, sufferte pedes, properate laborem, *h. e.* iter quod terra faciendum restat, tolerate. *Varr. R. R.* 2, 8. *med.* In mulis spectanda aetas, ut vecturis sufferre labores possint. *Colum.* 3, 2. *med.* Vites valenter sufferunt ventos et imbres. *Lucr.* 5, 1301. boves Lucas Anguimanos belli docuerunt vulnera Poeni Sufferre. *Pl. As.* 3, 2, 11. Qui me vir fortior est ad sufferendas plagas? *Id. Merc.* 5, 2, 20. Imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim. ℙ Absolute. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 6. Si magis me instabunt, ad praetorem sufferam, *h. e.* patiar me rapi ad praetorem. ℙ Adhibetur etiam pro perpeti, haurire, *ὑποφέρειν. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Nisi hoc pejus sit, haec sufferre et perpeti. *Ter. Andr.* 5, 3, 17. An ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam? *Cic. Cat.* 2, 13. Ut ne improbus quidem poenam sui sceleris sufferat. *Id. Caecin.* 33. *f.* Quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent. ℙ Sufferre poenas, pendere, dare poenas. *Accius* ap. *Non.* 4, 429. Ego me non peccasse plane ostendam, aut poenas sufferam. *Pl. Amph.* 3, 4, 19. Deinde illi actutum sufferet suus servus poenas Sosia. *Id. Cist.* 1, 3, 54. Ut vobis victi Poeni poenas sufferant. *Cic. N. D.* 3, 33. At Phalaris, at Apollodorus poenas sustulit. ℙ Praeteritum *sustuli* etiam ad *tollo* refertur.

SUFFERTUS, a, um, part. ab inus. *suffercio,* sicut *refertus* a *refercio* est: *πυκνὸς,* plenus, densus, spissus. *Suet. Ner.* 20. Mediaque in orchestra frequenti populo epulatus, si paulum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturum, Graeco sermone promisit, *h. e.* cantaturum se aliquid, quod Graeci dicunt *πυκνὸν,* idest magnum quiddam, et succi plenum, quod auditoris aures impleat: vel voce plena, et sonora. [*Magis respondet Gr. *ὑποπυκνός.* V. *Turneb. Advers.* 28, 18. *Schneid. Lex. Gr.* s. v. *πυκνός.*] Alii leg. *suffertim.* Aliud exemplum ex *Sen. Q. N.* V. in SUFFĔCTUS; et adde *Lucil.* ap. *Gell.* 4, 17., ubi et *sufferctus* scribitur.

SUFFERVĒFĂCIO et Subfervefacio, is, a. 3. *ὑποθερμαίνω,* aliquantum fervidum reddo. *Plin.* 18, 11, 26. Vulgo nec suffervefaciunt. ℙ Hinc passivum *suffervefio, ὑποθερμαίνομαι. *Id.* 27, 9, 51. Affirmant, lapillos, qui suffervefiant, rumpi.

SUFFERVĒFACTUS et Subfervefactus, a, um, part. a *suffervefio: ὑπόζεστος,* aliquantum fervefactus. *Plin.* 14, 17, 21. Mellis decem libris, aceti heminis quinque suffervefactis decies. *Id.* 22, 25, 67. Semuncia amyli cum ovo suffervefacta.

SUFFERVĒFIO. V. SUFFERVEFACIO.

SUFFERVĔO et Subferveo, es, bui, n. 2. *ὑποζέω,* aliquantum ferveo. *Appul. Herb.* 115. Rutae caulículos conterito, additis aquae cyathis tribus, et aceti heminis, et sufferveat.

[SUFFETŪLĀNUS, a, um, vel *F.*]

[SUFFETŪLENSIS, e, adj. ad Suffetulam pertinens, Africae Byzacenae urbem, nunc *Spaita,* cujus in *Ant. Itin.* mentio est. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 465, 5. Imp. Caes. Aug. . . . . Suffetulanorum . . . . . aedificaverunt. Eadem ap. *Donat.* 341, 4. pro *Suffetulanorum* habet *Suffetulensium. F.*]

SUFFĪBULUM, i, n. *Fest.* Suffibulum est vesti-

mentum album, praetextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Virgines Vestales, cum sacrificant, semper habere solent: idque fibula comprehenditur. Adde *Varr. l. c.* in OPICONSIVA.

SUFFĬCĬENS et Subficiens, entis, part. a *sufficio: αὐταρκὴς*, idoneus, satis aptus, satis subministrans. *Liv.* 2, 8. Consul magno natu, non sufficientibus jam viribus ad consularia munera obeunda, intra paucos dies moritur. *Suet. Vit.* 13. Epulas interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et coenas, comissationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. *Curt.* 3, 6. *f.* Aetas vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens. *Id.* 8, 4. *med.* Regem multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, deserere erubescebant; et *Suet. Vit. Pers. med.* Fuit pietatis erga matrem et sororem exemplo sufficienti; et *Paul. Dig.* 29, 7, 8. Quid enim, si sufficientium testium facultatem non habuit? *Tert. adv. Marc.* 5, 2. *med.* Unica et sufficientissima definitio. ℙ Cum inf. *Lucan.* 5, 153. nec vox antri complere capacis Sufficiens spatium.

SUFFĬCĬENTER, adv. *ἀποχρώντως, ἀρκετῶς*, quantum satis est. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 29. Mensores vix iis operibus, quae Romae fiunt, sufficienter habeo. *Ulp. Dig.* 7, 1, 15. Sufficienter autem alere et vestire debet, secundum ordinem et dignitatem mancipiorum. *Aurel. Vict. Epit.* 20 *med.* Latinis litteris sufficienter instructus. *Pall.* 1, 35. *med.* Nucem perforari jubent: ibi paleas et ceram cum sulphure sufficienter includi.

SUFFĬCĬENTĬA, ae, f. quod sufficit. *Tert. ad Ux.* 1, 4. *f.* Sufficientia, quae modestiae et pudicitiae apta est; et *Sidon. ep.* 6, 12. *f.* Quibus obtigit per panis tui abundantiam ad sui sufficientiam pervenire.

SUFFĬCĬO et Subficio, is, eci, ectum, a. 3. [*a *sub* et *facio*, proprie significat ponere aliquid sub aliqua re. Hinc est ap. *Curt.* 5, 1, 29. quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto, vix sufficiendo operi firmum reperiunt solum, i. e, solum in quo possit suffici, i. e. substrui opus. Ita *Freinsh.* in *ind.* Alii aliter. *Zumpt.* pro *firmum* habet *firmo* nobis quidem minus probatum. Huc translate pertinet locus *Livii* 3, 61. *f.* milites excursionibus sufficere, i. e. submittere, eoque firmare. *Noster*, qui locum infra laudaverat, interpretatus erat: subinde mittere ad excursiones faciendas. ℙ Hinc est] in locum alterius substituo, Gr. *ὑφίστημι.* [*De magistratibus, imprimis consulibus, qui in locum demortui consulis, aut de ambitu damnati etc. creantur. *Ern. cl. Cic.*] *Cic. Mur.* 39. *med.* Nam ne sufficiatur consul, non timent. *Liv.* 5, 31. *med.* Nec unquam in demortui locum censor sufficitur. [*Plura exempla v. in *gloss. Liv. s.* h. v.] *Phaedr.* 3, 10. Sperans heredem sufficisi se proximum. *Plin.* 7, 16, 15. Septimo mense gigni dentes: septimo eosdem decidere anno, aliosque suffici. *Virg. G.* 3, 65. Atque aliam ex alia generando suffice prolem; et *ib.* 4, 201. de apib.: ipsae regem parvosque Quirites Sufficiunt. ℙ Item subinde praebeo, suppedito, subministro. [*Ita nonnisi poetis frequentari videtur. *Lucr.* 3, 704. cibus aliam ex se naturam sufficit, i. e. subministrat. Cf. 2, 107. et 6, 480.] *Virg. A.* 2, 618. (et *ib.* 9, 802.) Ipse pater Danais animos viresque secundas Sufficit. *Sil.* 1, 36. dux agmina sufficit unus Turbanti terras. *Virg. G.* 2, 424. Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco, Sufficit humorem; et 435. salices pecori frondem, aut pastoribus umbras Sufficiunt. *Ov. Ib.* 243. Tempus in immensum lacrimas tibi vovimus istas, Quae semper causa sufficiente cadent. ℙ Item primum colorem inducere, inficere. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 405. et 12, 13. Ut qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam. V. SUFFECTUS. [*Cf. *Gron. Diatr.* in *Stat.* p. 59.] ℙ Neutrorum etiam more usurpatur, et significat satis posse, aut esse, *ἀρκέω.* [*Ac primum quidem absolute.] *Cic. Phil.* 2, 7. *med.* Nec scribae sufficere, nec tabulae nomina illorum capere potuerunt. *Caes. B. G.* 7, 20. *f.* Nec jam vires sufficere, nec ferre operis laborem posse. *Liv* 36, 45. Romani, quoad sufficere remiges potuerunt, satis pertinaciter secuti sunt. [*Porro huc pertinent ex iis, quae *Forc.* laudaverat, ista: *Liv.* 21, 8. Et non sufficiebant muri: [*ad quem locum v. *Bauer.* p. 8.] *Virg. A.* 12, 738. Idque (ferrum) diu — suffecit. [*Adde *Liv.* 10, 25. Non suffecturum ducem unum et exercitum unum. — Cum praepos. *ad:* quae prosae orationis scriptoribus usitatissima est dicendi ratio. Cf. *Zumpt.* §. 664. p. 512. sq. *Forc.* laudaverat ista:] *Curt.* 9, 5. *med.* Adeo resolutus, ut ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra. *Petr. Sat.* 88. Sufficere ad inventionem. [*Alia exempla haec sunto: *Liv.* 10, 47. multis rebus laetus annus vix ad solatium unius mali, pestilentiae — suffecit: cf. 33, 20. *Id.* 4, 30. terra ingenita humore egens vix ad perennes suffecit amnes; et 29, 17. ad patiendum sufficere; et *ib. cp.* 16. inopi aerario, nec plebe ad tributum sufficiente. — Cum dativo. Praeter *Liv.*, cujus unum exemplum *Forc.* laud. illud: 29, 31. *med.* Mons quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque lacte et carne vescentium abunde sufficiebat alimentis: imprimis seriores hunc loquendi morem exhibent. *Vell.* 2, 98, 3. sufficere negotio; et 97, 2. bellicis operibus, civilibus artibus; et 131. quorum cervices sustinendo imperio sufficiant; et 127, 3. sufficiens vigori animi compages corporis. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Vitis vires capit suffecturas oneri. *Suet. Vesp.* 10. judicia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur. *Gr.* 23. sufficere sumtibus; et *Tib.* 25. quando universae (Reipl.) sufficere solus nemo posset. *Tac. A.* 3, 22. corpore validum et bello suffecturum; et 3, 72. quod nemo e familia restaurando sufficeret. *Suet. Hor.* ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam. *Plin. Pan.* 77, 6. quis adeo expetitis honoribus aut deservit aut sufficit? *Quint. Inst.* 7, 4. p. 632. *ed. Burm.* in qua et semel peccasse, — absolutioni nonnunquam sufficit. — Poetarum exempla haec sunto: *Virg. A.* 9, 810. nec sufficit umbo Ictibus. *Ov. Met.* 8, 834. quodque urbibus esse, Quodque satis populo poterat, non sufficit uni. *Id. Pont.* 2, 1, 63. Sufficiet nostris si modo vita malis, *h. e.* si superenit, et subsistet. — Cum praepos. *in. Ov. Met.* 7, 613 nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.] *Id. Am.* 2, 7, 1. Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper? *h. e.* satis ero ad praebendam materiam criminum. ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 5, 21. Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus. [*Huc pertinet etiam illud, quod *Forc.* infra laudaverat, ubi impersonaliter *sufficit* pro *satis est* ponitur sq. infin. *Mart.* 9, 1. mihi parva locuto Sufficit in vestras saepe venire manus. Adde *Suet. Ner.* 31. suffecerit haec retulisse. — Sequitur etiam *ut* et *ne. Noster* laudaverat ista:] *Plin. ep.* 9, 21. Interim sufficit, ut exorari te sinas; et *ep.* 33. *extr.* Sufficit, ne ea, quae sunt vera, minuantur. ℙ Pro suppetere, occurrere. *Ov. Met.* 4, 585. sed lingua repente In partes est fissa duas: nec verba volenti Sufficiunt.

SUFFĪGO et Subfigo, is, ixi, ixum, a. 3. *ἀναπήγνυμι, προσπήγνυμι*, subtus figo, suppingo. *Lucan.* 9, 328. Providus antennae subfixit lintea summae. *Plin.* 33, 3, 14. Summae licentiae fuerat, Agnonem Teium, Alexandri M. praefectum, aureis clavis suffigere crepidas. *Sen. Hipp.* 497. trabes multo auro suffigere, *h. e.* aureum lacunar facere. ℙ Item affigo, configo. *Hor. Sat.* 1, 3, 82. et *Hirt. B. Afr.* 66. *extr.* Aliquem in cruce suffigere. *Just.* 18, 7. In altissimam crucem suffigi jussit; et 22, 7. *med.* Patibulo suffixus est. *Id.* 30, 2. *med.* Mulieres patibulis suffiguntur. *Suet. Caes.* 74. Piratas suffixurum se cruci ante juraverat. [*Cf. *Vell.* 2, 42, 4.] *Flor.* 1, 11. *med.* Spolia, quae Maenius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit. ℙ Item infigo. *Sen. Phoen.* 206. Quid est, quod te efferarit? quod novos suffixerit stimulos dolori?

SUFFĪMEN, inis, n. *θύημα*, id quod suffitur. V. SUFFIMENTUM. *Ov. Fast.* 4, 731. 1, pete virginea, populus, suffimen ab ara: Vesta dabit: Vestae munere tutus eris. Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla: Tertia res, durae culmen inane fabae.

SUFFĪMENTO, as, a. 1. suffumigo. *Veg. Vet.* 3, 2. *f.* Sed et totum bovem suffimentare, percommodum est.

SUFFĪMENTUM, i, n. idem ac suffimen. *Fest.* Suffimenta sunt, quae faciebant ex faba, milioque molito, mulso sparso. Ea Diis dabantur eo tempore, quo uvae calcatae prelo premebantur. *Cic. Leg.* 1, 14. Nam et iis sine illius suffimentis expiati sumus. *Plin.* 15, 30, 40. Laurus suffimentum caedis hostium, et purgatio.

SUFFĪO et Subfio, is, ivi, et ii, itum, a. 4. *ὑποθυμιάω*, significat adolendo suffumigare, ut docent *Serv.* ad *G.* 4, 241. et *Gloss.* tum *Cyrilli*, ubi *θυμιάω* exponitur *suffio*, tum *Philoxeni*, in quibus est, Suffitio, *ὑποθυμίασις.* [*Compositum esse volunt ex *sub*, et *fio*, *ire*, quod a Gr. *θύω*, ut *servo* a *θέρω.*] *Virg. l. c.* At suffire thymo, cerasque recidere inanes Quis dubitet? *Colum.* 12, 18. Cella quoque vinaria omni stercore liberanda, et bonis odoribus suffienda. *Cato R. R.* 113. Sumito testam picatam: eo prunam lenem indito: suffito serta, et schoeno, et palma. *Plin.* 25, 5, 21. Melampodio domos suffiunt, purgantque. *Id.* 12, 17, 40. Urunt styracem in pellibus hircinis, suffiuntque tecta. *Lucr.* 4, 1168. Suffire se tetris odoribus. *Prop.* 4, 8, 83. Dein quemcumque locum externae tetigere puellae, Suffiit, et pura limina tergit aqua. V. SUFFOCO. *Plin.* 28, 4, 11. Sunt qui praecipiant, dentem suffiri dente hominis sui sexus; et *ib.* 11, 47. Volunt et oculos suffiri jocinore decocto. *Id.* 35, 17, 57. Primum abluitur vestis sarda, dein sulphure suffitur. ℙ Item adolere, urere suffumigandi causa. *Plin.* 20, 13, 51. Vulvarum causa rutam suffire; et 28, 10, 42. Carnem recentem haedorum pilo suffiunt: eoque nidore fugant serpentes. ℙ Pro calefacere, fovere. *Lucr.* 2, 1096. Ignibus aetheriis terras suffire feraces.

SUFFĪSCUS, i, m. saccus, marsupium. *Fest.* Suffiscus dicebatur folliculus testium arietinorum, qui celebris usus erat pro marsupio: forsitan dictus suffiscus a fisci similitudine, *h. e.* parvus fiscus.

SUFFĪTĬO, onis, f. *ὑποθυμίασις*, actus suffiendi, suffitus, suffimentum. *Plin.* 25, 2, 5. Orpheus et Hesiodus suffitiones commendavere. *Colum.* 1, 6. *med.* Ne vina rursus nimia suffitione medicata sint. *Id.* 12, 50. *med.* Suffitionem doliorum facere. *Festus* in *Aqua:* Funus prosecuti, redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem.

SUFFĪTOR, oris, m. *ὑποθυμιατὴς*, qui suffit, seu suffumigat. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 17. Lycus et ipse puerum suffitorem (*pinxit*).

SUFFĪTUS, a, um, part. a *suffio: τεθυμιαμένος*, suffumigatus. *Plin.* 20, 17, 73. Anisum dolores capitis levat suffitum naribus. *Colum.* 9, 14. Suffitas deinde, et aestivantes apes refrigerare oportet. *Ov. Fast.* 5, 676. urna Purus suffita, quam ferat, haurit aquam. *Arnob.* 6, 202. Signa fumo suffita, ac decolorata nigrescunt.

SUFFĪTUS, us, m. *θυμίασις*, suffumigatio: a *suffio. Plin.* 24, 11, 61. A multis in suffitus pro ture assumitur. *Id.* 21, 18, 69. Suffitum hujus herbae excipientes ore. *Id.* 32, 10, 42. Suffitu necare cimices.

SUFFIXUS et Subfixus, a, um, part. a *suffigo: καταπαγείς*, confixus, affixus. *Catull.* 67, 39. Janua suffixa tigillo. *Cic. Pis.* 18. Si te, et Gabinium cruci suffixos viderem. *Catull.* 99, 4. Suffixus in cruce. *Sil.* 1, 153. erecto suffixus robore, *h. e.* cruci suffixus. *Suet. Galb.* 20. Caput Galbae hasta suffixum. Et absolute *Tac. H.* 1, 49. Caput Galbae per lixas calonesque suffixum, laceratumque. *Appul. Met.* 6. Dona pretiosa postibus suffixa.

SUFFLĀBĬLIS, e, adj. *Prud. Apoth.* 906. Spiramus quotiens animae sufflabilis auras.

SUFFLĀMEN, inis, n. *τροχοπέδη*, lignum illud, quo per radios rotarum trajecto; vel ferreum instrumentum in modum soleae formatum, quo subter rotae unius canthum supposito, currus in declivibus locis nimio impetu ruentes cohibentur; illud Itali *stanga*, hoc *scarpa* vocant: est a *sub*, aliquantisper, et a *φλάω*, frango, mollio, cohibeo, unde flamen, ut a *φάω* seu *φημὶ*, dico, est famen. *Juven.* 8, 148. Ipse rotam stringit multo sufflamine consul. *Prud. Psych.* 417. tardat sufflamine currum. ℙ Translate pro quocumque retinaculo, impedimento, retardatione. *Id.* 16, 50. Nec res atteritur longo sufflamine litis. *Inscr.* ap. *Grut.* 180, 3. Fontium, aquarumque coelestium ex montibus delabentium torrenti sufflamen his muris fossaque opposuit, et ad plana perduxit.

SUFFLĀMĬNO, as, a. 1. ruentem currum sufflamine sisto. *Sen. Apocol.* 14. Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. ℙ Per translationem accipitur pro comprimere, retinere, refrenare in universum. *Sen. Excerpt. controv. praef.* 4. *med.* Tanta illi erat velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque D. Augustus optime dixit, Aterius noster sufflaminandus est. Adeo nedum currere, sed decurrere videbatur, nec verborum tantum illi copia, sed etiam rerum erat.

SUFFLAMMO et Subflammo, as, a. 1. inflammo, accendo. *Sidon. ep.* 4, 6. *f.* Calumniam plectibili sufflammat invidia.

SUFFLĀTĬO, onis, f. *ὑποφυσάσις, ἐμφύσημα. Plin.* 9, 7, 6. Praeterea bullantium aquarum sufflatio, lunaeque effectu concharum quoque corpora augescentia. Adde *ib.* 29, 46.

*SUFFLATORĪUM, i, n. follis, quo ignis sufflatur. *Vulg. Ierem.* 6, 29. *B. A.*

SUFFLĀTUS, a, um, part. a *sufflo:* vento inflatus. *Plin.* 8, 38, 58. Sufflatae cutis distentu ictus hominum, et morsus canum arcent. *Varr.* ap. *Non.* 4, 426. Persae propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque exspuerent, neque emungerentur, sufflatove corpore essent. *Cato R. R.* 157. Venae ubi sufflatae sunt ex cibo, non possunt perspirare. ℙ Hinc sumitur pro tumido, superbo. *Varr.* ap. *Non.* 1, 227. Neque auro, aut genere, aut multiplici scientia Sufflatu' quaerit Socratis vestigia. *Auct. ad Her.* 4, 10. Nam gravi figurae, quae laudanda est, propinqua est ea, quae fugienda est: quae recte videbitur appellari, si sufflata nominabitur. *Gell.* 7, 14. Plerumque sufflati atque tumidi (*in dicendo*) fallunt pro uberibus. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 388. sq.] *Pl. Bacch.* 4, 2, 21. Sufflatus ille huc veniet. *Pist.* diruptum velim, *h. e.* iracundia tumens.

[*SUFFLĀTUS, us, m. sufflatio. *Sen. Clem.* 1, 25. Ubi aliqua (serpens) solitam mensuram transiit, et in monstrum excrevit, ubi fontes potu infecit, et sufflatu deurit obteritque quacumque incessit, balistis petitur. Al. pro *sufflatu leg. si afflavit.* — Haec vox a Gesnero ac Schellero praetermissa est. Sed cum satis recte se habeant 4tae decl. substantivi *afflatus, efflatus, inflatus* cet. haud temere e Latio ejiciendum mihi videtur v. *sufflatus. Bail.*]

SUFFLĀVUS. V. SUBFLAVUS.

SUFFLO et Subflo, as, avi, atum, a. 1. *φυσάω, φυσίζω*, flo in rem aliquam, inflo. *Mart.* 3, 17. Sufflavit buccis terque quaterque suis. *Plin.* 11, 18, 19. Rubetae veniunt ultro, adrepentesque foribus (*alveorum*) per eas sufflant. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 17. Puer sufflans languidos ignes. *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm.* Dedit gladiatores decrepitos, quos si sufflasses, cecidissent. ℙ Sufflare buccas, sufflando inflare. *Pl. Stich.* 5, 4, 41. Age, tibicen, refer ad labias tibias, suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia. ℙ Translate. *Id. Cas.* 3, 3, 19. Hic

sodalis tuus nescio quid se sufflavit uxori suae, *h. e.* ira intumuit. *Pers.* 4, 20. suffla: sum candidus, *h. e.* jacta, gloriare, infla te.

SUFFOCĀBILIS, e, adj. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 9. Parvus locus suffocabilis erit aeris paupertate.

SUFFOCĀTIO, onis, f. πνίξ, ἀγχόνη, actus suffocandi. *Plin.* 20, 5, 15. Ejus semen contritum, et in vino potum tumentem alvum, et suffocationes mulierum, doloresque lenit. Ubi *suffocationes* appellat, cum ex vulvae conversione mulieres animo deficiunt, et paene exanimantur. Quae hujusmodi morbo laborant, ὑστερικὰ vocantur. Rursus *Id.* 26, 15, 90. Hyssopum suffocationes laxat.

SUFFOCĀTUS, a, um, part. a *suffoco. Arat.* 2, 278. ne suffocata, cruore Quae maculantur, edant. *Quint.* 11, 3, 5. Vox ultra vires urgenda non est: nam est suffocata saepe, et majore nisu nimis clara est. [**V. Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 389.] *Plin.* 20, 22, 87. Sinapi vulvarum conversione suffocatas *(mulieres)* excitat odore. V. v. praec. *Just.* 4, 1. *med.* Aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec, etc.

SUFFŌCO et Subfoco, as, a. 1. πνίγω, ἄγχω, spiritum praecludo obstrictis faucibus: a *sub*, et *faux*. *Au* in *o* abit, quomodo ab *aulla* est *olla*, a *plaudo explodo. Lucr.* 3, 905. Aut in melle situm suffocari, atque rigere. *Cic. Mur.* 29. *f.* Non minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit. *Sen. Q. N.* 6, 2. *med.* Ego timeam terras trementes, quem crassior saliva suffocat? ℙ Translate. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Est quorundam imperitia sub ramo vitem vinculo suspendendi, suffocante injuria, *h. e.* vinculo illo strangulante truncum, ut *Colum.* 4, 26. loquitur. *Cic. Att.* 9, 7. *med.* Consilium primum est suffocare Urbem et Italiam fame.

SUFFŌCO et Subfoco, as, a. 1. a *sub*, et *focus*, significat igni subjicere, igne purgare, et quasi sub focum mittere. *Prop.* 4, 8, 83. Dein quemcumque locum externae tetigere puellae, Suffocat, et pura limina tergit aqua. Ita cum *Scaligero* legunt nonnulli: alii *suffiit:* quod recte et merito defendit *Broukus.* V. SUFFIO.

SUFFŌDIO et Subfodio, is, ōdi, ossum, a. 3. ὑποῤῥύττω, subtus fodio. *Colum.* 2, 18. Neque suem velimus impasci, quoniam rostro suffodiat, et caespites excitet. *Plin.* 18, 21, 50. Qui sarriet, caveat, ne frumenti radices suffodiat. *Id.* 36, 15, 23. *n.* 2. Suffodere montes, *Tac. H.* 2, 21. Vineas expediunt suffodiendis muris. ℙ Item ab inferiore parte confodio, ferio. *Suet. Dom.* 17. Legenti traditum a se libellum suffodit inguina. *Caes. B. G.* 4, 12. Suffodere equos.

SUFFOSSIO, onis, f. ὑποῤῥυξή, actus suffodiendi. *Sen. ep.* 49. *med.* Et ipsum solum suffossionibus tremeret, et cuniculis. *Vitr.* 1, 5. *med.* Munitionibus neque arietes, neque suffossiones, neque machinae valent nocere.

SUFFOSSUS, a, um, part. a *suffodio:* ὑποῤῥυχθείς, subtus fossus. *Hirt. B. Alex.* 5. Alexandria est fere tota suffossa, specusque habet ad Nilum pertinentes. [**Vell.* 2, 33, 4. suffossi montes.] *Plin.* 16, 1, 2. Quercus suffossae fluctibus, aut propulsae flatibus. *Cic. Har. resp.* 15. Sacella suffossa, incensa, inaedificata, *h. e.* suffodiendo diruta. *Plin.* 8, 29, 43. A cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia. ℙ Item confossus. *Virg. A.* 11, 671. Suffosso revolutus equo. Alii leg. *suffuso.* V. SUFFUSUS. *Tac. A.* 1, 65. Caecina suffosso equo delapsus. Adde *ib.* 2, 11.

SUFFRAENĀTIO. V. SUFFRENATIO.

SUFFRĀGĀTIO, onis, f. ψηφοφορία, actus suffragandi, commendatio. *Cic. Mur.* 18. Tum vero in consule declarando multum etiam apud universum P. R. auctoritatis habet suffragatio militaris; et *ib.* 19. Suffragatio urbana. *Sall. Jug.* 69. *f.* Sic illi a multis honestissima suffragatione consulatus petebatur. *Cic. Planc.* 6. Sublata sunt studia, exstinctae suffragationes, nullae contentiones, nulla exspectatio suffragiorum. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. Nihil ad meam dignitatem accedere volo suffragatione vestra. *Suet. Claud.* 11. De quaestore quodam candidato inter causas suffragationis suae posuit, quod pater ejus frigidam aegro sibi tempestive dedisset. *Liv.* 4, 44. Nec potestas, nec suffragatio horum valuit, quin, etc. et 10, 13. *f.* Justa suffragatio visa. *Tab. aen.* ap. *Grut.* 242. *lin.* 12. Suffragationem suam alicui dare.

SUFFRĀGĀTOR, oris, m. ψηφιστής, qui suffragatur, qui suffragium fert. *Cic. Mur.* 7. Tua vero nobilitas, Servi Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus litteratis et historicis est notior, populo vero et suffragatoribus obscurior. *Plin. ep.* 3, 20. Addebat quosdam ex suffragatoribus: illi graviter, et paucis loquebantur. *Pl. Cas.* 2, 4, 20. Ibi ego te, et suffragatores tuos ulciscar. *Suet. Vesp.* 23. Exacta pecunia, quantum is cum suffragatore suo pepigerat; et *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* Propter studia suffragatorum.

SUFFRĀGĀTORĬUS, a, um, adj. ψηφιστικός, ad suffragatores, vel ad suffragia pertinens. *Q. Cic. Pet. cons.* 7. Fore ex eo non brevem et suffragatoriam, sed firmam et perpetuam amicitiam, *h. e.* similem favori et benevolentiae suffragatorum.

SUFFRĀGATRIX, icis, f. quae suffragatur. *August. C. D.* 18, 9. *f.* Nec adfuit Minerva suffragatricibus suis; et *ib.* 10. *f.* Poena suarum suffragatricium.

SUFFRĀGĀTUS, a, um, part. a *suffragor. Cic. Off.* 1, 39. Domus cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur.

SUFFRĀGĬNOSUS, a, um, adj. cujus suffragines morbo vitiatae sunt. *Colum.* 6, 38. de mula: Suffraginosae hordeacea farina imponitur.

SUFFRĀGĬUM, ii, n. ψῆφος, χειροτονία, significatio voluntatis judiciique nostri in creandis magistratibus, legibus jubendis, reis judicandis, etc. quae fit vel voce, vel tabella: quae tabella et ipsa *suffragium* dicitur. Populus R. initio suffragia voce tulit: deinde variis latis hac de re legibus, per tabellas, quae cistis deferebantur, et a diribitoribus populo distribuebantur. V. TABELLA et TABELLARIUS. [*Aliter de hac re, sed, ut nobis quidem videtur, rectissime statuit *Wunderus* in *praef.* ad *varr. lectt.* cet. p. 167. sqq. Etenim non duplicem, vel voce vel tabella, sed triplicem sententiae dicendae rationem ap. Romanos fuisse, i. e. antiquissimis temporibus *voce* et *calculis;* et latis deinde legibus tabellariis, *tabellis.* Quam sententiam primum quidem firmari recte putat elocutionibus *suffragium ferre, mittere in suffragia, inire vel ire in suffragium,* quae minime possent ad vocem referri. Ineptire enim qui *suffragium* a Gr. φράζεσθαι item qui a verbo *frangoris* deducerent; (sunt etiam, qui a *sub* et *frango etym.* facere velint.) potius, si conjecturae locus esset, cum verbo *suffraginis* cognatum videri, proprieque significasse nostr. *Knöchel.* Alterum argumentum depromit cum *Manutio de Com. Rom. C.* XV. p. 526. *ed. Graev.* ex multis Dionysii locis, ubi ratione antiquiss. temp. habita, de eo, qui comitia habuisset, ἀναδιδόναι et ἀποδιδόναι τὴν ψῆφον: contra de populo, sententiam declarante, τὴν ψῆφον ἀναλαμβάνειν, ἐπιφέρειν, φέρειν diceretur.] *Cic. Leg.* 1, 16. Si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. *Id. Agr.* 2, 7. *med.* Ut unusquisque studio et suffragio suo viam sibi ad beneficium impetrandum munire possit. *Hor. Ep.* 1, 19, 37. Non ego ventosae plebis suffragia venor Impensis coenarum, et tritae munere vestis. *Juven.* 8, 211. Libera si dentur populo suffragia, quis tam Perditus, ut Senecam dubitet praeferre Neroni? *Nep. Them.* 8. Testularum suffragiis e civitate ejectus. *Plin. ep.* 8, 23. Suffragio suo adjuvare aliquem in petendis honoribus. *Id. ep.* 2, 1. *med.* Candidatum suffragio ornare. *Plin. alter* 35, 10, 36. *n.* 5. Magnis suffragiis superari ab aliquo. *Sall. in or. Licin. ad pleb.* Destinare aliquem praesidem per suffragia. *Cic. Dom.* 18. Ferre suffragium de capite alicujus; et *Fam.* 15, 12. Facere aliquem consulem cunctis suffragiis; et *Just.* 1, 10. *extr.* Constituitur dux omnium suffragio; et *Cic. Verr.* 2, 2, 51. Suffragiis creare aliquem; et *Liv.* 3, 17. Inire suffragium; et 31, 7. Centurias in suffragium mittere. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. Cum in suffragium tribus oporteret ire. *Vell.* 2, 49. *f.* Committere se suffragiis populi; et *Varr. R. R.* 3, 2. Suffragia dirimere. V. DIRIBEO. *Plin. ep.* 3, 20. et 4, 25. Tacita suffragia, *h. e.* quae tabellis feruntur. ℙ *Suffragium,* centuria quae suffragium fert. *Festus* in *Sex.* Sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adjectae ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit. [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 22. Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum suffragiis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum Urbis fabris tignariis est data, LXXXIX. centurias habeat. *Liv.* 1, 43. haec sex suffragia *sex item alias centurias* vocat. V. CENTURIA. *F.*] ℙ Jus ferendi suffragii. *Liv.* 38, 36. *med.* Populi est, non senatus, suffragium, quibus velit, impartiri. [**Suet. Cal.* 16. tentavit Cal., comitiorum more revocato, suffragia populo reddere, nostr. *die Wahlen. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 748.] ℙ Translate est existimatio, voluntas, favor. *Cic. Phil.* 2, 17. Et vero adhibes joci causa magistrum, suffragio tuo et compotorum tuorum rhetorem. *Hor. Ep.* 2, 2, 102. Multa fero, ut placem genus irritabile vatum, Cum scribo, et supplex populi suffragia capto. *Plin. ep.* 10, 18. Gabium Bassum integrum, probum, industrium, voto pariter et suffragio prosequor. *Id. ep.* 4, 16. *extr.* Cujus et suffragio senatus libentissime indulget, et testimonio plurimum credit. *Plin. alter* 7, 28, 29. L. Siccius Dentatus vel numerosissima suffragia habet, *h. e.* plurimos habet auctores, qui dant ei palmam fortitudinis. *Id.* 11, 16, 16. de apum regib.: Concordi suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina. *Paul. Dig.* 24, 1, 24. Suffragium temporis procedit. *Impp. Sever. et Anton. Cod.* 2, 35, 1. Aetatis suffragio juvari. ℙ Qui secundam syllabam corripuerunt, ut *Paul. Nol. carm.* 35, 616., imitandi non sunt.

SUFFRĀGO, inis, f. κάμψις, ἰγνύς, flexura in posterioribus quadrupedum cruribus retrorsum incurvata, quae in prioribus contrario modo inflexa *genu* dicitur, sic appellata, quod ibi cruris continuitas divisa, ac quodammodo fracta appareat. *Plin.* 8, 45, 70. Victimarum probatio in vitulo, ut cauda articulum suffraginis contingat. *Id.* 11, 45, 101. Quae animal generant, genua ante se flectunt, et suffraginum artus in aversum; et *mox:* Aves, ut quadrupedes, alas in priora curvant, suffragines in posteriora. Adde *Colum.* 6, 15. ℙ Dicitur etiam per catachresin de quadam vitium sobole: fortasse quia suffringi solet. *Colum.* 4, 24. Et, si soboles, quam rustici suffraginem vocant, radicibus adhaeret, diligenter explantanda, ferroque allevanda est. ℙ In *Not. Tir.* p. 129. Suffuragines.

SUFFRĀGOR, aris, atus sum, dep. 1. ψηφίζομαι, suffragium ferendo faveo. *Cic. Mur.* 34. Si nihil erit, praeter ipsorum suffragium, tenue est; si, ut suffragantur, nihil valent gratia. ℙ Et universim auxilio sum, commendo, juvo, obsequor. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. *f.* A te peto, ut dignitati meae suffrageris. *Lentul.* ad *eund. ib.* 12, 14. *med.* Velim, ut in senatu, et in ceteris rebus laudi nostrae suffragere. *Cic. Leg.* 1, 1. Mihi videris fratrem laudando suffragari tibi. *Id. ad Brut.* 1, 10. *med.* Suffragari cupiditati alicujus. *Caes. B. C.* 1, 61. Huic consilio suffragabatur etiam illa res, quod, etc. *Q. Cic. Pet. cons.* 7. *f.* Eximiam quandam gloriam et dignitatem esse oportet in eo, quem homines ignoti, nullis suffragantibus meritis, honore afficiant. In quodam MS. *Verburg.* deest *meritis;* et *Cic. Fam.* 10, 5. *med.* Fortuna suffragante videris res maximas consecutus. *Maecian. Dig.* 32, 1, 95. Voluntas defuncti ei sententiae suffragatur. *Quint.* 11, 3. *med.* Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, etc. et *med.* Si memoria fefellerit, aut cogitatio non suffragetur.

SUFFRENĀTIO, onis, f. colligatio, et arcta structura, quae lapides veluti freno retinet. *Plin.* 36, 22, 49. Lapis globosus contra injurias fortis, sed ad structuram infidelis, nisi multa suffrenatione devinctus.

SUFFRENDENS et Subfrendens, entis, part. ab inus. *suffrendo,* infrendens, infremens. *Ammian.* 15, 12. Uxor inflata cervice suffrendens.

[SUFFRĒNO et Subfreno, as, a. 1. *Not. Tir.* p. 152. Refrenat, subfrenat. *F.*]

SUFFRĪCO et Subfrico, as, a. 1. ὑποτρίβω, idem quod frico, aut leviter frico. *Colum.* 12, 23. Si quid faecis aut labris vasorum, aut lateribus inhaesit, eradi ac suffricari; et *ib.* 25. *f.* et *ib.* 30. Vasa nucibus pineis suffricato; et *ib.* 38. *med.* Scopulis aridae myrti seria suffricatur. Alii leg. *suffriatur,* a *suffrio, as. Cels.* 6, 6. *n.* 26. Palpebras versas medicamentis suffricant.

SUFFRINGO et Subfringo, is, egi, actum, a. 3. ὑπάγνυμι, idem quod frango. *Pl. Rud.* 4, 4, 15. et *Truc.* 2, 8, 8. Ut ego hisce suffringam talos. *Cic. Rosc. Am.* 20. Opinor, iis crura suffringantur.

SUFFRĬO. V. SUFFRICO.

SUFFŪĔRAT, sub eodem tecto fuerat. *Festus.*

SUFFŪGIO et Subfugio, is, a. 3. ὑποφεύγω, subtus, vel clam fugio, confugio. *Liv.* 24, 46. *med.* Imber coortus custodes vigilesque dilapsos e stationibus subfugere in tecta coegit. *Suet. Tib.* 27. Per genua orare conantem ita suffugit, ut caderet supinus, *h. e.* recedendo vitavit. *Lucr.* 4, 360. ubi suffugit sensum simul angulus omnis; et 5, 151. natura Deum manuum tactum suffugit, et ictum.

SUFFŪGĬUM, ii, n. καταφυγή, quo quis suffugit, h. e. securitatis causa sese recipit. *Oo. de nuce* 119. Quid, nisi suffugium nimbus vitantibus essem? *Tac. G.* 16. Subterranei specus suffugium hiemi, et receptaculum frugibus; [*et cp. 46. ferarum imbriumque suffugium. *Id. A.* 3, 74. suffugia Garamantum; 4, 66. urgentium malorum suffugium; cp. 47. ob propinqua suff.] *Quint.* 9, 2. *med.* Haec deverticula et anfractus suffugia sunt infirmitatis. *Plin. ep.* 9, 39. Nullum in proximo suffugium aut imbris, aut solis. [*Adde *Sen. de ira* 1, 11, 2. suffugia adversus — coeli rigorem. *Sil.* 5, 508. suffugium miseris.]

SUFFULCĬO, is, ulsi, ultum, a. 4. ὑπερείδω, [*aliquid subjecta aliqua re fulcire. Primo loco poni debebat illud *Appul. Met.* 10. Pulvilli, queis maxillas et cervices delicatae mulieres suffulcire consuerunt. V. *Lucr.* l. in *suffultus* laud. ℙ Translate, est corroborare, sustentare.] *Lucr.* 4, 865. Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus. *Pl. Epid.* 1, 1, 77. Tantae in te impendent ruinae: nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere. ℙ *Suffulcire columnam,* supponere ad fulciendum. *Pl. Mil.* 2, 2, 54. Ecce autem aedificat: columnam mento suffulsit suo.

[SUFFULGĔO, es, n. 2. subtus fulgeo. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 311. *Burm.* Tum fit, ut humor aquae suffulgeat, atque colores Sub varia specie jaciat mirabilis arcus. *F.*]

SUFFULTUS, a, um, part. a *suffulcio:* ὑπερεισοθείς, fulciendo suspensus et firmatus. *Lucr.* 4, 428. Porticus stans in perpetuum paribus suffulta columnis. *Mart.* 9, 3. Octo Syris suffulta lectica. *Sen. Troad.* 105. cadit ex humeris Vestis apertis, imumque tegit Suffulta latus, *h. e.* fascia substricta.

SUFFŪMĬGĀTIO, onis, f. suffitio. *Veg. Vet.* 3, 23. *f.* Frequentissimis suffumigationibus curare.

SUFFŪMĬGO et Subfumigo, as, a. 1. ὑποκαπνίζω, subtus fumum excito, suffio. *Varr. R. R.* 3, 16. *f.* Si ex alvo apes minus frequentes evadunt, suffumigandum. *Cels.* 5, 27. *n.* 5. Quidam super prunas scor-

pione imposito, vulnus suffumigant. *Id.* 4, 20. *med.* Dolens vulva sulphure suffumigari debet. *Colum.* 12, 50. *med.* Dolia siccata suffumigare alba cera; et *ib.* 25. *f.* Vasa rore marino, vel lauro, vel myrto suffumigato. Adde *ib.* 12. *extr.* et *Cels.* 6, 6. *n.* 35.

[SUFFŪMO, as, n. 1. aliquantum fumi emitto. Translate. *Hieron. ep.* 29. *n.* 1. Non sunt suaves epistolae, quae non placentam redoleant, quas non condit Apicius, in quibus nihil de magistrorum hujus temporis jure suffumat. *F.*] ℙ **Suffumo* vel *Subfumo, as*, a. 1. *ὑποκαπνίζω Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SUFFUNDĀTUS et Subfundatus, a, um, part. ab inus. *suffundo, as*, subtus fundatus. *Varr.* ap. *Non.* 1, 236. In domibus latericiis, paululum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.

SUFFUNDO et Subfundo, is, udi, usum, a. 3. *ἐπιχέω, ὑποχέω*, proprie est clam et subtus fundere. *Sen. Q. N.* 3, 21. Imbrium aqua per secretos cuniculos reddita tacite suffunditur. [*Et translate.] *Pl. Cist.* 1, 1, 35. Nostro ordini palam blandiuntur; clam, si occasio usquam est, aquam frigidam subdole suffundunt, [*i. e. calumniantur.] ℙ Item sparsim fundo, effundo, superfundo, perfundo, infundo, aspergo. *Pl. Curc.* 1, 3, 3. Mane: suffundam aquulam. *Id. Rud.* 2, 7, 30. Quasi vinis Graecis Neptunus nobis suffudit mare. *Colum.* 12, 9. *med.* Saepe suffundere jus debebit, nec pati sitire salgama. *Vitruv.* 7, 12. In doliis sarmenta componentes, acetum suffundunt, et supra sarmenta plumbeas massas collocant. *Petr. fragm.* p. 678. *Burm.* capiti suffundere costum. *Plin.* 23, 1, 24. Si cruore suffunduntur oculi. *Id.* 30, 13, 40. Ossibus fractis caninum cerebrum linteolo illito, superpositis lanis, quae subinde suffundantur, *h. e.* aspergantur, madefiant. *Ov. Met.* 10, 360. et tepido suffundit lumina rore, *h. e.* oculos lacrimis spargit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 219. rabidas suffundit sanguine venas, *h. e.* implet, distendit. ℙ Pro infundere. *Colum.* 6, 38. Lassae et aestuanti mulae merum in os suffunditur. Et translate *Varr. R. R.* 2, 8. *med.* Id ante admissuram largius facimus, ut cibo suffundamus vires ad feturam. ℙ Commode refertur ad ruborem vultus. *Virg. G.* 1, 430. de Luna: si virgineum suffuderit ore ruborem, Ventus erit. *Pacat. Pan. Theod.* 44. Et dejeceras oculos, et vultum rubore suffuderas. *Ov. Met.* 1, 483. taedas exosa jugales, Pulcra verecundo suffunditur ora rubore. *Plin. Pan.* 2. *extr.* Ad quas ille voces lacrimis etiam ac multo pudore suffunditur. *Hieron. in Jovin.* 1. *n.* 48. *in.* Haec Theophrastus disserens quem non suffundat Christianorum? et *Tert. Virg. vel.* 2. *extr.* Tam sancti viri est, subfundi, si virginem viderit, quam sanctae virginis, si a viro visa sit. *Id. Resurr. carn.* 61. Officia membrorum ludibriose de industria suffundendae resurrectionis oblatrant, *h. e.* erubescendae, seu negandae. Adde *Pall.* 6. et *Apol.* 37. *med.* V. SUFFUSUS. ℙ Dicitur et de aliis rebus, quae liquoris instar sparguntur. *Lucr.* 3, 38. de metu: humanam qui vitam turbat ab imo, Omnia suffundens mortis nigrore. *Id* 6, 478. de nebulis: Suffunduntque sua coelum caligine. *Stat. Theb.* 11, 120. trepidumque Hyperionis orbem Suffundi maculis. ℙ *Suffundi* dicuntur oculi, qui concreto humore caecantur: unde *suffusio. Sen. Clem* 2, 6. *med.* Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi suffunduntur.

SUFFŪROR et Subfuror, aris, dep. 1. *κλέπτω*, clam furor. *Pl. Truc.* 2, 7, 15. Haec cum video fieri, suffuror, suppilo, de praeda praedam capio.

SUFFUSCUS, etc. V. SUBFUSCUS.

SUFFŪSIO et Subfusio, onis, f. *ὑπόχυσις*, actus suffundendi, sparsio sub aliqua re, ut Suffusio fellis, ap. *Plin.* 22, 23, 49. Suffusio agrestis cucumeris, et colocynthidis, h. e. infusio, affusio, *Pall.* 1, 35. *med.* Suffusio vini, *Apic.* 1, 1. *h. e.* infusio. ℙ Speciatim est morbus oculorum ex humore sub tunicis concreto, et visum impediente, quam describit *Celsus*, et quomodo curari possit, 7, 7. *n.* 14. et 6, 6. *n.* 35. docet. *Plin.* 34, 11, 27. Contra initia glaucomatum et suffusionum. *Id.* 32, 4, 14. Sanguis testudinum suffusiones oculorum tollit. *Id.* 28, 1, 2. Felle hominis suffusiones oculorum sanari. ℙ Est etiam morbus pedum in jumentis ex labore: de quo *Veg. Vet.* 1, 38. *med.*

[SUFFŪSORĬUM, ii, n. tubulus, canaliculus, ex quo oleum in lucernas suffunditur. *Gloss. Philox.* Suffusorium, *ἐπίχυσις. Hieron.* 2. *in Isai.* 4, 1. In Zacharia legimus in uno aureo candelabro septem lucernas, et septem suffusoria. *Id.* tamen in *Zachar.* 4, 2. *infusoria* habet, quae vox idem significat. *F.*]

SUFFŪSUS et Subfusus, a, um, part. a *suffundo*, *ὑποχυσθείς*, subter fusus, sparsim fusus, diffusus, aspersus, inspersus: et dicitur tum de liquoribus, tum de iis, quae liquorum more diffunduntur. *Cic. Tusc.* 1, 9. *med.* Cordi suffusus sanguis. *Ov. Fast.* 1, 215. quibus intumuit suffusa venter ab unda, *h. e.* aqua intercute. *Claud. in Eutrop.* 2, 13. Ulcera possessis alte suffusa medullis, *h. e.* intus et sub cute dilatata et profunda. *Cic. N. D.* 2, 21. Tenuis ac perlucens, et aequabili calore suffusus aether. *Plin.* 29, 6, 38. Suffusi cruore oculi. *Id.* 20, 13, 51. Sanguis oculis suffusus. *Id.* 22, 21, 26. Suffusa bilis; et *ib.* 30. Prodest felle suffusis et hydropicis; et *ib.* 20, 23. Anchusae radix datur bile suffusis. *Ov. Met.* 11, 368. lupus rubra suffusus lumina flamma. *Sen. Herc. Oet.* 1405. Igne suffusae genae scelus minantur. *Virg. A.* 2, 232. lacrimis oculos suffusa nitentes. *Ov. Met.* 2, 777. de Invidia: Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno; et *Tibull.* 2, 1, 55. Agricola minio suffusus; et *Plin.* 29, 2, 9. Lanae succidae dolentibus nervis impositae, et crebro suffusae; et *Ov. Trist.* 3, 1, 15. Littera suffusas quod habet maculosa lituras, etc. *Id. Fast.* 2, 637. Et bene nos, patriae, bene te, pater optime, Caesar, Dicite suffuso per sacra verba mero. ℙ De erubescentibus. *Id. Am.* 3, 3, 5. Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit. *Manil.* 5, 711. Femineum rubro vultum suffusa pyropo. *Liv.* 30, 15. Masinissae haec audienti non rubor solum subfusus, sed lacrimae etiam obortae. *Tert. Anim.* 38. *med.* Suffusior sexus, *h. e.* pudori magis obnoxius. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Novi animum tum mihi amicissimum, tum nulla in ceteros malevolentia suffusum. *Ov. Trist.* 2, 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi. ℙ Suffusi equi, inquit *Serv.* ad *A.* 11, 671. dicuntur, quos vulgo caespitatores vocant. Adde *Veg. Vet.* 1, 53.

*SUFIBUS, opp. Africae Propriae, in Byzacena, ad Bagradam amnem. *Ant. Itin. August. adv. Donat.* 6, 26. Privatus a Sufibus: ubi v. *Sufibus* potest esse ablativus casus: sed melius, credo, iudecl. *B. A.*

[SUGABARRĪTĀNUS, a, um, adj. ad Sugabarri pertinens, Mauretaniae Caesariensis oppidum, quod a *Ptolem.* 4, 2. *Ζουχάββαρι*, a *Plin.* 5, 2, 1. Succabar appellatur. *Ammian.* 29, 5. *med.* Venit ad municipium Sugabarritanum Transcellensi monti accline. *F.*]

SŪGAMBRI, orum, m. plur. iidem qui Sicambri, populi Germaniae, Rheni amnis accolae, ubi nunc Westphaliae ducatus. *Tac. A.* 2, 26. Sic Sugambros in deditionem acceptos. ℙ Adjective. *Id. ib.* 4, 47. Recepti subsidio Sugambrae cohortis. ℙ Canes Sugambri, vel Sicambri laudantur a *Grat. Cyn.* 202.

SUGGĔRO et Subgero, is, gessi, gestum, a. 3. [*proprie significat ponere, ferre, portare aliquid sub aliquam rem, nostr. *unterlegen*. Cujus generis exempla *Forc.* laudaverat ista:] *Virg. A.* 7, 462. magno veluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aheni. *Pall.* 1, 20. Subjectis hinc inde cuniculis pavimenta suspendat, et ignem suggerat fornace succensa. ℙ [*Hinc translate, subjicere, subdere aliquid alicui rei tanquam causam, fundamentum, documentum.] *Cic. N. D.* 3, 29. Atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit. *Id. Or.* 2, 27. Cum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. [*Porro huc pertinet illud *Livii* 3, 4. invidiae flammam ac materiam criminibus subgerere. Item *Flor.* 2, 8. Ut ab Europa in Asiam, ultro se suggerentibus causis, imperium procederet. ℙ Tum *suggerere* usurpatur a scriptoribus, qui aliquem vel aliquid in rerum gestarum enarratione praecedentibus ordine postponunt: metaphora sumta a tabulis, in quibus nomina aliud post aliud scripta leguntur. *Liv.* 2, 8. Apud quosdam auctores non invenio Lucretium consulem: Bruto statim Horatium suggerunt. *Id.* 4, 20. ut quidam annales veluti funesti, nihil praeter nomina consulum suggerant. Cf. 9, 44. ℙ Deinde ponitur in universum cum notione subministrandi, suppeditanti, sufficiendi, subinde praebendi, Gr. *ἐπαρκέω, συμβάλλω.*] *Plin.* 11, 10, 10. de apib.: Aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt. *Virg. A.* 10, 332. fidum Aeneas affatur Achatem: Suggere tela mihi, steterunt quae in corpore Grajum. *Ter. Ad.* 1, 1, 36. Cur amat? cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris? *Mart.* 3, 82. suggeritque ructanti Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci. *Tac. H.* 3, 36. Cibum suggerere alicui. *Ov. Met.* 15, 81. Prodiga divitias alimentaque mitia tellus Suggerit, atque epulas sine caede et sanguine praebet. [**Suggerit* h. l. est Gr. *ὑποφύει, ὑποβάλλει.* V. *Wakef. Addenda* ad *Lucr.* T. 1. p. 383. Sic *Lucr.* 1, 7. tellus submittit flores. Laudat haec *Jahn.* ad *Ov.* l. a *Forc.* allatum.] *Hirt. B. Alex.* 3. Urbs fertilissima et copiosissima omnium rerum apparatus suggerebat. *Plin. ep.* 2, 8. Lacus piscem, feras silvae, studia altissimus iste secessus affatim suggerit. ℙ Item memoriae subjicio, submoneo, *ὑποτίθεμαι. Cic. Fin.* 2, 14. Si me memoria forte defecerit, tuum est, ut suggeras. Alii leg. cum *Grut.* ex MSS. *nisi memoria forte defecerit*, ceteris omissis. [*Ita *Orell.*] *Ulp. Dig.* 4, 6, 26. *f.* Quoties aequitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum. *Id. ib.* 28, 5, 35. *f.* Quae in proposito quoque suggerit, ut Italicarum rerum esse credantur eae res, quas in Italia esse testator voluit, *h. e.* admonet, suadet, postulat. Adde *Mamert. Genethl.* 15. et *Pacat. Pan. Theod.* 18. ℙ *Suggeri*, adjici, accedere. *Cic. Phil.* 2, 27. Alia mimi rapiebant, alia mimae: totos dies potabatur: suggerebantur etiam saepe damna aleatoria. ℙ Pro afferre. *Pl. Men.* 1, 3, 29. Madida quae mihi apposita in mensam: milvinam suggerant, *h. e.* orexim rabidam faciant, ut ait *Juven.* 6, 427. ℙ Item clam inferre, adhibere. *Cic. Att.* 12, 44. Si nihil fiet, aut Druso ludus est suggerendus, aut utendum Tusculano, *h. e.* Drusus aliqua techna est captandus.

SUGGESTĬO et Subgestio, onis, f. aggestio, additio unius rei ad aliam. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. *med.* Potus suggestione auctus, *h. e.* subinde addendo largius datus. ℙ Saepius est actus aliquid consulendi, vel monendi, seu proponendi. *Vopisc. Aurel.* 14. Hoc igitur quod Nerva in Trajano adoptando, quod Trajanus in Hadriano, et ceteri deinceps proposita suggestione fecerunt, etc. *Id. ib.* 19. Referimus ad vos, P. C., pontificum suggestionem. *Sym. ep.* 9, 20. (al. 22.) Sed plura tribues vel tuo provisa studio, vel illorum suggestione comperta. Additur a quibusdam locus *Quint.* 9, 2, 15., ubi agens de figura Responsionis, inquit: Quod schema quidam per suggestionem vocant. Sed leg. alii *subjectionem.* [**Spald.* voc. *suggestionis* tot auctoribus defensum esse docet, ut de eo dubitare plane non liceat, quanquam neque alibi legatur ap. hujus aetatis scriptores, et pro ipsa re Cornificius usurpet *subjectionem Rhett. ad Her.* 4, 23. 24.] [*Inscr.* ap. *Grut.* 165, 1. Ob instauratos Urbi aeternae muros, portas, ac turres ex suggestione V. C. Fl. Stilichonis. Haec inscriptio pertinet ad ann. CCCCII. a Chr. n. *F.*]

SUGGESTUS et Subgestus, a, um, part. a *suggero*, aggestus, cumulatus. *Prop.* 4, 4, 7. Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno, Fidaque suggesta castra coronat humo. ℙ Item adjectus, suppletus. *Cic. Or.* 2, 26. Ambiguum tum explicatur, cum ea verba, quae desunt, suggesta sunt. ℙ Item sustentatus, sublatus. *Sil.* 14, 644. celsis suggesta theatra columnis.

SUGGESTUS, ūs, m. et Suggestum, i, n. locus eminens ex terra aliave materia suggesta, seu aggesta. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Ex suggesto faleris, ubi solent esse *περιπετάσματα*, prodeunt anates in stagnum. *Cato R. R.* 154. Labrum in suggestu inter dolia positum habeto, uti in culleum de eo vinum salire possit. *Colum.* 9, 7. Qualiacumque vasa placuerint collocari, debebit suggestus lapideus extendi per totum apiarium in tres pedes altitudinis. *Plin.* 12, 10, 21. Ejusdem insulae excelsiore suggestu lanigerae arbores, etc.; et *Stat. Silv.* 1, 2, 113. celsae procul aspice frontis honores, Suggestumque comae, *h. e.* comam in tutulum collectam in vertice, qua feminae solebant caput alte aedificare, ut ait *Juven.* 6, 502. *πύργον πλοκάμου.* ℙ Praecipue est pegma, pulpitum, ex quo in concione verba fiunt ad populum, et in castris ad milites, *ἀνάβαθρον. Plin.* 34, 5, 11. C. Maenius in suggestu rostra, devictis Antiatibus, fixerat. (Adde *Liv.* 8, 14. *f.*) *Cic. Div.* 1, 54. *f.* Illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendens. [**Ern.* in *cl. Cic.* s. h. v. docet: patere ex hoc loco, Athenis etiam reos de causa capitis e suggesto causam dixisse.] *Id. Tusc.* 5, 20. *med.* Cum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Adde *Tac. H.* 1, 36. et 55. ubi de suggestu militari sermo est: item *Liv.* 31, 29. *med.* ubi de tribunali, ex quo praetor jus dicit. ℙ Hujusmodi fuit suggestus ceteris gradibus altior, quem sibi in orchestra decerni passus est C. Caesar spectandi causa; uti narrant *Flor.* 4, 2. *extr.* et *Suet. Caes.* 76., item *Ner.* 12., ubi *cubiculum* dicitur, quia septum undique parietibus, quo princeps videns omnes a nemine videretur. Laudat Trajanum *Plin Pan.* 51. quod et suggestum et cubiculum sustulit, et una cum populo spectare et spectari voluit. [*V. *Lips. de amphith.* c. 11., *Bulenger. de Circo Rom.* c. 34., *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 51, 4.] ℙ Ap. *Tert. Spect.* 7. et 12. est congestio et apparatus variarum rerum in circensibus celebrandis. ℙ Translate est rerum quarundam cumulus. *Appul. Met.* 5. Neve se de tanto fortunarum suggestu pessum dejiciat. ℙ Pro suggestione. *Ulp. Dig.* 27, 8, 1. *med.* Si curatores fuerint minus idonei dati, dicendum est, teneri magistratus oportere, si ex suggestu eorum praeses dederit.

SUGGRĔDĬOR et Subgredior, eris, dep. 3. *ὑποβαίνω*, latenter gradior, accedo. *Tac. A.* 15, 11. Caesis qui barbarorum propius suggrediebantur. *Id. ib.* 2, 12. Suggressi propius speculatores. Adde *ib.* 4, 47. [*13, 37. et 14, 37.]

SUGGRUNDA, cum derivatis. V. SUBGRUNDA.

SŪGILLĀTIO et Suggillatio, onis, f. *ὑπωπιασμός*, actus sugillandi. *Plin.* 32, 7, 24. Reliquae carnes impositae suggillationem rapiunt. ℙ Translate sumitur pro contumelia, ignominia. *Id.* 7, 45, 46. Juxta haec Variana clades, et majestatis ejus foeda suggillatio. *Liv.* 43, 14. Non sine sugillatione consulum. *Val. Max.* 2, 3. *n.* 1. Ne talis notae contagio ad ipsius gloriae sugillationem penetraret. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. *med.* Si quis sic fecit injuriam servo, ut domino faceret, video, dominum injuriarum agere posse suo nomine: si vero non ad sugillationem domini, id fecit, etc.

SŪGILLĀTĬUNCŪLA, ae, f. parva sugillatio. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 9. Cernas hinc alios cloacam ventris, et oris inhalare sentinam: interque ructandum quasdam sugillatiunculas fringultien-

tem ab alio, qui stipem suam dilapidavit, parasitico more laudari.

SUGILLĀTUS et Suggillatus, a, um, part. a *sugillo*: ὑπωπιωθείς, percussus, lividis maculis deformatus. *Plin.* 20, 6, 23. Allium suggillata, aut liventia ad colorem reducit. *Id.* 28, 9, 34. Caseus recens cum melle suggillata emendat. *Id.* 31, 9, 45. Oculi ex ictu suffusi cruore, et sugillati. *Sen. ep.* 13. Non potest athleta magnos spiritus ad certamen afferre, qui nunquam sugillatus est. ℙ Translate est infamia notatus, contumelia affectus. *Liv.* 4, 35. *f.* Viros spectatos, primis annis suggillatos, repulsos; risui patribus fuisse; desisse postremo praebere ad contumeliam os.

*SUGILLĀTUS, us, m. i. q. sugillatio. *Tertull. adv. Marc.* 4, 34. *B. A.*

SŪGILLO et Suggillo, as, avi, atum, a. 1. ὑπωπιάζω, contundo et lividum facio, ictu livorem induco. V. SUGILLATIO et v. praec. ℙ Translate est existimationem laedere, infamare, contumelia afficere, notare. *Petr. Sat.* 128. Quaeso, inquam, regina, noli sugillare miserias, veneficio contactus sum. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 1. *extr. f.* Sugillare crudelitatem alicujus. *Id.* 7, 5. *n.* 5. Sulla repulsa praeturae sugillatus est. *Id. ib.* 8. *n.* 9. Sanctissimae jura familiaritatis scurrili lusu sugillanda sibi desumere. *Ulp. Dig.* 2, 4, 10. *f.* Praetor ait: in jus sine permissu meo ne quis vocet, Permissurus enim est, si famosa actio non sit, vel pudorem non suggillet, qua patronus convenitur, vel parentes. Adde *ib.* 44, 4, 4. *med.* ℙ Significat etiam obcludere. Sic enim interpretatur *Non.* 2, 785. illud *Varr.* Contra lex Maenia est in pietate, ne filii patribus luci claro sugillent oculos. *Anton. August. de leg. et S. C. p. m.* 155. Hoc fortasse per translationem dictum est, videlicet ne mortem eorum maturarent: neque enim vetus mos ignoratur, quo parentibus liberi cum morerentur, oculos claudebant. ℙ Pro suggerere. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 999. Sciat hic, quis illi verba suggillet Deus. ℙ Incerta est hujus vocis origo et notatio, atque adeo etiam scriptio. V. etymologos, *Scal.* ad *Fest.* et *Dausqu.* in *Orthogr.* [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1, 407. sq. Praeferenda nobis videtur eorum sententia, qui *suggillare* dictum volunt pro *subcillare*, ex *sub*, et *cilium*. V. *Schneid. Lex. Gr.* in v. ὑπώπιον.]

SŪGO, is, xi, ctum, a. 3. μύζω, ἐκμυζάω, pressis labris sucum attraho, aliave ratione liquorem elicio. *Cic. N. D.* 2, 47. *f.* Animalium alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Quot diebus agni matris sugant mammam. *Id. ib.* 1, 44. Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paulo levioribus sationibus serere, id est quae minus sugunt terram. *Mart.* 3, 60. Sugitur inciso mytilus ore mihi. Alii leg. *sumitur.* ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 1. *f.* Ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.

SŪI, sibi, se, ἑαυτοῦ, pronomen reciprocum omnis generis, et utriusque numeri. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 16. *l.* 9. *ad Att.* Nihil enim malo, quam et me mei similem esse, et illos sui. *Cic. Att.* 13, 1. *med.* Nicias te amat vehementerque tua sui memoria delectatur. *Id. Univ.* 6. Ita mundus se ipse consumptione et senio alebat sui: cum ipse per se, et a se et pateretur, et faceret omnia. *Id. Tusc.* 5, 20. *med.* Dionysius instituit, ut filiae candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent; et *f.* Dionysius alterum jussit interfici, quia viam demonstravisset interimendi sui, *h. e.* Dionysii. *Liv.* 3, 68. *f.* Malae rei se, quam nullius, duces esse volunt. *Cic. Or.* 28. *extr.* Manu si prehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia persuasisset, ut se dimitterem. *Id. Q. Fr.* 3, 1. *f.* Cum ad illum scribas, nihil te recordari de se. [*Cf. *Ramsh.* §. 157. 2. et *n.* 2. p. 530. sqq. *Zumpt.* §. 666. p. 511. sq. Porro qui largam de hac re disputationem habuit *Ruddim.* 2, 44. sqq.] ℙ Interdum *se* repetitur. *Ter. Heaut.* 4, 3, 24. Aperte, ita ut res sese habet, narrato. *Id. Andr.* 5, 4, 51. Habet aliud magis ex sese, et majus. *Virg. Ecl.* 3, 66. At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas. ℙ Quando ablativo *se* jungitur *cum*, semper postponitur. *Cic. Sen.* 14. *med.* Animum secum esse, secumque, ut dicitur, vivere; et *Att.* 5, 6. A me petiit, ut secum, et apud se essem quotidie. ℙ Additur saepe syllabica particula *met. Sil.* 13, 662. Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces. *Liv.* 2, 12. Ne semet ipse aperiret, quis esset; et *ib.* 44. Nisi inter semet ipsi seditionibus saeviant. *Hor. Sat.* 1, 6, 77. Artes, quas doceat quivis eques, atque senator Semet prognatos. ℙ *Sibi* abundat interdum, eleganter tamen. *Ter. Andr.* 2, 3, 1. Quid sibi vult pater? cur simulat? *Id. Eun.* 3, 5, 10. Quid sibi hic vestitus quaerit? *Liv.* 44, 12. Hostes admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. ℙ [*Sibi* multis in locis i. q. commodo suo, cuicumque, ut delectationi, jaculis, inferiis, *cet. Cort.* ad *Lucan.* 2, 323. *Ne sibi se vicisse putet*, haec laudat: *Id.* 4, 793. vincat sibi: 10, 81. sibi vincere mavult; 7, 697. sibi se pugnasse. *Oros.* 7, 43. adversum ceteras gentes sibi pugnaret.] ℙ Cum *suus*, [*i. q. suus proprius. V. *Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 5, 8, 35. *Herz.* ad *Caes. B. C.* 1, 1. et 8.] *Cic. Am.* 3. Factus est consul bis primum ante tempus, iterum sibi suo tempore; et *Pl. Capt. prol.* 50. Ita nunc ignorans suo sibi servit patri. *Ter. Ad.* 5, 8, 35. Suo sibi hunc gladio jugulo; et *Pl. Amph.* 1, 1, 113. Me malum esse oportet, sibi, malitia, a foribus tet, atque hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere. *Id. Capt.* 1, 1, 12. Cochleae in occulto latent: suo sibi suco vivunt. *Colum.* 12, 54. Singula suo sibi jure eluito. *Vitr.* 8, 7. Si tophus erit, aut saxum, in suo sibi canalis excidatur; et *Inscr.* ap. *Grut.* 465, 7. et 705, 3. In suo sibi positi. ℙ *Ad se*, domum suam: *apud se*, domi suae. *Cic. Att.* 15, 4. *f.* L. Caesar, ut veniam ad se, rogat; et *ib.* 5, 6. A me petiit, ut secum, et apud se essem quotidie. Adde *Phaedr.* 4, 21. ℙ *Sui*, *sibi*, *se*, aliquando usurpatur extra reciprocum, quemadmodum et *suus*. *Hor. Sat.* 2, 1, 49. Grande malum Turius, si quis se judice certet: pro *eo*. *Mart.* 6, 52. Sis licet inde sibi tellus placata, levisque: pro *ei*. Alii tamen leg. Sis licet, ut debes, tellus, etc. *Colum.* 12, 44. *f.* Poma ita disponere, ut scobs inter se calcari possit: pro *inter ea*. [*Bene hunc loquendi usum exposuit *Ruddim.* 2, 54. sq. item *Ramsh.* §. 157. 5. *n.* 3. 4. p. 545. sqq. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 805.] ℙ *Sibe* pro *sibi* V. s. l. ℙ In *Monum. Scip.* scribitur sibei ap. *Visc. Op. var.* T. 1. p. 48. *tab.* 5. *litt.* C. *edit. Mediol.* Majorum obtenui laudem: ut sibei me esse creatum Laetentur. ℙ [*Confund. *sibi* et *ipsi*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 405. — et *quasi*. *Id. ib.* 1. p. 152.]

SŪILĒ, is, n. συοστασία, συφεός, συφεών, stabulum suum, septum, in quo nutriuntur porci. Differt ab hara, quod eo nomine significetur scropharum cubile, cui singulae scrophae separatim cum suis suculis includuntur. *Colum.* 7, 9. *f.* Diligens autem porculator frequenter suile converrat, et saepius haras.

[SŪILLAS, atis, adj. omn. gen. ad Suillum pertinens Umbriae oppidum, nunc, ut creditur, *Sigillo*. Hinc *Suillates*, *ium*, absolute, sunt incolae illius oppidi ap. *Plin.* 3, 14, 19. *F.*]

SŪILLUS, a, um, adj. ὑϊκός, dimin. a *suinus*, ejusdem tamen cum illo significationis. *Liv.* 22, 10. Ex suillo, ovillo, caprino grege. *Plin.* 8, 52, 78. At in Arabia suillum genus non vivit. *Colum.* 7, 9. *extr.* Suillum pecus. *Varr. R. R.* 2, 4. cognomen, *h. e.* Scrofa. *Plin.* 8, 33, 51. rostrum. *Id.* 28, 8, 29. lac. ℙ *Suilla*, absolute. *Cels.* 3, 9. Protinus suillam assam, et vinum homini dabat. *Id.* 5, 26. *n.* 30. Nam et avis, et venatio, et suilla elixa dari potest. *Plin.* 30, 5, 12. Vesci suilla tunc vetant. ℙ *Fungi suilli*, genus fungorum deterius, vilius, et periculosius. *Mart.* 3, 60. Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos. Adde *Plin.* 22, 23, 47. ℙ Suillum genus, inquit *Festus*, invisum Veneri prodiderunt poetae, ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat Dea. Quidam autem, quod immundissimi sint sues ex omni mansueto pecore, et ardentissimae libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare, et surire dicuntur.

SŪINUS, a, um, adj. suillus. *Varr. R. R.* 2, 4, *med.* Lanius conciliator suinae carnis datus populo. Ita leg. in ed. princ., at pleraeque aliae rectius habent *suillae*.

*SUIONES, um, gens vetusta Germaniae borealis, ubi nunc *Sweden*, vel illius regionis partem aliquam saltem incolentes. *Tac. G.* 44. 45. *B. A.*

*SUISMONTĬUM, i, n. mons Liguriae. *Liv.* 39, 2. et 40, 41. *B. A.*

[SULCĀ, ae, m. cogn. R. a sulco derivatum, ut Q. Baebius Sulca ap. *Liv.* 42, 6. *F.*]

SULCAE Ficus memorantur a *Colum.* 5, 10., sed vox depravata videtur: alii enim *Faliscae*, alii *mariscae* legunt.

SULCĀMEN, inis, n. idem quod sulcus. *Appul. Met.* 6. Glebae Siculae sulcamina.

SULCĀTOR, oris, m. αὐλακεφγάτης, qui sulcat, arator. *Prud. adv. Sym.* 2, 939. Leontini sulcator campi. *Avien. Perieg.* 587. et patuli sulcator Thessalus agri. ℙ Translate. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 340. laterisque piger sulcator opaci Invitus trahitur lasso de pectore vultur, *h. e.* rostro lancinans et abrodens. *Lucan.* 4, 587. qua se Bagrada lentus agit, siccae sulcator arenae, *h. e.* fluvius per arenas defluens, easque incidens. ℙ De navigante. *Stat. Th.* 11, 587. (et *ib.* 8, 18.) qualis si puppe relicta, Exosus Manes pigri sulcator Averni, Exeat ad superos, *h. e.* Charon. *Sil.* 7, 363. Fluctibus e mediis sulcator navita ponti Astra videt.

SULCĀTORĬUS. V. SCULTATORIUS.

SULCĀTUS, a, um, part. a *sulco*: ηὐλακιαμένος, sulcis proscissus. *Lucan.* 1, 168. rura quondam sulcata Camilli Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones. ℙ Translate. *Sen. Agam.* 440. sulcata vibrant aequora. *Lucan.* 3, 550. ubi puppes Sulcato varios duxerunt gurgite tractus. *Stat. Th.* 8, 230. ingenti sulcatum Nerea tauro. *Claud. VI. cons. Honor.* 488. celer Addua nostro Sulcatus socero. *Sil.* 1, 357. falarica sulcatum secat aera.

[SULCENSIS, e, adj. ad Sulcos pertinens, Sardiniae urbem. *Plin.* 3, 7, 13. Sulcense promontorium. V. v. sq. *F.*]

[SULCITĀNUS, a, um, adj. ad Sulcos pertinens, municipium Sardiniae maritimum ad meridiem. *Claud. B. Gild.* 518. Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos. Hinc *Sulcitani*, *orum*, sunt ejus municipii incolae ap. *Plin.* 3, 6, 17. et *Hirt. B. Afr.* 98 *F.*]

SULCO, as, avi, atum, a. 1. αὐλακίζω, sulcos facio, proscindo, aro. *Tibull.* 2, 3, 78. ad imperium dominae sulcabimus agros. *Colum.* 2, 2. *med.* Bubulcum per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum, et alternis recto plenoque sulcare. *Ov. Trist.* 3, 10, 68. Nec quisquam presso vomere sulcat humum. Adde *Sil.* 9, 191. ℙ Translate est excavare, effodere. *Varr. R. R.* 1, 29. Satum frumentum operiunt in porcis, et sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur. *Plin.* 9, 6, 5. Orca alveum in vado sulcaverat. *Ov. Met.* 15, 725. anguis tractu squamae crepitantis arenam Sulcat. *Lucan.* 9, 721. Et contentus iter cauda sulcare pareas. Sic *Ov. Met.* 3, 276. Sulcavitque cutem rugis, i. e. asperam et inaequalem fecit. ℙ Pro navigare, quia prora navis aquas findit, ut vomer humum. *Plin.* 12, 1, 2. Arbore sulcamus maria, terrasque admovemus *Virg. A.* 5, 158. et longa sulcant vada salsa carina. *Ov. Pont.* 2, 10, 33. Seu rate caeruleas picta sulcavimus undas; et *ib.* 1, 4, 35. Nos fragili vastum ligno sulcavimus aequos. *Claud. in Eutrop.* 2, 426. sulcandus qui praevius edocet undas. ℙ Et rotae curruum *sulcare* dicuntur. *Id. ib.* 300. Nec juga sulcabit noster Berecynthia currus. *Id. III. cons. Hon.* 150. stantemque rota sulcavimus Istrum. *Murrhed.* ap. *Sen. Contr.* 5, 34. *f.* Triptolemus junctis draconibus sulcavit auras. ℙ *Sulcare iter*, iter facere. *Sen. Herc. Oet.* 683. Medium coeli dum sulcat iter, Tenuit placitas Daedalus oras. Sic *Lucan.* 9, 668. Sulcans regna meatu.

SULCŬLUS, i, m. αὐλάκιον, parvus sulcus. *Colum. Arb.* 30. Rosam fructibus ac surculis disponi per sulculos pedales convenit. Alii rectius leg. *sulcos.*

SULCUS, i, m. αὖλαξ, ὀλκός, vestigium aratri, fossula in longum vomere impresso ducta. *Festus:* Sulci appellantur, qua aratrum ducitur, vel sationis faciendae causa, vel urbis condendae: vel fossura rectis lateribus, ubi arbores serantur: a voce Graeca posteriore allata, spiritu in *s* converso. *Varr. R. R.* 1, 29. *f.* Qua aratrum vomere lacunam fecit, sulcus vocatur: quod est inter duos sulcos, elata terra, dicitur porca. *Cato R. R.* 61. Sulco vario ne ares. *Cic. Div.* 2, 23. Cum terra araretur, et sulcus altius esset impressus. *Colum.* 2, 2. *f.* et *Juven.* 7, 48. Sulcum ducere. *Virg. Ecl.* 4, 33. telluri infindere sulcos. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Proscindere sulco jugerum: et *mox:* Omne arvum rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet; et *ib.* 33, 76. Sulcum ducere sarculo; et 17, 22, 35. *n.* 8. In colle sulcos agere transversos. *Id.* 18, 18, 47. Sulco tenui arare. *Ov. Met.* 3, 104. presso sulcum patefecit aratro. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 177. duras sulcis mollire novales. *Virg. G.* 1, 223. committere semina sulcis. *Id. Ecl.* 5, 36. mandare hordea sulcis. *Ov. Met.* 1, 123. Semina Cerealia longis sulcis obruere; et *Trist.* 3, 12, 11. herba latuit Cerealibus obruta sulcis. ℙ Per synecdochen est ipsa aratio. *Colum.* 2, 9. *med.* Hordeum altero sulco seminari debet, *h. e.* postquam bis araveris; et *ib.* 13. *f.* Semina, quae quarto sulco seruntur. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Tantis glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, adsurgit, ut nono demum sulco perdometur. *Plin. alter* 18, 20, 49. *n.* 3. Spissius solum quinto sulco seri melius est, in Tuscis vero nono. ℙ Dicitur etiam de minoribus fossis, quibus aquae ducuntur, aut deponuntur arborum semina, aut designantur urbis moenia, etc. *Colum.* 2, 8. *med.* Ut patentes liras, crebrosque sulcos aquarios, quos nonnulli elices vocant, faciamus, et omnem humorem in colliquias, atque inde extra segetes derivemus. *Plin.* 19, 4, 20. Areas hortorum ambiri singulas tramitum sulcis, qua detur accessus homini, scatebrisque decursus; et *Virg. G.* 2, 24. plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis; et *ib.* 289. tenui vitem committere sulco. *Id. A.* 1, 429. optare locum tecto, et concludere sulco; et *ib.* 10, 295. inimicam findite rostris Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina. *Ov. Fast.* 4, 825. premens stivam designat moenia sulco. *Plin.* 2, 106, 100. Baculo sulcum trahere. ℙ Translate dicitur de aqua remigando diffissa, de undis crispantibus, de rugis cutis, de longo tractu alicujus rei, de orbita, etc. *Virg. A.* 5, 141. adductis spumant freta versa lacertis: Infindunt pariter sulcos. *Val. Fl.* 3, 32. Nox erat, et leni canebant aequora sulco. *Mart.* 3, 72. Aut sulcos uteri prodere nuda times; et *Claud. in Eutr.* 1, 110. sulcisque genarum Corruerat passa facies rugosior uva. *Lucan.* 5, 562. dispersos traxere cadentia sulcos Sidera. *Virg. A.* 2, 697. tum longo limite sulcus Dat lucem. *Val. Fl.* 1, 568. ingenti flammantem nubila sulco Direxit per inane facem. *Stat. Th.* 6, 415. delet sulcos iterata priores Orbita. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 101. cursuque rotarum Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis. *Id. Rapt. Pros.* 3, 425. en ora fatiscunt Vulneribus, grandesque rubent in pectore sulci. *Lucan.* 4, 141. Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis, Spargitur in sulcos. *Prud. Apoth.* 664. calamique revolvere sulcos, *h. e.* scri-

pta. ℙ *Sulcus* per allegoriam ponitur pro pudendo muliebri. *Lucr.* 4, 1266. Eicit enim (*mulier*) sulci recta regione viaque Vomerem. [*Appul. Avɛχ.* 16. Arentque sulcos molli in arvo Venerio. Adde *Virg. G.* 3, 136. *F.*]

[SULEVIAE, arum, f. plur. Deae agrestes, quae et Silvanae dictae sunt. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2100. Suleviabus C. Paccius Pastor, Vet. Leg. XXII. V. S. L. M. Alia *ib. n.* 2099. Sulevis sacrum L. Aurell Primus et Marcellus Dupl. et Fl. Festus fratres V. S. L. L. M. et *n.* 2101. Sulevis et Campestribus sacrum L. Aurelius Quintus votum solvit laetus libens. *F.*]

[SULFI, vel Sylfi, orum, m. plur. erant apud veteres Gallos iidem ac Genii apud Romanos. *Inscr.* ap. *Mur.* 1987, 2. Banira, et Donindai, Daedalus, et Tato Icari filii Sulfis suis, qui curam nostram agunt, item Cappo Icari F. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 327., qui hanc eandem refert, haec addit: In *Sulfis* quidem agnoscas Sulevias sive Matres a Gallicis popuiis cultas. *F.*]

SULFUR. V. SULPHUR.

SULLA et Sylla, ae, m. Σύλλας, cognomen familiae R. in gente Cornelia, ut L. Cornelius Sulla. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* scribit, ludos Apollinares institutos bello Punico secundo, ex libris Sibyllinis, suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea *Sibylla* cognominatus est, est postea, corrupto nomine, primus Sylla coepit vocitari. Idem tradit *Charis.* 1, 85., additque, quod flavo et compto capillo fuerit, consimiles *Syllas* fuisse appellatos. *Gronov.* ad *Quint.* 1, 4. et *Voss.* in *Etym.* in *Sura* censent, Sullam esse diminutivum a *Sura:* quod et ipsum fuit cognomen Corneliae gentis: a *sura* enim esse *surula*, et contracte *Sulla:* itaque eum, qui primus ita cognominatus sit, a surarum gracilitate id accepisse. Alii aliunde derivant. Celebris fuit eo cognomine L. Cornelius Sulla, de cujus moribus, vita, et rebus gestis *Sall. Jug.* 100., *Flor.* 3, 21., *Vell.* 2, 17. sqq., *Epit. Liv.* 66, 75. 77. 81. etc. ℙ *Manutio* et *Dausqu.* in *Orthogr.* placet *Sylla* scribi: nec tamen *Sulla* improbant. *Cellar.* pro *Sulla* stat, cui major Lapidum inscriptorum pars favet, et Latinorum consuetudo vertendi Graecam *υ* in *u*. Ap. *Morell. Num. gent. Rom.* in G. Cornelia *tab.* 4. plures nummi habentur, in quibus *Sulla*, et *tab.* 5. *Sula* scribitur. [*Eaque praeferenda est scribendi ratio. V. *Schneid.* 1, 47. sqq.]

SULLĀNUS et Syllanus, a, um, adj. ad Sullam pertinens, ut Sullanum bellum, *Plin.* 33, 11, 51. Sullana tempora, *Id.* 9, 35, 59. Syllana crudelitas, *Sen. Ira* 2, 34. Sullana proscriptio, *Id. Provid.* 3. V. PROSCRIBO.

SULLĀTŪRIO et Syllaturio, is, n. 4. Sullam, ejusque mores, crudelitatem, proscriptiones imitor, aut meditor. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Ita sullaturit animus ejus, et proscripturit diu. *Quint.* 8, 3. *med.* Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quaedam, ut a Cicerone sullaturit; et *ib.* 6. *med.* Vix illa, quae *παραγόμενα* vocant, quae ex vocibus in usum receptis quocumque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt sullaturit, proscripturit.

SULLECTIO. V. SUBLECTIO.

SULLECTUS. V. SUBLECTUS.

[SULLĪNUS, a, um, adj. idem ac Sullanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1761, 1. Valgia C. F. Sullina. *F.*]

*SULLONIACIS, oppidum Britanniae, inter Verulamium ac Londinium. *Anton. Itin. B. A.*

*SULLUCU, oppidum Numidiae. *Anton. Itin.* ℙ *Sublucu* est in *Tab. Peut. B. A.*

SULMO, onis, m. *Sulmona*, *Solmona*, urbs parva Pelignorum, apud Sarum fl., prope Corfinium oppidum, patria Ovidii poetae. Hinc ille *Trist.* 4, 10, 3. Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis, Millia qui novies distat ab Urbe decem. ℙ Condita fertur, et nominata a Solymo Phrygio, ut *Idem* docet *Fast.* 4, 79. et *Sil.* 9, 75. ℙ [Etiam *Sulmona*, *ae*, f. usurpatur a *Front. de colon.* p. 126. *Goes. F.*] ℙ *Item oppidum Latii, in Volscis. *Plin.* 3, 5. ℙ Fuit et Sulmo nomen viti proprium, nempe Rutuli. *Virg. A.* 8, 412. Venit (*hasta*) aversi in tergum Sulmonis. ℙ In illo *Virg. A.* 10, 517. Sulmone creatos Quatuor hic juvenes: etc. intelligi potest τὸ *Sulmone* de Pelignorum oppido. Verum tutius de homine: et sic *Heynius* ac *Schellerus. B. A.*

SULMONENSIS, e, adj. ad Sulmonem pertinens. *Juven.* 6, 186. De Sulmonensi mera Cecropis. *Plin.* 17, 26, 41. Sulmonensis ager. ℙ [*Sulmonenses*, *ium*, absolute, incolae illius urbis. *Id.* 3, 12, 17. Pelignorum Corfinienses, Superaequani, Sulmonenses. Adde *Caes. B. C.* 1, 18. *in. F.*]

[SULMONTĪNUS, a, um, adj. ad Sulmonem pertinens, Sulmonensis. *Front. de colon.* p. 145. *Goes.* Colonia Sulmontina ea lege est assignata, qua et Corfinius ager. *F.*]

SULPHUR et Sulfur, uris, n. θεῖον, terrae genus, facile ignem concipiens, nidore gravi. *Plin.* 35, 15, 50. In terrae reliquis generibus vel maxime mira natura est sulphuris, quo plurima domantur. Nascitur in insulis Aeoliis: sed nobilissimum in Melo insula: in Italia quoque, in Neapolitano Campanoque agro, collibus, qui vocantur Leucogaei; ibi e cuniculis effossum perficitur igni. Genera quatuor: vivum, quod Graeci apyron, nascitur solidum, hoc est gleba. Alterum genus appellant glebam, fullonum tantum officinis familiare. Tertio quoque generi unus tantum est usus ad suffiendas lanas, quoniam candorem tantum mollitiemque confert; egula vocatur. Quarto autem ad ellychnia maxime conficienda. Persequitur inde *Plin.* ejus usus in medicina: additque habere et in religionibus locum ad expiandas suffitu domos: adde et ipsos homines, et pecudes, et res alias. *Virg. G.* 3, 449. Et spumas miscent argenti, vivaque sulphura. *Tibull.* 1, 5, 11. Ipseque ter circum lustravi sulfure puro. *Prop.* 4, 8, 86. Terque meum tetigit sulfuris igne caput. *Ov. Fast.* 4, 739. Caerulei fiant vivo de sulphure fumi: Tactaque fumanti sulphure habet ovis. *Colum.* 8, 5. *med.* Paleas, quas substraturi sunt (*gallinis incubantibus*), sulphure et bitumine atque ardente taeda perlustrant. *Ov. Met.* 14, 791. lurida sulphura; et *ib.* 15, 351. lutea; et *ib.* 3, 373. summis circumlita taedis Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 257. sulfur odorum. ℙ Idem ac sulphuratum. V. h. v. ℙ De fulmine: quia, ut ait *Plin.* 35, 15, 50. *extr.*, fulmina et fulgura sulphuris odorem habent: ac lux ipsa eorum sulphurea est. *Lucan.* 7, 160. Aetherioque nocens fumavit sulphure ferrum. *Pers.* 2, 24. ocius ilex Sulphure discutitur sacro. ℙ Masc. gen. *Tert. adv. Prax.* 16. ex *Gen.* 19, 24. Pluens super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem. *Veg. Vet.* 1, 38. *med.* Sulphurem et resinam calentem ungulis imponis. ℙ *Sulphur* scribi placet *Manutio* in *Orthogr.*, quia in opt. MSS. habetur *sulpur*, quod et *Pier.* adscripsit ad *Virg. G.* 3, 449. Veteres enim Graecam esse dictionem arbitrati sunt: et in similibus non solebant aspirationem apponere: unde scribebant *triumpus*, *Pilippus*, *Hypsipyle*. Contra *Voss.* in *Etym.* quia vox est Latina, *sulfur.* praefert. *Dausqu. Manutium* sequitur. [*Schneid.* 1. p. 210. *sulfur* praeferendum censet.]

SULPHŪRANS, antis, part. ab inus. *sulphuro*, idem ac sulphureus, ut Aquae sulphurantes. *Tert. adv. Valent.* 15.

SULPHŪRĀRIA, ae, f. sulphuris fodina, vel locus, ubi sulphur praeparatur. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. In calcariam, vel sulphurariam damnari. Adde *ib.* 47, 2, 53.

SULPHŪRĀTIO, onis, f. mixtura sulphuris subterranea, sulphuris locus sub terra. *Sen. Q. N.* 3, 15. *med.* Aut sulphuratio contraxit humorem.

SULPHŪRĀTUS et Sulfuratus, a, um, part. ab inus. *sulphuro:* θειώδης, sulphure imbutus, aspersus. *Vitr.* 8, 3. Sulphurati fontes. *Cels.* 4, 5. Sulphurata lana. *Plin.* 31, 6, 32. Est utilis aqua sulphurata nervis. *Mart.* 12, 67. Mercis sulphuratae institor; et 10, 3. Sulphuratum ramentum; et *Tert. adv. Marc.* 1, 28. Credo sulphuratiorem eis gehennam praeparabit. ℙ Absolute *Plin.* 31, 3, 28. Depressis puteis sulphurata, vel aluminosa occurrentia putearios necant, *h. e.* loca, aut venae sulphuris. ℙ *Sulphuratum*, *i*, filum, aut festuca, aut ramentum sulphure illitum ad ignem excitandum. *Id.* 36, 19, 30. Scintillae exceptae sulphuratis, aut fungis aridis, vel foliis. *Hard.* leg. *sulphure*, ex MSS. *Martial.* 1, 42. Qui pallentia sulphurata fractis Permutat vitreis. Hinc *Juven.* 5, 47. Siccabis calicem etc. rupto poscentem sulphura vitro. *Stat. Silv.* 1, 6, 73. quique comminutis Permutant vitreis gregale sulphur.

SULPHŪRĔUS et Sulfureus, a, um, adj. θειώδης, qui est ex sulphure, sulphuris naturam, nidorem, aut colorem habens. *Virg. A.* 7, 517. amnis Sulphurea Nar albus aqua. *Ov. Met.* 15, 340. sulphureis ardet fornacibus Aetne. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 175. mare sulphurei ductum per viscera montis. *Plin.* 35, 15, 50. Fulminum lux sulphurea est; et *ib.* 6, 25. Terra sulphurei coloris. *Id.* 36, 19, 34. Sulphureus odor.

SULPHŪROSUS, a, um, adj. idem ac sulphureus, ut Sulphurosi fontes. *Vitr.* 8, 3. *med.*

SULPĪCIA, ae, f. poetria Romana nobilis, cujus ingenium, castitatem, fidemque erga maritum laudat *Mart.* 10, 35. et 38. Exstat ejus carmen, seu satyra, qua in Domitiani tempora invehitur. Duos praeterea senarios iambicos ex ejus carminibus allegat vetus Juvenalis *Schol.* ad 6, 535. Sunt etiam, qui putant carmina libri *Tibull.* 4., excepto primo, esse aut Sulpiciae, aut Caleni ejus viri: inter quos *Broukus.*, quem contra stat *Vulpius* in *commentar. Tibull.* p. 309. [Sed consule *Heynium* de auctore eorum carminum docte disserentem in sua secunda *Tibulli* editione p. 201. *F.*]

SULPĪCIĀNUS, a, um, adj. ad Sulpicium pertinens, ut Sulpiciana classis, ap. *Caes. B. C.* 3, 101., cui nempe praeerat P. Supicius praetor. Sulpiciana seditio. *Quint.* 6, 3. *med.* h. e. quam excitavit P. Sulpicius trib. pleb. temporibus Marii et Sullae, ut est in *Epit. Liv.* 77. [V. adnotation. *Spaldingii* ad *l. c. Quint. F.*]

[SULPĪCILLA, ae, f. dimin. Sulpiciae poetriae. *Fulg. Myth. praef.* 1. *in.* Neque illas heroidarum arbitreris lucernas meis praesules libris, quibus Sulpicillae procacitas, aut Psyches curiositas declarata est. *F.*]

SULPĪCĬUS, a, um, adj. ad Sulpicium pertinens, ut Sulpicia lex, ap. *Flor.* 3, 21., quam tulit P. Sulpicius trib. pleb., ut Sullae imperium abrogaretur, et Mario mandaretur, ut *Vell.* 2, 18. narrat. Et Sulpicia horrea, ap. *Hor. Od.* 4, 12, 18.

SULPĪCIUS, ii, m. (rectius quam *Sulpitius*, ut ex vet. monum. ostendit *Manut.* in *Orthogr.*) nomen Romanum multorum illustrium virorum. C. Sulpicius Gallus, P. Sulpicius, et Serv. Sulpicius nobiles eloquentia fuere; quos laudat *Cic. Brut.* 20. et 55. et *Har. resp.* 19. ℙ C. Sulpicius Apollinaris grammaticus, Pertinacis imperatoris praeceptor, laudatur a *Gell.* 2, 16. et 4, 17. ut vir praestanti litterarum scientia. Hic *Terentii* fabularum periochas iambicis versibus scripsit. ℙ Severus Sulpicius Niobrix Gallus, aequalis D. Hieronymi, scripsit eleganti et terso stilo, ut illis temporibus, vitam B. Martini, et duos praeterea sacrae historiae libros. Hunc *Jos. Scal.* in *prolegom. de emendat. temp.* Ecclesiasticorum scriptorum purissimum merito appellat.

[SULTAN, anis, m. princeps, imperator Turcarum: est vox Chald. שִׁילְטָן et שָׁלְטָן *sultan* et *soltan*, imperator, a שְׁלַט *selat* imperavit. *Coripp. Laud. Just.* 3, 390. En sultan nostra servire paratus in aula Legatos nobis, et plurima munera mittit. V. TURCAE. *F.*]

SULTIS, si vultis, composito vocabulo, ut *sodes*, *sis*, *scilicet*. *Cato*, *Enn.*, *Plaut.* ap. *Fest.* V. SIS.

SUM, es, est, fui, esse, n. anom. εἰμὶ, ὑπάρχω, τυγχάνω, essentiam habeo, exsisto, consto. Verbum quod ὑπαρκτικὸν Graeci vocant, nos, ut ait *Prisc.* 8, 812., possumus substantivum nominare: ab εἰμὶ, per abscissionem *ι* finalis, et additione *s* in principio loco spiritus, ac mutatione *ει* in *u*, ut *Id.* 9, 847. docet. Sane in quibusdam personis cum eo convenit, ut εἰς es, ἐστὶ est, ἐστὲ estis, ἔσεσθαι esse. Alii Latinam originem ei tribuunt. *Sum*, quod nunc dicitur, inquit *Varr. L. L.* 8, 57., olim dicebatur *esum:* unde *es* pro *esis*, *est* pro *esit: sumus*, *estis*, *sunt*, pro *esumus*, *esitis*, *esunt*. Etiam futurum *ero* olim fuit *eso*, mutato *s* in *r*, ut in *Fusii*, *Valesii*. V. initium litterae *R. Lex XII. Tab.* ap. *Fest.* in *Nec.* Ast ei custos nec esit; et *ib.* Furtum, quod nec manifestum esit. Pro *esit* quidam leg. *escit*. V. ESCIT. Praeteritum *fui* est a *fuo:* unde et *futurus*. Ab eo sunt etiam *forem*, *fore*, pro *fuerem*, *fuere:* quod innuit *Diomed.* 1, 375. V. FUAM. *Pl. Amph. prol.* 30. Ego, qui Jovis sum filius. *Cic. Tusc.* 1, 6. Non sum ita hebes, ut, etc. *Pl. Rud. prol.* 3. Ita sum: quid id attinet ad te? et *Amph.* 2, 1, 57. Satin' tu sanus es? *Sos.* sic sum, ut vides. *Id. Stich.* 5, 4, 49. Ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus. *Ter. Eun.* 1, 2, 4. et *Cic Att.* 5, 18. Bono animo es: *imperativum.* (Adde *Lucil.* et *Pomp.* ap. *Non.* 10, 13.) *Hor. Ep.* 1, 2, 27. Nos numerus sumus, et fruges consumere nati. *Nep. Ag.* 6. Omnibus apparuit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. *Pl. Pers.* 2, 4, 15. Ego me confido liberum fore. *Liv.* 45, 39. *med.* Pars non minima triumphi est victimae praecedentes. *Lucan.* 9, 811. Sanguis erant lacrimae. *Prop.* 4, 9, 20. Nobile erit Romae pascua vestra forum. Est qui leg. *erunt.* ℙ Aliquando omittitur. *Virg. A.* 1, 621. Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae Alma Venus genuit? et *ib.* 3, 45. Nam Polydorus ego. [*Plura de hujus v. omissione habes ap. *Ruddim.* 2, 13. sq. *Zumpt.* §. 776. p. 573. *Ramsh.* §. 102, 3. *n.* 3. §. 168. *n.* 10. §. 205, 3, *b.* et 4. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 38, 1. ad *Lucan.* 4, 517.] ℙ Ponitur pro commorari, manere, versari. *Cic. Att.* 12, 3. Ne vivam, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter, sed μαχέων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim totos dies. *Id. Verr.* 2, 5, 35. *med.* Cleomenes in publico esse non audet: includit se domi. *Id. Har. resp.* 12. Si essetis, versareminique nobiscum. *Id. Fam.* 4, 7. *med.* Nonne mavis sine periculo domi tuae esse, quam cum periculo alienae? *Id. Or.* 2, 7. Ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro, ut hic sitis hodie; et *Tibull.* 2, 3, 28. Amor in parva te jubet esse casa. ℙ Hinc *esse cum aliquo* in re matrimonii, et amatoria. *Cic. Quint.* 24. *med.* Dicebam huic Q. Roscio, cujus soror est cum P. Quintio. *Ov. A. Am.* 3, 664. mecum non semel illa fuit. Adde *Am.* 2, 8, 27., *Cic. Coel.* 20. *med.* et *Pl. Merc.* 1, 1, 101. ℙ Illa quoque commode dicuntur *Cic. Att.* 2, 9. Si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia; et *Verr.* 2, 4, 1. *f.* Ea civitas, quae tibi in amore atque in deliciis fuit. ℙ Notabile est illud *Varr.* ap. *Non.* 2, 499. Tum ad me fuerunt, qui libellionem esse sciebant, *h. e.* ad me venerunt, mecum fuerunt. Sic *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Curio fuit ad me sane diu; et *ep.* 16. Commodum ad te dederam litteras, cum ad me bene mane Dionysius fuit. Adde *Liv.* 28, 18., ubi alii aliter leg. ℙ Videtur etiam usurpari pro solere. *Cic. Fam.* 12, 20. Quod si, ut es, cessabis, lacessam. ℙ Pro vivere. *Id. ib.* 6, 3. *f.* Nec enim dum ero, angar ulla re: et, si non ero, sensu omni carebo; et *Prud. Cath. praef. in.* Per quinquennia jam decem, Ni fallor, fuimus. ℙ Et pro durare.

Prop. 2, 19, 74. Invidiam quod habet, non solet esse diu. ¶ Saepe significat aestimari. *Ter. Ad.* 5, 9, 20. Postremo a me argentum, quanti (*servus*) est, sumito; et *Cic. Verr.* 2, 3, 81. *med.* Cum in Sicilia HS. II. tritici modius esset, summum HS. ternis; et *ib.* 84. Si ullo in loco frumentum tanti fuit, quanti iste aestimavit. *Id. Off.* 3, 23. *f.* Emere denario, quod sit mille denarium. *Id. Rosc. Com.* 12. Ager nunc multo pluris est, quam tunc fuit. ¶ Et translate. *Id. Fam.* 15, 15. *f.* Magni erunt mihi tuae litterae. *Id. Q. Fr.* 2, 15. *f.* Plus unus Cato fuerit, quam omnes leges. Alii leg. *pluris:* alii aliter. [**Orell. plus.* In *Lamb.* ed. sec. de *Faerni* susp. legitur: *plus potuerit:* quam correctionem, licet commendatam *Att.* 4, 15. ideoque ulteriore examine dignam, tamen non prorsus putat necessariam *Orell.*] ¶ *Esse ab aliquo*, esse ex alicujus familia, vel domo. *Ter. Andr.* 3, 1, 3. et 4, 4, 17. Ab Andria est ancilla haec. *Pl. Ps.* 2, 2, 22. Esne tu ab illo milite Macedonio? *Cic. Att.* 4, 16. Pleraeque epistolae mihi nuntiabant, ubi esses, quod erant abs te. ¶ Item ab aliquo stare, alicui favere, cum eo sentire. *Cic. Or.* 2, 38. *med.* Critolaus erat ab Aristotele. [*Cf. de hac dicendi ratione *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 405.] Sic *Cluent.* 32. *f.* Judicia partim nihil contra Avitum valere, partim etiam pro hoc esse. ¶ *Esse ad aliquid*, prodesse. *Cato R. R.* 125. Vinum murteum est ad alvum crudam. [*Difficilis est quaestio, an Ciceronis stilo conveniat, *esse ad*, omisso v. *aptum*, vel sim. Pro utraque parte multi cdd., magni nominis viri pugnant. Exempla haec fere huc pertinent. *N. D.* 3, 34, 83. eique laneum pallium injecit, quum id esse ad omne anni tempus diceret. *Planc.* 24, 59. Quamquam ad praecepta aetas non est.] ¶ *Est mihi*, habeo, possideo. *Ter. Ad.* 1, 2, 40. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur. Est, Diis gratia, unde haec fiant. *Id. Heaut.* 3, 2, 22. Aliquid reperiret, unde esset adolescenti, amicae quod daret. *Pl. Amph. prol.* 19. Nomen Mercurii est mihi. ¶ *Esse alicujus* refertur ad dominium. *Cic. Fam.* 2, 13. Jam me Pompeji totum esse scis: Brutum a me amari, intelligis. ¶ Possessionem significant etiam haec. *Lucan.* 8, 659. et jam Cornelia non est Juris, Magne, sui. *Liv.* 42, 29. Ptolemaeus propter aetatem alieni arbitrii erat. *Id.* 31, 45. Praesidio regio arcem teneri, nec se potestatis suae esse, responderunt. ¶ *Esse in veste*, vestem habere, indutum esse. *Tibull.* 1, 9, 70. in laxa quid juvat esse toga? *Cic. Phil.* 8, 11. Cum est in sagis civitas. *Ov. A. Am.* 2, 297. Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus: Sive erit in Cois, Coa decere puta. ¶ *Bene*, aut *male*, *recte*, *melius esse*, bene aut male habere, recte aut contra procedere, quam volumus. *Ter. Ad.* 1, 1, 9. Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male. *Cic. Att.* 6, 7. Tironem graviter aegrum reliqui, sed nuntiant, melius esse; et *ib.* 1, 7. Apud matrem recte est. [*Longe patet latius hic hujus verbi c. adverbiis conjungendi usus. Ita dicitur *tuto*, *libenter*, *impune*, esse, cet. Longam exemplorum seriem habes ap. *Ramsh.* §. 91. p. 273. sq. Adde *Böttich. Lex. Tac.* p. 176. sq.] ¶ Habet vim habendi etiam cum statum, conditionem, aut affectum corporis aut animi adsignificat, cum, et sine *in* praepositione, aut cum genitivo. [*Docet *Ramsh.* §. 140. *n.* 1. 2. praepositione *in* semper licet interdum non magnopere diversam a simpl. ablativo effici sententiam. Porro §. 105. *n.* 5. p. 310. *in* saepius ita adhiberi, ut partitionem, deductionem in rebus numeralibus significet.] *Cic. Verr.* 2, 4, 6. Hominem non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse. *Id. Fam.* 13, 30. Nullam arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum: et est hodie in bonis. *Id Cluent.* 7. *med.* Esse in servitute. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. in luctu et squalore. *Cic. Att.* 2, 22. in odio, *h. e.* odio haberi: et *mox:* in summa perfidiae et sceleris infamia. *Id. Div.* 1, 17. in magno nomine et gloria. *Id. Phil.* 2, 15. Fateor, me in tanta moestitia fuisse, quanta ceteri cives fuissent. *Id. Fam.* 14, 3. *med.* Esse in spe, *h. e.* spem habere. *Ter. Phorm.* 2, 1, 36. in noxa, *h. e.* reum esse. *Id. Andr.* 2, 5, 13. et 3, 1, 9. et *Pl. Trin.* 2, 2, 2. alicui in mora, *h. e.* moram afferre. *Cic. Or.* 2, 18. Ejus nomen magna erat apud omnes gloria. *Hor. Ep.* 1, 7, 54. quaere, quo sit patre, quove patrono. *Cic. Rosc. Com.* 7. Capite et supercilis semper est rasis. *Id. Att.* 2, 7. Mira sum alacritate ad litigandum. *Id. Fam.* 6, 18. Bono animo sint et tui, et mei familiares; et *ib.* 16, 15. Incredibili sum sollicitudine de tua valetudine; et *ib.* 6, 4. *med.* Quanto fuerim dolore, meministi. *Id. Am.* 23. Si quis ea asperitate est, et immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat. [*Huc pertinet etiam formula *esse numero*, et *in numero:* in qua *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 42, 118. nihil interest, inquit, praepositio adsit an desit, cum utrumque dici constet. *Id. Legg.* 2, 12. Thales sapientissimus in septem fuit. Porro: *majori periculo* et *in majori periculo esse.* Ceterum notandum, v. *esse* in his nunquam neque ablativo neque genitivo substantivum sine adjectivo secum habere. V. *Zumpt.* §. 471. p. 387.] *Id. Sext.* 16. Nimium me timidum, nullius animi, nullius consilii fuisse, confiteor. ¶ Pro afferre, cum duobus dativis. *Cic. Verr.* 2, 5, 8. Hanc rem sic agemus, ut crimini, aut invidiae reo putemus esse oportere; et *ib.* 2, 3, 40. Hae pecuniae tibi fraudi et damnationi esse deberent; et *ib.* 62. *med.* Quae detrimento, maculae, invidiae, infamiae nobis omnibus esse possint; et *ib.* 37. *med.* Haec tam parva civitas praedae tibi et quaestui fuit. *Id. Rosc. Am.* 5. Quibus, occidi Sex. Roscium bono fuit. *Id. Brut.* 10. Erat tum honos eloquentiae. *Id. Rosc. Am.* 4. Impedimento esse alicui. ¶ *Esse alicui rei*, aptum, idoneum esse. *Liv.* 31, 13. Cum solvendo aeri alieno respublica non esset. Alii leg. *aere.* *Id.* 2, 9. Esse oneri ferendo. *Ov. Am.* 3, 6, 21. Non eris invidiae ferendae, *h. e.* invidiam ferre non poteris. *Modest. Dig.* 50, 22, 9. Si bona liberalitati solvendae non fuerint. *Ulp. ib.* 33, 9, 3. (et *Gell.* 4, 1. *f.*) Etiam quae esui potuique non sunt, contineri legato. *Cels.* 4, 10. *extr.* Injiciuntur ea, quae humori extrahendo sunt. ¶ [**Esse* pro *venire*, ut Gr. γίγνεσθαι c. praeposs. εἰς et πρὸς aliisque. V. *Sturzii Lex. Xenoph.* s. v. γίγνεσθαι, *n.* 12—22. Nostratium etiam idiotismus dicit *werden* pro *gehen.* *Cic. Att.* 15, 4. quo die in Tusculanum eram futurus. *Suet. Aug.* 16. nec prius — militibus in conspectum fuisse. V. intpp. ad h. l. et *Burm.* et *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 16, 138.] ¶ Cum gen. significat proprium esse. *Cic. Or.* 2, 20. *f.* Alterum divinitatis mihi cujusdam videtur, alterum humanitatis: et *mox:* Clamare contra quam deceat, hominis est stultitiae suae quamplurimos testes colligentis. *Id. Sen.* 6. *extr.* Temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis. ¶ Item addictum esse, operam dare, favere. *Liv.* 3, 38. *med.* Patres indignitate rerum cesserant in agros: suarumque rerum erant, amissa publica. (Ubi perperam a nonnullis *solliciti* intrusum esse, monent critici meliores.) *Id.* 23, 14. Plebs novarum, ut solet, rerum, atque Annibalis tota esse. *Id.* 35, 51. Qui Romanae partis erant, urbe excesserunt. *Plin. ep.* 5, 16. *med.* Expulsis virtutibus aliis, pietatis est totus. *Sen. Ben.* 7, 26. Alius abdomini servit, alius lucri totus est. *Liv.* 3, 36. *med.* Hominum, non causarum toti erant. ¶ Significat etiam officium, munus, partes. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 19. Est ejus, qui praesit, eorum quibus praesit, utilitati servire. *Id. Off.* 1, 34. Est adolescentis majores natu vereri. *Id. Fam.* 5, 16. *med.* Non est gravitatis ac sapientiae tuae, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum. *Id. Att.* 12, 28. Fuit meum jampridem rempublicam lugere; et *Mur.* 38. *f.* Est tuum, M. Cato, videre, quid agatur. ¶ Item proprietatem, qualitatem. *Pl. Capt.* 3, 4, 52. Est miserorum, ut malivolentes sint, atque invideant bonis. ¶ Item convenientiam, congruentiam. *Cic. Or.* 1, 18. Nitidum quoddam verborum genus est, sed palaestrae magis et olei, quam hujus civilis turbae ac fori. ¶ *Est mihi cum illo*, intercedit. *Cic. Quint.* 6. Jussit bona proscribi ejus, quicum familiaritas fuerat, societas erat. *Id. Phil.* 2, 31. Sibi cum illa mima posthac nihil futurum. *Ter. Phorm.* 2, 3, 74. Tecum nihil rei nobis, Demipho, est. *Cic. Fam.* 15, 10. Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus. ¶ *Est*, pertinet, spectat. *Cic. ad Capiton.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Consules, quorum et lege, et S. C. cognitio et judicium fuit. ¶ *Est*, licet, datur, ἔξεστι. *Hor. Ep.* 1, 1, 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. *Ter. Ad.* 5, 3, 42. Scire est liberum ingenium atque animum. *Ov. Trist.* 5, 11, 19. alii, quorum numerum comprendere non est. *Virg. A.* 6, 595. Necnon et Tityon terrae omniparentis alumnum Cernere erat. *Tac. A.* 16, 34. Ut conjectare erat intentione vultus. *Gell.* 13, 24. *f.* Est tamen non nusquam invenire, ita scripsisse quosdam. *Ov. A. Am.* 2, 27. Et quoniam in patria, fatis agitatus iniquis, Vivere non potui, sit mihi posse mori. Alii leg. *da:* sed *Heinsio* invito, qui plurima ibi congessit ad v. *sit* firmandum, ex *Ov.*, *Virg.*, *Tibull*, *Propert.*, *Mart.* et aliis. Sic *Liv.* 42, 41. Quae verbo objecta, verbo negare sit. *Sil.* 12, 695. fuerit delere Saguntum, Exaequare Alpes, etc.; et 14, 581. Signaque ferre Deum templis jam jamque fuisset, Ni, etc. Ἐστὶ, et ἦν eadem significatione etiam Graeci usurpant. Simile est illud *Sall. Jug.* 118. Fuerit mihi eguisse aliquando amicitiae tuae. Ad quem locum plura *Cortius.* Vim v. *licere* animadvertere est etiam in his: *Tibull.* 4, 3, 3. Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes. *Prop.* 1, 20, 13. Ne tibi sit duros montes, et torrida saxa adire, *h. e.* ne liceat, ne velis, ne adeas, μὴ γένοιτο, μὴ ἔστω. *Virg. Ecl.* 10, 46. Tu procul a patria (nec sit mihi credere) tantum. *Passerat.* ¶ *Est*, evenit, accidit. *Hor. Od.* 3, 1, 9. Est, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis. *Cic. Att.* 5, 11. *med.* Quintilis, si erit, ut volumus, in itinere est consumendus. ¶ Hinc illae circumlocutiones *Ter. Phorm.* 5, 7, 32. est, ut velis manere illam apud te, dos hic maneat; et *Hec.* 4, 1, 43. Si est, ut dicat, velle se, redde, *h. e.* si vis, manere illam apud te: si dicit, se velle. Sic *Hor. Ep.* 1, 12, 2. non est, ut copia major Ab Jove donari possit tibi, *h. e.* non potest. Affinia sunt illa *Caton. R. R.* 1. Est interdum praestare, mercaturis rem quaerere, *h. e.* interdum praestat: vel, fit interdum ut praestet. *Lucr.* 5, 977. Non erat, ut fieri posset, mirarier unquam, *h. e.* fieri non poterat, ut mirarentur. *Cic. Tusc.* 5, 8. *med.* Est ubi id isto modo valeat; et *Auct. ad Her.* 4, 26. *f.* Est, cum non est satius, etc. ¶ *Est* concedentis, confirmantis. *Cic. fragm.* ap. *Lact.* 1, 18. Est vero, inquit, Africane: nam et Herculi eadem ipsa porta patuit. *Id. Or.* 2, 36. Est, ut dicis, Antoni, ut philosophi nulla tradant praecepta dicendi. *Virg. A.* 10, 67. Italiam fatis petiit auctoribus: esto, Cassandrae impulsus furiis; et *ib.* 7, 313. Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis: At trahere atque moras tantis licet addere rebus. *Hor. Ep.* 1, 1, 81. Esto, aliis alios rebus studiisque teneri. *Cic. Div. Verr.* 15. Esto: ipse nihil est, nihil potest: at venit paratus. *Id. Fin.* 4, 45. Sit ita sane. *Colum.* 3, 3. *f.* Sit quidem, ut cultoris negligentia sex millia seminum intereant. *Cic. Am.* 2. Sunt ista, Laeli: nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. ¶ *Est*, *quod*, est causa, cur. *Pl. Aul.* 2, 2, 26. Jam ad te revortar: namque est quod visam domum. *Liv.* 30, 31. *f.* Si quid ad ea adjicitur, est quod referam ad consilium: sin, etc. [*Ov. Her.* 19, 159. Quod timeas, non est. *Bail.*] ¶ [*De formula *sunt qui*, ubi eam conjunctivus ubi indicativus sequatur, magnus est VV. DD. dissensus. Sunt qui promiscue utrumque modum adhiberi censeant. V. *Cort.* et *Lang.* ad *Sall. Cat.* 19, 4. *Schell.* in *Obss.* p. 10. et in *Lex. Ampl.* v. *sum*, p. 10857. Si *verbo sum* nullum subjectum additum sit, indicat. prorsus damnat *Ern. praef.* ad *Cic.* p. VI. *Brem.* ad *Cic. Fin.* 1, 20, 70. acced. *Goerenzio* ad h. l. et ad *Acad.* 2, 22, 70. Pariter statuit etiam *Beier.* ad *Off.* 1, 2, 5. et *Censor.* in *Ephem. Litt. Lips. a.* 1816. p. 206. Iidem tamen hunc modum probant, si *sunt* verbo aliquod subjectum adjungatur, ad quod pronomen referatur, velut *nonnulli*, *multi*, *plurimi*, *quidam*, id quod etiam *Zumpt.* tradit §. 563. p. 450. sq. qui tamen indicativum etiam post simplex *sunt qui* admittit, sed cum *Heus.* ad *Cic. Off.* 1, 24, 12. et *Gerlach.* ad *Sall.* 19, 4. et *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 24. et *Cic. N. D.* p. 194. sq. ad Graecismum refert. Contra quas sententias parum quidem sufficientes *Cel. Kritz.* ad *Sall. Cat.* 19, 4. ex utriusque modi et conjunctivi et indicativi natura ita nobis, duce *Ramsh.*, recte constituisse videtur, ut conjunctivus post formulam *sunt qui* poni deberet, ubi de re sermo esset, quam non pro certa atque indubidata haberi vellemus, sive quia eam ipsi non satis compertam haberemus, sive quia ejus auctorem ignoraremus, aut certis de causis ignorare simularemus; indicativus vero, etiam post simplicem locutionem *sunt qui*, ubi significare vellemus, cogitationibus nostris rerum veritatem respondere, ac nullum incertitudini aut dubitationi locum relinqui. *Stallb.* ad *Ruddim.* 2. p. 349. sq. ita: ubi *qui* indicat internum sententiarum nexum, sive causa, s. finis, s. eventus significetur, conjunctivus ponatur necesse est: indicativus autem adhibetur, quando sententia additur non pendens ab ea, quae praecessit, neque cum ea necessario conjungenda, sed rem simpliciter indicans. — *Id. ib.* docet: a poetis ideo indicativum praeferri conjunctivo, quod poetarum sit, sententias ita proponere, ut veluti ex ipsa rerum natura et humana vita repetitae videantur. Hinc, quum pateat saepe a solo scriptoris arbitrio pendere, utrum rem enuntiandi modum eligat, neque e rebus ipsis ubique certum argumentum peti posse, neminem fugere potest, codicum auctoritatem non temere negligendam esse.] ¶ *Est* pro *sunt* in illo *Prop.* 3, 7, 17. Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae: Est, quibus in celeres gloria nota pedes. Alii leg. *sunt:* sed *est* in quinque suis MSS. vidit *Broukus.*, et valde probat. Vidit etiam *Vulpius* in edit. princ. 1472. Est enim bellus Ἀττικισμὸς, laudatus etiam a *Marcilio in Hor. Od.* 1, 1, 3. confirmatusque illo *Xenoph. Memorabil.* 1, 4. Ἔστιν, οὕστινας ἀνθρώπων τεθαύμακας ἐπὶ σοφίᾳ; et *Dionis* 64. *in.* de Galba: Ὥστε μηδὲ δραχμὰς ἔστιν οἷς, ἀλλ᾽ ὀβολοὺς, χαρίζεσθαι. *Propertius* autem Graeca amat. ¶ [*Formulae *id est*, *hoc est*, explicantis, rem uberius enarrantis sunt. Glossematis fere suspectos locos habent, quibus praefixae hae formulae. V. *Lamb.* ad *Cic.* 1. mox 1. *Burm.* ad *Suet. Aug.* 88. *Oudend. ib.* 32. At recte *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 335. universe nihil pronuntiandum censet, maxime in *Suet.*, scriptore qui grammaticam agere assuevisset, et singulis accuratiorem addere interpretationem. Cf. *Ern.* ad *Suet. Aug.* 88. *Cic. Acad.* post. 1, 2, 8. Sed meos amicos — in Graeciam mitto, id est, ad Graecos ire jubeo, ubi v. *Goerenz.* qui notat, haec in dialogicis tantum scriptis Ciceronis deprehendi. *Suet. Caes.* 56. *Aug.* 97. *Plin. Pan.* 61, 7. al. — Dubia additamenta sunt locis *Suet. Aug.* 32. *Vesp.* 11. et *Dom.* 17. quibus v. quae annotavit *B. Crus.*] ¶ *Fuit*, euphoniae causa, vixit, mortem obiit, periit. *Tibull.* 3, 5, 32. Sive erimus, seu nos fata fuisse volent. *Pl. Truc.* 1, 2, 92. Horresco misera, mentio quoties fit partitionis: ita paene tibi fuit Phronesium. *Id. Capt.* 3, 3, 1. Nunc illud est, cum me fuisse, quam esse, nimio mavelim. *Albinov.* 3, 157. Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor, Cum dicar subita voce, fuisse,

tibi. Sic *Virg. A.* 2, 325. fuimus Troes, fuit Ilium; et *Ov. Her.* 17, 191. Certus in hospitibus non est amor: errat, ut ipsi: Cumque nihil speres firmius esse, fuit. Alii leg. *fugit.* V. SUPERBUS. ℙ [*Saepissime *esse* cum emphasi ponitur. *Ov. Rem. Am.* 480. Est aliquid, valida sceptra tenere manu. *Fast.* 6, 27. Est aliquid, nupsisse Jovi. V. *intpp.* ad *Art. Am.* 3, 755. *Prop.* 4, 7, 1. Sunt aliquid manes: ubi v. Passerat.] ℙ *Fuvi* pro *fui*, priore producta. *Enn.* ap. *Gell.* 12, 4. magnam cum lassu' diei Partem fuvisset, de summis rebu' gerundis, etc. Alii aliter leg. *Id.* ap. *Cic. Or.* 3, 42. Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini. Alii aliter leg. [**Fuvimus* habet *Orell.*] *Plaut. Poen. prol.* 110. Quo genere gnata, qui parentes fuverint. *Ennii* quoque videtur esse illud ap. *Oros.* 4, 1. qui antehac Invicti fuvere viri, pater optime Olympi. V. LUO. ℙ *Es*, secunda persona praesentis tum Indicativi, tum Imperativi, corripitur, ablata ab *εἶς* subjunctiva. *Virg. A.* 1, 391. Quisquis es, haud, credo, invisus coelestibus. Adde *Tibull.* 1, 4, 54., *Prop.* 1, 9, 30., *Mart.* etc. Aliquando producitur. *Prop.* 2, 23. *f.* Quod si tu Grajas, sive es imitata Latinas. Alii *seu sis* leg. *Albinov.* 1, 379. Nata quod es alte, quod fetibus aucta duobus. Alii leg *en alte es*, minus recte. V. *Voss. de Gramm.* 2, 31. ℙ *Simus* pro *sumus* dicere solebat *Augustus*, teste *Suet. Aug.* 87. ℙ *Esto* imperativum formula est testamentorum, ut *heres*, aut *exheres esto*, *dare damnas esto*, *liber esto*, quae passim in *Pandectis* occurrunt. *Sen. Contr.* 15. Sola mihi heres esto. ℙ *Siem*, *sies*, *siet*, pro *sim*, *sis*, *sit*. De eo sic *Cic. Or.* 47. Siet, plenum est, sit, imminutum: licet utare utroque, Ergo ibidem: (*Videtur* Cic. *afferre hoc ex* Terentii Phormione, *quia et supra allata duo loca ibidem leguntur* 2, 3, 37. et 43., *sed hoc ibi nunc non apparet.*) Quam cara sintque, post carendo intelligunt, Quamque attinendi magni dominatus sient. Haec *Cicero. Lucr.* 2, 1077. Qui cujusque sient saecli, etc. *Pl. Ps.* 2, 4, 50. Quod si opus siet, ut dulce promat indidem. Ita legit *Plin.* 14, 13, 15., alii *sit*. Sed innumera prope sunt loca, in quibus *Plautus*, et *Terent.* dixere *siem*. ℙ *Site* pro *este* quidam leg ap. *Pl. Curc.* 1, 1, 89., ubi plerique omnes *fite*. ℙ *Estunto* pro *sunto* alii leg. ap. *Cic. Leg.* 3, 3. *med.* ℙ *Fore*, et *Forem*, *Ens*, *Futurus*. V. suis locis. ℙ[*Cfund. *esse* et *est*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 268. — *Esse in* et *inesse in*. *Id. ib.* p. 3. — Porro conf. cum *et* vel *aut*. *Id. ib.* p. 216. — Cum *fit*. *ib.* p. 103. — Cf. *sit* et *sed*. *ib.* p. 404. et *esset*. p. 415. sq. — *Erant* et *arant*. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 334. — *Esse*, *ire*; *erit*, *eat*. *Id. ib.* 7, 815.]

SUM pro *eum*, usus est *Ennius* ap. *Fest.* V. SAS.

SŪMEN, ĭnis, n. *οὐθαρ*, *ἦθρον*, extimus venter suillus infra umbilicum cum ipsis uberibus, summis olim in deliciis habitus, praecipue si ex primipara excisus esset sue, uno die post fetum editum. *Gloss. Cyr. ὑποχόλιον*, submen, subventrale. Item *ὑπογάστριον*, sumen. Dictum est a *sue*. Nam suis est abdomen. Vel potius est a *sugendo*, quasi *sugimen:* quae *Nonii* sententia est, qui et *Lucilium* pro mulieris uberibus usum docet 6, 54. Lucilii autem verba sunt: Quod si nulla potest mulier tam corpore duro Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto, Et manus uberior lactanti in sumine sidat. ℙ Proprie tamen est sumen ea pars suilli ventris, qua ubera continentur, ut dictum est. *Plin.* 11, 37, 84. de vulva suis: Proxima ejecticiae est occisae uno die post partum. Hujus et sumen optimum, si modo fetus non hauserit: ejecticiae deterrimum. *Mart.* 13, 44. cujus lemma est *Sumen*. Esse putes nondum sumen: sic ubere largo Effluit, et vivo lacte papilla tumet. Alii leg. *esse potes nudum sumen*. Adde *Pl. Curc.* 2, 3, 44. ℙ Per synecdochen usurpatur pro sue. *Juven.* 12, 72. Conspicitur sublimis apex (*h. e.* arx Albae urbis), cui candida nomen Scrofa dedit, laetis Phrygibus mirabile sumen, Et nunquam visis triginta clara mamillis. Alii leg. *numen*. ℙ Translate usurpatur pro pinguedine, ubertate. *Varr. R. R.* 1, 7. et *Plin.* 17, 4, 3. Campos Roseae Italiae dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.

SŪMĪNĀTUS, a, um, part. ab inus. *sumino*, ut Suminata caro, ap. *Arnob.* 2, 73. h. e. caro suminis. ℙ *Suminata* etiam dicitur scrofa, quae lactat suculos. *Lampr. Alex. Sev.* 22. Jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, *h. e.* neque scrofam, neque suculum, seu porcellum.

SUMMĂ, ae, f. *κεφαλαιον*, collectio, seu quantitas rerum, quae numerantur: a *summas*, quia vere summus est is numerus, quo colligitur totum. *Cic. fr.* ap. *Non.* 3, 18. Quid, tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare? *Id. Off.* 1, 18. Addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Summam subducere. Sic Summam conficere, *Id. Somn. Scip.* 2. et Summam facere, *Id. Verr.* 2, 2, 53. et *Fam.* 1, 9. *med.* Ap. *Suet. Dom.* 11. actor summarum dicitur, qui rationibus dispungendis praeest. *Plin.* 9, 35, 58. Quae summa quadringenties sestertium colligebat. ℙ De summa pecuniae. *Phaedr.* 4, 4. At illa gaudens pecore, et lanae dedita, Quacumque summa tradet luxuriae domum; et *Ter. Ad.* 5, 3, 30. De summa nihil decedet. *Liv.* 32, 17. Macedonibus treceni nummi in capita statutum est pretium, hac summa redempti. [*Longam exemplorum seriem hujus generis habet *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 751.] ℙ Translate. *Quint.* 1, 1. Majora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum in summam proficit, *h. e.* in cumulum excrescit. *Liv.* 40, 29. Lectis rerum summis, i. e. summis rerum capitibus. [**Suet. Aug.* 9. proposita vitae ejus velut summa: opp. partes.] ℙ Dicitur etiam de capite cujuscumque rei. *Ov. Am.* 1, 9, 37. Summa ducum Atrides, *h. e.* princeps et caput ceterorum ducum. *Cic. Fam.* 13, 75. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaveris, etc. *Id. Rosc. Am.* 51. Summa reipublicae in hujus periculo tentatur. *Id. Quint.* 9. In hoc summa judicii, causaque tota consistit; et *Liv.* 32, 17. Eam ignominiam ad summam universi belli pertinere ratus. [*Ingentem exemplorum copiam hoc dicendi genus firmantium congessit e Tacito aliisque *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 448. Cf. *B. Crus. cl. Suet.* p. 751.] ℙ *Summam habere*, est primum locum obtinere. *Pl. Truc.* 4, 2, 15. Solus summam habet hic apud nos. ℙ Summa rerum. *Liv.* 10, 14. Discrimen summae rerum augebat animos; et *ib.* 27. Ad discrimen summa rerum adducta. ℙ *Summa summarum* est, cum in rationibus conficiendis multa nomina et capita in unam summam rediguntur: et apte significatur summa et universitas rerum. *Lucr.* 3, 818. et 5, 362. Sicuti summarum summa est aeterna, neque extra Quis locus est. *Pl. Truc.* 1, 1, 4. Venus, quam penes amantum summa summarum redit. *Sen. ep.* 40. *extr.* Summa ergo summarum haec erit: tardiloquum te esse jubeo. ℙ Ponitur etiam pro complemento. *Quint.* 3, 2. Huic studium et incrementum dederit utilitas, summam ratio et exercitatio. ℙ *Ad summam* est, ut summatim comprehendam, ne plura, breviter. *Cic. Att.* 14, 1. Ad summam non posse istaec sic abire. *Juven.* 3, 79. Ad summam non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax, Qui sumpsit pennas. Adde *Cic. Att.* 7, 7. *f.* et *Fam.* 14, 14. et *Hor. Ep.* 1, 1, 106. ℙ *In summa*, ad summam. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus, in summa quatuor sententiis, cum senatores et equites damnassent; et *ib.* 3, 5. *f.* Et in omni summa, ut mones, valde me ad otium pacemque converto. *Just.* 37, 1. *f.* Cum eum summi imperatores Sulla, Lucullus, ceterique, in summa Cn. Pompejus, ita vicerint, ut, etc. et 13, 8. Diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est: in summa victus occumbit. ℙ *Summai* pro *summae* dixit more suo *Lucr.* 1, 982. et 6, 679.

SUMMĀLIS, e, adj. qui summam continet, completus. *Tert. adv. Herm.* 31. Novum non est, ut id solum, quod continet, nominetur, qua summale; in isto autem intelligatur et quod continetur, qua portionale.

SUMMĀNĀLIĀ, ium, n. plur. liba farinacea in modum rotae efficta, ut ait *Festus:* a *Summanus*, quia eorum in sacris Summani usus erat. **Coel. Rhod.* 9, 16. *Sumenalia* vocat a *sumen*. Melius saltem *Suminalia*. *B. A.*

[SUMMĀNES et Submanes, ium, m. plur. Dii gradus inferioris. *Capell.* 2, 40. In his etiam locis Submanes, eorumque praestites Mana, atque Manuana. *F.*]

SUMMĀNO, as, a. 1. omnia rapio, ac devoro, Plutonis sive Orci instar: a *Summanus*. Verbum joculariter fictum a *Plauto*. Quidam deducunt a *manus*, ut sit idem ac involare, sive manus vola arripere. Verum obstat, quod secunda sit porrecta, ut versus tertius, et quintus ex his, quos infra afferimus, ostendunt. Sunt enim iambici senarii, qui trochaeum respunt. *Pl. Curc.* 3, 43. *Le.* Quis tu homo es? *Cu.* Libertus illius, quem omnes Summanum vocant. *Le.* Summane, salve. Qui Summanus? fac, sciam. *Cu.* Quia vestimenta, ubi obdormivit ebrius, Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant.

SUMMĀNUS, i, m. *Ἅδης*, Plutonis cognomentum: a Manibus, quasi summus Manium, ut scribit *Capell.* 2, 40., quamquam *Ov. Fast.* 6, 731. tanquam incerti alicujus Dei meminit, et de quo non constet, cum inquit: Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. Summano patri verveces atros II., Vestae Matri oves II. (*immolant*). [Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1216. V. S. L. M. Jovi alto Summano Felicianus Firmius cum suis D. D. D. *F.*] ℙ Huic Deo nocturna fulgura attribuebantur, sicut Jovi diurna, ut *Plin.* 2, 52, 53. docet. Templum habuit Romae, eodem *Plin.* teste 29, 4, 14., non longe ab aede Juventutis. Mentionem ejus fecit et *Cic. Div.* 1, 10. et *Pl. Bacch.* 4, 8, 54. ubi et *Submanus* legitur. Adde *Arnob.* 6. 191. et *August. C. D.* 4, 23.

*SUMMARA, ae, oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

SUMMĀRĬUM, ii, n. *ἐπιτομή*, idem quod breviarium, summa capita rerum continens. *Sen. ep.* 39. Vide, ne plus profectura sit ordinaria oratio, quam quae nunc vulgo breviarium dicitur; olim, cum Latine loqueremur, summarium dicebatur.

SUMMĀRĬUS, ii, m. princeps, primarius. *Cic. Att.* 10, 1. Nisi forte iste summarius ei potest persuadere, ut, etc. Ita legit *Lambinus*. Videtur autem *Cicero* perstringere aliquem ex factione Caesaris, qui ceteris antecellere vellet: vel etiam ipsi Caesari, qui summae rerum imperium affectabat. Verum critici fere omnes eam lectionem suspectam habent: itaque alii *Summanus*, alii rectius *nummarius* legunt: sc. C. Scribonius Curius magna pecunia à Caesare corruptus. [*Ita *Orell.*]

SUMMĂRŪDIS. V. RUDIS, is.

SUMMAS, atis, comm. gen. *ἄριστος*, optimas, primas, princeps civitatis: a *summus*. *Pl. Ps.* 1, 2, 90. Nunc tibi haec ego loquor, deliciae summatum virum. *Appul. Met.* 11. Benevolis praeceptis summatis Deae recreatus, *h. e.* Isidis Deae praepotentis. *Sidon. ep.* 9, 6. Puella moribus natalibusque summas. **Sym. or. pro Severo*, *c.* 3. ed. *A. Maio:* Quis credat summatem facundiae, diu inter fori ornamenta numeratum, etc.? *B. A.*

SUMMĀTIM, adv. *κεφαλαιωδῶς*, *ὁμαδὸν*, *ἐν ἐπιτομῇ*, in summa, breviter, et per summa capita. *Cic. Att.* 5, 16. Dum haec, quae longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. *Id. Fam.* 10, 28. Sed illa cognosces ex aliis, a me pauca, et ea summatim. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 163. Summatim tamen experiar rescribere paucis. *Varr. R. R. praef.* 2. *f.* De re pecuaria breviter ac summatim percurram. *Id. L. L.* 7, 3. Generatim ac summatim. *Colum.* 9, 2. Ista quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen, et uno tantummodo versiculo leviter attigit Virgilius, cum sic ait (*G.* 4, 152.) Dictaeo regem coeli pavere sub antro. *Ulp. Dig.* 5, 3, 7. *med.* Summatim existimandum judici, si bona fide imploretur judicium. ℙ *Summatim*, leviter, et quasi in summo. *Colum. Arb.* 6. et *ib.* 10. *extr.* Primo anno summatim, ita ne radices cruas, aut laedas, ablaqueato. *Id.* 12, 46. Inulae radicem acutissimo cultello summatim eradito. *Sen. ep.* 121. *med.* Animal constitutionem suam crasse intelligit, et summatim, et obscure.

SUMMĀTUS, us, m. *πρωτεῖον*, *ἀρχή*, imperium et rerum summa, principatus. *Lucr.* 5, 1141. Imperium sibi cum, ac summatum quisque petebat.

SUMMĒ, adv. *εἰς τὰ μάλιστα*, maxime, excellenterque, vehementer, summopere. *Cic. Fam.* 13, 18. Tale enim tuum judicium de homine eo, quem ego unice diligo, non potest mihi non summe esse jucundum. *Plin. ep.* 10, 11. Habui illum quaestorem in consulatu, mei summe observantissimum. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. *med.* Causam dissensionis nascentem exstingui, summe studui. *Cic. Quint.* 21. *med.* Sicut tu semper summe concupisti; et *ib.* 24. *med.* Cum a me peteret, et summe contenderet, ut, etc. *Id. Fam.* 4, 7. Summe diffidere. Adde *Caes. B. C.* 3, 15. *extr.* et *Hor. Ep.* 2, 2, 31.

SUMMERGO. V. SUBMERGO.

[SUMMERSO et Submerso, as, a. 1. frequent. a *submergo*, quod tamen idem significat. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 26. Omne id solum repente, una cum viris, et sepulcro, quod visebatur, summersari mari, et in profundo labi conspicamur. *F.*]

[SUMMĪNUS, a, um, adj. ad summum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 826, 8. C. Sempronius Summinus. *F.*]

SUMMĪTAS, atis, f. *ἄκρα*, vertex, fastigium, summa altitudo. *Plin.* 37, 9, 37. Onychipuncta et nubem complexa, et nives in summitate. *Pall.* 1, 6. Ut quatuor pedibus a terra summitas ejus (*vitis*) insurgat. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Cum duae summitates duabus interjectionibus vinciuntur. *Censor. de die nat.* 13. Ad terrae summitatem. *Arnob.* 1, 13. Deus summitatem omnium summorum obtinens.

SUMMITTO. V. SUBMITTO.

SUMMOENĬĀNUS et Submoenianus, a, um, adj. ad Summoenium pertinens. *Summoenianae* dicebantur meretrices, quae sub ipsis Urbis moenibus in fornicibus habitabant. *Mart.* 11, 62. Summoenianis inquinatior buccis; et 3, 82. Summoenianas coenet inter uxores. V. SUBURANUS.

SUMMOENĬUM et Submoenium, ii, n. locus Romae sub moenibus, ubi meretrices prostabant. *Mart.* 1, 35. At meretrix abigit testem veloque, seraque: Nullaque Summoeni fornice rima patet.

SUMMŌPĔRĒ, adv. *μάλιστα*, maxime, vehementissime. *Cic. Inv.* 1, 18. Vitia vero haec sunt certissima exordiorum, quae summopere vitare oportebit. *Lucr.* 4, 1179. Omnia summopere hos vitae postscenia celant. ℙ Dicitur et *summo opere*, et *magno opere*, *tanto opere*, etc. ex pluribus MSS., quae collegit *Drakenborch.* ad *Liv.* 28, 18. §. 4.

SUMMOTĔNUS, adv. *Appul. Herb.* 75. Floribus celeriter scissis, ac florescentibus summotenus.

SUMMŌVĔO. V. SUBMOVEO.

SUMMŬLĂ, ae, f. parva summa. *Sen. ep.* 77. *med.* Summulas minutas distribuit flentibus servis. *Appul. Met.* 11. *f.* Veste ipsa mea distracta, sufficientem corrasi summulam. *Prud. περὶ στεφ.* 2,

131. Nam calculanda primitus, Tum subnotanda summula.

SUMMUS, a, um, adj. *ὕψιστος, ὑπέριατος*, altissimo loco positus: a *supremus* per sync. *Caes. B. G.* 1, 21. Labienum summum jugum montis ascendere jubet; et *ib.* 2, 23. *extr.* Summum locum castrorum petere coepit. *Cic. Planc.* 7. Non illum accuso, qui est in summa sacra via. *Nep. Ann.* 9. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento, *h. e.* summam amphorarum partem. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. *f.* Summa urbs; et *Pl. Mil.* 4, 4, 16. Res apud summum puteum geritur; et *Cic. Fin.* 4, 23. *f.* Qui ad summam jam aquam appropinquant, et qui sunt in profundo. *Virg. A.* 12, 434. Summa oscula. Huc pertinet illud *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod ajunt, animo inhaerere, *h. e.* non insidere, non penetrare. ℙ Extremus, ultimus, *ἔσχατος*. *Quint.* 6, 4. *f.* Eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima, et summa ponantur. *Lucan.* 2, 211. In fluvium primi recidere, in corpora summi. *Cic. fr.* ap. *Non.* 4, 440. Vixit ad summam senectutem valetudine optima. *Virg. A.* 2, 324. Venit summa dies, et ineluctabile tempus. ℙ Translate est maximus, amplissimus: singularis, perfectus: in utramque partem. *Cic. Off.* 3, 8. Quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum. *Caes. B. G.* 1, 31. Summum in cruciatum se venturos videbant. *Nep. Att.* 10. Ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. *Id. Phoc.* 1. *f.* Summa paupertas. *Sall. Cat.* 12. Summum scelus. *Cic. Quint.* 17. Naevius ridet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus; et *mox:* Summa sanctimonia ac diligentia. *Id. Or.* 2, 1. prudentia. *Id. ad Pomp. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. med.* Existimo, te nihil, nisi summa ratione, fecisse. *Phaedr.* 4, 2. vulpes alta in vinea Uvam adpetebat, summis saliens viribus, *h. e.* maximis, totis. *Pl. Merc.* 1, 1, 49. Summo clamore dicere. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Summa hiems; et *Fam.* 1, 9. *med.* Qui et summa voluntate cesserit, et egregia animi alacritate abfuerit, *h. e.* omnino libenter. *Id. Verr.* 2, 5, 2. Non agam summo jure tecum; et *Manil.* 17. *med.* Concedunt, in uno Cn. Pompejo summa esse omnia; et *Att.* 15, 13. *med.* Se de attributione omnia summa fecisse; et *Lucil.* ap. *Non.* 2, 149. Cum me ruperim, summa omnia fecerim. ℙ *Summus vir*, praestantissimus, amplissimus, excellens, egregius, eximius. *Cic. Or.* 1, 2. *med.* Summi homines, ac summis ingeniis praediti. *Id. Brut* 85. Magnus homo, vel potius summus et singularis vir. *Id. Manil.* 13. Summus atque perfectus imperator. *Nep. Chabr.* 1. Summus dux Agesilaus. ℙ *Summus digitus* idem ac medius. V. DIGITUS. *Atejus Capito* ap. *Macr. Sat.* 7, 13. Medium et minimum (*digitum*) vitaverunt, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum; et electus est qui ab utroque clauditur, et minus officii gerit, et ideo servando anulo magis accommodatus est. *Inscr.* ap. *Mur.* 139, 1. In digito minimo anuli duo gemmis adamantinis, digito sequenti anulus polypsephus zmaragdis et margarito, in digito summo anulus cum zmaragdo, etc. ℙ *Summus amicus*, carissimus, familiarissimus. *Ter. Ph.* 1, 1, 1. Amicus summus meus, et popularis Geta. Absolute. *Id. Eun.* 2, 2, 39. Plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho; et *Ad.* 3, 2, 54. Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxime. ℙ *Summa res*, summa rei, illud, in quo potissimum status et firmamentum totius rei nititur. *Virg. A.* 2, 322. Quo res summa loco, Panthu? *Just.* 6, 2. Summae rei aliquem praeponere; et *Nep. Eum.* 10. De summis rebus dimicare. ℙ *Summum tempus*, cum agitur de summa re, cum summa res in discrimen venit. *Cic. Phil.* 5, 17. Summo reipublicae tempore veteranos ad libertatem populi R. cohortatus est. ℙ Item gloriosus, laudabilis. *Virg. A.* 9, 199. Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nise, fugis? ℙ Item nobilis, illustris. *Cic. Fam.* 2, 18. Tres fratres summo loco nati. *Pl. Most.* 5, 2, 20. Quod faciunt summis nati generibus. ℙ *Summus*, qui primo et digniore loco mensae accumbit. *Cic. Sen.* 14. Is sermo qui more majorum a summo adhibetur in poculis. V. ACCUMBO. Hinc *bibere ab summo* dicuntur convivae, cum omnes incipiendo ab eo, qui summus accumbit, circumlatis poculis bibunt: *ἐν κύκλῳ πίνειν*. *Pl. As.* 5, 2, 41. Da, puere, ab summo: age tu, interibi ab infimo da suavium. *Id. Pers.* 5, 1, 19. Age puere, a summo septenis cyathis committe hos ludos. ℙ *Summum*, summa altitudo, summitas. *Cic. Div.* 1, 17. Incurvum, et leviter a summo inflexum bacillum. *Id. Fin.* 3, 14. *f.* Qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Puteos, ac potius fontes habet: sunt enim in summo. *Petr. Sat.* 137. *f.* Nuces mersit in vinum, et sive in summum redierant, sive subsederant, ex hoc conjecturam ducebat. *Caes. B. G.* 7, 73. *med.* Scrobes paulo angustiore ad summum fastigio. ℙ Item finis, terminus, ut Summum dici, ap. *Varr. L. L.* 5, 2. ℙ *Summa* n. plur. absolute, sunt corporis extremitates, ut manus et pedes. *Sen. Ira* 2, 3. Magno imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exsiluit; et oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt. Ita etiam *Alciphr. l.* 2. *ep.* 2. *Ἀρτι ἀπέψυγμαι, καὶ ἰδρῶ τὰ ἄκρα.* ℙ *Summa petere* in obscenis est, idem ac irrumare. *Mart.* 11, 46. Summa petas, illic mentula vivit anus. *Auct. Priap.* 76. Mentula barbatis non nisi summa petet. ℙ *Summum*, et *ad summum*, adverbii modo. *Cic. Att.* 13, 21. Exspectabam hodie, aut summum cras, ab eo tabellarios. *Id. Fam.* 2, 1. A te vero litteras bis, terve summum, et eas perbreves accepi. *Id. Mil.* 9. *extr.* Respondit, illum biduo, ad summum quatriduo periturum. Adde *Liv.* multis in loc., quorum magnam partem collegerunt critici, et *Drakenborch.* ad *Liv.* 21, 35. §. 9. et 31, 42. §. 4., ubi et illud adscribitur, frequentius in multis MSS. *summum*, quam *ad summum* reperiri: illudque magis quam hoc probari. ℙ *Summum*, adverb. postremum. *Albinov.* 1, 137. Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque. ℙ *Summo*, adv. postremo loco. *Quint.* 7, 1. *med.* Celsus putat, primo firmum aliquod (*argumentum*) esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio: quia et initio movendus sit judex, et summo impellendus.

SUMMUSSI et Submussi dicebantur murmuratores. Naevius: Odi, inquit, summussos: proinde aperte dice, quid sit, quod times. Haec *Festus.*

[SUMMUSSO, as, n. 1. aliquantum musso. *Festus:* Accius in Andromacha. Dice jam mater, non est. Summussare sine. Alii leg. *nam mussare.* F.]

SUMMŪTO. V. SUBMUTO

SŪMO, is, sumsi, et sumpsi, sumtum, et sumptum, a. 3. *λαμβάνω*, capio, prehendo, accipio, suscipio: a *sub* et *emo*, quod antiquis idem significabat, ut *Fest.* docet. *Pl. Amph.* 1, 1, 202. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero. *Id. Merc.* 1, 2, 16. Sume laciniam, atque absterge sudorem tibi. *Id. Bacch.* 4, 4, 24. Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus? *Liv.* 40, 11. *f.* Qui ad me interficiendum ferrum sumserunt. *Id.* 8, 9. Sumere togam praetextam. *Suet. Aug.* 94. *med.* Sumenti virilem togam tunica lati clavi ad pedes decidit. *Id. ib.* 100. Alii exsequiarum die ponendos anulos aureos, ferreosque sumendos censuerint. *Nep. Eum.* 13. Sumere regium ornatum et nomen. *Id. Att.* 21. cibum. *Id. Them.* 10. venenum. *Ov. Pont.* 3, 5, 20. pomum de lance. *Sall. Cat.* 25. pecuniam mutuam. *Ter. Ad.* 5, 9, 20. argentum ab aliquo. *Liv.* 8, 18. *med.* spatium ad colloquendum; et *Cic. Agr.* 2, 6. Hoc animo legem sumpsi in manus, ut, etc. *Id. Fam.* 13, 26. *med.* Litteras ad te a M. Lepido consule quasi commendaticias sumpsimus. *Tac. Agr.* 31. *med.* et *Ov. Fast.* 1, 147. Sumere animum; et *Pl. Bacch.* 4, 10, 8. animo obsequium, *h. e.* animo obsequi. *Ov. Fast.* 3, 691. Oscula sumpturus subito Mars aspicit Annam. ℙ Item accipio. *Id. Her.* 18, 127. Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos. Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet. ℙ Item cum delectu comparo, eligo. *Nep. Milt.* 1. Ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent. *Sall. Jug.* 87. *f.* Sumat aliquem ex populo monitorem officii sui; et *ib.* 10. *extr.* Ne ego meliores liberos sumpsisse videar, quam genuisse, *h. e.* adoptasse. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 6. *med.* Flavius de controversia, quam habet cum Dyrrhachinis, sumpsit te judicem. *Hor. A. P.* 38. Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam Viribus. *Cic. Fam.* 16, 11. Italiae regiones descriptae sunt, quas quisque partes tueretur: nos Capuam sumpsimus. *Id. Acad.* 1, 2. *med.* Sumere sibi studium philosophiae. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 1, 12, 1. Quem virum aut heroa lyra, vel acri Tibia sumis celebrare, Clio? ℙ Item suscipio, ineo, assumo. *Sall. Jug.* 85. Omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere. *Hor. Ep.* 2, 2, 110. Cum tabulis animum censoris sumet honesti. *Cic. Vat.* 11. *med.* Sumere inimicitias. *Suet. Caes.* 60. Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat, *h. e.* inibat. (Adde *Macr. Sat.* 1, 16.) *Caes. B. G.* 1, 33. *extr.* Ariovistus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur. ℙ Item attribuo, arrogo. *Cic. Planc.* 1. *med.* Mihi non summo tantum, judices, neque arrogo, ut, etc. *Id. ad Pomp.* 2. *post. ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. med.* Sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit; et *Caes. B. C.* 3, 51. Ne imperatorias sibi partes sumsisse videretur. *Cic. Fam.* 13, 29. *f.* Tantum tibi sumito pro Capitone apud Caesarem, quantum ipsum meminisse senties; et *ib.* 50. Sumpsi hoc mihi pro tua in me observantia, ut ad te familiariter, et quasi pro meo jure scriberem. ℙ Item insumo, impendo: unde *sumptus. Pl. Mil.* 3, 1, 78. In mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est: in bono hospite atque amico quaestus est, quod sumitur. *Id. Trin.* 2, 4, 9. Minus hercle in hisce rebus sumptum est sex minis; et *ib.* 12. Non tibi illud apparere, si sumas, potest: nisi tu immortale rere esse argentum tibi. ℙ Item emo. *Cic. Fam.* 7, 23. Quanti ego genus omnino signorum omnium non aestimo, tanti ista quatuor aut quinque sumpsisti. *Hor. Sat.* 2, 4, 106. Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas? ℙ Item consumo, transigo. *Ter. Ad.* 5, 3, 68. I ergo intro, et cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem. Ubi *Donat.* Non accipiamus, sed impendamus et consumamus. Unde et *sumptum* dicimus pecuniam, quae insumenda est. *Id. Heaut.* 4, 3, 15. Frustra operam, opinor, sumo. ℙ *Sumere* dicuntur disputantes, cum ponunt aliquid tanquam certum, ex quo alia colligant. *Cic. N. D.* 1, 32. Beatos esse Deos sumpsisti: concedimus. *Id. Div.* 2, 50. Non solum ea non sumitis ad concludendum, quae ab omnibus conceduntur; sed ea sumitis, quibus concessis, nihilo magis efficiatur quod velitis; et *f.* Id sumere illos pro certo, quod dubium controversumque sit. *Liv.* 39, 28. Pro non dubio legati Eumenis sumebant, quae Antiochi fuerunt, Eumenem aequius esse, quam me, habere. *Pers.* 5, 124. Liber ego: unde datum hoc sumis tot subdite rebus? *Lucr.* 1, 972. Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse est. ℙ *Sumere supplicium*, vel *poenam de aliquo*, exigere. *Cic. Rosc. Am.* 24. Quos poetae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse. *Pl. Merc.* 5, 4, 31. Supplicii sibi sumat, quod vult ipse, ob hanc injuriam. *Virg. A.* 12, 949. poenam scelerato ex sanguine sumit. ℙ *Sumere aliquam*, in re turpi. *Mart.* 10, 81. Sic, Sumere gaudia, *Nemes. Ecl.* 4, 59. Sumere aliquid, *Petr. Sat.* 100. Adde *Ov. A. Am.* 3, 90. et *Auct. Priap.* 5. ℙ *Sumpse* pro *sumpsisse*, syncope. *Naevius* ap. *Gell.* 2, 19. Unquam si quicquam filium rescivero Argentum amoris causa sumpse mutuum. ℙ *Caper de orthogr.* p. 2243. hoc dicit esse discrimen inter *sumere* et *accipere.* Sumimus, inquit, ipsi: accipimus ab alio. Sic, cum dabimus, dicendum est, accipe: cum permittimus ipsi tollere, dicendum, sume.

SUMPTIFĂCIO, is, a. 3. *δαπανάω*, facio sumptum. *Pl. Cas.* 2, 7, 1. Si nunc me suspendam, meam operam luserim, et praeter operam restim sumptifecerim.

SUMPTIO et Sumtio, onis, f. *λῆψις*, actus sumendi. *Cato R. R.* 145. Oleum ne tangito utendi causa, neque furandi, nisi quod custos dederit, aut dominus: si sumpserit, in singulas sumptiones, etc. Alii leg. *sumpsiones. Vitr.* 1, 2. Quantitas est modulorum ex ipsius operis sumptione conveniens effectus. ℙ Item assumptio, h. e. minor propositio syllogismi. *Cic. Div.* 2, 53. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quae *λήμματα* appellant dialectici: sed nos Latine loqui malumus.

SUMPTĬTO et Sumtito, as, a. 1. saepe sumo. *Plin.* 25, 5, 21. de helleboro: Ut plerique studiorum gratia, ad pervidenda acrius, quae commentabantur, saepius sumptitaverint.

SUMPTŬĀRIUS et sumtuarius, a, um, adj. *δαπανητός*, ad sumptus et impensas pertinens. *Cic. Att.* 13, 47. Velim, cognoscas rationes nostras sumptuarias; et *ib.* 7. Ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria, *h. e.* quae moderabatur sumptus, praesertim in coenis: unde *Cato* ap. *Macr. Sat.* 2, 13. vocat *cibariam.* Meminit etiam *Cic. Fam.* 7, 26. et *Suet. Aug.* 34. Porro septem fuere leges sumptuariae, variis latae temporibus, quas describit *Gell.* 2, 24. ℙ *Sumptuarius*, absolute, qui sumptus erogat, vel domi, vel in scena, *ἐπαναλωτής. Inscr.* ap. *Grut.* 333, 5. Philomuso fulloni, etc. curatoribus Daphno sumptuario, et Hedylalo a manu. Adde 331, 2. et ap. *Mur.* 978, 6.

SUMPTŬOSE et Sumtuose, adv. *δαπανηρῶς*, magno sumptu. *Cic. Cat.* 2, 9. *med.* Qui se inperatis repentinisque pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt. *Catull.* 47, 5. Vos convivia lauta sumptuose De die facitis. *Suet. Claud.* 16. *f.* Essedum argenteum sumtuose fabricatum. *Varr. R. R.* 3, 17. Piscibus victum ministrare sumptuosius. *Plin. ep.* 9, 12. Sumptuosius equos et canes emere.

SUMPTŬOSĬTAS, atis, f. magnus sumptus. *Sidon. ep.* 9, 6. Quantum de bonusculis avitis paternisque sumptuositas domesticae charybdis abligurisset.

SUMPTŬOSUS et Sumtuosus, a, um, adj. *δαπανηρός*, qui magno sumptu, et multa pecunia fit. *Cic. Fam.* 9, 23. Exspecta hospitem cum minime edacem, tum inimicum coenis sumptuosis. *Id. Q. Fr.* 3, 8. *f.* Ludos apparat magnificentissimos, sic, inquam, ut nemo sumptuosiores. *Hor. Od.* 3, 23, 18. Sumptuosa hostia. *Suet. Ner.* 9. *extr.* Portum operis sumptuosissimi fecit. *Cato R. R.* 1. *med.* Sumptuosus ager, *h. e.* qui multo sumptu colendus est. *Colum.* 7, 3. *med.* Cicercula sumptuosior est, quam ut exiguo pretio possit praeberi. *Plin. ep.* 2, 17. Villa usibus capax, non sumptuosa tutela. *Id. ep.* 10, 48. Substructiones non tam firmae, quam sumptuosae. *Id. ep.* 2, 4. Dignitas sumptuosa, *h. e.* quae multo sumptu servanda est. ℙ *Homo sumptuosus*, qui sumptus praeter rationem facit. *Varr. R. R.* 2, 4. Ignavum et sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario, quam ex domestico fundo. *Ter. Heaut.* 2, 1, 15. Mulier potens, procax, magnifica, sumptuosa. *Plin. ep.* 2, 6. Quidam sordidus simul, et sumptuosus. *Suet. Caes.* 50. Sumptuosus in libidines. Adde *Cic. Or.* 2, 31. *med.* et *Par.* 6, 3.

SUMPTUS et Sumtus, a, um, part. a *sumo*, *εἰλημμένος, ληπτός*, captus, acceptus. *Cic. Rab. Post.* 16. Videtis hos quasi sumptos dies ad labefactandam illius dignitatem. *Ov. Trist.* 5, 1, 69. quis te mala sumere cogit? Aut quis deceptum ponere sumta vetat? *Id. A. Am.* 2, 300. Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba. ℙ *Sumptum*, absolute, sumptio, assumptio. *Capell.* 4, 125. Plenam sententiam cum proposuerimus, cum concessa fuerit, sumptum

dicitur. ℙ Item consumptus, maceratus. *Vet. poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 21. metu Perculsu', curis sumptu' suspirantibus. ℙ De ratione scribendi V. in EMPTUS.

SUMPTUS et Sumtus, us, m. *δαπάνη*, quod impenditur et insumitur: a *sumo*, quod emere aliquando est. *Cic. Off.* 1, 39. *med.* Cavendum, si aedificeS, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas. *Id. Tusc.* 5, 33. *extr.* Extenuare magnificentiam et sumptum epularum. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Ad incertum casum et eventum certus labor et certus sumptus impenditur. *Id. Inv.* 2, 38. Quid sumptus in eam rem, aut laboris insumpserit. *Id. Off.* 2, 16. In his immanibus jacturis, infinitisque sumptibus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 2. *f.* Homines sumptu exhauriri; et *ib.* 3, 1, 2. Sumptum nusquam melius posse poni. *Id. Verr.* 2, 4, 10. Sumptum facere in prandium. *Id. Inv.* 2, 29. Legatis quaestores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. *Id. Fam.* 9, 16. *f.* Ego tibi unum sumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit. *Id. Fl.* 19. *f.* Pro frumento cum pecuniam accepisset, celavit suos cives, ultroque iis sumptum intulit. *Id. Fam.* 3, 8. *med.* Sumptum minuere, aut remittere. *Id. Att.* 11, 13. *med.* Sumptus necessarios suppeditare. *Ter. Heaut.* 1, 2, 33. Praebere exigue sumptum; et 5, 1, 57. Suppeditare alicui sumptibus: scil. pecuniam; et *Ad.* 3, 4, 6. Dare pecuniam in sumptum; et 1, 1, 37. Cur tu his rebus sumptum suggeris? *h. e.* pecuniam insumendam. *Cic. Fam.* 16, 4. Sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit. Alii leg. *sumptu. Pl. Mil.* 3, 1, 77. Tibi tanto sumptui esse, mihi molestum est. ℙ Singulare et illud *Ter. Heaut.* 1, 1, 91. Servi, qui opere rustico faciundo facile sumptum exercent suum, *h. e.* quem sumptum dominus iis alendis facit, excolunt, et opere pensant. V. tamen hunc eund. locum in EXSARCIO. ℙ Reperitur etiam *sumptus*, *i. Cato R. R.* 22. *med.* Eo sumpti opus est HS. LX. *Pl. Trin.* 2, 1, 20. Quod ebibit, quod comest, quod facit sumpti. *Turpil.* ap. *Non.* 2, 488. Sumpti largitas. Adde *eund.* et *Caecil.*, *Lucil.* et *Varr. ib.* et 8, 12. ℙ De scriptione V. in EMPTUS.

*SUNEM, oppidum Galilaeae. *Vulgat. Josuae* 19, 18. *B. A.*

*SUNICI vel Sunuci, orum, populi Galliae Belgicae, inter Mosam Roramque amnes. *Sunici* audiunt *Tac. H.* 4, 66. *Sunuci* autem *Plin.* 4, 17. ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Rinuci. B. A.*

*SUNION vel SUNIUM, i, n. *Σούνιον*, vicus et promontorium Atticae regionis, quod in extima acie Helladis fuit, supra Athenas et Marathonem. Hanc formam habent *Cic. Att.* 7, 3. *extr. Liv.* 28, 8. 31, 22. et 32, 17. *Mela* 2, 2. et 3. *Plin.* 4, 7. Illam *Ov. Fast.* 4, 563. *Stat. Theb.* 12, 625. ℙ In eo forum rerum venalium, *ἐμπόριον*, fuit. *Ter. Eun.* 1, 2, 34. Mercator hoc addebat, e praedonibus Unde emerat se audisse, abreptam e Sunio. *B. A.*

SŪO, is, sui, sutum, 3. 3. *ῥάπτω*, acu et filo, vel fune, aut nervis duarum rerum oras connecto, consuo: ab antiquo *σύω*, unde *ξασσύω*, quod idem sonat. *Cels.* 7, 4. *n.* 3. Fistula excisa necesse est latius foramen relinquat, quod nisi permagna vi sui non potest. *Varr.* ap. *Gell.* 17, 3. Ii plerasque naves loris suebant: Graeci magis cannabo et stuppa, ceterisque sativis rebus. ℙ Translate. *Ter. Phorm.* 3, 2, 6. Metuo lenonem, ne quid suo suat capiti, *h. e.* sibi malum struat. Hinc *consuere dolos*, et *sutelae.* V. CONSUTUS. ℙ Part. *Suens*, V. in SUTELA. ℙ Praeteritum *sui* agnoscitur a *Prisciano* 10, 881.

SŬOPTĔ, suo ipsius, ut *meopte*, meo ipsius, *tuopte*, tuo ipsius. *Festus.* V. PTE.

SŬOVĔTAURĪLĬA. V. SOLITAURILIA.

SŬPAT, jacit. V. SIPO.

SŪPELLECTĬCĀRIUS, a, um, adj. ad supellectilem pertinens. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. §. 31. Supellecticarii servi, *h. e.* quibus cura supellectilis mandata est. Adde *Petr. Sat.* 34, ubi alii leg. *lecticarius.* V. ANALECTARIUS et LECTICIARIUS.

SŪPELLEX, ectilis, f. *τὰ σκεύη*, *τὰ ἔπιπλα*, domesticum instrumentum familiae, quod neque argento aurove facto, vel vesti adnumeratur, ut *Pompon.* definit *Dig.* 33. *tit.* 10. qui inscribitur *De supellectile legata*, 1. Supellectile autem legata, inquit *Paul. ib.* 3., continentur mensae, trapezophora, delphica, subsellia, scamna, lecti etiam inargentati, culcitae, toralia, mappae villosae, vasa aquaria, pelves, aquiminaria, candelabra, lucernae, trullae: item vasa ahenea, vitrea, et fictilia escaria et potoria. *Labeo* ap. *Cels. ib.* 7. originem nominis inde ducit, quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quae *sub pellibus*, h. e. sub tentoriis, usui forent. Sed si ratio habenda esset *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 130, 2., in qua T. Flavius Hermes Aug. Lib. a superlectile P. Cae. N. (*h. e.* privata Caesaris nostri) dicitur; supellex proprie est id, quod super lectos cubiculares seu tricliniares ponitur: quod etymon confirmatur etiam ex voce praeced., in qua supellecticarii servi sunt, qui res ad lectos praecipue pertinentes curant, et ex *Pauli* loco supra citato. *Varr. R. R.* 1, 22. *f.* Instrumentum et supellectilem rusticam omnem oportet habere scriptam, in urbe et rure, dominum. *Prop.* 4, 8, 37. vitrique aestiva supellex. *Hor. Sat.* 1, 6, 117. adstat echinus Vilis, cum patera guttus, Campana supellex. *Virg. G.* 1, 165. Virgea praeterea Celei, vilisque supellex Arbuteae crates, et mystica vannus Iacchi. *Juven.* 3, 14. Judaei, quorum cophinus foenumque supellex. *Cic. Agr.* 2, 15. Multa in mancipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectile. *Id. Phil.* 2, 27. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. *Inscr.* ap. *Grut.* 31, 11. Eumolpus Caesaris a supellectile domus auriae, *h. e.* servus Neronis, cujus domus aurea celebratur a *Suet. Ner.* 31. ℙ Etiam argentum aurumve factum aliquando hoc nomine comprehenditur. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 1. Qui triumphali denas argenti libras in supellectile crimini dabant. *Paul. l. c. in.* Et pelves argenteas et aquiminaria argentea, et mensas, et lectos inargentatos, vel inauratos, atque gemmatos in supellectili esse, non dubitatur: usque adeo ut idem juris sit, etsi tota argentea, vel aurea sint. Adde *Recept. sentent.* 3. *tit.* 7. *med.* ℙ Translate. *Cic. Am.* 15. Amicos parare, optimam et pulcherrimam vitae, ut ita dicam, supellectilem. *Id. Or.* 24. Verecundus erit usus oratoriae quasi supellectilis. Supellex est enim quodammodo nostra, quae est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. *Sen. ep.* 88. *med.* Qui occupatus est in supervacua litterarum supellectile. *Pers.* 4, 52. Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex, *h. e.* virtus, sapientia, eruditio. *Pl. Poen.* 5, 3, 27. Muliebris supellex est clarus clamor sine modo. ℙ *Festus* et *Charis.* 1, 67. et 117. docent, olim in recto dictum fuisse *supellectilis;* et *Prisc.* 6, 724. affert in eam rem locum *Catonis:* sed ibi *supellectilis* non rectus, sed patrius casus est. ℙ Recte monet *Diomed.* 1, 314. carere plurali numero.

SŪPER, *ἐπὶ*, *ὑπὲρ*, praepositio tum quartum, tum sextum casum regens: ab *ὑπὲρ*, spiritu in *s* converso, et *υ* in *u*, fere fit: et significat superiorem locum. *Cels.* 4, 1. *med.* Renes tunicis super contegunturs. *Id.* 6, 19. Imponendum super medicamentum. *Cic. Fin.* 2, 18. *med.* Aspidem occulte latere, et velle aliquem super eam assidere. *Sall. Jug.* 62. *f.* Cum alii super vallum praecipitarentur. *Caes. B. C.* 2, 10. Lateres, qui super musculos struantur; et *ib.* 3, 39. Navem, super qua turrim effectam ad introitum portus opposuit. *Phaedr.* 2, 6. suadet, ut scopulum super Altis ab astris duram illidat corticem. *Colum.* 8, 17. *med.* Clathri super aquam emineant. *Liv.* 24, 39. *in.* Pars maxima super theatrum circaque consistunt; et *mox:* Cum alii super aliorum capita ruerent. *Hor. Od.* 3, 1, 17. Ensis super cervice pendet. *Virg. Ecl.* 1, 81. Fronde super viridi. *Ov. Met.* 13, 477. Illa super terram desecto poplite labens. ℙ De accumbentibus mensae. *Hor. Sat.* 2, 8, 23. Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra. *Curt.* 8, 5. *f.* Polypercon, qui cubabat super regem. ℙ Inter *super* et *supra* quidam ita distinguunt ap. *Putsch.* p. 2273. et 2346., ut *super* sit, quod eminet, licet non contingat; *supra*, quod substratum aliquid habet, eique contiguum est. Sed hujus discriminis nulla est ratio: praesertim cum hae duae voces passim confundantur, quia in MSS. secunda syllaba fere per notam scribitur. ℙ *Super* pro ultra. *Virg. A.* 6, 795. super et Garamantas et Indos Proferet imperium. *Sall. Jug.* 22. Proxume Hispaniam Mauri sunt: super Numidiam Gaetulos accepimus, etc. ℙ Pro *in. Plin. ep.* 4, 22. *med.* De hujus nequitia omnes super coenam loquebantur. *Virg. A.* 9, 59. pleno lupus insidiatus ovili Nocte super media. *Servius* interpretatur ultra mediam noctem. *Curt.* 8, 4. *f.* Pudebat super vinum et epulas socerum esse electum. *Stat. Theb.* 1, 676. Non super hos Divum tibi sum quaerendus honores, *h. e.* inter sacra, ut mox subjicit. ℙ Pro desuper, absolute. *Lucan.* 4, 291. Cum super e totis emisit collibus agmen Magnus. *Virg. A.* 9, 168. Haec super e vallo prospectant Troes. ℙ Pro praeterea, insuper. *Virg. A.* 2, 70. quid jam misero mihi denique restat? Cui neque apud Danaos usquam locus: et super ipsi Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt. Est qui leg. *insuper* pro *et super*, minus recte. *Hor. Sat.* 2, 7, 78. Adde super, dictis quod non levius valeat. Est qui male leg. *supra dictis quod*, etc. et *Ep.* 2, 2, 32. Clarus ob id factum donis ornatur honestis, Accipit et bis dena super sestertia centum. *Phaedr.* 4, 23. Super etiam jactas, tegere quod debet pudor. Alii leg. *superba jactas:* et *Ov. Met.* 12, 205. voto Deus aequoris alti Annuerat, dederatque super, ne saucius ullis Vulneribus fieri posset. *Suet. Vesp.* 24. Annum agens aetatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum. ℙ Pro *praeter*, et accessionem significat. *Liv.* 1, 50. Alii super alios trucidantur, exsulatum eunt, bona amittunt. *Id.* 28, 46. Punicum exercitum super morbum etiam fames affecit. *Id.* 2, 31. Super ceteros honores locus in Circo ipsi ad spectaculum datus. *Phaedr.* 3, 11. Qui super obscena dicta et petulans jurgium, Damnum insectatus est amissi corporis. *Colum.* 7, 6. *med.* Super lactis abundantiam samera, vel cytisus, aut hedera praebenda. ℙ *Super quam*, plus quam. *Hor. Sat.* 1, 2, 65. poenas dedit usque superque, Quam satis est. ℙ *Super quam quod*, praeter quam quod. *Liv.* 22, 3. *f.* Primoribus, super quam quod dissenserant a consilio: territis etiam duplici prodigio. Adde 27, 20. ℙ *Super*, supra, plusquam, magis quam. *Suet. Vit.* 13. Famosissima super ceteras fuit coena ei data adventicia a fratre. *Tac. G.* 33. Super LX. millia. *Sall. Jug.* 39. *f.* Non prius omisit contra verum niti, quam animadvortit, super gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse, *h. e.* plus posse. Huc pertinent illa *Cic. N. D.* 2, 1. Nam contra Epicurum satis superque dictum est. *Id. Rosc. Com.* 4. Satis superque habere dicit, quod, etc. Adde *Hor. Sat.* 1, 2, 65. ℙ Super omnia, praecipue, praesertim, in primis. *Virg. A.* 8, 303. Talia carminibus celebrant: super omnia Caci Speluncam adjiciunt. *Ov. Met.* 6, 525. frustra clamato saepe parente, Saepe sorore sua, magnis super omnia Divis. Adde *ib.* 8, 677. et *Liv.* 31, 18. ℙ *Est super*, superest, reliquum est, remanet. *Nep. Alc.* 8. Atheniensibus exhaustis praeter arma et naves nihil erat super. *Val. Fl.* 8, 435, Nec spes ulla super. ℙ Cum ablativo significat de, *περί*. *Cic. Att.* 14, 22. Velim cogites, quid agendum nobis sit super legatione votiva. *Nep. Paus.* 4. Qui super tali causa eodem missi erant. *Auct. ad Her.* 1, 13. Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legaverit, jus esto. *Sil.* 2, 270. Consultant bello super. *Virg. A.* 1, 754. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. *Id. ib.* 4, 233. Nec super ipse sua molitur laude laborem, *h. e.* pro sua laude. *Pl. Aul.* 4, 7, 2. Juxta rem mecum tenes super Euclionis filia. *Cic. Att.* 10, 8. *f.* Sed hac super re nimis: supple *dixi. Tac. A.* 11, 23. Multus ea super re rumor. ℙ Cum accus. *Sil.* 5, 60. mentesque Deorum Explorant super eventus. Alii leg. *eventu.* Adde *Fest.* in *Superescit.* ℙ Aliquando officium, curam, et munus significat, *ἐπὶ*. *Scrib. Comp.* 162. *extr.* Anteros Tiberii libertus super hereditates. Alii leg. *supra.* V. SUPRA. ℙ *Super* adjective superior, superus, ut *citer*, *infer. Cato R. R.* 149. Naturam, quam totus habet super ignis, haberent. ℙ *Super* est etiam cognomen. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2034, 6. Aul. Vettius Super.

SŪPĔRA, idem quod *supra* apud veteres. *Prisc.* 14, 980. et 1001. Super et supra a supera: illud per apocopam, hoc per syncopam facta sunt. Sic enim antiqui frequenter protulerunt, et maxime Cicero in poematibus suis, ut in Arato: (*h. e.* in *Phoenom. Arat. N. D.* 2, 42.) Torvu' draco serpit subter superaque revolvens Sese. Idem in eodem: Huic supera duplices humeros adfixa videtur Stella micans. Haec *Priscianus.* Sunt tamen codices, qui *supra* habent in *Cic.*, non *supera.* Quae varietas lectionis esse potest etiam in illo *Lucr.* 1, 429. Id quod jam supera tibi paulo ostendimus ante; et 5, 327. Cur supera bellum Thebanum, etc. et *ib.* 705. vel supera solis perlabier orbem; et 1406. Et supera calamos unco percurrere labro. *Inscr.* opt. notae ap. *Fabr.* p. 421. *n.* 388. Ree (*h. e.* re) fuit, et vero plus, superaque parens.

SŪPĔRĂBĬLIS, e, adj. qui superari potest. *Tac. H.* 4, 81. Caecitas ac debilitas ope humana superabiles. *Liv.* 25, 23. *med.* Humilior murus, et vel mediocribus scalis superabilis. *Ov. Trist.* 5, 8, 27. per vim non est superabilis ulli.

SŪPĔRABLŬO, is, a. 3. in superiori parte abluo, *ὑπερλούω*. *Avien. Perieg.* 881. Caspia nam late terram superabluit unda. Alii rectius *superadluit*, alii divisim *super adluit* legunt.

SŪPĔRABUNDANS, antis, part. a *superabundo*, superfluus, redundans. *Macr. Somn. Scip.* 1, 14. Deus superabundanti majestatis fecunditate de se mentem creavit. *Lactant. Epit.* 6. *med.* Munera superabundantia non recipiet a tenuioribus.

*SŪPERABUNDANTER, adv. *Vulgat. Ephes.* 3, 20. Superabundanter omnia facere. *B. A.*

[SŪPĔRĂBUNDANTĬA, ae, f. id quod superest: usurpatur de usura. *Hieron.* 6. *in Ezech.* 18, 6. Alii pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt, usuram appellari superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint; et *paulo supra:* Quod praevidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. *F.*]

SŪPĔRĂBUNDO, as, n. 1. *περισσεύω*, redundo, superfluo, abundo. *Tert. Resurr. carn.* 34. et 47. ex *Apost. ad Rom.* 5, 20. Ubi delictum abundaverit, illic gratiam superabundasse. Addunt nonnulli locum *Ulp. Dig.* 50, 17, 94., ubi plerique omnes leg. *abundo:* item *Modest. ib.* 27, 1, 6., ubi eadem lectionis varietas est; et praeterea lex illa est e Graeco translata.

SŪPĔRACCOMMŎDO, as, a. 1. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. *f.* Ferulae superaccommodandae sunt, quae ossa contineant.

SŪPĔRĂCERVO, as, a. 1. coacervo, acervum super acervum impono. *Tert. ad Nat.* 1, 15.

SŪPĔRADDĪTUS, a, um, part. a *superaddo. Virg. Ecl.* 3, 38. Lenta quibus torno facili superaddita vitis. *Prop.* 2, 10, 33. Et sit in exiguo laurus superaddita busto.

SŪPĔRADDO, is, a. 3. *ἐπιπροστίθημι*. *Virg. Ecl.*

5, 42. Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.

SŪPĔRADDŪCO, is, a. 3. *Pl. Truc.* 2, 6, 53. Quot ancillae sunt jam? Quin etiam superadducas, quae mihi comedint cibum?

SŪPĔRADJĪCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. insuper adjicio. *Pall.* 11, 14. *f.* Quartam partem, quam alibi diffuderas, superadjicies. *Macr. Sat.* 1, 14. Decem dies observationi veteri superadjecit.

SŪPĔRADLŪO. V. SUPERABLUO.

SŪPĔRADORNĀTUS, a, um, part. ab inus. *superadorno. Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* Signorum coagmenta solvuntur, nullum materiae superadornatae manet operimentum.

SŪPĔRADSTO et Superasto, as, stiti, n. 1. ὑπερπαρίστημι, supra sto, immineo. *Virg. A.* 6, 17. Chalcidicaque levis tandem superastitit arce. Alii divisim scribunt *super adstitit. Manil.* 1, 909. Ossa virum lacerosque prius superastitit artus; et *ib.* 637. orbem verticibus superastantem, mediumque secantem Coelum.

*SUPERADULTUS, a, um, adj. ut *superadulta virgo* ap. *Vulg.* 1 *Corinth.* 7, 36. ὑπεραχμάζουσα. *B. A.*

[SŪPĔRADVŌLO, as, n. 1. postea advolo. *Val. Fl.* 6, 343. trepidus superadvolat Idas. Alii divisim leg. *super advolat. F.*]

SŪPĔRAEDĪFĪCĀTĬO, onis, f. *Tert. adv. Marc.* 5, 6. *f.*

[SŪPĔRAEDĬFĪCO, as, a. 1. supra exstruo. *Paul. Nol. ep.* 28. Si digna tanto monimento superaedificetur operatio. *F.*]

[SŪPĔRAEQUĀNUS, a, um, adj. ad Superaequum pertinens, Pelignorum in Italia oppidum, nunc *Castelvecchio:* ita videtur appellatum, quia super aequum seu planitiem exstat. Ejus ita meminit *Front. de colon.* p. 124. *Goes.* Superaequum: ager ejus limitibus maritimis est assignatus. *Id. ib.* p. 145. Colonia Superaequana: ager ejus veteranis est assignatus, sed postea Severus, et Antoninus, et Commodus aliqua privatis concesserunt. Hinc *Superaequani, orum*, absolute, incolae illius oppidi, ap. *Plin.* 3, 12, 17. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 53. Q. Vario Q. F. Gemino Superaequani publice patrono. *F.*]

[SŪPĔRAEQUĀTĬO, onis, f. idem ac peraequatio. *Impp. Honor. et Arcad. Cod.* 11, 58, 15. Si quis deserta praedia, quae navalem sustinent functionem, et in desertis nunc usque remanent, superaequationis jure perceperit. Alii rectius leg. *sub peraequationis jure.* V. PERAEQUATIO. *F.*]

SŪPĔRAGGĔRO, as, a. 1. aggere impleo. *Colum.* 12, 44. Scrobs ea humo, quae fuerat egesta, superaggeratur.

SŪPĔRĀGO, is, a. 3. supra aliquid ago, seu duco. *Tibull.* 4, 1, 157. Sed durata riget densam in glaciemque nivemque; Quippe ubi non unquam Titan superegerit ortus. Possis et divisim legere *super egerit.* Alii leg. *super ingerit.*

SŪPĔRALLĪGO. V. SUPERILLIGO.

SŪPĔRAMBŪLO, as, a. 1. *Sedul.* 3, 226. calcatas Dominus superambulat undas.

SŪPĔRĀMENTUM, i, n. quod superat, et superfluum est. *Ulp. Dig.* 32, 1, 55. Etiam virgulae, et cremia, et sarmenta, et superamenta materiarum, et vitium stirpes, atque radices continebuntur ligni appellatione.

SŪPĔRANS, antis, part. a *supero*, προέχων. *Virg. A.* 5, 473. Hic victor superans animis, tauroque superbus. *Lucr.* 5, 395. Cum semel in terra fuerit superantior ignis. *Solin.* 2. *med.* de Italia: Mons Vesulus superantissimus inter juga Alpium.

SŪPĔRANTĔACTUS, a, um, adj. *Lucr.* 3, 673. Cur superanteactam aetatem meminisse nequimus? Alii leg. divisim *super anteactam.*

[SŪPĔRANTĬUS, a, um, adj. idem ac superans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 525, 5. Aufustia Superantia. *F.*]

[SŪPĔRAPPĀRĔO, es, n. 2. supra appareo. *Fulg. Myth.* 2, 16. Unde et ὑπερηφανία Graece superbia dicitur, sed ὑπερηφανία proprie superapparitio nuncupatur, quod in ignis duobus signis (*h. e.* Geminis), quae eorum fratrum vocabulo nuncupaverunt, unus superappareat, alter vero vergat: sicut Lucifer et Antifer (al. leg. *Noctifer*). *F.*]

[SŪPĔRAPPĀRĬTĬO, onis, f. superior apparitio. V. v. praec. *F.*]

SŪPĔRARGŪMENTANS, antis, part. ab inus. *superargumentor*, insuper argumentans. *Tert. adv. Herm.* 37.

SŪPĔRASPERGO, is, a. 3. super spargo. *Veg. Vet.* 3, 3. *med.* Resinae ferventi superaspergis hordeaceam farinam. *Apic.* 4, 2. Piperis pulverem superasperges.

SŪPĔRĀTĬO, onis, f. actus superandi. *Vitr.* 3. *praef. med.* In ambitione certationis contrariorum superatio.

SŪPĔRĀTOR, oris, m. *Ov. Fast.* 1, 641. populi superator Etrusci. *Id. Met.* 4, 698. Perseus superator Gorgonis.

SŪPĔRĀTRIX, icis, f. *Inscr.* non probae notae ap. *Fabrett.* p. 383. *n.* 209. Aureliae Cleopatrae omnium retro temporis castarum, seu disciplinarum superatrici, etc.

SŪPĔRATTOLLO, is, a. 3. *Pl. Cas.* 4, 4, 1. Sensim superattolle limen pedes, nova nupta, *h. e.* tolle pedes super limen. Alii divisim *super attolle* scribunt.

SŪPĔRATTRĀHO, is, a. 3. extollo, sursum traho. *Avien.* in *Arat.* 1249. Argo quod puppim curvis superattrahit oris.

SŪPĔRĀTUS, a, um, part. a *supero*, victus. *Nep. Them.* 5. Se a Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. *Ov. Met.* 12, 364. bello superatus Amyntor. *Sen. Oct.* 128. Superatum mare. *Gell.* 7, 18. *f.* Ea sententia numero plurium superata. Ἑλληνισμὸς est in illo *Silii* 8, 506. de Marsya: Myggoniam Phoebi superatus pectine loton.

[SŪPĔRAURĀTUS, a, um, adj. auro supra tectus. *Ov. Hal.* 107. Et superaurata sparulus cervice refulgens. Alii divisim leg. *super aurata. F.*]

SŪPERBĒ, adv. ὑπερηφανῶς, elate, cum fastu. *Nep. Paus.* 3. (et *Caes. B. G.* 1, 31. *med.*) Superbe respondebat, et crudeliter imperabat. *Pl. Merc.* 5, 4, 38. Superbe invehi. *Ter. Phorm.* 5, 7, 22. illudere aliquem. *Liv.* 2, 45. insolenterque eludere. *Lucret.* 5, 1223. dictum. *Cic. Manil.* 5. Legati appellati superbius. *Id. Pis.* 27. Alicujus preces superbissime repudiare.

SŪPERBIA, ae, f. ὑπερηφανία, nimia animi elatio, arrogantia, fastus, insolentia. *Sall. Cat.* 2. Pro labore arrogantia, fastus, insolentia et aequitate lubido atque desidia, pro continentia et aequitate superbia invasere. *Cic. Part.* 23. *med.* Magnitudinem animi superbia imitatur in animis extollendis. *Id. Off.* 1, 26. In rebus prosperis, et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere fugiamus. *Id. Verr.* 2, 4, 41. Illa tua singularis insolentia, superbia, contumacia. *Id. Inv.* 1, 54. *f.* In superbiam et arrogantiam odium concitare. *Caes. fr.* ap. *Gell.* 4, 16. *extr.* Unius arrogantiae, superbiaeque, dominatuque. *Val. Fl.* 3, 699. Non hi tum flatus, non ista superbia dictis, cum, etc. *Phaedr.* 1, 3. Inani superbia tumens. *Quint.* 3, 6. Divitiae superbiam pariunt. *Ov. Fast.* 1, 419. Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam. *Plin. ep.* 8, 24. Absit superbia, asperitas. *Petr. Sat.* 126. Mirari coepi, quod ancilla haberet matronae superbiam, et matrona ancillae humilitatem. *Pl. Merc.* 5, 2, 10. Superbiam abjicere. *Hor. Od.* 3, 10, 9. ponere. *Phaedr.* 4, 23. alicujus retundere. *Titin.* ap. *Non.* 4, 219. confringere. *Tac. A.* 6, 13. Silentium ipsius non civile, sed in superbiam accipiebatur. *Cic. Or.* 1, 22. Quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam. ℙ In plur. num. *Pl. Stich.* 2, 1, 28. Secundas fortunas decent superbiae. ℙ In bonam partem pro magnitudine animi. *Hor. Od.* 3, 30, 14. sume superbiam Quaesitam meritis. ℙ Translate. *Vitr.* 7, 3. *med.* Semper enim album opus, propter superbiam candoris, non modo ex propriis, sed etiam ex alienis aedificiis concipit fumum, *h. e.* propterea quod candor nullum alium colorem admittere potest, quin corrumpatur.

SŪPERBĪBO, is, a. 3. ἐπιπίνω, est post cibum, potumque assumptum, alium potum superingerere. *Plin.* 23, 1, 23. Aquae potum interponere utilissimum, itemque jugi superbibere ebrietati.

SŪPERBIFĪCUS, a, um, adj. γαυριποιὸς, superbum faciens. *Sen. Herc. Fur.* 58. superbifica manu Atrum per urbes ducit Argolicas canem, *h. e.* quae superbum Herculem facit ob Cerberum vinculis obstrictum, et per urbes ductum.

SŪPERBILOQUENTĬA, ae, f. μεγαληγορία, elatus atque arrogans sermo. *Cic. Tusc.* 4, 16. ex poeta: Impendere apud Inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera, animique impotentiam, et superbiloquentiam. *Non.* 2, 817. hunc locum, tanquam Ciceronis ipsius verba recitat.

SŪPERBIO, is, n. 4. ὑπερηφανεύομαι, fastu extollor, arrogans sum, insolesco, me jacto, tumeo. *Cic. Acad.* 4, 29. *med.* Si habes quod liqueat, neque respondes, superbis. *Ov. Her.* 8, 43. Ille licet patriis sine fine superbiat actis. *Id. A. Am.* 3, 103. Superbire forma. *Phaedr.* 5, 7. Superbiens honore divinae domus. *Plin.* 9, 35, 59. Ne triumviratu suo nimis superbiat Antonius. *Claud. B. G.* 73. vulgique superbit Fletibus. *Id. Idyll.* 1, 87. tumidusque regendo Celsa per famulas acies ditione superbit. *Tac. A.* 1, 19. *extr.* Superbire miles, quod filius legati orator publicae causae, etc. Adde *Stat. Th.* 7, 704 et *Prop.* 4, 1, 63. ℙ Item contemno, non dignor. *Stat. Th.* 8, 588. Praeterit haud dubium fati, et spoliare superbit Oenides. Poetice dicitur de re illustri, pretiosa, nobili. *Prop.* 4, 5, 22. Et quae sub Tyria concha superbit aqua. *Claud. Laud. Stil.* 1, 79. radiis auri, Tyriaque superbit Majestate torus. *Id. Rapt. Pros.* 3, 337. Phlegraeis silva superbit Exsuviis, totumque nemus victoria vestit. *Plin.* 37, 7, 33. Hac certe apud Menandrum et Philemonem fabulae superbiunt.

[SŪPERBIPARTIENS. V. *Boethii l. c.* in SUPERPARTIENS. *F.*]

SŪPERBITER, adv. superbe. *Afr.* ap. *Non.* 11, 48. Illa superbiter imperat. *Naev. ib.* et *n.* 53. Superbiter, contemptim conterit legiones.

SŪPERBUS, a, um, adj. ὑπερήφανος, nimis elatus, arrogans, insolens, inflatus, fastosus: ab ὑπερβὰς, vel ὑπέρφρων, vel ὑπέροφρυς, vel simpliciter, quia super alios se effert: vel a *super* et *ire. Sen. Med.* 1007. I nunc: superbe, virginum thalamos pete. *Cic. Att.* 8, 4. Superbum se praebuit in fortuna, quam putavit nostram fore. *Id. Fam.* 7, 13. Utrum superbiorem te pecunia facit, an quod te imperator consulit? *Sall. Jug.* 34. *med.* Homines sceleratissumi, nocentissumi, iidemque superbissumi. *Hor. Ep.* 15, 17. quicumque es felicior, atque meo nunc Superbus incedis malo. *Juven.* 5, 66. Maxima quaeque domus servis est plena superbis. *Id.* 6, 179. Superbus animus. *Pl. Amph.* 1, 1, 201. *Mercur.* Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. *So.* quonam modo? *Mercur.* Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero, *h. e.* instar eorum, qui pedibus ire dedignantes, equo, aut curru sublimes feruntur, te fuste adeo contundam, ut ingredi nequiens inter aliorum manus ferare. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. *med.* Superbum est, et non ferendum, dicere praetorem, etc. *Hor. Ep.* 2, 7. Forumque vitat et superba civium Potentiorum limina. *Id. Ep.* 1, 1, 68. An qui fortunae te responsare superbae Liberum et erectum praesens hortatur, etc.? *Prop.* 3, 9, 48. Vita superba, *h. e.* superbi mores; et *ib.* 23, 35. Superbos factus pati. *Sen. Herc. Fur.* 721. Superbus vultus. *Id. Met.* 205. Sceptris superbas quisquis admovit manus. *Id. Ag.* 10. superba sceptra gestare manu. *Prop.* 1, 10, 22. Superba loqui. *Tibull.* 2, 5, 48. victoriam vocat Divam superbam: quia, ut ait *Cic. Marcell.* 3., victoria natura insolens et superba est. *Hor. Sat.* 2, 6, 87. tangentis male singula dente superbo. ℙ *Rex superbus*, et *Superbus* absolute est Tarquinius Romanorum rex ultimus. *Cic. Tusc.* 1, 16. *f.*, *Ov. Fast.* 2, 718., *Liv.* 1, 49. ℙ Cum inf. *Sil.* 3, 374. Saetabis et telas Arabum sprevisse superba, Et Pelusiaco filum componere lino. *Id.* 12, 431. Fumabat versis incensa Petilia tectis, Infelix fidei, miseraeque secunda Sagunto, At quondam Herculeam servare superba pharetram. *Id.* 14. 615. adde ordine longo Innumeras spatioque domos, aequare superbas Rura. ℙ Aliquando in bonam partem accipitur pro insigni, praestandi, illustri, nobili, et qui in re honesta jure se jactat. *Cic. Or.* 44. Aurium judicium est superbissimum. *Tibull.* 4, 2, 22. Et testudinea Phoebe superbe lyra: et *ib.* 4, 2. intonsa Phoebe superbe coma. *Virg. A.* 3, 475. Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo. *Id. ib.* 1, 25. populum late regem belloque superbum. *Hor. Od.* 1, 35, 3. superbos Vertere funeribus triumphos. *Sil.* 10, 573. 1, decus Ausoniae, quo fas est ire superbas Virtute et factis animas. Adde 12, 433. ℙ Transfertur ad inanima et bestias, in quibus superbum aliquid esse videtur. *Val. Fl.* 7, 66. solitoque superbior ignis Ore fremit. *Virg. G.* 3, 116. equitem docuere sub armis Insultare solo, et gressus glomerare superbos. *Val. Fl.* 3, 634. reboatque superbis Cominus ursa lupis. *Id.* 1, 98. jam stare ratem, remisque superbam Poscere quos revehat. *Mart.* 3, 58. Superbi galli. *Id.* 6, 55. et 9, 12. Superbae alitis nidus, *h. e.* phoenicis. *Prop.* 2, 18, 59. Superbus pavo. ℙ *Pira superba* ap. *Colum.* 5, 10. *f.* genus pirorum ita dictum, quia, ut ait *Plin.* 15, 14, 15. *extr.* et *ib.* 15. 16., parva quidem sunt, sed prima adventu, et decerpi properantia. ℙ *Herba superba* ap. *Appul. Herb.* 23. est chamaemeli. ℙ *Superbae olivae* ap. *Plin.* 15, 3, 4. sunt crassiores et carnosiores ceteris. ℙ Superba etiam dicuntur, quae sunt pretiosa, ornata, magnifica. *Virg. A.* 2, 504. Barbarico postes auro spoliisque superbi. *Val. Fl.* 3, 9. oneratque superbis Muneribus. *Ov. Am.* 3, 13, 26. Et tegit auratos palla superba pedes. *Sen. Ag.* 880. Superbae exsuviae. *Mart.* 3, 45. de mensa: Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis. *Id.* 8, 44. Superba densis arca palleat nummis *Sen. Herc. Oet.* 569. Superbae domus. *Catull.* 64, 85. Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas. ℙ *Superbum Tibur* ap. *Virg. A.* 7. 630. intelligit *Non.* 4, 420. alto loco situm. *Servius*, aut nobile, inquit; aut tangit illud, quod olim Tiburtes, cum postularent a Romanis auxilia sub commemoratione beneficiorum, retulerunt hoc a senatu responsum: Superbi estis. ℙ *Superba* est etiam cogn. R. *Inscr.* inedita in *Mus. Semin. Venet.* D. M. Abidia Crescentilla mater Supervae filiae suae, que fuit An. VI., fecit. *Supervae* est pro *Superbae*, ex usitata litterae *b* in *v* permutatione; *que* autem sine diphthongo scribitur vitio sacculi cadentis Latinitatis, quo ea inscriptio exarata videtur.

SŪPERCOELESTIS, e, adj. qui supra coelum est. *Tert. A.* 23. De supercoelestibus sedibus. Adde *Resurr. carn.* 49.

SŪPERCALCO, as, a. 1. ἐπισκέλβω. *Colum.* 12, 39. *med.* Ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito, postea alterum supercalcato, et item vinum conspergito.

[SŪPERCĀNO, is. V. SUPERCINO. *F.*]

SŪPERCERNO, is, cervi, cretum, a. 3. ἐπεκκρίνω, est terram cribro purgatam injicere. *Plin.* 17, 10, 14. Terraque cribris supercernitur pollicis crassitudine.

SŪPERCIDENS. V. SUPERINCIDENS.

SŪPERCILĬOSUS, a, um, adj. ὑπέροφρυς, supercilia adducens, severus, austerus. *Sen. ep.* 123. *med.* Istos tristes et superciliosos alienae vitae censores, suae hostes, publicos paedagogos, assis ne feceris. *Arnob.* 1, 8. Superciliosa nimium res est, cum ipse

sis non tuus, potentioribus dare conditionem velle, *h. e.* superbum est. *Capell.* 8, 273. Me censorio clangore superciliosior increpabat.

SŪPERCĬLĬUM, ii, n. ἐπισχνιον, ὄφρυς, pars inferior frontis eminens, et pilosa, supra cilia, *h. e.* palpebras sita, et ad oculi protectionem adversus ea, quae superne incidere possunt, velut vallum a natura facta. *Plin.* 11, 37, 51. Supercilia homini et pariter, et alterne mobilia, et in iis pars animi. Negamus, an annuimus? Haec maxime indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. *Quint.* 11, 3. *med.* Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inaequalitate dissident, aut contra id, quod dicimus finguntur: ira enim contractis, tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur: annuendi quoque, et renuendi ratione demittuntur, aut allevantur; et *paulo supra:* Multum et superciliis agitur: nam et oculos formant: aliquatenus et fronti imperant: his contrahitur, attollitur, demittitur; et *paulo sup.:* Altero erecto, altero composito est supercilio. *Id.* 1, 11. Vidi multos, quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur: aliorum constricta: aliorum etiam dissidentia, cum altero in verticem tenderent, altero paene oculus ipse premeretur. *Cic. Pis.* 6. *extr.* Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. *Id. Off.* 1, 41. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione, aut contractione facile judicabimus, etc. *Id. Rosc. Com.* 7. Caput et supercilia penitus abrasa. *Virg. Ecl.* 8, 34. Hirsutumque supercilium, etc. ℙ Pars formae est supercilia habere minimo discrimine distincta. *Petr. Sat.* 126. *med.* Nulla vox est, quae formam ejus possit comprehendere. Crines ingenio suo flexi: frons minima: supercilia usque ad malarum scripturam currentia, et rursus confinio luminum paene permixta. *Ov. A. Am.* 3, 201. Arte, supercilii confinia nuda repletis. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 267. Quam juncto leviter sese discrimine confert Umbra supercilii! *Juven.* 2, 93. Ille supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu. V. PYXIS, ubi et de fuco diximus, quo supercilia tingebant. ℙ *Festus* et *Varr. L. L.* 4, 10. *med.* docent supercilia in Junonis tutela a mulieribus putata fuisse, quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuit Juno: unde ipsa Dea Lucina quoque dicta videtur. ℙ *Supercilium salit*, proverbio dicitur, quoties bona quaedam spes est, quippiam processurum, quod optamus: sumptum a superstitione vulgi, boni augurii loco habentis, si membrum aliquod sine evidenti causa moveatur, si dexter oculus subsiliat, si dextra auris tinniat. *Pl. Ps.* 1, 1, 102. Spero, alicunde me tibi inventurum esse auxilium argentarium: atque id futurum unde dicam, nescio, nisi quia futurum est: ita supercilium salit. V. SALISATOR. ℙ Per metonymiam ponitur pro fastu et superbia, gravitate, severitate. *Cic. Agr.* 2, 34. Hunc Capuae Campano supercilio ac regio spiritu cum videremus, Magios, Blosios mihi videbar videre. *Id. in Sen.* 7. Vos, populumque R. non consilio neque eloquentia, sed rugis supercilioque decepit. *Id. Sext.* 8. *med.* Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus reipublicae videbatur: tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio respublica tanquam Atlante coelum, niti videretnr. *Id. Prov. cons.* 4. *med.* Lateant libidines ejus illae tenebricosae, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat. *Mart.* 1, 5. Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos, Terrarum dominum pone supercilium; et 11, 2. Triste supercilium, durique severa Catonis Frons. *Sen. Ben.* 2, 4. Beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt. *Juven.* 6, 166. Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers Grande supercilium, et numeras in dote triumphos; et 5, 61. sed forma, sed aetas Digna supercilio, *h. e.* merito superbit: quae interpretatio ex sequentibus apparet. ℙ Item pro nutu. *Hor. Od.* 3, 1, 7. imperium Jovis Cuncta supercilio moventis. *Claud. ep.* 2, 57. Saltem absens, regina, fave, reditusque secundos Annue sidereo laeta supercilio. ℙ *Tollere supercilium* ap. *Catull.* 67, 46. est hominis irascentis. ℙ Translate est crepido, pars eminens et propendens cujuscumque rei. *Virg. G.* 1, 108. supercilium clivosi tramitis. *Liv.* 34, 29. *f.* Supercilium tumuli. *Id.* 27, 18. *med.* Ad levem armaturam infimo stantem supercilio ducit. *Hirt. B. Afr.* 58. Supercilium quoddam excelsum nacti, ibi consistunt. *Ammian.* 14, 10. *med.* Ventum est ad supercilia fluminis Rheni, *h. e.* ripas, et margines altiores aggerum, inter quos Rhenus fluit. Adde 17, 9. ℙ Simili sensu supercilium usurpant rei agrariae scriptores, *Siculus Fl.* p. 4. et 7. *Front. de limit.* p. 40. *Goes.*, nempe de loco editiore, sive collis sit, sive tumulus, sive agger, qui pro agri termino sit. ℙ Ab architectis sic dicitur parvum membrum coronae, puta quadra, sive regula aliquantum eminens et propendens. *Vitr.* 3, 3. *med.* Una pars fiat, cum suis astragalis et supercilio, superior trochilus; et 4, 6. Supercilii altitudo, quanta antepagmentorum in summa parte erit crassitudo; et *infra:* Ancones, sive prothyrides vocentur, exsculptae dextra ac sinistra praependeant ad imi supercilii libramentum, praeter folium.

[SŪPERCĬNO, is, a. 3. insuper cano. *Mar. Vict. art. grammat.* 1. p. 2502. Haec brevia cola vel hymnis, vel dithyrambis supercini moris est, quae epodicis carminibus, si quando praeponuntur, προῳδήματα; si autem post antistrophon collocentur, μεθυμνια nuncupabuntur. ℙ Etiam *supercano* scribitur. *Id. ib.* p. 2501. Quae post στροφην et ἀντιστροφήν, ἐπῳδὸν dicebant: ἐπάδειν quidem est supercanere. *F.*]

SŪPERCLAUDO, is, a. 3. *Liv.* 37, 27. *f.* A mari rupes exesae fluctibus superclaudunt. Al. rect. leg. *A mari exesae fluctibus rupes claudunt.*

SŪPERCOMPŌNO, is, a. 3. super aliquid compono, colloco. *Apic.* 4, 2. *med.* Caepas concides in patinam, et pisces supercompones.

SŪPERCONCĪDO, is, a. 3. *Apic.* 5, 5. *extr.* Coliculorum minutias superconcidito.

SŪPERCONTĔGO, is, a. 3. a superiori parte contego. *Cels.* 4, 1. *med.* Renes tunicis supercontegunter. *Sil.* 16, 42. supercontexere herbida lapsos Pondera.

SŪPERCORRŬO, is, n. 3. ἐπιπίπτω, cado super aliquid. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 5. Factaque ingenti strage telis obrutus supercorruit.

SŪPERCRĔĀTUS, a, um, [part. ab inusit. *supercreo*, *F.*] ἐπιγενόμενος, adnatus, adventicius. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *n.* 125. [Supercreata humoris infusio. *F.*]

SŪPERCRESCO, is, evi, tum, n. 3. ἐπιφύομαι, super aliquam rem cresco, seu innascor. *Cels.* 5, 28. *n.* 2. *f.* de carcinomate: Si id nimium supercrevit, tentanda squama aeris est; et *ib.* 22. Carnem supercrescentem exedere. ℙ Translate. *Quint. decl.* 5, 14. *f.* Excogitasti, fortuna quod supercresceret caritati. ℙ Part. *Supercrescens* V. s. l.

SŪPERCŬBO, as, avi, atum, n. 1. ἐπίκειμαι, superjaceo, super dormio. *Colum.* 7, 4. Perforatis tabulis, quibus ovilia consternuntur, ut grex supercubet. *Appul. Met.* 6. Credemus, etiam Europam tauro supercubasse.

SŪPERCURRO, is, n. 3. Translate. *Plin. ep.* 7, 18. Ager ipse propter id, quod vectigal large supercurrit, semper dominum, a quo exerceatur, inveniet.

[SŪPERDĀTUS, a, um, adj. ex part. postea datus. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *med.* Praxagoras dat etiam radices circa vesperam comedendas, praedato aut superdato oleo. *F.*]

[SŪPERDĔLĪGO, as, a. 1. supra ligo. *Cels.* 7, 7. *n.* 8. *f.* Spongia ex aqua frigida expressa superdeliganda est. *F.*]

SŪPERDĪCO, is, a. 3. dicendo adjicio. *Ulp. Dig.* 12, 2, 13. *f.* Si quis juraverit per genium principis, et pejeraverit, imperator rescripsit, fustibus eum castigatum dimitti, et ita ei superdici, προπεπῶς μὴ ὄμνυε. Alii leg. *superindici.* Ap. *Cic. Leg.* 2, 21. *med.* alii *superdicebant* leg., alii divisim *super dicebant*, [alii rectius *superiores dicebant. F.* *Ita ex *Turn.* conjectura, quam perversam dicit *Orell.*, qui ita locum exhibet: Super, dicebant, qui cepisset, etc.]

[SŪPERDĪMĬDĬUS, a, um, adj. idem ac sesquialter: huic opponitur subdimidius. *Capell.* 7, 251. Ubi inter majores minoresque numeros ratio membrorum est, major aut superdimidio vincit, quem ἡμιόλιον, aut supertertio, quem ἐπίτριτον, aut superquarto, quem ἐπιτέταρτον Graeci vocant: et sic ad superquintum, supersextum, ulterioresque ratio procedit. Superdimidius est, qui ipsum aliquem numerum, et dimidium ejus habet; et *mox:* Superdimidii rationem habet tria ad duo. *F.*]

SŪPERDO, as, a. 1. ἐπιδίδωμι, super addo, super impono. *Cels.* 5, 28. *n.* 3. *f.* Superdanda cum melle vel linamenta, vel oleae folia, vel marrubium. *Id.* 8, 7. *med.* Foverique debere per spongiam, eademque, quae primo foverant, superdari.

SŪPERDŪCO, is, a. 3. ἐπεισάγω, induco. Superducere novercam pater tum dicitur, cum priore uxore mortua filiis prioris matrimonii novercam inducit. *Quint.* in *argum. decl.* 381. Quidam filio superduxit novercam, et ex ea aliam filiam suscepit. *Capitol. M. Aurel. f.* Concubinam sibi adscivit, ne tot liberis superduceret novercam. V. SUPERDUCTUS.

SŪPERDUCTĬO, onis, f. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. Si novissime fuerit adscriptum (*in testamento*), Lituras, inductiones, superductiones ipse feci. *Torrent.* et *Gothofred.* habent *superinductiones.* V. INDUCTIO.

SŪPERDUCTUS, a, um, part. a *superduco*, inductus. *Donat.* in *Ter. Eun. prol.* 9. Noverca superducta adolescenti. *Sidon. ep.* 5, 17. *med.* Sub umbra palmitis, quam pampinus superducta tenuerat.

SŪPERĔDĪTUS, a, um, adj. ex part. plus quam editus. *Lucr.* 5, 707. de luna: Atque oriens obitus ejus (*solis*) superedita vidit.

SŪPERĔDO, is, ēdi, esum, a. 3. ἐπιφάγω, post cibum assumptum alium superingero, rursus edo. *Plin.* 19, 6, 34. Menander e Graecis auctor est, allium edentibus, betae radicem in pruna tostam si superederint, odorem exstingui.

SŪPERĔFFLŬO, is, n. 3. *Paul. Nol. carm.* 35, 511. Quidquid, inique, tibi nullo supereffluit usu. *Inscr.* ap. *Mur.* 1772, 8. Supereffluens pecunia. ℙ Item supra fluo. *Val. Fl.* 4, 668. fluctuque coacto Angitur, et clausum scopulo supereffluit aequor. Al. rectius leg. *scopulos super effluit humor.*

[SŪPERĔGRĔDĬOR, eris, dep. 3. supra egredior. *Ambros. ep.* 6. Superegrediamur plebejas opiniones. *F.*]

*SŪPERELĔVO, as, a. 1. *Vulg. Esdr.* 4, 77. Ne superelevent se iniquitates vestrae. *B. A.*

SŪPĔRĔMĪCO, as, n. 1. ex superiori parte emico. *Sidon. carm.* 15, 75. Hinc fieri, ut terram levior superemicet unda.

SŪPĔRĔMĪNENS, entis, part. a *superemineo:* supra eminens. *Plin.* 26, 8, 33. Herba paulum supereminens extra aquam. V. SUPERIMMINENS.

SŪPĔRĔMĪNENTĬA, ae, f. *August. serm.* 40. *de Temp. med.* Supereminentiae Dei non competere intelligat.

SŪPĔRĔMĪNĔO, es, a. 2. ὑπερέχω, supra alios emineo. *Colum.* 12, 47. Ut olivae premantur, et jus supereminеat. *Virg. A.* 6, 857. victorque viros supereminet omnes. *Id. ib.* 10, 765. humero supereminet undas. Adde *Ov. Trist.* 1, 2, 49.

SŪPĔRĔMŌRĬOR, eris, dep. 3. *Plin.* 10, 2, 2. de phoenice: Senescentem casiae turisque surculis construere nidum, replere odoribus, et superemori.

SŪPĔRĔNĀTO, as, n. 1. supra nato. *Lucan.* 4, 133. tumidum superenatat amnem. Alii divisim leg. *super enatat.* [*Magnopere h. l. variat lectio. V. *Cort.* qui vulg. serv. coll. *Alcim. Avit. IV. de diluv.* 240. Machina, quae surgens fluctus superenatet omnes.]

SŪPĔRĔNĀTUS, a, um, part. ab inus. *superenascor:* supra natus. *Plin.* 19, 3, 15. Superenato caule. Alii leg. *supernato.*

SŪPĔRĔO, is, n. anom. supra gradior. *Lucr.* 3, 1045. Ac pedibus salsas docuit superire lacunas. Al. leg. *superare:* alii rectius *super ire.* [**Eichstadt.* habet *superare.*]

SŪPERĔRECTUS, a, um, part. ab inus. *supererigo*, supra erectus. *Ammian.* 20, 3. Cum lana velut e perpendiculo superrectum gerit solem. Alii leg. *superjectum.*

[*SŪPĔREROGATIO, onis, f. *Auct. decl. (Quint. tribut.) Trib. Mar. c.* 6. p. 80. *Burm. Bail.* *At in *ed. Burm.* divisim leg. *super erogatione:* ipse autem *Burm.* mallet *semper erogatione.*]

SŪPĔRĔRŌGO, as, a. 1. aliquid supra id quod debeo, erogo, seu largior, aut condono. *Imp. Alex. Cod.* 2, 19, 14. Si quid forte supererogasti.

SŪPĔRESCIT, significat supererit. Ennius: Dum quidem unus homo Romae toga superescit. Et Accius in Chrysippo: Quin hinc superescit, (alii leg. *quin huic, si superescit,*) Spartam atque Amyclas trado. Haec *Festus.*

SŪPĔRĔVŌLO, as, n. 1. supra volo. *Lucan.* 3, 299. Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem, *h. e.* celeriter ac raptim transcendit.

SŪPĔREXACTĬO, onis, f. exactio ultra debitum. V. *Codicis* 10. *tit.* 20. De superexactionibus.

SŪPĔREXALTĀTUS, a, um, part. a *superexalto. August. Conf.* 3, 2. Deo superexaltato in omnia saecula.

[SŪPĔREXCELLENS, entis, part. ab inus. *superexcello*, qui excellit super alios. *Salvian. advers. avar.* 3, 18. Quarum *(rerum)* tibi non usum tantummodo Dominus, sed augmentum etiam, et superexcellentem cumulum pollicetur. *F.*]

SŪPĔREXCURRO, is, n. 3. supra aliquid excurro. *Ulp. Dig.* 43, 27, 1. Si arbor alienis aedibus impendeat, utrum totam arborem jubeat praeter adimi, an vero id solum, quod superexcurrit.

SŪPĔREXĔO, is, n. anom. *Auson. Idyll.* 18, 1. Ter binos deciesque novem superexit in annos, *h. e.* procedit ad annos nonaginta sex.

SŪPĔREXĪGO, is, a. 3. insuper exigo. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod.* 1, 55, 4. Superexigendi damna, vel spolia plus petentium ab iis, quos liberorum loco tueri debes, excludas.

SŪPĔREXSULTO, as, n. 1. vehementer exsulto. *Sym. ep.* 5, 92. (al. 94.) ubi tamen alii codices habent *exsulto.*

SŪPĔREXTOLLO, is, a. 3. *Tert. Resurr. carn.* 24, ex *Thessalon.* 2, 2, 3.

SŪPERFĔRO, ers, tuli, latum, a anom. ἐπιφέρω, supra aliquid fero. *Plin.* 32, 10, 46. Sed si castoreum, fibrumve supergrediatur gravida, abortum facere dicitur, et periclitari partus, si superferatur. *Id.* 9, 16, 25. Pisces superferuntur, *h. e.* supernatant. Adde *Tert. Baptism.* 4. et *Appul. de Mundo, extr.*

SŪPERFĔTO et Superfoeto, as, n. 1. ἐπικυέω, super concipio, post fetum conceptum in utero alium concipio. *Plin.* 10, 63, 83. Dasypodes omni mense pariunt, et superfetant, sicut lepores. Adde 7, 11, 9.

SŪPERFĪCĬĀLIS, e, adj. *Cassiod. Arithmet.* Superficialis numerus est, qui non solum longitudine, sed et latitudine continetur, ut trigonus, quadratus, quinqueangulus, circularis, et ceteri, qui semper in superficie continentur. ℙ Translate. *Tert. adv. Marc.* 4, 28. Incredulitatis secreta superficialibus officiis obumbrans.

SŪPERFĪCĬĀRĬUS, a, um, adj. ἐπιπολαῖος, qui ad superficiem refertur, ut *Superficiariae aedes*, quae

in conducto solo positae sunt, quarum proprietas et civili, et naturali jure ejus est, cujus est solum: *Superficiaria praedia*, quae in conducto solo certa pensione annua habentur. *Sen. ep.* 88. *med.* Non est ars sui juris, cui precarium fundamentum est. Philosophia nil ab alio petit: totum opus a solo excitat. Mathematica, ut ita dicam, superficiaria est: in alieno aedificat, aliena accipit principia. *Ulp. Dig.* 10, 2, 10. Item praedia, quae nostri patrimonii sunt: sed et vectigalia, vel superficiaria, etc. ℙ *Superficiarius*, absolute. *Paul. ib.* 6, 1, 74. Superficiarius, id est, qui in alieno solo superficiem ita habet, ut certam pensionem praestet, *Id. ib.* 39, 2, 18. Superficiarius, qui in conducto solo superficiem imposuit. *Ulp. ib.* 1, 3. Si ego superficiarius sim, et opus novum fiat vicino. Adde *ib.* 43, 17, 3. *med.*

SŪPERFĪCIENS, entis, part. ab inus. *superficio*, superfluens, redundans. *Ulp. Dig.* 39, 3, 1. *med.* Aquam pluviam in suo retinere, vel superficientem ex vicini in suum derivare. Ita *Torrent.* et *Gothofred.*, at *Haloand.* superfluentem.

SŪPERFĪCIES, ei, f. ἐπιφάνεια, τὸ ἐπιπολῆς, τὸ ἐπίπεδον, quidquid super faciem terrae est, et a solo exstat. *Plin.* 6, 22, 24. et *ib*, 24, 28. et 9, 10, 12. Testudinum superficie familias habitantium contegi: tanta reperiri magnitudine, *h. e.* testa superiore. *Id.* 37, 6, 23. Superficies sardonychum locustarum maris crustis rubentior. ℙ In arboribus et plantis est id, quod supra terram crescit atque exstat: et opponitur radici atque imo trunco. *Colum.* 4, 11. Omnem superficiem amputabant solo tenus juxta ipsum articulum, ut e duro pullularet. *Plin.* 16, 31, 56. Quorundam radix vivacior superficie, ut lauri: itaque cum trunco inaruit, recisa laetius fruticat. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 2. de horto: Is in solo sponsor est, et sub dio reditus, superficiesque coelo quocumque gaudens. Adde *Colum.* 11, 3. *med.*, ubi de allio agit. ℙ In candelabris est pars summa, in qua candela infigitur, Itali *tazza* dicunt. *Plin.* 34, 3, 6. Aegina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. ℙ Item cacumen. *Plin.* 17, 14, 24. de insitione: Aufertur serra aequaliter superficies, laevigatur falce truncus; et *ib.* 19, 30. *n.* 7. Fico adepta vires, detruncata superficie, etc. (*Columellae* locus est 5, 11. *f.* quo haec verba *Plinii* illustrantur.) *Id.* 13, 8, 16. Ficus plantigera imis partibus: et ideo superficie flavescens, succum auferente sobole. ℙ *Superficies aedis*, superior facies, h. e. tectum. *Plin.* 34, 3, 7. Vestae quoque aedem ipsam Syracusana superficie tegi placuisse, *h. e.* columnis et tecto ad rationem Syracusanam (fortasse Archimedis) constructo. *Gloss. Philox.* Ὑπερῷον, superficies, coenaculum, pergula. ℙ *Superficies aquae* est aqua super solum fusa. *Colum.* 8, 15. *med.* Solum stagni lapidibus inculcatis ac tectorio muniendum est, ne possit herbas evomere, praebeatque nantibus aquae puram superficiem. ℙ A JCtis *superficies* dicitur, quidquid solo impositum est, et supra terram exstat, ut aedificium, arbor, planta, vinea, etc., sed praesertim aedificium. Horum possessor *superficiarius*, et ipsa res *superficiaria* ab iisdem vocatur. Est in *Digest.* titulus 17. *lib.* 48. qui *de superficiebus* inscribitur. *Cic. Att.* 4, 1. *f.* De domo nostra nihil adhuc pontifices responderant: qui si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus: superficiem consules ex senatusconsulto aestimabunt: sin aliter, demolientur. *Jabol. Dig.* 41, 3, 23. Cum aedes ex duabus rebus constent, ex solo et superficie. *Paul. ib.* 39, 2, 18. Qui in conducto solo superficiem imposuit. *Cajus Institut. tit.* 9. *med.* Si quis in solo nostro domum aedificaverit, ad eum, cujus terra est, domus aedificata pertinet. Vel si aliquis in agro nostro arbores, aut vineam, vel plantas quascumque posuerit, similiter superficies solo cedit. Adde *Colum.* 1, 5. *f.* V. *Inscr.* in STRATURA. ℙ A mathematicis *superficies* dicitur, quae extremitas a *Cicerone*, magnitudo longa et lata, ut *Macr.* docet: cujus verba sunt *Somn. Scip.* 2, 2. Punctum corpus est individuum, etc. hoc protractum efficit lineam, etc. hanc si geminaveris, alterum mathematicum corpus efficies, quod duabus dimensionibus aestimatur, longo latoque, sed alto caret: et hoc est, quod apud illos superficies vocatur. *Plin.* 11, 48, 108. Solidipedum crura statim justa nascuntur mensura: itaque in infantia scabunt aures posterioribus: quod addita aetate non queunt: quia longitudo superficiem corporum solam ampliat, *h. e.* extimam et superiorem partem corporis. *Rhem. Fann. de ponderib.* 107. Lineaque a summa, tenuis descendit ad ima Ducta superficie, *h. e.* a summa atque extima parte aquae.

SŪPERFĪCĬUM, ii, n. idem ac superficies. In *Kalendar. Farnes.* ap. *Grut.* 137. *col.* 2. et 138. *col.* 2. Segetes sarriuntur, vinearum superficium colitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 608, 8. et *Mur.* 889, 8. Aurelius Hermias Aug. Lib. Proc. K. heroum maceria cinctum cum superficio insulae comparavit sibi, etc. Ap. *Mur.* perperam *cuperficio* legitur. Adde aliam ap. *eund.* 1337, 8. et *Pomp. Dig.* 23, 3, 32. et *Jabol. ib.* 31, 1, 39. Sic etiam legitur in *Not. Tir.* p. 163. et in *Gloss. Philox.* Ὑπερῷον, , superficium.

SŪPERFĬO, is, n. pass. anom. supersum, resto. *Pl. Stich.* 4, 2, 12. Edepol te vocem *(ad coenam)* libenter, si superfiat locus. *Id. Trin.* 2, 4, 108. Is ager de stultitia mea solus superfit praeter vitam reliquus. *Colum.* 12, 1. *f.* Villica debebit, quae domum inferuntur, recipere: tum separare quae consumenda sunt, et quae superfieri possunt, custodire; ne sumptus annuus menstruus fiat, *h. e.* condi et servari.

SŪPERFIXUS, a, um, part. ab inus. *superfigo:* supra aliquid fixus. *Liv.* 42, 6. Cum cantu superfixa capita hostium portantes redierunt, *h. e.* infixa hastis. *Treb. Claud.* 3. In Rostris posita est columna cum palmata statua superfixa.

SŪPERFLEXUS, a, um, part. ab inusit. *superflecto*, supra aliquid flexus. *Sidon. ep.* 8, 12. *med.* Superflexa crate paradarum sereni brumalis infida vitabis.

SŪPERFLORESCENS, entis, part. ab inus. *superfloresco:* insuper florescens. *Plin.* 19, 5, 24. Particulatim cucumis floret, sibi ipse superflorescens.

SŪPERFLUĔ, adv, περιελκόντως, supervacue. *August. de Gen. contra Manich.* 2, 7. Superflue quaeritur, unde hominis corpus Deus fecerit. *Capell.* 3, 83. Sed hos superflue adjectos ratio non admittit. *Imp. Honorius* ad *Sym. ep.* 10, 72. *med.* Superflue expectatam sententiam nostram esse sensimus. Adde *Hieron. ep.* 27. *n.* 1.

SŪPERFLŬENS, entis, part. a *superfluo:* ἐπιῤῥέων, supra fluens, redundans. *Tac. A.* 2, 61. Superfluentis Nili receptacula. ℙ Translate. *Catull.* 29, 7. Et ille nunc superbus et superfluens Perambulavit omnium cubilia? *h. e.* divitiis satis superque abundans. *Petr. Sat.* 125. Quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram. *Sen. Ben.* 1, 11. *med.* Pecunia non superfluens, sed ad sanum modum habendi parata. *Cic. Brut.* 91. *f.* Is dedit operam, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret. *Auct. dial. de Or.* 18. Orator supra modum exsultans et superfluens.

SŪPERFLŬITAS, atis, f. περισσεία, nimia abundantia, redundantia. *Plin.* 14, 1, 3. Vites improbo reptatu, pampinorumque superfluitate, peritia domini amplo discursu atria media complentes.

SŪPERFLŬO, adv. superflue. *August. ep.* 28. Ne verbi controversiam superfluo faciam. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 5, 51, 6. Quod autem petitis, pretium vobis exsolvi, superfluo a nobis desideratis. Ad de *cosd. ib.* 7, 34., et 2. *Capell.* 6, 189.

SŪPERFLŬO, is, uxi, n. 3. ἐπιῤῥέω, super aliquid fluo, exundo, redundo, abundo. *Cels.* 6, 18. *n.* 2. Tum in aeneo vase leniter coquuntur, ne superfluant. *Plin.* 31, 4, 28. Apolloniae in Ponto fons aestate tantum superfluit, parcius, si frigidior sit aestas. ℙ Translate. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 7. Apparatus tantus fuit, ut reportatis quae superfluebant quotidiani usus deliciis, etc. et *Quint.* 8, 2. Nihil neque desit, neque superfluat. *Id.* 10, 7. *med.* Nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam, quem jurgantibus etiam mulierculis superfluere video. *Plin.* 4, 7, 81. de Athenis: Libera haec civitas, nec indiga ullius praeconii amplius: tanta claritas superfluit. *Sil.* 8, 604. Nec non cum Venetis Aquileja superfluit armis. V. alia in Part. SUPERFLUENS s. l.

SŪPERFLŬUS, a, um, adj. ἐπιῤῥέων, superfluens, exundans. *Plin. Pan.* 82. Nunc rigentia gelu flumina, aut campis superflua, nunc liquida ac deferentia lustrare navigiis. ℙ Translate est supervacaneus. *Sen. ep.* 45. *med.* Invenissent forsitan necessaria, nisi et superflua quaesissent. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 30. Superfluum forte videatur, quae vosmetipsi vidistis, iterare. ℙ Item qui superest. *Papin. Dig.* 36, 1, 58. *f.* Quod ex hereditate superfuisset, restituere rogatus, fructus superfluos restituere non videtur rogatus: et *mox:* Bonorum superfluum restituere.

SUPERFOETO. V. SUPERFETO.

SŪPERFORANĔUS, a, um, adj. qui super seu circa forum fit, ubi otiosi homines desidere solent: ita etiam *subrostranus* dicitur, qui sub rostris obambulat. *Sym. ep.* 3, 48. Superforanei laboris est commendare conspicuos, *h. e.* superflui et inutilis. Alii leg. *supervacanei*, quod videtur esse interpretatio alterius verbi. *Sidon. ep.* 4, 11. *med.* Super his plura replicare, superforaneum puto.

SŪPERFORĀTUS, a, um, part. ab inus. *superforo*, in superiori parte foratus. *Scrib. Comp.* 84. Si utris superforatus casu fuerit. Alii divisim scrib. *super foratus.*

SŪPERFORĔ. V. SUPERSUM.

SŪPERFRŪTĬCO, as, n. 1. denuo pullulo. *Tert. adv. Valent.* 39. Talia ingenia superfruticant apud illos ex materni seminis redundantia.

SŪPERFŪGIO, is, n. 3. super aliquam rem fugio. *Val. Fl.* 3, 554. intactas levis ipse superfugit undas.

SŪPERFULGĔO, es, n. 2. ἐπισελαγέω, desuper affulgeo. *Stat. Silv.* 1, 1, 33. Templa superfulges, et prospectare videris. Rectius fortasse divides *templa super fulges.*

SŪPERFUNDO, is, udi, usum, a. 3. ὑπερχέω, supra aliquid fundo, superinjicio. *Colum.* 12, 57. Hanc mixturam cum in catillo composueris, oleum superfundito. *Id.* 4, 8. *f.* Veteris urinae senos sestarios radicibus superfundito. *Plin. ep.* 9, 33. *f.* Delphino in litus educto superfudisse unguentum. *Id. ep.* 8, 17. Tiberis alveum excessit, et demissioribus ripis alte superfunditur. *Tac. A.* 13, 55. Potius mare superfunderent adversus terrarum ereptores. *Id. Agr.* 36. Britanni magnam vim telorum superfundere. *Pall.* 1, 40. Super has pilas bipedae constituantur, atque his superfundantur testacea pavimenta. ℙ Translate. *Liv.* 5, 7. Tum vero jam superfundenti se laetitiae vix temperatum est; et 45, 9. Macedonum fama Europae se finibus continuit: superfudit deinde se in Asiam. *Plin.* 12, 1, 2. Callias hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiae. *Tac. H.* 3, 2. *f.* Sedecim alarum conjuncta signa pulsu, sonituque, et nube ipsa operient ac superfundent oblitos proeliorum equites equosque, *h. e.* obruent; et *Sen. Tranq.* 8. *f.* Habiliora sunt corpora in bello, quae in arma sua contrahi possunt, quam quae superfunduntur, *h. e.* quae vasta sunt, et veluti extra arma sparguntur.

SŪPERFŪSĬO, onis, f. actus superfundendi, ἐπίχυσις. *Pall.* 1, 17. Solum alto rudere solidatum testacei pavimenti superfusione solidetur. *Ammian.* 17, 7. *med.* Aquarum coelestium superfusio.

SŪPERFŪSUS, a, um, part. a *superfundo:* ὑπέρχυτος, supra fusus. *Ov. Met.* 2, 459. Nuda superfusis tingamus corpora lymphis. *Liv.* 7, 3. Cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset. *Sen. Thyest.* 581. Ne superfusis violetur undis Ignis. *Flor.* 2, 8. *f.* Imber subito superfusus Persicos arcus corruperat. *Colum.* 2, 4. Superfusa terra latentibus scamnis. ℙ Translate. *Plin.* 6, 13, 15. Albani gens superfusa montibus Caucaseis. *Lucan.* 7, 365. Nonne, superfusis collectum cornibus, hostem In medium dabimus? *Liv.* 39, 49. Jacentem hostes superfusi oppresserunt.

SŪPERFŪTŪRUS. V. in SUPERSUM.

SŪPERGESTUS, a, um, part. ab inus. *supergero*, super aggestus, superingestus. *Colum.* 11, 3. *in.* Funes per sulcum porrecti obruuntur, sed ita, ut non nimium supergesta terra, semina spinarum enasci possint. ℙ Est etiam super clausus, materie aliqua ingesta. *Appul. Met.* 9. Hortulanus decepit in cistulam, et supergesto delitescit orificio.

SŪPERGRĔDĬOR, ederis, essus sum, dep. 3. ἐπιβαίνω, supra gradior. *Plin.* 32, 10, 46. Si castoreum supergrediatur gravida, abortum facere dicitur. ℙ Item transgredior, transeo. *Colum.* 7, 9. *f.* Limen in tantam altitudinem consurgat, quantum possit matrix evadere, lactens autem supergredi non possit. *Sen. ep.* 32. *f.* Ille demum necessitates supergressus est, et exauctoratus ac liber. ℙ Item excello, supero. *Just.* 42, 2. Filius claritatem parentum animi magnitudine supergreditur. V. v. sq. ℙ Activa positione. *Appul. Met.* 10. *in.* Duodecimum aetatis annum supergresserat. ℙ Legitur et *supergradior* ap. *Plin.* 27, 12, 86. *Harduini.*

SŪPERGRESSUS, a, um, part. a *supergredior:* qui supra gressus est. *Plin.* 8, 50, 76. Capram alteram procubuisse, atque ita alteram proculcatae supergressam. ℙ Item qui excelluit. *Just.* 44, 5. Annibal utriusque res gestas supergressus. *Tac. A.* 13, 45. Mulier aetatis suae feminas pulcritudine supergressa. *Quint. prooem.* 6. *med.* Mater optima, atque laudem omnem supergressa. *Stat. Silv.* 5, 3, 114. Ora supergressus Pylii senis, oraque regis Dulichii. ℙ Passive. *Pall.* 12, 4. *f.* Ut altitudine animalium supergressa, modus transcendatur injuriae.

SŪPERGRESSUS, us, m. sublevatio, ὑπερβολή. *Tert. Resurr. carn.* 40. ex 2. *Corinth.* 4, 17. Quod ad praesens est temporale et leve pressurae nostrae, per supergressum aeternum gloriae pondus perficiet in nobis. Pro *per supergressum* Vulgata editio habet *supra modum.*

SŪPERHĂBĔO, es, a. 2. supra aliquid habeo, aut teneo. Part. *Superhabendus* ap. *Cels.* 7, 20. *med.* Eodem tempore superhabendum cataplasma.

[SŪPERHŪMĔRĀLĔ, is, n. ἐπωμὶς, vestimenti genus pontificis Hebraeorum proprium, quod super humeros ponebatur. *Hieron. ep.* 64. *n.* 15. Ubicumque in Exodo, sive in Levitico superhumerale legitur, sciamus apud Hebraeos (אֵפוֹד) *ephòd* appellari. *F.*]

SŪPĔRI, orum. V. in SUPERUS.

SŪPERJĂCĔO, es, n. 2. *Cels.* 8, 9. *med.* Cataplasma interdiu superjacebit. V. STABULATUS.

SŪPERJĂCIO, is, jeci, jactum, a. 3. ἐπιβάλλω, superpono, vel superextendo. *Colum.* 2, 1. *f.* Quaeque temporibus autumni frutetis et arboribus delapsa folia superjaciebantur. *Virg. A.* 11, 625. scopulosque superjacit undam Pontus. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 7, *extr.* Ut victus ardentibus tectis superjaceretur; et 6, 6. *n.* 1. *extr.* Communi rogo semet ipsi superjecere. *Id.* 1, 8. *n.* 10. *extr.* Superjacturus se rogo. *Plin.* 7, 2, 2. Arbores tantae proceritatis, ut sagittis superjaci nequeant. ℙ Translate sumitur pro addere. *Liv.* 10, 30. Sed superjecere quidam augendo fidem.

SŪPERJACTO, as, a. 1. *Val. Max.* 9, 2. *n.* 4. Infantes alios in conspectu parentum humo infligi,

alios superjactatos pilis excipi jussit. *Plin.* 9, 15, 21. Mugiles tam praecipuae velocitatis, ut transversa navigia superjactent, *h. e.* jactent se super navigia, et transcendant.

SŪPERJACTUS, a, um, part. a *superjacio: Tac. H.* 5, 6. de lacu Asphaltite: Superjacta velut solido feruntur. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 10, 2. Insulam superjactis fluctibus circumlavit.

SŪPERJECTĬO, onis, f. actus superjacendi, ὑπερβολή. *Arnob.* 3. p. 108. Ne frigus incommodet, fluidarum vestium superjectione perfusos. ℙ Hyperbole, figura rhetorica, definitur a *Quint.* 8, 6. *med.* ementiens superjectio.

SŪPERJECTUS, a, um, part. a *superjacio:* idem quod *superjactus*, quin et frequentius. *Colum.* 2, 18. Prata situ vetustatis obducta, quibus mederi solent seminibus de tabulato superjectis. *Suet. Cal.* 19. Superjecto aggere terreno. *Hor. Od.* 1, 2, 11. Et superjecto pavidae natarunt Aequore damae, *h. e* superfuso. *Ov. Her.* 16, 222. Membra superjecta cum tua veste fovet. *Plin.* 5, 32, 41. Phrygia Troadi superjecta, *h. e.* supra Troadem sita. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) *c.* 17. *B. A.*

SŪPERJECTUS, us, m. ὑπερπήδημα, saltus supra rem aliquam. *Colum.* 6, 36. *f.* Cum mas etiam superjectu *(equae)* eblanditus est.

SŪPERILLĬGO, as, a. 1. ὑπερδέω, idem quod superligo. *Plin.* 29, 3, 11. Eadem cum oleo trita ignes sacros leniunt, betae foliis superilligatis. *Id.* 30, 6, 17. Quidam recentem superilligant. Alii leg. *superalligant.*

[SŪPERILLĪNĬTUS, a, um, part. ab inus. *superillinio. Appul. Herb.* 74. Succus superillinitus. *F.*]

SŪPERILLĪNO, is, a. 3. ἐπιχρίω, supra ungo. *Veg. Vet.* 3, 3. Diu subactum, et calidum ita, ut manus pati possit, superillines renibus. *Cels.* 3, 19. *med.* Totum corpus bulbis contritis superillinendum est.

SUPERILLĬTUS, a, um, part. a *superillino. Cels.* 6, 18. *n.* 9. Idque superillitum panniculo imponendum est.

[SŪPERIMMĪNENS, entis, part. a *superimmineo. Sen. Q. N.* 5, 15. Viderunt conceptus aquarum inertium non compressos terra superimminente, sed liberae laxitatis. Alii perperam leg. *supereminente. F.*]

SŪPERIMMĪNĔO, es, n. 2. supra immineo. *Virg. A.* 12, 306. Podalirius Alsum Pastorem Ense sequens nudo superimminet. *Avien.* in *Arat.* 962. Virgineusque pudens zonae superimminet artus.

SŪPERIMMITTO, is, a. 3. supra immitto, superinjicio. *Apic.* 2, 1. Teres piper, rutam, liquamen, et sic superimmittis jecur, et teres, et misces.

SŪPERIMPENDENS, entis, part. ab inus. *superimpendeo:* superimminens. *Catull.* 64, 286. Tempe, quae silvae cingunt superimpendentes.

SŪPERIMPLĔO, es, a. 2. abunde impleo. *Virg.* inverso ordine, *A.* 5, 697. Implenturque super puppes.

SŪPERIMPONO, is, a. 3. ἐπιτίθημι, superpono. *Cels.* 5, 27. *n.* 6. Allium cum ruta ex oleo contritum superimponitur. *Colum.* 8, 3. *med.* Ut palis in parietes vehementer actis, vimineos qualos superimponant. Alii leg. *superponant. Liv.* 39, 50. Saxum ingens, quo operitur *(thesaurus)*, machina superimpositum est. *Cels.* 3, 10. Superimponenda sunt cataplasmata.

SŪPERIMPŌSĬTUS, a, um, part. a *superimpono:* super positus. *Stat. Silv.* 1, 1, 1. Quae superimposito moles geminata colosso Stat Latium complexa forum? *Ov. Met.* 9, 100. Aut superimposita celatur arundine damnum. *Cels.* 5, 26. *n.* 35. *med.* Superimposita arundinis radix. *Quint.* 1, 1. *med.* Puer non egebit adjutorio manum suam manu superimposita regentis. *Plin.* 31, 9, 45. Superimposito linteolo madente vino.

SŪPERINCENDO, is, a. 3. insuper, et magis incendo. *Val. Fl.* 2, 124. de Fama: videt illa prior, jamque advolat ultro. Hanc superincendit Venus.

SŪPERINCĪDENS, entis, part. ab inus. *superincĭdo:* qui desuper incidit. *Liv.* 2, 10. *f.* Multis superincidentibus telis, incolumis ad suos tranavit. Alii leg. *desuper incidentibus. Id.* 23, 15. *f.* Ruina superincidentium virorum oppressus. *Colum.* 4, 9. Ne coelestem superincidentem aquam contineat. Est qui leg. *supercidentem.*

SŪPERINCĪDO, is, a. 3. supra incido. *Cels.* 7, 31. Cutis superinciditur.

SŪPERINCRESCO, is, n. 3. super aliquam rem cresco. *Cels.* 8, 19. *f.* Superincrevit nimius callus.

SŪPERINCŪBANS, antis, part. ab inus. *superincubo:* supra jacens, superincumbens. *Liv.* 22, 51. Substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus.

SŪPERINCUMBO, is, bui, n. 3. supra incumbo. *Ov. Her.* 11, 57. Cum superincumbens, scissa tunicaque comaque, Pressa refovisti pectora nostra tuis; et *ib.* 117. Non superincubui, non oscula frigida carpsi.

SŪPERINCURVĀTUS, a, um, part. ab inus. *superincurvo:* curvatus super aliquid. *Appul. Met.* 9. Inclinatam uxorem superincurvatus secure dedolabat

SŪPERINDĬCO. V. SUPERDICO.

SŪPERINDICTĬO, onis, f. et

SŪPERINDICTUM, i, n. Voces sunt JCtorum, quibus significatur extraordinarium munus impositum ultra solitam collationem: augmentum indictionis, seu vectigalis, quod solvendum indicitur pro aliqua necessitate. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 10, 17, 1. et *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. ib. tit.* 18. qui *De superindicto* inscribitur, item *Imp. Constant.* 11, 14, 1.

SŪPERINDŪCO, is, a. 3. insuper induco, superadjicio, ἐπεισάγω. *Tert. adv. Herm.* 26. Scriptura coelum primo factum professa, dehinc dispositionem ejus superinducit. V. SUPERINDUCTUS.

SŪPERINDUCTĬCĬUS, a, um, adj. subditicius, ficticius. *Tert. adv. Marc.* 5, 3. Quos propterea falsos, et superinducticios fratres appellat.

SŪPERINDUCTIO. V. SUPERDUCTIO.

SŪPERINDUCTUS, a, um, part. a *superinduco,* superjectus. *Plin.* 15, 17, 19. *n.* 3. Sorba scrobibus, gypsato operculo, duum pedum terra superinducta, etc. Alii leg. *superintecta*, ut non ad *terra*, sed ad *sorba* referatur. *Quint.* 5, 8. Nervisque illis, quibus causa continetur, adjiciunt superinducti corporis speciem.

SŪPERINDŪMENTUM, i, n. *Tert. Resurr. carn.* 42. et *adv. Marc.* 5, 12. et alibi.

SŪPERINDŪO, is, dui, dutum, a. 3. ἐπενδύω, super cetera vestimenta induo. *Suet. Ner.* 48. Paenulam obsoleti coloris superinduit. Adde *Tert. adv. Marc.* 5, 12.

SŪPERINDŪTUS, a, um, part. a *superinduo,* supra indutus. *Tert. Apol.* 48. *f.* Dei cultores superinduti substantia propria aeternitatis.

SŪPERINFUNDO, is, a. 3. *Cels.* 8, 4. *f.* Mel superinfundendum. *Id.* 5, 25. *n.* 4. Papaveris manipulus in vas demittitur aqua, et superinfunditur aqua.

SŪPERINFŪSUS, a, um, part. a *superinfundo,* supra infusus. *Cels.* 3, 20. Excitat validissime repente aqua frigida superinfusa.

SŪPERINGĔRO, is, gessi, gestum, a. 3. ἐπεισφέρω, aggregatim superimpono. *Plin.* 18, 30, 73. Sunt, qui leguminum acervos superingerant. *Virg. Mor.* 98. Caseus adjicitur: dictas superingerit herbas. Sunt qui leg. *superinserit*, minus recte. *Tibull.* 4, 1, 157. Quippe ubi non unquam Titan superingerit ortus, *h. e.* oriendo radios caloremque superinfundit.

SŪPERINGESTUS, a, um, part. a *superingero,* supra ingestus. *Stat. Silv.* 1, 1, 59. Quae superingesti portaret culmina montis.

SŪPERINJECTUS, a, um, part. a *superinjicio. Ov. Fast.* 5, 533. Tum superinjecta texere madentia terra; et *ib.* 6, 570. Sed superinjectis quis latet aede togis?

SŪPERINJĬCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. ἐπιβάλλω, desuper injicio. *Virg. G.* 4, 46. raras superinjice frondes. *Ov. Met.* 8, 640. Quo superinjecit textum rude sedula Baucis. *Plin.* 17, 9, 6. Farinae vice fimum superinjici cribris. *Cels.* 5, 26. *n.* 33. Solani folia contrita et illita *(suilla adipe)* linteolo superinjicienda.

SŪPERINSĔRO. V. SUPERINGERO.

SŪPERINSĪDĔO, es, n. 2. idem quod insideo, immoror. *Lucr.* 3, 915. Jam desiderium rerum superinsidet una.

*SUPERINSINŪO, as, a. 1. *Strabo Gall. Hort. praef.* Et pinguis fermenta fimi superinsinuatur. *B. A.*

SŪPERINSPĬCĬO, is, a. 3. curam habeo, inspicio. *Sidon. ep.* 9, 3. *med.* Ecclesiae sacra superinspicere. Adde *ep.* 6, 1.

SŪPERINSTĔRNO, is, stravi, a. 3. super sterno. *Liv.* 30, 10. Tabulas superinstravit. Alii leg. *superstravit.*

SŪPERINSTILLO, as, a. 1. superstillo. *Apic.* 4, 2. *f.* Olei modicum superinstillabis.

SŪPERINSTRĀTUS, a, um, part. a *superinsterno*, superiore parte stratus. *Sil.* 7, 288. Superinstrati tori pelle leonis.

SŪPERINSTRĔPO, is, n. 3. *Sil.* 2, 186. superinstrepit acer, Et servat cursum perfractis ossibus axis.

SŪPERINSTRUCTUS, a, um, part. a *superinstruo. Colum.* 9, 7. Ordines vasorum superinstructos in altitudinem tres esse, abunde est.

SŪPERINSTRŪO, is, a. 3. supra aliquid struo, super aedifico. *Impp. Sever. et Anton. Cod.* 8, 10, 1. Ut concameratis superinstruas, et ipsum concameres.

SŪPERINSULTANS, antis, part. ab inus. *superinsulto*, supra insiliens. *Claud. Gigantom.* 83. Tum superiusultans avidus languentia curru Membra terit.

SŪPERINTECTUS. V. SUPERINDUCTUS.

SŪPERINTĔGO, is, texi, tectum, a. 3. ἐπεγκαλύπτω, superne intego. *Plin.* 18, 6, 8. Ora fossarum binis utrinque lapidibus statuminari, et alio superintegi.

SŪPERINTENDO, is, n. 3. super aliquid animum intendo, ἐπισκοπέω. *August. in Psalm.* 126. *n.* 3. Ut ipsi superintendant, et quasi custodiant populum: nam et Graece quod dicitur episcopus, hoc Latine superintentor interpretatur, quia superintendit, quia de super videt. Adde *C. D.* 19, 19. et *Hieron. ep.* 146. *n.* 1.

SŪPERINTENTOR. V. in v. praec.

SŪPERINTŌNO, as, n. 1. ἐπιβροντάω, desuper tono. *Virg. A.* 9, 709. Dat tellus gemitum, et clypeum superintonat ingens.

SŪPERINVĔHO, is, a. 3. *Avien.* in *Arat.* 1157. Fluctigeni speciem monstri superinvehit Auster.

SŪPERINVERGO, is, a. 3. *Ov. Met.* 7, 246. Tum superinvergens liquidi carchesia vini.

SŪPERINUNDO, as, n. 1. Translate. *Tert. Resurr. carn. f.* Ejusmodi eloquiis superinundare.

SŪPERINUNGO, is, a. 3. ἐπαλείφω, supra inungo. *Cels.* 7, 7. *n.* 1. Dein superinungi collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi superinunguntur; et *n.* 8. *f.* Collyrio superinungendum. Adde *n.* 2. item *ib.* 8. *extr.* et 6, 6. *n.* 1. *med.* et 7, 7. *n.* 2.

[SŪPERINVOLVO, is, a. 3. supra jacio. Dividitur per tmesin a *Lucan.* 9, 484. Auster, Qui super ingentes cumulos involvit arenae. *F.*]

SŪPERIOR. V. SUPERUS.

SŪPERJUMENTĀRIUS, ii, m. qui jumentariis praeest, quique in *Inscr.* ap. *Mur.* 933, 1. et in alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 106. *supra jumenta* dicitur. *Suet. Claud.* 2. Quem barbarum, et olim superjumentarium ex industria sibi appositum, etc.

SŪPĔRIUS, adv. superiori parte, supra, ἄνω. *Sen. Q. N.* 5, 8. *med.* Cum sol processit, alia superius rapiuntur, alia diffunduntur tepore; et *Pall.* 1, 34. Si fons desit, aut imprimendus est puteus, aut piscina superius construenda, ut illinc aquas pluvia conferente, hortus rigetur; et *Phaedr.* 4, 21. Quantum valerent inter homines litterae, Dixi superius: nunc, etc. Sic *Auct. B. Hisp.* 28. et 34. *f.* Ut superius demonstravimus.

SŪPERLĀBOR, eris, dep. 3. supra labor. *Sen. ep.* 90. *f.* Non impendebant caelata laquearia, sed in aperto jacentes sidera superlabebantur. [*Sidon. ep.* 1, 2. *med.* Languentem chordae laqueum vagantis digito superlabente prosequitur. *Bail.*]

SŪPERLACRYMO, as, a. 1. super aliquid lacrymo. *Colum.* 4, 24. *med.* Devexam resectionem facere post gemmam, ne superlacrymet, et gemmantem caecet oculum.

SŪPERLĀTĬO, onis, f. ὑπέρθεσις, ὑπερβολή, oratio superans veritatem, augendi minuendive causa, ut *Auct. ad Her.* 4, 33. definit. *Cic. Or.* 3, 53. Tum augendi, minuendive causa, veritatis superlatio, atque trajectio. [*Cf. *Ern. Lex. technol. Lat. rhet.* p. 390.] ℙ A grammaticis ponitur etiam pro gradu nominum superlativo. *Charis.* 1, 88. 89. et 90. Ipsa superlatio per se praelationem omnium significat. Etiam *Quint.* sic usurpavit 1, 5. *med.* ℙ Interdum ponitur pro insigni cognomine a re aliqua sumpto, ut cum aliquis per excellentiam sapiens vocatur. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 12. Crasso nonne pecuniae magnitudo locupletis nomen dedit? sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem injunxit. [Alii rectius leg. *appellationem. F.*]

SŪPERLĀTĪVUS, a, um, adj. ὑπερθετικός, superans, vel eminentiam denotans. Nomen superlativum illud est, quod rem ad summum gradum attollit, vel deprimit ad infimum, ut *doctissimus, indoctissimus, fortissimus.* Ita *Charis.* 1, 87. et 3. p. 605.

SŪPERLĀTUS, a, um, part. a *superfero,* ὑπέρθετος, sursum elatus, elevatus. *Val. Max.* 8, 6. *n.* 2. Ad auxilium servorum pileo superlato confugit. Alii leg. *sublato. Plin.* 28, 8, 27. Sinistrum pedem hyaenae superlatum parturienti, letalem esse. ℙ *Superlata nomina*, aut *verba* dicuntur, quae augendi causa in oratione proferuntur. *Cic. Part.* 15. Illustris autem oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur, ac translata, et superlata, et ad nomen adjuncta, et duplicata. Intelligere videtur *Cic.* voces hyperbolicas. Adde *Quint.* 8, 3. *med.*

*SUPERLAUDABILIS, e, adj. *Vulgat. Daniel. Cant.* v. 53. et 54. *B. A.*

SŪPERLEX. V. SUPELLEX.

[SŪPERLĪMEN, inis, n. idem ac superliminare. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 324. Superlimen lapideum, et fastigium. *Bail.*]

SŪPERLĪMINĀRĔ, is, n. ὑπέρθυρον, limen ostii superius, hoc est lignum, sive lapis, qui postibus superincumbens, jugi formam efficit. *Plin.* 29, 4, 26. Privatimque ovilibus circumlatum toties, et pedibus suspensum sursum in superliminari. *Hard.* legit *in supero limine*, quod est magis Latinum, et ab eod. *Plin.* alibi, ac *Plauto* usurpatum. *Vitr.* 4, 6. *hyperthyrum* vocat.

SŪPERLĪNO, is, a. 3. ἐπιχρίω, superillino. *Plin.* 27, 6, 24. Bibitur radix in vino decocta, et aliquando superlinitur. *Pall.* 7, 5. *f.* Luto superlinis, et liberam gemmam relinques. *Id.* 11, 14. *med.* Superlines dolium, et sexta die aperies.

SŪPERLĪTĬO, onis, f. ἐπίχρισις, actus superlinendi, et ipsa res, quae superlinitur. *Marcell. Empir.* 8. *med.* Cum siccata fuerit superlitio ipsa.

SŪPERLĪTUS, a, um, part. a *superlino*, supra illitus. *Plin.* 22, 23, 49. Laser visco superlitum, ut haereat.

*SUPERLUCROR, aris, dep. 1. *Vulg. Matth.* 25, 20. Talenta alia quinque superlucratus sum. *B. A.*

SŪPERMANDO, is, a. 3. ἐπιμασσάομαι, post rem aliquam mansam aliam mandendo superingero. *Plin.*

31, 6, 33. Raphanos supermandi ex mulso aceto jubent.

SŪPERMĔO, as, n. 1. *ὑπερῥέω*, superfluo, sive superlabor. *Plin.* 2, 103, 106. Quaedam vero (*aquae*) etiam dulces inter se supermeant alias, ut in Fucino lacu. *Solin.* 37. *med.* Supermeantes naves.

SŪPERMĔTĬOR, iris, ensus sum, dep. 4. *Tert. Anim.* 38. Ceterum proprie naturalis concupiscentia unica est alimentorum solummodo, quam Deus in primordio contulit: et secundae post diluvium geniturae supermensus est, *h. e.* magis contulit, majore liberalitate mensus est alimenta hominibus.

SŪPERMĬCO, as, n. 1. supra mico. *Avien.* in *Arat.* 846. de Scorpio: tepidumque supermicat Austrum. Alii divisim leg. *super micat.* ℙ Translate. *Sen. Ben.* 3, 32. *f.* Etiamsi, quae retuli exempla, nondum satisfaciunt, nec beneficia parentum suorum supermicant, *h. e.* superant, magis illustria et insignia sunt. *Lips.* ex *vet. Codicib.* legit *superinjiciunt.*

SŪPERMITTO, is, a. 3. superaddo, superinfundo. *Just.* 12, 14. *f.* In aqua frigida venenum habuerunt, quam praegustatae jam potioni supermiserunt. [*Cf. *Curt.* 10, 4, 20.] *Apic.* 5, 3. Componis porros, lucanicas concisas: iterum pisa supermittis.

SŪPERMUNDĬĀLIS, e, adj. qui supra mundum est, coelestis, ut supermundiales substantiae, *Tert. Anim.* 18.

SŪPERMŪNĬO, is, a. 4. a superiori parte munio, *Colum.* 9, 7. *med.* Convenit alvearia porticibus supermuniri.

SUPERNANS, antis, part. ab inus. *superno:* supernatans. *Gell.* 9, 9. Gaudia levia, et quasi in summo pectore supernantia. *Macr. Sat.* 7, 12. *med.* Mellis pars, quae in imo est, supernante pretiosior est. Alii leg. *supernatante.*

SŪPERNAS, atis, adj. omn. gen. *ὁ ἄνωθεν*, qui est supra, ut *Abies supernas*, quae ad mare superum, hoc est Adriaticum, nata est: et contra *infernas*, quae nata est ad mare inferum, sive Tyrrhenum. *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1. Ideo Romae infernas abies supernati praefertur. (Adde *Vitr.* 2, 10.) *Id.* 15, 12. Supernatia Persica e Sabinis veniunt. *Inscr.* sub Decio Imp. ann. a Chr. n. CCLI. ap. *Reines. cl.* 3. *n.* 88. Argentarii et exceptores, itemque negotiantes vini Supernat. et Arimin. *h. e.* vini, quod e regionibus ad superum mare sitis Romam importabatur. *Vitr.* 1, 6. *med.* de ventis: Circa Septentrionem Thrascias et Gallicus: dextra ac sinistra circa Aquilonem Supernas et Boreas, *h. e.* qui a superi maris regionibus, si Romae sis, spirat. Ab *Augusto* in *ep. ad Maecen.* ap. *Macr. Sat.* 2, 4. vocatur per jocum Maecenas *adamas supernas, Tiberinum margaritum*, etc. cum aut adamantes supernates, aut margarita in Tiberi nulla sint.

[*SUPERNATIO, onis, f. *Theod. Prisc.* 1, 7. *Bail.*]

SŪPERNĀTO, as, n. 1. *ἐπινέω*, supra nato. *Appul. Met.* 6. Credemus etiam, Phryxum arieti supernatasse. *Paul. Nol. carm.* 21, 179. Tabulis adhuc supernatabat extimis. ℙ Item in aquae, alteriusque liquoris superficie fluito, *ἐπιπολάζω. Colum.* 12, 9. Deinde arido spissamento foeniculi sic comprimi, ut jus supernatet. *Plin.* 28, 9, 35. Quod supernatat, butyrum est. *Id.* 7, 15, 13. Supernatans bitumen.

SŪPERNĀTUS, a, um, part. ab inus. *supernascor*; *ἐπιφυής*, post vel supra alios natus, praeter alios natus. *Plin.* 19, 3, 15. Supernato caule, quem magydarim vocarunt. Alii leg. *superenato. Cels.* 8, 2. Supernatis gravibus ulceribus, aut fistulis.

*SUPERNAVĬGO, as, a. 1. *ἐπιπλέω Gloss. Cyril. B. A.*

SŪPERNĒ, adv. *ἄνωθεν*, desuper, de parte superiore. *Virg. A.* 6, 658. unde superne Plurimus Eridani per silvam labitur amnis. *Liv.* 1, 25. Male sustinenti arma gladium superne jugulo defigit. [*Alia exempla haec sunto: *Id.* 1, 51. Crate superne injecta; et 7, 10. Gallus, velut moles superne imminens. *Suet. Tib.* 39. complura et ingentia saxa fortuitu superne delapsa sunt. *Curt.* 7, 3, 9. Superne lumen accipere; et 8, 11, 14. superne ingerere tela; et 9, 4, 32. superne obrui telis. Multis etiam locis occurrit ap. *Lucr.* Cf. 1, 497. 1098. 2, 454. al.] ℙ Ponitur etiam pro supra. *Plin.* 33, 6, 31. Argentum superne innatat, ut oleum aquis. ℙ Item pro sursum. *Id.* 19, 5, 25. Solum enim hoc genus superne tendit, non, ut cetera, in terram. ℙ *Peccare superne* ap. *Hor. Sat.* 2, 7, 64. quid sit, V. Interpretes. [*Heindf.* ita intelligendum hunc locum censet: non peccat superne, sed muliebri patientia succumbit patranti superne adultero.] ℙ Postrema syllaba longa est: sed corripitur ut *inferne*, a *Lucr.* et *Hor.* ut in APPRIMA dictum est.

SŪPERNĪTAS, atis, f. [*i. q. altitudo, summum.] *Tert. adv. Val.* 7. supernitates supernitatum *dixit.*

SŪPERNOMĬNO, as, a. 1. [*cognomentum addo, tribuo.] *Tert. Apol.* 18. Ptolemaeorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant.

SŪPERNŪMĔRĀRĬUS, a, um, adj. *Veg. Mil.* 2, 19. *f.* Accensi, hoc est postea additi, quam fuisset legio completa, quos nunc supernumerarios vocant. Adde *August. in Psal.* 146. *n.* 9.

SŪPERNUS, a, um, adj. *ὑπέρτερος*, qui supra est, superior. *Plin.* 7, 16, 15. Vice dentium continuum os superna parte oris, *Id.* 2, 56, 57. Superna vulnera. *Gell.* 9, 1. Facilior jactus est ex supernis in infima, quam ex infimis in superna. *Id.* 12, 2. *med.* Lac, adventante partus tempore, in supernas se partes profert. *Id.* 2, 30. *f.* Aquilones, qui alti supernique sunt. *Lucan.* 6, 733. Stygiasque canes in luce superna Destituam, *h. e.* solis, respectu Inferorum. ℙ In illo *Hor. Epod.* 1, 29. Neque ut superni villa candens Tusculi. *Bentl.* multis argumentis contendit *supini* legendum esse. ℙ Superus, coelestis. *Lucan.* 6, 430. supernis Detestanda Deis saevorum arcana magornm Noverat; et 9, 556. vita tibi semper directa supernas Ad leges; sequerisque Deos. *Ov. Met.* 15, 128. numenque supernum Caede laboriferi credunt gaudere juvenci.

SŪPĔRO, as, avi, atum, a. 1. [*prima vocis significatio est: super, trans aliquid evadere, transcendere, sive illud altitudine, sive latitudine, sive longitudine praestet. *Forc.* secundo loco exempla laudaverat ista: *Caes. B. C.* 1, 48. Tempestas ex omnibns montibus nives proluit, ac summas ripas fluminis superavit, ubi v. *Herz. Curt.* 8, 10. quia plura flumina superanda erant. Adde *Liv.* 5, 8. superare munitiones. *Curt.* 7, 11, 8. munimenta; et 7, 3, 22. Caucasum: et quod item Noster posuerat, *Tac. Agr.* 33. Superasse tantum itineris, i. e. tantum spatium, tam late patentia loca. Porro ex poetis Forc. adjecerat haec: *Virg. A.* 2, 302. summi fastigia tecti Ascensu supero. *Id. G.* 3, 270. superant montes, et flumina tranant; et *ib.* 317. caprae gravido superant vix ubere limen. *Lucan.* 1, 183. Jam gelidas Caesar cursu superaverat arces. *Ov. Met.* 7, 767. de vulpe: Illa levi velox superabat retia saltu. *Lucan.* 4, 149. nec quaerere pontem, Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis. Alia haec sunto: *Lucr.* 3, 1044. pedibus salsas superare lacunas. *Virg. A.* 9, 314. Egressi superant fossas. *Id. ib.* 6, 676. superate vos jugum. *Ov. Met.* 9, 115. superentur flumina, i. e. nando trajiciatur totum flumen. *Sil.* 6, 297. non Trebia superasset sanguine ripas, i. e. supergressa esset propter sang. ℙ Transfertur hoc loquendi genus etiam ad animum. *Noster* laud. *Cic. Tusc.* 1, 19. Quam regionem cum superavit animus, finem altius sese efferendi facit. ℙ Neque hic debebat omitti illud dicendi genus, quo *superare* adjecto ablativo rei significat superiorem evadere. Ita *Virg. A.* 11, 514. Per deserta jugo superans adventat ad urbem. — Quibus continuo sequi poterant exempla, in quibus absolute, neutrorum modo positum est. *Noster* laud. *Stat. Th.* 4, 458. Quamquam infossus humo, superat tamen agger in auras. *Pl. Stich.* 2, 2, 41. Radiosus ecce sol superabat e mari: ubi al. leg. *sese sol superabat.* Adde *Virg.* 2, 219. superant capite et cervicibus altis. ℙ Est etiam verbum nauticum, et significat locum aliquem navigando praetervehi, praesertim si singulari contentione fiat, ut fretum, promontorium, adversum amnem, contrarium ventum. Ita *Forc.*, exemplis collatis istis. *Virg. A.* 1, 247. intima Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi. *Lucil.* ap. *Serv.* in *hunc loc.* Promontorium remis superamu' Minervae. *Ov. Ib.* 595. ubi ventosum superaris naufragus aequor. *Id. Trist.* 1, 11, 5. bimarem cursu superavimus Isthmon. Adde *Tac. A.* 15, 46. Quibus adjungi poterant haec: *Nep. Them.* 3, 3. Euboeam superare: ubi *Brem.* laud. *auct. B. Afr.* 62. Aquila tempestate jactatus promontorium superare non potuit; et *cp.* 63. reliquae hostium naves promontorium superarunt. Porro *Liv.* 31, 23. superavit promontorium; et 25, 7. Pachynum superare; cf. 26, 26. it. 33, 20. et 30, 25. ℙ Hinc in universum ulterius progrediendo aliquid praeterire. *Liv.* 2, 50. quum improvidi effuso cursu insidias circa ipsum iter locatas superassent, i. e. praeteriissent. ℙ Unde excedendi notio derivanda. Exempla *Forc.* laud. ista: *Varr. R. R.* 1, 53. Summa enim spectanda, ne in ea re sumptus fructum superet. *Inscr.* ap. *Grut.* 1094, 2. Liberalitates in patriam civesque a majoribus suis tributas exemplis suis superavit. Nunc recte poni posse videntur loci, quos *Forc.* ab initio promiscue colloeaverat, in quibus vincendi, excellendi, praestandi, antecedendi notio praevalet. Ita primum in rebus bellicis, pro: victoriam reportare, subigere. *Nep. Ag.* 4. bello Asiam superare. *Id. Con.* 4. Quem (ducem) neque consilio, neque copiis superare possent. *Caes. B. G.* 7, 24. Milites, cum frigore et assiduis imbribus tardarentur, tamen continenti labore omnia haec superaverunt. *Id. B. C.* 2, 5. quos integros superavissent; et *ib.* cp. 22. Equestri proelio superare hostem. *Flor.* 2, 6. *med.* tota insula in una urbe superata est. *Virg. A.* 1, 354. clam ferro aliquem. Cf. *Suet. Aug.* 16. *Oth.* 9. *Caes.* 68. — Hinc transfertur ad cujuscunque generis extra bellum certamina; item ad incommoda, difficultates, pericula, quae quis instar hostium vincat. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* In quo etiamsi multi mecum contendent, omnes facile superabo. *Nep. Ep.* 2. ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. *Suet. Caes.* 13. potentissimos duos competitores superavit, i. e. iis praelatus est. *Virg. Ecl.* 5, 9. superare Phoebum canendo. *Sil.* 10, 347. custos Inachiae multa superandus nocte juvencae, h. e. Argus. *Vell.* 2, 120. *med.* superare difficultates omnes. *Liv.* 9, 4. quam (necessitatem) ne dii quidem superant, i. q. mutare possunt. *Virg. A.* 11, 244. casus superavimus omnes. — Absolute neutrorum more. *Plin. ep.* 7, 1. Si tamen superaverit morbus, denuntio, ne quid mihi detis. — Tum in universum signif. potiorem, majorem esse in aliqua re. *Cic. Tusc.* 1, 1. *med.* superare aliquem doctrina et omni litterarum genere. *Id. Or.* 1, 15. arte dicendi. *Nep. Alc.* 11. splendore et dignitate vitae. *Id. Dion.* 4. ingenio, auctoritate, amore populi. *Liv.* 29, 8. Omnes scelere atque avaritia. *Id.* 29, 30. numero militum aliquantum Mezetulus superabat: cf. 33, 4. *Suet. Cal.* 37. nepot. sumtibus omnium prodigorum ingenia superavit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. *in.* Non dubitabam, quin hanc epistolam fama esset ipsa sua celeritate superatura. — Debebat hic etiam mentio fieri locutionis *superare se*, quae variis modis usurpatur, ratione habita ejus, de quo sermo. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 137.] ℙ Pro superesse, abundare, superfluere. [*Cf. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 64, 1. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 102.] *Cic. Or.* 2, 19. *f.* In quo et deesse aliquam partem, et superare mendosum est. *Id. Fin.* 5, 15. *med.* De eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt. *Id. Att.* 13, 46. *f.* Siquid aeri meo alieno superabit, et emptionibus. *Sall. Cat.* 21. Quis tolerare potest, illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse? *Jd. Jug.* 68. Cui virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant. *Liv.* 3, 5. Superante multitudine, hostes carpere multifariam vires Romanas, ut non suffecturas ad omnia, aggressi sunt. *Id. ib.* 17. Comitia interim in foro sunt, velut cum otium superat. *Virg. G.* 1, 189. Si superant fetus (*nucis*), pariter frumenta sequentur. *Id. ib.* 3, 63. superat gregibus dum laeta juventus, Solve mares, *h. e.* suppetit, abunde sufficit vires. *Tibull.* 4, 1, 28. quamquam antiquae gentis superant tibi laudes, Non tua majorum contenta est gloria fama. ℙ Item restare, reliquum esse. *Prop.* 4, 2, 57. Sex superant versus: te non moror. *Caes. B. G.* 6, 16. Quae superaverint animalia capta, immolant. *Sall. Jug.* 73. Omnes res exsequi solitus erat, quae Jugurthae fesso, aut majoribus adstricto superaverant. *Liv.* 22, 40. *med.* Nihil ex raptis in diem commeatibus superabat. [*Cf. *cp.* 49. *it.* 5, 38. 9, 32.] *Hor. A. P.* 327. dicat si de quincunce remota est Uncia, quid superat? *Tibull.* 3, 2, 17. Pars quae sola mei superabit corporis, ossa. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 5. *extr.* Quam hoc Caesari superet, non te fallit. [*Difficillimus locus est: *Lambinus* pro *superet* ex conjectura dedit *suppetat.* Quod, sicut vulgata, cum sententiam idoneam nullam praebere videatur, *Orell.* legend. censet *sperent*, sensu loci ita constituto: et quanto opere haec omnis actio de provinciis ut impediatur, Caesari sperent ii, qui sua causa (propriae utilitati unice studentes) rempublicam non curent, non te fallit.] *Liv.* 29, 7. *med.* Classis R. a Messana Locros, aliquot horis die superante, accessit; et *Virg. Ecl.* 9, 27. superet modo Mantua nobis, *h. e.* non auferatur, sed nostra remaneat. *Liv.* 45, 23. Quid igitur superat, quod purgemus? ℙ Item superstitem esse, supervivere, *ἐπιβιόω. Virg. A.* 3, 339. Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura? et *ib.* 2, 642. satis una superque Vidimus excidia, et captae superavimus urbi. *Caes. B. G.* 6, 18. Uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque pervenit. ℙ In hac postrema significatione non solum adhibetur absolute neutrorum more, sed accusativo etiam jungitur. *Inscr.* in *Novell. letter. di Firenze* T. 15. p. 680. L. Plautio L. F. Gal. Eperasto Vix. Ann. XXVI. optimo et pientissimo L. Plautius L. F. Gal. Eperastus, et Sulpicia Cn. F. Firma parentes miseri, qui eum superaverunt.

[SŪPĔROBDUCTUS, a, um, part. ab inus. *superobduco*, superinjectus. *Paul. Nol. carm.* 22, 110. Sed superobducto praedita (*Rebecca*) palliolo. *F.*]

SŪPĔROBRŬO, is, rui, rutum, a. 3. *ὑπερχωννύω*, re aliqua injecta operio. *Prop.* 4, 4, 89. Dixit, et ingestis comitum superobruit (*Tarpejam*) armis.

SŪPĔROBRŬTUS, a, um, part. a *superobruo*, obrutus, coopertus, *Auson. Epitaph.* 25. Hic Hecuba injectis perii superobruta saxis.

SŪPĔROCCĬDENS, entis, part. ab inus. *superoccido*, supra aliquem occidens. *Macr. Somn. Scip.* 1, 18. *med.* Luna soli antecedenti superoccidens.

[SŪPERPARTĬCŬLĀRIS, e, adj. ita appellatur numerus aliquis ad alterum comparatus, qui continet totum minorem, et partem ejus aliquam, quam Itali *aliquota* dicunt: idem etiam sesquatus dicitur. *Capell.* 7, 251. et *Boeth. Arithm.* 1, 24. *F.*]

[SŪPERPARTĬENS, entis, adj. ita vocatur numerus, qui alterum continet integrum, et insuper aliquas ejus partes. *Capell.* 7, 252. De superpartiente: sumamus quinque ad tria; antecedit quinarius ternionem, quod et illum ipsum, et ejus duas tertias (*partes*) habet. *Boeth. Arithm.* 1, 28. Superpartiens numerus habet alium totum intra se, et ejus insuper aliquas partes, vel duas, vel tres, vel quatuor vel,

quot ipsa attulerit comparatio; et *mox*: Si ergo numerus alium intra se numerum habens ejus duas partes habuerit, superbipartiens nominatur: si vero tres, supertripartiens; quod si quatuor, superquadripartiens; atque ita progredientibus in infinitum fingere nomina licet.

SŪPERPENDENS, entis, part. ab inus. *superpendeo:* supra pendens, ut Superpendentia saxa ap. *Liv.* 37, 27. *f.*

SŪPERPICTUS, a, um, part. a *superpingo:* in superiori parte pictus. *Solin.* 17. Pantherae minutis orbiculis superpictae.

SŪPERPINGO, is, a. 3. ὑπεργράφω, supra pingo. *Avien.* in *Arat.* 906. Cuncta superpingunt rutilam sua sidera noctem.

SŪPERPLAUDO, is, n. 3. super aliquid plaudo. *Solin.* 2. *f.* de avibus Diomed.: Aquis imbuunt plumas: ita aedem excusso humore purificant: tunc pinnulis superplaudunt.

*SŪPERPOLLŪO, is, a. 3. *Vulg.* 4 *Esdr.* 25, 6. Superpolluit iniquitas omnem terram. *B. A.*

SŪPERPONDIUM, ii, n. ἐπίμετρον, pondus auctarium, quod legitimae sarcinae adjicitur. *Appul. Met.* 7. Exiguum scilicet et illud tantae molis superpondium.

SŪPERPŌNO, is, a. 3. ὑπερτίθημι, [*impono, super aliquid infero. *Suet. Claud.* 20. *f.* Congestis pilis superposuit altissimam turrim. V. SUPERPOSITUS.] ℙ De medicamentis. *Cels.* 5, 26. *n.* 35. Malicorium cerato miscere, idque superponere. *Plin.* 32, 7, 24. Ranae carnes doloribus oculorum superponunt. *Id.* 29, 6, 38. Superponi oportet splenium e melle decoctum; et *ib.* 2, 10. Vellera medicamentis superponuntur. ℙ [*Hinc supra ponere. *Colum.* 1, 5. *med.* Superponere villam profluenti. *Suet. Aug.* 31. Pomp. statuam marm. Jano superposuit. *Alii* male *supposuit. Plin.* 5, 8, 8. Desertis Africae duas Aethiopias superponunt, i. e. sitas esse ajunt.] ℙ Item praepono, praeficio. *Lactant. Mort. persecut.* 36. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret, *h. e.* Sacerdotales. V. SACERDOTALIS. ℙ [*Hinc transfertur ad ea, quae ut praestantiora aliis praeponuntur. *Sen. ep.* 58. *med.* Stoici volunt superponere huic etiam aliud genus magis principale.] ℙ Insuper habeo, negligo. *Colum.* 3, 10. *med.* Siquam scientiam eligendi malleoli habet, eam propter infirmitatem dissimulat, aut superponit. Alii leg. *seponit.* [*At *negligendi, contemnendi* potestas inesse huic verbo non videtur. Cf. *Quint. Inst.* 9, 4, 25. ideoque levioribus superponenda sunt: ubi *Spald.*, coll. *Badii* annotatione, *superponere* esse potius *postponere*, quam *anteponere*, dici enim *supervenire, superaddi, superponi*, quando supra alia veniremus, adderemus, poneremus: praelatum a *Quint.* v. *superponere* alteri *postponere*, quia hoc conscivisset significationem contemnendi. Cf. eodem significatu *ib.* 8, 4, 6.]

SŪPERPOSĬTIO, onis, f. *Coelio Aurel. Tard.* 2, 13. et *ib.* 3, 2. et *ib.* 4, 3. est παροξυσμὸς, summa morbi accessio, tempus morbi vehementius, et exacerbatio per intervalla rediens: quam *Id. praef. Tard.* suprapositionem vocat.

SŪPERPOSĬTUS, a, um, part. a *superpono*, ἐπίθετος, impositus. [*Liv.* 1, 34. Levasse humano superpositum capiti decus.] *Ov. Her.* 21, 190. Aegra superposita membra fovere manu. [*Suet. Galb.* 4. villa colli superposita.] *Colum.* 4, 24. Brachia vitis jugo superposita praecipitato. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Apodyterio superpositum est sphaeristerium. *Plin. alter.* 5, 32, 42. Galatia superposita, *h. e.* supra sita. *Scrib. Comp.* 206. Superpositum loco dolenti emplastrum. ℙ [Item praepositus, praefectus. *Inscr.* ap. *Grut.* 581, 7. T. Flavio Paederoti Aug. Lib. superposito medicorum, etc. *Liv. fragm. l.* 91. ap. *Niebhur.* p. 95. Perperna in maritimam regionem superpositus, ut ea, quae integra adhuc ab hoste sint, tueri posset. Hinc *Petr.* in *fragm. Trag.* 56. *Burm.* Puer super hoc positus officium. *F.*]

[SŪPERQUADRĬPARTĬENS. V. SUPERPARTIENS. *F.*]

SŪPERQUAM. V. in SUPER.

[SŪPERQUARTUS, a, um, adj. ἐπιτέταρτος, ita appellatur numerus major, qui cum alio numero comparatus, eundem integrum continet, atque insuper quartam ejus partem, quemque *sesquiquartum* vocat *Boeth. Arithm.* 1, 24., et quidem *subquarto* opponitur. *Capell.* 7, 251. Superquartus (*numerus est*), qui ipsum aliquem, et quartam ejus (*partem habet*); et *mox:* Superquarti rationem habent quinque ad quatuor. V. SUPERDIMIDIUS. *F.*]

SŪPERQUĂTĬO, is, a. 3. super concutio. *Avien.* in *Arat.* 1205. superquatit ira furorque Matrem. Al. divisim leg. *super; quatit.*

[SŪPERQUINTUS, a, um, adj. ἐπίπεμπτος, ita appellatur numerus major, qui cum alio comparatus, eundem integrum continet, atque insuper quintam ejus partem, quemque *sesquiquintum* vocat *Boeth. Arithm.* 1, 24., et quidem *subsesquiquinto* opponitur. V. SUPERDIMIDIUS. *F.*]

SŪPERRĂSUS, a, um, part. ab inus. *supperrado*: supra rasus. *Plin.* 22, 23, 49. Clavis pedum superrasis.

SŪPERRĬGO, as, a. 1. supra rigo, inundo. *Sil.* 15, 155. Corus Isthnion curvata sublime superrigat unda. Ita leg. *Heins.*, alii *suberigit.*

SŪPERRĬMUS, a, um, adj. superl. a *super*, et *superior:* unde *supremus* per syncop. V. SUPREMUS *in.*

SŪPERRŭO, is, n. 3. super aliquam rem cado. *Appul. Met.* 1. Atque ego de alto decidens, Socratem superruo. *Id. ib.* 2. Ecce uxor flens introrupit, et statim corpori superruens, etc.

SŪPERSĂPĬO, is, n. 3. valde sapio. *Tert. Anim.* 18. Plato illum ait supersapere, qui mente maxime sapiat.

SŪPERSCANDO, is, a. 3. ὑπερβαίνω, sursum ascendo. *Colum.* 11, 3. Quam superscandant sentes utriusque sulci. *Liv.* 7, 36. Superscandens vigilum strata somno corpora miles. In *Colum.* alii leg. *superscendant;* ut ap. *Tert. Poen.* 10.

SŪPERSCENDO. V. v. praec.

SŪPERSCRĪBO, is, a. 3. ἐπιγράφω, supra scribo. *Gell.* 20, 6. *f.* Cum ita in Catilina (*Sall.* 34.) scriptum esset: Saepe majores vestrum miseriti plebis Romanae: *vestrum* obleverunt, et *vestri* superscripserunt. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. Si inconsulto superscripsit, induxisse se, etc. *Modest. ib.* 50, 10, 4. Praesidis nomen superscribere, *h. e.* inscribere operi novo. V. INSCRIBO. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 105. Insequentis sagitta etiam humerum superscribitur. *B. A.*

SŪPERSCRIPTUS, a, um, part. a *superscribo:* ἐπιγραφθείς. *Suet. Ner.* 52. *extr.* Ita multa et deleta, et inducta, et superscripta inerant.

SŪPERSĔDĔO, es, ēdi, essum, a. 2. ἐπικαθίζομαι, super aliquid sedeo. *Suet. Ner.* 11. Eques R. elephanto supersedens. *Id. Aug.* 96. Aquila tentorio ejus supersedens. *Appul. Met.* 11. [*p. 778. *Oudend.* V. *Virg. A.* 1, 295.] Ansam supersedebat aspis. *Ammian.* 23, 6. *f.* Supersedere corio damnati ob iniquitatem judicis, judex alius cogebatur. Alii leg. *supersidere*: quod habetur etiam ap. *Liv.* 38, 51. in quibusdam MSS. Rursus *Ammian.* 25, 8. Supersedentes utribus. Alii leg. *supersidentes.* ℙ Translate est cessare ab aliqua re, abstinere, rem institutam omittere: quasi super aliqua re cunctari, et sedendo nihil agere. *Cic. Fam.* 4, 2. *f.* Ut supersedeas hoc labore itineris. *Caes. B. G.* 2, 8. Proelio supersedere. *Hirt. B. Afr.* 75. pugnae. *Pl. Epid.* 1, 1, 37. Supersede istis rebus jam; et *Poen.* 1, 3, 5. Supersede istis verbis. *Turpil.* ap. *Non.* 1, 187. Supersedere nuptiis. *Sisenn. ib.* De virtute eorum accusanda proloqui supersedeo. *Liv.* 21, 40. Supersedissem loqui apud vos. *Suet. Tit.* 7. *med.* Artifices non modo fovere, sed spectare omnino supersedit. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 6. Supersedeo te habere civem; et *ib.* 8. *n.* 6. Moris erat, consules invitari ad coenam, deinde rogari, ut venire supersedeant. *Gell.* 2, 29. *med.* Cognati et affines operam, quam dare rogati sunt, supersederunt: *supple:* dare supersederunt: vel figurate per ἀναστροφὴν locutus est, ut *Virg. A.* 1, 577. Urbem quam statuo, vestra est. [*Nihil supplendum, nulla figura. Construitur *supersedere* c. accus. ut apparet ex sequentis §. exemplo, et Appul. locis ab in. et in *supersessus* laudatis. V. *Ruddim.* 2, 129. *Ramsh.* §. 124. p. 374.] ℙ Passive. *Auct. ad Her.* 2, 17. Haec causa non visa est supersedenda. ℙ Passive impersonaliter. *Id. ib.* 19. *f.* Complexione supersedendum est, si res brevis est. *Cic. Inv.* 1, 20. *med.* Verborum multitudine supersedendum est. *Liv.* 7, 27. Tributo ac delectu supersessum est. *Id.* 38, 51. Cum hodie litibus et jurgiis supersederi aequum sit. ℙ Significat etiam praesidere. *Cato R. R.* 5. *in.* Villicus sua servet diligenter, litibus familiae supersedeat, *h. e.* inter jurgia familiae discernat, eaque componat.

SŪPERSĔMĬNĀTOR, oris, m. qui superseminat. *Tert. Anim.* 16. *extr.*

SŪPERSĔMĬNĀTUS, a, um, part. a *supersemino*: supra seminatus. *Tert. adv. Prax.* 1. *med.* Avenae Praxeanae superseminatae.

SŪPERSĔMĬNO, as, a. 1. ἐπισπείρω, supra semino. *Hieron. ep.* 30. *n.* 14. ex *Matth.* 13, 25. Zizania superseminet.

SŪPERSESSUS, a, um, part. a *supersedeo*, cui supersessum est, omissus. *Appul. Flor. n.* 18. Sed istis omnibus supersessis, nihil amplius spectari debet, quam, etc.

[SŪPERSEXTUS, a, um, adj. ἔφεκτος, ita appellatur numerus major, qui cum alio comparatus, eundem integrum, atque insuper sextam ejus partem continet, ut septem ad sex. V. SUPERDIMIDIUS. *F.*]

SŪPERSĬDĔO aut Supersīdo. V. in SUPERSEDEO.

*SUPERSIGNO, as, a. 1. *Vulg.* 4 *Esdr.* 6, 19. Supersignabitur saeculum, quod incipiet pertransire, i. e. obsignabitur. *B. A.*

SŪPERSĬLIENS, entis, part. ab inus. *supersilio. Colum.* 8, 3. *med.* Perticae dolantur in quadrum, ne teres laevitas earum supersilientem volucrem non recipiat.

[SŪPERSISTO, is, stiti, a. 3. supersto. *Appul. Met.* 8. Jamque Charite fremens invadit, ac supersistit sicarium. *Id. ib.* 11. Ante Deae simulacrum constitutum tribunal ligneum superstiti. *F.*]

[SŪPERSĬTUS, a, um, part. ab inus. *supersino:* supra positus. *Inscr.* ap. *Grut.* 43, 10. Q. Manilius Philumenus sigillum cum ara huic arae supersit., et scripturam ejus vetustate corrupt. renovavit. *Fabr.* tamen in *Emend.* p. 1. et *J. B. Molossi in Mem. di Lodi* p. XXII. pro *supersit.* legunt *superposuit;* hic vero postremus *ib.* pro *Manilius* leg. *Manlius. F.*]

SŪPERSOLĂNĔI. V. SUBSOLANEAE.

SŪPERSPARGO, is, si, sum, a. 3. ἐπισπάσσω, inspergo, aspergo. *Cato R. R.* 54. Quae herbosissima erunt, in tecto condito, et sale superspargito. Alii leg. *spargito.*

SŪPERSPERSUS, a, um, part. ab inus. *superspergo:* supra sparsus. *Solin.* 27. *med.* Gemma viridi colore, stellis puniceis superspersa; et *ib.* 30. *med.* de camelopardali: Candidis maculis superspersa.

*SUPERSPICIO, is, a. 3. *Solin.* 6. Strabonem superspexisse per CXXXV millia passuum, Varro significat. *B. A.*

SŪPERSTAGNO, as, n. 1. ἐπιλιμνάζω, restagno, redundo. *Tac. A.* 1, 79. Si amnis Nar in rivos deductus superstagnavisset.

SŪPERSTANS, antis, part. a *supersto. Virg. A.* 10, 540. Quem congressus agit campo, lapsumque superstans Immolat. *Liv.* 10, 28. Essedis, carrisque superstans hostis armatus, ingenti sonitu equorum, rotarumque advenit. *Suet. Galb.* 23. Statuam ei decreverat rostratae columnae superstantem. *Liv.* 38, 7. Armati ruinis superstantes, instar munimenti erant. *Stat. Th.* 2, 713. Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans.

SŪPERSTĂTŪMĬNO, as, a. 1. statumine supra firmo. *Pall.* 1, 9. Superstatuminare rudus.

SŪPERSTERNO, is, stravi, stratum, a. 3. ὑποστρώννυμι, superextendo. *Colum.* 1, 6. *med.* Simili modo pavimenta testacea supersternuntur.

SŪPERSTES, stĭtis, adj. omn. gen. 3. qui super stat, et praesens adest, ἑφεδρος, περιών. *Festus:* Superstites, testes praesentes significat: cujus rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus, ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. Plautus in Artemone: Nunc mihi licet quidvis loqui: nemo hic adest superstes. Haec *Festus.* Ap. *Cic.* formula antiqua est JCtorum, *Mur.* 12. Utrisque superstitibus (*praesentibus*), istam viam dico. *Serv.* ad *A.* 3, 339. Superstes praesentem significat, ut Cicero in Mureniana: Suis utrisque superstitibus. Monent critici, ubicumque post *superstites* additur *praesentes*, hoc videri interpretamentum vocis prioris. *Utrisque superstitibus* significat actore et reo praesentibus. Quod autem ap. *Cic.* praemittitur *suis*, ita legunt totum illum locum: Carmen tum ceteris rebus absurdum, tum vero nullo usu: Utrisque superstitibus, etc. ℙ Item περιλιπὴς, περιγινόμενος, qui post mortem alterius superest, et supervivit. *Ter. Heaut.* 5, 4, 7. Ita mihi atque huic sis superstes. *Pl. As.* 1, 1, 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuae superesse vitae sospitem et superstitem; et *ib.* 6. Ut tibi superstes uxor aetatem siet. *Id. Trin.* 1, 2, 19. Deos oro, ut vitae tuae superstes supppetat. *Hor. Carm. saec.* 42. Aeneas patriae superstes. *Id. Od.* 2, 2, 7. Illum aget penna metuente solvi Fama superstes. *Ov. A. Am.* 3, 127. nec nostros mansit in annos Rusticitas, priscis illa superstes avis. *Id. Am.* 3, 15, 20. Post mea mansurum fata superstes opus. *Stat. Th.* 6, 91. de silva perantiqua: nec solos hominum transgressa veterno Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes. *Mart.* 10, 48. *med.* coenisque tribus jam perna superstes. ℙ Cum gen. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem. *Suet. Tib.* 62. *extr.* Felicem Priamum putabat, quod superstes omnium suorum exstitisset. *Plin.* 7, 48, 49. Omnium, quos in consulatu sententiam rogaverant, superstites fuere. *Tac. A.* 3, 4. *extr.* Integram illi subolem, ac superstitem iniquorum precarentur. ℙ Item qui salvus et incolumis vivit. *Ter. Andr.* 3, 2, 6. Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo. Deos quaeso, ut sit superstes. *Lucan.* 7, 660. Stante potest mundo, Romaque superstite, Magnus Esse miser. ℙ *Superstes sibi* dicitur, qui magnum vitae discrimen vix evasit, et quodammodo revixit. *Sen. ep.* 30. *med.* et *Tac. Agr.* 3. *med.* [*Recte *Walch.* ad h. Taciti locum genitivum, ait, junctum esse huic voci e more Taciti Liviique (Cf. supra *A.* 3, 4. *extr.* 2, 71. 1, 61. *Liv.* 2, 7.); sed insolenter prorsus (quod jam illud *ut ita dixerim* probare videtur) Tacitum h. v. non solum ad vitam sed ad animum etiam retulisse non fractum diuturno servitio (*Wenige nur haben andre überlebt, ohne selbst geistig todt zu seyn.*) coll. *Plin. ep.* 8, 14. Eadem mala jam cet.]

SŪPERSTILLO, as, a. 1. [*guttatim supra infundo.] *Apic.* 8, 7. *f.* Superstillabis oleum, piper asperges. Adde 9, 13.

SŪPERSTĬTĬO, onis, f. δεισιδαιμονία, θεολογησία, religio quaecumque delira et anilis, in qua inest timor inanis Deorum; ut ait *Cic. N. D.* 1, 42. Unde manarit nominis ratio, docet *Id. ib.* 2, 28. *med.* his verbis. Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, et

immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. Contra *Lactant.* 4, 28. *f.* Superstitiosi vocantur, non quia filios suos superstites optant (omnes enim optamus), sed aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites, colebant imagines eorum domi, tanquam Deos Penates. V. SUPERSTITIOSUS. *Cic. Div.* 1, 63. Superstitio sagarum. *Id. ib.* 2, 72. Superstitio hominum imbecillitatem occupavit. *Id. ib.* 1, 4. Superstitione obligari. *Id. Leg.* 1, 11. conflictari. *Id. Fin.* 1, 18. imbutus. *Tac. A.* 1, 85. infectus. *Liv.* 26, 19. captus. *Quint.* 4, 4. Superstitiones novas inducere. *Sen. ep.* 123. *f.* Superstitio error insanus est: amandos timet; quos colit, violat. *Tac. A.* 12, 59. Magicas superstitiones objectare alicui. ℙ Interdum in bonam partem sumitur, pro religione. *Just.* 39, 3. His tot necessitatibus sanguinis adjicit superstitionem templi, qua abdita profugerit; et 41, 3. In superstitionibus, atque cura Deorum, praecipua amnibus veneratio est. *Virg. A.* 12, 817. de Styge: Una superstitio superis quae reddita Divis. Ubi *Serv.*: religio, metus: eo quod superstet capiti omnis religio. *Sen. ep.* 95. *med.* Virtutis quadam superstitione teneantur: hanc ament, cum hac vivere velint.

SŪPERSTĬTĬOSĒ, adv. cum superstitione. *Cic. N. D.* 3, 39. Neque id dictis superstitiose, et anili ter, sed physica constantique ratione. *Id. Div.* 1, 55. *f.* Fatum non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa aeterna, etc. ℙ Item nimis sollicite, et diligenter. *Quint.* 1, 1. Non tamen hoc adeo superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur Graece, aut discat, sicut plerisque moris est. *Id.* 10, 6. *med.* Cogitatis superstitiose inhaerere.

SŪPERSTĬTĬOSŬS, a, um, adj. *δεισιδαίμων*, superstitione imbutus. *Non.* 5, 36. Sed vere superstitiosi proprietatem ex hoc habent, quod prae cultura Deorum supersedeant, id est, negligant cetera. V. SUPERSTITIO *in. Cic. Div.* 2, 39. Imbecilli animi facile superstitiosa ista concipiunt. *Nigid.* ap *Gell.* 4, 9. Superstitiosa religione se alligare. *Tert. Scorp.* 2. Superstitiosissimum saeculum. ℙ Interdum superstitiosus homo dicitur, qui aliquid divinat. *Pl. Curc.* 3, 27. Superstitiosus hic quidem est; vera praedicat. *Id. Rud.* 4, 4, 95. Quid si ista aut superstitiosa, aut hariola est, atque omnia quidquid infit, vera dicet? *Cic. Div.* 1, 31. ex Poeta: Missa sum superstitiosis hariolationibus. Adde *Pl. Amph.* 1, 1, 167.

SŪPERSTĬTO, as, n. 1. *περιγίνομαι*, superstes et incolumis sum, supersum: frequent. a *supersto. Pl. Pers* 3, 1, 3. Ut mihi supersit, superet, ac superstitet. ℙ Active pro servare, sive incolumem praestare. *Enn* ap. *Non.* 2, 776. et 819. Regnumque vestrum ut sospitent superstitentque.

SŪPERSTO, as, stiti, statum, n. 1. *ἐφίστημι*, supra aliquid sto. *Liv.* 40, 2. Atrox cum vento tempestas signa in circo maximo cum columnis, quibus superstabant, evertit. *Ov. Her.* 10, 123. Ossa superstabunt volucres inhumata. V. SUPERSTANS.

SŪPERSTRĀTUS, a, um, part. a *supersterno. Liv.* 10, 29. *f.* Obrutum *(corpus consulis)* superstratis Gallorum cumulis erat.

SŪPERSTRICTUS, a, um, part. a *superstringo. Appul. Met.* 11. Nam compressis in arctum femininibus, et superstrictis accurate manibus, quantum nudo licebat, velamento me naturali probe muniveram.

SŪPERSTRINGO, is, a. 3. supra stringo, constringo. *Sidon. ep.* 4, 20. Penduli ex humero gladii balteis supercurrentibus superstrinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Alii leg. *strinxerant.*

SŪPERSTRUCTUS, a, um, part. a *superstruo*, superaedificatus. *Sen. Controv.* 1. *prooem. f.* Hoc fundamentum tot et tantis superstructis molibus obruebatur.

SŪPERSTRŬO, is, xi, ctum, a. 3. *ἐποικοδομέω*, superaedifico. *Tac. A.* 4, 62. Neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit.

SŪPERSUM, es, fui, n. anon. proprie est, sum supra aliquid, exsto, emineo. *Val. Fl.* 6, 760. Armaque, quique cava superest de casside vultus. ℙ Fere est *περίειμι*, *περιγίνομαι*, reliquus sum, resto. *Ter. Heaut.* 4, 5, 23. Sed porro ausculta quod superest fallaciae. *Enn.* ap. *Gell.* 1, 22. Inde sibi memorat unum superesse laborem. *Virg. A.* 5, 615. heu tot vada fessis, Et tantum superesse maris! *Cic. Cat.* 3, 10. *extr.* Hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset. *Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *f.* Qui supersunt de Hirtii exercitu, confluant ad eum. *Caes. B. G.* 1, 26. Ex eo proelio circiter millia hominum CXXX. superfuerunt; et *ib.* 23. Quod omnino biduum supererat, cum exercitui frumentum metiri oporteret; et *ib.* 5, 22. *f.* Cum non multum aestatis superesset. *Scaev. Dig.* 17, 1, 60. *med.* Nullam actionem superfore ad recipiendum. *Ov. Fast.* 3, 675. Nunc mihi cur cantent, superest ... Dicere. Adde *Met.* 14, 145. [**Suet. Cal.* 51. transmar. sibi superfuturas provincias. *Dom.* 9. subsiciva, quae divisis — agris, carptim superfuerunt.] ℙ *Quod superest*, quod restat, quod reliquum est, ceterum. *Cic. Att.* 9, 19. *extr.* Quod superest, scribe, quaeso, quam accuratissime, quid placeat; et *Phaedr.* 2. *epil.* Quoniam occuparat alter, ne primus forem, Ne solus esset, studui: quod superfuit. ℙ Est etiam superstitem esse. *Liv.* 27, 49. Ne superesset tanto exercitui suum nomen secuto. *Id.* 1, 34. Lucumo superfuit patri, bonorum omnium heres. *Pl. As.* 1, 1, 1. Sicut tuum vis unicum gnatum tuae superesse vitae sospitem et superstitem. [**Suet. Claud.* 21. Quum superessent adhuc, qui spectaverant sq. Ita *Plin. ep.* 2, 1, 9. quum illi tot amici superessent.] ℙ Item abundare, affluere, in utramque partem. *Ter. Ph.* 1, 2, 19. Cui tanta res erat, et supererat; et 1, 3, 10. Aliis, quia defit quod amant, aegre est: tibi quia superest, dolet. *Cic. Or.* 2, 25. *med.* Ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque supersit. *Id. Fam.* 13, 63. Vereor, ne mihi jam superesse verba putes, quae dixeram defutura. Adde *Varr.* ap. *Gell.* 1, 22. Huc pertinet illud *Cic. fragm.* ap. *Gell. ib.* Nec vero scientia juris majoribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. In quo loco, inquit *Gellius*, superfuit significare videtur, supra fuit, et praestitit, superavitque suos doctrina sua superfluenti. [**Suet. Tit.* 1. tantum illi — vel ingenii, vel artis, vel fortunae superfuit. *Plin. ep.* 1, 10. *f.* si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse; et 9, 7, 4. *quae desunt* et *quae supersunt* opponuntur; et *ib.* 2, 19, 3. quamvis illis maxima ex parte supersint eadem illa, quae stantibus sqq.] ℙ Item suppetere. *Virg. G.* 3, 10. Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, Aonio rediens deducam vertice Musas. Huc in loco, inquit *Gell. ib.*, Virgilius *ἀκυρωτέρῳ* verbo usus videtur, quod, supersit, dixit pro longinquius diutiusque adsit. ℙ Item superiorem esse. *Gell. ib.* Illud contra ejusdem Virgilii est aliquanto probabilius *(G.* 3, 126.) Pubentesque secant herbas, fluviosque ministrant, Farraque, ne blando nequeant superesse labori. Significat enim, inquit *Gell.*, esse supra laborem, neque opprimi ab eo. ℙ Denique aliquando positum est pro adesse, favere, advocatum esse cuipiam, causamque ejus defendere: neque in compitis solum usurpatum est, ut ait *Gell. l. c.*, neque tantum in plebe vulgaria, sed in foro, in comitio, apud tribunalia. *Aug.* ap. *Suet. Aug.* 56. Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur. *Gell. l. c.* hunc usum vehementer improbat. ℙ Interdum per tmesin dividitur, aut invertitur. *Virg. A.* 2, 567. Jamque adeo super unus eram. *Nep. Alc.* 8. Atheniensibus praeter arma et naves nihil erat super.

[SŪPERSUS, a, um, adj. idem ac superstes. *Plaut. fragm. Truc.* (ed. *A. Maio)* p. 31. Tu nunc supersus solus sermoni meo, *h. e.* praesens es. *F.*]

SŪPERTECTUS, a, um, part. a *supertego*, idem quod tectus. *Just.* 43, 4. Plures frondibus supertectos induci vehiculis jubet.

SŪPERTEGO, is, a. 3. *ἐπικαλύπτω*, insuper tego. *Colum.* 9, 14. *med.* Et quamvis porticu protecta vasa, nihilo minus congestu culmorum et frondium supertegemus. Adde *Sever. Aetn.* 429. ℙ Pro simplici tego, intego. *Pall.* 4, 9. Liberatos omnibus pullis testa supertegere debebis, aut cortice. *Appul. Met.* 11. Superiorem exsutus tunicam supertexit me celerrime. ℙ Per tmesin dividitur a *Tibull.* 3, 2, 10. Candidaque ossa super nigra favilla teget.

SŪPERTERRĒNUS, a, um, adj. qui supra terram est. *Tert. Resurr. carn.* 49.

[SŪPERTERTĬUS, a, um, adj. *ἐπίτριτος*, ita appellatur numerus major, qui cum alio comparatus, eundem integrum, atque insuper tertiam ejus partem continet, quique sesquitertius etiam] vocatur, et quidem *subtertio* opponitur, ut quatuor ad tria. V. SUPERDIMIDIUS. ℙ *Supertertius* tamen etiam vocatur a vetustioribus, qui a recentioribus subtertius appellatur. *Censor. de die nat.* 10. *med.* Cum earum *(chordarum)* pondera inter se collata rationem haberent, quam tria ad quatuor: quem phthongum arithmetici Graeci *ἐπίτριτον* vocant, Latini supertertium. *F.*]

[SŪPERTOLLO, is, a. 3. sustollo. *Commod. Instruct.* 61, 2. Nec me supertollo, *h. e.* elatius me gero, nec superbio. *F.*]

SŪPERTRĀHO, is, a. 3. supra aliquid traho. *Plin.* 18, 18, 48. Semen protinus injiciunt, cratesque dentatas supertrahunt.

[SŪPERTRĬPARTĬENS. V. *Boethii l. c.* in SUPERPARTIENS. *F.*]

SŪPERVĀCĀNĔUS, a, um, adj. *περισσός*, ultra usum qui est, non necessarius. [*V. in SUPERVACUUS.] *Cato R. R.* 12. In torcularium quae opus sunt vasis quinis: prela temperata quinque, supervacanea tria: suculas quinque, supervacaneam unam. *Cic. Sen.* 16. *med.* Tum conditiora facit haec supervacanei etiam operis aucupium, atque venatio, *h. e.* subsecivi, non necessarii, sed animi causa praeter agricultionem suscepti. ℙ Item superfluus, inutilis, supervacuus. *Cic. Att.* 16, 2. *f.* Vereor, ne meas litteras supervacaneas arbitrentur. *Id. N. D.* 2, 47. Omnia ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit. *Just.* 11, 12. *f.* Alexander, gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse, respondit. *Liv.* 22, 39. Si collegae tui similis esses, supervacanea esset oratio mea. *Id.* 10, 24. *med.* Quin alter consul pro supervacaneo atque inutili habeatur. *Suet. Rhet.* 1. *med.* Vitae instituta tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea. *Sall. Cat* 50. De timore supervacaneum est disserere. Al. leg. *supervacuum.* Eadem lectionis varietas est etiam *ib* 61. [*Cf. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 51, 19. et *Drak.* ad *Liv.* 10, 24, 12.] ℙ [*Supervacaneo* adverbii more usurpatur. *Front. ad Caes.* 4. (ed. *A. Maio) ep.* 3. *med.* Navem triremem rite dixerim, triremem navem supervacaneo addiderim: neque enim periculum est, ne quis lecticulam, aut rhedam, aut citharam triremem dici arbitretur. *F.*]

SŪPERVĀCO, as, n. 1. supervacaneus, aut superfluus sum. *Gell.* 1, 22. *Superesse* ita dixerunt, ut eo verbo significarent superfluere, et supervacare, atque esse supra necessarium modum.

SŪPERVĀCŪĒ, et

SŪPERVĀCŪO, adv. *Plin.* 11, 25, 30. In novem genera descriptis scorpionibus: supervacuo, quoniam, etc. *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. *med.* Quod si supervacuo fuerit factum. *Paul. Recept. sentent.* 3. *tit.* 5. *n.* 20. Libertas supervacue data videtur. *Quint. decl.* 16, 11. Supervacuo hoc vos in matris causa movet, quae caeca est. *Jabol. Dig.* 18, 1, 64. Personam Titii supervacuo accipiendam puto.

SŪPERVĀCŪUS, a, um, adj. *περισσός, κενός*, supervacaneus, inutilis, vanus, inanis. [*Etymon vocis *Doederl.* 1, 98. ita facit, ut non compositam ex *super* et *vacuus*, sed referendam censeat ad unam eandemque originem cum v. *supervagus*, a quo nonnisi forma differat.] *Cic. N. D.* 1, 33. Descriptio omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacuum est. Al. leg. *supervacaneum.* [*Id quod unice ferendum, quum ap. *Cic.* forma *supervacaneus* semper obtineat, lectionis varietate nonnisi duobus locis, hoc quem *Forc.* laud. et *Fam.* 3, 5, 2. obvia.] *Plin.* 25, 9, 64. Daucum radice lignosa, et cum inaruit, supervacua; et 16, 36, 64. Arundo crassiore paniculae coma, neque hac supervacua; et 32, 7, 27. Carnes oculorum supervacuas consumit; et *Hor. Od.* 2, 20, 23. sepulcri Mitte supervacuos honores. *Ov. Trist.* 3, 13, 1. Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nasci?) Ad sua natalis tempora noster adest. *Id. Pont.* 2, 7, 6. Supervacui metus. *Colum.* 2, 12. *med.* Lupini cultus supervacuus. *Id.* 5, 5. *f.* Ut vitis non in totum supervacuis frondibus oneretur. *Just.* 3, 7. Supervacuam pugnam existimantes, cum ulcisci hostem sine periculo possent. *Quint.* 7, 3. *med.* Finitio supervacua, et nihil ad causam pertinens. *Id.* 1, 4. *med.* Quod monere supervacuum fuerat. *Id.* 7, 2. *med.* Qui dicit, ut occidisti, supervacuum habet postea dicere, ego non occidi. *Colum. Arb.* 26. *extr.* Supervacuum est hoc loco repetere jam traditam rationem. *Plin.* 25, 10, 74. Distingui genera haec, paene supervacuum est. *Id* 27, 12, 99. Phyteuma quale sit, describere supervacuum habeo; et 17, 1, 1. Affectare diligentiam in supervacuis. *Jabol. Dig.* 8, 4, 5. Adjectio vicini pro supervacuo habenda est. ℙ *In supervacuum*, sine utilitate, incassum, nequidquam. *Sen. Ira* 2, 11. Quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? *Id. Consol. ad Marc.* 1. *med.* Omnia in supervacuum tentata sunt. Adde *ep.* 70. *med.* ℙ *Supervacaneum* a *supervacuo* ita distinguunt quidam grammatici, ut illud sit, quod non est necessarium; hoc quod abundat et superfluit. Scriptores id discriminis nihili pendunt. *Varro* non putabat dici oportere *supervacuum*, sed *supervacaneum*, si *Nonio* credimus 12, 28., si tamen locus ille sanus est. [**Doederl.* 1, 98. docet *supervacaneus* et *supervacuus* nonnisi forma differre, sicut *siccus* et *siccaneus*, *mediterreus* et *mediterraneus*. — A *superfluus* utrumque *supervacuus* et *supervacaneus* ita differre statuit, ut haec, sicut *redundans*, cum inutilitatis, confusionis notione dicantur, illud nonnisi abundantiae significatum obtineat.]

SŪPERVĀDO, is, n. 3. *ὑπερβαίνω*, super aliquid ascendo, supero, supergredior. *Sall. Jug.* 78. Omnes asperitates supervadere, ac naturam loci etiam vincere aggreditur. *Liv.* 32, 24. Ruinas muri supervadebant; et 31, 38. Hostis supervadens munimenta.

SŪPERVĀGĀNĔUS, a, um, adj. *Festus:* Supervaganea avis vocatur ab auguribus, quae ex summo cacumine vocem emisit: quia quasi in altissimis, superque omnia vagatur, appellata. [*Negat *Doederl.* 1, 98. hanc vocem ex propria sui sententia expositam esse a *Festo.*]

SŪPERVĀGĀTUS, a, um, part. a *supervagor. Colum.* 4, 22. Supervagatam partem recidere.

SŪPERVĀGOR, aris, dep. 1. *ὑπερπερισσεύω*, est praeter justum et aequum vagari, superfluere. *Colum.* 4, 21. Vineae non est alia putatio, quam ut figuretur, quemadmodum supra instituimus, neve supervagetur, *h. e.* superfluos ramos habeat.

*SUPERVALESCO, is, n. 3. invalesco ut alterum superem. *Vulg.* 4 *Esdr.* 15, 31. *B. A.*

SŪPERVECTO, as, a. 1. *Tert. Baptism.* 4. Dei spiritus ab initio supervectabatur.

SUPERVECTUS, a, um, part. a *superveho:* su-

per vectus. *Gell.* 16, 11. *f.* Eosque universos, cumulis montibusque arenarum supervectis operuisse. *Liv.* 42, 48. Praeter oram Italiae supervectus Calabriae promontorium. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 82. *B. A.*

SŪPERVĔHO, is, xi, ctum, a. 3. ὑπεροχέω, super aliquid veho. *Catull.* 66, 43. Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris Progenies Phthiae clara supervehitur. *Auson. epigr.* 24, 2. Arma superveheris quod, Thrasybule, tua, etc.

SŪPERVĔNIO, is, eni, entum, a. 4. ὑπέρχομαι, supra venio, superscando, ascendo. *Plin.* 11, 28, 34. Quibusdam pennarum tutelae crusta supervenit, ut scarabaeis. *Colum.* 2, 17. *f.* Planitiem supervenit humor. *Id.* 12, 42. Caseum in picato vase componito, tum musto adimpleto, ita ut superveniat. *Id.* 4, 22. Vineae superveniunt jugum. *Hor. Ep.* 2, 2, 175. et heres Heredem alternis, velut unda supervenit undam. *Ov. Met.* 10, 489. nam crura loquentis Terra supervenit. [**Quint. Inst.* 9, 4, 23. Aliud enim majus alio supervenit.] ℙ De mare inscendente feminam. *Colum.* 6, 24. et 7, 6. Caper, dum adhuc uberibus alitur, matrem stupro supervenit. *Plin.* 10, 63, 83. Supra dictorum plerisque feminae priores superveniunt, reliquis mares. ℙ [*Tum signif. ulterius progredi, ultra certum constitutumque terminum transscendere. Huc pertinet locus, quem *Forc.* §. 1. adscripserat, *Col.* 8, 7. *f.* ne tempus opimandi quintam et vigesimam lunam superveniat. ℙ Porro dicitur cum notione praeoccupandi. *Stat. Ach.* 1, 147. Nescio quid magnum Vis sestina parat, tenerosque supervenit annos, i. e. virtus praematura occupat annos teneros. ℙ Hinc est] superare, praestare. *Id. Th.* 2, 297. Tum donis Argia nitet, vilesque sororis Ornatus sacro praeculta supervenit auro. ℙ Saepe est ex inopinato advenire. *Virg. Ecl.* 6, 20. Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle. *Hor. Ep.* 1, 4, 14. Grata superveniet, quae non sperabitur, hora. *Liv.* 34, 40. *f.* Huic laetitiae Quintius supervenit, pace data tyranno, etc. *Plin.* 24, 19, 118. Ire ad domum absentis, cui medeatur, supervenientique ter dicere, jejuno jejunum medicamentum dare. ℙ De iis, qui subito adsunt nocendi causa, ut in bello saepe fit. *Liv.* 24, 35. *med.* Munientibus supervenit Marcellus. *Just.* 2, 11. *med.* Nec exspectandum, ut ab hoste circumvenirentur, sed securis et laetis superveniendum. *Id.* 8, 3. *f.* Sed Philippus ad judicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu supervenit. *Grat. Cyn.* 185. Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes. [*Huc pertinet etiam locus *Virg. A.* 12, 355. atque semianimi lapsoque supervenit: quem *Forc.* §. 1. adscripserat. *Curt.* 9, 9, 8. casus ignaris supervenit.] ℙ Pro accedere, succedere, adjungi, [*ad aliud, vel alios, quod vel qui jam adsunt, venire, nostr. *dazukommen. Suet. Galb.* 11. Supervenientibus ab Urbe nunciis. *Vesp.* 5. duas aquilas — conflixisse, victaque altera, supervenisse tertiam. Plura v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 754.] *Cels.* 5, 28. *n.* 5. Ulcus, quod θηρίωμα Graeci vocant, et per se nascitur, et interdum ulceri ex alia causa facto supervenit; et *ib.* 26. *n.* 26. Illa febris perniciosa est, quae vel levi vulneri supervenit. *Tac. H.* 4, 25. Ejusdem proditione caesos, nullis supervenientibus auxiliis. *Front. Aquaed.* 15. Quotiens imbres superveniunt, turbida pervenit in urbem. *Stat. Ach.* 1, 147. Nescio quid magnum Vis festina parat, tenerosque supervenit annos, *h. e.* virtus praematura venit in annis teneris.

SŪPERVENTOR. V. PRAEVENTOR.

SŪPERVENTUS, us, m. ἐπέλευσις, actus superveniendi. *Plin.* 7, 15, 13. de profluvio mulier: Acescunt superventu musta, sterilescunt tactae fruges. *Tac. H.* 2, 54. Affirmans, superventu quartaedecimae legionis caesos victores. *Veg. Mil.* 3, 8. Postremo noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio occasionem superventibus praebet; et *ib.* 22. Imparatis, cibum capientibus, in itinere lassis, equos suos pascentibus, ac nihil tale suspicantibus superventus adsolent fieri; et *mox:* Qui vero superventus, et subsessas passus est, culpam suam non potest excusare.

SŪPERVESTĬO, is, a. 4. περιβάλλω. *Plin.* 16, 33, 60. Imagines rerum tenui folio, brevique, et virente supervestiens. *Hard.* legit *semper vestiens. Vet. Schol.* ad *Juven.* 1, 155. Nero maleficos homines taeda et papyro et cera supervestiebat, et sic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent. V. TAEDA.

SŪPERVINCO, is, a. 3. vinco, supero. *Tert. adv. Gnost.* 13. ex *Paul. ad Rom.* 8, 37.

SŪPERVĪVO, is, xi, ctum, n. 3. περιβιόω, superstes sum. *Plin. ep.* 2, 1. Triginta annis gloriae suae supervixit. *Flor.* 2, 2. *med.* Expeditioni superfuit, et supervixit. *Just.* 28, 3. Olympias non diu filiis supervixit. *Appul. Met.* 1. Etiam mihi ipse supervivens, et postumus, *h. e.* mihi superstes, quippe qui quodammodo revixi.

SŪPĔRUNCTĬO, onis, f. actus superungendi. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. Synanchicis convenit sanguinis detractio, oris collutio, et superunctiones tenuabiles.

SŪPĔRUNCTUS, a, um, part. a *superungo:* superillitus. *Scrib. Comp.* 29. Hoc etiam superunctum ad puerorum epiphoras facit.

SŪPĔRUNDO, as, a. 1. superabundo, superinundo. *Paul. Nol. carm.* 18, 183. crescente Fide superundat gratia Christi.

SŪPĔRUNGO, is, xi, ctum, a. 3. ἐπαλείφω, supra ungo, superillino. *Cels.* 7, 7. *n.* 1. Deinde superungi collyrio debet ex his aliquo, quo lippientes oculi superunguntur. Alii legunt *superinungi*, et *superinunguntur.* V. SUPERINUNGO.

SŪPERVŌLĬTO, as, n. 1. ἐπίπταμαι, frequent. a *supervolo. Virg. Ecl.* 6, 80. et quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis. *Lucan.* 5, 195. fragilemque supervolitantia malum Vela tulit turbo.

SUPERVŌLO, as, n. 1. ὑπερπέταμαι, supra aliquid volatu feror. *Ov. Met.* 4, 623. Despectat terras, totumque supervolat orbem. *Plin.* 8, 14, 14. Supervolantes alte alites. *Virg. A.* 10, 522. Ille astu subit: at tremebunda supervolat hasta.

SŪPERVOLVO, is, volvi, volutum, a. 3. ἐπικυλινδέω, supra volvo. *Avien.* in *Arat.* 970. Quinque supervolvit se partibus.

SŪPERVŌLŪTUS, a, um, part. a *supervolvo. Colum.* 11, 3. *med.* Incrementum ejus supervoluto cylindro coerceat.

SŪPERVŌMO, is, a. 3. *Sil.* 10, 183. Conjecto fodit ense: supervomit ille calentem Sanguinis effundens per hiantia viscera rivum. Alii ita distinguunt: *Conjecto fodit ense super: vomit ille*, etc. multo rectius.

SŪPĔRURGENS, entis, part. ab inus. *superurgeo*, desuper urgens. *Tac. A.* 2, 23. *extr.* Quo levarentur alvei *(naviam)* manantes per latera, et fluctu superurgente.

SŪPĔRUS, a, um, adj. ὁ ἄνω, qui in superiori parte positus est, altus, editus: cui *inferus* opponitur. *Liv. Andr.* ap. *Prisc.* 3, 606. Inferus, an superus tibi fert Deu' funera, Ulysse. *Pl. Merc.* 5, 1, 1. Limen superum inferumque salve. *Id. Cist.* 2, 1, 36. Dii, Deaeque superi atque inferi, et medioxumi. *Id. Aul.* 2, 7, 3. Faciam, ut in puteo coenam coquant. Inde coctam sursum subducemus corbulis. Si autem deorsum comedent, superi incoenati sunt, et coenati inferi. *Virg. A.* 6, 240. talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat. *Catull.* 55, 4. templum superi Jovis, *h. e.* Capitolini: et dictum est ad distinctionem *inferni*, h. e. Plutonis. *Cic. N. D.* 2, 56. Sunt enim e terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium. *Id. Tusc.* 1, 26. Ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. *Virg. A.* 6, 788. Omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes. [*Ap. *Lucan.* 10, 186. *supera* sunt coelestia sidera: ubi v. *Triller.* in *ed. Web.*] ℙ *Superum mare* est Adriaticum et Ionium. V. INFERUS. ℙ *De supero*, de superiori parte. *Pl. Amph.* 3, 4, 17. Illuc sursum escendero: inde optime cispellam virum: de supero, cum huc accesserit, faciam ut sit madidus sobrius. ℙ *Dii superi*, coelestes, qui saepissime *Superi* absolute dicuntur. *Virg., Hor., Ov., Tibull., Prop., Lucan.* et alii passim: et in gen. *superum* pro *superorum. Lucr., Virg., Lucan., Ov., Mart.* etc. (*Superorum* tamen dixit *Ov. Trist.* 4, 4, 19. et *Pont.* 1, 1, 43.) Hinc illae appellationes, *o Superi! pro Superi!* ap. *Ov. Met.* 14, 729. et *Trist.* 1, 2, 59. Hi distinguuntur a Diis maris, ut *l.* nunc *c.*, et a Manibus, seu inferis Diis, ut *Virg. A.* 7, 312. Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. ℙ De iis, quae in terra, atque inter homines fiunt, cum de Inferis sermo est. *Virg. A.* 7, 562. de Alecto: Cocytique petit sedem, supera ardua linquens; et *ib.* 6, 680. Inclusas animas superumque ad limen ituras. *Id. ib.* 2, 90. pater superis concessit ab oris, *h. e.* vita functus abiit ad plures. *Ov. Met.* 5, 641. quae me superas eduxit prima sub auras. *Lucan.* 7, 769. infectumque aera totum Manibus, et superam Stygia formidine noctem. *Vell.* 2, 48. de Pompejo: Quam apud superos habuit magnitudinem, illibatam detulisset ad Inferos. *Val. Fl.* 1, 792. Tune excite, parens, umbris, ut nostra videres Funera, et oblitos superum paterere dolores? Adde *Virg. A.* 6, 128. et *Sen. Hipp.* 145. et *Herc. Fur.* 48. ℙ Comparativum est *superior, ius*, et refertur ad locum, ἀνώτερος. *Cic. Att.* 12, 10. Tota domus superior vacat, ut scis. *Caes. B. G.* 7, 46. Inferiore omni spatio vacuo relicto, superiorem partem collis castris compleverant. [**Sall. Jug.* 53. omnia suis provisa; locum superiorem, ubi *Rupert.* laud. *Liv.* 7. Praeter virtutem locus quoque superior adjuvit. Adde *Caes. B. C.* 3, 112. superiores urbis partes, nostr. *die Oberstadt.* Ap. eundem saepissime *loca superiora* i. q. colles, montes. Cf. *B. G.* 1, 10. 43. 2, 23. 3, 3.] *Cic. Inv.* 4, 40. Ex superiore, et ex inferiore scriptura docendum est, quod quaeritur, fieri perspicuum. *Id. Verr.* 2, 2, 42. Dicere de loco superiore, [*i. e. de tribunali et sella curuli. — Etiam de suggesto in concione populi. *Id. ib.* 2, 1, 5. Hanc ego causam quum agam beneficio populi Rom. de loco superiore. Cf. *Fam.* 3, 8.] *Pl. Most.* 1, 1, 42. Superior accumbere *(non possum)* V. ACCUMBO. [**Liv.* 41, 1. mare superius.] ℙ Item ad tempus. *Cic. Cat.* 1, 1. Quid proxima, quid superiore nocte egeris. *Id. Fam.* 5, 17. Superioribus temporibus ad te nullas litteras misi. *Id. Har. resp.* 8. Anno superiore. *Id. Dom.* 37. Utriusque temporis fructum tuli maximum: superioris, quod, etc. posterioris, quod, etc. *Nep. Thras.* 3. Superior crudelitas. *Id. Dion.* 1. Superior Dionysius, *h. e.* senior, prior. Sic *Cic. Verr.* 2, 5, 10. Superior Africanus. *Id. Sen.* 8. *med.* In superiore vita. *Varr. R. R.* 2, 10. Ad majores pecudes aetate superiores, ad minores etiam pueros *(pastores habendos)*; et *Caes. B. C.* 2, 5. Omnis juventus omnesque superioris aetatis, etc. [*i. e. senectus, ultra juventutem s. militarem aetatem provecta: V. *Herzog. Suet. Claud.* 41. superiora, i. e. priora tempora. *Oppon.* transit ad inferiora tempora.] ℙ Item ad vires et fortunam. *Caes. B. G.* 5, 15. Equites hostium cum equitatu nostro conflixerunt, ita tamen ut nostri omnibus partibus superiores fuerint. *Nep. Alc.* 4. *extr.* Quo facto multo superiores bello esse coeperunt. *Id. Phoc.* 3. Populus superior factus duces adversariae factionis patria pepulit. *Cic.* ad *Quir.* 9. Superiorem esse contra improbos minus est negotii, quam bonis exaequari. [**Sall. Cat.* 49. superior primo proelio: ubi docte *Wass.* hanc dicendi rationem exposuit.] ℙ Item ad genus et dignitatem. *Cic. Off.* 1, 26. Philippum Macedonum regem rebus gestis superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse; et *mox:* Ut quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius. *Id. Fam.* 2, 18. Habes enim neminem honoris gradu superiorem. *Id. Or.* 2, 52. Invident homines maxime paribus aut inferioribus, etc., sed etiam superioribus invidetur, etc. [**Vell.* 2, 101, 1. cui omnem honorum, ut superiori, habuit.] ℙ Sup. *Superrimus* agnoscitur a *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* et a *Charis.* 2, 130., unde *supremus*, q. v. v. s. l.

SŪPĪNĀLIS dictus est Juppiter, quod vim haberet omnia tum stabiliendi, tum resupinandi, *h. e.* evertendi. *August. Civ. D.* 7, 11.

SŪPĪNĀTĬO, onis, f. *Supinatio stomachi* ap. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *n.* 64. est, cum cibos recusat ac rejicit.

SŪPĪNĀTUS, a, um, part. a *supino:* ὑπτιασμένος. *Virg. G.* 2, 261. Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas. *Quint.* 11, 3. *med.* Aut eadem manus supinata in superiora jactetur. *Manil.* 2, 852. Supinatur arcus, *h. e.* inversus, cornibus in altum versis. *Sen. ep.* 121. *med.* Supinata testudo inquieta est desiderio naturalis status, nec ante desinit niti, quatere se, quam in pedes constituit. *Auct. Laud. Herc.* inter opera *Claud.* 116. Aper supinato lumine, *h. e.* oculis in coelum versis. *Appul. Met.* 9. *f.* Miles supinatus humi; et *ib.* 8. Equus toto tergo supinatus, dominum suum devolvit ad terram, *h. e.* in posteriores pedes lapsus, et tergum supinans.

SŪPĪNĒ, adv. ὑπτίως. Translate *Sen. Ben.* 2, 24. *med.* Alius beneficium accepit supine, ut dubium praestanti relinquat, an senserit, *h. e.* aliud agens, et alio spectans, velut qui in altum supinata facie respicit.

SŪPĪNĪTAS, atis, f. status supinus, ὑπτιότης. *Quint.* 11, 3. *med.* Pectus ac venter ne projiciantur, observandum: pandant enim posteriora: et est odiosa omnis supinitas. De situ locorum plano, quasi facie terrae tota ad coelum obversa. *Solin.* 3. Planasia *(insula)* de supinitate sic vocata. ℙ Translate significat stupiditatem. *Firm. err. prof. rel.* Erubescite, o miseri, supinitatem.

SŪPĪNO, as, avi, atum, ὑπτιόω, supinum colloco, facie sursum versum statuo, resupino. *Stat. Th.* 12, 289. visuque sagaci Rimatur positos, et corpora prona supinat; et *ib.* 6, 789. Praecipitatque retro juvenem, atque in terga supinat. *Id. ib.* 8, 394. de equis: tolluntque armos, equitemque supinant, *h. e.* coelum suspicere cogunt, tergum retro inclinantes. *Id. ib.* 3, 413. meritos vertunt ad molle jugales Gramen, et erecto currum temone supinant. *Id. ib.* 7, 346. qui Parnasson utrumque, Aut Cirrham tauris, Anemoriamque supinant, *h. e.* inversis aratro glebis, et ad solem supinatis. (*Virg. G.* 2, 261. supinatas Aquiloni ostendere glebas.) *Hor. Sat.* 2, 7, 38. fateor me Duci ventre levem: nasum nidore supinor, *h. e.* naso erigor in sublime, quod facere solent ii, qui jucundo cibi odore capti sunt, ἑλληνισμὸς, pro *nasus mihi supinatur.* ℙ *Supinari*, planum fieri, inclinari, extendi, ut videmus in iis, qui supini jacent. *Stat. Th.* 12, 243. Jamque supinantur fessis, lateque fatiscunt Penthei devexa jugi. ℙ Translate. *Sen. Ben.* 2, 13. Libet interrogare, quid tantopere te supinet, *h. e.* extollat, inflet, superbum faciat: solent enim qui superbiunt, caput attollere, pectus projicere, quod est quodammodo supinari.

SŪPĪNUS, a, um, adj. ὕπιος, resupinus: dicitur de animali in tergum jacente, et ventre in coelum verso: cui opponitur *pronus:* ab antiquo *suppus*, quod et *supus* scripsere. *Cic. Div.* 1, 53. Omne animal, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino. *Juven.* 3, 280. cubat in faciem, mox deinde supinus. *Pl. Cist.* 2, 3, 78. Quid nunc supina susum in coelum conspicis? *Hor. Sat.* 1, 5, 19. stertitque supinus; et *ib.* 85. Supinus venter. *Stat. Th.* 8, 640. dependet languida cervix Exterior clypeo, crines a fronte supini. *Plin.* 32, 4, 14. Supinae testudines. *Id.* 11, 8, 8. Apes noctu deprehensae in expeditione, excubant supinae, ut alas a rore

protegant. *Id.* 28, 4, 14. Supini cubitus oculis conducunt, a proni tussibus, in latera adversum destillationes. [**Suet. Aug.* 16. Supinum, coelum intuentem, stupidum cubuisse, *h. e.* dormientem: ne quis cum *Casaub.* precantem intelligat. Ita *Claud.* 33. supino ac per somnum hianti.] ℙ Item de rebus, quae coelum spectant. *Virg. A.* 3, 176. tendoque supinas Ad coelum cum voce manus, [*quae extolluntur sic, ut palma sursum pateat, qui fuit habitus precantium. V. *Lamb.* ad *Hor. Od.* 3, 23, 1.] *Plin.* 11, 37, 45. Cornua aliis adunca, aliis reduncа, supina, convexa. *Id.* 10, 33, 49. Hirundines rusticae confingunt nidos totos supinos, faucibus porrectis in angustum. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 11. (et *Juven.* 8, 201.) Supina falce palmitis oculos auferre; et *ib.* 24, 37. *n.* 6. In supinum excisae vites. (*Colum.* 4, 24. *med.* Ne resupina coelum, sed prona potius plaga terram spectet.) *Id. ib.* 23, 35. *n.* 28. In arborum tonsura supiniore. *Front. Aquaed.* 36. Calix supinus, nec ad haustum pronus. *Liv.* 30, 10. *med.* Vana pleraque (utpote supino jactu) tela in superiorem locum mittebant. [**Plin. Pan.* 34, 3. contigit desuper intueri delatorum supina ora, i. e. resupinata, ut conspici et agnosci ab omnibus possent. V. *Gierig.*] *Supina tellus, supinum mare*, extima terrae, aut maris facies coelo et soli obversa. *Plin. prooem.* Omnia, quae ciborum, aut florum, odorumve gratia proveniunt supina tellure. *Id.* 9, 2, 1. In mari tam late supino, etc. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 15. de vitib. quae sparguntur in terram: Major pars terrarum ita supinam in tellure vindemiam metit. ℙ Qui retro convertitur, et sursum redit. *Ov. Pont.* 4, 5, 43. Fluminaque in fontes cursu reditura supino. *Id. Med. fac.* 40. Nec redit in fontes unda supina suos. Adde *Lucret.* 4, 442. Hinc *supinum carmen* ap. *Mart.* 2, 86. est recurrens, reciprocus. V. RECURRO. ℙ *Supinus* etiam dicitur aliquantum inclinatus, clementer accedens, leniter acclivis, quasi homo in tergum inclinatus, et vultu ac pectore in coelum conversus. [**Lucret.* 4, 518. tecta supina fieri.] *Virg. G.* 2, 276. tumulis acclive solum, collesque supini. *Liv.* 1, 46. et 6, 24. Supina vallis. *Plin.* 13, 12, 23. Supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri. *Id.* 16, 37, 67. Cathedra supina. Adde *Quint.* 12, 10. *f.* [**Plin. Pan.* 30, 4. supinum solum. V. *Gesner.* et *Gierig.* ad h. l.] ℙ Item supino et leni clivo situs. *Hor. Od.* 3, 4, 23. Tibur supinum. *Juven.* 3, 192. eodem sensu, *pronum Tibur*, dixit. Adde *Hor. Ep.* 1, 29., ut quidem *Bentl.* legit. ℙ Translate est solutus, otiosus, ignavus, oscitans, negligens, delicatus: hujusmodi enim supini jacere diu, aut sedere solent. *Quint.* 10, 2. Otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant, ita Ciceronem locuturum fuisse. [**V. Burm.* ad h. l. et cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 390. sq.] *Juven.* 1, 190. Et multum referens de Maecenate supino. *Catull.* 17, 25. Et supinum animum in gravi derelinquere coeno. *Mart.* 2, 6. Deliciae supiniores. *Id.* 6, 42. Non attendis, et aure me supina Jamdudum quasi negligenter audis. *Quint.* 11, 3. *in.* Nedum judicem supini securique moveamus, ac non et ipse nostra oscitatione solvatur. *Ulp. Dig.* 22, 6, 6. Ne supina ignorantia ferenda est factum ignorantis. *Paul. ib.* 18, 1, 15. Ignorantia emptori prodest, quae non in supinum hominem cadit. ℙ Item tumens, inflatus, superbus. *Pers.* 1, 129. Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Arretl aedilis iniquas. *Mart.* 5, 8. Haec et talia dum refert supinus, etc. ℙ Grammatici *supinum* vocant modum verbi in *um* activa, et in *u* passiva significatione desinentis, ut (*Hor. Od.* 1, 2, 15.) vidimus Tiberim Ire dejectum monumenta regis; et (*Sat.* 1, 4, 124.) inhonestum, et inutile factu. *Quint.* 4, 1. *extr.* verba participialia vocat. Cur autem *supina* dicantur, causam reddit *Prisc.* 8, 811., quia a participiis passivis, quae quidam supina nominaverunt, nascuntur. *Voss. de Gramm.* 5, 11. dicit, ideo appellari, quia participia significant rem praeteritam: re autem gesta, licere nobis esse supinis atque otiosis. *Prisc. l. c.* p. 823. et *Charis.* 2, 153. etiam gerundia hac appellatione comprehendunt. V. plura ap. *Voss. l. c.* [*Cf. *Scal. de caus. Ling. Lat.* 7. p. 376. *Bail.*]

SŪPO, as. V. SIPO.

SUPPACTUS et Suppactus, a, um, part. a *suppingo. Pl. Bacch.* 2, 3, 97. Divesne est istic Theotimus? *Chrys.* etiam rogas? qui soccis habeat auro subpactum solum, *h. e.* clavis aureis soleas, seu crepidas suffixas. *Plin.* 33, 3, 14. scribit, Agnonem Teium aureis clavis suffigere crepidas solitum. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 4. *extr.* Antiochi exercitum magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuisse.

[SUPPAENŪLĀRE et Suppenulare, is, n. vestis, quam quis suo paenula habet. *Not. Tir.* p. 157. Penula, suppenulare. *F.*]

SUPPALPO et Subpalpo, as, a. 1. clam palpo, adulor, blandior. *Symm. ep.* 1, 84. (al. 90.) *med.* Non dicam dolo, utpote suppalpandi nescius.

SUPPALPOR et Subpalpor, aris, dep. 1. suppalpo. *Pl. Mil.* 2, 1, 28. Occoepit ejus matri suppalparier vino, ornamentis, opiparisque obsoniis.

SUPPAR et Subpar, āris, adj. omn. gen. *πάριος*, prope aequalis, paene par: a *sub* et *par. Cic. Brut.* 7. *f.* Huic aetati suppares Alcibiades, Critias. *Vell.* 1, 17. Dulces Latini leporis facetiae per Caecilium, Terentiumque suppari aetate nituerunt. *Auson. ep.* 1, 13. nam supparis aevi Sum tibi ego, et possum fratris habere vicem.

SUPPARĀSĪTOR et Subparasitor, aris, dep. 1. *ὑποπαρασιτεύομαι*, subservio, obsequor, tanquam parasitus. *Pl. Amph.* 3, 4, 10. Accedam, atque hanc appellabo, et supparasitabor patri. *Id. Mil.* 2, 77. Sed hic illi supparasitatur semper.

[SUPPARĀTŪRA, ae, f. *ἀντιχατάστασις*, suffectio, substitutio. *Tert. Res. carn.* 61. Sublata enim morte, neque victus fulcimenta ad praesidia vitae, neque generis supparatura gravis erit membris, *h. e.* generis humani reparatio per geniturам. *F.*]

SUPPĀRO et Subparo, a. 1. apparo, accommodo, adjungo. *Tert. Cult. fem.* 7. Ne exsuvias alieni capitis sancto et Christiano capiti suppares. *Id. Anim.* 25. *f.* Labem corpori et animae supparare. ℙ Est item similem reddere: a *par. Id. adv. Valent.* 4. Lupae feminae formam quotidie supparare, solemne est.

SUPPĀRUM, i, n. et Supparus, i, m. *σίφαρος*, lineum velum. Hinc *Festus:* Velum omne, quod ex lino est, dicitur supparum. [Scribitur autem et *sifarus* et *siparum*, et *siparus*, et *sipharum*, unde etiam est *siparium*, quam vocem vide suo loco. Videtur esse ab Hebr. סֵפֶר *sepher*, liber, numerus, et generatim signum quodcumque, unde est Italicum *cifra*, atque etiam Arab. سَفَر *sapharòn*, iter, navigatio, quae nempe fit velis expansis. *F.*] ℙ Speciatim dicitur de velo navium: non tamen quovis, sed eo, quod minus est, et summo malo appensum, quod favente vento pandi solet. *Festus* in *Sic.* Supparum appellant dolonem, quod est velum minus in navi, ut acation majus. *Lucan.* 5, 428. Obliquat laevo pede carbasa, summaque pandens Suppara velorum, perituras colligit auras. *Stat. Silv.* 3, 2, 27. vos stuppea tendite mali Vincula, vos summis adnectite suppara velis. *Sen. ep.* 77. *in.* Omnis in pilis Puteolorum turba consistit, et ex ipso genere velorum Alexandrinas, quamvis in magna turba navium, intelligit. Solis enim licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naves; nulla enim res aeque adjuvat cursum, quam summa pars veli: illinc maxime navis urgetur; [et *mox:* Cum intravere Capreas, ceterae velo jubentur esse contentae: supparum Alexandrinarum insigne est. *Isid. Or.* 19, 3. Supparum genus veli, unum pedem habens, quo juvari navigia solent in navigatione, quoties vis venti languescit. *Siparum*, teste *Arevalo*, legitur in plerisque codicibus. *F.*] *Sen. Herc. Oet.* 698. Medioque rates quaerit in alto, Quarum feriunt suppara nubes. [*Id. Med.* 327. alto rubicunda tremunt Suppara velo. *F.*] ℙ De quovis velo, *Manil.* 5, 48. non invehet undis Suppara, nec pelagus Xerxes facietque, tegetque. Alii *sipara* legunt. [*Not. Tir.* p. 177. Sifarus, scalmus, remus. ℙ Translate. *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 2. *med.* Quamquam non semper ex summis opibus ad eloquentiam velificaris, tamen sipharis et remis tenuisse iter (*vides*): atque ut primum vela pandere necessitas impulit, omnes eloquentiae studiosos, ut lembos et celocas, facile praetervehi. *F.*] Item usurpatur de velo in signis militaribus. *Festus.* Nunc supparos appellamus vela linea in crucem expansa. Adde *Tert. Apol.* 16., ubi de labaro loquitur. Legunt autem plerique omnes *sipara.* ℙ Item de veste puellari linea, quam eandem esse putat *Festus* ac subuculam: sed sic distinguit *Varr. L. L.* 4, 30. Alterum, quod subtus, a quo subucula: alterum quod supra, a quo supparus: nisi quod id dicunt Osce. *Afran.* ap. *Non.* 14, 20. Tace; puella non sum, supparo si induta sum. ℙ Item matronali. *Lucan.* 2, 363. de Marcia Catonis uxore: humerisque haerentia primis Suppara nudatos cingunt angusta lacertos. *Pl. Ep.* 2, 2, 45. Quid istae, quae vesti quotannis nomina inveniunt nova indusiatam, patagiatam, supparum, aut subminiam. *Novius* ap. *Non. l. c.* Supparum purum Veliensem, interim Oscam meram. ℙ Item virili. *Non. ib.* definit linteum femorale usque ad talos pendens: dictum, quod subtus appareat. *Varr. ib.* Hic indutus supparo, coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit. ℙ Denique *Naevius* ap. *Festum* ita vocat puniceum (al. *Punicum*) vestimentum: item vestem Neptuno consecratam. In *Gloss. Phil.* dicitur *περιώμιον*, *h. e.* vestis humeris circumdata.

SUPPĒDĀNĔUM, i, n. *ὑποπόδιον*, scamnum sub pedibus. *Lact.* 4, 12. *med.* ex *Psalm.* 109, 2. Quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum.

SUPPĒDĪTĀTĬO, onis, f. abundantia, affluentia. *Cic. N. D.* 1, 40. Quae ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu.

SUPPĒDĪTĀTUS, a, um, part. a *suppedito:* subministratus. *Cic. Verr.* 2, 2, 2. *f.* Suppeditato frumento exercitus maximos alere. *Id. ib.* 2, 5, 51. *f.* Remigi rem frumentariam esse suppeditatam.

SUPPĒDĪTO et Subpedito, as, avi, atum, a. 1. *χορηγέω*, *ἐπαρκέω*, praebeo quod satis sit, abunde subministro, largior: quasi sub pedibus pono, [*sub pedes do. V. quae infra laudata sunt. Alii intensivum dicunt pro *suppetitare* a verbo *suppetere.*] *Cic. Leg.* 2, 27. Terra fruges ferre, et, ut mater, cibos suppeditare possit. *Id. Fin.* 2, 21. Suppeditabit nobis Atticus de thesauris suis. *Ter. Heaut.* 5, 1, 57. Si illi pergo suppeditare sumptibus, mihi res ad rastros redit. *Pl. As.* 4, 2, 10. Luxuriae sumptus suppeditare. *Liv.* 23, 48. *med.* Tributo sumptus suppeditari. *Nep. Alc.* 8. Ipsis pecunia a rege suppeditabatur. *Sil.* 10, 137. armiger, suppedita mihi tela. *Cic. Rab perd.* 11. Fistulas, quibus aqua suppeditabatur templis, praecidi imperarat. *Id. Am.* 23. *med.* Aliquis Deus suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam. *Id. Top.* 18. Hic locus suppeditare solet oratoribus et poetis mirabilem copiam dicendi. *Lucr.* 3, 10. Suppeditare alicui praecepta. *Cic. Arch.* 6. Suppeditat nobis, ubi animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. *f.* De hortis quod me admones, nec fui unquam valde cupidus, et nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem. ℙ Absolute. *Id Att.* 11, 20. Quod Ciceroni suppeditas, gratum. ℙ Deponentis forma. *Id. ib.* 18. De Patulciano nomine quod mihi suppeditatus es, gratissimum est. [Al. rectius cum *Manutio* leg. *suppetiatus es. F.* *Sic *Orell.*, qui ita de *Montagnani* conject. recte opinatur legi, etsi sit voc. Appulejanum. Talia enim vel obsoleta ab Appul. passim renovari.] ℙ Neutrorum more significat satis esse, sufficere, parem esse, *ἐπαρκεῖν. Cic. Off.* 1, 4. Parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum. *Pl. As.* 2, 4, 17. Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare. *Varr. R. R.* 2, 4. Sues oportet largiore cibatu sustentare, quo facilius lac suppeditare possit. ℙ Item abundare. *Cic. Cat.* 2, 11. Omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, ille eget. ℙ Item superesse, suppetere. *Lucr.* 1, 230. Unde mare, ingenui fontes, externaque longe Flumina suppeditant. *Cic. Fam.* 7, 18. An hoc significas, ne chartam quidem tibi suppeditare? *Id. Or.* 3, 31. In hoc campo facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. *Liv.* 30, 25. Navis defendebatur egregie, quoad tela suppeditarunt. *Id.* 6, 24. Quod multitudo suppeditabat, aliquot cohortes in castris reliquerant. *Id.* 28, 27. Ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat. *Pl. Trin.* 5, 1, 3. Ita gaudiis gaudium suppeditat, *h. e.* abundat et cumulatur aliis gaudiis. *Lucr.* 3, 731. At neque, cur faciant ipsae, quareve laborent, Dicere suppeditat, *h. e.* promptum, facile est, suppetit, licet. *Liv.* 1, 55. *f.* Pometinae manubiae, quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta subpeditavere. ℙ *Vita suppeditat*, suppetit, durat. *Cic. Brut.* 70. Cui si vita suppeditavisset, consul factus esset; et *ib.* 27. Carbo, quoad vita suppeditavit, est in multis judiciis causisque cognitus; et *ib.* 32. *extr.* Miror, cum et vita suppeditavisset, et splendor ei non deesset, consulem non fuisse. ℙ Proprie esset sub pedibus ponere, prosternere. *Inscr.* ap *Reines. l.* 3. *var. lect. c.* 10. *f.* ex *Mazella de Puteol. f.* Mors cuncta calcat, suppeditat, rapit. Addit *Reines.* illud *Guilelmi Brit. l.* 3. fastu, Quo nos, quo cunctos sibi suppeditare laborant; et *l.* 10. virtus Omnia suppeditat, supereminet omnibus una.

SUPPĒDO et Subpedo, is, n. idem quod pedo. *Cic. Fam.* 9, 22. *f.* Suppedit, flagitium est: jam eris nudus in balneo: non reprehendes.

SUPPENDĔO et Subpendeo, es, n. 2. subter pendeo. *Colum.* 4, 26. *f.* Saepe notavi, per imprudentiam rusticos subjicere jugo palmam, et ita colligare, ut solo vimine suppendeat. Al. rectius leg. *suspendant.*

SUPPERNĀTUS et Subpernatus, a, um, adj. in modum pernae succisus. *Festus:* Suppernati dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius in Annalibus: His pernas succidit iniqua superbia Poeni. Catullus ad Coloniam (17, 18.) velut alnus In fossa Ligurl jacet subpernata securi. Haec *Festus.* Locus *Ennii* videtur esse de pugna Cannensi, in qua, ut *Livius* 22, 51. narrat, in strage caesorum quidam jacentes vivi succisis feminibus poplitibusque inventi sunt. In verbis *Catulli* est metaphora: tribuit enim ligno, quod animalibus convenit. Sunt qui perperam *separata* legendum putant: alii *expernata.*

SUPPERTURBO et Subperturbo, as, a. 1. aliquantum perturbo. *Sen. Apocol. f.* Pusillum subperturbatur, ut illum vidit canem nigrum, villosum. Est qui leg. *superturbatur.*

SUPPES et Subpes, ĕdis, adj. omn. gen. qui sub pedibus est: vel, ut alii divinant, qui supinis est pedibus. Habetur in *fragm. Petr.* p. 674. *Burm.* et in *Tab. marm.* ap. *Grut.* 341. *f.* Item reliquos mangones suppedes ipsius perleges. Lege divisim *sub pedes.*

SUPPĒTĬAE et Subpetiae, arum, f. plur. *βοήθεια*, *ἐπικουρία*, subsidium, auxilium, quod fertur laboranti, quod datur ad rem sustentandam, ne labatur, aut pereat: ita dictae, quia suppetunt et adsunt in discrimine. Usum habent in recto et quarto plurali tantum. *Pl. Epid.* 5, 2, 12. Quidquid ego male feci, auxilia mihi et suppetiae sunt domi. *Appul. Apol.*

Piscibus non ad quaestum, sed ad suppetias uti. *Pl. Amph.* 5, 1, 54. Non metuo, quin meae uxori latae suppetiae sient. *Id. Epid.* 5, 1, 52. Memento suppetias mihi cum sorore ferre. ℙ Accusativus *suppetias* absolute, ut *exsequias*. *Pl. Men.* 5, 7, 31. Nae tibi suppetias tempore adveni modo. *Hirt. B. Afr.* 5. Et nuntiabantur auxilia magna equitatus oppidanis suppetias venire; et *ib.* 25. *extr.* Suis finibus oppidisque suppetias profectus est; et *ib.* 39. Suis fugientibus suppetias ire contendit; et *ib.* 75. *f.* Milites turmis suorum suppetias mittit; et *ib.* 66. et 68. Occurrere suppetias legionibus. *Appul. Met.* 9. Accurrere alicui suppetias. Adde *Suet. Vesp.* 4.

SUPPĔTIATUS, us, m. suppetiae, auxilium. *Non* 2, 47. ut Latinum agnoscit. Auxiliatum, inquit, ut suppetiatum. V. v. sq.

SUPPĔTIOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀμύνω*, suppetias fero. [*Cic. Att.* 14, 18. De Patulciano nomine, quod mihi suppetiatus es, gratissimum est. V. SUPPEDITO. *F.*] *Appul. Met.* 8. Vobis facile est suppetiari miserrimo seni; et *ib.* 1. Proclamares saltem suppetiatum, si resistere nequibas; et *ib.* 4. Suppetiatum decurrunt anxii; et *ib.* 7. Omnem vicinam suppetiatum convocant; et *ib.* 8. Maritum suum suppetiatum ciet.

[SUPPĔTIUM, ii, n. idem ac suppetiae. *Commod. Instruct.* 43. Suppetium nullum erit; et 70. Jam petit suppetium miser. *F.*]

SUPPĔTO et Subpeto, is, a. 3. Usurpatur fere in tertiis personis, aut in infinito: et significat in promptu esse, occurrere, in mentem venire. *Cic. Verr.* 2, 1, 11. *med.* Vererer, ne mihi crimina non suppeterent, ne oratio deesset. *Nep. Dion.* 7. Pecunia deesse coepit, neque, quo manus porrigeret, suppetebat. *Liv.* 4, 48. *med.* Ut pro se quisque, nec consilium sibi suppetere diceret, nec se ullam opem cernere, nisi etc. *Ammian.* 24, 4. *f.* Architectus, cujus nomen non suppetit. ℙ Item superesse, adesse. *Caes. B. G.* 1, 16. Ne pabuli quidem satis magna copia suppetebat. *Liv.* 4, 22. Quibuscumque vires suppetebant ad arma ferenda, praesto fuere. *Cic. Fam.* 15, 13. Mihi ad remunerandum nihil suppetit, praeter voluntatem. *Liv.* 5, 26. *f.* Cum frumentum copiaeque aliae largius obsessis, quam obsidentibus suppeterent. *Hirt. B. Afr.* 31. *med.* Nunquam tanta suppeteret victoriae fiducia, ut castra sua adoriri auderent, *h. e.* non esset eis tanta fiducia. *Plin. ep.* 9, 2. Tullio et copiosissimum ingenium, et ingenio qua varietas rerum, qua magnitudo largissime suppetebat. *Plin. alter* 2, 9, 6. Non suppetente ad hauriendum justa vi. ℙ *Vita suppetit*, datur, durat. *Cic. Fin.* 1, 4. Scribentur fortasse plura, si vita suppetet. *Liv.* 40, 56. Si vita longior suppetisset, haud dubium fuit, quin, etc. *Hirt. B. Afr.* 92. Quoad vita suppetet. *Plin. ep.* 5, 5. *extr.* Dum vita suppetit, enitamur, ut, etc. *Pl. Trin.* 1, 2, 19. Deos oro, ut vitae tuae superstes suppetat. ℙ Item sufficere, satis esse. *Cic. Tusc.* 5, 32. Ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumptibus copiae suppetant. *Hor Ep.* 1, 12, 4. Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus. *Liv.* 2, 56. Rudis in militari homine ligua non suppetebat libertati animoque. *Pl. Ps.* 1, 1, 106. Utinam quae dicis, dictis facta suppetant, *h. e.* paria sint, respondeant. ℙ Porsonaliter. *Hor. Epod.* 17, 63. Ingrata misero vita ducenda est, in hoc, Novis ut usque suppetas doloribus. *Lucr.* 1, 1048. Et tamen ut plagae quoque possint suppetere ipsae, Infinita opus est vis undique materiai. ℙ Pro clam, aut alterius nomine petere. *Ulp. Dig.* 47, 2, 52. *med.* Furti actionem adversus eum, qui suppetet, siliginario competere, non mihi. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* edidit, *qui sic petet.*

*SUPPETŪLIS, e, adj. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 76. Quippe hiuc Besus (Bessus) non modo gentem optaverat, verum quidquid suppetule insequentibus foret, id omne corrumpens, etc. *h. e.* quidquid insequentibus suppeteret. *B. A.*

SUPPĪLĀTOR et Subpilator, oris, m. qui pilos evellit. *Laber.* ap. *Non.* 8, 56. Quaenam mens, quae deliritas vos suppilatores facit cum cano eugio puellitari? Est qui leg. *suppolitores.*

SUPPĪLĀTUS, a, um, part. a *suppilo*: furto spoliatus. *Caecil.* ap. *Non.* 1, 42. Suppilatum esse eum, atque ornamenta omnia.

SUPPĪLO et Subpilo, as, a. 1. *ὑπεξαιροῦμαι*, clam compilo, expilo, suffuror, spolio. *Pl. True.* 2, 7, 15. Suffuror, suppilo, de praeda praedam capio. *Id. Men.* 5, 1, 39. Cum pallam atque aurum meum domo suppilas uxori tuae, et tuae degeris amicae; et 5, 2, 52. Suppilat mihi aurum et pallam ex arcis. ℙ Item suffurando spolio. *Id. As.* 4, 2, 6. Suppilas clam domi uxorem tuam? et 5, 2, 38. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas suspicabar. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 42. Alter amat, putat, patrem suppilat semper.

SUPPINGO, is, a. 3. subter compingo: a *sub*, et *pango*. *Pl. Trin.* 3, 2, 94. Fulmentas jubeam suppingi soccis. ℙ *Suppingo* a *pingo*, suffundo. *Avien.* in *Arat.* 1454. tenui surrexerit autem Si face, et igneo suppinxerit ora rubore.

SUPPINGUIS. V. SUBPINGUIS.

[SUPPLANTĀTOR, oris, m. qui supplantat. *Hieron. ep.* 69. *n.* 6. Rachel propter aquas supplantatoris osculo salutantur, *h. e.* Jacobi, qui fratrem suum supplantavit. (V. *Genes.* 29, 11.) *Ambros. ep.* 60. Ille est supplantator, qui usurarum captat emolumenta. *F.*]

SUPPLANTĀTUS, a, um, part. a *supplanto*: supplantando eversus. *Sen. ep.* 13. Athleta, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus.

SUPPLANTO et Subplanto, as, a. 1. prosterno, et quasi sub plantis dejicio, everto. *Colum. Arb.* 7. Si vitem sternere voles, juxta radicem ita, ne ipsam laedas, curiose fodito, et vitem ita supplantato. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. Totas supplantare in terram vites. *Id. ib.* 22, 35. *n.* 19. In pampinatione non hos detrahere pampinos, qui cum uva sint: id etenim uvas supplantat, praeterquam in novella vinea. ℙ Item pede subposito dejicio, everto, *ὑποσκελίζω*. *Cic. Off.* 3, 10. *med.* Qui stadium currit, eniti et contendere debet, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 1, 157. ℙ Translate. *Vitr.* 10, 22. *f.* Vehemens aquae vis immissa supplantavit futuras. *Pers.* 1, 35. et tenero supplantat verba palato, *h. e.* supprimit, ac veluti strangulat, pressa voce, nec expresse pronuntians. *Auct. decl. quae inscribit.* Trib. Marian. *inter decl. Quint.* 7. Supplantare judicium, *h. e.* evertere, labefactare, corrumpere.

SUPPLAUDO et Subplaudo, is, n. 3. idem quod plaudo, vel tacite plaudo. *Tert. Idol.* 12. Male nobis supplaudimus. *Id. Pud.* 19. Nescio quid diversae parti supplaudere videtur.

SUPPLAUSĬO, onis, f. supplosio. *Auct. ad Her.* 3, 15. Pedis dextri rara supplausione uti oportebit.

SPPPLĒMENTUM, i, n. *πλήρωμα*, quod ad supplendum rei cujuspiam numerum adjicitur: quod submittitur in locum eorum, quae desunt. In re militari militum supplementa, justum legionis numerum implentia. *Caes. B. G.* 7, 7. Partem copiarum, et supplementi, quod ex Italia adduxerat, in Helvios convenire jubet; et *ib.* 9. Per causam supplementi equitatusque cogendi ab exercitu discedit. *Id. B. C.* 3, 4. Magnum numerum ex Thessalia, Boeotia, Achaia supplementi nomine in legiones distribuerat. *Cic. Fam.* 3, 3. Scribere supplementum legionibus. *Curt.* 5, 1. *f.* Legere milites in supplementum. *Liv.* 28, 37. In supplementum classis juventus, armaque data. *Id.* 38, 36. Terna millia peditum in supplementum sociis imperata. *Id.* 26, 47. Servos in classem ad supplementum remigum dedit. *Id.* 42, 10. *med.* Ut novos exercitus scribere, aut supplementum veteribus liceret. *Id.* 1, 30. Legiones veteres supplemento explere. *Just.* 3, 4. Milites, qui in supplementum venerant; et *ib.* 5. Ut ad supplementum exercitus servos manumitterent. ℙ De aliis rebus. *Just.* 8, 6. Quosdam bello captos in supplementis urbium dividit. ℙ Extra rem militarem. *Colum.* 7, 6. *med.* Ex geminis singula capita in supplementum gregis reservare. *Id.* 9, 13. *f.* Apes nimio fatigatae opere plurimae pereunt, nec ullis juventutis supplementis frequentatae, novissime reliquae intereunt. *Vell.* 2, 81. Speciosum adjectum supplementum Campanae coloniae. Ejus reditus erant publici: pro his longe uberiores reditus, duodecies sestertium, in Creta redditi. *Suet. Aug.* 80. Digitum salutarem tam imbecillum sentiebat, ut torpentem frigore vix cornei circuli supplemento scripturae admoveret, [*i. e. ope.] *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 3, 36, 24. Compensato, quod a coheredibus percepit, ei, si quid deest, in supplementum deducto. *Appul. Met.* 2. Sagae ora mortuorum demorsicant: eaque sunt illis artis magicae supplementa, *h. e.* adjumenta, subsidia; et *ib.* 4. Tenuato ventri sordentia supplementa, et dapes gratuitas conquirere; et *ib.* 9. Cum esset confectum omne frumentum, supplementum operi opifices postulabant.

SUPPLĒO et Subpleo, es, evi, etum, a. 2. *ἀναπληρόω*, quod plenum erat, rursus impleo, quod decrat addendo. *Cato R. R.* 88. Fiscellam cum sale populari suspendito, et quassato, suppletoque itentidem. *Ov. Met.* 7, 291. Adjectoque cavae supplentur sanguine venae; et *ib.* 4, 140. Vulnera supplevit lacrimis, fletumque cruori Miscuit. *Tac. A.* 2, 38. Aerarium si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum. *Colum.* 12, 50. *f.* Ex alio acervo, quantum cuique mensurae defuit, supplet; et *ib.* 10. Cepam componito in fidelia, et iufuso jure, etc. quae, cum jus combiberit, simili mistura vas suppleatur. *Lucr.* 1, 1043. Supplere summam. *Sen. Herc. Oet.* 1084. colos consumptas. *Cic. Verr.* 2, 4, 5. Sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum: non enim te instruere domum tuam voluerunt in provincia, sed illum usum provinciae supplere. *Id. Q. Fr.* 3, 4. *med.* De bibliotheca Graeca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim, etc. *Suet. Caes.* 56. Hirtius, qui Gallici belli novissimum imperfectumque librum supplevit; et *Aug.* 41. Senatorum censum duodecies sestertium taxavit, supplevitque non habentibus. *Id. Cal.* 16. et *Tac. A.* 1, 71. Multis incendiorum damna supplevit; et *Cic. Or.* 2, 26. de ambiguo: Ut referendis praeteritis verbis id scriptum, quodcumque defendimus, suppleatur; et *Plin. ep.* 2, 4. *med.* Quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *Censor. de die nat.* 20. Dies, qui annum verum suppleturus videbatur. ℙ *Supplere locum, vicem*, esse loco, vice. *Sen. Hipp.* 663. Tibi parentis ipse supplebo locum. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Hypocauston, si dies nubilus, solis vicem supplet. ℙ In re militari est deminutum legionum numerum, novis militibus adjectis, iterum complere. *Liv.* 24, 24. *extr.* Supplevitque ita eas legiones, ut singulae sena millia, etc. haberent. *Just.* 12, 11. Dimissis veteranis, exercitum junioribus supplet. *Liv.* 26, 39. Supplere remigio naves. *Virg. A.* 3, 471. Remigium supplet, socios simul instruit armis. *Suet. Tib.* 41. Decurias equitum supplere. ℙ De aliis rebus. *Virg. Ecl.* 7, 36. Si fetura gregem suppleverit, aureus esto. Ubi *Servius:* Si tot agnos habuero, quot oves: hoc est enim gregem suppleri per feturam. *Suet. Caes.* 41. Senatum supplevit, patricios allegit. ℙ Pro adjicere, adjungere. *Cic. Phil.* 12, 6. *med.* Ponite ante oculos M. Antonium consularem: sperantem consulatum Lucium adjungite: supplete ceteros, etc. *Auson. Idyll.* 10, 412. libataque supplens Proemia, *h. e.* honores prius vix concessos tribuens.

*SUPPLETĪVUS, a, um, adj. *παραπληρωματικός*. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SUPPLĒTUS, a, um, part. a *suppleo*: rursus impletus, completus. *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 8, 9. Legiones suppletae ex Bruti exercitu. *Tac. H.* 4, 19. Subito delectu suppletae legiones. *Prop.* 4, 8, 43. Sed neque suppletis constabat flamma lucernis.

SUPPLEX, icis, adj. omn. gen. *ἱκέτης*, qui plicato et curvato corpore, aut flexis genibus submisse aliquid petit, orat, precatur. *Virg. A.* 1, 670. Ad te confugio, et supplex tua numina posco; et *ib.* 3, 592. supplexque manus ad litora tendit; et *ib.* 10, 523. Et genua amplectens effatur talia supplex; et *ib.* 12, 930. Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem Protendens, etc. *Cic. Font.* 11. Qui ad opem judicum supplices inferioresque confugiunt. *Hirt. B. Alex.* 67. Rex depositis regiis insignibus, supplex ad Caesarem venit oratum, ut sibi ignosceret. *Cic. Phil.* 2, 34. Misericordiam captabas: supplex te ad pedes abjiciebas. *Id. Font.* 17. *med.* Tendit ad vos Vestalis manus supplices. *Hor. Od.* 3, 14, 8. Matres decorae supplice vitta. *Val. Fl.* 3, 424. Tempora tum vittis, et supplice castus oliva Implicat. *Id.* 4, 11. Tum precibus, tum me lacrimis, et supplice dextra Attentare veto. *Mart.* 8, 31. supplicibus dominum lassare libellis; et *Virg. A.* 3, 438. dominamque potentem Supplicibus supera donis; et *ib.* 8, 60. iramque minasque Supplicibus supera votis. *Sall. Cat.* 32. Demisso vultu, voce supplici postulare. *Cic. Att.* 12, 32. Orat multis et supplicibus verbis, ut, etc. ℙ *Supplicem esse alicui*, supplicare. *Id. Tusc.* 1, 29. *f.* Socrates nec patronum quaesivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit. *Id. ib.* 3, 32. Cum se Alcibiades afflictaret, lacrimansque Socrati supplex esset, ut, etc. Adde *Ov. Her.* 12, 185. ℙ More substantivi. *Cic. Mur.* 40. Vester est supplex, judices; vestram fidem obtestatur. *Hor. Od.* 3, 10, 16. Supplicibus tuis parcas. *Val. Fl.* 7, 290. tu laude nova, tu supplice digno Dignior. ℙ Et cum genitivo. *Nep. Paus.* 4. Quem cum supplicem Dei videret in ara sedentem, etc. *Id. Ag.* 4. *extr.* Sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus Deorum nocuissent. *Cic. Coel.* 32. Supplicem vestrae misericordiae, servum potestatis, abjectum ad pedes vestros sustentate. Adde *Sen. Ag.* 543. et *Troad.* 313. et *Quint. decl.* 9, 1.

SUPPLĪCĀMENTUM, i, n. idem quod supplicatio. *Appul. Met.* 11. Supplicamenta solemnia: et *infra:* Quantoque sumptu deberem procurare supplicamentis. *Arnob.* 7, 227. Supplicamenta Diis praestare. V. SUPPLICIAMENTUM.

SUPPLĪCĀTĬO, onis, f. *ἱκεσία*, supplicandi actus, precatio. Frequentissime ponitur pro Dei adoratione, et gratiarum actione pro re aliqua, quae reipublicae prospere evenit. Sic apud Romanos supplicationes dicebantur, quando, re feliciter gesta, ex senatusconsulto, templa aperiebantur, Divorumque simulacra in lectulis collocabantur, sacra faciente pontifice, et populo certatim ad pulvinaria confluente, Diisque suis pro eorum in rempubl. meritis supplicante, gratiasque agente. *Cic. Cat.* 3, 6. Atque etiam supplicatio Diis immortalibus, pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est. *Id. Phil.* 14, 14. Praetor urbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat. *Caes. B. G.* 7, 90. Supplicationem indicere. ℙ Hic honor supplicationis dabatur imperatoribus tanquam praerogativa quaedam triumphi. Nam supplicatione decernenda declarabatur, adeo insignem fuisse victoriam, ut pro ea Diis gratulari, gratiasque agere dignum esset. *Cic. Sull.* 30. Cui uni togato supplicationem senatus decreverit. *Id. Prov. cons* 11. Decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompejo. *Suet. Caes.* 24. *f.* Prospere decedentibus rebus, et saepius, et plurium, quam quisquam unquam, dierum supplicationes impetravit. ℙ Fuit aliud genus supplicationum, quod averruncandae irae Deum habebatur, vel eorum favori captando. *Liv.* 10, 33. Eo anno prodigia multa fuerunt: quorum averruncandorum causa supplicationes in biduum senatus decrevit; et *ib.* 47 *extr.* Unum diem Aesculapio supplicatio habita est: *scil.*

ob pestilentiam urentem urbem atque agros. *Id.* 31, 9. Supplicationibus habitis jam, et obsecratione circa omnia pulvinaria facta: *scil.* ut bellum Philippo indictum prospere eveniret. *Id.* 37, 3. Supplicatio quoque earum religionum causa fuit.

SUPPLICATOR, oris, m. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 14. Laetus hinc tersis revertit supplicator fletibus. *August. C. D.* 5, 23. *f.* Victis supplicatoribus daemonum.

SUPPLICĒ, adv. suppliciter. In carm. Saliari ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Divum exta cante: Divum Deo supplice cante.

SUPPLICIAMENTUM, i, n. supplicium. *Tert. Fuga in persecut.* 9. *f.* ex *Joann.* 1, 4, 18. Perfecta dilectio foras mittit timorem: quia timor suppliciamentum habet, utique ignem stagni. Alii leg. *supplicamentum* eodem sensu. Vulgata editio *poenam* habet.

SUPPLĪCĬTER, adv. *ἱκεσίως*, cum supplicatione, humiliter, demisse, abjecte. *Cic. Fl.* 10. Cumque defensor suppliciter demisseque responderet. *Caes. B. G.* 1, 27. Suppliciterque locuti, flentes pacem petissent. *Just.* 14, 2. *med.* Suppliciter alloqui singulos. *Cic. Or.* 1, 20. Blandiri, et suppliciter insinuare iis, a quibus est petendum. *Virg. A.* 12, 220. aram Suppliciter venerans; et *ib.* 1, 485. Iliades Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis. *Ov. Fast.* 2, 438. Suppliciter posito procubuere genu. *Id. Pont.* 1, 10, 44. Suppliciter rogare Deos. *Hor. Sat.* 1, 8, 32. effigies cerea suppliciter volutante, attonitus pavore, etc.

SUPPLĪCĬUM, ii, n. *ἱκεσία*, in plurali num. significat preces, supplicationes Diis habitas, sive publicas, sive privatas: a *supplex, icis. Sall. Cat.* 56. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur. *Liv.* 27, 50. Matronae per omnia delubra suppliciis votisque fatigare Deos. *Afran.* ap. *Non.* 4, 433. Nullam accessi ad aram, quin Deos suppliciis, sumptu, votis, donis, precibus defatigarem. *Acc. ib.* Suppliciis placans coelitum aras expleam. *Sall. Cat.* 9. In suppliciis Deorum magnifici, domi parci. *Id. Jug.* 70. Vaccenses fatigati regis suppliciis. ℙ Metonymice sunt dona, quae in suppliciis offeruntur. *Appul. Met.* 11. Vannos onustas armatis, et hujuscemodi suppliciis certatim congerunt. (Huc pertinet etiam non unum ex allatis exemplis: ut et illud *Liv.* 22, 57. Quibus precibus supliciisque Deos possent placare.) In sing. num. *Pl. Rud. prol.* 22. Hoc scelesti in animum inducunt suum, Jovem se placare posse donis, hostiis: et operam et sumptum perdunt: id eo fit, quia nihil est acceptum a perjuris supplicii; et *Epid.* 5, 2, 59. Nunquam hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam. *Pe.* Optimum atque aequissimum oras: soccos, tunicam, pallium tibi dabo. ℙ Item rami, et velamenta, quae praeferebantur a caduceatoribus, veniam et pacem poscentibus, *ἱκετηρία. Festus*, Supplicia sunt, quae caduceatores portant: ea sumebantur ex verbena felicis arboris: nec enim ex alio supplicia fas erat, quam de verbenis, sumi. *Sall. Jug.* 50. Jugurtha diffidere rebus suis, ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent. ℙ Item sacrificium, quod in supplicationibus fit. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Quos boves propter amplitudinem praestare dicunt, ad victimas farciunt, atque ad Deorum servant supplicia. *Sinnius Capito* ap. *Fest.* ait, cum civis necaretur, institutum fuisse, ut Semoniae res sacra fieret vervece bidente, ut eo sacrificio poena solutis civibus, caput ipsum damnati, patrimoniumque cui delibatum esset, id fieret sacrum Deo: indeque fuisse solitum, ut, quia tunc in foro supplicandi causa prodiret rex sacrorum, id vocaretur supplicium. ℙ Hinc *supplicium* dici coeptum poena capitalis, aut quaecumque gravior animadversio, et cruciatus, *τιμωρία*. Supplicium, inquit *Fest.*, a suppliciis differt, ut usus arguit. Deorum sunt supplicia, h. e. supplicationes: supplicium est hominum, ut cum dicimus, sumere supplicium de aliquo. Sed et in plurali hoc sensu usurpatur, ut dictum est. *Caes. B. G.* 7, 4. *f.* Magnitudine supplicii dubitantes cogit: nam majore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis necat: leviore de causa, auribus desectis, aut singulis effosis oculis, domum remittit; et *ib.* 5. His suppliciis celeriter coacto exercitu, etc.; et *ib.* 1, 31. *f.* De obsidibus gravissimum supplicium sumere; et *ib.* 7, 26. Ne se, et communes liberos hostibus ad supplicium dederent. *Nep. Paus.* 5. Dare aliquem ad supplicium; et *Ages.* 5. Illa multitudine supplicium Persas dare potuisse, i. e. dare poenas. (Sic *Pl. As.* 2, 4, 75. Dabitur supplicium mihi de tergo vestro. Adde *eund. ib.* 76. et *Ter. Eun.* 1, 1, 24. quo sensu *M. Anton.* dixit ap. *Cic. Phil.* 13, 10. Solvere supplicium; et *Tac. A.* 6, 26. persolvere; et *Plin.* 29, 4, 14. pendere; et *Just.* 8, 1. et 17, 1. et *Tac. A.* 15, 60. *extr.* luere) *Cic. Or.* 2, 59. Rapi ad supplicium ob facinus. *Id. Verr.* 2, 5, 26. *med.* ducere aliquem. *Tac. A.* 11, 35. *f.* trahere; et *ib.* 14, 42. agere. *Sen. Ira* 1, 16. mittere. *Just.* 28, 3. *f.* Seditionis auctores supplicio tradere. *Caes. B. G.* 1, 27. Supplicio affici. *Cic. Rosc. Am.* 25. Constituere singulare supplicium in aliquem; et *ib.* 26. alicui maleficio. *Id. Manil.* 5. Aliquem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necare. *Id. ad Pomp.* 2. *med. post. ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Supplicia miserrima et crudelissima perferre. *Id. N. D.* 3, 33. Summo cruciatu supplicioque perire. *Id. ad Brut.* 1, 12. Summa supplicia subire. *Ov. Trist.* 2, 540. pati. *Caes. B. C.* 1, 84. Satis supplicii tulisse perpessos omnium rerum inopiam. *Cic. Cat.* 1, 1. *f.* Acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercere. *Ov. Met.* 5, 666. et *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 39. Capitale supplicium merere. *Suet. Galb.* 12. Supplicio capitis afficere. *Tac. A.* 3, 49. *f.* Ultimum supplicium alicui indicere; et *ib.* 6, 3. *f.* Summum supplicium alicui decernere; et *ib.* 38. *f.* Extremum ad supplicium damnari. *Hor. Sat.* 1, 3, 79. Suppliciis delicta coercere. *Plin.* 11, 25, 30. Graviore supplicio, lenta post triduum mortе, conficiunt. Junxit supplicium et poenam *Lucan.* 2, 538. jam jam me praeside Roma Supplicium poenamque petat, *h. e.* cruciatum et animadversionem. *Pl. Mil.* 2, 6, 22. Nisi mihi supplicium virgeum *Pl. Mil.* 2, 6, 22. Nisi mihi supplicium virgeum (alii perperam leg. *virgarum*) de te datur: et *mox:* (alii perperam leg. *virgarum*) de te datur: et *mox:* (alii perperam leg. *tibi*) supplicium 31. Nisi mihi (alii perperam leg. *tibi*) supplicium stimuleum de te datur. *Mart.* 2, 60. Supplicium puerile. V. PUERILIS. ℙ Active est animadversio, punitio. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, remitto tibi et condono. *Pl. Most.* 5, 2, 43. Si hoc pudet, fecisse sumptum, supplicii habeo satis. *Ter. Andr.* 5, 3. *f.* Pro peccato magno paululum supplicii satis est patri. *Plin.* 9, 35, 55. Concha (*unionum*) manum si praeveniat, acie sua abscindit: et aliis munita suppliciis: quippe inter scopulos major pars invenitur. *Id.* 7, 43, 44. de Sulla phthiriasi exstincto: Erodente se ipso corpore, et supplicia sibi gignente, *h. e.* vermiculos, quibus cruciaretur.

SUPPLĪCO et Subplico, as, avi, atum, n. 1. *προσκυνέω, ἱκετεύω*, plicato, seu flexo corpore, aut genu adoro, veneror, supplicem me abjicio, oro, deprecor: et refertur ad Deos. *Pl. Curc.* 4, 2, 41. Quando bene gessi rem, volo hic in fano supplicare. *Id. Rud. prol.* 26. Facilius, siqui pius est, a Diis supplicans, inveniet veniam sibi. *Id. Aul. prol.* 24. Ea mihi (*Lari*) quotidie aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat. *Cato R. R.* 143. Villica Lari familiari pro copia supplicet, *h. e.* rem divinam faciat. *Sall. Jug.* 57. Mario per hostias Diis supplicanti mirabilia portendi. ℙ Passive impersonaliter. *Id. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Metello venienti ture, quasi Deo, supplicabatur. *Plin.* 13, 1, 1. Iliacis temporibus ture non supplicabatur. ℙ Item ad homines, cum demisse quippiam petimus. *Pl. As.* 1, 3, 93. Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro. *Id. Aul.* 4, 10, 22. Tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam. *Ter. Hec.* 3, 5, 50. Is sibi me supplicaturum putat. *Sall. Jug.* 42. Missitare supplicantes legatos. *Cic. Par.* 5, 3. Venire domum ad eum, precari, denique supplicare. *Pl. Merc.* 1, 2, 59. Quandoquidem mihi supplicandum servulo video meo. *Cic. Fam.* 6, 14. *extr.* Neque Caesari solum, sed etiam amicis ejus omnibus pro te libentissime supplicabo. *Id. Planc.* 20. *med.* Prosternere se, et fracto animo atque humili supplicare alicui; et *ib.* 5. Qui mihi non nimis submisse supplicarat. *Id. Font.* 14. Cum tot res sint, quae vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent. *Ov. Met.* 6, 366. neque enim jam filia Coei Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra Verba minora Dea. *Plin.* 8, 7, 7. Elephanti Pompejani, amissa fugae spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quaerentes supplicavere. ℙ *Nemini supplico* est aliena re, aut ope non egentis. *Pl. Bacch.* 2, 2, 47. Domi est (*argentum*), non metuo, nec cuiquam supplico. *Id. Rud.* 5, 2, 48. Praei verbis, quod vis, id quod domi est, nunquam ulli supplicabo. Adde *Capt.* 4, 1, 5., *Epid.* 5, 2, 17. et *Ps.* 1, 5, 92. ℙ *Supplicare alìquem* est supplicem reddere. *Ammian.* 30, 8. *med.* Utque sunt dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimantes, et ad supplicandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati; bene vestitos oderat, et eruditos, et opulentos, et nobiles. ℙ *Supplicare* cum accusativo personae, *Prisc.* recte dici ait, 18, 1184., ut Graeci, *ἱκετεύω σε*, et *εὔχομαι τοῖς Θεοῖς. Paul. Dig.* 28, 5, 92. Pactumeja magna supplicavit imperatores nostros. ℙ In antiquis precationum formulis dicebant *sub vos placo* pro *vos supplico. Festus* in *Sub*, et in *Ob.* ℙ *Supplicassis*, *ἀρχαϊκῶς*, pro *supplicaveris* est *Plauti As.* 2, 4, 61.

SUPPLĪCŪĒ, adv. idem quod suppliciter. *Appul. Met.* 11. *f.* Pro meo modulo supplicue gratiis persolutis; et *ib.* 9. Hortulanus supplicue respondit.

SUPPLŌDO et Subplodo, is, si, sum, a. 3. *καταροτέω, ὑποκροτέω*, pedibus terrae illisis sonitum facio, ut fit in dolore, indignatione, contemptu. *Cic. Or.* 1, 53. *extr.* Pedem nemo in illo judicio supplosit; credo, ne Stoicis renuntiaretur. *Sen. ep.* 75. Etiam si disputarem, nec suppoderem pedem, nec manum jactarem, nec attollerem vocem, sed ista oratoribus reliquissem. ℙ *Supplodere calumniam* ap. *Macr. Sat. Scip.* 1, 2. est evertere, destruere, et quasi pedibus calcare.

SUPPLOSIO, onis, f. actus supplodendi, *ὑποκρό-τημα. Cic. Or.* 3, 12. *f.* Vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis, imitatus; et *ib.* 59. Supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Adde *Brut.* 38. et 80. et *Auct. ad Her.* 3, 15. *med.*, ubi *supplausio* legitur.

*SUPPLUVIĀLIS, e, adj. *Salisb. Policrat*, 1, 13. Suppluviale tempus. *B. A.*

SUPPOENĪTĔT et Subpoenitet, ebat, imp. 2. *ὑπομεταμοεῖ*, est aliquantulum, vel propemodum poenitet. *Cic. Att.* 7, 14. Nam et illum furoris, et hunc nostrum copiarum suppoenitet.

SUPPOLĪTOR, oris, m. qui alienam mulierem subagitat. V. SUPPILATOR.

SUPPONO et Subpono, is, sui, et sivi, situm, a. 3. *ὑποτίθημι*, subtus pono, subjicio, subdo, submitto. *Cic. N. D.* 2, 48. *f.* (*Varr. R. R.* 3, 9. et *Colum.* 8, 5.) Anatum ova gallinis saepe supponimus. *Hor. Ep.* 1, 15, 8. Qui caput et stomachum subponere fontibus audent. *Colum.* 12, 47. *f.* Olivam prelo supponere. *Pl. Poen.* 5, 2, 65. sub cratim aliquem. *Ov. Fast.* 5, 180. Cervicemque polo suppositurus Atlas; et *ib.* 4, 803. Supponere tectis agrestibus ignem. *Id. Trist.* 3, 12, 48. caput pedibus ducis. *Id. ib.* 3, 68. aliquem tumulo. Sic *Ib.* 153. supponere terrae; et *Am.* 3, 9, 47. Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus Ignotum vili supposuisset humo. (Ubi *vili humo* ablativus esse potest: h. e. *posuisset sub humo.*) *Id. R. Am.* 171. Colla jube domitos oneri supponere tauros. *Virg. A.* 6, 248. Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem Suscipiunt pateris, *h. e.* sub jugulum victimarum infigunt. *Id. G.* 1, 348. Falcem maturis supponere aristis. *Ov. Fast.* 4, 755. nec, dum degrandinat, obsit Agresti fano supposuisse pecus; et *Hor. Sat.* 2, 4, 51. Massica si coelo suppones vina sereno. ℙ Item substituo, alterum pro altero pono. *Pl. Curc.* 2, 2, 6. Meliorem, quam ego sum, suppono tibi. *Cic. Rosc. A.* 38. *med.* Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur. *Id. Verr.* 2, 5, 28. Substituere et supponere aliquem; et *ib.* 30. et *Just.* 7, 3. *med.* In locum mulierum supponit matronali habitu exornatos juvenes. *Suet. Vit.* 5. *extr.* Pro auro et argento stannum et aurichalcum supponere. *Id. Dejot.* 15. Criminibus illis pro rege se supponit reum. ℙ *Supponere puerum*, alienum filium pro suo alere, et tanquam suum ostentare. *Pl. Truc.* 4, 3, 30. Puerum supposivit sibi pro filiolo; et 2, 5, 8. Alienos dolores mihi supposivi. Adde 2, 4, 50. et *Cist.* 2, 3, 11. et *Ter. Eun. prol.* 39. Quo pertinet illud ejusd. *ib*, 5, 3, 2. Referam illi sacrilego gratiam, qui hunc supposuit nobis, *h. e.* hunc adolescentulum pro Eunucho ad nos adduxit. ℙ *Supponere testamentum*, falsum, ficticium pro vero et legitimo subjicere. *Cic. Par.* 6, 1. Si testamenta amicorum exspectas, aut ne exspectas quidem, at ipse supponis. *Id. Leg.* 1, 16. Falsa testamenta supponere. ℙ Item subjungo, subjicio. *Cic. Inv.* 1, 9. Huic generi Hermagoras partes quatuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, juridicialem, negotialem; et *ib.* 2, 21. *med.* et 23. Supponere rationem. *Id. Att.* 8, 6. Deinde supposuit exemplum epistolae Domitii. ℙ Item subjicio, subjectum reddo. *Ov. Fast.* 1, 306. Aetheraque ingenio supposuere suo. *Pers.* 5, 36. Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos. ℙ *Rem supponere* apud *Torrent.*, *Gothofred.* et *Cujac. Dig.* 27. *tit.* 9. *in lemmate* est pignori subjicere, ubi *Haloander* edidit *pignori obligandis.* ℙ Item posthabeo. *Ov. Fast.* 6, 47. Poeniteat Sparten, Argosque, measque Mycenas, Et veterem Latio supposuisse Samon. ℙ Pro tanquam certum ponere. V. SUPPOSITUS.

SUPPORTO et Subporto, as, avi, atum, a. 1. *ὑπάγω*, subinde porto, subveho, importo, comporto. *Caes. B. C.* 2, 15. Miles muro tectus, operi quaecumque usui sunt sine periculo supportat. *Nep. Att.* 11. Ceteros pari fortuna perculsos institit tueri, atque ex Epiro iis omnia Samothraciam supportari jussit. *Liv.* 41, 1. In portu emporium brevi perfrequens factum est: omniaque hinc in castra subportabantur. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 13. *f.* Nisi quid navibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat, necesse est. *Caes. B. C.* 3, 41. Frumentum exercitui navibus supportabat; et *ib.* 15. Ligna atque aquam Corcyra navibus onerariis supportare; et *ib.* 112. Uti tuto frumentum auxiliaque navibus ad eum supportari possent. *Hirt. B. G.* 8, 35. Paulatim frumentum in oppidum supportare.

SUPPOSĪTĬO, onis, f. *ὑπόθεσις*, actus supponendi. *Colum.* 8, 5. *med.* Ipsa suppositio (*ovorum incubandorum*) per hos fere dies est commodissima. ℙ *Suppositio pueri* ap. *Pl. Capt. f.*, *Cist.* 1, 2, 25. et *Truc.* 2, 4, 83. est, cum alienum puerum quis pro suo supponit atque educat. V. SUPPONO.

SUPPOSĪTĪCĬUS, a, um, adj. *ὑποβλημαῖος*, alteri suppositus, alterius loco pro vero et nativo positus. *Varr. R. R.* 2, 8. Matri suppositiciae quoque inserviunt, *h. e.* equae pullum asininum lacte nutrienti. ℙ *Gladiator suppositicius*, qui alteri interfecto, vel fesso substituitur, eique in certamine succedit. Hinc de Hermete praestantissimo gladiatore, qui nunquam pugnando defatigabatur, nec successore indigebat. *Mart.* 5, 24. Hermes vincere, nec

ferire doctus: Hermes suppositicius sibi ipsi. Hic antepaenultima in *suppositicius* propter metri necessitatem producitur, licet corripienda esset, ut brevis est in *Floralicius*, *cathedralicius*, *Saturnalicius*, *tribunicius*, etc.

*SUPPOSITORĬUM, i, n. ἔρεισμα *Gloss. Gr. Lat.* Fulcrum est apud medicos, pro glande ano immittenda, Anglice *a suppository*. V. *Borrich. Cogit* p. 251. *B. A.*

SUPPOSĬTORĬUS, a, um, adj. Cella suppositoria in balneis eadem est, quae tepidaria, ita dicta quia frigidariae supposita erat: tres enim erant balneorum cellae, frigidaria, tepidaria, et caldaria: aqua per frigidariam primum, deinde per tepidariam influebat in caldariam, ut *Vitr.* 5, 10. docet. *Vopisc. Carin.* 17. Balneis ita frigidis usus est, ut solent esse cellae suppositoriae. V. ibi *Casaub.* et *Salmas.*

SUPPOSĬTOR, oris, m. qui supponit. Inter opifices pecuniae cudendae fuere et suppostores. V. MALLEATOR.

SUPPOSTRIX, icis, f. quae supponit: speciatim quae alienos pueros aliis tanquam suos nutriendos clam praebet. *Pl. Truc.* 4, 2, 50. Venefica! Suppostrix puerum.

SUPPOSTUS. V. SUPPOSITUS.

SUPPRESSE. V. REPRESSE.

SUPPRESSĬO, onis, f. ἀπόχρωσις, actus supprimendi. *Cic. Cluent.* 25. Statuit ad easdem sibi praedas, ac suppressiones judiciales revertendum, *h. e.* injustas detentiones pecuniae sibi ad corrumpendos judices oblatae, et in usus proprios conversae. V. integr. *Ciceronis* locum. ℙ *Suppressiones nocturnae* dicuntur, quoties per somnium spiritus supprimitur, aut etiam ipsa vox, ut incerta indiscretaque edatur, quemadmodum in eo morbo accidere solet, qui Graecis *ephialtes*, Latinis *incubus* dicitur. *Plin.* 27, 10, 60. Grana nigra auxiliantur et suppressionibus nocturnis, in vino pota, quo dictum est, numero.

SUPPRESSOR et Subpressor, oris, m. qui supprimit, hoc est occultat alienum servum. *Callistrat. Dig.* 48, 15, 6. Apud quem unus aut alter fuerit fugitivus inventus, qui operas suas locaverit, ut pasceretur; et utique si idem antea apud alios fecerit, hunc non jure quis suppressorem dixerit.

SUPPRESSUS et Subpressus, a, um, part. a *supprimo*: καταβληθείς, premendo demissus, depressus. *Liv.* 22, 19. *extr.* Duae captae naves, quatuor suppressae. Adde *Justin.* 2, 9. *med.* ℙ Item premendo applicĭtus. *Ov. Trist.* 3, 3, 21. Si jam deficiam, suppressaque lingua palato. Alii leg. *Si jam deficiat suppresso lingua palato*. *Varr. R. R.* 2, 9. Canes facie debent esse formosi, oculis ravis, labris subnigris, mento suppresso, et ex eo enatis duobus dentibus eminulis, etc. *h. e.* contracto, et maxillae superiori adhaerente. ℙ Item retentus, a cursu repressus. *Hirt. B. G.* 8, 42. Quaecumque per locum praecipitem missa erant, ea vineis et aggere suppressa comprehendebant idipsum, quod morabatur. *Ov. Met.* 11, 777. Cum vita suppressa fuga est. ℙ Item obstructus, clausus. *Cels.* 2, 12. *n.* 2. Si is, qui saepe purgatus est, subito habet alvum suppressam. *Ov. Pont.* 4, 2, 18. Laesaque suppresso fonte resistit aqua. *Id. Met.* 5, 192. pars ultima vocis In medio suppressa sono est. ℙ Item occultatus, κατακεκρυμμένος. *Cic. Cluent.* 27. *f.* Qui accipere in campo consuerunt, iis candidatis, quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse. *Suet. Gr.* 8. *f.* Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit, vulgandosque curasse. *Tac. H.* 2, 96. Suppresso Vespasiani nomine. ℙ *Vox suppressia*, non explicata, submissa. *Cic. Sull.* 10. Qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli dixisset, tantummodo ut vox exaudire possetis; de supplicio P. Lentuli magna et queribunda voce dicebat. *Id. Or.* 25. *med.* Valentiorum haec laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exspectanda, aut postulanda: erit enim, ut voce, sic etiam oratione suppressior. *Val. Fl.* 5, 470. suppressumque videt jam murmur Iason.

SUPPRĬMO et Subprimo, is, pressi, essum, a. 3. καταβάλλω, premendo dejicio, deprimo. *Liv.* 28, 30. *f*, Quinqueremis Romana duas triremes subpressit. Sic 37, 11. *med.* Navis rostris icta subprimitur. ℙ Item retineo, cohibeo, compesco, reprimo, ἐπέχω. *Ov. Met.* 6, 709. Nec prius aerii cursus suppressit habenas, Quam, etc. *Id. Am.* 1, 13, 10. Roscida purpurea supprime lora manu. *Nep. Tim.* 3. Tempestatem evitare utile rati, classem suppresserunt. *Caes. B. C.* 1, 45. Hostem insolenter atque acriter nostros insequentem supprimit; et *ib.* 66. Iter supprimunt, copiasque in castris continens. *Cic. Tusc.* 3, 31. Tollere aegritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quam plurimum, aut supprimere, nec pati manare latius. *Pl. Mil.* 2, 3, 24. Supprimere stultiloquium. *Petr. fram. Trag.* 71. *Burm.* Canis avocatus cibo furorem suppresserat. *Id. Sat.* 91. et *Ov. Fast.* 4, 83. Supprimere querelas. *Id. Pont.* 1, 8, 69. iram. *Id. Met.* 1, 715. vocem. *Albinov.* 1, 427. lacrimas. *Cels.* 2, 10. *f.* (et *Plin.* 27, 12, 91.) sanguinem: (Sic 5, 26. *n.* 21. Sanguis supprimendus.) et 4, 19. ventrem. *Colum.* 6, 17. *med.* Epiphoram supprimit polenta conspersa mulsa aqua. *Sen. Troad.* 261. Hoc se magis supprimere felicem decet, variosque casus tremere. ℙ Item occulto, celo. *Plin.* 25, 1, 1. At nos elaborata iis abscondere atque supprimere cupimus. *Cic Cluent.* 36. Pecuniam cum accepisset nomine judicii Sasiniani, retinuit atque suppressit. *Liv.* 5, 1. Ejus decreti suppressa fama est. *Tac. H.* 1, 17. *extr.* Male coercitam famam supprimentes, augebant. *Curt.* 6, 8. Conjurationis indicium suppressurus. *Suet. Cal.* 16. Supprimere testamentum. *Id. Tib.* 8. Ergastulorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solum viatores, sed et quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset. *Paul. Dig.* 47, 2, 84. Alienam ancillam supprimere.

SUPPRŌMUS et Subpromus, i, m. ὑποταμίας, secundus promus, sive qui promo substituitur. *Pl. Mil.* 3, 2, 24. Bono suppromo, et promo cellam creditam. *Id. ib.* 12. Eho tu sceleste, qui illi suppromus es.

SUPPŬDET et Subpudet, ebat, duit, imp. 2. aliquantulum pudet. *Cic. Fam.* 9, 1. Sed quod eorum me suppudebat. *Id. ib.* 15, 16. Puto, te jam suppudere, cum haec tertia jam epistola ante te oppressit, quam tu schedam, aut litteram (*scripseris.*)

SUPPŪRĀTĬO, onis, f. ἔμπυημα, ἀπόστημα, collectio puris, vomica, abscessus. *Plin.* 20, 3, 8. Suppurationes, quae Graeci vocant apostemata. *Cels.* 2, 8. Ex suppurationibus hae tolerabiles sunt, quae in exteriorem partem feruntur, et acuuntur; et *ib.* 7. *med.* Omnis tumor ad suppurationem fere spectat. *Sen. ep.* 14. *med.* Praecordiorum suppurationes, φθίσεις. *Colum.* 6, 38. Suppuratio ferro reclusa linamentis curatur; et *ib.* 12. *f.* Cum maturuerit suppuratio, rescinditur ferro; et 17. *med.* Si ante quam tumor discutiatur, in suppurationem convertitur. *Cels.* 3, 27. *f.* Suppurationem dissipare, et evocare; et *ib.* rumpere. *Id.* 7, 2. *f.* incidere. *Plin.* 23, 1, 16. discutere. *Id.* 22, 25, 58. extrahere, *h. e.* evocare, *Id.* 24, 4, 7. siccare. *Id.* 21, 19, 74. et 30, 14, 43. concoquere, *h. e.* ad maturitatem perducere. *Id.* 24, 3, 3. Suppurationibus resistere.

SUPPŪRĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad suppurandum pertinens, ut Suppuratoria medicamenta, *Plin.* 28, 4, 13. *h. e.* quae ad suppurationem tumores perducunt.

SUPPŪRĀTUS, a, um, part. a *suppuro*: ἔμπυος, ὑπόπυος, collecto pure plenus. *Plin.* 29, 2, 9. Lanae cinis additur in fistulas, auresque suppuratas. *Id.* 21, 19, 76. Flos albae violae suppurata aperit, ipsa discutit. *Id.* 23, 3, 35. Oleae cortex medetur sanguinem rejicientibus, et suppurata extussientibus. ℙ *Suppuratum*, *i*, absolute, idem est ac suppuratio. *Plin.* 20, 4, 14. Strumis vel suppuratis (*pastinacae radicem*) alligant. *Id.* 22, 25, 58. Suppuratis triticea farina lenior. ℙ Translate. *Sen. ep.* 80. *med.* Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis, et suppurata tristitia, *h. e.* intus, et in imo pectore, quasi collectum pus, insidens.

SUPPŪRO et Subpuro, as, n. 1. ἐμπυέω, in pus vertor, ad suppurationem venio. *Cato R. R.* 157. Cancer fistulosus subtus suppurat sub carne. *Colum.* 6, 12. Sanguis nisi emissus fuerit, famicem creabit: qui si suppuraverit, tarde percurabitur. *Plin.* 22, 14, 16. Si strumae suppuraverint; et *ib.* 25, 73. Ervum panos suppurare prohibet; et *ib.* 70. Lens contra suppurantia cum polenta imponitur. ℙ Translate. *Sen. Br. V.* 11. *f.* Quos hasta praetoris infami lucro, et quandoque suppuraturo exercet, *h. e.* vertendo in damnum. *Id. ep.* 59. *f.* Cum voluptates angusto corpori, ultra quam capiebat, ingestae suppurare coeperunt. ℙ Active. *Tert. adv. Gnost.* 1. Magnum de modico malum, scorpium terra suppurat, *h. e.* tanquam pus quoddam emittit. *Paul. Nol. carm.* 20, 256. Evomuit lacrimis, quem suppuraverat, aestum, *h. e.* tanquam pus conceperat.

SUPPUS et Supus, a, um, adj. supinus. *Festus*: Suppum antiqui dicebant, quem nunc supinum dicimus: ex Graeco, videlicet pro aspiratione ponentes litteram *s*, ut cum ὕλας dicunt, et nos silvas; item ἕξ sex, et ἑπτὰ septem. Ejus vocabuli meminit etiam Lucilius: Si vero das quod rogat, et si suggeri' suppus. Haec *Festus*, qui satis indicat esse ab ὕπτιος, et *π* extrito, ὕπιος, ὑπὸς, supinus. *Isid. Or.* 18, 65. tradit in jactu talorum ternionem *suppum* dictum, quaternionem *planum*, unionem *canem*. *Scal.* ad *Fest.* docet, partem tali lusorii, ὕπτιον dictam, h. e. supinam, cum talus ita caderet, ut esset illa superior, *suppum* vocatam fuisse.

SUPPŪTĀRĬUS, a, um, adj. *Tert. Apol.* 19. Supputarii digitorum gesticuli. Alii leg. *supputatorii* eod. sensu.

SUPPŪTĀTĬO, onis, f. *Vitr.* 3, 1. *med.* Cum ad supputationem crescat. *Arnob.* 2, 93. Quibus istud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest?

SUPPŪTĀTOR, oris, m, *Firm. Math.* 8. *med.* Boni erunt supputatores, arithmetici, geometrae. *Id. ib.* 6, 26. *f.* Acutissimi supputatores.

SUPPŪTĀTORIUS. V. SUPPUTARIUS.

SUPPŪTĀTUS, a, um, part. a *supputo*: supputando collectus. *Pall.* 2, 12. Decem et octo decempedae decies et octies supputatae trecentas viginti quatuor explebunt.

SUPPŪTO et Subputo, as, avi, atum, a. 1. idem puto, caedo. *Cato R. R.* 27. Oleas teneras supputato. *Colum.* 4, 33. *f.* Castanea supputari debet bima, quin etiam trima. *Plin.* 17, 10, 14. Semina fruticantia supputare, et falcem pati consuescere. ℙ Item computo. *Ov. Pont.* 2, 3, 17. et sibi quid sit Utile, sollicitis supputat articulis. Ita enim meliores libri, teste *Heinsio*. Alii leg. *computat.*

SUPRĀ, ὑπὲρ, idem quod *super*, praepositio accusativum regens: a *supera* per syncopen. *Phaedr.* 1, 2. Tignumque supra turba petulans insilit. *Pl. Pers.* 5, 2, 38. Ille qui supra nos habitat. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7. Nereides supra delphinos et cete sedentes. *Virg. A.* 9, 553. fera saltu supra venabula fertur. *Cic. N. D.* 2, 37. *med.* Si essent, qui sub terra semper habitavissent, nec exissent unquam supra terram. *Id. Fam.* 9, 26. Accubueram hora nona: et quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. V. ACCUMBO. *Plin.* 34, 6, 12. Attolli supra ceteros mortales. ℙ Ad significandum situm locorum. *Liv.* 23, 32. Exercitus, qui supra Suessulam Nolae praesideret. *Plin.* 2, 73, 75. Syene oppidum, quod est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum. ℙ Ponitur saepe pro ultra, plus quam. *Cic. Leg.* 2, 16. Haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam sit. *Liv.* 30, 35. Carthaginiensium caesa eo die supra millia viginti. *Colum.* 4, 27. *med.* et *Liv.* 21, 7. *med.* Supra modum. *Hor. Ep.* 1, 18, 22. vires. *Virg. G.* 2, 227. morem. *Plin.* 11, 40, 95. Quibus solida ungula, nec supra geminos fetus. *Id.* 34, 7, 17. Supra humanam fidem. *Phaedr.* 4, 24. Duo juvenes humanam supra formam. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic. ad Brut.* 1, 17. *f.* Bellum gerere cum dominatione et potentia, quae supra leges se esse velit, *h. e.* plus posse, quam leges. *Virg. A.* 11, 509. est omnia quando Iste animus supra, i. e. supra omnes grates, et supra omne praemium. *Albinov.* 1, 353. Alta mane, supraque tuos exsurge dolores, *h. e.* animo et virtute dolores supera. *Hor. Od.* 3, 19, 15. tres prohibet supra Rixarum metuens tangere Gratia; et *Colum.* 12, 49. Supra duos menses. ℙ Item pro praeter. *Liv.* 2, 18. Supra belli Latini (al. *Sabini*) metum id quoque accesserat, quod, etc. *Plin.* 21, 3, 9. De floribus, supra dictis, scripsit Theophrastus. ℙ *Supra caput* esse dicitur res, quae valde urget, impendet, et gravis est. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Ecce supra caput homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus, etiam is lenietur. *Sall. Cat.* 56. Dux hostium cum exercitu supra caput est. Adde *Liv.* 3, 17. ℙ *Supra*, ante, de tempore. *Caes. B. G.* 6, 18. Paulo supra hanc memoriam. *Liv. praef.* Supra septingentesimum annum. ℙ Significat etiam curam et munus. *Inscr.* ap. *Grut.* 599, 8. L. Flavius Aug. Lib. supra velarios de domu Aug. Alia 1111, l. M. Livius Augustae L. Amaranthus supra cubiclarios. Alia ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 17. Cydnus Tib. Germanici supra hortos. Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 721. et *n.* 2927. Narcissus Ti. Claudii Britannici supra insulas. *Auct. decl.* 353. *inter op. Quint.* Dicet, sibi placuisse servum, et ideo supra rationes esse positum. V. SUPER. ℙ Adverbii more, sine casu. *Cato R. R.* 119. In orculam condito, oleum supra siet. *Cic. Or.* 3, 6. Omnia haec, quae supra et subter, unum esse. *Virg. A.* 8, 149. Et mare, quod

supra, teneant, quodque alluit infra. *Hor. Ep.* 2, 2, 164. ager fortasse trecentis, Aut etiam supra nummorum millibus emptus; et *Cic. Verr.* 2, 3, 33. *f.* Liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur: supra adjecit Aeschrio, *h. e.* majus pretium obtulit. *Virg. A.* 7, 381. de trocho: stupet inscia supra Impubesque manus, mirata volubile buxum, *h. e.* turba circumstans atque imminens trocho currenti. *Id. ib.* 11, 683. ipse catervis Vertitur in mediis, et toto vertice supra est, *h. e.* superemineт. *Cic. Att.* 13, 19. Dialogos confeci et absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil possit supra, *h. e.* magis; et *Ter. Ad.* 2, 3, 11. Meum amorem et peccatum in se transtulit, nihil pote supra. *Id. Eun.* 3, 1, 37. Facete, lepide, laute: nihil supra. ℙ *Supra quam*, plus quam. *Sall. Cat.* 5. Patiens inediae, algoris, supra quam cuiquam credibile est. *Cic. Or.* 40. *extr.* Saepe rem dicendo subjiciet oculis: saepe supra feret, quam fieri possit. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *med.* Dominandi supra quam aestimari potest, avidissimus. ℙ *Supra quod*, idem. *Paul. Dig.* 32, 1, 28. Supra quod capere possum. ℙ *Supra*, ultra, ulterius. *Hor. Od.* 2, 18, 11. nihil supra Deos lacesso, nec potentem amicum Largiora flagito. ℙ Item superius, ante, superioribus verbis. *Caes. B. G.* 2, 1. Uti supra demonstravimus; et *ib.* 29. De quibus supra scripsimus. *Cato R. R.* 157. Validior est brassica, quae supra scripta est. *Nep. Dion.* 6. De quo commemoravi supra. *Cic. Caecin.* 5. *med.* Ille, quem supra deformavi. *Id. Or.* 3, 55. Illa, quae supra dixi. *Lucr.* 1, 429. Id quod jam supra tibi paulo ostendimus ante. Plerique omn. leg. *supera*, quod idem est. ℙ Item retro, altius, ratione temporis. *Sall. Cat.* 5. *f.* Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere. *Id. Jug.* 5. Priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam. *Tac. A.* 16, 18. De C. Petronio pauca supra repetenda sunt.

SUPRĂDICTUS, a, um, part. ab inus. *supradico. Pall.* 2, 14. *med.* Praeter raphanum semina supradicta deponunt. *Id.* 3, 32. Supradictis potionibus mersa serventur. *Valer. Imp.* ap. *Vopisc. Aurel.* 9. Supradicto viro efficiet, etc. Habet etiam *Quint.* 1, 5. *in.* et 6, 1. *med.*, et *ib.* 2. *in.*, sed ubique disjunctim scribi potest.

*SUPRADUCO, is, a. 3. *Val. Prob. de not. num.* Quaelibet figura, si ei jacens recta linea supraducatur, tot significabit millenarios, quot per se significat unitates. *B. A.*

SUPRĂFĀTUS, a, um, part. ab inus. *suprafari*: supradictus. *Sidon. ep.* 5, 14. *f.* Suprafatus summus sacerdos.

SUPRĂJĂCĬO, is, a. 3. superjacio. *Colum.* 11, 3. *f.* Virgis stramenta suprajaciuntur.

SUPRĂNĀTANS, antis, part. ab inus. *supranato*: ut Supranatans bitumen in lacu Asphaltite, *Vitr.* 8, 3. *med.*

[SUPRĂPŌNO, is, a. 3. superpono. *Inscr.* in *Mem. Rom. di antich.* etc. T. 3. p. 73. *n.* 41. Sive pater, sive mater supraponatur. *F.*]

SUPRĂPŌSĬTĬO. V. SUPERPOSITIO.

SUPRĂPŌSĬTUS, a, um, part. a *suprapono*: superpositus, supradictus. *Cels.* 6, 1; 8. *n.* 2. *med.* Quale suprapositum est, cataplasma superdare.

SUPRASCANDO, is, a. 3. *Liv.* 1, 32. *med.* Cum fines suprascandit.

SUPRASCRIBO, is, a. 3. Ap. *Cic. Fam.* 6, 10. et *Plin. ep.* 6, 27. etc. divisim scribendum est. ℙ Invenitur tamen *suprascriptus* junctim exaratum in *Cenotaph. Pis. C. Caes. f.* Ea omnia, quae suprascripta sunt; et *Vitr.* 2, 8. *med.* In dextra parte fanum est Veneris, et fons suprascriptus, *h. e.* de quo supra scripsi.

SUPRĂVĪVO, is, n. 3. supervivo, *ἐπιβιόω*. *Inscr.* ap. *De-Vita, Antiquit. Benevent. cl.* 9. *n.* 80. Quae vixit Ann. cum eo XII. mens. . . . , quae supravixit dieb. . . . V. MONNULA.

SUPRĒMĔ adv. supremum. Agnoscitur a *Prisc.* 15, 1016., nulla tamen adjecta Latini scriptoris auctoritate.

SUPRĒMĬTAS, atis, f. supremum tempus, mors. *Ammian.* 31, 13. *f.* Nec Valenti sepulturam, qui supremitatis honor est, contigisse. ℙ Item summa dignitas. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 13. Supremitates et praeeminentias adire.

SUPRĒMO et

SUPRĒMUM, adv. V. in v. sq.

SUPRĒMUS, a, um, adj. *ὑπέρτατος*, summus, altissimus: ab absoleto *superrimus* per syncop. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Supremum a superrimo dictum. *Festus:* Supremus modo significat summum: alias extremum: alias maximum. *Virg. G.* 4, 460. At chorus aequalis Dryadum clamore supremos Implerunt montes. *Lucr.* 1, 274. montesque supremos Silvifragis vexare flabris. *Sen. Oed.* 95. Suprema rupes. Alii leg. *superna*. *Claud. III. cons. Honor.* 167. stetit arce suprema Algenti qua zona riget Saturnia tractu, *h. e.* altissima coeli parte. ℙ Summus dignitate. *Pl. Capt.* 4, 1, 1. Juppiter supreme serva me. *Vet. Poeta* ap. *Plin.* 35, 10, 37. Reginae Junonis supremi conjugis templum. *Pl. Ps.* 1, 1, 14. Nam tu me antidhac supremum habuisti comitem consiliis tuis, *h. e.* primum, praecipuum ℙ Item maximus, *μέγιστος*. Veteres, teste *Festo*, et *Gell.* 11, 1., duas oves et triginta boves *supremam multam* dixerunt. *Virg. A.* 3, 590. macie confecta suprema Ignoti nova forma viri. ℙ Item saepius extremus, ultimus, novissimus, *ἔσχατος*. *Ov. Rem. Am.* 114. Supremam bellis imposuisse manum. *Mart. Spect.* 3. Et quem supremae Tethyos unda ferit, *h. e.* maris Britanniam alluentis. *Colum.* 10, 294. jubare exorto jam nocte suprema, *h. e.* ultima parte noctis. *Claud. B. G.* 554. Ligurum regione suprema. *Id. Rapt. Pros.* 1, 100. Suprema sors, *h. e.* ultima, quae Plutoni obtigit post Jovem et Neptunum; et *ib.* 261. fine supremo, *h. e.* extrema telae parte. *Virg. A.* 12, 803. Ventum ad supremum est. ℙ *Suprema tempestas*, et *suprema* absolute, olim erat occasus solis: postea sic dicta est pars diei inter eam, quae *de meridie* dicitur, et vesperam, ut docet *Censor.* mox afferendus. Nomen habuit ex eo, quod erat ultimum diei tempus, quo agi in foro licebat. In leg. XII. Tab. ap. *Fest.* Sol occasus suprema tempestas esto. *Varr. L. L.* 5, 2. Suprema summum diei: hoc tempus duodecim Tabulae dicunt occasum esse solis: sed postea lex praetoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo praetor in comitio supremam pronuntiavit populo. *Gell.* pleniorem refert XII. Tabular. locum 17, 2. Ante meridiem causam conscito, quom perorant ambo praesentes: post meridiem praesenti stlitem addicito: sol occasus suprema tempestas esto. *Censor. de die nat.* 24. Meridies, quod est medii diei nomen: inde de meridie: hinc suprema: quamvis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia est in XII. Tabulis scriptum sic: Sol occasus suprema tempestas esto. Sed postea M. Plaetorius trib. pleb. scitum tulit, in quo scriptum est: Praetor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duos lictores apud se habeto: isque usque ad supremam jus inter cives dicito. Post supremam sequitur vespera, etc. *Plin.* 7, 60, 60. de horolog.: Accensus consulum, a columna Maenia ad carcerem inclinato sidere, supremam pronuntiabat. *Pl. As.* 3, 3, 4. Mater supremam mihi tua dixit, domum ire jussit. Ita *Turneb.* Alii leg. *supremum*. Priore lectione adluditur ad morem indicendi supremam, post quam dimittebantur in judiciis actores et rei. Altera ad morem dicendi novissima verba (ut est ap. *Virg. A.* 6, 231.) in funeribus: qua de re infra dicetur. ℙ *Supremus* refertur saepissime ad ultimum vitae tempus, mortem, funus, exsequias. *Cic. Phil.* 1, 14. Acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnae dominatum. *Id. Leg.* 2, 9. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. *Tibull.* 1, 1, 73. suprema mihi cum venerit hora. *Ov. Fast.* 6, 668. Supremi tori, *h. e.* lecti funebres. *Id. Am.* 1, 15, 42. ignes, *h. e.* rogi. *Virg. A.* 11, 61. Mille viros, qui supremum comitentur honorem, *h. e.* exsequias. *Petr. Sat.* 112. Corpus supremo officio mandare, *h. e.* sepulturae. *Catull.* 64, 151. Supremo in tempore deesse alicui, *h. e.* cum in vitae discrimine versatur. *Sil.* 7, 708. suprema ac foeda precari, *h. e.* ut aliquis te occidat. *Virg. A.* 8, 583. haec genitor digressu dicta supremo Fundebat, *h. e.* post quem non erat amplius filium visurus. *Ov. Met.* 8, 521. (et *Trist.* 3, 3, 87.) sociamqae tori vocat ore supremo, *h. e.* moribundo, nec amplius locuturo. *Tac. A.* 12, 66. Claudius admotus supremis; et *ib.* 6, 50. Appropinquare supremis. *Quint.* 6, 3. *med.* et *Plin. ep.* 7, 20. et 31. Suprema hominum judicia, *h. e.* testamenta. *Id. ep.* 9, 19. Supremi tituli, *h. e.* inscriptiones sepulcrorum. *Plin. alter* 37, 2, 10. Nero in suprema ira duos calices crystallinos fregit, *h. e.* mox occidendus. *Id.* 7, 45. 46. Augusti suprema cura. *Id. ib.* 37, 37. Suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. *Claud. in Eutrop.* 2, 289. Phrygiae casus venisse supremos, *h. e.* excidium. Sic *Virg. A.* 5, 190. Trojae sors suprema. *Mart.* 5, 32. et 39. Supremae tabulae. ℙ *Suprema, orum*, mors, funus. *Quint.* 6. *prooem. med.* Quo ille animo mensium octo valetudinem tulit! ut me in supremis consolatus est! *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 36. Hercules torva facie, sentienteque suprema. *Id.* 16, 44, 86. Circa suprema Neronis. *Id.* 7, 3, 3. Supremis divi Augusti. *Tac. A.* 1, 61. Solveve suprema militibus; ei *ib.* 3, 49. Carmine suprema alicujus deflere. *Id. H.* 4, 59. Agitare de supremis; et *ib.* 44. Planctus, et lamenta, et supremorum imago praesenti circumdata. *Quint. decl.* 8, 10. Longe ventura suprema prospicere; et *ib.* Vidimus frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes. ℙ *Suprema* interdum sunt *τὰ λείψανα*, reliquiae et cineres cadaveris in rogo combusti. *Solin.* 1. *med.* Priscorum testantur molem Orestis suprema. *Ammian.* 25, 9. *f.* Cum Juliani supremis Procopius mittitur, ea humaturus in suburbano Tarsensi. ℙ Item ultima voluntas. *Quint. decl.* 1, 2. Neque gravissimum patrem suprema sua juveni jactasse crediderim. *Tac. A.* 1, 8. Nihil primo senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti. *Papin. Dig.* 29, 1, 36. Miles in supremis ordinandis, ignarus uxorem esse praegnantem, etc. ℙ *Supremo*, et *supremum* adverb. more. *Plin.* 11, 53, 115. Anima exitura supremo; et *ib.* 37, 55. Ut neque ab homine supremum eos (*oculos*) spectari fas sit; et *Ov. Met.* 12, 526. Quae mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum. Sic *Tac. H.* 4, 14. Liberi a parentibus supremum dividuntur; et *Quint. decl.* 6, 6. *f.* Supremum, et in aeternum. *Virg. A.* 3, 67. animamque sepulcro Condimus, et magna supremum voce ciemus. V. CONCLAMO. ℙ Ap. *Festum*, et in *Inscr.* ap. *Manut.* in *Orthogr.* et in alia ap. *Mazoch. de Ascia, p. m.* 130. duplici *pp* *suppremus* scribitur: sed contra est frequentior usus, et poetarum auctoritas primam saepe corripientium.

[SUPUNNĀ, ae, f. Deae Fulginatium propriae nomen, alias ignotae. *Inscr.* ap. *Mur.* 102, 8. Supunnae sacrum. *F.*]

SUPUS. V. SUPPUS.

SŪRA, ae, f. *γαστροκνημία*, pars posterior humani cruris crassior et carnosior. *Plin.* 11, 45, 105. Surae homini tantum, et crura carnosa. *Pl. Ps.* 4, 7, 120. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 5. Apertae surae, brachia autem procera horrorem mihi ex corde exsuscitabant. *Lactant. Op. D.* 13. *med.* Crura non aequali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes: sed teretibus suris clementer exstantibus, sensimque tenuatis, et firma sunt, et ornata. *Ov. A. Am.* 3, 623. sura chartas celare ligatas. *Claud. in Eutr.* 2, 342. pars compede suras Cruraque signati nigro liventia ferro. *Juven.* 16, 14. grandes magna ad subsellia surae. ℙ Synecdoche potest esse in his, h. e. ut sura pro crure ponatur. *Virg. Ecl.* 7, 32. et *A.* 1, 341. alte suras vincire cothurno. *Pl. Ps.* 4, 7, 80. Ubi suram aspicias, scias posse eum gerere crassas compedes. *Hor. Od.* 2, 4, 21. Brachia, et vultum, teretesque suras Integer laudo. *Virg. A.* 12, 430. suras incluserat auro. *Grat. Cyn.* 338. tegat imas fascia suras. ℙ Item os minus ipsius cruris, quod anatomici *fibulam* vocant. *Cels.* 8, 1. *f.* Alterum os ab exteriore parte surae positum est: quod ipsum quoque sura recte nominatur: id brevius, supraque tenuius, ad ipsos talos intumescit. Adde *ib.* 11. ℙ *Sura* cognomen fuit apud Romanos. Mamilium Suram memorat *Plin.* 18, 16, 42. Suram proconsulem 7, 12, 10. Accium Suram *Plin. alter ep.* 10, 7. L. Licinium Suram *Inscr.* ap. *Grut.* 429, 3. 4. 5. 6. etc. Aurelium Suram *ib.* 762, 3. Duos alios Suras *Mart.* 1, 50. et 6, 64. P. Cornelium Lentulum Suram, Catilinae socium, et ob id in carcere necatum, fama est, inquit *Plutarch.* in *Cic.*, inde cognomen accepisse, quod cum Sullae quaestor fuisset, et magnam vim pecuniae prodegisset, postulatus rationem reddere, dixit, se non posse, sed praebiturum suram verberandam: quod facere solent pueri, cum in pilae ludo peccarunt. ℙ Sūra pro *Syra* nomen est ancillae ap. *Pl. Truc.* 2, 4, 51. et 2, 6, 60. et *Ter. Hec. a.* 1. *sc.* 1. et 2. Sic *Suria* pro *Syria*, nonnulli legunt ap. *Pl. Truc.* 2, 6, 49. et ap. *Tac. A.* 2, 77. et al. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 32, 5. Sic *Donat.* ad *Ter. Hec.* 1, 2, 8. Sura veteres legerunt, *u* pro *i* ponentes, ut Musia, Suria. ℙ *Sura, fluvius Germaniae, in Mossellam se exonerans. Hodie est *the Saure*. Meminit *Auson.* in *Mosella* 355. ℙ Sura, oppidum Syriae, ad Euphratem, in Palmyrena. *Plin.* 5, 26. *B. A.*

*SURAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. Infra solitudines Dari, Surae, iterumque solitudines, etc. *B. A.*

SURCLO, as, a. 1. per sync. pro *surculo, as*, est surculo connectere, ligare. *Apic.* 4, 5. et 7, 2. etc.

SURCŬLĀCĔUS, a, um, adj. *ξυλώδης*, surculo similis. *Plin.* 19, 7, 36. Semina duritie surculacea, *h. e.* surculosa, lignosa.

SURCŬLĀRIS, e, adj. *ξυλώδης*, ad surculos pertinens. *Colum.* 3, 11. *med.* Considerandum est, surcularis, necne, sit terra: idque facillime exploratur per stirpes, quae sua sponte proveniunt, *h. e.* surculos et virgulta progignens.

SURCŬLĀRĬUS, a, um, adj. surcularis, *πολύκλωνος*. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Leges colonicas tollis, in quibus scribimus: Colonus in agro surculario ne capra natum pascat, *h. e.* surculis consito. *Pontedera* in *Op. post.* T. 1. p. 173. contendit, legend. *ne capras tum pascat*,, etc. ℙ *Surcularia cicada*, quae in surculis arborum vivit. *Plin.* 11, 26, 32. Quidam duo alia genera cicadarum faciunt: surculariam, quae sit grandior: frumentariam, quam alii avenariam vocant: apparet enim simul cum frumentis arescentibus.

SURCŬLO, as, a. 1. surculos, stolones, ramulos amputo. *Colum.* 5, 9. *med.* Plantae non nisi post biennium ferro tangendae: ac primo surculari debent, ita ut simplex stilus altitudinem maximi scrobis excedat.

SURCŬLŌSĒ, adv. *Plin.* 18, 16, 43. de herba Medica: Arescit surculose, ac postremo in pulverem inutilem extenuatur, *h. e.* postquam viridis crevit, ac tenera, demum lignosa fit, et surculis duriоribus arescit.

SURCŬLŌSUS, a, um, adj. surculi naturam habens, lignosus, duriusculus, *φρυγανώδης*. *Plin.* 12, 19, 42. Quatuor digitis surculosus, arido similis. *Id.* 24, 15, 87. Surculosa herba. *Id.* 19, 6, 31. Surculosae radices. *Id.* 27, 11, 74. Surculosi ramuli.

SURCŬLUS, i, m. dimin. suri, *φρύγανον, κλών*, ramulus, sarmentum in arbore nascens, vel ab eo resectum. *Virg. G.* 2, 85. Nec pingues unam in fa-

ciem nascuntur olivae, etc. nec surculus idem Crustumiis, Syriisque piris. *Plin.* 29, 6, 26. Surculus ex nido milvi pulvino subjectus. *Colum.* 6, 15. Si forte bos surculum calcaverit, aut acuta testa, vel lapide ungulam pertuderit; et *Cels.* 5, 26. *n.* 35. Ubi surculus corpori infixus est. *Id.* 8, 10. *n.* 6. Digitum fractum satis est ad unum surculum deligari. ℙ In illo *Cic. Or.* 3, 28. Ut ex jure civili, surculo defringendo, usurpare videantur. *Turneb. Advers.* 21, 14. docet, significari morem inductum a jureconsultis, ut qui possessionem agri arboribus consisti caperet, inde surculum defringeret, secumque auferret. Similiter si ager plantis careret, glebam sumebant. V. CONSERTUS. ℙ Praecipue surculus dicitur, qui ex arbore reciditur, inserendi aut deponendi gratia, qui et *semen*, et *malleolus*, et *talea* dicitur. *Cic. Or.* 2, 69. Da mihi ex ista arbore, quos seram, surculus. Multa de his *Varro R. R.* 1, 40. et 41. et *Plin.* 17. c. 14. et 21. etc. *Id. ib.* 10, 13. Salix vel inverso surculo seritur. ℙ Item planta minor, virgultum, stirps, frutex. *Colum.* 7, 4. *med.* Campi liberi, et omni surculo ruboque vacantes; et *ib.* 12. *med.* Surculo consitus ager. *Id.* 4, 28. Tres esse motus in omni surculo naturales: unum, quo germinet; alterum, quo floreat; tertium, quo maturescat. Adde 2, 15. *med.*, 3, 1. et 9, 4. ℙ Est etiam ramulus, unde pendent poma. *Varr. R. R.* 1, 59. *med.* Mala Punica demissis suis surculis in dolio arenae manere putant. *Plin.* 15, 17, 18. Varro et in dolio arenae servari jubet mala Punica, et immatura obrui terra in ollis fundo effracto, sed spiritu excluso, ac surculo pice illito.

*SURDAONES, um, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. Ilerdenses Surdaonum gentis, juxta quos Sicoris fluvius (*est*). *B. A.*

SURDASTER, stra, strum, adj. *ὑπόκωφος*, aliquantum surdus: dimin., ut *Prisc.* 3, 610. et 618. et 4, 628. docet. *Cic. Tusc.* 5, 40. Erat surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat.

SURDĒ, adv. *κωφῶς*. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 194. Amentes, quibus animi non sunt integri, surde audiunt, *h. e.* audiunt quidem, sed vel non intelligunt, vel non attendunt.

SURDESCO, is, n. 3. *κωφάομαι*, surdus fio, obsurdesco. *August. ep.* 157. *n.* 4. In parte aures aperiant, in parte surdescant.

SURDĪGO, iginis, f. surditas. *Marc. Empir.* 9. *med.* Auricula, quae molestiam surdiginis patitur; et *mox:* Apri lotium remediat surdiginem.

[SURDĪNUS, a, um, adj. deriv. a surdo. Est cogn. R., ut L. Naevius Surdinus in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 259. *F.*]

SURDĪTAS, atis, f. *κώφωσις*, privatio sensus audiendi. *Cic. Tusc.* 5, 40. In surditate vero quidnam est mali? *Cels.* 6, 7. *n.* 7. *extr.* Immaturae uvae succus adversus surditatem satis proficit.

SURDUS, a, um, adj. *κωφός*, qui aurium sensu caret. *Cic. Div.* 2, 3. Surdus varietates vocum, aut modos noscere non potest. *Id. Tusc.* 5, 40. Epicurei nostri Graece fere nesciunt, nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum, et illi in horum sermone surdi. *Tibull.* 4. surdis auribus esse. *Pl. Cas.* 3, 3, 2. Metuo, ne non sit surda, atque haec audierit. *Id. Mil.* 3, 1, 200. Audio, ne me surdum verbera, *h. e.* ne me, ut surdum, obtundas, eadem saepius iterando. ℙ Saepe *surdus* est, qui audire non potest, aut non vult, et qui nulla re movetur, aut flectitur. *Ov. Am.* 1, 6, 61. nec te precibusve minisve Movimus, o foribus surdior ipse tuis. *Id. Met.* 14, 711. Surdior illa freto surgente. *Hor. Epod.* 17, 54. Non saxa nudis surdiora navitis. *Pl. Ps.* 1, 3, 24. et *Pers.* 4, 9, 13. Ballio, audi. *Bal.* surdus sum: profecto inanilogus es. *Ov. Her.* 7, 27. Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus. *Prop.* 2, 16, 13. De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures; et *ib.* 13, 48. Juppiter et surda negligit aure preces. *Ov. Pont.* 2, 8, 28. Per nunquam surdos in tua vota Deos. *Lucan.* 8, 582. sed surda vetanti Tendebat geminas amens Cornelia palmas. *Sil.* 11, 354. surdus timori, *h. e.* qui timore non deterretur. ℙ Cum gen. *Sil.* 10, 554. Mars genitor, votorum haud surde meorum. *Id.* 1, 692. surdus pactorum. *Colum.* 3, 10. *med.* Idque nobis poeta, velut surdis veritatis, indulget. ℙ Translate. *Ov. Met.* 9, 653. surdaeque adhibent solatia menti. *Mart.* 10, 13. Et madet, heu! lacrimis janua surda tuis. *Ov. Am.* 1, 6, 54. surdae fores. *Id. A. Am.* 1, 531. Thesea crudelem surdas clamabat ad undas. *Stat. Th.* 12, 200. nec surda ferae pulsabimus urbis Limina. *Prop.* 4, 11, 4. tuas lacrimas litora surda bibent. *Liv.* 2, 3. Leges rem surdam, inexorabilem esse. *Plin.* 18, 3, 4. Surda tellus, *h. e.* quae culturae non respondet. *Stat. Th.* 9, 864. et surdos expedit arcus, *h. e.* qui non parebunt tendenti, neque ictum perferent. ℙ *Surdo cantare*, prov. praecepta dare negligenti, aut recusanti *Prop.* 4, 8, 47. Cantabant surdo, nudabant pectora caeco. *Virg. Ecl.* 10, 8. Non canimus surdis: respondent omnia silvae. *Liv.* 40, 8. Quae praecepta vereor ne vana surdis auribus cecinerim. Sic *Ter. Heaut.* 2, 1, 10. Nae ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam. *Hor. Ep.* 2, 1, 199. narrare asello fabellam surdo. ℙ *Surdus* praeterea est etiam qui non auditur, mutus, tacitus, de quo nulli loquuntur. *Juven.* 7, 71. Surda nihil gemeret grave buccina. *Prop.* 4, 5, 56. Istius tibi sit surda sine aere lyra. *Stat. Silv.* 1, 4, 19. mihi surda sine illo plectra. *Sil.* 8, 248. Atque illi sine luce genus, surdumque parentum Nomen, *h. e.* ignobile, obscurum. *Id.* 6, 75. et haud surda tractarat proelia fama. *Stat. Th.* 4, 359. opus surdum atque ignobile. *Plin.* 22, 2, 3. Auctoritas quanta debeatur etiam surdis, hoc est ignobilibus herbis, perhibebitur. *Juven.* 13, 193. quos diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit, *h. e.* occulto, tacito. Sic *Plin.* 19, 1, 4. Surdi ictus. *Ov. Pont.* 2, 6, 31. et quoniam laudem pietate mereris, Non erit officii gratia surda tui, *h. e.* a me non tacebitur. ℙ *Surda vota* ap. *Pers.* 6, 28. sunt, quibus Dii surdi fuerunt. ℙ *Surdus locus*, ubi sonus et vox supprimitur. *Varr. L. L.* 8, 38. *med.* Surdum theatrum. *Vitr.* 3, 3. de theatris: Diligenter est animadvertendum, ne sit locus surdus, sed ut in eo vox quam clarissime vagari possit. *Sen. Herc. Fur.* 576. de Orpheo: Mulcet non solitis vocibus inferos, Et surdis resonat clarius in locis: *scil.* ibi degunt umbrae silentes, ea est sedes silentum, etc. V. SILENS. ℙ *Surdus sonus* est durus, mutus, insuavis. *Quint.* 12, 10. *med.* Zephyri, si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient. ℙ Quandoque refertur ad visum: nam *surdus color* est fulgore carens, languidus, hebes, obtusus. *Plin.* 37, 5, 18. de smaragdis: Quibusdam intercurrit umbra, surdusque fit colos; et *ib.* 20. Poliuntur sexangula figura, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. ℙ Et ad odoratum: *surdus* enim *odor* est remissus, languidus, et qui vix sentitur. *Pers.* 6, 36. spirant cinnama surdum. ℙ Refertur ad alia quoque. *Plin.* 35, 2, 2. Argenteae facies surdo figurarum discrimine, *h. e.* obscuro, et vix internoscendo, cum colorum ac picturae lumine nullo illustrentur. *Id.* 13, 15, 30. Mensae vitia, lignum: ita vocatur materia surda, et indigesta simplicitas, *h. e.* in qua nulla venarum varietas, nullus splendor. ℙ *Res surdae*, inanimae, sensus expertes. *Plin. prooem.* 20. Res surdae, ac sensu carentes. *Id.* 24, 1, 1. Surdis etiam rerum sua cuique sunt venena, ac minimis quoque. Adde 27, 13, 119. ℙ *Surdissimus* est *August. ep.* 39. (al. 41.)

SURĒNA, ae, f. nomen piscis est ap. *Varr. L. L.* 4, 12. ℙ Ap. Parthos nomen erat summae dignitatis post regem, cui ex officio obtingebat novum regem diademate coronare, [ut docet *Plut.* in *Crasso c.* 21., cujusque auctoritas par illi erat, qui nunc apud Turcas *Gran Visir* appellatur, et olim apud quosdam reges *Gran Contestabile*. Videtur esse ab Hebr. שַׂר *sar*, princeps, imperator, et pronomen נוּ *énu*, noster. *F.*] *Tac. A.* 6, 42. *f.* Surena, patrio more, Tiridaten insigni regio evinxit. *Ammian.* 24, 2. *med.* Surena post regem ap. Persas promeritae dignitatis.

[SURGASTEUS, i, m. Ita appellatus fuisse videtur Deus, qui in nummis Tii, urbis Bithyniae, ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 438. *Ζεὺς Συργάστης* dicitur, quique per synaloephen dictus est *Συργάστης* pro *Συνεργάστης*, quasi cooperator. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 3. Dis paternis Surgasteo magno patrono etc. *F.*]

SURGĪTĒ pro surrigite V. v. sq.

SURGO, is, rexi, ectum, a. 3. extollo, erigo: idem quod *subrigo*, seu *surrigo* per syncopen. *Pl. Epid. f.* Plaudite, valete, lumbos surgite atque extollite. *Sil.* 3, 659. pontum surgens super aethera Corus. Al. leg. *spargens*. *Avien. Perieg.* 484. qua Boreali vertice ad aethram Concrescunt Alpes, surgit caput Apenninus. Al. leg. *Apennino*. *Arnob.* 5, 169. Scribit Flaccus, surrexisse se Deos, etc. ℙ *Surgere se* est erigi, *ἀνίστημι*, *ὄρνυμαι*, cum sedentes, aut jacentes erigimur: sed accusativus *se* usu ita omittitur, ut *surgo* neutrius naturam induisse videatur. *Cic. Off.* 3, 31. *med.* Surrexit e lectulo, et ad se adolescentem jussit venire. *Id. Verr.* 2, 4, 65. *f.* Praetor de sella surrexit, et abiit. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 430. Sella surgere, caput aperire solitum. Alii aliter leg. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Surgere a coena. *Ov. Met.* 2, 771. et *Fast.* 6, 735. humo. *Id. Met.* 3, 273. solio; et *ib.* 9, 701. et *ib.* 12, 579. toro. *Virg. A.* 7, 771. ab umbris Mortalem infernis ad lumina surgere vitae. ℙ *Surgere* absolute, e lecto, et a somno surgere. *Cic. Inv.* 2, 4. *f.* Ille multo ante lucem surrexit. *Ov. Met.* 13, 676. mensa somnum petiere remota, Cumque die surgunt. *Id. Am.* 1, 13, 21. ad Auroram: Non tu causidico, non tu jucunda diserto. Cogitur ad lites surgere uterque novas; et *ib.* 38. Surgis ad invisas a sene mane rotas. *Hor. Sat.* 2, 2, 81. vegetus praescripta ad munia surgit. ℙ De his, qui surgunt dicendi causa. *Cic. Rosc. Am.* 1. Credo, vos mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores sedeant, ego potissimum surrexerim. *Id. Or.* 2, 78. Surgere ad dicendum. Adde *Ov. Met.* 13, 2. ℙ Ponitur pro exsistere, oriri, nasci, erumpere. *Sen. Thyest.* 822. Sol occiduus tenebras jubet surgere. *Hor. Sat.* 1, 9, 72. hunccine solem Tam nigrum surrexe mihi? pro *surrexisse*. *Ov. Met.* 4, 92. lux Praecipitatur aquis, et aquis nox surgit ab isdem. *Id. Pont.* 4, 9, 53. surgat pius ignis ab ara. *Mart.* 14, 86. solet a nudo surgere fi-cus equo; et *ib.* 167. trito pollice pusula surgit. *Quint.* 8, 3. *in.* Amoeni fontes surgentes. *Virg. G.* 3, 400. surgente die. *Id. A.* 3, 481. surgentes Austri. *Id. G.* 1, 161. nec potuere seri, nec surgere messes. *Id. Ecl.* 4, 8. ferrea primum Desinet, ac toto surget gens aurea mundo. ℙ Item pro crescere, ab imo in altum attolli. *Hor. Sat.* 2, 2, 124. venerata Ceres culmo surgeret alto. *Ov. Met.* 3, 891. Vivaque per rimas, proceraque surgit arundo. *Virg. A.* 1, 369. ingentia cernes Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem. *Ov. Met.* 8, 192. Fistula disparibus paulatim surgit avenis. *Colum.* 6, 23. Fruticem surrecturum in altitudinem compescere. *Virg. A.* 3, 196. et *Ov. Met.* 14, 711. et *ib.* 15, 508. mare surgit; et *Pers.* 3, 95. surgit tibi lutea pellis, *h. e.* intumescit. *Ov. Met.* 1, 43. Jussit et extendi campos, subsidere valles, etc. lapidosos surgere montes. *Lucan.* 2, 678. tunc aggere multo Surgit opus. *Plin. ep.* 6, 16. *med.* Area cinere mixtisque pumicibus surrexerat. ℙ *Surgere* etiam dicuntur, quae alta et erecta stant. *Juven.* 6, 628. in aede Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili; et 10, 43. volucris, sceptro quae surgit eburno. *Virg. A.* 10, 476. humeri surgunt qua tegmina summi; et *ib.* 725. surgentem in cornua cervum. ℙ Translate. *Id. ib.* 1, 582. quae nunc animo sententia surgit? et *ib.* 9, 667. pugna aspera surgit; et *ib.* 10, 28. in Teucros Aetolis surgit ab Argis Tydides, *h. e.* insurgit; et *ib.* 12, 313. discordia surgit. *Sen. Thyest.* 943. Dolor ex aliqua causa surgens. *Tac. H.* 2, 42. Rumor surgit. *Virg. A.* 6, 103. non ulla laborum, O virgo, nova mi facies, inopinave surgit; et *ib.* 10, 813. saevae altius irae Dardanio surgunt ductori; et *ib.* 4, 274. (*ib.* 6, 364. et *ib.* 10, 524.) Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli Respice, *h. e.* ad majora procedentem; et *ib.* 4, 47. Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quae surgere regna Conjugio tali! *Ov. Fast.* 5, 228. surgit honor, *h. e.* venit. *Id. A. Am.* 1, 186. surgit ingenium suis velocius annis. *Id. Am.* 1, 1, 27. Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat, *h. e.* incipiat. *Virg. A.* 6, 762. surgere ad auras Aetherias. ℙ Passive impersonaliter. *Juven.* 4, 144. Surgitur, et magno proceres exire jubentur Concilio. *Jul. Obsequ. Prod.* 130. Nocte lux ita fulsit, ut, tanquam die orto, ad opus surgeretur. ℙ *Surrexti* syncope pro *surrexisti* ap. *Mart.* 5, 79. et *surrexe* pro *surrexisse* ap. *Hor. l. c.* in.

SURĬO, is, n. 4. *καπρίζω*, libidine prurio: a *sus*. Proprie enim de suibus dicitur: translate de aliis brutis, et homine. *Fest.* in *Suillum:* Immundissimi sunt sues ex omni mansueto pecore, et ardentissimae libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare, et surire dicuntur. ℙ Sunt, qui ita distinguunt, ut *subare* de feminis dicatur, *surire* de maribus. *Arnob.* 5, 177. Euius lascivia surientis assumpta, etc. Adde *Appul.* cujus verba V. in SUBO.

[SŪRĬO, onis, m. dimin. Suri, seu Syri. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 830, 5. M. Statius Surio Aemiliae Suriae conjugi carissimae. *F.*]

SŪRISCA. V. SYRISCUS.

*SURĪUM, i, n. opp. Colchidis. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

*SURĪUS (sc. fluvius) vel Surium (sc. flumen), in Colchide. In ripa ejus Surium oppidum situm. *Plin.* 2, 103. Et in Surio Colchidis flumine. *Id.* 6, 4. Nunc (*Colchis*) habet Surium (*oppidum*) tantum, et ipsum ab amne influente ibi cognominatum. *B. A.*

SURPĬCŪLA. V. SIRPICULA.

SURPTUS. V. SURREPTUS.

SURPŪI. V. in SURRIPIO.

SURRECTĬO, onis, f. *ἀνάστασις*, resurrectio. *Arat.* 1, 314. surrectio Christi Ut furto celetur, emis. V. SUBRECTIO.

SURRECTĬTO. V. SUBREPTITO.

SURRECTUS. V. SUBRECTUS.

SURRĔGIT et Sorctus antiqui ponebant pro *surrexit*, et ejus participio: quasi sit surrectus, quibus L. Livius frequenter usus est. *Festus.*

SŪRĬUS, a, um, adj. idem ac Syrius. V. SURUS, a, um. *Inscr.* ap. *Grut.* 5, 1. Jovi O. M. et Deae Suriae. Adde alias ap. *eund.* 86. 4. 5. 6.

SURRĔMIT, sumpsit. Inque manum surremit hastam; et *mox:* Idem surrempsit usurpavit pro, puerum sustulerit. Haec *Festus:* quae mutila esse videntur, atque excidisse nomen scriptoris.

SURRENTĪNUS, a, um, adj. *Συρεντῖνος*, ad Surrentum, nunc *Sorrento*, pertinens, quod est oppidum maritimum extremae Campaniae non procul a promontorio Minervae. *Plin.* 3, 5, 19. Surrentini montes. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 3. et 23, 1, 20. et 21. laudat Surrentina vina, convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque: eisque tertiam dat palmam post Setina, et Falerna. *Ov. Met.* 15, 710. Et Surrentino generosos palmite colles. V. *Stat. Silv.* 2, 2. Praeterea *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. et 35, 12, 46. Surrentinas testas, hoc est calices fictiles commendat, bibendis vinis aptissimos. *Mart.* 14, 110. Surrentina bibis, nec murrhina picta, nec aurum Sume: dabunt calices haec tibi vina suos. *Id. ib.* 102. Accipe non vili calices de pulvere natos, Sed Surrentinae leve toreuma rotae. *Inscr.* ap. *Mur.* 1083, 7. Imp. Caes. Trajano Hadriano Aug. decuriones, municipesq. Surrentini pecunia conlata.

*SURRENTĬUM, i, n. promontorium in Mauritania Caesariensi. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

SURRĔPO, etc. V. SURREPO.

SURREPTUS et Subreptus, a, um, part. a *surripio: ὑφαιρεθείς*, clam et dolo raptus, furto ablatus, subductus. *Lex vet. Atinia* ap. *Gell.* 17, 7. Quod subreptum erit, ejus rei aeterna auctoritas esto. *Pl. Poen.* 5, 4, 76. Hujusce filias apud vos habetis servas, quas vos ex patria liberas surreptas esse scitis. *Id. Poen. prol.* 104. Rogitat, unde sit, cujatis, captane, an surrepta sit. *Lucan.* 10, 519. subrepta paratis A famulo Ganymede dolis Arsinoe. *Suet. Gr.* 15. *f.* Puer adhuc catenis subreptus, refugit in patriam. *Cic. Phil.* 14, 4. Qua enim in urbe tam immanis Annibal capta, quam in Parma surrepta Antonius? *h. e* per dolum occupata. ℙ *Surptus* syncope est: habeturque ap. *Pl. Poen.* 4, 2, 80. et 5, 2, 98., ut quidem in multis MSS. legitur. Item *surruptus* in quibusdam codicibus citata lege *Atinia*, et ap. *Pl. Poen. prol.* 109. etc.

SURRIGO. V. SUBRIGO.

[SURĪNENSIS, e, adj. ad Surrinum pertinens, Etruriae oppidum, nunc *Soriano nel Patrimonio di S. Pietro*, ut placet *Marin. Frat. Arv.* p. 424. Hinc *Surrinenses*, *ium*, absolute, sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Mur.* 201, 6. et 1083, 8. Vitellius L. F. Merenna (lege *Merenda*) Augustalis Surrinensium. *F.*]

SURRĬPIO et Subripio, is, ipui, reptum, a. 3. *ὑφαιρέω*, clam et dolo aufero, suffuror, subduco: a *sub* et *rapio*. *Cic. Brut.* 19. *med.* Qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris; vel si negas, surripuisti. *Id Dom.* 25. *med.* Qui ex ejus custodia, per insidias, regis filium captivum surripuisset. *Id. Fam.* 13, 77. *med.* Servus meus cum multos libros surripuisset, aufugit. *Hor. Ep.* 1, 16, 55. Nam de mille fabae modiis cum surripis unum. *Mart.* 12, 29. Praetori mappam surripit Hermogenes. ℙ Translate. *Cic. Att.* 5, 16. Etsi in ipso itinere et via discedebant tabellarii, et eramus in cursu, tamen surripiendum aliquid putavi spatii, ne, etc.; et *Pl. Men.* 3, 2, 26. Surripuisti te mihi dudum de foro: i. e. e meo conspectu te subduxisti. *Ov. Trist.* 5, 11, 8. Cum me surripuit principis ira tibi. *Id. Her.* 11, 66. Crimina sunt oculis subripienda patris, *h. e.* subtrahenda. *Sen. ep.* 1. Tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige, et serva: *auferebatur* a potentioribns per officia et cultum: *surripiebatur* ab amicis per blanditias et sermones: *excidebat* tua negligentia. Ita *Lipsius. Cic. Par.* 6. *f.* Virtus nec eripi, nec surripi potest unquam. *Ov. Pont.* 4, 2, 29. Sed quid solus agam? quaque infelicia perdam Otia materia, surripiamque diem? *h. e.* animo meo tristi subtraham, consumam, transigam. *Petr. Sat.* 119. Persarum ritu male pubescentibus annis Subripuere viros, *h. e.* virilitatem exsecando ademerunt. ℙ Syncope est in his *Hor. Sat.* 2, 3, 283. unum me surpite morti, *h. e.* subducite, surripite; et *Od.* 4, 13, 20. Quae me surpuerat mihi; et *Lucret.* 2, 314. Cernere jam nequeas, motus quoque surpere debent; et *Pl. Capt. prol.* 8. Puerum servus surpuit. Adde 3, 5, 102. et 5, 4, 14.

SURROGO. V. SUBROGO.

SURRUPTUS. V. SURREPTUS.

SURSUM et Sursus, adv. *ἄνω*, in supera parte, et versus superam partem: et inservit verbis tum quietis, tum motus. Contrarium est *deorsum:* et videtur conflari ex *super* et *versum*. *Varr. R. R.* 1, 6. Qui colunt deorsum, magis aestate laborant; qui sursum, magis hieme, *h. e.* campestres agros aut collinos. *Cic. N. D.* 2, 56. Nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt; et *ib.* 33. *med.* Naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citroque commeantibus. *Ter. Eun.* 2, 2, 47. Te totos hos menses quietum reddam, ne sursum deorsum cursites. *Id. Adelph.* 4, 2, 35. Praeterito hac recta platea sursum. *Pl. Amph.* 3, 4, 25. Dein sursum ascendam in tectum. *Mart.* 1, 97. Aspicit nihil cursum. *Gell.* 2, 30. Propellere aliquid sursum. *Tubero* ap. *eund.* 6, 4. Palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. ℙ Jungitur cum *versum*, aut *vorsum*. *Lucret.* 2, 188. Sursus enim vorsus gignuntur, et augmina sumunt. *Cato R. R.* 33. Vineam sursum vorsum semper ducito. *Cic. Or.* 39. *med.* Cum gradatim sursum versus reditur. 0 Proverbii speciem habet illud *Sen. ep.* 44. Omnia ista longa varietas miscuit, et sursum deorsum fortuna versavit. *Petr. fragm. Trag. Burm.* 65. *f.* Sunt mulieres plus sciae, sunt nocturnae, et, quod sursum est, deorsum faciunt.

SŪRUS, a, um, adj. idem ac Syrus, ex consuetudine Latinorum vertendi in *u* Graecam litteram *v*, ut *Surius* idem est ac *Syrius*. Est autem Surus cogn. R. valde frequens. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 166. *n.* 306. M. Pinnius M. L. Surus. *Sura* porro est nomen proprium ancillae ap. *Pl. Truc.* 2, 4. 51. et 2, 6, 60. et *Ter. Hec. a.* 1. *sc.* 1. et 2. V. SURA.

SURUS, i, m. palus, fustis, ut *Festus* docet et suo loco, et in *Rigido*, et eo *Ennium* usum esse ait. Inde est diminutivum surculus. Hinc *crebrisurum* teste *eodem* ap. *Enn.* significat vallum crebris suris, id est palis munitum. *Gloss. Isid.* Surus, musculus brachiorum, et surculus. ℙ *Surus, nomen viri proprium. *Hirt. B. G.* 8, 45. ℙ Et nomen elephanti, i. forte q. Syrus. *Plin.* 8, 5. Cato eum *(elephantum)*, qui fortissime proeliatus esset in Punica acie, Surum tradidit vocatum, altero dente mutilato. Cf. *Syrus* in Auctario. *B. A.*

SUS, (raro *Suis*,) suis, m. et f. *ὗς*, *οὗς*, porcus, vel porca, et dicitur tam de feris, quam domesticis. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Sus Graece dicitur *ὗς*, olim *θῦς* dictus ab illo verbo, quod dicunt *θύειν*, quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur: cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur: et quod nuptiarum initio antiqui reges, ac sublimes viri in Etruria in conjunctione nuptiali, nova nupta et novus maritus primum porcum immolant. *Ov. Fast.* 4, 414. A bove succincti cultros removete ministri, Bos aret, ignavam sacrificate suem. *Cic. N. D.* 2, 64. Sus vero quid habet praeter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus? *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* De suibus nemini ignotum, nisi qui apros non putat sues vocari; et *ib.* 4. Qui suum gregem vult habere idoneum. *Hor. Ep.* 2, 2, 75. lutulenta ruit sus. *Prud. adv. Symm.* 2, 813. Spurca suis nostro amne natat. *Plin.* 28, 17, 67. Macrae suis feminae herbis pastae lardum. *Mart. Spect.* 14. Sus fera, jam gravior, maturi pignora ventris Emisit fetum. ℙ Sues Veneri invisi fuerunt. *Fest.* in *Suillum:* Suillum genus invisum Veneri prodiderunt poetae, ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat Dea: quidam autem, quod immundissimi sint sues ex omni mansueto pecore, et ardentissimae libidinis, ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare et surire dicuntur. ℙ *Sus Minervam docet*, est, indoctus docet sapientem. *Fest.* Sus Minervam in proverbio est: ubi quis id docet alterum, cujus ipse inscius est. *Cic. Acad.* 1, 4. *extr.* Nam etsi non sus Minervam, ut ajunt, tamen inepte quisque Minervam docet. *Id. Or.* 2, 57. *f.* Docebo sus (ut ajunt) oratorem eum, quem, etc. Itali dicunt, *i paperi menano a ber l'oche*. ℙ *Sidon. ep.* 7, 15. *in carm.* Rura paludicolae temnis populosa Ravennae, Et quae lanigero de sue nomen habet, *h. e.* Mediolani agrum. Cum enim Gallis consilium esset eam urbem condendi, solum effodientibus feruut inventam suem dimidio lanatam, a quo portento ductum Mediolani nomen. V. *Isid. Or.* 15, 1. *med.* ℙ Est etiam hoc nomine piscis, qui a *Plin.* 11, 51, 112. caper, vel potius aper vocatur. *Ov. Hal.* 132. Lolligo, durique sues, sinuosaque serpens. ℙ Pro genitivo *suis* olim *sueris* dixere, ut *boveris* pro *bovis*. *Pl. fragm.* ap. *Fest.* in *Spectile:* Pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia. *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* Perna a pede sueris. Alii aliter leg. ℙ In dat. plur. etiam *subus*, ut *bobus* habet. *Lucret.* 6, 974. nam setigeris subus acre venenum est; et *ib.* 977. eadem subus haec jucunda videtur. *Plin.* 29, 4, 23. A quibusdam animalium, ut subus, manditur.

SŪSĂ, orum. V. SUSIANUS.

*SUSCEPTIBĬLIS, e, adj. *Salisb. Policr.* 3, 2. At omnia susceptibilia contrariorum. *B. A.*

SUSCEPTĬO, onis, f. *ὑποδοχή*, actus suscipiendi. *Cic. Fin.* 3, 9. *extr.* Quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt judicanda. *Id. Acad.* 1, 6. *med.* Laborum dolorumque susceptio. *Id. Mur.* 1. *f.* Studium meae defensionis ab accusatoribus, atque etiam ipsa susceptio causae reprehensa est. Adde *Gell.* 9, 3. *extr.*

SUSCEPTO, as, a. 1. frequent. a *suscipio*, sed ejusdem fere significationis. *Appul. Met.* 2. *f.* Vicariam pro me lanienam susceptavit.

SUSCEPTOR, oris, m. *διαδοχεύς*, qui aliquid suscipit. *Justin.* 8, 3. *med.* Mittit, qui opinionem sererent, regem magna pecunia locare et muros, et templa facienda: et ut per praecones susceptores sollicitarent, *h. e.* conductores, redemptores, *ἐργολάβους*, ℙ Item patronus, qui causam suscipit alicujus. *Impp. Acad.* et *Honor. Cod. Theod.* 2, 12, 6. Nemo militantium fiat susceptor, defensorve causarum. ℙ De eo, qui domi suae aleatores, furta et fures, item servos fugitivos suscipit et receptat, *ὑποδέκτης*. *Ulp. Dig.* 11. *tit.* 5. *qui est* De aleatoribus, 1. Susceptorem verberatum praetor non vindicat. *Paul. Sentent.* 5. *tit.* 3. *med.* Sublatis susceptoribus grassantium cupido conquiescit. *Ascon* in *Verr.* 2, 1, 39. Hic extraordinariarum Verris pecuniarum susceptor esse ostenditur, *h. e.* receptator pecuniarum ex sordidis lucris et furtis collectarum. ℙ *Susceptores* etiam dicti, qui per provincias pecuniam tributorum, et species nomine civitatium aut principis excipiebant, in aerarium mox inferenda, *διαδέκται:* eaque in codice describebant, et apochas solventibus dabant; habebantque aliquam similitudinem cum quaestoribus Romanis. De his est in *Cod. Justin.* 10. *tit.* 70. et *Cod. Theod.* 12. *tit.* 6., ubi multa de his. Adde *Ammian.* 17, 10. et *Inscr.* ap. *Mur.* 720, 2. Susceptorum Ostiensium, sive Portuensium antiquissimum corpus.

SUSCEPTUS, a, um, part. a *suscipio: δεδεγμένος*, initus, acceptus, non recusatus, assumptus. *Ov. A. Am.* 3, 198. Oraque suscepta mane laventur aqua. *Stat. Silv.* 1, 3, 43. graminea suscepta crepidine fumant Balnea, *h. e.* fundata, imposita, suffulta. *Cic. ad Quir.* 1. Ut si meas rationes vestrae saluti anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem mea voluntate susceptam. *Id. Quint.* 24. Susceptum negotium transigere. *Id. fragm.* ap. *Lactant.* 2, 3. Ne susceptas publice religiones disputatio talis exstinguat. *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* Sementinae feriae sationis causa susceptae. *Cic. Sull.* 9. *extr.* Bellum susceptum cum omnibus improbis. *Propert.* 2, 7, 63. Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Scelus susceptum, *h. e.* admissum. *Justin.* 11, 10. A captiva susceptum puerum Herculem vocavit. *Virg. A.* 4, 327. siqua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles. *Ov. Trist.* 5, 6, 3. modo suscepti causam dimittis amici, i e. in fidem et clientelam suscepti. Hinc *suscepti* absolute, clientes. *Symm. ep.* 5, 39. (al. 41.) Epictetus causidicorum more prolapsus, dum vult impensus placere suscepto, Sanctum Sabinum incauto sermone perstrinxit. *Imppp. Grat., Valent. et Theod. Cod.* 12, 22, 1. Ne causarum patroni sub unius personа suscepti aliena negotia inserenda esse pertentent. *August. ep.* 59. (al. 149.) *n.* 16. Antistites, velut advocati, susceptos suos misericordissimae offerunt potestati. Adde *Serv.* ad *A.* 6, 609. et *Ammian.* 30, 4. *med.* ℙ *Susceptum* absolute, res suscepta, inceptum facinus. *Ov. Met.* 11, 200. susceptaque magna labore Crescere difficili.

SUSCĬPIO, is, scepi, sceptum, a. 3. *ὑποδέχομαι, παραδέχομαι*, sumo, capio, excipio, recipio, concipio: a *sus* pro sursum, et *capio*, ut vult *Prisc.* 1, 559, vel potius a *sub* et *capio*, quasi *succipio:* ita enim scriptum se invenisse in aliquot MSS. ad *A.* 1, 179. *Pierius* testatur: et ita veteres dixisse, *Serv. ib.* et ad *v.* 148. confirmat. Est igitur proprie *suscipere* subtus accipere aut prehendere, subjecta manu aliave re excipere. *Virg. A.* 11, 805. (et *ib.* 4, 391.) Concurrunt trepidae comites, dominamque ruentem Suscipiunt. *Lucret.* 5, 402. de Phaethonte: solque cadenti Obvius, aeternam suscepit lampada mundi. *Virg. A.* 6, 248. tepidumque cruorem Suscipiunt patateris. *Plin.* 20, 1, 2. Succus suscipitur aqua coeresti, atque subsidit. *Propert.* 4, 9, 36. Et cava suscepto flumine palma sat est: (similis est locus *Ov. A. Am.* 3, 198.) *Sen Troad.* 726. Suscipe, dixit, rector habenas. *Id. Herc. Oet.* 1483. Oeteum nemus suscipiat ignis. Alii leg. *ignem. Virg. A.* 1, 179. silici scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis. ℙ Item suffulcio, sustineo, subtus firmo, suspendo. *Sen. ep.* 90. *med.* Quid loquar lapideas moles, in rotundum ac laeve formatas, quibus porticus et capacia populorum tecta suscipimus? *Id. Ben.* 6, 15. *f.* Labentem domum suscipere. *Plin. ep.* 10, 48. Fulturae ac substructiones, quibus theatrum subinde suscipitur, non tam firmae mihi, quam sumptuosae videntur. *Pall.* 9, 9. Quo facto, latera puteorum structura suscipiat. ℙ Translate. *Plin. ep.* 2, 4. Facilitatis meae fiducia debes famam defuncti pudoremque suscipere. *Quint.* 9, 4. *med.* Quaedam clausulae sunt claudae atque pendentes, sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, *h. e.* insistere ac fulciri. ℙ Item subeo, contraho, admitto, concipio, percipio, haurio. *Lucret.* 3, 461. corpus Suscipit immanes morbos, durumque laborem; et *Cic. Tusc.* 1, 46. *f.* et *Dom.* 37. Suscipere dolorem; et *Vat.* 8. gemitum. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 2, 55. Suscipere invidiam atque offensionem apud populos; et *Att.* 6, 1. *f.* odium alicujus, (alio sensu V. *infra.*). *Id. Cluent.* 56., *Mur.* 4. et *Planc.* 21. *med.* culpam. *Id. Phil.* 11, 4. (et *Catull.* 88, 4.) scelus in se; et *Verr.* 2, 5, 40. *med.* crimen, et vituperationem inconstantiae. *Id. Phil.* 2, 3. *f.* omnes impuritates. *Id. Cluent.* 11. *f.* multa parricidia. *Id. Manil.* 3. et *Font.* 12. maculam et ignominiam; et *Sull.* 24. *med.* Neque enim istorum facinorum tam atrocium crimen P. Sullae persona suscipit. ℙ Item adeo, ineo, recipio. *Cic. Off.* 1, 9. Aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus suscipere nolunt; et *Har. resp.* 4. Cujus ille inimicitias non solum suscepit propter meam salutem, verum etiam appetivit. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic.* ad *Brut.* 1, 17. *in.* Valentissimum Antonium suscipere pro republica non dubitavit inimicum; et *Cic. Dom.* 11. Suscipere laborem, simultatem, contentionem pro dignitate alicujus. *Id. Fin.* 1, 7. *med.* pericula. *Id. Caecin.* 6. *f.* molestiam. *Id. Manil.* 3. poenam dignam suo scelere; et *Off.* 2, 16. aes alienum amicorum. ℙ Item assumo, recipio, aggredior, *προσλαμβάνω*. *Cic. Or.* 1, 22. *med.* Permagnum quiddam suscipere ac profiteri. *Id. Quint.* 24. Quod turpissime susceperas, perseverare et transigere non potuisti. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. *extr.* Cetera ejus suscipio, ut me putem praestare debere. *Brut.* ad *Anton. Fam.* 11, 3. *f.* Etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis. *Id. Leg.* 2, 14. Suscipere, gerere, deponere bellum. *Id. Cat.* 3, 2. *med.* aliquod negotium. *Id. Att.* 4, 15. iter. *Ov. Rem. Am.* 153. Suscipe sanguinei juvenilia munera Martis, *h. e.* militiam sequere. *Just.* 7, 4. *f.* Quae occidendum virum, regnumque adultero tradendum susceperat. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. ad *Att.* Suscipere curam et cogitationem, ut aliquid fiat. *Id. Mil.* 15. *med.* fortissime gravissimam partem reipubli-

cae. *Id. Sext.* 2. partes pietatis potius, quam defensionis; querelae, quam eloquentiae; doloris, quam ingenii. *Id. Fam.* 5, 8. sibi perpetuam propugnationem pro ornamentis alicujus. *Id. Or.* 3, 17. patrocinium voluptatis. *Id. Sext.* 22. salutem reipublicae contra improbos cives. *Id. Rosc. Am.* 38. *f.* onus officii, quod te putas posse sustinere. *Id. Fam.* 3, 7. *extr.* benevolentiam; et *Nep. Dat.* 9. odium in aliquem; et *ib.* 10. *extr.* erga aliquem. *Cic. Fam.* 6, 23. bene ac fortiter aliquod consilium; et *Planc.* 21. *f.* Cursum illum tenere, quem a prima aetate susceperis. *Id. Har. resp.* 28. Hanc orationem tam tristem, tam gravem non suscepissem, nisi hanc personam et has partes deberem et possem sustinere; et *Verr.* 2, 5, 58. *f.* Tantum sibi auctoritatis in republica suscepit, ut, etc.; et *Coel.* 16. Mihi auctoritatem patriam, severitatemque suscipio. *Id. Cluent.* 36. *med.* Suscipere personam viri boni, *h. e.* simulare; et *Liv.* 7, 30. aliquem in amicitiam. Pleriq. alii leg. *accipere;* et *Cic. Leg.* 2, 2. *med.* aliquem in civitatem. ℙ Pertinet etiam ad sacra. *Cic. Vat.* 6. Cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos mactare soleas, etc. *Id. Dom.* 41. In religionibus suscipiendis caput est interpretari, quae voluntas Deorum immortalium esse videtur. *Varr.* ap. *Non.* 2, 724. Quod humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda Telluri ac Cereri. *Liv.* 5, 52. In Jovis epulo num alibi, quam in Capitolio, pulvinar suscipi potest? *h. e.* institui, poni ad lectisternium faciendum. ℙ Et ad funera. *Suet. Claud.* 1. de Druso: Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum, sepultumque est in campo Martio. ℙ *Suscipere votum,* concipere, facere, nuncupare, voto se obstringere: cui respondet *solvere*, cum voti compotes facti, Diis praestamus quae vovimus. *Mart.* 8, 4. Suscipit et solvit pro duce vota suo. *Pl. Amph.* 1, 1, 75. et *Ov. Fast.* 6, 245. Suscipere vota Jovi. *Liv.* 27, 45. *med.* Ut damnarentur ipsi votorum, quae pro iis suscepissent. ℙ *Suscipere filium* est tollere, *h. e.* agnoscere et educare, ut in TOLLO dicemus. *Ter. Andr.* 2, 3, 26. Puerum ne resciscat mihi esse ex illa, cautio est: nam pollicitus sum susccpturum. *Cic. Att.* 11, 9. *f.* Haec ad te die natali meo scripsi, quo utinam susceptus non essem. *Id. Har. resp.* 27. Eodem enim tempore et suscipimur in lucem, et hoc coelesti spiritu augemur. ℙ Hinc *suscipere liberos*, procreare, habere, educare. *Pl. Ep.* 4, 1, 34. Filiam, quam ex te suscepi. *Cic. Phil.* 3, 6. *f.* Ipsa ex libertini filia susceperit liberos. *Id. Verr.* 2, 3, 69. Susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriae. ℙ *Suscipere aliquem,* tuendum, fovendum suscipere: quod patroni faciunt in clientes. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Si me, sicut soles, amas, suscipe me totum. *Plin. ep.* 6, 6. *extr.* Suscepi candidatum, et suscepisse me notum est: ego ambio, ego periclitor. ℙ In dialogismis *suscipere* dicitur, qui post intervallum rursus loqui incipit, et institutum sermonem continuat. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Suscipit Stolo: Tu, inquit, invides, etc., *ὑπολαβὼν ἔφη. Virg. A.* 6, 722. Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo, Suscipit Anchises. *Appul. Met.* 4. Suscipit unus: tune solus ignoras, etc. ℙ In disserendo est assentiri, admittere. *Cic. Tusc.* 1, 32. Qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiunt, posse animum manere corpore vacantem: illud autem, quod facile ad credendum est, id certe non dant, ut, cum diu permanserit, ne intereat. *Id. N. D.* 2, 24. Suscepit autem vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent.

[SUSCĬPŭLUM, i, n. vas quodlibet, quo aliquid suscipitur. *Not. Tir.* p. 148. *F.*]

SUSCĪRI pro sciri, ap. *Pl. Men.* 2, 3, 78. corruptum est. [*Bothius* ibi leg. *subsili. F.*]

SUSCĬTĀBŭLUM, i, n. *ὁρμητήριον*, incitamentum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 826. Phonascus adsum vocis suscitabulum.

*SUSCĬTĀMEN, inis, n. suscitabulum. *Appul. Met.* 1. *B. A.*

SUSCĬTĀTĬO, onis, f. ad vitam revocatio. *Tert. Car. Chr.* 23. ex *Lucae* 2, 34. ubi Vulgata habet *resurrectio.*

SUSCĬTĀTOR, oris, m. *Tert. adv. Prax.* 28. *f.* et translate. *Sidon. ep.* 8, 2. Litterarum quodammodo jam sepultarum suscitator, fautor, assertor.

SUSCĬTĀTUS, a, um, part a *suscito*, excitatus. *Val. Max.* 9, 3. *n.* 3. *extr.* Inflictoque in terram pede, suscitatoque pulvere, etc. ℙ Item expergefactus. *Appul. Met.* 2. *f.* Jam tumultu eo Fotide suscitata, etc. ℙ Item ad vitam revocatus, resuscitatus, *August. Serm.* 44. *de verb. Dom. n.* 2. De hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Adde *ib. n.* 3, 5. et al.

SUSCĬTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐγείρω*, susum cito seu cieo, excito, exsuscito. *Virg. G.* 1, 97. Et qui proscisso quae suscitat aequore terga, Rursus in obliquum verso perrumpit aratro. *Lucan.* 10, 225. Nilus neque suscitat undas Ante Canis radios, nec, etc. *Ov. Her.* 5, 51. Aura levis rigido pendentia lintea malo Suscitat. *Val. Fl.* 2, 125. Fama suscitat aures, *h. e.* erigit, subrigit. *Lucr.* 5, 1165. Suscitare delubra Deum; et *Eum. Pan. ad Constant.* 22. *med.* Basilicas et forum in tantam altitudinem suscitari, ut, etc. ℙ *Suscitare ignem*, sopitum rursus accendere. *Virg. A.* 5, 743. cinerem et sopitos suscitat ignes. *Ov. Met.* 8, 641. hesternos suscitat ignes. ℙ *Suscitare crepitum*, ciere, movere, edere. *Prop.* 2, 3, 4. Et crepitum dubio suscitet ira pede. Sic *Phaedr.* 5, 5. Movetque plausus, et clamores suscitat. ℙ Dormientem, aut sedentem surgere facio. *Pl. Most.* 2, 1, 35. Hic deposuit caput, et dormit: suscita; et *Mil.* 3, 1, 95. Quae me somno suscitet. *Cic. Tusc.* 4, 19. *f.* Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. *Catull.* 80, 3. et cum te octava quiete E molli longo suscitat hora die. *Pl. Rud.* 4, 2, 17. Non illum exspectare oportet, dum herus se ad suum officium suscitet. *Val. Fl.* 3, 545. celerem frondosa per avia cervum Suscitat, *h. e.* e cubili excitat, et ad cursum impellit. *Cic. Rosc. Com.* 13. Te ab tuis subselliis contra te testem suscitabo. De subselliis seu gradibus in theatro. *Mart.* 5, 35. Et suscitanti Lectio reluctatur. *Id.* 3, 95. Et sedeo qua te suscitat Oceanus. *Id.* 6, 9. In Pompejano dormis, Laevine, theatro, Et quereris, si te suscitat Oceanus. ℙ Item ad vitam revoco, resuscito. *August. Serm.* 44. *de verb. Dom. n.* 1. Nemo dubitet qui Christianus est, etiam nunc mortuos suscitari; et *ib. n.* 2. Nisi enim ad mortuos suscitandos Dominus venisset, etc. Adde *ib. n.* 3. 4. 5. et al. ℙ Item abigo. *Catull.* 68, 124. Suscitat a cano vulturium capite. ℙ Translate. *Brut.* et *Cass.* ad *Anton. Fam.* 11, 3. *med.* Suscitare bellum civile; et *Claud. in Eutr.* 2, 281. Curetumque alacres ad tympana suscitat enses. *Nazar. Pan. ad Constant.* 8. Ne sopitam memoriam malorum oratio mea suscitet. *Sen. Ag.* 789. Suscita sensus tuos; et *Ov. A. Am.* 3, 597. Quamlibet exstinctos injuria suscitat ignes; et *Virg. A.* 5, 454. Acrior ad pugnam redit, et vim suscitat ira; et *ib.* 2, 618. ipse Deos in Dardana suscitat arma; et *ib.* 9, 462. Turnus in arma viros suscitat. *Hor. Od.* 2, 10, 18. quondam cithara tacentem Apollo suscitat musam. *Id. Od.* 3, 27, 11. Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu, *h. e.* excitabo, eliciam. *Val. Fl.* 8, 233. Suscitat affixam moestis Aetida curis, *h. e.* erigit ac recreat. *Id.* 3, 209. Vesvius attonitas acer cum suscitat urbes, *h. e.* turbat, terret, ac fugam parare cogit.

SŪSĬĀNUS, a, um, adj. ad Susa pertinens. Nam *Susa, orum, τὰ Σοῦσα*, nomen est amplae urbis Asiae, in regno Persarum, cujus conditorem *Plin.* 6, 27, 31. scribit, fuisse Darium Hystaspis filium; ibique veterem fuisse Persarum regiam. *Prop.* 2, 13, 1. Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis. Hinc *Susiane, es,* regio circa Susa: et *Susiani, orum,* ejus regionis incolae ap. *Plin. l. c.*

SŪSĪNĀTUS, a, um, adj. susinus, ut Susinatum oleum, *Marc. Empir.* 7. *f.* h. e. ex liliis.

SŪSĪNUS, a, um, adj. *σούσινος*, ex liliis confectus: a *σοῦσον*, quod Persica ac Phrygia lingua lilium significat. *Plin.* 13, 1, 2. Susinum unguentum tenuissimum omnium est; constat ex liliis, balanino, calamo, melle, etc. Addo *Cels.* 5, 21.

SŪSIS, idis, f. *Σουσὶς*, adj. quae ad Susa, et Susianen, et ad Persas pertinet. *Sidon. ep.* 7, 17. in carm.: Elapsus regi truculento Susidis orae; et *ep.* 8, 9. *in carm. med.* Aulae Susidis ut tenere culmen Possit.

SUSPECTĀTĬO. V. SUSPICIO, onis.

SUSPECTĀTUS, a, um, part. a *suspecto:* suspectus. *Appul. Met.* 4. Miserrimus pater, suspectatis coelestibus odiis, et irae Superum metuens, etc.

SUSPECTĬO, onis, f. idem ac suspicio. *Enn.* ap. *Non.* 11, 16. Severiter suspectionem ferre falsam, futilium est. *Ter. Andr.* 3, 2, 21. Nam qui istaec tibi incidit suspectio? *Paul. Nol. carm.* 11, 16. Duceret in sanctum suspectio falsa parentem. Alii leg. *suspicio. Auson. ep.* 24, 8. Concinnat verisimilis suspectio culpas. Alii leg. *suspicio. Cels.* 2, 10. *med.* Nulla cruditatis suspectione remanente. *Quint. decl.* 1, 2. *f.* Vel aliquo indicio, vel suspectione muliebri. *Front. Strat.* 1, 8. *med.* Ne suspectione proelii deducerent vires. Omnib. his loc. excepto illo *Ennii*, alii *suspicio* reponunt. V. SUSPICIO, onis. ℙ Est etiam actus suspiciendi, h. e. admirandi, magni aestimandi. *Arnob.* 7, 221. Efficitur, ut videatur magnus, quem suspectio minoris extulerit.

SUSPECTO, adv. suspiciose. *Paul. Dig.* 34, 9, 11. Qui mortem liberorum suspecto decedentium non defenderunt.

SUSPECTO, as, a. 1. *ἀναβλέπω*, sursum specto, frequent. a *suspicio. Ter. Eun.* 3, 5, 35. Virgo in conclavi sedet, suspectans tabulam quandam pictam. *Plin.* 8, 16, 21. Leo suspectans. *Id.* 11, 29, 35. Solicite suspectantibus populis *(locustas volantes)* ne suam operiant terram. ℙ Est etiam suspicari, suspectum habere. *Tac. H.* 3, 82. Omnem prolationem, ut inimicam victoriae, suspectabant. *Id. A.* 4, 3. Pellit domo Sejanus uxorem, ne pellici suspectaretur; et *ib.* 12, 65. Agrippinam magis magisque suspectans. *Id. ib.* 15, 51. *extr.* Suspectante Nerone, haud falsa esse, quae vera non probarentur. *Id. H.* 2, 27. *extr.* Suspectare perfidiam. *Appul. Apol.* Vidua non minus suspectans novam domum *(mariti)*, quam ipsa jam ob unum divortium suspectanda. ℙ Deponentis forma. *Ammian.* 28, 1. Impetrarunt, ut hi, quos suspectati sunt, illico rapti compigerentur in vincula.

SUSPECTOR, aris. V. in SUSPECTO, as.

SUSPECTOR, oris, m. qui suspicit, admirator. *Sidon. ep.* 3, 5. Morum vestrorum suspector admiratorque.

SUSPECTUS, a, um, part. a *suspicio: ὕποπτος*, is de quo suspicionem habemus: a *suspicio*, vel a *suspicor. Sall. Jug.* 73. Bomilcar suspectus regi, et ipse eum suspiciens. *Caes. B. G.* 5, 52. *f.* Nulla fere fuit civitas non suspecta nobis. *Cic. Am.* 15. In tyrannorum vita omnia suspecta atque sollicita. *Id. Cat.* 1, 7. Si me meis civibus suspectum tam graviter, atque offensum viderem. *Id. Tusc.* 3, 1. Medicina animi pluribus suspecta et invisa. *Id. Off.* 2, 9. *f.* Quo quis versutior et callidior est, hoc invisior et suspectior, detracta opinione probitatis. *Id. ib.* 3, 25. Cum filius patri suspectus esset de noverca. *Suet. Gr.* 16. (et *Tac. H.* 1, 13.) Cum filiam patroni doceret, suspectus in ea, et ob hoc remotus. [*Huc pertinet etiam *Ejusd. Vit.* 14. suspectus et in morte matris fuit: ubi alii *in mortem:* quae falsa est lectio. V. *Oudend.*] *Id. Tit.* 6. Suspectissimum quemque sibi haud cunctanter oppressit. *Sall. Jug.* 74. *extr.* Ne super tali scelere suspectum se haberet. *Tac. H.* 1, 46. Adjungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis suspectus consilia ejus fovisse. *Id. A.* 3, 29. *extr.* Suspectus jam nimiae spei Sejanus; et *ib.* 60. Suspecti capitalium criminum. *Ulp. Dig.* 26, 7, 6. *f.* Suspectum aliquem facere. [*Vell. 2, 35, 3. suspectus societate consilii.] ℙ De rebus inanimis. *Hor. Ep.* 1, 16, 50. Accipiter metuit suspectos laqueos. [*Liv. 21, 7. ut in suspecto loco, i. e. non satis tuto, periculoso; et 31, 47. sinus Euboicus suspectus nautis.] *Plin. ep.* 10, 91. Locus suspectus et mollis: sc. ad aquam perducendam. *Pall.* 1, 16. Si provincia de morbis aestate suspecta est. *Plin.* 27, 9, 55. Folia filicis serpentem non recipiunt: ideo substerni utile est in locis suspectis. *Ov. Met.* 15, 332. Est locus Arcadiae, etc. Ambiguis suspectus aquis. *Sen. Ag.* 464. Suspecta varius occidens fecit freta. *Ser. Sam.* 50, 929. Suspectum tempus, *h. e.* quo accedere solet febris. Sic *Sen. Ben.* 6, 8. Suspectae horae quartanae. *Plin.* 20, 6, 23. Suspectos tumores sanare. *Id.* 31, 6, 37. Aquam frigidam suspectam haurire. *Ov. Met.* 1, 616. crudele, suos addicere amores: Non dare, suspectum. [*Suet. *Aug.* 43. in ea parte consedit, quae suspecta maxime erat, i. e. cujus ruina maxime metuebatur. Cf. *Dom.* 14. ubi bis occurrit; et *Tit.* 7.] ℙ Item suspicans, suspicax. *Cat. distich.* 4, 89. Suspectus cave sis, ne sis miser omnibus horis. Nam timidis et suspectis aptissima mors est. *Appul. Met.* 9. Suspectus e re nata, quae gesta sunt, etc. ℙ [*Item invisus. *Ov. Ep.* 20, 173. Hic facit, ut jaceas, et sis suspecta Dianae: quem locum laud. *Ruhnk.* ad *Ejusd. Her.* 19, 148.] ℙ De eo, quem admiramur, et laudamus. *Vitr.* 9, 3. Grati in ejus rei concertationibus sunt suspecti. ℙ [*Confund. *suspectus* et *susceptus.* V. *Spald.* ad *Quint.* 11. p. 415. *crit.*]

SUSPECTUS, us, m. *ἀνάβλεψις*, actus suspiciendi, h. e. sursum aspiciendi. *Plin.* 9, 38, 62. Color nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens. *Id.* 37, 9, 40. Color praecellens debet esse in suspectu. Adde 21, 8, 22. ℙ Metonymice est altitudo. *Virg. A.* 6, 578. Tartarus Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum. *Id. ib.* 9, 530. Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis. ℙ Item admiratio, cultus. *Ov. Fast.* 5, 31. Protinus intravit mentes suspectus honorum. *Sen. Ben.* 2, 26. Nimius sui suspectus, et insitum mortalitati vitium se suaque mirandi. *Id. Consol. ad Marc.* 5. Facta ejus dictaque quanto meruit suspectu celebramus. *Vitr.* 7. *praef. f.* Quorum excellentiae, prudentesque cogitationum apparatus, suspectus habent in Deorum sessimonio.

SUSPENDĔO. V. SUPPENDEO.

SUSPENDĬOSUS, a, um, adj. qui suspendio sibi mortem conscivit. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 603. Suspendiosis, quibus justa fieri jus non sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis, parentari. *Plin.* 28, 4, 12. Laqueus suspendiosi circumdatus temporibus, capitis dolorem sedat. Adde *Ulp. Dig.* 3, 2, 11.

SUSPENDĬUM, ii, n. *ἀγχόνη, ἀρτάνη*, suspensio per laqueum collo injectum. *Cic. Verr.* 2, 3, 56. *med.* Ut homines injuriae tuae remedium morte ac suspendio quaererent. *Ov. Am.* 1, 12, 17. Praebuit illa arbor misero suspendia collo. *Pl. Aul.* 1, 1, 11. Utinam me Divi adaxint ad suspendium. *Id. Cas.* 1, 23. Hercle me suspendio satius est mortuum. *Petr. Sat.* 94. et *Suet. Aug.* 65. Suspendio vitam finire. *Plin.* 28, 1, 2. Suspendio interemptus. *Id.* 8, 37, 56. Erinaceus apprehensus pede altero e posterioribus, suspendio ac fame necatur. *Appul. Met.* 9. *med.* Suspendium sese et totis illis, et ipsis legibus mandare proclamans. V. MANDO, as.

SUSPENDO, is, endi, ensum, a. 3. *ἀναρτάω, ἀναχρεμάω*, sursum appendo, in alto ligo, ut pendeat.

Plin. 19, 6, 34. Allium super prunas suspendere. *Id.* 23, 7, 63. aliquid illigatum licio e collo; et 17, 23, 35. *n.* 26. vitem sub ramo vinculo. *Id.* 30, 4, 11. et *ib.* 15, 48. aliquid in fumo. *Id.* 37, 9, 40. aliquid collo. *Virg. G.* 2, 389. Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu; et *ib.* 4, 307. tignis nidum suspendit hirundo. *Id. A.* 1, 322. humeris habilem suspenderat arcum. *Id. ib.* 5, 488. trajecto in fune columbam, etc. malo suspendit ab alto. *Apic.* 2, 1. Singula ad fumum suspenduntur. *Id.* 2, 4. Lucanica ad fumum suspenditur. *Id.* 7, 7. Aqualiculum porci ad fumum suspendis. [**Ov. Met.* 6, 576. Stamina barbarica suspendit callida tela: ubi v. *Gierig.*] ℙ Item appendo obstricta gula occidendi causa. *Pl. Poen.* 1, 2, 34. Restim tute tibi cape, ac suspende te. *Id. Rud.* 5, 3, 59. Perii hercle: nisi me suspendo, occidi. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. *med.* Hominem corripi, ac suspendi jussit in oleastro. *Vet. Lex.* ap. *Liv.* 1, 26. et *Cic. Rab. perd.* 4. Caput obnubito: infelici arbori reste suspendito. *Cic. Or.* 2, 69. Uxorem suam suspendisse se de ficu. *Ulp. Dig.* 48, 13, 6. Sacrilegos in furcas suspendere. *Ov. Met.* 15, 101. pisces hamo. ℙ *Suspendere in trutina aliquid* ap. *Juven.* 6, 436. est trutina examinare. Sic *Pers.* 4, 10. Scis etenim justum gemina suspendere lance. ℙ De rebus votivis, quae appenduntur in templis. *Virg. A.* 6, 860. Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino; et *ib.* 9, 408. siqua ipse meis venatibus auxi, Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi. *Hor. Od.* 1, 5, 15. Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo. Adde *Virg. A.* 12, 767. ℙ Est etiam fulcire, sustinere, firmare, suscipere. *Sen. Ben.* 6, 15. *f.* Agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendere. *Plin.* 33, 4, 21. Tellus ligneis columnis suspenditur. *Mart.* 2, 43. Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes: Fulcitur testa fagina mensa mihi, *h. e.* mensas citreas eboreis pedibus fultas habes. *Lucan* 3, 396. terra levis mediam virgultaque molem Suspendunt. [**V. Cort.* ad h. l.] *Colum.* 12, 18. *med.* Dolia subjectis parvis lapidibus suspendere. Sic 3, 13. *med.* Praestat, vineam non conserere, quam in summa terra suspendere, *h. e.* leviter demersam deponere. *Id.* 2, 16. *extr.* Lupinum robustius glebas solidiores diutius sustinet et suspendit. ℙ *Suspendere aedificium* est in altum super arcus, aut fornices exstruere. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 3, 24. Primus balneolas suspendit, inclusit pisces. *Id. Top.* 4. *med.* Damnum factum est ejus operis vitio, quod ita aedificatum est, ut suspendi non posset. *Pall.* 1, 20. Subjectis inde cuniculis pavimenta suspendat, et ignem suggeret. *Caes. B. C.* 2, 9. Tignis suspendere contignationem; et *ib. med.* Turris tectum ex contignatione prima suspendere ac tollere. *Plin.* 16, 36, 64. Arundinibus cacámeras levissime suspendere. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 14. Canachus servum (*statuam*) ita vestigiis suspendit, ut linum subter pedes trahatur, *h. e.* suspensis pedibus, et vix solum tangentibus fecit. *Quint.* 11, 3. *med.* Pedem summis digitis suspendere, *h. e.* ita levare, ut solis digitis insistat. ℙ *Pall.* 6, 11. Pavimenta in frigidis regionibus, et ubi pruinae sunt, glacie suspenduntur, et pereunt: intumescunt, et sustolluntur. ℙ Aliquando est arare, quia vomere terra sustollitur. *Virg. G.* 1, 68. si non fuerit tellus fecunda, etc. tenui sat erit suspendere sulco. *Stat. Th.* 4. 117. Qui ripas, Lyrice, tuas litora multo Vomere suspendunt. ℙ Et in alto locare. *Val. Fl.* 2, 85. Junonem (*Juppiter*) volucri primam suspendit Olympo, Horrendum chaos ostendens, poenamque barathri, *h. e.* in summo Olympo ligavit. *Sil.* 3, 556. Castraque praeruptis suspendunt ardua saxis. ℙ Translate est interrumpere, differre, aliquantisper sistere. *Liv.* 39, 29. Movit aliquantum oratio regis legatos: itaque medio responso rem suspenderunt. *Ov. Fast.* 4, 849. Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum Sustinet: et pietas dissimulata patet. *Quint.* 1, 8. de lectione pueri: Sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere. *Id.* 11, 3, 35. Observandum, quo loco sustinendus, et quasi suspendendus sermo sit, quo deponendus. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat rhet.* p. 491.] ℙ De morbis. *Plin.* 25, 12, 91. Psyllion illitum fronti epiphoras suspendit; et 28, 7, 21. Lac madida lana frontibus impositum, fluxiones oculorum suspendit. ℙ Item incertum reddere, suspensum habere. *Ov. Met.* 7, 307. Illa brevi spatio silet, et dubitare videtur, Suspenditque animos ficta gravitate. *Plin. ep.* 2, 20. Ut diu miseram exspectatione suspendat; et *Quint.* 9, 2. *med.* Cum diu suspendisse judicum animos, subjecit quod multo esset improbius. *Suet. Tib.* 24. Precantem senatum, et procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis, et callida cunctatione suspendens. Adde *Quint. decl.* 8, 4. ℙ Item admirantem detinere, stupore defigere. *Hor. Ep.* 1, 1, 97. Suspendit picta vultum mentemque tabella. ℙ *Suspendere naso.* V. NASUS.

SUSPENSĒ, adv. suspenso animo. *August. Conf.* 10, 34. *f.* Evellis aliquando non sentientem, quia suspensius incideram.

SUSPENSĬO, onis, f. κρεμασμός, actus suspendendi. Translate. *Hirt. B. Afr.* 48. *med.* Exercitus ejus magis suspensione animi ante adventum Jubae commovebatur. Alii leg. *magis suspensiore animo.* ℙ Est etiam locus suspensus, h. e. arcuato, aut fornicato opere factus. *Vitr.* 5, 10. Flamma facilius pervagabitur sub suspensione. *Id. ib. paulo supra* suspensuram *vocat.*

SUSPENSŪRA, ae, f. opus a terra elevatum, et suspensum. *Vitr.* 5, 10. de balneis: Suspensurae caldariorum ita sunt faciendae, etc. *Sen. ep.* 90. *med.* Quaedam nostra prodiisse memoria scimus, ut suspensuras balneorum, et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, *h. e.* balnea a terra substructionibus, et pilis elevata, ut siccora sint, et facilius calorem concipiant. *Pall.* 1, 40. Suspensuras cellarum sic facies: aream primo bipedis sternis, etc. *Plin.* 9, 54, 79. et 26, 3, 8. balneas hujusmodi *pensiles* vocat.

SUSPENSUS, a, um, part. a *suspendo:* κρεμασθείς, κρεμαστός, appensus, pendens. *Cato R. R.* 162. Perna suspensa in vento, et in fumo. *Lucr.* 1, 305. fluctifrago suspensae in litore vestes Uvescunt: eaedem dispansae in sole serescunt. *Id.* 6, 1126. suspensa manet vis aere in ipso. *Ov. Met.* 8, 652. erat alveus illic Fagineus, curva clavo suspensus ab ansa. *Liv* 8, 16. *med.* Cum vinculis ruptis, religata ad pinnam muri reste suspensus, manibus se demisisset. *Cels.* 10, 8. *n.* 3. *f.* Brachium commode ex cervice suspensum. *Plin.* 28, 8, 27. Caro hyaenae suspensa collo continet partus. *Id.* 26, 5, 14. Herba suspensa in collo comprimere dicitur strumas. *Id.* 20, 20, 81. Radicem ejus filo suspensam e collo gerere. *Id.* 32, 8, 29. Suspensae pedibus ranae. ℙ Ἐλληνισμὸς est in illo *Hor. Sat.* 1, 6, 74. et *Ep.* 1, 1, 56. de pueris: Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto, *h. e.* habentes loculos et tabulam e laevo brachio suspensam. ℙ *Sen. Ben.* 4, 12. *med.* Suspensum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus, *h. e.* pendentem conspicuo loco, et amici bona venalia continentem. Alii leg. *suspensis amici bonis*, etc. ℙ De iis, quae Diis dicantur, et in templis appenduntur. *Tibull.* 2, 4, 23. Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis. *Plin.* 18, 3, 3. Frugem furtim pavisse, puberi capitale erat: suspensumque Cereri necari jubebant. ℙ De iis, qui obstricta gula suspensi necantur. *Ov. Ib.* 301. More vel intereas capti suspensus Achaei; et *Gell.* 15, 10. Virgines corporibus suspensis demortuae. ℙ *Suspensus* etiam dicitur, qui leviter imprimitur, nec toto pondere gravat. *Colum.* 12, 49. (et 52.) Oliva injicitur quam mundissimis molis suspensis, ne nucleus frangatur. *Lucr.* 5, 1068. morsuque potentes Suspensis teneros imitantur dentibus haustus. *Phaedr.* 2, 4. Suspenso pede evagari. *Ter. Phorm.* 5, 6, 28. Suspenso gradu ire. Sic *Ov. Fast.* 6, 338. Et fert suspensos, corde micante, gradus; et *ib.* 1, 425. vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu. *Sil.* 15, 617. Erepit, suspensa ferens vestigia, castris. *Virg. Cir.* 212. suspensa levans digitis vestigia primis. *Sen. Controv.* 1. *praef. f.* Per spinosum locum ambulantem suspensos pedes ponere. [**Ov. Met.* 8, 398. primos suspensus in artus. *Plin. Pan.* 22, 4. ac ne eum quidem vacantem solum, qui nonnisi suspensum et instabile vestigium caperet, i. e. cui propter exiguum spatiolum, nonnisi suspenso pede, aut primoribus pedum digitis inniti liceret. Projecturae parietum, suggrundia et sim. intell.] *Quint. decl.* 1, 13. *f.* Suspensa manu sonantem blande cardinem flectere. Et translate. *Plin. ep.* 6, 12. Suspensa manu commendare aliquem, *h. e.* leviter, perfunctorie, dubitanter. ℙ Item levatus, sublatus, elatus. *Cic. Tusc.* 2, 27. Equi illi Neptunii, qui per undas currus suspensos rapuisse dicuntur. *Plin. ep.* 8, 20. Radix suspensa pariter, et mersa; et *Virg. A.* 7, 810. vel mare per medium fluctu sospensa tumenti Ferret iter. *Sil.* 1, 470. Corus suspensum in terras portat mare. *Colum.* 3, 13. *med.* Neque parum refert, suspensissimum esse pastinatum, et si fieri possit, vestigio quoque inviolatum. *Prop.* 3, 4, 8. Nunc mihi siqua tenes, ab origine dicere prima Incipe: suspensis auribus ista bibam, *h. e.* arrectis. ℙ Item in alto fultus, sustentatus, pendens. [**Liv.* 38, 7. suspenso furculis ab hostibus muro, i. e. quum hostes muro subruto subposuissent furcas, ne collaberetur.] *Petr. Sat.* 135. Humilis casa fumoso suspensa tigillo. *Hor. Sat.* 2, 8, 54. suspensa graves aulaea ruinas In patinam fecere. *Claud. Nupt. Hon.* 163. haec caerulea suspensa leaena Innatat, *h. e.* innitens, sedens. [*Huc pertinet etiam illud *Luc.* 3, 491. nunc aries suspenso fortior ictu Incussus densi compagem solvere muri tentat: ubi *Cort.* frequentem hujus vocabuli in his usum, quo idem est quod attractus, adductus, illustrat multis exemplis.] ℙ Item in alto situs, editus. *Virg. A.* 8, 190. saxis suspensam hanc aspice rupem. *Sil.* 12, 532. Anagnia dorso suspensa tumenti. *Cic. Agr.* 2, 35. Roma coenaculis sublata atque suspensa. *Virg. Cir.* 53. Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu Vel salicis lentae, etc. *Plin.* 15, 10, 9. Grandissimus pineis nucibus fructus altissimeque suspensus. *Pall.* 1, 40. Balneum constituere loco ab humore suspenso. ℙ De volantibus. *Sil.* 12, 94. Suspensum librans media inter nubila corpus Enavit, Superosque novus conterruit ales. *Stat. Th.* 3, 463. Nubila suspenso celerem temerasse volatu Persea. *Claud. Idyll.* 1, 76. stipatque volantem Alituum suspensa cohors. *Id. IV. cons. Honor.* 543. vix te suspensa sequuntur Agmina. ℙ Translate est animi pendens, incertus, dubius, anceps, sollicitus. *Cic. Att.* 2, 18. Intellexi, quam suspenso animo et sollicito scire averes, quid esset novi. *Id. Agr.* 2, 25. Nolo, suspensam et incertam plebem R. obscura spe et caeca exspectatione pendere; et *ib.* 1, 8. Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus tradidistis. *Id. Or.* 1, 56. *med.* Suspenso animo et occupato Crassum tibi respondisse video. *Id. Phil.* 7, 1. Animus aberat a sententia, suspensus curis majoribus. *Id. Cluent.* 3. *med.* Ne diutius oratione mea suspensa exspectatio vestra teneatur; et *ib.* 19. *f.* Timor ejus, perturbatio, suspensus incertusque vultus, crebra coloris mutatio. *Planc.* ad *Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. Si cui forte diutius et hominum exspectationem, et spem reipubl. de mea voluntate tenuisse suspensam. *Liv.* 8, 13. *f.* Tot populos inter spem metumque suspensos animi habetis. [*De constructione v. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 3, 1, 124. Plura Livii exempla suppeditat *Gloss. Liv.* s. h. v.] *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus. *Ov. Her.* 16, 84. Suspensus timor, *h. e.* suspensos faciens. [*V. *Ruhnk.*] *Claud. B. G.* 457. mentem suspensa silentia librant, *h. e.* quae servari solent, cum quis animi suspensus est. *Tac. A.* 1, 11. Tiberio, etiam in rebus, quas non occuleret, suspensa semper et obscura verba. *Cic. Fam.* 5, 13. Laus sapientiae maxima, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes, *h. e.* extra nos petitas, atque adeo incertas. *Hirt. B. Afr.* 18. Suspensiore animo commoveri. V. SUSPENSIO. ℙ Absolute. *Plin. ep.* 6, 4. Est enim suspensum et anxium, de eo, quem ardentissime diligas, interdum nihil scire. *Id. ep.* 10, 40. *med.* Rem totam, dum te consulerem, in suspenso reliqui; et *Cajus Dig.* 9, 4, 15. Si adhuc in suspenso sit statuta libertas, *h. e.* in pendenti. ℙ Item cohibitus, compressus, [*interruptus. *Liv.* 6, 38. Suspensa de legibus res ad novos tribunos militum dilata.] *Ov. Am.* 1, 7, 57. Suspensaeque diu lacrimae fluxere per ora. (Adde *Albinov.* 1, 114.) *Quint. decl.* 19, 14. *extr.* Non diviso dolore, non per partes, non per intervalla suspenso. [**Lucan.* 4, 531. Tentavere prius suspenso vincere bello: ubi *Cort.* laud. *Lucan.* 4, 219. haerent suspensis agmina bellis.] ℙ *Aura suspensa levisque* ap, *Lucr.* 3, 197. est placida, quieta, silens, quasi a cursu cohibita.

SŪSPĪCĀBĬLIS, e, adj. *Arnob.* 1, 28. medicinam vocat artem suspicabilem.

SUSPĪCATRIX, icis, f. suspicax. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* ex *veteri Scriptore.*

[SŪSPĪCĀTUS, a, um, part. a *suspicor:* suspicionem habens. *Caes. B. G.* 4, 32. Caesar id, quod erat, suspicatus. *Id. B. C.* 1, 40. Fore id suspicatus, quod accidit.

SUSPĪCAX, acis, adj. omn. gen. ὑποληπτικός, suspiciosus. *Liv.* 40, 14. Minime malus ac suspicax frater. *Quint. decl.* 18, 2. In rumore tam suspicax, post tormenta patiens. *Tac. A.* 1, 13. Suspicacem alicujus animum perstringere; et *ib.* 3, 11. Suspicax silentium, [*i. e. quod suspicionem praebet.] Adde *Sen. Ira* 2, 29., quamquam ibi immerito dubitat *Lipsius.*

SŪSPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. ἀναβλέπω, sursum aspicio. *Cic. N. D.* 2, 2. Cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus. *Id. Har. resp.* 9. *med.* Quis cum in coelum suspexerit, Deos esse non sentiat? *Plin.* 35, 8, 34. Varie formare vultus, respicientes. suspicientesque, et despicientes. *Lucan.* 6, 476. submisso vertice montes Explicuere jugum: nubes suspexit Olympus. V. integr. loc. ℙ Translate est [*animo, cogitatione aliquid alto quasi loco positum assequi, efferri ad: nostr. *erfassen, sich empor schwingen. Cic. Amic.* 9. Nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem tamque contemtam. ℙ Hinc est] admirari; quasi supra nos aspiciamus illum esse collocatum in sede sublimiori, quem admiramur. *Cic. Div.* 2, 72. Et eam naturam suspiciendam admirandamque hominum generi pulcritudo mundi, ordoque rerum coelestium cogit confiteri. *Id. Off.* 2, 10. Itaque eos viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus. *Id. Or.* 28. de eloquentia: Quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. *Hor. Ep.* 1, 6, 18. I nunc, argentum, et marmor vetus, aeraque, et artes Suspice. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. Sic honores praemiaque vestra suspicio, ut, etc. *Plin.* 6, 22, 24. Mirum in modum justitiam ille suspexit. ℙ [*Hinc in universum est colere, honore aliquem dignum habere. *Vell.* 2, 146, 2, Suspicit potentem humilis, non timet. *Suet. Claud.* 28. libertorum praecipue suspexit Posiden.] ℙ Item suspectare, suspectum habere. *Sall. Jug.* 73. Bomilcar suspectus regi, et ipse eum suspiciens. ℙ [*Confund. *suspicere* et *adspicere.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 218 *b.* Porro *Suspicere* et *suscipere.* V, *Gierig.* ad *Plin. Pan.* 62, 7. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 645.]

SUSPĪCĬO, onis, f. *ὑποψία, ὑπόληψις*, actus suspicandi, metus, conjectura, incerta opinio de malo: a *suspicor*. *Cic. Fin.* 1, 16. Improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum judex. *Caes. B. G.* 1, 4. *extr.* Neque abest suspicio, quin ipse sibi mortem consciverit. *Hirt. B. Afr.* 45. Quod et tempestas erat turbulenta, et nulla suspicio hostis. *Caes. B. G.* 1, 19. Cum ad has suspiciones certissimae res accederent. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 900. Multis suspicionibus volentia plebi facturus videbatur. *Pl. Ps.* 1, 5, 149. Suspicio est mihi, nunc vos suspicarier, me idcirco haec promittere, etc. *Id. Merc.* 1, 2, 100. Suspicio me prehendit. *Ter. Andr.* 2, 2, 22. Mihi incidit suspicio. *Cic. Fam.* 13, 24. Ut omnem offensionem suspicionis, quam habebas de Lysone, deponeres; et *ib.* 3, 12. *extr.* Dare alicui suspicionem ficte reconciliatae gratiae. *Caes. B. G.* 7, 62. Acerrime reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugae quisquam; et *ib.* 1, 39. Timoris suspicionem vitare; et *ib*, 2, 33. infidelitatis sustinere. *Nep. Dat.* 10. 10. praebere alicui insidiarum. *Id. Eum.* 4. injicere hostibus, his locis esse castra. *Caes. B. C.* 3, 38. inferre. *Nep. Dat.* 11. parere. *Cic. Att.* 7, 8. afferre. *Auct. ad Her.* 4, 27. occulte facere. *Cic. Cluent.* 64. commovere in aliquem. *Id. Fam.* 2, 16. moveo nonnullis, velle me navigare. *Nep. Ann.* 2. Ut Annibalem in suspicionem regi adducerent. *Caes. B. G.* 6, 18. Res venit in suspicionem. *Cic. Fl.* 33. Decianus, qui tibi in suspicionem nullo suo delicto venit. *Id. ad Brut.* 1, 6. Venire alicui in suspicionem de aliqua re. *Id. Har. resp.* 17. Multi sunt, in quos hujus maleficii suspicio cadat. *Id. Phil.* 11, 10. In eandem cadere suspicionem collega non potest; et *Verr.* 2, 5, 4. *f.* Leonidae cujusdam familia in suspicionem vocata est conjurationis. *Id. Rosc. Am.* 10. In hac re nulla subest suspicio. [*Id. *ib.* 20, 65. in quem ea suspicio conveniret: quod modo dixerat: ad quem ea suspicio pertineret. *Frotsch.* ad *Cic. Sull.* p. 46.] *Ter. Hec.* 4, 2, 23. Exsolvere se suspicione. *Id. Eun.* 3, 1, 46. Suspicionem augere. *Cic. Verr.* 2, 3, 59. *f.* levare atque ab se removere; et *ib.* 60. *extr.* omnem ab sese propulsare. *Id. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* tollere. *Pl. As.* 4, 1, 29. abs se segregare. *Id. Trin.* 3, 3, 54. amovere ab aliquo. *Cic. Inv.* 1, 16. Si aliquas minus honestas suspiciones injectas diluemus. Est qui leg. *suspectationes.* [*Ita *Cod. Erf.* non improb. *Graevio.* ℙ In rebus oratoriis v. *suspicio* varie usurpatur. Primum quidem *suspiciones* dicuntur, cum accusator, in narratione imprimis rei facta vel dicta omnibus modis suspecta facit, quantum fieri potest, si forte ex aliqua tali vel levissima macula culpa augeri possit, V. *Auct.* ad *Her.* 2, 2. — Deinde vero etiam in constitutione conjecturali proprie *suspiciones* dicuntur argumenta et *περιστάσεις*, quae ad factum probandum vel arguendum proferuntur. V. *Cic. Inv.* 2, 12. 13. — Denique *suspicio* in controversiis figuratis, s. coloratis est, ubi accipi volumus aliud latens et auditori quasi inveniendum. Cf. *Quint.* 9, 1. et 2. Haec ex *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 391. sq. transscripsimus, ubi plura de his invenies.] ℙ *Suspicionem habere* tum active sumitur, pro suspicari. *Cic. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Suspicionem nullam habebam, te mare transiturum. ℙ Tum passive, pro in suspicione esse, esse suspectum. *Nep. Ep.* 5. *f.* Habebat enim Meneclides suspicionem adulterii. *Cic. Cluent.* 62. Ea res satis firmam veneni suspicionem non habet. *Id. Att.* 16, 4. *med.* Haec navigatio habet quasdam suspiciones periculi. *Pl. Mil.* 2, 4, 35. Suspicionem maximam sum visa sustinere. *Ter. Hec.* 4, 2, 23. Et me hac suspicione exsolvam. *Caes. B. G.* 5, 44. *f.* Gallus inter Gallos sine ulla suspicione versatus. Adde *Hirt. B. Afr.* 87. ℙ Interdum suspicio est opinio, cogitatio, conjectura, levis cognitio. *Cic. N. D.* 1, 23. Multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit; et *ib.* 3, 25. Istam intelligentiam non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. ℙ Item levis sensus, leve indicium. *Pall.* 2, 15. *med.* Mulsa, quae suspicionem tantum possit habere dulcedinis. *Petr. Sat.* 94. *f.* Nulla suspicione vulneris laesus. ℙ [Singulare est illud *Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. *f.* Quod librarii manu epistula est, a labore gravi digitis consului, qui sunt jam in suspicione, *h. e.* qui ex chiragra jam jam laboraturi videntur. V. SUSPECTUS, a, um, *F.*] ℙ Secunda syllaba longa est, quasi sit contracta a *suspicatio*, vel potius a *suspicio* ab antiquo *suspicitum* pro *suspectum*. *Phaedr.* 3. *prol.* Suspicione si quis errabit sua; et 3, 10. Maligna insontem deprimit suspicio. *Mart.* 11, 45. Oblinitur, minimae si qua est suspicio rimae. *Auson. ep.* 24, 8. Concinnat verisimilis suspicio culpas. Est qui leg. *suspectio. Paul. Nol. carm.* 11, 16. Duceret in sanctum suspicio falsa parentem. Hic quoque alii *suspectio. Plaut.* quoque semper produxisse dicitur ab eruditis, qui ejus metrorum rationem accurate inspexerunt. Ego Latinum poetam, qui corripuerit, inveni adhuc neminem. [*Heusing. observv. antib. n.* 339. v. *suspicio* ortum putat ex *suspicitio*. ideoque *suspitio* exarandum: improb. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 250.]

SUSPĪCĬOSĒ, adv. *ὑπόπτως*, suspicionem injiciendo. *Sen. Contr. prooem.* 3. Affectus efficaciter movit: figurabat egregie, praeparabat suspiciose. *Cic. Dejot.* 6. Non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem. *Id. Rosc. Am.* 20. Cum aliquid habeat, quod possint criminose ac suspiciose dicere. *Id. Brut.* 34. *extr.* Qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivi neminem. [**Suspiciose dicere, loqui, arguere* est ejus, qui ita loquitur, ut auditor plus suspicetur, quam audiat, ut judices veram esse rem suspicentur, de qua quis verba coram ipsis faciat. V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 182. sq. ed. *Fr.* et *Math.* ad *Cic. Rosc. Am.* 28, 76. V. etiam in *suspicio*, *onis*.]

SUSPĪCĬOSUS, a, um, adj. *ὑποληπτικός*, pronus ad suspicandum, suspicionum plenus. *Ter. Ad.* 4, 3, 14. Omnes, quibus sunt res minus secundae, magis sunt suspiciosi. *Cic. Verr.* 2, 5, 29. An te, id quod fieri solet, conscientia timidum suspiciosumque faciebat? *Id. Q. Fr.* 1, 1, 4. *f.* Durum in suos esse nimium, aut suspiciosum. *Id. Fl.* 28. In tam suspiciosa ac maledica civitate. *Sen. V. B.* 15. Vita anxia, suspiciosa, trepida, casuum pavens. ℙ Item de quo suspicio habetur, suspectus. *Cic. Fl.* 3. Suspiciosissimum negotium. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Suspiciosissimum tempus. *Id. Part.* 33. Haec sunt, quae suspiciosum crimen efficiunt. *Id. Cluent.* 19. *extr.* Quae erant ante suspiciosa, aperta et manifesta facere. *Id. Rosc. Am.* 7. Id quod adhuc est suspiciosum, perspicuum facere. *Cato* ap. *Gell.* 9, 12. et *Non.* 2, 763. Homo famosus, et suspiciosus. *Suet. Dom.* 10. *med.* Suspiciosi joci, [*i. e. qui suspicionem movere possunt.] *Sen. ep.* 114. *in.* Suspiciosae sententiae, in quibus plus intelligendum est, quam audiendum.

[SUSPĪCĬTER, adv. idem ac suspiciose. *Non.* 4, 337. Observare, curiose et suspiciter circum aspicere. *F.*]

SUSPĪCO, as, V. in v. sq.

SUSPĪCOR, aris, atus sum, dep. 1. *ὑπολαμβάνω, οἴομαι*, suspicionem habeo alicujus mali, vereor. *Caes. B. G.* 1, 44. *f.* Debere se suspicari, simulata Caesarem amicitia, etc.; et *ib.* 4, 6. Eo cum venisset, ea quae fieri suspicatus erat, facta cognovit. *Cic. Cluent.* 9. Mater nihil mali misera suspicans, filium mittit. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 13. Temere atque injuriose suspicari de aliquo. *Id. Mil.* 23. *f.* Cives optime de republica meriti, in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. *Ov. Her.* 10, 83. venturos aut hac aut suspicor illac, Qui lanient avido viscera dente, lupos. ℙ Item universim opinor, puto, conjicio, cogito, reputo. *Cic. N. D.* 1, 11. *f.* In quo neque figuram divinam, neque sensum quisquam suspicari potest. *Id. Or.* 3, 4. *med.* Postulamus, ut majus quiddam de L. Crasso, quam quantum a nobis exprimitur, suspicentur. *Id. Brut.* 14. *med.* Licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio suspicari, *h. e.* existimare, eum fuisse magno ingenio. *Ov. Met.* 3, 461. de Narcisso: Et, quantum motu formosi suspicor oris, Verba refers aures non pervenientia nostras, *h. e.* ex motu oris conjicio. *Id. Her.* 20, 6. Suspicor, ingenuas erubuisse genas. ℙ Pro spero. *Ov. Pont.* 3, 1, 155. Suspicor, hoc damno tibi non fore; et *ib.* 2, 10, 19. Quorum te memorem (quamquam procul absumus) esse Suspicor, et casus velle levare meos. *Cic. Fam.* 1, 6. Me consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas. Similem *Plauti* locum mox habes. Adde *Cic. Q. Fr.* 2, 9. ℙ Activa positione *Pl. Cas.* 2, 6, 42. Ne a me memores malitiose de hac re factum, aut suspices. Alii leg. *suspicere. Id. Men.* 5, 9, 22. Spem date mihi, quam suspico. Alii leg. *suspicor. Id. fragm.* ap. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 3, 1, 33. Fortasse se amare suspicavere. Alii leg. *te amare suspicabere:* alii *suspicari*, aut *suspicarier.*

SUSPIRĀTĬO, onis, f. *στέναγμα*, actus suspirandi, suspirium. *Quint.* 11, 3. *med.* Suspiratione sollicitudinem fateri. *Plin. praef. H. N. med.* Inde illa nobilis M Ciceronis suspiratio: O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet! *h. e.* exclamatio, quae fere suspirando fit.

SUSPĪRĀTUS, a, um, part. a *suspiro: Sil.* 15, 82. Quid suspiratos magno in discrimine nautis Ledaeos referam fratres? *Sidon. ep.* 1, 5. Proximitas suspirata.

SUSPĪRĀTUS, us, m. idem quod suspiratio, suspirium. *Cic. Att.* 1, 18. Consul est impositus is nobis, quem nemo praeter nos philosophos aspicere sine suspiratu posset. *Ov. Met.* 14, 129. Respicit hunc vates, et suspiratibus haustis, Nec Dea sum, dixit.

SUSPĪRĬOSĒ, adv. *Colum.* 7, 5. *f.* de ovibus: Suspiriose laborantibus auriculae ferro rescindendae. [*Schneiderus* recte pro *suspiriose* edidit *suspirio. F.*]

SUSPĪRĬOSUS, a, um, adj. *ἀσθματικός*, qui spirandi difficultatem patitur. *Plin.* 23, 7, 63. Siccae fici utiles anhelatoribus et suspiriosis. *Colum.* 6, 38. Mulae suspiriosae sanguis detrahitur.

SUSPĪRĬTUS, us, m. idem quod suspirium. *Liv.* 30, 15. Cum crebro suspiritu et gemitu aliquantum temporis consumpsisset. *Pl. Merc.* 1, 2, 3. Abige abs te lassitudinem: simul enicato suspiritus.

SUSPĪRĬUM, ii, n. respiratio. *Lucan.* 4, 328. Rescissoque nocent suspiria dura palato; et 9, 928. nec dat suspiria cursus Vulneris, *h. e.* non sinit respirare, et verba incantantia intermittere celeritas vulneris se diffundentis. *Sil.* 11, 220. anhelis faucibus acta Versabant penitus dirum suspiria murmur. [*Recte haec *Furnal.* primo loco posuit. *Forc.* secundo collocaverat.] ℙ Frequentius est *στέναγμα*, suspiratio, *h. e.* ab imo pectore respiratio: quae plerumque doloris aut curarum signum est. *Cic. Tusc.* 4, 34. Sine sollicitudine, sine desiderio, sine cura, sine suspirio. *Prop.* 3, 6, 27. Odi ego, quos pungunt nunquam suspiria, somnos. *Pl. Cist.* 1, 1, 58. Hoc, sis, vide, ut petivit suspirium alte! *Id. Truc.* 2, 7, 41. Traxit ex intimo ventre suspirium. *Tibull.* 3, 6, 61. Sollicitus repetam tota suspiria nocte. *Ov. Met.* 10, 402. suspiria duxit ab imo Pectore; et *ib.* 1, 656. alto suspiria pectore prodis. *Mart.* 10, 13. Urere nec miserum cessant suspiria pectus. *Id.* 1, 110. de catella: Collo nixa cubat, capitque somnos, Ut suspiria nulla sentiantur. *Colum.* 6, 14. Crebrum suspirium facere. ℙ [Est etiam morbus orthopnoea, et anhelitu gravior, respirationem maxime infestans, suffocatio, quae nunc a medicis *angina di petto di Heberden* vocatur, ut multis argumentis probavit *Jo. M. Zecchinelli* in *Nuovi Saggi dell' Accad. di Pad.* T. 1. p. 56—71. *Sen. ep.* 54. Uni morbo quasi assignatus sum: quem quare Graeco nomine appellem, nescio. Satis enim apte dici suspirium potest. Brevis autem valde, et procellae similis, impetus est: intra horam fere desinit; et *mox:* Aliud quidquid est, aegrotare est: hoc est animam agere: itaque medici hanc meditationem mortis vocant. *F.*]

SUSPĪRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναπνέω*, sursum spiro, in altum exhalo, spirando emitto. *Lucan.* 6, 369. Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem Aera, nec tenues ventos suspirat, Anauros. *Sil.* 12, 135. tellus arro exundante vapore Suspirans; et 13, 425. eructat acerbam Cocyti laxo suspirans ore paludem. *Id.* 4, 779. Edonis inclusum suspirat pectore Bacchum. *Pall.* 11, 14. *f.* Relicto brevi foramine, quo aestuantia vina suspirent; et *ib.* 17. Mundo linteo tegas, per quod facile confectio aestuabunda suspiret. Adde *Claud. Rapt. Pros.* 3, 343. ℙ Item spiritum ab imo pectore traho, suspirium duco, *στένω:* quod fere sollicitudinis, aut doloris signum est. *Cic. Att.* 1, 18. Reperire neminem possumus, quocum jocari libere, aut suspirare familiariter possimus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 21. Curae suspirantes. *Claud. IV. cons. Honor.* 572. Liniger imposito suspirat vecte sacerdos, Testatus sudore Deum, *h. e.* anhelat, laborat sub onere. *Id. in Eutrop.* 1, 268. atque inter singula dicta Flebile suspirat. *Id. Laud. Stil.* 1, 56. defixaeque hospite pulcro Persides arcanum suspiravere calorem. *Lucr.* 2, 1163. suspirat arator Crebrius in cassum magnum cecidisse laborem. *Ov. Met.* 2, 655. suspirat ab imis Pectoribus. *Id. Her.* 21, 201. Ingemit, et tacito suspirat pectore. ℙ Translate. *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 11. fluitant arcus, ramisque propinquis Pendentes placido suspirant igne pharetrae, *h. e.* quasi amore incensae suspirant. *Catull.* 64, 97. Qualibus incensam jactastis mente puellam Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem! *Ov. Fast.* 1, 417. Hanc cupit, hanc optat: sola suspirat in illa. *Tibull.* 4, 5, 11. si forte alios jam nunc suspirat amores, *h. e.* cogitat, et cupit. *Juven.* 11, 152. Suspirat longo non visam tempore matrem, Et casulam, et notos tristis desiderat haedos. *Prud. Cath.* 2, 44. Suspirare lucra. *Val. Fl.* 1, 133. Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem, *h. e.* nec optat. *Stat. Th.* 4, 19. et cunctis dependet ab armis Suspiranda domus, *h. e.* familia desiderabilis, et militiam procul agitantibus suspiriorum causa futura. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 21. mentis metu Perculsu', curis sumptu' suspirantibus.

SUSQUĒ DĒQUĒ, *ἄνω καὶ κάτω*, sursum et deorsum. *Sus* enim est *susum* pro *sursum: de* valet *deorsum*, praesertim in compositis, ut *demitto*, *descendo*, etc. *Susque deque ferre*, aut *habere* significat, inquit *Gell.* 16, 9., aequo animo esse, et quod accidit, non magni pendere, atque interdum negligere et contemnere: et propemodum id valet, quod Graece dicitur *ἀδιαφορεῖν*. *Laberius ib.* Nunc tu lentus es: nunc tu susque deque esse habituram putat. *Cic. Att.* 14, 6. Odiosa illa fuerant, legiones venire: nam de Octavio susque deque. ℙ *Susque deque esse*, rem nihili esse, et de qua non sit laborandum. *Varr.* ap. *Gell. ib.* Quod si non horum omnium similia essent principia ac postprincipia, susque deque esset. *Lucil. ib.* Verum haec ludus ibi, susque omnia deque fuerunt: Susque et deque fuere, inquam, omnia ludu' jocusque: Illuo opus durum, ut Setinum accessimu' finem. Al. leg. *susque haec deque fuere*, *inquam*, etc. ut tollatur illud *et*, quod videtur superfluum. ℙ *Festus* interpretatur *susque deque*, plus minusve; quae interpretatio non potest aptari locis allatis, neque placet criticis.

SUSSILIO. V. SUBSILIO.

SUSSULTO. V. SUBSULTO.

SUSTENTĀCŬLUM, i, n. *ἔρεισμα*, fulcimentum,

quod aliquid sustinet. *Tac. H.* 2, 28. Sin victoriae sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, etc. ℙ Translate pro alimento posuit *August. Mor. Eccl. Cath.* 33. Viliore victu vivere placet, minimeque sumptuoso corporis sustentaculo aetatem tranquillam ducere.

SUSTENTĀTIO, onis, f. dilatio. *Cic. Inv.* 1, 49. *med.* Utrum statim fieri necesse sit; utrum habeat aliquam moram et sustentationem. ℙ Est etiam rhetoricum schema, Graece παράδοξον et ἐποχή. *Quint.* 9, 2. Sed nonnunquam communicantes aliquid inexspectatum subjungimus, quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero *(Verr.* 2, 5, 5.): quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut praedam aliquam? deinde cum diu suspendisset judicum animos, subjecit quod multo esset improbius, hoc Celsus sustentationem vocat. Est autem duplex, etc. V. ibi cetera. ℙ Item cohibitio. *Lact.* 6, 18. *f.* Quae sustentatio sui recte patientia nominatur. ℙ Item alimentum, nutritio. *Ulp. Dig.* 2, 3, 22. *med.* Necessitas imponatur marito omnem talem mulieris sustentationem sufferre.

[SUSTENTATRIX, icis, f. quae sustentat, sive alit. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 19. Neque his modo sufficiens *(urbs)* quae moenibus suis atque gremio teneantur, sed procul etiam laborantibus et dimicantibus idonea sustentatrix una viris, unaque his omnibus, quae sint multitudini necessaria, opulens et abundans. *F.*]

SUSTENTĀTUS, a, um, part. a *sustento:* fulcitus. *Lucr.* 5, 96. multosque per annos Sustentata, ruet moles et machina mundi. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 2. Cui respublica a me uno traditur sustinenda, magnis meis laboribus sustentata. *Id. Or.* 1, 56. *med.* Jurisconsultus non suo artificio, sed alieno, hoc est non juris scientia, sed eloquentia sustentatus. *Sall. Jug.* 60. *extr.* Milites Jugurthini paulisper ab rege sustentati, postquam majore vi hostes urgent, profugi discedunt. *Tac. H.* 2, 15. Cohortium praefecti, sustentata diu acie, telis obruuntur. ℙ Item dilatus, suspensus. *Ov. Rem. Am.* 405. Sustentata Venus gratissima. V. SUSTENTO.

SUSTENTĀTUS, us, m. actus sustentandi. *Appul. Apol.* Levia sustentatui, gravia demersui. *Auson. Perioch. Odyss. Homeri* 5. Dea calvaticam natanti accommodat, cujus ille sustentatu ad usque Phaeacum litus evadit.

SUSTENTO, as, avi, atum, a. 1. ἀποστηρίζω, fulcio, conservo, tueor: frequent. a *sustineo. Virg. A.* 10, 338. Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem Sustentat dextra. *Plin.* 8, 40, 61. Canis cadaver in Tiberim abjecti *(domini)* sustentare conatus. *Claud. B. G.* 221. caeca sub nocte vocati Naufraga Ledaei sustentant vela Lacones, *h. e.* navim sustinent, ne mergatur. *Id. Laud. Stil.* 2, 143. sic Hercule quondam Sustentante polum, melius librata pependit Machina. ℙ Translate est confirmare, defendere, tueri. *Cic. Fam.* 7, 1. *f.* Tu mihi istam imbecillitatem valetudinis tuae sustenta et tuere. *Id. Att.* 4, 10. A ceteris oblectationibus deseror: litteris sustentor et recreor; et *ib.* 3, 23. *f.* Terentiam, unam omnium aerumnosissimam, sustentes tuis officiis; et *ib.* 10, 4. *med.* Praeclara conscientia sustentor, cum cogito, me de republica meruisse optime; et *Fam.* 6, 4. *f.* Tu velim tete, ut debes et soles, tua virtute sustentes. *Id. ib.* 14, 4. *f.* Sustenta te, mea Terentia, ut potes. *Id. Fl.* 2. Spes siqua reliqua est, quae fortium civium mentes cogitationesque sustentet. *Id. Mil.* 36. Nunc me una consolatio sustentat, quod, etc. *Id. Rab. Post.* 2. Fide sustentare amicos. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* C. Cato a Crasso sustentatur; et *Off.* 2, 24. *med.* Valitudo sustentatur notitia sui corporis, etc. et *Virg. A.* 10, 609. Venus Trojanas sustentat opes. *Id. ib.* 11, 224. Multa virum meritis sustentat fama tropaeis. *Tac. A.* 1, 65. *f.* Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus, etc. *h. e.* hortatur, et a fuga retinet; et *ib.* 2, 17. Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam. [*Vell.* 2, 114, 1. valetudo militum sustentabatur cura Caesaris.] ℙ Saepe refertur ad rem familiarem, et tolerare significat, re juvare, opitulari. *Plin. ep.* 9, 30. *f.* Quos praecipue indigere scias, sustentare et fovere. *Ter. Ad.* 3, 5, 3. Hic alit illas: solus omnem familiam sustentat. *Cic. Prov. cons.* 5. *med.* Qui se nunc subsidiis patrimonii, aut amicorum liberalitate sustentant; et *Tac. A.* 4, 13. Mutando sordidas merces sustentabatur; et *Cic. in Sen.* 5. Cum suam rem confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit. *Cic. Fam.* 16, 21. *med.* Huic locum in proximo conduxi, et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. *Caes. B. G.* 2, 14. *extr.* Auxiliis atque opibus aliorum sustentare bella. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 23. Venditando coronas sustentaverat pauperatem. *Cic. Coel.* 16. Alere adolescentes, et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentare; et *Caes. B. G.* 7, 17. Pecore e longinquioribus vicis adacto extremam famem sustentabant. *Liv.* 2, 34. Ex Tuscis frumentum Tiberi venit: eo sustentata est plebs. *Tac. A.* 4, 63. *extr.* Magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 19. Animus nulla re egens, aletur et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. ℙ Absolute. *Pl. Stich.* 3, 2, 14. Valuistin' usque? *Ep.* sustentatum est sedulo; et 4, 2, 8. Valuistin' bene? *Pam.* sustentavi sedulo. Sic *Juven.* 3, 27. et pedibus me Porto meis. ℙ Est etiam fero, patior, perfero, non demitto animum in adversis. *Pl. Capt.* 5, 1, 3. Miserias plurimas sustentavi. *Cic. Pis.* 36. *med.* Cum sustentare vix posses moerorem tuum, doloremque decessionis. *Suet. Tib.* 72. *med.* Sustentare morbum, *h. e.* ferre, et vim ejus dissimulare. *Claud. in Eutrop.* 1, 265. procellas invidiae. ℙ Item resisto, obnitor. *Caes. B. G.* 2, 6. Oppidum magno impetu Belgae oppugnare coeperunt: aegre eo die sustentatum est; et *ib.* 5, 38. Nervii legionem oppugnare incipiunt: nostri celeriter ad arma concurrunt: aegre is dies sustentatur. *Tac. A.* 15, 10. *f.* Sustentare hostem. *Auct. B. Hisp.* 17. legionum impetus. [*Huc pertinet etiam illud *Vell.* 2, 104, 2. Erat et ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter *(bellum).* ℙ Hoc sensu dicitur etiam absolute. *Liv.* 34, 18. nec, nisi in tempore subventum foret, ultra sustentaturi fuerint.] ℙ Item cohibeo, sisto, ἐπέχειν. *Hirt. B. Afr.* 82. Dubitante Caesare, atque eorum studio cupiditatique resistente, et etiam atque etiam aciem sustentante. *Albin.* 1, 229. de Tiberi: Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum. ℙ Item differo, quasi in medio cursu rem sistere, ne procedat. *Cic. Q. Fr.* 2, 7. Aedificationem Arcani ad tuum adventum sustentari placebat. *Id. Cat.* 4, 3. *extr.* Malum id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest, quacumque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est. *Id. Fam.* 13, 64. De Pausania Alabandensi, sustentes rem, dum Nero veniat.

*SUSTINENTĪA, ae, f. tolerantia. *Vulg. Interpr.* 1 *Thess.* 1, 3. Caritatis sustinentia. Adde *Siracid.* 2, 13. *B. A.*

SUSTĪNĔO, es, tinui, tentum, a. 2. ὑφίστημι, ἀνέχω, fulcio, sustento, fero, cadere non sino: quasi sursum teneo. *Hirt. B. Afr.* 19. *med.* Fornice extructo, quo pons sustinebatur. *Hor. Sat.* 1, 6, 116. lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet. *Liv.* 21, 35. *f.* Sustinere se a lapsu. *Pl. As.* 3, 3, 67. Hic istam colloca crumenam in collo plane. *Lib.* Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere. *Cic. Sen.* 10. *med.* Cum Milo humeris sustineret bovem vivum; et *Ov. Fast.* 1, 36. a funere conjugis uxor Sustinet in vidua tristia signa domo. *Pl. Poen. prol.* 90. Homo, quantum hominum terra sustinet, sacerrimus. *Liv.* 23, 45. Vix arma membraque sustinentes pugnabant. *Sall. fragm. H.* ap. *Arusian. Mess.* 3. Sustinere corpora plerique nequeuntes; et *Ov. Met.* 6, 27. infirmos baculo quoque sustinet artus. *Id. ib.* 4, 411. Avis sustinet se alis. *Id. Her.* 3, 119. manibus clypeos, et acutae cuspidis hastam, Et galeam pressa sustinuisse coma. *Plin.* 6, 27, 31. Lacus omnia illata pondera sustinens; et 36, 15, 21. *n.* 8. Populus R. universus binis cardinibus sustinetur: de theatris versatilibus loquitur. *Virg. A.* 11, 750. Sustinet a jugulo dextram. (Eodem modo locutus est *Stat. Th.* 2, 684.) *Plin.* 33. 11, 49. Vas ad sustinenda obsonia. *Modest. Dig.* 31, 1, 35. *f.* Quem scis magna onera sustenturum. ℙ Item sisto, cohibeo, contineo. *Cic. Att.* 13, 21. Arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges jussi, id non esse ejusmodi, didici heri, cum ad villam nostram navis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant. *Lucil. ib.* Sustineas currum, ut bonu' saepe agitator, equosque. *Ov. Fast.* 5, 301. Saepe Jovem vidi, cum jam sua mittere vellet Fulmina, ture dato sustinuisse manum; et *ib.* 6, 398. Sustinere gradum. *Prop.* 3, 1, 41. Orpheu, te duxisse feras, et concita dicunt Flumina Threicia sustinuisse lyra. Alii leg. *detinuisse.* ℙ *Sustinere se*, in medio cursu se sistere. *Val. Fl.* 3, 100. Restitit ille gradu, seseque a lumine ferri Sustinuit praeceps; et *Sen. Hipp.* 793. te Dea noctium Dum spectat, celeres sustinuit vias. *Liv.* 25, 36. Nunc agendo, nunc sustinendo agmen; et 5, 39. Aliud priori simile miraculum eos sustinuit. ℙ Item habeo, teneo. *Ov. A. Am.* 1, 47. qui sustinet hamos, Novit quae multo pisce natentur aquae; et *ib.* 2, 216. Ingenua speculum sustinuisse manu. *Pl. Men.* 1, 3, 13. Sustine hoc, Penicule. Sic *Afran.* ap. *Non.* 2, 333. Accipe hoc tegmen tu, et sustine. *Ov. A. Am.* 3, 148. Sustineat similes fluctibus illa sinus, *h. e.* habeat, gestet in capite comam in modum sinus dispositam. V. SINUS. Pro habere, tenere est et illud *Pl. Trin.* 2, 2, 99. Multa ego possum docta dicta loqui: historiam veterem atque antiquam haec mea senectus sustinet. ℙ Similiter per translationem est tueor, fero, defendo, in suo statu rem conservo. [*Matth.* ad *Cic. Man.* 6, 14. docet: *sustinere* est servare aliquid, quod cum onere comparatur; *retinere* servare ita ut non elabatur vel intereat; *continere* ne dilabatur.] *Cic. Rab. Post.* 16. Veterem amicum suum labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide, hodieque sustinet. *Id. Fam.* 9, 8. *med.* Sed superiorum temporum fortuna reipublicae causam sustineat; et *Div. Verr.* 8. *f.* Non tibi venit in mentem, quid negotii sit, causam publicam sustinere? et *Off.* 3, 2. Sustines magnam exspectationem imitandae industriae nostrae; et *ib.* 1, 34. *f.* Magistratus debet civitatis dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere. ℙ Item gero. *Cic. Verr.* 2, 3, 86. Fungi ac sustinere aliquid muneris in republica. *Id. Or.* 2, 24. *med.* Tres personas unus sustineo summa animi aequitate, meam, adversarii, judicis; et *Suet. Gr.* 24. Nunquam ita docuit, ut magistri personam sustineret. ℙ Item fero, patior. *Cic. Dom.* 38. Poenam subire, ac sustinere. *Ov. Met.* 8, 500. Et quos sustinui bis mensum quinque labores. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 34. *f.* Maximam hic sollicitudinem curamque sustineo. *Cic. Tusc.* 5, 6. Qui non modo mala futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia; et *Ulp. Dig.* 18, 6, 1. Si venditor se periculo subjecit, periculum sustinebit, quoad, etc., *h. e.* praestabit. ℙ *Sustinere marem* est, quod *Hor. Od.* 2, 5, 3. ruentis In Venerem tolerare pondus. *Ov. A. Am.* 2, 486. Sustinet immundum sima capella marem. ℙ Item resisto, obnitor, par sum, non cedo, duro, subsisto. *Cic. Phil.* 7, 6. O Dii! quis hujus potentiam poterit sustinere? *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. *f.* Non, si Varronis thesauros haberem, sustinere sumptum possem. Alii leg. subsistere sumptui. [*Ita *Orell. sustinere sumptum* e glossa esse docens.] *Plin. ep.* 1, 12. Cur me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? ut scilicet isti latroni vel uno die supersim. *Ov. Met.* 13, 384. Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Jovemque Sustinuit toties, unam non sustinet iram. *Cic. Acad.* 4, 6. *med.* Philo ea sustinere vix poterat, quae contra Academicorum pertinaciam dicebantur. *Id. Verr.* 2, 5, 39. Videbat, illis navarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Si mehercule Appii os haberem, tamen hoc sustinere non possem. *Cic. Fam.* 6, 6. Non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi concesserit. ℙ Et cum infinito. *Ov. Met.* 1, 530. non sustinet ultra Perdere blanditias juvenis Deus; (Adde *Her.* 5, 32.) et *Phaedr.* 4, 15. monet, ut sustineas tibi Habitu esse similes, qui sunt virtute impares. ℙ In re militari. *Nep. Ann.* 11. Hostium vim cum rex sustinere non posset, fuga salutem petiit. *Caes. B. G.* 7, 10. *f.* Magno animo hostium impetum sustinere. *Id. B. C.* 1, 45. *f.* Virtute et patientia nitebantur, atque omnia vulnera sustinebant. *Id. B. G.* 2, 6. *extr.* Nisi subsidium sibi mittatur, se diutius sustinere non posse. *Cic. Fam.* 12, 6. *f.* Brutus Mutinae vix jam sustinebat. *Liv.* 33, 36. *med.* Nec ultra sustinuerunt certamen Galli, quin terga verterent. ℙ *Non sustinere aliquem*, roganti non resistere, repellere non audere. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 793. et ad *eund.* 7, 657.] *Ov. Met.* 14, 787. Has rogat auxilium: nec Nymphae justa petentem Sustinuere Deam. *Liv.* 31, 13. Senatus querentes eos non sustinuit. *Ov. Fast.* 5, 75. Et Numitor dixisse potest: da, Romule, mensem Hunc senibus: nec avum sustinuisse nepos. Alii leg. *avo*, ut *negare* vel *resistere* subintelligatur. Adde *Colum.* 11, 1. Nam cum infinito est audere posse, in animum inducere, persistere. *Ov. Fast.* 4, 850. nec jam suspendere fletum Sustinet; et *Plin.* 30, 7, 20. Si quis aquam per pedes fluentem haurire sustineat; et *Albin.* 1, 135. Tene ego sustineo positum scelerata videre? et *Suet. Gall.* 30. *extr.* Eos, qui (*caedem*) spectare sustinuissent, exsecratus est. *Ov. Met.* 11, 321. quae se praeferre Dianae Sustinuit; et *ib.* 4, 446. Sustinet ire illuc, coelesti sede relicta (Tantum odiis iraeque dabat) Saturnia Juno. *Auct. Priap.* 48. Quicumque vestrum, qui venitis ad coenam, Libare nullos, sustinet mihi versus, etc. *Petr. Sat.* 116. Si urbanioris notae homines sustinetis semper mentiri. *Quint.* 3, 6. *med.* Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulanti, *h. e.* non audeo, non possum dissimulare. Adde *Cic. Verr.* 2, 1, 4. [*Amat hoc loquendi genus prae ceteris *Vell.* 2, 40, 4. semel tantum usurpare sustinuit; 2, 86, 2. qui non sustinerent pro se deprecari; 2, 81, 1. non sustinet rogare; 2, 22, 5. sustinet petere. Adde *Plin. Pan.* 26, 3. non sustinuisti te rogari; et 86, 4. non sustinuit non sequi. Ingentem exemplorum numerum habes in *ind. Curt. ed. Snakenb.* Porro ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v.] ℙ Ponitur et pro differre: quasi moram injicere, et rem sistere, ne ad finem perveniat. *Liv.* 5, 45. *med.* Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent: compressique a Caedicio rem in noctem sustinuere. *Id.* 3, 60. Sustinere consilio bellum. *Mart.* 9, 4. Exspectes et sustineas, Auguste, necesse est. Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis. *Albin.* 1, 371. Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis: Illa rapit juvenes, sustinet illa senes. ℙ Item suspendere, cohibere. *Cic. Acad.* 4, 34. Obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere; et *ib.* 15. *f.* Sustinere se ab omni assensu. ℙ Pertinet etiam ad rem familiarem, et significat alere, sustentare. *Id. Verr.* 2, 3, 5. *f.* Re frumentaria alimur et sustinemur. *Liv.* 39, 9. *f.* Adolescens, maligne omnia praebentibus suis, meretriculae munificentia sustinebatur. *Id.* 6, 15. *med.* Ex eo, quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum. *Virg. G.* 2, 514. Hinc anni labor: hinc patriam, parvosque nepotes Sustinet. *Colum.* 9, 14. *f.* Sustinere penuriam temporum. ℙ *Sustinere alicui vitam*, servare, tueri. *Maecenas* ap. *Sen. ep.*

101. Vita dum superest, bene est. Hanc mihi, vel acuta Si sedeam cruce, sustine.

SUSTOLLO, is, tuli, sublatum, a. 3. αἴρω, ἀναίρω, sursum tollo, attollo, elevo, erigo. *Pl. Cist.* 1, 1, 117. (et *Poen.* 1, 2, 136.) Amiculum hoc sustolle saltem. *Sil.* sine trahi, cum egomet trahor. *Id. Poen.* 5, 3, 49. Graecae sunt hae columnae: sustolli solent. *Catull.* 64, 210. Dulcia nec moesto sustollens vela parenti; et 235. Candidaque intorti sustollant vela rudentes. *Pl. Mil.* 2, 3, 38. Hoccine si miles sciat? credo hercle, has sustollat aedes totas: atque hinc in crucem, *h. e.* aedes evertat, et me in crucem tollat. *Ser. Samm.* 38, 716. sanguis papulas alte sustollit acutas. ℙ Item aufero. *Pl. Cist.* 2, 3, 7. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim herilem filiam nostram sustollere. ℙ Frequentissimum habet usum in praeteritis: ab obsoleto *sustulo*, quod ab antiquis usurpatum fuisse, *Charis.* 3, 220., *Diomed.* 1, 369. et *Prisc.* 8, 817. testantur. In aliis temporibus simplici *tollo* Latini libentius usi sunt. *Cic. Fam.* 7, 5. Sustulimus manus et ego, et Balbus; et *Dejot.* 10. Dejotarum cum plures in equum sustulissent. *Id. N. D.* 3, 31. Sol in currum filium sustulit. *Id. Verr.* 2, 1, 3. Cives R. in crucem sustulit. *Id. Tusc.* 4, 22. *f.* Herculem in coelum sustulit fortitudo. *Hor. Od.* 2, 7, 13. Sed me per hostes Mercurius celer Denso paventem sustulit aere. *Cic. Q. Fr.* 2, 10. *med.* Tunc, ut dico, certe sustulissem, ut, etc. *h. e.* in lecticam, et in villam meam portassem. *Caes. B. G.* 4, 28. Naves, quae equites sustulerant, ex portu solverunt. Sic *Hirt. B. Afr.* 54. Quod C. Avienus navem commeatu, familia sua, atque jumentis occupavisset, neque militem unum ab Sicilia sustulisset. *Caes. B. C.* 2, 20. Legio signa sustulit, seseque Hispalim recepit. *Prop.* 4, 9, 37. Audistis aliquem, tergo qui sustulit orbem? ℙ Et translate. *Cic. Att.* 2, 25. Nostras laudes in astra sustulit; et *ib.* 6, 2. *med.* Salaminii nos in coelum decretis suis sustulerunt. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *f.* et *Div.* 1, 36. Clamorem satis magnum sustulerunt. *Pl. Truc.* 2, 8, 10. Postquam filiolum peperit, animos sustulit. Adde *Liv.* 28, 5. ℙ Est etiam subeo, suscipio. *Cic. Rosc. Am.* 4. Fide vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. *Id. Phil.* 13, 10. *extr.* Qui ex Fadia sustulerit liberos. V. TOLLO. ℙ Item sumo, accipio. *Cic. Or.* 3, 45. Cum verba jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram, ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. ℙ Item aufero, amoveo, detraho. *Cic. Acad.* 4, 19. *med.* Sublata assensione, omnem et motum animorum, et actionem rerum sustulerunt. *Id. Phil.* 1, 2. Dictatoris nomen funditus ex republica sustulisset. *Id. Att.* 2, 24. *med.* Caepionem de oratione sua sustulit, quem in senatu acerrime nominarat. *Caes. B. G.* 6, 40. *extr.* Quem timorem Caesaris adventus sustullit. *Sall. Jug.* 49. Metellum edicto adjumenta ignaviae sustulisse. *Id. ad Caes. or. de rep. ord.* 2, 7. Si studium pecuniae aut sustuleris, aut minueris. *Cic. Att.* 15, 12. Eam rem Servilia sublaturam ex S. C se esse dicebat. *Just.* 6, 8. Telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris. ℙ Item everto, perdo. *Cic. Off.* 1, 11. Majores nostri Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. ℙ Item neco. *Cic. N. D.* 3, 33. Q. Varius Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. *Hor. Od.* 2, 17, 27. Me truncus illapsus cerebro Sustulerat, nisi Faunus ictum Dextra levasset. *Poeta* ap. *Suet. Ner.* 39. Quis neget Aeneae magna de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem, *h. e.* hic occidit, ille sublatum humeris portavit. ℙ Pro simplici *tulit.* *Phaedr.* 3, 13. Tunc illa talem sustulit sententiam.

SUSTŬLO. V. in v. praec.

SUSUM, idem quod sursum, apud veteres. *Cato R. R.* 157. *f.* Ad nasum admoveto: ita subducito susum animam, quam plurimum poteris. *Pl. Cist.* 2, 3, 78. Quid nunc supina susum in coelum conspicis? *Varr. R. R.* 1, 6. Qui colunt deorsum, magis aestate laborant: qui susum, magis hieme. Ita in MSS. suis *Petr. Victor.*, alii *sursum.* *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 32. p. 99. Clivom stravi lapide ab imo susum longum pedes CCCXL., latum cum marginibus pedes VIIII. ℙ Contrarium est *jusum*, deorsum, quo usum fuisse videtur vulgus Romanum, unde Italorum recentiorum *giuso*, *giù* ortum habuit, et Gallorum *jus.* *August. Tract.* 8. in *ep.* 1. *S. Joann. n.* 2. Quod susum, faciens jusum; quod deorsum, faciens sursum. Jusum vis facere Deum, et te susum? et *Tract.* 10. *n.* 5. Susum me honoras, jusum me calcas.

SŬSURRĀMEN, inis, n. susurratio. *Appul. Met.* 1. *in.* Magico susurramine amnes reverti, solem inhiberi. *Capell.* 7. *in. post carmen:* Atlantiades hilaro susurramine sic respondit.

SŬSURRĀTIM, adv. susurrando. *Capell.* 6, 227. Cui de proximo susurratim decenter arrisit.

SŬSURRĀTĬO, onis, f. secreta inter paucos collocutio, sermones de aliqua re taciti, et susurratim habiti. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *med.* Quod ad Caesarem, crebri et non belli de eo rumores: sed susurrationes dumtaxat veniunt. Al. leg. *susurratores.*

SŬSURRĀTOR, oris. V. v. praec.

*SUSURRĬŌSUS, a, um, adj. ψιθυριστὴς *Cyrill. B. A.*

*SUSURRĬUM, i, n. *Vulgat. Jobi* 4, 12. *B. A.*

SŬSURRO, as, avi, atum, a. 1. ψιθυρίζω, submissum et confusum strepitum edo, qualis est apum, aut aquae decurrentis, aut venti leniter spirantis. Vox est per onomatopoeiam a sono facta. *Virg. G.* 4, 260. de apib.: Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant. *Id. Cul.* 103. compellente vagae pastore capellae Ima susurrantis repetebant ad vada lymphae; et *ib.* 153. quos leniter afflans Aura susurrantis possit confundere venti. Adde *Claud. Nupt. Hon.* 2, 13. ℙ Translate est submissa voce, et in aure loqui, occulte sermones serere. *Ov. Her.* 19, 19. Aut ego cum cara de te nutrice susurro; et *ib.* 21, 233. Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat, Neglectam queritur testis habere fidem. *Id. Met.* 3, 643. Pars mihi significat, pars, quid velit, aure susurrat. ℙ Passive impersonaliter. *Ter. Andr.* 4, 4, 40. Jam susurrari audio, civem Atticam esse hanc. ℙ Cum accusativo. *Mart.* 3, 63. Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat; et *Nemes. Ecl.* 1, 72. Silvestris nunc te platanus, Meliboee, susurrat, Te pinus. *Lampr. Alex. Sev.* 44. *extr.* Susurrans versum Persii.

SŬSURRO, onis, m. ψιθυρὸς, ψιθυριστὴς, qui occulte maledicendo odium in aliquem, aut dissensionem molitur, obtrectator, delator. Causam nomini praebuit, quod delatores, ne exaudiri possint, in aures soleant susurrare. *Sidon. ep.* 5, 7. *f.* Aures mariti susurronum faece completas opportunitate falsi sermonis eruderat. *Hieron. ep.* 11. *n.* 1. Non eadem sententia est tribunalis Christi, et anguli susurronum.

SŬSURRUM, i, n. idem ac susurrus. V. in v. sq.

SŬSURRUS, i, m. ψιθυρισμὸς, submissus et confusus sonus, murmur, strepitus: ut venti inter frondes, aquae decurrentis, apum murmurantium, et hujusmodi. *Virg. Ecl.* 1, 54. vicino ab limite sepes Saepe levi somnos suadebit inire susurro. *Calpurn. Ecl.* 1, 3. Et spumant rauco ferventia musta susurro. *Venant.* 8. *carm.* 6, 356. Cum matrem dulci fauce susurrus *(infantis)* alit. ℙ De sono submisso, et in aure loquentium, occulto sermone. *Cic. Tusc.* 5, 36. Demosthenes illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, insusurrantisque alteri. *Hor. Sat.* 2, 8, 77. tum in lecto quoque videres Stridere secreta divisos aure susurros. *Id. Od.* 1, 9, 18. Lenes susurri, *h. e.* verba, quae amans amanti in aurem dicit. *Prop.* 1, 11, 13. blandos audire susurros. ℙ Ab *Ov. Met.* 12. inter comites Famae ponuntur, v. 61. dubioque auctore susurri. *Pl. Rud.* 5, 3, 48. Palam age: nolo murmur ullum, neque susurrum fieri. *Lucan.* 5, 104. tacito mala vota susurro Concipere, *h. e.* occulta prece. Sic *Pers.* 2, 6. murmur humilesque susurros Tollere de templis, et aperto vivere voto. ℙ De occulta delatione. *Juven.* 4, 110. tenui jugulos aperire susurro. ℙ In illo *Ov. Met.* 7, 825. Procrin adit, linguaque refert audita susurra: alii *susurra* neutrum plurale: sic *Met.* 12. *modo cit.* dubioque auctore susurra: in aliquot codicib. haberi; alii *susurra* adjectivum faciunt: et *lingua susurra* esse insusurrante: quod magis placet. Malebat *Gronovius*, lenique refert audita susurro. ℙ In quarta decl. *Appul. Flor. n.* 17. Et fistula susurru jucundior, et buccina significatu longinquior.

SŪTĒLA, ae, f. κακοῤῥαφία, dolosa astutia, techna callide consuta: a *suo*, per metaphoram, ut *cautela* a *caveo*, *suadela* a *suadeo*, quemadmodum Graeci dicunt καττύειν, et συῤῥάπτειν δόλους, immo et *Pl. Amph.* 1, 1, 211. consuere dolos. *Festus:* Sutelae, dolosae astutiae, a similitudine suentium dictae sunt. *Pl. Capt.* 3, 5, 35. Atque ob sutelas tuas te morti misero. Adde *Cas.* 1, 7.

*SUTELOSUS, a, um, adj. δικοῤῥάφος *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

SŪTERNĂ. V. SUTRINUS.

*SUTHUL, opp. Numidiae. *Sall. B. J.* 37. (al. 41.) et 38. (al. 42.) *B. A.*

SŪTĬLIS, e, adj. ῥαπτὸς, consutus. *Virg. A.* 12, 273. teritur qua sutilis alvo Balteus, et laterum juncturas fibula mordet. ℙ *Sutiles coronae*, ex meris rosarum foliis consutis factae; cum pactiles et textiles e multiplici flore, plectiles e ramusculis sibi invicem implexis essent. *Plin.* 21, 3, 8. Summa auctoritas pactili coronae: sutiles Saliorum sacris invenimus, et solemnes coenis. *Mart.* 9, 91. Perfundas glaciem triente nigro, Frontem sutilibus ruber coronis; et 5, 64. Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo: Lassenturque rosis tempora sutilibus. Adde 9, 94. et *Ov. Fast.* 5, 335. Hinc *Tert. Cult. fem.* 7. Enormitates sutilium atque textilium capillamentorum. ℙ *Sutiles thyrsi* dicuntur ab *Auct. Priap.* 20., quia mucro hastae compactis hederis tegebatur. ℙ *Naves sutiles* lino, vel sparto sutae. *Plin.* 24, 9, 40. et *Varr.* ap. *Gell.* 17, 3. V. *Varr. l. c.* in SUO, *in.* *Virg. A.* 6, 414. gemuit sub pondere cymba Sutilis, et multam accepit rimosa paludem. ℙ *Lapilli sutiles*, consuti in coronam, vel adsuti diademati, *Prud. Cath.* 7, 158. Sic hyacinthi sutiles, *Id. Hamart.* 269. ℙ *Sutilis domus* ap. *Val. Fl.* 6, 81. est Scytharum Hamaxobiorum, qui ex crudo corio consutas casas et plaustris impositas habitasse dicuntur.

SŪTOR, oris, m. ῥάπτης, qui calceos suit. *Sempron. Asell.* ap. *Gell.* 13, 21. *extr.* Crepidarium cultellum rogavit a crepidario sutore. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 1. C. Atilius C. F. Justus sutor caligarius, *h. e.* qui caligas militares suebat. *Pl. Aul.* 1, 1, 34. Interdiu, quasi claudus sutor, domi sedet totos dies; et 3, 5, 39. Sedentarii sutores. *Mart.* 3, 16. Das gladiatores, sutorum regule, Cerdo: Quodque tibi tribuit subula, sica rapit; et 9, 74., cujus lemma est *Sutor.* Dentibus antiquas solitus producere pelles, Et mordere luto putre vetusque solum, etc. ℙ Habetur artificum vilissimus, et ponitur pro infima plebe. *Juven.* 3, 293. quis tecum sectile porrum Sutor, et elixi vervecis labra comedit? *Cic. Fl.* 7. *med.* Se velle, dixit: id sutores, et zonarii conclamarunt. ℙ *Sutorum collegium*, habetur in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 131. ℙ *Sutor, ne supra crepidam*, proverb. quo monemur ne, quibus in rebus minus intelligimus, in his sententiam proferamus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. Ferunt, Apellem a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem postero die, superbo emendatione pristinae admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam judicaret: quod et ipsum in proverbium venit. Adde *Val. Max.* 8, 12. *f.* ℙ Sutores fabularum *Sidon. ep.* 3, 13. sunt qui eas tingunt, et consuunt.

SŪTŌRĪCĬUS, a, um, adj. idem ac sutorius, ut Sutoricium atramentum, *Marcell. Empir.* 8. §. 2. *med.*

SŪTŌRĬUS, a, um, adj. ῥαπτικός, ad sutorem pertinens. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Graves habent judices, Turpionem sutorium, et Vettium mancipem. *Plin.* 17, 14, 23. Sutoria fistula, *h. e.* scalprum, quo coria inciduntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 2. Comparator mercis sutoriae. ℙ Atramentum sutorium, χάλκανθον. V. *Cic.* et *Plin. l. c.* in ATRAMENTUM. ℙ *Atrium sutorium* memoratur a *Varr. L. L.* 5, 3., qui ibidem ait in Tubilustrio sacrorum tubas lustrari. Meminit etiam *Panvinius* in descript. Urb. R, sed quid fuerit, aut quo loco, nemo dicit.

SŪTRĪNUS, a, um, adj. ad sutores pertinens, sutorius. *Tac. A.* 15, 34. Vatinius sutrinae tabernae alumnus. *Plin.* 7, 56, 57. Fulloniam artem Nicias invenit, sutrinam Tychius. ℙ *Sutrina* absolute, officina sutoris, σκυτεῖον. *Plin.* 10, 43, 43. Corvus in oppositam sutrinam evolavit; et *mox:* Sutrinae manceps; et 35, 10, 37. Tonstrinas sutrinasque pinxit. *Tert. Pall.* 5. Magnum incessui munimentum sutrinae Venetiae prospexere, perones effeminatos. ℙ Item ipsa sutoris ars, σκυτική. *Varr.* ap. *Non.* 2, 760. Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis. Al. leg. *suternas* eod. sensu: quod et *Appul. Flor. n.* 9. nonnulli tribuunt. *Vitr. praef.* 6. *f.* Sutrinam, vel fullonicam facere. ℙ *Sutrinum*, ars sutrina. *Sen. ep.* 90. *med.* Non multum abfuit, quin sutrinum quoque inventum a sapientibus diceret. ℙ Est etiam *Sutrinus* adjectivum a Sutrio, ut Sutrinus ager, *Liv.* 26, 34. Sutrina colonia, *Plin.* 3, 5, 8. Sutrini, orum, ejus oppidi cives, *Liv. l. c.*

SUTRIUM, ii, n. *Sutri*, opp. Etruriae, in Vejentibus, inter lacus Ciminium et Sabatinum, colonia Romanorum. *Liv.* 6, 3., *Vell.* 1, 14. ℙ *Sutrium quasi eant*, proverb. de his, qui celeriter, et simul bene instructi rem quampiam aggrediuntur. Ortum est ex eo, quod cum Sutrium ab Etruscis captum esset, ad illud recipiendum missus M. Furius Camillus, ut est ap. *Liv.* 6, 3., edixit (quo facilius hostes necopinantes opprimeret) ut miles trium dierum cibaria secum ferret: qua celeritate factum est, ut eodem die oppidum reciperetur. *Pl. Cas.* 3, 1, 9. Sed facito dum memineris versus, quos cantat Colax: Cibo cum suo quiqui facito uti veniant, quasi eant Sutrium. Adde *Festum*, et V. adnotata ad eum a *Dacerio*, et ab eruditis ad *Plaut. Taubmanni.*

SUTRIUS, a, um, adj. ad Sutrium urbem pertinens. *Sil.* 8, 493. Sabatia quique Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta.

SUTRIX, icis, f. quae calceos suit. *Inscr.* ap. *Gud.* 199, 5. Juliae Tanabaeae Aug. lib. Liviae Aug. sutrici an. XV. etc. Alia *ib.* 220, 1. Maroniae M. L. Augae sutric. et sarcinatr. a mundo muliebri, etc.

SŪTŪRA, ae, f. ῥαφὴ, actus suendi, et ipse locus, ubi duo quaedam suta sunt. *Liv.* 38, 29. Triplex scutale crebris suturis duratum. *Cels.* 7, 4. *n.* 3. Oras vulneris suturae comprehendunt; et *mox:* Sutura oras conjungere; et *ib.* 11. *extr.* Suturam illini spuma argenti. Adde *Petr. Sat.* 13. ℙ De commissuris calvariae. *Cels.* 8, 1. et 4.

SŪTUS, a, um, part. a *suo:* ῥαπτὸς, suendo junctus, consutus, sutilis. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Serilla:* Navis suta lino, et sparteis serilibus. V. SUTILIS. *Cic. N. D.* 2, 60. Tegumenta corporum vel texta, vel suta. *Flor.* 4, 12. *med.* Unius os sutum, recisa prius lingua. *Ov. Trist.* 3, 10, 19. Pellibus, et sutis arcent male frigora bracis. *Virg. G.* 4, 33. seu corticibus tibi, suta cavatis, Seu lento fuerint alvearia vimine texta. *Mart.* 10, 93. Carmina suta toga purpurea, *h. e.* libellus carminum purpura velatus et ornatus. ℙ *Sutum, i*, substantive. *Virg. A.* 10, 313. huic gladio perque aerea suta, Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum, *h. e.*

thoracem sutilem ex aere, sive ex aereis lamellis vel catenulis. Alii minus recte leg. *scuta*.

SŪUS, a, um, *σφέτερος, ἑός*, pronomen possessivum reciprocum: ab *ὅς* (quod idem aliquando significat) spiritu in *s* converso, ut ab *ὑς* sus, ab *ἕξ* sex, etc. Unde olim *sam* pro suam, *sos* pro suos, *sis* pro suis dixere. V. SAS. Dicitar de omnibus rebus, quae ad nos quacumque ratione pertinent. *Pl. Capt.* 2, 3, 39. Non tuum tu magis videre, quam ille suum gnatum cupit. *Cic. Att.* 14, 20. *med.* Meum mihi placebat, illi suum. *Phaedr.* 3, 13. Apes in alta quercu fecerant favos. Hos fuci inertes esse dicebant suos. *Caes. B. G.* 7, 81. Suus cuique erat loeus attributus. *Cic. Att.* 9, 12. Illum ulciscentur mores sui. *Id. Sext.* 68. Hunc sui cives e civitate ejecerunt. *Nep. Lys.* 4. *extr.* Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator; et *Cic. Quint.* 7. Alphenus utebatur populo sane suo, *h. e.* sibi favente. *Id. Att.* 14, 12. Octavius, quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non, *h. e.* affines, amici, clientes, fautores. *Stat. Achill.* 1, 377. Facere aliquem suum; et *Nep. Alc.* 3. *med.* Multos liberalitate devinxerat: plures etiam opera forensi suos reddiderat. Sic *Ter. Ad.* 5, 6, 10. Paulatim plebem facio meam. ℙ Mos praescribendi initiis epistolarum familiarium, *suo*, ad significandam necessitudinem, tempore Ciceronis coepisse videtur, ut *Fam.* 12, 12. Cassius Ciceroni suo; et *ib.* 14, 1. Tullius Ciceroni suo; et *ib.* 16, 2. Tullius Tironi suo, etc. Passim vero obtinuit sequenti aetate, ut videre est in *Plinii* epistolis. *Mart.* 14, 11., cujus lemma est *Chartae epistolares*. Seu leviter noto, seu caro missa sodali, Omnes ista solet charta vocare suos. ℙ Illa quoque in *Suus* notanda: *Hor. Epod.* 9, 30. Ventis iturus non suis, *h. e.* qui eum ferant, quo volebat. *Cic. Am.* 3. Factus est consul bis: primum ante tempus; iterum sibi suo tempore, reipublicae paene sero, *h. e.* legibus praefinito. Sic *Agr.* 2, 2. Petere consulatum anno suo. *Id. Brut.* 1. *med.* Cessit e vita suo magis, quam civium suorum tempore; et *Verr.* 2, 3, 60. Scandilius rem se totam relicturum dicit, et suo tempore esse rediturum. *Ov. Her.* 2, 8. Non venit ante suum nostra querela diem, *h. e.* ante tempus praefinitum et pactum; et *Virg. A.* 10, 467. Stat sua cuique dies; et *Modest. Dig.* 3, 5, 26. Ex duobus fratribus, uno quidem suae aetatis, alio vero minore annis, etc. *h. e.* aetatis legitimae, scil. XXV. annor. *Plin.* 33, 4, 21. Aurum arrugia quaesitum non coquitur, sed statim suum est, *h. e.* suae naturae: sine coctura aurum est. ℙ *Suus esse* dicitur, qui sui juris est, liber, sui compos, neque ab alio pendet. *Pl. Pers.* 4, 3, 3. Ancilla, mea quae fuit hodie, sua nunc est. *Ulp. Dig.* 42, 4, 7. *med.* Furiosus venditionem pati non potest, quia non se occultat, qui suus non est. *Ov. Met.* 8, 35. Vix sua, vix sanae virgo Niseia compos Mentis erat. *Cic. Fin.* 4, 4. *f.* Qui sciet, ubi quidquid positum sit, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. *Sen. ep.* 75. *f.* Non homines timere, non Deos; nec turpia velle, nec nimia; in se ipsum habere maximam potestatem. Inaestimabile bonum est, suum fieri. *Nep. Att.* 6. Esse in sua potestate. ℙ Item qui cuique proprius est, et ex natura rei sequitur. *Virg. G.* 2, 82. Miraturque novas frondes, et non sua poma. *Ov. Her.* 12, 133. justo desunt sua verba dolori; et *ib.* 14, 67. lacrimae sua verba sequuntur. *Cic. Or.* 15. *f.* Qui profitetur esse suum, de omni re dicere. ℙ *Suum numerum* habere navis dicitur, quae omnes habet, qui vehendi sunt. *Cic. Verr.* 2, 5, 51. et *Ov. Her.* 10, 36. ℙ *Suum*, res sua cujusque. *Cic. Fam.* 13, 26. *extr.* Illum studeo quam facillime ad suum pervenire. *Pl. Trin.* 2, 2, 34. Ne suum adimerem alteri. *Procul. Dig.* 23, 3, 67. Si eam pecuniam pro suo possidendo usuceperit. Adde *Ulp.* et *Pompon. ib.* 41. *tit.* 11. qui inscribitur *Pro suo*, *l.* 1. 2. et 4. ℙ Jungitur cum *sibi*. V. in SUI. ℙ Et cum particulis *met*, *pte*, majorem vim adjicientibus. *Sall. Jug.* 34. Suomet ipsi more praecipites eant. *Id. Cat.* 24. Neque suamet ipse scelera occultare. *Liv.* 8, 25. Capti a suismet ipsi praesidiis. *Cic. Or.* 3, 3. Crassum suapte interfectum manu. *Pl. Mil.* 2, 4, 38. Cum illa osculata esset suumpte amicum. *Cic. Tusc.* 1, 17. Suopte nutu et suo pondere. *Auct. arg. Rud. Pl.* 4. Suipte patris. ℙ *Cum particula *ce*. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 105. *extr.* Agros suorum et suosce. *B. A.* ℙ Cum *proprius*. *Liv.* 3, 70. Ni suo proprio eum proelio equites Volscorum tenuissent, *h. e.* opponendo equites equitibus. ℙ Non semper *suus* reciprocum est: sed pro *ejus*, aut *illius* non raro ponitur. Praeter non unum ex allatis locis sunt etiam haec. *Cic. Inv.* 1, 17. (et *Nep. Cim.* 3.) C. Flaminius per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus, concilium plebis habentem, de templo deduxit. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Non destiti rogare et petere mea causa, suadere et hortari sua. *Ov. Fast.* 5, 223. Therapnaeo feci de sanguine florem: Et manet in folio scripta querela suo. *Pl. Amph.* 3, 4, 19. Sufferet suus servus poenas Sosia. *Ter. Hec.* 4, 4, 38. Quamobrem reducam? *Lach.* mater quod suasit sua. Plurima *Gunther.* praeter ceteros congessit *par.* 2. *Latinit. restit. n.* 160. ℙ *Suus* pro *noster*. *Jul. Dig.* 46, 2, 20. Novare autem possumus aut ipsi, si sui juris sumus, aut per alios. *Sui* dixit, quia *sui juris esse* quaedam formula est. *Ulp. ib.* 5, 3, 2. Sive suo nomine, sive formula est. *Ulp. ib.* 5, 3, 2. Sive suo nomine, sive per se, sive per alium effecti sumus. Ita *Torrent.* et *Gothofred.* ℙ *Suum* pro *suorum* habet *Ter. Ad.*

S·Y

SYAGRUS, i, f. *σύαγρος, συάγριος*, genus palmae pomum grande ferens, durum, horridum, et a ceteris generibus distans, sapore ferino, quem ferme in apris novimus: evidentissimeque causa est nominis (a *σῦς* sus, et *ἄγριος* ferus.) *Plin.* 13, 4, 9. ℙ [*Syagrius* etiam fuit cogn. R., ut Fl. Syagrius consul ann. a Chr. n. CCCLXXXI., et Afranius Syagrius consul anno insequenti. Prioris nomen scribitur *Fl. Suagrius* in *Inscr.* ap. *Fea Framm. de' Fast. cons.* p. 97. *n.* 27. *F.*] ℙ **Syagrus* vel *Syagrum*, promontorium Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 23 et 28. A Syagro. *Ptolemaeo* est *Σύαγρος ἄκρα*. *B. A.*

SYBĂRĪTAE, cives Sybaris, quod est oppidum magnae Graeciae ad sinum Tarentinum, inter Sybarin et Crathidem fluvios. Dicuntur fuisse olim valde potentes, et quatuor circa gentibus imperitasse: iidemque fuisse ingeniosissimi omnium voluptatum architecti, et deliciarum usque ad infamiam amatores. Denique a Crotoniatis uno proelio deleti sunt: cujus proelii famam eodem die, quo gestum est, auditam Olympiae Peloponnesi oppido, *Plin.* 7, 22, 22. narrat. *Quint.* 3, 7. *med.* Frugalitas apud Sybaritas forsitan odio foret. *Sen. Ira* 2, 25. Mindyridem ajunt fuisse ex Sybaritarum civitate: qui cum vidisset fodientem, et altius rastrum allevantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere.

SYBĂRĪTĂNUS, a, um, adj. ad Sybaritas pertinens, ut Sybaritanus exercitus, *Plin.* 8, 42, 64.

SYBĂRĪTĬCUS, a, um, adj. idem quod Sybaritanus. *Mart.* 12, 96. Musaei pathicissimos libellos, Qui certant Sybariticis libellis: scil. qui lascivis rebus pleni sunt, et obsceni argumenti. *Lampr. Elag.* 30. *f.* Sybariticum missum semper exhibuit ex oleo et garo: quem quo anno Sybaritae repererunt, perierunt.

SYBĂRĪTIS, ĭdis, f. *Συβαρῖτις*, opus Hemitheonis cujusdam cinaedi de generibus voluptatum, et obscenarum deliciarum: a Sybaritis populis. *Ov. Trist.* 2, 417. Nec qui composuit nuper Sybaritida, fugit.

*SYBŌTA, orum (*τὰ Σύβοτα Straboni*), insulae tres inter Epirum et Corcyram insulam. *Plin.* 4, 12. Ante Leucimnam (sic ed. *Hard.* nam in aliis est *Leucadiam*) Sybota. ℙ Item portus Epiri, ad ostium Acherontis. *Cic. Att.* 5, 9. *in.* Meminerunt etiam *Thucyd. Ptolem.* et *Steph. Byz.* Locum *Ciceronis*, huc a *Schellero* relatum, ad insulas supradictas spectare censet *Ernestus. B. A.*

[SYBOTES, ae, m. *συβώτης*, subulcus. *Manil.* 5, 126. de Hyadib.: Et fidum Laertiadae genuere syboten, *h. e.* Eumaeum Ulyssis porcarium: de quo ita *Hyg. fab.* 126. Ulysses, naufragio facto, nudus Ithacam pervenit, ad quandam casam suam, ubi erat nomine Eumaeus Sybotes, hoc est, subulcus pecoris, quem etc. *F.*]

SYCĂMĪNUS, i, f. *συκάμινος*, morus, arbor: [Hebr. שִׁקְמִים *sicmim*, plur. num. Hanc memorat his verbis *Plin.* 13, 7, 14. Ex Aegypto multa genera *(plantarum)*, quae non alibi. Ante omnia ficus, ob id Aegyptia cognominata. Arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. *F.*] *Cels.* 3, 18. *med.* Alii vel amomum, vel sycamini lacrimam fronti inducunt. Hoc nomen apud medicos reperio: sed cum Graeci morum *συκάμινον* appellent, mori nulla lacrima est. Sic vero significatur lacrima arboris in Aegypto nascentis, quam ibi *μωροσύκον* appellant. Haec *Celsus*, qui rursus 5, 18. *n.* 7. Sycamini [quam alias sycomorum vocant] lacrimae. [*Leon. Targa* verba uncis inclusa additicia esse putat. *F.*] ℙ Hoc arboris genere utuntur Aegyptii in aggeribus Nili, per quos incrementa ejus dispensantur, et coercentur. *Ulp. Dig.* 47, 10. *f.* Sed et metallo plectuntur secundum suam dignitatem, siquis arborem sycaminon exciderit. Nam et haec res vindicatur extra ordinem non levi poena, idcirco quod hae arbores colligunt aggeres Niloticos, per quos incrementa Nili dispensantur, et diminutiones aeque coercentur. In *Pandect. Torrentini* habetur; si quis arborem sycaminonem exciderit: ut a recto *sycaminon* Graecae positionis facta sit Latina positio *sycaminon*, *onis*. ℙ Ap. *Plin.* 5, 19, 17. *Sycaminum* est urbs in Phoenice. ℙ Ap. *eund.* 6, 29, 35. *Hiera Sycaminos* est alia urbs in Thebaide, Aegypti provincia.

SYCE, es, f. *συκῆ*, nomen herbae, quae et peplis. *Plin.* 27, 12, 93. V. PEPLIS. ℙ Item apud Graecos, succus e taeda, quae mas est, effluens, odore gravissimo: ita dictus quia similis est succo arboris fici: nam *συκῆ* ficum significat, *Id.* 16, 10, 19. Item ulcus in angulo oculi perpetuo humore manans, *Id.* 20, 6, 21. ℙ *Syce, *Συκῆ*, insula maris Aegaei, Asiae adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*SYCĬON AGRON, herba, quae et cucumis anguinus dicitur. *Appul. herb.* 113. *B. A.*

SYCĪTES, ae, m. *συκίτης οἶνος*, vinum e fico: a *συκῆ*, ficus. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3. V. CATORCHITES. ℙ *Sycitis*, *is*, f. *συκῖτις*, gemma fici colore. *Id.* 37, 11, 73.

SYCOLATRONĪDAE, arum, m. plur. vox ficta joculariter a *Pl. Mil.* 1, 1, 43. ad quandam gentem designandam, quasi in ea essent ficorum fures. V. SYCOPHANTA.

SYCŌMORUS, i, f. *συκόμορος*, lacrima cujusdam arboris, quae et sycaminus dicitur. V. SYCAMINUS.

SYCOPHANTĂ, ae, m. *συκοφάντης*, delator, calumniator: a *σῦκον*, ficus, et *φαίνω* pro *ἐγκαλῶ*, accuso. Nominis causam affert *Festus* his verbis: Sycophantas quidam ex hoc dictos putant: Atticos quondam juvenes solitos ajunt in hortos quorundam irrumpere, ficosque deligere, quam ob causam legem factam, qui id fecisset, capital esset ei, quam poenam qui persequerentur ob parvula detrimenta, sycophantas appellatos. Haec *Festus*. Alii nominis hujus etymon ad hujusmodi referunt fabulam, quam et *Maximus Planudes* in vita Aesopi refert. Cum Xanthi philosophi servus ficus domino ex agro allatos absumpsisset, ejus rei culpam in Aesopum conservum suum conjecit; qui ut domino innocentiam suam probaret, aquam tepidam ebibit, eandemque puram, ut hauserat, evomuit. Quod cum jubente hero alter quoque fecisset, una cum aqua ficuum quoque frusta ejecit. Ea ratione prodito calumniatore factum est, ut sycophantam dicamus, qui insontem falso crimine calumniatur. Vide et *Aristophanis Schol.* ad *Plut. v.* 874., ac *Etymolog. M.* ℙ A Latinis comicis hoc nomen fere usurpatur pro quovis fallaci homine, fraudulento, mendaci, doloso, improbo. *Pl. Poen.* 5, 2, 72. At hercle te hominem et sycophantam, et subdolum, qui venisti nos captatum, etc. *Ter. Andr.* 4, 5, 20. Clamitent, me sycophantam hereditates persequi. ℙ Interdum etiam pro adulatore, et callide blandiente. *Pl. Amph.* 1, 3, 8. Nimis hic scitus est sycophanta, qui quidem meus sit pater. Observatote, quam blande mulieri palpabitur. *Id. Men.* 2, 1, 35. Sycophantae, et palpatores plurimi in urbe hac habitant. *Prud. Apoth.* 35. Vae captiosis sycophantarum strophis, Vae versipelli astutiae.

SYCOPHANTĬĂ, ae, f. *συκοφαντία*, mendacium, fallacia. *Pl. As.* 1, 1, 54. Nauclero ipse ornatu per fallaciam, quam amabat, abduxit a lenone mulierem: neque puduit id aetatis sycophantias struere. *Id. ib.* 3, 2, 1. Perfidiae laudes, gratiasque habemus merito magnas, cum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque, scapularum confidentia, etc.

SYCOPHANTĬOSĒ, adv. *συκοφαντικῶς*, dolose, seu per calumniam. *Pl. Ps.* 4, 7, 113. Ego nec sycophantiose quicquam ago, nec malefice.

SYCOPHANTOR, aris, dep. 1. *συκοφαντέω*, sycophantias struo, fallo. *Pl. Trin.* 3, 3, 57. Quamquam hoc me aetatis sycophantari pudet.

SYCOPHYLLON, i, n. *συκόφυλλον*, herba foliis fico similibus, alio nomine hibiscus. *Appul. Herb.* 58.

*SYCOSIS, is, f. *σύκωσις. Scrib. Larg. compos.* 37. Sycosis, caro excrescens *(palpebrarum)*. Cf. *Cels.* 6, 3. *B. A.*

[SYCOTUM, i, n. *συκωτόν*, ita appellatur jecur anseris ficis saginati, quod et *ficatum* dicitur, Italice *fegato*. V. FICATUM. *Vespae judic. coci* ap. *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.* T. 2. p. 236. Unguellam Hydippi, sycotum pono Promethei. *F.*]

*SYCURIUM, i, n. opp. Thessaliae, ad radices Ossae montis. *Liv. l.* 54. 56. 57. 62 et 64. *Polybio* est *Συκίριον*. *B. A.*

*SYCUSSA, ae, f. *Συκοῦσσα*, insula in mari Aegaeo, ante Ephesum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*SYDOPTA, oppidum Aegypti superioris, vel in Aegypti Aethiopiaeque confinio. *Plin.* 6, 29. *B. A*

*SYDRACI, orum, populi Indiae, quorum regio *terminus expeditionum Alexandri* appellatur a *Plin.* 12, 6. a quo *Syndraci* vocantur in 6, 23. *B. A.*

SYDUS. V. SIDUS.

*SYEDRA, orum, opp. Ciliciae asperae sive trachiae. *Lucan.* 8, 259. *Ptolemaeo* est *Σύεδρα*. *B. A.*

SYĒNĒ, es, f. *Συήνη*, oppidum Aegypti superioris, nunc *Assuan*, in confinio Aethiopiae, sub ipso Cancri tropico situm: quare in solstitio aestivo sol ibi meridie nullas jacit umbras. *Lucan.* 2, 587. umbras nusquam flectente Syene; et 10, 234. Cancroque suam torrente Syenen. *Mart.* 9, 36. fusca Syene. ℙ Metonymice est marmor circa Syenen, satis nobile. *Stat. Silv.* 4, 2, 27. aemulus illic Mons Libys, Iliacusque nitent, et multa Syene.

SYĒNĪTES, ae, m. adj. *Συηνίτης*, qui est ex Syene urbe. *Ov. Met.* 5, 74. Ecce Syenites genitus Methione Phorbas. Sic *Syenites lapis*, qui circa Syenen nascitur: quem olim pyropoecilon vocabant, nunc *granito rosso*, ap. *Plin.* 36, 8, 13. ℙ *Syenitae*, *arum*, ejus urbis cives. *Id.* 6, 29, 35.

*SYGAROS, i, *Σύγαρος*, insula in sinu Arabico, in qua nulli sunt canes, atque aliunde importati litora errantes moriuntur. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

SYLA, ae, m. mons Lucaniae, cum silva cognomine, et crebris latrociniis infami: unde et nomen

traxisse videtur, nempe a *σύλη* spolium, praeda. *Virg. A.* 12, 715. ingenti Syla, summove Taburno. *Sall. fragm.* ap. *Serv. ib.* In silva Syla fuerunt. Alii scribunt *Sila*, q. v. v. s. l.

*SYLEUM, i, n. opp. Phrygiae majoris, vel, ut aliis placet, Pamphyliae. *Liv.* 38, 14. *med.* Σίλειον est *Steph. Byz.* Σίλουον *Ptolemaeo. B. A.*

SYLFI. V. SULFI.

*SYLINA, ae, f. insula Britanniae adjacens. *Sulpic. Sev.* in *Hist. sac.* 2, 51. *B. A.*

SYLLA, etc. V. SULLA.

SYLLABA, ae, f. *συλλαβή*, comprehensio litterarum, vel unius vocalis enuntiatio temporum capax: a *συλλαμβάνω*, comprehendo, ut proprie hoc nomine vocetur id, quod ex pluribus litteris constat; quod autem una vocali perficitur, abusive syllaba vocatur. *Cic. Par.* 3. *f.* Si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior. *Sen. ep.* 48. Tu mihi verba distorques, et syllabas digeris. *Mart.* 9, 12. Sed tu syllaba contumax repugnas, Dicunt Earinon tamen poetae, Sed Graeci, quibus est nihil negatum. *Ov. Pont.* 4, 12, 12. Fiat ut e longa syllaba prima brevis, Aut producatur quae nunc correptius exit, Et sit porrecta longa secunda mora. ℙ Per synecdochen *Mart.* 1, 62. de Catullo: Verona docti syllabas amat vatis: Marone felix Mantua est, *h. e.* numeros et versus.

SYLLABATIM, adv. *κατὰ συλλαβάς*, per singulas syllabas. *Cic. Att.* 13, 25. Ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas *περιοχάς* persequi solet, sed Spintheri syllabatim. *Id. Acad.* 4, 38. Cum tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi ista dixerit.

*SYLLABIRO, as, n. 1. *Salisb. Policr.* 5, 16. Qui syllabirare non novit. Al. leg. *syllabizare. B. A.*

SYLLABUS, i, m. *σύλλαβος*, index paucis complectens, quae pluribus disputantur. *August. Conf.* 13, 15.

SYLLEPSIS, is, f. *σύλληψις*, figura est verborum, et constructionis, *h. e.* dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, cum singularis dictio plurali verbo, vel posteriori tantum, vel ultimo redditur: ut est (*Virg. A.* 1, 20.) hic illius arma, Hic currus fuit. *Nep. Phoc.* 2. Demosthenes cum ceteris, qui bene de republica mereri existimabantur, in exsilium erant expulsi. *Diomed.* 2, 440. et *Charis.* 1, 250. Agnoscit *Donat.* syllepsim et in illo *Ter. Andr. prol.* 3. Populo ut placerent quas fecisset fabulas: *ad* fecisset, *inquit*, *retulit* fabulas, *non ad* placerent: et est *figura syllepsis.* Ipsa vox Graeca est, a *συλλαμβάνω*, comprehendo.

SYLLOGISMATICUS, a, um, adj. syllogismis constans, ut Syllogismaticum Aristotelis breviloquium, ap. *Fulg. Myth.* 1. *praef. f.* Hoc *Tert. Anim.* 6. *med.* vocat *Aristotelis minutiloquium.*

SYLLOGISMUS, i, m. *συλλογισμός*, ratiocinatio, qua unum ex alio colligimus: v. gr. cum arithmeticus subductis calculis multarum rerum summam colligit: id enim proprie haec vox significat. Translate autem, cum disputantes, ex eo quod est manifestum, id quod non est, deducimus: a *συλλογίζω*, per ratiocinium colligo. Forma syllogismi in scholis philosophorum est, ut tria habeat enuntiata, quorum prius propositio, alterum assumptio, tertium complexio et conclusio dicitur. Sed ne ipsi quidem philosophi, ut est ap. *Gell.* 2, 8., nedum oratores, aut numerum illum, aut ordinem servant. V. *Quint.* 7, 8., ubi etiam species oratorii syllogismi enumerat. *Plin. ep.* 2, 3. Crebra *νοήματα*, crebri syllogismi, circumscripti, et effecti. *Sen. ep.* 108. *med.* Relictis ambiguitatibus, et syllogismis, et cavillationibus, et ceteris acuminis irriti ludicris.

SYLLOGISTICUS, a, um, adj. *συλλογιστικός*, ad syllogismum pertinens. *Quint.* 5, 10. Cicero statum syllogisticum ratiocinativum appellat.

SYLVA cum derivatis. V. SILVA.

*SYLUI vel

*SYLVI, orum, gens Asiae ulterioris, in Iberia. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

SYMAETHEUS, a, um, adj. *Συμαίθειος*, ad Symaethum pertinens. *Ov. Fast.* 4, 472. Quaque Symaetheas accipit aequor aquas.

SYMAETHIS, idis, f. *Συμαθίς*, patronym. a Symaetho. *Ov. Met.* 13, 750. Acis erat Fauno, Nymphaque Symaethide cretus.

SYMAETHIUS, a, um, adj. *Συμαίθιος*, Symaetheus. *Virg. A.* 9, 584. Symaethia circum Flumina. *Ov. Met.* 13, 879. Terga fugae dederat conversa Symaethius heros, *h. e.* Acis. ℙ *Symaethii, orum*, absolute, sunt populi Symaethum accolentes, ap. *Plin.* 3, 8, 14. *med.*

SYMAETHUM et Symethum, i, n. et Symaethus, i, m. *Σύμαθος*, et *Σύμηθος*, fluvius, et oppidum Siciliae in ora orientali, in agro Leontino, non procul a Catina. *Plin.* 3, 8, 14. Scopuli tres Cyclopum, portus Ulyssis, colonia Catina, flumina Symaethum, Therias. *Sil.* 14, 231. rapidique colunt vada flava Symaethi. ℙ Secundum fabulas fuit pater ejus Nymphae, ex qua Faunus Acin genuit. V. SYMAETHIS. ℙ Masculino genere usurpant *Serv.* ad *Virg. A.* 9, 584. et Graeci. ℙ Sunt qui scrib. *Symaethum*, sed non sequendi.

*SYMBARI, orum, populi Aethiopiae, quorum meminit *Plin.* 6, 30. *B. A.*

SYMBIOTES, ae, m. *συμβιώτης*, qui cum alio vivit, contubernalis: a *σὺν*, cum, et *βιόω*, vivo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 855, 7., et emendatior ap. *Mur.* 4431, 6. M. Cornelius Symbiotes.

SYMBOLA, ae, f. *συμβολή*, Graecis proprie est collatio: a *συμβάλλω*, confero. Dicitur autem de pecunia, quam sodales pro se quisque conferunt, simul coenaturi: quam *Cic. Or.* 2, 57. *med. collectam* vocat. *Pl. Curt.* 4, 1, 13. Symbolarum collatores *(sunt)* apud forum piscarium. *Id. Stich.* 3, 1, 28. Eo condixi in symbolam ad coenam, ad ejus conservum Sagarinum; et *ib.* 34. Symbolam dabo, et jubebo ad Sagarinum coenam coqui. *Ter. Eun.* 3, 4, 1. Aliquot adolescentuli coimus in Piraeeo in hunc diem, ut de symbolis essemus. ℙ Lepide servus ap. *Pl.* cui verbera herus minitatus fuerat, *Ep.* 1, 2, 22. Sine meo sumptu paratae jam sunt scapulis symbolae. ℙ De quaestiunculis in convivio agitatis. *Gell.* 6, 13.

SYMBOLICE, adv. *συμβολικῶς*, sub symbolo, per metaphoram, figurate. *Gell.* 4, 11. *Κνάμους* hoc in loco testiculos significare dicunt, eosque more Pythagorae operte atque symbolice *κνάμους* appellatos, quia sint *εἰς τὸ κυεῖν δεινοὶ, καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν*, et geniturae humanae vim praebeant.

*SYMBOLIUM, i, n. *Hieron. ep.* 28. *B. A.*

SYMBOLUM, i, n. et Symbolus, i, m. *σύμβολον*, signum, nota, indicium: et praesertim apud Latinos anulus, quia illo utebantur ad epistolas et vasa obsignanda, et in pignus atque argumentum cujuspiam rei promissae. [*Cato* ap. *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 2. *f.* Numquam ego evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecunias magnas caperent. *F.*] *Plin.* 33, 1, 4. Anulum Graeci a digitis appellavere: apud nos prisci ungulum vocabant: postea et Graeci et nostri symbolum. ℙ Ipsa quoque imago anulo impressa symbolum est. *Pl. Ps.* 1, 1, 53. Ea causa miles hic reliquit symbolum, expressam in cera ex anulo suo imaginem, ut, qui huc afferret ejus similem symbolum, cum eo simul me mitteret; et 2, 2, 52. Tu epistolam hanc a me accipe, atque illi dato: nam istic symbolum est inter herum meum et tuum de muliere; et 2, 4, 26. *Ps.* Epistolam modo hanc intercepi, et symbolum: *Char.* quem symbolum? *Ps.* qui a milite allatus est modo. Adde *Bacch.* 2, 3, 29. ℙ De quocumque signo, nota, indicio. *Just.* 2, 12. Cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi, et saxis proscribi curat: Quae vos, Iones, dementia tenet? etc. Sunt qui hic leg. *symbola:* sunt etiam qui *symbolas:* sed hi male, *Symbolum* cum *symbola* confundentes: quod viri docti jampridem admonuere. *Appul. Dogm. Plat.* 2. *med.* Divisionum aequalitas, et eorum quae pacta sunt, symbola, *h. e.* tabulae, tesserae, arrhae, pignora, et alia quae contractuum signa sunt. Alii leg. *symbolae.* ℙ **Portus symbolorum* vel *symbolon* (*συμβόλων*) in Sarmatia Europaea erat. *Plin.* 4, 12. *Ptolemaeo* ac *Straboni* est *λιμὴν συμβόλων.* Nomen hodiernum portus (cum oppido ibi sito) est *Baluklawa (Baluclawa.).* Itali vocant *Cembalo. B. A.*

*SYME, es, et Syma, ae, f. *Σύμη*, insula maris Aegaei, Asiae adjacens, inter Rhodum insulam Cnidumque Cariae oppidum. *Plin.* 5, 31. *Mela* 2, 7. Meminerunt etiam *Strabo* et *Steph. Byz.* itemque *Thucyd.* 8, 41. seq. *B. A.*

SYMMACHIANUS, a, um, adj. ad Symmachum pertinens. *Sidon. ep.* 8, 10. Symmachianum illud *(dictum)* te cogitare par fuerat: Ut vera laus ornat, ita falsa castigat.

[SYMMACHUS, idis, f. dimin. a *σύμμαχος*, commilito, pugnae socius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 930, 12. Murdia Symmachis. *F.*]

SYMMACHUS, *Σύμμαχος*. Q. Aurelius Symmachus, filius L. Aurelii Avianii Symmachi (de quo *Ammian.* 27, 3.), Romanus, consul et praefectus Urbi, floruit temporibus Valentiniani II., Theodosii et filiorum, ingenio, doctrina, et eloquentia: laudaturque ab *Ambros.*, *Prud.*, *Auson. ep.* 17., qui suum ei Griphum (qui est *Idyll.* 11.) inscripsit. Vixit ad multam senectutem octogenario major post ann. a Chr. n. CCCCIV. *Macr. Sat.* 5, 1. Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnat, siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor, noster Symmachus luxuriatur. *Sidon. ep.* 1, 1. tribuit et rotunditatem. ℙ Exstant ejus epistolarum libri decem, in quorum ultimo epistola 54. (al. 61.) est oratio ad Augustos, infenso in Christianos animo scripta, ut aram Victoriae eversam restituant, quam copiose confutant *Ambrosius*, et *Prudentius*, ille prosa, hic versibus. De *Symmachi* Latinitate, ita *Erasmus* in *Cicerone.* Symmachum admirentur, quibus studio est moleste potius, quam bene dicere. *Olaus Borrich. de auctorib. L. L.* Stilus non raro offendit aures melioribus saeculis assuetas. [Praeter epistolas supra memoratas, cura et diligentia *A. Maii* vulgatae sunt ex *Codicib. palimps. Ambros.* et *Vatican.* Novem orationum partes, iterum editae Romae anno MDCCCXXIII., cujus ad easdem commentarium consule, in quo de Symmacho, et Symmachorum gente a pag. XXIII. ad LXIII. fuse ac docte disserit. *F.*]

SYMMETRIA, ae, f. *συμμετρία*, commensus, convenientia mensurae, apta proportio multarum partium inter se congruentium. *Vitr.* 1, 2. Symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus, ex partibusque separatis, ad universae figurae speciem, ratae partis responsus: ut in hominis corpore, e cubito, pede, palmo, digito, ceterisque partibus symmetros est eurhythmiae qualitas; sic est in operum perfectionibus; et *ib.* 3. *extr.* Membrorum commensus justas habeat symmetriarum rationes. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 1. de Myrone: Numerosior in arte, quam Polycletus, et in symmetria diligentior; et *ib. n.* 6. de Lysippo: Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime custodivit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 6. Parrhasius primus symmetriam picturae dedit. ℙ Latino vocabulo *commensus* dicitur a *Vitr.* 1, 3. *extr.* et 3, 1. *congruentia* et *aequalitas* a *Plin. jun. ep.* 2, 5., *commoditas* a *Suet. Aug.* 79. *f.*, *competentia* a *Gell.* 1, 1. *f.* Haec non placuerunt scilicet *Plinio* seniori *l. c.* cum dixit, *symmetriam* Latinum nomen non habere.

SYMMETROS, a, um, adj. *σύμμετρος. Vitr.* 1, 2. cujus verba V. in dict. praeced.

SYMMYSTES, ae, m. [*συμμύστης*, iisdem sacris initiatus, et, ut loquitur *Appul. Apol.*, eorundem solemnium particeps: a *σὺν*, cum, et *μύστης*, initiatus. *Id. ib.* Unius Liberi patris symmystae, qui adestis, scitis, etc. ℙ Etiam de Christiano presbytero et monacho usurpatur. *Hieron. ep.* 58. *n.* 11. Ad te ipsum (*Paulinum presbyterum*) veniam symmysten, sodalem meum et amicum. *Id. ep.* 66. *n.* 9. *ad Pammachium monachum.* Sed prophetarum quotidie medullas bibas, Christi mystes, patriarcharum symmystes. *F.*]

SYMONIANUM trifolium, vel, ut alii scribunt, *Simonianum*, aut *Symoniacum*, quid sit ap. *Colum.* 6, 17. *med.* incertum olim erat. *Morgagnius ep.* 3. *in Colum.* §. 31. multa disserit, et legendum conjicit *siler:* vel *sil montanum.* [Verum *Pontedera* in *Antiqu. Lat.* et *Graec.* p. 543. et *Schneiderus* ad *Colum. l. c.* ex Codicibus, et ex comparato simili loco *Veg.* 3, 4. *med.* corrupta *Columellae* verba ita scribenda statuerunt: *Si montanum trifolium invenitur* etc., quos secutus Italus interpres *B. Del-Bene* ita vertit: *Se trovasi trifoglio montano. F.*]

SYMPASMA, ătis, n. *σύμπασμα*, medicamentum pulvereum, quod corpori adspergitur: a *συμπάσσω*, conspergo. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 38. et al.

SYMPATHIA, ae, f. *συμπάθεια*, compassio, naturalis consensus, et convenientia, qualis est maris cum lunae natura, et heliotropii cum natura solis. Graeca vox est, et Graecis perpetuo litteris scribitur a *Cicerone*, quem quidam Lexicographi afferunt ad ejus usum confirmandum. Usus est tamen Latine *Vitr.* 1, 1. *f.*, ubi ait: Similiter cum astrologis, et musicis est disputatio de sympathia stellarum. Item *Varr.* ap. *Non.* 6, 57. Quam sympathiam lumbi ad oculos haberent. Adde *Plin.* 28, 7, 23. et *ib.* 9, 41. et 37, 4, 15.

[SYMPERASMA, ătis, n. *συμπέρασμα*, conclusio, id quod ex positis, vel concessis concluditur. Est syllogismi species. *Capell.* 4, 98. Quid syllogismus, quid symperasma, quid praedicativus syllogismus, etc. et p. 127. Hoc a Graecis *συμπέρασμα* dicitur, a nobis dici potest confinis conclusio. V. *ib.* in quo differat syllogismus a symperasmate. *F.*]

[SYMPHERON, ontis, m. *συμφέρων*, et

[SYMPHERUSA, ae, f. *συμφέρουσα*, utilis, juvans: est particip. masc. et fem. praes. a *συμφέρω*, confero, prosum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1160, 14. Staberio Sympheronti fecit Flavia Sabina conjugi benemerenti; et 980, 1. Julia C. L. Sympherusa. *F.*]

SYMPHONIA, ae, f. *συμφωνία*, consonantia, et musicus concentus, *ἀπὸ τοῦ συμφωνεῖν*, quod est consonare, sive concinere. *Hor. A. P.* 374. Ut gratas inter mensas symphonia discors Ostendit. *Sen. ep.* 12. *f.* Ad symphoniam canere. *Cic. Verr.* 2, 3, 44. Cum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur. *Id. Coel.* 15. Bajis acta convivia, comissationes, cantus, symphonias, etc. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus mulcetur symphoniae cantu, et praecipue hydrauli sono: et 10, 29, 43. Luscinias jussas canere coepisse, et cum symphonia alternasse. *Cels.* 3, 18. Quorundam discutiendae tristes cogitationes: ad quod symphoniae, et cymbala, strepitusque proficiunt. Adde *Isid. Or.* 3, 20. ℙ De classico militari. *Prud. adv. Symm.* 2, 527. signum symphonia belli Aegypto dederat. ℙ Sumitur etiam, sequioris Latinitatis aevo, pro organo musico. *Hieron. ep.* 21. *n.* 29. Male quidam de Latinis symphoniam putant esse genus organi; cum concors in Dei laudibus concentus hoc vocabulo significetur. Attamen *Isid. Or.* 3, 22. *f.* Symphonia vulgo appellatur lignum cavum ex utraque parte, pelle extenta, quam virgulis hinc et inde musici feriunt: fitque in ea ex concordia gravis et acuti suavissimus cantus. V. *Arevali* adnot. ad *l. c.* ℙ Quae de symphonia herba (quam symphoniacam appellant alii) afferuntur a nonnullis, firmanturque verbis *Plin.* 26, 7, 23., incerta omnino sunt. *Harduinus* pro *symphonia*

ex MSS. suis posuit *gromphaena*. Alii aliter. V. v. sq.

SYMPHONIACUS, a, um, adj. ad symphoniam pertinens. *Arnob.* 2, 73. Idcirco *(rex mundi ex se genitas)* animas huc misit, ut res sancti atque augustissimi nominis symphoniacas agerent et fistulatorias artes? ℙ *Symphoniaci* homines servi, vel pueri, *συμφωνιακοί*, sunt qui ad modulationes musicas concentusque conficiendos comparantur. *Cic. Mil.* 21. Milo tum casu symphoniacos pueros uxoris ducebat. *Id. Div. Verr.* 17. Ab hac praefectus Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat. *Ascon.* ad hunc locum notat, adhibitos fuisse etiam in navibus symphoniacos, qui remigantibus celeusma canerent, vel per assam vocem, hoc est ore prolatam, vel per citharam, ut in Argo navi. Sed quia hic *in classe* dixit, possumus intelligere, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicum canant: unde ipsi tubae classis nomen positum est *classicum*. Haec *Ascon.* V. ARREPTICIUS. ℙ *Symphoniaci* etiam vocantur, qui scabella pede pulsantes, et tibias ore inflantes saltantibus choris obstrepebant. V. *Augustini l. c.* in SCABELLUM. ℙ *Symphoniaca herba*, quae et hyoscyamos, seu jusquiamus, et insana dicitur ab *Appul. H.* 4.: memoratur etiam a *Pall.* 11, 12. *f.*, et a *Veg. Vet.* 3, 68. [**Bilsenkraut.*]

[SYMPHONUS, a, um, adj. *σύμφωνος*, consonus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1315, 1. C. Marius Symphonus. *F.*]

[SYMPHORUS, a, um, adj. *σύμφορος*, utilis, conveniens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 69, 7. Q. Tossasius Symphorus. *F.*]

SYMPHYTON, i, n. *σύμφυτον*, nomen herbae. [**Beinwell, Wallwurz.*] De symphyto petraeo V. ALUM. Aliud symphyti genus memorat *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5., quod alii helenion, alii medicam vocant.

*SYMPHRATĪDAE, *συμφρατίδαι*,

*SYMPHRATORES, *συμφράτορες*, et

*SYMPHREATĪDAE, *συμφρεατίδαι*, nomina, quae Critici tribuerunt *Cic. Leg.* 2, 2. pro quo *Sunii* editur hodie: Locus est: Ut vestri Attici, priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, et in astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, et Sunii erant iidem et Attici. Variant libri et sententiae. Caeterum *Symphratidae* et *Symphratores* fuerint *tribules: Symphreatidae*, qui puteum communem habent *B. A.* [**Orell.*, qui desperatum hunc locum appellat, copiosus est in describendis iis, quae ad emendandam scripturae depravationem a VV. DD. facta sunt.]

SYMPĪNĬUM, ii, n. vas capax, ex quo plures bibere possunt, vel quo in compotationibus utebantur: a *σύν*, cum, et *πίνω*, bibo. *Arnob.* 7, 235. V. SIMPUVIUM.

SYMPLECTOS, i, m. *σύμπλεκτος*, nomen pedis metrici, duabus syllabis longis, et tribus brevibus constantis, ut *symphoniacus*. *Diomed.* 3, 478.

SYMPLĒGAS, ădis, f. *συμπληγάς*: a *συμπλήττω*, simul percutio, collido. Symplegades duae insulae sunt, vel potius scopuli in Ponto Euxino apud os Bosphori Thracii, quae et Cyaneae dictae sunt. *Mela* 2, 7., *Plin.* 4, 13, 27. et 6, 12, 13. ℙ Poetae fabulati sunt, olim mobiles fuisse, et inter se concurrisse: donec navi Argo medias pertranseunte, Deorum imperio stetere. Origo fabulae inde est, quod parvo discretae intervallo, ex adverso intrantibus geminae cernebantur; paulumque deflexa acie, coeuntium speciem praebebant. *Plin. cit.* 4, 13, 27. Rem luculenter describit *Val. Fl.* 4, 637. et sqq. Hinc *Ov. Met.* 15, 337. timuit concursibus Argo Undarum sparsas Symplegadas elisarum: Quae nunc immotae perstant, ventisque resistunt. *Val. Fl.* 4, 221. et ponto volitet Symplegas inani. *Lucan.* 2, 717. Rapta puppe minor subducta est montibus Argo, Vanaque percussit pontum Symplegas inanem. *Val. Fl.* 5, 300. nil domitis actum Symplegados undis. *Claud. in Eutr.* 2, 30. Vitant instabilem rursum Symplegada nautae. [Adde *Sen. Herc. fur.* 1210. et sqq. *F.*] ℙ Usurpatur etiam de complexione et cohaesione limi in vadis maritimis. *Rut. Itin.* 1, 461. Ut, praebente algam densi symplegade limi, Servet inoffensas semita clara notas. *F.*] ℙ Item natium. *Mart.* 11, 99. Sic *(tunicae)* constringuntur gemina symplegade culi, Et Minyas intrant, Cyaneasque nates. *Auson. epigr.* 108, 8. rotat inguina, suras, Tergum, colla, humeros, luteae symplegadis antrum, *h. e.* podicem.

SYMPLEGMA, ătis, n. *σύμπλεγμα, συμπλοκή*, complexio, copulatio: a *σύν*, simul, et *πλέκω* necto. *Plin.* usurpat de signo, quo duo, aut plures invicem amplexi vel osculantur, vel luctantur: 36, 5, 4. *n.* 6. Cephissodori laudatum est Pergami symplegma, signum nobile digitis corpori verius, quam marmori impressis; et *ib. n.* 10. Pana et Olympum luctantes fecit Heliodorus: quod est alterum in terris symplegma nobile. ℙ Est etiam obscena copulatio spinthriarum, ac praecipue histrionum incestos Deorum amores in scena repraesentantium, quales depictae videbantur in tabellis Elephantidis. *Mart.* 12, 43. Sunt illic Veneris novae figurae, Quales perditus audeat fututor: Praestent: et taceant quid *(praestiterint)* exoleti: Quo symplegmate quinque copulentur; Qua plures teneantur a catena. *Arnob.* 7, 239. Mimis nimirum Dii gaudent: et illa vis *(Deorum)* praestans, neque ullis hominum comprehensa naturis libentissime commodat audiendis his aures, quorum symplegmatibus plurimis intermixtos se esse derisionis in materiam norunt.

[SYMPLOCĒ, es, f. *συμπλοκή*, complicatio: ita appellatur figura rhetorica, ubi et incipit saepius ab una parte orationis, et toties in unam atque eandem desinit: ut est: Quis legem tulit? Rullus. Quis decemviros, quos voluit, creavit? Rullus. Haec *Capell.* 5, 175. *F.*]

SYMPOSĬACUS, a, um, adj. *συμποσιακός*, convivalis, ad symposium, seu convivium pertinens. Ap. *Gell.* 6, 13. *in titulo* ita legitur: De quaestiunculis apud Taurum philosophum in convivio agitatis, quae symposiacae vocantur. ℙ Notatur etiam hoc adjectivo liber Platonis, et Plutarchi, quod Symposium inscribitur, quia scilicet hujusmodi quaestiones continet. *Gell.* 4, 11 *f.* Plutarchus in Symposiacis dicit. *Id.* 17, 11. *med.* Plutarchus in libro Symposiacorum.

SYMPOSĬUM, ii, n. *συμπόσιον*, compotatio, convivium: a *σύν*, simul, et *πίνω*, bibo. *Cic. Fam.* 9, 24. Ut sapientius nostri, quam Graeci: illi *συμπόσια*, aut *σύνδειπνα*, id est compotationes, aut concoenationes, nos convivia, quod tum maxime simul vivitur. ℙ Hoc nomine inscriptus est Platonis liber *περὶ ἔρωτος*, h. e. de amore, in quo Alcibiadem cum aliis inducit in convivio disputantem. *Gell.* 1, 9. Hic a Symposio Platonis incipere gestit, propter Alcibiadis comissationem. *Nep. Alc.* 2. De quo mentionem facit Plato in Symposio. ℙ [*Symphosium* pro *Symposium* est etiam nomen propr. libertinum. *Inscr.* ap. *Grut.* 978, 6. Hersiliae Symphosium, Callityche Lib. *h. e.* Hersiliae patronae Symphosium et Callityche libertae. *F.*]

SYMPSALMA, ătis, n. *σύμψαλμα*, vocum copulatio in cantando, seu psallendo. *August. in Psalm. sect.* 4, 4. V. PSALMA.

[SYMPTOMA, ătis, n. *σύμπτωμα*, affectus cum morbo conjunctus. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. *med.* Omnia minuuntur, quae Graeci symptomata vocaverunt, nos accidentia passionis; et *mox:* Ex ceteris accidentibus, quae Graeci symptomata vocant, etc. *F.*]

SYNAERĒSIS, is, f. *συναίρεσις*, Latine complexio, figura est grammaticorum, qua duae vocales in unam contrahuntur, servatis iisdem elementis: ut in illo *Virg. A.* 7, 33. fluminis alveo; et *ib.* 6, 280. Ferreique Eumenidum thalami; et *Varro Atacin.* ap. *Quint.* 1, 5. Cum te flagranti dejectum fulmine, Phaethon. V. SYNALOEPHE. ℙ Huic contraria est diaeresis, ut in *Europai, aulai*, frequens ap. *Lucr., Quint. l. c.* et *Donat. de schematib.* p. 1772 Graece.

SYNĂGOGĂ, ae, f. *συναγωγή*, congregatio, coetus: a *συνάγω*, congrego. Hoc nomine praecipue Hebraeorum ecclesia, sive societas in rebus sacris appellata est. *Tert. adv. Jud.* 8. et 13. et 3. *adv. Marc.* 22.

SYNĂLOEPHĒ, es, f. *συναλοιφή*, figura poetica, qua ultima vocalis, aut diphthongus praecedentis dictionis a prima vocali, vel diphthongo sequentis excipitur, et quodammodo absorbetur: a *σύν*, simul, et *ἀλοιφή*, pressio, vel *ἀπὸ τοῦ συναλείφειν*, hoc est a conglutinando, propterea quod per eam duae syllabae in unam coalescant, ut in illo *Virg. A.* 2, 1. Conticuere omnes, intentique ora tenebant. ℙ Differt a synaeresi, quod ea in eadem dictione duas vocales contrahit: haec in duarum fine et initio. *Quint.* 1, 5., *Charis.* 4, 249., *Diomed.* 2, 437. omnes Graece. Latine quidem *Quint.* 9, 4. *med.* Nam synaloephe facit, ut ultimae syllabae pro una sonent.

SYNANCHĒ, es, f. *συνάγχη*, angina: ab *ἄγχω*, ango, strangulo. *Gell.* 11, 9., *Coel. Aurel. Acut.* 3, 3. Narrat *Gell. ib.* lepidam de angina Demosthenis historiam. Cum legati Milesiorum Athenas venissent quippiam rogatum, Demosthenes contra eorum postulata acri oratione usus, eos dixit rejiciendos. Re in posterum prolata: venerunt ad eum domum legati, et grandem pecuniam polliciti, obtinuerunt, ut ne contra eos amplius diceret. Postridie venit ille in forum, lana multa et fasciis collo circumvolutus: excusavitque synanchen, quod contra Milesios, ut promiserat, verba non faceret. Tum e populo unum exclamasse ferunt, non synanche Demosthenem, sed argyranche laborare.

SYNANCHĪCUS, a, um, adj. *συναγχικός*, ad synanchen pertinens, ut Synanchica passio, *Coel. Aurel. Acut.* 2, 25.

[SYNAPHIA, ae, f. *συνάφεια*. *Mar. Victor.* 3, 2568. Ita binae bases, hoc est breves ac longae junctae per synaphiam, ut Graece vocant, nos per conjunctionem. *Id.* 2569. Diximus ionicum *ἀπὸ μείζονος* gigni, per synaphiam, id est, cum vicissim breves longis, aut longae brevibus syllabis, prout metri mensura fuerit, subjiciuntur. *F.*]

SYNĂPOTHNESCONTES, *συναποθνήσκοντες*, simul morientes, commorientes; titulus cujusdam Graecae comoediae. *Ter. Ad. prol.* 6. Synapothnescontes Diphili est comoedia: Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.

SYNĂRISTOSAE, *Συναριστῶσαι*, h. e. feminae simul prandentes: a *σύν*, simul, et *ἀριστάω*, prandeo. Nomen est comoediae *Menandri*, et *Caecilii*, in quibus tales feminae inducuntur. Memoratur a *Plin.* 23, 9, 81., *Gell.* 15, 15. et *Non.* 4, 364. *In *Plinii l. c. Synaristusae* habet ed. *Elzev.* quam formam etiam *Gellio* restituit *Longolius* in editione sua. Alteram formam habet *Non.* 4, 364. *B. A.*

SYNATHROESMUS, i, m. *συναθροισμός*, figura, qua multa simul coacervantur: *ἀπὸ τοῦ συναθροίζειν*, quod est congerere, seu congregare. Potest autem et singulis verbis, et plurium verborum conjunctione fieri. Singulis verbis, ut ap. *Ter. Heaut.* 2, 1, 15. Mea est procax, potens, magnifica, sumptuosa, nobilis. Plurium verborum conjunctione, ut ap. *Sall. Cat.* 5. Audax animus, cujuslibet rei simulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, etc. V. CONGERIES. ℙ Ipsa vox Graeca est, et Graece scribenda.

SYNCĒRASTUM, i, n. *συγκεράστον*, Graece est rerum commixtio, quasi contemperatum: a *συγκεράννυμι*, commisceo, contempero. Per synecdochen ponitur pro omni edulio. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Plautus in Phagone, Honos syncerasto perit. Syncerastum est omne edulium antiquo vocabulo Graeco.

SYNCĒRASTUS, i, m. *συγκεραστός*, commixtus. Est nomen servi ap. *Pl.* in *Poen. a.* 4. *sc.* 2., a cibo dictum. *Pl. Poen.* 4, 2, 64. Continuo is me ex Syncerasto Crurifragium fecerit.

SYNCĒRUS cum derivatis. V. CINCERUS.

[SYNCHORUS, i, m. qui ex eodem choro est: a *σύν*, simul, et *χορός*, chorus. Est cogn. R *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 2. M. Detelius Synchorus. *F.*]

SYNCHRISMA, ătis, n. *σύγχρισμα*, inunctio: a *χρίω*, ungo. *Pelag. Vet.* 4. *med.* Inde synchrismate curetur. *Veg. Vet.* 2, 45. Post synchrisma ad curandos armos inducitur.

SYNCHRONUS, a, um, adj. aequalis, contemporalis, *σύγχρονος*. *Hieron. praef.* in *XII. Prophet.* Vos admonitas volo, Osee esse synchronon Isaiae. Alii tamen *Graece scribunt.*

SYNCHYSIS, is, f. *σύγχυσις*, Graece est confusio, turbatio ordinis: a *συγχύω*, seu *συγχύνω*, confundo. A grammaticis accipitur pro hyperbato obscuro, seu trangressione confusa et perturbata, id est pro vitio grammaticali, quo verba inter se longius permiscentur, et confunduntur, quam aequum sit, ut ap. *Hor. Sat.* 1, 5, 49. Namque pila lippis inimicum est ludere crudis. Rectus ordo erat: *Namque pila ludere inimicum est lippis et crudis. Charis.* 4, 246. et *Donat. de Tropis* p. 1777. V. HYPERBATON.

[SYNCLĒTICUS, a, um, adj. *συγκλητικός*, senatorius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1821, 1. Aelia Syncletice. *F.*]

SYNCOPĒ, es, et Syncopa, ae, f. *συγκοπή*, concisio. Vox Graeca: a *συγκόπτω*, concido. Grammaticis est figura, qua littera vel syllaba de medio dictionis subtrahitur, ut *periclum, vixet, exstinxem*, et sexcenta hujusmodi apud poetas. Quin et prosae scriptores, *nummum, liberum, triumvirum* pro *nummorum, liberorum, triumvirorum*, etc. dicunt: qua de re *Cic. Or.* 45. 46. et 47. multa. *Charis.* 4, 248. et *Diomed.* 2, 436. ℙ Est etiam defectio virium, ap. *Veg. Vet.* 1, 35., ubi et *syncopatus equus* dicitur, qui tali morbo laborat: et *syncopare*, viribus defici.

SYNCŌPO, as. V. f. v. praec.

SYNCRĀSIS, is, f. *σύγκρασις*, commixtio, temperatio. Unus est ex aeonibus Valentinianis, ap. *Tert. adv. Valent.* 8.

*SYNCRĪSIS, is, f. *σύγκρισις*, figura rhetorica, i. q. antithesis sive comparatio rerum atque personarum inter se contrariarum. *Jul. Rufinian. de figur. sentent. et eloc.* p. 222. ed. *Ruhnken.* qui hoc exemplum citat ex *Cic. Mur.* 9. Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat, etc. ℙ Vox est Graeca, a *συγκρίνω, simul judico, comparo. B. A.*

SYNDĪCUS, i, m. *σύνδικος*, qui ab aliquo collegio vel civitate ad causam ipsius agendam ejusque jura tuenda electus est. *Hermogen. Dig.* 50, 4, 1. Munerum civilium quaedam sunt patrimonii, alia personarum: personalia sunt civilia munera, defensio civitatis, id est ut syndicus fiat, etc. *Arcadius ib.* 18. §. 13. Defensores quoque, quos Graeci *συνδίκους* appellant, qui ad certam causam agendam, vel defendendam eliguntur. *Cajus ib.* 3, 4, 1. Quibus autem permissum est corpus habere, collegii, societatis, sive cujuscumque alterius nomine, eorum proprium est, ad exemplum reipublicae habere res communes, arcam communem, et actorem, sive syndicum, per quem tanquam quod cummuniter agi, fieri oporteat, agatur, fiat.

[SYNECDĒMUS, i, m. *συνέκδημος*, comes itineris, et qui vulgo *veni-mecum* dicitur: ex *σύν*, simul, *ἐκ*, ex, et *δῆμος*, populus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 9. L. Minucius Synecdemus. *F.*]

SYNECDOCHĒ, es, f. *συνεκδοχή*, a *σύν*, cum, et *ἐκδέχομαι*, concipio, comprehendo: apud grammaticos est figura verborum per detractionem, cum subtractum aliquod verbum satis ex ceteris intelligitur,

ut Coelius in Antonium: Stupere gaudio Graecus: simul enim auditur, coepit. Haec *Quint.* 9, 3. *med.* Hinc *Cic. Fam.* 16, 17. Ego hinc perendie mane cogito: *scil.* discedere. ℙ Apud rhetores est tropus, quo totum ex parte, vel contra, vel antecedentis ex consequentibus intelliguntur: fitque octo modis, quos persequitur *Quint.* 8, 6. Adde *Auct. ad Her.* 4, 33. qui intellectionem vocat, et *Charis* 4, 245., *Diomed.* 2, 453.

SYNECDOCHĪCĒ, adv. *συνεκδοχικῶς*, per synecdochen. *Hieron.* 2. *in Matth.* 12, 40. Synecdochice totum intelligitur ex parte.

[SYNECHES, is, adj. omn. gen. *συνεχής*, continuus, perpetuus. *Capell.* 9, 331. Pes brevior proceleusmaticus, id est disemus syneches vocatur, quia ipsa assiduitas et frequentia comprehendentis se invicem syllabae nec magnitudinem aliquam, nec modum divisae potestatis extendit. *F.*]

SYNECPHŌNĒSIS, is, f. *συνεκφώνησις*, figura metrica, eadem quae synaeresis, Graecae originis, atque usus. *Mar. Victorin.* 1, 2510.

SYNEDRUS, i, m. *σύνεδρος*, consessor, adsessor, consiliarius: a *σύν*, simul, et *ἕδρα*, sella. *Liv.* 45, 32. de Macedonib.: Macedonum convocatum concilium: pronunciatum, senatores, quos synedros vocant, legendos esse, quorum consilio respublica administraretur. ℙ De synedris *Lucani* 8, 259. monent critici legendum *Syedris*, quod est Ciliciae oppidum maritimum.

SYNEMMĒNON, i, n. *συνημμένον*, adjunctum, connexum, uti explicat *Gell.* 16, 8., ubi ostendit quid sit *συνημμένον ἀξίωμα* apud Graecos. ℙ *Nete synemmenon*, *trite synemmenon*, *paranete synemmenon* nomina sunt chordarum musicarum ap. *Vitruv.* 5, 4. quarum prior nete synemmenon, h. e. ultima conjunctarum, respondere videtur ei, quae a recentioribus musicis dicitur *D la sol*, altera *paranete synemmenon*, h. e. paenultima conjunctarum, *C sol fa*, tertia *trite synemmenon*, h. e. tertia conjunctarum, *B fa b mi*.

SYNEPHĒBUS, i, m. *συνέφηβος*, qui una pubescit. [Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 4. Q. Haterius Synephebus. *F.*] ℙ *Synephebi* est nomen comediae Statii Caecilii. *Cic. Fin.* 1, 2. Synephebos ego, inquit, potius Caecilii, aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? *Id. Sen.* 7. Ait Statius in Synephebis.

[SYNERGUS, i, m. *συνεργός*, administer, adjutor. *Firm. Math.* 1, 4. Quidam terna numina decanis singulis applicarunt, quos munifices appellandos esse voluerunt, hoc est synergos. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 722. *n.* 434. L. Annius Synergus. *F.*]

[SYNĒROS, otis, m. alter Cupido, seu idem ac Amor: a *σύν*, simul, et *Ἔρως*, Cupido. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 653. n. 459. C. Vaberius Syneros. *F.*]

[SYNĒRŪSĂ, ae, f. simul quaerens: a *σύν*, simul, et *ἐρωῦσα*, part. verbi *ἐρέω*, quaero, interrogo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 756, 5. Aponia Synerusa. *F.*]

SYNĒSIS, is, f. *σύνεσις*, intelligentia, perspicax animi facultas: a *συνίημι*, audio, intelligo. Est unus ex aeonibus Valentinianorum, ap. *Tert. adv. Valent.* 8. ℙ Item figura syntaxeos. V. SYNTHESIS. ℙ Est quoque nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1280, 8. Synesi Telesphorus matri suae.

[SYNETHIĂ, ae, f. *συνήθεια*, consuetudo, familiaritas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 7. Maria Synethia. *F.*]

[SYNETHUS, i, m. et Synethe, es, f. *συνηθής*, familiaris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1658, 5. Ti. Claudius Synethus. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 312, 1. Cassia Synethe. *F.*]

SYNGĒNĪCON. V. POLYGYNAECON.

SYNGRAPHĂ, ae, f. *συγγραφή*, scriptura, sive schedula, quae fit propria manu contrahentium ad pactorum fidem, et ab utroque subscribitur, ac ab utraque parte servatur: a *συγγράφω*, conscribo, simul scribo. Differt a chirographo, ut ostendunt haec *Asconii* verba in *Verr.* 2, 1, 36. Inter syngraphas, et cetera chirographa hoc interest, quod in ceteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent; in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, et, non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent more institutoque Graecorum: et ceterae tabulae ab una parte servari solent, syngraphae signatae utriusque manu, utrique parti servandae traduntur. Haec *Asconius*. *Cic. Fam.* 7, 17. Tanquam enim syngraphan ad imperatorem, non epistolam attulisses, sic pecunia ablata, domum redire properabas. *Id. Har. resp.* 13. *f.* Alterum putabo regem, si habuerit, unde tibi solvet, quod ei per syngraphan credidisti. *Id. Dom.* 50. Facere syngraphas cum aliquo. *Id. Mur.* 17. Agere ex syngrapha. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Postulare aliquid ex synagrapha. [*Cf. quae notavimus ad v. *chirographum*.] ℙ *Syngraphe* terminatione Graecanica scribitur in *Not. Tir.* p. 124.

SYNGRAPHUS, i, m. idem ac syngrapha. *Pl. As.* 4, 1, 1. Agedum, istum ostende, quem conscripsti, syngraphum inter me, et amicam, et lenam. ℙ Idem *Plautus* syngraphum posuit etiam pro chirographo, quod belli tempore datur, ut liber transitus quoquo sit, diploma. Sic enim ait *Capt.* 2, 3, 90. Eadem opera a praetore sumam syngraphum, quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.

*SYNHIETAE, arum, populi Asiae, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

*SYNICENSE CASTELLUM in Numidia fuit. *Augustin. de civ. Dei* 22, 8. *med.* qui Hipponi (*regio*, ut credibile est) vicinum id fuisse tradit. V. *Id. ib.* Episcopus Synicensis ecclesiae. ℙ A Synica oppido quodam sic dicto fortasse traxit nomen. *B. A.*

SYNISTOR et Synhistor, ōris, m. *συνίστωρ*, vox Graeca conscium significans. Titulus fuit unius ex satyris Menippeis *Varronis*, ex qua fragmentum recitat *Philarg.* ad *Virg. G.* 2, 478. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 178, 1. M. Fistorio M. L. Synhistori, etc. *F.*]

SYNIZĒSIS, is, f. *συνίζησις*, subsidentia, a *συνίζω*, consido, subsido. Est nomen figurae grammaticorum, quae et *Synaeresis*, qua vocales duae in unum quasi subsidunt, et unam syllabam faciunt. Ad illud *Virg. A.* 1, 702. Aurea composuit sponda, etc. *Servius* haec adscribit: Si Dido *aurea*, pulcram significat, et est nominativus: si *sponda:* septimus quidem est, sed synizesis fit, et spondeus est.

SYNNĀDENSIS, e, adj. ad Synnada urbem pertinens, ut Synnadense forum. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Est autem *Synnada*, *ae*, et *Synnas*, *adis*, et *Synnada*, *orum*, *τὰ Σύνναδα*, oppidum mediterraneum Phrygiae. *Plin.* 5, 29, 29. et *Cic. Fam.* 3, 8. Celebre marmor circa illud effodiebatur. V. PHRYGIUS. *Claud. in Eutrop.* 2, 273. preciosaque picto Marmore, perpetuis cui cedit Synnada venis. *Mart.* 9, 76. De marmore omni, quod Carystos invenit, Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit. Adde *Stat. Silv.* 1, 5, 37. et *ib.* 2, 2, 87., ubi *moestam Synnada* vocat, ob perpetuos Atyos exsecti luctus et furores, et Corybantum vulnera in sacris Cybeles.

SYNNĂDĪCUS, a, um, adj. *Συνναδικός*, Synnadensis, ut Synnadicus lapis, *Plin.* 35, 1, 1.

SYNNAS, ădis, f. *Σύννας*, oppidum Phrygiae. V. SYNNADENSIS. Adjective *Capitol. Gord. III.* 32. Columnae quinquaginta Carysteae, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicae.

[SYNNAVUS, a, um, adj. *σύνναος*, qui in eodem templo colitur: a *σύν*, simul, et *ναός*, templum. Aeolico digammate inserto, Latini, ut saepe alias, pro *synnaus* scripserunt *synnavus*. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 89, 2. DI Synnavi. Hos ita memorat *Ov. Fast.* 6, 63. Aurea possedit socio Capitolia templo Mater, et, ut debet, cum Jove summa tenet. *Serv.* ad *A.* 2, 225. Delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur: ut Capitolium, in quo Minerva, Juppiter, Juno sunt *σύνναοι*. *F.*]

SYNOCHĪTIS, idis, f. *συνοχῖτις*, gemma, qua magi umbras inferorum evocatas teneri asserunt: a *συνέχω*, contineo. *Plin.* 37, 11, 73. Ananchitide in hydromantia dicunt evocari imagines Deorum, synochitide umbras inferorum evocatas teneri.

[SYNODĀLIS, e, adj. ad synodum pertinens. *Venant. Vit. S. Mart.* 3, 415. Concilium allectum fuerat synodale Nemausum. ℙ *Synodalia*, *ium*, absolute, sunt decreta, quae in synodo sanciuntur. *Id. ib.* 423. Pro vice Martini *(angelus)* peragens synodalia praesens. *F.*]

SYNODĪCUS, a, um, adj. *συνοδικός*, in itinere conjunctus: a *σύν*, cum, et *ὁδός*, via. *Sinodica luna* dicitur a *Firm. Math.* 3, 6. *med.* et *ib.* 4. *praef. f.* cum est in conjunctione cum sole, quo scilicet tempore lumine omnino caret.

SYNODĪTAE, arum, m. plur. *συνοδῖται*, qui simul, et communi societate vivunt: a *σύνοδος*, congressus, conventus. Monachi synoditae iidem sunt, qui coenobitae. *Socrates* 4, 23. *Τοὺς ἐν κοινοβίοις, ἢ συνόδοις μοναχούς. Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 1, 4, 6. (et *Cod. Theod.* 11, 30, 57.) Nulli clericorum, vel monachorum, eorum etiam, quos synoditas vocant, etc. Repetitur hoc idem in eod. *Cod. Theod.* 9, 40, 16., ubi *coenobitae* legitur, ut intelligas, duabus his vocibus idem significari.

SYNODONTĪTIS, is, f. *συνοδοντῖτις*, gemma, quae in cerebro synodontis piscis inveniri dicitur. *Plin.* 37, 10, 67.

SYNŌDUS et Synhodus, i, f. *σύνοδος*, conventus, coetus, concilium: a *σύν*, simul, et *ὁδός*, via. Proprie appellabatur collegium scenicorum et athletarum Romae sub Hadriano Aug. institutum, ut ex Graecis *Inscr.* ap. *Grut.* 315, 9. et 316, 1. patet. Hinc *Inscr.* ap. *eund.* 313, 8. L. Aurelio Apolausto Memphio Augg. Lib. hieronicae, et archieri Synhodi etc.; et 330, 3. M. Aur. Aug. Lib. Agilio Septentrioni pantomimo sui temporis primo, sacerdoti synhodi Apollinis, etc. ℙ Usurpatur etiam de conventu Ecclesiatico religionis causa inito. Hinc *Ammian.* 15, 7. *med.* Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam coetus in unum quaesitus ejusdem loci multorum (synodus, ut appellant) removit a sacramento, quod obtinebat. *Impp. Valent.* et *Mart. Cod.* 1, 3, 23. Venerabilis synodus innumerabilium paene sacerdotum, qui Chalcedone convenerunt.

SYNODUS, ontis, m. *συνόδους*, *όντος*, piscis genus ita dicti a dentibus prominentibus: a *σύν*, et *ὀδούς*, *ὀδόντος*, dens. *Ov. Hal.* 107. Et rutilus pagur, et fulvi synodontes, et ex se Concipiens channe.

SYNOECIOSIS, is, f. *συνοικείωσις*, figura verborum per detractionem, per quam duae res inter se diversae in oratione conjunguntur: a *σύν*, simul, et *οἶκος*, domus. Nam res diversas in unam sedem orationis congregat. Habet magnam vim, ut ait *Rutilius Lupus*, vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi. Hujusmodi est tritum illud: *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet. Quint.* 9, 3. *med.*, ubi tamen Graecis litteris scribit.

SYNOECĪUM, ii, n. *συνοικία*, contubernium, cohabitatio: a *σύν*, simul, et *οἶκος*, domus. *Petr. Sat.* 93. Aliquis ex his, qui in eodem cynoecio potant. Alii leg. *gynaecio*, seu *gynaeceo*.

SYNONĒTON, i, n. *συνώνητον* (a *συνωνέομαι*, coemo, comparo) est coemptio, seu comparatio specierum ad annonam pertinentium, quae fiebat in caritate annonae a fisco ad avertendam famem Urbi imminentem. Adigebantur enim provinciales vendere species annonarias, puta frumentum, vinum, etc. justo pretio accepto. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 11. *tit.* 15., qui *De publica comparatione* inscribitur, 1.

SYNONYMĬA, ae, f. *συνωνυμία*: a *σύν*, cum, et *ὄνυμα*, nomen, Graeca appellatio est figurae rhetoricae, de qua V. INTERPRETATIO. *Quint.* 8, 3. Graece usurpat.

[SYNONYMON, i, n. *συνώνυμον*, nempe *ὄνυμα*, nomen, quod ejusdem ut aliud est significationis. *Front. de eloqu.* (ed. *A. Maio*) p. 232. Nonne te tumultuariis quibusdam et lucrativis studiorum solaciis fulciebas, synonymis colligendis, verbis interdum singularibus requirendis? ut veterum commata, ut cola synonymorum ratione converteres, ut de vulgaribus elegantia, de contaminatis nova redderes; et p. 237. Securus inde abeas, cui nihil per noctem meditandum aut conscribendum, nihil magistro recitandum, nihil de memoria pronuntiandum, nulla verborum indagatio, nullius synonymi ornatus, nihil de Graeco in nostram linguam pariter vertendum. *F.*]

SYNOPEUS. V. SINOPEUS.

SYNOPHĪTES, ae, m. gemma eadem quae galactites, *συνοφίτης λίθος*. *Plin.* 37, 10, 59.

SYNOPSIS, is, f. *σύνοψις*, breviarium multarum rerum sub uno aspectu positarum: a *σύν*, simul, et *ὄψις*, aspectus. *Ulp. Dig.* 27, 9, 5. *med.* Praetor requirat, qui notitiam rerum pupillarium habeat: aut, si nemo invenitur, jubere debet edi rationes; itemque synopsim pupillarium bonorum; advocatumque pupillo dare. Ita *Torrent.*, *Gothofred.*, et *Cujac.* 8. *Observ.* 1. Alii, *itemque si opus est*, *pupillarium bonorum advocatum pupillo dare.* ℙ Synopsis operis construendi, in quadam *ep. Imp. Valent. ad Sall. praef. Urb.* quae refertur a *Baron. ad ann.* CCCLXXXVI. *n.* 40.

SYNŌRIS, idis, f. *συνωρίς*, par duarum rerum, nam *συνωρὶς* bigam significat. *Hieron. ep.* 130. *n.* 7. A sancta Christi synoride virgini traditum, *h. e.* ab avia et matre. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 786, 7. Furia Synoris.

SYNTAGMĂ, ătis, n. *σύνταγμα*, opus ordine compositum, praesertim litterarium, tractatus, liber: a *συντάττω*, ordino, compono. Aliquoties a *Cicerone* usurpatur, ut *Att.* 12, 45. et *ib.* 16, 3. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 3., sed Graece ubique.

SYNTAXIS, is, f. *σύνταξις*, ordo, dispositio, compositio, constructio: a *σύν*, simul, et *τάξις*, ordo. A *Cicerone* adhibetur pro compositione operis litterarii, confectione tractatus aut libri, eodem fere sensu, quo *σύνταγμα*, *Att.* 13, 16. et *ib* 15, 14. *extr.*, sed Graece. ℙ Grammatici ita vocant constructionem et compositionem partium orationis. *Prisc.* 17. *in.*

SYNTECTĪCUS, a, um, *συντηκτικός*, qui syntexi laborat. *Plin.* 22, 23, 49. Praecordiorum vitiis syntecticis, comitialibus, etc. *Id.* 28, 8, 24. Elephanti sanguis et syntecticis prodest, jecurque comitialibus morbis; et *ib.* 9, 33. Phthisici, syntecticique, et cachetae. **Veget.* 1, 38. (al. 2, 10.) Ex qua re fiunt syntectici, hydropici, etc. Sic ed. *Schneid.* Ed. *Gesner.* habet *sciatici. B. A.*

SYNTEXIS, is, f. *σύντηξις*, colliquatio, defectio, et consumptio solidae substantiae in corpore animalis, quae ex tabe fit; eadem ac atrophia: a *συντήκω*, colliquefacio, liquefaciendo consumo. *Plin.* 22, 25, 61. Tali sorbitionis genere emendantur syntexes. *Theod. Prisc.* 2, 1. Multis praecedentibus causis nascitur syntexis, vel atrophia.

SYNTHĒMA et Synthēma, ătis, n. *σύνθεμα*, et *σύνθημα*, tessera, signum, diploma, quo facultas datur publicae evectionis usurpandae. *Gloss. Phil.* *Σύνθεμα*, sigillum, evectio, tessera. Eaedem: *Σύνθημα*, insigne, sigillum, evectio. Usurpatur a *Hieron. ep.* 118. *n.* 1. Jam dimisso synthemate equus publicus sternebatur.

SYNTHĒSĪNUS, a, um, adj. ad synthesin pertinens: ut *synthesina vestis*, et *synthesina* absolute. *Suet. Ner.* 51. Plerumque synthesinam indutus. Alii

leg *synthesin*. [*Intrusit hanc lectionem *Sabellicus* et *Beroaldus:* defendit *Casaub.* At *synthesinam indutus* omnes MSS. et *ed. Rom. Mediol. pr. Ven. pr.* aliaeque, quarum recensum v. ap. *Oudend.*] V. v. sq.

SYNTHĒSIS, is, f. *σύνθεσις*, plurium rerum congestio, et compositio, ut fit in medicamentis: a *συντίθημι*, compono. *Ser. Sam.* 30, 578. Synthesis haec prodest unda mollita calenti; et 61, 1069. Antidotus vero multis Mithridatia fertur Consociata modis: sed Magnus scrinia regis Cum raperet victor, vilem deprendit in illis Synthesin, et vulgata satis medicamina risit: Bis denum rutae folium, salis et breve granum, Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus. Hanc eandem synthesin eodem modo describit *Plin.* 23, 8, 77. ℙ Item plurium vasorum series. *Stat. Silv.* 4, 9, 44. Aut unam dare synthesin (quid horres?) Alborum calicum, atque caccaborum; et *Mart.* 4, 46. Et crasso figuli polita coelo Septenaria synthesis Sagunti, Hispanae luteum rotae toreuma. V. SEPTENARIUS. ℙ Et plurium vestium copia, quae in arca ad usum servabatur. *Scaev. Dig.* 34, 2, 39. Quaero, an ex universa veste, idest synthesi, tunicas singulas, an et palliola eligere possit (*Salmas.* in *Vopisc. Bonos.* 15. legit: *an ex synthesi:* et discrimen esse ait inter *universam vestem*, et *synthesin*. V.) *Mart.* 2, 46. Sic micat innumeris arcula synthesibus. ℙ Saepissime accipitur pro veste quadam coenatoria, cujus usus erat domi in coena, foris vero Saturnalium tempore. Erat autem veluti linteum pallium, quo ceteris vestibus depositis involvebantur coenaturi, itemque in Saturnalibus eo amicti prodibant, quia eo tempore crebrius convivia agitabant. Extra haec tempora synthesi indutum prodire, mollitiei dabatur et probro: hinc reprehendit Neronem *Suet. Ner.* 51., quod tali cultu incederet. *Mart.* 5, 79. Undecies una surrexti, Zoile, coena, Et mutata tibi est synthesis undecies. *Id.* 14, 1. de Saturnalium celebratione: Synthesibus dum gaudet eques, dominusque senatus: Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem. ℙ Denique *synthesis*, quae et *synesis*, est figura syntaxeos, ubi constructio non ad verba, sed ad verborum sensum refertur: ut *Virg. A.* 1, 216. Pars in frusta secant. *Sil* 17, 515. caesique cadant exercitus omnis; et *Stat. Th.* 7, 605. subeunt Tegeaea juventus Auxilio tardi. V. CENTAURUS. ℙ Dicitur autem *synthesis*, qua compositionem seu constructionem significat: et *synesis*, qua intelligentiam: quia aliud dicitur, aliud intelligitur, quo constructio referri debet. Sed haec Graeca sunt.

[SYNTOMUS, a, um, adj. *σύντομος*, concisus, compendiarius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Ficoroni, Mem. di Labico* p. 28. M. Aurelius Syntomus. *F.*]

SYNTŌNĀTOR, oris, m. videtur esse, inquit *Spon. Miscell. antiqu.* p. 234., organorum musicorum magister: a *σύν*, et *τόνος*, tonus, concentus: et affert *Inscr.*, in qua est: C..... Stactus suntonator regis Tholomei (leg. *Ptolemaei*). *suntonator* Latina consuetudine vertendi Graecam *υ* in *u*. V. v. sq.

SYNTŌNUS, a, um, adj. *σύντονος*. *Quint.* 9, 4. *f.* Quotidie magis lasciv imus, syntonorum modis saltitantes. Ubi syntona videntur esse musica quaedam scabella, quae pedibus pulsata symphoniacum quendam, ejusdemque semper tenoris sonum edebant moderandae voci aptum. Alii perperam leg. *sybaritarum*. V. PEDICULARIUS, ubi dele verba vel *cymbala*.

SYNTROPHĪUM, ii, n. *συντρόφιον*, herba quae et rubus, seu ruscus dicitur. *Appul. Herb* 87.

[SYNTROPHUS, i, m. *σύντροφος*, qui simul educatur, collactaneus. *Tert. adv. Valent.* 8. Quare non et stercejae, et syntrophi nominantur? ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p 117. L. Pompejus Suntrophus, *h. e.* Syntrophus. V. SYNTONATOR *f. F.*]

[SYNTYCHUS, i, m. et Syntyche, es, f. simul fortunatus, et fortunata: a *σύν*, simul, et *τύχη*, fortuna. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 5. M. Aurelius Syntychus; et 395, 2. Albucia Syntyche. *F.*]

SYPHAX, ācis, m. *Σύφαξ*, rex Numidiae, de quo V. praesertim *Liv. l.* 29. et 30. et *Sil. l.* 17. *Ov. Fast.* 6, 769. superat Masinissa Syphacem. *Prop.* 3, 9, 61. et victi monumenta Syphacis. Adde *Juven.* 6, 170. et *Sil.* 17, 76. etc.. a quibus paenultima obliquorum producitur. ℙ Corripitur eadem a *Claud. B. Gild.* 90. haurire venena Compulimus dirum Syphacen. Est qui leg. *Annibalem*, quem constat veneno periisse, de Syphace non constat. [Nihil tamen mutand. censet *G. L. Kooenigius* ad *Claud. l. c. F.*]

*SYPHĒUM, i, n. oppidum Italiae inferioris, in Bruttiis. *Liv.* 30, 19. *B. A.*

*SYRACELLA, ae, f. oppidum Thraciae, inter Trajanopolin, Apros et Cypsellam. *Anton. Itin. B. A.*

SYRĀCŌSĬUS. V. SYRACUSIUS.

SYRĀCŪSAE, arum, f. plur. *Siracusa*, *Συρακοῦσαι*, urbs Siciliae nobilis, quatuor velut urbibus constans, Neapoli, Achradina, Tyche, et Insula, in ora orientali, cum portu, ubi fons Arethusa, inter Catinam et promontorium Pachinum. Patria fuit Archimedis, Theocriti poetae, Epicharmi, etc. Describitur a *Cic. Verr.* 2, 4, 52. et 53. V. et *Liv. l.* 24. et 25. Condita est ab Archia Corinthio, ut est ap. *Nep. Timol.* 3. et *Tert. Pall.* 2. *f.* Unde *Sil.* 14, 51. quae Sisyphio fundavit nomen ab Isthmo, Et multum ante alias Ephyraeis fulget alumnis. *Ov. Fast.* 4, 873. Utque Syracusas Arethusidas abstulit armis Claudius. ℙ Sunt qui putant adhiberi in singul. num. in illo *Silii ib.* 277. Ipsa Syracusae patulos urbs inclyta muros Milite collecto variisque impleverat armis. ℙ Secundam male corripit *Auson. de clar. urb.* 10, 1. Quis Catinam taceat, quis quadruplices Syracusas?

SYRĀCŪSĀNUS, a, um, adj. *Συρακούσιος*, ad Syracusas pertinens, ut Siculus sum Syracusanus, *Pl. Men.* 5, 9, 10. Syracusanus conventus. *Cic. Verr.* 2, 3, 13. Syracusanae mensae, quae a Platone graviter vituperantur, *Id. Fin.* 2, 28. ℙ *Syracusani, orum*, ejus urbis cives. *Cic., Liv., Just., Plin.* etc.

SYRĀCŪSĬUS et SYRĀCŌSĬUS, a, um, adj. *Συρακούσιος*, *et Συρακόσιος*, Syracusanus. *Cic. Tusc.* 5, 35. Vita plena Italicarum Syracusiarumque mensarum. Alii leg. *Syracusanarum*. [*Hoc ortum est ex cdd. quorundam lect. *Syracusarumque*. *Orell.* vulg. retinuit.] *Ov. Fast.* 6, 277. Syracosia arx, *h. e.* Achradina. *Id. Pont.* 4, 3, 39. urbs. *Id. Ib.* 551. Syracosius poeta, (quem designaverit, non constat.) *Claud. epigr.* 18. senex, *h. e.* Archimedes. *Virg. Ecl.* 6, 1. Prima Syracosio dignata est ludere versu Nostra Thalia, *h. e.* Theocriti, qui bucolica scripsit. ℙ *Syracosius*, dempta subjunctiva diphthongi, tertiam corripit: sed et *Syracusius* corripere potest, dempta praepositiva, et *v* in *u* mutata, ut Latini solent. *Pier.* in *Virg.* invenisse se ait in opt. codicib. *Syracusio*, idque jam ab omnibus receptum esse.

*SYRBOTAE, arum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. et 7, 2. *B. A.*

*SYRECAE, arum, populi Africae interioris, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

SYRĒON, i, n. *Plin.* 24, 19, 117. Tordylon alii semen silis esse dixerunt, alii herbam per se, quam et syreon vocaverunt, neque aliud de ea proditum invenio, quam in montibus nasci, combustam potu ciere menses, etc.

SYRIA, ae, f. *Συρία*, provincia Asiae inter Ciliciam, Mesopotamiam, Arabiam, et Aegyptum, alluente mari Phoenicio. In ea est Palaestina, et Phoenicia. Alii hoc nomine etiam Mesopotamiam contineri docent: quin et totam Assyriam. Unde quem *Syrium nardum* vocant, *Horat.* dicit *Assyrium*. V. *Plin.* 5, 12, 13. et *Mel.* 1, 11. et nostrorum temporum geographos. *Manil.* 4, 720. At Syriam produnt torti per tempora crines; et *ib.* 622. et Cilicum populos, Syriamque perustam. Adde *Lucan.* 8, 169. et *Mart.* 10, 76. ℙ *Fuit et Syria oppidum Asiae ulterioris, in Margiana. *Plin.* 6, 16. Qua diruta a barbaris, Antiochus Seleuci filius eodem loco restituit Syriam. Sic ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* est *Syrianam*. *B. A.*

SYRĬĀCUS, a, um, adj. *Συριακός*, ad Syriam pertinens, Syrus. *Plin.* 8, 45, 70. Syriacis bubus non sunt palearia, sed gibber in dorso. *Petr. Sat.* 31. *extr.* Syriaca pruna, *h. e.* Damascena, quia Damascus in Syria est. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. *f.* Syriacus praetor; et *ib.* 2, 13. Syriaci publicani, *h. e.* Romani in Syria agentes. *Suet. Tib.* 48. Syriacae legiones, *h. e.* Romanae in Syria tendentes. *Id. Cal.* 10. Syriaca expeditio, *h. e.* qua Germanicus ad componendum Orientis statum profectus est. *C. Memm.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 261. Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3. et 23, 8, 79. Syriacae siliquae; et *Colum.* 11, 3. Syriaca radix. V. RADICULA. *Id.* 12, 41. Ros Syriacus. V. RHUS.

SYRĬARCHĀ et Syriarches, ae, m. *Συριάρχης*, qui totius provinciae Syriae sacris praeerat, ut Asiarcha, qui totius Asiae. V. ASIARCHA. Hujus muneris mentionem facit *Imp. Constant. Cod.* 5, 27, 1. ℙ *Syriarches* est etiam cognomen R., ut Junius Syriarches in *Inscr.* ap. *Mur.* 352, 4.

SYRĬARCHĬĀ, ae, f. *Συριαρχία*, dignitas, et munus Syriarchae. *Imppp. Valent., Valens, et Grat. Cod. Theod.* 12, 1, 103.

[SYRĬAS, ădis, f. *Συριάς*, syriaca. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 662, 9. Aemiliae Syriadi Veturia Primigenia. *F.*]

SYRĬĀTĬCUS, a, um, adj. Syriacus. *Flor*, 2, 9. Syriaticum bellum. Alii leg. *Syriacum. Front. Princip. hist.* (ed. *A. Maio*) p. 318. Corruptissimi vero omnium Syriatici milites, seditiosi, contumaces, apud signa infrequentes: *scil.* Romani milites, qui in exercitu Syriatico erant. *Pelag. Vet.* 27. Calami Syriatici P. V. Porro *Syriaticus* pro *Syriacus* ubique apud *Florum*, *Solinum*, *Isidorum* legendum contendit *Salmasius*, quicum sentit *Millerus* in sua *Flori* editione. [*Emendavit hunc locum *F.*]

SYRĬCUS, a, um, adj. Syriacus. *Colum.* 5, 10 *med.* et *Plin.* 15, 14, 15. Syrica mala. *Plin.* docet, ita dicta esse a colore, quia valde rubent, et colorem illum imitantur, qui ex sinopide et sandice mixtis fit, et *Siricum* appellatur ab *eod.* 33, 7, 40. et 35, 6, 24. et *Isid. Or.* 19, 17. item *Phoenicium* a Phoenicia Syriae provincia. *Hard.* eos reprehendit, qui contra MSS. legunt *Scyricum* ap. *Plin.* ℙ Est etiam Syricus ad Syron pertinens, quae insula est in mari Aegaeo prope Delum, una ex Cycladibus. *Plin.* 33, 12, 56. Tertium genus silis est pressum, quod alii Syricum vocant ex insula Syro.

*SYRIE, es, f. olim insula, Asiae adjacens, prope Ephesum, postea ob limi multitudinem, qua terra propagabatur, mediis campis adjecta. *Plin.* 2, 89. *B. A.*

*SYRIGMUS, i, m. stridor, sibilus. De tinnitu aurium *Macr.* 4, 12. ubi cf. *Cornar.* not. *B. A.*

[SYRILLUS, vel Surillus, a, um, adj. diminut. Syri, vel Suri. Est cogn. R. *Inscr.* ap *Fabrett.* p. 45. *n.* 254. Aponia Syrilla. Alia ap. *Mur.* 2029, 2. Surilla Triti filia. *F.*]

SYRINGĀTUS, a, um, adj. excavatus in modum fistulae, intus inanis factus. Haedus syringatus dicitur ab *Apic.* 8, 6., cujus intestina probe expurgata, omni emissa faece, et vacua facta sunt, ut condimentis farciri possint, quibus postea consutis, integrum coquitur, et mensae infertur.

SYRINGĬAS, ae, m. *συριγγίας*, genus calami, qui totus concavus est, utilissimus fistulis, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis. *Plin.* 16, 36, 66.

SYRINGĪTIS, idis, f. *συριγγῖτις*, gemmae genus: a *σύριγξ*, fistula. *Plin.* 37, 10, 67. Syringitis stipulae internodio similis, perpetua fistula cavatur.

SYRINGOTŌMĬUM, ii, n. *συριγγοτόμιον*, cultellus incidendis fistulis accommodatus: a *σύριγξ*, fistula, et *τέμνω*, seco. *Veg. Vet.* 2, 27. Alii scalpello (*fistulas*) resecari, et aperiri jubent, et syringotomio decarnari. *Cels.* 8, 3. vocat *modiolum*.

SYRINX, ingis, f. *Σύριγξ*, Nympha Arcadiae, quae cum Panos vim effugere non posset, miseratione Deorum, mutata est in palustres calamos. *Ov. Met.* 1, 689. Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas Naias una fuit, Nymphae Syringa vocabant. ℙ Ex iis calamis idem Pan concinnavit fistulam, quam saepe inflabat ad Nymphae desiderium levandum, eodemque nomine *σύριγγα* appellavit, quae vox Graece calamum seu fistulam pastoriciam significat: item canaliculum, seu cavitatem. *Ov. ib.* ℙ *Syringes* sunt etiam cavitates subterraneae. *Ammian.* 22, 15. *f.* Sunt et syringes subterranei quidam et flexuosi secessus. *Id.* 17, 7 *med.* Aut in cavernis minutis terrarum, quas syringas Graece appellamus. ℙ [Est etiam cogn. serv. R *Inscr.* ap. *Mur.* 1750, 9. Syringis Lib. (*h. e.* libertae) nomine Etruscus. *F.*]

SYRISCUS et Suriscus, a, um, adj. *Συρίσκος*, Syrus: et videtur in contemptu esse: item in blanditiis tanquam dimin. a *Syrus*. *Auson. epigr.* 128. Eunus Syriscus. *Virg. Cop.* 1. Copa Syrisca. Alii hic leg. *Syrissa*, ut *Libyssa*, *Cilissa*. Ap. *Ter. Ad.* 5, 1, 1. Syrus servus se ipse *Syriscum* appellat, quasi sibi blandiens. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 171, 1. Flavius Syriscus. Alia ap. *Fabr.* p. 66. *n.* 14. Flavia Syrisca. Alia ap. *Donat.* 428, 1. Marcia M. L. Surisca. *F.*]

SYRISSĂ. V. in v. praec.

*SYRĪTE, es, f. insula Ioniae, Epheso objecta, postea mediterranea effecta. *Plin.* 2, 89. *B. A.*

SYRĪTES, ae, m. *συρίτης*, genus lapidis. *Plin.* 11, 37, 83. In vesica lupi lapillus, qui syrites appellatur.

SYRĬUM. V. in v. sq.

SYRĬUS, a, um, adj. *Σύριος*, ad Syriam pertinens, Syriacus, Syrus. *Plin.* 23, 4, 59. Syrium oleum, *h. e.* lirinon, quod laudatissimum in Laodicea Syriae, ut *Id.* 21, 5, 11. docet. *Id.* 18, 7, 12. *n.* 1. Syrium triticum. *Virg. G.* 2, 87. nec surculus idem Crustumiis, Syriisque piris, gravibusque volemis. Ubi *Serv.:* Syriis, id est nigris. *Colum.* 5, 10. *med.* Tarentina pira, quae Syria dicuntur. *Tibull.* 3, 4, 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma, *h. e.* nardo. *Id. ib.* 6, 63. Syrio madefactus tempora nardo. *Prop.* idem significat 2, 10, 30. Cum dabitur Syrio munere plenus onyx. ℙ *Syria Dea*, eadem ac *Coelestis Dea* Carthagine et Hierapoli culta, alia fuit a *Venere Syria* seu *Dea Coelesti*, quae Tyri, Ascalonae et Byblicolebatur: haec enim Venus, seu Luna, seu Astarte; illa Juno, seu Tellus, seu Atargatis erat, quam tamen *Plin.* loco mox citando, et *Plut.* in *Crasso* 17. perperam cum Derceto, seu Venere confundunt. Porro *Syria* Dea turrita quidem est, et quandoque leoni insidet, vel saepius sedet inter duos leones humi stratos, vel ab unico leone est comitata, et tympanum dextra tenet: a Matre Idaea, seu Matre Deum, tum etiam a Cybele distinguitur, ut patet ex locis mox afferendis. *Flor.* 3, 19. Syrus quidam fanatico furore simulato, dum Syriae Deae comas jactat, ad libertatem et arma servos concitavit. *Macr. Sat.* 1, 23. *f.* Adad (*h. e.* Jovi Heliopolitano) Assyrii Deam nomine Adargatin subjungunt, solem terramque intelligentes; et *mox:* Sub eodem simulacro species leonum sunt, eadem ratione terram esse monstrantes, qua Phryges finxere Matrem Deum, id est Terram, leonibus vehi. *Plin.* 5, 23, 19 Bambix, quae alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog. Ibi prodigiosa Atargatis, Graecis autem Derceto dicta colitur. *Appul. Met.* 8. At te omnipotens et omniparens Dea Syria, et Bellona, et Mater Idaea, cum suo Adone Venus domina cae-

cum reddant; et *ib.* 9. Ab ipsis pulvinaribus Matris Deum clanculum furati aureum cantharum; et *mox:* Propter unum caliculum, quem Deum Mater sorori suae Deae Syriae hospitale munus obtulit, noxios religionis antistites ad discrimen vocari capitis? *Inscr.* ap. *Grut.* 86, 4, Deae Syriae sacrum. Hic vero ejus Deae signum inter leones sedentis conspicitur. Alia ap. *Mur.* 94, 9. I. O. M. sacrum, Deae Syriae sacrum. *Mart.* 4, 43. Juro per Syrios tibi tumores, *h. e.* quos excitabant se verberando et sauciando ejusdem Deae sacerdotes. ℙ *Syrii, orum*, Syriae populi, qui saepius *Syri* dicuntur. *Just.* 36, 2. ℙ *Syrium* appellatur a quibusdam succus expressus flore lilii. *Plin.* 21, 19, 74., ubi alii leg. *siraeum*, quae est sapa, contra *Harduin.* ℙ Est etiam *Syrius* ad Syron pertinens, insulam maris Aegaei, unam ex Cycladibus, prope Delum, et primam producit: ut Pherecydes Syrius, *Plin.* 7, 51, 52. et *ib.* 56, 57. et *Ov. Met.* 13, 175. ℙ De canicula V. SIRIUS. [*Adjecit quaedam *F.*]

SYRMA, ătis, n. et Syrma, ae, f. *σύρμα*, vestis praelonga, fluxa, et pone laciniam trahens: mollium et delicatorum propria: a *σύρω*, traho. *Sen. Oed.* 423. de Baccho molliter induto: Et sinus laxi, fluidumque syrma; et *Herc. Fur.* 474. cum parum forti gradu Auro decorum syrma barbarico trahit. *Prud. Psych.* 362. Ut tener incessus vestigia syrmate verrat, Sericaque infractis fluitent ut pallia membris. ℙ Utebantur etiam tragoedi, quo proceriores viderentur, heroum Deorumque personam agentes. *Juven.* 8, 229. longum tu pone Thyestae Syrma, vel Antigones, seu personam Menalippes. *Valerius* in *Phorm.* ap. *Prisc.* 6, 679. Quid hic cum tragicis versibus et syrma facis? V. SCHEMA. *Sidon. ep.* 8, 11. *in carm.* Paulum depositis, alumna, plectris Sparsam stringe comam virente vitta, Et rugas tibi syrmatis profundi Succingant hederae expeditiores. ℙ Metonymice est ipsa tragoedia, et tragicus stilus. *Mart.* 12, 95. Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos: Aptasti longum tu quoque syrma tibi. *Id.* 4, 49. Musa nec insano syrmate nostra tumet. *Juven.* 15, 30. Nam scelus a Pyrrha, quamquam omnia syrmata volvas, Nullus apud tragicos populus facit.

*SYRMĀTAE, arum, populi Asiae ulterioris, i. fortasse q. et Sauromatae. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

SYRMĂTĬCUS, a, um, adj. ut Syrmaticum jumentum, ap. *Veg. Vet.* 3, 22. h. e. claudicans, et dolore aliquo coxam trahens: a *σύρω*, traho.

*SYRNOS, i, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[SYROCĪLIX, ĭcis, m. *Συροκίλιξ*, qui est ex Cilicia Syriae provincia. Hinc *Syrocilices* ap. *Mel.* 1, 2. sunt populi Asiae, in confinio Ciliciae atque Syriae degentes. *F.*]

[SYRON, i, n. herba quaedam ap. *Plin.* 27, 7, 19. Molon scapo est striato, foliis mollibus, parvis; vocatur a quibusdam syron. *F.*]

[SYROPHOENISSA, ae, f. quae est ex Phoenicia Syriae provincia. *Hieron.* in *Isai.* 5, 23, 12. Mulier Syrophoenissa, quae dicitur Chananaea. *F.*]

SYROPHOENIX, icis, m. et f. qui est ex Phoenicia Syriae provincia. *Juven.* 8, 159. Obvius assiduo Syrophoenix udus amomo. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 4, 431.

SYRPE. V. SIRPE.

[SYRTĪBOLOS, i, f. *Plin.* 6, 26, 29. Persae rubrum mare semper accoluere, propter quod is sinus Persicus vocatur: regio ibi maritima syrtibolos, *h. e.* regio palustris, syrtibus similis: a *σύρτις*, et *βῶλος*, gleba. *F.*]

SYRTĪCUS, a, um, adj. ad Syrtim pertinens. *Sen. V. B.* 14. Deprehensi in mari syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur. *Id. ep.* 90. Gentes syrticae in defosso latent: quibus propter nimios solis calores, nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arens humus. *Plin.* 8, 11, 11. Syrticae solitudines. ℙ Ponitur et generatim pro arenoso, sterili. *Lucan.* 10, 38. Syrticus Ammon. *Sidon. ep.* 8, 12. Syrticus ager, et vagum solum.

SYRTIS, idis, adj. f. Syrtica. *Plin.* 37, 10, 67. Syrtides gemmae in litore Syrtium, jam quidem et in Lucania inveniuntur.

SYRTIS, is, f. *σύρτις*, locus arenosus in mari, navigantibus periculosus, quod mare ibi vadosum est, arenae vehens cumulos, qui loci faciem subinde immutant, dorsaque et brevia modo hic, modo illic faciunt, in quae tracta navis undarum cursu, dehiscere periclitatur: a *σύρω*, traho. *Sall. Jug.* 80. de Lepti: Oppidum situm inter duas Syrtes, quibus ex re nomen inditum. Nam duo sunt sinus in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera, uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa: nam ubi mare magnum esse, et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Haec *Sall.* Itaque duae sunt Syrtes, major, et minor: illa nunc dicitur *golfo di Sidra*, et *di Zaloco:* haec *golfo di Capes.* Describuntur a *Lucano* 9, 303. Syrtes vel primam mundo natura figuram Cum daret, in dubio pelagi terraeque reliquit, etc. *Avien. Perieg.* 293. Major vasta sibi late trahit aequora Syrtis, Infidumque rati pelagus fuerit. *Hor. Od.* 1, 22, 5. Syrtes aestuosae. *Id. Epod.* 9, 3. exercitatae Noto. *Id. Od.* 2, 6, 3. barbarae. *Lucan.* 9, 861. dubiae; et 5, 484. vadosae. *Val. Fl.* 7, 86. saevae. *Virg. A.* 5, 51. Gaetulae; et *ib.* 4, 41. et *Ov. Met.* 8, 120. Syrtis inhospita. *Sil.* 17, 635. naufraga. *Tibull.* 3, 4, 91. horrenda. *Lucan.* 9, 431. vaga; et *ib.* 713. ambigua. *Sen. Hipp.* 570. incerta. *Prop.* 2, 7, 71. incerto mutantur flamine Syrtes. ℙ De re impossibili. *Id.* 3, 17, 7. Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis Praebeat hospitio saeva Malea suo. *Sen. Hipp.* 568. ignibus junges aquas, Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis. ℙ De terris arenosis ac sterilibus, quae vel ad Syrtes Africae, vel alibi sunt. *Lucan.* 3, 295. Usque Paraetonias Eoa ad litora syrtes. *Id.* 9, 447. nam litore sicco, Quam pelago, syrtis violentius excipit Austrum. *Prud. Apoth.* 511. Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon. *Id. Cath.* 11, 65. Ipsasque arenas syrtium Fragrasse nardo et nectare; et *ib.* 7, 30. de Helia: Casto fruentem syrtium silentio, *h. e.* solitudinis. ℙ Metaphora est *syrtis patrimonii* de eo, qui naufragium bonorum luxuria fecit, ap. *Cic. Or.* 3, 41. qui tamen, ut nimis longe petitam, improbat, et *scopulum* libentius diceret. ℙ Habet etiam genitiv. *Syrtidos. Lucan.* 9, 709. Natus et ambiguae coleret qui Syrtidos arva Chersydros.

SYRTĪTES, ae, m. V. SITITES.

SYRUS, a, um, adj. *Σύρος*, qui est ex Syria, Syrius, Syriacus. *Hor. Od.* 1, 31, 12. Vina Syra reparata merce. *Mart.* 4, 46. Et nigri Syra defruti lagena, *h. e.* vitrea, quia vitrum, teste *Plin.* 36, 26, 76., in Phoenicia Syriae originem habuit. *Ov. A. Am.* 1, 76. Cultaque Judaeo septima sacra Syro. *Juven.* 3, 62. Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes, *h. e.* Syrorum multitudo omne genus Romam migravit. ℙ *Syri, orum*, Syriae populi: a quibus litteras quidam repertas volunt, ut *Plin.* 7, 56, 57. ait, et *Pl. Trin.* 2, 4, 141. homines fuisse ait laborum patientissimos. ℙ Hi hortorum cultores operosissimi fuere: indeque proverbium Graecis: Multa Syrorum olera: *Πολλὰ Σύρων λάχανα. Id. Plin.* 20, 15, 16. ℙ Pisce eos in cibis abstinuisse, propterea quod Venus, metu Gigantum fugiens comitata Cupidine parvo, piscibus duobus vecta Euphratem tranaverit, ut fabulatur *Ov. Fast.* 2. a *v.* 459. ℙ Plurimi Syrorum venales Romam portabantur, et servi erant. Unde ap. *Pl. Ps.* et *Ter. Heaut.* et *Ad. Syrus* est nomen servi: et *Syra* ap. *Pl. Merc.* nomen ancillae. *Cic. Or.* 2, 66. Nostros homines similes esse Syrorum venalium: ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum. *Id. Prov. cons.* 5. Judaei, et Syri, nationes natae servituti. ℙ Praecipue in lecticis ferendis eorum opera multa erat. *Juven.* 6, 350. quae longorum vehitur cervice Syrorum. *Mart.* 9, 3. Octo Syris suffulta datur lectica puellae; et *ib.* 23. Ut canusinatus nostro Syrus assere sudet.

SYRUS, i, m. scrobs. V. SIRUS. ℙ *Syrus* a rusticis vocatur scopa: a *σύρω*, traho, quia trahit et verrit sordes. *Varr.* ap. *Non.* 1, 222. Ventique frigido se ab axe eruperant Phrenetici, septentrionum filii, Secum ferentes tegulas, ramos, syros. ℙ *Fuit et Syrus nomen unius ex canibus Actaeonis, sic fortasse dicti, quod Syrius erat canis. *Hyg. fab.* 181. Cf. *Surus* in *f.*, ubi nomen est elephanti. ℙ Syrus, spelunca subterranea. V. SIRUS. ℙ Publius Syrus, mimographus. V. PUBLIUS. *B. A.*

[SYSSITĬĒTAERIS, ĭdis, f. herba sic appellata a *σύσσιτος*, convivator, et *ἑταιρεία*, societas. *Plin.* 24, 17, 102. Syssitietaerida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa. *Harduinus* edidit ex MS. *hestiatorida. F.*]

[SYSTALTĪCUS, a, um, adj. *συστάλτικος*, contrahendi vim habens. *Capell.* 9, 335. Tropi in rhythmopoeia tres sunt, quos systalticos dicimus. *F.*]

[SYSTĂSIS, is, f. *σύστασις*, coitio, conspiratio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 475. *n.* 125. Cornelia M. L. Systasis. *F.*]

SYSTĒMĂ, ătis, n. *σύστημα*, compages, constructio. Solet in scientiarum studiis adhiberi pro ingeniose excogitata rerum dispositione, quo sensu tamen deest nobis Latini scriptoris exemplum. ℙ Transfertur ad explicanda genera multorum tonorum musicalium, qua de re V. *Capell.* 9, 322. *tit. Quid sit systema.*

SYSTŌLĒ, es, f. *συστολή*, figura poetica, per quam syllaba natura longa corripitur. *Virg. A.* 6, 827. Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis. ℙ Locum etiam habet, cum syllaba longa positione, altera consonante extrita, brevis fit. *Lucan.* 8, 796. Cur obicis Magno tumulum, Manesque vagantes? V. *Diomed.* 2, 437. et *Charis.* 4, 249., qui tamen Graece semper usurpant.

SYSTYLOS. V. DIASTYLOS.

*SYVERUS, i, m. fluvius Atticae. *Plin.* 27, 8. *B. A.*

SYZYGĬA vel Syzugia, ae, f. *συζυγία*, conjugatio, conjunctio. Vox Graeca, a *σύν*, simul, et *ζεύγνυω*, copulo, jungo. Figura est poetica, quae fit variorum pedum velut in unum pedem collecta conclusione, ut definit *Sergius* in *Donat.* p. 1822., ut si v. gr. dictio aliqua quatuor syllabarum numerum excedens, in duas partes, aut tres dividatur, ut *aedificatio* nullum per se pedem efficit, at si dividatur hoc modo *aedifi-catio*, duos dactylos facit; si hoc modo *aedifica-tio* choriambum, et pyrrhichium.

T

T Littera consonans, et muta (nam ejus appellatio *te* ab ipsa incipit, et in *e* desinit) cognationem aliquam habet cum *d*, ut in ea littera diximus. Tam praeponitur vocalibus, quam subjungitur, et geminatur in mediis vocibus, ut *tulit, attulit.* Praeponitur etiam consonantibus *l, m*, et *r*, ut *Tlepolemus, tmesis*, quae Graeca sunt, et *trabs, tremo, tritus, Troja, truncus*, quae Latina. *Diomed.* 2, 420. ℙ In fine dictionis corripitur, ut *Virg. A.* 3, 194. Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber. Olim anceps erat. Sic enim multi legunt illud *Ennii* ap. *Cic. Sen. in:* Quae nunc te coquit, et versat in pectore fixa. Ubi alii leg. *sub pectore. Liv. Andron.* ap. *Prisc.* 8, 817. Cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops. ℙ In notis praenominum *T.* valet *Titus:* at *Ti. Tiberius:* ut *T. Pomponius Atticus, Ti. Claudius Nero.* [*Interdum significat *Taurum*, praenomen. V. *Orell. corp. inscrr. n.* 2725. sqq. — Etiam *tergo: Ib. n.* 4558. *Turmae: ib.* 3413. *Te, Tibi: ib.* 2833. 4757. et 4759. — *Tabularium: ib.* 3207.] ℙ Veteribus senatusconsultis T littera subscribi solebat: eaque nota significabatur, ita tribunos quoque censuisse. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 7. ℙ *Tr. pl.* valet *tribunus plebis*, vel *plebei:* et *Tr. mil. tribunus militum:* et *T. P. tribunicia potestate:* et *T. F. I. testamento fieri jussit:* et *T. V. titulo usus.* [*Plura v. in indice ad *Orell. corp. inscrr.* T. 2. p. 472. ℙ Confund. *T* et *C. Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 224. *b. T* et *D. Id. ib.* p. 175. *a. T.* et *L. Id. ib.* p. 202. et ad *Off.* 2. p. 97. *T. Ti.* et *L.* praenomm. *Id.* ad *Off.* 2. p. 389. sq. *T* et *Ti. nn.* conf. *Id. ib.* 2. p. 398. et *Q.* 2. p. 399. *T.* et *Th.* V. *intpp.* ad *Curt.* 10, 10, 14. *T.* et *R. ib.* 10, 6, 10. et *intpp.* ad *Cic. Sull.* p. 185. et 188. *ed. Fr*]

TA

TĂAUTES, Deus ap. Phoenices, ut Saturnus ap. Latinos. *Varr. L. L.* 4, 10. Principes Dei Coelum, et Terra, hi iidem qui in Aegypto Serapis et Isis, qui sunt Taautes et Astarte ap. Phoenicas.

*TABAE, arum, oppidum Phrygiae majoris, vel majori Phrygiae Pisidiaeque conterminum. *Liv.* 38, 13. *B. A.*

*TABALTA, opp. Africae Propriae, in Byzacio. *Ant. Itin.* ℙ Dicitur et *Thasbalte. B. A.*

TABĂNUS, i, m. *μύωψ*, vel *οἶστρος*, muscae genus, quod et *asilum* Latini nominant, in ore aculeum habens, quo armenta maxime infestat. Unde poetae fingunt, Io puellam tabano a Junone immisso versam fuisse in insaniam. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* de vaccis: Eas aestate tabani concitare solent, et bestiolae quaedam minutae sub cauda. *Plin.* 11, 28, 34. Reliquorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet, item culicibus, et quibusdam muscis; et *ib.* 33, 38. Tabani ex ligno nascuntur; et *ib.* 36, 43. caecitate moriuntur. *Id.* 30, 11, 30. fiunt ex vermiculis.

*TABAS, ae, opp. Persidis, in Paraetacena. *Curt.* 5, 13. ℙ Graece est *Τάβα. B. A.*

TĂBĒFACTUS, a, um, part. ab inus. *tabefacio: τηκτός*, liquefactus. *Solin.* 2. *med.* Padus intumescit tabefactis nivibus, et liquentibus brumae pruinis. [**Prud. Cath.* 10, 18. Quia cuncta creata necesse est Tabefacta senescere tandem, etc. *Bail.*]

TĂBELLA, ae, f. *σανίδιον, πινάκιον*, parva tabula. *Ov. Fast.* 2, 407. de Remo et Romulo: Sustinet impositos summa cavus alveus unda. Heu quantum fati parva tabella vehit! *Mart.* 1, 3. Hos *(libellos)* eme, quos arctat brevibus membrana tabellis. *Plin.* 33, 1, 6. Inciditque in tabella aerea eam aedem. *Catull.* 32, 5. *tabellam liminis* videtur vocare ipsas ligneas valvas januae. ℙ Translate. *Mart.* 11, 31. Pistor multiplices struit tabellas, *h. e.* quadras placentae instar tabellarum. ℙ De flabello. *Ov. Am.* 3, 2, 37. faciles arcessere ventos, Quos faciat nostra mota tabella manu. ℙ Ludus quidam significatur in illo *Ov. A. Am.* 3, 365. (et *Trist.* 2, 481.) Parva tabella capit ternos utrinque lapillos: In qua vicisse est, continuasse suos. ℙ Saepe dicitur de tabula picta, *γραφὴ, δέλτος. Cic. Fam.* 7, 23. *med.* Exhedria volebam tabellis exornare. *Ov. A. Am.* 1, 71. priscis sparsa tabellis Porticus. *Plin.* 35, 10, 37. Tabellae comicae: in quibus pictae sunt personae et actores comoediarum. *Hor. Sat.* 2, 7, 95. Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella. Adde *Ep.* 2, 2, 180. [**Suet. Tib.* 43. Cubicula — tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum et figurarum adornavit.] ℙ Saepissime de ea, in qua scribitur: item ipsa scriptura, syngrapha, *γραμματίδιον, γραμματεῖον. Ov. Pont.* 4, 2, 27. vix sumptae Musa tabellae Imponit pigras paene coacta manus. *Fe-*

stus: Tabellis pro chartis utebantur antiqui, quibus ultro citrove, sive privatim sive publice opus erat, certiores absentes faciebant: unde adhuc tabellarii dicuntur, et tabellae missae ab imperatoribus. Haec *Fest.* Fiebant tabellae e fago, abiete, buxo, tilia, acere, citro, ebore in tenues laminas secto. His cera inducebatur: unde *ceratae tabellae*, et *cera* simpliciter pro tabellis. *Juven.* 8, 142. falsas signare tabellas, *h. e.* falsa testamenta. *Mart.* 9, 103. Quadringentorum reddis mihi, Phoebe, tabellas, *h. e.* syngrapham. *Juven.* 6, 199. Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis Non es amaturus: et *Suet. Claud.* 29. *f.* Tabellas dotis consignare. *Id. ib.* 15. *med.* Ex tabella pronuntiare sententiam, *h. e.* de scripto. *Auct. dial. de Or.* 36. *f.* Testimonium per tabellam dare; et *Cic. Tusc.* 5, 11. Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum, et testificaris, quid dixerim aliquando, aut scripserim. [**Cic. Cluent.* 65. tabellae quaestionis, i. e. in quibus scriptum est, qui torti sint, et quid dixerint in equuleo. *Liv.* 43, 16. censores extemplo in atrium libertatis ascenderunt: et ibi signatis tabellis publicis, i. e. scriptis, quae in tabulario essent deposita.] P De votivis, vel pictis, vel inscriptis. [*Cic. N. D.* 3, 37. Nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? *Hor. Sat.* 2, 1, 33. quo fit ut omnis Votiva pateat tanquam descripta tabella Vita senis. *Ex *Bail.* adjecit *F.*] *Ov. Fast.* 3, 268. Et posita est meritae multa tabella Deae. *Tibull.* 1, 3, 27. Nunc, Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi, Picta docet templis multa tabella tuis. *Juven.* 12, 27. Et quam votiva testantur fana tabella Plurima: pictores quis nescit ab Iside pasci? [et 100. Legitime fixis vestitur tota tabellis Porticus. [**Bail.* Adde *Ov. Met.* 8, 746. memores tabellae.] Exemplum votivae tabellae inscriptae habes ap. *Maff. Mus. Ver.* 84, 3. Isidi, Serapi voto suscepto pro salute Scapulae filii sui P. Quinctius Paris S. L. M. Adde aliam ap. *Grut.* 82, 6. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 33.] P De tabella litteraria, in qua pueri scribendi et supputandi artem discebant: quae et *tabula* dicitur. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 4. Fecit et Libyn puerum tenentem tabellam. V. TABULA. P Tabellas postquam scripserant, lino obligatas anulo obsignabant, mittebantque, quo opus erat, epistolae vice, ἐπιστολή. Erant *duplices*, *triplices*, etc. a numero foliorum; *pugillares* a parvitate; *citreae*, *eburneae* a materia. *Ov. A. Am.* 3, 469. Verba vadum tentent abiegnis scripta tabellis; et *ib.* 1, 437. Cera vadum tentet rasis infusa tabellis. *Id. Am.* 3, 14, 31. Cur toties video mitti recipique tabellas? *Cic. Cat.* 3, 5. Tabellas proferri jussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum: agnovit: nos linum incidimus, legimus: erat scriptum ipsius manu. [**Liv.* 45, 2. Laureatas tabellas (victoriae nuntias) populo ostendit: paulo ante dicuntur *laureatae litterae. Suet. Aug.* 27. tabellas duplices veste tectas tenentem. Vitiose alii *tabulas.*] P Suffragia et sententiae olim voce ferebantur, [*et per calculos. V. in *suffragium*,] postea per tabellas ferri coeptae sunt. In comitiis ferendarum legum binae tabellae dabantur, in quarum una *U. R.* h. e. *uti rogas* scriptum erat, in altera littera *A.* h. e. *antiquo.* In judiciis sive per populum, sive per judices haberentur, ternae: prima *A.* id est *absolvo* habebat: secunda *C.* id est *condemno:* tertia *N. L.* id est *non liquet.* In creandis magistratibus una dabatur tabella, in qua nomina candidatorum perscripta erant, sive expressa, sive per notam primae tantum litterae, ut quidam volunt. Laturus suffragium puncto signabat nomen ejus, cui favebat, ut in PUNCTUM dictum est. *Cic. Fl.* 39. *f.* Cum tabella vobis dabitur, judices, non de Flacco dabitur solum: dabitur de omnibus bonis civibus, etc. *Id. Planc.* 6. *med.* Populo grata est tabella, quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant. *Id. Pis.* 1. *extr.* Me universa civitas non prius tabella, quam voce, priorem consulem declaravit; et *ib.* 40. An ego exspectem, dum de te quinque et septuaginta tabellae diribeantur? *Sen. Ben.* 3, 7. *f.* De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest, *h. e.* sententiam ferre. *Prop.* 4, 11, 49. Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas. *Suet. Aug.* 33. Cum de falso testamento ageretur, non tantum duas tabellas, damnatoriam et absolutoriam, simul cognoscentibus dedit, sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis, quos fraude ad signandum, vel errore inductos, constitisset. *Caes. B. C.* 3, 83. Dixit, placere sibi ternas tabellas dari ad judicandum: unam fore, qui liberandos omni periculo censerent: alteram, qui capitis damnarent: tertiam, qui pecunia multarent.

[TĂBELLĀRIS, is, m. V. DIPLOMARIUS. *F.*]

TĂBELLĀRĬUS, a, um, adj. ad tabellam pertinens. *Lex tabellaria* fuit, ne suffragia posthac voce, [*vel calculis,] sed tabella, id est ne palam et aperte, sed clam et occulte ferrentur; qua lege constitutum fuit genus illud libertatis, quo nemo alterius gratiae erat obnoxius, et cui palam refragari non audebat, occulta tabellae voce, sine ulla offensione, poterat repugnare. Quatuor hujusmodi leges fuere, Gabinia, Cassia, Papiria, Coelia: prima in creandis magistratibus, altera in judiciis, tertia in legibus ferendis, quarta in judiciis perduellionis, quod Cassia exceperat, tabellas induxit. Gabinia a Q. Gabinio trib. pleb. lata est ann. U. C. DCXV., Cassia a L. Cassio Longino trib. pleb. biennio post: Papiria a C. Papirio Carbone trib. pleb. ann. U. C. DCXXIII.; Coelia denique a Coelio, itidem trib. pleb. ann. U. C. DCXLVII. De his, et de tabella ipsa verba facit *Cic. Leg.* 3. a *c.* 15. V. etiam *Plin. ep.* 3, 20. et *ib.* 4, 25. et *Sall. or. ad Caes.* 2, 58. P *Tabellaria navis*, quae praemitti solet, et nuntiare secuturae classis adventum. *Sen. ep.* 77. *in.* Subito hodie nobis Alexandrinae naves apparuerunt, quae praemitti solent, et nuntiare secuturae classis adventum: tabellarias vocant. P *Tabellarius* absolute, γραμματοφόρος, qui tabellas seu litteras perfert. [**V. Manut.* ad *Cic. Fam.* 3, 4.] *Cic. Phil.* 2, 31. Janitor, quis tu? a Marco tabellarius. *Cassius* ad *Cic. Fam.* 12, 12. Si litterae perlatae non sunt, non dubito, quin Dolabella tabellarios meos deprehenderit, litterasque interceperit. *Cic. ib.* 15, 17. Praeposteros habes tabellarios: cum a me discedunt, flagitant litteras: cum ad me veniunt, nullas afferunt. Atque idipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed petasati veniunt, comites ad portam exspectare dicunt. P [*Tabellarius ex officio annonae* legitur in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 312. *n.* 366., qui num *portalettere*, vel *cancelliere* fuerit, subdubitat *Marin. Frat. Arv.* p. 614. V. TABULARIUS. *F.*]

TĂBELLĬO, onis, m. scriba publicus, et juris aliquantum peritus, qui contractuum, et testamentorum instrumenta publice conscribit, ut colligitur ex *Cod. Theod.* 9, 19, 1. et ex *Cod. Justin.* 1, 2, 14. *med.* In *Gloss. Philox.* dicitur ἀγοραῖος et νομικός. *Ulp. Dig.* 48, 19, 9. Solet et ita interdici vel juris studiosis, vel advocatis, vel tabellionibus, sive pragmaticis. *Capitol. Macrin.* 4. Ad Africam isse venatorem primo, post etiam tabellionem, deinceps advocatum fuisse fisci. *Firm. Math.* 4, 5. Tabelliones publicos facit, et qui ex litteris quaerant vitae subsidia.

TĂBĔO, es, ui, n. 2. τήκομαι, ἀπομαραίνομαι, liquesco, tabesco. *Ov. A. Am.* 2, 89. de Icaro: Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos. *Id. Met.* 15, 362. Nonne vides, quaecumque mora fluidove calore Corpora tabuerint, in parva animalia verti? (Adde *Lucan.* 7, 823.) *Stat. Theb.* 4, 364. Tabens sanies. *Sen. Med.* 588. Aut ubi in rivos nivibus solutis Sole jam forti, mediove vere Tabuit Aemus. Adde *Sen. alter. Q. N.* 3, 27. *med. Solin.* 22. *f.* Ubi ignis tabuit, *h. e.* defecit, exstinctus est. P Translate est deficio, consumor, solvor, langueo. *Lucr.* 4, 1254. Namque aliis rebus concrescunt semina membris, Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim. *Ov. Met.* 7, 540. de pestilentia: Lanigeris gregibus balatus dantibus aegros, Sponte sua lanaeque cadunt, et corpora tabent. [**Virg. A.* 12, 221. Tabentesque genae: ubi v. *Heyn.*] *Gell.* 7, 8. *extr.* Delphinus amans desiderio tabuit, exanimatusque est. *Virg. A.* 1, 176. optata potiuntur Troes arena, Et sale tabentes artus in litore ponunt. *Mart.* 9, 83. Bisque tuum decies non toto tabuit anno, *h. e.* patrimonium absumptum est. Adde *Ov. Met.* 3, 445. et *ib.* 4, 259., ubi de his usurpat, qui ex amore con tabescunt, et moriuntur. Sic *Prop.* 1, 15, 19. Hypsipyle nullos post illos sensit amores, Ut semel Aemonio tabuit hospitio, *h. e.* Iasonis hospitio excepti amore correpta contabuit.

TĂBERNĂ, ae, f. οἴκημα, significat omne utile ad habitandum aedificium: nempe ex eo, quod tabulis clauditur, inquit *Ulp. Dig.* 50, 16, 183., quasi *tabulerna:* unde *tabernacula*, et *contubernales*, ut *Fest.* in *Adtubernalis*, et in *Contubernalis*, et in *Tabernacula*, et *Paul. l. c. l.* 184. docent. *Don.* ad *Ter. Ad.* 3, 3, 5. vult, dici per metathesin, quasi *trabena*, a trabibus validioribus, quibus superiora suspensa sunt. Hoc sensu dicitur de casa humili et paupere. *Hor. Od.* 1, 4, 13. Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Fortasse et illud *ejusd.* huc pertinet, *A. P.* 127. Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros, Regali conspectus in auro nuper et ostro, Migret in obscuras humili sermone tabernas. P Saepe dicitur de loco, ubi merces venduntur, et ubi artifices artem suam profitentur, καπηλεῖον, παντοχεῖον: quia olim ex tabulis compactis fiebant, et fronti aedium affigebantur, quo essent praetereuntibus conspectiores. *Cic. Cluent.* 63. *extr.* Instructam ei, et ornatam, medicinae exercendae causa, tabernam dedit. (*Ulp. Dig.* 50, 16, 185. Instructam tabernam sic accipimus, quae et rebus et hominibus ad negotiationem paratis constat.) *Id. Phil.* 2, 9. et *Hor. Sat.* 1, 4, 71. et *Mart.* 1, 118. Taberna libraria. *Tac. A.* 15, 34. sutrina. *Varr. L. L.* 7, 30. et *Hor. Ep.* 1, 14, 24. vinaria; et *Varr. ib.* cretaria, unguentaria. *Hor. Sat.* 1, 3, 131. tonsoris. *Pl. Men.* 2, 3, 81. et *Truc.* 3, 2, 29. diversoria: quae absolute diversoria a *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* appellatur; et a *Val. Max.* 1, 7. *f.* meritoria; et a *Paulo Dig.* 33, 7, 13. cauponia. *Pomp. ib.* 1, 2, 2. *med.* (et *Liv.* 3, 48.) lanionis. (laniena. V. LANIENA.) *Ulp. ib.* 8, 5, 8. *med.* casearia. *Paul. ib.* 32, 1, 88. purpuraria. *Ulp. ib.* 18, 1, 32. et *Liv.* 26, 11. argentaria. V. ARGENTARIUS, ii. *Suet. Aug.* 4. unguentaria. *Id. ib.* et *Pomp. Dig.* 33, 7, 15. Tabernam exercere. *Suet. Ner.* 37. locare. *Cic. Inv.* 2, 4. *med.* Devertere in tabernam. *Juven.* 3, 103. postquam omnis ubique Fixa catenatae siluit compago tabernae. P *Catull.* 36, 15. Dyrrhachium vocat *Hadriae tabernam*, quia ibi erat emporium, quo conveniebant populi mare Hadriaticum accolentes, omne genus merces coempturi. P De fornice et lupanari. *Catull.* 37, 1. et 10., *Virg. Cop.* 3. et *Prop.* 4, 8, 19. P Quid taberna ab officina differat, in ea voce dictum est. Pro ea tamen aliquando ponitur. Nam *Plin.* 10, 43, 60. postquam *sutrinam*, eandemque mox *officinam* appellavit, paulo post *tabernam* dixit. *Id.* 33, 11, 49. Vasa ex argento Firmiana, Clodiana, Gratiana: etenim tabernas mensis adoptavimus. *Juven.* 13, 44. siccato nectare tergens Brachia Vulcanus Liparaea nigra taberna. P De tabernis veteribus et novis in foro Romano. V. VETUS. In iis olim ludos litterarios fuisse, indicat *Liv.* 3, 44. P **Tabernae* sc. Rhenanae, oppidum ad Rhenum, vulgo *Rheinzabern. Tab. Peut.* P *Tabernae Triboccorum* sive *Tres Tabernae*, oppidum priore longius a Rheno, hodie *Elsaszabern. Ammian.* 16, 21. P Sunt et tertiae in hoc Rhenano tractu *Tabernae*, Montanae vulgo cognominatae, *Bergzabern*, quas vero nescio (ait *Cellarius*), an in quodam veteri litterarum monumento reperiantur. P *Tres Tabernae*, locus in via Appia, Ulubris Foroque Appii vicinus. *Cic. Att.* 1, 13. *in.* Adde 2, 10. 12 et 13. *B. A.*

TĂBERNACLĀRĬUS, ii, m. qui tabernacula conficit, et curat. *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 8. Collegium tabernaclariorum. Alii leg. *tabernaculariorum.* V. *Cognolati praef.* huic Lexico praemissam *n.* 19.

TĂBERNĀCŬLUM, i, n. σκήνωμα, subitarium tectum, frondibus aut stragulis opertum, adversus solis et aeris injurias: qualia sunt quae in castris subinde excitantur, et modo huc, modo illuc transferuntur: a *taberna*, qua habitationem significat. *Festus:* Tabernacula dicuntur a similitudine tabernarum: quae ipsae, quod ex tabulis olim fiebant, dictae sunt: non, ut quidam putant, quod tabulis cludantur. *Cic. Pis.* 25. *med.* Mihi libertus domum biduo ante conduxerat: quae vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem. *Id. Verr.* 2, 5, 12. In ipso aditu portus tabernacula carbaseis intenta velis collocabat; et *ib.* 33. *extr.* Totos dies in litore, tabernaculo posito, perpotabat. *Id. Brut.* 9. *med.* Militare tabernaculum. *Id. Att.* 5, 10. Multis locis ne tectum quidem accipio, et in tabernaculo maneo plerumque. *Nep. Eum.* 7. Statuere tabernaculum. *Hirt. B. Afr.* 1. constituere. *Caes. B. C.* 3, 85. Signo profectionis dato, tabernaculisque detensis; et *ib.* 96. Recentibus caespitibus tabernacula constrata. *Tac. H.* 5, 22. Incisis tabernaculorum funibus, suismet coriis coopertos trucidabant. *Plin.* 6, 29, 35. Nomades in tabernaculis viventes. *Suet. Aug.* 36. Auctor fuit, ut proconsulibus ad mulos et tabernacula, quae publice locari solebant, certa pecunia constitueretur. *Inscr.* ap. *Mur.* 926, 15. Ti. Claudius Amianthus Aug. faber a tabernaculis. P *Capere tabernaculum* est locum eligere tabernaculo constituendo. Comitiorum die exercitum imperari mos erat, qui praesidio esset, dum populus ferendis suffragiis occupabatur. Eum exercitum extra Urbem, intra pomoerium tamen, imperabat is, qui comitia habebat. Ei rei tabernaculum, aliquo pomoerii loco statutum, intrabat, quod ante cives armati sub signis conveniebant. Id tabernaculum auspicato constituebatur: si quid contra receptos ritus admissum esset, vitio captum dicebatur, et comitia dirimebat, aut vitio creatos fuisse magistratus declarabat. *Cic. Div.* 1, 17. *f.* Cum tabernaculum vitio cepisset imprudens. *Liv.* 4, 7. Quod C. Curtius, qui comitiis praefuerat, parum recte tabernaculum cepisset. *Cic. Div.* 2, 35. Quid scire haruspices de tabernaculo recte capto potuerunt? Adde *N. D.* 2, 4., *Val. Max.* 1, 1. *n.* 3. et *Laelium Felicem* ap. *Gell.* 15, 27. *extr.* P Translate. *Cic. Or.* 3, 20. Qui in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt.

TĂBERNĀRĬUS, a, um, adj. ad tabernam pertinens. *Appul. Apol.* Cur tam absurdis, tamque tabernariis blanditiis subagitarem? *h. e.* plebejis, rusticis, ineptis, vulgaribus, quales in tabernis popellus adhibere solet: vel a cauponibus ad alliciendos hospites. P *Tabernariae fabulae*, (de quibus dictum est in FABULA.) ap. *Donat. fragm. de Comoed. et Tragoed.*, *Diomed.* 3, 487. et *Fest.* in *Togatarum*, ita dictae sunt ab humilitate personarum, et argumenti similitudine. P *Tabernarius* absolute, κάπηλος, qui tabernam qualiscumque mercium generis exercet. *Cic. Fl.* 8. Opifices, et tabernarios, atque illam omnem faecem civitatum, quid est negotii concitare? *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *med.* Nisi ego cum tabernariis, et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset. [*Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1368. Tabernarii intra murum negotiantes. *F.*]

TĂBERNŬLĂ, ae, f. dimin. parva taberna. *Suet. Ner.* 26. Tabernulas effringere, et expilare. Adde *Ulp. Dig.* 5, 1, 19. *med.* et *Appul. Met.* 7. et 9. P

Fuit Romae locus, tabernula dictus, in regione quinta. *Varr. L. L.* 4, 8., ubi et *tabernola* scribitur.

TABES, is, f. τῆξις, liquatio, et ipsa res liquata, liquor, fluor. Volunt esse a τάκω Dorice pro τήκω, liquefacio. *Liv.* 21, 36. Per nudam glaciem, fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur, [*i. q. tabum, humor foedus et lutulentus e nive liquefacta.] *Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* Aestate prima maximae et integrae adhuc nives: ex mollissimoque tabes est. *Liv.* 30, 34. *med.* Per cumulos corporum et tabem sanguinis sequentes hostem. Al. leg. *labes*. *Plin.* 9, 35, 58. Cujus aceti asperitas visque in tabem margaritas resolvit. *Lucan.* 8, 688. de capite reciso Pompeji: tunc arte nefanda Submota est capiti tabes, raptoque cerebro Exsiccata cutis, *h. e.* extractum expressumque quidquid humidi et fluidi inerat, ne caput putresceret. ℙ Item humor corruptus, et corrumpens, sanies, tabum, μάϑαναις: cum corpora solida solvuntur in fluidam putredinem, quae quidquid contigerit, solvit corrumpitque. *Plin.* 15, 19, 21. Putris tabes arboris. *Id.* 33, 6, 32. Argentum vivum exest ac perrumpit vasa, permanans tabe dira. *Lucan.* 7, 791. sidentes in tabem spectat acervos *(cadaverum)*; et *ib.* 809. tabes cadavera solvit; et 2, 166. cadavera tabe fluunt. *Liv.* 40, 29. Arca quae titulum sepulti regis habuerat, inanis inventa, per tabem tot annorum omnibus absumptis. *Plin.* 34, 11, 25. Tabes mercium; et 2, 101, 104. Luna ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvit, *h. e.* macerat et putrefacit. [**Suet. Vit.* 10. Abhorrentes quosdam cadaverum tabem, i. e. malum, pestiferum odorem.] ℙ Saepe dicitur de humore corrupto, viru, quo corpus animalis inficitur, et absumitur. *Ov. Met.* 3, 49. de angue: Hos necat afflatos funesti tabe veneni. *Id. Pont.* 3, 1, 26. Tinctaque mortifera tabe sagitta madet. *Sen. Herc. Oet.* 716. Missa est palla tabe Nessea illita. *Plin.* 7, 16, 15. Dentes flammis indomiti, cavantur tabe pituitae. ℙ Est etiam morbi genus, quo paulatim corpus absumitur. Ejus tres describit species *Cels.* 3, 22. Una Graece ἀτροφία, qua corpus non alitur, summa macies oritur: altera καχεξία, ubi malus corporis habitus est, ideoque omnia alimenta corrumpuntur: tertia, quam φθοϊν dicunt, oritur fere a capite: inde in pulmonem distillat: ex hoc exulceratio accidit, et febricula, tussis, sputum purulentum, etc. *Cic. Tusc.* 3, 13. Habet ardorem libido, levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus: sed aegritudo majora quaedam, tabem, cruciatum, afflictationem. *Quint. decl.* 5, 15. *f.* Penitus visceribus immissa tabes quotidie aliquid ex homine praemittit in mortem. *Plin.* 2, 63, 63. In taedio vitae fames lenta nos consumit tabe. [**Tac. A.* 12, 50. atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes. *Id. H.* 5, 3. orta per Aegyptum tabe.] ℙ *Tabes oculorum* ap. *Tac. H.* 4, 81. est ex vitiato humore caecitas. ℙ Eadem ratione *tabes* in arboribus dicitur, cum inarescunt, et paulatim deficiunt. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 5. Inarescunt arbores, etc. mox et macies earum partium fragilis, postremo tabes morsque, non intrante succo, aut non perveniente. ℙ *Tabes soli*, terrae squalor et sterilitas, ubi nullum gramen provenit. *Plin.* 8, 21, 33. Basilisco mustelarum virus exitio est: injiciunt eas cavernis, facile cognitis soli tabe. ℙ Metonymice. *Lucan.* 9, 700. Hic quae prima caput movit de pulvere tabes, Aspida somniferam tumida cervice levavit. ℙ Translate refertur ad alia, ut corruptela, contagio, pestis, morbus. *Sall. Cat.* 37. *extr.* et *Jug.* 37. Tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat. *Id. fragm.* ap. *Fest.* Qui quidem mos, uti tabes in urbem conjectus; et *Corvinus ib.* Propter hanc tabem atque perniciem domus totius. *Liv.* 7, 38. *med.* In urbe insidentem tabem crescentis in dies fenoris pati. [*Cf. 2, 23. postremo velut tabem venisse ad corpus: de aere alieno.] *Tac. H.* 1, 26. Infecit ea tabes legionum quoque motas jam mentes. *Id. A.* 11, 6. Ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. *Virg. A.* 6, 442. quos durus amor crudeli tabe peremit. *Ov. Met.* 2, 806. anxia nocte Anxia luce gemit, lentaque miserrima tabe Liquitur: *scil.* invidiae. *Plin.* 18, 1, 1. Tabes animi contrectata adurit, *h. e.* livor. Adde *Liv.* 2, 23. et *Petr. Sat.* 119. *f.* [*Cf. indicem *Drak. Liv.*] ℙ In plur. num. *Sil.* 8, 21. His super internae tabes, et civica vulnus Invidia augebant. Al. leg. *labes*. ℙ Praeter rectum, quartum, et sextum casum usum habere non videtur. *Charis.* 1, 73. et 118. quasi reprehendit Cinnam, quod in *Smyrna*, nullo ante se usus auctore, *tabis* dixerit. Sed et *Celsus* usurpavit 3, 22. Cum haec genera tabis sint. ℙ In sexto casu *Lucr.* ut *labi* pro *labe* dixit 5, 928., sic etiam *tabi* pro *tabe*, 1, 805. Imbribus et tabi nimborum arbusta vacillant. *Prisc.* tamen 7, 768., eumque secuti non pauci, *tabe* legunt: et similiter produci ultimam, ut in *fame*, observant. ℙ *Tabes* et *labes* saepissime in libris commutantur. Sed *labes* habet locum, ubi ruina et pernicies significatur: *tabes*, ubi corruptio et contagio.

TABESCO, is, n. 3. τήκομαι, in tabem solvor, liquesco, liquefio: a *tabes*. *Cic. N. D.* 2, 10. Frigoribus durescit humor: et idem vicissim mollitur tepefactus, et tabescit calore. *Lucr.* 6, 515. igni Cera super calido tabescens multa liquescit; et *ib.* 964. exstructas ningues radiis tabescere. *Colum.* 12, 17. Ficus in jure tabescunt. *Cels.* 6, 15. et *Cato R. R.* 88. et *Plin.* 31, 8, 44. Sal tabescit. ℙ Item solvi, minui, interire, deficere: et refertur etiam ad animum. *Lucr.* 3, 581. cum corpus nequeat perferre animai Discidium, quin id tetro tabescat odore. *Id.* 2, 1170. omnia paulatim tabescere, et ire Ad scopulum spatio aetatis defessa vetusto. *Id.* 3, 925. aeterno tabescere luctu. *Id.* 5, 679. Crescere itemque dies licet, et tabescere noctes. *Pl. Stich.* 5, 1, 8. Quasi senex tabescit dies. *Id. Capt.* 1, 2, 30. Ego qui tuo moerore maceror, macesco, consenesco, et tabesco miser, ossa atque pellis sum misera macritudine. *Catull.* 68, 55. assiduo tabescere lumina fletu. *Ov. Trist.* 5, 1, 77. assiduis animum tabescere curis. *Hor. Sat.* 1, 1, 110. Quodque aliena capella gerat distentius uber, Tabescat, *h. e.* invidia maceretur. *Cic. Cat.* 2, 4. Ne patiantur, desiderio sui Catilinam miserum tabescere. *Id. Tusc.* 4, 17. Tabescere molestia. *Id. Att.* 2, 21. *med.* (et *Ter. Ad.* 4, 3, 11.) dolore ac miseria. *Id. ib.* 14. otio; et *ib.* 3, 25. Nobis in hac calamitate tabescendum est, *h. e.* usque ad finem vitae immorandum.

*TABIDIUM, i, n. opp. Libyae interioris. *Plin.* 5, 5. ℙ Idem fortasse quod Θαβνδὶς audit *Ptol. B. A.*

TABIDOSUS, a, um, adj. tabidus. Est *Tert. Apol.* 13. *f.*, item *Pud.* 14. *med.*, ubi et *tabiosus* legitur.

TABIDŬLUS, a, um, adj. dimin. tabidi. *Virg. Cir.* 182. Tabidulamque videt labi per viscera mortem.

TABIDUS, a, um, adj. τηκτὸς, liquatus, liquefactus, tabefactus. *Liv.* 21, 36. *f.* In levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur. ℙ Item tabe infectus, resolutus, corruptus. *Sen. Oed.* 358. Et felle nigro tabidum spumat jecur; et *ib.* 147. Deficit pastor grege diminuto, Tabidos inter moriens juvencos. [**Suet. Tib.* 51. corrupto demum et tabido corpore funeratam; et *Cal.* 26. tabidas feras — subjiciebat: ubi v. *Brem.* Vulg. legitur *rabidas*.] ℙ Translate. *Ov. Pont.* 1, 1, 67. mens mihi tabida facta De nive manantis more liquescit aquae. *Calpurn. Ecl.* 3, 50. domina sine Phyllide tabidus erro, *h. e.* tabe et macie consumptus, ut qui lenta tabe laborant. ℙ Est etiam tabem afferens, tabificus. *Ov. Pont.* 4, 8, 49. Tabida consumit ferrum, lapidemque vetustas. *Lucan.* 6, 737. Hecate pallenti tabida forma. *Tac. A.* 16, 66. Lentum et tabidum venenum. *Mart.* 1, 79. Indignas premeret pestis cum tabida fauces. *Virg. A.* 3, 137. tabidas lues. *Sen. Herc. Fur.* 691. Famesque moesta tabido rictu jacens, *h. e.* tabe lenta consumens, ut *Plin.* ait 2, 63, 63. Al. leg. *rabido*.

TABIFĬCABILIS, e, adj. tabificus. *Accius* ap. *Non.* 2, 852. Pernici orbificor liberorum leto, et tabificabili.

TABIFĬCUS, a, um, adj. τηκτικὸς, liquefaciendi vim habens. *Lucr.* 6, 736. ubi in campos albas descendere ningues Tabificis subigit radiis sol. ℙ Item tabem seu corruptionem afferens, pestilens, φθοϊστικός. *Sen. Oed.* 79. Tabifica coeli vitia. *Lucan.* 9, 723. Ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps. *Id.* 5, 111. Tabificus aer. *Suet. Tib.* 73. Venenum lentum atque tabificum. *Plin.* 8, 10, 10. Elephantis terram edisse tabificum est. *Id. ib.* 37, 56. Tabifica urina. *Sil.* 6, 276. sanies. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 16. Tabificae perturbationes mentis, *scil.* aegritudo et metus: [**nagende Leidenschaften.*]

TABIFLŬUS, a, um, adj. tabe fluens, tabidus. *Prud. Apoth.* 958. cum peccet et ipse Angelus, hospitium qui nescit adire caducum Cratis tabifluae, *h. e.* corporis mortalis, et tabe pereuntis. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 430. Tabifluus morbus, *h. e.* tabificus.

TABĬOSUS. V. TABIDOSUS.

*TABIS, is, mons Orientis. *Mela* 3, 7. *in.* Cf. *Plin.* 6, 17. cujus verba sunt, *usque ad jugum incubans mari, quod vocant Tabin.* Unde et promontorium fuisse, est qui suspicetur. *B. A.*

TABĬTŪDO, inis, f. tabes, macies. *Plin.* 22, 25, 61. Alica peculiariter longo morbo ad tabitudinem redactis subvenit. *Sic ed. *Hard.* ubi antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *habitudinem*. *B. A.*

*TABLAE, ārum, opp. in insula Batavorum situm, in Vahalis. *Tab. Peut. B. A.*

TABLĪNUM et Tabulinum, i, n. γραμματοφυλάκιον, χαρτοφυλάκιον, tabularium, locus, in quo tabulae, et instrumenta, monumentaque rerum gestarum asservabantur: per syncopen ex *tabulinum*, quod a *tabula*, quomodo et a *figulo* figlinum dicimus, pro figulinum. *Fest.* ex *Scaligeri restitutione*: Tablinum proxime atrium locus dicitur, publicarum rationum causa factus, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulas rationum ibi habebant. *Plin.* 35, 2, 2. Tablina codicibus implebantur, et monumentis rerum in magistratu gestarum. Adde *Vitr.* 6, 4. et 8. ℙ Accipitur etiam pro loco, in quo tabulae pictae, et signa disponuntur ornatus causa, πινακοθήκη. *Appul. Flor. n.* 22. Medici cum intraverint ad aegrum, uti visant, nemo eorum quod pulcra tablina in aedibus cernant, et lacunaria auro oblita, etc. Al. leg. *tabulina*. ℙ Item locus sub dio, tabulis constratus: de quo *Varr.* ap. *Non.* 2, 112. Ad focum hieme coenitabant, aestivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tablino, quod maenianum possumus intelligere, tabulis fabricatum. [Al. leg. *tabulinum*. ℙ *Tablinum*, seu potius *tabulinum* locus fuit etiam in castris, qui an a tabulis interstantibus, an a matriculis militum quae ibidem servarentur, ita dictus fuerit, ambigitur. *Hyg. Gromat.* p. 2. *col.* 2. Si legiones plures acceperimus, convertemus pedaturam; quod fuerat signis, tabulino dabimus; et *mox*: Signis pedes CXX., tabulino pedes CCCLX.; vel signis CLXXX., tabulino pedes CCXL. *(dabimus)*. V. *Schelii* adnot. ad l. c. *F.*]

TABLISSO, as, n. l. ταβλίζω, latrunculis, aut talis in tabula ludo. *Diomed.* 2, 417. et 421. et a veteribus usurpatum fuisse docet, et deinde obsolevisse.

*TABRĂCA, ae, f. Τάβρακα, opp. Numidiae, ad littus maris Mediterranei. *Mela* 1, 7. *Juven. Sat.* 10, 194. *Claud.* in *Eutrop. Praef.* 2, 71. *Plin.* 5, 3. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Trabracha*, minus accurate. ℙ *Thabracha* appellatur ab *August. ade. Donat.* 6, 32. Θάβρακα *Ptol. B. A.*

[TABUDENSIS, e, adj. ad Tabudam pertinens, Numidiae urbem in *Peut. Tab.* memoratam. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 533. Ordo decurionum Tabudensium. *F.*]

TABŬLA, ae, f. σανὶς, πίναξ, πλὰξ, lamina arboris in longitudinem et latitudinem secta, crassitudine tenui. Ut a φάω pro φημὶ est fabula, ita ab inus. τάω pro τείνω, tendo, est tabula, nimirum ab extensione: hinc ταὼς, pavo, quia caudam extendere solitus. V. *Etym. M. Cic. Off.* 3, 23. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit. *Juven.* 14, 288. qui navem mercibus implet Ad summum latus, et tabula distinguitur unda. *Plin.* 33, 4, 21. Latera *(fossarum)* cluduntur tabulis. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 7. Summa pars scenae e tabulis inauratis. *Id.* 31, 11, 47. Spongiae aqua perfusae, expressaeque inter duas tabulas. *Colum.* 7, 4. *med.* Perforatae tabulae, quibus ovilia consternuntur. ℙ Pro vario tabulae usu varius est ejus significatus. Sumitur enim pro tabula lusoria, qui et alveus dicitur. *Sen. Tranqu.* 14. *med.* Lusisse tu Canum illa tabula putas? illusit. *Juven.* 1, 89. neque enim loculis comitantibus itur Ad casum tabulae, posita sed luditur arca. *Ov. de nuce* 77. Per tabulae clivum labi jubet alter, et optat, Tangat ut e multis quamlibet una suam. ℙ Item pro pictura; in tabulis enim olim pingebant. *Cic. Fin.* 5, 1. *extr.* Epicuri imaginem non modo in tabulis, sed etiam in poculis, et in anulis habere. *Id. Par.* 5, 2. Echionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod Polycleti. *Id. Brut.* 75. Tabulas bene pictas collocare in bono lumine. *Prop.* 1, 2, 22. Qualis Apelleis est color in tabulis; et 2, 2, 51. fama tabulas anteire vetustas. *Ov. Fast.* 3, 831. Tabulam coloribus urere, *h. e.* encausto pingere. *Juven.* 8, 6. Quis fructus generis, tabula jactare capaci Corvinum, etc.? *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. Zeuxis Agragantinis facturus tabulam, quam in templo Junonis dicarent, etc. *Prop.* 4, 3, 35. e tabula pictos ediscere mundos. Sic *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Peloponnesi civitates omnes maritimas esse, Dicaearchi tabulis credidi. *Hor. Od.* 1, 5, 13. me tabula sacer Votiva paries indicat, etc. *h. e.* in qua pictum est naufragium. Sic *Pers.* 6, 32. largire inopi, ne pictus oberret Caerulea in tabula. *Juven.* 14, 301. mersa rate naufragus assem Dum rogat, et picta se tempestate tuetur. ℙ Item saepe pro scriptura, quia in tabulis ceratis scribebant, quae et *tabellae* dicuntur. *Pl. As.* 4, 1, 17. Ne epistola quidem ulla sit in aedibus, nec cerata adeo tabula. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Ornithonis locus deformatus ad tabulae litterariae speciem cum capitulo, i. e. in qua pueri scribere discunt, et ratiocinandi artem. Ejus forma est quadrata et oblonga cum parvo capite perforato, ex quo suspendebatur. *Hor. Sat.* 1, 6, 74. (et *Ep.* 1, 1, 56.) de pueris: Laevo suspensi loculos, tabulamque lacerto. *Juven.* 9, 40. ponatur calculus, adsint Cum tabula pueri. Adde *Just.* 23, 44. Hinc de puero valde studioso *Petr. fragm. Trag.* 46. *Burm.* Quidquid illi vacat, caput de tabula non tollit. Simile videtur illud *Cic. Fam.* 7, 25. Sed heus tu, manum de tabula: magister adest citius, quam putaramus. *Victorius* putat respici ad discipulos pictorum, qui absente magistro, penicillis aliquid furtim pingunt: eoque superveniente, manum de tabula tollere admonentur. *Erasmus* ad illud Apellis dictum ap. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. omnia sibi cum Protogene paria esse: sed uno se praestare, quod manum ille de tabula non sciret tollere: memorabili praecepto: nocere saepe nimiam diligentiam. Alii ad tabulam lusoriam, et desistendum esse a ludo. Alii ad litterariam, et cessandum a scribendo contra Caesarem, ipso adventante. [**Liv.* 9, 46. tabulam posuisse et jurasse, se scriptum non facturum: ubi int. librum e tabulis ceratis, quem scriba apparens magistratui gestabat, ut in eum referret, si quid ille scribi jussisset.] ℙ *Tabulae*, syngraphae, scripturae contractuum, rationum, aliarumque rerum. *Juven.* 2, 119. Signatae tabulae: dictum, feliciter; et *Pl. Rud. prol.* 21. Juppiter bonos in aliis tabulis exscriptos habet; et *Truc.* 1, 1, 53. Tabulae, ubi aera perscribuntur usuraria. *Cic. Rosc. Com.* 2.

et 3. et *Or.* 2, 23. *med.* Conficere tabulas, *h. e.* rationes accepti et expensi ex adversariis in codicem referre. *Id. Top.* 3. *f.* Multum differt, in arcane positum sit argentum, an in tabulis debeatur, *h. e.* in nominibus; et *Verr.* 2, 2, 77. *med.* Litterae lituraeque omnes assimulatae, expressae, de tabulis in libros transferuntur. [**Tac. A.* 2, 69. Nomen Germanici plumbeis tabulis inscriptum. *Bail.*] ℙ *Tabula patrocinalis*, eadem ac *hospitalis*. V. PATROCINALIS et HOSPITALIS. ℙ In auctionibus. *Cic. Caecin.* 6. Adest ad tabulam: licetur Aebutius, *h. e.* ad auctionem: erat enim tabula, in qua perscriptae erant res auctioni subjectae. *Id. Att.* 12, 40. *f.* Horti praeconi subjiciantur. Id nisi fit, excludemur: sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis. V. SEXTIUS. *Q. Cic. Pet. cons.* 2. Antonium in praetura competitorem habuimus, amico Sabidio et Panthera, quod ad tabulam quos poneret, non habebat, *h. e.* in qua suffragiorum, postquam lata et collecta fuerant, numerus inibatur et perscribebatur. *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* Narrat, ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum. Adde *ib.* 17. et *Cic. Pis.* 5. *f.* ℙ De legibus et edictis. *Cic. Phil.* 2, 36. *f.* Toto Capitolio tabulae figebantur, *h. e.* in quibus immunitates aliquibus dabantur ex actis Caesaris, civitatis jus aliis, etc. Sic *Phil.* 1, 1. *med.* Nequa tabula ullius decreti Caesaris, aut beneficii figeretur. *Id. Arch.* 9. Tabulae publicae Heracleensium. *Liv.* 26, 36. Ut prima inter primos nomina sua vellent in tabulis publicis esse. *Plin.* 34, 9, 21. Tabulae aereae, in quibus publicae constitutiones inciduntur. *Cic. Or.* 1, 44. Bibliothecas omnium philosophorum unus mihi videtur duodecim tabularum libellus et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare. Adde *ib.* 43. V. DUODECIM. ℙ De tabella, qua in judiciis ferebatur sententia, et in comitiis suffragium. *Cic. Phil.* 11, 8. *med.* Quod si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus: tabula modo detur nobis, sicut populo data est. Al. leg. *tabella*. [*Ita *Orell.*] *Ascon.* ad illud *ejusd. Verr.* 1, 13. *extr.* Ut discoloribus signis juratorum hominum sententiae notarentur. *Signa* alii ceratas diverso colore tabulas: alii ab judicibus appositas tabulis ceras diversi coloris ajunt. Adde *Div. Verr.* 7. *f.*, ubi *tabellam* primo, mox *tabulam* usurpat. [*Ap. *Orell. tabula* non legitur.] ℙ Laudare per tabulas, i. e. per scriptum. *Ascon. pro M. Scauro*, *f.* Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant. ℙ *Tabula* de proscriptione. *Juven.* 2, 28. In tabulam Sullae si dicant discipuli tres. *Mart.* 5, 69. Antoni, Phario nil objecture Photino, Et levius tabula, quam Cicerone, nocens. ℙ *Tabulae* de testamento, *διαθήκη*. *Ov. A. Am.* 2, 331. Omnibus his inerunt gratae vestigia curae: In tabulas multis haec via fecit iter, *h. e.* ut heredes scriberentur. *Plin. ep.* 2, 20. Coegit mulierem aperire tabulas, ac sibi tunicas, quas erat induta, legare. *Juven.* 4, 18. si munere tanto Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi; et 2, 58. Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister Liberto; et 12, 122. si Libitinam evaserit aeger, Delebit tabulas; et 14, 55. mutare tabulas. *Mart.* 5, 39. supremas signare. ℙ *Tabulae novae*, novus rationum codex, veteri deleto, ut aes alienum vetus debitoribus remittatur. *Cic. Phil.* 5, 4. *med.* Postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse. V. NOVUS. ℙ Praeterea in re rustica *tabula* est modus et mensura agrorum incertae quantitatis, in quadrum conformata. *Pall.* 2, 11. Tabulas pro domini voluntate, vel loci ratione faciemus, sive integrum jugerum continentes, seu medium, etc. et *ib.* 10. Fiunt sulci tanta longitudine, quantam destinaveris tabulae. *Id.* 3, 10. *med.* Seminarium dicimus aeque fossam tabulam pedum duorum semis altitudine. Adde *ib.* 18. *f.* *Id. ib.* 9. *med.* Jugeralis tabula, *h. e.* jugerum. ℙ Aliquando est certae quantitatis mensura. *Var. auct. de limit.* p. 311. *Goes.* Habet itaque tabula una quadratas perticas septuaginta duas; et p. 312. Remanent perticae centum duodecim, quae faciunt tabulam unam, semis, et perticas quatuor. ℙ Denique ap. *Tert. Pall.* 1. et 5. dicuntur *tabulae* rugae et plicaturae in vestibus, eorumque congeries *tabulatum:* quia instar tabularum aliae super alias insident, et superpositae sunt. V. CONTABULATIO.

TĂBŭLĀMENTUM, i, n. tabularum, seu asserum colligatio. *Front. Strat.* 1, 7. Junxit dolia, constravitque tabulamentis. Adde *Vet. Tab.* longe *Frontino* antiquiorem, ap. *Mur.* 587, 1.; ea enim pertinet ad ann. U. C. DCXCVI.

*TĂBŭLANDUS, a, um, part. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 77. Superjectu trabilacularum calcatu tabulandarum etc. *B. A.*

TĂBŭLĀRIA, ae, f. idem quod tabularium. *Claud. Aug.* ap. *Non.* 3, 110. Quorum jacent muri, villa, horrea, curiaque, et tabulariae publicae. ℙ Item munus tabularii, h. e. ars conficiendi rationes. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7, 9, 3. Post vero ut libertus tabulariam administrando, libertatem non amisisti.

TĂBŭLĀRIS, e, adj. *πινακικὸς*, ad tabulas pertinens. *Plin.* 34, 9, 20. Aeris temperatura statuaria, eademque tabularia, *h. e.* ad ducendas tenues laminas instar tabularum. ℙ Substantive. *Sen. Ira* 3, 19. Torserat per omnia, quae in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabularibus, equuleo, igne, vultu suo, *h. e.* tabulis corpori admotis, et adstrictis, quibus homo comprimeretur, et paene elideretur. Ita recte *Lipsius*, alii leg. *tribularibus*, h. e. tabulis ferreo denso acumine asperatis in modum tribulae: alii *talaribus*, h. e. *ποδοστρόβοις*, instrumento, quo pedes luxantur: vel *ἀστραγαλωτοῖς μάστιξι*, flagello ossiculis instructo, ut gravius feriat. V. TESSELATUS. [Sed prior sententia probanda, ut patet ex inventione corporis S. Danielis Levitae Patavii facta, cujus corpus inter duas tabulas, marmoream et ligneam, repertum est, quarum superior multis erat foraminibus perterebrata, utramque vero trabales clavi colligabant, martyris corpus transfodientes. *F.*] ℙ Absolute *tabulare palati* ap. *Veg. Vet.* 2, 11. *f.* videtur esse palati convexitas: qua ratione *palatum coeli* dixit *Ennius*.

TĂBŭLĀRĬUM, ii, n. *γραμματοφυλάκιον*, locus, in quo tabulae, hoc est instrumenta, et litterae, et acta publica reponuntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 6. Q. Lutatius Q. F. Q. N. Catulus Cos. (*scil.* ann. U. C. DCLXXVI.) substructionem, et tabularium ex S. C. faciundum curavit, *h. e.* locum in Capitolio, quo senatusconsulta, plebiscita de societate et foedere ac privilegio, cuicumque concessis, ut ait *Suet. Vesp.* 8., continebantur. *Liv.* 43, 16. Censores in atrium Libertatis ascenderunt, et ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis servis publicis, etc. *Virg. G.* 2, 502. nec ferrea jura, Insanumque forum, aut populi tabularia vidit. *Cic. Arch.* 4. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes. *Inscr.* ap. *Grut.* 478, 2. Tabularium censuale. ℙ Etiam in privatorum aedibus tabularia sunt. *Paul. Dig.* 32, 1, 90. In fundo uno ex his, qui praelegati sunt, tabularium est, in quo sunt complurium mancipiorum emptiones, fundorum, et variorum contractuum instrumenta, praeterea et nomina debitorum.

TĂBŭLĀRĬUS, ii, m. *ἀριθμητής*, qui rationum tabulas perscribit, acceptique et expensi rationes conficit. *Sen. ep.* 88. *inter in. et med.* Numerare me docet arithmetica: potius doceat, non esse feliciorem, cujus patrimonium tabularios lassat. *Ulp. Dig.* 11, 1, 6. *extr.* Et adversus tabularium puto actiones dandas, qui in computatione fefellit. Adde *ib.* 50, 13, 1. *med.* ℙ Item tabellio, qui magistratibus apparet, cautiones, acta, et rationes conscribendo, et conscripta custodiendo, *γραμματοφύλαξ*. Differt a tabellione, qui eorum, quae scribit, custos non est. *Ulp. Dig.* 43, 5, 3. Si custodiam tabularum aedituus, vel tabularius suscepit. *Arcad. ib.* 50, 4, 18. Custodes aedium, vel logographi, vel tabularii. *Inscr.* ap. *Gud.* 160. *n.* 7. L. Cincio L. F. Sabiniano tabulario Class. Raven., etc. Alia ap. *Grut.* 1091, 3. et 1100, 7. Tabularius XX. hereditatium; et 589, 11. Januarius Aug. Lib. tabularius a patrimonio. *Sidon. ep.* 4, 11. *med.* Habebat hunc procuratorem in negotiis, villicum in praediis, tabularium in tributis. *Ammian.* 28, 1. Obscurissime natus est patre tabulario praesidialis officii. ℙ In *Inscr.* ap. *Mur.* 1024, 5. est *tablarius* per sync.

TĂBŭLĀTIM, adv. per tabulas seu modos agri. *Pall.* 3, 9. *med.* Maxime expediet genera vitium tabulatim disponi, decimanis dividi.

TĂBŭLĀTĬO, onis, f. *σανίδωσις*, plurium tabularum compositio et junctura, contabulatio. *Caes. B. C.* 2, 9. Centones insuper injecerunt, ne tela tormentis missa tabulationem perfringerent. *Vitr.* 5, 5. *f.* Omnia publica lignea theatra tabulationes habent complures.

TĂBŭLĀTUM, i, n. *σανίδωμα*, superficies plana, tabulis junctis constrata. *Caes. B. G.* 6, 28. In extremo ponte turrim tabulatorum quatuor constituit. *Cato R. R.* 3. Si in tabulato olea nimium diu erit, putescet; et *ib.* 55. Ligna domino in tabulato condito. *Colum.* 2, 22. Foenum in tabulata componere. *Id.* 1, 6. *med.* Siccas res tabulatis congerere. *Id.* 8, 3. de gallinario faciendo: Tabulata supra se quaternos, et infra septenos liberos pedes habeant. *Caes. B. C.* 2, 9. *f.* Tabulatum exstruere. *Stat. Th.* 10, 879. destruere. *Virg. A.* 2, 463. de turri: qua summa labantes Juncturas tabulata dabant. *Val. Fl.* 8, 305. et pedibus pulsant tabuluta frementes. (Adde 3, 463.) *Mart.* 9, 60. tabulata catastae. ℙ Translate est series rerum ordine alia super aliam compositarum; quae et *stratura* dicitur. *Colum.* 12, 39. *med.* Acina in dolium conjicito, pedibusque bene calcato: ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito, postea alterum supercalcato; et *ib.* 43. Uvas superponunt, tum furfures infundunt, et alterum tabulatum uvarum eodem modo collocant. Adde *ib.* 48. et 7, 8. *med.*, ubi de caseo condendo agit. ℙ In arboribus, et praecipue in ulmis, ad quas applicantur vites, *tabulata* sunt ramorum ordines effusiores, et in plana tendentes, non ad altiora crescentes, ut ait *Serv.* ad illud *Virg. G.* 2, 360. contemnere ventos Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos. *Colum.* 5, 6. *med.* Ulmi cum adolescere incipient, falce formandae, et tabulata instituenda sunt: hoc enim nomine usurpant agricolae ramos truncosque prominentes, eosque vel propius ferro compescunt; vel longius promittunt, ut vites laxius diffundantur. *Id. ib. med.* Palmites cum primum tabulatum apprehenderint, materia proxima putatione disponetur omnibus annis: alioquin in superius tabulatum excitabitur. *Plin.* 14, 1, 3. Populus, cujus tabulata in orbem patula, etc. *Id.* 12, 1, 5. Platani tabulata, laxeque ramorum trabibus scamna patula. ℙ Alia significatione. V. in TABULA.

TĂBŭLĀTUS, a, um, part. a *tabulo: σεσανιδωμένος*, tabulis constratus, aut tectus. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Adhaeret dormitorium membrum, transitu interjacente, qui suspensus et tabulatus, conceptum vaporem digerit. Alii rectius *tabulatus* legunt. *Fest.* in *Adtubernalis*. Gentes, quae tabulatis habitant aedificiis. V. PROVOLO. ℙ In modum plurium tabularum dispositus. *Tert. Pall.* 1. *med.* Pallii jam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis. V. TABULA.

TĂBŭLĪNUM. V TABLINUM.

TĂBŭLĬUS, a, um. V. TRIENTIUS.

[TĂBŭLO, as, a. 1. in modum tabulamenti aliquid dispono. Part. *Tabulandus* ap. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 77. de fluminis transmissione: His quippe (*pellibus*) pactis, substratu levium deusarumque itidem, et superjectu trabilacularum (lege *trabicularum*) calcatu tabulandarum connexa utrimquesecus pellium pragmenta (lege *pagmenta*) usum ratium integraverant sibique pecorique. *F.*]

TĂBUM, i, n. et Tabus, i, m. *φθίσις, λίθρον*, sanguis mortuus vel corruptus, ater cruor, sanies, pus. Vox fere poetica. *Ennius* ap. *Cic. Tusc.* 1, 44. et *Pis.* 19. Naufragio expulsus, saxis fixus asperis, evisceratus latere, saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro. *Virg. A.* 3, 27. Nam quae prima solo ruptis radicibus arbos Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae, Et terram tabo maculant; et *ib.* 626. vidi, atro cum membra fluentia tabo Manderet. *Id. ib.* 8, 485. Mortua jungebat corpora vivis, etc. et sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat. *Servius* hic *saniem* mortui, *tabum* vivi sanguinem esse ait. Sed hoc discrimen auctores non servant. *Ov. Met.* 2, 760. Invidiae nigro squalentia tabo Tecta petit. *Lucan.* 6, 547. nigramque per artus Stillantis tabi saniem, virusque coactum Sustulit. *Quint. decl.* 12, 9. Effusa praecordia, et lividae carnes, et expressum dentibus tabum. [**Tac. H.* 2, 70. infecta tabo humus; 3, 35. noxia tabo humus. Fortasse *Liv.* quoque 4, 30, 9. corpora adfecta tabo: ubi v. *Drakenb.*] ℙ In mascul. gen. *Sen. Herc. Oet.* 520. Tabum fluentem vulneris dextra excipit, Traditque nobis unguae insertum suae. Alii leg. *tabem insertam*. Etiam *Charis.* hoc genus agnoscit 1, 19. ℙ *Tabum*, lues, venenum. *Virg. G.* 3, 481. Corrupitque lacus, infecit pabula tabo. V. LUES. *Hor. Epod.* 3, 65. Cum palla, tabo munus imbutum, novam Incendio nuptam abstulit. *Virg. G.* 3, 557. turpi dilapsa cadavera tabo. ℙ Ut *sanies*, ita et *tabum* de sanguine purpurarum dicitur, quo inficiuntur lanae. *Stat. Silv.* 1, 2, 125. Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo. ℙ Praeter tres casus, quos vides in allatis exemplis, non habet alium Latinum usum, quod et grammatici veteres monuere.

TĂBURNUS, i, m. *Tavurno*, mons Samnii, apud Caudium, olivis inter alios abundans. *Virg. G.* 2, 38. olea magnum vestire Taburnum. *Grat. Cyn.* 509. veniat Caudini saxa Taburni.

TACĂPENSIS, e, adj. ad Tacapen pertinens, quod est oppidum Africae ad Syrtim parvam, fertilissimo agro dives. *Plin.* 5, 4, 3. et 18, 22, 51. Hinc Tacapensis ager. *Id.* 16, 27, 50.

*TACATŪA, oppidum Numidiae. *Plin.* 5, 4. ℙ *Ταχατίη* est *Ptolemaeo*. *B. A.*

TĂCĔO, es, cui, citum, a. 2. *σιγάω*, nihil dico, sileo, obmutesco. De notatione V. *Voss. Etym.* Quid a *sileo* differat, in ea voce dictum est. *Pl. Poen.* 1, 2, 49. *Ag.* Ne me obturba, ac tace. *Mil.* taceo. *Ag.* Si tacuisses, jam istuc Taceo non natum foret. *Ter. Eun.* 4, 4, 53. Taceamne, an praedicem? et 1, 2, 23. Quae vera audivi, taceo et contineo omnia; et 3, 2, 36. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto homines; et 5, 2, 60. Au, tace, obsecro. *Cic. Or.* 1, 26. Enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui, et tacendum putavi. *Id. Verr.* 1, 9. *f.* An me taciturum tantis de rebus existimastis? *Hor. Sat.* 1, 4, 84. Tacere commissa arcana. *Virg. G.* 4, 122. nec sera comantem Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi, *h. e.* omisissem dicere de narcisso, etc. *Sen. Hipp.* 558. Taceo novercas, *h. e.* silentio praetereo: nihil dico de novercis. *Ov. Met.* 13, 177. Utque alias taceam, qui saevum perdere posset Hectora, nempe dedi; et *Plin.* 28, 1, 1. Tacebimus, quid in ipso homine prosit homini? *Catull.* 61, 126. Ne diu taceat procax Fescennina locutio. *Tibull.* 2, 4, 34. Nec prohibent claves, et canis ipse tacet. *Ov. A. Am.* 1, 271. Vere prius volucres taceant, aestate cicadae. ℙ Passive et impersonaliter. *Ov. Am.* 2, 18, 36. Aureus in medio Marte tacetur Amor. *Cic. Agr.* 3, 2. Ut doceam Rullum posthac in his saltem tacere rebus, in quibus de se, et de

suis factis taceri velit. *Ter. Eun.* 1, 2, 26. Taceri si vis, vera dicito. *Id. Ad.* 3, 5, 28. Ignotum est, tacitum est, creditum est. ℙ Translate est quiescere, nullo sono obstrepente. *Virg. A.* 4, 525. Cum tacet omnis ager. *Catull.* 7, 7. cum tacet nox. *Mart.* 4, 64. Illic Flaminiae, Salariaeque Gestator patet, essedo tacente, *h. e.* strepitum nullum edente. *Id.* 7, 84. 1, liber, ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem, *h. e.* gelu constrictum. Alii leg. *jacentem;* et *Sen. Med.* 766. tacens ventus. (Adde *Petr. Sat.* 134. *in carm.*) *Id. Thyest.* 574. Jam silet murmur grave classicorum: Jam tacet stridor litui strepentis. *Ov. Her.* 15, 198. Plectra dolore lyra est. *Tac. H.* 3, 85. Solitudo et tacentes loci, *h. e.* in quibus nemo adest. ℙ Illa quoque poetice valde commoda sunt, *Ov. Am.* 2, 5, 17. Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino Mensa: *supra v.* 15. *dixerat:* Multa supercilio vidi vibrante loquentes; et *A. Am.* 3, 512. Saepe tacens odii semina vultus habet. *Id. Am.* 1, 4, 66. Blanditiae taceant, *h. e.* nulla sint, absint. ℙ *Tacenda*, indigna laudis: *non tacenda*, laudanda. *Hor. Ep.* 1, 7, 72. dicenda, tacenda locutus. *Ov. A. Am.* 2, 604. gravis est culpa tacenda loqui. *Mart.* 1, 50. Vir Celtiberis non tacende gentibus. ℙ [*Conf. *tacere* et *jacere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 524. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 23.]

*TACHEMPSO, insula Aegypti superioris, in Nilo, Aethiopiae contermina. *Mela* 1, 9. Ταχομψὼ est *Herod.* 2, 29. ℙ *Tacompson*, *i*, n. est *Plin.* 6, 29. qui tamen *oppidum* appellat, ut et *κώμην Steph. Byz.* Oppidi nomen ap. *Ptolemaeum* est *Metaχομψώ*, quod ita dicit situm esse, ut *ἀντικρὺ*, *e regione*, in altera ripa *Ψελχὶς*, *Pselcis*, Aethiopiae oppidum, quod *Ψέλχην Strabo* dixit, objaceat. V. *Cellarium. B. A.*

[TACHĪNUS, ă, et ē, um, adj. *ταχινὸς*, *νὴ*, *νὸν*, celer, velox. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Murat.* 2088, 11. P. Vicrius Tachinus. Alia ap. *Grut.* 702, 9. Fabia Tachine. *F.*]

TACIBUNDUS, a, um, adj. tacens. *Donat. Vit. Virg. n.* 77. Saepe aut tacibundus discedebat, aut suffusus pudore tacebat.

*TACINA, fluvius vel fortasse oppidum Italiae inferioris, in Bruttiis. *Anton. Itin. B. A.*

[TĂCĬTĀ, ae, f. Dea silentii, quae et Muta fuit appellata. *Ov. Fast.* 2, 571. Ecce anus in mediis residens annosa puellis, Sacra facit Tacitae: vix tamen ipsa tacet. V. ibi sequentia. *F.*]

TĂCĬTĒ, adv. *σιγῇ*, *σιωπῇ*, tacendo, silentio. *Pl. As.* 3, 2, 42. Quidnam esse dicam? tacite auscultemus. *Cic. Manil.* 5. *f.* Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant. *Liv.* 42, 16. *f.* Dissimulare, et tacite habere id, patique statuerat: tacitum pati, ut *Id.* 7, 1. loquitur. *Plin. ep.* 5, 17. *f.* Imagines (*majorum*) hos adolescentes tacite laudare, adhortari, et agnoscere videntur. *Cic. Mil.* 4. *med.* Persapienter, et quodammodo tacite, dat ipsa lex potestatem defendendi. *Liv.* 2, 58. Tacite exsecrari praetereuntem; et *Lucan.* 5, 511. vigilum somno cedentia membra Transiluit, questus tacite, quod fallere posset. *Ov. Pont.* 4, 10, 54. Et tacite peragens lene Melanthus iter, *h. e.* sine ullo aquarum defluentium strepitu. *Id. Fast.* 1, 65. Jane biceps anni tacite labentis origo. ℙ Clam, occulte. *Just.* 15, 2. Occidi eum tacite jubet, corporaque eorum terra obrui. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 2. *extr.* Postulavit, ut aliquis sibi, cui illam rem tacite exponeret, daretur; et *Cic. Quint.* 15. *f.* De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite obscureque conceditur. Adde *Gell.* 12, 12. ℙ Apud JCtos ea *tacite fieri* dicuntur, quae verbis non expromuntur, sed tamen fieri aequum est, et ab omnibus admitti. Exempla passim in *Digestis* occurrunt. V. *Brisson. de verb. Jur. signif.*

TĂCĬTO, adv. idem quod tacite. *Just.* 18, 4. Elissa fugam tacito molitur.

TĂCĬTŬLUS, a, um, adj. dimin. taciti. Afferuntur *Varronis* duo loca a *Nonio* servata: 1, 234. et 17, 3., sed utrobique alii rectius vel *tacitus*, vel *taciturnus* reponunt.

TĂCĬTŪRIO, is, n. 4. tacere cupio. *Sidon ep.* 8, 16. Etsi tacere nondum coepimus, certe taciturire jam deliberavimus.

TĂCĬTURNĬTAS, atis, f. *σιγή*, *σιωπή*, actus tacendi, silentium. *Cic. Fam.* 1, 5. *f.* Sed nosti hominis tarditatem et taciturnitatem. *Id. Att.* 7, 8. Suspicionem mihi majorem tua taciturnitas attulerat. *Id. Cat.* 1, 7. Vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? *Hor. Od.* 4, 8, 22. quid foret Iliae Mavortisque puer, si taciturnitas Obstaret meritis invida Romuli? *h. e.* silentium poetarum. [*Suet. Ner.* 23. taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia et malignitate arguens: *Intpr. Gal.* s'il en voyoit quelquesuns rougir et garder le silence.] ℙ Virtus servantis arcana commissa. [*Verschwiegenheit.*] *Ter. Andr.* 1, 1, 4. Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro, sed iis, quas semper in te intellexi sitas, fide, et taciturnitate. Ubi *Donatus:* Fides est commendatorum fida exsecutio: taciturnitas vero observantiae genus, in silentio constituta, et in celando secreta. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *med.* Amici praecipui erant ob taciturnitatem Maecenas, ob patientiam laboris Agrippa. [*Suet. Aug.* 66. Desideravit Maecenatis taciturnitatem.]

TĂCĬTURNUS, a, um, adj. *σιωπηρὸς*, qui natura facile tacet, qui paucorum est verborum, et minime garrulus. *Cic. Sext.* 9. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant. *Nep. Att.* 22. Preces ejus taciturna sua obstinatione compressit. *Lucr.* 4, 584. et *Ov. A. Am.* 2, 505. taciturna silentia rumpere. *Hor. Ep.* 2, 2, 83. Ingenium statua taciturnius. ℙ Translate sumitur pro quieto, in quo nullus auditur strepitus. *Hor. Od.* 3, 29, 24. caretque Ripa vagis taciturna ventis. *Pl. Curc.* 1, 1, 20. Valetne ostium? *Ph.* Bellissimum hercle vidi, et taciturnissimum. *Ov. Fast.* 1, 425. animamque tenens vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu. *Prop.* 1, 18, 1. Loca deserta et taciturna. ℙ Is, de quo tacetur. *Hor.* ad librum suum, *Ep.* 1, 20, 12. aut tineas pasces taciturnus inertes, *h. e.* a nemine laudatus aut lectus.

TĂCĬTUS, a, um, part. a *taceo: σιωπῶν*, qui tacet. *Pl. Poen.* 4, 2, 84. Tacitus tace modo. *Id. Rud.* 4, 4, 70. Tacita bona est mulier semper, quam loquens. *Cic. Cat.* 1, 8. *med.* Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? *Pl. Poen. prol.* 32. Matronae tacitae spectent, tacitae rideant. *Cic. Verr.* 2, 2, 73. Cum id quoque constabit, vos jam, me tacito, intelligetis, etc. *h. e.* me tacente. *Id. Marcell.* 1. Hoc tacitus praeterire nullo modo possum. *Id. Cat.* 3, 11. Nihil me mutum delectare potest, nihil tacitum, *h. e.* tabulae aut signa, quae sunt monumenta tacentia. *Id. Verr.* 2, 3, 16. Os tacitum alicui praebere, *h. e.* nihil respondere. *Id. Rosc. Com.* 7. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (siquam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Id. Cluent.* 23. Vocat me alio tacita vestra exspectatio. [*Liv. 1, 47. nec cum quo tacita serviret, i. e. sine rebus novis tentatis; et 40, 9. si mori tacitum oportet, i. e. non auditum, non defensum.] *Virg. Cul.* 410. His tumulus super inseritur: tum fronte locatur Elogium, tacita formatur quod littera voce; Parve culex, etc. *Id. A.* 4, 363. totumque pererrat Luminibus tacitis, *h. e.* intentis oculis intuens, et interea nihil dicens: *ὑπαλλαγή*. Sic *ib.* 7, 343. Alecto tacitum obsedit limen Amatae, *h. e.* tacita obsedit. [*Tacitum fulmen* ap. *Luc.* 1, 533. est fulmen sine tonitru. V. *Cort.*] ℙ De re, et loco, in quo silentium est, et strepitus nullus. *Id. ib.* 6, 386. Per tacitum nemus ire, *h. e.* per silvas Elysiorum. *Sen. Herc. Fur.* 536. Et mutis tacitum litoribus mare, *h. e.* tranquillum. *Mart.* 8, 32. Aera per tacitum, *h. e.* placidum. *Ov. Fast.* 3, 652. Tacitae aquae. *Sen. Med.* 158. Tacita quies, *h. e.* nox et somnus. *Id. ib.* 114. Tacitis tenebris ire. *Id. Herc. Oet.* 486. Arcana tacitus nostra defendens specus. *Ov. Her.* 18, 78. et *Fast.* 2, 552. Tacita nox. *Mart.* 9, 62. domus; et 7, 47. taciti regnator Averni. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 22. tacitam luna regnante per Arcton. ℙ Substantivi more. *Lucan.* 10, 252. trahitur Gangesque, Padusque Per tacitum mundi, *h. e.* per loca subterranea, et cavernas latentes. *Virg. A.* 9, 30. septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges, *h. e.* sine strepitu aquarum. *Sil.* 10, 354. Somnus per tacitum allapsus. *Id.* 12, 554. erumpunt sub casside fusae Per tacitum lacrimae. Adde 17, 216. ℙ De re, quae tacetur. *Cic. Fam.* 3, 8. Prima duo capita epistolae tuae tacita mihi relinquenda sunt. *Pl. As.* 4, 2, 7. Suspendas potius me, quam tacita tu haec auferas, *h. e.* haec quae aufers, a me taceantur. *Cic. Or.* 3, 17. *f.* Tenere aliquid tacitum. *Id. Att.* 2, 3. Cetera si reprehenderis, non feres tacitum, *h. e.* non obtinebis, ut taceam, respondebo enim, et repugnabo. Sic *Liv.* 1, 50. *extr.* Ne id quidem ab Turno tulisse tacitum ferunt: dixisse enim, etc. *Id.* 3, 45. Ferro hinc tibi submovendus sum, ut tacitum feras, quod celari vis: *tacitum ferre* quis dicitur factum aut vocem suam, cui nemo adversatur, aut reprehendit. *Id.* 7, 1. Non patientibus tacitum tribunis, quod pro consule uno plebejo tres patricios magistratus nobilitas sibi sumpsisset. *Pl. Cist.* 1, 2, 10. Tacere nequeo misera, quod tacito usus est. ℙ *Tacita assensio* ap. *Cic. Mil.* 5. est quae sine verbis aut voce datur. *Tacitae inducíae* ap. *Liv.* 2, 18. *extr.* et *ib.* 64. et 23, 46. sunt, in quas utrinque convenitur, nulla pactione praemissa. Sic *Just.* 6, 7. Neutris quidquam hostile facientibus, cum quasi tacito consensu induciae essent. [*Liv. 1, 54. tacitae ambages, i. e. quae factis, non verbis aperiuntur; et 39, 30. tacitum signum, i. e. per tesseram scriptam datum.] ℙ *Tacitus sensus*, naturalis, insitus. *Cic. Or.* 60. *extr.* et *Or.* 3, 50. *med.* Omnes tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant. ℙ Hinc *tacita* dicuntur praesertim a JCtis, quae sequuntur ex natura rei, et facile intelliguntur et admittuntur ab omnibus, licet verbis aut pacto non exprimantur. *Cic. Inv.* 2, 47. Non omnia scriptis, sed quaedam, quae perspicua sunt, tacitis exceptionibus caveri. *Ulp. Dig.* 20, 2, 3. Tacita conventio etiam in his locum habet. *Papin. ib.* 23, 3, 68. Omnis dotis promissio futuri matrimonii tacitam conditionem accipit. *Ulp. ib.* 28, 5, 25. Tacita substitutio inesse videtur institutioni; et *ib.* 29, 2, 66. Ceteris sociis non jubentibus, tacito jure partes ei adcrescunt. [*V. *Spald.* ad *Quint.* 9, 2, 73. p. 789. ed. *Burm.*] ℙ Etiam occultus, arcanus. *Virg. A.* 4, 67. tacitum vivit sub pectore vulnus; et *ib.* 306. sperasti tacitus mea discedere terra? *Ov. Met.* 7, 147. affectu tacito laetari. *Claud. Laud. Stil.* 1, 280. bellum civile pudoris Obtentu tacitum. *Capitol. Gord.* 12. Senatusconsultum tacitum, *h. e.* quod non vulgatur. Docet autem *Capitol. ib.* non solum sub imperatoribus, sed etiam in libera republica, ita re postulante, tacita senatusconsulta fieri aliquando consuevisse: et modum tradit, quo fierent. Exemplum habes ap. *Liv.* 4, 11. Sic *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret. *Id. Cat.* 1, 2. Habemus hujusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tanquam in vagina reconditum. *Ov. Her.* 17, 143. tacito mandо mea verba libello. [*Vell. 2, 93, 3. ob tacitas cum Marcello offensiones. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 811. flamma quamvis tacitas urguente medullas: ubi largam exemplorum copiam invenies. Adde *eund.* ad *ib.* 6, 430. 1, 247. 4, 425. et 465. — *Liv.* 32, 20. tacitum concilium, i. e. a quo nihil certi constitutum est.] ℙ Substantivi more. *Ov. Am.* 3, 7, 51. Sic aret mediis taciti vulgator in undis. V. TANTALUS. ℙ *Tacitus*, demissus, submissus, [*lenis.] *Ov. Met.* 9, 300. tacita quoque carmina voce Dixit.

TĂCĬTUS, i, m. C. Cornelius Tacitus, orator clarissimus, aequalis ac familiaris Plinii junioris, sub Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, Trajano, Hadriano. A Vespasiano, et aliis ad plures honores evectus est. Historiam principum conscripsit ab Augusto usque ad Hadrianum, quae ad nos haud integra pervenit. Scripsit et de claris oratoribus: praeterea vitam Agricolae soceri sui: item de moribus ac situ Germanorum: atque haec omnia stilo sublimi, presso, arguto, et sententioso. *Vopisc. Tac.* 10. tradit, hunc auctorem tanquam e suis progenitoribus, Tacitum Imp. quotannis decies describi, ne liber periret, eumque in omnibus bibliothecis collocari jussisse.

*TACOMPSON. V. TACHEMPSO. *B. A.*

TACTĬLIS, e, adj. *ἁπτὸς*, qui tangi potest, tangibilis. *Lucr.* 5, 152. Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.

TACTĬO, onis, f. *ἅψις*, actus tangendi. *Cic. Tusc.* 4, 9. Et qualis est haec aurium, tales sunt oculorum, et tactionum, et odorationum, et saporum. *Pl. Aul.* 4, 10, 14. Quid tibi ergo meam me invito tactio est? *h. e.* quid meam rem tangis? *Id. Poen.* 5, 5, 29. Quid tibi hanc digito tactio est? Adde *Cas.* 2, 6, 54. et 56. et *Aul.* 3, 2, 9.

TACTUS, a, um, part. a *tango*, *τεθιγμένος*. *Prop.* 3, 19, 15. qui tactas in foedere ruperit aras. *Ov. A. Am.* 1, 575. rapias illius tacta labellis Pocula. *Id. Trist.* 3, 4, 18. Sic cadit, ut tacta surgere possit humo. *Id. Met.* 4, 386. tactis subito mollescat in undis. *Id. Fast.* 4, 740. Tactaque fumanti sulfure balet ovis, *h. e.* fumo sulfuris afflata. Sic *Met.* 7, 326. neque erant tacti, nisi odore dracones. *Id. ib.* 3, 729. frondes autumno frigore tactae; et *ib.* 6, 140. tristi medicamine tactae Defluxere comae. ℙ Item aditus: quia quem locum adimus, pede tangimus. *Id. Trist.* 4, 10, 109. Tacta mihi tandem longis erroribus acto Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis; et *ib.* 3, 2, 18. Et poenae tellus est mihi tacta meae. ℙ Item illitus, obductus. *Varr. R. R.* 3, 5. et 12. Paries tectorio tactus. Est qui leg. *tectus.* V. TANGO. ℙ Item ictus, percussus. *Ov. Trist.* 2, 144. ulmus fulmine tacta Jovis. Hinc *de coelo tactus*, fulmine ictus, *κεραυροβλὴς*. *Virg. Ecl.* 1, 17. De coelo tactae quercus. *Cic. Div.* 2, 21. Nattae statua, et aera legum de coelo tacta. *Liv.* 25, 7. Tacta de coelo multa: duae in Capitolio aedes, vallum in castris, etc. Adde 29, 14. et alibi saepe. *Plin.* 36, 4, 4. *n.* 1. Simulacrum e coelo tactum. Et absolute. *Id.* 2, 54, 55. Tacta aedes Junonis. Hic autem loquendi modus *κατ' ἐνημιοῦν* adhibebatur, ut abstinerent a verbis mali ominis, percussus, ictus, etc. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 10. *f.* Illud tertium, quod a Crasso tactum est, *h. e.* breviter commemoratum; et *Manil.* 3, 21. spatio majore canenda, Quam si tacta loquar, Romanae gentis origo, *h. e.* tractata ab aliis, vulgata, et nota. [*Liv. 23, 22. Nunquam rei ullius alieniore tempore mentionem factam in senatu, quam inter tam suspensos sociorum animos id tactum, quod insuper sollicitaret eos.] *Pl. Bacch.* 5, 2, 39. Tactus sum vehementer visco; et *Ps.* 5, 2, 13. Probe tactus Ballio est, *h. e.* circumventus et fraudatus. *Vel. Poeta* ap. *Cic. Or.* 2, 64. Sentin', senem esse tactum triginta minis? V. BOLUS. ℙ Commotus, incitatus. [*Liv. 1, 45. religione tactus hospes; et 5, 22. spiritu divino tactus.] *Prop.* 3, 1, 39. Carminis interea nostri redeamus ad orbem, Gaudeat ut solito tacta puella sono; et *ib.* 5, 34. materno tacta dolore Thetis. *Ov. Met.* 10, 636. rudis,

primoque Cupidine tacta. ℙ [*Confund. *tactum* et *tractatum*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 197.]

TACTUS, us, m. ἁφή, ἅψις, actus tangendi, tactio. *Lucr.* 2, 434. Tactus enim corporis est sensus. *Id.* 1, 318. Signa manus dextras ostendunt attenuari Saepe salutantum tactu. *Cic. Univ.* 5. Coelum sub aspectum et tactum cadit. *Plin.* 11, 58, 90. Sanguis tactum non sentit. *Hor. Od.* 3, 2, 10. lacessere asperum tactu leonem. *Ov. Met.* 4, 744. virga recens Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus. *Id. Pont.* 2, 7, 13. Membra reformidant mollem quoque saucia tactum. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 316. Levis tactus. *Cic. Or.* 3, 57. Chordae intentae ad quemque tactum respondent. *Virg. G.* 3, 502. aret Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit. *Id. A.* 7, 618. abstinere tactu. *Id. ib.* 2, 683. flamma tactu innoxia; et *G.* 3, 416. mala tactu vipera. [*De v. *tactus* medicorum et magorum proprio multa docte disputat *Gron.* in *observv.* 2, 1. p. 110. sq. *ed. Fr.* ℙ De sideribus, i. q. vis, influxus: quo sensu saepius *contactus* et *contagio* dicuntur. *Cic. N. D.* 2, 15. is solis tactus est, ut non tepefaciat solum, sed etiam comburat. *Div.* 2, 46. plus terrarum situs, quam lunae tactus ad nascendum valere: ita hic *Ern.*, q. v. in *cl. Cic.* Alii, in quorum numero est *Orell.*, ita tamen ut lectionem *tactus* ulteriore examine dignam censeat, habent *tractus*, quod nullum commodum sensum habere dicit *Ern.*; alii *status*, ex *Clerici*, prob. *Davisio*, sententia. Porro *Ern. l. l.* posuit aliud exemplum *Vitruvii* 9, 9. ubi recte, pro librorum lectione: *tractus coeli*, repositum esse censet *tactus coeli*, i. e. pressio aeris. Denique etiam ap. *Virg. A.* 3, 138. pro *vulg. coeli tractus* quorundam codd. lectionem *tactus* praeferendam censet, quia de arboribus et segetibus sermo. ℙ *Tactus viriles* ap. *Ov. Met.* 10, 434. tactusque viriles In vetitis numerant: signif. concubitus cum maritis.] ℙ Unus est ex quinque corporis sensibus, in toto corpore aequabiliter fusus, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus, inquit *Cic. N. D.* 2, 56. *f. Plin.* 11, 4, 3. Habere tactum, atque gustatum.

*TADER, eris, Hispaniae Tarraconensis fluvius. *Plin.* 3, 1. ℙ Hodie est *Segura. B. A.*

*TADIĀTES, ium, populi vetusti (quorum urbs, a qua dicti, fortasse excisa), qui in Sabinis vel in Samnitibus incolebant. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

*TADINĀTES, ium, populi Umbriae, ab oppido quodam ignoto, quod Tadium fortasse audiebat, nomen trahentes. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

*TADNOS, i, fons Myoshormo vicinus, ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*TADU, Aethiopiae insula, vel certe Aethiopiae Aegyptoque contermina, non procul a Meroe. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*TADŪTI vel Tadute, opp. Numidiae. *Tab. August.* ℙ Reperitur et *Thadute. B. A.*

TAEDĂ et Teda, ae, f. δαΐς, δαΐδος, et contracte δᾷς, δαδός, genus arboris picem ferens, ut pinus, picea. *Plin.* 16, 10, 16. 17. 18. 19. sex enumerat genera arborum, ex quibus pix defluit: et sextum, inquit, genus est taeda proprie dicta, abundantior succo, quam reliqua, parciore liquidioreque, quam in picea: flammis ac lumini sacrorum etiam grata. Hae, mares dumtaxat, ferunt, et eam quam Graeci sycen vocant, odoris gravissimi. Laricis morbus est, ut taeda fiat. Haec *Plinius.* Est a quarto casu δαΐδα, aut δᾷδα vocis Graecae allatae: unde diphthongus in antiquis libris, ut ait *Dausquius*, cui adsentiuntur *Cellarius*, et *Voss.* in *Etym.* Sunt tamen multi, qui *teda* scribunt: quos non damnaverim. *Plin. ib.* 11, 21. Pix liquida in Europa e taeda coquitur navalibus muniendis, multosque alios ad usus. *Id.* 37, 3, 11. *n.* 2. Glessum pineae arboris esse, indicio est pineus in attritu odor, et quod accensum taedae modo ac nidore flagret. *Id.* 35, 6, 25. Atramentum laudatissimum fit e taedis. *Id.* 29, 2, 9. Assulis taedae subjectis lanam oleo asperam accendere. *Calp. Ecl.* 2, 28. Me Silvanus amat: dociles mihi donat avenas, Et mea frondenti circumdat tempora taeda, *h. e.* pinu. ℙ Etiam sappii arboris imas partes taedas vocant. *Plin.* 16, 12, 23. ℙ Per synecdochen dicitur de tabulis navium, ut *pinus. Juven.* 12, 57. I nunc, et ventis animam committe, dolato Confisus ligno, digitis a morte remotus Quatuor aut septem, si sit latissima taeda. ℙ Item de assulis taedae, aliusve arboris facile ardentis. *Vitr.* 7, 10. Sarmenta, aut schidias taedae comburere. *Caes. B. C.* 3, 101. (et *ib.* 2, 11.) Completas onerarias naves taeda, pice, stuppa, reliquisque rebus, quae sunt ad incendia, in Pomponianam classem immisit. *Ov. Fast.* 4, 741. Ure mares oleas, taedamque, herbasque Sabinas. *Id. Met.* 8, 460. taedasque in fragmina poni Imperat, et positis inimicos admovet ignes; et *ib.* 3, 373. summis circumlita taedis Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam. *Val. Fl.* 2, 235. Injicere taedas ad fastigia tectorum. *Plin.* 2, 106, 110. In Lycia Hephaestii montes taeda flammante tacti, flagrant adeo, ut, etc. *Ov. A. Am.* 3, 573. Ignibus hic lentis uretur, ut humida taeda. ℙ Plurimus taedarum usus in sacris. *Ov. Her.* 12, 34. Ardet ut ad magnos pinea taeda Deos. *Id. Fast.* 4, 492. de Cerere: accendit geminas pro lampade pinus: Hinc Cereris sacris nunc quoque taeda datur. *Juven.* 2, 91. Talia secreta coluerunt Orgia taeda; et *ib.* 157. cuperent lustrari, siqua darentur Sulfura cum taedis. ℙ Item in exsequiis, in quibus inversae praeferebantur. *Sil.* 2, 184. et 13, 547. ℙ Item in nuptiis, in quibus faces praeferebantur: quia mos erat sponsam noctu deducere: et Hymenaeus cum facibus pingitur: unde metonymice *taeda* ipsas nuptias significat. *Ov. Her.* 4, 121. ne nupta quidem, taedaque accepta jugali. *Id. Met.* 9, 721. Conjugii, pactaeque exspectat tempora taedae. *Id. Her.* 6, 134. Me tibi, teque mihi taeda pudica dedit. *Prop.* 3, 17, 25. At vos, innuptae, felicius urite taedas. *Sen. Oed.* 500. Concutit taedas geminus Cupido. *Virg. A.* 4, 18. Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset. *Stat. Silv.* 3, 4, 53. taedas jungere. *Ov. Met.* 4, 326. dignari aliquam taeda. *Sen. Herc. Fur.* 493. copulari taedis. *Mart.* 6, 2. sacrae connubia fallere taedae, *h. e.* adulterium admittere. *Prop.* 1, 8, 21. Nam me non aliae poterunt corrumpere taedae, *h. e.* alius amor. ℙ inter instrumenta torquentium. *Lucr.* 3, 1031. Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, taedae. *Juven.* 1, 155. Pone Tigellinum; taeda lucebis in illa, Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant. V. SUPERVESTIO. ℙ Est etiam *taeda* arvina in exiguas miculas catillaminum insecta de more, quae in sacris adhibebatur. Ita *Arnob.* 7, 230. ℙ *Taedai* pro *taedae* dixit suo more *Lucr.* 3, 897.

[TAEDĀCĔUS, a, um, adj. ad taedam pertinens, seu qui ex taeda fit. *Appul. Apol.* Idque se ait Crassus taedaceo fumo, et avium plumis comperisse. Ita edidit *Oudendorpius*, alii minus recte *a caede et fumo. F.*]

TAEDESCIT, ebat, impers. 3. idem quod taedet. *Minut. Octav.* 28. *extr.* Quos prius taedescit impudicitiae suae, quam pudescit.

TAEDET, ebat, taesum est, impers. 2. ἄχθομαι, taedium capio. *Cic. Att.* 2, 22. *f.* Taedet ipsum Pompejum, vehementerque poenitet. *Id. Verr.* 1, 12. Sunt homines, quos libidinis infamiaeque suae neque pudeat, neque taedeat. *Id. Att.* 5, 16. Taedet nos vitae. *Ter. Eun.* 2, 3, 5. Deleo omnes dehinc ex animo mulieres: taedet quotidianarum harum formarum. *Pl. Cas.* 1, 54. Abeo intro: taedet sermonis tui. *Id. Most.* 1, 4, 4. Ita me ibi male convivii sermonisque taesum est. *Ter. Phorm.* 3, 2, 2. At enim taedet jam audire eadem millies. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. Taedet mentionis: quae *(uxor)* mihi extemplo savium dat jejuna anima. ℙ More personalium. *Hieron. Vit. Malch. n.* 7. Coepi taedere captivitatis, et monasterii cellulas quaerere. *Taedeo, pudeo, pigeo*, etc. antiqui dixere, ut *Prisc.* 11, 922. docet. *Gloss. Philox.* Taedeo, ἀηδίζομαι, ἐξαπαρνοῦμαι. Hinc praeteritum *taedui. Sidon. ep.* 8, 15. Operis arrepti fasce perspecto, taeduit inchoasse. *Lactant.* 4, 19. ex *Hierem.* 15, 9. Exterrita est, quae parit, et taeduit animam. *Vulgata* habet: Defecit anima ejus.

TAEDĬFER, ra, rum, adj. δαδοφόρος, qui taedam fert. *Taedifera Dea* est Ceres, quae dicitur taedas ad ignem Aetnae inflammasse, cum investigare vellet filiam Proserpinam a Plutone raptam: cujus etiam sacra noctu fiebant, in quibus sacerdotes Deam imitati faces deferebant. *Ov. Her.* 2, 42. Et per taediferae mystica sacra Deae. V. DADUCHUS.

TAEDĬO, as, n. 1. taedio afficior, fastidio. *Lamprid. Alex. Sev.* 29. Si necessitas cogeret, ante lucem actis operam dabat, et in longam horam producebat: neque unquam taediavit, aut morosus, aut iratus resedit. *Tert. adv. Jud.* 11. *med.* ex *Deuter.* 28, 65. Dabit tibi Deus cor taedians, et tabescentem animam. *Vulgata* habet: Cor pavidum, et animam consumptam moerore. ℙ *Animal taedians* ap. *Veg. Vet.* 1, 17. *med.* et *ib.* 3, 2. et 68. est fastidio cibi laborans. ℙ *Casaubono* ad *l. Lampr. c.* videtur verbum hoc elegantissimum: mihi non item.

TAEDĬOSĔ, adv. Tribuitur *Appul. de Deo Socrat.*, sed varia ibi lectio. *Gloss. Philox.* Taediose, ἀηδῶς.

TAEDĬOSUS, a, um, adj. taedii plenus. *Firm. Math.* 1, 3. *f.* Ille invisus longam ac taediosam lucis sustinet sarcinam.

*TAEDITŪDO, inis, f. *αιχμαλα Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TAEDĬUM, ii, n. ἄχθος, ἀλγος, fastidium, satietas. *Sall. Jug.* 66. *f.* Cum taedio rerum adversarum omnia bello potiora duceret. *Liv.* 34, 34. Oppugnatio urbium obsidentibus prius saepe, quam obsessis, taedium affert. *Id.* 8, 2. Ipsos belli culpa sua contracti taedium cepit. *Gell.* 9, 4. *med.* Tenet me taedium alicujus rei. *Ov. Met.* 9, 615. et *Gell.* 7, 18. *extr.* Capere taedium alicujus rei. *Petr. Sat.* 37. Taedio fatigatus. *Tac. A.* 12, 39. curarum fessus. *Just.* 31, 1. *f.* quietis urbanae novae belli causas circumspicere. *Hirt. B. Alex.* 23. Multitudo confecta taedio puellae *(Arsinoes). Plin. ep.* 1, 8. Libenter educationis taedium laboremque suscipere. *Id. ep.* 8, 18. *med.* Vir ita perditus morbo, ut esse taedio posset uxori. *Id. ep.* 3, 9. *med.* Satietate et taedio languescere. *Quint.* 2, 2. Parere taedium laboris. *Id.* 8, 3. *med.* Aliqua varietatis gratia levare taedium. *Id.* 4, 2. Figuris variare expositionem ad effugiendum taedium; et 10, 1. Taedium evitare. *Ov. A. Am.* 1, 718. tollere. *Id. Pont.* 3, 7, 3. facere alicui. *Tac. A.* 13, 2. movere sui; et *ib.* 6, 7. *extr.* Taedio aliquem afficere. *Ov. Met.* 13, 213. ut longi taedia belli Mente ferant placida. *Juven.* 7, 34. Taedia tunc subeunt animos. ℙ Dicitur de fastidio cujuscumque rei. *Plin.* 30, 15, 51. Ova noctuae data in vino taedium ejus adducunt. *Id.* 31, 2, 13. Vinum in taedium venire his, qui ex Clitorio lacu biberint. *Id.* 8, 43, 68. Taedium aquarum asinis, *h. e.* ut aquas pedibus tangere reformident. *Id.* 31, 3, 21. Animalia quae taedium faciunt: ut culices, muscae, etc. ℙ Metonymice de iis, quae taedium faciunt. *Plin.* 26, 13, 86. taedium vocat morbum phthiriasis; et *ib.* 1, 3. lichenas seu mentagram; et 34, 18, 50. muscas et culices. Non sunt, inquit, ea taedia in metallis. *Id.* 28, 11, 46. Cornus corvini cinis prodest, ut taedia animalium capillis non increscant; et 29, 6, 39. Blattarum genus odoris taedio invisum. *Id.* 15, 2, 3. Vetustas oleo taedium affert; et 19, 6, 34. de allio: Taedium huic quoque halitu, ut caepis.

TAEDŬLUM antiqui interdum pro fastidioso: interdum quod omnibus taedio esset, ponere soliti sunt. *Festus.*

TAENĂRĬDES, ae, m. Ταιναρίδης, qui est e Laconia, in qua est Taenarum. De Hyacintho puero, qui Lacon fuit, *Ov. Met.* 10, 183. Tollere Taenarides orbem properabat: at illum, etc.

TAENĂRIS, idis, f. Ταιναρίς, quae ad Taenarum et Laconiam pertinet, Lacaena. *Ov. Her.* 17, 6. Excepit portu Taenaris ora suo. Adde *ib.* 16, 3. ℙ De Helena uxore Menelai Laconum regis. *Id. ib.* 8, 72. Reddita Mopsopia Taenaris urbe soror: Taenaris Idaeo trans aequor ab hospite rapta.

TAENĂRĬUS, a, um, adj. Ταινάριος, ad Taenarum pertinens, Spartanus, Laconicus. *Plin.* 9, 8, 8. Taenarium litus. *Ov. Her.* 16, 274. Taenaria humus. *Id. Met.* 2, 247. Taenarius Eurotas. *Hyg. fab.* 14. *med.* Euphemus Neptuni filius, Taenarius, *h. e.* ex oppido Taenaro. *Virg. G.* 4, 467. Taenariae fauces, alta ostia Ditis. *Prop.* 3, 1, 49. [*Al. 3, 2, 9.] Taenariis fulta columnis domus, [*h. e. di nero antico.* Hinc *Plin.* 36, 18, 29. Sunt et nigri lapides, quorum auctoritas venit in marmora, sicut Taenarius. *F.*] *Prop.* 1, 13, 22. Taenarius Deus, *h. e.* Neptunus, cujus templum fuit in Taenaro promontorio Laconiae, ut *Paus.* 3, 12. et *Auct. Priap.* 77. docent. *Ov. Her.* 13, 45. Taenaria marita, *h. e.* Helena uxor Menelai Laconiae regis. *Id. Fast.* 4, 612. vallis, *h. e.* Inferi, ad quos est descensus in Taenaro. *Id. Met.* 10, 13. Ad Styga Taenaria est ausus descendere porta. *Lucan.* 6, 648. Taenariis faucibus aer Sedit iners. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 2. Taenarius currus, *h. e.* Plutonis. *Coripp. Johann.* 7, 308. Juppiter, *h. e.* Pluto. ℙ De purpura, quae, teste *Plin.* 9, 36, 60., laudatissima in mari circa Taenarum promontorium capiebatur, *Val. Fl.* 1, 427. Illis Taenario pariter tremit ignea fuco Purpura. *Id.* 5, 513. Accipe Taenarii chlamydem de sanguine aheni. *Stat. Theb.* 7, 659. Taenaria palla. ℙ *Taenaria insula* ap. *Hyg. fab.* 79. est ipsum Taenari promontorium, quod adeo excurrit in mare, ut insula, aut paeninsula videri possit. ℙ Scribunt aliqui *Taenareus.*

TAENĂRUS, et os, i, m. et f. et Taenarum, et on, i, n. Ταίναρος, Ταίναρον, mons, et promontorium Peloponnesi in Laconia, valde procurrens in meridiem, et Messeniae sinum a Laconico dividens, nunc *Capo Matapan*, cum oppido cognomine parum distanti. *Sen. Herc. Fur.* 662. Spartana tellus nobile attollit jugum, Densis ubi aequor Taenarus silvis premit. *Plin.* 4, 5, 8. ℙ Ibi fuit templum Neptuni: item specus hiatu profundissimo, quo poetae fabulantur patere descensum ad Inferos. *Lucan.* 9, 36. Dorida tunc Malean, et apertam Taenaron umbris. *Sen. Herc. Fur.* 587. Spartanique aderit janua Taenari. Adde *ib.* a *v.* 662. et *Stat. Theb.* 2. a *v.* 32. a quibus fuse describitur. De femin. genere V. quae dicta in ISTHMUS. ℙ De ipsis Inferis. *Hor. Od.* 1, 34, 10. Styx, et invisi horrida Taenari sedes. *Sen. Troad.* 402. Taenara, et aspero Regnum sub domino, etc. ℙ Nobilis fuit marmore nigro, ut dictum est in v. praec. *Tibull* 3, 3, 13. Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis, Taenare sive tuis, sive Caryste, tuis? [*Forc. vide Taenarium marmor dixerat, item *Heyn.* ad *Tibull. l. l.*]

TAENĬA, ae, f. ταινία, limbus, fasciola, vitta lanea in modum coronae: cujusmodi sunt, quibus Turcae pilea sua circumdant: vel ex corona dependens, quales sunt, quae retro ex mitra Episcoporum descendunt. *Festus:* Taenias, Graecam vocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat, ornamentum esse laneum capitis honorari. *Enn. ib.* Volans de coelo cum corona et taeniis. *Virg. A.* 5, 269. Puniceis ibant evincti tempora taeniis. Ubi *Serv.* Vittis roseis: et significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis: et, sicut Varro dicit, magni honoris sunt. *Taeniis* autem modo vittis: alias vittarum extremitates dicit, ut (*A.* 7, 352.) fit tortile collo Aurum ingens coluber: fit longae taenia vittae, Innectitque comas. *Mart.* 14, 24. Taenia ne madidos violet bombycina crines. ℙ Item fascia, qua vulnera alligantur. *Caecil.* ap.

Fest. Dum taeniam, qui vulnus vinciret, petit. ℙ Et qua apud Graecos involvebantur cadavera. *Id. ib.* Sepulcrum plenum taeniarum, ita ut solet. ℙ Et lemniscus, h. e. lanea instita insertis floribus et frondibus, ad ornatum positum in aedibus. *Accius ib. (Deos* seu *Tumulum)* decorare est satius, quam urbem, taeniis. ℙ A similitudine sunt in chartis *taeniae*, veluti fasciae, et inanes ductus in rectum procurrentes, qui vel glutine carent, vel corrupti sunt. *Plin.* 13, 12, 25. Deprehenditur et lentigo oculis: sed inserta mediis glutinamentis taenia fungo papyri bibula, vix, nisi littera *(h. e. scriptura)* fundente se. ℙ *Id.* 3. *prooem. f.* de freto Gaditano loquens, *taenias candicantis freti* vocat veluti fascias longo tractu candicantes, e cautibus in fundo maris apparentibus, ubi aqua minus alta est. Unde purpurarum genus, quae in his inveniuntur, *taeniense* dicitur, ut est ap. *eund.* 9, 37, 61. ℙ In architectura *taenia* est membrum in stylobata, epistylio, aut capitulo, paululum projectum, et in modum regulae procedens, simile plintho, sed exilius. *Vitr.* 4, 3. *med.* ℙ Sunt etiam *taeniae* in ventre hominum lumbrici tenues, latiusculi, et mira longitudine, aliquando tricenum pedum, aliquando et plurium, ut *Plin.* 11, 33, 38. et alii docent. *Id.* 31, 9, 45. Sal taeniarum genera pellit in vino potus. *Ser. Sam.* 30, 563. Quid non adversum miseris mortalibus addit Natura, interno cum viscere taenia serpens, Et lumbricus edax vivant inimica creanti? Est qui leg. *tinea:* sed haec primam corripit. Adde *Cat. R. R.* 126. ℙ Est hoc nomine et piscis gracilis et oblongus. *Plin.* 32, 7, 24. Idem praestat taeniae jecur siccatum cum oleo cedrino. [*Bändel, Bandfisch*, Cepola taenia, *L.*] ℙ Denique in sacris est porrectio intestini, per quam proluvies editur, succis perexsiccata vitalibus, inquit *Arnob.* 7, 230. V. NENIA.

TAENIENSIS, e, adj. ad taenias pertinens. Taeniense genus purpurarum ap. *Plin.* quid sit, dictum est in v. praec.

TAENIOLA, ae, f. *ταινίδιον*, parva taenia. *Colum.* 11, 3. *med.* Ita, ut radix ejus liquido fimo illita, et involuta tribus algae taeniolis pangatur, *h. e.* quibusdam quasi fasciolis.

*TAENIOSUS, a, um, adj. taeniis plenus. *Κεφάλης* est in *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TAEPOCON, inquit *Festus*, appellarunt Graeci genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus. Ad quem loc. *Scal.* Oedipode, inquit, opus est. [Porro hujusmodi scripturae genus Graeci *χιονηδὸν* vocant. Haec autem habet *Mazochius* ad *Vossii Etym.* in V. *Littera.* Tusca vox est ex oriente petita. Nam est, ut jam alii ante me perviderunt, a תַּחְפּוֹךְ *tahapòc*, vertes, *sc.* 2. p. fut. verbi חָפַךְ *haphàc*, vertit. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 829. *F.*]

TAETER, etc. V. TETER.

*TAFA, opp. Aegypti, in Delta. *Ant. Itin.* ℙ *Ptolemaeo* est *Ταούα. B. A.*

*TAGASTE vel Tageste, es, f. opp. Numidiae. *Ant. Itin.* V. et TAGASTENSIS. *B. A.*

TAGASTENSIS, e, adj. ad Tagastem pertinens, quod est oppidum Africae in Numidia, patria S. Augustini. *August. Conf.* 2, 3. Municeps Tagastensis. *Plin.* 5, 4, 4. Oppidum Tagastense.

TAGAX, acis, adj. omn. gen. furunculus: a *tago* pro *tango*, qua circumvenire, et fraudare significat. Hinc *manus tagax* a *Lucilio* ap. *Non.* 1, 8. et *Paul. Festi epitom.* est furax. *Cic. Att.* 6, 3. Quaestor levis, libidinosus, tagax. Est qui leg. *sagax*, quod hic locum habere non videtur. [*Alii *rapax.*]

TAGENIA, orum, n. plur. *ταγηνίαι*, pisces, qui muria condiri solent. *Plaut.* in *fragm.* ap. *Fest.* in *Narita*, ubi alii aliter leg. Ap. *Athenaeum l.* 14. *ταγηνίαι* sunt placentarum genus.

TAGES nomine, Genii filius, nepos Jovis, puer dicitur disciplinam haruspicii dedisse duodecim populis Etruriae. *Festus:* Narrat *Ov. Met.* 15, 554. Tyrrheno aratori subito e gleba exstitisse, et futura aperuisse. Eadem fere habet *Cic. Div.* 2, 23. Adde *Lucan.* 1, 637. et *Colum.* 10, 345.

TAGETICUS, a, um, adj. ad Tagem pertinens. *Carminius* ap. *Macr. Sat.* 5, 19. *med.* Tagetica sacra.

TAGO, is, a. 3. *ἅπτομαι*, antiqua consuetudine dictum pro *tango*, ut ait *Festus:* a *θίγω:* unde praeterit. *tetigi*, et composita *attigo*, *attiguus.* Sic *pago* dixere pro *pango*. *Pacuv.* ap. *Fest.* Ut ego, si quisquam me tagit. *Id. ib.* Aut non cernam, nisi tagam. *Pl. As.* 2, 2, 106. Cavebis, ne me attigas: si me tagis, nae hodie malo cum auspicio nomen commutaveris. Alii leg. *taxis* pro *tetigeris*, ut *faxis* pro *feceris*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 822. et 856. Sed o Petrulle, ne meum taxis librum.

*TAGORA, ae, f. oppidum Numidiae. *Anton. Itin. B. A.*

*TAGORI, orum, populi Asiae ulterioris, ad Tanaim. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

*TAGRUS, i, mons Lusitaniae. *Varr. R. R.* 2, 1. Quod in Lusitania ad Oceanum in ea regione, ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quaedam e vento concipiunt equae. Quem locum sunt qui corruptum putant. Al. leg. *monte Sacro;* alii *monte Artabro;* sic enim dictum Artabrum promontorium. *B. A.*

*TAGULIS, opp. in regione Syrtica. *Tab. Peut.* ℙ *Tagulus* est *Ant. Itin. B. A.*

*TAGULUS. V. v. praec. *B. A.*

TAGUS, i, m. *Tejo*, fluvius Hispaniae celebris, in Oceanum influens ad Ulyssiponem urbem. Auriferis arenis celebratur, ut ait *Plin.* 4, 22, 35. Item *Ov. Am.* 1, 15, 34. et *Met.* 2, 251., *Sen. Herc. Oet.* 625., *Lucan.* 7, 755., *Mart.* 1, 50. et 10, 96., *Stat. Silv.* 1, 2, 127., *Sil.* 1, 155., 2, 404. et 16, 551., *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 51. et al. Ut revera olim aurum tulerit, hodie quidem certe desiit: sed hanc famam probabile est inde ortam, quod flavas arenas habeat.

*TALABRICA, opp. Lusitaniae. *Plin.* 4, 21. ℙ *Appiano* ac *Ptolemaeo* est *τὰ Ταλάβριγα. B. A.*

TALAIONIDES, ae, m. *Ταλαϊονίδης*, Adrastus Talai et Eurynomes filius. *Stat. Th.* 5, 18. Dux Talaionides antiqua ut forte sub orno Stabat. Adde *ib.* 2, 140. ℙ Fuit autem *Talaus*, *Ταλαὸς*, filius Biantis (al. *Iasi*) qui et Eurydicem genuit, quae Orpheo nupsit. *Ov. Ib.* 356. ℙ Item Eriphyle, ejusdem Talai filia. *Id. A. Am.* 3, 13. Si scelere Oeclides Talaionidae Eriphyles Vivus, et in vivis ad Styga venit equis. Ubi notandum genus feminin., nam patronymica Graeca in *des* masculina sunt. [At ed. *Heins.* habet *Talaioniae*, ita ut sit a *Talaionius*, *a*, *um. F.*]

[TALAIONIUS, a, um. V. v. praec. *F.*]

TALARIS, e, adj. ad talos pertinens. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. (et *ib.* 33. et *Cat.* 2, 10.) Cum iste cum pallio purpureo, talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus: *χιτῶνι ποδήρει, ποδηνεκεῖ.* Tunicas demissicias *Pl. Poen.* 5, 5, 24. appellat. *Quint.* 11, 3. *med.* Ipsam fori sanctitatem ludorum talarium licentia solvere. ℙ Absolute *talaria*, partes pedum circa talos. *Sen. ep.* 53. *med.* Morbum, qui talaria coepit intendere, necesse est podagram fateri. ℙ Item calceamenta alata, qualia Mercurio tribuuntur, *πτερόεντα πέδιλα. Virg. A.* 4, 239. pedibus talaria nectit Aurea, quae sublimen alis, sive aequora supra, Seu terram portant. *Ov. Met.* 4, 666. de Perseo: Et liquidum motis talaribus aera findit. *Cic. N. D.* 3, 23. *f.* Minerva quinta, cui pinnarum talaria affingunt. Adde *Prop.* 2, 23, 57. ℙ *Talaria induere*, parare fugam. *Cic. Att.* 14, 21. *f.* Nemo est istorum, qui otium non timeat; quare talaria induamus. Alii leg. *videamus*, nihil mutata sententia: *videamus* enim est paremus, nobis comparemus. [*Orell. habet *videamus*, quod longe praeferendum.] ℙ De ima veste, quae talos contingit, *Ov. Met.* 10, 591. de Atalanta currente: Aura refert oblata citis talaria plantis, *h. e.* retro fert et reflat tunicam talarem. [*Negat *Ern.* in *cl. Cic.* s. h. v. et *H. Voss.* ad h. l. tunicam talarem posse intelligi.] ℙ *Talares calcei.* V. SUBTALARIS. ℙ *Talaria* tormenti genus. V. TABULARIS.

TALARIUS, a, um, adj. talaris. *Cic. Off.* 1, 42. Adde unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium. *Id. Att.* 1, 16. Non enim unquam turpior in ludo talario consessus fuit, *h. e.* in loco ubi aleatores conveniunt. ℙ *Lex talaria*, de talorum ludo recte et sine fraude exercendo. Hinc ambigue et festive *Pl. Mil.* 2, 2, 1. Ni hercle defregeritis talos, posthac quemque in tegulis videritis alienum; ego vestra faciam latera lorea; et *ib.* 9. Ne legi fraudem faciam talariae, accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

TALASIO seu Talassio, onis, m. vel Talassus, i, seu Talassius, ii, m. vox, qua apud Romanos, sponsa sponsi domum ingrediente, magna voce clamabatur, quemadmodum in itinere tres illi praetextati pueri, a quibus deducebatur, respondentibus vicissim pueris, puellisque, clara voce concinebant, *Hymen, o Hymenaee.* Quidam dicunt carmen nuptiale fuisse, et Deum ipsum nuptiarum praesidem, quem Graeci vocant Hymenaeum. Ab aliis scriptum est, fuisse Deum virginitatis. De nominis causa sic *Liv.* 1, 9., ubi de raptu Sabinarum: Unam longe ante alias specie ac pulcritudine insignem a globo Talasii cujusdam raptam ferunt, multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, nequis eam violaret, Talasio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. *Serv.* ad *A.* 1, 655. Hinc etiam apud Romanos Talassio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum plebejus quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab aliis, Talassionis eam ducis nobilis esse simulavit: cujus nominis fuit puellae tuta virginitas. Non absimilem historiam narrat *Plutarch.* in *Romulo*, et *Quaest. Rom.* Sed in his alteram quoque adducit nominis causam, ut nempe sit a lanificio, quia Graeci *τοὺς ταλάσους*, hoc est calathos, sive quasillos, quibus lana contineretur, *ταλάσους* quoque appellarent: in nuptiis autem eam vocem usurpatam, ut novae nuptae ad opera, et labores, ac lanificia in primis excitarentur. Eadem *Varronis* sententia fuit ap. *Festum*, qui addit, quendam historiarum scriptorem dicere, virum Talassium nomine rapuisse virginem eximia pulcritudine: et quod ei id conjugium fuerit felix, boni ominis gratia nunc redintegrari. Sunt etiam, qui censent, quia salsedo stimulet Venerem; unde et Venus e mari orta fingitur; hinc Talasionem, seu Talassionem, vel potius Thalassionem, appellatum a *θάλασσα*, hoc est mare. *Mart.* 1, 36. Quid si me jubeas Talassionem Verbis dicere non Talassionis? *Id.* 12, 42. Nec tua defuerunt verba, Talasse, tibi. *Catull.* 61, 134. Lubet jam servire Talassio. ℙ *Talassio* est etiam actus ipse Venerius. *Mart.* 12, 96. sed puella Sit tecum tua, ne Talassionem Indicas manibus libidinosis.

TALAUS. V. TALAIONIDES.

*TALCA, insula in mari Caspio. *Mela* 3, 6. *extr.* ℙ Fortasse eadem, quae *Tazata* appellatur a *Plin.* 6, 17. ℙ Legitur et *Talga. B. A.*

TALEA, f. *πάσσαλος*, *θαλλὸς*, *θάλεια*, id quod ab arbore reciditur, ut in solo depangatur, ac plantetur, surculus praecisus ex utraque parte, ut in terra inseratur, quemadmodum illud, quod inseritur ramo, *calamus* vocatur. Praecisis enim lignis vel pedali vel cubitali magnitudine nonnullae arbores seruntur. Est autem a *θάλλω*, floreo, pullulo. *Varr. R. R.* 1, 40. Demum in oleaginis seminibus videndum, ut sit de tenero ramo ex utraque parte aequabiliter praecisum, quas alii clavolas, alii taleas appellant. *Plin.* 17, 17, 28. Myrtus et taleis seritur, morus talea tantum, quoniam in ulmo eam inseri religio fulgurum prohibet. Quapropter de talearum satu nunc dicendum est. Servandum in eo ante omnia, ut taleae ex feracibus fiant arboribus, ne curvae, neve scabrae, aut bifurcae, neve tenuiores, quam ut manum impleant, ne minores pedalibus; ut illibato cortice; atque ut sectura inferior ponatur semper, et quod erit ab radice; accumuleturque germinatio terra, donec robur planta capiat. Haec *Plin. Cato R. R.* 45. Taleas oleagineas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito. Adde *Colum.* 4, 31. et 33. *f.* ℙ Inter clavam seu clavolam, et taleam (quas *Varr. l. c.* pro eodem habere videtur) discrimen esse significat *Pall.* cum ait 4, 10. *med.* Citri arbor quatuor modis seritur, semine, ramo, talea, clava; et *mox* tradit utriusque pangendae rationem. Differentiam autem ponit tum in eo, quod talea brevior et gracilior esse potest, quam clava, quae a talea etiam manubrii crassitudine distinguitur: tum in eo, quod talea ita mergi debet, ut aliqua parte exstet: clava tota obruenda. ℙ De quovis ramo, aut surculo. *Ser. Sam.* 12, 167. Fraxinea in flammis quem fundit talea succum. Hic licenter prima in *talea* producitur. ℙ Quas taleas ferreas memorat *Caes. B. G.* 5, 12., iisque pro nummo usos esse Britannos dicit, intelligit breves regulas, aut lamellas quadratas et oblongas ex ferro: cujusmodi hodieque apud Indos alicubi ex aere aut argento pro pecunia in usu esse accepimus. [Sed ibi varia est lectio: etenim pro *taleis* alii leg. *annulis*, alii *lanceis*, alii conjiciunt legend. *talis*, quod vero similius videtur. *F.*] ℙ *Id. B. G.* 7, 73. *f.* Taleae pedem longae ferreis hamis infixis in terram infodiebantur, *h. e.* breves paxilli praefixi ferro, quos stimulos vocabant. V. STIMULUS. ℙ In architectura *taleae* sunt trabeculae, quibus murorum compages intus colligatur. *Vitr.* 1, 5. Tum in crassitudine ejus *(muri oppidorum)* perpetuae taleae oleagineae ustulatae quam creberrime instruantur: uti utraeque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligatae aeternam habeant firmitatem. ℙ In versu *Sammonici* allato sunt qui leg. *talia* eod sensu.

TALENTARIUS, a, um, adj. Talentariae balistae ap. *Sisenn.* (referente *Non.* 18, 22.) sunt, quae saxa jaciunt pondo talenti, h. e. librarum sexaginta, si talentum Atticum minus: vel octoginta, si majus accipias: sicut centenariae ap. *Lucil. ib.* quae pondo centum.

TALENTUM, i, n. *τάλαντον*, pondus sexaginta minarum (Graece stateram, libram, lancem, trutinam significat): item summa pecuniae totidem minas efficiens. Mina centum drachmas habet: drachma fere, quatenus moneta, denario Romano respondet. V. ARGENTEUS, DENARIUS et DRACHMA. Itaque talentum valet drachmis sex millibus: [quae sunt circiter quos dicimus *mille ducati Veneti; F.* *Anglice 193 *l.*] et Romanorum HS. viginti quatuor millia: nam quatuor HS. denarium faciunt. Hoc est talentum Atticum commune, quod fere scriptores Latini intelligunt, nisi aliud addatur. *Rhem. Fann. de ponderib.* 37. Cecropium superest post haec docuisse talentum, Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas, Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis. Nam nihil his obolove minus, majusve talento. *Cic. Tusc.* 5, 32. Cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima. *Id. Rab. Post.* 8. Vociferabare, decem millia talentum Gabinio esse promissa. *Virg. A.* 5, 112. ostro Perfusae vestes, argenti aurique talenta. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 8. Docuit neminem minoris talento annis decem. *Id.* 33, 3, 15. Argenti quingenta millia talentorum reportavit. ℙ Quae dicimus de pretio talenti, confirmantur a *Sen. Controv.* 5, 34. *med.*, a *Varr.* ap. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 30. a *Pl. Most.* 3, 1, 115. et 3, 3, 16., ubi duo talenta dicuntur efficere minas CXX., a *Gell.* 3, 37., ubi tria

talenta fieri ait summam septuaginta duo mill. HS., a *Festo* et a *Servio* ad *A.* 5, 112. et ad *ib.* 9, 265., nisi quod ubi *libras* dicit, minae intelligendae sunt: denique a *Prisc. de ponderib.* p. 1348. ℙ De pondere est illud *Virg. A.* 11, 333. oratores Munera portantes aurique eborisque talenta. Quia, inquit *Servius*, et ebur ad pondus venditur. *Plin.* 9, 15, 17. Praecipua magnitudine thynni: invenimus talenta quindecim pependisse. *Id.* 12, 17, 40. Herodotus tradit, singula millia talentum turis annua pensitasse Arabas regibus Persarum. ℙ Fuit alterum talenti Attici genus, quod *majus*, vel *magnum* vocant, habens ad illud, quod modo diximus, proportionem sesquitertiam: h. e. LXXX. minas continens, vel LXXXIII. unc. IV. ut ait *Prisc.* De hoc est illud *Liv.* 38, 38. Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato. Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. ℙ Interdum tamen scriptores *talentum magnum* vocant, quod priore loco descripsimus. *Pl. Most.* 3, 1, 114. Quanti aedes destinat? *Tra.* talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus. Eodem modo intelligendus est *Id. Cist.* 2, 3, 19. et *Gracch.* ap. *Gell.* 11, 10. *f.* Magnum enim dixere Latini talentum Atticum prae aliarum nationum talentis, quae minoris aestimationis fuerunt, ut Rhodium, Alexandrinum, sive Aegyptium, Neapolitanum, Syracusanum, Rheginum: quae enumerantur a *Festo*, suo cuique pretio attributo. Qui accuratiorem de tota talenti ratione disputationem cupit, adeat *Gronov. de pecun. Vet.*, *Salm. de modo usur.*, *Budaeum de Asse*, *Voss.* in *Etym.*, *Camerar.* et alios, qui ex professo hac de re tractarunt.

TALEOLA, ae, f. ξυλάριον, parva talea. *Colum.* 3, 17. Complures taleolas terrae mandaverunt. *Id.* 12, 33. Scillam secato quam tenuissime, sicut raphani radicem, taleolasque suspende in umbra, ut adsiccentur; et *ib.* 46. Inulae taleolas facito.

TALIA, ae, f. folliculus caepae. *Fest.* Alii leg. *talla* ex illo *Lucil.* ap. *Non.* 3, 67. Flebile caepe simul, lacrimosaeque ordine tallae; et *Gloss. Philox.* Talla, χρομμύου λέπυρον. Dicta est *talla* a θαλλὸς, ramus viridis: et *talia* etiam dici potest, ut ab ἄλλος, alius, inquit *Dacer.* ad *Fest.* V. TALEA.

*TALIATA, Moesiae superioris opp. *Notit. Imp.* ℙ *Talia* est *Ant. Itin. B. A.*

TALIO, onis, f. ἀμοιβὴ, aequalis retributio, par vindicta; sumitur in malam partem, et dicitur a *talis*, quod nempe aliquis tale quid patitur, quale fecit, ex gr. si quis manum alicui amputavit, illi etiam manus amputatur; si quis alteri oculum eruit, ipsi quoque oculus eruitur. *Fest.* Talionis mentionem fieri in duodecim, ait Verrius, hoc modo: Si membrum rapserit (alii *ruperit*, *rupsit*, vel *rupit*), ni cum eo pacit, talio esto. Neque id quid significet, indicat. Puto, quia notum est. Permittit enim lex parem vindictam. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 710. Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. *Plin.* 7, 54, 55. Sicut in Cornelia familia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus: idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere. *Gell.* 20, 1. *med.* Taliones illae tuae reciprocae, argutiores profecto, quam veriores fuerunt. *Id. ib.* Talionem imponere; et *ib.* parissimam facere; et *ib.* redimere. Adde *Cic. fragm.* ap. *August. C. D.* 21, 11. ℙ *Sine talione*, impune. *Mart.* 12, 64. Corrumpit sine talione caelebs: Caecus perdere non potest, quod aufert, *h. e.* qui caelebs est, alienam uxorem impune corrumpit, quia nemo ei potest similem injuriam facere. ℙ Masculine. *Tert. adv. Marc.* 4, 16. Ad injuriam coercendam, quam prohibuerat talione opposito. Alii tamen leg. *opposita.*

TALIPEDO, as, n. 1. παραφέρομαι, pedibus vacillo, et quasi supra talos insisto. *Fest.* Talipedare antiqui dicebant pro vacillare pedibus lassitudine, quasi trahat pedes, ut talis videatur insistere, aut identidem tollere pedes. *Lucr.* 3, 503. Tum quasi talipedans primum consurgit. Alii leg. *vacillans.* [*Ita *Eichstadt.*]

TALIS, e, adj. τοῖος, τοιοῦτος, hujusmodi, ejusmodi, ejus, aut hujus generis: cui respondet *qualis:* videtur esse a τηλίκος, Aeolice ταλίκος, tantus. *Cic. Off.* 2, 13. Ut facillime, quales simus, tales esse videamur. *Id. Mur.* 14. *f.* Cum esset talis, qualem te esse video. *Ov. Trist.* 5, 12, 67. tale nihil metuens. *Cic. Att.* 16, 8. *f.* Non equidem hoc divinavi, sed aliquid tale putavi fore; et *Liv.* 5, 1. Qui, a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe habebat. *Id.* 26, 31. Tantum abest, ut et ipsi tale quidquam facturi fueritis. *Cic. Leg.* 2, 5. Omnem legem esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. *Id. Univ.* 7. Idque molitus tali quodam est modo. ℙ Saepe ponitur pro *tantus*, et quandam excellentiam notat, in utramque partem, saepius in bonam. *Caes. B. C.* 1, 53. Ut principes talem nuntium attulisse viderentur; et *B. G.* 6, 33. *extr.* Pro tali facinore; et *Nep. Alc.* 6. Quod talem virum e civitate expulissent; et *Sall. Jug.* 67. *f.* Tamen is ad id locorum talis vir consulatum appetere non audebat; et *Phaedr.* 3, 9. Quaeso tam angustam, talis vir, ponis domum? Sic *Pl. Capt.* 5, 2, 2. Quid me oportet facere, ubi tu, talis vir, falsum autumas? *Nep. Paus.* 3. Non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari. *Cic. Quint.* 13. In quo ille tot et tales viros defatigat. *Id. Phil.* 2, 29. Quibus rebus tantis, taljbus gestis, quid fuit causae, cur, etc.? *Id. Fam.* 15, 4. *f.* Si hoc quod ego gessi, tale atque tantum videbitur, ut, etc. *Id. Cluent.* 53. Judices tali dignitate praediti. *Virg. A.* 1, 339. haud equidem tali me dignor honore; et *Pl. Merc.* 3, 1, 3. Ne plora: nimis stulte facis: oculos corrumpis tales; et *Virg. Ecl.* 5, 81. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona? et *A.* 11, 303. non tempore tali Cogere concilium, cum muros assidet hostis, *h. e.* tam tristi et calamitoso. Eadem ratione *tale tempus* usurparunt *Lucr.*, *Val. Fl.*, *Sil.*, *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* et *Liv.* 22, 35. *extr.* et 30, 37., quorum loca recitat *Drakenborch.* ad *Sil.* 8, 112. ℙ [*Conjunctim ponuntur *talis* et *tantus*, et *tantus* et *talis*, ut Gr. τοιοῦτος καὶ τοσοῦτος et τοσοῦτος καὶ τοιοῦτος. V. *Heindf.* ad *Plat. Gorg.* 26.. *Cic. Fam.* 13, 66. quae tua sponte — faceres in hominem tantum et talem calamitosum. *Id. ib.* 15, 4. si non jejunum talem calamitosum. *Id. ib.* 15, 4. si non jejunum videtur, sed tale atque tantum. *Id. N. D.* 3, 39, 92. conservare urbes tantas atque tales.] ℙ Habet post se particulas *ac*, *atque*, *ut*, *qui*. *Cic. Vat.* 4. Honos talis populi R. voluntate paucis est delatus, ac mihi. *Ter. Phorm.* 5, 8, 39. Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio. *Cic. Off.* 1, 26. *med.* Tales nos tunc esse putamus, ut jure laudemur. *Liv.* 42, 42. *med.* Haec quae purgata a me sunt, talia esse scio, ut aures, ut animi audientium sint. *Cic. Fam.* 10, 6. *med.* Talem te esse oportet, qui ab impiorum civium societate sejungas. *Prop.* 2, 16, 31. Ultima talis erit, quae mea prima fides. *Stat. Th.* 2, 170. Dii bene, quod tales stirpemque animosque venitis, Ut responsa juvent. Ubi notandus accusativus Graeca ratione. ℙ Ponitur interdum loco pronominis *hic*, *haec*, *hoc*. *Nep. Cim.* 2. Tali modo custodia liberatus Cimon, etc. et *ib.* 1. Cum talem conditionem aspernaretur. *Ov. Pont.* 3, 3, 22. Talibus affata est libera lingua sonis. *Virg. A.* 5, 79. Purpureosque jacit flores, ac talia fatur; et *ib.* 1, 563. Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant Dardanidae. [*Brem. ad *Nep. Them.* 2, 8. docet, v. *talis* in his plerumque cum improbandi, vel comprobandi quadam notione poni videri. ℙ Componuntur *talis* et *hic*. *Liv.* 5, 2. haec taliaque vociferantes: al. *aliaque*. Utrumque auctoritatibus nititur. V. *Drak.* ad *Liv. l. l.* ℙ Confund. *talis* et *immortalis.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 84. et 307.]

TALISCUMQUE, lĕcumque, adj. idem ac talis. *Auct. Priap.* 16. Quale fuit malum, quod littera pinxit Acontl, etc. Taliacumque puer dominus florentis agelli Imposuit mensae, nude Priape, tuae.

TALITER, adv. τοίως, tali modo. *Plin.* 35, 11, 40. Lacunaria primus pingere instituit: nec cameras ante eum taliter adornari mos fuit. *Mart.* 5, 7. Qualiter Assyrios renovant incendia nidos etc. Taliter exuta est veterem nova Roma senectam. *Pall.* 8, 8. Aquam taliter poteris invenire. ℙ Quidam tribuunt et *Varroni R. R.* 1, 18. *f.*, item *Cic. Att.* 10, 17. *f.*, sed omnino *aliter* utrobique legendum.

TALITRUM, i, n. κόνδυλος, seu κονδυλισμὸς, nodus in digitorum articulis eminens, vel ictus digitorum sic complicatorum: videtur esse a *talus*, quod olim non de pedum modo, sed etiam de manuum ossiculis usurpatum, recte statuit *Voss.* in *Etym.* Sunt qui putant, hac voce significari ictum digiti alteri digito, scilicet indici, impositi, complicati et vibrati, quem Itali *buffetto* vocant, sed non probant. Percussio hujusmodi ita describitur a *Petr. Sat.* 96. Caput miserantis stricto acutoque articulo percussi. V. et *Capell. l. c.* in CONDYLUS. *Suet. Tib.* 68. Fuit articulis ita firmis, ut caput pueri, vel etiam adolescentis talitro vulneraret.

TALLA. V. in TALIA.

*TALMIS, opp. locusve Aegypti superioris. *Ant. Itin. B. A.*

TALNA. V. THALNA.

*TALORI, orum, Lusitaniae populi. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 162. *B. A.*

[TALOS, i, m. Τάλως, gigas aerei corporis, Europae a Jove datus, ut custos esset Cretae insulae, quam singulis diebus totam circumiisse dicitur: a Medea peremptus fuit. Ejus fabulam narrant *Apollodor. Biblioth. l.* 1. *c.* 9. §. 26., *Orph. Argonaut. v.* 1338. et seqq. et *Apollon. Rhod. l.* 4. *Argonaut. v.* 1638. — 1688. Ejus, suppresso tamen nomine, mentio est ap. *Catull.* 55, 23. Non custos si fingar ille Cretum. *F.*]

TALPA, ae, f. et m. ἀσπάλαξ, animal muri simile, nigri coloris, captum oculis, quod arva et hortos suffodit. [*Voss.* in *Etym.* derivat a Chald. טַלְפָּא *talleph*, scidit, fodit. *F.*] *Virg. G.* 1, 183. et *ib.* 3, 539. Aut oculis capti fodere cubilia talpae. Ubi *Serv.:* mutavit genus: nam haec talpa dicitur. *Cic. Acad.* 4, 25. *f.* Quid? talpam num desiderare lumen putas? *Plin.* 9, 7, 6. Animalia, quae semper defossa vivunt, ceu talpae. *Id.* 10, 69, 88. Liquidius audiunt talpae obrutae terra. *Id.* 30, 5, 12. Terra a talpis excitata. *Id.* 8, 29, 43. Varro auctor est, a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia. *Hieron.* in *Isai.* 1, 2, 19. Talpa est animal absque oculis, quod semper terram fodit, et humum egerit, et radices subter comedens frugibus noxium est.

TALPANUS, a, um, adj. Talpana vitis, ap. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. fortasse dicta est, quia mustum colore talpae fert.

TALPINUS, a, um, adj. ad talpam pertinens. *Cassiod. Var.* 9, 3. de auri fossorib.: Talpinum animal imitantes itinera fodiunt.

*TALTHYBIUS, i, m. Ταλθύβιος, praeco Agamemnonis in Graecorum exercitu. *Pl. Stich.* 2, 34. *Ov. Her.* 3, 9. *B. A.*

*TALUCTAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

TALUS, i, m. ἀστράγαλος, os quasi cubicae figurae in articulo pedis multorum animalium, quae bifida seu bisulca sunt: nam quae multifida sunt (ut nec homo), item quae solidae ungulae, tale os fere non habent, ut *Arist. Hist. anim.* 2, 1. *med.* et *de partib. animal. c.* 10. *f.* docet. *Plin.* 11, 46, 106. Talos asinus Indicus, unus solidipedum, habet. Nam sues ex utroque genere existimantur: ideo foedi earum (*tali*). Hominem qui existimarunt habere, facile convicti. Lynx tantum digitos habentium, simile quiddam talo habet: leo etiam tortuosius. Talus autem rectus est in articulo pedis ventre eminens concavo, in vertebra ligatus. Haec *Plin.* ℙ Hujusmodi ossa sex latera habent, sed quatuor tantum, quibus insistere possunt, quia duo reliqua ita incurva sunt, ut vix illis queat talus consistere: consistit tamen aliquando, et *rectus talus* tunc dicitur. Horum lateribus seu figuras, seu puncta figurarum nomen habentia inscuipebant, et in ludo utebantur, qui *talarius*, et *talaris* dicitur, qui plerumque quatuor, ad minimum tribus talis peragebatur. Ditiores, spretis ossibus, ex ebore, crystallo, aliave nobiliore materia factos adhibebant. Ex quatuor talorum lateribus prius *unio* seu *canis* (V. h. v.), seu *vulturius* (V. h. v.) dicebatur; huic oppositum, *senio:* reliquorum vero eminens, *ternio*, seu *trinio*, seu *suppum;* huic oppositum concavum, *quatrio*, seu *quaternio:* porro in talis ipsa laterum figura et facies pro numero erat; in tesseris unicuique ex sex lateribus suum erat punctum. Cum itaque tali ita caderent, ut diversa esset omnibus facies, jactus *Venerius*, seu *basilicus*, atque etiam absolute *Venus*, vocabatur, isque optimus et omnium felicissimus habebatur; damnosus, si unum vel plures canes ostenderent; pessimus, cum omnes tali eadem figura caderent: senio plerumque felix erat jactus. Ceterum, ut in nostris ludis usuvenit, non easdem leges videntur omnes servasse, sed de quibus inter ludentes convenerat. Conjiciebantur tali in pyrgum, seu turriculam, seu fritillum, ex quo cadebant in alveolum, seu tabulam lusoriam, ne, si manu jacerentur, fraus aliqua in mittendo fieret. *Sen. Apocol. f.* Nam quoties missurus erat resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo: Cumque recollectos auderet mittere talos, Lusuro semper similis, semperque petenti, Decepere fidem. *Cic. Div.* 1, 13. Quatuor tali jacti casu Venereum (*jactum*) efficiunt: num etiam centum Venereos, si quadringentos talos jeceris, casu futuros putas? (Adde *ib.* 2, 21. et 29.) *Id. Fin.* 3, 16. Ita jacere talum, ut rectus assistat. *Prop.* 4, 8, 45. Me quoque per talos Venerem quaerente secundos, Semper damnosi subsiluere canes. *August.* ap. *Suet. Aug.* 71. Talis jactatis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos qui Venerem jecerat. *Mart.* 14, 14., cujus lemma *Tali eborei.* Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem, Munera me dices magna dedisse tibi. *Id. ib.* 16., cujus lemma *Turricula:* Quaerit compositos manus improba mittere talos: Si per me misit, nil nisi vota facit. Alii pro *quaerit* leg. *quae scit. Hor. Od.* 1, 4, 18. Nec regna vini sortiere talis. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Talis ludere. *Just.* 38, 11. *f.* Talis aureis ad exprobrationem puerilis levitatis, donatur. ℙ A similitudine *talos* dicimus etiam in homine: sic enim vocatur os in extrema tibia supra calcem. *Cels.* 8, 1. *f.* Excipitur crus infra osse ex transverso talorum: idque ipsum super os calcis situm est; et *ib.* 7. *f.* Os tali, calx, manus, planta; et *ib.* 22. Talus in omnes partes prolabitur. *Ov. Met.* 8, 807. Auxerat articulos macies, genuumque rigebat Orbis, et immodico prodibant tubere tali: (hic *Ov.* significat duos illos processus ossium cruris, qui utrinque supra pedem exstant.) *Mart.* 8, 75. Expulit offenso vitiatum pollice talum. *Sen. Ben.* 5, 24. Meministi, talum te torsisse? et *Appul.* eod. sensu *Flor. n.* 16. Talum invertere; et *Auct. B. Hisp.* 38. intorquere. ℙ Per synecdochen dicitur de imo crure, vel pedibus. *Cic. Cluent.* 40. Purpura usque a talos demissa. *Hor. Ep.* 2, 2, 4. Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos; et *Juven.* 7, 16. Altera quos nudo traducit Gallia talo; et *Ov. Met.* 4, 342. in adludentibus undis Summa pedum, taloque tenus vestigia tingit. Adde *Am.* 3, 6, 6. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 1, 176. Securus, cadat, an recto stet fabula talo, *h. e.* placeat. V. STO. *Pers.* 5, 101. tibi recto vivere talo Ars dedit, *h. e.* bene agere in omnibus. ℙ Talus

in Sabinorum nominibus praenominis loco videtur fuisse. *Festus.*

TAM, adv. *τοσοῦτον*, adeo, tantum, ita. Jungitur adjectivis et adverbiis positivis; eique respondet *quam:* et saepe *ut* sequitur. *Cic. Att.* 8, 4. Nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam praecise negavi, quam hic mihi. *Id. Or.* 30. *f.* Nemo orator tam multa, ne in Graeco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra. *Caes. B. G.* 1, 16. *f.* Tam necessario tempore, tam propinquis hostibus; et *ib.* 44. *med.* Non se tam barbarum, neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret, etc. *Cic. Or.* 2, 90. Non essem tam inurbanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem. *Plin.* 11, 2, 2. In corporibus tam parvis, atque tam nullis. *Caes. B. G.* 1, 14. Tam insolenter, et tam diu. *Cic. Div.* 2, 39. (et *Nep. Eum.* 11.) Quasi vero quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, vulgare, *h. e.* tantopere. *Id. Or.* 1, 55. Jus civile tam vehementer amplexus es. *Pl. Trin.* 3, 1, 7. Quam dudum istuc, aut ubi actum est? *Stas.* illico hic ante ostium, tam modo, inquit Praenestinus. *Festus:* Tam modo antiqui ponebant pro modo, ut Accius. Tam modo, inquit Praenestinus. *Accius* est *M. Accius Plautus.* [*Cf. *Lindem.* ad *Pl. l. l.*] ℙ Item superlativis. [*Cf. *Ern. cl. Cic.* s. h. v. et *Voss. de Construct.* c. 17. *Ruddim.* 2, 306.] *Cic. Phil.* 12, 5. Nondum erat vestris tam gravissimis judiciis concisus. *Sall. Jug.* 34. *f.* Quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Quam paucissimos *(canes)* reliqueris, tam optimi in alendo fient. *Cato R. R.* 64. Quam citissime conficies, tam maxime expedies; et *ib.* 157. *med.* Quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet. *Id.* ap. *Paul.* in *Veternosus*, ex *Festo:* Quam plurimum bibit, tam maxime sitit. *Id.* ap. *Charis.* 2, 184. Tam maturrime comparavisse. ℙ Et comparativis. *Lucr.* 1, 536. Et quo quaeque magis cohibet res intus inane, Tam magis his rebus penitus tentata labascit. *Virg. A.* 7, 787. Tam magis illa fremens, etc. Quam magis crudescunt pugnae. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram te istam oro, non tam in bellis et proeliis *(firmam)*, quam in promissis et fide firmiorem. ℙ Omisso *tam. Ulp. Dig.* 29, 2, 20. Pro herede gerere non esse facti, quam animi. [*Liv. 2, 26. Quandoquidem non facile loquor, inquit, Quirites, quam, quod locutus sum, praesto: ubi alii leg *non tam facile:* sed praeter necessitatem.] ℙ Cum diminutivis. *Ter. Ad.* 2, 4, 10. Tam ob parvulam rem. Adde *Plin.* 10, 29, 43. ℙ Cum verbis. *Pl. Most.* 4, 2, 9. Ferocem facis, quia te herus tam amat. *Vell.* 2, 88. Nec minora consequi potuit: sed non tam concupivit. *Pl. Cas.* 4, 4, 24. Quid tu ergo hanc, quaeso, tam tractas? ℙ Cum substantivis. *Pl. Pers.* 4, 3, 64. Nunquam ego te tam esse matulam credidi. ℙ Post se habet particulas *atque, quasi;* item *qui* pro *ut. Pl. Amph.* 1, 1, 287. Tam consimile est, atque ego. *Id. Curc.* 1, 1, 51. Tam a me pudica est, quasi soror mea sit. *Cic. Fam.* 9, 2. Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? ℙ Et bis *tam* usurpatur, quin *quam* sequatur. V. ROSALIS. ℙ [*Dicitur etiam cum ellipsi oppositi membri. *Cic. Off.* 1, 21. et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt: ubi v. *Beier.* Porro *Brut.* 53, 197. quae quidem omnia cum perite, et scienter, tum ita breviter, et presse et satis ornate etc. ubi *Ellendt* coll. *Or.* 1, 52, 226. quis hoc philosophus tam mollis etc. docet: *tam* subinde, quamvis sine correlativo sequente, ad augendam sententiae vim poni paene *πλεοναστικῶς.*] ℙ Veteres pro *tamen* usi sunt, ut *Fest.* docet: quia et *tamen* a *tam* descendit. *Novius ib.* Qui si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit. *Enn. ib.* Ille meae tam poti' paci' potiri. *Titin. ib.* Bene cum facimus, tam male subimus, ut quidam perhibent viri. *Id. ib.* Quamquam estis nihili, tam ecastor simul vobis consului. *Pl. Men.* 2, 3, 36. Eamus intro, ut prandeamus. *Men.* bene vocas: tam gratia est. Adde *Ps.* 5, 1, 24., ubi alii aliter leg. ℙ *Tamne?* adeone? *Festus:* Tamne, eousque, ut Aelius Stilo, et Opilius Aurelius interpretantur: itaque Afranius: Tamne arcula tua plena est aranearum?

TĂMA, ae, f. genus tumoris. *Voss.* in *Etym.* deducit a *ταμεῖν* aor. 2. infin. verbi *τέμνω*, seco. *Fest.* Tama dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit, et tumorem facit. Lucillius: Inguen ne exsistat, papulae, tama, ne boa noxit. ℙ *Fuit et *Tama* oppidi nomen, Aegypto Aethiopiaeque contermini. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

TĂMĂRĬCE, es, f. *ταμαρίκη*, frutex idem qui myrice. *Plin.* 13, 21, 37. et 24, 9, 41.

[TAMĂRĪCI, orum, m. plur. populi Hispaniae Tarraconensis, ad Tamarin fluv., nunc *Tamar.* Eorum meminit *Plin.* 4, 20, 34. et *Mela* 3, 1. *F.*]

*TAMĂRĪCUM, i, n. i. q. tamarice. *Scrib. Larg. compos.* 128. *B. A.*

*TAMĂRIS, is, fluvius Hispaniae Tarraconensis, in Oceanum cadens, hodie *the Tamar. Mela* 3, 1. *B. A.*

TĂMĂRISCUS, i, f. idem quod tamarix. *Pall.* 12, 8. Apes ex tamarisci floribus mella conficiunt.

TĂMĂRIX, icis, f. myrice. *Lucan.* 9, 916. Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant, Et tamarix non laeta comas. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 2. ait, vulgo *tamaritium* dici: et fortasse ejus temporibus sic loquebantur. *Tamaricis* meminit etiam *Colum.* 7, 9. *med.* ℙ In gen. plur. *Id.* 8, 15. In silvulis tamaricum, aut sirporum frutectis immorari.

TĂMĂSEUS, a, um, adj. *Ταμασεῖος*, ad Tamasum Cypri oppidum pertinens, ut Tamaseus ager, *Ov. Met.* 10, 644.

TAMDĖ, tam. *Lucil.* V. RHONDE.

TAMDIU et Tandiu, adv. *ὅσον χρόνον*, tam diu, tanto tempore, eousque, cui respondet *quamdiu. Cic. Att.* 9, 4. Tamdiu requiesco, quamdiu ad te scribo. ℙ Absolute. *Id. Fam.* 2, 1. Te abfuisse tamdiu a nobis, dolui. *Pl. Curc.* 1, 3, 15. Haud quidquam est, magis quod cupiam tamdiu. *Nep. Eum.* 11. Quem tamdiu, tamque valde timuissent. *Tac. Germ.* 37. Ducenti ferme et decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur: *ἐπιφώνημα.* ℙ Regit particulas *quoad, dum, quam, donec. Cic. Off.* 1, 1. Disces quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit; et *ib.* 2, 12. *f.* Tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. *Id. Brut.* 1. *f.* Vixit tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere. *Nep. Att.* 11. *f.* Beneficia, quae ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. ℙ Item *ut. Pall.* 1, 15. Quae inductio ante tamdiu subigenda est, ut rutrum, quo calx subigitur, mundum levemus. ℙ In scriptione *Dausquium* sequimur, cui per *m* scribi placet. Sed quia *m* ante *d* aliquantum minuitur, placet aliis per *n*, ut in *tandem.* Sic *eandem* in monumento Ancyr. ap. *Grut.* p. 232. et *tantundem*, in fragmento *Agrar. ib* p. 206. insculptum est. ℙ Scribitur et *tam diu* disjunctim.

TĀMĒ, in carmine positum est pro tam. *Festus*, h. e. in carmine Saliari, inquit *Scalig.*, in quo et *cume* erat pro *cum*, ut refertur a *Scauro* in *Orthogr.* p. 2261.

[TĀMEL, vox composita ex *tamen*, et *ille*, ut *sirempse* ex *similis re ipsa*, aliaque quamplurima. V. FERICULUS. *F.*]

TAMEN, *ὅμως, ὅμως μέν τοι*, nihilominus: conjunctio adversativa, respondens particulis *quamquam, quamvis, licet, etsi, etiamsi*, et similibus, vel expressis. *Cic. Rosc. Am.* 20. Quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret. *Nep. Milt.* 2. *f.* Etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen, etc. *Sall. Cat.* 3. *f.* Quae tametsi animus aspernabatur, tamen, etc. *Cic. Att.* 3, 12. Licet tibi significarim, ut ad me venires, tamen intelligo, etc. *Ter. Andr.* 5, 2, 23. *Simo:* Ego te commotum reddam. *Da.* tamen etsi hoc verum est? *Simo:* tamen. Hic pro *quamquam* poni videtur. *Cic. Fam.* 13, 71. Sed tamen, etsi omnium causa velle debeo, tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. ℙ vel tacitis. *Id. ib.* 1, 2. *f.* Cui cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta. *Caes. B. G.* 1, 14. *med.* Cum ea ita sint, tamen si obsides sibi dentur, se cum iis pacem facturum. *Nep. Paus.* 2. *extr.* Accusatus capitis absolvitur: multatur tamen pecunia. *Cic. Har. resp.* 21. *extr.* Pro patria solus exarsi: sic tamen, ut vos, etc. *Id. Att.* 1, 18. Hi non sunt permolesti: sed tamen insident, et urgent. *Pl. Mil.* 2, 3, 35. Si indicium facio, interii: si taceo, interii tamen. *Phaedr.* 3, 10. Nil spernat auris: nec tamen credat statim. *Sall. Cat.* 8. Atheniensium res gestae satis amplae fuere: verum aliquanto minores tamen. [*Exposuit de hoc particulae *tamen* usu *Spald.* ad *Quint.* 1. p. 497. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 57. *a. Cort.* ad *Lucan.* 1, 379. *Matth.* ad *Cic. Cat.* 3, 5, 10. a quo negatur, significare particulam *tamen, saltem*, quod docuerunt *Ern.* et *Goerenz.* — *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 119. *a.* docet, poni *tamen* interdum etiam pro *quidem:* At recte hanc sententiam ut falsam damnat *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 5, 61.] ℙ Jungitur cum nihilominus. *Cic. Fam.* 13, 15. *f.* Et tamen nihilominus *Διὲν ἀριστεύειν*, etc. *Id. Cluent.* 26. Tamen nihilo minus putabant oportere, etc. ℙ *Tamenne* interrogantis est, et urgentis. *Cic. Agr.* 2, 28. *med.* Si quinque hominum millibus, ad vim, facinus, caedemque delectis, locus quaeritur, tamenne patiemini vestro nomine firmari opes, etc.? *Id. Fl.* 9. *extr.* Si testium studium cum accusatore sociatum est, tamenne isti testes habebuntur? Adde *Font.* 3. et *Dom.* 19. *f.* [*Cf. *Frotsch.* ad *Cic. Sull.* p. 51.] ℙ Et omisso *ne. Id. Div. Verr.* 6. Tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui, etc.? tamen his operam tuam pollicebere, qui, etc.? ℙ *Si tamen*, servit correctioni, si modo. *Ov. Met.* 4, 535. aliqua et mihi gratia ponto est: Si tamen in dio quondam concreta profundo Spuma fui. *Id. Trist.* 3, 14, 23. Nunc incorrectum populi pervenit in ora. In populi quidquam si tamen ore meum. ℙ Simile est *nisi tamen. Plin. Pan.* 93. Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus? nisi tamen illam, ut semper nos meminerimus, etc. *h. e.* nisi solum. *Id. ep.* 6, 21. *f.* Circa me tantum benignitate nimia modum excessit: nisi quod tamen poetis mentiri licet. ℙ *Tamen* in principio respondendi, cum adversamur iis, quae ab alio ante dicta sunt. *Cic. Fam.* 9, 19. *in.* Tamen a malitia non discedis: tenuissimo appa-ratu significas Balbum fuisse contentum. ℙ [**Tamen* saepe ultimum sententiae locum occupat, ubi vehementiorem reddit vim oppositionis. Notandum vero est, ubique, quoties hunc locum obtinet tamen, plerumque ita verba ordinata esse, ut verbum illud, ad quod particula *tamen* vi sua proxime spectat, statim ante hanc ipsam particulam legatur. *Pl. Capt.* 2, 3, 33. Istuc ne praecipias, facile memoria memini tamen: et paulo post: v. 46. Beneque hero gessisse morem in tantis aerumnis tamen. *Amph.* 1, 3, 44. Ut quum absim, me ames, me tuam absentem tamen. *Cas. prol.* 63. Sciens ei mater dat operam absenti tamen. *Ib.* 1, 17. Praefeci rure recte qui curet tamen. Adde *Capt.* 2, 1, 84. *Ter. Ad.* 2, 1, 20. — In aliis locis, ubi ultimum locum sententiae occupat ista particula, hoc propterea factum videtur, quod non ad unum sententiae vocabulum, sed totum enunciatum ejus vis referenda est. Cf. *Parei Lex.* s. h. v. Ita *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 2, 3, 33.] ℙ Pro certe videtur esse in illo *Cic. Caecin.* 3. Si quis mihi hoc judex dicat: potuisti leviore actione confligere, etc. tamen is aut timidior videatur, quam fortem, aut cupidior, quam sapientem judicem esse aequum est. ℙ Pro quamquam. *Ter. Eun.* 1, 2, 90. Tamen contemptus abs te, haec habui in memoria. Alii aliter distinguunt et explicant. Adde *Andr.* 5, 2, 23. et *Pl. Amph.* 1, 3, 44. et *Mil.* 4, 8, 31. et *Cas. prol.* 63., quae tamen aliter accipi possunt. [*Cf. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 108. b.] ℙ Loco v. tandem. *Prop.* 2, 1, 75. Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ictus, Unde tamen veniant tot mala, caeca via est. *Ov. Met.* 2, 335. totum percensuit orbem Exanimesque artus primo, mox ossa requirens, Reperit ossa tamen peregrina condita ripa. *Ter. Heaut.* 4, 2. *f.* Retraham hercle, opinor, ad me illud fugitivum argentum tamen. *Val. Fl.* 6, 383. Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri, Quae scopulis trabibusque diu, confectaque flammis, Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem. *Just.* 30, 2. *med.* Mors ejus diu occultata fuit. Re tamen cognita, etc. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 454. Qui enare conati fuerant, icti saepe ferramentis navium, aut vulnerati a suis, aut afflicti alveis undarum vi, mulcato foede corpore postremo tamen periere. Adde *Pacuv. ib.* et *Pl. Ps.* 4, 7, 86. Quod vero addit *Non.*, sumi etiam pro statim, non probat. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 119. *a. ed. Frotsch. Brem.* ad *Suet. Aug.* 91. ℙ *Ramsh.* §. 194. *n.* 4. p. 886. docet: *tamen* factum esse ex *tam — em*, ut *item* ex *ita — em:* coll. §. 86. II, 4. ℙ Confund. *tamen* et *tandem.* V. *Drak.* ad *Liv.* 22, 2, 10. *intpp.* ad *Cic. Sull.* p. 139. *ed. Fr. Spald.* ad *Quint.* II. p. 103. Porro *tamen* et *tantum. Id. ib.* 1. p. 130. *crit.* — *Tamen, tum* et *quum.* V. *intpp.* ad *Cic. Sull.* p. 58. *ed. Fr.*]

TĀMĒNETSI, adv. idem quod etiamsi, quamvis, tametsi. *Poll. Asin.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. Tamenetsi tantam calamitatem reip. quam tardissime audire optandum est. *Enn.* ap. *Cic. Or.* 3, 42. At Romanus homo tamenetsi res bene gesta est, Corde suo trepidat. *Cic. Att.* 5, 17. Tamenetsi hoc te audire ex aliis malo. *Catull.* 68, 135. Quae tamenetsi uno non est contenta Catullo, Rara verecundae furta feremus herae. *Auct. Pan. ad Pis.* 26. tamenetsi bella quierunt, Non periit virtus. ℙ Scribi potest etiam divisim.

*TAMES, promontorium Indiae, inter Indum et Gangem, quod Taurus mons attollit. *Mela* 3, 7. *B. A.*

[TĂMĒSA, ae, m. *Ταμέσας*, et *F.*]

[TAMĒSIS, is, m. *Τάμεσις*, nunc *the Thames*, maximus Britanniae fluvius, Londinium urbem interluens, et a mari Britannico contra portum Iccium exceptus. *Tac. A.* 14, 32. Visa species in aestuario Tamesae subversae coloniae. *Caes. B. G.* 5, 11. Cujus fines a maritimis civitatibus flumen dividit, quod appellatur Tamesis, a mari circiter M. passuum LXXX. et 18. Caesar ad flumen Tamesin in fines Cassivellauni exercitum duxit; quod flumen uno omnino loco pedibus, atque hoc aegre, transiri potest. *F.* et *B. A.*]

TĀMETSI, adv. *καί τοι, εἰ καί*, quamquam, etsi: per syncop. a *tamenetsi:* et post se saepe habet *tamen:* jungiturque in principiis fere indicativo, in medio etiam subjunctivo. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Non mehercule, quae loquor, crederem, tametsi vulgo audieram, nisi, etc. *Ter. Eun.* 2, 1, 10. Memini, tametsi nullus moneas. *Id. Andr.* 2, 2, 11. Obtundis, tametsi intelligo. *Pl. Aul.* 4. 10, 38. Tametsi fur mihi es, molestus non ero. *Caes. B. G.* 5, 34. Tametsi a duce deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant. *Cic. Rosc. Am.* 27. Tametsi vicisse debeo, tamen de meo jure decedam. *Id. Fam.* 5, 1. Tametsi nihil mihi fuit optatius, quam, etc. tamen afficior summo dolore, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 9. Quantam putas auctoritatem laudationis eorum futuram? Tametsi quae est ista laudatio, cum laudator interrogatus laedat, necesse est?

TĀMIĂCUS, a, um, adj. *ταμιακός*, in *Gloss. Philox.* exponitur fiscalis. Dicitur autem de his, quae ad fiscum principis pertinent, quod *ταμεῖον*, seu *ταμεῖον* appellatur, h. e. fiscus, aerarium, ut eaedem *Glossae* interpretantur. Est in *Cod. Just.* 11. *tit.* 68., qui *De praediis tamiacis* inscribitur, h. e. de iis, quae in variis provinciis, praesertim in Cappadocia,

fisco principali addicta erant. Ibi *Imp. Zeno l.* 2. memorat *fundos tamiaci juris:* et *l.* 1. *tamiacum* vel *tamiacam* vocat servum, vel servam colendis instruendisque tamiacis praediis adscriptos et addictos.

*TAMIANI, orum, populi Africae. *Liv.* 33, 18. *B. A.*

[TAMIATHICUS, a, um, adj. *Ταμιαθιχὸς*, ad Tamiathin pertinens, Aegypti inferioris urbem, ad Nili ostium Phathmeticum, quae olim diruta, deinde ab Arabibus paulo interiore loco condita, nunc *Damietta*, *Ταμίαθις* autem a *Steph. Byz.* dicitur. *Sidon. carm.* 23, 255. Tu, si publica fata non vetarent, Ut Byrsan peteres, vel Africanae Telluris Tamiathicum rebellem. Editiones perperam habent *Tanaiticum. F.*]

TAMINIA Uva, genus uvae silvestris, quae *Verrio* ap. *Fest.* dicta videtur, quae tam mira (lege *rubra*) sit, quam minium. *Cels.* 3, 21. *med.* Uva taminia, quam *στυφίδα ἀγρίαν* Graeci nominant. *Plin.* tamen 23, 1, 13. falso dicit, eandem putari a nonnullis ac astaphidem agriam, cum haec in apricis nascatur, taminia non nisi in opacis: haec nigros acinos habeat, taminia rubentes.

[TAMINO, as, a. 1. idem ac contamino. V. h. v. *Not. Tir.* p. 123. Taminat, attaminat, contaminat. *F.*]

*TAMMACUM, i, n. oppidum Africae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[TAMNACUS, i, m. herba eadem ac parthenium, q. v. v. *Harduinus* pro *tamnacus* legit *amnacus. F.*]

TAM NE. V. TAM.

TAMNUS, i, f. genus vitis silvestris, cujus fructus taminia uva. *Plin.* 21, 15, 50. (ut legit *Harduinus* ex MSS.) In Italia paucissimas *(herbas sponte nascentes)* novimus, fraga, tamnum, ruscum, batin marinam, etc. *Colum.* 10, 373. Lubrica jam lapathos, jam tamni sponte virescunt. Alii leg. *rhamni:* quod improbat *Pontedera* in *Antiqu. Gr. et Lat.* p. 577., et tamnum esse monet bryoniam nigram, ejusque caulem hodieque in Italia in rusticas coenas legi, et vulgo *tanno* appellari.

*TAMOS vel Tamus, i, promontorium Indiae. *Mela* 3, 7. *bis. B. A.*

*TAMPHILANUS, a, um, adj. ad Tamphilum aliquem pertinens, ut *Tamphilana domus* ap. *Nep. Att.* 13. *B. A.*

[TAMPHILUS, a, um, adj. *Vaillant.* in *Num. Famil.* p. 173. deducit ab *ἀμφίλαιος*, utraque manu laevus. Est cognomen R., ut Cn. Baebius Tamphilus Cos. ann. U. C. DLXXII., ejusque frater M. Baebius Tamphilus Cos. ann. insequenti in *Fast. Capitolin.* ap. *Grut.* 293. Eorundem meminit etiam *Liv.* 39, 56. et 40, 18. *F.*]

*TAMUDA, ae, fluvius Mauretaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 2. *Mela* 1, 5. *B. A.*

*TAMUGADENSIS, e, adj. ad Tamugadi spectans, ut *Tamugadensis episcopus* ap. *August. Retract.* 2, 59. et *ep.* 161. *ad Emerit. B. A.*

*TAMUGADI, opp. Numidiae. *Tab. Peut.* ubi, alio in loco, *Thamogadi* appellatur. *B. A.*

*TANAGER vel Tanagrus, i, m. Lucaniae fluvius. *Virg. G.* 3, 151. *Paul. Nolan. Nat.* III *de Felice* 62. *Ant. Itin.* P In Atinate campo fluvius hic mersus post XX. mill. pass. exibat, teste *Plin.* 2, 103. *B. A.*

TANACAE. V. TANIACAE.

TANAGRAEUS, a, um, adj. *Ταναγραῖος*, ad Tanagram pertinens, oppidum Boeotiae in ipsis faucibus Euripi contra Euboeam, teste *Plin.* 4, 7, 12., ubi galli gallinacei ad proelia idonei nascuntur, ut *Varr. R. R.* 3, 9., *Colum.* 8, 2. et *Plin.* 10, 21, 24. docent. *Cic. Dom.* 43. Tanagraea quaedam meretrix. *Stat. Theb.* 9, 745. Prima Tanagraeum turbavit arundo Choroebum.

TANAGRICUS, a, um, adj. Tanagraeus, ut Tanagrici galli, *Varr. R. R.* 3, 9. et *Colum.* 8, 2. V. v. praec.

TANAIS, is, m. *Ταναΐς*, fluvius Sarmatiae Europaeae, ex Riphaeis montibus defluens, novissimus inter Europam, Asiamque finis (unde *extremum* dicit *Hor. Od.* 3, 10, 1.): currit longo tractu orientem versus, deinde flectens se in occidentem, in paludem Maeotin influit. *Plin.* 3. *prooem.* et 4, 12, 24. et 6, 7, 7. et *Mela* 1. *f.* P *Tanais* fuit etiam nomen proprium viri ap. *Hor. Sat.* 1, 1, 105., Item ap. *Virg. A.* 12, 513. *V. *Silis.* P *Curt.* 6, 6. 7, 4 et 6. *Tanaim* vocat, qui Laxartes est *Straboni*, *Dionysio*, *Ptolemaeo*, et ceteris: id quod facit *Arrian.* 4, 15. Accurate *Plin.* 6, 16. Ultra Sogdiani, — includente flumine Laxarte, quod Scythae Silin vocant: Alexander, militesque ejus, Tanaim putavere esse. P Romani solent saepe confundere Tanaim et Istrum. Testis ejus rei etiam *Sen. N. Q.* 6, 2. Hinc qui medius inter pacata et hostilia fluit, Danubius ac Rhenus: alter Sarmaticos impetus cohibens, et Europam Asiamque disterminans; alter Germanos, avidam gentem belli, repellens. Non sollicitanda est haec lectio, quod tamen quidam faciunt. Danubium etiam Tanaim vocat *Tibull.* 4. *ad Messalam el.* 1. v. 147. cum inquit: Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Sigynos. Sic emendandus iste versus: Getae enim et Sigyni ad Istrum sunt, non Tanaim. Haec *Hofmannus.* P In illo *Liv.* 1, 38. *Cis Taurum montem usque ad Tanaim amnem*, sunt qui *Halyn* corrigunt, ut omnia fiant plana. P Fuit et nomen oppidi, *Asow* fortasse hodierni, in Tanais ostio siti. *Ptolem.* collato *Plin.* 6, 7. P Tanais, nomen proprium viri ap. *Hor. Sat.* 1, 1, 105. P Et alius, a Turno interfecti. *Virg. A.* 12, 573. *B. A.*

TANAITAE, arum, m. plur. Tanais fluvii accolae. *Plin.* 6, 7, 7. et *Ammian.* 31, 3.

TANAITICUS, a, um, adj. ad Tanaitas pertinens. *Sidon. carm.* 5, 479. Scythicae potor Tanaiticus undae. *Id. carm.* 11, 96. Strinxit hyperboreis Tanaitica crusta pruinis. V. TAMIATHICUS.

[TANAITIS, idos et idis, f. adj. ad Tanaim pertinens. Sic vocantur Amazones, quia prope Tanaim habitarunt. *Sen. Hipp.* 399. Qualis, relictis frigidi Ponti plagis, Egit catervas Atticum pulsans solum Tanaitis, aut Moeotis, et nodo comas Coegit emisitque, lunata latus Protecta pelta. *F.*]

TANAQUIL, ilis, f. nomen uxoris Tarquinii Prisci, Romanorum regis quinti, magni animi feminae, et maritum regentis: cujus opera Servius Tullius in regnum successit. V. *Liv.* 1. a *c.* 34. Hinc ponitur pro quacumque uxore imperiosa. *Auson. ep.* 23, 31. Tanaquil tua nesciat istud. *Juven.* 6, 564. Consulit ictericae lento de funere matris, Ante tamen de te, Tanaquil tua. P Genitivum *Tanaquilis* habemus a *Val. Probo* in *Cath.* p. 1444.

[TANARIUS, a, um, adj. ad Tanarum pertinens, Liguriae fluvium, qui etiamnum vetus nomen servat, quique a *Plin.* 3, 16, 20. memoratur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 742. *n.* 510. Q. Mucius Tanarius. *F.*]

[TANARUS, i, m. ita cognominatus est Juppiter apud Britannos, a Celtica voce *tanar*, quae tonitru significat: idem vero et *Bronton* voce Graecanica eademque significatione, et apud Latinos *Tonans* dictus est. *Inscr.* ap. *Mur.* 331, 6. I. O. M. Tanaro T. Elupius Galer. Praesens Guntia Pri. Leg. XX. V. V. Commodo et Laterano Coss. V. S. L. M. P *Tanarus* fuit etiam fluvius Italiae in Liguria. V. v. praec. *F.*]

*TANAS, ae, m. fluvius Numidiae. *Sall. B. J.* 90. (al. 95.) *B. A.*

*TANATIS vel Tanetos, Britanniae insula, prope Cantuariam. *Solin.* 22. (al. 35.) qui priore forma utitur, probante *Salmasio: Beda* 1, 26. qui posteriore. P Hodie *Thanet* audit. *B. A.*

TANDEM, adv. *τελευταῖον, ὀψέ ποτε*, post longam moram, ad extremum, denique, demum, aliquando. *Caes. B. G.* 1, 25. Tandem vulneribus defessi pedem referre coeperunt. *Hor. Sat.* 2, 5, 66. tabulas socero dabit, atque, Ut legat, orabit: multum Nasica negatas Accipiet tandem. *Virg. A.* 6, 61. Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras. *Cic. Agr.* 6, 61. Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras. *Cic. Agr.* 2, 37. Polliceor, me esse perfecturum, ut jam tandem illi fateantur, etc. *Pl. Rud.* 2, 5, 11. Tandem vero serio. *Hor. Od.* 1, 23, 11. Tandem desine matrem Tempestiva sequi viro; et *ib.* 3, 15, 2. Tandem nequitiae fige modum tuae. P Jungitur cum *aliquando* ad majorem vim sententiae. *Cic. Fam.* 11, 28. *med.* Tandem aliquando Romae esse coepimus. *Id. Quint.* 30. *f.* Spes est, hunc miserum aliquando tandem posse consistere. Adde *Ter. Hec.* 4, 4, 61. P Cum *denique. Appul. Met.* 4. Tandem denique asinali verecundia ductus: *πλεοναομός*. Adde *ib.* 3. et 10. P Saepe effertur interrogando, et urgendo. *Caes. B. G.* 1, 40. Quod si furore atque amentia impulsus bellum intulisset, quid tandem vererentur? *Sall. Cat.* 20. *f.* Quae quousque tandem patiemini, fortissumi viri? *Cic. Part.* 4. Quonam tandem modo? *Id. Leg.* 1, 1. *med.* Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? *Id. N. D.* 1, 38. Hoc, per ipsos Deos, quale tandem est? *Id. Or.* 2, 3. *med.* Quid vos tandem? Crassus: num quidnam, inquit, novi? *Pl. Truc.* 2, 1, 27. Numqui male nos agimus tandem? *Ter. Andr.* 5, 3, 4. Ain' tandem? civis Glycerium est? *Id. Phorm.* 2, 1, 1. Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? Ubi *Donatus:* Tandem hic expletiva conjunctio, ut (*Cic. Cat.* 1, 1.) Quousque tandem abutere, etc. *Festus:* Tandem cum significet aliquando, interdum tamen ex supervacuo ponitur, ut apud Terentium in Phormione, cum ait: Itane tandem uxorem, etc. At Cicero etiam duplicat significationem, cum ait (*Cat.* 2, 1.) tandem aliquando. Non probabit *Donat.* quod ait de conjunctione expletiva: neque *Festus* quod de supervacua: aut *Servius*, qui utrumque sequitur, ad *Aen.* 1, 335. et 373. Habet enim *tandem* his et similibus locis elegantem vim, quae et in *demum* simili usu apparet. Minime vero probabit *Non.* 4, 453. illud *tandem aliquando* exponens *vix*. Addit *Id. ib.* poni *tandem* etiam pro tamen: afferens illud *Titinii:* Sin forma odio sum, tandem ut moribus placeam viro. At exponendum videtur potius, *saltem.* P De scriptione V. in TAMDIU.

TANDIU. V. TAMDIU.

*TANETANI, orum, incolae Taneti. *Plin.* 3, 15. *B. A.*

*TANETUM, i, n. vicus Italiae superioris, in Gallia cispadana, medio inter Parmam Mutinamque loco, hodie *Tanedo. Liv.* 21, 25. et 30, 19. P *Tannetum* est *Ant. Itin. B. A.*

[TANFANA, ae, f. numinis nomen a Marsis, Germaniae populis, culti. *Tac. A.* 1, 51. Profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanae vocabant, solo aequantur. Hinc *Ligorius* suam illam *Inscr.* ap. *Gud.* 55, 8. Tanfanae sacrum M. Appulejus M. F. Fel. Paetulus, etc. putide commentus est.

TANGIBILIS, e, adj. *ἁπτὸς*, qui tangi potest, tactilis. *Lactant.* 7, 11. *f.* Ea, quae visibilia sunt oculis, et tangibilia manu. Adde *ib.* 12.

TANGO, is, tetigi, tactum, a. 3. *θίγω, ἅπτομαι*, tactus sensu deprehendo, attingo, contingo: a *tago*, ut *pango* a *pago. Lucr.* 1, 304. Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res. *Pl. Rud.* 3, 4, 15. Tange utramvis digitulo minimo modo. *Cic. Tusc.* 2, 24. Genu terram tangere. *Hor. Sat.* 2, 5, 42. aliquis cubito prope tangens Inquiet. P Item adeo, ingredior, viso. *Cic. Verr.* 2, 1, 10. Verres simul ac tetigit provinciam, statim, etc. *Sen. Oed.* 666. Tangere gressu loca. *Hor. Od.* 3, 3, 53. Quicumque mundo terminus obstitit, Hunc tangat armis. *Id. ib.* 1, 3, 24. Non tangenda rates transiliunt vada. *Ov. Her.* 1, 42. ausus es Thracia nocturno tangere castra dolo. *Id. Met.* 4, 778. Gorgoneas domos tangere. *Virg. A.* 4, 612. tangere portus. *Juven.* 13, 44. Nil dictu foedum visuque haec limina tangat, Intra quae puer est. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 464. *Ruhnk.* ad *Her.* 1, 42.] P Et tingo, liquore aspergo, illino. *Ov. Fast.* 5, 441. Rursus aqua tangit; et *ib.* 4, 790. sparsa tangere corpus aqua. *Pers.* 3, 44. oculos tangebam parvus olivo. *Tibull.* 1, 9, 52. luto corpora tangit Amor, *h. e.* pallore inficit. *Prop.* 4, 8, 86. Terque meum tetigit sulfuris igne caput. *Plin.* 28, 4, 1. Si superior palpebra saliva tangatur. *Pall.* 2, 15. *med.* Fimo bubulo ima planta tangenda est; et 3, 25. *med.* Felle lacertae viridis si tangantur cacumina. [*Cf. *Lucan.* 3, 238. ibique *Cort.*] *Tingere* in plerisque allatis locis reponunt alii: sed saniores critici *tangere* defendunt. Hinc *tangere aves visco* ap. *Petr. Sat.* 109. Per antennam pelagiae consederant volucres, quas tectis arundinibus peritus artifex tetigit. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 19, 44., ubi laudantur, qui hanc formae *tangere* significationem explicuerunt, imprimis *Gron. observv.* 3, 18. p. 288. sqq. *ed. Fr.*] P *Tangere aliquam* vel *aliquem*, est vitiare. *Pl. Aul.* 4, 10, 25. Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam habeam potissimum. *Hor. Sat.* 1, 2, 54. matronam nullam ego tango. *Catull.* 21, 7. insidias mihi instruentem Tangam te prior irrumatione. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor.* l. l.] P Pro sumere, capere, auferre, furari. *Cic. Fam.* 2, 17. *med.* De praeda mea teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. *Id. Agr.* 2, 25. *f.* Idcirco agros nominare non possum, quia tangam nullum ab invito. [*Liv. 29, 20. Quae Locris in templo Proserpinae tacta, violata, elataque inde essent.] *Pl. Aul.* 4, 10, 10. Cur id ausus facere, ut id, quod non tuum esset, tangeres? et *Ter. Ad.* 2, 1, 24. Tetigin' tui quidquam? P Et contiguum esse. *Caes. B. G.* 5, 3. Haec civitas Rhenum tangit. *Cic. Mil.* 19. *med.* Villa, quae viam tangit. *Id. Rosc. Am.* 7. *med.* Fundi decem et tres, qui Tiberim fere omnes tangunt. P Et pulsare, percutere, ferire. *Ov. R. Am.* 336. tangere chordas. *Hor. Od.* 3, 26, 11. sublimi flagello Tange Chloen semel arrogantem. *Tibull.* 4, 1, 97. signata cita loca tangere funda. V. TACTUS, a, um. P *Ἐλάττωσις*, seu extenuatio est in illo *Plauti Mil.* 3, 2, 10. Tetigit calicem clanculum, *h. e.* exhausit. P Item gustare. *Ov. Fast.* 3, 745. Ut Satyri, levisque senex tetigere saporem, Quaerebant flavos per nemus omne favos. *Id. Met.* 7, 750. non illa canes, avidaeque volucres, Non cani tetigere lupi. *Hor. Sat.* 2, 6, 87. tangere cibos dente. *Pl. Poen.* 1, 2, 34. Nisi multa aqua macerantur, salsa sunt, tangere ut non velis. [*Illic etiam mentio fieri poterat locutionis *morsu tangere*, ap. seriores poetas usitatae. Gr. eodem modo v. *ἅπτεσθαι* utuntur. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 348. ubi pro *carpere* cd. quidam habet *tangere*, laud. *Solin. Polyh.* 30. Quidquid morsu ejus tangitur; item *Alcim. Avit.* III. *de sent. dei* 115. tangere morsu.] P Translate est afficere, movere animum, perturbare. *Cic. Att.* 2, 19. Minae Clodii, contentionesque, quae mihi proponuntur, modice me tangunt. [*Liv. 1, 5. tetigerat animum memoria nepotum.] *Virg. A.* 1, 466. Sunt lacrimae rerum: et mentem mortalia tangunt. *Ov. A. Am.* 3, 541. Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi. *Id. Met.* 10, 614. Nec forma tangor, poteram tamen hac quoque tangi. *Id. ib.* 4, 164. Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes. *Id. Fast.* 5, 489. si te proverbia tangunt. *Liv.* 3, 17. Si vos urbis, si vestri nulla cura tangit; at veremini Deos. *Val. Fl.* 8, 198. et te, fidissime rector, Haud vani tetigere metus. *Sen. Phoen.* 301. Non patris illos tangit afflicti pudor, Non patria; et *Hipp.* 27. Si quem tangit gloria silvae. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 89. ubi recte *Burmanni* sententia refellitur. Porro *Id.* ad *ib.* 4, 50. docet *tangi* et *contingi* proprie dici in furorem actos. P *Tangere* est etiam aculeato dicto perstringere. Ita *Ruhnk.* in illo *Ter. Eun.* 3, 1, 30. Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio, explicuit, coll. *Murelo* ad *Catull.* 21, 8. et *Victorii Varr. lectt.* 9, 19.] F

Cum infinito. *Ov. Fast.* 5, 73. Hinc sua majores posuisse vocabula Majo, Tangor, et aetati consuluisse suae, *h. e.* inducor ut credam. ℙ Item decipere, circumvenire, fraudare: ductum a tangendis visco avibus: vel a *tango*, qua ferire significat. *Pl. Ps.* 1, 1, 118. Si neminem alium potero, tuum tangam patrem. *Id. Epid.* 5, 2, 40. Istis te tetigi triginta minis. *Id. Poen.* 5, 5, 7. Aere militari tetigero lenunculum. *Id. ib. prol.* 101. Tangere hominem vult bolo. *Turpil.* ap. *Non.* 1, 8. Mihi est iratus pater, quia se talento argenti tetigi. V. TACTUS. In his quoque ἐλάττωσις, seu μείωσις, est, h. e. extenuatio. ℙ Ponitur et pro suscipere, aggredi. *Ov. Am.* 3, 12, 17. Aversis utinam tetigissem carmina Musis. ℙ [*Item pro examinare: de rationibus. *Cic. Phil.* 8, 9. ne tangantur rationes ad Opis: ad quem l. v. *Schütz.* in *cl. Cic.* — *Id. ib.* laud. *Att.* 15, 11. quum ingressus essem dicere, quid oportuisset — nec tamen illum locum attingerem, quemquam praeterea oportuisse tangi: ita docens, si vera sit lectio, significari, quemquam praeterea oportuisse occidi, praeter Caesarem scil. *Manutio* tamen verbum *tangi*, quod absit aliquot MSS. VET. delendum videri, ita ut post *oportuisse* intelligatur *occidi*. *Or.* nulla lectionis varietate indicata, err. typogr. omissionem hujus vocabuli ap. *Lamb.* tribuit.] ℙ Et pro leviter, et paucis memorare, breviter dicendo tractare. *Lucil.* ap. *Jul. Rufin. de schemat. lex.* in *Antiphrasi:* Non tango, quod avarus homo, quodque improbu', mitto. *Cic. Rosc. Am.* 30. Neque omnia dicam, et leviter unumquodque tangam. *Id. Acad.* 4, 44. *med.* Ubi Aristoteles ista tetigit? *Ter. Phorm.* 4, 4, 10. Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere, aut nominare uxorem? ℙ Et dicto pungere, mordere. *Ter. Eun.* 3, 1, 30. Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio. ℙ Tangere acu rem. V. ACUS. *Sen. Oed.* 795. Viduam relinques? *Oed.* tangis en ipsos metus. ℙ [*Confund. *tangere* et *tingere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 238.]

TANGŌMĒNAS facere, *h. e.* perpotare, congraecari, Italice *far gozzoviglia*: habetur ap. *Petr. fragm. Trag.* 34. et 73. *Burm.*, ubi alii leg. *tengomenas* a τέγγω, madefacio: alii *tingomenas* a tingendo terram reliquiis meri e poculis dejectis; alii alia ratione interpretantur. V. *Burm. ib.* Porro *tangomenas facere*, ex sententia *Fr. Oriolii* in *Opusc. letter. Bologn.* T. 1. p. 60., est sermo abruptus, in quo subauditur *noctes*, vel *liras*, vel *labeas* (*scil.* madefacere): insulsum enim hominem, qualis fuisse hic fingitur Trimalchio, ἐλλειπτικῶς loqui decet. [*Emend. hunc locum *F.*]

TANĀCAE, arum, f. plur. partes suillae longiores, ut costae, et offa penita, ὀχελίδες, πλευρίδες. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.*, ubi alii leg. *tanacae* eod. sensu: alii rectius *taeniacae*. V. TOMACINA.

[TANĪTES, ae, m. Τανίτης, ad Tanin pertinens, Aegypti inferioris urbem, quae nunc *Siani* vocatur. *Plin.* 5, 9, 9. Quae juxta Pelusium est, nomos habet, Pharbaetiten, Bubastiten, Sethroniten, Taniten. *F.*]

[TANĪTĬCUS, a, um, adj Τανιτικὸς, ad Tanin pertinens. V. v. praec. *Plin.* 5, 10, 11. Multa oppida Nili, quae nomina dedere ostiis, sed celeberrimis septem, proximo Alexandriae Canopico, deinde Bolbitico, Sebennytico, Phathmetico, Mendesico, Tanitico, ultimoque Pelusiaco. *Id.* 13, 12, 23. Saitica (*charta*) ab oppido, ubi maxima fertilitas, ex vilioribus ramentis; propiorque etiamnum cortici Tanitica, a vicino loco, pondere jam haec, non bonitate, venalis. *F.*]

TANOS, i, m. gemmae gens. *Plin.* 37, 5, 19. Inseritur smaragdis et quae vocatur tanos, e Persis veniens gemma, ingrate viridis, atque intus sordida.

TANQUAM et Tamquam, adv. ὥσπερ, ὁμοίως, veluti, quemadmodum, sicut, ceu. *Cic. Vat.* 2. Repente te, tanquam serpens e latibulis, intulisti. ℙ Sub eodem verbo eundem casum regit. *Ter. Phorm.* 1, 2, 14. Nostin' ejus natum Phaedriam? *Da.* tanquam te. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Quod video tibi etiam novum accidisse, tanquam mihi. *Id. Brut.* 74. Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae. ℙ nisi constructionis ratio alium exigat. *Id. Fam.* 13, 69. Apud eum sic fui, tanquam domi meae. ℙ Admittit particulas *sic*, *item*, *ita*, et hujusmodi, vel ante, vel post. *Cic. Brut.* 18. Nam Odyssea Latina est, sic tanquam opus aliquod Daedali. *Ter. Eun.* 2, 2, 33. Tanquam philosophorum habent disciplinae ex ipsis vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. *f.* Nec te obrui tanquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas. *Id. ad Quir.* 1. *f.* Sed tanquam bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt; sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant. ℙ Item *si* cum verbis. *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* De Dolabella quod scripsi, suadeo, videas, tanquam si tua res agatur; et *Rosc. Am.* 32. *med.* Qui tanquam si offusa reipublicae sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris. *Id. Q. Fr.* 3, 2. Omnes, tanquam si tu esses, ita fuerunt. *Liv.* 40, 9. Ita me audias, tanquam si mihi quiritanti intervenisses. *Pl. Aul.* 2, 4, 21. Tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum. ℙ Interdum *si* omittitur. *Cic. Fam.* 12, 9. Tanquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos. *Id. Brut.* 1. *extr.* Tanquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur. *Liv.* 41, 24. Tanquam regum arcanis interesset, omnia scit. *Plin.* 2, 63, 63. Tanquam nesciamus, hanc esse solam, quae nunquam irascatur homini. ℙ Adjecto *met*, ad addendam emphasim. *Pl. Curc.* 5, 2, 29. Tanquammet genium meum. Alii rectius leg. *Tanquam me*, et *genium meum:* alii *etiam* et *omittunt*. ℙ Pro quasi vero. *Petr. Sat.* 106. O te feminam simplicem! tanquam vulnera ferro praeparata litteras biberint. *Liv.* 42, 3. *f.* Tanquam non iidem ubique Dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique. ℙ Quod ad scriptionem attinet, idem dicito, quod supra de *tamdiu*. V. h. v.

TANTĂLĔUS, a, um, adj. Ταντάλιος, ad Tantalum pertinens. *Prop.* 2, 13, 61. Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte; et *ib.* 1, 68. Tantaleae poterit tradere poma manu. *Stat. Th.* 11, 128. Tantalea mensa. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 336. Non aqua Tantaleis subducitur invida labris. Est qui leg. *Tantalicis*. *Stat. Th.* 1, 279. Tantalea tecta, *h. e.* Argi, qua in urbe regnavit Tantalus. ℙ Tantaleus, i, Ταντάλειος, ipse Tantalus: ut *Tyndareus*, Tyndarus. *Prop.* 4, 11, 24. Fallax Tantaleo corripiare liquor.

TANTĂLĬCUS, a, um, adj. Tantaleus. *Sen. Thyest.* 228. novi Aurata reges sceptra Tantalici gerunt. Alii *Tantalei* legunt.

TANTĂLĬDES, ae, m. Ταντάλδης, filius aut nepos Tantali. *Ov. Ib.* 436. (et *Trist.* 2, 385.) Tantalides tu sis, Tereidesque puer, *h. e.* Pelops Tantali filius. *Id. Her.* 8, 45. (et *Met.* 12, 626., *Amor.* 2, 8, 13., *Fast.* 5, 307. et *Auct. Priap.* 70.) Tantalides omnes, ipsumque regebat Achillem, *h. e.* Agamemnon filius Atrei filii Pelopis; et *ib.* 122. Aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero, *h. e.* Orestae filii Agamemnonis. *Id. Pont.* 4, 16, 26. auctor Tantalidae reducis, *h. e.* Menelai, filii Atrei. Alii intelligunt Thyestem filium Pelopis. *Id. Fast.* 2, 627. Tantalidae fratres, *h. e.* Atreus et Thyestes filii Pelopis. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 3, 38. Quinam Tantalidarum internecioni modus paretur? *h. e.* nepotum Tantali.

TANTĂLIS, idis, f. Ταντάλις, filia, vel neptis Tantali. *Ov. Met.* 6, 210. (et *Sen. Herc. Oet.* 197. et *Oed.* 613. et *Med.* 954. et *Stat. Th.* 3, 193.) diro convicia facto Tantalis adjecit, *h. e.* Niobe Tantali filia. Sic *Sen. Ag.* 374. Tantalidos matris funera. *Ov. Her.* 8, 122. Aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero, *h. e.* Hermione abneptis Tantali: quia Tantalus Pelopem genuit, hic Atreum, Atreus Menelaum patrem Hermiones. *Id. ib.* 66. Tantalides matres apta rapina sumus, *h. e.* ex genere Tantali. ℙ *Tantalis* fuit etiam urbs Lydiae, postea Sipylum dicta. *Plin.* 2, 91, 93. Sipylum in Magnesia, et prius in eodem loco clarissima urbs, quae Tantalis vocabatur. *Id.* 5, 29, 31. Interiere intus Daphnus, et Hermesia, et Sipylum, quod ante Tantalis vocabatur, caput Maeoniae, ubi nunc est stagnum Sale.

TANTĂLUS, i, m. Τάνταλος, filius Jovis ex Pletone Nympha, pater Pelopis et Niobes, avus Atrei et Thyestae, proavus Agamemnonis et Menelai, rex Phrygiae primum, mox Argivorum. Huic pater concredere sua consilia solitus erat, et ad epulum Deorum admittere: quae cum ille hominibus renuntiasset, ob id dicitur apud Inferos in aqua mento tenus stare, semperque sitire: cumque haustum vult sumere, aqua recedente frustrari: item poma supra caput habere pendentia, quae cum vult decerpere, ramis se tollentibus, aufugere: item saxum super caput ejus imminere, ruenti simile, et perpetuum timorem incutiens. Ita *Hyg. fab.* 82. *Ov. Am.* 2, 2, 43. Quaerit aquas in aquis, et poma fugacia captat Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit. *Stat. Th.* 8, 51. cur non exspectant Tantalon undae? Adde *Sen. Herc. Fur.* 752. et *Thyest.* a *v.* 1., *Hor. Sat.* 1, 1, 68. et *Epod.* 17, 65., *Cic. Tusc.* 1, 5., *Ov. A. Am.* 2, 605. et *Am.* 3, 7, 51., *Tibull* 1, 3, 77. et *Petr. Sat.* 82. Alii fabulantur, cum Deos convivio excepisset, filium Pelopem membratim discerptum, eis mandendum apposuisse, ut eorum divinitatem exploraret: illos re cognita, membris ejus in unum reductis, animam per Mercurium revocasse, et humerum, quem Ceres imprudens voraverat, ex ebore supplevisse. Ita *Serv.* ad *G.* 3, 7. et *A.* 6, 603., *Stat. Th.* 1, 246. et *ib.* 11, 128., *Hyg. fab.* 83. et *Sen. Thyest.* a *v.* 144. Quod vero *Serv.* Corinthiorum regem facit, vel memoria lapsus est, vel confundit cum alio Tantalo, qui ibi regnavit, et fuisse dicitur justitia et pietate insignis, et ob id Deorum mensis dignatus: orta fortasse fabula ex eo, quod excelsam Corinthi turrim habitabat, quae altitudine videbatur coelum contingere. Noster enim Tantalus et scelestus fuit, et infelicissimus, (unde videtur dictus esse per syncop. pro ταλάντατος, miserrimus) itidemque filii et nepotes ejus: omnes enim et scelera admiserunt gravia, et misere perierunt. *Sen. Thyest.* 53. odia, caedes, funera Arcesse, imple Tantalo totam domum, *h. e.* scelere, et aerumnis; et *ib.* 145. Animo sume Tantalum, et Pelopem aspice, *h. e.* crudelitatem. ℙ Tantali nomen habuit et filius Thyestae, ab Atreo patruo occisus, et patri in coena appositus. *Id. ib.* 718. ℙ Item filius Niobes ex Amphione, ab Apolline una cum fratribus interemptus. *Ov. Met.* 6, 240.

*TANTARĒNE, es, f. oppidum Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

TANTI, περὶ τοσούτου, genit. pretii, et jungitur cum verbis aestimandi. *Cic. Verr.* 2, 3, 84. Frumentum tanti fuit, quanti iste aestimavit. *Ter. Ad.* 2, 1, 49. Ubi me dixero dare tanti. *Pl. Merc.* 2, 4, 22. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? *Cic. Am.* 16. Ut quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. *Plin.* 17, 1, 1. Graviter increpuit, tanti habitare censorem. *Id. ib. f.* Qui frugiferas arbores tanti taxaverant. ℙ *Aliquid esse tanti* est tanti aestimari, seu dignum esse, ob quod aliquid fiat. *Caes. B. G.* 1, 20. *med.* Tanti ejus apud se gratiam esse ostendit, uti, etc. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. Tanti non fuit Arsacem capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quae hic gestae sunt, spectaculo careres. *Cic. Cat.* 2, 7. Est mihi tanti, Quirites, hujus invidiae tempestatem subire, dummodo a vobis belli periculum depellatur. *Id. Mil.* 22. Etsi id quidem non est tanti, quam quod propter eosdem, etc. *Id. Att.* 2, 13. *f.* Juratus tibi possum dicere, nihil esse tanti. *Ov. Met.* 2, 423. Hoc certe conjux furtum mea nesciet, inquit: Aut, si rescierit, sunt o, sunt jurgia tanti?

TANTĪDEM, tanti etiam, aeque magno pretio. V. TANTUSDEM. *Cic. Verr.* 2, 3, 83. *f.* Tantidem frumentum emerunt, quanti, etc. *Id. ib.* Coegit Segestanenses a Docimo tantidem publice accipere. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat. *Pl. Merc.* 2, 2, 44. Decrepitus senex tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete. *Id. Pers.* 1, 2, 18. Ubi quadruplator quempiam injexit manum, tantidem ille illi rursus injiciat manum. ℙ Corripitur paenultima in illo *Varr.* ap. *Non.* 7, 105. Hospes quid miras nummo curare Serapin? Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles.

TANTILLUS, a, um, adj. dimin. tantuli, μικρὸς, ὄσος. *Ter. Ad.* 4, 2, 24. Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis; δεικτικῶς, adhibendo gestum, quo res parva significetur. Sic *Catull.* 99, 5. nec possum flentibus ullis Tantillum vostrae demere saevitiae. Simili ratione adhibentur *hic*, et *hoc* a *Ter.*, *Plaut*, *Tibull.* V. HIC. *Pl. Most.* 2, 1, 47. Intus potate haud tantillo hac quidem causa minus. *Id. Poen.* 1, 2, 61. Monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat. *Id. Truc.* 2, 6, 56. Hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari? ℙ Sequente alia particula. *Cels.* 2, 8. Optimum est, febrem omnino non esse: secundum est, tantillam esse, ut, etc. *Pl. Stich.* 4, 2, 40. Tantillum loci, ubi catellus cubet, id mihi sat est loci. *Id. Rud.* 4, 4, 106. Si hercle tantillum peccassis, quod posterius postules te ad verum converti, nugas magnas egeris.

TANTISPER, adv. μέχρι τοῦ, μέχρις ἄν, tamdiu: a *tantus*, et *per*, ubi *per* est parelcon, ut ab ὡς, ὥσπερ. Postulat post se *dum*, et *quoad*. *Cic. Inv.* 2, 50. Deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem dejectus in profluentem deferretur, compararetur. *Ter. Heaut.* 1, 1, 54. Ego te meum esse dici tantisper volo, dum, quod te dignum est, facies. *Gell.* 6, 4. Viveret tantisper, quoad fieret permutatio. *Ulp. Dig.* 43, 18, 3. *f.* Qui vult ire, agere tantisper, quoad de servitute constet. ℙ Usurpatur etiam sine praedictis particulis, pro aliquanto tempore. *Pl. Aul.* 4, 5, 6. Tantisper hic ego ad januam concessero. *Cic. Att.* 12, 14. Totos dies scribo, non quo proficiam quid, sed tantisper impedior. ℙ Interdum notat interea. *Cic. Tusc.* 5, 7. *f.* Sed videro, quid efficiat: tantisper hoc ipsum magni aestimo, quod pollicetur. *Liv.* 1, 3. Tantisper tutela muliebri res Latina, et regnum avitum, paternumque puero stetit. Adde *ib.* 22. *med.*

TANTO, τοσούτῳ, ablativus adverbii more usurpatus: et jungitur comparativis. *Cic. Verr.* 2, 3, 97. Reperietis quinquies tanto amplius istum, quam quantum licitum sit, civitatibus imperasse. *Caes. B. G.* 5, 44. Quanto erat gravior oppugnatio, tanto crebriores nuntii mittebantur. *Id. B. C.* 1, 81. Quantum opere processerant, tanto aberant ab aqua longius. *Plin.* 9, 38, 62. Tanto major vis, quanto recentior. *Ov. Fast.* 6, 539. Vix illam subito posses cognoscere, tanto Sanctior, et tanto, quam modo, major erat: *quam* non refertur ad *tanto*, sed ad *sanctior* et *major*. Sic *Liv.* 2, 20. *med.* Tanto vi majore, quam paulo ante magister equitum, proelium init; et *Cic. Verr.* 2, 3, 45. Tantone minoris decumae venierunt, quam fuerunt? *Just.* 14, 4. *f.* Tanto pulcrior haec Antigono, quam Alexandro tot victoriae fuerunt: ut cum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, a quibus Oriens victus fuerat, superaverit. *Nep. Paus.* 4. *f.* Huic ille, quid ex litteris comperisset, aperit. Tanto magis Pausanias perturbatus orare coepit, ne, etc. *Suet. Tib.* 40. Transiit in continentem, potestatemque omnibus adeundi sui fecit: tanto magis quod ab Urbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat. ℙ *Tanto melior*, laudantis, probantis, acclamantis, plauden-

tis. *Pl. Pers.* 2, 5, 24. Omnes sycophantias instruxi et comparavi, quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. *Sag.* tanto melior! *Id. Truc.* 2, 5, 60. Hem tibi talentum argenti. Philippicum est: tene tibi. *Phro.* tanto melior! noster esto. *Sen. ep.* 31. Ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, admirabor, et clamabo: tanto melior! surge et respira, etc. *Phaedr.* 3, 5. Aesopo quidam petulans lapidem impegerat. Tanto, inquit, melior! assem deinde illi dedit. *Ter. Heaut.* 3, 2, 37. Quo pacto id fieri soleat, calleo. *Chre.* tanto hercle melior! Contra. *Id. Ad.* 4, 1, 12. *Sy.* Nihilne in mentem? *Ctes.* nunquam quidquam. *Sy.* tanto nequior! Adde *Pl. Men.* 2, 3, 79. Similia sunt illa *Sen. Tranq.* 15. *med.* Laudemus toties dignum laudibus, et dicamus: tanto fortior! tanto felicior! *Plin. Pan.* 71. Quod factum a cuncto senatu quam vera acclamatione celebratum est! tanto major! tanto augustior! ℙ Jungitur *tanto* etiam cum verbis comparationem significantibus. *Nep. Ann.* 1. Tanto praestitit ceteros imperatores, quanto populus R. antecedit fortitudine cunctas nationes. *Id. Epam.* 2. Doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut, etc. ℙ Et cum *ante*, et *post*. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Si Cleomenes non tanto ante fugisset. *Curt* 6, 7. *med.* Existimans, haud incorrupta fide tanto post deferre, quae audierat. *Virg. G.* 3, 476. Nunc quoque post tanto videat, etc. ℙ Cum aliis adverbiis. *Pl. Amph.* 3, 2, 62. Bis tanto amici sunt inter se, quam prius: δὶς τόσῳ. *Id. Pers.* 1, 3, 73. Ter tanto pejor ipsa est, quam tu illam esse vis. *Id. Rud.* 2, 6, 37. Ego multo tanto miserior, quam tu. ℙ Cum superlat. *Catull.* 49, 6. Tanto pessimus omnium poeta, Quanto tu optimus omnium patronus. In quibusd. libr. prior hic versus deest.

TANTOPERE et Tanto opere, adv. τηλικοῦτον, τοσοῦτον, tantum, tam vehementer, usque adeo. *Pl. Most.* 2, 2, 92. Cur tantopere extimueras? *Id. Cas.* 3, 2, 2. Hoc erat ecastor, quod me vir tanto opere orabat meus. *Cic. Mur.* 10. Istud nescio quid, quod tantopere didicisti. *Id. Or.* 1, 35. *f.* Neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere ejus in causis oratione delector. *Quint.* in *ep. ad Tryphon.* Si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas. *Nep. Att.* 7. Attici quies tantopere Caesari fuit grata, ut, etc. *Ter. Heaut.* 4, 5, 38. Hoc, quia dudum tantopere jusseras, eo coepi. *Id. Ad.* 5, 8, 22. Si vos tantopere istuc vultis, fiat. *Caes. B. G.* 7, 52. Quantopere eorum animi magnitudinem admiraretur, tantopere licentiam arrogantiamque reprehendere. *Pl.* invertit *Bacch.* 2, 2, 1. Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quaesere.

TANTŬLUM, adv. tam parum: diminut. a *tantum*. *Cic. Verr.* 2, 5, 68. *f.* De omnibus nobis siquis tantulum de recta regione deflexerit. *Id. ib.* 71. Si tantulum oculos dejecerimus, praesto esse insidias.

TANTŬLUS, a, um, adj. dimin. tanti, τοσουτοσί, tam parvus. *Cic. Sen.* 15. Quae ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. *Id. Att.* 4, 8. *f.* Dices, tantulane causa? *Id. Rosc. Am.* 45. Deinde cur tantulo venierint. Subintelligitur *pretio*. *Id. Tusc.* 2, 35. Dolorem tantulum malum esse, ut a virtute obruatur. Alii leg. *tantillum*. *Caes. B. G.* 2, 30. Homines tantulae staturae tanti oneris turrim, etc. et *ib.* 4, 22. Neque has tantularum rerum occupationes sibi Britanniae anteponendas judicabat. ℙ Usurpatur etiam substantive, ut cetera adjectiva. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. Et vendidisset, si tantulum morae fuisset, quominus ei pecunia illa numeraretur. *Id. Rosc. Am.* 39. *med.* Si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset. *Id. Att.* 15, 27. *f.* Nec quidquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem praeterieris. *Hor. Sat.* 1, 1, 59. qui tantuli eget, quantum est opus.

TANTUM, adv. τοσοῦτον, tam vehementer, tantopere: cui respondet *quantum*. Jungitur fere cum verbis. *Pl. Most.* 2, 2, 94. Tu, ut occepisti, tantum quantum quis, fuge. *Cic. Att.* 12, 18. De fano tantum, quantum me amas, velim cogites. *Id. Off.* 1, 14. Id autem tantum abest ab officio, ut, etc. V. ABSUM. ℙ Cum adjectivis pro *tam*. *Virg. G.* 4, 101. Nec tantum dulcia, quantum et liquida. *Hor. Sat.* 2, 5, 80. juventus Non tantum Veneris, quantum studiosa culinae; et *ib.* 3, 313. tantum dissimilis. Ita leg. *Bentl.* Alii *tanto*. *Vell.* 2, 11. C. Marius quantum bello optimus, tantum pace pessimus. ℙ Pro *adeo*, sequente *ut*. *Nep. Con.* 4. Rex tantum auctoritate ejus motus est, ut Tissaphernem hostem judicaverit. **Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 3, 6. Quia nec tantum pauper es, ut te etc. *h. e.* tam pauper. *B. A.* ℙ Absolute. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Ne miremini, qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit. *Pl. Men. prol.* 16. Tantum ad narrandum argumentum adest benignitas. ℙ Significat etiam solum, tantummodo, μόνον. *Cic. Fl.* 15. Dixit publice data: dixit tantum: nihil ostendit. *Id. Par.* 2. Nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat, ignoras. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Verrem tantum avaritia semper hiante fuisse, ingenio et cogitatione nulla. *Hor. Sat.* 1, 4, 6. Lucilius hosce secutus, Mutatis tantum pedibus numerisque; et *ib.* 9, 3. notus mihi nomine tantum. *Ov. Trist.* 1, 1, 101. Tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto. *Sall. Jug.* 17. Tantum illud vereor, ne, etc. *Ἰλιοταμός* est in illo *Cic. Att.* 2, 9. *f.* Cogitamus tantum dumtaxat nos defendere. Alii tamen leg. *tum dumtaxat*: alii aliter. [*V. *Orell.* qui *tum dumtaxat* exhibet.] ℙ *Tantum non*, solum non, paene, propemodum, μονονοῦ, ὅσον οὐ· de re non quidem peracta, sed cui parum omnino deest. *Liv.* 5, 7. Cum agger promotus ad urbem, vineaeque tantum non jam injunctae moenibus essent, *h. e.* solum deerat, ut injunctae essent: ceterum erant proximae. *Id.* 34, 40. Tantum non jam captam Lacedaemonem esse. *Id.* 37, 29. *f.* Romanos tantum non jam circumveniri a dextro cornu. *Id.* 4, 2. *f.* Cum hostes tantum non arcessierint. *Suet. Tib.* 11. Tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit. ℙ *Tantum quod*, vix dum, commodum. *Cic. Fam.* 7, 23. Tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi a te litterae redditae sunt; et *Vell.* 2, 117. Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico bello Caesar manum, cum, etc. *Cic. Att.* 15, 13. *f.* Haec cum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. *Suet. Ner.* 6. Natus est XVII. cal. Januar. tantum quod oriente sole; et *Aug.* 98. Alexandrina navis, quae tantum quod appulerat. Similia sunt illa *Cic. Verr.* 2, 3, 53. *f.* Tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit, se nulla in re Verri similem futurum. Alii leg. *tantum non*: [**Orell.* habet *tantum quod.*] et *ib.* 3, 45. Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse, tantum quod hominem non nominat: causam quidem totam perscribit. ℙ Alia est ratio in illo *Livii* 22, 2. *med.* Jumentorum itinere toto prostratorum passim acervi, tantum quod exstaret aqua, quaerentibus ad quietem parvi temporis necessarium cubile dabant; et 33, 4. *extr.* Cum iis copiis rex hostem opperiebatur. Romanis ferme par numerus erat: equitum copiis tantum, quod Aetoli accesserant, superabant, *h. e.* solum iis superabant, quae ab Aetolis accesserant.

TANTUMMODO, adv. μόνον, μόνως, solum. *Cic. Or.* 3, 14. Neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. *Id. Sull.* 10. Quae omnia suppressa voce dixit, tantummodo ut vos, qui ea probabatis, possetis exaudire. ℙ Pro dummodo. *Sall. Jug.* 81. *f.* Cum Poeni aliam conditionem, tantummodo aequam, peterent; et *Att.* ap. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Tantummodo Cnaeus noster ne, ut urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat. *Ἰλιοταμός* est in illo *Suet. Tib.* 11. *med.* Unum hoc tantummodo, neque praeterea quidquam, etc. ℙ Disjungitur etiam aliquando. *Quint. decl.* 340. Hoc insigne non tantum libertatis modo, sed etiam dignitatis esset.

TANTUNDEM. V. TANTUSDEM.

TANTUS, a, um, adj. τόσος, τηλικοῦτος, tam magnus: cui respondet *quantus* vel expresse, vel tacite. *Cic. Phil.* 6, 7. Multas magnasque habui consul conciones: nullam unquam vidi tantam, quanta nunc vestra est. *Caes. B. G.* 2, 11. *f.* Tantam eorum multitudinem interfecerunt, quantum fuit diei spatium. *Pl. Poen.* 5, 4, 105. Cum me hac laetitia tanta, et tantis affecistis gaudiis. *Cic. N. D.* 2, 5. *f.* Tam multarum rerum atque tantarum ordines. *Id. Or.* 1, 10. *f.* Ista tanta tamque multa profitenda non censeo. *Id. Or.* 2, 20. Non idem sentio tanta hac in re, tamque immensa posse fieri. *Id. Verr.* 1, 16. Tot tantaque vitia. *Id. Rosc. Com.* 8. *f.* Qui tantas, et tam infinitas pecunias repudiarit. *Id. N. D.* 3, 38. *extr.* Conservare urbes tantas atque tales. *Id. Fam.* 13, 66. Quae tua sponte faceres in hominem tantum et talem. *Pl. Bacch.* 1, 2, 15. Stultior es barbaro Potitio, qui tantus natu Deorum nescis nomina. ℙ Sequente *ut*, aut *qui*. *Cic. Rosc. Am.* 43. Non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur. *Nep. Ag.* 4. Tanta modestia dicto audiens fuit jussis, ut si privatus in comitio esset Spartae. *Cic. Marcell.* 3. Nulla est tanta vis, quae non ferro ac viribus frangi possit. *Id. Sull.* 2. *extr.* Statuerunt, tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet. *Sen. Ira* 3, 4. Irascentem varie aggredieris blandeque: nisi forte tanta persona eris, ut possis iram comminuere. ℙ Cum gen. *Plin.* 2, 47, 46. Jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur. ℙ Tam parvus: vel certe non augens, sed simpliciter qualitatem rei exponens. *Cic. Manil.* 6. Ceterarum provinciarum vectigalia tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus; et *Fam.* 1, 7. *med.* Senatus auctoritas, cui scis intercessum esse, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. *med.* Si bellum tantum erit, ut vos, aut successores sustinere possint. ℙ *Tantum* substantivi more. *Caes. B. G.* 6, 34. *f.* Praesidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit; et *Liv.* 4, 57. Cum tantum belli in manibus esset; et *Pl. Bacch.* 2, 3, 37. Vi coactus reddidit ducentos et mille Philippum. *Nicob.* tantum debuit; et *Liv.* 37, 12. Tantum moratus, dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit; et *ib.* 39. Tantum progressus a castris, ut dimicaturum appareret. ℙ *In tantum*, adeo, tantopere, usque eo. *Virg. A.* 6, 876. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos. *Liv.* 22, 27. In tantum suam felicitatem virtutemque enituisse: ἐπιφώνημα. *Sen. Q. N.* 3, 24. Quaedam aquae fervent in tantum, ut non possint esse usui. *Id. Ben.* 2, 23. Danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum delectatura est eum, cui datur. *Colum.* 12, 24. Cum aqua in tantum refrixerit, quantum ne contacta corpus urat. *Id.* 3, 13. *med.* Humum in tantum deprimere, donec mensuram datam ceperit. ℙ *Tantum est*, hoc, et nihil amplius. *Ter. Eun.* 5, 6, 24. Numquid est aliud mali, quod non dixeris reliquum? *Par.* tantum est. *Id. Hec.* 5, 3, 15. Tantumne est? *Bacch.* tantum. *Pl. Merc.* 2, 2, 11. Numquid amplius? *Lys.* tantum est. *Id. Cas. prol.* 85. Argentum si quis dederit, ultro ibit nuptum: non manebit haruspices, tantum est. Adde *Trin. prol.* 22. ℙ *Tanti*, tot. *Pl. Ps.* 2, 2, 37. Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier. *Id. Amph.* 5, 1, 5. et *Cas.* 3, 5, 4. Ita tanta mira in aedibus sunt facta. *Lucan.* 7, 834. nunquam se tanto vulture coelum Induit. *Val. Fl.* 5, 636. quid tantae coeunt in proelia gentes? *Stat. Th.* 11, 160. ut lamentabile tantis Urbibus induerem capiti decus. *Claud. Laud. Stil.* 1, 171. Arebant tantis epoti millibus amnes. *Cajus Dig.* 30, 1, 64. Legatum valet in tantos, quanti inveniantur: εἰς τοσοῦτους, ὅσοι. *Imp. Constant. Cod.* 11, 47, 7. Tanti quoque servi et originarii transeant, quanti apud superiores dominos et possessores vel in soliditate, vel in parte manserunt. ℙ Huc trahi videntur et haec. *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Intelligetis sexies tantum, quam quantum satum sit, ablatum esse ab aratoribus; et *Hirt. B. Afr.* 19. *f.* Cum equitibus MC. peditum ac levis armaturae quater tantis. *Liv.* 3, 17. Tantum hostium intra muros est. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 52. Decem tanta te amo *F.*]

TANTUSDEM, tantădem, tantumdem, adj. τοσοῦτος, aeque tantus, aeque multus: unde genitivus *tantidem*. *Pl. Poen.* 3, 3, 20. Malo bene facere tantumdem est periculum, quantum bono male facere. *Labeo Dig.* 32, 1, 29. Cum ita legatum esset, ut Titia uxor mea tantandem partem habeat, quantulam unus heres. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* tantulam. *Ulp. ib.* 15, 3, 10. *f.* Si decem in rem domini verterit, et postea tantandem summam a domino mutuatus sit. *Cajus ib.* 2, 14, 30. Quia forte tantandem pecuniam Titio debuit. *Pomp. ib.* 19, 5, 26. Si tibi scyphos dedi, ut eosdem mihi redderes, commodati actio est: si ut pondus argenti redderes, quantum in illis esset; tantidem ponderis petitio est. ℙ Fere usurpatur de pecunia, absolute, more substantivi. *Pl. Ps.* 4, 7, 64. et 109. Tantundem argenti, quantum miles debuit, dedit huic. *Cic. Verr.* 2, 3, 87. Magistratibus tantundem detur in cellam, quantum semper datum est; et *Pl. Pers.* 4, 4, 36. Si tibi subiti nihil est, tantundem est mihi. ℙ De aliis rebus. *Caes. B. C.* 3, 63. Erat vallus in altitudinem pedum decem: tantundem ejus valli agger in latitudinem patebat. *Cic. Tusc.* 1, 43. *f.* Undique enim ad inferos tantundem viae est. *Pl. Poen.* 4, 3, 48. Ego tantundem scio, quantum tu. *Plin. praef.* Nec quicquam in te mutavit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, ut velles. *Sen. ep.* 47. Servi sunt? imo conservi, si cogitaveris, tantundem in utrosque licere fortunae. *Quint.* 1, 5. Inter duo verba, quae idem significant, ac tantundem valent. *Id.* 6, 2, *med.* Virium atque impetus non tantundem exigunt. *Tac. H.* 2, 50. Tantundem apud posteros meruit bonae famae, quantum malae. *Ulp. Dig.* 26, 7, 3. Tantundem praetor facit et de his, qui, etc. ℙ Pro *tantum* simpliciter. *Pl. Truc.* 2, 5, 7. Quae ausa sum tantundem dolum aggrediri. Alii leg. *tantum clam dolum*.

*TANUSĬUS GEMĪNUS, historiographus, cujus meminit *Suet. Caes.* 9. ℙ Appellatur et *Tamusius*. *Sen. ep.* 93. *f.* Annales Tamusii. Cf. *Voss. de Hist. Lat.* 1, 12. *B. A.*

TĀOS, i, m. gemmae genus: a ταὼς, pavo, quia pavoni similis est. *Plin.* 37, 11, 72. Taos pavoni est similis, item aspidi, quam vocari chelidoniam invenio.

TĀPANTĀ, τὰ παντα, vox Graeca Latinis litteris scripta. De uxore divitis, quae viri animum sibi obnoxium reddidit, et sola domi imperat, usurpat *Petr. fragm. Trag.* 37. *Burm.* In coelum abiit, et Trimalchionis tapanta est.

[TĀPANTĬO, onis, m. dimin. a *tapanta* derivatum, quodque omne reliquum, interpreteris. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 705. *n.* 263. D. M. Sandalius dicit, ambula, sequaere (*h. e.* sequere) me cum oenophoru (*h. e.* oenophoro) et calice, et tapantione, *h. e.* cum reliquis omnibus, quae ad sacrificium Diis Manibus peragendum necessaria sunt. *F.*]

TĀPES, ētis, m. et Tapēte, is, n. et Tapetum, i, n. τάπης, ητος, et τάπις, ιδος, vestis stragula, fere villosa, et variis coloribus et figuris picta, qua parietes, mensae, lecti, pavimenta, equi sternun-

tur. *Plin.* 8, 48, 73. Est et hirtae lanae pilo crasso in tapetis antiquissima gratia: jam certe priscos iis usos, Homerus auctor est. Aliter haec Galli pingunt, aliter Parthorum gentes. *Pl. Ps.* 1, 2, 14. Alexandrina belluata conchyliata tapetia. *Id. Stich.* 2, 2, 54. Babylonica peristromata, consutaque tapetia. *Mart.* 14, 147. Stragula purpureis lucent villosa tapetis. *Virg. A.* 9, 358. craterasque simul, pulcrosque tapetas; et *ib.* 325. Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis Exstructus toto proflabat pectore somnum. *Varr.* ap. *Non.* 14, 34. Cubo in Sardinianis tapetibus. *Ov. Met.* 13, 638. positique tapetibus altis Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho. *Virg. A.* 7, 277. Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis. *Sil.* 17, 64. nullo decorare tapete Cornipedem Nomas assuetus; et 4, 270. Sidonio fulgentem ardore tapeta. *Turpil.* et *Caecil.* ap. *Non.* 3, 251. et 14, 34. Glabrum tapete. ℙ Ap. *Fest.* legitur *tappete.* Rectus casus *tapes* caret exemplo: quod et *Charis.* 1, 45. adnotavit.

*TAPHIASSUS, i, mons Aetoliae. *Plin.* 4, 2. *B. A.*

*TAPHIS, oppidum Aegypti superioris, in Thebaide. *Anton. Itin. B. A.*

TAPHĬUSĬUS, a, um, adj. *Ταφιούσιος*, ad Taphium montem pertinens. *Plin.* 36, 21, 39. Quarti generis aetites lapis Taphiusius appellatur, nascens juxta Leucadem, ubi est mons Taphius.

*TAPHRAE, arum, dictus est isthmus Chersonesi Tauricae. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. ℙ Item oppidum, in isthmo situm. *Plin. ib. B. A.*

*TAPHROS, i, *Τάφρος*, i. e. fossa, dictum est fretum, quod inter Sardiniam Corsicamque intercedit. *Plin.* 3, 6. ℙ Hodie est *le bocche di Bonifacio. B. A.*

*TAPHRURE, oppidum Africae propriae, in Byzacena. *Mela* 2, 7. ℙ *Taphra* audit *Plin.* 5, 4. ed. *Elzev.*, ubi ed. *Hard.* habet *Gaphara. B. A.*

TĂPĪNŌMA, ătis, n. dictio humilis, *ταπείνωμα:* a *ταπεινός*, humilis. *Sidon. ep.* 4, 3. O eloquium non exilis, sed subtilis ingenii, quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit, nec per tapinomata depressa tenuatur. V. TAPINOSIS.

TĂPĪNOPHRŌNĒSIS, is, f. *ταπεινοφρόνησις*, vox Graeca, quae animi demissionem, seu abjectionem significat: a *ταπεινός*, humilis, et *φρονέω*, sapio, sentio. Usurpatur a *Tert. adv. Psych.* 12. Graece.

TĂPĪNOSIS, eos, f. *ταπείνωσις*, humilitas: a *ταπεινόω.* Hoc nomine appellatur vitium grammaticale, cum rei magnitudo, vel dignitas verbi humilitate deprimitur, seu minuitur, ut siquis parricidam vocet hominem nequam. *Virg. A.* 1, 126. Apparent rari nantes in gurgite vasto. Ubi *Serv.:* In gurgite vasto, Tapinosis est, id est rei magnae humilis expositio. Prudenter tamen Virgilius humilitatem sermonis epitheto plerumque sublevat, ut hoc loco *Vasto* addidit. Adde *Charis.* 4, 242. qui tapinosin agnoscit et in illo *Hor. Od.* 1, 6, 6. gravem Pelidae stomachum cedere nescii. Humiliter enim *stomachum* pro ira dixisse putat. Item *Diomed.* 2, 445. V. TAPINOMA.

*TAPORI, orum, populi Lusitaniae, Turdulorum pars. *Plin.* 4, 22. Turduli, qui Barduli et Tapori. *B. A.*

*TAPOSĪRIS, *Ταπόσειρις* et *Ταπόσιρις*, Aegypti oppidum, in Mareotide. *Plin.* 27, 7. et 32, 9. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 1, 20. ed. *A. Maio. B. A.*

[TAPPO, onis, m. magnus tappus, et *F.*]

[TAPPŬLUS, i, m. dimin. tappi, et *F.*]

[TAPPUS, i, m. epistomium, seu truncus ligneus, quo dolii foramen, unde liquor effunditur, obturatur, quemque Tusci *zoffo*, Itali vero vetusto nomine *tappo* etiamnum dicunt. Translate est vir brevis staturae, quique plus latitudinis, quam longitudinis habet, qua quidem significatione nunc quoque vulgo apud nostrates accipitur. Hinc factum cognomen R. *Inscr.* Aquilejensis ap. *Mur.* 675, 6. C Appulejus M. F. Tappo. *Liv.* 31, 49. et *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 293. P. Villius Ti. F. Ti. N. Tappulus Cos. ann. U. C. DLV. *Liv.* 35, 10. L. Valerius Tappus praetor. ℙ Inde originem habuit *Tapponia* gens. *Inscr.* Brixiensis mendosa ap. *Grut.* 890, 10., emendata ap. *Rosc. Mem. Bresc.* p. 271. C. Tappo Tapponis F. sibi, et Tapponiae Speculae uxori T. F. I. *F.*]

TAPROBĀNE, es, f. *Ceilon*, *Ταπροβάνη*, insula magna in Oceano Eoo, Indiae praetenta, in sinu Gangetico, de qua multa *Plin.* 6, 22, 24. et *Mela* 3, 7. *f. Avien. Perieg.* 777. Insula Taprobane gignit tetros elephantos, Et super aestiferi torretur sidere Cancri. Haec immensa patet, vastisque extenditur oris, etc. *Ov. Pont.* 1, 5, 80. Quo tibi, si calida positus laudere Syene, Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua? ℙ *Taprobana* Latina positione scribitur ap. *Appul. de mundo.*

*TAPSĪA, ae, f. i. q. thapsia. *Scrib. Larg. comp.* 230. *B. A.*

TAPSITĀNI. V. THAPSITANI.

TAPULLAM legem convivalem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus, cujus meminit Lucilius hoc modo: Tapullam rident legem congerrae opimi. Haec *Festus.* V. CONGERRO.

*TAPYRI, orum, populi Mediae, ad mare Caspium. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

*TARACHĬA, ae, vel Tarachie, es, f. insula in mari Ionio. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*TARANĒI, orum, populi Arabiae, de quibus *Plin.* 6, 28. *B. A.*

TĀRANDUS, i, m. animal ap. Scythas. [*Hesych. Τάρανδος, ζῶον ἐλάφῳ παραπλήσιον, τοῦ τὰς δορὰς εἰς χειῶνας χρῶνται Σκύθαι. G. Cuvier* ad *Plin. loc.* mox *citand.* putat, hoc animal esse, quod nunc Germani *das Renthier* vocant, et ab iisdem vocibus junctim enuntiatis ortum fuisse tarandi vocabulum. V. RHENO. *F.*] *Plin.* 8, 34, 52. Mutat colores Scytharum tarandus, nec aliud ex iis, quae pilo vestiuntur, nisi in Indiis lycaon, cui jubata traditur cervix: et *mox:* Tarando magnitudo, quae bovi, caput majus cervino, nec absimile, cornua ramosa, ungulae bifidae, villus magnitudine ursorum. Sed cum libuit sui coloris esse, asini similis est. Tergori tanta duritia, ut thoraces ex eo faciant. Colorem omnium arborum, fruticum, florum, locorumque reddit, in quibus latet metuens, ideoque raro capitur. Mirum esset, habitum tam multiplicem dari, mirabilius et villo. Eadem habet *Solin.* 30. *med.*

TĀRĀNIS, is, m. ita cognominatus est a Gallis Juppiter, cui humano sanguine litabant: est a voce Celtica *taran*, vel *tanar*, quae tonitru significat. *Lucan.* 1, 446. Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae. V. TANARUS.

[TĀRĀNUCNUS et Taranucus, i, m. cogn. Jovis, quod idem significat ac Taranis. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2055. Deo Taranucno Veratius Primus ex jussu. Alia ap. *eund. ib. n.* 2056. Jovi O. M. Taranuco Arria Successa V. S. *F.*]

TĀRAS, antis, m. *Ταράς*, filius Neptuni, qui primus Tarentum condidisse creditur, et a nomine suo appellasse. Graece enim Tarentum *Ταρᾶς* dicitur. *Stat. Silv.* 1, 1, 103. et tua mitis Ora Taras, *h. e.* Tarantis colossus Tarenti, LX. cubitorum altitudine. Adde *Lucan.* 5, 376., qui sic ipsam Tarentum appellat.

TĀRĀTALLA. *Mart.* 1, 51. Si tibi Mistyllus cocus, Aemiliane, vocatur; Dicetur quare non Taratalla mihi? Horum versuum haec est sententia. Aemilianus quidam cocum suum Mistyllum vocabat, ducto fortasse nomine ab illo *Homeri* versu *Iliad.* 1, 465. *μισγύλλιον τ' ἄρα τ' ἄλλα*, h. e. secabant autem et alias res, cur non liceat, inquit *Martialis*, quemadmodum tibi a primo verbo illius carminis, ita mihi a sequentibus nomen coco imponere, et *Taratalla* appellare?

TĀRĀTANTĀRA, vox tubae, ab Ennio ficta. *Serv.* ad *A.* 9, 503. in eum versum: At tuba terribilem sonitum procul aere sonoro. Hemistichium, inquit, Ennii. Nam sequentia iste mutavit. Ille enim ad exprimendum tubae sonum ait *taratantara dixit.* Et multa hujusmodi *Virgilius*, cum aspera invenerit, mutat.

[TĀRAX, ācis. V. TETRAX. *F.*]

TARBELLĬCUS, a, um, adj. ad Tarbellos pertinens, Aquitaniae populos, ut Tarbellicum aequor, *Lucan.* 1, 421. et Aturus (*fluvius*) Tarbellicus, Tarbellorum meminit *Plin.* 4, 19, 33. et 31, 2, 2. *Adde *Caes. B. G.* 3, 27. ℙ Tarbellorum caput Aquae Tarbellicae dictum ab *Anton.* in *Itin.* item *Tarbella civitas* a *Vibid. Seq.* in *Atur*, vel *Aquensis civitas* in *Notit. civitat. Galliae.* Hodie est *Acqs* vel *Dax* ad Aturum flumen. *B. A.* Hinc adjective *Tarbella Pyrene* ap. *Tibull.* 1, 8, 9., nam Tarbelli Pyrenaeis montibus vicini sunt.

*TARCHO vel Tarchon, onis vel ontis, m. *Τάρχων*, dux Hetruscorum, qui Aeneae adversus Turnum et Rutulos suppetias venit. *Virg. A.* 8, 506. et 603. ubi in priore loco *Tarchon* vulgo legitur, in posteriore *Tarcho.* Sed *Tarcho* utrobique *Heynius.* Accusativum *Tarchonem* habes ap. *eund.* 11, 727. *Sil.* 8, 474. Lectos Cortona superbi Tarchontis domus et veteres misere Graviscae: ubi *Tarcontis* est in MS. Atque ita legitur in antiquis edd. *Colum.* 10, 346. Ceterum de ratione scribendi V. *Drakenb.* ad locum *Silii*, et *Heynium* ad *Virg. A.* 8, 506. *B. A.*

*TARCO vel Tarcon. V. v. praec. *B. A.*

TARDĀBĬLIS, e, adj. tardus, torpescens, ut Tardabilis rigor, *Tert. Anim.* 43.

TARDĀTUS, a, um, part. a *tardo: βραδυνθείς*, retardatus. *Cic.* in *carm. de suo consul. Div.* 2, 12. *f.* Haec tardata diu species, multumque morata. *Id. ad Brut.* 2, 1. Si haec non essent tardata et procrastinata, bellum jam nullum haberemus. *Caes. B. C.* 3, 70. *extr.* Eadem res, celeritate insequentium tardata, nostris salutem attulit. *Virg. A.* 5, 453. At non tardatus casu, neque territus heros; et *ib.* 12, 746. genua tardata sagitta. *Plin.* 8, 8, 8. Praeacuta bipenni crure tardato, *h. e.* debilitato.

TARDĒ, adv. *βραδέως*, lente, pigre, cunctanter. *Pl. Pers.* 5, 1, 19. Move manus, propera: tarde cyathos mihi das. *Virg. G.* 2, 3. proles tarde crescentis olivae. *Cic. N. D.* 2, 20. Stellae tum celerius moventur, tum tardius. *Id. Tusc.* 1, 31. Qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur. *Id. Fam.* 14, 5. Cum adversis ventis usi essemus, tardeque et incommode navigassemus. *Sall. Jug.* 11. *extr.* Haec tardius procedunt, neque lenitur animus ferox; et *Cic. Caecin.* 2. *f.* Ut quaeque res est turpissima, sic maturissime judicanda est: at in ea, in qua existimationis periculum est, tardissime judicatur. *Ov. Her.* 2, 9. tarde, quae credita laedunt, Credimus. ℙ Item sero, *ὀψέ:* quia quae tarda sunt, sero veniunt. *Cic. Mil.* 20. *f.* Cur vesperi? quid necesse est tarde? *Id. Acad.* 4, 1. *f.* Triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. *Id. Fam.* 2, 9. In his sum locis, quo et propter longinquitatem, et propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. ℙ Differunt tamen *tarde* et *sero.* Nam qui *tarde* facit, adhuc in tempore facere potest: qui *sero*, non amplius in tempore. *Petr. Sat.* 7. Tarde, imo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum.

TARDESCO, is, n. 3. *βραδύνομαι*, tardus fio. *Lucr.* 3, 418. tardescit lingua, madet mens.

[TARDĬCORS, ordis, adj. omn. gen., qui tardo et stupido est corde. *August. Enchirid.* 103. Sed ut intelligamus per quascunque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos. *F.*]

TARDĬGĔMŬLUS, a, um, adj. dimin. tarde et lente gemens. *Naevius* ap. *Gell.* 19, 7. Tardigemulo senio oppressus. Alii rectius leg. *tardigenulo*, ut sit a *tardus*, et *genu*, et idem significet, quod *tardigradus.* Hinc *Virg. A.* 5, 431. tarda trementi Genva labant.

TARDĬGRĂDUS, a, um, adj. *βραδύπους*, qui tarde graditur. *Cic. Div.* 2, 64. ex *Pacuvio:* Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera, Capite brevi, cervice anguina, adspectu truci, Eviscerata, inanima, cum animali sono, *h. e.* testudo.

TARDĬLŌQUUS, a, um, adj. *βραδύγλωσσος*, qui tarde loquitur. *Sen. ep.* 40. *extr.* Summa summarum haec erit, tardiloquum te esse jubeo.

TARDĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. *βραδύπους*, qui tarde incedit, aut claudicat, epithetum Vulcani, qui claudus esse dicitur. *Catull.* 36, 6. Electissima pessimi poetae Scripta tardipedi Deo daturum, *h. e.* igni. ℙ *Tardipes*, absolute, est ipse Vulcanus. *Colum.* 10, 419. Quin et Tardipedi sacris jam rite solutis.

*TARDISILA vel Tardisili, orum, Indicae regionis, vel fortasse gentis, nomen. *Plin.* 24, 17. Achaemenida colore electri sine folio nasci in Tardisilis Indiae, cujus radice etc., ubi *Pintianus* legi vult *Taxilis. B. A.*

TARDĬTAS, atis, f. *βραδύτης*, lentitudo, cunctatio, mora: cui *celeritas* opponitur. *Cic. Rab. perd.* 7. Cum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat. *Id. Univ.* 9. *med.* Ut esset mensura, quae in istis octo cursibus celeritates tarditatesque declararet. *Id. Off.* 1, 36. Cavendum, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. *Id. Fam.* 10, 22. Propter tarditatem sententiarum, moramque rerum, cum ea quae consulebantur, ad exitum non pervenirent. *Id. Phil.* 5, 9. *f.* Ista legatio moram et tarditatem afferet bello; et *ib.* 6, 3. *med.* Plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est. *Id. Sext.* 47. Nonnunquam cunctatione et tarditate dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, utrumque amittunt. *Id. Cat.* 3, 8. Tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem (*simulacrum*) collocaretur. *Plin.* 8, 44, 69. Gignitur mula ex equo et asina, sed effrenis, et tarditatis indomitae. *Tac. A.* 2, 39. Tarditas onerariae navis. *Id. ib.* 16, 14. *extr.* veneni. *Plin.* 20, 9, 33. et *ib.* 13, 51. et 23, 2, 28. Tarditas aurium. ℙ Translate. *Cic. Or.* 68. Qui aut magistrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non sunt assecuti, i. e. hebetudine. *Id. N. D.* 1, 5. *med.* Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. Adde *Pis.* 1. et *Quint.* 1, 1. ℙ Significat etiam stultitiam, aut quippiam stultitiae proximum. *Cic. Or.* 1, 27. *extr.* Cujus in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis. Dixerat *paulo sup.:* Oratoris peccatum, siquod est animadversum, stultitiae peccatum videtur. *Id. Leg.* 1, 19. Quid adjectius tarditate et stultitia dici potest? *Gell.* 16, 12. Tarditas quaedam animi et stupor, qui alucinantibus plerumque usu venit.

TARDĬTĬES, ei, f. idem ac tarditas. *Accius* ap. *Non.* 2, 866. Multa amittuntur tarditie et socordia.

TARDĬTŪDO, inis, f. idem ac tarditas. *Pl. Poen.* 3, 1, 29. Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine. *Accius* ap. *Non.* 2, 866. Atque eccos segnes somno et tarditudine.

[TARDĬUSCŬLĒ, adv. dimin. aliquantisper tarde. *M. Aur.* ap. *Front. ad M. Caes.* 5. (ed. *A. Maio*) *ep.* 7. Metuo, ne Lorium tardiuscule venias. *F.*]

TARDĬUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. tardi, *ὑποβραδύς*, aliquantum tardus. *Ter. Heaut.* 3, 2, 4. Ille Cliniae servus tardiusculus est; et *Plaut. fr.* ap. *Non.* 3, 54. Ad cursuram sum tardiuscula.

TARDO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπέχω*, tardum facio, tarditatem et moram affero, moror, retardo. [*Discrimen inter *tardare* et *morari* *Doederl.* 3, 298. hoc statuit, ut prius finem spectet alicui propositum, actionis quae interrumpatur ratione habita;

morari non nisi locum, in quo quis, ne procedat, teneatur, respiciat; *detinere* v., quod ejusdem fere generis sit cum *tardare*, ab hoc eo *distare*, quod non ad actionem, sed actorem pertineat. V. DETINERE.] *Cic. Fam.* 7, 5. Mea dubitatio aut impedire profectionem videbatur, aut certe tardare. *Id. Att.* 6, 8. Nos Etesiae vehementissime tardarunt. *Ov. Her.* 10, 19. Nunc huc, nunc illuc, et utroque sine ordine curro: Alta puellares tardat arena pedes. *Caes. B. G.* 7, 52. Eorum animi magnitudinem admirari, quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non murus oppidi tardare potuisset. *Hirt. B. G.* 8, 14. *med.* Transeundi difficultas celeritatem insequendi tardare posset. *Caes. B. G.* 7, 46. et *B. C.* 1, 27. Tardare impetum hostium. *Hor. Od.* 2, 17, 24. volucrisque fati Tardavit alas tutela Jovis. *Caes. B. G.* 7, 26. Palus, quae perpetua intercedebat, Ramanos ad insequendum tardabat. *Cic. Caecin.* 27. Me ratio pudoris a praesentis laude tardaret. *Id. Phil.* 11, 10. Vereor, ne exercitus nostri tardentur animis. ℙ Cum infinito. *Caes. B. C.* 2, 43. *extr.* Ut reliqui ob timorem propius adire tardarentur. ℙ Absolute neutrorum more, cessare, procrastinare, differre, moram trahere, *βραδύνω*. *Cic. ad Brut.* 1, 18. Quaesivit, arcesseremusne te, an tardare et commorari te, melius esset. *Id. Att.* 6, 7. Numquid putes reipublicae nomine tardandum esse nobis. *Plin.* 11, 11, 11. Apes fucis imperant, primosque in opera expellunt: tardantes sine clementia puniunt.

TARDOR, oris, m. tarditas, tarditudo. *Varr.* ap. *Non.* 3, 255. Versuum tardor.

TARDUS, a, um, adj. *βραδύς*, lentus, cunctabundus, piger, remissus: cui opponitur celer, velox, festinus. *Cic. Inv.* 1, 24. *f.* Valens, an imbecillus; longus, an brevior; velox, an tardus. *Id. Or.* 2, 68. Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? tardum. *Id. Fin.* 2, 13. Tarda et languida pecus. *Id. Att.* 10, 18. Omnia adhuc tarda et spissa. [**Liv.* 44, 8. frumentum, cujus tarda subvectio erat.] *Tibull.* 4, 1, 89. Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam Jecerit? *Cic. Or.* 1, 60. Tardiores tibicinis modos, et cantus remissiores facere. *Id. Att.* 9, 13. *med.* Eo tardior ad discedendum fui, quoad, etc. et *ib.* 7, 3. *med.* Bibulus in decedendo erit, ut audio, tardior. *Sen. Oed.* 293. Quod tarda fatu est lingua, haud te mirari addecet. *Plin.* 23, 1, 19. Cum sit tardum dictu, pluribus (*vinum*) prosit, an noceat, *h. e.* difficile dictu. *Virg. G.* 1, 273. tardus asellus; et *ib.* 2, 206. tardi juvenci; et *ib.* 3, 14. tardis flexibus errat Mincius. *Id. A.* 5, 682. Stuppa vomens tardum fumum. *Tibull.* 1, 3, 16. Quaerebam tardas anxius usque moras. *Ov. Met.* 10, 49. incessit passu de vulnere tardo. *Virg. A.* 2, 436. Pelias vulnere tardus Ulyssi. *Pl. Poen.* 3, 1, 1. Tardo amico nihil est quidquam iniquius; et *mox:* Sicut ego hos duco homines spissigradissimos, tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari; et *ib.* 7. Nequidquam hos procos mi elegi loripedes, tardissimos. *Virg. G.* 1, 32. novum tardis sidus te mensibus addas, *h. e.* aestivis, qui longiores esse videntur, et revera horae aestivae sunt hibernis longiores: vel quia optat, ut diu vivat: vel quia in his Virgo et Libra tarde oriuntur. Ita *Servius.* Sic *ib.* 2, 481. Quid tantum Oceano properent se condere soles Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet, *h. e.* tarde venientibus, inquit *Servius:* et aestivis dixisse videtur, ne bis idem tempus significaret. *Ov.* tamen *tardam noctem* longam dixit, *Pont.* 2, 4, 26. ℙ Cum gen. *Val. Fl.* 3, 547. tardusque fugae, longumque resistens, *h. e.* tardus ad fugiendum. ℙ Cum infinito. *Sil.* 3, 233. docilis fallendi, et nectere tectos Nunquam tarda dolos. *Coripp. Johann.* 4, 1136. Omnia jam pereunt Maurorum tarda moveri. ℙ Metonymia est in his. *Hor. Sat.* 1, 9, 32. tarda podagra, *Id. ib.* 2, 2, 88. et *Tibull.* 2, 2, 19. senectus. *Sen. Phoen.* 568. Stridente tardum machina ducens onus. *Juven.* 4, 107. Montani quoque venter adest abdomine tardus. ℙ Transfertur ad animum et ingenium, hebetemque et obtusum significat, atque aegre aut vix percipientem ea, quae ab aliis percipi solent: quare et stultus est, aut stulto similis. *Ter. Heaut.* 4, 5, 27. Prorsum nihil intelligo. *Syr.* vah! tardus es. *Cic. Acad.* 1, 8. Sensus omnes hebetes et tardos esse, nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus videntur. *Id. N. D.* 1, 5. *f.* Nimis indociles quidam, tardique sunt. *Id. Tusc.* 5, 24. Primum ingenio eximio sit, necesse est: tardis enim mentibus virtus non facile comitatur. *Id. Agr.* 3, 2. *med.* Quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit, cui, Sullam dictatorem fuisse, in mentem venire non posset? ℙ *Tardus sapor* ap. *Virg. G.* 2, 126. *Servio* est, qui vix intelligitur: *Nonio* 4, 457. diuturnus et perseverans: *Philargyrio* gravis, et diu palato immorans. ℙ Refertur et ad orationem. [*Cf. *Ern. Lex. techn. lat. rhet.* p. 393.] *Cic. Or.* 2, 53. In utroque genere dicendi et principia tarda sunt, et exitus tamen spissi et producti esse debent. *Id. Brut.* 59. *extr.* Curio cum tardus in cogitando, tum in instrumendo dissipatus fuit; et *ib.* 70. *f.* Lentulus non tardus sententiis, non inops verbis. *Id. Or.* 64. Spondeus quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior. *Plin. ep.* 4, 7. *med.* Os confusum, haesitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla. *Quint.* 10, 3. Sit vel tardus, dum diligens, stilus. *Id. ib.* 7. *med.* Tum et tardior pronunciatio moras habet, et suspensa ac velut dubitans oratio.

TARENTĪNUS, a, um, adj. *Ταραντῖνος*, ad Tarentum pertinens. *Varr. R. R.* 1, 14. *extr.* Tarentinus ager. *Plin.* 3, 11, 16. sinus: *golfo di Taranto;* et *Flor.* 1, 18. Tarentinum bellum, *h. e.* quod cum Tarentinis et Pyrrho gesserunt Romani: de quo et in *Epit. Liv.* 12, 13, 14. et 15. etc. Laudat *Plin.* 15, 23, 25. Tarentinas castaneas, ut faciles, nec operosas cibo, planas figura; *ib.* 22, 24. *f.* nuces juglandes, duum generum, fragili putamine (quarum meminit et *Macr. Sat.* 2, 14. *f.*, item *Pall.* 2, 15. *f.*) et duro, quae sunt amplissimae, et minime rotundae; *ib.* 18, 19. ficus, ut praedulces: 29, 2, 9. item *Varr. R. R.* 2, 18. lanas; et *Colum.* 7, 2. et 4. oves, ut mollissimi velleris: quas et Graecas appellant. *Id.* 5, 10. *med.* et *Plin.* 15, 15, 16. et *Macr. Sat.* 2, 15. pira, ut serissima quidem, sed generosissima. ℙ *Favorin.* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. oves et nuces Tarentinas dici ait, quasi *Terentinas*, a *tereno*, quod est lingua Sabinorum, molle: unde Terentios quoque dictos putat Varro. Hinc et Horatium fortasse dixisse (*Stat.* 2, 4, 34.) molle Tarentum. ℙ *Cato R. R.* 151. Tarentinam cupressum memorat, quam in Creta nasci, scribit *Plin.* 16, 33, 60. et in Italia advenam esse, quaestuosissimam omnium, et dotem filiarum olim dictam. ℙ Praeterea Tarentina myrtus, sativa, folio minuto, topiariis idonea, laudatur a *Plin.* 15, 29, 37. Tarentinum porrum a *Colum.* 8, 11. *med.* Unde *Mart.* 13, 18., cujus lemma *Porri sectivi:* Fila Tarentini graviter redolentia porri Edisti quoties, oscula clausa dato. ℙ Tarentinus sal, omnium suavissimus atque candidissimus ab *eod. Plin.* 31, 7, 41. ℙ Tarentina purpura, ab *eod.* 9, 39, 63., ubi recitat haec verba *Nepot.* Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo post rubra Tarentina: huic successit dibapha Tyria, etc. *Hor.* hanc violaceam fuisse significat, *Ep.* 2, 1, 207. Lana Tarentino violas imitata veneno. ℙ Rursus *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. uvam Tarentinam praedulcem commendat; et *ib.* 6, 8. *n.* 6. Tarentina vina: quae memorantur etiam a *Mart.* 13, 125. in *lemmate.* ℙ Tarentinas delicias dicit *Flor.* 1, 18. *f.* pompas, aurum, purpuram, signa, tabulas, quorum magnam vim, ut ex urbe tunc opulentissima, in triumpho Romani asportarunt. ℙ Tarentini equites genus fuit equitatus, levi armatura instructi, et committendis proeliis apti, quo Tarentini primum usi sunt; hujus meminit *Liv.* 35, 28. et 29. et 27, 40. *f.* Idem equitatus genus describit *Aelian. de instruend. acieb.* et *Lips. l.* 3. *de milit. Rom. f.*

TARENTUM, i, n. et Tarentus, i, f. *Taranto*, *Τάρας, αντος*, urbs ampla Magnae Graeciae ad sinum, qui Tarentinus dicitur, in confinio Salentinorum, olim valde potens, ut quae vel cum Romanis bellum gesserit: cujus conditor fuit Taras Neptuni filius. Auxit vero et amplificavit Phalantus Lacedaemonius cum Partheniis illuc appulsus, ut est ap. *Flor.* 1, 18. et *Just.* 3, 4. et 20, 1. *f.* unde Lacedaemonium dicitur ab *Hor. Od.* 3, 5, 56. et ab *Ov. Met.* 15, 50. molle, et imbelle ab *Hor. Sat.* 2, 4, 34. et *Ep.* 1, 7, 45., quia ejus cives ab affluentia rerum omnium deliciis et luxui dediti fuerunt. *Sil.* 12, 433. superba Tarentus. *Sidon. carm.* 5, 430. Ipsaque, quae petiit, trepidaverat uncta Tarentus. ℙ Alia ad Tarentum pertinentia V. in v. praec.

*TARGINES, fluvius Italiae inferioris, in Bruttiis, in sinum Scylaceum cadens. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

*TARICHEA, ae, lacus in Galilaea. *Plin.* 5, 15. ℙ Idem est, qui in N. T. audit *θάλασσα τῆς Γαλιλαίας*, itemque *θάλασσα* vel *λίμνη τῆς Τιβεριάδος*, et utroque nomine conjuncto *θάλασσα τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος.* ℙ Fuit et *Tarichea* (Tarichaea), *ae*, vel *Taricheae* (Tarichaeae), *arum*, urbis nomen, ad lacum ejusdem nominis sitae. *Plin. l. c. Suet. Tib.* 4. ubi pro vulgato *Taricheam* ed. *Graev.* habet *Tarichaeam*, edd. vero *Ernest.* et *Oudend. Taricheas. Cass. ep. ad Cic.* in *Cic. Fam.* 12, 11. Data Nonis Martiis ex castris Taricheis: ubi vel adjectivum potest esse v. Taricheis, cum *castris* congruens. *Straboni* est *Ταριχεῖαι*, *Josepho Ταριχαῖαι*, *Steph. Byz. Ταριχέαι.* ℙ *Taricheae* etiam dictae sunt insulae quaedam Carthagini objectae. *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

*TARINĀTES, ium, populi Italiae inferioris, a Tarino quodam oppido fortasse nomen trahentes. *Plin.* 3, 12. ℙ Vestigia nominis servare videtur oppidum hodiernum *Tarano*, ibi, ut videtur, situm. *B. A.*

*TARIOTAE, arum, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. ℙ Ibi castellum *Tarona* dictum. *Plin. ib. B. A.*

TARMES, itis, m. *θρίψ*, teredo, vermiculus carnem exedens, ut docet *Paul.* ex *Festo:* item lignum. Est a *τέταρμαι* praet. perf. pass. verbi *τείρω*, tero. *Pl. Most.* 3, 2, 138. Postes ambo ab infimo tarmes secat. *Vitr.* 2, 9. *med.* Abies procreat, et alit tarmitem, ab eoque vitiatur. Alii leg. *termitem* eod. sensu. Adde *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 256.

*TARNANTO, Norici opp. *Tab. Peut. B. A.*

*TARNE, es, f. fons Lydiae. *Plin.* 5, 29. Ac fonte Tarne. ℙ Potest autem rectus esse *Tarnis. B. A.*

*TARNIS, is, flumen Galliae, in Garumnam influens. *Auson. in Mosell.* 495. *Plin.* 4, 19. Hodie vocatur *the Tarn.* ℙ Tarnis, fons. V. TARNE. *B. A.*

[TARPĂ, ae, f. *τάρπη*, cophinus, qualus. V. *Hesychii Lex., Etymol. M.* et *Polluc. Onomast. l.* 7. §. 174. Est cogn. R., nempe Sp. Maetii ap. *Hor. A. P.* 386. si quid tamen olim Scripseris, in Maetī descendat judicis aures. *Id. Sat.* 1, 10, 37. haec ego ludo, Quae nec in aede (*Apollinis Palatini*) sonent certantia, judice Tarpa, scil. is erat unus ex criticis, et emendatoribus, qui in ea aede scriptas fabulas poetarum, populo mox recitandas, judicabant, ut constat ex *Vet. Schol. Cruq.* ad *Hor. l. c.* et *Cic. Fam.* 7, 1. Nobis autem erant ea perpetienda, quae sc. Sp. Maetius probavisset. *F.*]

TARPEJĀNUS, a, um, adj. ad Tarpejum montem pertinens, ut Tarpejanus haedus, *Apic.* 8, 6. et 8. *med.*

TARPĒJUS, a, um, adj. ad Tarpejam pertinens, quae fuit virgo Romana, filia Sp. Tarpeji, sub Romulo. Cum arcem Sabinis prodidisset, ab his pro armillis et auro, quae pretium proditionis pacta erat, scutis injectis obruta est. *Ov. Met.* 14, 776. arcisque via Tarpeja reclusa Digna animam poena congestis exsuit armis. V. *Liv.* 1, 11., *Prop.* 4. et 4., *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 2., *Flor.* 1, 1., *Val. Max.* 9, 6. *n.* 1. Ejus effigiem in aede Jovis Metellina positam fuisse, docet *Fest.* in *Tarpejae.* ℙ Ab hac Tarpeja, ut scribit *Varr. L. L.* 4, 7., dictus est *Tarpejus mons*, *Tarpeja rupes*, *Tarpejum saxum*, quod *Capitolium*, et *Capitolinus mons*, et *Saturnius* olim nomen habuit, in quo arx, et templum Jovis. *Fest.* in *Saxum:* Saxum Tarpejum appellatam ajunt partem montis, qui ob sepultam Tarpejam ibi virginem, quae eum montem Sabinis prodere pacta erat, ita nominatus est: vel ab eo, quod quidam nomine L. Tarpejus, Romulo regi cum propter raptas virgines adversaretur, in ea parte qua saxum est, de noxio poena sumpta, Tarpejum dictum: noluerunt funestum locum cum altera parte Capitolii conjungi. *Prop.* 4, 4. *extr.* videtur docere a Tarpejo patre, non a Tarpeja filia Tarpejae rupi nomen esse factum. Sed *Passerat.* pro *duce Tarpejo* legi vult *duce Tarpeja:* alii aliter. *Tac. H.* 4, 7. Qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur. *Id. A.* 6, 19. Sex. Marius saxo Tarpejo dejicitur. *Prop.* 4, 4, 27. Tarpeja arx; et *ib.* 1. Tarpejum nemus; et *ib.* 8, 31. Tarpeji luci. *Liv.* 1, 55. Tarpejus mons. *Virg. A.* 8, 347. Hinc ad Tarpejam sedem, et Capitolia ducit, Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis. *Prop.* 4, 1, 7. Tarpejus pater, *h. e.* Joppiter Capitolinus. *Juven.* 13, 78. Per solis radios, Tarpejaque fulmina jurat. *Lucan.* 8, 863. Tarpeji Dei, *h. e.* qui una cum Jove in Capitolio colebantur, Juno, Minerva, Apollo, Mars. *Mart.* 7, 60. Tarpeja aula, *h. e.* Capitolinum templum. *Id.* 9, 4. Tarpejae frondis honos, *h. e.* corona, quae dabatur victori in ludis Capitolinis. Sic *ib.* 41. Tarpejae coronae; et 4, 54. quercus. V. CAPITOLINUS. ℙ De Tarpeja lege V. ATERNIA. ℙ In illo *Sen. Ira* 1, 16. *med* Cum Tarpejo proditorem hostemve publicum imponam, etc. intelligitur Tarpejum saxum, ex quo praecipites dabantur: cujus supplicii exempla habentur ap. *Liv.* 6, 20., *Vell.* 2, 24., *Tac. A.* 6, 19. etc. V. SAXUM. ℙ *Tarpeja pudicitia* ap. *Prop.* 1, 16, 2. est Tarpeja pudica: sed de alia Tarpeja sermonem esse, et aliis temporibus nata, longe scilicet post Sp. Tarpeji filiam, putant eruditi: *Vulpio* est Pudicitia Patricia: de qua V. *Liv.* 10, 23. [Alii tamen arbitrantur, de eadem loqui *Propertium*, cum ille Vestalem Tarpejam Sp. Tarpeji filiam *l. c.* in § 2. non tam impudicitiae, quam proditionis incuset. *F.*]

*TARPHA, ae, f. *Τάρφη Homero*, opp. Locridis. *Mela* 2, 3. *med. B. A.*

TARQUĪNIENSIS, e, adj. ad Tarquinios pertinens, oppidum Etruriae, coloniam Romanorum, nunc *la Turchina*, ad Martham fluv., qui ex lacu Tarquiniensi, seu Vulsiniensi ortus in mare Tyrrhenicum influit. *Plin.* 2, 95, 96. Tarquiniensis lacus. *Cic. Div.* 2, 23. ager. *Id. de rep.* (ed. *A. Maio*) 3, 21. serva. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 3. fundus. Hinc *Tarquiniensis*, *ium*, absolute, ap. *Liv.* 2, 6. *extr.*, *Epit.* 7. et *Plin.* 3, 5, 8. sunt illius oppidi cives. [*Totum hunc locum ampliavit atque emendavit *F.*]

*TARQUINĪUS, nomen et familia, cui originem dedit *Tarquinius Priscus*, *Ταρκύνιος Πρίσκος*, quintus Romanorum rex. *Tarquinius Collatinus*, Lucretiae maritus, et post injuriam illi illatam vindicatamque consul: abdicare tamen se nominis causa coactus. *Tarquinius Superbus*, cognomen a moribus meruit, ultimus Romanorum regum: occassione facinoris a Sexto filio in Lucretiam patrati, cum tota domo Roma expulsus. *Cic. Rab.* 13 Nam haec tua quae te hominem clementem popularemque delectant, etc. sed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii, sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina. *Ov. Fast.* 2, 687. Ultima Tarquinius Romanae gentis habebat Regna,

vir injustus, fortis ad arma tamen. *Virg. A.* 8, 646. Ejectus Tarquinius. *Id. A.* 6, 817. Reges Tarquinii. *Hor. Od.* 1, 12, 35. Fasces superbi Tarquinii. *Id. Sat* 1, 6, 13. Superbus Tarquinius regno pulsus. ℙ *Tarquinius* pro tyranno *Liv.* 3, 39. Adde 6, 40. ℙ V. et TARQUINIUS, a, um. *B. A.*

TARQINIUS, a, um, adj. ad Tarquinios pertinens, familiam Tarquiniis oppido oriundam, ex qua duo Romae regnarunt, Priscus, et Superbus. *Liv.* 1, 47. Tarquinium nomen. *Id.* 2, 18. Tarquinia factio. Alii leg. *Tarquiniana.*

[TARQUITIANUS, a, um, adj. ad Tarquitium pertinens, haruspicinae scriptorem Etruscum, cujus ap. *Macr. Sat.* 3, 7. et *Lactant.* 1, 10. *med.* mentio est. *Ammian.* 25, 2. Etrusci haruspices ex Tarquitianis libris, in titulo *De rebus divinis*, id relatum esse monstrantes, quod, face in coelo visa, committi proelium, vel simile quidquam non oportebit. *F.*]

TARQUĬTĬUS, pro Tarquinius per contemptum. *Festus:* Tarquitias scalas, quas rex Tarquinius Superbus fecerit, abominandi ejus nominis gratia ita appellatas esse, ait vulgo existimari Verrius. ℙ De Tarquitio haruspicinae scriptore. V. v. praec. et OSTENTARIUS. ℙ *Fuit et Tarquitius historiographus, qui inter alia etiam *de rebus divinis*, h. e. de Etrusca disciplina (quod et fecit Caecina), scripsit. *Macr. Sat.* 3, 7. *in. Lactant.* 1, 10. Adde *Plin. Ind. Auct.* 2. V. TARQUITIANUS. ℙ Is est fortasse, quem *Tarquinium Priscum* appellat idem *Macr. Sat.* 2, 16. *med.* Tarquinius autem Priscus in ostentario arborario etc. ubi pro *Tarquinius* legendum videtur *Tarquitius.* V. *Voss. de Hist. Lat.* 1, 31. ℙ Alium Tarquitium Priscum meminit *Tac. A.* 12, 59. et 14, 46. *B. A.*

TARRACINENSIS, e, adj. ad Tarracinam pertinens, oppidum Latii in Volscis, prius Anxur dictum, et Trachas ab *Ov. Met.* 15, 717. Hinc Ceparius Tarracinensis, ap. *Sall. Cat.* 47. ℙ *Tarracinenses, ium*, absolute, sunt ejus oppidi cives, ap. *Tac. H.* 4, 3. ℙ Scribitur etiam *Terracina*, et *Terracinensis. Inscr.* ap. *Gud.* 101, 2. Municip. Terracin. ℙ In alia ap. *Grut.* 152, 8. est *Terracena:* sed parum auctoritatis habet, quia sub Theodorico inscripta est.

TARRACONENSIS, e, adj. ad Tarraconem pertinens, [urbem Hispaniae ad Subin fluvium, coloniam Romanorum, in confinio regionis, quae nunc *Catalogna* dicitur, in ora maris mediterranei, cujus meminit *Plin.* 3, 3, 4., *Mart.* 13, 118., *Sil.* 15, 177. et *Inscr.* ap. *Gud.* 100, 9., ubi *Taraco* scribitur. *Tac. A.* 1, 78. Tarraconensis colonia. *Plin.* 3, 1, 2. Hispania, *h. e.* citerior; et *ib.* 3. provincia. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 6. Tarraconense vinum: quod etiam a *Mart. l. c.* et *Sil.* 3, 370. laudatur, ut solis Campaniae vinis secundum. *F.*]

*TARRAGENSES, ium, populi Hispaniae Tarraconensis, quorum civitas Tarraga appellata. *Plin.* 3, 3. ℙ Civitatis meminit *Ptolemaeus. B. A.*

*TARRUPĬA, vitis genus vel uvae. *Plin.* 14, 3. Capnias, et Bucconiatis, et Tarrupia, in Thurinis collibus non ante demetuntur, quam gelaverit. *B. A.*

*TARSATĬCA, opp. Illyridis, in Liburnia. *Plin.* 3, 21. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

TARSENSIS, e, adj. a Tarso oppido, quod est Ciliciae metropolis, apud ostia Cydni fluvii: ut Tarsense pelagus, *Colum.* 8, 16. *f.* ℙ *Tarsenses, ium*, absolute, ejus urbis incolae. *Cic. Att.* 5, 21.

*TARSŪRAS, ae, *Ταρσούρας*, fluvius Colchidis. *Plin.* 6, 4. ed. *Hard.* ubi antea *Tersos* edebatur: sed *Tarsuras* refingendum ex *Arriano* censet *Harduinus. B. A.*

*TARTANĬUS, i, m. Asiae fluvius. *Sall. fragm.* ap. *Arusian.* p. 922. ed. *Sall. Cort.* Tum vero Bithyni propinquantes jam amnem Tartanium. *B. A.*

[TARTĀRĀLIS, e, adj. qui tartaro imbutus est. V. TARTARUS. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Luca, quae ozaenosa sunt, lino diligenter tartarali constringes: *con pannolino imbevuto di tartano. F.*]

TARTĀRĔUS, a, um, adj. *Ταρτάριος*, ad Tartarum et Inferos pertinens. *Cic.* vertens *Sophoclis* versus *Tusc.* 2, 9. Tartarea tenebrica plaga. *Virg. A.* 6, 395. Tartareus custos, *h. e.* Cerberus. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 215. rex, *h. e.* Pluto. *Virg. A.* 7, 328. (et *Stat. Theb.* 5, 66.) Tartareae sorores, *h. e.* Furiae. *Id. ib.* 12, 846. Tartarea Megaera. *Lucan.* 6, 712. Tartareum antrum, *h. e.* Inferi; et *ib.* 6, 651. Tartarei reges. *Ov. Met.* 6, 676. Tartareae umbrae. *Virg. A.* 6, 295. Tartareus Acheron; et *ib.* 551. Phlegethon. *Sen. Hipp.* 1179. Tartarei lacus. *Id. Herc. Fur.* 436. Tartareae tenebrae. *Stat. Theb.* 1, 85. Tartarei regina barathri, *h. e.* Tisiphone. *Val. Fl.* 4, 579. Tartareae volucres, *h. e.* Harpyiae. ℙ Translate. *Virg. A.* 7, 513. de Alecto: cornuque recurvo Tartaream intendit vocem. Ubi *Serv.:* Aut terribilem, aut fortem secundum usum dixit. *Phaedr.* 4, 1. Quos *(mures)* immolatos victor *(mustela)* avidis dentibus Capacis alvi mersit Tartareo specu: *ἱπερβολή. Claud. B. Gild.* 180. Splendet Tartareo furialis mensa paratu, *h. e.* ferali, terribili, crudeli. *Val. Fl.* 6, 435. Tauri Tartaream proflantes pectore noctem.

TARTĀRĪNUS, a, um, adj. *Festus:* Tartarino cum dixit Ennius, horrendo et terribili Verrius vult accipi: a Tartaro, qui locus apud Inferos. *Ennii* versum V. in PALUDUS.

TARTĀRUS et Tartaros, i, m. et in plur. Tartara, orum, n. plur. *Τάρταρος*, in fabulis est filius Aetheris et Terrae, pater Gigantum, ut est ap. *Hyg. praef.* et *fab.* 152. Sumitur etiam pro loco profundissimo Inferorum, ex quo manat Acheron fluvius, ut *Serv.* ad *A.* 6, 135. et 295. docet. Est enim carcer Inferorum triplici muro circumdatus, et Phlegethonte cinctus, ubi puniuntur noxae: itaque detinentur, ut ne numinum quidem favore inde extrahi possint. Est *ἀπὸ τῆς ταραχῆς*, quod cuncta illic turbata: vel *ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν*, a tremore frigoris. *Virg. A.* 6, 578. Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum; et *ib.* 542. at laeva malorum Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit. *Lucr.* 3, 1025. lucis egenus Tartarus horrificos eructans faucibus aestus. *Stat. Silv.* 2, 7, 116. de Lucano mortuo: Tu magna sacer et superbus umbra Nescis Tartaron, et procul nocentum Audis verbera. *Virg. A.* 6, 135. et *Ov. Trist* 1, 2, 22. Tartara nigra. *Ov. Met.* 10, 20. opaca. *Id. ib.* 1, 113. tenebrosa; et *ib.* 11, 670. et *ib.* 12, 523. et 619. inania: scil. quia nulla ibi corpora. *Id. Ib.* 575. et *Sen. Oed.* 869. ima. *Virg. A.* 4, 243. tristia. *Sen. Hipp.* 951. profunda. *Claud. in Ruf.* 1, 122. pigra. ℙ *Pater Tartarus* est Pluto. *Val. Fl.* 4, 258. Et pater orantes caesorum Tartarus umbras etc. ad spectacula pugnae Emittit. *Manil.* 2, 46. tenebris immersum Tartaron atra In lucem de nocte vocant. Ita leg. *Scal.* alii aliter. ℙ Est hoc nomine etiam fluvius in agro Veronensi oriens, cujus meminit *Tac. H.* 3, 9., [qui fossas Philistinas permeans Adriam alluit, et in mare Adriaticum sese exonerat; etiam nunc *Tartaro* dicitur, et *Castagnaro* seu *Canal-bianco.* V. *Plin.* 3, 16, 20. ℙ *Tartarum, ταρίαχον*, infimae Latinitatis et Graecitatis tempore, est laex vini indurata, et doliis adhaerens, quae etiamnum Italis *tartaro* dicitur. V. TARTARALIS. *F.*]

TARTESSĬACUS et Tartesiacus, a, um, adj. idem ac Tartessius. *Sil.* 6, 1. Jam Tartessiaco quos solverat aequore Titan, In noctem diffusus, equos jungebat Eois Litoribus. *Colum.* 10, 370. Et Tartessiacos, Paphiosque revellere thyrsos, *h. e.* lactucam. V. v. s. ℙ De re impossibili. *Claud. ep. ad Olybr.* 13. lucem jam condet Hydaspes, Et Tartessiaco, Sol, oriere vado. ℙ Pro Hispano, ut et Tartessius. *Claud. in Ruf.* 1, 101. Non Tartessiacis illum satiarit arenis Tempestas pretiosa Tagi. *Sidon. carm.* 5, 286. Ad Tartessiacum venit Indus aquator Iberum.

TARTESSIS, idis, f. Tartessis lactuca, crispissima vertice, et thyrso candida, quam generant Tartessi litore Gades, laudatur a *Colum.* 10, 185. 192. et 370. et 11, 3. *med.* ℙ Scribitur et *Tartesis.*

TARTESSĬUS et Tartesius, a, um, adj. ad Tartessum pertinens, extremae Hispaniae Baeticae urbem, in ora freti Herculei, contra Mauritaniam Tingitanam, alio nomine Cartejam: nunc *Tariffa. Plin.* 3, 1, 3. et *Mela* 2, 6. *f.* Quare poetice eo condi dicitur sol, cum occidit. *Sil.* 3, 399. Tartessos stabulanti conscia Phoebo. *Ov. Met.* 14, 416. Presserat occiduus Tartessia litora Phoebus. *Sil.* 10, 538. anhelantes stagna in Tartessia Phoebus Mersit equos. ℙ Muraenam Tartessiam, *Varro* ap. *Gell.* 7, 16. docet magni pretii in coenis fuisse. ℙ Sumitur et pro Hispano. *Sil.* 13, 673. meoque subibat Germano devexa jugum Tartessia tellus. Adde 15, 5. et V. TARTESSIACUS. ℙ *Tartessii, orum*, absolute, sunt incolae illius urbis. *Avien. Or. marit.* 178. Et rursus inde si petat quisquam pede Tartessiorum litus, etc.

TARTESSUS et Tartesus, et Tartessos, i, f. urbs Hispaniae. *Sil.* 5, 399. Audit Tartessos latis distermina terris. V. v. praec. ℙ Est etiam hoc nomine Gadium insula, ap. *Plin.* 4, 22, 36.

*TARVENNA, opp. Galliae Belgicae, in Morinorum agro. *Ant. Itin.* ℙ *Ταρουέννα* est *Ptolemaeo.* V. *Teruanna. B. A.*

*TARUESĒDE vel Taruessedum, i, opp. Rhaetiae. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

TARVĪSĀNUS, et
TARVĪSĬĀNUS, et
TARVĪSĪNUS, a, um, adj. ad Tarvisium, seu Tarvisum pertinens, urbem Venetiae, ad Silim fluvium, quae nunc *Trivigi* et *Treviso* appellatur. Ejus antiquior mentio exstat in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 328. ad ann. a Chr. n. CXLIII., ibique *Tarvisium*, et in alia ap. *eund. ib.* ad ann. eundem, ubi *Tarvisum*, tum ap. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 665. post ann. DXCVIII, ubi *Tarvisus* gen. fem. dicitur. Ex probabili sententia *Jac. Filiasii Mem. stor. de' Venet.* T. 1. *c.* 12. haec urbs originem habuit ex Tarvisanis, populis Alpinis: olim degentibus ad fontem Silis seu Plavis fluv., ubi nunc pagus *Tarwis* seu *Tarvesa* exstat, qui ab Augusto, Drusi ductu, devicti, et in inferiorem Venetae regionis partem descendere coacti cognomine oppidum ibidem condiderunt, quod deinde ex Altini praecipue, Opitergii, Aceli, aliarumque proximarum urbium ruinis auctum haud ignobilis Venetiae urbs evasit. *Venant. l. c.* Qua mea Tarvisus residet, si molliter intras, Illustrem socium Felicem *(episcopum)*, quaeso, require. *Plin.* 3, 18, 22. Venetia regio: fluvius Silis ex montibus Tarvisanis. *Inscr.* ap. *Mur.* 829, 3. Laurentius miles de numero Tarvisiano. Alia ap. *eund.* 1085, 1. T. Firmius Q. F. Tarvisanus. Alia ap. *Grut.* 83, 13. Isid. Reg. L. Publicius Eutyches Mun. Tar. Lib. *h. e.* municipii Tarvisiani libertus. Alia ap. *Jo. Labus. Monum. Epigraf. Cristian.* p. 16. Hic requiescit in pace Ursicinus cives (*h. e.* civis) Tarrisianus (*h. e.* Tarvisianus) Castino V. Cl. Consul. scil. ann. a Chr. n. CCCCXXIV. *Cassiod. Var.* 10, 27. Venetis autem ex Tarvisino atque Tridentino horreis ad definitam superius quantitatem item dari facite tertiam portionem. *Paul. Diac. Hist. Langob.* 2, 12. Ecclesia Tarvisiana. [*Multis hunc locum emendavit *F.*]

TARUM, i, n. lignum aloes. *Plin.* 12, 20, 44.

[TARUS, i, m. *Taro*, fluv. Italiae superioris, in Gallia Cispadana, per agrum Parmensem in Padum se exonerans. *Plin.* 3, 16, 20. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1013, 1. C. Sejus Tarus. *F.*]

*TARUSĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Caes. B. G.* 3, 23 et 27. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

*TARUSCONIENSES, ium, Tarusconis incolae. Fuit autem Taruscon vel Tarusco, oppidum Galliae Narbonensis, *Ταρουσκῶν Ptolemaeo. Plin.* 3, 4. Tasconi, Tarusconienses. Sic ed. *Hard.* ubi in ed. *Elzev.* legitur *Tascodunitari. B. A.*

*TARUTĬUS, i, m. nomen proprium Romanum, v. g. C. Tarutius Firmanus, insignis astrologus, cujus meminit *Cic. Div.* 2, 47. *B. A.*

*TASCONI, orum, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. Locum V. in *Tarusconienses. B. A.*

TASCONĬUM, ii, n. terra alba, similis argillae, ex qua catini fiunt, in quibus coquitur aurum. *Plin.* 33, 4, 21. Catini fiunt ex tasconio. Haec est terra alba similis argillae. Neque enim alia afflatum, ignemque, et ardentem materiam tolerat.

*TASGĔTĬUS, i, m. princeps Gallicus, in Carnutibus regnans, temporis Julii Caesaris. *Caes.* 5, 25. *B. A.*

TĀSIS, is, f. *τάσις*, intensio, intentio, vehementia. Vox Graeca a *τείνω*, intendo. *Capell.* 9, 318. Est autem intensio, quam dicimus tasin, qua vox persistit ac perseverat.

TAT. V. TATAE.

TĀTĀ, ae, m. pater, vox puerilis, qua puelli, utuntur, cum patrem vocant, ut mammam appellant matrem. *Varrr* ap. *Non.* 2, 97. Cum cibum ac potionem buas ac papas vocent, et matrem mammam, patrem tatam. ℙ Proprie est nutritor, educator. *Mart.* 1, 101. Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum Dici, et mammarum maxima mamma potest. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 142. *n.* 151. L. Flavio L. F. Anien. Saturnino Fl. *Euhodus* pater, et Phoebus tata fecerunt; et *ib. n.* 152. Marinus pater piissimo filio fecit, et Anthus tata. Alia ap. *Grut.* 662, 6. M. Elpidius Pamphilus Platoni tatae suo bene merenti fecit. Alia ap. *Mur.* 1492, 6. Primitivo Herennius Fortunatus tata, et Herennia Rhodine mamma B. M. fecerunt. Adde alias ap. *eund.* 983, 3. et 1513, 6. ℙ In alia *Muratorius* p. 1157, 5. et in aliis duabus *Odericius Syllog. vet. inscr.* p. 229. dubitant, nutritoremne, an avum vox *tata* significet: verum ex alia ap. *Grut.* 662, 5., in qua L. Apisius C. F. Capitolinus ex testamento fieri jussit monumentum sibi et suis, cum prius patrem nominet, mox matrem, sororem, fratrem, tandem tatam; videtur hac voce nutritorem potius, quam avum significasse, qui ante sororem fratremque nominandus erat.

TĀTAE! interjectio exsultantis, et joculariter exclamantis. *Pl. Stich.* 5, 7, 3. *Sag.* Fac tu hoc modo. *Stich.* at tute hoc modo. *Sag.* babae! *Stich.* tătae! *Sag.* papae! *Stich.* pax. V. AT AT. ℙ Item admirantis. *Pl. Truc.* 3, 1, 18. Tatae! ecquis est? nulla est? ecquis aperit hoc ostium? Alii leg. *tat.* V. ATTATE.

TĀTĬĀNUS, a, um, adj. ad T. Tatium pertinens, Tatiensis. Ap. *Festum* in *Tatium*, Tatiani latrones vocantur propinqui regis Tatii, qui legatos Laurentium pulsarunt, ideoque is a Laviniis interficitur, ut narrat *Liv.* 1, 14.

TĀTĬENSES, ium, m. plur. una ex tribus centuriis equitum populi Romani, regnante Romulo, id est Sabini illi, qui T. Tatii regis ductu bellum Romanis propter virginum raptum intulerunt, deinde foedere percusso domicilium Romam transtulerunt. *Varro L. L.* 4, 9., *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 5., *Liv.* 1, 13. *extr.*, *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 2. Hinc *Ov. Fast.* 3, 131. Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille, Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit. Alii ubique leg. *Titienses* a praenomine, non a nomine regis Sabini. ℙ Quod autem *Ascon.*, *Varr.* et alii *tribus*, non *centurias* appellant, ideo est, quia excerptae sunt ex primis illis tribubus, in quas Romulus universum populum diviserat: quas tribus credi non potest ex solis equitibus constitisse. V. TRIBUS.

TĀTĬES pro Tatienses quidam leg. ap. *Varr. L. L.* 4, 9., ut *Ramnes* pro *Ramnenses.*

TĀTĬUS, a, um, adj. ad T. Tatium Sabinorum regem pertinens, de quo ita *Enn.* ap. *Auct. ad Her.* 4, 12. O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tu-

listi. *Prop.* 4, 4, 29. Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae.

*TATĬUS, i, m. Τάτιος, Sabinorum dux, qui per proditionem Tarpeiae virginis Capitolio primum capto, urbem postea invasit, ac regnum Romae quinquennio una cum Romulo tenuit: quem postremo tandem ab amicis eorum legatorum, quos Tatiani latrones interfecerant, occisum esse ait Lanuvius, et in Aventiniensi laureto sepultum. V. *Liv.* et *Plut.* in *Romulo*. *Prop.* 4, 2, 52. Ferus Tatius. V. in *Tatiensis*. *B. A.*

[TĀTO, onis, m. incrementum tatae, magnus tata. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 265. *n.* 97. M. Aurelius Tato. *F.*]

*TATRAE, arum, populi circa Maeotin paludem degentes. *Mela* 1, 19. *f*. *B. A.*

TATTAEUS, a, um, adj. Ταττάϊος, pertinens ad Tattam, ingentem lacum Phrygiae magnae, in confinio Pisidiae et Lycaoniae: unde Tattaeus sal, oculis utilis, laudatur a *Plin.* 31, 7, 41.

TĀTŪLA, ae, m. dimin. tatae, et est vox blandientis. V. TATA. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 4. *n.* 63. Aurelio Heraclidae agitatori factionis Venetae, etc. fecit M. Ulpius Apolaustianus tatulae B. M. *Alia* ap. *Passionei cl.* 10. *n.* 6. Felicissima fecit Claudiae .... patronae suae, ... marito ejus tatulae suo. *Alia* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4943. Silvi .... Telesphoro .... Domitius Apollonius pater, Domitia Fortunata mater, Silvanus enater (*h. e.* vir sororis, ab εἰνάτηρ ὁ et ἡ, V. JANITRIX.) Julius Telesphorus tata, Cornelia Sees mamma, Threptus tatula dulcissimae et pientissimae animae innocentissimae fecerunt. [*Egregie hujus loci curam gessit *F.*]

[TĀTŪLUS, i, m. idem ac tatula. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. L. Tatulus. *F.*]

TAU, ap. *Auson.* quid sit, V. in AL. ℙ Hoc nomine etiam vocatur ultima alphabeti Graeci littera, quam ita describit *Paul. Nol. carm.* 26, 624. Tau stilus ipse brevi retrorsus acumine ductus Efficit.

*TAVĒNI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*TAVĬA. V. v. sq. *B. A.*

*TAVĬUM, i, n. opp. Galatiae, in Trocmorum regione. *Plin.* 5, 32. ℙ *Tavia* est *Ant. Itin. Tabia* in *Notit. eccles. Ταβία Hierocl. B. A.*

TAULANTĬUS, a, um, adj. ad Taulantios pertinens, populos Illyricos, quorum urbes Dyrrhachium et Apollonia. *Lucan.* 6, 16. Quemque vocat collem Taulantius incola Petram. *Sil.* 15, 294. Taulantius incola. Adde *Plin.* 3, 22, 26. **Melam* 2, 3. *B. A.*

*TAUM, i, n. aestuarium in Britannia, cujus meminit *Tac. Agric.* 22. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. ℙ In eo Tai vel Tavi fluminis (nunc *the Tweed*, Scotiam ab Anglia separantis) est ostium. Haec *Cellarius*. Sed *Mannertio*, *Geogr. der Griechen und Römer*, *Th.* II, in *Britannia*, p. 60. hodie est *de Firth of Tay*. *B. A.*

[TAUNENSIS, e, adj. ad Taunum pertinens, Germaniae castellum in monte Tauno, cujus mentio ap. *Tac. A.* 1, 56. *Inscr.* ap. *Donat.* 470, 5. T. Fl. Sanctinus, et Perpetuus, et Felix fratres C. R (*h. e.* cives Romani) et Taunenses ex origine patris, etc. *F.*]

*TAUNUS, i, m. mons Germaniae. *Mela* 3, 2. *Tac. A.* 1, 56. et 12, 28. ℙ *Clurerius* censet esse montem illum, qui ex adverso Moguntiaci vulgo *der Heyrich* et *die Höhe* appellatur. *Ortelius* quoque trans Rhenum ap. Cattos locavit. V. *Mannert. Geogr. der Griechen und Römer*, in *Germania*, p. 528. *B. A.*

TAURĂ, ae, f. ταῦρα, vacca sterilis, [quae nempe sexuales partes internas masculas, externas femineas habet, quales habere solent hermaphroditi. V. *Schneideri not.* ad *Colum.* locum mox citandum. *F.*] *Varr. R. R.* 2, 5. Quae sterilis est vacca, taura appellatur. *Fest.* Tauras vaccas steriles appellabant, ait Verrius, quae non magis pariant, quam tauri: sed vero similius sit ex Graeco dictas, quia Graeci vaccas ταύρας appellant. *Colum.* 6, 22. Et utique taurae, quae locum occupant fecundarum, ablegandae. ℙ Ap. *Serv.* ad *A.* 2, 140. dicitur *taurea*.

*TAURANĬA, ae, f. opp. Campaniae, quod Plinii temporibus nullum erat. *Plin.* 3, 5. Intercidit ibi et Taurania. ℙ Hinc

*TAURANĪNI, orum, ejus incolae, ut volunt quidam, qui pro *Taurasinorum* legunt *Tauraninorum* ap. *Liv.* 40, 38. *B. A.*

*TAURANNITĬUM. V. v. sq. *B. A.*

*TAURANTĬUM, Tauraunitium vel Tauraunitium, i, n. regio Armeniae majoris. *Tac. A.* 14, 24. ubi posteriores exhibent formas edd. *Gronov.* et *Ernest.*, priorem quae praecedunt edd. *B. A.*

[TAURĀRIS, e, adj. num haec vox taurarium significet, illum, qui taureas conficit et vendat, minime liquet. *Inscr.* ap. *Mur.* 947, 1. M'. Clodius M'. L. Cadmus tauraris. *F.*]

[TAURĀRĬUS, ii, m. idem ac taurocenta, q. v. v. s. l. *F.*]

[TAURĀSĪNUS, a, um, adj. ad Taurasiam pertinens, Samnii urbem in Hirpinis, ubi nunc *Taurasi*. Ejus mentio est in *Inscr.* ap. *Visc. Mon. degli Scip.* p. 28. *tab.* 3. *ed. Mediol.*, quam una cum Cisauna cepit L. Cornelius Cn. F. Scipio Barbatus ann. U. C. DLXI, cum esset legatus L. Papirii Cursoris eodem anno consulis. *Front. Strat.* 4, 1. *n.* 14. Romani, victo Pyrrho Epirotarum rege, in campis Taurasinis circa urbem Beneventum, castris ejus potiti. Adde *Flor.* 1, 18. et *Oros.* 4, 1.: ubique perperam *Arusinis* pro *Taurasinis* alii legunt. Hinc *Taurasini*, *orum*, incolae illius urbis, ap. *Liv.* 40, 38. Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Taurasinorum fuerat. In eum cum traducere Ligures Apuanos vellent Cornelius et Baebius consules, edixerunt, Ligures ab Anido montibus descendere cum liberis, conjugibusque: sua omnia secum portarent. V. CORNELIANUS. *F.*]

*TAURENTUS, portus Galliae Narbonensis, idem fortasse qui et Taurois dictus. *Ant. Itin. B. A.*

TAURĔUS, a, um, adj. ταυρινός, taurinus, bubulus. *Ov. Fast.* 4, 342. Et feriunt molles taurea terga manus, *h. e.* tympanum ex corio bubulo. *Virg. A.* 9, 706. taurea terga, *h. e.* scutum ex eod. corio. ℙ *Taurea, ae*, absolute est flagrum bubulum, lorum. *Juven.* 6, 491. taurea punit Continuo flexi crimen facinusque capilli. *Tert. ad Mart.* 5. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt. ℙ Item vacca sterilis, taura. *Serv.* ad *A.* 2, 140. ℙ De Taureis ludis, V. TAURII. ℙ Taurea est etiam alterum cognomen Jubellii Cerrini, hominis Campani, ap. *Liv.* 23, 47.

TAURI, orum, m. plur. Ταῦροι, populi Scythiae. V. TAURICUS.

*TAURIĀNUM, i, n. oppidum Italiae inferioris, in Bruttiis. *Mela* 2, 4. ℙ Dicitur et Tauroentum. V. *B. A.*

TAURĪCORNIS, e, adj. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 222. Saltat Tonantem tauricornem ludius, *h. e.* Jovem in taurum versum ad rapiendam Europen.

TAURĪCUS, a, um, adj. Ταυρικός, ad Tauros pertinens, populos Scythiae Europaeae, a quibus dicta est Chersonesus Taurica, nunc *die Krim*, ubi habitarunt, et Dianae hospites omnes solebant immolare. *Ov. Pont.* 1, 2, 80. Cultaque Oresteae Taurica terra Deae. *Id Trist.* 4, 4, 63. ubi Taurica dira Caede pharetratae pascitur ara Deae. *Id. Ib.* 386. Thoanteae Taurica sacra Deae. V. IPHIGENIA. ℙ De Taurica Chersoneso *Plin.* 4, 12, 26. ℙ De Tauricis ludis, V. TAURII.

TAURĪFER, ra, rum, adj. ταυροφόρος, tauros ferens. *Lucan.* 1, 473. tauriferis ubi se Mevania campis Explicat, *h. e.* in quibus multa pascua sunt alendo bubulo generi. V. MEVANIA.

TAURIFORMIS, e, adj. tauri formam habens, ut Aufidus tauriformis, *Hor. Od.* 4, 14, 25. V. AUFIDUS et CORNU.

TAURĪGĔNUS, a, um, adj. tauro genitus. *Accius* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. *f*. Taurigeno semine ortum, an humano?

TAURĪI, orum, m. plur. Ταυρῖα, Βουφόνια, ludi apud Romanos in Circo Flaminio, in honorem Deorum inferorum. *Fest.* Taurii ludi instituti Diis inferis ex hac causa videntur. Tarquinio (*Superbo*) regnante cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, earum fetus infecti sunt ex carne divendita populo taurorum immolatorum. Ob hoc ludi Taurii appellati sunt, et fiunt in Circo Flaminio, ne intra muros evocentur Dii inferi. Sed Taurios ludos Varro ait vocari, quod eis ludis discipulus pendens a doctore in crudo corio tauri solitus sit impelli, atque usque eo inibi cogi doceri, quoad consisteret, et sola virtute talorum constaret pedum firmitas. Haec *Festus*. Eadem fere habet *Serv.* ad *A.* 2, 140. excepto quod pro *taurii* leg. *taurei*. Meminit et tiam *Varro L. L.* 4, 32. Ibi quoque (h. e. in *Circo Flaminio*) ludis Tauriis circum metas currunt. Alii leg. *Taureis*, alii *Tauricis*. ℙ *Festus:* Taurium aes, quod in Ludos Tauricos consumitur.

TAURĪLIA, um, n. plur. ludi Romani, iidem qui Taurii. *Liv.* 39, 22. Per eos dies ludi Taurilia per biduum facti religionis causa. Plerique alii leg. TAURII.

TAURĪNAS, atis, adj. ad Taurinum pertinens. *Auct. Pan. ad Constant. Aug.* 6. Taurinates campi, et muri, *h. e.* Taurini. V. TAURINUS.

[TAURĪNĬCĬUM, ii, n. taurorum venatio in arena: est a *taurus* et *nex*. *Inscr.* ap. *Mur. praef.* p. 12. Cujus memoriae omne genus spectaculorum atque taurinicia Dianae ediderunt. V. TAUROCENTA. *F.*]

[TAURĪNĬENSIS, e, adj. ad Taurinum urbem pertinens. V. v. sq. *Taurinienses, ium*, absolute, sunt Taurini incolae. *Inscr.* ap. *Mur.* 1085, 4. Aug. sacrum restituerunt Taurinienses pecunia sua cultores D. D. *F.*]

[TAURĪNUS, a, um, adj. ταυρινός, ad tauros seu boves pertinens, bubulus. *Virg. G.* 4, 371. taurino vultu Eridanus. *Ov. Fast.* 6, 197. taurinae cornua frontis. *Virg. A.* 1, 372. Taurinum tergum, *h. e.* corium bubulum. *Id. G.* 4, 171. taurinis follibus auras Accipiunt redduntque. *Claud. Cons. Stil.* 2, 365. Taurina tympana. *Stat. Theb.* 2, 78. Aeraque taurinos sonitu vincentia pulsus, *h. e.* quibus pulsantur tympana ex corio bubulo facta. *Claud. Idyll.* 2, 38. intendunt taurino viscere nervos. *Plin.* 28, 9, 41. Taurinum fel; et *ib.* 17, 68. fimum. *Lucr.* 6, 1067. gluten. *Plin.* 28, 16, 62. sevum. *Id. ib.* 9, 41. Taurinus sanguis recens inter venena est. ℙ *Taurinae, arum*, absolute, dictae sunt caligae ex corio taurino. *Edict. Diocl.* p. 24. De caligis ..... *tau*rinae muliebres bisoles par ✕. quinquaginta, *taurinae* muliebres monosoles par ✕. triginta .... taurinae inauratae ..... taurinae lanatae. ℙ Item ad Taurinos populos pertinens, qui sunt ad radices Alpium Cottiarum, ubi nunc *il Piemonte*, et *il Marchesato di Saluzzo:* quorum urbs Taurinum, seu Augusta Taurinorum, *Torino:* prope eum locum, ubi Duria in Padum influit. *Plin.* 18, 16, 40 et 3, 17, 21. Hinc *Sil.* 3, 646. Taurinis ductor statuit tentoria campis. *Taurinorum meminerunt *Liv.* 21, 38 et 39. *Id.* 3, 17. *Tac. H.* 2, 66. ℙ Alii Taurini in Hetruria, quorum caput Aquae Tauri (*Tab. Peut.*), *Taurini Aquenses* inde dicti a *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[TAURĬO, onis, m. dimin. tauri, taurulus. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Mur.* 916, 10. Dis Manibus Taurionis opsonatoris Poppaeae Aug. *F.*]

*TAURIS, idis, f. insula Illyriae objecta. *Hirt. B. Alex.* 5. *B. A.*

*TAURISCUS, a, um, adj. ad Tauriscos spectans, ut *Taurisca gens* ap. *Plin.* 3, 20. ℙ *Taurisci, orum*, populi Pannoniae. *Id. ib.* 25. ℙ Diversi, ut videtur, ab his sunt Taurisci, quorum meminit *Id. Plin. ib.* 19. Carnis, Segeste et Ocra (*interiere*): Tauriscis Noreia. Hi enim Noricum incolebant, ipsi Noricorum pars. *Strabo* 3, 19. Τῶν δὲ Νωρικῶν εἰσι καὶ οἱ Ταυρίσκοι. Fortasse etiam Norici ipsi. V. *Taurusci*. *B. A.*

[TAURĬSCUS, i, m. ταυρίσκος, dimin. tauri, taurulus. Est cogn R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 750. *n.* 577. P. Mumius P. L. Tauriscus. *F.*] ℙ *Actoris nomen ap. *Cic. Or.* 3, 59. ℙ et pictoris. *Plin.* 35, 11. ℙ et statuarii, Trallliani. *Id.* 36, 5. ℙ et caelatoris, Cyziceni. *Id.* 33, 12. *B. A.*

TAURŌBOLĬĀTUS, a, um, part. ab inus. *taurobolio*, qui taurobolium accepit. *Lampr. Elag.* 7. Matris Deum sacra accepit, et tauroboliatus est, ut typum eriperet, et alia sacra, quae penitus habentur condita. *Inscr.* ap. *Grut.* 309, 2. et 3. Fabiae Aconiae Paulinae taurobolitae (*h. e.* tauroboliatae) Isiacae, etc.

[TAURŌBŌLĬCUS, a, um, adj. ad taurobolium pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 1980, 7. Ara taurobolica. *Alia* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 42. Petra taurobolica. *F.*]

[TAURŌBŌLĪNUS, a, um, adj. idem ac tauroboliatus. *Inscr.* ap. *Mur.* 387, 2. Ruf. Cejonius pater sacror. invicti Mithrae, taurobolinus M. D. M. Id. et Attidis Menotyranni. *F.*]

TAURŌBŌLĬUM, ii, n. ταυροβόλιον, sacrificium tauri, qui in sacris Matris Deum Cybeles immolabatur, quemadmodum criobolium sacrificium arietis: a ταῦρος, taurus, et βάλλω, ferio, interficio. Hinc *tauribolium* (vel *tauropolium*, ut legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 30, 1. et ap. *Mur.* 130, 3.) *facere* in *Inscr.* ap. *Grut.* 30. et 31. et *taurobolium accipere* et *percipere* in *Inscr.* ap. *Donat.* 181, 1. et *Grut.* 27, 4., et *taurobolium movere* in alia ap. *Don. cl.* 4. *n.* 10. et ap. *Mur.* 130, 6. ℙ Qui taurobolium accipiebat, et consecrandus erat, terra egesta in profundam foveam demittebatur, quae tabulis passim perforatis consternebatur: dein taurus auratis cornibus super has tabulas immolabatur, cujus sanguis per foramina defluens, oculis, naribus, capite, toto denique corpore a subjecto homine excipiebatur, qui expiari hac ratione dicebatur, lustrarique adeo, ut viginti annos purus mundusque esse diceretur. V. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 1011. et sqq., *Salmas.* in *Lampr. Elag.* 7., *Reines.* ad *Inscr. cl.* 1. *n.* 40. et *Zoegam Bassir. ant.* T. 1. p. 45. et 81. et sqq. ℙ *Taurobolii* mentio vetustior habetur in hac *Inscr.* ap. *Mur.* 333, 1. Taurobolium Matris D. M. Id., quod factum est ex imperio Matris M. Deum pro salute Imperatoris Caesaris T. Aelii Hadriani Antonini Aug. Pii P. P., liberorumque ejus, et status coloniae Lugdum etc. App. Annio Atilio Bradua, T. Clodio Vibio Varo Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CLX. Recentior vero exstat in alia *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 5. DD. NN. Fl. Valentiniano et Gratiano *imperatoribus* Cejonius Rufius Volusianus etc. iterato viginti annis (*post*) ex perceptis tauroboliis VI. aram constituit et consecravit X. Kal. Jun. D. N. Valentiniano Aug. et Neoterio Cos. *h. e* ann. CCCXC. ℙ *Taurobolium* vero non modo in honorem Deae Cybeles, sed etiam aliorum Deorum fuisse aliquando institutum, patet ex *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 358. in qua: Egitium (*h. e.* Aegyptium) taurobolium *in hon. M. D. M. I. et* Veneris Coelestae etc. (V. PANTELIUM) et in alia ap. *Fabrett.* p. 666. *n.* 522., in qua: M. D. M. I. summae parenti, Hermae, et Attidi Menotyranno invicto Clodius Hermogenianus Caesarius, taurobolio, criobolioq. perfecto, aram dicavit, etc. et in alia ap. *Donat.* 179, 2. Attini sacrum et Minervae Berecynthiae Concordia collib. Januarii cymbal. loco secundo ob criobolium factum M. D. M. I, etc. et in alia supra allata in TAUROBOLIATUS, ubi Fabia Aconia dicitur tauroboliata Isiaca: et ex alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 82, 3., in qua: Matri Deum et Isidi G. Menatius G. F. Fab. Severus fanum refecit et pronaum de suo fecit ex voto: apparet, templum Cybele et Isidi commune fuisse.

[TAURŌBŌLUS, i, m. qui taurobolio consecratus est. *Vet. Poet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. I. p. 33.

Burm. Quis tibi taurobolus vestem mutare suasit? *F.*]

[TAURŌCENTĂ, ae, m. idem ac taurarius, qui in venatione cum tauris pugnat: a *ταῦρος*, taurus, et *κεντέω*, pungo, pugno. *Inscr.* ap. *Gud.* 106, 1. Primo duomviratu in foro pompam tauros, taurocentas, succursores, et pyctas *(dedit)*; et *mox:* Secundo duomviratu in foro pompam, tauros, taurarios, succursores *(dedit)*, postero die venatione tauros, taurocentas, apros, ursos, cetera venatione varia *(dedit)*. Sic Graeca *Inscr.* ap. *Mur.* 643, 1. *Πόμπην, ὁμοίως δὲ ταυρομάχιον, πύκτας, καὶ μονομάχους ἔδωκεν, h. e. pompam, similiter autem taurorum pugnam, pyctas, et gladiatores dedit.* Hujusmodi porro pugnas ita describit *Plin.* 8, 45, 70. *med.* Thessalorum gentis inventum est, equo juxta quadrupedante, cornu intorta cervice tauros necare; primus id spectaculum dedit Romae Caesar dictator. Adde *Suet. Claud.* 21. Eandem taurorum pugnam videre est in anaglypto ap. *Selden. Marm. Arundell. n.* 37. p. 485. *edit.* 2.ae, sub quo sculptum: *Τουροκαθαψίων ἡμέρα B.* h. e. *taurorum pugnae dies altera:* fuse autem eandem describit *Heliodor. Aethiop.* 10, 28. et 30. Hinc in *Gloss. Philox.* Pilae, *ταυριάριοι, ταυροκαθάπται.* V. PILA. Porro taurocentas ita describit *Hesych. Κερατισσεῖς, οἱ τοὺς ταύρους ἕλκοντες ἀπὸ τῶν κεράτων· καλοῦνται δὲ καὶ κερατέλκεις. F.*]

*TAUROENTUM, i, n. opp. Italiae inferioris, in Bruttiis. *Plin.* 3, 5. ℙ Dicitur et Taurianum, quod V. *B. A.*

*TAURŌIS, entis, *Ταυρόεις*, portus cum castello, in Gallia Narbonensi, Massyliae pertinens. *Caes. B. C.* 2, 4. *Mela* 2, 5. ℙ V. *Taurentus. B. A.*

TAURŌMĒNĪTĀNUS, a, um, adj. ad Tauromenium, *Ταυρομένιον*, pertinens, nunc *Taormina*, quod est oppidum Siciliae in ora orientali, cum portu: unde Charybdis prospicitur. *Sil.* 14, 256. Tauromenitana cernunt de sede Charybdim. *Lucan.* 4, 460. contorti vorticis undae Tauromenitanam vincunt fervore Charybdin. *Plin.* 2, 97, 100. Tauromenitanus euripus saepius die ac nocte reciprocans. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 3. Tauromenitani colles eugeniam *(uvam)* misere; et *ib.* 6, 8. *n.* 5. Tauromenitana vina. ℙ *Sidon.* licenter secundam producit, et *Taurominitana* pro *Tauromenitana* scribit in *carm.* 9, 163. Vel Taurominitana quos Charybdis Ructato scopulos cavat profundo.

[TAUROPHTHALMON, i, n. ita vocatur quoddam roris marini genus, ab *Appul. Herb.* 79.: a *ταῦρος*, taurus, et *ὀφθαλμός*, oculus. *F.*]

*TAUROPOLOS, i, *Ταυροπόλος*, sic dicta est Diana, quae et templum habebat sub hoc nomine, juxta Amphipolim. *Liv.* 44, 44. Amphipolim quum jam fama pugnae pervenisset, concursusque matronarum in templum Dianae, quam Tauropolon vocant, cet. V. *Apollod. fragm.* p. 1070. ed. *Heyn.* ipsumque *Heynium* ad l. Cf. etiam *Taurobolium. B. A.*

[TAURŪBŪLAE, arum, m. plur. ita appellantur voce diminutiva duo parvi colles in insula Capreensi, litori Campaniae opposita, quibus nunc nomen est *Toro grande*, et *Toro piccolo.* V. *Romanell. Topogr. Napol.* T. 3. p. 558. Hinc *Stat. Silv.* 3, 1, 128. dites Capreae, viridesque resultant Taurubulae, et terris ingens redit aequoris echo, *h. e.* dum Surrentini templi Herculi dedicandi moles exstruitur, hi colles in insula Surrento opposita ex fabricantium strepitu resonant. *F.*]

TAURŪLUS, i, m. parvus taurus. *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* Totus coelus Taurulus fit.

*TAURŪNUM, i, n. opp. Pannoniae inferioris, situm ubi Danubio miscetur Saus, hodie *Belgrad* incolis appellatum, Germanis autem *Griechisch Weyssenburg. Plin.* 3, 25. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ *Arriano* est *Ταυροῦνος. B. A.*

TAURUS, i, m. *ταῦρος*, primo significat marem adultum non castratum in genere bubulo, et vaccarum admissarium. Quas notas habere debeat, *Colum.* 6, 20. docet. *Varro* quoque de eodem *R. R.* 2, 1. et 5., item *Plin.* 8, 45, 70. multa disserunt. *Virg. G.* 3, 212. tauros procul et in sola relegant Pascua. *Plin. l. c.* Tauris minora, quam bubus cornua. ℙ Item quemcumque bovem. *Hor. Od.* 3, 13, 11. Fessi vomere tauri. *Virg. G.* 1, 64. terrae Pingue solum etc. Fortes invertant tauri. ℙ De tauro Perilli, quo usus Phalarides torquendis reis, *Ov. A. Am.* 1, 653. et *Trist.* 3, 11. a *v.* 41., *Cic. Verr.* 2, 4, 33. *f.* et *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 32. ℙ Item aviculae genus. *Plin.* 10, 42, 57. Est quae boum mugitus imitetur, in Arelatensi agro taurus appellata, alioqui parva. ℙ Item radicem arboris. *Quint.* 8. 2. *med.* Taurus animal sit, an mons, an signum in coelo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur. Voces *radix arboris*, sunt qui putant vitiosas esse; hactenus enim quaenam radix ita appelletur, est incompertum: hunc autem locum respexisse videtur *Diomedes*, qui *l. c.* infra in §. 7. pro eadem habet obscenam corporis partem. ℙ Item genus scarabaei terrestris. *Plin.* 30, 5, 12. Tauri vocantur scarabaei terrestres, ricino similes: nomen cornicula dedere: alii pediculos terrae vocant. Ab his, terram egestam illinunt strumis. ℙ Item partem eam in corpore animalis, quae est inter podicem et scrotum, Graece *ὄρρον*, Latine orrhopygium, et ap. *Veg. Vet.* 1, 46. hypotaurium. V. LASTAURUS *Festus* in *Solitaurilia.* Harum hostiarum omnium inviolati sunt tauri: quae pars scilicet caeditur in castratione. V. SOLITAURILIA. *Diomed.* 2, 444. Fit *ἀμφιβολογία* per homonymiam, ut cum dicimus taurum, nec scias, utrum de armento, an obscenam corporis partem, an montem, qui est in Cilicia, an qui est in sideribus, taurum dicamus. ℙ Item translate virum in rebus Venereis fortem, quemadmodum Graeci *ἀταύρωτον* vocabant puellam, quae virgo adhuc esset. *Hor. Od.* 2, 5, 3. de puella: nec tauri ruentis In Venerem tolerare pondus *(valet)*. *Id. Epod.* 12, 17. Lesbia quaerenti taurum, monstravit inertem. ℙ Huc spectat illud *Petr. Sat.* 25. Hinc puto proverbium natum illud, ut dicatur, posse taurum tollere, quae vitulum tulerit. Proprio tamen sensu *Quint.* 1, 9. Milo, quem vitulum assueverat ferre, taurum tulit. ℙ Item significat montem Asiae maximum, quia Lycia usque ad extremos Seres perducitur, pater multorum montium in Boream et Austrum vergentium, quos veluti ramos emittit. Describitur a *Plin.* 5, 27, 27. et a *Solin.* 38. *med.* ℙ Item coeleste Signum inter Arietem et Geminos. In fabulis est ille, sub cujus specie Juppiter Europam rapuit, et ex Phoenice in Cretam transvexit: vel ille, in cujus formam Io fuit conversa. In ejus cauda sunt septem stellae, quas appellant Vergilias, et Pleiadas, ut *Plin.* 2, 41, 41. docet: in fronte totidem, quas Suculas Latine, Hyades Graece. *Hyg. Astron.* 2, 21. et *ib.* 3, 20. *Virg. G.* 1, 217. Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus, et averso cedens Canis occidit astro. V. quae in hunc loc. scripsit *Macr. Somn. Scip.* 1, 18. *med.* ℙ *Taurus draconem genuit, et taurum draco*, Tarentinus notusque senarius, Graece refertur a *Firmic. de err. prof. relig.* 27. et *Clement. Alex. in Προτρεπτικ. p. m.* 11. *Ταῦρος παιὴρ δράκοντος, καὶ ταύρου δράκων.* V. SABAZIUS. ℙ [*Taurus* fuit etiam cogn. R., seu *nomen hominis*, ut vocat *Quint. l. c.* in §. 5. Hinc in *Fast. triumph.* ap. *Grut.* 297. *col.* 3. T. Statilius T. F. Taurus Procos. ex Africa *(triumphavit)* pridie K. Jul. ann. (U. C.) DCCXIX. *F.*] ℙ *Taurus, mons Siciliae. V. in *Tauromenium.* ℙ *Tauri promontorium* in Lycia fuit. *Mela* 1, 15. Lycia Sidae portu et Tauri promontorio grandem sinum claudit. Cf. *Plin.* 5, 27. Junctum ei *(Pamphyliae)* mare Lycium est, gensque Lycia: unda vastum sinum Taurus mons, ab Eois veniens litoribus, Chelidonio promontorio disterminat. *Ptolemaeo* est *ἱερὰ ἄκρα.* Igitur idem (ait *Cellarius*) est *Tauri promontorium* et *Chelidonium* et *Sacrum*, quia ab nonnullis ex eo putabatur Taurus initium habere. V. *Salmas.* ad *Solin.* p. 551. Hodie est *capo Cameroso.* ℙ *Tauri Pylae* dictae sunt angustiae, per quas iter patet ex Cappadocia in Ciliciam. *Cic. Att.* 5, 20. Cf. *Curt.* 3, 4. *in.* ubi *Pylae* audiunt nude. ℙ Fuit et Taurus Asiae fluvius, in finibus Pamphyliae vel Pisidiae. *Liv.* 38, 15. *med.* Ad flumen Taurum. ℙ Quin et Taurus appellatus est unus ex Nili alveis. *Plin.* 5, 31. Namque fallacibus vadis Alexandria, tribus omnino aditur alveis mari, Stegano, Posideo, Tauro. ℙ *Aquae Tauri*, oppidum Etruriae. *Tab. Peut. Thermae Tauri* audit *Rutil.* 1, 249. V. *Aquenses* et *Taurinus* in f. ℙ Fuit et Taurus cognomen Romanum, v. gr. Sex. Pacuvius Taurus, aedilis plebis, de quo *Plin.* 34, 5. item L. Statilius Taurus, augur, cujus meminit *Cic. Att.* 12, 13 et 14. *B. A.*

*TAURUSCI, orum, nomen recentius Noricorum. De his sic *Plin.* 3, 20. Juxtaque Carnos quondam Taurusci adpellati, nunc Norici: his contermini Rhaeti et Vindelici. Sic ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* exhibet *Taurisci*, quod eodem redit, ut censet *Schellerus.* V. *Taurisci. B. A.*

TAUTOLOGIA, ae, f. *ταυτολογία*, Graece est ejusdem rei eloquium, ejusdem sententiae per alia atque alia verba repetitio: figura apud poetas frequens, qua res eadem multis verbis idem significantibus explicatur. Hujusmodi est illa ap. *Virg. A.* 1, 550. Quem si fata virum servant, si vescitur aura Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris; et *Sil.* 6, 208. Utque erat in pugnas, et Martem, et proelia, et hostem Igneus, et magna audendi flagrabat amore; et 7, 219. jam vos aciem, et proelia, et hostem Poscitis. Adde 14, 613. Vult *Charis.* 4, 242. *ταυτολογίαν* esse, si quis dicat *egometipse*, cum sufficerit *ego.* Adde *Diomed.* 2, 445. ℙ Vox Graeca est a *ταὐτὸν*, idem, et *λέγω*, dico: et Graece adhibenda, ut ap. *Quint.* 8, 3. *med.* Latinis tamen litteris scribitur ap. *Capell.* 5, 175. et *Aquil. de fig. sent. et eloc.* p. 26. *Capper.*

TAX, *ταξ*, vox ficticia, strepitum verberum exprimit. *Pl. Pers.* 2, 3, 12. Tax, tax tergo meo erit: non curo. V. LATEX.

TAXA, ae, f. lauri quaedam species, topiario operi idonea, excrescente in medio folio parvulo veluti lacinia folii. *Plin.* 15, 30, 39. ℙ Pro taxatione quidam afferunt duo loca *Digest.* 31, 1, 42. *extr.* et *ib.* 36, 3, 6., sed ibi legitur *taxatio.*

TAXĀTĬO, onis, f. *τίμημα*, actus taxandi, aestimatio, pretium. [*Cic. or. pro Tull.* (ed. *A. Maio*) 4. Ejus rei taxationem nos fecimus: aestimatio vestra est: judicium datum est in quadruplum: scil. dicebatur *taxatio* pecuniae summa, quae a patrono rei proponebatur ob damnum illatum; *aestimatio* vero, quae a judicibus post damnatum reum decernebatur. *Sen. Ben.* 3, 10. Intra pecuniam versabitur taxatio. *Plin.* 13, 15, 29. Mensa citrea HS. XIV. permutata, latifundii taxatione, si quis praedia tanti mercari malit. *Id.* 9, 35, 58. Illa, corollarium id esse, et consumpturam eam coenam taxationem confirmans. *Id.* 37, 3, 12. Taxatio *(succini)* in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiumque pretia superet. *Id.* 7, 12, 10. Hoc super omnem taxationem est. Adde *Quint. decl.* 5, 4. ℙ In contractibus, testamentis, aliisque negotiis est clausula restringens et contrahens rem, de qua agitur: et perscribens ac determinans, quatenus vim habere debeat. *Modest. Dig.* 31, 1, 42. *f.* Hic enim taxationis loco habendum est, quidquid ad te pervenit. *Julian. ib.* 33, 6, 5. Quasi taxationis vicem obtinent haec verba: *quod natum erit.*

TAXĀTOR, oris, m. qui aliquem maledictis tangit. *Fest.* in *Taxat:* Scenici, taxatores dicuntur, quod alter alterum maledictis tangit.

TAXĀTUS, a, um, part. a *taxo*, aestimatus. *Suet. Cal.* 38. Cognoscebat de talibus causis, taxato prius modo summae. *Plin.* 10, 51, 72. Aesopi tragici histrionis patina HS. centum taxata, in qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales. *Id.* 6, 22, 24. Ad nostrarum navium cursus septem dierum intervallum taxatum. *Flor.* 1, 12. *med.* Tum primum hiematum sub pellibus: taxata stipendio hiberna.

TAXĔA, ae, f. lardum est Gallice dictum, ut *Isid. Or.* 20, 2. *med.* ait. V. TAXONINUS. Unde *Afran.* ap. *eund. ib.* Gallum sagatum, pingui pastum taxea, *h. e.* gallum gallinaceum gausape coopertum. V. GAUSAPATUS, seu potius Gallum sago indutum. V. SAGUM. *Arnob.* 7, 229. Quid taxeae? quid naeniae? quid offae? Alii perperam leg. *taedae.*

TAXĔOTA, ae, m. *ταξεώτης*, in ordine aliquo constitutus. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 53. Sancimus, neminem omnino neque curialem, neque taxeotam, episcopum aut presbyterum de cetero fieri. Quidam intelligunt apparitorem esse praesidis, quem aliter *sajonem* dicebant. Ceterum allata modo verba sunt recentioris interpretis, qui ex Graeca in Latinam linguam eam legem vertit.

TAXĔUS, a, um, adj. qui est e taxo arbore, ut Taxea silva, *Stat. Silv.* 5, 5, 29.

TAXĬCUS, a, um, adj. ad taxum arborem pertinens, ut *Taxica venena*, quidam eadem fuisse putarunt, quae nunc *toxica*, teste *Plin.* 16, 10, 20.

*TAXĬLAE, arum, populi Indiae, quorum metropolis Taxila, urbs Indiae grandis, medio inter Indum et Hydaspem loco. *Plin.* 6, 20. ed. *Elzev.* ubi ed. *Hard.* habet *Taxillae.* ℙ Ipsius urbis mentio facta est ap. *Arrian. exped. Alex.* 5, 8. *B. A.*

*TAXĬLES, Indicus rex, de quo *Curt.* 8, 12. *B. A.*

*TAXILLAE, arum. V. *Taxilae. B. A.*

TAXILLUS, i, m. idem ac talus, apud veteres, unde nomen *talus* per syncopen factum est. *Cic. Or.* 45. Axilla, ala factus est fuga litterae vastioris. Quam litteram etiam e maxillis, et taxillis, et vexillo, et paxillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit. *Pompon.* ap. *Prisc.* 3, 615. Interim, dum contemplor orcam, taxillos perdidi. ℙ Est etiam parvus cuneus, qui in aliquod foramen injicitur, Italice *tassello* dicitur. *Gargil. de re hortens.* (ed. *A. A. Scottio*) 2, 6. Si ferax *(amygdalus)* non erit, terebrari in radicibus debet, et taxillus e taeda in foramen aptari; vel in locum taedae cuneus, qui esset ex robore. Rem eandem ita describit *Pall.* 2, 15. *med.* Si ferax non erit, taedae cuneum terebrata radice mergamus. Huc spectat locus *Vitr.* 10, 13. ℙ Est item cogn. R., ut Caelius Taxillus Au. II. Vir. in nummo Uticensi ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 148.

TAXIM, adv. sensim, leviter, leniter, pedetentim: a *tago:* quasi sensim tangendo. *Varr.* ap. *Non.* 1, 234. Novus maritus taciturnus taxim uxoris solvebat cingulum. *Pomp. ib.* 2, 840. Clandestino tacitus taxim prospectavi periculum. *Lucil. ib.* 771. Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim. *Varr. ib.* 17, 3. Hanc eandem voluptatem tacitus taxim consequi lapathio et ptisana possum. ℙ *Taxim* verbum V. in TAGO.

*TAXIMAGŪLUS, i, m. rex in ea parte Britanniae, quae est ad Cantium, et tota maritima est. *Caes. B. G.* 5, 22. *B. A.*

TAXO, as, avi, atum, a. 1. frequentat. a *tago* pro *tango*, ut *vexo* a veho. *Gell.* 2, 6. et *Macr. Sat.* 6, 7. Taxare pressius crebriusque est, quam tangere, unde proculdubio id inclinatum est. *Festus:* Taxat, et taxatio a verbo tango dicuntur. *Appul. fragm. Met.* 10, 717. *Oud.* Ipsoque *(priapo)* pando et repando ventrem saepiuscule taxabam. ℙ Translate est notare, reprehendere: quasi verbis crebro ferire, dictis pungere. *Suet. Aug.* 4. Cassius Parmensis quadam epistola, non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: Materna tibi farina, etc. *Plin.* 15, 15, 16. In piris taxatur superbia cognomine, *h. e.* quaedam pira *superba* appellantur, ut est ap. *Colum.* 5, 10. *med.*, quia parva sunt, sed ocissima omnium, inquit *Plin. l. c.* ℙ Item pretium alicui rei constituere, aestimare: vel quia ad aestimandum ponderandumque

crebro tactu ac tractatu opus est: vel quia Graeci quoque dicunt τάσσειν τιμήν. *Plin.* 33, 5, 27. Chrysocolla aspera taxatur in libras denariis septem; media denariis quinis; attrita denariis tribus. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 30. Talentum Atticum denariis sex millib. taxat Varro. *Suet. Aug.* 41. Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxavit. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Plin.* 6, 33, 38. Agrippa hoc intervallum XL. passuum mill. taxat; et *ib.* 28, 33. Timosthenes totum sinum quatridui navigatione in longitudinem taxavit, bidui in latitudinem. ℙ Translate. *Sen. ep.* 24. Quodcumque illud est malum, tecum ipse metire, ac timorem tuum taxa. *Id. Consol. ad Marc.* 19. Tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. *Id. ep.* 81. *med.* Uni sapienti notum est, quanti res quaeque taxanda sit.

[TAXONĪNUS, a, um, adj. ad taxum, seu taxonem pertinens, qui idem est ac meles, Italis nunc *tasso*, Germanis *Dachs*, Gallis *taisson* dictus: ab Hebr. דָּשֶׁן *dasèn*, pinguis, quia hoc animal solet maxime pinguescere. Ceterum videtur esse vox veterum Gallorum, seu Celtarum, quia taxea Gallice, teste *Isid. Or.* 20, 2., laridum significat. *Marcell. Empir.* 36. *in.* Adipis leoninae unciae quatuor, adipis leopardinae unciae quatuor, adipis taxoninae unciae tres. *F.*]

TAXUS, i, f. σμίλαξ, arbor abieti similis, baccasque ferens, quibus letale venenum inest, praecipue in Hispania, Corsica, et Arcadia. *Virg. Ecl.* 9, 30. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos. *Plin.* 16, 10, 20. Similis his (*abieti et piceae*) etiamnum aspectu est, ne quid praetereatur, taxus, minus virens, gracilisque, et tristis, ac dira, nullo succo, ex omnibus sola baccifera. Mas noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hispania praecipue, venenum inest. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est. Hanc Sextius similacem a Graecis vocari dixit, et esse in Arcadia tam praesentis veneni, ut qui obdormiant sub ea, cibumve capiant, moriantur. Sunt, qui et taxica hinc appellata dicant venena, quae nunc toxica dicimus, quibus sagittae tingantur. Repertum, innoxiam fieri, si in ipsam arborem clavus aereus adigatur. *Caes. B. G.* 6, 30. *extr.* Taxo, cujus magna in Gallia Germaniaque copia est, se exanimavit. Adde *Nemes. Ecl.* 4, 52. ℙ Ob noxiam vim inter ferales habetur, ideoque Inferis tribuitur. *Sil.* 13, 595. vasta comas, nemorosaque brachia fundit Taxus, Cocyti rigua frondosior umbra. *Lucan.* 6, 645. de Dite: Phoebo non pervia taxus opacat. Adde 3, 419. et *Claud. Rapt. Pros.* 3, 386. ℙ Per synecdochen ponitur pro hasta. *Sil.* 13, 210. Letum triste ferens auras secat Itala taxus.

TAYGĒTA, ae, et Taygete, es, f. Ταϋγέτη, filia Atlantis et Pleiones, una ex Pleiadibus. *Virg. G.* 4, 252. Taygete simul os terris ostendit honestum Plias, et Oceani spretos pede reppulit amnes. Adde *Ov. Met.* 3. 595. et *Fast.* 4, 174.

TAYGĒTUS, i, m. et Taygeta, orum, n. plur. mons Laconicae, apud Eurotam fl. et Spartam urbem, Amyclis imminens, unde *Amyclaeus* dicitur: non ille quidem admodum magnus, sed tamen excelsus et erectus, sacer Libero Patri, ut tradit *Serv.* ad *G.* 2, 487. item Castori et Polluci, qui in ejus radicibus nati dicuntur, quod et *Homerus* asserit in Hymnis. *Virg. l. c.* ubi campi, Sperchiusque, et virginibus bacchata Lacaenis Taygeta. *Claud. B. G.* 193. Culmina Taygeti trepidae vidistis Amyclae. *Lucan.* 5, 51. gelidique inculta juventus Taygeti. ℙ Hujus montis bona pars cum terrae motu corruisset, Spartam oppressit. *Cic. Div.* 1, 50. et *Plin.* 2, 79, 81. ℙ *Taygeti metalla*, h. e. marmor. V. LACEDAEMONIUS.

*TAZATA, ae, insula in mari Caspio. *Plin.* 6, 17. ℙ V. *Talea. B. A.*

TE

TĒ, σέ, quartus et sextus casus pronominis *Tu.* ℙ E item adjectio syllabica per se nihil significans, apposita vocibus *tu* et *te*, vim addens, ut *tute fecisti*, tu ipse per te, et non alius. *Enn.* ap. *Auct. ad Her.* 4, 12. O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti. *Id.* ap. *Non.* 7, 9. Bene mones: tute ipse cunctato. *Cic. Fam.* 1, 8. Ut tute mihi praecepisti. *Id. Att.* 12, 18. *f.* Tute scis. *Pl. Epid.* 1, 1, 76. Nisi quid tibi in tete auxilii est, absumptus es. *Lucr.* 1, 102. et 4, 913. addit *met.*

TĒANENSES, ium, m. plur. incolae oppidi Teani, quod hoc nomine duplex fuit, unum in Campania, cognomento Sidicinum, nunc *Tiano*, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 9. *Inscr.* ap. *Romanell. Topogr. Napol.* T. 3. p. 457. Imp. Caes. Trajano Hadriano Aug. Teanenses D. D. ℙ Alterum in Apulia, prope fluv. Frentonem, cognomento Apulum, nunc *Civita*, cujus mentio est ap. *Plin.* 3, 11, 16. *Inscr.* ap. *eund. ib.* T. 2. p. 433. L. Pacidejo L. F. Ter. Carpiano patrono Teanensium Apulum, etc.

*TEARI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, Julienses cognominati. *Plin.* 3, 3. ℙ Eorum caput Tiariulia, Τιαριουλία *Ptolemaeo. B. A.*

*TEĂRUS, i, m. Τέαρος, Thraciae fluvius, in Astica regione. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

[TĒATES, ium, m. plur. incolae oppidi in Apulia, cui Teate nomen, nunc *Chieti di Capitanata*, quinque millibus passuum a fluv. Frentone. *Liv.* 9, 20. Teates quoque Apuli ad novos consules foedus petitum venerunt. *F.*]

TĒĀTĪNUS, a, um, adj. ad Teate pertinens, oppidum Marrucinorum, nunc *Chieti di Apruzzo*, prope Aternum fluv. *Sil.* 17, 458. cui nobile nomen Marrucina domus, clarumque Teate ferebat. Hinc *Teatini*, *orum*, absolute, incolae illius oppidi, ap. *Plin.* 3, 12, 17. Teatini Marrucinorum. ℙ Sunt qui scribunt *Theatinus.*

TĒBĀ, ae, f. collis. *Varr. R. R.* 3, 1. *med.* Lingua prisca et in Graecia Aeoles Boeotii sine afflatu vocant colles, tebas: et in Sabinis, quo e Graecia venerunt Pelasgi, etiam nunc ita dicunt, cujus vestigium in agro Sabino, via Salaria, non longe a Reate, milliarius clivus appellatur Thebae. Haec *Varro*, cui se hac in re minime credere profitetur *Jos. Scal.*

TECHNĀ, ae, f. τέχνη, Graeca vox est, quam Latine artem, seu artificium interpretari possumus. Utuntur hac voce et Latini, sed fere in deteriorem partem, pro dolo, astutia, impostura, fraude, sive fallacia. *Ter. Heaut.* 3, 1, 62. Falli te sinas technis per servulum. *Pl. Most.* 2, 1, 23. Metuo, ne technae meae perpetuo perierint. *Id. Bacch.* 3, 2, 8. Technam de auro adversum meum fecit patrem.

TECHNĪCUS, a, um, adj. τεχνικός, artificiosus. *Quint.* 2, 13. *f.* Et se velut decretis technicorum tutos putent, *h. e.* eorum, qui regulas artis tradiderunt.

TECHNŌPAEGNĬON, ii, n. τεχνοπαίγνιον, ludus artificiosus: a τέχνη, ars, et παίγνιον, ludus. *Ausonius* hoc nomine inscripsit carmen suum, quod est *Idyll.* 12., in cujus praefatione ad Pacatum procons. Technopaegnion, inquit, nomen dedi, ne aut ludum laboranti, aut artem crederes defuisse ludenti. Continet autem illud carmen versus monosyllaba finitos, et interdum etiam inceptos, omnesque multa arte compositos.

TECLĀRĬUS. V. TEGULARIUS.

[TECMESSĀ, ae, f. Teuthrantis regis filia, ab Ajace Telamonio dilecta. *Ov. A. Am.* 3, 517. et *Hor. Od.* 2, 4, 6. *F.*]

*TECMON, onis, Τέκμων, ωνος, Epiri oppidum. *Liv.* 45, 26 ·*B. A.*

TĒCŌLITHOS, ī, m. τηκόλιθος, lapis, qui et spongia dicitur, et invenitur in spongiis, vim habens medendi vesicae, et rumpendi calculos, si in vino bibatur: unde ei nomen a λίθος, lapis, et τήκω, liquefacio, consumo. *Plin.* 36, 19, 35. ℙ Est alius hoc nomine nuclei olivae similis, eandem contra calculos vim habens. *Id.* 37, 10, 68. et *Solin.* 37. *med.*

TECTĒ, adv. κρυφίως, occulte, latenter: cui *aperte* contrarium est. *Cic. Att.* 1, 14. *med.* Et tamen ab illo aperte, tecte quidquid est datum, libenter accepi. *Planc.* ad *Coss. Fam.* 8, 8. Furnio plura verbo, quam scriptura mandata dedimus, ut et tectius ad vos perferrentur, et nos essemus tutiores. *Cic. Fam.* 9, 22. *med.* Quod tu appellas suo nomine, ille tectius penem. *Tibull.* 4, 5, 17. Optat idem juvenis, quod nos, sed tectius optat. *Ov. A. Am.* 1, 276. Vir male dissimulat: tectius illa (*puella*) cupit. ℙ Item caute, tute. *Cic. Or.* 68. *f.* Oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta; nec satis tecte declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit.

TECTONĪCUS, a, um, adj. τεκτονικός, ad aedificia, vel ad aedificandum pertinens: a τέκτων, fabricans. *Auson. Idyll.* 10, 298. Quis potis innumeros cultus, habitusque locorum Pandere, tectonicas per singula praedia formas?

TECTOR, oris, m. qui tegit: et praecipue qui parietes opere tectorio perficit, κονιατής. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Villa tua, quam neque pictor, neque tector vidit unquam. *Vitr.* 7, 3. *f.* Graecorum vero tectores, mortario collocato, arena et calce ibi confusa, etc. *Front. Aquaed.* 117. recenset varios opifices aquaeductibus inservientes, villicos, castellarios, circitores, silicarios, tectores, aliosque opifices. *Tert. Idol.* 8. Scit albarius tector et tecta sarcire, et tectoria inducere, et cisternam liare, et cymatia distendere, et multa alia ornamenta praeter simulacra parietibus incrustare. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 10. ℙ Tres alias Inscriptiones habet *Gudius*, ex quarum duabus apparet, *tectorum* corpus fuisse, et in castris quoque locum habuisse. Prima est p. 17. *n.* 2. M. Claudius M. L. Organius sacerdos Bonae Deae, et sacerdos corp. Lutor. et Tector. Altera p. 149. *n.* 5. A. Anicius Q. F. Felix V. C. tector praetorianorum. Tertia p. 163. *n.* 4. C. Domitius C. F Bassus Coh. III. Leg. III. Italicae Praefect. Mil. et Fabror. Tector. (in impressis est *Rector* errore operarum.) *Graevius* in *not. ad Cic. Planc.* 25. sibi ait non liquere, quem usum in castris tectores habuerint: fortasse in machinis bellicis operam posuisse.

TECTORĬOLUM, i, n. parvum tectorium. *Cic. Fam.* 9, 22. Bella tectoriola: dic ergo etiam pavimenta isto modo: non potes.

TECTŌRĬUM, ii, n. κονίαμα, quidquid parieti exstructo, vel pavimento inducitur, tum firmitatis, tum ornatus causa, sive pura calce, aut gypso; sive arena calce mixta; sive marmore tuso et calce; haec enim omnia *tectorii* nomine significantur. Primum vocatur *albarium opus*, secundum *arenatum*, tertium *marmoratum*, de quibus agit *Vitr.* 7, 2. et 3., et quartum *testaceum*, de quo *Varr. R. R.* 3, 11. Vestibulum exaequatum tectorio opere testaceo, *h. e.* e fictili cocto contuso et calce. *Cic. Verr.* 2, 1, 55. *f.* Columna, ex qua tantum tectorium vetus delitum sit, et novum inductum. (*Prisc.* 18, 1151. legit *dejectum sit:* alii *deletum.*) *Id. Q. Fr.* 3, 1, 1. Totum in eo est (quod mihi erit curae) tectorium ut concinnum sit. *Varr. R. R.* 3, 8. Parietes ac camarae munitae tectorio. *Sen. ep.* 86. *med.* Balnea obscura, et gregali tectorio inducta. *Colum.* 8, 15. *med.* Cubilia lapide fabricata, et expolita tectoriis. *Vitr.* 5, 10. *med.* Inferior pars, quae ad pavimentum spectat, primum testa cum calce trulissetur, deinde opere albario, sive tectorio poliatur. *Id.* 7, 3. *med.* Quo fundatior erit ex arenato directura, eo firmiror erit ad vetustatem soliditas tectorii. *Plin.* 35, 16, 56. Chia terra lacte diluta tectoriorum albaria interpolantur; et 36, 23, 55. Tectorium nisi ter arenato, et bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet: et *paulo sup.* Tectoria rimae foedant. *Ulp. Dig.* 15, 3, 3. *med.* Domum exornare tectoriis; et *Nerat. ib.* 7, 1, 44. Novum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest. *Juven.* lepide *tectorium* appellat fucum, quo mulieres faciem illinunt, 6, 466. Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit. ℙ Ipsa quoque materia, ex qua tectorium fit, *tectorium* dicitur. *Plin.* 30, 6, 17. Pecudis lienem tectorio includere in pariete, *h. e.* calce, vel gypso, vel denique luto, inquit *Hard.* et 36, 23, 55. Tectorium inducere lacte et croco subactum. ℙ Translate. *Pers.* 5, 24. dignoscere cautus, Quid solidum crepet, et pictae tectoria linguae, *h. e.* sermonem auditu blandum, et verba simulata, tegentia fraudem et animum subdolum. *August. ep.* 1. (al. 132.) *ad Volusian.* Sanctarum litterarum studium solida res est, nec ullo linguae tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat, *h. e.* eloquentia inani et fucatis verbis sine rerum aut sententiarum pondere. ℙ Ap. *Cat.* est operimentum, puta stragulum, cento, quo quippiam tegitur: *R. R.* 11. Opercula doliorum et tectoria priva. *Pontedera* ex tribus *Codd.* corrigit *tectaria*, h. e. tegumenta, et *Schneiderus* idem recepit.

TECTORĬUS, a, um, adj. ad tegendum pertinens. *Tectorium opus*, quo teguntur parietes, κονίαμα. V. v. praec. *Cic. Leg.* 2, 26. Sepulcrum tectorio opere exornare. *Varr. R. R.* 1, 57. Granarii parietes, et solum, opere tectorio marmorato loricandi. *Pl. Mil.* 1, 1, 18. Peniculus tectorius: quem *Plin.* quoque appellat 28, 17, 71. penicillum tectorium. *Id.* 35, 6, 25. Atramentum tectorium, glutino admixto, sole perficitur. ℙ Ap. *Plaut.* alii leg. *panicula tectoria*, h. e. comam lanosam arundinum, quibus ruri casae integi solent.

*TECTOSĀGAE, arum. V. v. sq.

*TECTOSĀGES, um, Τεκτοσαγεῖς, populi Galliae Narbonensis, Volcarum pars, unde *Volcae Tectosages* dicti a *Plin.* 3, 4. *Mela* 2, 5. *in. Caes. B. G.* 6, 24. ℙ Fortissimi aliquando Gallorum fuere, Pyrenaeis proximi et Cimminiis; ita vocati, aiunt, quod sagis vestirentur: adeo olim potentes opibus et virium praestantia, ut per Graeciam, tunc victricem gentium, magna hominum manu profecti, in Asia supra Phrygiam Cappadociamque in Galatia sc. ac Gallograecia, sedes posuerint, incolumes ab omni finitimorum incursu. ℙ *Tectosagi* audiunt *Liv.* 38, 16. et 24. *Teutosagae* autem *Auson. de clar. urb. in Narbone* 9. ubi tamen in aliis edd. *Tectosagos* legitur. *B. A.*

*TECTOSĀGI, orum. V. v. praec. *B. A.*

TECTŪLUM, i, n. parvum tectum, parva domus. *Hieron. ep.* 117. *n.* 9. Ne maledici homines sub uno tectulo vos manentes, lectulum quoque criminentur habere communem.

TECTUM, i, n. ὄροφος, pars domus superior, qua ceterae teguntur. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. *f.* Absolutum offendi in aedibus tuis tectum. *Lucr.* 2, 191. cum subsiliunt ignes ad tecta domorum. *Pl. Rud. prol.* 78. Deturbavit ventus villae tectum ac tegulas. ℙ Per synecdochen est ipsa domus. *Cic. Att.* 5, 16. *med.* Multis locis ne tectum quidem accipio, et in tabernaculo maneo plerumque. *Id. Rosc. Com.* 12. Tum erat ager incultus sine tecto: nunc est cultissimus cum optima villa. *Id. Verr.* 2, 5, 10. *med.* Ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile, non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. *Id. Cat.* 3, 12. Vos, Quirites, in vestra tecta discedite. *Id. Agr.* 2, 33. *med.* Recipere aliquem tectis ac sedibus suis. *Liv.* 1, 15. De tectis moenibusque dimicare; et *ib.* 9. Cum frequentem tectis urbem vidissent. *Virg. Ae.* 4, 402. ingentem formicae farris acervum etc. populant, tectoque reponunt. *Id. ib.* 1, 631. tectis juvenes succedite nostris. *Id. G.* 4,

61. Frondea tecta. *Ov. Met.* 5, 287. claudit sua tecta Pyreneus; et *ib.* 12, 417. Tecta intrare; et *ib.* 14, 250. subire; et *ib.* 8, 549. succedere tectis; et *ib.* 9, 148. excedere. *Id. Her.* 1, 109. inimicos pellere. *Id. Met.* 3, 697. Claudere aliquem in tectis solidis, *h. e.* in carcere. *Id. A. Am.* 2, 362. Isdem sub tectis hospes et uxor erant.

TECTŪRA, ae, f. tectorium, crusta calcis, marmoris contusi, aut alterius materiae, quae parietibus superinducitur. *Pall.* 1, 15. Parietum tectura sic fiet fortis, et nitida. *Id. ib.* 17. In quocumque loco pavimenti, vel parietis tectura succumbat.

TECTUS, a, um, part. a *tego:* κεκαλυμμένος, opertus, contectus, intectus. *Cic. N. D.* 2, 47. Bestiae aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae; et *ib.* 60. Ut tecti, ut vestiti esse possimus. *Hor. Sat.* 2, 1, 40. tectus vagina ensis. *Mart.* 5, 14. cucullo caput tectus Nannejus. *Ov. Met.* 12, 291. prima tectus lanugine malas; et *ib.* 212. Antrum tectum arboribus. *Id. Trist.* 4, 2, 41. Rhenus viridi male tectus ab ulva. *Id. Pont.* 2, 10, 28. Nymphe tecta sub aqua aequorea. *Id. Fast.* 2, 665. congestis tectus in armis. *Lucan.* 3, 6. Montis cacumen tectum nubibus. *Id.* 7, 393. Urbium ruinae tectae pulvere. *Petr. Sat.* 109. Per antennam pelagiae consederant volucres, quas tectis arundinibus peritus artifex tetigit, *h. e.* occulte immissis. (*Val. Fl.* 6, 262. manu tacita cui plurima crevit arundo.) *Caes. B. C.* 2, 15. Miles dextera ac sinistra muro tectus, quaecumque usui sunt, sine periculo supportat. ℙ *Tectae* dicuntur oves Tarentinae (quae et Graecae), quia, cum mollissimam lanam ferrent, pellibus contectae pascebantur, ne vellera aut conspurcarentur, aut dumis adhaerescerent. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.*, *Colum.* 7, 2. et *Plin.* 8, 47, 72. ℙ *Tecta via* quaenam fuerit, V. in RECTUS. ℙ *Tectae naves*, constratae: quibus *apertae* opponuntur. *Liv.* 36, 43. Centum quinquaginta tectis navibus, apertis ferme quinquaginta profecti. Adde 31, 46. Etiam *Caes. B. C.* 3, 100. tectas instratasque scaphas memorat. ℙ Translate est occultus, obscurus, secretus. *Cic. Fam.* 9, 22. Totus est sermo verbis tectus, re impudentior; et *ib. f.* Tectis verbis ea ad te scripsi, quae apertissimis agunt Stoici. *Id. Rosc. Am.* 36. *f.* Paulo occultior atque tectior vestra ista cupiditas esset. *Ov. Rem. Am.* 619. tectus amor. *Cic. Fin.* 2, 17. Qui occultus et tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, etc. ℙ Item cautus. *Cic. Or.* 2, 73. Unum te in dicendo mihi videri tectissimum: propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Alii aliter leg. *Id. Dejot.* 6. Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? Alii aliter leg. *Id. Rosc. Am.* 40. Tecti ad alienos esse possumus: intimi multa apertiora videant, necesse est. ℙ Item protectus, defensus, tutus. *Id. Or.* 1, 59. *f.* Nostri clarissimorum hominum auctoritate leges et jura tecta esse voluerunt. *Id. Manil.* 24. Pericula facile innocentia tecti pellemus. *Nep. Pel.* 5. Legationis jure satis tectum se arbitrabatur. ℙ Item celatus. *Ter. Hec.* 3, 3, 27. Te obsecramus, uti adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sint.

*TECUM, i, n. Galliae Narbonensis flumen, ex montibus Pyrenaeis decurrens, inque Oceanum cadens. Hodie est *the Tech* vel *Tec.* Meuinit *Plin.* 3, 4. Flumina Tecum, Vernodubrum. ℙ *Tichis* appellatur a *Mela* 2, 5. *B. A.*

TĒCUM. V. TU.

[TĒCŪSĂ, ae, f. τεκοῦσα, pariens, genitrix: particip. aor. 2. verbi τέκω seu τίκτω, pario. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p, 351. *n.* 41. Hortesia Tecusa. *F.*]

TEDĂ. V. TAEDA.

*TEDANĪUS, i, m. Τηδάνιος *Ptolemaeo.* Illyriae fluvius, in Liburnia, qui *flumen Tedanium* (casus rectus est) audit *Plin.* 3, 21. *B. A.*

TĒDIGNĪLŌQŪĪDES, vox ficta joculariter a *Pl. Pers.* 4, 6, 22. h. e. te digna loquens.

*TEGANŪSA, ae, f. insula Laconiae adjacens. *Plin.* 4, 12. qui in sinu Laconico sitam eam refert. ℙ *Mila* 2, 7. *med.* e regione ait esse Acritae promontorii. ℙ Scribitur et *Theganusa:* et profecto aspirationem exhibent *Pausanias* et *Ptolemaeus. B. A.*

TĒGĔA, ae, et Tegee, es, f. Τέγη, oppidum Arcadiae in Peloponneso. *Plin.* 4, 6, 10. Ap. *Serv.* ad *A.* 5, 299. est Tegeum, a Tegeo Arcadiae filio. ℙ Ponitur et pro ipsa Arcadia. *Stat. Th.* 11, 177. me Tegee regem indefessa reposcit: Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris, *h. e.* Arcadia poscit a me Parthenopaeum filium regis sui: cujus mater Atalanta. Adde *Claud. B. G.* 576.

*TEGEĂTAE, arum, incolae urbis Tegeae in Arcadia. *Cic. de Div.* 1, 18. *B. A.*

TĒGĔĂTĪCUS, a, um, adj. Tegeeus. *Stat. Silv.* 1, 2, 18. Et de Maenalia volucer Tegeaticus umbra, *h. e.* Mercurius in Arcadia natus. Sic *ib.* 5, 1, 102. Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris.

TĒGĔĂTIS, idis, f. Tegeatica. *Sil.* 13, 329. de Pane Deo Arcadiae: Dextera lascivit caesa Tegeatide capra. *Stat. Th.* 9, 571. Torva sagittiferi matter Tegeatis ephebi, *h. e.* Atalanta mater Parthenopaei.

TĒGĔĔUS, a, um, adj. Τεγέειος, ad Tegean, vel Tegeum Arcadiae oppidum pertinens: et ponitur pro Arcadico. *Virg. G.* 1, 17. (et *Prop.* 3, 2, 30.) Pan ovium custos, tua si tibi Maenala curae, Adsis, o Tegeee, favens. *Id. A.* 5, 299. Alter ab Arcadia Tegeeae sanguine gentis. Alii leg. *Tegeae de sanguine. Id. ib.* 8, 459. de Euandro: Tum lateri atque humeris Tegeeum subligat ensem. *Ov. A. Am.* 2, 55. et *Fast.* 2, 167. Tegeea virgo, *h. e.* Callisto filia Lycaonis Arcadiae regis, in ursam versa, et facta sidus, quod Ursam majorem, et Plaustrum vocant. *Id. Met.* 8, 317. et 380. nemorisque decus Tegeea Lycei, *h. e.* Atalanta in Seyro urbe Arcadiae nata. *Id. Her.* 9, 87. Tegeeus aper, *h. e.* qui fuit in Erymantho Arcadiae monte. *Id. Fast.* 1, 627. Tegeea parens, *h. e.* Carmenta Euandri Arcadii mater: quae dicitur *Fast.* 6, 531. Tegeea sacerdos. *Id. ib.* 1, 545. domus, *h. e.* Euandri. *Stat. Silv.* 1, 5, 4. volucer Tegeeus, *h. e.* Mercurius Arcas. Sic *Claud. Rapt. Pros.* 1, 89. Atlantis Tegeee nepos. *Val. Fl.* 1, 375. Tegeeum limen, *h. e.* Arcadia. ℙ Sunt qui scrib. *Tegeaeus*, sed minus recte; ex Graeca enim diphthongo ει Latina vocalis ē, non diphthongus *ae*, derivat.

TĒGES, ētis, f. φορμός, φορμὶς, straguli genus, quam et stoream appellant, ex ulva, sive scirpo, aut sparto in lodicis similitudinem, quo viliores utuntur: a *tego. Varr. R. R.* 1, 22. Quae fiunt de cannabi, lino, junco, palma, scirpo, ut funes, restes, tegetes. *Mart.* 11, 32. Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus, Nec tibi de bibula sarta palude teges; et *ib.* 56. Et teges, et cimex, et nudi sponda grabati. *Plin.* 21, 18, 69. Similia praecipit et de junco, quem mariscon appellant, ad texendas tegetes. *Colum.* 5, 5. *med.* Sub ortum Caniculae palmeis tegetibus vineas adumbrabat. *Id.* 12, 50. Canneae tegetes, quibus oliva excipitur. *Juven.* 6, 117. Ausa Palatino tegetem praeferre cubili, *h. e.* vilem lodicem meretriciam. *Id.* 7, 221. Institor hibernae tegetis. *Mart.* 6, 39. Filii in grabatis tegetibusque concepti.

*TEGETARĬUS, i, m. qui concinnat vel plicat tegetes. *Gloss. Gr. Lat.* ψιαθοποιὸς, ψιαθοπλόκος, Tegetarius. *B. A.*

TĒGĔTĬCŬLĂ, ae, f. φορμίδιον, parva teges. *Varr. R. R.* 3, 8. Sed pro columbariis in pariete mutulos, aut palos in ordinem, supra quos tegeticulae cannabinae sint impositae. *Id. ib.* 2, 11. *med.* Diligentiores tegeticulis subjectis oves tondere solent, ne flocci intereant. *Mart.* 9, 93. Dat tibi securos vilis tegeticula somnos. Alii rectius leg. *lecticula:* nam antepaenult. in *tegeticula* brevis est.

TĒGĔUS. V. TEGEEUS.

[TĒGĬĂNENSIS, e, adj. ad Tegianum pertinens, nunc *Diano*, oppidum Lucaniae prope fluv. Tanagrum. Hinc *Tegianenses*, *ium*, absolute, sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 6. A. Veratio A. F. Pal. Severiano equiti Rom. Cur. reip. Tegianensium. Alia ap. *Romanell. Topogr. Napol.* T. 1. p. 415. Senatus, populusque Tegianensis. ℙ Hinc factum nomen gentilicium. *Inscr.* ap. *Mur.* 1407, 14. Tegeanensi Primae, quae vixit Ann. XXXIII. M. VII. D. XII. M. Teg. Crescens conj. dulcissimae, etc. *F.*]

[TĒGĬCŬLUM, i, n. idem ac tegimen. *Donat.* ad *Ter. Phorm. prol.* 27. Φόρμιον tegiculum dicunt Graeci, quo insternitur pavimentum. *F.*]

TĒGĬLĔ, is, n. tegmen, velamen. *Appul. Met.* 9. Exiguo tegili tantummodo pubem injecti. Alii leg. *tegillo.*

TĒGĬLLUM, i, n. καλυμμάτιον, parvum tegmen, et speciatim cucullus, vel petasus e scirpis factus, vestis vilis, et plebeja, ut e *Festo* ac *Nonio* constat: dimin. a *tegulum*, quod a *tectum* qua vestem signat, ut a *recta*, quod itidem vestis genus, *regilla. Fest.* Tegillum, cuculliunculum ex scirpo factum. *Pl. Rud.* 2, 7, 18. Tegillum eccillud mihi unum arescit: id, si vis, dabo. *Varro* ap. *Non.* 2, 846. In aere volitans milvius, aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat. V. v. praec.

TĒGĬMEN et Tegŭmen, inis, n. tegumentum, tegmen. In MSS. multorum auctorum, passim promiscue inveniuntur, ut ap. *Liv.* 4, 39., *Virg. A.* 3, 594., *Ov. A. Am.* 3, 112. et *Met.* 1, 672., *Sen. Herc. Fur.* 1151., *Sil.* 1, 402. etc. Utrumque enim probe dicitur. Videtur tamen *tegimen* usitatius esse, et criticis magis placere: *tegumen* magis antiquitatem sapere: quod adnotavit *Pier.* ad *Virg. l. c.* Neque soli poetae his usi, sed et prosae scriptores. *Sen. Q. N.* 6, 25. Parietes, quibus fertur omne tegimen cavi. *Colum.* 7, 4. *med.* Campis omni surculo ruboque vacantibus ovem Graecam pascere meminerimus, ne et lana carpatur, et tegumen. Alii leg. *tegumenta. Id.* 1, 8. *med.* Vestem, manicas, tegumina recognoscat. Alii leg. *tegmina. Tac. A.* 2, 21. Germanicus, quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti.

*TEGIUM, i, n. oppidum Mysiae vel Troadis, vel fortasse in Teuthrania Mysiae parte. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*TEGLICĬUM, i, n. oppidum Moesiae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

TEGMEN, inis, n. καλύμμα, σκέπασμα, operimentum, tegumentum: per syncop. a *tegimen*, vel *tegumen*, significat omne id, quod quocumque modo tegit et operit. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi amictui est Scythicum tegmen; calceamentum, solorum callum. *Ov. Met.* 12, 91. removebitur omne Tegminis officium: tamen indestrictus abibo, *h. e.* loricae, galeae, clypei. *Lucan.* 7, 499. tutoque latet sub tegmine pectus, *h. e.* lorica. *Virg. A.* 7, 742. tegmina capitum, *h. e.* galeae. Eod. sensu *Sil.* 1, 402. Perque ipsum tegimen crepitantia dissipat ossa. *Val. Fl.* 6, 349. septeno validam circumfert tegmine molem, *h. e.* scutum. Sic *ib.* 53. tegmina caelata. (Adde *Lucr.* 3, 651.) *Liv.* 5, 38. *f.* Multos imperitos nandi, graves loricis aliisque tegminibus hausere gurgites. *Virg. A.* 7, 666. tegmen torquens immane leonis, *h. e.* pellem, tergus leoni detractum. *Lucr.* 3, 601. tegmine dempto, *h. e.* corpore, quod est tegumentum animae. *Val. Fl.* 5, 361. tegmina flammea murice, *h. e.* vestes; et 6, 702. tegmina plantae, *h. e.* calcei. *Catull.* 64, 129. surae, *h. e.* tibialia. *Lucan.* 9, 771. sine ullo tegmine pubes erat, *h. e.* sine pelle, aut carne. *Virg. Ecl.* 1, 1. patulae recubans sub tegmine fagi, *Ov. Med. fac.* 54. Hordea exsuere de palea et tegminibus suis, *h. e.* cortice et folliculis. *Colum.* 10, 243. arbos Punica, quae rutilo mitescit tegmine grani. *Id.* 3, 10. *med.* Tegmina et umbracula vitium. *Stat. Th.* 1, 406. subit uno tegmine, *h. e.* tecto, domo. *Claud. III. cons. Honor. praef.* 3. excusso saliit cum tegmine proles, *h. e.* ovi putamine. *Ov. Met.* 11, 514. spoliataque tegmine cerae Rima patet, praebetque viam letalibus undis, *h. e.* obturamento. *Lucr.* 1, 986. Nec res ulla geri coeli sub tegmine posset. Sic *Cic.* vertens *Arati* carmina, *N. D.* 2, 44. lato sub tegmine coeli. *Laevius* ap. *Gell.* 19, 7. *f.* nimis poetice flumina gelu concreta *tegmine* esse *onychino* dixit.

TEGMENTUM, i, n. tegumentum, tegmen. *Afr.* ap. *Non.* 2, 333. Accipe hoc tegmentum, et sustine. *Cic. N. D.* 2, 57. Palpebrae quae sunt tegmenta oculorum. Alii leg. *tegumenta. Caes. B. G.* 2, 21. *f.* Scutis tegmenta detrahere, *h. e.* vela, et sacculos, quibus contecta erant. *Id. B. C.* 3, 44. *f.* Ex centonibus aut coriis tunicas aut tegmenta facere; et *ib.* 62. Tegmenta galeis ex viminibus facere. Adde *ib.* 63. *f.*

TĒGO, is, xi, ctum, a. 3. καλύπτω, στέγω, σκεπάζω, operio, contego, obduco, velo, vestio, a στέγω, dempto σ. *Cic. Div.* 2, 69. *f.* Cum projectus esset inhumatus, amica corpus ejus texit suo pallio. *Caes. B. C.* 2, 10. Tigna musculi tegendi causa ponere. *Plin.* 6, 24, 28. Chelonophagi testudinum superficie casas tegentes. *Tibull.* 1, 9, 68. Horrida villosa corpora veste tegam. *Sen. contr.* 13. *med.* Numquid vestem nihil in matrona tecturam concupivit? *Prop.* 4, 3, 44. Hyppolyte texit galea molle caput. *Mart.* 14, 138. Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum. *Virg. G.* 4, 414. Tegere lumina somno. *Inscr.* ap. *Grut.* 172, 11. M. Avianius M. F. Conjunctus II. Vir iter texit, et tectum S. P. *h. e.* iter stravit. ℙ Saepe refertur ad sepulturam. *Prop.* 2, 20, 44. Me licet unda ferat, te modo terra tegat. *Ov. Met.* 15, 55. Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis Ossa tegebat humus. *Id. Am.* 2, 6, 59. Ossa tegit tumulus. *Lucan.* 2, 548. Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro. Adde *Prop.* 3, 6, 38. et *Mart.* 9, 30. et 5, 34. ℙ *Latus tegere* quid sit, V. LATUS, eris. ℙ Translate est celare, occultare, abscondere. *Cels. B. C.* 3, 32. Ut honesta praescriptione rem turpissimam tegerent. *Nep. Dion.* 1. *extr.* Crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat. *Cic. Pis.* 24. Triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam. *Id. Quint.* 26. Mendacio tegere aliquid. *Sall. Jug.* 89. Turpia facta oratione tegere. *Phaedr.* 4, 23. Superba jactas, tegere quod debet pudor. *Sen. Hipp.* 153. Astu doloque tegere nefas. *Ov. Trist.* 3, 6, 10. Pectoribusque dabas multa tegenda meis. *Hor. Ep.* 1, 18, 38. et *A. P.* 200. Tegere commissa. *Lucan.* 9, 1106. abscondunt gemitus, et pectora laeta Fronte tegunt. *Id.* 2, 360. flamea nuptae tectura pudorem. *Liv.* 41, 2. Nebula matutina texerat inceptum. *Lucan.* 8, 202. Ostendit terras Titan. et sidera texit. *Cic. Rab. Post.* 15. *f.* Ferae latibulis se tegunt. ℙ Item tueri, protegere, defendere. *Caes. B. C.* 3, 26. *f.* Qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus; et *ib.* 1, 85. Quos in sua potestate habuit, conservavit et texit. *Cic. Fam.* 13, 66. *extr.* Tegere ac tueri aliquem in aliqua re. *Id. Planc.* 1. Is meam salutem atque vitam sua benivolentia, praesidio, custodiaque texit. *Sall. Cat.* 6. Libertatem, patriam, parentesque armis tegere. *Liv.* 8, 6. Legatos ab ira impetuque hominum tegere. ℙ *Tegere aliquem*, cingere, circumstare, adesse solaminis aut auxilii causa. *Stat. Silv.* 5, 1, 25. licet omnis pariter matertera vatem, Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos.

*TEGRAE, arum, Moesiae inferioris oppidum. *Tab. Peut.* ℙ *Tegra* est in *Notit. Imper. B. A.*

TĔGŪLA, ae, f. *κέραμος, πλίνθος*, testae genus, quo domus teguntur: a *tego*, quamvis prima syllaba producatur, ut in *regula* a *rego*. In quo differat *tegula* ab *imbrice*, V. in IMBREX. *Ter. Eun.* 3, 5, 40. Deum sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas Venisse clanculum per impluvium. *Pl. Mil.* 2, 6, 23. Quod meas confregisti imbrices et tegulas. *Cic. Phil.* 2, 18. Cum tamen tu nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere. *Jabolen. Dig.* 19, 1, 18. Tegulas aedificiis imponere. *Pomp. ib.* 41, 3, 30. in aedificium conjicere. *Ulp. ib.* 43, 23, 7. *extr.* si quis de aedificio sustulerit. *Id. ib.* 39, 2, 24. *med.* Tegulae vento dejectae. *Ov. Fast.* 6, 316. Strataque erat tepido tegula quassa solo. *Id. Ib.* 304. Opprimat hostili tegula facta manu. *Suet. Gr.* 9. Pauperem se, et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur. Adde *Ov. A. Am.* 2, 622., *Mart.* 7, 36. et *Juven.* 3, 201. ℙ *Extrema tegula stare*, proverb. lapsui vicinum esse. *Sen. ep.* 12. *med.* ubi *Lips.* mallet *regula*. ℙ *Tegula* fuit cognomen R., ut P. Licinius Tegula, ap. *Liv.* 31, 12. *f.* ℙ Etiam *tegla* et *tecla* legitur in *Inscriptionib.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 241.

[TĔGŪLĀRĬUM, ii, n. V. TUGURIUM. *F.*]

TĔGŪLĀRĬUS, ii, m. qui tegulas facit. *Vet. Tab. marm.* ap. *Mur.* 305. Myro Aug. L. pictor, Felix Aug. L. juscul., Anteros tegul. *Inscr.* ap. *Pratill. Via App.* p. 180. P. Anicius P. L. Eros tegularius, ℙ Etiam *teclarius* legitur pro *tegularius*, ut *tecla* pro *tegula*. V. h. v. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 92. Hermia teclarius ollam dedit.

TĔGŪLĬCĬUS, a, um, adj. tegulis contectus. *Inscr.* ap. *Grut.* 54, 11. Deo Mercurio attegiam teguliciam ex voto posuit.

TĔGŪLUM, i, n. idem quod tegumen tecti. *Plin.* 16, 36, 64. Tegulo enim aquaticarum arundinum domos suas Septentrionales populi operiunt; et *ib.* 37. Scirpi fragiles ad tegulum, tegetesque. ℙ *Est et tegulum i. q. tegula. *Pompon.* in *Pandect.* 41, 3, 30. Ad tegulorum vel columnarum usucapionem. Sic ed. *Torrent.* ubi ed. *Holoand.* habet *tegularum*. *B. A.*

TĔGŪMEN, inis, n. idem ac tegmen. *Liv.* 1, 20. Et super tunicam aeneum pectori tegumen, coelestiaque arma, quae ancilia appellantur, ferre. *Id.* 36, 32. Testudo collecta in suum tegumen. Alii hic leg. *tegimen*, alii *tegmen:* sed *tegumen* in MSS. est frequentius. *Tac. G.* 17. Tegumen omnibus sagulum fibula aut spina consertum. V. et TEGIMEN.

TĔGŪMENTUM, i, n. tegumen, tegmen, integumentum. *Cic. N. D.* 2, 60. Tegumenta corporum vel texta, vel suta. *Accius* ap. *eund. Fin.* 5, 11. *med.* Pinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat. *Caes. B. C.* 2, 9. *med.* Quod genus tegumenti erant experti nullo telo transjici posse. *Liv.* 9, 19. (et 1, 43.) Scutum Romano, majus corpori tegumentum. *Sen. ep.* 90. *med.* Humus tegumentum repellendis caloribus. *Id. Consol. ad Helv.* 8. Tegumenta capitum. *Suet. Cal.* 55. *f.* Equo purpurea tegumenta dedit. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 2, 2, 32. Istaec ego mihi semper habui aetati tegumentum meae, *h. e.* tutelam. *Cic. Coel.* 20. Quaerere tegumenta vitiorum. Alii leg. *integumenta*.

[TĔGŪRĬUM, ii, n. 2. V. TUGURIUM. *F.*]

TĒĬUS, a, um, adj. *Τήϊος*, ad Teum pertinens, oppidum Ioniae in paeninsula, cum portu, inter Erythras et Colophonem: ubi Anacreon natus esse dicitur: ejus meminit *Liv.* 37, 27. Naves Teum postero die accessere. *Hor. Epod.* 14, 9. Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonata Teium. *Id. Od.* 1, 17, 18. Vitabis aestus, et fide Teia Dices, etc. *Ov. Trist.* 2, 364. Praecepit lyrici Teia Musa senis. Adde *A. Am.* 3, 330. et *R. A* 762. ℙ *Teia* ap. *Prop.* 4, 8, 31. et 58. est nomen proprium meretricis.

TĔLA, ae, f. *ἱστὸς*, (ab *ἵστημι*, sto) quidquid ex lana, lino, sericove texendo conficitur. A *texo* fit *texela* (ut a *tutor tutela*, a *medeor medela*, etc.) et per syncop. *tela*, ut a *maxilla mala*, ab *axilla ala*, etc. Porro duplex fuit telae texandae modus: antiquissimus, quo tela pendula, seu recta, texebatur a stante, cum nempe ejusdem stamina a ligno transverso suspensa, ponderibus lapideis infra appensis extendebatur: deinde licia inferius decussatim implicabant gemina tramae strata, quae ope liciatorii antrorsum retrorsumque trahebantur: denique subtemen inter tramae stamina immissum sursum versus radio, seu spatha, quam textrix manu tenebat, impulsum percussumque in telam densabatur. V. STAMEN. Hanc texendi rationem exhibet pictura, quam ex perantiquo *Virgilii* Cod. Vaticano primus protulit *Jo. Ciampin. De Musiq. sacr. profanarumque aed. structuris P.* 1. *c.* 13. *tab.* 35., emendatam parumper dedit etiam *Braun. De vest. sacerd. Hebr. l.* 1. *c.* 16. Hujusmodi telae usum ad quartum usque a Chr. n. saeculum durasse, apparet ex *Servii l. c.* in V. RECTA, ae. Aliquod tamen discrimen inductum est ab Aegyptiis, qui, testibus *Herodot. l.* 2. *c.* 35. et *Etymol. M.* in V. *Ἐποιχομένην*, sedentes subtemen deorsum detrudere coeperunt, cum aliae quidem gentes, ut dictum est, stantes sursum impellerent. Alter vero texendi modus est, quo, ut hodiernum apud nos, tela ad libellam directa, quae plana seu jugalis dicitur, (V. JUGALIS.) jugo jungitur, et textrix sedens ope scamillorum, quae Itali nunc *calcole* vocant, stamina decussata versat, et subtemen inter tramae fila ope panuclii, quod Itali *navicella* nunc dicunt, inserens, idem pectine densat, deorsumque telae textum impellit: qua quidem textura postea longiores panni lanei, linei, sericique contexi coeperunt, ex quorum partibus desectis plures vestes fierent; cum e contrario antiquitus tantum telae texebatur, quantum ad unam tunicam, aut una feminalia, aut tibialia, et id genus alia conficienda satis esset. V. INCONSUTUS. Utriusque telae conficiendae formam docet *Sen. ep.* 90. *med.* Posidonius dum vult describere primum, quemadmodum subtemen insertum, quod duritiem utrinque comprimentis tramae remolliat, spatha coire cogatur, et jungi; textrini quoque artem dixit a sapientibus inventam, oblitus postea repertum hoc subtilius genus, in quo (*Ov. Met.* 6, 55. et sqq.) Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo; Inseritur medium radiis subtemen acutis, Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. Utriusque telae discrimen paucioribus verbis indicat *Ov. Fast.* 3, 819. Illa (*Minerva*) etiam stantes radio percurrere telas Erudit, et rarum pectine densat opus, *h. e.* docet antiquiorem telae stantis seu pendulae modum, quae radio; et recentiorem jugalis, quae pectine perficitur. ℙ Ad priorem tantum telae rationem pertinent haec loca *ejusd. Her.* 1, 9. Nec mihi etc. Lassaret viduas pendula tela manus; et *Met.* 4, 275. Quae radio stantis percurrens stamina telae; et *ib.* 6, 576. Stamina barbarica suspendit callida tela. ℙ Ad posteriorem vero spectant sequentia. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. *med.* Mulier, Lamia nomine, per triennium isti, plena domo telarum, stragulam vestem confecit: nihil nisi conchylio tinctum. *Virg. G.* 1, 294. et *A.* 7, 14. Arguto tenues percurrens pectine telas. *Id. ib.* 4, 264. et *ib.* 11, 75. tenui telas discreverat auro. *Ov. Met.* 6, 68. Illic et lentum filis immittitur aurum, Et vetus in tela deducitur argumentum. *Id. Fast.* 4, 609. assiduis exercet brachia telis. *Val. Fl.* 4, 369. Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro. *Ter. Heaut.* 2, 3, 44. Telam texere. *Cic. Acad.* 4, 29. *f.* retexere. *Pl. Ps.* 1, 4, 7. detexere. *Appul. Met.* 6. struere. *Ter. Andr.* 1, 1, 48. Lana ac tela victum quaeritare. *Ulp. Dig.* 32, 1, 70. §. 11. Lino autem legato, tam factum, quam infectum continebitur, quodque netum, quodque in tela est, quod est nondum detextum. *Id. ib.* 34, 2, 22. Quod in tela est, nondum pertextum, vel detextum, contextum appellatur. ℙ Dicitur etiam de filo, seu stamine ipso ad texendum idoneo. *Virg. G.* 3, 561. Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa Vellera, nec telas possunt attingere putres. *Id. G.* 1, 285. licia telae addere. *Tibull.* 1, 7, 84. Ducit inops tremula stamina torta manu, Firmaque conductis adnectit licia telis. ℙ Item de jugo textorio, atque adeo de toto instrumento texendae telae apto. *Cato R. R.* 10. et 14. Tela jugalis. ℙ De opere araneae. *Catull.* 68, 49. tenuem texens sublimis aranea telam. *Pl. Stich.* 2, 2, 24. Ut operam omnem aranearum perdam, dejiciamque earum omnes telas. Adde *Ov. Met.* 6, 145., *Mart.* 8, 33. et *Juven.* 14, 61. ℙ Translate est quodcumque opus subtili artificio elaboratum. *Cic. Or.* 3, 60. *f.* Quamquam ea tela texitur, et ea incitatur in civitate ratio vivendi, ut, etc. *Pl. Bacch.* 2, 3, 116. Exorsa haec tela non male omnino mihi est. *Id. Ps.* 1, 4, 6. Neque exordiri primum, unde occipias, habes, neque ad detexundam telam certos terminos. *Cic. Acad.* 4, 29. *f.* Penelopes telam retexere V. PENELOPE.

TĔLĂMONES, um, m. plur. *ἄτλαντες*, hominum simulacra, sub pondere nitentium, quae in aedificiis mutulos, vel coronas sustinent, Atlantis instar, quem suis humeris coelum fulcire propter astrologiae scientiam poetae fabulati sunt. Dicti sunt *παρὰ τὸ τλῆναι*, quod est sufferre, sustentare, et a Graecis *ἄτλαντες* etiam dicuntur eadem origine; hinc *τλάμων* Dorice pro *τλήμων*, ferens, sustinens: a *τλάω*, fero, unde ob euphoniam *telamones* pro *tlamones* Latini dixerunt. *Hesych. Τελαμών, ὁ ἀναφορεύς. Vitr.* 6, 10. *f.* Item siqua virili figura signa mutulos, aut coronas sustinent, nostri telamones appellant, cujus rationes, quid ita, aut quare, ex historiis non inveniuntur: Graeci vero eos *ἄτλαντας* vocitant. ℙ *Servius* ad *A.* 1, 745. et *ib.* 4, 246. docet ex *Ennio*, Atlantem, Latine *Telamonem* dici, sicut Nilus Latine est *Melo*. ℙ Hinc *Telamo* est etiam nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 270, 9. Telamo C. Caesaris servus.

TĔLĂMONĬĂDES, ae, m. Ajax Telamonis filius. *Ov. Met.* 13, 221. Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam Ausit.

TĔLĂMONĬUS, a, um, adj. ad Telamonem pertinens, qui fuit filius Aeaci, et Endeidis, seu Deidis Chironis filiae, frater Pelei, pater Ajacis et Teucri, ex Periboea, seu Eriboea, et Hesiona, unus ex Argonautis, ut *Just.* 44, 3. et *Val. Fl.* 1, 353., *Stat. Th.* 5, 379. et *Hyg. fab.* 14. 89. et 97. docent. Hinc *Telamonius* dicitur Ajax. *Ov. A. Am.* 2, 737. Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis. Adde *Met.* 13, 194. et *Trist.* 2, 515.

TELĀNAE Ficus, atrae, pediculo longo, memorantur a *Plin.* 15, 18, 29., *Cat. R. R.* 8. et *Macr. Sat.* 2, 16.; unde autem dictae sint, non comperior. Sunt qui leg. *Tellianae*.

*TELANDRĬA, ae, f. insula maris Mediterranei, Lyciae adjacens, e regione Telandri. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*TELANDRUS, i, *Τήλανδρος*, Lyciae opp., in finibus Cariae. *Plin.* 5, 27. ed. *Hard.* ubi antea mendose legebatur *Telanurus*. *B. A.*

*TELANURUS. V. v. praec. *B. A.*

[TELĀRĬUM, i, n. instrumentum texendae telae. *Isid. Or.* 19, 29. *in.* Tela pro longitudine staminum dicta, cujus derivativum est telaria. V. *Ducang. Gloss. med. et inf. Latinit.* in V. *Telarium. F.*]

TELCHĪNES, um, m. plur. *Τελχῖνες*, filii Solis et Minervae, vel Saturni et Aliopes, ut alii volunt, assessores Matris Idaeae, seu Cybeles in Creta, qui etiam Idaei, Curetes, Corybantes, Dactyli dicti sunt. Hi profecti in Rhodum insulam, Ialysum urbem incoluerunt. Tandem cum omnia aspectu suo in pejus commutarent, a Jove sunt submersi. *Ov. Met.* 7, 365. Phoebeamque Rhodon, et Ialysios Telchinas, Quorum oculos, ipso mutantes omnia visu Juppiter exosus fraternis subdidit undis. ℙ Sunt qui memorent, Telchines in Rhodo novem fuisse Rheae comites in Cretam, qui quoniam Jovis alendi curam gesserunt, Curetes nominati sunt. ℙ *Cum Cyclopibus conjungit *Stat. Th.* 2, 274. *B. A.*

*TELCHĪUS, i, m. Telchius et Amphitus, *Τέλχιος καὶ Ἀμφιτος*, Castoris ac Pollucis aurigae, a quibus vera gens Heniochorum orta est. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

TĔLĔBŎAE, arum, m. plur. *Τηλεβόαι*, populi Aetoliae seu Acarnaniae, latrocinio famosi, incolae insularum inter Leucadiam, et Achaiam, quae inde Teleboides dictae sunt. *Plin.* 4, 12, 19., *Pl. Amph.* 1, 1, 56. 95. etc. ℙ Horum pars migravit aliquando in mare inferum, et Capreas, insulam in sinu Neapolitano, incoluit. *Virg. A.* 7, 735., *Tac. A.* 4, 67. et *Sil.* 7, 418. ℙ Caprearum rex primus fuit Telo: ipsaque insula eodem nomine dicta est. *Sil.* 14, 443. Et Neptunicolae transverberat ora Telonis. *Id.* 8, 543. antiqui saxosa Telonis Insula. ℙ Sunt qui scrib. *Theleboae*.

TĔLĔGŌNUS, i, m. *Τηλέγονος*, filius Ulyssis ex Circe. Hic patrem, cum grandis jam natu esset, videre cupiens, eum incognitum in Ithaca interfecit, cum et ipse incognitus a patre hospitio prohiberetur. Inde in Italiam rediens Tusculum condidit. *Hor. Od.* 3, 29, 8., *Ov. Fast.* 3, 92. et *ib.* 4, 71., *Stat. Silv.* 1, 3, 83., *Sil.* 7, 692. et 12, 535., *Prop.* 2, 23, 42. et *Hyg. fab.* 127. ℙ *Telegonos* vult *Ov. Trist.* 1, 1, 114. vocari libros suos amatorios, quia sibi exitium, ut Telegonus Ulyssi, attulerunt.

[TĔLĔMACHUS, i, m. *Τηλέμαχος*, Ulyssis filius ex Penelope, quem, Trojam proficiscens cum uxore parvulum reliquit. *Ov. Her.* 1, 98. et 107., *Hor. Ep.* 1, 7, 40., *Catull.* 61, 228. et *Hyg. fab.* 127. *F.*]

*TĔLĔMUS, i, m. *Τήλεμος*, Protei filius, augur. *Hyg. fab.* 128. ℙ Alius, Eurymi filius, inter Cyclopas vates egregius, qui Polyphemo praedixit quaecunque ab Ulysse passus est. *Ov. Met.* 13, 770. Telemus Eurymides. Adde *Hyg. l. c. B. A.*

*TELENDOS vel Telendus, i, insula Cypro Ciliciaeque vicina. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*TELEPHĂRES, is, statuarius quidam, Phocensis. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

TĔLĔPHĬON, ii, n. *τηλέφιον*, herba portulacae similis caule et foliis, cui rami a radice septeni octonive fruticant, foliis crassis, carnosis nascitur in cultis, et maxime inter vites. Illinitur lentigini, et vitiligini. *Plin.* 27, 13, 110.

TĔLĔPHUS, i, m. *Τήλεφος*, Herculis filius ex Auge Nympha, al. ex Augaea filia Alcaei Arcadiae regis. Hic avi jussu expositus in silvis a cerva nutritus est, deinde dono datus regi Mysiae pro filio educatus ei successit in regno Mysiae, seu Lyciae. Cum Graecos ad expeditionem Trojanam proficiscentes prohibere vellet, ne per Mysiam transirent, ab Achille vulneratus est. Huic plagae remedium nullum inveniebatur. Tandem Apollinis oraculum consuluit, qui respondit, eum sanari non posse, nisi ab eadem hasta, qua percussus fuerat. Igitur supplex medicinam ab Achille petiit. Achille assentiente Ulysses ex hastae illius rubigine malagma effecit, et vulneri imposuit, quod sanatum est. *Ov. Met.* 12, 112. opusque meae bis sensit Telephus hastae. *Id. Trist.* 5, 2, 15. Telephus aeterna consumptus tabe perisset, Si non, quae nocuit, dextra tulisset opem. Adde *Rem. Am.* 47. et *Pont.* 2, 2, 26. ℙ *Telephus, nomen tragoediae ab Accio conscriptae. *Prisc.* 10, 887. et *De metris Comicis*, p. 1325. Aliam hoc nomine tragoediam meminit *Juven.* 1, 5. V. *Heynium* ad *Apollod.* p. 460. 673. ℙ Telephus, poeta Graecus, sodalis Horatii. *Hor. Od.* 1, 13, 1. et 2. et 3, 19, 26. ℙ Telephus, Grammaticus Pergamenus, scripsit fere omnia, quae ad Grammaticam pertinent; inter alia *Collationes epithetorum*

eidem rei congruentium, ad copiam parandam elocutionis: item *Historiam Pergami*, *Vitas Poetarum* etc. Floruit sub Adriano Imperatore et Verum Graecam linguam docuit. *Capitol.* in *Vero.* V. *Voss. de Hist. Gr.* 4, 16. ℙ Telephum servum meminit *Suet. Aug.* 19. *B. A.*

*TELEPTE, opp. Africae propriae, in Byzacena. *Notit. Imper.* et *Ant. Itin. B. A.*

*TELESIA, ae, Italiae oppidum, in Samnio. *Liv.* 22, 13. et 24, 20. ℙ Hodie *Telese* vocatur. *B. A.*

[TELESINUS, a, um, adj. ad Telesiam pertinens, Samnii urbem, nunc *Telese*. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 175. Huic ordo splendidissimus, et honestissimus populus Telesinus statuam ponendam decrevit. ℙ Est etiam inde ortum cognomen R. Hinc Pontius Telesinus dux Samnitium ap. *Vell.* 2, 27. et C. Luccius Telesinus Cos. ann. a Chr. n. LXVI. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1102, 4. *F.*]

[TELESPHORIO, onis, m. dimin. telesphori. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 691. D. M. C. Bruttii Telesphorionis, etc. *F.*]

[TELESPHORIS, idis, f. a *telesphorus*. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 579, 4. Telesphoridi Domitiae Domitiani ornatrici, etc. *h. e.* ornatrici Domitiae uxoris Domitiani. *F.*]

[TELESPHORUS, i, m. τελεσφόρος, finem destinatum afferens: a τέλος, finis, et φέρω, fero. Hoc nomine apud Pergamenos praecipue cultus fuit Deus Aesculapii filius, hujus, et Hygiae comes, qui putabatur morbis finem, seu perfectam sanitatem afferre: stans semper, et puerili statura, et cuculio involutus effingitur: ejus meminit *Paus.* 2, 11., nemo vero Latinorum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1017, 5. M. Ulpius Telesphorus. *Faenii Telesphori* meminit etiam *Mart.* 1, 115. Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos Faenius, et breve rus, udaque prata tenet. *F.*]

*TELESTES, is vel ae, m. Cretensis, pater Ianthes. *Ov. Met.* 9, 716. Virgo, Dictaeo nata Teleste. ℙ Item poeta Graecus. V. v. sq. *B. A.*

[TELESTINUS, a, um, adj. initiatus mysteriis: a τελεστής, initiator. *Inscr.* ap. *Mur.* 197, 7. et 1991, 2. Fullonia L. F. Tertulla sacrorum Isidis locum dedit C. Telegennio Sperato sacerdoti, VI. Vir. Aug., telestinis ejus, posterisque suis. *F.*]

*TELESTUS, i, m. vetus poeta Graecus. *Plin.* 35, 10. ℙ Sunt qui scribunt *Telestes. B. A.*

*TELETHRIUS, i, m. Τελέθριον ὄρος *Straboni*, mons Euboeae. *Plin.* 25, 8. ℙ Revera adjectivum est, subaudito *mons. B. A.*

TELETA et Telete, ae, f. τελετή, initiatio, consecratio, expiatio: item sacrificium, et impensa, quae initiando fit: nam τὰ τέλη mysteria quoque, et sacra significant. *Appul. Met.* 11. Indidem mihi praedicat, quae forent ad usum teletae necessario praeparanda. Ea protinus gnaviter, et aliquanto liberalius, partim ipse, partim per meos socios coemenda procuro; et *mox:* Jentaculum religiosum, et teletae legitima consummatio; et *infra:* Rursus interpellor, et cogor tertiam quoque teletam susceptare. *August. C. D.* 10, 9. Per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas vocant. Adde *ib.* 23. et *ib.* 4, 31. *Inscr.* poetica ap. *Donat.* 73. tu pius moves te sacris Teletis; et *mox:* Tu Dindymenes Atteosque antistitem Teletis honoras taureis consors, pius. ℙ *Telete* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 686, 4. Hateria Telete.

[TELETHUSA, ae, f. Τελεθοῦσα, uxor Ligdi, mater Iphidis puellae, quae in marem mutata est. *Ov. Met.* 9, 695. et 765. *F.*]

TELETUS, i, m. τελετός, perfectus. Ap. *Tert. adv. Valent.* 8. unus est ex aeonibus Valentinianis. Alii leg. *Theletus*, a θελητός, cupitus.

TELICARDIOS, i, m. gemma colore cordis, a τέλειος, perfectus, et καρδία, cor. *Plin.* 37, 10, 68. Telicardios colore cordis Persas, apud quos gignitur, magnopere delectat, muchulam appellant.

TELIGER, ra, rum, adj. qui tela fert, τελοφόρος. *Sen. Herc. Oet.* 543. Timende matri teliger saeve puer, *h. e.* Cupido.

TELINUM, i, n. τήλινον, genus unguenti pretiosissimi: ita dictum, quia praecipuum eorum, ex quibus componitur, est foenum Graecum, quod Graecis τῆλις, Unde similiter τήλινον ἄλευρον dicunt Graeci farinam ex foeno Graeco confectam. *Plin.* 13, 1, 3. Telinum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, foeno Graeco, melle, melino, maro, amaraco. *Tert. Pall.* 4. *med.* Quod apud Omphalen balsamo, aut telino spero factum. ℙ Aliam hujus nominis originem affert *Isid. Or.* 4, 12. Unguenta quaedam dicuntur a locis, ut telinum, cujus Julius Caesar (*h. e.* C. Jul. Caes. Strabo poeta tragicus) meminit, dicens: Corpusque suavi telino unguimus. Sed a *Plin.* standum videtur.

TELIRRHIZOS, i, f. gemma cinerei coloris, aut rufi, candidis radicibus: a τέλειος, perfectus, et ῥίζα, radix. *Plin.* 37, 10, 68.

TELIS, is, f. τῆλις, Graeca foeni Graeci appellatio: unde *telinum*. *Plin.* 24, 19, 120.

[TELIUS, a, um, adj. τέλειος, perfectus. *Auson. epist.* 18, 19. Quot telios primus numerus solusque probatur, *h. e.* numerus senarius, qui perfectus dicitur, quia suis partibus aequalis est: etenim unum, duo et tria faciunt sex: dicitur autem *primus numerus telius*, quia is est primus ex numeris perfectus, secundus enim est octo et viginti, tertius tercentum et octoginta sex. Hic porro *Auson.* more suo secundam syllabam in *telios* corripit, quae natura longa est. *F.*]

TELLENAE Tricae. *Arnob*, 5, 176. Jamdudum me fateor haesitare, circumhiscere, tergiversari, tricas, quemadmodum dicitur, condupliçare Tellenas. *Herald.* in *not.* p. 220. Haustum fortasse proverbium e Graecorum fontibus, apud quos τὰ τοῦ Τέλληνος ἀείδειν dicuntur, qui ineptam cantilenam identidem inculcant. Aliter, et fortasse rectius ita interpretatur *Aus. Popma* ad *Varr. l.* mox *cit.* Tricae Tellenae παροιμιωδῶς dicuntur res impeditae et intricatae, a Tellena urbe antiqua Latii, quam Ancus Marcius rex vi cepit, ut *Liv.* 1, 33. et *Plin.* 3, 5, 9. narrant. *Varr.* ap. *Non.* 1, 26. Putas, eos non citius tricas Tellenas, quam id extricaturos? Al. leg. *Atellanas.*

TELLIANAE Ficus. V. TELANAE.

TELLUMO, onis, m. Deus terrae. *August. C. D.* 7, 23. *f.* ex *Varrone*: Unam eamdemque terram habere geminam vim; et masculinam, quod semina producat; et femininam, quod recipiat atque enutriat. Inde a vi feminina dictam esse Tellurem, a masculina Tellumonem.

TELLURUS, i, m. Deus terrae, Tellumo. *Capell.* 1, 16.

TELLUS, uris, f. Dea terrae. De notatione V. *Voss.* in *Etym. Cic. N. D.* 3, 20. *med.* Si est Ceres a gerendo, terra ipsa Dea est: quae enim est alia Tellus? *Id. Har. resp.* 10. Postulationes esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. Epistola, in qua de aede Telluris, et de porticu Catuli me admones. Fit utrumque diligenter: ad Telluris quidem etiam tuam statuam locavi. *Hor. Ep.* 2, 1, 143. Tellurem porco, Silvanum lacte piabant. *Varr. R. R.* 1, 1. Primum invocabo, qui omnes fructus agriculturae coelo et terra continent, Jovem et Tellurem: itaque quod ii parentes magni dicuntur, Juppiter pater appellatur, Tellus terra mater. ℙ De Inferis et Manibus. *Prop.* 1, 19, 16. et Tellus hoc ita justa sinat. *Virg. A.* 6, 140. Telluris operta subire. ℙ Ut *Ceres* pro frugibus, *Bacchus* pro vino, *Vulcanus* pro igne, sic *Tellus* pro ipsa terra ponitur. *Cic. Somn. Scip.* 4. *extr.* Nam ea, quae est media et nona, tellus, neque movetur et infima est, et in eam feruntur omnia suo nutu pondera. *Lucr.* 6, 577. Ventus ubi atque animae subito vix maxima quaedam, Aut exstrinsecus, aut ab ipsa tellure coorta, In loca se cava terrai conjecit, etc. *Hor. Epod.* 16, 43. Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis. *Tibull.* 4, 1, 161. presso tellus consurgit aratro. *Virg. G.* 1, 99. Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis. *Id. A.* 1, 175. ac magno telluris amore Egressi optata potiuntur Troes arena. *Ov. Met.* 1, 434. diluvio tellus lutulenta recenti. *Id. Am.* 2, 16, 3. Sol licet admoto tellurem sidere findat. *Id. Fast.* 4, 299. Sicca diu fuerat tellus: sitis usserat herbas. *Id. Ib.* 237. nuda tellure jacere. *Id. Trist.* 4, 9, 23. Trans ego tellurem, trans latas audiar undas. ℙ Item pro solo, pavimento. *Id. Met.* 8, 561. Pumice multicavo, nec levibus atria tophis Structa subit: molli tellus erat humida musco: Summa lacunabant alterno murice conchae. *Id. Fast.* 6, 404. Nunc solida est tellus: sed lacus ante fuit. ℙ Item pro peculiari regione. *Hor. Od.* 1, 7, 28. promisit Apollo, Ambiguam tellure nova Salamina futuram. *Virg. A.* 6, 23. Contra elata mari respondet Gnossia tellus. *Tibull.* 1, 8, 57. Tuscula tellus; et 3, 4, 91. barbara Scythiae; et 4, 1, 78. Phaeacia. *Ov. Pont.* 1, 4, 33. Achiva; et *ib.* 3, 82. Exsulibus tellus ultima Tibur erat. *Prop.* 2, 8, 21. Et si qua extremis tellus se subtrahit oris. ℙ Ultimam syllabam in *tellus* licenter corripuit *Capell.* 6, 213., cujus locum habes in V. INTERRIVATUS.

TELLUSTRIS, e, adj. tellurem incolens, terrestris. *Capell.* 7, 237. Tellustres, silvicolaeque Divi. Alii leg. *telluristres.*

[TELMESSENSIS, e, adj. idem ac Telmessius. Hinc *Telmessenses*, *ium*, absolute, incolae Telmessi urbis. *Tert. Anim.* 46. Telmessenses nulla somnia evacuant, imbecillitatem conjectationis incusant. *F.*]

TELMESSICUS et Telmissicus et Telmessius, a, um, adj. ad Telmessum, vel Telmissum pertinens, urbem maritimam in confinio Cariae, et Lyciae, unde Telmessicus sinus, *Liv.* 37, 16. *f.* qui latere uno Cariam, altero Lyciam contingit. Et Ptolemaeus Telmissius, *Id. ib.* 56. Telmissicum vinum laudat *Plin.* 14, 7, 9. Nomen oppidi Graece Τελμησσὸς est, et Τελμισσός. In eo excellit haruspicum disciplina, inquit *Cic. Div.* 1, 41., quare urbem religiossimam vocat *Plin.* 30, 1, 2.

TELMESSIS, idos, f. Τελμησσίς, Telmessica. *Lucan.* 8, 248. magnosque sinus Telmessidos undae.

TELMESSIUS. } V. TELMESSICUS.
TELMISSIUS. }

*TELOBI, opp. Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, in ripa Rubricati ulteriore. *Mela* 2, 6. *med.* ℙ Τήλοβις est *Ptol. B. A.*

*TELOBIS, is, Τήλοβις, fluvius Hispaniae Tarraconensis, alio nomine Rubricatus. *Mela* 2, 6. *med.* Inter Subin et Telobin amnes Tarraco urbs est, cet. Sic legit *Is. Voss.* Ed. *Gronov.* habet *I. S. e. T. majus; Tarraco* cet. quanquam ipse mavult *I Subas e. T.* (*sc.* urbem) *majus* (*sc.* flumen); *Tarraco* cet. *B. A.*

TELONARIUS, ii, m. vectigalibus exigendis praepositus: a τελώνιον, telonium, quod significat locum, ubi publicani sedent, et vectigal exigunt. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 28, 3. *f.* Publicani, et telonarii. Adde *Non.* 1, 65., ubi in quibusdam codicib. legitur *telonearius:* quod magis ad analogiam *telonii* accedit.

TELONIUM, ii, n. publicanorum mensa, τελώνιον. *Tert. Idol.* 12. et *Baptism.* 12., ubi alii leg. *teloneum.*

*TELOS vel Telus, i, f. Τῆλος, insula maris Aegaei, Cariae objecta, una ex Sporadibus, in qua (dicta sunt *Gesneri*) conficiebatur unguentum praestantissimum, quod ab ea *Telinum* dicebatur. *Plin.* 4, 12. Telos unguento nobilis, a Callimacho Agathusa appellata. ℙ V. *Telinum. B. A.*

TELUM, i, n. βέλος, τόξευμα, proprie de iis dicitur, quae missilia sunt, et ad feriendum eminus comparata, sive manu, sive tormento emittantur: a τῆλε, procul, longe, ut *Fest.* et *Serv.* ad *A.* 8, 249. et ad *ib.* 9, 509. docent. *Cajus Dig.* 50, 16, 233. Telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significat, quod mittitur manu: ita sequitur, ut et lapis et lignum et ferrum hoc nomine contineatur. *Sall. Cat.* 43. et 52. et *Jug.* 47. Arma, tela, equos, et cetera instrumenta militiae parare. *Lucan.* 4, 776. nimbus telorum. *Liv.* 38, 26. *f.* nubes. *Virg. A.* 12, 285. tempestas; et *ib.* 3, 46. seges. *Liv.* 44, 35. *f.* Romani omni genere missilium telorum, ac saxis maxime vulnerabantur. *Sisenn.* ap. *Non.* 6, 5. Manuales lapides dispartit, propterea quod is ager omnis ejusmodi telis indigebat. *Ov. A. Am.* 1, 169. volatile telum. *Val. Fl.* 2, 524. volucre. *Virg. A.* 12, 294. trabale. *Ov. Met.* 5, 67. penetrabile. *Virg. A.* 2, 544. imbelle sine ictu. *Stat. Th.* 9, 802. immane. *Ov. Met.* 6, 257. exitiabile. *Virg. A.* 5, 582. infesta tela; et *ib.* 9, 555. densissima. *Cic. Har. resp.* 1. *extr.* hebetiora atque leviora. *Stat. Th.* 11, 630. noxia. *Ov. Met.* 14, 402. saeva. *Lucr.* 2, 48. fera. *Lucan.* 8, 304. stridula. *Id.* 3, 580. irrita. *Id.* 8, 382. illita dolis, *h. e.* venenata. *Id.* 7, 562. languida, aut contenta. *Sen. Thyest.* 382. inertia. *Cic. Or.* 3, 39. Si telum manu fugit. *Virg. A.* 4, 71. Feram telis agere. *Ov. Fast.* 3, 700. aliquem petere. *Cic. Quint.* 16. Tela conjicere in aliquem. *Id. Prov. cons.* 9. *f.* intendere in aliquem. *Virg. A.* 5, 497. torquere in aliquem. *Lucan.* 4, 40. vibrare. *Quint.* 4, 5. et *Lucan.* 3, 327. spargere. *Caes. B. G.* 3, 4. mittere. *Hirt. B. G.* 8, 9. *med.* longius permittere. *Caes. B. G.* 2, 21. adjicere; et *ib.* 25. vitare; et *ib.* 1, 8. *extr.* Hostem telis repellere. *Virg. A.* 2, 410. obrui telis; et *ib.* 7, 520. raptis concurrere telis. *Cic. Or.* 1, 46. Inter hostium tela versari. *Ov. Fast.* 3, 316. arbitrium est in sua tela Jovi, *h. e.* fulmina. *Id. Am.* 2, 5, 52. Excutere irato tela trisulca Jovi. ℙ Dicitur etiam de ense, gladio, sica, et hujusmodi, quibus feritur cominus, ξίφος, μάχαιρα, ἐγχειρίδιον. *Cajus Dig.* 47, 2, 56. Teli appellatione et fustis, et ferrum, et lapis, et denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur. *Cic. Cat.* 3, 3. *extr.* Misit, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret: ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit. *Auct. ad Her.* 1, 11. et *Liv.* 2, 46. Ajax gladio incubuit: Ulysses intervenit: e corpore cruentum telum educit. *Liv.* 1, 40. *extr.* Elatam securim in caput dejecit: relictoque in vulnere telo, etc. *Sall. Cat.* 28. Catilina consuli insidias tendere, parare incendia: ipse esse cum telo, item alios jubere hortari, uti, etc. et *Cic. Cat.* 1, 6. *med.* Omnes sciunt, te stetisse in comitio cum telo. *Hirt. B. Afr.* 84. Infesto telo venire ad aliquem. *Cic. Rosc. Am.* 12. Totum telum corpore recipere. *Ov. Met.* 8, 883. frontis nunc pars caret altera telo, *h. e.* cornu. *Id. ib.* 1, 330. positoque tricuspide telo Mulcet aquas rector pelagi, *h. e.* tridente Neptunus coercet undas maris. ℙ De caestibus, et eorum ictu. *Virg. A.* 5, 438. Corpore tela modo, atque animis vigilantibus exit. *Stat. Th.* 6, 772. manibus nunc obvia tela Discutiens. ℙ Translate. *Pl. Amph.* 1, 1, 112. Itaque me malum esse oportet: atque hunc telo suo sibi, malitia a foribus pellere. *Sall. in or. Macri Licin. ad pleb. med.* Vis tribunicia, telum a majoribus libertati paratum. *Cic. Pis.* 11. *f.* Pompejo de corpore reipubl. tuorum scelerum tela revellente. *Ov. Pont.* 4, 6, 36. Tela linguae subire. *Lucr.* 3, 306. Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris; et 4, 1045. Veneris qui telis accipit ictum. *Liv.* 3, 55. Qua lege tribunicis rogationibus telum acerrimum datum est. *Cic. Fam.* 7, 16. ex *vet. Poeta.* Usquequaque sapere oportet: id erit telum acerrimum. *Liv.* 6, 35. Quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. *Cic. Fam.* 5, 16. Omnibus telis fortunae proposita est vita nostra. *Suet. Cal.* 53. Peroraturus, stricturum se lucubrationis suae telum minabatur. *Rut. Itin.* 1, 451. saevi post tela doloris, Dicitur humanum (*Bellerephonti*) displicuisse genus. ℙ De

pleuritide: quia dolore corpus, quasi gladius, transverberat, ut *Isid. Or.* 4, 6. ait. *Seren. Sam.* 22, 402. Est et vis morbi, quod telum commemoratur, Cum subito dolor insanus furit incitus ictu. ℙ De radiis lucis. *Lucr.* 1, 147. Non radii solis, non lucida tela diei. Adde 2, 59. et 3, 92. ℙ De mentula. *Just.* 38, 1., *Mart.* 11, 78. et *Auct. Priap.* 9. ℙ Commode ponitur pro stimulo, incitamento. *Varr.* ap. *Non.* 4, 349. Remotissimum ad discendum formido: contra delectatio pro telo ad discendum. *Cic. Am.* 17. Non mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium. *Liv.* 4, 28. *med.* Virtute pares, necessitate, quae ultimum ac maximum telum est, superiores estis.

*TEMBROGIUS, i, m. fluvius Bithyniae. *Plin.* 6, 1. Adcipit vastos amnes, inter quos Tembrogium et Gallum. ℙ *Thymbres* appellatur a *Liv.* 38, 18. ed. *Drakenb.* ubi dativum *Thymbreti* habes, pro quo *Thymbri* legit *Gronovius*, a recto *Thymbris*. *B. A.*

TĔMĔNĪTES, ae, m. *Τεμενίτης*, epithetum Apollinis, cujus signum pulcherrimum et maximum in Sicilia fuit prope Syracusas, in loco, qui Temenos dicebatur: a luco fortasse, qui ibidem erat, nam *τέμενος* lucum significat. *Suet. Tib.* 74. et *Cic. Verr.* 2, 4, 53.

[TĔMĔNĪTIS, idis, f. *Τεμενῖτις*, nomen unius ex Tarenti portis, quia fortasse prope eandem lucus, Graece *τέμενος*, erat. *Liv.* 25, 9. Parte alia portam Temenitida adiret Annibal. ℙ Hoc nomine fuit etiam fons prope Syracusas, in loco qui Temenos dicebatur. *Plin.* 3, 8, 14. Et Temenitis, et Archidemia, et Magaea fontes in Syracusano potantur agro. V. v. praec. *F.*]

[TĔMĔNUS, i, m. *τέμενος*, lucus, vel delubrum quodcumque Diis sacrum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1781, 4. M. Livius Temeni et Ambrosi L. Demetrius. *F.*]

TĔMĔRĀRĬĒ, adv. temere. *Tert. Virg. vel.* 3. Virgines nuda plane fronte temerarie audaciam excitatae. Sciopp. leg. *in temerariam. Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 9, 1, 18. Quo temerarie commissa congrua ultione plectantur.

TĔMĔRĀRĬUS, a, um, adj. *ἄβουλος*, *ἄλογος*, qui temere agit, inconsultus, praeceps, nimis audax, sine consilio et ratione. *Caes. B. G.* 6, 19. Homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri. *Mart.* 4, 43. Non sum tam temerarius, nec audax. *Caes. B. G.* 1, 31. *f.* Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse ejus imperia diutius sustineri. *Ter. Andr.* 1, 4, 2. Sane pol illa temulenta est mulier, et temeraria. *Quint. decl.* 17, 18. Exclama: temerarie, quid facis? *Ov. Met.* 10, 545. Parce meo, juvenis, temerarius esse periclo. *Nep. Timoth.* 3. *med.* At ille temeraria usus ratione, non cessit majorum natu auctoritati. *Cic. Caecin.* 12. Feci, quae dicis, omnia: ea sunt et turbulenta, et temeraria, et periculosa. *Ov. Met.* 8, 407. licet eminus esse Fortibus: Ancaeo nocuit temeraria virtus. *Liv.* 25, 37. *f.* Ad consilium prima specie temerarium magis, quam audax, animum adjecit. *Ov. Her.* 18, 189. temerarius Amor. *Id. Met.* 12, 59. Illic Credulitas, illic temerarius Error, Vanaque Laetitia est. *Id. Fast.* 5, 467. Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis Perdidit: o quanto mitior illa fuit! *Id. Met.* 2, 50. temeraria. *Id. Trist.* 5, 13, 17. querela; et *Pont.* 6, 6, 27. Juppiter in multos temeraria fulmina torquet. *Mart.* 12, 14. frena temeraria, *h. e.* equus intractabilis et praeceps. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. Temerarium est, ante crassitudinem pollicarem viti imperare. *Plin. alter ep.* 4, 9. *med.* Temerarium est, secundis non esse contentum. ℙ *Haud temerarium est*, non casu fit, non de nihilo est, non est sine ratione: aliquid portendit. *Pl. As.* 2, 1, 14. Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? haud temerarium est. *Id. Aul.* 2, 2, 7. Non temerarium est, ubi dives blande appellat pauperem. ℙ *Temerarius*, incertus, non stabilis, fortuitus. *Festus* in *Navalis scriba:* Columbariorum questus temerarius incertusque. ℙ De tributo temerario, V. in TRIBUTUS.

TĔMĔRĀTOR, oris, m. *βεβηλωτὴρ*, qui temerat, violator, corruptor. *Stat. Th.* 11, 12. Quantus Apollineae temerator matris Averno Tenditur, *h. e.* Tityus, qui Latonam temerare tentavit. *Id. Achill.* 1, 600. stat fine dato metuenda sacerdos, Exploratque aditus, ne quis temerator oberret Agmine femineo. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 12, 53, 2. Si quis praesentis legis temerator exsistat. ℙ De falsario. *Modest. Dig.* 48, 10, 29. Poenam temeratoris fuit: perinde enim punitur, atque si falsum fecerit.

TĔMĔRĀTUS, a, um, part. a *temero: βεβηλωθείς*, contaminatus, violatus. *Liv.* 26, 13. *med.* Arae, foci, Deum delubra, sepulcra majorum temerata ac violata. *Virg. A.* 6, 841. Ultus avos Trojae, templa et temerata Minervae. *Ov. Her.* 17, 3. Sacra hospitii temerata; et *ib.* 5, 101. temerati foedera lecti; et *ib.* 9, 49. temerata puella; et *ib.* 14, 17. nox temerata sanguine. *Id. Met.* 9, 626. Et scripsi, et petii: temerata est nostra voluntas. *Lucan.* 1, 225. et *Sen. Med.* 614. temerata jura. *Tac. A.* 1, 30. linquere castra infausta temerataque, *h. e.* seditionis scelere infecta. *Mart.* 5, 71. Rura Cleonaeo nunquam temerata leone. *Stat. Achill.* 1, 302. Trux puer, et nullo temeratus pectora motu, *h. e.* nullo amoris affectu tactus. *Tab. aenea* ap. *Grut.* 502. *col.* 1. *l.* 11. Priscus Tarquinius propter temeratum sanguinem, quod patre Demarato Corinthio natus erat, et Tarquiniensi matre generosa, sed inopi, cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, regnum adeptus est. *Temeratus sanguis* de eo dicitur, qui ex parentibus imparis conditionis ortus est. Litus temeratum, V. in TEMERO *f.*

TĔMĔRE, adv. *εἰκῇ*, *ἀβούλως*, sine ratione, sine consilio, casu, inconsulte, imprudenter, stulte. *Cic. Inv.* 1, 34. Domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior est rebus, quam ea, quae temere et nullo consilio administratur. *Id. Off.* 1, 29. Ne quid temere ac fortuitu, inconsiderate, negligenterque agamus. *Id. N. D.* 1, 16. *med.* Inconsulte ac temere dicere aliquid. *Caes.* ad *Cic. post. ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicaram. *Cic. N. D.* 2, 2. Id evenit non temere, nec casu. *Id. Font.* 1. Audacter hoc dico, non temere confirmo. *Ter. Ph.* 5, 3, 19. Sic erit: non temere dico. *Cic. Fam.* 4, 13. *med.* Non scribo hoc temere. *Id. Phil.* 8, 5. *med.* Omnino irasci amicis non temere soleo, ne si merentur quidem. *Id. Div.* 2, 55. Oracula partim ficta aperte, partim effutita temere. *Liv.* 10, 40. *f.* Priusquam occurreretur, emisso temere pilo ictus pullarius, ante signa cecidit. *Sall. Cat.* 32. *med.* Catilina voce supplici postulare a patribus, ne quid de se temere crederent. *Ov. Fast.* 6, 327. Hi temere errabant in opacae vallibus Idae. *Pl. Trin.* 4, 2, 162. Nunquam edepol temere tinniit tintinnabulum: nisi qui illud tractat aut movet, mutum est, tacet, *h. e.* sponte, ex se solum. ℙ *Non temere est*, non de nihilo est, non est sine ratione, aliquid portendit, significat, *οὐκ ἄλλως*. *Ter. Heaut.* 4, 1, 7. Nescio quid tristis est: non temere est: metuo quid siet; et *Ph.* 5, 8, 9. et *Pl. Aul.* 4, 3, 1. Non pol temere est, quod tu tam times. *Virg. A.* 9, 375. Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens. ℙ *Temere* pro facile. *Pl. Bacch.* 1, 1, 52. Rapidus fluvius est hic non hac temere transire potest. *Ter. Ph.* 4, 5, 2. Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin, etc. *Nep. Att.* 20. Nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet. *Hor. Ep.* 2, 2, 13. non temere a me Quivis ferret idem. *Id. Sat.* 2, 2, 116. non temere edi luce profesta Quicquam, praeter olus fumosae cum pede pernae. *Liv.* 30, 30. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. *Quint.* 1, 3. Illud ingeniorum velut praecox genus non temere unquam pervenit ad frugem. *Suet. Tit.* 6. *extr.* Non temere quis tam adverso rumore, magisque invitis omnibus transiit ad principatum; et *ib.* 8. *med.* Quaedam sub eo tristia acciderunt: ut conflagratio Vesevi, incendium Romae, item pestilentia, quanta non temere alias. *Julian. Dig.* 50, 17, 64. Ea, quae raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur. Adde *Cat.* ap. *Charis.* 2, 196. ℙ Item incomposite, sine ordine, passim, hic illic. *Hor. Od.* 1, 12, 7. vocalem temere insecutae Orphea silvae. Alii interpretantur *sponte*, *nullo impellente*. *Liv.* 22, 42. Argentum quibusdam locis temere per vias, velut objectum praedae, vidisse. *Apul. Met.* 4. Parva casula cannulis temere contecta. ℙ *Temere jacere*, toto corpore stratum porrectumque esse, sine cura aut decoro. *Hor. Od.* 2, 11, 13. sub alta vel platano, vel pinu jacentes sic temere. *Ov. Am.* 1, 14, 21. Tum quoque erat neglecta decens, ut Threcia Bacche Cum temere in viridi gramine lassa jacet. *Virg. A.* 9, 329. Tres juxta famulos temere inter tela jacentes. ℙ Comp. *Temerius* est *Accii* ap. *Non.* 2, 841.

TĔMĔRĪTAS, atis, f. *ἀβουλία*, inconsiderantia, praeceps deliberatio, incogitantia. *Caes. B. G.* 7, 42. Temeritas, quae maxime illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeat pro re comperta; et *ib.* 52. Temeritatem cupiditatemque militum reprehendit, quod sibi ipsi judicavissent, quo procedendum, aut quid agendum videretur. *Cic. Marcell.* 2. *extr.* Nunquam temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. *Id. Sen.* 6. *extr.* Temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis. *Hirt. B. Alex.* 85. Caesar incredibili ejus vel temeritate, vel fiducia motus, etc. *Cic. Off.* 1, 29. Omnis actio vacare debet temeritate, et negligentia. *Liv.* 6, 30. et 22, 25. Temeritas atque inscitia. *Id.* 42, 49. Inscitia et temeritas. *Cic. Div.* 2, 41. Quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. *Id. N. D.* 3, 24. Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate sejunget. *Id. Div.* 1, 34. Exercitus qui stultitia et temeritate alicujus administratur. *Id. Planc.* 4. Populus non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad judicandum, sed impetu nonnunquam, et quadam etiam temeritate. *Id. Div.* 1, 4. Omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorque turpis est. *Id. Har. resp.* 26. Plenus inconsideratissimae ac dementissimae temeritatis. *Id. Cat.* 3, 7. Furiosa temeritas. *Sen. Ag.* 145. caeca. *Id. Octav.* 838. Temeritate in praeceps ferri. *Sall. Jug.* 7. *f.* Et proelio strenuus erat, et bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 403. Ad haec rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. ℙ *Cic. N. D.* 2, 32. *extr.* Cum dicimus natura constare administrarique mundum, non ita dicimus, ut glebam, aut fragmentum lapidis, nulla cohaerendi natura; sed ut arborem, ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet, et artis quaedam similitudo, *h. e.* confusio, et qualitas contraria dispositioni atque ordini. ℙ In plur. num. *Quint. decl.* 7, 1. Si temeritates quoque nostras conscientia reorum non potest pati.

TĔMĔRĪTER, adv. idem ac temere. *Accius* ap. *Non.* 11, 54. Hoc in re est, quod tu tam temeriter meam benevolentiam interiisse ex ratus. *Ennius* quoque usus est: teste *Prisc.* 15, 1010.

TĔMĔRĪTŪDO, inis, f. idem ac temeritas. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 867. Egon' tyrannum novi temeritudinem?

TĔMĔRO, as, avi, atum, a. 1. *βεβηλόω*, corrumpo, contamino, polluo. *Festus:* Temerare, violare sacra et contaminare; dictum videlicet a temeritate. *Tibull.* 3, 5, 7. Non ego tentavi nulli temeranda virorum Audax laudandae sacra docere Deae. *Ov. Met.* 15, 75. Parcite mortales dapibus temerare nefandis Corpora. *Id. ib.* 7, 535. Temerare fluvios venenis. *Tac. A.* 1, 53. Eandem Juliam in matrimonio M. Agrippae temeraverat. *Ov. Am.* 1, 8, 19. thalamos temerare pudicos. *Id. Pont.* 4, 10, 82. puram non temerare fidem. *Id. Met.* 8, 741. Cereale nemus violasse securi Dicitur, et lucos ferro temerasse vetustos. *Id. Trist.* 2, 503. incestis temerare vocibus aures. *Stat. Th.* 3, 463. Nubila suspenso celerem temerasse volatu Persea, *h. e.* primum penetrasse, et quodammodo violasse, quia volare per aera non hominibus, sed avibus datum est. Sic *Val. Fl. de Argo*, quae prima dicitur navigasse, 1, 627. illicitas temerare rudentibus undas; et *ib.* 801. et *Lucan.* 3, 193. temeratum litus; et *Sil.* 15, 532. temeratae Alpes, *h. e.* ab Annibale primum transitae, cum humanis gressibus negatae viderentur, ut *Id.* 17, 502. loquitur. *Lucan.* 1, 147. temerare ferrum, *h. e.* caedibus et sanguine inficere. *Sil.* 2, 472. Nil temerare piget, rabidi jejunia ventris Insolitis adigunt vesci, *h. e.* morsu violare etiam ea, quae esui hominibus non sunt. *Claud. B. G.* 102. delubra oculis temerare profanis, *h. e.* aspicere quae non licet.

TĔMĔSAEUS, a, um, adj. *Τεμεσαῖος*, ad Temesen, *Τεμέσην*, Bruttiorum urbem pertinens: quae et Temsa, vel Tempsa, *Τέμψη*, dicitur: hinc *Tempsanus*, *a*, *um*, q. v. v. s. l. Meminere *Plin.* 3, 5, 10., *Ov. Met.* 15, 52. et 707. et *Mela* 2, 4. *med.* Celebris fuit aere flando et perficiendo. *Stat. Silv.* 1, 1, 42. Et queis se toties Temese dedit hausta metallis. *Ov. Fast.* 5, 441. Temesaeaque concrepat aera. (Adde *Stat. Silv.* 1, 5, 47.) *Id. Met.* 7, 207. Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores Aera tuos minuant. ℙ In illo *ejusd. Med. fac.* 41. Et quamvis aliquis Temesaea removerit aera: est qui leg. *Temeseia moverit.* ℙ *Stat.* in illo *Achill.* 1, 413. Aera domant Temesae: Temesas ponit inter urbes Graeciae.

TĔMĔTUM, i, n. vox prisca vinum significans, ut *Fest.*, *Gell.* 10, 23. et *Plin.* 14, 13, 14. docent: unde *abstemius* et *temulentus*. De notatione alii alia, V. tamen in BRIA. *Hor. Ep.* 2, 2, 162. accipis uvam, Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto, etc. *Juven.* 15, 25. De Corcyraea temetum duxerat urna. *Pomp.* ap. *Fest.* Non multi temeti, sed plurimi. *Varr.* ap. *Non.* 1, 14. Temetum olfacere. *Plin. l. c.* olere. *Cic. fr.* ap. *Non. ib.* Carent temeto omnes mulieres. *Pl. Aul.* 2, 6, 5. Cereri ne has facturi nuptias? quia temeti nihil allatum intelligo. ℙ *Temeti timor* facete dicitur parasitus et heluo: quia hujusmodi homines edaces bibacesque esse solent. *Novius* ap. *Fest.* Sequimini: i prae, mi nate, sequere temeti timor. Ita *Dacier.* leg., *Both.* sic: Sequimini, praemiati, sequere, etc. ℙ *Ricciolius* in *Prosod. Bonon.*, qui primam, aut secundam syllabam corripi posse putat, incerta omnia affert.

TEMNĪTES, ae, m. *Τημνίτης*, et

[TEMNĪUS, a, um, adj. qui ex Temno est, urbe Aeolidis, nunc *Melemèn*, cum monte cognomine. *Cic. Fl.* 18. Heraclides ille Temnites homo ineptus et loquax. Hinc *Temnitae*, *arum*, absolute, inculae illius urbis ap. *eund. ib.* 19. Cn. Lentulus Temnitarum patronus. Item *Temnii*, *orum*, absolute, ap. *Tac. A.* 2, 47. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas levari tributis placuit. *F.*]

TEMNO, is, a. 3. *καταφρονέω*, parvi facio, sperno, contemno. Ducunt a *τέμνω*, seco, quod interdum similem habet significationem. [*Doederl. hujus verbi originem ab adverbio *temere*, repetit.] Verbum est fere poeticum. *Lucr.* 3, 971. semper aves quod abest: praesentia temnis. *Hor. Sat.* 1, 1, 115. Instat equis auriga suos vincentibus, illum Praeteritum temnens extremos inter euntem; et *ib.* 2, 2, 38. Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. *Virg. A.* 6, 620. Discite justitiam moniti, et non temnere Divos; et *ib.* 7, 236. ne temne, quod ultro Praeferimus manibus vittas ac verba precantia. *Ov. A. Am.* 3, 299. Est et in incessu pars non temnenda decoris. *Tac. H.* 3, 47. Haud temnendae manus ductor. ℙ Praeteritum est *tempsi*, ut videre est in *contemno*.

Sed et *temni* dictum esse putat *Scal.* ita legens illud *Lucil.* ap. *Non.* 2, 855. Quodque adeo fuerint, qui te temnere superbum. Alii leg. *tempsere superbi.* ℙ Sunt qui putant, etiam a *Cic.* verbum ipsum usurpari *Att.* 13, 20. *med.* Id ago scilicet, ut judicia videar temnere. Sed plerique omn. leg. *tenere.*

TĒMO, onis, m. ῥυμός, lignum longum et extentum in curru, vel aratro, cui jugum in anteriori parte adnectitur. *Is. Vossio* videtur esse a στήμων, stans, ab ἵστημι, sto. *Varr. L. L.* 6, 4. Temo dictus a tenendo: is enim continet jugum. *Colum.* 6, 2. *med.* Juvenci jugum quarto die accipiunt, cui ramus illigatur, et temonis vice trahitur. *Virg. G.* 3, 173. junctos temo trahat aereus orbes. *Ov. Met.* 2, 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae. *Juven.* 4, 126. Regem aliquem capies, aut de temone Britanno Excidet Arviragus, *h. e.* ex essedo, in quo pugnat: synecdoche. ℙ Poetae non raro usurpant de plaustro Bootae, seu Septentrionibus. *Stat. Th.* 1, 370. hiberno deprensus navita ponto, Cui neque Temo piger, neque amico sidere monstrat Luna vias. *Cic.* vertens *Arati* carmina, *N. D.* 2, 42. *f.* Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod quasi temone adjunctam prae se quatit Arcton. ℙ Ex eo cognoscebant, quantum nox processisset. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* et *Fest* in *Septentrion.*: Quid noctis videtur? in altissimo coeli clypeo temo superat stellas, *h. e.* multa nox est, ut *Varr. ib.* dicit. *Sen. Herc. Fur.* 130. Septem stellis Arcades ursae lucem verso temone vocant *Ov. Met.* 10, 447. interque Triones Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes. *Lucan.* 4, 523. flexoque Ursae temone paverent, *h. e.* die adventante. *Stat. Th.* 1, 692. sed jam temone supino Languet hyperboreae glacialis portitor Ursae. ℙ *Temones* a similitudine vocat *Colum.* 6, 19. longas perticas, quasi vacerras in machina, qua boves et equi colligantur curandi causa. ℙ *Temo* in *Cod. Theod.* 6, 26, 14. 15. et 18. nomen est praestationis, seu functionis, quae solvebatur ab his, qui tirones praebere debebant supplendo exercitui, et pro iis pecuniam solvebant, aestimatione facta, quanti tiro quisque valeret. Videtur autem dici a τιμάω, aestimo, et *temo* corrupte esse pro *timo.*

TĒMONĀRĬUS, a, um, adj. ad temonem pertinens, genus praestationis, de quo in v. praec. *Imppp. Grat., Valent. et Theod. Cod. Theod.* 11, 16, 14. Omnium vilium munerum, ac totius capitulariae, sive (ut rem, quam volumus intelligi, communi denuntiatione signemus) temonariae functionis fieri jubemus exsortes. *Impp. Constant. et Constans. Cod. Just.* 12, 24, 1. Temonaria onera. ℙ *Temonarius, ii*, absolute, qui hujusmodi praestationem seu tributum exigit. *Imp. Constant. ib.* 29, 2.

TEMPĒ, n. plur. indecl. τὰ Τέμπεα, πη, regiuncula Thessaliae amoenissima, in valle, per quam Peneus amnis decurrit, cincta Olympo, Ossa, et Pelio montibus, inter Larissam et oram maritimam. In fabulis est ab Hercule aperta fuisse, diductisque vi montibus, viam Peneo factam, ut est ap. *Sen. Herc. Fur.* a. v. 283. Describuntur his verbis a *Plin.* 4, 8, 15. Peneus inter Ossam et Olympum numerosa convalle defluit quingentis stadiis, dimidio ejus spatii navigabilis. In eo cursu Tempe vocantur quinque mill. passuum longitudine, et ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra laevaque leniter convexis jugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus avium concentu. *Id.* 16, 44, 92. Thessalica Tempe. *Hor. Od.* 1, 7, 4. Thessala. *Virg. G.* 4, 317. Peneia. *Hor. Od.* 3, 1, 24. agitata Zephyris. *Lucan.* 8, 1. nemorosa. *Mela* 2, 3. sacro nemore nobilia. *Sen. Troad.* 815. opaca. *Stat. Th.* 6, 88. umbrosa; et *ib.* 10, 119. tenebrosa. *Catull.* 64, 285. viridantia. ℙ Nihil amoenitati loci officit difficilis aditus et angustiae, quas ita describit *Liv.* 44, 6. Sunt Tempe saltus transitu difficilis: nam praeter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est, rupes utrinque ita abscisae sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit: terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. ℙ Etiam alibi loca amoena *Tempe* dicuntur. *Virg. G.* 2, 469. Speluncae, vivique lacus, et frigida Tempe, Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni Non desunt. *Ov. Fast.* 4, 477. Eloria Tempe. *Id. Am.* 1, 15. Heliconia. *Stat. Th.* 1, 485. Theumesia. *Catull.* 64, 35. Phthiotica; *nisi forte eadem sunt ac Thessalica.* ℙ *Tempea* Graeca positione, τὰ Τέμπεα. In *fragm. Solini* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 386. *Burm.* Vos quoque qui resono colitis cava Tempea coetu.

TEMPERĀCŬLUM, i, n. temperatura. *Appul. Flor. n.* 6. Et cinnami merces, et ferri temperacula, et argenti metalla.

TEMPERĀMENTUM, i, n. temperatura, mixtio rerum cum proportione, proportio diversarum qualitatum in corpore mixto, μίξις, κρᾶσις. *Plin.* 9, 36, 61. Concharum ad purpuras et conchylia (eadem enim est materia, sed distat temperamento) duo sunt genera, etc. *Id.* 19, 8, 44. Eruca praecipue frigorum contemptrix, diversae est, quam lactuca, naturae: idcirco jungitur illi fere in cibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum aequet. *Scrib. Comp.* 230. Teruntur ex cinere lixiva, qua culinarii utuntur, donec habeat mellis liquidi temperamentum, *h. e.* spissitudinem. Hac eadem ratione saepius usurpatum legas apud eundem *Scrib.* ℙ Ponitur et pro modo, mediocritate, moderatione. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Omnia modo constant, certoque temperamento. *Id.* 12, 25, 54. Incidentis manus librator artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet. *Cic. Leg.* 3, 10. *med.* Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarunt. *Liv.* 28, 44. *f.* Et si nulla alia re, modestia certe et temperamento linguae adolescens senem vicero. Alii leg. *temperando linguae. Plin. Pan.* 3. Servare, et tenere temperamentum in aliqua re. *Just.* 2, 7. Tanto temperamento inter plebem senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam traheret. ℙ *Temperamentum coeli* ap. *eund.* 2, 1. est constitutio aeris quaecumque. ℙ In corpore etiam animalis est certa qualitatum constitutio et modus, ex quo valetudo bona, vel mala exsistit. *Colum.* 3, 12. *med.* Opus est inter has tam diversas inaequalitates magno temperamento, quod in corporibus quoque nostris desideratur, quorum bona valetudo calidi et frigidi, humidi et aridi, densi et rari certo et quasi examinato modo continetur. Nec tamen hoc temperamentum in terra, quae vineis destinetur, pari momento libratum esse debere, etc.

TEMPĒRANS, antis, a *tempero:* σώφρων, moderatus, continens, temperatus. *Cic. Font.* 14. Frugi hominem, judices, et in omnibus vitae partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis, videtis positum in vestra fide ac potestate. *Id. Par.* 3, 1. *f.* An temperantem eum dices, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? *Id. Att.* 15, 1. Cum hominem temperantem, summum medicum, tantus improviso morbus oppresserit. *Liv.* 26, 22. Cives graviores temperantioresque a cupidine imperii. Alii leg. *temperatiores. Cic. Font.* 13. Homo sanctissimus ac temperantissimus. ℙ Cum gen. *Ter. Ph.* 2, 1, 40. Si est, ut culpam in se admiserit, ex qua re minus rei foret aut famae temperans, *h. e.* minus parceret rei familiari, aut famae suae. *Tac. A.* 13, 46. *extr.* Integre sancteque egit procax otii, et potestatis temperantior, *h. e.* moderatior in potestate. *Plin. Pan.* 52. *med.* Temperans gaudii seraeque laetitiae.

TEMPĒRANTER, adv. μετρίως, σωφρόνως, modice, moderate. *Cic. Att.* 9, 2. *med.* Nam quod ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum; qui hic potest se gerere non perdite? *Tac. A.* 15, 29. Ille de nobilitate generis multum praefatus, cetera temperanter adjungit; et *ib.* 4, 33. Noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter habeatur.

TEMPĒRANTĬA, ae, f. σωφροσύνη, moderatio, modestia. *Cic. Tusc.* 3, 8. Temperans, quem Graeci σώφρονα appellant, eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam: sed haud scio, an recte ea virtus frugalitas appellari possit. *Id. Part.* 22. Quae vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, ejus est munus in agendo: cui temperantiae nomen est; et *Fin.* 1, 14. Temperantia est, quae in rebus aut expetendis, aut fugiendis rationem ut sequamur, monet; et *ib.* 5, 23. *med.* et *N. D.* 3, 15. Temperantia constat ex praetermittendis voluptatibus. *Id. Inv.* 2, 54. Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos animi impetus firma et moderata dominatio. Ejus partes sunt continentia, clementia, modestia. *Id. Or.* 2, 60. *med.* Dicacitatis moderatio et temperantia distinguet oratorem a scurra. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Novi enim temperantiam et moderationem naturae tuae. *Id. Off.* 3, 25. *extr.* Conformatio et moderatio continentiae et temperantiae; et *ib.* 33. Restat quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. *Id. Tusc.* 5, 20. Summa fuit ejus in victu temperantia. *Tac. G.* 23. Sine apparatu expellunt famem: adversus sitim non eadem temperantia. *Plin. ep.* 1, 12. *med.* Increverat valetudo, quam temperantia mitigare tentavit; et *Tac. A.* 1, 14. Moderandos feminarum honores dictitans, eademque se temperantia usurum in his, quae sibi tribuerentur. [*Discrimen inter *temperantia* et *temperatio* item *temperatus Doederl.* 2, 209. hoc fere constitui posse videtur, ut haec virtutem significent, qua nonnisi homines gaudeant, illud etiam rebus tribui queat.] ℙ Item temperamentum. *Sall. Jug.* 49. Metellum magnum et sapientem virum fuisse comperior, tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum.

TEMPĒRĀTĒ, adv. μετρίως, moderate, temperanter, modice. *Cato R. R.* 69. Lenibus lignis facito calescat: ubi temperate tepebit, cummin indito. *Vitr.* 2, 9. *med.* Arbores humoris temperate, parum terreni habentes. *Cic. Att.* 12, 32. Ages, ut scribis, temperate; et *ib.* 13, 1. Ita scripsisti, ut neque severius, neque temperatius scribi potuerit. Alii leg. *temperantius. August. Mus.* 6, 15. Temperatissime et castissime vivere.

TEMPĒRĀTĬO, onis, f. εὐκρασία, μίξις, mixtio, temperatura. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. *f.* Tu solus vasis Corinthiis delectaris? tu illius aeris temperationem solertissime perspicis? *Vitr.* 7, 11. Caerulei temperationes Alexandriae primum sunt inventae. *Cic. N. D.* 2, 5. Magnitudo commodorum, quae percipiuntur coeli temperatione, fecunditate terrarum, etc. et *ib.* 10. Omnia, quae terra concipiat, semina temperatione caloris et oriri et augescere. *Id. Tusc.* 4, 13. *med.* Est enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas: sic animi dicitur, cum ejus judicia opinionesque concordant: eaque animi est virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiae praeceptis. ℙ Translate est moderatio, gubernatio. [*Differentiae inter *temperatio* et *moderatio*, notationis, quam in *tempore* posuimus, ratione habita, *Doederl.* 2, 209. hanc fere summam dedit, ut *moderatio* mentem, *temperatio* universam hominis naturam spectet: hoc, ut nostr. *Seelenruhe*, statum significet, ubi ratio primum locum occupatum teneat; illud, ut nostr. *Selbstbeherrschung*, in certamine rationis cum animi affectibus positum sit. Quid *temperantia* distet, v. in h. v.] *Cic. Somn. Scip.* 4. *f.* Sol dux et princeps, et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio. *Id. Tusc.* 4, 1. De moribus institutisque majorum, et disciplina ac temperatione civitatis loqui. *Id. Leg.* 3, 5. Haec est, quam maxime probat temperationem reipublicae: quae effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. ℙ Item temperamentum. *Id. ib.* 12. Sed praesto est hujus vitii temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas; et *paulo post:* Potest ex temperatione juris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status.

TEMPĒRĀTĪVUS, a, um, adj. qui temperat, ut Temperativa medicamina, ap. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1. Itali *medicamenti mitiganti* dicunt.

TEMPĒRĀTOR, oris, m. ἁρμοστής, moderator, gubernator. *Cic. Or.* 21. Magni igitur judicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille, et quasi temperator hujus tripartitae varietatis. *Mart.* 4, 55. Quam fluctu tenui, sed inquieto Armorum Salo temperator ambit. Ubi Salonem fluvium vocat armorum temperatorem, quia ejus aquis temperantur enses. *Sen. V. B.* 14. Temperator voluptatis, *h. e.* qui voluptate temperate utitur.

TEMPĒRĀTŪRA, ae, f. κρᾶσις, μίξις, mixtio, temperamentum, temperatio. *Vitr.* 7, 9. Temperatura minii. *Plin.* 34, 9, 20. Sequens temperatura statuaria est, eademque tabularis, hoc modo; et *mox:* Appellatur etiamnum et formalis temperatura aeris tenerrimi; et *paulo post:* Novissima est, quae vocatur ollaria, vase nomen hoc dante, etc. et *ib.* 2, 5. Insula aes non gignens, sed officinarum temperatura nobilitata; et *ib.* 15, 43. Ferrum a rubigine vindicatur cerussa, et gypso, et liquida pice: haec est temperatura, a Graecis antipathia dicta. ℙ Translate. *Sen. ep.* 1. *med.* Quaecumque attribuit conditio nascendi, et corporis temperatura; et *Varr.* ap. *Non.* 2, 848. Quaero ex te, utrum hoc adduxerit coeli temperatura, an terrae bonitas, i. e. temperies.

TEMPĒRĀTUS, a, um, part. a *tempero:* συγκεκραμένος, εὔκρατος, mixtus. *Cic. Tusc.* 1, 25. *med.* Auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate et natura sonorum. *Plin.* 20, 9, 40. Vinum temperatum ex aqua coelesti. *Id.* 19, 5, 28. Amaritudo temperata multo. *Id.* 11, 42, 97. Zoroastrem caseo vixisse annis viginti ita temperato, ut vetustatem non sentiret. ℙ Translate est administratus. *Vell.* 2, 60. *f.* Omnia pretio temperata, vendente rempublicam consule. ℙ Saepe est moderatus, modicus, temperans, modestus, μέτριος. *Cic. Fam.* 12, 27. Est autem ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. *Id. Att.* 4, 6. Homo in summa magnitudine animi multa humanitate temperatus. *Id. N. D.* 3, 36. Vir justus, temperatus, sapiens. *Hor. Od.* 2, 3, 1. rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis Ab insolenti temperatam Laetitia. *Id. ib.* 3, 4, 66. Vim temperatam Dii quoque provehunt In majus: Idem odere vires Omne nefas animo moventis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Ecquem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem audisti? *Sen. ep.* 18. Hoc multo fortius est, ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse: illud temperatius, non excerpere se, nec insigniri, nec misceri omnibus. ℙ Commode transfertur ad orationem. *Cic. Or.* 2, 53. Neque est ulla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur. *Id. Or.* 57. *extr.* Sit oratio permixta et temperata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa; et *ib.* 27. *med.* Oratio modica ac temperata. ℙ *Temperata regio, temperatum tempus*, in quo calor et frigus ita temperata sunt, ut neutrum saeviat. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Eugenia (*vitis*) ferventibus locis, Rhaetica temperatis, Allobrogica frigidis copiam praestant. *Vitr.* 1, 4. Regiones coeli neque aestuosae, neque frigidae, sed temperatae. *Caes. B. G.* 5, 12. Loca sunt temperatiora, quam in Gallia, remissioribus frigoribus. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Temperatissimum anni tempus. *Colum.* 3, 20. Mitis ac temperatus annus. Ad-

de *Mart.* 10, 30. ℙ *Prela temperata*, parata ad opus et instructa, ut iis quandocumque uti liceat. *Cato R. R.* 12. Prela temperata quinque, supervacanea tria. V. *Turneb. Adv.* 8, 6.

[TEMPĔRĀTUS, us, m. temperantia, abstinentia. *Arnob.* 5, 167. Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus. V. CASTUS, su. *F.* *V. in *Temperantia.*]

*TEMPĔRI. V. TEMPORI.

TEMPĔRIES, ēi, f. *εὐκρασία*, diversarum rerum mixtio aequata, ita ut nulla res aliam excedat. *Plin.* 34, 2, 3. Corinthii aeris tria genera: candidum, argento quam proxime accedens, in quo illa mixtura praevaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo aequalis omnium temperies fuit. *Id.* 2, 78, 80. Magna et in colore temperies: scil. ut neque nimis fuscus sit, neque nimis candidus in cute hominum. Ap. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 268. similem locum habes. Rursus *Plin.* 16, 11, 22. Resina, si cum aqua levius decoquatur, rufo colore lentescit: alia temperies ad crapulam. ℙ Saepe dicitur de temperata coeli constitutione, cum neque frigus, neque aestus nimius est, *εὐημερία. Plin. ep.* 5, 6. Accipe temperiem coeli, regionis situm, villae amoenitatem. *Ov. Pont.* 2, 7, 71. Temperie coeli corpus animusque juvantur: Frigore perpetuo Sarmatis ora riget. *Id. Met.* 15, 211. Excipit *(aestatem)* autumnus etc. mitisque inter juvenemque senemque, Temperie medius; et *ib.* 1, 50. Nix tegit alta duas *(coeli zonas)*: totidem inter utramque locavit, Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma. *Lucan.* 10, 207. Sub Jove temperies, et nunquam turbidus annus. *Ov. Met.* 4, 344. temperie blandarum captus aquarum, *h. e.* quae neque frigidae nimis sunt, neque calidae. ℙ *Temperies anni* ap. *Plin.* 18, 25, 60. est tempus anni hieme adventante, cum sementis faciendae tempus est, foliis arborum deciduis. ℙ Translate. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 217. Servat inoffensam divina modestia vocem, Temperiem servant oculi, *h. e.* modum. *Id. Epithal. Pall. et Celer.* 64. amor mentisque benignae Temperies, doctique sales et grata senectus, *h. e* moderatio animi. *Stat. Silv.* 2, 6, 48. tranquilla morum temperies. *Claud. B. Get.* 143. Temperiem coelo pariter, belloque referre, *h. e.* aestate temperare hiemem, et victoria bellum finire. ℙ De virtute Temperantiae *Id. Laud. Stil.* 2, 103. Justitia utilibus rectum praeponere suadet, etc. durum Patientia corpus Instruit, etc. Temperies, ut casta petas, Prudentia, ne quid Inconsultus agas. [*De notatione h. v. v. in *tempero*. Quid a *tepor* differat, dictum est in h. v.]

TEMPĔRO, as, avi, atum, a. 1. *κεράννυμι*, varias res proportione servata commisceo. *Cic. Off.* 3, 33. Quod simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri et temperari non potest. *Id. Somn. Scip.* 5. Acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. *Id. Un.* 7. Ea cum tria sumpsisset, unam in speciem temperavit. *Ov. Fast.* 5, 401. Lectas Pagasaeis collibus herbas Temperat, et varia vulnera mulcet ope. *Mart.* 9, 12. Temperare pocula Tonanti, *h. e.* miscere, propinare, praebere. *Vitr.* 10, 22. *med.* Temperavit ahena aquae ferventis, et picis, desuperne contra capita hostium, et stercoris humani, et arenae coctae cadentis, *h. e.* mixtis aqua, pice, etc. implevit. *Plin.* 7, 56, 57. Aes conflare, et temperare. *Id.* 29, 3, 11. vinum. *Id.* 34, 14, 41. ferrum. *Id.* 14, 17, 21. acetum melle. *Id.* 2, 18, 16. colores, *h. e.* colorum varietatem efficere. *Hor. Epod.* 17, 80. desiderii poculum. *Suet. Ner.* 2. *f.* venenum. *Plin.* 13, 2, 2. unguentum. *Id.* 27, 10, 59. collyrium. *Id.* 23, 2, 29. Oxymeli antiqui hoc modo temperabant: mellis minas decem, aceti quinque, salis pondo libram, etc. ℙ Quemadmodum temperando fit ferrum durius, et incidendo aptius, sic *temperare ungues* dixit *Stat. Th.* 2, 130. de tigride: Bella cupit, laxatque genas, et temperat ungues. ℙ Item mitigo, lenio. *Plin.* 20, 7, 26. Temperare asperitatem oxypori addito dulci. *Cic. N. D.* 2, 53. Etesiarum flatu nimii temperantur calores. *Virg. G.* 1, 110. scatebrisque arentia temperat arva. Sic *Claud. Cons. Prob.* etc. 260. Oebaliae qui temperat arva Galesus, *h. e.* sitientia irrigat. *Plin.* 17, 12, 18. Vitis solem umbra temperans. *Hor. Od.* 4, 12, 1. Jam veris comites, quae mare temperant. *Id. ib.* 3, 19, 6. quis aquam temperet ignibus. *Mart.* 3, 25. Si temperari balneum cupis fervens. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 12, 11. Cujus acerbitas morum, immanitasque naturae, ne vino quidem permixta temperari solet. *Hor. Od.* 2, 16, 26. amara lento Temperet risu. *Suet. Tib.* 34. Annonamque macelli, senatus arbitratu, quotannis temperandam censuit, *h. e.* pretium annonae minuendum. ℙ Item guberno, moderor, rego, administro: quod fit non uno eodemque semper modo, sed varias rationes miscendo, et nunc hac, nunc illa utendo, pro temporum et rerum varietate. *Plin.* 2, 6, 4. Sol vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturae temperat. *Ov. Met.* 13, 366. Temperare ratem. *Hor. Od.* 1, 12, 14. (et *ib.* 3, 4, 45.) de Jove: qui res hominum ac Deorum, Qui mare ac terras, variisque mundum Temperat horis. *Id. ib.* 8, 6. Gallica nec lupatis Temperet ora frenis. *Id. ib.* 4, 3, 17. O testudinis aureae Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas. *Cic. Tusc.* 1, 1. Mores instituta vitae, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur, et lautius: rem vero publicam nostri majores certe melioribus temperaverunt et institutis, et legibus. *Hor. Sat.* 2, 5, 70. mulier si forte dolosa, Libertusve senem delirum temperet. *Petr. Sat.* 137. Fortunamque suo temperet arbitrio. *Ov. Am.* 1, 3, 10. Temperat et sumptus parcus uterque parens, *h. e.* moderatur, ne modum excedant. ℙ Item modum pono, contineo, moderor, cohibeo. *Cic. Marcell.* 3. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare. *Sall. Cat.* 11. *extr.* Secundae res sapientum animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriae temperarent. *Virg. A.* 1, 61. mollitque animos, et temperat iras. *Pl. Epid.* 1, 2, 8. Temperare in amore. *Id. Rud.* 4, 7, 28. et *Liv.* 28, 44. linguae. *Liv.* 2, 23. *med.* et 32, 20. manibus:, et 2, 22. oculis. *Id.* 33, 20. irae. *Id.* 5, 45. *med.* animis. ℙ In illo *Stat. Th.* 1, 304. de Mercurio: Summa pedum propere plantaribus alligat alis, Obnubitque comas, et temperat astra galero, *h. e.* coercet, pileo obvolvens, ne fulgore perstringant. ℙ *Temperare sibi* est se continere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. *med.* Usque mihi temperavi, dum perducem eo rem, ut, etc. *Auct. ad Her.* 4, 18. Eum sibi credis a mendacio temperaturum? *Caes. B. G.* 1, 33. Neque sibi homines feros temperaturos existimabat, quin, etc. *Liv.* 5, 45. *med.* Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 6. Non quivit temperare sibi in eo *(signo)* quamquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto. ℙ Item abstineo, parco. *Cic. Verr.* 2, 1, 59. *f.* Te putet quisquam sociis temperasse, qui aedem Castoris testem furtorum tuorum esse voluerit? et *ib.* 4, 6. Non recuso, quin ita me audiatis, ut si cuiquam ulla in re unquam temperaverit, vos quoque ei temperetis. *Caes. B. G.* 1, 7. *f.* Neque homines inimico animo, temperaturos ab injuria et maleficio existimabat. *Claud. II. cons. Stil.* 270. Temperare a venatibus. *Virg. A.* 2, 8. a lacrimis. *Liv.* 30, 20. et *Tac. A.* 15, 16. lacrimis. *Liv.* 32, 34. risu. *Suet. Vit. Lucan.* Neque verbis neque factis adversis principem temperavit. ℙ Cum infinito. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 21. puerum Priamo qui foret Postilla natus, temperaret tollere. *Pl. Poen. prol.* 34. Matronae canora hic sua voce tinnire temperent; et *ib.* 22. dormire temperent; et 5, 2, 76. Maledicere huic tu temperabis, si sapis. *Gell.* 4, 9. Dies, in quibus rem quampiam novam exordiri temperandum est. ℙ Cum accus. communi. *Pl. Stich.* 1, 2, 59. Ubi facillime spectatur mulier, quae ingenio est bono? *Pan.* cui malefaciundi est potestas, quae ne faciat, id temperat. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 1, 29. *extr.* Templis Deum temperatum est. *Id.* 5, 7. Tum vero jam superfundenti se laetitiae vix temperatum est. *Id.* 32, 10. *med.* Aegre temperatum est, quin, etc. et 2, 23. *med.* Nec manibus temperatum foret, ni propere consules intervenissent. ℙ [*Etymon hujus vocis solent a v. *temporis* facere, ut *Becm. Orig. L. L.* p. 1082. *Tempero* est rem suo tempore facio, i. e. certo ordine ac modo, prudenter nec nimis cito nec nimis sero. Amplexi sunt hanc notationis rationem praeter alios *Lünemannus* et *Kärch.* in Lexicis suis primam hujus verbi significationem in eo quidem ponentes, quo de certis alicujus rei terminis finibusque per certas quasi temporis partes positis, i. e. cum moderationis notione dicitur. At *Doederl.* 2, 206. utrumque vocabulum *tempus* et *temperare* deduci vult a *tepore*, quod statum signif. medium inter frigus et calorem. V. TEPOR et TEMPUS.] ℙ *Temperint* pro *temperent* antique, ut *edint* pro *edant*, est *Plauti Truc.* 1, 1, 41.

TEMPESTAS, atis, f. *χρόνος*, idem quod tempus, in sing. num. [*Quid a *tempus* differat, v. in h. v.] *Varr. L. L.* 6, 6. *med.* In duodecim tabulis: solis occasus diei suprema tempestas esto: libri augurum pro tempore tempestatem dicunt, id est supremum augurii tempus. *Pl. Cas. prol.* 18. Ea tempestate flos poetarum fuit: qui nunc abierunt hinc communem locum. *Sall. Cat.* 17. *f.* Fuere item ea tempestate, qui crederent, etc. *Liv.* 27, 37. *med.* Carmen illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis. *Cic. Or.* 3, 28. Raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem: neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius *(Antipater)* Qua tempestate Poenus in Italiam venit. *Pl. Truc.* 2, 4, 29. Tempestas, memini, quondam fuit, cum inter nos sorderemus unus alteri. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 1, 6. et *Ov. Met.* 1, 183. et *Prop.* 4, 9, 1. ℙ Item pars temporis, v. gr. annus, aut anni pars. *Sall. Cat.* 57. Multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. *Id. Jug.* 101. Sulla rudis antea et ignarus belli, solertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. *Liv.* 1, 5. Euander, qui multis ante tempestatibus ea tenuerat loca. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Quam te post multis tueor tempestatibus. *Hor. Sat.* 1, 5, 96. Postera tempestas melior, via pejor. Nisi malis diem intelligere, ut [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 44. Sic omnia nimia, cum vel in tempestate, vel in agris, vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur. Haec ex *Platone: Ἐν ὥραις τε, καὶ ἐν φυτοῖς, καὶ ἐν σώμασι*, etc. *F.*] *Id.* vertens *Homeri* versum, *Div.* 1, 25. Tertia de Phthiae tempestas laeta locabit. *Homerus* habet *Iliad.* 9, 363. *Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.* ℙ Item constitutio coeli et aeris, in utramque partem. De tempore tranquillo, sereno, et ventis ferentibus opportuno ad navigandum. *Cic. Fam.* 14, 4. *med.* Tuas litteras exspectassem Brundisii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem praetermittere noluerunt. *Id. ib.* 16, 1. *med.* Et comites et tempestates, et navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. *Id. Q. Fr.* 2, 2. *f.* Velim, quam primum bona et certa tempestate conscendas. *Id. Att.* 9, 13. Fuit pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum usum puto. *Caes. B. G.* 1, 23. Nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertia vigilia solvit. *Tac. Agr.* 38. *f.* Classis secunda tempestate portum tenuit. ℙ Extra navigationem. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 2, 39. Cum tonuit laevum bene tempestate serena. *Virg. A.* 9, 20. clara tempestas. *Lucr.* 4, 168. liquidissima coeli. *Id.* 1, 178. Dum tempestates adsunt, et vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis oras, *h. e.* tum sereni dies, tum pluvii opportune advenientes. *Id.* 2, 32. cum tempestas arridet, et anni Tempora conspergunt viridantes floribus herbas. ℙ De coeli statu turbato ob nimium ventum, aut imbrem, procellam, fulgura, tonitrua, grandinem, etc. *χειμών*, [*nostr. *Wetter.* V. *Doederl.* 2, 207.] *Plin.* 18, 28. 69. *n.* 1. Coelestis injuriae genus unum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellae, ceteraque similia intelliguntur: quae cum acciderint, vis major appellatur. *Cels.* 2, 1. Ex tempestatibus optimae aequales sunt, sive frigidae, sive calidae: pessimae quae maxime variant. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus. *Caes. B. C.* 1, 48. Tanta tempestas cooritur, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret. *Cic. Phil.* 5, 6. Lex maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina et tonitrua fertur. *Id. Off.* 2, 6. Procellae, tempestates, naufragia, ruinae, incendia. *Id. Par.* 6, 3. Virtus neque naufragio, neque incendio amittitur; nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur. *Id. Rosc. Am.* 45. Venti vehementiores, aut immoderatae tempestates. *Id. N. D.* 2, 66. *f.* Si segetibus aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit. *Id. Verr.* 2, 5, 10. Hic situs, atque haec natura esse loci coelique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore ejus diei solem homines videant. *Id. Inv.* 2, 31. *med.* Subito magnis commotis tempestatibus fluvius Eurotas ita magnus et vehemens factus est, ut, etc. *Virg. A.* 5, 694. effusis imbribus atra Tempestas sine more furit. *Id. G.* 1, 323. Et foedam glomerant tempestatem, imbribus atris Collectae ex alto nubes; et *ib.* 2, 310. tempestas a vertice silvis Incubuit. *Liv.* 2, 62. Foeda tempestas cum grandine et tonitribus coelo dejecta. *Pl. Most.* 1, 2, 27. Tempestas venit, confringit tegulas imbricesque; et *ib.* 57. Venit ignavia: ea mihi tempestas fuit: ea mihi, adventu suo, grandinem, imbremque attulit. ℙ De mari jactato ventis. *Cic. Att.* 2, 6. Ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneae. *Id. Inv.* 2, 31. Cum nautae adversa tempestate in alto jactarentur. *Caes. B. G.* 4, 28. Tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum navium cursum tenere posset. *Id. B. C.* 3, 27. Tempestas naves afflixit. ℙ Tempestatis descriptionem habes ap. *Virg. A.* 1. a v. 87. et *ib.* 3. a v. 194., *Hor. Epod.* 10., *Ov. Met.* 11. a v. 480. et *Trist.* 1, 2., *Sen. Ag.* a v. 406., *Lucan.* 5. a v. 594., *Val. Fl.* 8. a v. 322. etc. ℙ Signa imminentis tempestatis collegit *Lucan.* 5. a v. 541. ℙ Romani Tempestates pro Diis coluere. *Inscr.* ap. *Visc. Mon. degli Scip. tab.* 5. *A.* L. Scipio filios Barbati consul dedet Tempestatebus aede mereto, *h. e.* dedit Tempestatibus aedem merito: haec autem inscriptio pertinet ad L. Cornelium Scipionem, qui consul fuit ann. U. C. CCCCXCIV. *Cic. N. D.* 3, 20. Quod si nubes retuleris in Deos, referendae certe erunt Tempestates, quae populi R. ritibus consecratae sunt. *Hor. Epod.* 10, 23. Libidinosus immolabitur caper, Et agna Tempestatibus. *Ov. Fast.* 6, 193. Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur, Cum paene est Corsis obruta classis aquis. ℙ Translate est quaevis perturbatio, periculum, calamitas, infortunium. *Cic. Cat.* 1, 9. Video quanta tempestas invidiae nobis impendeat; et *Har. resp.* 2. Multo ante prospexi, quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella reipublicae. *Nep. Alc.* 4. Utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem, clam se a custodibus subduxit. *Cic. Sext.* 47. *extr.* Quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu demovere; et *ib.* 67. Repentina vi perculsi ac tempestate populari; et *ib.* 20. Navis reipublicae, ereptis senatui gubernaculis, fluitans in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum. *Id. Or.* 1, 1. Qui locus quietis

et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt. *Id. Dom.* 53. *med.* Tu, procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii. *Id. Cluent.* 35. Vis illa fuit, et ruina quaedam atque tempestas, et quidvis potius, quam judicium. *Id. Verr.* 2, 2, 37. *extr.* Hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempestatem calamitatemque vitare. *Hor. Ep.* 2, 2, 85. Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis. *Sen. Ag.* 62. Alia ex alia cura fatigat, Vexatque animos nova tempestas. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 2. *extr.* vocat *tempestatem* pestilentiam, quae per triennium Romanos afflixit. ℙ Illa poetica sunt: *Stat. Th.* 3, 228. Martem ait tota perfusum pectora belli Tempestate, *h. e.* turbis, caedibus, calamitatibus, quae bello comitantur. *Virg.* quoque *A.* 7, 223. et *Liv.* 31, 10. et 43, 18., item *Claud. in Eutrop.* 2, 579. et *Laud. Stil.* 1, 246. et *B. Get.* 112. et 641. et alibi tempestatem de bello et proelio dixere. *Id. Cons. Mall. Theod.* 220. Nullaque mutati tempestas proditur oris, *h. e.* turbatio. *Hor. Ep.* 1, 15, 31. Pernicies et tempestas, barathrumque macelli. Simile est illud *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! ℙ De magna vi et copia alicujus rei. *Cic. Pis.* 36. *f.* Qui cum concursum plorantium ac tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum devium profugisti. *Virg. A.* 12, 283. it toto turbida coelo Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber. *Claud. in Ruf.* 1, 101. Non Tartesiacis illum satiarit arenis Tempestas pretiosa Tagi. *Id. Idyll.* 1, 98. Indus odor penetrat nares, completque salubri Tempestate viros. ℙ In genit. plur. est *tempestatum:* sed et *tempestatium*, ut *civitatium*, reperitur. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 76. Jovi O. M. tempestatium divinarum potenti, etc.

TEMPESTĪVĒ, adv. *ὡραίως, εὐκαίρως,* suo tempore, opportune, in tempore: neque maturius, neque serius. *Cic. N. D.* 2, 62. *f.* Serere, colere, tempestive demetere, et percipere fructus. *Plin.* 16, 36, 66. Caedi solebant arundines tempestive sub Arcturo, etc. (*h. e.* mense Septembri) postquam varietas accessit, caedi ante solstitia coeptae. *Cato R. R.* 61. Bene et tempestive arare. *Colum.* 2, 8. *med.* Nec ignoro, quosdam praecepisse, ne seminarentur agri, nisi cum terra pluviis permaduisset: quod ego, si tempestive competat, conducere non dubito: sed si seri sunt imbres, etc. *Id.* 3, 21. *med.* Uvae, quae maturescere incipiunt, tempestive leguntur. *Plin.* 26, 3, 8. Vinum aegris dare tempestive. *Suet. Vesp.* 23. Utebatur et versibus Graecis tempestive satis; et *Ov. Trist.* 4, 10, 81. Felices ambo, tempestiveque sepultos! Ante diem poenae quod periere meae. *Pl. Truc.* 1, 1, 41. Qui nostrae aetati tempestive temperint. Alii leg. *tempestivo. Just.* 34, 1. Quaerentibus causas belli tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit. *Hor. Od.* 4, 1, 9. Tempestivius in domo Pauli comissabere Maximi.

TEMPESTĪVĪTAS, atis, f, *ὡραιότης, εὐκαιρία,* tempus quippiam agendi opportunum. *Plin.* 10, 34, 52. Columbae pullis primo salsiorem terram collectam gutture in ora inspuunt, praeparantes tempestivitatem cibo. *Id.* 18, 30, 73. Tempestivitas condendi frumenta. *Id.* 11, 14, 14. Alterum genus est mellis aestivi, quod ideo vocatur *ὡραῖον* a tempestivitate praecipua. *Cic. Sen.* 10. *med.* Sua cuique parti aetatis tempestivitas est data, ut et infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. ℙ Pro temperie et temperamento. *Plin.* 29, 6, 39. Claritatem oculorum consequi, et stomachi totiusque corporis tempestivitates.

TEMPESTĪVO, adv. V. *Plauti l. c.* in TEMPESTIVE.

TEMPESTĪVUS, a, um, adj. tempori aptus et conveniens, opportunus, idoneus, *καίριος, εὔκαιρος. Cic. N. D.* 2, 53. Etesiae tempestivi et salutares omnibus, quae oriuntur e terra. *Just.* 44, 1. Hispania felicibus et tempestivis imbribus in omnia frugum genera fecunda est. *Plin.* 16, 43, 84. Tempestiva caesura arborum. *Cic. Manil.* 12. Nondum tempestivo ad navigandum mari, Siciliam adiit. *Hor. Ep.* 2, 2, 142. Et tempestivum pueris concedere ludum. *Liv.* 5, 12. *f.* Orationem tempestivam de concordia ordinum, patribus plebique gratam habuit. *Id.* 45, 19. Aggredi aliquem tempestivis temporibus. Sunt qui malint *sermonibus. Ov. Met.* 5, 499. veniet narratibus hora Tempestiva meis. *Auct. dial. de Or.* 14. Num parum, inquit, tempestivus interveni secretum consilium tractantibus? *Stat. Th.* 2, 354. oscula moestis Tempestiva genis posuit. *Plin.* 11, 17, 17, Apparatus indice tempestivum diem eligentium. *Cic. Tusc.* 1, 45. Multa mihi ad mortem tempestiva fuere, *h. e.* multae causae ac tempora idonea, quibus mortem obirem. ℙ *Tempestivum est*, opportunum, idoneum tempus est. *Plin.* 16, 39, 74. Caedi tempestivum quae decorticentur, cum germinant, alias cortice inextricabili. *Colum.* 1, 8. *f.* Si tempestivum erit, confestim; si minus, postero die fines oculis perlustrare. ℙ *Tempestivus* surgere dicitur, qui tempore opportuno ad agendum surgit, quod est hominis operosi et recte valentis. *Plin.* 7, 53, 54. Nullis evidentibus causis obiere, dum calciantur matutino, duo Caesares, Q. Fabius Max., C. Vulcatius Gurges: omnes adeo sani atque tempestivi, ut de progrediendo cogitarent. *Id.* 29, 4, 25. Refrigeratum sub dio dari tempestivis, antecedente vomitione. ℙ *Tempestiva convivia*, quae nulla dilatione interposita, legitima coenae hora ineuntur: aut etiam aliquanto maturius, quod solent, qui negotiis carent, et orexi laborant, et gulae inserviunt. Eaque saepe in reprehensione ponuntur. Olim Romani, duri homines, et operi rustico dediti, sub occasum solis ex Sabinorum disciplina, cibum sumebant: deinde hora diei decima coenae dari coepta, et crescentibus opibus ac luxu, etiam nona, aut octava, ut ex *Hor. Ep.* 1, 7, 71., *Mart.* 4, 8., *Juven.* 1, 49. et aliis constat. Itaque tempestive accumbere dicebantur, qui temporius mensae assidebant, largius et diutius cibo, et poculis, laetisque sermonibus operam daturi. *Cic. Sen.* 14. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum aequalibus solum, sed cum vestra etiam aetate. (*Cato* senex delectari se dicit tempestivis conviviis, non propter epulas, sed, ut *ib.* 13. dicitur, propter coetum amicorum, et remissionem animi ex jucundis sermonibus.) *Id. Att.* 9, 1. Multa in me, et severe in tempestivis conviviis disputantur; et *ib.* 13. *med.* Quas eos coenas obire, scripsit ad me Sextus! quam lautas! quam tempestivas! *Id. Arch.* 6. Quis me reprehendat, si quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? *Id. Mur.* 6. Nemo fere saltat sobrius, neque in convivio moderato atque honesto: tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema, saltatio. *Suet. Cal.* 45. *extr.* Senatum objurgavit edicto, quod Caesare proeliante, et tantis discriminibus objecto, tempestiva convivia, circum, et theatra, et amoenos secessus celebrarent. *Tac. A.* 11, 37. Tempestivis epulis delinitus, ubi vino incaluit, iri jubet, etc. Adde *H.* 2, 68., *Cic. Verr.* 2, 3, 25., *Sen. Ira* 2, 28. *med. Quint. decl.* 9, 10. et *decl.* 331. *med.*, *Imppp. Valent. Valent. et Gratian. Cod. Theod.* 14, 9, 1., *Appul. Apolog.* et *Curt.* 6, 2. et 8, 1. ℙ Aliquot in locis, quae partim recitata, partim indicata sunt, praesertim *Cic. Mur.*, *Suet.* et *Curt.*, alii leg. *intempestivus*, ut est ap. *Manut. de quaes. per epist. par.* 1, 5. Sunt autem qui ita distinguunt, ut *tempestiva convivia* sint, quae consueto coenandi tempore inchoantur et finiuntur, *intempestiva*, quae multo ante praeveniuntur (ut *Vopisc. Flor. f.* loquitur), et in multam noctem producuntur: illa saepe honesta sint, haec semper turpia. Verum haec discrimina, et ipsam variantem lectionem, tum ex optim. lib., tum ratione rejiciunt alii, *Graev., Gronov., Cellar.* et praecipue *Salmas.* ad *l.* modo *c. Vopisci*, ubi disputat contra *Lips. in excursu A ad Annal. Taciti.* 14. ℙ Cum de frugibus, aliisque fructibus sermo est, *tempestivum* dicimus maturum, percipiendo et utendo aptum, *ὡραῖον. Cic. Sen.* 2. In percipiendis frugibus maturitas tempestiva. *Id. Off.* 2, 4. *med.* Tempestivos fructus ex bestiis capere. *Cato R. R.* 54. Ubi ocymum tempestivum erit, dato primum. *Colum.* 3, 21. *med.* Nec pariter vetus, atque tempestivus fructus praecipitat vindemiam. *Cato R. R.* 31. Materies tum erit tempestiva (*caesurae*), cum semen suum maturum erit. *Virg. G.* 1, 256. Aut tempestivam silvis evertere pinum. *Gell.* 2, 29. Cassita in sementes forte concesserat tempestiviores, *h. e.* citius solito maturescentes. *Colum.* 7, 3. Tempestivum gregem iniri, *h. e.* cum est ad pariendum idoneus. *Hor. Od.* 1, 23, 12. et *ib.* 3, 19, 27. puella tempestiva viro; et *Fest.* in *Romam.* Impulsas captivas auctoritate virginis cujusdam tempestivae nomine Romes, incendisse classem.

TEMPESTŪOSUS, a, um, adj. *θυελλώδης*, procellosus. *Sidon. ep.* 4, 6. Ad tempestuosos hostium incursus trepidare.

TEMPESTUS, a, um, adj. idem quod tempestivus. *Paulus* ex *Festo.*

[TEMPLĀRIS, e, adj. ad templum pertinens. *Auct. de limit.* p. 295. *Goes.* Fines templares sic quaeri debent: ut si in quadrifinio est positum (*templum*), et quatuor possessionibus finem faciet, quatuor aras quaeris, et aedis quatuor ingressus habet, ideo ut ad sacrificium quisque per agrum suum intraret. *F.*]

TEMPLĀTIM, adv. per templa, ut vicatim, per vicos. *Tert. Apol.* 42. *f.* Plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim.

TEMPLUM, i, n. locus, qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest. *Fest.* Contemplari dictum est a templo, id est loco, qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant. *Varro* etiam *L. L.* 6, 2. a tuendo sic dici ait, idest ab aspiciendo, quia qua tuemur, templum est. Templum trifariam dicitur, a natura in coelo, ab auspicio in terris, a similitudine sub terra. Igitur primum templum de coelo dicitur: cujus quatuor partes erant secundum augures, qui spectabant conversi a Septentrione in Austrum, sinistra ab Oriente, dextra ab Occasu, antica ad Meridiem, postica ad Septentrionem. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 155.] *Ennius:* Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. *Ter. Eun.* 3, 5, 42. Qui templa coeli summa sonitu concutit. *Cic. Somn. Scip.* 3. Deus, cujus hoc templum est omne quod conspicis. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* coeli caerula templa. ℙ Praecipue vere *templum*, *iερὸν*, accipi solet pro regione in terris, aut agro, qui certo carmine ab augure lituo finitus, et notatus consecratusque esset, unde in omnes coeli partes liber erat aspectus. Sane augures interdum ea, quorum altitudo impediret, quo minus liber quoquoversus aspectus foret, demoliri jubebant: ac C. Marius Honoris aedem eo summissiorem fecit, ne, si forte publicis obesset auspiciis, augures eam demoliri juberent. *Liv.* 1, 6. *extr.* Palatinum Romulus, Aventinum Remus ad inaugurandum templa capiunt. *Id.* 8, 14. *extr.* et *Cic. Vat.* 10. *templum* vocant Rostra: quod is locus inauguratus erat. Hinc *templum facere*, et *concipere* ap. *Varr. l. c.* dicebantur augures, locum auspiciis captandis designantes: et *effari templa*, *ib.* 5, 7. Sic *Cic. Leg.* 2, 8. *f.* Urbemque, agros et templa liberata et effata habento. ℙ Nec vero solum haec vox de regionibus apertis, et sub dio usurpata est, sed etiam de locis septis, et tectis, cujusmodi erant loca, in quibus senatus habebatur. Nam in loco per augures consecrato senatum haberi necesse erat, alioquin senatusconsulta non erant justa. Porro senatus habebatur vel in templo simpliciter per augures consecrato, ut in Curia Hostilia, vel Pompeja, vel Julia, vel in aede alicui Deo sacra, ut in aede Jovis. Apollinis, Martis, Bellonae, Castoris, Concordiae, Virtutis, Fidei, etc. *Cic. Dom.* 51. Curia sedes ac templum publici consilii. Adde *Liv.* 1, 30. et 26, 31. *f.* et *ib.* 33., quibus locis templum de curia dicitur: et 2, 1. de asylo. ℙ Item *templi* vox de aedibus, quae Diis consecratae fuerunt, usurpatur, *ναός. Cic. Verr.* 2, 4, 43. Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro, sane sanctum apud illos et religiosum. ℙ Poni videtur etiam pro sepulcro, seu sacello, in quo monumentum sepulcrale alicujus viri aut mulieris praestantioris, cui cultus fere divinus habetur, ut *Non.* 6, 92. observat. *Virg. A.* 4, 457. Praeterea fuit in tectis de marmore templum Conjugis antiqui, *h. e.* Sichaei. *Sil.* 1, 81. Urbe fuit media sacrum genetricis Elissae Manibus, et patria Tyriis formidine cultum (*templum*). ℙ Sub terra dicitur de Inferis. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* Archerusia templa alta Orci salvete infera. ℙ De mari. *Pl. Mil.* 2, 5, 3. Quae me in locis Neptuniis, templisque turbulentis servavit. Adde *Rud.* 4, 2, 4. ℙ Transfertur quoque ad multas res, ut *Templum mentis*, pro interioris animi secretis, *Templum linguae*, id est pars, seu locus. *Lucr.* 4, 628. Linguae sudantia templa. *Id.* 5, 104. Mentis templa. ℙ In architectura templa vocantur tigna minora transversim collocata super cantherios, quae tectum domus sustinent: super hujusmodi templa asseres deinde compinguntur, qui tegulas superpositas habent. *Vitr.* 4, 2. Supra cantherios templa, deinde insuper sub tegulas asseres. *Id. ib.* 7. Supra id fastigium columen, cantherii, templa ita sunt collocanda, etc. *Festus* etiam hujus notionis meminit, cum scripsit, templum dici etiam tignum, quod in aedificiis transversum ponitur.

TEMPORĀLIS, e, adj. *ἐπίκαιρος, ἔγχρονος,* qui ad tempus durat, temporarius. *Sen. Q. N.* 7, 23. Omne, quod causa temporalis accendit, cito intercidit. *Quint.* 6, 2. Adjiciunt quidam peritorum, *πάθος* temporale esse. *Tac. Agr.* 46. Temporales laudes. *Ulp. Dig.* 29, 1, 1. Militibus liberam testamenti factionem Julius Caesar concessit: sed ea concessio temporalis fuit. *Hermogen. ib.* 47, 10, 45. Temporali exsilio coerceri. In *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. *lin.* 16. Arae temporales refectae, *h. e.* caespiticiae, in quibus non perpetua et stata peragebantur sacrificia, sed quae extraordinarii tantum sacri causa constituebantur. ℙ *Verbum temporale* ap. *Varr. L. L.* 7, 4. et *ib.* 8, 62. est, quod tempus significat, et per tempora declinatur; et *ib.* 9, 1. *f. declinatio temporalis.* Sic *temporale nomen* ap. *Prisc.* 2, 581. est, quod tempus significat, ut *mensis*, *annus:* et *temporalia adverbia* ap. *eund.* 15, 117., ut *pridem*, *nunc*, *modo.* ℙ Ad tempora capitis pertinens. *Veg. Vet.* 2, 11. et 16. Temporales venae.

TEMPORĀLĪTAS, atis, f. ratio temporis. *Tert. Pall.* 1. *med.* Et si quid praeterea conditio, vel dignitas, vel temporalitas vestit. *Id. Resurr. carn.* 60. Donec vita ipsa transferatur a temporalitate in aeternitatem.

TEMPORĀLĪTER, adv. ad tempus. *Tert. adv. Jud.* 2. *med.* Lex temporaliter observata.

[TEMPORĀNĔUS, a, um, adj. temporalis. *August. Conf.* 13, 18. *med.* Erumpat temporanea lux nostra. Usurpat etiam *Vulg.* interpres *ep. Jac.* 5, 7. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum: sc. imbrem autumnalem et vernum. *F.*]

[TEMPORĀRIE, adv. idem ac temporaliter. *Salv. Gubern. D.* 5, 8. *med.* Hoc enim pacto aliquid pa-

ventibus temporarie attribuitur, ut in futuro totum filiis auferatur. Adde *ib.* 7, 22. *F.*]

TEMPORĀRIUS, a, um, adj. ἔγχρονος, idem quod temporalis, temporibus serviens, ad tempus durans: cui opponitur *perpetuus*. *Nep. Att.* 11. Illius liberalitatem neque temporariam, neque calliidam fuisse. *Sen. ep.* 90. *med.* Hae sunt amicitiae, quas temporarias populus appellat, *h. e.* temporibus accommodatas, eisque mutatis desinentes. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. Fecit in aedilitate sua opus maximum non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione. *Id.* 34, 7, 17. Temporarium theatrum. *Id.* 18, 26, 66. *n.* 2. Cuculus ales temporarius: scil. quia aestate tantum apparet. *Id.* 11, 38, 90. Sanguis solus in corpore temporarium sentit incrementum. *Plin. alter ep.* 6, 13. *f.* Nonnulli, quorum temporaria gravitas, vel potius gravitatis imitatio ridebatur. *Quint.* 5, 10. *med.* Ira temporarius animi motus. *Curt.* 4, 5. *med.* Ut sunt Graecorum temporaria ingenia, *h. e.* pro temporum ratione mutabilia. *Plin. Pan.* 91. *f.* Non ergo temporarium et subitum est, quod, etc.

TEMPORĀTIM, adv. pro temporum ratione, per tempora. *Tert. Pall.* 2. Terra temporatim vestiri amans. *Id. Anim.* 28. Moses decursus generis humani ab exordio mundi quosque per singulas nativitates nominatim, temporatimque digessit.

TEMPŌRI et Tempĕri, adv. ἐν καιρῷ, κατὰ καιρόν, suo tempore, idoneo tempore, mature. *Tempori* est ab antiquo declinatu *tempus, eris*, ut *pignus, eris*. *Titin.* ap. *Non.* 4, 362. Date pensam lanam: qui non reddet tempori Putatam recte, facite ut multetur malo. *Cato R. R.* 2. Rogat, satisne temperi opera sient confecta; et *ib.* 3. Ex quavis olea, oleum bonum fieri potest, si tempori facies. *Pl. Men.* 3, 1, 17. Edepol venio advorsum temperi. *Id. Rud.* 4, 2, 16. Vigilare oportet hominem, qui vult sua tempori conficere officia. *Id. Ps.* 1, 3, 153. Cedo mihi, quid es facturus? *Ps.* tempori ego faxo scies. *Colum.* 8, 4. Ut propter cibi spem temporius ad officinam redeant. *Ov. Met.* 4, 197. de sole: modo surgis Eoo Temperius coelo, modo serius incidis undis. Alii leg. *temporius*. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* Memini, te mihi Phameae coenam narrare: temperius fiat: cetera eodem modo. Faceta ironia est in illo *Pl. Aul.* 3, 3, 5. Coquite, facite, festinate nunc jam, quantum lubet. *Congr.* Temperi: postquam implevisti fustibus istorum caput. Adde *Cas.* 2, 6, 59. et *Men.* 5, 4, 30.

TEMPŌRO, as, a. 1. *Tert. Resurr. carn.* 61. Accepisti dentes ad pulsus linguae temporandos. Alii leg. *temperandos:* nam hoc idem significare videtur.

TEMPSĀNUS et Temsanus, a, um, adj. ad Tempsam seu Temsam pertinens: quod est oppidum Bruttiorum, quod et Temese appellatum fuit, ut in TEMESAEUS dictum est. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. Illud Temsanum incommodum proferes. *Liv.* 34, 45. Tempsanus ager de Bruttiis captus erat. ℙ Est etiam cogn. R., ut L. Postumius Tempsanus praetor, ap. *Liv.* 39, 23.

[TEMPSIS, is, f. Τέμψις, cacumen Tmoli montis, in quo supra Cl. annos vivunt incolae, ut ex Mutiano refert *Plin.* 7, 48, 49. Videtur esse a *Tempe* appellatum. *F.*]

TEMPTOR vel Temtor, oris, m. qui temnit. *Sen. Ag.* 605. perrumpet omne Servitium temptor levium Deorum. Alii plerique leg. *contemptor*, nempe ex illo *Virg. A.* 7, 648. *contemptor Divum.*

TEMPUS, oris, n. χρόνος, καιρὸς, ὥρα, intervallum, quo aliquod corpus movetur, vel aliquid fit. *Cic. Inv.* 1, 26. Tempus autem est, id quo nunc utimur (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est) pars quaedam aeternitatis cum alicujus annui, menstrui, diurni, nocturnive spatii certa significatione. *Id. Univ.* 9. *f.* Hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili praeditos. *Varr. L. L.* 5, 2. Tempus esse dicunt intervallum mundi, et motus: id divisum in partes aliquot, maxime ab solis et lunae cursu: itaque ab eorum tenore temperato tempus dictum. *Cic. Mur.* 34, *f.* Quod enim fuit tempus aut nostra, aut patrum memoria, quo haec ambitio non fuerit? *Id. Mil.* 26. Erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, cum, etc. *Ov. Ib.* 136. Leniat aut odium tempus et hora meum. *Cic. ad Quir.* 9. *f.* Neque aequum est tempore et die memoriam beneficii definire. *Id. Quint.* 1. Diligentia quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest. *Ter. Hec.* 3, 3, 14. Neque ut celari posset, tempus spatium ullum dabat. *Cic. Fam.* 3, 10. *med.* Suspicio, de qua aliennm tempus est mihi tecum expostulandi; purgandi autem mei necessarium. *Id. Div.* 2, 45. *f.* Tempus nascendi. *Caes. B. G.* 2, 19. *med.* committendi proelii. *Id. ib.* 1, 3. Qui eo tempore principatum in civitate sua obtinebat. *Cic. Fam.* 5, 7. Si id egissemus, omne tempus una fuissemus; et *Off.* 1, 2. Cum statuissem aliquid hoc tempore ad te scribere. *Id. Fam.* 3, 4. *med.* Te ipsum, ex quo tempore tu me diligere coepisti, quotidie pluris feci; et *ib.* 5, 17. Superioribus temporibus ad te nullas litteras misi. *Id. Brut.* 83. Duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se. *Id. Cat.* 1, 4. *extr.* Quos ad me id temporis venturos esse praedixeram. ℙ Cum abl. et praepos. *in. Ov. Met.* 12, 512. parvoque in tempore nudus Arboris Othrys erat. *Plin.* 8, 22, 37. Cum ceteris congregari per annos novem: quo in tempore si, etc. *Catull.* 66, 35. is aut in tempore longo Captam Asiam Aegypti finibus addiderat. ℙ Cum infinito. *Cic. Or.* 2, 42. *f.* (et *Top.* 1. *extr.*) Tempus esset jam de ordine argumentorum aliquid dicere. *Nep. Anx.* 13. Tempus est hujus libri facere finem. *Liv.* 6, 18. *med.* Tempus est etiam majora conari. *Virg. A.* 5, 638. jam tempus agi res. *Hor. Ep.* 2, 2, 215. Tempus abire tibi est. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. Ag.* 3, 4.] ℙ Dicimus cum *Cic.* tempus ponere, consumere, insumere in aliqua re. Cum *eod.* terere, conterere. Et traducere. Et cum *Plin. jun.* studiis impendere. Et cum *Caes.* tempus constituere alicui rei. Et cum *Quint.* in *ep. ad Tryph.* dare, *h. e.* impendere, insumere. Sic *Ov. Pont.* 2, 9, 50, dare tempora studiis. Et cum *Cic.* conferre tempus ad aliquid. ℙ De parte diei, aut anni. De hora. *Ter. Heaut.* 1, 2. *f.* Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius, *h. e.* ut hora est diei. *Nep. Pel.* 2. *extr.* Domum Charonis devenerunt; a quo et tempus, et dies erat datus; et *Cic. Fam.* 7, 1. Matutina tempora lectiunculis consumere. *Id. Or.* 1, 7. Extremum tempus diei. *Id. Leg.* 1, 3. Subsiciva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior. De tempestate. *Caes. B. G.* 1, 54. Maturius, quam tempus anni postulabat, exercitum in hiberna deduxit. *Hirt. B. Alex.* 43. Hiberno anni tempore. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Circa Ennam sunt lectissimi flores omni anni tempore. [Hinc in nummo Annii Veri Caesaris M. Aurelii Antonini Aug. filii, de quo agit *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 83., videre est quatuor pueros, quorum prior canistrum floribus oppletum capite ferens, ver denotat; alter cum falce et spicis aestatem; tertius cum fructibus ac lepore autumnum; quartus ramum querneum dextra, sinistra vero avem aquaticam tenens, hiemem exprimit: tres priores nudi sunt, ultimus veste tectus: sub his legitur *Temporum felicitas*. Similes figurae visuntur insculptae in pluribus monumentis sepulcralibus. V. *Zoeg. Bassirit.* T. 2. p. 222. *F.*] ℙ Per metonymiam ponitur pro plaga coeli. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Stabula spectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus. ℙ Item pro opportunitate. *Nep. Alc.* 8. *extr.* Tempus rei gerendae non dimisit; et *ib.* 5. Tempus ejus interficiendi quaerere instituerunt. *Cic. Phil.* 7, 9. *f.* Tempus habes tale, quale nemo habuit unquam. *Vell.* 2, 21. Insidiari temporibus. *Sil.* 11, 194. nunc hora, viri, nunc tempus: adeste. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. Alc.* 5, 2. ubi similis usus Gr. v. χρόνος comparatur.] ℙ Res quoque ipsae, et causae, et negotia, calamitates, discrimina, eventus, *temporis* appellatione significantur. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. Provinciam Siciliam dubiis formidolosisque temporibus a belli periculis tutam esse servatam. *Id. Fam.* 2, 18. *med.* Tempora reipubl. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. *Id. Manil.* 1. Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi; et *Planc.* 32. Non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cujusque intersit, et quid a me cujusque tempus poscat. *Id. Quint.* 1. Quae res in civitate duo plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore; et *Cluent.* 50. Quasi ego potuerim illud, quod tam populare esset, in illo tempore praeterire; et *Nep. Milt.* 5. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Liv.* 30, 37. Indignatus, dici ea in tali tempore, audirique. *Lucr.* 1, 93. Nec miserae prodesse in tali tempore quibat. *Cic. Cluent.* 50. Omnes illae orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum et patronorum. *Id. Fam.* 4, 9. Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum; et *ib.* 1, 5. Ejusmodi tempora post tuam profectionem consecuta sunt, ut meam erga te fidem absens experirere. *Id. Off.* 1, 10. Incidunt saepe tempora, cum ea, quae videntur digna justo homine, commutantur, fiuntque contraria. Adde *Ov. Ib.* 84. [*Cf. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Ad tempus*, est commode, opportune, in tempore, ad constitutum tempus. *Cic. Coel.* 7. *med.* Dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium vestrum accommodavistis. *Id. Att.* 13, 45. Ut Puteolos excurrere possem, et ad tempus redire. *Liv.* 38, 25. Quo cum consul ad tempus cum praesidio venisset, etc. ℙ Item e re nata. *Plaut.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. *f.* Si itineri meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. *Cic. Off.* 1, 8. *f.* Permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est, et ad tempus; an consulto et cogitata fiat injuria. ℙ Item ad aliquod tempus. *Liv.* 28, 42. Dux tumultuarius L. Marcius, et militari suffragio ad tempus lectus. *Cic. Am.* 20. Coluntur simulatione (*quos metuimus*) dumtaxat ad tempus. ℙ *Ad hoc tempus*, usque adhuc. *Caes. B. G.* 2, 17. Nervii cum equitatu nihil possent: neque enim ad hoc tempus ei rei student, etc. ℙ *In tempus*, ad aliquod tempus. *Tac. A.* 14, 20. Pompejum incusatum a senioribus, quod mansuram theatri sedem posuisset: nam antea subitariis gradibus, et scena in tempus structa ludos edi solitos. ℙ *In omne tempus*, in perpetuum. *Cic. Fam.* 5, 15. Amor tuus gratus et optatus: dicerem jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. *Ov. Am.* 3, 2, 62. Te dominam nobis tempus in omne peti. ℙ *Per tempus*, in tempore. *Pl. Men.* 1, 2, 30. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quam advenis. *Id. Truc.* 1, 2, 84. Per tempus subvenistis mihi. Contrarium est *post tempus*. *Id. Capt.* 4, 2, 90. Abi stultus: post tempus venis. ℙ *Tempore* et *in tempore*, temperi, ad tempus, tempestive, opportune. *Phaedr. epil.* 3. Qui sint, requires: apparebunt tempore. *Cic. Fam.* 7, 18. Multa, mihi crede, assequere: ego enim renovabo commendationem, sed tempore. *Ov. Her.* 4, 109. Tempore abest, aberitque diu Neptunius heros. *Id. Rem. Am.* 131. Temporis ars medicina fere est: data tempore prosunt, Et data non apto tempore vina nocent. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Suo quaeque tempore facienda. *Ter. Heaut.* 2, 3, 123. In tempore ad eam veni. *Id. Andr.* 3, 2. *f.* Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam. *Liv.* 33, 5. Nisi pedites equitesque in tempore subvenissent. *Tac. A.* 1, 58. Puer quo ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo. ℙ *Tempore* significat etiam longo aliquo tempore. *Ov. Trist.* 4, 6, 1. Tempore ruricolae patiens fit taurus aratri: etc. Tempore paret equus lentis animosus habenis: etc. Tempore Poenorum compescitur ira leonum. ℙ *Pro tempore*, ut tempus fert, aut permittit. *Sall. Jug.* 53. *f.* Pauca pro tempore milites hortatus, aciem in planum deducit. *Caes. B. G.* 5, 8. Ut quae in Gallia gererentur, cognosceret, et consilium pro tempore, et pro re caperet. Adde *Ov. Trist.* 4, 2, 23. ℙ *De tempore*, mature, tempori. *Auct. B. Hisp.* 33. *f.* Ipse de tempore coenavit, resinam et nardum identidem sibi infudit. ℙ *Omni tempore*, semper. *Caes. B. G.* 1, 11. Ita se omni tempore de populo R. meritos esse, ut, etc. *Cic. Phil.* 14, 7. *f.* Qui omni tempore verae pacis auctor fuissem. *Prop.* 2, 17, 19. Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum, Sive aegra pariter, sive valente sumus. *Lucr.* addit praeposit. 1, 26. quem tu, Dea, tempore in omni Omnibus ornatum voluisti excellere rebus. ℙ *Ex tempore*, extemplo, statim, illico. *Cic. Or.* 3, 50. Versus hexametros, aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore. Adde *Arch.* 8. ℙ Item pro re nata, ut tempus exigit. *Id. Fam.* 12, 19. *f.* Sed melius ex re, et ex tempore constitues. *Id. Off.* 2, 9. *med.* Expedire rem, et consilium ex tempore capere. ℙ In re grammatica *tempus* est inflexio verborum, qua praeteritum, praesens, et futurum significatur. *Varr. L. L.* 7, 8. In verborum genere quae tempora adsignificant, quod ea erant tria, praeteritum, praesens, futurum, declinatio facienda fuit triplex, ut saluto, salutabam, salutabo. ℙ Item quantitas syllabae longae vel brevis. *Cic. Or.* 57. Trochaeus temporibus et intervallis est par iambo. Adde *Hor. Sat.* 1, 4, 58. ℙ Item numerus, rhythmus, minima mora ac particula temporis, quae fit inter loquendum, vel legendum. *Quint.* 9, 4. *med.* Neque enim hiare semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt, sermo et epistola. *Id.* 11, 3. *f.* Nec in loquendo distinctionibus, temporibus, affectionibus moleste utemur. ℙ Pertinet et ad rem musicam. *Id.* 1, 12. *in.* An vero citharoedi non simul et memoriae, et sono vocis, et pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra percutiunt, alios laeva trahunt, continent, probant; ne pes quidem otiosus certam legem temporum servat?

TEMPUS, oris, n. κρόταφος, pars capitis utrinque inter oculos et aures. *Auct. ad Her.* 4, 55. *f.* Contorquet brachium, et Graccho percutit tempus. *Vitr.* 9, 6. *med.* Pes ingeniculati ad id fulcitur capitis tempus Serpentis, qui est inter Arctos implicatus; et *paulo post:* Contra rostrum, et capitis tempus dexterum. *Flor.* 4, 12. *med.* Recreatus ex vulnere in tempus. *Virg. A.* 9, 418. it hasta Tago per tempus utrumque. *Sil.* 12, 414. per geminum transcurrit tempus arundo. *Stat. Th.* 10, 110. fusos a tempore laevo Sustentat crines. ℙ Per synecdochen ipsum caput. *Catull.* 61, 161. tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus annuit. ℙ Saepius adhibetur in plurali. *Cels.* 8, 1. Duae suturae super aures tempora a superiore capitis parte discernunt. *Plin.* 20, 6, 23. Allium medetur temporum doloribus illitum elixum. *Virg. A.* 5, 416. Temporibus geminis canebat sparsa senectus. *Lucan.* 3, 711. solido fregit cava tempora plumbo. *Mart.* 10, 83. Et latum nitidae, Marine, calvae Campum temporibus tegis comatis. *Hor. Od.* 1, 7, 23. Tempora populea fertur vinxisse corona. *Tibull.* 2, 2, 7. puro destillent tempora nardo. *Virg. A.* 10, 890. et inter Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam. ℙ Synecdoche est in illo *Prop.* 4, 9, 15. jacuit pulsus tria tempora ramo Cacus, *h. e.* tria capita: triceps enim fuit. Sic *Id. ib.* 10. Per tria partitos qui dabat ora focos. ℙ De vultu et facie. *Id.* 2, 14, 27. si caeruleo quaedam sua tempora fuco Tinxerit; et *ib.* 18, 83. Cui non his verbis aspergat tempora surdo Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor? ℙ In *veterib. Gloss.* legitur: Timpus, κρόταφος, teste *Dausqu.* in *Orthogr.* Sic *timpora* ap. *Virg.* in quodam MS. vidisse se testatur *Ciofanus*, et ap. *Coripp. Johann.* 4, 754. et alibi scriptum fuisse fatetur *P.*

Mazzucchellius, qui hoc poema *Corripi* primus edidit. [*Quaedam adjecit *F.*]

*TEMPYRA, orum, opp. Thraciae, non longe a Rhodope monte, medio loco inter Nestum Hebrumque flumina. *Liv.* 38, 41. *Ov. Trist.* 1, 9. (al. 10.) 21. *B. A.*

TĒMŪLENTER, adv. *μεμεθυσμένως*, ebrie. *Colum.* 8, 8. *f.* Jam nunc Gangeticas, et Aegyptias aves temulenter eructant.

TĒMŪLENTIA, ae, f. *μέθυσμα*, ebrietas: a temetum. *Plin.* 14, 13, 14. Cato scribit, ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata. *Id. ib.* 2. *med.* Siquidem temulentiam sola non facit; et *ib.* 22. Quasi per se parum doceat libidines temulentia. *Novius* ap. *Fest.* in *Temetum:* Agite, exite, temulentiamque tollite.

TĒMŪLENTUS, a, um, adj. *μέθυσος*, vinolentus, ebriosus. *Novius* ap. *Fest.* in *Temetum.* Filias habeo temulentas: sed eccas video. *M. Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. Ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem. *Ter. Eun.* 4, 3, 13. Temulenta es. *Cic. Sext.* 9. Qui non modo tempestatem tueri impendentem temulentus, sed ne lucem quidem insolitam posset. *Id. in Sen.* 6. Vini, somni, stupri plenus, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta. *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Putidior, temulentior. *Tac. H.* 2, 68. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinae et castris propiora. *Prud. adv. Sym.* 1, 135. de Baccho: Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter, etc. Alii leg. *merulentus.* ℙ Translate. *Appul. Met.* 5. Videt capitis aurei genialem caesariem ambrosia temulentam, i. e. saturam et madentem.

[TĒMUNCŪLUS, i, m. dimin. temonis. *Not. Tir.* p. 181. Temo, temunculus. *F.*]

TEN', pro tene? *Pl. As.* 3, 3, 79. Ten' osculetur, verbero? *Id. ib.* 107. Ten' complectatur, carnufex? Adde *Pers.* 1, 29.

TĒNĀCIA, ae, f. perseverantia, aut duritia. *Enn.* ap. *Non.* 1, 5. de equo: Cujus tenacia infrenari minis nequit.

TĒNĀCĪTAS, atis, f. *γλισχρότης*, firmitas, et perseverantia aliquid retinendi. *Cic. N. D.* 2, 47. *f.* Cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. ℙ Saepe ponitur pro parsimonia, avaritia, sordibus. *Liv.* 34, 7. Sed in purpura, quae teritur absumiturque, injustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video.

TĒNĀCĪTER, adv. *συνοχηδόν*, cum tenacitate, arcte, firmiter. *Ov. Her.* 9, 21. de Hercule: Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues? *Val. Max.* 7, 5. *n.* 2. Cum manum cujusdam tenacius apprehendisset. *Macr. Sat.* 7, 3. Hami angulosi, quam directi mucrones, tenacius infiguntur. *Id. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Quae extima sunt, non tenaciter tantum, sed etiam insolubiliter vinciuntur. *August. ep.* 6. *extr.* Tenacius habitabit, et fixius. ℙ Translate. *Ov. Her.* 3, 43. miseros tristis fortuna tenaciter urget, *h. e.* pertinaciter et obstinate. *Appul. Met.* 5. Tenacissime dissimulare. *Solin.* 52. *med.* Citius discit, et retinet tenacius.

TĒNĀCŬLUM, i, n. retinaculum, vinculum, quo aliquid tenetur. *Terent. praef.* 29, 2383. Angustoque tenaculo Certat vincere ponderis In praeceps facilem fugam.

TĒNAX, acis, adj. *γλίσχρος*, qui arcte tenet, firmiter haeret, facile et constanter retinet. *Catull.* 61, 34. Tenax hedera huc et huc Arborem implicat errans. *Virg. A.* 12, 404. prensatque tenaci forcipe ferrum. *Id. ib.* 3, 3. dente tenaci Ancora fundabat naves. *Id. G.* 4, 412. et *Ov. Met.* 11, 252. vincla tenacia; et *ib.* 4, 377. Complexus tenax. *Id. Pont.* 2, 1, 14. Mixta tenax segeti crescere lappa solet. *Hor. Epod.* 2, 24. tenaci in gramine jacere. *Tac. A.* 1, 63. *med.* Loca limosa, tenacia gravi coeno. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Glebis tenacissimum solum. *Virg. G.* 4, 161. Tenaces cerae. *Plin.* 16, 36, 64. Planicula arundinum contusa, et interjecta navium commissuris, ferruminat textus, glutino tenacior. *Id.* 27, 5, 15. Herba asperitate etiam vestium tenaci, *h. e.* folio hirsuto, et vestibus adhaerescente, ut *Id.* 24, 19, 116. tradit. *Id.* 22, 22, 39. Cutis tenacior capilli, *h. e.* magis retinens, ne defluat. *Id.* 36, 24, 58. Maltha cum adipe suillo et ficu, res omnium tenacissima. *Ov. Am.* 3, 4, 13., *Pl. Cas.* 4, 3, 13. et *Liv.* 39, 25. *f.* Equus tenax, i. e. dentibus frenum tenens, et sessori non parens. *Sen. Herc. Oet.* 1639. Alta pinus, et robur tenax, *h. e.* solida, dura. [*De nave: *Liv.* 28, 30. pondere tenacior navis, i. e. fluctibus magis quam ceterae resistens cursumque tenens.] ℙ *Tenaces*, et *Tenacia* absolute, res tenaces, ut gluten, vinculum, et fructuum pediculi. *Pall.* 3, 18. Capita olearum ulmeis vinculis, vel tenacibus quibuscumque constricta; et *ib.* 25. Pira lecta cum tenacibus suis, *h. e.* ramulis et pediculis. *Id.* 4, 10. Si dum pendent poma, tenacibus, sicut in arbore habentur, intorseris; et *paulo post:* mala cum tenacibus lecta. (*Colum.* hac eadem de re *pediculis* utitur 12. 44.) *Id.* 10, 17. Incisos botryonum tenaces calida pice amburere. ℙ Translate. *Plin. ep.* 10, 7. Memoria tenacissima benefaciendi. *Inscr.* ap. *Grut.* 546, 5. Socerae tenacissimae memoriae posuit L. Julius Maximus. *Quint.* 1, 1. *in.* Tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percipimus. *Hor. Od.* 3, 3, 1., *Ov. Met.* 10, 405. et *Quint.* 11, 1. *f.* Vir tenax propositi. *Juven.* 8, 25. justitiae. *Pers.* 5, 48. Parca tenax veri. *Colum.* 1, 7. Nec dominus in unaquaque re, cui colonum obligaverit, tenax esse juris sui debet. *Plin. ep.* 10, 17. Probus, et industrius, et disciplinae tenacissimus. *Manil.* 4, 165. Tenax animi. ℙ Constans, firmus, stabilis, in bonam partem. *Ov. Pont.* 2, 6, 21. Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci. *Id. Am.* 2, 6, 14. Et stetit ad finem longa tenaxque fides. *Vell.* 2, 29. *med.* Tenax amicitiarum. [**Id.* 2, 84, 3. Dellius, exempli sui tenax: ubi v. *Ruhnk.*] *Virg. A.* 4, 188. de Fama: Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri. ℙ in malam partem. *Ov. Pont.* 1, 2, 63. Cum video, quam sint mea fata tenacia, frangor; et *ib.* 2, 9, 28. rogabit, Ne sit ad extremum Caesaris ira tenax. *Suet. Claud.* 2. Tenaces morbi. ℙ Parcus, avarus, sordidus. *Cic. Coel.* 15. Filius familias patre parco ac tenaci. *Pl. Capt.* 2, 2, 39. Tenaxne pater ejus est? *Phi.* immo edepol pertinax. *Ter. Ad.* 5, 4, 12. Saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax. *Ov. Met.* 7, 656. parcumque genus, patiensque laborum, Quaesitique tenax. *Suet. Caes.* 67. Milites habebat tam cultos, ut argento et auro politis armis ornaret. quo tenaciores eorum in proelio essent metu damni. ℙ De Inferis, quia quos semel acceperunt, nunquam reddunt. *Sen. Hipp.* 625. Regna tenacis dominus, et tacitae Stygis. *Id. Herc. Fur.* 678. Gradumque retro flectere haud unquam sinunt Umbrae tenaces. ℙ In quacumque re parcus. *Cic. Planc.* 22. *med.* Eosdem, cum jam essent experti, quid valerent, restrictos et tenaces fuisse.

*TENCHTERI vel Tencteri, orum, *Τέγκτηροι*, populi Germaniae, ad Rhenum. *Caes. B. G.* 4, 1. 4. et 15. *Tac. A.* 13, 15. et *H.* 4, 21. et 64. et *Germ.* 32. *B. A.*

*TENDĒBA, orum, *Τένδηβα*, Cariae opp. *Liv.* 33, 18. bis. *B. A.*

TENDĪCŪLA, ae, f. *παγίδιον*, tenus, laqueus, quem avibus, sive feris tendimus. Hinc translate *Tendiculae litterarum* sunt captiones ex litteris et syllabis, cum non rei aequitati, sed summo juri insistimus, ipsisque voculis adversarium irretire conamur. *Cic. Caecin.* 23. Tum aucupia verborum, et litterarum tendiculas in invidiam vocant. ℙ Sunt etiam *tendiculae* longae perticae, quibus fullones vestimenta distendunt. *Sen. Q. N.* 1, 3. Idem videbis accidere, si quando volueris observare fullonem, cum os aqua implevit, et vestimenta tendiculis diducta leviter aspergit. Alii tamen leg. *ridiculis* a *ridicula, ae.*

TENDO, is, tetendi, tensum et tentum, a. 3. *τείνω*, dilato, explico, extendo, porrigo, distendo. Volunt esse ab *τένναι*, Aeol. pro *τείνω*. *Colum.* 6, 14. *med.* Intumescit collum, nervique tenduntur. *Virg. A.* 3, 268. Tendunt vela Noti. *Ov. Am.* 3, 2, 72. Tende, precor, valida lora sinistra manu! *Virg. A.* 7, 164., *Ov. Met.* 12, 564. et *Sen. Herc. Oet.* 1722. Tendere arcum. *Hor. Od.* 1, 29, 9. sagittas arcu. *Virg. A.* 5, 508. oculos pariter, telumque. *Hor. Od.* 1, 1, 34. barbiton; et *Caes. B. G.* 2, 13. manus ad aliquem; et *ib.* 7, 48. alicui de muro manus. *Id. B. C.* 2, 5. manus ad coelum. *Ov. Pont.* 2, 9, 65. brachia orantia ad aliquem. *Id. Fast.* 1, 505. brachia in ripam. *Id. Met.* 11, 379. manus in litora. *Id. Her.* 10, 145. Has tibi plangendo lugubria pectora lassas, Infelix tendo trans freta longa manus. *Id. Met.* 8, 849. tendens super aequora palmas. ℙ *Tendere retia, plagas*, extendere capiendis feris, avibus, piscibus. *Cic. Off.* 3, 17., *Hor.*, *Virg.*, *Ov.*, *Tibull.*, *Prop.* etc. Hinc translate *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Nequitum:* Sed cum contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga. *Ter. Ph.* 2, 2, 16. Non rete accipitri tenditur, neque miluo, qui male faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur. *Prop.* 2, 23, 68. insidias in me componis inanes: Tendis iners docto retia nota mihi. *Sall. Cat.* 28. Tendere insidias consuli. [*Cf. *Cic. Legg.* 1, 17, 47. *Suet. Caes.* 35.] ℙ Translate. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 65. non anxia mentem Spes agit, et longo tendit praecordia voto. ℙ [*Tendi* dicuntur *nervi* iis, qui noctu cubantes in lecto afficiuntur in pedibus cruribusve ea nervorum contractione, quam Itali nunc *granchio* vocant. *Plin.* 28, 6, 17. Pedes in humo deponi *(prodest)*, si nervi in his, cruribusve tendantur in lectulo. V. NERVUS. *f.* ℙ *Tendere nervum* in obscenis est, et significat tentigine laborare. Ludit in ambiguo *Auct. Priap.* 70. Nemo meo melius nervum tendebat Ulixe. Hinc *Mart.* 11, 60. sed Phlogis uleus habet, Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam. V. TENTUM. *F.*] ℙ *Tendere noctem*, extendere, ducere. *Hor. Ep.* 1, 5, 10. impune licebit Aestivam sermone benigno tendere noctem. Alii leg. *extendere.* Addit *Bentl.* illud *Hieronymi ep.* 130. *n.* 15. Nunquam dies tibi longi erunt, sed, quamvis aestivis tendantur solibus, breves videbuntur, ℙ *Tendere tabernaculum*, explicare et ponere; et fere ad rem militarem pertinet. *Prop.* 3, 9, 45. Tarpejo conopea tendere saxo. *Caes. B. C.* 3, 82. Alterum ei jubet praetorium tendi. Hinc *tendere* absolute, tentoria, seu castra habere. *Virg. A.* 2, 29. Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles. *Id. ib.* 8, 605. legio latis tendebat in arvis. *Caes. B. G.* 6, 36. Ut qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui non haberent facultatem. *Curt.* 7, 2. *f.* Hanc seorsum cohortem a ceteris tendere ignominiae causa jubet. *Id.* 3, 8. *mid.* Cum incondita multitudo, maxime propter jumenta, laxius tenderet. [**Tac. H.* 1, 31. ad electos — in porticu tendentes: cp. 55. iisdem hibernis tendentes; et 59. Lugduni tendentibus *Liv.* 44, 13. ut in iisdem castris tenderet. Plura v. in *Gloss. Liv.* s. h. v. Cf. *B. Crus. cl. Suet.* p. 766.] *Hyg. Gromat.* p. 11. *col.* 2. Ut sciamus, quot alae in praetentura tensurae sint. *Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 6. Cn. Marcio Cn. F. Gal. Plaetorio Celeri, praeposito numerorum tendentium in Ponto. ℙ Etiam in acie positus miles *tendere* dicitur. *Hirt. B. Afr.* 17. Ut una cohors post alteram ante signa tenderet. [*Diligenter rem exsecutus est *Guischardus Mem. mil. Vol.* 2. p. 198 — 207. vel T. 2. p. 279 — 288. Dicendi ratio eadem est, quae in exemplis infra laudatis, ubi absolute eundi, porrigendi notione positum est, ita ut de sub intell. v. *se* frustra quidam monuisse videantur.] ℙ Hinc ponitur pro resistere in pugna. *Sall. Cat.* 63. [*60, 5.] Ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere. *Virg. A.* 5, 21. Nec nos obniti contra, nec tendere tantum Sufficimus. [*Frequens est hic dicendi usus, quam multis exemplis adstruxerunt *Cort.* ad *Sall. l. l.* ubi v. quae addidit *Kritz.*, porro *Gronov.* et *Drak.* ad *Liv.* 32, 32, 7.: quem locum Noster cum aliis ejusdem generis ex Livio congestis huc transferre ex inferiore loco debebat. Accurate hoc loquendi genus tractavit etiam *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 458. sq.] ℙ Metonymice est porrigere, offerre, exhibere: quia porrigendo manus tendimus. *Id. ib.* 2, 674. complexa pedes in limine conjux Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum. *Id. G.* 4, 534. tu munera supplex Tende petens pacem. *Cic. Or.* 1, 40. *f.* Vagari magna cum caterva toto foro, praesidium clientibus, opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem. *Id. Font.* 12. Populo R. non metum belli, sed spem triumphi tendere. Pleriq. alii leg. *ostendere.* [*Ita *Orell.*] ℙ Saepe est ire, pergere, iter dirigere, contendere: quod fit pedes gressusque extendendo. *Cic. Att.* 16, 5. *f.* Dubito, an Venusiam tendam, et ibi exspectem. *Plin.* 31, 2, 3. Villa ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori. *Nep. Milt.* 1. *extr.* Cursum direxit *(navibus)* quo tendebat, pervenitque Chersonesum. *Plin. ep.* 1, 5. *med.* Coimus in porticum Liviae, cum alter ad alterum tenderemus. *Hirt. B. Afr.* 95. Iter in Hispaniam tendebant. *Virg. A.* 1, 660. iter ad naves tendebat Achates. *Ov. Met.* 2, 547. Ad dominum tendebat iter. *Liv.* 23, 34. Cum quaereret, qui, et unde, et quo *(navigando)* tenderent cursum. *Lucr.* 5, 628. de Luna: Tanto posse minus cum Signis tendere cursum. *Sil.* 9, 216. ex acie tende in Capitolia cursum; et 10, 73. Ac retro cursum tendentem ab crebra suorum Agmina. *Virg. A.* 2, 321. cursuque amens ad litora tendit. Est qui leg. *cursumque:* ut hic *Servius*, et *Burm.* ad *Ov. Met.* 2, 547. monent. *Plin.* 2, 5, 4. Levia tendunt in sublime. [**Colum.* 5, 6. Sursum tendit palmes. *Bail.*] ℙ Cum accus. sine praepos. *Lucann.* 7, 477. Tunc ausae dare signa tubae: tunc aethera tendit, Extremique fragor convexa inrupit Olympi. *Id.* 9, 729. de draconib. alatis: tenditis altum Aera cum pennis. Alii plerique leg. *ducitis.* Illud autem *aethera tendit* alii interpretantur, intendit, impellit. ℙ Pro vergere, inclinatum esse. *Plin.* 11, 37, 66. Gula tendit ad stomachum, is ad ventrem. *Id.* 5, 27, 27. Taurus mons ad occasum tendens; et 6, 13, 15. Portae Caspiae, quae per Iberiam in Sarmatas tendunt. *Prop.* 1, 6, 31. At tu, seu mollis qua tendit Ionia, etc. ℙ Translate *tendere ad aliquem*, studio in eum ferri, favere, partis alicujus esse. *Liv.* 4, 9. Tutores in ea quoque re partium memores, ad suum tendere; et 24, 5. Tendendo duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem Romanam, etc. et *ib.* 28. In concionem vocari placuit: ubi cum alii alio tenderent, nec procul res seditione esset, etc. ℙ Pro spectare, respicere, aliquid tanquam scopum sibi praefigere. *Brut.* ad *Att. inter ep. Cic. ad Brut.* 1, 17. *med.* Atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat, ut sit illi Octavius propitius. *Liv.* 4, 13. Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet, ad altiora et non concessa tendere. *Ov. Trist.* 4, 10, 17. Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo. *Cic. Div.* 2, 2. Ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati, etc. ℙ *Tendere animum*, intendere. *Stat. Achill.* 1, 543. Tende animum vigilem, fecundumque erige pectus. ℙ *Tendere*, contendere, niti, instare, urgere; et assiduitatem, aut pertinaciam significat. *Liv.* 32, 32. Necdum sciebat, an, quod summa vi ut tenderent, amicis et propinquis mandaverat, imperium prorogaretur. *Id.* 4, 8. *f.* Et tribuni magis necessariam, quam speciosi ministerii procurationem intuentes, ne in parvis quoque rebus incommode adversarentur, haud sane tetendere; et *ib.* 7. Comitia tribunorum militum

ut habeantur, tendunt. *Id.* 3, 15. Eo acrius contra tribuni tendebant, ut plebi suspectos eos criminando facerent. *Id.* 37, 53. Ne videar nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse. [*V. supra.] ℙ Cum inf. *Hor. Ep.* 1, 10, 20. aqua tendit rumpere plumbum; et *ib.* 2, 2, 57. Tendunt extorquere poemata. *Liv.* 6, 38. Si civitati leges imponere tendent. *Virg. A.* 2, 220. manibus tendit divellere nodos. *Pers.* 5, 139. si vivere cum Jove tendis. *Juven.* 10, 154. Jam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit. ℙ *Tendi* pro *tetendi* dictum quidam putant a *Prop.* 3, 6, 37. qui nostro tendisti retia lecto. *Broukus.* testatur ita esse in omnib. MSS., sed standum esse a veterib. grammaticis, qui leg. *nexisti*. V. NECTO.

TENDOR, oris, m. τάσις, tensio. *Appul. Met.* 4. Animi dolore, et faucium tendore, et corporis lassitudine fatigata.

*TENE. V. v. sq. *B. A.*

*TENĔA, ae, f. vicus maritimus Achaiae, inter Corinthum et Mycenen. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* ed. *Ernest.* ex correctione *Graevii.* Aliae edd. *Tene*, minus recte. *Steph. Byzant. Τενέα, κώμη Κορίνθου, ἀπὸ Τένου τοῦ Κύκνου. Κεῖται μεταξὺ Κορίνθου καὶ Μυκήνης. Τὸ ἐθνικὸν, Τενεάτης. Λέγεται καὶ Τενία, ἡ χώρα. Strabo* 8. p. 262. *Καὶ ἡ Τενία δ' ἐστὶ κώμη Κορινθίας, ἐν ᾗ τοῦ Τενεάτου Ἀπόλλωνος ἱερὸν, κ. τ. λ.* ℙ Item urbs Arcadiae. *Mela* 2, 3. *med.* In Arcadia sunt urbes, Psophis, Tenea, et Orchomenon. Sed nemo, quod sciam (dicta sunt *Cellarii*), hoc nomine opp. in Arcadia posuit: ut suspicari possis *Tegea* forsan legendum esse, quod vix credibile, unam ex tribus primariis praeteriri a ceteris omnibus posse. Haec *Cellarius.* Locum *Melae* perperam citat *Ernestus Clav. Cic.* sub v. *Tene. B. A.*

TĔNĔBELLAE, arum, f. plur. parvae tenebrae. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 9. *f.* Eruentur ex abditis tenebellarum.

TĔNEBRAE, arum, f. plur. σκότος, privatio luminis: a *teneo*, ut a *verto* est *vertebrae*, a *salio salebrae*, quod homines in tenebris quasi teneantur, nec libere se commovere audeant, metuentes, ne vel impingant uspiam, vel e locis sublimioribus decidant. [*Doederl.* 3, 165. nullam verborum *tenebrae* et *tenere* synonymiam intelligens, sensus originisque cognationem vidit in *tenebrae* et *nebula*, comp. Gr. *δνόφος, δνοφερός.* — A *caligine*, cujus vocabuli cum nostro conjuncti plurima exempla collegit, *tenebras* ita differre, ut illud gradationem quandam *tenebrarum* contineat: *obscuritas* minus quiddam significare, quam *caligo* et *tenebrae.*] *Cic. N. D.* 2, 38. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantae quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur. *Id. Agr.* 2, 17. Tetrae tenebrae et caligo. *Id. in Sen.* 3. Caligo et tenebrae. *Id. Fin.* 3, 11. *med.* Homines tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineant. *Sall. Cat.* 58. de Tulliano: Incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis ejus facies. *Sen. Thyest.* 993. spissior densis coit caligo tenebris. *Virg. G.* 1, 248. obtenta densantur nocte tenebrae. *Id. A.* 11, 824. tenebris nigrescunt omnia circum. *Lucan.* 1, 543. Involvere orbem tenebris. *Plin.* 2, 10, 7. Luna solem subeunte, repentinas obduci tenebras. *Ov. Met.* 2, 395. tenebras inducere rebus. *Lucr.* 2, 60. Radii solis discutiunt tenebras. *Ov. Met.* 7, 703. aurora pellit; et *ib.* 2, 144. fugat. *Virg. A.* 8, 591. lucifer resolvit. *Stat. Th.* 12, 254. nigrantes astra laxant; et *Juven.* 12, 18. densae coelum abscondere tenebrae. *Virg. A.* 2, 92. Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. ℙ De nocte. *Nep. Eum.* 9. *f.* Antigonus, tenebris obortis, ignes conspicatur; et *Mart.* 10, 47. Somnus, qui faciat breves tenebras. *Liv.* 31, 23. Classem in statione usque ad noctem tenuit: primis tenebris movit. *Cic. Phil.* 2, 30. *med.* Redii luce, non tenebris; et *Pl. Ps.* 1, 1, 88. Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi, *h. e.* aute noctem vitam finire. Sic de morte *Prop.* 2, 16, 17. juro, Me tibi ad extremas mansuram, vita, tenebras. *Quint. decl.* 10, 12. Omnibus tenebris, *h. e.* omnibus noctibus. ℙ De eo, qui deliquium animi et virium patitur. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 13, 23.] *Pl. Curc.* 2, 3, 30. Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt. *Lucan.* 3, 735. oculos vastae obduxere tenebrae. *Plin.* 7, 6, 5. Dolores capitis, oculorum vertigines, tenebraeque. *Ov. Her.* 13, 23. tenebris exsanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu. Adde *Met.* 2, 181. et *Trist.* 1, 3, 92. ℙ De caecitate. *Id. Met.* 3, 515. tenebrasque et cladem lucis ademptae Objicit. *Lucr.* 3, 416. Occidit extemplo lumen, tenebraeque sequuntur. *Stat. Th.* 4, 407. Longaevi rex vatis opem, tenebrasque sagaces Tiresiae consulit. ℙ De Inferis. *Sen. Oed.* 868. Tuque tenebrarum potens, In Tartara ima, rector umbrarum, rape. *Hor. Od.* 4, 7, 25. et *Virg. A.* 7, 325. Tenebrae infernae. *Sen. Herc. Fur.* 436. Tartareae. *Id. Oed.* 591. aeternae. *Id. Hipp.* 93. altae. *Id. Herc. Fur.* 861. turpes. *Virg. G.* 3, 551. Stygiae. *Catull.* 3, 13. malae tenebrae Orci. *Sen. Herc. Oet.* 279. Emerge, conjux, atque dispulsas manu Abrumpe tenebras. *Virg. A.* 6, 545. Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris. *Ov. Met.* 15, 154. Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis? ℙ *Tenebris*, in tenebris, noctu. *Ov. Am.* 1, 6, 10. Mirabar, tenebris si quis iturus erat. *Tibull.* 1. 7, 65. Haec *(anus)* me deducit tenebris. Adde 2, 1, 76. ℙ *Per tenebras*, idem. *Lunebris.* Adde 2, 1, 76. ℙ Translate est obscuritas, ignoratio, *can.* 2, 686. ℙ Translate est obscuritas, ignoratio, *Cic. Arch.* 6. *f.* Quae jacerent omnia in oblivio. tenebris, nisi litterarum lumen accederet. *Plin. ep.* 9, 14. Pergamus itinere instituto, quod ut paucos in lucem famamque provexit, ita multos e tenebris et silentio protulit. *Cic. Dejot.* 11. Vestram familiam abjectam et obscuram e tenebris in lucem evocavit. *Id. Att.* 7, 11. Quaeso, quid hoc est? aut quid agitur? mihi enim tenebrae sunt. *Quint.* 8, 2. *f.* Tenebris orationis lumen inferre. *Cic. Acad.* 4, 19. Offundere tenebras rebus; et *ib.* 6. obducere rebus clarissimis; et *ib.* 39. Latent ista omnia, crassis occultata et circumfusa tenebris. *Lucan.* 9, 985. Pharsalia nostra Vivet, et a nullo tenebris damnabitur aevo. *Lucr.* 2, 15. Qualibus in tenebris vitae, quantisque periclis Degitur hoc aevi quodcumque est! et *Phaedr.* 3, 10. tenebras dispulit calumniae, Certumque fontem veritatis repperit. *Plin. Pan.* 44. Aetatem in tenebris agere, *h. e.* remotum a convictu, a foro, a republica; et *ib.* 69. *extr.* Sunt in ore hominum, et in ore famae magna nomina ex tenebris oblivionis, indulgentia Caesaris. *Quint.* 1, 2. *med.* Lumen illud conventus honestissimi tenebris ac solitudini praetulissem. ℙ Metonymice locus abditus, latebrae. *Catull.* 55, 2. Demonstres, ubi sint tuae tenebrae. Alii leg. *tabernae. Cic. Sext.* 9. Homo emersus subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum. ℙ Item domus vilis et obscura. *Juven.* 3, 222. optima Sorae, Aut Fabrateriae domus, aut Frusinone paratur, Quanti nunc tenebras unum conducis in annum. *Mart.* 2, 14. Grylli tenebrae, *h. e.* tenebrosa balnea Grylli, ut *Id.* ait 1, 60. ℙ Item carcer. *Sall. Jug.* 16. Clausi in tenebris, cum moerore et luctu morte graviorem vitam exigunt. *Tubero* ap. *Gell.* 6, 4. In atras et profundas tenebras eum claudebant, ac diu post repente educebant. ℙ Item turba, perturbatio, confusio: ducta translatione ab obscura tempestate et procellis. *Cic. Dom.* 10. Quae cum illis reipublicae tenebris, caecisque nubibus et procellis cum senatum a gubernaculis dejecisses, populum e navi exturbasses, etc. *Id. Rosc. Am.* 32. *med.* Qui tanquam si offusa reipublicae sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant. *Id. in Sen.* 3. Ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica dispicere coepistis, [*Adde *Dom.* 44. et *Fam.* 12, 13. ubi v. *Ernest.* ℙ *Tenebrae* sunt etiam hominum abjectorum et humilium et pravorum. *Cic. Sen. p. R.* 4. mens oppleta sordibus ac tenebris: unde *Pis.* 26. tenebras appellat hujusmodi hominem. ℙ *Tenebrae* sunt etiam hominis ita in angustias redacti, ut aestuet, nesciatque, quid agat. *Id. Caecil.* 14. qui tibi aestus, qui error, qui tenebrae erunt. ℙ De vehementi animi commotione, tristitia etc. *Id. Tusc.* 3, 34. ei quid tenebrarum obfudit exilium. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ In sing. num. *Lampr. Commod.* 16. Repentina caligo ac tenebra in Circo cal. Januariis oborta.

TĔNEBRĀRĬUS, a, um, adj. ut Tenebrarius homo, *Vopisc. Firm.* 2., ubi alii leg. *tenebrarum.*

TĔNEBRĀTĬO, onis, f. σκότωμα, ut Tenebratio visus, *Coel. Aurel. Tard.* 1, 2. et 4. *n.* 66.

TĔNEBRESCO, is, n. 3. tenebrosus fio. *August. de Genes. ad litt.* 1, 10. *f.* Pars illa, in qua sumus, tenebrescit in noctem. In MSS. est *tenebrascit. Hieron. in Isai.* 5, 12, 10. Prae timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescunt.

TĔNEBRĬCO, as, n. 1. tenebresco. *Tert. adv. Jud.* 13. *med.* ex *Amos* 8, 9. Sol media die tenebricavit. *Vulg.* habet *tenebrescere.*

TĔNEBRĬCOSĬTAS, atis, f. caligo, tenebrae. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 73. Tenebricositate vexari, *h. e.* caligine oculorum.

TĔNEBRĬCOSUS, a, um, adj. σκοτώδης, obsitus, vel offusus tenebris, obscurus. *Cic. Acad.* 4, 23. Esse sensus quidem nec obscuros dicit, nec tenebricosos. *Id. Pis.* 8. *extr.* Tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa. *Id. Vat.* 5. Illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere. *Id. Prov. cons.* 4. Lateant libidines ejus illae tenebricosae, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat. *Catull.* 3, 11. Qui nunc it per iter tenebricosum Illuc, unde negant redire quemquam.

TĔNEBRĬCUS, a, um, adj. idem ac tenebricosus, apud poetas. *Cic. Tusc.* 2, 9. vertens carm. *Sophocl.* Haec a tartarea tenebrica abstractum plaga Tricipitem eduxit Hydra generatum canem. *Tert. Pall.* 4. *f.* Tenebrica vestis, *h. e.* atra. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 849. *ex lectione Scal.* sepes, *h. e.* carcer tenebricosus.

TĔNEBRĬO, onis, m. σκοτίας, nebulo, lucifugus, qui tenebras sectatur, et in his libenter delitescit flagitii causa: item qui fraudibus et mendaciis tenebras ob oculos hominum objicit, fallendi artifex. *Varr.* ap. *Non*, 1, 67. M'. Curius cum dilectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem. (Idem pluribus verbis narrat *Val. Max.* 6, 3. *n.* 4.) *Afran. ib.* Huc venit fugiens tenebrionem Tyrium. *Varr. ib.* Si et accusator et reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato.

TĔNEBRO, as, a. 1. tenebras induco. *Appul. Met.* 8. Jam vespera semitam tenebrante. *Lactant.* 4, 19. ex *Amos* 8, 9. Et tenebrabitur dies lucis. Alii leg. *obtenebrabitur. Vulgata* habet *tenebrescere faciam*, etc. *Ammian.* 19, 8. Itaque vespera tenebrante, postica parte evado. *Donatus* etiam *Virgilio* tribuit *A.* 3, 635. telo lumen tenebramus acuto. Sed rectius *terebramus* alii.

[TĔNEBROSE, adv. σκοτεινῶς, in tenebris. *Hieron. in Jon.* 4, 6. Timuit videlicet, ne, si pro cucurbitis hederae nascerentur, unde occulte et tenebrose biberet, non haberet. *F.*]

TĔNEBROSUS, a, um, adj. σκοτεινὸς, tenebricosus, obscurus. *Virg. A.* 5, 839. Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras; et *ib.* 6, 107. tenebrosa palus Acheronte refuso. *Ov. Met.* 1, 113. tenebrosa Tartara; et *ib.* 5, 359. sedes, *h. e.* Inferi. *Lucan.* 2, 79. tenebrosus carcer. *Sen. Ag.* 999. specus. *Mart.* 1, 60. tenebrosa balnea Grylli. *Petr. Sat.* 91. Per tenebrosum et sordidum egressum extraho Gitona. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 329. tenebrosa silentia, *h. e.* quae apud Inferos servantur. *Val. Fl.* 3, 399. Cimmerium domus, et superis incognita tellus, Caeruleo tenebrosa situ. *Tert. Anim.* 1. *f.* Tenebrosior carcer. ℙ Translate. *Imp. Justin. Cod.* 6, 43, 3. *med.* Tenebrosissimus error abolitus est. *Prud. Apoth.* 195. Corde tenebroso verum perpendere nescit.

TĔNĔDĬUS, a, um, adj. Τενέδιος, ad Tenedon pertinens, quae est insula parva maris Aegaei contra Sigeum promontorium Troadis, cum urbe cognomine, condita a Tene Cycni filio. *Cic. Verr.* 2, 1, 19. Tenedo Tenen ipsum abstulit, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse. Adde *N. D.* 3, 15. *f.* ℙ *Tenedia securis*, proverb. de severa, tetrica, et expedita justitia: nam Tenes legem tulerat, ut homo securim tenens a tergo judicis staret, ut illum qui mendacii convinceretur, aut insontem accusaret, convictum statim occideret. Ita *Suidas* in *Τενέδιος ἄνθρωπος.* Alii dicunt statuisse, ut in adulterio deprehensus securi statim a deprehendente feriretur: eamque ita servasse, ut etiam de filio suo deprehenso interrogatus, ipsum quoque sic puniri oportere responderit. Alia ap. *Erasm.* in *Adag.* habes. *Cic. Q. Fr.* 2, 11. Tenediorum libertas securi Tenedia praecisa est, cum eos praeter me, et Bibulum, et Calidium et Favonium nemo defenderet, *h. e.* rigide, severe, ac statim negata et praecisa est. [*M. Aurel.* inter epist. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 9. Tum securim Tenediam, quam minaris, abde aliquo, ac reconde. *F.*]

TĔNELLŬLUS, a, um, adj. dimin. tenelli. *Laevius* ap. *Prisc.* 10, 903. Manu lascivula et tenellula. *Catull.* 17, 15. Et puella tenellulo delicatior haedo.

TĔNELLUS, a, um, adj. dimin. teneri, ἁπαλώτερος. *Varr. R. R.* 1, 41. Aqua recenti insito inimica: tenellum enim cito facit putre. *Id. ib.* 2, 7. Ungulae tenellae pullorum equinorum. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 20. Bella et tenella Casina. *Stat. Silv.* 5, 5, 86. ludusque tenello, Risus, et e nostro veniebant gaudia vultu, *h. e.* puero tenello. *Domit. Mars.* ap. *Suet. Gr.* 18. Epirota (*h. e.* Q. Caecilius Epirota) tenellorum nutricula vatum.

TĔNĔO, es, ui, tentum, a. 2. κρατέω, κατέχω, habeo, retineo: a τείνω, tendo, quia tenendo, inquit *Voss.*, manus nervi tenduntur. *Pl. Merc.* 5, 2, 42. *Eut.* Porrige brachium, prehende: jam tenes? *Char.* teneo. *Eut.* tene. *Id. Pers.* 3, 3, 8. Accipe sis argentum, impudens: tene sis argentum: etiam tu argentum tenes? *Ter. Eun.* 3, 5, 49. Os tuum impudens videre nimium vellem, qui esset status, flabellum te tenere asinum tantum. *Cic. Coel.* 26. *f.* Cum pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset. *Ov. A. Am.* 1, 320. Et tenuit laeta pellicis exta manu. *Id. Fast.* 1, 99. Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra; et *ib.* 2, 102. Non sunt haec digitis arma tenenda tuis. *Phaedr.* 1, 4. Et quem tenebat ore demisit cibum. (Adde *Cic. Div.* 2, 68.) *Plin.* 25, 13, 105. Decoctum diu tenendum in ore. *Ov. Her.* 3, 114. Tenere aliquem in sinu; et *ib.* 469. et *ib.* 13, 157. sinu. *Claud. Idyll.* 3, 19. Absentem tentura virum. ℙ *Tenere* dicuntur arbores, cum satae comprehendunt. *Sen. ep.* 86. *f.* Positae vites etiam Martio exacto, tenent, et complexae sunt non suas ulmos. *Colum.* 5, 6. *med.* Si radicibus ulmi junxeris, male vitis comprehendet: et cum tenuerit, incremento arboris opprimetur. *Id.* 3, 11. *f.* Rubrica alit vitem, cum tenuit. ℙ *Teneri solo* dicitur, quidquid terrae cohaeret. *Jabol. Dig.* 50, 16, 115. ℙ *Tenere*, imperio, ditione regere. *Hor. Od.* 3, 14, 25. tenente Caesare terras. *Virg. A.* 1, 626. Cyprum ditione tenebat. *Val. Fl.* 3, 658. dulcem sceptris Calydona tenerem. [*Huc pertinent etiam ista: *Cic. Sext.* 19. tenere rempubl. *Mur.* 38. totam remp. in hac causa tenetis et gubernatis. *Fam.* 11, 16. cum equitum centurias teneas, in quibus regnas. *Att.* 10, 11. ego meum facile teneo. Unde, *qui tenent*, dicitur, omisso reipubl. verbo ap. *Eund. Att.* 2, 8.: Σκοπὸς est — illis, qui tenent; et *ib.* 7, 12. An — iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? — *Suet. Tit.* 7. tam artifices saltationis, ut mox sce-

nam tenuerint, i. e. principatum obtinuerint. V. *Graev.* ad h. l.] ℙ Et utcumque possidere. *Cic. Off.* 2, 23. Multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur. ℙ Item obtinere, occupare. *Liv.* 1, 5. Euander multis ante tempestatibus ea tenuerat loca. *Cic. Manil.* 11. *f.* Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? *Caes. B. G.* 2, 22. Adeantuannus, qui summam imperii tenebat. *Virg. G.* 1, 115. amnis abundans Exit, et obducto late tenet omnia limo; et *ib.* 4, 321. quae gurgitis hujus Ima tenes, *h. e.* possides, atque incolis. ℙ [*Huc pertinet etiam illud dicendi genus: *tenere portus, insulam, littus, terram*, ubi hoc verbum signif. appellere. Ita expl. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 198. teneant portus: ubi comp. *Ejusd. Fast.* 1, 498. Nave secat fluctus Hesperiamque tenet. *Liv.* 21, 49. Quinqueremes insulam Vulcani tenuerunt: ibique *intpp.* Porro docet *Id. l. Ov. l.* dici *tenere* hoc sensu etiam de itinere terrestri, coll. *Ov. Fast.* 2, 313. Jamque nemus Bacchi Tmoli vineta tenebat: ibique *Heins.* qui ductu MSS. quorund. conj. Jam Bacchea, nemus Tmoli, vineta. Adde *Liv.* 30, 25. regionem tenere, i. e. eo pervenire; et 1, 37. montes — Sabini petebant et pauci tenuere; cf. 36, 21. 37, 16. *Cic. Har. Resp.* 11. terram tenere non potuit, i. e. tangere: ubi v. *Graev.* ℙ Ilinc metaph. dicitur pro consequi, quod velis, conficere rem. *Cic. Fam.* 1, 1. res aliter teneri non potest; et *Sext.* 32. res jam manibus tenetur. *Agr.* 2, 17. qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt. *Liv.* 42, 11. multa, quae non vi, non dolo, Philippus, omnia expertus, potuisset moliri, (Persea) admirando rerum successu tenuisse. ℙ Interdum assumit notionem utendi *Cic. Tusc.* 4, 3. qui nihil prolatum erat melius, id, quod erat, tenebant; et *Fl.* 23. Jam id videro; sed primum illud tenebo.] ℙ Huc pertinet formula *teneo te*, qua utuntur, qui, quod maxime optabant, sentiunt se consecutos. [*Duplex notanda erat hujus dicendi rationis notio. Est solemnis formula in disputatione de iis, qui adversarium aliquo ipsius dicto ita convictum habent, ut negare amplius nequeat. Ita in loco, quem *Noster* primum posuit, intelligendum. Ceterum debebant haec iis adjungi, in quibus *teneri* ad res judiciales pertinet causasque dicendas.] *Cic. Acad.* 4, 48. Teneo te, inquam: nam ista Academiae est propria sententia. [*Adde *Quint.* 20. coll. *N. D.* 1, 26. — Alterum dicendi genus est proprie intelligendum de iis, qui amicos peregre reversos, vel periculo aliquo liberatos amplectuntur, vel quamcunque aliam rem diu speratam vehementerque exoptatam nacti sunt. Huc pertinent loci, quos Forc. mox posuit.] *Ter. Heaut.* 2, 4, 27. Teneone te, Antiphila, maxime animo exoptata meo? Adde *Sen. Ben.* 7, 4. [*V. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut.* 2, 4, 27. et ad *Ov. Her.* 18, 183. et quos *ib.* laud., *Cerd.* ad *Virg. E.* 1, 31. et *Graev.* ad *Suet. Caes.* 59. ℙ *Tenere Deos* dicuntur, qui eos benevolos et propitios habent. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 21, 239. ubi comp. *Amor.* 3, 3, 12. formaque numen habet. Contrarium est *carere* Diis.] ℙ *Tenere* est etiam amatorum et amicarum. *Tibull.* 1, 6, 3. et 2, 7, 34., *Ov. Am.* 3, 7, 3. etc. [*Cf. *Burm.* ad *Quint. decl.* 357. p. 749. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 103. et quos comp. *Brukh.* ad *Tibull.* 1, 6, 3. et *intprr.* ad *Phaedr.* 2, 2, 3. Item *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 15, 88.] ℙ Est etiam detinere, morari. *Cic. Att.* 11, 3. Eum, qui litteras attulit, diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exspectabamus. *Id. Fam.* 16, 7. Septimum jam diem Corcyrae tenebamur; et *ib.* 19. Si ob eam rem moraris, accipio causam: si id te non tenet, advola; et *ib.* 11, 17. *f.* Non tenebo te pluribus. *Id. Verr.* 2, 1, 13. Ne diutius teneam, pecunia attributa, numerata est. [*Plura habet *Sshütz. cl. Cic.* s. h. v. ℙ Item impedire, inhibere. *Lucan.* 5, 136. Et Phoebi tenuere viam: ubi v. *Burm.* Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 7, 126. tenuit vias. ℙ Item *reticere. Cic. Or.* 2, 54. Ea, quae occurrant, cum salsissime dici possint, tenere.] ℙ Item continere, includere: tenere se aliquo loco. *Virg. G.* 2, 371. Texendae sepes etiam, et pecus omne tenendum. *Nep. Dion.* 1. Cum a conventu remotum se Dion domi teneret. *Caes. B. G.* 3, 17. Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat; et *ib.* 5, 52. Magnam partem Galliae in officio tenuit. ℙ [*Item complecti, nostr. *umfassen, begreifen, enthalten. Hor. Sat.* 2, 3, 46. Haec populos, haec magnos formula reges, Excepto sapiente, tenet: ubi *Heindf.* comp. Gr. κατέχειν ex *Plat. Men.* §. 6.] ℙ Item abstinere. *Ov. Am.* 1, 4, 10. Vix a te videor posse tenere manus. ℙ Item supprimere, compescere. *Cels. praef. med.* Compressum corpus resolvere, solutum tenere. *Id.* 4, 19. *med.* Id assumptum leniter, sine ulla stomachi noxa ventrem tenet. *Virg. G.* 4, 483. tenuitque inhians tria Cerberus ora. *Cic. Par.* 5, 1. Tenere iracundiam, coercere avaritiam. *Id. Verr.* 2, 4, 18. *f.* Vociferari palam: lacrimas vix tenere. *Id. Att,* 12, 38. Tenere dolorem. *Id. Dom.* 6. compressum frumentum. *Id. Brut.* 80. *f.* somnum. *Id. Vat.* 8. *med.* risum. [*Id. *Verr.* 2, 3, 1. tenere cupiditates.] ℙ *Tenere se*, se continere, abstinere, parcere. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Ego teneo ab accusando vix me hercule: sed tamen teneo. *Id. Acad.* 4, 4. *med.* Nec se tenuit, quin contra suum doctorem librum etiam ederet. *Id. ad Dolab. post ep.* 14. *l.* 15. *ad Att.* Teneri non potui, quin tibi apertius illud idem his litteris declararem. ℙ Cum inf. *Pl. Merc. prol.* 51. Conclamitare tota urbe, et praedicere, omnes tenerent mutuitanti credere, *h. e.* caverent, abstinerent, parcerent. ℙ *Tenere* est etiam defendere, in re militari. *Virg. A.* 8, 653. Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat. *Caes. B. C.* 1, 44. *extr.* Perturbatis antesignanis, legio, quae in eo cornu constiterat, locum non tenuit, atque in proximum collem se recepit. ℙ Item servare, retinere. *Pall.* 5, 2. *f.* Agri qui diu aquam tenent. *Cic. Phil.* 1, 11. Si consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero; et *ib.* 5, 13. Qui ordo in sententiis rogandis servari solet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. *Id. Off.* 1, 30. Tenere modum voluptatis fruendae. [*Tenere* in promissis est facere promissa, pacta. *Cic. Off.* 3, 29. tenendum est, quod promiseris. *Balb.* 15. foedus cum magis fide illius populi, justitia vestra — teneretur. — Eadem ratio est in illo dicendi genere: *tenere morem.* Legitur ap. *Cic. Tusc.* 5, 11, 34. *Fl.* 7. *in. Virg. A.* 3, 408. Huc pertinet etiam locus *Cic. Off.* 3, 10. Itaque praeclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, si eum teneremus cet. ubi *Ern.* in *cl. Cic.* ultima verba expl. amicum haberemus: ad modum eorum quae supra notavimus: *tenere Deos.* In notis *teneremus* ad *morem* retulit.] ℙ Item dirigere, rectum servare, tendere. *Virg. A.* 1, 373. vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? Quove tenetis iter? *Cic. N. D.* 3, 34. Navigabat Syracusas: cumque secundissimo vento cursum teneret, etc. *Caes. B. G.* 5, 8. Leni Africo profectus, media nocte vento intermisso, cursum non tenuit, et longius delatus aestu, etc. *Cic. Planc.* 21. *f.* Ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima aetate suscepisti, cohortentur. *Liv.* 31, 45. *med.* Cassandream petentes, primo ad Mendin tenuere. ℙ Item obtinere. *Cic. Brut.* 21. Tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius. *Liv.* 4, 30. *f.* Plebs tenuit, ne consules in proximum annum crearentur. *Id.* 24, 19. Tenuit, ne incepto abiretur. *Caes. B. C.* 3, 42. Pompejus interclusus Dyrrachio, ubi propositum tenere non potuit, secundo usus consilio, edito loco castra communit. *Cic. Sen.* 11. Appius tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. *Id. Verr.* 1, 4. *f.* Hoc praetore Siculi neque suas leges, neque nostra senatus consulta, neque communia jura tenuerunt. [*Similia habes in *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Caecin.* 24. Scaevola causam apud centumviros non tenuit. [*Cf. de hac dicendi formula *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 244. coll. *Drak.* ad *Liv.* 39, 3. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. *n.* 14.] *Plin. ep.* 6, 5. Tenuit Varenus, ut sibi evocare testes liceret. ℙ *Tenet consuetudo, fama*, invaluit, inducta est, obtinet. *Quint.* 2. *in.* et 8, 5. Tenuit consuetudo, quae quotidie magis invalescit, ut, etc. *Liv.* 1, 4. Tenet fama, lupam sitientem ex montibus, etc. [*Cf. *Spald.* ad *Quint.* l. l.] ℙ *Tenere*, detinere, delectare, pascere. *Cic. Fin.* 5, 18. Pueri pompa, ludis, atque hujusmodi spectaculis tenentur. *Id. Acad.* 4, 7. *med.* Ut oculi pictura teneantur, et aures cantibus. [*Huc pertinent et ista: *Cic. Or.* 62. teneri ab oratore. *Coel.* 11. ingenio alicujus teneri: i. e. audire aliquem libenter quod ingeniose dicit. *Fam.* 7, 20. a quo etiam advenae teneri solent.] ℙ Item sustentare, tueri. *Cic. N. D.* 2, 53. *f.* Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu. [*Id. *Or.* 3, 45. terra tenetur nutu suo. Cf. *Matth.* ad *Cic. Mur.* 28, 58.] ℙ *Tenere* dicitur lex, decretum, cum suam vim habet atque obligat. *Cic. Phil.* 11, 5. Vopiscus, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus: quamquam leges eum non tenent. *Paul. Dig.* 27, 1, 31. Statim tenuit eum prius decretum. *Papin. ib.* 39, 1, 18. Omnes nuntiatio tenebit. *Ulp. ib.* 9, 4, 35. Tenet condemnatio. ℙ Hinc *teneri lege*, adstringi, obligari. *Cic. Caecin.* 14. *med.* Hoc interdicto Aebutius non tenetur. *Id. Har. resp.* 8. Eos, qui id fecissent, lege de vi teneri. [**lege teneri* h. l. ad eos pertinet, qui contra eam fecerunt, ex ea rei sunt, et ejus poenam meruere. V. *Schüz. cl. Cic.* s. h. v. *n.* 17.] *Id. Att.* 12, 18. Quasi voto quodam et promisso me teneri puto. [**Schütz. cl. Cic.* s. h. v. *n.* 15.] *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur, [*i. e. mererentur. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. *n.* 16.] ℙ Item durare. *Liv.* 23, 44. Imber continens per noctem totam usque ad horam tertiam diei insequentis tenuit. *Id.* 2, 3. Per aliquot dies ea consultatio tenuit. *Id.* 24, 47. *f.* Romae foedum incendium per duas noctes ac diem unum tenuit. ℙ Hinc *de tenente* est uno tenore, continuo, Galli nunc dicunt *d'un tenant*, Itali *de seguito. Auct. Pervig. Ven.* 46. De tenente tota nox est perviglanda canticis. ℙ Item gerere, sustinere. *Cic. Or.* 3, 14. *med.* Neque adhuc, quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. ℙ Item convincere, capere. *Cic. Quint.* 20. Tribuni igitur appellabantur. Hic te, inquit, teneo, non est istud judicum pati, etc. ℙ *Teneri*, convictum esse, obnoxium esse. *Cic. Caecin.* 2. Si negassent, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerentur. *Id. Verr.* 2, 2, 78. Nemo ita in manifesto peccato tenebatur, ut, etc. *Id. Cluent.* 44. *f.* Nec ullo argumento Cluentianae pecuniae crimen tenebitur. [*Cf. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Teneri furti*, h. e. actione furti. *Paul. Dig.* 6, 1, 4. Sed et furti, et ad exhibendum tenebitur, qui dolo malo, etc. ℙ [**Ut tenerentur publico* ap. *Suet. Cal.* 40. est: obligarentur, vectigal aerario pendere cogerentur.] ℙ *Teneor hoc facere*, h. e. debeo, *Vorstius de Latin. mer. sup. c.* 17. usurpari ait a *Justinian.* in *Institut. Jur.* nullo tamen designato loco. ℙ Item animum occupare, afficere, movere, impellere. *Cic. Vat.* 6. Quae te tanta pravitas mentis tenuit, qui tantus furor, ut, etc.? *Id. ad Quir.* 1. Ut aliquando vos memoria mei, misericordia, desideriumque teneret. *Id. Att.* 7, 2. *med.* De triumpho nulla me cupiditas unquam tenuit. *Id. Tusc.* 1, 41. Magna me spes tenet, bene mihi evenire. *Id. Att.* 1, 11. *f.* Summum me librorum studium tenet, sicut odium jam ceterarum rerum. *Sall. Jug.* 3. *extr.* Nisi forte quem inhonesta et perniciosa libido tenet; et *ib.* 35. Nondum vos dominationis eorum satietas tenet. ℙ Et passive. *Cic. N. D.* 1, 17. *med.* Neque ira, neque gratia teneri. *Id. Acad.* 1, 2. Teneri studio philosophiae. *Id. Sen.* 10. *med.* desiderio alicujus rei. *Virg. A.* 1, 679. amore magno alicujus. [*Constructionis causa huc transtulimus locum *Cic. Leg.* 3, 13. nisi illi ipsi, qui frangere eas deberent, cupiditatis ejusdem tenerentur. Ita *Orell.* cum *cdd.* plerisque et *edd. Alii* aliter. Eandem constructionem habes ap. *Quint. Inst.* 5, 14, 11. et *Dig.* 6, 1, 4. *Tac. A.* 11, 7, 5. ℙ *Teneri* signif. etiam conjunctum esse, contineri. *Cic. Leg.* 1, 7. *f.* ut homines deorum agnatione et gente teneantur.] ℙ Ponitur saepe pro intelligere, scire, videre. *Pl. Capt.* 3, 5, 39. Nunc ego teneo, nunc scio, quid sit hoc negotii. *Ter. Andr.* 1, 1, 58. Nam Andriae illi id erat nomen. *So.* teneo; et 3, 2, 18. Teneo quid erret; et *Heaut.* 4, 3, 22. Tenes, quid dicam? *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. *f.* Tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caesar, tenes. *Pl. Ps.* 1, 2, 81. Tenes, quorsum haec tendant, quae loquor? *Cic. Div.* 1, 15. Quae a Romanis auguribus ignorantur, a Cilicibus, Lyciis tenentur. [**Id. Sext.* 10. reconditos sensus alicujus tenere.] ℙ Cum infinito. *Pl. Bacch.* 4, 4, 10. Nullus frugi esse potest homo, nisi qui et bene, et male facere tenet. *Lucr.* 3, 650. Corpore cum reliquo pugnam caedesque petissit, Nec tenet, amissam laevam cum tegmine saepe Inter equos abstraxe rotas. ℙ Est etiam meminisse. *Virg. Ecl.* 9, 45. numeros memini, si verba tenerem. *Pl. Pers.* 2, 2, 1. Satin' haec meministi, et tenes? *Mart.* 4, 37. Et teneo melius ista, quam meum nomen. *Cic. Cat.* 3, 8. Tenetis memoria in Capitolio turres de coelo esse percussas. *Id. Fam.* 6, 2. Velim statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere, ℙ Pro certo habere, affirmare, asserere. *Cic. Par.* 1. *f.* Illud arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. *Id. Fin.* 3, 13. *f.* Quod idem Peripatetici non tenent. *Id. Acad.* 4, 22. *f.* Illud, quod multos annos tenuisset, Zenonique magistro credidisset. [*Plura, in quibus ad animum v. *tenendi* relatum est, habes ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Tenivi* in praeterito dixisse veteres, testes sunt *Charis.* 3, 220. et *Diomed.* 1, 363. et 369. item *tetini. Festus* in *Purime*, item *tetinerim, is, it. Accius*, et *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 838. item *tetinisse: Pacuv. ib.* ℙ [*Confund. *tenere* et *tumere.* V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 6, 66. *Tenere* et *continere.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 87. *Tenenda* et *tuenda* cet. *Id. ib.* 2. p. 45. *Tenere* et *tueri. Cort.* ad *Lucan.* 1, 275.]

TENER, ra, rum, adj. τέρην, ενος, tactu cedens, mollis, tractabilis, flexibilis: cui opponitur *durus:* a Graeca voce allata per metathesin. *Sabini* enim, teste *Favorino* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. *f.*, dicebant *terenum* pro *tenerum.* [*Alii deducunt a *teneo*, ut proprie *tener* significet id, quod impressiones extrinsecus factas facile accipiat ac servet.] *Cic. Or.* 3, 45. Nihil est tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio. [*Ita saepius legitur ap. *Cic.* V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Hor. Sat.* 1, 3, 116. Qui teneros caules alieni infregerit horti. *Id. Od.* 4, 12, 9. Dicunt in tenero gramine pinguium Custodes ovium carmina fistula. *Ov. A. Am.* 1, 299. prata tenerrima. *Prud. Cath.* 3, 70. et fragili Lac tenerum premitur calatho, *h. e.* caseus mollis. *Virg. Ecl.* 2, 51. cana legam tenera lanugine mala; et *ib.* 10, 49. ne teneras glacies secet aspera plantas. *Cic. Leg.* 1, 1. Procera et tenera palma. *Ov. Rem. Am.* 83. Tenerae uvae. *Gell.* 17, 15. Sagittis elleboro tinctis ictae ferae, teneriores ad epulas fiunt. ℙ *Tener* dicitur *aer* a *Lucr.* 2, 145., *Virg. A.* 9, 698., *Ov. Met.* 4, 615. et alibi, quia facile cedit. [*Cf. *Drak.* ad *Sil.* 13, 162. ℙ *Tener somnus* ap. *Ov. Her.* 13, 172. est mollis, facilis. Adde *Eund. A. Am.* 2, 546. Cum tener ad partes tu quoque, somne, venis. *Stat. Sylv.* 1, 3, 43. et teneros invitant murmura somnos: ubi v. *Markl.*] ℙ *Tenera vestis* est rara, levis, et facile flexilis. *Pacat. Pan. Theodos.* 33. *f.* Tenero perlucentes amictu, et vix leve carbasum vitando sole tolerantes. ℙ *Tenera alvus* est fluens. *Cels.*

3, 18. *med.* Servanda alvus est quam tenerrima. ℙ Saepe refertur ad aetatem primam animalis. *Phaedr.* 2, 4. simul exieris pastum cum tenero grege, Aquila est parata rapere procellos tibi. *Val. Fl.* 1, 491. teneras complexus pectore tigres. *Sen. Troad.* 794. Tener juvencus. *Prop.* 2, 5, 9. me numina laedunt, Me tener in cunis et sine voce puer. *Lucil.* ap. *Prisc.* 6, 697. Inde venit Romam tener ipse etiam, atque puellus. *Quint.* 2, 2. Ut teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat. *Ov. Met.* 15, 201. de anno: Nam tener, et lactens, puerique simillimus aevo Vere novo est. *Auct. dial. de Or.* 29. Horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur. *Plin. Pan.* 15. Disjunctissimas terras, teneris adhuc annis, viri firmitate lustrasti. ℙ *Teneri*, absolute, pueri. *Claud. Laud. Stil.* 2, 59. tantumque reservat Depositum teneris, *h. e.* filiis Theodosii. *Juven.* 14, 215. Parcendum est teneris. ℙ *Tener mundus*, recens conditus. *Virg. Ecl.* 6, 34. et ipse tener mundi concreverit orbis. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 253. teneri primordia mundi. ℙ *Teneri manes*, pueri mortui. *Stat. Th.* 6, 121. ℙ *A teneris unguiculis, a tenero*, a pueritia, ab infantia. *Cic. Fam.* 1, 6. Praesta te cum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus: ἐξ ὀνύχων. *Hor. Od.* 3, 6, 23. puella incestos amores De tenero meditatur ungui. Et absolute *Virg. G.* 2, 272. adeo a teneris consuescere multum est. Alii leg. *in teneris. Quint.* 1, 2. *med.* Assuescat jam a tenero non reformidare homines. *Nazar. Pan. Constant.* 4. Ipsum a tenero intuentes, in ipsum oculis ac mente conversi. *Colum.* 5, 6. *med.* Plurimum refert, ut plantae eam partem coeli spectent, cui ab tenero consueverunt. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 6. Non enim silice nati sumus, sed est naturale in animis tenerum quiddam atque molle. *Sen. ep.* 11. *med.* Rubor magis in juvenibus apparet, quibus et plus caloris est, et tenera frons, *h. e.* verecunda: cui opponitur *os durum*. Sic *Ov. Her.* 2, 143. Tener pudor. *Cic. Amic.* 13. *f.* Neque audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream esse volunt: quae est cum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis. *Id. Fam.* 5, 21. *med.* Teneriore mihi animo videbare, sicut omnes fere, qui vita ingenua, in beata civitate, et libera viximus, *h. e.* minus forti, et in calamitate minus confirmato. *Claud. Laud. Seren.* 100. in matrem teneris conversa querelis, *h. e* dulcibus, minime acerbis. *Ov. A. Am.* 2, 546. Tener somnus. ℙ Saepe refertur ad mores delicati hominis, luxu dediti, mollis. *Juven.* 12, 39. vestem Purpuream, teneris quoque Maecenatibus aptam. *Id.* 1, 22. Cum tener uxorem ducat spado. ℙ *Tener poeta*, qui de amoribus tractat. *Ov. A. Am.* 3, 333. Et teneri possis carmen legisse Propertl. *Id. Rem. Am.* 757. teneros ne tange poetas. *Catull.* 35, 1. Poetae tenero, meo sodali. *Ov. A. Am.* 2, 273. teneros versus mittere, *h. e.* amatorios; et *Am.* 2, 8, 2. tenerum carmen. ℙ Mollis est etiam in his. *Ov. Met.* 11, 153. Pan teneris jactat sua carmina Nymphis. *Id. Am.* 3, 2, 53. tener Bacchus. *Pl. Ps.* 1, 1, 65. Teneris labellis molles morsiunculae. *Petr. Sat.* 118. Ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriore verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse. ℙ [*Ap. *Cic. Att.* 6, 2. *insula* tenera dicitur Cyprus, propter mollitiem incolarum. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Tener vaccula* pro *tenera* est ap. *Catull.* 20, 14. Tenerque, matre mugiente, vaccula. Alii leg. *teneraque*, alii rectius *tenella*.

TĔNĔRASCO, is, n. 3. idem ac teneresco. *Lucr.* 3, 767. Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem.

TĔNĔRĔ, adv. ἁβρῶς, molliter. *Pall.* 1, 6. *f.* Agri praesulem non ex dilectis, et tenere educatis servulis ponas. *Auct. dial. de Or.* 26. Oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicuntur. *Plin. ep.* 4, 27. Audivi recitantem Sentium multa tenuiter, multa venuste, multa tenere. *Petr. Sat.* 24. Complosit illa tenerius manus. *Plin.* 23, 3, 35. Cortex quam tenerrime derasus.

TĔNĔRESCO, is, n. 3. ἁπαλύνομαι, tener fio, mitesco. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 17. In tantum tenerescere acinos, ut rumpantur. *Id.* 28, 12, 50. Cutem in facie erugari, et tenerescere, et candorem custodiri lacte asinino putant. *Cels.* 6, 6. *n.* 4. Papaperis lacrima combusta, donec tenerescat. *Tert. Res. carn* 22. Tenerescentes arbores.

TĔNĔRĬTAS, atis, f. ἁπαλότης, teneritudo, mollities. *Plin.* 9, 42, 67. Torpedinis jecori teneritas nulla praefertur. *Id.* 15, 24, 29. Callum, teneritas, crassitudo uvarum. *Id.* 19, 8, 61. *n.* 13. Teneritas brassicae. *Id.* 37, 7, 28. gemmae. ℙ Translate. *Vitr.* 1, 2. *med.* Ab severo more Doricorum, et a teneritate Corinthiorum temperabitur earum institutio proprietatis. *Cic. Fin.* 5, 21. In primo ortu inest teneritas et mollities quaedam, ut nec res videre optimas, nec agere possint. *Vitr.* 4, 1. *med.* Teneritas aetatis.

TĔNĔRĬTER, adv. tenere. *Charis.* 2, 162. Tenere an teneriter dici debeat, quaesitum est: nam quidam teneriter efferunt, ut celeriter: alii vero tenere, ut libere.

TĔNĔRĬTŪDO, inis, f. idem ac teneritas. *Varr. R. R.* 1, 36. Sin siccitates sunt, et terra teneritudinem habet. *Pall.* 6, 9. Sit caseus loco clauso, ut teneritudinem servet, atque pinguedinem. *Id.* 2, 15. *med.* Teneritudo corticis. *Suet. Tib.* 44. Pueri primae teneritudinis.

*TENES, ae vel is, m. *Τένης* et *Τέννης*, Cycni et Scamandrodices filius, Tenedi urbis conditor, et Deus urbis, ut refert Lycophronis Scholiasta. *Cic. Verr.* 1, 19. Tenem apud Tenedios in Sicilia putant esse sanctissimum deum, ac eorum urbem condidisse. V. *Strab.* 8, 13. *Pausan.* in *Phocic.* 14. (p. 329. seq. *Wechel.*) *B. A.*

[TĔNESMODES, is, adj. τεινεσμώδης, tenesmo similis. *Theod. Prisc.* 2, 2, 18. Si commotiones (*ventris*), vel pondera, perseveraverint, quae tenesmodes appellamus, haec frequenter procurant ventris exponendi suavitatem. *F.*]

TĔNESMUS, i, m. τεινεσμός, et τηνεσμός, morbus extremi directique intestini, in quo frequens est desidendi cupiditas, et dolor, ubi aliquid excernitur: descendunt autem pituitae mucisque similia, interdum etiam leviter subcruenta, sed his interponuntur nonnunquam ex cibo quoque recte cocta. Ita describit *Cels.* 4, 18., sed Graece scribit, ut et *Nep. Att.* 21. in multis libr. Est autem a τείνω, tendo, quia intestinum extenditur, et vellicatur. Qui hujusmodi morbo laborant, quoddam quasi pondus habere sibi videntur in extremitate recti intestini, ideoque Latini eidem commotiones, vel pondera tribuunt (V. v. praec.), Itali vero nunc *pondi* eundem appellant. Latine *Plin.* 28, 14, 59. Tenesmos, id est crebra et inanis voluntas desurgendi, tollitur poto lacte asinino. *Id.* 20, 6, 23. Tenesmo allium in pulte medetur; et *ib.* 21, 84. Malvae semen tenesmo, et dysentericis utilissime infundi. Adde *Scrib. Comp.* 142.

[TENETĀNUM vinum memorat *Veg. Vet.* 4, 10., sed quod et quale fuerit, ignoratur. *F.*]

[TĔNĔUS, a, um, et

[TĔNĔNSIS, e, adj. ad Tenum, *Τῆνος*, nunc *Tino*, pertinens, unam ex insulis Cycladibus in mari Aegaeo, cujus *Plin.* 4, 12, 22. et *Ov. Met.* 7, 469. meminere. *Plin.* 9, 37, 61. Purpurarum genus Teniense in Tenei maris ora collectum. *Harduinus* rectius ex MSS. leg. *taeniense in taeniis maris collectum.* V. TAENIA. *F.*]

TĔNĬTAE (al. Tenirae) credebantur esse sortium Deae, dictae quod tenendi haberent potestatem. *Paul.* ex *Festo.*

TĔNOR, oris, m. τόνος, accentus: a τείνω, extendo: quia per eum vox tenditur. *Quint.* 1, 5. *med.* Adhuc difficilior observatio est per tenores (quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt), vel accentus, quas Graeci προσῳδίας vocant; et *infra:* Item Quantum, Quale interrogantes gravi, comparantes acuto tenore concludunt. [*Praeferenda nobis videtur eorum sententia, qui hujus vocabuli etymon faciunt a *teneo*, primamque significationem ponunt, qua non interruptum alicujus rei cursum denotet, ut in loco *Virg. A.* 10, 340. trajecto missa lacerto Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem: quod exemplum Noster in *f.* sq. §. collocaverat. Cf. *Heyn.* ad *Virg.* l. l.] ℙ Translate sumitur pro serie, continuatione aequabili, progressu. *Cic. Or.* 6. de stilo mediocri: Isque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens praeter facilitatem, et aequabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit. *Virg. G.* 2, 336. Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem Crediderim. *Liv.* 8, 38. *med.* Fremitus aequalis, tenorque idem pugnae in defatigationem ultimam aut noctem spectabat. *Id.* 22, 27. *med.* Virum bonum egregiumque socium Hieronem esse, atque uno tenore, ex quo in amicitiam populi R. venerit, fidem coluisse. *Id.* 35, 16. *med.* Ab Rheginis et Neapolitanis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno et perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quae ex foedere debent, exigimus. *Id.* 41, 15. *med.* Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima est, minime convenire. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 212. justique tenorem Flectere non odium cogit, non gratia suadet. *Ov. Her.* 17, 14. Dumque tenor vitae sit sine labe meae. (Adde *Liv.* 40, 12.) *Id. A. Am.* 2, 729. Hic tibi servandus tenor est, cum libera dantur Otia. *Id. Met.* 3, 111. Sic ubi tolluntur festis aulaea theatris, Surgere signa solent, primumque ostendere vultum, Cetera paulatim: placidoque educta tenore Tota patent; et *Claud. Rapt. Pros.* 3, 361. Exploratque habiles truncos, rectique tenorem Stipitis, *h. e.* rectam proceritatem, rigorem. *Stat. Silv.* 5, 3, 98. Et queis lasciva vires tenuare Thalia Dulce, vel heroos gressu truncare tenores, *h. e.* quibus placet elegiacum carmen, et interrumpere pentametris versibus tenorem carminis heroici. ℙ *Tenorem austeritatis* in smaragdis vocat *Plin.* 37, 5, 18. perpetuum illum colorem austerum et saturum, qui tota gemma in eorum aliquo genere, nullo vitio corruptus, probatur. ℙ Ap. JCtos *tenor legis* est ejus sententia. *Paul. Dig.* 9, 2, 56. Mulier si in rem viri damnum dederit, pro tenore legis Aquiliae convenitur. *Id. Sentent.* 2. *tit.* 21. *extr.* Filiafamilias, mortuo patre, si in servi contubernio perseveraverit, pro tenore S. C. Claudiani conventa efficitur ancilla. *Hermog. Dig.* 42, 1, 46. Auctorum verba emendare tenore sententiae perseverante, non est prohibitum.

*TENOS vel Tenus, i, f. *Τῆνος*, insula maris Aegaei, una ex Cycladibus, Delo vicina. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. *med. Liv.* 36, 21. *Ov. Met.* 7, 469. *B. A.*

TENSĂ, rectius quam Thensa, ae, f. (ἅρμα Θεῶν *Gloss. Philox.*, *θήσση* pro *θέντη* dicitur *Plutarcho* in *Coriol. c.* 25.) vehiculum, quo Deorum signa, atque exuviae in pompa transferuntur. Tensae figura fortasse fuit, qualis in nummis gentis Rubriae ap. *Morell. Thesaur. numm. fam. Rom.* passim cernitur. *Festus:* Tensam ait vocari Sinnius Capito vehiculum, quo exuviae Deorum ludicris Circensibus ad pulvinar vehuntur. Fuit et ex ebore, ut apud Titinium in Barbato: et ex argento. Haec *Festus. Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 59. Tensas alii a divinitate dici putant: alii, quod ante ipsas lora tenduntur, quae gaudent manu tenere et tangere qui eas deducunt. *Serv.* ad *A.* 1, 21. Thensa cum aspiratione scribitur, ἀπὸ τοῦ θείου, id est a re divina. Haec *Servius.* Alii sic dictas putant, quia statuae Deorum in his velabantur linteis ad cubiculi speciem tensis; sed hi currus linteis velati rectius *carpenta* dicuntur, q. v. v. *Cic. Verr.* 2, 1, 59. Quam tu viam tensarum atque pompae ejusmodi exegisti, ut tu ipse illa ire non audeas. *Id. ib.* 5, 3. Qui ex tensarum orbitis praedari sit ausus; et *ib.* 7, 72. *med.* Omnes Dii, qui vehiculis tensarum solemnes coetus ludorum initis. *Id. Har. resp.* 11. *med.* Si puer ille patrimus et matrimus terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit. *Liv.* 5, 41. Quae augustissima vestis est tensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti medio aedium eburneis sellis sedere. *Suet. Aug.* 43. Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, tensas deduceret. *Id. Vesp.* 5. Neronem monitum per quietem, ut tensam Jovis e sacrario in domum Vespasiani, et inde in Circum deduceret. ℙ De quocumque curru, vehiculo. *Titin.* ap. *Non.* 4, 219. Vende thensam atque mulos: sine eam pedibus grassari: confringe ejus superbiam. ℙ In *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 35, 12. inscriptum est *tensa:* in alia Ligoriana ap. *Gud.* 8, 1. thensa: primam tamen scriptionem praetulerim, quia veri est similius, esse Latinae originis a *tendo*, quam Graecae a *θεῖος*. Confirmat *Diomed.* qui 1, 372. docet, *tensam* dictam esse, non *tentam* ad vitandum cacophaton, ne verbum turpe sonaret in sacris.

[TENSĀRĬUS, ii, m. qui frena et cingula aptat equis, eosque loro et jugo jungit. *Accius* ap. *Non.* 3, 95. Frena tensarii equorum accomodant. Ita leg. *Scal.*, alii aliter. *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CLXXXIV., ap. *Grut.* 35, 12. Nomenclator tensar. jugaris. Alii hic leg. *tensarius*, alii *tensarum*, qui nempe praeerat equorum jugis ad tensas in pompam trahendas destinatis, earumque ductores nominatim ciebat, ut ordine exirent. *F.*]

[TENSĪBĬLIS, e, adj. qui tendi potest. *Cassiod. de Music.* Instrumentorum musicorum genera sunt tria: percussionale, tensibile, inflatile. Tensibilia sunt chordarum fila sub arte religata, quae amodo plectro percussa mulcent aurium delectabiliter sensum: in quibus sunt species citharārum diversarum. *F.*]

TENSĬO, onis, f. τάσις, actus tendendi, intensio. *Vitr.* 1, 1. *med.* Brachia, quae in eas tensiones includuntur, cum extenduntur aequaliter, etc. *h. e.* nervos extentos. *Hyg. Gromat. in.* Nunc papilionum tensionem ostendemus. ℙ Morbi genus est in illo *Scrib. Comp.* 101. et 255. Tensio, et contractio nervorum; et 260. praecordiorum. *Veg. Vet.* 1, 53. *extr.* Tensione laborare.

TENSŪRĂ, ae, f. tensio. *Veg. Vet.* 1, 21. *f.* Quae tensura, ut ita dixerim, corporis aliter laxari non potest. Adde 2, 25. *Hyg. Gromat. in.* Papilio unus occupat ped. X, accipit incrementum tensurae ped. II., tegit homines VIII. ℙ Eadem ac tentigo. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* Si non pausaverit veretri tensura, idem veretrum oleo unges.

TENSUS, a, um, part. a *tendo:* τεταμένος, extentus, tentus: cui *remissus* opponitur. *Quint.* 3, 6. *f.* Via rectissima linea tensa. *Id.* 11, 3. *med.* Tensi digiti. *Lucan.* 7, 469. lacerti. *Id.* 2, 683. rudentes. *Stat. Silv.* 3, 1, 51. Tensus arcus: et *Th.* 9, 473. poples. *Quint.* 11, 3. *med.* Vox quo remissior, hoc gravior: quo tensior, hoc tenuis et acuta magis est. *Sidon. carm.* 2, 407. Est locus Oceani, longinquis proximus Indis, Axe sub Eoo, Nabathaeum tensus in Eurum, *h. e.* protentus. ℙ Translato et obsceno sensu usurpatur de eo, qui tentigine laborat. *Auct. Priap.* 6. Tormento, citharaque tensior *(mentula)*; et 70. cithara tensior ipse sua.

TENTĂBUNDUS, a, um, adj. πειράζων, saepius manu exploraus. *Liv.* 21, 36. Ut aegre expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset.

TENTĀMEN, inis, n. idem ac tentatio. *Ov. Met.* 3, 341. Prima fide, vocisque ratae tentamina sumpsit Caerula Liriope. Ubi *fide* dixit pro *fidei*, more antiquo. *Id. ib.* 7, 734. Quid referam, quoties tentamina nostra pudici Repulerint mores?

TENTĀMENTUM, i, n. πειρασμὸς, experimentum, periculum. *Virg. A.* 8, 143. His fretus non legatos, neque prima per artem Tentamenta tui pepigi: me, me ipse, meumque Objeci caput. *Ov. Met.* 15, 628. postquam mortalia cernunt Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum, Auxilium coeleste petunt. *Id. ib.* 7, 727. tentamenta fide, *h. e.* periculum fidei uxoris, ut in v. praec.; et *Gell.* 9, 15. Exponit igitur tentamenti gratia controversiam parum consistentem. Adde *Ascon.* in *Div. Verr.* 8. *f.* [**Tac. H.* 2, 38.]

TENTĀTIO, onis, f. πείρασις, πειρασμὸς, actus tentandi, periculum, experimentum. *Liv.* 4, 42. Aegre Hortensius pati, tentationem eam credens perseverantiae suae. Adde 41, 23. *med.* ℙ *Tentatio morbi*, accessus. *Cic. Att.* 10, 17. Valetudinem tuam jam confirmatam esse et a vetere morbo, et a novis tentationibus, gaudeo.

TENTĀTOR, oris, m. πειραστὴς, qui tentat. *Hor. Od.* 3, 4, 71. Notus et integrae Tentator Orion Dianae.

TENTĀTUS, a, um, part. a *tento*: πεπειρασμένος, is de quo periculum factum est, exploratus. *Cic. Or.* 28. Nullo modo animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit. *Id. Att.* 12, 18. *med.* Habeo nihil tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. *Caes. B. C.* 1, 26. *extr.* Saepius rem frustra tentatam Caesar aliquando dimittendam sibi judicabat. *Sall. Jug.* 23. Prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. *Suet. Ner.* 49. Pugiones duos arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit. *Ov. Met.* 10, 289. saliunt tentatae pollice venae. *Id. ib.* 11, 326. Lingua tacet; nec vox, tentataque verba sequuntur. *Id. Trist.* 3, 9, 8. ratis Per non tentatas prima cucurrit aquas. *Id. A. Am.* 1, 394. Perprime tentatam *(ancillam)*, *h. e.* comprime, quam prius precibus tentaveris. ℙ Invitatus, illectus ad fidem mutandam, sollicitatus ad facinus patrandum. *Sall. Jug.* 52. Tentati popularium animi. *Nep. Ep.* 4. Tentata ejus est abstinentia a Diomedonte Cyziceno. *Ov. Met.* 11, 239. precibus tentata repugnas. *Tac. H.* 2, 20. *med.* Tentata Othonianorum fides per colloquium et promissa. *Id. A.* 2, 28. Tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret. [**Tentatus* h. l. non significat, illectus mutandae causa fidei, sed precibus invitatus. Simili ratione dictum est ap. *eund. ib.* 1, 19. si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint; et cp .75. tentantes eadem alios probare causam senatui jussit. Cf. *Böttich. Lex. Tac.* p. 459.] ℙ Item vexatus. *Hor. Sat.* 1, 1, 80. si condoluit tentatum frigore corpus. *Just.* 42, 1. In ultionem tentati ab Antiocho Parthici regni. *Nep. Cat.* 2. *f.* A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existimationis fecit, etc. *h. e.* accusationibus petitus. *Flor.* 3, 5. *med.* Mithridates male tentatum veneno spiritum ferro expulit. *Cic. Coel.* 22. *f.* Domus illa, quae tentata scelere isto nefario dicitur, plena est integritatis, officii, religionis.

TENTĪGO, iginis, f. πρωκτισμὸς, turpis pruritus verendorum virilium. *Hor. Sat.* 1, 2, 118. malis tentigine rumpi? Adde *Auct. Priap.* 23. et 34. et *Martial.* 7, 67. ℙ Item verendorum muliebrium. *Juvenal.* 6, 128. de Messalina: adhuc ardens rigidae tentigine vulvae.

TENTĪPELLIUM, ii, n. forma sutoris. *Festus:* Tentipellium Artorius putat esse calciamentum ferratum, quo pelles extenduntur. Idem, Afranium dixisse in Promo: Pro manibus credo habere ego illos tentipellium, *h. e.* manus praeduras instar formae sutoriae. ℙ Translate est medicamentum, quo cutis rugae extenduntur, τετάνωθρον. *Gloss. Philox.* Tentipellium, φάρμακον πρὸς ῥυτίδας. *Festus ib.* Titinium, ait Verrius, existimare, id medicamentum esse, quo rugae extenduntur, cum dicat: Tentipellium inducis, rugae in ore extenduntur; cum ille τροπικῶς dixerit. Hic apparet, verba *rugae in ore extenduntur* esse glossema, quod in textum, ut saepe alias factum fuisse constat, receptum est. V. TETANOTHRUM.

TENTO, as, avi, atum, a. 1. tangendo exploro, manu tracto: a sup. *tentum* verbi *teneo*. [*Gr. ψηλαφάω, ut expl. in loco Lucretii mox cit. *Eichstadt.* q. v. in ind. *ed. suae Lucr.* s. v. *tento.*] Est enim diu et multum tenere ac tractare, ut solent quippiam exploraturi. *Virg. G.* 3, 563. invisos siquis tentarat amictus. *Lucr.* 4, 234. si quadratum tentamus, et id nos Commovet in tenebris. *Phaedr.* 3, 10. Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput. Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit. [*Cf. *Burm.* ad h. l. et ad *Petr.* 78.] *Ov. Met.* 10, 282. manibus quoque pectora tentat, Tentatum mollescit ebur. *Colum.* 8, 5. *med.* Pulli singuli tentandi, nequid hesterni habeant in gutture; et *ib.* 11. *med.* Saepiusque digitis loca feminarum tentanda sunt: nam in promptu gerunt ova, quibus jam partus appropinquat. *Ov. Fast.* 2, 254. Corvus tentat ficum rostro. *Cic. Leg.* 2, 3. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, ut vix pede tentare id possim. *Plin.* 5, 27, 27. de Tauro monte: Ubi brachia emittit, tentanti maria similis. [*Porro commemorari debebant hic et ista: *Suet. Ner.* 49. tentata acie pugionum: cf. *Tac. H.* 2, 49. ubi leg. pertentare pugiones. Porro *Suet. Rhet.* 5. acumen stili tentare, i. e. probare, Gr. ἀποπειρᾶσθαι. V. *Oudend.* ad h. l. et *Burm.* ad *Petron.* 70. ℙ Hinc auctore *Burm.* ad *Suet. Tib.* 72. et *Ov. Her.* 20, 139. proprium verbum est in explorando venarum pulsu. *Quint. Inst.* 11, 3, 88. p. 1018. *ed. Burm.* tentantis venas medici similitudine.] ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 22. *f.* Cum se ipse perspexerit, totumque tentaverit, intelliget, quanta instrumenta habeat ad obtinendam sapientiam. ℙ Item quaerere. *Phaedr.* 4, 7. de vipera: Haec cum tentaret, siqua res esset cibi, Limam momordit. *Juven.* 7, 3. cum celebres notique poetae Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos Tentarent; et *ib.* 175. tenta, Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti. *Virg. A.* 3, 145. Tentare auxilium laborum; et *ib.* 11, 761. et, quae sit fortuna facillima, tentat; et *ib.* 9, 67. Tentare aditus. *Suet. Caes.* 11. Tentavit per partem tribunorum, ut sibi Aegyptus provincia daretur. [*Eadem constructio et in *Livii* loco 1, 49. tentatum a L. Sextio — ut rogationem ferret etc. Ceterum hujus §. exempla parum quidem differre videntur ab iis, quae sequenti adscripta sunt: nam eandem habent non quaerendi, sed experiendi, periculum faciendi significationem. Sed illud notandum, esse viros doctos, qui originem hujus vocis a *tendo* deducendam doceant. Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 767. Hinc primam vocis notionem esse volunt: periculum facere rei, experiri, conari aliquid, ut Gr. διαπειρᾶσθαι, omni studio sive virium intentione aliquid agere; cf. *Lex. Xenoph.* s. h. v. Nos uno cognationis nomine comprehendentes verba *teneo*, *tendo*, *tento* ad Gr. τείνειν referendam originem censemus eorumque praeferendam sententiam, qui primam verbi notionem tangendi praedicent, i. e. porrectis digitis seu manibus explorandi.] ℙ Item experiri, periculum facere, periclitari, πειράζω. *Cic. Verr.* 2, 5, 50. *med.* Homines in proeliis, non in conviviis, belli fortunam tentare, periclitari solent. [*Cf. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 7.] *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Experiar, et tentabo omnia. *Cic. Tusc.* 1, 4. Tentavi, quid in eo genere possem. [**Lucr.* 5, 1366. Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli Tentabant.] *Virg. Ecl.* 4, 32. Tentare Thetim ratibus. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 135. Solstitio Meroen, bruma tentabimus Istrum, *h. e.* adibimus. [*Eadem ratione dicitur: *tentare aera* ap. *Ov. Her.* 7, 161. et *tentare aequora ib.* 7, 57. et *tentare Oceanum* ap. *Tac. Germ.* 34, 3.] *Ov. Am.* 1, 8, 47. Tentare alicujus vires in arcu. *Phaedr.* 1, 23. cum fur panem misisset cani, Objecto tentans an cibo posset capi. *Virg. G.* 3, 8. tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo. *Id. A.* 4, 293. Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi Tempora; et *ib.* 5, 499. Ausus et ipse manu juvenum tentare labores. *Id. ib.* 11, 912. ineant pugnas et proelia tentent. *Cic. Agr.* 2, 7. *med.* Tentare patientiam alicujus; et. *Tusc.* 1, 41. prudentiam; et *Div.* 1, 17. *med.* scientiam. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 103. b. *ed. Fried.* Neque omitti hic debebant dicendi formulae: *tentare* spem triumphi ap. *Liv.* 28, 28. et *ib.* 21, 12. spem pacis, i. e. periculum facere, an triumphum, pacem consequi possis. Similia sunt haec ap. *Eund.* 8, 18. adversus hos tentare magis quam tueri libertatem; 33, 23. tentare relationem; 8, 33. silentium per praeconem tentare; 9, 8. tentare intercessionem.] ℙ Item aggredi, conari. *Ov. Met.* 2, 171. gelidi caluere Triones, Et vetito frustra tentarunt aequore tingi. *Nep. Att.* 4. Qui cum persuadere tentaret, noli, oro te, inquit Pomponius, etc. *Lucr.* 658. sol coelum radiis accendere tentas. *Virg. A.* 12, 103. mugitus cum prima in proelia taurus Terrificos ciet, atque irasci in proelia tentat, *h. e.* parat, meditatur. *Id.* de eadem re *G.* 3, 232. Et tentat sese, atque irasci in cornua discit. *Pers.* 4, 23. nemo in sese tentat descendere. ℙ *Tentare aliquem* est conari in suam sententiam pertrahere, et labefactare: et fere in malam partem. *Cic. Cluent.* 63. Cum essent animi servorum spe et metu tentati, ut aliquid in quaestione dicerent; et *ib.* 30. Tentare judicium pecunia. *Suet. Tib.* 12. *f.* singulorum animos ad res novas, *Virg. A.* 4, 113. animum alicujus precando. *Tac. H.* 1, 74. aliquem promissis et minis. *Juven.* 10, 304. prodiga corruptoris Improbitas ipsos audet tentare parentes. [*Sola precandi significatione legitur ap. *Tac.* cujus exempla v. in TENTATUS.] ℙ De stupro apellare. *Tibull.* 1, 3, 73., *Ov. A. Am.* 1, 389. et *Val. Max.* 6, 1. *n.* 7. ℙ Est etiam tangendo irritare, provocare. *Cic. Manil.* 9. Erat metus injectus iis nationibus, quas populus R. neque lacessendas bello, neque tentandas putavit. [*Discrimen inter *tentare* et *lacessere bello Heumann.* ad h. l. ita constituit, ut hoc posterius sit bellum inferre; illud: illatis nonnullis incommodis experiri, quo id feratur animo, sive bellandi occasionem praebere: coll. *Agr.* 2, 7. leviter aliquem tentare, quo id animo ferre possit. De usu, quo verb. *tentandi* hac significatione absolute ponitur, dictum est infra.] *Lucan.* 2, 529. Tentandasque ratus moturi militis iras. *Mart.* 6, 64. rabido nec perditus ore Fumantem nasum vivi tentaveris ursi. ℙ Et invadere, infesto animo aggredi, vexare. *Cic. Rab. perd.* 1. *med.* In his rebus evertendis unius hominis senectus, infirmitas, solitudoque tentata est. *Caes. B. C.* 3, 40. Simul ex terra scalis et classe moenia oppidi tentans, etc. *Flor.* 2, 14. Populus R. virum Thraciae auxiliis ingentibus validum temere tentavit. [*Liv.* 33, 5. urbis tentandae conatu absistit; cf. 26, 38. 37, 16. Porro *Id.* 9, 35. tentare munitiones: plura v. in *Gloss. Liv.* s. h. v. ℙ Etiam absolute *tentare* dicitur pro aggredi bello. *Liv.* 29, 26. mens in Africam trajiciendi, nulli ante Scipionem duci tentata. *Suet. Claud.* 17. Neque tentatam ulli post D. Julium (Britanniam): ubi *Oudend.* comp. praeter locum *Caes. l. Vell.* 2, 113. et *Ov. Pont.* 7, 121.] ℙ Hac ratione saepe de morbis dicitur. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 1, 80.] *Cic. Tusc.* 4, 14. Animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt. *Virg. G.* 3, 441. Turpis oves tentat scabies. *Suet. Aug.* 81. Initio veris praecordiorum inflatione tentabatur. *Id. Vesp.* 24. Tentatus est in Campania motiunculis levibus. *Plin.* 24, 19, 113. Nunquam tentari ab eo morbo. ℙ De vino, quod vires adimit, et vacillare facit. *Plin.* 23, 1, 20. vina tentant caput. *Id.* 20, 7, 26. Tentantes aquas non nocere lactucam edentibus. *Virg. G.* 2, 93. tenuisque Lageos Tentatura pedes olim, vincturaque linguam. ℙ In multis libris legitur *tempto:* atque ita scriptum est in vet. Lap. ap *Manut.* in *Orthogr.*, placuitque *Faerno:* at displicet *Manutio*, *Dausq.*, *Cellar.*, cum contra rationem suae originis sit. [Verum *Marin. Iscriz. Alb.* d. 142. et *Frat. Arv.* p. 339. et 343. ex pluribus lapidib. optimae notae probat, lectionem *tempto* passim receptam apud Latinos fuisse. *F.* [*Utrumque *tempto* et *temto* Mss. confirmare videntur." V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 469. sq. coll. *Beutl.* ad *Ter. Phorm.* 3, 3, 19.]

TENTOR, oris, m. qui tenet. In laterculo lapideo familiae quadrigariae T. At. Capitonis, ap. *Grut.* 339, 5. et in alio 340, 3. inter varia officia inservientium equis et quadrigis Circensibus, enumerantur tentores: quos alii fuisse putant, qui in Circo vestes certantium et aurigarum tenebant: alii qui equos currusve, aut repagula ipsa tenebant, antequam emittendi signum ederetur: alii denique, qui frena et lora equis aptabant, et eos quadrigis jungebant. Haec postrema sententia veri videtur similior.

TENTORĬOLUM, i, n. σκηνίδιον, parvum tentorium. *Auct. B. Afr.* 47. *med.* Pauci sub pellibus acquiescebant: reliqui ex vestimentis tentoriolis factis, etc.

TENTORĬUM, ii, n. σκηνὴ, σκήνημα, tabernaculum, papilio, extensis velis contra solem coelique injurias excitatum, quo milites praecipue in expeditionibus uti solent. V. PAPILIO. Est a *tentus* part. v. *tendo*. *Virg. A.* 1, 472. Rhesi niveis tentoria velis Agnoscit lacrimans. *Hirt. B. G.* 8, 5. Tecta, quae conjectis celeriter stramentis, tentoriorum gratia erant inaedificata. *Lucan.* 6, 269. armaque late Spargit, et effuso laxat tentoria campo; et 9, 912. simul jussit statui tentoria ductor; et 1, 369. cavo tentoria fixa Lemanno. *Suet. Tib.* 18. *med.* Saepe tentorio pernoctabat. *Ov. Fast.* 3, 527. Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt.

TENTORIUS, a, um, adj. ad tendendum, et ad tentoria pertinens, σκηνικός. *Valer.* in *epist.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Huic dabis pellium tentoriarum decurias triginta.

TENTUS, a, um, part. a *tendo*: τεταμένος, tensus, extentus, distentus: et fere poetice usurpatur. *Lucr.* 2, 618. Tympana tenta tonant palmis. *Id.* 6, 1193. frons tenta, *h. e.* cutis circa frontem dura et intenta, ut *Cels.* 2, 6. loquitur. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 868. Tres a Deucalione grabati restibu' tenti. *Id. ib.* pelles in ordine tentae, *h. e.* tentoria. *Hor. Ep.* 16, 50. Refertque tenta grex amicus ubera. *Id. Sat.* 2, 5, 40. pingui tentus omaso Furius. *Ov. Her.* 10, 30. carbasa tenta Noto. Alii leg. *tensa*. *Id. Met.* 6, 243. tento cornu concita sagitta, *h. e.* arcu corneo contento. *Val. Fl.* 1, 185. tento poplite proni Decurrunt. ℙ *Tentum*, absolute, tentorium. *Flor.* 2, 12. *med.* Cum in conspectum venisset hostis, in tentum recepit. Ita *Salmas.*, alii *templum*. ℙ *Tentus* obsceno sensu. *Mart.* 11, 73. et *Auct. Priap.* 20. 27. 34. 80. 81. V. TENSIO, TENSURA, TENSUS et TENTIGO. ℙ *Tentum*, absolute, τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικὸν τεταμένον. *Catull.* 80, 6. ℙ *Tentus* a *teneo*, detentus. *Ammian.* 16, 12. *med.* Pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Galliis. *Id.* 29, 5. *med.* Ut tentus ab Igmazene custodiretur. *Ulp. Dig.* 24, 3, 22. *med.* Tentus cupidine alicujus rei.

TENTYRĪTES, ae, m. ad Tentyra, (ut vocat *Juven.* 15, 35. et 17.) seu Tentyridem (ut *Plin.* 5, 9, 11.) pertinens, urbem Aegypti in Thebaide, haud longe a ripa sinistra sive occidentali Nili, quae nunc *Dendera* appellatur. Hinc ap. *eund.* 5, 9, 9. Nomos Tentyrites. ℙ *Tentyritae*, *arum*, absolute sunt incolae illius urbis, atque insulae, quae ab

eod. 28, 3, 6. Tentyris dicitur. *Id.* 8, 25, 38. Gens hominum est huic belluae (*crocodilo*) adversa in ipso Nilo, Tentyritae ab insula, in qua habitat, appellata. Adde *Sen. Q. N.* 4, 2.

TENTYRĪTĬCUS, a, um, adj. ad Tentyra pertinens, de qua urbe in voce praeced., ut Tentyriticum linum, *Plin.* 19, 1, 2.

TĒNŪĂBĬLIS, e, adj. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. *med.* Unctiones tenuabiles, et apertibiles.

TĒNŪĀTIM, adv. *Apic.* 2, 4. Intestinum perquam tenuatim productum.

TĒNŪĀTUS, a, um, part. a *tenuo: λεπυνθείς*, tenuis factus. *Hor. Sat.* 2, 2, 84. Seu recreare volet tenuatum corpus, etc. *Ov. Met.* 15, 246. tenuatus in auras, Aeraque humor abit; et *ib.* 14, 497. cui respondere paranti Vox pariter, vocisque via est tenuata, comaeque In plumas abeunt; et *ib.* 7, 531. Luna quater plenum tenuata retexuit orbem. *Plin.* 13, 12, 23. Charta curiosa interpolatione tenuata. *Tac. A.* 15, 63. Senile corpus, et parco victu tenuatum. Sic *Prop.* 2, 18, 21. exiles videor tenuatus in artus. ℙ Translate. *Claud. VI. cons. Honor.* 127. Pollentini tenuatus funere campi Hostis.

TĒNŪESCENS, entis, part. ab inus. *tenuesco*, qui tenuatur. In fragmento, quod *Censorino* tribuitur, *med. cap.* 3. Hac (*luna*) universa gignentia crescente pubescunt, tenuescente tenuantur.

TĒNŪĀRĬUS, a, um, adj. *Vestiarius tenuiarius* et *textor vestiarius tenuiarius* est, qui vestes tenuiores facit (h. e. leviores, rariores, tenuissimo filo textas: cujusmodi a ditioribus aestate gestantur, qui, ut ait *Juven.* 6, 258., tenui sudant in cyclade; quorum Delicias et panniculus bombycinus urit:) vel earum institor est. *Inscr.* ap. *Grut.* 650, 8. M. Cincius M. L. Theophilus vestiarius tenuarius; et 1111, 7. L. Agrio vestiario tenuiario Imp. Caes. Antonini Pii, etc. Alia ap. *Gud.* 200, 1. Juliae Aug. L. Promenae textr. tenuiariae vestiariae C. Julius C. F. Psamenus textor vestiarius tenuiarius.

TĒNŪĬCŬLUS, a, um, adj. *πρόψιλος, εὐτελής*, diminut. tenuis. *Cic. Fam.* 9, 19. Tenuiculo apparatu significans Balbum fuisse contentum.

TĒNŪIS, e, adj. *λεπτός*, subtilis, exilis, gracilis, cui *crassus* opponitur. Est a *τείνειν*, quod est tendere. Ut proprie sit idem quod *τεταμένος*, extentus, exporrectus. Nam quae extenduntur, ea attenuantur, ut liquet in pannis, laminis, atque aliis. *Virg. A.* 4, 264. et tenui telas discreverat auro. *Id. G.* 3, 166. laxos tenui de vimine circlos; et *ib.* 1, 92. Tenues pluviae; et *ib.* 2, 217. Tenuis nebula; et *ib.* 4, 311. aer. Sic *Ov. Her.* 1, 79. hoc crimen tenues vanescat in auras. *Cels praef. f.* et *Cic. Fat.* 4. Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani, et valentes, *Cic. Div.* 1, 57. Coelum tenue purumque, et propterea salubre. *Quint.* 11, 3. Tenuis aut praepinguis vox. *Cic. N. D.* 2, 57. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit. *Ov. A. Am.* 3, 77. Tenuis pellis; et *ib.* 1, 14, 5. et *Tibull.* 1, 10, 68. Tenues capilli. *Mart.* 14, 3. in tenues secta ligna tabellas. *Colum.* 7, 2. *med.* Tenuioris velleris arietes. *Ov. Am.* 3, 7, 30. Tenues acus. *Id. A. Am.* 3, 707. et *Met.* 4, 104. et *Fast.* 2, 319. vestes; et *Tibull.* 2, 6, 35. vestes tenues, quas femina Coa Texuit. *Ov. A. Am.* 3, 445. tenuissima filo toga. *Liv.* 25, 23. *f.* Ad mille fere armati tenui agmine per silentium eo deducti. Sic *Tac. A.* 1, 64. *f.* Nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. *Ov. Met.* 14, 411. et *Fast.* 2, 565. Tenues animae, *h. e.* vita functae, et sine corpore. Sic *Tibull.* 3, 2, 9. cum tenuem fuero mutatus in umbram. *Mart.* 11, 101. Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre? *h. e.* tam exilem, gracilem; et *Nemes. Cyn.* 137. canes macie tenues. Sic *Catull.* 89, 1. Gellius est tenuis. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 14. Tenuis et acuta distinctio; et *Ov. Pont.* 4, 6, 37. tenui cura limare aliquid, *h. e.* acri. *Lucr.* 4, 910. tenues aures, *h. e.* purgatae, acutae, attentae. *Cic. Or.* 5. et 24. Orator tenuis, *h. e.* subtili dicendi genere utens. V. SUBTILIS; et *Id. Acad.* 4, 20. *med.* Rationes latiore specie, non ad tenue elimatae. *Mart.* 6, 64. Tenues Athenae, *h. e.* doctae et ingeniosae. ℙ [*Genus dicendi *tenue* in utramque partem rhetoribus Latinis dici solet. Ubi cum laude commemoratur, illum notat elucutionis characterem, qui Gr. *ἰσχνὸς* vocatur, habetque venustatem et elegantiam sedatiorem, moderatioremque, et ab elato, vehementi, gravi, amplo, acri dicendi genere abhorret. Classicus locus est *Cic. Or.* 9. Pericles si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, et permiscere Graeciam dictus fuisset. Alterum significationis genus, quod legitur paulo post, ubi *tenuis* et *inornatus* conjunctim posita sunt, continet moderationem illam, qua quis magis docendo, quam concinnando aut inflammandis animis occupatur. Plura si cupias, adi *Ernest. Lex. techol. lat. rhet.* p. 393. unde haec transscripsimus. Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] ℙ Est etiam parvus, exiguus, paucus. *Hor. Od.* 1, 33, 5. Insignem tenui fronte Lycorida Cyri torret amor: (exiguam frontem inter dotes formae ponunt *Petr. Sat.* 126. et *Mart.* 4, 42.) *Phaedr.* 4, 12. Tenui contentus cibo. *Cic. Tusc.* 3, 20. *f.* Tenuem victum antefert copioso. *Id. Verr.* 2, 2, 22. Oppidum tenue. *Id. N. D.* 2, 19. *f.* Lunae tenuissimum lumen facit proximos accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. *Ov. Her.* 11, 75. Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura; et *Mart.* 3, 82. Et aestuanti tenue ventilat frigus; et *Virg. G.* 1, 68. et *ib.* 2, 289. terram tenui suspendere sulco. *Plin.* 16, 36, 66. Tenue foramen. *Id.* 31, 2, 2. Tenui intervallo discernente. *Id.* 3, 5, 9. Tenuis amnis. *Liv.* 1, 4. aqua; et *Ov. A. Am.* 1, 291. de tauro; Signatus tenui media inter cornua nigro; et *Plin.* 3, 4, 5. Magnae quondam urbis tenue vestigium. *Tibull.* 1, 3, 60. Dulce sonant tenui gutture carmen aves. *Mart.* 7, 61. Tenues vici, *h. e.* angusti. [**Caes. B. C.* 1, 45. tenue fastigium: quod *Oudend.* eadem ratione intelligendum censet, qua ap. *Flor.* 2, 8, 9. tenue fretum, ap. *Vell.* 2, 3. tenuis trames *Tac. A.* 1, 64. tenuis acies. Aliter *Herzog.* q. v.] ℙ Item levis. *Id.* 14, 71. Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis, Colligat hunc tenui verbere cauda levis. *Propert.* 3, 1, 8. Tenuis pumex. ℙ *Tenue vinum* ap. *Plin.* 14, 9, 11. et 15, 28, 33. et 23, 1, 22. et 24. est, quod liquorem seu succum habet subtilem, liquidum, et aquoso similem: cui opponitur oleosum, crassum, pingue. Eodem sensu dixit *Virg. G.* 2, 93. tenuisque Lageos Tentatura pedes olim vincturaque linguam. (Ubi *Serv.*: penetrabilis, et quae cito descendit in venas.) Ex quib. apparet, tenue vinum non esse dilutum. Eodem sensu *Plin.* 11, 38, 90. Pinguissimus asinis sanguis, tenuissimus homini; et 31, 5, 30. Tenuissimus omnium aquarum Borysthenes, ideoque innatans Hypani ℙ [*Interdum i. q. *vilis*. *Cic. Fin.* 2, 28. negat Epicurus tenuissimo victu id est contemptissimis escis et potionibus minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 53. qui comp. Gr. *λεπτὴ δίαιτα.*] ℙ Translate est levis, parvi momenti, aut pretii. *Cic. Har. resp.* 18. *f.* Corpus nostrum tenuissima saepe de causa conficitur. *Id. Or.* 1, 37. In minimis tenuissimisque rebus labi; et *ib.* 28. *med.* In artificio perquam tenui et levi plus adhiberi diligentiae, puam in hac re, quam constat esse maximam. *Id. Caecin.* 15. Tenuis suspicio. *Tac. A.* 12, 39. Tenue damnum. *Virg. G.* 1, 177. tenuesque piget cognoscere curas. *Quint.* 1, 4. Grammatica, ars tenuis ac jejuna. *Virg. G.* 4, 6. In tenui labor, at tenuis non gloria. ℙ *Tenuis poeta*, qui res tenues tractat, ut amores, jocos, bucolica, et hujusmodi. *Mart.* 10, 103. Nec sua plus debet tenui Verona Catullo. *Virg. Ecl.* 6, 8. Agrestem tenui meditabor arundine Musam. ℙ *Tenuis*, imbecillus. *Caes. B. G.* 5, 39. *f.* Cum tenuissima valetudine esset. *Id. B. C.* 1, 32. *f.* Tenuis atque infirmus animus. *Plin.* 12, 16, 35. Myrrha tenuis viribus. *Quint.* 10, 2. *med.* Nec, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat, et elegantiam, quam cupit, non assequatur. *Id.* 12, 8. Neque enim quisquam tam ingenio tenui reperitur, qui cum omnia, quae sunt in causa, diligenter cognoverit, ad docendum certe judicem non sufficiat. ℙ Saepe refertur ad humilitatem generis et gradus. *Cic. Leg.* 3, 10. *med.* Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarint; et *ib.* 13. *med.* Respondit, duos se habere vicinos, superiorem equitem R., inferiorem libertinum: quorum cum essent magnificae villae, concedi sibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis essent, liceret. [*V. *Goerenz.* ad h. l.] *Liv.* 2, 3. Erant in Romana juventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti. ℙ Et ad paupertatem. *Auct. ad Her.* 4, 38. *med.* Huic pater non tenuissimum patrimonium reliquit. *Cic. Off.* 2, 20. Qui se locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: at vero ille tenuis, cum, quidquid factum est, se spectatum, non fortunam putet, etc. *Suet. Caes.* 46. Tenuis, et obaeratus. *Virg. A.* 5, 690. tenues Teucrum res eripe leto. *Nep. Milt.* 6. Populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, nunc autem effusi atque obsoleti; et *Sen. Hipp.* 209. Tenues penates. *Caes. B. G.* 6, 34. *f.* Misera et tenuis praeda. *Mart.* 7, 42. Muneribus cupiat siquis contendere tecum, Audeat hic etiam, Castrice, carminibus. Nos tenues in utroque sumus. *Sil.* 6, 19. Tenuis opum, non patre nitens, linguave. ℙ Poetae, ut primam producant, *u* consonantem faciunt, ipsamque vocem syllaba breviorem: vel, ut aliis placet, proceleusmaticum pedem pro dactylo ponunt. *Virg. G.* 2, 180. Tenuis ubi argilla, et dumosis calculus arvis; et *ib.* 121. Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. *Lucr.* 3, 244. Qua neque mobilius quidquam, nec tenuius exstat. *Seren. Sammon.* 18, 324. Ebibe, seu salibus piper adde, et tenue cuminum. ℙ Utuntur etiam synaeresi. *Stat. Th.* 5, 597. Rapta cutis: tenuia ossa patent, nexusque madentes Sanguinis imbre novi; et *ib.* 6, 196. Obnubit tenuia ora comis, ac talia fletu, etc. *Id. Silv.* 1, 4, 36. Sperne coli tenuiore lyra. *Id. Th.* 4, 697. Dixerat: ast illis tenuior percurrere visus Ora situs. Adde *ib.* 12, 2.

TĒNŪĬTAS, atis, f. *ψιλότης, λεπτότης*, subtilitas, exilitas, gracilitas. *Cic. Tusc.* 1, 22. Casu- rusne in conspectum videatur animus, an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem. *Sen. Q. N.* 2, 10. Siccitas et tenuitas aeris. *Phaedr.* 1, 12. Tenuitas crurum. *Plin.* 13, 12, 24. chartae. *Id.* 16, 6, 7. cutis. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 1. lini. *Id.* 11, 37, 65. capillamenti. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 11. Tenuitatis summae linea. *Cic. Brut.* 16. *f.* Valitudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat; et *Plin.* 18, 11, 27. Summa laus siliginis bonitate, et cribri tenuitate constat; et 8, 33, 51. Camaeleonis cauda praelonga in tenuitatem desinens. ℙ In liquoribus est qualitas minime crassa, aut pinguis, aut oleosa, per quam facile fluunt, et penetrant. *Plin.* 31, 3, 23. Tenuitas aquae, colante terra. *Id.* 11, 39, 92. Subtilitatem animi non constare tenuitate sanguinis. ℙ Translate. *Quint.* 12, 2. *med.* Dialectica si totum sibi vindicaverit in foro certamen, obstabit melioribus, et sectas ad tenuitatem suam vires ipsa subtilitate consumet. *Cic. Fin.* 3, 12. Limata quaedam et rerum, et verborum tenuitas. V. SUBTILIS. ℙ De angustia rei familiaris, et paupertate. *Cic. fil. Tiron. Fam.* 16, 16. *med.* Et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. *Cic. Or.* 2, 66. Cum innumerabilem Magio pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret. *Id. Off.* 2, 21. *med.* Tenuitas aerarii. *Id. Div.* 2, 13. Rerum, quas terra procreat, vel ubertas, vel tenuitas.

TĒNŪĬTER, adv. *λεπτῶς*, subtiliter, graciliter. *Caes. B. G.* 3, 13. Pelles pro velis, alutaeque tenuiter confectae. ℙ Item leviter, parum. *Cic. Verr.* 2, 2, 65. Nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor. *Colum. Arb.* 8. Sarmentum tenuissime scalpello acuto ita, ne medullam laedas, adradito. *Auct. ad Her.* 3, 8. Non necesse est omnes has partes in laudem aut vituperationem transferre, propterea quod saepe ne incidunt quidem; saepe ita tenuiter incidunt, ut non sint necessariae dictu; et *ib.* 4, 36. Respondere criminibus tenuiter et nugatorie. *Cic. Verr.* 2, 4, 16. Aestimare argentum eo modo, quo qui unquam tenuissime in donatione histrionum aestimavit. ℙ Tenui dicendi ratione, attenuate, presse, subtiliter, acute. *Cic. Or.* 14. *f.* Non ad philosophorum morem tenuiter disserere, sed ad copiam rhetorum, etc. *Gell.* 6, 2. *med.* Contra ea Chrysippus tenuiter multa, et argute disserit. *Plin. ep.* 4, 27. Recitat multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuste, multa tenere. *Id. ep.* 6, 21. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste. *Cic. Inv.* 2, 16. *f.* Illae argumentationes tenuius, et acutius, et subtilius tractantur: hi autem loci gravius et ornatius. V. SUBTILIS. ℙ Est etiam misere. *Ter. Ph.* 1, 2, 95. *Da.* Quid rei gerit? *Ge.* sic, tenuiter: *Da.* Non multum habet, quod det, fortasse. *Ge.* immo nihil, nisi spem meram.

TĒNŬO, as, avi, atum, a. I. *λεπτύνω*, tenuem facio, minuo. *Ov. Pont.* 2, 7, 43. assiduo vomer tenuatur ab usu. *Sen. Q. N.* 5, 3. *f.* Sol matutinum aera spissum et humidum ortu suo tenuat. (Adde *Stat. Th.* 1, 337.) *Ov. Rem. Am.* 445. Grandia per multos tenuantur flumina rivos, *h. e.* multis rivis diducta minuuntur. *Virg. G.* 3, 129. Ipsa autem macie tenuant armenta volentes; et *Ov. A. Am.* 1, 761. et *Met.* 15, 551. leves Proteus se tenuabit in undas, *h. e.* in tenues aquas se convertet. *Id. Trist.* 1, 5, 11. Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras Ibit. *Quint.* 11, 3. *med.* Tenso collo tenuatur vox, atque fatigatur. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 3, 11, 65. meae famam tenuent oblivia culpae; et *Her.* 20, 73. Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram. *Id. Met.* 5, 374. mecum vires tenuantur amoris. *Prud. Cath.* 8, 54. Jejuno tenuare artus. ℙ Elevare dicendo. *Hor. Od.* 3, 3, 70. Quo, Musa, tendis? desine pervicax Referre sermones Deorum, et Magna modis tenuare parvis. *Pacat. Pan. ad Theodos.* 5. Tanti viri praestat gesta in summam referre, quam enumerando tenuare. ℙ *Tenuare carmen*, tenui stilo deducere, et de rebus levioribus canere, ut fit in lyricis, in elegis, et cum amatoria aut bucolica tractantur, et hujusmodi. *Prop.* 3, 1, 5. Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro. *Stat. Silv.* 4, 7, 2. Fortis heroos, Erato, labores Differ, etc. Maximo carmen tenuare tento.

*TENUPSIS, oppidum Aethiopiae, ad Nilum flumen, in Nubeorum vel Nubarum regione. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

TĒNUS, *μέχοι, ἄχρις*, usque ad: cum ablat., si nominibus singularibus jungatur: et genitivo, si pluralibus; non semper tamen, quia et cum pluralibus ablativum habet, et cum singularibus genitivum: Grammatici volunt esse adverbium, quia nulla praepositio cum genitivo effertur. Postponitur fere suo casui. [*Quae vir quidam doctus in *Wolfii anall. litt.* 4, 341. de significatione hujus vocis habet, ea quidem obscurius dicta videntur, quam ut transcribi in nostrum librum possint.] *Cic. Dejot.* 13. Antiochus Tauro tenus regnare jussus. *Coel. Fam.* 8, 1. Illi rumores Cumarum tenus caluerunt. *Lucr.* 4, 15. Labrorum tenus. *Virg. A.* 1, 741. summo tenus attigit ore; et *ib.* 2, 553. lateri capulo tenus abdidit ensem; et *ib.* 3, 427. pube tenus; et *ib.* 10, 210. laterum tenus. *Id. G.* 3, 53. Crurum tenus. *Ov. Fast.* 2, 145. media tenus eminet alvo. *Id. Met.* 15,

512. et 673. Pectoribusque tenus molles erectus in auras; et *ib.* 6, 258. pennis tenus acta sagitta. *Cels.* 1, 3. Demittere se inguinibus tenus in aquam calidam. *Tac. A.* 13, 41. Cuncta tectis tenus sole illustria fuere. *Liv.* 26, 24. Corcyrae tenus. Alii leg. *Corcyra*, sed *Gronovio* invito. *Id.* 44, 40. Aqua ferme genus tenus alta: *genus* genitivus a *genus, us.* Alii *genu* legunt. *Ascon.* in *Mil.* 14. Domi tenus obsessus est. *Hor. Od.* 3, 15, 16. cadi faece tenus poti. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 34. vestis poplite fusa tenus. *Just.* 12, 6. Rerum suarum magnitudinem coelo tenus extollere. *Tac. A.* 15, 40. *f.* Tres regiones solo tenus dejectae. *Val. Fl.* 7, 433. Nec quibus *(verbis)* incipiat, demens videt, ordine nec quo, Quove tenus. [**Tac. A.* 15, 45. Graeca doctrina ore tenus exercitus; animum bonis artibus non induerat. Cf. *Quint. Inst.* 12, 2, 17. ille vir bonus, qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus aurium tenus in usum linguae perceperit, sed qui virtutes ipsas mente complexus ita sentiat, nec in cogitando laborabit, sed quod sciet vere dicet.] ℙ Cum accus. *Id.* 1, 537. regio, quae virginis aequor ad Helles, Et Tanam tenus immenso descendit ab Euro. *Ov. Her.* 12, 27. Scythiam tenus ille nivosam, etc. Alii leg. *Tanai*, et *Scythia. Suet. Caes.* 52. Eadem nave Aethiopiam tenus Aegyptum penetravit. Plerique alii leg. *Aethiopia.* ℙ Cutm aliquot vocibus coalescit, ut *hactenus*, *quadantenus*, *eatenus*, *quatenus*, etc. quae v. ss. ll. ℙ *Verbo*, *nomine tenus* opponuntur *τῷ re*, *revera*, *factis*, et hujusmodi. *Cic. Leg.* 3, 6. Veteres verbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de republica disserebant, *h. e.* in disputando; [*nos: *soweit der allgemeine Begriff* Respublica *reichte.*] et *Liv.* 34, 5. In quos jecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimularet. *Ulp. Dig.* 2, 2, 1. *med.* Haec verba cum affectu accipimus, non verbo tenus. *Tac. A.* 15, 6 *extr.* Usurpatas nomine tenus urbium expugnationes. *Gell.* 17, 19. Philosophi, *ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν:* id significat factis procul, verbis tenus. ℙ Minime placet, quod quidam conjunctim scribunt *pubetenus*, *verbotenus*, *oretenus*, et alia, tanquam adverbia sint. *Ammian.* 26, 4. *med.* Ne verbo quidem tenus insidiarum indicio ullo reperto. V. tamen VERTEBROTENUS. ℙ Veteres quidam grammatici *Sergius* p. 1855. et *Cledon.* p. 1934. concedunt praeponi posse suo casui, *tenus pube:* raroque id fieri, etiam *Prisc.* docet 14, 982.

TĒNUS, us, m. *τένος*, laqueus ad captandas aves, ut *Non.* 1, 17. interpretatur. *Pl. Bacch.* 4, 6, 22. Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit: pendebit hodie pulcre: ita intendi tenus. Aliter exponit *Serv.* ad *A.* 6, 62. Tenus, inquit, proprie est extrema pars arcus, ut Plautus ostendit in Bacchid. Ita intendi tenus. Suspicari licet, inquit *Lambinus*, Servium accipere *tenus* in plur. numero, ut significet duo extrema cornua arcus, quibus nervus sedet. Alii neutrius generis et tertiae declinationis, *tenus, oris*, faciunt, et vel laqueum, vel paxillum intelligunt, in quo laqueus tenditur. *Tert. Pall.* 3. Filum in vestis pristinae modum, quam philyrae tenus junxerat, texuisse Mercurium, narrant. Alii leg. *quam philyrae taeniis.*

TĒOS. V. TEIUS.

TĒPĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. *χλιαίνω*, tepidum reddo. *Cic. N. D.* 2, 15. de sole: Is ejus tractus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat. *Hor. Sat.* 2, 3, 136. In matris jugulo ferrum tepefecit acutum. *Cels.* 3, 6. *med.* Si sudare corpus coepit, linteum tepefacere oportet, paulatimque detergere. *Plin.* 15, 4, 5. Oleo natura tepefacere corpus, *Id.* 10, 33, 49. Alcyones nidum mollibus plumis consternunt tepefaciendis ovis. ℙ Metrica necessitate secundam producit *Catull.* 64, 360. Alta tepefaciet permixta flumina caede. V. LIQUEFACIO.

TĒPĔFACTUS, a, um, part. a *tepefacio: χλιανθείς*, tepidus factus. *Cic. N. D.* 2, 10. Frigoribus durescit humor: et idem vicissim mollitur tepefactus, et tabescit calore. *Virg. A.* 9, 418. it hasta Tago per tempus utrumque Stridens, trajectoque haesit tepefacta cerebro. *Plin.* 19, 1, 3. Aqua solibus tepefacta. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Vinum tepefactum.

TĒPĔFĬO, is, factus sum, n. pass. anom. *χλιαίνομαι*, tepidus fio. *Plin.* 11, 6, 5. Insecta omnia, parietibus nostris occultata, mature tepefiunt. *Cels.* 6, 7. Medicamentum semper ante tepefieri convenit.

TĒPENS, entis, part. a *tepeo: χλιαινόμενος. Virg. G.* 2, 330. Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus. *Id. A.* 10, 555. deturbat terrae, truncumque tepentem Provolvens, etc. *Plin.* 30, 7, 20. Cor recens tepensque adhuc devorare. *Id.* 36, 25, 62. Subdialibus pavimentis Graeci domos contegentes, tractu tepente, *h. e.* eo coeli tractu, ubi modica frigora sunt. *Petr. Sat.* 132. Coliculi tepens thyrsus, *h. e.* elixus et calescens. ℙ Translate. *Ov. Her.* 11, 26. Nescio quem sensi corde tepente Deum, *h. e.* calente ex amore.

TĒPĔO, es, ui, n. 2. *χλιαίνομαι*, tepidus sum. *Cato R. R.* 69. Dolium calfacito: minus, quam si picare velis, tepeat: lenibus lignis facito calescat: ubi temperate tepebit, tum cummin indito. *Mart.* 6, 59. Odit et hibernos, si tepuere, dies. *Plin.* 29, 4, 25. Carnibus gallinaceorum (ita ut tepebant, avulsae) appositis, venena serpentium domantur. *Cels.* 3, 6. *med.* Ubi quam maxime tepuit, et idoneus esse cibo aeger videtur. ℙ Translate est sentire amorem. *Hor. Od.* 1, 4, 19. Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus Nunc omnis, et mox virgines tepebunt. ℙ Est etiam calorem remittere, defervere. *Mart.* 2, 1. Te conviva leget mixto quincunce, sed ante, Incipiat positus quam tepuisse calix. ℙ Translate remissum esse in amore, amorem paulatim deponere. *Ov. Am.* 2, 2, 53. Seu tepet, indicium securas perdis ad aures: Sive amat, officio fit miser ille tuo. *Id. Rem. Am.* 7. Saepe tepent alii juvenes: ego semper amavi. *Nemes. Ecl.* 1, 13. Nunc album caput: et veneres tepuere sub annis. *Quint.* 6, 1. *med.* Ut est longe vehementissimus hic, cum invaluit, affectus, ita si nihil efficit, tepet. ℙ Part. *Tepens* V. in v. praec.

TĒPĒSCO, is, n. 3. *χλιαίνομαι*, tepere incipio, tepidus fio. *Cic. N. D.* 2, 10. Maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. *Virg. A.* 9, 701. fixo ferrum in pulmone tepescit. *Ov. Pont.* 3, 4, 56. Illa recens pota est, nostra tepescit aqua. *Id. Met.* 3, 412. Silvaque sole lacum passura tepescere nullo. ℙ Item calorem paulatim remitto, defervesco. Translate. *Lucan.* 4, 284. Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt. *Ammian.* 28, 1. Negotio tepescente ob diuturnam morborum asperitatem.

TEPHRĪAS, ae, m. marmoris genus coloris cinerei: a *τέφρα*, cinis. *Plin.* 36, 7, 11. Contra serpentes autem a quibusdam laudatur praecipue ex his, quem tephriam appellant, a colore cineris.

[TEPHRĪON, ii, n. *τέφριον*, (a *τέφρα*, cinis), collyrium, de quo *Cels.* 6, 6. *n.* 7. Praeter haec ex frequentissimis collyriis est id, quod quidam cythion, quidam a cinereo colore tephrion appellant. In quibusd. edition. *cythion* et *tephrion* Graecis litteris scribuntur. *F.*]

TEPHRĪTIS, idis, f. *τεφρῖτις*, gemma, quae novae lunae speciem habet, in cornua curvatae, cinerei tamen coloris: unde et nomen habet, nempe a *τέφρα*, cinis. *Plin.* 37, 10, 68. Tephritis novae lunae speciem habet curvatae in cornua, quamvis cinerei coloris.

TĒPĬDĀRĬUS, a, um, adj. *χλιαρός*, qui aquam tepidam continet. *Vitr.* 5, 10. Supra hypocaustum ahena tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium, etc. *Inscr.* ap. *Mur.* 466, 3. Cella tepidaria. ℙ *Tepidarium, ii*, absolute est locus in balneis, in quo tepida aqua lavabantur; quemadmodum *caldarium*, in quo calida; *frigidarium*, in quo frigida. *Cels.* 1, 3. Commune est omnibus post fatigationem cibum sumpturis in tepidario sedere. *Vitr. l. c.* Ipsa caldaria, tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno.

TĒPĬDĒ, adv. *χλιαρῶς*, cum tepore. *Colum.* 8, 5. Curandum erit, ut pulli tepide habeantur: nam nec calorem, nec frigus sustinent. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Si natare latius, aut tepidius velis, in area piscina est. ℙ Translate est remisse, languide. *August. Conf.* 8, 11. *med.* Cum diceret mihi consuetudo violenta: Putasne, sine istis poteris? Sed jam tepidissime hoc dicebat.

TĒPĬDO, as, a. 1. *χλιαίνω*, tepidum facio. *Plin.* 17, 26, 41. In eodem agro Sulmonensi, pago Fabino (ubi nunc urbs *Popoli* est), bruma, tanto magis si nives jaceant, geletve, ne frigus vites adurat, circumfundunt riguis, quod ibi tepidare vocant, memorabili natura in amne solo. Etiamnum, teste *Romanell. Topogr. Nap.* T. 3. p. 162., ejusdem loci incolae cum id faciunt, se vites *calidare* vocant.

TĒPĬDUS, a, um, adj. *χλιαρός*, teporem habens. *Sen. ep.* 92. *med.* Frigidum aliquid et calidum novimus: inter utrumque tepidum est. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum: si plus calidi affudero, fiet novissime calidum. *Lucr.* 2, 857. Nec frigus, neque item calidum, tepidumque vaporem. *Hor. Sat.* 1, 3, 81. Tepidum jus ligurire. *Id. Od.* 2, 6, 17. Ver ubi longum, tepidasque praebet Jupiter brumas. *Varr. R. R.* 1, 6. Fastigia collina tepidiora, quam infima aut summa. *Id. ib.* 3, 10. Anser incubat tempestatibus dies XXX., tepidioribus XXV. *Plin.* 10, 59, 79. Incubant feminae tricenis diebus: si vero tepidiores sint, vigintiquinque. *Plin. alter ep.* 5, 6. *med.* Cubiculum hieme tepidissimum, quia multo sole perfunditur. *Lucan.* 9, 523. quidquid pulvere sicco Separat ardentem tepida Berenicida Lepti. ℙ *Tepidum*, adverbii more. *Ov. Pont.* 4, 10, 43. Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe. Est qui leg. tepidus. ℙ Est etiam *tepidus*, qui calorem remisit, qui languido calore est. *Ov. Her.* 6, 90. (et *Trist.* 1, 5, 12.) Certaque de tepidis colligit ossa rogis. *Id. Fast.* 2, 645. huc ignem curto fert rustica testu, Sumptum de tepidis ipsa colona focis. ℙ Translate est remissus, segnis, languidus. *Id. Rem. Am.* 629. Quid juvat admonitu tepidam recalescere mentem! (Adde *A. Am.* 2, 445.) *Id. ib.* 434. Adflarant tepidae pectora vestra faces, *h. e.* levis et parvus amor accenderat pectus. Sic *Met.* 11, 225. Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes. Adde *Am.* 2, 19, 15.

TĒPOR, oris, m. *χλιαρότης, ἀλέα*, modicus calor, qualitas inter calorem et frigus, sed ad calorem magis accedens. *Lucr.* 2, 516. Finit enim calor, ac frigus: mediique tepores Inter utrumque jacent. *Cic. Sen.* 15. *med.* Uva vestita pampinis nec modico tepore caret, et nimios solis defendit ardores. *Id. N. D.* 2, 10. Maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Nec ille *(maris)* externus et adventicius habendus est tepor, sed, etc. *Lucan.* 8, 365. Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia coeli. *Claud. III. cons. Hon. praef.* 4. Ovaque maternus rupit hiulca tepor. *Id. in Ruf.* 2, 95. alternum Zephyri jam bruma teporem Senserat. *Sen. Herc. Oet.* 381. primus tepor, *h. e.* primum ver. [**Liv.* 41, 2. ad primum teporem solis.] *Catull.* 46, 1. Jam ver egelidos refert tepores. *Plin* 11, 18, 20. Apes ante fores in teporem solis promotae. *Id.* 2, 50, 51. Partes Italiae, quae a Septentrione discedunt ad teporem. *Id.* 16, 33, 60. de cupresso: Alibi non nisi in tepore proveniens, *h. e.* in tepidiori coeli tractu, *ἐν τοῖς ἀλεεινοῖς. Id. ib.* 32, 59. vocat *arbores teporis*, quae in eo coeli tractu proveniunt. ℙ Est etiam defectus caloris, ubi esse solet, aut debet. *Tac. H.* 3, 32. *f.* Balineas petit: excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum, ut incalescerent. ℙ Translate. *Auct. dial. de Or.* 21. *med.* Nisi forte quisquam ceteros ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit. [*Cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 253. — Differt a *temperies*, quod in bonam partem dici solet. V. *Doederl.* 2, 206. sq.]

TĒPORĀTUS, a, um, part. a *teporo: χλιανθείς*, tepidus factus. *Plin.* 36, 26, 66. Fragmenta vitri teporata agglutinantur tantum.

[TĒPORO, as, avi, atum, a. 1. tepidum reddo. *Dracont.* 1, 143. Nec flammas restinguit aqua, glaciemve teporat Flammeus ignis aquae. *F.*]

TĒPORUS, a, um, adj. teporem habens, tepidus. *Auson. Eclog. de solstit.* 1. Sol profectus a teporo veris aequinoctio. *Sidon. ep.* 9, 16. Priusquam duodecimum mensem Favonius flatu teporo maritaret.

TĒPŪLA aqua Romam in Capitolium ex agro Lucullano perducta, ut est ap. *Front. Aquaed.* 8., dicta videtur a tepore, quod tepida esset, vel minus frigida, quam ceterae, quae in usum populi Romani adductae sunt. Meminit etiam *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9.

TER, *τρίς, τριάκις*, tribus vicibus. *Cato R. R.* 104. Haec rude misceto ter in die, dies quinque continuos; et *Cic. Rosc. Am.* 46. Unde vix ter in anno audire nuntium possunt. *Hor. Od.* 1, 13, 13. ter et quater Anno revisens aequor Atlanticum. *Suet. Aug.* 40. Ter in annum tesseras dare. *Cels.* 4, 12. Ter aut quater die perfricari. *Varr. R. R.* 2, 4. *f.* Ter quinquagenos sues habere; et *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. *f.* ter quatuor corpora sancta avium; et *Hor. Ep.* 4, 8. bis ter ulnarum toga. *(Barth.* et *Bentl.* ut barbariem damnant, et *trium* legi volunt.) *Plin. Pan.* 61. Cum, ter consule adsidente, tertio consulem designatum rogari sententiam cernerem. *Inscr.* ap. *Mur.* 158, 1. Ter et semel Cos. *h. e.* duobus Augg. Severo III. et Antonino Pio Cos., ut legitur in alia ap. *Fabrett.* p. 130. *n.* XIV., nempe ann. a Chr. n. CCII., quo iidem consules simul processerunt. Adde alias ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 23. Et *Marin. Iscriz. Alb.* p. 49. quem omnino hac de re consulas, oportet. ℙ *Terque quaterque*, saepius. *Virg. G.* 2, 398. omne quotannis Terque quaterque solum scindendum; et *ib.* 12, 155. Terque quaterque manu pectus percussit honestum. ℙ Etiam *ter* absolute positum interdum pro saepe, vel aliquoties ponitur. Sic enim *Servius* interpretatur illud *A.* 1, 120. ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum; et *ib.* 3, 421. atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus; et *ib.* 10, 873. Aeneam magna ter voce vocavit. Adde *ib.* 4, 690. ℙ Junctum nominibus positivis superlativum significat. *Hor. Od.* 2, 14, 7. ter amplum Geryonem, *h. e.* tergeminum, tricorporem. *Ov. Met.* 8, 51. O ego ter felix, si, etc. Sic *Virg. A.* 1, 98. O terque quaterque beati! *τρισμάκαρες, τρισόλβιοι.*

[TĒRAMNON. V. ATERAMNON. *F.*]

*TERBENTĪNUS, a, um, adj. i. q. terbinthinus. *Veg. de re vet.* 2, 54. (al. 3.) *B. A.*

TERCĒNĀRĬUS, a, um. V. TRECENARIUS.

TERCENTĒNI. V. TRECENTENI.

TERCENTI. V. TRECENTI.

TERCENTUM et Ter centum, trecenti, *τριακόσιοι*, nomen numerale indeclinabile. *Virg. A.* 1, 276. tercentum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea. *Ov. Met.* 14, 146. Tercentum messes, tercentum musta videre. ℙ Accipitur pro quovis magno numero. *Virg. G.* 1, 15. Ter centum nivei tondent dumeta juvenci; et *A.* 4, 510. Tercentum tonat ore Deos.

TERDĒCĬES, adv. ter et decies. *Vitr.* 9, 4. Quem circulum luna terdecies in duodecim mensibus percurrit. *Juven.* 14, 28. terdecies respirare. *Cic. Verr.* 2, 3, 8. Sestertium terdecies. *Auson. ep.* 7, 32. Bi-

nas terdecies, semel quaternas, *h. e.* triginta. ℙ Scribitur et divisim *ter decies.*

TERDĒNI et Ter deni, ae, a, adj. distribut. quod etiam pro cardinali ponitur, τριάκοντα, triginta. *Virg. A.* 8, 47. Ex quo terdenis urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam. *Ov. Fast.* 4, 635. ter denae vaccae. *Sil.* 15, 259. terdena bove donatur.

*TEREBELLA et Terebellium ex *Cels.* 3, 23. proscribuntur a *Morgagno epist.* in *Cels.* 3. *B. A.*

TĒRĒBINTHĪNUS, a, um, adj. τερεβινθινος, qui est ex terebintho, ut Terebinthina resina, ap. *Cels.* 5, 6. *trementina* Italice. *Plin.* 24, 6, 22. In arborum differentia placet terebinthina, odoratissima, atque levissima. *Petr. Sat.* 33. Terebinthina tabula.

TĒRĒBINTHIZŪSA, ae, f. nomen Graecum (τερεβινθίζουσα) gemmae sic dictae, quod terebinthi colorem refert. *Plin.* 37, 8, 37.

TĒRĒBINTHUS, i, f. τερέβινθος, arbor materia lenta, et nigra, radice valida, in profundum acta, lauri paene folio, oleae flore, sed puniceo, baccis primum herbaceis, mox rubris, et, cum maturuerint, nigricantibus, magnitudine fabae, resinosis, et sulphurosis. Circa Idam, Macedoniamque est brevis, fruticosa, et contorta, in Syria vero magna et copiosa. Duo ejus sunt genera, sexu distincta, ex quibus mas sterilis est. Haec fere ex *Plin.* 13, 6, 21. et 13., qui 24, 6, 18. enumerat aliquot ejus usus in medicina. *Virg. A.* 10, 136. Inclusum buxo, aut Oricia terebintho. *Plin.* 13, 6, 12. Syria et terebinthum habet. Ex his mascula est sine fructu. Feminarum duo genera, alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus, etc.

TĒREBRA, ae, f. τέρετρον, τρύπανον, instrumentum, quo ligna perforantur: a *terendo. Colum.* 4, 29. *f.* Nam antiqua terebra, quam solam veteres agricolae noverant, scobem faciebat, perurebatque eam partem, quam perforaverat; et *mox:* Gallica terebra sic excavat truncum, ne foramen inurat: quippe non scobem, sed ramenta facit. *Plin.* 17, 15, 25. Gallica terebra, quae excavat, nec urit. *Cato R. R.* 41. Terebra vitem pertundere. *Cels.* 8, 3. Terebrarum duo sunt genera: alterum simile ei, quo fabri utuntur; alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde subito latius fit, etc. *Plin.* 37, 13, 76. Plurimum in his *(in scalptura gemmarum)* terebrarum proficit fervor. *Id.* 7, 56, 57. ejus inventorem Daedalum facit. ℙ *Terebra aliquem pertundere* translate est vi extorquere, aut scrutari, et curiosius quaerere. *Plaut.* ap. *Non.* 1, 315. ℙ De terebra chirurgica ossibus perforandis, *Cels. l. c.* ℙ De militari perfodiendis muris urbium, *Vitr.* 10, 19. et *Lips. Poliorcet. l.* 3. *dial.* 1.

TĒREBRĀMEN, inis, n. id quod terebra exteritur. *Fulg. Myth.* 2, 19. Furfuracea tinearum terebramina.

TĒREBRĀTĬO, onis, f. τρύπησις, actus terebrandi. *Colum.* 4, 29. *med.* In illa autem, quae fit per terebrationem, etc. ℙ Item foramen ipsum terebra factum. *Vitr.* 9, 9. *med.* Translata ex terebratione in terebrationem.

*TEREBRĀTOR, oris, m. τρυπητής *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TĒREBRĀTUS, a, um, part. a *terebro:* foratus. *Ov. Fast.* 6, 697. Prima, terebrato per rara foramina buxo, Ut daret, effeci, tibia longa sonos. *Vitr.* 9, 9. Terebrata gemma. *Plaut.* ap. *Fest.* in *Subscudes.* Terebratus multum siet: et subscudem addite. Hic turpiculi quid latere videtur.

TĒREBRĀTUS, us, m. idem ac terebratio. *Scrib. Comp.* 206. De industria a medicis cum terebratu exciditur, quod laedit eam os.

TĒREBRO, as, avi, atum, τρυπάω, terebra pertundo. *Liv. Epit.* 52. *med.* Dum ossa capitis medici terebrare contendunt. *Cato R. R.* 41. et *Colum.* 5, 9. *f.* Vitem terebrare Gallica terebra. *Plin.* 17, 15, 25. Terebrare vitem in obliquum ad medullam. *Vitr.* 10, 22. *med.* Terebratur foramen digitale. *Suet. Tib.* 68. Fuit articulis ita firmis, ut recens et integrum malum digito terebraret. *Virg. A.* 3, 635. telo lumen terebramus acuto. Alii *tenebramus. Plin.* 29, 6, 39. Gryllus terram terebrat, stridit noctibus. ℙ Translate est blande se ingerere, expalpare, quaerendo extundere, instando et blandiendo pertentare. *Pl. Bacch.* 5, 2, 82. Hanc veniam illis sine te exorem. *Nicob.* ut terebrat! ℙ Allegorice. *Pers.* 5, 138. regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, *h. e.* tenui victu uti: quasi micas salis in vacuo salino anxie quaerens, prementibus digitis, et paene terebrantibus.

[TĒREBRUM, i, n idem ac terebra. *Hieron. in Isai.* 12, 44, 12. Quis possit hoc credere, quod ascia, lima, et terebro malleoque formetur Deus? *Id.* hac eadem voce utitur etiam al. *F.*]

TĒRĒDO, inis, f. τερηδών, tarmes, vermis, qui in ligno nascitur, illudque rodit: a *tero.* Quidam etiam deducunt a sono, quem edit in rodendo. Proprie de iis vermibus dicitur, qui in mari ligna terebrant. *Plin.* 16, 41, 80. Teredines tantum in mari sentiuntur: nec aliam putant teredinem proprie dici. Terrestres, tineas vocant: culicibus vero similes thripas. *Ov. Pont.* 1, 1, 69. Estur ut occulta vitiata teredine navis. Adde *Vitr.* 5, 12. et *Colum.* 4, 24. ℙ Interdum tamen generatim de terrestribus quoque usurpatur. *Plinius* ipse vestium vermes sic appellat 8, 48, 74. ubi de praetextis Servii Tullii ait: Mirumque fuit, nec defluxisse eas, nec teredinum injurias sensisse annis quingentis sexaginta. *Id.* 28, 20, 81. Carnes nullas teredinem sentire, luna decrescente induratas sale. *Id.* 23, 7, 70. Mororum succus celerrime teredinem sentit.

*TERĒDON, onis, Τερηδών, oppid. vel vicus in Chaldaea, situm ubi Euphrates in sinum Persicum sese exonerat. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

TĒRĒIDES, ae, m. Τηρείδης, Itys, filius Terei. *Ov. Ib.* 436. Tuntalides tu sis, Tereidesque puer. Alii aliter leg.

TĒRENSIS, is, f. Dea frugibus terendis praesidens. *Arnob.* 4, 131. V. NODUTERENSIS.

TĒRENTĬĀNUS, a, um, adj. ad Terentium pertinens. *Cic. Am.* 24. *med.* Terentiano verbo libenter utimur. *Id. fragm.* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio, *h. e.* qui a *Terentio* inducitur in comoedia eo nomine inscripta. Sic *Id. Fin.* 1, 1. *f.* Terentianus Chremes; et *Tusc.* 3, 27. Terentianus ipse se puniens, *h. e.* Heautontimorumenos. *Quint.* 11, 1. *med.* Terentianus pater. ℙ *Terentianus exercitus* ap. *Liv.* 23, 32. *med.* est, qui a M. Terentio Varrone ducitur.

TĒRENTĬĀNUS Maurus, grammaticus, natione Afer, scripsit poema vario carminum genere, de litteris, syllabis, pedibus, metris. Hunc suavissimum grammaticorum appellat *Muretus.* Est scriptor aetatis incertae, sed tamen paulo post *Martialis* tempora floruisse videtur. V. *Fabric. Biblioth. Lat.* 4, 7.

TĒRENTĪNUS, a, um, adj. ad Terentum spectans, ut Ludi Terentini, qui alio nomine saeculares vocantur, qui centesimo quoque anno tribus diebus continuis, tribusque noctibus celebrabantur: tametsi postea ambitione principum minore interjecto spatio aliquoties fuerint celebrati. *Auson. Idyll.* 11, 34. Trina Terentino celebrata trinoctia ludo. Adde *Varr.* ap. *Censor. de die nat.* 17. V. SAECULARIS. ℙ Terentinae nuces. V. TARENTINUS. ℙ Terentina tribus, una ex tribubus populi R. Erat in Sabinis. Denominata est a Terento, loco in Campo Martio. Facta est anno U. C. CCCCLV. M. Fulvio Paeto, T. Manlio Torquato Coss. a P. Sempronio Sopho, et P. Sulpicio Saverrione censoribus, quo anno etiam Aniensis addita est. *Liv.* 10, 9. *f.* et *Cic. Planc.* 22. Saepe in *vet. Inscr.* sic scribitur *Ter.*, quandoque integre *Terentina,* ut in *Inscr. cit.* in V. HONORATIANUS.

TĒRENTĬUS, ii, m. Τερέντιος, poeta comicus, natione Afer, patria Carthaginiensis, libertus fuit Romae Terentii Lucani: a quo ob liberale ingenium mature manumissus, et optimis litteris eruditus, in hominum nobilissimorum amicitiam pervenit, praecipue Scipionis et Laelii: quorum etiam opera adjutus creditur in scribendo, ob sermonis elegantiam, ut testatur *Cic. Att.* 7, 3. *f.* (*Terentii* etymon V. in TARENTINUS.) Scripsit fabulas sex, quae omnium manibus teruntur. Posthac visendarum Athenarum cupiditate ductus, ex quo navim conscendit, nusquam deinde conspectus est. Quo fit, ut naufragio credatur periisse. Latius exsequitur ejus vitam *Donatus,* vel, ut alii putant, *Suetonius:* apud quem *C. Caesar* ut puri sermonis amatorem laudat. *Cicero* quoque *ib.* lecti sermonis esse, et omnia dulcia dicere, sedatis vocibus Menandrum convertentem affirmat. *Hor. Ep.* 2, 1, 59. Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte Dicitur. *Varr.* ap. *Non.* 4, 377. In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus. *Vulcatii Sedigiti* de eo judicium habes ap. *Gell.* 15, 24.

TĒRENTĬUS Scaurus, grammaticus, quem *Gell.* 11, 15. dicit floruisse Hadriani temporibus, librum de Caeselii Vindicis grammatici erroribus scripsit: item de orthographia: laudaturque etiam ab *Auson. Profess. n.* 15. et 20. et *epist.* 18, 26. et in *praefatiuncula ad Syagr.* 20. Docet *Capitol. Ver.* 2. duos fuisse Scauros grammaticos, patrem, et filium: illum Hadriani praeceptorem, hunc Veri: ubi *Salm.* adscribit, filium dictum esse *Scaurinum.*

TĒRENTUS, i, m. locus in extremo campo Martio, ad Tiberim, ubi ara fuit Ditis patris et Proserpinae sub terra obruta, quae ludis tantum saecularibus effossa ostendebatur, iisque peractis rursus operiebatur. Ejus aras inventionem *Val. Max.* miraculo adscribit 2, 4. *n.* 5. quodam Valesio, tribus filiis suis gravi pestilentia laborantibus, coelesti voce admonito, ut aquam calidam iis praeberet; quod cum fecisset, hausta aqua ex Tiberi, et accenso igne calefacta, eos morbo liberatos fuisse, et indicasse patri, praeceptum sibi esse in somniis, ut Diti patri et Proserpinae furvae hostiae immolarentur, cumque ob id aram exstruere pararet, effossa terra eam reperisse jam olim exstructam, iisque ipsis Diis inscriptam: peractoque sacro rursus terra aggesta occuluisse. (Alii addunt, hunc Valesium ex eo *Terentinum* cognominatum fuisse.) Ejus exemplo Valerium Poplicolam, pestilentia rursus grassante, iisdem Diis sacra fecisse, addito lectisternio, et ludis trinoctio: inde saecularium ludorum originem ductam. *Verrius* ap. *Festum* putat, dictum esse *Terentum,* quod terra ibi ab equis quadrigariis ita leviter *teratur,* ut eorum levis mobilitas aequiparet motus rapidos velocis lunae. Hoc, inquit *Festus,* quam aniliter relatum sit, cuivis manifestum est. Alii putant, nomen habere a Tarento urbe, *a* in *e* mutato: quin et hunc ipsum locum *Tarentum* dici in quibusdam libris. *Ov. Fast.* 1, 501. Fluminis illa latus, cui sunt vada juncta Terenti, Aspicit. *Mart.* 4, 1. Hic colat ingenti redeuntia saecula lustro, Et quae Romuleus sacra Terentus habet. *Id.* 10, 63. Bis mea Romano spectata est vita Terento, *h. e.* binos spectavi ludos saeculares, qui scilicet celebrati sunt a Claudio, et Domitiano intra annos XL., de quibus *Suet. Claud.* 21. et *Dom.* 4. verba facit. *Stat. Silv.* 4, 1, 37. mecum altera saecula condes, Et tibi longaevi renovabitur ara Terenti. Adde *ib.* 1, 4, 17. ℙ In femin. gen. ex Graecanica terminatione. *Mart.* 1, 70. Coepit, Maxime, Pana quae solebat, Nunc ostendere Canium, Terentos.

TĒRES, ētis, adj. στρογγύλος, κυλινδρώδης, oblongus simul et rotundus, cum aliquo laevore, ut columnae scapus, cylindrus, truncus arboris. *Fest.* Teres, in longitudine rotundatus, quales asseres natura ministrat. [*Etymon est a *tero*, et proprie significat id, quod tornando rotunditatem habet. Hinc primo loco poni debebant exempla, in quibus dicitur de hastilibus aliisque ejusdem generis rebus: unde in universum rotundi, laevoris notionem vindicasse videtur.] *Colum.* 4, 33. *med.* Fissile adminiculum manet diutius, quam teres palus. *Caes. B. G.* 7, 73. *med.* Teretes stipites feminis crassitudine. *Virg. Ecl.* 8, 16. Incumbens tereti Damon sic coepit olivae. *Id. A.* 6, 207. Teretes trunci arborum. *Ov. Met.* 6, 22. levi teretem versabat pollice fusum; et *ib.* 2, 735. Teres virga. *Virg. A.* 7, 665. Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. *Liv.* 21, 8. Missile telum hastili abiegno, et cetera tereti, praeterquam ad extremum. *Catull.* 64, 262. tereti aere tinnitus ciere, *h. e.* aereis bacillis crotalorum usum praebentibus. *Hor. Od.* 2, 4, 21. Teretes surae. *Lucr.* 1, 35. et *Virg. A.* 8, 633. Teres cervix. *Ov. A. Am.* 1, 621. laudare capillos, Et teretes digitos, exiguumque pedem. *Catull.* 61, 181. Brachiolum teres. *Suet. Caes.* 45. Teretibus membris esse. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 150. sq. *ed. Fr.*] *Hor. Epod.* 11, 28. Teres puer: procerus, et bene habitus; et *Od.* 1, 1, 28. rupit teretes Marsus aper plagas. *Sen. Hipp.* 45. Teretes laquei. *Catull.* 64, 65. Teres strophium; et *Ov. Fast.* 2, 320. zona, *h. e.* ex funiculis complicatis et contortis. Sic *Virg. A.* 11, 579. habena fundae. *Lucan.* 3, 565. catena. *Claud. in Eutr.* 2, 185. mitra. *Virg. A.* 5, 313. et *Val. Fl.* 6, 59. gemma; et *Ov. Met.* 10, 260. teretes lapilli. *Juven.* vocat 2, 61. cylindros. Sic *Claud. Rapt. Pros.* 2, 40. Collectae tereti nodantur iaspide vestes. ℙ *Teres bustum* vocat *Catull.* 64, 363. in quo superposita est columella: cujusmodi fuit sepulcrum Archimedis ap. *Cic. Tusc.* 5, 23. ℙ Aliquando ita ponitur, ut solam rotunditatem cum laevore significet. *Auson. Idyll.* 12, 9. teres lens; et *Idyll.* 14, 9. teretes guttae *roris;* et *Sapient. in Solon.* 8. Teres orbis. *Id. epist.* 4, 47. Teretes feminum gyri. ℙ Laevorem significare videtur etiam *Plinius,* cum ait de araneo telam faciente, 11, 24, 28. Tam tereti filo, et tam aequali deducit stamina, ipso se pondere usus. ℙ Et longitudinem. *Varr.* ap. *Non.* 4, 251. semiviri *(Galli)* teretem comam volantem jactamus tibi. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 7, 85. de Sapiente: Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis, et in se ipso totus: teres atque rotundus, Externi ne quid valeat perlaeve morari, *h. e.* minime scaber, aut angulosus, ita ut nulla labes, nullum vitium ejus animo adhaerere possit. [*Cf. *Heindf.* elegantem admodum, locique sententiae congruentem notam.] *Auson. Idyll.* 16, 4. de viro bono: vanique ferat quid opinio vulgi, Securus: mundi instar habens: teres atque rotundus, Externae ne quid labis per laevia sidat. ℙ *Teretes aures,* purgatae, laeves, atque adeo acri sensu praeditae. [*V. *Ern. Lex. technol. Lat. rhet.* p. 395.] *Cic. Or.* 9. Atticorum aures teretes et religiosae. *Id. opt. gen. Or.* 4. Si teretes aures habent, intelligensque judicium. ℙ [*Teres vox*, quam disputationibus aptam judicat *Quint.* 11, 3, 64. sine dubitatione est, quam volubilem, expeditam celeremque alibi appellare rhetores solent. Nam quidquid teres, h. e. rotundum est celeriter movetur. Ita *Ern.* in *lex. technol. lat. rhet.* l. l.] ℙ *Teres oratio,* aequabilis, et veluti rotunda ac volubilis, non salebrosa, non aspera, sed faciliter fluens. *Cic. Or.* 3, 52. Est et plena quaedam oratio, sed tamen teres: et tenuis, non sine nervis ac viribus: et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. *Gell.* 13, 19. *med.* Ciceroni mollius teretiusque visum est, in quinta in Verrem (*Verr.* 2, 5, 66.) fretu scribere, quam freto. Perangusto, inquit, fretu: erat enim crassius vetustiusque, perangusto freto, dicere. [*Praeclara explicatio exstat in *Ern. cl. Cic.* Ducta metaphora est a membris corporis humani succulentis, et hinc teretibus, quae imprimis pulcra sunt. *Teres* igitur *oratio est*, quae habet copiam rerum, et verborum, et ornamentorum, neque tamen nimiam, ne

tumor consequatur, quo accedente, ut membrum in corpore, sic oratio tumida et deformis fit. Cf. *Ern. lex. lechnol. lat. rhet.* l. l.]

*TERESES, ium, populi quidam Hispaniae Baeticae, Fortunales cognominati. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

TEREUS, i, m. disyl. *Τηρεύς*, rex Thracum, Martis ex Bistonide Nympha filius: de quo in PHILOMELA dictum est. *Ov. Fast.* 2, 629. Et soror, et Progne, Tereusque duabus iniquus. *Id. Met.* 6, 492. Et voluere ambae: voluisti tu quoque, Tereu; et 615. Artificem mediis immittam Terea flammis; et 635. scelus est pietas in conjuge Tereo. *Mart.* 14, 3. Flet Philomela nefas incesti Tereos, et quae, etc. ℙ *Tereus* fuit tragoedia Accii, de qua mentionem facit *Cic. Att.* 16, 2. Delectari mihi Tereo videbatur, et habere majorem Accio, quam Antonio gratiam.

*TERGEDUM, i, n. Aethiopiae oppidum, vel fortasse Aegypti Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

TERGĔMĪNUS et Trigeminus, a, um, adj. *Tergemini* dicuntur tres uno partu edidi, *τρίδυμοι*. *Plin.* 7, 3, 3. Tergeminos nasci, certum est, Horatiorum Curiatiorumque exemplo. *Liv.* 1, 24. Trigemini fratres. *Colum.* 2. *prooem.* Hominis tum demum declaratur sterile senium, non cum desinit mulier trigeminos, aut geminos parere, sed cum omnino nullum conceptum edere valet. *Id.* 3, 8. Albanae Curiatiae familiae trigeminorum matres; et *ib.* 10. *med.* Caprarius submittens fetus earum pecudum, quae trigemino partu commendantur. Adde 7, 6. et *Pl. Mil.* 3, 1, 122. ℙ Fuit comoedia *Plauti*, inscripta *Trigemini*, cujus meminit *Gell.* 7, 9. ℙ Est etiam triplex, triplicatus. *Liv.* 1, 26. Horatius trigemina spolia prae se gerens. *Id.* 6, 6. Tergeminae victoriae triplicem triumphum agere. Alii leg. *trigeminae. Plin.* 15, 28, 34. Quorundam pomorum tergemina natura est: corpus, deinde lignum, rursusque semen in ligno, ut persicis. *Ov. Trist.* 4, 7, 16. Tergeminumque virum, tergeminumque canem, *h. e.* Geryonem tricorporem, et Cerberum tricipitem. Sic *Lucr.* 5, 28. tripectora tergemini vis Geryonae. *Tibull.* 3, 4, 88. de Cerbero: Cui tres sunt linguae, tergeminumque caput. *Virg. A.* 4, 511. Tergemina Hecate, *h. e.* quae in coelo est Luna, in terris Diana, Proserpina apud Inferos: unde et *triformis* dicitur. *Stat. Th.* 6, 289. tergemina luna, *h. e.* trinoctium. *Id. Silv.* 3, 4, 83. Hunc nova tergemina pectebat Gratia dextra, *h. e.* tribus dextris, quia Gratiae tres sunt. *Id. ib.* 4, 8, 21. jus tergeminae prolis, *h. e.* trium liberorum. *Id. ib.* 1, 1, 91. Jovis ignis tergeminus, *h. e.* fulmen trisulcum. *Gell.* 13, 24. Verba illa Ciceronis in Pisonem (*c.* 1.) trigemina, decepit, fefellit, induxit. *Hor. Od.* 1, 1, 8. Tergeminis honoribus tollere aliquem, *h. e.* triplici magistratu curuli, aedilitate, praetura, consulatu. Alii intelligunt sex, additis tribus non curulibus, vel duobus ex his, et censura. Alii *tergeminos* interpretantur maximos, amplissimos: atque hoc sensu dixisse *Mart.* 3, 46. At tibi tergeminum mugiet ille sophos, *h. e.* maximo plausu te prosequetur. Nobis non placet a *triplicis* significatione discedere. ℙ Quidam tribuunt et *Cic. Phil.* 11, 1. Ecce tergeminum in scelere par, etc. sed plerique alii leg. *Ecce tibi geminum.* [*Ita *Orell.*] ℙ *Trigemina porta* Romae fuit prope Ostiensem, in circuitu Servii Tullii, ad radices Aventini, et prope salinas ad Tiberim; sed unde dicta sit, non constat: neque enim admittendum est, quod quidam putarunt, tergeminos Horatios ea prodiisse in pugnam contra Curiatios, quia ea porta fuit, ut diximus, ad radices Aventini, qui nondum fuerat urbi adjectus (*Liv.* 1, 33.): vero igitur similius est, eam a tribus portis ita fuisse appellatam, qualis antiquitus fuit quae etiamnum Pompejis in Campania cernitur, similis omnino nostris recentioribus, quae tres plerumque exitus habent, unum medium curribus et equis, geminum hinc inde hominibus olim pervium. Hujus *Trigeminae portae* mentio est etiam in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 130, 5. et *Mur.* 948, 3., item in alia ap. *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 1. p. 425. Meminere ejusdem portae etiam *Pl. Capt.* 1, 1, 22., *Liv.* 4, 16. et 35, 10. et *Plin.* 18, 3, 4. ℙ *Trigeminus* est etiam cognomen C. Curiatii in nummo hujus gentis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 199., quod videtur adscitum a trigeminis fratribus Curiatiis, qui contra tres alios trigeminos fratres Horatios pugnarunt. ℙ Nonnulli discrimen statuunt inter *tergeminus*, et *trigeminus*, ut illud dicatur de tribus uno partu editis, hoc de quacumque alia re triformi, aut triplici. Illud certius, a poetis *tergeminus* dici, a prosae scriptoribus utrumque, quod ex allatis *Inscr.* in §. 5., et nummo in §. 6. evincitur. ℙ In *Dig.* 5, 4, 3. bis legitur ap. *Torrent.* tregemini, quod mendosum videtur.

TERGĒNUS, indecl. trium generum, ut *omne genus* omnium generum. *Auson. Idyll.* 11, 43. Humana efficiunt habitacula tergenus artes; et *ib.* 49. Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.

TERGĔO, es, et Tergo, is, tersi, tersum, a. 2. et 3. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 74. p. 209.] *ψάω*, mundo, nitidum facio, abstergo, derado. [*Etymon est idem cum v. *tero:* quocum saepissime usu concurrit, ita ut prima vocis significatio non ad siccandas res humore affectas pertineat; sed tangendi, afficiendi notionem requirat. Maxime huc facit locus *Lucr.* 6, 119. Aridus unde aureis terget sonus ille, diuque dicitur, etc. Neque magis siccandi notio latere videtur in loco *Silii* 16, 136. Aurora obscuri tergebat nubila coelo: ubi nihil nisi celer saepiusque repetitus Aurorae tactus, quo per coeli spatium fertur, a poeta describitur. Cf. exempla ad f. hujus §. posita.] *Varr. L. L.* 5, 8. *extr.* Mantelium, ubi manus terguntur. *Cic. Par.* 5, 2. Qui tractant ista, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt. *Cato R. R.* 2. et *Colum.* 2, 22. Per ferias potuisse fossas veteres tergeri. *Pl. Poen.* 1, 2, 9. Nunquam concessavimus lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari. *Quint.* 11, 3. *med.* Tergere nares. *Id.* 6, 3. *med.* frontem sudario. *Ov. Her.* 21, 166. Spissaque de nitidis tergit amoma comis. *Id. Met.* 8, 663. aquatam (*mensam*) mentae tersere virentes; et *ib.* 13, 132. manuque simul veluti lacrimantia tersit Lumina. *Plin.* 11, 48, 108. Duros habentibus oculos, ut subinde pedibus eos tergeant. *Juven.* 14, 62. Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter. *Id.* 13, 44. et jam siccato nectare tergens Brachia Vulcanus. *Virg. A.* 7, 626. Pars leves clipeos, et spicula lucida tergent. Ubi *Pierius:* Quamvis codices nonnulli *tergunt* legant, plures tamen et probatiores *tergent.* [*Etiam *Liv.* de poliendis armis dixit *tergere*, ut Gr. *ἐκτρίβειν*. Cf. 26, 51.] *Hor. Sat.* 2, 2, 24. gallina tergere palatum, *h. e.* gallinam comesse. ℙ Translate. *Sen. Herc. Oet.* 907. furoris fonte Cinyphio scelus sub axe Libyco tersit, *h. e.* expiavit. *Mart.* 6, 1. Sextus mittitur hic tibi libellus, Quem si terseris aure diligenti, Audebit minus anxius tremensque Magnas Caesaris in manus venire, *h. e.* emendaveris. ℙ *Tersti* syncop. pro *tersisti* nonnulli leg. ap. *Catull.* 66, 30., alii *tristi* pro *trivisti.* Sic *intristi* pro *intrivisti* ap. *Ter. Ph.* 2, 2, 4.

TERGESTĪNUS, a, um, adj. ad Tergeste (*Τέργεστον*) pertinens, oppidum Istriae in intimo recessu sinus cognominis (*golfo di Trieste*), colonia Romanorum in tribu Pupinia, XXIII. mill. pass. ab Aquileja, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Donat.* 292, 10. L. Messius L. F. Pup. Potens Tergeste Mil. Coh. IIII. Pr. Genialis (*corrige* Pr. 7. Genialis) etc. *Plin.* 3, 18, 22. Tergestinus sinus. ℙ *Tergestini, orum*, absolute, sunt incolae illius oppidi. *Hirt. B. G.* 8, 24. Ne quod simile incommodum accideret, ac Tergestinis accidisset.

TERGILLA, ae, f. cutis suis crassa, cum sua pulpa, seu adipe: dimin. tergoris. *Gloss. Phil.* Tergilla, sive tergillum, *φορίνη, χοῖρου δέρμα. Apic.* 4, 3. Spathulam porcinam coctam tessellatim concides cum sua sibi tergilla.

[TERGILLUS, i, m. nomen propr. unius ex septem testibus in testamento M. Grunii Corocottae Porcelli, de quo V. in BUBULARIUS. Est derivatum a v. praec. *tergilla, ae. F.*]

TERGĪNUS, a, um, adj. qui est ex tergore, scorteus, coriaceus. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 99. Cuja opera terginu' calix per castra cluebat. Ita leg. *Scal.*, alii aliter. ℙ *Terginum, i*, absolute, et subintelligitur lorum, quo caedebantur servi nocentes. *Pl. Ps.* 1, 2, 21. Nunquam aedepol vestrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 469. Orationem facere compendI potest, Solvi dum salvo in tergo et tergino licet. Alii aliter leg.

TERGĪVERSANTER, adv. cum detrectatione. *Vell.* 1, 9. Filium ejus Paulli, qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam reipubl. pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat.

TERGIVERSĀTIO, onis, f. *νωτιασμὸς, τοῦ νώτου στροφή*, subterfugium, detrectatio, recusatio, declinatio. *Cic. Mil.* 20. Quid ergo erat morae, et tergiversationis? *Hirt. B. Afr.* 8. *med.* Haec ita unicuique praecipiebat, ut, fieri posset, necne, locum nullum excusatio haberet, nec moram tergiversatio. *Front. Aquaed.* 5. Appius multis tergiversationibus extraxisse censuram traditur, donec et viam, et hujus aquae ductum consummaret, *h. e.* cunctationibus.

TERGĪVERSĀTOR, oris, m. *νωτιστὴς, περικάμπης*, qui tergiversatur, cunctator. *Gell.* 11, 7. Non enim Lucilium legistis, qui tergiversatorem *bovinatorem* dicit. *Arnob.* 7, 247. Tergiversatorem in obsequio esse.

TERGĪVERSOR, aris, dep. 1. *νωτίζω, στρέφομαι, ἀναστέλλομαι*, proprie est tergum obvertere, et subterfugere. Unde in *Gloss. Phil.* apte exponitur *νωτοστροφεῖν. Cic. Tusc.* 5, 28. Itaque eam tergiversari non sinent, secumque rapient ad tormenta. *Id. Att.* 7, 1. Non est locus ad tergiversandum contra Caesarem; et *ib.* 12. *med.* An cuncter et tergiverser, et iis me dem, qui, etc.? ℙ Refertur etiam ad judicia. *Mart. Dig.* 48, 16, 1. Tergiversari, in universum ab accusatione desistere. *Cic. Planc.* 19. Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? *Id. Fl.* 20. Hunc aestuantem et tergiversantem judicio ille persequitur. Item ad disputationes, controversias, et cetera hujusmodi, quae verborum contentionem habent, pro fallere, et dicta mutare, ut *Non.* 1, 197. ait. *Cic. Tusc.* 3, 18. Quid tergiversamur, Epicure, nec fatemur, eam nos dicere voluptatem, etc.? *Id. Off.* 3, 33. In his tribus generibus non incallide tergiversantur.

TERGO, is. V. TERGEO.

TERGORO, as, a. 1. tergus facio, tego. *Plin.* 8, 52, 78. Sues indurantes attritu arborum costas, lutoque se tergorantes, *h. e.* quasi tergus novum e luto sibi inducentes.

TERGUM, i, n. *νῶτος*, dorsum tum bestiarum, tum hominis. Falsum est enim, quod quidam grammatici docuerunt, *tergum* esse hominum tantum, *tergus* bestiarum. *Phaedr.* 4, 9. Peras imposuit Juppiter nobis duas: Propriis repletam vitiis post tergum dedit, Alienis ante pectus suspendit gravem. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *med.* Cum manibus ad tergnm rejectis inambularet. *Cic. N. D.* 2, 49. *f.* Grues in tergo praevolantium capita reponunt; et *ib.* 63. *med.* Boum terga non sunt ad onus accipiendum figurata. *Liv.* 3, 55. *f.* Tergo, ac capite puniri, *h. e.* virgis caedi, et securi percuti. ℙ *Terga vertere, dare*, fugere. *Caes. B. G.* 1, 53. Ita proelium restitutum est, atque omnes hostes terga verterunt, nec prius fugere destiterunt, quam, etc. *Liv.* 22, 29. (et 36, 38.) Qui plures simul terga dederant, conversi in hostem, etc. *Juven.* 15, 75. et *Tac. Agr.* 37. Terga fugae praestare. *Ov. Met.* 10, 706. praebere. Hinc terga absolute pro fuga. *Ov. A. Am.* 1, 209. Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam. ℙ *Dare terga*, oneri cedere, ut qui ferendo impares inclinantur. *Prop.* 3, 7, 5. Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus, Et pressum inflexo mox dare terga genu. ℙ Servorum terga plagis obnoxia. *Pl. Bacch.* 2, 3, 131. Si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domi est. *Id. Capt.* 3, 4, 117. Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo! *Id. As.* 2, 4, 75. Dabitur pol suppilcium mihi te tergo vestro. *Id. Men.* 2, 2, 3 Vae tergo meo! *Sall. or. Macri Licin. ad pleb. f.* Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur. ℙ Sumitur pro parte postica et aversa cujuscumque rei. Hinc illa *ab tergo, post tergum*, ap. *Cic., Caes., Liv., Just.* et alios frequentissime. Sic *Liv.* 25, 15. Ut ad terga collis hostem pertraheret. *Juven.* 13, 16. qui jam post terga reliquit Sexaginta annos. *Id.* 1, 5. summi plena jam margine libri, Scriptus et in tergo, necdum finitus Orestes. *Virg. G.* 2, 271. de arbore: quae terga obverterit axi. ℙ *Terga*, extima pars, tegumentum. *Id. A.* 10, 784. linea terga clipei; et *ib.* 482. tot ferri terga, tot aeris. ℙ *Terga aquae*, superficies, qua naves vehit, quemadmodum tergo jumenta ferunt onera: qua ratione et *dorsum maris* dicimus. *Ov. Pont.* 1, 2, 82. Dura meant celeri terga per amnis equo. *Claud. B. G.* 338. de Rheno, et Istro: Ambo habiles remis, ambo glacialia secti Terga rotis. *Lucan.* 9, 341. Eminet in tergo pelagi; et 5, 564. niger inficit horror Terga maris. ℙ *Terga arvorum*, itidem superficies. *Virg. G.* 1, 97. proscisso quae suscitat aequore terga; et *ib.* 2, 236. glebas cunctantes, crassaque terga. ℙ *Terga serpentum* totum corpus interdum significant. *Virg. G.* 3, 426. Squamea convolvens sublato pectore terga; et *A.* 2, 208. sinuantque immensa volumine terga. Sic *Petr. Sat.* 89. Stabant gemina nati pignora Lauconte, quos repente tergoribus ligant Angues corusci. ℙ Eadem ratione dixit *Virg. A.* 6, 421. de Cerbero: ille fame rabida tria guttura pandens Corripit objectam, atque immania terga resolvit Fusus humi; et *ib.* 1, 637. sociis ad litora mittit Viginti tauros, magnorum horrentia centum Terga suum, *h. e.* integros sues centum; et *ib.* 8, 183. Perpetui tergo bovis, *h. e.* integre apposito, neque in frusta dissecto. ℙ *Tergum* pro tergore, seu corio. *Virg. A.* 1, 372. Taurino quantum possent circumdare tergo. ℙ Et pro aliqua re ex tergore facta. *Ov. Met.* 15, 304. derepta bicorni Terga capro, *h. e.* utres. Sic *Met.* 14, 225. venti bovis tergo inclusi. *Id. Fast.* 4, 212. et 342. Et feriunt molles taurea terga manus, *h. e.* tympana. Sic *Stat. Achill.* 2, 154. Euia pulsant Terga manu; et *Th.* 8, 221. aera sonant, Idaeaque terga. *Virg. A.* 9, 412. de hasta: Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique Frangitur, *h. e.* in scutum. Sic *ib.* 10, 718. et tergo decutit hastas; et *Ov. Met.* 12, 96. telum Misit in Aeacidem, quod aes, et proxima rupit Terga novena boum. *Stat.* quoque scutum describens *Th.* 4, 166. Quatuor indomitis Capaneus erepta juvencis Terga, superque rigens injectu molis ahenae Versat onus. *Lucan.* 10, 12. terga testudinis Indae. ℙ In illo *Juven.* 11, 82. Sicci terga suis rara pendentia crate, etc. et *Ov. Met.* 8, 648. Sordida terga suis, etc. non solum corium intelligimus, sed cum sua carne et pingui, quod est laridum. V. v. sq. ℙ Masc. gen. *Pl. As.* 2, 2, 52. Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quaeram foris. Ita leg. etiam *Non.* 3, 242. ℙ *Tergibus* pro *tergis* a recto *tergu*, ut *genu*, quidam leg. ap. *Lucr.* 2, 87. neque quidquam a tergibus obstet. Alii *tergis*, ut versus sit spondaicus. Fortasse legendum *a tergo ibus* (*ἀρχαϊκῶς* pro *eis*). V. 18.

TERGUS, oris, n. *δέρμα*, corium, pellis, cutis: a *tego*, ut vult *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* Quare non defuere, qui *tegus* legendum putarent. Sunt etiam qui ita distinguunt, ut *tergus* significet pellem recens detractam; *corium*, postquam confecta est:

quod est falsum omnino. *Cels.* 7, 25. Cutis circa glandem prehenditur et extenditur, deinde juxta pubem in orbem tergus inciditur, donec coles nudetur; et *ib. n.* 2. Subter a summa ora cutis inciditur, atque ita superius tergus relaxatum cedere retro potest. *Id.* 4, 1. *med.* Ventriculus constat ex duobus tergoribus, *h. e.* tunicis, membranis, tegumentis. *Virg. A.* 1, 215. Tergora diripiunt costis, et viscera nudant. *Plin.* 8, 10, 10. de eleph.: Durissimum dorso tergus, ventri molle. *Sil.* 3, 209. squalenti tergore serpens. ℙ Pro scuto e tergore. *Ov. Met.* 13, 347. Gestasset laeva taurorum tergora septem. *Mart.* 7, 2. Martis tergus Geticum, *h. e.* lorica, thorax. ℙ Pro larido. *Ov. Met.* 8, 649. Servatoque diu resecat de tergore partem Exiguam, sectamque domat ferventibus undis. V. v. praec. Ap. *Phaedr.* 2, 1. divisum tergus juvenci est ipsum corpus sectum in partes. ℙ De corpore serpentis. V. in v. praec. ℙ Ponitur et pro tergo. *Colum.* 6, 37. *f.* Ut equa facilem sui tergoris ascensum minori quadrupedi praebeat. *Prop.* 2, 20, 6. Helle, Aurea quam molli tergore vexit ovis. Est qui leg. *vellere*. *Virg. A.* 9, 763. raptas fugientibus ingerit hastas In tergus. Ita leg. etiam *Charis.* 1, 54. et 118., et habetur in Romano codice ap. *Pierium:* alii *tergum*. [*Invertit Noster hujus loci ordinem ita ut quae primum locum tenere debuerint, ad finem rejecerit: propria enim hujus vocis notio eadem est cum *tergi* vocabulo.]

*TERĪAS, ae, m. fluvius Siciliae, de quo *Plin.* 3, 8. ℙ Hodie appellatur *San Leonardo*. *B. A.*

TĔRĪNAEUS, a, um, adj. ad Terinam pertinens, oppidum Bruttiorum ad sinum cognominem, a Crotoniensibus conditum, et ab Annibale dirutum, prope urbem, quae nunc *Nocera* dicitur. *Plin.* 3, 5, 10. Crotoniensium Terina, sinusque ingens Terinaeus. *golfo di Sant' Eufemia;* et *Cic. Tusc.* 1, 48. Elysius Terinaeus.

*TERIOLI, orum, arx cum oppidulo, in Rhaetia, inque Athesis ripa. *Notit. Imper.* Praefectus legionis tertiae Italicae transvectione specierum deputatae Teriolis; et *mox:* Tribunus gentis per Rhaetias deputatae Teriolis. ℙ Hodiernum nomen est *Tyrol*. *B. A.*

TERJŪGUS, a, um, adj. idem ac ternus, ut *quadrijugus* quaternus. *Auson. ep.* 8, 11. Perfer in excursu vel terjuga millia epodon.

TERMEN, inis, n. idem ac terminus. *Varr. L. L.* 4, 4. Terminus cum in Latio aliquot locis dicitur, ut apud Accium, non terminus, sed termen: [hoc Graeci τέρμα. *Vet. Inscr.* ap. *P. Vict. Aldin. Ant. lap. Ticin.* p. 65. . . . . termen Pon. Cur. qui judiciis suis procurandum injuncxit. *F.*]

TERMENTĀRĬUM pro Terimentarium, ii, n. linteum: a terendo. *Varr. L. L.* 4, 4. Hinc linteum, quod teritur corpore, termentarium.

TERMENTUM, i, n. *Festus:* Termentum pro eo quod nunc dicitur detrimentum, utitur Plautus in Bacchidibus. *Plauti* locus est *Bacch.* 4, 9, 5. Non Pelides termento fuit, prae ut ego herum expugnabo meum. Alii leg. *tormento*. [At *Both.* ex MSS. et ex conjectura sic: Non pol id est! termentum fuit, prae ut herum expugnavi meum! *F.*]

*TERMĒRA, opp. Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

TERMES, ĭtis, m. ramus desectus ex arbore, nec foliis repletus, nec nimis glaber. Ita describit *Paul.* ex *Festo*. *Gell.* 3, 9. *extr.* Palmae termes ex arbore cum fructu avulsus, spadix dicitur. *Grat. Cyn.* 20. et inculto Silvanus termite gaudens. Adde *ib.* 132. ℙ Praecipue ramus olivae. *Hor. Epod.* 16, 45. Germinat et nunquam fallentis termes olivae. ℙ De tarmite V. TARMES. ℙ *I. q. terebinthus. *Colum.* 7, 9. Oleastris, termitibus. Sic ed. *Schneid.* ubi ed. *Gesner.* cum aliis, *tamaricibus*. ℙ Fuit et Termes, Τέρμες *Ptolemaeo*, opp. Hispaniae Tarraconensis, non procul a Numantia, hodie *Lerma* dictum. *Plin.* 3, 3. *Flor.* 3, 22. *extr.* V. *Termestinus*. ℙ *Termes, etis*, opp. Ioniae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[TERMESSENSES, ium, m. plur. Τερμησσεῖς, incolae Termessi, urbis Pisidiae, quae ex *Stephan. Byz.* duplex fuit, major et minor, quarum una nunc fortasse *Estenap.* dicitur. *Liv.* 38, 15. Termessenses eo tempore Isindensium arcem, urbe capta, obsidebant. In *S. C.* ap. *Mur.* 582. iidem *Termenses*, modo *Thermenses*, modo *Termeses*, *majores Pisidiae* dicuntur. *F.*]

[TERMESTĪNUS. a, um, adj. ad Termestem pertinens, opp. Hispaniae citerioris, cujus mentio ap. *Plin.* 3, 3, 4. est. *Tac. A.* 4, 44. Facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinae. Hinc *Termestini*, *orum*, absolute sunt incolae illius oppidi. *Liv. Epit.* 54. Q. Pompejus consul in Hispania Termestinos subegit. *F.*]

TERMĪNĀLIS, e, adj. ὅριος, ad terminum pertinens. *Tert. Jejun.* 11. *f.* Palos terminales figere. *Paul. Sent.* 5, 22. Terminos effodere, arboresve terminales evertere. *Ammian.* 18, 2. *med.* Ubi terminales lapides Alamannorum et Burgundiorum confinia distinguebant. ℙ *Terminalis sententia*, quae liti finem imponit. *Imp. Justin. Cod.* 4, 31, 14. Litem sententia terminali componere. ℙ *Terminalis tuba*, quae signum dat termini et finis ludorum. *Appul. Met.* 10. Ubi discursus reciproci multimodas ambages tubae terminalis cantus explicuit, aulaeo subducto, et complicatis sipariis, scena disponitur. ℙ [*Terminalis* vocatur cannabis silvatica, quia termini locum habet, cum secus vias ac sepes seritur. *Appul. H.* 1, 14. Cannabis alia est usualis, alia agrestis, quam Itali terminalem appellitant. Nascitur locis asperis et secus vias ac sepes. *F.*] ℙ *Terminalia*, *orum*, et *ium*, festa in honorem dei Termini, VII. cal. Mart., ut docet *Lactant. Mort. persecut.* 12., quo nempe tempore annus terminabatur, die ante Regifugium. *Varr. L. L.* 5, 3, *Cic. Phil.* 12, 10., *Liv.* 43, 13. et 45, 44. et *Macr. Sat.* 1, 13. V. *Ov. Fast.* 2. a *v.* 639. De genitivo plurali V. dicta in SATURNALIA. *Hor. Epod.* 2, 59. Vel agna festis caesa Terminalibus. *Cic. Att.* 6, 1. *in.* Accepi tuas litteras a. d. quintum Terminalia.

TERMĪNĀTĒ, adv. cum termino. *Auct. de cas. litter.* p. 243. *Goes.* Fundo terminate finem constituimus.

TERMĪNĀTĬO, onis, f. ὁρισμός, actus terminandi. *Inscr.* ap. *Grut.* 197, 5. 198, 2. L. Messius Rusticus curator alvei et riparum Tiberis et cloacarum urbis R. R. restituit secundum praecedentem terminationem proxim. cipp. Ped. CX. ℙ Item definitio, distinctio, discretio. *Cic. Fin.* 5, 10. Exposita rerum expetendarum terminatione, cur ista se res ita habeat, deinceps demonstrandum est. *Id. Or.* 53. Ut igitur poetica, et versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium. [**Terminatio* hic est, intpr. *Schütz.* in *cl. Cic.*, i. q. mensura.] *Id. ib.* 59. Ante circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt: quae mens statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat: quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur, *h. e.* modo hunc, modo illum terminum ac positionem verborum structurae imponendo.

*TERMĪNĀTOR, oris, m. ὁροθέτης *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TERMĪNĀTUS, a, um, part. a *termino: ὡρισμένος. *Plin.* 6, 27, 31. Regiones ab oriente Indo, ab occidente Tigri, a septentrione Tauro, a meridie rubro mari terminatae. *Cic. Fin.* 1, 13. *f.* Propterea, quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles, et terminatas habet. [*Apte *Goerenz.* comp. verba ex Epicuri κυρίαις δόξαις ap. *Diog. Laert.* 10, 144. ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται καὶ εὐπόριστός ἐστιν.] *Id. Fam.* 3, 12. *f.* Jam imperio annuo terminato, [*i. e. finito. Sequentem locum ex *Bail.* adduxit *Furnal.*] *Id. Or.* 20. Oratio conclusa et terminata. [*In *Orell. ed.* haec verba loco citato non reperi. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. laud. ejusd. *Or.* 58. univera comprehensio et species orationis clausa et terminata est: porro *ib.* 61. alii laevi et structa et terminata (oratione).] *Colum.* 10. *praef. f.* Materia per se, et quasi suis finibus terminata; et *Julian. Dig.* 47, 2, 58. Si negotium terminatum est, *h. e.* transactum, peractum. *Paul. ib.* 50, 16, 230. Res judicio terminatae. *Id. ib.* 42, 1, 45. Lis terminata.

TERMĪNĀTUS, us, m. idem quod terminus. *Lex de aquaed.* ap. *Front. Aquaed.* 129. Quique erunt circa fontes, et fornices, et muros, et rivos, et specus, terminatus, arbores, vites, vepres, sentes, ripae, maceria, salicta, aruudineta, tollantur, excidantur.

TERMĪNO, as, avi, atum, a. 1. ὁρίζω, terminos constituo, certis finibus circumscribo, definio, finio. [*De ratione hujus verbi exposita v. *Doederl.* 4, 364.] *Lucr.* 1, 998. Terra mare, et contra mare terras terminat omnes. *Cic. Off.* 1, 10. *f.* Illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo R. adjudicavit. *Id. Caecin.* 8. Ingrediens intra finem ejus loci, quem oleae terminabant. *Liv.* 5, 50. Fana omnia, quod ea hostis possedisset, restituerentur, terminarentur, expiarentur. *Inscr.* ap. *Grut.* 196, 4. Ti. Claudius Drusi F. Caisar Aug. Germanicus, auctis populi R. finibus, pomerium ampliavit, terminavitque. *Alia* ap. *eund.* 199, 1. Cippis terminarunt viam. *Cic. N. D.* 2, 54. Stomachus palato extremo atque intimo terminatur. *Id. Cat.* 3, 11. Quorum alter fines vestri imperii non terrae, sed coeli regionibus terminaret. *Id. Mil.* 27. Qui Janiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum. *Id. Sen.* 23. An censes, me tantos labores suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? *Id. Tusc.* 1, 25. *med.* Pythagoras sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit, [*i. e. ad certum numerum revocavit;] et *ib.* 2, 19. *med.* Terminare magnitudinis et diuturnitatis modum. *Liv.* 32, 4. Sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facile queas, *h. e.* eorum fines oculis cernere. *Just.* 22, 5. *f.* Gloriam tam honestae militiae tantam in omne aevum futuram, ut terminari nullo tempore oblivione possit. *Cic. Off.* 3, 33. Epicurus bona voluptate terminavit, mala dolore. ℙ [Pro composito *distermino*, h. e. terminis statutis secerno ac discrimino. *Liv.* 32, 28. *f.* Praetores terminare jussi, qua ulterior citeriorve provincia servaretur. *Id.* 42, 1. Senatui placuit, consulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire. *Inscr.* ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 240. Cn. Sentius Saturninus, C. Clodius Licinus Cos. terminaverunt locum publicum ab privato. V. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 23. [*Ex *Bail.* transtulit *F.*] ℙ *Terminare orationem*, concludere, absolvere, finire. *Cic. Marcell.* 11. Unde est orsa, eodem terminetur oratio. *Id. Or.* 59. Censent, cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. *Id. Or.* 3, 47. *extr.* Vult clausulas longa plerumque syllaba terminari. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.]

TERMĪNUS, i, m. τέρμα, τέρμων, ὅρος, finis, limes: v. gr. lapis, aut stipes, qui ponitur ad denotandos fines agrorum, regionum, ditionum. [*Accuratissime hujus vocabuli naturam describit *Doederl.* 4, 369. sq.] *Cic. Acad.* 4, 43. Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio. *Plin.* 18, 2, 2. Feriae religiosae terminis agrorum, *h. e.* Terminalia. *Just.* 7, 1. Macedoniae termini perangusti fuere; et 1, 1. Rudes ad resistendum populos, terminos usque Libyae, perdomuit. *Id.* 21, 6. Alexandria in terminis Africae et Aegypti condita. *Tac. A.* 12, 23. Terminos urbis propagare; et *ib.* 24. ponere. Apud Romanos Deus fuit: de quo *Ov. Fast.* 2, 639. solito celebretur honore, Separat indicio qui Deus arva suo. Termine, sive lapis, sive es defossus in agro Stipes ab antiquis: sic quoque numen habes. Te duo diversa domini pro parte coronant: Binaque serta tibi, binaque liba ferunt; et *ib.* 639. Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis: Omnis erit sine te litigiosus ager. *Festus:* Termino sacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit, eum, qui terminum exarasset, et ipsum et boves sacros esse. Haec *Festus. Lactant.* 1, 20. *f.* Quid? qui lapidem colunt informem, cui nomen est Terminus, hic est, quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse. *Id. ib.*, *Ov. l. c.*, *Liv.* 1, 55. et *Serv.* ad illud *A.* 9, 448. Capitoli immobile saxum; narrant hujusmodi fabulam: Cum Tarquinius Superbus templum Jovi facere vellet in monte Tarpejo, ubi varia sacella erant multorum Deorum: visum est iis religionibus locum liberare, ut uni Jovi vacaret. Itaque auspicio facto, cum ceterorum exaugurationem admitterent, aves, in Termini (addit *Liv.* 5, 54. *extr.* et Juventatis) fano non addixere: quae res, firmum fore ac stabile Romanorum imperium, portendere credita est. Exstructo igitur templo, supra Terminum reliquere in tecto foramen, ut, quia non cesserat, libero coelo frueretur: atque ob id ei Deo non nisi sub divo sacrificare mos fuit. *Festus:* Terminus quo loco colebatur, super eum foramen patebat in tecto, quod nefas esse putarent, terminum intra tectum consistere. ℙ Significat etiam finem cujuscumque rei. *Cic. Am.* 16. Constituendi sunt, qui sint in amicitia fines, et quasi termini diligendi. *Id. Quint.* 10. *med.* Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim. *Id. Or.* 1, 49. Crassus mihi visus est oratoris facultatem, non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus describere. *Id. Fam.* 6, 22. Cum consilii tui eum tibi finem statueris, quem ipsa fortuna terminum nostrarum contentionum esse voluit. *Hirt. B. Afr.* 54. Quoniam ipsi sibi neque modum, neque terminum constituunt, etc. *Cic. Cat.* 4, 10. Pompeji res gestae iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. *Id. Rabir. perd.* 10. *med.* Nihil longius, quam vitae termini postulant, cogitare. *Plin. ep.* 6, 29. Hos terminos dignitati ac verecundiae tuae statuo. *Cic. Or.* 1, 16. Nullis terminis circumscribere aut definire jus tuum. *Vell.* 2, 46. Neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum. *Pl. As.* 1, 2, 13. Ego pol te redigam ad egestatis terminos. ℙ Translato et obsceno sensu significat etiam τὸ αἰδοῖον ἀρρενικόν. V. *Pompon. l. c.* in OCQUINISCO. ℙ [*Terminus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1015, 2. P. Quintius L. F. Quir. Terminus. *F.*]

TERMĪTĒUS, a, um, adj. a *termes, itis*. *Grat. Cyn.* 446. ipse manu ramum pallente sacerdos Termiteum quatiens, *h. e.* ramum oleagineum.

TERMO, onis, m. idem ac terminus, apud veteres. *Ennius* ap. *Fest.* Ingenti vadit cursu, qua redditu' termo est; et *idem:* Hortatore bono priu', quam jam finibu' termo est.

TERNĀRĬUS, a, um, adj. τριττύς, qui tria continet. *Colum.* 11, 2. *med.* de scrobib.: Eorum quaternarii, hoc est quoquo versum pedum quatuor, si est commodum terrenum, quatuordecim ab uno fiunt; ternarii autem duodeviginti. T [*Ternarius, ii*, m. absolute, idem videtur esse ac nummus aereus, qui triens dicitur, q. v. v. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Ungula subter molliter raditur scalpello famicali, et a qua ternarii magnitudo tollitur. *F.*]

TERNI, ae, a, adj. dispertitiv. τρεῖς, τρία, tres. *Varr. R. R.* 2, 1. Ea partes habet novem, ter ternas; et *Plin.* 20, 17, 73. Ternis in die pilulis. *Cic. Verr.* 2, 3, 48. Ut in jugera singula ternis medimnis decidere liceret. *Virg. A.* 5, 247. Muneraque in naves ternos optare juvencos. ℙ Extra distributionem. *Ov. Met.* 10, 22. Terna Medusaei vincirem guttura monstri, *h. e.* tria guttura Cerberi. *Virg. A.* 5, 560. Tres equitum numero turmae, ternique vagantur Ductores. Adde *Tibull.* 4, 1, 112. ℙ In sing. num.

est triplex. *Virg. A.* 5, 120. terno consurgunt ordine remi. *Claud. Laud. Seren.* 88. te Gratia terna afflavit, docuitque loqui, *h. e.* Gratiae tres. ℙ In gen. plur. saepius *ternum*, quam *ternorum* dicimus. *Plin.* 16, 36, 67. Intervallo ternorum pedum. *Id.* 20, 17, 73. Mensura ternum digitorum. *Id.* 25, 6, 30. Caules ternum cubitorum. *Id.* 11, 29, 35. Ternum pedum longitudo.

TERNĬDĒNI, ae, a, adj. dispertitiv. terni et deni. *Plin.* 18, 26, 62. Ternadena ova subjicito aestate tota, hieme pauciora, non tamen infra novena. Sunt qui putant ternadena ova esse triginta, non tredecim: quorum sententia vel ex eo refellitur, quod ex ejusdem *Plinii* praecepto 10, 54, 75. ova impari semper numero supponenda sunt.

TERNIO, onis, m. numerus tria continens. *Gell.* 1, 20. Numerus ternio, qui Graece dicitur τριάς. [*Capell.* 7, 257. Multiplicet ternio seipsum, fiunt ter terna novem. ℙ Ita etiam vocatur jactus in ludo talorum, et tesserarum a numero punctorum, ubi tamen *trio* pro *ternio* legitur. *Isid. Or.* 18, 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trio, quatrio, quinio, senio. *F.*]

TERNOX, trina nox. V. HERCULEUS.

TERNUS. V. TERNI.

TĔRO, is, trivi, tritum, a. 3. τρίβω, comminuo, imminuo, contero, tenuo, consumo. [*Prima vocis significatio non est comminuendi etc. sed fricando tangendi. Hinc patet, quam recte hujus loci exempla ordine suo disosita sint. Etym. faciunt a Gr. τείρω, τέρω.] *Petr. fragm. Trag.* 74. *Burm.* Fortunata mola buxea piper trivit. *Plin.* 34, 10, 22. Terere aliquid in mortario; et *ib.* 18, 50. aliquid in farinam. *Hor. Sat.* 1, 1, 45. Millia frumenti tua triverit area centum. *Plin.* 18, 10, 23. Spicam in area cum palea terere. *Id.* 16, 40, 77. Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu. *Pl. As.* 1, 1, 16. Illuc me ducis, ubi lapis lapidem terit, *h. e.* in pistrinum, ad molam. *Virg. G.* 2, 519. teritur Sicyonia bacca trapetis. *Varr. R. R.* 1, 13. Id secundum aream faciundum, ubi triturus sit frumentum. *Ov. Trist.* 4, 6, 13. Hoc (*tempus*) tenuat dentem terras renovantis aratri: Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit. *Mart.* 14, 51. Non tam saepe teret lintea fullo tibi, *h. e.* consumet, purgando enim et poliendo atteruntur vestes. *Id.* 9, 23. Nec labris, nisi magna, meis crystalla teruntur. *Virg. Ecl.* 2, 34. Nec te poenitet calamo trivisse labellum. *Ov. A. Am.* 1, 506. Nec tua mordaci pumice crura teras, *h. e.* frices, et leviges. *Tibull.* 1, 9, 32. Nec amplexus aspera barba terit, *h. e.* terendo submovet. *Virg. A.* 5, 324. calcemque terit jam calce Diores, *h. e.* perstringit. *Calces deterere* dixit *Pl. Merc.* 5, 2, 111. eodem sensu. *Cels. praef.* 1. *med.* Duce alii Erasistrato, teri cibum in ventre contendunt, *h. e.* concoqui. ℙ Est etiam tornare, torno polire: quod fit abradendo. *Plin.* 36, 26, 66. Vitrum torno terere. *Virg. G.* 2, 444. Hinc radios trivere rotis. ℙ *Terere locum aliquem* dicuntur, qui frequenter adeunt: et *terere viam*, *iter*, qui saepius eunt redeantque. [*Plin. Pan.* 50, 3. nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo terentur: ubi *Arnz.* corrumpendi, absumendi notionem vidit in h. verbo.] *Mart.* 2, 11. Quod ambulator porticum terit serus; et 10, 10. Mane salutator limina mille teras. *Hor. Epod.* 4, 14. Et Appiam mannis terit. *Virg. G.* 1, 380. angustum formica terens iter. *Ov. A. Am.* 1, 52. Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 259. flavaeque terens querceta Maricae Liris. ℙ *Terere aliquid*, translate est saepius uti. *Cic. Acad.* 4, 6. *f.* Jam enim hoc verbum satis hesterno sermone trivimus, *h. e.* usu mollivimus, si forte rude atque asperum videbatur. *Id. Fin.* 3, 4. *med.* In Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum nova videbantur, quae nunc consuetudo diurna trivit. *Mart.* 8, 3. jam plus nihil addere nobis Fama potest: teritur noster ubique liber, *h. e.* legitur ab omnibus. Adde 11, 3. ℙ Pro calcare, violare, proterere. *Claud. in Ruf.* 1, 228. jurata Deorum Majestas teritur. ℙ *Terere tempus, diem, aetatem, otium*, est traducere, agere: et fere in malam partem. *Cic. Phil.* 5, 11. *med.* Teretur interea tempus: belli apparatus refrigescet. *Id. Or.* 3, 31. Neque teramus in his discendis rebus aetatem. *Hor. Epod.* 16, 1. Altera jam teritur bellis civilibus aetas. *Virg. A.* 4, 271. qua spe Libycis teris otia terris? *Liv.* 1, 57. Regii juvenes otium conviviis comissationibusque inter se terebant; et *paulo post:* In convivio luxuque cum aequalibus tempus terentes. *Id.* 37, 27. *f.* Appropinquare non ausae naves, diem trivere. *Pl. Trin.* 3, 3, 66. In ejusmodi negotio diem sermone terere, segnities mera est. ℙ In bonam. *Liv.* 26, 19. Nullo die prius ullam rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque aedem consideret, et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret. *Virg. A.* 9, 609. Omne aevum ferro teritur, versaque juvencum Terga fatigamus hasta. ℙ Ut illum Dii terant, qui primum olitor caepam protulit. Ita *Naevius* ap. *Prisc.* 6, 681. h. e. proterant, conterant, perdant. ℙ Obscena sententia est in illo *Pl. Capt.* 4, 2, 108. Bojus est, Bojam terit. V. TRITUS et BOJI. ℙ *Tristi* syncope pro *tristi*. V. TERGEO. ℙ *Terui* in praeterito pro *trivi* agnoscitur a *Charis.* 3, 220. et confirmatur a nonnullis illo *Pl. Ps.* 3, 2, 29, Priusquam teruerunt, oculi ut exstillent, facit. Sed alii leg. *triverunt*. V. dicta in ATTERO.

[TERPNUS, a, seu ē, um, adj. τερπνός, ή, όν, delectabilis, jucundus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 647. *n.* 399. L. Sexsaejus Terpnus. Alia ap. *Mur.* 704, 5. Fuscia Q. F. Terpne. ℙ Hoc nomine fuit citharoedus, cujus cantu oblectatum Neronem, scribit *Suet. Ner.* 20. *F.*]

TERPSICHŌRE, es, f. Τερψιχορή, una novem Musarum, quae choris et coetibus praeest. Dicta est a τέρπομαι, delector, et χορός, chorus, tripudium, quod choreis et tripudiis delectetur, vel, ut *Plutarchus* ait, quod maximae vitae pars hisce rebus delectetur et gaudeat. Huic quidam citharae inventionem tribuunt. V. MUSA. ℙ Translate ponitur pro omni poetico studio. *Juven.* 7, 35. tunc seque suamque Terpsichoren odit facunda et nuda senectus.

[TERPSĬLĂUS, i, m. a populo dilectus, delectatio populi: a τέρψις, delectatio, et λαός, populus. Est cogn. R. libert. *Inscr.* ap. *Donat.* 312, 10. Terpsilaus Aug. Lib. Prox. a studiis, *h. e.* proximus a studiis, qui scilicet secundo loco erat a studiis Augusti. V. STUDIUM. *F.*]

[TERPSIS, idis, f. τέρψις, delectatio. Ita appellatur una ex famulabus Diones ap. *Capell.* 9, 306. Eratine Cypridis filia, et Himeros Cupidinis assecutor, item Terpsis e famulitio Diones concinentes gratissime intravere. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 407, 5. Antistiae Terpsidi Antistia Apate soror gemellae fecit pientissimae. *F.*]

TERPSĬCHĂRE, ae, f. τερπούσα, delectans, particip. a τέρπω, delecto. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 350, 4. Volusia L. L. Terpusa. *F.*]

TERRA, ae, f. γῆ, γαῖα, χθών, elementum frigidum et siccum, quod quoniam reliqua omnia gravitate exsuperat, infimum sibi inter ea locum vindicavit. *Varro L. L.* 4, 4. dictam ait, juxta Aelium Stilonem, quod pedibus teratur: suamque sententiam eo confirmat, quod in augurum libris *tera* scribatur unico *r*. *Cic. N. D.* 2, 39. Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede, solida, et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. *Id. Tusc.* 1, 17. Persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam ad universi coeli complexum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi vocant. [*Tellus* ex vulgari ratione significat terram, qua media posita in rerum natura est: *terra* dicitur elementum, opp. ceteris elementis: *solum* adhibetur, quatenus firmum est, opp. maxime aquae, mari: *humus* simili notione comprehenditur, quatenus infima quasi naturae pars est. Cf. *Doederl.* 1, 173. sq.] ℙ Variis modis accipitur. *Varr. R. R.* 1, 9. Terra tribus modis dicitur, communi, proprio, et misto. Communi, ut cum dicimus, orbem terrae, et terram Italiam, aut quam aliam. In ea enim et lapis, et arena, et cetera ejus generis sunt in nominando comprehensa. Altero modo dicitur terra proprio nomine, quae nullo alio vocabulo, neque cognomine adjecto appellatur. Tertio modo dicitur terra, quae est mista, in qua seri quid potest, et nasci, ut argillosa, aut lapidosa, et sic aliae. Haec *Varro:* quae quidem omnia confirmari etiam possunt exemplis petitis ex *Cic.*, *Lucr.*, *Vitr.*, *Liv.* et aliis, ℙ Sunt qui velint hoc nomine in sing. num. totum elementum significari, in plur. aliquot ejus regiones. *Virg. A.* 1, 7. multum ille et terris jactatus, et alto. *Cic. Catil.* 1, 8. Dubitas, si hic morari aequo animo non potes, abire in aliquas terras? ℙ Sed haec differentia aut falsa est, aut certe non perpetua. Nam et *terram* frequentissime pro una qualibet regione legimus, et *terras* pro toto orbe. *Cic. Am.* 4. Eorum, qui in hac terra fuerunt, Magnamque Graeciam, quae tum florebat, etc. Dicimus etiam, *terra Italia, terra Graecia*, pro regione Italiae, Graeciae, etc *Pl. Trin.* 4, 2, 88. Advecti ad Arabiam terram sumus. *Id. Men.* 2, 1, 4. Si adveniens terram videas, quae fuerat tua; et *Ov. Trist.* 1, 1, 127. nobis habitabitur orbis Ultimus, a terra terra remota mea. ℙ *Terra iter facere* opponitur navigationi: sive pedibus, sive equo, aut curru eatur. *Cic. Planc.* 40. *extr.* Iter Brundisium terra petere contendi: nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo. *Liv.* 31, 16. Classe tradita Heraclidi, ut Maroneam peteret, ipse terra eodem pergit. ℙ *A terra*, ab infimo solo. *Varr. R. R.* 3, 7. Ordines quamplurimi esse possunt a terra usque ad cameram; et *ib.* 8. Infimum ordinem oportet abesse a terra non minus tres pedes. ℙ *Ad terram*, *in terram*, humi, ad solum. *Pl. Capt.* 4, 2, 17. Tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. *Id. Poen. a.* 2. *v.* 38. Tam crebri ad terram accidebant, quam pira. *Id. Pers.* 2, 4, 22. Te hodie si prehendero, defigam in terram colaphis; et 5, 2, 15. et *Rud.* 4, 3, 71. Affligere aliquem ad terram. *Ter. Ad.* 3, 2, 18. Capite aliquem in terram statuere. ℙ *De terra*, ex humo. *Cic. Caecin.* 21. Qui saxa jacerent, quae de terra ipsi tollerent. ℙ *Terrae* dativus a poetis dicitur pro *ad*, vel *in terram*. *Virg. G.* 2, 290. penitus terrae defigitur arbos; et *ib.* 318. radicem affigere terrae. *Ov. Met.* 2, 345. terrae procumbere. *Virg. A.* 11, 87. Sternitur et toto projectus corpore terrae. [*Liv.* 5, 51. Sacra in ruina rerum nostrarum terrae celavimus. V. *Schell. Observ.* in *Liv.* p. 308. *Plin. H. N.* 14, 21. In fodiuntque terrae tota. Ceterum duplex est virorum doctorum de hoc dicendi genere sententia: alii, quos *Forc.* secutus est, pro dativo: alii pro genitivo accipiunt *terrae*. *Ruddim.* 2, 274. quaedam saltem dandi casu vult accipi: *Ramsh.* §. 147. p. 449. ubique genitivum intelligit, et quietis et motionis significatu adhiberi solitum.] ℙ In plur. num. etiam ubi opus non est. *Plin. ep.* 6, 20. *med.* Nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria. *Pl. Rud. prol.* 1. Qui gentes omnes, mariaque, et terras movet. *Cic. Agr.* 2, 23. *f.* Pecunia tanta, quanta sit in terris. *Virg. A.* 1, 228. Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes. ℙ *Terrae*, terrarum orbis: item homines, et humana negotia. *Id. G.* 2, 538. hanc vitam in terris Saturnus agebat; et *ib.* 1, 25. urbesne invisere, Caesar, Terrarumque velis curam. *Ov. Pont.* 3, 3, 61. Sic regat imperium, terrasque coerceat omnes Caesar. *Stat. Th.* 1, 179. summe Deorum, Terrarumque sator. *Ov. Fast.* 2, 131. Hoc tu per terras, quod in aethere Juppiter alto, Nomen habes: hominum tu pater, ille Deum. *Id. Met.* 15, 832. Pace data terris. *Virg. Ecl.* 4, 13. siqua manent sceleris vestigia nostri, Irrita perpetua solvent formidine terras. ℙ *Terra ortus, terrae filius* tam in bonam, quam in malam partem adhiberi potest: tum quia terra orti dicuntur, quorum antiquissimum genus est, et in ipsa vetustate sepultum; tum quia etiam ita appellantur ignobiles homines, qui patrem et avum ciere non possunt. *Quint.* 3, 7. *f.* Multum auctoritatis affert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti: αὐτοχθόνες. *Cic. Att.* 1, 13. *med.* Huic terrae filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo. *Minuc. Fel. Octav.* 22. *f.* Inopinato visos, coelo missos; ignobiles et ignotos, terrae filios nominamus. ℙ *Terram videre*, vel *in terra esse* dicuntur, qui ad molesti prolixique laboris finem propemodum pervenerunt. Sumptum a navigantibus. *Pl. Merc.* 1, 2, 84. Equidem jam me censebam esse in terra, atque in tuto loco. *Cic. Mur.* 2. *f.* Quo tandem animo me esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem? ℙ *Terra, marique*, vel *aut terra, aut mari*, est in omnibus locis, vel quacumque ratione. *Pl. Ps.* 1, 3, 83. Ego in hoc triduo aut terra, aut mari alicunde evolvam id argentum tibi. *Cic. Fin.* 5, 4. Ut nulla pars coelo, mari, terra, ut poetice loquar, praetermissa sit. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Ego tamen, terra marique ut conquireretur, praemandavi. ℙ *Percontari a terra ad coelum*, proverbialis locutio est, quae significat minute exquirere, et ab initio ad finem usque rem totam sciscitari. *Pl. Pers.* 4, 4, 54. Volo hanc ego percontari. *Sa.* A terra ad coelum, quidlubet. ℙ Genitivus pluralis *terrarum* eleganter jungitur cum quibusdam adverbiis loci, et vim quandam addit orationi. *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Ubicumque terrarum et gentium. *Id. Att.* 5, 10. *med.* Nesciebam ubi terrarum esses. *Ter. Ph.* 3, 3, 18. Quoquo hinc asportabitur terrarum. ℙ A veteribus terra Dea habita est, variis nominibus appellata, Tellus, Vesta, Ceres, Mater, Cybele, etc. *Cic. N. D.* 3, 20., *Plin.* 2, 63, 63. et *Ov. Fast.* 6, 299. et 460. Fabulantur autem esse eam filiam Demogorgonis, quae ex incertis patribus Noctem pepererit, Tartarum, Famam, Tagem, Antaeum, Pythonem, Typhonem, Tityum, etc. V. *Hyg. praef.* et *fab.* 55. 140. et 152., quibus locis plurimos ejus filios recenset, ut merito una rerum naturae partium cognomine appelletur maternae venerationis, ut ait *Plin. l. c.*, ubi et laudes ejus fuse persequitur. *Varr. R. R.* 1, 1. Juppiter appellatur, Tellus Terra mater. *Suet. Tib.* 75. Terram matrem, Deosque Manes orare, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios darent. Adde *Liv.*, *Lucr.*, *Ov.* quos in MATER attulimus. ℙ *Sub terras*, aut *terris* poetice refertur ad Inferos. *Virg. A.* 4, 651. Et nunc magna mei sub terras ibit imago. *Prop.* 3, 3, 61. Sub terris si jura Deum, et tormenta gigantum. *Id.* 2, 14, 31. Illi sub terris fiant mala multa puellae, Quae, etc. *Humus* quoque hac ratione accipienda videtur in illo *ejusd.* 4, 11, 100. Dum pretium vitae grata rependit humus. ℙ *Terrai* in genit. pro *terrae* dixit more suo *Lucr.* 1, 212. et alibi saepe. Etiam *terras* dixere veteres, ut *monetas*, *familias*, etc. *Naev.* ap. *Prisc.* 6, 679. Magni Atlantes filii terras.

TERRĂCĪNĂ. V. TARRACINENSIS.

TERRAEMŌTUS, et Terrae motus, us, m. σεισμός, terrae concussio, quae a ventis inclusis, et exitum quaerentibus fieri videtur: qua de re multa a *Plin.* 2. a *c.* 79. et a *Seneca Q. N.* 6., item ab *Ammian.* 17, 7. *f.* disputantur. *Cic. Div.* 1, 35. Tantos terrae motus tota in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit; et *ib.* 18. *med.* Cum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus praedixerint. *Id. Har. resp.* 28.

f. Factus in Piceno nuntiatur terraemotus horribilis. *Lucr.* 6, 585. quas exitus hic animai Disturbat urbes, et terraemotus obortus. *Plin.* 2, 84, 86. Maximus terrae memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Caesaris principatu. ℙ Saepius divisim *terrae motus* scribitur, ut in quibusdam ex supra allatis exemplis.

[TERRĀLIS, e, adj. Herba terralis appellatur sisymbrium ap. *Appul. Herb.* 105. *F.*]

[TERRĀRĬUM, ii, n. agger terreus, qui viae locum tenet, ut via prope Tarvisium, quae nunc *Terraglio* dicitur. *Inscr.* ap. *Fea, Relaz. d'un viagg. ad Ostia* p. 53. Pro Sal. Imp. Caes. Aug. N. L. Septimii Severi Pertinacis Herculi Numini Sancto cum basi marmorata, acceptatoribus et terraris (pro terrariis) C. Sentius Portesis S. P. D. D. (V. ACCEPTATOR et *Ducang. Glossar. med.* et *inf. Latin.* in V. *Terrarium. F.*]

[TERRĀRĬUS, a, um, adj. in terra degens. *Vet. Schol.* ad *Pers.* 6, 24. Solent quidam gulae dediti, tantae subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius, an terrarius sit, *h. e.* an aviario inclusus fuerit, ibique pastus, an libere iu terra sua altus. *F.*]

TERRĒNUS, a, um, adj. γαώδης, qui est e terra, terreus. *Cic. Tusc.* 1, 18. *extr.* Corpora nostra terreno principiorum genere confecta. *Virg. A.* 11, 850. terreno ex aggere bustum. *Liv.* 38, 20. Terreni colles. *Id.* 33, 17. *med.* Campus terrenus, operique facilis. *Vitr. praef.* 8. *f.* Terrenus fructus escarum nutrit animalia. *Ov. Trist.* 5, 6, 39. Terrena horrea formicarum. *Id. Met.* 7, 107. fornax, *h. e.* e lateribus coctis exstructa. *Plin.* 35, 12, 46. vasa, *h. e.* fictilia. *Ulp. Dig.* 43, 10, 1. In viam terrenam glaream injicere. *Ov. Met.* 15, 273. ubi terreno Lycus est epotus hiatu. ℙ *Terrenum* absolute i. q. ager. *Liv.* 23, 19. Cum hostes obarassent quidquid herbidi terreni extra murum erat. *Colum.* 2, 2. Genera terreni tria, campestre, collinum, montanum. *Id.* 3, 11. *med.* Est vineis amicus etiam silex, cui superpositum est modicum terrenum. *Plin.* 9, 51, 74. Sepia in terreno parit inter arundines. ℙ Est etiam qui in terra degit, aut fit terrestris, χερσαῖος. *Cic. N. D.* 1, 37. Bestiarum terrenae sunt aliae, partim aquatiles. *Lucan.* 6, 400. Terrenus homo. *Plin.* 9, 57, 83. Terreni vermes. *Colum.* 11, 2. *f.* Per hos dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolae. *Plin.* 3, 8, 14. et 6, 17, 19. Terrenum iter, i. e. non flumine, aut mari; et *ib.* 21. *med.* Terrena demonstratio, *h. e.* explicatio mensurarum itineris terrestris. *Stat. Th.* 2, 404. Terrena frigora membris ducere, *h. e.* nuda humo cubando sentire. *Ov. Met.* 7, 248. Terrena numina. ℙ *Terrena via* dicitur, quae nec glarea, nec silice, nec lapide quadrato est strata. *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. Nec potest vel in viam terrenam glaream injicere, aut sternere viam lapide, quae terrena sit, vel contra lapide stratam terrenam facere.

TERRĔO, es, rui, ritum, a 2. φοβέω, ταράσσω, terrorem incutio, metum injicio, perterrefacio, turbo. *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* Nec me ista terrent, quae mihi a te ad timorem proponuntur. *Id. Rosc. Am.* 24. Suae quemque malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. *Id. Planc.* 35. *f.* Equestrem ordinem consul proscriptionis denuntiatione terrebat. *Id. Par.* 2. Eum tu hominem terreto istis mortis aut exilii minis. *Id. Har. resp.* 4. Urbem caede incendiisque terreret. *Phaedr.* 1, 2. tigillum missum subito vadi Motu sonoque terruit (*ranas*); et *ib.* 11. insueta voce terreret feras. *Ov. Met.* 14, 817. Omnipotens tonitruque et fulgure terruit urbem. *Prop.* 4, 6, 47. Nec te, quod classis centenis remiget alis, Terreat. *Caes. B. G.* 7, 49. Ut si nostros depulsos loco vidisset, quo minus libere hostes insequerentur, terreret. *Auct. Pan. ad Constant.* 22. Illico obvius adfuisti, et praesentia tua, ne auderent transitum, terruisti. *Sall. in or. Lepidi contra Sull.* Vos metu gravioris servitii a repetunda libertate teremini. *Vell.* 2, 110. *extr.* Alicujus animum quatere atque terrere. *Sil.* 3, 35. At Stygius saevis terrens latratibus umbras Janitor. *Liv.* 28, 26. *med.* Territuri succlamationibus, concurrunt. *Caes. B. G.* 7, 84. Multum ad terrendos nostros valuit clamor.

TERRESTER, is, e, et Terrestris, e, adj. χερσαῖος, qui in terra est, ad terram pertinens, terrenus. *Cic. Univ.* 10. Animantium genera quatuor: unum coeleste, alterum aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. *Id. N. D.* 2, 30. Ex admiratione rerum coelestium atque terrestrium. *Id. Verr.* 2, 5, 27. *f.* Unum horruissent Apronium, terrestrem archipiratam; et *ib.* 6, 58. Ut in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio Jovis poneret. *Pl. Capt.* 1, 2, 86. Terrestris coena est, multis oleribus. *Flor.* 2, 2. Ille rudis, ille pastorius populus, vereque terrester, *h. e.* qui terra tantummodo hactenus res gesserat. *Plin.* 10, 23, 33. Coturnices, parva avis, et terrestris potius, quam sublimis. *Nep. Them.* 2. Exercitus terrestres: opponuntur classibus. *Id. Alcib.* 5. *med.* Victi erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus. *Hirt. B. Alex.* 25. et 32. et *Plin.* 5, 6, 6. Terrestre iter: navigationi opponitur.

TERRĔUS, a, um, adj. γαιώδης, qui e terra est, terrenus. *Varr. L. L.* 4, 8. Sub muro terreo Carinarum. *Id. R. R.* 1, 14. Fossa, et terreus agger. *Caes. B. G.* 1, 43. Planities erat magna, et in ea tumulus terreus satis grandis.

TERRĪBILIS, e, adj. φοβερός, terrorem incutiens, terribilis, formidabilis. *Virg. A.* 5, 524. Seraque terrifici cecinerunt omina vates. *Lucr.* 2, 632. Terrificas capitum quatientes numina cristas. *Ov. Met.* 1, 179. Terrifica caesaries. *Val. Fl.* 1, 785. Terrificum sacrum.

TERRĪGĔNA, ae, m. et f, γηγενής, ex terra genitus. *Cic. Div.* 2, 64. ex poeta: Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam, potius quam hominum more cochleam dicere. *Ov. Her.* 12, 99. Donec terrigenae (facinus mirabile!) fratres In se constrictas conseruere manus, *h. e.* nati ex dentibus serpentis ab Iasone satis. Adde *ib.* 6, 35. et *Val. Fl.* 7, 505. etc. Rursus *Ov. Met.* 5, 325. Typhoeus terrigena. *Sil.* 9, 306. exercitus: scil gigantum; et *Val. Fl.* 2, 18. monstra terrigenum gigantum. *Lucr.* 5, 1410. Quam silvestre genus capiebat terrigenarum, *h. e.* primorum hominum. Ap. *Sil.* 6, 254. terrigena est serpens. Adde *Stat. Th.* 6, 506.

TERRĪGĔNUS, a, um, adj. e terra genitus. *Tert. adv. Marc.* 2, 12. Aquigena et terrigena anmalia.

TERRĪLŌQUUS, a, um, adj. δειματολόγος, qui terrorem afferentia loquitur. *Lucr.* 1, 103. Terriloquis victus dictis desciscere quaeres.

TERRĪPĀVĬUM. } V. TRIPUDIUM.
TERRĪPŪDĬUM. }

TERRĪSŌNUS, a, um, adj. δειματοηχής, qui sono terret. *Claud. Laud. Stil.* 1, 109. non terrisonus stridor venientis Alani, etc.

TERRĪTĬO, onis, f. terrendi actio, terror. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. *med.* Nuda ergo interrogatio, vel levis territio non pertinet ad hoc edictum.

TERRĪTO, as, a. 1. δειμαίνω, frequenter terreo. *Virg. A.* 4, 187. et magnas territat urbes. *Liv.* 8, 28. Minis territare. *Pl. Ep.* 4, 1, 4. Pavor territat mentem animi. *Id. Bacch.* 4, 8, 44. Territare aliquem morte. *Caes. B. G.* 5, 6. *f.* metu; et *ib.* 7, 63. supplicio. *Quint. decl.* 10, 7. Territare somnos. *Stat. Th.* 3, 321. de fulmine: coelumque trisulca Territat omne coma. [*Front. de fer. Alsiens.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *med.* Tum Jovem ferunt canem custodem opposuisse umbris territandis, *h. e.* Cerberum. *F.*]

TERRĪTŌRĬĀLIS, e, adj. ad territorium pertinens, ut Territoriales termini. *Front. de limit.* p. 47. *Goes.*

TERRĪTŌRĬUM, ii, n. ἀγρός, χωρίον, ager circa oppidum. *Varr. L. L.* 4, 4. Colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, territorium: quod maxime teritur. *Pomp. Dig.* 50, 16, 239. *f.* Territorium est universitas agrorum intra fines cujusque civitatis: quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est submovendi jus habent. *Sicul. Flaccus de condit. agror.* p. 3. *Goes.* Praemensumque quod universis suffecturum videbatur solum, territis fugatisque inde civibus, territoria dixerunt; et *paulo post:* Bellis gestis, victores populi terras omnes, ex quibus victos ejecerunt, publicavere, atque universaliter territorium dixerunt, intra quos fines jus ducendi esset. *Front. de limit. ib.* p. 42. Territorium est quidquid hostis terrendi causa constitutum est. *Servius* ad *A.* 5, 755. Sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum: unde et territorium dictum est, quasi terribovium, tritum bobus et aratro. Ex his notationibus quaenam praeferenda sit, *Voss.* in *Etym.* disputat. *Cic. Phil.* 2, 40. Quo quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur. *Plin.* 29, 6, 34. Extra territorium abire. *Pall.* 4, 10. *med.* Quod ego in territorio Neapolitano in fundis meis comperi.

TERRĪTUS, a, um, part. a *terreo*: φοβηθείς, terrore affectus, exterritus. *Sall. Jug.* 42. Arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare. *Just.* 5, 3. *f.* Hac denuntiatione territi, etc. *Sen. Herc. Oet.* 700. pavido territa vultu, Fertur rapido regina gradu. *Phaedr.* 1, 15. hostium clamore subito territus. *Virg. A.* 11, 699. subitoque aspectu territus haesit. *Ov. Met.* 3, 115. territus hoste novo Cadmus; et *ib.* 2, 492. *vacca* metu venantum territa fugit. *Sall. fragm.* ap. *Arusian. Mess.* et *Liv.* 7, 34. Territus animi. *Manil.* 5, 576. Altera si Gorgon veniat, non territus ire.

TERROR, oris, m. φόβος, δέος, ἔκπληξις, magnus timor incussus: a *terreo*. *Cic. Tusc.* 4, 8. *f.* Terror est metus concutiens: ex quo fit, ut terrorem pallor, et tremor, et dentium crepitus consequatur. *Id. Fin.* 5, 11. Ferae, sibi injecto terrore mortis, horrescunt. *Sall. Jug.* 7. *med.* Esse maximo terrori alicui. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 534. In oppido ingens terror erat, ne munimenta madore infirmarentur. *Caes. B. C.* 3, 13. Tantus terror incidit exercitui, ut, etc. et *ib.* 1, 14. Tantus repente terror invasit, ut, etc. *Id. B. G.* 7, 8. Maximum terrorem inferre hostibus. *Cic. Att.* 2, 23. *med.* Non mediocres terrores jacere atque denuntiare. *Liv.* 6, 42. Ingentem terrorem afferre. *Id.* 3, 4. *f.* Tantum terrorem incussere patribus, ut, etc. *Id.* 34, 28. Hostes adorti Romanos, in terrorem ac tumultum conjecerunt. *Id.* 10, 1. *f.* Aequi tantum Romae terrorem facere, ut tumultus ejus causa dictator diceretur. *Nep. Att.* 9. Magnis terroribus vexari. *Cic. Font.* 11. *med.* Alicujus minis et terrore commoveri. *Id. Off.* 3, 31. *f.* Terrore coactus. *M. Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. *f.* exanimatus. *Lucan.* 3, 98. attonitus; et 1, 487. percussus. *Sen. Troad.* 1136. terror attonitos tenet populos; et *ib.* 434. turbat atque agitat Phrygas. *Ov. Fast.* 3, 282. vulgi pectora terror habet. *Id. Met.* 3, 100. gelidoque comae terrore rigebant. *Id. A. Am.* 3, 477. terrore pallens. *Id. Fast.* 4, 271. pavens. *Tac. A.* 1, 21. Paucos ad terrorem ceterorum, affici verberibus jubet. *Suet. Cal.* 50. Vultum componere ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. *Catull.* 64, 338. Nascetur vobis expers terroris Achilles. ℙ De metu Deorum, et religione, δεισιδαιμονία. *Tac. G.* 40. *extr.* Arcanus hic terror, sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident. ℙ [*In oratione ap. *Cic. terror* est Gr. δεινότης, s. σεμνότης. *Cic. Brut.* 11, 44. ejusdem (Periclis) vim dicendi terroremque timuerunt. Cf. *Thucyd.* 2, 65. Porro *ib.* 77, 268. ut plena esset animi et terroris oratio: ita *Orell. Schütz.* et *Ellendt.* ex *Purgoldi* conjectura legunt *fervoris:*] ℙ De ipea re, quae terrori est. *Vell.* 2, 4. *med.* Post duos consulatus, duosque triumphos, et bis excisos terrores reipublicae, *h. e.* dirutas Carthaginem, et Numantiam. [**Plin. Pan.* 83, 8. An, cum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio: i. e. satellitum, quibus stipatus esse solet tyrannus.] *Lucr.* 5, 40. ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit, et trepido terrore repleta est Per nemora ac montes magnos. ℙ Ad illud *Virg. A.* 11, 357. Quod si tantus habet mentes et pectora terror: *Servius* adscribit, terrorem esse proprie, qui aliis infertur; metum, quem habent timentes: sed hoc loco terrorem pro metu *Virgilium* usurpasse. [**Gierig.* ad *Plin. Pan.* 11, 3. docet: *terror* ad mala praesentia, *metus* ad futura pertinere.]

TERROSUS, a, um, adj. γαιώδης, terram admixtam habens. *Vitr.* 2, 4. Arena terrosa; et *ib.* 6. *f.* Terrosi montes.

TERRŪLA, ae, f. dimin. terrae. *Imp. Leo Cod.* 10, 15, 1. In alienis terrulis nemo audeat, invitis dominis, opes abditas perscrutari, *h. e.* agellis. *Impp. Honor. et Theodos.* 11, 24, 6. [Quicumque in ipsis vicis terrulas contra morem fertiles possederunt. *Inscr.* ap. *Lup. Epitaph. Sev.* p. 159. Septimius Jubenalis hoc monimentum virgine in fronte pedes XII., in agro pedes XVI. cum terrula pura ab ante et dextra laevaque ad murum, sicut terminus demonstrat, longum pedes LII., latum pedes

XXXV. etc. *F.*] Agnoscitur haec vox etiam a *Prisc.* 3, 615.

TERRŬLENTĒ, adv. terreno modo. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 378. Rem spiritalem terrulente quaerere. Alii leg. *terrulenter.*

TERRŬLENTUS, a, um, adj. terrenus. *Prud.* περὶ στεφ. 2, 196. Quod terrulentum ac sordidum, flammis necesse est decoqui. *Id. Harmat. praef.* 5. Hic (*Cain*) terrulentis, ille (*Abel*) vivis fungitur, *h. e.* terra natis, ut olera, et fruges.

*TERSOR, oris, m. καταμάκτης *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*TERSORĬUM, i, n. pannus, spongia ad tergendum. *Gloss. Gr. Lat.* ἐκμαγεῖον, Tersorium. *B. A.*

TERSUS, a, um, part. a *tergeo:* ψηκτὸς, purus, nitidus, detersus. *Festus:* Tersum diem pro sereno dictum ab antiquis. *Pl. Stich.* 5, 5, 4. Mulier bene cum lauta, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen. *Ov. Met.* 2, 736. ut tersis niteant talaria plantis. ¶ Translate. *Stat. in epist. praefixa lib. Silv.* 2. Vir optime, nec minus in judicio litterarum, quam in omni vitae colore tersissime. *Quint.* 10, 1. *med.* Elegiae mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. *Id.* 10, 1. *med.* Multo est tersior, ac purus magis Horatius. *Plin. ep.* 9, 22. Si elegos ejus in manus sumpseris, leges opus tersum, molle, jucundum; et *ib.* 2, 3. Praefationes tersae, graciles, dulces. *Quint.* 12, 10. *med.* Judicium acre tersumque.

TERSUS, us, m. *Appul. Met.* 1. E promptuario oleum unctui, lintea tersui profer, *Id. Apol.* Petere aliquid tersui dentium.

TERTĬADECĬMĀNI, orum, m. plur. milites legionis tertiaedecimae. *Tac. H.* 3, 27.

TERTĬĀNUS, a, um, adj. τριταῖος. *Tertiana febris*, quae tertio quoque die recurrit, quae et *tertiana* absolute dicitur. *Cic. N. D.* 3, 10. Ne tertianas quidem febres, et quartanas divinas esse. *Petr. Sat.* 17. Tertianae impetum timere. *Cels.* 3, 5. Qui tertiana timeri potest, exspectandus est dies tertius. *Plin.* 24, 19, 107. Herba adalligata brachio tertianas arcere traditur. ¶ *Tertiani, orum*, sunt tertiae legionis milites. *Tac. A.* 13, 38. et *H.* 3, 24.

TERTĬĀRĬUS, a, um, adj. tertiam alicujus rei partem recipiens. *Plin.* 34, 17, 48. Stannum tertiarium vocant, in quo duae nigri plumbi potiones sunt, et tertia albi. ¶ *Tertiarius* absolute, triens, seu tertia pars sextarii. *Cato R. R.* 95. Sumito bituminis tertiarium, et sulfuris quartarium. Hoc idem ita refert *Plin.* 17, 28, 47. Cum bituminis tertia parte, et sulfuris quarta. Alii pro *tertia parte* legunt *tertiario*, pro *quarta* vero *quartario*, scilicet *tertia* et *quarta* parte sextarii, quod eodem recidit. ¶ *Tertiarius* quoque dicitur ap. *Vitr.* 3, 1. *med.* numerus octavus ratione numeri senarii, quia continet supra sex tertiam partem, nempe duo: Graece ἐπίτριτος. V. EPITRITUS. ¶ Praeterea tertiarium vocat idem *Vitr.* 4, 7. *med.* trigonam figuram contignationis in tecto. V. *Bald.* in *Lex. Vitr.*

TERTĬĀTĬO, onis, f. τρίτευσις, operis alicujus trina repetitio. *Colum.* 12, 50. Sint tres labrorum ordines, ut unus primae notae, idest primae pressurae, oleum recipiat; alter secundae; tertius tertiae: nam plurimum refert non miscere iterationem, multoque minus tertiationem cum prima pressura.

TERTĬĀTO. V. QUARTATO.

TERTĬĀTUS, a, um, part. *a tertio:* tertio repetitus. *Colum.* 2, 4. Campi uliginosi cum arati fuerint, cira solstitium iteratos esse oportebit, ac deinde circa Septembr. calendas tertiatos. ¶ *Tertiata verba*, tertio repetita, et imperfecte prolata: quod in perturbatione fieri solet. *Appul. Met.* 5. Tremensque et exsangui colore lurida, tertiata verba semianimi voce substrepens, sic ad illas ait. ¶ [*Tertiata castra* sunt tertia parte longiora, quam lata. *Hyg. Grom.* p. 8. *col.* 1. Castra, in quantum fieri potest, tertiata esse debebunt, ut flatus aurae aestus exercitus leniat: hoc dixi tertiata, ut puta in longum ped. duo mill. quadringenti, in latum mille sexcenti. *F.*]

TERTĬCEPSOS. V. BICEPSOS.

[TERTĪNUS, a, um, adj. ad tertium pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 172, 1. P. Hostilius Tertinus. Alia ap. *Grut.* 563, 7. Tertinia Tertina. *F.*]

TERTĬO et Tertium, adv. τὸ τρίτον, tertia vice. *Ter. Eun.* 3, 3, 24. Non hercle veniam tertio. *Cic. Dejot.* 14. Ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum uatereris. *Id. Div.* 2, 59. Nemo est, quin saepe jactans, Venerium jaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum ac tertium. *Cato* ap. *Charis* 2, 196. Veniunt iterum atque tertium tumultuosius. *Plin.* 14, 22, 28. Idque iterum tertiumque. *Caes. B. C.* 3, 43. Circumvallare Pompejum instituit, haec spectans: quod angusta re frumentaria utebatur, etc. simul ut pabulatione Pompejum prohiberet, etc. tertio ut auctoritatem minueret. *Cels.* 4, 4. *f.* Sanguis mittendus est iterum tertioque, et quotidie paulum aliquid. *Liv.* 23. 3. *f.* Tuam doleo vicem, cui ter proditae patriae sustinendum est crimen: semel, cum defectionis ab Romanis; iterum cum pacis cum Annibale auctor fuisti; tertio hodie. *Id.* 3, 22. Consules creati Q. Fabius Vibulanus tertium, et L. Cornelius Maluginensis; et *ib.* 67. Satis honorum, satis superque vitae erat: mori consulem tertium oportuit. ¶ *Varro* ap. *Gell.* 10, 1. distinguit inter *tertio*, *quarto*, et *tertium*, *quartum*, ut in QUARTO et QUARTUM dictum est. Narrat autem *Tiro Tullius ib.*, cum Pompejus aedem Victoriae dedicaturus, suum nomen et honores inscribi vellet, dubitatum fuisse, *tertione consul*, an *tertium* scribendum esset: cumque alii hoc, alii illud praeferrent, interrogatum *Ciceronem* judicare de viris doctis veritum esse, ne quorum opinionem improbasset, ipsos videretur improbasse: itaque persuasisse, ut *tert.* scriberetur. Haec *Tiro.* V. SECUNDUM. ¶ Ceterum *tertium* et *quartum* praetor aut consul in veterib. monumentis frequens est. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 1. M. Agrippa L. F. Cos. tertium fecit. *Front. Aquaed.* 10. Cum Agrippa jam tertium consul fuisset. In *monum. Ancyr.* ap. *Grut.* 230. Consul quintum: consul undecimum: tribunicia potestate duodecimum; consul tertium decimum. *Tertio* et *septimo* consul dixere olim *L. Coelius Antipater*, et *Q. Claud. Quadrig.* ap. *Gell. l. c.*, item *Plin. Pan.* 60. ¶ *Tertio* pro ter. *Pall.* 1, 11. Parietes tertio prius debebis obducere, ut tectorium sine corruptione suscipiant. Adde *Trebell. l. c.* in SECUNDO.

TERTĬO, as, a. 1. opus aliquod tertio repeto. *Colum.* 2, 4. *med.* Jugerum talis agri commode proscinditur operis duabus, una iteratur, tertiatur dodrante operae. *Pall.* 10, 1. Ager pinguis tertia vice arabitur: quamvis humido anno possit et antea tertiari.

TERTĬOCĔRĬUS. V. SECUNDICERIUS.

[TERTĬOLUS, a, um, adj. diminut. tertii. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 312, 7. Tertius Augustorum servus Aelio Tertiolo filio dulcissimo. *F.*]

TERTĬUM, adv. V. TERTIO.

TERTĬUS, a, um, adj. τρίτος, proximus a secundo. *Cic. Fam.* 9, 22. Si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo: nihil esse tertium. *Id. Att.* 5, 20. *med.* Mancipia vaenibant tertiis Saturnalibus, *h. e.* tertio die Saturnalium. *Caes. B. G.* 1, 1. Gallia est divisa in partes tres: quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam Celtae. *Catull.* 62, 63. Tertia pars patri data, pars data tertia matri, Tertia sola tua est. *Gell.* 9, 4. *med.* Sauromatas cibum capere semper diebus tertiis: medio abstinere: tertio quoque die. *Quint.* 1, 5. *med.* Syllaba proxima extremae, aut ab ea tertia. *Ov. Met.* 13, 28. sic ab Jove tertius Ajax, *h. e.* filius Telamonis, qui patrem habuit Aeacum, avum Jovem; et *ib.* 14, 237. Tertius e nobis. *Id. Fast.* 4, 584. Nupta Jovis fratri tertia regna tenet, *h. e.* Inferos. *Id. Trist.* 2, 53. tertia numina, *h. e.* Dii Inferi. *Plin.* 31, 2, 19. Tertio die, quam quis biberit; et *alter Plin. ep.* 4, 27. Tertius dies est, quod audivi recitantem Augurinum. ¶ *Tertiae*, tertia pars. *Plin.* 33, 9, 46. Miscentur argento tertiae aeris Cyprii. *Id.* 34, 5, 11. Quibus ex foedere tertias praedae R. populus praestabat. *Id.* 7, 12, 10. Spinther secundarum (*partium*), tertiarumque Pamphilus. V. PARS. ¶ *Ad tertiam partem decoquere* aliquid est ita coquere, ut duabus partibus consumptis, una supersit: *ad tertias decoquere* est, ut, una consumpta, duae restent. *Plin.* 21, 18, 71. Junci radix in tribus heminis aquae decocta ad tertias, tussi medetur. *Varr, R. R.* 1, 2. *med.* Aquam ad tertiam partem decoquere. *Colum.* 12, 20. Cum ad tertias subsederit coctura; et *ib.* 25. et 38. *f.* Succum in tertiam partem decoquere. ¶ *Tertius* est praenomen R. *Inscr.* ap. *Donat.* T. 1. p. 555. Tertius Rufellius Verus IIII. Vir A. P. *h. e.* aedilicia potestate. *Alia* ap. *Maff. Mus. Ver.* 123, 7. Tertius Vercobius Surus Mil. Coh. XII. Ur. ¶ Item *Tertius* et *Tertia* est cogn. R., illius nempe, qui, vel quae tertio loco nascebatur, ut *Primus* vel *Prima*, et *Secundus* vel *Secunda*, qui vel quae ante illum illamve; tametsi non semper is ordo servabatur. *Inscr.* Patavina ap. *Grut.* 826, 7. C. Sempronius Q. F. Primus vivos F. (*h. e.* fecit) sibi et Q. Sempronio Tertio fratri suo. Hinc jocus *Ciceronis* ap. *Macr. Sat.* 2, 2. Servilia mater M. Bruti minimo pretiosum fundum emerat a Caesare, subjiciente hastae bona civium. Et dicebatur is cum illa consuetudinem habere, simulque cum filia ejus Junia Tertia, C. Cassii Longini uxore: Tunc *Cicero:* Quo melius emptum sciatis, comparavit Servilia hunc fundum, Tertia deducta, *h. e.* tertia parte pretii detracta, seu Tertia filia perducta. *Suet. Caes.* 10. idem narrat.

TERTĬUSDĔCĬMUS, a, um, τρισκαιδέκατος, decimus tertius. *Colum.* 6, 36. et *Plin.* 8, 44, 69. Mense tertiodecimo. *Cels.* 3, 4. *med.* Tertiusdecimus dies. *Tac. A.* 1, 37. Tertiadecuma legio.

TERTĬUSVĪCĒSĬMUS, a, um, adj. εἰκοστὸς τρίτος, vicesimus tertius. *Gell.* 17, 7. Nigidius in tertiovicesimo grammaticorum commentariorum.

[TERTULLĬĀNISTA, ae, m. Tertulliani sectator. *Isid. Or.* 8, 5. Tertullianistae dicti a Tertulliano presbytero Africanae provinciae, civitatis Carthaginiensis, animam immortalem esse, sed corpoream praedicantes, et animas hominum precatorum post mortem in daemones verti putantes. *F.*]

TERTULLĬĀNUS, i, m. Τερτυλλιανὸς, scriptor Ecclesiasticus, patria Carthaginiensis, multa scripsit, quae exstant, stilo aspero, et, ut ita dicam, salebroso, novatis insolenti deductione verbis, et phrasi saepe impedita, et obscura; non tamen sine veteris probaeque eruditionis ornamentis. Floruit sub Severo, et Caracalla. *Lact.* 5, 1. *f.* Septimius Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, et minus comptus, et multum obscurus fuit.

[TERTULLĪNUS, a, um, adj. ad Tertullum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 248, 6. Petronia Tertullina. *F.*]

TERTULLUS, a, um, adj. dimin. tertii. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 654. Sex Sulpicius Tertullus Cos. scil. ann. a Chr. n. CLVIII. *Inscr.* ap. *Grut.* 679, 1. Cornelia Tertulla. *Cic. Att.* 15, 11. et *ib.* 14, 20. *Tertullam* vocat, quam *Suet. Caes.* 50. et *Macr. Sat.* 2, 2. *Tertiam* appellant. V. et *Tac. A.* 3, 76.

TERTUS, a, um, idem ac tersus apud veteres. *Varro* ap. *Non.* 2, 847. Atrei terta nitet galea. *Id. ib.* Alii sunt circumtonsi, et terti, atque unctuli, ut mangonis esse videantur servi.

TERTYLLĬĀNUS, et Latino more Tertullianus, a, um, adj. ad Tertyllum, seu Tertullum pertinens, quod est nomen viri proprium: Senatus consultum Tertyllianum (de quo est *tit.* 17. *l.* 38. *Digest.*) dictum ab Ovinio Tertyllo, matres ad legitimam filiorum hereditatem admittit, ut docet etiam *Martian. ib.* 36, 34.

TERTYLLĬĀNUS vel Tertullianus, i, m. JCtus circa tempora Alexandri Severi, memoratur ab *Ulp. Dig.* 29, 2, 30. *f.* scripsitque libros Quaestionum, et de castrensi peculio.

TERVĔNĔFĬCUS, a, um, adj. maxime veneficus. *Pl. Bacch.* 4, 7, 15. Ut pergraecetur tecum, tervenefico.

*TERVĬUM, i, n. Italiae oppidum, in Piceno. *Plin.* 3, 13. ed. *Hard.* ubi antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Helvinum. B. A.*

TĔRUNCĬUS, ii, m. nummi aerei nomen, quo olim quadrans vocabatur, quia tres uncias continet, quae est quarta pars assis. *Plin.* 33, 3, 13. Quadrans antea teruncius vocatus a tribus unciis. Alii leg. *triuncis*, sed invito *Hard. Varr. L. L.* 4, 36. Teruncius a tribus unciis, sembellae quod valet dimidium; et est quarta pars, sicut quadrans, assis. ¶ Mansit in usu loquendi ad significandum exiguum nummum, aut minimam pecuniae summam. *Cic. Fam.* 2, 17. De praeda mea teruncium non attigit, nec tacturus est quisquam. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Omnino nullus in imperio meo sumptus factus est: nullus, inquam, ne teruncius quidem. *Id. Fin.* 3, 14. Interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae: et in divitiis Croesi teruncii accessio. *Pl. Capt.* 3, 1, 17. Neque ridiculos jam teruncii faciunt, i. e. nauci, flocci faciunt. *Appul. Apol.* Dos erat a creditore omnis ad teruncium pridie sumpta. ¶ *Heres ex teruncio* est ex quarta parte, seu ex quadragesima; putant enim nonnulli, teruncium fuisse monetam argenteam, quae esset pars quadragesima denarii, seu quarta pars libellae, h. e. tres unciae. *Cic. Att.* 7, 2. *med.* Curius fecit palam te (*heredem*) ex libella, me ex teruncio.

*TESANA, castellum in Rhaetia. *Paul. Dial. Langob.* 3, 31. *B. A.*

TESCĂ et Tesqua, orum, n. plur. Verrius ait, esse loca augurio designata: Opilius Aurel. loca consecrata ad augurandum: libri autem Pontific. docent, sancta loca esse undique septa: in his enim scriptum est: templumque, sedemque, tescumque, sive Deo, sive Deae dedicaverit, ubi eos accipias volentes propitiosque. Hostius belli Istrici l. 1. Per gentes alte aetherias et tesca volabis, Templa antiqua Deum: Cicero vero aspera, difficilia aditu dixit, cum ait: loca aspera, tesca tuor. Accius in Philocteta: Quis tu es mortalis, qui in deserta, et tesca te adportas loca? Hactenus ex *Festo. Varr. L. L.* 6, 2. Loca quaedam agrestia, quod alicujus Dei sunt, dicuntur tesca; et *mox:* post allata verba *Accii:* Qui tesca dixit, non erravit: neque ideo quod sancta, sed quod ibi myseria fiunt, ac tuentur (h. e. *curantur:*) tuesca dicta, post tesca. Haec *Varronis* notatio minus placet iis, qui ducunt a δασύσκιος, et per sync. δάσκιος, valde umbrosus: a δασὺς, spissus, et σκιὰ, umbra. Nam praeter *Ciceronem* et *Accium* modo allatos, *Hor.* quoque et *Lucan.* tesca intelligunt loca umbrosa, aspera, inculta, deserta, inamoena. *Gloss. Philox.* Tesqua, κατάκρημνοι, καὶ ῥάχεις, καὶ ἔρημοι τόποι. *Hor. Ep.* 1, 14, 19. nam quae deserta et inhospita tesca Credis, amoena vocat qui mecum sentit. *Lucan.* 6, 41. Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesca, Et silvas. *Tesqua* multi leg. hic, et ap. *Hor.* Sic *Appul. Flor. n.* 11. Nullus in tesquis suis fructus est, sed infelix lolium, etc. et *n.* 17. Merulae in remotis tesquis fringultiunt.

*TESSARA, oppidum Aethiopiae, vel certe Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

TESSELLĂ, ae, f. ἀβακίσκος, κυβίσκος, βῶλιον, ψῆφος, tesserula, quaevis res formam habens quadratam: cujusmodi sunt lapides, aut lateculi, qui

bus pavimenta sternuntur: aut tabellae, quae inseruntur ornatus gratia. *Sen. Q. N.* 6, 31. Vidisse se affirmabat in balneo tessellas, quibus solum erat stratum, alteram ab altera separari, iterumque committi. *Juven.* 11, 131. nulla uncia nobis Est eboris, nec tessellae, nec calculus ex hac Materia. *Plin.* 37, 10, 54. Androdamas argenti nitorem habet, ut adamas, quadrata, semperque tessellis similis. *Id.* 17, 16, 26. Exempta cortici tessella, surculo a latere plano adigendo, *h. e.* scutula. V. h. v.

TESSELLĀRIUS, ii, m. *ψηφοθέτης*, qui tessellas facit, et inserit. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 13, 4, 2. Tessellarii, aurifices, specularii, etc. *Inscr.* ap. *Mur.* 958, 4. Hic artifex artis tessellariae lusoriae.

TESSELLĀTIM, adv. tessellarum modo. *Apic.* 4, 3. Spathulam porcinam tessellatim concides. *Id.* 7, 9. Pernam, detracta cute, tessellatim incidis.

*TESSELLĀTOR, oris, i. q. tessellarius. *Gloss. Gr. Lat.* *Ψηφοθέτης*, tessellarius, tessellator. *B. A.*

TESSELLĀTUS, a, um, part. a *tessello:* tesellis, id est parvis quadratis lapillis compositus, ut *Tessellatum pavimentum* ap. *Suet. Caes.* 46. Munditiarum, lautitiarumque studiosissimum multi prodiderunt, quamvis tenuem adhuc, et obaeratum, in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulisse. V. adnotata ad hunc *Suet.* locum in SECTILIS. ℙ *Tessellatum flagrum* est, cui tessellae, seu potius ossicula ex talis ovium implicita identidem sunt ad duriores plagas incutiendas: flagellum hujusmodi *μάστιξ ἢ ἀστραγαλωτὴ* Graecis dicitur. *Appul. Met.* 8. Arrepto denique flagro, multinodis commulcat ictibus.

TESSELLO, as, a. 1. tessellis sterno, *ψηφοθετέω*. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 208. Eusebia cum suis tessellavit P. CXX.

TESSĔRA, ae, f. *κύβος*, figura geometrica constans sex lateribus: a *τέσσερες* Ionice pro *τέσσαρες*, quatuor, quia undique quadrata est, [*Isid. Or.* 18, 63. Tesserae vocatae, quia quadrae sunt ex partibus omnibus. *F.*] *Macr. Somn. Scip.* 1, 5. *med.* Fit, tribus dimensionibus impletis, corpus solidum, qualis est tessera, quae cubus vocatur. ℙ Item frustum ligni, panni, aut lapidis, plerumque quadrata figura, ad quippiam ornandum, ad insitionem, ad pavimenta sternenda: quae et *tesserula* et *tessella* dicitur. *Plin.* 35, 36, 9. *n.* 2. de Zeuxide: Opes tantas acquisivit, ut in ostentatione earum, Olympiae aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. [V. *Visc. Iconogr. Rom.* T. 1. p. 374. *ed. Mediol. F.*] *Id.* 36, 25, 62. de subdialib.: Tunc nucleo crasso sex digitos induci, et ex tessera grandi, non minus alta duos digitos, strui. V. SECTILIS. *Pall.* 1, 9, *f.* Aestivae mansiones vel testaceum accipiant pavimentum, vel tesseras, aut scutulas, etc. *Id.* 4, 10. *f.* Ficus virides servari possunt, singulae intra viridem cucurbitam clausae, locis unicuique cavatis, et item tessera, quae secatur, inclusis. ℙ Tabella brevis est in illo *Just.* 3, 5. *med.* Tantum ardorem militibus injecit. ut non de salute, sed de sepultura solliciti, tesseras insculptis suis et patrum nominibus, dextro brachio deligarent, ut ex indicio titulorum tradi sepulturae possent. ℙ *Tessera hospitalis*, significabat jus hospitii. Mos erat dari hospitibus abeuntibus tesseram dimiatam, qua, si redirent, conferendo cum altera dimidia, agnosci possent, et ut veteres hospites admitterentur, ut in HOSPITALIS dictum est. *Pl. Poen.* 5, 2, 86. *Agor.* Ego sum ipsus, quem tu quaeris. *Poen.* Si ita est, tesseram si vis hospitalem, ecram attuli. *Agor.* Agedum huc ostende. Est par probe: nam habeo domi. *Id. Cist.* 2, 1, 27. Hic apud nos confregisti tesseram, *h. e.* hospitii jus violasti. ℙ *Tessera militaris*, regula, taleola, seu tabella, symbolum discernendis sociis ab hostibus, et exploratoribus, significandis jussis imperatoris, obeundis vigiliis, etc. quae et *signum mutum* dicitur: [quod usuvenisse apud Romanos reipublicae tempore, docet *Lips. de milit. Rom. l.* 5. *c.* 9. Sub Augustis vero signum erat *vocale*, *F.*] nunc enim verba, aut sonus adhibebantur, *σύνθημα, σύμβολον*. Ejus inventorem *Plin.* 7, 56, 57. Palamedem facit, Trojano bello. *Virg. A.* 7, 637. Classica jamque sonant: it bello tessera signum. Ubi *Servius:* Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur: scilicet propter confusionem, ut fuit in exercitu Marii *Lar Deus*, in Sullae *Apollo Delphicus*, in Caesaris *Venus genitrix;* et *Sil.* 15, 478. tacitum dat tessera signum, Dimissa in colles pugna silvasque ferantur. *Id.* 7, 347. discurrit tessera castris, Intentique docent, quae sint properanda, etc. *Stat. Th.* 10, 17. dat tessera signum Excubiis: positaeque vices. *Liv.* 27, 46. Tessera per castra ab Livio consule data erat, ut tribunus tribunum, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet. Adde 7, 35. et 36. et 9, 32., *Stat. Th.* 7, 236, *Claud. Laud. Stil.* 1, 331. et *Suet. Galb.* 6. Simile est illud *Pomponii Dig.* 1, 2, 2. *med.* Q. Fabius ad Carthaginienses missus legatus, cum essent duae tesserae positae, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, utram vellet, referret Romam; utramque sustulit: et ait Carthaginienses petere debere, utram mallent accipere. V. *Gell.* 10, 27., ubi eandem rem, sed paulo aliter, narrat. ℙ *Tessera frumentaria*, aut *nummaria* fuit, qua exhibita, unusquisque frumenti, aut pecuniae certam summam a praefecto annonae accipiebat: similis iis, quas nuper Patavini vocabant *bolle*. Ea dabatur pauperioribus levandae inopiae. *Suet. Aug.* 40. Ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis vocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem, concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet; et *ib.* 41. *extr.* Frumentum in annonae difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserasque nummarias duplicavit. *Inscr.* ap. *Donat.* 262, 6. Hic primus ob honorem Cereal. tesseris sparsis, in quibus aurum, argentum, aes, vestem, ceteraq. populo divisit. Adde *Suet. Ner.* 11. *f.* et *Juven.* 7, 174. Similis est his illa *Mart.* 8, 78. Nunc dat spectatas tessera larga feras, *h. e.* in congiariis missilibus jaciebantur et tesserae, quae quibus contigissent, nobilem aliquam feram consequebantur. [Hujusmodi tesserae ex aere, et cum litteris argenteis, meminit *Marin. Frat. Arv.* p. 695. in cujus parte antica legitur: *Ant. Aug. Lib. II.* h. e. *Antonini Augusti liberalitas secunda:* in postica: *Fru. N. LXI.* h. e. *frumentum numero* (scilicet *ostio) sexagesimo primo.* ℙ *Tessera gladiatoria* toties dabatur gladiatoribus, quotiescumque in pugna victores fuissent. Harum plures attulit *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 417. et seq., et *Marin. Fratr. Arv.* p. 823., quarum interpretationem videsis in SPECTATUS. *F.*] ℙ Denique *tesserae lusoriae* sunt cubi ossei, vel lignei punctis distincti, quibus in alveolum jactis luditur, [ital. *dadi*,] cujus nominis originem Itali habent a verbo *do*, quod vide in §. 10. Porro duplex discrimen inter tesseras et talos ostendit *Mart.* 14, 15. Non sim talorum numero par tessera, dum sit Major, quam talis, alea saepe mihi; et 4, 66. Supposita est blando nunquam tibi tessera talo, Alea sed parcae sola fuere nuces. Est autem unum discrimen, quod quatuor talis veteres, tesseris vero tribus plerumque, quandoque et duabus ludebant: alterum, quod major erat alea, et majus periculum in tesseris, quam in talis. Adde tertium, quod talorum alia erat figura, alia tesserarum, ut in utrorumque descriptione videre est. Tribus autem sesseris plerumque lusisse veteres, satis compertum est ex *Hesych. Τρὶς ἕξ, νικητήριος βόλος. Vet. Schol. Cruquii* an *Hor. Od.* 2, 7, 25. *Ἀρχιτοσίαν* significat, id est tesserarum jactu datum in bibendo primatum. Veneris autem jactus laetissimus dicebatur, qui habebat numerum ter senarium, *h. e.* senarium numerum in tribus tesseris. Italis *tirar diciotto con tre dadi* idem est ac vincere. Hinc alveolum, seu tabulam lusoriam videre est ap. *Maff. Mus. Ver.* 256, 8., in qua sex sunt verba inscripta, sex litteris quaeque constantia, et terno hinc inde ordine disposita, quibus ludi conditio indicatur. Quandoque tamen duabus tantum tesseris usos fuisse, arguitur tum ex *Plin.* 37, 2, 6. ubi narrat, Pompejum ex Asia Romam transtulisse alveum lusorium cum tesseris e gemmis duabus; tum ex *Senecae* loco in §. sq. mox citando. *Gell.* 1, 2. *Κύβος* est figura ex omni latere quadrata: quales sunt, inquit M. Varro, tesserae, quibus in alveolo luditur: ex quo ipsae quoque appellatae *κύβοι*. (Adde *Vitr.* 5. *praef.*) *Cic. Div.* 2, 41. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. *Petr. Sat.* 33. Sequebatur puer cum tabula terebinthina, et crystallinis tesseris. *Ter. Ad.* 4, 7, 21. Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris. Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas. *Mart.* 14, 17. Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto. Adde *Ov. A. Am.* 3, 354. et *Trist.* 2, 475. *F.*] ℙ Quia in utroque ludo jactus est, et utrobique fortuna dominatur, aliquando promiscue ponuntur. *Sen. Apocol. f.* Aeacus jubet illum alea ludere pertuso fritillo. Et jam coeperat fugientes semper tesseras quaerere, et nihil proficere. Nam quoties missurus erat resonante fritillo, Utraque subducto fugiebat tessera fundo: Cumque recollectos auderet mittere talos, Decepere fidem. Hactenus *Sen.* At hic potius videtur utriusque ludi, tesserarum nempe et talorum, mentio fieri. ℙ Illud *Petr. Sat.* 81. Cujus anni et tesseram venerunt: *Burm.* interpretatur, qui multum processit aetate, et puer vetulus jam factus est. Senes autem talis et tesseris delectantur, at est ap. *Cic. Sen.* 16. *extr.*

TESSĔRĀRĬUS, a, um, adj. ad tesseras pertinens. *Ammian.* 14, 6. *med.* et 28, 4. *med.* Tesseraria ars, *h. e.* ludendi tesseris. ℙ *Tesserarius*, et *tesseraria*, absolute, tesserarum faciendarum artifex. *Inscr.* ap. *Grut.* 624, 8. Antistitae O. L. Delphidis Tesser. Lignar. sodalicii Marmorarior. ℙ In militia *tesserarius* est, qui acceptam ab imperatore, aut tribuno tesseram per contubernia nuntiabat, ut *Veg. Mil.* 2, 7. docet. *Tac. H.* 1, 25. Barbius Proculus tesserarius speculatorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 550, 2. Cn. Laudius Cn. Fil. Fal. Thallus, tesserarius in Leg. III. Ital. et 365, 6. C. Arrio C. F. Cor. Clementi, singulari praefectorum Pr., tesserario, optioni, etc. et 1108, 7. C. Galerio C. Lib. Agathon. tesserario Coh. XII. Praet. militum.

TESSĔRŬLA, ae, f. *συνθημάτιον*, parva tessera. Speciatim dicitur de tabella suffragiorum. *Varro R. R.* 3, 5. *f.* Narrat, ad tabulam, cum dirimerent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum: eum ad consulem tractum a fautoribus competitorum. ℙ Item de symbolo, seu signo frumentario, quod qui ad praefectum annonae referebant, certam frumenti accipiebant mensuram. *Pers.* 5, 74. scabiosum tesserula far Possidet. V. TESSERA. ℙ *Tesserulae* item dicebantur exigui quidam et quadrati lapilli, ex quibus elegantiora pavimenta sternebantur, quae ab antiquis *tessellata* dicta sunt. *Lucil.* ap. *Cic. Or.* 44. Quam lepide lexeis compostae, ut tesserulae arte Endo pavimento, atque emblemate vermiculato! [V. *Plin.* 36, 25. *Bail.*]

TESTA, ae, f. *ὄστρακον, κεράμιον*, nomen generale cujuscumque vasis fictilis cocti, ut vasa escaria, et vinaria, lucernae, urceoli, calices, etc. quasi *tosta*, a torreo. *Auct. ad Her.* 4, 6. Si Prometheus, cum mortalibus ignem dividere vellet, a vicinis cum testa ambulans carbunculos corrogaret. *Virg. G.* 1, 391. testa cum ardente viderent Scintillare oleum. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum uritur in testa opertum, ne exsultet. *Virg. Mor.* 50. infert Inde foco testisque tegens superaggerat ignes. *Hor. Ep.* 1, 2, 69. Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. *Tibull.* 2, 6, 29. At tibi laeta trahant Samiae convivia testae. *Mart.* 4, 89. Antipolitani nec quae de sanguine thynni Testa rubet; et 7, 53. Et Libycae fici pondere testa gravis. *Plin.* 14, 4, 6. (*Pretium vini*) singulis testis millia nummum, *h. e.* amphoris. *Hor. Od.* 1, 20, 2. (*Vinum*) Graeca quod ego ipse testa Conditum levi, *h. e.* cado, aut dolio. *Appul. Met.* 9. Scabiem vetustam cariosae testae occipit exscalpere, *h. e.* scabiem dolii carie exesi ob vetustatem. *Juven.* 14, 308. dolia nudi Non ardent Cynici (*Diogenis*): si fregeris, altera fiet Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit. Sensit Alexander, testa cum vidit in illa Magnum habitatorem, etc. Sic *Ov. A. Am.* 2, 695. mihi fundat avitum Consulibus priscis condita testa merum. *Prop.* 2, 10, 32. Accipiat manes parvula testa meos, *h. e.* olla, urna sepulcralis. *Mart.* 12, 48. junctaque testa viae, *h. e.* dolium curtum (ut ait *Lucr.* 4, 1020.) ad mejendum. De urceo oleario. *Id.* 12, 63. et 13, 7. De testarum suffragio. V. OSTRACISMUS. ℙ Item lateres cocti, et tegulae, et imbrices. *Varr. R. R.* 2, 3. *med.* Lapide aut testa substerni oportet caprile, quo minus sit uliginosum ac lutulentum. *Vitr.* 2, 8. *f.* De ipsa autem testa, si sit optima, seu ad structuram, statim nemo potest judicare, quod in tempestatibus, et aestate, in tecto cum est collocata, tunc si firma est, probatur. Adde 7, 1. et 4. et *Auson. Parent.* 11, 9. ℙ Item genus quoddam crotalorum fictilium, vel e testis piscium, de quibus infra, qui in quibusdam saltationibus pulsabantur. *Juven.* 11, 170. audiat ille Testarum crepitus cum verbis. *Suet. Ner.* 20. *f.* Adolescentulos equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissimae juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos, et imbrices, et testas vocabant), operamque navarent cantanti sibi. ℙ *Testae* sunt et ipsa fragmenta vasorum fictilium: item lapidis, aut ossis. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 433. Dissipatis imbricum fragminibus, ac testis tegularum. *Ov. Met.* 8, 661. (et *Mart.* 2, 43.) mensae sed erat pes tertius impar: Testa parem fecit. V. *Statii l. c.* in ASAROTUM. *Plin.* 32, 8, 28. Testis cadi salsamentarii tusis cum axungia. *Id.* 35, 3, 5. Testa trita colorare lineas. *Id.* 36, 22, 48. Lapides aspergine, et gelu, pruinisque rumpuntur in testas. *Cels.* 6, 9. *med.* Bacca hederae conjecta in foramen, dentem findit: isque per testas excidet. Adde 7, 12. *n.* 1., *Prop.* 4, 7, 46., *Tac. H.* 5, 6., *Juven.* 3, 270. et *Pers.* 3, 61. De ipso osse *Cels.* 8, 16. Neque in cubito tantum, sed in omnibus quoque membris longis, quae per articulum longa testa junguntur. *Id.* 7, 12. *n.* 1. Donec labans ossis testa recipiatur. ℙ De macula in cute, testae calorem referente. *Plin.* 26, 15, 92. Mastos illita aufert testas in facie. Ita *Hard.* ex suis MSS. omnib.: alii *tineas.* ℙ Praeterea *testa* est operimentum durum simul et fragile multorum piscium, et quorundam animalium, ut ostreorum, cochleae, etc. *Cic. N. D.* 2, 39. *med.* Genera fluitantium beluarum, partim ad saxa nativis testis adhaerentium. *Plin.* 32, 6, 21. Ostrea nigra et carne et testa; et *ib.* 7, 27. Muricum, vel conchyliorum testae cinis; et *ib.* 10, 46. Muricum vel purpurae testae; et *ib.* 43. sepiarum. *Id.* 30, 8, 21. Cochleae exemptae testis. *Varr. L. L.* 4, 13. testam vocat etiam corneam vestem testudinis. [*Minuc. Fel. Octav.* 3. Pueros videmus certatim gestientes, testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est testam teretem, jactatione fluctuum levigatam, legere de litore; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super undas irrotare, etc. Hujusmodi lusus Graece *ἐποστρακισμὸς* dicitur, Galli nunc dicunt *jouer au ricochet. F.*] ℙ Metonymice dicitur de ipsis ostreis, aliisque piscibus testam habentibus. *Hor. Sat.* 2, 4, 31. Sed

non omne mare est generosae fertile testae. ℙ Translate de glacie. *Vet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 62. *Burm.* Thrax puer, adstricto glacie dum luderet Hebro, Frigore concretas pondere rupit aquas. Dumque imae partes rapido traherentur ab amne, Abscidit heu! tenerum lubrica testa caput. *Ov. Trist.* 3, 10, 37. Vidimus ingentem glacie consistere pontum: Labricaque immotas testa premebat aquas. Est qui leg. *crusta.* ℙ Item de calvaria, hinc *testa* Italorum. *Auson. epig.* 72. Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat Testa hominis, nudum jam cute calvitium. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 761. Comam, cutemque verticis revulserat A fronte tortor, nuda testa ut tegmine Cervicem ad usque dehonestaret caput. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Pati aliquid membranam cerebri dixerunt, alii eam, quae testam circumtegit: et *ib.* 2, 1. *f.* Anatresim testae faciendam. ℙ [Est etiam cogn. R., ut C. Trebatius Testa ap. *Cic. Fam.* 7, 13. et saepe alias memoratus. *F.*]

TESTĀBĬLIS, e, adj. qui jus habet testimonii dicendi. *Gell.* 6, 7. (*Ex lege Horatia*) jus testimonii dicendi ei tribuitur, testabilisque una omnium feminarum ut sit, datur.

TESTĀCĔUS et Testacius, a, um, adj. ὀστρακινὸς, ὀστρακώδης, qui e testa, h. e. fictili cocto, vel integro, vel tuso factus est. *Vitr.* 2, 8. *f.* Testacea structura, et lorica; et 7, 4. *f.* et *Colum.* 1, 6. Testaceum pavimentum. *Plin. ep.* 10, 46. et 48. opus. *Inscr.* ap. *Grut.* 874, 5. Monumentum testacium. *Alia* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 61. Hypogaeum testacium. ℙ Item testae colorem habens. *Plin.* 37, 7, 31. Gemmae melleae et testaceae. *Id.* 15, 15, 16. Signina pira, quae alii a colore testacea appellant. ℙ *Testaceum*, absolute, testaceum opus, h. e. testa tusa et calce mixta. *Id.* 36, 23, 55. Uliginosa, et ubi salsugo vitiat, testaceo sublini utilius. *Pall.* 6, 11. Sex digitorum testaceum superfundemus, et frequenter virgis verberabimus, ne rimis possit aperiri. ℙ *Testaceus*, testa, h. e. crusta dura et fragili obductus, ut cochlea, ostrea, ὀστρακόδερμα. *Plin.* 32, 5, 20. Pastinacam, et omnia testacea modice collui in cibis, quia saporis gratia perit. *Id.* 11, 37, 55. *extr.* Insectorum omnium, et testacei operimenti, oculi moventur.

TESTĀMEN, inis, n. idem quod testimonium. *Tert. carm. adv. Marc.* 3, 99. Scilicet hoc testamen erat virtutis imago.

TESTĀMENTĀRĬUS, a, um, adj. ad testamentum pertinens. *Cic. Verr.* 2, 1, 42. Testamentaria lex, *h. e.* quae quippiam cavet circa testamenta. *Plin.* 35, 2, 2. Adoptione testamentaria Salutiones irrepentes Scipionum nomini. *Ulp. Dig.* 50, 16, 130. Testamentariae hereditates, *h. e.* quae ex testamento proveniunt. *Salv. adv. avar.* 3, 7. Servi Romana a dominis libertate donantur, in qua scilicet et proprietatem peculii capiunt, et jus testamentarium consequuntur. ℙ *Testamentarius*, absolute, qui testamentum conscribit, et conficit. *Ulp. ib.* 28, 5, 9. *med.* Si testamentarius contra voluntatem testatoris conditionem detraxit, vel mutavit. Adde *ib.* 29, 6, 1. et 36, 1, 3. *f.* ℙ Item qui testamenta falsa conficit, ῥαδιουργός. *Cic. Off.* 3, 18. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est.

[TESTĀMENTOGRAPHUS, i, m. qui testamentum scribit: vox hybrida, a *testamentum*, et γράφω, scribo. *Not. Tir.* p. 52. Testamentum, testamentarius, testamentographus. *F.*]

TESTĀMENTUM, i, n. διαθήκη, declaratio ultimae nostrae voluntatis. *Ulp. Dig.* 28, 1, 1. Testamentum est voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Est a *testamen*, quod a *testor*, ut a *moneo monumen*, unde *monumentum;* a *doceo documen*, unde *documentum*, et similia, in quibus semper *mentum* est vocis productio. Quare merito *Gellius* 6, 12. Servium Sulpicium JCsultum reprehendit, quod testamentum compositum dixerit a mentis contestatione. Quid (inquit *Gellius*) calceamentum, quid paludamentum, quid pavimentum, quid vestimentum, quid alia mille per hujuscemodi formam producta? etiamne ista composita dicemus? *Cic. Verr.* 2, 1, 43. Testamentum facere. *Id. Har. resp.* 20. conscribere. *Id. Cluent.* 11. mutare. *Id. Phil.* 2, 42 *f.* irritum facere. *Id. Or.* 1, 57. rumpere. *Id. Cluent.* 14. obsignare. *Id. Fam.* 7, 21. Testamenti factionem habere. *Id. Phil.* 14, 3. Subjicere testamenta; et *Par.* 6, 1. supponere, (eod. sensu.) *Hor. Ep.* 1, 7, 9. resignare. *Nep. Att.* 5. Testamento aliquem adoptare. *Just.* 5, 11. Regnum alicui testamento legare. *Cic. Verr.* 2, 2, 18. *f.* Hereditas, quae venerat testamento. *Id. Off.* 3, 24, Testamento aliquid alicui relinquere. *Id. Fin.* 2, 31. *med.* cavere aliquid. *Plin.* 14, 22, 28. Testamentum nuncupare. V. NUNCUPO. ℙ Testamentum ad civis R. jura pertinuit: quia neque testamentum facere, legibus Romanis, neque aliquid testamento a cive accipere, nisi civis R. potuit. Itaque *Cicero*, cum Archiam in jure civium versatum esse contenderet, ea maxime ratione nisus est (*ib.* 5. *f.*), quod eum testamentum legibus Romanis, iis praesertim temporibus, quae accusator criminabatur, fecisse affirmaret; et *Dom.* 32. cum sui etiam in exsilio ut civis habitam esse rationem, rogatione Clodia neglecta, ostendere vellet, dixit: Quis in locum meum judicem subdidit? quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et si adessem? ℙ Porro apud Romanos tria olim testamentorum genera fuere, ut *Gell.* docet 15, 27., unum, quod calatis comitiis, in populi concione, bis in anno, fiebat: alterum in procintu: tertium deinde accessit per familiae emancipationem, cui aes et libra adhibebatur. V. s. l. [et ap. *Cajum Instit.* 2. §. 101. ed. *Goesch. F.*] ℙ *Testamentum vetus*, et *novum* sunt duae maximae partes, in quas dividuntur Sacra Biblia, legem veterem ante Christum, et novam post Christum continentes. Haec appellatio magis in usu erat, quam *instrumenti* temporibus *Tertulliani*, ut ipse docet *adv. Marc.* 1., ac deinceps apud Christianos passim obtinuit. Cur ita dicatur, explicat *Lact.* 4, 20.

TESTĀTIM, adv. ὀστρακηδὸν, minutim apud veteres: tractum a testarum natura, quae in exigua fragmenta solent confringi. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 842. Jam istam colaphis comminuissem testatim tibi. *Juventius* ap. *Charis.* 2, 196. Caput ei testatim defregero.

TESTĀTĬO, onis, f. ἐπιμαρτύρησις, actus testandi, seu testem aliquem citandi, testificatio. *Liv.* 8, 6. Inter foederum ruptorum testationem ingenti fragore coeli procellam effusam. Respicit ad ea, quae dixerat *ib.* 5. *f.* Haeccine foedera Tullus, etc. ℙ Item testimonii dictio. *Cajus Dig.* 22, 4, 4. Sine scripturis valet quod actum est, si habeas probationem: sicuti et nuptiae sunt, licet testatio sine scriptis habita est. ℙ Duplex est *testatio:* altera quae fit a testibus praesentibus: altera quae ab absentibus per tabulas, ut *Quint.* 5, 7. *in.* docet: eaque saepe *testatio* dicitur, cum testes ante contestationem causae dicunt testimonium, scriptoque subsignant. *Id. ib. med.* Saepe inter se collidi solent inde testatio, hinc testes: haec enim se pars jurejurando, illa consensu signantium tuetur. *Paul. Dig.* 3, 2, 21. L. Titius crimen intendit C. Sejo: atque in eam rem testationem apud praefectum recitavit. *Ulp. ib.* 48, 19, 9. Ne tabelliones libellos concipiant, vel testationes consignent. *Mart. ib.* 48, 10, 1. Falsas testationes facere, vel testimonia falsa dicere. ℙ Item quodlibet indicium, signum, argumentum, quo res quaepiam probatur. *Florent. Dig.* 28, 1, 24. Unum testamentum pluribus exemplis consignare, interdum necessarium est, si forte navigaturus, et secum ferre, et relinquere judiciorum suorum testationem velit.

TESTĀTO, adv. facto testamento. *Paul. Dig.* 49, 14, 45. Bona eorum, qui in custodia decesserunt, heredibus eorum non auferuntur, sive testato, sive intestato decesserint. ℙ Item coram testibus. *Scaevola ib.* 45, 1, 122. *med.* Cum coheres tutores saepius testato convenerit. *Ulp. ib.* 15, 4, 1. Jussum accipiendum est, sive testato quis, sive per epistolam, sive verbis, aut per nuntium jusserit. *Id. ib.* 18, 6, 1. *med.* Testata denuntiare emptori, ut etc. *Appul. Apol.* Quas tamen litteras tabulario publico praesente, et contrascribente Aemiliano, testato descripsimus.

TESTĀTOR, oris, m. κληροδότης, testamenti conditor. *Suet. Ner.* 17. Cautum, ut in testamentis primae duae cerae, testatorum modo nomine inscripto, vacuae signaturis ostenderentur. *Papin. Dig.* 28, 3, 17. Voluntas testatoris ex aequo et bono tuebitur. Adde *Lact.* 4, 20. ℙ Item qui testimonium dicit. *Prud. Cath.* 12, 85. Hunc et prophetis testibus, Isdemque signatoribus Testator et sator jubet Adire regnum et cernere.

TESTATRIX, icis, f. quae testamentum fecit. *Cels. Dig.* 31, 1, 30. Ex mediocritate facultatum, quas testatrix reliquit. Adde *Modest. ib.* 35. et *Scaevol. ib.* 89. *f.* etc.

TESTĀTUS, a, um, part. a *testor:* qui testes vocavit. *Cic. Fin.* 2, 20. Lucretia testata cives, se ipsa interemit. *Virg. A.* 12, 496. Multa Jovem, et laesi testatus foederis aram. *Ov. Met.* 5, 44. testatus jusque fidemque, Hospitiique Deos, ea, se prohibente, moveri. ℙ Item qui testimonio quippiam ostendit, et probavit. *Ov. Met.* 2, 486. Assiduoque suos gemitu testata dolores. V. TESTOR. *Hor. Od.* 1, 28, 10. habentque Tartara Panthoiden, iterum Orco Demissum, quamvis clypeo Trojana refixo Tempora testatus, etc. V. *Ov. Met.* 15. a *v.* 161., ex quo locus hic *Horatii* explicatur. ℙ Passive. *Liv.* 34, 41. Testata quoque ipso Nemeorum die voce praeconis libertas est Argivorum; et *Plin. ep.* 4, 21. Patrem illarum defunctum quoque perseverantissime diligo, ut actione mea librisque testatum est. ℙ Hinc est ab omnibus cognitus, receptus, admissus, confessus, indubitatus, exploratus, quasi omnes vulgo testes de eo sint. *Cic. Verr.* 1, 16. Ejusmodi res ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut, etc. *Id. Fam.* 11, 27. *med.* Haec testata sunt, et illustria. *Id. Verr.* 2, 2, 76. *f.* Ut res quam maxime clara ac testata esse posset. *Ov. Met.* 9, 277. Herculis testatos orbe labores referre. *Cic. Coel.* 27. Ut res multorum oculis esset testatior. *Nep. Alc.* 4. *med.* Ejus devotionis quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum. *Hirt. B. G* 8, 42. Quo notior testatiorque virtus ejus esset. *August. Conf.* 8, 6. Testatissima mirabilia. ℙ *Testato*, ablat. absolut. cum testatum sit, et vulgo certum. *Plin.* 8, 36, 54. Cerebro ursi veneficium inesse Hispaniae credunt, testato, quoniam potum in ursinam rabiem agat. ℙ Denique *testatus* est, qui testamentum fecit. *Ulp. Dig.* 38, 16, 1. Intestati appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. V. TESTOR. ℙ *Testatae tabulae* passive ap. *Catull.* 68, 122. sunt tabulae testamenti.

TESTĔUS, a, um, adj. fictilis. *Macr. Sat.* 7, 15. *med.* Medicinae ratio est cum testeis, terrenisque corporibus. *Id. Somn. Scip.* 1, 11. *f.* testeum indumentum animi vocat corpus. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 553. Fragmen testeum.

[TESTĬCĬUS, a, um, adj. ad testu, seu testum pertinens. *Testicius panis*, idem ac clibanicius, et artopticius. *Cato R. R.* 74. Panem testicium sic facito. Manus, mortariumque bene lavato. Farinam in mortarium indito, aquae paulatim addito, subigitoque pulcre: ubi bene subegeris, defingito, coquitoque sub testu. Ita leg. *Schneiderus*, usus lectione editionum principum. Vulgatam enim lectionem *depsiticium*, vel *depsticium* ineptam putat, quia omnis farina in panem depsitur, adeoque omnis panis esset *depsticius;* sed qui sub testu coquitur, recte dicitur *testicius*, diversus a *furnaceo*, quo quidem melior est, utpote magis coctus, teste *Galeno De alim. facult. l.* 1. *c.* 2. *f.* Confer locum *Plin.* 18, 11, 28 Quamquam etiam *testuacium* recte legeretur, ita enim *Varro* vocat. *F.*]

TESTĬCŪLĀTUS, a, um, adj. testiculis praeditus. *Veg. Vet.* 4, 7. [Omnibus prope mensibus equis tam spadonibus, quam testiculatis, minuendus est sanguis. *F.*] ℙ *Testiculata* dicitur herba, quae et mercurialis, et orchion, [quia, ut ait *Appul. Herb.* 82., veluti testiculis binis parvis circa exordium est ornata. *F.*]

TESTĬCŪLOR, aris, dep. 1. *Paul.* ex *Festo:* Testiculari est jumentis maribus feminas, vel mares feminis admovere: licet alii dicant testilari. ℙ *Testiculari* per jocum dictum pro testari, testes citare, quidam leg. ap. *Pl. Amph.* 2, 2, 193., sed multo plures illum versum, ut insiticium ac spurium, rejiciunt.

TESTĬCŪLUS, i, m. ὀρχίδιον, ὄρχις, dimin. testis. Sunt testiculi, διδυμοι, duo globuli uno scroto comprehensi, in quibus semen masculi animalis elaboratur. Hi et *testes*, et *colei* dicuntur. Describuntur a *Cels.* 7, 18. Adde *Auct. ad Her.* 3, 20., *Juven.* 6, 339., *Mart.* 3, 24. ℙ [*Translate *Pers.* 1, 103. Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis? h. e. si quid roboris virilis haberemus. ℙ Est et herbae nomen ap. *Appul. H.* 15. V. TESTICULATUS *f. Bail.*]

TESTĬFĬCĀTĬO, onis, f. probatio per testes, testatio, praesertim quae fit per tabulas cum subscriptione testium, ut in TESTATIO dictum est. *Cic. Brut.* 80. Sese chirographa, testificationes, indicia, quaestiones, manifestam rem deferre; et *Verr.* 2, 5, 39. *med.* Iste in tabulas refert: obsignat signis amicorum, ut, siquando opus esset, hac testificatione uteretur. Adde *Mur.* 24. ℙ Item quaevis declaratio, indicium, testimonium. *Cic. Fam.* 1, 1. Egit causam tuam cum summa testificatione tuorum in se officiorum, et amoris erga te sui. *Id. Phil.* 9, 6. *f*, His honoribus habitis Ser. Sulpicio, repudiatae ab Antonio legationis manebit testificatio sempiterna.

TESTĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *testificor:* testatus. *Ov. Her.* 21, 133. Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris, Linguaque praesentem testificata Deam? ℙ Item qui testimonium dixit. *Cic. Caecin.* 16. Siquos armatos conspexissent, ut statim testificati discederent. ℙ Item simpliciter qui confirmavit, vel professus est. *Tac. A.* 15, 36. Testificatus edicto non longam sui absentiam; et *Ov. Fast.* 1, 39. posteritas puppim servavit in aere, Hospitis adventum testificata Dei, *h. e.* ostendens se pro certo habere. ℙ Passive testimonio firmatus, probatus, notus et manifestus factus. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Mihi nota fuit, et abs te aliquando testificata tua voluntas omittendae provinciae. *Ov. Fast.* 4, 326. Mira, sed in scena testificata loquar.

TESTĬFĬCOR, aris, atus sum, dep. 1. μαρτυρέω, testimonium dico, testis sum, testor, confirmo, profiteor. *Cic. Quint.* 6. Testificantur isti, P. Quintium non stitisse, se stitisse. *Id. Phil.* 6, 3. Testificor, denuntio, ante praedico, M. Antonium nihil eorum facturum. *Id. Verr.* 2, 5, 7. *f.* Haec cum maxime testificaretur, in vincula conjectus est. *Id. Or.* 2, 55. Testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. *Id. Or.* 10. *f.* Testificor, me a te rogatum, et recusantem, haec scribere esse ausum. *Suet. Galb.* 9. Civem R. se testificans. *Ov. A. Am.* 2, 269. turdoque licet, missaque columba, Te memorem dominae testificere tuae. *Tac. A.* 14, 12. *med.* Quo, matre demota, auctam lenitatem suam testificaretur. ℙ Cum accus. *Cic. Att.* 8, 1. Uti in urbe retinenda tunc, si nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam, *h. e.* palam ostendebam. *Id. Fam.* 2, 4. *extr.* Hoc non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei; et *Ov. Fast.* 2, 301. Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti Moris, et antiquas testificantur

opes, *h. e.* demonstrant, quales fuerint priscorum opes. *Id. Am.* 1, 8, 93. Cum te deficient poscendi munera causae, Natalem libo testificare tuum, *h. e.* assere, affirma, et libo parando confirma. ℙ *Testificari aliquem*, testem vocare. *Coel.* ad *Cic. post ep.* 9, *l.* 10. *ad Att.* Deos hominesque, amicitiamque nostram testificor, me tibi praedixisse. *Ov. Her.* 20, 160. Ille homines, haec est testificata Deam. *Id. Fast.* 5, 250. Et Stygiae numen testificatur aquae.

TESTIMONIALIS, e, adj. ad testimonium pertinens. *Tert. adv. Psych.* 16. *f.* Admitto testimonialem comparationem, *h. e.* quae pro testimonio est. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 7, 20, 12. Plerique testimonialibus fraude quaesitis fiunt veterani, *h. e.* litteris testimonium habentibus honestae missionis. [Adde *ib.* 21, 4. *Fragm. jur. civ. antejust.* (ed. *A. Maio*) p. 57. Qui in foro suario negotiantur, habent excusationem litteris allatis a praefecto Urbis testimonialibus negotiationis. *F.*]

TESTIMONIUM, ii, n. *μαρτυρία*, id quod a teste dicitur rei cuipiam affirmandae, testatio, testificatio. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 5, 4, 28. duplicem esse ait testimonii modum, manifestum, et caecum: manifestum esse, qui certos testes et praesentes habet: caecum, in quo multitudinem aut civitatem dicimus scire, ut Cicero: Testis est Sicilia tota (V. *similem loc. Manil.* 11.); quod tamen audientem consternat. Est etiam in caeco jusjurandum, tabulae, absentesque personae. Haec *Donatus. Hirt. B. Alex.* 48. Multis signis et testimoniis eorum, qui difficulter odia dissimulant, animadvertere poterat. *Caes. B. G.* 5, 50. *med.* Quorum egregiam fuisse virtutem, testimonio Ciceronis cognoverat. *Phaedr.* 1, 17. Ovis damnata falso testimonio, Quod non debebat, solvit. *Ter. Ph.* 2, 1, 63. Servum hominem causam orare leges non sinunt: neque testimonii dictio est. *Cic. Rosc. Am.* 36. Testimonium dicere in aliquem, in re quapiam; et *ib.* et *Sull.* 30. de re aliqua. *Id. N. D.* 3, 34. contra aliquem. *Id. Dom.* 52. Cui senatus testimonium hujus urbis atque imperii conservati dedit. *Quint.* 11, 1. *f.* et *Plin. ep.* 6, 22. *f.* Testimonium alicui reddere. *Colum.* 3, 9. *med.* cujuspiam rei perhibere alicui. *Modest. Dig.* 48, 10, 27. falsum praebere. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Ut mihi non solum praeconium, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. *Id. Rosc. Am.* 35. et *Verr.* 2, 1, 5. Dicere aliquid pro testimonio. *Id. Fam.* 5, 17. Publio tuo neque opera, neque consilio, neque labore, neque gratia, neque testimonio defui. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 17. *f.* Amicum eum reipublicae cognosse videor: libenterque ei sum testimonio, et omnibus ero, qui bene merentur. *Plin. ep.* 3, 9. *f.* Laedere aliquem testimonio. *Varr. R. R.* 1, 4. *f.* Vocare aliquem ad testimonium. *Petr. Sat.* 2. citare. *Macr. Sat.* 1, 4. citare in testimonium. ℙ Saepe significat dictum testis absentis, quod relatum in tabulas et subsignatum profertur in causa apud judicem, aut alium quempiam. *Callistrat. Dig.* 22, 5, 3. Divus Hadrianus proconsuli rescripsit, testibus se, non testimoniis crediturum. Verba epistolae haec sunt: Quod crimina objiciebat apud me Alexander Apro, et non probabat, nec testes producebat, sed testimoniis uti volebat, quibus apud me locus non est. Sabino quoque in haec verba idem princeps rescripsit: alia est auctoritas praesentium testium, alia testimoniorum quae recitari solent. *Liv.* 39, 8. *f.* Falsi testes, falsa signa, testimoniaque, et indicia, ex eadem officina exibant. *Cic. Mil.* 17. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius, etc. *Nep. Lys.* 4. Petit a Pharnabazo, ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Industriam, fidem, constantiam alicujus plenissimo testimonio comprobare. *Id. ep.* 7, 33. Factum alicujus ornare testimonio; et *ep.* 10, 17. Prosequi aliquem libenter testimonio ap. quempiam. ℙ Latius etiam accipitur pro omni eo, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem, indicio, argumento. Hoc interest (inquit *Auct. ad Her.* 4, 3. *f.*) inter exemplum et testimonium, quod illo demonstratur, id, quod dicimus, cujusmodi sit: hoc, esse illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. *Cic. Par.* 2. Testimoniorum duo sunt genera, divinum et humanum: divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, et responsa sacerdotum, haruspicum, conjectorum: humanum, quod spectatur ex auctoritate, et ex voluntate, et ex oratione aut libera, aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, jurata, quaesita. *Id. Leg.* 3, 1. Gaudeo, quod te interpellavi, quandoquidem tam praeclarum mihi dedisti judicii tui testimonium. *Caes. B. G.* 1, 44. Ejus rei testimonium esse, quod nisi rogatus, non venerit; et *ib.* 5, 28. Res est testimonio, quod, etc.; et *Cic. Caecin.* 18. et *Rosc. Com.* 4. Ejus rei ipsa verba formulae testimonio sunt. *Auct. ad Her.* 2, 19. Cui rei mors indigna Palamedis testimonium dat. *Caes. B. C.* 2, 53. Cum laboris sui periculique testimonium afferre vellent, millia sagittarum circiter XXX. in castellum conjecta, Caesari renumeraverunt. *Nep. Ep.* 4. *f.* Abstinentiae hoc satis erit testimonium. *Id. Timoth.* 4. Timothei autem moderatae sapientisque vitae complura possumus proferre testimonia. *Plin.* 7, 30, 31. Augustns carmina Virgilii cremari vetuit: majusque ita vati testimonium contigit, quam si ipse sua probavisset. *Vell.* 2, 116. Cossus victoriae testimonium etiam in cognomen filii contulit.

TESTIS, is, m. et f. et Teste, is, f. *μάρτυς*, qui testimonium dicit, sive in judicio, sive extra: item qui praesens adest alicui rei, eamque testificari potest. Ex jure autem civili testes quinque in testamentis faciendis necessario aderant; septem vero ex jure praetorio, ut habet *Imp. Justin. Instit.* 2, 10.; at in testamentis holographis, ut statuerunt *Impp. Theod. et Valentin. Novell.* 4., nullius testis est necessitas. *Cic. Phil.* 2, 4. Si negem, quo me teste convinces? *Id. Font.* 3. Satis idonei testes, et conscii. *Id. ad Quir.* 6. *extr.* Rerum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt. *Id. Font.* 6. Testes cupidi, et conjurati, et ab religione remoti. *Id. Par.* 34. obscuri, aut tenues. *Id. Fin.* 1, 21. incorrupti atque integri. *Id. Brut.* 93. *f.* Ab inferis locupletissimos testes excitare. *Id. Vat.* 1. Testis religiosus. *Id. Quint.* 23. *med.* Testes dare in aliquam rem graves, aut leves. *Id. Fam.* 1, 7. Nemini possum aut studii erga te, aut officii, aut amici animi esse testis. *Id. Prov. cons.* 18. Pompejus idem mihi testis de voluntate Caesaris, et sponsor est illi de mea. *Id. Verr.* 2, 1. 14. Satis multos testes in hanc rem reliquos esse. *Id. Fum.* 3, 10. *med.* In eo me non perseverasse, testes sunt rationes civitatum; et *ib.* 5, 5. Meus in te animus quam singulari officio fuerit, populus R. testis est. *Ascon. in Verr.* 1. *f.* Testes inducere; et *ib.* producere. *Liv.* 3, 71. edere. *Cic. Balb.* 18. proferre. *Id. Fin.* 2, 21. adhibere. *Id. Verr.* 2, 2, 59. *f.* citare in aliquam rem; et *ib.* 2, 18. Testibus uti; et *Rosc. Com.* 15. Testis fidem infirmare. *Ov. Fast.* 5, 683. Facere aliquem testem, *h. e.* citare, quod dixit *Phaedr.* 1, 17. Sic *Ter. Ad.* 2, 1, 49. Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico, vendidisse me. ℙ Gum feminini et neutr. gen. nominibus. *Ov. Pont.* 3, 9, 50. Atque incorruptae pondera testis habet. *Sen. Octav.* 76. Nutrix testis nostri fida doloris. *Suet. Claud.* 40. Inducta teste in senatu, haec, inquit, etc. *Prop.* 2, 7, 91. Sidera sunt testes, et matutina pruina. *Ov. Fast.* 4, 885. Stat mihi non parvo virtus mea: vulnera testes, Armaque: quae sparsi sanguine saepe meo. ℙ *Teste, is*, neutr. generis ap. *Alcim.* 6, 576. Coelum teste vocat *(Susanna)*, famamque recusat inanem Judicio contenta suo. ℙ *Testibus praesentibus* quippiam facere est palam, aperte. Sed ambigue et joculariter utitur *Pl. Curc.* 1, 1, 30. *Pal.* Semper curato, ne sis intestabilis. *Phaedr.* Quid istuc est verbi? *Pal.* Caute ut incedas via: quod amas, amato testibus praesentibus, *h. e.* testiculis non privatus. V. INTESTABILIS et infra. ℙ *Testis*, spectator, qui praesens adest, et oculis suis cernit. *Ov. A. Am.* 3, 397. ignoti nulla cupido: Fructus abest, facies cum bona teste caret. *Lucan.* 9, 886. puduitque gementem, Illo teste mori. *Juven.* 6, 310. ac luna teste moventur. *Auct. Priap.* 2. Ludens haec ego teste te, Priape, Scripsi non nimium laboriose; et 15. *extr.* Magnis testibus ista res agetur. ℙ Postremo hoc loco jocus est in ambiguo: nam *testes* sunt etiam testiculi, *ὄρχεις*, qui integritatis, ut ait *Phaedr.* 3, 11., testes sunt. *Plin.* 11, 49, 110. Testes pecori ad crura decidui. *Id.* 28, 19, 80. Dexter asini testis in vino potus.

[TESTITUDO, inis, f. idem ac testatio. *Not. Tir.* p. 52. Obtestatur, testitudo. *F.*]

TESTITRAHUS, i, m. adj. qui testes, *h. e.* testiculos trahit: epitheton arietis, qui ob magnitudinem et pondus testiculorum trahere illos potius videtur quam sustinere. *Laberius* ap. *Tert. Pall.* 1. Aries reciprocicornis, lanicus, testitrahus. Alii perperam leg. *vestitrahus*. Huc spectat locus *Lucilii* ap. *Non.* 4, 3. Ibat forte aries, inquit. Jam quod genu' quantis Testibu'! vix uno filo hosce haerere putares, Pellicula extrema exaptum pendere onus ingens.

TESTOR, aris, atus sum, dep. 1. *μαρτυρέω*, testis sum, ostendo, significo, doceo. *Ov. Pont.* 4, 15, 11. Confiteor: testere licet: signate Quirites. *Sall.* in *epist. Mithridat. ad Arsac.* 5. Sceleris eorum haud ignarus, et ea quae accidere, testatus antea. *Liv.* 25, 10. Benigne allocutus Tarentinos, testatusque, quae praestitisset civibus eorum, etc. *Hor. Od.* 2, 1, 29. Latino sanguine pinguior Campus sepulcris impia proelia Testatur. *Tibull.* 4, 1, 10. ut puro testantur sidera coelo. *Quint.* 6. *prooem.* Nullam terras despicere providentiam, tester? et 8. *prooem. med.* Ut Graeco verbo testatum est. *Prop.* 3, 5, 51. Sunt Agamemnonias testantia litora curas. *Ov. Pont.* 1, 9, 43. Carmina jure damus raros testantia mores. *Id. Met.* 14, 306. nec verba locuti Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos. ℙ Et universim affirmo, profiteor. *Cic. Div.* 1, 58. Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomania quidem agnoscere. *Id. Or.* 68. Numerus autem (saepe enim hoc testandum est) non modo non poetice junctus, etc. *Id. Mur.* 37. Ego quod facio, me pacis, concordiae, salutis omnium causa facere, clamo atque testor. ℙ Item testes invoco, adhibeo. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Testor omnes Deos, me hac una voce a morte esse revocatum; et *Cluent.* 68. *f.* Sceleratas ejus preces, et nefaria vota cognovimus, quibus illa etiam Deos immortales de suo scelere testatur. *Virg. A.* 2, 154. Vos aeterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen. *Pl. Rud.* 5, 2, 51. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi. *Prop.* 2, 1, 37. Theseus Infernis, Superis testatur Achilles, Hic Ixionides, ille Menoetiades. ℙ Item testamentum facere, *διατίθημι*. *Cic. Inv.* 2, 21. Nostra est pecunia, de qua is, cujus agnati sumus, testatus non est; et *mox:* Possit ne quisquam de filii pupilli re testari. *Liv.* 1, 34. Cum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset. *Quint.* 7, 6. *f.* Quis dubitaret, quin ea voluntas fuisset testantis, ut is non nato filio heres esset, etc.? ℙ Vetustissimi etiam *testo, as*, dixere, teste *Prisc.* 8, 797.

TESTU, indecl. et Testum, i, n. operculum fictile ad tegenda vasa culinaria. *Cato R. R.* 74. et 75. In foco caldo sub testu coquito leniter; et *ib.* 76. Unguito focum ubi coquas, calfacito bene et testum; et *ib.* Testo caldo operito; et *ib.* 84. Omnia in catinum indito: catinum testu operito. *Ov. Fast.* 5, 509. Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebant, Et fumant testu pressus uterque suo. *Plin.* 30, 13, 39. Fimo ovium sub testo calefacto. Ita *Hard.* ex MSS. ℙ Item vas ipsum fictile. *Petr. Sat.* 136. *med.* Animadverto Enotheam cum testu ignis pleno venientem. *Ov. Fast.* 2, 645. Ara fit: huc ignem curto fert rustica testu. Adde *Mummium*, et *Afran.* ap. *Charis.* 1, 118. V. v. sq. ℙ Etiam si vas fictile non sit, nomen retinet. *Plin.* 32, 7, 26. Ranarum corda sub aereo testo discoxere. ℙ Omnibus allatis loc. alii leg. *testo:* quidam alicubi *testa*. Sunt etiam qui *testus, us*, faciunt masc. gen., sed nullo, quod sciam, auctore.

TESTUACIUM, ii, n. *κλιβανίτης ἄρτος*, panis genus, quod in testa coquebatur. *Varr. L. L.* 4, 22. Libum, quod libaretur, prius quam essent, (*h. e.* comederent) coctum: testuacium, quod in testu caldo coquebatur, ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronae.

TESTUDINĔĀTUS et Testudinatus, a, um, adj. *καμαρωτός*, fornicatus, concameratus, et incurvus testudinis more. *Colum.* 12, 15. Crates pastorales culmo textae erigantur, et inter se acclive testudineato tecto more tuguriorum, ficum a rore defendant. *Vitr.* 2, 1. *med.* Efficiunt carbarico more testudinata turrium tecta. *Id.* 6, 3. Cavaedium testudinatum. V. CAVAEDIUM. *Varr. L. L.* 4, 33. Fornix testudinatus. V. TESTUDO.

TESTUDINĔUS, a, um, adj. *χελώνιος*, ex testudinis tegumento factus: ut *Testudinea lyra*. V. v. sq. *Prop.* 4, 6, 32. Aut testudineae carmen inerme lyrae. (Adde *Tibull.* 4, 2, 22.) *Mart.* 9, 60. Testudineum hexaclinon, *h. e.* sectis testudinum tergoribus ornatum. Sic *Juven.* 6, 80. conopeum. *Jabolen. Dig.* 32, 1, 98. *extr.* Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentatos deberi. ℙ *Testudineus gradus*, valde lentus. *Pl. Aul.* 1, 1, 9. Si fustem capero, aut stimulum in manum, testudineum istum tibi ego grandibo gradum.

TESTUDO, dinis, f. *χέλυς, χελώνη*, animal ex genere amphibiorum, foedissimum et pigerrimum, ut ait *Sen. Ben.* 7, 9., testa praedura contectum (unde nomen), quadrupes, tardigradum, caudatum, capite brevi, cervice anguina, adspeciu truci, ut ait *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 2, 64. Multa de his *Plin.* 9, 10, 12., ubi marinas in India tantae magnitudinis esse, ut singularum superficie habitabiles casas integant, et cymbas faciant. *Id.* 32, 4, 14. earum genera esse ait quatuor, terrestre, marinum, lutatium, et fluviatile: persequiturque plurimas ex omnibus utilitates in medicina. Meminit et *Cic. N. D.* 2, 48. et 52. *Liv.* 36, 32. *med.* Testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse: ubi exserit partes aliquas, quodcumque nudavit, obnoxium atque infirmum habere. *Phaedr.* 2, 6. Testudo cum abdidisset cornea corpus domo. *Sen. ep.* 121. *med.* Supinata testudo inquieta est desiderio naturalis status: nec ante desinit niti, quatere se, quam in pedes constitit. ℙ *Testudo volat*, proverb. ap. *Claud. in Eutr.* 1, 352. pro quo *Itali* dicunt: *l'asino vola.* ℙ Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire, Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriae instrumenta ingenii, inquit *Plin.* 9, 11, 13. Hinc *Mart.* 12, 66. Gemmantes prima fulgent testudine lecti. *Virg. G.* 2, 463. Nec varios inhiant pulcra testudine postes. *Ov. Met.* 2, 737. Pars secreta domus ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos. Adde *Lucan.* 10, 120., *Juven.* 11, 94. et 14, 308. ℙ Per synecdochen dicitur de organo musico, in quo fides extenduntur, cithara, lyra, barbiton. V. dicta in CHELYS. *Cic. N. D.* 2, 57. *f.* Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu. *Virg. G.* 4, 464. cava solans aegrum testudine amorem. *Ov. A. Am.* 3, 147. testudo Cyllenea. *Hor. Od.* 4, 3, 17. O testudinis aureae Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas. *Id. A. P.* 394. Dictus et Amphion Saxa movere sono testudinis. *Val. Fl.* 1, 277. Thracius hic noctem dulci testudine vates Extrahit; et *ib.* 187. Orpheus testudine blandus. Adde *Juven.* 6, 380. et *Sil.* 11, 290. ℙ Translate usurpatur de quovis tegumento, testa,

crusta. *Mart.* 13, 86. cujus lemma *Echinus:* Iste licet digitos testudine pungat acuta, Cortice deposito mollis echinus erit. ¶ Est testudo in re militari, cum conglobati milites, et scuta scutis arcte jungentes, invicem se protegunt, et ingruentia tela defendunt: Graeci συνασπισμὸν dicunt. *Liv.* 34, 39. Sublatis supra capita scutis, continuatisque ita inter se, ut non modo ad caecos ictus, sed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, testudine facta subibant. *Id.* 44, 9. Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant: et in fronte extrema et ex lateribus soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora, sed praetenta pugnantium more: ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes laeserunt, et testudini injecta, imbris in modum, lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. *Val. Fl.* 4, 146. Diversasque simul socios invadere turmas Admonuit: pergunt rupta testudine fusi. *Tac. H.* 3, 31. Jam legiones in testudinem glomerabantur. *Id. A.* 13, 39. Quadripartito exercitu, hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit: alios scalas moenibus admovere. *Id. H.* 3, 27. Elatis super capita scutis, densa testudine succedunt; et *ib.* 4, 23. Impetu invasere vallum, oppositis plerique scalis, alii per testudinem suorum: scandebantque jam quidam, etc. *Caes. B. G.* 2, 6. Testudine facta, portis succedunt, murumque subruunt. *Virg. A.* 9, 505. Accelerant acta pariter testudine Volsci, Et fossas implere parant; et 514. Ferre libet subter densa testudine casus. V. *Ammian.* 26, 8. *med.* et *Lips. l.* 1. *Poliorcet. dial.* 5. ¶ Item machina lignea subjectis rotis, in qua suspendebatur aries, coriisque crudis, aut centonibus ciliciis tegebatur, uti tutiores essent, qui eam muris admovebant: admota autem, aries emittebatur, qui murum subrueret. Eam, quod tardos habebat conatus, testudinem arietariam dixerunt, ut ait *Vitr.* 10, 19., vel quia aries modo exserebat caput, more testudinis, modo retrahebat: vel a figura tegumenti, testudinis tergum referente. *Id. ib.* 20. et 21. alias describit testudines, quarum item usus in expugnationibus: earumque construendarum rationem tradit. *Caes. B. G.* 3, 42. Turres, testudinesque agere, et scalis vallum ascendere coeperunt. Adde *ib.* 50. ¶ In architectura est locus in aedibus fornice tectus in modum testudinis conformato: nam, ut ait *Varr. L. L.* 4, 33., cavum aedium si sub divo est, dicitur impluvium; si fornice testudinato tectum, testudo. Non solum tamen cavum aedium, sed quaecumque camara fornicata ita appellatur. *Cic. Brut.* 22. *med.* Omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse. *Varr. R. R.* 3, 5. Testudo fit magna, in qua millia aliquot turdorum ac merularum includere possint; et *ib.* 6. Pullos refert in testudinem eam, in qua pavones habet. *Virg. A.* 1, 509. foribus Divae, media testudine templi, Septa armis, solioque alte subnixa resedit. Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 286.

TESTŬLĂ, ae, f. ὀστράκιον, parva testa, vel testae fragmentum. *Colum.* 11, 3. de porris capitatis: Tum testulae vel conchae quasi sedes in singulis subjectae seminibus adobruuntur, ut fiant capita latioris incrementi. ¶ [Est etiam idem ac lucerna fictilis. *Seren.* ap. *Diomed.* 3, 511. Cede testula trita (leg. *irrita*), Sol occurrit tibi per speculum, Panope, *h. e.* tolle lucernam ardentem, quae supervacua est, oriente jam sole. *Prud. Cath.* 5, 17. seu cava testula Succum linteolo suggerit ebrio. *F.*] ¶ Testulis in comitiis Atheniensium ferebantur suffragia. Hinc testula collabefieri, ap. *Nep. Arist.* 1. est damnari. Sic *Them.* 8. Testularum suffragiis e civitate ejectus. V. OSTRACISMUS.

TESTUM, i, n. idem quod testa, materia fictilis. *Sulpic. Sever. H.* 2, 2. *de statua Nabuchod. f.* Sed ferrum atque testum inter se confusum coire non poterat. ¶ De vase fictili V. in TESTU.

TETĂ, ae, f. palumbes: fortasse est a φάττα, palumbus. *Serv.* ad *Ecl.* 1, 58. Columbae, quas vulgus tetas vocat: et non dicuntur Latine, sed multorum auctoritas Latinum facit.

TĔTĂNĬCUS, a, um, adj. τετανικὸς, qui tetano laborat. *Plin.* 23, 7, 67. Cinis fici datur tetanicis, et spasticis. *Id.* 26, 12, 81. Peucedani succo perunguntur spastici, tetanici. Adde 32, 10, 41.

TĔTĂNOTHRUM, i, n. τετάνωθρον, medicamentum, quo rugae in cute tolluntur, et pellis extenditur, a τετανὸς, extensus: Latine *tentipellium*. *Plin.* 32, 7, 24. Ichthyocollam utilem in capitis doloribus affirmant, et tetanothris.

TĔTĂNUS, i, m. τέτανος, omnis convulsio, et rigiditas corporis, vel membrorum: cujusmodi est rigor, et immobilitas cervicis, cum spinae nervi, et musculi utrinque ex aequo obriguerunt, ita ut cervicis vertebras neutram in partem flecti permittant: a τείνω, extendo. *Plin.* 23, 1, 24. Vinum non est dandum in duritia praecordiorum, neque in opisthotono, tetano. *Id.* 31, 10, 46. Prodest atrophis, opisthotonis, tetanis. Adde *Cels.* 4, 3. qui Graece utitur, et *Scrib. Comp.* 101.

TĔTARTAEUM, i, n. τεταρταῖον, numerus quaternarius: vox Graeca. *Colum.* 3, 20. Quod indicaverimus eximium genus (*vitium*), id quantae possumus, multitudinis efficiamus; deinde quod proximum a primo: tum quod est tertiae notae, vel quartae quoque: eatenus velut athletarum quodam contenti simus tetartaeo. Alii leg. *tetradio*, quod idem significat: τετράδιον, et τετραδεῖον, a τετράς, quaternio. [*Schneiderus* tamen ex comparatione loci similis ejusd. *Colum. ib.* 9., quem habes in OLYMPIONICES, pro *athletarum*, aut *lectarum*, ut alii leg., recipiendum putat *equarum*. *F.*]

TĔTARTĔMŎRĬON, ii, n. τεταρτημόριον, quadrans, ac speciatim quarta pars zodiaci, hoc est tria signa. Vox Graeca, a τέταρτος, quartus, et μόριον particula. *Plin.* 7, 49, 50. Durat et ea ratio, quam Petosiris, ac Necepsos tradiderunt, et tetartemorion appellant, a trium signorum portione, qua posse in Italiae tractu CXXVI. annos vitae contingere apparet. [*Hyg. de limit.* p. 173. *Goes.* Cum sol orbem medium conscendit, umbras omnium rerum in hoc nostro tetartemorio meridiano axi facit ordinatas. *F.*] ¶ *Tetartemoria*, *ae*, f. ap. *Capell.* 9, 315. est brevior toni distantia, quartam ejus partem recipiens, sicut *tritemoria* quae tertiam.

TĔTER et Taeter, tra, trum, adj. μιαρὸς, foedus, turpis, molestus, gravis, horridus. Quidam ducunt ab *ater*, ut proprie nigrum ac tenebricosum significet: itaque scribunt sine diphthongo: unde *tetricus* prima fere correpta. Alii a *taedeo*, ut de re dicatur quocumque modo molesta, et cujus quemque taedeat: itaque diphthongum adhibent adstipulantibus *Manut.*, *Dausq.*, *Cellar.* et aliis, qui testes afferunt, praeter Virgilium Mediceum, veterem *Inscr.* ap. *Grut.* 658, 10., ubi *taetra ora* scriptum est, quae tamen *Insr.* non optimae est notae, [et in Cod. palimps. *Frontonis* edito iterum ab *A. Maio* p. 162. *F.*] Utraque scriptio proba est. *Lucr.* 2, 509. aliis aliud tetrius esset Naribus, auribus, atque oculis, orisque sapori; et *ib.* 420. Aut foeda specie tetri turpesque videntur. *Caes. B. C.* 3, 49. Angustiis loci, odore tetro, et multitudine cadaverum. *Sall. Cat.* 55. Loca tetra, inculta, foeda, atque formidolosa. *Cic. Agr.* 2, 17. Tetrae tenebrae, et caligo. *Lucr.* 4, 172. tetra nimborum nocte coorta. *Cic. Tusc.* 4, 20. Taetra et immanis bellua. *Lucr.* 6, 976. nobis coenum teterrima cum sit Spurcities, eadem subus haec jucunda videtur; et *ib.* 21. Tetro sapore conspurcare omnia. *Id.* 1, 934. Tetra absinthia; et 2, 412. cadavera; et 5, 993. ulcera; et *ib.* 1125. Tartara. *Prop.* 2, 19, 11. venena. *Virg. A.* 10, 727. lavit improba teter Ora cruor. *Hor. Od.* 3, 11, 19. de Cerbero: Spiritus teter, saniesque manat Ore trilingui. *Lucan.* 1, 618. pallida tetris Viscera tincta notis. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Taetrum spectaculum. *Id. Cat.* 1, 5. Pestis tetra, horribilis, infesta. *Id. Sext.* 8. Alter, o Dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribilis aspectu! *Suet. Cal.* 50. Vultum natura horridum ac tetrum, etiam ex industria efferabat. *Juven.* 10, 191. Deformis et teter vultus; et 6, 417. mulier teterrima vultu. *Accius* ap. *Non.* 3, 522. Vestitus teter. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. teterrima hiems. *Petr. Sat.* 35. *extr.* vox. ¶ Translate est malus, dirus, flagitiosus, noxius, turpis. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. Homo taeter et ferus. *Id. Coel.* 6. Quis taetrior hostis huic civitati? et *Vat.* 3. Quamquam sis omni diritate atque immanitate taeterrimus. *Id. Tusc.* 1, 40. Taeterrimum esse in aliquem. *Id. Off.* 2, 22. Nullum vitium taetrius, quam avaritia. *Hor. Sat.* 1, 2, 33. tetra libido. *Catull.* 76, 25. taetrum deponere morbum, *h. e.* amorem. *Id.* 60, 2. Tam mente dura procreavit ac taetra, Ut supplicis vocem contemptam haberes. *Liv.* 22, 9. *f.* Tetra prodigia. *Lucil.* ap. *Hor. Sat.* 1, 4, 60. discordia. *Accius* ap. *Cic. Tusc.* 2, 7. Tetri cruciatus. *Cic. Off.* 3, 25. Tetrum facinus admittere. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Ei tres sententiae taeterrimae defuerunt, *h. e.* infensae hominum odio habentium. *Id. Verr.* 2, 1, 24. Tetra atque impura legatio, *h. e.* perniciosa iis, ad quos accessit. *Id. Fam.* 10, 14. Teterrimum bellum. ¶ *Tetrum*, adverbii more. *Prud. Cath.* 4, 22. Tetrum flagrat enim vapore crasso Horror conscius aestuante culpa.

TETHĂLASSOMĔNON Vinum, ap. *Plin.* 14, 8, 10., est quod marina aqua miscetur: est part. praet. perf. pass. τεθαλασσωμένος, verbi θαλασσόω, mari mergo, aqua marina misceo.

TETHYĂ, orum, n. plur. τήθυα et τήθεα, *carnumi* nunc vocant vulgo Tusci, animalia marina ex genere mollium, quae *molluschi* Itali vocant, quaeque *Linneus* appellat perperam *ascidias rusticas*, cum neutro genere essent efferenda *ascidia rustica*: ab ἀσκίδιον, utriculus, quia parvi utris figuram habent: ita vero appellata a τήθη, nutrix, quia similia sunt nutricum mammis, quas Itali ex eadem origine *tette* dicunt. *Plin.* 32, 9, 31. Tethya torminibus et inflationibus occurrunt: inveniuntur haec in scopulis marinis sugentia, fungorum verius generis, quam piscium: eadem et tenesmum dissolvunt, renumque vitia. Ita ex *Dalecampio*, etenim *Harduinus* multa perperam immutavit. *Id. ib.* 30. Lateris dolores leniunt tethya similia ostreo in cibo sumpta. *Id. ib.* 10, 39. Cachecticis tethya utilia sunt cum ruta ac melle. Haec *Plinius* hausit partim ex *Aristot. H. animal. l.* 4. *c.* 6. et *de partib. animal. l.* 4. *c.* 5., partim ex *Xenocrat. de aliment. ex aquatil. c.* 29.

TETHYS, yos, f. Τηθὺς, Coeli et Vestae filia, soror Saturni, et Titani, uxor Oceani, mater fluviorum et Nympharum: ita est appellata a τήθη, nutrix, quia humor omnia nutrit. *Ov. Fast.* 5, 81. Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn; et *ib.* 168. de Hyadib.: pars credidit esse Tethyos has neptes, Oceanique senis. *Virg. Cir.* 392. Miratur pater Oceanus, et candida Tethys. *Id. G.* 1, 31. Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis. *Solin. fragm.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 383. *Burm.* Tethya marmoreo fecundam pandere ponto. Adde *Colum.* 10, 200. ¶ Haec dicitur *magna*, et *cana* a poetis. *Ov. Fast.* 2, 191. canamque petit Saturnia Tethyn. *Catull.* 66, 70. Luce autem canae Tethyi restituor. *Stat. Achill.* 1, 222. Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys Nutrierat. *Val. Fl.* 2, 36. palmas Tethys grandaeva sinusque Sustulit. Quidam hujus epitheti *grandaeva* causam afferunt, ut distinguatur a filia Nerei, et matre Achillis. Sed hujus nomen scribitur *Thetis*, Θέτις cum aspiratione in prima syllaba, quae et corripitur, et *i* in secunda: et est neptis illius magnae. *Catull.* 64, 28. Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? Tene suam Tethys concessit ducere neptem? ¶ Metonymice ponitur pro mari. *Lucan.* 1, 413. an sidere mota secundo Tethyos unda vagae lunaribus aestuet horis; et 2, 588. Tethynque fugacem Qui ferit Hesperius Baetis. *Sen. Her. Fur.* 886. Quodcumque alluitur solum longo Tethyos ambitu. *Sil.* 5, 395. Ceu pater Oceanus cum saeva Tethye Calpen Herculeam ferit. *Id.* 17, 244. ab occasu Tethyn impellit, et ortu. Adde 3, 60., *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 35. et al. *Mart. Spect.* 3. et *Avien. Perieg.* 31.

TĔTĪNI, tetinerim, tetinisse. V. TENEO.

TETRACHORDON, i, n. et Tetrachordos, i, m. et f. τετράχορδον, et τετράχορδος, quatuor chordas, seu quatuor sonos habens. Ab antiquis musicis tetrachordon dicebatur quatuor in ordine positorum sonorum congruens fidaque concordia, ut *Capell.* 9, 324. definit, *h. e.* quod dicunt recentiores musici *una quarta*. In toto veterum musicarum vocum systemate quinque tetrachorda constituebantur, quibus universa modulationum varietas continebatur; ita tamen, ut dissimiles essent dispositiones, et intervalla tonorum, et hemitoniorum in tetrachordis diatonici generis, chromatici, et harmonici, ut explicat *Vitr.* 5, 4. et *Capell.* 9, 323. ¶ *Tetrachordos machina* dicitur ab *eod. Vitr.* 10, 13. organum hydraulicum, quod quatuor sonorum differentias habet. ¶ Translate *anni tetrachordon* dixit *Varr.* ap. *Non.* 2, 22. quatuor anni tempora significans, quemadmodum *Macr. Sat.* 1, 19. *med.* ait, Mercurio attributum fuisse tetrachordon, quia numerus quaternarius significat vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur.

TETRĂCOLON, i, n. periodus quatuor membris constans, τετράκωλον. *Sen. Contr.* 4, 25. *f.* Myrrhedius dixit illud tetracolon: Serviebat forum cubiculo, praetor meretrici, carcer convivio, dies nocti. *Id. ib. praef.* 5. *med.* de Capitone declamatore: Nulli non post primum tetracolum praeferendus. Primum tetracolum quorum faciam, quaeritis? Latronis, Fusci, Albutii, Gallionis. Alii leg. *tetradeum*.

TETRĀDĬUM. V. TETARTAEUM.

TETRĂDORON. V. DIDOROS.

TETRADRACHMUM, i, n. τετράδραχμον, nummus quaternas valens drachmas. *Cassius* ad *Cic. Fam.* 13, 13. Nam jam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est. *Liv.* 37, 58. Tetradrachma Attica triginta quatuor millia septingenta. *Id.* 34, 52. Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum: tetradrachma vocant. Trium fere denariorum in singulis argenti est pondus. *Budaeus*, *Gronov.* aliique *quatuor fere* legendum recte censent, quia drachma denario Romano fere respondet, ut in ea voce dictum est. Sunt praeterea qui *tetradrachmam* leg., ut sit femin. gen., quod minus placet.

TETRAGNĂTHĬON, ii, n. τετραγνάθιον, genus quoddam phalangii, quod quadruplicem maxillam habere videtur: a τετράς, quaternio, et γνάθος, maxilla. *Plin.* 29, 4, 27. Tetragnathii duo genera habent: pejor medium caput distinguente linea alba, et transversa altera; at cinereus posteriori parte candicans.

*TETRAGONIS, idis, Asiae opp. sub monte Caucaso, in regione Paropamisadarum. *Plin.* 6, 24. Cartana opp. sub Caucaso, quod postea Tetragonis dictum (*est*). *B. A.*

[TETRAGONĬUM, ii, n. τετραγώνιον, idem ac pallium, quod erat quadratum. *Not. Tir.* p. 159. Chlamys, tetragonium. *F.*]

TETRĂGONUM, i, n. τετράγωνον, aspectus quadrangularis alicujus astri, apud astrologos. *Auson. Ecl. de ratione puerperii maturi*, 21. Fulgor tetragono aspectus vitale coruscat; et *f.* Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum. Alii priore loco leg. *tetragono aspectu*, ut sit *tetragonus*, *a*, *um*, adj. Ceterum nimia hic licentia paenultima corripitur ab *Ausonio*. Absolute *tetragonum* usurpant etiam *Capell.* 6, 229., *Front. de colon.* p. 122. *Goes.* et *Sidon. ep.* 8, 11. *med.*

[TETRAGONUS, a, um, adj. τετράγωνος, quadratus. *Boeth. Arithm.* 1, 27. Tetragonus numerus dicitur, quem duo aequales numeri multiplicant, *h. e.* 2 × 2 = 4. *F.*]

TETRALIX, icis, f. τετράλιξ, herba alio nomine erix, et sisara, apibus gratissima. *Plin.* 11, 16, 15. et 21, 16, 56.

TETRAMETER, ra, rum, adj. τετράμετρος. Versus tetrameter dicitur, qui quatuor pedibus constat, cujusmodi est illud carmen, quod in exemplum adducitur a *Diomed.* 3, 506. Fulmina nubibus obvia torques. Sunt tamen alia multa tetrametrorum genera, quae v. apud grammaticos et praesertim ap. *Diomed. l. c. Terentianus de metr.* p. 2430. usurpat *tetrametrus* in recto casu, quod magis accedit ad Graecam vocem.

*TETRANAULOCHUS, i, Thraciae opp., ad Pontum Euxinum. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

TETRANS, antis, m. τετρὰς, quarta pars rei cujuspiam. *Vitr.* 10, 11. Circino dividuntur circinationes eorum tetrantibus in partes quatuor, vel octantibus in partes octo. *Id.* 4, 2. *med.* Tetrantes columnarum, *h. e.* quarta pars crassitudinis summi scapi columnarum. Adde *ib.* 3. ℙ In re agraria est locus, ubi se conserunt duae lineae, seu duo rigores decussatim acti. *Hyg. de limit.* p. 160. *Goes.* Tetrantum veterum lapides adhuc parent. Adde p. 164. et 181. ℙ Item quidquid eo loco ponitur, ubi duae illae lineae concurrunt. *Front. de limit.* p. 132. Termini lapidei crassi semipede, habentes longum tetrantem. ℙ Item instrumentum ipsum, quo duae illae lineae designantur. V. Indicem *Goesii.* ℙ *Tetrantorum* pro *tetrantum* dixit *Vitr.* 3, 3. *med.*

TETRAO, onis, m. τετράων, avis ex genere anserino, de qua *Plin.* 10, 22, 29. Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit: nec ulla alis, excepto struthiocamelo, majus corpore implens pondus, in tantum acuta, ut in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos Alpes, et septentrionalis regio. In aviariis saporem perdunt. Moriuntur contumacia spiritu revocato. *Suet. Cal.* 22. *med.* Hostiae erant phoenicopteri, pavones, tetraones, Numidicae, Meleagrides, Phasianae. Meminit et *Tert. adv. Marc.* 1, 13. *extr.* [**der Auerhahn.*]

[TETRAONYMUS, a, um, adj. τετραώνυμος, quatuor habens nomina. V. TRIONYMUS. *F.*]

TETRAPHARMACUM, i, n. emplastrum quoddam, quatuor rebus constans, nempe cera, pice, resina, sevo taurino, aut, si hoc desit, vitulino: valet autem ad pus movendum. *Cels.* 5, 19. *n.* 9. et *ib.* 26. *n.* 35. et *Scrib. Comp.* 211., sed Graece uterque. *Veg. Vet.* 4, 28. *med.* Tetrapharmacum, quod facit ad omnia vulnera elimpidanda, et velociter curanda: adipem taurinam ceram, picem, oleum. ℙ Item ferculum quatuor ciborum generibus instructum. *Spart. Hadr.* 21. Inter cibos unice amabat tetrapharmacum, quod erat de phasiano, sumine, perna et crustulo. *Id. Ael. Ver.* 5. Tetrapharmacum, seu potius pentapharmacum, quo postea semper Hadrianus est usus, ipse dicitur reperisse, hoc est, sumen, phasianum, pavonem, pernam crustulatam, et aprugnam. *Lampr. Alex. Sev.* 30. Usus est Hadriani tetrapharmaco frequenter.

TETRAPHORI. V. HEXAPHORI.

*TETRAPHYLIA, ae, Τετραφυλία, Athamaniae oppidum. *Liv.* 38, 1. *B. A.*

[TETRAPLASIUS, a, um, adj. τετραπλάσιος, quadruplus. *Capell.* 9, 322. Atque est in tetraplasia ratione, ut sunt duodecim ad tria. *F.*]

TETRAPLEURUS, a, um, adj. τετράπλευρος, quadrilaterus: a τέτρα in compositis pro τέτταρα, quatuor, et πλευρὰ, latus. V. POLYPLEURUS.

[TETRAPLO, as, a. 1. τετραπλασιάζω, quadruplico. *Capell.* 9, 322. Diesis tetraplatur. *F.*]

TETRAPTOTA. V. DIPTOTA.

TETRAPUS, ŏdis, adj. omn. gen. τετράπους, quadrupes: hoc nomine inscriptus est liber octavus *Apicii*, eo quod in eo agitur de quadrupedum animalium opsoniis et condituris.

*TETRAPYRGIA, oppidum Ciliciae. *Tab. Peut. B. A.*

TETRARCHA, ae, et Tetrarches, ae, m. τετράρχης, qui quartam regni partem obtinet: a Graeco nomine allato. Ita vocatur non solum qui cum aliis tribus regnum aliquod occupat, sed etiam qui post tetrarchas imperium adeptus est, licet plures sint, vel etiam pauciores: item qui solus eam regionem tenet, quae aliquando a quatuor tetrarchis possessa fuit. *Hirt. B. Alex.* 67. Dejotarus tetrarches Gallograeciae tunc quidem paene totius, quod ei neque legibus, neque moribus concessum esse ceteri tetrarchae contendebant, etc. *Cic. Att.* 2, 9. Qui regna, qui praedia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. *Hor. Sat.* 1, 3, 12. Omnia magna loquens, modo reges, atque tetrarchas. *Lucan.* 7, 226. sicci sed plurima campi Tetrarchae, regesque tenent, magnique tyranni. *Sidon. ep.* 5, 7. Indagavimus tandem qui apud tetrarcham nostrum novi principis amicitias criminarentur, *h. e.* Chilpericum, qui Lugduni rerum potiebatur, diviso tunc in quatuor regna imperio Burgundionum.

TETRARCHIA, ae, f. τετραρχία, principatus quartae partis alicujus regionis. *Cic. Div.* 1, 15. Quod posteaquam a Caesare tetrarchiae regno, pecuniaque mulctatus est. *Id. Dejot.* 15. Negat, unquam se a te in Dejotari tetrarchia pedem discessisse. *Hirt. B. Alex.* 78. Mithridati Pergameno tetrarchiam Gallograecorum jure gentis et cognationis adjudicavit, occupatam et possessam paucis ante annis a Dejotaro.

TETRAS, ădis, f. numerus quaternarius. *Tert. adv. Valent.* 7. et 8. et *Capell.* 7, 239.

TETRASEMUS. V. DISEMUS.

TETRASOMUS. V. BISOMUS.

TETRASTICHUS, a, um, adj. τετράστιχος, quatuor habens ordines: a στίχος, ordo, et τετρὰς, quaternio. Porticus tetrastichoe (ita enim legi vult *Salmas.* ad *Treb. Gall.* 18.) sunt, quae quatuor habent columnarum ordines. ℙ *Tetrastichum*, carmen quatuor versibus constans. *Quint.* 6, 3. *f.* Ovidius ex tetrasticho Macri carmine librum in malos poetas composuit. ℙ Absolute. *Mart.* 7, 84. Quod non insulse scribis tetrasticha quaedam.

[TETRASTROPHUS, a, um, adj. quatuor strophis constat: a τέτρα pro τέτταρα, quatuor, et στροφὴ, stropha. *Venant.* 3. *prol.* 4. Credebam enim quasi sono Pindarico compactos tetrastrophus (scil. versus), pedestri glutine sugillatos, et ac si enthymematum parturiens catenatum vinculum, fecunda fluxisse oratio, spiris intertexta, sophismate peregrino. *F.*]

TETRASTYLOS, a, um, adj. τετράστυλος, quatuor columnas habens: a τετρὰς, quaternio, et στύλη, columna. *Vitr.* 3, 2. Frons loci, quae in aede constituta fuerit, si tetrastylos facienda fuerit, dividatur, etc. *Id.* 6, 3. Cava aedium tetrastyla sunt, quae, etc. ℙ *Tetrastylon* absolute, locus in quo quatuor columnae sunt, vel quatuor columnarum ordines. *Capitol. Gord.* 32. Villa eorum ducentas columnas in tetrastylo habens. *Inscr.* ap. *Grut.* 124, 1. Ibique sacerdotes in tetrastylo consederunt.

[TETRASYLLABUS, a, um, adj. τετρασύλλαβος, qui quatuor continet syllabas. *Mar. Victor.* p. 2486. Quo genere trisyllabi, et tetrasyllabi usque ad hexasyllabos additamento temporum processerunt. *F.*]

[TETRAX, ăcis, m. τέτραξ et τέτριξ, aliis idem esse videtur ac tetrao, aliis vero idem ac otis. *Nemes. fragm. de aucup.* 1, 1. Et tetracem, Romae quem nunc vocitare taracem Coeperunt, avium est multo stultissima. *F.*]

TETRE et Taetre, adv. foede, turpiter, atque adeo moleste, graviter. *Cato* ap. *Charis.* 2, 196. Tetre aetatem exigit. *Claud. Laud. Stil.* 2, 135. Blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla Ultrices fucata genas. *Cic. Div.* 1, 29. Multa facere impure atque taetre, cum temeritate et impudentia. *Id. Dom.* 39. *extr.* Quod senatus severe de religione decerneret, impurissime teterrimeque violasti. *Id. Att.* 7, 12. Istum quidem, cujus *φαλαρισμὸν* times, omnia teterrime facturum puto.

[TETRERARCHUS, i, m. τετρήραρχος, quadriremium praefectus: a τετρήρης, quadriremis, et ἄρχος, princeps. *Not. Tir.* p. 177. Trierarchus, tetrerarchus. Hic perperum *triarcus*, *tetrarchus* legitur. *F.*]

[TETRICIANUS, a, um, adj. ad Tetricum pertinens Galliae tyrannum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1063, 10. I. O. M. Cohors I. Aelia Dacorum Tetricianorum. V. TETRICUS. *F.*]

TETRICITAS, atis, f. σκυθρωπασμὸς, tristitia vultus, supercilium, severitas, gravitas. *Auct. Pan. ad Pis.* 90. Talis inest habitus *(oris)*, qualem nec dicere moestum, Nec fluidum, laeda sed tetricitate decorum Possumus; supra dixerat: plenus gravitate serena Vultus.

TETRICUS, a, um, adj. σκυθρωπὸς, caperato vultu tristitiam prae se ferens, tristis, severus, asper, rigidus: a *teter*. Sed a *tetro* quandoque differt. Etenim *Sidon. ep.* 4, 9. de Vectio viro illustri: Severitas ejus temperamenti, quae non sit tetra, sed tetrica. [**Doederl.* 3, 233. nullam sibi hujus v., neque a *teter* factam, derivationem utique veram probari dicit: sed fieri posse, ut a v. *tero* originatio deducatur, ut *tetricus* eum significet, qui nullam, ne minimam quidem rem, sine severitate tractare soleat, idem fere qui ap. nos *Pedant.* Cf. quae de discrimine h. v. a *difficilis* et *morosus diximus*, [v. in h. v.] *Sen. Herc. Fur.* 579. Et qui fronte nimis crimina tetrica Quaerunt, ac veteres excutiunt reos. *Ov. A. Am.* 1, 721. Hoc aditu vidi tetricae data verba puellae. *Liv.* 1, 18. Disciplina tetrica ac tristis Sabinorum. *Ov. Am.* 3, 8, 61. exaequet tetricas licet illa Sabinas. *Id. Trist.* 2, 397. tetricus domitor Chimaerae, *h. e.* Bellerophon aversus ab amoribus, pudicus. *Sen. ep.* 36. Nimis horridi animi et tetrici esse. *Mart.* 6, 10. At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira! et 12, 71. Udorum tetricus censor et asper erat. *Id.* 4, 73. et 7, 95. tetricae Deae, *h. e.* Parcae. *Id.* 11, 3. Lectores tetrici. *Claud. Fesc.* 31. Permissisque jocis turba licentior Exsultet, tetricis libera legibus. *Mart.* 5, 20. Nec lites tetricae, forumque triste, *h. e.* graves, seriae, et nullum jocis locum dantes. Sic 10, 19. Totos dat tetricae dies Minervae, Dum centum studet auribus virorum. *Id.* 11, 43. Tetricis vocibus corripere aliquem. ℙ Metonymice. *Id.* 6, 70. Tetricae febres; et 7, 80. tubae, *h. e.* bellicae. ℙ *Tetrica rupes*, et *Tetrica* absolute, mons in Sabinis, ita dictus vel quia asperrimus, vel quia inculebatur ab hominibus tetricis et severis. *Virg. A.* 7, 713. Qui Tetricae horrentis rupes, montemque Severum, Casperiamque colunt. *Sil.* 8, 419. et a Tetrica comitantur rupe cohortes. ℙ [*Tetricus* fuit etiam cognomen Tyranni Galliae sub Aureliano Aug., qui *C. Pesuvius Tetricus* appellatus est. Ejus vitam scripsit *Trebellius Pollio.* V. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 455. *F.*]

TETRINNIO, is, n. 4. verbum fictum ad exprimendam anatum vocem. *Auct. carm. de philom.* 22. In fluviisque natans forte tetrinnit avis.

TETRITUDO, inis, f. idem ac tetricitas. *Accius* ap. *Non.* 2, 854. Ne haec aspernabilem tetritudo mea in occulto faxit.

TETRO, as, a. 1. ἀμαυρόω, foedo, conspurco horridum, obscurumve facio. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 837. Beluarum ac ferarum adventus ne tetret loca.

TETTIGOMETRA, ae, f. τεττιγομήτρα, cicadarum matrix, idest involucrum, ex quo cicadae oriuntur: a τέττιξ, cicada, et μήτρα, matrix, uterus. *Plin.* 11, 26, 32. Fit primo vermiculus, dein ex eo, quae vocatur tettigometra, cujus cortice rupto circa solstitia evolant, noctu semper.

TETTIGONIA, ae, f. τεττιγόνια, cicadae minoris genus. *Plin.* 11, 26, 32. Quae cicadae canunt, vocantur achetae; et quae minores ex his sunt, tettigoniae, sed illae magis canorae.

TETULI cum deriv. V. FERO.

*TEUCA, ae, f. Τεύκη, regina Illyriorum, quae castitate meruit, ut longo tempore viris fortissimis imperaret, et Romanos saepe frangeret. *Plin.* 34, 6. ℙ *Teutana* audit *Flor.* 2, 5. edd. *Gronov.* et *Graev.* ubi aliae edd. *Teuta*, *Teuca*, etc. *B. A.*

TEUCER. V. TEUCRUS.

*TEUCERA, ae, oppidum Galliae Belgicae, in Ambianorum terra, non longe a Samarobriva. *Tab. Peut. B. A.*

*TEUCHIRA, ae, Τεύχειρα, oppidum Cyrenaicae, etiam Arsione dictum. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

TEUCHITES, ae, m. τευχίτης, junci odorati species laudatissima: ita dicta videtur a τεῦχος, vas, quia vase clausa ex Nabathaea Romam afferebatur, ne quid odoris ejus exhalaret. *Plin.* 21, 18, 72. Laudatissimus ex Nabathaea juncus cognomine teuchites, proximus Babylonius, pessimus ex Africa, ac sine odore, etc.

TEUCRI, orum. V. TEUCRUS.

TEUCRIA, ae, f. regio Troadis, vel ipsa Troja: sic dicta a Teucro filio Scamandri. *Virg. A.* 2, 26. Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.

TEUCRION, ii, n. τεύκριον, herba spargens juncos tenues, folia parva, asperis in locis nascens, austero sapore, nunquam florens, neque semen gignens. Medetur lieni: constatque sic inventum (invenit autem Teucer). Cum exta super eam projecta essent, adhaesisse lieni, eumque exinanisse. Ob id a quibusdam splenion vocatur. Narrant, sues qui radicem ejus ederint, sine splene inveniri. Haec *Plin.* 25, 5, 20. **Teucria* audit *eid.* 26, 7. ℙ Alia herba. *Id.* 24, 15. Chamaedrys herba est, quae Latine trixago dicitur: aliqui eam chamaeropem, alii Teucrion adpellant. Adde *Appul. Herb.* 24 et 56. *B. A.*

TEUCRIS, idis, f. Τευκρὶς, Trojana, Troas. *Sabin.* 1, 81. captivas Teucridas inter Cum staret conjux Hectoris, atque soror. ℙ In illo *Cic. Att.* 1, 12. et *ib.* 13. *extr.* Teucris illa lentum sane negotium: *Αἴνιγμα* esse videtur, et conjecturis campum latum praebens.

TEUCRIUS, a, um, adj. Trojanus, Teucrus. *Sil.* 13, 36. miles quateret cum Teucria bello Moenia.

TEUCRUS et Teucer, cri, m. Τεῦκρος, filius Scamandri, nobilis Cretensis, qui una cum patre, cum Creta inopia frugum laboraret, navigavit in Phrygiam, ibique Dardani filia uxore ducta, sedem fixit, nomenque Trojanis dedit, qui passim a *Virg.* Teucri dicuntur, itemque ab *Ov.*, *Val. Fl.* et aliis. *Virg. A.* 3, 108. Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras, Optavitque locum regno. *Charis.* 1, 11. et 64. Menander Menandri, Teucer Teucri, aper apri: quamquam Virgilius extulit Teucrus, et Euandrus. Eadem habet *Prisc.* 6, 692. Longiorem de Teucro fabulam habes ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* ℙ Adjective. *Catull.* 64, 344. Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi. *Ov. Met.* 14, 72. Teucras fuerat mersura carinas. ℙ Teucer alius Telamonis regis Salaminis filius fuit, et frater Ajacis, qui a patre in exsilium pulsus, quod fratris injuriam ob arma Achillis Ulyssi adjudicata, ultus non fuisse, navigavit in Cyprum, ibique urbem, quam condidit, Salamina appellavit, nomine patriae suae. *Hor. Od.* 1, 7, 21. Teucer Salamina patremque Cum fugeret, etc. Adde *Just.* 44, 3. ℙ *Fuit et Teucer tragoedia Pacuvii. *Cic. Or.* 1, 58. *Prisc.* 4, 634. et 5, 668. ℙ et nomen artificis. *Plin.* 33, 12. Habuit et Teucer crustarius famam *B. A.*

TEUDALENSIS. V. THEUDALENSIS.

*TEURNIA, ae, f. opp. Norici, vulgo *Villach*, ut placet *Cluverio*, *Harduino* ad *Plin.* ac *Cellario. Plin.* 3, 24. Cf. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 473. n. 6. *B. A.*

*TEUTANI, orum, populi Peloponnesi, in Sicyonia. *Plin.* 3, 5. Pisae *(urbs Etruriae)* ortae a Pe-

lope Pisisque (*in Elide*) sive a Teutanis, Graeca gente. Sic ed. *Hard.* ubi olim legebatur *Atintanis. Steph. Byz. Τιτάνα χωρίον τῆς Σικυωνίας, νῦν δὲ Τευτάνιον καλεῖται. B. A.*

TEUTĀTES, ae, m. Deus veterum Gallorum, et Germanorum, qui idem ac Mercurius fuit, quique humana hostia colebatur. Ejus vultum barbatum, diadematum, et duabus alis hinc inde ornatum cernere est in nummis G. Titiae ap. *Morell. Num. famil. Rom.*, ut *B. Borghesius* in *Decad. numism.* 11. *oss.* 2. probat. *Lucan.* 1, 444. Ex quibus immitis placatur sanguine diro Teutates, horrensque feris altaribus Esus, etc. *Lactant.* 1, 21. *in.* Galli Esum atque Teutatem humano cruore placabant. *Caes. B. G.* 6, 17. Galli Deum maxime Mercurium colunt. *Tac. G.* 9. Germani Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Adde *Mel.* 3, 2., *Minuc. Fel. Octav.* 30. et *Tert. adv. Gnost.* 7. ℙ Scribitur et *Theutates.*

TEUTHĀLIS, idis, f. herba eadem quae sanguinaria, et polygonos. *Plin.* 27, 12, 91. *Sic ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* scribit *theuthalis. B. A.*

TEUTHRANIA. V. TEUTHRANTEUS.

TEUTHRANS. V. TEUTHRANTIUS.

TEUTHRANTĒUS, a, um, adj. *Τευθράντειος*, ad Teuthrantiam pertinens; quae est regio Mysiae, in qua Caicus amnis oritur. (A *Plin.* 5, 30, 33. Teuthrania dicitur, *Τευθρανία*, a Teuthrante Pandionis filio, Thespii patre, Mysiae rege.) *Ov. Met.* 2, 243. Peneosque senex, Teuthranteusque Caicus.

TEUTHRANTĬUS, a, um, adj. Theuthranteus, *Τευθράντιος*, ad Teuthrantem Pandionis filium pertinens, qui fuit pater Thespii, cujus quinquaginta filias, ex Megamede Arnaei filia susceptas, Hercules, praemium leonis interfecti, uxores habuit. *Ov. Her.* 9, 51. Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores. V. *Sen. Herc. Fur.* 477. ℙ *Teuthrans* ap. *Prop.* 1, 11, 11. et *Sil.* 11, 288. videtur esse nomen parvi fluvii, aut lacus in Campania, circa Bajas. V. *Broukhus.*

*TEUTHRAS, antis, m. *Τεύθρας*, rex Mysiae. *Hygin. fab.* 99 et 100. V. et *Teuthrantius, a, um*, ℙ Teuthras, parvus fluvius. V. in *Teuthrantius.* ℙ Fuit et Teuthras unus ex Aeneae sociis. *Virg. A.* 10, 402. *B. A.*

*TEUTHRĒDON, onis, m. *Τευθρηδών*, pater Prothoi, qui cum navibus XL. ad Trojam expugnatum ivit. *Hygin. fab.* 97. *B. A.*

*TEUTHRĬA, ae, insula maris Hadriatici, Diomedearum una. *Plin.* 3. *c.* ult. *B. A.*

[*TEUTHRION, i, n. herba ap. *Plin.* 21, 7. *Bail.*]

*TEUTĬCUS, i, m. Gentii Illyrici regis orator. *Liv.* 44, 31. *B. A.*

*TEUTOBODIĀCI, orum, populi Galatiae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*TEUTOBURGIENSIS, e, ad Teutoburgium pertinens. *Tac. A.* 1, 60. Teutoburgiensis saltus. *B. A.*

*TEUTOBURGĬUM vel Teutoburgum, i, n. oppidum Pannoniae inferioris. *Ant. Itin.* ℙ Aliud, a quo Teutoburgiensis saltus, clade Variana nobilitatus. Eruditorum plurimorum consensu hodie vocatur *Detmold* sive *Dietmellen* in *Westphalia. B. A.*

*TEUTOMATUS, i, m. rex Nitiobrigum, populi Galliae. *Caes. B. G.* 7, 31. et 46. *B. A.*

TEUTŌNI, orum, m. plur. *Τεύτονοι*, populi Germaniae prope Cimbros, ad sinum Codanum, quos Marius delevit. *Cic. Manil.* 20. *f.* Idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret. *Caes. B. G.* 1, 34. *f.* Ut ante Cimbri, Teutonique fecissent. *Lucan.* 6, 259. Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis. Adde *Sen. Ira* 1, 11., *Mel.* 3, 3. *extr.* et *ib.* 6., *Plin.* 35, 4, 8. et 37, 2, 11. *n.* 1., *Flor.* 3, 3., *Epit. Liv.* 67., *Suet. Caes.* 11. et *Val. Max.* 6, 1, *n.* 3. *extr.* ℙ Dicuntur et *Teutones, um*, m. plur. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 67. Teutones in Gallia, Cimbros in Italia vicit. *Vell.* 2, 12. *med.* Gens excisa Teutonum. ℙ Sunt qui scrib. *Theutoni*, aut *Teuthoni.*

TEUTŌNĬCUS, a, um, adj. ad Teutonos pertinens. *Prop.* 3, 2, 44. Teutonicas Roma refringat opes. *Lucan.* 1, 256. Teutonicus furor. *Id.* 2, 69. Teutonici triumphi, *h. e.* de Teutonis acti. *Vell.* 2, 120. Teutonica militia. *Val. Max.* 6, 1. *f.* victoria, *h. e.* qua Teutones victi sunt. ℙ Item universim ad Germanos pertinens. *Mart.* 14, 26. Teutonici capilli. *Claud. in Eutr.* 1, 406. Teutonicus vomer, Pyrenaeique juvenci. ℙ *Teutonici, orum*, absolute, Teutoni. *Sen. ep.* 94. *f.* Cum Marius Teutonicos Cimbrosque concideret.

*TEUTRĬA, ae, f. insula maris Ionii, Apuliae objecta, una ex Diomedeis. *Plin.* 3, 26. *B. A.*

TEXO, is, xui, xtum, a. 3. *ὑφαίνω*, filum filo conserendo telam conficio: a *tego*, ut *taxo*, a *tago*, quia trama stamen tegitur. De texendi modo in RECTA, ae, et TELA dictum est. *Ter. Heaut.* 2, 3, 44. Texentem telam studiose ipsam offendimus. *Prop.* 4, 3, 18. Texitur haec castris quarta lacerna tuis. *Tibull.* 2, 6, 35. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit. *Prop.* 3, 4, 33. in vacuo texetur aranea lecto. *Catull.* 68, 49. tenuem texens sublimis aranea telam. *Cic. N. D.* 2, 48. Araneolae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit, conficiant. ℙ De aliis rebus, quae instar telae nectuntur. *Virg. G.* 1, 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga. *Id. A.* 11, 64. molle feretrum Arbuteis texunt virgis, et vimine querno. *Id. G.* 2, 371. Texendae sepes etiam, et pecus omne tenendum. *Prop.* 3, 2, 36. Texere rosas, *h. e.* corollas facere. [**Ov. Met.* 10, 123. Tu modo texebas varios per cornua flores. *Bail.*] *Virg. G.* 4, 250. Apes floribus horrea texent. *Id. Ecl.* 9, 42. lentae texunt umbracula vites. *Plin.* 21, 18, 69. Texere tegetes. *Id.* 13, 12, 23. et 25. chartas; et *ib.* 11, 22. navigia ex papyro; et 18, 26, 63. qualos, crates, fiscinas. *Lucan.* 4, 131. cana salix madefacto vimine parvam Texitur in puppim. *Mart.* 7, 2. de lorica: Quam vel ad Aetolae securam cuspidis ictum Texuit innumeri lubricus unguis apri. *Id.* 14, 38. Texere tecta calamis paludis. ℙ Pro construere, fabricari. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* Paulus in medio foro basilicam jam paene texuit. *Virg. A.* 11, 326. Bis tenas Italo texamus robore naves. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 846. immanem pyram Texebat ustor fumidus pinu arida. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 21. Privatas causas, easque tenues, agimus subtilius: capitis, aut famae scilicet ornatius: epistolas vero quotidianis verbis texere solemus. *Pl. Trin.* 3, 3, 68. Quamvis sermones possunt longi texier. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. Sane texebatur opus luculenter, *h. e.* libri de republica. ℙ Allegoria est in illo *ejusd. Or.* 3, 60. *f.* Quamquam ea tela texitur, et ea incitatur in civitate ratio vivendi, ut, etc. et *Ov. Pont.* 1, 3, 27. Cum bene firmarunt animum praecepta jacentem, Rursus amor patriae ratione valentior omni, Quod tua texuerunt scripta retexit opus.

TEXTERNA, ae, f. taberna, vel officina textoris. *Appul. Flor. n.* 9. Vestem de texterna emere, baxeas de suterna praestinare. Alii leg. *textrina*, et *sutrina.*

TEXTĬLIS, e, adj. *ὑφαντὸς, πλεκτὸς*, texendo factus. *Cic. Tusc.* 5, 21. Textile stragulum. *Virg. A.* 3, 485. Textilia dona; et *Sen. Med.* 572. et *Plin.* 33, 3, 19. Aurum netur, et texitur lanae modo et sine lana; et *mox:* Agrippina induta paludamento, auro textili sine alia materie; et *Lucr.* 2, 35. Textiles picturae; et *Val. Max.* 9, 1. *n.* 4. *extr.* Tabernacula textilibus signis adornata. *Mart.* 6, 80. Textilia serta. Alii leg. *tonsilia. Cic.* vertens *Sophoclis* carmina, *Tusc.* 2, 8. Ipse illigatus peste interimor textili, *h. e.* tunica imbuta sanguine Nessi. *Petr. Sat.* 55. Induere ventum textilem, *h. e.* vestem tenuissimam subtilitate ventos aequantem, nebulam lineam. *Mart.* 12, 31. textilis umbra supini Palmitis. ℙ Absolute *textile* est pannus textus, *ὕφος, ὕφασμα. Cic. Leg.* 2, 18. Textile ne operosius, quam mulieris opus menstruum. *Liv.* 45, 35. Navis ornata spoliis non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium. *Prop.* 1, 14, 22. Quid relevant variis serica textilibus? *Plin.* 13, 9, 18. Palmae foliis utuntur ad textilia. ℙ Ex *Lucr.* 5, 1349. discimus, prius vestes pelliceas nodis aut spinis circa corpus adnexas, deinde tegumenta quaedam rudia ex juncis, viminibus, philyris, papyro, ac tandem ex lana in restis modum torta, et instar storeae plexis nexisque fuisse contexta: deinde post ferri usum inventum opus textile ab Aegyptiis, teste *Plin.* 7, 56, 57., apud quos lini copia fuit. *Lucr. l. c.* Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen: Textile post ferrum est. V. *Sen. ep.* 90. *med.*

*TEXTĬO vel Testio, onis, f. textura. *Schol. Antiq.* in *Juvenal. Sat.* 2, 76. p. 585. ed. *Cramer.* Multicia dicuntur vestes subtilissimae, ob multitudinem testionis et filorum. V. *Cramer.* annotationem ad l. *B. A.*

TEXTOR, oris, m. *ὑφάντης*, qui texit. *Hor. Ep.* 1, 19, 13. simulet textore Catonem. *Mart.* 12, 59. Hic instat tibi textor, inde fullo. *Juven.* 9, 30. Lacernas male percussas textoris pectine Galli. Adde *Cic. Planc.* 25. *med.*, ubi alii leg. *tector*, et *Pl. Aul.* 3, 5, 45.

TEXTŌRĬUS, a, um, adj. *ὑφαντικὸς*, ad textorem, et ad texendum pertinens. *Colum.* 9, 6. Alvearia opere textorio salicibus connectuntur. ℙ Translate. *Sen. ep.* 113. *med.* Textorium, inquis, totum mehercule istud est, *h. e.* captatorium

TEXTRĪCŪLA, ae, f. parva textrix. *Arnob.* 5, 166. Textriculae puellae.

TEXTRĪNUS, a, um, adj. *ὑφαντικὸς*, ad texendum pertinens, textorius. *Firm. de err. prof. relig.* 17. Minerva textrinae artis magistrae. ℙ *Textrina* absolute, et *Textrinum*, ars, et officina textoris, *ἱστουργεῖον. Vitr.* 6, 7. *f.* Plumariorum textrinae, pictorumque officinae. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. Nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi iste non textrinum instituerit. Est qui leg. *textrinam*; et *ib.* 46. Quod oppidum istum textrinum ad muliebrem vestem conficiendam fuit. *Sen. ep.* 90. *med.* Posidonius textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam. *Suet. Gr.* 23. Palaemon mulieris verna primo, ut ferunt, textrinum, deinde, herilem filium dum comitatur in scholas, litteras didicit. Alii leg. *textrinam*, h. e. texendi artem: quo sensu afferri solet et locus *Plin.* 11, 24, 28., ubi pro *pertinax ratio textrinae* legitur *per se tenax ratio tramae. Hieron. ep.* 117. *n.* 8. Torosulus juvenis, qui ipse sacculum signet, textrinum teneat, pensa ditribuat, regat familiam. ℙ Translate *textrinum* est navale, ubi texuntur naves, *ναυπήγιον. Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 326. Idem campus habet textrinum navibu' longis.

TEXTRIX, icis, f. *ὑφάντρια*, mulier textoriae artis perita. *Tibull.* 2, 1, 65. Atque aliqua assidue textrix operata Minervam Cantat. Alii leg. *assiduae textis operata Minervae. Mart.* 4, 19. de endromide: Requanicae pinguem textricis alumnam. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 77. Textrix vestiaria tenuiaria. *Appul. Met.* 6. Modicum te progressam textrices orabunt anus, *h. e.* Parcae, quae vitae stamina texunt.

TEXTŪRA, ae, f. *ὕφανσις, ὕφασμα, συμπλοκή*, actus texendi, vel etiam opus texendo factum. *Lucr.* 3, 210. Quam tenui constet textura, quamque loco se Contineat parvo. *Prop.* 4, 5, 23. Coae textura Minervae. *Pl. Stich.* 2, 2, 24. Ut operam omnem aranearum perdam, et texturam improbam. *Lucan.* 9, 777, laterum textura, cavumque Pectus.

TEXTUS, a, um, part. a *texo: ὑφαντὸς*, consertus, intextus. *Cic. N. D.* 2, 60. Tegumenta corporum vel texta, vel suta. *Mart.* 11, 56. texta purpura. *Sen. Ag.* 883. Induere conjugis fidae manu textos amictus. *Val. Fl.* 4, 93. Sol bisseno sidere textam Loricam induitur. *Id.* 2, 409. Dona duci promit chlamydem, textosque labores, *h. e.* in chlamyde intextos. *Hor. Epod.* 2, 45. claudere textis cratibus laetum pecus. *Ov. Fast.* 6, 262. Et paries lento vimine textus erat. *Stat. Th.* 1, 583. vimine querno Texta domus. *Plin.* 30, 10, 27, Casae fissis arundinibus textae. *Liv.* 30, 3. *f.* Arundine textis, storeaque tectis hibernaculis habitare. *Ov. Fast.* 4, 435. implet lento calathos e vimine textos; et *ib.* 870. Textaque composita juncea vincla rosa. *Sen. Herc. Fur.* 807. Tunc gravia monstri colla permulcens manu, Adamante texto vincit, *h. e.* catena solida et infragili. *Virg. A.* 5, 588. Creta fertur labyrinthus in alta Parietibus textum caecis iter, ancipitemque Mille viis habuisse dolum. ℙ *Textum*, absolute, vestis texta, pannus; et quodcumque opus textum. *Ov. Her.* 9, 163. Illita Nessaeo misi tibi texta veneno; et *ib.* 17, 223. Purpura nempe mihi, pretiosaque texta dabuntur. *Id. Met.* 8, 640. rude textum. *Mart.* 8, 28. Babylonica picta superbe Texta, Semiramia quae variantur acu. *Id.* 13, 51. texta rosis facta, *h. e.* corollae. *Catull.* 64, 10. et *Ov. Met.* 14, 530. et *Fast.* 1, 506. pinea texta carinae. *Mart.* 3, 58. Vimineo texto ferre ova. ℙ Ipsa textura alicujus rei. *Stat. Th.* 10, 56. pepli mirabile textum. *Virg. A.* 8, 625. clypei non enarrabile textum; et *Lucr.* 6, 1052. ferrea texta. Adde 5, 95. et *Th.* 5, 354. ℙ Translate. *Quint.* 9, 4. *med.* Neque illud in Lysia dicendi textum tenue atque rarum, laetioribus numeris corrumpendum erat; et *Appul. Apol.* Omne calumniae textum retexere. ℙ *Textum* pro *testu* legitur a multis ap. *Cat. R. R.* 76. et 84.

TEXTUS, us, m. ratio texendi, textura. *Lucr.* 4, 729. multo magis haec sunt tenuia textu, Quam quae, etc. *Plin.* 9, 37, 61. Capiuntur purpurae parvulis rarisque textu veluti nassis; et *ib.* 35, 58. Lolliam Paulinam vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 6. Grana in stipula crinito textu spicantur. ℙ Transfertur ad contextum orationis. *Quint.* 8, 6. *med.* Praeter haec usus est allegoriae, ut tristia dicamus melioribus verbis, aut bonae rei gratia quaedam contrariis significemus, aliud textu. *Manil.* 3, 270. quarum ratio manifesta per artem Collecta est, venietque suo per carmina textu. *Ammian.* 15, 7. Rem brevi textu percurram; et *ib.* 8. Ut ostendit textus superior, *h. e.* verba praedicta. *Id.* 27, 12. *f.* Quod contra foederum textum juvarentur Armeniae; et *ib. paulo sup.* Textus gestorum. Sic 28, 1. Hymetii negotium est actitatum, cujus hunc fuisse novimus textum.

TH

[THABENENSIS, e, adj. ad Thabenam pertinens, Numidiae urbem, non procul ab ora maritima, Byzacenam versus, cujus meminit *Hirt. B. Afr.* 77. Hinc *Thabenenses, ium*, incolae illius urbis, ap. *eund. ib.* Thabenenses, qui sub ditione et potestate Jubae esse consuessent, in extrema ejus regione maritima locati. *F.*]

*THABUSĬON vel Thabusium, i, n. nomen castelli in majore Phrygia. *Liv.* 38, 14. *B. A.*

[THAIS, idis, f. *Θαΐς*, meretrix famosissima Alexandrina, quae se quaestus causa Athenas contulit. *Prop.* 2, 5, 3. Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim Tanta, in qua populus lusit Erichthonius. *Id.* 4, 5, 43. Thais pretiosa, *h. e.* quae magno pretio noctes suas amatoribus vendebat. *F.*]

*THALA, ae, f. oppidum Numidiae. *Sall. B. J.* 75. (al. 78.) *Tac. A.* 3, 21. *Flor.* 3, 1. *B. A.*

THĀLĀMĒGUS, i, m. *θαλαμηγός*, navis deliciarum magis, quam belli causa ornata, thalamis et cubiculis instructa, pretiosisque obducta velis, aliisque regiis ornamentis, qua utebantur reges Aegypti sursum prorsum Nilo navigantes solatii causa; inventa a Philopatore rege, et ab aliis deinceps usurpata: videturque ita dicta *παρὰ τὸ ἄγειν τὸν θάλαμον*, *h. e.* quia thalamos habet, et cubicula. *Suet. Caes.* 52. de Caesare et Cleopatra: Eadem nave tha-

lamego paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit. *Sen. Ben.* 7, 20. hujus generis naves *cubiculatas* vocat, *Plin.* vero 7, 30, 31. *in vittatas.*

THĂLĂMUS, i, m. *θάλαμος*, cubiculum interius sponsorum, aut conjugum: item universim feminarum in aedibus. Vox Graeca, et poetica. *Vitr.* 6, 10. In prostadis dextra ac sinistra cubicula sunt collocata, quorum unum thalamus, alterum amphithalamus dicitur. *Virg. A.* 6, 623. Hic thalamum intravit natae. *Ov. Met.* 10, 456. thalami jam limina tangit, Jamque fores aperit: jam ducitur intus. *Id. Her.* 12, 57. Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum. ℙ Item cubile, lectus. *Prop.* 2, 12, 14. Lacaena Cum Menelaeo surgeret e thalamo. *Id.* 3, 5, 63. Sed thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi Effulto pluma versicolore caput. *Petr. Sat.* 26. Thalamum veste exornare. ℙ Saepe refertur ad nuptias, et conjugium. *Virg. A.* 4, 550. degere vitam Expertem thalami; et *ib.* 18. Si non pertaesum thalami taedaque fuisset; et *ib.* 7, 253. Quantum in connubio natae thalamoque moratur. *Sen. Oed.* 489. Tradere virginem thalamis; et *Troad.* 891. Ire ad thalamos. *Ov. Fast.* 3, 689. Parare thalamos. *Sen. Ag.* 992. Vidua ante thalamos; et *ib.* 256. Consors thalami; et *Herc. Fur.* 852. thalamis jugatae virgines. *Id. Herc. Oet.* 419. Virginum thalamos petit: siqua negata, rapit. *Ov. Met.* 12, 143. Tentasset Peleus thalamos quoque forsitan illos, *h. e.* illam petisset uxorem; et *ib.* 7, 21. quid in hospite, regia virgo, Ureris, et thalamos alieni concipis orbis? *h. e.* cogitas habere maritum externum. *Id. Am.* 1, 8, 19. thalamos violare pudicos. *Virg. A.* 9, 593. Turnique minorem Germanam nuper thalamo sociatus habebat; et *ib.* 10, 649. thalamos ne desere pactos; et *ib.* 7, 388. Thalamum alicui eripere. *Stat. Th.* 5, 463. Thalamus coactus. ℙ Dicitur et de quovis habitaculo. *Virg. A.* 6, 280. Ferreique Eumenidum thalami. *Id. G.* 4, 189. de apib.: ubi jam thalamis se composuere, siletur In noctem. *Plin.* 8, 46, 71. de Api: Delubra et gemina, quae vocant thalamos. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 639, 8. P. Lucrinius P. L. Thalamus. *F.*]

THĂLASSĂ, ae, f. *θάλασσα*, mare: Graeca vox, qua inscribitur liber nonus *Apicii* auctoris culinarii, quia in eo libro de piscibus marinis condiendis, et de salsamentis agitur. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 2. Aelia Thalassa. ℙ Hinc *Thalassus, i,* item cogn. R. *Alia* ap. *eund.* 652, 1. C. Rustius C. L. Thalassus. *F.*]

THĂLASSEGLĒ, es, f. herbae nomen. *Plin.* 24, 17, 102. Democritus tradit, thalasseglen circa Indum amnem inveniri, quae ob id nomine alio potamantis apellatur. Hac pota lymphari homines, obversantibus miraculis. V. POTAMANTIS.

[THĂLASSĔROS, otis, m. *θαλασσερὸς*, ita appellatur collyrium quoddam ap. *Galen. de composit. medicam.* 4, 7. *med.* cujus ipse compositionem docet. Videtur esse a *θάλασσα*, mare, et *ἐρος* seu *ἔρως*, amor. *Inscr.* ap. *Tochon, Cachets des ocul.* p. 64. L. Sacii Menandri thalasseros delacrymatorium. *Alia* ap. *eund. ib.* p. 60. M. Ulpii Heracletis thalasseros. ℙ Est etiam nomen proprium R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 372, 4. Euphrae patri Thalasseros filius fecit. *F.*]

*THALASSĬA, orum, n. plur. pro locis maritimis dixit *Sidon. ep.* 1, 5. *B. A.*

THĂLASSĬCUS, a, um, adj. *θαλασσικὸς*, idem ac thalassinus. *Pl. Mil.* 4, 4, 43. Palliolum habeas ferruginem: nam is colos thalassicu' st; et 4, 6, 67. Nescio quis tecum incedit, ornatu quidem thalassico.

THĂLASSĪNUS, a, um, adj. *θαλασσινὸς*, marinus, ut Thalassinus color, idest caeruleus, qui est similis fluctibus maris: a *θάλασσα*, mare. *Lucr.* 4, 1120. teriturque thalassina vestis Assidue.

THĂLASSĬO. V. TALASIO.

THĂLASSĬON Phycos, *θαλάσσιον φύκος*, fucus marinus, herba lactucae similis, trium generum: latum, et alterum longius, quadantenus rubens, tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tingunt. *Plin.* 26, 10, 66.

THĂLASSĪTES Vinum dicitur, quod cum vasis suis in mare demergitur, ut ejus praecocior sit vetustas, inquit *Plin.* 14, 8, 10. Est autem vox a Graeco *θάλασσα*, mare. V. ABROTONITES.

THĂLASSŌMĔLI, n. *θαλασσόμελι*, aqua medicata aequis portionibus maris, mellis, imbris. Mare ex alto, et ad hunc usum advehunt, fictilique vase et picato condunt. Prodest ad purgationes maxime, sine stomachi vexatione, et sapore grato, et odore. Haec *Plin.* 31, 6, 35. Est a *θάλασσα*, mare, et *μέλι*, mel. *Seren. Sammon.* 28, 537. Saepe thalassomeli adjecto cumulavimus imbri.

[THĂLATTĬO, onis, m. dimin. a *θαλάττιος*, marinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 638, 6. C. Junius Thalatio. Hic perperam altera littera *t* omissa est. *F.*]

THALĒS, is, et etis, m. *Θάλης*, vir Milesius, unus ex septem sapientibus, quem Milesii omnium sapientissimum judicarunt, delato ad eum communi consensu tripode aureo, quem Apollinis oraculo moniti fuerant, sapientissimo omnium deberi, ut est ap. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 7. *extr.* V. SAPIENS. Fuit primus cultor physicae, astronomiae, geometriae, astrologiae. Aquam sensit rerum omnium esse principium. Ab eo Ionica disciplina fluxit, sicut a Pycipium. Ab eo Ionica disciplina fluxit, sicut a Pythagora Italica. *Pl. Capt.* 2, 2, 24. Thalem talenmar, vel *Hazezon. Engeddi* appellatur. V. *Genes.* 4, 7. et 10, 2. et *Paralipom.* 20, 2. *B. A.*

*THAMNITĬCUS, a, um, adj. ad Thamnum vel Thamnathsare spectans. *Plin.* 5, 14. Toparchia Judaeae Thamnitica. *B. A.*

*THAMUDĒNI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. ℙ Eorum caput Badanatha dictum, teste *eod. ib. B. A.*

[THAMUGADENSIS, e, adj. ad Thamugadem pertinens, Numidiae urbem, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 1090, 16. L. Aelius Perpetuus legatione functus patriae coloniae Ulpiae Thamugadis ex Numidia. *August. ep.* 164. Thamugadensis episcopus. *F.*]

THĂMYRIS, is, m. et Thamyras, ae, m. *Θάμυρις*, poeta Thessalus ex Oechalia urbe, dicitur cum Musis de cantu certasse, (ea conditione, ut si vinceret, eas sibi omnes morigeras haberet; si vinceretur, earum arbitrio vapularet) victusque lyra et oculis mulcatus fuisse. *Prop.* 2, 18, 19. Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur. *Ov. Am.* 3, 7, 62. Quid miserum Thamyran picta tabella juvet? Adde *Ib.* 274. et *A. Am.* 3, 399. Sic *Stat. Th.* 4, 183. mutos Thamyris damnatus in annos, Ore simul, citharaque (quis obvia numina temnat?) Conticuit praeceps.

[THĂMYRUS, i, m. congregatus: a *θάμυρις*, congregatio, ap. *Hesych.* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2097, 37. T. Marcius Thamyrus. *F.*]

THĂNĂTĬUS, ii. V. ASCLEPIODOTON.

THANNUM et Thamnum, i, n. *θάμνος*, frutex quidam, cujus flores et coliculos teneros reponi jubet *Colum.* 12, 7., et conditurae servari. [Scribitur et *tamnus*, q. v. v. s. l. *Tert. Anim.* 32. Empedocles quia se Deum delirarat, idcirco, thamnus et piscis fui, inquit. Cur non magis et pepo tam insulsus, et chamaeleon tam inflatus? *F.*]

*THAPSĂCUS vel Thapsacum, i, *Θάψακος*, Syriae oppidum, ad Euphratem fluvium. *Plin.* 5, 24. ℙ Dictum et Amphipolis, teste *eod. ib. B. A.*

*THAPSAGUS, i, oppidum Libyae interioris. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

THAPSĬĂ, ae, f. *θαψία*, frutex quidam foliis foeniculi, caule inani, nec excedente baculi longitudinem, semine ferulae, radice candida. Incisus lacteo succo manat: vim autem habet venenatam, quippe qui etiam effodientibus nocet: remedium autem est cerato corpus prius obducere. Dictus est a Thapso paeninsula Africae, ubi plurimum provenit, et vehementissimus est. Habet aliquos usus in medicina. *Plin.* 13, 22, 43. [*Thapsia Asclepium, L.] ℙ *Lucan.* 9, 919. Thapson *Erycinam* cognomine appellat, quia in Eryce quoque Siciliae monte invenitur: unde et *Τριναχρὴ* dicitur a *Nicandro* in *Theriacis.* [*Summa est lectionis varietas: alii enim leg. *thapsus*, et *tapsos*, et *taxos*, et *taxus.*]

[THAPSĪTĀNUS, a, um, adj. ad Thapsum pertinens, Africae Byzacenae oppidum maritimum, cujus meminit *Hirt. B. Afr.* 28. [*Cf. *Mannert. Geograph.* X, 2. p. 241.] Hinc *Thapsitani*, vel *Tampsitani, orum*, absolute, sunt illius oppidi incolae. *Id. ib.* 97. Thapsitanis Caesar HS. XX. millia, conventui eorum HS. XXX. millia multae nomine imponit. *Inscr.* ap. *Grut.* 512. *lin.* 28. Tampsitanorum, Leptitanorum, etc. *F.*]

THAPSOS. V. THAPSIA.

*THAPSUS vel Thapsos, i, f. *Θάψος*, paeninsula Siciliae, cum oppido maritimo, non longe a Syracusis. *Ov. Fast.* 4, 477. *Virg. A.* 3, 689. *Sil.* 14, 207. *Insulam* appellat *Serv.* ad *Virg.* l. c. Thapsus insula non longe a Syracusis, plana et paene fluctibus par. *Servio* astipulatur *Dioscorides*, *νῆσον* dicens, itemque *Anton.* in *Itin.* p. 517. ubi lege *Wesselingii* notam. Fallitur *Marcellus*, cum vult Thapsum unam esse Sporadum, quamvis praeeuntem habuerit *Nicandri Scholiastam*, in *Theriac.* v. 539. ℙ Item oppidum Africae propriae, in Byzacena, Caesaris bello ac victoria illustratum. *Liv.* 33, 48. *Auct. B. Afr.* 28. 44. 46. 79 et 80. *Plin.* 5, 4. ℙ Scribitur et sine aspiratione. *B. A.*

*THARNE, es, f. locus quidam, de quo *Plin.* 11, 37. Circa Briletum et Tharnen. ubi *Harduinus* mavult *circa Brilettum et Parnetha. Id. ib.* At in Brileto et Tharne, *cet. B. A.*

*THARRĪAS, ae, m. medicus quidam, de quo *Cels.* 3, 20. *in.* et 21. *med. B. A.*

[THARSĂ, ae, m cogn. R a *θάρσος*, audacia. *Inscr.* mendosa ap. *Reines. cl.* 16. *n.* 36. et *Don. cl.* 5. *n.* 32., emendatior et plenior ap. *Rezzonic. Disquis. Plin.* p. 67. et *Giovio Lett. Lar.* p. 217. C. Plinius Calvos VI. Vir sibi, et Pliniis Tharsae, et Verecundae Pat. *h. e.* patronis. *F.*]

THARSOMĒNUS, Thrasymenus, ap. *Quint.* 1, 5. *med.* V. CATAMITUS.

[THARSUS, i, m. *θαρσὺς*, audax. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1124, 3. T Maevius Tharsus. *F.*]

*THASĬE, es, f. regio Asiae, in Iberia. *Plin.* 6, 10. Regio Thasie. *B. A.*

THĂSĬUS, a, um, adj. *Θάσιος*, ad Thasum, *Θάσον*, pertinens, quae est insula Thraciae in mari Aegaeo, valde ferax frugum et marmoris. Unde *Stat. Silv.* 1, 5, 34. Non huc admissae Thasos, aut undosa Carystos; et *ib.* 2, 2, 92. Hinc Nomadum lucent flaventia saxa, Thasique. *Sen. ep.* 86. *med.* Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit. *Plin.* 36, 6, 5. Fecere et e Thasio Cycladum insularum, aeque et e Lesbio: lividius hoc paulo. *Virg. G.* 2, 91. Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae. *Varr.* ap. *Gell.* 7, 16. et *Plin.* 15, 22, 24. Thasiae nuces, et Albenses celebrantur. *Vet. Poeta* ap. *Plin.* 14, 14, 16. Quinque Thasi vini depromam, bina Falerni. *Plin. ib.* 18, 22. Thasos duo genera vini diversa facere proditur, unum quo somnus concilietur, alterum vero, quo fugetur. ℙ [*Thasii, orum*, absolute, sunt incolae illius insulae. *Nep. Cim.* 2. Thasios opulentia fretos suo adventu fregit. F.] ℙ Scribitur et *Thassus, Thassius.*

*THASĬUS, i, m. Delius, sacerdotis cujusdam Apollinis filius, a canibus consumptus est. *Hygin. fab.* 247. ℙ *Thasus* vel *Thrasus* audit *Ovid. in Ibin* v. 477. ubi priorem formam habet ed. *Burman.* posteriorem ed. *Heins. B. A.*

*THATĬCE, es, f. Aegypti oppidum, Aethiopiae conterminum. *Plin.* 6, 29. Tacompson, quam quidam adpellaverunt Thaticen. *B. A.*

*THAUMĂCI, orum, *Θαυμακοί*, oppidum Thessaliae, in Magnesia, non procul a sinu Maliaco. *Liv.* 32, 4. Thaumacos—aggeribus oppugnabat. *Id.* 36, 14. Thaumaci loco alto siti. Cf. *Strabo.* ℙ *Thaumacia* vel *Thaumacie* est *Plin.* 4, 9. V. et *Steph. Byz.* et *Homer. Il.* B. v. 719. *B. A.*

*THAUMACĬA vel

*THAUMACIE. V. v. praec. *B. A.*

THAUMANTĔUS, a, um, adj. *Θαυμάντειος*. Virgo Thaumantea *Ov. Met.* 14, 845. est ipsa Thaumantias Iris.

THAUMANTĬAS, ădis, et

THAUMANTIS, idis, f. adj. *Θαυμαντιάς*, et *Θαυμαντίς*, Iris, filia Thaumantis ex Electra, filia Oceani, soror Harpyiarum. Haec est ministra Junonis, sicut Mercurius Jovis, et Triton Neptuni, ut est ap. *Stat. Silv.* 3, 3, 80. Dicta est a *θαῦμα*, miraculum, quia Iridem omnes mirantur propter varietatem et suavitatem colorum. *Cic. N. D.* 3, 20. Ob eam causam, quia speciem habeat admirabilem, Thaumante dicitur esse nata. *Virg. A.* 9, 5. Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est. *Ov. Met.* 4, 478. Laeta redit Juno: quam coelum intrare parantem Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris. *Id. ib.* 12, 647. Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus Eligit. *Val. Fl.* 8, 115. cum veste recincta Labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo. ℙ Etiam Jovis ministra esse dicitur. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 1. Juppiter interea cinctam Thaumantida nimbis Ire jubet, totoque Deos arcessere mundo. Adde *Virg. A.* 9, 803.

[THAUMASTUS, a, et ē, um, adj. *Θαυμαστός, ή, όν*, cum admiratione spectandus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 844, 5. Q Pomponius Thaumastus. Alia ap. *Grut.* 1047, 1. Verania Thaumaste. *F.*]

*THEAETĒTUS, i, m. *Θεαίτητος*, titulus unius ex Dialogis Platonis, in quo disputat adversus falso jactatam a Sophistis scientiae comparandae rationem. *Gell.* 13, 18. *B. A.*

[THĔAGĒNES, is, m. et f. a Dea genitus, et

[THĔAGĒNIS, idis, f. a Dea genita: a *Θεά*, Dea, et *γείνομαι*, nascor, gignor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 131. *n.* 67. Cn. Julius Theagenes. Alia ap. *eund.* p. 305. *n.* 302. Dionysio benemerenti Theagenes uxor. Alia ap. *eund.* p. 61. *n.* 354. Trebellia Theagenis. Alia ap. *Grut.* 688, 9. Julia Epicarpia Juliae Theagenidi filiae. *F.*]

THĔAMĒDES, is, m. lapis est in Aethiopiae montibus nascens, contrarius magneti, quippe qui ferrum sibi appositum statim abigit. *Plin.* 36, 16, 25. [*Sunt qui dicant, esse, quem nos appell. *Turmalin.*]

*THEANGĔLA, *Θεαγγέλα Steph. Byz.*, Cariae oppidum, unum ex iis, quae ab Alexandro Magno Halicarnasso fuerunt attributa. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[THĔANGĔLIS, idis, f. herba quaedam; a *Θεός*, Deus, et *ἄγγελος*, nuntius, quasi Deorum nuntia, quod pota divinandi facultatem praebeat. *Plin.* 24, 17, 102. Theangelida in Libano Syriae, qua pota magi divinent. *F.*]

[THĔANGĔLUS, i, m. *Θεαγγελεύς*, Deorum nuntius, qui Deorum solemnitates denuntiat, praeco. Vocis etymon v. in v. antec. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 316. *n.* 400. M. Junius Theangelus. *F.*]

THĔATĪNUS. V. TEATINUS.

THĔATRĀLIS, e, adj. *θεατρικός*, ad theatrum pertinens. *Cic. Sext.* 54. Theatrales, gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere, levitate nonnullorum, emptos plausus exiles et raros excitare. *Tac. A.* 1, 16. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum. *Id. ib.* 11, 13. Theatralis lascivia. *Sidon. ep.* 3, 13. *f.* Theatrales sermones, *h. e.* obsceni. *Plin.* 7, 30, 31. Theatralis lex, *h. e.* de ordine sedendi in theatro. V. ROSCIA. *Suet. Dom.* 8. Licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit. *Id. Aug.* 40. Theatralis poena, *h. e.* quae lege Roscia primum statuta fuerat, mox lege Julia theatrali (de qua *Plin.* 33, 2, 8.) ab Augusto renovata est in eos, qui equites cum non essent, in quatuordecim spectassent. [Eandem tertio restituisse Domitianum, patet ex *Suet. l. c.* et *Mart.* 5, 8. *F.*]

THĔATRĪCUS, a, um, adj. *θεατρικός*, theatralis. *August. Doctr. Chr.* 2, 18. Ad theatricas nugas converti. *Id. C. D.* 6, 6. Theatricae turpitudines; et *ib.* 7. Theatrica arma; [et *Music.* 2, 5. §. 8. Theatrici operarii. *F.*]

THĔATRĪDĬUM, ii, n. *θεατρίδιον*, dimin. parvum theatrum. Vox Graeca, quae plerumque Graece scribitur ap. *Varr. R. R.* 3, 5. *θεατρίδιον* avium.

THĔATRUM, i, n. *θέατρον*, aedificium semicirculi specie, ad spectandum ludos scenicos factum: a *θεάομαι*, specto, video. Olim stantes aderant spectaculis, ut est in *Epit. Liv.* 48. *f.* et *Val. Max.* 2, 4. *n.* 2.; crescente luxu theatra facta sunt, ut a sedentibus spectaretur. Primo lignea fuere, et temporaria, quae peractis ludis solverentur: postea ex lapide structo, et mansura. In his erant scena, ubi actores agebant: cavea seu arena, ub edebantur spectacula: orchestra, ubi senatores: gradus plurimi, ubi reliqui spectabant: et primo quidem promiscue, postea lege Roscia, primi quatuordecim ordines graduum orchestrae proximi equitibus assignati, reliqui plebi. *Cic. Fin.* 3, 20. Theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque occuparit. *Id. Att.* 2, 19. *med.* Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est: nam gladiatoribus qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. *Id. Or.* 3, 50. *f.* In his si paulum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant, *h. e.* spectatores. *Hor. Ep.* 1, 19, 41. spissis indigna theatris Scripta pudet recitare. *Ov. A. Am.* 1, 497. curvo theatro sedere; et *ib.* 3, 394. et *Trist.* 3, 12, 24. terna theatra, *h. e.* Pompeji, Marcelli, et Statilii Tauri. *Vitr.* 5, 3. et sqq. de theatrorum rationibus praecepta tradit. ℙ [*Theatrum tectum* est idem ac odeum, q. v. s. l. *Inscr.* quae adhuc exstat Pompejis in latere theatri hujusmodi, ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3294. C. Quinctius C. F. Valg., M. Porcius M. F. duovir. Dec. Decr. theatrum tectum Fac. Locar. eidemque Probar. *Stat. Silv.* 3, 5, 91. Et geminam molem nudi tectique theatri. Hinc *Tert. Apol.* 6. *med.* Video et theatra nec singula satis esse, nec nuda. *F.*] ℙ Ap. Graecos theatra pro curia erant: in his enim de republica agebatur, conciones habebantur, de summa rerum deliberabatur. *Cic. Fl.* 7., *Nep. Timol.* 4., *Liv.* 24, 39. et 33, 28. et *Tac. H.* 2, 80. ℙ De quocumque loco ad edenda spectacula apto. *Virg. A.* 5, 282. campus, quem collibus undique curvis Cingebant silvae: mediaque in valle theatri Circus erat; et *ib.* 664. ad tumulum, cuneosque theatri. [*Prima haec est vocis significatio, primoque loco poni debebant hujus §. exempla.] ℙ Translate sumitur pro loco celebri, et omnium oculis exposito. *Cic. Tusc.* 2, 26. *extr.* Omnia benefacta in luce se collocari volunt: sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est. *Id. Fam.* 12, 29. Ea familiaritas, quae mihi cum L. Lamia est, magno theatro spectata est tum, cum, etc. *Id. Verr.* 2, 5, 14. Ut me, et quaesturam meam quasi in aliquo orbis terrae theatro versari existimarem. *Id. Brut.* 2. Cum forum populi R. fuisset quasi theatrum illius ingenii. *Quint.* 1, 2. *med.* Optimus quisque praeceptor frequentia gaudet, ac majore se theatro dignum putat.

THĒBAE, arum, f. plur. *Θῆβαι*, et in sing. num. Thebe, es, *Θήβη*, nomen urbis. Multae sic vocatae sunt, sed duae celebres fuerunt, in Aegypto, et in Boeotia. In Aegypto caput est Thebaidis regionis, olim centum portis insignis, unde et Hecatompylos dicta est: condita a Busiride rege, et tota pensilis, adeo ut reges vel maximos exercitus solerent subter educere, nullo oppidanorum sentiente, ut est ap. *Plin.* 36, 14, 20. ℙ In sing. num. *Juven.* 15, 6. Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis. Adde *Plin.* 5, 9, 11. ℙ In Boeotia condita fuit a Cadmo ad Ismenum fluvium, et Cithaeronem montem: ejus vero moenia Amphion aedificasse dicitur, saxis ultro ad ejus citharae sonum convolantibus. Fuit patria Bacchi, Herculis, Epaminondae, Pelopidae, et Pindari. Eversa est ab Alexandro M. *Plin.* 4, 7, 12. et 5, 19, 17. et 7, 29, 30. etc. Septem habuit portas, quarum nomina habes ap. *Stat. Th.* 8. a v. 353. Hinc *Juven.* 13, 36. Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot Thebarum portae, vel divitis ostia Nili. ℙ In sing. num. *Stat. Th.* 9, 255. premit agmina Thebes Hippomedon; et *ib.* 294. diraeque ad moenia Thebes Solus abi. Adde *ib.* 5, 681. et *ib.* 10, 594. et *Sen. Oed.* 112. ℙ *Thebae, urbs Phthiotidis, cujus meminit *Liv.* 28, 7. 32, 33. 33, 5. et 39, 25. itemque *Plin.* 4, 8. ubi *Thebae Thessaliae* appellatur. ℙ Alia hoc nomine, in Cilicia. *Ov. Met.* 12, 110. Eetioneas implevi sanguine Thebas. Adde 13, 173. et cf. *Hom. Il.* A. v. 366. B. v. 691. et Z. v. 397. In Troade ponit *Plin.* 5, 30. *Campus Thebe* audit *Melae* 1, 18. et *Campus Thebes Liv.* 37, 19. Cf. *Herod.* 7, 42. ℙ Fuit et Thebae oppidum Italiae, sed excisum, in Lucania. *Plin.* 3, 11. Praeterea interisse Thebas Lucanas, Cato auctor est. *B. A.*

THĒBAEUS, a, um, adj. *Θηβαῖος*, ad Thebas pertinens. *Claud. Idyll.* 1, 91. columnae Thebaeo monte revulsae, *h. e.* in Thebaide Aegypti; et *Spart. Nigr.* 12. Quod ille a rege Thebaeorum acceperat, *h. e.* Thebaidis Aegypti.

THĒBAĪCUS, a, um, adj. *Θηβαϊκός*, ad Thebas Aegyptias pertinens. *Plin.* 36, 8, 13. (et *ib.* 22, 43.) Thebaicus lapis, interstinctus aureis guttis, invenitur in Africae parte Aegypto adscriptae. *Id.* 23, 4, 51. Thebaicae palmae. *Id.* 31, 9, 45. Thebaicus sal. *Id.* 36, 6, 9. Thebaica arena. *Id.* 18, 7, 12. *n.* 2. Thebaicum triticum. *Spart. Nigr.* 12. Simulacrum ex Thebaico marmore. ℙ *Thebaicae, arum*, palmulae, seu dactyli. *Stat. Silv.* 4, 9, 26., *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* et V. CARICUS.

THĒBAĬS, idis, f. *Θηβαΐς*, regio Aegypti, contermina Aethiopiae, cujus caput Thebae. *Plin.* 5, 9, 9., 12, 21, 46., 13, 4, 9., 16, 21, 33., 18, 18, 47. etc. ℙ Item insigne *P. Papinii Statii opus*, bellum illud continens, quod Argivi ad Thebas Boeotias gesserunt: in quo Etheocles et Polynices fratres mutuis vulneribus ceciderunt. *Stat. Th.* 12, 811. O mihi bissenos multum vigilata per annos Thebai: jam certe praesens tibi fama benignum Stravit iter, etc. *Id. Silv.* 3, 5, 36. cumque tuis crevit mea Thebais annis. Adde *Juven.* 7, 82. ℙ *Thebais* inscribitur etiam tragoedia *Senecae*, quae et *Phoenissae.* ℙ *Thebaides*, mulieres Thebanae. *Ov. Met.* 6, 163. Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant. ℙ Adjective. *Stat. Silv.* 2, 2, 60. Jam Methymnaei vatis manus, et chelys una Thebais, et Getici cedat tibi gloria plectri, *h. e.* Arion Methymnaeus, Amphion Thebanus, et Orpheus Geticus seu Thrax cedant tibi. *Sen. Ag.* 315. Thebais hospes. Alii aliter leg. Ap. *Ov. A. Am.* 3, 778. Thebais est Andromache uxor Hectoris, filia Eetionis regis Thebarum Phrygiae, vel Ciliciae: quarum et *Sen.* meminit *Troad.* 219. ℙ *Fuit et Thebais Lydiae flumen. *Plin.* 5, 29. Trallis perfunditur Thebaide, ubi tamen Codd. habent *Thebaite*, a recto *Thebaites* sc. *B. A.*

THĒBĀNUS, a, um, adj. *Θηβαῖος*, ad Thebas Boeotias pertinens. *Cic. Fat.* 4. Coelum crassum Thebis, itaque pingues Thebani, et valentes. *Hor. Od.* 1, 19, 2. Thebanae Semeles puer, *h. e.* Bacchus. *Id. A. P.* 394. Amphion Thebanae conditor arcis. *Id. Ep.* 1, 3, 13. Thebanos modos aptare fidibus Latinis, *h. e.* Pindaricos. *Lucan.* 4, 551. Thebani fratres, *h. e.* Etheocles et Polynices, qui se invicem occiderunt. *Prop.* 2, 8, 2. duces, *h. e.* iidem fratres: qui dicuntur a *Petr. Sat.* 80. Thebanum par. *Manil.* 5, 458. Thebana juvabit Dicere bella uteri, mixtumque in fratre parentem, *h. e.* bellum eorundem fratrum, et Oedipum eorum patrem, qui simul et frater fuit, quia ex incesto suae matris concubitu eos genuit. *Lucan.* 1, 551. flamma Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos, *h. e.* quibus illi duo fratres combusti sunt. V. *Stat. Th.* 12. a *v.* 429. Ap. *Mart.* 8, 51. Phryxus Thebanus, *h. e.* filius Athamantis Thebarum regis. *Id.* 1, 91. Thebanum aenigma, *h. e.* quale fuit Sphingis apud Thebas, quod solvit Oedipus Thebanus. *Prop.* 3, 16, 6. Thebanus Deus, *h. e.* Hercules. *Stat. Th.* 12, 131. Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulcro, *h. e.* Leucothea mater Melicertae: quae ab *Ov. Fast.* 6, 476. Dea Thebana dicitur. *Stat. Th.* 1, 711. Thebana mater, *h. e.* Niobe. *Ov. Am.* 3, 12, 35. semina, *h. e.* dentes serpentis sati a Cadmo. *Id. Trist.* 3, 3, 67. soror, *h. e.* Antigone soror Polynicis et Etheoclis. V. *Stat. Th.* 12. a *v.* 349. Rursus *Ov. Trist.* 4, 3, 29. cum Thebana cruentum Hectora Thessalico vidit ab axe rapi, *h. e.* Andromache filia Eetionis regis Thebarum, quae est in Cilicia, uxor Hectoris.

*THEBĂSA, oppidum Lycaoniae, sub monte Tauro. *Plin.* 5, 27. ex lectione ed. *Hard.* et Codd. MSS. Al. leg. *Tembasa* vel *Tenbasa.* ℙ Hinc *Thebaseni, orum*, dicti sunt incolae. *Id.* 5, 32. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Thebasani.* ℙ V. TEBASENI. *B. A.*

*THEBASĀNI. V. in v. praec. *B. A.*

THĒBE, es, f. *Θήβη*, Nympha, a qua Thebarum urbs cognominata est: adamata fuisse dicitur in fabulis ab Asope fluvio Boeotiae, atque ex eo quinque filias suscepisse. *Ov. Am.* 3, 6, 33. Quid referam Asopon? quem cepit Martia Thebe, Natarum Thebe quinque futura parens. *Martia* dicitur, vel quia ipsa urbs Thebae bellicosa admodum fuit, seu quia ex eadem Nympha Mars etiam filiam suscepisse dicitur. ℙ [Fuit et Thebe Alexandri Pheraeorum tyranni uxor. *Cic. Inv.* 2, 49. et *Off.* 2, 7. *F.*] ℙ Ipsa quoque urbs *Thebe* dicitur in sing. num. V. THEBAE.

*THEBES vel Thebez, oppidum Samariae. *Vulg. Jud.* 9, 50. *Hieron. de locis. B. A.*

*THEBESTE, oppidum Numidiae. *August. adv. Donat.* 6, 38. et *Cod. Theod.* 11, 30, 5. ℙ *Teveste* audit *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* *Τευέστη Ptolemaeo. *B. A.*

[THĒBOGĒNES, is, adj. omn. gen. qui Thebis genitus est. *Varr.* ap. *Non.* 2, 794. Ismenius hic Thebogenes fluit scaturix, *h. e.* diffluit opulentia, cujus ipse videtur esse scaturigo. Hujus tibi, cinis seu choraulae praedivitis meminit *Plin.* 37, 1, 3. *F.*]

THĒCA, ae, f. *θήκη*, repositorium, vagina, loculus, in quo aliquid recondimus: a *τίθημι*, pono. *Varro R. R.* 1, 48. Proinde ut grani theca sit gluma, et apex arista. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. Efferri sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum. *Id. Att.* 4, 7. Quare in hoc thecam nummariam non retexeris. *Quint.* 6, 3. Chrysippus, cum in triumpho Caesaris eborea oppida essent translata, et post dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas esse oppidorum Caesaris dixit. *Prop.* 2, 7, 17. abrepta desertus conjuge Achilles Cessare in thecis pertulit arma sua. [Alii rectius leg. *in Teucros.* V. CALAMARIUS. *F.*]

THĒCĀTUS, a, um, adj. theca inclusus. *Sidon. ep.* 1, 2. *med.* Arcum thecatum gestare.

*THEĪUM, i, n. Athamaniae oppidum. *Liv.* 38, 1. *B. A.*

[THĒĪUS, a, um, adj. *θεῖος*, et Ionice *θηῖος*, divinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 283, 6. Ser. Asinius Theius. *F.*]

*THELBON, oppidum Mesopotamiae. *Tab. Peut. B. A.*

[THĒLĒTĒ, es, f. *θελητή*, expetita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur. Append.* T. 4. p. 7. *n.* 5. Clodia L. L. Thelete. *F.*]

THĒLĒTUS. V. TELETUS.

[THELGĒ es, f. quae impellit quocumque vult: a *θέλγω*, impello. Est cogn, R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 309. *n.* 326. Dis Manibus Claudiae Thelges. *F.*]

[THELGON, ontis, m. *θέλγων*, impellens quocumque vult: part, a *θέλγω*, impello. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 666. Sex. Vetuleni Thelgontis. *F.*]

*THELIS ab Ennio vocabatur, quam *Thetin* nuncupant. Est qui legendum putet ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Ea Thelis illi mater, etc. Sed in editis est *Thetis.* Certior est locus *Varr. R. R.* 3, 9. Nec continuo his quas Melicas appellant falso, quod antiqui ut Thetin, Thelin dicebant, sic Medicam Melicam vocabant. *B. A.*

*THELPUSA, ae, f. *Θέλπουσα*, oppidum Arcadiae. *Plin.* 4, 6. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Telphusa*, astipulante *Pausania* in *Arcad.* 24. *B. A.*

[THĒLŪSA, ae, f. *θέλουσα*, volens: part. a *θέλω*, volo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 475. *n.* 125. Baebia P. D. L. Thelusa. *F.*]

[THELYCUS, a, um, adj. *θηλυκὸς*, femineus. *Thelycon, i*, n. absolute vocatur ap. *Appul. Herb.* 82. herba, quae et thelygonon dicitur. ℙ *Thelycus* est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 125. *n.* 38. Thelyco Eutychi Actes Aug. L. L. alumno a manu, vixit ann. XX. *F.*]

THĒLYGONON, i, n. *θηλύγονον*, herbae nomen, quae etiam mercurialis dicitur. *Plin.* 26, 10, 60. Arsenogonon, et thelygonon herbae sunt habentes uvas floribus oleae similes, pallidiores tamen, semen album papaveris modo. Thelygoni potu feminam concipi narrant. Arsenogonon ab ea semine oleae, nec alio distat. Hujus potu mares generari perhibentur, si credimus. Haec *Plin.* Ratio autem nominis est, prioris quidem ab *ἄρσην, ενος*, mas, et *γόνος*, generatio: alterius a *θῆλυς*, femineus. V. *Appul. Herb.* 82. ℙ Est etiam thelygonos species crataeogoni, gustu lenior. *Id.* 27, 8, 40. ℙ [*Et satyrii. *Id.* 26, 10. *B. A.*]

[THĒLYMORPHUS, i, m. feminea forma praeditus: a *θῆλυς* femineus, et *μορφὴ*, forma. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1114, 3. L. Vibius Thelymorphus. *F.*]

THĒLYPHŌNON, i, n. *θηλύφονον*, quidam dixere aconitum, ap. *Plin.* 27, 3, 2., quia tactis eo genitalibus feminini sexus animalium, mortem inferat: a *θῆλυς*, femineus, et *φόνος*, caedes. ℙ Praeterea hoc nomine significatur herba, cujus tactu moriuntur scorpiones: unde et scorpion vocatur. *Id.* 25, 10, 75.

THĒLYPTĒRIS, is, f. *θηλύπτερις*, genus filicis non fruticosum, brevius, mollius, et densius, foliis ad radicem canaliculatis, et pinnatis: unde nomen, *πτερὸν* enim ala est. *Plin.* 27, 9, 55.

THELXĪOPĒ, es, f. una ex quatuor Musis, ex Jove secundo natis. *Cic. N. D.* 3, 21., ubi alii aliter leg.

THĒMĀ, ătis, n. *θέμα*, id quod positum est: vox Graeca, a *τίθημι*, pono. Sumitur pro argumento et materia controversiae declamandae, et pro quaestione, quae dissertationis fundamentum est. *Sen. Contr.* 3, 20. *f.* Scholastici exempla cum dixerunt, volunt et illa ad aliquod controversiae thema redigere. Adde *Contr.* 28. *med.* et *Quint.* 7, 2. *f.* et 9, 2. *f.* ℙ Item pro positione coeli in natali alicujus, sidere natalicio, horoscopo, genitura. *Suet. Aug.* 94. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.

[THEMETRENSIS, e, adj. ad Themetram pertinens, urbem Africae, cujus mentio tantum est in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 482. Civitas Themetra ex Africa hospitium fecit cum C. Silio C. F. Fab. Aviola: et *mox:* C. Silius C. F. Fab. Aviola civitatem Themetrensem in fidem clientelamque suam recepit. V. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 303. *F.*]

THĒMIS, idis, f. *Θέμις*, filia Aetheris et Terrae, ut ait *Hyg. praef.*, soror Jovis secundi, ex cujus incesto concubitu Minervam et Astraeam natas fabulantur: quod tangit *Claud. Rapt. Pros.* 1, 107. *Festus.* Themin Deam, putabant esse, quae praeciperet hominibus id petere, quod fas esset: eamque id esse existimabant, quod fas est. (*Themin* accusativus Graecae positionis, *τὴν Θέμιν.*) ℙ Habita est etiam vaticiniorum Dea: unde et fatidica dicta est: habuitque templum in Boeotia juxta Cephisum amnem. Ad ejus oraculum accessit Deucalion cum Pyrrha uxore, post diluvium, pro consilio recuperandi humani generis, ut *Ov. Met.* 1, 320. narrat. *Ammian.* 21, 1. Vaticina verba, quibus numen praeesse dicitur Themidis: quam ex eo quod fixa fatali lege decreta praescire facit in posterum, quae *τεθειμένα* sermo Graecus appellat, ita cognominatam, in cubili solioque Jovis vigoris vivifici theologi veteres collocarunt. *Serv.* ad *A.* 4, 216 antiquissimam Dearum esse dicit, et quae ante Apollinem et Saturnum oracula edebat, eodem ad *ib.* 3, 104. teste. *Ov. l. c.* Fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat. *Lucan.* 5, 80. adhuc rudibus Paean pythona sagittis Explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 116. sic Atropos urget: Sic cecinit longaeva Themis. *Id. in Ruf. praef.* 1, 14. Ad Themidis coeunt antra severa Dei. *Ov. Met.* 7, 762. alma Themis; et *ib.* 4, 642 Parnassis: scil. quia in Parnasso Deucalion ejus oraculum consuluit, teste eod. *ib.* 1, 316. ℙ Themidis habitum ita describit *Capell.* 2, 42. Venit etiam quaedam decens et pudicissima puellarum, quae praesul domus custosque Cylleniae, verum Themis, aut Astraea, aut Erigone dicebatur: spicas manu, celatamque ex ebeno *πίνακα* argumentis talibus afferebat. Erat in medio avis Aegyptia, ibis: sed cum petaso vertex atque os pulcherrimum videbatur, quod serpentis gemini lambebat implexio: subter praenitens virga, cujus caput auratum, media glauca, piceus finis exstabat, sub textra testudo minitansque nepa, a laeva caprea, etc. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2079, 10. Pinaria Themis. *F.*]

*THEMISCYRA, ae, f. *Θεμισκύρα*, Cappadociae urbs. *Plin.* 6, 3. ℙ *Themiscyrium* vocatur a *Mela* 1, 19. *med. B. A.*

THĒMISCYRAEUS, a, um, adj. ad Themiscyran, *Θεμίσκυραν*, pertinens, quae est urbs Cappadociae maritima, apud Thermodontem fluvium. *Ammian.* 22, 8. *med.* Thermodon Themiscyraeos interlabens lucos.

*THEMISCYRĒNUS, a, um, i. q. Themiscyraeus, ut *Themiscyrena regio* ap. *Plin.* 6, 3. et 24, 17. *B. A.*

[THĒMISON, onis, m. *Θεμίσων*, insignis medicus, Laodicenus Syrus, qui Pompeji M. aetate vixit. Ejus meminere *Plin.* 29, 1, 5., *Juven.* 10, 221, *Cels. praef.* ℙ Is novam medicinae condidit sectam, quae *methodica* est appellata. *Sen. ep.* 95. *med.* Alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis. *F.*]

[THĒMISŌNES, ium, m. plur. *Θεμισώνιοι*, incolae Themisonii Phrygiae magnae urbis, prope Cibyram, nunc *Teseni. Plin.* 5, 29, 29. Hydrelitae, Themisones, Hierapolitae. *F.*]

*THEMISTA, ae, f. Epicurea, Lampsacena, Leontei filia. *Cic. Fin.* 2, 21. et *in Pis.* 29. *Lactant.* 3, 25. ℙ V. *Menag.* ad *Laert.* 10, 5. et *H. Mul. Phil.* p. 498. *B. A.*

*THEMISTAGŌRA, ae, una ex quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

*THEMISTĒAS, promontorium Carmaniae. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

*THEMISTO, us vel onis, f. *Θεμιστώ*, Hypsei filia, uxor Athamantis, mater Sphincei (*f.* Plinthii *legendum*) et Orchomeni, quorum utrumque impulsu Inus interfecit. *Hyg. fab.* 1. et 239. *B. A.*

[THĒMISTOCLĒS, i, m. *Θεμιστοκλῆς*, vir celeberrimus, de quo V. v. sq. ℙ **Themistocli* in secundo casu *Cic. Or.* 2, 74. et *Brut.* 15. V. *Angelum Maium* ad *Cic. de re publ.* 1, 14. p. 40. ed. *Lond. B. A.* ℙ *Themistocles, etis*, m. est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 360, 1. Appuleja Zosime Sex. Appulejo Lib. meo Themistocleti V. F. *F.*]

THĒMISTOCLĒUS, a, um, adj. *Θεμιστόκλειος*, ad Themistoclem pertinens, qui fuit Atheniensis, nobilis imperator, Persarumque ad Salaminem debellator. Ob invidiam e civitate ejectus, deinde proditionis falso damnatus, in Asiam fugit, ibique vitam finivit, quam *Nepos* conscripsit. *Cic. Att.* 10, 8. Themistocleum consilium; et *ib.* Themistocleo exsilio mori.

*THENA, opp. nomen Aegypto atque Aethiopiae contermini. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*THENAE, arum, opp. Africae propriae in Byzacena. *Plin.* 5, 4. *Ant. Itin. B. A.*

[THENĪTĀNUS, a, um, adj. ad Thenas seu Thenam pertinens, coloniam in provincia Byzacena Africae, cujus mentio ap. *Plin.* 5, 4, 3. est. *Tenitani, orum*, absolute, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 363, 3. Decuriones et coloni coloniae Aeliae Augustae Mercurialis Thaenitanorum. Hic *Thaenitanorum* cum diphthongo scribitur, ex more Latinorum, qui plerumque ē ex *η* Graecorum in diphthongum mutare solent. V. SCENA. Haec porro colonia, cum appelletur Aelia Augusta, videtur deducta a T. Aelio Hadriano Aug. *F.*]

THENSĀ. V. TENSA.

*THEOCHRESTUS, i, *Θεόχρηστος*; historicus qui Libyca scripsit, teste *Plin.* 37, 2. *B. A.*

[THĒOCLYMĒNUS, a, um, adj. a Deo auditus: a *Θεὸς*, Deus, et *κλῦμι*, audio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1491, 6. Q. Sosius Theoclymenus. *F.*]

[THĒOCOLUS, i, m. Dei cultor, sacerdos: a *Θεὸς*, Deus, et obsoleto *κολέω*, colo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 820, 4. M. Aurelius Theocolus. *F.*]

[THĒOCRĪTUS, i, m. *Θεόκριτος*, divino judicio electus: a *Θεὸς*, Deus, et *κριτὸς*, judicio delectus. Hoc nomine fuit bucolicorum poetarum princeps Syracusanus, qui floruit circa ann. ante Chr. n. CCLXXV., et Hieroni juniori, regi Syracusarum apprime carus ob carminum suavitatem. Scripsit dialecto Dorica XXX. idyllia, et XII. epigrammata, tum ludicrum poemation, cui *Syrinx* nomen, quae omnia exstant. *Quint.* 10, 1. *med.* Admirabilis in suo genere Theocritus, sed Musa illa rustica et pastoralis non forum modo, verum ipsam etiam urbem reformidat. *Macr. Sat.* 5, 2. Virgilius Theocritum sibi fecit pastoralis operis auctorem, ruralis Hesiodum. ℙ Est etiam nomen serv. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1024, 5. Theocriti Augg. Lib. Pyladi pantomimo honorato, etc. *F.*]

THĒODĀMANTĒUS et Thiodamanteus, a, um, adj. *Θειοδαμάντειος*, ad Theodamantem pertinens. *Prop.* 1, 20, 6. Thiodamanteo proximus ardor Hylae. [*V. v. sq.]

*THEODĀMAS vel Thiodamas, antis, m. *Θεοδάμας* et *Θειοδάμας*, pater Hylae fuit, qui quum Herculi cum Deianira et Hylo filio Dryopes venienti esurientique cibum denegasset, ille arreptum unum ex bobus Theodamantis mactavit atque coxit. Quapropter Theodamas, convocatis popularibus, arma adversus Herculem movit: feruntque in eo certamine ita ab hostibus pressum fuisse Herculem, ut etiam Deianiram uxorem armaret, quae et in mamilla vulnerata est. Ipse tamen victoriam obtinens, Theodamantem occidit, filiumque ejus Hylum secum abduxit, quem tum deinde pro carissimo habuit, secumque etiam cum Argonautis reliquis proficiens abduxit. *Hyg. fab.* 14. *med.* et 271. V. et *Apollod.* 1, 9. et 2, 7. ℙ V. *Theodamanteus. B. A.*

*THEODECTES, ae, m. *Θεοδέκτης*, orator, Cilix genere, Phaselites, discipulus Platonis, Isocratis et Aristotelis. *Cic. Or.* 51. et 57. *Id. Tusc.* 1, 24. *Val. Max.* 8, 14. *Quint.* 11, 2. etc. V. et *Laert.* 5, 24. et *Suidam* in v. *B. A.*

[THĒODŌNĪON, ii, n. herba eadem ac paeonia: quae videtur ita appellata a *Θεὸς*, Deus, et donum; quasi ea sit donum Dei. Ejus meminit *Appul. Herb.* 64. *F.*]

THĒODŌRĒUS, a, um, adj. ad Theodorum pertinens. *Quint.* 4, 2. *med.* Theodorei solam relinquunt ultimam partem, etc. h. e. sectatores et discipuli Theodori Gadarei, insignis rhetoris, de quo *Id.* 3, 1. et *Suet. Tib.* 57.

THĒODORĪCĪĀNUS, a, um, adj. ad Theodoricum Gothorum regem pertinens, cujus vultus corporisque veluti delineationem graphice descriptam habes ap. *Sidon. ep.* 1, 2. *f. Id. ep.* 2, 1. *f.* Leges Theodosianas calcans, Theodoricianasque proponens.

[THĒDŌRUS, a, um, adj. Dei donum: a *Θεὸς*, Deus, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Cic. Verr.* 2, 2, 42. Cn. Pompejus Theodorus. *Inscr.* ap. *Grut.* 386, 2. Cassia Theodora. *F.*]

*THEODOSĪA, ae, f. *Θεοδοσία*, opp. in Chersoneso Taurica. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. ℙ Hodie est *Caffa. B. A.*

THĒODOSĪĀNUS, a, um, adj. a Theodosio, ut Theodosianus Codex, ita dictus a Theodosio juniore, qui vixit saeculo Christi V., complectiturque Christianorum principum constitutiones. V. THEODORICIANUS. Sic Theodosiana lex, *Imp. Justin. Cod.* 5, 13, 1. §. 16.

[THĒODOSĪŌPŌLIS, is, f. duplex hoc nomine fuit urbs, una in Mesopotamia, haud procul ab urbe Dara, cujus meminit *Procop. de aedif.* 2, 2., altera in Armenia, cujus *Id. de B. Persic.* 1, 10., utramque autem docet, Justinianum Imp. muris munivisse adversus Persarum incursiones. *Coripp. Joann.* 1, 70. Theudosioypolin ut densns vallaverit hostis. Ita scribitur hic ob metri necessitatem, Graece enim et Dorice *Θευδοσίου πόλις*, ut et *Claud. in Ruf.* 1, 50. quos coelo Juppiter arcet, Theudosius terris. Ita etiam *Id.* scribit alibi eadem de causa. *F.*]

THĒODŌTĪON, ii, n. collyrii genus: a *Θεὸς*, Deus, et *δίδωμι*, do, quasi a Deo datum fuerit. *Inscr.* ap. *Tochon, Cachets des ocul.* p. 71. Junii Tauri theodotion ad omnem lippitudinem. *F.*]

[THĒODŌTUS, ă, et ē, um, adj. *Θεόδοτος*, a Deo datus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 101, 3. M.

Aurelius Theodotus. *Alia* ap. *Fabr.* p. 306. *n.* 307. Rupilia Theodote. *F.*]

[THĔODŪLUS, i, m. Dei servus: a *Θεὸς*, Deus, et *δοῦλος*, servus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1297, 1. Annius Theodulus. *F.*]

[THĔOGĔNES, is, m. et *F.*]

[THĔOGĔNIS, idis, f. a Deo genitus, et genita: a *Θεὸς*, Deus, et *γίγνομαι*, nascor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1154, 3. Cn. Balonius Cn. L. Theogenes. *Alia* ap. *eund.* 1126, 1. Trebellia Theogenis. *F.*]

[THĔOGĪTO, ōnis, m. Deo proximus: a *Θεὸς*, Deus, et *γείτων, ονος*, vicinus. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 84. p. 347. Q. Varius Theogito. *F.*]

THĔOGNIS, ĭdis, m. proverbium est ap. *Lucil.*, quod refert *Gell.* 1, 3. *Etiam priusquam Theognis nasceretur*, cum significare volumus antiquissimum aliquod tempus, quo res aliqua facta est. Fuit enim Theognis perantiquus poeta Graecus.

THĔOGONĬA, ae, f. *Θεογονία*, Deorum origo. Hoc nomine exstat opus *Hesiodi*, in quo Deorum genealogias explicat. *Cic. N. D.* 1, 14. Cum vero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino insitas perceptasque cognitiones Deorum.

THĔOLOGĬA, ae, f. *Θεολογία*, scientia, quae agit de Deo, et de rebus, quae ad Deum proxime referuntur, ut de angelis, de mundi origine, et similibus. *Varr.* ap. *August. C. D.* 6, 5. tria genera theologiae esse dicit, mythicon, physicon, civile. Mythicon, quo utuntur poetae; physicon, quo philosophi; civile, quo populi; et *f.* Prima theologia maxime accommodata est ad theatrum; secunda ad mundum; tertia ad urbem. Videtur tamen *August.* haec et alia multa, quae deinceps recitat, non ipsis *Varronis* verbis, sed sententia retulisse.

THĔOLOGĬCUS, a, um, adj. ad theologiam pertinens, *Θεολογικὸς*, ut Doctrina theologica, *Ammian.* 16, 5.

THĔOLOGUS, i, m. *Θεολόγος*, qui circa Dei et rerum divinarum contemplationem versatur. *Cic. N. D.* 3, 21. Principio Joves tres numerant ii, qui theologi nominantur; et *mox:* Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur. *Arnob.* 3, 106. Quas (*injurias*) theologi, quas poetae vestri, ipsi vos quoque ignominiosis celebratis in ritibus.

[THĔOMBRŌTĬOS, i, f. *Θεωμβρώτιον*, herba magica: a *Θεῶν*, Deorum, et *βρωτὸς*, vescus, edulis. *Plin.* 24, 17, 102. Democritus tradit, theombrotion triginta schoenis a Choaspe nasci, pavonis picturis similem, odore eximio. Hanc autem a regibus Persarum comedi ac bibi contra omnia corporis incommoda, instabilitatemque mentis. *F.*]

*THEOMBRŌTUS, i, m. *Θεόμβροτος*, philosophus, Metroclis auditor, praeceptor Demetrii Alexandrini. *Plin.* 7, 37. V. et *Laert.* in *Metrocle. B. A.*

[THĔŌMEDES, is, m. Dei cura: a *Θεὸς*, Deus, et *μῆδος*, cura. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 407. *n.* 320. L. Naevio L. L. Theomedi Anteros L. *F.*]

*THEOMĔNES, is, *Θεομένης*, auctor, de electro scripsit, teste *Plin.* 37, 2. *B. A.*

[THEOMNASTUS et Theomnestus, i, m. a Deo memoratus: a *Θεὸς*, Deus, et *μνηστὸς*, et Dorice *μναστὸς*, memoratus. Est nomen propr. viri Syracusani. Hinc jocus *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Theomnastus quidam, homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant, qui illuc ejusmodi est, ut eum pueri sectentur, ut omnes, cum loqui coeperit, irrideant. ℙ Item libertini. *Inscr.* ap. *Grut.* 357, 11. Sergiae M. F. Peregrinae Theomnestus, et Lais, et Didyme liberti. *F.*]

[THĔOMOLPUS, i, m. Deum canens: a *Θεὸς*, Deus, et *μολπὴ*, cantus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 451, 8. Aurelius Theomolpus. *F.*]

[THĔON, onis, m. et Theonis, idis, f. *Θέων*, et *Θεωνίς*. Est nomen propr. serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 618, 11. Theon Caes. Aug. L. *Alia* ap. *Mur.* 1220, 9. Theonidi dulcissimae Charia mater. *F.*]

[*THEONĪNA, ae, herba, al. portulaca. *Appul. Herb.* 103. *Bail.*]

THĔONĪNUS, a, um, adj. *Θεώνειος*, ad Theonem maledicum poetam pertinens, ut Theonino dente rodere, idest conviciis et maledictis lacessere. *Hor. Ep.* 1, 18, 82. qui Dente Theonino cum circumroditur. [Hic *Vet. Schol. Cruq.* L. Attienus Theon libertinus, dicacitatis amaritudine praeter ceteros, ita patronum suum exasperavit, ut domo ejus submoveretur, et quaternario (*an* quadrantario?) legato, juberetur restem sibi palumque emere: scil. quo se suspenderet V. *Mart. l. c.* in RESTIS. *F.*]

*THEONŌE, es, f. *Θεονόη*, Thestoris filia, soror Leucippes et Calchantis, quam ludentem a mari piratae rapuerunt, et in Cariam detulerunt. Plura de ea V. ap. *Hyg. fab.* 190. *B. A.*

[THĔŌNŌMUS, i, m. lex Dei: a *Θεὸς*, Deus, et *νόμος*, lex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. isagog. tab.* 15. *col.* 3. M. Garonius ↄ. L. Theonomus. *F.*]

[THĔŌPAES, aedis, m. *Θεόπαις*, a Deo datus puer: a *Θεὸς*, Deus, et *παῖς*, puer. V. EUPHENGES. *F.*]

*THEOPHĀNE, es, f. *Θεοφάνη*, Bysaltidis filia, virgo formosissima, quam cum plures proci peterent a patre, Neptunus sublatam transtulit in insulam Crumissam, et ut eos deciperet, Theophanem in ovem commutavit formosissimam, ipsum autem in arietem, cives autem Crumissenses in pecora. Haec et plura *Hyg. fab.* 188. *B. A.*

[THĔOPHĀNES, is, m. *Θεοφανὴς* (a Deo manifestatus, a *Θεὸς*, Deus, et *φαίνομαι*, appareo) historicus Mitylenaeus, qui res Pompeji M. scripsit versibus, ab eo inde civitate Romana donatus. *Cic. Arch.* 10. et *Caes. B. C.* 3, 18. Familiarissimus fuit Pompejo, particepsque consiliorum ejus, teste *Cic. Att.* 5, 1. V. et *Tac. A.* 6, 18. *F.*]

[THĔOPHĬLUS, ă, et ĕ, um, adj. *Θεόφιλος, η, ον*, Dei amans: a *Θεὸς*, Deus, et *φίλος*, amicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 244. *n.* 670. D. Manlius D. L. Theophilus. *Alia* ap. *Maff. Mus. Ver.* 280, 3. Rutilia Theophila. *Alia* ap. *Mur.* 199, 1. Julia Theophile. *Mart.* 7, 69. Haec est illa tibi promissa Theophila, Cani. Hic secunda syllaba producitur, metri necessitate. *F.*]

[THĔOPHRASTUS, i, m. *Θεόφραστος* (a *Θεὸς*, Deus, et *φράζω*, loquor) philosophus ex Eresso Lesbi urbe, Aristotelis et Platonis discipulus, scholaeque successor, praeceptor Demetrii Phaleraei. *Euphrastus*, deinde *Theophrastus* vocatus est ob oris et eloquentiae suavitatem, cum antea *Tyrtamus* appellaretur. *Cic. Or.* 19. Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit. Adde *eund. Brut.* 31., *Att.* 2, 3., *Tusc.* 3, 28 et al. *F.*]

[THĔOPNŌE, es, f. ita appellatur rosmarinus: a *Θεὸς*, Deus, et *πνοὴ*, odor. *Appul. H.* 79. Rosmarinum Zoroastrei theopnoen (*vocant*), Latini salutarem. *F.*]

THĔOPOMPEUS. V. v. sq.

THĔOPOMPĪNUS vel Theopompius, a, um, adj. ad Theopompum pertinens. *Cic. Att.* 2, 7. Itaque *ἀνέκδοτα*, quae tibi uni legamus, Theopompino genere, aut etiam asperiore multo pangentur. Alii leg. *Theopompio*, a Graeco *Θεοπομπεῖος*: vel *Theopompeo.* Sic *Id. Or.* 61. Placet omnia dici Isocrateo, Theopompeoque more.

[THĔOPOMPUS, i, m. *Θεόπομπος* (a *Θεὸς*, Deus, et *πέμπω*, mitto, a Deo missus) orator et historicus Chius, Isocratis discipulus, qui floruit Philippi, Alexandri, et hujus successorum temporibus, ac ingenio acerrimo, et mordaci dicendi genere inclaruit. Ejus meminit *Nep. Alc.* 11. et *Cic. Or.* 2, 13. et 23., et *ib.* 3, 9. *f.* et al. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1134, 4. M. Coccejus Theopompus. *F.*]

[THĔOPRĔPES, is, m. *Θεοπρέπης*, Deo conveniens: a *Θεὸς*, Deus, et *πρέπω*, conveniens sum. Est nomen propr. libert. *Inscr.* ap. *Grut.* 471, 4. et emendatior ap. *Orell. Coll. inscr. Lat. n.* 2952. Theoprepen Aug. Lib. procuratorem D. N. M. Aur. Severi Alexandri Pii Fel. Aug. provinciae Achaiae et Epiri et Thessaliae (*honorat*) Tysander Aug. Lib. officialis. *F.*]

[THĔOPRŌPUS, i, m. *Θεοπρόπος*, vates: a *Θεὸς*, Deus, et *πρέπω*, convenio. Est nomen propr. serv. *Inscr.* in tessera gladiatoria ann. U. C. DCC. ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 1. p. 265. Teopropus Fabi, *h. e.* Theopropus servus Fabii. *F.*]

[THĔORACTUS, i, m. a Deo percussus. Est nomen propr. viri Syracusani. V. THEOMNASTUS. *F.*]

THĔORĒMA, ătis, n. *Θεώρημα*, speculatio, propositio speculativa, perceptio, et ipsa res, quae speculando percepta est. Vox Graeca est, et Graece usurpatur a *Cic. Fat.* 6., ubi *Θεωρήματα* vertit *percepta* vel *praecepta:* at Latine a *Gell.* 1, 2. ubi ait: Se in theorematis tantum nugalibus oblectantes; *theorematis* dixit pro *theorematibus*, ut *poematis*, *emblematis*, *epigrammatis*, *peripetasmatis* a Latinis dictum est. Adde 17, 19.

THĔORĒMATĬUM, ii, n. *Θεωρημάτιον* dimin. parvum, seu breve theorema. *Gell.* 1, 13. Instructius deliberatiusque fore arbitramur theorematium hoc de mandatis obsequendis.

THĔORĒTĬCE, es, f. *Θεωρητική*, ars est, quae posita est in sola inspectione et contemplatione rerum, nullumque praeterea actum exigit: qualis est astrologia. Ita definit *Quint.* 2, 18., sed ipsam vocem Graecis litteris scribit.

[THĔORĒTĬCUS, a, um, adj. *Θεωρητικὸς*, contemplativus. V. PHILARGICUS. *F.*]

THĔORĬA, ae, f. *Θεωρία*, spectatio, speculatio. Graeca vox Graece usurpatur a *Cic. Att.* 12, 6. et *Lactant.* 7, 9. *med.* Latine ab *Hieron.* 12. *in Ezech.* 40, 4. Quo dicto ostendit, nihil theoria et scientia dulcius.

THĔORĬCE, es, f. *Θεωρική*, facultas contemplandi. *Hieron. ep.* 30. *n.* 1. Eloquia divina aut de natura disputant, ut in Genesi; aut de moribus, ut in Proverbiis; aut de logica, pro qua nostri theoricen sibi vendicant, ut in Cantico Canticorum.

[THĔORUS, i, m. (et Theoris, idis, f.) *Θεωρὸς*, oraculi consultor, vel qui divinarum rerum curam gerit. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 991, 7. P. Quinctilius P. Quinctilii Asiatici L. Theorus. *Alia* ap. *eund.* 305, 4. Caesia C. L. Theoris. *F.*]

[THĔOSTĀSIS, i, f. Deorum statio, ut *Graecostasis* est Graecorum statio: a *Θεὸς*, Deus, et *στάσις*, statio. Ita appellata videtur cella, in qua erant Deorum simulacra in templis. *Inscr.* ap. *Mur.* 125, 2. P. Rutilius Syntrophus marmorarius, donum quod promisit, in templo Minervae marmoribus et impensa sua theostasim exstruxit. *F.*]

[THĔŌTĪMUS, a, um, adj. *Θεότιμος*, Deum colens: a *Θεὸς*, Deus, et *τιμάω*, honoro. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 618, 12. D. M. Theotimae Caesaris Eros et Euphemus matri fecerunt. *F.*]

THĔŌTŌCOS, i, f. *Θεοτόκος*, quae Deum peperit. Graeca vox a *Θεὸς*, Deus, et *τίκτω*, pario: diciturque de una Virgine MARIA. *Imp. Justin. Cod.* 1, 1, 6. Semper virgo MARIA theotocos, seu B. M. deipara.

*THEOXĒNA, ae, f. *Θεόξενα*, invicti animi mulier, quae a Philippi Macedonis militibus cincta, quum eorum manus effugere non posset, suis liberis et marito mortis consciscendae auctor, tandem virum comitem mortis complexa in mare se dejecit. Narrat copiose *Liv.* 40, 4. *B. A.*

*THEOXĒNUS, i, m. *Θεόξενος*, medicus quidam, cujus meminit *Cels.* 5, 18. Et nomen ducis. *Liv.* 33, 18. *B. A.*

*THERA, ae, f. *Θήρα*, una ex Cycladibus, hodie *Santorin. There* audit *Sen. N. Q.* 6, 24. V. *Theraeus, a, um.* ℙ Thera, Amphionis filia. *Hyg. fab.* 69. Amphion enim, qui Thebas muro cinxit, septem filiarum nomine portas constituit. Hae autem fuerunt, Thera, Cleodoxe, Astynome, Astycratia, Chias, Ogygia, Chloris. *B. A.*

[*THĒRAEUS, a, um, adj. ad Theram, *Θήρας*, pertinens, unam ex insulis Cycladibus in Aegaeo mari, ex qua profecti sunt Theraei, qui Cyrenen in Africa condidere. *Tibull.* 4, 1, 139. Nec fera Theraeo tellus obsessa colono. *Plin.* 21, 18, 70. Laus prima Hammoniaco cypero, secunda Rhodio, tertia Theraeo. Ita leg. *Harduinus*, alii perperam legebant *Thracio. B. A.* et *F.*]

*THERAMĒNES, is, m. *Θεραμένης*, civis Atheniensis, Agnonis filius, discipulus Socratis, praeceptor Isocratis, unus ex triginta tyrannis, qui cum a collegis multos insontes supplicio affici videret, ea de re conquerens, cum ceterorum omnium, tum praecipue Critiae, qui reliquis ut potentia, ita et immanitate antecedebat, odium in se concitavit: tandemque per calumniam circumventus, et innocens, capitis damnatus, quum cicutam avide hausisset, quod reliquum erat e poculo ejiciens, *Propino*, inquit, *hoc pulchro Critiae. Cic. Tusc.* 1, 40. Meminit etiam *Id. Or.* 2, 22. et 3, 16. *B. A.*

THĒRAMNAEUS. V. v. sq.

THĒRAPNAEUS, a, um, adj. *Θεραπναῖος*, ad Therapnas pertinens, quod est oppidum Laconiae, *Θεράπναι*, apud Eurotam fluvium, Amyclas, et Spartam: patria Helenes. Ponitur et pro Spartano. *Ov. Her.* 16, 195. nec dedignare maritum, Rure Therapnaeo nata puella, Phrygem, *h. e.* Helena: quam *Id.* vocat *A. Am.* 3, 49. Therapnaeam maritam. *Stat. Theb.* 7, 793. Therapnaei fratres, *h. e.* Castor et Pollux. *Id. Silv* 4, 2, 48. Membra Therapnaea resolutus gymnade Pollux. *Mart.* 9, 104. Therapnaeae Amyclae. *Ov. Fast.* 5, 223. Therapnaeus sanguis, *h. e.* Hyacinthi pueri Amyclaei. *Sil.* 13, 43. Non unquam affirmat Therapnaeis Ilion armis Cessurum, *h. e.* Menelai regis Spartae, et sociorum Graecorum. Secunda hic syllaba corripitur more Graecorum, quibus *n* et *n* liquescunt. Adde 8, 414. ℙ Canopus, Aegypti oppidum, cur Therapnaeus dicatur a *Statio Silv.* 3, 2, 111. V. CANOPUS. ℙ Item pro Tarentino, quia Tarentum olim Lacones tenuere. *Stat. Silv.* 2, 2, 111. Blanda Therapnaei placeant vineta Galesi. ℙ Et pro Sabino, quia Sabini a Lacedaemoniis oriundi. *Sil.* 8, 414. Therapnaeo a sanguine Clausi Exsultat Nero, *h. e.* C. Claudius Nero: nam gens Claudia ex Sabinis Romam venit. Pari ratione *Amyclaeus* dictus est ab *eod.* 15, 546. ℙ Scribitur et *Theramnae*, *Theramnaeus.*

[THĒRĀPONTĪGONUS, i, m. nomen propr. fictum a *Pl. Curc.* 3, 38. a *Θεραπόντις*, ancilla, et *γόνος*, ortus, scilicet ancilla genitus. *Id. ib.* 50. Multam me tibi salutem jussit Therapontigonus dicere. *F.*]

*THĒRASĬA, ae, f. *Θηρασία*, insula Cretae adjacens. *Plin.* 2, 87. et 4, 12. *Sen. N. Q.* 6, 21. ℙ Alia, Siciliae adjacens, postea Hiera appellata. *Plin.* 3, 9. ubi *Thermissa* haud dubie scribi satius fuisse censet *Harduinus*, si exemplaria ulla faverint; cum id ei nomen fuisse, *Θερμίσσαν*, *Strabo* fateatur. Ceterum Therasia appellatur a *Martian. Capell.* 6. *med.* p. 208. *Grot.* Prima dicitur Lipara, secunda Therasia, etc. Sed *Plinium* fortasse secutus est *Martianus. B. A.*

[THĒRĒ, es, f. *Θήρα* et Ionice *Θήρη*, venatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1641, 2. Avillia ↄ. L. There. *F.*]

THĒRĬĀCUS, ă et ē, um, adj. *Θηριακὸς*, a *Θηρίον*, fera, dicitur de his, quae animalium, et praecipue serpentum venenis remedio sunt. *Plin.* 29, 4, 21. Fiunt ex vipera pastilli, qui theriaci vocantur a Graecis, exemptis interaneis, etc. *Id.* 14, 18, 12. (et 23, 1, 11.) Vitis theriace vocatur, cujus et vinum, et uva contra serpentium ictus medetur. *Pall.* 3, 28. Theriacam vitem sic facies: sarmentum, quod pan

gendum est, trium digitorum spatio in ima parte fin-datur, et sublata medulla, ad ejus vicem theriacae medicamen addatur, etc. *Plin.* 32, 6, 22. Et algam maris theriacen esse, Nicander tradit. ℙ Absolute *theriaca* et *theriace*, f. compositio medicamenti ad serpentum morsus. *Plin.* 20, 24, 100. Serpylli duum denariorum pondus, opopanacis, et mei tantundem, trifolii, anesi, ammii, apii, etc. Hac theriaca Antiochus adversus omnia venena usus traditur. *Id.* 29, 1, 8. *med.* Theriace vocatur excogitata compositio luxuriae. Fit ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quae singula sufficerent. *Tert. Anim.* 24. Theriacam componere. *Hieron. adv. Jovin.* 2. *n.* 6. Carnes viperae, unde theriaca conficitur. *Scrib. Comp.* 163. Ponam theriacarum compositiones.

[*THERIBETHRON, i, n. herba ap. *Appul. Herb.* 7. ubi fortasse leg. *thorybethron. Bail.*]

[THERICLEUS, a, um, adj. *Θηρίκλειος*, ad Thericlem pertinens. Hinc *Thericlea pocula* erant fictilia a Thericle figulo quodam Corinthio elaborata, qui Aristophani coaetaneus fuit. Hujusmodi vasa terra nigra, et maximi ponderis fiebant, ad latera depressa, satis profunda, ansis hinc inde prominentibus, quibusdam etiam animalium figuris anaglyptico opere distinguebantur. Mox ad eorum similitudinem fieri coeperunt calices ex terebintho (*Theophrast.* mox citand.) ex vitro (*Suidas*, et *Etym. M.*), ex argento (*Cic.* mox citand.) et auro (*Plutarch.* in *Philopoem.* et *Josephus Antiquit. Jud.* 11, 1.) *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Celebratur et Thericles nomine, calices ex terebintho solitus facere torno, per quem probatur materies. Hic profecto *Plin.* male interpretatus est *Theophrasti* locum *de Hist. plant.* 5, 4., ubi haec habemus: *Τορνεύεσθαι δὲ ἐξ αὐτῆς (τῆς τερμινθου) καὶ κύλικας Θηρικλείους· ὥστε μηδ' ἂν ἕνα διαγνῶναι πρὸς τὰς κεραμέας.* *Plinius* itaque Thericlem e ligno terebinthino pocula tornasse, perperam tradit, et inde ea nomen accepisse: satis enim aperte *Theophrastus* declarat, Thericlem figulina vasa torno confecisse: quod ipsum etiam ex *Athenaeo* 11, 6. et ex *Hesychii Lexico* evincitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 18. De Diodoro Verri dicitur, habere eum perbona toreumata; in his pocula duo quaedam, quae Thericlea nominantur, Mentoris manu summo artificio facta; et *mox:* Abesse ab domo paulisper maluit Diodorus, quam praesens illud optime factum argentum amittere. Alii leg. *Heraclea*, et sic habet *Olivetus;* at *Lambinus*, *Canterus*, *Graevius*, *Lallemandus* et *Ernestius* receperunt in textum *Thericlea*, tum quia sic in plurimis MSS. codicibus scriptum invenerunt, tum quia nuspiam mentio est de poculis Heracleis, contra vero saepissime habetur de Thericleis, ut supra ostendimus. De his vasis Thericleis multa habet *Larcherus* in *Act. Acad. Paris. inscript. et politior. litterar.* T. XLIII. p. 196. V. *Bentlejum*, *Dissert. de Phalarid. ep.* p. 109. et sqq. *F.* et *B. A.*]

[THĒRĪDĀMAS, antis, f. nomen canis venaticae: a *θήρ*, *ηρός*, fera, et *δαμάω*, vinco. *Ov. Met.* 3, 232. Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit, Proxima Theridamas. *F.*]

*THERIMACHUS, i, insignis sculptor, de quo *Plin.* 35, 10. *B. A.*

[THĒRĪON, ii, n. et Theriophonon, i, n. herba eadem ac dracontea: a *θηρίον*, bestia, et *φόνος*, nex, quia necat dracones. *Appul. Herb.* 14. Aliqui therion, Zoroaster theriophonon, Romani dracontem dicunt. *F.*]

THĒRĬŌNARCĂ, ae, f. *θηριονάρχη*, herba magorum torporem afferens serpentibus: est a *θηρίον*, fera, et *νάρκη*, torpor. *Plin.* 24, 17, 102. ℙ Item alia a magica, et in nostro orbe nascens, fruticosa, foliis subviridibus, flore roseo, serpentes necat: cuicumque admota ferae, et haec torporem affert. *Id.* 25, 9, 68.

*THERIONARCE, es, f. insula Cariae adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

THĒRĬSTRUM, i, n. *θέριστρον*, vestis muliebris aestiva, teste *Polluce Onomast.* 7, 13.: [a *θερίζω*, aestatem transigo, quod a *θέρος*, aestas. *Hieron.* 2. *in Isai* 3, 23. Mulieres habent et theristra, quae nos palliola possumus appellare: *θέριστρα* ab eo, quod *ἐν θέρει*, hoc est aestate et caumate corpora protegant feminarum. Adde *Isid. Or.* 19, 25. *med. Tert. Pall.* 4. Qualis ille Hercules in theristro Omphales. Pro *theristro* alii leg. *serico.* ℙ Translate usurpat *Hieron. ep.* 107. *n.* 7. Nunquam *(puella)* exeat foras, ne inveniant eam qui circumeunt civitatem; ne percutiant, et vulnerent, et auferant theristrum pudicitiae, et nudam in sanguine derelinquant. *F.*]

THERMAE, arum, f. plur. (subaudi *aquae*) *θερμὰ ὕδατα*, loca ubi sunt aquae sponte calentes, ut in Bajis, et Aponi fonte, et aliis locis, quae memorat *Mart.* 6, 42.: a *θερμός*, calidus. Unde quaedam oppida prope hujusmodi aquas sita, eodem nomine appellantur, ut in Sicilia: de quibus V. *Plin.* 3, 8, 14., *Cic. Verr.* 2, 2, 35. et *Sil.* 14, 232. ℙ Item balneae structiles, in quibus calefit aqua fornacibus, ut Thermae Agrippae, *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 6., 35, 4, 9. et 36, 25, 64. Neronianae, *Mart.* 7, 34. et 12, 84, *Sen. ep*, 122. *med.* Non vivunt contra naturam qui fundamenta thermarum in mare jaciunt; nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur. V. BALNEUM. [*Inscr.* Ostiae reperta ap. *Orell. Coll. inscr. Lat. n.* 3327. Thermas maritimas intresecus (sic pro *intrinsecus*) refectione cellarum, foris soli adjectione DDD. NNN. Valens, Gratianus, et Valentinianus Auggg. decorarunt. (Hinc *Minuc. Fel. Oct.* 2. Placuit ostiam petere amoenissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et apposita curatio; et 4. In istis ad tutelam balnearum jactis, et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus.) *Alia* Pompejana ap. *eund. n* 4326. Thermae M. Crassi Frugi aqua marina, et balneum aqua dulci, Januarius L. *Alia* Ocriculana ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 582. Sex. Cluvio Martino restauratori thermarum hiemalium, etc. *Alia* ap. *Mur.* 484, 3. M. Sentio Crispino C. V., quod opera thermarum aestivalium vetustate corrupta S. P. (*h. e.* sua pecunia) restituit, exornavit, etc. ℙ Thermas Herculi dicatas ab antiquis fuisse, patet ex his verbis *Athenaei* 12. *Τὰ θερμὰ λουτρὰ τὰ φαινόμενα ἐκ τῆς γῆς πάντες Ἡρακλέους φασὶν εἶναι ἱερά: calida lavacra exsilientia ex terra omnes Herculi dicunt esse sacra;* et *Aristoph.* in *Nub. v.* 1047. *Ποῦ ψυχρὰ δῆτα πώποτ' εἶδες Ἡράκλεια λουτρά; ubi frigida sane unquam vidisti Herculana lavacra?* Hinc *Inscr.* in thermis Herculanis detecta in Dacia, ap. *Mur.* 64, 7. Herculi, Genio loci, Fontibus calidis Calpurnius Julianus V. C. Leg. Leg. V. Mac., Leg. Aug., Pr. Pr. Moes. V. L. S. *Alia* ap. *eund.* 43, 6. Fabius Maximus V. C. rector provinciae thermas Herculis vi terraemotus eversas a fundamentis restituit. (V. THERMOPYLAE) *Rosin. Dissert. isagog. c.* 3. p. 15. putat, Herculi dicatas fuisse thermas, quia Hercules Osce significat montem torrefactum, unde thermales aquae scatere solent, Hebraice enim הַר *har*, mons, et קָלִי *kali*, torrefactus. *F.*] ℙ Allatus *Senecae* locus in §. 2. illud maxime animadvertendum nos monet, quotiescumque thermae ab Augustis praesertim Romae conditae memorantur, non balnea solum publica indicari, sed aedificia plane admiranda, in quibus praeter lavacra et laconica nihil eorum defuisse videtur, quae voluptatem explere, animumque relaxare possent. Nam in thermis spatiari, natare, ludere, litteris etiam operam dare fas fuit: ibi xysti, porticus, arae, platanones, piscinae, *θεατρίδια*, cellae, bibliothecae tabulis pictis, statuis, signis omnis generis ornabantur. V. *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 1. p. 234.

THERMAEUS Sinus idem qui Thermaicus. *Tac. A.* 5, 10.

THERMĂĪCUS Sinus, *Golfo di Salonichi*, sinus mari Aegaei, in Macedoniam extensus, in cujus intimo recessu ad Bor. Thessalonica urbs sita est, ubi antea Thermae. *Plin.* 4, 10, 17.

THERMANTĪCUS, a, um, adj. *θερμαντικὸς*, calefaciendi vim habens: a *θερμαίνω*, calefacio. *Appul. Herb.* 120. Menta virtutem habet thermanticam. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Unctiones thermanticae.

THERMĂPĂLĂ Ova, ova calida et mollia. *Theod. Prisc.* 2, 10. a *θερμὸς*, calidus, et *ἁπαλὸς*, mollis.

THERMĀRĬUS, ii, n. thermarum artifex, vel potius custos. *Inscr.* ap. *Grut.* 636, 13. D. M. Virino Verecundi F. thermario. [*Alia* ap. *Pratill. Via App.* p. 279. D. M. Cornelio C. L. Euhodo locator. thermar. Dianae L. Cornelius C. F. thermarius patri B. M. Pos. *F.*]

*THERME, es, f. *Θέρμη*, olim dicta est Thessalonica Macedoniae urbs. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

[THERMENSIS, e, apj. ad Thermas pertinens, Siciliae urbem, quam memorat *Plin.* 3, 8, 14. *Termenses*, *ium*, absolute, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 430, 6. Regio Thermensium, *h. e. il rione*, quem in urbe Neapoli incolebant cives ex Thermis oriundi, commercii fortasse causa. ℙ *Thermenses* alii fuerunt in Pisipia, qui et *Termenses*, et *Termessenses* vocantur in *Inscr.* ap. *Grut.* 500. et *Mur.* 582. *F.*]

THERMĪNUS, a, um, *θέρμινος*, e lupinis factus: a *θέρμος*, lupinum. *Plin.* 23, 4, 49. Terminum (*oleum*) e lupinis emollit, proximum rosaceo effectum habens.

THERMITĀNUS, a, um, adj. ad Thermas pertinens, Siciliae oppidum, de quo V. in THERMAE. *Cic. Verr.* 2, 2, 34.

THERMODON, ontis, m. [*hodie *Pormon*,] *Θερμώδων*, fl. Cappadociae, qui in mare Euxinum inter Themiscyram ad Occ., et Polemonium ad Or. prolabitur. Eum Amazones incoluere. *Virg. A.* 11, 659. Quales Threjiciae cum flumina Thermodontis Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis. *Ov. Pont.* 4, 19, 51. Et tu femineae, Thermodon, cognite turmae. *Sil.* 8, 432. Perstrepit et tellus, et Amazonius Thermodon. *Prop.* 4, 4, 69. celerem prope Thermodonta: *τὸν Θερμώδοντα.* ℙ Ap. *Plin.* 11, 18, 19. et 37, 8, 37. habetur in quarto casu *Thermodoontem.* Sic ap. *Virg. l. c.* quidam leg. *Thermodoontis:* quod non placet criticis. Obstant enim loca *Ovidii* et *Silii* allata: et *Stat. Silv.* 1, 6, 56. Thermodontiacas calere turmas: *hendecasyll.*

THERMODONTĒUS et
THERMODONTĬĂCUS et
THERMODONTĬUS, a, um, adj. ad Thermodontem et Amazones pertinens, *Θερμωδόντειος. Prop.* 3, 12, 15. Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodonteis turma lavatur aquis. Alii leg. *Thermodontiacis. Ov. Met.* 12, 611. Thermodontiaca malles cecidisse bipenni; et *ib.* 9, 189. Thermodontiaco caelatus balteus auro. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 66. Thermodontiaca Tanain fregere securi. *Sen. Med.* 214. Armata peltis quidquid exterret cohors Inclusa ripis vidua Thermodontiis. *Id. Herc. Oet.* 21. Spolia hostis Thermodontiae.

[THERMODORUS, i, m. caloris donum: a *θέρμη*, calor, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap *Grut.* 34, 7. Ti. Claudius Ti. F. Thermodorus. *F.*]

THERMOPOLĬUM, ii, n. *θερμοπώλιον*, caupona, ubi calida venduntur: a *θερμὸς*, calidus, et *πωλέω*, vendo. Nam calida olim in deliciis erant, Qua de re vide, quae fuse notavit *Fulv. Ursinus Append. de triclinio*, *Lips. l. Elect.* 1. *c.* 4., *Hieron. Mercurialis l.* 1. *Variar. lect. c.* 8. et alii. *Pl. Curc.* 2, 3, 13. Tum isti Graeci palliati, capite operto, qui ambulant: quos semper videas lubentes esse in thermopolio. *Id. Trin.* 4, 3, 6. Satin' in thermopolio condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem? Adde *Rud.* 2, 6, 45.

THERMOPOTO, as, a. 1. calida bibo, Vox hybrida, a *θερμὸς*, calidus, et *poto*, bibo. *Pl. Trin.* 4, 3, 6. Postquam thermopotasti gutturem, *h. e.* calida potione gulam oblectasti.

THERMOPYLAE, arum, f. plur. angustiae Oetae montis in Thessalia, ubi ex Phthiotide in Phocidem transitus est, XXV. pedum tantum spatio, prope sinum Oetaeum, seu Maliacum. V. *Liv.* 36, 15. Dictae sunt a *θερμὸς*, calidus, et *πύλη*, porta, quia ibi sunt aquae calidae Herculi consecratae. Juxta has erat conventus frequens totius Graeciae statis diebus. Ibi Leonidas Tpartanorum rex cum quatuor millibus militium partim ex Spartanis, partim ex sociis, adversus quingenta millia et amplius Persarum, duce Xerxe rege triduum dimicavit, quarta die, dimissis sociis, cum sexcentis Spartanorum in hostium castra irrupit, per omnia castra victor vagatus est, cecidit, stravit omnia, tandem cum suis inter ingentes stratorum hostium catervas interiit. *Cic. Tusc.* 1, 42. et *Fin.* 2, 30. et *Just.* 2, 11. *Catull.* 68, 54. Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis.

THERMOSPODĬUM, ii, n. *θερμοσπόδιον*, a *θερμὸς*, calidus, et *σποδὸς*, cinis, vas est culinarium calido cinere plenum, in quo coquuntur cibi, aut, ne frigefiant, reponuntur. *Apic.* 4, 2. *med.*

THERMŬLAE, arum, f. plur, parvae thermae. *Mart.* 6, 42. Etrusci nisi thermulis lavaris.

[THERMUS, a, um, adj. *θερμὸς*, calidus. Est cogn. R. ut Q. Minucius M. F. Tharmus in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 255. *F.*]

THĒRODĀMANTĒUS, a, um, adj. *Θηροδαμάντειος*, ad Therodamantem pertinens, Scythiae regem, qui leones humano sanguine saginatos ad sui custodiam aluisse dicitur, quo saeviores haberet, siquando insidiis peterctur. *Ov. Ib.* 385. Therodamanteos ut qui sensere leones. *Id. Pont.* 1, 2, 121. Non tibi Therodamas, crudusve rogabitur Atreus. Sunt qui leg. *Theromedon*, et *Theromedonteus.* [Est autem *Therodomas* a *θήρ*, fera, et *δαμάω*, domo: *Theromedon* a *μέδω*, impero. *F.*]

[THĒRON, ontis, m. nomen canis: a *θηρῶν*, venans. *Ov. Met.* 3, 211. Nebrophonosque valens, et trux cum Laelape Theron. *F.*]

*THEROTHOES, um, populi Africae, in Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*THERSANDER, dri, m. *Θέρσανδρος*, Polynicis filius ex Argia, ideoque unus ex Epigonis, qui una cum ceteris Graecorum principibus ad Trojam navigavit. Hunc *Virg. A.* 2, 261. inter eos commemorat, qui tempore excidii Trojani in equo durateo fuerunt occultati. Adde *Hygin. fab.* 71. *B. A.*

*THERSILOCHUS, i, m. *Θερσίλοχος*, Antenoris filius, in bello Trojano occisus, quem *Virg. A.* 6, 482. inter viros fortes enumerat, qui etiam apud inferos arma tractent. *B. A.*

THERSĪTES, ae, m. *Θερσίτης*, Graecorum omnium foedissimus, quem Achilles sibi procaciter conviciantem pugni ictu interfecit. Hujus insignis deformitas ab *Homero l.* 2. *Iliad.* graphice expressa effecit, ut cum hominem vehementer foedum significare velimus, *Θερσίτειον βλέμμα*, idest Thersitae faciem, eum habere dicamus. *Juven.* 8, 269. Malo, pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis Aeacidae similis. Adde 11, 31. ℙ Ap. *Sen. Ira* 3, 23. Thersites pro homine conviciatore, et maledico ponitur.

[THĒRUCHUS, i, m. servi nomen ap. *Pl. Trin.* 4, 3, 13. Videtur esse a *θήρ*, *ηρός*, fera, et *ἔχω*, habeo, teneo. *F.*]

THĒSAURĀRĬUS, a, um, adj. *θησαυριστικὸς*, ad thesaurum pertinens. *Pl. Aul.* 2, 8, 23. Apollo, subveni mihi: confige sagittis fures thesaurarios. ℙ *Thesaurarius*, absolute, thesauri praepositus, *θησαυροφύλαξ. Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod.* 10, 23, 1. Omnem summam auri, vel argenti ad thesaurarios uniuscujusque provinciae referri praecipimus. Alii leg. *thesauros.*

THĒSAURENSIS, is, m. thesauri custos, thesaurarius. *Imppp. Valent., Valens et Grat. Cod.* 12, 24, 2. Nullus thesaurensis, vel officialis Comitis the-

saurorum semel deprehensus eversor, quocumque pacto repetat militiam suam.

[THESAURIZO, as, are, I. thesaurum colligo, et repono. *Salv. adv. avar.* 1, 2. Ut qui cupiditati et avaritiae thesaurizarent, etc. et *mox:* De meritis thesaurizantium. Adde *ib.* 4. et al. et *August. C. D.* 1, 10. ℙ Translate. *Id. Salv. ib.* 3, 12. Disciplinam parentes thesaurizare jubet filiis, non pecuniam; et *Gub. D.* 5, 9. Deus enim nos vocat ad poenitentiam, sed nos thesaurizamus iram: *tesaurizzano ira* habet *Cavalc. Frutt. ling. F.* et *B. A.*]

THESAUROCHRYSONICOCHRYSIDES, ae, m. *Θησαυροχρυσονικοχρυσίδης*, nomen conflatum ex Graecis vocibus *θησαυρὸς*, *χρυσόνικος*, *χρυσὸς*, significantibus thesaurum, et nomina duarum personarum Chrisonicus, et Chrysis. *Pl. Capt.* 2, 2, 35. *Heg.* Quod erat ei nomen? *Phi.* Thesaurochrysonicochrysides. *Heg.* Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est. *Phi.* imo edepol propter avaritiam ipsius, atque audaciam: nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine. Alii leg. *Thesaurocrypsonychochrysides*, a vocibus *θησαυρὸς*, *κρύπτω*, *ὄνυξ*, *χρυσὸς*, significantibus thesaurum, abscondo, unguis, aurum, vel aureus. [Rectius videtur legere et interpretari *Bothius*, qui pro *Thesaurochrysonicochrysides* reponit *Thesaurochryseonicocraesides*, scilic. thesauro aureo vincens Croesum. Deinde *tenaciam* pro *audaciam* leg., et versum sequent. *nam ille quidem* etc. insiticium recte reputat, ideoque expungit. *F.* *Prob. *Lindem.* q. v.]

*THESAUROPHYLACĬUM, i, n. *Interpr. Iren.* 4, 36. *B. A.*

THĒSAURUS, i, m. *θησαυρὸς*, acervus, collectio rerum in futuros usus reconditarum: *ἀπὸ τοῦ εἰς αὔριον τίθεσαι*, at *Scaliger* ex *θέω*, fut. *θήσω*, pono, et vetustissimo *αὔρον*, aurum, derivat. *Vitr.* 5, 9. *f.* Thesauri sunt civitatibus in necessariis rebus a majoribus constituti. ℙ Et praesertim pecuniae, auri, argenti. *Papin. Dig.* 41, 2, 44. Peregre profecturus pecuniam in terra custodiae causa condiderat: cum reversus locum thesauri in memoria non repeteret, an desiit pecuniam possidere? *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. *f.* Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. *Virg. A.* 1, 362. Auxiliumque viae, veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus et auri. *Pl. Trin.* 4, 4, 8. Thesaurum effodiebam intus, dotem, filiae tuae quae daretur. *Sall. Jug.* 78. Oppidum magnum ubi plerique thesauri Jugurthae erant. *Id. ib.* 10. Non exercitus, neque thesauri praesidia regum sunt, verum amici: *γνώμη*. *Cic. Sen.* 7. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. *Hor. Sat.* 2, 6, 11. Thesaurum invenire. ℙ A JCtis, *Paulo Dig.* 41, 1, 31. accipitur pro veteri depositione pecuniae, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat. Adde *eund. ib.* 2, 3., *Scaevol. ib.* 6, 1, 67. et *Callistrat. ib.* 49, 14, 3. *f.* Similiter *Imp. Leo Cod.* 10, 15, 1. definit thesaurum, condita ab ignotis dominis temporis vetustioris mobilia. *Javolen. Dig.* 34, 2, 39. Si argentum praesentis custodiae causa, non perpetuae, veluti thesauro, depositum esset. *Spart. Hadr.* 18. De thesauris ita cavit, ut, si quis in suo reperisset, ipse potiretur; si quis in alieno, domino daret; si quis in publico, cum fisco aequaliter partiretur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 77. *n.* 88. Jovi custodi, et Genio thesaurorum aram C. Julius Aug. Lib. Satyrus D. D. ℙ Est etiam ipse locus, in quo aliquid servandum reponitur, apotheca, conditorium. *Liv.* 39, 50. Admonent quidam, esse thesaurum publicum sub terra, saxo quadrato septum: eo vinctus Philopoemen demittitur. *Virg. G.* 4, 228. Siquando sedem augustam, servataque mella Thesauris relines, *h. e.* favis, aut alvearibus. *Plin.* 10, 72, 93. Condit in thesauros maxillarum cibum sphingiorum et satyrorum genus. *Id.* 17, 14, 22. Monedula condens semina in thesauros cavernarum. *Id.* 34, 7, 17. Thesaurum effringere. *Naevius* ap. *Gell.* 1, 24. Orcinum thesaurum vocat vel sepulcrum, vel Inferos. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 5. *med.* Thesaurus rerum omnium, memoria. *Id. Part.* 31. *extr.* Qui illos locos, tanquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habeat. *Id. Att.* 15, 27. Excudam aliquid *Ἡρακλείδιον*, quod lateat in thesauris tuis, *h. e.* in pluteis secretioribus. *Pl. Poen.* 3, 3, 12. Istic est thesaurus stultis in lingua situs, ut quaestui habeant male loqui melioribus. *Plin. ep.* 1, 22. Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est, *h. e.* promptuarium omnis doctrinae. ℙ Acervus, cumulus. *Pl. Merc.* 1, 1, 51. Tu quidem thesaurum hunc mihi apportavisti mali. *Id.* ap. *Non.* 6, 45. Hunc qui domi uxorem meam impudicitia impetivit, per quem teneo thesaurum stupri, *h. e.* per quem domi meae multa stupra fiunt. *Appul. Met.* 5. Thesaurus abditae fraudis. ℙ De libro, in quo rerum plurimarum abundans copia sit. *Plin. praef. H. N. med.* Quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros oportet esse, non libros. ℙ Ap. *Pl. Trin. prol.* 18. et *Ter. Eun. prol.* 10. *Thesaurus* nomen comoediae est. ℙ *Thesaurum* neutr. gen. legitur ap. *Petr. fragm. Trag.* 46. *extr. Burm.* ℙ Olim *thensaurus* scripsere, et ita haberi in optimis MSS. *Virg.*, *Ter.* et *Livii*, et in *Pandectis Florentinis* perpetuo, critici testantur, praecipue *Pier.* ad *Virg. Ecl.* 2, 1. et *A.* 1, 363. Cum enim mos fuisset veteribus supra vocalem longam circumflexi accentus notam vel lineolam appingere, qua significabatur vocalem illam esse producendam, eam postmodum imperitiores librarii compendii signum esse putarunt, et *n* adscripserunt. Hinc *formonsus*, *Atlans*, *obtunsus*, et multa alia, quae docti homines postea improbarunt. [Ceterum hanc scribendi rationem non omnino absurdam esse, docet ex vet. lapidib. et nummis *Marin. Frat. Arv.* p. 590. *F.*]

THĒSĒIS, idis, f. *Θησηΐς*, patron. a Thesco: poema est Thesei gesta continens. *Juven.* 1, 2. Vexatus toties rauci Theseide Codri. ℙ [Hoc nomine fuit etiam una ex Amazonibus. *Hyg. fab.* 163. *F.*]

THĒSĒĬUS, a, um, adj. *Θησήϊος*, ad Theseum pertinens. *Ov. Met.* 15, 492. Theseius heros, *h. e.* Hippolytus Thesei filius. *Stat. Th.* 4, 81. Theseia Troezen, *h. e.* in qua Thesei majores regnarunt. *Id. ib.* 12, 681. dicta.

THĒSĒUS, a, um, adj. *Θησεῖος*, ad Theseum pertinens. *Sen. Hipp.* 129. Thesea conjux. *Ov. Fast.* 3, 499. aspicies venienti nocte coronam Gnosida. Theseo crimine facta Dea est. *Id. A. Am.* 3, 459. Demophoon Thesei criminis heres, *h. e.* quo Theseus Ariadnen deseruit. *Prop.* 1, 3, 1. Thesea carina, *h. e.* qua Theseus clam aufugit Ariadne relicta. *Tibull.* 3, 6, 39. Theseae perjuria linguae, *h. e.* quibus Theseus Ariadnen decepit. Contra *Ov. Trist.* 1, 3, 66. O mihi Thesea pectora juncta fide! *h. e.* antiqua et firma, qua Theseus amavit Pirithoum. *Id. Met.* 8, 263. Thesea laus, *h. e.* ob occisum ab eo Minotaurum. ℙ Sumitur et pro Atheniensi, Attico, quia Theseus Athenis regnavit. *Mart.* 13, 104. Theseus Hymettus. Sic 4, 13. Thesei favi. *Prop.* 3, 20, 24. Scandam ego Theseae brachia longa viae, *h. e.* qua itur Athenas per duplicem murum a Piraeeo ad urbem ductum.

THĒSEUS, i, et eos, m. disyl. *Θησεύς*, filius Aegaei regis Athenarum, et Aethrae, nepos Pandionis. In fabulis est, filium fuisse Neptuni. Dum esset adolescens, opera Medeae novercae paene veneno periit. Sed post mortem patris ad regnum evectus, tam multa digna memoratu peregit, ut inter plures Hercules unus connumeretur. Debellavit Amazones una cum Hercule, earumque reginam Hippolyten cepit, quam in Graeciam duxit, et accepit in uxorem, ex qua Hippolytum genuit. Creontem regem Thebarum Argivos in bello caesos sepeliri prohibentem interfecit. Oppressit terribilem taurum in Attica, apud Marathonem, id est eum, quem Hercules in Creta domuerat, et in Graeciam adductum Atticae immiserat. Minotaurum in labyrintho occidit, et incolumis ex eo evadens Ariadnae Minois filiae opera, quae ei fili glomerem dederat, quo vias signaret, eam, sororemque ejus Phaedram secum abduxit, sed relicta Ariadna in Naxo insula, sibi conjugio Phaedram copulavit. Debellavit Centauros. Scyronem, Procusten, et Sinin latrones Atticae, item Cercyonem Arcadiae neci dedit. Thebas domuit. Pirithoum praecipua coluit amicitia, quocum descendit ad Inferos, id est in Molossiam regionem Epiri, ad rapiendam Proserpinam, sed occiso Pirithoo, ipse captus est, et aliquandiu in vinculis a Plutone detentus, donec ab Hercule, qui illum summa prosequebatur benevolentia, liberaretur. Primus instituit Athenis Panathenaea, hoc est communem celebritatem in honorem Minervae, quae Graece *Ἀθηνᾶ* nominatur. Idem in Isthmo funebres ludos instituit. Quae omnia versibus persecuti sunt *Ov. Met.* 7. a *v.* 433. et *Stat. Th.* 12. a *v.* 576. V. etiam *Ov. Her.* 10. ℙ Tres illi optiones Neptunus dedit, ille autem diversis temporibus optavit, ut Minotaurum conficeret, ut sibi ad Inferos daretur aditus, ut Hippolytum filium, qui a Phaedra noverca ejus amore capta, et rejecta falso accusatus fuerat, quod se de stupro interpellasset, ulcisceretur. Igitur optavit interitum filii sibi de noverca suspecti, et promissum a Neptuno exegit. Sed filii interitu impetrato in maximos luctus incidit. Postremo jam senior, tot tantisque rebus gestis, regno, patriaque pulsus, in insulam Scyrum navigavit, ubi periit, interemptus a Lycomede (al. a Nicomede), vel ex loco edito post coenam deambulando delapsus, ut quidam volunt. Apud Inferos eo poenae genere cruciari traditur, ut saxo affixus perpetuo sedeat, nec relevare se possit. *Virg. A.* 6, 618. sedet, aeternumque sedebit Infelix Theseus. *Ov. Fast.* 6, 737. Notus amor Phaedrae, nota est injuria Thesei. *Id. Met.* 8, 267. Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes Theseos: et populi, etc. *Prop.* 2, 11, 7. Nec sic incolumem Minois Thesea vidit. *Ov. Her.* 10, 3. Quae legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto, Unde, etc.

THĒSĪDES, ae, m. *Θησείδης*, Hippolytus Thesei filius. *Ov. Her.* 4, 65. Thesides, Theseusque duas rapuere sorores, *h. e.* Theseus rapuit abduxitque Ariadnen: ejus sororem Phaedram Hippolytus sua pulcritudine cepit. Adde *Auson. epigr.* 20. ℙ *Thesidae*, *arum*, Athenienses, quorum rex Theseus. *Virg. G.* 2, 382. Praemiaque ingeniis pagos et compita circum Thesidae posuere.

THĒSĬUM, ii, n. *θήσιον*, herba radice bulbosa, gustu aspera, purgandae alvi vim habens. *Plin.* 21, 17, 67. et 22, 22, 31. [*flachsblättriges Leinkraut*, Thesium linophyllum, *L.*]

THĒSIS, is, f. *θέσις*, h. e. positio: vox Graeca a *τίθημι*, pono: A rhetoribus adhibetur ad significandam quaestionem infinitam, seu materiam et argumentum disputationis infinitae, quod Latine *propositum* dici potest, ut *Cic. Top.* 21. docet. Quod si quaestio definita sit, et certis personis, locis, temporibus, actionibus determinata, hypothesis dicitur, Latine *causa*, ut in ea voce dictum est. Exemplum thesis est, an ducere uxorem vitae caelibi praestet: hypothesis, an Milo Clodium recte occiderit. Plura de his *Quint.* 3, 5., ubi haec vox aliquoties Latine scribitur et inflectitur. *Sen. Contr. prooem.* Declamabat Cicero, non quales nunc controversias dicimus, nec tales, quales ante Ciceronem dicebantur, quas theses vocabant. ℙ De *thesi* quae opponitur *arsi*, V. ARSIS. ℙ De distinctionibus, et intervallis orationis, V. POSITURA. ℙ [*Thesis* est etiam sacramentum, (V. *Festi* et *Asconii l. c.* in SACRAMENTUM, *in.*) depositum pecuniae, vel alicujus rei, quod Graece *παραχαταβολή*, Italice nunc *caparra* dicitur, quodque tunc aliquis amittit, cum voti damnatus est. Hinc *Callimach. Hymn.* in *Cerer. v.* 48. *Τέκνον πολύθεστε τοκεῦσι*, *h. e.* fili multum votis expetite parentibus. *Inscr.* ap. *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 2. p. 322. Pro salute C. Caesaris Aug. Germ. et reditu, F. P. Pr. (*h. e.* Fortunae Primigeniae Praenestinae) thesis, Q. Cosidius Tertius D. D. (V. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 2. p. 88. *ed. Med.*, et aliter vocem *thesis* interpretantem *Marin. Frat. Arv.* p. 589.) *F.*]

THESMOPHORIA, orum, n. plur. *Θεσμοφόρια*, sacra Cereris, *initia* Latine dicta, ab Erechtheo Athenarum rege instituta, quo tempore frumenti satio a Triptolemo inventa est, ut *Justin.* tradit 2, 6.: ita dicta a *θεσμὸς*, lex, et *φέρω*, fero. Prima enim Ceres leges tulisse dicitur, ideoque *Θεσμοφόρος* cognominata est, quia ante frumenta homines sine lege vagabantur: ex agrorum autem divisione nata sunt jura, ut *Macr. Sat.* 3, 12. et *Serv.* ad *A.* 4, 58. docent. *Arnob.* 5, 173. Vultis considemus mysteria et illa divina, quae Thesmophoria nominantur a Graecis, quibus gente ab Attica sancta illa pervigilia consecrata sunt, et pannychismi graves? Adde *Macr. l. c.* et *Hyg. fab.* 147.

THESMOPHORUS, a, um, adj. *Θεσμοφόρος*, legifer. In *Inscr.*, quae tamen sublestae fidei est, ap. *Mur.* 30, 3. dicitur Ceres frugifera, aristigera, thesmophora. V. v. praec.

[THESMUS, i, m. *θεσμὸς*, lex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 291, 9. L. Naevius Thesmus. *F.*]

THESPĬACUS, a, um, adj. *Θεσπιακὸς*, Thespius. *Val. Fl.* 1, 93. Thespiaca moenia. *Stat. Silv.* 2, 7, 16. Thespiaci luci, *h. e.* nemus Heliconis prope Thespias.

THESPĬADES, ae, m. *Θεσπιάδης*, Tiphys Argus gubernator, Thespiis ortus. Hic primus fuisse dicitur, qui gubernaculo, quod ipse invenit, in navi usus est. *Val. Fl.* 2, 367. Et lunam quarto densam videt imbribus ortu Thespiades. Adde 1, 124. ℙ In plur. num. *Thespiadae*, *arum*, et *dum*, posteri filiorum, quos Hercules ex quinquaginta puellis Thespii filiis suscepit. Horum quidem nomine Myscelus, Alemonis filius, in magnam Graeciam transgressus, Crotonem condidit, ut est ap. *Ov. Met.* 15, 19. Cujus urbis cives postea *Thespiadae*, et *Thespiades* sunt appellati. *Sil.* 11, 17. patefecit amicas Alta Croton portas, Afrisque ad barbara jussa Thespiadum docuit submittere colla nepotes. Adde *Hyg. fab.* 162. ℙ Alios Thespiades memorat *Stat. Th.* 2, 629. Chromin et Periphantem.

THESPĬAE. V. THESPIUS.

THESPĬAS, ădis, f. patronym. *Θεσπιάς*, filia Thespii. Thespiades fuere quinquaginta, quas omnes dicitur Hercules unus matres fecisse. V. THESPIUS. *Sen. Herc. Oet.* 369. nempe Thespiades vacant, Brevique in illas Arsit Alcides face. ℙ *Thespiades Deae*, Musae a Thespiis Boeotiae oppido, quod prope Helicon est, nobilis earum sedes. *Varr. L. L.* 6, 2. *f.* Musae ab terrestribus locis cognominatae Libethrides, Pimpleides, Thespiades, Heliconides. *Ov. Met.* 5, 309. nobiscum, siqua est fiducia vocis, Thespiades certate Deae. Adde *Cic. Verr.* 2, 4, 2. et *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 12.

THESPĬENSIS, e, adj. ad Thespias oppidum Boeotiae pertinens. *Thespienses*, absolute, ejus incolae. *Cic. Verr.* 2, 4, 60.

[THESPIS, is, et idis, m. *Θέσπις*, primus poeta tragicus, personarum inventor, ex Icaria civitate Atticae. Vixit Solonis temporibus. *Hor. A. P.* 276. Ignotum tragicae genus invenisse Camenae Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis. *F.* *V. et *Laert.* 3, 56. Cf. *Bentleium, Dissertation upon Phalaris*, p. 231. seq. et *Guil. Schneiderum de Originibus Tragoediae Graecae.* 4. et 5. *B. A.*

THESPĬUS, a, um, adj. *Θέσπιος*, ad Thespias pertinens. *Val. Fl.* 1, 478. Thespia moenia. ℙ Sunt autem *Thespiae*, *Θέσπιαι*, Boeotiae oppidum in confinio Phocidis, prope Heliconem, sedem Mu-

sarum. Ibi fuit nobile signum marmoreum Cupidinis, a Praxitele factum, propter quem Thespiae visebantur: nam alia visendi causa nulla erat, inquit *Cic. Verr.* 2, 4, 2. et 60. et *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. ℙ [*Fuit et Thespiae Thessaliae opp., in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *Bail.*] ℙ *Thespii, orum*, Thespiarum incolae. *Arnob.* 6, 196. ℙ *Thespius*, aliis *Thestius*, Teuthrantis filius, rex Mysiae, quinquaginta habuit filias, quas omnes Hercules nocte una, inquit *Arnob.* 4, 145., perdocuit et nomen virginitatis exponere, et genitricum pondera sustinere. Adde *Stat. Silv.* 3, 1, 43.

THESPROTIS, idis, adj. f. *Θεσπρωτίς*, Thesprotia. *Avien. Arat.* 384. ortus Thesprotide terra.

THESPROTIUS, a, um, *Θεσπρώτιος*, ad Thesprotiam pertinens, quae est regio Epiri maritima, contra Corcyram, Chaoniae proxima, in qua Buthrotum: cujus populi Thesproti, *Θεσπρωτοί*, dicti sunt a Thesproto Pelasgi filio, Epiri rege. *Liv.* 8, 24. Thesprotius sinus; et *Sil.* 15, 297. Thesprotia arva. *Lucan.* 3, 179. Thesproti, Dryopesque ruunt. *Plin.* 4, 1, 1, Flumen Thesprotiae Tyamis.

THESPROTUS, a, um, adj. *Θεσπρωτός*, Thesprotius. V. v. praec. ℙ Dicitur etiam de ora Cumana in mari infero, quia eam olim occuparunt Abantes ex Euboea in Thesprotiam, indeque columba duce illo transvecti. *Prop.* 1, 11, 3. Et modo Thesproto mirantem subdita regno Proxima Misenis aequora litoribus. Alii leg. *Thesproti. Colum.* 10, 130. veteres Thesproto litore Cumae. Alii leg. *caesposo*, aut *caeposo*. Haec ex *Scal.* ad *Virg. Cul.* 14.

*THESPROTUS, i, m. *Θεσπρωτός*, regnavit in ea regione, ubi Avernus lacus dicebatur esse. *Hygin. fab.* 88. *B. A.*

THESSALIA, ae, f. *Θεσσαλία*, regio ampla Macedoniae meridionali adjecta, inter Pierium montem ad septentrionem, ubi ab illa sejungitur, mare Aegaeum ad orientem, Phocidem ad meridiem, Epirum ad occidentem. In ea sunt Tempe, loca amoena; Olympus, Pierus, Ossa, Pelion, Oeta, Pindus, Othrys, montes nobilissimi, Apidanus, Pamisus, Enipeus, Peneus, celebrati amnes; Phaerae, Larissa, Gomphi, Pagasae, nobiles urbes; Pharsalici campi, et alia, quae enumerant *Plin.* 4, 8, 15. et *Mela* 2, 3. Describit etiam *Lucan.* 6. a *v.* 333. ℙ *Thessaliam regionem* adjective dixit *Appul. Met.* 1. *f.* V. dicta in ARABIA. ℙ In Thessalia herbae venenatae plurimum proveniebant: quarum occasione Thessali ob veneficia male audierunt. *Prop.* 1, 5, 6. Et bibere e tota toxica Thessalia. V. THESSALUS. ℙ Ibi primum domiti sunt equi a Centauris, ut est ap. *Lucan.* 6, 306. V. CENTAURUS. ℙ Celebris est etiam pugna memorabili Caesaris et Pompeji in campis Pharsalicis. *Lucan.* 8, 428. Thessalia bellum civile peractum est.

THESSALICUS, a, um, adj. *Θεσσαλικός*, ad Thessaliam pertinens. *Plin.* 16, 44, 92. Thessalica Tempe. *Id.* 12, 1, 5. Marcellus Eserninus, spado Thessalicus. *Ov. Her.* 9, 100. Thessalica juga, *h. e.* vertex Pelii montis, unde Centauros dejecit Hercules. *Sen. Herc. Oet.* 168. Thessalici aggeres, *h. e.* Pelion et Ossa montes Thessaliae. *Ov. Trist.* 4, 3, 30. Thessalicus axis, *h. e.* currus, ad quem alligatum Hectorem Achilles circum Trojam raptavit. *Lucan.* 4, 528. Thessalicae sagittae, *h. e.* signum Sagittarii, qui est Chiron. Thessalus. *Lucr.* 2, 500. Thessalicus color, *h. e.* purpureus. V. MELIBOEA. *Val. Fl.* 5, 219. Thessalicus dux, *h. e.* Iason dux Argonautarum. *Id.* 7, 1. hospes: *idem;* et 1, 244. tyrannus, *h. e.* Pelias rex Thessaliae. *Sen. Med.* 415. dux, *h. e.* Acastus Peliae filius. *Id. Troad.* 181. eodem nomine Achillem designat, Larissae in Thessalia ortum. *Id. ib.* 324. Thessalica navalia, *h. e.* classis Achillis. *Id. Ag.* 120. trabs, *h. e.* navis Argo in Thessalia facta. *Val. Fl.* 8, 161. et *Claud. in Ruf.* 1, 174. Thessalici remi, *h. e.* ejusdem navis Argus. *Id. Nupt. Hon. et Mar.* 19. crines, *h. e.* coma Achillis. *Val. Fl.* 3, 173. reges, *h. e.* Argonautae, inter quos multi fuere regio sanguine: itaque eos *Stat.* quoque *Achill.* 1, 156. appellat. *Sen. Hipp.* 397. Thessalicum hastile, *h. e.* sarissa Macedonica. ℙ Ad venena et incantationes pertinent haec. *Ov. Am.* 3, 7, 27. et *Val. Fl.* 7, 198. Thessalicum venenum. *Sen. Hipp.* 791. Luna tracta Thessalicis carminibus. *Id. Med.* 790. Luna vexata Thessalicis minis. *Mart.* 9, 30. Thessalico lunam deducere rhombo. ℙ Ad pugnam civilem Caesaris et Pompeji. *Lucan.* 7, 202. Thessalicus dies; et *ib.* 808. Thessalica flamma, *h. e.* quae arsere caesorum rogi; et *ib.* 448. Thessalicae caedes. *Id.* 6, 62. clades. *Id.* 8, 529. Thessalici cineres; et 9, 181. manes; et *ib.* 1019. ruinae; et 6, 409. laurus. ℙ Ad equos, qui in Thessalia primum domiti. *Lucan.* 6: 396. Primus ab aequorea percussis cuspide saxis Thessalicus sonipes bellis feralibus omen Exsiluit. *Varr. R. R.* 2, 7. Nobiles in Graecia Thessalici equi. *Val. Fl.* 1, 424. Oraque Thessalico melior contundere freno Castor. ℙ Cum *Lucan.* Haemum montem *Thessalicum* dicit 10, 499., Thessaliam cum Thracia confundit. Sic 6, 576. Qua juga devexus Pharsalia porrigit Haemus. Vel respicit ad caedes Martis in Thracia, quarum similis fuit clades Pharsalica. Mos est veterum auctorum Thraciae, Macedoniae, Thessaliae loca, utpote regionum vicinarum, confundere. V. PHILIPPI, OTHRYS et OSSA.

THESSALIS, idis, f. *Θεσσαλίς*, quae est ex Thessalia. *Ov. Met.* 12, 190. Elateia Caenis Thessalidum virgo pulcherrima. *Id Her.* 13, 112. Nulla caret fumo Thessalis ara meo. *Prop.* 1, 19, 10. Thessalis antiquam venerat umbra domum, *h. e.* manes Protesilai Thessali, Laodomiae mariti. ℙ De saga, et venefica. *Lucan.* 6, 451. Abducit Superos alienis Thessalis aris; et *ib.* 564. caris cognato in funere dira Thessalis incubuit membris; et *ib.* 452. Thessalidum carmen. *Claud. B. Get.* 237. Thessalidas credunt patriis lunare venenis Incestare jubar. Adde *Lucan.* 6, 605. et 628. et *Stat. Th.* 3, 140.

THESSALIUS, a, um, adj. *Θεσσάλιος*, Thessalicus, Thessalus. *Ov. Pont.* 1, 3, 74. Thessaliamque adiit hospes Achillis humum. Alii leg. *Thessalicam. Grat. Cyn.* 228. Thessalium quadriga decus, *h. e.* quadriga equorum Thessalicorum.

*THESSALOCE, es, dicta est olim Magnesia ad Maeandrum, teste *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*THESSALONICA, ae, vel Thessalonice, es, f. *Θεσσαλονίκη*, urbs Macedoniae, V. in *Thessalonicensis.* ℙ Thessalonice, Philippi Alexandri M. patris filia, Cassandri uxor, ab Antipatro filio, quem frustra per ubera, quae eum lactaverant, deprecata est, interfecta est. *Justin.* 14, 6. *in.* et *extr.* Adde 16, 7. *in.* Cf. *Pausan.* in *Arcad. med.* p. 242. *Wechel.* et *Boeot. med.* p. 287. *Wechel.* Ap. *Justin.* 14, 6. *extr.* Aridaei filia appellatur, sed mendose *B. A.*

THESSALONICENSIS, e, adj. ad Thessalonicam, seu Thessalonicen pertinens, quae est urbs Macedoniae in intimo recessu sinus Thermaici, cum portu, et navali: nunc *Salonichi:* sic appellata a Philippo rege Macedoniae, Alexandri M. patre, quia in ejus agro Thessalos ingenti clade afflixerat. *Θεσσαλῶν νίκη.* Ejus incolae *Thessalonicenses* dicuntur a *Cic. Prov. cons.* 2. Ipsa urbs *celeberrima* dicitur a *Liv.* 45, 30. (Adde *Plin.* 4, 10, 17.) *Claud. in Ruf.* 2, 279. murosque subibat Thessalonica tuos.

THESSALUS, a, um, adj. *Θεσσαλός*, ad Thessaliam pertinens, Thessalicus. *Sen. Herc. Oet.* 134. Thessalum solum. *Claud. IV. cons. Hon.* 541. Thessala gens. *Plin.* 8, 45, 70. Thessalorum gens. *Stat. Achill.* 1, 100. Thessala vada, *h. e.* mare Thessaliam alluens. *Id. ib.* 2, 382. Thessalus senior, *h. e.* Chiron. *Prop.* 2, 18, 30. Thessala tela, *h. e.* arma Achillis. *Hor. Od.* 1, 10, 15. Thessali ignes, *h. e.* accensi a vigilibus in castris Achillis ad Trojam. *Stat. Silv.* 2, 7, 55. Thessali currus, *h. e.* Achillis Hectorem raptantis. *Sen. Troad.* 325. Thessalae naves, *h. e.* classis Achillis. *Stat. Th.* 3, 518. et *Achill.* 1, 156. Thessala pinus; et *Val. Fl.* 2, 445. puppis, *h. e.* Argo navis. *Id.* 5, 278. Thessalus dux, *h. e.* Iason. *Id.* 8, 380. Thessala tentoria, *h. e.* Argonautarum. *Id.* 4, 13. frena, *h. e.* optima, quia domandorum equorum ratio in Thessalia initium habuit ℙ In illo *Claud. Laud. Seren.* 12. consorte redempto, Casta maritali successit Thessala fato, *Thessala* est Alceste filia Pelia regis Thessaliae. V. ALCESTE, ut *Thessalus* est Achilles ap. *Ov. Am.* 2, 8, 11. Thessalus ancillae facie Briseidos arsit. ℙ Thessali ob copiam herbarum nocentium, veneficiis et incantationibus infames fuerunt, praecipue feminae. *Tibull.* 2, 4, 55. Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni, Quidquid et herbarum Thessala terra gerit. *Plin.* 30, 1, 2. Menander Thessalam cognominavit fabulam, complexam ambages feminarum detrahentium lunam. *Claud. in Ruf.* 1, 136. novi quo Thessala cantu Eripiat lunare jubar. *Lucan.* 6, 519. Thessala nudis Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat. *Juven.* 6, 609. Thessala philtra. Adde *Pl. Amph,* 4, 3, 10., *Prop.* 3, 23, 10. et *Lucan.* 6, 614. ℙ Universim pro magico. *Hor. Epod.* 5, 45. Quae sidera excantata voce Thessala, Lunamque coelo deripit. *Id. Od.* 1, 27, 21. Quae saga, quis te solvere Thessalus Magus venenis poterit?

*THESSALUS, i, m, *Θέσσαλος*, Thesprotius, a quo Thessalia dicta. *Vellei.* 1, 3. *in.* etc. ℙ Item medicus, qui, convivio instituto, Babylone invitavit Alexandrum, ut ea occasione venenum ei ab Antipatri filiis Cassandro et Iolla propinaretur. *Curt.* 10, 4. ℙ Thessalus, Trallibus oriundus, medicus sub Nerone Imperatore, qui triduanum jejunium aegris quibuslibet imperabat, totiusque medicinae perfectam cognitionem intra sex menses pollicebatur, contra cujus placita multis in locis disputat Galenus. Solus medicinae arcana se pernosse jactitans, scripsit *contra Hippocratis aphorismos:* cum tamen ipsemet nihil novi invenisset, sed Themisonis principiis mordicus inhaereret. Obiit Romae, in via Appia sepultus. Scripsit porro *de communitatibus et Syncritica. Plin.* 29, 1. Cf. *Galen. Meth.* 1, 2. *B. A.*

THESTIADES, ae, m. *Θεστιάδης*, filius aut nepos Thestii Lacedaemonii, patris Ledae, et Althaeae. *Ov. Fast.* 5, 305. Respice Thestiaden: flammis absentibus arsit, *h. e.* Meleagrum filium Althaeae Thestii filiae. *Id. Met.* 8, 303. et 434. Thestiadae clamant, *h. e.* Plexippus et Toxeus Thestii filii, Altaeae fratres.

THESTIAS, ădis, f. *Θεστιάς*, filia Thestii, nempe Althaea mater Melagri. *Ov. Trist.* 1, 7, 17. cremasse suum fertur sub stipite natum Thestias. V. MELEAGER.

*THESTIUS, i, m. *Θέστιος*, pater Ledae et Althaeae. *Hygin. fab.* 77. 155. et 174. Adde *fab.* 14. V. *Thestiades.* ℙ Et rex Mysiae, alio nomine Thespius. V. *Thespius, a, um*, ad *f. B. A.*

THESTORIDES, ae, m. *Θεστορίδης*, filius aut nepos Thestoris. Fuit autem Thestor Mycenaeus, pater Calchantis, celebris vatis in expeditione Trojana Graecorum. *Ov. Met.* 12, 18. veri providus augur Thestorides. *Stat. Achill.* 1, 496. O nimium Phoebi, tripodumque oblite tuorum, Thestoride! Adde *ib.* 516.

*THESTYLIS, is, f. mulier rustica ap. *Virg. Ecl.* 2, 11. *B. A.*

THETA, n. g. *Θῆτα*, nomen litterae Graecae, quae apud nos valet *th* aspiratum. Haec in Graecorum judiciis nota erat condemnationis, quemadmodum apud Latinos C., quod ea sit prima littera in dictione *Θάνατος*, mors. Huc allusit *Pers.* 4, 13. Et potis es vitio nigrum praefigere theta. *Mart.* 7, 37. [Nosti mortiferum quaestoris, Castrice, signum? Est operae pretium dicere theta novum, *h. e.* emunctionem, quo signo quaestor ille se reos condemnare indicabat. *Auson. epigr.* 128. Miselle doctor, 8 tibi sit obsceno, tuumque nomen *Θ* sectilis signet, *h. e.* tibi sit figura Graeca diphthongi, qua significatur laqueus, et nomen hinc tuum nigro theta notetur. ℙ Fuit etiam defunctorum nota in breviculis militum, et in lapidibus sepulcralibus. *Ruf. Invect. in Hieron.* 2. *n.* 36. Si quis accepto breviculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere, quanti ex militibus supersint, quanti in bello ceciderint, et requirens qui inspicere missus est, propriam notam *Θ* ad uniuscujusque defuncti nomen adscribit, et propria rursus nota (scil. V.) superstitem signat. Hinc etiam in vet. lapidibus, illud *Θ* videre est ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 610. ℙ Quandoque item erat nota critica scriptionem aliquam improbans. *Sidon. carm.* 9, 335. Isti qui valet exarationi Districtum bonus applicare theta. *F.*]

*THETIDIUM, i, n. *Θετίδιον*, Thessaliae oppidum, in Pharsalia. *Liv.* 3, 6. et 7. *B. A.*

THETIS, is, et idis, f. *Θέτις*, Nympha maris, filia Nerei et Doridos, uxor Pelei Thessaliae regis, mater Achillis, neptis Tethyos. V. TETHYS. *Prisc.* 6, 709. Thetis, hujus Thetidis: quamvis ablat. ejus ab hac Theti. *Catull.* 64, 21. Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit. *Ov. Her.* 20, 61. Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes. *Pl. Epid.* 1, 1, 33. Tum ille prognatus Theti, sine, perdat: aliae adportabant ei Nerei filiae. *Hor. Epod.* 13, 12. de Achille: mortalis Dea nate puer Thetide. *Sen. Herc. Fur.* 734. Thetidis socer, *h. e.* Aeacus Pelei pater. *Stat. Achill.* 1, 80. Ne pete Dardaniam frustra, Theti, mergere classem. ℙ Metonymice est mare. *Virg. Ecl.* 4, 32. Tentare Thetin ratibus. *Mart.* 10, 30. Hic summa levi stringitur Thetis vento. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 148. Hic latrat Gaetula Thetis, *h. e.* mare Libycum. ℙ In illo *Mart.* 10, 13. Et Thetis unguento palleat uncta tuo. *Thetis* per hyperbolen et vastum balneum instar maris.

[THEUDALENSIS et Teudalensis, e, adj. ad Theudalen, ut *Ptolem. l.* 4. *c.* 3. vocat, vel ad Theudalin, ut *Plin.* 5, 4, 3. appellat, oppidum immune Africae proconsularis, Hipponi Diarrhyto finitimum. Hinc *Teudalenses, ium*, absolute, in *Inscr.* ap. *Grut.* 512. sunt incolae illius oppidi. *F.*]

[THEUDENSIS, e, adj. ad Theudam, sive Theuzam, pertinens, provinciae Byzacenae urbem in Africa. *Plin.* 5, 4, 4 Theudense oppidum. *F.*]

*THEUDORIA, ae, opp. Athamaniae. *Liv.* 38, 1. *B. A.*

*THEUDURUM, n. opp. Galliae Belgicae. *Anton. Itin. B. A.*

*THEUMA, vicus Thessaliae. *Liv.* 32, 13. *extr. B. A.*

THEUMESIUS, a, um, adj. *Θευμήσιος*, ad Theumesum pertinens, qui est mons Boeotiae apud Thebas. *Stat. Th.* 4, 372. Hinc Theumesia arva, *Id. ib.* 2, 383. quae circa Thebas et eum montem jacent: et Theumesius juvenis, *ib.* 331. h. e. Polynices Thebanus. Theumesius leo, *Id. ib.* 4, 85. pellis leonina, quam gestabat Polynices, ut ostenderet, se Thebanum esse, et ex posteris Herculis, qui ut in silva Nemaea, sic in Theumesia regione immanem leonem interfecerat, ut est ap. *eund. Stat. Th.* 1, 485., ubi Theumesia Tempe sunt loca circa Thebas aeque amoena, ac Thessala Tempe. Theumesia cornus, *ib.* 3, 624. hasta Tydei, quam caeso hosti Thebano in pugna eripuerat. Theumesia Thyas, *ib.* 5, 92. mulier Orgia Bacchi Thebani celebrans. Denique Theumesius amnis, *ib.* 9, 462. est Ismenus Theumesum et Thebas alluens. ℙ *Rectius, ut videtur, scribendum *Teumesius* vel *Teumessius*, sine aspiratione. *Steph. Byz. Τευμησσός, ὄρος Βοιωτίας.* —— *Οἱ κατοικοῦντες, Τευμήσιοι. Θευμήσιος*, quod praebent *Facc.* et *Forc.*, ni vehementer erro, vox nulla est. *B. A.*

[THEVESTINUS et Tevestinus, a, um, adj. ad Thevesten, seu Tevesten, aut Tebesten pertinens Numidiae coloniam, quam *Ptolem.* 4, 3. *Θευέστην* appellat, et *Ant. Itin.* inter Ammudaram et Alteban

recenset: et cujus mentio est in hac *Inscr.* ap. *Donat.* 214, 7. Imp. Caes. Tranatus Hadrianus Aug. viam a Carthagine Thevesten stravit per Leg. III. Aug. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 272, 10. Tyrrhenus Lib. Proc. Reg. Thevestinae. *Alia* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 87. M. Ulp. Augg. Lib. Probus Proc. Africae Reg. Tevest. *F.*]

THĔURGĬA, ae, f. *Θεουργία*, Graece sonat opus divinum: a *Θεὸς*, Deus, et *ἔργον*, opus. Accipitur ab *August. C. D.* 10, 9. et 10. pro genere magiae, qua per quaedam sacra Dii daemonesque evocantur, et ad homines accedere coguntur animae purgandae gratia.

THĔURGĬCUS, a, um, adj. *Θεουργικὸς*, ad theurgiam pertinens, ut Consecratio theurgica teletae, *August. C. D.* 10, 9. Theurgica ars, *ib.* 10.

THĔURGUS, i, m. *Θεουργὸς*, qui theurgiam tractat, et sacris Deos elicit. *August. C. D.* 10, 10.

[*THEUTALIS, f. herba ap. *Plin.* 27, 12. *Bail.*]

*THEUTATES, deus Gallorum. V. *Teutates.* ℙ Et astronomus sive astrologus, Aegyptius. *Arnob.* 2. *med.* p. 116. *Herald.* (al. p. 92.) Quando siderum motus aut ratio coepta est genethliaca sciri? non post Theutatem Aegyptium, aut post Atlantem, gestatorem — coeli? *B. A.*

THĪA, ae, f. *Θεία*, Hyperionis conjux, mater Solis, ut est ap. *Pind. Isthm.* 5. *Catull.* 66, 43. Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris Progenies Thiae clara supervehitur, *h. e.* Sol. ℙ *Item insula maris Aegaei, Cretae vicina, una ex Sporadibus. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 3, 12. qui in 2, 87. suis temporibus enatam refert. *B. A.*

THĪĀSĪTES, ae, m. *Θιασίτης*, sodalis, idem ac *Θιασώτης*, qui in honorem Bacchi *Θιάσους*, *h. e.* choreas, ducit. *Paul.* ex *Festo:* Thiasitas, sodalitas. Alii legend. recte putant *sodales* pro *sodalitas.*

[THĪĀSĪUS, a, um, adj. ad thiasum, seu thiasitem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 424. 10. C. Quinctius P. L. Thiasius. *F.*]

THĪĀSUS, i, m. *Θίασος*, saltatio, sive chorea, quae Baccho exhibebatur: a *Θιασόω*, Orgia celebro. *Virg. Ecl.* 5, 30. Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho. *Stat. Silv.* 3, 41. Confectus thiasis, *h. e.* saltando fessus. *Catull.* 63, 27. Simul haec comitibus Atys cecinit notha mulier, Thiasus repente linguis trepidantibus adulat, *h. e.* coetus Bacchantium, et thiasum agentium; et 64, 251. florens volitabat Iacchus Cum thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. isagog. tab.* 16. *col.* 3. L. Mammius L. L. Thiasus. *F.*]

[THIĀTIS, i, m. mensis apud Aegyptios. *Plin.* 27, 12, 80. Tradunt Aegyptii, mensis, quem thiatin vocant, die XXVII. fere in Augustum mensem incurrente, si quis etc. *F.*]

*THIBĪI, orum, populi Ponti, oculis perpetuo nictantes; quod cum *ἵππον* vocent Graeci, ambiguitate vocis deceptus *Plinius* in altero oculo geminam pupillam, in altero equinam effigiem habere scribit, 7, 2. V. *Plutarch. Sympos.* 5. 680. *Voss. de Idolol.* 3, 23. *Salmas.* ad *Solin.* p. 46. et 47. *B. A.*

[THIBURSICENSIS, e, adj. ad Thibursicum pertinens, Buri sedem episcopalem provinciae proconsularis Africae, nunc *Tubersoke. Inscr.* ap. *Donat.* 349, 5. Resp. muncipii Severiani Antoniniani liberi Thibursicensium Bure, *h. e.* Burensium. *F.*]

[THIGNICENSIS, e, adj. ad Thignicam pertinens, Numidiae urbem in *Tab. Peut.* memoratam, nunc *Tunga* vel *Tighiba. Inscr.* ap. *Donat.* 81, 1. C. Memmio Felici flamini Aug. perp. utriusque partis civitatis Thignicensis, etc. *F.*]

*THIMANEI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*THIMARUM, i, n. oppidum Thessaliae. *Liv.* 32, 13. *B. A.*

[THIMIDENSIS, e, adj. ad Thimidam Regiam pertinens, urbem episcopalem Africae proconsularis. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 400. C. Julio Regino curatori splendidissimae reipublicae Thimidensium Regiorum, etc. *F.*]

THĪNĪTES, ae, m. *Θινίτης*, praefectura seu nomos Aegypti in Thebaide, cujus caput urbs This ad occidentalem Nili ripam, quae nunc *Tunah* appellatur. *Plin.* 5, 9, 9. Summa pars, contermina Aethiopiae, Thebais vocatur. Dividitur in praefecturas oppidorum quas nomos vocant, Ombiten, Apollopoliten, Hermonthiten, Thiniten, etc.

THIODĀMANTĒUS, a, um, adj. *Θειοδαμάντειος*, ad Thiodamantem pertinens, Hylae patrem. V. DRYOPES. *Prop.* 1, 20, 6. Thiodamanteo proximus ardor Hylae.

*THIRMIDA, ae, Numidiae oppidum. *Sall. B. J.* 12. *B. A.*

THISBAEUS, a, um, adj. ad Thisben pertinens, Boeotiae oppidum, cujus ager columbis abundat: illius meminit *Stat. Th.* 7, 261. Dionaeis avibus circumsona Thisbe. *Ov. Met.* 11, 300. Thisbaeas agitacolumbas.

[THISBĒ, es, f. *Θίσβη*, puella Babylonia, cujus amore deperiit Pyramus. *Ov. Met.* 4, 55. et. sqq. V. PYRAMUS. ℙ Hoc nomine fuit etiam oppidum Boeotiae. V. v. praec. *F.*]

[THĪUS, ii, m. *Θεῖος*, patris, et matris frater, *h. e.* patruus, et avunculus. *Isid. Or.* 9, 6. Fratrueles materterae filii sunt: sobrini consobrinorum filii: thius Graecum nomen est. *F.*]

THLĀDĪAS et Thlasias, ae, m. *Θλαδίας*, et *Θλασίας*, eunuchus, cui non evulsi, ut spadoni, sed contusi et fracti sunt testes, seu fissa ferula compressi et paulatim confracti, ut *Colum.* 6, 26. et *Pall.* 6, 7. dicunt, Similis est thlibias, *Θλιβίας*; a *Θλίβω*, premo, elido. Utriusque mentio fit ab *Ulp.* 50, 16, 128. Spadonum generalis appellatio est: quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt, item thlibiae, thlasiae, sed et si quod aliud genus spadonum est, continetur. *Paul. ib.* 48, 8, 5. [Hi quoque, qui thlibias faciunt, in eadem causa sunt, qua hi, qui castrant. *Plin.* hos thladias seu thlasias ait esse. quibus *franguntur testes.* Is enim sic 11, 49, 110. Homini tantum injuria, aut sponte naturae franguntur testes; idque tertium, ab hermaphroditis et spadonibus semiviri genus habent. *F.*]

THLASPI, is, n. *Θλάσπι*, herba est duorum generum: unum angustis foliis, digitali longitudine, cauliculo semipedali, peltarum specie, semine incluso lenticulae effigie, nisi quod infringitur, unde et nomen (nempe a *Θλάω*, frango), flore albicanti: alterum latis foliis, radice magna. Haec ex *Plin.* 27, 13, 113. *Cels.* 5, 23. *n.* 3. Thlaspis P. ☧ V. ═ ═: *Scrib. Comp.* 170. Thlaspis ☧. P. VI. et victoriati.

THLĪBĪAS. V. THLADIAS.

*THMUIS, is, *Θμοῦις, εως*, Aegypti opp., in Delta. *Ammian.* 12, 16. ed. *Vales.* Adde *Anton. Itin. Hieron. adv. Jovin.* 2, 6. *med.*

THOANTĒUS, a, um, adj. a Thoante, ut *Diana Thoantea* ap. *Val. Fl.* 8, 208. id est Taurica, cui hostiis humanis sacrificabant. Sic *Ov. Ib.* 386. Thoanteae Taurica sacra Deae. Adde *Sil.* 14, 260.

THOANTĪAS, ădis, f. Hypsipyle filia Thoantis. *Ov. Her.* 6, 163. Haec ego conjugio fraudata Thoantias oro.

THOANTIS, idis, f. *Θοαντὶς*, Thoantias. *Stat. Th.* 5, 650. laceras comitata Thoantis Advenit exsequias; et *ib.* 700. Secum ante ora virum fremebunda, Thoantida portans.

*THOAR, oppidum in Meninge insula. *Plin.* 5, 7. *B. A.*

THOAS, antis, m. *Θόας*, rex Tauricae Chersonesi, ad quem delata est Iphigenia Agamemnonis filia, et ab eodem Dianae Tauricae sacris praefecta. Hunc postea occidit Orestes, a sorore adjutus, cum illum quoque Thoas Dianae arae destinasset. *Ov. Pont.* 3, 2, 59. Regna Thoas habuit Maeotide clarus in ora, Nec fuit Euxinis notior alter aquis. ℙ Thoas alter filius Liberi Patris ex Ariadne Minois filia, pater Hypsipyles, rex Lemni insulae. Cum ceterae omnes Lemni mulieres viros suos, et parentes trucidassent, solus a filia servatus est, et clam navi impositus in Chium insulam pervenit. *Ov. Her.* 6, 135. et *Stat. Th.* 5. a *v.* 240. ℙ *Alius, filius Andraemonis, unus ex procis Helenae, qui una cum ceteris Graecis ad Trojam expugnatum ivit. *Hygin. fab.* 81, 97. et 114. ℙ Alius Thoas, cujus meminit *Virg. A.* 10, 415. *B. A.*

THOCUM. V. THROCUM.

THŌLUS, i, m. *Θόλος*, umbilicus tecti, ubi trabes omnes conveniunt, summa et media pars camerae rotunda, aut in modum scuti: item ipsa camera rotunda forma in fastigiatum cacumen desinens. Dictum volunt *ἀπὸ τοῦ θέειν ὅλον*, quia totus circumcurrit. *Ov. Fast.* 6, 282. de aede Vestae: Par facies templi (h. e. *rotunda*), nullus procurrit in illo Angulus: a pluvio vindicat imbre tholus. *Vitr.* 4, 7. In medio tecti ratio ita habeatur, uti quanta diametros totius operis erit futura, dimidia altitudo fiat tholi praeter florem. *Id.* 7, 5. *med.* Tholorum rotunda tecta. *Claud. Idyll.* 6, 62. Afflatosque vago temperat igne tholos, *h. e.* fornices, cameras. Adde *Varr.* ap. *Non.* 6, 2. ℙ In tholo sacrarum aedium suspendebantur donaria Diis oblata. *Virg. A.* 9, 406. siqua tuis pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit: siqua ipse meis venatibus auxi, Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi. *Stat. Th.* 4, 733. figamque superbis Arma tholis. *Id. Silv.* 1, 4, 32. dives praedae, tamen accipit omni Exsuvias Diana tholo, captivaque tela, Bellipotens. *Val. Fl.* 1, 56. I, decus, et pecoris Nephelaei vellera Grajo Redde tholo. ℙ Per synecdochen est ipsum aedificium tholo instructum, aut rotunda figura exstructum: cujusmodi fuit aedes Vestae, et Pantheon; et ap. *Varr. R. R.* 3, 5. Inter eas piscinas accessus semita in tholum, qui est ultra, rotundus, columnatus, ut est in aede Catuli, si pro parietibus feceris columnas. *Mart.* 2, 59. Ex me Caesareum prospicis ecce tholum. *Ov. Fast.* 6, 295. Esse diu stultus Vestae simulacra putavi: Mox didici, curvo nulla subesse tholo. ℙ Tholum macelli *Varro* memorat ap. *Non.* 6, 2. significans in macello domum fuisse tholo tectam. Verba *Varronis* sunt: Et pater Divum trisulcum fulmen igni fervido actutum mittat in tholum macelli. Est qui leg. *Marcelli.*

THŌMIX, icis, f. *Θώμιξ*. *Festus:* Thumices Graeco nomine appellantur cannabi impoliti, et sparto leviter tortae restes, ex quibus funes fiunt. Lucilius: Vidimus vinctum thomice cannabina. Opilius Aurelius ait, mollem pulvillum, quem in collo habent (*jumenta*), restis ne laedat, thomicem vocari. Haec *Festus.* ℙ Hujusmodi funes *tumiclas* appellare videtur *Appul. Met.* 8.

*THORA, Samariae opp. *Tab. Peut. B. A.*

THORĀCĀTUS, a, um, adj. *Θωρακοφόρος*, thorace indutus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Parrhasius pinxit navarchum thoracatum. *Id.* 37, 9, 37. Formatamque inde effigiem Neronis thoracatam.

[THORĀCIUM, ii, n. *Θωράκιον*, dimin. thoracis. *Ampel.* 8. Sicyone in Achaia sunt posita Ulyssis chlamys et thoracium. *F.*]

[*THORACOMACHUS, i, m. *Θωρακόμαχος*, vestimenti genus militaris ap. *Vet. Auct.* de rebus bellicis (sub Notitia utriusque imperii) p. 18. *Labb. Bail.*]

THORAX, acis, m. *Θώραξ*, pectus, totum illud corporis spatium, quod duodecim costis utrinque circumscribitur, et pertinet anteriore quidem parte ad pectorale os, et septum transversum, declinat vero posteriore ad spinam duodecim vertebris circumscriptam. *Plin.* 27, 7, 28. Absinthium thoracem purgat cum iride sumptum. *Cels.* 5, 25. *n.* 8. Ad thoracis dolores catapotium. ℙ Accipitur item pro quovis munimento pectus tegente, sive illud laneum sit, sive ferreum, sive ex alia materia confectum, lorica. *Mart.* 7, 1. Accipe belligerae crudum thoraca Minervae. *Val. Fl.* 3, 87. densis thoracibus horrens Stat manus. *Virg. A.* 10, 337. thoraca simul cum pectore rupit. *Suet. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, et subuculae thorace laneo, et femoralibus, et tibialibus muniebatur. Sic *Liv.* 4, 20. In thorace linteo scriptum. *Claud. in Ruf.* 2, 260. Thoracum validos pulsant suspiria nexus. ℙ [Est etiam imago alicujus usque ad thoracem expressa, Itali *busto* dicunt. *Treb. Claud. Goth.* 3. Illi clypeum aureum, senatus totius judicio, in Romana curia collocatum est, ut etiam nunc videtur; expressa thorace vultus ejus imago. *Vitr. Compend.* 2. Ut est in Urbe Triton aeneus cum totidem thoracibus ventorum factus ad templi Androgei Cyrenensis similitudinem. *F.*]

*THORĪCOS vel Thoricus, i, vetus opp. Atticae. *Mela* 2, 3. *med. Plin.* 37, 5. qui *locum* appellat. Cf. *Steph. Byz.* cujus verba sunt: *Θορικὸς, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς.* ℙ Thoricos etiam dictum est Atticae promontorium. *Plin.* 4, 7. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* cum aliis *Doriscum* praebet. *B. A.*

THŌRĪUS, a, um, adj. ut Thoria lex, cujus meminit *Cic. Or.* 2, 70., lata est a Sp. Thorio trib. pleb. ann. U. C. DCXLVI. de re agraria, ut, agris penes pristinos possessores manentibus, vectigal plebi agros non habenti divideretur. Qua lege vitiosa et inutili publicum, ut ait *Cic. Brut.* 36., vestigali levavit.

*THORONOS, i, insula inter Corcyram et littus Italicum sita. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

THOS, ōis, m. *Θώς, ωὸς*, genus luporum. *Plin.* 8, 34, 52. Nam thoes (luporum id genus est procerius longitudine, brevitate crurum dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini) habitum, non colorem, mutant, per hiemes hirti, aestate nudi. *Id.* 10, 74, 95. Dissident thoes, et leones. *Solin.* 30. *med.* Aethiopicis lupis proprium est, quod in saliendo ita nisus habent alitis, ut non magis proficiant cursu, quam meatu. Homines tamen nunquam impetunt. Bruma comati sunt, aestate nudi: thoas vocant. *Grat. Cyn.* 253. Hic et semiferam thoum de sanguine prolem Finxit. ℙ Sunt, qui inter lupos cervarios numerent. *Gloss. Philox.* Lupus cervarius, *Θώς*. Sed *Plinius* de thoe, et lupo cervario distinctis agit locis. Alii pantheris accensent. Sane *Scholiastes Homeri* in 10. et 13. *Iliad. Θῶες* exponit *πανθήρας*, quasi dicas, *minutos pantheras.* [At *Cuvierius* ad locum prius cit. *Plinii* putat, thoem esse lupi genus, quod Galli nunc *chacal*, Itali *lupo dorato* vocant. *F.*]

[*THORYBETHRON, i, n. herba ap. *Plin.* 26, 8. V. *Theribethron. Bail.*]

*THOSPITES, ae, lacus Armeniae majoris, in Mesopotamiae confinio, quem Tigris efficit. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

THOTH, *Θώθ*, nomen Mercurii quinti apud Aegyptios, qui eodem nomine primum anni mensem vocant. Hic Argum interemisse, ob eamque causam in Aegyptum profugisse, atque Aegyptiis leges et litteras tradidisse dicitur; eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur. *Cic. N. D.* 3, 22. et *Lact.* 1, 6.

THOUS, i, m. *Θόος*, nomen canis ap. *Ov. Met.* 3, 220. a *Θέω*, curro, vel a *θοὸς*, velox.

THRĀCĀ, ae, et Graeca positione Thrace, es, f. *Θρᾴκη*, idem quod Thracia. *Virg. A.* 12, 334. gemit ultima pulsu Thraca pedum. *Cic. fr.* (*de rep.* 2, 4.) ap. *Serv. ib.* Colonia vero, quae deducta est a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam: [in *Cod. Vat.* ap. *A. Maium* legitur *Thraciam. F.*] (Adde *Hor. Ep.* 1, 3, 3. et *ib.* 16, 13.) *Ov. Fast.* 5, 257. Jamque gravis Thracen, et laeva Propontidos intrat. *Id. Pont.* 4, 5, 5. Cum gelidam Thracen, et opertum nubibus Haemon, etc. *Hor. Od.* 3, 25, 10. nive candida Thrace. ℙ Adjective. *Val. Fl.* 2, 201.

Athos, et pontus, et ingens Thraca palus, *h. e.* palus Maeotis.

*THRACAS, Italiae opp., i. q. Tarracina. *Oc. Met.* 15, 717. *B. A.*

THRACE. V. in v. praec.

THRACES. V. THRAX.

THRACIA, ae, f. *Romania*, Θρᾴκη, regio ampla Europae. Terminatur a Septentr. Haemo monte, quo a Moesis sejungitur, a Mer. mari Aegaeo, ab Occ. Strymone fl., quo secernitur a Macedonia, ab Or. Ponto Euxino, Bosphoro Thracio, Propontide, et Hellesponto. Dicta est a Thrace Martis filio. Aliqui putant dictam esse ab asperitate, nempe a τραχὺς, asper, durus, agrestis. Est enim regio, ut *Mela* 2, 2. scribit, nec coelo, nec solo tractabilis, et nisi qua mari propior est, infecunda frigidaque. Habet item feros homines, aspero cultu et indecenti: ceterum feroces, immitesque, et ad bella proclives. Quare poetae inter eos habitare Martem, et ab iis praecipue coli dicunt. Montes in ea celebres sunt, Rhodope, Haemus, Pangaeus, Orbelos, sacris Liberi Patris, et coetu Maenadum, Orpheo primum initiante, celebrati: flumina Hebrus, Strymon, Nestos. V. plura ap. *Melam l. c.* et *Plin.* 4, 11, 18. etc. *Ov. Met.* 6, 434. gratata est scilicet illis Thracia. *Lucan.* 2, 162. non Thracia tantum Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni, etc. ℙ *Thracia, gemma quaedam, de qua *Plin.* 37, 10. *B. A.*

[THRACICUS, a, um, adj. idem ac Thracius. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 172. *n.* 332. et *Schiass. Guid. al Mus. Bologn.* p. 56. D. M. Aurelii Galli Trib. Leg. VII. Cl., qui in bello Thracico acie desideratus est, etc. *F.*]

THRACIUS, a, um, adj. Θρᾴκιος, qui est ex Thracia. *Virg. Ecl.* 4, 55. Thracius Orpheus. *Id. A.* 5, 565. equus, *Hor. Od.* 1, 25, 11. ventus. *Ov. Fast.* 2, 226. Rhaetica nunc praebent, Thraciaque arma metum. *Sen. Thyest.* 56. Thracium nefas, *h. e.* quale in Thracia factum est a Progne, Philomela, Tereo. *Id. Herc. Fur.* 149. Thracia pellex, *h. e.* Philomela. *Id. Troad.* 225. Thracii greges, *h. e.* oves in Syron insulam translatae saginae causa. *Stat. Silv.* 3, 3, 193. immitem potuit Styga vincere supplex Thracius, *h. e.* Orpheus supplex apud Inferos pro uxore. ℙ Thraciae nomine aliquando et Thessaliam significari, dictum est in voce THESSALICUS.

THRACUS, a, um. V. THRAX.

THRAECE, pro *Threce*, et Thraecius pro *Threcius* alicubi scriptum reperitur.

[THRAECIDA, ae, m. qui Thraecen occidit: a *Thraex*, et *caedo:* unde adjectivus *Threcidicus*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1759, 8. A. Valerius A. L. Thraecida; et 1570, 8. L. Annii Thraecidae, etc. et 1754, 17. Thraecida P. Nannonii Nepotis servus. *F.*]

THRAEX, aecis, et Threx, ecis, m. Θρᾷξ, et Θρῇξ, idem ac Thrax: et dicitur de gladiatorum genere parmula Thracia, et sica utentium, ut *Festus* docet (apud quem legitur *Thraex* cum diphthongo), vel quia, ut alii volunt, qui primi sic pugnarunt, Thraces erant. *Sen. Q. N.* 4, 1. *med.* Quamvis staturam habeas Threcis cum Threce compositi, *h. e.* staturam humilem: nam Threces in pugna se demittebant, et sub brevi parma se colligebant, ut mirmillonem adversarium, cum quo fere committebantur, subeundo confoderent. [*Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 189. *n.* 434. Dis iniquis qui rapuerunt animulam tam innocuam L. Tetti Alexandri, is V. A. V. D. XI. (*h. e.* vixit annis quinque, diebus undecim) Threption Caes. N. doctor Thraecum fecit. *Alia* ap. *Mur.* 1751, 4. Telephus Samnes (lege *Samnis*) natione, Thraex. Hujusmodi gladiatoris armaturam videsis ap. *Grut.* p. 335., et paulo melius ap. *Fabrett. Col. Traj.* p. 256., ubi M. Antonius Exochus Threx, natione Alexandrinus, dextra cestum, sinistra palmam tenet, ad latus dextrum harpen, et spicas, symbolum nempe urbis Alexandrinae, et coronam lemniscatam habet, ad sinistrum vero latus gryphus est pileum, libertatis insigne, ferens. Similis etiam est Trecis figura ap. *Maff. Mus. Ver.* p. 444. *n.* 2., ubi Priscus Threx dextra cestum et harpen, sinistra parmam tenet, ad pedes vero pileum libertatis. *F.*]

THRANIS, is, m. Θράνις, piscis cetacei generis, quem alii xiphiam vocant. *Plin.* 32, 11, 53.

THRASCIAS, ae. m. Θρασκίας, et Θρακίας in marmore ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 177. Θρακίας, Circius, Italice *maestro tramontana*, ventus flans inter septentrionem, et occasum solstitialem. *Plin.* 2, 47, 46. et *Vitr.* 1, 6. *med.* Caret autem Latino nomine, ut notat *Sen. Q. N.* 5, 16. *f.*, ab aliquibus tamen *Circius* vocatur, ut supra vidimus. *Cf. *Veg. de re milit.* 4, 38. Septentrionalem vero cardinem sortitus est Aparctias sive septentrio, cui adhaeret a dextra Θρασκίας sive Circius.' *Agathem. de Geogr.* 2, 12. Πάλιν δὲ Ἀπαρκτίου ὡς πρὸς δύσεις Θρασκίαν ἢ Μέσην; et *mox:* Θρασκίας δὲ [διάμεσός ἐστι καὶ ἀντικνέων] Εὐρονότῳ. *B. A.*

[THRASEA, ae, m. Θρασέας (a Θράσος, audacia), cogn. R.; fuit enim P. Fannius Thrasea Paetus Patavinus, philosophus Stoicus, et senator Romanus, qui a Nerone mori jussus venas utriusque brachii sibi excidendas porrexit. Hujus viri mentio est ap. *Tac. A.* 16, 21. et 33. et al. *Juven.* 5, 36. Quale (*vinum*) coronati Thrasea, Helvidiusque bibebant Brutorum et Cassi natalibus. *F.*]

THRASIMENUS. V. TRASIMENUS.

[THRASIUS, ii, m. Θράσιος, nomen viri, qui cum ad exorandas a Jove pluvias Busirin docuisset hospites immolare, omnium primus mactatus est. *Ov. A. Am.* 1, 649. Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari Hospitis effuso sanguine posse Jovem, Illi Busiris, fi s Jovis hostia primus, Inquit, et Aegypto tu dabis, hospes, aquam. *F.*]

THRASO, onis, m. Θράσων, nomen gloriosi militis ap. *Ter. Eun.* a Θράσος, insolentia, jactantia, audacia. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 195, 2. M. Caesius M. F. Thraso. *F.* ℙ *Fuit et Thraso, Hieronymi tyranni Siculi amicus. *Liv.* 24, 5. ℙ et nomen statuarii nobilis. *Plin.* 34, 8. ℙ Thrasonem Tyndaritanum meminit *Cic. Verr.* 2, 2, 22. *B. A.*]

THRASONIANUS, a, um, adj. ad Thrasonem pertinens, *Sidon. ep.* 1, 9. *f.* Volo paginam glorioso, id est quasi Thrasoniano fine concludere, Plautini Pyrgopolynicis imitator.

[THRASYBULUS, i, m. Θρασύβουλος, Atheniensis exsul, comparato exercitu, triginta tyrannorum dominationem Athenis sustulit, juvante Lysandro Lacedaemoniorum duce, exsulesque reduxit. Insuper plebiscitum tulit, quod ἀμνηστίαν, sive *legem oblivionis* vocant, quo injuriarum memoria deleretur. V. AMNESTIA. Ejus vitam scripsit *Cornel. Nepos*, quem consule. *F.*]

*THRASYMACHUS, i, m. Θρασύμαχος, Chalcedonius, sophista celeberrimus, primus cum Gorgia arte quadam verba vinxit. Scripsit etiam de rerum natura. *Cic. Or.* 3, 16. et 32. *Id. Or.* 12. *Quint.* 3, 1. et 3. *B. A.*

*THRAUSI, orum, populi Thraciae. *Liv.* 38, 41. *B. A.*

THRAUSTON, Θραυστὸν. V. PHYRAMA.

THRAX, ācis, m. adj. Θρᾷξ, ᾳκὸς, qui est ex Thracia. *Hor. Od.* 2, 19, 16. Lycurgi Thracis exitium. *Virg. A.* 3, 13. Terra procul vastis colitur Mavortia campis: Thraces arant. *Hor. Od.* 1, 27, 1. scyphis pugnare Thracum est. *Claud. in Ruf.* 1, 338. Et Thracas defende tuos. *Sen. Herc. Fur.* 1170. et *Oet.* 1790. Thrax cruentus, *h. e.* Diomedes Thracius, qui hospites equis suis discerpendos dabat. ℙ Fuerunt Thraces gladiatorum genus, de quib. V. THRAEX. *Plin.* 11, 43, 99. Studioso Thraci in C. Caesaris ludo notum est dextram fuisse proceriorem. Alii leg. *Threci. Hor. Sat.* 2, 6, 44. Thrax est Gallina Syro par. Alii leg. *Threx.* ℙ *Thracus* pro *Thrax. Gell.* 19, 12. Quod cuipiam Thraco insipienti usurenisse, fabula est. Homo Thracus, inquit, ex ultima Barbaria, etc. *Val. Fl.* 2, 201. Thraca palus. Rursus *Gell.* 10, 25. Rumpia genus teli est Thracae nationis.

THRECE, es, f. Thrace, Thracia, Graeca positione, Θρῄκη. *Ov. A. Am.* 2, 588. Mars Threcen occupat, illa (*Venus*) Paphon.

[THRECICUS et Thracicus, a, um, adj. idem ac Thracius. *Capitol. Maxim. sex.* 2. Hic adolescens et semibarbarus, et vix adhuc Latinae linguae (*sciens*), prope Threcica (*lingua*) imperatorem publice petiit, ut sibi etc. *Jornand. de reb. Get.* 15. Maximinus barbara lingua petit ab imperatore, ut sibi, etc. et *mox:* Numquid vis post cursum, Thracice, luctari? Fortasse legendum *Thracisce. F.*]

THRECIDICUS, a, um, adj. ad Threces gladiatores pertinens: de quibus V. THRAEX. *Cic. Phil.* 7, 6. Mirmillo in Asia depugnavit: cum ornasset Threcidicis (*armis*) comitem et familiarem suum, illum miserum fugientem jugulavit. *Auson. Caesar. n.* 18. Threcidico princeps (*Commodus*) bella movens gladio. Alii male leg. *Threicio. Plin.* 33, 9, 45. Parma Threcidica.

THRECISCUS, i, m. idem ac Thrax. *Capitol. Maxim.* 3. Quid vis, Threcisce? [Numquid delectat luctari post cursum? V. THRECICUS. *F.*]

THRECIUS, a, um, adj. Θρῇκιος, Thracius. *Ov. Am.* 1, 14, 21. Tum quoque erat neglecta decens, ut Threcia Bacche. V. *Cic. l. c.* in v. sq.

THREICIUS, a, um, adj. Θρηΐκιος Ionice pro Θρῇκιος, Thracius. *Cic. Off.* 2, 7. *med.* Barbarus compunctus notis Threiciis, *h. e.* servus olim ob fugam, aliudve crimen stigmatis signatus, more Thracum, qui punctis et sanguine brachia pingebant. Alii leg. *Threciis.* [**Orell.* cum recentt. habet *Thraciis. Cod. Basil.* exhibet *Thraeciis*, quam scripturam minime aspernandam censet.] *Virg. A.* 11, 659. Threiciae Amazones. *Id. ib.* 6, 120. Orpheus Threicia fretus cithara, fidibusque canoris; et *ib.* 645. Threicius sacerdos, *h. e.* Orpheus, qui *Ov. Met.* 11, 2. est Threicius vates. *Prop.* 3, 1, 42. Threicia lyra, *h. e.* Orphei. *Virg. A.* 7, 208. Threicia Samos. V. SAMOTHRACIA. *Id. ib.* 5, 312. Threiciae sagittae. *Ov. A. Am.* 2, 431. Threicius Boreas; et *ib.* 3, 182. Threicia gruis. *Id. Her.* 9, 89. Threicii penates, *h. e.* Diomedis regis Thraciae, qui hospitum corporibus equos pavit. *Lucan.* 7, 833. Threiciae hiemes; et 9, 954. Threiciae fauces, *h. e.* fretum Hellesponti. *Sil.* 12, 525. Threicia Cales. V. CALENUM. *Sen. Oed.* 434. Threicius Pindi vertex, *h. e.* Thessalicus. Pindus enim in Thessalia est, quae regio interdum Thraciae nomine venit apud poetas, ut in voce THESSALICUS admonuimus.

THREISSA et Thressa, ae, f. adj. quae est ex Thracia, Threicia: ut *Libyssa* Libyca, *Cressa* Cretensis, Θρηΐσσα, et Θρῇσσα. *Virg. A.* 1, 320. qualis equos Threissa fatigat Harpalyce. *Val. Fl.* 2, 147. thalamisque tuis Threissa propinquat. *Ov. Her.* 19, 100. Ducar Abydeno Thressa puella toro. Alii aliter leg. *Val. Fl.* 2, 132. carasque toris inducere Thressas; et *ib.* 165. Ipsi urbem, Thressaeque regant. Adde *ib.* 239.

THRENUS, i, m. Θρῆνος, lamentatio, luctus funebris: a Θρέω, clamo. *Auson. Profess. n.* 7, 3. Annuum functi memora Leonti Nomine threnum; et *n.* 14, 5. tristis threnus; et *n.* 5, 3. flebilis; et *n.* 21. moestus.

[THREPTION, onis, m. dimin. threpti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 321, 11. C. Veratius Threption. *F.*]

[THREPTUS, i, m. et Threpte, es, f. alumnus, altellus, et alumna, altella. V. ALUMNUS. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 268. C. Tinejus C. F. Threptus. *Alia* ap. *Grut.* 311, 7. D. M. Teiae Threptes, etc. *F.*]

THREX. V. THRAEX.

*THRIASII, orum, Thriuntis incolae. Fuit autem Thrius, Θριοῦς, opp. Peloponnesi, in Elide. *Plin.* 4, 6. ubi legendum videtur *Thriusii*, quod probat *Hard. Steph. Byz.* in Θριοῦς· Τὸ ἐθνικὸν Θριούντιος καὶ Θριούσιος. *B. A.*

*THRIASIUS campus, Θριάσιον πέδιον, in Attica erat. *Plin.* 4, 7. ℙ Oppidi nomen, unde nomen accepit, Thria, Θρία, teste *Steph. Byz. B. A.*

THRIDAX, ācis, f. θριδαξ, lactuca silvestris. *Seren. Sammon.* 24, 448. thridaci junges ramenta carinae. [Adde *Appul. Herb.* 30. *F.*]

*THRION ab Atheniensibus jucundum quoddam edulium vocabatur, quod frondibus ficulnis, quae Θρία Graece vocantur, involvebatur. *Varr. L. L.* 4, 22. (p. 31. ed. *Bipont.*) A globo farinae dilatato item in oleo cocti, dicti a globo, ut thrion et placenta. Cf. *Schol.* ad *Aristoph. Acharn.* 1100. *Polluc.* 6, 8. Sunt et τρια Graecis lagana, si qui fortasse hoc loco ita legendum putet. *Turn. Adv.* 22, 2. Sed alia omnia *Scal. B. A.*

THRIPES, um, m. plur. Θρῖπες, a τρίβω, tero: sunt vermes culicibus similes, arborum ligna perforantes et erodentes. *Plin.* 16, 41, 80. ℙ Translate dicuntur de rebus minimis in quocumque genere: et pro quisquiliis Divorum ap. *Capell.* 2, 40.

THROCUM, i, n. genus sellae ap. Plaut. *Festus:* ubi alii rectius leg. *thocum* a θώκος, sedes, cathedra: alii *thronum*.

*THRONIUM vel Thronion, i, n. Θρόνιον, oppid. Locridis, ad Boagrium flumen, non procul a sinu Maliaco. *Plin.* 4, 7. *Liv.* 32, 36. 33, 3. 25, 37. et 36, 20. *B. A.*

THRONUS, i, m. Θρόνος, sella augusta, sedes, solium: quasi Θράνος, a θράω, sedeo. *Vet. Poeta* ap. *Suet. Aug.* 70. Omnia se a terris tunc numina declinarunt: Fugit et auratos Juppiter ipse thronos. Alii rectius leg. *toros. Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. Juppiter in throno, adstantibus Diis. *Id.* 2, 70, 70. Item quem sub divo Augusto cognominavere Caesaris thronon, *h. e.* sidus quoddam. *Auct. Pervig. Ven.* 7. Cras Dione jura dicet fulta sublimi throno. *Prud. Hamart. praef.* 10. Vox ecce summo missa persultat throno, *h. e.* summo coelo, ubi thronus Dei est.

THRYALLIS, idis, f. Θρυαλλὶς, herba e spicatarum genere. *Plin.* 21, 17, 61. ℙ Alia, quae et lychnitis dicitur, habet folia terna, aut, cum plurimum, quaterna, crassa et pinguia, et ad lucernarum lumina apta. *Plin.* 25, 10, 74.

*THRYUM, i, n. Θρύον, oppidum Peloponnesi, in Messenia. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

*THUBUSCUM, i, n. oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Tac. A.* 4, 24. ℙ I. fortasse q. Tubusuptus. *B. A.*

THUCYDIDIUS, a, um, adj. Θουκυδίδειος, ad Thucydidem pertinens, qui fuit historicus Atheniensis, summo ingenio, et maxima in enarrandis rebus eloquentia cum brevitate conjuncta: sed ad forensem orationem minime apta. Thucydidii dicti sunt, qui in dicendo eum sequuntur. *Cic. Or.* 9. Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur: novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Nam Thucydides res gestas et bella narrat et proelia, graviter sane et probe: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum. Ipsae illae conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur: quod est in oratione civili vitium vel maximum. Haec *Cic.*

[THUGGENSIS, e, adj. ad Thuggam pertinens, Africae urbem in provincia Zeugitana mediterranea, nunc *Dugga:* cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Donat.* 342, 6. Municipium liberum Thugga: et Civitas Thugga. Alia *ib.* Perpetuus sacerdos pagi Thuggensis. Hinc corrigendus *Plinius*, qui inter oppida libera recenset 5, 4, 4. Theudense, Tegestense, Tigense. Lege *Thuggense. F.*]

THULE et Thyle, es, f. Θουλη et Θυλη, ultima insularum ad Borealem Europae plagam sitarum,

quae quidem Romanis cognitae fuerint. Unde *Virg. G.* 1, 30. tibi serviat ultima Thule. *Pytheas Massiliensis* ap. *Plin.* 2, 75, 77. et 4, 16, 30. et 6, 34, 39. scripsit, distare eam navigatione sex dierum in septentrionem a Britannia: ibique accedente sole ad verticem mundi, continuos dies senis mensibus esse; noctesque e diverso, ad brumam remoto. Paulo aliter *Mela* 3, 6. *f.* In Thule breves utique noctes sunt, sed per hiemem, sicut aliubi, obscurae, aestate lucidae, quod per id tempus jam se altius sol evehens, quamquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium vero nullae, quod tum jam manifestior non fulgorem modo, sed sui quoque partem maxime ostentat. *Solin.* 22. *med.* Multae circum Britanniam insulae, e quibus Thyle ultima: in qua aestivo solstitio sole de Cancri sidere faciente transitum, nox paene nulla: brumali solstitio dies adeo conductus, ut ortus junctus sit occasui: et *paulo post:* Thyle larga et diutina pomona copiosa est: et *mox:* Ultra Thylen pigrum et concretum mare. *Tac. Agr.* 10. Dispecta est et Thyle, quam hactenus nix et hiems abdebat: sed mare pigrum et grave navigantibus perhibent. *Claud. III. cons. Honor.* 53. ratibusque impervia Thule. *Stat. Silv.* 4, 4, 62. nigrae litora Thules: *nigram* vocat, quia creditum est, tractu illo coelum esse caliginosum, ut apud Cimmerios. Sic *ib.* 3, 5, 20. Vel super Hesperiae vada caligantia Thules. ℙ Hactenus antiquorum sententiae. Quem autem locum eo nomine designaverint, utrum *Island;* an *Scandinaviam,* quae peninsula est, et a veteribus habita pro insula; an *Schetland,* quae incolis *Thilensell* est; an *Tilemarck* Norvegiae tractum, variae sunt geographorum opiniones. Pro *Schetlandia* stat *Cellar. l.* 2. *Geograph. antiq. c.* 4., aut pro aliqua ex insulis *del Fero,* vel *Faro,* quae in eadem fere latitudine sunt: alii multi pro *Island.* ℙ Qui scribunt *Thule,* deducunt vel a Thulo rege, ut *Suidas;* vel a *θολὸς,* fuscus color, caligo. Sunt etiam qui a *τῆλε,* procul. *Salmas.* in *Solin.* negat, *Thyle* unquam scribi debere. Sunt tamen opt. Codices *Taciti, Solini, Arnob.* qui id habent.

*THUMATA, ae, f. Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

THUNNUS. V. THYNNUS.

[THUNUSIDENSIS, e, adj. ad Thunusidam, seu Thunusdam (ut scribit *Ptolem.* 4, 3.) pertinens, urbem episcopalem Numidiae inter Hipponam et Tabracam. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida civium R. Thunusidense, Tuburnicense, etc.

THURARIUS, Thurureus, Thuribulum, etc. V. TURARIUS etc.

[THURIAS, ātis, adj. omn. gen. idem ac *Thurinus. Thuriates, ium,* absolute, sunt incolae urbis Thuriorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 1. Thempsani, Locrenses, Thuriates. *F.*]

THURINUS, a, um, adj. ad Thurios pertinens, quod est oppidum Magnae Graeciae, a Philoctete conditum inter duo flumina Crathin et Sybarin, non longe a loco, ubi Sybaris fuit, urbs quondam deliciis infamis. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Thurina vina laudat. Memorat etiam *ib.* 3, 4. *n.* 7. Thurinos colles, in quibus uvae non ante demetuntur, quam gelaverit; et 16, 21, 23. Thurinum agrum, quo coloniam deductam docet *Liv.* 34, 53. ℙ *Thurinus sinus* pars est Tarentini, ad meridiem, ubi Thurii fuere. *Ov. Met.* 15, 51. Praeterit et Sybarin, Salentinumque Neaethum, Thurinosque sinus. ℙ *Thurini, orum,* ejus agri et oppidi homines. *Plin.* 34, 6, 15. et *Liv.* 25, 1. ℙ *Thurinus* cognominatus est Augustus adhuc infans in memoriam majorum originis, quia proavus ejus e pago Thurino fuit; vel quod in regione Thurina recens eo nato, pater ejus adversus fugitivos prospere rem gesserat. V. *Suet. Aug.* 2. *extr.* et *ib.* 7. ℙ *Melae* 2, 4. *med.* est *Thurium, ii,* n. ℙ Sunt qui scribunt *Turii, Turinus,* sine adspiratione.

THUS. V. TUS.

THUSCANICUS, Thusci, etc. V. TUSCANICUS, etc.

THUSSAGETAE. V. THYRSAGETAE.

THYA, ae, f. *θύα* et *θυία, θύον* et *θύϊον,* arbor odorata, radicem habens admodum crispam, multis operibus utilem, in Cyrenaica interiore nascens, et circa Ammonis delubrum. Theophrastus magnum huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quamdamque immortalitatem materiae in tectis contra vitia incorruptae. (V. CITRUS.) *Plin.* 13, 16, 30. Hinc *Prop.* 3, 5, 63. Sed thyae thalamo, aut Oriciae terebinthi Effultus pluma versicolore caput. ℙ Fuit etiam Thya Hyperionis conjux, mater Solis. Hinc *progenies Thyae* ap. *Catull.* 66, 44. est ipse Sol. [Alii rectius leg. *Thiae. F.*]

THYADES, um, f. plur. *θυάδες,* mulieres Bacchi sacrificulae, Bacchae, Maenades, Bassarides: a *θύω,* sacrifico: unde et Bacchus Thyoneus dictus est. Quidam rationem nominis referunt ad Thyam Cephisi filiam, quae prima omnium Bacchi sacris initiata, Orgia ejus celebraverit. *Hor. Od.* 2, 19, 9. Fas pervicaces sit mihi Thyadas Cantare. *Ov. Fast.* 6, 513. complent ululatibus auras Thyades, effusis per sua colla comis. *Stat. Th.* 12, 791. quales Bacchea ad bella vocatae Thyades amentes, magnum quas poscere credas, Aut fecisse nefas. *Catull.* 64, 390. Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo Thyadas effusis euantes crinibus egit. *Sen. Oed.* 442. Thyades oestro membra remissae. ℙ In sing. num. *Virg. A.* 4, 301. qualis commotis excita sacris Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia. *Stat. Th,* 5, 92. insano veluti Theumesia Thyas Rapta Deo, cum sacra vocant. ℙ *Vel. Long.* in *Orthogr.* p. 2220. et *Pierius* in loco *Virgilii* reperit *Thyias* in Codice Mediceo. Sic *Hesych. Θυΐας, Βακχίς.*

*THYAMIS, is, m. *Θύαμις,* Epiri fluvius, in Thesprotia. *Cic. Att.* 7, 2. *med.* Adde *Plin.* 4, 1. ℙ *Thyamis* restitui *Cic. de Leg.* 2, 3. *med.* vult *Turnebus,* ubi vulgo legitur *Thebanus. B. A.*

THYANAEUS. V. TYANAEUS.

THYAS, ădis, f. V. in THYADES.

THYATIRENUS, a, um, adj. ad Thyatiram (*Θυάτιρα*) pertinens, Lydiae urbem, quae Lyco amni alluitur, ut *Plin.* 5, 29, 31. docet. *Thyatireni, orum,* ejus incolae. *Id. ib.* 30, 33.

THYBRIS. V. TIBERIS.

*THYDONOS, i, Cariae oppidum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

THYENE. V. DODONIS.

THYESTES, ae, m. *Θυέστης,* filius Pelopis et Hippodamiae, nepos Tantali, frater Atrei, qui cum fratri, cui pessime cupiebat, aliter nocere non posset, uxorem ejus per adulterium polluit. Propter hujusmodi flagitium Atreus eum in exsilium ejecit, deinde revocavit ab exsilio, ejusque filios illi epulandos apposuit. Tunc sol retro fugisse fertur, ne scelera illa cernens pollueretur. V. ATREUS. Thyestes Apollinem consuluit, quanam ratione fratrem ulcisci posset: qui respondit, ex illo, et ejus filia Pelopea exoriri posse eorum scelerum ultorem. Igitur sese cum filia commiscuit, ex eaque Aegisthum procreavit, qui Atreum primo interfecit, deinde cum Clytemnestra adulterium patravit, tandem Agamemnonem sustulit. *Pers.* 5, 8. aut si quibus olla Thyestae Fervebit. *Cic. Tusc.* 3, 12. Tu te, Thyesta, damnabis, etc. *Mart.* 5, 53. quid scribis, amice, Thyesten? *h. e.* tragoediam de Thyeste. *Sen. Thyest.* 271. Dignum est Thyeste facinus. *Lucan.* 7, 451. astra Thyestae Impulit, et subitis damnavit noctibus Argos, *h. e.* retro solem impulit. ℙ Potest esse etiam 3. declinat. *Thyestes, is,* ut fuse docet *Prisc.* 6, 705. V. ORESTES.

THYESTEUS, a, um, adj. *Θυέστειος,* ad Thyesten pertinens. *Lucan.* 1, 544. qualem fugiente per ortus Sole Thyesteae noctem duxere Mycenae. *Ov. Pont.* 4, 6, 47. Utque Thyesteae redeant si tempora mensae, Solis ad Eoas currus agetur aquas. *Id. A. Am.* 1, 327. Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore. V. AEROPE. *Hor. Epod.* 5, 86. Thyesteae preces, *h. e.* ut ait *Cic. Pis.* 19. Thyestea exsecratio. *Sen. Contr.* 1, 1. *med.* Thyesteo more furere.

THYESTIADES, ae, m. *Θυεστιάδης,* filius aut nepos Thyestae. *Ov. A. Am.* 2, 407. Inde Thyestiaden thalamoque animoque recepit, *h. e.* Aegisthum Thyestae filium: de quo et *Claud. VI. cons. Honor.* 113. Ense Thyestiadae poenas exegit Orestes.

THYLE. V. THULE.

[THYMALLUS, i, m. piscis ita dictus, quod spiret thymi floris odorem: a *θύμον,* thymum, et *halo. Ambros. Hexaem.* 5, 2. Neque te inhonoratum nostra prosecutione, thymalle, dimittam, cui a flore nomen inolevit; seu Ticini unda te fluminis, seu amoeni Athesis unda nutrierit, flos es. Adde *Isid. Or.* 12, 6. *med. F.*]

THYMBRA, ae, f. *θύμβρα,* herba est grati odoris, apibus quaesita, et post thymum optima mella reddens, sapore similis saturejae, ut docet *Colum.* 9, 4. et 10, 233. [**Saturei,* Satureja hortensis, *L.*] Graeci hoc nomine cunilam appellant, *Plinio* 19, 8, 50. teste. *Virg. G.* 4, 31. graviter spirantis copia thymbrae: *graviter* hoc loco bene et multum significat, ut *Servius* adscripsit. *Petr. Sat.* 135. Et thymbrae veteres, et passis uva racemis. *Stat. Silv.* 1, 2, 21. artus Floribus innumeris, et olenti spargere thymbra. ℙ *Thymbre* est etiam oppidum Troadis, teste *Plin.* 5, 30, 35., dictum a copia thymbrae in ejus agro nascentis. Unde

THYMBRAEUS, a, um, adj. *Θυμβραῖος,* ad Thymbram oppidum, et agrum, et montem pertinens Apollo, quia ibi templum habuit, in quo Achilles a Paride interfectus est (unde fabulati sunt, Apollinis sagitta vulneratum fuisse) *Thymbraeus* cognominatus est. Ita *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 85. Da propriam, Thymbraee, domum. *Festus:* Thymbraeum Apollinem Virgilius a monte Thymbraeo appellavit, qui est in agro Trojano. Hinc *Thymbrae rector* a *Stat. Silv.* 4, 7, 22. dicitur. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* aliunde ducit. *Θυμβραῖος,* inquit, *Ἀπόλλων ὁ τοὺς ὄμβρους θείς:* quod est Deus imbricitor. ℙ *Thymbraeum* a quibusdam dicitur sisymbrium silvestre. *Plin.* 20, 22, 91.

THYMELAEA, ae, f. *θυμέλαια,* (a *θύμον,* thymum, et *ἐλαία,* olea) quia thymi odorem, et folia oleae similia habet, nomen fruticis, in quo nascitur granum Gnidium; ab aliis chamelaea, ab aliis cneoron dictus, similis oleastro, foliis angustioribus, gummosis, si mordeatur, myrti magnitudine; semine, colore et specie farris, ad medicinae tantum usum. *Plin.* 13, 21, 35. V. CASIA. [*Daphne Gnidium, *L.*]

THYMELE, es, et Thymela, ae, f. *θυμέλη,* Graecis est altare: a *θύω,* sacrifico: et ab ejus similitudine locus editus in orchestra, idest pulpitum illud, in quo musicis instrumentis inserviebatur scenae a citharoedis, et tibicinibus: unde *thymelici.* Quidam putant, hoc sensu dixisse *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 2, 68. Bimari remittat urbe Thymelen, Palenque doctas Citharistrias Corinthus, *h. e.* doctas artem pulsandorum instrumentorum, quibus in thymele utuntur. Verum alii volunt, respici ad Thymelen celebrem saltatricem, aut tibicinam uxorem Latini histrionis, et mimi: de qua *Juven.* 1, 36. et a trepido Thymele submissa Latino; et 8, 197. zelotypus Thymeles: et *Mart.* 1, 5. Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum, Illa fronte, precor, carmina nostra legas. ℙ In *Cod. Theod.* 8, 7, 21. et 22. memorantur actuarii thymelae, *h. e.* rerum scenicarum publicae voluptati inservientium. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 148. Logista thymelae.

THYMELICUS, a, um, adj. *θυμελικός.* Thymelici dicebantur citharoedi, et tibicines, qui in thymele canebant. *Isid. Or.* 18, 47. Thymelici erant musici scenici, qui in organis, et lyris, et citharis praecinebant. Et dicti thymelici, quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur. ℙ Diversi erant a scenicis. *Scenici* enim dicebantur histriones, qui in scena fabulam agebant, *thymelici* vero, qui personam ex fabula non habentes, ante scenam in orchestra musicis instrumentis scenae subserviebant. *Vitr.* 5, 8. Itaque ex eo scenici, et thymelici Graece separatim nominantur. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Neque thymelici, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habentur. ℙ *Thymelicus,* aliquando ponitur generatim pro scenico. *Appul. Apol.* Thymelicum choragium. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 15. *tit.* 7. *qui est* de Scenicis, 5. Quisquis thymelicam ex urbe abduxerit; et *Imppp. Theodos, Arcad. et Honor. ib.* 12. Nulla femina, nec puer thymelici consortio imbuantur. *August. C. D.* 6, 7. *extr.* Thymelica obscenitas. *Inscr.* ap *Grut.* 332, 6. Athenodorus xysticus Paridi thymelico benemerenti fecit. ℙ *Thymelicus pes* pentasyllabus constat longa, tribus brevibus, et longa, ut *constituerant. Diomed.* 3, 479.

THYMIAMA, ātis, n. *θυμίαμα,* genus suffimenti odorati ex variis aromatibus compositum, ut ex stacte, galbano, et ex majori parte ture, quod incenditur ad suffitus: a *θυμάω,* odores incendo. V. AMMONIACUS.

[THYMIAMUS, a, um, adj. qui thymum amat: a *thymum* et *amo.* Ita translate vocantur duo seneciones Attici, qui conveniebant meretrices, a quibus ideo et oves tonsitandae appellantur. Porro Attici thymo praecipue utebantur in cibis condiendis. *Pl. Bacch.* 5, 2, 3. *Bacch.* Quis has huc oves adegit? *Ni.* Oves nos vocant pessumae. *Bacch* Rerin' ter in anno has tonsitari? Vetulae sunt thymiamae. *F.*]

[THYMIATERIUM, ii, n. *θυμιατήριον,* turibulum. *Ambros. ep.* 5. (al. 4.) Cum spiritu adoles aureum illud thymiaterium. Alii leg. *thymiamaterium,* ut etiam in *Jerem.* 52, 19. *F.*]

THYMINUS, a, um, adj. *θυμινὸς,* ex thymo factus. *Colum.* 6, 33. Cum melle acapno, vel, si id non est, utique thymino celeriter levatur.

THYMITES, ae, m. *θυμίτης οἶνος,* vinum thymo conditum. *Colum.* 12, 35. Vinum absynthiten, et hyssopiten, et abrotoniten, et thymiten, et marathriten, et glechoniten sic condire oportet. V. ABROTONITES.

THYMIUM, ii, n. *θύμιον,* species verrucae, de qua V. in ACROCHORDON. *Plin.* 32, 10, 45. Ad thymia crudis maenis utuntur.

*THYMNIAS sinus Cariae adjacebat. *Plin.* 5, 28. *Mela* 1, 16. *B. A.*

*THYMOETES, ae, m. *Θυμοίτης,* Priami filius ex Arisbe (ut quidam volunt), cujus uxor quum filium peperisset eodem die, quo Hecuba Paridem, asserentibus hariolis eo die natum esse puerum, cujus causa Ilium everteretur, jussit Priamus utrumque interfici. Et Paris quidem matris astu clam traditus est educandus: Thymoetis autem puer est interfectus. Cujus injuriae ultione in multos dies dilata, Thymoetes, quum equi lignei dolum sentiret, commodum sibi vindictae tempus oblatum ratus, primus auctor fuit, ut in urbem reciperetur. Haec fere *Servius,* enarrans locum illum *Virg. A.* 2, 32. Primusque Thymoetes Duci intra muros hortatur et arce locari, Sive dolo, seu jam Trojae sic fata ferebant. V. TYMOETES. *B. A.*

[THYMOIDES, is, m. *θυμοειδὴς,* qui vultu iram et animos refert, animosus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1169, 6. L. Furio Thymoite filio suo, etc. Hic *Thymoite* pro *Thymoidi* scribitur vel errore quadratarii, vel vitio pronuntiationis. *F.*]

THYMOSUS, a, um, adj. *θυμώδης,* thymo abundans, vel ex thymo factus. *Plin.* 11, 15, 15. Thymosum mel non coit, et tractu praetenuia fila mittit.

THYMUM, i, n. *θύμον*, frutex humilis, odoratus, apibus gratissimus, et optimum mel faciens. [**Thymian, Quendel.*] *Plin.* 21, 21, 89. Thymum colligi oportet in flore, et in umbra siccari. Duo autem sunt genera ejus: candidum radice lignosa, in collibus nascens: quod et praefertur: alterum nigrius florisque nigri. Haec *Plin.*, qui deinde recenset ejus in medicina utilitates. [**Thymus vulgaris*, et Satureja capitata, *L.*] *Hor. Od.* 4, 2, 27. More apis Matinae Grata carpentis thyma. *Virg. A.* 1, 440. redolentque thymo fragrantia mella. *Id. Ecl.* 7, 37. Galatea thymo mihi dulcior Hyblae. *Ov. Fast.* 5, 271. volucres ego mella daturas Ad violam et cytisos, et thyma cana voco. *Id. A. Am.* 1, 96. apes per flores et thyma summa volant. *Mart.* 11, 42. Et thyma Cecropiae Corsica ponis api, *h. e.* quae amara sunt et venenatum mel creant. ℙ Graece est etiam *θύμος, ὁ:* unde *Aemil. Macer c. de satureja extr.* Si desit thymus, pro thymo ponere thymbram, etc. Non imitandus; quippe qui etiam primam licenter produxit.

THYNĬA, ae, f. regio Bithyniae, in qua Thyni, populi Thraciae sedem habuere. *Catull.* 31, 5. Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos Liquisse campos.

THYNĬACUS, a, um, adj. *Θυνιακός*, ut Thyniacus sinus, a Thynia promontorio et oppido dictus, est in ora occidentali Ponti Euxini, in Astica regione Thraciae. *Ov. Trist.* 1, 10, 35. Thyniacosque sinus, et ab his per Apollinis urbem, etc.

THYNĬAS, ădis, f. *Θυνιάς, άδος.* *Thyniades Nymphae* sunt Bithynae: nam Bithyni a Thynis dicti. V. THYNUS. Porro Bithynia est Phrygiae contermina, cujus provincia est Mysia, ubi Hylas a Nymphis raptus dicitur. Poetae solent regionum nomina saepe confundere, praesertim cum vicinae sunt. Itaque *Prop.* Hylae raptum describens, 1, 20, 34. Grata domus Nymphis humida Thyniasin, pro *Thyniadibus*, dativus pluralis Graecae positionis, ut *Dryasin, Hamadryasin* habetur *ib.* 12. et 32. V. h. v. ℙ *Fuit et Thynias Thynorum oppidum, in Thracia, ad Pontum Euxinum. *Plin.* 4, 11. ℙ et Thraciae promontorium, teste *Mela* 2, 2. ℙ et insula Ponti Euxini. *Plin.* 5, 32. *Mela* 2, 7. Fortasse eadem quae *Apollonia Thynias* audit *Plin.* 6, 12. *B. A.*

[THYNĬCUS, a, um, adj. *Θυνιακός*, ad Thynos pertinens. *Isid. Or.* 19, 32. Thynicus *(anulus)* purus est, primum in Bithynia fabricatus. *Id.* deinde *ib.* affert molles versiculos Maecenatis ad Horatium Flaccum, qui cum mendose legantur in omnib. editionib., lectionem praetulimus *Burmanni*, qui eos ita retulit in *Ant. Lat.* T. 2. p. 412. Lucentes, mea vita, nec smaragdos, Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes, Nec percandida margarita quaero, Nec, quos Thynica lima perpolivit, Anellos, nec iaspios lapillos. *F.*]

THYNNĀRĬUS et Thunnarius, a, um, adj. ad thynnum seu thunnum pertinens. *Ulp. Dig.* 8, 4, 13. Piscationem thynnariam exercere.

THYNNUS et Thunnus, i, m. *θύννος*, ingens piscis marinus ex genere cetario, animal pariens ut balenae, pristes, etc. [**Der Thunfisch*, Scomber Thynnus, *L.*] Intrant thynni e magno mari Pontum verno tempore gregatim, ibique fetificant. Capti membratim caeduntur, cerviceque et abdomine commendantur: cetera parte plenis pulpamentis sale asservantur. V. *Plin.* 9. *c.* 15., ubi plura de his. *Hor. Sat.* 2, 5, 44. Plures adnabunt thunni, et cetaria crescent. *Ov. Hal.* 98. Et pavidi magno fugientes agmine thunni. *Mart.* 10, 48. Et madidum thynni de sale sumen erit, *h. e.* muria thynni saliti. ℙ Adhibetur *thynnus* ad significandum tum marem, tum feminam. *Plin.* 9, 15, 18. V. LUPUS.

*THYNOS, i, oppidum Ciliciae. *Plin.* 5, 27. ubi MSS. habent *Tyros*, notante *Harduino. B. A.*

THYNUS, a, um, adj. *Θῦνος*, pertinens ad Thynos Thraciae populos, qui in Asiam transgressi partem Bithyniae incoluerunt. *Plin.* 4, 11, 18. et 5, 32, 43. *Hor. Od.* 3, 7, 3. Thyna merce beatus juvenis. *Id.* dixit *Ep.* 1, 6, 33. Bithyna negotia. V. BITHYNIA.

[THYON, yi, n. *θύον*, suffimentum. *Plin.* 37, 2, 12. ait, succinum in Italia etiam thyon vocari; quia fortasse eo utebantur ad suffimenta. *F.*]

THYONĒ, es, uxor Nisi, et mater vel nutrix Bacchi, *Θυώνη. Cic. N. D.* 3, 23.

THYONEUS, i, m. trisyllab., *Θυωνεύς*, cognomen Bacchi, a *Θυώνη*, Thyone Bacchi matre vel nutrice. Quidam a *θύω*, sacrifico, deductum putant, quod illi adhuc inter homines versanti sacrificaretur. *Ov. Met.* 4, 13. Additus his Niseus, indetonsusque Thyoneus. *Hor. Od.* 1, 17, 23. Semeleius Thyoneus.

THYONĪĀNUS, i, m. ad Thyoneum pertinens. *Catull.* 27, 5. hinc abite lymphae Vini pernicies, et ad severos Migrate: hic merus est Thyonianus, *h. e.* hoc vinum omnino merum est, et quod Bacchum deceat. Adde *Auson. praef. Idyll.* 13.

[THYONOE, es, f. quae mente sacrificat: a *θύω*, sacrifico, et *νόος*, mens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 7. Lania C. F. Thyonoe. *F.*]

[THYOTES, ae, m. *Θυώτης*, qui sacrificat: a *θύω*, sacrifico. *Val. Fl.* 2, 437. Obvius at Minyas terris adytisque sacerdos Excipit, hospitibus reserans secreta thyotes. *F.*]

[THYRAEUS, i, m. *θυραῖος*, janitor, qui januae praeest: a *θύρα*, janua, ostium. Ita cognominatur Apollo ap. *Tert. Cor. mil.* 13. *f.* Ostiis diabolus affinxit Janum a janua, Limentinum a limine; et apud Graecos Thyraeum Apollinem, et Antelios daemones. *Id. Idol.* 15. Etiam apud Graecos Apollinem *Θυραῖον*, et Antelios daemonas ostiorum praesides legimus. *F.*]

THYRĒ, es, f. *Θύρη*, et *Θούρη*, opp. Messeniorum. Cum de Thyreatis agri finibus bellum esset inter Argivos, et Lacedaemonios, res pugnae CCC. militum utrinque commissa est, quibus omnibus interfectis, Othryades Spartanus, qui solus evaserat, se interemit, et aliis se comitem dedit. *Stat. Th.* 4, 48. Et Lacedaemonium Thyre lectura cruorem.

THYRĒĀTIS, idis, f. *Θυρεᾶτις*, quae est ex Thyre oppido: de quo V. in v. praec. *Ov. Fast.* 2, 663. ad Terminum: Si tu signasses olim Thyreatida terram, Corpora non leto missa trecenta forent. Alii leg. *Thyreida*, a *Thyreis, idis*, quia prima in *Thyre* producitur. Sed quia Graece etiam *Θούρη* scribitur, abjecta praepositiva diphthongi, potest etiam corripi.

THYROMA, ātis, n. porta, *θύρωμα*, ostium, janua: a *θύρα*, quod idem significat. *Vitr.* 4, 6. Genera sunt thyromatum haec: Doricum, Ionicum, Atticurges.

[THYRRENSIS, e, adj. ad Thurrium, seu Thyrreum pertinens, Acarnaniae urbem prope Leucadem, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 187. *ΘΥΡΡΕΙΩΝ* vel *ΘΥΡΡΗΩΝ* legitur. *Liv.* 36, 12. Thyrreum a Medione profectus. Ceterum detecta Medione fraus cautiores, non timidiores Thyrrenses fecit. Alii hic leg. *Thyrienses. F.*]

THYRSĀGĒTAE, (*Θυσσαγέται* ap. *Herodot.* 4, 22. Thussagetae, ap. *Plin.* 4, 12, 26. et 6, 7, 7. Thyssagetae, ap. *Mel.* 1, 19. *f.*) populi Sarmatiae, apud Maeoticam paludem finitimi Gelonis, Turcis, Budinis, Basternis, qui silvas incolunt, victumque sibi venatu comparant. Poetae fabulantur, eos ita appellatos a thyrsis Bacchicis; hinc *Val. Fl.* 6, 134. Non ego sanguineis gestantem tympana bellis Thyrsageten, cinctumque vagis post terga silebo Pellibus, et nexas viridantem floribus hastas. Fama, ducem Jovis, et Cadmi de sanguine Bacchum Hac quoque turiferos, felicia regna, Sabaeos, Hac Arabas fudisse manu: mox rumperet Hebri Cum vada, Thyrsagetas gelida liquisse sub Arcto. Illis omnis adhuc veterum tenor, et sacer aeris Pulsus, et Eoae memoratrix tibia pugnae.

THYRSĬCŬLUS, i, m. parvus thyrsus. *Appul. Herb.* 68. Thyrsiculi purpurei.

[THYRSĬCUS, a, um, adj. ad thyrsum pertinens. *Venant. praef. med.* Quid ibi affabre dictum sit, ubi quis sanus vix creditur, nisi secum pariter insanitur? quo gratulari magis est, si vivere licet, post bibere? de quo convivam thyrsicum, non fatidicum licet exire, sed fatuum. *F.*]

THYRSĪGER, ra, rum, adj. qui thyrsum gerit, Bacchi cognomen. *Sen. Med.* 110. Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei. *Id. Hipp.* 753. Et tu thyrsigera Liber ab India. Adde *Pall. de Insit.* 87.

[THYRSĪTĒNENS, entis, part. ab inus. *thyrsiteneo*, qui thyrsum tenet. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 11. *Burm.* Lenee, vitisator, Bromie, Semeleie Bacche, Thyrsitenens, etc. *F.*]

THYRSUS, i, m. *θύρσος* Graece significat quicquid sic consurgit, ut in gracilitatem attenuetur, ut arbores coniferae, coni piceae, etc. *Hesych. Κῶνοι, οἱ θύρσοι, καὶ οἱ στρόμβυλοι, καὶ οἱ στρόμβοι.* Speciatim dicitur de caule, id est de eo in herbis, quod virgulae in modum, vel teli rectitudinem consurgit. *Serv.* in *A.* 12, 413. Caulem autem medium fruticis, qui vulgo thyrsus dicitur. *Plin.* 19, 8, 39. Inventum omnes thyrsos, vel folia lactucarum prorogare urceis conditos, ac recentes in patinis coquere. *Id.* 25, 8, 41. Cynoglossos, quae tres thyrsos seminis emittit. *Id.* 26, 8, 33. Herba tyrso longo et levi. *Id.* 19, 8, 42. Vivet asparagus thyrso primum emicante, qui caulem educens tempore ipso fastigatus in toros striatur. *Colum.* 10, 370. Et Tartessiacos, Paphiosque revellere thyrsos, *h. e.* lactucae. Adde *Suet. Aug.* 77. ℙ Est praeterea hasta aculeata, hederis et pampinis obtecta, quam Bacchus gestare solitus fuit, et Bacchae in Orgiis quatiebant. Sane *Macr. Sat.* 1, 19. ait, Liberum Patrem tenere thyrsum, quod est latens telum, cujus mucro hedera lambente protegitur. *Hor. Od.* 2, 19, 8. Liber gravi metuende thyrso. *Stat. Th.* 9, 614. Thyrsi teretes. *Sen. Herc. Fur.* 904. Thyrsus virens. *Id. Oed.* 628. thyrsos vibrare; et *Herc. Oet.* 243. quatere. *Auct. Priap.* 20. Sutilibus Liber committit proelia thyrsis. ℙ Translato et obsceno sensu est mentula. *Appul.* in *Apologia.* 17. Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis. ℙ [Metonymice sumitur pro furore, ardore, stimulo, instinctu. *Lucr.* 1, 921. Percussit thyrso laudis spes magna meum cor. *Ov. Trist.* 4, 1, 43. Sic ubi mota calent sacro mea pectora thyrso. ℙ *Thyrsus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 185, 4. et ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2337. T. Flavio C. F. Thyrso, etc. *F.*]

[THYRSŪTUS, a, um, adj. *θυρσωτός*, thyrso praeditus, thyrsi formam habens. *Colum.* 10, 373. jam tamni sponte virentes, Et scilla thyrsuta seges nunc horrida rusco Prodit. Alii aliter leg. V. RUSCUM. *F.*]

THYSDRĪTĀNUS, a, um, adj. ad Thysdrim, vel Thysdrum, aut Thusdrum pertinens, *Θυσδρον*, oppidum Africae in Byzacena regione, prope Syrtim minorem. *Plin.* 7, 4, 3. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicium civem Thysdritanum. Addit *Gell.* hunc ipsum locum describens 9, 4. vivebatque, cum proderem haec. ℙ *Thysdritani, orum*, absolute, sunt incolae illius oppidi ap. *Hirt. B. Afr.* 97.

THYSSĀGĒTAE. V. THYRSAGETAE.

T I

[TĬĀNUS, a, um, adj. ad Tium (*Τίον* et *Τεῖον*) pertinens, maritimam Bithyniae urbem ad Billaeum fluvium, in finibus Paphlagoniae, nunc *Filios*, cujus meminit *Mela* 1, 19. Hinc *Tiani, orum*, absolute, incolae illius urbis. *Plin. ep.* 10, 79. Heracleotarum et Tianorum civitates. *F.*]

TĪĀRĀ, ae, f. et Tiaras, ae, m. *θιάρα, ᾶ*, et *θιάρας, ὁ*, cidaris, ornamentum capitis apud Persas: quorum reges soli recta tiara, et cum acumine utebantur, ut *Hesych.* in *Lex.* et *Sen. Ben.* 6, 31. *extr.* tradunt: ceteri sine apice, et inclinatam. Etiam apud Phrygas fuit ejus usus, sed sacerdotibus praecipue, et regibus, teste *Servio* ad *A.* 7, 247., ubi *Virg.* Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras. *Ov. Met.* 11, 181. de Mida: Tempora purpureis tentat velare tiaris. *Val. Fl.* 6, 699. At viridem gemmis, et Eoae stamine silvae Subligat extrema patrium cervice tiaram. *Juven.* 6, 515. et Phrygia vestitur bucca tiara; et 10, 267. Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara. *Sidon. carn.* 7, 98. Parthicus ultro Restituit mea signa pavor, positoque tiara Funera Crassorum flevit. [*Id. carm.* 23, 250. Tu fluxis equitata Bactra Parthis Constans, intrepidusque sic adires, Ut fastu posito tumentis aulae, Qui supra satrapas sedet tyrannus, Lunatum tibi flecteres tiaram. *F.*] *Hieron.* vulgarem tiaram ita describit *ep.* 64. *n.* 13. Quartum est genus vestimenti rotundum pileolum, quasi sphaera media sit divisa, et pars altera ponatur in capite. Hoc Graeci et nostri *τιάραν*, nonnulli galerum vocant. Non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum, et sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia forinsecus appareant.

*TIARAE, arum, collis nomen imminentis littori Mitylenaeorum. *Plin.* 19, 3. Quibusdam locis adcepta (*tubera*) riguis seruntur, sicut Mitylenis negant nasci, nisi exundatione fluminum, invecto semine a Tiaris. *Theophrast.* ap. *Athen.* — *ἀπὸ Τιαρῶν, τοῦτο δ' ἐστὶ χωρίον, ἐν ᾧ πολλὰ γίνεται..... B. A.*

TĪĀRĀTUS, a, um, adj. tiara ornatus. *Sidon. ep.* 8, 3. *f.* Inter satrapas regum tiaratorum.

[TĪBĒ pro tibi olim scriptum usurpatumque fuit, ut *sibe* pro *sibi*. V. SIBE. *Inscr.* vetustissima P. Scipionis, qui Africani majoris filius, et minoris pater adoptivus fuit, ap. *Visc. Monum. degli Scip. tab.* 5. *litt.* G., Quibus sei in longa licuisset tibe utier vita, etc. *Vatt. R. R.* 3, 16. Cursu lampada tibe trado. Sic aliquot opt. MSS. *F.*]

*TIARE, es, f. oppidum Mysiae. *Plin.* 5, 30. ℙ Hinc *B. A.*

*TIARĒNI, orum, incolae sunt dicti. *Plin. ib.* ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Tyareni. B. A.*

*TIBARĀNI, orum, populi Ciliciae, circa Amanum montem et Pindenissum oppidum. *Cic. Fam.* 15, 4. His (*Eleutherocilicibus*) erant finitimi pari scelere et audacia Tibarani: ab his, Pindenisso capto, obsides adcepi. *B. A.*

*TIBARĀNUS, a, um, adj. *Plin.* 37, 9. Praeferuntur iis Indicae (*chrysolithi* subintellige, vel *gemmae*, V. *Chrysolithus*), et, si variae non sint, Tibaranae. Sic, post *Salmasium*, scripsit *Harduinus*, et quod Ponticas paulo post gemmas ejusdem fere generis *Plinius* commendat; et quod Tibareni, seu Tibarani populi, ad Pontum siti sunt. Vulgo legitur *Bactrianae*. MSS. Reg. et Colb. *Zibaranae. B. A.*

*TIBARĒNI, orum, *Τιβαρηνοί*. populi Scythici, ad Pontum Euxinum, Chalybibus vicini. *Mela* 1, 20. Tibareni Chalybas attingunt, quibus in risu lusuque summum bonum est. Ultra Tibarenos Mossyni turres ligneas subeunt, etc. *Plin.* 6, 4. *Avien. descript. orb. terrar*, v. 947. *Val. Fl.* 5, 148. Cf. *Apoll. Rhod.* 2, 376. *Orph. Argon.* 739. *Xenoph. Exped. Cyri* 5, 5. *in. B. A.*

TIBĒRĒĬUS, a, um, adj. Tiberianus. *Stat. Silv.* 3, 3, 66. Tibereia aula.

*TIBERIĀCUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae. *Anton. Itin. B. A.*

TIBĒRĬĀNUS, a, um, adj. ad Tiberium Imp. Rom. III. pertinens, ut Tiberianus, principatus, et

Tiberiana tempora, ap. *Tert. adv. Marc.* 4, 6. et 7. Tiberiana domus, *Suet. Vit.* 5. *med.* scorta, *Id. ib.* 3. Vetus senatusconsultum Tiberianum, *Sidon. ep.* 1, 7. *f.* V. *Tac. A.* 3, 51. [et *Lipsii* et *Ernesti* adnot. ad hunc locum. *F.*] ℙ Tiberiana etiam dicta sunt quaedam pira, quae maxime Tiberio principi placuere. *Plin.* 15, 15, 16.

*TIBERIAS, adis, f. *Τιβεριάς*, urbs Galilaeae, ab Herode condita, et sic appellata in honorem Tiberii Caesaris. *Plin.* 5, 15. *B. A.*

TIBĔRĪNIS, idis, f. *Τιβερινίς*, quae Tiberim incolit, vel ad Tiberim habitat. *Ov. Fast.* 2, 597. Dixerăt: annuerunt Nymphae Tiberinides omnes, *h. e.* Nymphae Tiberis.

TIBĔRĪNUS, a, um, adj. *Τιβερινός*, ad Tiberim pertinens. *Cic. Manil.* 12. Ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis. *Virg. A.* 1, 17. (et *Ov. Fast.* 4, 329.) Tiberina ostia. *Id. ib.* 11, 449. Tiberinum flumen. *Claud. VI. cons. Hon.* 182. gramen. *Plin.* 34, 6, 11. Tiberinus campus, *h. e.* qui Tiberi alluitur. *Hor. Sat.* 2, 2, 31. lupus, *h. e.* piscis in Tiberi altus. *Claud. II. cons. Stil.* 173. Insula Paeonium texit Tiberina draconem, *h. e.* insula Aesculapii, nata in medio Tiberi ex corbibus farris eo injectis, ut *Liv.* 2, 5. narrat. *Id. ib.* 10. et *Virg. G.* 4, 369. Tiberinus pater, *h. e.* ipse Tiberis Deus habitus, ut cetera flumina. Sic *Virg. A.* 8, 31. Deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno Populeas inter senior se attollere frondes Visus: eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo. In *Inscr.* ap. *Grut.* 178, 6. sub Impp. Dioclet. et Maxim. dicitur *Tiberinus pater aquarum omnium.* Alia Hortana ap. *Fabrett.* p. 432. *n.* 6. Sex. Atusius Sex. Fil. Fabia Roma Priscus Evoc. Aug. primus omnium aram Tiberino posuit, quam caligatus voverat. ℙ Absolute etiam de fluvio. *Virg. A.* 7, 30. fluvio Tiberinus amoeno Vorticibus rapidis, et multa flavus arena In mare prorumpit. *Prop.* 4, 2, 7. Hac quondam Tiberinus iter faciebat. *Ov. Fast.* 6, 105. Adjacet antiqui Tiberino lucus Helerni. *Id. Fast.* 4, 292. Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum Dividit. ℙ Fuit etiam hoc nomine nonus rex Albanorum, Capeti filius, Agrippae pater, qui in trajectu Tiberis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit, cum antea *Albula* diceretur. *Liv.* 1, 3., *Ov. Fast.* 2, 389. et *Met.* 14, 614. et *Varr. L. L.* 4, 5. *extr.* Quare non audiendus *Servius*, qui ad *A.* 8, 330. negat nomen Tiberini amnis a Tiberino rege ortum esse. ℙ *Tibrinus* est a *Tibris*, ut *Tiberinus* a *Tiberis. Claud. Laud. Seren.* 16. rediensque per undas Claudia Tibrinas. *Sidon. carm.* 7, 75. Ganges, Phasis, Araxes, Tanaisque Tibrinum tremuere meum. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 655, 1. et emendatior in *Anth. Lat.* T. 2. p. 197. *Burm.* Ti. Claudius Esquilina Aug. L. Tiberinus. *F.*]

[TIBĔRIOPOLITĀNUS, a, um, adj. ad Tiberiopolin pertinens, Phrygiae majoris urbem, a *Ptol.* 5, 2. memoratam. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 201. Ti. Claudius Artemidori F. Quir. Phoebus Tiberiopolitanus. *F.*]

TIBĔRIS, et per sync. Tibris, is, et idis, m. *Tevere*, *Τίβρις*, fluvius Etruriae (olim *Albula* dictus, postea etiam *Tybris*, ut *Plin.* 3, 5, 4. docet, ubi et ejus cursum describit) qui ex Apennino ortus, aliisque auctus fluminibus Romam interluit, et in mare Tyrrhenum duobus ostiis influit. Nomen habuit a Tiberino rege, ut in voce praec. diximus, vel a Tybri rege Tuscorum, ut est ap. *Virg. A.* 8, 330., vel *ἀπὸ τῆς ὕβρεως*, quia Romae imaginem praebebat illius fossae, quam intra moenia sua Syracusani olim duxerant, Atheniensium devictorum opera usi per vim et injuriam, ut *Serv.* ad *Virg. l. c.* et ad *ib.* 3, 500. fabulatur. Quam ob rem nonnullis *Thybris*, aut *Tybris* scribere placuit. Sed consuetudo Latina Graecas litteras abjicit, ut Lapidib. productis *Manut.* et *Cellar.* ostendunt. Et fortasse nomen regis Etrusci per *thy* scriptum fuit: at nomen fluvii per Latinas litteras Latini scripserunt. *Hor. Od.* 2, 3, 18. villa, flavus quam Tiberis lavit. *Id. Sat.* 2, 1, 7. ter uncti Trananto Tiberim; et *ib.* 3, 291. Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus In Tiberi stabit. *Virg. A.* 2, 782. leni fluit agmine Tibris; et *ib.* 3, 500. Siquando Tibrim, vicinaque Tibridis arva Intraro. *Lucan.* 6, 810. quam Tibridis alluat unda. *Ov. Met.* 15, 432. Apenninigenae quae proxima Tibridis undis. *Claud. in Eutr.* 2, 127. defenso Tibride. ℙ De Deo fluvii praeside. *Virg. A.* 8, 72. Tuque, o Tibri, tuo genitor cum flumine sancto; et *ib.* 10, 421. Da nunc, Tibri pater. ℙ Prosae scriptores integro utuntur: poetae et integro et contracto, praesertim cum de Deo sermo est.

TIBĔRIUS, a, um, V. v. sq.

[TIBĔRIUS, ii, m. *Τιβέριος*, praenomen R., ut Ti. Sempronius Gracchus, de quo *Liv.*, *Cic.* aliique permulti. *Auct. Epit. nom. R.* Tiberii vocitari coeperunt, qui ad Tiberim nascebantur. ℙ Unico hoc praenomine plerumque est appellatus Ti. Claudius Ti. F. Nero, qui Liviae Drusillae matris ejus artibus, cum a priore marito Ti. Claudio Nerone repudiata Augusto nupsisset, a vitrico adoptatus, et imperii R. successor constitutus est, cujus vitam scripsit *Suetonius.* ℙ Adjective usurpavit *Plin.* 36, 7, 11. Sic et (*marmora*) Augustum, ac deinde Tiberium, in Aegypto Augusti ac Tiberii primum principatu reperta; Augustum undatim crispum in vertice, Tiberium sparsa, non convoluta canitie. V. *Isid. Or.* 16, 5. ℙ Licenter secundam syllabam producit *Sidon. carm.* 7, 104. Capreasque Tiberi, Et caligas Caji, Claudi censura secuta est. Recte cum plerisque aliis corripuit *Hor. Sat.* 2, 3, 173. Te, Tiberi, numerare cavis abscondere tristem; et *Phaedr.* 2, 5. Caesar Tiberius cum petens Neapolim. *F.*]

TĪBĬA, ae, f. *κνήμη*, os cruris exterius, ut *Cels.* 8, 1. *f.* docet. *Id. ib.* 11. Cum os scapularum ab humero recedit, et in brachio radius a cubito, et in crure tibia a sura. ℙ Per synecdochen accipitur pro ipso crure. *Phaedr.* 5, 7. concidit casu gravi Nec opinus, et sinistram fregit tibiam. *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Genu, aut tibia, aut talus. ℙ A similitudine ita dicitur musicum instrumentum teres et foraminosum, ex arundine aut buxo, aliove ligno, vel ex cruribus gruum, cervorum, aut asinorum, interdum ex ebore, aere, aliave materia ductili: quod ligula inflatum, et foraminibus modo digito obstructis, modo apertis, jucundum edit sonum, *αὐλός.* Dicitur esse inventum Palladis, quae, cum inflando nimium buccas sibi deformare videretur, abjecit: abjectam sustulit Satyrus, et usurpavit. *Ov. Fast.* 6. a *v.* 696. Hoc idem de Alcibiade narrat *Gell.* 15, 17. Videntur autem Phryges primi adhibuisse in sacris Magnae Deum Matris. Differt a fistula, quae multis calamis constat singula foramina habentibus: tibia uno calamo et foraminibus pluribus. V. *Hor. Od.* 4, 1, 22. Multus fuit ejus usus in scena canendis rebus gestis clarorum virorum, in funeribus, in nuptiis, et in sacris. V. *Ov. Fast.* 6. a *v.* 659. *Hor. A. P.* 202. Tibia non, ut nunc, orichalcho juncta, tubaeque Aemula, sed tenuis, simplexque foramine pauco Adspirare, et adesse choris erat utilis, atque Nondum spissa nimis complere sedilia flatu. *Id. Od.* 3, 19, 18. cur Berecythiae Cessant flamina tibiae? *Id. ib.* 1, 39. Tibiae cantus. *Cic. N. D.* 2, 8. *f.* Tibiae modulate canentes. *Id. Brut.* 51. *f.* Si tibiae inflatae non referant sonum. *Pl. Stich.* 5, 4, 41. Age tibicen, refer ad labias tibias: suffla celeriter tibi buccas. *Nep. Ep.* 2. Cantare carmina tibiis. *Lucr.* 4, 586. tibia digitis pulsata canentum. *Quint.* 1, 10. Duces maximos et fidibus, et tibiis cecinisse, traditum est. *Tibull.* 2, 1, 86. Phrygio tibia curva sono. *Virg. A.* 11, 737. ubi curva choros indixit tibia Bacchi: *curva* dicitur, quia affixum habebat cornu, seu aereum orificium latius in extremo, ut graviorem sonum ederet. Hinc *Stat. Th.* 6, 120. Cum signum luctus cornu grave mugit adunco Tibia, cui teneros suetum producere Manes Lege Phrygum moesta. (*teneros Manes* dicit, quia tibiae cantus primum adhibitus est in funeribus puerorum, postea etiam virorum.) *Ov. Trist.* 51, 48. Tibia funeribus convenit ista meis. [*Plin.* 7, 56, 57. *med.* Obliquam tibiam Midas in Phrygia (*invenit*): geminas tibias Marsyas in eadem gente. *Obliquam tibiam* Graeci *πλαγίαυλον* dicunt. V. PLAGIAULES. *F.*] ℙ Tibiarum aliae fuere dextrae, aliae sinistrae; [seu aliae incentivae, aliae succentivae. *F.*] Illae dextra parte oris et manu dextra a tibicine tenebantur; hae sinistra; et a tibicine modo singulae, modo ambae simul inflabantur, [si tamen fides habenda est *Diomedi*, *F.*] qui 3, 489. docet, si quando monodio agebatur, unam tibiam inflasse artifices; si quando synodio, utramque. *Μονῴδιον* est cum solus agit histrio sine choro; *συνῳδίον*, cum choro aut alia persona. [Sed verosimilius est, eas dextras fuisse appellatas, quae, ut ait *Theophrast. Hist. plant.* 4, 12., fiebant ex arundinis parte, quae *πρὸς τοὺς βλαστούς*, et, ut ait *Plin.* 16, 36, 66., quae cacumen antecedit: has *Herodot.* 1, 17. *αὐλοὺς ἀνθρηίους* vocat, et *Appul. Flor. n.* 3. gravi bombo concinere docet: sinistras vero, quae, ut ait *Theophrast. l. c.*, *πρὸς τῇ ῥίζῃ*, et, ut *Plin. l. c.*, quae radicem antecedit: has vero *Herodot. l. c. αὐλοὺς γυνηκηίους* vocat, et *Appul. l. c.* acuto tinnitu concinere ait. Ex his patet, tibias dextras fuisse, quae gravi sono seria; sinistras, quae acuto festiva argumenta pronuntiabant. Eaedem autem et pares et impares dicebantur: tibicines enim duabus tibiis simul flabant, duabus scilicet dextris, aut duabus sinistris, et tunc paribus tibiis canere dicebantur; cum vero una dextra, et altera sinistra tibia flabant, imparibus: impares porro vocabantur non solum ob sonum diversum, sed etiam quia imparem foraminum numerum habebant; plura enim in sinistra erant, quam in dextra. Hinc in *διδασκαλίᾳ Ter. Andr.* Modos fecit Flaccus Claudii (*servus*, vel *libertus*) tibiis paribus dextris et sinistris, *h. e.* primum duabus paribus dextris, deinde duabus paribus sinistris. Et in *Ter. Heaut.* Acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris. V. plura de hujusmodi tibiarum differentia ap. *Schneid.* in *Ind. Script. R. R.* in V. *Tibia*, qui ibidem docet, *Plinium* perperam vertisse *Theophrasti l. c.*, qui de iisdem tibiis classicus est. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Dextera tibia alia, quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. *Festus:* Dextrarum tibiarum genus est, quae dextra tenentur. *Appul. Flor. n.* 3. Primus Hyagnis manus in canendo discapedinavit, primus duas tibias uno spiritu animavit, primis laevis et dextris foraminibus acuto tinnitu, et gravi bombo concentum musicum miscuit. *F.*] ℙ De tibiis Sarranis. V. SARRANUS. ℙ *Apertae* dicuntur, cum nullo occluso foramine, pleniorem sonum emittunt: unde proverb. ap. *Quint.* 11, 3. *med.* Illa vero jam paene apertis, ut ajunt, tibiis, etc. *h. e.* clariore voce. *Solin.* 5. *med.* tibias memorat praecentorias, vascas, puellatorias, gingrinas, milvinas, Lydias, etc., quae V. suis locis. ℙ *Tibia* dicitur aliquando de carmine, quod cantatur ad tibiam. *Hor. Od.* 1, 12, 1. Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumis celebrare, Clio? *h. e.* celebrandum sumis carmine ad lyram, vel tibiam decantato. ℙ Si *Nonio* credimus, olim masc. gen. usurparunt. *Varr.* ap. *eund.* 3, 256. Quaero meas lubidines ad tibias bilingos. Sed lege *bilingues.*

TIBĬĀLIS, e, adj. ad tibiam instrumentum musicum pertinens. *Plin.* 16, 36, 66. Arundo tibialis calami, quem auleticon dicebant, *h. e.* faciendis tibiis idonei. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 2 *med.* Date ravulos choraulas, Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis. ℙ Item ad crus. Hinc *tibiale*, *is*, n. *περιζηνίς*, tegumentum tibiae seu cruris. *Suet. Aug.* 82. Hieme feminalibus et tibialibus muniebatur. ℙ De ocrea militari. *Paul. Dig.* 49, 16, 14. *med.* Si miles tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet.

TIBĬĀRĬUS, ii, m. qui tibias facit, *αὐλοποιός. Inscr.* ap. *Mur.* 919, 1. P. Curius Eupor. tibiarius de Sacra via.

TIBĬĀTIM, adv. a tibia, qua crus notat. *Titin.* ap. *Fest.* in *Mulleos.* Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas. Ita restituit corruptum locum *Jos. Scal.* V. MULLEUS.

TĪBĪCEN, inis, m. *αὐλητής*, qui tibia canit: ea forma, qua *liticen*, *fidicen*, *carnicen*, *lyricen:* nisi quod paenultimam producit, quia contrahitur ex *tibicen. Ov. Fast.* 6, 657. Temporibus veterum tibicinis usus avorum Magnus, et in magno semper honore fuit. *Cic. Acad.* 4, 7. et 27. Simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. *Id. Leg.* 2, 24. Honoratorum virorum laudes cantu ad tibicinem prosequi. *Id. Agr.* 2, 34. Immolare hostias majores ad praeconem, et ad tibicinem. *Plin.* 28, 2, 3. In precationibus tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur. *Id.* 10, 43, 60. Funus celebrare exsequiis, praecedente tibicine. *Gell.* 1, 11. Tibicines inter exercitum (*Lacedaemoniorum*) positi canere inceptabant. *Id.* 4, 13. Viperarum morsibus tibicinem scite modulateque adhibitum mederi. ℙ [Alii erant tibicines Graeci, quibus lasciva modulatio; alii Latini, quibus gravitas propria erat. *Sen. ep.* 76. *med.* Habet tibicen quoque Graecus et praeco concursum; at in illo loco, in quo vir bonus quaeritur. Adde *Varr. R. R.* 3, 17. *F.*] In illo autem *Cic. Mur.* 12. Transit idem jureconsultus tibicinis Latini modo: unde tu me, inquit, etc., tangitur mos JCtorum, qui tum actori formulas petendi, tum reo exceptionem opponenti dictabant. Nam quemadmodum tibicen in scena cum modos faceret, modo ad hunc, modo ad illum histrionem se convertebat, et cantum tibiae ad utriusque agendi rationem accommodabat; ita JCtus modo actori verba praeibat, quibus peteret; modo ei, unde petebatur, quibus exciperet. ℙ Ex more adhibendi tibicines in exsequiis, factum est proverb. *ad tibicines mittere*, h. e. parare necessaria funeri. *Petr. Sat.* 129. Si idem frigus genua manusque tentaverit tuas, licet ad tibicines mittas, *h. e.* actum est de te: desperata est vita tua. Alii leg. *tubicines:* quia tubae quoque in funeribus locum habuerunt. V. TUBA. ℙ Fuit Romae tibicinum collegium, ut significat *Val. Max.* 2, 5. *n.* 4. *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 10. Collegio tibicinum et fidicinum Romanorum qui S. P. P. S. *h. e.* qui sacris publicis praesto sunt. De eorum quondam secessione et reductione lepidam historiam habes ap. *eund. ib.*, *Liv.* 9, 30. et *Ov. Fast.* 6. a *v.* 657. ℙ Praeterea *tibicen* dicitur lignum stans, columella, pila rusticorum aedificium sustinens: a similitudine, inquit *Festus*, tibiis canentium, qui ut canentes sustinent, ita ille aedificia. *Catull.* 61, 158. Quo tibicine (*domus*) serviat, *h. e.* viro tuo, qui tanquam columen est. *Ov. Fast.* 4, 695. Haec modo verrebat stantem tibicine villam. *Juven.* 3, 193. Nos urbem colimus tenui tibicine fultam Magna parte sui. ℙ Translate. *Arnob.* 2, 92. Post Atlantem gestatorem, bajulum, tibicinem illum, ac destinam coeli.

TĪBĪCĪDA. V. CIBICIDA.

TĪBĪCĪNA, ae, f. *αὐλητρίς*, quae tibia canit. *Mart.* 14, 64. cujus lemma *Tibiae.* Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis: Saepe duas pariter, saepe monaulon habet. *Gell.* 1, 11. Feminas etiam tibicinas in exercitu habuit.

*TIBICINĀTOR, oris, m. *αὐλητής Gloss. Cyrill. B. A.*

TĪBĪCĪNĬUM, ii, n. ars tibicinis. *Appul. Flor. n.*

3. Marsyas cum in artificio patrissaret tibicinii; et *n.* 4. Cum esset in tibicinio apprime nobilis.

TĪBĪCĪNO, as, n. 1. tibiis cano. *Fulg. Myth.* 3, 9. Ordo tibicinantium. ℙ Item tibicine, seu columella fulcio, sustento. *Tert. Anim.* 38. Desiderabit inquilinus profutura domui, toto inquilinatus sui tempore, non ut ipse substruendus, nec ut ipse loricandus, nec ut ipse tibicinandus, sed tantummodo continendus.

*TIBIGENSE oppidum appellatur a *Plin.* 5, 4. quod *Ὀζυρὰ* audit *Ptolemaeo.* Fuit autem in Numidia. *B. A.*

*TĪBĪLIS, opp. Numidiae. *August. ep.* 128. *in.* ℙ Scribitur et *Thibilis.* ℙ Hinc

*TIBILITĀNUS, a, um, adj. ad Tibilim spectans. *August. de civ. Dei* 22, 8. Aquae Tibilitanae. ℙ *Thibilitanae* vocantur in *Tab. Peut. B. A.*

TĪBĪNUS, a, um, adj. a *tibia*, ut Tibini modi, *Varr.* ap. *Non.* 4, 251. et 1, 246.

TĪBĪSĒNUS, a, um, adj. ad Tibisim pertinens, qui est fluvius Scythiae, ex Haemo monte nascens, et septentrionem versus in Istrum influens. *Val. Fl.* 6, 50. viridem Myracen, Tibisenaque juxta Ostia.

*TIBISSUS, i, m. Daciae fluvius, hodie *Theis. Inscr.* ap. *Grut.* p. 448. n. 3. ℙ *Τίβισκος* est *Ptolem. Pathissus* autem *Plin.* 4, 12. *B. A.*

TĪBRĪCOLA, ae, m. et f. Tibrin accolens. *Prud. περὶ στεφ.* 4, 174. Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.

TIBRĪNUS. V. TIBERINUS.

TIBRIS. V. TIBERIS.

TĪBULLUS, i, m. ex gente Albia fuit hoc cognomine poeta elegiacus, cujus annus natalis fuisse videtur U. C. DCXC. aut DCXCV., et eodem fortasse die, quo natus est Ovidius. Parentes habuit ex equestri ordine. Quod ingenio facili, et egregia forma foret, et amplo patrimonio, nobiliores civitatis sibi conciliavit, in quorum numero fuit Messala Corvinus. Familiariter dilexit Horatium, Ovidium, et Macrum poetas. In amores et delicias paulo proclivior fuit. Libros tres, vel quatuor Elegiarum, sive Amorum composuit. Obiit virenti adhuc aetate, dum pergeret cum Messala in Phaeaciam. Eum ut elegantem, ut tersum commendat *Quint* 10, 1., cultum vocat *Ov. Am.* 1, 15, 28. et *ib.* 3, 9., ubi ejus mortem deflet. V. etiam *Hor. Ep.* 1, 4., et *Vell.* 2, 36. ℙ [*Tibullus, a, um,* adj. Hujusmodi cogn. R., nisi obstaret primae syllabae quantitas, videtur esse diminutivum Tiburtis. *Inscr.* ap. *Grut.* 654, 3. Antia Tibulla. *F.*]

TĪBŬLUS, i, f. genus pinus gracile, succinctius, et enode, liburnicarum ad usus, paene sine resina. *Plin.* 16, 10, 17. [*Pinus pinaster, Ait.]

TĪBUR, ŭris, n. *Tivoli*, *Τίβυρις*, oppidum Latii, Roma ipsa vetustius, in confinio Sabinorum, ad Anienem fluvium. Conditum fuit a Catillo, seu Catilo Arcade, vel a Tiiburte, seu Tiburno ejus filio, ut est ap. *Sil.* 8, 366. et *Hor. Od.* 1, 18, 2. In ejus agro fuit maxima pomorum copia, et crebri fontes. *Id. ib.* Circa mite solum Tiburis. *Id. ib.* 4, 2, 30. circa nemus uvidique Tiburis ripas; et *ib.* 3, 10. quae Tibur aquae fertile praefluunt. *Id. ib.* 3, 4, 23. Tibur supinum, *h. e.* in colle situm. *Virg. A.* 7, 630. Atina potens, Tiburque superbum. Ubi *Serv.:* aut nobile: aut tangit illud, quod cum aliquando a senatu auxilia poscerent Tiburtes sub commemoratione beneficiorum, hoc responsum acceperunt: superbi estis. *Mart.* 1, 13. (et 4, 62.) Herculeum Tibur, *h. e.* ubi Hercules praecipue colebatur. (V. HERCULEUS.) *Id. ib.* et 4, 64. *f.* vocat *gelidum,* quia in magnis caloribus jucunda ibi propter crebros fontes mansio erat. Confirmat *Stat. Silv.* 1, 3., ubi multae ejus loci laudes. ℙ Sunt qui scrib. *Tybur,* invito *Dausqu.* et *Lapidib.*

TĪBURNUS, i, m. Deus praeses Tiburis, et ipsum Tibur. *Stat. Silv.* 1, 3, 74. illa recubat Tiburnus in umbra: Illic sulphureos cupit Albula mergere crines. *Hor. Od.* 1, 7, 13. Et praeceps Anio, et Tiburni lacus, et uda Mobilibus pomaria rivis. ℙ Adjective. *Prop.* 3, 21, 23. Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro Tramite. Alii leg. *Tiburte.*

TĪBURS, urtis, et Tiburtis, e, adj. ad Tibur pertinens, Tiburtinus. *Liv.* 8, 12. Pedanos tuebatur Tiburs, Praenestinus, Veliternusque populus. *Inscr.* ap. *Grut.* 254, 2., 446, 3. et 1088, 12. Senatus populusque Tiburs. *Varr. R. R.* 1, 9. *f.* In Tiburti terra. *Hor. Sat.* 1, 6, 108. Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur Te pueri. V. TIBURTINUS. *Glaucia* ap. *Cic. Or.* 2, 65. *extr.* Villam in Tiburte (*subaudi* agro) habes, cortem in Palatio. *Gell.* 19, 5. In Tiburte rus concesseramus; et *mox:* Promit e bibliotheca Tiburti librum. *Liv.* 7, 11. Adversus Tiburtem hostem. *Stat. Silv.* 1, 3, 99. Tiburtes Fauni. *Hor. Sat.* 2, 4, 70. Tiburtia poma. *Virg. A.* 7, 670. moenia. ℙ *Tiburtes, um,* incolae Tiburis. *Plin.* 16, 44, 87. Tiburtes originem multo ante Romam habent. *Liv.* 7, 11. Commeatu ab Tiburtibus adjutus; et *mox:* Tiburtes bello continere. *Virg. A.* 11, 757. praedam Tiburtum ex agmine Tarchon Portat ovans. *Tac. A.* 14, 22. Idque finibus Tiburtum acciderat. *Inscr.* ap. *Grut.* 1088. Saufejae Alexandriae V. V. Tiburtium calatores Tiburtes posuerunt, *h. e.* Virgini Vestali Tiburtium; et 419, 5. Collegium fabrum Tiburtium. *Tiburtium* habet etiam *Front. Aquaed.* 6. et 66.

TĪBURTĪNUS, a, um, adj. ad Tiburtes, et Tibur pertinens. *Prop.* 4, 7, 85. Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra. *Mart.* 7, 28. silva Dianae Tiburtinae, *h. e* silva in agro Tiburtino Dianae sacra; et *ib.* 80. Tiburtinae oves, *h. e.* quae in Tiburte agro pascuntur; et *ib.* 13. Tiburtini soles. *Plin.* 15, 18, 19. Tiburtina ficus de praecocibus. *Sen. ep.* 119. Tiburtinus calix, *h. e.* fictilis Tibure factus. *Mart.* 4, 57. Tiburtina frigora. V. TIBUR *f.* et *Plin.* 36, 6, 5. et *ib.* 22, 48. Tiburtinus lapis: quem *Vitr.* 2, 7. ait, in aedificiis sufferre et ab oneribus, et a tempestatibus injurias, sed ab igni non posse esse tutum, et ab eo tactum dissilire et dissipari. Ejus multus est Romae usus. *Pall.* 1, 10. calcem quoque ex eo structuris utilem coqui, tradit. *Inscr.* ap. *Mur.* 1271, 3. Loco empto, quo Tiburtini (scil. *lapides,* vel *cippi*) positi quatuor demonstrant: in Fr. P. VI. in Agr. P. VIII. *Alia* optimae notae ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 73. ed. Mediol.: Columellam sub horologio Tiburtinam posuerunt. *Alia* ap. *Grut.* 1108, 6. Placuit lapide Tibur. ambos (*defunctos*) in se circumdare, et titulum inscribere D. C. *h. e.* decurionum consensu. ℙ *Tiburtina via* Roma ab Exquilina porta Tibur ducebat. *Plin ep.* 7, 29. ℙ *Tiburtina pila*, locus Romae, de quo V. *Martian.* 5, 9. et 26. Memoratur a *Mart.* 5, 22. ℙ *Tiburtinum, i,* villa in Tiburte. *Cic. Phil.* 5, 7. et *Sen. Ben.* 4, 12.

[TĪBURTĬUS, a, um, adj. idem ac Tiburs, vel Tiburtinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 202. *col.* 1. Nonius Tiburtius. *F.*]

*TĪCER, fluvius Hispaniae Tarraconensis, versus Galliae fines, in mare Mediterraneum cadens. *Mela* 2, 6. ℙ *Tichis* est *Plin.* 3, 3. ℙ Hodie *Ter* vocatur. *B. A.*

*TĪCHĪUS, untis, nomen unius ex Oetae montis cacuminibus, et fortasse castelli super illo siti. *Liv.* 36, 16, 17 et 19. *B. A.*

TĪCHŌBĀTES, ae, m. qui super erectos muros graditur: a *τεῖχος*, murus, et *βαίνω*, gradior, quemadmodum *schoenobates* est qui per funem ambulat. *Vopisc. Carin.* 18. Exhibuit tichobaten, qui per parietem eluso urso cucurrit.

[TĪCĪDA et Ticidas, ae, m. cogn. R. incertae originis et significationis. *Aulus* autem *Ticidas* fuit poeta Latinus, Ciceroni et Caesari aequalis. *Ov. Trist.* 2, 433. Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen, apud quos Rebus abest nomen, nominibusque pudor. Et quorum libris modo dissimulata Perillae Nomine, nunc legitur dicta Metella suo? *Appul. Apol.* Eadem opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominavit; et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit. *Prisc.* 5, 673. Sole quoque vocativo usus A. Ticidas in Hymenaeo: Felix lectule talibus sole amoribus. Ita pro *Atticidas* legendum putat *Vit. M. Giovenazzi* in *Aveja* p. 26. *Suet. Gramm.* 11. Lydiae (scil. *poematis Valerii Catonis, quod Lydia appellatum fuit*) Ticida meminit: Lydia doctorum maxima cura liber. V. PERILLA. Alius fuit L. Ticida, qui C. Julii Caesaris partes est secutus, cujusque mentio est ap. *Hirt. B. Afr.* 44. et 46. *F.*]

TĪCĪNENSIS, e, et

TĪCĪNUS, a, um, adj. ad Ticinum pertinens, Insubriae urbem, nunc *Pavia*, cui nomen dedit Ticinus amnis, nunc etiam *Ticino* dictus, qui eam alluit. Eadem vero urbs, ex probabili conjectura *P. V. Aldini* in *Ant. Lap. Ticin.* p. 53., duplici olim nomine *Papia Ticinum* vocabatur, unde mox, altero compendii causa omisso, prius tantum in usu vulgi remansit. V. PAPIA. Urbis mentio est ap. *Plin.* 3, 17, 21. et *Tac. A.* 3, 5. et *H.* 2, 17. et 68.: fluminis vero ap. *Liv.* 21, 45. et *Plin.* 2, 103, 106. et 3, 16, 20. et *ib.* 17, 21. *Claud. VI. cons. Hon.* 194. frondentibus humida ripis Colla levant pulcher Ticinus et Addua, etc. Adde *Sil.* 4, 81. et 82. et 7, 31., qui ubique primam et secundam producit. *Sidon.* tamen primam corripit *carm.* 7, 552. post damna Ticini. Quod vero legunt aliqui ap. *Sil.* 6, 706. Adde etiam Ticini spumantes sanguine ripas: meliores lib. habent *Addes Ticini*, etc. Hinc *Ticinenses campi* ap. *Aurel. Vict. Epit.* 35. *Sil.* 12, 548. quaeque (*umbrae*) ad Ticina fluenta Oppetiere necem. [*Hujus loci amplificandi atque emendandi curam egregie gessit *F.*]

[TĪFĀTĪNUS, a, um, adj. ad Tifata pertinens, montium seriem in Campania prope Capuam, cujus meminit *Sil.* 12, 486. arduus ipse Tifata insidit; et *Liv.* 26, 5. Annibal in valle occulta post Tifata montem imminentem Capuae consedit. Hinc *Tifatina Diana* est ibi culta, ut *Vell.* 2, 25. narrat. *Inscr.* ap. *Mur.* 446, 4. Imp. Caesar Vespanianus Aug. Cos. VIII. fines locorum dicator. Dianae Tifatinae restituit. *Alia* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 91. C. Vellejo C. F. Pal. Urbano Mag. Fan. Dian. Tif., etc. *h. e.* magistro fani Dianae Tifatinae. *F.*]

TĪFERNĀTES, um, m. plur. incolae Tiferni, duplicis generis: alii cognomine Tiberini, qui incolunt Tifernum, nunc *Citta di Castello*, oppidum Umbriae ad Tiberim fluvium, quorum meminit *Plin.* 3, 14, 19.; alii Metaurenses, quorum urbs Tifernum, nunc *S. Angelo in Vado*, in eadem Umbria versus fontes Metauri amnis. *Id. ib.* ℙ [Aliud porro fuit Tifernum oppidum situm ad fluvium cognominem, nunc *Biferno*, qui ex Tiferno monte, nunc *Matese*, in mare Adriaticum influit. Oppidi mentionem habet *Liv.* 9, 44. et 10, 44., fluvii *Plin.* 3, 11, 16. et *Mela* 2, 4., montis vero *Liv.* 10, 30. Tifernum oppidum fuisse prope pontem *di Limosano* putat *Romanelli Topogr. Napol.* T. 2. p. 477. Ex hoc oppido, monte, et fluvio adjectivus nondum repertus est. *F.*]

*TIGAVAE, arum, opp. Mauretaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. *B. A.*

[TĪGELLĪNUS et Tigillinus, i, m. dimin. tigilli. Est cogn. R, ut C. Sophonius Tigellinus, patre Agrigentino, praefectus praetorio sub Nerone, de quo multa *Tac.* 14, 48. — 57. et *H.* 1, 72., *Juven.* 1, 155. et *Suet. Galb.* 15. *F.*]

[TĪGELLĬUS, ii, m. M. Tigellius Hermogenes, musicae artis scientia praeditus, C. Caesari dictatori fuit familiaris, postea Cleopatrae, quia dulciter cantabat, et jocabatur urbane; Augusto quoque ita placuit, ut inter familiares ac domesticos haberetur. Erat autem largitor adeo, ut omnibus musicis, et circulatoribus multa donaret, et ideo morte ejus tristes esse factos ait Horatius. Porro autem causam insectandi hominis non mediocris ingenii habuit Horatius, quod carmina ejus parum scite modulata esse dicebat. Haec *Porphyr.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 1. Ambubajarum collegia, pharmacopolae, Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli. Fuit autem hic Tigellius et tibicen et cantor, Phameae nepos, natione Sardus, Ciceroni parum aequus; id quod ipse indicat *Fam.* 7, 24. et *Att.* 13, 49. Adde *Hor. Sat.* 1, 3, 4. *F.*]

TĪGILLUM, i, n. *δοκὶς, δοκίδιον*, trabecula, parvum tignum: ut *sigillum* a *signum. Tibull.* 2, 1, 39. Illi (*ruris Dii*) compositis primum docuere tigillis Exiguam viridi fronde operire casam. *Furcas* hoc sensu *Sen. ep.* 90. *med.* dixit. *Catull.* 67, 39. janua suffixa tigillo. *Liv.* 1, 26. *f.* Transmisso per viam tigillo, velut sub jugum misit juvenem. *Juven.* 7, 45. Nemo dabit regum quanti subsellia constent, Et quae conducto pendent anabathra tigillo. *Phaedr.* 1, 2. Parvum tigillum. *Appul. Met.* 9. Vident, e quodam tigillo constrictum, jamque exanimem pendere dominum; et *ib.* 1. Tigillum, quod fenestrae subditum altrinsecus prominebat. ℙ De tigillo sororio, V. SORORIUS. ℙ De quovis ligno. *Pl. Aul.* 2, 4, 21. Clamat, suam rem perisse, de suo tigillo fumus siqua exit foras.

TĪGILLUS, i, m. cogn. Jovis, qui tanquam tigillum mundum continet ac sustinet. Ita *August. C. D.* 7, 11.

[TIGISENSIS, e, et *F.*]

[TIGISĪTĀNUS, a, um, adj. ad Tigin, seu Tigisin pertinens, urbem Mauretaniae Caesariensis, a *Ptolem.* 4, 2. *Τιγὶν*, et in *Itin. Anton.* Tigisin appellatam. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 122. Julio Proculo V. C. patrono Tigisensium. *August. ep.* 68, 43. (al. 162. *n.* 3.) Secundus Tigisitanus, qui tunc agebat in Numidia primatum. *F.*]

TIGNĀRĬUS, a, um, adj. ad tignum pertinens, ut *faber tignarius*, qui tigna dolat, in asseres et tabulas secat, et domorum tecta et contignationes facit, *δοκοτέκτων, δοκοποιὸς*, item universim qui in quocumque crassioris ligni opere artifex est: quorum fuit usus et in militia variis machinis conficiendis. *Cajus. Dig.* 50, 16, 235. Fabros tignarios dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, sed omnes, qui aedificant. *Cic. Brut.* 73. *f.* Atheniensium plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervae signum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 360, 2. habetur: Collegium fabrorum tignariorum Ostiensium; et 194, 2. Colleg. Fabr. tignarior. dendrophorum. Adde 45, 8. et 99, 9. ℙ In prima allata *Inscr.*, itemque 435, 8. et in duab. aliis ap. *Fabrett.* p. 700. *n.* 215. et p. 707. *n.* 288. et in aliis ap. *Don. cl.* 3. *n.* 6. et *cl.* 5. *n.* 60. scriptum est *tignuarius.*

[TIGNOSERRĀRĬUS, ii, m. faber tignarius, qui tigna in asseres et tabulas serra secat. *Inscr.* prope Florentiam reperta, quam refert *Laur. Cantinius* in *Inscr. dell' Accad. Colombaria* T. 1. p. 96. D. M. C. Sevio Dec. Col. Tignos. M. Sevius Fr. D. *h. e.* decurioni collegii tignoserrariorum. Itaque, si fides habenda erudito viro, hic inauditi hactenus collegii mentio est. Is insuper narrat, in agro Florentino parvum quoddam esse flumen, olim *Sevis*, nunc *Sieve* appellatum, quod fortasse propter fundos gentis Seviae transiens, eidem nomen dedisse putat. *F.*]

TIGNUM, i, n. et Tignus, i, m. materies aedificando utilis et opportuna. *Cajus Dig.* 50, 16, 62. Tigni appellatione in lege XII. Tabularum omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur. *Ulp. ib.* 47. *tit.* 3. qui est *De digno juncto*, l. idem docet: et praeterea ea addit: Quidam ajunt, tegulam quoque, et lapidem, caementa, ceteraque, siqua aedificiis sunt utilia, (tigna enim a tegendo dicta sunt) hoc amplius et calcem et arenam appellatione tignorum contineri: sed et in vineis tigni

appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta perticae, pedamenta. Haec *Ulp.*, quae confirmantur a *Festo.* ℙ Praecipue dicitur de trabeculis, palis, asseribus, *δοκὸς, ἰκρίον.* Differt a *trabe*, quae vel proprie significat duo ligna compacta, ut ait *Festus*: vel dicitur de crassiore arboris trunco dolato. *Lucr.* 2, 191. Et cum subsiliunt ignes ad tecta domorum, Et celeri flamma degustant tigna, trabesque; et 6, 240. Disturbare domos, avellere tigna, trabesque. *Caes. B. C.* 2, 9. Supra eum locum duo tigna transversa injecerunt, quibus suspenderent eam contignationem: supraque ea tigna directo transversas trabes injecerunt, easque axibus religaverunt. *Ov. Met.* 8, 617. furca levat ille bicorni Sordida terga suis nigro pendentia tigno. *Lucr.* 5, 1266. levare et radere tigna, Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna bina sesquipedalia in flumen defigere, fistucisque adigere. *Hor. A. P.* 279. modicis instravit pulpita tignis. *Prop.* 4, 6, 50. tigna cava, *h. e.* naves. ℙ In masc. gen. *Liv.* 44, 5. Longi duo validi asseres in terra defigebantur: in eos transversi incumbentes tigni ad tricenos longi pedes injungebantur. ℙ *Tignum junctum* apud JCtos est immissum in parietem alienam. Lex XII. Tabularum neque solvere permittit tignum furtivum aedibus vel vineis junctum, neque vindicare. Quod providenter lex effecit, ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum, qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem. *Ulp. l. c.*

TIGRĪFER, ra, rum, adj. tigres ferens. *Sidon. carm.* 2, 444. tigriferi pharetrata per arva Niphatis.

TIGRĪNUS, a, um, adj. ad tigrem spectans, ut Mensae tigrinae, quae longis macularum notis referunt virgatas, ut poetae vocant, tigres: quomodo etiam ab intorto macularum discursu dictae sunt mensae pantherinae. *Plin.* 13, 15, 30. Mensis praecipua dos in venam crispis, vel in vortices parvos: illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto, et ideo tales pantherinae vocantur.

TIGRIS, is, et idis, m. et f. *τίγρις, ὁ, καὶ ἡ*, Medorum, et Armenorum lingua sagittam significat, ut *Varr. L. L.* 4, 20. et *Plin.* 6, 27, 31. docent. Hinc factum nomen ferae omnium velocissimae, saevissimae, et variis maculis pellem distinctam habenti: cujus multa copia in Armenia, India, et Hyrcania. *Varro l. c.* Tigris, qui est, ut leo, varius, qui vivus capi adhuc non potuit. *Plin.* 8, 17, 25. Augustus tigrim primus omnium Romae ostendit in cavea mansuefactum. *Manil.* 5, 707. Ille tigrim rabie solvet. *Lucan.* 1, 327. Utque ferae tigres nunquam posuere furorem, Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur, Altus caesorum pavit cruor armentorum, etc. *Ov. Met.* 7, 32. Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam, etc. fatebor. *Virg. A.* 4, 367. Hyrcanaeque admorunt ubera tigres. *Id. Ecl.* 5, 29. Armenias curru subjungere tigres. *Sil.* 15, 81. Caucaseae tigres. *Virg. G.* 2, 151. rabidae. Alii leg. *rapidae. Lucan.* 5, 405. Ocior et coeli flammis, et tigride feta. *Virg. A.* 9, 730. Immanem veluti pecora inter inertia tigrim. *Id. G.* 3, 248. pessima tigris; et *ib.* 4, 407. atra. *Hor. Od.* 1, 23, 9. aspera. *Sen. Oct.* 86. trux. *Id. Hipp.* 63. varia; et *ib.* 344. virgata. *Id. Thyest.* 707. jejuna. *Ov. Her.* 10, 86. Quis scit, an haec saevas tigridas insula habet? ℙ De hac fera verba facit *Plin.* 8, 18, 25. V. dicta in RAPTOR; et *Solin.* 17. et *Melam* 3, 5. *med.*, ubi de ratione eam venandi multa disserunt. ℙ De re, quae fieri non potest. *Hor. Ep.* 16, 31. tigres subsidere cervis; et *A. P.* 13. Serpentes avibus geminentur, tigribus agni. ℙ Dicuntur tigres Bacchi currum trahere. *Virg. A.* 6, 806., *Hor. Od.* 3, 3, 13., *Ov. Am.* 1, 2, 48. et *Her.* 2, 80. et *A. Am.* 1, 559., *Sil.* 15, 80. et 17, 647. et *Sen. Med.* 84. ℙ *Tigris inanis* est pellis tigrina. *Stat. Th.* 6, 722. Tunc genitus Talao victori tigrin inanem Ire jubet. *Virg.* tigridis exsuvias *A.* 11, 577 dixit. Absolute *Stat. Th.* 9, 685. equus, quem discolor ambit Tigris, et auratis adverberat unguibus armos. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 17. quem Parthica velat Tigris, et auratos in nodum colligit ungues. ℙ Ab eadem sagittae velocitate datum est nomen fluvio Asiae celebri, qui ex montibus Armeniae ortus, Assyriam et Mesopotamiam disterminans, Chaldaeam intersecans, Euphrate demum receptus in sinum Persicum influit. V. *Plin.* 6, 27, 31. Adhibetur solum in masc. gen. *Hor. Od.* 4, 14, 46. Nilusque et Ister, te rapidus Tigris, etc. *Lucan.* 3, 261. At Tigrim subito tellus absorbet hiatu, Occultosque tegit cursus, rursusque renatum Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis. (V. *Plin. l. c.*) *Id* 8, 370. effusaque plano Tigridis arva solo; et 6, 256. Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus Euphrates; et 8, 213 populosque bibentes Euphraten, et adhuc securum a Caesare Tigrin. *Manil.* 4, 804. Et tigris, et rubri radiantia litora ponti. *Sen. Herc. Fur.* 1324. Persica violentus unda Tigris. ℙ Item cani venatico ap. *Ov. Met.* 3, 217. ℙ Est et navis hoc nomine ap. *Virg. A.* 10, 166. ab insigni ejus ferae in prora; atque etiam in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 410. D. M. L. Valerii Papiriani Mil. Cl. Pr. Mis. ex ĪĪĪ. Tigride, natione Alex., etc.

[TIGURĪNUS, a, um, adj. ad Tigurum, seu Tigorum pertinens, olim Helvetiae pagum, nunc splendidam urbem, quae *Zurigo* dicitur. *Caes. B. G.* 1, 12. Is pagus appellatur Tigurinus, nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 366. Genio pagi Tigor. P. Gracchius Paternus Cur. Col. Fec. Hinc *Tigurini, orum*, incolae illius pagi, ap. *Caes. ib.* Tigurini eodem proelio L. Pisonem legatum interfecerant. *F.*]

*TILAVENTUM flumen in Venetis fuit. *Plin.* 3, 18. Flumina, Romantinum, Tilaventum majus minusque. *Τιλαουέντιος* est *Ptolemaeo*, hodie vero *Tagliamento* dictum. *B. A.*

TĪLIA, ae, f. *φιλύρα*, arbor, de qua *Plin.* 16, 14, 25. In tilia mas et femina differunt omni modo. Namque et materies mari dura, rufiorque, ac nodosa, et odoratior: cortex quoque crassior, ac detractus inflexibilis. Nec semen fert, aut florem, ut femina, quae crassior arbore, materie candida, praecellensque est. Mirum in hac arbore, fructum a nullo animalium attingi *exceptis apibus. Virg. G.* 3, 183.): foliorum corticisque succum esse dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tunicae multiplici membrana, e quibus vincula, tiliae vocantur: tenuissimae earum philyrae, coronarum lemniscis celebres antiquorum honore. Materies teredinem non sentit, proceritate perquam modica, verum utilis. Haec *Plin.*, qui 24, 8, 33. prosequitur ejus utilitates in medicina. *Virg. G.* 1, 173. Caeditur et tilia ante jugo levis, *h. e.* ad jugum faciendum, ne colla boum laedantur; et *ib.* 2, 449. Tiliae laeves; et *ib.* 4, 183. pingues. *Ov. Met.* 10, 92. molles. ℙ Tiliarum etiam philyris usi sunt veteres ad scribendum. V. PHILYRA. ℙ Falluntur, qui primam syllabam produci posse putant, ex illo *Seren. Sammon.* 12, 167. Fraxinea in flammis quem fundit tilia succum. *Talea* enim legendum: vel *tilia* pro *talea* est. V. TALEA.

TĪLIACĔUS, a, um, adj. *φιλύρινος*, qui est ex tilia. *Capitol. Anton. P.* 13. Cum esset longus, et senex, incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet.

TĪLIĀGINĔUS, a, um, adj. tiliaceus, *Colum.* 12, 45. *med.* Arculae fagineae, vel etiam tiliagineae, quales sunt, in quibus vestimenta forensia conduntur.

TĪLIĀRIS, e, adj. tiliaceus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *med.* Tabula tiliaris.

*TĪLURI PONS, locus, fortasse opp., Illyridis. *Anton. Itin. B. A.*

[TĪMA, ae, et Time, es, f. *τιμὴ*, dignitas, honor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1252, 6. Cn. Cornelius Alexander fecit sibi, et Corneliae Timae matri suae. *Alia* ap. *Gud.* 294, 4. Juniae Time Junia Mariana sorori. *F.*]

*TĪMĀCHI, orum, populi Moesiae. *Plin.* 3, 26. *B. A.*

*TĪMĀCHUS, i, m. Moesiae fluvius. *Plin.* 3, 26. *B. A.*

*TĪMĀCUM, (Timachum), i, n. oppidum duplex Moesiae, majus minusque. *Tab. Peuting. B. A.*

*TĪMAEUS, i, m. *Τίμαιος*, historicus Siculus, Tauromenites; regnante Agathocle vixit, temporibus Ptolemaeorum Lagi ac Philadelphi. *Cic. de Or.* 2, 14. *Id. Fam.* 5, 12. et *Nat. Deor.* 2, 27. *Nep. Alcib.* 11. ℙ Timaeus alter, philosophus, Locrensis, Pythagoreus, Platoni aequalis, cujus nomine Plato librum inscripsit *de natura* s. *de mundo*, quem Latine convertit Cicero. *Cic. de Fin.* 5, 29. Adde *Tusc.* 1, 25. *extr.* ℙ Timaeus ex amicis Alexandri Magni, qui rege in urbe Oxydracarum periclitanti subveniens, multis adverso corpore vulneribus acceptis, egregiaque edita pugna, cecidit, narrante *Curt.* 9, 5. *B. A.*

*TIMAGĒNES, is, m. *Τιμαγένης*, rhetor et historicus, omnium in literis studiorum antiquissimam Musicen esse dixit, ut ait *Quint.* 1, 10. Ejus meminit *Hor. Ep.* 1, 19, 15. et cum laude *Ammian.* 15, 9. Sed ei lingua immoderatius uso Augustus domo sua interdixit, et ejus hospiti Pollioni Asinio dixit: *δημιοτροφεῖς*, i. e. viperam nutris. *Sen. de Ira* 3, 23. ℙ Alius historicus, qui de rebus scripsit Alexandri Magni, ut colligitur ex *Curt.* 9, 5. *B. A.*

*TIMAGŌRAS, ae, m. *Τιμαγόρας*, Atheniensis, capitali judicio affectus, quod Darium, ad quem legatus missus fuerat, more Persarum adulando adoraverat. *Val. Max.* 6, 43. ℙ Item insignis pictor, Chalcidicus, de quo *Plin.* 35, 9. *B. A.*

[TĪMANDRA, ae, f. honorans virum: a *τιμάω*, honoro, et *ἀνὴρ, ἀνδρὸς*, vir. Est nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 682, 1. Timandra mater. *F.*] ℙ *Ledae filia, Helenae soror, Echemo Arcadi nupsit. *Serv.* ad *Virg. A.* 8. Cf. et *Pausan.* 8, 5. *B. A.*

*TĪMANTHES, is, m. *Τιμάνθης*, pictor egregius, qui Parrhasii picturis temporibus vixit. Hujus est Iphigenia oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura, quum moestos pinxisset omnes, et tristitiae omnem imaginem consumsisset, patris vultum velavit, quem digne non poterat ostendere. Sunt et alia ingenii ejus exemplaria, veluti dormiens Cyclops in parvula tabella, cujus et sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrso pollicem ejus metientes: atque in omnibus ejus operibus intelligitur plus quam pingitur. Haec *Plin.* 35, 9. *extr.* et 10. Adde *Cic. Brut.* 18. et *Or.* 22. *Quint.* 2, 13. *B. A.*

*TIMARCHĪDES, is, nobilis statuarius, cujus meminit *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*TIMARCHUS, i, statuarius quidam ap. *Plin. ib. B. A.*

*TIMARĒTE, es, f. *Τιμαρέτη*, filia Myconis pictoris, qui minoris cognomine distinctus est, quae et ipsa pinxit. *Plin.* 35, 9. et 11. *B. A.*

*TIMARIS, idis, f. regina quaedam, memorata a *Plin.* 37, 10. *B. A.*

*TIMARISTUS, i, scriptor quidam, fortasse medicus, qui de plantis scripsisse dicitur a *Plin.* 21, 31. *B. A.*

TĪMĀVUS, i, m. *Τίμαυος*, fluvius Carnorum ultra Aquilejam, et prope Tergeste in Tergestinum sinum maris Adriatici influens. *Plin.* 2, 103, 106. et 3, 18, 22. ℙ Novem ei capita seu fontes tribuunt. *Mela* 2, 4. Interfluit Timavus novem capitibus exsurgens, uno ostio emissus. (Adde *Strab. l.* 7.) *Virg. A.* 1, 249. fontem superare Timavi, Unde per ora novem It mare proruptum, etc. *Claud. VI. cons. Hon.* 197. inque novem consurgens ora Timavus. Hinc *Timavum multifidum* dixit *Mart.* 8, 28. Idem *Ledaeum* cognominat 4, 25. V. LEDAEUS. ℙ *Virg.* post descriptum *l. c.* Timavum subdit v. 251. Hic tamen ille (*Antenor*) urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum, etc. Ex quo creditum est, esse Medoacum, qui Patavium interfluit, nunc *Brenta.* Certe *Mart.* 13, 89. Euganeum; *Lucan.* 7, 194. Antenoreum appellat: et *Stat. Silv.* 4, 7, 55. T. Livium Patavinum, Timavi alumnum. Mens tamen *Virgilii* non fuit Timavum Euganeum et Patavinum facere, cum nimis procul ab ea urbe sit: sed cum Venus ibi cum Jove in aethere summo, et vertice coeli (ut ait v. 227. et 229.) loquens indicatur, atque inde terras jacentes despiciens, postquam, Antenoris navigationem in ultimum usque maris Adriatici sinum descripsit, conversis paulum oculis Euganeam oram monstrat, et subdit: Hic tamen ille urbem Patavi, etc. Accedunt prope huic interpretationi, qui v. *hic* non adverb., sed pronomen putant.

[TIMBRĪĀNUS, a, um, adj. ad Timbriam pertinens, Phrigiae oppidum, in cujus nummis ap. *Sestin. class. gen.* p. 127. *TIMBPIAΔΕΩΝ. Plin.* 5, 27, 25. Philomelienses, Timbriani. Alii perperam leg. *Tymbriani. F.*]

TĪMĒFACTUS, a, um, part. ab inus. *timefacio: Lucr.* 2, 43. His tibi tum rebus timefactae religiones Effigiunt animo. *Cic. Off.* 2, 7. timefacta libertas. Alii leg. *tremefacta.*

TĪMENS, entis, part. a *timeo: Ov. Met.* 14, 215. mortem timens. *Lucr.* 6, 1237. Vitai nimium cupidi, mortisque timentes. *Virg. A.* 2, 729. comiti timens.

TĪMĒO, es, ui, a. 2. *φοβοῦμαι*, vereor, formido, horreo, metuo. Volunt quidam esse a *δεῖμα*, metus. Quid a *metuo* differat, V. ibi. *Ter. Ph.* 5, 8, 9. Non pol temere est, quod tu tam times. *Cic. Fam.* 1, 5. Quamquam omnia sunt metuenda, nihil magis quam perfidiam timemus. *Ter. Andr.* 2, 5, 8. Nunc nostrae parti timeo, quid hic respondeat. *Caes. B. C.* 3, 27. Qui modo sibi timuerant.. *Sall. Jug.* 43. Timere libertati. *Ter. Heaut.* 3, 2, 20. Syre, tibi timui male. *Cic. Att.* 7, 6. De republica valde timeo. *Caes. B. G.* 5, 57. De suo ac legionis periculo nihil timebat. *Gell.* 19, 1. *med.* Timere pro anima alicujus. *Nep. Dion.* 4. Ne cum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet, *h. e.* alter alterum timeret. *Cic. Sull.* 20. *f.* A quo quidem genere ego nunquam timui. *Ter. Andr.* 1, 5, 29. Misera timeo incertum hoc quorsum accidat. *Cic. Att.* 12, 24. Neque ei deesse volebam, et quid possem, timebam; et *ib.* 2, 20. *med.* Haec quo sint eruptura, timeo. *Id. Div. Verr.* 13. Jam nunc timeo, quidnam pro exspectatione omnium, et magnitudine rerum dignum eloqui possim. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. *f.* Haec quemadmodum explicari possint: aut, a te cum explicabuntur, ne, impediantur, timeo. *Cic. Att.* 3, 8. Istic quid agatur, magnopere timeo. ℙ *Timeo ut* de iis, quae fieri cupimus: *timeo ne* de iis, quae nollemus. *Cic. Fam.* 14, 2. *f.* Omnes labores te excipere video, timeo, ut sustineas. *Ter. Andr.* 1, 5, 34. Hoc timet, ne deseras se. ℙ Cum infinito. *Plin.* 17, 14, 24. Timebant prisci truncum findere. *Hor. Ep.* 1, 5, 2. Nec modica coenare times olus omne patella, *h. e.* aversaris, dedignaris. *Ov. Pont.* 3, 1, 119. Quid trepidas? quid adire times? *Id. Her.* 15, 172. nec saxo desiluisse time. *Tibull.* 1, 4, 17. Nec jurare time. *Sen. Ag.* 73. Metui cupiunt, metuique timent. ℙ *Timere quippiam alicui*, h. e. ne noceat. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 1. Timent aegris vini noxam. *Juvenal.* 6, 17. Furem timere caulibus aut pomis. *Quint.* 4, 1. Judex religiosus libentissime patronum audit, quem justitiae suae non timet, *h. e.* ne suae justitiae insidietur. ℙ De rebus inanimis. *Pall.* 3, 24. Caules solum pingue diligunt, arenam et glaream timent. ℙ Passive. *Lucan.* 8, 300. pila timentur Parthis. *Mart.* 3, 41. Mentoris manu ducta Lacerta

virit, et timetur argentum; et 11, 18. Fines mus populatur, et colono Tanquam sus Calydonius timetur. *Ov. Her.* 4, 104. dente timendus aper. *Id. Met.* 14, 256. ursa timenda. *Hor. Epod.* 6, 9. Voce timenda complere nemus. *Id. Od.* 3, 1, 5. Reges timendi. ℙ Impersonaliter. *Sen. Med.* 885. Avidus furit ignis: jam domus tota occidit: urbi timetur. Adde *Lucan.* 7, 138. ℙ Part. *Timens* V. s. l.

[TIMESCO, is, n. 3. idem ac timeo. *Not Tir.* p. 71. Timet, timescit. Hinc part. *timescens* ap. *Ammian.* 31, 4. *f.* Athanaricus paria timescens abscessit. Alii leg. *pertimescens. F.*]

[TIMESITHĔUS et Timasitheus, i, m. aestimans seu honorans Deum: a *τίμησις*, et Dorice *τίμασις*, aestimatio, et *Θεὸς*, Deus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 148. C. Furius Sabinius Aquila Timesitheus. Hic idem videtur esse pater Furiae Sabiniae Tranquillinae, uxoris M. Antonii Gordiani Imp., qui a *Capitol. Gord.* 27. perperam dicitur *Misitheus.* V. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 319. ℙ Hoc etiam nomine appellatus est Liparensium seu Liparithanorum vir princeps. *Liv.* 5, 28. Forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam. Adde *Val. Max.* 1, 1, 4. *extr. F.*]

*TIMICI, opp. Mauretaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. ℙ *Τιμίκη* est *Ptolemaeo.* ℙ Hinc

*TIMICITANUS, a, um, ad oppidum illud spectans. *Notit. Afric.* (inter *Episcop. Mauritan.*) Honoratus Timicitanus. *B. A.*

TIMIDĔ, adv. *φοβερῶς*, pavide, verecunde, minus audacter. *Cic. Fin.* 5, 2. *extr.* Tum ille timide, vel potius verecunde, Facio, inquit, equidem. *Id. Tusc.* 2, 53. Nequid abjecte, nequid timide, nequid ignave, nequid serviliter, muliebriterve faciamus. *Quint.* 11, 1. *med.* Timidissime dicere. *Caes. B. C.* 1, 19. Omnia timidusque trepidantius agere. *Cic. Quint.* 16. Timide, et pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inviti. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Parce et timide de aliquo scribere. *Cic. Sull.* 29. Timide modiceque dicere de aliquo. *Hor. A. P.* 171. de sene: res omnes timide gelideque ministrat. *Sen. Hipp.* 593. timide qui rogat, Docet negare. ℙ Contrarium est *fidenter. Cic. Div.* 2, 31. *med.* Timide fortasse signifer *(signum)* evellebat, quod fidenter infixerat.

TIMIDĬTAS, atis, f. *δειλία*, proclivitas ad timorem, angustus et parvus animus. [*Discrimen est inter *timor* et *timiditas:* hoc sumitur ethice estque habitus vitiosus; *timor* physice estque affectus. *Ignavia* cum *timiditate* congruit, ut genus cum specie: fieri potest, ut, *timiditas* excusari queat, *ignavia* nunquam. Cf. *Doederl.* 2, 196.] *Cic. Tusc.* 5, 18. In quem cadit metus, in eundem formido, timiditas, pavor, ignavia. *Id. Part.* 23. Verecundiam timiditas imitatur. *Id. Fin.* 4, 19. Ex rebus timiditas, non ex vocabulis nascitur. *Pacuv.* ap. *Non.* 3, 246. Fare, quae cor tuum timiditas territat. *Cic. Or.* 2, 74. Cautio et timiditas in causis; et *ib.* 3. Pudore a dicendo, et timiditate ingenua quadam refugisti. *Id. Tusc.* 3, 7. Timiditas et ignavia. *Id. Mil.* 16. Quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. *Plin. ep.* 2, 10. *extr.* Cunctatio cum modum excedit, verendum est, ne inertiae et desidiae, vel etiam timiditatis nomen accipiat.

TIMIDŬLE, adv. aliquantum timide. *Appul. Met.* 4. Timidule per balneas reptare.

TIMIDUS, a, um, adj. *δειλός*, *ἐπιδεής*, qui est angusti animi, meticulosus, pavidus. *Sen. Ben.* 4, 26. *f.* Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: dicitur timidus proprie, natura etiam ad inanes sonos pavidus. *Cic. Fam.* 2, 18. Moleste ferebat, se a te, quem omnium fortissimum judicaret, timidum atque ignavum judicari. *Id. Pis.* 50. *med.* Timidus ac tremens. *Id. Off.* 1, 24. Nunquam periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur; et *ib.* 3, 32. *f.* Quae timido animo, humili, demisso, fractoque fiunt. *Id. Fam.* 7, 17. Timidus in labore militari. *Id. Fin.* 2, 20. Ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rempublicam interfectus. *Hirt. B. G.* 8, 13. Utrum secundis rebus insolentiores, an adversis timidiores essent. *Ov. Met.* 5, 224. timidissime Phineu; et *A. Am.* 1, 117. timidissima turba columbae. (*Varr. R. R.* 3, 7. Nihil enim timidius columba.) *Id. Her.* 19, 172. Timidus amor. *Id. Met.* 1, 525. Timido cursu fugere. *Id. Am.* 1, 5, 8. timidus latebras sperat habere pudor. *Id. Met.* 6, 791. Timida fides. *Id. Her.* 16, 375. spes. *Id. Pont.* 2, 8, 51. vota. *Id. Trist.* 5, 8, 28. Timidae preces; et *Fast.* 1, 4. Timida navis; et *Trist.* 2, 228. manus. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 4, 9, 52. Pro patria timidus perire; et *ib.* 3, 19, 2. mori. Adde *Sil.* 16, 575. Cum genitivo. *Hor. A. P.* 28. Timidus procellae. *Sen. V. B.* 21. Nocturna animalia abduntur in aliquas rimas timida lucis ℙ *Mater timidi flere non solet* ap. *Nep. Thras.* 2. proverb.

*TIMOCHĂRES, is, m. *Τιμοχάρης*, Ambraciensis quispiam regis Pyrrhi amicus, qui ad C. Fabricium Consulem furtim venit, ac praemium petivit: et si de praemio conveniret, promisit regem venenis necare: idque facile esse factu dixit; quoniam filii sui pocula in convivio regi ministrarent. Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. Senatus legatos ad regem misit: mandavitque, ut de Timochare nihil proderent, sed monerent, uti rex circumspectius ageret, atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Refert *Gell.* 3, 8. ex Valerii Antiatis historia. *B. A.*

*TIMOCLES, is, statuarius quidam. *Plin.* 34, 8. ℙ Et saltator. *Cic. in Pis.* 36. *B. A.*

[TIMOCRĂTES, is, m. *Τιμοκράτης*, censu potens: a *τιμή*, census, et *χραταίω*, potens sum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 334. T. Flavius T. F. Fab. Timocrates Roma. *F.*] ℙ *Metrodori Epicurei frater, qui, quia nescio quid ab Epicuro dissentiebat, totis voluminibus ab eo concidebatur. *Cic. Nat. Deor.* 1, 33. *B. A.*

[TIMOLAUS, i, m. honorans populum: a *τιμάω*, *λαός*, populus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 560. *n.* 77. D. M. Licinii Timolai. *F.*]

TIMOLEONTĒUS, a, um, adj. *Τιμολεόντειος*, ad Timoleontem pertinens, qui fuit vir Corinthius, pacis et belli artibus nobilis: ut Timoleonteum gymnasium, *Nep. Timol.* 5.

TIMOLITES. V. TMOLITES.

TIMOLUS. V. TMOLUS.

*TIMOMACHUS, i, m. *Τιμόμαχος*, pictor nobilis, Byzantius, Caesaris dictatoris aetate fecit Medeam et Ajacem, quos ipse Caesar LXXX talentis emit, in temploque Veneris dicavit. *Plin.* 7, 38. et 35, 11. *Auson. Epigr.* 121. et 122. *B. A.*

*TIMON, onis, m. *Τίμων*, Atheniensis, temporibus vixit belli Peloponnesiaci, ut ex Aristophane ac Platone perspicere licet; a quibus describitur ut inhumanus, ac vitans hominum congressus, praeterquam unius Alcibiadis adolescentis. Interrogatus quae cum illo causa esset amicitiae, *Quod sciam*, inquit, *illum quandoque multorum malorum Atheniensibus causam futurum.* Quum semel in concionem ascendisset, facto silentio mirantibus omnibus inquit, *Est mihi, O! viri Athenienses, pone domum parvus hortus, ubi ficus coaluit quaedam, in qua permulti nostri cives se suspenderunt. In eodem nunc ego loco aedificare volo. Quamobrem visum est mihi vos publice admonere, si quis forte sit, qui se prius velit suspendere, antequam arbor excidatur.* His igitur de causis ab Atheniensibus *μισάνθρωπος* est appellatus, quasi genus hominum infensum habuerit. Sed et mortuo mirum contigit, ut sepulcrum ejus, quod erat in litore, mare quasi perosum, exundatione ab se absterruerit, longeque expulerit. In ejus sepulcro hoc erat epitaphium, quod ipse sibi fecit: *Ἐνθάδ' ἀποῤῥίψας ψυχὴν βαρυδαίμονα κεῖμαι Τοῦνομα δ' οὐ πεύσεσθε, κακοὶ δὲ κακῶς ἀπόλοισθε. Hic sum post vitam miseramque inopemque sepultus: Nomen non quaeras: Dii, lector, te male perdant.* Haec et plura *Plutarchus* in *Antonio* p. 948. De hoc etiam *Cic. de Amicit.* 23. et *Tusc.* 4, 11. *extr.* ℙ Item insignis pictor, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Timon, Apolloniates seu Nicenus philosophus, apud Chalcedonem philosophiam et oratoriam exercuit, temporibus Ptolemaei Philadelphi. Scripsit tragoedias, comoedias et satyras. *Gell.* 3, 17. Timon amarulentus librum maledicentissimum conscripsit, qui *σίλλος* inscribitur. In eo libro Platonem philosophum, quem dixeramus tenui admodum pecunia familiari fuisse, contumeliose appellat, quod impenso pretio librum Pythagoricae disciplinae emisset, exque eo Timaeum nobilem illum dialogum continuasset. ℙ Alius, hoc nomine, ap. *Liv.* 33, 5. et 37, 44. *B. A.*

[TIMONIACENSIS, e, adj. ad Timoniacum pertinens, Galatiae oppidum. *Plin.* 5, 32, 42. Sebasteni, Timoniacenses. *F.*]

*TIMONĬUS, a, um, adj. ad Timonem pertinens. Huc refertur de *Turnebi* sententia (*Advers.* 24, 33.) *Sen. ep.* 8, 66. Non est quod nunc existimes me dicere Timoneas (Timonias) coenas, et pauperum cellas, *h. e.* solitarias, coenas non coenas, non *κοινὰς* s. communes. Sed variat lectio Gronov. ad *modicas coenas.* V. *Chiliad. B. A.*

TIMOR, oris, m. *φόβος*, opinio mali impendentis, metus, formido, pavor. [*Etymon. *Pseudo-Fronto* facit ita, ut hoc voc. et *tumor* uno nomine comprehendat; negante *Doederl.* l. mox l.: alii ad Gr. *δειμὸς* referunt. *Thiersch.* Gr. p. 387. originem vidit in *τίω*, quod vehementer prob. *Doederl.* 2, 194. ubi v.] *Cic. Tusc.* 4, 8. Timor est metus mali appropinquantis. *Pl. Cas.* 3, 5, 25. et 59. Timor praepedit linguae dicta. *Id. Rud.* 1, 2, 85. Prae timore in genua concidit. *Cic. Phil.* 2, 36. Bonum te timor faciebat, non diuturnus magister officii. *Id. Att.* 5, 20. Cassio animus accessit, Parthis timor injectus est. *Id. Agr.* 1, 8. Spem improbis ostendistis, timorem injecistis. *Sall. in or. Lep. ad pop. R.* et *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Timorem facere alicui. *Cic. Or.* 2, 51. *extr.* incutere. *Brutus et Cassius ad Anton. Fam.* 11, 2. *med.* Maximo timore affici de aliquo. *Val. Fl.* 8, 35. icta timore gravi. *Caes. B. G.* 1, 22. *f.* timore perterritus. *Id. ib.* 39. Timor exercitum occupavit. *Sall. Cat.* 32. mihi incessit. *Petr. Sat.* 128. mentem altus habet. *Tac. A.* 12, 51. Timor aeger. *Cic. ad Brut.* 1, 3. perculsus. *Id. Fam.* 2, 10. *f.* Haec aestas habuit hunc exitum satis felicem: ea quae sequitur, magno est in timore. *Id. Att.* 5, 14. Magno timore esse, *h. e.* valde timere. *Lucan.* 3, 82. et 6, 671. Timori esse alicui, *h. e.* terribilem esse. *Colum.* 11, 3. *f.* Ubi timor est, ne autumnalis satio hiemis gelicidiis peruratur. *Pl. Truc.* 4, 3, 50. Timore torpere. *Ter. Ad.* 4, 4, 3. obstupescere. *Ov. Met.* 7, 630. pavido mihi membra timore Horruerant. *Cic. in Sen.* 8. Timorem alicui depellere. *Id. Cat.* 1, 7. *extr.* eripere. *Id. Fam.* 11, 21. *f.* omnem abjicere; et *Somn. Scip.* 1. omittere. *Ov. Her.* 18, 57. deponere. *Virg. A.* 1, 202. mittere; et *ib.* 454. lenire. *Hirt. B. Alex.* 8. minuere. *Ov. Met.* 9, 774. Mederi timori. *Caes. B. C.* 3, 65. Colligere se ex timore. *Ov. Met.* 14, 490. sors autem ubi pessima rerum, Sub pedibus timor est, *h. e.* victus est, nullus. ℙ In plur. num. *Catull.* 64, 69. Quantos illa tulit languenti corde timores! *Hor. Ep.* 1, 4, 12. timores inter et iras. Adde *Od.* 1, 37, 15. ℙ Metonymice est causa timoris, terror. *Prop.* 3, 5, 40. et audaci tu timor esse potes. *Ov. Fast.* 1, 551. Cacus Aventinae timor atque infamia silvae. *Plin.* 8, 32, 50. Febrium morbos non sentit hoc animal, quin et medetur huic timori. ℙ De iis, quorum causa timemus. *Stat. Silv.* 3, 2, 78. fugit ecce vagas ratis acta per undas etc. tot gracili ligno complexa timores. ℙ *Timor*, religio, *δεισιδαιμονία. Sil.* 3, 30. Sed nulla effigies, simulacrave nota Deorum Majestate locum, et sacro implevere timore. *Petr. in fragm.* et *Stat. Th.* 3, 661. Primus in orbe Deos fecit timor. [*Discrimen inter *timor* et *timiditas* v. in h. v. — Ab *horror* vv. *timor* et *metus* eo differunt, quod his causa efficiens semper obversatur: illud talem animi statum significat, ubi causa non intelligitur. Plura habes ap. *Doederl.* 2, 200. sq.] ℙ In fabulis Deus est, filius Aetheris et Terrae, ut habet *Hyg. praef.;* aut Erebi et Noctis, ut *Cic. N. D.* 3, 17. *extr.* ℙ *Timos* pro *timor*, ut *vapos*, *odos*, *labos*, *colos*, dici potest. *Non.* 8, 27. V. COLOR.

[TIMORĀTUS, a, um, adj. qui Deum timet. *Hieron. in Isai* 14, 50, 10. Hos vulgo appellant timoratos in religione Dei. Protegit enim Dominus iter eorum, et viam timoratorum custodit. *F.*] *Vulgat. Luc.* 2, 25. *Act.* 8, 2. et *Esdr.* 4, 3, 3. *B. A.*

*TIMOSTHĔNES, is, m. *Τιμοσθένης*, Rhodius, Ptolemaei secundi navarchus, scripsit *de portubus* libros decem, itemque Periplos quosdam. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

[TIMOTHĔUS, i, m. *τιμόθεος*, honorans Deum: a *τιμάω*, honoro, et *Θεὸς*, Deus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 343. T. Aelius Timotheus. *F.*] *Timotheus, i, m. *Τιμόθεος*, Atheniensis, dux potentissimus ac dives, muros Athenis aedificavit. Hujus imaginem pictores assentationis gratia fecerunt, juxtaque Fortunam retibus civitates ei inclusas deferentem, illum autem ipsas excipientem: quamobrem indignatum eum ferunt pictori fuisse, quod felicitati potius ejus res gestas quam virtuti videretur adscribere. Haud multo post hoc factum, Fortuna quasi aegre ferente, rebus excidit. Auctor *Suidas.* Hujus et docti hominis meminit *Cic. de Off.* 1, 32. Adde et *de Or.* 3, 34. *Tusc.* 5, 41. Vitam ejus scripsit *Nepos.* ℙ Timotheus, Milesius, musicus, qui decimam et undecimam chordam lyrae addidit, et antiquam musicam in molliorem modum mutavit. Emicuit tempore Philippi Macedonis, cujus filius Alexander sono excitabatur, et ad res bellicas alacrius instruebatur. Scripsit de musica libros XVI, encomia, dithyrambos. Haec *Suidas.* V. et *Cic. de Leg.* 2, 15. *Quint.* 2, 3. *Macr. Sat.* 5, 22. addito *Athen.* 14, 9. Cf. et *Leopard. Emend.* 8, 14. ubi decretum Lacedaemoniorum in hunc Timotheum (quod servavit *Boeth. de Mus.* 1, 1. p. 1372. quoque Timotheum sua terra Lacedaemonii exegere, quod multipliciorem fecisset musicam,) emendatur et explicatur, itemque doctissimum *T. Burgessimum*, Episcopum nuper Menevensem, hodie autem Sarisburiensem, in *A Vindication of Bishop. Cleaver's Edition of the* Decretum Lacedaemoniorum contra Timotheum, etc. ℙ Item insignis sculptor, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

[TIMOXĔNUS, i, m. *τιμόξενος*, honorans hospitem: a *τιμάω*, honoro, et *ξένος*, hospes. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 137. *n.* 127. Aelius Timoxenus. *F.*]

*TIMPORUM, i, Thraciae oppidum, medio loco inter Hebrum Nessumque flumina. *Anton. Itin.* ubi *Cellarius* legit *Tempyrum.* Cf. *Tempyra. B. A.*

TĪNA, ae, f. et Tinum, i, n. vas vinarium ex eorum genere, quae mensae inferuntur, ex quibus vinum in pocula defunditur: videtur esse a *δίνη*, et *δῖνος*, vasculi species, scil. a *δινόω*, in gyrum ago, quia rotundum est: hinc etiam repetenda fortasse Italorum *tina* et *tino*, quae idem vas significant. *Varr.* ap. *Non.* 15, 7. Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant. *Paul.* ex *Fest.* Tinia (lege *tina*), vasa vinaria. [*Not. Tir.* p. 149. Canava, camea (*fortasse* cavea), tinum. *F.*]

TINCA, ae, f. piscis palustris, et fluviatilis sine squamis. [*Fortasse is, quem nos dicimus *Schleihe*, Cyprinus Tinca, *L.*] *Auson. Idyll.* 10, 125. Quis non et virides, vulgi solatia, tincas Norit? ℙ [Est etiam cogn. R. *Cic. Brut.* 46. *med.* Ego memini T. Tincam Placentinum, etc. *F.*]

TINCTĬLIS, e, adj. *βαπτὸς*, tinctus. *Ov. Trist.*

3, 10, 64. Nam volucri ferro tinctile virus inest. [Adde *Not. Tir.* p. 82. *F.*]

[TINCTIO, onis, f. baptismus. *Tert. Cor. Mil.* 13. [Semel jam (*causae*) in sacramenti tinctione ejeratae. Alii leg. *testatione. F.*]

TINCTOR, oris, m. *βαφεύς*, infector. *Vitr.* 7, 14. Tinctores cum volunt sil imitari, violam aridam cum aqua confervescere faciunt, etc. *Inscr.* ap. *Marin. Papir. dipl.* p. 251. Hic quiescit Seberus tinctor. *F.*]

TINCTORĬUS, a, um, adj. ad tingendum pertinens. *Tinctoriam mentem habere*, ap. *Plin.* 7, 7, 5. dicitur, qui caedes meditatur, et gladiatorio animo (ut ait *Ter. Ph.* 5, 7, 71.) ferrum sanguine tingere quaerit. Ita *Hard.* Alii aliter leg. Hinc *tinctorium* in *Gloss. Isid.* est gladius. *Mela* 2, 1. *f.* Deo pro simulacris enses et tinctoria dedicant. Alii rectius leg. *cinctoria.* ℙ [*Tinctorium*, *ii*, absolute, est locus, in quo vestes tinguntur, Itali *tintoria* dicunt. *Not. Tir.* p. 82. Tinctilis, tinctorium, tinctura. *F.*]

TINCTŪRA, ae, f. *βαφή*, infectio, inductio coloris. *Plin.* 37, 9, 38. Adulteratur maxime tinctura. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 2. Ad inficiendas purpuras, tincturasque omnes. V. v. praec.

TINCTUS, a, um, part. a *tingo: βαπτὸς, βαφεὶς*, aspersus, madefactus, instinctus, imbutus. *Ov. Met.* 9, 170. gelido ceu lamina candens Tincta lacu stridit. *Plin.* 17, 14, 24. Calamus tinctus aqua. *Cels.* 8, 4. *med.* Sanguis spongia subinde in aceto tincta cohibendus. *Cic. N. D.* 3, 28. Tunica sanguine Centauri tincta. *Hor. Od.* 2, 16, 35. Lanae bis Afro murice tinctae. *Tibull.* 1, 9, 44. coma viridi cortice tincta nucis. *Hor. Od.* 3, 10, 14. tinctus viola pallor amantium. *Ov. Pont.* 3, 3, 106. spicula mordaci felle tincta; et *ib.* 1, 26. Tinctaque mortifera tabe sagitta madet. ℙ *Tincta*, absolute, sunt colores quilibet non nativi. *Cic. Leg.* 2, 18. Color albus praecipue decorus Deo est, tum in ceteris, tum maxime in textili. Tincta vero absint, nisi a bellicis insignibus. ℙ *Tinctus lumine*, illustratus. *Lucr.* 5, 719. globus si forte pilai Dimidia ex parte candenti lumine tinctus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 20. Orator sit mihi tinctus litteris, audierit aliquid, legerit, etc. et *Brut.* 58. Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus. *Quint.* 4, 2. *med.* Verba expressa, et, ut vult Zeno, sensu tincta esse debebunt, *h. e.* non vana, et ad ornatum fusa, sed significantia. *Mart.* 3, 20. Sales lepore Attico tincti. *Id.* 10, 33. versus viridi aerugine tincti, *h. e.* mordaces et contumeliosi. *Pers.* 3, 36. cum dira libido Moverit ingenium ferventi tincta veneno. *Ov. Pont.* 4, 6, 34. Verba velut tinctum singula virus habent.

TINCTUS, us, m. *βάμμα*, intinctus. In sexto casu sing. *Plin.* 10, 48, 68. Avis croceo tinctu cibis gratissima.

TINĔA, ae, f. *σής*, vermiculus in pulvere et situ nascens, et erodens chartas, vestes, et similia. *Hor. Ep.* 1, 20, 12. ad libr. suum: tineas pasces taciturnus inertes. *Cato R. R.* 98. Vestimenta tineae ne tangant, amurcam decoquito, ea ungito fundum arcae, etc. *Ov. Pont.* 1, 1, 72. Conditus tineae carpitur ore liber. *Hor. Sat.* 2, 3, 118. cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca. *Vitr.* 5, 12. *f.* tineam cum carie et teredine conjungit, quibus ligna exeduntur. ℙ Metonymia est in illo *Mart.* 11, 1., ubi libellos suos vocat *nostrarum tineas ineptiarum*, quasi tineis ludibrium debeant, earumque toti futuri sint. ℙ Est a *ταινία*, extrita praepositiva diphthongi, qua voce proprie fascia aut vitta tenuis et oblonga significatur; metaphorice, praeter alia, vermiculus tenuis et oblongus, cujusmodi sunt, quos *Plin.* scribit 31, 3, 22. in gelidis fontibus nasci. *Hard.* autem in MSS. suis legit *taenias.* Etiam lumbrici, *ἕλμινθες*, qui in hominum visceribus gignuntur, et praecipue pueros vexant, tineae sunt eidem *Plin.* 27, 13, 120. et 21, 20, 83. et 23, 8, 77. et 24, 10, 47. etc. Similiter *Ov. Met.* 14, 373. agrestes tineas vocat bombyces, qui solent canis frondes intexere filis: *Nemes. Cyn.* 209. vermiculos infestos auribus canum: *Colum.* 9, 14. (et *Virg. G.* 4, 246.) vermiculos ex stercore papilionum nascentes, et apum alveis inimicos; et 5, 10. *med.* vermes molestos seminibus ficulneis. Quin et pediculos, hoc nomine appellat *Claud. in Eutrop.* 1, 113. miserabile turpes Exedere caput tineae: deserta patebant Intervalla comae; et *ib.* 260. Pulvere respersus tineas, *h. e.* caput tineosum. Hinc Italorum *tigna.* ℙ Creditur *Seren. Sammon.* primam syllabam produxisse 30, 564. interno cum viscere tinea serpens, etc. Sed plerique alii leg. *taenia.*

[TINĔĀRĬA et Tiniaria, ae, f. *Scrib. Comp.* 83. Prodest et herbae, quam *πόλιον* vocant, nos, ut opinor, tiniariam, fasciculus. *Theophrast. Hist. plant.* 1, 16. ait, *πόλιον* utile esse *πρὸς τοὺς σῆτας* (*h. e.* tineas) *ἐν τοῖς ἱματίοις.* V. POLION. *F.*]

[TINĔĀTĪCA et Tiniatica, ae, f. herba eadem videtur esse ac tinearia, cujusque meminit *Marcell. Empir.* 17. *med.* *F.*]

TINĔŌLA, ae, f. parva tinea. *Veg. Vet.* 1, 4. Lumbrici, vermes, et tineolae, quas alii pediculos appellant.

TĪNĔŌSUS, a, um, adj. *ἑλμινθώδης*, plenus tineis, ut Alvei tineosi, ap. *Colum.* 9, 14. *f. Not. Tir.* p. 176. Tinea, tineosus.

TINGENS, entis, part. a *tingo:* Absolute est tinctor, *βάπτων. Plin.* 9, 28, 62. Sed id tingentium officinae ignorant. Adde 37, 9, 40.

[TINGENS, is, e, adj. idem ac Tingitanus. *Coripp. Johann.* 5, 278. Abylae Tingensis ad arva Improba tendit iter. *F.*]

TINGITĀNUS, a, um, adj. ad Tingin pertinens, quod est oppidum Mauretaniae, nunc *Tanger*, ad fretum Gaditanum, Oceano obversum. *Mamert. Genethl. Maxim.* 16. *f.* Tingitanum litus. [*Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 241, 5. T. Vario Clementi Praef. auxiliorum in Mauretaniam Tingitanam missorum. *F.*] ℙ **Tingitanius*, *a*, *um*, i. q. Tingitanus. *Plin.* 5, 2. Tingitaniae provinciae longitudo CLXX. M. passuum est: ubi codd. quidam antiqui *Tingitanae. Inscr.* ap. *Grut.* p. 482. *n.* 7. Tempore expeditionis in Tingitaniam. Potest autem utrobique esse substantivum, nempe *Tingitania*, *ae*, f. *B. A.*

TINGO et Tinguo, is, nxi, nctum, a. 3. *τέγγω, βρέχω, ὑγραίνω, βάπτω*, madefacio, inficio, humore imbuo: a prima Graeca voce allata. *Sen. Oed.* 42. tenuis Ismenos fluit, Et tingit inopi nuda vix unda vada. *Prop.* 1, 6, 32. Lydia Pactoli tinguit arata liquor; et 4, 4, 22. Et sibi tinguendas dixit in amne comas. *Ov. Met.* 4, 342. in undis Summa pedum taloque tenus vestigia tingit; et *ib.* 2, 621. Tingere ora lacrimis. *Id. ib.* 172. et *Virg. G.* 1, 246. Arctos Oceani metuentes aequore tingi. *Just.* 44, 3. *f.* et *Mart.* 14, 33. Ferrum aqua tingere; et *Virg. G.* 4, 172. stridentia aera lacu. *Ov. Rem. Am.* 700. in amne faces: exstingere. *Id. Her.* 19, 44. Pallade membra; et *Mart.* 2, 59. tingi nardo. ℙ Item colorem induco, inficio. *Sen. Hipp.* 376. et *Ov. Her.* 4, 72. Flava verecundus tinxerat ora rubor. *Tibull.* 2, 4, 28. Et niveam Tyrio murice tingit ovem. *Ov. Met.* 6, 9. Phocaico bibulas tingebat murice lanas. *Mart.* 1, 78. Tingit cutem Charinus: et tamen pallet. *Plin.* 6, 19, 22. Tinguntur sole populi. *Ov. Am.* 1, 14, 2. Tingere comam; et *ib.* 2, 5, 40. ebur. *Id. A. Am.* 3, 269. pallidum corpus purpureis virgis. *Id. Fast.* 1, 321. (et *Met.* 7, 599.) calido strictos tincturus sanguine cultros. *Hor. Od.* 3, 23, 11. Victima pontificum securim Cervice tinguet. ℙ [Item *laborare a smalto. Plin.* 33, 9, 46. Tingit et Aegyptus argentum, ut in vasis Anubim suum spectet; pingitque, non caelat argentum. ℙ *Tingere nummos*, est eos ex aere cusos argento vel auro ita inficere, ut aurei vel argentei videantur. *Ulp. Dig.* 48, 10, 8. Quicumque nummos aureos raserit, tinxerit, finxerit, si quidem liberi sunt, ad bestias dentur; si servi, summo supplicio afficiantur. *F.*] ℙ *Tingere lumine*, illustrare, quia lumen colores aperit. *Lucr.* 6, 172. volucri loca lumine tingunt Nubes. ℙ Ipse etiam colori tingi dicitur, h. e. induci. *Plin.* 21, 26, 97. Hoc fuco hysginum tingunt. *Id.* 16, 18, 31. et 6, 31, 36. Purpuram tingere. *Id.* 33, 13, 57. caeruleum. ℙ *Tingere universim* pro imbuere. *Ov. Met.* 11, 142. de Mida: Rex jussae cecidit aquae: vis aurea flumen Tinxit; et *ib.* 4, 388. incerto fontem medicamine tinxit. *Plin.* 18, 1, 1. Tingere tela venenis. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 5. Tingentes vinum fumo: utinam non et herbis, ac medicaminibus noxiis. ℙ Translate. *Mart.* 8, 3. Romano lepidos sale tinge libellos. *Sen. ep.* 66. Virtus quidquid attigit, in similitudinem sui adducit, et tingit. V. TINCTUS, a, um. ℙ *Tinguo* pro *tingo* recte scribi docent *Manut.*, *Pier.*, *Dausqu.*, *Brochous.* ad *Prop.* etc. ex lib. veterib., unde *distinguo*, *exstinguo.*

TINGOMĒNE. V. TANGOMENAS.

*TINĬA. ae, m. Umbriae fluvius, in Tiberim cadens hodie *Topino* dictus. *Plin.* 3, 5. *Sil.* 8, 453. *Τενέας* est *Straboni. B. A.*

*TINNETĬO, onis, vicus Rhaetiae. *Anton. Itin. B. A.*

TINNĪBŪLĀTUS. V. TINTINNABULATUS.

TINNĪMENTUM, i, n. *κωδώνισμα*, idem quod tinnitus. *Pl. Rud.* 3, 5, 26. Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.

TINNĪO, is, ivi, et ii, n. *κωδωνίζω*, sonum edo: et proprie dicitur de metallis, cum pulsata resonant: ab ipso sono fictum, qui *tin tin* referre videtur. *Varr. R. R.* 3, 16. de apib.: Cum evolaturae sunt, jaciendo in eas pulverem, aut circum tinniendo aere perterritas, quo voluerit, perducet. *Pl. Trin.* 4, 2, 62. Nunquam temere tinniit tintinnabulum. *Ve nant. carm.* 2, 20, 90. tinniverunt, cum crepuer ferae (*catenae*). *Quint.* 12, 10. *med.* Pleraque n illa quasi mugiente littera cludimus *m*, qua nullu Graece verbum cadit: at illi *n* jucundam, et in fi praecipue quasi tinnientem, illius loco ponunt. Dicitur de his, qui acuta voce sunt, strident, o strepunt, moleste garriunt. *Pl. Poen. prol.* 32. M tronae tacitae spectent, tacitae rideant, canora voce sua tinnire temperent. *Id. Ps.* 3, 2, 99. N lestus ne sis, nimium jam tinnis: non places. *Cas.* 2, 3, 32. Ohe, jam satis, uxor, est, c prime te: nimium tinnis. ℙ In illo *Suet. Ner.* 2 Si paulum subbibisset, aliquid se sufferti tinnitu promisit: *tinnire* ponitur pro leviter canere, ad tandam scilicet invidiam, ne videretur Nero sese laudare, antequam audiretur. Sic *Calp. Ecl.* 5, 16. vere novo, cum jam tinnire volucres Incipient. ℙ *Aures tinnire* dicuntur, cum aut acutam vocem audiunt, aut quippiam intus habent tympanum acute feriens: quod morbi genus est. V. TINNĪTUS. *Catull.* 51, 10. sonitu suopte Tinniunt aures. Alii leg. *tintinant.* [*M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 5. Longus sermo nobis super te exortus est; itaque nec tibi dubito ibidem in foro diu tinnisse auriculas. V. *Plinii l. c.* in TINNĪTUS. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Att* 14, 21. *extr.* Exspecto maxime, ecquid Dolabella tinniat, *h. e* pecuniam mihi debitam solvat, quae numerando tinnire solet. Ita *Graevius. Pers.* 5, 105. veri speciem dignoscere calles, Nequa subaerato mendosum tinniat auro, *h. e.* solidum non crepet, sed vana specie et inani sonitu.

TINNĪTO, as, n. 1. frequent. a tinnio. *Auct. carm. de Philom.* 9. Parus enim quamvis per noctem tinnitet omnem. Alii leg. *tinniat.* [*Adde *Commod. Instruct.* 64. Nec enim dico, ut te in trivio tinnites, h. e. gloriae captandae causa te jactites. *Bail.*]

TINNĪTUS, us, m. *κωδωνισμός*, sonor metalli tinnientis. *Virg. G.* 4, 64. Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum. *Id. A.* 9, 809. strepit assiduo cava tempora circum Tinnitu galea. *Ov. Met.* 5, 204. sonuit tinnitibus ensis acutis. *Id. Fast.* 4, 183. Ibunt seminares, et innania tympana tundent: Aeraque tinnitus aere repulsa dabunt. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 15. Dracones in Gorgone Minervae ad ictus citharae tinnitu resonant. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 1. de lino: Nervositas filo aequalior paene, quam araneis, tinnitusque, cum dente libeat experiri. *Id.* 2, 3, 3. Circumactorum tinnitus siderum. *Sil.* 13, 146. tinnitus lituum, *h. e.* acutus sonitus. ℙ *Tinnitus aurium* est sonor quidam exilis et acutus, quasi aeris tinnientis, qui praeter naturam sentitur in auribus, *βόμβησις ἀκοῆς. Plin.* 20, 15, 57. Cuminum silvestre auribus instillatur ad sonitus atque tinnitus. *Id.* 23, 4, 42. Oleum amygdalinum gravitatem auditus discutit, sonos incertos et tinnitus. *Id.* 28, 2, 5. Absentes tinnitu aurium praesentire sermones de se, receptum est. V. TINNIO. ℙ Translate. *Auct. dial. de Or.* 26. Malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis, *h. e.* verba et sententias acute sonoras, sed vi et sensu carentes: [**Worgeklingel.*]

TINNŪLIS, a, um, adj. *λιγυρὸς, διαβομβῶν*, tinniens, acut resonans. *Ov. Pont.* 1, 1, 38. Jactantem Pharii tinnula sistra manu. *Id. Met.* 4, 393. Tinnulaqu aera sonant. *Sen. Troad.* 833. Tinnulas plectro feiente chordas. *Calpurn. Ecl.* 4, 74. tinnula fistula. *Catull.* 61, 12. Nuptialia concinens Voce camina tinnula. *Pomp.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. *med.* Vocem reddere tenuem et tinnulam. *Stat. Silv.* 1, 6, 1. Illic cymbala tinnulaeque Gades, Illic agmin confremunt Syrorum, *h. e.* puellae Gaditanae choro choro prurientes, ut ait *Juven.* 11, 162. ℙ Translate. *Quint.* 2, 3. *med.* Rhetores tumidos, et erruptos, et tinnulos, et quocumque alio cacozelae genere peccantes, certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare, ut corpora non robore sed valetudine inflantur. V. v. praec.

TINNUNCŪLUS, i, m. *κέγχρις*, genus accipitris, quod in aedificiis nidificare solet, et libenter cum columbis versatur, easque ab aliorum accipitrum injuriis defendit. Ferunt, ejus pullos singulos fictilibus ollis condi, spirantibusque opercula superponi, egypso lita vasa in angulis columbarii suspendi: quam rem avibus amorem loci sic conciliare, ne uncam deserant. *Colum.* 8, 8. et *Plin.* 10, 37, 52. [Scribitur et *tinunculus.*

[TINTINNĀBELLUM, i, n. dimin. tintinnabuli. *Not. Tir.* p. 128. Tintinnabulum, tintinnabellum. *F.*]

TINTINNĀBŪLĀTUS, a, um, adj. qui tintinnabulum habet. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Cui concentui accebit adjungas fistulae septiforis armentalem cahenam, quam nostrorum montium Tityri exercent inter greges tintinnabulatos, inter depasta buceta reboantes. Alii leg. *tinnibulatos*, eodem sensu.

TINTINNĀBŪLUM, i, n. *κρόταλον, κώδων*, instrumentum plerumque aeneum, interdum etiam ex stanno, argento, plumbo, aut ex omnibus his una admixtis conflatum, quod percussum tinnitum edit: a *tintinno.* Ejus usus fuit apud antiquos in balneis; eo enim lavaturi convocabantur, et qui in balneo essent, evocabantur, ut aliis locum darent. Hinc *Mart.* 14, 163. cujus lemma *Tintinnabulum.* Redde pilam: sonat aes thermarum: sudere pergis? etc. *Juven.* 6, 440. Tot pariter pelves, et tintinnabula dicas Pulsari. *Pl. Trin.* 4, 2, 162. Nunquam edepol temere tinniit tintinnabulum. Nisi qui illud tractat, aut movet, mutum est, tacet. *Plin.* 36, 13, 13. *n.* 4. Pendeant exapta catenis tintinnabula, quae vento agitata longe sonitus referant. *Suet. Aug.* 91. Tintinnabulis fastigium aedis redimiit, quod ea fere januis dependebant. *Paul. Nol. carm.* 18, 336 ut praesepia vidit Nuda boum, et nullos dare tintinnabula pulsus, Excussa ut cervice boum crepitare solebant; Mollius aut lentis cava linguis aera ferire, Armentum reduces dum gutture ruminat escas. ℙ

In domibus tintinnabuli sonitu familia excitabatur, janitores praesertim, ut indicat *Suet. Aug.* 91. ℙ In sacrificiis quoque adhibebantur tintinnabula. V. *Pl. Ps.* 1, 3, 98. et sqq. ℙ Alios praeterea usus tintinnabulorum recensuit *Hier. Magius* in libello hac de re conscripto, quem V.

TINTINNĂCŬLUS, i, m. *κροταλίζων*, flagrator, lorarius, carnifex: a *tintinno*, quia caedendo loris corpora tinnitus quidam excitabatur. *Pl. Truc.* 4, 3, 8. Nisi ad tintinnaculos vultis vos educi viros. *Turneb. Advers.* 11, 21. scribit, tintinnaculos dictos fuisse carnifices, qui tintinnabula habebant, quibus utebantur in sumendis suppliciis, nam qui ad supplicium ducebantur, tintinnabula gerebant, teste *Zonara*.

[TINTINNĬĀLĂ, ae, m. qui alis suis tinnitum edit. *Vet. Schol. Crug.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 14. Culices tintinnialas vocant plebeji a sonitu alarum. *F.*]

TINTINNĬO, is, n. 4. et Tintinno, as, n. 1. et Titinnio, is, ac Titinno, as, tinnitum edo, tinnio, resono instar tintinnabuli. *Naev.* ap. *Fest.* Tantum ubi molae crepitum faciebant, tintinnabant compedes. *Afran. ib.* et ap. *Non.* 1, 188. Ostiarii impedimenta titinnire audio. *Nig.* ap. *Non. ib.* Itaque ex aere in Saliaribus Albanus tintinnat.

TINTINNUM, i, n. tintinnabulum. *Ven. carm.* 2, 20, 49. Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille, Qui jumentorum colla tenere solet.

TINTĬNO, as. V. TINNIO.

TĪNUS, i, f. genus lauri silvestris. *Plin.* 15, 30. 39. Tinus: hanc silvestrem laurum aliqui intelligunt: nonnulli sui generis arborem. Differt color: est enim ei caerulea bacca. Adde 17, 10, 11. et *Ov. Met.* 10, 98. et *A. Am.* 3, 692., ubi alii leg. *pinus:* ut et ap. *Colum.* 9, 4. [**der lorbeerartige Schneeball*, Viburnum Tinus, *L.*]

*TĪOS, i, oppidum Bithyniae, Milesiorum colonia. *Mela* 1, 19. *med.* ℙ *Tium* vocatur a *Plin.* 6, 1. *Τίον* a *Ptolemaeo. Τήϊον* appellat *Strabo. B. A.*

*TIPARĒNUS, i, insula maris Aegaei, Argolidi objecta. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*TIPASA, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. ℙ Aliud, in Numidia. *Anton. Itin. B. A.*

TIPHĒ, es, f. *τίφη*, genus frumenti Graecis peculiare, ex quo fit in nostro orbe oryza. *Plin.* 18, 8, 29. et *ib.* 10, 20. *n.* 4. [**Secundum Spreng. Triticum monococcum, L., Peterskorn, Einkorn.*]

*TIPHICENSE oppidum in Africa fut. Meminit *Plin.* 5, 4. *B. A.*

[TĪPHUS, i, m. *τῖφος*, locus palustris, palus. Est nomen propr. serv. R. *Inscr.* ap. *Doat.* 412, 7. Palinuro L. Aponii posuit Tiphus frat. caiss. Alia ap. *Mur.* 933, 1. Tiphus Atiae supra jumeta. *F.*]

[TĪPHYNUM, i, n. collyrium ex floribus liliaceis, *τίφυνος* enim Graecis est liliaceus, ullirinus: a *τίφυον*, tiphyon, herba coronaria, cujus *Plin.* 21, 11, 39. meminit. *Inscr.* ap. *Tochon, Cachts des ocul.* p. 6. M. Ulpii Heracletis tipinum. *Vis. Op. var.* T. 3. p. 328. putat, scribendum *tiphinum*, quod est pro *tiphynum. F.*]

TĪPHYON, ii, n. *τίφυον*, et *τὸ ἴφυον*, genus floris aestivi, nunc incogniti. *Plin.* 21, 11, 39.

TĪPHYS, yos, m. *Τῖφυς*, Phorbantis (al. *Hagni*) et Hymanes filius, Boeotius, vir arte carpentaria celebris, qui primus gubernandi naves adminiculum instituit, Argonautarumque in Colchica expeditione gubernator fuit. *Virg. Ecl.* 4, 34. Alter erit tum Tiphys, et altera, quae vehat, Argo Delectos heroas. *Ov. Her.* 6, 48. Quid tibi cum patria, navis Tiphy, mea? *Vet. Poeta* ap. *Charis.* 4, 243. Tiphyn aurigam celeris fecere carinae.

TIPPŬLA et Tipulla, ae, f. genus insecti sex pedes habentis, sed tantae levitatis, ut super aquam currens non desidat. *Varr.* ap. *Non.* 2, 857. Levi tippula linifici frigidos transit lacus. *Pl. Pers.* 2, 2, 62. Neque tippulae levius pondus est, quam fides lenonia. [**Legitur et tipula. Bail.*]

*TIQUADRA, ae, insula Hispaniae adjacens, una e Balearibus. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*TIRACIENSES, ium, populi Siciliae, a Tiracia quodam oppido fortasse nomen trahentes. *Plin.* 3, 8. si lectio certa. *B. A.*

*TIRĒNUS pons fuit Minturnis, fortasse in fluvio Liri; nam is Minturnas praeterlabitur. *Cic. Att.* 16, 13. ubi codd. in hoc nomine variant. *B. A.*

*TIRESĬAS, ae, m. *Τειρεσίας*, vates Thebanus, mutatus quondam, ut Poetae tradunt, in feminam, post septem annos in virilem formam rediit. Excaecatus est a Junone, quod pro Jove in re Venerea sententiam tulisset. Sunt tamen qui excaecatum asserant, ob Palladem in lavacro nudam visam. V. *Spanhem.* ad *Callim. lavacr. Pallad.* 82. *Broukh.* ad *Prop.* 4, 9, 57. et copiose admodum *Burm.* ad *Ov. Met.* 3, 322. De eo *Hygin. fab.* 68. et 75. *Cic. Tusc.* 5, 39. *de Divin.* 1, 40. et 2, 3. *Hor. Sat.* 2, 5, 1. *Stat. Th.* 2, 96. ubi consule *Lact.* sive *Lutat.* Scholiastam. ℙ Pro caeco Tiresiae nomen a *Juvenale* positum est *Sat.* 13, 248. Tandemque fatebere laetus, Nec surdum nec Tiresiam quenquam esse deorum. ℙ Avium auspicia invenit, teste *Plin.* 7, 56. *B. A.*

*TIRIDA, ae, Thraciae oppidum, sed excisum, cujus meminit *Plin.* 3, 11. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Tinda. B. A.*

*TIRIDĀTES, is, m. nomen regis Parthiae atque Armeniae. *Hor. Od* 1, 26, 5. *Suet. Ner.* 13. *Justin.* 42, 5. *Plin.* 7, 39. et 30, 2. ℙ Scribitur et *Teridates* (Gr. *Τηριδάτης*) v. g. in ed. *Jani Horat. B. A.*

*TIRIS, insula Italiae inferiori objecta, ad Bruttios, recentiorum temporibus aquis obruta. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

*TIRISTĂSIS, is, Thraciae oppidum, ad Propontidem. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

TĪRO, onis, m. *ἀπειροπόλεμος, νεοστράτευτος*, miles novus, et rudis militiae. *Cic. Tusc.* 2, 16. Aetas tironum plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere vulnus, consuetudo docet. *Caes. B. C.* 3, 28. Altera navis ducentos viginti ex legione tironum sustulerat: altera ex veterana paulo minus ducentis. ℙ Adjective. *Liv.* 21, 43. *med.* Pugnantes cum exercitu tirone. *Cic. Fam.* 7, 3. *med.* Signa, tirone et collecticio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit. *Id. Phil.* 11, 15. Non tam veteranos intuendos vobis arbitror, quam tirones milites. *Hirt. B. Afr.* 16. Quid tu, miles tiro, tam feroculus es? ℙ *Tiro* translate dicitur, quicumque in qualibet arte novus et rudis est. *Cic. Or.* 1, 50. *extr.* Fateor, callidum quemdam hunc, et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere. *Id. Verr.* 2, 2, 6. *med.* Tametsi non provinciae rudis erat et tiro. *Id. Rosc. Am.* 6. *f.* Qui cum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit. *Id. Div. Verr.* 15. Video L. Appulejum, hominem non aetate, sed usu forensi atque exercitatione tironem. *Ov. A. Am.* 3, 565. Ille vetus miles sensim et sapienter amabit, Multaque tironi non patienda feret. *Varr. R. R.* 1, 20. Ut tironem bovem cum veterano adjungant, imitando enim facilius domatur. ℙ Praecipue *tiro* dicitur adolescens, quo primum tempore, sumpta virili toga, in forum prodit. V. TIROCINIUM. *Plin.* 8, 48, 74. Cum toga pura tirones induuntur. *Ov. Fast.* 3, 788. Ergo ut tironem celebrare frequentia possit, Visa dies dandae non aliena togae. *Suet. Ner.* 7. Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit. ℙ Et orator, in foro primum verba facturus. *Sen. Excerpt. controv. prooem.* 2. *med.* ℙ [*Tiro* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1178, 2. Q. Aemilius T. F. Pol. Tiro. ℙ Hinc celebris fuit hoc nomine servus primum, deinde hoc eodem cognomine libertus M. Tullii Ciceronis, qui in omni litterarum genere exercitatissimus patroni a studiis fuit: ab eo impense dilectus, et a filio ejus, quod plures epistolae *l.* 16. *ad Fam.* satis ostendunt. V. *Gell.* 7, 3. et 13, 9. Ille etiam, teste *Isid. Or.* 1, 22., auctor fuit notarum, quae nunc *Tironianae* appellantur, a *Grutero* editae iterum *Amstael.* ann. 1707., quasque eodem item ordine dispositas fuisse jam ante *Isidori* tempora, evincitur ex hujus *Glossis* ad V. *Dramea*, et *Mutilus*, ubi nunc legitur: *Dramea post framearum* (corrige *frameam*), et *Mutilus post rufum, ante rubrum* (corrige *rubeum*); cum reapse nunc habeant *Not. Tir.* p. 126. Framea, dramea; et p. 128. Rufus, mutilus, rubens. De hisce notis consulenda est *Ulrici Frid. Koppii Palaeographia critica, Manheimii* ann. 1827. et sqq. edita. *F.*] ℙ *Fuit et Tiro nomen proprium virorum R.; v. g. Numisius Tiro, de sicariis Antonii triumviri, cujus meminit *Cic. Phil.* 2, 4. et *Phil.* 5, 6. item Sabinus Tiro, auctor libri *κηπουρικῶν* sive rerum hortensium, quem Maecenati dicasse dicitur a *Plin.* 19, 10. Calestrium Tironem meminit *Plin. alter* 7, 16. et 32. *B. A.* ℙ Sunt quibus placet scribi *tyro*, inter quos est *Manut.* in *Orthogr.* ex vet. Inscript. diligenter a se descripta: quam tamen viri docti spuriam esse contendunt. Contra in alia optimae notae ita scribitur ap. *Grut.* 358, 3. Praef. Chor. novae tironum. Adde alias ap. *eund.* 152, 4. et 335, 5. et aliam ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12., in qua octies *tiro* scribitur. Has sequuntur *Cellar., Voss., Dausqu.* et alii.

TĪROCĪNĬUM, ii, n. *πρωτοπειρία, μάθησις*, primum rudimentum, seu experimentum militiae: et significat etiam ipsam imperitiam novi militis. *Hirt. B. Afr.* 31. Atque haec propter exercitus sui praesentis paucitatem et tirocinium praeparaverat, non hostium vi et metu commotus. *Flor.* 2, 3. Quotidiani, et quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant. Sic *Val. Max.* 5, 4. *n.* 2. Neque illum ex aetatis infirmitas, aut militiae tirocinium, aut felicis proelii exitus interpellare valuit. Et transl. *Liv.* 39, 47. Cum senatus simul et tirocinio, et perturbatione juvenis moveretur. *Manil.* 1, 188. Haque per totidem luces mutatur, et orbes, Nec tirocinio peccat. ℙ *Tirocinium* pro ipsis tironibus, ut *servitium* pro ipsis servis. *Liv.* 40, 35. *f.* Ob contemptum tirocinium etiam meliores barbaros excitare ad rebellandum possit. ℙ *Tirocinium ponere*, aut *deponere*, primum experimentum militiae dare, militiam addiscere, stipendia mereri incipere. *Just.* 12, 4. Constantiores futuri, si non solum tirocinia, verum et incunabula in ipsis castris posuissent. *Id.* 9, 1. Ut sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret. ℙ Transfertur ad alia. *Plin.* 7, 48, 49. Galeria Copiola reducta est in scenam ludis pro salute divi Augusti votivis, annum centesimum quartum agens: quae producta fuerat tirocinio a M. Pomponio aedili plebis, ante annos nonaginta unum; et *Sen. Contr.* 3, 20. Potest tirocinium esse homicidium, parricidium non potest. ℙ *Tirocinium fori* dicebatur, cum primum in forum adolescentes, sumpta virili toga, deducebantur, ut publice versari, et agere cum populo inciperent: et *tirocinium eloquentiae*, cum oratores futuri oratoriae arti et agendis causis initiabantur. *Suet. Aug.* 26. Ut Cajum et Lucium filios, amplissimo praeditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. *Id. Tib.* 54. Neronem et Drusum patribus commendavit, diemque utriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit. *Id. Cal.* 10. Uno eodemque die togam sumpsit, barbamque posuit, sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus. *Liv.* 45, 37. Si in L. Paulo accusando tirocinium ponere, et documentum eloquentiae dare voluit. ℙ *Tirocinium navium*, cum primum mari committuntur. *Plin.* 24, 7, 26. Zopissam eradi navibus, diximus, cera marino sale macerata, optima haec a tirocinio navium.

TĪRONĀTUS, us, m. tirocinium. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7, 13, 21. Tempore tironatus eorum procuratores, qui refugas occultandos putaverint, in judicio praesententur.

TĪRONĬĀNUS, a, um, adj. ad Tironem Ciceronis libertum spectans. *Gell.* 1, 7. In oratione Ciceronis quinta in Verrem, in libro spectatae fidei, Tironiana cura atque disciplina facto. Adde 13, 20.

TIRUNCŬLĂ, ae, f. quae in arte aliqua adhuc rudis est, nova, adolescens. *Colum.* 7, 12. *f.* de cane: Quoniam tiruncula nec recte nutrit, et educatio totius habitus aufert incrementum, *h. e.* quae primum peperit. *Hieron. ep.* 31. *n.* 14. Saluta Blaesillam et Eustochium, tirunculas nostras.

TĪRUNCŬLUS, i, m. parvus tiro, juvenculus rudis in militia, aliave re quapiam. *Sen. ep.* 108. *med.* Ut probarem tibi, quam vehementes haberent tirunculi impetus primos ad optima quaeque. *Colum.* 11, 1. *f.* Villicum familiae praeponi convenit aetatis nec primae, nec ultimae: nam servitia sic tirunculum contemnunt, ut senem. *Plin. ep.* 3, 6. Quod me, quamquam tirunculum, sollicitavit ad emendum, *h. e.* rudem in cognitione signorum. *Suet. Ner.* 21. *f.* Tirunculus miles. *Juven.* 11, 142. Nec frustum capreae subducere, nec latus Afrae Novit avis noster tirunculus, *h. e.* rudis servulus. [*Hieron. Vit. Hilar. n.* 5. Tirunculus Christi. *F.*]

TĪRYNS, ynthis, et ynthos, f. *Τίρυνς, υνθος*, oppidum Peloponnesi in Argolide, Argis vicinum, ubi Herculem educatum fuisse tradit *Serv.* ad *A.* 7, 662., postea excisum ab Argivis. *Stat. Th.* 4, 146. suus excit in arma Antiquum Tiryntha Deus: non fortibus illa Infecunda viris, famaque immanis alumni Degenerat. *Plin.* 4, 5, 9. Et ubi fuisse Tiryntha tradunt.

TĪRYNTHĬUS, a, um, adj. *Τιρύνθιος*, ad Tirynthia pertinens: et saepe de Hercule dicitur, et aliis ad eum pertinentibus. *Virg. A.* 7, 661. et *ib.* 8, 228. postquam Laurentia victor, Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva. *Val. Fl.* 3, 133. totusque ruit Tirynthius arcu. *Ov. A. Am.* 1, 187. manibusque duos Tirynthius angues Pressit. *Id. Met.* 13, 401. Tirynthia tela. *Id. Met.* 7, 410. Tirynthius heros. (At *Tirynthius heros* ap. *Stat. Th.* 6, 489. est Chromis filius Herculis, ut *ib.* 346. dicitur.) *Id. Fast.* 2, 305. juvenis. *Id. Met.* 6, 112. de Jove: Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia, cepit, *h. e.* Alcmena Herculis mater. *Stat. Th.* 11, 45. Tirynthia pubes, *h. e.* milites Tirynthii sub duce Agyleo Herculis filio, ut est ap. *eund.* 4. a *v.* 146. Rursus *Id. Silv.* 4, 6, 17. O bona nox, junctaque utinam Tirynthia luna! *h. e.* geminata, ut fuit, cum conceptus est Hercules ab Alcmena. *Id. ib.* 2, 2, 109. Tirynthia aula, *h. e.* Herculanum ab Hercule conditum. *Sil.* 2, 300. et 1, 661. Externas acies quatit ut, Tirynthia tecta, *h. e.* Saguntum, ab Hercule conditum, ut in SAGUNTOS dictum est. Est autem ordo; *quatit Tirynthia tecta, ut externas acies.* Rursus *Id.* 7, 35. Tirynthia gens, *h. e.* gens Fabia, quae originem trahebat ab Hercule. V. FABII. Sic *Id.* 8, 218. Tirynthius heros, *h. e. Q.* Fabius Max. cunctator: de quo *Id.* 2, 3. Fabius, Tirynthia proles. ℙ *Tyrinthii, orum*, cives Tirynthis, quos *Theophrast.* ap. *Plin.* 7, 56, 57. turrim primos aedificasse tradit. ℙ Sunt qui scrib. *Tyrins*, et *Tyrinthius.*

TIS. V. TU.

*TISAEUS, sc. mons, vel Tisaeum, sc. *ὄρος* (*τὸ Τισαῖον Polyb.*), i, in Thessalia fuit. *Liv.* 38, 5. *extr. B. A.*

*TISAGŌRAS, ae, m. *Τισαγόρας*, frater Miltiadis, ducis celeberrimi. *Nep. Milt.* 7. *B. A.*

*TISAMĒNES. V. v. sq. *B. A.*

*TISAMĒNUS, i, *Τισάμενος*, rex Argivus, Orestis filius, ab Heraclidis expulsus. *Hyg. fab.* 124. *Ov. in Ibin* 348. Adde *Front. Strateg.* 1, 2. ubi ed. *Wechel.* (1553.) *Thyamenus.* ℙ Reperitur et *Tisamenes. B. A.*

*TISANUSA, ae, f. Capriae opp., cum portu. *Mela* I, 16. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

[TISDRITANUS, a, um, adj. ad Tisdrum pertinens, Africae propriae urbem inter Thapsum et Uselam. *Plin.* 7, 4, 3. L. Cossicius civis Tisdritanus. Hinc *Tisdritani, orum*, absolute, incolae illius urbis. *Hirt. B. Afr.* 97. Tisdritanos propter humilitatem civitatis certo numero frumenti multat. *F.*]

*TISIAS, ae, m. Siculus, primus rhetoricam scripsit. *Cic. Or.* 1, 20. *med. Brut.* 12. *in.* et *Inv.* 2, 2. *med. Quint.* 2, 16. et 17. et 3, 1. ℙ Et sculptor eximius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*TISICRATES, is, insignis sculptor, Sicyonius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

TISIPHONE, es, f. *Τισιφόνη*, Aetheris et Terrae filia, secundum *Hyg. praef.*, vel Plutonis, vel Erebi et Noctis, una ex tribus Furiis: a *τίω*, punio, et *φόνος*, caedes, quia caedibus gaudet: vel a *τίοις*, ultio, et *φόνος*, mors. Ejus cultum *Stat. Th.* 1. a *v.* 100. describit. *Virg. A.* 6, 570. Continuo sontes ultrix accincta flagello Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra Intentans angues, vocat agmina saeva sororum; et *ib.* 10, 761. Pallida Tisiphone media inter millia saevit. *Id. Cul.* 217. Obvia Tisiphone, serpentibus undique compta, Et flammas, et saeva quatit mihi verbera poenae. *Sen. Herc. Fur.* 984. Saeva Tisiphone caput Serpentibus vallata. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 39. crinitaque sontibus hydris Tisiphone. *Prop.* 3, 3, 62. Tisiphones atro si fuit angue caput. *Ov. Met.* 4, 480. Tisiphone madefactam sanguine sumit Importuna facem. *Id. Her.* 2, 117. Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis.

TISIPHONEUS, a, um, adj. *Τισιφόνειος*, ad Tisiphonem pertinens. *Ov. Trist.* 4, 9, 5. Fac modo te damnes, cupiasque eradere vitae Tempora, si possis, Tisiphonea tuae, *h. e.* furialia, et scelerata, quibus mihi malum creare studuisti.

*TISSANA, ae, f. *Isid.* 20, 3. Tissana, zema, apozema, Graeca vocabula sunt. ℙ Sed librariorum fortasse peccatum potius, quam ipsius auctoris barbaries, qui dedit *Ptisana*, ut putat *Gesnerus. B. A.*

*TISSAPHERNES, is, m. *Τισσαφέρνης*, satraps Persicus, cui filiam nuptum dedit rex Artaxerxes. *Nep. Con.* 3. et *Ages.* 2. *Justin.* 5, 1. 6, 1. etc. *B. A.*

*TISSE, es, f. opp. Siciliae, Aetnae monti vicinum, v. v. sq. ℙ Hinc

[TISSENSIS, e, et *F.*]

[TISSINENSIS, e, adj. ad Tissen pertinens, Siciliae urbem, ad radices Aetnae, nunc fortasse *Raudazzo*, cujus ita meminit *Sil.* 14, 267. Venit Amastra viris, et parvo nomine Tisse. *Cic. Verr.* 2, 3, 38. A Tissensibus perparva civitate, sed aratoribus laboriosissimis. *Plin.* 3, 8, 14. eosdem vocat *Tissinenses*, quod fortasse mendum scriptionis pro *Tissenses. F.*]

TITAN, ānis, m. *Τιτάν*, et Titanus, i, m. frater Iapeti, pater Asteries. *Lactant.* 2, 10. *Hyg. fab.* 53. Aliis Titan est Asteries maritus, ex qua genuit Hecaten. *Serv.* ad *A.* 4, 511. ℙ Item filius Coeli et Vestae, frater Saturni, pater Titanum, seu Titanorum, qui bellum patruo in Tartessiorum saltibus (ut ait *Just.* 44, 4.) indixerunt, ut regnum ei eriperent, et patri redderent: sed victi sunt ab Jove Saturni filio, cui post Saturnum cessit hereditario jure regia coeli. *Pl. Pers.* 1, 1, 26. Quid faciam? Diisne advorser? quasi Titani, cum Diis belligerem? *Cic. Leg.* 3, 2. *f.* Plato Titanum e genere statuit eos, qui ut illi coelestibus, sic hi adversentur magistratibus. *Id. N. D.* 2, 28. Dii cum Titanis, cum gigantibus propria bella gesserunt. *Hor. Od.* 3, 4, 42. scimus, ut impios Titanas, immanemque turmam Fulmine sustulerit caduco. *Ov. Fast.* 3, 796. dicit Titanas a Saturno immissos fuisse contra Jovem filium, qui se regno spoliaverat. *Serv.* ad *A.* 6, 580. scribit, Titanas esse filios Terrae, contra Saturnum tulisse arma, et dictos esse, *ἀπὸ τῆς τίσεως*, ab ultione: ex his unum Solem abstinuisse ab injuria Deorum, et ob id coelum meruisse. *Sen. Med.* 410. *Titana* vocat Enceladum sub Aetna sepultum. ℙ Item filius Hyperionis, Titanis nepos: qui passim pro Sole ponitur. *Tibull.* 4, 1, 50. de Nestore: Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem Saecula fertilibus Titan decurrerit horis. *Virg. A.* 4, 118. ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan. *Ov. Fast.* 1, 617. Respiciet Titan actas ubi tertius idus, *h. e.* tertius dies post idus. ℙ De Prometheo, qui Titanis nepos est. *Juven.* 14, 34. quibus arte benigna, Et meliore luto finxit praecordia Titan.

TITANES. V. in v. praec.

TITANIACUS, a, um, adj. idem ac Titanius. *Ov. Met.* 7, 399. de Medea: Hinc Titaniacis ablata draconibus intrat Palladias arces, *h. e.* qui ex Titanum sanguine nati esse dicebantur.

TITANIS, idis, f. adj. *Τιτανίς*, quae ad Titanas, aut Titanem pertinet. *Juven.* 8, 132. omnem Titanida pugnam Inter majores, ipsumque Promethea ponas. *Ov. Met.* 13, 968. Prodigiosa petit Titanidos atria Circes, *h. e.* filiae Titanis; et *ib.* 14, 376. et *Val. Fl.* 7, 212. nec durus Titanida despice Circen. Et absolute. *Ov. Ib.* 14. Quanta sit herbarum, Titani, potentia, nulli, Quam mihi cognitius. *Id. Fast.* 5, 81. Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn, *h. e.* filiam Coeli et Vestae, sororem Titanis, seu Titani.

TITANIUS, a, um, adj. ad Titanem, vel Titanes pertinens. *Virg. A.* 6, 580. Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes, Fulmine dejecti. *Sil.* 12, 725. Titania bella. *Val. Fl.* 5, 464. tellus, *h. e.* Colchi, ubi Sol praecipue colebatur, et Aeetes Solis filius regnavit. Alii leg. *proles*, *h. e.* ipse Aeetes. *Id.* 4, 91. antra, *h. e.* ubi Sol nocte sub Oceano cubat. *Ov. Met.* 1, 395. Conjugis augurio Titania mota est, *h. e.* Pyrrha neptis Promethei, qui Titanis nepos fuit. *Id. ib.* 3, 173. perluitur solito Titania lympha, *h. e.* Diana, soror Titanis, *h. e.* Solis; et *ib.* 6, 346. positoque genu Titania terram Pressit, *h. e.* Latona filia Cei, qui fuit unus ex Titanibus. Ap. *eund. ib.* 14, 382. et 438. *Titania* est Circe Solis filia; et *Fast.* 4, 943. Luna soror Solis. ℙ *Titanius*, absolute, Sol. *Avien.* in *Arat.* 127. immerso cum jam Titanius orbe Imbuit, et tremulo Tartesia terga rubore. ℙ *Titanius ales* ap. *Claud. Idyll.* 1, 7. est phoenix Soli sacra.

TITANUS. V. TITAN. *Tremulus Titanus* est convicium in senem, ap. *Pl. Men.* 5, 2, 101., ubi alii mallent *Tithonus.*

*TITARESOS vel Titaresus, i, m. fluvius Thessaliae, Olympum montem praeterfluens. *Lucan.* 6, 376. Defendit Titaresus aquas, lapsusque superne Gurgite Penei pro siccis utitur arvis. *B. A.*

[TITHASUS, a, um, adj. *τιθασός*, mansuetus. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 9. p. 284. P. Marcius Tithasus. *F.*]

TITHONAEUS, a, um, adj. ad Tithonum pertinens, ut Memnon Tithonaeus, h. e. Tithoni filius. *Avien. Perieg.* 368. Memnon ubi Tithonaeus Suspectat roseas Aurorae matris habenas.

*TITHOES, is, rex Aegypti, labyrinthum exstruxit. *Plin.* 36, 13. *B. A.*

TITHONIS, idis, f. *Τιθωνίς*, Aurora uxor Tithoni. *Stat. Silv.* 5, 1, 34. citius Tithonida moesti Deficient rores, *h. e.* lacrimae, quibus Aurora Memnonem filium ad Trojam occisum deflet.

TITHONIUS, a, um, adj. ad Tithonum pertinens, ut Tithonia conjux, h. e. Aurora. *Ov. Fast.* 3, 403. quae et Tithonia absolute dicitur a *Val. Fl.* 1, 311. et 3, 1. et a *Stat. Th.* 12, 3. senectus, *Stat. Silv.* 4, 3, 151.

TITHONUS, i, m. *Τιθωνός*, filius Laomedontis, frater Priami. *Serv.* ad *A.* 1, 493. fratrem Laomedontis facit. Cum juvenis esset et decorus, ab Aurora, ut fabulae ferunt, dilectus et raptus fuit, ex qua Memnonem genuit. *Virg. A.* 4, 585. Tithoni croceum linquens Aurora cubile. ℙ Immortalitatem impetravit a Diis, non tamen caruit infelici senecta. *Hor. Od.* 2, 16, 30. Longa Tithonum minuit senecta. ℙ Audita Memnonis filii morte, in cicadam versus est. *Id. ib.* 28, 8. Tithonusque remotus in auras.

*TITHRONE, es, f. opp. Phocidis. *Plin.* 4, 3. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Trichone. B. A.*

[*TITHYMALIS, idis. V. v. sq.]

TITHYMALUS, i, m. et f. *τιθύμαλος*, planta, quam Latini herbam lactariam appellant, alii lactucam caprinam (marinam dicunt *Cels.* 5, 7. et *Appul. Herb.* 108.), narrantque, lacte ejus inscripto corpore, cum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere litteras. Genera ejus multa, quae enumerat, ac describit *Plin.* 26, 8, 39. et sqq., simulque singulorum vires et utilitates in medicina. [*Wolfsmilch, Euphorbia, *L.*] Eorum unum appellatione feminina *tithymalis, idis*, *τιθυμαλίς*, dicitur. [*Euphorbia paralias, *L.*] *Id. ib.* 41. ℙ Scribitur et *Tithymallus. Seren. Sammon.* 46, 841. Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit; et 64, 1106. Et tithymallus item tali satis apta medelae.

TITIALIS, e, adj. Titiensis. *Inscr.* ap. *Grut.* 304, 9. Q. Caecilio Feroci kalatori sacerdotii Titialium Flavialium, etc. *h. e.* sacerdotum institutorum in honorem Vespasiani et Titi Impp. ex gente Flavia.

TITIANUS, a, um, adj. ad Titium aliquem pertinens. *Afr. Dig.* 23, 3, 50. et *Paul. ib.* 45, 1, 85. *f.* Titianus fundus. ℙ *Charis.* 1, 73. a *Tito* derivat. Titus, inquit, ut lupus. Thermas Titinas, ut pelles lupinas, non dicimus, sed Titianas.

TITIENSIS, e, adj. Sodales Titienses iidem sunt, qui sodales Titii. V. TITIUS. *Inscr.* ap. *Mur.* 299, 5. Septemviro epuloni, sodali Titiensi, etc. ℙ *Titienses* dicti sunt vel turma equitum, vel tribus ex Sabinis hominibus a Romulo instituta. Titiensis tribus, inquit *Fest.*, a praenomine Tatii regis appellata videtur. *Liv.* 1, 13. Eodem tempore et centuriae tres equitum conscriptae sunt: Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis et originis causa incerta est. *Id.* 10, 6. Ut tres antiquae tribus, Ramnenses, Titienses, Luceres, suum quaeque augurem habeant. Adde *Ov. Fast.* 3, 131. Sed *Varr. L. L.* 4, 9, 14. et 16. appellat *Tatiensem*, nempe a nomine *Tatius*, ut *Titiensis* est a *Titius.* V. TATIENSES.

TITIES, iidem qui Titienses, h. e. tribus, aut equitum turma ex Sabinis hominibus instituta a Romulo, et a Titi Tatii eorum regis praenomine appellata. *Prop.* 4, 1, 31. Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni. In quibusdam libris legitur *Titiens* inserto *n*, ut in *totiens* etc.

TITILLAMENTUM, i, n. idem ac titillatio. *Fulg. Myth.* 2, 18. Tantalus, cui faliax aqua gulosis labia titillamentis attingit.

TITILLATIO, onis, f. *γαργαλισμός*, actus titillandi. *Cic. N. D.* 1, 40. *med.* At has leviores ducis voluptates, quibus quasi titillatio (Epicuri enim hoc verbum) sensibus adhibetur. *Id. Sen.* 14. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. *Hieron. ep.* 52. *n.* 3. Adolescentia inter incentiva vitiorum, et carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur.

TITILLATUS, a, um, part. a *titillo. Auson. epigr.* 108, 16. Titillata brevi cum jam sub fine voluptas Fervet, et ingesto peragit ludibria morsu. *Tert. Pud.* 22. *med.* Mulier titillatam prosternens carnem. ℙ Translate. *Capell.* 2, 42. Femina nulla prorsus invidia titillata.

TITILLATUS, us, m. titillatio. In sexto casu sing. *Plin.* 11, 37, 77. *de membrana praecordiorum*, h. e. *septo transverso*: In eadem praecipua hilaritatis sedes: quod titillatu maxime intelligitur alarum.

TITILLO, as, a. I. *γαργαλίζω*, est levi attrectatione alarum, aliarumve mollium corporis partium risum cuipiam movere: a *τίλλω*, vello, seu vellico, geminatione primae syllabae. Nam ex levi vellicatione, sive tractatione provenit titillatio. [*Aliam hujus v. derivationem habet *Doederl.* 3, 1. qui a *tigtigulo* contractum putat *titillo;* ita ut in *tetigisse* prima verbi origo quaerenda sit.] *Lucr.* 2, 429. quae Titillare magis sensus, quam laedere possunt, *h. e.* quae nec omnino laevia sunt, nec omnino aspera, sed angellis paulum prostantibus. ℙ Per translationem accipitur pro commovere, provocare, blandiri. *Cic. Fin.* 1, 11. *f.* Nam si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate affluueret. *Id. Off.* 2, 18. *med.* Multitudinis levitatem voluptate quasi titillantes. *Hor. Sat.* 2, 3, 179 Praeterea ne vos titillet gloria.

*TITILLOSUS, a, um, adj. *γαργαλον ἔχων Gloss. Gr. Lat. i. e.* qui nimis facile a quocumque tactu ridet. *B. A.*

TITILLUS, i, m. titillatio. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 5, 2. Flagrum, cujus in cuspide infixus brevis aculeus pigrescentes artus *(animalis publici)* innoxio titillo poterit admonere.

*TITINIA, ae, f. uxor Cottae, pro qua contra Serv. Naevium dixit M. Cicero. *Cic. Brut* 60. *B. A.*

TITINIUS, ii, m. nomen proprium veteris poetae Latini, comoediarum togatarum scriptoris, cujus plurima fragmenta ad nos pervenerunt per *Nonium, Charisium, Priscianum, Servium*, aliosque servata. [Sunt qui perperam *Titinnius* scribunt, et a verbo *titinnio* pro *tintinnio* deducunt; sed unica littera *n* scribendum esse hujusmodi nomen, arguunt tum nummi G. Titiniae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 325., tum locus *Seren. Sammon.* 59, 1043. Praeterea si forte premit strix atra puellos, Virosa immulgens exsertis ubera labris, Allia praecepit Titini sententia necti, Qui veteri claras expressit more togatas. Hujus porro nominis etymon *B. Borghesius* in *N. Framm. de' Fast. cons.* T. 2. p. 93. recte deducit a praenomine *Titus*, cum certo constet, plura alia praenomina ab eodem fonte fuisse derivata, ut a *Publio* est *Publicius*, a *Marco* est *Marcius*, a *Sexto* est *Sextius*, etc. *F.*]

TITINNIO. V. TINTINNIO.

TITIO, onis, m. *δαλός*, torris, lignum adustum, quod ab igne extrahitur. *Lactant.* 4, 14. *med.* Titionem vulgus appellat extractum foco torrem semiustum, et exstinctum: *exstinctum* intellige sine flamma: nam sive ignem habeat, sive non, titio est. *Varr.* ap. *Non.* 2, 874. et 4, 184. A novo marito cum item e foco in titione ex felici arbore ignis, et in aquali aqua allata esset. *Cels.* 2, 17. Extincti titiones, involutique panniculis. *Appul. Met.* 7. *f.* Ardentem titionem gerens. Adde *Hyg. fab.* 171.

TITIVILLITIUM, ii, n. vox est nullius significationis, inquit *Festus*, ut apud Graecos *βλίτυρι*, et *σκινδαψός*. At *Fulg. de prisco serm. n.* 20. titivillitium dici voluerunt fila putrida, quae de telis cadunt: quasi textivillitium, a *texo* et *villus. Pl. Cas.* 2, 5, 39. Non ego istuc verbum emissim *(empsitem* habet *Fest.)* titivillitio. *M. Cornutus* ap. *Fulg. ib.* Titivilles, Flacce, do tibi. [*Gronovius* compositam vocem putat ex *Titi*, nomine proprio pastoris, vel caprarii, qui ex ovibus vel capris male curatis *villitium*, h. e. villos pro lana colligere solitus esset: mox ap. *M. Cornutum* legit *Titi villos* pro *Titivilles. F.*]

TITIUS, ii, m. nomen fuit cujusdam incompositae saltationis, et gesticulationis, de qua ita *Cic. Brut.* 62. *f.* Sextus Titius homo loquax sane, et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset. ℙ Est autem *Titius* nomen R. gentil. ut supra. *Sex. Titius.* ℙ Adjective etiam *Titium atrium* memorat *Liv.* 39, 44. a nomine possessoris dictum. ℙ *Titia lex* non una fuit. Unam refert *Cic. Mur.* 8., sed qua de re, et a quo lata sit, non constat. *Id.*

Leg. 2, 6. leges Titias et Appulejas memorat, quae viderentur agrariae fuisse. Alia fuit de muneribus, nequis pecuniam donumve ob causam orandam accipiat, ut est ap. *Tac. A.* 11, 5., sed ibi plerique omnes leg. *Cincia* pro *Titia*. Videtur tamen designari ab *Auson. epigr.* 89. de JCto: Scatiniam metuens non metuit Titiam: *nempe* accipiebat ille a moechis uxoris, quod lex Titia non vetabat, non a clientibus, quod illa cavebat. Alia fuit lata a Sex. Titio trib. pleb., ut vectigal agris publicis assignatis impositum quaestor colligeret. *Val. Max.* 8, 1. *damnat. n.* 3. Videtur hic esse idem, a quo saltationis genus nomen habuisse supra diximus. Alia fuit de lusu, nequis in pecuniam luderet, sponsionemve in ludo, nisi qui virtutis causa susceptus esset, faceret. Hanc memorat *Mart. Dig.* 11, 5, 3. Denique alia fuit de tutoribus in provinciis a praeside dandis. V. ATILIA. ℙ *Titii sodales* retinendis Sabinorum sacris quondam instituti sunt a Tito Tatio rege, ut ait *Tac. A.* 1, 54., et a Romulo post ejus mortem ad colendam memoriam confirmati. *Id. H.* 2, 95. De his *Lucan.* 1, 602. Septemvirque epulis festis, Titiique sodales. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 19, 4, 243, 5. et 7., 305, 1. et 2. etc. Hos *Varro L. L.* 4, 15. non a Tito Tatio, sed a Titiis avibus dictos docet, quas ii in auguriis certis observare solebant, ceteri augures non solebant. V. TITUS. ℙ *Titia curia* itidem a Tito Tatio dicta est, teste *Festo* in *Titiensis*.

TĪTŪBANS, antis, part. a *titubo*: ὑποφερόμενος, vacillans. *Cic. Dom.* 54. Nedum valeat id, quod imperitus adolescens mente ac lingua titubante fecisse dicatur. *Ov. Met.* 4, 26. de Sileno: Quique senex ferula titubantes ebrius artus Sustinet. *Id. ib.* 11, 90. Silenus titubans annisque meroque. *Id. Fast.* 6, 677. convivae valido titubantia vino Membra movent. ℙ Translate. *Pl. Ps.* 1, 1, 42. Lacrimans titubanti animo, corde, et pectore.

TĪTŪBANTER, adv. παραφόρως, θολερῶς, inconstanter. *Cic. Coel.* 7. Posuistis enim, atque id tamen titubanter et strictim, conjurationis hunc propter amicitiam Catilinae participem fuisse. *Auct. ad Her.* 4, 41. Titubanter et inconstanter de aliqua re loqui.

TĪTŪBANTĬA, ae, f. idem ac titubatio. *Suet. Vit.* 6. De hac tulit marem titubantia oris prope mutum et elinguem. *Id. Claud.* 30. Titubantia linguae.

TĪTŪBĀTĬO, onis, f. actus titubandi. *Auct. ad Her.* 2, 8. *f.* Ut ne parvula quidem titubatione, aut offensione impediremur. *Macr. Sat.* 7, 6. *med.* Titubatio linguae.

TĪTŪBĀTUS, a, um, part. a *titubo*: περιφερόμενος. Passive. *Virg. A.* 5, 331. Ilic juvenis jam victor ovans vestigia presso Haud tenuit titubata solo: ψέλλισμα.

TĪTŪBO, as, avi, atum, n. 1. παραφέρομαι, πτέω, σφάλλομαι, instabilis sum, insistere nequeo, trepido, subinde haereo, vacillo: et proprie de pedibus et lingua dicitur. [*Discrimen inter h. v. et *vacillare*, *nutare*, *labare*, exposuit *Doederl.* 3, 62.] *Cic. Coel.* 28. Quaero, cur Licinium titubantem, haesitantem, cedentem, fugere conantem mulieraria manus ista de manibus emiserit? *Phaedr.* 4, 14. irrigatus multo venas nectare, Sero domum est reversus titubanti pede. *Cic. Fl.* 10. Testes, si verbo titubarint, quo revertantur non habebunt. *Ov. Met.* 3, 607. Ille mero somnoque gravis titubare videtur, Vixque sequi. *Id. A. Am.* 1, 597. Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit. Fac, titubet blaeso subdola lingua sono. *Sen. Herc. Oet.* 1599. Lassus an pondus titubavit Atlas? *h. e.* quod attinet ad pondus. Hellenismus. *Pall.* 1, 9. Solida contignatio fiat, ne gradus ambulantium tremorem fabricae titubantis excutiat. ℙ Transfertur ad animum. *Nep. Eum.* 9. Hic omnibus titubantibus, et de rebus summis desperantibus. Eumenes ait, etc. *Sen. Med.* 937. Quid, anime, titubas? et *Hor. Ep.* 1, 13, 19. cave, ne titubes, mandataque frangas. *Ter. Heaut.* 2, 3, 120. Verum illa ne quid titubet. ℙ Passive impersonaliter. *Pl. Mil.* 3, 3, 70. Ne quid, ubi miles venerit, titubetur. *Cic. Or.* 3, 50. Versus aeque prima et media et extrema pars attenditur: qui debilitatur, in quacumque sit parte titubatum. ℙ [*De etym. hujus verbi nihil certi proferri potest. Duplicem quidem conjecturam proponit *Doederl.* 3, 60. sq. unam: posse syllabam *ti* pro radice accipi, *tubo*que eadem ratione terminationis locum tenere, ut, in *statuo*, *fatuo*; in quibus elisio litterae *b* non magis offenderet, quam in *oriundus*, etc. Alteram: posse etiam *tub* fundamenti loco haberi, et *ti* reduplicationis genus esse, ita ut *duo*, *dubius* primam fortasse originem facerent, cujus saltem rei vestigia cognatio sensus in vv. *titubanter* et *dubitanter* praebere videretur. Sed pari verisimilitudine etiam *stupere* et *titubare* uno cognationis nomine comprehendi posse.]

TĪTULĀTUS, a, um, part. a *titulo*: titulo instructus, insignitus. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 68. Mulier ubi aspexit tam mirifice titulatam truam. V. TRUA *f.* *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 459. Magnarum gemmarum elencho, quos et titulatos appellant. V. ELENCHUS.

*TITULCĬA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis, inter Complutum ac Toletum. *Anton. Itin. B. A.*

[TĪTULLUS, a, um, adj. dimin. Titi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1507, 7. T. Tanejus Titullus. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 417, 7. Numeria Titulla. Adde *Mart.* 8, 44. *F.*]

TĪTŪLO, as, a. 1. titulum seu nomen indo. *Tert. adv. Jud.* 9. *med.* Magos quoque Samaritanorum appellatione titulavit. *Id. Anim.* 13. Animae nomine totius hominis mentio titulata est. *Id. carm. de Judic. Dom.* 2. Et vernas roseis titulabit floribus auras, *h. e.* ornabit, et quasi titulo insignes faciet. [*Capell.* 1, 15. *f.* Licet per zodiacum tractum nonnulli *(Dii)* singulas, vel binas domos animalibus titularint. *F.*]

TĪTŪLUS, i, m. ἐπιγραφή, χαραχτήρ, inscriptio, nota, index, elogium, quo res dignoscitur, et quid valeat, contineat, cujus sit, cur facta sit, monstratur, ut titulus sepulcri, aedium, libri, statuae, picturae, et hujusmodi. Volunt esse diminutivum a *Titus* praenomine R., quod a τιτὸς, honoratus, a τίω: quia honor et pretium suum rebus a titulo accedit. *Ov. Rem. Am.* 1. Legerat hujus Amor titulum nomenque libelli. *Plin. ep.* 5, 13. Materiam ex titulo cognosces: cetera liber explicabit. *Colum. praef.* 9. Tituli, quem scripsimus huic disputationi, ratio reddita est. *Suet. Dom.* 10. Patremfamilias detractum e spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: Impie locutus parmularius, *h. e.* elogio. *Mart.* 13, 3. Addita per titulos sua nomina rebus habebis, *h. e.* lemmata. *Ov. Met.* 9, 791. dant munera templis: Addunt et titulum: titulus breve carmen habebat. *Id. Trist.* 4, 2, 20. Ergo omnis poterit populus spectare triumphos: Cumque ducum titulis oppida capta leget. *Juven.* 5, 34. (*vinum*) cujus patriam titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testae, *h. e.* pittacium. *Suet. Dom.* 5. Plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. *Liv.* 28, 46. *f.* Aram condidit dedicavitque, cum ingenti rerum ab se gestarum titulo. *Juven.* 6, 123. titulum mentita Lyciscae, *h. e.* proscribens in foribus fornicis, illic prostare Lyciscam, cum esset Messalina. *Prop.* 4, 5, 51. Aut quorum titulus per barbara colla pependit, *h. e.* servi venales, qui praeferebant tabellam indicantem, quid valerent, quo vitio laborarent, et hujusmodi, ut cautum fuit edicto aedilicio, quod *Gell.* 4, 2. recitat. ℙ De aedibus conducticiis aut venalibus. *Plin. ep.* 7, 27. *med.* Domus proscribebatur, seu quis emere, seu quis conducere vellet. Venit Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio, etc. et *Ov. Rem. Am.* 391. nec ea contenta rapina, Sub titulum nostros misit avara lares, *h. e.* coegit me aedes venales proscribere proposito titulo, scil. tabella, qua pretium indicabatur. Sic *Tibull.* 2, 4, 53. Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas, Ite sub imperium, sub titulumque lares. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 625. At nos nocturnis titulos imponimus actis, *h. e.* quasi adjecto titulo omnibus noscenda proponimus. ℙ De epigraphe sepulcrali. *Plin. ep.* 6, 10. Post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere. *Id. ep.* 9, 19. Victuri nominis famam supremis etiam titulis prorogare. *Juven.* 6, 239. titulo res digna sepulcri. *Inscr.* ap. *Mur.* 863, 1. D. Valer. Pastor Eq. Publ. heres titulum fecit: (in hac, et in sequentib. potest significare etiam ipsum sepulcrum cum titulo: quod et in aliis lapidib. non paucis observavi.) *Alia* ap. *eund.* 856, 2. Ego filiis titulum posui, quod mei mihi filii debuerunt. *Alia ib.* 913, 4. Flavia Nice conjunx B. M. titulum cum valvis aeneis D. S. P. ℙ Huc pertinet formula *titulo usus*, quae legitur in aliquot vetustis lapidibus, quaeque idem significat ac illae *titulo honoris usus (Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 145, 1.) vel *honore usus impensam remisit (Alia* ap. *eund.* 422, 1.), vel *honore decreti usus impendium remisit*, *et statuam de suo posuit (Alia* ap. *Grut.* 445, 6.). Hisce vero formulis indicatur is, qui inscriptionem lapidi apposuit, usus quidem fuisse causa et facultate statuae in sui alteriusve honorem erigendae, remisso tamen civitati vel collegio, cujus jussu ea posita est, impendio, sibique tantum reservato. *Inscr.* ap. *Grut.* 458, 8. L. Postumio P. F. Fab. Fuscino Eq. Publ. pontifici ordo piissimus funus publicum et statuam equestrem auratam decrevit, P. Postumius Marianus curator reipubl. Augustan. Taur. pater titulo usus. Alia ap. *eund.* 1091, 11. Bedusiae Q. F. Justae collegia Fabr. et Centonarior., Q. Lucretius Amianus maritus titulo usus; et 322, 1. Aemiliae C. F. Aequae Sacerd. divae Plotinae Coll. Cent. titulo usa; et 390, 7. C. Claudio C. F. Fab. Sabiniano equo publico collegia Fabr. et Cent., titulo usus; et 419, 7. Pietati Hostiliae Hostilianae VI. vir. Aug. socii primae benemerenti T. V. *h. e.* titulo usae. Alia ap. *Don. cl.* 9. *n.* 10. L. Antestio L. F. Fab. Sabino equo publico, VI. vir. Quinq., patrono Colleg. Fabr., titulo usus. Rem porro conficiunt binae *Inscr.* ap. *Grut.* 471, 1. et 2., in quarum quidem prima *P. Statio P. F. Fab. Paullo Postumio juniori*, etc. mox additur *titulo usus D. D.*; in altera eidem *P. Statio P. F. Fab. Paullo*, etc. additur *P. Cominius Aufilenus Minicianus optimo ac rarissimae fidei amico*. Ex his evincitur, priorem quidem statuam cum inscriptione positam fuisse P. Statio ex decreto decurionum, cujus tamen impensam ipse P. Statius decurionibus remisit, ac de suo solvit; alteram vero eidem P. Statio a P. Cominio, et ipsius Cominii impensis, statutam fuisse. ℙ De brevi scriptura, aut voce indicante honores, magistratus, res gestas, quibus homo clarus habetur, et nobilis: item de ipsis honoribus. *Cic. Pis.* 9. Qui tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. *Hor. Od.* 4, 14, 1. Quae cura patrum, quaeve Quiritium Plenis honorum muneribus tuas, Auguste, virtutes in aevum Per titulos memoresque factos Aeternet? *Tibull.* 4, 1, 33. At tua non titulus capiet sub nomine facta: Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu. *Hor. Sat.* 1, 6, 17. Qui stupet in titulis, et imaginibus. *Prop.* 4, 11, 32. Et domus est titulis utraque fulta suis. *Lucan.* 8, 73. Femina tantorum titulis insignis avorum. *Ov. Fast.* 2, 15. At tua prosequimur studioso pectore, Caesar, Nomina, per titulos ingredimurque tuos; et *ib.* 1, 601. quidam celebres aut torques ademptae, Aut corvi titulos auxiliaris habent, *h. e.* *Torquati*, aut *Corvini* cognomen habent. *Id. Met.* 7, 56. Magna sequar: titulum servatae puppis Achivae, etc. *Juven.* 11, 86. Cognatorum aliquis titulo, ter consulis, atque Castrorum imperiis, et dictaturis honore Functus. *Id.* 8, 240. Tantum igitur muros intra toga contulit illi Nominis et tituli. De *Cicerone* loquitur, quem Roma *patrem patriae* dixit. *Ov. Met.* 4, 643. Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro Arbor: et hunc praedae titulum Jove natus habebit; et *Liv.* 28, 40. Et sicut penes C. Lutatium Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te hujus fuerit. *Ov. Her.* 7, 75. Nec mihi parcatur: puero parcatur Iulo. Te satis est titulum mortis habere meae. ℙ Ironia est in illo *ejusd. Fast.* 6, 190. de T. Manlio: Vixit, ut occideret damnatus crimine regni: Hunc illi titulum longa senecta dabat. ℙ *Titulus*, dignitas, nobilitas, clarus sanguis. *Stat. Silv.* 2, 7, 62. Tu castae titulum decusque Pollae Jucunda dabis allocutione. ℙ Nonnunquam est causa, praetextus, species. *Liv.* 36, 17. *f.* Illud proponere animo vestro debetis, non vos pro Graecia libertate tantum dimicare: quamquam is quoque egregius titulus esset, etc. *Id* 37, 54. Licet vobis meminisse, quem titulum praetenderitis adversus Philippum belli. *Hor. Sat.* 2, 3, 212. prudens scelus ob titulos admittis inanes. *Vell.* 2, 45. Clodius sub honorificentissimo ministerii titulo M. Catonem a republica relegavit. *Plin. ep.* 2, 11. *f.* Ipse probabatur accepisse sestertium decem millia, foedissimo quidem titulo, nomine unguentarii, qui titulus a vita hominis compti semper et pumicati non abhorrebat. *Just.* 5, 1. Et erat hic quidem titulus cum Graecis coeundi, re autem timebat, ne, etc. *Id.* 9, 7. *med.* Olympias, audita regis nece, cum titulo officii ad exsequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniae capiti coronam auream imposuit. *Id.* 3, 3. Statim, titulo ferendi sociis auxilii, bellum adversus Philippum decernitur. ℙ Item nomen, appellatio. *Cic. Tusc.* 5, 10. Dicant, semper beatum esse sapientem. Quod si titulus hic delectat, insignis et pulcher, Pythagora, Socrate, Platone dignissimus, inducant animum, etc. *Ov. Her.* 6, 100. titulo conjugis uxor obest. *Just.* 12, 11. Insignis haec munificentia non summa tantum, verum etiam titulo muneris fuit. ℙ Item index, signum. *Petr. Sat.* 55. Ciconia, avis exsul hiemis, titulus tepidi temporis. ℙ *Tituli*, milites appellantur, quasi tutuli, quod patriam tuerentur, unde et Titi praenomen ortum est: *Festus.* ℙ [Etiam neutro genere usurpatur. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 8. *n.* XLVII. Amphio mi frater hoc titulum posuit. *F.*]

TITURĬĀNUS, a, um, adj. ad Titurium pertinens, quod est nomen propr. R., ut Tituriana clades, *Suet. Caes.* 67. V. *Caes. B. G.* 5, 26. et sqq.

*TITURNĬUS, i, m. nomen proprium Romanum; ut M. Titurnius Rufus, de quo *Cic. Fam.* 13, 39. ℙ *Titurnius*, *a*, *um*, adj. *Id. ib.* Titurnia familia. *B. A.*

TĪTUS, i, m. praenomen Rom., quod *Fest.* dici ait, quasi *tutus* a tuendo. V. TITULUS. *Auct. de nomin. ratione*, e Sabino nomine *Titurio* fluxisse tradit: alii a τίω, honoro, unde τιτὸς. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr*, ap. *Grut.* 532, 1. M. Ulpius Titus. ℙ Item nomen avis, scil. columbae agrestis, teste *Isid. Or.* 12, 7. *med.*, quae et *titia avis* dicitur a *Varr. L. L.* 4, 15. Hanc laudat *Isid.* a castitate: alii contra salacem valde esse affirmant.

TĪTYRUS, i, m. τίτυρος, animal ex ove et hirco genitum, ut *musimo* est ex capra et ariete. Aliis est aries major, Laconum lingua: aliis hircus lingua Afrorum: aliis satyrus: item cercopithecus: item calamus, avena: item otiosus, quae notiones Graecorum sunt. *Eugen. Tolet. carm.* 22. in *Anth. Lat.* T. 2. p. 453. *Burm.* Tityrus ex ovibus oritur, hircoque parente. ℙ Pastoris nomen celebre *Virgilii* carminibus Bucolicis, quibus etiam nomen dedit. *Ov. Am.* 1, 15, 25. Tityrus, et

Segetes, Aeneiaque arma legentur, Roma triumphati dum caput orbis erit. ℙ Ipse Virgilius. *Prop.* 2, 25, 72. Huic licet ingratae Tityrus ipse canat. ℙ Quilibet rudis pastor. *Virg. Ecl.* 8, 55. Certent et cycnis ululae: sit Tityrus Orpheus.

TĬTYUS, i, m. *Τιτυὸς*, filius Jovis ex Elara filia Orchomeni, quam praegnantem Juppiter, timens Junonis iram, occultavit in terram, ex quo factum est, ut nascens puer ex terra natus videretur. Cum ad integram aetatem pervenisset, tantae magnitudinis gigas evasit, ut jacens novem jugera occuparet. Aliquando captus amore Latonae Apollinis matris, eam de stupro interpellavit. Quamobrem Apollo iratus, sagittis ipsum confodit, et apud inferos religavit, ejusque jecur vulturibus lancinandum apposuit, hac lege, ut consumptum renasceretur illico, et sic nunquam vultures a discerpendo cessarent, nec ipse a patiendo. *Virg. A.* 6, 595. Nec non et Tityon terrae omniparentis alumnum Cernere erat. *Ov. Pont.* 1, 2, 41. Sic inconsumptum Tityi, semperque renascens Non perit, ut possit saepe perire, jecur. *Tibull.* 1, 3, 75. Porrectusque novem Tityus per jugera terrae Assiduas atro viscere pascit aves. *Servius* ad *Virg. l. c.* hac fabula amorem et libidinem significari ait. V. HEPATARIUS.

T L

*TLEPOLĔMUS, i, *Τληπόλεμος*, Herculis filius ex Astyocha Phylae filia, Polyxus maritus. *Ov. Met.* 12, 537. Unus fuit de procis Helenae, et ad Trojam una cum ceteris Graecis expugnatum ivit, teste *Hygin. fab.* 81. et 97. *B. A.*

*TLOS, *Τλῶς*, Lyciae oppidum. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

T M

TMĂRĬUS, a, um, adj. *Τμάριος*, ad Tmarum pertinens, qui est mons Epiri cum nemore, centum fontibus nobilis, prope Dodonam, ubi et quercus, et columbae fatidicae fuisse dicuntur, et Jovis Dodonaei templum. *Claud. B. Get.* 18. caeso Tmarii Jovis augure luco, Arbore praesaga, fabulas animasse loquaces. ℙ Ipse mons Tomarus dicitur a *Plin. praef.* 4. Graece et *Τόμαρος*, et *Τομοῦρος*, et *Τμάρος*, et *Τάμαρος*.

TMĒSIS, is, f. *τμῆσις*, species hyperbati, qua aliqua vox, praesertim composita, dividitur, et inter utramque partem alia interponitur. *Virg. G.* 1, 381. septem subjecta trioni, pro septentrioli. *Id. A.* 1, 416. Et multo nebulae circum Dea fudit amictu: pro circumfudit. Ubi *Servius:* Figura tmesis est, quae fit, cum secto uno sermone aliquid interponimus. Sed hoc tolerabile est in sermone composito: ceterum in simplici nimis est asperum, quod tamen faciebat antiquitas, ut *(Ennius)* Saxo cere comminuit brum. ℙ Oratores etiam hac figura utuntur. *Cic. Sext.* 31. *med,* Quod judicium cumque subierat, damnabatur. V. CEREBRUM.

TMOLĪTES, ae, m. et is, m. [et Timōlītes, ae, qui ad Tmolum seu Timolum pertinet, montem, et urbem cognominem Lydiae, quae nunc *Baz-Daghi* dicitur, ita appellata a Tmolo Martis filio, ut *Plutarch.* in *Flumin. in Pactol.* tradit. *F.*] *Plin.* 14, 7, 9. Nec Tmoliti per se gratia, ut vino, sed cujus dulci admixto reliquorum suavitatem accipiat, simul et aetatem, quoniam vetustiora protinus videntur. *Vitr.* 7, 3. Sed animadvertimus, Lydiam Tmoliten, Siciliam Mamertinum, Campaniam Falernum (*vinum*) procreare. *Cic. Fl.* 3. Timolites ille vicanus. *Plin.* 5, 29, 30. hujus urbis cives vocat Mesotimolitas, quod nempe in medio monte Tmolo habitabant.

TMOLĬUS, a, um, adj. ad Tmolum pertinens. *Ov. Pont.* 4, 15, 9. Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos. *Virg. G.* 2, 97. Sunt et Ammineae vites, fortissima vina, Tmolius assurgit quibus, et rex ipse Phanaeus: subaudi *mons.* Sunt qui putant *Virg.* Graecam vocem *οἶνος* in mente habuisse: et ad eam *τὸ Tmolius* retulisse. V. similem loquendi rationem in ABROTONITES.

TMOLUS et Tmōlus, i, m. *Τμῶλος*, mons Phrygiae Magnae, in confinio Lydiae, ad fl. cognominem, in agro Trallensi, et Sardensi, vitibus consitus. Inter alia crocum plurimum gignit. Ex eo Pactolus amnis profluit, aureas arenas ferens. *Ov. Met.* 11, 150. riget arduus alto Tmolus in ascensu, clivoque extensus utroque Sardibus hinc, parvis illinc finitur Hypaepis. *Id. ib.* 6, 15. Deseruere sui Nymphae vineta Timoli. *Plin.* 5, 29, 30. Celebratur Lydia maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui antea Timolus dicebatur. *Virg. G.* 1, 56. nonne vides, croceos ut Tmolus odores, India mittit ebur, molles sua tura Sabaei? ℙ Est et fluvius eo nomine, ex ipso monte nascens, et in Maeandrum influens: in quo solum inveniri lapidem, quem coticulam appellant, auctor est *Theophrastus* ap. *Plin.* 33, 8, 43. ℙ Sunt qui scrib. *Tymolus.*

T O

*TOANI, orum, populi Arabiae, quorum meminit *Plin.* 5, 28 *B. A.*

*TOCHĂRI, orum, *Τόχαροι*, populi Asiae, trans Caspium mare. *Plin.* 6, 17. V. et *Dionys. Perieg.* 752. *B. A.*

[TOCITES, ae, m. ita appellatur herba aristolochia ap. *Appul. Herb.* 19. Videtur esse a *τοκίης*, quod a *τίκτω*, pario. *Bail.*]

*TOCOLOSIDA, oppidum Mauritaniae Tingitanae. *Anton. Itin. B. A.*

TOCULIO, vel Tocullio, onis, m. *τοκογλύφος*, parvus fenerator: a *τόκος*, usura. *Cic. Att.* 2, 1. *extr.* Neque enim ista tua negotia provincialia esse putabam, neque te in toculionibus habebam, *h. e.* non putabam, te esse in iis, qui usuram exercent, pecuniam cum fenore exigentes a provincialibus. Utitur autem *Cic.* verbo a Graeca lingua derivato, quia ad Atticum scribit Graecae linguae studiosissimum. In quibusd. libris legitur *decurionibus*, quod sane mendosum videtur.

[TODILLUS, vel Todinus, a, um, adj. ad todum, seu todillum pertinens, parvam quandam avem, de quo ita *Festus* in *Todi.* Aves parvae, quarum meminit *Plautus* in *Syro:* Cum extritis (al. *extortis*) talis, cum todillis crusculis. Haec eadem fere habet *Id.* in *Succrotilla.* Hinc *B. Borghesius* in *Giorn. Arcad.* T. 15. p. 306. seu *Dec. numism.* 7. *oss.* 2., hujusmodi avem deprehendere sibi visus est in nummo ap. *Morell. Thes. fam. R. tab.* 6. *incert. n.* 1., cui subscriptum est TOD., quibus litteris cognomen *Todillus* indicari videtur, iis proprium, qui brevibus cruribus praediti sunt. Illa eadem *Plauti* verba habentur ap. *Prisc.* 3, 611., sed *Aug. Krehlius* in sua *Prisciani* editione pro *todillis* legit ex MS. *todinis*, et hanc refert notam interlinearem ibidem repertam: Todus genus parvissimae avis tibias habens perexignas. V. SCHOENICULAS. *F.*]

TOECHARCHUS, i, m. *τοιχαρχος*, qui in navi praeest remigibus, *τοῖχος* enim dicitur de lateribus navis, ubi sunt remiges. *Hyg. fab.* 14. *f.* de Argonaut: Toecharchi autem fuerunt Zetes et Calais Aquilonis filii. *Scheff. s. f. l.* 4. *de mil. nav.* legit *tucharchi*, quod *οι* aliquando in *u* Latinum transeat.

TOFACEUS et Tofacius, et Tophaceus, a, um, adj. *πώρινος*, qui ex tofo est. *Plin.* 17, 7, 4. Est argilla alba, rufa, columbina, argillacea, tofacea, arenacea. *Pall.* 9, 9. Structus lapide tofacio.

TOFĬCĬUS et Tophicius, a, um, et

TOFĪNUS et Tophinus, a, um, adj. qui est ex tofo, *πώρινος*. *Capitol. Maxim.* 6. Lapides toficios friare. *Suet. Claud.* 21. Circo marmoreis carceribus, auratisque metis, quae utraque et tofina, ac lignea ante fuerant, exculto.

TOFOSUS et Tophosus, a, um, adj. idem quod tofaceus. *Sidon. ep.* 3, 13. Verruca humore tofosa.

TOFUS, i, m. *πῶρος*, lapis cavernosus, et scaber, qui facile in arenam resolvitur. Pro eo etiam *tophus* scribitur, quasi plane Graecum sit. *Virg. G.* 2, 214. Et tofus scaber, et nigris exesa chelydris Creta. *Plin.* 17, 4, 3. Nam tofus scaber natura friabilis. *Id.* 36, 22, 48. Tofus aedificiis inutilis est mortalitate materiae. *Vitr.* 2, 7. In Campania ruber, et niger tofus in Umbria, et Piceno, et Venetia albus, qui etiam serra dentata, uti lignum, secatur. *Ov. Met.* 8, 561. Pumice multicavo, nec laevibus atria tophis Structa subit; et *ib.* 3, 159. de antro: nam pumice vivo, Et levibus tophis nativum duxerat arcum. *Stat. Silv.* 4, 3, 52. de via Domitiana: Illi saxa ligant, opusque texunt Cocto pulvere sordidoque topho. *Front. Aquaed.* 122. Pilae topho exstructae.

TOGA, ae, f. *τήβεννος, τήβεννα*, exterior vestis communis omnium Romanorum, tum nobilium, tum ignobilium, tum locupletum, tum inopum. Unde *togatam gentem* pro Romanis posuit *Virg. A.* 1, 286. atque hinc carebant togae jure, quibus aqua et igni interdictum erat, ut docet *Plin. ep.* 4, 11. Dicta est a *tegendo*, tum quia totum tegebat corpus, tum quia aliis interioribus vestibus superinjiciebatur: tum etiam quia olim straguli vice lectos ea sternebant, ut dicere videtur *Varr.* ap. *Non.* 14, 25. Hinc est ut togam pro tecto etiam usurpaverit *Titinius* ap. *eund.* 1, 3., quae tamen notio jam obsolevit. Igitur toga vestis fuit rotunda, et usque ad pedes demissa, clausa, et sine manicis, quae uno conjectu totum corpus, et utrumque brachium operiebat. Ea in superiori parte, qua ad cervices sedebat, ita laxe aperiebatur, ut dextrum brachium commode exseri, imo et totus humerus ostendi posset: brachium vero sinistrum non per eundem hiatum exserebatur, sed ex inferiori parte sub ipsa toga extensum extremam oram in rugas plicaturasque contractam colligebat, subducebatque ad sinistrum latus, laeva manu exstante. Rugas eas et plicaturas, tam quae superne a dextra cervicis parte cadentes exserto brachio colligebantur ad pectus, atque oblique ad sinistrum humerum instar baltei decurrebant, quam quae ex ima ora sinistro brachio collecta subductae contrahebantur, *sinum togae* appellabant. *Quint.* 11, 3. *med.* Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, nunquam certe sit inferior: ille, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, velut balteus, nec strangulet, nec fluat. *Suet. Caes.* 82. Sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. *Gell.* 4, 17. *f.* Prolato e sinu togae libro. ℙ Neque tamen semper, neque omnibus idem mos fuit togae gestandae, nam antiquissimis temporibus nulli sinus fuere, tum quia brachium sub toga tunc tenere solebant (oratores in principiis dicendi), quod praeter ceteros diserte notat *Quint. l. c.*, tum quia ipsa toga angustior illis fuit, et magis corpori adstricta. Itaque gestu alio, quam postea, eos necesse est usos esse, quorum brachium (inquit *Id. ib.*) sicut Graecorum, veste continebatur. Postea fusior laxiorque adhiberi coepta est, maxime vero ab iis, qui molli vestitu gauderent, ex qua majores sinus fiebant, adeo ut interdum a dextera parte totum humerum usque ad lumbos detegerent, ad ostendendam pretiosam tunicam, vel latum clavum in ea intextum; a sinistra vero laciniam in humerum usque rejicerent. Praeterea adolescentes cum primum virilem togam sumebant, solebant priore illo anno brachium (dextrum intellige; nam sinistrum semper collectam togae laciniam sustinendo quodammodo impeditum erat) non exserere, praesertim si forensia stipendia auspicarentur, ut loquitur *Sen. Excerpt. controv.* 5, 6., qui tamen mos etiam temporibus Ciceronis exoleverat, ut ex ipsius oratione *Coel.* 5. colligitur. Candidati quoque in honorum petitionibus brachium continebant, et tunc solum exserebant, cum prensandi causa manus porrigenda esset: quod est *trans pondera dextram porrigere* ap. *Hor. Ep.* 1, 6, 49. h. e. dexteram togae pondere cohibitam exserere, et extendere. V. PONDUS. ℙ Cum Romanis mos esset aperto semper capite, praesertim in Urbe, incedere, (extra Urbem enim in itinere pileos, petasos, aut aliud tegumenti genus contra aeris injurias adhibebant) facile tamen erat, si opus esset, caput toga operire, quod fiebat partem superiorem togae sub dextrum humerum dejectae revocando, et supra caput adducendo: atque ea positione toga super utrumque humerum aequaliter sedebat, et nihilominus satis adhuc patebat ante pectus ad brachium exserendum: hac ratione caput obvolvebant sacra facturi, quod videre est in icone veteris lapidis ap. *Ferrar. de re vestiar. l.* 1. *c.* 10. Caesar quoque a conjuratis impetitus eodem modo caput obnupsit, ut est ap. *Suet. Caes.* 82. Verum tamen est, aliquando non superiorem oram, sed inferiorem laciniam ad caput tegendum fuisse adhibitam, quod *Lipsius* ap. *eund. Ferrar. l. c.* multis ostendit. ℙ An toga cingeretur, quaestio est. Affirmat *Macrobius*, quem satis refellit *Ferrar. l. c. c.* 12. At *Manut. de quaesit. per epist.* de tunica *Macrobium*, non de toga locutum fuisse putat. Sane in omnibus togatorum hominum imaginibus, quas affert *Id. Ferrar.*, nullus cinctus apparet, sed toga partim sinistro humero, partim sinistro brachio fulta sustinetur. ℙ Materia togae fuit lana coacta, quae si longiore pilo esset, *toga pexa* dicebatur, scilicet ob villorum densitatem: hinc tritam togam *pexae* opponit *Martial.* 2, 44. et 3, 36. ℙ *Toga rosa* dicebatur, quae ex lana minime villosa confecta erat, eratque apta aestivo tempori, sicut *pexa* hiemali, *Id.* 2, 85. ℙ A texturae etiam et lanae genere togae dicebantur *rallae*, *densae*, etc. ℙ Color togae albus fuit, h. e. nativus albae lanae, qui nonnihil ad fuscum accedit; propterea ut non alba solum, sed etiam candida esset, amplius adhuc dealbabatur, creta adhibita ad id apta; quam ob rem *cretatam ambitionem* dixit *Pers.* 5, 177. candidatos intelligens. ℙ Toga vero atrata, seu pulla adhibebatur in privato luctu. V. PULLUS. Nam in luctu publico, togis depositis, saga sumebant. *Cic. Phil.* 12. et 14. ℙ Toga palmata dicebatur quae palmas intextas habebat. V. PALMATUS. ℙ Toga picta, h. e. acu elaborata. V. PICTUS. ℙ Alia praeterea fuere togarum genera, *Praetexta*, de qua V. suo loco; *Pura*, quae *Praetextae* opponitur, quia scilicet nullo purpurae praetextu distincta, quam sumebant adolescentes, cum praetextam deponebant. *Cic. Att.* 9, 6. Ciceroni meo togam puram cum dare Arpini vellem. Eadem dicebatur *virilis*, quia virilitatis initium indicabat: *libera*, quia initium quoddam erat libertatis ut ait *Ov. Fast.* 3, 771. Quo autem die sumebatur, is dies celebrabatur magna propinquorum amicorumque frequentia: ascendebantque in Capitolium, religionis, et boni ominis causa, teste *Val. Max.* 5, 4. Atque hoc est quod *Plin. ep.* 1, 9. vocat officium togae virilis, et *Tert. Idol.* 16. solemnitates togae. *Inscr.* ap. *Grut.* 463, 2. L. Ragonio L. F. Pop. Urinatio domino ob honorem togae virilis Ofellius ser. arcarius. ℙ Toga purpurea fuit inter regum insignia, ut patet ex *Liv.* 31, 11. ℙ Quod ad usum togae attinet, certum est ex testimonio *Varr.* ap. *Non.* 14, 25. virorum aeque et mulierum communem fuisse; postea vero stolis uti matronae coepere, togas reliquere meretricibus, quod praeter alia satis ostendit illud *Hor. Sat.* 1, 2, 62. quid inter-Est, in matrona, ancilla, peccesve togata? Viri vero omnium ordinum promiscue togis usi sunt, tenuiores etiam: modo sumptus ad eam coemendam suppeteret, praecipue vero clientes, qui patronorum, et potentiorum limina frequentabant, togati huc illuc cursitabant salutaturi sportulasque accepturi: qua de re saepissime *Martialis*, qui propterea 10, 47. inter ea, quae vitam faciunt beatio-

rem, *togam raram* enumerat, h. e. rara officia salutationum; et *ib.* 18. togas ipsas usurpat pro clientibus salutationum officia obeuntibus. V. etiam TOGATUS. Plura de toga dicenda essent, an extra Urbem adhiberetur, an in castris, conviviis, etc. de quibus ex professo, et luculenter *Ferrar. de re vestiar.:* neque enim nobis omnia complecti in animo fuit. Quod in castris quoque usus togae fuerit, apparet ex *Liv.* 44, 16., ubi narrat, sex millia togarum missa Roma ad exercitum in Macedonia hibernantem: sed arcendo frigori, non ad proelia inеunda missa esse, arbitrari licet. ℙ Translate toga pro pace accipitur: hinc notum illud *Cic.* carmen in *Pis.* 30. Cedant arma togae, *h. e.* pacis artibus. *Id. Or.* 3, 42. Vir omnibus belli, ac togae dotibus eminentissimus. *Tert. Pall.* 5. Plus laesere rempublicam togae, quam loricae. ℙ Et pro adolescentia. *Prud. Cath. praef.* 7. Aetas prima crepantibus Flevit sub ferulis: mox docuit toga Infectum vitiis falsa loqui. ℙ De involucro. *Mart.* 13, 1. Ne toga cordylis, et paenula desit olivis. ℙ De meretrice plebeja. *Tibull.* 4, 10, 3. Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo Scortum, *h. e.* si tibi curae est togata mulier. V. supra.

TOGATĀRIUS, ii, m. qui fabulas agit, quae togatae appellantur. *Suet. Aug.* 45. Histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem togatarium per trina theatra virgis caesum relegaverit. Alii leg. *togatarum*, nempe comoediarum togatarum actorem. V. TOGATUS.

TOGĀTŪLUS, a, um, adj. pauperculus, dimin. a *togatus;* qua dicitur de tenuioribus, qui principes civitatis officii gratia in forum deducebant, ac deinde domum reducebant ad sportulam captandam. *Mart.* 10, 74. quamdiu salutator Anteambulones, et togatulos inter Centum merebor plumbeos die toto?

TOGĀTUS, a, um, adj. τηβεννοφόρος, toga indutus. *Togati* Romani appellati sunt, quoniam usus togae proprius Romanorum fuit: ut Graeci dicebantur *palliati*, quod pallio uterentur. *Virg. A.* 1, 286. Romanos rerum dominos, gentemque togatam. *Cic. Phil.* 5, 5. Graeculus judex modo palliatus, modo togatus. ℙ Interdum speciatim *togati* dicti sunt homines tenuiores, qui Principes civitatis officii gratia in forum ducebant, ac deiude domum reducebant. Togis enim amicti erant, non tunicis tantum, ut turba forensis. *Juven.* 1, 95. sportula primo Limine parva sedet turbae rapienda togatae. *Id.* 7, 142. an tibi servi Octo, decem comites post te, an sit sella, togati Ante pedes. *Mart.* 3, 46. Exigis a nobis operam sine fine togatam, *h. e.* officium salutatoris et anteambulonis. ℙ Interdum *togatus* accipitur pro urbano, cui *sagatus*, id est militaris, opponitur. Nam toga pacis, sagum belli insigne fuit. *Cic. Sull.* 30. *med.* Cui uni togato senatus supplicationem decrevit, *h. e.* civilem magistratum gerenti. *Id. Or.* 1, 24. Quasi unus e togatorum numero, atque ex forensi usu homo mediocris. ℙ Ap. *Hor. Sat.* 1, 2, 63. et 82. *togata* est meretrix: quia *stolata* est matrona. V. STOLA et STOLATUS. Ap. *Mart.* 6, 64. mater togata est adultera: quod colligitur etiam ex *eod.* 2, 39. et ex *Juven.* 2, 70. ℙ *Togata* etiam dicta est ea Galliae pars, quae togis Romano more utebatur, nempe Cisalpinae pars Cispadana, a Placentia Anconam usque. *Plin.* 3, 14, 19., *Mela* 2, 4. ℙ *Togatae fabulae* dupliciter intelliguntur: vel universim de omnibus fabulis Romani argumenti: in quibus comprehenduntur praetextatae, tabernariae, atellanae, planipediae. His opponuntur palliatae, h. e. Graecae. Vel peculiari ratione de iis Romanis fabulis dicuntur, in quibus res levioris argumenti agebantur, et viliores personae Romano more inducebantur: quibus opponuntur praetextatae, quae regum et magistratuum res, mores, et personas continebant. *Sen. ep.* 8. *f.* Non attingam tragicos, aut togatas nostras, habent enim hae quoque aliquid severitatis, et sunt inter comoedias et tragoedias mediae. *Vell.* 2, 9. Clara etiam fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii, etc. *Hor. A. P.* 287. Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas. *Cic. Sext.* 55. Cum ageretur togata, Simulans, ut opinor. Adde *Fest.* in *Togatarum*, et *Diomed.* 3, 487.

*TOGIENSES, ium, populi Istriae, vel Istriae saltem vicini, a Togio quodam oppido sic dicto fortasse nomen trahentes. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

*TOGISONUS, i, Italiae fluvius, in Gallia Transpadana, in Venetorum terra. *Plin.* 3, 16. *B. A.*

TOGŪLA, ae, f. τηβέννιον, parva toga. *Cic. Pis.* 23. Togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt. *Mart.* 9, 101. Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque.

*TOLBIACUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae. *Tac. H.* 4, 79. ℙ *Tolpiacum* audit *Anton. Itin.* hodie vero *Zulpich* vel *Zulch. B. A.*

*TOLE, es, f. oppidum Aethiopiae, sub Aegypto, a Meroe quinque dierum itinere, in Boream. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

TOLENTĪNAS et Tollentinas, atis, adj. qui est ex oppido Tolentino in Piceno, ad Cluentum fluvium. Hinc *Tolentinates* ejus incolae. *Plin.* 3, 13, 18. ℙ *Tolentinus* et *Tollentinus, a, um*, adj. *Inscr.* ap. *Grut.* 410, 2. T. Flaminio pontifici Tolentin. Alia 194, 2. C. Junius Minatius Praef. Fabr. Municip. Tollentini. Alia ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 68. L. Metello VI. Vir. Tolentin. ℙ *Tolentinensis, e*, idem. *Inscr.* ap. *Reines.* in *Append. n.* 8. Pagani pagi Tolentinens.

TOLENTĪNENSIS, et

TOLENTĪNUS. V. in v. praec.

TOLERĀBILIS, e, adj. ἀνεκτός, qui facile ferri, et tolerari potest, probabilis, non contemnendus. *Cic. Cat.* 4, 8. Servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis. *Id. Or.* 1, 2. *med.* Cum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. *Id. Sen.* 3. Tibi propter opes, et copias, et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem videri. *Id. ad Brut.* 1, 18. Rei familiaris jactura tolerabilis. *Liv.* 22, 27. Minucius cum jam ante vix tolerabilis fuisset secundis rebus: tum utique immodice immodesteque gloriari. *Virg. A.* 5, 767. quibus aspera quondam Visa maris facies, et non tolerabile numen. *Juven.* 7, 69. Tolerabile hospitium. *Plin. ep.* 5, 5. Sed hoc utcumque tolerabile: gravius illud, quod, etc. *Paul. Dig.* 28, 5, 18. Hanc esse tolerabilissimam sententiam puto. ℙ Active, qui tolerare potest. *Ter. Heaut.* 1, 2, 30. Nam parentum injuriae uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis. Alii *interpretantur:* qui est paulo tractabilior. *Colum.* 7, 3. Saepe hiemis saevitia pastorem decipit, et eas oves interimit, quas ille tempore autumni ratus adhuc esse tolerabiles, non submoverat, *h. e.* posse hiemem ferre, et superstites esse. Alii exponunt, adhuc posse tolerari, h. e. ali in annum sequentem.

*TOLERABILĪTAS, atis, f. ἀνεκτότης *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TOLERĀBILĪTER, adv. ἀνεκτῶς, cum tolerantia, patienter, facile. *Colum.* 2, 2. Quas Graeci συζυγίας ἐναντιοπήτων, nos discordantium comparationes tolerabiliter dixerimus. *Cic. Fam.* 15, 20. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos litteris appellato. *Cels.* 2, 13. *med.* Veratrum datur optime vere, tolerabiliter autumno. *Colum.* 11, 2. His diebus quae superiore mense facere non potueris, adhuc tolerabiliter efficies.

TOLERANDUS, a, um, part. a *tolero:* ἀνεκτός, qui tolerari potest, aut debet, ferendus, tolerabilis. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Nobis inter nos nostra sive incommoda, sive vitia, sive injurias esse tolerandas. *Sen. Octav.* 100. Toleranda pati. *Claud. epigr.* 39. Paupertas me saeva domat, dirusque Cupido: Sed toleranda fames, non tolerandus amor. *Tac. H.* 1, 21. Othoni luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda. *Stat. Th.* 1, 195. tolerandaque nullis Aspera sors populis.

TOLERANS, antis, part. a *tolero:* καρτερικός, patiens, sufferens. *Colum.* 8, 16. Piscium genera dulcis undae tolerantia. *Tac. A.* 4, 1. *f.* Corpus laborum tolerans; et *ib.* 14, 42. Aemulum non tolerans. *Colum.* 6, 22. Externi frigoris tolerantior equino genere vacca est. *Id.* 7, 1. Asellus plagarum et penuriae tolerantissimus. *Aurel. Vict. Caes.* 11. Iners domi, bello tolerantior.

TOLERANTER, adv. καρτερικῶς, tolerabiliter, patienter. *Cic. Fam.* 4, 6. *med.* Et cum frangerem jam ipse me, cogeremque illa ferre toleranter. *Id. Tusc.* 2, 18. Toleranter dolorem pati. *Plin.* 8, 45, 70. At nunc anniculae fecunditatem poscuntur, tolerantius tamen bimae.

TOLERANTIA, ae, f. καρτερία, ἀνοχή, ὑπομονή, ἐλπίς, patientia. *Cic. Par.* 4, 1. Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus, septus, vincetur et expugnabitur? *Quint.* 2, 20. *extr.* Tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. *Tac. Agr.* 20. Pax vel incuria, vel tolerantia priorum, haud minus quam bellum, timebatur.

TOLERĀTIO, onis, f. ἀνάσχεσις, actus tolerandi. *Cic. Fin.* 2, 29. Toleratio doloris.

TOLERĀTUS, a, um, part. a *tolero:* quod patienter ferimus. *Tac. A.* 4, 44. Lentulo gloriae fuerat bene tolerata paupertas. *Id. H.* 1, 3. Ipsa necessitas fortiter tolerata, *h. e.* mors. *Id. A.* 12, 11. Clementiam ac justitiam, quanto ignara Barbaris, tanto toleratiora capesseret. Alii leg. *tolerantiora.*

[TOLERĀTUS, us, m. idem ac toleratio. *Salv. Gub. D.* 3, 7. *med.* Ut quae ipsi toleratu humano indigna credimus, Deum a nobis digne haec tolerare credamus. *F.*]

*TOLERIENSES, ium, populi Latii, a Tolerio vel Toleria oppido quodam nomen fortasse trahentes. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

TOLĒRO, as, avi, atum, a. 1. ἀνέχομαι, καρτερέω, patienter fero, sustineo, perfero, patior. *Cic. Fam.* 7, 18. Forti animo istam tolera militiam. *Id. Cat.* 2, 10. *f.* Se facilius hiemem toleraturos putant. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. *f.* Sumptus et tributa civitatum ab omnibus tolerari aequabiliter. *Ter. Hec.* 3, 5, 28. Tolerari alicujus mores sua modestia. *Sall. Cat.* 10. facile labores, pericula, dubias atque asperas res. *Id. Jug.* 34. aequo animo servitutem. *Tac. G.* 4. sitim, aestumque. *Id. H.* 2, 56. *extr.* aegre damus et injurias. ℙ Cum infinito. *Id. A.* 3, 3. Magnitudinem mali perferre visu non toleravit. *Plin.* 26, 1, 3. Qui perpeti medicinam toleraverant. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, quae adversus externam injuriam durant, nec deficiunt. *Id.* 33, 4, 21. Tasconium tolerat afflatum, ignemque, et ardentem materiam. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 4. Vitis aestus austrosque tolerat; et *ib. n.* 6. Tolerat et annos moerica (*vitis*) contra omne sidus firmissima; et *ib. n.* 1. Germana imbres tempestatesque tolerat. *Id.* 36, 22, 48. de tophis: Hi tractabiles in opere, laborem quoque tolerant, sub tecto dumtaxat: aspergine, et gelu, pruinisque rumpuntur in testas. *Id.* 35, 14, 49. Sesquipedalis paries non plus quam unam contignationem tolerat. Sic *tolerare pondus*, virium satis habere ferendo. *Plin.* 10, 3, 3. Aquilae non tolerantes pondus apprehensum, una merguntur. ℙ Est etiam sustentare, alere. *Virg. A.* 8, 409. tolerare colo vitam, tenuique Minerva. *Tac. A.* 15, 45. *extr.* Persimplici victu, et agrestibus pomis vitam tolerare. *Plin.* 33, 10, 47. Octona millia equitum sua pecunia tolerare. *Caes. B. C.* 3, 58. *f.* Pabulo et hordeo equitatum tolerare; et *ib.* 49. Ex perfugis cognoscebant, equos eorum vix tolerari, reliqua vero jumenta interisse. *Tac. A.* 2, 24. Miles fame absumptus, nisi quos corpora equorum toleraverant. *Colum.* 6, 24. *f.* Faba fresa et vinum recte tolerat vaccam fetam. *Id.* 8, 17. *f.* Pisces, etiam diu clausi, semetipsos tolerare possunt. *Ulp. Dig.* 50, 16, 203. *med.* Agri, ex quibus paterfamilias fructus caperet, quibus se toleraret. *Mart.* 7, 64. Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos? *Plin.* 7, 43, 44. Juventam inopem in caliga militari tolerare. *Caes. B. G.* 7, 71. Frumentum se exigue dierum triginta habere: sed paulo etiam longius tolerare posse parcendo; et *ib.* 5, 45. Frumentum, quod eo tolerandae hiemis causa devexerat. ℙ *Tolerare inopiam, famem*, utcumque sustinere. *Pl. Trin.* 2, 2, 57. et 77. Tolerare egestatem ejus volo. *Caes. B. G.* 1, 28. Domi nihil erat, quo famem tolerarent. *Sall. Cat.* 38. Juventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat. ℙ *Tolerare sumptus*, utcumque sufficere sumptibus. *Sall. Cat.* 25. Mulieres, quae ingentes sumptus stupro corporis toleraverant. *Ter. Heaut.* 3, 2, 33. Cum tolerare hujus sumptus non queat. ℙ *Tolerare* absolute, h. e. tolerare vitam, utcumque vitam agere. *Tac. A.* 4, 40. Posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet. ℙ *Toleror, aris*, dep. etiam dixisse veteres, *Prisc.* 8, 800. sine ullo tamen teste, confirmat.

TOLES, ium, m. et f. plur. *Festus.* Toles, tumor in faucibus, quae per diminutionem tonsillae dicuntur. *Tolae, arum* in *Gloss. Philox.* Tolae, παρίσθμια. *Item.* Tolia, tonsillae, παρίσθμια. *Veg. Vet.* 1, 38. A tolibus, et glaudulis, et arteriis humor erit candidus et viscosus. *Id. ib.* 3, 64. Tussis a tolibus si fuerit, his signis agnoscitur. ℙ Etiam *tolles*, et *tollae* scribitur. *Ser. Sam.* 16, 289. Quos autem vocitant tolles, attingere dextra Debebis, qua gryllus erit pressante peremptus. *Marcell. Empir.* 15. *med.* Has tolles, has tonsillas evoco, educo, excanto de istis membris, medullis. Adde *Isid. Or.* 11, 1. *med. Plin. Val.* 2, 43. Lupini ex aceto cocti fomentum optimum est, et tollis et parothetis (lege *parotisin* Graeca positione pro *parotidibus*) utile est [*Multis hunc locum auxit *F.*]

TOLĒTĀNUS, a, um, adj. ad Toletum, nunc *Toledo*, pertinens, quae est urbs Hispaniae Tarraconensis, ad Tagum fluvium. *Grat. Cyn.* 341. Ima Toletano praecingant ilia cultro, *h. e.* gladio brevi Hispaniensi, cultro venatorio. ℙ *Toletani, orum*, ejus urbis incolae. *Liv.* 35, 22. *Plin.* 3, 3. et *Inscr.* ap *Grut.* 273, 1.

*TOLISTOBOGI. V. v. sq. *B. A.*

*TOLISTOBOII, orum, Τολιστόβοιοι, populi Galatiae (Gallograeciae) quorum meminit *Liv.* 38, 15. et 19. ℙ *Tolistobogi* audiunt *Plin.* 5, 32. Τολιστοβόγοι *Ptolemaeo; Straboni* autem Τολιστοβῶγοι et Τολιστοβώγοι: porro *Flor.* 2. 11. *Tolostobogi. B. A.*

TOLLĒNO, onis, m. κηλώνειον, genus machinae, quo trahitur aqua, alteram partem praegravante pondere: dictus a tollendo. Ita describit *Festus*, ex cujus verbis non obscure colligitur, tollenonem esse, cum trabi in terram defixae superne imponitur et deligatur altera transversa, quae nunc sustollitur, nunc deorsum agitur, cujus rei exemplum videmus in quibusdam ruralibus puteis. *Plaut. fragm.* ap. *Fest.* in *Reciprocare.* Quasi tolleno, aut pilum Graecum reciproces plana via. *Plin.* 19, 4, 20. Hortos e puteo rota organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos. ℙ Ejusdem machinae usus fuit etiam in urbium propugnationibus, qua Archimedes in obsidione Syracusarum Romanas naves ferrea manu in proram injecta extollebat, et in puppim statuebat, gravi ex altera parte plumbi libramento ad solum recellente, ut legere est ap. *Liv.* 24, 34., qui similis tollenonis meminit etiam 38, 5.; eundem graphice describit *Veg. Mil.* 4, 21. et poetice *Sil.* 14, 320. et sqq., quos consule. In quibusdam editionib. legitur ap. *Sen. Q. N.* 2, 9. Atqui vero nec tolleno magis, nec ullum aliud tormentum,

etc., ubi tamen optimae editiones pro *tolleno* habent *manus*.

TOLLES. V. TOLES.

TOLLO, is, sustuli, sublatum, a. 3. αἴρω. ἀναρρέω, sursum erigo, elevo, extollo. [*Cf. *Doederl.* 1, 175.] *Varr.* ap. *Plin.* 7, 20, 19. Mulum suum tollebat Fufius. *Pl. Truc.* 2, 6, 45. Nequeo caput tollere: ita nunc doleo. *Id. Most.* 1, 4, 17. Tollere aliquem jacentem. *Cic. Har. resp.* 15. *extr.* Tollam altius tectum. *Hor. Od.* 3, 4, 21. in arduos tollor Sabinos. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Protogenes manum de tabula non sciebat tollere. *Plaut. fragm.* ap. *Non.* 3, 178. Pileum quem habuit, deripuit, eumque ad coelum tollit. *Phaedr.* 2, 6. Aquila in sublime sustulit testudinem. *Cic. Phil.* 11, 10. *med.* Vos in coelum, si fieri poterit, humeris nostris tollemus. *Id. Verr.* 2, 1, 3. Cives R. in crucem sustulit. *Pl. Bacch.* 3, 6, 42. Tollam ego te in collum, atque intro hinc auferam. *Cic. Off.* 3, 25. Phaethon optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est. *Id. Verr.* 2, 4, 43. *med.* Clamor a vigilibus tollitur. *Virg. A.* 2, 222. Clamorem tollere ad sidera: et *ib.* 11, 745. in coelum. *Cic. Fat.* 5. *f.* In quo Alcibiades cachinum dicitur sustulisse. *Hor. A. P.* 381. Ne spissae risum tollant impune coronae. *Virg. A.* 11, 455. clamor magnus se tollit in auras. *Cic. Tusc.* 5, 13. Se tollere a terra altius possunt. *Id. Caecin.* 21. *med.* Qui saxa jacerent, quae de terra ipsi tollerent. *Pl. Merc. prol.* 75. Parare navim, metretas quae trecentas tolleret; et *Cic. Fam.* 16, 10. Litterulae meae tui desiderio oblanguerunt: hac tamen epistola oculos paulum sustulerunt, *h. e.* recreatae sunt. ℙ Tollere aliquem rheda, *Hor. Sat.* 2, 6, 42. Sic *Cic. Q. Fr.* 2, 2, 10. Tunc certe sustulissem: scil. in lecticam. Sic tollere in navim, *Liv.* 45, 6. et *tollere* absolute eod. sensu *Virg. A.* 3, 601., *Ov. Met.* 11, 441. et *Sil.* 6, 500. Sic tollere aliquem in currum, *Ov. A. Am.* 3, 157. ℙ Tollere liberos, de terra tollere, et nutrire atque educare. Mos olim fuit filios recens natos per obstetricem in terram communem omnium parentem deponere, et quos nollent alere, expositos ibi relinquere: si contra, de terra levare, et matri aut nutrici tradere: unde et Ital. *allevare:* et *Levanam* Deam commenti sunt, quae adesset et faveret levantibus. *Ter. Heaut.* 4, 1, 15. Meministi', mihi te maximo opere dicere, si puellam parerem, nolle tolli? *Chre.* Scio quid feceris: sustulisti. *Id. Andr.* 1, 3, 14. Quidquid peperisset, decreverunt tollere. *Pl. Truc.* 2, 4, 45. Si quod peperissem, id educarem ac tollerem. Adde *Amph.* 1, 3, 3. et *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 21. ℙ Hinc *tollere liberos* universim, procreare, gignere. *Cic. Phil.* 13, 10. *extr.* Is autem humilitatem despicere audet cujusquam, qui ex Fadia sustulerit liberos? *Suet. Ner.* 5. *extr.* Decessit morbo aquae intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina. ℙ *Tollere gradum*, ambulare. *Pl. Bacch.* 3, 6, 6. Is est: adibo contra, et tollam gradum. ℙ *Tollere manum, pedem.* V. MANUS, PES. ℙ Translate. *Pl. Truc.* 2, 8, 10. Postquam filiolum peperit, animos sustulit. *Ter. Hec.* 3, 5, 56. Qui paulum vobis accessit pecuniae, sublati animi sunt. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 134. Re in secunda tollere animos, et in mala demittere. *Cic. Or.* 3, 26. *extr.* Dicendo augere aliquid, et tollere altius. *Id. fragm.* ap. *Non.* 1, 4. Nihil esse, in quo se animus excellens tollat. *Id. Fam.* 15, 9. Ad coelum aliquem tollere verissimis et justissimis laudibus. *Id. Att.* 2, 25. Nostras laudes in coelum sustulit. *Virg. Ecl.* 5, 51. Daphninque tuum tollemus ad astra. *Hor. Od.* 1, 1, 8. Tollere aliquem honoribus. *Virg. G.* 3, 421. de angue: Tollentemque minas, et sibila colla tumentem. *Id. A.* 6, 876. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos. *Liv.* 3, 7. Tollere animos alicui. ℙ Pro solari, erigere, excitare. *Hor. Sat.* 2, 8, 59. quis esset Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum Tolleret? ℙ Item auferre, removere. *Virg. A.* 8, 439. Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores. *Phaedr.* 2, 8. tollere haec aranea, Quantum est laboris! et *ib.* 1. Et quae debetur pars tuae modestiae, Audacter tolle. Sic *Mart.* 6, 30. sume, tolle: dono; et *Cic. Div. Verr.* 1. *f.* Quod eorum simulacra Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. *Id. Am.* 13. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. *Id. Verr.* 2, 3, 14. Ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset. *Id. Rosc. Am.* 7. Perfacile hunc hominem incautum et rusticum de medio tolli posse; et *Liv.* 24, 6. Aliquem e medio tollere, *h. e.* evertere, exterminare, occidere. *Cic. N. D.* 3, 33. Q. Varius Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat; et *Lucil.* ap. *Non.* 1, 4. Audivi, quem febris una, vini cyathus unus potuit tollere. *Pers.* 4, 2. sorbitio tollit quem dira cicutae. *Brutus* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Adolescens laudandus, tollendus, *h. e.* occidendus. Contra *Cels.* 2, 14. et 4, 18. Morbus facile tollitur. *Plin.* 26, 12, 75. Dolores et tumores tollunt folia plantaginis. *Id.* 33, 6, 35. Ad cicatricum foeditates tollendas, maculasque. ℙ Translate. *Cic. Quint.* 21. *extr.* Cujus rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere. *Id. Att.* 12, 6. *f.* Ubi mihi dubitationem omnem tolleret. *Id. Rosc. Am.* 2. *med.* Delere ex animo alicujus suspicionem omnem, metumque tollere. *Id. Or.* 62. Genus hoc orationis detrahit actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem. *Id. Leg.* 2, 12. *f.* Legem, si non jure rogata est, tollere. ℙ Pro demoliri, diruere. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* Si quis in publico aedificaverit, non esse eum cogendum tollere, ne ruinis urbs deformetur. Adde *ib.* 8, 2, 16. et 6, 1, 27. et 37. ℙ Item destruere, delere. *Cic. Off.* 1, 11. Majores nostri Carthaginem, et Numantiam funditus sustulerunt. *Id. Phil.* 1, 1. *f.* Dictaturam funditus ex republica sustulit. ℙ *Tollere diem* est adimere tempus agendi cum populo, aut judicii finiendi, ferendaeque sententiae. *Cic. Leg.* 3, 18. P c cante senatu, quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est. *Id. Dom.* 17. *extr.* Siqua res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulit, tota causa judiciumque sublatum est. *Liv.* 25, 3. *f.* concilio diem eximere, dixit. ℙ Pro inducere, delere, emendare quod scriptum est. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Cum mendum scripturae litura tollatur. *Cic. Att.* 13, 44. *extr.* Ut id nomen ex omnibus libris tollatur. *Hor. Sat.* 1, 10, 51. de Lucilio: dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem Plura quidem tollenda relinquendis. *Id. Ep.* 2, 2, 122. Luxuriantia compescet, nimis aspera sano Levabit cultu, virtute, carentia tollet. ℙ Quidam huic verbo praeteritum *tetuli*, ut *tuli* tribuerunt, ut a *pello pepuli*, sed *tuli* verbo *fero* datur. *Diomed.* 1, 376. et *Prisc.* 10, 896. ℙ Est etiam qui *tolli*, sed sine idoneo auctore. Dubia est enim lectio in illo *Ulp. Dig.* 46, 4, 13. *med.* Acceptilationem aliquid egisse, tollisseque totam obligationem: nam *tulisse* alii leg.

TOLLO, onis, m. idem quod tolleno. Fuerunt, qui fulcirent auctoritate *Plauti Rud.* 2, 5, 24. et *Colum.* 10, 26., sed frustra: nam priore loco pro *tolloni gratia* legendum *Ptolemocratia*, in altero pro *tollonibus* rectius *tendentibus*.

TOLOSĀNUS, a, um, adj. ad Tolosam (nunc Gallice *Toulouse*, Italice *Tolosa*) pertinens, quae est urbs Galliae Narbonensis, in limite Aquitaniae, ad Garumnam fluvium, olim litterarum studiis celebris, ob idque *Palladia* cognominata a *Mart.* 9, 100. Marcus Palladiae non inficianda Tolosae Gloria. *Τόλωσα.* Hinc *Tolosani, orum*, ap. *Plin.* 4, 19, 33. ejus cives. ℙ *Aurum Tolosanum* proverbio dictum est de re exitiosa et habenti funesta: eadem ratione qua *equus Sejanus.* Narrat *Just.* 32, 3. Gallos Tectosagos, cum in Asia grandem vim auri sacrilega praeda collegissent, reversos in antiquam patriam Tolosam, pestifera lue fuisse comprehensos, nec ante solutos, quam illud aurum, monitu haruspicum, in Tolosensem lacum mergerent. Id postea Q. Servilius Caepio consul R. expiscari jussit, excidiumque sui atque exercitus sibi ipse molitus est. Romanos vero insecutus est Cimbricus tumultus, velut ultor illius pecuniae. Fuere argenti pondo centum decem millia, auri quinquies decies centum millia. Adde *Gell.* 3, 9. Meminit et *Cic. N. D.* 3, 30.

TOLOSAS, atis, adj. omn. gen. Tolosanus. *Mart.* 12, 32. Nec quadra deerat casei Tolosatis. *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm.* Qui Tolosatem tenuit cathedram. ℙ *Tolosates, ium*, Tolosani. *Caes. B. G.* 1, 9. Qui non longe a Tolosatium finibus absunt; et *ib.* 7, 7. Praesidia in Ruthenis, et Tolosatibus constituit.

TOLOSENSIS, e, adj. idem ac Tolosanus. *Just.* 32, 3. Tolosensis lacus. *Inscr.* ap. *Grut.* 939, 3. Diis Manibus C. Fabricii C. L. Vol. Proximi Tolosensis etc. Adde 1093, 5.

*TOLUMNĬUS, i, rex Veientium. *Liv.* 4, 19. *Prop.* 4, 11, 23. ℙ Item augur, qui pro Turno bellavit adversus Aeneam. *Virg. A.* 11, 429. et 12, 258. et 460. *B. A.*

[TOLŪTĀRIS, e, adj. idem ac tolutilis, seu qui tolutim incedit. Translate utitur *Fronto*, cujus locum vide in QUADRUPEDUS. *F.*]

TOLŪTĀRĬUS Equus, ἱπποφορεύς, εὔδρομος, a *tolutim*, quia tollit alterno glomeratu pedes, ambo enim ejusdem lateris crura simul movet. Aliqui volunt, dictum esse a pedum volubilitate, quasi *volutarium.* Hujus generis equi etiam *gradarii* dicuntur, quia gradu non vulgari incedant, sed alternis crura molliter explicantes, commodam sessori praebeant vectationem, circa ullam succussationis molestiam: quod *Virg.* dixit *G.* 3, 117. Insultare solo, et gressus glomerare superbos; et *Mart.* 14, 199. ad numerum rapidos qui colligit ungues; et *Sil.* 3, 336. Aut inconcusso glomerat (*equus*) vestigia dorso, Aut molli pacata celer rapit esseda collo. *Sen. ep.* 87. *med.* Ita non omnibus obesis mannis, et asturconibus, et tolutariis praeferres unicum illum equum a Catone defrictum? *In loco *Senecae* notari potest edd. *Gron. Lips.* et *Grut.* habere *tollutariis. B. A.*

TOLŪTĬLIS, e, adj. ut Tolutilis gradus, *Varr.* ap. *Non.* 1, 60. h. e. tolutim incedens.

TOLŪTILOQUENTĬA, ae, f. linguae volubilitas: a *tolutim*, et *loquendo. Naevius* ap. *Non.* 1, 12. O pestifera trux tolutiloquentia.

TOLŪTIM, adverb. ἐπιροχάδην, εὐρρόμως, pedes molliter tollendo, quod proprie ad equorum gradariorum incessum attinet, qui alternis crura molliter explicantes, commodissimam sessori praebent vectationem, quinque a *Polluc. Onom. l.* 1. §. 193. εὔδρομοι appellantur. *Varr.* ap. *Non.* 1, 12. Ut equus, qui ad vehendum est natus, tamen traditur magistro, ut equiso doceat tolutim incedere. *Plin.* 8, 42, 67. In eadem Hispania Callaica gens est, et Asturica: equini generis (hi sunt, quos thieldones vocamus, minori forma appellatos asturcones) gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tolutim carpere incursus traditur arte. *Pl. As.* 3, 3, 116. Demam hercle jam hordeo, tolutim ni badizas. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Si omne iter evādit, stadiumque acclive tolutim. *Varr. ib.* de equitante: Haec postquam dixit, cedit citu', celsu' tolutim. *Novius ib. ib.* Edixi iturum hominem in Tuscos tolutim.

*TOMABĒI, orum, populi Arabiae, quorum meminit *Plin.* 6, 28.

TOMĀCĪNA, ae, f. idem ac tomaculum, nempe a τομή, quia est segmentum carnis, et in primis porcinae. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Quotannis e Gallia apportantur Romam pernae, tomacinae, et taniacae, et petasones. V. TANIACAE.

TOMĀCŬLUM, i, n. vel per syncopen Tomaclum, ἄλλᾶς, τεμάχιον, genus edulii, quod fere fit ex jecore, abdomine, testiculis, et vulvis suum minutim concisis et jam semicoctis, infusis ovis crudis, et caseo optimo, et liquamine, pipere, aniso, gingibere, tegiturque omento suillo. Est a τέμνω, seco, concido, unde τομή, sectio, et τὸ τέμαχος, et diminut. τεμάχιον. *Juven.* 10, 355. Exta, et candiduli divina tomacula porci. *Mart.* 1, 42. fumantia qui tomacla raucus Circumfert tepidis cocus popinis. *Petr. Sat.* 31. *extr.* Tomacula ferventia supra craticulam argenteam posita. Adde *ib.* 49. *extr. Theod. Prisc.* 2, 10. Cibis congruis digestibilibu nutrio; ut sunt ova, tomacula, buccellae candidae in aqua calida maceratae.

*TOMALA, opp. Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

TOME, es, f. sectio, incisio, τομή: a τέμνω, seco. *Auson. epist.* 4, 90. Tum quod bucolice tome relinquit, *h. e.* caesura, quae in bucolicis versibus adhibetur, *h. e.* cum versus hexametri pes quartus est dactylus dictionem finiens, ut in illo *Virg. Ecl.* 1, 8. Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus. ℙ Universim *tome* est sectio, et divisio cujusque versus. Hinc primam, secundam, tertiam tomen versus hendecasyllabi pluribus exponit *Terent.* p. 2440.

TOMENTUM, i, n. κνάφαλον, et γνάφαλον, proprie sunt flocci ex texta lana derasi a fullonibus, et in culcitas farti: inventum Galliarum: quare varia tomentorum genera Gallicis nominibus discernuntur, ut *Plin.* ait 8, 48, 73. et 19, 1, 2. *n.* 1, Eodem vocabulo appellari possunt etiam acus, palea, pluma, qua farciuntur culcitae. *Isid. Or.* 19, 27. Tomentum appellatum, quod aut in filo, aut in tela tumeat, nec subtilitatem habeat. *Varr. L. L.* 4, 35. In culcitas tomentum, aliudve quid calcare. *Suet. Tib.* 54. Adeo alimenta Druso subducta, ut tomentum ex culcita tentaverit mandere. (Adde *Tac. A.* 6, 23.) *Mart.* 14, 159., cujus lemma *Tomentum Lingonicum:* Oppressae nimium vicina est fascia plumae. Vellera Lingonicis accipe rasa sagis; et *ib.* 160., cujus lemma *Tomentum Circense:* Tomentum concisa palus Circense vocatur. Haec pro Lingonico stramina pauper emit. V. CIRCENSIS. De tomento ex pluma, et foeno est *epigr.* 16. et 162. *ib.* Fiebat et ex foliis albis, et mollibus herbae, quae *gnaphalion* ob id appellata est. *Plin.* 27, 10, 61. *Appul. Apol.* Capillus stuppeo tomento assimilis. Alii perperam legunt *tormento.*

TOMIS, is. V. TOMOS.

TOMĪTAE, arum, m. plur. Tomi oppidi incolae. *Ov. Trist.* 1, 2, 85. Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas.

TOMĪTĀNUS, a, um, adj. ad Tomum oppidum, seu Tomitas pertinens, ut Tomitana terra. *Ov. Pont.* 1, 1, 1. *Id. ib.* 3, 8, 9. et Palladis uti Arte Tomitanae non dedicere nurus.

TOMIX, icis, f. θώμιγξ, restis, funiculus ex cannabe, junco, sparto, palma, aliave materia. *Vitr.* 7, 3. Asseribus dispositis, tum tomice ex sparto Hispanico arundines Graecae tusae ad eos religentur. *Colum.* 12, 32. Marrubii caules teneros in sole siccato, deinde fasciculos facito, et tomice palmea, aut juncea ligato. *Plin.* 17, 10, 11. Sic et spinas sepis causa serunt, tomice moris spinarum circumlita. (Enarrant hoc fusius *Colum.* 11, 3. *in.* et *Pall.* 1, 34.) *Pall.* 1, 13. Binas perticas erigemus tomicibus alligatas. ℙ Sunt qui scrib. *thomix* Graecas litteras secuti. V. THOMIX.

TOMOS, seu Tomus, i, f. *Kiow*, urbs Moesiae inf. in ora Ponti Euxini, celebris exsilio P. Ovidii Nasonis. Dicta est a τομή, sectio, vel a τόμος, h. e. frustum sectione ablatum: quia ibi Medea, cum fugeret ex Colchide una cum Iasone, Absyrtum fratrem secum adductum in membra discerpsit, eaque in variis locis sparsit, ut patrem persequentem in illii membris colligendis occupatum retardaret. *Ov. Trist.* 3, 9, 33. Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo Membra soror fratris consecuisse sui. Alii leg. *Inde Tomis dictus*, etc. ut sit *Tomis, is.* Sic *Pont.* 4, 14, 59. Jam mihi cara Tomos. Alii leg. *Tomos.* ℙ

Est etiam *Tomi*, *orum*, *Τομοί*. *Stat. Silv.* 1, 2, 254. nec tristis in ipsis Naso Tomis. *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 70. Danubius veteresque Tomi. *Sidon. carm.* 23, 159. et te Notum, Naso tener, Tomosque missum.

TOMUS, i, m. *τόμος*, Graece est sectio, pars: tomus itaque est operis longioris, in partes secti, pars quaedam. *Mart.* 1, 67. Erras, meorum fur avare librorum, Fieri poetam posse qui putas tanti, Scriptura quanti constat, et tomus vilis. [*M. Aurel.* ad *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2, 13. Feci tamen mihi per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. *F.*] *Hieron. ep.* 22. *n.* 38. Accipe tibi tomum magnum novum, et scribe in eo. ℙ *Item piscis nomen ap. *Plin.* 32. ult. ubi ed. *Hard.* habet *thynnus*. ℙ Tomus, urbs Moesiae. V. *Tomos. B. A.*

*TOMYRIS, is, f. *Τόμυρις*, regina nobilis Massagetarum in Scythia, quae Cyrum debellavit et interemit, si fides *Herodoto* (1, 205. sq.), ex quo *Justinus* repetit 1, 8. Nam alia omnia *Xenophon. Tibull.* 4, 1. 143. Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe. ℙ *Thamyris*, audit *Val. Max.* 9, 10. *Tamyris* (Tamiris) autem *Frontin. Strateg.* 2, 5. ℙ De orthographia hujus vocis. V. *Broukhus.* ad *Tibull. B. A.*

TONANS, antis, part. a *tono*: *βροντῶν*, qui tonat. In *commentar. augur.* ap. *Cic. Div.* 2, 18. et *Phil.* 5, 3. Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. *Plin.* 15, 30, 40. Tonante coelo coronari lauro contra fulminum metus. *Virg. A.* 5, 820. sub axe tonanti. *Ov. Her.* 19, 81. tonantes venti. *Hor. Od.* 1, 34, 7. Diespiter per purum tonantes Egit equos. ℙ *Tonans* absolute, Juppiter. *Ov. Her.* 9, 7. velit hoc germana Tonantis. *Id. Fast.* 2, 69. Tonans Capitolinus, *h. e.* Juppiter tonans, cui Augustus aedem exstruxerat in clivo Capitolino, cujus meminit *Suet. Aug.* 29. et 91. *Ov. Met.* 1, 170. Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis. Adde *Lucan.*, *Val. Fl.*, *Mart.*, *Sen. Trag.*, *Claud.* etc. ℙ *Falcifer Tonans* ap. *Mart.* 5, 16. est Saturnus. *Sceptriferi Tonantes* ap. *Sen. Med.* 59. Juppiter, et Juno. ℙ Translate. *Just.* 32, 4. Annibalem Romano tonantem bello Italia contremuit.

TONĀTĬO, onis, f. tonandi actus. V. CONATIO.

TONDĔO, es, totondi, tonsum, a. 2. *κείρω*, lanam, capillos, barbam, et hujusmodi caedo. *Cic. Tusc.* 5, 20. Ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit: ita regiae virgines, ut tonstriculae tondebant barbam et capillum patris. *Cels.* 6, 6. *n.* 8. Sed ante tonderi ad cutem convenit. *Pl. Merc.* 3, 1, 29. et *Plin.* 18, 27, 67. *n.* 4. Tondere oves. *Catull.* 61, 138. nunc tuum cinerarius tondet os, *h. e.* capillum et barbam. *Tibull.* 3, 1, 9. Lutea sed niveum involvat membrana libellum: Pumex et canas tondeat ante comas, *h. e.* abradat pilos membranae, et laeviget. *Plin.* 28, 4, 6. Tondere naevos in facie, religiosum habent etiam nunc multi. ℙ *Tondere* dicitur etiam qui tondetur: ut *lavare*, qui lavatur. *Varr. R. R.* 1. 37. Ne decrescente luna tondens calvefiam. *Suet. Aug.* 79. In capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam. *Virg. Ecl.* 1, 29. Candidior postquam tondenti barba cadebat. *Quint.* 1, 6. *f.* Lavamus, et tondemus, et convivimus. ℙ Pro metere, secare. *Tibull.* 4. 1, 172. Tondeturque seges maturos annua partus: *ἐλληνισμὸς*. *Virg. G.* 1, 289. Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata Tondentur. *Sen. Phoen.* 130. Colonus agros uberis tondet soli. ℙ Item putare. *Colum.* 4, 21. Vitis in pollicem tondeatur. *Plin.* 15, 1, 2. Oleae tondentur, cum et vites. *Id.* 12, 25, 54. Tondetur balsamum fruticans. *Virg. G.* 4, 137. Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi. ℙ Item carpere, pasci. *Virg. Cul.* 50. Tondentur tenero viridantia gramina morsu. *Lucr.* 2, 659. tondentes gramina lanigerae pecudes. *Virg. A.* 3, 537. equos in gramine vidi Tondentes campum late. *Id. G.* 1, 15. tondent dumeta juvenci. *Prop.* 3, 11, 29. violas tondere manu, *h. e.* decerpere, legere. *Sil.* 13, 839. Illa autem, quae tondetur praecordia rostro Alitis, *h. e.* laceratur et carpitur. Sic *Virg. A.* 6, 597. rostroque immanis vultur obunco Immortale jecur tondens. Alii leg. *tundens*; et *Sen. Ag.* 18. Ubi tondet ales avida fecundum jecur. ℙ Translate est spoliare, privare. *Pl. Bacch.* 2, 3, 8. Hunc tondebo auro usque ad cutem. *Prop.* 3, 17, 22. de Scylla: Tondens purpurea regna paterna coma. ℙ Praeteritum agnoscitur ab omnibus grammaticis. V. DETONDEO. ℙ Etiam *tondo*, *is*, in tertia conjug. usurpatur. *Vet. Kalendar.* ap. *Grut.* 138. mense Majo: Oves tonduntur.

*TONDEROS, i, Asiae ulterioris fluvius, de quo *Plin.* 6, 23. Ariana regio—cultores congregat circa duos maxime fluvios, Tonderon et Arosapan. *B. A.*

TŌNESCO, is, n. 3. idem ac tono. *Varr.* ap. *Non.* 2, 858. Tunc repente coelitum altum tonitribus templum tonescit.

TONGĔRĔ, Aelius Stilo ait, noscere, esse, quod Praenestini tongitionem dicant pro notione. Significat et latius dominari. Ennius: Alii rhetorica tongent. Et, vincere, etiam quandoque videtur significare. Haec *Festus.*

TONGĬTĬO, onis, f. V. v. praec.

TONITRĀLIS, e, adj. *βροντεῖος*, in quo fit tonitru. *Lucr.* 1, 1096. Neve ruant coeli tonitralia templa superne.

TONITRŪĀLIS, e, adj. qui tonitrua immittit, h. e. Juppiter. *Appul. de Mundo.* Dicitur (*Juppiter*) et fulgurator, et tonitrualis, et fulminator. V. RITUALIS *f.*

[TONITRŬO, as, n. 1. idem ac tono. *Commod. Instruct.* 6, 7. Insipiens Jovem tonitruare tu credis. *F.*]

TONITRUS, us, m. in abl. sing. Tonitru, et in dat. plur. Tonitribus: item Tonitruum, i, n. et in plur. Tonitrua, *βροντή*, *βρῶμος*, sonus nubis ictae, fragor ille, qui fit in nubes: a *tono*. *Virg. A.* 4, 122. tonitru coelum omne ciebo. *Cic. Div.* 2, 18. Nonne perspicuum est ex prima admiratione hominum, quod tonitrua, jactusque fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium praepotentem Jovem? *Liv.* 1, 16. Subito coorta tempestas, cum magno fragore tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo, etc. *Juven.* 5, 117. facient optata tonitrua coenas, *h. e.* optatas propter tubera, quae erant in deliciis ciborum, et dicebantur crescere praecipue tempore crebrorum tonitruum. *Festus* in *Claudiana tonitrua.* Ut veri tonitrus similitudinem imitaretur. *Plin.* 8, 47, 72. Tonitrua solitariis ovibus abortus inferunt. *Sen. Q. N.* 2, 56. Haec antiqui *fulgetra* dicebant, *tonitrua* nos pluraliter dicimus: antiqui aut *tonitruum* dixerunt, aut *tonum. Stat. Th.* 1, 258. tonitrus agis, et mea fulmina torques. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Tonitruum terribile exsistit. *Gell.* 10, 12. Tonitrus et imbres fieri derepente. *Trebell. Gall.* 5. Auditum praeterea tonitruum, terra mugiente, non Jove tonante. ℙ Genitivus plur. sumitur saepius a *tonitrus*, quam a *tonitruum. Pacuv.* ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Clamor tonitruum et rudentum sibilus. ℙ Reperitur etiam *tonitruus*, *i*, m. *Hieron. adv. Jo. Hierosol. n.* 10. Tonitruus Gentium, flumen eloquentiae Christianae. ℙ *Tonitra* quoque pro *tonitrua* sunt qui leg. in fragmento *Accii* ap. *Prisc.* 6, 686. ℙ Affertur a quibusdam Lexicographis et a *Charis.* 1, 23. tonitru *n.* 4., sed hujus positionis nullum adhuc exemplum vidimus.

TŌNO, as, nui, n. 1. *βροντάω*, strepo: et proprie de nubibus dicitur: a *τόνος*, sonus intentus et vehemens. *Enn.* ap. *Sen. ep.* 118. et *Virg. G.* 3, 260. quem super ingens Porta tonat coeli. *Pl. Amph.* 5, 1, 10. et 78. Ut subito, ut propere, ut valide tonuit! *Cic. Div.* 2, 72. Si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de coelo. *Sen. Med.* 531. Nunc summe toto Juppiter coelo tona. *Id. Hipp.* 682. Divum rector, in me tona. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Ea ipsa tonandi potestas non Diti patri, neque Neptuno, neque Diis ceteris, sed imperatori summo Jovi tradita est, ut fragoribus nubium, et sonoribus procellarum, velut quibusdam coelestibus vocibus, altissimum imperium a contemptu vindicaret. *F.*] ℙ Transfertur ad significandum quemlibet sonum vehementem, boatum, fragorem. *Lucr.* 2, 618. Tympana tenta tonant. *Virg. A.* 3, 571. horrificis juxta tonat Aetna ruinis; et *ib.* 9, 540. pondere turris Procubuit subito, et coelum tonat omne fragore; et *ib.* 12, 757. Exoritur clamor: coelum tonat omne tumultu. *Sen. Tro.* 173. excelsum nemus Fragore vasto tonuit. *Mart.* 9, 69. Murmure jam saevo verberibusque tonas. *Val. Fl.* 4, 612. Et tonat afflicta semper domus ignea massa. ℙ *Tonare* dicuntur grandia loquentes, et eloquio insignes: nam, ut ait *Plin. ep.* 1, 21. *med.*, oratio lata, et magnifica, et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Itali dicunt, *fa strepito e impressione negli animi. Cic. Or.* 9. Pericles ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus est. *Colum. praef.* 1. *f.* Neque ille ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demostheni Platonique. *Prop.* 3, 15, 40. Qualis Pindarico spiritus ore tonat. *Virg. A.* 11, 383. Proinde tona eloquio, solitum tibi. ℙ Regit etiam accusativum. *Virg. A.* 4, 510. Tercentum tonat ore Deos, *h. e.* magna voce inclamat. *Prop.* 4, 1, 134. Et vetat insano verba tonare foro. *Mart.* 8, 3. Aspera vel paribus verba tonare modis. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 83. tunc talia celso Ore tonat. *Id. epist.* 3, 4. Carmina seu fundis, seu Cicerona tonas. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 218. gratamque facem per inane rotantes Prospera vibrati tonuerunt omnia nimbi. ℙ In tert. conjugat. *Varr.* ap. *Non.* 1, 215. Tibi tympana non inani sonitu Matris Deum tonimus.

TŌNOR, oris, m. ita dictus est ab antiquis tenor, hoc est accentus, teste *Quint.* 1, 5. V. TENOR.

[TŌNOTĪCUS, a, um, adj. *τονωτικός*, vim habens intendendi, seu roborandi et firmandi. *Theod. Prisc. de diaet.* 9. Mastix foris tonotica. *F.*]

TONSA, ae, f. *κώπη*, remus: ita dictus quia quasi tondetur ferro, ut ait *Fest.* Alii ducunt a *tundendo*, quia tundit aquam: *Serv.* ad *A.* 7, 28. a decutiendis fluctibus, sicut tonsores a decutiendis capillis. *Enn.* ap. *Fest.* Alius in mari vult magno tenere tonsam. *Val. Fl.* 1, 369. Tum valida Clymenus percusso pectore tonsa, Frater et Iphiclus puppim trahit. ℙ Saepius adhibetur in plur. *Enn.* ap. *Fest.* Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis. (Pro *poste* est qui mallet *pone.*) *Id. ib.* exin referunt ad pectora tonsas. *Virg. A.* 7, 28. in lento luctantur marmore tonsae; et *ib.* 10, 299. socii consurgere tonsis. *Lucan.* 3, 527. impulsae tonsis tremuere carinae. Adde 5, 448., *Sil.* 11, 491., *Sen. Ag.* 443. et *Lucr.* 2, 554. ℙ Sunt qui docent, tonsam proprie esse remi palmulam: et per synecdochen de toto remo dici. *Manil.* hac ratione usus videtur 4, 284. Aut remos agitare, et lentas flectere tonsas.

[*TONSICULA, ae, f. piscis ap. *Cassiod. Var. Ep.* 12, 4. *Bail.*]

TONSĪLIS, e, adj. qui tonderi potest. *Plin.* 8, 50, 76. Caprae in Cilicia circaque Syrtes villo tonsili vestiuntur, *h. e.* oblongo, et ad texendum apto. Ex eo enim fit pannus, qui dicitur *Camelot.* Rursus *Id.* 16, 10, 18. Picea jam in domos recepta, tonsili facilitate. ℙ Item tonsus: ut *rasilis*, rasus. *Mart.* 3, 58. de villa: Non otiosis ordinata myrtetis, Viduaque platano, tonsilique buxeto. *Plin.* 12, 2, 6. Primus C. Matius nemora tonsilia invenit. *Cn. Mattius* ap. *Gell.* 20, 9. Tonsiles tapetes ebrii fuco, *h. e.* villo brevi admodum, aut nullo.

TONSILLA, ae, f. palus, ad quem naves ligantur: dimninut. tonsae. *Fest.* Tonsillam ait esse Verrius palum dolatum in acumen, et cuspide praeferratum, ut existimat, quem configi in litore navis religandae causa. Pacuvius in Medo: Accessi ad eam, et tonsillam pegi laevo in litore. Accius: Tacite tonsillas litora in lecta indite. Haec *Festus.* Locum *Pacuvii* descripsit etiam *Prisc.* 10, 894.

TONSILLAE, arum, f. plur. *παρίσθμια*, *ἀντιάδες*, glandulae in summis faucibus, quae interdum inflammantur et intumescunt, deglutiendi facultatem impediunt, et nonnunquam exulcerantur. Earum curationem *Cels.* 6, 10. et 7, 12. *n.* 2. tradit. *Plin.* 11, 37, 66. Tonsillae in homine, in sue glandulae: quod inter eas uvae nomine ultimo dependet palato, homini tantum est. *Cic. N. D.* 2, 54. Linguam, ad radices ejus haerens, excipit stomachus: oris utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur.

TONSĬO, onis, f. *Cato R. R.* 2. *f.* Pecus consideret, tonsionem uti faciat. Alii leg. *auctionem.*

TONSĪTO, as, a. 1. saepe tondeo. *Pl.* [*Bacch.*] 5, 2, 9. Rerin', ter in anno tu has (*oves*) tonsitari?

TONSOR, oris, m. *κουρεύς*, qui capillum et barbam aut forfice tondet, aut cultro radit. Romani prioribus annis sine tonsoribus fuere (ut narrat *Plin.* 7, 59, 59.), intonsi enim vivebant: quod significant (inquit *Varro R. R.* 2, 11. *med*) antiquorum statuae, pleraeque capillum et barbam magnam habentes. Inducti sunt Romam primum ex Sicilia a P. Ticinio Mena ann. U. C. CCCCLIV. Prius vero ap. Romanos barbam tonsores forfice tondebant, unde eis nomen factum, deinde cultro seu novacula radebant, tandem volsellis vellebant. Hinc *Mart.* 8, 47. Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est, Pars vulsa est: unum quis putet esse caput? Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens: Augustus cultris semper usus est, ut *Varr. R. R.* 2, 11. et *Plin. l. c.* narrant. *Cic. Tusc.* 5, 20. Dionysius ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. *Hor. Ep.* 1, 1, 94. Si curatus inaequali tonsore capillos Occurro, rides. *Mart.* 6, 57. Tonsorem capiti adhibere. *Suet. Aug.* 79. Tonsori operam dare, *h. e.* tonsorem adhibere. ℙ Inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Mur.* 897, 8. Donatus Ti. Germanici tonsor. ℙ Non solam barbam, aut capillum, sed etiam ungues curabant. *Pl. Aul.* 2, 4, 33. Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat: collegit, omnia abstulit praesegmina. V. *Val. Max. l. c.* in v. sq. ℙ Lepidum epigramma in tonsorem imperitum habes ap. *Mart.* 11, 84. ℙ Pro putatore. *Arnob.* 6, 197. Saturnus cum obunca falce ramorum luxuriantium tonsor. ℙ *Res nota est lippis, et tonsoribus*, inquit *Hor. Sat.* 1, 7, 3., significans pervulgatam, et in ore omnium esse. V. LIPPUS.

TONSORĬUS, a, um, adj. *κουρικός*, ad tonsorem, et ad tondendum pertinens. *Cic. Off.* 2, 7. et *Petr. Sat.* 108. *med.* Cultros metuens tonsorios, i. e. novaculas. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 15. Cultellum tonsorium, quasi unguium resecandorum causa poposcit. *Mart.* 14, 36., cujus lemma *Ferramenta tonsoria*: Tondendis haec arma tibi sunt apta capillis: Unguibus haec longis, utilis illa genis. *Pall.* 1, 43. Castratoria ferramenta, atque tonsoria, *h. e.* tondendis ovibus.

TONSTRĪCŬLA, ae, f. *κουρευτρίδιον*, dimin. tonstricis. *Cic. Tusc.* 5, 20. Regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris.

TONSTRĪNA, ae, f. *κουρεῖον*, officina tonsoris. *Pl. Epid.* 2, 2, 13. Per omnem urbem quem sum defessus quaerere, per medicinas, per tonstrinas, in gymnasiis, atque in foro. (Adde *Amph.* 4, 1, 5.) *Id. As.* 2, 2, 86. In tonstrina ut sedebam, me infit percontarier. *Plin.* 36, 22, 47. Cotes saliva hominis proficientes in tonstrinarum officinis. *Id.* 29, 6, 36. Aranei tela vulneribus tonstrinarum sanguinem sistit, *h. e.* novacula factis in radendo.

*TONSTRĪNUS, i, m. tonsor. *Petr.* 46. sec. *Burm.* et *Scheff.* Al. *tonsorium*, sc. virum. *B. A.*

TONSTRIX, icis, f. κουρεύτρια, quae tondet, mulier tonsoris officio fungens. *Pl. Truc.* 2, 4, 51. Tonstricem Syram novisti nostram. Adde *ib.* 4, 2, 59. et 4, 4, 3. et *Mart.* 2, 17. *Inscr.* ap. *Grut.* 594, 3. Sextiae L. Tertiae tonstrici Sextia Xanta Scr. (*Fabr.* p. 214. *n.* 547. legit *Ser.*) libraria Em. Oll. II. V. TOSTRIX.

TONSŪRA, ae, f. κουρά, κάρσις, actus tondendi. *Varr. R. R.* 2, 11. Quidam in anno bis tondent (*oves*), ac semestres faciunt tonsuras. *Plin.* 28, 8, 29. Nigra lana primae tonsurae. (V. APTATURA.) *Ov. A. Am.* 1, 517. Nec male deformet rigidos tonsura capillos. ℙ Item putatio. *Plin.* 17, 27, 46. Vitis tantum tonsuram annuam quaerit, alternam myrtus, punicae, oleae. Adde 16, 37, 68.

TONSUS, a, um, part. a *tondeo:* κειρτὸς, κουρίας, cui coma, barba, aut lana resecta est. *Hor. Ep.* 1, 18, 7. Tonsa cutis. *Ov. Met.* 8, 151. Tonsus capillus. *Mart.* 11, 39. Tonsa barba. *Plin.* 8, 42, 66. equarum juba. *Virg. G.* 3, 443. Tonsae oves. *Hor. Od.* 3, 5, 14. lanae. *Mart.* 6, 64. Vir tonsus ad speculum. *Cic. Pis.* 8. *f.* Tu ex popina consul extractus cum illa saltatrice tonsa, *h. e.* cum Gabinio consule, quem ut saltatorem reprehendit *ib.* 10. et 11.: *tonsam* vero dicit, non quod nullam haberet comam: cum *c.* 11. tribuat ei comptos capillos, et madentes cincinnorum fimbrias; sed quia breviore coma utebatur lasciviae causa; pueri enim meritorii ita tondebantur. Hinc *Suet. Aug.* 45. Matrona in puerilem habitum circumtonsa; et *Ner.* 44. Concubinas tondere ad virilem modum. *Prop.* 4, 11, 38. Sub quorum titulis Africa tonsa jaces, *h. e.* captiva: bello enim subactos tondere comam, et victori crinem porrigere (ut est ap. *Ov. Am.* 1, 14, 45. et *Fast.* 1, 645.) mos fuit. Allegorice omni decore spoliata. ℙ *Tonsus puer*, *minister*, est simplex, purus, rudis: nam quos habebant delicatos, comatos habebant, et comptos. *Mart.* 10, 98. Suspectus tibi ne tamen recumbam, Praesta de grege sordidaque villa Tonsos, horridulos, rudes, pusillos Hircosi mihi filios bubulci; et 11, 12. pocula trade tonso pura ministro. ℙ *Tonsus reus*, absolutus: quia, durante judicio, rei sordidati capillum et barbam submittebant ad captandam misericordiam: absoluti tondebant. *Id.* 2, 74. Ad alta tonsum templa cum reum misit. ℙ Est etiam putatus. *Hor. Od.* 4, 4, 57. duris ilex tonsa bipennibus. *Quint.* 8, 3. Sterilem platanum, tonsasque myrtos, quam maritam ulmum, et uberes oleas praeoptaverim, *h. e.* ad speciem putatas, ut in hortis ornatui sint. Sic *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Ambulatio pressis, varieque tonsis viridibus inclusa. *Virg. A.* 5, 774. et *G.* 3, 21. caput tonsae foliis ornatus olivae. Ubi *Serv.:* minutis foliis compositae, ut *A.* 1, 706. tonsisque ferunt mantilia villis. Ubi *Id.* vel minutis, vel compositis, ut *ib.* 5, 556. Omnibus in morem tonsa coma pressa corona, *h. e.* ex minutis, aut apte compositis foliis conserta. (Fallitur hic *Serv.* v. *tonsa* cum *coma* componens.) *Ov. Rem. Am.* 191. tonsa humus, *h. e.* foenisecia facta. *Virg. G.* 1, 71. alternis tonsas cessare novales, *h. e.* messura facta; et *ib.* 4, 277. tonsae valles, *h. e.* non silvosae, sed cultae, resectis superfluis fruticibus, et arboribus silvescentibus.

TONSUS, us, m. idem ac tonsura. *Pl. Amph.* 1, 1, 288. Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasus, vel labra. *Accius* ap. *Non.* 2, 850. Sed quaenam haec est mulier, funesta veste, tonsu lugubri?

TŌNUM, i, n. *Vitr.* 9, 9. *med.* Moventur sigilla, vertuntur metae, calculi, aut tona projiciuntur, buccinae canunt. Alii rectius leg. *ova.*

TŌNUS, i, m. accentus, tenor: a τόνος, quod proprie est intentio, et speciatim soni intentio. *Vitr.* 5, 4. vocat *sonitum*. *Id. ib.* Harmonia tetrachordorum et tonos, et dieses habet binas: diesis autem est toni pars quarta. Adde *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. *med.* et *Capell.* 9, 315., ubi de tonis plura. ℙ In re grammatica est accentus, προσῳδία. *Nig.* ap. *Gell.* 13, 25. Secunda syllaba superiore tono est, quam prima: deinde novissima dejicitur, at in casu vocandi summo tono est prima. *Ipse Gell. ib.* Summum tonum προσῳδίαν acutam dicit. V. ACCENTUS. ℙ In picturis splendor intermedius inter lumen et umbram tonus dicitur. [V. *Winckelmann*, *Stor. dell' arte* 7, 4. §. 6.] *Plin.* 35, 5, 11. Deinde adjectus est splendor, alius hic quam lumen, quem, quia inter hoc et umbram esset, appellaverunt Graeci tonon: commissuras vero et transitus armogen. ℙ *Sen. Q. N.* 2, 56. Tonitrua nos pluraliter dicimus: antiqui aut tonitruum dixerunt aut tonum. Hoc ap. Caecinam invenio, facundum virum, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset.

TŌPARCHA, ae, m. τοπάρχης, regionis praefectus: est a τόπος, locus, regio, et ἀρχή, principatus. *Spart. Hadr.* 13. *med.* Toparchus, et reges ad amicitiam invitavit.

TŌPARCHĪA, ae, f. τοπαρχία, regionis praefectura. *Plin.* 5, 14, 15. Reliqua Judaea dividitur in toparchias decem.

TŌPAZĬACUS, a, um, adj. ad topazion pertinens. *Venant. carm.* 8, 6, 273. Pulcra topaziacis oneratur zona lapillis.

TOPAZĬON, ii, n. vel Topazios, ii, f. τοπάζιον, et τοπάζιος, gemma suo genere virens, in insula Rubri maris Topazo primum reperta: cujus duo genera faciunt, prasoiden, et chrysopteron, similem chrysopraso. Ejus enim tota similitudo ad porri succum dirigitur. Est autem amplissima gemmarum: et sola nobilium limam sentit, et usu atteritur. Haec ex *Plin.* 37, 8, 32. ℙ A *Prudentio* dicitur *topazon*, τόπαζον, in *Psych.* 861. Sardoum juxta appositum, pulcherque topazon. ℙ Narrat *Plin. l. c.* eam insulam a Troglodytis ita dictam, quia valde nebulosa sit, ideoque saepe quaesita a navigantibus: nam topazin (τοπαζειν) illorum lingua significationem habere quaerendi. Hinc etiam Graecis τοπάζω est quaero.

[TOPĀZUS, a, um, adj. idem ac topaziacus, seu topaziis ornatus. *Venant. Vit. S. Mart.* 2. *f.* Hos chlamys, ast illos armilla topaza decorat. *F.*]

TOPER et Topper, adv. prisca et obsoleta vox, et, ut ait *Quint.* 1, 6. *f.*, ab ultimis et jam obliteratis petita temporibus, quae et cito, et fortasse significare dicitur a *Festo:* qui utramque significationem adstruit ex *Naevio*, *Coelio*, *Accio*, *Ennio*, *Pacuvio*. Si notationem spectas, qua a *toto opere* deducunt etymologi, unico *p* scribi debet: si libros veteres sequeris, duplici. V. NUPER *in.*

TOPHUS cum derivatis. V. TOFUS.

TOPIA, orum, n. plur. picturae, in quibus regiones, nemora, portus, litora, flumina, et alia id genus repraesentantur. *Vitr.* 7, 5. agens de ratione pingendi in aedificiis, cum dixisset, antiquos primum tectorio opere, et coloribus crustarum marmorearum varietates imitatos fuisse; postea, inquit, ingressi sunt, ut etiam aedificiorum figuras, columnarumque et fastigiorum eminentes projecturas imitarentur; patentibus autem locis, ut exhedris, propter amplitudinem parietum, scenarum frontes tragico more, aut comico, aut satyrico designarent: ambulationibus vero, propter spatia longitudinis, varietatibus topiorum ornarent, ab certis locorum proprietatibus imagines exprimentes. Pinguntur enim portus, promontoria, litora, flumina, fontes, euripi, fana, luci, montes, pecora, pastores: nonnullis locis item signorum megalographiam, habentem Deorum simulacra, seu fabularum expositas explicationes, non minus Trojanas pugnas, seu Ulyssis errationes per topia, ceteraque, quae sunt eorum similibus rationibus ab rerum natura procreata. Hactenus *Vitr.*, cujus verba longiora huc transtulimus, tum ut facile intelligi posset, de pictura hic sermonem esse, non de topiario opere (de quo V. v. sq.), quod nonnulli putarunt; tum ut quid *topiorum* nomine veniat, clare ex ipsius *Vitruvii* verbis explicaretur. ℙ Est tamen ubi *topia* sunt topiario opere ex arborum frondibus loca contecta: ut ap. *Spart. Hadr.* 10. *med.* Triclinia de castris, et porticus, et cryptas, et topia diruit.

TOPIĀRĬUS, a, um, adj. Topiarium opus. Hujusmodi opus ex arbore, aut frutice, aut herba, aut vitandi aestus causa factum, ut sunt testudines, camerae, naves, aviculae, et hujusmodi, quae ex buxo, vel hedera, et aliis, quorum natura sequax est et flexibilis, fieri consueverunt. Quidam topiarium dici ex eo volunt, quia funiculos Graeci τόπια, et τοπεῖα appellant. Ratio appellationis est, quod in opere topiario frutices, et arbusculae tonsiles, quae varie torquentur et flectuntur, usque dum animalium, vel aliarum rerum similitudinem repraesentent, topiis sive funiculis soleant religari. Id magis placet, quam ut dicantur ita, quia arbusculae illae flexiles et sequaces sint instar funiculorum: quod quibusdam aliis videtur. Haec *Voss.* in *Etym.* Alii tamen ita dici censent a τόπος, locus, eo quod varia in eo loca constituuntur: sive per excellentiam, quod loca istiusmodi ad voluptatem mire faciunt. *Plin.* 15, 30, 39. Accedit in topiario opere lauri genus, quae taxa dicitur. *Id.* 21, 11, 39. Vincapervinca semper virens, topiaria herba; et 18, 28, 69. *n.* 1. Arbores urbanae, et quae topiario tantum quaeruntur. *Id.* 22, 22, 34. Acanthos topiaria et urbana herba, elato longoque folio, crepidines marginum, assurgentiumque pulvinorum toros vestiens. ℙ *Topiaria ars*, quae versatur circa topiaria opera. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. *f.* Ut denique illi palliati topiariam facere videantur, et hederam vendere. ℙ *Topiarius*, *ii*, absolute, qui topiaria opera facit: ut sunt, inquit *Firm. Math.* 8, 10. *f.*, qui buxeas arbores tondentes, in belluas fingunt, aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciunt. *Cic. l. c.* Topiarium laudavi: ita omnia convestivit hedera, qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis. Adde *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. et *Plin. jun. ep.* 3, 19. V. QUARTILLA.

TOPĬAS ficus *Colum.* 5, 10. *med.* recenset inter varia ejus arboris genera, quae praecipua bonitate commendantur. Ubi vel ficus significat, quae topiario operi inservire possunt, vel legendum est *Chias*, ut mallet *Pontedera.*

TOPĪCA, orum, n. plur. τοπικὰ, libri, in quibus de inventione argumentorum disseritur: a τόπος, locus, quod in iis doceatur, quemadmodum ex certis locis argumenta eruantur. Ita inscripti sunt libri Aristotelis, et Ciceronis. *Cic. Fam.* 7, 19. Institui topica Aristotelea conscribere.

TOPICE, es, f. τοπική, ars inveniendorum argumentorum. *Cic. Top.* 2. Inveniendi vero artem, quae topice dicitur, quae ad usum potior erat, et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt

*TOPĪRIS, idis, oppidum Thraciae, vel Macedoniae Adjectae, inter Strymonem Nestumque flumina. *Plin.* 4, 11. ℙ In nummis Getae est *Topirus*, cum *Ulpiae* cognomento. ℙ Τοπιρὶς appellatur a *Ptolemaeo*, a *Procopio* Τόπειρος, Τόπηρος autem in *Act. Concil. Ephes. B. A.*

TOPOGRAPHIA, ae, f. τοπογραφία, a τόπος, locus, et γράφω, scribo, pingo. Est descriptio veri loci. At

TOPOTHĒSĬA, ae, f. τοποθεσία, a τόπος, et τίθημι, pono, est descriptio loci ficti. Ita inter duo haec distinguit *Serv.* ad *A.* 1, 163. Priore describendi ratione utuntur oratores, ut *Cic. Verr.* 2, 4, 52. et *ib.* 2, 5, 37. et *Liv.* 44, 6; posteriore poetae, ut *Virg. l. c.* et *Stat. Th.* 2, 32. ℙ Graece utraque vox usurpatur. *Cic. Att.* 1, 13. Τοποθεσίαν quam postulas, Miseni et Puteolorum, includam orationi meae; et *ib.* 16. *f.* Velim ad me scribas, cujusmodi sit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ.

TOPPER. V. TOPER.

TORAL, ālis, et Torale, is, n. περίκλινον, stragulum, quod circa torum apponitur ornatus gratia. *Varr. L. L.* 4, 35. Quibus operiebantur, operimenta, et pallia, et opercula dixerunt. In his multa peregrina, ut sagum, etc. Contra Latinum torale, quod ante torum. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* Advenerunt ministri, ac toralia proposuerunt toris, in quibus retia erant picta, subsessoresque cum venabulis, et totus venationis apparatus. ℙ Est alius *Varronis* locus, quo significatur stragulum toro superpositum: ap. *Non.* 1, 35. Quod frontem lecticae struebant, ex ea herba torta torum appellatum: hoc quod injicitur, etiamnum toral dicitur. *Lampr. Elag.* 19. Primus omnium, privatorum toros aureis toralibus texit. *Hor. Ep.* 1, 5, 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares. *Id. Sat.* 2, 4, 84. Et Tyrias dare circum illota toralia vestes. *Inscr.* ap. *Mur.* 341. *lin.* 31. Discumbentes, toralibus segmentatis, etc.

*TORALLIBA, insula maris Indici. *Plin.* 6, 21. Crocala—Bibaga—deinde Toralliba VIIII mill. pass. a supra dicta. *B. A.*

*TORANĬUS, i, m. Τωράνιος, mango quidam, qui, ut auctor est *Plin.* 7, 12. M. Antonio jam triumviro, eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit; tanta unitas erat, etc. *B. A.*

*TORCŪLA, ae, f. i. q. torcular. *Gloss. Vet.* Torculae, ἐλαιοτριβεῖα. *B. A.*

TORCŪLAR, aris, n. et Torcularium, ii, n. locus in villa, ubi prelo uva, aut olea premitur: a torquendo. *Vitr.* 6, 9. Torcular proximum sit culinae. *Colum.* 1, 6. *med.* Torcularia praecipue, cellaeque oleariae calidae esse debent, quia commodius omnis liquor vapore solvitur. *Plin.* 15, 1, 2. Distat, an maturitas illa (*oleae*) in torcularibus fiat, an ramis. *Id.* 15, 3, 3. Omnino est olei causa calor: quare et in torcularibus, et jam in cellis multo igne quaeritur. *Colum.* 12, 50. *med.* Oleam diligenter mundatam protinus in torcular deferri, et integram in fiscinis novis includi, prelisque subjici, ut quantum possit, paulisper exprimatur. *Id. ib. med.* Ut neque fumus, neque fuligo in torcular admittatur: et *mox:* Ad eum statum coeli et torcular, et cella olearia constituenda est, qui maxime a frigidis ventis aversus est. [*M. Aurel.* ad *Front ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Loti igitur in torculari cenavimus; non loti in torculari, sed loti cenavimus. *F.*] ℙ Item tota illa machina, qua prelum constat, ut videre est ap. *Cat. R. R.* 13. et 18., ubi torcularii aedificandi rationem tradens, omnia vasa et ligna, quae ad illud construendam requiruntur, recenset. Adde *Vitr.* 6, 9. ℙ Sumitur et pro lacu, in quo reponuntur uvae, aut oleae prelo elidendae, ληνός. *Plin.* 18, 26, 62. Torcular lavare, et recondere. *Id. ib.* 31, 74. Inventum parvis prelis, et minori torculari, aedificio breviore, etc. V. integr. loc. in PRELUM. ℙ Quidam posuerunt in recto *torculare*, a quo sit *torcularis* in patrio paenult. producta: *torcular* autem dici per ἀποκοπήν. *Charis.* 1. p. 14. et 65. et 118. ℙ Lis est de quantitate paenultimae. Produci ajunt *Charis.* 1, 14. et *Prisc.*, ut in *lacunar*. Et produxisse videtur *Venant. carm.* 8, 5, 169. Calcaturus erat qui torcularia solus. Sed in MSS. legitur: Calcaturus erat qui solus torcular altum. *Voss. l.* 2. *de Gram. c.* 23. et *Scal.* corripi volunt.

TORCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad torcular pertinens. *Varr. R. R.* 1, 22. Vasa torcularia trina. *Colum.* 1, 6. *med.* Cella olearia, torcularia, vinaria, defrutaria. *Id.* 12, 18. Lacus vinarii et torcularii. ℙ *Torcularius*, *ii*, absolute, qui in torculari uvas aut oleas premit. *Colum.* 12, 50. Immodica multitudo baccae torcularium vincit laborem.

*TORCULĀTOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat.* ληροβάτης, calcator, torculator. *B. A.*

TORCŪLO, as, a. I. in torculari exprimo. *Venant. epist. praef. carm.* 6. *l.* 5. Quod ille torcularet in fletu, iste apothecaret in fructu.

TORCŪLUM, i, n. torcular, prelum. *Varr. R. R.* 1, 55. Amurcam e torculis oleariis fluere in agros. *Plin.* 18, 31, 74. Viginti jugeribus unum sufficit torculum. *Plin. alter* 9. *ep.* 20. Decerpere uvam, torculum invisere. ℙ Videtur his locis significare locum, in quo prelum est, ut de *torcular* diximus. Non item in illo *Varr.* ap. *Non.* 1, 233. Vineis ubi ampla cella torculum reponant.

TORCŪLUS, a, um, adj. ad torcular et prelum pertinens. *Cato R. R.* 1. et 11. et 14. Vasa torcula instructa tria. *Id. ib.* 68. et 135. Funem torculum siquis faciet, eo indere oportet coria bona octo, etc. et *ib.* 63. Funem torculum esse oportet extentum pedes quinquaginta quinque.

TORDYLĬON et Tordylon, i, n. τορδύλιον, et τόρδυλον, semen silis, seu seselis. Alii dicunt, esse herbam per se, quam et syreon vocaverunt, in montibus nascentem. *Plin.* 20, 22, 87. et 24, 19, 117.

TORES pro torques, ut *aureus tores* dictum est a *Servilio* ap. *Charis.* 1, 118.

*TORĒTAE, arum, populi Asiatici, circa Pontum Euxinum et Maeotin lacum. *Mela* 1, 19. *med. Plin.* 6, 5. ℙ Fortasse iidem, qui *Τοριάται* appellantur a *Strabone. B. A.*

TOREUMĀ, ătis, n. τόρευμα, vas, vel aliud quippiam caelatum, insculptumque, ita ut figurae parum exstent: sive scalpro aut torno id fiat; sive fuso metallo in formis; sive opere figulino ex argilla, vel gypso: a τορέω, perforo, trajicio, penetro; atque adeo caelo, sculpo. V. CAELATURA. *Sall. Cat.* 21. Tabulas, signa, toreumata emunt. *Cic. Pis.* 27. *med.* Nihil apud hunc lautum, nihil elegans: toreuma nullum, maximi calices, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 18. Habere eum perbona toreumata: in his pocula duo Mentoris manu, summo artificio, facta; et *ib.* 2, 2, 52. Toreumata sane nota ac pretiosa auferuntur. *Mart.* 4, 46. Hispanae luteum rotae toreuma. *Id.* 14, 102. Accipe non vili calices de pulvere natos, Sed Surrentinae leve toreuma rotae. *Id.* 4, 39. et 10, 87. Phidiaci toreuma coeli. Adde alia *Mart.* loca, in quibus fere semper de poculis sermo est. ℙ In dat. plur. habet *toreumatis.* [*Appul. Flor. n.* 7. Eo igitur factum, solus Alexander ut ubique imaginum suus esset, utque omnibus statuis, et tabulis, et toreumatis idem rigor acerrimi bellatoris cerneretur. V. EMBLEMA. ℙ *Toreuma, ae,* f. est cogn. R. (V. SCHEMA.) *Inscr.* Patavina, paucis abhinc annis reperta, edita vero in *Giorn. dell' Ital. lett.* T. 24. p. 309. DIs Manibus Claudiae Ti. Augusti L. Toreumae annor. XVIIII. Hac ego bis denos nondum matura per annos Condor humo multis nota Toreuma jocis, etc. *F.*]

[TOREUMĀTUS, a, um, part. ab inusit. *toreumo:* toreumate caelatus. *Not. Tir.* p. 157. Toreuma, toreumatus. *F.*]

TOREUTĀ, ae, m. τορευτής, qui toreumata facit. *Plin.* 35, 8, 34. Celebrando pictores, statuarios, toreutas.

TOREUTĪCE, es, f. τορευτική, ars faciendi toreumata. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. de Phidia: Primus artem toreuticen aperuisse atque demonstrasse merito judicatur. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 9. Neque in pictura, neque in toreutice, ullius qui servierit, opera celebrantur.

[TOREUTUS, a et e, um, adj. τορευτός, ή, όν, toreumate caelatus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 994, 11. Bacchylo Caesaris Ser. fecit Toreute conjugi karissimo. *F.*]

*TORĪNI, orum, populi Scythiae, seu Sarmatiae Europaeae, laxamatis proximi, ubi perfecti mellis copia. *Val. Fl.* 6, 145. Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen. *B. A.*

TORMEN. V. TORMINA.

TORMENTŌSUS, a, um, adj. tormentum et cruciatum afferens. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 6. *med.* Ligationes tormentuosi organi.

TORMENTUM, i, n. στρεβλωτήριον, machina, qua tela, saxa, aliave missilia nervo aut fune contento torquentur et jaciuntur: a *torqueo.* Hujusmodi sunt, quae in bello et obsidionibus, ad longius feriendum, et muros deruendos adhibuere, ballistae, catapultae, etc. *Cic. Tusc.* 2, 24. Ballistae lapidum, et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta et adducta vehementius. *Liv.* 24, 34. Archimedes inventor et machinator bellicorum tormentorum. *Caes. B. C.* 1, 17. Tormenta in muris disponere. *Id. B. G.* 2, 8. Ad extremas fossas castella constituit, ibique tormenta collocavit. *Id. ib.* 5, 25. Fundis, tormentis, sagittis hostes propellere. *Hirt. ib.* 8, 14. *extr.* Tormento missa tela in hostium cuneos conjicere. *Liv.* 44, 10. Temere appropinquantes saxis tormento emicantibus percutiebantur. *Cic. Phil.* 8, 7. Tormentis verberare urbem. *Sil.* 6, 279. Donec tormentis stridens magnoque fragore Discussit trabs acta caput. *Plin.* 8, 53, 79. Tormento rotare aliquid. *Id.* 34, 14, 39. Tormentis ferrum excutere, *Tac. A.* 2, 81. Tormentis hastas, saxa, et faces injgerere. *Id. H.* 4, 23. *f.* Adactae tormentis ardentes hastae; et *ib.* 3, 20. *f.* Tormenta et machinas advehere. *Plin.* 8, 14, 14. Ballistis, tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens. *Ov. Met.* 9, 217. hunc Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum Mittit in Euboicas tormento fortius undas. *Virg. A.* 11, 616. Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti, Praecipitat longe. *Id. ib.* 12, 921. Murali tormento concita saxa fremunt. ℙ Sunt qui putant, metonymice poni pro ipso telo, quod tormento jacitur. *Caes. B. C.* 2, 9. *med.* Quod unum genus tegumenti nullo telo, neque tormento transjici potest; et *ib.* 3, 51. *extr.* et *ib.* 56. Tantum a vallo prima acies aberat, uti ne in eam telum tormentumve adjici posset. *Plin.* 8, 23, 35. Nec pedibus tantum pavendas serpentes, sed missili volare tormento. *Stat. Th.* 9, 145. non illum impacta moverent Tormenta oppositum. ℙ Dicitur et de intento fune, aut vinculo, quia intorquendo fit. *Auct. Priap.* 6. Tormento citharaque tensiorem. Hic *Scaliger* putat, hanc esse primam hujus vocis sententiam. *Grat. Cyn.* 26. quadruplici tormento adstringere limbos: *scil.* retis. *Petr. Sat.* 102. *med.* Praesto tibi erimus sine tormentorum injuria, *h. e.* sine vinculorum loreorum incommodo. *Quint. decl.* 19, 15. Non tamen tormenta laxavi, etc. *Appul. Apol.* Capillus horrore impexus atque impeditus, stuppeo tormento assimilis. *Pl. Curc.* 2, 1, 12. Tormento non retineri potuit ferreo, quin reciperet se huc esum ad praesepim suam, *h. e.* vinculo, aut catena, qua in catapultis adducta, magna pondera jaciuntur. ℙ Praeterea *tormentum* est cruciatus, qui alicui adhibetur eliciendae veritatis gratia, aut puniendi, aut saeviendi, igne, eculeo, fidiculis, fune, et hujusmodi, βάσανος. V. TORQUEO. *Cic. Dej.* 1. *f.* More majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quaeri licet. *Id. Phil.* 11, 2. Verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae. *Plin. ep.* 10, 97. Per tormenta quaerere, quid veri sit. *Just.* 2, 9. Per tormenta conscios caedis nominare cogi. *Suet. Tib.* 19. *extr.* Tormentis exprimere confessionem cogitati facinoris. *Cic. Cluent.* 63. Tormentis omnibus vehementissimis quaerere: et *mox:* Vi tormentorum adducti in veritate manserunt. *Id. Part.* 14. *f.* Metu mortis vim tormentorum perferre. *Id. Mil.* 21. *f.* Tormentis cogi confiteri; et *ib.* 22. Dedere aliquem tormentis *Id. Tusc* 5, 28. Dare se in tormenta. *Suet. Cal.* 16. *f.* Excruciare aliquem gravissimis tormentis. *Id. Tib.* 62. Veretris deligatis, fidicularum simul urinaeque tormento distendere. *Caes. B. G.* 6, 18. Igni atque omnibus tormentis cruciatum aliquem interficere. *Sen. ep.* 67. *med.* Tormenta patienter ferre. *Just.* 44, 2. Inter tormenta risu exsultare. *Suet. Tib.* 62. Longa et exquisita tormenta. ℙ De ipsa machina, aut instrumento, quo torquentur homines. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 32. de tauro Perilli: Ideone tot conditores artis statuariae elaboraverant, ut ex ea tormenta fierent? *Curt.* 6, 11. *med.* Admovere tormenta. *Plin.* tibiam vocat *tormentum*, quia per ejus foramina quodammodo torquetur aer, ut varios sonos edat: 10, 29, 43. de cantu lusciniae: Omnia tam parvulis in faucibus, quae exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. ℙ Transfertur ad significandos cruciatus acres ex morbo. *Plin. ep.* 1, 12. Cruciatus et indignissima tormenta pati. (*ex podagra.*) *Plin. alter* 22, 22, 37. Inflationes discutere, et coli tormenta. *Id.* 20, 4, 13. Napos super umbilicum imponi contra tormenta vulvae. *Id.* 19, 8, 44. Nasturtium nomen accepit a narium tormento. Adde *Cels.* 7, 11. et *Colum.* 6, 7. ℙ De curis et doloribus animi. *Hor. Ep.* 1, 2, 58. Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum. *Ov. Trist.* 5, 13, 3. Aeger enim traxi contagia corpore mentis: Libera tormento pars mihi nequa foret. *Cic. Tusc.* 5, 1. Varia et multa tormenta fortunae. *Juven.* 2, 137. tormentum ingens nubentibus haeret, Quod nequeunt parere, et partu retinere maritos. *Id.* 9, 18. Deprendas animi tormenta latentis in aegro Corpore, deprendas et gaudia. *Plin. ep.* 8, 23. *extr.* In tantis tormentis eram, cum scriberem haec. *Id. Pan.* 86. Operae pretium est referre, quod tormentum tibi injunxeris, nequid amico negares, *h. e.* quantam tibi vim feceris, quam te ipse torseris. ℙ De amore. *Mart.* 7, 29. Testile, Victoris tormentum dulce Voconi. *Ov. Am.* 3, 10, 15. de Cerere: Hanc quisquam lacrimis laetari credit amantum? Et bene tormentis, secubituque coli? *Juven.* 6, 208. Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis.

TORMĪNA, um, n. plur. δυσεντερία, acria intestinorum tormenta. *Cels.* 4, 15. Proxima his, inter intestinorum mala, tormina esse consueverunt: δυσεντερία Graece vocatur. Intus intestina exulcerantur: ex his cruor manat: isque modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur: interdum simul quaedam carnosa descendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur, atque eo quoque tormentum intenditur, etc. *Colum.* 6, 7. Sequitur torminum vitium, quorum signum est cruenta et mucosa ventris proluvies. *Cato R. R.* 156. et 157. Quibus tormina molesta erunt. *Cic. Tusc.* 2, 19. *f.* Quamvis idem forticulum se in torminibus, et in stranguria sua praebeat. *Plin.* 29, 5, 33. Inflationibus, et torminibus affici. *Id.* 22, 25, 72. Inflationes et tormina contrahere. *Id.* 26, 8, 47. Tormina discuterc. *Id. ib.* 28. Aizoum torminibus resistit. ℙ De acri dolore ex alio morbo. *Id.* 20, 8, 30. Cichorium urinae tormina discutit. *Id.* 30, 15, 50. Jumentorum urinae tormina finiuntur. ℙ *Tormines*, m. in recto plurali posuit *Non.* 1, 135. non imitandus. ℙ In num. Sing. non est in usu: nisi quod *Alcim.* pro quovis tormento posuit illo carmine: Carnis delicias immenso tormine pendit. Ita *Ricciol.* in *Prosod. Bonon.* designans *Carmen ad Fuscin. soror.* In ejus tamen editionib. castigatiorib. nihil hujusmodi invenitur.

TORMĪNĀLIS, e, adj. ad tormina pertinens, ut Sorba torminalia, quae medentur torminibus. *Cels.* 2, 30. *med.* Sorba, quae torminalia vocantur. *Plin.* 15, 21, 23. Quartum genus *(sorborum)* torminale appellant, remedio tantum probabile, assiduum proventu, minimumque pomo, arbore dissimile, foliis paene platani. *Celsus* quoque 4, 30. et 19. inter remedia contra fluxum ventris ponit et sorba torminalia.

TORMĪNOSUS, a, um, adj. δυσεντερικός, dysentericus, qui tormina patitur. *Cic. Tusc.* 4, 12. Itaque dicimus gravedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia semper sint, sed quia saepe sint.

*TORNADOTUS, i, Assyriae fluvius, in Sittacena. *Plin.* 6, 27. Antiochia inter duo flumina, Tigrin et Tornadotum. *B. A.*

*TORNĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

*TORNATĪLIS, e, adj. τορνευτός, qui torno factus est. *Vulg. Interpr. Cant.* 5, 14. Manus illius *(sunt)* tornatiles aureae, plenae hyacinthis: venter ejus eburneus etc. *B. A.*

TORNĀTOR, oris, m. τορνευτής, qui tornat. *Firm. Math.* 4, 7. *f.* Facit quoque tornatores, aut simulacrorum sculptores.

*TORNATURA, ae, f. actus tornandi. *Vulg. Interpr.* 1 *Reg.* 18, 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas, et juncturas suas fabrefactas. Adde *Vulg.* 3 *Esdr.* 6, 18. *B. A.*

TORNĀTUS, a, um, part. a *torno:* τορνευτός, torno factus, rotundus. *Lucr.* 4, 361. Fit, quasi tornata ut saxorum structa tuantur. Alii leg, *Fit, quasi ut ad tornum*, etc. [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 14. Dicebat enim Gallus, sphaeram a Thalete Milesio primum esse tornatam. *F.*] *Calpurn. Ecl.* 6, 55. de equo: Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix, Et tornata brevi substringitur ungula cornu, *h. e.* rotunda. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 440. delere jubebat, Et male tornatos incudi reddere versus, *h. e.* elaboratos. *Bentl.* leg. *ter natos*, et acriter defendit. [*August. de catechiz. rudib.* 48. *n.* 12. Stilus sonantioris, et quasi tornatioris eloquii. *F.*]

TORNO, as, a. I. τορνεύω, torno polio, rotundo. *Cic. Univ.* 6. Idque ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 3. Columnarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur; et *ib.* 22, 43. Lapis cavatur, tornaturque in vasa coquendis cibis utilia. *Id.* 11, 39, 92. Hippopotami corii crassitudo talis, ut inde tornentur hastae. *Seren. Sammon.* 23, 408. Mollibus ex hederae tornentur pocula lignis. ℙ [Translate est ita affabre aliquid fingere, ut torno videatur politum. *Hieron ep.* 50. *n.* 2. Nam si applosisset pedem, intendisset oculos, rugasset frontem, jactasset manum, barbam tornasset, tenebras illico ob oculos offudisset judicibus, *h. e.* barbam manibus palpasset; qui gestus proprius est orientalium cum locuturi sunt. *F.*]

TORNUS, i, m. τόρνος, instrumentum fabrile, quo ligna, ebur, et hujusmodi circumagendo rotundantur, ac poliuntur: a voce Graeca allata. *Plin.* 7, 56, 57. Normam, et libellam, et tornum, et clavem Theodorus Samius invenit. *Id.* 16, 40, 76. *n.* 3. Calices ex terebintho facere torno. *Id.* 26, 26, 66. Vitrum torno teritur. *Vitr.* 10, 19. *med.* Perficere aliquid in torno. *Virg. G.* 2, 449. torno rasile buxum. *Id. Ecl.* 3, 38. pocula fagina, Lenta quibus torno facili superaddita vitis, *h. e.* postquam pocula torno polita sunt, superaddita est iis vitis per scalpturam. *Seb.* vero *Ciampius* in *Diss. dell' ant. toreut.* p. 43. putat, veteres etiam, ut recentiores, tornandi artem ita calluisse, ut unius ope torni pocula anaglypticis cujusque generis distinguerent figuris. ℙ Translate *Auct. Pan. ad Pis.* 83. hinc exornata figuris Advolat excusso velox sententia torna, *h. e.* sententia periodo circumscripta, et quodam verborum ambitu veluti rodundata. *Prop.* 2, 25, 43. Incipe jam angusto versus includere torno.

[TORONAEUS, et *F.*]

[TORONĀICUS, a, um, adj. Τοροναῖος, et Τοροναϊκός, ad Toronen seu Toronam pertinens, Macedoniae urbem, de qua *Plin.* 4, 10, 17. et 9, 31, 51. Hinc *mare Toronaeum* ap. *Tac. A.* 5, 10., et *Toronaicum* ap. *Liv* 44, 11. ℙ *Toronaei, orum*, absolute, incolae illius urbis ap. *Plin.* 4, 10, 17. *F.*]

*TORŌNE, es, f. Τορώνη, Macedoniae oppidum, in Chalcidica, in sinu inde nominato Toronaeo. *Mela* 2, 3. *in. Plin.* 4, 10. Adde 9, 31. et 45.

Liv. 28, 7. 44, 12. et 45, 30. ℙ Dicitur et *Torona*. *Liv.* 31, 45. Toronae promontorium. ℙ Fuit et lacus illic viciniae sic dictus. *Plin.* 18, 12. In Torone Chalcidis lacu. *B. A.*

TOROSŬLUS, a, um, adj. diminut. torosi. *Hieron. in Jovin.* 2. *n.* 14. *f.* Formosuli nostri, et torosuli, et vix summis pedibus adumbrantes vestigia. [*Id. ep.* 117. *n.* 8. Dolet sibi praelatum juvenem torosulum, et in sordibus delicatum. *F.*]

TOROSUS, a, um, adj. μυώδης, ἐπίσωμος, qui toros in corpore exstantes habet, musculosus, lacertosus. *Ov. Met.* 7, 428. feriuntque secures Colla torosa boum. *Colum.* 6, 1. Parandi sunt boves cervice longa et torosa; et *ib.* 20. Tauris torosior cervix. *Pers.* 3, 86. multumque torosa juventus. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Albinov.* 2, 79. de Hercule: Clava torosu tibi pariter cum pelle jacebat. *Sen. Q. N.* 1, 7. Virgula vitrea, striata, vel pluribus angulis in modum clavae torosa. Alii rectius leg. *tortuosa*. *Plin.* 21, 15, 53. Herba hirsutior, torosiore caule, *h. e.* carnosiore. Adde 19, 5, 29.

TORPĒDO, inis, f. νάρκησις, torpor, stupor, pigritia, tarditas, segnities. *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. *extr.* Si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitio. *Sall. in or. Philippi contra Lepid. f.* Si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnae, nihilo minus vos Lepido permissuri sitis; et *in or. Licinii ad pleb. f.* Occupavit vos nescio quae torpedo, quia neque gloria movemini, neque flagitio. *Tac. H.* 3, 63. *extr.* Tanta torpedo invaserat Vitellii animum, ut si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur. ℙ Hoc nomine est piscis ex genere eorum, qui cartilaginem pro spina habent, ita dicta, quod torpedinem accedentibus infert, Italis *torpedine* vocatur. *Varr. L. L.* 4, 12. Vocabula piscium pleraque translata a terrestribus: alia a colore, ut asellus: alia a vi quadam, ut lupus, canicula, torpedo. *Plin.* 9, 42, 67. Novit torpedo vim suam, ipsa non torpens: mersaque in limo se occultat, piscium qui securi supernatantes obstupuere, corripiens. *Id.* 32, 1, 2. de ead.: Torpedo etiam procul et e longinquo, vel si hasta virgave attingatur, quamvis praevalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes. *Cic. N. D.* 2, 50. *extr.* Bestiae aliae fuga se, aliae occultatione tutantur: atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. Exstat *Claudiani* hoc de pisce carmen. [**Krampfroche*, *Zitterroche*, Raja Torpedo, *L.*]

TORPĔFĂCĬO, is, eci, a. 3. torporem induco, torpidum reddo. *Non.* 2, 870. Torporavit pro torpefecit.

TORPĔO, es, ui, n. 2. νάρκεω, ἀνεσθήτως ἔχω, sensum aut motum amitto, stupore et tarditate corripior, langueo, obtorpesco. [*Etymon *Doederl.* 4, 227. sq. facit a *torrere*, ut discriminis inter *torpere* et *rigere* ratione habita, nostrum vocabulum ad id referendum censeat, quod propter siccitatem ariditatemque moveri non possit; rigere id significet, cujus vires gelu sint constrictae. — A *stupere* vocabulum *torpendi* distat eo, quod hoc proprie ad corpus, illud ad animum pertinet. *Id. ib.*] *Virg. A.* 9, 499. torpent infractae ad proelia vires. *Suet. Aug.* 80. de eodem: Dextrae manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut torpentem contractumque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturae admoveret. *Ov. Am.* 3, 7, 35. Quid vetat et nervos magicas torpere per artes? *Id. Her.* 10, 43. tum denique flevi: Torpuerant molles ante dolore genae; et *ib.* 11, 82. Torpuerat gelido lingua retenta metu. *Sen. Herc. Fur.* 652. Torpet acies luminum Hebetesque visus vix diem insuetum ferunt. *Plin.* 7, 50, 51. Hebescunt sensus, membra torpent, praemoritur visus. *Id.* 24, 4, 7. Torpentes membrorum partes corroborat decoctum glandis; et *ib.* 16, 92. Radix ari aspidas fugat, aut inebriat, ita ut torpentes inveniantur. *Liv.* 21, 56. *f.* Torpentes gelu; et *ib.* 58. *f.* Torpentes rigore nervi. ℙ Transfertur ad animum. *Pl. Amph.* 1, 1, 179. Timeo: totus torpeo: non edepol nunc, ubi terrarum sim, scio. *Cic. N. D.* 1, 37. Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, etc. *Virg. G.* 1, 124. Nec torpere gravi passus sua regna veterno, *h. e.* pigritia, otio, desidia languere. *Liv.* 28, 29. *f.* Adeo torpentibus metu qui aderant, ut ne gemitus quidem exaudiretur. *Claud. in Ruf.* 1, 58. At nos indecores longo torpebimus aevo, *h. e.* cessabimus, otio marcebimus. *Hor. Sat.* 2, 7, 95. Vel cum Pausiaca torpes insane tabella; et *Liv.* 1, 41. et 5, 23. Frigere ac torpere senis consilia. *Stat. Th.* 10, 90. Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu. *Claud. in Eutr.* 2, 156. in nostro jam milite robur Torpuit. ℙ Et ad res inanimas. *Stat. Th.* 9, 452. torpentesque lacus, pigraeque paludes; et *ib.* 4, 172. et *Claud. Rapt. Pros. praef.* 2, 18. Torpens amnis, *h. e.* nullo, aut lentissimo cursu. *Colum.* 1, 4. *extr.* Locus depressus hieme pruinis torpet. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 169. Hiems frigore torpens. *Id. Rapt. Pros.* 1, 262. Plagae torpentes, *h. e.* zonae frigidae coeli; et *ib. praef.* 2. *f.* Antraque Musarum longo torpentia somno. *Juven.* 10, 203. Torpens palatum. *Ov. Pont.* 1, 10, 13. Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum, *h. e.* tardus, obtusus. *Sen. Med.* 348. Orpheus tacuit torpente lyra. *Claud. in Eutr.* 1, 513. et adductus sub verbera torpuit ensis, *h. e.* hebes fuit.

TORPESCO, is, n. 3. νάρκεω, torpere incipio, torpeo, languesco, stupore et tarditate corripior, hebesco. *Sen. Med.* 926. Cor pepulit horror: membra torpescunt gelu. *Plin.* 11, 37, 89. Arteriae carent sensu: praecisisque torpescit tantum pars ea corporis. *Id.* 23, 4, 50. Elaeomeli qui bibere, torpescunt. *Id.* 21, 26, 98. Scorpiones visa lychnide torpescunt. *Id.* 8, 16, 21. de leonib.: Vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite. *Sen. Herc. Fur.* 763. de Stygе: Stupent undae, segne torpescit fretum. ℙ Translate. *Sil.* 16, 14. vigor cogitur senio torpescere rerum. *Sall. Cat.* 16. Ne per otium torpescerent manus, aut animus. *Id. Jug.* 2. Ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt. *Tac. H.* 1, 71. Deliciis et desidia torpescere. ℙ De rebus inanimis. *Plin.* de margaritis, 9, 35, 54. Flavescunt tamen et illae senecta, rugisque torpescunt.

TORPĬDUS, a, um, adj. ναρκώδης, qui non sentit, torpens stupidus, tardus, languens. *Liv.* 7, 36. et 25, 38. *med.* Torpidi somno, paventesque ad necopinatum tumultum. *Id.* 22, 53. Quod malum cum stupore ac miraculo torpidos defixisset, etc. *Auson. Idyll.* 10, 264. de pisce moribundo: Torpida supremos patitur jam cauda tremores. *Lactant.* 2, 8. *med.* Quod insensibile est, iners et torpidum semper jacet.

[TORPĬTŪDO, inis, f. idem ac torpedo. *Not. Tir.* p. 94. Torpidus, torpitudo. *F.*]

TORPOR, oris, m. νάρκη, ναρκωσις, stupor ex defectu sensus, tarditas, languor. *Cic. N. D.* 2, 50. *extr.* Tutantur se atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. *Val. Max.* 3, 8. *extr. n.* 6. Torpore hebetati artus. *Cels.* 2, 8. *med.* In coxae doloribus si vehemens torpor est, frigescitque crus, et coxa, etc. *Ov. Pont.* 1, 2, 29. Fine carent lacrimae, nisi cum stupor obstitit illis, Et similis morti pectora torpor habet. *Id. Met.* 1, 548. torpor gravis alligat artus. *Plin.* 29, 4, 7. Aspides percussos torpore et somno necant. *Id.* 20, 21, 84. Torporem afferre. *Id.* 22, 25, 71. obducere. *Id.* 2, 101, 104. contrahere. *Id.* 30, 10, 27. exsuere. *Id.* 28, 4, 7. sedare. *Id.* 19, 8, 44. excitare. *Virg. A.* 12, 867. Illi membra novus solvit formidine torpor. ℙ Transfertur ad animum. *Tac. H.* 2, 99. Accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens nimia fortunae indulgentia soluti in luxum: [*et cp. 77. torpor Vitellii oppon. vigilantiae Vespasiani. Porro *Germ.* 46. sordes omnium et torpor procerum.]

TORPORĀTUS, a, um, part. a *torporo*, torpidus factus, stupefactus. *Lactant.* 2, 8. *f.* Humida nimis rigoribus torporata concrescunt.

TORPORO, as, a. 1. ναρκέω, torporem induco, torpefacio. *Turpil.* ap. *Non.* 2, 870. Stupidus astat: ita ejus aspectus repens cor torporavit homini amore.

[TORQUĀTĬĀNUS, a, um, adj. ad Torquatum aliquem pertinens. *Front. Aquaed.* 5. Torquatiani horti. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 6. Fortunae Torquatianae Q. Caecilius Narcissus D. D. *h. e.* Fortunae, quae praecipue a familia Torquatorum colebatur. *F.*]

TORQUĀTUS, a, um, adj. στρεπτοφόρος, torque ornatus. *Ov. Her.* 2, 119. Adluit Alecto brevibus torquata colubris. ℙ *Palumbus torquatus*, cujus collum circulo quodam pennarum alterius coloris, quasi torque cingitur, φάσσα, φάττα. *Mart.* 13, 67. Inguina torquati tardant hebetantque palumbi. ℙ *Torquatus miles*, torque ob virtutem ab imperatore donatus. *Plin.* 33, 2, 10. docet, olim auxilia et externos aureis torquibus donatos fuisse, at cives non nisi argenteis. ℙ Fuere *torquati simplares* et *duplares:* illi postquam torquem meruerant, simplicem annonam consequebantur: hi duplicem. *Veg. Mil.* 2, 7. *f.* ℙ *Torquatus* cognomen habuit T. Manlius L. F., qui singulari certamine cum Gallo praevalido ad Anienem congressus, prostrato occisoque torquem detractum, respersumque cruore collo suo circumdedit, et ita in castra rediit: quod cognomen ad posteros ejus transiit. Rem narrant *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13., *Cic. Fin.* 1, 7. et *Off.* 3, 21., *Liv.* 7, 10. et *Flor.* 1, 13. Hinc *Lucan.* 7, 583. caeduntque Metellos, Corvinosque simul, Torquataque nomina.

TORQUĔO, es, rsi, rtum, et rsum, a. 2. κάμπτω, cum quadam vi flecto, inflecto, verto. *Virg. G.* 2, 448. Ityraeos taxi torquentur in arcus. *Cic. Leg.* 2, 15. *f.* Cervices, oculosque pariter cum modorum flexionibus torquere. *Sen. Brev. Vit.* 12. Vocem inflexu modulationis inertissimae torquere. *Hor. Ep.* 2, 1, 127. Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem. *Ov. Her.* 4, 46. Torquentem frenis ora sequacis equi. *Virg. G.* 1, 174. Stivaque, quae currus a tergo torqueat imos. *Plin.* 16, 40, 79. Quercus supra terram rimosa facit opera, torquendo sese. *Ov. A. Am.* 1, 505. ferro torquere capillos, *h. e.* crispare. *Id. Met.* 3, 41. de serpente: Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet. *Virg. A.* 3, 669. Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit; et *ib.* 4, 220. oculosque ad moenia torsit. *Stat. Th.* 11, 312. paulum si devius hostis Torsit iter; et *Virg. A.* 9, 724. Portam vi multa converso cardine torquet, Obnixus latis humeris. *Cic. Off.* 1, 36. *f.* Cavendum, ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates: quae cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, *h. e.* deformiter flectuntur, distorquentur. *Virg. A.* 3, 208. nautae Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt, *h. e.* vi vertunt, frangunt miscent. Sic *Ov. Fast.* 5, 644. Ille meas remis advena torsit aquas, *h. e.* adverso flumine navigavit. *Virg. A.* 5, 738. torquet medios nox humida cursus, *h. e.* ad occasum, accedens ad auroram. *Ulp. Dig.* 21, 1, 23. Torquere laqueum, *h. e.* circa gulam adstringere. *Liv.* 4, 54. collum alicui, *h. e.* injectis in collum manibus constringere, et obtorquere. V. OBTORTUS. ℙ Translate. *Cic. Or.* 16. Oratio ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. *Id. Coel.* 6. Versare suam naturam, et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere. Alii leg. *flectere et torquere.* [*Locus est de homine omnium obsequi studiis volente, et prout res et locus postulat, ita mores et vitam instituente.] *Id. Leg.* 1, 10. Opinionum vanitas imbecillitatem animorum torquet et flectit, quocumque coepit. *Id. Caecin.* 27. Juris retineri sententiam, an verbo et littera jus omne torqueri, statuite, utrum utilius esse videatur, *h. e.* detorqueri, perverti, corrumpi. ℙ [**Auct. ad Her.* 3, 14. vocem quoque jungere oportebit, et torquere sonum, i. e. cum aliquo impetu et laterum viribus inclinandum, inflectendum, immutandum. Cf. *Ernest. lex. technol lat. rhet.* p. 396. sq.] ℙ Est etiam circumflectere, circumagere, versare. *Juven.* 2, 55. et *Plin.* 28, 2, 5. Torquere praegnantem stamine fusum. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 31. Piger torquens spartum. *Petr. Sat.* 29. Parcae aurea pensa torquentes. *Ov. Met.* 12, 475. Torquere stamina pollice. *Pers.* 3, 51. buxum flagello. *Virg. A.* 9, 93. torquet qui sidera mundi. *Cic. Acad.* 4, 39. *med.* Terra circum axem se summa celeritate convertit et torquet. *Id. Univ.* 7. *med.* Torquere aliquid in orbem. *Ov. Met.* 2, 70. assidua rapitur vertigine coelum, Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet. *Sen. Med.* 744. Rota resistat membra torquens: tangat Ixion humum. ℙ Flumina dicuntur *torquere undas*, *saxa*, etc. cum torrente cursu volvunt, et secum abripiunt. *Virg. A.* 6, 550. Tartareus Phlegethon torquet sonantia saxa. Sic *Lucan.* 4, 767. Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis; et *Hor. Ep.* 2, 2, 73. Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum, *h. e.* volvit, trahit, aut tollit. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 179. tuque, inclyte Mavors, Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques; et *ib.* 4, 269. Regnator, coelum et terras qui numine torquet. ℙ Pro sustinere, gestare, sed cum versatione aliqua. *Id. ib.* 7, 666. tegumen torquens immane leonis; et *ib.* 4, 482. Axem humero torquet stellis candentibus aptum. ℙ Saepe est jaculari, jacere: ductum a funda, quae antequam jaciat, circumagitur. *Virg. G.* 1, 309. Stuppea torquentem Balearis verbera fundae. *Id. A.* 4, 208. Juppiter torquet fulmina; et *ib.* 9, 670. cum Juppiter humidus austris Torquet aquosam hiemem. *Lucan.* 4, 62. de Euro: Ille suo nubes, quascumque invenit in axe, Torsit in occiduum Nabathaeis flatibus orbem; et *Virg. A.* 10, 585. jaculum torquet in hostem; et *ib.* 12, 536. telumque ad tempora torquet. *Val. Fl.* 3, 193. Torquere hastam alicui, *h. e.* in aliquem. *Ov. Met.* 11, 29. glebas, ramos, silices. *Id. Fast.* 2, 11. valido pila lacerto. ℙ *Torquere sibila*, instar teli acuta emittere. *Prop.* 4, 8, 8. draco ex ima sibila torquet humo. *Val. Fl.* 7, 525. anguis stetit, et trepidantia torsit Sibila. ℙ Frequentissime est cruciatu afficere adhibitis tormentis fidicularum, eculei, ignis, rotae, verberum, et hujusmodi, vel eliciendae veritatis, vel puniendi, vel saeviendi causa: βασανίζω: ductum ex eo, quod reorum membra praeter naturam flectuntur et curvantur. *Pl. Curc.* 5, 3, 12. Ita te nervo torquebo, itidem uti catapultae solent. *Cic. Fin.* 3, 13. Non posse sapientem beatum esse, cum eculeo torqueatur. *Suet. Aug.* 27. Q. Gallium praetorem, per centuriones et milites raptum de tribunali, servilem in modum torsit, ac fatentem nihil jussit occidi. *Tac. A.* 15, 57. Epicharim tormentis dilacerari jubet: at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. *Ulp. Dig.* 2, 1, 7. In servos autem, et eos, qui inopia laborant, corpus torquendum est. *Id. ib.* 48, 18, 1. Torquere servum in caput domini, *h. e.* contra dominum. ℙ Translate est cruciare, molestiam afferre, angere, vexare. *Cic. Att.* 7, 9. *extr.* Equidem dies noctesque torqueor. *Plin. ep.* 9, 21. Ne torseris illum, ne torseris etiam te: torqueris enim, cum tam lenis irasceris. *Id. ep.* 7, 30. Torqueor, quod discipulum optimae spei amisisti. *Ov. Her.* 9, 36. Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat. *Hor. Sat.* 2, 8, 67. torquerier omni Sollicitudine districtum, ne panis adustus, Ne male conditum jus apponatur. *Id. Ep.* 1, 2, 37. Torqueri invidia, vel amore. *Ov. Her.* 20, 123. Torqueor ex aequo, vel te nubente vel aegra. *Id. Met.* 11, 130. de Mida: et inviso meritus torquetur ab auro. *Id. Pont.* 1, 1, 60. Poenitet, et facto torqueor ipse meo. *Quint.* 12, 1. Sceleris compos sollicitudine, poenitentia, poe-

narum omnium exspectatione torquetur. *Cic. Or.* 3, 9. Aliquanto me major in verbis et in sententiis eligendis, quam eum, labor et cura torquet. *Id. Par.* 2. *f.* Tuae libidines te torquent. *Id. Or.* 1, 11. Verbi controversia jamdiu torquet Graeculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. *Phaedr.* 3, 14. ille se torquet diu, Nec quaestionis positae causam intelligit. *Ov. A. Am.* 1, 176. Eheu, quam multos advena torquet amor! *Id. Pont.* 1, 5, 21. torquet me Fortuna. *Id. A. Am.* 2, 124. Ulysses aequoreas torsit amore Deas. *Hor. A. P.* 435. Torquere aliquem mero, *h. e.* ebrium facere, ut verum dicat. *Phaedr.* 1, 26. convivam fame. [*Idem habes ap. *Plin. Pan.* 31, 6. ℙ A tormentis deductum etiam hoc est ap. *Cic. Sull.* 28. torqueatur vita Sullae, i. e. examinetur, accurate exploretur. Cf. de hoc loco *intpp.* ap. *Frotsch.* p. 163.] ℙ De rebus inanimis. *Virg. G.* 2, 247. ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror; et *Val. Fl.* 4, 508. de Vesuvio: vix dum ignea montem Torsit hiems, *h. e.* vexavit, laceravit. ℙ Alterum supinum *torsum* agnoscit *Prisc.* 9, 871., et confirmat particip. *Detorsus.*

TORQUIS, is, m. et f. *ὀρεκτὸς*, circulus aureus, vel argenteus, aliquando gemmis ornatus, qui ex pluribus filis in se retortis in collo et ante pectus pro ornamento gestatur: a *torqueo.* Hinc *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 86. Colla nec ornatu patitur mollire retorto, *h. e.* torque. *Naevius* ap. *Charis.* 1, 118. Collum marmoreum torques gemmata coronat. *Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. et *Non.* 3, 245. Torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. *Ov. Fast.* 1, 601. aut torquis ademptae, Aut corvi titulos auxiliaris habent. *Prop.* 4, 10, 44. Torquis ab incisa decidit unca gula. *Stat. Th.* 10, 517. colloque decorus Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas. *Claud. Laud. Stil.* 2, 240. tum flava repexo Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro. *Calpurn. Ecl.* 6, 43. rutiloque monilia torque Extrema cervice natant. *Cic. Off.* 3, 21. *f.* T. Manlius Galli torque detracto, cognomen invenit. *Quint.* 6, 3. *med.* Cum Augusto Galli torquem aureum centum pondo dedissent. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Torques aureae, et scuta caelata argento. *Lucil. ib.* Torques magni. *Cic. Verr.* 2, 4, 80. Corona, et phaleris, et torque donare aliquem. *Inscr.* ap. *Mur.* 799, 6. M. Blossio Pudenti donis militaribus donato ab Imp. Vespasiano Aug., torquibus, armillis, phaleris, corona aurea, etc. ℙ A similitudine est circulus, quo ligantur boves. *Virg. G.* 3, 166. Ac primum laxos tenui de vimine circlos Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos Junge pares. ℙ Item quilibet circultus, corona. *Id. ib.* 4. 276. Saepe Deum nexis ornatae torquibus arae. *Manil.* 5, 584. de ceto natante: Hinc vastis urgent immensi torquibus orbes, *h. e.* sinuosis fluctibus in morem torquis cetum circumagentem se cingentibus. *Plin.* 10, 42, 58. Avis viridis toto corpore, torque tantum miniato in cervice distincta. ℙ *Torques* in recto sing. ponit *Charis. l. c.* Sic *Val. Fl.* 2, 111. it barbara vestis, Et torques insigne loci. Sunt qui leg. *torquis*, ut producatur vi caesurae, velut *sanguis.*

TORRĔFĂCIO, is, a. 3. *φρύγω, ξηραίνω*, torridum reddo, arefacio, ad ignem solemve sicco. *Colum.* 6, 7. *med.* Quidam vinaceorum duas libras torrefaciunt, et ita conterunt.

TORRĔFACTUS, a, um, part. a *torrefacio. Colum.* 2, 21. Et subinde opportunis solibus *(seges)* torrefacta proteritur. *Id.* 12, 15. Torrefacto sesama; et *ib.* 57. Nuces avellanae torrefactae.

TORRENS, entis, part. a *torreo:* urens. *Pacuv.* ap. *Fest.* Flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit. *Virg. G.* 4, 425. Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat. *Id. A.* 6, 550. Torrentes flammae. *Hor. Od.* 3, 1, 31. Sidera torrentia agros. *Claud. Fesc.* 19. gelido specu torrentiorem fallere Sirium. *Stat. Silv.* 3, 1, 52. coeli cum torrentissimus axis Incumbit terris. *Virg. A.* 9, 105. et *ib.* 10, 113. Per pice torrentes, atraque voragine ripas. ℙ Item redundans, exaestuans, et defluens cum impetu, concitatus, rapidus, ut amnes imbribus aucti, et de montibus decurrentes. *Virg. A.* 10, 603. torrentis aquae, vel turbinis atri More furens. *Id. G.* 2, 451. Torrens unda. *Id. Ecl.* 7, 52. torrentia flumina: *χαραδραῖοι ποταμοί;* et *Varr. R. R.* 1, 12. *extr.* Torrentes fluvii. *Just.* 44, 1. Cursus amnium torrentes rapidique. *Val. Fl.* 4, 409. Nilus toto gurgite torrens. *Plin.* 3, 16, 20. de Pado: Augetur ad Canis ortus liquatis nivibus, agris, quamvis torrentior, nihil tamen ex rapto sibi vindicans. *Id.* 2, 103, 106. Fluvius Novanus omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur. *Id.* 3, 4, 5. Rhodanus deferens Ararim, nec minus se ipso torrentes Isaram et Druentiam. *Sen. ep.* 23. Eorum, quae fluminibus innatant, alia lenior unda detinuit, alia vehementior rapuit: alia proxime ripam, cursu languescente, deposuit, alia torrens impetus ejecit in mare. *Stat. Th.* 7, 316. abruptis cum torrentissimus exit Pontibus. ℙ Hyperbole est poetica, in magna caede *torrens cruor* ap. *Lucan.* 7, 637. Sic ap. *eund.* 2, 220. Sanguine caeruleum torrenti dividit aequor. *Juven.* 6, 318. quantus Ille meri veteris per crura madentia torrens! ℙ *Torrens* absolute, fluvius subitis imbribus concitatus, qui alioquin siccitatibus exarescit, *χαράδρα, χειμαῤῥούς, ξηροπόταμος*, vel ab aestu, quo fertur, vel quia cito torrescit et siccatur. *Ov. Rem. Am.* 651. Flumine perpetuo torrens solet acrius ire: Sed tamen haec brevis est, illa perennis aqua. *Id. Am.* 1, 7, 43. tumidi ritu torrentis agebar. *Virg. A.* 2, 305. rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores. *Id. ib.* 7, 567. fragosus Dat sonitum saxis et toto vortice torrens. *Sen. Phoen.* 71. Rapax torrens. ℙ Translate. *Sil.* 12, 189. Torrens armorum et virorum; et 13, 760. abundans Umbrarum huc agitur torrens. *Quint. decl.* 17, 18. *f.* Nihil est improvisorum dolore torrentius, *h. e.* concitatius. *Lucan.* 7, 505. de Fortuna: Abstulit ingentes, fato torrente, ruinas, *h. e.* ruente impetu se ferente praecipiti. *Prisc.* 8, 804. hunc ipsum recitans versum, interpretatur, vertente, volvente. *Val. Fl.* 4, 262. vix ora virum, vix tollere passus Brachia torrenti praeceps agit undique nimbo. ℙ Proverbium est illud *Juven.* 4, 89. dirigere brachia contra torrentem. V. BRACHIUM. ℙ Commode refertur ad copiam verborum, et abundantiam orationis. *Cic. Fin.* 2, 1. *f.* Cum fertur, quasi torrens, oratio, multa cujusquemodi rapit. *Quint.* 3, 8. *med.* Torrens et aequaliter concitata oratio; et 10, 7. *med.* Inanis verborum torrens. *Juven.* 10, 9. torrens dicendi copia; et *ib.* 126. saevus et illum Exitus eripuit, quem mirabantur Athenae Torrentem, et pleni moderantem frena theatri, *h. e.* Demosthenem. *Id.* 3, 74. sermo promptus, et Isaeo torrentior. *Plin.* 26, 3, 7. Torrenti et meditata oratione blandiens.

TORRENTER, adv. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 198. torrentius amne Hiberno, tortaque ruunt pernicius hasta.

TORRĔO, es, ui, tostum, a. 2. *ξηραίνω*, proprie significat siccare, arefacere: ab antiquo *torrus*, vel, ut prisci scribebant, *torus*, aridus, torridus, ut *Festus* docet. *Virg. A.* 7, 720. cum sole novo densae torrentur aristae; et *ib.* 1, 183. frugesque receptas Et torrere parant flammis, et frangere saxo. *Plin.* 7, 2, 2. Pisces unguibus dissectos sole torrere. *Id.* 23, 7, 71. succum pomi expressum ad solem. *Id* 14, 9, 11. uvam in tegulis. *Id.* 11, 20, 22. sole verno apes mortuas. ℙ Est etiam igne urere, ita tamen ne in cinerem redigas, sed ut coquendo fit, *φρύγω. Cic. Somn. Scip.* 6. Terram quasi quibusdam circumdatam cingulis: e quibus medium illum et maximum solis ardore torreri. *Id. Pis.* 18. In Phalaridis tauro inclusum succensis ignibus torreri. *Pl. Cas.* 2, 5, 1. In furnum calidum condito, atque ibi torreto me pro pane rubido. *Virg. G.* 2, 396. Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. *Ov. Fast.* 2, 578. Torrere aliquid in igne. *Id. ib.* 6, 313. furnis torrebant farra coloni. *Plin.* 32, 7, 27. Delphini jecur in fictili torrent, donec pinguitudo similis oleo fluat. *Id.* 30, 6, 15. Cochleas in pruna torrere. *Id.* 15, 23, 25. Torrere castaneas. *Id.* 33, 4, 25. aurum, *h. e.* candefacere, liquare, excoquere. *Id.* 26, 3, 8. ad ignes corpora, *h. e.* vehementer calefacere. *Liv.* 35, 5. Sol ingenti ardore torrebat minime patientia aestus corpora Gallorum. ℙ Tribuitur et frigori ut *uro. Varr.* ap. *Non.* 6, 23. Capite aperto esse jubet, ante lucem suscitat, frigore torret, venatum ejicit. *Hor. Sat.* 1, 5, 78. montes torret Atabulus. *Acron.* exponit *incendit*, quia, inquit, nimio calore flans ventus illam regionem exsiccat. Sed V. ATABULUS. ℙ Poetae ad amoris aestum transferunt. *Hor. Od.* 4, 1, 12. Venus torret jecur. *Id. ib.* 3, 9, 13. Me torret face mutua Thurini Calais filius Ornyti; et *ib.* 19, 28. Me lentus Glycerae torret amor. *Prop.* 3, 23, 13. Correptus saevo Veneris torrebar aheno. Adde *Ov. Am.* 3, 2, 40. et *Sen. Hipp.* 641. ℙ *Torrere* dicuntur sitis, febris, et hujusmodi. *Tibull.* 1, 4, 36. Et Canis arenti torreat arva siti. *Prop.* 4, 9, 21. sicco torret sitis ora palato. *Ov. Her.* 21, 169. At mihi (vae miserae!) torrentur febribus artus. Adde *Juven.* 9, 17. ℙ Pro comburere. *Tibull.* 1, 10, 49. Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat, et liquida deleat amnis aqua. *Ov. Pont.* 2, 9, 44. Quique repertorem torruit arte sua, *h. e.* Phalaris Perillum. ℙ *Torreo* neutrorum more, torreor, uror. *Colum.* 1, 4. *f.* Collis medius neque hieme pruinis torpet, aut torret aestate vaporibus. Alii leg. *torretur. Id.* 4, 19. Exilis terra, et acclivis torrensque aestu, humilius jugum poscit. *Liv.* 44, 38. *f.* Militem itinere fatigatum, onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicere recenti, quieto. Alii leg. *torrente.*

TORRESCO, is, n. 3. *Lucr.* 3, 904. Ignibus impositum calidis torrescere flammis.

TORRĬDĀTUS, a, um, part. a *torrido:* combustus. *Capell.* 6, 196. Anhelis ardoribus torridatus.

TORRĬDO, as, a. 1. comburo, aduro. *Non.* 1, 51. Torris dicitur fax, unde et torridare dicimus comburere.

TORRĬDUS, a, um, adj. *ξηρός*, siccus, aridus ex nimio calore: a *torreo.* [**Aridus* et *torridus*, de iis quae nihil humoris, succi intrinsecus continent, omnes fere notiones communes habent: a *siccus* differunt, quod hoc nonnisi ad superficiem pertinet. *Arida* et *torrida* opp. *humidis: sicca*, opp. *madidis. Doederl.* 4, 244.] *Liv.* 4, 30. Siccitate eo anno laboratum est: defectus aquarum circa torridos fontes rivosque stragem siti pecorum morientium dedit. *Id.* 22, 43. *f.* Campi siccitate torridi. *Colum.* 7, 5. et 8. Torridus sal, *h. e.* sole, aut igne siccatus, ut facilius teri possit. *Sil.* 12, 372. tellus saxoso torrida dorso. *Sen. Herc. Oet.* 135. saxa rigentia, Et dumeta jugis horrida torridis. *Lucan.* 4, 239. Torrida ora, *h. e.* siti arida. Sic *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 365. *Burm.* de mense Augusto: Fontanos latices, et lucida pocula vitro Cerne ut demerso torridus ore bibat. *Lucan.* 9, 718. Torrida dipsas; et *ib.* 790. Torridus prester. ℙ Item igne accensus, ustus, torrens. *Prop.* 2, 21, 5. torridus aestuat aer, Incipit et sicco fervere terra Cane. *Id.* 3, 11, 51. Torrida sacrilegum testantur limina Brennum. *Virg. G.* 1, 234. Zona corusco Semper sole rubens, et torrida semper ab igni. *Id. Ecl.* 7, 48. Torrida aestas. *Ov. Fast.* 2, 24. farra, *h. e.* tosta. *Lucr.* 5, 1219. fulminis plaga torrida tellus. *Claud. in Ruf.* 2, 41. Libya torrida semper solibus. *Calpurn. Ecl.* 1, 7. Torrida cur solo defendimus ora galero? ℙ Transfertur ad ea, quae usta videntur. *Cic. Agr.* 2, 34. *med.* Homo vegrandi macie torridus. *Plin.* 12, 20, 43. Torridus sole color. ℙ Tribuitur et frigori. *Liv.* 21, 32. Pecora jumentaque horrida frigore. *Calpurn. Ecl.* 5, 107. ne torrida nimbis Instet hiems. ℙ *Torrida vox* ap. *Calpurn. Ecl.* 3, 59. est sicca, anhela, et exilis. Sic *Ecl.* 6, 23. qui vix stillantes, aride, voces Rumpis, et expellis male singultantia verba.

TORRIS, is, m. *δαλὸς*, lignum semiustum, titio: sive ardens adhuc sit, ut ap. *Virg. A.* 12, 298. ambustum torrem Corynaeus ab ara Corripit, et venienti Ebuso, plagamque ferenti Occupat os flammis: olli ingens barba reluxit, etc. *Val. Fl.* 3, 115. Vivus torris. *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Cadaver sidente strue torrium devolutum reddere pyrae jam fastidiosus pollinctor exhorret. *Ov. Met.* 8, 456. flagrantem mater ab igne Eripuit torrem, sparsitque liquentibus undis. ℙ Sive exstinctus, ut ap. *eund. ib.* 512. Funereum torrem medios conjecit in ignes.

TORROR, oris, m. qualitas rei torridae, siccitas. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. *med.* Solis terror, aut arena ignita; et *ib.* 3, 6. *f.* *Ἰλίνωσις*, quam nos corporis torrorem dicimus.

TORRUS. V. TORREO.

TORSIO, onis, f. *στρέφος*, actus torquendi, tormentum. *Hieron. in Isai.* 6, 13, 8. Tunc strophomata, quae nos torsiones ventris interpretati sumus, tenebunt eos. *Plin.* 20, 17, 67. Privatim ejus usus contra torsiones stomachi in tepida aqua, et cruditates, *h. e.* tormina ab humoribus acribus provenientia. *Hard.* habet *rosiones:* ut et 28, 7, 21. **Vulgat. Esaiae* 13, 8. Torsiones et dolores. *B. A.*

*TORTA, ae, f. i. q. tracta. *Vulgat. Exod.* 29, 23. et *Sam.* 1, 10, 3. *Ausonio* vindicat etiam *Scalig. Auson. Lect.* 2, 13. p. 122. *B. A.*

TORTĔ, adv. *ἐστραμμένως, καμπύλως*, oblique, transverse. *Lucr.* 4, 303. Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago. Nam quaecumque retro parte interiore latebunt, Inde tamen, quamvis torte, penitusque remota, Omnia per flexos aditus educta licebit Pluribus haec speculis videantur in aedibus esse.

TORTĬCĬUS. V. TORTIVUS.

TORTĬCORDĬUS. V. PRAVICORDIUS.

TORTĬLIS, e, adj. *ἑλικὸς, εὐστρεφὴς, στρεπτὸς*, qui torqueri potest, flexilis, tortus: a *torqueo. Virg. A.* 7, 351. fit tortile collo Aurum ingens coluber, *h. e.* monile, torquis aurea. *Ov. Her.* 16, 252. Tortilis e digitis excidit ansa meis. *Lucan.* 6, 198. tortilibus vibrata falarica nervis. *Ov. Met.* 1, 335. Bucina tortilis; et *ib.* 13, 915. piscis. *Plin.* 9, 51, 74. Polypi pariunt ova tortili vibrata pampino.

*TORTILOQUĬUM, i, n. *διάλεκτος συνεστραμμένη, συνεστραμμένη ὁμιλία Gloss. Cyrill. B. A.*

TORTĬO, onis, f. *στρέμμα, στρέφος*, actus torquendi, inflexio. *Firm. Math.* 8, 15. Publicis tormentis lacerati, aut ignibus exusti, seu tortione legitima peribunt. *Veg. Vet.* 1, 46. *extr.* Ex corruptione vesicae tortione moriuntur. Addunt quidam locum *Senecae Contr.* 1, 4. *med.*, sed ibi leg. *torpor:* neque *tortio* locum habere potest.

TORTĪVUS, a, um, adj. *Tortivum mustum*, quod appellat *Cato R. R.* 23., vocatur etiam *circumcisicium*, et *circumcidaneum:* et est illud, quod novissime pressum est. Fiebat autem hoc modo: Cum desierat sub prelo fluere, circumcidebant pedes vinaceorum, et rursus premebant, ut *Varr. R. R.* 1, 54. et *Colum.* 12, 36. docent. Ap. *Colum. ib.* et *Plin.* 14, 20, 25. quidam leg. *torticium.*

TORTO, as, a. 1. frequent. a *torqueo*, crucio. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 872. Ubi insilui in cochleatum eculeum, ibi tolutim tortor. *Lucr.* 3, 661. Omnia jam seorsum cernas ancisa recenti Vulnere tortari, *h. e.* partes anguis membratim discissi torqueri, et sensum doloris ostendere. *Arnob.* 3, 106. Avet animus videre Deas gravidas dolorum acuminibus fixas ejulate, tortari. *Id.* 1, 30. Sub eorum *(daemonum)* tortantes et illi se casibus jussione non alia sanitati et constantiae restituerunt, *h. e.* Apostoli daemoniacos, a daemone tortos, sanitati restituerunt. Alii leg. *portantes.*

TORTOR, oris, m. *βασανιστής*, qui torquet et cruciat, sive ad eliciendam veritatem, sive ad puniendum, sive ad saeviendum. *Cic. Cluent.* 63. *med.* Cum jam tortor, atque essent tormenta ipsa defessa. *Id. Phil.* 11, 3. Ponite ante oculos verbera, eculeum, tortorem carnificemque Samiarium. *Sen. ep.* 14. *med.* Plus agit tortor, quo plura instrumenta doloris exposuit. *Juven.* 14, 21. quoties aliquis tortore vocato, Uritur ardenti propter duo lintea ferro. *Hor. Od.* 3, 5, 49. de Regulo: Atqui sciebat, quae sibi barbarus Tortor pararet. ℙ Apollo cognomine *tortor* colebatur Romae in quadam parte urbis, teste *Suet. Aug.* 70., fortasse in primis faucibus Suburae, cruenta pendebant ubi flagella tortorum, ut est ap. *Mart.* 2, 17., vel potius ita cognominatus, quia Marsyan sua manu excorians visebatur. ℙ Translate. *Juven.* 13, 195. Occultum quatiente animo tortore flagellum.

[TORTŬLUS, a, um, adj. diminut. torti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 12. Albucia Tortula Virridiae Tortulae matris dignissimae. *F.*]

TORTUM. V. TORTUS.

*TORTŪNI, orum, populi Arcadiae. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

TORTŬOSE, adv. *Tert. adv. Valent.* 3. Serpens per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat.

TORTŬOSĬTAS, atis, f. Translate. *Tert. adv. Marc.* 4, 43. *f.* Et quae ratio tortuositatis istius? Cum simpliciter pronunciare potuisset, etc. Adde *Carn. Chr.* 20.

TORTŬOSUS, a, um, adj. *ελιγματώδης*, multis flexibus sinuosus, anfractuosus, obliquus, flexuosus. *Cic. N. D.* 2, 54. *f.* Est autem alvus multiplex, et tortuosa; et *ib.* 57. *f.* Soni ex tortuosis locis et inclusis referuntur ampliores. *Id. Cluent.* 64. Serrula aduncа et tortuosa. *Plin.* 11, 46, 106. Lynx simile quiddam talo habet, leo etiam tortuosius. *Id.* 21, 27, 100. Rusci radix bibitur in calculorum valetudine, et tortuosiore urina, *h. e.* turbidiore, atque adeo hominem torquente, dum quasi tortuosa exit. ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 31. Ut omnes istos aculeos, et tortuosum genus disputandi relinquamus, *h. e.* longe petitum, implicatum, difficile. *Id. Div.* 2, 63. Visa quaedam tortuosa et obscura. *Id. Am.* 18. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium, et tortuosum; et *August. Conf.* 2, 10. Quis aperit tortuosissimam istam et implicatissimam nodositatem? *Gell.* 13, 11. Res anxiae aut tortuosae.

TORTŪRA, ae, f. tortio, torsio. *Pall.* 3, 9. Caput sarmenti cum deponitur, torquendum non est, nec aliquo modo vexandum, etc. quoniam ipsa tortura vexatio est, etc. *Veg. Vet.* 1, 40. *extr.* Hinc tortura et extensio ventris, dolorque generatur. *Id. ib.* 2, 55. Ex tortura quoque, si in aspero vel lapidoso itinere jumenta coguntur ad cursum, indignationes oriuntur.

TORTUS, a, um, part. a *torqueo*: *στρεπτός*, intortus, inflexus, implexus, tortilis, flexus. *Virg. A.* 4, 575. tortos incidere funes. *Cels.* 7, 4. *n.* 4. Linum duplex triplexque, sic tortum, ut unitas in eo facta sit. *Calpurn. Ecl.* 3, 71. Tortum vimen; et *Ecl.* 7, 53. Retia auro torta. *Ov. Her.* 19, 37. Tortaque versato ducentes stamina fuso. *Virg. G.* 1, 349. torta redimitus tempora quercu; et *ib.* 3, 38. Tortus anguis; et *ib.* 4, 121. tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis; et *ib.* 3, 106. illi instant verbere torto, Et proni dant lora. *Id. A.* 7, 567. Dat sonitum saxis, et torto vortice torrens. *Tac. H.* 5, 22. Circum brachia torta veste; et *Prop.* 4, 4, 40. Cum patuit lecto stamine torta via, h. e. labyrinthi; et *ib.* 3, 65. Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae; et *ib.* 7, 41. Torti capilli. Sic *Ov. Am.* 1, 14, 25. de capillis: Quam se praebuerunt ferro patienter, et igni, Ut fieret torto flexilis orbe sinus! *Sen. Med.* 718. Tortae radices. *Id. Herc. Fur.* 787. Longus torta cauda draco. *Nemes. Ecl.* 4, 40. torto non squamea tractu Signat humum serpens. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Torta periscelis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 846. Aqua torta, *h. e.* pluvia agitata vento, et transversim defluens. ℙ Translate *Pl. Men.* 4, 2, 25. Conditiones tetuli tortas, confragosas, *h. e.* obscuras, perplexas. ℙ Est etiam in gyrum actus, tornatus. *Ov. Am.* 1, 8, 7. torto concita rhombo Licia. *Stat. Silv.* 4, 9, 43. Cumano patinas in orbe tortas, *h. e.* Cumis rota figuli currente fabrefactas. *Mart.* 13, 28., cujus lemma *Coctana*. Haec tibi quae torta venerunt condita meta, *h. e.* vase fictili in modum metae facto. Alii aliter expon. Alii pro *meta* leg. *mentha*. ℙ Item jactus. *Ov. Her.* 4, 158. proavi fulmina torta manu. *Id. Met.* 4, 708. quantum Balearica torto Funda potest plumbo medii transmittere coeli. *Sil.* 11, 419. non ulla per auras Lancea nudatos exercet torta lacertos. Adde *Mart. Spect.* 11. ℙ Item cruciatus, *βασανισθείς*. *Suet. Aug.* 40. *f.* Cavit, ne vinctus unquam, tortusve quis, ullo libertatis genere civitatem adipisceretur. *Just.* 22, 1. *f.* Socii capti tortique, de illo negaverunt. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 18, 38. Commissumque teges et vino tortus et ira. V. *A. P.* 435. ℙ *Tortum* absolute, vel tormentum, vel funis tortus, quo utuntur torquentes, vel ipsa tortura. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 819. Nam te in tenebris saepe lacerabo fame Clausum, et fatigans artus torto distraham.

TORTUS, us, m. idem ac torsio. *Cic.*, vertens carmina *Sophocl.*, *Tusc.* 2, 9. Tortu multiplicabili draco. *Virg. A.* 5, 276. serpens Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus. *Stat. Achill.* 2, 419. flexae Balearicus actor habenae Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu, *h. e.* circumactione fundae. *Arnob.* 6, 196. Buccinarum tortus animare, *h. e.* tortuosas buccinas inflare.

[TORVĬDUS, a, um, adj. idem ac torvus. *Arnob.* 6, 196. Leo fremebundus hiatibus torvidis. *F.*]

TORVĬTAS, atis, f. *ὀκοθρασία*, torvus aspectus, et severitatis aut irae indicium: a ferocia taurorum dicta, ut *Fest.* docet: unde *ταυρηδόν*, torviter. *Tac. H.* 2, 9. Corpus insigne oculis, comaque, et torvitate vultus. *Plin.* 8, 17, 23. de pantheris: Ferunt odore earum mire sollicitari quadrupedes cunctas, sed capitis torvitate terreri. *Ammian.* 31, 2. *med.* Alani oculorum temperata torvitate terribiles. ℙ Transfertur ad animum pro severitate, austeritate, asperitate, rusticitate. *Plin.* 35, 4, 9. M. Agrippa, vir rusticitati proprior, quam deliciis, etc. Verum eadem illa torvitas tabulas duas mercata est, etc. *Plin.* 7, 19, 18. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, torvitatemque naturae duram et inflexibilem.

TORVĬTER, adv. *ταυρηδόν*, rigide, severe, rustice. *Enn.* ap. *Non.* 11, 57. Quem nunc tu tam torviter increpuisti. Adde *Pomp. ib.*

TORŬLUS, i, m. *σχοινίον*, funiculus: diminut. a *torus*, quod proprie funem notat. *Pl. Amph. prol.* 144. Tum meo patri autem torulus inerit aureus sub petaso. *Ammian.* 29, 1. *med.* Torulo capiti circumflexo. Sunt, qui his locis torulum interpretantur parvum conum in capite ex capillis contortis factum, quod ornamentum praecipue mulierum est, ut legitur ap. *Varr. L. L.* 4, 35. *f.* Torulus in mulieris capite ornatus. Et ad *Plautum* quidem quod attinet, putant respexisse eum ad morem Atheniensium, qui ut se *αὐτόχθονας*, h. e. antiquissimae originis, et terrae filios declararent, capillos torquebant in conum, aureasque cicadas innectebant: nam cicadae e terra procreari credebantur. Non desunt tamen qui *Plauti* et *Varronis* loca aliter omnino legunt. V. *Taubmann.* ad *Plaut. l. c.* ℙ Toruli in animalibus sunt parvi tori, hoc est partes carnosae, seu pulposae. *Appul. Met.* 7. Terga pulposis torulis obesa. Alii leg. *toris*. ℙ Hinc ap. *Vitr.* 2, 9. *med.* torulus accipitur pro ea ligni parte, quae medulla etiam appellatur, quae magis albescit, tenerior quoque est, et teredinibus, et putredini magis obnoxia, quae idcirco rejici jubetur, cum ad aliquod intestinum opus lignum secatur. Verba *Vitruvii* sunt: Ima autem (*pars arboris*) cum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo ex eadem arbore, ad intestina opera comparatur. Similia horum ante dixerat, *post in. ejusd. cap.*

TORUS, i, m. *σχοινίον*, funiculus tortus, qui duplicatus, aut triplicatus funem facit. *Varr.* ap. *Non.* 1, 35. videtur deducere a *tortus*, sed est potius a *τόρος*, viriculum, unde *τορέω*, et *τορνεύω*, torno; proprie enim *torus* significat rotundum quid, nulla habita ratione materiae, ex qua idem fit. V. infra. *Cato R. R.* 135. Funem exordiri oportet longum pedes LXXII., toros tres habeat, lora in toros singulos novem, lata digitos duos. Cum tortus erit, longus pedes XLIX. (Itali vulgo dicunt *tre cordoli.*) *Colum.* 11, 3. *in.* Semina spinarum, quae inhaerent toris funiculorum. ℙ De vitium vinculo. *Id. Arb.* 16. Vitis diutius perennat, quae firmis toris, et idoneis locis religata est. *Id.* 5, 6. *med.* Vitis novella tribus toris ad arborem religetur, uno, qui est in crure arboris, a terra quatuor pedibus distans: altero, qui summa parte vitem capit: tertio, qui mediam vitem complectitur. ℙ In architectura est membrum turgens, rotundum et oblongum instar funis, Italice *bastone*, et *bastoncino*, ut videre est in basi Tuscanica, in qua unus, et in Dorica ac reliquis, in quibus duo tori sunt. *Vitr.* 3, 3. *med.* Dempta plintho, reliquum dividatur in partes quatuor, fiatque superior torus quartae: reliquae tres aequaliter dividantur, et una sit inferior torus, etc. ℙ In animali est pars carnosa exstans, sive pulpa carnis musculosae, bonam habitudinem, et vires ac robur indicans, ut in lacertis brachiorum. *Cic.*, vertens carmen *Sophocl.*, *Tusc.* 2, 8. *f.* O pectora, o terga, o lacertorum tori! *Val. Fl.* 4, 244. Ingentes humeros, spatiosaque pectoris ossa Protulit, horrendosque toris informibus artus. *Ov. Her.* 9, 59. Non puduit fortes auro cohibere lacertos, Et solidis gemmas apposuisse toris. *Id. Met* 15, 229. flet Milo, cum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos. *Id. ib.* 14, 283. de sue: Colla tument toris. *Sen. Hipp.* 1042. de tauro: Opima cervix arduos tollit toros. *Virg. A.* 12, 7. movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros. *Id. G.* 3, 81. de equo: Luxuriatque toris animosum pectus. Adde *Stat. Th.* 6, 872. et *Plin.* 18, 7, 18. ℙ De venis tumentibus. *Cels.* 7, 18. *f.* Et tumoris aliquid est, ac per ipsos venarum toros inaequale est. ℙ De arboribus. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 28. Alias utile, toros futuri draconis pasci, *h. e.* nutriri, et crescere crassitudinem et robur draconis futuri in vite. *Id.* 19, 8, 42. Asparagus viret thyrso primum emicante, qui caulem educens, tempore ipso fastigatus, in toros striatur, *h. e.* in ramulos teretres et oblongos instar funiculorum. ℙ Transfertur ad orationem, ut *nervus*. *Cic. Or.* 6. *f.* de stilo mediocri: Uno tenore in dicendo fluit, nihil afferens praeter facilitatem et aequabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis distinguit. ℙ Est etiam *torus* culcita, quae lecto imponitur, sive discubitorio, s. funebri, s. coenatorio. Putant alii esse a *tortus*, quia, ut ait *Serv.* ad *A.* 1, 712. et *ib.* 2, 2., veteres discumbebant super herbam tortam. Alii a tortis funibus dici volunt, quia lecti super extentos funes ponebantur: sed alii rectius a rotunditate pulvinorum, quibus discumbentes incumbebant. *Plin.* 8, 48, 73. Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. *Virg. A.* 5, 388. viridante toro consederat herbae; et *Juven.* 6, 5. Silvestrem montana torum cum sterneret uxor Frondibus et culmis, vicinarumque ferarum Pellibus. *Ov. Her.* 5, 14. Mixtaque cum foliis praebuit herba torum. *Id. Met.* 10, 556. Datque torum caespes. *Id. Fast.* 1, 401. Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti, Gramine vestitis accubuere toris. *Virg. A.* 2, 2. Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto. *Ov. Met.* 6, 431. Torum sternere. *Id. Fast.* 2, 795. premere. *Id. Her.* 3, 118. Toro jacere. *Id. Fast.* 5, 520. discumbere. *Id. Met.* 11, 472. ponere se. *Id. A. Am.* 2, 370. In toro cubare. *Stat. Silv.* 3, 1, 37. *ad Hercul.* Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho Texitur, et signis crescit torus asper eburnis, *h. e.* lectus collocandis signis Deorum in lectisternio. *Virg. A.* 6, 603. lucent genialibus altis Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae. *Ov. Met.* 12, 578. repetito munere Bacchi, Surrexere toris; et *ib.* 9, 502. peream, precor, ante, toroque Mortua componar. *Hieron. in Helv. n.* 20. Nunciatur interim vir venisse cum sociis. Illa (*uxor*) ad hirundinis modum lustrat universa penetralia, si torus rigeat, si pavimenta verrerint (*servi*), si ornata sint pocula, si prandium praeparatum. ℙ Saepe refertur ad conjugium, ut thalamus. *Ov. Met.* 1, 318. Hic ubi Deucalion, etc. Cum consorte tori, parva rate vectus adhaesit. *Id. Pont.* 3, 3, 50. legitimos sollicitare toros. *Id. Her.* 2, 41. Junonemque toris quae praesidet alma maritis. *Sab.* 2, 9. Prima meis tu pacta toris. *Ov. Fast.* 3, 511. Tu mihi juncta toro. *Id. Pont.* 2, 8, 29. Tori socia; et *Her.* 21, 140. pollicitis debita jura tori. *Id. Am.* 3, 6, 82. Socii tori jura dare alicui. *Id. Fast.* 5, 206. Inque meo non est ulla querela toro. *Plin.* 34, 3, 6. Receptus in torum ℙ Contra de consuetudine turpi. *Sen. Hipp.* 97. Quaerere stupra et illicitos toros. *Ov. Trist.* 2, 278. Obscenus torus. ℙ Metonymice ipsa illa, quae conjugio aut consuetudine alicujus gaudet. *Plin.* 35, 10, 16. *n.* 12. Alexander se vicit: nec torum tantum, sed etiam affectum donavit artifici, *h. e.* Apelli Campaspen donavit, cum intellexisset, ejus illum amore captum, dum nudam pingeret. ℙ *Tori riparum* sunt elatiores riparum partes herbis vestitae, quae lecti vicem sedenti praebere possunt. *Virg. A.* 6, 673. lucis habitamus opacis, Riparumque toros, et prata recentia rivis Incolimus. *Stat. Th.* 4, 819. inde toros riparum, et proruta turbant Gramina. Sic *Plin.* 19, 4, 20. Fimum tres pedes alte cum terra misceri, areis distingui: easque resupinis pulvinorum toris ambiri singulas tramitum sulcis, *h. e.* partibus humi elatioribus, et lecti speciem praebentibus, ut hodieque in hortis videre est. ℙ *Torus*, seu *torrus*, torridus, aridus. V. in TORREO.

TORVUS, a, um, adj. *ἀγριωπός*, *σκυθρωπός*, specie ipsa ferociam prae se ferens, aspectu terribilis: qualis est taurorum vultus. *Festus:* Torvitas a ferocia taurorum dicta est. *Virg. G.* 3, 51. optima torvae Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix. *Id. Ecl.* 2, 63. torva leaena. *Id. A.* 3, 636. de Polyphemo: lumen Ingens, quod torva solum sub fronte latebat; et *ib.* 677. adstantes lumine torvo Aetnaeos fratres. *Plin.* 8, 42, 64. Equus torvo aspectu. *Prop.* 2, 2, 8. Torvus aper. *Virg. A.* 6, 571. Torvi angues. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. torvu' draco serpit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 299. Torva ursa. *Hor. Ep.* 1, 19, 12. Torvo vultu ferus. *Ov. Met.* 5, 92. Ille tuens oculis immitem Phinea torvis: et omisso substantivo. *Id. ib* 6, 34. Aspicit hanc torvis; et *Her.* 17, 15. Si non est ficto vultus mihi tristis in ore, Nec sedeo duris torva superciliis. *Id. Pont.* 2, 8, 22. Torvaque nescio quid forma minantis habet. *Prop.* 3, 16, 24. torvi publica cymba senis. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 387. torva Megaera. *Ov. A. Am.* 2, 309. Medusa. *Arnob.* 6, 196. Leonis torvissima facies. ℙ De rebus inanimis. *Plin.* 2, 25, 33. (et *Tac. A.* 2, 14.) Cometes visu torvo; et 16, 33, 60. Cupressus natu morosa, fructu supervacua, baccis torva. ℙ Torvi dicuntur fluvii, quia finguntur taurino capite et cornibus. *Val. Fl.* 8, 218. Torvus Ister. ℙ *Torva vox*, aspera, terribilis. *Appul. Flor. n.* 17. Vox humana, et tuba rudore torvior, et lyra concentu variatior. *Virg. A.* 7, 399. torvumque repente Cla-

mat. ℙ *Torrus* in bonam partem. *Claud. IV. cons. Hon.* 517. Quantus in ore pater radiat! quam torva voluptas Frontis, et augusti majestas grata pudoris! *h. e.* mascula, bellicosa, gravis. Adde *III. ib.* 24. Hac ratione videtur *Statius* torvum Maronem dixisse, *Silv.* 5, 3, 62. h. e. grandiloquum, ac terribilem imitari conantibus. ℙ Translate. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. Cultura quoque torva fiunt vina, *h. e.* aspera, immitia, austera. *Catull.* 66, 20. Invisente novo proelia torva viro. *Pacuv.* ap. *Fest.* Cum recordor ejus ferocem et torvam confidentiam. *Id. ib.* Feroci ingenio torvus. ℙ *Torvum*, et *torva* adverbii ritu. *Stat. Th.* 12, 127. magni memor illa mariti It torvum lacrimans. *Virg. A.* 6, 467. ardentem et torva tuentem Lenibat. Adde *Val. Fl.* 2, 555.

[TOSTO, as, a. 1. idem ac torreo. *Plin. Val.* 2, 28. *med.* Corticem agrifolii interiorem et exteriorem rades, et mittes in cacabum novum, et pones super carbones, non ut comburatur, sed ut tostetur. *F.*]

[TOSTRIX, icis, f. quae edulia torret. Nostris quoque diebus mulierculas cernimus in viis et nundinis allata seu oblata edulia in sartagine pretio frigere, et in veru vel craticula torrere, quas nos vulgo *friggitrici* dicimus. *Inscr.* Romana, nunc *Cusercoli* translata in aedibus *Marchionis a Balneo*, quam vidit, exscripsit, et ad nos misit *B. Borghesius.* Galloniae O. L. Paschusae tostrici. Aliquis fortasse malit *tostrici* pro *tonstrici* scriptum fuisse. *F.*]

TOSTUS, a, um, part. a *torreo*: ξηρανθείς, siccatus, torrefactus, coctus, ambustus, combustus. *Ov. Fast.* 4, 939. Est Canis (Icarium dicunt) quo sidere moto, Tosta sitit tellus. *Catull.* 45, 6. in Libya, Indiave tosta. *Colum.* 12, 5. Tostum hordeum. *Ov. Met.* 12, 155. Tosta caro; et *Fast.* 6, 482. tosta liba. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Arae fractae et disjectae, fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes. *Ov. Met.* 2, 283. tostos en aspice crines, Inque oculis tantum, tantum super ora favillae.

TOT, τοσοῦτοι, tam multi, nomen numerale indeclinabile: cui respondet *quot* vel expresse, vel tacite. *Cic. Or.* 2, 32. *med.* Quot homines, tot causae. *Id. Hor. resp.* 8. Nego, de ullo opere publico tot senatus exstare consulta, quot de mea domo. *Id. Manil.* 16. *f.* Neminem unquam tam impudentem fuisse, qui a Diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas Dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt. *Id. Coel.* 28. An timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent? et *ib.* Tot viri ac tales. *Liv.* 24, 26. *f.* Tot ac tam validae manus. *Id.* 5, 54. *med.* Tot, tam valida oppida. *Cic. Balb.* 20. *f.* Si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset. *Cato R. R.* 114. Ubi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei satis esse, tot vites ablaqueato. *Cic. Fam.* 5, 20. *med.* Quae cum viderem tot vestigiis impressa, ut in his errari non posset, non adscripsi, etc. ℙ Absolute. *Ter. Andr.* 1, 5, 24. Quid primum exsequar? tot me impediunt curae, quae meum animum divorse trahunt. *Pl. Ps* 1, 2, 82. En excetra tu, quae tibi amicos tot habes. ℙ Indefinite. *Cajus Dig.* 34, 5, 8. Volo dari ei, qui id egerit, a ceteris heredibus aureos tot. ℙ *Tot*, tam pauci. *Albinov.* 1, 339. Vix credent, tantum rerum cepisse tot annos.

TOTFĀRĬĀM, tanti, tot. *Varro:* In totfariam locis. Ita *Scal. ad Fest.* in *Multifariam.*

TOTĬDEM, ἴσοι, aeque multi: et vel tacite, vel expresse *quot* postulat. *Cic. Brut.* 96. Totidem, quot dixit, scripta verbis oratio. *Pl. Most.* 3, 1, 114. Talentis totidem, quot ego et tu sumus. *Juven.* 13, 26. Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot Thebarum portae. *Caes. B. G.* 48. Equitum millia erant sex, totidem numero pedites. *Hor. Sat.* 1, 10, 60. siquis amet scripsisse ducentos Ante cibum versus, totidem coenatus. *Id. Ep.* 1, 6, 34. Mille talenta rotundentur, totidem altera. *Nep. Milt.* 7. Cum totidem navibus, atque erat profectus, Athenas rediit. *Cic. Div.* 2, 43. Proclus et Eurysthenes gemini fratres fuerunt, nec totidem annos vixerunt, anno enim Procli vita brevior fuit; et *Att.* 6, 2. *med.* Istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli; et *Hor. Sat.* 2, 3, 298. Dixerit insanum qui me, totidem audiet: totidem audiet verba, et idem significantia.

TOTIĒS, adv. τοσάκις, tot vicibus. *Cic. Att.* 7, 12. Velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties. *Hor. Sat.* 2, 3, 193. cur Ajax, heros ab Achille secundus, Putrescit, toties servatis clarus Achivis? *Virg. A.* 4, 536. Quos ego sum toties jam dedignata maritos. *Hor. Carm. saec.* 23. Ter die claro, totiesque nocte. *Cic. Cluent.* 18. Quotiescumque dico, toties mihi videor in judicium venire ingenii. *Id. Fam.* 7, 7. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties a Quinto mihi fratre afferantur. *Liv.* 2, 13. Moverat eum subeunda dimicatio toties, quot conjurati superessent. ℙ In plurimis auctorum MSS. scribitur *totiens*, *quotiens*, *aliquotiens:* et in multis opt. libr. editum est: quod sane reprehendi non potest: quin grammaticorum aliqui ita scribi jubent ut est ap. *Pier.* ad *Virg. Ecl.* 3, 72. Nihilominus *Manutio*, *Dausqu.*, *Cellar.* magis placet *n* omitti. V. MILLIES.

TOTJŪGIS, e, et Totjugus, a, um, adj. tam multiplex, tam varius, tantus, tot. *Appul. de Deo Socrat.* Totjuga sidera sursum in aethere comparent. *Id. Flor. n.* 18. Haec tanta et totjuga invitamenta; et *n.* 9. Homo tam numerosa arte multiscius, totjugi scientia magnificus. *Id. Met.* 2. In qua domo totjugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus.

TOTMODĂ, neutr, plur. tot et tanta. *Catull.* 115, 3. Cur non divitiis Croesum superare potis sit, Uno qui in saltu totmoda possideat? Est qui leg. *tot bona.*

*TOTONIS VILLA, oppidum fuit Galliae Belgicae. *Paul. Diac. Langob.* 1, 5. ℙ Dictum et *Theodonis villa*, et *Palatium Theodonis.* Hodie a Germanis appellatur *Diedenhofen*, a Gallis *Thionville. B. A.*

TOTTONĂRĬUS, a, um, adj. V. TREPIDARIUS.

TOTUS, a, um, adj. ὅλος, integer, universus, solidus. In genit. habet *totius*, in dat. *toti* in omnibus generib. Pertinet ad quantitatem continuam, sicut *omnis* ad numerum: *totus* partium plenitudinem significat, *omnis* numeri. V. OMNIS. [*Accuratius de hac re disputantem habes *Doederl.* 4, 357. sq.] *Cic. Mil.* 23. Cui senatus totam rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi R. arma commiserat. *Id. Fin.* 2, 34. Omne coelum, totamque cum universo mari terram mente complexus. *Id. Univ.* 5. *f.* Ut unum opus, totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolveretur. *Id. Or.* 1, 26. *f.* Tota mente atque omnibus artubus contremisco. *Id. Fin.* 4, 1. *f.* Universa re et tota sententia dissentire. *Pl. Most.* 1, 2, 67. Non videor mihi sarcire posse aedes meas, quin totae perpetuae ruant. *Liv.* 1, 12. Curtius effusos egerat Romanos toto, quantum foro spatium est. *Sall. Cat.* 31. *f.* Ut Romae per totam urbem vigiliae haberentur. *Caes. B. G.* 1, 26. *med.* Eaque tota nocte continenter ierunt: nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum pervenerunt; et *ib.* 3, 13. Naves totae factae ex robore; et *ib.* 1, 30. Toti Galliae bellum inferre; et *ib.* 5, 11. *extr.* Hunc toti bello imperioque praefecerant. *Phaedr.* 5, 7. Homo se in pulpito totum prosternit; et 4, 14. Toto die. *Ter. Eun.* 2, 2, 46. Sex te totos hos menses quietum reddam. *Lucr.* 2, 274. Nam tum materiam totius corporis omnem Perspicuum est ire. ℙ Illa referuntur ad animum. *Nep. Dion.* 2. Quem Dion adeo adamavit, ut se totum ei traderet. *Ter. Ad.* 4, 2, 50. Ctesipho in amore est totus. *Hor. Sat.* 1, 9, 2. Nescio quid meditans nugarum, et totus in illis. *Cic. Att.* 14, 11. *f.* Modo venit Octavius mihi totus deditus. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *extr.* Plancius totus noster est. *Caes. B. G.* 6, 5. Totus et mente et animo in bellum insistit. *Just.* 12, 13. *med.* Totus in laetitiam effusus. *Cic. Cluent.* 26. *f.* Homo totus ex fraude et mendacio factus. ℙ *Totus alicujus* esse dicitur, qui ab eo stat, illique favet. *Cic. Fam.* 15, 7. Et sum totus vester, et esse debeo. *Liv.* 23, 14. Senatus in societate Romana cum fide perstare, plebs novarum, ut solet, rerum, et Annibalis tota esse. *Id.* 37, 49. Totos adhuc Antiochi Aetolos esse. *Ter. Eun.* 5, 9, 10. Fratris igitur Thais tota est. *Chae.* scilicet. ℙ Alio sensu *Val. Fl.* 1, 207. Ecce sacer, totusque Dei per litora Mopsus, Immanis visu, vittamque comamque per auras Surgentem, laurusque rotat, *h. e.* Deo plenus. ℙ *Totum* absolute. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Totum in eo est, tectorium ut concinnum sit; et *Colum.* 12, 4. Totum in eo est, ne contrectentur pocula, vel cibi, nisi ab impube. ℙ *Ex toto*, omnino, prorsus, ὅλως. *Ov. Pont.* 4, 8, 72. Nec tamen ex toto deserere illa potes. *Cels.* 7, 4. *n.* 3. Sostratus fistulas ventris insanabiles esse credidit; id non ex toto ita se habere, usus ostendit; et *ib.* 9. Lineae, quae citeriorem partem ab ulteriore ex toto diducant. *Id.* 8, 20. *med.* Femur luxatum quidam semper iterum excidere contendunt: sed clari admodum auctores, ex toto se restituisse, memoriae prodiderunt. *Plin.* 11, 17, 17. de apib.: Fessum regem humeris sublevant: validius fatigatum ex toto portant; et *Colum.* 5, 8. *f.* Creta ex toto repudianda est; et 2, 21. Antequam ex toto grana indurescant, messis facienda est. ℙ *In totum*, ex toto. *Id.* 12, 1. *med.* Munia, quae domi capessenda, non in totum muliebri officio relinquenda sunt: et *mox:* Ea porro persuasissimum habere debebit, aut in totum, aut certe plurimum domi se morari oportere. *Plin.* 2, 90, 92. Natura in totum abstulit terras, ubi Atlanticum mare est, immenso spatio. *Id.* 31, 7, 42. Res in totum diversa. *Id.* 35, 2, 2. Quod in totum exolevit. *Id.* 25, 4, 17. In totum temeraria medicina; et 10, 4, 5. Marius in totum ea abdicavit. ℙ *In totum*, in universum. *Colum.* 11, 2. *med.* Itaque in totum praecipimus: ut quisque natura locus frigidus erit, is primus conseratur. Adde 3, 2. *f.* ℙ *Totus* pro *omnis*, h. e. eo loco, quo *omnis* bene se haberet: hinc *tutto* Italorum. *Phaedr.* 1, 11. Clamorem subito totis tollit viribus. *Hirt. B. Alex.* 5. Cum totus convenisset equitatus. *Pl. Mil.* 2, 2, 57. Cui bini custodes semper totis horis accubant. ℙ De rebus, quae numero constant. *Stat. Th.* 1, 81. totos in poenam ordire nepotes. *Appul. Met.* 6. Accumbebat cum sua Junone Juppiter, ac deinde per ordinem toti Dei. *Sidon. ep.* 9, 14. *f.* Plerique laudabunt facundiam tuam, plurimi ingenium, toti pudorem. ℙ Paenultimam genitivi poetae, cum commodum est, corripiunt. *Lucr.* 1, 82. spatium summai totius omne. *Id.* 4, 1022. Totius humorem saccatum ut corpori' fundant. ℙ Pro *totius* dixere etiam *toti*. *Afr.* ap. *Prisc.* 6, 694. Adeo ut te satias caperet toti familiae. Sic *uni*, *soli*, *nulli*, etc, quae V. s. l. ℙ Item *totae*, et *toto* in dativo pro *toti*. *Pl. fragm.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* Gannit odiosus omni totae familiae. *Auct. ad Her.* ap. *Prisc.* 6, 678. Res totae rei similis. *Prop.* 3, 9, 57. toto quae praesidet orbi. ℙ *Totus* prima brevi est tantus τοσοῦτος: cui respondet *quotus. Manil.* 6, 3. *med.* Denique quotcumque pedum spatia facienda censueris, totam partem longitudinis et latitudinis duces, *h. e.* tantam. ℙ [*Confund. *totum* et *tum.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 388.]

*TOXANDRI, orum, populi Germaniae, inter Scaldim Mosamque flumina. *Plin.* 4, 17. ℙ Eorum regio Toxandria audit *Ammian.* 17, 17. *B. A.*

*TOXICĀTUS, a, um, toxico imbutus. *Sarisb.* 1, 6. Urbs texicata veneficio adulatorum. *B. A.*

TOXĬCUM, i, n. τοξικόν, proprie venenum est, quo imbuuntur sagittae, ut letale vulnus inferant: a τόξον, quod tum arcum, tum sagittas aliquando significat, ut ap. *Homer. Il.* 8, 296. *Festus:* Toxicum dicitur cervarium venenum, quo quidem perungere sagittas soliti sunt. Caecilius in Gamo: Ut hominem miserum toxico transegerit. *Ov. Pont.* 4, 7, 11. Aspicis et mitti sub adunco toxica ferro: Et telum causas mortis habere duas. ℙ Alii aliunde notationem duxere: vel quia instar sagittae, cito perimat; vel a *taxus*, ut prius *taxicum* dictum sit. *Plin.* 16, 10, 20. de taxo arbore: Sunt qui et taxica hinc appellata dicant venena, quae nunc toxica dicimus, quibus sagittae tingantur. ℙ Pro quovis veneno. *Afr.* ap. *Fest.* Uxorium istud toxicum mittite. *Ov. Am.* 2, 2, 63. non ad miscenda coimus Toxica. *Colum.* 10, 18. de terra: Nec patitur taxos, nec strenua toxica sudat, *h. e.* herbas mortiferas. *Lucan.* 9, 820. Toxica fatilegi carpunt matura Sabaei. *Hor. Epod.* 17, 61. Toxicum velox. *Mart.* 1, 19. Toxica saeva. *Prop.* 1, 5, 6. Et bibere e tota toxica Thessalia. Adde *Suet. Claud.* 44. et *Ner.* 35. ℙ Toxicon, τοξικόν, genus ladani, quod colligitur et trahitur, nervis in arcu circumdatis, adhaerescente roscida languine: a τόξον, arcus. *Plin.* 26, 8, 30.

[TOXOBŎLOS, i, f. τοξοβόλος, sagittas jaculans: a τόξον, arcus, et βάλλω, jaculo. V. v. sq. *F.*]

[TOXŎTIS, idis, f. τοξότις, sagittaria, arcitenens. Ita vocatur artemisia herba ap. *Appul. Herb.* 10. Artemisia a Graecis dicitur toxotis. Pythagoras (*vocat*) toxobolon. *F.*]

T R

TRĂBĀLIS, e, adj. δοχώδης, ad trabem pertinens: ut Trabalis clavus, quo trabes figuntur *Hor. Od.* 1, 35, 18. Clavos trabales, et cuneos manu Gestans, *Cic. Verr.* 2, 5, 21. *med.* Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, *h. e.* fixum firmumque faceret. Adde *Petr. Sat.* 75. ℙ Item trabis magnitudinem aequans: et adhibetur a poetis per hyperbolen. *Virg. A.* 12, 294. et *Val. Fl.* 8, 301. Telo trabali graviter ferire. *Stat. Th.* 4, 6. dextraque trabalem Hastam intorsit. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 172. Pluto trabali sceptro saxa ferit. *Id. cons. Mall. Theod.* 318. Trabalis vectis.

[TRĂBĂRĬUS, a, um, adj. qui ex trabe est. *Isid. Or.* 19, 1. *f.* Trabariae amnicae, naves, quae ex singulis trabibus cavantur, quae alio nomine litorariae dicuntur. Hae et caudicae ex uno ligno cavato factae, et inde caudicae, quia a quatuor usque ad decem homines capiant. V. CAUDEX. *F.*]

TRĂBĒA, ae, f. ἁλουργίς, περιπόρφυρος, toga Romanorum, ornatu et colore a vulgari toga differens; erat enim candida purpureis pannis virgata: inde illi nomen. *Suet. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 7, 612. tria ejus genera fuisse docet: unum quod Diis sacratum, et fuit totum purpureum: alterum item purpureum, sed habebat aliquid albi: tertium augurum proprium, purpura et cocco mixtum. *Plin.* 8, 48, 74. Trabeis usos accipio reges. *Id.* 9, 39, 63. Purpurae usum Romae semper fuisse video, sed Romulo in trabea. *Virg. A.* 7, 187. Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea Picus. *Id. ib.* 11, 334. Et sellam, regni, trabeamque, insignia nostri. Latini regis verba sunt. *Ov. Fast.* 2, 504. trabeaque decorus Romulus. ℙ Regium trabeae genus, quod in albo purpureas fascias habebat intextas instar trabium (unde et nomen), induebatur etiam a consulibus, quibusdam solemnioribus diebus: quia sicut jura regum, ita et insignia iis data sunt. *Virg. A.* 7, 612. Ipse

Quirinali trabea, cinctuque Gabino Insignis reserat stridentia limina consul. *Claud. in Ruf.* 1, 249. Post trabeas exsul, *h. e.* post consulatum. Sic 2. *in Eutr. prol.* 10. Annus, qui trabeas, hic dedit exsilium. *Id. Laud. Stil.* 2, 3. Trabeas induere, *h. e.* consulatum inire. ℙ Item ab equitibus in transvectione, ut *Val. Max.* 2, 2. *f.* docet: et alias quoque, cum solemnitas posceret: ut factum in pompa funebri Germanici Caesaris, narrante *Tac. A.* 3, 2. Hinc *trabea* equestrem ordinem significat, ut fasces consulatum. *Stat. Silv.* 5, 2, 17. non sanguine cretus Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo. Adde *Mart.* 5, 41. ℙ Falsi sunt, qui putarunt, *trabeam* militarem vestem fuisse. Aperte *Claud.* a militari ornatu distinguit, *Cons. Prob. et Olybr.* 178. et *III. cons. Hon.* 5. et *IV. ib.* 12. et *Cons. Mall. Theod.* 14. etc. Frustra etiam alii locum *Livii* afferunt ex 32, 6., ubi non *consul trabeatus*, sed *trajectus* omnino legendum est. ℙ Fuit hoc cognomine poeta comicus, cujus meminit *Cic. Fam.* 9, 21., *Fin.* 2, 4. et *Tusc.* 4, 31., item *Charis.* 2. *extr.* Octavum ei locum inter Latinos comicos tribuit *Vulc. Sedig.* ap. *Gell.* 15, 24. [Ejus praenomen fuit Q., nomen gentilicium ignoratur. *F.*]

TRĂBĔ̆ĀLIS, e, adj. ad trabeam pertinens. *Sidon. carm.* 2, 2. Effulgens trabealis mole metalli Annum pande novum consul vetus. *Trabeale metallum* vocat aurum, quod posterioribus imperatorum temporibus assui trabeis mos fuit. Hinc *Claud. Laud. Stil.* 2, 340. graves auro trabeae.

TRĂBĔ̆ĀTUS, a, um, adj. trabea indutus. *Ov. Fast.* 1, 37. et *Met.* 14, 823. Trabeatus Quirinus. *Tac. A.* 3, 2., *Suet. Dom.* 14. et *Val. Max.* 2, 2. *f.* Trabeati equites. *Stat. Silv.* 4, 2, 32. Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Caesar Agmina mille simul jussit discumbere mensis, *h. e.* equestrem ordinem. V. TRABEA. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 338. Trabeata domus, *h. e.* in qua est consulatus. *Id. IV. cons. Hon.* 417. Et sulcata diu trabeato rura colono, *h. e.* consule, vel consulari. *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod.* 10, 10, 33. Trabeata quies, *h. e.* consulum. [*Cf. *Lips.* ad *Tac. A.* 3, 2., *Ruben. de lato clavo* 1, 5. *Ferrat. de re vest.* p. 1. l. 2, 6.] ℙ *Trabeatas* inscripsit C. Melissus grammaticus novum fabularum togatarum genus, quas ipse docuit, uti narrat *Suet. Gr.* 21. *extr.*, fortasse quia equestris ordinis personas induxit.

TRĂBĔ̆CŪLĂ et Trabicula, ae, f. *δοχίδιον*, parva trabs. *Cato R. R.* 18. Trabeculam pedum XXIII. semis imponito sesquipedalem. *Vitr.* 10, 21. *med.* Habuerat mediam contabulationem supra trabeculas. *Vet. Inscr.* optimae notae, exarata ann. U. C. DCXLIX., ap. *Grut.* 207. *col.* 1. insuper mutulos trabiculas abiegineas duas crassas imponito.

TRĂBĬCĂ navis, quod sit trabibus confixa. Pacuvius: Labitur trabica in alveos. Haec *Paul.* ex *Festo.*

*TRABILACŪLA, ae, f. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 77. Superjectu trabilacusarum. Nili mendum est pro *trabicularum. B. A.*

TRABS, ābis, f. *δοκὸς*, [videtur esse a *τράπης* et *τράφης F.*] proprie significat duo ligna compacta, ut ex *Festo* docet *Paulus:* quia lignum simplex *tignum* dicitur: *trabes compactiles* opinor vocari a *Vitr.* 4, 7., qui 5, 1. *f.* memorat *trabes ex duobus*, item *ex tribus tignis bipedalibus compactas.* Hinc non semel *Lucr.* junxit *tigna trabesque*, ut 2, 192. et 196. et 6, 240. Hoc sensu *Plin.* 3, 5, 9. *in.* Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem (*navigabilis*) praeterquam trabibus verius, quam ratibus, *h. e.* pluribus tignis compactis, et in modum ratis compositis. ℙ Saepius tamen de simplici tigno usurpatur, sive ex arbore sit, sive ex alia materia. *Id.* 16, 40, 76. *n.* 2. Trabs e larice, longa pedes CCXX., bipedali crassitudine aequalis. *Caes. B. G.* 3, 13. Naves totae factae ex robore: transtra ex pedalibus in latitudinem trabibus. *Gell.* 1, 13. *f.* Firma et procera trabe cum opus esset, qui arietem faceret. *Plin.* 16, 38, 73. Aure ad caput trabis quamlibet praelongae admota, ictus ab altero capite vel graphii sentitur. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 242. trabibus solidatur ahenis Culmen. *Id. Nupt. Hon. et Mar.* 88. trabibusque smaragdis Supposuit caesas hyacinthi rupe columnas, *h. e.* trabibus, quae sunt smaragdi. (Simile est illud *Pers.* 1, 69. heroas sensus; et *Stat. Th.* 11, 22. hostes turmae.) [*Cf. *Gron. observv.* 3, 21. p. 304. sq.] *Plin.* 33, 3, 15. Trabes argenteae. *Id.* 6, 11, 12. Fores obditae ferratis trabibus. *Id.* 36, 8, 19. *n.* 1. Trabes ex lapide Syenite fecere reges, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. *Ov. Met.* 3, 77. de angue: Ipse modo immensum spiris facientibus orbem Cingitur, interdum longa trabe rectior exit. ℙ Synecdoche est in his. *Hor. Od.* 1, 1, 13. ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare, *h. e.* navi. Sic *Virg. A.* 4, 566. Jam mare turbari trabibus. *Ov. Pont.* 1, 3, 76. Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas, *h. e.* navis Argo: de qua et *Sen. Ag.* 120. Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe. *Hor. Od.* 3, 2, 26. vetabo, sub isdem sit trabibus, *h. e.* sub eodem tecto, et domo. *Val. Fl.* 6, 383. ut machina muri, Quae scopulis, trabibusque diu, confectaque flammis, Procubuit tandem, *h. e.* arietibus, balistis, et hujusmodi. *Mart.* 14, 91. Libycae trabes, *h. e.* mensae citreae, quas 2, 43. Libycos orbes dixit. ℙ Synecdoche, et hyperbole simul in his. *Stat. Th.* 5, 566. Et trabe fraxinea Capaneus subit obvius, *h. e.* ingenti hasta. Sic *ib.* 9, 124. Lernaeam jacit ipse trabem. *Sen. Herc. Fur.* 103. et *Med.* 962. Vastam rogo flagrante corripiat trabem, *h. e.* ingentem facem. *Stat. Th.* 1, 621. trabibus duris proterere exanimes artus, *h. e.* validis et magnis fustibus. ℙ Saepe iidem poetae *trabem* dicunt de arbore excelsa. *Virg. A.* 6, 181. Fraxineae trabes, *h. e.* fraxini; et *ib.* 9, 87. lucus Nigranti picea, trabibusque obscurus acernis. *Ov. Met.* 14, 360. Densum trabibus nemus; et *ib.* 8, 329. Silva frequens trabibus; et *ib.* 10, 372. securi Saucia trabs ingens, etc. Quo cadat, in dubio est. Adde *Prop.* 3, 21, 38., *Val. Fl.* 5, 640., *Varr.* ap. *Non.* 2, 845., *Stat. Ach.* 2, 430. et *Sen. Oed.* 537. [*Cf. *Gron. observ.* 1, 18. p. 79. *ed. Frotsch.*] ℙ Pro *trabs* dixere *trabes* in recto, ut *plebes*, *pedes*, pro *plebs*, *pes.* *Enn.* ap. *Cic. N. D.* 3, 30. et *Fat.* 15. Utinam ne in nemore Pelio Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes; et ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Trabes remis rostrata per altum. [*V. *Heindf.* ad *Cic.* l. modo l.] ℙ Item *trabis*, ut *canes* et *canis.* Ita enim in quodam MS. legitur ap. *Jul. Obsequ.* 122. Trabis ardens ab occasu ad coelum extenta. Porro significatur hic meteori genus, Graece *δόχος*, nempe longa fax trabis specie in coelo apparens, de qua *Sen. Q. N.* 7, 4., item *ib.* 1, 1. et 15. et *Plin.* 2, 26, 26. [*Lucan. 7, 156. ubi v. *Cort.*] ℙ [Est etiam *τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικὸν. Catull.* 29, 10. O Memmi, bene me ac diu supinum Tota ista trabe lentus irrumasti. *F.*]

[TRACHALA, ae, m. *τραχαλᾶς*, ita per contumeliam cognominatus est Constantinus M. Aug., quia obesa fuit cervice: a *τράχαλος* Dorice pro *τράχηλος*, cervix, collum. *Aurel. Vict. Epit.* 41. Constantinus proverbio vulgari Trachala, decem annis praestantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pupillus ob profusiones immodicas nominatus. V. TRACHALUS, i. *F.*]

*TRACHALLUS, i, m. *Τράχαλλος*, orator Domitiani temporibus sublimis et satis apertus fuit, et quem velle optima crederes: auditus tamen major. *Quint.* 6, 3. 10, 1. et 12, 5. *B. A.*

TRACHĂLUS, i, m. *τράχαλος* Dorice pro *τράχηλος*, cervix. Ita etiam vocatur pars superior, quemadmodum media *μήκων*, ima *πυθμήν. Festus:* Trachali appellantur muricum et purpurae superiores partes. Unde Arimineuses, maritimi homines, cognomen traxere Trachali. V. TRACHALA. ℙ [Est etiam cogn. Galerii Cos. ann. a Chr. n. LXVIII. in *Inscr.* ap. *Grut.* 300, 1. *F.*]

[TRĂCHAS, ae, f. *Τράχης*, eadem ac Anxur, et Tarracina: ita appellata a *τραχὺς*, asper, quia, ut ait *Hor. Sat.* 1, 5, 26. Impositum saxis late candentibus Anxur. Hinc *Ov. Met.* 15, 717. Trachasque obsessa palude. *F.*]

TRĂCHĒLUS, i, m. *τράχηλος*, Graece collum significat. Itaque hoc nomine *Vitr.* 10, 15. *med.* partem quandam catapultae appellat; a colli similitudine. [Alii pro *tracheli* leg. *carchebi*, alii melius *carchesia.* V. *Bald. in Lex. Vitr. F.*]

TRĂCHĬĀ, ae, f. *τραχεῖα*, adjectivum Graecum, a *τραχὺς*, asper, appositum arteriae, per quam spiritus ore in pulmonem trahitur. Semel Latinis litteris scribitur ap. *Macr. Sat.* 7, 15.

*TRACHIOTIS vel Tracheotis, idis, f. *Τραχειῶτις*, cognominata est Selecucia Ciliciae urbs. *Plin.* 5, 25. ℙ *Τραχεῖα* est *Ptolemaeo. B. A.*

[TRĂCHOMĂTĬCUS, a, um, adj. *τραχωματικὸς*, ad asperitatem tollendam idoneus. *Marc. Empir.* 8. §. 7. *med.* Descriptio trachomatici collyrii, etc. Ejus etiam meminit *Alex. Trallian. de medic. l.* 2. *c.* 6. *Κολλούριον τραχωματικὸν πρὸς τραχέα βλέφαρα*, *h. e.* collyrium trachomaticum ad asperas palpebras. *F.*]

*TRACHONĪTIS, idis vel idos, f. *Τραχωνῖτις* (sc. *γῆ*, terra, regio), regio Syriae Palaestinae, ut scribit *Plin.* 5, 18. V. et *Joseph. Antiq.* 18, 6. et *Jud.* 2, 9. et *Luc.* 3. *in.* ℙ *Τράχων* etiam audiebat, teste *Josepho. B. A.*

TRĂCHYN et Trachin, īnis, f. *Τραχὶν* et *Τραχῖν*, oppidum Thessaliae in Phthiotide, sub Oeta monte, conditum ab Hercule. Ejus nomen est Heraclea, cognomen Trachyn: a *τραχὺς*, asper, salebrosus: quia ejusmodi loco situm est, quare per *γ* rectius scribitur. *Plin.* 4, 7, 14. *Sen. Troad.* 818. lapidosa Trachyn. *Id. Herc. Oet.* 135. Ad Trachyna vocor, saxa rigentia, Et dumeta jugis horrida torridis; et *ib.* 195. aspera Trachyn; et *ib.* 1432. rigenti cernitur Trachyn jugo. *Ov. Met.* 11, 627. Herculea Trachyne jube, sub imagine regis, Halcyonen adeant.

TRĂCHYNĬUS et Trachinius, a, um, adj. *Τραχίνιος*, ad Trachinis oppidum pertinens. *Ov. Met.* 11, 269. Trachynia tellus; et *ib.* 502. puppis, *h. e.* qua Ceyx vehebatur, cum naufragio periit; et *ib.* 282. et 351. Trachynius heros, *h. e.* Ceyx filius Luciferi, qui ibi regnavit. *Stat. Silv.* 3, 5, 57. Trachinia Halcyone, *h. e.* quae Ceycis uxor fuit. *Lucan.* 3, 177. tum Maenala liquit Arcas, et Herculeam miles Trachinius Oeten. ℙ *Trachiniae*, tragoedia Sophoclis, ex qua aliquot versus Latine redditos a *Cicerone*, habes *Tusc.* 2, 8.

[TRĂCHYS, ya, y, adj. *τραχὺς. εῖα, ὺ*, asper, a, um. *Plin.* 12, 25, 51. Balsamo tria genera. Tenui et capillacea coma, quod vocant eutheriston: alterum scabro aspectu incurvum, fruticosum, odoratius; hoc trachy appellant: tertium, etc. *F.*]

TRACTĀ, ae, f. et Tracta, orum, n. plur. *κάταγμα*, manipulus lanae, postquam tractus, *h. e.* pectine carminatus est, qui colo involvitur, deinde netur. *Tibull.* 1, 7, 86. Firmaque conductis annectit licia telis, Tractaque de niveo vellere ducta putat. *Varr.* ap. *Non.* 3, 247. Denique suis manibus lanea tracta ministrasset infectori. ℙ In panificio tracta sunt partes farinae manibus bene agitatae, subactae, et in longum seu in orbem tractae in modum membranarum, quas *sfoglie* Itali vocant; nam *trahere panem* ap. *Plin.* 18, 11, 27. est subigere (et *Gloss. Philox.* Tracta, *λάγανα*). *Id. ib.* Eum (*panem*) novem diebus macerant, decimo ad speciem tractae subigunt uvae passae succo. *Cato R. R.* 76. Alicam in aquam infundito: ubi bene mollis erit, in mortarium purum indito, siccatoque bene: deinde manibus depsito: ubi bene subactum erit, farinae libras quatuor paulatim addito, id utrumque tracta facito: et *mox:* Placentam fingito: tracta singula in totum solum primum ponito, deinde de mortario (*in quo farcimen est*) tracta linito, tracta addito singulatim, etc. ℙ Ap. *Apicium* 2, 1., 4, 3., 5, 1. et 8, 7. est quoddam placentae genus in modum membranae factae, deinde concisae: unde pullus tractogalatus dicitur, qui tracta atque lacte conditur. Sic 5, 1. Pultes tractogalatae. Sic 8, 7. Porcellus tractomelitus, *h. e.* tracta et melle conditus. ℙ [Etiam in mulomedicina *tracta* dicitur emplastrum ex variis medicamentis compositum, et in tela linea distentum. *Pelag. Vet.* 4. *in.* Armum sale et oleo confricato ipso die, et postero die tracta uteris, cujus haec erit compositio, etc.: et *mox:* Per dies multos armum aqua calida foveto, ut madefiat; cotidie tractam imponito. Eadem fere ex *eod.* mutuatus est *Veg. Vet.* 2, 45., *ubi recte Gesnerus* pro *stracta*, ut mendose legebatur, ex *Hippiatr. Graec.* p. 89., ubi *τράκτωμα*, *tracta* legendum putaverat. *F.*]

TRACTĂBĬLIS, e, adj. *ἁπτὸς*, *εὐμεταχείριστος*, qui sub tactum cadit, qui tractari facile potest. *Cic. Univ.* 4. *med.* Corporeum autem, et adspectabile, itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. *Plin.* 30, 13, 39. Ulcera tractabiliora fieri, ac sanari celerius. *Vitr.* 2, 9. *f.* Materies laricis prolixa, tractabilis ad intestinum opus, non minus quam sapinea. Sic *Plin.* 36, 22, 48. Tophi tractabiles in opere. *Id.* 18, 28, 67. *n.* 5. Falcium genus brevius, ac vel inter vepres tractabile. *Id.* 21, 17, 68. Scilla folium habet latum et tractabile; et *Stat. Silv.* 5, 1, 83. ille subactis Molem immensam humeris, et vix tractabile pondus Imposuit, *h. e.* portabile. *Ov. Her.* 19, 71. Est mare (confiteor) nondum tractabile nanti, *h. e.* tentandum, adeundum. *Virg. A.* 4, 53. non tractabile coelum, *h. e.* non pacatum, non quietum, non placidum. *Quint.* 11, 3. *med.* Vox tractabilis, *h. e.* facilis, flexibilis. ℙ Transfertur ad animum [*et significat eum, cum quo agi potest, qui agi secum patitur, nostr. *der sich behandeln lässt.* Gall. *traitable.*] *Virg. A.* 4, 438. sed nullis ille movetur Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit, *h. e.* mitis, placidus, flexibilis, exorabilis; et *Cic. Am.* 13. *f.* Neque audiendi, qui virtutem duram, et quasi ferream esse volunt: quae est cum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis. *Id. Att.* 10, 11. *med.* Ego meum (*filium*) facile teneo, nihil est enim eo tractabilius; et *Suet. Aug.* 65. *f.* Agrippam nihilo tractabiliorem; immo in dies amentiorem, in insulam transportavit. *Ov. R. Am.* 123. Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte. *Plin. ep.* 9, 24. Te tam tractabilem video, ut in ira regi possis. *Curt.* 3, 2. *f.* Erat Dario mite ac tractabile ingenium.

TRACTĂBĬLĬTAS, atis, f. qualitas, qua aliquid tractari potest. *Vitr.* 2, 9. Populus, salix, tilia in sculpturis commodam praestant tractabilitatem.

TRACTĂBĬLĬTER, adv. faciliter. *Gell.* 6, 2. *med.* Omnem illam vim, quae de fato extrinsecus ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt.

*TRACTARI, orum, populi Scythiae Europaeae, circa Tauricam Chersonesum. *Plin.* 6, 12. *Stactari* praefert *Vossius. B. A.*

TRACTĀTĬO, onis, f. *μεταχείρισις*, actus tractandi, et versandi inter manus. *Cic. Off.* 2, 5. Quae in rebus inanimis, quaeque in usu, et tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam. *Id. Or.* 3, 52. Qui in armorum tractatione versantur. *Id. Div.* 2, 3. *med.* Nec vero qui fidibus aut tibiis uti volunt, ab haruspicibus accipiunt earum tractatinem, sed a musicis. *Id. Or.* 18. Vocis bonitas non est in nobis: sed tractatio atque usus in nobis. *Gell.*

5, 21. Assidua veterum scriptorum tractatio. *Sen. Tranq.* 3. Actione rerum, et reipublicae tractatione, et officiis civilibus se detinere. ℙ Transfertur ad ea, quae studio, aut oratione, aut scriptione tractantur. *Cic. Or.* 59. *f.* Est in utroque (*in poesi, et in oratione soluta*) et materia et tractatio, materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. *Id. Brut.* 4. Quae cum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio litterarum salutaris fuit. *Id. Acad.* 4, 2. *med.* Philosophiae tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est. *Id. Or.* 23. *f.* Quae observata sunt in usu et tractatione dicendi. *Id. ib.* 2, 41. *med.* Nequaquam satis est reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. [*Gr. ἐργασία dicitur. Ceterum egregie hujus vocabuli in rebus oratoriis usum explanavit *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 397. sq. Cf. etiam TRACTO.] ℙ Huc pertinet illud *Sen. Contr.* 1, 1. *med.* Adjecit quaestionem Gallio alteram, An abdicari possit jam adoptatus. Hoc autem ex aequitatis parte pendet: et tractatio magis est, quam quaestio; et *Contr.* 3. *med.* Latro hac usus est divisione: An licuerit filio, An vindicare oportuerit. An oportuerit, tractationis quidem est, quam ut quisque vult, variat. *Tractatio* est extensio et amplificatio quaestionis principalis, de qua in Controversia agitur, et veluti appendix ejus: atque adeo non novam quaestionem constituens, sed cum illa simul tractanda. ℙ Est etiam ratio et modus agendi cum aliquo. Unde *mala tractatio*, cum quis alterum injuria afficit, ut filium pater injuste abdicans, aut maritus uxorem aliquo modo vexans. Hinc illa in lemmatis Controversiarum, et Declamationum *Senecae* et *Quintiliani*, *v. gr.* ap. *Sen. Excerpt. controv.* 3, 7. Filio furenti, et sua membra lanianti pater venenum dedit. Accusatur ab uxore malae tractationis. V. *Quint. decl.* 8, 10. et 18. Similiter *malam tractationem* dicit *Arnob.* 4, 142. qua Gentes obscenis fabulis Deos suos libidinosos et adulteros faciunt. *Quint.* 7, 4. Accusare aliquem malae tractationis; et *ib.* 3. Actiones dementiae, malae tractationis, reipubl. laesae. *Id. decl.* 383. Malae tractationis damnatus. *Tert. Poen. f.* appellat *malam tractationem*, qua Nabuchodonosor poenitens superbiae suae, in se ipsum saeviit, ferinam vitam in silvis tolerando.

TRACTĀTOR, oris, m. qui manu tangit, et tractat. *Tractatores* erant, qui delicatis dominis membra singula vel in balneo, vel in lectulo artifici manu leniter tractabant, et fricabant, tum valetudinis, tum voluptatis causa. *Sen. ep.* 66. *extr.* An potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum tractatori praestitisset? ℙ Hinc *tractatrix* ap. *Mart.* 3, 82. Percurrit agili corpus arte tractatrix, Manumque doctam spargit omnibus membris. ℙ Est etiam *tractator*, qui de aliqua re tractat commentando, disserendo, aut concionem habendo. *Gloss. Phil.* Tractator, ὁμιλητικός. *Spart. Get.* 4. Fuit a natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum et vini varie conditi, *h. e.* cavillator. V. RETRACTATOR. *Sidon. ep.* 4, 11. *in carm.* Orator, dialecticus, poeta, Tractator, geometra, musicusque, *h. e.* qui S. Scripturas interpretatur, Sic *ep.* 2, 9. *med.* Origenes scaevus cavendusque tractator. *Sulpic. Sev. dial.* 1, 6. Origenes tractator sacrarum Scripturarum peritissimus. Adde *Hieron. in Helv. n.* 6., et *adv. Joann. Hieros. n.* 10. et *August. ad Hieron. post hujus epist.* 97, 116. *n.* 34. [*Cf. *Cresoll. Theatr. Rhet.* 3, 2. p. 160.]

TRACTĀTŌRĬUM, ii, n. locus, in quo causae, et aliae res aguntur. *Sidon. ep.* 1, 7. It in tractatorium frequens senatus.

TRACTATRIX, icis, f. V. TRACTATOR.

TRACTĀTUS, a, um, part, a *tracto*: ἑλκτὸς, ῥυτὸς, vi tractus, raptatus. *Ov. Met.* 13, 410. tractata comis antistita Phoebi. Alii aliter leg. [*Recte se habet vulg. tractata. Cf. *Jahn.* ad h. l.] *Enn.* ap. *Grammat. ignot.*, ut referunt *Columna* et *P. Merula:* tractatu' per aequora campi. ℙ Item contrectatus. *Pl. Mil.* 2, 6, 8. Meamne hic in via hospitam tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam? *Hor. Ep.* 2, 1, 235. tractata notam labemque remittunt Atramenta. *Ov. Met.* 10, 285. cera tractata pollice multas Vertitur in facies. *Plin.* 21, 7, 19. Tractata iris pustulas ambusti modo facit. ℙ Translate mente et studio agitatus. *Cic. Or.* 3, 14. *f.* Quae omnia oratori quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. *Id. Or.* 33. *f.* Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. *Hor. A. P.* 150. et quae Desperat tractata nitescere posse, relinquat. [*V. in TRACTATIO.] ℙ Item acceptus, exceptus. *Cic. Coel.* 2. Pater parum pie tractatus a filio. *Id. Manil.* 5. Mercatores ac naviculatores injuriosius tractati. ℙ Item actus, transactus. *Auct. ad Her.* 1, 24. Vita alicubi honeste tractata. *Tac. A.* 1, 9. *extr.* Pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. ℙ Item agitatus. *Id. ib.* 4, 43. Tunc tractatae Massiliensium preces, *h. e.* in senatu de his actum. Sic *ib.* 16. Tractatae religiones. *Liv.* 44, 13. *med.* Tractatae inter Eumenem et Persea conditiones amicitiae.

TRACTĀTUS, us, m. ψηλάφησις, διαχείρισις, tractatio, contrectatio. Fere adhibetur in sexto casu. *Plin.* 15, 22, 24. Nucum tractatu infectae manus. *Id* 17, 7, 4. Tofacea terra tractatu aspera; et *ib.* 10, 12. Plantae tractatu mansuescunt, ut ferae. ℙ Translate est studium, commentatio, dissertatio. *Quint. prooem.* 8. Ingenia asperiorum tractatu rerum atteruntur. *Cic. Or.* 3, 23. Artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt: aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. *Quint.* 3, 7. *med.* Ante hominem patria, ac parentes, majoresque erunt: quorum duplex tractatus est. Aut enim, etc. *Id.* 7, 3. Nec uno modo definitur res eadem, sed latiore varioque tractatu; et *ib.* 6. *extr.* Tractatus omnes sunt qualitatis, aut conjecturae. *Gell.* 14, 2. *med.* De his judicialis officii tractatibus posthac dicere conabimur. *Plin.* 14, 4, 5. Separatim toto tractatu sententia ejus indicanda est. ℙ Item productio, prolatio. *Coripp. Johann.* 3, 7, Tractatu vario noctem sermone trahentes. Id sumptum videtur ex *Virg. A.* 1, 752. vario noctem sermone trahebat. ℙ Ap. Eccles. scriptores *tractatus* aliquando est concio de rebus sacris, et praesertim de sensu S. Scripturae. *August. ep. ad Quodvultd. praefixa libro de haeresib.* 4. Tractatus populares, quos Graece homilias vocant. V. TRACTATOR.

TRACTĪCĬUS, a, um, adj. qui trahitur. *Aurel. Vict. Epit.* 23. *f.* scribit, Elagabalum, quia post mortem tractus per vias, et in Tiberim projectus fuit, *tracticium*, et *Tiberinum* per contemptum fuisse appellatum. Adde et *Lampr. Elag.* 17.

*TRACTĪLIS, e, adj. ἕλκυστος *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TRACTIM, adv. ἑλκηδὸν, σύρδην, trahendo, longo tractu, producte, diu, protelo, et sine intermissione, jugiter. *Virg. G.* 4, 260. de apib.: Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant. *Lucr.* 3, 529. In pedibus primum digitos livescere et ungues: Inde pedes et crura mori: post inde per artus Ire alios tractim gelidi vestigia leti. *Gell.* 7, 20. ad illud *Virg. G.* 2, 224. et vicina Vesevo Ora jugo. Vocalis, inquit, in priore versu extrema, eademque in sequenti prima, canoro simul, atque jucundo hiatu tractim sonat. *Id.* 4, 6. et 7, 10. Succidaneae hostiae nominatae, littera *i* tractim pronuntiata, *h. e.* producte. *Sen. ep.* 40. *med.* postquam reprehendit eos, qui nimis festinanter dicunt; Recte, inquit, facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quemadmodum, quaerunt: et ipse malueris aliquando vel juxta Vinicium dicere, qui cum quaereretur, quomodo diceret, Asellius ait, tractim, *h. e.* lente. ℙ In illo *Pl. Amph.* 1, 1, 157. Quid, si ego illum tractim tangam, ut dormiat? ludit *Pl.* in verbo: nam *tractim tangere* est sensim, et leniter tangere, manum trahendo, non infligendo: quod faciunt nutrices, blande, et tracta manu palpantes infantulos, ut somnum capiant. Unde *Sisenn.* ap. *Charis.* 2, 196. recte exponit, lente. Sed ap. *Pl. l. c.* Mercurius ironice significat, velle se Sosiam adeo valide pugno percutere, ut ad terram trahat, et sopiat. Supra dixerat *v.* 146. Agite pugni: jampridem videtur factum, heri quod homines quatuor in soporem collocastis nudos.

*TRACTĬO, onis, f. ἕλκυσις, σύροις *Gloss. Cyrill. B. A.*

[TRACTĬTĀTUS, a, um, part. ab inus. *tractito*, ut *dictito*, *factito*, tractatus saepe, actus, expositus. *Pl. Truc. prol.* 10. Athenas tractitatum hoc it proscenium. Ita ex MS. edidit *Bothius*, cum alii legerent: *Athenae istae sunto, ita ut hoc*, etc. *F.*]

TRACTO, as, avi, atum, a. 3. ἕλκω, σύρω, frequent. a *traho*, rapio, vi duco. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. O lex Trojae, germane Hector! quid ita cum tuo lacerato corpore miser? Aut qui te sic respectantibus tractavere nobis? *Lucr.* 3, 902. malis morsuque ferarum tractari, *h. e.* distrahi et dilaniari. ℙ Translate. [*Cic. Arch.* 2. *med.* In ejusmodi persona, quae propter otium ac studium, minime in judiciis periculisque tractata est, i. e. saepe multumque versata. Transscripsimus hunc locum a v. *tractatus*, ubi perperam a *Nostro* adscriptus erat. Ceterum sunt, qui male v. *tractandi* intelligunt, ut in dicendi ratione *tractare personam.* Ita *Passerat*, et qui hunc seq. *Burm.* ad *Ov. Rem. Am.* 5, 381.] ℙ Item frequenter tangere, manu versare, attrectare, contrectare, ψηλαφάω, χειρίζω. *Cic. Tusc.* 5, 38. Ea, quae gustamus, olfacimus, tractamus, audimus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versantur. *Pl. Mil.* 2, 6, 30. Tractavisti hospitam ante aedes meas. *Lucr.* 4, 624. suaviter omnia tractant Humida linguai circum sudantia templa: At contra pungunt sensum, etc. *Virg. A.* 3, 501. aret Pellis, et ad tactum tractantis dura resistit. *Colum.* 6, 2. Vitulos oportet, cum adhuc teneri sunt, consuescere manu tractari. *Hor. Sat.* 2, 4, 79. puer unctis Tractavit manibus calicem, dum furta ligurit. *Ov. Am.* 1, 8, 60. Tractat inauratae consona fila lyrae, *h. e.* pulsat, sonat; et *Liv.* 7, 32. Tractare tela, i. e. uti telis; et *Sil.* 15, 466. proelia, i. e. committere. ℙ *Tractare igni*, domare, coquere. *Lucr.* 5, 951. Nec dum res igni scibant tractare, neque uti Pellibus, et corpus spoliis vestire ferarum, ℙ *Tractare terram*, versare, colere. *Lucr.* 5, 1288. Aere solum terrae tractabant, aereque belli Miscebant fluctus. *Colum.* 2, 4. Quando arabitur, observabimus, ne lutosus ager tractetur. ℙ *Tractare gubernaculum*, navem regere. *Cic. Sext.* 9. ℙ *Tractare artem*, exercere. *Ter. Phorm. prol.* 17. In medio omnibus palmam esse positam, qui artem tractant musicam. *Cic. Acad.* 4, 7. *extr.* Quid est, quod arte effici potest, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit? ℙ *Tractare lanam*, carminare, pectere, nere. *Just.* 1, 3. ℙ [*Suet. Ner.* 34. tractans lanuginem ejus, i. e. mulcens.] ℙ *Tractare pecuniam, rem alicujus*, administrare, procurare. *Cic. Div. Verr.* 10. Eras enim tu quaestor: pecuniam publicam tu tractabas. *Id. Fam.* 13, 77. *f.* Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit. *Plin. ep.* 10, 28. *extr.* Tractare rationes Prusiensium. ℙ Translate *tractare aliquem* est agere cum aliquo, accipere, suscipere, ὑποδέχεσθαι, [*μεταχειρίζεσθαι, nostr. *behandeln.*] *Cic. Fam.* 1, 3. *extr.* Omnibus rebus eum ita tractes, ut intelligat, meam commendationem non vulgarem fuisse. *Id. Phil.* 2, 10. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. *Id. Fam.* 13, 27. Nec liberalius, nec honorificentius potuisse tractari nec se praesentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Me summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavit; et *ib.* 2, 6. *med.* Nimis aspere tractare aliquem. *Sall. Cat.* 39. Placidius tractare plebem. [*Sensum hujus loci viris doctis parum recte intellectum bene exposuit *Kritz.*] *Hor. Ep.* 1, 17, 11. Benignius se ipsum tractare. *Liv.* 3, 14. *extr.* Paulatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem: ducta metaphora ab iis, qui blandiendi causa, tractim ac leniter ducendo manum, tangunt et fricant. ℙ *Tractare se*, se gerere. *Cic. Fam.* 13, 12. Quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse; et *Cat.* 3, 12. Ita me in republica tractabo, ut meminerim, etc. ℙ *Tractare causam, negotium*, gerere, administrare, curare. *Id. Or.* 1, 37. Causas amicorum tractare atque agere. *Id. Fam.* 3, 12. med. Nunquam mihi videor tractasse causam difficiliorem. *Pl. Trin.* 2, 2, 46. Minus caute et cogitate rem suam tractavit. *Liv.* 23, 28. et *Tac. A.* 1, 59. Tractare bellum. *Sall. Cat.* 51. rempublicam. [*Exempla Taciti, qui omnium maxime hoc verbum frequentat, habes in *Böttich. Lex. Tac.* p. 462. Cf. etiam *Drak.* ad *Liv.* 7, 32, 11. Eadem ratione dictum est, ita ut circumscribendi genus quoddam dici possit, illud, quod *Forc.* ab initio laudaverat, *trahendi* sensum vindicans, *Lucr.* 5, 930. Volgivago vitam tractabant more ferarum: ubi *vitam tractare* nihil aliud esse, quam vitam agere, vivere, satis superque docent alia ejusdem generis exempla in TRACTATUS, a, um, laudata.] ℙ *Tractare personam aliquam*, agere. *Cic. Rosc. Com.* 7. Cujus personam praeclare Roscius in scena tractare consuevit. *Hor. Ep.* 1, 18, 14. partes mimum tractare secundas. ℙ *Tractare animos*, versare, commovere. *Cic. Or.* 28. Hujus eloquentiae est tractare animos: hujus omni modo permovere. ℙ Saepissime refertur ad animum, et significat mente agitare, commentari, disserere, dicendo aut scribendo explicare. *Hor. Ep.* 2, 1, 116. tractant fabrilia fabri. *Juven.* 11, 27. e coelo descendit γνῶθι σεαυτὸν, Figendum, et memori tractandum pectore. *Quint. decl.* 5, 15. Aliena cogitationibus, nostra dolore tractantur. *Tac. A.* 2, 5. Ille celebrandae victoriae intentus tractare proeliorum vias, et quae sibi saeva, vel prospera evenissent. *Nep. Eum.* 5. *extr.* Simulata deditione, tractare de conditionibus. *Gell.* 1, 23. Placuit, hanc rem, super qua tractavissent, ne quis enuntiaret. *Liv.* 33, 31. *med.* Ibi consilia decem legatorum tractabantur. *Cic. Or.* 3, 8. Res tragicas paene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractare. *Id. Acad.* 1, 8. Philosophiae pars, quae erat in disserendo, sic tractabatur ab utrisque. *Quint.* 1, 2. Hoc loco tractanda quaestio est, utiliusne sit, etc. *Id. prooem.* 1. *med.* Tractare prima rhetoricae elementa. *Plin.* 2, 46, 45. Scrupulosius tractabo ventos, *h. e.* de ventis disseram. *Suet. Aug.* 35. *f.* De negotiis ad senatum referendis tractare. *Tac. A.* 1, 13. Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum abnuerent, aut vellent. *Sen. Troad.* 1066. gaudet magnus aerumnas dolor Tractare totas, *h. e.* recensere, commemorare. [*Variam hujus verbi in rebus oratoriis rationem descripsit *Ern.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 397. sqq. Cf. etiam TRACTATIO.] ℙ *Tractare verba*, adhibere, in illo *Quint.* 11, 1. Neque vetera aut translata, aut ficta verba in incipiendo, narrando, argumentando tractabimus. [*Cf. longam eamque doctissimam *Spalding.* annotationem ad h. l.] ℙ Ap. Eccles. scriptores est interdum interpretari Sacras Litteras. *Prud. περὶ στεφ.* 13, 101. Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat. V. TRACTATOR et TRACTATUS, us.

TRACTŌGĀLĀTUS, et
TRACTŌMĒLĪTUS. V. in TRACTA.

TRACTŌRĬUS, a, um, adj. ἑλκτικὸς, ad trahendum pertinens, ut *tractoriae machinae*, ἑλκτικὰ ὄργα-

ra, quibus gravia onera trahuntur. *Vitr.* 10, 1. Tractorium genus machinarum est, cum onera machinis pertrahuntur, aut ad altitudinem sublata collocantur. ℙ *Tractoriae litterae* sequiori Latinae linguae aetate dictae sunt, quae dabantur a principe legatis aliisque ab eo missis aliquo, ut eis necessaria itineri publice praeberentur, adscriptis locis, per quae transituri erant, et evectione ac viatico, quod suppeditari oporteret. Est in *Cod. Just.* 12. *tit.* 52. qui *De Tractoriis et stativis* inscribitur sub *Imppp. Theod., Arcad. et Honor.*, earumque alibi in *eod. Cod.* et ap. *August.* non semel fit mentio. Sicubi autem *Tractatoriae* editum est, mendum esse critici putant.

TRACTUM, i, n. V. in TRACTA.

TRACTŪOSUS, a, um, adj. glutinosus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 32. Sudor crassus, et tractuosus, atque viscosus. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Semen est grave, tractuosum, glutinosum.

[TRACTŪRĀ, ae, f. actus trahendi. *Veg. Vet.* 2, 59. Hinc enim collisiones, suppurationes, apostemataque nascuntur, cum nimis locis inaequalibus premitur, vel discentes tracturam mercurius aut spina deteritur. *Gesnerus* legend. putat *vel indecente stratura. F.*]

TRACTUS, a, um, part. a *traho:* ἕλκτὸς, vi ductus, raptatus. *Cic. Phil.* 11, 2. *f.* Corpus tractum et laceratum abjecit in mare. *Ov. Met.* 12, 591. Hector circum sua Pergama tractus. *Id. Fast.* 4, 28. Longaque in immundo pulvere tracta coma. *Plin.* 7, 44, 45. Tractus per mediam urbem in Capitolium. *Ov. Met.* 7, 218. currus tractus volucrum cervice draconum. *Sen. Ag.* 859. Tractus ad coelum canis Inferorum Triplici catena. *Id. Hipp.* 730. hanc moestam prius Recreate crinis tractus, et lacerae comae, Ut sunt, remaneant. *Id. Med.* 684. tracta magicis cantibus Squamifera turba. *Sen. alter Ira* 2, 25. *extr.* Cujus aures tracti subsellii stridor offendit. ℙ Item simpliciter ductus, eductus. *Ov. Met.* 2, 606. tractum a vulnere ferrum. *Id. ib.* 5, 95. de vulnere telum. *Id. Fast.* 1, 431. a pedibus velamen. ℙ Item deductus. *Cic. N. D.* 2, 55. *extr.* Venae et arteriae a corde tractae et profectae, in corpus omne ducuntur. *Plin.* 15, 14, 15. Est quibusdam malis sanguineus color origine ex mori insitu tracta. *Id.* 21, 14, 48. Lanae tractae, *h. e.* carminatae, pexae. ℙ Translate. *Cic. Div.* 1, 32. *med.* Animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos. *Id. Brut.* 6. Scio ab isto initio tractum esse sermonem. *Tac. A.* 1, 35. *med.* Segestes consensu gentis in bellum tractus. *Plin.* 33, 1, 6. Consuetudo tracta ab eo tempore, quo, etc. *Id.* 15, 29, 35. Generosi obsonii nomine inde tracto; et *ib.* 15, 16. Ex eo tractum, quod, etc. ℙ Item dilatus, protractus. *Sall. Jug.* 40. *extr.* Tractum bellum. *Ov. Met.* 12, 584. tractum duo per quinquennia bellum. *Cic. Mil.* 9. Tracta comitia. *Stat. Th.* 2, 145. at Inachio tenuis sub pectore regi Tracta quies, *h. e.* protractus somnus. *Cels.* 3, 9. *f.* Aegros medici duo tractos non expedierunt. ℙ *Oratio tracta*, fusa, continuata et extensa aequabili cursu. *Cic. Or.* 20. de historia: In concionibus et hortationibus tracta quaedam, et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio. *Id. Or.* 2, 15. In historia verborum ratio, et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac judiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est.

TRACTUS, us, m. ἕλκυσις, actus trahendi. *Sall. Jug.* 80. Limum, arenamque, et saxa ingentia fluctus trahunt. Syrtes ab tractu nominatae. *Virg. G.* 3, 182. Primus equi labor est lituosque pati, tractuque gementem Ferre rotam. *Val. Fl.* 6, 358. Ut bovis exsuvias multo qui frangere olivo Dat famulis: tendunt illi, tractuque vicissim Taurea terga domant. *Plin.* 9, 46, 70. de venatu canicularum: Funem illi religatum ab humeris ejus trahunt: hunc dimicans quatit, modicus alias tractus. ℙ *Tractus calami*, ductus. *Prop.* 4, 3, 5. Aut si qua incerto fallet te littera tractu, Signa meae dextrae jam morientis erunt. ℙ *Tractus corporis*, motus, quo corpus aliquo modo trahitur, et movetur. *Quint.* 6, 3. Risus non solum facto aliquo, dictove, sed interdum quodam etiam corporis tractu lacessitur. ℙ *Tractus verbi*, inflexio, declinatio, qua verbum in varias positiones trahitur, ducitur, et mutatur. *Id.* 8, 3, 32. In tractu et declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas, et beatitudo. ℙ *Tractus aquae*, haustus, potus: eo modo, quo *trahere*, *ducere pocula* dicimus. *Lucan.* 4, 368. Continuus multis subitarum tractus aquarum, Aera non passus vacuis discurrere venis, Arctavit clausitque animum. V. LYMPHIGER. ℙ De serpentibus, et humi corpus trahentibus, ὀυρμός. *Virg. G.* 2, 154. Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Ov. Met.* 15, 725. Litoream tractu squamae crepitantis arenam Sulcat. *Claud. B. Get.* 22. insopitisque refusum Tractibus aurati custodem velleris anguem. *Id. II. cons. Stil.* 172. draco reptavit placido tractu. ℙ De rebus in longum productis. *Ov. Met.* 6, 20. repetitaque longo Vellera mollibat nebulas aequantia tractu; et *Lucr.* 2, 207. longos flammarum ducere tractus. (Adde *Virg. G.* 1, 367. et *Lucan.* 2, 270.) Sic de longo aquarum cursu. *Lucan.* 5, 565. longo per multa volumina tractu Aestuat unda minax. *Id.* 10, 257. Aequoreosque sales longo mitescere tractu, *h. e.* cursu fluminis Nili. De cursu et flatu ventorum. *Val. Fl.* 1, 614. venti Induxere hiemem, raucoque ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 270.] ℙ Similia sunt illa, sive propria, sive metaphorica, quibus significatur series et ordo in longum ductus. *Lucan.* 3, 551. puppes Sulcato varios duxerunt gurgite tractus. *Ov. Met.* 2, 320. Phaeton Volvitur in praeceps, longoque per aera tractu Fertur. *Tac. A.* 15, 64. Durante tractu et lentitudine mortis; et *ib.* 10. Eludere hostem tractu belli; et *Val. Fl.* 2, 664. has inter variis nox plurima dictis Rapta vices, nec non simili lux postera tractu, *h. e.* simili longo sermone. *Cic. Or.* 2, 50. Quod tuum principium, Dii immortales, fuit! qui timor! quae dubitatio! quanta haesitatio, tractusque verborum! *h. e.* lenta et in longum ducta pronuntiatio; [*Aliter dictum est *tractus* in loco *Cic.* seq.] *ib.* 13. Neque verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus, [*ubi pro omni orationis habitu et veluti corpore *tractus* dictum videtur, ut ap. *Quint.* 9, 4, 61. Cf. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. *Quintiliano* autem 8, 3, 32. tractus verborum dicitur de ea productione, qua verba derivata extenduntur, et syllabis crescunt, ut *sullaturit*, *παραγόμενα Gr.* dicta. V. supra, et *Ernest.* l. l.] *Quint.* 4, 2. *f.* Figurae sint, quae varietate taedium effugiant, et mutationibus animum levent, ne in eundem casum, similem compositionem pares elocutionum tractus incidamus; [*Quo sensu hoc dictum sit, reperies ap. *Ern.* l. l.] et *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Historia maxime vi, amaritudine, instantia: oratio tractu, et suavitate, atque etiam dulcedine placet. ℙ De aliis rebus in longum porrectis. *Lucan.* 2, 629. Nec licet ad duros Martem convertere Iberos, Cum mediae jaceant immensis tractibus Alpes. *Claud. in Ruf. praef.* 1, 7. spatiosis tractibus orni Securas ventis explicuere comas. *Liv.* 3, 28. Contemplatus, qui tractus castrorum, quaeque forma esset. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 9. Coelitibus ordine sedes prima datur: tractum proceres tenuere secundum Aequorei. ℙ Hinc saepe dicitur de quocumque spatio, ut parte coeli, vel terrae, plaga, regione. *Cic. Planc.* 9. Totus ille tractus celeberrimus Venafranus, Allifanus, tota illa aspera et montuosa regio. *Caes. B. C.* 3, 112. Hoc tractu oppidi pars erat regiae exigua. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 16. Genera vitium separari, ac singulis conseri tractibus, utilissimum. *Virg. G.* 2, 182. tractu surgens oleaster eodem. *Id. A.* 3, 138. lues tabida membris, Corrupto coeli tractu, miserandaque venit. [*Ernest. legend. censet *tactus* ex cdd. quibusdam. Ceterum *tractus coeli* potius interpret. *haustum aeris.* V. *Burm. Noster* secutus est *Servium.*] *Hor. Ep.* 1, 15, 22. Tractus uter plures lepores, uter educet apros. *Id. Od.* 4, 2, 26 tendere in altos nubium tractus. [*Plura variorum scriptorum exempla collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 462. sq.] ℙ Item de cursu et spatio temporis. *Vell.* 2, 9. Eodem tractu temporum nituerunt oratores, etc. *Val. Max.* 8, 13. *n.* 2. *extr.* de senectute: Quid isto tractu aetatis aut longius, aut beatius? *Lucr.* 1, 1002. Quod neque clara suo percurrere flumina cursu Perpetuo possint aevi labentia tractu. Adde 5, 1215. ℙ *Tractum habere*, temporis spatium habere. *Ulp. Dig.* 32, 1, 11. *med.* Hoc legatum, *Cum voluerit*, tractum habet, quamdiu vivat is, a quo, etc. ℙ [*Confund. *tractus* et *tactus.* V. *Spalding.* ad *Quint* 6, 3, 7. Porro *tractu* et *tractatu. Id. ib.* 9, 4, 60.]

TRĀDĬTĬO, onis, f. παράδοσις, actus tradendi, datio. *Cic. Top.* 5. *extr.* Abalienatio est rei traditio alteri nexu, etc. *Liv.* 32, 14. 33, 31. et 34, 30. Traditio urbis; [*Bene illud notandum, ap. *Livium* v. *traditio* interdum involvere proditionis notionem.] et *Plin.* 37, 1, 4. Sulla dictator traditione Jugurthae semper signavit, *h. e.* ut ait *Val. Max.* 8, 14. *n.* 4. Annulo, quo signatorio utebatur, insculptam habuit traditionem Jugurthae sibi a Boccho rege factam: de qua V. *Sall. Jug. f.* ℙ Translate est institutio, doctrina. *Quint.* 12, 11. *med.* Quaelibet ex iis artibus in paucos libros contrahi solet, adeo infinito spatio ac traditione opus non est. *Id.* 3, 1. *in.* Ne jejuna atque arida *(praeceptorum)* traditio averteret animos. *Tac. A.* 16, 16. extr. Datur hoc illustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam, *h. e.* in tradenda posteris eorum morte per historiam. ℙ De opinione veteri, et per manus veluti tradita, cui vulgo assentimur. *Gell.* 13, 22. *med.* Apparet non id poetice a Plauto dictum, sed eam quoque traditionem fuisse, ut Nerio a quibusdam uxor esse Martis diceretur. *Id.* 16, 5. Incompertam et vulgariam traditionem rei non exploratae secuti. ℙ De datione rei contra fidem. *August. Baptism.* 7, 2.

TRĀDĬTOR, oris, m. qui dat, δότης: et translate qui docet. *Arnob.* 3, 113. Neque traditor alicujus esse scientiae potis est, ut non ejus, quod tradit, rationem teneat. Adde *Tert. Cor. Mil.* 4. *f.* ℙ Item qui contra fidem dat, προδότης. *Tac. H.* 4, 24. Quin potius interfecto traditore, etc. *Ursin.* et *Acidal.* suspicantur, corruptam vocem esse, et *proditore* legendum. *Sedul.* ad Judam, 5, 61. Traditor immitis, fere proditor, impie latro.

TRĀDĪTUS, a, um, part. a *trado:* παραδοθεὶς, datus, exhibitus. *Caes. B. G.* 1, 27. Ne, armis traditis, supplicio afficerentur; et *ib.* 28. Obsides, arma, perfugae traditi. *Ov. Met.* 14, 335. Haec ubi nubilibus primum maturuit annis, Praeposito cunctis Laurenti tradita Pico est, et *Nep. Alc.* 7. Alcibiadi tota respublica domi bellique tradita, *h. e.* commissa. *Ov. Fast.* 4, 52. post illum tradita regna Procae. *Id. Fast.* 3, 280. Coeptaque sunt pure tradita sacra coli, *h. e.* a Numa instituta et monstrata. *Caes. B. G.* 4, 7. Germanorum consuetudo haec est, a majoribus tradita, quicumque bellum inferant, resistere. Sic *Hor. Sat.* 1, 4, 117. Traditum ab antiquis morem servare. *Tibull.* 2, 1, 2. Ritus ut a prisco traditus exstat avo. *Flor.* 3, 1. *f.* Jugurtha traditus Sullae in manum; et *Lucan.* 4, 206. seque et sua tradita venum Castra videt. *Sall. Jug.* 34. Leges, majestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt; et *Just.* 6, 6. *extr.* Per praeconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit: hoc est enim signum apud Graecos victoriae traditae, *h. e.* victoriae concessae. *Sall. Cat.* 49. *f.* Traditus in custodiam; et *Sen. Med.* 473. neci. ℙ Frequenter *transditus* legere est in libris, retenta scilicet integra praepositione componente: sic *transdo* pro *trado*, *trasno* pro *trano*, *transjicio* pro *trajicio*, et alia multa: quae scriptio antiquitatem sapere videtur: nec tamen est improbanda. Admittitur enim a grammaticis, et habetur in optim. MSS. *Caes.* non unis. Contra *trafero* et *tralatus*, et *tramitto*, et *traveho*, et *traverto*, et *travolo*, in probatis Codicib. etiam *Ciceronis* legi multi testantur. *Donat.* ad illud *Ter. Phorm. prol.* 2. transdere hominem in otium; Veteres, inquit, *transdere* sonantius, quod nos lenius dicimus *tradere:* ut *tralatum* non *translatum* e contrario. *Cic. Att.* 16, 3. Ἀρχέτυπον tralatum in macrocolum; et *Fam.* 1, 4. Qui a te causam regiam alio traferebant. Alii plerique leg. *transferebant. Inscr.* ap. *Grut.* 662, 8. Isdem corporibus tralatis. *Caes. B. G.* 7, 12. Parte jam obsidum transdita. *Id. B. C.* 3, 57. Transditus et commendatus. In legibus XII. Tab. ap. *Fest.* in *Sub vos.* Transque dato, endoque plorato, *h. e.* transdito.

[TRĀDĪTUS, us, m. idem ac traditio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 31. Accepisse tamen traditu veteri, Jovis ac Junonis templum illud fuisse. *F.*]

TRĀDO, is, didi, ditum, a. 3. παραδίδωμι, ἐγχειρίζω, de manu in manum transfero, do, porrigo: a *trans* et *do:* unde et *transdo* scribitur, ut diximus in TRADITUS, a, um. [*Discrimen inter *tradere* et *dedere* ita *Doederl.* 4, 136. statuit, ut prius nil nisi in manus alterius aliquid porrigere significet, *dedere* sensu morali juridico quem dicunt ad eum pertineat, qui possidendi jus in re, quam alteri tribuat, omnino abdicet.] *Pl. As.* 3, 3, 99. Mi patrone, mihi trade istuc: magis decorum est, libertum potius, quam patronum, unus in via portare. *Id. Merc.* 2, 2, 6. Istos rastros villico ipsi facito coram ut tradas in manum. *Id. Curc.* 3, 15. Ego hoc effectum lepide tibi tradam. *Id. Mil.* 2, 3, 34. Custodem me illi miles tradidit. *Phaedr.* 1, 28. aquila Incolumes natos supplex vulpi tradidit, *h. e.* reddidit. *Hor. Sat.* 2, 5, 51. Qui testamentum tradet tibi cumque legendum. *Cic. Tusc.* 1, 40. *med.* Poculum alicui tradere. *Caes. B. C.* 1, 68. Saxa praerupta iter impediebant, ut arma per manus necessario transderentur, militesque inermes magnam partem itineris conficerent. *Sen. Thyest.* 1091. Tradere aliquem igni; et *Troad.* 1110. artus tumulo. *Id. Oed.* 489. virginem thalamis. [*Lucan. 2, 341. revertor Jam nulli tradenda viro: ubi *Mart. Lag.* docet, *tradere* et *transmittere* vocabula esse propria in hac re de concessis alii conjugiis. V. *Tac.* l. mox l.] *Caes. B. G.* 7, 77. *med.* Transdere se hostibus. *Liv.* 34, 29. Miserat ad legatum Romanum, traditurum se urbem. *Id.* 5, 27. Tradere aliquid cuipiam in potestatem. *Id.* 26, 12. urbem in manum hostium. Alii leg. *in manu;* et 37, 9. *med.* Legationes tradentes in fidem civitates suas benigne audivit. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 4. *f.* Tradere aliquem in custodiam, vel in pistrinum. *Nep. Phoc.* 4. ad supplicium. *Suet. Vit.* 14. supplicio. *Cic. Verr.* 2, 1, 50. Aedem Castoris sartam tectam tradere, *h. e.* successori exhibere. *Tac. A.* 4, 40. Filiam suam alicui tradere. ℙ Contra fas, et fidem quippiam dare. *Cic. Dom.* 23, *med.* Integerrimas pacatissimasque gentes alicui ad diripiendum tradere. *Id. Prov. cons.* 5. Publicanos miseros tradidit in servitutem Judaeis. *Id. Rosc. Am.* 22. Quem dedi putabas, defendi intelligis: quos traditurus sperabas, vides judicare. *Ter. Phorm.* 2, 1, 7. Tradere causam adversariis. *Ov. Met.* 8, 91. tibi trado patriosque, meosque Penates. [*Luc. 2, 608. Tradidit Hesperiam, i. e. Hesperiam, ut quam defendere amplius non posset, hostibus occupandam reliquit. V. *Cort.*] ℙ Prodere. *Claud. in Ruf.* 2, 261. Tradimur, heu! tantumque sequi prohibemur amorem. *Sedul. hymn.* 2, 73. Tunc ille Judas carnifex Ausus magistrum tradere. ℙ Tradere in fugam. *Accius* ap. *Non.* 2, 663. Remisque nixi properiter navem in fugam tradunt. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 1, 26, 1. tristitiam et metus Tradam protervis in

mare Creticum Portare ventis. ℙ Translate est offerre alicui tuendum, ornandum. *Cic. Fam.* 7, 17. *med.* Commendare et tradere alicui quempiam. *Caes. B. C.* 3, 57. Tradere et commendare aliquem alicui. *Hor. Ep.* 1, 9, 3. rogat, ut tibi se laudare et tradere coner. *Cic. Fam.* 7, 6. *f.* Totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut ajunt, in manum tuam istam, victoria et fide praestantem. *Pl. Most.* 2, 1, 59. In tuam custodiam meque, et meas spes trado. Adde *Hor. Sat.* 1, 9, 47. [*Cf. *Heindf.* qui similem usum *Gr. συγγιγνεσθαι* comparat, laud. *Lex. Xenoph.* h. v.] ℙ *Tradere memoriae*, mandare. *Cic. Somn. Scip.* 1. *extr.* Ades animo, et omitte timorem, et quae dicam, trade memoriae. ℙ *Tradere se*, se adjicere, dedere. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Lacrimis ac tristitiae se tradere. *Plin. ep.* 1, 9. *f.* se studiis aut otio. *Cic. Am.* 23. se totum voluptatibus. *Id. Div.* 1, 29. se quieti; et *Phil.* 2, 2. se in disciplinam alicujus. *Id. Inv.* 1, 3. *f.* Ex seditiosa et tumultuosa vita tradere se in studium aliquod quietum. ℙ [*Hinc eleganter *Cic. ad Quir.* p. *R.* 6. cum duo consules, emti pactione provinciarum auctores se inimicis reip. tradidissent. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Tradere palmam*, et absolute *tradere*, est victoriam alteri cedere. *Sen. Ben.* 5, 3. Luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit; et *mox:* Victorem facit non judex, sed vox cedentis, et tradere jubentis. *Plin.* 14, 4, 5. Ut non puderet inviso alias et ostentaturo tradere palmam. *Suet. Ner.* 45. Cum inscriptione Graeca: Nunc demum agona esse, et traderet tandem. V. CIRRUS. [*Cf. *B. Crus.* notam ad h. l.] ℙ Tradere pueros magistris, *Ov. Am.* 1, 13, 17. et *Cic. Tusc.* 3, 1. scilicet erudiendos. ℙ Pro transmittere, relinquere. *Pl. Trin.* 3, 2, 16. Itane majores famam tradiderunt tibi tui, ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes? *Id. Men.* 2, 3, 59. Qui in morte regnum Hieroni tradidit. *Ant.* ad *Cic. post ep. ad Att.* 13. *l.* 14. Tenero pueri animo persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. *Plin. ep.* 1, 12. Plerumque morbi quoque per successiones quasdam, ut alia, traduntur. *Sil.* 4, 32. traduntque metus. ℙ Hinc *tradere* dicuntur quicumque rerum gestarum memoriam scribendo pervenire ad posteros faciunt. *Cic. Div.* 1, 53. Signa ejus generis, qualia permulta historia tradidit. *Id. Inv.* 2, 1. *f.* Quarum nomina multi poetae memoriae tradiderunt. *Id. Or.* 3, 16. *med.* Cujus ingenium immortalitati scriptis suis Plato tradidit. *Liv.* 3, 67. Hoc posteris memoriae traditum iri, Aequos et Volscos ad moenia urbis Romae impune armatos venisse. *Liv.* 8, 10. Ejus pugnae memoriam posteris tradiderunt. *Plin. ep.* 6, 16. Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. *Plin. alter* 10, 24, 34. Tradit Fabius Pictor in Annalibus suis, hirundinem, etc. *Val. Fl.* 2, 166. Obvia quaeque eadem traditque, auditque: neque ulli Vana fides. ℙ *Tradunt*, narrant, ferunt, et *traditur*, fertur, dicitur. *Cic. Tusc.* 1, 3. Galbam, Africanum, Laelium doctos fuisse, traditum est. *Liv.* 9, 28. Sive a Poetelio dictatore, sive ab C. Junio consule (nam utrumque traditur) Nola est capta. *Id.* 1, 31. *f.* Ipsum regem tradunt operatum his sacris se abdidisse; et 2, 8. *f.* Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. *Cic. Sext.* 67. *med.* Aristides unus omnium justissimus fuisse traditur. *Plin.* 13, 1, 1. Unguenta quis primus invenerit, non traditur. *Front. Aquaed.* 7. Non esse aquam Marciam, sed Anionem (de hoc enim constantius traditur) in Capitolium perducendam. ℙ *Tradere*, docere. *Cic. Fin.* 4, 4. Quae dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis inventa sunt? et *mox*: Via et artificio aliquid tradere. *Id. Acad.* 4, 28. *f.* Tradere elementa loquendi. *Id. Or.* 1, 18. *f.* Rhetores qui dicendi praecepta tradunt. *Id. Div.* 2, 1. Optimarum artium vias tradere suis civibus. ℙ Praecipue dicitur de iis, qui sacra et religiones docent. Loca scriptorum congessit *Broukus.* ad illud *Tibull.* 2, 1, 2. Ritus ut a prisco traditus exstat avo. Sunt autem *Cic. Div.* 1, 41. et *Leg.* 2, 11. *Caes. B. G.* 6, 14. et *Ov. Met.* 11, 90. ℙ De rebus inanimis. *Lucr.* 4, 302. Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago, *h. e.* transferatur, transmittatur: (*ib.* 308. e speculo in speculum tralucet imago.) *Id.* 6, 789. multa multarum semina rerum permixta gerit tellus, discretaque tradit. ℙ *Traditu iri*, pro *traditum iri*, V. PRAESTO, as. ℙ [*Conf. *tradere* et *credere*. V. *Spald.* ad *Quint.* 10, 2, 20.]

TRĀDŪCO et Transduco, is, xi, ctum, a. 3, *διάγω*, de loco in locum duco, transveho, trajicio. transfero, per locum aliquem duco: a *trans* et *duco:* quare et *transduco* scribitur, ut in TRADITUS, a, um dictum est. *Caes. B. G.* 1, 12. Caesar certior factus, tres copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse; et *ib.* 2, 5. Flumen Axonam exercitum transducere maturavit; et *ib.* 10. Omnem equitatum pontem transducit. *Liv.* 40, 25. *f.* Exercitum ex Gallia traducere in Ligures. *Caes. B. G.* 1, 11. Helvetii per angustias et fines Sequanorum suas copias transduxerant. *Virg. Ecl.* 8, 99. Atque satas alio vidi traducere messes. (V. EXCANTO et PELLICIO.) *Caes. B. G.* 1, 35. Multitudinem hominum trans Rhenum in Galliam transducere; et *ib.* 48. copias praeter castra. *Pl. Cas.* 3, 3, 16. Jamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam, quae te adjutaret. *Ter. Ad.* 5, 7, 12. Traduce et matrem et familiam omnem ad nos. Alii leg. *traduc. Suet. Cal.* 15. Carpento traduci in pompa. *Cic. Cluent.* 48. Traducere equum: in transvectione; cum nempe equites a censore non adempto equo, transeunt. *Liv.* 45, 39. victimas in triumpho. [*Duci et *traduci* proprie dicuntur de pompis. Cfr. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut.* 4, 4, 18.] *Ulp. Dig.* 6, 2, 11. Aquaeductum per domum alicujus transducere. [*Liv. 36, 3. regem Antiochum in Europam ad bellum gerendum traduxisse, i. e. movisse, ut transiret in Europam. — Ceterum *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 776. sq. haec notat: ubi hoc verbum esset ducere in adversam partem, nostr. *überführen*, praeferendam videri scripturam *transducere:* quamquam discrimen, quod significationum diversitas suaderet, haud accurate servasse antiquos scriptores pateret ex perpetua varietate in libris; coll. *Drak.* ad *Liv.* 42, 22, 6.] ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 18. *med.* C. Herennius trib. pl. ad plebem P. Clodium traducit, *h. e.* ex patricio plebejum facit. *Suet. Cal.* 12. Augur destinatus, priusquam inauguraretur, ad pontificatum traductus est. *Cic. Or.* 57. Orationem vult plenam esse gravitatis, ut eos qui audient, ad majorem admirationem possit traducere. ℙ Pro convertere. *Cic. Fam.* 1, 2. *med.* Ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. *Id. Brut.* 93. *f.* Animos judicum a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traducere. *Just.* 44, 5. populum barbarum ac ferum legibus ad cultiorem usum. *Ov. Met.* 15, 483. de Numa: gentemque feroci Assuetam bello pacis traduxit ad artes. *Varr. L. L.* 8, 5. *f.* Traducere aliquem e mala consuetudine in meliorem. *Cic. Cluent.* 52. *f.* Traduxit me ad suam sententiam; et *Or.* 2, 48. *f.* Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam. *Virg. G.* 3, 157. Post partum cura in vitulos traducitur omnis. *Sen. Ira* 2, 13. *extr.* Sine ira facilius scelera tollentur: mali punientur, et traducentur in melius. *Plin.* 37, 12, 75. Inventum est ex veris gemmis in alterius generis falsas traducere. ℙ Cum dativo. *Tibull.* 1, 1, 9. Me mea paupertas vitae traducat inerti, *h. e.* transferat me a vita contentionis et negotii plena ad otiosam et desidem. ℙ *Traducere aliquem*, ostentui habere, spectandum proponere, derisui exponere, diffamare: quasi ducere per ora hominum. *Petr. Sat.* 132. Hoc de te merui, ut traduceres annos primo florentes vigore? *Sen. Ben.* 4, 32. *med.* Hic corpore deformis est, adspectu foedus, et ornamenta sua traducturus. *Juven.* 8, 16. Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum Squalentes traducit avos, i. e. dedecorat. *Mart.* 6, 77. Rideris, multoque magis traduceris, Afer, Quam nudus medio si spatiere foro; et 3, 74. Desine, si pudor est, miseram traducere calvam. *Sen. ep.* 100. *f.* Luxuriam objurgare, libidinem traducere, impotentiam frangere. V. TRADUCTUS. ℙ *Traducere collusorem* dicitur a *Sen. Ben.* 2, 17. *med.* malignus lusor, qui eum fallit, et ludibrio exponit, ita mittendo pilam, ut non possit recte excipere, et remittere. ℙ *Traducere se*, se ostendere, se spectandum praebere. *Juven.* 11, 30. nec enim loricam poscit Achillis Thersites: in qua se traducebat Ulysses Ancipitem, *h. e.* quamvis loricam Achillis judicio militari obtinuisset, tamen ea se indutum anceps animi conspiciendum dabat, veritus, ne sibi parum conveniret, et ludibrii causa esset. ℙ *Traducere aliquid*, palam facere, vulgare, diffamare. *Petr. Sat.* 17. *extr.* Peto et oro, ne traducere velitis tot annorum secreta. *Id. fragm. Trag.* 41. *Burm.* Poemata domini sui acutissima voce traduxit, *h. e.* cantando ostentavit, et nota fecit. *Mart.* 1, 54. Quae tua traducit manifesto carmina furto. ℙ *Traducere tempus, vitam*, agere, transigere. *Cic. Fam.* 4, 6. *f.* Ut commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus. *Id. Tusc.* 3, 11. Vitam tranquille placideque traducere. *Sil.* 9, 4. consul traducere noctem Exsomnis. *Petr. Sat.* 14. Ipsi qui Cynica traducunt tempora coena. *Cic. Sen.* 23. Otiosam aetatem et quietam, sine ullo labore et contentione traducere. *Hor. Ep.* 1, 18, 97. traducere leniter aevum. Adde *Tac. H.* 4, 67. et *Aug.* ap. *Gell.* 15, 7. *extr.* Huc pertinet illud *Cic. Att.* 5, 9. Faciam denique, ut summa modestia et summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus, *h. e.* hanc provinciae administrationem. ℙ *Traducere verbum*, ab uno in alium sensum transferre, *μεταφέρειν. Gell.* 17, 2. *med.* Graeci *ἐφόδιον* a sumptu viae ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt. ℙ Et ab una in aliam linguam. *Id.* 1, 18. M. Varro L. Aelium errasse ostendit, quod vocabulum Graecum vetus traductum in linguam Romanam, proinde atque si primitus Latine fictum esset, resolverit in voces Latinas, ratione etymologica falsa, *h. e.* vocem *lepus* dici putarit, quasi *levipes:* cum sit vocabulum antiquum Graecum. ℙ Et ab una voce aliam declinatione deducere. *Id.* 2, 6. *Jactare* multo fusius largiusque est, quam *jacere*, unde id verbum traductum est. *Id.* 17, 2. *med. Apprime* crebrius est, *cumprime* rarius: traductumque ex eo est, quod *cumprimis* dicebant pro eo, quod est *in primis.*

TRĀDUCTĬO et Transductio, onis, f. *διαγωγή, διαχομιδή*, actus traducendi, et ex uno in alium locum transferendi, transvectio. *Auson. Grat. act.* 4. Possem vocare Germanicum deditione gentilium; Alemannicum traductione captorum. *Cic. Sext.* 7. Traductio ad plebem furibundi hominis ac perditi, *h. e.* translatio Clodii ex patricio ordine ad plebem. ℙ Item circumductio ante ora hominum ostensionis, vel ludibrii causa. *Sen. Ira* 1, 6. Praeses legum damnatum, cum dedecore et traductione vita exigit. ℙ Translate. *Id. ep.* 85. *in.* Interrogationes ad traductionem nostram excogitatae. ℙ Praeterea est translatio verbi ab uno sensu ad alium: quae et metonymia dicitur. *Cic. Or.* 3, 42. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet, sed in oratione: Africa terribili tremit horrida terra tumultu. Pro Afris est sumpta Africa. ℙ Est etiam hoc nomine alia figura rhetorica, qua idem verbum saepius repetitur, et quasi per aures audientium traducitur. *Auct. ad Her.* 4, 14. Traductio est, quae facit, ut cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: Qui nihil habuit in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Item: Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. Item: Pleni sunt omnes libri, plenae sapientum voces, plena exemplorum vetustas. ℙ Item alia, qua idem verbum saepius repetitur, sed alio sensu: quae et paronomasia dicitur. *Cic.* sic describit *Or.* 39. Cum continenter idem verbum non in eadem sententia ponitur; et *Auct. ad Her. l. c.* Cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re; et *ib.* 21. Cum ad res dissimiles similia verba accommodantur; et *Quint.* 9, 3. Translationem ejusdem verbi ab uno intellectu ad alium, ut si dicas cum *Ovidio*, Cur ego non dicam, Furia, te furiam? Aut, avium dulcedo ad avium ducit. Aut, cur eam rem tam studiose curas, quae multas tibi dabit curas? [*Est Gr. *ἀναπάλιν-σις*. Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 400.] ℙ *Traductio temporis*, fluxus, cursus. *Cic. Div.* 1, 56. Est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis, et primum quidque replicantis.

[TRĀDUCTĪVUS, a, um, adj. qui aliunde trahitur, derivativus. *Mar. Vict.* p. 2552. Haec sola duo metra (dactylicum et iambicum) quamvis et iambicum heroi sit traductivum, utpote cum trimeter de hexametro manasse noscatur, haec sola possunt prototyporum prototypa dici, et omnium metrorum elementa. *F.*]

TRĀDUCTOR, oris, m. qui traducit, seu transfert. *Cic. Att.* 2, 9. Sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, *h. e.* Pompejus Hierosolymorum expugnator, qui Clodium a patricio ordine ad plebejum transtulerat.

TRĀDUCTUS et Transductus, a, um, part. a *traduco: διαγόμενος*, de loco ad locum ductus, translatus, trajectus. *Varr. R. R.* 1, 8. Ex arboribus in arbores traductis vitibus, vinea fit. *Caes. B. G.* 2, 4. Germani Rhenum antiquitus transducti. *Liv.* 9, 39. Exercitus traductus silvam Ciminiam. *Id.* 42, 22. *med.* Liguribus traductis Padum ager est assignatus. *Caes. B. G.* 6, 39. *f.* Centuriones causa virtutis in superiores ordines hujus legionis transducti. *Paul. Dig.* 41, 1, 29. Linea in directum per insulam transducta. ℙ Item derisui expositus, diffamatus. *Liv.* 2, 38. Vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum. *Just.* 36, 1. Traductus per ora civitatium, populis in ludibrium favoris ostenditur. *Suet. Tit.* 8. *f.* Delatores flagellis caesi, ac traducti per amphitheatri arenam: *scil.* ludibrii causa. *Petr. Sat.* 87. Despectum se, et derisum traductumque inter discipulos. ℙ Actus, transactus. *Cic. Planc.* 12. *f.* O adolescentiam traductam eleganter! ℙ *Traducta Julia* dicta est Tingi, urbs Mauritaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 1. Nunc est Tingi, quondam ab Antaeo conditum, postea a Claudio Caesare, cum coloniam faceret, adpellatum Traducta Julia. Quem ad locum sic *Harduinus:* Obscure haec Plinius, et fortasse false; nec enim *Traducta* in Mauritania fuit, sed in Hispania Baetica. V. *Salm.* ad *Solin.* p. 288 *b. B. A.*

TRĀDUCTUS, us, m. locus, per quem aliquid traduci potest. *Ammian.* 18, 8. Praesidium per eos traductus agentes. Alii leg. *tractus.*

TRĀDUX, ūcis, m. palmes vitis, unus vel plures, non terra mersus, sed alte et longe productus, ac toro seu vinculo alteri arbori, vel alterius vitis palmiti similiter extento connexus: quem Ital. rustici *tirella* dicunt: quidam *trasferito. Varr. R. R.* 1, 8. *med.* Quartum est pedamentum nativum ejus generis, ubi, ex arboribus in arbores traductis vitibus, vinea fit: quos traduces, quidam rumpos appellant. *Colum.* 5, 7. *f.* Ut novi traduces omnibus annis inter se ex arboribus proximis connectantur, et veteres decidantur. Si tradux traducem non contingit, media virga inter eos deligetur: cum deinde fructus pondere urgebit, subjectis adminiculis sustineatur. *Id.* 4, 29. *med.* In insitione, quae fit per

terebrationem, primum de vicino fructuosissimam oportet considerare vitem, ex qua (velut traducem inhaerentem matri) palmitem attrahas et per foramen transmittas. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 23. Traduces Gallica cultura bini utrinque lateribus, si pars quadrageno distet spatio; quaterni, si viceno, inter se obvii miscentur, alliganturque una conciliati, virgultorum comitatu obiter rigorati, qua deficiant: aut si brevitas non patiatur ipsorum, adalligato protenduntur in viduam arborem unco. Traducem bimum praecidere solebant, etc. *Tac. H.* 2, 25. *med.* In vineas nexu traducum impeditas refugere. ℙ Translate. *Sever. Aetn.* 566. visere sacra marmora resve vetustas Traduce materia, *h. e.* adeo firma, ut opera ex illa facta ad posteros usque traduxerit: ducta metaphora a vitibus, quae traducum ope conservantur. *Prud. Apoth.* 983. Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis Transfundi in sobolem credatur fons animarum, *h. e.* per carnem, quae ab uno in alium quasi tradux propagatur. His locis *tradux* cum nomine feminini generis jungitur, ut *dux*, *advena*, *auctor*, etc. V. et UMBILICARIS.

TRĂGĂCANTHĂ, ae, f. τραγακάνθα, herba in Creta nascens, spinae albae radice, ex qua lacrima manat varios habens in medicina usus. *Plin.* 13, 21, 36., 26, 14, 87. et 30, 9, 23. Est ita appellata a τράγος, hircus, et ἄκανθα, spina. [**Bocksdorn*, Astragalus Tragacantha, *L.*] ℙ *Tragacanthum*, *i*, n. est ipsius herbae sive arboris gummi, Italice *dragante*, et *adraganti*, ap. *Cels.* 4, 4. *n.* 3. et 5, 13. et *Scrib. Comp.* 75. et 108.

[TRĂGANTHES, is, f. ita vocatur genus quoddam herbae artemisiae, ap. *Appul. Herb.* 11. Est autem a τράγος, hircus, et ἄνθος, flos. *F.*]

TRĂGĂNUS, i, m. porcellus hircum pilo et habitu corporis quodammodo referens: a τράγος, hircus. *Apic.* 8, 7. *f.*

TRĂGĂSAEUS, a, um, adj. Τραγασαῖος, ad Tragasam oppidum Troadis pertinens. *Plin.* 31, 7, 41. In igne nec crepitat, nec exsilit sal Tragasaeus.

TRĂGĔLĂPHUS, i, m. τραγέλαφος, animal juxta Phasin amnem nascens, barba et armorum promisso villo hirco simile; cetera cervo: unde et nomen sortitus est: nam τράγος hircum, ἔλαφος cervum significat. *Plin.* 8, 33, 50. Adde *Solin.* 19.

TRĂGĒMĂ, ătis, n. τράγημα, τρωκτὰ, τρωγάλια, cibus, qui crudus comedi solet, et secundis mensis apponi, bellaria: a τρώγω, rodo, comedo. Graece adhibetur a *Gell.* 13, 11. et ab ejus exscriptore *Macr. Sat.* 2, 8. Latine *Plin.* 13, 4, 9. Palmulas plebejas Syri, et Juba tragemata appellant; et *Plin. Val.* 5, 7. *f.* Tragemata etiam fugienda sunt, qualia sunt nuces, dactyli.

[TRĂGĒMĂTĬUM, ii, n. τραγημάτιον, diminut. tragematis. *Hieron. Reg. S. Pach. n.* 52. Si vero sint tragematia, vel poma, dabit ei janitor ex his comedere. *F.*]

*TRAGĬA, ae, f. insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. Τραγία est *Plut. B. A.*

*TRAGĬAE, arum, nomen insularum quarundam (fortasse unius insulae) Ioniae adjacentium. *Plin.* 5, 31. ℙ Si de una insula intelligendum, verosimile est eandem esse quae et Tragia audit. *B. A.*

TRĂGĬCĔ, adv. τραγικῶς, more tragico, ritu tragicorum. Translate graviter, sublimiter, stilo gravi, verbis grandibus, quibus tragici utuntur. *Cic. Brut.* 11. Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt. *Sen. ep.* 100. *f.* Volo luxuriam objurgari, libidinem traduci, impotentiam frangi: sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile. *Cic. Or.* 3, 8. Res comicas tragice tractare.

TRĂGĬCŌCŌMOEDĬĂ, ae, f. genus fabulae ex tragoedia et comoedia mixtae, qualis est *Amphitruo Plauti*, eod. teste *ib. prol.* 59. et 63. ibi enim et Dii, tragicae personae sunt, et servi, qui comicae, inducuntur.

TRĂGĬCUS, a, um, adj. τραγικὸς, ad tragoediam pertinens. *Cic. opt. gen. Or.* 1. Pacuvius tragicus poeta. *Vitr.* 5, 8. Genera scenarum tria, tragicum, comicum, satyricum. *Hor. Sat.* 1, 5, 64. Tragici cothurni. *Id. Ep.* 1, 3, 14. Tragica ars. *Id. A. P.* 220. Tragicum carmen; et *ib.* 275. Camena tragica. *Juven.* 12, 120. cerva, *h. e.* quae in tragoedia Iphigeniae pro ea supposita dicitur. *Cic. Pis.* 20. Tragico illo Oreste, aut Athamante dementior, *h. e.* qui in tragoediis inducitur, ac describitur. ℙ Refertur saepe ad rationem loquendi in tragoediis usurpatam, grandia verba, sublimem et gravem stilum. *Hor. A. P.* 236. Tragicus color. *Gell.* 2, 23. *f.* Consarcinare verba tragici tumoris. *Cic. Brut.* 55. *med.* Fuit Sulpicius vel maxime omnium grandis, et, ut ita dicam, tragicus orator. *Id. Or.* 2, 56. Sunt haec tragica atque divina: faceta autem et urbana, etc. *Mart.* 8, 18. Cum posset tragico fortius ore loqui. *Suet. Cal.* 25. Tragicum illud subinde jactabat: Oderint, dum metuant. ℙ Absolute. *Hor. Ep.* 2, 1, 166. Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet. ℙ *Tragicus*, scriptor tragoediarum, aut actor. *Pl. Pers.* 4, 2, 4. Satin' estis meditati? *Sag.* Tragici, et comici nunquam aeque sunt meditati. Adde *Petr. Sat.* 132. *med.* ℙ Interdum *tragicus* dicitur de re atroci, crudeli, impia, funesta, et ejusmodi, ut tragoediae argumentum esse possit. *Liv.* 1, 46. Tulit enim et Romana regia sceleris tragici exemplum. *Ov. Trist.* 2, 407. Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes, *h. e.* amores, qui funestum exitum habuerunt, et tragoediis materiam praebent. *Juven.* 2, 29. tragico pollutus adulter Concubitu, *h. e.* scelerato, nefando. *Val. Max.* 5, 8. Patres tragicae asperitatis. *Prop.* 2, 16, 29. Tum me vel tragicae vexetis Erynnies, *h. e.* dirae, crudeles, cujusmodi inducuntur in tragoediis Orestis, Penthei, et similium.

TRĂGĬON, ii, n. τράγιον, genus fruticis. [**Quibusdam dicitur Bockskraut*, quod hircum olet.] *Plin.* 13, 21, 36. Tragion fruticem sola Creta insula gignit, terebintho similem et semine, quod contra sagittarum ictus efficacissimum tradunt. *Id.* 27, 13. 115. Tragonis, sive tragion, nascitur in Cretae tantum insulae maritimis, junipero similis et semine, et folio, et ramis. Succus ejus lacteus in gummi spissatus, vel semen, impositione spicula e corpore ejicit.

TRĂGOEDĬĂ, ae, f. τραγῳδία, poematis gravissimi genus, quo regum, principumve, aut eorum, qui in aulis regum versantur, calamitates depinguntur, tristissimum fere habens exitum. Dicta est a τράγος, hircus, et ᾠδή, cantus, quia praemium ejus, qui tragoedia vicisset, olim hircus erat, quem ille Baccho sacrificabat. Unde *Hor. A. P.* 220. Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum; [et *ib.* 275. Ignotum tragicae genus invenisse camenae Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis, Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora. Ubi haec habet *Porph.* Ex hoc etiam putant quidam, tragoediam appellatam quasi trygoediam, quia faeccm τρύγα appellant, *scil.* τρυξ, γὸς, Dorice τρᾶξ, γὸς, faex. *F.*] ℙ Differt a comoedia, quod in hac humiles, et privatae personae introducantur. Ad haec, comoedia a turbulentioribus fere rebus initium sumens, tranquillum laetumque sortitur exitum: tragoedia autem totum quidem argumentum habet luctuosum, exitum autem tristissimum. *Cic. Sen.* 7. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit, *h. e.* scripsit, docuit. *Id. Phil.* 11, 6. Tragoediam agere. *Suet. Cal.* 57. Pantomimus tragoediam saltavit. *Hor. Od.* 2, 1, 9. severae Musa tragoediae. *Ov. Am.* 3, 1, 11. Venit et ingenti violenta Tragoedia passu: Fronte comae torva, palla jacebat humi. *Id. Trist.* 2, 381. Omne genus scripti gravitate tragoedia vincit. ℙ Translate sumitur pro magnificentia, magniloquentia, re ingenti. *Cic. Or.* 1, 51. Neque vero istis tragoediis tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor. ℙ *Tragoedias agere*, *movere*, *excitare*, est gravi dicendi genere uti, amplificare, exaggerare: interdum etiam tumultum commovere, seditionem concitare. *Cic. Or.* 2, 51. Ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis, etc. *Id. Mil.* 7. Quantas tragoedias excitat! *Quint.* 6, 1. *med.* Nam in parvis litibus has tragoedias movere tale est, quasi si personam Herculis et cothurnos aptare infantibus velis. ℙ [*Tragoedia* translato sensu dicitur a *Plin. ep.* 9, 7. quaedam villa. V. COMOEDIA. *F.*]

[TRĂGOEDĬŌGRĂPUS, i, m. τραγῳδιογράφος, tragoediarum scriptor. *Mar. Vict.* p. 2532. Quod genus si hexametrum sit, Phrynichium (lege *Philisium*) de auctoris tragoediographi nomine nuncupabitur, aptum canendis laudibus Cereris et Bacchi. *Hieron. Chron. Euseb. ad ann. MDLX. ab Abraham.* Aristarchus tragoediographus agnoscitur. *F.*]

TRĂGOEDUS, i, m. τραγῳδὸς, actor tragoediae. *Cic. Or.* 1, 28. Vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. *Hor. Ep.* 2, 2, 129. Qui se credebat miros audire tragoedos. ℙ Fuit hoc nomine Romae vicus in regione Esquilina, ap. *Sex. Ruf.*, in quo quia Jovis statua ab Augusto dedicata fuit, ut est ap. *Suet. Aug.* 57., is Juppiter Tragoedus appellatus est. Alii putant sic dictum Jovem, quod ap. *Pl. Amph.* inducatur histrionicam faciens: nam ea fabula mixta est ex tragoedia et comoedia. Fortasse etiam sic dictus est, quia tragoedi habitu indutus erat. **Quint.* 12, 5. ℙ Et poeta tragicus. *Id.* 1, 8. Utiles Tragoedi; alunt et Lyrici, si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. *B. A.*

TRĂGONIS. V. TRAGION.

TRĂGOPAN, anis, f. avis aquila major, cornua curva in temporibus habens, colore ferrugineo, capite puniceo. *Plin.* 10, 49, 70., qui tamen inter fabulosas recenset. Adde *Mel.* 3, 9. et *Solin.* 30. [*Fortasse avis, quae nobis dicitur *Bartgeier*, Vultur barbatus, *L.*]

TRĂGOPOGON, onis, f. τραγοπώγων, herba hircinae barbae similis: a τράγος, hircus, et πώγων, barba. *Plin.* 27, 13, 117. Est et tragopogon, quam alii comen vocant, caule parvo, foliis croci, radice longa, dulci, super caulem calyce lato, nigro, nascitur in asperis, sine usu. Adde 21, 15, 52.

TRĂGORĪGĂNUM, i, n. τραγορίγανον, herba serpyllo silvestri similis. [**Bocksthymian*, Thymus tragoriganum, *L.*] *Plin.* 20, 17, 68. ubi et recenset ejus utilitates in medicina. Dicta est a τράγος, hircus, et *origanum*, quia hircis grata esse dicitur: et species origani est. Mascul. gen. *tragoriganus* est ap. *Cels.* 5, 11.

TRĂGOS, i, m. τράγος, genus vepris. *Plin.* 13, 21, 37. Tragon et Asia fert, sive scorpionem, veprem sine foliis, racemis rubentibus ad medicinae usum. *Id.* 27, 13, 116. Est et alia herba tragos, quam aliqui scorpion vocant, semipedem alta, fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, in maritimis nascens. ℙ Item genus pultis. V. TRAGUM. ℙ Item genus spongiarum spissum ac praedurum, et asperum. *Plin.* 9, 45, 69. et 31, 11, 41.

TRĂGŪLĂ, ae, f. τεχκὶς, βολὶς, παλτὸν, genus teli missilis, ceu hasta: a trajiciendo dictum, ut vult *Varr. L. L.* 4, 24., vel a trahendo, ut *Festus.* Tragula, inquit, genus teli, dicta, quod scuto infixa trahatur. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Spara:* Tunc spara, tum rumices portantur, tragula porro. *Liv.* 24, 42. Scipionis femur tragula confixum erat. *Caes. B. G.* 5, 35. *med.* T. Balventio utrumque femur tragula transjicitur. *Id. ib.* 46. Tragulam mittere; et *ib.* 1, 26. Inter carros rotasque mataras, ac tragulas subjiciebant. *Auct. B. Hisp.* 32. Tragulis jaculisque pugnare. *Varr.* ap. *Non.* 18, 8. et 21. Cervum sparo tragulave trajicere. *Sall. fragm. ib.* Ictu tragulae sauciari. *Sil.* 3, 318. cui tragula semper Fulmineam armabat, celebratum missile, dextram. Adde *Gell.* 10, 25. ℙ Translate. *Pl. Epid.* 5, 2, 25. Tragulam in te injicere adornat: nescio, quam fabricam facit, *h. e.* molitur insidias, fallaciam struit, dolum machinatur. Sic *Ps.* 1, 4, 14. Volui injicere tragulam in nostrum senem: verum is, nescio quo pacto, praesensit prius. *Id. Cas.* 2, 4, 18. Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero, *h. e.* istas uxoris machinas dissolvam ac dejiciam. Ex hoc loco, et ex verbis *Festi* allatis quidam suspicantur, tragulam hamatum telum fuisse, quod infixum corpori non evelli oporteret, sed recidi. ℙ Est praeterea rete piscatorium subere instructum, quod et statarium dicitur, quodque per aquam trahitur, verriculum, ἀμφίβληστρον. *Plin.* 16, 8, 13. Usus suberis ancoralibus maxime naviumi, piscantiumque tragulis, et cadorum obturamentis. ℙ Pro traha. *Varr. L. L.* 4, 31. *f.* De his, quae jumenta ducunt: tragula ab eo quod trahitur per terram: sirpea quae virgis sirpatur, etc. *Scal.* putat scribendum *trahula*, ut sit diminutivum a *traha*, vel *trahea*. V. TRAHA.

TRĂGŪLĀRĬUS, ii, m. qui tragulas jacit. *Veg. Mil.* 2, 15. *f.* Erant tragularii, qui ad manubalistas, vel arcubalistas dirigebant sagittas.

TRAGUM, i, n. et Tragos, i, m. τράγος, genus pultis ex tritici semine, hoc est zea, factum. *Plin.* 18, 7, 16. Ex tritici semine tragum fit, in Campania dumtaxat, et Aegypto; et *ib.* 10, 20. *n.* 4. Adjiciuntur his (*panum generibus*) bromos, siligo excepta, et tragos, externa omnia, ab Oriente invecta, oryzae similia. *Cels.* 2, 20. Boni succi sunt siligo, alica, oryza, amylum, tragum, ptisana.

*TRAGŪRĬUM, i, n. Τραγούριον, oppidum Dalmatiae, hodie, ut creditur, *Trau* dictum. *Plin.* 3, 22. ℙ Item insula maris Hadriatici. *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

TRĂGUS et Tragos, i, m. τράγος, genus herbae. V. TRAGOS. ℙ Item genus piscis in coeno maris degens. *Ov. Hal* 112. rapidique lupi, percaeque, tragique. Adde *Plin.* 32, 11, 54. A *Festo* dicitur genus conchae mali saporis. ℙ Item foetor alarum in homine, qui Latine *hircus:* nam τράγος Graece idem sonat. *Mart.* 11, 22. Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri Barba.

TRĂHĂ, vel Trahea, ae, f. ἕλκηθρον, genus vehiculi sine rotis, quo rustici utuntur: a *trahendo:* non enim volvitur, sed trahitur. In *Gloss. Philox.* exponitur τυκάνη τὰς βώλους ἀφανίζουσα, machina glebas dissolvens, et evanescere faciens. *Colum.* 2, 21. *med.* Si in area teratur frumentum, equis melius, quam bubus ea res conficitur: et si pauca juga sunt, adjicere tribulam et traham possis. ℙ *Traha* est etiam instrumentum, quo veteres super glaciem utebantur. *Jornand. de reb. Goth.* 55. Ita rigescit (*Danubius*), ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem, plaustraque, et traculas (lege *trahulas*, vel *tragulas*). *Pomp. Sab.* ad *Virg. l.* mox *cit.* Traha agricolarum instrumentum a trahendo. Scythae appellaverunt sangi, sed est pulcrioris formae, et supra glaciem utuntur: rotas non habet, sed trahitur. ℙ *Trahea* per epenthesin, ut *navita* pro *nauta*. *Virg. G.* 1, 164. Tribulaque, traheaeque, et iniquo pondere rastri.

TRĂHĂRĬUS, ii, m. qui traham ducit, vel traha vehit. Translate de infimae conditionis hominibus, qui milites comitantur, usurpat *Sidon. ep.* 6, 1. ad episcopum: Tu hastatorum antesignanorumque paulisper contubernio sequestratus, ultimos calones tuos lixasque non despicis, et ad extimos trahariorum, qui per insipientiam suam adhuc ad carnis sarcinas sedent, crucis diu portatae vexilla circumfers.

TRĂHAX, acis, adj. omn. gen. ἑλκτικὸς, qui omnia ad se trahit, rapax, avidus. *Pl. Pers.* 3, 3, 6. Procax, rapax, trahax: trecentis versibus tuas impuritias traloqui nemo potest.

TRĂHO, is, xi, ctum, a. 3. ἕλκω, σύρω, aliqua vi duco, rapio: a *traveho* pro *transveho* per sync. Differt a *duco:* nam trahimur inviti, ducimur volen-

tes. *Sen. ep.* 107. *f.* Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. *Cic. Div.* 1, 39. *med.* Magnes ferrum ad se allicit et trahit. *Plin.* 36, 20, 38. Haematites trahit in se argentum, aes, ferrum. *Caes. B. G.* 1, 53. *med.* Cum a custodibus in fuga trinis catenis vinctus traheretur. *Sall. Jug.* 80. Limum, arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt. *Id. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 3, 425. Charybdis naves ad litora trahit. *Virg. ib.* Scylla naves in saxa trahens. *Petr. Sat.* 89. Aliquem ad terram trahere, *h. e.* sternere. *Sen. Octav.* 810. Cupido captum Jovem coelo traxit; et *Virg. A.* 2, 403. trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo adytisque Minervae. *Lucr.* 3, 234. vapor trahit aera secum. ℙ Ponitur et pro contrahere. *Lucr.* 6, 966. ignis liquidum facit aes, aurumque resolvit: At coria et carnem trahit et conducit in unum. *Ov. Am.* 2, 2, 33. Cum bene vir traxit vultum, rugasque coegit. *Lucr.* 6, 1188. in manibus trahier nervi, et tremere artus. ℙ Et pro raptare, id est ita ducere, ut tamen humo non sustollatur. *Pl. Cist.* 1, 1, 117. Amiculum hoc sustolle saltem. *Sil.* sine trahi, cum egomet trahor. *Sen. ep.* 44. *f.* Per insidiosum iter non tantum ferunt sarcinas, sed trahunt. *Hor. A. P.* 215. traxitque vagus per pulpita vestem. *Id. Od.* 1, 4, 2. Trahuntque siccas machinae carinas. *Virg. G.* 3, 535. montesque per altos Contenta cervice trahunt stridentia plaustra. *Juven.* 10, 99. Hujus, qui trahitur, praetextam sumere mavis, An, etc.? *h. e.* unco impacto raptatur. *Virg. G.* 4, 94. latamque trahens inglorius alvum. *Id. A.* 5, 468. genua aegra trahens. *Id. ib.* 1, 481. et *Varr. L. L.* 4, 31. Trahere aliquid per terram. *Cic. Fam.* 7, 32. aliquem pedibus. ℙ Item educere, haurire. *Cic. N. D.* 2, 9. *f.* Ex puteis jugibus aquam calidam trahi. *Plin.* 25, 5, 22. Elleborum trahit alvum, et bilem pituitasque. *Virg. A.* 1, 511. operumque labores Partibus aequabat justis, aut sorte trahebat. *Veg. Vet.* 3, 43. Sanguinem jumento de cervice trahere. *Cels.* 4, 7. Malagmata, quae materiam trahunt, *h. e.* evocant, extrahunt. ℙ De bibentibus. *Hor. Epod.* 14, 3. pocula arente fauce trahere. *Sen. Ag.* 878. Merumque in auro trahunt. *Ov. Met.* 15, 330. aquam moderato gutture. *Lucan.* 7, 822. Has trahe, Caesar, aquas: hoc, si potes, utere coelo. *Id.* 9, 934. Trahere ore venena. *Id.* 3, 351. ubera. *Phaedr.* 3, 1. odorem naribus. *Sen. Ira* 2, 10. *f.* Navigium aquam trahit, i. e. per rimas admittit. *Mart.* 8, 51. Si dubia est (*Telethusa*), septunce trahar, *h. e.* septem tantum cyathos bibam. V. SEPTUNX. ℙ Pro evellere, extrahere. *Ov. Met.* 6, 290. trahens haerentia viscere tela. *Id. Fast.* 5, 399. traxitque e corpore ferrum. *Mart.* 1, 14. gladium de visceribus. ℙ Item ducere. *Ov. Met.* 2, 230. Trahere auras ore. Eodem sensu *Plin.* 11, 3, 2. animam. Sic *Liv.* 3, 6. Mortuus Aebutius erat Romanus consul, collega exigua in spe trahebat animam. *Ov. Met.* 2, 752. Et tanto penitus traxit suspiria motu, Ut, etc. *Virg. A.* 1, 375. imoque trahens a pectore vocem. *Phaedr.* 1, 21. Leo cum jaceret spiritum extremum trahens. ℙ *Trahere lanam* significat nere, tractare, facere. *Varr.* ap. *Non.* 15, 1. Simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur. *Juven.* 2, 54. Vos lanam trahitis, etc. *Lucr.* 4, 1, 376. quasi carmine lana trahatur. *Hor. Od.* 2, 18, 7. Nec Laconicas mihi Trahunt honestae purpuras clientae. *Ov. Met.* 14, 265. Trahere vellera digitis. *Id. H.* 3, 75. Nos humiles, famulaeque tuae data pensa trahemus. ℙ *Trahere aliquem ad supplicium* est ducere aliquem ad mortem, ap. *Tac. A.* 11, 35. *f.* et *trahere* absolute, sensu persimili, *Liv.* 2, 11. *med.* Cum a lictoribus jam traheretur, provocavit. ℙ *Trahere*, *rapere*, simile est ac *agere et ferre*, *ἄγειν καὶ φέρειν*. *Sall. Jug.* 45. Populus libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. *Id. Cat.* 11. Rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere. *Pl. Trin.* 2, 2, 12. Cetera rape, trahe, fuge, late. *Sall. Or. ad Caes.* 2, 3. Quod commodum est, trahunt, rapiunt. [*Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 11, 4.] ℙ Translate. *Sall. Cat.* 7. *extr.* Ea res nos longe ab incepto traheret, *h. e.* abduceret. *Id. Jug.* 103. Trahere consilium ex re aliqua. *Ov. Pont.* 4, 8, 62. laudem ab aliqua re. *Cic. Manil.* 7. *med.* Non possunt in una civitate multi fortunas amittere, ut non plures secum in eandem calamitatem trahant. *Id. Arch.* 11. Trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur. *Id. Off.* 1, 6. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem. [**Trahimur* naturali impetu, *ducimur* rationis jussu, quam *Goerenzii* interpretationem veram praedicat *Beier.* Aliter *I. F. Heus.* non modo necessariam, sed jucundam etiam nobis esse istam ad cognoscendum propensionem. Similiter *Degen: trahimur*, scil. inviti: quando multa, quae cognitu necessaria sunt, non sine molestia ediscuntur. *I. M. Heus.* et *Schütz.* vv. *et ducimur* cum edd. quibusdam abesse volunt. *Orell.* ne orationis quidem varietatem notans vulgatam servavit.] *Nep. Milt.* 8. Trahi ad cupiditatem imperii. *Virg. Ecl.* 2, 65. trahit sua quemque voluptas. *Id. ib.* 5, 709. quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. *Ov. Met.* 13, 84. de Hectore: tantum trahit ille timoris, *h. e.* secum trahit. ℙ Pro pertrahere, adducere. *Planc.* ad *Cic Fam.* 10, 4. Quid est, quod me in aliam partem trahere possit? et *Ov. Am.* 1, 4, 8. Atracis ambiguos traxit in arma viros. *Liv.* 33, 9. Ratus, partem profligatam cetera tracturam. *Tac. A.* 4, 60. *med.* Fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes; et *Liv.* 25, 16. Trahere ad defectionem Lucanos. *Id.* 42, 44. Aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos. *Id.* 5, 25. Partem tribunorum plebis patres in suam sententiam traxerant. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 463. sq. Ejusdem fere generis sunt et ista: *Liv.* 39, 32. pervicit, ut dejecto Fabio fratrem traheret, i. e. ad consulatum perduceret, efficeret, ut consul crearetur. — *Trahere rem ad hostes* dicuntur, qui deditionem et volunt, et perficiunt. Sic ap. *Liv.* 23, 8. coll. 24, 2. Plebs ad Poenos rem traheret. Cf. 32, 19. — Porro *Id.* 1, 7. Tempore illi praecepto, at hi numero avium, regnum trahebant: scil. ad caput factionis suae. *Id.* 9, 28. captae decus Nolae ad consulem trahunt, i. e. ad eum auctorem referunt.] ℙ Item diripere, vexare, distrahere. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac. f.* Quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes potentesque trahant, excidant. *Tac. A.* 15, 1. Jam de Armenia concessum: proxima trahi. [*Plura praebet *Boetticherus* l. l.] ℙ *Trahere pecuniam*, per luxum distrahere, indignis modis insumere. *Sall. Cat.* 21. Cum tabulas, signa, toreumata emunt; nova diruunt, alia aedificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant; *direxare*, et *lacerare* eod. sensu dixerunt *Id.* et *Plaut.* ℙ *Trahere*, in se ducere, concipere, contrahere. *Ov Met.* 11, 305. Videre hanc pariter, pariter traxere calorem; et *ib.* 2, 306. Trahere nigrum colorem. *Id. Trist.* 5, 13, 3. contagia. *Plin.* 12, 13, 27. situm. *Id.* 32, 10, 42. vitium. *Colum.* 12, 15. humorem; et *ib.* 50. *f.* saporem. *Juven.* 14, 325. rugam. *Colum.* 1, 6. *med.* Vina maturitatem trahunt. ℙ Illa similia sunt *Plin.* 15, 14, 15. Mala cetera e causis traxere nomen, germanitatis gemella, nunquam singula in fetu; cognationis melapia; mustea a celeritate nascendi, etc. *Ov. Met.* 4, 291. nomen quoque traxit ab illis. *Id. Fast.* 1, 596. Ille Numantina traxit ab urbe notam. *Cic. Phil.* 1, 6. *med.* Cognomen ex contumelia traxit. ℙ Item illa *Plin.* 5, 24, 21. et 6, 28, 32. Trahere originem ab aliquo. *Cic. Fam.* 4, 3. molestiam ex pernicie reipublicae. *Juven.* 11, 23. a censu famam. *Cic Balb.* 23. *f.* spolia de hostibus. *Liv.* 25, 14. *f.* praedam ex agris hostium. [*Perperam Noster duo huc exempla e *Livio* et *Cic.* huic §. adscripsit; pertinent ista ad eum locorum numerum, qui absumendi, rapiendi significatum trahendi verbo vindicat.] ℙ Pertinet saepe ad cogitationem, deliberationem, consilium: et significat agitare animo, reputare, considerare. *Sall. Jug.* 98. Marius anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, an fortunam opperiretur; et *ib.* 102. Dubius belli atque pacis rationes trahere. *Ter. Andr.* 1, 5, 25. Tot curae quae meum animum divorse trahunt. *Liv.* 38, 56. Multa alia, in Scipionis exitu maxime vitae, in diversum trahunt, ut quibus scriptis adsentiar, non habeam. *Tac. A.* 15, 1. Vologeses in diversas curas trahebatur. *Caes. B. C.* 1, 21. *f.* Tanta erat summa rerum exspectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur. *Sall. Jug.* 88. *f.* Sese quisque praeda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant. [*Plura *Taciti* exempla reperies ap. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 464. Imprimis notandum ejusdem scriptoris exemplum *Ann.* 14, 14. ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat laetum, nos: *sich eben dahin neigt.*] ℙ Item ad tempus, et est in longum ducere. *Cic. Att.* 10, 8. *med.* Si trahitur bellum, etc. *Liv.* 5, 10. Unum bellum annum jam tertium trahi. Adde *Sall. Jug.* 25. *f.* *Id. ib.* 40. Jugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias morae causas facere. *Id. ib.* 29. Saepe gratia, interdum jurgiis trahere tempus. *Val. Max.* 4, 4. *in.* Trahere aliquem sermone, quousque, etc. *Suet. Tib.* 31. *f.* Tanta consulum auctoritas (*erat*), ut legati ex Africa adierint eos, querentes trahi se a Caesare, *h. e.* protrahi, et negligi negotia sua. [**Brem.* ut rariorem hanc dicendi rationem notat.] *Liv.* 25, 15. Romani, quamquam circumventos hostis urgebat, tamen aliquandiu pugnam traxere. *Id.* 32, 35. De industria rem in serum trahere. *Ov. Met.* 9, 766. Ficto languore moram trahere. *Petr. Sat.* 111. Femina quintum jam diem sine alimento trahebat. *Sen. ep.* 101. Praecipiti abreptus angina, vix compressum arctatis faucibus spiritum traxit in lucem. *Quint.* 1, 10. *f.* Trahere aliquid in longius. *Cels.* 2, 6. *med.* Alvus varia potest paulo diutius trahere: in praecipiti vero jam esse denuntiat, quae liquida, etc. et 4, 16. Intestinorum laevitas interdum aegros trahit, interdum praecipitat. ℙ Absolute. *Flor.* 4, 2. *med.* Decem annos traxit ista dominatio. *Cels.* 2, 8. *med.* Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt, etc. ℙ *Trahere vitam*, agere: et saepe de iis dicitur, qui misere vivunt, et quasi inviti. *Plin.* 28, 1, 2. Vitam non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. *Phaedr.* 4, 5. Vitam luxu trahere. *Id.* 3, 7. in silvis asperam vitam trahens. *Virg. A.* 2, 92. Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 259. Sola domi luctu senium tractura relinquor. *Ov. Trist.* 5, 7, 65. Sic animum tempusque traho: meque ipse reduco A contemplatu, submoveoque, mali. ℙ Huc et illa pertinent. *Stat. Th.* 2, 145. at Inachio tenuis sub pectore regi Tracta quies, dum mente Deos, inceptaque versat Hospitia. Sic *Prop.* 1, 14, 9. optatam mecum trahit illa quietem. *Ov. Am.* 2, 19, 55. per nulla traham suspiria somnos. *Virg. G.* 3, 97. frustraque laborem Ingratum trahit. *Id. A.* 1, 752. vario noctem sermone trahebat. *Mart.* 11, 104. tractae per pocula noctes. *Tac. H.* 4, 70. Classicus segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. ℙ *Trahere verba*, difficulter loqui, singultu, aut fletu, aliave re impediente. *Sil.* 8, 79. Cui sic, verba trahens largis cum flectibus, Anna Incipit. ℙ *Trahere stipendia*, agere, mereri, et aes militare accipere. [*Nos quoque dicere solemus *ziehen*, *beziehen.*] *Just.* 12, 4. *med.* Siquorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrum trahebant, quorum pueritia inter varias expeditiones militia erat. ℙ Pro vertere, in aliquam partem accipere, interpretari. *Sall. Jug.* 97. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur. *Liv.* 5, 23. Jovis Solisque equis aequiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant. *Tac. A.* 4, 64. Fortuita ad culpam trahentes; et *ib.* 12, 52. Idque ad clementiam Caesar trahebat, quod stirpem hostilem iterum conservaret; et *ib.* 1, 62. Cuncta Germanici in deterius trahens. *Id. H.* 2, 20. Ornatum ducis coloniae in superbiam trahebant. *Id. A.* 1, 76. *f.* Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii. ℙ Expromere, eloqui, dicendo exsequi. *Pers.* 5, 26. His ego centenas ausim deposcere voces, Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi, Voce traham pura, totumqae hoc verba resignent, Quod latet arcana non enarrabile fibra.

*TRAIA CAPITA, oppidum Hispaniae Tarraconensis. *Anton. Itin. B. A.*

TRAJĀNĀLIS, e, adj. ad Trajanum pertinens, qui fuit XIV. Romanorum Imp. tam bonis moribus, ut in acclamationibus subsequentium imperatorum illud Romani precarentur: Augusto felicior, Trajano melior, ut est ap. *Eutr.* 8, 5. Exstat ejus laudatio a Plinio juniore conscripta, quae panegyricus dicitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 19, 3. C. Plaetorius C. F. Stel. Phoebus VI. Vir Augustal, Sodal. Trajanal. et Hadrianal. V. SODALIS.

TRAJĀNENSIS, e, adj. ad coloniam Trajanam pertinens, urbem ad ripam Rheni sitam, et in *Anton. Itin.* memoratam, ubi nunc *Kellen* est. *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 2. S. P. Q. Trajanensis. Alia ap. *eund.* 429, 1. Plebs, ordoque Trajanensis. [Alia ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2003. Cives Trajanenses. *F.*]

[TRAJĀNOPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Trajanopolin pertinens, Thraciae urbem ad Hebrum fluvium, quae et Augusta Trajana dicitur. *Inscr.* ap. *Donat.* 344, 7. P. Aelius Avitus Trajanapol. natione Thrax. *F.*]

TRAJĀNUS, a, um, adj. ad Trajanum pertinens. V. TRAJANALIS. *Inscr.* ap. *Grut.* 177, 6. Trajanae Thermae. ℙ *Trajana aqua* fuit eadem ac Aurelia (V. AURELIUS), quam Trajanus Aug. ex lacu Sabatino, nunc *di Bracciano*, in Transtiberinam regionem deduxit, cujus aquaeductus deinde intercepti, a Paulo V. Pont. Max. maxima ex parte restituti, ac proinde nunc *acqua Paola* dicitur. Id evincitur ex *Inscr.*, quae ann. MDCCCXXX. decem pass. millib. ab Urbe reperta, edita vero est in *Bullett. dell' Institut.* T. 3. p. 220. Imp. Caes. Divi Nervae F. Nerva Trajanus Aug. Germ. Dacicus, Pont. Max., Tr. Pot. XIII., Imp. VI Cos. V. P. P. aquam Trajanam pecunia sua in urbem perduxit, emptis locis per latitud. P. XXX. ℙ *Trajana via*, eadem fuit ac Appia, quae Roma per paludes Pomptinas et per Apenninum ducebat Brundusium, ab Trajano Aug. restituta, cujus mentio est in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 421. et seq.; eadem *via Trajana Appia* dicitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 1. Alia vero fuit in Frentanis, quae in *Inscr.* ap. *Mur.* 1050, 7. *Trajana Frentana* appellatur; item alia ap. *eund.* 1091, 8. *via nova Trajana* nuncupata; item apud *eund.* 446, 4. *tres Trajanae* appellatae. [*Ad voces *trajanus*, *trajanalis*, et *trajanensis* multa doctissime adscripsit *F.* ℙ **Forum Trajani*, oppidum Sardiniae. *Ant. Itin.* ℙ *Colonia Trajana* Galliae Belgicae oppidum fuit, in terra Gugernorum, inque Rheni ripa. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*]

TRAJECTĪCĬUS, a, um, adj. qui alio trajicitur, translaticius. *Modest. Dig.* 22, 2, 1. Trajecticia pecunia est, quae trans mare vehitur, ceterum si eodem loco consumatur, non erit trajecticia. *Paul. Sent.* 2. *tit.* 14. Trajecticia pecunia, propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras recipere potest. Adde *Papin. ib.* 4. *Ulp. ib.* 13, 4, 2. *f.* et *African. ib.* 44, 7, 22. *Imp. Justin. Cod.* 4, 32, 26. In trajecticiis autem contractibus vel specierum foenori dationibus, usque ad centesimam tan-

tummodo licere stipulari, nec eam excedere jubemus, licet veteribus legibus hoc erat concessum.

TRAJECTIO et Transjectio, onis, f. *διάβασις*, actus trajiciendi, transitio. *Vitr.* 2, 9. *f.* Tabulae in subgrundiis si essent ex ea (*larise*) collocatae, ab trajectionibus incendiorum aedificia periculo liberarentur. *Cic. Div.* 1, 1. Assyrii trajectiones motusque stellarum observaverunt. [**Trajectiones stellarum* sunt *μετέωρα*, Germanis *Sternschnuppen*. Ita *Ern.* in *cl. Cic.* s. v.] Adde *ib.* 2, 6. ℙ Item transitus maris, aut fluminis, transvectio, transfretatio. *Id. Att.* 8, 15. Cautior certe est mansio: honestior existimatur trajectio, *h. e.* mare trajicere, et Pompejum sequi. ℙ *Trajectio verborum* est transpositio de suo loco in alienum, *ὑπέρβατον*. *Auct. ad Her.* 4, 32. *f.* Transgressio est, quae verborum perturbat ordinem perversione, aut transjectione. Transjectione hoc modo: Instabilis in istum plurimum fortuna valuit. Item: Omnes invidiose eripuit tibi bene vivendi casus facultates. Hujusmodi transjectio, quae rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes, etc. *Cic. Or.* 69. Uti trajectione verborum. Adde *Quint.* 8, 2. *med.* ℙ De ipso contextu orationis. *Quint.* 8, 2. Plus tamen est obscuritatis in contextu et continuatione sermonis, quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio, nec trajectione tam tardus, ut in hyperbaton finis ejus differatur. ℙ De hyperbole, qua ultra id, quod verum est, verba trajicimus. *Cic. Or.* 3, 53. et *Quint.* 9, 2. *in.* Tum augendi minuendive causa, veritatis superlatio atque trajectio. [**Cf. Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 400. sq.]

TRAJECTO, as, a. 1. frequent. a *trajicio*. *Cels.* 7, 14. *med.* Sinus umbilici ad imum acu trajectatur duo lina ducente, *h. e.* transuitur.

TRAJECTOR, oris, m. qui trajicit. *Prud. Hamart.* 882. ignis Trajector nebulae, et vasti penetrator operti.

TRAJECTORIUM, ii. *n.* infundibulum, quod Itali vulgo *pipa* vocant. *Plin. Val.* 1, 37. Herbam symphoniacam mittes super carbones, et per trajectorium totum fumum ore trahes; et 58. *med.* Facies trochiscos in modum olivae, et mittes in testam cum carbonibus, et pones trajectorium super testam, et cooperies de mappa, et os tenebis in trajectorium, et sic fumum trahes. *F.*]

TRAJECTURA, ae, f. projectura. *Vitr.* 4, 7. *med.* Supra trabes, et supra parietes trajecturae mutulorum, quarta parte altitudine columnae, projiciantur.

TRAJECTUS et Transjectus, a, um, part. a *trajicio*: *διαπεπαρμένος*, transverberatus, transfixus. *Caes. B. G.* 7, 25. Scorpione ab latere dextro transjectus, exanimatusque concidit; et *ib.* 82. Transjecti pilis muralibus interibant. *Plin.* 11, 37, 77. Mortem cum risu trajecta praecordia attulerunt. *Ov. Fast.* 5, 709. Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense. ℙ Item transvectus. *Cic. ad Quir.* 8. *med.* Marius parva navicula trajectus in Africam. *Liv.* 21, 56. Exercitus Pado trajectus Cremonam. ℙ Item transmissus. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* In caveis crebrae perticae trajectae sint, ut omnes sustinere possint gallinas. *Plin.* 25, 5, 22. Trajectus per aurem surculus; et 26, 7, 21. Radix trajecta in auricula. ℙ Item traductus. *Ulp. Dig.* 9, 2, 29. Per cujus domum trajectus erat aquaeductus. *Ov. Am.* 3, 6, 3. ad amnem: Nec tibi sunt pontes, nec quae sine remigis ictu Concava trajecto cymba rudente vehat. ℙ Trajectus amnis. *Liv.* 21, 30. Rhodanus tantus amnis, domita fluminis vi, trajectus. ℙ [**Trajecti surculi* ap. *Suet. Ner.* 48. trajectos surculos rasit, sunt surculi transversae viae injecti. Ita *B. Crus.* Alii interp. qui trajecta paenula inhaeserant, vel quos trajiciebat s. transibat.] ℙ Item qui transiit. *Hor. Sat.* 2, 3, 28. emovit veterem novus (*morbus*), ut solet, in cor Trajecto lateris miseri capitisve dolore. [*Proprium hoc medicorum verbum est, *Gr. μεθίστασθαι*.] ℙ Item translatus. *Tac. A.* 12, 39. Ut quondam Sugambri excisi, et in Gallias trajecti forent. *Inscr.* ap. *Grut.* 523, 6. C. Atilius C. F. Pom. Crescens militavit in leg. IX. annis VIIII., trajectus in praetorium Coh. V. Pr. militavit ann. III.

TRAJECTUS et Transjectus, us, m. *διάβασις*, transitio, transvectio, praesertim maris, aut fluminis. *Caes. B. G.* 4, 21. In Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam trajectus; et *ib.* 5, 2. Omnes ad portum Itium convenire jubet, quo ex portu commodissimum in Britanniam transjectum esse cognoverat. *Plin.* 6, 23, 26. Ex quo promontorio in adversa ora ad Macas trajectus distat L. M. pass. *Suet. Aug.* 17. Tempestate in trajectu bis conflictatus. *Caes. B. C.* 2, 20. Ne itinere, aut trajectu intercluderetur. *Liv.* 1, 3. Tiberinus in trajectu Albulae amnis submersus. ℙ Item locus, unde trajiciendi facultas est. *Hirt. B. Alex.* 56. Legiones, quas in Africam ducturus erat et auxilia mittit ad trajectum. [*Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 731. *n.* 450. Corpus scapharior. et lenuncularior. traject. Luculli, *h. e.* ubi Lucullus advenas trajicere solet. *F.*] ℙ **Trajectus* etiam nomen quorundam oppidorum fuit, v. g. *Trajectus Mosae*, hodie *Maastricht*, et *Trajectus Rheni*, hodie *Utrecht*. Posterioris meminit *Ant.* in *Itin.* omisso tamen v. *Rheni*. ℙ *Trajectum* lingua Gallica oppidum sonat. *Bed. Hist.* 5, 12. V. *Cangium* in *Gloss.. Cellar. Geogr. Antiq.* T. 1. p. 281. et cf. *Ant. Itin.* p. 86, 369 et 608. ed. *Wesseling. B. A.*

TRAJICIO et Transjicio, is, jeci, jectum, a. 3. *διαβάλλω*, trans et ultra jacio, jaciendo supero. De ratione scribendi in TRADITUS dictum est. *Caes. B. C.* 3, 19. Neque ullum telum per pactiones colloquentium transjiciebatur. *Prop.* 2, 9, 18. alio trajice tela tua. *Liv.* 25, 14. et 41, 4. Arreptum vexillum trans vallum hostium trajecit. *Cic. Fin.* 4, 9. *med.* Si Annibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset. *Ov. Fast.* 4, 781. Moxque per ardentes stipulae crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede. *Prop.* 4, 4, 75. super raros foeni flammantis acervos Trajicit immundos ebria turba pedes; et *ib.* 2, 35. Est etiam aurigae species Vertumnus, et ejus, Trajicit alterno qui leve pondus equo, *h. e.* desultoris. *Lucr.* 4, 425. Et quocumque oculos trajecimus, omnia ferri. ℙ Item transfundo. *Varr. R. R.* 1, 64. Quod est levissimum ac summum, ut trajiciant in alia vasa. *Scrib. Comp.* 45. Cerussam terere in mortario, deinde in cacabum trajicere. ℙ Item transfodio, transfigo, *ἀναπείρω*. *Caes. B. G.* 5, 43. Pilum in hostes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit. *Hirt. B. G.* 8, 48. Commius lancea infesta medium femur ejus magnis viribus trajicit. *Virg. A.* 9, 633. sagitta Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro Trajicit. *Id. ib.* 10, 399. Tum Pallas, bijugis fugientem Rhoetea praeter, Trajicit. *Liv.* 41, 11. *med.* Rex trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur. *Suet. Oth.* 11. Uno se trajecit ictu infra laevam papillam. Adde *Sen. Ben.* 3, 23. *f. Ov. Met.* 6, 243. tento concita cornu, Sicut erant juncti, trajecit utrumque sagitta. *Cels.* 7, 8. et 9. Acu trajicere aliquid. ℙ Item transveho, navibus trans flumen, aut mare duco, *διαπορθμεύω*. *Nep. Att.* 2. Athenas se contulit: eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum. *Caes. B. C.* 1, 84. *extr.* Caesar equitum partem flumen transjicit. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. *f.* et *ib.* 11. Exercitum Rhodanum trajeci. *Liv.* 22, 21. et 23, 31. Legiones in Siciliam trajicere. *Id.* 2, 11. et 21, 26. copias trans flumen. *Varr. R. R.* 2, 7. Si flumen trajiciendum est. Alii leg. *travehundum est.* V. TRANSVEHO. ℙ *Trajicere se*, flumen aut mare transire. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. *f.* Si quo etiam casu Isaram se trajecerint. *Liv.* 28, 18. *f.* et *Val. Max.* 9, 8. *n.* 1. Duabus navibus in Africam trajecisse sese in hostilem terram. ℙ De itinere terrestri. *Varr. R. R* 2, 4. *med.* Sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam. Itaque eas si quis quo trajicere vult, in plostrum imponit. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 9. Si se Alpes Antonius trajecerit. ℙ Trajicere flumen, transire. *Liv.* 21, 56. *f.* Cum ratibus Trebiam trajicerent. *Claud. VI. Cons. Hon.* 486. trajecit clypeo Tiberim. *Suet. Caes.* 57. Si flumina morarentur, nando trajiciens. ℙ Ipsi etiam qui transeunt, *trajicere* dicuntur. *Liv.* 29, 22. *f.* Senatus censuit, primo quoque tempore in Africam trajiciendum, *Just.* 2, 13. *med.* Cum solutum pontem offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit. *Liv.* 37, 13. Ad Aethaliam insulam trajecit; et *mox:* Romanae naves vacuo ab hostibus mari Samum trajecerunt. *Id.* 30, 2. Ne qua classis ex Africa trajiceret. *Id.* 30, 24. *f.* Ut classe quinquaginta navium Hasdrubal Aegimurum trajiceret. *Just.* 23, 1. *extr.* A Sicilia in Italiam trajecit. *Liv.* 7, 30. Cum videremus, ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium esse. *Virg. A.* 6, 536. roseis Aurora quadrigis Jam medium aetherio cursu trajecerat axem. ℙ [*Dicuntur *trajicere* etiam res, quae ex loco in locum transeunt. Sic legitur de incendio ap. *Liv.* 31, 48. quum una direpta et incensa esset, trajecturumque id incendium, vel, ut ex continentibus tectis, in alteram tam propinquam coloniam esset. ℙ Ponitur etiam notione perrumpendi. *Id.* 42, 7. mediam trajecit (pars equitum) aciem, i. e. perrupit. ℙ Porro notandum illud *Prop.* 1, 19, 12. Trajicit et fati littora magnus amor, i. e. superat, etiam post mortem durat, nos: *Liebe ist stürker als der Tod.*] ℙ Adhibetur etiam pro transferre, universim. *Just.* 8, 5. Pecora pastores nunc in hibernos, nunc in aestivos saltus trajiciunt. *Liv.* 30, 10. Malos antennasque de nave in navem trajicere. *Petr. fragm. Trag.* 74. *Burm.* Annulum trajecit in dexteram manum. *Papin. Dig.* 26, 7, 38. *med.* et *Paul. ib.* 48, 13, 9. Trajicere pecuniam in provinciam. V. TRAJECTICIUS. ℙ Translate. *Cic. Div. Verr.* 14. Cum ex illius invidia deonerare aliquid, et in te trajicere coeperit. *Ov. Met.* 12, 628. arbitrium litis trajecit in omnes. *Quint.* 9, 2. *in.* Romovere a se (*culpam*), et in alium trajicere. *Liv.* 2, 22. *med.* Ut de foedere rem ad novos magistratus trajicerent. Plerique leg. *rejicerent.*

TRALATUS. V. TRANSLATUS.

TRALLES, ium, m. plur. populi Illyrii, *Τράλλες*. *Liv.* 37, 39 et 40. ℙ Item urbs Lydiae, prope fines Cariae. Unde

TRALLIANUS, a, um, adj. *Τραλλιανός*, ad Tralles Lydiae urbem pertinens. *Cic. Or.* 70. *extr.* Quasi vero Trallianus fuerit ipse Demosthenes. *Id. Phil.* 3, 6. Aricina mater: Trallianam aut Ephesiam putes dicere. ℙ *Tralliana pellis* V. BABYLONICUS. ℙ *Tralliani, orum*, sunt incolae illius urbis. *Cic. Fl.* 22.

*TRALLICON, i, n. vetus oppidum Cariae, ad Harpasum flumen. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[TRALLIS, idis, f. patron. a Trallibus populis. Est cogn. R., ut *Turpilia Trallis* in *Inscr.* mendosa ap. *Carl. Antiq. Ital.* T. 3. p. XXXIX. et mutila ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1201. quae nunc exstat in *Mus. Semin. Venet.* C. Turpilius Felix V. F. sibi, et Betuviae Feliculae, C. Pollenio Liberali Ful. (*h. e.* fulloni, ut in alia ap. *Grut.* 333, 5. Philomuso fulloni colleg. castrensium, etc.) collegio Dendrophorum, Turpilli Vitali, Aprioni, Etruscae, Eulalo, Primo, Trallidi collibertis, C. Settidio Donato, L. Annio Venusto discipulis bonis. *F.*]

TRALOQUOR et Transloquor, eris, dep. 3. rem omnem enarro, a principio ad finem usque eloquor. *Pl. Pers.* 3, 3, 6. Trecentis versibus tuas impuritias traloqui nemo potest.

TRALUCEO. V. TRANSLUCEO.

TRAMA, ae, f. [*ἧτριον, πλοκή, F.*] textura panni, aut telae, quae ex stamine et subtemine consertis fit: a *trameo*, [quia fila staminis ita decussantur, ut subtemen immissum trameare possit. *Varr. L. L.* 4, 23. Trama, quod tranat frigus id genus vestimenti. *Scal.* legit: *quod trameat frugionis* (*h. e.* phrygionis) *vestimentum*. Videtur hic *Varro* loqui de eo opificio, quod Italis *ricamo* dicitur. *F.*] *Sen. ep.* 90. *med.* Quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat: quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrinque comprimentis tramae remolliat, spatha coire cogatur et jungi. *Plin.* 11, 24, 28. de aranei tela: Crebratae pexitas telae, et quadam politurae arte, ipsa per se tenax ratio tramae. ℙ Translate. *Pl. Rud.* 5, 2, 35. *Grip.* Quid dare velis? *La.* nummos trecentos. *Grip.* tricas. *La.* quadringentos. *Grip.* tramas putridas. *La.* quingentos. *Grip.* cassam glandem fabulare, *h. e.* res nullius pretii. *Pers.* 6, 73. mihi trama figurae Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter? *h. e.* macer ego sim, ossa ac pellis, et veluti sola textura ossium ac nervorum: ille vero bene habitus, et ventre promisso ex pinguitudine. ℙ [Videtur autem Latinorum vulgus, olim tramam dixisse non texturam staminis et subteminis, sed ipsum tantummodo subtemen, cum etiamnum Itali *trama* hac eadem significatione usurpent, et stamini, quod iidem *orsojo* dicunt, opponant. Id patet ex loco *Servii* ad illud *Virg. A.* 3, 483. Fert picturatas auri subtemine vestes: Filo, quod intra stamen currit, quod Persius (V. supra) tramam dixit: nam male quidam subtemen stamen accipiunt, cum stamen de auro esse non possit. *Venant. praef.* ad *carm. acrostich.* 5, 6. *med.* Littera vero, quae tingitur in descendenti versiculo, et tenetur in uno, et currit in altero, ut ita dicatur, stat pro stamine, et pro trama currit in tramite, *h. e.* inservit tum complendo versiculo, qui in latus descendit et stamen repraesentat; tum incipiendo alteri, qui, ut trama in tela, transverse trameat in finali versiculo. *F.*]

[TRAMEN, inis, n. idem ac trama. V. v. praec. *Not. Tir.* p. 160. Tramen, stamen, subtemen. ℙ Item pro subtemine. V. v. cit. *Gloss. Philox.* Tramen, *ὀοδάκη*. *F.*]

TRAMEO. V. TRANSMEO.

TRAMES, itis, m. *τρίβος*, callis, semita transversa, et minus frequens, et iter compendifaciens: a *trameo*. [*Cf. *Doederl.* 4, 68.] *Pl. fragm.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Domum ire coepi tramite recta via. *Varr. ib.* Trames a transverso dictus. *Cic. Phil.* 13, 9. Egressus est non viis, sed tramitibus, paludatus. *Id. ib.* 12, 11. Haec ego in urbe praevideo: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit: num idem in Apennini tramitibus facere potero? *Sall. Jug.* 52. Per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. *Id. Cat.* 59. *med.* Uti per tramites occulte profugerat in Galliam. *Liv.* 2, 39. Inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus. *Just.* 38, 9. Fugientem Phraates equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. *Id.* 44, 4. Relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueverant, projici jubet. *Suet. Aug.* 16. *med.* Per devios tramites refugiens. ℙ *Servius* ad illud *Virg. G.* 1, 108. supercilio clivosi tramitis undam Elicit: Tramites, inquit, sunt convalles, quae de lateribus utrinque perviae limitant montes: quae solent etiam saltus nuncupari. Sed hic tramitem nunc pro valle aut saltu accipere debemus. *Virg. A.* 11, 515. Furta paro belli convexo in tramite silvae, Ut bivias armato obsidam milite fauces. *Prop.* 3, 21, 23. Clitumnus ab Umbro Tramite fluit; et *ib.* 11, 44. Etsi forte meo tramite quaeris avem. ℙ De quacumque via. *Virg. A.* 6, 676. Hoc superate jugum, et facili jam tramite sistam. *Hor. Sat.* 2, 3, 48. velut silvis, ubi passim Palantes error certo de tramite pellit, Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit. *Ov. Fast.* 3, 13. molli declivis tramite ripa. *Stat. Th.* 2, 48. de Taenaro: Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras Trames agit. *Ov.* de via, qua exitur ab Inferis, *Met.* 10, 53. Carpitur acclivis per muta silentia trames, Arduus, obscurus, caligine densus opaca. *Prop.* 4, 1, 103. Adspicienda

via est coeli, versusque per astra Trames, *h. e.* zodiacus, quem *Virg. G.* 1, 238. viam, *Ov. Met.* 2, 130. limitem appellat. *Poeta* aequalis *Gellii* 19, 11. Dulcemque florem spiritus Duco ex aperto tramite, *h. e.* ex ore. ℙ Videtur etiam sumi pro itione, qua ultro citroque transmeatur. *Prop.* 3, 14, 25. Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti, Qua facit assiduo tramite vulgus iter. *Virg. A.* 5, 609. de Iride: Illa viam celerans per mille coloribus arcum, Nulli visa, cito decurrit tramite virgo. ℙ Translate est ratio, modus, via. *Lucr.* 6, 25. de Epicuro: Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes, Quid foret: atque viam monstravit tramite prono, Qua possemus ad id recto contendere cursu. ℙ Allegorice. *Varr. L. L.* 4, 1. *med.* Non mediocres tenebrae in silva, ubi haec captanda: neque eo, quo pervenire volumus, semitae tritae: neque non in tramitibus quaedam objecta, quae euntem retinere possent. *Gell.* 13, 9. Videtis, hanc partem familiae non solum generis ipsius tramitibus, sed temporum quoque spatio differre, *h. e.* propagationibus transversalibus, tanquam diverticulis a via militari deductis.

TRĀMIGRO. V. TRANSMIGRO.

TRĀMITTO. V. TRANSMITTO.

TRĀNĀTO et Transnato, as, a. 1. idem quod *trano*, natando transeo. *Caes. B. G.* 1, 53. Perpauci viribus confisi transnatare contenderunt. *Plin.* 6, 27, 31. Nec e Tigri pisces in lacum transnatant. *Id.* 8, 22, 34. Reverti ad stagnum, et cum transnataverit, effigiem recipere. Adde *Tac. H.* 4, 66. et *ib.* 5, 28 et 21. Praeterea multa sunt *Livii* loca, in quibus *transnatare*, et *tranatare*, et *tranare*, et *trasnare* promiscue legitur in MSS. et editis libris: quae collegit *Drakenb.* ad *Liv.* 21, 27.

TRĀNĀTUS et Transnatus, a, um, part. a *trano*: nando trajectus. *Front. Strat.* 1, 7. et *ib.* 3, 13. Transnato flumine.

TRĀNĀVIGO. V. TRANSNAVIGO.

TRĀNO et Transno, as, avi, atum, a. 1. *διανήχομαι*, nando trajicio: a *trans* et *no*, *as*. De ratione scribendi V. in TRADITUS. *Caes. B. C.* 1, 48. *f.* Quibus erat proclive transnare flumen. *Hirt. A. Alex.* 29. *med.* Equites demissioribus ripis flumen transnarunt. *Liv.* 1, 10. *f.* In Tiberim desiluit, et incolumis ad suos transnavit. *Tac. A.* 2, 17. *f.* Tranare Visurgim conantes. *Lucr.* 1, 15. ferae pecudes rapidos tranant amnes. *Stat. Ach.* 1, 451. Pelasgas Ut vidit transnare rates. *Virg. G.* 3, 270. superant montes, et flumina tranant. *Id. Cul.* 214. Lethaeas transnare per undas. *Curt.* 8, 13. Quasi flumen transnaturus foret. ℙ Passive. *Ov. A. Am.* 2, 181. Obsequio tranantur aquae. *Virg. Cul.* 359. Elysiam tranandus agor delatus ad undam. ℙ Item quocumque modo transire, transmeare. *Stat. Th.* 9, 311. sublimi transnantem flumina curru. *Virg. A.* 4, 245. agit ventos et nubila tranat. *Lucr.* 4, 177. Tranare auras. *Sil.* 3, 682. per auras In Libyen niveis tranavit concolor alis. *Id.* 13, 185. sagitta tranat per auras; et *ib.* 238. tranavit hasta viri pectus. *Id.* 16, 335. ingentia tranat Exsultans spatia. *Lucr* 4, 602. Tranare foramina. *Sil.* 17, 366. pericula.

TRANQUILLĀTUS, a, um, part. a *tranquillo*: tranquillus factus. *Nep. Att.* 4. *f.* Tranquillatis rebus Romanis, remigravit Romam.

TRANQUILLĒ, adv. *γαληνῶς*, leniter, placide, citra motum et perturbationem. *Cic. Tusc.* 3, 11. *f.* Si volumus hoc, quod datum est, vitae tranquille placideque traducere. *Id. Or.* 28. *f.* Qui nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere. *Pl. Cist.* 1, 1, 112. Sed amabo, tranquille: ne quid, quod illi doleat, dixeris. *Sen. ep.* 71. *med.* Animus tranquillius inter divina mansurus. *Suet. Aug.* 2. *med.* Tranquillissime senuit.

[TRANQUILLĪNUS, a, um, adj. ad tranquillum pertinens. Est cogn. R., ut Furia Sabinia Tranquillina uxor Gordiani III. Aug. in *Inscr.* ap. *Mur.* 251, 6.

TRANQUILLĪTAS, atis, f. *γαλήνη*, *γαληνότης*, quies maris tempestatis expers, ut *serenitas* est status quietus coeli. [*Cf. in TRANQUILLUS.] *Cic. Acad.* 4, 31. *med.* Proficisci probe navigio, bono gubernatore, ac tranquillitate. *Id. Att.* 6, 8. *med.* Nos longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. *Caes. B. G.* 3, 15. Tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, ut se loco naves movere non possent. *Liv.* 26, 11. Ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur: *scil.* aeris. [**Plin. Pan.* 66, 3. quos insidiosa tranquillitas provectos improvisus turbo percuderat: ubi notandus hujus vocabuli in mala re rarior usus. Cf. TRANQUILLUS.] ℙ Per translationem accipitur pro quavis quiete, ut *tranquillitas vitae*, et *animi*, hoc est securitas motuum omnium, et perturbationum expers. *Cic. Tusc.* 4, 5. *f.* In parte animi, participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam. *Id. Or.* 1, 1 Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, etc. *Id. Off.* 1, 20. *f.* Ut tranquillitas animi, et securitas adsit. *Id. Mur.* 27. Qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitae secuti sunt. *Tac. Agr.* 40. Tranquillitatem et otium penitus auxit. *Sen. Tranq.* 2. Magnum et summum est, Deoque vicinum, non concuti. Hanc stabilem animi sedem Graeci *εὐθυμίαν* vocant: ego tranquillitatem voco. *Petr. Sat.* 118. Forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem, confugerunt. ℙ De colore. *Plin.* 37, 10, 56. Cinaediae praesagiunt habitum maris, nubilo colore, aut tranquillitate. ℙ *Tranquillitas tua*, sequiori aevo est compellatio magnorum principum. Habetur ap. *Eutrop. praef.* et 1, 12.

TRANQUILLO, adv. V. TRANQUILLUS.

TRANQUILLO, as, a. 1. *γαληνόω*, tranquillum facio, tempestates sedo. *Plin.* 2, 103, 106. Mare tranquillatur oleo. ℙ Translate sumitur pro sedare, lenire, liberare a perturbationibus, cui opponitur *perturbare*. *Cic. Top.* 26. Ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur. *Pl. Capt.* 1, 2, 21. Vultum alicujus tranquillare, *h. e.* exhilarare. *Hor. Ep.* 1, 18, 102. Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum.

TRANQUILLUS, a, um, adj. *γαληνὸς*, quietus, sedatus, placidus: et proprie de mari dicitur, quando nulla exagitatur tempestate, ut *serenus* de coelo. [*Cf. *Gronov.* et *Drakenb.* ad *Liv.* 3, 14, 6. 28, 27, 11. et *Doederl.* 1, 81. — De discrimine inter h. v. et *quietus Ernesti n.* 2068. docet, usurpari *tranquillus* de rebus et animo, *quietus* de rebus et personis: quod *Doederl.* 1, 80. non ubique scriptorum locis confirmari demonstrat, coll. *Cic. Or.* 52. Isocrates in transferendis verbis tranquillior. Accuratius *Weber Uebungsschule* 1. p. 136. significare *tranquillus* sedatum, perturbationum expertem animi statum, opp. affect. vehementia, deducta metaphora a mari pacato: *quietus* dici de eo, qui labore vacuus, otio, somno tempus transigat. Hinc *tranquillus* nonnisi bono sensu; *quietus* in utramque partem posse adhiberi. — Etym. facit *Doederl.* l. l. a *traho*, ita ut *tranquillus* frequent. forma sit ab inus. *traculus.*] *Cic. Cluent.* 49. *f.* Mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur atque turbatur. *Liv.* 24, 8. *med.* Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare potest. *Ov. Pont.* 2, 7, 8. Tranquillas etiam naufragus horret aquas. *Val. Fl.* 2, 609. Tranquilla aequora. *Plin.* 2, 79, 81. Tranquillum coelum, *h. e.* sine vento; et *ib.* 45, 44. Tranquillus dies. *Id.* 9, 27. Tranquillae noctes. *Liv.* 2, 61. Tranquilla serenitas. ℙ Absolute. *Pl. Cas. prol.* 26. Tranquillum est, alcedonia sunt circum forum. *Plin.* 9, 10, 12. Testudines eminente dorso per tranquilla fluitantes. *Sen. Troad.* 200. Immoti jacent Tranquilla pelagi. *Liv.* 31, 23. Primis tenebris movit, et tranquillo pervectus Chalcidem, etc. *scil.* mari. Sic 24, 8. Non tranquillo navigamus, sed jam aliquot procellis submersi paene sumus. *Sen. ep.* 85. *f.* Tranquillo, ut ajunt, quilibet gubernator est. *Plin.* 9, 7, 6. Saepe adnotata piscium aestivo calore quaedam anhelatio, et alia tranquillo velut oscitatio. *Cic. Off.* 1, 24. In tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est. ℙ Translate est pacatus, placidus, quietus, sedatus, expers perturbationum. *Cic. Off.* 1, 29. Appetitus sint tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. *Pl. Cist.* 3. *v.* 21. Facere aliquem ex irato tranquillum. *Id. Poen.* 5, 4, 66. Hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem. *Ter. Andr.* 3, 5, 14. Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias. *Cic. Fin.* 1, 21. Placata, tranquilla, quieta, beata vita; et *ib.* 18. Nihil quieti videre, nihil tranquilli potest. *Id. Or.* 1, 8. Pacatae tranquillaeque civitates. *Sall. Cat.* 16. *extr.* Tutae tranquillaeque res omnes. *Plin. ep.* 3, 20. Omnia disposita, moderata, tranquilla, majestatem loci pudoremque retinebant. *Cic. Sen.* 20. *med.* Tranquillo animo esse. *Id. Att.* 7, 7. Cetera videntur esse tranquilla: tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc aequi boni facit; et *Liv.* 2, 63. Consules, educta ex urbe juventute, tranquilliorem ceteram plebem fecerunt. *Id.* 38, 28. In ceteris provinciis tranquillae res fuerunt. *Cic. Att.* 14, 3. Tranquillae tuae quidem litterae: quod utinam diutius, *h. e.* tranquilla omnia nuntiantes. *Id. Tusc.* 3, 15. Frons tranquilla et serena. *Id. Pis.* 15. Meum illud turbulentissimum tempus tuo tranquillissimo praestat. *Hor. Sat.* 2, 1, 57. tranquilla senectus. *Lucan.* 1, 171. pax. *Id.* 2, 266. tranquilla otia sine armis agere. *Id.* 1, 129. alter (*Pompejus*) vergentibus annis In senium longoque togae tranquillior usu; et *Lucr.* 3, 294. tranquillum pectus, et vultus serenus. [**Vell.* 2, 127. *f.* vultu vitaque tranquillum, animo exomnem.] *Pl. Ep.* 3, 4, 8. tranquillus locus, *h. e.* ubi tranquille agitur. ℙ Refertur aliquando ad rationem dicendi. *Cic. Or.* 52. *f.* Est enim Isocrates, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. ℙ Absolute. *Pl. Amph.* 1, 2, 16. Seditionem in tranquillum ex saevis transfert tempestatibus. *Liv.* 3, 40. *med.* Bellis perfectis, republica in tranquillum redacta. *Id.* 4, 43. In urbe ex tranquillo nec opinata moles discordiarum exorta est. *Ter. Phorm.* 4, 4, 8. Qui te ad scopulum e tranquillo inferat. *Id. Eun.* 5, 9, 8. Meo fratri gaudeo amorem omnem in tranquillo esse. *Lucr.* 5, 11. Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris In tam tranquilla, et tam clara luce locavit. *Liv.* 3, 14. *f.* Cetera tribuni tranquillo peregere. ℙ *Tranquillo* adverbii modo. *Val. Fl.* 1, 38. tranquilla tuens, nec fronte timendus. ℙ Est etiam cogn. R. ut C. Suetonius Tranquillus grammaticus, rhetor et historicus. V. SUETONIUS.

TRANS, *πέραν*, ultra: praepositio accusativum regens. *Cic. Att.* 12, 19. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare. *Id. Fam.* 2, 15. *f.* Tuae res gestae ita notae sunt, ut trans montem Taurum etiam de Matrinio sit auditum. *Id. Quint.* 3. Tollitur ab atriis Liciniis Naevius, et trans Alpes usque transfertur. *Caes. B. G.* 1, 1. et 5. Qui trans Rhenum incolunt. *Pl. Merc.* 2, 3, 19. Trans mare hinc illam venum asportet. *Virg. Ecl.* 8, 102. trans caput jace cineres. *Ov. Met.* 9, 114. curvos trans ripam miserat arcus. *Hor. Ep.* 1, 11, 27. qui trans mare currunt. ℙ Translate. *Quint. decl.* 6, 10. *f.* Non nisi ab ultimo parricidio exigitur poena trans hominem, *h. e.* ultra, et postquam morte homo esse desiit. ℙ In compositione si sequatur vocalis, integra manet: si consonans, modo *ns* amittit, modo retinet, ut *trajicio* et *transjicio*, *tralatio* et *translatio*, *tramitto*, *traduco* et *transmitto*, *transduco*, item *transcendo* et *transscendo*, *transcribo* et *transscribo*, etc. V. TRADITUS. ℙ [*Etymon hujus vocis plerique faciunt a Gr. *πέραν*: *Scheid.* ad *Sanct. Min.* p. 228. derivat a *traho*. Utramque ferri posse putat *Doederl.* 3, 110. quamquam synonymiae rationem, quam *Scheid.* demonstrat: ut *trans* idem sit, ac si dixeris *tractionem* s. *κατὰ tractionem eximie* per fluvium, vallem: haud facile unquam satisfacturam censet. — Significatus differentiam inter h. v. et *ultra* haud quidem difficilem intellectu beneque expositam a *Butim.* in Lexil. 2. p. 25. uberius persequitur exemplisque illustrat *Doederl.* l. l.]

TRANSĀBĒO, is, n. anom. *διαπορεύω*, ultra abeo. *Val. Fl.* 4, 510. de harpyis fugientibus: Turbine sic rapido populos atque aequora longe Transabeunt. *Stat. Th.* 6, 507. at hunc putri praeter tellure jacentem Taenarei currus, et Thessalus axis, et heros Lemnius, obliqua quantum vitare dabatur, Transabiere fuga. ℙ Item trajicio, transfigo. *Virg. A.* 9, 431. viribus ensis adactus Transabiit costas, et candida pectora rupit. Alii leg. *transadiit*, a *transadeo*, *is*, eod. sensu: alii *transadigit*. Adde *Stat. Th.* 2, 9. *Id. ib.* 9, 224. Lernaeam jacit ipse trabem: volat illa sagittis Aequa fuga, mediumque, nihil cunctata, Politen Transabit, et juncti clypeum cavat improba Mospi, *h. e.* transfigit Politen, et porro pergens perforat Mopsi clypeum. Adde *Sil.* 12, 264.

*TRANSACINCUM, i, n. oppidum Pannoniae inferioris, cui opponebatur Acincum. *Not. Imp.* ℙ Hodie vocatur *Pest. B. A.*

TRANSACTĬO, onis, f. *περαίωσις*, actus transigendi, peractio. *Tert. Anim.* 55. *med.* Cum transactione mundi reserabuntur regna coelorum. ℙ Item pactio inter litigantes de re dubia, et lite incerta, neque finita, *συμβιβασμός*. *Scaev. Ulp.* et *Hermog. Dig.* 2. *tit.* 15. qui De *transactionibus* inscribitur *l.* 3. 7. etc. Transactionem facere. *Paul. ib.* 50, 16, 230. Transactione composita. V. TRANSIGO.

TRANSACTOR, oris, m. *διαπράκτωρ*, qui transigit, cujus ministerio ad rei alicujus transactionem utimur. *Cic. Verr.* 2, 2, 28. Qui est rerum hujusmodi omnium transactor, et administer.

TRANSACTUS, a, um, part. a *transigo*: *διαπεπραγμένος*, peractus, perfectus, absolutus. [*Mirum quantum *Forc.* h. l. notionum exemplorumque ordinem miscuit, quem in melius redactum habes in REDIGO.] *Ter. Ad.* 2, 4. *f.* Transacta re, convertam me domum cum obsonio. *Pl. Cas. prol.* 84. Transacta fabula. *Id. Capt.* 2, 2, 95. Hic omne transactum reddet, si illuc venerit. *Cic. Or.* 2, 4. Transactis jam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis. *Id. Tusc.* 4, 25. Cum jam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus? *Tac. H.* 2, 38. *f.* Singulis velut ictibus transacta bella. ℙ Illud *Ter. Andr.* 1, 5, 13. Facta transacta omnia, *Donat.* proverbiale esse ait in id negotii, de quo nihil supersit ad agendum. Sic *Cic. Cat.* 3, 6. *f.* Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. *Id. Fam.* 14, 4. Si est spes nostri reditus, eam confirmes, et rem adjuves: sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad me fac venias. ℙ Est etiam transactione compositus. *Ulp. Dig.* 2, 15, 2. et *Papin. ib.* 17. Transactum negotium. *Ulp. ib.* 38, 17, 1. *f.* Quod ait senatus, Quae judicata, transacta, finitave sunt: ita intelligendum, ut transacta debeamus accipere scilicet bona fide, ut valeat transactio. ℙ Item transfixus, trajectus. *Lucan.* 9, 824. et 828. Biliscus cuspide Murri transactus. ℙ Item transadactus. *Sen. Oep.* 357. Ferrum per ambos tenue transactum pedes. ℙ Item elapsus, actus, de tempore. *Nep. Them.* 9. *extr.* Annum mihi temporis des, quo transacto, etc. *Tac. Agr.* 18. Transacta aetas. *Suet. Cal.* 59. Nulla nox sine aliquo terrore transacta. *Id. Tib.* 11. *f.* Transacto tribuniciae potestatis tempore.

TRANSĀDACTUS, a, um, part. a *transadigo*.

Appul. Met. 8. Ferro sub papillam dexteram transadacto.

TRANSĂDĔO, is, a. anom. transabeo, transfigo. V. TRANSABEO.

TRANSĂDIGO, is, a. 3. ita adigere, seu inigere aliquid, ut ex altera parte exstet. *Virg. A.* 12, 507. et qua fata celerrima, crudum Transadigit costas et crates pectoris ensem. *Appul. Met.* 4. Sumptum gladium suum per medium pectus ictu fortissimo transadigit. ℙ Transadigere aliquem, transfigere, trajicere, *διαπειρᾶν*, *Virg. A.* 12, 273. Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo Balteus, egregium juvenem, et fulgentibus armis, Transadigit costas. *Stat. Th.* 5, 125. Quatuor hos una, decus et solatia patris, Transadigam ferro. *Sil.* 10, 140. Haec fatus jaculo Lucam, qui maximus aevi, Transadigit. *Appul. Met.* 9. Injecta lancea, duorum alterum per pectus medium transadegit.

TRANSALPĪBUS, adverbii ritu, trans Alpes. *Gell.* 15, 30. *f.* Petoritum enim est non ex Graeca dimidiatum, sed totum transalpibus. *Gronov.* mallet *in*, vel *de transalpibus.* Alii ediderunt *transalpibus factum.* Simile est illud *Flori* 2, 3. Sic de subalpibus, id est de sub ipsis Italiae faucibus. V. v. sq.

TRANSALPĪCUS, a, um, adj. idem ac Transalpinus. *Not. Tir.* p. 144. Transalpes, Transalpicus, Transalpinus.

TRANSALPĪNUS, a, um, adj. qui trans Alpes est. *Cic. Mur.* 41. Transalpina Gallia. *Id. Fam.* 9, 15. Bracatae, et Transalpinae nationes. *Id. Off.* 2, 8. Transalpina bella. *Suet. Caes.* 24. Legio una ex Transalpinis conscripta. *Cic. in Sen.* 7. Cognatio materna Transalpini sanguinis.

TRANSAUSTRĪNUS, a, um, adj. [*i. q. austrinus.] *Capell.* 6. p. 197. de zonis: Altera regio transaustrini halitus desertione contrahitur.

[TRANSBENĒVENTĀNUS, a, um, adj qui trans Beneventum est, urbem Hirpinorum in Italia. *Paul. Not. carm.* 27, 377. quod illum Transbeneventanis finibus advenientem, etc. *F.*]

TRANSBĪBO, is, a. 3. idem quod bibo, ut Dare aliquid transbibendum, ap. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 7. *f.* et *ib.* 8. *med.*

[TRANSCENDENTIĂ, ae, f. idem ac transcensus. *Aggen. in Front.* p. 63. *Goes.* Initalis controversiae status transcendit in controversiam, quae est loco tertio: transcendentiam non habet de hoc *(status)* effectivus, sed dum consummatus fuerit, nascitur. *F.*]

TRANSCENDO, is, di, a. 3. *ὑπερβαίνω*, ascendendo transgredior: a *trans* et *scando. Lucan.* 4, 175. audet transcendere vallum Miles. *Caes. B. G.* 7, 70. *med.* Fossam transire, et maceriam transcendere conantur. *Cic. Somn. Scip.* 6. *f.* Transcendere Caucasum, vel Gangem transnatare. *Liv.* 36, 24. Partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendere. *Caes. B. C.* 3, 46. Transcendere fossas; et *ib.* 1, 67. *med.* valles maximas ac difficillimas; et *ib.* 58. *f.* in hostium naves. *Just.* 37, 3. Inde in Bithyniam transcendit; et *Liv.* 28, 42. *med.* Cum Hasdrubal in Italiam transcendit. *Id.* 3, 8. Nuntiantibus Hernicis, in fines suos transcendisse hostes. *Tac. A.* 4, 44. Exercitu flumen transcendere. *Prop.* 1, 14, 19. limen, *h. e.* domum ingredi. *Paul. Petroc. Vit. S. Mart.* 1, 241. Nec transcendendi praetenta obstacula muri. [*Ap. *Liv.* h. v. usurpatur interdum de finium, sive te ea transgressione, quae ex una regione in alteram ab exercitu fit. Ita 10, 20. Per Vescinos in Campaniam — transcendunt. Porro 28, 31. In Sedetanum agrum transcenderunt.] ℙ Translate. *Liv.* 40, 9. et 11. Transcendere ordinem aetatis, naturae, moris Macedonum, juris gentium, *h. e.* non servare. *Lucr.* 3, 59. avarities, et honorum caeca cupido Quae miseros homines cogunt transcendere fines Juris. *Quint.* 7, 1. *med.* Nemo tam demens fuerit, ut id, quod firmissimum duxerit se habere, remittat, et ad leviora transcendat, *h. e.* dicendo transeat. [*Cf. *Vell.* 2, 130, 3.] *Jul. Hyg.* ap. *Gell.* 16, 6. *extr.* Ex minore aetate in majorem transcendisse. *Sen. Troad.* 702. Transcendere aliquem aetate, *h. e.* diutius vivere; et *ib.* ingenio, *h. e.* superare. *Id. Thyest.* 912. Vota transcendi mea, *h. e.* plus quam optabam obtinui. *Tac. A.* 3, 54. Prohibita impune transcendere, *h. e.* violare. *Sil.* 3, 607. At tu transcendens, Germanice, facta tuorum, *h. e.* superans, transiens. [*Familiaris est haec dicendi ratio Silio. Cf. 4, 428. et 1, 226.] *Appul. Apol.* Ad testimonium illud Crassi a suspicionibus Aemiliani transcensurus. [**Liv.* 9, 44. an (Piso) consulto binos consules, falsos ratus, transscenderit etc., i. e. omiserit. Simili ratione positum h. v. est ap. *Eund.* 32, 7. transcendendo media, summa imis continuare.] ℙ Scribitur et *transscendo*, ut *transscribo*, servatis scilicet omnibus praepositionis litteris: sic *transsulto, transsumo, transsuo.*

TRANSCENSUS, a, um, part. a *transcendo*, scandendo trajectus. *Sex. Ruf. Brev.* 6. Transcensis Alpibus, feliciter adversus eos pugnavit.

TRANSCENSUS, us, m. actus transcendendi. *Ammian.* 19, 5. *f.* Occurrere multitudini transcensu scalarum jam propugnacula ipsa prensanti.

TRANSCINDO, is, scĭdi, scissum, a. 3. *κατακόπτω*, omnino scindo, conscindo, lacero. *Pl. Pers.* 4, 8, 1. Transcidi loris omneis adveniens domi. ℙ Hoc praeteritum potest etiam duci a *trans*, et *caedo*, quod multis criticis magis placet.

[TRANSCOLO, as, a. 1. per colum transadigo. *Theod. Prisc.* 4, 1. *in.* Reliquum vinum permiscens cum passo Cretico coque: agitatum transcolas in trullionem. *F.*]

*TRANSCORPŌRO, as, a. 1. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 24. *B. A.*

TRANSCRĪBO, is, ipsi, ptum, a. 3. *ἀπογράφω*, ab alio describo, exscribo. *Cic. N. D.* 3, 30. L. Alenus transcripsit tabulas publicas, cum chirographum sexprimorum imitatus est, [*i. e. describere corrumpendi causa, ut *Cluent.* 24.] *Auct. ad Her.* 4, 4. Si vestra manu fabulas aut orationes totas transcripsissetis. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 5. Graecinus, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit. *Id. praef. med.* Transcribere aliquid ad verbum. ℙ De pingentibus: nam *γράφω* et scribere, et pingere est. *Plin.* 25, 2, 4. Pinxere effigies herbarum, atque ita subscripsere effectus. Verum et pictura fallax est, et coloribus tam numerosis, praesertim in aemulatione naturae, multum degenerat transcribentium sors varia. ℙ Interdum significat scribere in coloniam, *h. e.* transferre ex urbe in aliam urbem. *Virg. A.* 5, 750. Transcribunt urbi matres. Ubi *Servius:* Romani moris verbum est. Transcripti enim in colonias deducebantur. *Cic.* et *Liv.* verbo *adscribere* hoc sensu usi sunt, ille *Phil.* 2, 40., hic 31, 49. et 33, 24. ℙ Translate. *Sen. ep.* 4. Cum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transcripserit. *Sen. alter Thyest.* 13. In quod malum transcribor! ℙ Interdum per scripturam, seu instrumentum rem nostram in alterius dominium transferre. *Proculus Dig.* 19, 5, 12. Ut eos fundos eodem pretio mulier viro transcriberet. *Scaevola ib.* 32, 1, 39. *med.* Agri plagam Publio et Cajo transcribi volo, pretio facto viri boni arbitratu. Hinc translate *Virg. A.* 7, 421. Turne, patiere, tua Dardaniis transcribi sceptra colonis? *h. e.* transferri, tradi. *Ov. Met.* 7, 172. ergo ego cuiquam Posse tuae videor spatium transcribere vitae? *h. e.* annos tibi demere, et parenti tuo addere? ut supra *v.* 168. dixerat. *Id. Ib.* 190. tuasque Aeacus in poenas ingeniosus erit: In te transcribet veterum tormenta virorum. Manibus antiquis causa quietis eris, *h. e.* in te transferet. *Sidon. carm.* 2, 461. Acquisita meo servit tibi Creta Metello: Transcripsi Cilicas, *h. e.* cessi, in tuam ditionem transtuli. *Quint. decl.* 12, 18. Spiritus nostros transcribis, salutem nostram exponis, *h. e.* ea, quae ad vitam tuendam nobis opus sunt, aliis tradis. V. TRANSCRIPTIO. [*Huc pertinent etiam, quas ap. seriores poetas, imprimis autem ap. ecclesiasticos scriptores usurpatas videmus elocutiones istas: *transscribi in malum, in servitutis obsequia, vita pauperum transscribitur in spolia fraudulentorum, transscribi in jus emptoris, cet.* quae omnia et plura laudavit *Gron.* in *Observv. in Eccl.* 16. p. 640. *ed. Fr.*] ℙ *Transcribere nomina*, mutare creditoris nomen, et in alium transferre jus exigendi: vel contra, mutare nomen debitoris, et in se suscipere obligationem solvendi. *Liv.* 35, 7. Cum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent. *Cajus Dig.* 16, 1, 13 Si hereditatem emerit, et aes alienum hereditarium in se transcribat. V. TRANSCRIPTICIUS. ℙ *Transcribere milites*, ex uno in alium ordinem transferre. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 9. et 15. Turmas equitum, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit. ℙ Scribitur et *transscribo*, ut in TRANSCENDO dictum est.

TRANSCRIPTIO, onis, f. [translatio obligationis in alium, quae fit transcribendo ejus nomen. V. v. praec. *Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 130. A persona in personam transcriptio fit, veluti si id quod mihi Titius debet, tibi id expensum tulero, id est, si Titius te delegaverit mihi. *F.*] ℙ Est etiam translatio criminis in alium, excusatio. *Quint. decl.* 13, 11. Jam privati veneni transcriptio est: *scil.* dives causabatur, se nihil deliquisse, quia in privato suo apes pauperis vicini veneno necasset.

[TRANSCRIPTĪCIUS, a, um, adj. ad transcriptionem pertinens. *Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 128. Litteris obligatio fit veluti in nominibus transcripticiis: fit autem nomen transcripticium duplici modo. V. TRANSCRIBO. *F.*]

TRANSCRIPTUS, a, um, part. a *transcribo:* descriptus, exscriptus. *Cic. Cluent.* 14. Testamentum in alias tabulas transcriptum signis adulterinis obsignavit. *Plin. H. N. praef. med.* Transcriptus ad verbum. *Gell.* 2, 2. *f.* Posuimus verba Quadrigarii, ex annali ejus sexto transcripta. ℙ Item alienatus, venditus, alteri concessus, ut in TRANSCRIBO dictum est. *Impp. Acad. et Honor. Cod.* 11, 2, 3. Auctores transcripti praedii teneantur obnoxii.

*TRANSCUDĀNI, orum, populi Lusitaniae. *Inscript.* ap. *Grut.* p. 162. *n.* 3. *B. A.*

TRANSCURRO, is, transcurri, et transcucurri, ursum, a. 3. *μεταυτέχω*, ultra curro, cursu me aliquo confero. *Pl. Mil.* 2, 6, 43. Cito transcurre curriculo ad nos: post, quando exierit Sceledrus, cito transcurrito ad vos rursum curriculo domum. *Ter. Eun.* 4, 6, 25. Ego hinc transcurro ad forum. *Liv.* 25, 39. Captis propioribus castris in altera transcursum castra ab Romanis est. *Curt.* 4, 13. *med.* Haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. *Ter. Hec.* 3, 4, 17. Transcurso in arcem opus est tibi, *h. e.* transcurrendum est. *Virg. A.* 9, 111. ingens Visus ab Aurora coelum transcurrere nimbus. *Lucr.* 4, 192. transcurrere per spatium. *Sil.* 12, 414. per geminum transcurrit tempus arundo. *Suet. Cal.* 24. Cum noctu profugisset ab urbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit. *Ov. Met.* 14, 358. effigiem, nullo cum corpore, falsi Finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis Jussit. *Plin.* 2, 26, 25. Fax praeter ora populi meridiano transcucurrit. *Claud. III. cons. Honor.* 208. Bacchi transcurrere metas; (Adde *Petr. Sat.* 136.) et *Gell.* 5, 10. Tempus transcurrit. *Colum.* 3, 10. Reliquas trunci partes humor omnis et alimentum transcurrit, dum ad ultimum perveniat. ℙ De navigantibus. *Caes. B. C.* 1, 58. Remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. *Val. Fl.* 4, 614. limite recto Puppis, et aequali transcurrat carbasus aura. *Id.* 8, 176. redeuntibus aura Gratior, et notae Minyis transcurrere terrae. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 81. Dum Cyri, et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant, *h. e.* non per gradus, sed quasi saltibus cursum gloriae confecerant. *Hor. Sat.* 2, 2, 80. Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam; [**Vell.* 2, 1, 1. a virtute descitum, ad vitia transcursum.] et *Auct. ad Her.* 4, 34. Translationem dicunt pudentem esse oportere, ut cum ratione in consimilem rem transeat, ne sine delectu temere et cupide videatur in dissimilem transcurrisse. *Claud. Laud. Stil.* 2, 51. in prolem transcurrit gratia patrum. ℙ Brevi perstringere, cursim dicere, *Sen. Contr.* 1, 2. *med.* Cestius timuit se in narrationem demittere, sed illam transcurrit. *Quint.* 9, 3. *f.* Haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt. *Plin.* 34, 8, 19. Distinctis celeberrimorum *(statuariorum)* aetatibus, insignes raptim transcurram. Adde *Quint.* 4, 2. *in.*

TRANSCURSĬO, onis, f. decursus. *Imp. Justin. Cod.* 6, 23, 27. *f.* Testamenta mortuorum per decennii transcursionem evanescere, nullo patimur modo.

[TRANSCURSORĬUS, a, um, adj. qui facile transcurritur. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 36. Neque id breve, aut transcursorium fuit. *F.*]

TRANSCURSUS, a, um, part. a *transcurro:* currendo transitus. *Ammian.* 21, 7. *extr.* Euphrate navali ponte transcurso. *Appul. Met.* 9. *in.* Raptim transcursa prima porticu. *Id. Flor. n.* 1. Haec ignorantibus transcursa, *h. e.* non animadversa.

TRANSCURSUS, us, m. *μεταδρομή*, actus transcurrendi, transcursio. *Sen. Q. N.* 2, 7. Avibus maximis minimisque per aera transcursus est. *Suet. Aug.* 90. Consternatus per nocturnum iter transcursu fulguris. ℙ [**Vell.* frequenter hac voce utitur ad significandam scripturae suae brevitatem. Cujus generis exempla *Forc.* perperam antecedentibus adscripserat] 2, 55. Admonet promissae brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint; et *ib.* 99. *med.* Illud etiam in hoc transcursu dicendum est; et *ib.* 86. In hoc transcursu tam arctati operis. ℙ In transcursu, obiter, breviter. *Plin.* 18, 13, 34. In transcursu ea *(rapa)* attigere nostri: paulo diligentius Graeci. *Id.* 3, 5, 6. *in.* Breviter atque in transcursu.

TRANSDĀNŪBĬĀNUS et Transdanuvianus, a, um, adj. qui trans Danubium Germaniae fluvium habitat. *Liv.* 40, 58. *f.* Transdanubiana regio. *Inscr.* sub Vespasiano Imp. ap. *Grut.* 453. Plura quam centum mill. ex numero Transdanuvianorum ad praestanda tributa transduxit.

TRANSDITUS. V. TRADITUS.

TRANSDO. V. TRADO.

TRANSDŪCO. V. TRADUCO.

TRANSENNĂ, ae, f. *κιγκλίς*, opus cancellatum, sive reticulatum, atque, ut Graeci vocant, *δικτυωτὸν*, cancelli ferrei, vel lignei, vel viminei, qui fenestris, aut etiam mercibus oppositi visui pervis sunt. Appellatio ex eo videtur esse, vel quia aspectus transeat, contra quam fit in corpore solido, vel quia perticae, unde transenna fit, se transeant mutuo, ut quae lignis constent transversis. Ita *Voss.* in *Etym.* Sed *Non.* 2, 859. interpretatur fenestram. *Per transennam aspicere* proverbialis locutio est, qua significatur non propius, neque sin; gillatim, sed procul, obiter, et summatim inspicere, tractaque videtur a mercatoribus, qui mercibusquas contrectari nolunt, cancellos objiciunt, ut praetereuntibus procul modo contemplari liceat, nec explicant eas nisi licitatori idoneo. *Cic. Or.* 1, 35. *med.* Similiter nunc petis a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco, quasi per transennam praetereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, et suo quidque loco collocet. Sunt qui putant, locum hunc *Ciceronis* corruptum esse, itaque legi debere, ut verba illa *per transennam* delenda sint, tanquam a librariis per imperitiam intrusa: quorum sententiae, seu potius

conjecturae, quia celeberrimae quaeque *Ciceronis* editiones, et *Non.* 11, 23. repugnant, acquiescere non possumus. ℙ Ceterum haec vox alias quoque habet notiones: nam significat etiam rete ex funiculis cancellatis factum ad struendas avibus insidias. *Pl. Bacch.* 4, 6, 22. Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit: pendebit hodie pulcre, ita intendi tenus, *h. e.* per transennam hic turdus procedit ad capiendum lumbricum, sed irretitus pendebit. ℙ Translate vero ponitur pro insidia, dolo, fallacia. *Id. Rud.* 4, 7, 10. In aetate hominum plurimae fiunt transennae, ubi decipiuntur dolis: atque edepol in eas plerumque esca imponitur, quam siquis avidus poscit escam avariter, decipitur in transenna avaritia sua. *Id. Pers.* 4, 3, 11. Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis. ℙ Praeterea significat funem extensum, ducta fortasse similitudine a transenna, qua rete significat, quae funibus extensis tendebatur. [*Gloss. Philox.* Βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος, transenna. *F.*] *Sall. fragm.* ap. *Non. l. c.* Transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu, coronam capiti imponebat. *Non. l. c.* hunc locum affert, ut suam probet interpretationem, qua dixit, transennam significare fenestram. Plenius hunc eund. loc. *Sallustii* recitat *Macr. Sat.* 2, 9. Praeterea cum sedenti in transenna demissum Victoriae simulacrum, cum machinato strepitu tonitruum, coronam ei imponebat; tum venienti ture, quasi Deo supplicabatur. *Nonius* omittit τὸ *in*, quod et *Servius* facit ad *A.* 5, 488. [Hinc etiam *Isid. Or.* 19, 1. *med.* Transenna dicitur extentus funis. *F.*] Hoc modo commode funis extentus intelligitur, per quem signum illud demitteretur: praesertim cum de Metello sedente in aedibus eorum, qui eum ad coenam invitaverant *Sallustius* loquatur. Si legas *in transenna*, durum videtur de fune intelligere: neque tamen ausim *Nonii* fenestram probare. [*Ammian.* 20, 11. *med.* Afflictabant multo vehementius Persas ictus varii ballistarum, tanquam per transennam a clivis ductilibus decurrentes. *Id.* 25, 6. *med.* Tanquam e transenna simul emissi, spe citius ripas occupavere contrarias. *F.*]

TRANSĔO, is, ivi, et ii, itum, anom. διαβαίνω, ultra eo, trajicio, transgredior, a *trans*, et *eo*, *is*. *Caes. B. G.* 1, 9. *extr.* Sequani ne itinere Helvetios prohibeant: Helvetii ut sine maleficio et injuria transeant. *Id. ib.* 4, 30. Neminem postea belli inferendi causa in Britanniam transiturum confidebant. *Ov. Met.* 4, 69. voces transeunt per rimas. *Virg. A.* 11, 718. pernicibus plantis transit equum cursu; et *Nep. Ann.* 3. Alpes cum exercitu transiit. *Cic. Fin.* 3, 22. Crassus nisi egisset, nunquam Euphratem transire voluisset. *Id. Or.* 42. *f.* Cum studiorum causa mare transissem. *Plin.* 27, 9, 46. In pane devoratur, ne adurat, cum gulam transit. *Cato R. R.* 76. Caseum per cribrum facito transeat. *Plin.* 12, 3, 7. Odor foliorum transit in vestes, una conditus. *Id.* 8, 58, 83. Transire viam; et *Cic. Att.* 9, 3. Domitii filius transiit Formias VIII. Id. currens ad matrem Neapolim; et *Caes. B. G.* 1, 28. *med.* Ne Germani e suis finibus in Helvetiorum fines transirent; et *ib.* 4, 10. Mosa insulam efficit, neque longius in Oceanum transit. *Sall. Jug.* 115. Per media castra palam transire. ℙ Passive. *Caes. B. G.* 5, 18. Flumen pedibus aegre transiri potest; et *ib.* 2, 10. Ubi de flumine transeundo spem fefellisse intellexerunt. (Sic *Hirt. ib.* 8, 27. Flumen erat ponte propter magnitudinem transeundum.) *Id. ib.* 1, 6. Rhodanus nonnullis locis vado transitur. *Hirt. B. Alex.* 36. Cum locus angustus atque impeditus esset transeundus. *Plin.* 29, 4, 27. Ferunt, non transiri ab eo orbitam. *Manil.* 4, 398. Ut veniant gemmae, totus transibitur orbis, *h. e.* transcurretur. ℙ Impersonaliter. *Cic. Fin.* 2, 14. *f.* A dignitate transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. ℙ In transeundo. *Varr. L. L.* 9, 1. *f.* Flectitur in transeundo vox. ℙ *Transire ad aliquem*, ire. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. Ipsum ad te transire jussi, ex quo omnia cognoscere posses. *Ter. Phorm.* 4, 5, 6. Transi ad uxorem meam; et 5, 7, 28. Transi sodes ad forum. Et omissa praeposit. *Pl. Stich.* 3, 1, 33. Ego per hortum amicam transibo meam. ℙ De transfugis. *Caes. B. C.* 1, 60. Transit etiam cohors Illurgavonensis ad eum. *Nep. Dat.* 6. *med.* Coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant. *Liv.* 1, 27. Nec manere, nec transire aperte ausus, sensim ad montes succedit. *Cic. Verr.* 2, 1, 15. *med.* Relinquere, deserere, ad adversarios transire. Adde *Caes. B. C.* 3, 60. *extr.* ℙ [*De philosopho. *Suet. Gr.* 18. transiit ad Q. Sextii philosophi sectam.] ℙ *Transire*, transvehi, praetervehi. *Liv.* 10, 46. Pedites equitesque insignes donis transiere ac transvecti sunt. ℙ *Transire* dicitur cibus, qui in stomacho concoquitur et egeritur. *Varr. R. R.* 2, 11. Casei maximi cibi sunt bubuli, et qui difficillime transeant sumpti: secundo ovilli: minimi cibi, et qui facillime dejiciantur, caprini. *Plin.* 11, 37, 79. Insatiabilia animalium, quibus a ventre protinus recto intestino transeunt cibi. *Id.* 23, 1, 22. Vinum tenue et austerum celerius per urinam transit. ℙ Et morbus, qui ab uno in alium transfertur. *Plin.* 30, 5, 14. In dolore praecordiorum si catulus lactens admoveatur, transire in eum morbus dicitur. Adde 28, 10, 42. et 29, 6, 39. ℙ et quae aliunde veniunt. *Plin.* 15, 18, 19. Ficus ad nos ex aliis transire gentibus, Chalcide, Chio. ℙ et quae mutantur. *Ov. Met.* 11, 643. ille in humum, saxumque, undamque, trabemque transit. *Plin.* 9, 41, 65. Et cum confecere conchylia, transire melius in Tyrium putant. *Id.* 25, 9, 57. Initio gustu dulcis, mox in amaritudinem transit. *Id.* 22, 24, 52. Aqua mulsa longa vetustate transit in vinum. *Id.* 11, 37, 55. Oculi hyaenae in mille colores transeunt subinde. *Id.* 37, 6, 23. Transeunte in minium candore. ℙ De tempore. *Cic. Att.* 7, 7. Cum legis dies transierit. *Tibull.* 1, 4, 23. transiit aetas Quam cito! *Sen. Thyest.* 398. cum transierint mei Nullo cum strepitu dies, Plebejus moriar senex. *Afric. Dig.* 7, 1, 37. Quinquennium transiit. *Sen. Troad.* 438. Partes fere nox alma transierat duas. ℙ [*Hinc transfertur ad alias res addita commutationis et mobilitatis notione.] *Id. Thyest.* 509. quidquid irarum fuit, Transierit. [*Tac. H.* 1, 52. precarium ferri imperium et brevi transiturum; 3, 49. fortuna imperii transit.] ℙ Pro transfodere, trajicere. *Sil.* 10, 253. Ilia cornipedis subrecta cuspide transit. ℙ Translate est dicendo gradum facere. *Ov. Met.* 8, 106. Consumptis precibus, violentam transit in iram. *Cic. Inv.* 1, 21. *extr.* Ac de narratione quidem satis dictum videtur, deinceps ad partitionem transeamus. *Plin.* 17, 10, 13. Seminarii curam ante convenit dici, quam transeatur ad alia genera. *Liv.* 45, 37. *f.* Transeatur ad aliam concionem. ℙ Item in dicendo, aut legendo praeterire. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. *f.* Quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum: ex quo tu quae digna sunt, selige, multa transi, in primis ludorum explosiones, et funerum. *Plin. ep.* 5, 3. *med.* Neronem enim transeo. *Id. ib.* 8, 21. Alii transeunt quaedam, imputantque quod transeant: ego nihil praetereo. *Id. ib. ep.* 6. Levia haec et transeunda. *Stat. Silv.* 5. *praef.* Ingratus sum, si lacrimas tuas transeo. ℙ *Transire silentio*, praeterire. *Cic. Att.* 2, 19. *med.* Equidem malueram, quod erat susceptum ab illis, silentio transire. ℙ *Hoc me transit*, me praeterit, fugit, latet. *Stat. Th.* 2, 335. nil transit amantes. Sentio: pervigiles acuunt suspiria questus. [*Cf. *Quint. Inst.* 9, 4, 29. transire intentionem: ibique *Spald.*] ℙ Inter deliberandum *transire* dicuntur, qui sententiam suam alio vertunt. *Liv.* 34, 34. Simulando se transire in eorum sententiam, omnes in assensum consilii sui traduxit. *Hirt. B. G.* 8, 53. Senatus frequens in alia omnia transiit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 13. Transierant illuc, ut ratio ejus esset habenda, qui neque exercitum, neque provincias tradere vellet. V. OMNIS et EO, is. ℙ Pro celeriter percurrere. *Cic. Rosc. Am.* 32. *extr.* Sed in animo est leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem. *Gell.* 9, 4. Eos libros omnes duabus proximis noctibus cursim transeo. ℙ Item exire, excedere. *Cic. Tusc.* 4, 17. *f.* Rutilius transisse videtur modum: quippe qui ob eam causam a vita recesserit. *Id. Verr.* 2, 3, 95. Si semel in judicando finem aequitatis et legis transieritis. *Id. Fam.* 5, 12. *med.* Qui semel verecundiae fines transierit. Adde *Off.* 1, 29. ℙ Item non curare, aut superare. *Cic. Fam.* 9, 1. *f.* Videor sperare debere, si te viderim, et ea quae premant, et ea quae impendeant, me facile transiturum; et *Tac. H.* 2, 59. Vitellius brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. ℙ Item vincere, anteire. *Quint.* 12, 11. *f.* Verum ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. *Lucan.* 4, 497. quaecumque per aevum Exhibuit monimenta fides, servataque ferro militiae pietas, transisset nostra juventus. [*V. *Cort.* ad h. l. et ad 6, 437. 8, 353.] *Id.* 2, 564. Non privata cupit, Romana quisquis in urbe Pompejum transire parat. ℙ Item penetrare. *Cic. Acad.* 4, 37. Erit persuasum etiam, solem, lunam, stellas Deos esse, quod quaedam animalis intelligentia per omnia ea permeet et transeat. ℙ *Transire vitam*, *annos*, et hujusmodi est transigere, agere, ducere. *Sall. Cat.* 1. Ne vitam silentio transeant. Est qui leg. *transigant* contra consensum MSS., teste *Cortio*. [*Hoc verbum restituendum etiam est ap. *Eund. ib.* 2, 8. ubi v. *Kritz.*] *Tac. Agr.* 6. *f.* Ipsum tribunatus annum quiete et otio transit. Sic *Sen. ep.* 90. Pluviis per devexa labentibus, hiemem transiere securi. ℙ *Transiet* pro *transibit* multi leg. ap. *Tibull.* 1, 4, 23. Sic *transeam* pro *transibo* dixit *Trebell. Valer. jun. f.* V. EO, is.

TRANSĔRO et Transsero, is, a. 3. trajicio, transire facio. *Cato R. R.* 133. Calicem pertusum sumito tibi, per eum ramulum transerito.

TRANSERTUS et Transsertus, a, um, part. a *transero:* insitione transmissus. *Stat. Silv.* 2, 1, 101. Vidi ego transertos alieno in robore ramos Altius ire suis.

TRANSĔUNTER, adj. ὑπερβατῶς, in transitu, obiter, breviter. *Ammian.* 28, 1. *med.* Quem, transeunter indiciorum fide discussa, supplicio letali damnavit. *August. C. D.* 15, 23. Quaestio transeunter commemorata.

TRANSFĔRO et Trafero, ers, tuli, latum, a. anom. μεταφέρω, ex uno in alium locum fero, transporto, traduco, trajicio. *Plin.* 29, 4, 16. Mustela catulos suos, ut auctor est Cicero, quotidie transfert, mutatque sedem. *Pl. Stich.* 5, 1, 5. Cadum hinc a me huc cum vino transferam. *Catull.* 61, 166. Transfer omine cum bono Limen aureolos pedes. *Hirt. B. Alex.* 60. *f.* Marcellus castra Baetim transfert: omissa praeposit. quae inest in verbo. *Liv.* 42, 60. Ut trans Peneum transferret castra. *Caes. B. C.* 3, 66. Caesar paulo ultra eum locum castra transtulit; et *ib.* 1, 74. Se statim signa translaturos confirmant; et *ib.* 60. Signa ex statione transfert; et *ib.* 61. In Celtiberiam bellum transferre. *Nep. Arist.* 2. Ut summa imperii a Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses. *Ter. Ad.* 4, 7, 13. Illinc huc transferetur virgo. [*Eadem transducendi notio est in illo *Cic. Quint.* 3. Tollitur a praeconum consessu Naevius et trans Alpes usque transf.] *Lucr.* 4, 314. de speculo in speculum transfertur imago. *Hor. Od.* 1, 30, 4. Transferre se in aedem alicujus. *Liv.* 37, 58. et 39, 32. et 45, 43. Transferre in triumpho militaria signa, coronas, aurum, argentum, *h. e.* palam ferre in pompa triumphi. Alii leg. *in triumphum.* [*V. *Kreyss.* qui legendum censet in *triumpho.*] *Cic. Phil.* 3, 12. Hortos compilavit, ad se ex his omnia ornamenta transtulit; et *Stat. Ach.* 1, 329. Ac sua dilecta cervice monilia transfert, *h. e.* in cervicem dilectam filii. ℙ Transerere. *Varr. R. R.* 1, 39. Semina, quae transferuntur e terra in terram, viviradices; et *ib.* 40. Et quae de arbore transferas, ea deplantes potius, quam defringas. *Colum. Arb.* 20. Ab sicciore et exiliore in humidiorem, pinguiorem agrum transferas. ℙ Item inserere. *Varr. R. R.* 1, 40. Videndum qua ex arbore in quam transferatur. Adde *ib.* 41. ℙ Translate. *Nep. Ep.* 8. Quibus ille permisit, omnem ut causam in se transferrent, suaque opera factum contenderent, ut legi non obedirent. [*Saepe apud priores omittitur ejus mentio, a quo aliquid transit ad alterum. V. exempla ap. *Drak.* ad *Liv. Epit.* 97. judicia quoque per L. Aurelium Cottam praetorem ad equites Romanos translata sunt (scil. a senatu).] Sic *Cic. Font.* 4. culpam; et *Sext.* 38. crimen in alium. Et absolute eod. sensu *Quint. decl.* 1, 15. Omnia tibi composita et simulata sunt, tanquam scelus transferretur ingenio. [*Haud raro ita usurpatur, ut omittatur ejus significatio ad quem favor, potestas, culpa transiit. *Tac. H.* 4, 52. amicos cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, i. e. abalienari dum in alios transferunt amicitiam; et cp. 11. civitas — verterat transtuleratque; ille unus ambiri, coli; 1, 25. suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt; cp. 29. res sine discordia translatas. *Ann.* 2, 65. tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis, i. e. a se amoveret, in alium quasi translato crimine; sed quis ille sit ne cogitari quidem potest h. l. — Sed non desunt exempla illius breviloquentiae etiam apud priores. *Cic. Rhet.* 1, 12. causa transfertur, i. e. a reo in alium. *Quint. Inst.* 5, 13, 7. transferri, i. e. ad alium, judicem: ubi v. *Spald.*] Rursus *Id. Decl.* 6, 2. *med.* Animi vitium ad utilitatem transferre. *Cic. Brut.* 12. *extr.* Orationes aliis destitit scribere, totumque se ad artes componendas transtulit, *h. e.* se convertit; et *Mur.* 22. *f.* Cum te de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses. *Id. Or.* 1, 29. *med.* Sed, si placet, sermonem alio transferamus, *h. e.* convertamus. *Liv.* 3, 68. *f.* Nisi a portis nostris moenibusque ad illorum urbem hunc belli terrorem transtulero. ℙ Cum dativo. *Ter. Hec.* 1, 2, 94. Animus paulatim elapsus est Bacchidi, atque huic transtulit amorem, *h. e.* in hanc. Alii leg. *huc.* [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] *Petr. Sat.* 89. *med.* neuter auxilio sibi: Uterque fratri transtulit pias vices. ℙ Pro differre, rejicere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. Causa haec integra in proximum annum transferetur. *Cic. Mil.* 9. Subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit. ℙ Pro aptare, accommodare. *Cic. Off.* 1, 16. *med.* Quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest. *Id. Acad.* 4, 14. Num illa definitio possit in aliam rem transferri quamlibet. *Id. Verr.* 2, 2, 51. Hoc uno complector crimine omnia, neminem isto praetore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset. Hoc idem transfero in magistratus, curationes, sacerdotia. ℙ Item transcribere. *Cic. Rosc. Com.* 3. Qui tabulas conficiunt, menstruas paene rationes in tabulas transferunt. *Id. Verr.* 2, 2, 77. *med.* Litterae lituraeque omnes assimulatae, expressae, de tabulis in libros transferuntur. *Id. Fam.* 3, 8. *med.* Ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. ℙ Ex una in aliam linguam vertere. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli. *Plin.* 18, 3, 5. Ejus volumina censeret in linguam Latinam transferenda. *Quint.* 1, 6. Analogia, quam proxime ex Graeco transferentes, proportionem vocaverunt. *Id.* 7, 4. Καὶ ἀντίληψιν Latine ad verbum translatum non invenio. ℙ Metaphora et translatione uti, cum nomen aut verbum, ut ait *Quint.* 8, 6., transfertur ex eo loco, In quo proprium est, in eum, in quo

aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. *Cic. Or.* 3, 37. Utemur verbis, aut iis, quae propria sunt, aut iis, quae transferuntur, et quasi alieno in loco collocantur. *Id. Or.* 19. *f.* Intexunt fabulas, verba apertius transferunt; et *ib.* 25. Indecorum apparet, cum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili: quod idem in alia deceret. Adde *ib.* 27. ℙ *Trafero* quidam leg. ap. *Lucr.* 3, 518., item ap. *Cic.*, ut dictum est in TRADITUS.

TRANSFĪGO et Trafigo, is, ixi, ixum, a. 3. *διαπείρω*, trajicio, transigo. *Caes. B. G.* 5, 44. Transfigitur scutum Pulfioni, et verutum in balteo defigitur. *Nep. Dat.* 11. Aversum ferro transfixit. *Pl. Most.* 2, 1, 11. Qui hastis corpus transfigi solent: *ἑλληνιστός*. *Mart.* 5, 50. Meque petis stricto medium transfigere ferro. *Liv.* 21, 8. *f.* Ferrum pedes tres longum, ut cum armis transfigere corpus posset. *Id.* 2, 46. Q. Fabium gladio per pectus transfigit. *Id.* 22, 6. Consulem lancea transfixit. *Pl. Pers.* 1, 1, 25. Sagitta Cupido cor meum transfixit; et *ib.* 28. Vide, ulmeae catapultae tuum ne transfigant latus, *h. e.* ne virgae tuum latus lacerent. ℙ De *trafigo* V. dicta in TRADITUS.

TRANSFĪGURABĬLIS, e, adj. qui transfigurari potest. *Tert. Car. Chr.* 6. *med.* Angeli in carnem humanam transfigurabiles.

TRANFĪGURĀTĬO, onis, f. *μεταμόρφωσις*, actus transfigurandi, transformatio. *Plin.* 7, 55, 56. Alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando. *Tert. adv. Prax.* 27. Transfiguratio interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat.

TRANSFĪGURĀTOR, oris, m. qui transfigurat. *Tert. adv. Marc.* 5, 12. ex 2. *Cor.* 11, 13. Pseudoapostolos dicit operarios dolosos, transfiguratores sui, per hypocrisin scilicet. *Vulgata* habet: Pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.

TRANSFĪGURĀTUS, a, um, part. a *transfiguro: μεταμορφωθείς*, transformatus. *Suet. Ner.* 46. Asturco posteriore corporis parte in simiae speciem transfiguratus. *Ulp. Dig.* 7, 4, 10. *med.* Proinde et ornamentum dissolutum, aut transfiguratum, extinguit usumfructum. *Suet. Cal.* 22. Aede Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata, *h. e.* conversa, mutata. ℙ Translate. *Sen. ep.* 94. *med.* Qui facienda ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quae didicit, animus ejus transfiguratus est.

TRANSFĪGŪRO, as, avi, atum, a. 1. *μεταμορφόω*, figuram et formam muto, in aliam figuram verto, transformo. *Suet. Ner.* 28. Puerum in muliebrem naturam transfigurare. *Plin.* 8, 22, 34. Transfigurari in lupum; et 9, 31, 51. Cancrorum corpus transfigurari in scorpiones. *Id.* 13, 25, 50. Frutices transfigurantur in pumicem. *Stat. Silv.* 2, 7, 78. Et qui corpora prima transfigurat, *h. e.* Ovidius, qui Metamorphoses cecinit. ℙ Pro mutare simpliciter. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 9. Amygdalae ex dulcibus transfigurantur in amaras. ℙ Translate. *Sen. ep.* 6. Intelligo, non emendari me tantum, sed transfigurari. *Quint.* 6, 2. Movere judicum animos, et in eum, quem volumus, habitum formare, et velut transfigurare.

TRANSFIXUS, a, um, part. a *transfigo: διαπεπαρμένος*, trajectus, transfossus, transactus. *Cic. Fin.* 2, 30. Evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. *Caes. B. G.* 1, 25. Scuta uno ictu pilorum transfixa. *Liv.* 2, 6. *f.* Contrario ictu per parmam uterque transfixus. *Virg. A.* 1, 48. transfixum pectus. *Lucan.* 7, 528. sonipes transfixus pectora ferro. *Plin.* 22, 23, 47. Siccantur pendentes fungi suilli, junco transfixi. ℙ *Transfixa hasta*, trajecta. *Virg. A.* 11, 644. latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore. *Lucan.* 9, 138. Ora ducis, quae transfixo sublimia pilo Vidimus.

*TRANSFLUMINĀLIS, e, adj. *Gloss. περατικοὶ*, Transfluminales. *B. A.*

TRANSFLŬO, is, uxi, uxum, n. 3. *μεταῤῥέω*, fluendo transeo. *Plin.* 11, 38, 91. Sanguinem in metu refugere, multisque non transfluere transfossis. *Id.* 16, 35, 63. Si vas fiat e ligno hederae, vina transfluere, ac remanere aquam, si qua fuerit mixta. ℙ Translate. *Claud. ep.* 4, 5. Transfluere dies.

[TRANSFLŬVĬO, as, n. flumen transgredior. *Commod. Instruct.* 50, 10. Transfluviat hostis, te sub latebra conde. *F.*]

TRANSFŌDĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. *διορύττω*, *διαπείρω*, trajicio, transforo, transfigo. *Caes. B. G.* 7, 82. Galli in scrobes delapsi transfodiebantur, *h. e.* se ipsi acutissimis vallis inducbant, ut *ib.* 73. dixerat. *Liv.* 39, 42. *f.* Deinde fugiendi latus transfodisse. *Appul. Flor. n.* 2. *extr.* de aquila: Unde rostro transfodiat, unde unguibus inuncet vel agnum, vel leporem. Adde *Just.* 1, 9. *f.*

TRANSFORMĀTĬO, onis, f. *μεταμόρφωσις*, mutatio formae. *August. Trin.* 15, 8. *extr.* Tam optabilis transformationis donum.

TRANSFORMĀTUS, a, um, part. a *transformo: μεταμορφωθείς*, forma mutatus. *Ov. Met.* 14, 74. Scylla transformata in scopulum.

TRANSFORMIS, e, adj. qui formam mutat. *Ov. Fast.* 1, 373. de Proteo: Ille sua faciem transformis adulterat arte. *Id. Met.* 8, 871. Transformia corpora habere.

TRANSFORMO, as, avi, atum, a. 1. *μεταμορφόω*, formam alicui muto, transfiguro, verto. *Virg. G.* 4, 441. de Proteo: Omnia transformat sese in miracula rerum; et *A.* 7, 416. Alecto in vultus sese transformat aniles. *Ov. Fast.* 3, 515. gemmasque novem transformat in ignes, *h. e.* in novem stellas. *Id. Met.* 13, 652. nam tactu natarum cuncta mearum In segetem, laticemque meri, baccamque Minervae Transformabantur. ℙ Translate. *Quint.* 1, 2. *f.* Maxima pars eloquentiae constat animo, hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est.

TRANSFŌRO, as, a. 1. *διατορεύω*, perforo, transfigo, trajicio. *Sen. Ben.* 2, 6. Gladius idem et stringit, et transforat: quam presso venerit articulo, refert.

TRANSFOSSUS, a, um, part. a *transfodio: διαπεπαρμένος*, transfixus. *Plin.* 30, 4, 11. Cochlea acu transfossa. *Tac. A.* 3, 20. *extr.* Quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit. *Virg. A.* 9, 543. Confixique suis telis et pectora duro Transfossi ligno. *Val. Fl.* 6, 221. cadit impiger una Inguine transfosso clari Taulantis alumnus.

TRANSFRĒTĀNUS, a, um, adj. transmarinus. *Tert. Apol.* 25. Peregrinos Deos non putem patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati, sepultique sunt, transfretanis dedisse.

TRANSFRĒTĀTĬO, onis, f. *Gell.* 10, 26. Negant, apud idoneum scriptorem reperiri posse pro transfretatione transgressum.

TRANSFRĒTO, as, avi, atum, a. 1. *διαπορθμεύω*, fretum transeo, transmitto, mare trajicio. *Suet. Caes.* 34. Brundusium consules Pompejusque confugerant, quamprimum transfretaturi. *Gell.* 10, 26. Eos qui fretum transmiserant, quos transfretasse dici solitum est, Sallustius transgressos dixit. *Ammian.* 22, 6. Mandatum est navigiorum magistris, ne quis transfretare auderet Aegyptum. *Id.* 31, 4. Transfretabantur in dies noctesque navibus ratibusque, et cavatis arborum alveis agminatim impositi, *h. e.* trans Danubium vehebantur. ℙ Translate. *Tert. Poen.* 1. Universam vitae conversationem sine gubernaculo rationis transfretantes, *h. e.* totam vitam agentes.

TRANSFŪGA, ae, m. *ἀποστάτης*, *αὐτόμολος*, qui in bello fugit, et ad hostes accedit. Quid a *perfuga* distet, ibi dictum est. V. etiam FUGITIVUS. *Paul. Dig.* 49, 15, 19. *med.* Transfuga non is solum accipiendus est, qui aut ad hostes, aut in bello transfugit, sed et qui per induciarum tempusad eos, cum quibus nulla amicitia est, fide suscepta transfugit. [*Alias hujus vocabuli derivationes habes ap. *Pseudo — Front.* p. 351. *Popm.* p. 542. *Schmits.* p. 123. *Ern. n.* 2407. *Habicht. n.* 728. A quibus longe diversissimam habet *Doederl.* 4, 238. docens: *perfuga* esse ut *perfidus*, *perjurium*, per prave, perdite fugiens explicandum. *Perfugam* enim transire ad hostes eo consilio, ut suos prodat; *transfugam*, ut partes suas relinquat, aut mutet. In voce *perfugae* notari crimen, *transfugae* nomen aut omni morum improbitate carere, aut summum animi inconstantiae tribui. Porro *perfugam* cognatum esse cum *proditore*, eo quidem discrimine ut, cum uterque prave agat, *proditor* ad adversarios non fugiat, *perfuga* fugiat. Eandem cognationis rationem esse vv. *transfuga* et *desertor:* utrique ignaviam esse causam: ac *desertorem* quidem fugientem a loco certaminis refugium quaerere in silvis vel regionibus domesticis: sed *transfugam* tutelae hostium se tradere. Denique *transfuga* et *perfuga* proprie dici de militibus signa relinquentibus: *profugus* ad civem, *fugitivus* ad servos esse referendum.] *Cic. Div.* 1, 44. *f.* Non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere. *Sall. Jug.* 58. Interim transfugas, et alios opportunos, Jugurtha ubi gentium, aut quid agitaret, exploratum misit. ℙ Transfugarum poenas habes in his. *Fpit. Liv.* 51. Scipio transfugas et fugitivos bestiis objecit. *Liv.* 30, 43. *extr.* De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum: nominis Latini qui erant, securi percussi; Romani in crucem sublati. *Tac. G.* 12. Proditores, et transfugas arboribus suspendunt. *Paul. Dig.* 48, 19, 38. Transfugae ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores, aut vivi exuruntur, aut furca suspenduntur. *Mart. ib.* 8, 3. *extr.* Transfugas licet, ubicumque inventi fuerint, quasi hostes interficere. ℙ Transfertur ad alia. *Lucan.* 8, 335. transfuga mundi, Terrarum totos tractus, coelumque perosus. *Mart.* 14, 131. Si Veneto, prasinove faves, quid coccina sumis? Ne fias ista transfuga sorte, vide. *Hor. Od.* 3, 16, 22. nil cupientium Nudus castra peto, et transfuga divitum Partes linquere gestio. *Plin.* 29, 1, 8. Paucissimi Quiritium medicinam attigere, et ipsi statim ad Graecos transfugae: *scil.* quia Graece, non Latine de ea scripsere. *Stat. Silv.* 1, 2, 203. tumidae sic transfuga Pisae Amnis in externos longe flammatus amores, Flumina demerso trahit intemerata canali, *h. e.* Arethusa. *Plin. ep.* 8, 14. *f.* Secuti sunt quasi transfugam, quem ducem sequebantur. *Claud. in Eutr.* 1, 15. Nilus nostri tentat jam transfuga mundi Se rubro miscere mari. *Tryphon. Dig.* 49, 15, 12. *f.* Transfuga metalli.

TRANSFŪGĬO, is, gi, n. 3. *διαφεύγω*, signa desero, et ad hostes transeo: de militibus proprie dicitur. *Auct. B. Hisp.* 11. C. Fundanius ex castris adversariorum ad nos transfugit. *Liv.* 34, 25. *extr.* Multi proxima nocte, funibus per murum demissi, ad Romanos transfugerunt. Adde *Nep. Dat.* 6. et *Ag.* 6. Translate. *Cic. Quint.* 30. Ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem devolare. *Pl. Mil.* 2, 6, 106. Illius oculi, atque aures, atque opinio transfugere ad nos, *h. e.* inserviunt, favent, sunt pro nobis.

TRANSFŪGĬUM, ii, n. *ἀπόστασις*, *αὐτομολία*, defectio ad hostes, transitio. *Liv.* 22, 43. Simul, ut, quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis essent. *Tac. H.* 2, 34. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis. *Prud. adv. Sym.* 2, 503. et creditur istis Numinibus, qui transfugio meruere sacrari? *h. e.* qui alienigenae cum essent, Romam transmigravere, ut ibi colerentur.

TRANSFULGĔO, es, n. 2. translucendo appareo. *Plin.* 37, 7, 28. Commendatio summa sandaresi, quod velut in translucido ignis obtentus, celantesque se transfulgent aureae guttae.

TRANSFŪMO, as, n. 1. fumi modo transeo, exeo. *Stat. Th.* 6, 399. compressae transfumat anhelitus irae. *Sidon. carm.* 23, 331. Equi ad claustra fremunt, repagulisque Incumbunt simul, ac per obseratas Transfumant tabulas.

TRANSFUNCTORĬUS, a, um, adj. qui leviter, remisse, et perfunctorie fit. *Tert. adv. Marc.* 1, 27. Transfunctoria praecepta, secura delicta. *Id. adv. Valent.* 6. Transfunctoria expugnatio.

TRANSFUNDO, is, udi, usum, a. 3. *μεταχέω*, de vase in vas fundo, defundo, diffundo, trajicio, transmitto. *Colum.* 12, 12. Cum saepius aquam in alia vasa transfuderint. *Plin.* 33, 6, 31. Linteo saccant, faecemque abjiciunt, idque quod defluxit, transfundunt. *Id* 36, 26, 66. Arena liquata in alias fornaces transfunditur. *Id.* 37, 9, 47. Asteria inclusam lucem pupillae modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione. *Cels. praef. med.* Sanguis in eas venas transfunditur. *Scrib. Comp.* 122. *med.* Transfunditur cum his, quae sunt in mortario, calice novo. ℙ Translate est transferre, transdere. *Cic. Fam.* 9, 14. *med.* Libentius omnes meas laudes ad te transfuderim. Alii leg. transtulerim, [*quae scribarum est emendatio parum quidem necessaria.] *Id. Phil.* 2, 31. Omnem se amorem abjecisse illinc, atque in hanc transfudisse. *Petr. Sat.* 79. Et transfudimus hinc et hinc labellis Errantes animas. *Lucr.* 8, 770. sed te Cornelia, Magne, Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam, *h. e.* ex litore, in quo jaces, transferet, et condet in urnam sepulcri. *Stat. Th.* 5, 633. hoc ne ferens onus illaetabile matris Transfundam gremio? *Claud. IV. cons. Honor.* 49. Nam cum barbaries penitus commota, etc. suas in nos transfunderet Arctos, *h. e.* Arctoos populos in nos immitteret. *Curt.* 8, 8. *med.* Eorum mores in Macedonas transfundo.

TRANSFŪSĬO, onis, f. *μεταγγισμός*, actus transfundendi. *Cels. praef. med.* Ut vera sit illa transfusio: *scil.* sanguinis in arterias. *Plin.* 34, 18, 52. Lavatur in linteis raris aqua coelesti, separaturque terrenum transfusione. ℙ Translate. *Ulp. Dig.* 46, 2, 1. Novatio est prioris debiti in aliam obligationem transfusio atque translatio. ℙ [Idem ac transmigratio. *Cic. fragm. or. pro Scaur.* (ed. *A. Maio*) 10. A Poenis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam, atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni: quare cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? *h. e.* degenerasse, quasi vinum, alio liquido admixto, acorem contraxisse. *F.*]

TRANSFŪSUS, a, um, part. a *transfundo: μεταγγισθείς*, in aliud vas fusus. *Plin.* 33, 6, 31. Vas, in quo turbida transfusa sunt. *Cels. praef. med.* Transfuso in arterias sanguine febrem fieri. ℙ Translate est translatus, transditus. *Tac. A.* 4, 52. Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum. *Paul. Dig.* 35, 2, 1. *med.* Jam enim transfusum legatum esse, et decem deberi. **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 1, 18. Transfusa latius studia. *B. A.*

TRANSGĔRO, is, a. 3. transfero. *Plin.* 10, 33, 50. Picae ova transgerunt alio. Ita *Hard.* ex MSS., alii *transferunt.*

TRANSGLŪTĬO, is, a. 4. devoro. *Veg. Vet.* 3, 78. Ut sanguinem suum transglutiat. *Marcell. Empir.* 16. *med.* Ita ut succus transglutiatur: et *mox:* Catapotia devoranda, id est transglutienda dato.

TRANSGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *ὑπερ-*

βαίνω, ultra gradior, transeo. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Postea quam ego Taurum transgressus sum. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Prius ut Alpes transgrederer, quam, etc. *Hirt. B. Afr.* 50. Quae (*loca*) erant transgredienda Caesari, antequam ad eum collem perveniretur. *Tac. A.* 3, 2. Ubi colonias transgrederentur, atrata plebs, etc. Adde quae allata sunt in TRANSGRESSUS. ℙ Dicitur et de iis, qui fluvium aut mare transeunt, quod quidem olim reprehendebant, sed defendit *Gell.* 10, 26. in illo *Sall. fragm.* Transgressos omnes recipit mons, etc. *h. e.* cum transfretassent. *Liv.* 33, 22. Cornelius adjiceret, Bojos adversus se transgredientes Padum. *Tac. A.* 13, 39. *extr.* Si amnem Araxem ponet transgrederentur. *Vell.* 2, 120. Ultra Rhenum cum exercitu transgreditur. Adde *Flor.* 3, 10. *med.* et V. TRANSGRESSUS. ℙ Translate. *Tac. A.* 3, 66. Paulatim ab indecoris ad infesta transgrediebantur. *Id. H.* 4, 66. Transgredior ad vos, seu me ducem, seu militem mavultis; et *ib.* 39. et *Agr.* 7. Transgredi in partes alicujus. *Plin.* 7, 49, 50. Transgredi mensuram, *h. e.* excedere; et *Vell.* 2, 108. Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet, *h. e.* praeterire, omittere. *Val. Max.* 4, 2. *in.* Transgrediamur ad egregium humani animi deflexum. Sic 8, 1. de damnat. *n.* 5. Possumus et ad illos brevi diverticulo transgredi, quos, etc.

TRANSGRESSIO, onis, f. διάβασις, transitio, transitus. *Cic. Pis.* 33 Alpium vallum contra ascensum transgressionemque Gallorum. *Mamert. Pan. Maxim.* 7. Quid majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione? ℙ Est hoc nomine tropus, Graeca appellatione hyperbaton, qui verborum perturbat ordinem (ut ait *Auct. ad Her.* 4, 32. *f.*) perversione, aut transjectione, ὑπέρβατον. *Cic. Or.* 3, 54. Verborum concinna transgressio. *Quint.* 9, 4. Quaedam vero transgressiones et longae sunt nimis, et interim etiam compositione vitiosae, quae in hoc ipsum petuntur, ut exsultent atque lasciviant, quales illae Maecenatis: Sole et aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exsequias quidem unus inter miserrimos viderem meas. [*Cf. de hac dicendi forma *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 401. sq.] ℙ Progressio, quo non oportet. *August. Quaest. in Exod. n.* 108. In peccatis transgressio est. Trangressio vero undenario numero significatur, quoniam transgreditur denarium, hoc est legem: *scil.* decalogum.

TRANSGRESSĪVĀ verba dicuntur a *Diomed.* 1, 336. quae formam propriae declinationis non servant, ut *audeo, es, ausus sum:* et *gaudeo, es, gavisus sum.*

TRANSGRESSOR, oris, m. qui transgreditur. *Arnob.* 7, 215. Ut contempti se vellent de audacibus et transgressoribus vindicare. *Tert. Resurr. carn.* 39. Quia jam transgressor legis videbatur. Adde *Drac. Hexaem.* 2, 352. et *Alcim.* 2, 120. qui *transgressorem* vocant diabolum, quia διάβολος idem significat. *F.*]

TRANSGRESSUS, a, um, part. a *transgredior:* ultra gressus. *Liv.* 40, 53. Consul per invios montes vallesque saltus cum exercitu transgressus. *Id.* 39, 45. Galli Transalpini per saltus ignotae viae in Italiam transgressi. *Plin.* 2, 83, 85. Prata, oleaeque in contrarias sedes transgressae. *Id.* 18, 18, 54. Sol transgressus in Virginem. *Id.* 7, 26, 27. Pompejus transgressus ad solis occasum, *h. e.* ad regiones occidentales. ℙ Passive. *Liv.* 10, 27. Consules transgresso Apennino in agrum Sentinatem pervenerunt. ℙ De iis, qui fluvium aut mare transeunt. *Caes. B. G.* 2, 19. Equites nostri flumen transgressi. *Liv.* 42, 1. In Corsicam transgressus. *Tac. Agr.* 18. Hunc Britanniae statum, media jam aestate transgressus Agricola, invenit; et *A.* 12, 27. Ut eam gentem Rheno transgressam Agrippa in fidem acciperet. ℙ Translate. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 8. Quae nonagesimum annum transgressa, etc. Adde *Vell.* 2, 7. *Id. ib.* 75. Augustus transgressus ad Deos. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 2. *extr.* Constantis amicitiae exempla sine ulla ejus mentione transgressus; et *Plin.* 7, 25, 25. Caesar dictator signis collatis quinquagies dimicavit, solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat.

TRANSGRESSUS, us, m. διάβασις, transitus, transfretatio. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 10, 26. Nactus obscuram noctem, aestu secundo, furtim, aut celeritate vitare proelium in transgressu conatus est. *Tac. A.* 11, 10. In transgressu amnis.

TRANSJĂCĬO, is, a. 3. idem quod trajicio, ultra jacio. *Solin.* 52. *med.* Indorum nemora in tam proceram sublimantur excelsitatem, ut transjaci ne sagittis quidem possint.

TRANSJECTIO. V. TRAJECTIO.

TRANSJECTUS. V. TRAJECTUS.

TRANSĪGO, is, egi, actum, a. 3. trans ago, | *spatium aliquod agendo, i. e. proprie: movendo, promovendo percurro, sive alia quacunque ratione absolvo. Atque cum *agere* imprimis dicatur de armentis, pecoribus, quae ducuntur, propelluntur, prodire coguntur, primo loco posuimus exemplum *Sil.* 10, 472. dum rapta volucris Transigeret cursu sonipes certamina campi, i. e. dum spatium, ubi certamen esset, celeri pede transcurreret. ℙ Deinde sequi posse visum est dicendi genus ap. *Pall.* usitatum, quo *transigere* dicitur de pecore abducendo venditionis causa, nostr. *vertreiben.*] *Pall.* 12, 13. *extr.* Trimae educare optime possunt: quod teneriores matres generant, transigendum est. *Id.* 3, 26. Ubi facultas est transigendi, venditis qui subinde nati sunt, etc. ℙ [*Hinc ad tempus refertur, et dicitur *transigere vitam, annos*, et hujusmodi, a spatio, vel campo metaphora deducta. *Noster* praeter *Sall. Cat.* 2., ubi tamen cum *Kritz.* legendum videtur *transiere*, quidquid etiam *Doederl.* 4, 366. de discrimine inter *transigere, peragere* dixerit, laud. ista:] *Suet. Tib.* 7. Adolescentiam omnem per haec fere transegit. *Tac G.* 15. Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt. *Sen. ep.* 90. *f.* Placidas transigebant sine suspirio noctes. *Claud. epigr.* 2. patriis aevum transegit in arvis. *Tac. Agr.* 18. Transigere tempus per ostentationem, aut officiorum ambitum. *Suet. Claud.* 12. Sponsalia filiae, natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione transegit. *Tert. ad nat.* 2, 19. *med.* Pios et insontes amoeno in loco dicimus perpetuitatem transacturos, *h. e.* perpetuo victuros. ℙ [*Unde in universum absolvendi, finem imponendi, perfungendi, rem conficiendi orta significatio, Gr. διατελεῖν, διαπράττεσθαι. In *Forc.* libro haec erant hoc ordine notata.] *Ter. Andr. f.* Intus transigetur, si quid est, quod restet. *Cic. Fam.* 13, 14. Peto a te, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas. *Liv.* 32, 28. (et 38, 25) Prius de praetoribus transacta res, quae transigi sorte poterat. *Id.* 34, 18. *f.* Nec cogitaret modo, imperaretque quae in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret. *Sall. Jug.* 31. *f.* Reliqua cum Bestia, et Scauro secreta transegit. *Cic. Rosc. Am.* 51. Quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur; et *Suet. Aug.* 13. Philippense bellum duplici proelio transegit. *Cic. Div. Verr.* 14. Quid cum coeperit (*Hortensius*) unumquodque transigere, expedire, absolvere? Ubi *Ascon. Transigere* quod manifestum est: *expedire* definiendum: *absolvere* dividendum. An *transigere* est, quod aut confiteri non timeat, aut negatione excludat: *expedire*, quod definitione solvatur: *absolvere*, quod per qualitatem licitum esse monstretur? *Pl. Ps.* 1, 5, 151. Transigere fabulam. Adde *Truc. prol.* 11. ℙ *Transactum est.* V. TRANSACTUS. ℙ Pro controversiam mutuo consensu dirimere, convenire, decidere, pactionem facere. *Ter. Hec.* 3, 5, 61. Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. *med.* Qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat; et *ib.* 3, 54. Quod erat vix HS quadraginta millium, transigunt HS ducentis millibus. *Id. Att.* 4, 16. *f.* Cum privatis non poterat transigi minore pecunia. ℙ Inter *transigere* et *pacisci* hoc interest, quod qui transigit, quasi de re dubia, et lite incerta, neque finita transigit: qui vero paciscitur, donationis causa rem certam et indubitatam liberalitate remittit. Ita *Ulp. Dig.* 2. *tit.* 15. qui De transactionibus est, 1. ℙ Translate. *Tac. Agr.* 31. *f.* Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, *h. e.* expeditiones militares uno proelio, et insigni victoria finite. *Appul. Met.* 8. Inedia denique misera, et incuria squalida, tenebris imis abscondita, cum luce jam transegerat, *h. e.* cum vita jam convenerat, ut eam relinqueret. [*Plura exempla haec sunto: *Tac. G.* 19. Cum spe votoque uxoris semel transigitur. *Quint. Inst.* 7, 1, 44. pulchre fuerit cum materia, tumultu et clamore transactum. — Ceterum notandum, hanc constructionem sequiorum scriptorum, *cum aliqua re transigere*, ortam esse ex priorum dicendi more *transigere* cum aliquo. ℙ Denique *transigere* usurpatur etiam de armis, quae trans aliquam rem jaciuntur; ita ut perforent, transfigant, trajiciant, transadigant. Gr. διαπείρω. Exempla *Forc.* laudaverat ista:] *Sil.* 13, 376. Bellatorem alacer per pectora transigit ensem. *Sen. Oed.* 857. Ferrum per ambos tenue transactum pedes Ligabat artus. *Phaedr.* 3, 10. Gladio pectus transigit. *Tac. A.* 14, 37. *extr.* Se ipsum gladio transegit. *Sil.* 5, 576. tum librat ab aure Intorquens jaculum, et versantem in vulnere sese Transigit. *Val. Fl.* 6, 246. Oebasus laevum per luminis orbem transigitur. *Lucan.* 4, 545. Viscera non unus jamdudum transigit ensis, *Sil.* 5, 473. Transegit juvenem cuspis Sidonia. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 465.]

TRANSJĬCĬO. V. TRAJICIO.

TRANSĪLĬO et Transsilio, is, livi, et lii, et lui, a. 4. ὑπεράλλομαι, μεταπηδάω, ultra salio, saltu transeo. *Plin.* 9, 8, 9. Mugilum velocitas retia transilit. *Pl. Truc.* 2, 1, 38. Illac per hortum transilivit ad nos. *Liv.* 30, 25. Neque poterant transilire armati ex humilioribus in altiorem navem. *Id.* 1, 7. Fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros. *Ov. Fast.* 4, 727. transilui positas ter in ordine flammas. *Flor.* 3, 3. *med.* Rex ipse quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, cum fugeret, ascendit, *h. e.* ex uno in alium equum desultoris modo transultare, ut ait *Liv.* 23, 29. ℙ Translate. *Av. Pont* 1, 5, 75. Per tantum terrae, tot aquas vix credere possim, Indicium studii transiluisse mei, *h. e* transisse, et penetrasse. *Auct. B. Hisp.* 19. Materfamilias de muro se dejecit, et ad nos transiliit, *h. e.* transfugit. *Plin.* 29, 1, 5. Eadem aetas Neronis principatu ad Thessalum transilivit, *h. e.* ejus aetatis homines, qui aliam medicorum sectam probaverant, Thessalo medico favere, quasi transfugae coeperunt. *Id.* 33, 2, 8. Ad ornamenta ea (*usum aureorum anulorum*) etiam servitute liberati transiliunt. *Hor. Od.* 1, 3, 23. si tamen impiae Non tangenda rates transiliunt vada, *h. e.* praetervehuntur, permeant, navigant; et *ib.* 18, 7. ne quis modici transiliat munera Liberi, *h. e.* transgrediatur, excedat nimis bibendo. *Plin.* 37, 6, 24. Onyx in gemmam transilit ex lapide Caramaniae, *h. e.* nomen onychis marmoris transit ad gemmam quoque significandam. *Cic. Par.* 3, 1. Transilire lineas. V. LINEA. ℙ Pro omittere, praeterire, negligere, silentio transire. *Cic. Or.* 3, 40. Ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere. *Id. Phil.* 2, 33. *extr.* Ne ex multis rebus gestis M. Antonii unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. *Plin. Paneg.* 56. Quid est enim in principatu tuo, quod cujusquam praedicatio vel transilire, vel praetervehi debeat? *Ov. Pont.* 1, 2, 145. Nos quoque praeteritos sine labe peregimus annos: Proxima pars vitae transilienda meae.

TRANSĪLIS, e, adj. qui transit. *Palmes transilis*, qui ita productus est, ut in vicinam arborem transire, et tradux fieri possit. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Oneratis (*traducibus*) vetustate melius donare tempus, ut transilem faciant.

TRANSĪTANS, antis, part. ab inus. *transito, as. Cic. Att.* 5, 21. *med.* L. Tullius legatus ceteroqui abstinens, sed Julia lege transitans, *h. e.* per provinciam transiens.

TRANSĪTĬO, onis, f. διάβασις, actus transeundi, transitus, trajectus. *Vitr.* 9, 4. *med.* Donicum idem Sol de eo trigono in aliud signum transitionem fecerit. *Ov. Rem. Am.* 615. Dum spectant oculi laesos, laeduntur et ipsi: Multaque corporibus transitione nocent. *Cic. Brut.* 16. Transitiones ad plebem, *h. e.* a patricio ordine ad plebejum. *Id. N. D.* 1, 18. et 37. *f.* et *ib.* 39. Transitio imaginum, *h. e.* fluxus, cum aliae aliis transeuntibus succedunt. ℙ Saepe est transfugium, defectio. *Liv.* 28, 15. *f.* Sed transitio sociorum, fuga ut tutior mora videretur, effecit; et *ib.* 16. Itaque transitiones ad hostem fiebant. *Id.* 27, 20. Exercitus cum transitionibus, tum adverso proelio imminutus. *Id.* 25, 15. Vocare per colloquia ad transitionem. *Just.* 1, 5. Medorum transitionem pollicitus. ℙ *Transitio* a rhetoribus vocatur, quae, ut ait *Auct. ad Her.* 4, 26., ostendit breviter, quid dictum sit; proponit item brevi, quid sequatur hoc modo. In patriam cujusmodi fuerit, habetis: nunc in parentes qualis exstiterit, considerate. *Id.* 1, 9. Transitionibus nullis uti. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 402.] ℙ Apud grammaticos est inclinatio verbi, aut nominis per casus, aut personas. *Varr. L. L.* 8, 59. Et in obliquis casibus transitio erit in aliquam formulam, qua assumpta, reliqua facilius possunt videri verba, unde sint declinata.

TRANSĪTĪVUS, a, um, adj. qui transit. Transitiva verba, aut nomina dicuntur a grammaticis, quorum significatio et vis in aliam personam transit: et contra Intransitiva, quae non transeunt. *Prisc.* 14, 982.

TRANSĪTOR, oris, m. qui transit. *Ammian.* 15, 2. Ut subterraneus serpens foramen subsidens occultum, assultu subito transitores observans incessit.

TRANSĪTORĬĒ, adv. in transitu, obiter, perfunctorie. *Hieron. adv. Helv. n.* 13. Transitorie dicere. *Id. ep.* 51. *n.* 2. loqui. *August. serm.* 102. de Temp. considerare.

TRANSĪTORĬUS, a, um, adj. transitioni inserviens, pervius. *Boeth. Cons. phil.* 5. *pros.* 6. In hodierna quoque vita non amplius vivitis, quam in illo mobili transitorioque momento. *Lampr. Alex. Sev.* 28. Statuas imperatoribus in foro Divi Nervae, quod transitorium dicitur, locavit. (*Aurel. Vict. Caesar.* 12. de Nerva: Dedicato prius foro, quod appellatur Pervium.) *P. Vict. de reg. Urb. R.* Transitorium forum ponit in regione quarta. Dictum est ex eo, quod per illud facilis erat transitus in alia loca. *Suet. Ner.* 31. Domum a Palatio Esquilias usque fecit: quam primo transitoriam, mox |incendio absumptam restitutamque, Auream nominavit: *scil.* quia per eam transitus erat a Palatio in Esquilias.

TRANSĪTUS, a, um, part. a *transeo: Liv.* 21, 43. Alpes vix integris vobis ac vigentibus transitae. *Just.* 38, 4. *med.* Paene operosius transitis eorum finibus, quam possessis. *Manil.* 2, 367. Alterius ductus locus est per transita signa.

TRANSĪTUS, us, m. μετάβασις, locus qua transiri potest, et ipsa transitio. *Cic. Tusc.* 5, 20. *med.* Ejus fossae transitum ponticulo ligneo conjunxit. *Hirt. B. G.* 8, 20. Flumine impeditum transitum

videbat; et *ib.* 13. Proelia, quae ad vada transitusque fiebant paludis. *Caes. ib.* 6, 6. Erat inter Labienum atque hostem difficili transitu flumen. *Plin.* 6, 28, 32. Inde in montes octo dierum transitus. *Id.* 3, 11, 16. Qua in Graeciam brevissimus transitus. *Liv.* 28, 1. Cum transitu Hasdrubalis levatae Hispaniae viderentur. *Id.* 21, 20. Dare transitum Poeno per agros urbesque suas. *Just.* 2, 13. occupare maturata fuga. *Id.* 15, 4. Transitum inde in Indiam fecit; et 29, 4. Prohibere transitum; et *Tac. A.* 15, 10. alicujus arcere. *Id. H.* 4, 19. *med.* Arcere transitu aliquem. *Just.* 1, 8. prohibere aliquem. *Tac. A.* 12, 13. Capta in transitu urbs Ninos; et *H.* 1, 70. Transitum Alpium parans; et *ib.* 3, 59. Foeda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus. *Gell.* 15, 19. Transitus in alienam familiam: *scil.* per arrogationem. *Plin.* 23, 2, 28. Acetum scillinum transitum auditus aperit. *Ov. Met.* 4, 77. datus est verbis ad amicas transitus aures. *Plin.* 22, 24, 51. Aqua mulsa lenit transitum spiritus, *h. e.* asperam arteriam, per quam meat spiritus. *Id.* 11, 36, 43. Mutationes, et in alias figuras transitus, *μεταμορφώσεις.* ℙ De transfugio et transitione ad hostes. *Tac. H.* 1, 76. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. ℙ In pictura *transitus* est, ubi unus color finitur, et alius incipit. *Ov. Met.* 6, 65. de Iride: In quo diversi niteant cum mille colores, Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit: Usque adeo quod tangit, idem est: tamen ultima distant. *Plin.* 35, 5, 11. Commissuras colorum et transitus appellaverunt harmogen. *Id.* 37, 2, 8. Circumagentibus se maculis in purpuram candoremque, et tertium ex utroque ignescentem, velut per transitum coloris. V. HARMOGE. ℙ In dicendo est transitio ab una re perorata ad aliam. *Just.* 42, 2. Sed quoniam in Armeniam transitum facimus, origo ejus paulo altius repetenda est. *Quint.* 9, 2. *med.* Unde etiam venusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema, etc. *Id.* 7, 6. Hinc erit ad alia transitus, et divisio, num quisquis, etc. ℙ Transitus verborum et nominum est eorum declinatio a prima persona in reliquas, a recto casu ad obliquos. *Varr. L. L.* 8, 62. Ut apparet in meo, neo, veho: ac his dissimilia fiunt transitu, meas, nes, vehis; et *ib.* 52. Sic socer, macer, quod in transitu fiat ab altero trisyllabum soceri, ab altero bisyllabum macri. *Id. ib.* 9, 3. *med.* Similitudo, quae est in transitibus de casu in casum. ℙ *In transitu*, cursim, obiter, breviter. *Quint.* 7, 3. *med.* Quae libro quinto leviter in transitu attigeram. *Id.* 6, 2. Affectuum non simplex natura, nec in transitu tractanda.

TRANSJŪGĀTUS, a, um, adj. ultra jugum transitus. *Mela* 2, 2. Athos mons a Xerxe in Grajos tendente perfossus transjugatusque est, factus freto navigabili pervius. Alii leg. *trasnavigatus.*

TRANSJUNGO, is, xi, ctum, a. 3. *μεταζεύγνυμι*, est in quadriga locum veterinis mutare, ut mulam temonariam facere, quae praecedere solita sit, vel dextram, quae sinistra esse solebat. *Ulp. Dig.* 21, 1, 38. *med.* Si mula talis sit, ut transjungi non possit.

TRANSLAPSUS, a, um, part. a *trans* et *labor. Claud. in Eutr.* 1, 376. rapit coeli per insania cursum Diva potens, unoque Padum translapsa volatu, etc. *h. e.* praetervolans.

TRANSLĀTĪCĬĒ, adv. remisse, leviter, perfunctorie, negligenter: quasi ut vulgo et passim solet. *Ulp. Dig.* 37, 14, 1. Patronorum querelas adversus libertos praesides audire, et non translaticie exsequi debent. *Mart. ib.* 48, 16, 1. *med.* Praevaricatorem esse eum ostendimus, qui colludit cum reo, et translaticie munere accusandi defungitur. *Papin. ib.* 36, 1, 55. *med.* Sed nec illud translaticie omittendum est. Omnibus his locis sunt qui leg. *translative.*

TRANSLĀTĪCĬUS et Tralaticius, a, um, adj. qui crebro ex uno in alium locum transfertur: atque adeo non nuper inventus, aut novus, sed aliunde sumptus, ut ait *Ascon.* ad *Verr.* 2, 1, 44. *extr.*, ubi *Cic.* In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, vetus edictum translaticiumque esse. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Cum ego in edicto tralaticio centesimas me observaturum haberem. *Gell.* 3, 18. *f.* Edictum, quo nunc consules, servandae consuetudinis causa, tralaticio utuntur. *Suet. Aug.* 10. M. Antonius ne publicum quidem et translaticium jus ulla in re sine pactione gravissimae mercedis impertiens. ℙ Hinc ponitur pro usitato, vulgari, recepto, solemni, passim occurrente, vulgo usurpato, consueto. [*Nempe *translaticius* proprie est, quod a majoribus ad nos translatum est.] *Petr. Sat.* 110. Intelligebam, me non tralaticia deformitate esse insignitum. *Suet. Ner.* 33. *f.* Efferre aliquem raptim translaticio funere. *Phaedr.* 5, 7. Dii sunt locuti more translaticio: hic antepaenultima in *translaticio* producitur, licet ea in vocabulis similiter desinentibus brevis esse soleat. V. NATALICIUS et SATURNALICIUS. *Petr. Sat.* 113. Nec Giton me aut tralaticia propinatione dignum judicabat; et *ib.* 114. Aut praeteriens aliquis tralaticia humanitate lapidabit, *h. e.* tumulum lapidibus operiet. Alii leg. *tumulabit;* et *Suet. Ner.* 7. *f.* Patronis non translaticias, ut assolet, breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus. *Plin. ep.* 9, 37. Translaticia, et quasi publica officia a familiaribus amicis contra ipsorum commodum exigere. Est qui leg. *translativa. Gell.* 9, 9. Verba hercle non translaticia, sed cujusdam nativae dulcedinis. ℙ *Translaticium est*, minime novum, usitatum, consuetum. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, traslaticium est. *Plin.* 10, 29, 41. Animalium (*quaedam alicubi*) non nasci, translaticium: invecta emori, mirum. *Id.* 7, 5, 4. Tralaticium in Aegypto est, et octavo mense gigni. Est qui leg. *translativum.* ℙ De scriptione V. in TRADITUS.

TRANSLĀTĪVĒ, adv. V. TRANSLATICIE *f.*

TRANSLĀTĪVUS et Tralativus, a, um, adj. *μεταστατικός*, qui transfertur, vel transferri potest, aut solet. Constitutio translativa est illa, in qua causa pendet, quia actio non fit iis circumstantiis, quibus facienda est, ac proinde indiget transactionis, et commutationis, e. gr. Utrum populus Romanus, an centumviri de hac re judicare debeant, Utrum cum eo, qui vasa argentea publica de loco privato sustulerit, furti, an peculatus agi oporteat. *Cic. Inv.* 1, 8. At cum causa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet; translativa dicitur constitutio, quia actio translationis, et commutationis indigere videtur. *Id. ib.* 2, 19. Cum autem actio translationis, aut commutationis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua poena, quo crimine, quo tempore oportet; constitutio translativa appellatur. ℙ *Translativa quaestio*, aut *causa* ap. *Quint.* 3, 6. eodem fere pertinent. ℙ *Translativus*, usitatus, communis, receptus. V. TRANSLATICIUS.

TRANSLĀTOR, oris, m. qui transfert. *Cic. Verr.* 2, 5, 58. *med.* Verres ille, vetus proditor consulis, translator quaesturae, aversor pecuniae publicae, *h. e.* qui cum esset quaestor aerarius Marianarum partium, pecuniam publicam, Carbonis consulis et exercitus ejus nomine ex aerario sumptam, avertit, et ad Sullam transfugiens transtulit, ut est ap. *Cic.* et *Ascon. Verr.* 2, 1, 4. *med.* ℙ Item interpres. *Hieron. ep.* 57. *n.* 5. Sufficit mihi ipsius translatoris auctoritas, qui etc. *Id.* in *Daniel.* 4, 5. Exceptis Septuaginta translatoribus, qui haec omnia nescio qua ratione praeterierunt. Adde *praef. in Psalt. juxta LXX.*, ubi alii *interpretibus* pro *translatoribus* legunt. ℙ Est etiam qui exscribit. V. *Sidon. l. c.* in COACTIM.

TRANSLĀTUS et Tralatus, a, um, part. a *transfero: μετατοποθείς*, in alium locum latus, transvectus. *Nep. Arist.* 3. Pecunia omnis Athenas translata. *Ov. Met.* 13, 868. Cumque suis videor translatam viribus Aetnam Pectore ferre meo. *Plin.* 19, 12, 60. Omnia translata meliora grandioraque fiunt, maxime porri; et 6, 26, 29. Oppidum translatum ab Dario ad montes. *Caes. B. G.* 7, 8. *f.* Cum videat omne ad se bellum translatum. *Hor. Epod.* 15, 23. translatos alio moerebis amores. *Ov. Met.* 15, 419. Deserat ante dies, quam consequar omnia dictis In species translata novas; et *Tac. A.* 15, 26. Legiones in Syriam translatae. *Id. H.* 1, 13. Reipublicae cura frustra a Nerone translata, si apud Othonem relinqueretur, *h. e.* Neroni erepta, et alii transdita. *Inscr.* ap. *Grut.* 662, 8. Isdem corporibus tralatis, *h. e.* cadaveribus in aliud sepulcrum traductis. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 1. Ad verbum translata sententia. *Id.* 30, 10, 27. Stellionis nomen in maledictum translatum; et *Lucan.* 10, 110. Nondum translatos Romana in saecula luxus. *Suet. Ner.* 52. Versus translati, *h. e.* transcripti. ℙ *Translata verba*, quae, ut ait *Cic. Or.* 27., per similitudinem ab alia re, aut suavitatis, aut inopiae causa transferuntur, *μεταφορικά. Cic. ib.* Illustrant orationem, quasi stellae quaedam, tralata verba atque immutata. ℙ *Translatum exordium* est, quod aliud conficit, quam causae genus postulat: ut si quis docilem faciat auditorem, cum benivolentiam causa desiderat: aut si principio utatur, cum insinuationem res postulat. Haec *Cic. Inv.* 1, 18. *med.* ℙ De scriptione V. in TRADITUS.

TRANSLĀTUS et Tralatus, us, m. translatio. De transvectione aut pompa. *Sen. Tranq.* 1. *med.* Praestringit animum apparatus alicujus paedagogii, diligentius, quam in tralatu, vestita et auro culta mancipia. Ita recte leg. *Gronov.*, alii aliter. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 6. Translatum antea Poeniceis indutum tunicis, M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit, *h. e.* ludionum turbam, quae in scena saepius ante spectatorum oculos traducitur, velut in pompa fit.

TRANSLĒGO, is, a. 3. *διαγινώσκω*, cursim lego, legendo transcurro. *Pl. As.* 4, 1, 5. Age quaeso, mi hercle (*syngraphum*) translege.

[TRANSLŪCĀNUS, a, um, adj. qui trans lucum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 201, 7. Municipes et incolae pagi translucani, et pagi suburbani. *F.*]

TRANSLŪCĒO et Traluceo, es, n. 2. lucem transfero, lucendo transeo. *Lucr.* 4, 308. Usque adeo e speculo in speculum tralucet imago. Supra dixerat *ib.* 302. Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago. ℙ Item *διαφαίνω*, lucem transmitto, pelluceo. *Ov. Met.* 4, 354. In liquidis translucet aquis, ut eburnea siquis Signa tegat claro, vel candida lilia vitro. *Plin.* 17, 14, 24. Translucens fissura. *Colum.* 4, 29. *med.* Nisi cortex cortici sic applicetur, ut nullo loco transluceat, nequit coalescere, *h. e.* rimam habeat, qua lux transeat. *Plin.* 6, 17, 20. de serico: Tam longinquo opere petitur, ut in publico matrona transluceat. *Id.* 37, 10, 67. Selenitis ex candido translucet melleo fulgore. *Id.* 36, 26, 67. Vitris in candido translucentibus. *Id.* 37, 10, 63. Gemma nigerrimo colore translucens.

TRANSLŪCĬDUS et Tralucidus, a, um, adj. *διάφανος*, qui ita lucet, ut visum transmittat, pellucidus. *Plin.* 37, 9, 46. Translucida crystallus. *Id.* 11, 37, 55. *extr.* Membrana vitri modo translucida. *Id.* 37, 5, 18. Smaragdi densi, nec e liquido translucidi; et *ib.* 4, 15. Translucidus color; et *ib.* 10, 57. Gemma candore translucido. ℙ Translate. *Quint. prooem.* 8. *med.* Cultus muliebris et luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 406.]

TRANSMARĪNUS, a, um, adj. *ὑπερθαλάσσιος*, qui trans mare est, vel petitur. *Pl. Most.* 2, 2, 66. Ego transmarinus hospes sum Diapontius. V. DIAPONTIUS. *Cic. Verr.* 2, 5, 18. Privatim autem nec proficisci quoquam potes, nec arcessere res transmarinas ex iis locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet. *Id. Or.* 3, 33. Quid enim M. Catoni praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam, atque adventiciam defuit? *h. e.* praeter jurisprudentiam. Nam Romani petivere leges trans mare per tres legatos a civitatibus Graeciae, ut patet ex historia legum XII. Tabularum. *Quint.* 7, 3. *f.* Transmarina peregrinatio. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 245. Mercator omnis generis mercium transmarinarum.

TRANSMĒĀBĬLIS, e, adj. qui transmeari potest. *Auson. Grat. act.* 35. *extr.* Spatio non transmeabili.

TRANSMĒĀTŌRIUS, a, um, ad transmeandum aptus. *Tert. adv. Valent.* 27. Christus delatus in Virginem transmeatorio potius, quam generatorio more.

TRANSMĒĀTUS, a, um, part. a *transmeo:* transitus, trajectus. *Ammian.* 27, 8. *med.* Transmeato lentius freto. *Appul. Met.* 6. Transmeato limite.

TRANSMĒO et Trameo, as, avi, atum, a. 1. *μεταβαίνω*, trans, aut ultra meo, transeo, pertranseo, permeo. *Lucr.* 4, 603. Qualia (*foramina*) sunt vitri, species quae trameat omnis. *Tac. A.* 12, 62. Transmeantibus terra marique ducibus, exercitibusque. *Plin.* 33, 5, 26. Quidquid non transmeat (*in cribrando*), repetitur in pila. *Id.* 30, 11, 29. Sole XII. Signa transmeante. *Id.* 10, 29, 41. Larius lacus, ad quem ciconiae non transmeant. ℙ Sunt qui ap. *Lucr.* tum *l. c.* tum 6, 348. pro *trameat* leg. *traviat* eod. sensu. ℙ De scriptione V. in TRADITUS.

TRANSMIGRĀTĬO, onis, f. *Prud. Hamart.* 448.

Haec illa est Babylon, haec transmigratio nostrae Gentis.

TRANSMIGRO, as, n. 1. *μετοικέω*, in alium locum migro, domicilii causa alio me transfero, habitationem commuto. *Liv.* 5, 54. Aliam urbem quaerere, quo transmigremus; et *ib.* 53. Transmigrare Vejos. *Suet. Tib.* 15. E Carinis Esquilias in hortos Maecenatianos transmigravit. *Plin.* 16, 32, 59. Arbores exorari, ut vivant, atque transmigrent.

TRANSMISSIO, onis, f. actus transmittendi. De trajectione maris, aut fluminis, *διάπλοος*. *Cic. Att.* 4, 17. O navigationem amandam! quam mehercule ego valde timebam, recordans superioris tuae transmissionis. *Id. Phil.* 1, 3. Ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur.

TRANSMISSUS et Tramissus, a, um, part. a *transmitto: διαπόμπιμος*, ultra missus, trajectus, transvectus: praesertim trans mare, aut flumen. *Liv.* 28, 41. *extr.* Magna classis in Siciliam tramissa. Alii leg. *transmissa*. *Tac. Agr.* 28. Cohors Usipiorum in Britanniam transmissa. *Virg. A.* 3, 403. ubi transmissae steterint trans aequora classes. *Val. Fl.* 1, 463. de Lynceo: possit qui rumpere terras, Et Styga transmisso tacitam deprendere visu. ℙ Item trajectus. *Tac. A.* 12, 13. Transmissus amnis. *Val. Fl.* 2, 623. Exsuperant Pityamque vadis, transmissaque puppi Lampsacus, *h. e.* navis Lampsacum praetervecta est. ℙ Item transadactus. *Sen. Herc. Oet.* 1165. Transmissus ensis per latus. ℙ Item transverse missus, injectus. *Liv.* 1, 26. *f.* Transmissum per viam tigillum. *Suet. Cal.* 22. *f.* Super templum Augusti ponte transmisso, Palatium Capitoliumque conjunxit. ℙ Item transactus, praeteritus. *Lucan.* 7, 212. Attonitique omnes veluti venientia fata, Non transmissa, legent. *Plin. ep.* 8, 11. Incipit (*aeger*) refici, transmissumque discrimen convalescendo metiri. *Stat. Silv.* 1, 4, 124. nemo modum transmissi computet aevi. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 141. Nec tibi sufficiat transmissae gloria vitae. ℙ Et praetermissus. *Tac. A.* 16, 12. Junius mensis transmissus, quia duo Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Junium fecerant. Adde *ib.* 4, 55.

TRANSMISSUS, us, m. *διάπλοος*, trajectio, transmissio mari, aut flumine. *Caes. B. G.* 5, 13. Hibernia dimidio minor, quam Britannia: sed pari spatio transmissus, atque ex Gallia, est in Britanniam. *Gell.* 10, 26. Maris transitus, transmissusque navibus factus. ℙ Item traditio. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 112. Nunc regnum potitur transmissu patris.

TRANSMITTO et Tramitto, is, isi, issum, a. 3. *διαπέμπω*, de loco ad locum mitto, ultra mitto. *Pl. Epid.* 1, 2, 52. et 3, 4, 27. Mihi ut illam tramittas: argentum accipias. *Paul. Dig.* 11, 4, 4. Ad officium proconsulis comprehensos fugitivos transmittere. *Tac. A.* 13, 55. Transmittere pecora et armenta in campum: *scil.* pascendi causa. *Flor.* 4, 2. *f.* Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, Rhodanus, Oceanus. ℙ Item transfero. *Colum.* 7, 8. *med.* de caseo: Cum transmiserint in formas coactam materiam. *Just.* 36, 4. *extr.* Asia Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit. *Liv.* 21, 20. Ne in Italiam transmittant Galli bellum. [*Tac. *A.* 2, 6. Insula Batavorum — transmittendum ad bellum opportuna.] *Tac. A.* 2, 38. Urgere modestiam senatus: eandem vim in me transmittere. [*Insolentius paulo usurpatur h. l. v. *transmittere* pro adhibere.] ℙ Item tradere. *Sil.* 7, 383. Alloquitur juvenem, cui mos tramittere signa, Et belli summam primasque jubebat habenas. *Plin. ep.* 8, 18. Haec hereditas transmittenda erat filiae fratris. ℙ Cum infinito. *Stat. Silv.* 3, 3, 78. et longo transmittit habere nepoti. Simile est illud *Virg. A.* 9, 362. dat habere nepoti; et *ib.* 5, 263. donat habere viro. ℙ Item transveho, trajicio, trans mare, aut flumen navibus, aut ponte transduco. *Vell.* 2, 51. Mare praesidiis classium sepserat, quo minus Caesar legiones posset transmittere. *Liv.* 28, 5. *f.* Inde classem in Euboeam ad urbem Oreum transmittunt. ℙ *mare*, aut *flumen transmittere*, trajicere, *διαπλεῖν*. *Liv.* 21, 20. *extr.* Satis constante fama, jam Iberum Poenos transmisisse. *Tac. A.* 15, 7. et *Plin. ep.* 8, 8. Euphratem ponte transmittebat. *Cic. Att.* 16, 6. Duo sinus fuerunt, quos tramitti oportet: utrumque pedibus aequis transmissimus. *Id. N. D.* 2, 49. Grues loca calidiora petentes, maria transmittunt. *Id. Att.* 8, 11. Ante puto transmissurum (*mare*), quam potuerit conveniri. *Sil.* 14, 20. de freto Siculo: Sed spatium, quod dissociat consortia terrae, Latratus fama est, Et matutinos volucrum tramittere cantus. ℙ Saepe hoc sensu absolute adhibetur. *Cic. Att.* 8, 13. Si nactus hic esses Cnaeum nostrum, spes dubia pacis: sin ille ante transmisisset, exitiosi belli metus. *Id. ib.* 16, 7. Cum a Leucopetra (inde enim transmiseram) stadia CCC. processissem, rejectus sum austro vehementi. *Liv.* 25, 31. *f.* Otacilius cum quinqueremibus LXXX. Uticam ab Lilybaeo transmisit. *Id.* 42, 7. Ex Corsica subacta Cicerejus in Sardiniam transmisit. *Id.* 21, 51. Hostes jam transmiserant ad vastandam Italiae oram. *Id.* 30, 24. Centum onerariae naves in Africam transmiserunt. ℙ *Transmittere ad aliquem*, transfugere. *Vell.* 2, 84. Domitius maximo et praecipiti periculo transmisit ad Caesarem. ℙ Est etiam ultra ire, transcurrere. *Lucr.* 2, 326. et *Virg. A.* 4, 154. cervi transmittunt cursu campos. *Stat. Th.* 9, 239. et *Sil.* 4, 347. fluvium transmittere nando. *Id.* 8, 554. tramittere saltu Murales fossas. ℙ Translate *transmittere discrimen* ap. *Plin. ep.* 8, 11. est evadere. ℙ Item superjacio, jaciendo supero, aut transcurro. *Ov. Met.* 4, 708. quantum Balearica torto Funda potest plumbo medii transmittere coeli. *Stat. Th.* 6, 677. transmittere flumina disco. *Plin.* 28, 4, 6. Cum quis tectum, in quo sit gravida, transmiserit lapide, vel missili. ℙ Item transitum do. *Colum.* 12, 50. Cannas diligenter spisse tectas injicito, ita ut ne baccam transmittere queant. *Id.* 1, 6. *f.* Piscinae exstructum pavitumque solum habeant, ne humorem transmittant. *Plin.* 16, 10, 19. Abies folio pinnato densa, ut imbres non transmittat. *Id.* 9, 22, 38. Lacus Benacus Mincium amnem transmittens. *Id.* 13, 12, 24. Charta transmittens litteras liturae metum affert. *Id.* 18, 11, 29. *n.* 3. Cribrum angustissimum, et tantum arenas transmittens. *Id.* 11, 37, 78. Intestini laxitas cibum in inferiora transmittit. *Tac. A.* 13, 15. Primum venenum transmisit exsoluta alvo. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 3. Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem foeni large onustam transmitteret. *Plin. alter ep.* 8, 8. Flumen navium patiens, quas obvias quoque, et contrario nisu in diversa tendentes, transmittit et praefert: et *ep.* 2, 17. Cryptoporticus patentibus fenestris Favonios accipit transmittitque. *Stat. Th.* 9, 802. sed ferri lumine diro Turbatus sonipes, sese dominumque retorsit In latus, atque avidam transmisit devius hastam. *Sen. ep.* 99. *med.* Acquiescamus his, quae hausimus: si modo non perforato animo hauriebamus, et transmittente quidquid acceperat, *h. e.* obliviscente, non continente. *Liv.* 21, 24. *extr.* Galli capti donis, cum bona pace exercitum per fines suos, praeter Ruscinonem oppidum transmiserunt. *Val. Fl.* 3, 433. ipse recenti Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro, *h. e.* ante se ire jubens, et transvehi. ℙ Item trajicio, transfigo. *Sil.* 5, 521. stetit aeris in ora Cuspis, et oppositas vetita est tramittere crates; et 7, 658. transmittit cuspide pectus. ℙ Item transadigo. *Pl. Mil.* 1, 1, 29. Si connisus esses, per corium, per viscera, perque os elephanto brachium transmitteres. *Sen. Thyest.* 1089. trisulco flammeam telo facem Per pectus hoc transmitte. ℙ Translate est mandare, committere. *Cic. Manil.* 14. *extr.* Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit? [*Similia sunt ista: *Tac. A.* 4, 41. mox Caesarem, vergente jam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius transmissurum; et *ib.* c. 54. poma — intacta ore servis transmisit: quibus contemtus vel incuriae notionem inesse docet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 466. Ejusdem generis esse videntur *Plin. Pan.* 7, 5. An senatum populumque Romanum, exercitus, provincias, socios transmissurus uni etc. et 37, 2. ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Cf. exempla, quae ab initio posita sunt, *Sil.* 7, 383. et *Plin. ep.* 8, 18. Quibus addi poterat *Virg. A.* 3, 29. Me famulo famulam Heleno transmisit habendam: quem locum *Cort.* laud. ad *Lucan.* 2, 341. docens vv. *tradere* et *transmittere* propria esse in h. re de concessis alii conjugibus.] ℙ Item omittere, negligere. *Tac. A.* 15, 31. Apud nos vis imperii valet, inania transmittuntur. *Id. H.* 4, 31. *extr.* Cum cetera jurisiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes, aut levi murmure, et plerumque silentio transmittebant. *Id. A.* 13, 39. *f.* Summa dissimulatione transmittere aliquid. *Stat. Th.* 8, 595. leo imbelles vitulos, mollesque juvencos Transmittit: magno furor est in sanguine mergi. ℙ Item praeterire, praetermittere. *Sil.* 7, 162. Haud fas, Bacche, tuos tacitum transmittere honores. *Tac. H.* 4, 9. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit; et *ib.* 1, 13. Ex rumoribus nihil silentio transmittentium. [*Suet. *Cal.* 10. quae ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens. *Id. Claud.* 11. Ne M. quidem Antonium inhonoratum ac sine grata mentione transmisit. *Id. Vesp.* 15. qui se omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat.] ℙ Item agere, ducere, transigere, cum de tempore sermo est. *Sen. ep,* 19. Vitam per obscurum transmittere. *Stat. Silv.* 4, 2, 12. steriles transmisimus annos: Haec aevi mihi prima dies. *Plin. ep.* 9, 6, Omne hoc tempus inter pugillares et libellos jucundissima quiete transmisi. *Plin. alter* 8, 25, 38. Crocodilus quatuor menses hiemis inedia transmittit in specu. *Stat. Th.* 3, 278. vigiles operi transmittere noctes, *h. e.* in opere transigere. Huc et illa pertinent. *Plin. ep.* 1, 22. Incredibilem febrium ardorem immotus opertusque transmittit; et *ep.* 6, 4. Ecquid denique secessus, voluptates, regionisque abundantiam inoffensa transmitteres. *Cic. Manil.* 1. Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi, [*i. e. tribuendum. Ceterum pertinet hic locus ad eum, quem supra *Forc.* laud., *Cic. Manil.* 14., ubi mandandi, committendi notione positum legitur v. *transmittere.*] ℙ Monent critici, saepissime in MSS. *Livii*, *Silii*, *Statii*, *Ciceronis* etc, *tramitto* scriptum esse, et paene frequentius quam *transmitto*. V. TRADITUS.

TRANSMONTĀNUS, a, um, adj. *ὑπερώρειος*, qui ultra montes habitat. *Liv.* 39, 2. *med.* Subactis eis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus. *Plin.* 3, 3, 4. Astures divisi in Augustanos et Transmontanos. [*Inscr.* ap. *Donat.* 298, 2. et *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 154. Pintajus Pedilici F. Astur Transmontanus, castello Intercatia. *F.*]

TRANSMOTIO, onis, f. actus transmovendi. *Capell.* 5, 172. Metathesis est transmotio quaedam, hoc est cum rem a nobis alio transmovemus. Alii leg. *transmutatio*. *Aquila R. de fig. sentent.* p. 19. *Capper.* Metastasim, transmotionem, quidam inter figuras nominant, cum rem a nobis alio transmovemus. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 406. sq.]

TRANSMOTUS, a, um, part. a *transmoveo*, *μεταχινηθείς*. *Tac. A.* 13, 35. Quippe Syria transmotae legiones.

TRANSMŌVĒO, es, vi, tum, a. 2. *μεταχινέω*, de loco in alium locum moveo, transfero. *Ter. Eun.* 3, 1, 9. Labore alieno magnam partam gloriam verbis saepe in se transmovet, *h. e.* sibi attribuit.

TRANSMŪTĀTĬO, onis, f. actus transmutandi. *Quint.* 1, 5. Duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus, *preculam* pro *pergula* dicens, et immutatione, cum *c* pro *g* uteretur, et transmutatione, cum *r* praeponeret *e* antecedenti.

TRANSMŪTO, as, a. 1. *μεταλλάττω*, idem ac simplex *muto*, vel transfero. *Hor. Od.* 3, 29, 51. de Fortuna: Transmutat incertos honores, Nunc mihi, nunc aliis benigna. *Lucr.* 2, 487. transmutans dextera laevis. Quidam codices habent *tramutans*, quemadmodum etiam *tramitto* pro *transmitto* legitur. V. dicta in TRADITUS.

TRANSNĀTO. V. TRANATO.

TRANSNĀVĪGO et Tranavigo, as, a. 1. *διαπλέω*, ultra navigo. *Front. Strat.* 1, 4. *f.* Angustias maris transnavigare. *Sulpic. Sever. Dial.* 1, 1. Tot maria transnavigavimus. V. TRANSJUGATUS.

TRANSNO. V. TRANO.

TRANSNOMĪNĀTĬO, onis, f. a quibusdam appellatur figura metonymia: nam *μετωνυμία* ad verbum transnominatio est. *Beda de trop. S. Script.* ap. *Pithaeum* p. 348. *Diomed.* 2, 452. et *Donat. de trop.* p. 1776.

TRANSNOMĪNO, as, a. 1. *μετονομάζω*, nomen commuto. *Suet. Gr.* 18. L. Crassicius, genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasides, mox Pansam se transnominavit. *Id. Dom.* 13. *f.* Septembrem mensem, et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque transnominavit.

[TRANSNŪBO, is, a. 3. marito repudiato alii nubo. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 10. Cum mulier consentiret, ut, deserto Philippo, (*Pausanias*) ad sese transnuberet. V. NUBO. *F.*]

TRANSNŪMĔRO, as, a. 1. *ὑπεραριθμέω*. *Auct. ad Her.* 4, 50. Tu illo plures mittas oportet, si hodie vis transnumerari, *h. e.* numerari pecuniam, et numeratam transferri.

TRANSPĀDĀNUS, a, um. adj. *Ὑπερηδιανὸς*, trans Padum habitans. *Cic. Fam.* 12, 5. *med.* Tuos clientes Transpadanos etiam mirifice conjunctos cum causa habebamus. *Plin.* 3, 17, 21. Transpadana regio. *Id.* 10, 29, 41. Italia. *Catull.* 39, 13. Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam. ℙ *Transpadani*, *orum*, absolute, ap. *Plin.* 18, 13, 34. sunt regionis Transpadanae incolae.

TRANSPECTUS, us, m. *διόρασις*, actus transpiciendi visus. *Lucr.* 4, 272. Janua cum per se transpectum praebet apertum.

[TRANSPERTŪSUS, a, um, part. ab inus. *transpertundo:* transforatus. *Auct. de limit.* p. 302. *Goes.* Terminus si transpertusus fuerit, cisternam significat, alveum transit, et ipsa aqua viva in arca trifinii est. Adde p. 266. *F.*]

TRANSPĪCIO et Transspicio, is, exi, ectum, a. 3. *διακύπτω*, ultra aspicio, prospicio. *Lucr.* 4, 271. Quod genus illa foris, quae fere transpiciuntur. *Lactant. Op. D.* 8. *med.* Per eas igitur membranas sensus ille, qui dicitur mens, ea, quae sunt foris, transpicit.

TRANSPLANTĀTUS, a, um, part. ab inus. *transplanto: μεταφύτευτος*, serendo translatus. *Sedul.* 2, 258. mollesque per hortos Numina sicca rigant: verique hac arte videntur Transplantatorum cultores esse Deorum.

TRANSPŌNO, is, sui, situm, a. 3. *μεταθημι*, transfero, transporto. *Gell.* 4, 5. Illam statuam suaserunt in inferiorem locum transponere. *Id.* 6, 9. Locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus. *Pall.* 10, 13. Brassicam Novembri inchoante transponere, i. e. transserere. ℙ Trans flumen, vel mare vehere, trajicere, transmittere. *Just.* 23, 3. Victorem exercitum transponere in Italiam. *Tac. A.* 2, 8. Classis laevo amne transposuit militem dextras in terras iturum; et *Plin. ep.* 10, 69. Erit facile per illam brevissimam terram advecta fossa onera transponere in flumen.

[TRANSPORTĀNĔUS, a, um, adj. qui transportatur. *Cassiod. Var.* 10, 30. Cutis hujus (*ele-*

phantis) ulcerosis vallibus exaratur, a qua transportaneorum nefanda passio nomen accepit, quae in tantam duritiam solidatur, ut putes esse osseam cutem, *h. e.* eorum qui elephantiasi laborant. *F.*]

TRANSPORTĀTĬO, onis, f. διακομιδή, translatio, transvectio. *Sen. Cons. ad Helv.* 6. *extr.* Omnes istae populorum transportationes quid aliud, quam publica exsilia sunt? *h. e.* migrationes.

TRANSPORTĀTUS, a, um, part. a *transporto:* navi trans flumen aut mare trajectus. *Liv.* 27, 9. Transportati milites in Siciliam prope magni motus causa fuere. *Mart.* 13, 72. Argiva primum sum transportata carina.

TRANSPORTO, as, avi, atum, a. 1. μεταχομίζω, transfero, trajicio, transveho. Et de his dicitur, quae navi trans mare, aut flumen transferuntur. *Caes. B. G.* 5, 1. Naves paulo latiores ad onera, et ad multitudinem jumentorum transportandam. *Id. ib.* 4, 16. *med.* Exercitum Rhenum transportare. *Id. B. C.* 1, 54. Milites his navibus flumen transportat; et *ib.* 2, 23. Curio in Africam profectus, duas legiones transportabat. *Curt.* 7, 8. Ille se ratibus equitem phalangemque transportaturum esse pronuntiat. *Cic. Att.* 7, 17. De pueris in Graeciam transportandis cogitabam. *Id. Pis.* 20. *med.* Macedonia, in quam tantum exercitum transportasses. Adde *Liv.* 26, 17. et 45, 41., *Nep. Milt.* 3., *Virg. A.* 6, 328. et *Mart.* 13, 72. Sic *Plin. Pan.* 12. *f.* Danubius duratus glacie ingentia tergo bella transportat. ℙ Item deporto exsilii causa. *Suet. Aug.* 65. *f.* Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportavit.

TRANSPOSĪTĪVUS, a, um, adj. qui transponit. *Quint.* 3, 6. *med.* Μετάληψις, quam nos varie translativam, transumptivam, transpositivam vocamus.

TRANSPOSĪTUS, a, um, part. a *transpono:* translatus. *Gell.* 12, 1. Arborem in locum alium transpositam videas.

[TRANSPUNGO, is, a. 3. punctim transfodio. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 4. *med.* Ut etiam ipsum quoque lienem igneo cautere transpungendum probet. *F.*]

TRANSRHĒNĀNUS, a, um, adj. qui trans Rhenum incolit. *Caes. B. G.* 5, 2. *extr.* Germanosque Transrhenanos sollicitare dicebantur. Adde *ib.* 4, 16. *Plin.* 19, 1, 2. Transrhenani hostes, *h. e.* Batavi.

TRANSSERTUS. V. TRANSERTUS.

TRANSTHĒBAĪTĀNI Milites, qui ultra Thebaidem tendebant praesidii causa. *Treb. Gall.* 4., ubi alii aliter leg.

TRANSTĪBĔRĪNUS, a, um, adj. Ὑπερτιβερινός, trans Tiberim incolens. *Mart.* 1, 42. Hoc, quod Transtiberinus ambulator.

TRANSTIGRĪTĀNUS, a, um, adj. trans Tigrim Armeniae fluvium situs. *Sex. Ruf. Brev.* 25. Transtigritanae regiones. *Ammian.* 18, 9. gentes. Adde 21, 6. *f.* et 22, 7.

TRANSTILLUM, i, n. parvum transtrum, tigillum. *Vitr.* 5, 12. Deinde inter eas (*arcas*) ex transtillis inferior pars sub aqua exaequanda et purganda, *h. e.* ex parvis trabibus in imo arcarum positis.

TRANSTĪNĔO, es, a. 2. *Pl. Mil.* 2, 5, 58. Nimis beat, quod commeatus transtinet trans parietem, *h. e.* commeatus seu transitus trans parietem patet: paries nobis pervius est. [*V. *Lindem.* ad h. l.]

TRANSTRUM, i, n. sedile remigum in navibus, ζυγὸς σκάφης, καταζύγωμα πλοίων. Est a *transeo*, per syncopen, quasi *transitrum.* Vel ita dicitur quasi transversim stratum. *Festus:* Transtra et tabulae navium dicuntur et tigna, quae ex pariete in parietem porriguntur. *Virg. A.* 5, 663. furit immissis Vulcanus habenis Transtra per et remos, et pictas abiete puppes. *Ov. Met.* 14, 534. et incurvae fumabant transtra carinae. *Virg. A.* 4, 573. considite transtris, Solvite vela citi. *Pers.* 5, 147. Tu mare transilias? tibi torta cannabe fulto Coena sit in transtro? *Epit. Liv.* 89. In se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, incubuit. ℙ *Transtra* etiam in aedificiis sunt ligna transversa, quae ex pariete in parietem porriguntur, ut ex *Festo* dictum est. *Vitruv.* in tectis locat, 2, 1. et 4, 2. et 5, 1. *f.*, et significat tigna illa, quae ad libellam in summitate parietum collocantur, eosque vinciunt et continent: his autem impositi canterii fastigium faciunt, et tectum sustinent. ℙ Item quaecumque tigna in plano transversim posita. *Id.* 10, 21. de testudine militari: Ita supra transtrorum planitiem, quae supra basim fuerat, postes erant erecti, etc. *Plin.* 34, 12, 32. de atram. sutor. faciendo: Decoquitur, et in piscinas ligneas funditur. Immobilibus super has transtris dependent restes lapillis extentae, etc.

[TRANSVADĀTUS, a, um, adj. ab inus. *transvado. Hieron. ep.* 14. *n.* 10. Expandenda vela sunt ventis, et quaestionum scopulis transvadatis, epilogi celeuma cantandum est. *F.*]

TRANSVĀRĪCO, as, a. 1. divarico, pedes et crura distorqueo. *Veg. Vet.* 3, 60. Jumentum cum ambulare coeperit, prioribus pedibus transvaricat. *Not. Tir.* p. 132. Varicat, praevaricat, transvaricat.

TRANSVECTĬO et Travectio, onis, f. διακόμισις, actus transvehendi, transportatio. *Cic. Tusc.* 1, 5. Dic, quaeso, num te illa terrent, triceps apud Inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? *Plin. Pan.* 51. Immanium transvectione saxorum Urbis tecta quatiuntur. ℙ *Transvectio* item dicebatur recensio, seu recognitio, cum equites solemniter recensebantur, et ante oculos censorum, vel principis equis praetervehebantur. Transvectionem equitis habes in nummo gentis Liciniae ap. *Morell. Fam. R. tab.* 1. *n.* 7. ap. *Spanhem. Diss. numism.* T. 2. p. 101. Fiebat autem hoc maxime modo. Idibus Quinctilib. ex instituto Q. Fabii, ut refert *Liv.* 9, 46., *Val. Max.* 2, 2. *f. Plin.* 15, 4, 5. et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 32., equites trabeati equis insidentes, corona ornati oleaginea, ab Honoris, sive Martis templo in Capitolium transvehebantur. Si sine culpa essent, abibant; sin aliter, sistebant, et equum vendere jubebantur. *Suet. Aug.* 38. Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis. V. TRANSVEHO. ℙ In MSS. codicib. multis legitur *travectio.*

[TRANSVECTO, as, a. 1. frequent. idem fere ac transveho. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 37. Denique corpori regio transvectando cum bajulos quosque nobilissimos suorum atque indigenas esse jussisset. *F.*]

TRANSVECTUS. V. v. sq.

TRANSVĔHO et Trāveho, is, exi, ectum, a. 3. διακομίζω, ultra veho, transfero, transduco, transmitto: praesertim cum de iis sermo est, qui mari aut flumine transmittunt. *Caes. B. C.* 3, 29. *extr.* Nuntios ad eum mittit, quid militum transvexisset. *Liv.* 21, 47. *med.* Ut jam Hispanos omnes inflati transvexerint utres. *Sen. Herc. Oet.* 1964. Non puppis umbras furva transvexit meas. *Sil.* 4, 488. Et medio abruptus fluitabat in amne solutis Pons vinclis, qui Dardanium transvexerat agmen; et *ib.* 494. Flumineam texit, qua transvehat agmina, classem. *Suet. Caes.* 58. Neque exercitum in Britanniam transvexit, nisi, etc. *Plin.* 4, 4, 5. Magnitudo navium plaustris transvehi prohibet. *Id. ib.* 12, 24. Bosphorus Thracius, qua Darius copias ponte transvexit. *Id.* 3, 18, 22. Navem Argo humeris transvectam Alpes, diligentiores tradunt. *Ulp. Dig.* 47, 13, 3. Qui corpus defuncti in itinere per vicos aut oppidum transvexerunt. ℙ De iis, quae in triumphi pompa transferuntur. *Flor.* 2, 12. Primus dies signa tabulasque, sequens arma pecuniasque transvexit. *Liv.* 39, 7. Arma spoliaque multa Gallica carpentis transvecta. ℙ Pro transire, tranare. *Varr. R. R.* 2, 7. Equi boni futuri signa sunt, si cum flumen travehundum est, gregi in primis praegrediatur, etc. Alii leg. *trajiciendum.* ℙ Item transfigere, trajicere. *Cels.* 7, 7. *n.* 8. Acus immittenda est, ut tertiam partem palpebrae transvehat. Alii rectius leg. *transuat.* ℙ Hujus verbi usus frequentior est in passivo, prima, quam posuimus, significatione: et quidem fere in praeterito. *Cic.* vertens *Homeri* locum *Fin.* 5, 18. Nam nemo haec unquam est transvectus caerula cursu. *Sall. Jug.* 21. Medi, Persae navibus in Africam transvecti, proximos nostro mari locos occupavere; et 30. *f.* Legiones ex Sicilia in Africam transvectae. *Liv.* 32, 16. Cum duabus quinqueremibus Corcyram transvectus. *Sen. Herc. Fur.* 889. Transvectus vada Tartari, Pacatis redit Inferis. *Claud. Laud. Seren.* 22. surdoque carina Remige Sirenum cantus transvecta tenaces. ℙ Translate. *Tac. H.* 2, 76. Abiit jam, et transvectum est tempus, quo, etc. [*Id. Agr.* 18. transvecta aetas. Ita nemo praeter Tacitum locutus esse videtur, sed apposite *Walch.* contulit *Hor. Sat.* 2, 2, 82. sive diem festum rediens advexerit annus.] ℙ De volante *Claud. Laud. Stil.* 2, 272. Transvehitur Tuscos, Apenninusque volatu Stringitur. ℙ De iis, qui equo feruntur. *Tac. Agr.* 37. Transvectae praecepto ducis a fronte pugnantium alae, aversam hostium aciem invasere. *Id. A.* 12, 41. Et ludicro Circensium Britannicus in praetexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt. ℙ *Transvehi* dicebantur equites R., cum solemniter recensebantur, ut in TRANSVECTIO dictum est. *Suet. Aug.* 38. Neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est. *Ulp. Dig.* 2, 4, 2. §. 4. Vocari in jus non potest, qui equo publico in causa publica transvehatur. *Liv.* 9, 46. Ab eodem Q. Fabio Maximo institutum dicitur, ut equites Idib. Quinctilib. transveherentur. Adde *Val. Max.* 2, 2. *f.* [*Inscr.* ap. *Grut.* 1026, 4. D. M. Sex. Gavii Sex. F. Proculi Vix. An. XVI. equo publico transvectus est. *F.*]

TRANSVĒNĂ, ae, m. hospes, qui ex longinqua regione transiens ad nos pervenit. *Tert. Spect.* 5. Traditur, Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse. *Id. carm. de Sodom.* 31. Transvena Loth aderat, sapiens, justique colonus.

TRANSVENDO, is, a. 3. vendendo transfero. *Inscr.* ap. *Grut.* 801, 5. Neque ulli licebit locationis causa in annis centum quandoque transvendere.

TRANSVĒNĬO, is, n. 4. ex aliquo loco transeundo advenio. *Tert. Anim.* 23. *f.* Anima inde (*h. e.* a Deo) transvenit.

TRANSVERBĔRĀTUS, a, um, part. a *transverbero. Liv.* 38, 22. *f.* Transverberatis scutis quidam intra se conserti haerebant. *Tac. H.* 1, 42. Transverberatus in utrumque latus.

TRANSVERBĔRO, as, a. 1. διελαύνω, transfigo, trajicio. *Cic. Fam.* 7, 1. *med.* Aut praeclara bestia venabulo transverberatur. *Virg. A.* 11, 667. cujus apertum Adversi longa transverberat abiete pectus. *Id. ib.* 10, 336. hasta volans clypei transverberat aera. *Appul. de Deo Socrat.* Aves aera volitando transverberant.

TRANSVERSĀRĬUS, a, um, adj. ἐπικάρσιος, transverse positus. *Caes. B. C.* 2, 15. Pilae interponuntur, transversaria ligna injiciuntur, quae firmamento esse possint. *Vitr.* 10, 11. *f.* Tigna collocantur, in capitibus utraque parte habentia transversaria confixa. Adde 8, 6.

TRANSVERSE et

TRANSVERSIM, adv. ἐγκαρσίως, in transversum, oblique. *Vitr.* 9, 9. *med.* In columella horae ex analemmatis transverse describantur. *Cels.* 5, 26. *n.* 24. Fascia transverse comprehendere oras debet. *Tert. Bapt.* 8. Manibus ita transversim obliquatis, ut, etc.

*TRANSVERSĬO, onis, f. *Formarum transversiones* appellavit *Ovidii* Metamorphoses *Vetus Auctor* ap. *Barth.* ad *Stat. Th.* 1. p. 118. *B. A.*

*TRANSVERSO, as, a. 1. *Farinas transversare*, i. e. transversim inspergere, dixit *Sept. Serenus* sec. *Barth.* l. c. in *Transversio*, p. 117. *B. A.*

TRANSVERSUS et Traversus, a, um, part. a *transverto:* πλάγιος, ἐπικάρσιος, obliquus. *Linea transversa* est, quae rectam decussat: ut si v. g. recta sit ab Ortu in Occasum, transversa dicetur, quae a Septentrione in Meridiem protensa eandem secabit. *Caes. B. G.* 2, 8. Ab utroque latere collis transversam fossam obduxit. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Ceterae urbis partes una via lata perpetua, multisque transversis divisae. *Id. Or.* 3, 33. Transverso foro ambulare. *Liv.* 2, 39. Inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus Satricum ademit. *Id.* 22, 12. Per agrum Sabinum Tibur venit, inde Praeneste, ac transversis limitibus in viam Latinam est egressus. *Hor. A. P.* 446. versibus incomptis allinet atrum Transverso calamo signum. *Colum.* 2, 4. *f.* In arando maxime est observandum, semper ut transversus mons sulcetur. *Id.* 7, 10. Febricitantium signa sunt, cum obstipae sues transversa capita ferunt. *Plin.* 9, 15, 21. Mugiles tam praecipuae velocitatis, ut transversa navigia interim superjactent. *Id.* 17, 18, 29. Taleae ne plus quatuor digitos transversos emineant; et 11, 37, 54. Oculi contuitu multiformes, truces, torvi, graves, transversi, limi, etc. ℙ Stricte si loquamur, differunt transversa et obliqua: illa sunt, quae dum secant, angulos rectos faciunt, haec obliquos. *Plin.* 53, 9, 45. Plurimum refert, concava sint (*specula*), an elata; transversa, an obliqua; supina, an recta. [*Adde quod *Doederl.* 4, 362. haec docet: differre *obliquus* a *transversus* ut nostr. *schief*, *schräg* et *quer*, semperque aliquid vituperationis involvere.] ℙ *Ex transverso*, *de transverso*, *in transversum*, *per transversum* adverbii more pro *transverse* ponuntur, ἐξεστραμμένως. *Pl. Ps.* 4, 1, 45. Ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Cic. Att.* 15, 4. *f.* Ecce autem de traverso L. Caesar, ut veniam ad se, rogat. *Auct. ad Her.* 4, 10. Ecce ibi iste de transverso, heus, inquit, etc. *Plin.* 4, 12, 26. Paeninsula ad formam gladii in transversum porrecta. *Id.* 16, 42, 81. Pondus sustinere validae abies, larix, etiam in transversum positae. *Id.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata. *Id.* 37, 9, 37. Gemma per transversum linea alba praecingitur. ℙ *Transversum*, et *transversa*, neutr. plur. absolute, idem ac transverse. *Front. de limit.* p. 43. *Goes.* Collectus pluvialis aquae transversum secans, finem alterius fundi influit. *Virg. A.* 5, 19. Mutati (*venti*) transversa fremunt. *Id. Ecl.* 3, 8. transversa tuentibus hircis, *h. e.* transversis oculis aspicientibus, et invidentibus. Adde *Val. Fl.* 2, 154. et *Stat. Th.* 1, 348. V. LIMUS, a, um. ℙ *Ex transverso*, ex inopinato, praeter opinionem, casu. *Petr. fragm. Trag.* 55. *Burm.* Quod non exspectes, ex transverso fit. *Scrib. Comp.* 231. Haec calamitas ex transverso accidit. ℙ *Transversus*, translate. *Cic. Brut.* 97. Cujus in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna reipublicae, *h. e.* adversa, et quae cursum laudis intersisteret. *Sen. ep.* 8. Ne resistere quidem licet, cum coepit transversos agere felicitas, *h. e.* animum a recta via virtutis deflectere. *Plin.* 9, 17, 31. Quae reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui, etc. *h. e.* ab instituta de piscibus disputatione declinare facit. Sic 28, 1, 1. Dictae erant omnium rerum naturae, inter coelum ac terram nascentium, restabantque quae ex ipsa tellure fodiuntur, si non herbarum ac fruticum tractata remedia auferrent transversos. ℙ *Transversum digitum*, aut *unguem discedere*, proverbialis hyperbole, *h. e.* minimo spatio. *Pl. Aul.* 1, 1, 17. Si tu hercle ex istoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris. *Cic. Acad.* 4, 18. *med.* Ab hac regula mihi non licet transversum, ut ajunt, digitum discedere. *Id. Att.* 13, 20. In omni vita sua quemque a recta conscientia traversum unguem

non oportet discedere. ℙ De scriptione diximus in TRADITUS.

TRANSVERTO, is, a. 3. transmuto, converto. *Appul. Apol.* Quis credat effici potuisse, ut quae defensio fuerat, eadem, manentibus iisdem litteris, in accusationem transverteretur? *Firm. Math.* 6, 15. Mentis levitate instabiles faciet ista conjunctio, eorumque consilia hac atque illac varia cogitatione transvertet, ne animus eorum aliquando unius consilii ratione utatur. ℙ Item averto. *Arnob.* 7, 219. Inhonestas famas adjungitis Diis vestris, si eos aliter negatis praestare quae bona sunt, atque inimica transvertere, nisi prius empti capellarum fuerint atque ovium sanguine. *Tert. Praescr.* 37. Qua licentia, Valentine, fortes meos transvertis?

[TRANSVIOLĀTUS, a, um, part. a *transviolo. Not. Tir.* p. 88. Violat, transviolat; violatus, transviolatus. *F.*]

[TRANSVIOLENTUS, a, um, adj. plus quam violentus. *Not. Tir.* p. 88. violentus, transviolentus. *F.*]

[TRANSVIOLO, as, a. 1. V. TRANSVIOLATUS. *F.*]

[TRANSULMĀNUS, a, um. V. ULMANUS. *F.*]

TRANSULTO et Transsulto, as, n. 1. *μεταπηδάω, ὑπεράλλομαι*, transilio: ex *trans*, et *salto. Liv.* 23, 29. Sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat.

TRANSŪMO et Transsumo, is, umpsi, umptum, a. 3 *μεταλαμβάνω*, ex alio sumo. *Stat. Th.* 3, 292. hastam laeva transsumit, et alto, Haud mora, desiluit curru. *Id. ib.* 2, 242. mutatosque velint transsumere cultus. ℙ De ratione scribendi. V. TRANSCENDO.

TRANSUMPTĬO, onis, f. figura rhetorica, Graece *μετάληψις*, quae ex alio in aliud veluti viam praestat. *Quint.* 8, 6. V. METALEPSIS.

TRANSUMPTĪVUS, a, um, adj. qui transumit. *Quint.* 3, 6. cujus verba V. in TRANSPOSITIVUS.

TRANSŬO et Transsuo, is, ui, utum, a. 3. *διαῤῥάπτω*, suendo transeo, acu trajicio. *Cels.* 7, 7. *n.* 8. Acu transui juxta pilos exteriorem partem palpebrae oportere; et *n.* 11. Ad ipsas radices per medium transuere acu duo lina ducente. *Colum.* 6, 4. Media pars subula transuitur. *Sen. Phoen.* 254. de Oed.: Calidoque teneros transuit ferro pedes, Et in alta nemora pabulum misit feris. ℙ De scriptione V. TRANSCENDO.

TRANSVŌLĬTO, as, n. 1. idem quod transvolo. *Lucr.* 1, 355. Inter septa meant voces, et claustra domorum Transvolitant.

TRANSVŌLO et Travolo, as, avi, atum, a. 1. *διαπέτομαι*, volando transeo, transcurro. *Plin.* 10, 29, 41. Perdices non transvolant Boeotiae fines in Attica; et *ib.* 23, 30. Grues Pontum transvolaturae. *Sen. Hipp.* 1233. Vultur relicto transvolet Tityo ferus. *Plin.* 9, 8, 7. Delphini tanta vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent. ℙ Celeriter transcurro more volantis. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *med.* Si cetera transissem, num etiam Alpes poteram transvolare, quae praesidio illius tenentur? *Liv.* 3, 63. Eques se ad equos recipit: transvolat inde in partem alteram, suis victoriae nuntius. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus insulas ita innumeras spargit, quasdamque tam vastae magnitudinis, ut quamquam rapida celeritate, tamen dierum quinque cursu non breviore transvolet. *Id.* 7, 12, 10. Cogitatio animum subito transvolans, *h. e.* praeteriens. *Auct. ad Her.* 4, 22. Alexandro si vita longior data esset, Oceanum manus Macedonum transvolasset, *h. e.* transcendisset. *Hor. Sat.* 1, 2, 108. Transvolat in medio posita, et fugientia captat, *h. e.* praeterit, negligit. *Pl. Epid.* 1, 1, 33. Arma travolaverunt ad hostes, *h. e.* transfugerunt, ut paulo ante *v.* 28. dixit. *Varr. L. L.* 4, 25. Trua, quod travolat ea aqua, *h. e.* defluit. ℙ De scriptione V. in TRADITUS.

TRANSVOLVO, is, a. 3. evolvo, revolvo, decurro. Translate. *Prud. Cath.* 11, 29. Donec rotata annalium transvolverentur millia.

[TRANSVŌRĀTIO, onis, f. actus transvorandi. Per metonymiam est locus, per quem transeunt ea, quae vorantur. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 109. Tunc si medicamentum ad superiora cucurrerit, et transvorationis ceperit partes. *Id. ib.* 2, 11. *n.* 135. Aliquando etiam remeantis materiae causa laxiora transvorationis efficiuntur loca. *Id. ib.* 13. *n.* 176. Terminatur enim hoc (*electario*) asperitas faucium, et transvorationis partes leniuntur, et tussicula mitigatur. *F.*]

TRANSVŌRO, as, a. 1. vehementer voro. *Arnob.* 1, 40. Beluarum ritu comminutis cum ossibus transvorare. ℙ Translate. *Appul. Apol.* Suasi uxori meae, cujus jam, ut isti ajunt, universas opes transvoraram, *h. e.* consumpseram.

TRANSŪTUS et Transsutus, a, um, part. a *transuo:* trajectus. *Ov. Fast.* 2, 363. sacerdotes verubus transsuta salignis Exta parant.

TRĂPĒTUM, i, n. et Trapetus, i, m. et in plur. Trapetes, um, m. *τραπητόν*, et *τραπητός*, et *τράπης, ητος*, instrumentum terendis oleis aptum: a *τραπέω*, calco, quod a *τρέπω*, verto. [Trapetum fuse describitur a *Cat. R. R.* 20. et sqq. Erat autem grande mortarium seu vas amplum rotundum, intus cavatum ex lapide Sinuessano seu Pompejano, in cujus medio ex eodem lapide relicta quaedam quasi columna miliarium dicebatur, bini circa idem orbes ex sphaerae segmento facti, seu duae molae, ad perpendiculum erecti, ope cupae, seu assis faginei, per eosdem transmissae, et ferrea columella, seu *perno di ferro*, in medio miliario firmatae, ita vertebantur, ut olearum carnes, minime vero earundem nuclei, frangerentur, quarum deinde massa, seu sampsa, prelo subjecta et expressa oleum daret. *F.*] *Varr. L. L.* 4, 31. *med.* Trapetes molae oleariae vocantur: trapetes a terendo; nisi Graecum. *Id. R. R.* 1, 55. Primus quisque acervus demittatur ad trapetas, quae res molae olearíae e duro et aspero lapide. *Colum.* 12, 50. *med.* Oleo conficiendo molae utiliores sunt, quam trapetum: trapetum, quam canalis et solea. *Cato R. R.* 12. Cuneos sex, trapetos quinque; et *ib.* 22. Trapetus emptus in Suessano: et *mox:* Si orbes in veteres trapetos parabis; et *ib.* 18. Trapetibus locum dextra sinistra, etc. *Virg. G.* 2, 519. teritur Sicyonia bacca trapetis. *Plin.* 15, 6, 60. Inventum, ut lavarentur oleae ferventi aqua, protinus prelo subjicerentur solidae: ita enim amurca exprimitur, mox trapetis premerentur iterum. *Id.* 7, 56, 57. *med.* Oleum et trapetas invenit Aristaeus Atheniensis. [*Ulp. Dig.* 19, 2, 19. Dolia colono praestanda, et prelum, et trapeta instructa funibus. Trapeti figuram habes ap. *Schneid.* ad *Cat. tab.* 11. *n.* 6. *F.*]

*TRAPEZA, ae, promontorium Troadis, in Hellespontum incurrens. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

TRĂPEZĪTA, ae, m. *τραπεζίτης*, mensarius, argentarius, nummularius, apud quem pecunia ponitur vel custodiae, vel fenoris causa: a *τράπεζα*, mensa. *Pl. Capt.* 1, 2, 90. Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *Id. Curc.* 2, 3, 66. Dedisti tu argentum? inquam, immo apud trapezitam situm est. *Id. Trin.* 2, 4, 23. Trapezitae mille drachumarum, quas de ratione debuisti, redditae. *Id. Epid.* 1, 2, 40. Quadraginta minas unde auferre me vis? a quo trapezita peto? *Id. Capt.* 2, 3, 89. Sequere me, viaticum ut dem a trapezita tibi.

TRĂPEZOPHORUM, i, n. *τραπεζοφόρον*, fulcrum mensam sustinens: a *τράπεζα*, mensa, et *φέρω*, fero: sive illud sit columella, sive signum aliquod ita conformatum, ut capiti ejus, et manibus elatis imponi mensa, et consistere possit. *Paul. Dig.* 33, 10, 3. Supellectile legata haec continentur: mensae, trapezophora, delphica, subsellia, etc. *Cic. Fam.* 7, 23. Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis.

[TRĂPEZOPŌLĪTAE, arum, m. plur. *Τραπεζοπολῖται*, incolae Trapezopolis, urbis mediterraneae Cariae, prope Maeandrum, nunc *Karagiù-lu* appellatae. *Plin.* 5, 29, 29. Apolloniatae, Trapezopolitae, Aphrodisienses liberi. *F.*]

*TRAPEZUS, untis, f. *Τραπεζοῦς*, urbs Ponti, hodie *Trapezunt* vel *Trebisonde. Tac. A.* 13, 39. et *H.* 3, 47. *Mela* 1, 19. *Plin.* 6, 4. ubi *Trapezus liberum*, sc. oppidum, appellatur. *B. A.*

TRĂSĪMĒNĬCUS, a, um, adj. ad Trasimenum pertinens, ut Trasimenica strages, qua Romani ab Annibale afflicti sunt. *Sidon. carm.* 9, 247. Postponat Trebiam, gravesque Cannas, Stragem nec Trasimenicam loquatur.

TRĂSĪMĒNUS Lacus, et Trasimenus, absolute, *lago di Perugia*, *Τραουμένη λίμνη*, lacus Etruriae inter Cortonam et Perusiam: celebris pugna et victoria Annibalis de Romanis: de qua *Liv.* 22, 4. et sqq., *Flor.* 2, 6. et *Val. Max.* 1, 6. *n.* 6. Tertium fulmen Annibalis fuisse dicit *Flor.*, nam primum inter Ticinum et Padum, alterum Trebia, quartum Cannae fuere. *Sil.* 4, 739. ego sum, celsis quem cinctum montibus ambit Tmolo missa manus, stagnis Trasimenus opacis. (V. LYDIUS.) *Id.* 5, 8. Nunc volvente die Trasimeni nomina servant. *Ov. Fast.* 6, 765. Trasimenaque litora testes. ℙ Varia est hujus vocis scriptura, nam et *Trasymenus* legitur (unde *Trasumenus* prisco more fecere), et *Tarsomenus* corrupta voce, et *Thrasymenus*, et *Thrasumenus.* Quam posuimus, frequentior esse dicitur in MSS. *Livii*, *Flori* et *Val. Max.*

TRĀVĔHO. V. TRANSVEHO.

TRĀVĬO, as, n. 1. V. TRANSMEO.

TRAULIZI, *τραυλίζει*, leviter balbutit: vox Graeca a *τραυλός*, balbus, blaesus. *Lucr.* 4, 1157. Balba, loqui non quit, traulizi: muta, pudens est.

[TRAULUS, a, um, adj. *τραυλός*, balbutiens, balbus. Est cogn. R. ap. *Tac. A.* 11, 36. Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est. *F.*]

TRĀVOLO. V. TRANSVOLO.

[TREB. praen. R. Legitur in *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. isag. tab.* 15. *col.* 3. Treb. Statorius Tr. L. Terminalis. Alibi hujus praenominis mentio non exstat, ac propterea num *Trebius*, an *Trebatius*, an *Trebellius* interpretandum sit, ignoratur. *F.*]

TRĔBĂCĬTER, adv. callide absolute. *Sidon. ep.* 9, 11. *med.* Malui factum confiteri simpliciter, quam trebaciter diffiteri.

[TRĔBĀNI, orum, n. plur. incolae urbis Trebae in Aequis Italiae populis, quae nunc *Trevi* appellatur, ad Anienis fluvii dexteram, cujusque mentio est ap. *Front. Aquaed.* 93. *Plin.* 3, 5, 9. Trebani, Tusculani, Verulani, Veliterni. *Inscr.* ap. *Mur.* 652, 2. Respublica Trebanorum. *F.*]

TRĔBĀTĬUS, ii, m. C. Trebatius Testa JCtus fuit tempore Ciceronis, qui illum Caesari commendans in Gallia bellum gerenti, valde laudat *Fam.* 7, 5., in sequentibus autem epistolis, quam sibi sit familiaris, quantumque eum diligat, luculenter ostendit. Eidem Topica sua inscripsit. Ipse autem Trebatius suo tempore magnae fuit in respondendo jure auctoritatis: ejus meminit *Hor. Sat.* 2, 1, 4. et *ib.* 78. *doctum* appellat. Idemque scripsit de religionibus, ut citatur a *Gell.* 6, 12. et a *Macr. Sat.* 1, 16. et alibi: item de aliis ad jus pertinentibus: citanturque ejus responsa ab *Ulp.*, *Paul.*, *Venul.*, *Jabol.* variis in locis *Digestor.*

TRĔBAX, acis, adj. omn. gen. in rebus gerendis exercitatus, rerum peritus, atque adeo callidus, astutus: videturque ductum a Graeco *τριβαχός*, quod idem significat. *Sidon. ep.* 1, 11. *med.* Colligit se trebacissimus senex: *paulo ante dixerat:* homo litium, temporumque varietatibus exercitatus.

TREBELLIĀNUS, a, um, adj. ad Trebellium pertinens, ut Trebellianum senatusconsultum (de quo est *tit.* 1. *l.* 36. *Dig.*) De fideicommissariis hereditatibus, factum sub Nerone, VIII. cal. Septembr., Annaeo Seneca, Trebellio Maximo coss. Sic Trebellianus fideicommissarius, *Paul. ib.* 36, 3, 15. V. JCtos.

TREBELLĪCUM Vinum, genus vini generosi in Campania, ad quartum a Neapoli lapidem. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6.

TREBELLĬUS, ii, m. nomen Romanum, ut M. Trebellius, L. Trebellius, ap. *Cic. Quint.* 5. et 6. *Phil.* 4. ℙ Trebellius Pollio scriptor historicus temporibus Constantii Imp., vel certe Constantini ejus filii, sub initium saeculi Christi IV.: scripsit vitas quorundam imperatorum, quae adhuc exstant. Ejus meminit *Vopisc. Aurel.* 2. et *Firm.*, *Sat.* etc. 1.

TRĔBĬA. V. in TREBIATES.

TRĔBĬĀNUS, a, um, adj. ad Trebiam pertinens: de qua V. in v. sq. *Arnob.* 3. p. 126. Trebiani Dii, *h. e.* quos Piso novem esse in Sabinis credit apud Trebiam, ut *Id. ib.* p. 122. tradit. Fortasse Trebiam illam intelligit, quae est in Umbria; haec enim regio Sabinis contermina est. [*Suet. Tib.* 31. Trebianis legata in opus novi theatri pecunia. *F.*]

TRĔBĬĀTES, um, m. plur. populi Umbriae, quorum urbs Trebia, nunc *Trevi. Plin.* 3, 14, 19. ℙ Trebia est etiam fluvius ex Apennino ortus, et in Padum influens prope Placentiam: celebris pugna et victoria Annibalis de Romanis. *Liv.* 21, 52. et sqq., *Flor.* 2, 6., *Lucan.* 2, 46. et *Sil.* 4, 495. et sqq. Masculino gen. *Id.* 6, 717. Et nostrum Trebiam, etc. et 4, 645. Trebia perfide: *fluvius* aut *amnis* subaudiri potest. Adde 9, 189.

*TREBĬUS, i, m. nomen proprium virorum R., v. g. Trebius Niger, historicus, L. Luculli sodalis, in Gallia Baetica proconsul, de quo *Plin.* 9, 25. et 30. 10, 18. et 32, 2. Trebium aedilem meminit *Id.* 18, 3. nesciente *Schellero*, an sit idem cum praecedente. *B. A.*

TREBLA, ae, f. instrumentum rusticum, fortasse dictum pro *tribla* per sync. a *tribula. Cato R. R.* 135. Plostra, treblae albae, etc. Sed haec lectio adeo varia est, aliis *trabes*, aliis *trabulae*, aut *trebulae* legentibus, aliis *Trebulam* urbem intelligentibus, ut nihil certi statui possit. ℙ Propius *Catonis* lectioni accedit *trebola*, quae sola orthographia differre a *tribula* videtur, quaeque fuit cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1029, 4. C. Septimulejo C. F. Trebolae, etc.

*TREBONĬUS, i, m. *Τρεβώνιος Plutarcho* ac *Straboni*, *Τρηβόνιος* autem *Metaphrast. Jul. Caes. B. Gall.* praenomine C., Caesaris legatus, postea e percussoribus ejus, fraude Dolabellae interfectus crudelissime, ut narrat *Cic. Phil.* 11, 1. V. et *Caes. B. G.* 5, 24. 7, 81. etc. *Cic. Fam.* 12, 16. et 15. *Vell.* 2, 69. Hic legem Treboniam tulit in tribunatu A. DCXCVIII. ut Pompeius duas Hispanias, M. Crassus Syriam in quinquennium, et Caesar Galliam in aliud quinquennium obtinerent. ℙ C. Trebonium, equitem Romanum, patrem supradicti, meminit *Cic. Phil.* 13, 10. ℙ Trebonium quendam memorat *Hor. Sat.* 1, 4, 114. Deprensi non bella est fama Treboni. Quem locum satis festinanter de Trebonio Caesaris legato intelligit *Gesnerus. B. A.*

*TREBŪLA, ae, f. *Τρήβυλα*, trium oppidorum nomen. V. in *Trebulanus, a, um. B. A.*

TRĔBŪLĀNUS, a, um, adj. ad Trebulam pertinens: quod est trium oppidorum nomen. Primum in Sabinis est, cujus populi Trebulani cognomine Mutuscaei memorantur a *Plin.* 3, 12, 17. Secundum itidem in Sabinis, cujus populi Tribulani Suffenates *Plinio ib.* Tertium in Campania, nunc *Treglia*, a quo sunt Trebulani Balinienses. *Id.* 3, 5, 9. ℙ Ad hos postremos spectat Trebulanum rus apud *Cic. Att.* 5, 2. Trebulanus ager, *Agr.* 2, 25. et *Fam.* 11, 27. Trebulanum vinum, ap. *Plin.* 14, 6. 8, 6., quod videri potest *il Trebbiano:* quamquam hoc in Etruria nasci dicitur, in agro Florentino,

aut non longe inde. Trebulanus caseus ad Trebulam in Sabinis pertinere videtur, qui a *Mart.* 3, 33. maxime laudatur. ℙ *Trebulani, quorum absolute meminit *Liv.* 10, 1. *in.* sunt, ut probabile est, qui Mutuscaei cognominantur; id quod censet *Schellerus. B. A.*

*TRECASSES, ium, populi Galliae Lugdunensis. *Plin.* 4, 18. V. TRICASSES. *B. A.*

TRĔCĒNĀRĬUS, a, um, adj. [τριακόσιος, qui trecena producit. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* In agro Faventino trecenariae appellantur vites, quod jugerum trecenas amphoras reddat, *h. e.* culeos quindecim, quos paulo supra posuerat: hi autem amphoras faciunt trecentas. Hinc *Colum.* 3, 9. *med.* Quemadmodum Terentius Varro affirmat, sexcentenas urnas priscis cultoribus singulas vinearum jugera fudisse, *h. e.* trecentas amphoras, nam amphora duas urnas continet; et *Suet. Gr.* 23. Cum agros adeo coleret, ut vitem, manu ejus institutam, satis constet, trecenta sexaginta quinque vasa edidisse. Hinc etiam in *Geopon.* 5, 17. *Βαρρῶν διισχυρίζεται, ὅτι ἕκαστον πλέθρον τῆς ἀμπέλου τριακοσίας ἀμφορὰς ἤνεγκεν.* ℙ Item qui trecentorum militum ductor est, vel potius qui trecenum HS. stipendium habet. V. DUCENARIUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 365, 6. et *Mur.* 1073, 4. C. Arrio C. F. Cor. Clementi, 7. Coh. VII. Pr., trecenario, donis donato ab Imp. Hadriano hasta pura, corona aurea, etc. Alia ap. *Fabrett.* p. 634. *n.* 293. A. Numisieno Gallo trecenario donis donato, Primop. Leg. XIV. Gem. etc. ℙ Etiam *tercenarius* scribitur eadem significatione. *Inscr.* ap. *Grut.* 387, 8. C. Cestio C. F. Stel. Sabino 7. Leg. VIII. Aug. ex tercenario, etc. Alia ap. *eund.* 417, 5. Q. Hedio L. F. Pol. Rufo Ter. Leg. XX. G. etc. ℙ Item *tricenarius* scribitur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 231. et *Mur.* 869, 4. Sex. Vibio Gallo tricenario (perperam ap. *Don.* legitur *ricenario*, ap. *Mur.* autem *ricinario*), primopilari Praef. Kastror. Leg. XVII. Gem., donis donato ab Imp. etc. Alia ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 39. M. Stabii Viri centurionis Coh. II. Pr. tricenarii. *F.*]

TRĔCĒNI, ae, a, adj. τριακόσιοι, a trecenteni per syncop. nomen numerale distributivum. *Liv.* 8, 8. *med.* (et 32, 29. et 39, 38. *f.*) Scribebantur quatuor legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis; et 22, 52. In capita Romana trecenis nummis quadrigatis, in socios ducenis. *Hor. Od.* 2, 14, 5. Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris. ℙ Extra distributionem. *Liv.* 42, 47. *extr.* P. Lentulo treceni milites Italici generis dati. Alii leg. *trecenti;* et *ib.* 66. Amissis trecenis peditibus. Alii leg. *trecentis. Plin.* 8, 10, 10. Vivere ducenis annis, et quosdam trecenis. ℙ Dicitur et *terceni. Eumen. Restaur. schol.* 11. Tercena illa sestertia, quae sacrae memoriae magister acceperam. Adde *Sex. Ruf. Brev.* 12., ubi alii leg. *tercenta.* ℙ Saepe a librariis peccatum est in *treceni*, commutantibus in *triceni*, quod est triginta.

TRĔCENTĒNI, ae, a, adj. τριακόσιοι. *Colum.* 5, 2. *f.* Sex latera sunt, quae consummata efficiunt duo millia trecenteni et quadraginta (*pedes*). ℙ Dicitur et *tercenteni. Mart.* 2, 1. Tercentena quidem poteras epigrammata ferre. ℙ Legitur et *tricenteni.*

TRĔCENTĒSĬMUS, a, um, adj. τριακόσιος, qui trecenta continet. *Liv.* 4, 7. Anno trecentesimo decimo, quam, etc. *Val. Max.* 8, 13. *f.* Trecentesimum annum cumulasse.

TRĔCENTI, ae, a, adj. τριακόσιοι, tercenti. *Cic. Phil.* 3, 4. *f.* Trecentos fortissimos viros trucidavit. *Virg. A.* 10, 172. Sexcentos illi dederat Populonia mater Expertos belli juvenes, ast Ilva trecentos. *Catull.* 9, 2. Antistans mihi millibus trecentis. *Id.* 11, 18. Quos (*moechos*) simul complexa tenet trecentos; et 48, 3. Usque ad millia basiem trecenta. *Mart.* 12, 70. postquam nummi venere trecenti. ℙ Dicitur et *tercenti. Mart.* 4, 37. Tercenta debet Titius, hoc bis Albinus. Alii leg. *trecenta*: nam et hoc admittit metri ratio. ℙ Ap. *Colum.* 5, 2. *med.* multi leg. Pedum quoquoversus tricentorum.

TRĔCENTĬĔS, adv. ter centies. *Catull.* 29, 15. Ducenties comesset, aut trecenties, subintelligitur *centena millia sestertiorum.* ℙ Dicitur et *tercenties*, praesertim si divisim scribatur. ℙ Item *tricenties.* V. s. l.

TRECHĔDIPNUS, a, um, adj. [τρεχέδειπνος, qui ad coenam festinanter accurrit; a τρέχω, curro, et δεῖπνον, coena. *Τρεχέδειπνος* vero ap. *Plut. Sympos.* 8, 6. vocatur qui, etsi coenam appeteret, cunctantius tamen et lentius ad convivium veniebat: et ap. *Alciphr. l.* 3. *ep.* 4. ita nominatur parasitus quidam, qui tarde advenire horam convivii conqueritur. *Gloss. Philox. Τρεχέδειπνος*, cupidicinus, *h. e.* cupidicenus, *scil.* coenae cupidus. V. LAUDICENUS. Est etiam nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1121, 6. Campano filio fecit pater Trecedipnus. *Scribe* Trechedipnus. ℙ *Trechedipnum, i*, absolute est toga cursoria, qua induti ad coenam seu sportulam accipiendam cives R. cursitabant. *Not. Tir.* p. 161. Pero, trechedipnum, ligula. Ita legend. pro *perio, tragitipinum, licola*, quae ibi perperam leguntur *Juven.* 3, 67. Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine. *Vet. Schol.* Trechedipna, vestimenta parasitica current-

tium ad coenam. Sunt qui pro *trechedipna* leg. *rechedipna*, nulla tamen significatione. *F.*]

TRĔDĔCIM, adv. numerale, τρισκαίδεκα, tres et decem. *Liv.* 36, 45. Tredecim captis navibus, decem mersis. *Tac. H.* 5, 19. *f.* Centum tredecim senatores. *Gell.* 5, 2. Equus emptus talentis tredecim. ℙ Divisum et inversum. *Cic. Rosc. Am.* 7. *med.* Fundos decem et tres reliquit. ℙ Ap. *Front. Aquaed.* 33. legitur *tresdecim.* Non plus, inquit, erogant, quam tresdecim. Sunt qui negant *tresdecim* recte dici: sed hic ita scriptum est pro *quam quinarias fistulas tresdecim.*

TRĔDĔCĬMUS, a, um, adj. τρισκαιδέκατος, decimus tertius. *Plin.* l. in *Indice librorum*: Libro tredecimo continetur de peregrinis arboribus, etc. Ita quidam *Lexicographi:* sed editiones vet. et *Harduini* habent vel notis numeralibus, vel *decimo tertio*: quare *tredecimus* suspectum esse debet, nec usurpandum.

TRĔGEMĬNUS. V. TERGEMINUS.

[TREJENSIS, e, adj. ad Trejam, nunc quoque hujus nominis, urbem in Piceno mediterraneam. *Inscr.* ap. *Grut.* 446, 1. Ordo et plebs Trejensis. Hinc *Trejenses, ium*, absolute, incolae illius urbis. *Plin.* 3, 13, 18. Septempedani, Tollentinates, Trejenses. *F.*]

TREIS, τρεῖς, idem quod *tres*, retentis Graecis litteris ex prisco scribendi more. *Virg. A.* 8, 429. Treis imbris torti radios, treis nubis aquosae Addiderant, rutili treis ignis. Alii leg. ubique *tres.* ℙ Ex hoc factum est *tris*, quod vel ap. *Virg.* saepe legitur: imo *tres* et *tris* uno eodemque loco, ut quidem *Gellii* tempore legebatur, ipso teste 13, 20. Locus est *Aen.* 10, 350. Tres quoque Threjicios Boreae, de gente suprema, Et tris quos Idas pater. et patria Ismara mittit. Ubi *Gell.* Tres illic, tris hic. Pensicula utrumque et modulare: reperies suo quodque in loco sonare aptissime. *Prisc.* 7, 775. facit *tres* rectum casum, *treis* vel *tris* quartum. *Cornel.* quoque *Fronto de differ. voc.* p. 2201. Treis, inquit, in accusativo casu, tres in nominativo et vocativo. Sed, opinor, incerta regula est: nam ap. *Virg.* legimus *tris* etiam in recto in opt. libris, ut *A.* 5, 560. Tris equitum numero turmae, ternique vagantur Ductores. Illud certius, quae in *ium* in genitivo plur. desinunt, ea in recto et quarto et per *is* aut *eis*, et per *es* scribi posse: sed *eis* ad Graecam magis diphthongum accedere, *is* ad Latinam consuetudinem: quae tamen aliquando, *Quintiliano* teste 1, 7. *med.*, supervacua videri coepit, et deponi. Plura in hanc rem habes ap. *Noris. Cenotaph. Pis. dissert.* 4. *c* 3.

TRĔMĔBUNDUS, a, um, adj. περίτρομος, valde tremens. *Cic. Dom.* 52. *med.* Si postem tremebunda manu tenuit. *Ov. Met.* 4, 133. Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum Membra solum. *Claud. in Eutrop.* 2, 440. Ipse leo dama cervoque fugacior ibat Sudanti tremebundus equo. *Auct. ad Her.* 3, 14. Leniter tremebunda voce. *Sil.* 10, 119. cornus tremebunda, *h. e.* hasta tremens, ut ait *Ov. Met.* 6, 235. Rursus *Sil.* 5, 628. tremebunda tela. *Colum.* 10, 396. de cucumere: Candidus, effectae tremebundior ubere porcae, *h. e.* mobilior, aut mollior.

TRĔMĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. καταστέω, ἐκπλήττω, tremorem induco, concutio, percello. Vox poetica. *Cic. carm. de suo cons. Div.* 1, 11. *f.* Aut cum se gravido tremefecit corpore tellus, *h. e.* terrae motu contremuit. *Claud. B. Get.* 201. Insolito belli tremefecit murmure Thulen. *Virg. A.* 6, 804. de Alcide: licet etc. Lernam tremefecerit arcu. *Id. ib.* 10, 115. de Jove: Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum. Sic *Arnob.* 4, 140. de eod.: Supercilio et nutu totum motans et tremefaciens coelum.

TRĔMĔFACTUS, a, um, part. a *tremefacio:* ἐκπλαγείς, timore concussus, perculsus. Vox est poetica. *Prop.* 2, 7, 72. Nec folia hiberno tam tremefacta Noto. *Ov. Her.* 9, 81. Crederis infelix, scuticae tremefactus habenis, Ante pedes dominae procubuisse tuae. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 235. tremefactaque nutat Insula cornipedum strepitu. *Sen. Herc. Oet.* 1574. Astra tuo vultu tremefacta. *Val. Fl.* 6, 526. Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento Implet equum. Alii leg. *tumefacta. Virg. A.* 10, 101. Jove dicente Deum domus alta silescit, Et tremefacta solo tellus. *Id. ib.* 2, 228. Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis Insinuat pavor. *Stat. Ach.* 1, 247. Cum pueri tremefacta quies, oculique jacentis Infusum sensere diem. ℙ Sunt qui tribuunt et *Ciceroni Off.* 2, 7. Quamvis tremefacta libertas. Sed plerique omnes leg. *timefacta.*

TRĔMENDUS, a, um, part. a *tremo:* φριχτέος, φοβερὸς, tremorem et timorem incutiens, terribilis, metuendus. Vox fere poetica. *Hor. Od.* 4, 2, 15. cecidit tremendae Flamma Chimaerae. *Virg. G.* 4, 469. Manesque adiit, regemque tremendum. *Hor. Od.* 1, 16, 11. tremendo Juppiter ipse ruens tumultu. *Ov. East.* 5, 46. sceptra tremenda Jovis. *Id. Met.* 3, 577. Aspicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos Fecerat. *Stat. Th.* 10, 164. vates visu adituque tremendus. *Hor.* 4, 14, 12. arces Alpibus impositas tremendis; et *ib.* 6, 7. Achilles tremenda cuspide pugnax. *Virg. A.* 8, 335. Tremenda monita matris Carmentis. *Val. Fl.* 2, 209. Tremendum nefas. *Sen. Med.* 46. tremenda coelo pariter ac terris mala. *Plin.* 8, 18, 25. Tigris animal velocitatis tremendae.

TRĔMENS, entis, part. a *tremo:* τρέμων, contremiscens, tremulus. *Cic. Pis.* 30. Timidus ac tremens; et *ib.* 41. Horrens, tremens. *Hor. Epod.* 10, 7. aquilo altis montibus Frangit trementes ilices. *Sen. Ag.* 366. Libantque manu vina trementi. *Cic. Tusc.* 4, 22. Hector toto pectore tremens. *Virg. A.* 2, 509. Arma diu senior desueta trementibus aevo Circumdat nequidquam humeris. *Sen. Med.* 258. Senio tremens debili, atque aevo gravis. *Cic. Q. Fr.* 1, 2. Me trementi voce exsulem appellavit. *Ov. Trist.* 3, 11, 54. Exhibuit querulos ore tremente sonos. *Val. Fl.* 5, 339. mox stare paventes Viderat intenta pueros nece, seque trementum Spargere caede manus. *Sen. Herc. Fur.* 694. Morbus tremens, *h. e.* qui tremorem inducit. *Virg. A.* 1, 216. Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt.

TRĔMĬDUS, a, um, adj. tremens, tremulus. Legitur in quodam MS. ap. *Prop.* 4, 1, 43. Cum pater in gnati tremidus cervice pependit. Sic *intremidus* ap. *Stat. Th.* 11, 325. ad lituos hilarem intremidumque tubarum Prospiciebat equum. Sed plerique omnes utroque loco leg. *trepidus.* Quare *tremidus* abstinenda, donec aliquid certius suppetat. Ita *Broukus.* At *Broukusii* dubitationem tollit locus in *Not. Tir.* p. 153. Tremit, tremor, tremidus, tremulus.

TRĔMĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. pedibus tremens. *Varr.* ap. *Non.* 6, 65. Nec quassatipennas anates, tremipedes, buxeis rostris pecudes. Alii leg. *tremipedas*, ut sit a recto *tremipedus*, quod minus placet. Alii *remipedes*, [quod est longe rectius. V. REMIPES et QUASSATIPENNAS. *F.*]

TRĔMISCO, is, n. 5. τρέμω, tremere incipio, aut tremo, contremisco. *Virg. A.* 5, 694. tonitruque tremiscunt Ardua terrarum. *Lucr.* 6, 547. plaustris concussa tremiscunt Tecta viam propter. *Virg. A.* 12, 916. Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit. *Ov. Met.* 14, 214. latitans, omnemque tremiscens Ad strepitum. ℙ Cum accusativo est timere. *Virg. A.* 11, 403. Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt. *Id. ib.* 3, 648. sonitumque pedum, vocemque tremisco. (*Pier.* in plerisque antiquis libris *tremesco* invenit, tum hoc, tum superiore loco. Similiter *ingemescant* habent quidam MSS. *Liv.* 21, 53. Improbant et rejiciunt *Voss.* et alii.) *Stat. Th.* 9, 535. Quercum nutantem nemus, et mons ipse tremiscit, Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.

TRĔMISSIS, is, m. nummus valens tertiam solidi aurei partem, ut *semissis* dimidiam: idem ac triens. V. hanc vocem §. 3. *Lampr. Alex. Sev.* 39. Vectigalia publica contraxit: tuncque primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, cum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses: dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non posset. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12, 40, 3. Militibus nostris per Illyricum non binos tremisses pro singulis chlamydibus, sed singulos solidos dari praecipimus. ℙ Recte adnotat *Casaub.* ad *Lampr.* vocem esse inepte formatam, et sine analogia, a *tres* et *assis;* cum *semissis* analogiam servet, a *semi* et *assis.* De ipsa multa *ibid.* disputat *Salmas.*

TRĔMO, is, ui, n. 3. τρέμω, tremore concutior, commoveor, agitor: a voce Graeca allata. *Varr. L. L.* 5, 6. *med.* Tremo dictum a similitudine vocis quae tunc, cum valde timetur, apparet. *Ter. Eun.* 1, 2, 4. Totus tremo, horreoque. *Cic. Acad.* 4, 15. *f.* Tremere, et exalbescere, objecta terribili re extrinsecus. *Naevius* ap. *eund. Or.* 2, 70. *extr.* Sapiens, si algebis, tremes. *Pl. As.* 2, 2, 23. Pro monstro est, quando qui sudat, tremit. *Id. Cas.* 3, 5, 1. Cor metu mortuum est: membra miserae tremunt. *Sen. Ep.* 11. Quibusdam tremunt genua dicturis. *Virg. A.* 7, 722. pulsuque pedum tremit excita tellus. *Lucr.* 3, 490. et *Virg. G.* 3, 84. micat auribus, et tremit artus. (*artus* est quartus casus Graecae syntaxis. Sic *Hor. Sat.* 2, 7, 57. tremis ossa pavore.] *Id. A.* 3, 627. et tepidi tremerent sub dentibus artus, *h. e.* palpitarent. Sic *Sen. Thyest.* 755. Erepta vivis exta pectoribus tremunt. *Val. Fl.* 1, 427. Illis Taenario pariter tremit ignea fuco Purpura, *h. e.* vento agitatur. (Sic *Ov. Met.* 2, 875. tremulae sinuantur flamine vestes.) *Virg. A.* 11, 644. latos huic vasta per armos Acta tremit, *h. e.* micat hastile, et concutitur, cum ferrum infixum corpori est. *Sen. Oed.* 50. Seges altis flava spicis tremit; et *Agam.* 432. unda vix aestu levi Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit. ℙ *Tremere animo*, ap. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. *med.* valde timere. Sic *Sen. Ag.* 833. horreo atque animo tremo. ℙ Metonymie timorem significat, et accusativum etiam regit. *Liv.* 22, 27. In ea civitate, in qua magistri equitum virgas ac secures dictatoris tremere atque horrere soliti sunt. *Virg. A.* 8, 296. Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci. *Sen. Troad.* 317. clusus, atque hostem tremens; et *ib.* 262. Varios casus tremere. *Ov. Met.* 2, 519. offensam Junonem tremere. *Sil.* 2, 53. nos jussa virum nutusque tremamus. Eodem modo usurpantur *horreo*, et *trepido*, et *tremisco.* ℙ [*Discrimen inter *tremere* et *trepi-*

dare, quorum unam eandemque originationem a Gr. τρέω, ita tamen, ut *trepido* a *tremo* derivandum censeat, facit *Doederl.* 2, 202. sq., secundum ejusdem auctoris sententiam in eo positum est, quod *tremere*, per metaphoram ad animum timore captum pertineat, *trepidare* externa corporis signa timoris significet.]

TRĒMODIA. V. TRIMODIA.

TRĒMOR, oris, m. τρόμος, σεισμὸς, corporis solidi motus, quo in suo loco stans movetur: cujus generis est motus terrae, cum ventis, seu ignibus inclusis concutitur, item motus in hominibus frigentibus, timentibus, febricitantibus. *Virg. G.* 2, 479. Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant. [*Qui poetarum dicendi mos receptus ab arg. aet. scriptoribus est. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 457. haec laudat. *Tac. A.* 14, 27. Laodicea tremore terrae prolapsa. Ap. *Plin. ep.* 6, 20. ter legitur tremor terrae. *Flor.* 2, 6, 14. Commissam aciem secutus ingens terrae tremor. V. infra.] *Cic. Tusc.* 4, 8. *f.* Ex quo fit, ut pudorem rubor, sic terrorem pallor, et tremor, et dentium crepitus consequatur. *Id. Fl.* 4. *med.* Tamen id, quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore, et pallore dixit! *Virg. G.* 3, 250. tota tremor pertentat equorum Corpora. *Id. A.* 2, 121. gelidusque per ima cucurrit Ossa tremor. *Id. ib.* 7, 446. juveni subitos tremor occupat artus. *Sen. Herc. Fur.* 414. Gelidus per artus vadit exsangues tremor. *Id. Troad.* 168. artus horridus quassat tremor. *Id. Herc. Oet.* 706. Vagus per artus errat excussos tremor. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 152. imis vibrat tremor ossa medullis. *Plin.* 24, 7, 24. Ad spasmos, tremores, opisthotonos, etc. pix liquida. *Lucr.* 6, 592. Tremorem incutere. *Id.* 5, 587. Tremor ignis; et *Mart.* 5, 78. Lascivi docili tremore lumbi. ℙ Absolute de terrae motu. *Lucr.* 6, 286. tremor terras graviter pertentat. *Ov. Met.* 15, 798. motamque tremoribus urbem. *Lucan.* 7, 414. Moeniaque in praeceps laturos plena tremores. *Claud. in Eutr.* 2, 27. Bacchatus per operta tremor Chalcedona movit. Adde *Plin.* 36, 10, 15. et *Sen. Q. N.* 6, 21. *med.* [*Cf. *Böttich.* l. l.] ℙ Pro terrore, active. *Mart.* 5, 24. Hermes turba sui, tremorque fudi; et *ib.* 65. Cacus silvarum tremor.

TRĒMŬLĒ, adv. cum tremore. *Appul. Met.* 5. Extimae plumulae tremule resultantes inquiete lasciviunt.

TRĒMŬLUS, a, um, adj. τρομώδης, τρομερὸς, tremens. *Plin.* 14, 22, 28. Tremulae manus effundentes plena vasa. *Prop.* 1, 5, 15. Tremulus horror. *Lucr.* 2, 367. teneri tremulis cum vocibus haedi. *Id.* 5, 696. tremulum jubar ignis. *Virg. A.* 8, 22. aquae tremulum labris ubi lumen ahenis Sole repercussum, etc. *Id. Ecl.* 8, 105. Tremulae flammae. *Ov. Her.* 11, 75. Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura. *Id. Met.* 6, 326. Tremulae cannae. *Petr. Sat.* 131. cupressus. *Val. Fl.* 1, 620. vela super tremulum volitantia malum. *Lucan.* 2, 621. tremulo contentae fune carinae; et 4, 444. Tremulum lorum. *Claud. in Ruf.* 2, 356. tremulos vibrare colores. ℙ Saepe dicitur de senibus. *Hor. Od.* 4, 13, 5. Anus pota cantu tremulo Cupidinem sollicitat. *Ter. Eun.* 2, 3, 44. Incurvus, tremulus, labiis demissis. *Prop.* 4, 1, 73. Tremuli anni. *Ov. Met.* 10, 414. anus tremulasque manus annisque, metuque Tendit. *Id. ib.* 15, 212. Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu. *Petr. Sat.* 137. tremulo deduxit vertice canos. *Catull.* 61, 161. tremulum movens Cana tempus anilitas. *Claud. B. Get.* 483. Et tremulos regit hasta gradus. ℙ *Tremulus*, cui ex morbo tremunt membra. *Plin.* 20, 9, 34. Brassicam paralyticis, et tremulis dari jubet; et *ib.* 18, 75. Sacopenium sanat vertigines, tremulos, opisthotonicos. *Id.* 23, 4, 47. Oleum balsaminum utile tremulis, spasticis, ruptis. ℙ *Tremulus equus* est vividus, alacer, vigoris plenus. *Nemes. Cyn.* 256. lumina vivida torquent, Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant. *Virg.* quoque *G.* 3, 84. et 250. tremorem in equis laudat. ℙ Metonymice est tremorem incutiens. *Cic.* in *Arat.* 68. Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus. *Prop.* 1, 5, 15. Tremulus horror. ℙ *Tremulum*, adverbii more positum idem est ac tremule. *Mart.* 14, 203. de puella Gaditana: Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut, etc. ℙ Est etiam cogn. R., ut Q. Marcius Tremulus Cos. ann. U. C. CCCCXLVIII. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 297. *col.* 1.

TRĒPĬDANS, antis, part. a *trepido*: διαγωνιῶν, qui trepidat, et prae timore festinat. *Hirt. B. Alex.* 31. Diverso clamore perterriti Alexandrini, trepidantes in omnes partes discurrere coeperunt. *Ov. Met.* 13, 73. videoque trementem, Pallentemque metu, ac trepidantem morte futura. *Petr. Sat.* 121. Jam fragor armorum trepidantes personat aures. *Tac. H.* 3, 58. *med.* Largus promissis, et quae natura trepidantium est, immodicus. ℙ Item qui sine timore festinat, discurrit, et satagit. *Liv.* 23, 7. *f.* In foro otiose inambulavit, trepidante tota civitate ad excipiendum Poenum, visendumque. Adde *Virg. G.* 4, 69. V. TREPIDO. Sic *Cato* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 121. Sedere non potest in equo trepidante. V. TREPIDARIUS. ℙ Tremulus. *Petr. Sat.* 131. Et circumtonsae trepidanti vertice pinus. *Sen. Thyest.* 768. Trepidantes foci. *Ov. Met.* 15, 576. et *Lucan.* 6, 557. Exta trepidantia.

TRĒPĬDANTER, adv. περιδεῶς, cum trepidatione, timide. *Suet. Ner.* 49. *med.* Quod ut sensit, trepidanter effatus, etc. *Caes. B. C.* 1, 19. Cum omnia trepidantius timidiusque ageret, quam superioribus diebus consuesset.

TRĒPĬDĀRIUS, a, um, adj. *Trepidarii equi* dicuntur, qui brevi, minuto, et festino gradu incedunt, crebriter salientibus pedibus ambulant: quasi *tripedarii*, τριποδίζοντες, ter pede terram pulsantes, et quadam tripudio subsultantes. Vel dicti sunt a *trepidando*, quia pedibus trepidant ac tremunt: unde *trepidiarii* ab aliis vocantur. De his videtur esse illud *Catonis* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 121. Sedere non potest in equo trepidante. Prior tamen notatio et appellatio verior videtur. *Veg. Vet.* 2, 56. *f.* Ipsos equos, quos vulgo trepidarios, militari verbo tottonarios vocant, ita edomant ad levitatem et quaedam blandimenta vecturae, ut asturconibus similes videantur. V. plura ap. *Salmas.* ad *Capitol. Max.* 3. V. et TRIPODO.

TRĒPĬDĀTĬO, onis, f. θόρυβος, festinatio sollicita, turbatio, tumultus, timor. *Cic. Dejot.* 7. Vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare, numquae trepidatio? numqui tumultus? numquid nisi moderate, nisi quiete? *Vell.* 2, 124. Quae senatus trepidatio, quae populi confusio, quis orbis metus. *Liv.* 37, 23. Trepidatio et fuga hostium. *Petr. Sat.* 82. Cum vultu atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem. *Hirt. B. Alex.* 75. Cujus rei subita trepidatio magnum terrorem attulit nostris. *Justin.* 2, 12. *f.* Circumspicientes fugam pelluntur Persae, et mox proelio victi in fugam vertuntur, in qua trepidatione multae captae naves, multae mersae. *Tac. A.* 12, 43. Crebris terrae motibus prorutae domus: ac dum latius metuitur trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti; et *ib.* 11, 38. Ferrum accepit: quod frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transfigitur; et *ib.* 15, 16. Deformis fugientium trepidatio. *Id. H.* 1, 41. Trepidatione ferentium Galba projectus e sella, ac provolutus est. *Liv.* 2, 53. Consul castra confestim aggreditur, tantamque trepidationem injecit, ut, etc. *Id.* 3, 3. Necopinata res plus trepidationis fecit, quod etc. *Suet. Ner.* 34. Reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, coeptorum opperiens exitum. ℙ *Trepidatio* est etiam ubi nullus timor, *h. e.* festinatio et actus satagendi. *Liv.* 3, 50. Tandem ut jam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta exposuit. Adde 2, 46. ℙ Item tremor. *Sen. Ira* 3, 10. Qui comitiali vitio solent corripi, jam adventare valetudinem intelligunt, si calor summa deseruit, et incertum lumen, nervorum trepidatio est.

TRĒPĬDĒ, adv. περιδεῶς, trepidanter. *Liv.* 22, 31. Ad mille hominum amissum: classis a litoribus hostium plenis trepide soluta. *Id.* 7, 11. Relictis trepide castris; et 10, 12. Nam et stativa trepide deserta fuerant. *Suet. Ner.* 23. Quam trepide anxieque certaverit, vix credi potest. *Phaedr.* 2, 5. Est ardelionum quaedam Romae natio, Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens.

TRĒPĬDO, as, avi, atum, n. l. ταρβέω, τρέω, πτώσσω, σπαίρω, cum tremore festino, cum tumultu et confusione propero, discurro, huc illuc me verto. *Festus* in *Trepit.* Trepit, vertit, unde trepido, trepidatio: quia turbatione mens vertitur. [*Cf. quae dicta sunt in *tremo.*] *Ter. Ad.* 3, 2, 25. Quid est? quid trepidas? quid festinas, mi Geta? Animam recipe. *Pl. Cas.* 2, 7, 9. Ut ille trepidabat! ut festinabat miser! *Caes. B. G.* 5, 33. Tum demum Titurius, uti qui nihil ante providisset, trepidare, et concursare, cohortesque disponere. *Hirt. B. Afr.* 82. Animadvertit, hostes circa vallum trepidare, atque ultro citroque pavidos concursare, et modo se intra portas recipere, modo inconstanter immoderateque prodire. *Sall. Cat.* 32. Repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco, neque homini cuiquam satis credere. *Id. Jug.* 42. Alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis. ℙ Cum casibus motus ad locum. *Id. ib.* 71. Romani milites improviso metu incerti, ignarique quid potissimum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant. *Liv.* 23, 16. *med.* Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa. *Phaedr.* 4, 5. Cum victi mures mustelarum exercitu Fugerent, et arctos circum trepidarent cavos: *scil.* festinarent ingredi. ℙ Passive impersonaliter. *Ter. Hec.* 3, 1, 35. Tace, trepidari sentio, et cursari sursum prorsum. *Caes. B. G.* 6, 36. Totis trepidatur castris, atque alius ex alio causam tumultus quaerit. *Sil.* 4, 26. Praecipitat timor, ac vastis trepidatur in agris. Adde *Juven.* 3, 200. ℙ Significat etiam tremere ac timere, simpliciter. *Enn.* ap. *Cic. Or.* 3, 42. At Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est, Corde suo trepidat. *Pl. Epid.* 1, 1, 58. Nescio edepol, quid tu timidus es, trepidas, Epidice; ita voltum tuum video, videre commeruisse. *Ov. Trist.* 1, 5, 37. trepidare metu; et 3, 10, 67. formidine. *Juvenal.* 22, 5. Qui tanta audacia hostium perculsi trepidaturi sint. Adde *Ter. Eun.* 5, 6, 8. ℙ Cum accusativo. *Sen. Herc. Oet.* 1058. Nec damae trepidant lupos. *Juven.* 10, 21. Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram; et 8, 152. et occursum nusquam trepidabit amici. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 1, 639. non tu pia degener arma Occulis, aut certae trepidas occurrere morti. ℙ Cum conjunctivo, et *ne* particula. *Juven.* 14, 64. Ergo miser trepidas, ne stercore foeda canino Atria displiceant. Adde 1, 97. ℙ Item festinare, satagere, commoveri, discurrere, sine timore. *Virg. A.* 4, 121. Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt. *Liv.* 27, 28. *med.* Excitant vigiles, aperirique portam jubent: consulem adesse. Vigiles, velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri portam. *Id.* 44, 38. *f.* Hostes stabant compositi suis quisque ordinibus: nobis tunc repente trepidandum in acie instruenda erat, et incompositis concurrendum. *Virg. A.* 12, 735. Fama est, praecipitem, patrio mucrone relicto, Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci. *Hor. Ep.* 1, 10, 21. aqua per pronum trepidat cum murmure rivum. ℙ Cum infinito. *Id. Od.* 2, 4, 23. Cujus octavum trepidavit aetas Claudere lustrum. *Virg. A.* 9, 114. Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves. *Lucan.* 6, 416. propius jam fata moveri, Degeneres trepidant animi. ℙ Item tremulo motu concuti, agitari, palpitare, subsilire. *Ov. A. Am.* 2, 89. Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos, Et trepidat: nec, quo sustineatur, habet; et *Met.* 11, 75. avis laqueo capta Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu. *Hor. Od.* 4, 11, 11. Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum. *Pers.* 3, 88. Nescio quid trepidat mihi pectus. *Ov. Met.* 1, 554. Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus; et *ib.* 14, 196. elisi trepident sub dentibus artus. *Pers.* 1, 20. Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu, *h. e.* subsilire, exsultare, commoveri, et plaudere. Sic *Arnob.* 7, 213. Trepidare laetitia. ℙ [*Significat *trepidare* etiam ferociam, vehementiam, rigorem animi ostendere in rebus parum quiete tractandis, in moribus emolliendis: Gr. ζυγομαχεῖν et ἀποδυσπετεῖν. *Prop.* 2, 3, 49, Ac veluti primo taurus detrectat aratra, Post venit adsueto mollis ad arva jugo: Sic primo juvenes amore feroces, Dehinc domiti posthaec aequa et iniqua ferunt: Cf. *Casaub.* ad *Pers.* 5, 170. p. 456.] ℙ *Servius* ad illud *A.* 4, 121. Dum trepidant alae, etc. adscribit, putare quosdam, *trepidare* dictum esse ab equis crebro ictu terram pulsantibus, ut in TREPIDARIUS dictum est.

TRĒPĬDŬLUS, a, um, adj. ὑπότρομος, diminut. trepidi. *Gell.* 2, 29. Atque ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere, orareque matrem, etc.

TRĒPĬDUS, a, um, adj. ἔντρομος, τρομερὸς, tremore et timore properans, festinus ex metu, pavidus, anxius, sollicitus. *Sall. Jug.* 102. Qui omnes trepidi improviso metu, attamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientes alios ab hostibus defensabant. *Just.* 2, 13. *med.* Cum solutum pontem offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit. *Liv.* 2, 24. Curia moesta ac trepida, ancipiti metu, et ab cive, et ab hoste. *Virg. A.* 3, 616. Hic me dum trepidi crudelia limina linquunt, Immemores socii deseruere; et *ib.* 9, 169. trepidus formidine; et *ib.* 4, 672. exanimis, trepidoque exterrita cursu. *Ov. Trist.* 3, 1, 54. et *Plin.* 2, 7, 5. Trepidus metus. *Lucr.* 5, 41. terror; et 3, 847. tumultus. *Hor. Ep.* 1, 19, 48. Trepidum certamen. *Nemes. Cyn.* 151. periculum, *h. e.* trepidos faciens. *Tac. A.* 4, 70. *f.* et *ib.* 14, 59. Incerta et trepida vita, *h. e.* plena timoris, sollicita, et circumspiciens undique, ne quid adversi incidat. *Curt.* 7, 1. *f.* Trepidas alicui litteras mittere, *h. e.* de re trepida. Sic trepidum nuntium *Just.* 31, 2. *extr.* ℙ *Trepidae res*, dubiae, ancipites, timoris, tumultus, discriminis plenae, in quibus huc illuc cursitare solent homines, opem ac remedium quaerentes. *Tibull.* 2, 3, 21. Saepe duces trepidis petiere oracula rebus. *Liv.* 4, 17. *med.* et 56. Et senatus, ut in trepidis rebus, dictatorem dici jussit. *Sil.* 7, 1. trepidis Fabius spes unica rebus. *Sall. Jug.* 96. *med.* Quae postquam oppidani cognovere, res trepidae, metus ingens, malum improvisum. Adde *Hor. Od.* 3, 2, 5. ℙ In sing. num. *Liv.* 1, 27. *med.* Tullus in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori. *Id.* 26, 5. Romani, ut in re trepida, ita inter se copias partiti sunt. Adde 4, 46. ℙ Cum genitivo. *Virg. A.* 12, 588. Vestigavit apes, fumoque implevit amaro. Illae intus trepidae rerum per cerea castra Discurrunt. *Liv.* 5, 11. et 36, 31. Messenii trepidi rerum suarum. *Sil.* 12, 13. trepidique salutis Exspectant ipsis metuentes moenibus hostem. *Tac. A.* 6, 21. *med.* Magis ac magis trepidus admirationis ac metus. ℙ Est etiam *trepidus* sine timore, nempe qui festinat et satagit, sollicitus de re quapiam, et morae impatiens. *Virg. G.* 4, 73. de apib.: Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant, Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos. *Id. A.* 4, 642. At trepida et coeptis immanibus effera Dido. Ubi *Servius:* festina, nam moritura nihil timebat. *Lucan.* 7, 297. Spe trepidus.

Stat. Th. 11, 325. ad lituos hilarem, trepidumque tubarum Prospiciebat equum, *h. e.* quod ait *Virg. G.* 3, 84. stare loco nescientem, audito tubarum sono, micantem auribus, et trementem artus. Sic *Sil.* 13, 146. trepido, ac lituum tinnitu stare neganti Imperitans violenter equo. Adde *Virg. A.* 9, 233. et *ib.* 7, 638. ℙ Item tremulus, agitatus. *Ov. Met.* 12, 278. ferrum Igne rubens faber lacubus demittit: at illud Stridet, et in trepida submersum sibilat unda. Alii leg. *tepida*. *Virg. G.* 1, 296. Et foliis undam trepidi despumat aheni, Ubi *Servius:* trepidum dicit, quia quod bullit, quasi tremere videtur. *Sen. Herc. Oet.* 708. cor attonitum salit, Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.

TRĔPIT, vertit (a τρέπω) unde trepido, trepidatio: quia turbatione mens vertitur. *Paul.* ex *Festo.*

TRĔPONDO, n. indecl. τρίλιτρον, trium librarum pondus. *Quint.* 1, 5. Nam dua, et tre, et pondo diversorum generum sunt barbarismi. At duapondo, et trepondo usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messala confirmat. *Scrib. Comp.* 165. Ejusdem radicis trepondo, panacis pondo IIII. et *Comp.* 271. Adipis porcinae trepondo.

*TRERES, um, Τρήρεις, populi Thraciae, circa Scomium (Scopium) montem, non procul a Macedonia. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

TRES, Treis, et Tris, tria, ium, ibus, τρεῖς, τρία, nomen numerale cardinale. Prima positio Latina est, altera Graecam diphthongum retinet: tertia itidem Graecum sapit, eadem diphthongo vel servata, vel contracta. Poetae modo hac, modo illa utuntur, aurium judicium secuti. V. TREIS. *Virg. A.* 5, 560. Tres equitum turmae numero, ternique vagantur Ductores. *Hor. Sat.* 1, 5, 25. Millia tum pransi tria repimus. *Ov. Fast.* 2, 691. trium minimus. ℙ In veneficiis hic numerus singularem vim habere creditus est. *Virg. Ecl.* 8, 77. Necto tribus nodis ternos, Amarylli, colores. *Ov. Fast.* 2, 573. Et digitis tria tura tribus sub limine ponit; et *ib.* 4, 551. Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit. Adde *Met.* 14, 387. ℙ Interdum adhibetur ad pauca significanda. *Pl. Mil.* 4, 2, 29. et *Trin.* 4, 2, 121. Heus, te tribus verbis volo. *Catull.* 1, 5. ausus es unus Italorum Omne aevum tribus explicare chartis; et 79, 4. Si tria notorum suavia reppererit. *Ter. Phorm.* 4, 3, 33. Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos. *Mart.* 13, 124. Caeretana Nepos ponat, Setina putabis. Non ponit turbae, cum tribus illa bibit. *Ov. Pont.* 4, 3, 26. Venisset verbis charta notata tribus.

TRESDĔCIM. V. TREDECIM.

TRESSIS, tres asses. *Varr. L. L.* 4, 36. A tribus assibus tressis: et sic proportione usque ad nonussis; et *ib.* 8, 49. A tressibus virilia multitudinis hi tresses, et his tressibus: cum sit singulare hoc tressis. V. SEXIS. ℙ Translate, vilis, minimi pretii. *Pers.* 5, 76. Hic Dama est, non tressis agaso.

TRESVĬRI, orum, m. plur. 2. triumviri, praesertim capitales: quorum munus erat praeesse carceri, damnatos punire, cognoscere de furtis et delictis servorum, et hujusmodi minorum criminum. *Pl. Amph.* 1, 1, 3. Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint? *Id. Aul.* 3, 2, 2. Quia ad tresviros jam ego deferam tuum nomen. *Id. As.* 1, 2, 5. Ibo ego ad tresviros, vestraque ibi nomina faxo erunt: capitis te perdam ego, et filiam. *Cic. Or.* 3, 19. *f.* Propter sacrificiorum multitudinem tresviros epulones esse voluerunt. *Liv.* 32, 2. *f.* Earum rerum causa tresviros creare consul jussus. Adde 39, 44. et 40, 29., quib. omnib. locis in MSS. modo *tresviri*, modo *trisviri*, modo *treviri* legitur: alii etiam *triumviri* reposuerunt: idque eo factum videtur, quod olim *IIIviri* scriptum fuit: ex quo alii *tres*, alii *tris*, alii *trium* exararunt. [*De discrimine inter *tresviri* et *triumviri* v. in h. v.]

[TRĔVENTĪNĀTES, et Tereventinates, et Terventinates, ium, m. plur. 3. incolae Treventi, seu Tereventi, seu Terventi, nunc *Trivento*, urbis in Samnio, ad Trivium fluv., cujus meminit *Frontin. de colon.* p. 141. *Goes.*, ubi *Trebentum* appellatur. *Plin.* 3, 12, 17. Saepinates, Treventinates. *Inscr.* ap. *Guarin. Comment.* 12. p. 28. P. Arruntio P. F. Vol. Justo, Q., Aed., Pat. Col., Pat. Mun. Saepin., Pat. Mun. Vicentini, Pat. et Cur. R. P. Terevent., etc. Alia ap. *Romanell. Topogr. Napol.* T. 2. p. 475. M. Salonio Longino Marcello C. V. Quaest. Cand., Leg. Pro. Afr., Trib. Pleb., Leg. Propraet. Prov. Moesiae, Pr., Pr. Aer. Sat. Terventina Test. (lege *Terventinates P.*) patrono optimo D. D. *F.*]

TRĔVĔRĪCUS, a, um, adj. ad Treviros urbem pertinens, ut Trevericus ager, *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 4. et 11, 49, 109. Sic *Tac. A.* 3, 42. *extr.* Trevericus tumultus. *Id. H.* 5, 17. Trevericum proelium. *Auson. de Urb. n.* 4. Trevericaeque urbis solium, quae proxima Rheno, etc.

TRĔVIR. V. in v. sq.

TRĔVĪRI et Treveri, orum, m. plur. Τρηβιροί, urbs ampla in Gallia Belgica ad Mosellam fluvium. *Tac. A.* 3, 42. Ala equitum conscripta Treveris, etc. Adde *Auson. epist. praefixa Idyll.* 6. et *Grat. act. ad Grat.* 14. *extr.* et *Ammian.* 15, 11. ℙ Haec saepius *Augusta Trevirorum* dicitur, ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 111, 9. et 225, 4. ℙ Nomen habet a *Treviris*, seu *Treveris* (Τρηβιροῖς) populis Galliae Belgicae, quorum saepe mentio ap *Caesar.* et *Tac.* Adde *Plin.* 4, 17. et *Epit. Liv.* 107. ℙ Ludit in ambiguo Trevirorum, et Tresvirorum *Cic. Fam.* 7. scribens ad Trebatium in Gallia militantem, *ep.* 13. *f.* Treviros vites censeo, audio, capitales esse, mallem auro, aere, argento essent. ℙ In sing. num. *Tac. H.* 3, 35. Alpinus Montanus Trevir; et *ib.* 4, 55. Julius Tutor Trevir. *Lucan.* 1, 441. Tu quoque laetatus converti proelia, Trevir. *Inscr.* ap. *Mur.* 1088, 5. Aeternae memoriae Justini Mercatoris civis Treveri, etc. Alia *ib.* 6. Q. Secundi Quigonis civis Treveri, seviri Augustal. etc. ℙ Primam perperam corripit *Venant. carm.* 10, 19, 21. Perducor, Treverum qua moenia celsa patescunt.

[TRĬĀCĀDĬON, onis, m. dimin. τριακάδιον: a τριακάς, trigesimus dies mensis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 3. Ti. Claudius Triacadion. *F.*]

TRĬĀCONTAS, ădis, f. τριακοντάς, numerus tricenarius. *Tert. adv. Valent.* 49. *f.*

TRĬAMBI. V. IAMBUS.

TRĬANGŪLĀRIS, e, adj. τρίγωνος, tres angulos habens, idem ac triangulus. *Capell.* 6, 190. Vel lineares ductus, vel circulares flexus, vel triangulares abraduntur anfractus.

TRĬANGŪLUS, a, um, adj. τρίγωνος, tres habens angulos, triquetrus. *Cic. Div.* 2, 42. *med.* Cum (*sidera errantia*) in eam partem orbis venerint, in qua sit ortus ejus, qui nascitur, aut in eam, quae conjunctum aliquid habeat; ea triangula ibi, et quadrata nominant. *Quint.* 1, 10. *med.* Quadrata amplius spatium complectuntur triangulis: triangula ipsa plus aequis lateribus, quam inaequalibus. *Cels.* 7, 25. *n.* 2. Triangula forma cutis excidenda est, sic ut vertex ejus ad frenum, basis in tergo extremo sit. *Colum.* 5, 2. Esto ager triangulus pedum quoquoversus trecentorum. *Plin.* 13, 11, 218. Papyrus brachiali radicis crassitudine, triangulis lateribus. *Id.* 3, 8, 14. Sicilia Triquetra dicta a triangula specie. *Id.* 15, 23, 25. Triangulae castaneae. *Id.* 2, 16, 13. Triangulus solis radius. *Capell.* 6. *in.* rapiturque triangulus ignis. ℙ *Triangulum*, vel *triangulus* absolute, triangula forma, τρίγωνον. *Cic. N. D.* 2, 49. *f.* Grues trianguli formam efficiunt: et *mox:* Basis autem trianguli, tanquam a puppi, ventis adjuvatur. *Plin.* 27, 8, 39. Cauliculus duum cubitorum, triangulo similis. *Front. Expos. form.* p. 32. 33. 35. etc. *Goes.* usurpat masculino gen.

*TRĬĀRE, es, f. regio Asiae ulterioris, in Iberia. *Plin.* 6, 10. Regio Thasie, et Triare usque ad Pargadras montes. *B. A.*

TRĬĀRĬUS, ii, m. miles veteranus spectatae virtutis, qui in tertio aciei loco collocabatur, pilis armatus. Qui sint triarii, et unde dicantur, docet hic locus *Varronis L. L.* 4, 16. Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant: pilani, qui pilis: principes, qui a principio gladiis: et post commutata re militari, minus illustres sumuntur. Pilani, triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. Quod hi subsidebant, ab eo subsidium dictum. A quo Plautus: Agite nunc, subsidite omnes quasi solent triarii. Haec *Varro. Liv.* 22, 5. Nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes, hastatosque, ac triarios, etc. Ex *Liv.* 8, 8. et 10. colligitur, etiam triarios hastis longis pugnasse, mutato scilicet veteri instituto: quemadmodum ap. *eund.* 2, 30, et 46. primae aciei pila tribuuntur. ℙ Tertio loco proelium inibant post profligatos hastatos, qui primo loco, et principes, qui secundo loco pugnam capessebant. Hinc factus est locus proverbio, ut, cum in re aliqua laboratur, eoque res adducta est, ut extremo conatu, summisque viribus sit enitendum, rem ad triarios rediisse dicamus, ut docet *Liv.* 8, 8., ubi omnem pugnandi apud Romanos ordinem luculenter describit. ℙ [Est etiam cogn. R. ut P. Valerius Triarius ap. *Ascon. argum.* in *Cic. or. pro Scaur.*, et C. Valerius Triarius in *Inscr.* ap. *Mur.* 487, 4. *F.*]

[TRĬAS, ădis, f. τριάς, numerus ternarius. *Capell.* 7, 239. Trias vero princeps imparium numerus, perfectusque censendus. *F.*]

TRĬATRUS, tertius dies post Idus. *Paulus* ex *Festo.* Quinquatrus festivus dies dictus, quod post diem quintam Iduum celebraretur, ut triatrus, et sexatrus, et septimatrus, et decimatrus.

TRĪBACCA Margarita, τριγλήνη, *h. e.* inauris ex tribus baccis seu margaritis contexta. *P. Syrus* ap. *Petr. fragm. Trag.* 55. *Burm.* Quo margarita cara tribacca, Indica? Sunt qui aliter leg.

*TRIBALLI, orum, Τριβαλλοί, populi Moesiae inferioris. *Plin.* 3, 26. 4, 1. et 10. ℙ Inter Thracas numerat *Strabo. B. A.*

TRĪBAS, ădis, f. τριβάς, *h. e.* fricans: a τρίβω. Dicitur de femina turpem libidinem cum pari plerumque exercente: quam *Pl. Pers* 2, 2, 45. subigitatricem vocat. *Phaedr.* 4, 14., *Mart.* 1, 91. et 7, 67. et 70. et *Coel. Aurel. Tard.* 4, 9.

TRIBLA. V. TREBLA.

[TRĪBOCCI et Triboci, orum, m. plur. Germaniae superioris populus ad Rhenum, ubi nunc *il vescovado di Strasburgo. Caes. B. G.* 1, 51. Tum demum necessario Germani suas copias castris eduxerunt, generatimque constituerunt paribusque intervallis Harudes, Marcomannos, Triboccos. *Inscr.* ap. *Donat.* 301, 9. Surus Sparuci F. domo Tribocus. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 111. T. Nigrio Simili Triboco ex Germania superiore, etc. *F.*]

TRĪBON, onis, m. τρίβων, ωνος, pallium tritum, aut lacerna. Vox Graeca, a τρίβω, tero. *Auson. epigr.* 53. Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex Ista fuit Cynici.

TRĪBONĬĀNUS, i, m. celebris JCtus, quaestor fuit Justiniani Imp., eique operam suam praebuit in jure civili concinnando. Ceterum multis vitiis insignis, assentatione, fraudulentia, avaritia, omnis religionis contemptor, praesertimque Christianae. Haec ex *Suida.* Ejus meminit *Imp. Justin.* in *proem. Institutionum*, et *de confirmat. Dig.* §. 9.

TRĪBRĂCHYS et Tribrachus, τρίβραχυς, nomen pedis metrici tres breves syllabas habentis, ut *Helena, dominus, agitur:* a τρεῖς, tres, et βραχύς, brevis. *Quint.* 9, 4. *med.* et *Diomed.* 3, 475. qui *tribrevem* Latine vocat.

TRĪBRĔVIS. V. in v. praec.

TRĪBŪĀRĬUS, a, um, adj. ad tribum pertinens. *Cic. Planc.* 19. Itaque haesitantem te in hoc sodalitiorum tribuario crimine ad communem ambitus causam contulisti, *h. e.* in crimine corrumpendarum tribuum in petitione alicujus honoris; et 15. Tribuaria res.

TRĪBŬLA, ae, f. idem ac tribulum. *Colum.* 2, 21. *med.* Et, si pauca juga sunt, adjicere tribulam, et traham possis, quae res utraque culmos facillime comminuit. *Id.* 1, 6. *f.* Optima est area silice constrata, quod celeriter frumenta deteruntur, non cedente solo pulsibus ungularum, tribularumque. Adde 12, 50. *med.*

TRĪBŬLĀRĬA, ium. V. in TABULARIS.

TRĪBŬLĀTĬO, onis, f. θλῖψις, cura angens et pungens, aegritudo, aerumna, afflictatio: a tribulis, *h. e.* spinis. Vox est Ecclesiae scriptoribus familiaris. *Tert. adv. Jud.* 11. *August.* in *Psalm.* 125 *n.* 2. et alibi saepe: *Hieron. ep.* 108. *n.* 18. et alibi.

TRĪBŬLĀTUS, a, um, adj. acuminatus in modum tribuli. *Pall.* 1, 43. Falciculas brevissimas tribulatas, quibus filicem solemus abscindere.

TRĪBŬLIS, e, adj. θυλέτης, φράτηρ, φράτωρ, qui ex eadem tribu est. *Cic. Fam.* 13, 23. L. Cossinio amico et tribuli tuo valde familiariter utor. *Liv.* 2, 16. Vetus Claudia tribus additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata. *Cic. Planc.* 19. Tribulibus gratiosum esse; et *ib.* Tribules decuriare. *Ter. Ad.* 3, 3, 85. Estne hic Hegio tribulis noster? ℙ Interdum accipitur pro non divite, ut *tribus* pro pauperibus, *h. e.* qui tantum tribum suam citare, non magistratus, nec sacerdotia poterant. *Hor. Ep.* 1, 13, 15. Ut cum pileolo soleas conviva tribulis. *Mart.* 9, 50. de toga trita: Nunc anus, et tremulo vix accipienda tribuli. Adde 58.

*TRIBULĪUM, i, n. oppidum Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

TRĪBŬLO, as, a. 1. θλίβω, est tribula, aut alio quocumque instrumento comminuere. *Gloss. Phil.* θλίβω, tribulo, presso, premo. *Cato R. R.* 23. Si indideris defrutum aut marmor, aut resinam, dies viginti permisceto crebro, tribulato quotidie. Fortasse legendum *rutabulo*, nam *Colum.* 12, 23. docet, easdem res rutabulo ligneo permiscendas. [*Docet *Doederl.* 3, 87. esse *tribulare* diminutivi genus quoddam a *terere*, legique ap. *Tertull.* ea significatione, qua *tricae* per *res tempus vel hominem terentes* intellig.]

TRĪBŬLOSUS, a, um, adj. asper, spinosus, tribulis plenus. *Sidon. ep.* 3, 2. *f.* Viarum voragines frigorum siccitate tribulosae. ℙ Translate. *Id. ep.* 1, 7. *med.* Tribulosissima dissimulatio.

TRĪBŬLUM, i, n. τρίβολον, rusticum instrumentum, quo frumenta in area teruntur. *Varr. L. L.* 4, 3. Hinc in messe tritura, quod tum frumentum teritur, et tribulum, quo teritur. *Id. R. R.* 1, 22. Corbes, fiscinae, tribula, mallei, rastelli; et 52. E spicis in aream excuti grana, quod fit apud alios jumentis junctis, ac tribulo. Id fit e tabula lapidibus, aut ferro asperata, quae imposito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana. *Plin.* 18, 30, 72. Messis alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur. *Virg. G.* 1, 164. Tribulaque, trabeaeque, et iniquo pondere rastri. Ubi *Servius:* Genus vehiculi omni parte dentatum, quo teruntur in area fruges: quo maxime in Africa utebantur.

TRĪBŬLUS, i, m. τρίβολος, genus spinae, herba foliis ad portulacae effigiem accedentibus, tenuioribus viticulis, in terra stratis, spinis secundum folia rigidis et praeduris. *Virg. G.* 1, 153. Lappaeque, tribulique, interque nitentia culta Infelix lolium, et steriles dominantur avenae. *Ov. Met.* 13, 803. Asperior tribulis, feta truculentior ursa. *Plin.* 21, 15, 54. Aliqua et secundum spinam habent folium, ut tribulus, et ononis. ℙ Est et alterum tribuli genus aquaticum, non nisi in amnibus nascens, coma dumtaxat aquis exstante, folio ulmi effigie. *Id.* 21, 16, 58. Tribulus non nisi in palustribus nascitur: dira res alibi, juxta Nilum et Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in vadum, folio ad efi-

giem ulmi, pediculo longo, etc. ℙ Per metaphoram Graecis τρίβολοι, Latinis *tribuli* dicuntur stimuli illi ferrei, qui aliter vocantur murices, quos spargere moris erat in bello contra equitatum, aut quadrigas falcatas, aut oppidanorum eruptionem. Nempe ita dicti sunt a triquetra figura, et ob eminentes cuspides. *Veg. Mil.* 3, 24. Toto campo Romani tribulos abjecerunt, in quos currentes quadrigae cum incidissent, deletae sunt. Tribulus autem est quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abjeceris, tribus radiis stat, et erecto quarto infestum est. Haec *Veg. Coripp. Johann.* 4, 617. Et tribulos per castra locat, furcasque bicornes; Exacuitque sudes, et magnas obibe cautes.

TRIBUNAL, alis, n. δικαστήριον, βῆμα, locus excelsus arcuata figura, in quo residebat, qui jus civibus aut peregrinis reddebat: a *tribunus*. Nam proprie est sedes tribuni, hoc est locus sublimior, ubi is jus dicit: sed per synecdochen sumitur pro quovis loco, ubi jus redditur. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8. *f.* Nullius inopiam, ac solitudinem non modo illo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam. ℙ Apud Romanos fuit suggestus editior, unde conspici magistratus ab omnibus poterat, multorum hominum capax, in quo sella curulis, jurisdictionis insigne, locata erat, ubi sedens praetor cognoscebat et pronuntiabat. Fuisse locum multorum hominum capacem, indicat *Cic. Brut.* 84. dum inquit: Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, etc. et *Or.* 1, 37. Nobis in tribunali Q. Pompeji praetoris Urbani sedentibus; et *Tac. A.* 1, 75. Tiberius judiciis assidebat mixtim, vel in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret. *Ascon.* in *argum. Milon.* Populus corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum, quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et Porcia basilica. ℙ Sellae curulis meminit *Cic. Verr.* 2, 2, 38. Palam, inquit, de sella ac tribunali pronuntiat: si quis, etc. Adde *Mart.* 11, 98. et *Tac. A.* 15, 29. ℙ Forma tribunalis fuit arcuata. *Vitr.* 5, 1. de basilica Julia, quam ipse architectatus fuerat, *med.* Item tribunal est in ea aede hemicycli schematis minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedum quadraginta sex, introrsus curvatura pedum quindecim: uti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent. ℙ *Pro*, vel *de tribunali* idem est ac in tribunali, quemadmodum dicimus *pro rostris. Cic. Fam.* 3, 8. Idque pro tribunali cum aliquid ageretur, intelligi potuisse. *Id. Pis.* 5. Pro Aurelio tribunali delectus servorum habebatur. *Id. Verr.* 2, 5, 7. Ad se vocari, et de tribunali citari jussit. ℙ De tribunali ii tantum magistratus jus dixere, qui sellam curulem habebant, ut consules, praetores, aediles, praesides in provinciis, et proconsules: nam tribuni, quaestores, triumviri, et alii in subselliis sedebant, ut scribit *Asconius* in *Div. Verr.* 15. *Mart.* 11, 98. Sedeas in alto tu licet tribunali, Et e curuli jura gentibus reddas. ℙ In theatro erat suggestus editior, et ab aliis gradibus separatus, ex quo spectabat praetor, et imperator. *Suet. Aug.* 44. Virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, et contra praetoris tribunal dedit. Adde *Vitr.* 5, 7. ℙ In castris quoque erat tribunal, ex quo imperator jus dicebat, aut milites alloquebatur, quod olim de caespite exstruebatur. *Tac. H.* 3, 10. Sensit ludibrium miles, disjectisque qui tribunal tuebantur, etc. *Id. ib.* 4, 25. Conscendit tribunal Vocula, prehensumque militem duci jussit. ℙ Claros viros, et summo aliquo honore functos, praeter honorem sepulcri, etiam tribunalis seu suggestus exstructione coli post vitam mos fuit. Exemplum habes ap. *Tac. A.* 2, 83., ubi de funere Germanici. Quo referri posse videtur *Inscr.* ap. *Grut.* 751, 11. P. Aelius Venerianus hoc vas disomum sibi et Felicitati suae posuit, et tribunal ex permissu Pontif. perfecit, *h. e.* suggestum, in quo vas illud disomum, seu sarcophagus bina corpora continens, impositum fuit. ℙ *Plinius* vocat *tribunal* tumulum vel suggestum editiorem instar tribunalis, quod sibi quidam populi Oceanum accolentes exstruebant, contra aestus et effusiones ejus: 16, 1, 1. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi aestus, casis ita impositis. ℙ Translate significat eminentiam. *Appul. Flor. n.* 16. *med.* Quid superest ad honoris mei tribunal et columen, ad laudis meae cumulum? ℙ *Tribunale* in recto et quarto casu. *Quint.* 1, 6. *med.* Inhaerent quidam molestissima diligentiae perversitate, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur; et *emicavit*, non *emicuit*, et *conire*, non *coire*. His permittamus et *audivisse*, et *scivisse*, et *tribunale*, et *faciliter* dicere. Legitur etiam in *vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *lin.* 34.

TRIBUNATUS, us, m. χιλιαρχία, δημαρχία, magistratus, seu dignitas tribunorum. Aliud fuit tribunatus, aliud tribunicia potestas. Nam Sulla tribunatum non sustulit, sed tribuniciam potestatem. Rursus Romani imperatores tribunatum non gessere, sed tribuniciam potestatem sumpserunt. Nam cum plebejis fas esset solis tribunatum gerere, religio imperatoribus fuit tribunatum sibi vindicare, cum patricii essent: cum vero tribuni pleb. sacrosancti essent, imperatores sibi potestatem tribuniciam usurpavere, ut et ipsi sacrosancti essent et inviolabiles. *Cic. Am.* 12. De C. Gracchi autem tribunatu quid exspectem, non libet augurari. *Id. Or.* 1, 7. Tribunatum plebis petere. *Id. Att.* 11, 9. Inire tribunatum. ℙ De tribunatu militari. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. 4, 14., quod ab initio terni essent, tum, cum legio ex tribus millibus conficiebatur ex ternis, quae tum erant, tribubus, Ramnium, Tatiensium et Lucerum sumpti. ℙ Initio tres fuerunt, qui singuli mille peditibus praeerant. Postea ut numerus peditum in legione auctus est, sic etiam tribunorum militarium: ita ut a tribus ad quatuor, atque ab his ad sex pervenerint. Progressu temporis duodecim legi coeperunt, terni in singulas legiones quae quatuor erant. Deinde quaterni in singulas legiones creati sunt, ut essent sexdecim. Interjectis inde temporibus, cum legio ex quinque millibus conscribi jam esset coepta, et postremo cum ex sex millibus, tribuni militum ad quatuor legiones viginti quatuor, in singulas seni, lecti sunt. *Cic. Cluent.* 36. Qui M. Aemilio legati, et praefecti, et tribuni militares fuerunt. Adde *Plin.* 34, 3, 6. ℙ Ut eorum numerus, sic electio varia fuit. Modo enim ab imperatore, modo populi suffragio creati sunt: quae varietas usque ad extrema reipubl. tempora perduravit. ℙ Officium eorum erat in castris milites continere, et ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariae praeesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere, denique et dare, et observare castrensia omnia. ℙ Dividebantur in *Rufulos*, sive *Rutulos*, et *Comitiatos*. V. RUFULUS, COMITIATUS.

Tribuni militum consulari potestate, magistratus Romae, qui consulare imperium obtinebant, et consulum loco rempublicam administrabant. Eorum haec origo narratur. Crebris seditionibus plebis, quibus consules de suo quoque corpore creari petebat, externis etiam bellis ingruentibus, plebeque ipsa delectum pati negante, coacti tandem patres sunt, ut aut civibus, aut hostibus de victoria concederent. Ab eorum sententiis, qui tribunos plebis caede violandos putabant, primores patrum abhorrebant. Per haec consilia eo res deducta est, ut sex tribuni militum, tres ex patribus, et tres ex plebe, consulari potestate praediti crearentur, de consulibus nihil immutaretur. Igitur anno U. C. CCCX. tres tribuni militares creati sunt, qui consularem potestatem haberent, et quidem ex patribus, consentiente plebe. Progressu temporis modo tres, modo quatuor, modo sex, aliquando ex solis patribus, aliquando ex patribus et plebe fuerunt. *Liv.* 4, 6. 7. etc. [*Id.* 5, 1. affirmat ann. U. C. CCCLI. octo tribunos mil. cons. pot., quot nunquam antea, creatos fuisse; sed *B. Borghesius* in *A. Framm. de Fast. cons.* T. 2. p. 37. historicum Patavinum erroris arguit, probatque, duos postremos ab *eod. l. c.* memoratos, M. nempe Furium Camillum, et M. Postumium Albinum, non tribunos mil., sed censores eo anno fuisse, *F.*]

Tribuni plebis, magistratus Romae, ex genere minorum, et ordinariorum, non dissimilis iis, qui apud Lacedaemonios Ephori dicebantur, ut ait *Cic. Leg.* 3, 7., cujus officium erat injuriam omnem intercessione sua prohibere, et commoda plebis adversus patres tueri. ℙ Hic magistratus hanc habuit originem. Plebs ob feneratorum avaritiam aere alieno oppressa saepe postulavit a patribus, ut contractuum obligationibus liberaretur, et saepenumero decepta, tandem ann. U. C. CCLXI. conspiravit, ne amplius patricios in bello, neque ulla alia in re adjuvaret: itaque secessit in montem sacrum, neque reduci inde potuit, priusquam ea obtineret, quae jamdiu concupierat: inter quae illud praecipuum fuit, ut magistratus quotannis crearetur, qui plebis jura defenderet, ceteris magistratibus intercederet, et ne ipsi quidem supremo consulari imperio parere teneretur. Qui in eum magistratum lecti sunt, *tribuni plebis* appellati. *Liv.* 2. a *c.* 32. ℙ Praecipua tribunorum potestas fuit in intercessionibus. Intercedere autem nihil aliud erat, nisi prohibere, ne vis a ceteris magistratibus plebi fieret, vel ne aliqua lex ferretur plebi invisa. Qui negant, eos magistratum fuisse, facile arguuntur multis *Livii* locis 2, 33. et 56., 4, 2., 23, 23., *Sallustii Jug.* 41., *Varronis* ap. *Gell.* 13, 12., *Ciceronis Or.* 1, 7. et *Pomp. Dig.* 2, 2, 2., qui omnes tribunatum pleb. *magistratum* vocant. ℙ Inibant magistratum mense Decemb., fuitque eorum tanta auctoritas, ut quicquid senatus decrevisset, ita demum ratum haberetur, si tribuni approbassent. Stabant ergo positis subselliis in vestibulo curiae, ubi habebatur senatus, quia templum ingredi non licebat, et quaecumque senatores decrevissent, tribunis animadvertenda perferebantur, ut si pro republica fore viderentur, approbarent, cetera ad arbitrium rejicerent. Si senatusconsultum approbassent, T. litteram in tergo subscribebant, qua nota significabatur, ita tribu-

*TRIBUNCI, orum, oppidum vel castellum in Gallia Belgica, in Nemetum agro. *Ammian.* 16, 12. (p. 149. *Vales.*) Ad castra, quae prope Tribunos et Concordiam munimenta Romana fixit. In ed. *Lindenbrog.* p. 91. *Triburcos* scribitur, non *Tribuncos. B. A.*

TRIBUNĬCĬUS, a, um, adj. δημαρχικός, ad tribunos plebis pertinens. *Sall. or. Licin. trib. pleb. med.* Vis tribunicia, telum a mojoribus libertati paratum. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *f.* Tribunicii candidati compromiserunt. *Id. Or.* 2, 28. *med.* Cum tribunicia potestas est constituta. *Id. Agr.* 2, 8. *med.* Tribuniciae leges, *h. e.* a tribunis pleb. latae. *Id. Att.* 1, 1. Comitia tribunicia, *h. e.* quibus tribuni pleb. creantur. *Id. Leg.* 3, 9. *med.* Mucronem tribunicium exacuere in aliquem. *Id. red. in sen.* 5. Subsidia reipublicae contra tribunicios furores. *Liv.* 2, 1. Si plebs agitari coepta esset tribuniciis procellis. *Cic. Fam.* 2, 18. *med.* Incidere in terrores tribunicios. *Id. Cluent.* 39. Noratis animos ejus, ac spiritus tribunicios. *Hirt. B. Alex.* 65. Tribuniciae contentiones. *Sall. Jug.* 41. seditiones. *Plin.* 36, 15, 24. 3, 8. conciones. *Id. praef. H. N. in.* Triumphalis, et censorius tu, sexiesque consul, et tribuniciae potestatis particeps. *Caes. B. C.* 1, 7. Tribunicia intercessio. *Lucan.* 2, 125. Saeva tribunicio maduerunt robora tabo. ℙ De tribunicia potestate imperatorum V. in dictione praeced. ℙ *Tribunicius*, qui tribunus fuit, ut *aedilicius*, qui aedilis, *quaestorius*, qui quaestor, etc. *Cic. Phil.* 13, 14. *f.* Clarissimi viri, aedilicii, tribunicii, quaestorii. Adde *Liv.* 3, 35. ℙ Sub Augustis *inter tribunicios relati* seu *allecti* dicuntur, qui ex eorundem privilegio tribunicia dignitate donabantur, licet reapse tribuni pleb nunquam fuissent, ut nempe praeturae capessendae idonei fierent. *Inscr.* mutila et mendosa ap. *Maff. Mus. Ver.* 377, 8., quae tamen ita nunc legitur Vicetiae, Marco Salonio a Ti. Claudio Caesare Augusto Germanico censore adlecto in senatum, et inter tribunicios relato, ab eodem adscito in numerum Saliorum, etc. Alia Patavina ap. *Grut.* 440, 4. T. Mustio C. F. Hostilio Fabricio Medullae Augurino allecto inter tribunicios ab Imp. Nerva Caesare August., Praet., etc. ℙ De tribunatu militari. *Caes. B. C.* 1, 17. *extr.* Centuriones in ampliores ordines, equites R. in tribunicium restituit honorem. ℙ Scribitur et *tribunitius*.

TRIBUNUS, i, m. δήμαρχος, magistratus apud Romanos, qui primo tribubus praefuit: ut curio, qui curiis. Romulus populum in tres partes divisit, quae *tribus* dictae: singulis suos attribuit duces, qui tribuni appellati, ut *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 5. docet. V. TRIBUS. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Dicti tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, et ex singulis singuli creabantur: vel quia tribuum suffragio creabantur. ℙ Varia tribunorum genera fuerunt, de quibus protinus ordine suo.

Tribuni aerarii (quos tribunos aeris *Plin.* 33, 2, 7. appellat) erant, qui acceptam pecuniam publicam a quaestoribus urbanis in stipendium exercitus, ad quaestores provinciarum deferebant, militibus erogandam, ut est ap. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 13. *tribuni*, a *tribuendo* dicti, ut *Fest.* docet in *Aerarii:* sed ab re *Varr. L. L.* 4. *f.* Quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent, tribuni aerarii dicti: id quod attributum erat, aes militare. *Cato* ap. *Gell.* 7, 10. Aes militare, quod a tribuno aerario miles accipere debebat. ℙ Non erant magistratus, sed ordo: et aliquando una cum senatorio et equestri ordine judicia exercuerunt, ut patet ex *Cic. Q. Fr.* 2, 5. *f.*, qui eorum meminit et *Cat.* 4, 7. *med.* V. AURELIUS, a, um. Sed judicia eis ademit Augustus, ut in ejus vita *Suet.* 41. narrat.

Tribunus Celerum, Italice *capitano del corpo di guardia*, magistratus quidam in monarchia, qui praeerat trecentis illis Celeribus equitibus, qui regis corpus custodiebant, et rem militarem cum regibus curabat. Fuit antiquissimus omnium magistratuum. Nam ab ipso Romulo institutus est. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. Iisdem temporibus et tribunum Celerum fuisse constat. Is autem equitibus praeerat, et veluti secundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit regis ejiciendi. ℙ Diversus erat a ceteris tribunis. Nam ceteri, qui tres erant, tribubus praeerant, unus Ramnensibus, alter Tatiensibus, tertius Luceribus; sed hic tribus centuriis equitum, qui Celeres vocabantur, imperabat. Dictus est a similitudine aliorum tribunorum.

nos quoque censuisse. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 7. ℙ Illud etiam observatum est inter tribunos, ut, si ceteri omnes unam rem probassent, unus vero prohibuisset, plus ceteris omnibus polleret, eosque impedire posset. *Liv.* 2, 4. ℙ Ne vero unquam eorum potestas minui, aut violari a quoquam posset, statutum est, ut sacrosancti haberentur, ita ut qui iis injuriam intulisset, sacer esset. V. SACROSANCTUS. ℙ Nihilominus hanc potestatem L. Sulla dictator debilitavit, iratus plebi, quod contra se pro C. Mario bello civili stetisset. Tulit enim, ne tribunis pleb. legum ferendarum jus esset, neve iis, qui tribuni pleb. fuissent, alios postea magistratus capere liceret, ut scriptum est in *Appiani* historia. Tribunorum tamen jura post restituta sunt partim a Cotta, partim a Pompejo, et Crasso Coss. *Ascon.* in *Div. Verr.* 3. et *prooem. Act. in Verr.* 15. et *Epit. Livii* 97. ℙ Tribunatus pleb. symbola sunt subsellium et virga viatoria, ut videre est in nummo G. Caniniae ap. *Morell. Numism. fam. R. n.* 2., de quo consulendus *B. Borghesius Dec. numism.* 13. *n.* 9. V. SUBSELLIUM. ℙ Tempore monarchiae imperatores tribuniciam potestatem sibi sumpserunt. V. TRIBUNATUS. *Suet. Aug.* 27., *Tac. A.* 3, 56. Tribuni autem remanserunt cum eadem intercedendi auctoritate. V. *Tac. H.* 4, 9. et *Plin. ep.* 1, 23. et 9, 13. *med.* ℙ *Tribunus plebejus*, quod quidam leg. ap. *Liv.* 2, 33. et 34, 56., non dicitur, cum MSS. omnes aut *plebis*, aut *plebei*, aut *plebi* habeant, testibus criticis viris ap. *Drak.* ad utrumque loc. V. PLEBES.

TRĪBŪO, is, ui, utum, a. 3. *δίδωμι, ἀπονέμω*, do, praesto, impertior: a *tribus:* quia proprie olim dicebatur de iis, quae a tribubus in publicum conferebantur. Latius deinde usurpari coepit, ut *do, das. Cic. Off.* 1, 15. Ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur; et 5. In hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique. *Sall. or. Philippi contra Lep. Caes. B. C.* 3, 4. Cujus sceleribus tanta praemia tribuistis. *Id. ib.* 3, 13. Jurat, se eum non deserturum, eundemque casum subiturum, quemcumque ei fortuna tribuisset. *Phaedr.* 1, 5. Ego primam (*partem praedae*) tollo, nominor quia leo: Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi; et 7. quibus honorem et gloriam Fortuna tribuit. *Nep. Att.* 11. *f.* Tribuere alicui beneficia. *Tac. A.* 1, 75. Pretium aedium Aurelio tribuit. *Ov. Met.* 9, 401. cum jurare pararet, Dona tributurum posthac se talia nulli. *Prop.* 3, 23, 3. Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes. *Ov. Trist.* 3, 1, 23. Dii tibi dent, nostro quod non tribuere parenti, Molliter in patria vivere posse tua. *Id. Her.* 16, 1. Hanc tibi Priamides mitto, Ledaea, salutem, Quae tribui sola te mihi dante potest. *Id. Met.* 14, 620. Aventinus quo regnarat, eodem Monte jacet positus, tribuitque vocabula monti. *Id. Trist.* 3, 1, 44. Tribuere pacem terris. *Tac. A.* 12, 40. alicui veniam. *Lucan*, 4, 358. vitam cuipiam *Cic. Mil.* 34. misericordiam fortissimo viro; et *Coel.* 12. silentium orationi alicujus; et *Fin.* 4, 5. *extr.* magnam inventoribus gratiam. *Cic. Div.* 2, 71. Nihil prorsus somniis tribuendum est. *Mart.* 11, 5. Aurum Fabricius, te tribuente, volet, *h. e.* te donante. ℙ Distribuere. *Tac. A.* 4, 61. Ni Caesar obviam isset, tribuendo pecunias ex modo detrimenti. ℙ *Tribuere alicui quippiam*, affirmare de aliquo, quod quippiam in eo sit. *Lucr.* 5, 1171. His igitur sensum tribuebant, propterea quod Membra movere videbantur. ℙ Translate permittere, concedere, condonare. *Cic. Tusc.* 1, 49. *f.* Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid: cras agamus haec. *Id. Off.* 1, 30. Sin sit quisquam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse ejus fruendae modum. *Ov. A. Am.* 1, 689. nisi hoc matris precibus tribuisset Achilles. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* l. l.] ℙ Imputare, assignare. *Nep. Dat.* 5. Eam esse consuetudinem regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae. *Id. Alc.* 7. Ut omnia minus prospere gesta ejus culpae tribuerent. *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* Quod illi tribuebatur ignaviae: de nobis id existimari posse, non arbitror. *Nep. Timol.* 4. Neque hoc illi quisquam tribuebat superbiae putabat, illum hoc facere superbe. *Id. Att.* 6. *extr.* Ejus observantia omnibus erat carior, cum eam officio, non timori, neque spei tribui viderent, *h. e.* eam adhiberi officii causa, non propter timorem aliquem, aut spem. ℙ Deferre, aestimare. *Colum.* 2, 17. Prato veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt; et *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *med.* Tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi; et *Fam.* 4, 1. *f.* Ego tantum tibi tribuo, quantum mihi fortasse arrogo; et *ib.* 13, 22. Gratissimum mihi feceris, si huic commendationi meae tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum. *Id. Brut.* 51. Mihi, benevolentia, credo, ductus, tribuebat omnia. *Tac. A.* 6, 50. Tribuere aliquid honori amici abeuntis. *Caes. B. G.* 1, 13. *f.* Magnopere tribuere virtuti alicujus. *Cic. Fam.* 13, 9. Universo ordini publicanorum semper libentissime tribui: idque magnis ejus ordinis erga me meritis facere debui. *Tac. A.* 14, 14. *f.* Quos ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto. [*Cf. *Vell.* 2, 16, 2. et 128, 3.] ℙ Impendere. *Caes. B. C.* 3, 2. His rebus, et feriis Latinis, comitiisque perficiundis undecim dies tribuit. *Nep. Att.* 4. Reliqua tempora tribuere litteris. Adde *Ann.* 13. ℙ Dividere, partiri, *Cic. Brut.* 41. *med.* et *Or.* 4. Rem universam tribuere in partes. Hinc *tributio* distributio, *tributus* divisus. ℙ [*Discrimen inter hoc verbum et *commodare* et *praebere* Doederl. 4, 136. ita constituit, ut, sive sponte, sive tributi necessitate id fiat, *tribui* dicat, quae in justam possessionem tradantur; *praebere* et *commodare* ad voluptatem usumque magis quam possessionem esse referenda, ea tamen discrepantia interposita, primum quidem, ut *praebens* in universum et sine conditione, *commodans* in tempus tantummodo et servato recipiendi jure aliquid alicui tradat; deinde ut *commodare* rem vel factum, *praebere* nonnisi rem spectet; denique, ut *commodans* votum, *praebens* necessitatem respiciat. ℙ Confund. *tribuere* et *attribuere*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 231.]

TRĪBUS, us, f. *φυλή*, una ex partibus majoribus populi R. Nam Romulus primum divisit universum populum in tres partes, quae *tribus* dictae sunt, vel a numero, vel a tributo pendendo. Singulas tribus in centurias decem, quae curiae appellatae. Ex singulis tribubus singulas centurias equitum constituit, qui Ramnenses, Tatienses, Luceres nominati sunt. Postea crescente populo, hae centuriae ad trecentos crevere, ut omnes simul equites nongenti essent: inde sub Tarquinio ad sexcentos. Itaque tres illae tribus et pedites et equites continebant: sed procedente tempore id nomen solis centuriis equestribus haesit: quae causa est, cur a *Varr. L. L.* 4, 9., *Cic. de rep.* 2, 7., *Flor.* 1, 5. et *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 5. non centuriae, sed tribus dicantur. V. *Graevium ad Flor. l. c.* ℙ [Crescente civium numero, multisque aliis populis in civitatem Romanam allectis, aliae subinde tribus additae sunt. Tarquinius enim Priscus, duplicato earum veterum numero, sex fecit (*Liv.* 1, 36. *f.*). Servius Tullius eas omnes divisit in quatuor urbanas, Collinam, Esquilinam, Palatinam, et Suburanam seu Sucusanam, et septendecim rusticas, illas ita appellando, quod in urbe essent, has quod in agro Romano (*Liv.* 1, 43. et 2, 21. et *Dionys. Halic.* 4, 15.). Postea vero earundem numerus usque ad triginta quinque auctus est (*Liv.* 1, 53. et *Epit.* 19.), qui deinceps idem semper remansit etiam sub Augustis, ut patet ex hac *Inscr.* ap. *Grut.* 246. 8. Imp. Caesari Trajano Aug. Trib. XXXV. etc. Earum nomina fuerunt, Aemilia, Aniensis, Arniensis, Camilia, Claudia, Collina, Cornelia, Crustumina, Esquilina, Fabia, Falerina, Galeria, Horatia, Lemonia, Maecia, Menenia, Oufentina vel Offentina, Palatina, Papiria, Poblilia vel Publicia, Pollia, Pomptina, Pupinia, Quirina, Romilia vel Romulia, Sabatina, Scaptia, Sergia, Stellatina, Suburana vel Sucusana, Terentina, Tromentina, Velina, Veturia vel Voturia, Voltinia. Tribus vero honorariae, et militares dumtaxat, fuerunt, Aelia, Augusta, Aurelia, Flavia, Julia, Ulpia; soli enim milites his decorantur in antiquis monumentis, quod ideo factum videtur, quia milites barbarae plerumque originis, vel libertinae conditionis, et nimis remoti a sede et corpore tribuum Romanarum, ac propter paupertatem minus idonei impendiis iis sustinendis, quae in aliquam tribum adscribendis subeundae erant, imaginariam aliquam tribum a nomine gentilicio illius imperatoris, cujus beneficio civitatem essent adepti, derivatam sibi attribuebant. Julia vero a C. Julio Caesare vel ab Augusto, Flavia a Flaviis Vespasiano vel Tito vel Domitiano, Ulpia ab Ulpio Trajano, Aelia ab Aelio Hadriano, Aurelia et Augusta a M. Aurelio denominatae fuisse videntur. Tribus porro vel e lapidibus corruptis et mutilis, vel ex falsis interpretationibus et conjecturis prolatae, sunt, Appia, Campana, Civica, Cluentia, Cluvia, Dumia, Latina, Minucia, Narniensis, Ocriculana, Papia, Pinaria, Popillia, Septimia, Staberina, Valerina, Vejentina, Vergina vel Vergilia vel Verinia vel Verria. Tribus denique Sappinia Umbriae solius propria fuisse videtur. Haec fere ex *Orellio* in *Coll. Inscr. Lat.* T. 2. p. 11 — 28. et 147., qui accuratissime expendit earum nomina, quae aliter recitat *Panvinius*, aliter *Manutius*, aliter *Sigonius. F.*] ℙ Postquam tribus permissae sunt censoribus, rusticae honestiores urbanis esse coeperunt: partim quia agrestium vita, quae laboriosa est, vitae urbanorum, quae est plena otii ac desidiae, anteferebatur, ut ait *Varr. R. R.* 2. *in.*, partim quia censores urbanas tribus omni sordidissimorum hominum genere, idest non solum artificibus, et turba forensi, sed etiam libertinis inquinaverant. Igitur a nobilibus et ingenuis, non solum qui ruri vitam agebant, sed etiam qui urbem incolebant, in rusticas commigratum est. Eos enim pudebat numerari cum negotiatoribus, cum artificibus, cum turba forensi, cum libertinis. Hinc censores, et cum novos homines in tribus referrent, et cum aliquem ex veteribus civibus vellent honore afficere, in tribus rusticas transferebant. V. *Plin.* 18, 3, 3. ℙ In tribus referre jus censorum fuit, postquam instituti sunt: hi enim poterant novas tribus addere, et cives de una in aliam transferre. Atque huc pertinet *tribu movere*, *h. e.* ex tribu nobiliori in ignobiliorem transmittere ignominiae causa. *Cic. Or.* 2, 67. Africanus censor tribu movebat eum centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat. Adde *Liv.* 4, 24. *f.* et 45, 15., ubi quid sit *movere tribu*, clare explicat. ℙ *Tribus explere* quid sit, V. in EXPLEO. ℙ Convocare populum in tribus, *Cic. Leg.* 3, 19. *med. h. e.* per tribus, et ad tributa comitia. ℙ Quotiescumque ad nomen civis R. tribus adscribitur, ejus nomen ponitur in ablativo sine praepositione, et fere cognomini praeponitur. *Cic. Verr.* 1, 8. *f.* Inventum tamen esse ex eadem familia Q. Verrem Romilia, qui id se perfecturum polliceretur. *Id. Phil.* 9, 7. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus. *Lucil.* ap. *Non.* 6, 82. Calvu' Palatina vir nobilis, ac bonu' bello. V. *Cic. Fam.* 8, 8. ubi multa habebis hujusce constructionis exempla, quae passim occurrunt etiam in veteribus Inscriptionibus. ℙ Interdum *tribus* dicitur de pauperioribus, ut *tribulis. Cic. Planc.* 18. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne reficere necessariis suis suam tribum possint. Alii leg. *conficere*, quod alio trahit sententiam. *Mart.* 8, 15. Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus: Et ditant Latias tertia dona tribus, *h. e.* tertium congiarium. Alii aliter leg. aut interpretantur. Maxime omnium rem conficit illud *Plin.* 19, 4, 19. In herbis aliqua sibi nasci tribus negant, caule in tantum saginato, ut pauperis mensa non capiat. ℙ Unus aliquando duas tribus habuit, alteram nativitate, alteram adoptione. *Inscr.* ap. *Grut.* 226, 3. C. Julio C. F. Fab. Scapt. Caesari Aug. (*Suet. Aug.* 40. Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummum a se dividebat.) Alia ap. *eund.* 435, 1. L. Manlio A. E. An. Gal. Boccho Trib. Mil. Leg. XV. Adde aliam ap. *Mur.* 723, 5. Sed respuit haec omnia *Maffejus* in *Mus. Ver.* p. 199. ℙ Libertinae conditionis homines alicui ex tribubus urbanis fuisse adscriptos, aliquando etiam alicui ex rusticis, aut militaribus, constat. *Tert. Resurr. carn.* 57. *f.* Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris; quia eadem caro atque anima permanebunt, quae flagellis et compedibus et stigmatibus obnoxiae retro fuerant, idcirco ne illa eadem pati oportebit? non opinor, Atqui et vestis albae nitore, et aurei anuli honore, et patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur. *Inscr.* ap. *Labus. Epigr. ant.* p. 20. P. Valerio P. L. Palat. Tacito VI. Viro seniori et Augustali. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 309. T. Scutrius T. Lib. Fab. Sabinianus Roma, Q. Sosius Q. Lib. Jul. Theomnestus Regio. ℙ Tribus apponi desierunt in antiquis monumentis ante Constantini M. tempora, ut habet *Mur. Inscr.* p. 1795., cum ipsae, ut ait *Ammian.* 14, 6. *med.*, otiosae jam fuissent. ℙ Translate. *Colum.* 3, 2. Inerticula tamen nigra, quam quidam Graeci amethyston appellant, potest in secunda quasi tribu esse, *h. e.* gradu, ordine, pretio. [*Cf. de hoc usu *Gronov. observv.* 4, 10. p. 419. *ed. Fr.*]

TRĪBŪTĀRĬUS, a, um, adj. *ὑπόφορος, δασμοφόρος*, solvendo tributo obnoxius. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) §. 21. Praedia provincialia alia stipendiaria, alia tributaria vocamus. Stipendiaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae proprie populi Romani esse intelliguntur. Tributaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae proprie Caesaris esse creduntur. *Just.* 1, 7. Sed civitates, quae Medorum tributariae fuerant, etc. *Plin.* 12, 1. Et jam ad Morinos usque pervecta, ac tributarium etiam detinens solum. Adde *Suet. Aug.* 40. et *Flor.* 3, 4. ℙ *Tributaria necessitas*, est necessitas tributi conferendi. *Just.* 32, 2. Antiochus sub specie tributariae necessitatis nocte templum Elymaei Jovis aggreditur. ℙ *Tributariae litterae*, in quibus munera promittuntur, et tribuuntur. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Ubi intellexi, multum apud illum tabulas non commendaticias, sed tributarias valuisse. V. *ib.* 4, 26. unde huic loco lux. ℙ *Tributaria causa*, in qua de tributo agitur. *Hermog. Dig.* 49, 14, 46. ℙ *Tributaria poena* est ea, quae loco tributi solvitur. *Hieron. Chron. Euseb.* ad *ann.* DCCLXXX. *ab Abraham.* Athenienses pueri a Theseo tributaria poena liberantur. V. MINOTAURUS.

TRĪBŪTĬM, adv. per singulas tribus, *κατὰ φυλάς. Cic. Att.* 4, 17. Nummis ante comitia tributim uno loco divisis. *Id. Flacc.* 7. Tributim et centuriatim descriptis ordinibus. *Id. Mur.* 34. *med.* Spectacula tributim data, et ad prandium vulgo vocati. *Hor. Sat.* 2, 1, 69. Primores populi arripuit, populumque tributim. *Liv.* 3, 55. Legem centuriatis comitiis tulere, ut quod tributim plebes jussisset, populum teneret, *h. e.* comitiis tributis. V. TRIBUTUS. Sic 7, 16. *f.* Legem, novo exemplo, ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit.

TRĪBŪTĬO, onis, f. distributio, divisio, partitio. *Cic. N. D.* 1, 19. Hanc *ἰσονομίαν* appellat Epicurus, hoc est aequabilem tributionem. *Ulp. Dig.* 14, 4, 5. *f.* Tributio fit pro rata ejus, quod cuique debetur. ℙ Item tribuendi actus, collatio tributi. *Ulp. Dig.* 2, 14, 52. Siquas summas, propter tributiones praedii pignori nexi factas, creditor solvisset. *Arcad. ib.* 50, 4, 18. *med.* Et eos, qui fenus

exercent, tributiones ejusmodi agnoscere debere, rescriptum est. Alii leg. *intributiones.*

TRIBUTOR, oris, m. qui tribuit. *Appul. Trismeg.* p. 92. Mundus praestitor est, et tributor omnium, quae mortalibus videntur bona.

TRIBUTORIUS, a, um, adj. ad tribuendum pertinens. *Tributoria actio* apud JCtos est, quae datur creditoribus, si quis eorum queratur, quasi minus ei tributum sit, quam oportuerit (ut ait *Justin. Instit.* 4. *tit.* 7.) in eo casu, in quo servus in merce peculiari, sciente domino, negotiatur: et dicitur tributoria, quia ipsi domino distributionem eorum, quae in illa negotiatione recepta sunt, praetor permittit. Est in Digestis *tit.* 4. *lib.* 14. qui *De tributoria actione* inscribitur. V. plura ap. JCtos.

TRIBUTUS, a, um, part. a *tribuo:* datus, concessus. *Lucr.* 1, 799. demptis paucis, paucisque tributis. *Cic. Or.* 2, 11. Cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto. *Caes. B. C.* 2, 21. Tributa praemia. *Callistrat. Dig.* 27, 1, 17. Tributa immunitas. ℙ *Tributum* absolute, εἰσφορά, τέλος, pecunia, quae a privatis reipublicae penditur. Quid a vectigali differat, ibi dicetur. Triplex fuit apud Romanos, secundum capita, secundum censum, et extra ordinem, seu temerarium. *Festus:* Tributorum collatio cum sit alia in capita, alia ex censu, dicitur etiam quoddam temerarium, ut post urbem a Gallis captam conlatum est, quia proximis quindecim annis census alius non erat: item bello Punico secundo, M. Valerio Laevino, M. Claudio Marcello Coss., cum et senatus, et populus, quod habuit, detulit. Haec *Festus.* Dicebatur *tributum in capita*, quod a singulis pendebatur. Id solvebant patres matresque familias pro numero liberorum. *Tributum ex censu* imperabatur singulis familiis pro ratione fortunarum. *Temerarium* dictum, quod extra ordinem, in magno reipublicae discrimine, et temere, *h. e.* non habita ordinis, tribuum, aut census ratione, conferebatur. Exempla ap. *Liv.* 5, 25. et 26, 36. invenies. *Varr. L. L.* 4. *f.* Tributum dictum a tribubus, quod ea pecunia, quae populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur. *Ulp. Dig.* 50, 16, 27. Stipendium a stipe appellatum est, quod per stipes, id est modica aera, colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari, Pomponius ait: et sane appellatur ab intributione tributum, vel ex eo, quod militibus tribuatur. *Caes. B. C.* 3, 32. Tributum imponere in capita singula servorum et liberorum. *Liv.* 23, 31. Duplex tributum imperare. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. Omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt; et *ib.* 2, 3, 42. Imacharenses tributum ferre miseros ac perditos coegisti. Alii leg. *facere. Id. Fam.* 3, 7. Intolerabilia tributa exigere a civitatibus. *Caes. B. G.* 6, 13. Tributum pendere. *Cic. Fam.* 15, 4. Multas civitates acerbissimis tributis liberavi. *Paul. Dig.* 50, 15, 8. Tributum capitis alicui remittere. *Tac. A.* 2, 47. *f.* Urbes levari tributis in tempus. *Id. H.* 3, 55. His tributa dimittere; et *ib.* 4, 71. Facilius tributa tolerare. *Id. G.* 43. pati. *Just.* 16, 3. *med.* Cum Athenienses Graeciae et Asiae tributum in tutelam classis descripsissent. *Plin.* 21, 13, 45. Gens ea ceram in tributa Romanis praestat. *Ulp. Dig.* 50, 15, 3. Tributo capitis obligari. *Liv.* 4, 60. Indicere tributum populo. *Stat. Silv.* 4, 1, 4. urbem frenare tributis. *Mart.* 7, 55. mentula damnata tributi. V. *Suet. Dom.* 12. ℙ Dicitur etiam *tributum*, cum plures aliquid conferre tenentur ad sarciendam jacturam rei privatae, v. gr. mercium jactum in mare ad levandam navim in tempestate: aut cum socius in negotiatione contribuit ceteris in re communi. *Paul. Dig.* 14, 2, 2. *med.* Placuit omnes conferre oportere, quia id tributum ob servatas res deberent. *Callistrat. ib.* 4. Jactus in tributum, nave salva, venit; et *Ulpian. ib.* 4, 5. In tributum vocantur qui in potestate servos habent, a creditoribus mercis. ℙ Translate. *Mart.* 10, 17. Saturnalicio Macrum fraudare tributo Frustra, Musa, cupis. *Juven.* 3, 188. praestare tributa clientes Cogimur. *Stat. Silv.* 1, 4, 86. gaudet Trasimenus, et Alpes, Cannensesque animae; primusque insigne tributum Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra. ℙ In masc. gen. *Pl. Epid.* 2, 2, 43. Tributus cum imperatus est, negant pendi potesse: Illis quibus tributus major penditur, pendi potest. *Cato* ap. *Non.* 3, 252. Cum tributus exigitur. *Gell.* 13, 20. *med. Hic peccatus* recte Latineque dicitur: sicut *hic incestus*, et *hic tributus*, quod *tributum* nos dicimus, a plerisque veteribus dicta sunt. ℙ *Tributus*, distributus, divisus. *Cic. Fin.* 2, 6. Omnem vim loquendi in duas tributam esse partes. ℙ *Tributus* a tribu. *Comitia tributa* fuere, in quibus plebs R. non per centurias, et ex censu, sed per tribus suffragium ferebat. Itaque in his locus erat infimo cuique, et pauperrimo, non erat patribus. *Laelius Felix* ap. *Gell.* 15, 27. Cum ex generibus hominum suffragium fertur, curiata comitia esse: cum ex censu et aetate, centuriata: cum ex regionibus, et locis tributa. *Festus* in *Populi.* Populi commune est in legibus ferendis cum plebe suffragium: nam comitia centuriata ex patribus et plebe constant in centurias divisis: at cum plebes sine patribus tributis comitiis convenit, quod plebes scivit, plebiscitum id ea causa appellatur. *Liv.* 2, 60. *f.* Insignem annum maxime comitia tributa efficiunt, res major victoria suscepti certaminis, quam usu: plus enim dignitatis comitiis ipsis detractum est, patribus ex concilio submovendis, quam virium aut plebi additum, aut demptum patribus; et *ib.* 56. Volero rogationem tulit ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent. Haud parva res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur: sed quae patriciis omnem potestatem, per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret. Sunt qui his *Livii* locis *tribunicia* legunt, quod ea comitia per tribunos plebis haberentur: sed saniores critici rejiciunt.

TRĪCAE, arum, f. plur. λῆροι, res frivolae, futiles, nullius pretii, nugae. [**Doederl.* 3, 87. *tricae* derivat a *terere*, ita ut sint *res tempus vel homines terentes.*] *Plin.* 3, 11, 16. Diomedes ibi delevit urbes duas, quae in proverbii ludicrum vertere, Apinam et Tricam. *Pl. Rud.* 5, 2, 35. *Gri.* Quid dare velis, eloquere propere. *La.* nummos trecentos. *Gri.* tricas. *La.* quadringentos. *Gri.* tramas putridas. *Mart.* 14, 1. Sunt apinae tricaeque, et siquid vilius istis. ℙ Sic etiam dicuntur impedimenta, et implicationes: quia res frivolae seria agentem impediunt. *Non.* 1, 26. ait, tricas esse pilos aut fila, quae pedes pullorum gallinaceorum irretiunt, et involvunt, et ingredientes impediunt. *Turpil. ib.* Judicia, lites, turbas, tricas, cociones maximos. *Varr. ib.* Putas eos non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos? *Pl. Pers.* 5, 2, 18. Quomodo me hodie versavisti? ut me in tricas conjecisti? *Cic. Att.* 10, 8. *f.* Tullia quomodo fert publicam cladem! quomodo domesticas tricas! *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 5. *med.* Ut plus biennium in his tricis moretur. ℙ ambages verborum, praesertim quae a lentis debitoribus, aut fraudare volentibus effutiuntur. *Pl. Pers.* 4, 3, 62. Nihil mihi opus est litibus, neque tricis. *Id. Curc.* 5, 2, 15. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? *Id. Most.* 3, 1, 45. Quin tu istas mittis tricas?

TRĪCAMĔRĀTUS, a, um, adj. ex part. τριστέγος, τριώροφος, tres habens cameraciones, contignationes, tabulata. Hinc *tricameratum*, *i*, absolute. V. *Hieron. l. c.* in BICAMERATUS.

[TRĪCASSĪNUS, a, um, adj. ad Tricasses pertinens, Galliae Lugdunensis urbem, nunc *Troyes*, cujus meminit *Plin.* 4, 18, 32. *Inscr.* ap. *Mur.* 1088, 7. Q. Catulio Decimio Titi Catulii Fil. Tricassin., etc, Hinc *Tricassini*, *orum*, absolute, sunt incolae illius urbis. *Ammian.* 16, 2. Brevi otio cum milite recreatus ad Tricassinos tendebat: et *mox:* Per multa discrimina venerat Tricassas. *Inscr.* ap. *Grut.* 371, 8. Adjutor Procc. civitatis Senonum, Tricassinorum, Meldorum, Parisiorum. *F.*]

TRĪCASTĪNI, orum, m. plur. populi Galliae Narbonensis, quorum tractus dicitur *le Tricastin*, in provincia Delphinatus, versus Rhodanum fluvium. Eorum urbs est Augusta Tricastinorum, *Saint Paul. Plin.* 3, 4, 5. Hinc adjective *Sil.* 3, 466. Jamque Tricastinis incedit finibus agmen.

TRICCAEUS, a, um, adj. ad Triccam pertinens, oppidum Thessaliae ad Peneum fluvium, ubi templum Aesculapii fuit, cujus meminit *Plin.* 4, 8, 15. *Avien.* in *Arat.* 206. Triccaei sidus stat nominis.

TRĪCĒNĀRĬUS, a, um, adj. qui triginta continet. *Front. Aquaed.* 29. et 48. Tricenaria fistula, *h. e.* quae digitos triginta habet in lumine in rotundum coacto, ut *Id. ib.* explicat. Adde *Vitr.* 8, 7. *med.* et *Pall.* 9, 12., ubi haec ratione ponderis exponuntur. ℙ Tricenariae caerimoniae dicebantur, quibus sacra adituris triginta continuis diebus certis quibusdam rebus carendum erat. *Paul.* ex *Festo* in *Denariae.* ℙ *Tricenarius homo*, triginta annorum. *Sen. Excerpt. controv.* 3, 3. *f.* Nec tricenario quidem filio adoptare licet. *Arnob.* 2, 58. Quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? ℙ *Tricenarius* in militia. V. TRECENARIUS.

TRĪCĒNI, ae, a, adj. τριάκοντα, triginta, nomen numerale distributivum. Primam syllabam producit: at *treceni*, quod est trecenti, corripit. Saepe tamen in libris commutantur, incuria aut ignoratione librariorum. *Plin.* 7, 16, 15. Dentes triceni bini viris attribuuntur. *Colum.* 2, 15. *f.* Minores singulae pecudes tricenis diebus singulas vehes stercoris efficiunt; et *Mart.* 10, 27. Et tua tricentos largitur sportula nummos: singulis sportulam accipientibus dantur nummi triginta. ℙ Pro cardinali *triginta*, extra distributionem. *Plin.* 18, 16, 43. Medica ab uno satu tricenis annis durat. *Mart.* 1, 44. Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati: Et positum est nobis nil here praeter aprum. Adde 4, 26. ℙ In gen. plurali est *tricenum*, ut cetera distributiva, ut Tricenum annorum, pedum, etc. *Plin.* 7, 49, 50. et 11, 33, 38. et *Front. Aqu.* 49.

TRĪCENNĀLIS, e, adj. ad tricennium pertinens. *Ruf. Invect. in Hieron.* 1, 11. Nullum dicebam me usum hujuscemodi operis habuisse, et ad Latinum sermonem tricennali jam paene incuria torpuisse. ℙ *Tricennalia*, *ium*, absolute est solemnitas trigesimo quoque anno celebrata. *Oros.* 7, 28. *extr.* Constantinus tricennalibus suis Dematium Caesarem legit, *h. e.* anno tricesimo imperii sui. V. DECENNALIS.

TRĪCENNĬUM, ii, n. triginta annorum spatium. *Imp. Justin. Cod.* 7, 31, 1. *med.* Possessio connumeretur in decennium, vel viginti annorum spatium, vel tricennium. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Per ipsum fere tempus, ut decemviraliter loquar, lex de praescriptione tricennii fuerat proquiritata, cujus peremptoriis abolita rubricis lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur. Adde *Cassiod. Var.* 1, 18. et *ib.* 3, 31.

TRĪCENTĒNI. V. TRECENTENI.

TRĪCENTI. V. TRECENTI.

TRICENTIES, adv. idem ac trecenties. *Mart.* 3, 22. Dederas, Apici, bis tricenties ventri.

TRĪCEPS, ipitis, adj. omn. gen. τριπρόσωπος, qui habet tria capita: a *tricapitis*, per syncopen, ut *biceps* a *bicapitis. Cic. Or.* 48. Quid in verbis junctis? quam scite insipientem, non insapientem; iniquum, non inaequum; tricipitem, non tricapitem? *Id. Tusc.* 1, 5. Die, quaeso, num te illa terrent, triceps apud Inferos Cerberus? etc. *Ov. Met.* 7, 194. Tuque triceps Hecate. V. HECATE. ℙ Translate est triplex. *Varr. L. L.* 4, 32. De eo triceps historia: nam et Procilius non idem prodidit, quod Piso, nec quod is, C. Aelius Stilus secutus.

[TRĪCĒSĪMĀNI, orum, m. plur. ita appellantur milites legionis tricesimae Ulpiae Victricis. *Ammian.* 18, 9. Tricesimani, Decimanique Fertenses. Alii leg. *Fretenses.* V. FORTENSES et FRETENSIS. *F.*]

*TRICESIMARĬUS, a, um, adj. *Sext. Plac.* 12. Tricesimaria purgatio. *B. A.*

TRĪCĒSĬMUS et Trigesimus, a, um, adj. τριακοστός, ultimus ex triginta: nomen numerale ordinale. *Cic. Off.* 2, 8. Sexto tricesimo anno post. Alii leg. *trigesimo. Id. Fam.* 12, 2. Idem tricesimo post die feci. *Id. Sen.* 6. *med.* Cujus a morte hic tertius et tricesimus est annus. Alii leg. *trigesimus. Just.* 12, 15. Intra trigesimum annum. *Mart.* 1, 16. Bis jam paene tibi consul trigesimus instat; et 10, 103. quatuor accessit trigesima messibus aestas. *Claud. B. G.* 488. tricesima bruma. *Hor. Sat.* 1, 9, 69. tricesima sabbata, *h. e.* Pascha, solemnis Judaeorum dies, tricesima hebdomada recurrens, inchoando annum mense Septembri. *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 3. Antonius legiones eduxit duas, secundam et quintamtrigesimam. Alii leg. *trigesimamquintam.* ℙ *Manut., Dausqu.* et *Cellar.* in *Orthogr.* probant, ac praeferunt *tricesimus:* quia simile est τοῖς *tricies*, *triceni*, etc. Idem sentiunt de *vicesimus.*

TRĪCESSIS, triginta asses, seu tres decusses. *Varr. L. L.* 4, 36.

TRĪCHALCON, i, n. 2. τρίχαλκον, quarta pars oboli apud Graecos, *Vitr.* 3, 1. *med.* Quadrantes obolorum, quae alii dichalca, nonnulli trichalca faciunt. V. DICHALCON.

TRĪCHAPTUM, i, n. τρίχαπτον: a θρίξ, τριχός, capillus, et ἅπτω, necto; vestis tam tenui et subtili textura, ut capillorum similis esse videatur. *Hieron. in Zach.* 3, 14, 14. et *in Ezech.* 4, 16, 11.

[TRĪCHĔUS, a, um, adj. τραχὺς, εῖα, ὺ, asper; ita Ionice pro τραχὺς, tricheus vero scribitur ex vulgi pronunciatione, qua Graecorum η per Latinorum *i* effertur. *Trichea*, *orum*, absolute, sunt salebrae, loca salebrosa. *Tert. in Valent.* 14. Destituta passioni illi suae in trichea multiplicia atque perplexa. Alii leg. *trechea.* V. TRACHIA. *F.*]

TRĪCHĬAS, ae, m. τριχίας, genus piscis marini, quem quidam putant esse sardiniam, *Sardelle:* negat *Hard.*, quia sardiniae non intrant amnes, quod trichiae faciunt: est ita appellatus a θρὶξ, capillus, quia ejus caro frequentibus et subtilissimis spinis capillorum instar repleta est. *Plin.* 9, 15, 20. Intrantium Pontum soli non remeant trichiae. Sed hi soli Istrum amnem subeunt, etc.; et *ib.* 51, 74. *med.* Piscium lupus, et trichias bis anno parit.

TRĪCHĬĀSIS, is, f. τριχίασις (a θρὶξ, pilus, capillus) morbus est oculorum, quo palpebrarum pili ad oculum conversi, illum irritant et pungunt: de quo verba facit *Cels.* 7, 7. *n* 8. et *Mart.* 10, 56. Infestos oculis uris, Hygine, pilos. Restituit *Morgagnius* hanc vocem *Veg. Vet.* 2, 15. Quodcumque jumentum in oculis trichiasin patietur, id est, ut pili aliam palpebram urentes lacrimas moveant, visumque conturbent, hac ratione curato. Alii perperam leg. *tritiacem*, aut *tyriacem.* [*Emendavit hunc locum *F.*]

TRĪCHĪLA, ae, f. et Trichilum, i, n. pergula compluviata ex vitibus, cucurbitis et cucumeribus, pedamentis et jugis firmata, implicitisque frondibus concamerata, quae et hypampelus dicitur: videtur esse a *triclinium*, quod aliquando et *trichilinium* dicitur. V. TRICLINIUM et TRICHINUS. Eandem ita describit *Sidon. ep.* 5, 17. Sub umbra palmitis adulti, quam stipibus allatis, cancellatimque pendentibus pampinus superducta texuerat, consederamus; et *Prop.* 4, 8, 35. Unus erat tribus in secreta lectulus umbra, *h. e.* in trichila. *Virg. Cop.* 7. Sunt cupae, calices, cyathi, rosa, tibia, chordae, et trichila umbriferis frigida arundinibus. *Colum.* 10, 378. Tum modo dependens trichilis, modo more chelydri Sole sub aestivo gelidas per graminis herbas Intortus cucumis, praegnansque cucurbita serpit; et 394. At qui sub trichila manantem repit ad undam Candidus, effetae tremebun-

dior ubere porcae, etc. *h. e.* cucumis, qui sub pergula repit. *Caes. B. C.* 3, 96. In castris Pompeji videre licuit trichilas stratas, magnum argenti pondus expositum, recentibus caepitibus tabernacula constrata, L. etiam Lentuli et nonnullorum tabernacula protecta hedera. Alii *triclinia strata* legunt. *Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 73. ed. *Med.* Mensam quadratam id trichila, abacum cum basi, horologium, labrum cum fulmentis marmoreis posuerunt. ℙ Eadem significatione etiam *tricla*, vel *triclea*, vel *triclia* scribitur. *Inscr.* ap. *Mur.* 119, 1. Ti. Claudius Divi Claudi Lib. Actius collegio magno Trib. (lege *LLib. h. e.* libertorum) Divae Augustae triclam cum columnis et mensis S. P. D. D. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 257, 6. et *Mur.* 507, 8. Commune est puteum, et iter ad tricleam. Alia ap. *Fabrett.* p. 156. *n.* 254. D. M. Ulpiae Sabinae conjugi P. Rufinius Ephestion locum concessum et donatum ab heredibus Flavi Libani. Quae posita est infra hanc tricliam in Long. P. VII., in Lat. P. V. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 36. Huic monumento cedet hortus, in quo tricliae, viniola, puteum, aediculae, etc. Alia ap. *eund. ib.* p. 210. Q. Octavius Daphnicus tricliam fecit a solo impensa sua, etc. ℙ Ex allatis in §. 1. et 2. exemplis apparet, trichilam esse plerumque pergulam temporariam ex vitis, cucumeris vel cucurbitae germitibus et foliis contextam; aliquando et stabilem fixamque et ex opere latericio fabrefactam, quemadmodum etiam nostris hisce temporibus rusticas solemus calybas, Italice *capanne*, excitare deliciarum causa in villis amoenioribus ad evitandum aestivi temporis fervorem. [*Optime de emendando hoc loco meritus est *F.*]

TRĬCHĪNUS, a, um, adj. τρίχινος, pilis densus, et quasi impeditus, a τρίχες, quomodo a Graecis pili appellantur. Generatim notat densum, sive spissum, quod ex eo conjicere est, quia pergulis indidere nomen trichilarum, quia διασύφυλλοι, id est densae foliis. *Voss.* in *Trichilae. Varr.* ap. *Non.* 2, 864. Quod tunc quaestus trichinus erat, nunc est uber. *Nonius* interpretatur tardum, et quasi impeditum, vel siccum, et sine succo, ut sunt capilli.

TRĬCHĪTIS, idis, f. τριχῖτις, genus aluminis. *Plin.* 35, 15, 52. Concreti aluminis unum genus schiston appellant Graeci, in capillamenta quaedam canescentia dehiscens. Unde quidam trichitin potius appellavere. Hoc fit e lapide, ex quo et chalcitin vocant, ut sit sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus.

TRĬCHŌMĀNES, is, n. τριχομανές, herba capillamentis abundans, adianto similis, exilior modo, et nigrior, foliis lenticulae, amaris, et adversis inter se. *Plin.* 27, 13, 111. *Id.* 22, 21, 30. *Adde *Appul. de herb.* 47. *B. A.*

[TRĬCHŌPHYES, is, n. τριχοφυές, herba eadem ac trichomanes: a θρίξ, capillus, et φύω, gigno. *Appul. Herb.* 47. *F.*]

TRĬCHORDIS, e, adj. tres chordas habens. *Sidon. ep.* 5, 5. *med.* Novus Amphion in citharis trichordibus temperandis.

TRĬCHORUS, a, um, adj. τρίχωρος, tripartitus, tribus loculamentis distributus: a τρίς, ter, et χῶρος, locus. Etiam absolute *trichorum*, *i*, usurpatur. *Stat. Silv.* 1, 3, 57. quid nunc ingentia mirer, Aut quid partitis distantia tecta trichoris. *Spart. Pesc.* 12. Domus ejus hodie Romae visitur, quae appellatur Pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit, *h. e.* in uno ex trichoris ejus domus, ut quidem explicat *Casaub.* At *Salmas.* putat, *trichorum* idem esse ac *trigonum*, h. e. triangulari forma factum, quia Deorum et principum virorum aedes, honoris causa, fastigiatae erant; sed a *Casaubono* standum plerisque videtur. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. inscr. Lat. n.* 1595. Numini domus Augustae Imp. Caes. Nervae Trajani Aug. Ser. Zmaragdias Silvani signum, porticus, item tricorum dedicavit, etc. Alia ap. *Fabrett.* p. 740. *n.* 505. Septimia Severina sarcofagum et panteum cum tricoro disposuit et perfecit. In utroque lapide vitio saeculi deest aspiratio in vocibus *tricorum*, *sarcofagum*, *panteum* et *tricoro.* ℙ Adjective. *Paul. Nol. ep.* 32. (al. 72.) *n.* 10. Reliquiis apostolorum et martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis, *h. e.* in tribus loculamentis sub altari intra absidem posito: alii leg. *trichoram*, ut ad ipsam absidem referatur, quae ex tribus absidibus constaret: sed prior sententia magis placet. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 54, 4. Q. Munatius Trichorus. [*Hunc locum ita emendavit ampliavitque *F.*, ut merito ipsi totus possit tribui.]

TRICHRUS, τρίχρους, *h. e.* tres habens colores: a τρία, et χρόα, color: nomen est lapidis. *Plin.* 37, 10, 68. Trichrus ex Africa nigra est, sed tres succos reddit: a radice nitrum, medio sanguinem, summo ochram. Ita *Hard.* ex MSS. Alii leg. a radice nigrum, medio sanguineum, summo candidum.

TRĬCĬES, adv. τριακοντάκις, trigesies, triginta vicibus. *Colum.* 5, 2. *f.* Pedes tricies triceni fiunt nongenti. *Mart.* 5, 39. Supremas tibi tricies in anno Signanti tabulas, Charine, misi Hyblaeis madidas thymis placentas. *Plin.* 3, 5, 6. Liguribus ager tricies datus. *Id.* 4, 16, 30. Insula patet tricies octies centena vigintiquinque millia P. *h. e.* 3825. milliaria. *Vitr.* 1, 6. Semel et tricies mille et quingenties, *h. e.* 31500. ℙ Cum de pecunia sermo est, post *tricies* subintelligitur *centena millia*; sic etiam post *vicies*, *centies*, etc. *Mart.* 4, 37. Ex insulis, fundisque tricies soldum (*redit*), *h. e.* tricies centena millia sestertium plena et integra, seu ter millies mille, *scil.* 3,000,000. Sic *Id.* 1, 100. dixit *vicies* plenum. [*Inscr.* in *Annal. dell' Instituto* T. 4. p. 151. (*L. Dasumius P. F. Stel. Tullius Tuscus. Cos.*) thermas municipales, quas P. Tullius pater ejus Cos. Aug. sestertio ter et tr. (*h. e.* tricies) testamento fecit, adjecta pecunia, ampliatoque opere perfecit. Vides itaque hic *sestertio ter et tr.* interpretandum esse *colla spesa di* 3,300,300. *sesterzi.* V. SESTERTIUS. ℙ Ap. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 3, 10. et in *Fragm. or. pro Fontejo* (ed. *Niebhurio*) 3. scribitur *triciens.* V. MILLIES. *F.*]

TRĬCĬNĬUM, ii, n. trium hominum cantus. *Symmach. ep.* 1, 41. (al. 47.) Tricinium semivolucrum puellarum, *h. e.* trium Sirenum cantus.

[TRĬCĬPĪTĪNUS, a, um, adj. derivativ. a *tricipite.* Est cogn. R. Hinc L. Lucretius T. F. M. N. Tricipitinus Cos. ann. U. C. CCXCII. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 289. et *Liv.* 3, 8. *F.*]

TRICLA, et Triclea, et Triclia, ae, f. V. TRICHILA.

TRICLĪNĬARCHA et Tricliniarches, ae, m. τρικλινιάρχης, servus convivio praepositus, et totius tricliniaris ministerii curator. *Petr. Sat.* 22. Jam tricliniarches experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat. *Inscr.* ap. *Grut.* 474, 4. Tricliniarcha. Adde alias ap. *eund.* 578, 1. et 579, 7.

TRICLĪNĬĀRIS, e, et

TRICLĪNĬĀRĬUS, a, um, adj. ad triclinium, et ad coenandum pertinens. *Varr.* ap. *Non.* 15, 14. Dolia, et apothecas tricliniares. *Id. L. L.* 7, 16. Tricliniaris gradus, *h. e.* quo tricliniaris lectus ascenditur; et *ib.* 8, 33. Tricliniares mappae. *Plin.* 37, 2, 6. Tertio triumpho transtulit lectos tricliniares tres, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 576, 6. Sex. Pompejo Volesio Sex. Pompei ser. tricliniar. etc. Alia ap. *Don. cl.* 7. *n.* 35. Volusianus Caritus Aug. N. ser. tricliniar. *Labeo Dig.* 33, 5, 20. Vestimenta tricliniaria sumere, i. e. coenatoria, cubitoria. ℙ Absolute *tricliniarius* est servus tricliniarius. *Inscr.* ap. *Zacchar. Excurs. litt.* p. 362. et ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 535. Dis. Manibus T. Flavii Aug. L. Fortunati Caes. N. tricliniarii ex Dec. III. ℙ Item absolute *tricliniares* videntur *Viscontio* in *Op. var.* T. 2. p. 59. *ed. Med.* fuisse sodales collegiorum omnium, qui Trebulae Mutuscae in tricliniis publicis epulandi causa convenire solebant. Horum meminit *Inscr.* Trebulana ap. *Fabr.* p. 699. *n.* 210. Aureliae Crescentiae (lege *Crescentinae*) patronae, conjugi Aurelii Felicissimi patroni municipii Trebulani Mut. statuam ponendam tricliniares decreverunt: dedicata natali die, XVI. Kal. Feb. Arriano et Papo Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CCXLIII. ℙ Absolute *tricliniaria* sunt stragula ornandis lectis in triclinio. *Plin.* 8, 48, 74. Metellus Scipio, tricliniaria Babylonica sestertium octingentis millibus venisse jam tunc, posuit in Catonis criminibus. *Id* 9, 39, 63. Qua purpura quis non jam, inquit, tricliniaria facit? ℙ Item ipse locus triclinii in aedibus. *Varr. R. R.* 1, 13. *f.* Ut spectent sua aestiva tricliniaria ad frigus orientis, hiberna ad solem occidentem. ℙ Legitur et *triclinaris*, *triclinarius.* [*Etiam hujus loci curam egregie gessit *F.*]

[TRICLĪNĬASTES, ae, m. idem ac tricliniarius. *Not. Tir.* p. 162. Triclinium, tricliniastes. Alii *tricliniensis. F.*]

TRICLĪNĬUM, ii, n. τρικλίνιον, lectus trium capax, in quo mensae accumbebatur: a τρεῖς, tres, vel τρίς, ter, et κλίνη, lectus. Fuerunt quidem et minores, in quibus duo accumbebant, *biclinia* dicti, aut unus tantum, *scimpodia*; et latiores, in quibus quatuor, aut quinque (*Hor. Sat.* 1, 4, 86. Saepe tribus lectis videas coenare quaternos.); sed fere tres simul hi lecti capiebant: qui qua ratione atque ordine discumberent, in ACCUMBO dictum est. *Juven.* 5, 17. Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto. ℙ *Triclinium sternere* est componere ad discumbendum, et stragula veste ornare: quae in luxu a ditioribus Babylonica, aut e purpura dibapha adhibebatur. *Vitr.* 6, 10. Oeci quadrati tam ampla magnitudine, uti faciliter in eis, tricliniis quatuor stratis, ministrationum ludorumque operis locus possit esse spatiosus. *Varr. R. R.* 3, 13. Erat locus celsus, ubi triclinio posito coenabamus. *Cic. Verr.* 2, 2, 74. *f.* Non quaero, unde habueris quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra; et *Verr.* 2, 3, 25. Cum Apronius e palaestra redisset, et in triclinio, quod in foro straverat, decubuisset. *Mart.* 10, 13. Strataque non unas cingunt triclinia Bajas. *Plin.* 33, 11, 52, Triclinia argentea, testudinea, lignea, etc. ℙ Postquam mensae citreae, quae rotundae erant, in honore magno apud omnes esse coeperunt, pro lectis usi stibadio sunt, seu sigmate. V. SIGMA et STIBADIUM. ℙ Metonymice est coenatio, *h. e.* locus, ubi sternuntur lecti ad coenandum. *Cic. Att.* 13, 52. Villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi coenaturus ipse Caesar esset, vacaret: et *mox*: Praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose. *Id. Or.* 2, 65. *f.* Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Cum tu, inquit, de cubiculo alieno. *Quint.* 11, 2. *med.* et *Phaedr.* 4, 24. Triclinium illud supra convivas corruit. *Manil.* 5, 507. triclinia templis Concertant: tectique auro jam vescimur auro. *Varr. L. L.* 7, 14. Triclinia hiberna et aestiva. ℙ *Triclinium sternere* est etiam lectos tricliniares in triclinio ponere. *Varr. L. L.* 8, 4. Qui triclinium constrarunt, si quem lectum de tribus unum imparem posuerunt, etc. *Cic. Mur.* 36. Rogatus, ut triclinium sterneret, stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos. ℙ In illo *Plin.* 33, 11, 51. Lectos mulierum totos operiri argento, et triclinia quaedam; et 34, 3, 8. Triclinia aerata, abacosque, et monopodia, etc. *Hard.* intelligit mensas in tricliniis: additque auctoritatem *Vitruvii* 6, 10. Quae omnia tamen non videntur esse satis, ut rem conficiant. ℙ [*Trichilinium* pro *triclinium* scribitur in *Inscr.* ap. *Guasc. Mus. Capitol.* T. 2. p. 191. Is monumentum ex pecunia collata sociorum aedificavit arbitratu suo, idemque tectoria perfecit, et trichilinium sociorum ex sua pecunia opere tectorio perpoliit. *F.*]

TRĪCO, onis, m. ἐριστής, contentiosus, litium amans, rixator: et praecipue qui, ne solvat aes alienum, tricas comminiscitur et impedimenta: et universim, nequam, nebulo, male feriatus. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 26. Nec mihi amatore hoc opu', nec tricone vadato. *Id. ib.* 85. Luciu' Cotta senex, Crassi pater huju' Panaetl Magnus trico fuit nummariu', solvere nulli Lentus. (in voce *Panaetl* videtur latere mendum.) *Capitol. Ver.* 4. Ut vagaretur nocte, et commissaretur cum triconibus, et committeret rixas. [Alii leg. *commisceretur cum triconibus.* V. STRIGO, onis. *F.*]

TRĪCOCCUM, i, n. genus heliotropii, ubique nascentis, foliis minoribus, quam helioscopii, et in terram vergentibus, semine scorpionis caudae simili: unde et scorpiuron vocatur. *Plin.* 22, 11, 29.

*TRICOLLI, orum, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

TRĪCOLUM, i, n. τρίκωλον, periodus, sententia tribus membris constans: a τρεῖς, tres, et κῶλον, membrum. *Sen. Contr.* 4, 25. *f.* In tricolis, et in omnibus hujus generis sententiis curamus, ut numerus constet; non curamus, ut sensus; et *Contr.* 2, 12. *f.* Dixit quasi tricolum tale, qualia sunt, quae basilicam infestant, *h. e.* molesta sunt audientibus in basilica oratorem. ℙ Vox est adjectiva: unde grammatici de Odis Horatianis: Ode monocolos, dicolos, tricolos, etc.

TRĪCONGĬUS, ii, m. cognomen Novellii Torquati Mediolanensis, tribus congiis vini epotis uno impetu, spectante Tiberio principe. *Plin.* 14, 22, 28.

TRĪCOR, aris, dep. 1. tricas loquor, involute et perplexe dico, nugor. *Cic. Att.* 14, 19. *med.* Publilius tecum tricatus est; et *ib.* 15, 13. *med.* Vectenum accusat: tricatur scilicet, ut homo talis, *h. e.* moras nectit, tergiversatur, futiles excusationes affert, ne solvat. V. TRICAE. ℙ [Etiam *trico*, *as*, a. 1. *Not. Tir.* p, 150. Tricat, intricat, extricat, retricat, protricat. *F.*]

*TRICORII, orum, Τρικόριοι, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. Rursus a mari Tricorium (i. e. Tricoriorum), et intus Tricollorum, Vocontiorum (regio). Quo in loco sunt qui τὸ *Tricorium* de oppido intelligunt, minus recte. Adde *Liv.* 21, 31. *B. A.*

TRĪCORNĪGER, a, um, adj. tria cornua gerens. *Auson. Idyll.* 13. *technopaegn. de litt. monosyll. f.* Furca tricornigera specie paene ultima sum Ψ.

TRĪCORNIS, e, adj. τρίκερως, tria habens cornua. *Plin.* 8, 21, 30. Indicos boves unicornes, tricornesque. Adde *Solin.* 52.

*TRICORNĪUM, i, n. oppidum Moesiae superioris. *Tab. Peut. B. A.*

TRĪCORPOR, ŏris, adj. omn. gen. τρίσωμος, tria habens corpora. *Virg. A.* 6, 289. et forma tricorporis umbrae: *idest* Geryonis. *Sil.* 3, 422. Geryonis peteret cum longa tricorporis arva. *Id.* 13, 201. Monstrum Geryones immane tricorporis irae.

*TRICORYPHOS, i, τρικόρυφος, i. e. triceps; Arabiae mons, cujus meminit *Plin.* 6, 28. *B. A.*

TRĪCOSUS, a, um, adj. fallax, tergiversator, qui tricatur. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 84. Hic tricosu', bovinatorque, ore improbu' duro. Alii rectius leg. *strigosu'*. V. STRIGOSUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 50, 1. de Hercule: Alcmenses, Jovis et magni fortissima proles, Tricosus subito post mea fata (al. *facta*) vocor.

[TRĪCOSTUS, a, um, adj. qui tres costas habet. Est cogn. R. vetustissimum, ut Sp. Verginius A. F. A. N. Tricostus Caeliomantanus Cos. ann. U. C. CCLXXXXVI., de quo multa *B. Borghesius* in *Fragm. de' fast. cons. Capit.* T. 1. p. 58. *F.*]

TRĪCUSPIS, idis, adj. omn. gen. τριγλώχιν, tres habens cuspides, tridens. *Ov. Met.* 1, 330. posito-

que tricuspide telo Mulcet aquas rector pelagi. [*Cf. *Gierig.* ad h. l.]

TRĪDACNA, orum, n. plur. genus ostreorum: a τρὶς, ter, et δάκνω, mordeo. *Plin.* 32, 6, 21. Necnon inter nos nepotis cujusdam nomenclator tridacna appellavit; tantae amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent.

TRĪDENS, entis, adj. comm. gen. τριόδους, ὁ καὶ ἡ, τριγλώχιν, tres habens dentes, seu cuspides, tricuspis, trifidus. *Val. Fl.* 1, 687. volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum, et spumas vomit aere tridenti. Sic *Virg. A.* 5, 143. et *ib.* 8, 690. Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor. Alii retento, aut omisso que leg. *stridentibus:* de quo multa grammatici, praecipue *Pierius.* V. STRIDEO. *Plin.* 8, 51, 77. Ruminales hostias, donec tridentes fierent, puras negavit. Alii leg. *bidentes.* ℙ Absolute est ferrum piscatorium, hastae praefixum, quo majores pisces transfiguntur, fuscina, τρίαινα. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus aegre multis tridentibus confici potuit; et *ib.* 15, 20. Thynni ne tridente quidem in eos saepius jacto territi; et *ib.* 29, 45. Saepiae percussae tridente. ℙ Fuit telum gladiatoris retiarii. *Juven.* 8, 203. movet ecce tridentem, Postquam librata pendentia retia dextra Nequidquam effudit. V. FUSCINA. ℙ Poetae sic vocant sceptrum Neptuni. *Virg. G.* 1, 12. tuque o, cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridenti, Neptune. *Id. A.* 2, 610. Neptunus muros magnoque emota tridenti Fundamenta quatit; et 418. saevitque tridenti Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo. *Prop.* 2, 20, 48. Lerne pulsa tridente palus.

TRĪDENTĬFER, et

TRĪDENTĬGER, a, um, adj. τριαινοφόρος, tridentem ferens: appositum Neptuni. *Ov. Met.* 8, 595. o proxima coelo Regna vagae, dixi, sortite, tridentifer, undae; et *ib.* 11, 203. Cumque tridentigero tumidi genitore profundi.

TRIDENTĪNUS, a, um, adj. ad Tridentum pertinens, quae est urbs Rhaetiae ad Athesim fluvium, celebris concilio Oecumenico, quod ibi ann. MDXLV. inchoatum sub Paulo III., absolutum est ann. MDLXIII. sub Pio IV. *Plin.* 3, 16, 20. Tridentinae Alpes; et *ib.* 19, 23. Fertini, et Tridentini, et Berunenses, Rhaetica oppida. *Flor.* 3, 3. *med.* Tridentina juga.

TRĪDENTĬPOTENS, entis, adj. tridente potens: epitheton Neptuni, ut *ignipotens* Vulcani, *bellipotens* Martis et Palladis, *arcipotens* Apollinis. *Sil.* 15, 159. Dive tridentipotens, cujus maria ire per alta Ordimur. Est qui leg. *tridente potens.*

TRĪDŬĀNUS, a, um, adj. τριήμερος, trium dierum spatio durans. *Appul. Met.* 10. Munus gladiatorium triduani spectaculi pollicitus. *Hieron. ep.* 54. *n.* 10. Venter praefertur, esuriens triduanis jejuniis semper. *Paul. Nol. carm.* 21, 207. Triduanum funus. [*Boeth. Cons. phil.* 3. *pros.* 3. Triduana febris. *F.*]

TRĪDŬUM, i, n. τριημερία, trium dierum spatium, ut *biduum* duorum, *quatriduum* quatuor. *Pl. Cist.* 1, 1, 106. Ut hanc hoc triduum solum sinas esse hic. *Id. Mil.* 3, 1, 141. Ubi triduum continuum fuerit, jam odiosus siet. *Ter. Phorm.* 3, 2, 4. Neque te exorare, ut maneas triduum hoc? *Id. Andr.* 2, 6, 9. Bidui est, aut tridui haec sollicitudo: deinde desinet. *Caes. B. G.* 1, 26. *extr.* Ipse triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi coepit. *Cic. Mil.* 9. *f.* Clodius respondit, triduo illum, ad summum quatriduo periturum; et *Leg.* 2, 22. *f.* Decrevit habendas triduum ferias; et *Mart.* 2, 6. Quid prodest mihi tam macer libellus, Si totus tibi triduo legatur? *Plin.* 23, 8, 80. Folia commanducata per triduum terna. *Id.* 2, 97, 100. Aestus idem triduo in mense consistit, septima, octava, nonaque Luna.

[TRIENNĀLIS, e, adj. ad triennium pertinens, trietericus. *Inscr.* sublestae fidei ap. *Mur.* 2019, 5. Libero Patri Sac. ludis triennalibus datis et populo epulis distributis, etc. V. ORGIA. *F.*]

TRIENNĬUM, ii, n. τριετία, trium annorum spatium. *Caes. B. G.* 4, 4. Usipetes agris expulsi, et multis locis Germaniae triennium vagati. *Nep. Ann.* 3. Proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 2. Praeclarum est summo cum imperio fuisse in Asia triennium. *Id. Fam.* 15, 16. *med.* Bienninm aut triennium est, cum virtuti nuntium remisisti. ℙ *Triennia* absolute sunt *trieterica sacra* in honorem Bacchi celebrari solita. *Ov. Met.* 9, 641. Ismariae celebrant repetita triennia Bacchae. V. TRIETERICUS.

TRĪENS, entis, m. τριημόριον, tertia pars assis, quae sunt unciae quatuor. *Varr. L. L.* 4, 36. et *Hor. A. P.* 327. ℙ Item tertia pars numeri senarii, *h. e.* duo, apud mathematicos. *Vitr.* 3, 1. *med.* ℙ Item nummus aureus, tertia pars solidi. *Gall.* in *ep.* ap. *Treb. Claud.* 17. *f.* Misi ad eum aureos Valerianos centum quinquaginta, trientes Saloninianos trecentos, *h. e.* tremisses cum effigie Salonini Aug. filii mei. ℙ Item nummus aereus tertiam valens partem assis, obolo similis. *Plin.* 33, 3, 53. Nota aeris fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero et quadrante ratis. *Liv. Epit.* 60. Frumentum semisse et triente plebi dare. (V. SEMISSIS.) *Juven.* 3, 267. nec habet quem porrigat ore trientem. *Messala* ap. *Plin.* 34, 13, 38. Serviliorum familia habet trientem sacrum, cui summa cum cura magnificentiaque sacra quotannis faciunt: quem ferunt alias crevisse, alias decrevisse videri, et ex eo aut honorem, aut diminutionem familiae significari. *Liv.* 22, 10. *med.* Ludi magni voti aeris trecentis triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente. ℙ Adjective *trientes pensiones* dixit *Lampрid.*, cujus locus in TRIENTARIUS recitabitur. Sic *usurae trientes* ap. *Paul. Dig.* 35, 2, 3. *extr.* cum tertia pars centesimae quotannis penditur. ℙ Cum *as* etiam universam hereditatem significet, *triens* est ejus pars tertia. *Suet. Aug.* 101. Heredes instituit Drusum ex triente, et ex partibus reliquis Germanicum, liberosque ejus. *Cic. Att.* 7, 8. Dolabellam video Liviae testamento cum duobus coheredibus esse in triente. ℙ Item tertia pars pedis, in mensuris. *Vitr.* 10, 6. Cum trientes a bubus ducerentur, *h. e.* scapi trientales, seu crassitudinem habentes quatuor pollicum, quae est quarta pars pedis in duodecim divisi. ℙ Item tertia pars digiti, in iisdem mensuris. *Front. Aquaed.* 26. et 38. Modulus habet diametri digitum unum, et trientem. ℙ Item tertia pars jugeri. Itaque cum jugerum habeat pedes quadratos 28,800, triens ejus est pedum 9,600, ut *Colum.* 5, 1. *med.* docet. Adde *ib.* 2. ℙ Item alterius cujuscumque rei. *Cic. Att.* 7, 8. Cum sciemus, quantum quasi sit in trientis triente, *h. e.* in tertia parte ipsius trientis. *Colum.* 12, 20. *f.* Si humida fuerit vindemia, trientem; si sicca, quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum. *Plin.* 23, 7, 68. Prunorum baccae in vino si decoquantur, ita ut triens ex hemina supersit. *Manil.* 3, 563. Bis quinos annos Aries, unumque triente Fraudatum dabit, *h. e.* annos undecim demptis quatuor mensibus, qui sunt triens, seu tertia pars anni. Adde 566. et 568. ℙ Quatuor cyathi, qui sunt tertia pars sextarii (nam sextarius duodecim cyathos continet) *trientis* nomine appellantur: et fuit poculum quatuor cyathorum capax, in conviviis, et compotationibus adhiberi solitum. *Prop.* 3, 8, 29. Cum fuerit multis exacta trientibus hora. *Mart.* 6, 86. Setinum, dominaeque nives, densique trientes, Quando ego vos, medico non prohibente, bibam? et 9, 88. Septem post calices Opimiani Denso cum jaceam triente blaesus. *Id.* 10, 49. Cum potes amethystinos trientes, Et nigro madeas Opimiano, *h. e.* calices ex amethysto, quatuor cyathorum capaces. Adde 1, 107. et 4, 83. et 9, 91. et 11, 6. et 39. etc. ℙ *Triens tertius* est duarum librarum pondus cum triente. *Festus.* Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit Quinctius dictator. (V. *Liv.* 6, 29.) Id significare ait Cincius, duas libras pondo et trientem, qua consuetudine hodieque utimur, cum lignum bes alterum dicimus, etc. V. BES.

TRĪENTAL, alis, n. poculum tertiam partem sextarii capiens, id est quatuor cyathorum. *Pers.* 3, 100. Calidumque triental Excutit e manibus. Alii leg. *trientem.* V. v. praec.

TRĪENTĀLIS, e, adj. τριτημοριαῖος, qui trientem continet, ut Herba trientalis, quae altitutine aequat tertiam pedis partem, *h. e.* pollices quatuor. *Plin.* 27, 5, 17. Asplenum sunt qui hemionion vocant, foliis trientalibus multis, radice limosa, etc. *Vitr.* 10, 6. De materia trientali scapos quatuor compegit.

TRĪENTĀRĬUS, a, um, adj. qui trientem continet, ut Trientariae usurae, quibus quaterna annua (non duodecim) pro centum penduntur. *Capitol. Anton. B.* 2. Fenus trientarium, hoc est minimis usuris exercuit, ut patrimonio suo plurimos adjuvaret. Adde *Lampr. Alex. Sever.* 21., qui 26. hoc fenus trientarium vocat *pensiones trientes.* Usuras, inquit, feneratorum traxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. V. TRIENS.

TRĪENTĬUS et Tabulius ager dictus est, qui pro tertia parte pecuniae datus est a senatu iis, qui pecuniam mutuam reipublicae dederant in Punicum bellum, ut narrat *Liv.* 31, 13. *extr.*, ubi alii pro *Tabulius* leg. *Tributus*, aut *Tributius*, ut significetur ager triente tributus. Alii *Tabulius* retinent, et tabulas publicas referunt, in quibus illius aeris alieni summa praescripta erat.

TRĪĒRARCHUS, i, m. τριήραρχος, et τριηράρχης, praefectus triremis: a τριήρης, triremis, et ἄρχος, princeps. *Cic. Verr.* 2, 1, 20. Sese, cum esset trierarchus, etc. *Tac. A.* 2, 16. Trierarchum Liburnicarum navium interfici jubet. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 448. Trierarchis et remigibus, qui militaverunt in classe, quae est Miseni, civitatem dedit et connubium, etc.

TRĪĒRIS, is, f. τριήρης, vox Graeca idem significans, quod Latina *triremis.* Ajunt usurpari a *Nepote Alc.* 4. et *Liv.* 30, 25., sed utroque loco alii *triremem* leg. Habet tamen sine varietate lectionis *Isid. Or.* 19, 1., item *Inscr.* ap. *Grut.* 1030, 2. L. Annio Severo Mil. classis Pr. Misenensis ex Capricorno triere (*trierie* insculptum est inscitia lapicidae), *h. e.* militi classis praetoriae Miseni constidae), in trieri, cui nomen Capricornus. Sunt aliae tutae, in trieri, cui nomen Capricornus. Sunt aliae *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 46., *Fabrett.* p. 365. *n.* 111. 113. 114. etc. *Donium cl.* 6. *n.* 9. 10. 11. et *Mur.* 293, 6. et 2027, 4., in quibus scriptum est III. Minervae, III. Herculis, III. Salutis, III. Pietatis, etc., ubi legunt eruditi *triere Minervae, triere Salutis, Pietatis*, etc., quae sunt nomina navium, ducta a παραιήμῳ, *h. e.* insigni in puppi picto. Saepe autem sermo est de militibus classis Ravennatis aut Misenensis, quas ad tutelam superi et inferi maris collocavit Augustus, ut est ap. *Suet. Aug.* 49. Alias *Inscriptiones* huc pertinentes habet *Fabrett. de column. Traj.* p. 113. ℙ *Trieris* adjective est ap. *Auct. de B. Afr.* 44. Item altera navis trieris ex eadem classe. Ita legunt *Oudendorpius*, et *Oberlinus* ex vet. codice; vulgo *triremis.* ℙ Est etiam *Trieris* oppidum Phoeniciae. *Plin.* 5, 20, 17.

TRĪĒTĒRĬCUS, a, um, adj. τριετηρικὸς, qui tertio quoque anno fit: a τρὶς, ter, et ἔτος, annus, unde, τριετία, triennium. *Trieterica sacra*, sive *orgia*, fuere sacra Bacchi, quae tertio quoque anno, sumptuosiora annuis ejus orgiis, agitabantur. Instituta sunt, cum ex India victor Liber Pater redisset, et appellata a triennio, quo peregrinatus est. *Virg. A.* 4, 302. qualis commotis excita sacris Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron. *Ov. Met.* 6, 587. Tempus erat, quo sacra solent trieterica Bacchi Sithoniae celebrare nurus. *Id. Rem. Am.* 593. Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho Ire solet fusis barbara turba comis. *Stat. Ach.* 1, 595. Alternum revocare piae trieterica matres Consuerant. Adde *Hyg. fab.* 131. ℙ Noctu celebrabantur, unde et *Nyctelia* dicta sunt. *Stat. Th.* 2, 661. non haec trieterica vobis Nox patrio de more venit. ℙ [Hinc *trietericus* dictus est Bacchus. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 11. *Burm.* Semeleie Bacche, Thyrsitenens, bimater, trieterice, Nysie, Liber. *F.*]

TRĪĒTĒRIS, idis, f. τριετηρὶς, trium annorum spatium, triennium: a τριετία, triennium. Hoc quidem vulgo obtinuit, sed reapse trieteris est spatium duorum annorum, et initium tertii. Hinc *Censor. de die nat.* 18. Idque tempus Graeci τριετηρίδα appellabant, quod tertio quoque anno intercalabatur, quamvis biennii circuitus, et revera διετηρὶς esset. Unde mysteria, quae Libero Patri fiunt alternis annis, trieterica a poetis dicuntur. V. LUSTRUM. *Stat. Silv.* 2, 6, 72. Cum tribus Eleis unam trieterida lustris, *h. e.* annos tresdecim. *Sidon. ep.* 2, 8. *in carm.* Hinc est quod decimam tuae saluti Vix actam trieteridem dolemus. *Mart.* 10, 53. raptus trieteride nona, *h. e.* anno aetatis vigesimo septimo. *Id.* 9, 85. bis trieteride juncta, *h. e.* sex annis. *Auson. Caes.* 3. Julius, ut perhibent, divus trieteride regnat. ℙ Item sacrum, quod tertio quoque anno fit, ut Trieterica Bacchi, de quibus in v. praec. *Cic. N. D.* 3, 23. Dionysius quintus Niso natus et Tyone, a quo trieterides constitutae putantur. *Stat. Th.* 4, 722. et atra sacrum recolit trieteris Opheltem; et *ib.* 7, 93. da, parve, tuum trieteride multa Instaurare diem. Utroque loco *Stat.* Nemaea certamina significat.

*TRĪFĀNUM, i, n. locus vel oppidum Latii, medio inter Sinuessam Minturnasque loco. *Liv.* 8, 11. *B. A.*

TRĪFĀRĬAM, adv. τρίχα, τριχῶς, tribus partibus, aut locis. *Liv.* 3, 22. Ita trifariam adortus castra circumvenit. *Id.* 5, 26. Trifariam Romani muniebant. *Suet. Vit.* 13. Sed vel praecipue luxuriae, saevitiaeque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat. ℙ Item tribus modis. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Destruitur utravis propositio universalis trifariam.

TRĪFĀRĬĒ, adv. idem quod trifariam, usurpatur a *Diomed.* 1, 279., et praeterea legitur in libello *de progenie Augusti*, qui *Messalae Corvino* tribuitur.

TRĪFĀRĬUS, a, um, adj. *Solin.* 27. Quorum trifarium genus scinditur. Ita codices quidam, sed alii *trifariam. Cass. Var.* 5, 40. *med.* Instructus trifariis linguis, *h. e.* tribus.

TRĪFĀTĬDĬCUS, a, um, adj. *Auson. Idyll.* 11, 85. Atque trifatidicae Sibyllae. *Trifatidicas* appellat, quia veteribus tres praecipue cognitae fuerunt, Cumaea, Erythraea, et Cumana. Alii tamen leg. *et leg. fatidicae.*

TRĪFAUX, aucis, adj. omn. gen. τρίγναθος, tres fauces habens. *Virg. A.* 6, 417. Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat.

TRĪFAX, ācis, telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur. Ennius: aut permaceret paries percussu trifaci. Haec *Paulus* ex *Festo. Trifax* dictus a trina facie, *h. e.* triangulari. Sic *bifax* in *Gloss. Philox.* est διπρόσωπος.

TRĪFER, ra, rum, adj. τριφόρος, qui ter in anno fructum fert, ut *bifer* qui bis. *Colum.* 5, 10. *med.* Ficus biferae, et triferae. *Plin.* 16, 27, 50. Vites et triferae sunt, quas ob id insanas vocant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. *Id.* 15, 18, 19. Ficus trifero proventu. ℙ De recto singulari masculino idem dic, quod de *bifer*, q. v. V.

TRĬFĬDUS, a, um, adj. τριφυής, qui in tria dividitur, aut dividi potest, triplex: a *tris*, et *findo*. *Ov. Met.* 2, 325. Naides Hesperiae trifida fumantia flamma Corpora dant tumulo, *h. e.* fulmine trisulco Sic *Val. Fl.* 6, 53. Cuncta phalanx insigne Jovis, caelataque gestat Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes. *Id.* 1, 641. trifida Neptunus in hasta *h. e.* tridenti. Sic *Claud. Rapt. Pros.* 2, 181. trifida Neptunus cuspide montes Impulit. *Stat. Th.* 1, 64. trifidaeque in Phocidos arcto Longaevum implicui regem, *h. e.* Trigemina qua se spargit in campos via (ut ait *Sen. Oed.* 278.), quod est trivium. *Id. Sen. ib.* 772. Phocaea trifidas regio qua scindit vias. *Id. Med.* 687. Serpens trifidam linguam exsertat, *h. e.* linguis micat ore trisulcis, ut *Virg. G.* 3, 439. ait. Sic *Sil.* 6, 222. trifido vibrata per auras Lingua micat motu. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 203. Trifida Sicania, *h. e.* triquetra. *Auct. Laud. Herc.* 109. de apro Erymanthi: Horrebant trifidis nigrantia corpora setis, *h. e.* tricuspidibus. Sic *Sil.* 6, 357. de rostro in prora navis: micat aereus alta Fulgor aqua trifidi splendentis in aequore rostri.

TRĬFĬLIS, e, adj. tria fila habens. *Mart.* 6, 74. Medio recumbit imus ille qui lecto, Calvam trifilem semitactus unguento, *h. e.* calvam tria tantum fila, seu capillos, vel admodum paucos capillos habentem.

TRĬFĪNĬUM, ii, n. τριοφία, ubi trium agrorum terminus est. *Siculus Flacc. de condit. agr.* p. 6. *Goes.* Trifinium, id est locus, quem tres possessores attingunt. [*Inscr.* Hispana ap. *Grut.* 201, 5. Trifinium II. Vir. Sacilernusii Idiensis, Soliensis ex sententia Julii Proculi judicis, Imp. Caesare Juliano Aug. *h. e.* trifinium posuerunt duumviri (*fratres*) Sacilernius Idiensis, et Sacilernius Soliensis, etc. ann. a Chr. n. CXCIII. quo per duos circiter menses imperavit M. Didius Julianus. *F.*]

TRĬFĬSSĬLIS, e, adj. qui tripliciter finditur, trifidus. *Auson. ep.* 128, 7. Ψ dicit esse: nam trifissilis forma est.

TRĬFŌLĪNUS, a, um, adj. ad Trifolium pertinens, qui est mons Campaniae prope Neapolim, unde vino ibi provenienti nomen factum est. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Campania semper inter plebeja vina et Trifolinis gloriata. *Juven.* 9, 56. Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet. *Mart.* 13, 114. Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyaeo: Inter vina tamen septima vitis ero.

TRĬFŌLĬUM, ii, n. τρίφυλλον, herbae genus, ita dictum a tribus foliis, quibus constat. *Plin.* 21, 9, 30. Folio coronat et trifolium. Tria ejus genera: minyanthes vocant Graeci, alii asphaltion, majore folio, quo utuntur coronarii: alterum acuto, oxytriphyllon: tertium ex omnibus minutissimum, etc. Adde *ib.* 21, 88. ubi ejus vires recenset.

TRĬFORMIS, e, adj. τρίμορφος, tres formas, seu naturas habens. *Ov. Met.* 15, 859. Juppiter arces Temperat aetherias, et mundi regna triformis, *h. e.* aeris, maris, Inferorum, quae Junoni, Neptuno, Plutoni, sed sub Jove, parent. *Sen. Herc. Oet.* 1202. Triformis canis, *h. e.* Cerberus. *Id. Ag.* 841. Geryones triformis, *h. e.* tricorpor. *Hor. Od.* 3, 22, 2. et *Ov. Met.* 7, 94. et 177. Diva triformis, *h. e.* Phoebi soror, quae in coelo est Luna, in terris Diana, apud Inferos Hecate. *Appul. Met.* 11. Triformis facies. *Hor. Od.* 1, 27, 23. Triformis chimaera. *Auson. Idyll.* 11, 40. sphinx. *Sen. Med.* 7. Hecate.

TRĬFUR, ūris, m. τρίφωρ, maximus fur, insignis fur, plus quam fur. Nam τρὶς, hoc est ter, in compositione augendi vim habet, et accipitur pro *valde*. *Pl. Aul.* 4, 4, 6. Non fur, sed trifur. V. TRIPLEX.

TRĬFURCĬFER, ra, rum, adj. maximus furcifer, insignis furcifer, plus quam furcifer. *Pl. Rud.* 3, 4, 29. Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere? *Id. Aul.* 2, 4. *f.* Fur trifurcifer.

TRĬFURCĬUM, ii, n. id quod in modum trigeminae furcae erigitur. *Appul. Herb.* 77. Gramen, quod in se trifurcium habet.

TRĬFURCUS, a, um, adj. τριγλώχιν, tres habens cuspides, seu acumina, ut *bifurcus* duo. *Colum.* 5, 11. Surculi sint bifurci, vel trifurci; et *ib.* 10. *med.* Stirpem trifurcam maxime ponito. Adde *Arb.* 20.

TRĬGA, ae, f. τρίζυγες ἵπποι, tres equi sub curru juncti, seu currus tribus equis actus, ut *biga* duobus, *quadriga* quatuor: est vox contracta a *tri* et *jugum*. *Isid. Or.* 18, 36. Quadrigas Soli, bigas Lunae, trigas Inferis, sejugas Jovi, desultores Lucifero, et Hespero consecraverunt. Trigas Diis Inferis, quia hi per tres aetates homines ad se rapiunt, id est per infantiam, juventutem et senectutem. *Ulp. Dig.* 21, 1, 38. *f.* Si triga venierit, redhibenda erit tota: sed et si quadriga, redhibeatur: sed si duo paria mularum sint, et una mula vitiosa sit, vel par, solum par redhibebitur, alterum non. ℙ Item trium rerum numerus. *Arnob.* 4. p. 136. Pinnatorum Cupidinum trigas, et quadrigas Appollinarium nominum.

[TRĬGĂMĬĂ, ae, f. conditio illius, qui tertio uxorem duxit, qui tertias contrahit nuptias. *Hieron. in Jovin.* 1. *n.* 37. Concedit quidem Deus nuptias, concedit digamiam, et, si necesse fuerit, fornicationi et adulterio praefert etiam trigamiam. *F.*]

TRĬGĂMUS, a, um, adj. τρίγαμος, qui tres conjuges vel simul, vel successive duxit. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 24. [Quod si Salomonis exempla ei placent, jam non digamus erit et trigamus, sed nisi septingentas habuerit uxores, et trecentas concubinas, typum ejus et meritum implere non poterit. *F.*]

TRĬGĂRĬUS, a, um, adj. ad trigam pertinens. *Trigarius, ii*, trigae agitator. *Plin.* 28, 17, 42. Ferunt, Neronem hac potione recreari solitum, cum sic quoque se trigario approbare vellet. *Id.* 29, 1, 5. Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat, ℙ *Trigarium, ii*, absolute, est locus, in quo trigae et universi equi ad cursum exercentur, *cavallerizza* Italis. [*Gloss. Philox.* Trigarium, τόπος, ὅπου ἵπποι γυμνάζονται. *F.*] *Plin.* 37, 13, 77. Ne equos quidem in trigariis praeferri ullos vernaculis (*h. e.* Italicis) animadverto. *P. Vict. de urbe Roma* ponit in regione IX. trigaria septa. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 102. Fecit Mindia Helpis C. Julio Thallo marito suo bene merenti, qui egit officinas plumbarias Transtiberina (*scil.* regione), et trigarii, etc *h. e.* et in regione trigarii, nempe nona. V. *eund. ib.* ℙ [Translate *trigarium* est quarumcumque rerum trias. *Capell.* 7. p. 239. Monadem fabricatori Deo, diadem materiae procreanti, triadem idealibus formis consequenter aptamus: animam vero rationis, et iracundiae, cupiditatisque distribuere trigario. (Alii perperam leg. *tricario:* est enim quod ait *Hieron. in Ezech.* 1, 1, 7. Rationale animae, et irascitivum, et concupiscitivum). *Id.* 9. p. 303. Ipsaque tripus trini cursus praesagia pollicetur, hoc est exstantis, instantis, et rapti. Demum trigarium supplicantis semper germanitatis adveniat. Hanc igitur sive trigeminam feminam, sive tres in unius nominis vocabulum conspirantes, etc. *F.*]

[TRĬGĔMĬNO, as, a. 1. triplico. *Front. de orat.* (ed. *A. Maio*) 1. *med.* Quae ratio sit verba geminandi, et interdum trigeminandi, nonnunquam quadruplicia, saepe quinquies, aut eo amplius superlata ponendi. *F.*]

TRĬGĔMĬNUS. V. TERGEMINUS.

TRĬGEMMIS, e, adj. τρίλιθος, τριόφθαλμος, qui tres habet gemmas. *Colum.* 3, 19. Vallis, et uliginosi campi situ serimus etiam trigemmem (*malleolum*), qui est paulo minor dodrante, longior utique semipede, isque non ab eo trigemmis dictus est, quod omnino trium oculorum est; cum fere circa plagam qua matri abscissus est, plenus sit gemmarum; sed quod his exceptis, quibus est frequens in ipso capite, tres deinceps articulos, totidemque gemmas habet. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 3. Iidem (*malleoli*) cum decisi, nec intorti, trigemmes.

[TRĬGĔRĀNUS, a, um, adj. tribus gruibus comitatus: a τρεῖς, tres, et γέρανος, grus. Est epithethon tauri, qui pro numine colebatur apud veteres Gallos. In antiquo marmore sub *Inscr.* Tiberio Aug. imperante insculpta, quae sic legitur ap. *Mur.* p. 1066. Tib. Caesare Aug. Jovi Optumo Maxsumo aram nautae Parisiaci publice posierunt: *mox n.* 2. *fig.* 4. Tarvos (lege *tauros*) Trigaranus (lege *trigeranus.*) Infra taurus apud arborem, et tres grues supra eundem repraesentantur. *F.*]

TRĬGĔSĬES, adv. τριακοντάκις, tricies. *Vitr.* 1, 6. *med.* [Quae fiunt semel et tricies millies mille et quingenties mille: hujus autem octava pars, quam ventus tenere videtur, est ter millies mille, et noningenties trigesies septies mille, et passus quingenti. *Schneiderus* hic, comparatione facta cum *Plin.* 2, 108, 112. *f.*, recte probat, hunc *Vitruvii* locum a Romana scribendi ratione abhorrentem, interpolatum a *Jocundo* fuisse, atque ita legendum ex *Cod. Sulpician.* Quae fiunt passus trecenties quindecim centena millia: hujus autem octava pars, quam ventus tenere videtur, est tricies nongenties triginta septem millia, et passus quingenti, *h. e.* quae fiunt passus 31,500,000.; hujus autem octava pars est 3,937,500. Vides igitur vocem *noningenties* in *nongenties* mutandam, et *trigesies* prorsus evanescere ex tota Latinitate, cujus loco uti nos decet aliis duobus *tricies*, aut *trigies*, quae idem significant, et aliqua fulciuntur scriptorum Latinorum auctoritate. *F.*]

TRĬGĔSĬMUS. V. TRICESIMUS.

[TRĬGIES, adv. idem ac tricies. *Capell.* 7. p. 241, Sexies septuagesies dipondius facit quadringentos trigies dipondius, *h. e.* 6 × 70 = 432. *F.*]

TRĪGĬNTA, adv. τριάκοντα, ter decem: nomen numerale cardinale, indeclinabile. *Cic. Cluent.* 27. Judices triginta et duo. *Virg. A.* 1, 273. Triginta magnos volvendis mensibus orbes. *Mart.* 7, 81. Triginta toto mala sunt epigrammata libro. ℙ Corripuit ultimam *Manil.* 2, 322. Ter triginta quadrum partes per sidera reddant; et *Juvenc.* 4, 636. Argenti triginta minas posuere profani.

[TRĪGĪNTĀSEXVIR, iri, m. qui unus est numero seu collegio virorum triginta sex, ut *vigintivir*, qui unus est ex viris viginti. Videtur ita significari, qui in aliquo municipio est ex primoribus triginta sex, ut *decemprimus*, qui inter primos decem excellit. *Inscr.* Nomentana in *Giorn. Arcad.* T. 3. p. 200. T. Titius T. F. Ser. (*h. e.* Sergia tribu) Tappo XXXVI. Vir. *F.*]

*TRĪGĪSANUM, i, n. oppidum Norici. *Tab. Peut. B. A.*

TRĪGLĪTIS, is, f. τριγλῖτις, gemma nomen habens ab effigie, aut colore mulli piscis, qui τρίγλα Graecis est. *Plin.* 37, 11, 72.

TRĪGLYPHUS, i, m. τρίγλυφος, vox est architectorum, qua significatur pars quaedam zophori in ordine Dorico, tribus canaliculis, seu cavitatibus in longum ductis ornata, ap. Italos *lavoro fatto a canaletti nel fregio:* a τρὶς, ter, et γλύφω, scalpo. [Originem, et rationem hujus ornamenti ita describit *Vitr.* 4, 2. *med.* Projecturas tignorum, quantum eminebant, ad lineam et perpendiculum parietum praesecuerunt: quae species cum invenusta iis visa esset, tabellas ita formatas, uti nunc fiunt triglyphi, contra tignorum praecisiones in fronte fixerunt, et eas cera caerulea depinxerunt, uti praecisiones tignorum tectae non offenderent visum. Ita divisiones tignorum tectae triglyphorum dispositione intertignium et opam habere in Doricis operibus coeperunt. *F.*]

TRĬGODES. V. TRYGODES.

TRĪGON, ōnis, m. τρίγων, genus pilae minimae, durae, et firmo pilo fartae, qua ludebatur in thermis, seu balneis, exercitationis gratia, nomen inde ductum, quod a tribus ludentibus jactabatur, et ita dispositis, ut trigoni, seu trianguli figuram efficerent, vel quod locus huic ludo destinatus triangularis formae fuit. *Mart.* 4, 19. Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona, Sive harpasta manu pulverulenta rapis. *Id.* 12, 83. Captabit tepidum dextra laevaque trigonem, Imputet exceptas ut tibi saepe pilas. (*tepidum* dicit, quia ludentes agitatione corporis calescebant: vel quia locus ipse tepidus erat, quod significare videtur *Stat Silv.* 1, 5, 58.: vel potius quia ludentium manus ipsius attrectatu tepescebant.) *Id.* 7, 72. Sic palmam tibi de trigone nudo Unctae det favor arbiter coronae: Nec laudet Polybi magis sinistras: *nudum* dixit, quia nudi et uncti eo exercebantur. ℙ Plurimus erat in eo usus sinistrae manus. *Mart.* satis indicat loco modo allato: item 14, 46. cujus lemma *Pila trigonalis:* Si me mobilius scis expulsare sinistris, Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

TRĪGONĀLIS, e, adj. *Pila trigonalis* ap. *Mart.* 14, 46. eadem est ac trigon. V. v. praec. et SPARSIVUS.

TRĪGONĬCUS, a, um, adj. trigonus, triangularis, τρίγωνος. *Firm. Math.* 2, 32. *med.* Trigonica, vel quadrata, vel diametra, vel hexagona radiatio. Adde *praef.* 4. *f.* et *ib.* 1. *med.* V. TRIGONUS.

TRĪGONĬUM, ii, n. trigonum, triangulus. *Innocent. de casis litter.* p 224. *Goes.* Via excurrit usque in trigonium constitutum. ℙ Apud Graecos est nomen duarum herbarum, ut est ap. *Appul. Herb.* 3. et 65.

TRĪGONUS, a, um, adj. τρίγωνος, triangularis, triangulus: vox Graeca a τρὶς, et γωνία, angulus. *Signa trigona* dicuntur ab astronomis, quae ita disposita sunt, ut triangulum in zodiaco efficiant, v. gr. Aries, Leo, Arcitenens, quae quatuor Signis invicem distant. V. TRIQUETRUS. *Manil.* 2, 276. dicuntur Signa trigona, In tria partitus quod ter cadit angulus astra; et 342. trigoni ductus; trigona pars. ℙ *Trigonum, i*, n. absolute, triangulus, τρίγωνον. *Id.* 523. Namque Aries, Leo, et Arcitenens sociata trigono, etc. *Colum. Arb.* 22. et 5, 10. Ternas nuces in trigonum statuito. *Vitr.* 10, 11. *f.* Quemadmodum Pythagoricum trigonum orthogonium describitur. *Varr. L. L.* 6, 4. et *Gell.* 2, 21. *f.* Ita sitae stellae, ut terna trigona faciant. ℙ Paenultimam male corripuit *Auson. Idyll.* 11, 50. Per trinas species trigonorum regula currit; et *Eclogar. de rat. puerper.* 39. cunctantia matrum Vota levat, trigono vires sociante sequenti. ℙ Est etiam piscis nomen ex genere pelamidum, seu thynnorum, ita fortasse appellati ex forma, quia triangula erat ejus sectio, hinc a *Xenocrate c.* 35. vocatur τρίγωνος. Hujus piscis salsamento conditi meminit *Athenaeus* 3, 116. et *Pl. Capt.* 4, 2, 71. Pernam, atque ophthalmiam, horaeum, et scombrum, et trigonum, et cetum, et mollem caseum. V. *Schneider.* in *Ind. Scriptor. R. R.* in V. *Pelamis* [*Est piscis, quem nos dicimus *Stachelroche*, Raja pastinaca, *L.*]

[TRĪHĒMĪTŌNĬON, ii, n. τριημιτόνιον, tonus cum dimidio. *Hyg. de limitib.* p. 172. *Goes.* A Marte deinde ad Solem ter tantum esse dicunt, quantum a polo ad Saturnum, hoc est trihemitonion. *F.*]

TRĪHORĬUM, ii, n. *Auson. Idyll.* 10, 87. Nec duraturus (*capito*) post bina trihoria mensis. Adde *ep.* 4, 62.

TRĪJŪGIS, e, adj. tribus equis junctis tractus. *Auson. ep.* 8, 6. Vel cisio trijugi, si placet, insilias.

TRĪJŪGUS, a, um, adj. trijugis, τρίζυξ: et translate triplex. *Appul. Met.* 6. de Cerbero: Canis praegrandis trijugo, et satis amplo capite praeditus. *Paul. Nol. carm.* 20, 131. Innectens (*funis*) trijugum supremo stamine ferrum.

TRĪLĂTĔRUS, a, um, adj. τριπλευρος, tria habens latera. *Front. Expos. form.* p. 35. *Goes.* [Rectarum linearum et circumferentium forma trilatera est trium laterum, totidemque angulorum ex duabus rectis lineis et una circumferenti, vel ex duabus

circumferentibus et una recta. Quadrilatera forma est quatuor laterum, totidemque angulorum ex duabus circumferentibus lineis, et duabus rectis. Plurilatera forma est, quae plus quam quatuor lineis comprehensa est. Planarum autem et rectis lineis comprehensarum alia erunt trilatera, alia quadrilatera, alia singulis adjectis super hunc numerum plurilatera in infinitum. *F.*]

TRĪLIBRIS, e, adj. τρίλιτρος, pondo trium librarum. *Hor. Sat.* 2, 2, 33. mullum laudas, insane, trilibrem. *Gall. Imp.* in *ep.* ap. *Treb. Claud.* 17. Misi ad eum pateras gemmatas trilibres duas, scyphos aureos gemmatos trilibres duos.

TRĪLINGUIS, e, adj. τρίγλωσσος, tres habens linguas. *Hor.* de Cerbero tricipiti *Od.* 3, 11, 19. saniesque manet Ore trilingui. *Val. Fl.* 7, 184. cantuque trilingui Ipsam (*Hecaten*) flammiferos cogam compesceres tauros, ℙ Massilienses a Phocensibus oriundos *Varr.* ap. *Isid. Or.* 15, 1. *f.* vocat *trilingues*, quia Graece, Latine, et Gallice loquebantur: qua ratione *Appul. Met.* 11. Siculi trilingues: quia Graece, Punice, et Latine loquebantur. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 6. Ego Hebraeus, Graecus, Latinus; trilinguis. *Prud. Hamart.* 588. de vipera: moriturum obscena maritum Ore sitit patulo: caput inserit ille trilingue Conjugis in fauces. Alii minus recte leg. *trilinguae*, ut sit a *trilinguus*, *a*, *um*.

TRĪLIX, icis, adj. omn. gen. τρίμιτος, tribus liciis constans. *Mart.* 14, 145. Vellera cum sumant Patavinae multa trilices, Et pingues tunicas serra secare potest. *Arnob.* 3. p. 112. Vestis indigent Dii tegmine; ut virgo Tritonia curiose iis stamen neat: et qualitate pro temporis aut trilices tunicas, aut de serico componat. Hinc *Appul. Flor. n.* 9. Habebat indutui tunicam interulam tenuissimo textu, triplici licio, purpura duplici. ℙ Item triplici textura. *Virg. A.* 3, 467. Loricam consertam hamis, auroque trilicem, *h. e.* trino nexu intextam, inquit *Servius*. *Val. Fl.* 3, 199. Per clypei cedentis opus, cratemque trilicem.

TRĪLONGUS Pes est Molossus tribus longis syllabis constans, ut *Aeneas*. *Terent. de pedib.* p. 2413. ℙ Hunc alii Graeco nomine *trimacrum*, τρίμακρον, appellant.

TRĪLORIS. V. DILORIS.

TRĪMACRUS. V. TRILONGUS.

*TRIMAMMĪON. V. v. sq. *B. A.*

*TRIMANĪUM, i, n. oppidum Moesiae inferioris. *Tab. Peut.* ℙ Τριμάνιον est *Ptolemaeo*. *Trimammion* stat in *Anton. Itin. B. A.*

TRĪMĀTUS, us, m. τριετία, trium annorum aetas. *Plin.* 8, 43, 68. Partus a trigesimo mense ocissimus, sed a trimatu legitimus. *Colum.* 8, 5. *f.* Summovebimus autem veteres (*gallinas*), id est quae trimatum excesserunt. *Plin.* 10, 20, 22. Pavo colores incipit fundere in trimatu. *Inscr.* ap. *Grut.* 1148, 13. Phosporus obiit in trimatu.

TRĪMEMBRIS, e, adj. triplicia habens membra, tricorpor. *Hyg. fab.* 30. de Hercule: Geryonem Chrysaoris filium trimembrem uno telo interfecit.

*TRIMENSTRŪUS, a, um, adj. τριμηνιαῖος *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

TRĪMESTRIS, e, adj. τρίμηνος, qui est trium mensium. *Varr. R. R.* 2, 3. In nutricatu haedi trimestres cum sunt facti, tum submittuntur. *Plin.* 37, 10, 59. Trimestre spatium. *Id.* 7, 48, 49. Arcadum anni trimestres fuere. *Suet. Caes.* 80. Trimestris consul. *Auson. Idyll.* 11, 24. trimestres Annorum coelique vices. *Plin.* 10, 63, 73. Trimestris vitulus. *Id.* 18, 7, 2. *n.* 3. Trimestre triticum, *h. e.* quod tertio a satu mense metitur. (V. ALICASTRUM.) *Id.* 10, 25, 36. Trimestres aves, turdi et turtures, *h. e.* qui tres menses apud nos vivunt, deinde abeunt. *Colum.* 2, 4. *med.* et *ib.* 9. Trimestris satio, *h. e.* eorum, quae tribus mensibus maturescunt: et fit initio veris. ℙ *Trimestria* absolute, semina quae trimestri spatio maturescunt. *Id.* 11, 2. *med.* et 2, 13. *f.* et *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2.

TRĪMĔTER et Trimetrus, tra, trum, adj. τρίμετρος, tres mensuras habens. *Quint.* 9, 4. *med.* Trimetrum est, *Pro misero dicere liceat*, sex enim pedes tres percussiones habent. *Terent.* de versu iambico, p. 2432. Sed ter feritur: hinc trimetrus dicitur, Scandendo binos quod pedes conjungimus. V. ICTUS, us. ℙ Item tribus pedibus constans. *Diomed.* 3, 506. Versuum genera praecipua sunt quinque: aut enim dimetri sunt, aut trimetri, aut tetrametri, aut pentametri, aut hexametri. Trimetri exemplum ponit: Jam vaga tollere Phoebus Lumina destinat ortu. *Hor. A. P.* 252. de iambo: Pes citus, unde etiam trimetris accrescere jussit Nomen iambeis cum senos redderet ictus Primus ad extremum similis sibi. ℙ Varia sunt trimetrorum genera, heroum, Archilochium, etc. quae V. *ib.* p. 513. et alibi.

TRĪMETRĬUS, a, um, adj. senariis constans. *Auson. ep.* 16, 78. Aesopiam trimetriam, Quam vertit exili stilo, *h. e.* Aesopi fabulas trimetris versibus constantes. *Sidon. in carm. ep.* 15. *l.* 9. quaterna tempora Spondeus addat, ut moram volucripes Habeat parumper insitam trimetria. V. v. praec.

TRĪMETRUS. V. TRIMETER.

[TRĪMĪTĀLIS, e, adj. τρίμιτος, τριμίτινος, tribus liciis textus. *Not. Tir.* p. 156. Horreum, urna, trimitalis. Videtur *trimitalis* perperam scriptum pro *triental. F.*]

TRĪMODĬA, ae, f. vas trium modiorum capax. *Varr.* ap. *Non.* 1, 14. Trimodiam, amphoramque eandem temeti, ac farris modium. ℙ *Trimodia satoria*, cujus usus praecipue in serendo. Ex eo enim semina in segetem jaciuntur. Inde est Italicum *tramoggia*. *Colum.* 2, 9. *med.* Nonnulli pelle hyaenae satoriam trimodiam vestiunt, atque ita ex ea, cum paulum immorata sunt semina, jaciunt. *Id.* 12, 50. *med.* Multa ante olivitatem praeparanda sunt, scalae, corbulae, decemmodiae, trimodiae satoriae, quibus districta bacca suscipitur, etc. Adde *ib.* 18. ℙ Ap. *Varr.* leg. et *tremodia.*

TRĪMODĬUM, ii, n. τριμέδιμνος, τρίψικτος, mensura trium modiorum. *Pl. Men. prol.* 14. Nunc argumentum vobis demensum dabo, Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo. *Plin.* 33, 1, 6. Neque enim aliter potuissent trimodia illa anulorum Carthaginem ab Annibale mitti.

*TRIMONTĬUM, i, n. Sic tandem dicta est Philippopolis, urbs Thraciae, a tribus montibus, quibus insidet, scilicet. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

TRĪMŬLUS, a, um, adj. dicitur de puero trimo. *Suet. Ner.* 6. Trimulus patrem amisit. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 9. Nepotem trimulum amisi. *F.*]

TRĪMUS, a, um, adj. τριετής, trium annorum: videtur esse vox contracta ex *tri* et *annus*; hinc prima syllaba longa est. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* de vaccis: Non minores oportet inire bimas, ut trimae pariant; et *ib.* 7. *med.* Post annum et sex menses equulum domari posse, sed melius post trimum. *Plin.* 8, 50, 76. Caprae ante trimas minus utiliter generant. *Hor. Od.* 3, 11, 9. equa trima. *Pl. Rud.* 3, 4, 39. Filia, trima quae periit mihi. *Plin.* 17, 11, 16. Arborem nec minorem bima, nec majorem trima transferri. *Id.* 18, 24, 54. Semen optimum anniculum, bimum deterius, trimum pessimum. *Id.* 36, 23, 55. In antiquarum aedium legibus invenitur, ne recentiore trima calce uteretur redemptor. *Pall.* 4, 11. *med.* Vaccae aetatis trimae.

TRĪNACRĬA, ae, f. Τριναχρία, nomen Siciliae a tribus ejus promontoriis, Pachyno, Peloro, Lilybaeo, ἄκρα enim summitas, et promontorium est. V. TRIQUETRUS. Describitur a *Claud. Rapt. Pros.* 1. a *v.* 140. Vox est adjectiva, et *insula* subintelligitur. *Virg. A.* 3, 440. Trinacria fines Italos mittere relicta; et 582. intremere omnem Murmure Trinacriam. Adde *Just.* 4, 2. ℙ Etiam Rhodus olim sic dicta est. *Plin.* 5, 31, 36.

TRĪNACRIS, idis, f. Τριναχρίς, quae ad Trinacriam spectat, Sicelis. *Ov. Fast.* 4, 419. Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor Trinacris: a positu nomen adepta loci. *Id. Met.* 5, 347. Trinacris insula. *Id. Trist.* 5, 13, 22. Et careat dulci Trinacris Hybla thymo. ℙ Absolute. *Id. Pont.* 2, 10, 22. Trinacris est oculis, de duce, visa meis, *h. e.* Sicilia.

TRĪNACRĬUS, a, um, adj. Τριναχρίος, ad Trinacriam pertinens. *Virg. A.* 3, 429. Trinacrius Pachynus; et *ib.* 4, 384. Trinacria unda. *Ov. Fast.* 4, 287. Trinacrium mare. *Virg. A.* 4, 554. Trinacria Aetna; (quae *Catullo* 68, 53. est Trinacria rupes.) et *ib.* 5, 450. pubes; et *ib.* 1, 200. Trinacrium litus; et *ib.* 5, 473. Trinacrii equi; et 530. viri.

TRĪNĒPOS, otis, m. τριτέγγονος, quintus nepos, filius adnepotis mei, vel adneptis meae: et refertur ad tritavum. Nepotum enim hic est ordo: nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos: quibus si praemittas filium, sex erunt cognationis gradus a primo patre. Post trinepotem qui sunt, proprio carent vocabulo, et *posteriores* vocantur. *Cajus Dig.* 38, 10, 2. et *Paul. ib.* 10. V. ADNEPOS *f.*

TRĪNEPTIS, is, f. τριτεγγόνη, filia adnepotis, vel adneptis meae. V. dict. praec. et loca ibi laudata.

TRINICĬUM Carmen constat monometro acatalecto, ut est hoc: Calidum jubar est. *Servius* in *Centimetr.* p. 1821.

TRĪNĪTAS, atis, f. τριάς, numerus tria continens. *Tert. adv. Valent.* 17. Facta exinde trinitas generum est ex trinitate causarum. ℙ Antonomastice Trinitatis nomine significantur tres Divinae Personae, de quibus *Tert. adv. Prax.* et alibi saepe, *August.*, *Prud.*, multique praeterea rei Christianae scriptores.

*TRĪNĬUS (sc. fluvius), i, m. vel Trinium (sc. flumen), i, n. in Italia, in finibus Samnitium ac Frentanorum, in mare Hadriaticum influens. *Plin.* 3, 12. Flumen Trinium: *ubi casus rectus est.* Hodie *Trigno* audit, indicantibus *Cellario* atque *Harduino*. *B. A.*

*TRINOBANTES, populi Britanniae orientales, penes Iamesam aestuarium, ut auctor est *Ptolemaeus*, apud quem Τρινόαντες appellantur. *Caes. B. G.* 5, 20. *in.* et 21. *B. A.*

TRĪNOCTĬALIS, e, adj. trium noctium. *Mart.* 12, 77. sed ipse Divum Offensus genitor trinoctiali Affecit domicoenio clientem.

TRĪNOCTĬUM, ii, n. τριτύχτιον, trium noctium spatium. *Fab. Pictor* ap. *Gell.* 10, 15. De eo lecto trinoctium continuum non decubat. Ipse *Gell.* 3, 2. *f.* Non posse impleri trinoctium, quod, etc. *Auson. Idyll.* 11, 34. Trina Terentino celebrata trinoctia ludo. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 5. Ludis trinoctio factis.

TRĪNODIS, e, adj. τρίοζος, tres habens nodos. Est appositum clavae Herculis, ap. *Ov. Her.* 4, 115. Ossa mei fratris clava perfracta trinodi. Adde *Fast.* 1, 575. ℙ Translate. *Auson. ep.* 21, 38. trinodem dactylum Vidi paratum crucianti canterio: Spondeus illi lentipes ibat comes, *h. e.* trisyllabum.

[TRĪNŌMĬNIS, e, adj. τριώνυμος, tria habens nomina. *Hieron. ep.* 108. *n.* 9. Ingressa est Hierosolymam urbem trinominem, Jebus, Salem, Jerusalem, quae ab Aelio postea Hadriano de ruinis et cineribus civitatis in Aeliam suscitata est. *Id. adv. Lucifer.* 12. Aut tria nomina audiens, tres Deos credidit, et idololatra effectus est: aut in tribus vocabulis trinominem credens Deum, in Sabellii haeresim incurrit. *F.*]

TRINSO. V. TRISSO.

TRĪNUMMUS, vel Trinumus, i, m. nomen est Plautinae comoediae, inde ductum, quia sycophanta quidam inducitur operam suam tribus nummis locans ad artes nugatorias, ut ibi legitur 4, 2, 1.

TRĪNUNDĪNUM, i, n. spatium dierum septendecim, intra quos nundinae Romae ter habebantur, quia nono quoque die populus ad mercatum conveniebat, ut in NUNDINAE dictum est. Ternae enim nundinae cum diebus interjectis conficiunt eam, quam posuimus, summam dierum; non, ut quidam existimant, septem et viginti. Est autem *trinundinum* syncope ex *trinum nundinum*. Per id tempus leges proponebantur, ut, antequam perferrentur, posset eas populus considerare: comitia creandis magistratibus indicebantur, ne repente suffragium ferrent pro eo, quem creasse mox poeniteret; et ut candidati spatium haberent prensandi. Accusationes quoque et judicia populi trinundino intermisso habebantur, ut et reo defensionis, et populo judicii recte ferendi spatium esset. *Cic. Fam.* 16, 12. *med.* Neque se jam velle, absente se rationem haberi sui: se praesente trinundinum petiturum. *Liv.* 3, 35. Comitia decemviris creandis in trinundinum indicta sunt. Alii hoc et superiore loco leg. *trinum nundinum*. Rursus *Cic. fragm.* ap. *Prisc.* 7, 733. Primo ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset. *Prisc.* putat *trinundinum* dici pro *trinundinarum*, ut *amphorum* pro *amphorarum*: aliis placet esse ellipsim, qua praeposit. *in* omittatur. Sic *Phil.* 5, 3. Ubi lex Caecilia, et Didia? ubi promulgatio trinundinum? et *Dom.* 17. *f.* Sit accusatio trinundinum, prodicta die, qua die judicium sit futurum. ℙ Haec autem non ita accipienda sunt, ut ipsis tertiis nundinis aut lex ferretur, aut comitia haberentur, aut de reo judicium a populo fieret; sed ut priusquam haec fierent, et postquam indicta essent, trinae nundinae intercederent. V. NUNDINAE. ℙ Adjective. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.* Scita atque consulta trinundino die proposita, a singulis atque universis facile noscebantur.

TRĪNUS, a, um, τρισσός, adjectivum numerale distributivum, idem ac *ternus*: quare in libris saepe unum pro altero ponitur. *Caes. B. G.* 5, 51. Ipse cum tribus legionibus circum Samarobrivam trinis hibernis hiemare constituit, *h. e.* singulis hibernis castris singulae legioni positis. *Suet. Ner.* 56. Iunculam cellarem trinis in die sacrificiis colere perseveravit. ℙ Extra distributionem. *Cic. Att.* 11, 17. Tullia mea venit ad me, litterasque reddidit trinas. *Caes. B. G.* 7, 46. Milites celeriter ad munitionem perveniunt, eaque, transgressis trinis castris, potiuntur. *Liv.* 9, 43. Trinis castris intra paucos dies exsuti. *Id.* 10, 18. Litteras ad collegam arcessendum missas, in trinis annalibus invenio. *Ov. Fast.* 4, 480. trina cornua; et *ib.* 6, 216. nomina. *Suet. Aug.* 45. *f.* theatra. *Sen. Herc. Fur.* 783. Stygius canis trina capita concutiens. *Plin.* 2, 31, 31. Trinos soles antiqui saepius videre. ℙ In singulari triplex. *Stat. Silv.* 4, 9, 15. tua dicta, Quae trino juvenis foro tonabas. V. FORUM. *Auson. Idyll.* 11, 63. Interdictorum trinum genus; et 66. Trinum dicendi genus est. ℙ Negat *Varro L. L.* 9, 3. *med.* recte dici *nuptiae tres*, aut *tres bigae*, sed *trinae*. Ex quo fuere qui crederent, *trinus* jungi cum iis tantum, quae carent singulari numero. Sed contra sunt loca *Livii*, *Ovidii*, *Senecae*, *Plinii* allata.

TRĪŌBŎLUS, i, m. τριόβολος, nummus tres obolos valens, *h. e.* drachmae dimidium. Senos enim obolos drachma efficit. Trioboli nota ab altera parte effigiem Jovis, ab altera noctuam habebat. *Pl. Bacch.* 2, 3, 26. Negare, sese debere tibi triobolum. *Id. Rud.* 5, 2, 43. Postulo talentum magnum: non potest triobolum hinc abesse. ℙ *Homo trioboli*, nequam, et nullius pretii. *Id. Poen.* 1, 2, 168. Non ego homo trioboli sum, nisi illi mastigiae exturbo oculos. ℙ De pondere dimidiae drachmae. *Cato. R. R.* 127. Puero dato pro aetate triobolum, et vini heminam. V. INTRIBULATUS.

[TRĪŌCĂLĪNUS, a, um, adj. Τριοχαλῖνος, ad Triocalam pertinens, mediterraneum Siciliae oppidum, inter fluvios Himeram et Crimissum, in cujus nummis ap. *Sestin. Class. gen.* p. 22. *TPIOK.* Videtur fuisse, ubi nunc *S. Maria di Monte-vergine;*

de quo meminit *Sil.* 14, 740. Et mox servili vastata Triocala bello. *Diodor. Sic.* in *Excerpt.* ex *lib.* 36. ait, ita vocatum διὰ τὸ τὰ τρία καλὰ ἔχειν. *Cic. Verr.* 2, 5, 4. In Triocalino (*scil.* agro), quem locum fugitivi jam ante tenuerunt, Leonidae cujusdam Siculi familia in suspicionem vocata est conjurationis. ℙ *Triocalini, orum*, absolute, incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 8, 14. Triocalini, Tiracienses, Zanclaei. *F.*]

TRIODEIUS, a, um, adj. ad Triviam pertinens, nempe Dianam, quae Graece Τριοδῖτις dicitur, a τρίοδος, trivium. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 6. et *Mur.* 387, 2. Et veneranda movet Cybeles triodeia signa. Hic Cybeles cum Diana confunditur, quae etiam Hecate appellatur. Hinc *Inscr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 150. Hecates ministram trina secreta edoces.

TRIONES, um, m. plur. βόες, boves. *Varr. L. L.* 6, 4. Triones etiam nunc boves appellantur a bubulcis, maxime cum terram arant: e quibus valentiores dicti glebarii, quod facile glebas proscindant. Sic omnes, qui terram arabant, a terra teriones. Unde triones, ut dicerentur a detritu: et *mox:* Possunt triones dici septem, quod ita sitae stellae, ut terna trigona faciant. Adde *Gell.* 2, 21. ℙ Triones item dicuntur duo Arcti, seu duae Ursae, major, et minor, quae sunt duo signa coelestia prope Aquilonem, et Circulum hiemalem sita, quia utriusque signi stellae plaustrum, et boves junctos referunt. *Cic. N. D.* 2, 41. Altera dicitur esse Helice, cujus quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus, Quas nostri septem soliti vocitare triones. *Virg. A.* 3, 516. Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque triones. *Ov. Met.* 2, 171. gelidi. *Mart.* 7, 80. Odrysii. *Id.* 9, 46. Hyperborei; et 6, 58. Parrhasii. *Claud. III. cons. Hon.* 205. pigri; et *IV.* 473. Scythici. *Id. Gigantomach.* 11. inoccidui. ℙ In singulari num. ap. *Ov. Met.* 10, 446. interque Trionem Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes. Alii leg. *Triones*; et *ib.* 1, 64. Scythiam, Septemque trionem Horrifer invasit Boreas. Sed hoc loco τριήοις est vocis *Septentrio*, qua utitur etiam *Virg. G.* 3, 381. ℙ Fuit *Trio* cogn. R., ut L. Lucretius Trio: hinc in nummis G. Lucretiae ap. *Morell. Thes. numism. fam. R. n.* 2. et 3. videre est lunam, et septem stellas, seu triones cum inscriptione *L. Lucreti. Trio.*

TRIONYMUS, a, um, adj. τριώνυμος, tria habens nomina, trinominis. *Prisc.* 2, 580. In propriis quoque (*nominibus*) hanc vim habent (*ut diversis nominibus idem significent*) dyonyma, vel trionyma, vel tetraonyma, ut P. Cornelius Scipio Africanus. *Sulpic. Sev.* 2. *Hist. Sacr.* 42. Suspecti habebamur, trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse. V. *Hieron. l. c.* in TRINOMINIS.

TRIOPEIS, idis, f. et

TRIOPEIUS, a, um, adj. patron. V. DRYOPEIUS.

*TRIOPES vel Triopas, ae, m. Τριόπης, Τριόπας, rex Thessaliae, pater Erisichthonis. *Hygin. Astron.* 2, 14. Cf. *Callim. H. in Cer.* v. 24. V. et *Dryopeius. B. A.*

TRIOPHTHALMUS, i, m. gemmae genus in Sicyonia, quod trium oculorum effigiem prae se fert. *Plin.* 37, 11, 71. Triophthalmus cum onyche nascitur, tres hominis oculos simul exprimens.

*TRIOPIA, ae, f. olim dicta est Cnidos insula. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

TRIORCHES, ae, m. τριόρχης, avis ex accipitrum genere, a τρεῖς, tres, et ὄρχις, testiculus, quia tres testiculos habet. *Plin.* 10, 8, 9. Triorchem a numero testium, cui principatum in auguriis Phemonoe dedit: buteonem hunc appellant Romani. [*Der Bussard, Unkenfresser, die Sumpfweihe*, Falco Buteo, *L.*]

TRIORCHIS, is, f. herba ex genere centaurii. *Plin.* 25, 6, 32. Tertia est centauris, cognomine triorchis. Qui eam secat, rarum est, ut non vulneret sese. Haec succum sanguineum mittit. Theophrastus defendi eam, impugnarique colligentes tradidit a triorche accipitrum genere, a quo et nomen accepit.

TRIPALIS, e, adj. qui tribus palis sustinetur. *Varr.* ap. *Non.* 3, 171. Quid tu? non vides, in vineis, quod tria pala habeant, tripales dici?

TRIPARCUS, a, um, adj. nimis parcus, sordidus, tenax. *Pl. Pers.* 2, 3, 14. Triparcos homines, vetulos, avidos, aridos.

TRIPARTITO et Tripertito, adv. τριμερῶς. *Cic. Tusc.* 5, 14. Bona tripertito dividere. *Liv.* 21, 7. Urbem tripartito aggredi.

TRIPARTITUS et Tripertitus, a, um, part. ab inus. *tripartior:* in tres partes divisus, τριμερής. *Cic. Off.* 3, 2. *f.* Divisio tripartita. *Id. Verr.* 2, 3, 5. *f.* Causa tripertita. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. §. 38. Exstat ejus (*h. e.* Sex. Aelii) liber, qui inscribitur Tripertita, quoniam lege XII. Tabular. praeposita, jungitur interpretatio, dein subtexitur legis actio.

TRIPATINUM, i, n. trium ferculorum epulae. *Plin.* 35, 12, 46. Tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa coenarum lautitia: una erat muraenarum, altera luporum, tertia myxonis piscis.

TRIPECTORUS, a, um, adj. τρίστερνος, τρίστηθος, tria habens pectora. *Lucr.* 5, 28. Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?

TRIPEDALIS, e, adj. τριπόδης, trium pedum mensuram habens. *Varr. R. R.* 3, 9. Fenestrae latitudine tripedali. *Liv.* 38, 21. *f.* Parma tripedalis. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Altitudo tripedalis. *Id.* 18, 30, 73. Paries tripedali crassitudine. *Id.* 27, 12, 79. Herba caulem habens tripedalem.

TRIPEDANEUS, a, um, adj. idem ac tripedalis. *Cato R. R.* 45. Taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito. *Colum.* 3, 2. Tripedaneae vites. *Id.* 5, 5. Scrobs in longitudinem et altitudinem tripedaneus. *Plin.* 34, 6, 11. Tripedaneae statuae.

TRIPERDITUS, a, um, adj. plane perditus: ea ratione, qua *trifur, triparcus, triveneficus*, et alia. *Priperdita* inscribebatur comoedia *Novii*, ex qua fragmentum recitat *Non.* 3, 162.

TRIPERTITUS. V. TRIPARTITUS.

TRIPES, ĕdis, adj. omn. gen. τρίπους, qui habet tres pedes. *Hor. Sat.* 1, 3, 13. modo sit mihi mensa tripes. *Mart.* 12, 32. Ibat tripes grabatus, et bipes mensa. *Liv.* 40, 2. et 45. Quod tripedum mulum Reate natum, nunciatum erat. *Auson. Idyll.* 11, 39. Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus. ℙ *Tripes* absolute dicitur instrumentum cocorum, quod Itali *treppiede* vocant. V. FRIXURA.

TRIPETIA, ae, f. ita vocabatur a Gallis rusticis sellula tribus pedibus fulta, teste *Sulpic. Sev. dial.* 2, 1. [Sedebat Martinus in sellula rusticana, ut sunt istae in usibus servulorum, quas nos rustici Galli tripetias, vos scholastici, aut certe tu, qui de Graecia venis, tripodas nuncupatis. V. TRIPUS. *F.*]

TRIPHALLUS, i, m. τρίφαλλος, cogn. Priapi, et significat eum, qui magnum phallum habet: nam *tri* in compositione auget. *Auct. Priap.* 83, 9. At o, Triphalle, saepe floribus novis Tuas sine arte deligavimus comas. Alii leg. *Priape. Varro* unam ex suis satyris Menippeis inscripsit *Triphallus*, ἢ περὶ ἀῤῥενότητος, ex qua fragmentum recitat *Non.* 2, 484. et *Charis.* 1, 61. Unam quoque e suis *Naevius* ap. *Gell.* 2, 19., ubi alii, ut etiam ap. *Varr. l. c.*, leg. *Ithyphallo.*

*TRIPHYLIA, ae, f. regio Peloponnesi, in Elide. *Liv.* 28, 8. 32, 5. 33, 34. ℙ Et Epiri regio. *Id.* 32, 13. ubi tamen *Gronovius* omnino: *Stymphaliam inter et Elimiotidem. Drakenborchius* legit: *In Stymphaea terrae Elimiotidos. B. A.*

TRIPICTUS, a, um, part. ab inus. *tripingo. Prud. Apoth.* 381. de titulo Crucis Christi: Pilatus jubet ignorans: i, scriba, tripictis Digere versiculis, quae sit suffixa potestas, *h. e.* triplici lingua scriptis.

[TRIPISTA, ae, f. *Pelag. Vet.* 6. §. 19. Petroselini Macedonici sem., dauci — l., myrrhae l, spicae nardi —, costi —, tracanti, tripistae —, acori — l, piperis —, croci —, guttae ammoniacae —, cassiae — l. etc. Haec eadem exscripsit *Veg. Vet.* 3, 68. *in.* Petroselini Macedonici unciam unam semis, dauci unam, myrrhae, spicae nardi, costi, tragacanti singulas uncias, acori, piperis, sacchari ana unciam unam, guttae ammoniacae uncias duas, cassiae unciam unam, etc. Ex horum locorum comparatione patet, *tripistae* esse vocem nihili, et positam perperam fuisse pro *singulas*, alias vero discrepantias lector per se facile viderit, et qua ratione componendas cognoverit. *F.*]

TRIPLARIS, e, adj. Triplaris numerus est, cum de duobus numeris minor ter in majore numeratur, ut sunt tria ad unum, quindecim ad quinque, viginti septem ad novem. Haec *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. *med.*, qui hac voce utitur etiam *Sat.* 1, 6. et al. ℙ [Item *triplaris*, vel *triplicarius* in militia, aut in decuriis servorum vel libertorum dicebatur, qui triplicem annonam beneficii loco accipiebat; ut *duplaris* vel *duplicarius*, qui duplicem; et *sesquiplaris* vel *sesquiplicarius*, qui sescuplam. *Inscr.* ap. *Mur.* 844, 6. Q. Pomponio Vero Eq. III. Pl. Aurel. A. F. (*h. e.* equiti triplari Aureliani Augusti fecit) Abucius Pius Nat. Vind. Com. S. B. M. (*h. e.* natione Vindelicus commilitoni suo bene merenti.) Alia ap. *eund.* 690, 2. Ti. Claudio Aug. L. Felici immuni triplicario benemerenti ex consensu decuriae universae, etc. *F.*]

TRIPLASIUS, a, um, adj. τριπλάσιος, triplaris. *Capell.* 9. p. 322. Atque est in triplasia ratione, ut quatuor ad duodecim.

TRIPLEX, icis, adj. omn. gen. τριπλοῦς, tribus rebus constans. *Cic. Tusc.* 1, 10. Plato triplicem finxit animam: cujus principatum, id est rationem, in capite posuit; iram in pectore; cupiditatem subter praecordia locavit. *Id. Acad.* 1, 5. Philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus: altera de natura et rebus occultis: tertia de disserendo. *Ov. Met.* 9, 184. nec me pastoris Iberi (*Geryonae*) Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit. *Virg. A.* 10, 202. gens triplex, *h. e.* tres populi, vel unus populus in tres tribus divisus, ut ait *Serv. Ov. Met.* 12, 594. triplex cuspis, *h. e.* tridens Neptuni. *Id. Her.* 12, 79. triplex Diana, *h. e.* quae eadem in coelo est Luna, Diana in terris, Hecate apud Inferos. *Id. Met.* 12, 40. triplex mundus, *h. e.* coelum, terra, mare. Sic *ib.* 5, 368. de Plutone: Cui triplicis cessit fortuna novissima regni. *Id. ib.* 3, 33. triplici stant ordine dentes. *Hor. Od.* 1, 3, 9. et *Virg. A.* 10, 784. aes triplex, *h. e.* tribus laminis constans, vel crassissimum. *Ov. Fast.* 3, 801. et *Virg. A.* 6, 549. triplex murus. ℙ *Triplices*, tres. *Ov. Met.* 8, 453. et 481. triplices sorores, et triplices Deae, *h. e.* Parcae. Sic *Ib.* 76. Quaeque ratum triplici pollice netis opus. *Id. Met.* 4, 425. triplices Minyeides, *h. e.* tres sorores Minyae filiae. *Prop.* 3, 15, 24. triplices greges, *h. e.* tres coetus bacchantum, quorum duces tres erant feminae, ut est ap. *Ov. Met.* 3, 713. ℙ *Triplices*, codicilli, pugillares trium tabellarum, ad scribendum, ut *duplices* duarum. *Mart.* 7, 72. et 10, 87. Nec vani triplices, brevesque mappae. *Id.* 14, 6. Tunc triplices nostros non vilia dona putabis, Cum se venturam scribet amica tibi. *Cic. Att.* 13, 8. Nihil erat, quod ad te scriberem: modo enim discesseras, et paulo post triplices remiseras. ℙ *Triplex*, triplum. *Liv.* 45, 40. et 43. Pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti. *Scrib. Comp.* 218. Emplastrum recipit singulorum pondo libram, olei veteris triplex adjicitur. ℙ *Triplex* dicitur etiam qui ter aliquid perficit. V. QUADRUPLEX. ℙ *Triplex*, magnus, multus. Hoc sensu *triplici fluctu* (τριχυμίᾳ) dixit *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad illud *A.* 1, 120. ast illam ter fluctus ibidem Torquet agens circum. [Hinc etiam *trifur, trifurcifer, triphallus* etc. dicitur. ℙ In ablat. sing. *triplice* pro *triplici* scripsit *Prud. Apoth.* 383. Fronte crucis, titulus sit triplex triplice lingua. Adde *Venant carm.* 7, 4, 12. *F.*]

TRIPLICABILIS, e, adj. qui triplicari potest. Pro *triplici* usurpat *Sedul.* 1, 281. de Ss. Trinitate: Semper ut una manens Deitatis forma perennis Quod simplex, triplicet, quodque est triplicabile, simplet.

TRIPLICARIUS, ii. V. TRIPLARIS.

TRIPLICATIO, onis, f. actus triplicandi. *Macr. Somn. Scip.* 1, 20. *med.* Secundum triplicationem cum septimae partis adjectione. V. QUADRUPLICATIO. *Firm. Math.* 2, 26. *f.* Nulla vel duplicatione. Adde *Capell.* 7. p. 246. et al. ℙ Ap. JCtos *triplicatio* est secunda actoris defensio contra rei duplicationem opposita, seu triplicatio est id, quod tertio loco post actionem refertur, atque in judicium objicitur. *Cajus Dig.* 27, 10, 7. et *Justin. Instit.* 4, 14. §. 2.

TRIPLICATUS, a, um, part. a *triplico:* triplex effectus. *Plin.* 7, 48, 49. Cornici novem nostras tribuit aetates Hesiodus, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. [*Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Oscines corvi voce triplicata puniceam surgentis aurorae facem consalutantes. *F.*]

TRIPLICES. V. TRIPLEX.

[TRIPLICITER, adv. τρισσῶς, trifariam, tribus modis. *Auct. ad Her.* 4, 42. Commutabimus tripliciter: verbis, pronuntiando, traducendo. *Capell.* 3. p. 54. L vero littera tripliciter sonat. *F.*]

TRIPLICO, as, a. l. τριπλασιάζω, tribus vicibus multiplico. *Macr. Somn. Scip.* 1, 20. *med.* Triplicabis septem, et faciunt viginti unum. *Manil.* 3, 573. triplicabit Aquarius annos. *Gell.* 1, 20. Idem ipse numerus triplicatur. V. TRIPLICABILIS.

TRIPLINTHIUS. V. DIPLINTHIUS.

TRIPLUS, a, um, adj. idem ac triplex. *Cic. Univ.* 7. *med.* Deinde tertiam, quae esset secundae sesquialtera, primae tripla.

[TRIPODATIO, onis, f. actus tripodandi, tripodum, tripudium. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. a. *lin.* 38. Post tripodationem deinde signo dato publici introierunt, et libellos acceperunt. *F.*]

TRIPODES. V. TRIPUS.

TRIPODIUS, a, um, adj. ita appellatur pes trisyllabus prima brevi, duabus reliquis longis, qui et bacchius, et pariambus dicitur. *Diomed.* 3, 475.

[TRIPODO, as, avi, atum, n. l. salto, pedibus terram pulso, idem ac tripudio. Sunt qui verbum utrumque a *ter* et *pedes* derivant ex illo *Hor. Od.* 3, 18, 15. Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram; et *Ov. A. Am.* 1, 111. Dumque, rudem praebente modum tibicine Tusco, Ludius aequatam ter pede pulsat humum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. a. *lin.* 31. Ibi sacerdotes clusi, succincti, libellis acceptis, carmen descindentes (V. DISCINDO.) tripodaverunt in verba haec: Enos Lases juvate, enos Lases juvate. Putant nonnulli, hoc verbum ex *tripus, odis*, deductum, et ex iis motibus, quos Pythia ex mensa tripede responsa ferens patiebatur, sive ex iis choreis, quae circa tripodem ducebantur, sacros illos sacerdotum saltus significatos fuisse; nisi forte a *pes, pedis*, derivare hanc vocem magis placeat, quod nempe sacerdotes ita metricis modis terram pulsarent, ut tribus pedibus saltare viderentur. Solemnis hujus cantus atque saltatus prima veluti vestigia ap. *Liv.* 1, 20. Salios item duodecim Marti Gradivo legit Numa, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, solemnique saltatu jussit. Porro, quemadmodum *saltare fabulam, Cyclopem; Oedipodem, saltare carmina* significat haec omnia solo gestu agere, et spectatoribus intelligenda exhibere (V. SALTO.); ita *carmen tripodare in verba haec* significat carmen cum saltatu pronuntiare; verbumque *tripodo* ad ea refertur, quae activa dicuntur. *Veg. Mil.* 2, 23. Saltus quoque et ictus facere pariter assuescant (*ju-*

niores milites), insurgere tripodantes in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire. Alii pro *tripodantes* rectius legunt *trepidantes*. ℙ Etiam de equis usurpatur, qui etiam *trepidiarii* dicuntur. *Pelag. Vet.* 11. *med.* Hoc autem vitium a labore contrahitur, si aut in duro, aut inter lapides equus fortiter tripodaverit, aut burdo majorem sarcinam tulerit, aut mula diu juncta laboraverit. *F.*]

[TRĬPODUM, i, n. idem ac tripodatio, et de equis usurpatur. *Pelag. Vet.* 17. *med.* Post hanc curam cooperimus (*equum*) sagis, et in sole calido sedentes exercemus tripodo usque ad sudorem. *Sarchianius* interpres Italus vertit: *sotto la sferza del sole al galoppo.* Inde ita sumpsit *Veg. Vet.* 3, 47. *med.* Post curam operitur (equus) sagis, et in sole calido exercetur a sessore trepidans, dum sudet. *F.*]

TRĬPOLITĀNUS, a, um, adj. ad Tripolim pertinens. [Plures fuerunt hoc nomine urbes. Inter praecipuas est Tripolis Africae, maritima cum portu, apud Syrtim minorem. *Eutr.* 8, 18. Oriundus ex Africa, Tripolitana provincia, oppido Lepti. Hinc *Tripolitani*, *orum*, absolute, ejus urbis incolae ap. *Ammian.* 28, 6. *med.* Qua spe Tripolitani frustrati. ℙ Alia est in Phoenicia, Syriae provincia, de qua *Plin.* 5, 20, 17. Hinc *Tripoliticus*, *a*, *um*. V. v. sq. ℙ Alia in Thessalia, cujus *Liv.* 42, 55. meminit. *Id.* 36, 10. Depopulatus est agrum Tripolitanum. ℙ Item alia in Lydia, cujus incolas *Tripolitanos* memorat *Plin.* 5, 29, 30. *F.*]

TRĬPOLITĬCUS, a, um, adj. Tripolitanus, ut Tripoliticum vinum. *Plin.* 14, 7, 9. circa Tripolim Syriae nascens.

[TRĬPŌLIUM, ii, n. τριπόλιον, herba, cujus meminit *Plin.* 26, 7, 22. Tripolium in maritimis nascitur saxis, ubi alludit unda, neque in mari, neque in sicco, folio isatis crassiore, palmo alto, radice alba, odorata; eadem videtur quibusdam, quae polium. V. POLION. *F.*]

[TRĬPONTIUM, ii, n. locus, ubi sunt tres pontes. *Not. Tir.* p. 179. Pons, tripontium, subpontium. Hinc eodem nomine, nunc *Treponti*, vocatur locus ad viam Appiam haud longe a Foro Appii. *Inscr.* ap. *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 2. p. 129. Imp. Caesar Nerva Aug. viam a Tripontio ad Forum Appii ex glarea silice sternendam sua pecunia inchoavit. *F.*]

TRĬPORTENTUM, i, n. magnum portentum. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Deorum triportenta.

*TRIPSĂCA, ae, f. herba quaedam. *Theod. Prisc. de Diaeta*, c. 9. *Bail.*

TRIPTŌLĔMĪCUS, a, um, adj. ad Triptolemum pertinens, ut Triptolemicus dens, *h. e.* aratrum, vel sarculus ap. *Fulg. Myth. prol.* 1. p. 604. *Stav.* [Quo septa herbosis radicibus tellus Triptolemicum contumax abnueret dentem. *F.*]

TRIPTŌLĔMUS, i, m. Τριπτόλεμος, filius Celei, regis Eleusinis, et Metanirae, qui primus in Graecia agriculturae rationem creditur invenisse. Alii dicunt fuisse Atheniensem. Cum ejus pater Cererem filiam quaerentem liberalissime hospitio suscepisset, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturae, filium etiam ejus Triptolemum recens natum, per noctem igne fovit, per diem divino lacte nutrivit, et eum alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit ad usum frumentorum hominibus indicandum. *Auct. ad Her.* 4, 6. Si Triptolemus, cum omnibus semen largiretur, ipse ab aliis hominibus id mutuaretur. *Ov. Trist.* 3, 8, 1. Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus, Misit in ignotam qui rude semen humum. Adde *Stat. Silv.* 4, 2, 35. ℙ Ipsam fabulam narrat *Ov. Fast.* 4. a *v.* 507. ℙ *Triptolemo fruges dare*, proverb. ap. *eund. Pont.* 4, 2, 10., dare alicui id, quo maxime abundat.

TRIPTOTA. V. DIPTOTA.

TRĬPŪDĬO, as, n. 1. χορεύω, salto, pedibus terram pavio. [*Originationem v. in TRIPUDIUM.] *Petr. Sat.* 36. Ad symphoniam quatuor tripudiantes procurrerunt. *Sen. Tranq.* 15. *med.* Scipio triumphale illud et militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, sed ut illi antiqui viri solebant virilem in modum tripudiare. *Venant. carm.* 8, 4, 4. Creditur et sacro tripudiare gradu. Hic licenter prima in *tripudiare* producitur. *Mamert. Genethl.* 10. *f.* Cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare; et *Grat. act. ad Jul.* 29. Tripudiabat crebris saltibus multitudo. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 41. Sed illum tot jam in funeribus reipublicae exsultantem ac tripudiantem legum, si posset, laqueis constringeret. [*Sidon. ep.* 3, 3. *med.* Licet multi complexibus tuorum tripudiantes adhaerescerent. *F.*]

TRĬPŪDĬUM, ii, n. auguralis vox, qua significatur auspicium ex pullorum pastu, cum pullis vescentibus aliqua offae particula illis ex ore in terram excidebat. *Cic. Div.* 2, 34. Sed quia cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est. Hoc quidem jam tripudium dicitur. Cum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant. Ergo hoc auspicium divini quicquam habere potest, quod tam sit coactum et expressum? Quo antiquissimos augures non esse usos, argumento est, quod decretum collegii vetus habemus, Omnem avem tripudium facere posse. Haec *Cicero*. Hoc genus auspicii fuit proprium rerum gerendarum, idest imperatoris in bello: eique consules, praetores, dictatoresque paruerunt, qui foris rem gesserunt. Hujus haec fuit consuetudo: singulis magistratibus, qui imperium haberent, pullarii praesto erant: hi jussu eorum, antequam proelium inciperetur, esurientes pullos e cavea emittebant, iisque offam objiciebant, et diligenter spectabant, an pascerentur, et quomodo pascerentur, atque rei eventum ex eorum pastu conjiciebant. Nam si, offa objecta, aliquid e pullorum pascentium ore in terram cecidisset, auspicium prosperum habebatur, sin minus, infaustum. (*Fest.* in *Puls.*) Faustissimum vero erat, si integrae offae ex pullis caderent, quo significabatur universum hostium exercitum prostratum iri; infaustum, si nihil caderet; infaustissimum, si pulli non pascerentur. *Liv.* 10, 40. Tertia vigilia noctis Papirius silentio surgit, et pullarium in auspicium mittit. Cum pulli non pascerentur, auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nuntiavit. Consul laetus auspicium egregium esse, ac Deis auctoribus rem gesturos pronuntiat, signumque pugnae proponit. Adde *Suet. Tib.* 2. ℙ Hoc auspicium fuit proprium eorum imperatorum, qui in consulatu, praetura, dictatura provinciam lege curiata obtinuissent: hi non nisi addicentibus pullis rem ullam aggrediebantur: at proconsules, et propraetores, qui ex privatis provincias, et bella plebiscito, et comitiis tributis obtinuerant, tripudium non observabant. *Cic. Div.* 2, 36. Quam multi anni sunt, cum bella a propraetoribus, et proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. ℙ Est etiam saltatio, qua pedibus terra pulsatur, et pavitur, χορεία. *Liv.* 25, 17. Armatum exercitum decucurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum et corporum suae cuique genti adsuetis. *Id.* 1, 20. Salios ancilia ferre, ac per urbem ire canentes carmina, cum tripudiis solemnique saltatu jussit. *Catull.* 63, 26. Quo nos decet citatis celerare tripudiis. [*Quibus probari posse videtur hujus vocabuli derivatio, quam *Doederl.* 4, 36. sq. facit a *pultare* antiqua forma verbi *pulsare*.]

TRĪPUS, odis, adj. omn. gen. τρίπους, οδος, qui tres pedes habet, seu fulcra, quibus sustinetur, ut vas, sella, et hujusmodi. Vox Graeca, quae praecipue dicitur de sella, vel mensa tripede in templo Apollinis Delphici, in qua Pythia, seu Phoebas mulier sacerdos sedebat, et responsa dabat. V. PYTHIA, ae. *Cic. N. D.* 3, 16. *med* Ex Jove et Lysithoe est is Hercules, quem concertavisse cum Apolline de tripode accepimus. *Virg. A.* 3, 359. interpres Divum, qui numina Phoebi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis. *Sen. Med.* 86. qui tripodas movet, *h. e.* Apollo, qui oraculum editurus tripodem commovebat: unde *Lucan.* 5, 121. Immotos tripodas, vastaeque silentia rupis (*Appius*) Sollicitat; et *Claud. in Ruf. praef.* 1, 12. tripodas plenior aura rotat. *Ov. A. Am.* 3, 789. Phoebei tripodes. *Id. Fast.* 3, 855. Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet, Quam sterili terrae Delphicus edat opem. ℙ De ipsis oraculis, cujuscumque sint. *Sen. Med.* 885. Sonuistis αὶ αὶ, tripodas agnosco meos. *Val. Fl.* 1, 544. Inde meae quercus, tripodesque, animaeque parentum Hanc pelago misere manum. *Stat. Th.* 1, 509. Salve prisca fides tripodum. ℙ Tripodes mensae, aut sellae erant apud Graecos dona viris fortibus dari solita. *Virg. A.* 5, 110. Munera principio ante oculos, circoque locantur In medio, sacri tripodes, viridesque coronae, Et palmae pretium victoribus, etc. Ubi *Servius:* Sic pulcri, ut sacros putares: vel quales sacrari solent, nec enim sacrilegus erat, ut sacra donaret: et sic dictum est, ut (*Aen.* 3, 466.) Dodonaeosque lebetas, *h. e.* quales sunt in Dodona. *Hor. Od.* 4, 3. Donarem tripodas, praemia fortium Grajorum. ℙ Tripodes sellas, qui pauperiorum esse solent, dixit *Sidon. ep.* 4, 24. *med.* pro *tripedes*. V. TRIPETIA.

[TRĬPUXĪNUM vel Tripyxinum, i, n. collyrium ita fortasse appellatum, quia in tribus pyxidibus, seu capsulis, alia aliam invicem comprehendente, servabatur: a τρὶς, ter, et πύξινος, buxeus. (V. PYXINUM et PYXIS.) *Pelag. Vet.* 30. *med.* Collyrium tripuxinum. Balsami — II., croci — II., myrrhae — II., salis sani (lege *Spani*) — IIII., lepidos — IIII., os (lege *ossis*) sepiae — II., feronitri (lege *afronitri*, vel *aphronitri*, et adde —), alcyonii —, mellis Attici —. Haec eadem ita paucis immutatis refert *Veg. Vet.* 4, 27. *med.* Pelagonius item alia collyria composuit. Opobalsami, croci, myrrhae, salis Hispani (al. *Spani*), lepidis, ossis sepiae, singulas uncias, cadmiae uncias duas, afronitri unciam unam, mellis Attici libram. Vides itaque, hic *Vegetium* posuisse *opobalsami* pro *balsami*, ut legitur ap. *Pelagonium;* item *lepidis* pro *lepidos*, Latina scilicet positione pro Graeca, est enim *lepis*, *idis*, vel *idos;* addidisse *cadmiae uncias duas;* omisisse *alcyonii —;* et *mellis Attici libram* pro *mellis Attici —*, quod prius tamen praestat; nam mel Atticum videtur, ut *Celsi* 6, 6. *n.* 2. verbis utar, esse mixtura, qua temperandum est hujusmodi collyrium; tandem aliquantulum discriminis esse in quantitatibus specierum ab utroque praescriptarum. *F.*]

TRĪQUĔTRUS, a, um, adj. τρίγωνος, tres habens angulos, triangulus. *Lucr.* 4, 654. Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse est. *Caes.* de Britannia, *B. G.* 5, 13. Insula natura triquetra, cujus unum latus est contra Galliam, etc. *Colum.* 5, 2. Ager quadratus, aut longus, aut cuneatus, aut triquetrus, aut rotundus. *Plin.* 2, 25, 23. Triquetra figura, vel quadrata. *Id. ib.* 17, 15. Martis sidus nunquam stationem facere Jovis sidere triquetro, *h. e.* cum distat a Jove tertia coeli parte, *h. e.* gradibus centum viginti: qui trinus aspectus dicitur. Hinc *triquetrum* absolute. *Id. ib.* 15, 12. Errantes tres radiorum solis contactu reguntur, et in triquetro a partibus centum viginti stationes matutinas faciunt; et *ib.* 18, 16. Luna in quadrato solis dividua est: in triquetro seminani ambitur orbe. ℙ *Triquetra* dicta est Sicilia a tribus promontoriis, et triangula specie, ut *Plin.* ait 3, 8, 14. V. TRINACRIA. *Quint.* 1, 6. *med.* significat, quaeri solere, an *triquedra* rectius dicatur, a tribus sedibus seu locis: ἕδρα enim sedes est. *Hor. Sat.* 2, 6, 55. quid? militibus promissa Triquetra Praedia Caesar, an est Italia tellure daturus? *Sil.* 6, 489. Huc Ennaea cohors, Triquetris quam miserat oris Rex, Arethusa, tuus. Adde *Lucr.* 1, 717.

TRĪRĒMIS, e, adj. τριήρης, tres habens remorum ordines, ut navis triremis. *Nep. Dion.* 9. Navem triremem armatis ornat, fratrique suo tradit. *Caes. B. C.* 2, 6. *med.* Conspicatae naves triremes duae navem Bruti, etc. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 20. Trierarchus navi triremi praepositus. *Hirt. B. Afr.* 44. Altera navis triremis ex classe errabunda. ℙ Fere *triremis* absolute dicitur: eratque trina remorum serie instructa, alia super aliam disposita, quarum ima aquae, superior foris propior erat: media inter utramque. Remiges imi θαλαμῖται dicti sunt: medii ζυγῖται; summi θρανῖται, ut *Graevius* adnotavit ad *Flor.* 4, 11., et alii ad illud *Virg. A.* 5, 119. triplici pubes quam Dardana versu Impellunt: terno consurgunt ordine remi. V. dicta in DECEMREMIS. *Ascon. l. c.* Triremis ternos remorum ordines habet: ita et biremis, et quadriremis, et deinceps dicuntur. *Plin.* 7, 56, 57. Triremem Thucydides (*scribit primum fecisse*) Aminoclem Corinthium. *Cic. Verr.* 2, 5, 17. *med.* Navem Cybeam maximam, triremis instar, pulcherrimam atque ornatissimam, etc. *Caes. B. C.* 2, 23. Appulsa ad litus trireme constrata.

TRĪRODĬUM. V. DIRODIUM.

TRIS, tres. V. TREIS.

TRISAECLĪSĒNEX, ecis, adj. omn. gen. qui tria saecla vixit. Epitheton est Nestoris usurpatum a *Laevio* ap. *Gell.* 19, 7.

[TRISCĔLUM, i, n. idem ac triquetra figura: a τρισκελής, tria habens crura, quod a τρεῖς, et σκέλος, crus. *Isid.* enim *Or.* 20, 4. *f.* Trisceles Graece, Latine tripedes. *Hyg. fab.* 176. Sicilia in triscelo posita. Hinc in Siciliae nummis plerumque videre est triplicia crura divaricata cum capite femineo in eorundem medio. *F.*]

TRISCHOENUS, a, um. V. SCHOENUM *f.*

TRISCURRĬA, orum, n. plur. res admodum scurriles, et libero homine indignae, quales fuerunt patriciorum Romanorum exercitationes in arena, et in scenis gladiatorum, et mimorum vices subeuntium: particula *tri* hoc loco auget, quemadmodum in *trifurcifer. Juven.* 8, 190. populi frons durior hujus, Qui sedet, et spectat triscurria patriciorum, Planipedes audit Fabios, ridere potest qui Mamercorum alapas. *Scaliger* legit *transcurria*, h. e. ex cursiones in arena. Alii *triscuria*, h. e. indignam patriciorum curam. Alii denique alia hujusmodi multa comminiscuntur.

TRĪSĒMUS, a, um, adj. τρίσημος, triplex. *Capell.* 9. p. 330. V. DISEMUS.

[TRĪSEXTĬUM, ii, n. mensura tum liquidorum, tum aridorum, continens triplex sextarium. *Not. Tir.* p. 147. Sextarium, bissextium, trisextium, quadrisextium. *F.*]

[TRISMĒGISTUS, i, m. Ἑρμῆς Τρισμέγιστος, Ἑρμῆς μέγας καὶ μέγας (ut vocatur in *Inscr.* trilingui *Rosett.*) Mercurii epitheton, sive Hermetis, qui quasi *ter maximus* dictus, vel *valde maximus:* fuit nepos majoris Mercurii, quem fabulantur fuisse filium Nili. Hunc tamen secundum asserunt occidisse Argum, Aegyptiisque praefuisse, et leges litterasque tradidisse: sed litterarum characteres animalium arborumque figuras habuisse. Hic condidit urbem, quam a se Hermopolin nominavit. Dictus est autem Trismegistus, quod et philosophus maximus, et sacerdos, et maximus denique rex fuerit. Haec ex *Diodoro Sic.* hausit *Baileyus. Lactant.* 1, 6. Ut ei (*Mercurio*) Trismegisto cognomen imponeret (*scientia multarum rerum.*) *Id.* 6, 25. Trismegistus Hermes. ℙ Dialogus, *Asclepius* dictus, de Deo, hominibus et rerum universitate, cujus Latina tantum interpretatio exstat, quae a nonnullis *Appulejo* tribuitur, Trismegisti esse vulgo creditur. *F.*]

TRĪSOMUS. V. BISOMUS.

TRISPASTOS, i, f. τρίσπαστος, *scil.* machina, quae, ut ait *Vitr.* 10, 3. *in.*, per tres orbiculos circumvolvitur. Est autem a τρίς, ter, et σπάω, traho. V. POLYSPASTON.

TRISPITHAMI, orum, m. plur. τρισπιθαμοί, populi ultra Indiae fines siti, qui tres spithamas longitudine non excedere dicuntur. *Plin.* 7, 2, 2. Supra hos in extrema parte montium Trispithami, Pygmaeique narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes. Ita legit *Hard.* Alii *Spithamaei Pygmaei.*

TRISSO, as, n. 1. verbum fictum a voce hirundinis. *Auct. carm. de Philom.* 26. Trissat hirundo vaga. Alii leg. *trinsat.*

TRISTATAE, arum, m. plur. τριστάται, nomen est apud Graecos secundi gradus post regiam dignitatem (tres primi), quos nos magistratus utriusque militiae, et praefectos annonarii tituli nominamus. Ita *Hieron. in Ezech.* 7, 23, 23.

TRISTE, adv. *Prop.* 2, 16, 1. quid fles Anxia captiva tristius Andromacha? *Cic. Sen.* 19. Facilius in morbos incidunt adolescentes, gravius aegrotant, tristius curantur, *h. e.* aegrius, molestius, difficilius. *Id. Fam.* 4, 13. Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit, *h. e.* asperius.

TRISTEGA, orum, n. plur. τὰ τρίστεγα, trinae aedium contignationes: a τρίς, ter, et στέγος, contignatio. *Hieron.* in *Ezech.* 12, 41, 7. **Alc. Avit.* 4, 245. Tristegaque hic facies, simulac coenacula, in illis. *Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 3, 199. Superiora tecta et tristega. *Vulg. Genes.* 6, 16. Et tristega facies in ea. *B. A.*

TRISTI. V. in TERO et TERGEO.

TRISTICULUS, a, um, adj. ὑποδύσθυμος, subtristis, aliquantum tristis. *Cic. Div.* 1, 46. Filiolam suam Tertiam, quae tum erat admodum parva, animadvertit tristiculam. [Adde *M. Aurel.* ap. *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) 3, 17. *F.*]

TRISTIFICUS, a, um, adj. ἀλγίνων, qui tristitiam affert. *Cic. Div.* 1, 7. ex poeta: Tristificas certant Neptuno reddere voces. *Macr. Sat.* 7, 12. *med.* Acetum acore tristificum. *Prud. Cath.* 4, 76. tristificus tyrannus.

TRISTIMONIA, ae, f. tristitia. *Hirt. B. Afr.* 10. Magno metu ac tristimonia sollicitabantur. Alii leg. *tristitia.* Addunt quidam Lexicographi locum ex *Naevio* in *Colace* ap. *Fest.* Tristimoniam deturbat ex animo. V. v. sq.

TRISTIMONIUM, ii, n. tristitia. *Petr. fragm. Trag.* 63. *Burm.* Cum nos in tristimonio essemus.

TRISTIS, e, adj. λυπηρός, ἀνυθρωπός, moerens, moestus, contracta fronte curam animi significans. [*Etym. vocis multifariam faciunt. Papias: *tristis* quasi tritus, quia *tristis* est animo contrito. *Voss.* a Gr. τρέσις vel ταράσσω vel τρίζω derivat. *Mart* uno cognationis nomine jungit *tristis*, τρύω et *Trauer*: *Doederl.* deinque 3, 235. sq. a *trahere* deducit, ita ut *tristis* proprie sit, qui frontem irae, ferociae causa contraxerit: non, quae solita est vocis explicatio, quem calamitas confecerit, nos: *den das Unglück mürbe gemacht hat.* — Discrimen inter *tristis* et *moestus* v. in h. v.] *Pl. Bacch.* 4, 4, 18. Quid vos moestos tam, tristesque esse conspicor? *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Se sane tristem et conturbatum domum revertisse. *Id. Mur.* 21. *f.* Videsne tu illum tristem, demissum? jacet, diffidit, abjecit hastas. *Petr. Sat.* 91. Video Gitona tristem confusumque. *Pl. Cas.* 2, 3, 7. Amor hominem faciet ex tristi lepidum et lenem. *Hor. Ep.* 1, 18, 89. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi. *Pl. Cist.* 1, 1, 55. Nunquam ego te tristiorem vidi esse: quid, cedo, te, obsecro, tam abhorret hilaritudo? *Ter. Hec.* 3, 2, 20. Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis? *Caes. B. G.* 1, 32. Sequani tristes capite demisso terram intueri. ℙ De eo, qui tristem se simulat contrahendo vultum, licet tristis non sit. *Ter. Eun.* 3, 5, 47. Cape flabellum hoc, et ventulum huic facito: accipio tristis. *Donatus* exponit, invitus, quasi sit ironia: ut in illo *ib.* 4, 1, 8. Invitat tristis: mansit. ℙ *Tristia* sunt quaecumque tristes faciunt, vel tristitiam indicant, aut portendunt. *Pl. Most.* 3, 2, 124. Vultu tristi est senex. *Petr. Sat.* 115. Tristissimam exegimus noctem. *Sen. Q. N.* 3, 27. *med.* Sine ullis solibus triste nubilo coelum est. *Cic. ad Brut.* 2, 1. Tristes de Bruto nostro litterae nuntiique afferebantur. *Id. Div.* 2, 15. *f.* Tristissima sunt exta sine capite. *Id. Pis.* 14. *med.* Ut tuum laetissimum diem cum tristissimo meo conferam. *Id. Fam.* 15, 7. Defensus tristibus temporibus, ornatus secundis; et *Hor. A. P.* 73. tristia bella. *Virg. G.* 4, 252. tristi languebunt corpora morbo. *Id. A.* 2, 115. isque adytis haec tristia dicta reportat; et *ib.* 5, 840. somnia. *Ov. Trist.* 4, 10, 112. fata. *Juven.* 2, 62. et *Ov. Met.* 15, 43. sententia tristis; et *Liv.* 5, 51. Tristissimi exsilii solatium. *Hor. Sat.* 1, 3, 87. cum misero tristes venere calendae. *Sen. Herc. Fur.* 835. Via ad Manes tristis; et 1136. iter triste laboris. *Liv.* 42, 40. Cum medici salutis causa tristiora remedia adhibent, *h. e.* acerbiora, et acriorem doloris sensum inducentia. ℙ Et praesertim quae ad funus pertinent. *Sen. Oct.* 101. Tristi morte finire mala. *Virg. A.* 3, 301. dapes, et tristia dona Libabat cineri Andromache. *Id. G.* 4, 256. tristia funera ducunt. *Mart.* 1, 97. tristes lacernae, *h. e.* fuscae, pullae, atrae. Sic 14, 158. tristis lana. *Ov. Met.* 12, 4. officium triste, *h. e.* exsequiarum. *Virg. A.* 6, 222. ingenti subiere feretro Triste ministerium. ℙ Et quae ad Inferos. *Sen. Herc. Oet.* 1065. tristes Erebi Dii. *Virg. A.* 4, 243. tristia Tartara. *Hor. Od.* 2, 14, 10. et *Virg. A.* 6, 438. tristique palus inamabilis unda. *Sil.* 13, 571. tristis Acheron: *moestum* dicit *Sen. Thyest.* 17. ℙ Pro minaci. *Sil.* 2, 2. Tristia magnanimi portabat jussa senatus. *Virg. A.* 10, 611. quid, o pulcherrime conjux, Sollicitas aegram, et tua tristia dicta timentem? *Tac. A.* 4, 71. *med.* Tristibus dictis atrocia facta conjungere. [**Cf. Boettich. lex. Tac.* p. 468.] ℙ Pro noxio. *Ov. Met.* 6, 140. tristi medicamine tactae Defluxere comae. *Lucr.* 5, 347. si tristior incubuisset Causa, darent late cladem magnasque ruinas. ℙ Interdum ad saporem amarum transfertur, quo vultum contrahere solemus, et conformare ad tristitiam. *Virg. G.* 1, 75. triste lupinum; et *ib.* 2, 126. tristes succi; et *ib.* 3, 448. tristis amurca. *Sil.* 3, 281. tristes epulae. *Ov. Pont.* 3, 1, 23. tristia absinthia. *Id. Trist.* 4, 6, 12. tristis sapor. *Plin.* 16, 6, 8. glans cerro tristis. *Catull.* 99, 13. Ut mi ex ambrosio mutatum jam foret illud Suaviolum tristi tristius helleboro. *Lucr.* 4, 635. aliis quod triste et amarum est, Hoc tamen esse aliis possit praedulce videri. *Ov. A. Am.* 1, 521. Nec male odorati sit tristis anhelitus oris. ℙ Quoniam vero tristitia in fronte hominis irae, saevitiae, minarum, gravitatis indicium est; *tristis* aliquando est iratus. *Pl. Cas.* 2, 3, 14. Eja mea Juno: non decet te esse tam tristem tuo Jovi. *Tibull.* 4, 4, 19. lacrimis erit aptius uti, Siquando fuerit tristior illa tibi. *Prop.* 1, 6, 10. illa minatur, Quae solet ingrato tristis amica viro. Adde *Afran.* ap. *Non.* 4, 455. ℙ Item saevus, immitis, severus, tetricus, in utramque partem. *Virg. A.* 6, 315. Navita sed tristis (*Charon*) nunc hos, nunc accipit illos: Ast alios longe submotos arcet arena. *Id. A.* 2, 337. tristis Erinnys. *Tibull.* 3, 3, 35. tristes sorores, *h. e.* Parcae. *Hor. Sat.* 1, 5, 102. tristes Dii. *Virg. A.* 3, 365. Celaeno tristes denuntiat iras. *Id. A.* 2, 548. tristia facta. *Plin. Pan.* 41. Qui fronte gravi, et tristi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent. ℙ In bonam partem. *Cic. Or.* 2, 71. *med.* Vultus quo severior est et tristior, hoc illa quae dicuntur, salsiora videri solent: a risu et amoenitate remotior est. *Ter. Andr.* 5, 2, 16. Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides. Ubi *Donatus:* Ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem, tristis. *Cic. Verr.* 2, 1, 10. P. Sulpicius judex tristis et integer. *Sen. Hipp.* 984. Tristis virtus perversa tulit Praemia recti. *Cic. Brut.* 30. Rutilius in quodam tristi et severo dicendi genere versatus est. [**Tac. Dial.* 20. Vulgus quoque — adsuevit jam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judiciis tristem et impexam antiquitatem, i. e. siccitatem, omni laeto cultu carentem. Cf. quae hujus generis dicendi exempla plura laudat *Ern.* in *lex. technol. lat. rhet.* p. 407. sq.] *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 455. Gravitatis suae liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. *Id. Off.* 1, 30. *med.* Erat in Crasso multus lepos, in Scauro singularis severitas, in Laelio multa hilaritas, in Scipione ambitio major, vita tristior. *Hor. Sat.* 1, 10, 11. Et sermone opus est modo tristi, saepe jocoso. ℙ Item infelix, infaustus. *Liv.* 8, 24. *extr.* Alexandri Epirensis tristis eventus. *Cic. Mur.* 20. Tua sors tristis, atrox. *Val. Max.* 5, 10, 2. *extr.* Dolori succumbere, ipsa clade, quae nuntiata erat, tristius duxit. ℙ Item aspectu horridus. *Stat. Ach.* 2, 408. tristes ursae. *Plin.* 13, 22, 40. Arbor cortice non scabro quidem, sed qui circumgelatus videri possit, tam tristis aspectu est. ℙ Elegans est illa metaphora ejusdem *Plin.* 16, 25, 40. Non omnes arbores florent: et sunt tristes quaedam, quaeque non sentiant gaudia annorum. *Sen. ep.* 12. Apparet has platanos negligi: nullas habent frondes: quam nodosi sunt, et retorridi rami! quam tristes et squalidi trunci! ℙ *Triste*, res tristis. *Virg. Ecl.* 5, 80. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus venti, *h. e.* res noxia. *Hor. Sat.* 1, 8, 41. Umbrae cum Sagana resonarint triste et acutum. *Stat. Th.* 4, 19. triste salutantes. *Id. Silv.* 5, 1, 64. Nec frons triste rigens. ℙ *Tristia*, res tristes, aerumnae, calamitates, curae. *Ovidius* libros suos de exsilio et aerumnis ita inscripsit. *Id. Fast.* 6, 463. interdum miscentur tristia laetis. *Hor. Od.* 1, 16, 25. nunc ego mitibus Mutare quaero tristia.

TRISTITAS, atis, f. tristitia. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 869. Vultum alligat quae tristitas? Adde *Turpil. ib.* Alii leg. *tristitias* in recto casu: alii *tristities.*

TRISTITIA, ae, f. ἀθυμία, ἀηδία, moestitia, aegritudo, cura ex malo impendente, aut praesente. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 14. Cum tristitia et moerore in vita remanent. *Sall. Cat.* 32. Ex summa laetitia atque lascivia repente omnes tristitia invasit. *Cic. Or.* 2, 17. *f.* Judex tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Lacrimis ac tristitiae se tradere. *Hirt. B. Afr.* 10. Magno metu ac tristitia sollicitari. *Ov. Met.* 9, 396. tristitiam compescere. *Hor. Od.* 1, 7, 17. finire. *Tac. G.* 27. et *Ov. Pont.* 2, 1, 10. ponere. *Plin.* 21, 21, 91. abolere. *Id.* 24, 6, 15. animi resolvere. *Id.* 23, 1, 22. Vino tristitia et cura hebetatur. *Sen. Tranq.* 15. Vinum tristitiae medetur. *Petr. Sat.* 24. Tristitiam ad ultimam perductus. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 12. Subita tristitia implicati militum animi. *Cic. Att.* 12, 40. *med.* Hilaritate tristitiam temporum condire, *h. e.* tristia tempora. ℙ Translate. *Plin.* 11, 18, 20. Apes morbos sentiunt: index eorum tristitia torpens. *Cic. N. D.* 2, 40. Sole recedente, quasi tristitia quaedam contrahit terram. *Plin.* 18, 21, 50. Sarculatio induratam hiberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis. *Id.* 2, 6, 4. Sol coeli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat. *Id.* 9, 9, 11. Delphinorum similitudinem habent tursiones: distant et tristitia aspectus, abest enim illa lascivia. ℙ *Tristitia rei*, acerbitas, asperitas. *Cic. Off.* 1, 12. Qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. ℙ Ut *tristis* iratum aliquando significat, sic *tristitia* iram. *Ov. Her.* 3, 89. Propter me mota est, propter me desinat ira: Simque ego tristitiae causa, modusque tuae. *Prop.* 1, 18, 9. Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant? An nova tristitiae causa puella tuae? ℙ Item gravitatem, severitatem: et fere de illa dicitur, quae nimia est, et ab omni risu, joco, comitate abhorret, uno tenore morosa, aspera, rigida et dura: qualis dicitur fuisse in Stoicis. *Suet. Ner.* 23. Taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia ac malignitate arguens. [**Cf. Ern.* ad h. l. qui *trist.* expl. per acerbitatem et iniquitatem in judicando: approb. *Brem.*] *Plin. ep.* 1, 10. Nullus horror in cultu (al. *vultu*), nulla tristitia, multum severitatis. *Id. ep.* 8, 21. Severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam excedat. *Cic. Or.* 2, 58. *med.* Tristitiam ac severitatem mitigare ac relaxare. *Sil.* 8, 611 Laeta viro gravitas, ac mentis amabile pondus, Et sine tristitia virtus. ℙ Interdum de vultu ad gravitatem compositio, qui auctoritatem ac dignitatem conciliat. *Cic. Prov. cons.* 5. *f.* Ille vos tristitia vultuque decepit. *Id. Am.* 18. *f.* Tristitia autem, et in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem: sed amicitia remissior esse debet. ℙ [*Proprium etiam vocabulum est de affectata morum severitate. *Quint. Inst. prooem.* 15. sed vultum, et tristitiam, et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant: ubi *Spald.* praeter *Juv.* 2, 8, 9. laud. *Quint.* qui 2, 1, 34. agens iterum de ostentantibus ex professo philosophiam, *barbam* et *tristitiam* jungit. Cf. *Ter.* locum *Eun.* 3, 5, 47. in *tristis* laud.] ℙ *Tristitias* in genitivo, ut *familias*, *monetas*, etc. *Enn.* ap. *Calpurn. Pison.* MS. referente *Merula* ad *fragm. Enn.* p. 19. et 417. Omnibus endo locis ingens apparet imago Tristitias.

TRISTITIAS. V. TRISTITAS.

TRISTITIES, ei, f. idem quod tristitia. *Appul. Met.* 4. Tristitie animi, languore corporis anxiatus; et *ib.* 9. Mira tristitie deformis; et *ib.* 10. Senili tristitie striata frons, *h. e.* rugis: nam in tristitia frons in rugas contrahitur. ℙ Ap. *eund. ib.* 6. in fabula Psyches *Tristities* et *Sollicitudo* ancillae Veneris sunt.

TRISTITUDO, inis, f. tristitia. *Appul. Met.* 3. Omnem de tuo pectore tristitudinem mitte. *In. Apol.* Nihil tam laetum dices, quin possit ad tristitudinem intelligi. *Sidon. ep.* 8, 11. *f.* Animus tristitudine gravis.

TRISTOR, aris, depon. 1. moerore afficior, tristis sum: λυπέομαι. *Sen. Ira* 2, 7. Concitari, tristarique ob scelera. *Id. Prov.* 2. *med.* Nunquam flere, nunquam tristari.

TRISULCUS, a, um, adj. τριγλώχιν, tricuspis, tridens, trifidus, triplex. Vox fere poetica. *Trisulcum fulmen*, quod feriendo tres veluti sulcos facit: vel quia ob celeritatem triplex esse videtur: vel quia triplex est vis ejus, afflare, scindere, cremare. *Varr.* ap. *Non.* 6, 2. Et pater Divum trisulcum fulmen igni fervido actutum mittat. *Festus:* Trisulcum fulgur fuit ab antiquis dictum, quia aut incendit, aut afflat, aut terebrat. *Sen. Thyest.* 1089. trisulco flammeam telo facem Per pectus hoc transmitte. *Ov. Ib.* 471. Aut Jovis infesti telo feriare trisulco. *Id. Met.* 2, 848. cui dextra trisulcis Ignibus armata est. Adde *Sen. Hipp.* 189. ℙ *Trisulca lingua* serpentis, quae adeo celeriter vibratur, ut triplex videri possit: vel revera trifida, ut *Plin.* 11, 37, 65. affirmare videtur. *Virg. A.* 2, 475. et linguis micat ore trisulcis. *Appul. Met.* 6. Trisulca vibramina draconum. *Val. Fl.* 2, 500. de monstro marino: atque ordine curva trisulco Fulmineus quatit ora fragor, *h. e.* instructa triplici ordine dentium, ut de serpente ait *Ov. Met.* 3, 34. Sic *Stat. Th.* 5, 509. ter lingua vibrat, terna agmina aduncі Dentis. *Id. ib.* 11, 532. de apro: lunataque dentibus uncis Ora sonant, quod *fulmineum fragorem* illustrat. ℙ *Trisulca Sicilia*, triquetra, tribus promontoriis, quasi cuspidibus instructa. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 145. Nunc illam socia raptam tellure trisulcam Op-

ponit natura mari. ℙ *Trisulcae fores*, valvis tribus obductae: quae fere binae erant: sed pro januae amplitudine aliquando plures, sic ut complicari et quasi convolvi possent: ceterum ab uno tantum latere cardinibus suspensae. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 453. Trisulcae fores pessulis libratae dehiscunt, graves atque innixae in cardinum tardos turbines. ℙ *Trisulcus ramus*, trifidus, tria cacumina habens. *Pall.* 4, 10. *med.* Si cacumen velis ponere, trisulcum ramum decidas, et sic obrues, ut diversa cacumina velut tres surculos reddant. ℙ *Trisulcum sermonem* tribuit *Prud. Hamart.* 203. Lucifero in anguem verso et Euam decipienti.

TRĬSYLLĂBUS, a, um, adj. τρισύλλαβος, tribus constans syllabis. *Varr. L. L.* 8, 52. A socer fit srisyllabum soceri. *Capell.* 5. p. 170. Trisyllabis clausulam terminantibus lex est, ut trochaeo praecedente paenultimam molossus subsequatur.

TRIT, syllaba significans vocem murium. *Naevius* ap. *Charis.* 2, 213.

*TRITANNUS, i, m. ut auctor est Varro in relatione prodigiosa virium, gladiator fuit, qui in ludo gladiatorio Samnitium armatura celebris, et rectos et transversos cancellatim toto corpore habuit nervos, in brachiis etiam manibusque. Filium habuit Cnei Pompeii militem pari fortitudine natum. Hic hostem ex provocatione pugnantem inermi dextra superatum uno digito et captum in castra Imperatoris sui reportavit. Haec *Plin.* 7, 20. Adde *Solin.* 4. *Lucil.* ap. *Cic. de Fin.* 1, 20. *B. A.*

TRĬTĀVĬA, ae, f. mater atavi aut ataviae. JCti locis citandis in voce sequenti.

TRĬTĀVUS, i, m. τριππαππος, pater atavi et ataviae, ut docent *Fest.* in *Stritavum*, et *Cajus Dig.* 58, 10, 3. et *Paul. ib.* 10. Addit *Paul. ib.* Parentes usque ad tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, majores appellantur. *Pl. Pers.* 1, 2, 5. Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus, quasi mures semper edere alienum cibum. Adde *Varr. R. R.* 3, 3. cujus verba V. in LEPORARIUM.

TRĬTE, es, f. τριτη, *h. e.* tertia. Ap. *Vitr.* 5, 4. usurpatur ad significandam tertiam chordam, seu tonum in scala musica. ℙ *Fuit et Trite nomen unius e quinquaginta Danai filiabus, teste *Hygin. fab.* 170. *B. A.*

*TRITĒA vel Tritia, ae, f. Τριτεια, oppidum Phocidis, in finibus Locridis. *Plin.* 4, 3. ubi *Tritea* appellatur. ℙ Fuit et Tritia Achaiae oppidum. *Cic. Att.* 6, 2. *med. B. A.*

TRĬTĒMŌRĬA. V. in PENTASYLLABUS et TETARTEMORION.

TRĬTHALES. V. ERITHALES.

*TRITĬA. V. TRITEA. *B. A.*

[TRĬTĬĀNUS, a, um, adj. triplo major, ut exponit *Gesner.* in *Thesaur. ling. et erud. R.*, tanquam a τριτος, tertius. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 2. Tritianum hoc genus (*brassicae*) vocatur. Haec videtur esse, quam Itali *cappuccio* vocant, botanici *brassica capitata.* Fortasse nomen accepit a Tritio Hispaniae Tarraconensis oppido. *F.*]

TRĬTĬCĀRĬUS, a, um, adj. triticeus. *Kalendar. rust. Farnes.* ap. *Grut.* 138. mense Augusto legitur: Messes frumentar., item triticar. ℙ *Triticarius, ii*, absolute est nomen officii et muneris in domo Augusta, simile illi, qui *a frumento* dicitur in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 369. *n.* 131. T. Aelius Aug. Lib. Aelianus a frumento Cub. Caesar. N. Hinc alia ap. *eund.* p. 401. *n.* 295. P. Aelio Aug. Lib. Callinicus Tritic. V. FRUMENTUM.

TRĬTĬCĔĬUS, a, um, adj. vox ficta joci causa, ut opponatur *hordeio*, *h. e.* optimo, pleno, praegnanti, ab *horda*, quo vocabulo significatur vacca praegnans. *Pl. Cas.* 2, 8, 38. 57. Emito sepiolas, lepadas, loligunculas hordeias. *Ch.* Imo triticeias, si sapis: *scil.* cum ille imperite *hordeias* dixisset pro praegnantibus, subdit servus, quasi ille *hordeaceas* intelligeret, *imo triticeias*, quia nempe triticum hordeo longe praestat.

TRĬTĬCĔUS, a, um, adj. σιτικος, σιτηρος, ad triticum pertinens. *Virg. G.* 1, 219. At si triticeam in messem, robustaque farra Exercebis humum, solisque instabis aristis. *Ov. Fast.* 1, 693. Triticeos fetus, passuraque farra bis ignem, Hordeaque ingenti fenore reddat ager. *Cato R. R.* 54. Paleae triticeae, et hordeaceae. *Varr. R. R.* 2, 5. Furfures triticei. *Mart.* 13, 12., cujus lemma est *Frumentum triticeum.* Tercentum Libyci modios de messe coloni Sume, suburbanus ne moriatur ager. *Colum.* 8, 5. Labrusca cum farre triticeo minuto cocta objicitur (*pullis gallinarum*) esurientibus, *h. e.* farina ex tritico, quam *Pall.* 11, 21. videtur farriculum appellare. *Far* pro farina Latini aliquando dixere.

TRĬTĬCĬĀRĬUS, a, um, adj. a tritico ductum. Apud JCtos condictio triticiaria dicitur actio personalis, per quam res omnis, excepta pecunia numerata, condicitur, hoc est denunciatur, et repetitur, sive mobilis sit, sive immobilis, sive pondere constet, sive mensura, ut docet *Ulp. Dig.* 13. *tit.* 3. qui *De condictione triticiaria* inscribitur, *l.* 1.

TRĬTĬCĪNUS, a, um, adj. triticeus, ut Triticinum amylum, *Plin. Valer.* 5, 31.

TRĬTĪCUM, i, n. σῖτος, πυρὸς, nobilissimum frumenti genus, radice in fibras sparsa, foliis ternis, aut quaternis, aut quinis, oblongis et angustis, seque mutuo amplectentibus; culmo quatuor vel quinque nodis discreto, ex quibus singula folia oriuntur: spica in summo aristis munita, vel etiam sine iis, in qua grana sunt glumis involuta. Dictum putat *Varr. L. L.* 4, 22. a *terendo*, quod e spicis teratur. *Plin.* 18, 7, 12. Tritici genera plura, quae fecere gentes. Italico nullum equidem comparaverim candore, ac pondere, montanis modo comparetur Italiae agris externum, etc. *Colum.* quoque 2, 6. plura tritici genera recenset, robum, siliginem, trimestre, etc. *Id. ib.* 9. *med.* Omne triticum solo uligi-noso post tertiam sationem vertitur in siliginem. *Cels.* 2, 18. *med.* Plus alimenti est in pane, quam in ullo alio. Firmius est triticum, quam milium, id ipsum, quam hordeum: et ex tritico firmissima siligo, deinde similia, deinde cui nihil ademptum est: infirmior est ex polline: infirmissimus cibarius panis. ℙ [Triticum a paeninsula Chersoneso Taurica, seu Scythica, nunc *la Crimea*, Vespasiano imperante primum Romam advectum fuisse, constat ex *Inscr.* ap. *Grut.* 453. Ti. Plautius M. F. Silvanus Aelianus, Scytharum rege a Cherronensi (*paeninsula*), quae est ultra Borusthenem, opsidione submoto, primus ex ea provincia magno tritici modo annonam R. R. adlevavit. *F.*]

[TRĬTĬENSIS, e, adj. ad Tritium pertinens, oppidum Hispaniae Tarraconensis, inter Deobriculam et Virovescam, cujus mentio est ap. *Plin.* 3, 3, 4. *med.* Duplex fuit, alterum cognominatum Toboricum a *Mela* 3. *f.*; alterum *Μέταλλον* a *Ptolem.* 2, 6., quod postremum mutandum videtur in *Μεγαλον*, seu *Μεγάλη*, subintelligendo πόλις, urbs: siquidem ita habet *Inscr.* ap. *Grut.* 434, 5. T. Mamilio Silonis F. Quir. Praesenti Tritiensi Megale, etc. *h. e.* Tritiensi Megalensi. *F.*]

[TRĬTŌLĬUM, ii, n. quid significet haec vox, et unde sit derivanda, incompertum adhuc est. *Not. Tir.* p. 158. Mappa, culcita, tritolium, epitolium, pulvinus. Ex his patet, *tritolium* pertinere ad aliquod lecti discubitorii instrumentum; quodnam autem fuerit, aeque ignotum videtur ac *epitolium*, quod conjectura tantum diximus in ea voce significare sellam balnearem, licet *Ducang.* in *Gloss. med.* et *inf. Latinit.* in V. *Epitolium* interpretetur *balneares aedes.* Fortasse utraque vox repetenda est a θόλος, camerae fastigium rotundum, omissa aspiratione, et a τρὶς, ter, quippe quod triangulam formam haberet, ut *epitolium* ab ἐπὶ, quia supra positum esset. Viderint eruditi. *F.*]

TRĬTON, onis, m. Deus marinus, filius Neptuni, et Salaciae Nymphae marinae, quem poetae fingunt Neptuni tubicinem esse. *Ov. Met.* 2, 8. Caeruleos habet unda Deos, Tritona canorum, Proteaque ambiguum. *Id. Her.* 7, 50. Caeruleis Triton per mare curret equis. *Id. Am.* 2, 11, 25. concussas Triton exasperat undas. *Id. Met.* 1, 333. Neptunus Caeruleum Tritona vocat, conchaeque sonaci Inspirare jubet, cava buccina sumitur illi Tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo. Buccina, quae medio concepit ut aera ponto, Litora voce replet sub utroque jacentia Phoebo, *Lucan.* 9, 348. Deus, quem toto litore pontus Audit ventosa perflantem murmura concha. *Hyg. Astron.* 2, 23. *f.* Triton quoque fertur, cum concham inventam excavasset, secum ad gigantes, qui Diis bellum moverant, tulisse, et ibi sonitum quendam inauditum per concham misisse: hostes autem veritos, ne qua esset immanis fera ab adversariis adducta, fugae se mandasse. *Cic. N. D.* 1, 28. Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens beluis adjunctis humano corpori. *Plin.* 9, 5, 4. Tiberio principi nunciavit Olysiponentium legatio ob id missa, visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem, qua noscitur forma. ℙ Hoc nomine est navis, ut etiam *Centaurus*, *Chimaera*, *Scylla*, *Pristis* ap. *Virg. A.* 5. a *v.* 116. *Id. ib.* 10, 209. Hunc vehit immanis Triton, et caerula concha Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem praefert, in pristin desinit alvus. ℙ Est etiam nomen marini piscis grandioris, ex genere magno pelamidum, ex quo horaea cybia fiunt, inquit *Plin.* 32, 11, 53. ℙ Festive de Hortensio, Lucullo, aliisque piscinarum amatoribus *Cic. Att.* 2, 9. Ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se jactare, *h. e.* qui ita piscinis delectantur, ut quasi Tritones in aquis vivere videri possint. V. PISCINARIUS. ℙ Fluvius est nomine Triton in Africa, *Τριτων, ωνος*, in Tripolitana regione ad Syrtin minorem, qui secundum *Plin.* 5, 4, 4. non procul a continente excipitur vasta palude *Tritonia*, et *Tritonide* ab eo dicta. Ibi fabulantur genitam esse Palladem, ut *Mela* 1, 7. et *Sil.* 1, 322. et 9, 297., vel primitus visam, ut *Festus* tradit. Parentes enim ejus fuisse ajunt Neptunum et Tritonidem ejusdem paludis Nympham: unde et ipsa Tritoniae cognomen habet, et ea palude valde delectari dicitur. Quare solebant ad ejus ripas virgines Libycae, ludicris inter se decertantes natalem Palladis celebrare, ut *l c. Mela* scribit. *Lucan.* 9, 347. (*Pars ratium*) Torpentem Tritonos adit illaesa paludem. Hanc et Pallas amat, patrio quae vertice nata Terrarum primam Libyen (nam proxima coelo est, Ut probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas, Et se dilecta Tritonida dixit ab unda. *Stat. Th.* 2, 722. seu tu Libyco Tritone relicta Pexas Lota comas. *Claud. IV. cons. Hon.* 36, Virgineum Tritona bibit, sparsosque venenis Gorgoneis vidit thalamos. *Sidon. carm.* 15, 5. de Pallade: posito nam fulmine necdum Cinyphio Tritone truces hilaraverat artus. ℙ Alius est Triton in Boeotia, cui quidam tribuunt quae de Pallade modo diximus. *Serv.* ad *A.* 2, 171. ℙ *Triton* palus in Thracia, in qua qui se novies immerserit, in avem convertitur. *Vibius Sequest. de paludib.* et *Ov. Met.* 15, 358.

TRĬTONĬĀCUS, a, um, adj. ad Tritoniam pertinens. *Ov. Met.* 6, 384. exitium satyri reminiscitur alter, Quem Tritoniaca Latous arundine victum Affecit poena, *h. e.* tibia a Pallade inventa. ℙ *Id. Met.* 15, 357. Cum Tritoniacam novies subiere paludem. V. v. praec.

*TRITONICE, es, f. oppidum Moesiae inferioris litorale, inter Calatem et Tristim. *Mela* 2, 2. *B. A.*

TRĬTONIS, idis, adj. f. Τριτωνὶς, ad Tritonem paludem, aut fluvium pertinens: de qua V. in TRITON. *Sil.* 3, 322. qui stagna colunt Tritonidos alta paludis. *Lucr.* 6, 750. Palladis ad templum Tritonidos almae, *Ov. Met.* 5, 645. Atque levem currum Tritonida misit in arcem Triptolemo, *h. e.* Athenas urbem Palladi sacram. *Id. Her.* 6, 47. Quid tibi cum Minyis, quid cum Tritonide pinu? *h. e.* cum navi Argo, quae Pallade monstrante aedificata est, ut ait *Val. Fl.* 1, 93. ℙ *Tritonis* absolute, palus Tritonis fluvii. *Sil.* 9, 297. Et Pallas Libycis Tritonidos edita lymphis. Adde 4, 535. et *Stat. Th.* 7, 185. ℙ Item ipsa Pallas. *Virg. A.* 2, 226. saevaeque petunt Tritonidis arcem. *Ov. Met.* 3, 127. Is sua jecit humi monitu Tritonidis arma. V. TRITON. ℙ Item olea, quae Palladi sacra. *Stat. Silv.* 2, 7, 28. Quae Tritonide fertiles Athenas Unctis, Baetica, provocas trapetis. ℙ Ap. *Sil.* 2, 65. et *Hyg. fab.* 14. est nomen Nymphae.

TRĬTŌNĬUS, a, um, adj. Τριτώνιος, ad Tritonem fluvium, Tritoniam paludem, et ad Palladem pertinens. Fere est cognomen Palladis, ut in TRITON dictum est. *Virg. A.* 11, 483. Armipotens praeses belli, Tritonia virgo. *Id. ib.* 5, 704. Tritonia Pallas. ℙ *Tritonia*, absolute, Tritonia Pallas. *Virg.*, *Ov.*, *Lucan.*, *Stat.*, *Sil.*, *Claud.*. etc.

*TRITŌNOS vel Tritonon, i, Graeciae oppidum, in Doride. *Liv.* 28, 7. Tritonon et Drymas, Doridis parva — oppida cepit. *B. A.*

*TRITATREUS, ei et eos, Jovis et Proserpinae filius. *Cic. N. D.* 3, 21. *B. A.*

TRĪTOR, oris, m. τριπτης, τριπτὴρ, qui terit. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 41. Erigonus tritor colorum Nealcae pictoris, in tantum profecit, ut, etc. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 97. P. Silius Victor tritor argentarius. Alii exponunt, caelator. Sic in *Gloss. Philox.* Tritor, τορευτὴς, *h. e.* qui torno polit. V. aliquid simile in TERO. ℙ *Compedium* et *stimulorum tritor* ap. *Pl. Pers.* 3, 3, 15. et 5, 2, 17. convicia sunt in malum servum, qui saepe in compedibus sit, et stimulis fodiatur: cui simile est *ulmitriba* ap. *eund. ib.* 2, 4, 7.

TRĪTŪRĂ, ae, f. τρῖψις, actus terendi, tritus. *Appul. Met.* 9. Muli pectora copulae sparteae tritura continua exulcerati. ℙ Item ἁλοητὸς, actus terendi frumenta, et tempus ipsum, quo teruntur. *Varr. L. L.* 4, 4. In messe tritura, quod tum frumentum teritur. *Colum.* 2, 20. Area ut sit ad trituram habilis, radatur, etc. *Id.* 1, 6. *f.* Lapilli et glebulae, quas per trituram fere terrena remittit area. *Virg. G.* 1, 190. Magnaque cum magno veniet tritura calore.

TRĪTŪRĀTĬO, onis, f. tritura. *August. Tract. in Joann.* 27. *f.*

TRĪTŪRO, as, a. 1. ἁλοάω, frumenta spicis excutio. Translate. *Sidon. ep.* 7, 6. *med.* In hac area mundi variis passionum flagellis triturari.

TRĪTURRĪTUS, a, um, adj. tres habens turres. *Triturrita* locus est Etruriae contiguus portui Pisano ad ostia Arni fluvii. *Rutil. Itin.* 1, 527. Inde Triturritam petimus, sic villa vocatur, Quae latet expulsis insula paene fretis.

TRĪTUS, a, um, part. a *tero*: τριπτὸς, tundendo comminutus, contritus. *Ov. Fast.* 4, 151. Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver Sumere. *Id. Met.* 8, 369. dentes in querno stipite triti. *Id. Trist.* 4, 6, 19. Ut patria careo, bis frugibus area trita est. *Plin.* 24, 19, 113. Trita inter duos lapides herba. *Id.* 35, 16, 55. Terra trita ex aqua, *h. e.* comminuta et macerata. *Id.* 26, 14, 87. Radix in pulverem trita. *Petr. fragm. Trag.* 68. *Burm.* Pulvis tritus ex lapide speculari. *Mart.* 9, 14. gemma trita pollice. *Id.* 3, 65. succina trita redolent. *Id.* 2, 29. Et splendent vulso brachia trita pilo, *h. e.* levia facta. ℙ Item longo usu et attrectatione detritus. *Hor. Ep.* 1, 1, 95. si forte subucula pexae Trita subest tunicae. *Ov. Met.* 15, 124. colla boum trita labore. *Mart.* 11, 11. pocula trita labris; et 32. tritus cimice lectus. ℙ *Via trita* est frequens, et a pluribus calcata. *Cic. Phil.* 1, 3. Cum Brun-

disium, iterque illud, quod tritum in Graeciam est, vitavissem. *Sen. V. B.* 1. Tritissima quaeque via, et celeberrima maxime decipit. *Tibull.* 4, 13, 9. secretis vivere silvis, Qua nulla humano sit via trita pede. *Lucr.* 1, 924. Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo. *Ov. Pont.* 2, 7, 44. curvis Appia trita rotis. *Id. Met.* 2, 167. ruunt, tritumque relinquunt Quadrijugi spatium. *Plin.* 9, 31, 51. Cancri os Ponti evincere non valent: quamobrem regressi circumeunt: apparetque tritum iter. *Id.* 8, 32, 50. Semitae humanis vestigiis tritae. *Prop.* 4, 7, 16. Et mea nocturnis trita fenestra dolis, *h. e.* saepius adita, et crebro itu redituque meo paene detrita. ℙ Translate est a multis usurpatus, translaticius, vulgatus, contritus. *Cic. Fl.* 27. Quid in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? *Id. Off.* 1, 10. *med.* Summum jus summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium. *Id. Brut.* 81. *med.* Ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam majores ejus ei tritam reliquissent. *Id. Acad.* 2, 7. *med.* Faciamus tractando usitatius hoc verbum, ac tritius. *Plin.* 33, 12, 54. Tritior mos. Ita *Hard.* Alii aliter leg. *Vitr.* 2, 1. *med.* Cum homines quotidie faciendo tritiores manus ad aedificandum perfecissent, *h. e.* exercitatiores, peritiores. *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est: quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum, et consuetudine legendi. ℙ Turpem sensum habet ap. *Prop.* 3, 9, 30. Et famulos inter femina trita suos. De masculo usurpat *Mart.* 2, 51. et *Petr. Sat.* 87. ℙ *Tritum*, *i*, absolute vocatur lomenti genus vilissimum ap. *Plin.* 33, 13, 57. *f.* ℙ Item tithymalli genus, quod prophetae Asclepiu diadema, Latine tritum appellatur, ut ait *Appul. Herb.* 108.

TRĪTUS, us, m. *τρῖψις*, actus terendi. In sexto casu sing. *Cic. N. D.* 2, 9. *f.* Nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus, et recenti fossione. *Plin.* 34, 12, 30. Sory tritu pinguiter nigrescens, *Id.* 33, 4, 21. Aurum tritu perpolitum. *Lact.* 6, 4. Via aspera et saxis exstantibus impedita, ut cum summo labore ac pedum tritu sit cuique gradiendum.

TRĪVĒNĒFĪCUS, a, um, adj. valde veneficus. *Tri* auget, ut in *trifur*, *triportentum*. *Pl. Aul.* 1, 2, 8. Mirum, quin tua me causa faciat Juppiter Philippum regem, aut Darium, trivenefica.

*TRIVERBĔRO, onis, m. *Gloss. Cyrill.* Verberibus obduratus. *B. A.*

TRĪVĬA, ae, f. *Τριοδῖτις*, Diana sic dicta, ut ait *Varr. L. L.* 6, 2. *med.*, quod in trivio fere ponitur in oppidis Graecis: vel quod Luna dicitur esse, quae in coelo tribus viis movetur, in altitudinem, et latitudinem, et longitudinem: vel quod, ut alii dicunt, tres vias percurrit, coelestem, terrestrem, infernam. Fabulantur etiam fuisse filiam Jovis et Pheraeae Aeoli filiae, a matre fuisse in trivio expositam, a pastoribus sublatam, et in triviis enutritam. *Enn.* ap. *Varr. l. c.* Ut tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberum. *Virg. A.* 6, 35. Deiphobe Glauci, Phoebi Triviaeque sacerdos. *Tibull.* 1, 5, 16. Vota novem Triviae nocte silente dedi. *Ov. Fast.* 1, 389. Exta canum Triviae libare. Adde *Catull.*, *Val Fl.*, *Sen. Trag.*, *Mart.*, *Claud.* et *Tac. A.* 3, 62. ℙ Vox est adjectiva, ut Trivia Dea ap. *Prop.* 2, 23, 40. ℙ Triviae lacus est in Latio, prope Ariciam cum nemore Dianae sacro, nunc *lago di Nemi*. Meminit *Virg. A.* 7, 516. V. NEMORENSIS. De eo *Stat. Silv.* 3, 1, 56. Fumat Aricinum Triviae nemus, et face multa Conscius Hippolyti splendet lacus: *conscius* vocatur, quia ibi Hippolytus a Diana occultatus dicitur, ut in HIPPOLYTUS dictum est. Adde *Ov. Fast.* 3. a *v.* 261. ℙ Triviai virginis *Lucret.* 1, 84. dixit more suo.

TRĪVĬĀLIS, e, adj. *ἀγοραῖος*, *ἐπιτυχών*, ad trivium pertinens: atque adeo vulgaris, plebejus, vilis, communis. *Quint.* 1, 4. *f.* Litterarii paene ista sunt ludi, et trivialis scientiae, *h. e.* grammaticae, quam doceri pueros in triviis, mos fuit Graecorum. V. locum *Justini* in TRIVIUM. *Suet. Rhet.* 6. Declamabat modo splendide atque adornate, tum circumcise ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis. *Id. Aug.* 74. Triviales ex circo ludii. *Juven.* 7, 55. Communi feriat carmen triviale moneta. *Calpurn. Ecl.* 1, 28. non hoc triviali more viator, Sed Deus ipse canit. *Nemes. Ecl.* 4, 2. calamis ac versu doctus uterque, Nec triviale sonans.

TRĪVĬĀLĬTER, adv. passim, per trivia. *Arnob.* 7. p. 242. Infantes parvuli trivialiter et populariter instituti.

TRĪVĬĀTIM, adv. per trivia, ut Triviatim dissultare, *Capell.* 1. p. 2.

*TRIVĪCUS vel Trivicum, i, oppidum vel vicus Italiae, in Hirpinis, hodie *Trevico*. *Hor. Sat.* 1, 5, 79. Villa Trivici. *B. A.*

[TRĪVIR, iri, m. idem ac triumvir. *Inscr.* optimae notae ap. *Morisan. Inscr. Reg.* p. 266. T. Ervenus T. F. Sabinus trivir Aed. Pot. II. testamento legavit, etc. V. TRIUMVIR *f. F.*]

TRĪVĪUM, ii, n. *τρίοδος*, locus in quem tres viae conveniunt, ut *bivium*, in quem duae, *quadrivium*, in quem quatuor. *Cic. Div.* 1, 54. *med.* Ut ventum est in trivium, eadem qua ceteri, fugere noluit. ℙ Sumitur tamen saepe pro quocumque loco frequenti, quo homines convenire solent. *Id. Agr.* 1, 3. Ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis, aut in compitis auctionentur. *Just.* 21, 5. de Dionysio tyr.: Ludimagistrum professus pueros in trivio docebat. *Virg. A.* 4, 609. Nocturnis Hecate triviis ululata per urbes. ℙ Trivia, ut etiam quadrivia, erant rusticorum sacris attributa. Nam ibi oves caedebant, et serta appendebant. *Tibull.* 1, 1, 15. Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florida serta lapis. ℙ Arripere maledictum ex trivio, *h. e.* verba contumeliosa ex faece plebis in triviis commorantis. *Cic. Mur.* 6. ℙ Adjective *Dii trivii*, qui triviis praesunt. V. BIVIUS.

*TRIULATTI, orum, populi Alpini. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

TRĪUMPHĀLIS, e, adj. *θριαμβευτικός*, ad triumphum pertinens. *Plin.* 22, 3, 4. Triumphales coronae, *h. e.* quibus triumphantes utebantur. *Quint.* 11, 1. Habitus triumphalis. ℙ *Vir triumphalis*, qui triumphavit, sicut *consularis*, qui consul fuit. *Suet. Aug.* 25. Solos triumphales, quamquam et socios expeditionum, et participes victoriarum suarum, nunquam donis impertiendos putavit. *Id. Cal.* 3. Oravit causas etiam triumphalis, *h. e.* triumphalibus ornamentis insignitus. Alii perperam leg. *triumphales*, h. e. in quibus agitur de triumpho aliquibus decernendo. *Vell.* 2, 6., *Quint.* 11, 1. et *Ov. Fast.* 6, 364. Consularis ac triumphalis vir. ℙ *Triumphalis provincia*, ex qua devicta imperator triumphum reportavit. *Cic. Pis.* 19. *med.* Ex ea provincia, quae fuerit ex omnibus una maxime triumphalis. ℙ *Currus triumphalis*, quo vehebantur triumphantes. *Plin.* 7, 26, 27. Curru triumphali revectus est. ℙ *Corona triumphalis*, qua imperator in triumpho coronabatur. Hae coronae primum ex lauro fieri solebant, postea ex purissimo auro confectae sunt, quod inde aurum coronarium appellabatur. *Plin.* 22, 3, 4. ℙ *Porta triumphalis*, porta urbis Romae, per quam triumphi agebantur, hoc est imperatores triumphantes in Urbem deducebantur. Haec inter Flumentanam et Carmentalem fuit haud longe a Tiberi, et ad Martium campum ducebat. *Cic. Pis.* 23. *Suet. Aug.* 100. ℙ *Vestes triumphales* fuere, quibus imperatores induti triumphabant, idest tunica purpurea palmata, et toga non solum purpura, sed cocco etiam auroque distincta. *Plin.* 8, 48, 74. *Inscr.* ap. *Mur.* 2043, 1. M. Coccejus Aug. Lib. Ambrosius praepositus vestis albae triumphalis fecit. ℙ *Aurum triumphale* est, quod vestibus triumphalibus inseritur. *Plin.* 9, 36, 60. de purpurae succo, seu colore purpureo: Diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat; in triumphali miscetur auro. ℙ *Coena triumphalis*, convivium, quod imperator triumphans facto sacrificio in Capitolio celebrabat. *Plin.* 9, 55, 81. Coenis triumphalibus Caesaris dictatoris sex millia numero muraenarum mutuo appendit. ℙ *Triumphales imagines*, h. e. virorum triumphalium. *Hor. Ep.* 8, 12. ℙ *Statua triumphalis*, quae habitu triumphantis facta est. *Plin. ep.* 2, 7. Heri a senatu Vestricio Spurinnae, principe auctore, triumphalis statua decreta est. ℙ *Triumphalia ornamenta*, erant insignia, quibus triumphantes olim uti solebant; quae postea favore principum concedebantur interdum iis quoque, qui non triumphassent. *Suet. Aug.* 38. Super triginta ducibus justos triumphos, et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. ℙ Hujusmodi ornamenta erant corona aurea, patera aurea, equi albi, toga picta, tunica palmata, sella curulis, et scipio eburneus (*Liv.* 10, 7. et 30, 15.), quae omnia interdum *triumphalia* absolute appellantur. *Tac. H.* 4, 4. Muciano triumphalia de bello civili data. *Vell.* 2, 116 Triumphalia adipisci. *Suet. Claud.* 24. et *Ner.* 15. Triumphalia ornamenta. ℙ [*Triumphalis* praetor creatus primum circa ann. a Chr. n. CCCXXX. ab Imp. Constantino M., quod munus bellicae felicitatis causa institutum fuisse legitur in *Cod. Theod.* 6, 4, 5. et 25. *Inscr.* ap. *Oderic. Syllog.* p. 131. Alfenio Cejonio Juliano Kamenio V. C. praetori triumfali, etc. Alia ap. *Fabrett.* p. 776. *n.* 267. Lolliani V. C. Praet. triumpalis. Ita pro *triumphalis*. V. TRIUMPHUS. *F.*] ℙ **Triumphale* cognominatum est Ipastargi, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

TRĪUMPHĀTOR, oris, m. *θριαμβευτής*, qui triumphat. *Appul. Apol.* Ille vir de Sabinis, deque Samnitibus triumphator. ℙ Est unum ex appositis Jovis, ut Fulminator, Serenator, etc. *Id. de Mundo f.* Triumphator, Propagator, Tropaeophorus. ℙ Translate. *Minuc Fel. Octav.* 37. Triumpator erroris.

TRĪUMPHĀTŌRĬUS, a, um, adj. idem quod triumphalis. *Tert. adv. Marc.* 5, 10. *extr.* Verbum triumphatorium, et insultatorium.

[TRĪUMPHATRIX, icis, f. quae triumphat. Ita est appellata honoris causa legio nona a C. Julio Caesare, ut videtur, ob victoriam in Hispania relatam adversus Cn. Pompejum juniorem, Magni filium, quae postea ab Augusto *Hispaniensis* etiam fuit cognominata, ut constat ex duabus *Inscr.* ap. *Mur.* 813, 1. et ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 4952., quemadmodum alia *fulminatrix*, alia *adjutrix*, alia *rapax*, alia *victrix* vocatae fuerunt. *Inscr.* paucis abhinc annis in Histria reperta, nunc in *Mus. lapid. Semin. Venet.*, et a *Jo. Labusio* illustrata in *Gazzett. di Venez. ann.* 1833. *n.* 56. L. Vinusius L. F. Veter. Leg. VIIII. Triumph. Septumiae P. F. Sabinae uxori, Vinusiae Tertullae F. annor..... *F.*]

TRĪUMPHĀTUS, a, um, part. a *triumpho*: *θριαμβευθείς*, de quo triumphatum est. *Virg. G.* 3, 33. Bisque triumphatas utroque ab litore gentes. *Ov. Am.* 1, 15, 26. Roma triumphati dum caput orbis erit. *Plin.* 5, 5, 5. Omnia armis Romanorum superata, et a Cornelio Balbo triumphata. *Virg. A.* 6, 837. Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currum. *Ov. Fast.* 3, 732. Teque triumphato viscera tosta bove, *h. e.* bello et praeda abacto. Sic *Id. Pont.* 2, 1, 45. Deque triumphato, quod sol incenderit, auro Aurea Romani tecta fuisse fori. ℙ Dicitur etiam de hostibus victis, et in triumphum adductis. *Vopisc. Aurel.* 33. Zenobia cum eo (*Aureliano*) ingressa est, victa et triumphata; et 39. Tetricum triumphatum correctorem Lucaniae fecit, filio ejus in senatu manente.

[TRĪUMPHĪGER, ra, rum, adj. qui gerit triumphum. *Dracont. Satisf.* 22. Nominis Asdingui bella triumphigera. *F.*]

TRĪUMPHO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπινικεύω*, *θριαμβεύω*, triumphum ago. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, io. Idque a *θριάμβῳ* Graeco Liberi Patris cognomento potest dictum esse. *Cic. Mur.* 7. Cum Murenae pater amplissime atque honestissime ex praetura triumphasset. *Liv.* 5, 28. Camillum triumphantem albi per urbem vexerant equi. *Id.* 36. 39. Proconsulem P. Cornelium triumphaturum esse censebat. *Ov. Fast.* 5, 52. Illa (*Majestas*) coronatis alta triumphat equis. *Cic. Phil.* 11, 8. Africanus, qui de Numantinis triumphaverat. *Id. Pis.* 23. *extr.* Tu inventus es, qui consulari imperio praeditus, ex Macedonia non triumphares. *Ov. Pont.* 2, 8, 39. Sic fera quamprimum pavido Germania vultu Ante triumphantes serva feratur equos, *h. e.* triumphalem currum trahentes. *Vell.* 2, 96. *extr.* Hujus victoriae compos Nero, ovans triumphavit, *h. e.* ovationem, non triumphum egit. ℙ Cum accusativo. *Gell.* 2, 11. *f.* Triumphavit cum imperatoribus suis triumphos duos. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 61. Achaeos bis proelio fudit, triumphandos Mummio tradidit. *Lact.* 6, 23. *f.* Hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo. *Trebell.* XXX. *Tyr.* 24. Aurelianus eum (*Tetricum*), quem triumphaverat, correctorem totius Italiae fecit. Adde *Aurel. Imp* in *ep.* ap. *Treb. ib.* 30. ℙ Passive. *Tac. A.* 12, 19. *extr.* Pro Mithridate non potentiam, neque regnum precari, sed ne triumpharetur, neve poenas capite expenderet, *h. e.* in triumpho duceretur. ℙ Impersonaliter. *Cic. Off.* 2, 8. Portari in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam imperatores nostri ex Transalpinis bellis triumpharunt. *Liv.* 3, 63. *extr.* Tum primum sine auctoritate senatus, populi jussu triumphatum est. ℙ Translate. *Prop.* 2, 7, 28. Mirum, si de me jure triumphat amor. Adde *Ov. Am.* 2, 18, 18. ℙ Saepe est sibi placere, exsultare, gaudio efferri, velut si rem magnam adeptus sit. *Ter. Heaut.* 4, 2, 5. Triumpho, si licet me latere tecto abscedere. *Cic. Cat.* 2, 2. In quo exsultat et triumphat oratio mea. *Id. Cluent.* 5. *f.* Tum vero illa egregia mater palam exsultare laetitia, ac triumphare gaudio coepit, victrix filiae, non libidinis. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Laetaris tu in omnium gemitu, et triumphas. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 16, 9. *ad Att.* Meum factum probari a te, triumpho et gaudeo. Alii leg. *triumpho gaudio*. *Pl. Bacch.* 4, 9, 48. Ut sit mulsum, qui triumphent milites.

TRĪUMPHUS, i, m. *θρίαμβος*, genus honoris, qui haberi solitus est iis, qui imperium a populo acceptum summa cum virtute ac felicitate administrassent, nimirum ut domum redeuntes magna cum celebritate et pompa in Urbem ingrederentur: ductum a voce Graeca allata. V. TRIUMPHO. *Plin.* 7, 56, 57. ejus auctorem facit Liberum Patrem. *Sall. Jug.* 34. Incedunt per ora vestra magnifice, sacerdotia, et consulatus, pars triumphos suos ostentantes. *Id. ep. Mithrid. ad Arsac. med.* et *Cic. Verr.* 2, 5, 26. et 30. Aliquem per triumphum ante currum suum ducere. *Plin.* 7, 43, 45. Lucius Metellus primus elephantos duxit in triumpho. *Cic. Verr.* 2, 5, 39. *med.* Agere triumphum de aliquo; et *Fam.* 3, 10. ex aliqua re. *Plin.* 7, 26, 27. ducere, *h. e.* agere. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. *med.* Agere res justissimi triumphi, *h. e.* ut ob eas triumphus debeatur. *Cic. Balb.* 4. Pompejus tot habet triumphos, quot orae sunt partesque terrarum. *Id. Off.* 1, 22. *f.* et *Nep. Cat.* 2. Mihi Pompejus hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rempubl. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. *Id. Fin.* 4, 9. *med.* Cum senatus triumphum Africano decerneret. ℙ Translate. *Id. Phil.* 14, 5. Is demum est justus triumphus ac verus, cum bene de republica meritis testimonium a consensu civitatis datur. *Id. Vat.* 16. Tribules ita te ode-

runt, ut repulsam tuam triumphum suum duxerint. *Just.* 14, 4. *med.* Triumphum de se ipso ducere, *h. e.* seipsum triumphandum alteri praebere. *Plin.* 37, 2, 6. Triumphus luxuriae, *h. e.* cum luxuria maxime viget. ℙ Triumphus honorum omnium amplissimus fuit, qui suffragio, aut studio civium deferrentur. Ut autem imperium mandatum est consulibus, dictatoribus, praetoribus, et privatis hominibus, iisque item omnibus prorogatum est, sic consules, dictatores, praetores primum, deinde etiam reliqui triumpharunt. Igitur si qui de triumpho postulando cogitarent, aliquandiu ad Urbem manebant, lictores, facesque laureatos habebant, senatu in aedem Bellonae evocato, res a se gestas exponebant: denique triumphum petebant. Decreto inde a senatu triumpho, quoniam sine imperio triumphare nemo poterat, qui sine magistratu Urbem triumphi causa inituri erant, eis legem de imperio ferre necesse erat, id est ut eo die, quo Urbem inirent, cum imperio essent. ℙ Triumphi nullo bello gesto acti exemplum habes ap. *Liv.* 40, 38. ℙ Pompa triumphi, quamquam alia aliis temporibus pro rerum ac victoriarum conditione fuit, tamen in hoc vere fuit semper eadem, ut senatus, qui ad portam obviam prodierat, ante iret: tum spolia de hostibus capta, et praeda omnis auri atque argenti, et oppidorum captorum simulacra, et captivorum hostium duces vincti subsequerentur: tum imperator auratis quadrigis, laurea coronatus, dextra lauri ramum tenens, os minio illitus, bulla ornatus, vestibus triumphalibus indutus, id est tunica palmata, et toga picta, veheretur: currum vero legati, et tribuni militum in equis, et pedibus exercitus omnis victor laureatus cum cantu et clamore assectaretur. Erat etiam in curru ei a tergo, qui suggeret: Respice post te: hominem memento te, ut ait *Tert. Apol.* 33. Hanc vero pompam imperator per Urbem in Capitolium ducebat, ibique taurum immolabat, ac splendidum convivium apparabat. Ad vesperam positis imperii insignibus domum omnino privatus se referebat, tibiis et fistulis praecinentibus. *Cic. Pis.* 25. Disseris de triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati et tribuni in equis? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per Urbem? *Liv.* 31, 52. Triduum triumphavit. Die primo arma, tela, signaque aerea et marmorea transtulit: secundo aurum argentumque factum, infectumque, et signatum: tertio die coronae aureae, dona civitatum, translatae CXIV., et hostiae ductae, et ante currum multi nobiles captivi obsidesque, inter quos Demetrius regis Philippi filius fuit. Ipse deinde Quinctius in Urbem est invectus, milites secuti currum frequentes, ut ex omni provincia exercitu deportato. His duceni quinquageni aeris in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti. V. *Ov. Pont.* 2, 1. et *Trist* 4, 2., *Liv.* 3, 29. et *Vopisc. Aurel.* 34. ℙ Fuit et aliud triumphi genus, quod speciali nomine *Ovatio* appellabatur, de quo V. suo loco. ℙ Olim *triumpus* scriptum fuit, teste *Cic. Or.* 48. et *Quint.* 1, 5. *med.*, et apparet in nummo gentis Papiae ap. *Morell. Numism. Fam, R. tab.* 1. *n.* 1., in quo videre est caput Dei Triumphi laureatum cum tropeo. Posteriori aevo etiam *triumfus*, quod improbandum. V. TRIUMPHALIS.

[TRIUMPILĪNI, orum, m. plur. incolae vallis, quae nunc *Val Trompia* dicitur in agro Brixiano. *Plin.* 3, 20, 24. Euganeae gentes, quarum oppida XXXIV. enumerat Cato. Ex iis Triumpilini, venalis cum agris populus: et *mox*: Gentes Alpinae devictae, Triumpilini, Camuni, etc. *F.*]

TRIUMVIR, iri, m. unus ex magistratu trium virorum. [*Contra morem Latinorum *duumviri*, *triumviri* a recentioribus dicuntur etiam ii, qui non re sed cogitatione tantum, i. e. propter consilii, gloriae etc. communionem quandam uno collegii nomine comprehendi possunt. Cf. *Doederl.* 4, 348.] *Sall. Jug.* 46. Cajum Gracchum triumvirum coloniis deducendis ferro necaverant. *Nep. Att.* 12., *Vell.* 2, 88. et *Gell.* 3, 9. M. Antonius, qui postea III Vir R. P. C. fuit. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 12. Ego triumvir vocatus a P. Porcio tribuno plebis, non ivi. ℙ Romae triumviri multiplices fuere: Epulones, Capitales, Mensarii seu Monetales, Nocturni, Agrarii seu Coloniae deducendae, Reipubl. constituendae. De his ordine deinceps. ℙ De genitivo plurali V. in *Triumviri Capitales.*

Triumviri Agrarii, seu *Coloniae deducendae*, dicti sunt, qui plebem Romanam in agros hostibus ereptos, cum eo colonias mitti placeret, deducebant. Sed modo triumviri, modo quinqueviri, modo septemviri, modo decemviri, modo viginti viri agris dandis, vel coloniae deducendae creati sunt. Pertinebat ad hujus magistratus officium, ut et agros novis colonis dividerent, et urbes designarent, et aedificare volentibus areas partirentur, et commodis regionibus urbem distinguerent, et legibus magistratibusque civitatem sisterent, et ad speciem optimi gubernaculi rempublicam effingerent. *Liv.* 3, 1. Triumviros agro dando creant T. Quintium, A. Virginium, P. Furium. Adde 4, 11., 6, 21., 8, 16. et aiibi.

Triumviri Capitales, erant tres viri magistratu ornati, qui carceris custodiam habebant, ut, cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret. Creati sunt post praetorem peregrinum, eo tempore, quo centumviri litibus judicandis, quatuorviri curandarum viarum, triumviri monetales. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. ℙ Sunt qui hunc magistratum eundem esse censeant, atque magistratum duumvirorum capitalium, qui a Tullo Hostilio originem habuere. Sed differebant. Nam duumviri semper binario numero creati sunt, deinde exercebant judicium de perduellione, denique rarissime creati sunt, idest in causa P. Horatii, in judicio M. Manlii, in judicio C. Rabirii, ac postremo vetustate evanuerunt, ut docet *Sigonius l.* 2, *de ant. jure C. R. c.* 18.; at vero triumviri capitales tres semper fuere, nullum judicium exercuere, sed tantum carceri praeerant: denique perpetui erant in republica. *Cic. Or.* 46. Planique neque *duorum virorum judicium*, aut *triumvirorum capitalium*, aut *decemvirorum litibus judicandis* dico nunquam. Sententia est, in genitivo plurali usitatius dici *duumvirum*, *triumvirum*, *decemvirum*, per syncopen. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 7. Sanguinis ingenui mulierem praetor apud tribunal suum, capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit: et *infra:* Quae tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad triumvirum, a triumviro ad praetorem, a praetore ad concilium judicum perlata, remissionem poenae mulieri impetravit. V. TRESVIRI.

Triumviri Coloniarum, qui fere duumviri, interdum quatuorviri, erant magistratus prope consulatui aut praeturae compar, qui colonias regebant. Hi etiam triumviri, aut duumviri, aut quatuorviri jure dicundo appellabantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 491, 4. III. Vir in Col. Auxim. bis. Alia ap. *Gud.* 135, 7. Petronius Saturninus III. Vir I. D. Adde 141, 1.

Triumviri Epulones, qui postea quinqueviri, ac ultimo septemviri, fuere sacerdotes, qui Jovi ceterisque Diis epulas instruebant. V. EPULO. *Liv.* 33, 42. Romae eo primum anno (id est DLVII.) triumviri Epulones facti, C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, et L. Porcius Lecca: his triumviris item, ut pontifici, lege datum togae praetextae habendae jus.

Triumviri Locorum Publicorum Persequendorum, in provinciis erant iidem ac Romae *Curatores Locorum Publicorum Judicandorum*, ut habetur in *Inscr.* ap. *Grut.* 200, 5, 6. Illorum porro munus erat loca publica a privatis possessa rei publicae, causa cognita, restituere. *Inscr.* Genevensis ap. *Grut.* 398, 6. T. Julio T. F. Corn. Valeriano patrono coloniae, III. Vir. Locor. P. Persequendor., etc. Adde aliam Viennensem ap. *eund.* 458, 2.

Triumviri Mensarii, fuere tres viri magistratu praediti, qui aliquando et Quinqueviri Mensarii fuerunt; utrique autem creati sunt ad aes alienum plebis Romanae dissolvendum, quo illa paene obruta erat improbitate feneratorum, atque ita dicti sunt, quod ad mensas sederent, et pecuniam publicam fenori darent. V. MENSARIUS.

Triumviri Monetales, fuere tres viri magistratu praediti, qui auri, argenti, aeris flatoribus praeerant, et his notis inscribebantur, A. A. A. F. F. *h. e.* auro, argento, aere flando, feriundo. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. §. 30. Eodem tempore et Triumviri monetales (*creati sunt*) aeris, argenti, auri flatores. V. MONETALIS.

Triumviri Nocturni, fuere qui Urbis curam nocte gerebant. Non multo tempore post rogationem duumvirorum classis restituendae, quae facta est eo anno, quo App. Claudius Caecus censuram gessit, M. Valerio et P. Decio Coss. creati sunt, ut ab iis difficili bellorum, et civilium seditionum tempore, muri custodiaeque portarum per milites stationarios munirentur. Id etiam eorum curae injunctum est, ut et nocturnas seditiones a civibus arcerent, et quies Urbi servaretur. Hujus magistratus partes in officium praefecti vigilum demum traductae sunt. *Paul. Dig.* 1, 15, 1., *Liv.* 9, 46. et *Val. Max.* 8, 1. *n.* 6. *damnat.*

Triumviri Reipublicae Constituendae, fuere C. Octavius, M. Antonius, et M. Lepidus, hoc enim nomine dominationis suae consilia tegebant. *Flor.* 4, 6., *Suet. Aug.* 27., *Vell.* 2, 88. et *Epit. Liv.* 120. *cum supplemento Freinshemii.*

Triumviri alii memorantur a *Livio* pro variis reipublicae necessitatibus instituti, ut 25, 5. conquirendae juventuti per agros ad supplendos exercitus, *ib.* 7. sacris conquirendis, et reficiendis aedibus Fortunae, etc., a *Suet. Aug.* 37. senatui legendo. In quodam nummo G. Aciliae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 119. legitur III VIR. VALETV, quod nonnulli interpretantur *Triumviri Valetudini Tuendae*, alii rectius *Triumvir. Valetudo.* Etiam in municipiis et coloniis aliquando pro Quatuorviris et duumviris fuerunt triumviri, ut patet ex *Inscr.* ap. *Donat.* 76, 3. L. Manlio L. F. Pal. Severo III. Viro Bovillensium, etc. Alia ap. *Morisan. Inscr. Reg.* p. 266. T. Ervenus T. F. Sabinus trivir (ita pro *triumvir*) Aed. Pot. II. (*h. e.* aedilicia potestate iterum) testamento legavit municipibus Reginis Jul., etc.

TRIUMVIRĀLIS, e, adj. ad triumviros pertinens. *Hor. Epod.* 4, 11. Sectus flagellis triumviralibus, *h. e.* triumvirum capitalium. Sic *Tac. A.* 5, 9. Triumvirale supplicium. *Sen. Ben.* 2, 11. Triumviralis proscriptio, *h. e.* III Virum R. P. C.

TRIUMVIRĀTUS, us, m. ἀρχὴ τῶν τριῶν, magistratus, quem tres collegae administrant. *Cic. Brut.* 31. Qui quidem in triumviratu judicaverit contra P. Africani avunculi sui testimonium. *Liv.* 9, 46. Tribunatu ante gesto, triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniae deducendae. *Plin.* 9, 35, 59. Ne triumviratu suo nimis superbiat Antonius, *h. e.* R. P. C.

TRIUNCIS, e, adj. trium unciarum, τεταρτημόριος. *Gall. Imp.* ap. *Treb. Claud.* 17. Paragaudem triuncem unam. V. TERUNCIUS.

TRIXĀGO, inis, f. herba eadem, ac Graeco nomine chamaedrys. *Plin.* 24, 15, 80. **Veget. de re veter.* 1, 17. 1, 42. (al. 2, 14.) et 3, 24. (al. 5, 23.) *B. A.*

*TRIXIS, is, f. arboris genus, quam vicinum vocant a seminis similitudine. *Plin.* 15, 7. *B. A.*

TROAS, ădis, adj. f. Τρωάς, ad Trojam pertinens, et ejus circa agrum, et regionem, et Phrygiam. *Ov. Her.* 13, 94. Qui primus Danaum Troada tangat humum; et *ib.* 16, 181. Occurrent denso tibi Troades agmine matres. *Sen. Troad.* 94. agnosco Troada turbam. ℙ *Troas*, absolute mulier Trojana, aut ex Phrygia. *Virg. A.* 5, 613. in sola secretae Troades acta Amissum Anchisen flebant. *Ov. Met.* 13, 566. Troada telorum lapidumque incessere jactu Coepit, *h. e.* Hecubam. *Id. Her.* 13, 137. Troasin invideo, *h. e.* Troadibus, dativus pluralis Graecae positionis, ut *heroisin* ap. *eund.* et *Dryasin* ap. *Prop.* ℙ *Troas*, regio circa Trojam, quam *Plin.* 5, 30, 32. describit. *Nep. Paus.* 3. Qui locus in agro Troade est, *h. e.* in agro, cui nomen Troas: duo casus continuati. ℙ Fabula. *Claud. in Eutr.* 2, 404. quoties crinitus ephebus Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada fingit. ℙ Est etiam tragoediae nomen a Q. Tullio Cicerone scriptae. *Cic. Q. Fr.* 3, 6. Quatuor tragoedias XVI diebus absolvisse cum scribas, tu quidquam ab alio mutueris? et χρέος quaeras, cum Electram, et Troadem scripseris? *Male ergo innuit *Angelus Maius*, unicum locum, qui Q. Ciceronem tragici carminis scriptorem fuisse refert, exstare in *Comment. antiq. in Cic. pro Archia poeta* a se edito. V. p. 55. ed. *Mediol.* 1814. ℙ Fuit et Troas urbs Troadis. *Plin.* 5, 30. *Paul.* in *Pand.* 15, 8. Dicta et *Alexandria Troas* a *Liv.* 35, 42. et 37, 35. et *Alexandria* simpliciter a *Cic. Acad.* 4, 4. et *Antigonia* a *Plin. l. c.* et *Troas Antigonia Alexandr.* in *numo Titi* ap. *Golzium.* ℙ *Troades*, fabula Accii. *Prisc.* 6. p. 682. ℙ Troades fabula, quae superest, *Senecae* tribuitur a *Prisciano* et *Valerio Probo*, sed idem bis *Hecubam* vocat. Philosophi esse, et Euripidis Troadas longe vincere, judicabat olim *Heinsius. B. A.*

[TROCHAEIDES, is, adj. omn. gen. τροχαιειδής, *h. e.* similis trochaeo, similitudinem trochaei habens. *Capell.* 9. p. 335. Alius vero est numerus, qui trochaeides nominatur, id est, qui figuram quandam speciemque trochaei habere videtur, ex elationibus geminis, et longa positione consistens. *F.*]

TROCHAEUS, i, m. τροχαῖος, pedis nomen in arte metrica, idem ac choreus, duabus syllabis constans, quarum prima longa est, brevis altera: a τρέχω, curro, quia chori, in quibus usitatius est, agilius moventur in morem currentium. *Quint.* 9, 4. §. 80. Iambo contrarium e longa et brevi, hunc choreum nos, ut alii trochaeum, nominemus. *Cic. Or.* 3, 47. Nam cum sint numeri plures, iambum, et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles. *Prud. περὶ στεφ. praef.* 8. nos citos iambicos Sacramus, et rotatiles trochaeos. ℙ Hoc nomine veteres appellarunt et tribrachyn, id est pedem ex tribus brevibus constantem, ob eandem rationem. *Quint. l. c.* §. 82. Tres breves trochaeum, quem tribrachyn dici volunt, qui trochaei nomen choreo imponunt. *Cic. Or.* 57. Contraque accidere in spondeo et trochaeo, quorum alter longis constaret, alter e brevibus fieret. [*Recte hunc locum emendavit *F.*]

TROCHĀĪCUS, a, um, adj. trochaeis constans, ut Trochaicum metrum. *Diomed.* 3, 504. et 508. [Trochaicus versus, *Terent. de metr.* p. 2437. ℙ *Trochaicus* item dicitur, qui tribrachis constat. V. v. praec. ℙ *Quint.* 9, 4. §. 140. At ille comicus (*versus*) aeque senarius, quem trochaicum vocant, pluribus choreis qui trochaei ab aliis dicuntur, pyrrhichiisque decurrit. *F.*]

TROCHĪLISCUS, i, m. parvus trochilus. *Laevius* poeta ap. *Appul. Apol.* Philtra omnia undique eruunt, Trochilisci, iynges, taeniae. Alii rectius leg. *trochisci.* V. TROCHISCUS. [*Emendavit h. l. *F.*]

TROCHĪLUS, i, m. τρόχιλος, avicula quaedam, quae etiam rex avium, et regulus tum a Graecis, tum a Latinis appellatur, eoque nomine cum aquila pugnare dicitur. *Plin.* 10, 74, 95. Dissident aquilae et trochilus, si credimus, quoniam rex appellatur avium. V. REGAVIOLUS. ℙ *Hard.* alium ab hoc eum esse putat, de quo *Plin.* 8, 25, 37. de crocodilo: Hunc saturum cibo piscium, et semper esculento ore, in litore somno datum, parva avis quae trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, in-

vitat ad hiandum pabuli sui gratia. ℙ In architectura est membrum, quod et *scotia* dicitur. *Vitr.* 3, 3. *med.* [*Quod ad paenultimae attinet quantitatem, quam pro brevi sumendam curavit *Forc.*, haud abs re erit notare, syllabam illam passim corripere Aristophanem in *Av.*, τροχίλον autem scriptum reperiri ap. *Herod.* 2, 68. *Bail.*]

[*TROCHISCILUS, i, m. parvus trochiscus. *Appul. Apol.* 1. p. 153. *Stevv. Bail.*]

TROCHISCUS, i, m. τροχίσκος, parvus trochus, seu parva rota. *Trochisci* dicuntur compositiones quaedam medicorum in formam rotulae, seu globuli, quas Latini *pastillos* vocant. *Cels.* 5, 17. Graece usurpat, Latine *Coel. Aurel. Tard.* 2, 7. et *Veg. Vet.* 2, 9. *f.* V. IYNX, et TRAJECTORIUM. ℙ *Item piscis quidam ap. *Plin.* 9, 52. *B. A.*

TROCHLEA, ae, f. τροχός, τροχίλιον, machina tractoria ad sublevanda et demittenda onera, continens rotulam aeneam, ligneamve (cui proprie nomen *trochlea* competit), axiculum per eam rotulam trajectum, et funem, qui circa rotulam currit. Exemplum ejus in puteis habemus. Ab aliquibus *rechamus* dicitur. *Vitr.* 10, 2. Alligatur in summo trochlea, quam etiam nonnulli rechamum dicunt. In trochleam induntur orbiculi duo, per axiculos versationes habentes, per cujus orbiculum summum trajicitur ductarius funis, etc. *Cato R. R.* 5. *f.* Trochleas Graecanicas binas, quae funibus sparteis ducantur. *Lucr.* 4, 903. Multaque per trochleas, et tympana pondere magno Commovet, atque levi sustollit machina nisu. ℙ *Trochleis pituitam adducere*, translate dicitur pro difficulter et cum strepitu exspuere. *Quint.* 11, 3. *med.* de pronuntiatione: Jam tussire et exspuere crebro, et ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, etsi non utique vocis sunt vitia, quia tamen propter vocem accidunt, potissimum huic loco subjiciantur.

TROCHLEATIM, adv. per trochleam. *Sidon. ep.* 5, 17. *med.* Linteum villis onustum erecto trochleatim fune nutabat. [*Un fioccoso sciugatojo pendeva sospeso alla carrucola. F.*]

TROCHUS, i, m. τρόχος, circulus, seu rota ferrea, quae ludi causa a pueris ferreo manubrio, quod clavis dicebatur, impulsa mittebatur; habebat autem circum infixos parvos anulos, qui, dum jaceretur, tinnitum et sonum reddebant. Differt a turbine, quia turbo erat ligneus, vel etiam fortasse ex alia materia, sed non circularis, at in modum metae factus. Trochus Graecorum inventum fuit, hinc *Hor. Od.* 3, 24, 57. Graecum appellat: est autem dictus a τρέχω, curro. *Prop.* 3, 12, 6. Increpat et versi clavis aduncа trochi. *Mart.* 14, 168. Inducenda rota est: das nobis utile munus: Iste trochus pueris, at mihi canthus erit; et *ib.* 169. Garrulus in laxo cur anulus orbe vagatur? Cedat ut argutis obvia turba trochis. Adde 11, 22., *Hor. A. P.* 380., *Ov. A. Am.* 3, 383. et *Trist.* 2, 486. ℙ Trochi figuram exhibet *Hieron. Mercur. l.* 3. *de art. gymn. c.* 8. [et *Winckelmann. Monum. ant. ined.* T. 2. *tab.* 194. 195. 196. *F.*]

*TROCMI, orum, populi Gallograeciae. *Liv.* 38, 16. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

TROES. V. TROS.

TROEZĒNĬUS, a, um, adj. Τροιζήνιος, ad Troezenem pertinens. *Plin.* 4, 12, 19. Troezenius ager. *Id.* 14, 18, 22. Troezenium vinum. *Id.* 37, 7, 25. Troezenii carbunculi. *Ov. Met.* 8, 566. Troezenius heros, *h. e.* Lelex filius Pitthei, qui Troezene regnavit. ℙ *Troezenii, orum*, oppidi incolae. *Mela* 2, 3. *med.* ℙ Est autem *Troezen, enis*, Τροιζήν, et *Troezene, es*, et *Troezena, ae*, f. trium oppidorum nomen: quorum primum est in Peloponneso ad sinum Argolicum, in quo regnavit Pittheus avus Thesei maternus: alterum ibidem in Messenia: tertium in Asia minore, circa Cariam, de quibus *Mela l. c.* et *Plin.* 4, 5, 9., 5, 29, 29. et 31, 2, 8. Primum ceteris est nobilius. *Stat. Th.* 4, 81. Theseia Troezen. *Ov. Met.* 15, 296. prope Pittheam Troezena.

*TROGILIUS, a, um, adj. Hinc *ora Trogilia* ap. *Plin.* 5, 29. quae promontorium est Ioniae, e regione Sami. *Straboni* est ἡ Τρωγίλιος ἄκρα, *Ptolemaeo* Τρωγύλιον ἄκρον. Τρωγύλλιον appellatur in *Act. Apost.* 20, 15. ℙ Hinc *insulae Trogiliae*, tres insulae Samo adjacentes. *Plin.* 5, 31. ℙ *Trogilii, orum*, incolae Trogili. Fuit autem Trogilus, ὁ Τρωγίλος, locus in Sicilia, prope Syracusas. *Liv.* 25, 23. Trogiliorum portus. *B. A.*

*TROGINI, orum, populi Galatiae. *Cic. de Div.* 2, 37. ubi, cum nusquam alibi *Troginorum* mentio facta sit, *Trocmorum* conjiciebat *J. Gronovius.* V. *Cellar. Orb. descr.* T. 2. p. 152. sq. et *Davis.* ad l. *B. A.* [*Orell.* exhibet *Trogmorum.*]

TROGLODYTAE, arum, m. plur. Τρωγλόδυται, pop. Africae, in Aethiopia sub Aegypto: ita dicti a τρωγλη, foramen, caverna, et δύνω, vel δύω, subeo, hoc est a specubus, in quibus habitabant. *Sen. ep.* 90. *med.* Non in defossis latent Syrticae gentes? quibus propter nimios solis ardores nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arens humus. ℙ Serpentibus vivunt, venationibus dediti, velocissimi, ab uxore et colloquio alieni. Abundant margaritis, et myrrha. Eorum regio Trоglodytica dicta fuit, in ora Occ. sinus Arabici. *Plin.* 5, 8, 8., 7, 2, 2., 8, 8, 8.

TROGLODYTĬCUS, a, um, adj. Τρωγλοδυτικός, ad Troglodytas pertinens. *Plin.* 12, 16, 35. Troglodytica myrrha. *Id. ib.* 21, 46. Troglodytica balanus. ℙ *Troglodytica*, et *Troglodytice* (subaudi *regio*) Troglodytarum terra. *Plin.* 2, 70, 71. et *ib.* 71, 76.

TROGLODYTIS, idis, f. adj. Τρωγλοδυτις, Troglodytica, ut Troglodytis myrrha, *Plin.* 6, 29, 34. et *Scrib. Comp.* 90.

TROGON. V. TRYGON.

TROGUS POMPEJUS, natione Gallus, philosophus ac historicus disertissimus, floruit sub Augusto, scripsitque quatuor et quadraginta voluminibus universi orbis, sed praecipue Graecorum historiam, quam *Justinus* in epitomen redegit. Trogi vero libri non exstant. *Just. praef.* et 38, 3. *extr.* et 43. *in.* et *extr.*

TROJA, ae, f. Τροία, et Τρωάς, Ilium, urbs olim nobilissima Asiae minoris in Phrygia, apud Idam montem, et Xanthum fluvium, tria mill. pass. ab ora litorali. Celebris est carminibus *Homeri*, et *Virgilii*, qui bellum Graecorum, a quibus diruta est, cecinere. Id bellum decem duravit annos: captaque est urbs vel dolo equi duratei, vel proditione Aeneae, vel Thymoetis viri Trojani. Ejus fatum consistere creditum est in Palladio, cineribus Laomedontis, et in vita Hectoris, Troili, Paridis. *Virg. A.* 3, 3. omnis humo fumat Neptunia Troja. *Neptuniam* dicit, quia a Neptuno una cum Apolline ejus muri, rogatu Laomedontis, exstructi fuisse dicuntur. ℙ Aliquando *Troïa* est trisyllaba. *Sen. Troad.* 824. Misit infestos Troiae ruinis Non semel arcus. Adde 853. ℙ *Troja*, seu Trojanus ludus, erat equestris puerorum ludus apud Romanos, in Circo agi solitus. Nomen ex eo sortitus est, quod a Trojanis eum accepissent Romani, ut quem Aeneas primus instituerit in Sicilia ad filii Ascanii, puerorumque ceterorum exercitationem. Horum puerorum sex erant turmae, quorum totidem duces seviri equitum Romanorum dicebantur, tres nempe seniorum, tresque juniorum, qui et principes juventutis antiquitus sunt appellati. Ubi vero Augustorum filii creati seviri sunt, soli jam ipsi *principes juventutis* appellari coepti sunt: si quando bini Caesarum filii essent, major seniorum, minor juniorum turmis, una singuli cum aliis duobus senatorum ex gente patricia filiis praefecti: si unus tantum esset, is vel seniorum, vel juniorum turmis dux datus, ut aetas ejus ferebat. V. plura huc pertinentia ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 377. et SEVIR. *Festus:* Troja et regio Priami, et lusus puerorum equestris dicitur. *Virg. A.* 5, 596. Hunc morem, hos cursus, atque haec certamina primus Ascanius, longam muris cum cingeret Albam, Rettulit, et priscos docuit celebrare Latinos, Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes. Albani docuere suos: hinc maxima porro Accepit Roma, et patrium servavit honorem. Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen. *Suet. Aug.* 43. Sed et Trojae ludum edidit frequentissime, majorum minorumque puerorum delectu. *Id. Caes.* 39. Trojam lusit turma duplex, majorum minorumque puerorum. *Id. Cal.* 18. *f.* Edidit et Circenses, interjecta Trojae decursione. Adde *Claud.* 21. ℙ *Troja* dictus est etiam locus in agro Laurente, quo primum in Italia Aeneas cum suis constitit, inquit *Festus*, cui adde *Liv.* 1, 1. *med.*, qui *paulo supra* tradit, etiam locum in Venetis, in quem primum Antenor egressus est, *Trojam* vocatum esse, et pagum *Trojanum.*

TROĬADES, ae, m. Τρωϊάδης, Trojanus. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 315. *Burm.* Troiadesque puer, geminique sub aethere pisces, *h. e.* Signum Aquarii, Ganymedes. Alii leg. *Trojanusque.* ℙ *Troiades, um*, f. plur. Τρωϊάδες, mulieres Trojanae. *Pers.* 1, 4. Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem Praetulerint. Troiades per contemptum vocat Romanos proceres, qui se Trojugenas credi volebant, sed mollem et ignavam vitam vivebant. (Simile est illud *Virg. A.* 9, 617. O vere Phrygiae; neque enim Phryges.) Respicit autem ad duos *Homeri* versus, quos recitat *Cic. Att.* 2, 5.

TROJĀNUS, a, um, adj. Τρωϊανός, ad Trojam pertinens. *Virg. A.* 2, 4. Trojanas ut opes, et lamentabile regnum Eruerint Danai. *Hor. Ep.* 1, 2, 1. Trojanum bellum. *Id. Od.* 1, 28, 11. Trojana tempora, *h. e.* belli Trojani. *Ov. Fast.* 4, 121. Trojanus judex, *h. e.* Paris. *Id. Am.* 3, 9, 29. Trojani fama laboris, *h. e.* Trojani belli. *Lucan.* 1, 598. et *Claud. in Eutr.* 1, 328. Minerva Trojana, *h. e.* Palladium Troja Romam advectum, et in templo Vestae asservatum. *Suet. Tib.* 6. *extr.* Trojani ludi, *h. e.* ludus Trojae, de quo V. in TROJA. ℙ *Equus Trojanus*, proverbiali locutione pro clandestinis insidiis accipitur, et latenti periculo: tractum a fabula equi lignei, cujus fraude Graeci Trojae potiti esse dicuntur. *Cic. Mur.* 37. Intus, intus, inquam, est equus Trojanus, a quo nunquam me consule dormientes opprimemini. ℙ *Porcus Trojanus*, dicebatur aper, qui integer torrebatur, minutioribus animalculis veluti gravidus, quemadmodum et equus ille armatis hominibus gravidus fuit. *Macr. Sat.* 2, 9. *f.* Similem habes ap. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* ℙ *Trojani, orum*, Trojae et Phrygiae incolae. *Virg. A.* 11, 421. etc.

TROĬCUS, a, um, adj. Τρωϊκός, Trojanus. *Cic. Brut.* 10. Neque enim jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus. *Nep. Dat.* 2. et *Vell.* 1, 5. Troicum bellum. *Ov. Pont.* 2, 10, 14. Ne careant summa Troica bella manu. *Id. Ib.* 418. Troica vela, *h. e.* classis Aeneae. *Id. Met.* 15, 730. Troica Vesta. V. VESTA. *Juven.* 8, 221. Troica scribere, *h. e.* bellum Trojanum. ℙ Troicus ephebus *Avieno* in *Arat.* 549. est Ganymedes. V. AQUARIUS. ℙ Troicum ignem appellat *Stat. Silv.* 1, 1, 35. ignem perpetuum, qui Romae servabatur in templo Vestae, quia ejus Deae sacra ex Troja Aeneas in Italiam advexerat.

*TROILĬUM, i, n. oppidum Etruriae. *Liv.* 10, 46. *B. A.*

TROĬLUS, i, m. Τρώϊλος, diminut. Trois, filius Priami et Hecubae, mortuo Hectore fratre, ejus virtutis heres multas de Graecis victorias reportavit: ter Achilli congressus, ab eo tandem interfectus est. Ejus vita inter Trojana fata numerabatur. *Virg. A.* 1, 478. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 304, 10. Q. Gargilius Troilus. *F.*]

TROJŪGĒNĂ, ae, adj. comm. gen. Τρώϊος, Trojanus, quasi in Troja, seu Troade genitus, ea forma, qua Graecos vocamus *Grajugenas*, quasi genitos in Graecia. *Virg. A.* 8, 117. Trojugenas, et tela vides inimica Latinis. *Id. ib.* 3, 359. Trojugena interpres Divum, qui numina Phoebi, etc. *Lucr.* 1, 464. Tyndariden raptam, belioque subactas Trojugenas gentes. *Catull.* 64, 356. Trojugenum infesto prosternet corpora ferro. *Juven.* 1, 100. jubet a praecone vocari Ipsos Trojugenas, *h. e.* patriciorum R. nobilissimos, qui se genus ducere jactabant a primis illis Trojanis Romae conditoribus. Adde 11, 95. ℙ Dicitur de Romanis. *Liv.* in veteri carmine 25, 12. Amnem Trojugena Cannam Romane fuge.

TROĬUS, a, um, adj. Τρώϊος, trisyll. Troicus, Trojanus. *Virg. A.* 1, 600. Troius Aenaeas Libycis ereptus ab undis; et 123. Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas; et 253. Troia arma. *Ov. Her.* 1, 28. Troia fata canunt. *Tibull.* 2, 5, 40. Troia sacra.

TROMENTĪNA Tribus Romana, una ex rusticis appellata est ab agro Tromento in Etruria, ubi constituta est ann. U. C. CCCLXIX. una cum Stellatina, Sabatina, et Arniensi. *Festus:* et *Liv.* 6, 5. *extr. Inscr.* ap. *Grut.* 1109, 8. T. Plotius T. F. Tromentina Rufinus. Alia ap. *eund.* 64, 6. Q. Asisieno Q. F. Tro. Agrippae, etc. **Cic. Att.* 4, 16. *med.* Sed quidam judices, in his Opimius VEIEN. TRO. Antius, tribunos plebis appellarunt, ne injussu populi judicarent. *B. A.*

*TRONUM, i, n. Dalmatiae oppidum. *Ant. Itin. B. A.*

[TRŌPĂ, ae, f. τροπή, conversio, a τρέπω, verto. Hinc *Tropae chimerinae*, τροπαὶ χειμεριναὶ, dicitur bruma, seu solstitium hiemale, cum nempe sol ex circulo Tropico Capricorni ad illum Cancri converti incipit, *Vet. Kalend. Farnes.* ap. *Grut.* 138. *mense Decembr.* Hiemis initium, sive tropae chimerinae. *F.*]

TRŌPAEĀTUS, a, um, adj. tropaeo ornatus. *Ammian.* 23, 5. Trajanus, et Verus hinc sunt digressi victores, et tropaeati. *August. de partic.* p. 2012. Clypeatus, et tropaeatus nomina sunt, non participia, quia non a verbo veniunt.

TRŌPAEI, orum, m. plur. τροπαῖοι, venti altani, qui in terra geniti, cum mare perflarint, redeunt ad continentem; ita dicti ἀπὸ τῆς τροπῆς, *h. e.* a conversione. Idem, cum in mare tendunt, *apogaei* vocantur, quod a terra proficiscantur. *Plin.* 2, 43, 44. Namque et e fluminibus, et e sinubus, et e mari videmus, etiam tranquillo, et alios, quos vocant altanos, e terra consurgere; qui cum e mari redeunt, tropaei vocantur; si pergant, apogaei. ℙ Tropaei item dicuntur in certo lusus genere, qui alios vellicant infestantque, et, ne deprehendantur, convertunt se. *Suet. Claud.* 8. Et quoties post cibum obdormisceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum ossibus incessebatur, interdum ferula flagrove velut per ludum excitabatur a tropaeis. Alii rectius leg. *copreis.*

TRŌPAEOPHŌRUS, i, m. τροπαιοφόρος, tropaeum referens. *Appul. de Mundo f.* Juppiter Triumphator, Propagator, et Tropaeophorus.

TRŌPAEUM, i, n. τρόπαιον, monumentum a victore erectum in honorem Deorum, eo loci, ubi hostes in fugam vertit: a τροπή, conversio, fuga, a τρέπω verto. Prima tropaea ex arboribus confecta sunt, quas amputatis minoribus ramis hostium spoliis ornabant. Deinde coepta sunt fieri ex lapide, et in montibus et locis altioribus locari. Et Romae in arcubus marmoreis figebantur: in nummis etiam insculpebantur. Hinc *Cic. Inv.* 2, 23. Cum Thebani Lacedaemonios bello superavissent, et fere mos esset Grajis, cum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent, victoriae modo in praesentia declarandae causa, non ut in perpetuum belli memo-

ria maneret, aeneum statuerunt tropaeum. Accusantur apud Amphictyonas, *h. e.* quia aeneum, non ligneum, constituerant tropaeum. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 6. Pompejus devictis Hispanis, tropaea in Pireneis jugis constituit. *Tac. A.* 2, 22. Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tiberii Caesaris ea monimenta Marti, et Jovi, et Augusto sacravisse; et 18. Miles struxit aggerem, et in modum tropaeorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit. *Virg. l. c.* Ingentem quercum decisis undique ramis Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma, Mezenti ducis exsuvias, tibi magne tropaeum Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas, Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum, Perfossumque locis, clypeumque ex aere sinistrae Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum; et 83. Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi, *h. e.* occisorum nomina inscribi. *Flor.* 3, 2. *f.* Ipsis, quibus dimicaverant, locis saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixere: cum hic mos inusitatus fuerit nostris: nunquam enim populus R. hostibus domitis victoriam suam exprobravit *(usque ad ea tempora)*. *Suet. Caes.* 11. Tropaea C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta, restituit. *Cic. Pis.* 38. In Macedonia tropaea posuit, quae bellicae laudis victoriaeque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerunt. *Id. Inv.* 2, 23. Tropaeum statuere. *Tac. A.* 15, 18. sistere. *Val. Fl.* 4, 739. regia tecta Bebryciis praefixa tropaeis. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Ch. n. LXXXVI, ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 457. In Capitolio post tropaea. ℙ Metonymice est victoria, et spolia, quae vincendo parantur. *Nep. Them.* 5. Haec est altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari tropaeo. *Hor. Od.* 2, 9, 19. nova Cantemus Augusti tropaea Caesaris. *Ov. Her.* 9, 103. Se quoque Nympha tuis ornavit Iardanis armis, Et tulit e capto nota tropaea viro; et *ib.* 17, 241. Cytherea vicit, habetque Parta per arbitrium bina tropaea tuum. *Id. R. Am.* 157. Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas, Et refer ad patrios bina tropaea Deos. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 2, 47. Utrum hoc signum cupiditatis tuae, an tropaeum necessitudinis atque hospitii, an amoris indicium esse voluisti? *Ov. Her.* 21, 213. ut miserabile corpus, Ingenii videas bina tropaea tui. *Prop.* 3, 7, 34. Maecenatis erunt vera tropaea fides. ℙ Multi scribunt *trophaeum* addita aspiratione, quae tamen in Graeca origine nulla est: quare a *Cellario* rejicitur, et a *Pierio* ad *Virg. G.* 3, 32. et *A.* 11, 172. scribitur, in melioribus libris nullam esse. Defenditur tamen a *Dausquio*, qui et a Graecis aliquando ait τρόφαιον scribi, et alia inde affert exempla, quibus ea scriptio firmatur. Sane Latini *Riphaei, Bosphorum*, et *triumphum* scribunt, licet in Ῥιπαῖοι, Βόσπορος, et θρίαμβος nulla sit aspiratio. Rectius tamen *tropaeum* retinueris.

[TROPHĪMA seu potius Trophema, ătis, n. τρόφημα, alimentum pueris aliquibus praebitum. *Paul. Dig.* 16, 3, 26. Habere me a vobis auri pondo plus minus decem, et discos duos, saccum signatum, ex quibus debetis mihi decem, quos apud Titium deposuistis: item quos trophimati decem: item ex ratione patris vestri decem, et quod excurrit. Alii *Trophimati* scribunt, ut sit dativus singularis a nomine proprio viri *Trophimas, atis*, quod minus probandum videtur. *F.*]

[TROPHĪMUS, i, m. et Trophimē, es, f. τρόφιμος, et τροφίμη, alimentum praebens, nutricius et nutricia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 187. *n.* 427. Dis Manibus M. Tiberii Trophimi, etc. Super hac inscriptione exstat in lapide sculpta cerva puerulum lactans, quae Telephi, filii Herculis, educationem repraesentare, simulque cognomini alludere videtur. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 690. Baebia Trophime. *F.*]

TROPHONIĀNUS, a, um, adj. a Trophonio, ut Trophoniana Chaeronis narratio, ap. *Cic. Att.* 6, 2. *h. e.* de Trophonii antro.

TROPHŌNĬUS, ii, m. Τροφώνιος, insignis architectus, qui subterraneum fanum in Lebadia Boeotiae regione construxit, quod ab ipso Trophonii antrum cognominatum est. Ibi cum aliquandiu oracula reddidisset, atque tandem fame interiisset, ferunt Genium quendam antrum hoc subiisse, atque ex eo oracula reddidisse. Qui hinc oracula sciscitabantur, linea tunica tantum induti, taeniis cincti et caligati in aditu specus sedere soliti sunt, atque inde flatu quodam sub terram abripiebantur. Gestabant autem secum placentas, quas Lemuribus, serpentibusque occurrentibus objicerent. Deinde accepto oraculo, rursus per alium hiatum in terram restituebantur. Creditum est, quotquot in hoc antrum descendissent, nunquam postea risisse. Hinc factus est locus Graeco proverbio, ut homines tristes et tetrici in Trophonii antro vaticinari dicantur. V. *Adagia Erasmi.* Meminit hujus Trophonii *Cic. Div.* 1, 34., *N. D.* 3, 19. et *Tusc.* 1, 47., itemque *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 7. et 31, 2, 11. Omnium accuratissime *Paus.* 9, 39. Trophonii antrum describit. ℙ *Cic. N. D.* 3, 22. et *Arnob.* 4. p. 135. Mercurium secundum, Valentis et Phoronidis filium, sub terris habitantem Trophonii nomine appellari tradunt. ℙ Jovem Trophonium *Liv.* 45, 27. memorat, qui fuit praecipuum numen, deinde Trophonii architecti illius templi nomen increbuit.

[TROPĬCĒ, adv. τροπικῶς, per tropos. *August.* 4. *de Genes. ad litt.* 9. Maluit tropice loqui. *F.*]

TROPĪCUS, a, um, adj. quasi dicas conversivus: a τρέπω, verto. Signa tropica sunt quatuor, Libra, Capricornus, Aries, et Cancer, ita dicta, quod Sol cum ad ea in Zodiaco pervenerit, conversionem cursus sui, et anni mutationem facit: nam cum est in signo Cancri, quo tempore dies longissimi sunt, solstitium aestivum facit, paulatimque revertitur, descenditque usque ad Capricornum, ubi solstitium hiemale efficit, diesque brevissimos: similiter cum est in signo Arietis, noctes diebus aequales reddit, et Ver inducit; cum vero Libram ingressus est, tunc quoque dies aequat noctibus, et affert Autumnum. *Manil.* 3, 614. Sed tamen in primis memori sunt mente notanda, Partibus adversis quae surgunt condita signa, Divisumque tenent aequo discrimine coelum; Quae Tropica appellant, quod in illis quatuor anni Tempora vertuntur signis, nodosque resolvunt, Totumque emittunt converso cardine mundum, Inducuntque novas operum, rerumque figuras. Sequitur inde *Manilius* quatuor horum signorum effectus explicare. *Auson. Idyll.* 16, 7. dies quam longus erit sub sidere Cancri, Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno. *Id. Eclog. de ratione dier. anni.* Nonaginta dies et quatuor ac medium sol Conficit, a tropico in tropicum dum permeat astrum. ℙ Apud astronomos Tropici sunt duo circuli in sphaera, quorum alter Zodiacum in signo Cancri tangit, alter in signo Capricorni, quia nimirum Sol cum ea signa tetigit, revertitur, ut dictum est. *Hyg. Astr.* 1, 6. Graece Hos *Plinius* 2, 70, 70. solstitialem, et brumalem vocat. ℙ *Tropica*, absolute, *h. e.* mutationes, conversiones. *Petr. Sat.* 88. Coepi causam desidiae praesentis excutere, cur pulcherrimae artes periissent: tum ille, pecuniae, inquit, cupiditas haec tropica instituit. ℙ *Tropicus* a tropis rhetoricis. *Gell.* 13, 24. *f.* Ut tropica quadam figura mutationem vocabuli fecerint. *August. contra mendac. c.* 10. Tropicae locutiones.

*TROPĪNA, orum, locus vel oppidum in India, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

TROPĬS, is, f. τρόπις, Graece sentinam navis significat: translate sumitur pro fundo lagenae, atque hinc pro vino vapido, quod in fundo lagenae est: hujusmodi vino utebantur veteres in balneis vel ad lavanda corpora, vel ad vomitum provocandum. *Mart.* 12, 83. Fumosae feret ipse tropin de faece lagenae.

TROPOLŌGĬA, ae, f. τροπολογία, figuratus sermo. *Hieron. in Joel.* 2, 18. Juxta tropologiam omnis anima terra est Domini.

TROPOLŌGĬCĒ, adv. τροπολογικῶς, figurate. *Hieron. in Ezech.* 1, 6, 2. Videntur mihi tropologice montes esse, qui ad perfectam scientiam perveneruntt: colles, qui paulo inferiores sunt. *Id. in Sophon.* 1, 8. Tropologice aliquid exponere.

TROPOLŌGĬCUS, a, um, adj. τροπολογικός, per tropos expressus. *Sidon. ep.* 9, 3. *med.* Tropologicum genus, et figuratum. *Hieron. adv. Joann. Jerosol. n.* 7. Tropologica interpretatione aliquid subvertere.

TROPUS, i, m. τρόπος, ut plerique grammatici definiunt, inquit *Quint.* 9, 1., est dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est. Ipse vero tum *ib.*, tum 8, 6. ita definit: Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio. *Cic. Brut.* 17. *f.* Latine vocat immutationem verbi. *Quintilianus* vero *l. c.* dicit *verbi vel sermonis*, quia sunt tropi, qui uno verbo fiunt, ut metaphora: et qui pluribus, ut allegoria. Tropis utimur vel quia necesse est, ut cum proprium deest; vel quia significantius; vel quia decentius. Ubi nihil horum sit, quod transferetur, improprium erit, inquit *Quint. l. c.* ℙ Differunt tropi a figuris, quae fiunt in sententia etiam propriis verbis, et certo ordine collocatis: tropi vero etiam uno verbo, sed immutato. *Quint.* 9, 1. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 408.] ℙ Est etiam cantus, sonus. *Venant. carm.* 10, 10, 54. Reddebantque suos pendula saxa tropos; et *ib.* 60. vox erat una tropis; et *ib.* 12, 4. Mulceat atque aures fistula blanda tropis.

TROS, ōis, m. Τρώς, ωός, rex Phrygiae, filius Erichthonii, nepos Dardani, pater Assaraci, et Ganymedis, qui postea Jovis pincerna fuit. Ab eo Troja nomen habet. *Virg. G.* 3, 36., *Sil.* 11, 297., *Ov. Fast.* 4, 33. et *Auson. Idyll.* 12. *de hist. v.* 19. ℙ Adjective est Trojanus. *Virg. A.* 1, 578. et *ib.* 10, 108. Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo. *Id. ib.* 6, 51. cessas in vota precesque Tros, tur Troes arena; et *ib.* 5, 265. Demoleus cursu pabam violentos Troas ituros. *Virg. A.* 12, 137. Laurentum, Troumque acies, urbemque Latini.

[TROSĬUS, a, um, adj. vulneratus: a τρῶσις, vulnus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 3. C. Avilius Licinius Trosius. *F.*]

*TROSMIS, is, f. Moesiae inferioris oppidum, in Istri ripa. *Ov. Pont.* 4, 9, 79. *B. A.*

TROSSŪLI, orum, m. plur. Equites apud Romanos, qui sub Romulo *Celeres*, et postea *Flexumines* appellati fuerant: ita dicti, quod Trossulum opp. Etruriae sine peditibus expugnassent, ut ait *Fest.* Idem narrat *Plin.* 33, 2, 9. *Vet.* vero *Schol.* ad *Pers.* 1, 82. addit, fuisse illud oppidum non longe a Volscis; at *Plin. l. c.* affirmat, fuisse citra Volsinios. Cum autem *Liv.* 9, 41. narret, Decium consulem Volsiniensium castella aliquot vi cepisse, argui posse videtur Trossulum captum ab equitibus eo anno, *h. e.* U. C. CCCCXLVI., Numio quodam duce, ut ait *Schol. l. c.* ℙ *Nonius* 1, 240. scripsit, Trossulos quasi torosulos dictos, hoc est bene habitos, et musculorum toris praevalidos. Eum induxit, ut ita scriberet, altera hujus vocis significatio, qua dici coepit de iis, qui cultu, et vitae delicatioris genere aliis antecellunt. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Nunc emunt Trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum. *Pers. l. c.* Unde istud dedecus, in quo Trossulus exsultat tibi per subsellia laevis. ℙ Quia autem Trossuli vox in malam partem accipi coeperat, hinc factum videtur, ut equites nominis hujus puderet, eos praesertim, qui veram nominis causam ignorarent, ut scribit *Plin. l. c.* ex *Junio Gracchano.* ℙ De jactantibus nobilitatem et divitias, Trojugenis, Troiadibus, delicatam, mollem et ignavam vitam agentibus. *Sen. ep.* 87. *med.* Cato canterio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his Trossulis in via divitibus, cursores et Numidas, et multum ante se pulveris agentem! *Id. ep.* 76. *in.* Quid ergo? idem faciam, quod Trossuli, et juvenes?

[TROTTONĀRĬUS, a, um, adj. est epitheton militare equi, qui et trepidarius dicitur, Italice *trottante, che trotta*, succussator, qui succussat: hujusmodi equorum incessus Romanis minus probatus videtur, quippe qui sessori incommodus esset. *Veg. Vet.* 1, 56. *f.* Sed Parthi ipsos equos, quos vulgo trepidarios, militari verbo trottonarios (alii leg. *tottonarios*) vocant, ita edomant ad levitatem, et quaedam blandimenta vecturae, ut asturconibus similes videantur. *Id. ib.* 4, 6. *f.* Inter colatorios, et eos, quos trottonarios (alii leg. *tottonarios*) vulgus appellat, ambulatura eorum (*Persarum*) media est, et cum neutris sint similes, habere aliquid creduntur ab utrisque. *F.*]

TROUS, a, um, adj. Τρωϊκός, Troicus, Trojanus. *Ov. Met.* 12, 73. curru instabat Achilles, Troaque Peliace sternebat cuspidis ictu Agmina. Alii leg. *totaque.*

TROXĂLIS, idis, f. τροξαλίς. *Plin.* 30, 6, 16. Esse animal locustae simile sine pennis, quod troxalis Graece vocetur, Latinum nomen non habeat, aliqui arbitrantur: nec pauci auctores, hoc esse, quod gryllus vocetur. Ita *Hard.*, alii leg. *tryxalis.*

TRUA, ae, f. vasis genus, de quo ita *Varr. L. L.* 4, 25. Trulla a similitudine truae, quae quod magna, et haec pusilla, ut truula. Hinc Graeci τρυβλίον, nos trullam. Truae, quae a culina in lavatrinam aquam fundunt: trua, quod travolat ex ea aqua. Ab eodem est appellatum trulleum, simile enim figura, nisi quod latius concipit aquam, et quod manubrium cavum non est, nisi vinaria trulla accessit. Haec *Varro*, ad quae verba *Scaliger* adscribit, rectius Graece dici τορύνην, *h. e.* τὸ κινητήριον τῆς χύτρας, instrumentum, quo agitantur et miscentur in olla ea, quae coquuntur. *Festus* in *Antroare.* Truant, movent, truam quoque vocant, quo permovent coquentes exta. *Non.* 1, 68. a *terendo* deducit. *Titin. ib.* Cocus magnum ahenum quando fervit, paula confutat trua. *Pomp. ib.* Mulier ubi aspexit tam mirifice tutulatam truam, *h. e.* in summo capuli quasi tutulo quodam ornatam. Alii leg. *titulatam*, pulcris litteris, vel notis inscriptam. [Hinc in *Mus. Borbon.* T. 3. *tab.* 31. videre est truam in summo capuli inscriptam: *Victor. Fec. F.*]

TRŪCĪDĀTĬO, onis, f. σφαγίασμός, actus trucidanei, caedes crudelis. [*Cf. quae dicta sunt in *trucido.*] *Cels. praef. med.* Interiora (*hominis*) sub gravissimis vulneribus, et ipsa trucidatione mutari: ἀνατομή. *Cato* ap. *Gell.* 13, 24 *med.* Succidias humanas facis, tantas trucidationes facis: decem funera facis, *h. e.* decem homines eodem tempore interficiendo. *Cic. Phil.* 4, 5. Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam caedes, quam ante oculos trucidatio civium. *Liv.* 28, 16. Inde non jam pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri. [**Ein Schlachten wars, nicht eine Schlacht zu nennen.*] *Plin.* 17, 27, 45. Interlucatio arboribus prodest: sed omnium annorum trucidatio inutilissima.

TRŪCĪDĀTOR, oris, m. σφαγεύς, qui trucidat. *August. C. D.* 1, 1. Hucusque cruentus saeviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor. Adde *ep.* 105. *med.*

TRŪCĪDĀTUS, a, um, part. a *trucido:* κατάσφαγος, crudeliter caesus. *Tac. A.* 2, 45. Trucidatae

legiones. *Just.* 4, 3. Inter aras et patrios lares trucidati.

TRŪCĪDO, as, avi, atum, a. 1. ἀφαμάω, ἐπισφάττω, crudeliter caedo, pluribus vulneribus concido. Videtur esse a *trux* et *caedo*. [**Doederl.* 1, 41. contractum vult ex *tauricido*, ut *trucido* proprie sit taurum interficere; deinde hominem inermem sicut pecus caedere. Quae unice vera videtur ratio. Cf. 3, 189. sq. ubi de discrimine hujus verbi et *jugulare* item *obtruncare* disputat.] *Cic. Manil.* 3. Cives R. necandos trucidandosque denotavit. *Liv.* 29, 18. *med.* Tribunos militum verberatos, servilibusque omnibus suppliciis cruciatos trucidando occidit. *Sall. Cat.* 61. *f.* Ne capti sicut pecora trucidemini. *Hirt. B. Afr.* 26. *med.* Villas exuri, pecus diripi trucidarique. *Hor. A. P.* 185. Ne pueros coram populo Medea trucidet. *Cic. Cat.* 1, 4. Trucidare aliquem ferro. *Plin.* 9, 6, 5. Orcae balaenas caveatas angustiis trucidant, *h. e.* lancinant morsu. *Id.* 11, 11, 11. Multae *(apes)* singulos *(fucos)* aggressae trucidant. *Hor. Ep.* 1, 12, 21. seu pisces, seu porrum, et caepe trucidas, *h. e.* dentibus conficis, mandis, vesceris. *Suet. Cal.* 29. Trucidaturus fratrem. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 1. *f.* Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est a gravissimo viro P. Servilio confectus ac trucidatus. *Liv.* 6, 37. Trucidare plebem fenore, *h. e.* opprimere, et, ut ait *Pl. Curc.* 4, 2, 22., lacerare. Sic *Liv. ib.* 26. *f.* Fenore circumventam plebem corpus in nervum ac supplicia dare. *Cic. Coel.* 18. Juventus ne effundat patrimonium, ne fenore trucidetur. *Lucr.* 6, 145. nubes multo si forte humore recepit Ignem, continuo magno clamore trucidat, *h. e.* violenter exstinguit.

TRUCTĂ, ae, m. et Tructus, i, m. piscis fluviatilis. [*Gloss. Philox.* Τρώκτης, tructa. *Isid. Or.* 12, 6. *med.* Varii nuncupati pisces a varietate, quos vulgus tructas vocat. *Plin. Val.* 5, 43. Omnem aspratilem piscem, videlicet ut sunt lupi, corvi, pisces de flumine, qui petram habent, ut tecuti, squali, comede. *Eucher.* 18. Limacem pariter nunc sibi tructa petat. *F.* *Ap. Anglos appellatur *trout. B. A.*]

TRŪCŪLENTĒ, vel Truculenter, adv. ἀπηνῶς, vultu severitatem praeferente terroris incutiendi gratia, atrociter, superbe, torviter. *Cic. Agr.* 2, 5. *med.* Concio tandem exspectata P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis, et truculentius se gerebat, quam ceteri. *Quint.* 6, 1. Aspicere aliquem truculentissime.

TRŪCŪLENTĬĂ, ae, f. asperitas, torvitas, superbia, severitas. *Pl. Truc.* 3, 2, 7. Tuam exspecto truculentiam. ℙ Translate. *Tac. A.* 2, 24. Truculentia coeli praestat Germania, *h. e.* saevitia, inclementia.

TRŪCŪLENTUS, a, um, adj. ἀπηνής, qui vultu saevitiam praefert, trux, atrox, saevus, asper, terribilis: a *trux*, ut a *macer macilentus*, etc. [*Cf. quae *Doederl.* 1, 42. sq. de hujus vocis originatione et vocabulis synonymis *trux* et *torvus* docet.] *Ter. Ad.* 5, 4, 10. Ille clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus: ego agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax. Ubi *Donatus:* saevus factis, tristis animo, truculentus vultu, et aliter dici potest, ut tristis sit, qui dolet; truculentus et saevus, qui terret. *Pl. As.* 2, 3, 21. Oculi truculenti; et *Tac. H.* 4, 22. Quo truculentior visu foret. *Plin.* 8, 4, 5. Tigris etiam feris ceteris truculenta. *Cic. Sext.* 8. Quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribilis aspectu! *Ov. Met.* 13, 558. spectat truculenta loquentem, Falsaque jurantem, tumidaque exaestuat ira. *Tac. A.* 1, 25. Truculentis vocibus strepere, *h. e.* seditiosis, et minarum plenis. *Pl. Bacch.* 4, 5, 3. Truculentus est saevus senex. ℙ Agrestis, rusticus. *Sen. Hipp.* 461. Truculentus et silvester, et vitae inscius tristem juventam, Venere deserta, colis. ℙ Saevus, ferus, crudelis. *Ov. Pont.* 2, 7, 31. Nulla Getis toto gens et truculentior orbe: Sed tamen hi nostris ingemuere malis. *Id. Met.* 13, 804. Asperior tribulis, feta truculentior ursa. (Adde *Her.* 11, 9.) *Tac. A.* 12, 50. Truculentior quam antea, tanquam adversus defectores, et in tempore rebellaturos. *Auct. ad Her.* 4, 8. *med.* Truculentissimum ac nefarium facinus. ℙ Truculenta pelagi, et truculentum aequor *Catull.* 63, 16. et 64, 179. est mare procellosum, aspectu foedum atque horrificum. ℙ *Truculentus* inscribitur ultima ex iis, quae restant, *Plauti* comoediis, quia inducitur quidam saevo ingenio, et voluptatum inimico.

[TRŪCŪLO, as, n. I. verbum turdorum vocem repraesentans, quo utitur *Auct. carm. de Philom.* 15. Dum turdus truculat, sturnus tunc pusitat ore. Al. leg. *trutilat. F.*]

TRŪDIS, is, f. contus, pertica, longurius praefixo ferro, quo naves impelluntur, ubi aqua brevis est, aut litus proximum: item alia: a *trudo*. *Isid. Or.* 18, 7. Trudes hastae sunt cum lunato ferro: ab eo quod trudunt, et detrudunt. *Virg. A.* 5, 208. Ferratasque sudes, et acuta cuspide contos Expediunt. Ubi *Pierius:* In Mediceo, et antiquis aliquot aliis exemplaribus *trudes* legitur. Neque timendum syllabae, cum tam multa reperiantur, quae derivata a longis, brevia tamen ipsa sunt, ut *duces* a *duco:* ita *dicax*, *lucerna*, *sopor*, *fragilis*, *coma*, etc. Hanc lectionem etiam *Isid. l. c.* agnoscit. *Tac. A.* 3, 46. Quidam trudibus, aut furcis inertem molem prosternere.

TRŪDO, is, usi, usum, a. 3. ὠθέω, vi impello, propello. *Voss.* in *Etym.* a τρύω, tero, derivat. *Lucr.* 6, 1031. Trudit et impellit, quasi navim velaque ventus. *Id.* 1, 292. venti Quamlibet in partem trudunt res ante, ruuntque impetibus crebris. *Id.* 6, 433. pugno aliquid, aut brachii conjectu trudere. *Id.* 3, 1014. adverso nixantem trudere monte Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum Volvitur. *Mart.* 3, 82. Cubitisque trudit hinc et inde convivas. *Tac. A.* 1, 63. Cohortes fugientium agmine impulsae trudebantur in paludem, ni, etc. et *ib.* 2, 11. Hostes undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus; et *Hor. Epod.* 2, 30. Aut trudit acres hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas. *Virg. G.* 1, 310. glaciem cum flumina trudunt. *Id. ib.* 3, 373. Sed frustra oppositum trudentes pectore montem. *Id. A.* 4, 405. formicae grandia trudunt Obnixae frumenta humeris. ℙ Item expello, ejicio. *Pl. As.* 3, 1, 30. Nae ille ecastor hinc trudetur largus lacrimarum foras. *Claud. in Eutr.* 1, 130. tandem ceu funus acerbum, Infaustamque suis trusere penatibus umbram. Adde *Laud. Stil.* 2, 113. ℙ Item edo, emitto, cum de plantis sermo est. *Virg. G.* 2, 31. Truditur e sicco radix oleagina ligno; et 74. se medio trudunt de cortice gemmae; et 335. pampinus trudit gemmas, et frondes explicat omnes. ℙ De aqua. *Claud. de Apono* 13. quacumque cavernas Perforat, offenso truditur igne latex. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 1, 16. *med.* Nunc est exspectatio comitiorum, in qua omnibus invitis trudit noster Magnus Auli filium. *Id. Har. resp.* 28. Unus est inferior gradus, aut interitus, aut servitutis, quo ne trudamur, Dii immortales nos admonent. *Id. Tusc.* 1, 29. *extr.* Socrates cum paene in manu mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in coelum videretur ascendere. *Id. fragm.* ap. *August. contra Acad.* 3, 7. Voluptatem Epicuri solis inter se pectoribus esse communem, in quorum societatem et hominem et sapientem trudi, nefas esse. *Sen. ep.* 41. *f.* In vitia alter alterum trudimus. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. *med.* Secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. *Tac. H.* 5, 25. Atrociore Civilis rabie semet in arma trusos, *h. e.* impulsos ad arma capienda. *Hor. Od.* 2, 18, 15. Truditur dies die; et *Petr. Sat.* 82. Quod hodie non est, cras erit. Sic vita truditur; et *Ter. Andr.* 4, 4, 40. Fallacia alia aliam trudit. Proverb. Ital. *l'un diavolo caccia l'altro.*

TRŪELLA. V. TRULLA.

TRŪENTINUS, a, um, adj. ad Truentum pertinens, quod est flumen Piceni, nunc *il Tronto*, cum oppido cognomine, quod nunc *Civitella del Tronto* appellatur: hoc in *ep.* 1. *Pompeji ad Dom. post ep.* 12. *l*, 8. *ad Att.* Castrum Truentinum dicitur. *Sil.* 8, 433. Quique Truentinas servant cum flumine turres. ℙ *Truentini*, *orum*, ejus oppidi incolae, et fluminis accolae. *Plin.* 3, 15, 20. Forum Truentinorum. V. FORODRUENTINI.

TRULLA, ae, f. πυξίδιον, diminutivum truae, quasi sync. a *truula*, ut *Varr. L. L.* 4, 25. docet. Videtur idem esse ac rudicula, aut cochlear, aut concha manubriata. *Cato R. R.* 13. Labra olearia, conchas majores duas, et minores duas, trullas aheneas tres, amphoras olearias duas. *Colum.* 9, 12. Custos novum loculamentum guttis mellis respersum admoveat: tum manibus, aut etiam trulla congregatas apes recondat. *Liv.* 37, 11. *f.* Contis binis a prora prominentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem prae se portabant, *h. e.* ollis concavis in modum rudiculae, aut cochlearii majoris. ℙ Item instrumentum, quo structores calcem inducunt parieti. *Pall.* 1, 15. Prima trullis frequentetur inductio, cum siccari coeperit, iterum inducatur; et *ib.* 13. *f.* Impensa pumicea cannam induemus, et trulla aequabimus. Adde *Isid. Or.* 19, 18. ℙ Item vasis potorii genus, τρυβλίον. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. *med.* Erat vas vinarium ex una gemma praegrandi, trulla excavata, manubrio aureo: (*trulla* hic est ipsius vasis pars cava.) et *f.* Mittit etiam trullam gemmeam rogatum. *Hor. Sat.* 2, 3, 113. Qui Vejentanum festis potare diebus Campana solitus trulla, *h. e.* fictili. Etiam ligneas trullas *Cato R. R.* 13. *f.* memorat. *Mart.* 9, 97. Clinicus Herodes trullam subduxerat agro: Deprensus dixit, stulte quid ergo bibis? *Scaev Dig.* 34, 2, 37. Trullae, scyphi, modioli, phialae. *Plin.* 37, 2, 7. T. Petronius moriturus invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam trecentis talentis emptam fregit. In *Suppos. Amph. Plautini*, *scena quae incipit* Quis tam vasto, *v.* 20. In popinam devortundum est mihi: lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam. *Inscr.* optimae notae ap. *Morisan. Inscr. Reg.* p. 266. T. Ervenus T. F. Sabinus testamento legavit municipibus Reginis Jul. trullam argenteam anaglyptam P. II. S. *h. e.* pondo II. semis. ℙ Haec satis probant, *trullam* esse potorium vas. Sunt, qui lasanum, scaphium significare putent, vel matellam, in illo *Juven.* 3, 107. Si bene ructavit, si rectum minxit amicus, Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo. (Aurea ditioribus et delicatioribus aliquando fuisse scaphia, constat ex *Mart.* 1, 38.) et *Plin.* 34, 2, 3. Vasa Corinthia isti elegantiores modo in esculenta transferunt, modo in lucernas, aut trulleos (alii *trullas*) nullo munditiarum respectu. Huc pertinere ajunt et locum *Mart.* modo allatum. ℙ Ap. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. *med.* in ed. *Torrentini* habetur *trylla:* et ap. *Scaev. ib.* 37. *truella.*

TRULLĔUM, i, n. vasis genus, quo manus perluuntur, χέρνιβον. *Varr. L. L.* 4, 25. Trua, quod travolat ea aqua. Ab eodem est appellatum trulleum. Simile enim figura, nisi quod latius concipit aquam, et quod manubrium cavum non est. *Id.* ap. *Non.* 15, 32. Itaque ea sibi modo ponere, ac suspendere, quae utilitas postularet, trulleum, matellionem, pelvim, nasiternam. Adde *Caton. R. R.* 10. ℙ *Trulleus*, *i*, m. idem quod *trulleum*, legitur ab *Harduino* ap. *Plin. l. c.* in v. praec.

[TRULLĬO, onis, m. dimin. trullei, vel idem ac trulleum. *Plin. Val.* 3, 38. Folia herbae parietariae conteres diligenter, et exprimes colabisque, et mittes in trullionem, aut acetabulum, succum, ut bulliat. *Theod. Prisc.* 4, 1. *in.* Vinum cum passo Cretico agitatum transcolas in trullionem, sed immittis simul supra memorata de mortario in ipsum trullionem. *F.*]

TRULLISSĀTĬO, onis, f. κονίασις, tectorii inductio: item ipsum tectorium inductum. *Vitr.* 7, 3. *med.* Parietes quam asperrime trullissentur, postea autem supra, trullissatione subarescente deformentur directiones arenati; et *ib.* 4. *med.* Calce ex aqua liquida dealbentur, uti trullissationem testaceam non reputant: et *mox:* Trullissationem inducere.

TRULLISSO, as, a. 1. κονιάω, παραχρίω, trulla tectorium induco. *Vitr.* 7, 3. Coronis explicatis, parietes quam asperrime trullissentur: et *mox:* Inferior pars testa cum calce trullissetur. Adde *ib.* 4. et 5, 10.

[TRUNCĀTĬO, onis, f. ἀποκοπή, amputatio. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 7, 13, 5. Si quis ad fugienda sacramenta militiae fuerit inventus truncatione digitorum damnum corporis expedisse, et ipse flammis ultricibus concremetur, et dominus ejus, qui non prohibet, gravi condemnatione feriatur. V. MURCUS. *F.*]

TRUNCĀTUS, a, um, part. a *trunco:* ἀποκοφθείς, amputatus, abscissus. *Just.* 11, 14. *f.* Qui poenam captivitatis truncata corporis parte tulerant. *Tac. A.* 1, 17. Quod tricena aut quadragena stipendia, senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent. *Stat. Th.* 4, 590. Truncatusque Pelops. V. PELOPS. *Claud. in Ruf.* 2, 411. truncatos alii rapuere lacertos, Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutis Nexibus. *Sil.* 4, 541. frons truncata, *h. e.* altero oculo spoliata. ℙ Translate. *Claud. B. G.* 88. desertus ab omni Gente sua, manibusque redit truncatus, et armis, *h. e.* spoliatus militibus, et armis.

TRUNCO, as, avi, atum, a. 1. ἀποκόπτω, truncum reddo, obtrunco, amputo, mutilo, scindo. [*Discrimen inter hoc v. et *mutilo Doederl.* 4, 325. hoc statuit, ut *truncare* ad majora, ut caput, brachia, pedes, manus; *mutilare* ad partes minores, ut cornua, (de quibus proprie sic dici volunt,) pertineat.] *Ov. Met.* 8, 647. truncat olus foliis, *h. e.* inutilibus foliis spoliat. *Lucan.* 6, 566. truncare caput; et 584. cadavera; et *Tac. H.* 3, 33. Dum pecuniam sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur. *Val. Fl.* 6, 567. jam non per curva volantem Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos, *h. e.* in mari glacie concreto sagittis conficientem. *Claud. Gigantomach.* 70. truncare aquas. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Si caedua silva truncetur. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 2, 3, 98. lascivia vires tenuare Thalia Dulce, vel heroos gressu truncare tenores, *h. e.* pedes diminuere, et pentametrum de hexametro facere, elegos scribere.

TRUNCŪLUS, i, m. parvus truncus. *Trunculi suum* ap. *Cels.* 2, 20. et 22., et 4, 7. *extr.* sunt frusta extrema membrorum suillorum, et praesertim pedum, secta et parata in cibum, ἀγκωνίλια, petioli. V. TRUNCUS, i.

TRUNCUS, a, um, adj. κολοβός, cui aliquid abscissum est, mutilatus, mutilus, truncatus: v. gr. arbor ramis spoliata, corpus abscisso capite, brachio, aliove membro. *Just.* 2, 9. *f.* Non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, veluti rabida fera, dentibus dimicavit. *Virg. A.* 6, 496. populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares. *Mart.* 2, 83. Trunci naribus auribusque vultus. *Stat. Silv.* 5, 3, 52. Pelops truncus, *h. e.* humero minor. *Virg. A.* 11, 9. tela trunca, *h. e.* fracta. *Stat. Th.* 2, 711. trunci enses, et fractae hastae. *Val. Fl.* 2, 300. trunca alnus, *h. e.* navis sine clavo, et armamentis. *Id.* 6, 251. truncum lignum, *h. e.* hasta fracta, et sine cuspide. *Virg. A.* 3, 665. trunca pinus. *Stat. Th.* 4, 455. trunca nemora, *h. e.* arbores decacuminatae. *Plin.* 7, 11, 10. Varie ex integris truncos gigni, ex truncis integros, *h. e.* aliquo membro carentes aut debiles. *Liv.* 41, 9. Puer trunci

corporis in agro Romano natus. *Ov. Met.* 9, 1. de Acheloo in taurum verso: et *Stat. Th.* 4, 107. et *Sil.* 3, 42. trunca frons, *h. e.* cornu spoliata. *Sen. Oed.* 1021. truncum corpus, *h. e.* oculis carens. Eodem sensu *Sil.* 9, 399. trunca frons. *Gell.* 17, 9. Litterae truncae atque mutilae. [*Discrimen est inter *truncus* et *debilis:* hoc veram membri alicujus amissionem significat; *debilis* nonnisi usum membri alicujus perditum indicat. *Doederl.* 4, 327.] ℙ Cum genitivo. *Virg. G.* 4, 310. Animalia trunca pedum. *Sil.* 10, 311. truncus capitis. ℙ Interdum *trunca* dicitur ipsa res, quae abscissa est. *Sen. Contr.* 1, 4. Ridebant adulteri truncas viri fortis manus. *Val. Fl.* 4, 181. hinc trunca rotatis Brachia rapta viris. ℙ In pumilione membra adeo contracta sunt et brevia, ut *trunca* esse videantur. *Prop.* 4, 8, 41. Nanus et ipse suos breviter concretus in artus Jactabat truncas ad cava buxa manus. ℙ Translate. *Liv.* 31, 29. *med.* Capua, urbs trunca, sine plebe, sine magistratibus. *Quint.* 11, 3. *med.* Manus vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant. *Cels. praef.* Rerum quoque naturae sibi cognitionem vindicaverunt, tanquam sine ea trunca et debilis medicina esset. *Stat. Th.* 12, 478. Geticae non plura queruntur Hospitibus tectis trunco sermone volucres; et *ib.* 5, 333. It truncum sine honore pecus, *h. e.* armentum, cui taurus vir gregis ademptus est. *Gell.* 2, 23. *f.* Versus sunt hi Caecilii trunca quaedam ex Menandro dicentis, *h. e.* fragmenta, et mutilas sententias.

TRUNCUS, i, m. στέλεχος, pars arboris crassior et rectior a radice ad cacumen, ex qua rami exeunt: sive ramos habeat haerentes, sive amputatis truncata sit. [*Truncus* et *stirps* in eo quidem conveniunt, quod utrumque vocabulum de firma arboris parte, opposs. ramis et foliis dicitur: at *stirps* appellatur firma arboris pars quatenus totum alit et continet, ramos et folia quasi stolones, appendices habens: *truncus* mutilatam, siccam arboris partem designat, opp. ramis, foliis, ipsoque cacumine, quatenus ornant. Ita *Doederl.* 4, 322. ubi v.] *Lucr.* 1, 352. cibus in totas (*arbores*) usque ab radicibus imis per truncos, ac per ramos diffunditur. *Cic. Or.* 3, 46. In arboribus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam. *Virg. G.* 3, 233. arboris obnixus trunco; et *ib.* 2, 78. trunci enodes. *Hor. Sat.* 1, 8, 1. truncus ficulnus. *Ov. Met.* 8, 346. acernus. *Colum. Arb.* 17. Melius truncis, quam plantis olivetum constituitur. (*plantae* sunt viviradices.) *Virg. A.* 11, 83. Indutosque jubet truncos hostilibus armis Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi, *h. e.* tropaea. ℙ Per synecdochen ipsa arbor. *Val. Fl.* 8, 461. cum Chaonio radiantia trunco Vellera vexit ovans. ℙ Sumitur et pro ramo, qui e trunco deciditur. *Id.* 8, 287. Illi autem intorquent truncis frondentibus undam, *h. e.* ramis majoribus prae festinatione non spoliatis fronde, vice remorum. ℙ Translate est corpus hominis, non consideratis brachiis, quae sunt veluti rami. *Cic. Or.* 18. Status erectus et celsus; nulla mollitia cervicum: trunco magis toto se ipse moderans, et virili laterum flexione. *Id. Rosc. Com.* 10. Nemo illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico aestimabat. Sic *Ov. Her.* 9, 93. Inque canes totidem trunco digestus ab uno Cerberos. *Id. Am.* 3, 7, 15. Truncus iners jacui, species, et inutile pondus. ℙ Item cadaver praeciso capite. *Virg. A.* 2, 557. jacet ingens litore truncus. *Lucr.* 3, 655. Et caput abscissum, calido viventeque trunco. Adde *Claud. III. cons. Hon.* 76. ℙ Truncus columnae est scapus. *Vitr.* 4, 1. *med.* Trunco toto strias, uti stolarum rugas, matronali more demiserunt. Sic *Id.* 3, 3. truncos in stylobatis vocat medias eorum partes, seu media corpora exaequata, non consideratis spiris, coronis, etc. Simile est illud *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Quae obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem, ad sustinendum eum, adduxit. ℙ In illo *Virg. Mor.* 56. Non illi suspensa focum carnaria juxta, Durati sale terga suis, truncique vacabant: *trunci* sunt trunculi. V. TRUNCULUS. ℙ Translate a trunco arboris. *Cic. Tusc.* 3, 34. Stirpes sunt aegritudinis quam multae, quae ipso trunco everso, omnes elidendae sunt. ℙ Est convicium in hominem stupidum, ut *stipes, caudex. Cic. N. D.* 1, 30. *med.* Qui potest esse in ejusmodi trunco sapientia? *Id. Pis.* 9. Qui tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus.

TRŪO, as, a. 1. trua moveo, misceo. V. TRUA.

TRŪO, onis, m. avis eadem, quae onocrotalus. *Festus.* V. ONOCROTALUS. ℙ Joculariter *Caecilius* (*ibid.*) irridens magnitudinem nasi: Pro Dii immortales! unde prorepsit truo? Dicitur enim *truo* supra rostrum nares habere valde prominentes.

TRŪSĀTĪLIS, e, adj. qui truditur: a supino *trusum* verbi *trudo: Mola trusatilis* est, quae manu hominis truditur et circumagitur: unde et *manualis* dicitur, χειρομύλη. *Cato R. R.* 10. et 11. Molas asinarias unas, et trusatiles unas, Hispanienses unas. *Gell.* 3, 3. *f.* Cum (*Plautus*) ob quaerendum victum, ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locasset.

TRŪSĪTO, as, a. 1. frequent. a *truso. Phaedr.* 2, 7. Subito latrones ex insidiis advolant, Interque caedem ferro mulum trusitant, *h. e.* verberando et vulnerando impellunt. Alii aliter leg.

TRŪSO, as, a. 1. frequent. a *trudo. Catull. carm.* 56, 5. Deprendi modo pupulum puellae Trusantem, *h. e.* puerum irrito conatu stuprum puellae inferre allaborantem.

TRŪSUS, a, um, part. a *trudo. Tac. H.* 5, 25. Proceres in arma trusos. *Ammian.* 14, 10. Rufinus ad discrimen trusus est ultimum.

TRŪTĪNA, ae, f. τρυτάνη, foramen, intra quod est ligula sive examen in libra, et statera, seu foramen anuli ex quo pendet scapus seu librile, seu jugum in statera: ita vero appellatur a τρύω, tero, quia τρύεται τῷ βάρει τῶν ὄγκων. *Vet. Schol.* ad *Persii loc. citand.* Trutina est foramen, intra quod est limox gula, de qua examinatio fit. ℙ Accipitur pro ipsa libra, aut statera. *Vitr.* 10, 8. Id autem ex trutinis, quae staterae dicuntur, licet considerare: cum enim ansa propius caput, unde lancula pendet, uti ad centrum est collocata, et aequipondium in alteram partem scapi, etc. *Varr. L. L.* 4, 36. Per trutinam solvi solitum, vestigium etiam nunc manet in aede Saturni, quod ea etiam nunc propter pensuram, trutinam habet positam. *Id.* ap. *Non.* 2. 861. Trutina argentaria. V. staterae et librae figuram in *Mus. Borbon.* T. 1. *tab.* 55., ibique annotata. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 38. Quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. *Juven.* 6, 435. Committit vates et comparat; inde Maronem, Atque alia parte in trutina suspendit Homerum. *Pers.* 1, 6. examenve improbum in illa Castiges trutina. *Hor. Ep.* 2, 1, 29. Romani pensantur eadem Scriptores trutina. *Id. Sat.* 1, 3, 72. in trutina ponetur eadem. *Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 73. *ed. Mediol.* TT. Cocceii Gaa et Patiens quaestores III. protectum ante porticum, trutinam, et pondera D. D. S. posuerunt.

TRŪTĪNĀTUS, a, um, part. a *trutino:* examinatus. Translate. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. med.* Statu satis superque trutinato personae, temporis, provinciae, civitatis. [*Sym. Laud. in Valent.* (ed. *A. Maio*) 2, 5. Nec urbium tuarum fata trutinata sunt. *F.*]

TRŪTĪNOR, aris, dep. 1. pondero, examino, σταθμάομαι. Translate. *Pers.* 3, 82. Exporrecto trutinantur verba labello. ℙ *Trutino, as*, a. 1. idem. *Hieron. ep.* 36. *n.* 14. Sint alii diserti, et inflatis buccis spumantia verba trutinent. *Paul. Petr.* 3, 137. nec livor adussit Invidiae tanti trutinantem pondera facti. *Cass. Var.* 5, 40. Diu trutinandus est, cui traduntur examina.

TRUX, trūcis, adj. omn. gen. ἀπηνής, δεινωπός, qui vultu saevitiam praefert, aspectu terribilis, torvus, truculentus. Volunt esse ab *atrox* per aphaeresin. [*Doederl.* 1, 41. *trux* per contractionem factum docet a *taurox*, Gr. ταυροειδὲν βλέπων. Maxime frequent. h. verb. Tacito. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 470.] *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 2, 64. de testudine: Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci. *Cic.* in *Arat. Div.* 2, 42. de dracone: E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant. *Id. Agr.* 2, 25. Hujuscemodi me aliquid ab hoc horrido ac truce tribuno plebis exspectasse. *Lucan.* 7, 291. faciesque truces, oculosque minaces. *Hor. Epod.* 5, 3. Quid iste fert tumultus? et quid omnium Vultus in unum me truces? *Claud. Laud. Stil.* 1, 229. lucosque vetusta Relligione truces, *h. e.* sacrum horrorem incutientes. ℙ Item saevus, ferox, immitis, ferus. *Tibull.* 1, 10, 76. Ferae truces. *Pl. Bacch.* 5, 2, 29. arietes. *Lucan.* 7, 128. et *Stat. Th.* 11, 574. animi. *Auct. argum. Truc. Plaut.* 5. mores. *Sen. Here. Fur.* 936. Saevi ac truces tyranni. *Id. ib.* 735. Magna pars regni trucis est ipse dominus. *Id. Oed.* 479. Truces puellae, *h. e.* Amazones. *Id. Troad.* 832. Chiron trucis pueri magister, *h. e.* Achillis. *Id. Octav.* 400. truces fremitus tubae. *Hor. Epod.* 2, 5. Neque excitatur classico miles truci. *Sil.* 1, 67. Expavere trucem per vasta silentia vocem. *Hor. Ep.* 1, 19, 1. Ira (*genuit*) truces inimicitias, et funebre bellum. *Plin.* 22, 6, 7. Herbae aspectu hispidae, tactu truces; et *Mart.* 14, 37. Truces blattae, *h. e.* crudeles et inimicae librorum. *Plin.* 2, 36, 36. Truces venti. ℙ Cum infinito. *Sil.* 13, 220. trux audere, *h. e.* ferox, et temerarius ausis, ut ait *Ov. A. Am.* 2, 83. ℙ Agrestis, durus, asper, et inimicus voluptatum, *Id. ib.* 477. Blanda truces animos fertur mollisse voluptas. *Prop.* 2, 25, 50. Trux tamen a nobis ante domandus eris. *Mart.* 11, 86. Mella dari, nucleosque jubet, dulcesque placentas, Et quidquid pueros non sinit esse truces, *h. e.* refractarios, asperos. *Quint.* 11, 1. *in.* Trux atque violentum dicendi genus adhibere. ℙ Comp. *Trucior* ap. *Ammian.* 25, 1. *med.* Ut flagitabat major vis, et trucior. Alii leg. *atrocior.* Praeterea *Trucior*, et Sup. *Trucissimus* agnoscuntur a *Rhemn. Palaem.* p. 1369., sed sine exemplis.

TRYBLĬUM, ii, n. τρύβλιον, catinus, paropsis, patina. *Pl. Stich.* 5, 4, 8. Hoc convivium est pro opibus nostris satis commode nucibus, fabulis, ficulis, olea in tryblio, etc. Adde *Varr. L. L.* 4, 25.

TRYCHNOS, i, f. τρύχνος, quae et *strychnos*, herba duorum generum, quorum alterum Latine vesicaria dicitur, acinis coccineis, granosis folliculis, etc. V. *Plin.* 21, 31, 105. V. SOLANUM.

[TRYGĒTUS, i, m. τρυγητός, vindemia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1144, 10. Calpurnius Trygetus. V. TRYX. *F.*]

TRYGĪNON, i, n. τρύγινον, genus atramenti e vinaceis facti: a τρύξ, υγός, vini faeces. *Plin.* 35, 6, 25. Est autem vox adjectiva, et *atramentum* subauditur.

[TRYGŌDES, is, n. τρυγῶδες, collyrii cujusdam nomen: a τρύξ, υγός, faex, hinc τρυγώδης, faeculentus. *Cels.* 6, 6. *n.* 8. Euelpides autem, qui aetate nostra maximus fuit ocularius medicus, utebatur eo (*collyrio*), quod ipse composuerat: trygodes nominabat. Alii minus recte *trigodes* legunt. *F.*]

TRYGON, ōnis, m. τρυγών, ονος, piscis marinus, alio nomine pastinaca: ita dictus a stridore, quem edit: τρύζω enim, vel τρίζω est strido, cujus aor. 2. ἔτρυγον, unde est τρυγών. *Auson. ep.* 4, 60. letalis trygon, mollesque platessae: *letalis* dicitur, quia letalia vulnera infligit. V. PASTINACA. [*Der Stachelroche*, Raja pastinaca, *L.*] ℙ *Trygon* dicitur etiam avis quaedam solo hoc nomine nota, quae ex turturum genere fuisse videtur. Ejus meminit *Plin.* 10, 16, 18. Is tradit noctuam, bubonem, picum arbores cavantem, trygonem, cornicem, a cauda de ovo exire. Alii perperam leg. *picum, arbores cavantem trogonem*, ita ut *trogonem* sit a τρώγων arrodens.

TRYLLA. V. TRULLA.

[TRYPHĒ, es, f. τρυφή, luxus, mollities. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1456, 5. Cornelia Tryphe. *F.*]

[TRYPHĒNUS, a, um, adj. delicatus: a τρυφάω, in deliciis vivo. Est nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2076, 2. Prospectus, et Tryphenus. Alia ap. *Labus. Monum. Bresc.* p. 87. Valeria Ↄ. L. Tryphena. *F.*]

[TRYPHĒRUS, a, um, adj. τρυφερός, delicatus Est nomen propr. R. *Juven.* 11, 135. Sed nec structor erit discipulus Trypheri doctoris. *Inscr.* ap. *Donat.* 428, 25. Vibia Tryphera. *F.*]

[TRYPHO, onis, m. τρυφών, delicatus, mollis: a τρυφάω, delicate vivo. Est cogn. libert. R. *Cic. Fam.* 13, 60. L. Livinejus Trypho, L. Reguli libertus. *F.*] ℙ *Medicus quidam, de quo *Cels.* 6, 5. *extr.* et *praef.* 7. ℙ Item rex Syriae. *Justin.* 36, 1. 38, 9. et 39, 1. ℙ Ptolemaeus Tryphon propter luxum cognominatus. V. PHILOMĒTOR. ℙ De Tryphone, qui Alexandri Balae filio bimulo regnum asseruisse dicitur, V. *Duker.* ad *Epit. Liv.* 55. *B. A.*

[TRYPHOSUS, a, um, adj. delicatus: a τρυφάω, delicate vivo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1557, 13. L. Sallustius Tryphosus; et 1257, 10. Flavia Tryphosa. *F.*]

TRYX, ygis, f. τρύξ, mustum. *Festus:* Tryga antiqui vinum appellabant, unde trygetus (τρυγητός, vindemia) adhuc dicitur.

TRYXĂLIS. V. TROXALIS.

TU

TŪ, tūī, tībi, tē, omn. gen. σύ, σοῦ, σοί, σέ, pronomen primitivum secundam personam designans: a τύ Dorice pro σύ. *Ter. Andr.* 2, 1, 10. Tu si hic sis, aliter sentias. *Phaedr.* 3, 8. *extr.* quotidie speculo vos uti volo: Tu, formam ne corrumpas nequitiae malis: Tu, faciem ut istam moribus vincas bonis. *Hor. Od.* 1, 9, 15. nec dulces amores Sperne puer, neque tu choreas. *Catull.* 68, 21. Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater. *Pl. Men.* 5, 9, 20. Tun' meo patre es prognatus? *h. e.* tune? *Ter. Ad.* 3, 2, 55. Propera tu, mea Canthara, curre. *Id. Eun.* 4, 3, 22. Tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem. *Pl. Cas.* 3, 5, 18. Jam tibi istuc cerebrum dispercutiam, excetra tu. Sic *Pers.* 2, 4, 7. Nescio, inquam, ulmitriba tu. *Ter. Eun.* 4, 7, 32. Miseret tui me. *Pl. Bacch.* 3, 1, 12. Neque mei, neque tui puditum est. *Id. Ps.* 1, 1, 3. Duorum laborī parsissem lubens: mei te rogandi, tui respondendi mihi. *Ov. Her.* 20, 74. Copia placandae sit modo parva tui. Alii leg. *placandi*, quamvis de femina sermo sit, (ut et in illo *Pl. Truc.* 2, 4, 19.) Quando tui videndi est copia. *Sciopp.* in *Min. Sanct. l.* 3. *c.* 8. *f.* improbat eum *Heins.* illud *placandae:* at *Perizon.* probat. [*A partibus *Heinsii* stat etiam *Ruhnk.* q. v. p. 111. *ed. Fr.*] *Pl. Merc.* 1, 1, 71. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis. *Ter. Phorm.* 4, 3, 34. Quis te istaec jussit loqui? *Id. Heaut.* 5, 1, 48. tene istuc loqui? *Id. ib.* 1, 1, 31. Quid de te tantum meruisti? *Sil.* 15, 185. Evastanda tibi tellus, etc. ℙ [*Notandus usus, quo pronomen *tu* maxime tum poni solet, quum praecepta qualiscunque generis dantur, pronuntiantur. *Hor. Sat.* 2, 2, 20. tu pulmentaria quaere Sudando: ubi *Heindf.* hanc regulam propositam his firmat exemplis. *Ep.* 1, 16, 53. Tu nihil admittas in te formidine poenae; 1, 18, 37. Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam; et

v. 44. tu cede potentis amici Lenibus imperiis; v. 87. Tu, tum tua navis in alto est, Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura. *A. P.* 385. Tu nihil invita dices faciesve Minerva. *Juv.* 2, 61. Tu nube atque tace. Adde *Virg. G.* 3, 163. Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem, jam vitulos hortare, viamque insiste domandi, etc. — Parum accurate sunt qui in his abundanter positum pronomen *tu* praedicent.] ℙ Interdum syllabicas adjectiones *te* et *met* admittit, quae in designando majorem vim addunt. V. TE et MET. *Ter. Phorm.* 2, 2, 4. Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum, *h. e.* tu ipse, non alius. *Id. Eun.* 5, 2, 54. et *Virg. Ecl.* 3, 35. tute ipse. *Lucr.* 4, 913. (et *Ter. Heaut.* 2, 3, 133.) Tutemet in culpa cum sis, ne cernere possis. *Prisc.* 12, 947. Met jungitur obliquis tuimet, tibimet. *Sen. Hipp.* 122. Tibimet ipse supplicia irroga. ℙ *Tibi* interdum, ut *mihi*, in oratione abundat quidem, sed eleganti ornatu. *Cic. Rosc. Am.* 46. Alter tibi descendit de palatio et aedibus suis: habet animi relaxandi causa rus amoenum. *Sil.* 13, 854. Hic Marius veniet tibi origine parva In longum imperium consul. ℙ Ablativus *te*, si praepositio *cum* adjungatur, praeponitur. *Pl. Capt.* 5, 1, 10. Tecum servavi fidem. *Nep. Them.* 9. *extr.* De quibus tecum loqui volo. ℙ Cum verbis orandi aliquando *tecum* pro *te* ponitur. *Pl. Bacch.* 3, 3, 90. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum regas; et 3, 6, 25. Tecum orarem, ut faceres, etc. *Id. Rud.* 3, 4, 68. Tecum oro, senex, ut illas serves. *Enn.* ap. *Fest.* in *Orare:* Quod tecum precibus pater orat. *Ter. Hec.* 4, 4, 64. Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres. *Titin.* ap. *Non.* 2, 330. Nunc tecum obsecro, ut mihi subvenias. *Gell.* 20, 1. *med.* Quaeso tecum, degrediare paulisper, etc. ℙ Plurialia sunt *vos*, *vestrum* aut *vestri*, [*V. infra.] *vobis*, *ὑμεῖς*, *ὧν*, *ἵν*, *ἂς*. *Caes. B. G.* 6, 34. *med.* Quid vos hanc miseram et tenuem sectamini praedam? *Hor. Sat.* 2, 3, 174. Extimui, ne vos ageret vesania discors. *Id. Od.* 3, 14, 10. vos o pueri, et puellae. *Cic. Mur.* 1. Ut ea res vobis populoque R. pacem afferat. *Ter. Andr.* 4, 4, 24. *Da.* Cujum puerum hic apposuisti? *My.* vestri. *Da.* cujus, vestri? *My.* Pamphili. *Cic. Verr.* 2, 1. *in.* Neminem vestrum ignorare arbitror, judices. *Pl. Rud.* 4, 4, 100. O mei parentes, huc opesque, spesque vestrum cognoscendum condidi. ℙ His quoque syllabicae adjectiones haerent. *Pl. Capt.* 3, 5, 18. Ita vosmet ajebatis. *Liv.* 34, 17. *med.* Nullum consilium libentius sequar, quam quod vosmet ipsi attuleritis. *Id.* 3, 56. A cujus crudelitate vosmet ipsi armis vindicastis. ℙ *Vos* cum collectivis nominibus singularis numeri. *Id.* 7, 40. *med.* Vos, Romanus exercitus. *Sil.* 3, 287. Vos, Gaetulia sueta, etc. Alii leg. *Gaetule suete.* Simile est illud *Virg. A.* 9, 525. Vos, o Calliope, precor, aspirate canenti: nam *Calliope* omnes Musas involvit: *h. e.* tu Calliope, et sorores tuae. Sic *Sil.* 12, 390. Sed vos, Calliope, nostro donate labori. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. *med.* Tabellarii a vobis venerunt, *h. e.* a te, a Caesare, et ab aliis, qui istic estis. *Ter. Andr.* 4, 4, 15. Unde est? dic clare. *My.* a vobis, *h. e.* a te, et hero tuo, a domo vestra. ℙ Praepositio *cum* addita *vobis* postponitur. *Pl. Mil.* 2, 5, 33. Sum stulta multum, quae vobiscum fabuler. ℙ Genitivi *vestrum*, et *vestri* hoc differunt, quod *nostrum*, et *nostri*. V. EGO. [*De hac plur. forma v. quae dicta sunt in *Noster.*] ℙ *Vestrorum* pro *vestrum* est *Plauti Most.* 1, 3, 123. Maxima pars vestrorum intelligit. ℙ Olim pro *tui* dixerunt *tis*, ut *mis* pro *mei*, *sis* pro *sui*. *Pl. Mil.* 4, 2, 42. Quia tis egeat, quia te careat. [*V. quos laudat ad h. l. *Lindem.*] ℙ *Tis* etiam pro *tuis* usurpatur. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 127. Cum vita functus jungar tis umbra figuris. ℙ Et *tibe* pro *tibi*. V. SIBE. Hinc *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Nunc cursu lampada tibe trado. Alii tamen leg. *tibi.* ℙ [*Conf. *tu* et dum. V. *Wund. varr. lectt. praef.* p. 56. Porro *tui*, *tibi*, *potiti*. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 401.]

*TUĀTI, orum, populi Hispaniae Baeticae, de quibus *Plin.* 3, 1. *B. A.*

TŪĀTIM. V. NOSTRATIM.

TŪBA, ae, f. *σάλπιγξ*, instrumentum musicum ex aere (unde *aeneatores* tubicines dicti) aliove metallo, flatu sonum edens: inventum Pisaei Tyrrheni filii Herculis, ut *Plin.* 7, 56, 57., *Sil.* 5, 12. et *Hyg. fab.* 274. tradunt. Hic enim primus concha pertusa bucinavit: cujus instar postea aenea tuba facta est. Unde *Tyrrhenus clangor* ap. *Virg.* et *Stat.* Docent *Gell.* 5, 8. et ex eo *Macr. Sat.* 6, 8. curvam fuisse in modum litui. Unde *Lucan.* 1, 431. quos aere recurvo Stridentes acuere tubae. Veri tamen valde simile est, et rectas tubas fuisse, ut hodieque: certe *Vegetii* tempore recta fuit, ut ipse tradit *Mil.* 3, 5. Quare differt a bucina, et cornu, quae semper curva. A tibia vero tum magnitudine, quia tibia minor; tum materia, quia tibiae fere ligneae; tum forma, quia tibiae rectae, et multis foraminibus inttructae ad varietatem sonorum; tum denique sono spso, qui in tibia suavis, in tuba asper et fractus: unde *Enn.* ap. *Prisc.* 8, 842. At tuba terribili sonitu iaratantara dixit; et *Virg. G.* 4, 72. vox Auditur fractos sonitus imitata tubarum. *Plin.* 11, 51, 112. Tubarum raucitas. *Virg. A.* 9, 503. At tuba terribilem sonitum procul aere canoro Increpuit. Hinc ei *clangor* tribuitur: quae vox et ipsa asperitatem sonat. ℙ Usus tubae praecipuus fuit in castris ad ciendum militem ad munia sua, ut ait *Tac. H.* 4, 29., et praesertim accedendis animis in pugnam: item ad alia, ut ex subjectis exemplis apparet. *Caes. B. C.* 3, 46. Tuba signum dari, atque in hostes impetum fieri jussit. *Nep. Chabr.* 1. Suos jam incurrentes tuba revocavit. *Liv.* 29, 27. Exta in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi. *Flor.* 2, 16. *med.* Civitas direpta primum, deinde tuba praecinente deleta est; et *Lucan.* 2, 690. tuba praemonitos perducat ad aequora nautas. ℙ *Hirt. B. G.* 8, 20. *extr.* Concilio repente cantu tubarum convocato, etc. *Suet. Ner.* 19. Isthmum perfodere aggressus, praetorianos ad inchoandum opus cohortatus est, tubaque signo dato, primus rastello humum effodit. *Val. Fl.* 3, 84. de Marte: ingentes animae, clamorque, tubaeque Sanguineae juvere Deum. *Lucan.* 4, 750. sonipes motus clangore tubarum. *Id.* 6, 130. cecinere tubae. *Id.* 1, 578. insonuere. *Petr. Sat.* 124. intremuere. Alii leg. *intonuere:* alii *imfremuere. Tac. A*, 1, 68. Datur cohortibus signum, cornuaque et tubae concinuere. *Sen. Octav.* 400. Non bella norat, non tubae fremitus truces. *Claud. in Eutr.* 2, 145. inflare moraris Tartaream, Bellona, tubam. ℙ Sunt qui docent, *tubam* habuisse locum initio proelii solummodo: aliis temporibus bucinam, lituos, cornua. *Lucan.* 7, 475. tunc stridulus aer Elisus lituis, conceptaque classica cornu, Tunc ausae dare signa tubae, *h. e.* lituis primum et cornibus vocatus miles in aciem: deinde tuba immissus in hostes. V. *Isid. Or.* 18, 4. Sed haec vera non sunt: illud verius, lituos, cornua, bucinam, tubam saepe a scriptoribus, praesertim poetis, promiscue usurpari. ℙ Adhibebatur *tuba* et in funeribus atque exsequiis. *Virg. A.* 11, 191. Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma: It coelo clamorque virum, clangorque tubarum. *Ov. Her.* 12, 140. Carmina funerea flebiliora tuba. *Pers.* 3, 103. Hinc tuba, candelae: tandemque beatulus alto Compositus lecto, etc. Adde *Hor. Sat.* 1, 6, 43., *Ov. Am.* 2, 6, 6. Docet autem *Gell.* 20, 2. ex *Attejo Capitone*, siticines dictos, qui tuba canebant in exsequiis: eosque proprium genus tubae habuisse a ceteris distinctum. [*Pauperum funeribus tibiae adhiberi solebant, V. *Passerat.* ad *Prop.* 2, 10, 20.] ℙ Item in ludis, et sacris, et pompis sacrorum. *Varr. L. L.* 5, 3. Tubilustrium appellatur, quod eo die sacrorum tubae lustrantur. *Juven.* 6, 249. Floralis tuba, *h. e.* in ludis Floralibus adhibita. *Virg. A.* 5, 113. Et tuba commissos medio canit aggere ludos. *Ov. Fast.* 1, 716. Canteturque fera nil, nisi pompa, tuba. *Calpurn. Ecl.* 1, 67. jussique silentibus armis, Inter sacra tubas, non inter bella, sonare. Adde *Juven.* 10, 214. et *Stat. Silv.* 3, 1, 139. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 6, 12. *med.* Quem illi appellant tubam belli civilis, *h. e.* auctorem, concitatorem. *Juven.* 15, 51. sed jurgia prima sonare Incipiunt animis ardentibus: haec tuba rixae. Dein clamore pari concurritur. *Claud. Gigant.* 60. Jam tuba nimborum sonuit, *h. e.* sonitus tonitruum, procellae, etc. ℙ Metonymice est belli signum, et ipsum bellum. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 64. neu foedera fratrum Civili converte tuba. *Id. Laud. Stil.* 1, 246. Post domitas Arctos alio prorumpit ab axe Tempestas ..... Australis sonuit tuba; et 192 Ante tubam nobis audax Germania servit, *h. e.* ante proelium: vel antequam bellum indicamus. *Mart. Spect.* 28. Et freta navali sollicitare tuba. ℙ De carmine epico, gravi, altisono. *Id.* 8, 3. *f.* Angusta cantare licet videaris avena, Dum tua multorum vincat avena tubas; et 56. Ingenium sacri miraris abesse Maronis, Nec quemquam tanta bella sonare tuba. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 197. Talem nulla refert antiquis pagina libris, Nec Latiae cecinere tubae, nec Graeca vetustas. Adde *Mart.* 10, 64. et 11, 3. ℙ De grandiloquentia universim usurparunt *Prud. contra Sym.* 2, 68. et *Sidon. ep.* 4, 3. *f.* ℙ In machina, quae in altum extollit aquam, *tuba* est fistula, ap. *Vitr.* 10, 12. ℙ A *Fest.* in *Secespitam* dicuntur *tubae* foramina, in reticulo aeneo, per quae manibus sacra tangere licet in sacrariis templorum reposita, ut in templo Bonae Deae.

*TUBANTES, um, populi Germaniae, medio inter Rhenum Albimque loco. *Tac. A.* 1, 51. et 13, 55. *B. A.*

TŪBĀRĬUS, ii, m. qui tubas facit, *σαλπιγγοποιός*. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Tubarii, cornuarii, arcuarii.

TŪBĔR, ĕris, n. *ὄγκος*, tumor, callus prominens in corpore animalis sive natura, sive ex morbo: est ab *ὕβος*, tuber in dorso cameli. *Plin.* 8, 18, 26. Cameli bina habent tubera in dorso, sub pectore alterum, cui incumbunt. *Id. ib.* 45, 70. Boves tubere super armos a cervicibus eminente. *Id.* 30, 12, 33. Tubera, et quaecumque molliri opus est, anserino adipe curantur. *Id.* 26, 14, 87. Chironia cum melle trita tubera aperit. *Id.* 22, 24, 50. Mel tubera discutit. *Ter. Ad.* 2, 2, 37. Colaphis tuber est totum caput, *h. e.* factum est tuber; adeo usque quaque tumet. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 1, 3, 73. Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, Postulat, ignoscet verrucis illius, *h. e.* majoribus vitiis. ℙ *Ubi uber, tibi tuber*, proverb. ap *Appul. Flor. n.* 18., quo significatur, commodum absque incommodo non inveniri: *uber* enim bonum est, *tuber* molestum. Itali dicunt: *non si può aver il mele senza le mosche:* et *non si può pigliar pesce senza immollarsi.* ℙ Etiam in arboribus nodi quidam et tumores duri e ligno eminentes, *tubera* sunt. *Plin.* 16, 16, 27. Bruscum, et molluscum, tuber utrumque aceris; et *ib.* 43, 84. Dat et alnus tuber sectile, sicut citrum acerque. *Id.* 25, 8, 54. Aristolochia tuberibus radicis rotundis. ℙ *Tubera οἰδνα*, et *ὄδνα*, calli quidam terrae, de quibus haec *Plin.* 19, 2, 11. Maximum miraculum est, aliquid nasci aut vivere sine ulla radice. Tubera haec vocantur, undique terra circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec utique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsa terrae cohaerent: cortice etiam includuntur: ut plane nec terram esse possimus dicere, nec aliud, quam terrae callum. Siccis haec fere, et sabulosis locis, frutectosisque nascuntur. Excedunt saepe magnitudinem mali cotonei. Duo eorum genera: arenosa dentibus inimica, et altera sincera. Laudatissima Africae, etc. Ex iis sunt, quae nascuntor, et seri non possunt. Haec *Plin.* qui haec addit *ib.* 3, 12. Cum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci, et maxime e tonitribus, nec ultra annum durare: tenerrima autem verno esse. *Id.* 19, 2, 11. Lartio Licinio mordenti tuber accidit, ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret. ℙ Probata valde fuere in deliciis mensarum. *Juven.* 5, 116. post haec raduntur tubera, si ver Tunc erit, et facient optata tonitrua coenas Majores, tibi habe frumentum, Alledius inquit, O Libye: disjunge boves, dum tubera mittas. *Mart.* 13, 50. Rumpimus altricem tenero quae vertice terram Tubera boletis poma secunda sumus. ℙ *Terrae tuber* est tumor terrae, quem talpae faciunt: convicium est in hominem nihili. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm.* Recte: videbo te in publicum (*subaudi* exeuntem), mus (*h. e.* talpa), immo terrae tuber. ℙ *Tuber terrae* est etiam herbae genus, de quo V. CYCLAMINOS.

TŪBER, ĕris, m. fructus arboris cognominis. Inter malorum genera ita recenset *Plin.* 15, 14, 14. Peregrina sunt zizypha, et tuberes, quae et ipsa non pridem venere in Italiam; haec ex Africa, illa ex Syria. Sex. Papinius, quem consulem vidimus (*h. e.* ann. a Chr. n. XXXVI.) primus utraque attulit: et *mox*: Tuberum duo genera: candidum, et a colore syricum dicitur. *Hard.* perperam esse ait quae vulgo *nucipersica*, Gallice *pêches-noix*, Italice *pesche-noci*, dicuntur. *Suet. Dom.* 16. Pridie quam periret, oblatos tuberes servari jussit in crastinum. *Mart.* 13, 42. Non tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis, De Nomentanis sed damus arboribus; et *ib.* 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis, Et vernae tuberes. Quid tibi cum Libycis? ℙ Item femin. gen. de ipsa arbore, quam Itali *azzeruolo* et *lazzeruolo* vocant. *Plin.* 16, 25, 42. Ex his, quae hieme, Aquila exoriente, concipiunt, floret prima omnium amygdala: ab ea proxime armeniaca: dein tuberes. *Colum.* 11, 2. *med.* Surculi qui primi florem afferunt, inserendi sunt, ut cerasorum, tuberum, amygdalarum. *Pall.* 2, 15. *f.* Hoc mense tuberes inseruntur cydoneo. *Vet.* Interpres Italos. *Di questo mese si innestano i tuberi, cioe gli azzeruoli nel melo cotogno.* Operose tuberum culturam docet *Id.* 10, 14. Mense Septembri circa calendas Octobres tuberes seremus sobole, vel nucleis, cujus tenera diligenter nutriri debet infantia, etc.

TŪBĔRANS, antis, part. ab inus. *tubero:* tuber faciens. *Appul. Met.* 2. Rosa soluta in sinu tuberante.

[TŪBĔRASCENS, entis, part. ab inus. *tuberasco:* protuberans. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 14. Crebrioribus quippe musculis tuberascens. V. EX TUBERASCO. *F.*]

TŪBĔRĀTUS, a, um, adj. tuberibus asper, tuberosus. *Fest.* in *Ocrem.* Ocrem antiqui montem confragosum vocabant: unde fortasse etiam ocreae sint dictae, inaequaliter tuberatae.

TŪBERCŬLUM, i, n. *φυμάτιον*, parvum tuber. *Cels.* 6, 13. Solent in gingivis tubercula quaedam oriri dolentia: *παρουλίδας* Graeci appellant. *Id.* 7, 6. In capite multa variaque tubercula oriuntur: *γάγγλια*, *μελικηρίδας*, et *ἀθηρώματα* nominant. *Plin.* 22, 22, 45. Tuberculum fabae. *Id.* 11, 11, 12. de apib.: Regias imperatoribus futuris exstruunt amplas, separatas, tuberculo eminentes. *Colum* hac eadem de re 9, 11. *med.* Fere in ipso fine cerarum velut papilla uberis apparet eminentior, et laxioris fistulae, quam sint reliqua foramina, quibus popularis notae pulli detinentur; et *Pall.* 7, 7. *f.* Est autem hoc futuri regis signum: inter cetera foramina, quae pullos continent, unum majus ac longius velut uber apparet.

*TUBĒRO, as, tumesco. *Vet. Onomast. φυματόω*, tubero. *B. A.*

TŪBĔRO, onis, m. agn. R. in gente Aelia, ut L. Aelius Paetus Tubero, qui fuit historicus, Q. Aelius Paetus Tubero filius ejus, qui JCtus, etc. *Gell.* 6,

3. et 4. et alibi. *Cic. Brut.* et alibi. Fortasse id agnomen a tuberibus in corpore ortum est. ℙ *Tubero, Indiae fluvius. *Mela* 3, 7. *extr. B. A.*

TŪBĔROSUS, a, um, adj. tuberibus plenus. *Varr. R. R.* 1, 49. Falcibus consectanda quae foeniseces praeterierunt, ac quasi herba tuberosum reliquerunt campum. *Petr. Sat.* 15. Nescio quis calvus, tuberosissimae frontis.

[TŪBERTUS, a, um, adj. idem videtur esse ac tuberatus. Est cogn. R., ut P. Postumius Tubertus. V. POSTUMIUS et POSTUMUS. *F.*]

*TUBĔRUS sc. fluvius, vel Tuberum, sc. flumen, in Gedrosia fuit. *Plin.* 6, 23. Flumen Tuberum navigabile. *B. A.*

TŪBĪCEN, ĭcinis, m. *σαλπιγκτής*, qui tuba canit: sicut *tibicen*, qui tibia. In militia fuere tubicines, cornicines, et bucinatores, qui tuba, cornu, bucina dabant signum militibus ad munia sua exsequenda, et praecipue ineundi proelii. Canebant etiam ubicumque opus esset, in ludis, in sacris, etc. V. TUBA. *Liv.* 2, 64. *f.* Cornicines, tubicinesque in equos impositos canere ante vallum jubet. *Ov. Met.* 3, 705. Ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro Signa dedit tubicen. *Sen. ep.* 78. *med.* Evincamus omnia, quorum praemium non corona, nec palma est, nec tubicen praedicationi nominis nostri silentium faciens; sed virtus et firmitas animi, *h. e.* tuba signum dans, ut praeco audiatur. *Petr. fragm. Trag.* 64. et 69. *Burm.* Tubicines imitari, *h. e.* ore clauso, et inflatis buccis sonum tubae similem edere. *Varr. L. L.* 4, 24. Tubicines sacrorum. ℙ Item in exsequiis. V. TUBA. Hinc illud *Petr. Sat.* 129. ad tubicines mittere. V. TIBICEN. ℙ Tubicines etiam dicti sunt, docente *Festo*, qui sacerdotes publice sacra faciebant tubarum lustrandarum causa.

*TUBICINĀTOR, oris, m. *σαλπιστής Gloss. Cyrill. B. A.*

*TUBIBĪNO, as, *σαλπίζω Gloss. Cyrill. B. A.*

TŪBILUSTRĬUM, ii, n. festum, quo fiebat agna in atrio sutorio lustratio tubarum, quae in sacris adhibebantur. Bis in anno fiebat, X. kal. April. Minervae, et X. kal. Jun. Vulcano. De priore *Ov. Fast.* 3, 849. Summa dies e quinque tubas lustrare canoras Admonet, et forti sacrificare Deae. De altero *Id. ib.* 5, 725. Proxima Vulcani lux est: Tubilustria dicunt. Lustrantur purae, quas facit ille, tubae. Adde *Varr. L. L.* 5, 3. et *Fest.* in *Tubilustria.*

[TUBLĪNĀTES, ium, m. plur. incolae oppidi Tublini, nunc *Toblino*, ap. Tridentum. V. *Inscr.* in COLLUSTRIUM. *F.*]

[TŪBOCANTĬUS, ii, m. idem ac tubicen: a *tuba* et *cano*. *Inscr.* ap. *Mur.* 936, 5. Alcimas Zmurnius (*h. e.* Smyrneus) tubocantius. *F.*]

*TUBUCCI, oppidum Lusitaniae. *Ant. Itin. B. A.*

TŪBŪLĀTĬO, onis, f. dispositio alicujus rei in modum tubuli, excavatio. *Appul. Flor. n.* 9. Flexa tubulatione ligulae. *Arnob.* 3. p. 108. Nonnullos turgentibus malis, aut buccarum tubulatione saccibucces. Alii minus recte leg. *cumulatione.*

TŪBŪLĀTUS, a, um, adj. cavatus ad effigiem tubuli. *Plin.* 9, 36, 61. Alterum purpura vocatur cuniculatim procurrente rostro, et cuniculi latere introrsus tubulato, qua profertur lingua. *Plin. alter ep.* 2, 17. Adhaeret dormitorium membrum, transitu interjacente, qui suspensus, et tubulatus conceptum vaporem huc illuc digerit et ministrat, *h. e.* tubulis instructus. V. *Senecae l. c.* in TUBUS.

TŪBŪLUS, i, m. *σιφώνιον, σωληνίσκος*, diminut. tubi, sed idem fere significans, nempe canalem, fistulam, per quam aqua, aut fumus, aut calor ex igne permeat. *Varr. R. R.* 1, 8. *med.* Aliquot arundines colligatas libris dimittunt in tubulos fictiles cum fundo pertuso, qua humor transire possit. *Vitruv.* 8, 7. Ductus aquae fiunt generibus tribus, rivis per canales structiles, aut fistulis plumbeis, seu tubulis fictilibus. *Plin.* 35, 12, 46. Ad tecta imbricibus tegulisque, ad aquas tubulis, ad balineas mammatis. *Procul. Dig.* 8, 2, 12. Non licet tubulos habere admotos ad parietem communem, quia per eos flamma terretur paries. ℙ *Tubuli* etiam dicuntur massae metalli igne fusi et excocti, quas hodie *panes* aut *offas* appellant: fortasse quia conformati in laminas, et convoluti, foramine remanente, tubos referunt. *Plin.* 33, 6, 35. Et plerumque omnes hi colores in iisdem tubulis inveniuntur: et *mox:* Spuma ut sit utilis, iterum coquitur, confractis tubulis ad magnitudinem anulorum. ℙ Est etiam cognomen R., ut L. Hostilius Tubulus, vir praetorius, de quo mentio est ap. *Cic. N. D.* 1, 23. et *Fin.* 2, 16. et in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 227. in quo leg. L. H. TVB.

*TUBUNAE, arum, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *August. ep.* 77. et *adv. Donat.* 6, 12. *B. A.*

*TUBURBIS. V. v. sq. *B. A.*

*TUBURBO, oppidum duplex Africae Propriae, in Zeugitana. Tuburbo majus, sc. oppidum, meminit *Tab. Peut.* Minus commemorat *Ant.* in *Itin.* ℙ *Tuburbis* exhibet *Plin.* 5, 4. *B. A.*

TUBURCĪNĀBUNDUS, a, um, adj. avide comedens, vorax. Vox est *Catonis*, et tanquam nimis vetusta, rejicitur a *Quint.* 1, 6. *med.*, ubi alii scrib. *tuburchinabundus.* [*Ita *Spald.* quem cf.] V. LURCABUNDUS.

TUBURCĪNĀTUS, a, um, part. a *tuburcinor*, esus, devoratus. *Appul. Met.* 6. Prandio raptim tuburcinato.

TUBURCĪNOR, aris, dep. 1. *λαφύσσω*, raptim comedo, ut *Non.* 2, 851. interpretatur. *Titin. ib.* Tuburcinari sine me vultis reliquias. *Turp. ib.* Melixa intus cessat: credo hercle, heluo tuburcinatur. *Pl. Pers.* 1, 3, 41. Tuburcinari de suo, siquid est domi.

*TUBURNICENSE oppidum in Numidia. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

TŪBUS, i, m. *σωλήν, αὐλών*, canalis teres et concavus, fistula major, per quem aqua, aliudve transmeat. *Sen. ep.* 90. *med.* Quaedam nostra demum prodiisse memoria scimus, ut suspensuras balneorum, et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret aequaliter. *Colum.* 1, 5. Aquam fictilibus tubis deducere. *Plin.* 16, 42, 81. Alni ad aquarum ductus in tubos cavantur. *Id.* 5, 31, 34. Tubo coriis ctus in tubos cavantur. *Id.* 5, 31, 34. Tubo coriis facto aquam trahere. *Pall.* 1, 18. Ex lacubus tubi fictiles subjectis doliis manantia vina defundant. ℙ Translate de pudendo muliebri. *Mart.* 11, 61. Modo qui per omnes viscerum tubos ibat. ℙ *Varr. L. L.* 4, 24. et *Fest.* in *Tubilustrium* docent, tubos dictas esse in fastis et a tubicinibus sacrorum ipsas tubas, quas in sacris adhibebant.

*TUBUSUPTUS, i, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. V. THUBUSCUM. *B. A.*

[TUCCA, ae, m. *κρεωβόρος*, carnivorus, teste *Laur. Lydo de magistrat. Rom.* 1, 23. *Τούκκας ὁ κρεωβόρος, ὃν οἱ ἰδιῶται ζικκὰν ἐκάλεσαν καθ' ἡμᾶς.* Videtur *ζικκὰς* esse id, quod Itali *ciccia* vocant, hinc *ciccioli* sunt frustula carnis, quae ex adipe suilla igne soluta remanent. Inde factum cogn. R., ut Plotius Tucca Virgilii amicus, de quo V. *Donat. Vit. Virg. n.* 11. et *Hor. Sat.* 1, 5, 40. et *ib.* 10, 81. Ad cognominis significationem alludere videtur *Mart.* 12, 41. Non est, Tucca, satis, quod es gulosus, Et dici cupis et cupis videri. Item ad nominis *Id.* 3, 14. Romam petebat esuritor Tuccius Profectus ex Hispania. V. TUCETTM. ℙ Ex dictis apparet, *Tucca* et *tucetum* seu *tuccetum* esse nomina originis Celticae, quae vulgo prius ab Italis, et Hispanis usurpata, mox etiam Romanam civitatem consecuta fuerint, hinc etiam nunc ap. Germanos *tauchen* significat *immergere, immollare. F.*]

ℙ *Tucca, ae, f. oppidum Africae Propriae, in Zeugitana, cognomento *Therebinthina. Anton. Itin.* ℙ Item oppidum maritimum in Mauretania Caesariensi, ad Ampsagam flumen. *Plin.* 5, 2. *B. A.*

*TUCCABORI, oppidum Africae Propriae. *Cyprian.* ap. *Cellar.* ℙ *Thuccabori* appellat *August. adv. Donatist.* 6, 24. ℙ Idem oppidum esse, quod et Tucca audit, censet *Schellerus. B. A.*

*TUCCIA, ae, f. virgo Vestalis, incestus accusata, aquae in cribro prolatae prodigio se purgavit. *Plin.* 28, 2. Exstat Tucciae Vestalis incestae precatio (*Licetus* legit *incestus deprecatio*), qua usa aquam in cribro tulit, anno Urbis DCIX. *Val. Max.* 8, 1. Eodem auxilii genere Tucciae virginis Vestalis incesti criminis reae castitas infamiae nube obscurata emersit: quae conscientia certae sinceritatis suae, spem salutis ancipiti argumento ausa petere est. Arrepto enim cribro, Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, et in aedem tuam perferam. Audaciter et temere jactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit. Nec fidem ei derogat *August. de Civ. Dei* 10, 16. Quod virgo Vestalis, de cujus corruptione quaestio vertebatur, aquam impleto cribro de Tiberi hauriens, minime profluentem, abstulit controversiam; et *mox:* Haec ego atque alia hujusmodi, nequaquam illis, quae in populo Dei facta legimus, virtute atque magnitudine conferenda judico: quanto minus ea, quae illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata sunt prohibenda, magica scil. vel Theurgica. Adde *Tert. Apol.* 22. et cf. *Dion. Hal.* 2. p. 129. ℙ Hujus (ait *Hofmannus*) itaque Tuciae memoriam ad nostra usque tempora conservatam vult clarissimus quidam Vir in lucerna, quae in Gazophylacio Galvaniano ostenditur, imagine pedalis ferme longitudinis, aerea pervetusta, qua Virgo Vestalis maturioris aevi faberrime repraesentatur, insignis. Sed pluribus hanc sententiam rationibus refellit *Fortunius Licetus, de lucernis Antiquorum* 6, 83. ℙ Scribitur et *Tucia. B. A.*

[TUCCĪTANUS, a, um, adj. ad Tuccin pertinens, Hispaniae Baeticae oppidum, cujus mentio est ap. *Plin.* 3, 1, 3. *Inscr.* ap. *Grut.* 323, 12. Valeriai C. F. Atinai flaminicai coloniai Aug. Gemellai Tuccitanai, etc. *Tuccitani, orum*, absolute, sunt incolae illius oppidi. *Aliae* ap. *eund.* 267, 2, 3. et 4. Respublica Tuccitanorum. *F.*]

*TUCCĬUS, i, m. nomen proprium virorum R., ut M. Tuccius, cujus meminere *Liv.* 35, 41. et *Coel. in Cic. Fam. l.* et. *ep.* 8. *in.* Quin et L. Tuccium Vallam, medicum, commemorat *Plin.* 7, 53. *B. A.*

TUCĒTUM et Tuccetum, i, n. genus edulii seu farciminis ex carne bubula, vel porcina una cum arvina reconditi in usus mensarum. *Gloss. Phil.* Tucetum, *ζωμὸς παχύς. Fulg. de prisc. serm. n.* 41. Tuceta dicuntur escae regiae. *Callimorphus Pisaeis:* Ambrosio redolent tuceta sapore. *Pers.* 2, 43. grandes patinae, tucetaque crassa. *Vet. Schol.* ad *h. l.* Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita ac macerata: et ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita servari, aut ad saturarum jura. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione Tucca est nominatus. (V. TUCCA.) *Appul. Met.* 2. Parabat, quod naribus jam inde hariolabar, tucetum perquam sapidissimum. *Id. ib.* 5. Mirisque illis et beatis edulibus, atque tucetis sorores oblectat. *Id. ib.* 7. Tuceta concinnat, apponit scitule; et *ib.* 9. Pulmenta recentia tucetis temperat. *Arnob.* 2. p. 73. Ut spirulas, et botulos facecent, isicia, catillamenta, suminatam cum his carnem, et glaciali conditione tuceta, *h. e.* condimentis quibusdam, et glacie in caveis subterraneis a putredine servata. ℙ In locis supra allatis plerique libri *tuccetum* scribunt.

TUCHARCHUS. V. TOECHARCHUS.

*TUCIA. Virgo Vestalis. V. *Tuccia.* ℙ Fuit et Tucia fluvius prope Romam decurrens. *Sil.* 13, 5. Tucia deducit tenuem sine nomine rivum. Ubi alii codices *Turia. B. A.*

*TUDE, oppidum Hispaniae Tarraconensis, hodiernum *Tuy. Anton. Itin.* ℙ *Tyde* audit *Plin.* 4, 20. *B. A.*

TŪDER, ertis, n. *Todi*, colonia et urbs Umbriae, in colle, apud Tiberim fl., media inter Perusiam, et Narniam. *Sil.* 6, 644. excelso summi qua vertice montis Devexum lateri pendet Tuder, atque ubi latis, etc. Adde *Plin.* 3, 14. 19.

TŪDERNIS, is, f. adj. quae est Tudertis agri, ut Tudernis vitis, *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7.

TŪDERS, tis, adj. omn. gen. qui est ex Tuderti oppido. *Sil.* 4, 222. Et Gradivicolam celso de colle Tudertem. *Id.* 8, 464. haud parci Martem coluisse Tudertes. *Inscr.* ap. *Grut.* 19, 6. Pro salute coloniae, et ordinis decurionum, et populi Tudertis.

[TŪDERTĪNUS, a, um, adj. idem ac Tuders. *Tudertini, orum*, absolute, incolae Tudertis oppidi. *Inscr.* ap. *Donat.* 248, 3. Spoletini, Trebiates, Tudertini, et Vettionenses. *F.*]

TŪDES, is et ĭtis, m. *σφῦρα*, malleus: ab antiquo *tudo* pro *tundo*, quomodo et *frago* pro *frango*, et *pago* pro *pango* dicebant veteres. *Fest.* Tudites malleos appellabant antiqui, a tundendo. Inde Atejus Capito existimat Tuditano cognomen inditum, quod caput malleoli simile habuerit. *Sever. Aetn.* 659. Fabriles operae tudibus contundere massas Festinant.

*TUDIĀTOR, oris, m. *Gloss.* Tudiatores, *χαλκότυποι.* Fuerint ergo fabri aerarii. *B. A.*

*TUDICĬUS, i, m. nomen senatoris, de quo *Cic. pro Cluent. c.* 70. *in. B. A.*

TŪDICŪLA, ae, f. machina lignea, qua tunduntur oleae: a *tudo* pro *tundo. Colum.* 12, 50. *med.* Est et organum erectae tribulae simile, quod tudicula vocatur, (alii leg. *rudicula*), idque non incommode opus efficit, nisi quod frequenter vitiatur, et si baccae plusculum ingesseris, impeditur. In *Gloss. Phil.* tudicula est *τορύνη, h. e.* trulla, qua quippiam in olla teritur, et agitatur. *Gesnero* videtur ei similis esse, quam nos dicimus *Kaffeemühle.*

DŪDĪCŪLO, as, a. 1. commoveo, misceo, agito: a tudicula. *Varr.* ap. *Non.* 2, 844. Haeccine nobis tibive tudiculasse? *Apic.* 5, 2. Cum bene ferbuerit, tudiculabis, et in mortario teres.

TŪDĪTĀNUS, a, um, adj. Est cogn. R., ut P. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus ann. U. C. DL. cum M. Cornelio Cethego. V. vocis etym. in *Festi l. c.* in TUDES. *Enn.* ap. *Cic. Brut.* 15. Additur orator Corneliu' suaviloquenti Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega, Marci filius. ℙ *Sempronium Tuditanum meminerunt *Liv.* 41, 21. *Cic. Brut.* 25. *B. A.*

TŪDĪTES. V. TUDES.

TŪDĪTO, as, a. 1. frequent. a *tudo.* Hujus verbi participium tantummodo in usu est. *Fest.:* Tuditantes negotium, significare ait Cincius, i. e. agentes. Ennius libro secundo: haec inter se tota vi tuditantes. Et Lucretius item lib. 2. (1141.) Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam Corpora conficere. Haec *Fest.:* Rursus *Lucret.* 3, 395. Et quantis intervallis tuditantia possint Concursare, etc. *h. e.* propellentia, protrudentia.

TŪĔO, es, a. 2. idem quod tueor, defendo. *Cic. Leg.* 3, 3. ex XII. *Tab.* Censores vectigalia tuento. Alii leg. *tuentor. Inscr.* non optimae notae ap. *Fabr.* p. 498. *n.* 23. Rogo per Superos, qui estis, ossa mea tueatis. ℙ [*Pass. *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Ibi sacra fiunt, ac tuentur. *Id. R. R.* 3, 1. Majores nostri in pace a rusticis Romanis alebantur, et in bello ab his tuebantur. *Vitruv. praef.* 8. Res omnes non ali sine elementorum potestate, neque crescere, nec tueri. *Cajus Dig.* 27, 10, 7. Consilio et opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed et corpus et salus furiosi. Adde *Papin. ib.* 28, 3, 17. Transscripsimus haec ex v. sq. Plura v. ap. *Ramsh.* §. 74. p. 204.]

TŪĔOR, eris, tuitus sum, dep. 2. *ὁράω, βλέπω*, aspicio, intueor, video. *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Tueri duo significat: unum ab aspectu: unde est

illud: Tueor te senex, proh Juppiter! et (*Ennius*) Quis pater aut cognatu' volet nos contra tueri? Alterum a curando ac tutela, ut cum dicimus, bellum tueor, et tueri villam. Haec *Varro*. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 468. Quam te post multis tueor tempestatibus? *Virg. A.* 4, 362. Talia dicentem jamdudum aversa tuetur. *Id. Ecl.* 3, 8. transversa tuentibus hircis. *Id. A.* 1, 713. Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo; et *ib.* 8, 265. nequeunt expleri corda tuendo Terribiles oculos, vultum, etc. et *ib.* 9, 794. de leone: Asper, acerba tuens. [*Videndi notionem h. v. ap. poetas tantum habet, locumque *Cic. Tusc.* 3, 1, 2. quem *Noster* laud., delevimus, ubi nunc omnium consensu, ita ut ne lectionis quidem discrepantia notetur, *intueri* pro *tueri* legitur.] ℙ Pro sentire. *Lucr.* 6, 1161. Nec nimio cuiquam posses ardore tueri, Corporis in summam ferviscere partem. ℙ Considerare, inspicere. *Grat. Cyn.* 345. vulnera, morbos, Causasque, affectusque canum tua cura tueri est. ℙ Et quia quae asservare volumus, ea jugiter aspicimus; hinc metonymice ponitur pro servare, custodire, tutari, διασώζειν, διατηρεῖν. [**Doederl.* 4, 306. recte comparat nostr. *schützen*, ut formam intens. a *schauen*.] *Cic. Fin.* 5, 23. Justitia societatem conjunctionis humanae munifice et aeque tuens. *Id. Fam.* 1, 9. A quibus tuendus erat, derelictus. *Id. Manil.* 5. Videte, ne vobis turpissimum sit, illud quod accepistis, tueri et conservare non posse. [*Eundem verborum ordinem restituit *Heind.* ap. *Cic. N. D.* 2, 23, 60. ut ad omnia tuenda conservandaque consensisse videantur: ubi notat plus esse *conservare* quam *tueri*.] *Id. Tusc.* 1, 1. Mores et instituta vitae, resque domesticas ac familiares et melius tuemur, et lautius. *Nep. Att.* 21. *med.* Curam diligentiamque in valetudine tuenda adhibere. *Id. Phoc.* 1. Tueri gloriam paternam. *Cic. Tusc.* 2, 21. dignitatem. *Id. Fam.* 13, 49. rem, gratiam, et auctoritatem suam. *Id. Tusc.* 3, 5. *f.* mediocritatem officiorum, et vitae communem cultum atque usitatum. *Id. Brut.* 20. L. Paulus personam principis civis facile dicendo tuebatur. *Id. Att.* 1, 17. *f.* Tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam. ℙ [*Imprimis dicuntur *tueri* templa, aliasque aedes, qui ea sarta tecta conservant. *Cic. Verr.* 1, 1, 50. aedem Castoris P. Iunius habuit tuendam. *Plin. Pan.* 51, 1. Idem tam parcus in aedificando, quam diligens in tuendo: ubi v. *Gierig.*] ℙ Item alere. [*Significat in universum praebere alicui ea, quae qualiacunque opus sunt. Cf. *Heusing* ad *Cic. Off.* 1, 4, 4.] *Cic. Dejot.* 8. Antea majores copias alere poterat, nunc exiguas vix tueri potest. *Id. Par.* 6, 1. *f.* Nunquam eris dives, ante quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones, et magna equitum ac peditum auxilia possis. *Colum.* 6, 3. Tueri armentum paleis. *Liv.* 5, 4. Agrum colere, unde domi militiaeque se ac suos tueri posset. *Nep. Ep.* 3. *med.* Amicorum in se tuendo caruit facultatibus. *Colum.* 7, 12. Canem in primis mercari, tuerique debet agricola. ℙ Item tutari, defendere. *Phaedr.* 3, 7. Tueri domum a furibus. *Cic. Dejot.* 8. Fines suos ab excursionibus hostium et latrociniis tueri. *Id. Or.* 1, 38. Armis prudentiae causas tueri et defendere. [*Frequentissima est utriusque verbi *tueri* et *defendere* conjunctio: exempla habes ap. *Doederl.* 4, 306. sq. qui ita distinguendum statuit, ut *tueri*, opp. *negligere*, nonnisi voluntatem periculumque non praesens, sed futurum respiciat; *defendere*, opp. *deserere*, ad factum ipsumque impetum spectet. Hinc pupillorum esse *tutores*, reorum *defensores*: utrumque tamen verbum vi non differre; *defendens* enim majorem animum virtutemque propulsando impetu exhibere; *tuens* praestare diligentia atque amore in evitando periculo futuro.] *Plin.* 20, 14, 54. Pulegium olfactu capita tueri contra frigorum injuriam, et ab siti traditur. *Id.* 24, 19, 118. Ipsa herba tusa tuetur ab inflammationibus plagas. *Virg. A.* 9, 175. de legione: Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est. *Quint.* 5, 13. *med.* Verres fortiter et industrie tuitus contra piratas Siciliam dicitur. Est qui leg. *tutatus*. Absolute. *Caes. B. C.* 3, 111. *extr.* Quod tam late tueri tam parva manu non poterat. ℙ [*Est etiam colere. *Cic. Fam.* 3, 9. officiis tuendis erga te observantia: ubi *Manut.* laud. 13, 68. Tuebor omni observantia patrem tuum.] ℙ Apud JCtos *tueri* lex aut praetor dicitur, cum alicui favet, et jus ejus defendit. *Ulp. Dig.* 48, 5, 19. *extr.* Si nupta esse desierit, accusari poterit: neque enim aliam lex tuetur, quam eamquae nupta est. *Id. ib.* 37, 8, 1. *med.* Ubi juste dubitari potest, an, etc. decreto tuenda est, ne praejudicium partui fiat. Adde *ib.* 43, 17, 1. ℙ Item fovere, praestare. *Cic. Rab. Post.* 15. Simulacrum pristinae dignitatis, quod Caesar solus tuetur et sustinet. *Id. Att.* 2, 20. Caecilium, quibus rebus possum, tueor diligenter. *Id. Fam.* 2, 16. *extr.* Ut nos liberosque nostros ita tueare, ut amicitia nostra et fides tua postulabit. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. Tuum munus tuere, et me defende ac suscipe. [**Tueri* h. l. eadem ratione dictum est, qua nos, *einer Rolle, einem Amte genugthun. Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. praeter h. l. laud. ista: *Phil.* 8, 10. quam magnum est personam in republ. tueri principis. *Brut.* 20. L. Paullus Africani pater personam principis civis facile dicendo tuebatur. Quem locum *Forc.* supra laudaverat sub notione servandi custodiendi.— Administrandi sensum vindicat in his: *Suet. Tib.* 25. partes sibi, quas Senatui liberet, tuendas in Republ. depoposcit. *Id. Gr.* 8. minus idoneus ad tuendam scholam.] ℙ *Tuor* etiam dixerunt pro *tueor*, ut *Festus* docet: unde *contuor*. [*At notandum: *tuor* nonnisi videndi, spectandi notione usurpari. V. *Doederl.* 4, 306.] *Lucr.* 4, 450. Omnia, quae tuimur, fieri tum bina tuendo. *Id.* 4, 362. Fit, quasi tornatu ut saxorum structa tuantur. *Catull.* 20, 4. Herique villulam, hortumque pauperis Tuor. *Stat. Th.* 3, 151. haec oscula, nati, Vestra tuor? Adde *Albin.* 1, 137. [*ubi v. *Ruhnk.* p. 122. *ed. Fried.*] Hinc part. *Tutus* V. s. l. ℙ [*Confund. *tueri* et *tenere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 275. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 45.]

TŪFA, ae, f. [vox cadentis Latinitatis, qua denotatur apex cassidi militum insertus, ex Indicorum boum caudis factus, ut ex *Cosma Indicopleuste* probat *Ducangius* in *Glossar. med. et inf. Graecitatis*. Hinc *Laur. Lydus de magistrat. R. l.* 1. c. 8. *Λόφους ἀκροξιφίδας μὲν οὐκ ἔχοντα, ῥωμαίους δὲ λοφίας, καλοῦσι δὲ αὐτὰς οἱ μὲν Ῥωμαῖοι οὐβας, οἱ δὲ βάρβαροι τούφας, h. e.* Lanceae spiculis carentes, at longioribus setis ornatae, quas Romani jubas, barbari tufas appellant. Inde autem ortum videtur Gallorum recentiorum *toupet*, quem Itali *ciuffo* dicunt. *Veg. Mil.* 3, 5. Muta signa sunt aquilae, dracones, vexilla, flammulae, tufae, pinnae. *F.*]

[TUFICĀNI, orum, m. plur. incolae Tufici, oppidi in Umbria, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Mur.* 1120, 4. et 5., et in *alia* ap. *Donat.* 350, 1. *Plin.* 3, 14, 19. Trebiates, Tuficani, Tifernates. *F.*]

*TUGIA, ae, f. oppidum Hispaniae Taraconensis, inter Sucronem Baetimque flumina, non longe a Mentesa. *Anton. Itin.* ℙ Hinc

*TUGIENSIS, e, adj. ad Tugiam pertinens. *Plin.* 3, 1. Tugiensis saltus. *B. A.*

TŪGŪRIOLUM, i, n. *καλύβιον*, parvum tugurium. *Appul. Met.* 4. Dormientis anus perfracto tuguriolo. *Arnob.* 6. p. 191. Tuguriola Diis dare, conclavia et cellulas fabricari. *Hieron. ep.* 112. *n.* 5. Tuguriolum parvum.

TŪGŪRIUM, ii, n. *καλύβη*, casa rustica, ex leviore materia excitata, arundine, ulva, carice, filice, junco et hujusmodi, et paleis tecta, aut corticibus fagi, tiliae, abietis, piceae, ut *Plin.* 16, 9, 14. tradit. *Festus:* Tuguria a tecto appellantur domicilia rusticorum sordida. Afranius in Virgine: Sordidum tugurium et turpe. Caecilius in Hypobolimaco: Habitabat in tugurio sine operculo. *Capell.* 3. p. 52. *E* littera vel in *o* reformatur, ut a tegendo toga; vel in *u*, ut a tego tugurium. *Pompon. Dig.* 50, 16, 180. Tugurii appellatione omne aedificium, quod rusticae rei magis custodiendae convenit, quam quod urbanis aedibus, significatur. Ofilius ait, a tecto, tanquam tegularium (alii leg. *tegurium*) esse dictum, ut toga, quod ea teganiur. *Varr. R. R.* 3, 1. Principium, quo agri coli sunt coepti, atque in casis et tuguriis habitabant, nec murus, nec porta quid esset, sciebant. *Colum.* 12, 15. Crates erigantur inter se acclives testudineato tecto, more tuguriorum. *Virg. Ecl.* 1, 69. Pauperis et tugurI congestum caespite culmen. Adde *Cic. Sext.* 43. ℙ [Scribitur etiam *tegurium*. V. *Inscr.* in COLLUSTRIUM, in qua tegurium est aedicula seu parvum templum, quatuor plerumque columnis, vel pilis lapideis suffultum, quod Itali *capitello* vocant. *F.*]

TŪGŪRIUNCŪLUM, i, n. tuguriolum. *Hieron. Vit. Hilar. n.* 9. Tuguriunculum, quod junco et carice texerat.

[TŪISCO, onis, m. numen apud veteres Germanos cultum. *Tac. G.* 2. Germani celebrant carminibus antiquis Tuisconem Deum, terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. *F.*]

TŪĪTIO, onis, f. *διατήρησις*, actus tuendi, custodia. *Cic. Top.* 23. *f.* Natura partes habet duas, tuitionem sui, et ulciscendi jus. *Macr. Sat.* 21, 2. tuitionem sui, et ulciscendi jus. *Ulp. Dig. med.* Si talia vis videri tuitionem pudoris. *Ulp. Dig.* 37, 11, 2. Praetor filium tueri debebit: quae tuitio ei, qui emancipatus est, necessaria est, *h. e.* decretum in favorem filii, quo jus ejus defenditur. *Id. ib.* 7, 4, 1. et *ib.* 9, 9. Parvi refert, utrum jure sit constitutus usufructus, an vero tuitione praetoris. *Impp. Theodos., Valent. et Arcad. Cod.* 1, 46, 1. Nunquam in negotiis privatorum vel tuitio militaris, vel exsecutio tribuatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 348, 1. Inlatis arcae Seviror. ob locum et tuitionem statuae HS. N. IIII., *h. e.* custodiam et conservationem. *Alia*, quae Patavii etiamnum exstat, ap. *Fabr.* p. 485. *n.* 160. Frontem templi vervis et hermis marmoreis pecunia sua ornavit, et tuitioni dedit HS. ↀↀ N. CCXXXXII. *Alia* ap. *Maff. Mus. Ver.* 164, 5 Et in tuitionem HS. CCCIↃↃↃCC.

TŪĪTOR, oris, m. qui tuetur, inspicit, custodit. *Paul. Dig.* 16, 1, 1. Appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: sicuti aeditui, qui aedes tuentur. *Paul.* ex *Festo* in *Aedituus*. Aedituus sacrae aedis tuitor, id est curam agens. Alii leg. *tutor*.

TŪĪTUS. V. in TUEOR.

*TULCIS, fluvius Hispaniae Tarraconensis, Tarraconem praeterlabens. *Mela* 2, 6. *med. B. A.*

*TULINGI, orum, populi Galliae Belgicae. *Caes. B. G.* 1, 5. *B. A.*

TULLIA. V. TULLIUS.

TULLIĀNE, adv. more Tullii. *Diomed.* 1, 198. A nomine proprio ducuntur adverbia, ut a Tullio Tulliane. *August. contra Pel.* 2, 10. *n.* 37. Tulliane jocari.

TULLIĀNUS, a, um, adj. ad Tullium aliquem pertinens. *Cic. Att.* 15, 29. De Tulliano semisse M. Axianum adhibebis; et *ib.* 26. De illo Tulliano capite libere cum Cascelio loquare, *h. e.* sorte et summa pecuniae. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 1. Tullianus Scipio, *h. e.* qui a M. Tullio Cicerone loquens inducitur in somnio Scipionis. ℙ *Tullianum* pars inferior carceris Romae, uti appellatur a *Livio* 34, 44. *extr.*, ubi sontes necabantur. *Sall. Cat.* 58. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paululum escenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta: sed incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis ejus facies est. In eum locum postquam demissus Lentulus, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* et *Fest.* Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quae sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Ser. Tullio rege. Adde *Liv.* 29, 22. *f.* ℙ Etiam extra urbem Romam carcer Tullianum appellatur, nempe in Thessalia ap. *Appul. Met.* 9. Statimque vinctos in Tullianum compingunt.

TULLIOLA, ae, f. dimin. Tulliae. Sic saepe *Cic.* appellat filiam suam, praesertim in *Epist. Famil.*

TULLIUS, ii, m. nomen propr. R. hominis. *Ser. Tullius* fuit sextus rex Romanorum. *M. Tullius Cicero* princeps Romanae eloquentiae. V. CICERO. Fortasse ductum est a *tulliis*, quos, ut ait *Festus*, alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii vehementes projectiones sanguinis arcuatim fluentis. Ennius in Ajace: Misso sanguine tepido, tullii efflantes volant: *θερμαὶ σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν μέρος.* ℙ Adjective *Tullia lex* lata a M. Tullio Cicerone in consulatu, duplex fuit: alia de ambitu, vetans biennio, quo quis petat, gladiatores dare, nisi ex testamento praestituta die: alia de legatione, ne, sicut antea, infinitum tempus ejus esset, sed annuum. V. *Cic. Sext.* 64. et *Vatin.* 15., item *Leg.* 3, 8. ℙ *Tullia*, nomen propr. feminae. Nobilis est filia Ser. Tullii, uxor Tarquinii Superbi, quae per cadaver interfecti patris, in via jacentis, carpentum quo vehebatur, agi jussit, ut *Liv.* 1, 48. narrat. Fuit et filia Ciceronis hoc nomine, quae et *Tulliola* appellata. V. v. praec.

*TULLUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae, in agro Leucorum, ad Mosellam flumen, hodie *Toul* nuncupatum. *Anton. Itin. B. A.*

[TULLUS, i, m. praenomen R. Hinc Tullus Hostilius tertius Romae rex. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 17. Mortuo rege Pompilio, Tullum Hostilium populus regem comitiis curiatis creavit. *Inscr.* ap. *Mur.* 751, 6. Tul. Tullius Tul. F., P. Sertorius P. F. censores. ℙ Etiam cogn. fuit, ut L. Volcatius Tullus Cos. ann. U. C. DCLXXXVIII., memoratus a *Cic. Cat.* 1, 6. et *Sall. Cat.* 18. *F.*]

TŪLO, is, tetuli, latum, a. anom., *φέρω*, antiquum et obsoletum verbum, a veteribus usurpatum, teste *Diomed.* 1, 369. et 376. et *Prisc.* 8, 817. et 10. p. 896. ℙ Praeterito *tetuli* usi sunt *Plaut.*, *Terent.* et alii. V. FERO. Dempta vero reduplicatione transit in supplementum verbi *Fero*.

TUM, *δὲ, μάλιστα δὲ*, conjunctio, quae in oratione plerumque subsequitur conjunctionem *cum*: ejusdem fere significationis, nisi quod *tum* majus quiddam in se contineat, aut specialius. Nam si membra ambo ejusdem sint ponderis, magis utimur *tum* geminato. [*Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 339. p. 294. *Ramsh.* §. 197. p. 897. sqq.] *Cic. N. D.* 1, 1. Cum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sunt, tum perdifficilis et perobscura quaestio est de natura Deorum. *Id. Tusc.* 4, 1. Cum multis locis nostrorum hominum ingenia virtutesque soleo mirari, tum maxime iis in studiis, quae in hanc civitatem e Graecia transtulerunt. V. CUM. ℙ In rebus paribus, ut dixi, *tum* geminatur. *Cic. Verr.* 2, 2, 43. *f.* Tum semper, tum in his ipsis rebus. *Id. Att.* 9, 4. Dissero in utramque partem tum Graece, tum Latine. ℙ Saepe conjungitur cum *autem*, pro *tum etiam*. *Cic. N. D.* 2, 39. *f.* Isque tum fusus, et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur. *Id. Leg.* 1, 5. In ripa inambulantes, tum autem residentes. ℙ Item cum *vero*, etiam sine particula *cum* praecedente, pro *tum etiam*. *Id. Or.* 1, 43. *f.* Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, tum vero justus atque honestus labor honoribus, praemiis, atque splendore decoratur. ℙ Accipitur etiam pro *et*, praesertim si saepius repetatur. *Id. N. D.* 2, 20. Quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur; tum abeunt, tum recedunt; tum antecedunt, tum subsequuntur; tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem. [*V. *Zumpt.* l. supra l.] ℙ Est etiam adverbium, et accipitur pro dein-

de, vel praeterea. *Virg. A.* 6, 249. atri velleris agnam Aeneas matri Eumenidum, magnaeque sorori Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam: Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras. *Ter. Andr.* 1, 5, 33. Laborat e dolore, atque ex hoc misera solicita est; tum autem hoc timet, ne deseras se. *Cels.* 1, 3. *med.* Qui vomuit, ambulare debet, tum ungi, deinde coenare. *Colum.* 4, 24. Secundum plagam posita gemma pruinis et frigore, tum deinde aestu laborat. *Ter. Eun.* 2, 3, 78. Quid tum postea? Sic, Tum praeterea. *Cic. Verr.* 1. *f.* [*Cf. *Ramsh.* §. 198. p. 899. sq.] ℙ Item pro tunc. *Id. Att.* 7, 6. Nisi forte haec illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. ℙ In hac acceptione similiter conjungitur eleganter, cum *vero*, vel *autem*. *Virg. A.* 1, 489. Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo. ℙ Item cum *denique*, vel *demum*. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 10. Tum denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti, aut sapientes homines eas regere coepissent. *Liv.* 2, 20. *f.* Tum demum impulsi Latini, perculsaque inclinavit acies. [*Discrimen inter *tum* et *tunc* *Zumpt. Gr. L.* §. 285. difficile quidem explicatu judicans propter libros veterum scriptorum parum diligenter in hac re editos, illud tamen ad verum proxime accedere perhibet: *tunc*, nostr. *damals*, opp. esse partic. *nunc*; *tum*, nostr. *da*, opp. esse partic. *quum*. *Ramsh.* §. 197. p. 898. *tum*, nostr. *dann*, *da*, esse contrarium partic. *nunc*, certumque aut praeteriti aut futuri temporis punctum designare; *tunc* idem sed majori quadam certitudine ac vi demonstrare. V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 789. et in l. nostro *tunc*. Item quos *Frotsch.* laud. ad *Rut. Lup.* p. 175. b. ℙ *Tunc temporis* ap. *Just.* 31, 2. Civitas Hannibalem, tum temporis consulem, in foro exspectabat. ℙ Confund. saepissime *tum* et *tunc*. V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 12, 15. *Garat.* ad *Cic. Phil.* 7, 5. *in. Cort.* ad *Lucan.* 1, 60. 167. 3, 197. 443. — *Tum* et *cum*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 9. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 161. 2, 89. — Porro conf. *tum-tum* et *cum-tum* *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 124. — *Tum* et *tamen*. *Id. ib.* p. 121. 191. — *Tum* et *totum*. *Id. ib.* p. 388. — *Tum* et *tunc*. *Wunderl. varr. lectt. praef.* 34. 57. — *Tum* et *tuus*. *Id. ib.* p. 23. — Cf. *tu* in *f.*]

TUMBA, ae, f. τίμβος, et τύμβα, (ut est in *Gloss. Phil.*) sepulcrum, tumulus. *Prud.* περὶ στεφ. 11, 9. Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas Marmora.

TŪMĔFĂCĬO, is, feci, factum, a 3. ἐξογκόω, tumidum facio. *Ov. Met.* 15, 304. vis fera ventorum Extentam tumefecit humum.

TŪMĔFACTUS, a, um, part. a *tumefacio*: ὀγκωμένος, inflatus. Translate. *Prop.* 3, 4, 3. Non me laetitia tumefactum fallis inani; et 4, 1, 63. Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris. *Mart.* 4, 11. Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes.

TŪMENS, entis, part. a *tumeo*: οἰδαίνων. *Virg. A.* 2, 273. perque pedes trajectus lora tumentes; et 381. anguem Attolentem iras, et caerula colla tumentem. *Colum.* 11, 2. Gemmae vitis tumentes. *Phaedr.* 2, 7. Sacci multo hordeo tumentes. ℙ Translate. *Tac. H.* 1, 16. Nero longa Caesarum serie tumens. V. alia huc pertinentia in TUMEO. ℙ *Anni tumentes*, prima adolescentia. *Stat. Achill.* 1, 292. Virginitas matura toris, annique tumentes. V. similem locum in TUMESCO.

[TŪMENTĬA, ae, f. tumiditas. *Coel. Aur. Acut.* 1, 10. Capitis tumentia. Adde *ib.* 3, 8. *F.*]

TŪMĔO, es, ui, n. 2. οἰδαίνω, ὀγκόω, turgeo, inflatus, tumidus sum. [*De discrimine inter *tumere* et *turgere* v. *tumidus*.] *Pl. Pers.* 2, 5, 11. Quid hoc in collo tibi tumet? *Sag.* vomica est: pressare parce *Ov. Met.* 3, 72. plenis tumuerunt guttura venis; et 33. Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno. [*Lucr. 4, 1042. Irritata tument loca semine.] *Plin.* 2, 66, 65. In poculis repletis media maxime tument. *Mart.* 11, 56. Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis. *Id. Spect.* 26. Vela tument sinu. *Id.* 13, 58. Aspice, quam tumeat magno jecur ansere majus; et ib. 44. vivo lacte papilla tumet. *Juven.* 3, 293. cujus aceto, Cujus conche tumes? *h. e.* ventrem habes saturum et distentum. *Prop.* 4, 2, 14. Et coma lactenti spicea fruge tumet. *Ov. Fast.* 3, 238. Uvidaque e tenero palmite gemma tumet; et *ib.* 2, 776. unda tumet a vento. *Tibull.* 4, 1, 194. tument freta ventis. *Id.* 1, 9, 72. lumina tument fletu. *Plin.* 15, 14, 15. Pulmonea mala stolide tument. *Sen. Herc. Oet.* 552. Juppiter fronte subita tumuit, *h. e* cornua emisit in taurum versus. *Id. ib.* 775. Euboica tellus vertice immenso tumens, *h. e.* celso monte se attollens. Sic *Claud. de Apono* 12. Conspicuo clivus molliter orbe tumet. ℙ Absolute. *Plin.* 29, 2, 9. Rutam tritam imponunt contusis, tumentibusque. ℙ Translate. *Virg. A.* 6, 48. pectus anhelum Et rabie fera corda tument. *Hor. Ep.* 1, 1, 36. Laudis amore tumes, *h. e.* plenus es, laboras cupidine laudis. ℙ Usurpatur et de tumentibus prae libidine, ὀργάω, σπαργάω. *Tibull.* 1, 9, 36. de puero: Dum tumet, et teneros conserit usque sinus. *Hor. Sat.* 1, 2, 116. tument tibi cum inguina. V. TUMOR. ℙ [*Dicitur etiam de furore bestiarum, quas mansuefactas cruor gustatus in pristinam cupidinem agit. *Lucan.* 4, 2, 41. Admonitaeque tument gustato sanguine fauces.] ℙ Saepe dicitur de iratis, quia in ira bile tumet jecur, ut *Hor. Od.* 1, 13, 4. ait. *Cic. Tusc.* 3, 9. Inflatus et tumens animus in vitio est: sapientis autem animus semper vacat vitio, nunquam turgescit, nunquam tumet: at iratus animus ejusmodi est: nunquam igitur sapiens irascitur. (Illa *nunquam tumet* absunt in MS. *Verburgii*: sed paulo ante *Cic. tumidum ac turgidum* dixerat.) *Liv.* 31, 8. *extr.* et *Sen. Phoen.* 352. Tumet animus ira; et *Troad.* 1096. Leo tollit minas, atque animis tumet. *Val. Fl.* 6, 2. Mars acri corde tumet. *Sen. Thyest.* 267. Nescio quid animus majus et solito amplius, Supraque fines moris humani tumet, *h. e.* plenus irae concipit, et parat. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 8, 57. et prae ceteris *Bentl.* ad *Hor. A. P.* 197.] ℙ *Tumere* etiam dicuntur, qui seditionem bellumve irritati, aut praesentis status pertaesi moliuntur. [**Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 7, 121. ductam metaphoram putat a gemmis arborum, quae tumescunt, cum flores et folia parturiunt. *Burm.*, quem *Ruhnk.* vitup., a mari fluctuoso. At v. *Nostr.* in *tumor*.] *Plin. Pan.* 28. Congiarium quod ante principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis objectabant. *Tac. H.* 3, 32. Nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant. *Claud. B. Get.* 381. hinc animo frustra tumuistis inani. *Cic. Att.* 14, 4. Quotidie aliquid novi suspicor: tument negotia; [*Pertinet huc illud *Herod.* 3, 76. et 127. οἰδεόντων πρηγμάτων.] et *Ov. Her.* 7, 121. Bella tument. ℙ Cum dativo. *Stat. Silv.* 2, 1, 58. Accensum quis bile feret, famulisque tumentem Leniet? *h. e.* irascentem servis. ℙ ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 1, 198. nec nunc mihi jungere montes Mens tumet, aut summo deposcere fulmen Olympo. ℙ Pro superbire, efferri. *Phaedr.* 1, 3. Tumens inani graculus superbia. *Virg. A.* 11, 854. Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem. *Val. Fl.* 3, 677. parta jam laude tumens. *Mart.* 4, 46. Saturnalia divitem Sabellum Fecerunt: merito tumet Sabellus. *Plin.* 37, 1, 13. Tumere gloria. *Just.* 39, 2. successu rerum. Adde *Claud. in Ruf.* 1, 165. et *Juven.* 8, 40. ℙ Refertur et ad inflatum ac turgens dicendi genus. *Auct. dial. de Or.* 18. Nec Ciceroni obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens, nec satis pressus videretur. *Mart.* 4, 49. A nostris procul est omnis vesica libellis: Musa nec insano syrmate nostra tumet, *h. e.* nihil tragicum canit. ℙ [*Conf. *tumere* et *timere* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 204. 354. 5, 431. 8, 371.]

TŪMESCO, is, n. 3. ὀγκόομαι, tumens fio, turgesco, intumesco. *Tac. H.* 2, 77. *f.* Contecta et tumescentia vulnera. *Cic. Prognost. Dig.* 1, 7. et *Virg. G.* 2, 479. et *Ov. Met.* 1, 36. Maria tumescunt. *Id. ib.* 6, 377. inflata colla tumescunt. *Lucan.* 10, 224. de fluvio: ingresso vere tumescit Tabe nivis. *Sen. Herc. Fur.* 936. succo tumescit herba. ℙ Translate est superbire. *Quint.* 1, 2. *med.* Mens aut languescit, aut contra tumescit inani persuasione. *Claud. in Eutr.* 1, 176. alteque tumescunt Serviles animi. *Id. H. cons. Stil.* 61. Lydia Pactoli fonte tumescit. ℙ Item clam moveri, gliscere. *Virg. G.* 1, 463. caecos instare tumultus Saepe monet, fraudemque, et operta tumescere bella. *Vell.* 2, 15. Mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit Italicum. V. TUMEO. ℙ Item irasci. *Ov. Her.* 8, 57. Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt. *Claud. IV. cons. Hon.* 242. rabie succensa tumescit. ℙ *Id. epithal. Pall. et Celer.* 125. matura tumescit Virginitas, *h. e.* tument papillae. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 12. Uteri tumescentes. V. TUMENS, TUMEO, TUMIDUS *f.* et TUMOR.

*TUMEX, icis, f. a *tumendo*, Vibex *Vet. Gloss. B. A.*

TŪMICLĂ, ae, f. syncope pro *tumicula*, h. e. restis, funiculus: diminutivum a *tomix*, quam vocem vide. *Appul. Met.* 8 Illico me tumicula spartea deligatum tradidit Philebo.

TŪMĬDĔ, adv. inflate. *Pl. As.* 3, 3, 115. Ut tumide is! Ita *Meursius.* Alii *ut tu incedis!* *Sen. Suas.* 1. *f.* Ut sententiam adjectione supervacanea, atque tumide perderet. Alii leg. *tumida*. *Id. Contr.* 4, 25. *f.* Tumidissime dixit Murrhedius.

TŪMĬDĬTAS, atis, f. ὄγκος, tumor. *Firm. Math.* 8, 29. *med.* Qui ventris tumiditate correpti hac ex causa moriantur. Adde *Hieron. ep.* 53. *n.* 11.

*TUMĬDO, as. *Gloss. Gr. Lat.* Tumidare, οἰδαίνειν. *B. A.*

TŪMĬDŌSUS, a, um, adj. tumidus, tumens, ut Tumidosi colles, *Ammian.* 21, 10. Alii leg. *tumulosi.*

TŪMĬDŪLUS, a, um, dimin. tumidi, ut Tumidula gingivula, *Appul. Apol.*

TŪMĬDUS, a, um, adj. οἰδαλέος, ὀγκώδης, inflatus, tumens, tumefactus. *Cic. Tusc.* 3, 9. Membrum tumidum ac turgidum vitiose se habet. (*tumidum* medici dicunt praeter naturam inflatum: *turgidum*, cum ex tumore quippiam erumpere paratum est. [*Accuratius hoc discrimen exposuit *Duederl.* 4, 190. sq.] *Id. ib.* Sapientis animus nunquam turgescit, nunquam tumet.) *Hor. Od.* 3, 3, 48. Qua tumidus rigat arva Nilus. *Id. Ep.* 2, 2, 201. agimur tumidis velis aquilone secundo. *Virg. A.* 3, 157. et *ib.* 8, 671. Tumidum mare. *Ov. A.* 1, 9, 13. Tumidi Euri; et *ib.* 2, 14, 15. Tumidus venter. *Id. Met.* 1, 460. Tumidus anguis; et *ib.* 15, 77. Tumidae uvae; et *Am.* 2, 16. *extr.* Tumidi montes; et *Tac. A.* 2, 23. Tumidae terrae Germaniae: *passi montuosi*; [*Recte ita *Noster*. Neque video, qui difficilior explicatu locus esse possit, cujus omnino plana sententia exstet: causas nempe *Tacitus* exhibet, quibus auster validior factus sit, quarum causarum primam posuit montuosos Germaniae tractus: augetur enim venti vehementia, cum per vallium angustias in planitiem emittitur. — Varias hujus loci interpretationes conjecturasque inspici possunt ap. *Rupert.* Quid *Boettich.* in *lex. Tac.* p. 470. sq. sibi velit, haud sane assequor.] et *Colum.* 4, 1. Tumidior terra; et *Cels.* 2, 6. Tumidiores oculi. *Ov. Rem. Am.* 337. Tumidae papillae. *Stat. Th.* 2, 204. Tumida virginitas, *h. e.* papillis tumidis. V. similem locum in TUMESCO. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Jul. Ruf.* p. 263. sq. *ed. Fr.*] ℙ Translate est iratus, quia in ira bile tumet jecur, ut *Hor. Od.* 1, 13, 4. ait. *Id. A. P.* 94. Iratusque Chremes tumido delitigat ore. *Virg. A.* 6, 407. tumida ex ira tum corda residunt. *Stat. Ach.* 1, 155. Insidias et bella moventur. *Just.* 41, 3. *med.* de Parthis: Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia. *Flor.* 4, 12. Tumidae gentium inflataeque cervices. V. similia in TUMEO. ℙ Item superbus, elatus, inflatus. *Lucan.* 5, 233. Tumidis infesta numina. *Ov. Met.* 8, 495. Successu tumidus *Prop.* 2, 19, 15. Tumidus honor, *h. e.* superbos faciens. *Stat. Th.* 2, 162. tumidi solio, et late dominantibus armis. *Hor. Sat.* 2, 5, 98. Crescentem tumidis infla sermonibus utrem; et *Sen. Ben.* 2, 16. Alexander tumidissimum animal. *Sil.* 11, 25. Eridani tumidissimus accola, Celtae. ℙ De inflato dicendi genere. *Liv.* 45, 23. *med.* Non negaverim nostrorum (*Rhodiorum*) tumidiorem sermonem esse. *Plin. ep.* 7, 12. Ut tibi tumidius videretur, quod est sonantius et elatius; et *ep.* 9, 26. Visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam, ut tumida, quae ego sublimia; ut improba, quae ego audentia; ut nimia, quae ego plena arbitrabar. *Quint.* 12, 10. M. Tullium suorum hominum temporum incessere audebant, ut tumidiorem. *Gell.* 7, 14. Plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus; squalentes et jejuni pro gracilibus. ℙ [*Conf. *tumidus* et *timidus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 204.]

TŪMOR, oris, m. οἴδημα, ὄγκος, inflatio, abscessus. *Cic. Tusc.* 4, 37. *extr.* Citius repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur; et *ib.* 3, 9. Num manus affecta recte est, cum in tumore est? *Auct. ad Her.* 2, 27. *f.* Deformatum, tumore praeditum, decoloratum fuisse constat, ergo veneno necatus est. *Prop.* 2, 23, 86. Turpia cum faceret Palladis ora tumor, *h. e.* inflatio buccarum in sonanda tibia. *Mart.* 8, 61. tumor excitat papillas. *Claud. in Ruf.* 1, 72. Tumor pelagi. *Front. de colon.* p. 126, et 127. *Goes.* Tumores terrae, tumuli, colliculi. Sic *Ov. Met.* 15, 305. tumor ille loco permansit, et alti Collis habet speciem. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 101. curvata tumore Parvo planities, et mollibus edita clivis Creverat in collem. *Mart.* 4, 64. Et planus modico tumore vertex Coelo perfruitur sereniore. *Plin.* 20, 25, 96. Folia hypomarathri illinuntur tumoribus ardentibus; et *ib.* 2, 4. Tumores subitos sanare. *Id.* 24, 4, 6. discutere. *Id.* 20, 16, 61. sedare. *Id.* 33, 6, 35. *f.* lenire. *Id.* 22, 85, 69. maturare atque aperire. *Id.* 24, 8, 37. sistere; et 35, 17, 57. cohibere; et 21, 21, 89. tollere. ℙ Item libidinis titillatio. *Auct. Priap.* 83, 42. Et inquietus inguina arrigat tumor. V. TUMEO. ℙ Translate est motus hominum ex ira, aut rerum novarum cupiditate in seditionem aut bellum spectantium: ductum a tumoribus, qui in pus erumpere minantur. [*Cf. *tumeo*.] *Cic. Att.* 14, 5. Ne deserere viderer hunc tumorem. *Claud. in Ruf.* 2, 117. praesens tumor, et civilia nuper classica, etc. ℙ Item quaevis animi perturbatio et aegritudo. *Cic. Tusc.* 3, 12. Cum tumor animi resedisset; et *ib.* 31. *f.* Nos omnia in consolationem unam conjecimus; erat enim in tumore animus; et *ib.* 4, 29. *f.* Vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere. ℙ Et praesertim ira: qua animus velut inflatur. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Ira habet non solidum robur, sed vanum tumorem; et *ib.* 3, 2. *f.* Ira violavit legationes, rupto jure gentium, rabiesque infanda civitatem tulit; nec datum tempus, quo resideret tumor publicus. *Virg. A.* 8, 40. tumor omnis et irae Concessere Deum. Est qui leg. *timor*, sed invitis libr. meliorib. *Pierio* teste. *Sen Thyest.* 519. Ponatur omnis ira, et ex animo tumor Erasus abeat. *Lactant. Ira D.* 18. *med.* Ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio. *Arnob.* 1. p. 15. Nullus tumor indignationis in Diis est. ℙ Item superbia, elatio, arrogantia. *Sen. Hipp.* 136. durus et veri insolens Ad recta flecti regius non vult tumor. *Just.* 11, 11. *f.* Hinc illi aucta insolentia, mirusque animo increvit tumor. *Claud. epist.* 1, 6. Me dolor incautum, me lubrica duxerit aetas, Me tumor impulerit, me devius egerit ardor. *Lucan.* 10, 99. multos tumores Mente gerit famulus Magni cervice revulsa. ℙ De tumido dicendi genere, et vaniloquentia. *Gell.* 2, 23. *f.* Consarcinare verba tragici tumoris. *Quint.* 9, 4. *f.* Affectamus etiam tumorem, qui spondeis atque iambis maxime continetur. *Petr.*

Sat. 1. de declamatoribb.: Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore, et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Alii leg. *verborum tumore. Sen. Ben.* 2, 11. *f.* Quid opus est arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit.

*TUMSA, ae, oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Tab. Peut.* ℙ *Tuniza* est *Ant. Itin. B. A.*

TŪMŪLAMEN, inis, n. tumulus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 634. *n.* 290. Ipse meis quod constitui tumulamina membris.

TŪMŪLĀTUS, a, um, part. a *tumulo: ταφείς*, tumulo conditus. *Ov. Pont.* 1, 6, 49. Inque Tomitana jaceam tumulatus arena. *Mart.* 11, 91. Aeolidon Canace jacet hoc tumulata sepulcro.

TŪMŪLO, as, a. 1. *θάπτω*, sepelio, in tumulo condo. *Catull.* 64, 153. nec injecta tumulabor mortua terra. *Ov. Met.* 15, 716. et quam tumulavit alumnus, *h. e.* Cajeta. *Id. ib.* 8, 710. neu sim tumulandus ab illa.

TŪMŪLOSUS, a, um, adj. *Sall. Jug.* 96. Pervenit in locum tumulosum. V. TUMIDOSUS.

TŪMULTŪĀRIĒ, adv. *ἐκ τοῦ παρανυχόντος*, cum tumultu, festinanter. *Ammian.* 24, 2. *med.* His raptim ac tumultuarie actis. *Spart. Caracall.* 6. Tumultuarie cum Parthorum satrapis manum contulit.

[TŪMULTŪĀRIO, adv. idem ac tumultuarie. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 65. Quod per lyrae cantus et musicam tumultuario convenisset. *F.*]

TŪMULTŪĀRĬUS, a, um, adj. *αὐτοσχέδιος*, in tumultu factus, ut *tumultuarii milites*, qui in tumultu evocabantur, id est in bello Italico, et Gallico. Hi milites fiebant per conjurationem. Nam quia singulos interrogare non vacabat propter praesens periculum; qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, et exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum caeruleum, quo equites, dicebat: *Qui vult salvam rempublicam, me sequatur*, et qui convenissent, simul jurabant. Unde dicebatur ista militia conjuratio. Hinc illud *Virg. A.* 8, 4. simul omne tumultu Conjurat trepido Latium. (Adde *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 157. et V. *Sigon. de ant. jure C. R.* c. 15.) *Liv.* 5, 37. Quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto aegre ad undecimum lapidem occursum est. *Id.* 35, 2. *f.* Mens ea senatui fuit, ut in Hispania tumultuarii milites legerentur. *Gell.* 16, 10. *med.* Proletarii asperis reipubl. temporibus, cum juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur. Adde *Liv.* 35, 23. ℙ Translate sumitur pro omni eo, quod sine praemeditatione, et subito factum est, *παρανυχῶν*, ut Tumultuarium opus, Tumultuaria oratio, etc. Nam in tumultu omnia praepropere administrari publice privatimque solita fuere, cum bellum urgens, et quasi muris imminens solemnes actus non admitteret. *Quint.* 10, 7. *med.* Sed nec tumultuarii, nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam. *Liv.* 6, 29. Locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt. *Id.* 21, 8. Nihil tumŭltuariae pugnae simile erat, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis alterius conseri solent. *Gell.* 11, 7. Homo celebratus in causis, sed repentina et quasi tumultuaria doctrina praeditus. *Id.* 6, 16. Qui tumultuariis et inconditis linguae exercitationibus ad famam se facundiae permiserat. *Sidon. ep.* 2, 10. Tumultuarium carmen inscripsi, *h. e. improvvisato:* etenim *ib. mox:* Quae imaginarie tantum, et quodammodo umbratiliter effingimus.

TŪMULTŪĀTIM, adv. properanter, temere. *Sidon. ep.* 4, 11. Non tumultuatim doctrinae suae opes erogaturus.

TŪMULTŪĀTĬO, onis, f. actus tumultuandi. *Liv.* 38, 2. Haec tumultuatio regem cupientem, si se sequerentur, raptim evadere angustias, revocare primos, et eadem, qua venerat, via referre coegit signa. ℙ Significat etiam militum tumultuariorum conjurationem. *Isid. Or.* 9, 3. *med.* Conjuratio est, quae fit tumultu, quando vicinum urbis periculum singulos jurare non patitur: sed repente colligitur multitudo, et tumultuosa in ira conflatur. Haec tumultuatio dicitur. V. TUMULTUARIUS.

*TUMULTUĀTOR, oris, m. *ὀχλοκόπος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[TŪMULTŪĀTUS, a, um, part. a *tumultuor:* qui tumultuatur. *Petr. Sat.* 79. Non diu tumultuatus stabuli januam effregi. *F.*]

TŪMULTŪO. V. in v. sq.

TŪMULTŪOR, aris, atus sum, dep. 1. *θορυβέομαι*, tumultum cieo, turbas facio, inquietus sum. *Auct. ad Her.* 4, 15. In otio tumultuaris, in tumultu solus es otiosus. *Pl. Poen.* 3, 1, 21. In re populi placida, atque interfectis hostibus, non decet tumultuari. *Suet. Galb.* 9. Tumultuari Gallias comperit. *Cic. Agr.* 2, 37. Ego is consul, qui saepe et siue causa tumultuer. *Id. Coel.* 15. *med.* Quid tumultuaris, soror? quid insanis? *Id. fragm.* ap. *August. contra Acad.* 3, 7. Clamat Zeno, et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud, quam honestatem. *Quint. decl.* 2, 18. Hominis, qui ferro occiditur, tumultuatur exitus, et similis est repugnanti. ℙ Positione activa. *Pl. Rud.* 3, 2, 14. Quid sit, mihi expedi, quid tumultues. *Cic. Off.* 1, 23. Fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejeci. *Just.* 12, 15. Tumultuantes milites, insidiis periisse regem suspicantes. *Suet. Cal.* 55. Equiti R. tumultuanti per centurionem denuntiavit, abiret sine mora, *h. e.* obstrepenti in ludis; et *Plin.* 8, 9, 9. Tumultuantem elephantum catenis coercere. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 25, 21. Cum tumultuatum in castris sciret *Caes. B. G.* 7, 61. Hostibus nuntiatur, in castris Romanorum praeter consuetudinem tumultuari. ℙ Translate. *Quint. proem.* 7. Oratio carens ordine, tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet, nec cohaereat sibi.

TŪMULTŪOSĒ, adv. *θορυβωδῶς*, cum tumultu. *Liv.* 2, 28. Rem consulere ordine non licuit, adeo tumultuose excepta est clamoribus undique, et indignatione patrum; et 29. Senatus tumultuose vocatus, tumultuosius consulitur. *Caes. B. G.* 7, 45. Equitibus imperat, ut paulo tumultuosius omnibus in locis pervagarentur. *Cic. Verr.* 2, 2, 14. *extr.* Ut hominem id aetatis, minime litigosum, quam tumultuosissime adoriantur. *Suet. Cal.* 45. Jubet sibi post prandium quam tumultuosissime, adesse hostem nuntiari. Adde *Afran.* ap. *Charis.* 2, 107.

TŪMULTŪOSUS, a, um, adj. *θορυβώδης*, tumultu plenus, tumultuarius. *Pl. Trin.* 5, 2, 52. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subito foras? *Cic. Fam.* 2, 12. Tumultuosae conciones. *Id. Inv.* 1, 3. *f.* Ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod quietum tradere. *Liv.* 2, 10. Primam periculi procellam, et quod tumultuosissimum pugnae erat, parumper sustinuit; et 24. Latini equites cum tumultuoso advolant nuntio, Volscos infesto exercitu ad urbem oppugnandam venire. *Suet. Ner.* 40. *f.* Coenae tempore interpellatus tumultuosioribus litteris. *Vell.* 2, 74. Caesar Italiam longe, qum speraverat, tumultuosiorem reperit. *Hor. Od.* 3, 1, 26. Tumultuosum mare; et *Cels.* 1, 2. et 8, 4. *med.* Somnus gravior, tumultuosa somnia. ℙ De eo, qui tumultum excitat. *Liv.* 4, 28. In otio tumultuosi, in bello segnes. ℙ Translate. *Quint.* 3, 8. *med.* Saepius subsidit in controversiis impetus dicendi, etc. verum id quoque aequalius erit, non tumultuosius, neque turbidius. ℙ In aliquib. MSS. ap. *Suet.* legitur *tumultosus*, ut *monstrosus*, *montosus*, etc.

TŪMULTUS, us, m. *θόρυβος*, turba, perturbatio, trepidatio, seditio, motus discursantium, trepidantium, strepentium, rumor sive in bello, sive in seditione, sive ob aliam quamlibet causam: a *tumor*, aut *tumeo. Cic. Cat.* 2, 12. Ut Urbi sine vestro motu ac sine ullo tumultu satis esset praesidii. *Id. Dejot.* 7. Vultus hominum te intuentium recordare: numquae trepidatio? numqui tumultus? numquid nisi moderate, nisi quiete? *Liv.* 25, 13. *med.* Per tumultum ac trepidationem omnia agi. *Caes. B. G.* 5, 26. Initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige. *Nep. Att.* 2. Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam. *Virg. G.* 1, 465. caecos instare tumultus. *Id. A.* 2, 122. Ithacus vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medios. *Hor. Sat.* 2, 2, 16. Saeviat, atque novos moveat fortuna tumultus. *Ov. Met.* 5, 5. Inque repentinos convivia versa tumultus. *Sall. Jug.* 57. Formidinem et tumultum facere. *Liv.* 25, 26. Tumultum praebere; et *ib.* 4. *f.* Turbae ac tumultus concitatorem esse. *Cic. Cat.* 3, 3. Tumultum injicere civitati. *Liv.* 36, 19. edere. *Id.* 25, 29. *f.* sedare. *Tac. H.* 4, 16. comprimere. *Lucan.* 1, 297. componere. *Liv.* 25, 23. *extr.* Sine strepitu ac tumultu aliquid facere; et *ib.* 25. *med.* Cum omnia terrore ac tumultu streperent. *Id.* 28, 19. *extr.* Arx etiam inter tumultum capta est. *Sen. Herc. Fur.* 714. Acheron rapitur tumultu ingenti. ℙ De aeris, aut maris tempestate, procella, fragoribus. *Hor. Od.* 1, 16, 11. tremendo Juppiter ipse ruens tumultu; et *ib.* 3, 27, 17. vides, quanto trepidet tumultu Pronus Orion? *Lucan.* 5, 592. pelagi coelique tumultus. *Sen. Herc. Fur.* 1091. Tumultus maris. *Ov. Met.* 3, 308. de Semele: corpus mortale tumultus Non tulit aetherios, *h. e.* Jovem accedentem cum tonitru ac fulminibus. ℙ *Tumultus* dicebatur a Romanis bellum aliquod subitum, quod ob periculi magnitudinem, hostiumque vicinitatem, magnam Urbi trepidationem incutiebat. Proprie autem tumultum dicebant bellum Gallicum, aut Italicum, *Cic. Phil.* 8, 1. Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant, tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor (al. *tumor*) oriatur, unde etiam nomen ductum est tumultus? Itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum tumultum nominabant. Gravius autem esse tumultum, quam bellum hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent. Haec *Cic.* qui *Phil.* 3, 12. Rem, inquit, administrandam arbitror sine ulla mora, et confestim gerendam censeo, tumultum decerni, justitium indici, saga sumi dico oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in Urbe, et in Italia. Hisce verbis *Cicero* omnia tumultus signa expressit, quibus apparet, omnia in tumultu praepropere administrari publice, privatimque solita, cum bellum urgens, et quasi muris imminens solemnes actus non admitteret. *Liv.* 7, 9. Dictator cum tumultus Gallici causa justitium edixisset, omnes juniores sacramento adegit. *Id.* 34, 56. Bojorum gentem ad defectionem spectare. Ob eas res tumultum esse decrevit senatus. ℙ Etiam alibi subitum bellum. seditio repentina *tumultus* dicta. *Liv.* 41, 6. Sedato tandem Istrico tumultu: et *paulo post:* In Sardinia magnum tumultum esse, cognitum est. ℙ Translate de mixtione et conflictu rerum diversarum et contrariarum. *Hor. Sat.* 2, 2, 75. simul assis Miscueris elixa, simul conchylia turdis, Dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tumultum Lenta feret pituita. *Sen.* de *Thyeste*, qui natos suos comederat, *Thyest.* 999. Quis hic tumultus viscera exagitat mea! Quid tremuit intus? *Claud. Laud. Stil.* 1, 162. tam varius vocum generumque tumultus. ℙ De perturbatione animi et mentis ex cogitationibus in diversa trahentibus. *Hor. Od.* 2, 16, 9. Non enim gazae, neque consularis Summovet lictor miseros tumultus Mentis. *Id. Sat.* 2, 3, 208. species veri scelerisque tumultu Permixtae. *Petr. Sat.* 123. pulsata tumultu Pectora, perque duas scinduntur territa causas. *Sen. Herc. Fur.* 1219. Nondum tumultu pectus attonito caret. *Id. Oed.* 328. quid fari queam Inter tumultus mentis attonitae vagos? *Lucan.* 7, 183. gaudet monstris mentisque tumultu. *Claud. in Ruf.* 1, 20. Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum. ℙ *Tumultus sermonis*, cum verba confusa et fracta exprimuntur, nou articulate et distincte, propter linguae impedimentum. *Plin.* 7, 12, 10. Surae proconsulis rictum in loquendo contractionemque linguae, et sermonis tumultum piscator quidam in Sicilia reddidit. ℙ *Tumultus criminum* ap. *Quint. decl.* 1, 4. est confusa coacervatio criminationum. ℙ Ap. *Hor. Ep.* 1, 19, 19. O imitatores, servum pecus! ut mihi saepe Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus! *h. e.* conatus et contentiones assequendi imitando aliorum scripta, simulque nimium ac servilem metum, ne longius abeatis. ℙ Metonymia est in his. *Tibull.* 2, 6, 25. urbique tumultus Portatur validis mille columna jugis, *h. e.* terrorem et tumultum injiciens, ne, vicis intrementibus, aedes ruant. (V. similem loc. ap. *Sen. ep.* 90. *med.* et *Juven.* 3. a *v.* 254.) *Stat. Silv.* 1, 2, 234. Omnis plebejo teritur praetexta tumultu, *h. e.* concursu plebis: ubi autem concursus, ibi tumultus. ℙ In illo *ejusdem Theb.* 6, 588. variasque per artes Instimulant docto languentia membra tumultu: *tumultus* est creber motus et agitatio crurum a meditantibus cursuram facta, instar eorum, qui in tumultu discursant. ℙ Genitivus *tumulti*, ut *senati*, etc. antiquorum est. *Sall. Cat.* 62. Cohortes veteranae, quas tumulti causa conscripserat. Ita legit *Non.* 8, 50. et probat *Cortius:* alii *tumultus. Ter. Andr.* 2, 2, 28. et *Hec.* 3, 2, 21. Nihil ornati, nihil tumulti. *Pl. Cas.* 3, 5, 22. et *Poen.* 1, 1, 79. Quid intus tumulti fuit? Adde *Enn.*, *Turp.*, *Afran.*, *Pomp.*, *Acc.* ap. *Non.* 8, 7. et 50.

TŪMŪLUS, i, m. *λόφος*, colliculus e terra nonnihil eminens: a *tumeo. Fest.* Tumulum Stilo Aelius sic definit: Tumulus est cumulus arenae editus, secundum mare in altum elevatae; unde similiter et manu factus, et naturalis proprie dici potest. [*Doederl.* 2, 122. docet: esse *tumulus* quasi diminutivum a *tumor terrae.*] *Ov. Met.* 4, 240. tumulumque super gravis addit arenae. *Caes. B. G.* 1, 43. Planities erat magna, et in ea tumulus terreus satis grandis. *Cic. Att.* 14, 13. Quaeris utrum magis tumulis prospectuque, an ambulatione *ἀλιτενεῖ* delecter. *Ov. Met.* 15, 397. tumulus sine ullis arduus arboribus. *Cic. Cat.* 2, 11. Tumuli silvestres. ℙ Saepe ponitur pro sepulcro, quia ibi coacervari terra consuevit. *Virg. A.* 3, 321. Priameia virgo Hostilem ad tumulum Trojae sub moenibus altis Jussa mori. *Cic. Arch.* 10. Cum Alexander in Sigaeo ad Achillis tumulum astitisset. *Ov. Met.* 4, 157. Componere tumulo; et *ib.* 14, 176. condere; et *ib.* 8, 236. ponere. *Albinov.* 1, 161. tumulo ponemur in uno. *Tac. A.* 2, 7. Tumulum alicui struere. *Lucan.* 8, 713. raptim parare alicui. *Ov. Met.* 2, 326. tumulo dare corpora. *Virg. Ecl.* 5, 42. Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen. *Ov. Her.* 7, 194. et *Fast.* 3, 547. et *Trist.* 3, 3, 72. Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit. ℙ *Tumulus honorarius*, est cenotaphium, hoc est vacuum sepulcrum, quod in mari submerso, eique, cujus corpus haberi non poterat, erigi solebat. *Suet. Claud.* 1. Ceterum exercitus ei honorarium tumulum excitavit, circa quem, etc. ℙ In neutro genere. *Inscr.* infimae notae ap. *Reines. cl.* 20. *n.* 197. Sibi posterisque suis hoc tumulum fecit.

TUN', tune? V. in TU.

TUNC, adv. *τότε*, tum, eo tempore: cui respon-

det nunc. In MSS. facile *tunc* et *tum* commutantur. [V. in TUM. De discrimine inter *tunc* et *tum ib.* dictum est. — Originem quod attinet, sunt qui doceant, esse *tum*, et *tunc* ortum, eodem quidem modo, quo *nunc* ex *num*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 336. Sed particulae notione, qua certum idque ipsum tempus, id momentum cum vi quadam significat, de quo sermo est, illud videtur ut verius commendari, contractum esse *tunc* ex *tumce*.] *Cic. Phil.* 7, 5. Sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen justa: nunc nulla est. *Nep. Eum.* 3. Macedones milites ea *tunc* erant fama, qua nunc Romani feruntur. *Id. Timoth.* 3. Philippus jam tunc valens multa moliebatur. *Pl. Capt.* 4, 2, 107. Cujus erat tunc nationis, cum hinc abiit? *Id. Merc.* 3, 2, 9. Cum senex sis, tunc in otium te colloces, dum potestur. *Prop.* 1, 1, 23. Tunc ego crediderim vobis, et sidera, et amnes Posse Cytaeaeis ducere carminibus. *Colum. praef.* 1. *f.* Quas ordine suo tunc demum persequar, cum praefatus fuero, etc. *Id.* 9, 15. Si favi transversi inhaerent, tunc scalprato ferramento est opus. *Just.* 36, 4. Hujus testamento heres populus R. tunc instituitur. *Pl. Most.* 3, 2, 54. Tunc tibi chorda tenditur: inde in ferriterium: postea in crucem recta. *Stat. Th.* 5, 81. nam me tunc libera curis Virginitas, annique tegunt: pro *tegebant*, tempus pro tempore. ℙ Additur et genitivus *temporis*. [*V. in *tum* similem usum.] *Just.* 1, 4. De gente obscura tunc temporis Persarum Cambysi (*filiam*) in matrimonium tradit. *Appul. Met.* 11. Quippe quod tunc temporis videre praesentes plurimi. ℙ [*De confusione part. *tunc* et *tum*, quae solemnis fere est in libb. MSS. v. *tum*.]

*TUNDIS, Indiae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

TUNDO, is, tŭtŭdi, tunsum, et tusum, a. 3. *τύπτω*, repetitis ictibus caedo, pulso, verbero, percutio: ab obsoleto *tudo:* unde praeteritum *tutudi*, et *tuditans*. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. *f.* Caedunt acerrime virgis: denique Sestius, converso bacillo, oculos misero tundere vehementissime coepit: et *mox:* Cum jacenti latera tunderentur. *Plin.* 34, 15, 43. Ferrum rubens non est habile tundendo, *h. e.* quod tundatur. *Id.* 19, 1, 3. Linum textum tunditur clavis semper injuria melius. *Colum.* 2, 21. Spicas fustibus tundere. *Claud. Laud. Stil.* 2, 464. pingues nec grandine tundat olivas Scorpios. *Pl. As.* 2, 1, 14. Quid hoc, quod picus ulmum tundit? *Prop.* 3, 15, 35. Dea magna Cybebe Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros. *Hor. A. P.* 430. tundere pede terram, *Id. Epod.* 17, 55. saxa Neptunus alto tundit hibernus salo. *Catull.* 11, 4. litus tunditur unda. *Claud. in Ruf.* 1, 276. carina, geminis quae lassa procellis Tunditur. *Ov. Am.* 1, 6, 54. Huc ades (*Borea*), et surdas flamine tunde fores; et *ib.* 2, 9, 10. Pectoraque infesta tundat aperta manu. *Virg. A.* 6, 598. Vultur rostro jecur tundens. *Tibull.* 1, 5, 44. Et miserum sancto tundere poste caput, *h. e.* caput posti illidere. *Lucr.* 1, 932. Tundier, et crebro pulsarier aeris ictu. *Virg. G.* 3, 382. Gens effrena virum Riphaeo tunditur Euro. ℙ Est etiam pinsere, in pila comminuere, *ῥάσσω*, *πτίσσω*. *Plin.* 13, 22, 43. et 20, 19, 79. Tundere aliquid in pila. *Id.* 19, 5, 29. Tundere aliquid in pollinem. *Id.* 33, 7, 49. in farinam. ℙ Translate est obtundere saepius idem repetendo, et usque ad fastidium audientium: ductum, inquit *Donat.*, a malleo fabrorum, *Ter. Hec.* 1, 2, 48. Tundendo atque odio denique effecit senex. *Prop.* 4, 5, 35. Tundat Amycle, Natalem Majis Idibus esse tuum. *Virg. A.* 4, 447. assiduis hinc atque hinc vocibus heros Tunditur. *Pl. Poen.* 1, 3, 25. Pergin' aures tundere? [*Agit de hoc signif. *Doederl.* 1, 125. sqq. ubi ab hoc verbo *studium* derivandum censet. V. *Studeo.*] ℙ *Eandem incudem tundere*, proverbialis dictio, in idem studium incumbere, in una eademque re assidue laborare. *Cic. Or.* 2, 39. Siquem plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis: uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus. ℙ Dicitur interdum de eo, qui unico ictu percutit. *Ov. Met.* 5, 291. seque jacit vecors e summae culmine turris, Et cadit in vultus, discussique ossibus oris Tundit humum moriens. *Lucr.* 4, 265. lapidem digito cum tundimus, ipsum Tangimus extremum saxi, summumque colorem. ℙ Praeteritum *tutudi* paenultima correpta (quae in *contudit* ab *Ennio* producitur, tanquam a *tudi* disyllabo: ab aliis passim corripitur. V. CONTUNDO.) agnoscitur a *Varr. L. L.* 8, 56., item a *Charis.* 3, 217. et *Prisc.* 10. p. 891. ℙ *Tunsi* pro *tutudi* agnoscitur a *Diomed.* 1, 369. ℙ Etiam *tusi* olim dixere: unde *tusus*. *Naevius* ap. *P. Merulam* in *collect. fragment. Ennii* p. 42. Qui terrai Latiai hemones tuserunt Vires, fraudesque Poenicas, fabor.

TUNES, ētis, f. urbs Africae, in ora maris Mediterr., ampla, cum arce, et portu amplo, caput regni Tunetani, piratica infamis. *Liv.* 30, 9. Occupat relictum fuga oppidum Tuneta. *Id. ib.* 36. Ut Tunetem venirent.

TUNGRI, orum, m. plur. nunc *Tongres*, urbs Eburonum, in Belgio, media inter Trajectum ad Mosam in Or. et Fanum S. Trudonis in Occ. *Plin.* 4, 17, 31. ℙ De fonte aquae calidae, ap. Tungros, nunc *die Bäder zu Spa*. *Id.* 31, 2, 8. Tungri civitas Galliae fontem habet insignem, plurimis bullis stellantem, ferruginei saporis. Purgat hic corpora, tertianas discutit, calculorumque vitia. ℙ In singulari num. *Inscr.* ap. *Grut.* 334, 3. M. Ulpius Felix natione Tunger. *Sil.* 7, 681. Terrificis Maurus prorumpit Tunger in armis. Alii rectius leg. *Terrificus nigris prorumpit Maurus in armis.*

TŪNĪCA, ae, f. *χιτών*, vestis interior, corpori adhaerens, cui toga superinduitur, viris et mulieribus usurpata, olim sine manicis, deinde manicata, et cinctu constricta. De notatione V. *Vossium.* Romani tunica diu caruerunt, sola toga contenti, ut *Gell.* 7, 12. docet. *Ascon. in fin. comment. pro M. Scaur.* Cato praetor judicium, quia aestate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic descenderat, jusque dicebat, idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli aetatis statuae in Capitolio, et in Rostris Camilli fuerunt, togatae sine tunicis. Haec *Ascon.* Non est tamen negandum, antiquissimam fuisse Romae tunicam, cum *Livius* 1, 2. scribat, Numam Saliis tunicae pictae insigne dedisse. Sed hoc non probat, vulgarem omnium tunc ejus fuisse usum, sed Saliorum peculiarem. ℙ Postea substrictam et brevem citra humerum desinentem induere coeperunt, Graece *ἐξωμίδα* dictam: manicas quoque addiderunt delicati homines ad manus usque operiendas: quod probro dedit P. Scipio Africanus P. Sulpicio Gallo ap. *Gell. l. c. Virg.* quoque reprehendit *A.* 9, 616. et *Cic. Cat.* 2, 10. ℙ Plebecula, et turba forensis tunica saepe utebatur sine toga: unde *tunicatum popellum* dixit *Hor. Ep.* 1, 7, 65. ℙ Qui tunicam simul gestabant ac togam, hanc deponebant in exercitationibus, quo expeditiores essent: unde illud *Juven.* 2, 143. tunicati fuscina Gracchi. ℙ Mulierum tunicae laxiores erant et prolixiores, quam virorum; horum vero, quam militum, ut est ap. *Gell. l. c.*, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda. *Quint.* 11, 3. *med.* Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant: nam infra mulierum est, supra centurionum. *Ov. Fast.* 1, 407. Illa super suras tunicam collecta ministrat. *Id. A. Am.* 3, 301. Haec movet arte latus, tunicisque fluentibus auras Excipit. ℙ Duas etiam tunicas gestare, aut etiam plures mos fuit, frigori arcendo. *Suet. Aug.* 82. Ilieme quaternis cum pingui toga tunicis, et subucula, et thorace laneo muniebatur. *Varr.* ap. *Non.* 2, 312. Mihi puero modica una fuit tunica et toga, sine fasciis calciamenta, equus sine ephippio. *Calpurn. Ecl.* 3, 30. ambas Diduxi tunicas, et pectora nuda cecidi. ℙ Cum plures erant, ea proprie *tunica* dicebatur, quae sub toga statim: quae interius, propria interdum nomina habuit, *subucula*, *indusium*, *interula*. *Varr.* ap. *Non.* 14, 36. Posteaquam binas tunicas habere coeperunt, instituerunt vocare subuculam, et indusium. ℙ Saepissime tamen communi nomine *tunica* dicta, quae carni adhaeret, et est Italis *camicia*. *Masur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. *tunicam intimam* dixit: *tunicam* absolute *Ov. Fast.* 2, 171. et 347. et *Am.* 1, 5, 9. et 13. et *ib.* 7, 47. et *ib.* 2, 15, 12. et *ib.* 3, 7, 40. et *ib.* 14, 21. et *Prop.* 2, 2, 66., quibus locis *tunica* indusium est, eaque detracta, membra patent. ℙ Servis verberandis tunica detrahebatur. *Juven.* 6, 475. periit libraria, ponunt Cosmetae tunicas. *Pl. Pers.* 3, 1, 34. Ubi captum est flagrum, dum tunicas ponit, etc. Adde *Petr. fragm. Trag.* 49. *Burm.* ℙ Quae sub toga erat tunica, in viris duplex fuit, recta, et clavata. *Recta* quid sit, V. in RECTA, ae. De *clavata* V. in CLAVUS et CLAVATUS. Ee tunica palmata V. PALMATUS. ℙ De tunica Jovis V. in PALMATUS. ℙ Tunica pallio propior: [nos: *das Hemde ist mir näher als der Rock.*] proverbium, quo significatur, non omnes aeque conjunctos nobis curae esse, sed esse alios aliis cariores: similiter ex rebus nostris quasdam esse, quae magis tangunt, aut pluris interest curare et servare: quia tunica corpus tangit, pallium non item. *Pl. Trin.* 5, 2, 30. Hunc priorem aequum est me habere. Tunica propior pallio est. ℙ *Tunica molesta* est supplicii genus, de qua dictum est in MOLESTUS et SUPERVESTIO, et TAEDA. ℙ Translate est membrana, integumentum, velamentum, cutis cujuspiam rei. *Cels.* 7, 24. Colligendae venae, vinciendaeque, ubi tunicis inhaerebant; et *ib.* 2. Quidquid abscedit, velamento suo includitur: id antiqui tunicam nominabant. *Id.* 4, 1. Renes tunicis superconteguntur. *Id.* 7, 7. *n.* 14. et *Plin.* 11, 37, 54. Tunicae oculorum. *Id.* 22, 22, 46. boletorum. *Juven.* 14, 153. lupini, *h. e.* siliqua, theca. *Quint. decl.* 13, 12. Cum se ruptis jam tunicis in patulum capita (*florum*) fuderunt. *Plin.* 24, 3, 3. Cortex ligni, corticique tunica subjecta. *Id.* 16, 14, 25. de tilia: Inter corticem ac lignum tenues tunicae multiplici membrana; et *ib.* 36, 66. Arundines longis vestiri tunicis, *h. e.* foliis calamum amplectentibus. *Id.* 11, 35, 41. Genus tinearum tunicas suas trahentium, quo cochleae modo. *Lucr.* 4, 56. Cum veteres ponunt tunicas aestate cicadae. *Virg. G.* 2, 74. se medio trudunt de cortice gemmae, Et tenues rumpunt tunicas. *Catull.* 95, 7. At Volusi annales laxas scombris saepe dabunt tunicas.

TŪNĪCĀTUS, a, um, adj. *χιτωνοφόρος*, qui sola indutus est tunica, hoc est, qui nullam tunicae superinduit togam: cui opponitur *togatus:* quales fuere pauperiores apud Romanos, praesertim turba forensis, denique etiam divites, cum sese exercebant. *Cic. Coel.* 5. Ut exercitatione ludoque, campestri tunicati uteremur. *Hor. Ep.* 1, 7, 65. Vilia vendentem tunicato scruta popello. ℙ Metaleptice sumitur pro indocto, imerito. Sic *Auct. dial. de Or.* 7. vulgus imperitum appellat populum tunicatum. ℙ Translate *tunicatum caepe* dixit *Pers.* 4, 3. h. e. multa involucra velut tunicas habens. ℙ *Tunicata quies* est quae habetur ruri, ubi, togis depositis, tunicati homines liberius vivunt. *Mart.* 10, 51. O soles, o tunicata quies!

*TUNICENSE OPPIDUM in Africa Propria fuit. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

TŪNĪCO, as, a. 1. *χιτωνίζω*, tunica aliquem induo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 873. Haec lanigeras detonderi docuit, tunicareque homulum.

TŪNĪCOPALLĬUM. V. in PALLA.

TŪNĪCŬLA, ae, f. *χιτώνιον*, parva tunica. *Varr.* ap. *Non.* 3, 247. Ut venalem tuniculam poneret quotidie. *Turpil.* ap. *eund.* 14, 8. Epistola excidit mihi, inter tuniculam ac strophium quam collocaveram. *Pl. Rud.* 2, 6, 65. Redactus sum usque ad hanc unam tuniculam, et ad hoc misellum pallium. ℙ Parvum integumentum, folliculus, membranula. *Fest.* in *Gluma*. Gluma hordei tunicula. *Plin.* 26, 12, 76. et 29, 6, 38. Tuniculae oculorum. *Id.* 30, 10, 27. Tunicula stellionis, quam eodem modo, ut anguis, exsuit.

*TUNNUM, i, n. Britanniae oppidum. *Not. Imper.* (ap. *Cellar.*) *B. A.*

TUNSUS, a, um, part. a *tundo: τοφθείς*, repetitis ictibus caesus, percussus, contusus. *Virg. G.* 4, 302, Tusa per integram solvuntur viscera pellem; et *ib.* 3, 133. Cum graviter tunsis gemit area frugibus. *Id. A.* 11, 37. Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt Pectoribus; et *ib.* 1, 485. Suppliciter tristes, et tunsae pectora palmis Iliades. *Appul. Met.* 7. *f.* Tunsis ac diverberatis vehementer uberibus. ℙ Item tundendo comminutus, pinsitus, *πεπαγμένος*. *Virg. G.* 4, 267. tunsum gallae admiscere saporem. *Colum.* 6, 8. Tunsum allium; et 9, 13. *med.* Grana mali Punici tunsa. *Id.* 6, 7. Cupressi quindecim coni, totidemque gallae, et utrorumque ponderis vetustissimus caseus: quibus in unum tunsis admiscentur vini quatuor sextarii. *Appul. Met.* 4. Hordeum tunsum minutatim.

TŪOR, eris, dep. 3. V. TUEOR.

TŪOR, oris, m. visus. *Appul. de Deo Socrat.* Fila tenuia usque adeo, ut radios omnes nostri tuoris raritate transmittant.

TURĀCŬLUM, quod legitur ap. *Varr. L. L.* 4, 8. *f.*, monet *Scal.* legendum esse *auguraculum.*

[TŪRĀLIS, e, adj. idem ac turarius. *Serv.* ad *Virg. A.* 5, 745. Acerra, id est, arca turalis, id quod continet, pro eo quod continetur. *F.*]

TŪRĀRIUS et Thurarius, a, um, adj. ad tus pertinens. *Turarius, ii*, qui tura tractat, et vendit. *Firm. Math.* 8, 25. *f.* Turarios faciet, vel pigmentarios, seu pharmacopolas. *Tert. Idol.* 11. Nisi si quis et de turario dissimulabit. *Inscr.* ap. *Mur.* 952, 6. L. Faenio L. ℈. L. Favori thurario. ℙ *Tibiae turariae*, quae et *Lydiae*, quibus canebant in sacris, dum tus adoleretur, memorantur a *Sol.* 5. *med.* et fuisse putat *Salmas.*, quas *Plin.* 16, 36, 66. *f.* appellat tibias sacrificas Tuscorum, e buxo factas; et quas designat *Virg. G.* 2, 193. Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras. ℙ *Vicus Turarius* fuit Romae in regione Urbis VIII, ut est ap. *Sex. Rufum*, et *P. Victor. de Regionib. Urb. R.* Meminit etiam *Cic. Verr.* 2, 1, 59., ubi *Ascon.* tradit, in eo fuisse signum Vertumni. Quod autem hoc signum ponunt alii in vico Tusco, inde quidam putant, Tuscum et Turarium vicum eundem esse, vel saltem Vertumni signum fuisse in extremo Turario, eo loci, ubi Tuscum tangebat: quod ex eo etiam veri fit simile, quia *Ascon.* Vertumnum in extremo Turario locat. Sunt etiam, qui perperam cum Jugario confundunt, [quem oppositum Tusco, seu Turario fuisse, in altero nempe latere basilicae Juliae, prohavit *Nibbius del Foro R.* p. 95. *F.*] ℙ De scriptione V. in THUS.

TURBA, ae, f. *τύρβη*, tumultus, seditio, motus et trepidatio plurium, perturbatio multitudinis, ut *rixa* duorum: a Graeca voce allata, quae Attice pro *σύρβη*, tumultus. Alii volunt esse per syncop. a *θόρυβος* idem significante. *Ulp. Dig.* 47, 8, 4. Praetor ait: Cujus dolo malo in turba damnum factum esse dicetur, etc. Turbam ex quo numero admittimus? Si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in turba id factum, quia duo turba non proprie dicuntur. Enimvero si perplures fuerint: decem puta, aut quindecim homines, turba dicetur: quid ergo, si tres aut quatuor? turba utique non erit: et rectissime Labeo inter turbam et rixam multum interesse ait: nam turbam multitudinis hominum esse turbationem et coetus, at

rixam duorum. Hactenus *Ulpianus*. *Cic. Fam.* 6, 6. *f.* Quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viveremus. *Id. Rosc. Am.* 32. *med.* Verum, ut fit, multa saepe, imprudentibus imperatoribus, vis belli ac turba olitur. *Caes. B. C.* 2, 35. Fugientium multitudine ac turba portae castrorum occupantur. *Sall. Cat.* 38. Semper in civitate quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt, turba atque seditionibus sine cura aluntur. *Quint.* 2, 16. Seditiones turbaeque populares excitantur. *Tac. H.* 4, 1. *f.* In turbas et discordias pessimo cuique plurima vis. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. *f.* Maximas in istius castris effecisse turbas dicitur. *Sall. or. Macri Licin. ad pleb. med.* Turbas concitare. ℙ Dicitur etiam de perturbatione, quae a paucis fit. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Ecce autem nova turba atque rixa. *Ter. Eun.* 4, 3, 11. Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit! et 4, 4. *f.* Jam tum inceperat turba inter eos. *Id. Heaut.* 5, 2, 17. Quantas turbas concivi insciens! *Id. Eun.* 4, 1, 2. Timeo, nequam ille hodie turbam faciat, aut vim Thaidi. *Id. Heaut.* 1, 2, 16. Propter eam haec turba atque abitio evenit. *Pl. Aul.* 2, 9. *extr.* Fugiam intro, ne quid hic turbae fiat. *Acc.* ap. *Non.* 12, 26. Non vides, quantam turbam, quantosve fluctus concites? Adde *Caecil. ib.* ℙ De duobus tantum. *Ov. Fast.* 2, 715. Oscula quisque suae matri properata tulerunt, Non intellecto credula turba Deo, *h. e.* Titus et Aruns filii Tarquinii Superbi. ℙ Metonymice accipitur pro incondita multitudine hominum, ὄχλος. *Cic. Verr.* 1, 7. Videt ad ipsum Fornicem Fabianum in turba Verrem. *Nep. Dat.* 6. Si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum. *Just.* 11, 13. *f.* Dario majorem turbam hominum esse, sibi virorum. *Juven.* 6, 195. *Ζωὴ καὶ ψυχὴ* modo sub lodice relictis Uteris in turba. *Quint.* 1, 2. Turbam hominum fugere. *Cic. Sen.* 23. *med.* Cum ex hac turba et colluvione discedam. *Ov. A. Am.* 2, 210. Ipse face in turba, qua venit illa, locum. *Manil.* 2, 136. nec in turbam, nec turbae carmina dicam, *h. e.* imperitae multitudine. *Propert.* 3, 1, 12. Turba scriptorum; et *ib.* 48. puellarum. *Sen. V. B.* 2. Argumentum pessimi turba est, *h. e.* quod vulgus et plures sequuntur. ℙ Item pro multitudine, copia confusa quarumcumque rerum. *Cic. N. D.* 1, 15. Chrysippus magnam turbam congregat ignotorum Deorum. *Id. Brut.* 97. Ut te eripias ex turba patronorum; et 32. Qui istam turbam voluminum effecerit. *Lucr.* 2, 919. praeter vulgum turbamque animantum. *Sil.* 7, 129. turba luporum. *Cic. Or.* 2, 77. *f.* Ea quae excellunt, serventur ad perorandum: si quae erunt mediocria, in mediam turbam atque in gregem conjiciantur. *Ov. Pont.* 4, 5, 27. Cum tamen a turba rerum requieverit harum. *Id. ib.* 7, 35. Nec te missa super jaculorum turba moratur. *Id. Met.* 6, 219. ubi turba rotarum, Duraque mollierant subjectas ungula glebas; et *ib.* 4, 722. aper quem turba canum circumsona terret; et *ib.* 10, 144. volucrum; et 106. arborum. *Quint.* 8, 2. *med.* inanium verborum. *Plin. ep.* 9, 25. castrensium negotiorum. *Nemes. Ecl.* 4, 28. squamea. *Lucan.* 9, 405. malorum; et 608. serpentum. *Plin.* 11, 37, 61. Dentes multis piscium in lingua et toto ore, ut turba vulnerum molliant, quae attritu subigere non queunt. *Quint. decl.* 9, 11. *extr.* Ut reum, quem premere attrocitas criminum non potest, turba confundat. *Just.* 32, 2. Turba querelarum confusus adolescens, repente obticuit. ℙ Ap. *Liv.* 33, 41. est hoc nomine oppidum in Hispania citeriore. ℙ *Item Aquitaniae oppidum. *Not. civit. Gall. B. A.* ℙ [*Confund. *turba* et *turma*. V. *Gronov. observv. in eccles.* p. 679. *ed. Fr.*]

TURBAMENTUM, i, n. *ταράχος*, idem ac turbatio. *Sall. or. Lepidi ad populum R. f.* Maxima turbamenta reipubl. atque exitia probate. *Tac. H.* 1, 23. Quaeque alia turbamenta vulgi.

TURBASSO. V. in TURBO, as.

TURBĀTE, adv., *ταραγμένως*, confuse, turbulente. *Caes. B. C.* 1, 5. Aguntur omnia raptim atque turbate.

TURBĀTĬO, onis, f. *ταραχή*, confusio, perturbatio. *Liv.* 24, 28. In hac turbatione rerum in concionem vocari placuit. *Flor.* 4, 6. Divitiarum spes ex turbatione reipublicae. *Gell.* 19, 1. Turbatio coloris et vultus. *Appul. Met.* 9. Raptim tunicam injectus, sed plane prae turbatione pedibus intectis, procurrit cubiculo.

TURBĀTOR, oris, m. *ταραχῆς*, qui turbat. *Liv.* 4, 2. Jam ad consulatum vulgi turbatores accingi; et *ib.* 48. Turbatores vulgi tribuni plebis. *Sen. Controv.* 3, 17. *f.* Turbator otii. *Tac. A.* 1, 55. Arminius turbator Germaniae. [*Cf. *cp.* 30. et 3, 27.]

TURBATRIX, icis, f. perturbatrix. *Stat. Th.* 4, 369. Accumulat crebros turbatrix fama pavores. *Prud. Psych.* 668. Tempestas placidae turbatrix invida pacis.

TURBĀTUS, a, um, part. a *turbo*: *ταραχθείς, ταραχτὸς*, perturbatus, commotus, confusus. *Petr. Sat.* 131. Turbatum sputo pulverem medio sustulit digito. *Hor. Sat.* 1, 1, 60. limo turbatam haurit aquam. *Suet. Tib.* 69. Turbatiore coelo nunquam non coronam lauream capite gestavit. *Virg. G.* 3, 259. abruptis turbata procellis freta. *Suet. Cal.* 23. *med.* Turbatius mare ingressus. *Ov. Met.* 8, 859. Turbati capilli; et *Suet. Caes.* 40. Fastos turbatos correxit. *Liv.* 3, 70. Priusquam hostis turbatos ordines reficeret. *Suet. Ner.* 19. Turbatus religione simul ac periculo. *Caes. B. C.* 2, 12. Hostes turris ruina commoti, inopinato malo turbati. *Sil.* 2, 529. Turbatus ira; et 642. malis. *Sall. or. Philippi contr. Lepid.* Omnia seditionibus turbata. *Liv.* 7, 26. Oculis simul ac mente turbatus. *Stat. Th.* 9, 570. Tristibus interea somnum turbata figuris. *Petr. Sat.* 106. Turbato vehementius vultu proclamat. *Cic. Planc.* 4. *extr.* Populi voluntates turbatas placare. *Just.* 18, 2. *f.* Turbata cum Romanis pax. *Plin. ep.* 8, 14. *med.* Omnia soluta, turbata, atque etiam in contrarium versa; et *ep.* 9, 5. *extr.* Quae si confusa, turbata, permixta sunt, etc. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 14, 677. de Archimede: meditantem in pulvere formas, Nec turbatum animi, tanta feriente ruina.

TURBELLAE, arum, f. plur. turbatio, turbae, confusio. *Pl. Bacch.* 4, 9, 134. Tantas turbellas facio. *Id. Ps.* 1, 1, 107. Scis tu, mea si commovi sacra, quo pacto, et quantas soleam turbellas dare. *Appul. de Deo Socrat.* Quae omnes turbellae tempestatesque procul a Deorum coelestium tranquillitate exsulant. ℙ Sunt qui unico *l* scribunt *turbelae*, sed improbat *Voss.* in *Etym.*, non enim, inquit, simile est illis *suadela*, aut *loquela*, sed his *popellus*, *tenellus*, *umbella*, etc.

TURBEN, inis, n. idem ac *turbo*, *inis*, quidam leg. ap. *Virg. A.* 7, 378. et *Tibull.* 1, 5, 3., secuti auctoritatem quorundam ap. *Charis.* 1, 118.; sed praeterquam quod omnes fere libri *turbo* praeferunt, ipse *Charis. ib.* p. 48. stulte facere ait, qui *turben* dicunt. Fallitur etiam *Servius*, qui *ad Virg. l. c.* etiam *Catull.* dixisse *turben* affirmat. Ipse tamen *turbo* (V. *Catull. l. c.* in TURBO, inis.) retinet: neque aliter sane dici debet.

TURBĬDĀTUS, a, um, part. a *turbido*: turbidus. *Capell.* 2. p. 40. Aer ex calore supero, madoreque infero turbidatus.

TURBĬDĒ, adv. *θολερῶς*, confuse, turbulente. *Cic. Tusc.* 4, 10. Intelligatur igitur, perturbationem, jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in motu esse semper. *Tac. A.* 3, 12. Turbide et seditiose tractare exercitus. *Gell.* 5, 9. *f.* Oris vinculo solutus, per omne inde vitae tempus non turbide, neque adhaese locutus est. *Nazar. Pan. Constant.* 33. *med.* Vota hominum metu interclusa, turbide aliquid egerunt, cum cumulata eruperunt.

TURBĬDO, as, a. 1. conturbo. *Solin.* 49. *f.* Cameli proculcatione limum excitant, ut (*aqua*) turbidetur. *Sidon. ep.* 6, 2. Animae serenitatem saecularium versutiarum flatibus turbidare. *Capell.* 1. p. 18. Haec laetitia commutationum assiduarum nubilo crebrius turbidabatur.

TURBĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. turbidi, aliquantum turbidus. *Prud. Apoth.* 276. Turbiduli sensus, et litigiosa fragosis Argumenta modis.

TURBĬDUS, a, um, adj. *θολερός*, turbatus, impurus, sordidus. *Cic. Tusc.* 5, 34. Cum aquam turbidam, et cadaveribus inquinatam bibisset. *Virg. G.* 2, 137. auro turbidus Hermus, *h. e.* arenas aureas trahens. *Id. A.* 6, 296. Acheron coeno turbidus; et *ib.* 11, 876. Volvitur ad muros caligine turbidus atra Pulvis; et *ib.* 4, 245. Turbida nubila; et *ib.* 12, 283. tempestas; et *ib.* 685. turbidus imber. *Plin. ep.* 8, 17. Immite et turbidum coelum. *Cic. Inv.* 1, 3. *f.* Ex turbida tempestate in portum se tradere. *Sen. Hipp.* 790. Lumen turbidum lunae. *Lucr.* 5, 998. turbida ponti aequora. *Ov. Her.* 18, 7. freta ventis turbida. *Hor. Od.* 3, 3, 4. Auster Dux inquieti turbidus Adriae. *Plin.* 11, 10, 10. Turbidi dies. *Ov. Her.* 10, 16. coma turbida a somno. ℙ Translate est turbarum plenus, confusus, tumultuosus. *Nep. Pel.* 4. Hoc tam turbido tempore Epaminondas domi quietus fuit. *Quint.* 1, 10. *med.* Haec ei cura inter turbidissimas actiones vel terrenti optimates, vel ja timenti fuit. *Cic. Fam.* 6, 14. *f.* Fac animo magno fortique sis, et, si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora laete feras. *Id. Tusc.* 1, 33. Mens, quae omni turbido motu semper vacet. *Ov. Trist.* 1, 11, 34. Pectora sunt ipso turbidiora mari. *Cic. Phil.* 2, 16. In turbidis rebus. *Tac. A.* 16, 13. Turbidis casibus. [*Ita maxime hoc verbum frequent. Tacito. Exempla v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 472.] ℙ Absolute. *Liv.* 3, 40. In turbido minus perspicuum fore putant, quid agatur. *Tac. H.* 1, 21. Cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium. *Sen. ep.* 3. *f.* Quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido esse, quidquid in luce est. ℙ Cum genitivo. *Tac. H.* 4, 48. C. Caesar turbidus animi. ℙ Refertur et ad orationem. *Quint.* 3, 8. *med.* Verum id quoque aequalius erit, non tumultuosius atque turbidius. ℙ Saepe est commotus aliquo affectu, et praesertim ira, quae maxime omnium perturbat. *Stat. Silv.* 3, 5, 14. quem (*Ganymeden*) turbida semper Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat. (Similis est locus *Mart.* 9, 26.) *Virg. A.* 11, 742. et Venulo adversum se turbidus infert. Sic *ib.* 9, 57. huc turbidus atque huc Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit. (eod. modo *Stat. Th.* 7, 669. et *ib.* 8, 539. locutus est.) *Stat. Silv.* 3, 1, 39. turbidus ira. *Sil.* 12, 417. turbidus irae. *Id.* 13, 214. turbidus ausi, *h. e.* temerarius, inconsultus. *Ov. A. Am.* 3, 245. Dictus eram cuidam subito venisse puellae: Turbida perversas induit illa comas; et *Virg. A.* 10, 648. atque animo spem turbidus hausit inanem, *h. e.* arrogantia elatus, tumens. *Id. ib.* 11, 814. ex oculis se turbidus abstulit Aruns, *h. e.* timore perculsus. ℙ Item qui turbas molitur, tumultuosus, seditiosus. *Tac. A.* 1, 38. Reduxit in hiberna turbidos, et nihil ausos. *Id. H.* 3, 49. Eo suffragio turbidissimus quisque delecti. *Id. A.* 14, 59. Turbidum ingenium. *Id. H.* 4, 11. Civitas adhuc turbida, et novis sermonibus laeta; et 39. *extr.* Sic egesto quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque, et munia magistratuum. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 472.] ℙ Turbida acies, ap. *Sen. Herc. Fur.* 954. et turbida frons, ap. *eund. Hipp.* 432. turbati animi indicia sunt. ℙ *Turbidum*, turbide, adverbii more. *Hor. Od.* 2, 2, 5. recenti mens trepidat metu, Plenoque Bacchi pectore turbidum Laetatur.

TURBINĀTĬO, onis, f. *στρόμβωσις*, conformatio in turbinem. *Plin.* 15, 21, 23. Aliis rotunditas mali, aliis turbinatio piri, aliis ovata species.

TURBINĀTUS, a, um, adj. *κωνοειδής*, in figuram turbinis desinens. *Plin.* 11, 37, 69. Cor homini infra laevam papillam turbinato mucrone in priora eminens. *Id.* 37, 4, 15. Adamas laterum sexangulo laevore turbinatus in mucronem. *Id.* 15, 15, 17. Turbinatior piris figura. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 80. et *Mur.* 475, 2. Turbinato lapide viam sternere.

TURBĪNĔUS, a, um, adj. in modum turbinis. *Ov. Met.* 8, 556. Corpora turbineo juvenilia vortice mersit, *h. e.* aquis in modum turbinis praecipiti cursu inundantibus: de torrente enim loquitur.

TURBO, as, avi, atum, a. 1. *ταράττω, τυρβάζω*, misceo, confundo, perturbo: a *turba*. *Cic. Har. resp.* 22. Miscere, ac turbare. *Id. Cluent.* 49. *extr.* Mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari. *Sen. Hipp.* 827. Turbare decus capitis; et *Herc. Fur.* 931. tempestas fretum Violenta turbat. *Liv.* 30, 18. Hastati elephantos peditum aciem turbantes invadunt. *Id.* 3, 70. Permissus equitatus turbaverat ordines. *Id.* 32, 36. Spem pacis turbare. *Plin.* 23, 1, 6. Uvae recentes alvum turbant. *Id.* 24, 10, 47. Hedera mentem turbat. *Val. Fl.* 7, 132. et tanto turbetur Graecia luctu. ℙ Item proturbo, sterno, occido. *Stat. Th.* 9, 745. Prima Tanagraeum turbavit arundo Choraebum. [*Tac. A. 12, 55. missi e Syria in subsidium equites — turbantur, quod duri circum loci — equestre proelium haud patiebantur. *Boettich.* qui h. l. in *Lex. Tac.* p. 471. laudat, conferendum censet *Liv.* 38, 13, 12. Tum quoque equites, in agmen Romanum eruptione facta, haud modice primo impetu turbavere, ibique *Drak.* Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 88. et *Burm.* ad *Val. Fl.* 4, 293.] ℙ Absolute, vel cum casu communi est turbas excitare, tumultuari, seditionem, discordiam moliri. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. *extr.* Simul, nequid ille turbet, vide. *Pl. Bacch.* 5, 1, 5. Magis quam id reputo, tam magis uror, quae meus filius turbavit. *Id. Cas.* 5, 2, 6. Ita ridicula auditu, iteratu ea sunt, quae ego intus turbavi. *Ter. Hec.* 4, 4, 12. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint. *Varr. R. R.* 3, 17. Cum mare turbaret. *Virg. A.* 6, 801. Et septemgemini turbant trepida ostia Nili, *h. e.* Aegyptus turbatur. *Lucr.* 2, 125. Corpora, quae in solis radiis turbare videntur. *Tac. A.* 3, 47. Si una alterave civitas turbet; et *ib.* 4, 1. Nonus Tiberio annus erat compositae reipublicae, cum repente turbare Fortuna coepit. *Id. H.* 1, 85. Milites nihil in commune turbantes. ℙ *Turbare turbas* hoc sensu dixit *Pl. Bacch.* 4, 10, 1. ℙ [**Turbare sacra, festa, thiasos, deum sedes* est profanare, ut expl. *Gron.* in *Observv.* p. 69. *ed. Fr.* exemplis praeter alia laudatis istis: *Ov. Met.* 4, 32. solae Minyeides intus Intempestiva turbantes festa Minerva. *Quint. Decl.* 265. publica sacra turbare.] ℙ Passive. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. Ad te ne haec quidem scribo, quae palam in republica turbantur. ℙ Impersonaliter. *Ter. Eun.* 4, 3, 7. Nescio quid profecto, absente nobis, turbatum est domi. *Cic. Sull.* 20. Quo facilius Romae ea, quae conabatur, efficeret, si in Hispania turbatum esset. *Virg. Ecl.* 1, 12. totis Usque adeo turbatur agris. ℙ *Turbare rationes*, et *turbare* absolute est rem familiarem ita exhaurire, ut sumptibus ferendis et aeri alieno dissolvendo non sufficiat, decoquere, conturbare. V. CONTURBO. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. *extr.* Rationem sibi commissam turbare. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. M. Servilius postquam, ut coeperat, omnibus in rebus turbarat, nec quod non venderet, cuiquam reliquerat. [*V. *Manut.* ad h. l.] *Petr. Sat.* 119. greges servorum, ostrumque renidens, Quae turbant censum. Adde *Juven.* 14, 94. ℙ *Turbasso* antique pro *turbavero*, ut *levasso*, *imperasso*, *rogasso*, etc. *Cic. Leg.* 3, 4. Qui turbassit in agendo, fraus actoris esto. Alii leg. *turbassitur*. [*Ap. *Orell.* locus ita se habet: *Ast si quid turbassitur in agendo*, etc.]

TURBO, inis, m. *λαῖλαψ, τυφών*, ventus vortico

sus et validissimus, qui obvia quaeque prosternit. *Sen. Q. N.* 5, 13. Ventus circumactus, et eundem ambiens locum, et se ipsa vertigine concitans, turbo est. Qui si pugnacior est, ac diutius volutatur, inflammatur, et efficit, quem πρηστῆρα Graeci vocant. Hic est igneus turbo; et *ib.* 7, 5. Turbo circa terram concipitur ac fertur. Ideoque arbusta radicitus vellit, et quacumque incubuit, solum nudat: silvas interim et tecta corripiens, inferior fere nubibus, utique nunquam altior; et *mox:* Turbo omni nube velocior rapitur, et in orbem vertitur. Eadem fere *Plin.* 2, 48, 50. habet *Cic. Fam.* 12, 25. Ut Minerva, quam turbo dejecerat, restitueretur. *Pl. Curc.* 5, 2, 47. Exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt. *Virg. A.* 2, 416. Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt; et *ib.* 1, 87. venti ruunt, et terras turbine perflant. *Sen. Ag.* 478. turbo convolvit mare. *Lucan.* 4, 767. Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis; et *Val. Fl.* 4, 452. niger intorto turbine nimbus. *Catull.* 64, 107. Indomitus turbo contorquens flamine robur. *Id.* 68, 63. in nigro jactati turbine nautae. *Lucr.* 1, 273. venti rapido percurrunt turbine campos; et 293. venti interdum vortice torto (*res*) Corripiunt, rapidique rotanti turbine torquent. *Lucan.* 5, 594. Avulsit laceros, percussa puppe, rudentes Turbo rapax. *Virg. A.* 10, 603. torrentis aquae, vel turbinis atri More furens. *Sen. Troad.* 230. turbinis vasti modo. *Lucan.* 5, 611. Violentus turbo. *Virg. A.* 6, 592. At pater omnipotens densa inter nubila telum Contorsit, praecipitemque immani turbine adegit, *h. e.* vi et impetu fulminis ruentis instar turbinis. *Id. ib.* 3, 572. Aetna atram prorumpit ad aethera nubem Turbine fumantem piceo, et candente favilla. ℙ Clemens turbo *Val. Fl.* 6, 747. est placidus et sine impetu rapiens. ℙ Translate. *Or. Am.* 2, 9, 28. Nescio quo miserae turbine mentis agor. *Cic. Dom.* 53. *med.* Tu procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii. *Id. Pis.* 9. *med.* In maximis turbinibus ac fluctibus reipublicae navem gubernare, salvamque in portu collocare. *Catull.* 64, 149. ego te in medio versantem turbine leti Eripui. *Sil.* 11, 101. O confuse nimis Gradivi turbine Varro, *h. e.* Marte adverso, et pugna infelici, quae velut turbo cuncta disjicit. *Ov. Met.* 7, 614. Attonitus tanto miserarum turbine rerum, *h. e.* tanta turbatione rerum ex pestilentia. Sic *Sen. Agam.* 196. horum te mala Ventura moveant, turbo queis rerum imminet. *Lucan.* 2, 243. Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo Excutiet Fortuna tibi. ℙ Turbo vulgi *Claud. II. cons. Stil.* 200. est multitudo. ℙ Cujusque rei cursus in gyrum, revolutio, circumactio. *Lucr.* 5, 623. cum coeli turbine ferri: et 631. de luna: flaccidiore turbine fertur Inferior, quam sol. *Id.* 6, 640. per fauces montis ut Aetnae Exspirent ignes interdum turbine tanto. *Sen. Hipp.* 1236. incitatis membra turbinibus ferat Nusquam resistens orbe revoluto rota. (Adde *Herc. Oed.* 945. et 1069.) *Virg. A.* 12, 531. Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi Excutit. *Claud. Laud. Stil.* 1, 287. Aegaeus turbo, *h. e.* mare procellosum, et ventis circumactum. *Stat. Th.* 4, 813. hos turbo rapax, hos lubrica fallunt Saxa, *h. e.* torrentes aquarum vortices. *Sil.* 3, 191. Ater letifero stridebat turbine serpens, *h. e.* spiris se circumvolvens. *Sen. Thyest.* 621. Res Deus nostras celeri citatas Turbine versat. *Pers.* 5, 78. Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama. V. CIRCUMAGO *f.* et VERTIGO *f.* *Ov. Am.* 3, 15, 5. usque a proavis vetus ordinis heres, Non modo militiae turbine factus eques, *h. e.* per varios militiae gradus, et quadam veluti circuitione. *Id. Trist.* 4, 10, 7. hos duos versus repetens habet *Fortunae munere.* ℙ Item vis, impetus. *Virg. A.* 11, 284. quantus in clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam. *Val. Fl.* 3, 78. hasta volans immani turbine transtris Insonuit. *Lucan.* 3, 465. lancea denso balistae turbine rapta, Haud unum contenta latus transire. *Sil.* 4, 542. intorquens directo turbine robur. *Val. Fl.* 3, 243. Talia magnanimi diverso turbine fundunt Tela viri; et 6, 279. magnoque doloris Turbine Gesandrum Mavors rapit. ℙ Item turba, confusio, seditio, tumultus, in illo *Val. Fl.* 2, 262. et insomni lassatas turbine tandem Conticuisse domos. ℙ Est etiam *turbo* genus instrumenti lusorii, nempe lignum forma metae inversae, ima sui parte in acutum desinens, in summo latius, quod a pueris scutica circumagitur, *βέμβηξ, στρόβιλος.* Quid a *trocho* differat, V. ibi. *Virg. A.* 7, 378. Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum, Intenti ludo exercent: ille actus habena Curvatis fertur spatiis: stupet inscia supra Impubesque manus mirata volubile buxum. Dant animos plagae. *Tibull.* 1, 5, 3. Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo, Quem celer assueta versat ab arte puer. ℙ Item quidquid instar lusorii turbinis factum est: ut cardinis ima pars, et similia. *Cic. Fat.* 18. *f.* Revertitur ad cylindrum, et ad turbinem suum, quae moveri incipere, nisi pulsa, non possunt. *Plin.* 37, 4, 15. Si duo turbines latissimis suis partibus jungantur. *Id.* 2, 10, 7. Figura umbrae similis metae ac turbini inverso. *Id.* 27, 4, 5. In turbinibus cadorum eam (*herbam*) serunt, ut aizoum majus, *h. e.* in cadis turbinatis. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 453. Fores graves atque innixae in cardinum tardos turbines. *Plin.* 9, 36, 61. Turbo conchae, *h. e.* concha turbinata. Sic *Ov. Met.* 1, 335. cava buccina sumitur illi Tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo. ℙ De re, quae circumagitur. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 3. Columnarum in officina turbines ita librati pependerunt, ut puero circumagente tornarentur. ℙ Quemadmodum in ludo puerili turbo erat conus inversus, seu meta, ita instrumentum nendi, quod *fuso* dicunt Itali, est compositum ex duplici cono inverse posito, quo quidem utebantur in re magica et incantationibus. V. RHOMBUS. *Hor. Epod.* 17, 6. Canidia parce vocibus tandem sacris, Citumque retro solve, solve turbinem. *Albinov.* 1, 164. Hanc lucem celeri turbine parca neat. *Catull.* 64, 313. tum prono in pollice torquens Libratum tereti versabat turbine fusum. ℙ Si credimus *Charis.* 1, 117., docuit *Caesar de Analog.* 2. etiam de tempestate *turbonem* dici debere. ℙ *Turben* in recto singul. V. s. s. l.

[TURBO, onis, m. idem ac turbator, qui turbat. Est nomen propr. gladiatoris ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 310. ℙ Item cogn. R., ut Q. Marcius Turbo praef. praetorii Hadriani Augusti, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 242, 4. et ap. *Spart. Hadr.* 5. et 6. ℙ Item est idem ac *turbo, inis,* q. v. v. *F.*]

TURBOR, oris, m. turba, perturbatio. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 15. *n.* 149. Novo turbore corpus afficiunt; et *ib.* 2, 1. *med.* Phreneticis alienationem cum turbore effici.

TURBŬLĂ, ae, f. *Appul. Met.* 10. *f.* Vitatis turbulis, et electo secreto litore; et *ib.* 11. Turbulae complent totas plateas.

TURBŬLENS, entis, adj. turbulentus. *Callistr. Dig.* 48, 19, 28. In quibusdam civitatibus turbulentibus. Ita *Torrent.* et *Gothofr.*, at *Haloand.* turbulentis.

TURBŬLENTĒ, adv. ταραχωδῶς, confuse. *Cic. Dom.* 26. Omnia contra leges moresque majorum temere, turbulente, per vim, per furorem esse gesta. *Id. Part.* 30. Turbulentius agere. *Sidon. ep.* 2, 13. *med.* Turbulentissime regere.

TURBŬLENTER, adv. idem ac turbulente. *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus.

TURBŬLENTĬA, ae, f. confusio, turba, perturbatio. *Tert. adv. Herm.* 41. Haec inquies non est, haec turbulentia et passivitas non est.

TURBŬLENTO, as, a. 1. διαθορυβέω, perturbo. *Appul. Met.* 9. Me strepitu turbulentant; et *ib.* 2. Hospes totam civitatem turbulentat.

TURBŬLENTUS, a, um, adj. θολερὸς, valde turbatus, turbidus. *Cic. Verr.* 2, 5, 10. *med.* Nullus dies tam magna turbulentaque tempestate fuit, quin aliquo tempore ejus diei solem homines viderent. *Phaedr.* 1, 1. Cur turbulentam fecisti mihi Aquam bibenti? *Pl. Mil.* 2, 5, 3. Loca Neptunia turbulenta. *Cic. Fin.* 1, 6. *med.* Turbulenta atomorum concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit. ℙ Item turbarum plenus, valde turbatus, confusus. θορυβώδης. *Pl. Epid.* 1, 1, 68. Heu edepol res turbulentas! *Id. Rud.* 4, 4, 142. Credebam edepol, turbulentam praedam eventuram mihi. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 11. Multos (*convivas*) esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta. *Cic. Pis.* 15. Illud meum turbulentissimum tempus profectionis tuo tranquillissimo praestat. *Id. Fam.* 12, 10. *f.* Ille ex turbulenta republica, hic ex pace et victoria bellum excitavit. *Id. Caecin.* 12. Feci quae dicis omnia: et ea sunt et turbulenta, et temeraria, et periculosa. *Id. N. D.* 2, 28. Falsae opiniones, errores turbulenti, et superstitiones paene aniles. *Liv.* 2, 61. Turbulentior inde annus excepit, L. Valerio, Ti. Aemilio consulibus. *Cic. Tusc.* 4, 5. Mederi animis, nec eos turbulentos esse pati, *h. e.* aegritudinibus turbatos. ℙ Item turbarum amans, seditiones et discordias excitans, ὀχλώδης. *Cic. Brut.* 28. *med.* Civis ut vita, sic oratione turbulentus. *Id. Or.* 2, 11. *f.* Sex. Titius seditiosus civis, et turbulentus; et 31. *med.* Turbulenti et mali cives. *Id. Att.* 4, 3. *med.* Conciones turbulentae Metelli, temerariae Appii, furiosissimae Publii. *Tac. H.* 2, 38. Turbulenti tribuni. *Suet. Caes.* 16. Turbulentissimae leges. *Cic. Att.* 15, 4. Antonii turbulenta consilia.

TURBYSTUM, i, n. *Plin.* 33, 5, 26. Chrysocolla nisi rapuit colorem, adduntur scytatum, atque burbystum: ita vocant medicamenta sorbere (*h. e.* colorem bibere) cogentia.

TURCAE, arum, m. plur. populi Scythiae, Caucasios montes inter Pontum Euxinum et Caspium mare incolentes: qui suis sedibus aliquando egressi, imperium longe lateque propagarunt. *Plin.* 6, 7, 7. Dandari, Tussagetae, Turcae. *Mela* 1, 19. *f.* Thyssagetae, Turcaeque vastas silvas occupant, alunturque venando. ℙ [Hos sequiori tempore etiam Turci, *Τουρκοὶ* appellantur ab *Historiae Byzant.* scriptoribus, ut a *Theophane Byzantio* ap. *Photium Biblioth. Cod.* LXIV., qui Massagetas eos antiquitus dictos ait, eorumque legatos ad Justinum Aug. juniorem missos narrat, quod itidem factum fuisse prodit *Coripp. Laud. Just.* 3, 390., ubi eorum populorum *Sultan* appellatur, q. v. v. s. l. *F.*]

*TURCILINGI, orum, Germaniae populi, inter Viadrum (*the Oder*) ac Vistulam flumina. *Paul. Diac. Langobard.* 1, 1. Heruli atque Turcilingi. *B. A.*

TURDĂ. V. TURDUS.

TURDĀRĬUM, ii, n. locus, in quo inclusi turdi, merulae, aliaeque hujusmodi altiles aves saginantur, (qui locus a *Varr. R. R.* 3, 5. et *Colum.* 8, 10. describitur.) Et

TURDĀRĬUS, ii, m. turdos alens et saginans. Alterutra harum vocum, vel utraque significari potest in illo *Varr. L. L.* 5. *in.* Ut verba litteras alia assumant, alia amittant, alia commutent, ut fit in turdo, in turdario, in turdelico.

[TURDELĂ, ae, f. idem ac turdus. *Isid. Orig.* 12, 7. *med.* Turdela quasi major turdus. *F.*]

TURDELIX, icis, f. parvus turdus. V. TURDARIUS.

TURDETĀNI, orum, m. plur. populi Hispaniae ulterioris in Baetica, quorum regio Turdetania. *Liv.* 21, 5. et 34, 17. ℙ Joculariter *Pl. Capt.* 1, 2, 60. cum dixisset, multis militibus opus esse, inter eos enumerat *paniceos, placentinos, turdetanos, ficedulenses,* ludens nimirum in ambiguo: nam *Turdetani* et populi sunt, et significare possunt eos, qui turdos saginant, et vendunt, et qui turdorum avidi sunt: qui jocus in aliis quoque nominibus, qui ibidem leguntur, latet.

TURDILLUS, i, m. dimin. turdi, parvus turdus. Legitur a quibusdam ap. *Sen. ep.* 96. *f.*, ubi alii aliter. V. TURTURILLA.

TURDŬLI, orum, m. plur. populi Hispaniae, quos alii eosdem faciunt ac Turdetanos, alii diversos. V. geographos. *Varr. R. R.* 2, 10. scribit neque hos, neque Basculos esse ad pecuariam rem idoneos: fortasse quia natio nimis mollis fuit, et fugitans laboris. ℙ Adjective. *Liv.* 34, 20. Consul Turdulo bello occupatus.

TURDUS, i, m. κίχλη, genus avis praestanti sapore in cibis. *Hor. Ep.* 1, 15, 41. Nil melius turdo, nil vulva pulcrius ampla. *Mart.* 13, 92. Inter aves turdus, si quis me judice certet. Adde *ib.* 51, ℙ *Turda, ae,* f. an Latine dicatur, lis est. Negat *Varr. L. L.* 8, 38. et *R. R.* 3, 5. Contra *Casaub.* ex libr. MSS. et editis, et *Vet. Schol.* ita leg. illud *Pers.* 6, 24. Nec tenuem solers turdarum nosse salivam. ℙ De ratione alendorum turdorum multa *Varr. R. R.* 3, 5. et *Colum.* 8, 10. ℙ Est et piscis hoc nomine, quem et ipsum κίχλην vocant Graeci, a colore turdi avis dictus, ut *Varr. L. L.* 4, 12. docet. *Quint.* quoque 8, 2. inter ea, quae a similitudine nomen habent, *soleam* et *turdum* ponit. *Plin.* 32, 11, 53. Turdus inter saxatiles nobilis. Adde 9, 15, 20. et *Colum.* 8, 16. *f.* et 17. [**Meerdrossel* vel *Meeramsel.*] ℙ *Turdus* fuit etiam cogn. R., ut C. Papirius Turdus, ap. *Liv.* 41, 6. et in *nummis* G. Papiriae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 268.

TURĒUS, et Thureus, a, um, adj. λιβανώδης, λιβανικὸς, ad tus pertinens. *Virg. G.* 2, 117. solis est turea virga Sabaeis. *Id. A.* 6, 225. congesta cremantur Turea dona focis. *Colum.* 3, 8. Turea planta. *Ov. Fast.* 4, 410. Detis et in veteres turea grana focos. *Stat. Th.* 4, 412. turea altaria, *h. e.* in quibus tus adoletur. ℙ De scriptione V. in TUS.

TURGĔO, es, rsi, n. 2. οἰδέω, inflatus sum, tumeo. *Virg. Ecl.* 7, 48. lacto turgent in palmite gemmae. *Id. G.* 1, 315. Frumenta in viridi stipula lactentia turgent. *Ov. Met.* 15, 202. Herba turgens. *Plin.* 12, 17, 37. Caules praedulci liquore turgentes. *Mart.* 13, 47. accepta spongia turget aqua; et *ib.* 68. uva mero; et 14, 45. pila pluma. *Juven.* 14, 136. pleno turget sacculus ore. *Prop.* 4, 4, 27. Turgens rana. *Id.* 1, 21, 3. turgentia lumina fletu. *Cato R. R.* 157. Si lienes turgent, et si cor dolet. *Enn.* ap. *Prisc.* 9, 870. Cyclopis venter velut olim turserat alti, Carnibus humanis distentus. *Ov. Fast.* 3, 357. turgentia ora, *h. e.* vultus tumens ex ictu. *Plin.* 20, 13, 51. Rutam decoctam imponunt mammis turgentibus. ℙ Translate. *Claud. in Eutrop.* 1, 350. si talibus, inquit, Creditur, et nimiis turgent mendacia monstris, *h. e.* plena sunt. ℙ De oratione inflata. *Auct. ad Her.* 4, 10. *med.* Ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur saepe; ita gravis oratio saepe imperitis videtur ea, quae turget et inflata est. *Hor. A. P.* 27. professus grandia turget: Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae. ℙ De iratis, ut *tumeo. Pl. Cas.* 2, 5, 17. et *Most.* 3, 2, 10. Uxor in fermento tota est: ita turget mihi. ℙ In *Gloss. Philox.* et *turgit,* et *turgo* legitur. Ex quo discimus, etiam in tertia conjugat: usurpari posse, ut *ferveo, fulgeo,* et similia. ℙ Scribitur et *turgueo.*

TURGESCO, is, n. 3. ὀγκόομαι, turgere incipio, tumesco. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Ne aqua in eorum corpore turgescat. *Colum.* 10, 325. valide turgescit lurida caule Brassica. *Ov. Am.* 3, 10, 11. turgescere semen in agris. *Pers.* 5, 56. Hic satur irriguo mavult turgescere somno, *h. e.* crassus et pinguis fieri. *Plin.* 8, 50, 76. Turgescentibus virgultis. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 9. Sapientis

animus semper vacat vitio, nunquam turgescit, nunquam tumet. *Id. ib.* vertens carmina *Homeri:* Corque meum penitus turgescit tristibus iris. *Pers.* 3, 8. turgescit vitrea bilis. *Id.* 5, 18. Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat, *h. e.* plena sit, crescat. *Quint.* 12, 10. Gedicendi, quod immodico tumore turgescit.

TURGĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. turgidi. *Catull.* 3, 18. Flendo turgiduli rubent ocelli. *Paul. Petr.* 5, 450. Saepe gemens jugis post annua vota laboris De jam turgidulis numerabat damna racemis.

TURGĬDUS, a, um, adj. ὀγκώδης, inflatus, tumens, tumidus: a *turgeo. Cic. Tusc.* 3, 9. Membrum tumidum ac turgidum. *Pl. Mil.* 4, 3, 15. Mulier lippa, atque oculis turgidis. *Mart.* 6, 39. At ille (*puer*) sima nare, turgidis labris. *Plin.* 7, 45, 46. Aqua subter cutem fusa turgidus. *Appul. Met.* 6. Turgidus venter; et *Ov. A. Am.* 2, 661. Dic habilem quaecumque brevis; quae turgida, plenam. *Hor. Od.* 3, 13, 4. haedus, Cui frons turgida cornibus. *Id. ib.* 4, 12, 4. fluvii Hiberna nive turgidi, *Id. ib.* 2, 10, 24. et *Ov. Am.* 2, 11, 42. turgida vela vento. *Hor. Od.* 1, 3; 19. mare turgidum. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 2. Grandis, et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulcritudine exsurgit. *Hor. Sat.* 1, 10, 36. Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, etc. *h. e.* inflato stilo scribens. *Claud. Laud. Stil.* 2, 158. nec quos promoveris, alto Turgidus alloqueris fastu. *Appul. Met.* 9. Vultu turgido, subductisque superciliis incessit iratus; et *ib.* 2. Feminae vesania turgidae.

[TURGĬO, onis, m. idem ac turio. Videtur esse a *turgeo*, inde etiam *turio*, extrita littera, derivatum. *Plin. Val.* 1, 55. Rutae turgiones ad denarios duos dolorem statim tollunt. *F.*]

TURGOR, oris, m. *Capell.* 2, 35. Distentus magno cum turgore. Adde 5. *f.*

TŪRĬĀNUS, a, um, adj. ad Q. Turium pertinens, negotiatorem in Africa. *Cic. Fam.* 12, 26. Ne patiare, Erotem Turium, Q. Turii libertum hereditatem Turianam avertere. Alius cujusdam C. Turii praetoris meminit *Hor. Sat.* 2, 1, 49. ℙ *Turiana cassia* memoratur a *Marciano Dig.* 39, 4. 16. §. 7. inter species ad vectigal pertinentes; ubi tamen alii leg. *thymiama*, *cassia.*

[TŪRĬASONENSIS, e, adj. ad Turiasonem pertinens, Hispaniae Tarraconensis municipium, nunc *Tarazona*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 1, 59. MUN. TURIASO. *Plin.* 3, 3, 4. Oscenses regionis Vescitanae, Turiasonenses. *F.*]

TŪRĪBŬLUM, et Thuribulum, i, n. θυμιατήριον, vas in quo tus adoletur. *Liv.* 29, 14. Turibulis ante januas positis, atque accenso ture precantes, ut, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 21. De L. Papirio turibulum emisti. *Curt.* 8, 9. Cum rex Indiae se in publico conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. ℙ Est sidus in coelo, quae et Ara dicitur. *German.* in *Arat.* 390. Scorpius erecta torquet qua spicula cauda, Turibulum vicinum Austris sacro igne videbis Arcturum contra. V. ARA. Adde *Vitruv.* 9, 7. De scriptione V. in TUS. Sic et in aliis derivatis.

[TURĪCENSIS, e, adj. idem ac Tigurinus, ad Turicum pertinens, Helvetiae oppidum, nunc *Zurigo. Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 454, 7. D. M. Hic situs est L. Ael. Urbicus, qui vixit An. uno M. V. D. V. Unio Aug. Lib. P. P. Sta. Turicensis XL. G. (*h. e.* praepositus stationis Turicensis quadragesimae Galliarum) et Aelia Secundina p*uero* dulcissimo F. *F.*]

TŪRĪCRĒNUS, et Thuricremus, a, um, adj. ut Turicremae arae, *Lucr.* 2, 353. et *Virg. A.* 4, 453., in quibus tus in honorem Deorum crematur. Sic Turicremi foci, *Ov. Her.* 2, 18. et Turicremi ignes, *Lucan.* 9, 989.

[TŪRĪENSIS, e, adj. ad Turiam pertinens, Hispaniae Tarraconensis fluvium, qui nunc *Guadalabiar* dicitur, quique, ut ait *Sall. fragm. Hist.* 2. ap. *Prisc.* 6, 680. Valentiam parvo intervallo praeterfluit. Memoratur etiam a *Mela* 2, 6. et *Plin.* 3, 3, 4., apud quem editiones perperam habent *Turium* pro *Turiam.* Ita enim *Claud. Laud. Seren.* 72. roseis formosus Turia ripis. Hinc *Cic. B.* 2. Accusator fatetur, hunc in Hispania, acerrimis illis proeliis et maximis, Sucronensi, et Turiensi, interfuisse. *F.*]

TŪRĪFER, et Thurifer, a, um, adj. λιβανοτοφόρος, tus ferens. *Plin.* 6, 23, 26. Turifera regio. *Ov. Fast.* 3, 720. Et domitas gentes, turifer Inde, tuas. *Val. Fl.* 6, 138. turiferos, felicia regna, Sabaeos. *Claud. III. cons. Hon.* 71. Turiferi Arabes. *Id. Rapt. Pros.* 2, 81. Quidquid turiferis spirat Panchaia silvis. ℙ Ap. *Prud. Apotheos.* est qui tus Diis adolet, 359. Catholica non es de plebe, sed unus De grege turifero.

TŪRĪFĪCĀTOR, oris, m. qui tus offert. *August. contra litter. Petil. c.* 103. Nolo mihi dicas: Non sum traditor, non sum turificator, non sum persecutor.

[TŪRĬFĪCĀTUS, a, um, part. a *turifica.* Ita vocabantur, qui Christiani cum essent, metu adacti idolis tura incendebant. *Cyprian. ep.* 55. *in.* Desiderasti, ut rescriberem tibi, qua ratione Cornelius Trophimo, et turificatis communicet. *F.*]

[TŪRĪFĪCO, as, n. 1. idolis tura incendo. *Anthelm. Laud. Virg.* 694. Cui (*pino*) proceres stolidi tunc turificare solebant. *F.*]

*TURIGA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. Ucultuniacum, quae et Turiga nunc est. Sic. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Curiga. B. A.*

TŪRĬI, orum. V. in THURINUS.

TŪRĪLĒGUS, et Thurilegus, a, um, adj. qui tus colligit. *Ov. Fast.* 4, 569. modo turilegos Arabas, modo despicit Indos.

TURĪO, onis, m. tener arborum, arbustorumque summus ramusculus. *Colum.* 12, 48. *extr.* Lauri turiones in hoc usu mittito, ut olivas deprimant. *Apic.* 8, 1. Elixatur perna aprina in aqua marina cum lauri turionibus et anetho. V. TURGIO.

*TURISSA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis, prope montes Pyrenaeos, in agro Vasconum. *Anton. Itin.* ℙ *Iturissa* appellatur a *Mela* 3, 1. *B. A.*

*TURĪUS sc. fluvius, vel Turium, sc. flumen, in Hispania Tarraconensi erat, inque mare Mediterraneum influebat. Hodie est *the Guadalabier. Plin.* 3, 3. Flumen Turium *(nominat). Mela* 2, 6. post med. Saetabim et Turium et Sucronem non magna excipit flumina. ℙ Appellatur et *Turias* vel *Turia. Sall. fr.* ap. *Prisc.* 6. vel in ed. *Cort. Sall.* 957. Inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit. *B. A.*

TURMA, ae, f. ἴλη, agmen triginta equitum, sive, cum tribus decurionibus, triginta trium. Nam *Varr. L. L.* 4, 16. disertim scribit, suo etiam tempore tres fuisse in turma decuriones; *Festus* autem ita de decurionibus: Decuriones appellantur, qui decem equitibus praesunt. Postea res mutata est. Nam turma facta est triginta duorum equitum, et unus toti turmae est praepositus, qui quanquam triginta duobus equitibus praeesset, tamen pristino retento nomine, et ipse decurio vocabatur. Clare id ita ostendit *Veg. Mil.* 2, 14. Quemadmodum inter pedites centuria, vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur. Et habet una turma equites XXXII. Huic qui praeest, decurio nominatur. Ut enim centum et decem pedites ab uno centurione sub uno vexillo gubernantur, similiter XXXII. equites ab uno decurione sub uno vexillo reguntur. ℙ De origine vocis ita *Varr. l. c.* Turma terna est, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnium, et Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis sunt etiam nunc terni. Haec *Varr. Cic. Marc.* 2. *f.* Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil cohors, nihil turma decerpit. ℙ Translate usurpatur pro quacunque multitudine. *Hor. Od.* 3, 4, 44. ut impios Titanas immanemque turmam Fulmine sustulerit corusco. *Claud. in. Ruf.* 2, 343. Ipse salutatum reduces post proelia turmas Ibat, *h. e.* exercitum omnem pedestrem et equestrem. *Id. III. cons. Hon.* 133. Floret cristatis exercitus undique turmis. Plin. 34, 8, 19. *n.* 6. Turma Satyrorum. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* In turma statuarum equestrium. [*ℙ De confus. inter *turma* et *turba* V. in h. v.]

TURMĀLIS, e, adj. qui est ejusdem turmae. *Liv.* 8, 7. T. Manlius super castra hostium cum suis turmalibus evasit. *Id.* 25, 18. *med.* Diu cunctantem perpulere turmales, ne impune insultare Campanum pateretur. ℙ Item ad turmam pertinens. *Stat. Silv.* 5, 2, 17. non sanguine cretus Turmali, trabeaque Remi, *h. e.* equestri ordine. *Claud. B. G.* 347. Excitet incestos turmalis buccina somnos. ℙ Jocus est in illo *Cic. Or.* 2, 65. Scipio Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, turmales dixit displicere, *h. e.* equestres: sed intelligit etiam gregales, et in turba collocatas. ℙ *Turmale*, adverbii more. *Stat. Theb.* 4, 10. Bellona mixta viris turmale fremit, *h. e.* instar turmae.

TURMĀRĬUS, a, um, adj. turmalis. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 6, 35, 3. Ne exactorum, vel turmariorum, quos capitularios vocant, curam subeant, *h. e.* qui turmas tironum exigebant.

TURMĀTIM, adv. ἰλαδόν, per turmas. *Liv.* 5, 39. Vagantibus circa moenia turmatim barbaris. *Caes. B. C.* 93. Equites hoc acrius instare, et se turmatim explicare coeperunt. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 113. cum solis lumina fundunt radios per opaca domorum, Corpora multa minuta per inane videbis misceri, et proelia pugnasque Edere turmatim certantia. *Inscr.* sublestae admodum fidei ap. *Grut.* 329. Viatores, cives optimi, vel advenae, sive bini, sive singuli inceditis, sive turmatim.

*TURMENTĪNI, orum, populi Italiae, a Turmento quodam oppido sic dicto fortasse nomen trahentes. *Plin.* 3, 11.

TURMODIGI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3.

*TURNI LACUS. V. in voc. seq. *B. A.*

*TURNUS, i, m. Τοῦρνος, dux Rutulorum, Dauni filius, frater Juturnae nymphae, ab Aenea occisus. *Liv.* 1, 2. *Virg. A.* 7. seqq. *Tib.* 2, 5, 48. *Ov. Fast.* 4, 879. et *Met.* 14, 451. ℙ Turnus Herdonius, Aricinus, a L. Tarquinio Superbo interfectus. *Liv.* 1, 50. seqq. ℙ In illo *Colum.* 10, 138. ed. *Gesner.* Et Turni lacus, et *etc. lacus Turni* fortasse i. est q. *lacus Juturnae*, de quo *Val. Max.* 1, 8. et *Flor.* 2, 12. Sic saltem *Gesner.* ad *Colum.* Sed, cum *Turis* pro *Turni* habeat ed. *Schneider.*, *Turris* autem omnino ed. *Jenson.*, legendum forsan *Turris lacus*, ut sit i. q. *Lacusturris* vel *Lacuturris. Plin.* 19, 8. Nuper subiere lacuturres ex convalle Aricina, ubi quondam fuit lacus, turrisque quae remanet. Si salva sit vetus lectio, nomen profluxit, ut credibile est, a Turno Herdonio, Aricino; quod *Gesnero* interpretanti obloqui quodammodo videtur. *B. A.*

*TUROBRĪCA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*TUROCELUM, i, n. oppidum Umbriae, sed excisum, dictum et Netriolum. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

TŪRŌNES, um, m. plur. incolae urbis, quae eodem nomine, nunc *Tours*, vocatur, in Gallia Lugdunensi, ad Ligerim fluvium. Eorum meminit *Caes. B. G.* 2, 35. et *ib.* 7, 4. et *Plin.* 4, 18, 32. et *Lucan.* (si modo hic versus *Lucani* est) 1, 437. Instabiles Turones circumsita castra coercent; et *Sidon. carm.* 5, 210. cum bella timentes Defendit Turonas, aberas. Alii leg. *Turonos.* Hinc *Hirt. B. G.* 8, 46. Duas in Turonis legiones ad fines Carnutum posuit. Hinc

TŪRŌNĬCUS, a, um, adj. ad Turones pertinens. *Sulpic. Sever. Vit. S. Mart.* 9. Episcopatus Turonicae Ecclesiae.

TURPĀTUS, a, um, part. a *turpo:* foedatus. *Stat. Theb.* 4, 106. Herbulea turpatus gymnade vultus Amnis.

TURPĬCULUS, a, um, adj. dimin. ὑπαισχρος, subturpis. *Cic. Or.* 2, 61. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, jocus in turpiculis, et quasi deformibus ponitur. *Catull.* 41, 3. Ista turpiculo puella naso. *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* Pueris turpicula res in collo quaedam suspenditur, ne quid obsit, bonae scaevae causa, *h. e.* fascinum, veretrum.

TURPĬDO, inis, f. idem quod turpitudo. *Tert. Cor. mil.* 14. Turpido et dedecoratio. [At in multis melioris notae editionibus legitur *turpitudo*, licet hanc vocem nuper detexerit *A. Maius* in suo *Cic. de rep.* 1, 2. quam tamen *Fr. Oriolius* in *torpedinem* commutari mallet. *F.*]

TURPĬFĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *turpifico:* turpis factus. *Cic. Off.* 3, 29. Quanta foeditas turpificati animi debet videri.

*TURPILĬA, ae, f. mulier quaedam, de qua *Cic. Fam. ep.* 7, 21. *B. A.*

TURPĪLĬUS, ii, m. vetus poeta comicus, praenomine Sextus, cujus multa fragmenta afferunt *Nonius* et *Priscianus.* [Olympiade CLXIX. grandaevum Senuessae diem obiisse supremum, narrat *Hieron.* in *Chron. Euseb.* ad ann. U. C. DCLIII. Septimam ei palmam in comoedia Latina tribuit his verbis *Volcat. Sedigit.* ap. *Gell.* 15, 24. In sexto sequitur hos loco Terentius, Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet. *F.*]

TURPĪLŌQUĬUM, ii, n. αἰσχρολογία, sermo de rebus turpibus. *Tert. Pud.* 17. *f.*

TURPĪLŪCRĪCŪPĬDUS, i, m. αἰσχροκέρδης. *Pl. Trin.* 1, 2, 63. Turpilucricupidum te vocant cives tui.

*TURPILŪCRIS, e, adj. αἰσχροκερδὴς *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[TURPĪLŪCRUS, i, m. qui turpe lucrum sequitur. *August. de opere monachor. c.* 13. Unum scio, quod nec furtum faciebat *(Apostolus Paulus)*, nec effractor, aut latro erat; nec auriga; aut venator, aut histrio, nec turpilucrus. *F.*]

TURPĬO, onis, m. qui turpia loquitur, vel agit. Est cogn. R., ut L. Ambivius Turpio actor comicus, cujus mentio saepe est in didascaliis comoediar. *Terentii*, et ap. *Cic. Sen.* 14. et *Tac. dial. de Or.* 20. *F.*]

TURPIS, e, adj. αἰσχρός, δυσειδής, deformis, foedus, inhonestus: cui *pulcher* opponitur. *Cic. Off.* 1, 35. Natura, quae partes corporis aspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contexit atque abdidit. *Hor. Sat.* 1, 2, 102. crure malo, et pede turpi esse. *Pl. Poen.* 1, 2, 125. Qui lubet spectare turpes, pulcram spectandam dare? *Mart.* 8, 79. Omnes aut vetulas habes amicas, Aut turpes, vetulisque foediores. *Ter. Phorm.* 1, 2, 56. Vestitus turpis *Sen. Oed.* 429. et *Ov. A. Am.* 290. asellus. *Virg. G.* 3, 299. Turpes podagrae, *h. e.* quae artus turpes reddunt: et *ib.* 441. Turpis scabies: et 557. turpi dilapsa cadavera tabo. Sic *Mart.* 14, 67. Turpes muscae: et 10, 37. ranae. *Id.* 7, 37. Turpis ab inviso pendebat stiria naso. *Virg. A.* 5, 357. faciem ostentabat, et udo Turpia membra fimo: et *Hor. Ep.* 1, 5, 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares: et *Mart.* 12, 32. *f.* plena turpi olla resina. In illo *Virg. G.* 3, 51. optima torvae Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix: *Non.* 4, 459. et *Servius* exponunt, magnum, *h. e.* enorme, atque adeo deforme. Eodem sensu accipiendum ajunt illud *G.* 4, 395. turpes sub gurgite phocas. Sed non est necesse a communi significatione discedere: nam et *Ov. Met.* 1, 300. phocas deformes dixit. Idem dic de illo *Mart.* 11, 21. Turpe Ravennatis guttur onocrotali: et 1, 105. Turpes esseda quod trahunt bisontes. ℙ Saepissi-

me est indecens, flagitiosus, indignus, infamis. *Cic. Phil.* 2, 34. O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid foedius? *Id. Tusc.* 3, 17. Quid est autem nequius, aut turpius effeminato viro? *Id. Rosc. Am.* 18. Homo turpissimus atque inhonestissimus. *Id. Att.* 9, 9. *med.* Iste omnium turpissimus et sordidissimus. *Id. Fin.* 2, 30. *med.* Cum esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors. *Virg. A.* 2, 400. pars ingentem formidine turpi Scandunt rursus equum: et *ib.* 6, 276. turpis egestas. *Hor. Ep.* 1, 1, 43. repulsa. *Stat. Theb.* 8, 59. turpes Eumenidum lacrimae: *scil.* quia non decet eas misericordia flecti. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. *f.* Quidquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti. *Cic. Quint.* 15. *med.* Mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat. *Pl. Most.* 1, 3, 133. Turpes mores. *Juven.* 6, 298. turpi fregerunt saecula luxu Divitiae molles. *Auct. ad Her.* 1, 6. Cum turpem causam habemus, hoc est cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat. *Juven.* 8, 18. At vos, Trojugenae, vobis ignoscitis, et quae Turpia cerdoni, Volesos Brutosque decebunt. ℙ Speciatim est libidinosus, obscenus. *Cic. Off.* 1, 34. Luxuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. *Id. Fam.* 9, 22. Nihil esse obscenum, nihil turpe dictu. *Id. Font.* 11. Homo turpi adolescentia, vita infami. *Propert.* 2, 13, 36. Turpis amor surdis auribus esse solet. *Hor. Od.* 1, 33. 9. turpis adulter. *Id. Sat.* 1, 4, 111. a turpi meretricis amore deterrere aliquem. *Ter. Heaut.* 5, 4, 19. Pudet dicere hac praesente verbum turpe. *Quint.* 1, 2. Turpia facta. Adde *Juven.* 2, 9. et 7, 239. ℙ *Turpe*, res turpis, probrosa, indigna. *Quint.* 1, 2. *med.* Turpe ducet cedere pari *Ov. Am.* 1, 10, 26. Turpe erit, ingenium mitius esse feris: et *ib.* 9, 4. Turpe senex miles, turpe senilis amor. *Cic. Off.* 2, 22. Habere quaestui rempubl. non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. *Id. Tusc.* 2, 4. *f.* Hoc mihi videtur esse turpissimum. ℙ *Turpe*, adv. turpiter. *Catull.* 42, 7. illa, quam videtis Turpe incedere, mimice, ac moleste. *Stat. Theb.* 3, 331. vacua jacet hostis arena Turpe gemens. Adde *Claud. in Eutrop.* 2, 446.

TURPĬTER, adv. *αἰσχρῶς*, deformiter, foede. *Hor. A. P.* 3. ut turpiter atrum Desinat in piscem mulier formosa superne. *Ov. Am.* 2, 17, 20. Vulcanus turpiter obliquo pede claudicat. ℙ Item indecore. *Id. ib.* 1, 7, 47. tunicam summa deducere turpiter ora Ad mediam. ℙ Item obscene, nequiter. *Cic. Tusc.* 3, 17. Aderit temperantia, quae te turpiter et nequiter facere nihil patiatur. *Ov. Met.* 4, 187. Turpiter jacere. ℙ Item cum probro et infamia. *Caes. B. G.* 7, 20. *med.* Dimicare non ausi, turpiter se in castra receperunt: et 80. *med.* Neque recte, aut turpiter factum celari poterat. *Id. B. C.* 3, 24. *f.* Relinquas naves turpiter fugere coegerunt. *Just.* 12, 2. Turpiter se dedere Seleuco maluit. *Phaedr.* 1, 25. Turpiter derideri. *Cic. Att.* 6, 3. Hortensius filius fuit Laodiceae, gladiatoribus, flagitiose et turpiter. *Id. N. D.* 1, 12. Empedocles in Deorum opinione turpissime labitur. *Ov. Trist.* 5, 6, 13. Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

TURPĬTŪDO, inis, f. *αἰσχρότης*, deformitas. *Cic. Off.* 3, 29. *med.* Turpitudo in deformitate corporis habet aliquid offensionis. *Apul. Apol.* Qui minus se commendabilem forma putaret, virtutis laude turpitudinem tegeret. ℙ Translate est probrum, dedecus, infamia, labes, macula, vitium. *Cic. Font.* 12. *f.* Ecquis unquam reus sic accusatus est, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quae a libidine aut a petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore objiceretur? *Id. Phil.* 7, 5. Quanta erit reipublicae turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium consulari loco? *Id. Tusc.* 2. *f.* Omnia fugiendae turpitudinis, adipiscendaeque honestatis causa facere. *Id. Verr.* 1, 16. Conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere. *Suet. Aug.* 42. Populo non promissum congiarium flagitanti turpitudinem et impudentiam exprobravit edicto. *Auct. ad Her.* 1, 6. Si causa turpitudinem habebit. *Cic. Or.* 2, 58. Locus et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. *Id. Fin.* 3, 11. *med.* Homines nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreat. *Nep. praef. med.* In scenam prodire, et populo esse spectaculo, nemini fuit turpitudini. *Caes. B. G.* 2, 27. Equites, ut turpitudinem fugae virtute delerent, omnibus in locis pugnabant. *Sall. Cat.* 13. Quas divitias honeste habere licebat, per turpitudinem abuti properabant: et 61. Cum summa turpitudine in exsilio aetatem agere. *Cic. Pis.* 26. *f.* Ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem inflixerint. *Gell.* 18, 3. Homo turpitudine pristinae vitae defamatissimus. *Cic. Or.* 2, 59. *extr.* Verborum turpitudinem, et rerum obscenitatem vitare. *Id. Har. resp.* 15. Sanctissima sacella suffossa, incensa, inaedificata, oppressa, summa denique turpitudine foedata. *Quint.* 3, 7. *med.* Turpitudo generis, *h. e.* natalium dedecus.

TURPO, as, avi, atum, a. 1. *αἰσχύνω*, *μαίνω*, turpem facio, inquino, foedo. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 35. et *ib.* 3, 19. Jovis aram sanguine turpari. *Virg. A.* 10, 832. Sanguine turpantem comptos de more capillos. *Id. ib.* 12, 611. Canitiem immundo perfusam pulvere turpans. *Hor. Od.* 4, 13, 11. te rugae Turpant, et capitus nives. *Id. Sat.* 1, 5, 60. at illi foeda cicatrix Setosam laevi frontem turpaverat oris. *Sil.* 7, 631. turpatque decora juventa Ora novus pallor. *Tac. H.* 5, 4. Sue abstinent memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat. ℙ Translate est probro, turpitudine, dedecore afficere. *Cic. fragm.* ap. *Hieron. ep.* 66. *n.* 7. Caesar cum quosdam ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. *Stat. Theb.* 8, 432. Hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus, Nec turpavit avos, *h. e.* non degeneravit: et *ib.* 10, 436. summumne hoc cladibus, inquit, Decrat, ut afflictos turparum ego proditor Argos?

TURRĀNĬĀNUS, a, um, adj. ad Turranium pertinens, quod est nomen propr. R. hominis. Turraniana pira *Plin.* 15, 15, 16., *Colum.* 5, 10. *f.* et *Macr. Sat.* 2, 15, *f.* inter pirorum genera enumerant. Ea fortasse dicta sunt a Turranio Nigro, quem laudat *Varr. R. R. prooem.* 2. *f.*

*TURRĀNĬUS, i, m. nomen proprium R., ut D. Turranius, homo *χρηστομαθής*, qui cum Q. Cicerone in praediis Arpinatibus fuit, cumque Cicerone aliquandiu in Cilicia. *Cic. Att. ep.* 1, 6. et 6, 9. Fortasse est ille ipse, qui commemoratur apud *Plin.* 3, 1. et 9, 8. Turranius Niger, V. in *Turranianus, a, um.* Turranium quendam, poetam tragicum, meminit *Ov. Pont. ep.* 4, 16, 29. Musaque tragicis innixa cothurnis. *B. A.*

TURRĬCŪLA, ae, f. *τυρρίδιον*, *πυργίον*, parva turris. *Vitr.* 10, 19. *med.* Supra medium tecti fastigium turricula. ℙ Accipitur etiam pro vase illo in modum turris facto, per quod tali in alveolum mitti solent, et alio nomine *pyrgus* dicitur. *Mart.* 14, 16., cujus titulus est *Turricula.* Quaerit compositos manus improba mittere talos: Si per me misit, nil nisi vota facit.

TURRĬFER, ra, rum, adj. turriger. *Ov. Fast.* 4, 219. At cur turrifera caput est ornata corona? Alii leg. *turrita.*

[TURRĬGĔNĂ, ae, adj. comm. gen., qui in turri genitus. Ita vocantur Tyrrheni, quia omnium primi turres exstruxerint, et in iisdem habitarint. V. TYRRHENI. *Rut. Itin.* 1, 595. Famam Lachanii veneratur, numinis instar, Inter Turrigenas Lydia tota suos, *h. e.* Etruria tota. Alii minus recte leg. *terrigenas*, alii vero *Tyrrhigenas*, quasi genitos a Tyrrho gentis ejusdem auctore. V. LYDIA et LYDIUS. *F.*]

TURRĪGER, ra, rum, adj. *πυργοφόρος*, turres gerens, turritus. *Plin.* 11, 2, 1. Turrigeros elephantorum miramur humeros. Sic *Sil.* 9, 560. Turrigerae ferae moles. *Virg. A.* 10, 253. Turrigerae urbes: et *ib.* 7, 631. antemnae. *Lucan.* 3, 514. et 4, 226. carinae. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 229. Ardua turrigerae surgunt in culmina ripae. ℙ *Turrigera* est epitheton Matris Deum, cujus caput turribus ornatum pingitur, quia terra urbes sustinet. *Ov. Fast.* 4, 224. Attis Turrigeram casto vinxit amore Deam: et *ib.* 6, 321. Turrigera frontem Cybele redimita corona. *Id. Trist.* 2, 24. Turrigera Opis. ℙ Item effigiei Urbium, ut ex *Virg. l. c.* cui adde *Lucan.* 1, 188. et *Rut. Itin.* 1, 117.

*TURRĬLIS, e, adj. *Turriles lusus Val. Max.* 8. tribuit *Bynckershoeck.* in *Praetermiss.* ad 2. §. 41. *D. de O. I.* ubi ita edidit *Torrenius:* Ut enim in rebus seriis Scaevolam, ita in scurrilibus lusibus hominem agebat. Sed ingens (ait *Gesnerus*) est varietas. V. *Torrenii* editionem. *Turriles* autem interpretatur *Bynckershoeckius*, ubi per pyrgum s. turriculam jactantur tali. *B. A.*

[TURRĪNUS, a, um, adj. ad turrim pertinens. Est cogn. R., ut C. Mamilius Q. F. Q. N. Turrinus Cos. ann. U. C. DXV. apud *Piranes. Fast. Capitol.* p. 20. *F.*]

TURRIS, is, f. *τύρρις*, *πύργος*, aedificium in magnam altitudinem protensum, celsa moles. Duplicem habet positionem, in *e*, et in *i*, in quarto et sexto casu, sed frequentius in *i*, ut *puppim*, *sitim*, *securim*, et hujusmodi. *Virg. A.* 2, 460. Turrem in praecipiti stantem. Ita leg. *Charis.* 1, 25. At *Pier.* in omnibus MSS. *turrim* vidit: et *Gell.* 13, 20. ita legendum monet. *Pl. Bacch.* 4, 4, 59. Balista pervortam turrim et propugnacula. *Accius* ap. *Prisc.* 7, 761. Apud vetustam turrem. *Val. Flacc.* 1, 14. Spargentemque faces, et in omni turre furentem. *Ov. A. Am.* 415. Quis Danaen nosset, si semper clausa fuisset, Inque sua turri perlatuisset anus? *Cic. Tusc.* 5, 20. *med.* Concionari ex alta turri solebat. *Tibull.* 1, 8, 19. vocat *turres* praealtas Tyriorum domos, quem loc. luculenter illustrat *Broukus.* ℙ [*Turris aequa cum muro* videtur esse urbis propugnaculum, quod nos *baluardo*, *bastion* dicimus. *Inscr.* Aeclanensis ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 566. IIII. Vir. D. S. S. (*h. e.* Quatuorviri de senatus sententia) portas, turreis, moiros, turreisque aequas qum moiro faciundum coiraverunt. Ἀρχαιοὶ vocum *turreis* pro *turres*, tum *moiros* et *χαιμοὶ* vocum *turreis* pro *turres*, tum *moiros* et *muro* (V. MURUS), tum *qum* pro *moiro* pro *muros* et *muro* (V. MURUS), tum *qum* pro *cum*, tandem *coiraverunt* pro *curaverunt*, hujus monumenti vetustatem arguunt. V. INTERTURRIUM. *F.*] ℙ Sunt et bellicae machinae, *turres* dictae, nempe aedificia plerumque lignea, in magnam altitudinem erecta, subjectisque rotis huc illuc mobilia; in imo instructa ariete ad subruendum murum obsessae urbis; in medio aut summo pontem habentia immittendum in moenia, cum propugnatoribus, qui hostem missilibus a moenibus defendendis arceant. V. *Caes. B. C.* 2, 8. His etiam vallum castrorum, et oppidorum moenia muniri mos fuit. Naves etiam turribus instructas aliquando fuisse legimus. V. *Caes. B. G.* 5, 39. et *B. C.* 2, 8., *Lucan.* 3, 514. et 4, 226. et *Sil.* 14, 300. etc. *Cic. Prov. cons.* 2. Macedonia, quae erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, sed tropaeis. *Id. Fam.* 15, 4. *med.* Oppidum vallo et fossa circumdedi, sex castellis castrisque maximis sepsi, aggere, vineis, turribus oppugnavi. ℙ Denique *turris* est genus aciei in quadrum dispositae. *Cato* ap. *Fest.* et *Gell.* 10, 9. V. SERRA. *ℙ *Turris Stratonis*, oppidum. V. *Strato.* ℙ *Turris Eudieru*, locus in Macedonia. *Liv.* 44, 3. ℙ *Turris Libysonis* vel *Ad turrim Libysonis*, locus vel oppidum in Sardinia. *Plin.* 3, 7. Colonia, quae vocatur ad turrim Libysonis. In *Anton. Itin.* nude appellatur *Ad turrem.* ℙ *Turris Caesaris*, locus sive oppidum in Apulia. *Gab. Peuting.* ℙ *Turres Julianae, Aurelianae*, locorum duorum ignotorum, sive oppidorum, nomen in Apulia. *Itin. Hierosol.* ℙ *Turris, is, m.* fluvius Carnorum, qui apud Forum Julium decurrit, et in mare Hadriaticum apud Aquileiam influit. *Plin.* 3, 18. Hodiernum nomen *Torre* vel *Turre. B. A.*

TURRĪTUS, a, um, adj. *πυργωθείς*, *πυργωτός*, turribus instructus et munitus. *Ov. Am.* 3, 8, 48. Quo tibi turritis incingere moenibus urbes? *Id. Pont.* 3, 4, 105. Turriti muri. *Lucan.* 6, 40. Castella turrita. *Virg. A.* 8, 693. Tanta mole viri turritis puppibus instant. Ubi *Servius:* Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in proelium, turres hostibus improvisae: in navigando essent occulta. ℙ Item turriger, *πυργοφόρος*. *Hirt. B. Afr.* 30. et 41. Elephantis turritis triginta ante aciem instructis. *Plin.* 8, 7, 7. Viginti elephanti turriti cum sexagenis propugnatoribus. *Sil.* 9, 239. hos *turritas moles* appellat. *Id.* 13, 366. Tempora murali cinctus turrita corona, *h. e.* ornata corona murali, quae referebat muros urbis captae cum pinnis et turribus, ut *Gell.* docet 5, 6. ℙ *Turrita* est Mater Deum, et Urbium effigies, ut in TURRIGER dictum est. *Prop.* 4, 11, 51. Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben, Claudia, turritae cara ministra Deae. *Virg. A.* 6, 785. Berecynthia mater Invehitur curru Phrygias turrita per urbes. *Sidon. carm.* 5, 13. Sederat exserto bellatrix pectore Roma, Cristatum turrita caput. ℙ *Turritus*, celsus, sublimis, eminens instar turris. *Virg. A.* 3, 535. gemino demittunt brachia muro Turriti scopuli. *Lucan*, 2, 358. Turritaque premens frontem matrona corona, *h. e.* capillorum alte aedificato capite, ut ait *Juven.* 6, 502. Sic *Hieron. ep.* 130. *n.* 7. Cerussa ora depingere, ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere. *Prud. Psych.* 183. Turritum tortis caput accumularat in altum Crinibus.

*TURRUS, i, m. Italiae fluvius, in terra Carnorum, non longe ab Aquileia. *Plin.* 3, 18. *B. A.*

TURSĬO, onis, m. genus piscis. *Plin.* 9, 9, 11. Delphinorum similitudinem habent, qui vocantur tursiones. Distant et tristitia quidem aspectus: abest enim illa lascivia: maxime tamen rostris canicularum maleficentiae assimulati.

TURTUR, uris, m. *τρυγών*, avis ex genere columbarum: ita dicta a sono, quem edit: ut et Graece *ἀπὸ τοῦ τρύζειν.* Vivit octonis annis, inquit *Plin.* 10, 35, 52., cum bibunt, colla non resupinant, *Id. ib.* 34, 52. his anno pariunt, *ib.* 53, 74. ova plurimum terna; *ib.* 58, 79. occultantur hieme, et pennas amittunt, *ib.* 24, 35. amici sunt psittacis, et merulis, *ib.* 74, 96. Unde *Ov. Her.* 15, 38. Et niger a viridi turtur amatur ave. (Adde *Am.* 2, 6, 12.) *Virg. Ecl.* 1, 59. Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo. ℙ Est in deliciis ciborum. *Pl. Most.* 1, 1, 44. Tibi istos habeas turtures, pisces, aves. *Juven.* 6, 38. tollere dulcem Cogitat heredem, cariturus turture magno, Mullorumque jubis, etc. *h. e.* muneribus, quae ab heredipetis mittebantur his, qui filios non habebant. Adde *Mart.* 3, 60. et 82. et 13, 53. ℙ *Turtur* obscene pro mentula usurpatur in illo *Plauti Bacch.* 1, 1, 35. Ubi ego capiam pro machaera turturem, etc. V. v. sq. ℙ De turturibus in villa alendis agunt *Varr. R. R.* 3, 8. et *Colum.* 8, 9. et *Pall.* 1, 25. ℙ Cave tibi a *Servio*, qui ad *l. Virg. c.* feminino genere usurpari docet, neque enim *aeria* ad *turtur* refertur, sed ad *ulmo.* [Ceterum *turtura* fuit nomen proprium feminae. *Inscr.* Christiana ap. *Clem. Cardinal. Iscriz. Velitern.* p. 209. Turtura Victorina, quae vixit annos XVIII, etc. *F.*]

TURTŪRILLA, ae, f. parvus turtur. Quia tur-

tures molles sunt, et lascivi, praesertim feminae; ideo *Sen. ep.* 96. *extr.* Hi, inquit, qui expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt, primoresque castrorum: isti, quos publica quies, aliis laborantibus, molliter habet, turturillae sunt, tuti contumeliae causa, *h. e.* imbecilles homines, delicati, effeminati. *Isid* in *Gloss.*, eumque secutus *Lipsius*, turturillam ajunt dici locum, in quo corruptelae fiebant, ducta itidem a turturibus denominatione. Alii in *Senecae* loco perperam aliter leg.

TURUNDA, ae, f. *μάζα, ψωμός*, offa, vel quid simile, cujusmodi sunt, quibus farciuntur altilia ad saginam: ab inusit, *turo, as*, pro quo compositum *obturo* in usu est, quod verbum vide suo loco; *turunda* autem appellata videtur, quia Italorum *turácciolo* similis est. *Cato R. R.* 89. Anseres sic farcito. Polline, vel farina hordeacea conspersa turundas faciat; eas in aquam intingat, in os indat. *Varr. R. R.* 3, 9. *f.* Gallinas farciunt turundis hordeaceis, partim admixtis ex farina loliacea, aut semine lini ex aqua dulci. ℙ Ita etiam appellatur libum sacrum, quod saepe in veteribus anaglyptis videre est a sacrificantibus manu prolata Diis oblatum. *Non.* 17, 18. Turunda, ut libum sacrum quoddam ex farre, genus panificii. *Varr. fragm. ib.* Alii afferunt libum ac turundam. ℙ Item linamentum ex filis, quod immitti in ulcus a medico seu chirurgo solet. *Cato R. R.* 157. *f.* Si fistula erit, turundam intro trudito: si turundam non recipiet, diluito, indito in vesicam; ita premito, in fistulam introeat. [*Scrib. Comp.* 201. Emplastrum manibus subigetur, et redactum in turundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur. Alii pro *turundas* perperam leg. *rotundas. F.*]

[TURUNDULA, ae, f. dimin. turundae. Ita pro *rotundula* reponendum profecto est in loco *Apuleji* in hac voce allato. *F.*]

[TURZETANUS, a, um, adj. ad Turzonem, Africae in provincia proconsulari oppidum, promontorio Mercurii proximum, nun *Turuza*, et a *Ptolem.* 4, 3. *Τούρζω* appellatum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 462, 2. Splendidissimus Ordo Turzetanorum. *F.*]

TUS et Thus, turis, n. *λίβανος*, lacrima exiguae arboris in Arabia, quae siccata adoletur in sacris. *Arnob.* 7, 233. Tus viscum est ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraso, lacrimabili destillatione coalescens. *Id. ib.* 232. morem ejus incendendi in honorem Deorum, non admodum antiquum esse ait, cum neque heroicis temporibus usurpatum sit, neque Etruria mater superstitionis noverit, neque Albani reges, aut Numa adhibuerit. *Plin.* 12. *c.* 14. de natura ejus, ac variis generibus multa disserit, et de loco, ubi nascitur, et de modo colligendi. *Cicero, Tibull., Hor.* et *Plin. jun.* conjungunt *tus* et *odores*, ut in ODOR observavimus. *Hor. Ep.* 1, 14, 23. Angulus iste feret piper et tus ocius uva. *Virg. G.* 1, 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabaei. *Id. A.* 11, 481. Succedunt matres, et templum ture vaporant. *Prop.* 3, 8, 19. coronatas ubi ture piaveris aras. *Tibull.* 1, 8, 53. et 4, 6, 1. dare turis honores. *Pers.* 5, 120. nullo ture litabis. *Ov. Met.* 7, 589. Ferre tura altaribus; et *ib.* 1, 248 in aras; et *ib.* 11, 577. pia Superis. *Id. Pont.* 3, 1, 162. ad Deos; et *ib.* 4, 8, 29. flammis. *Id. ib.* 2, 1, 32. imponere focis. *Id. Fast.* 4, 935. dare focis. *Id. Trist.* 1, 2, 104. et *ib.* 2, 59. pro Caesare. *Plin.* 13, 1, 1. et 22, 54, 56. Ture supplicare. *Tibull.* 1, 3, 34. reddere menstrua tura Lari. *Hor. Od.* 3, 8, 2. acerra turis plena. *Pers.* 1, 43. nec scombros metuentia carmina, nec tus, *h. e.* ne eant involutum scombros, tus, et quidquid chartis amicitur ineptis, ut ait *Hor. Ep.* 2, 1, 270. Tria tura ponere sub limine. *Ov. Fast.* 2, 573. *h. e.* tria turis grana. ℙ *Mascula tura* quid sint, V. in MASCULUS. ℙ *Tus terrae*, herba. V. CHAMAEPITYS. ℙ Qui *thus* scribunt, ducunt *ἀπὸ τοῦ θύειν*: habentque adstipulantes aliquot Lapides, quos refert *Dausqu.* Contra opponunt *Manut.* et *Cellar.* libros veteres, *Virgilii* praesertim, et auctoritatem *Charisii* 1, 58. et *Servii* ad *G.* 1, 57., qui a *tundendo* dictum putant: quia glebae turis, antequam in ignem conjiciantur, tundi solent. Sed ut haec notatio improbetur, et a *θύειν* sumatur origo, multa sunt Graeca vocabula, quae longa consuetudine Latine facta. Latinis etiam litteris scribuntur, ut *silva* ab *ὕλη*, *fama* ab *φήμη*, *frigo* a *φρύγω*, et alia non pauca. *Serv.* ad *A.* 6, 4. Thus, et Orchus veteres dicebant: quibus sequens aetas detraxit aspirationem. [*Marin. Frat. Arv.* p. 338., adductis pluribus veterum locis, probat quod idem *Servius* hic asserit, antiquitus *thus*, deinde *tus* scriptum fuisse. *F.*]

*TUSCA, ae, Africae fluvius, Numidiam ab Africa propria disterminans. *Plin.* 5, 3. *B. A.*

[TUSCANENSIS, e, adj. ad Tuscanam pertinens, parvam urbem, quae nunc *Toscanella*, in antiqua Etruria ad Martham fluv., haud longe ab urbe, quae nunc *Viterbo* appellatur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1090, 7. D. M. C. Coponii Crescentis Dec. Tuscanensium, etc. A *Plin.* 3, 5, 8. vocantur *Tuscanienses*, sed fortasse minus recte, nam ipsa urbs in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 333. *Tuscana* appellatur. *F.*]

TUSCANICUS et Thuscanicus, a, um, adj. Tuscanus: praesertim cum de architecturae rationibus sermo est. *Varr. L. L.* 4, 33. Tuscanicum dictum (*impluvium*) a Tuscis, posteaquam illorum cavum aedium simulare coeperunt. *Vitr.* 3, 2. Ornantque signis fictilibus earum fastigia Tuscanico more. *Id.* 4, 7. *f.* De Tuscanicis generibus sumentes columnarum dispositiones. *Plin.* 35, 12, 45. Ante hanc aedem Tuscanica omnia in aedibus fuisse, auctor est M. Varro. *Id.* 36, 23, 56. Quae sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Doricae (*columnae*) vocantur: quae nonam, Ionicae: quae septimam, Tuscanicae. *Id.* 34, 7, 16. Signa Tuscanica per terras dispersa, quae in Etruria factitata, non est dubium; et *ib.* 18. Videmus Tuscanicum Apollinem in bibliotheca templi Augusti. *Quint.* 12, 10. Tuscanicae statuae. ℙ De scriptione V. TUSCUS.

TUSCĀNUS et Thuscanus, a, um, adj. ad Tuscos pertinens, Etruscus. *Tuscanae dispositiones* ap. *Vitr.* 4, 6. *f.* sunt opera architectonica ad rationem a Tuscis inventam effecta: quae quidem ratio erat omnium simplicissima, ut videre est in figuris, quae a *Philandro*, et aliis exhibentur. De ea agit *Vitr. ib.* 7.

TUSCĒ et Thusce, adv. Tusco more, aut sermone. *Varr.* ap. *Gell.* 2, 25. Cum dicamus ab Osco, Tusco, Graeco, Osce, Tusce, Graece. *Gell.* 11, 7. Quasi nescio quid Tusce, aut Gallice dixisset.

*TUSCENIUS, i, homo obscurus, qui de Q. Cicerone quaestus erat. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 2. *B. A.*

TUSCI. V. TUSCUS.

TUSCIA et Thuscia, ae, f. *la Toscana*, Etruria, Tuscorum regio. *Varr. L. L.* 4, 4.

TUSCULĀNENSIS, e, adj. ad Tusculanum pertinens: de quo in voce sequenti. *Cic. Fam.* 9, 6. Tusculanenses dies, *h. e.* in Tusculano acti.

TUSCULĀNUS, a, um, adj. ad Tusculum, nunc *Frascati*, pertinens, quod est oppidum Latii inter Romam et Labicum, conditum a Telegono Ulyssis et Circes filio, qui cum patrem imprudens necasset, in ea se loca recepit, ut est ap. *Sil.* 7, 692. et 12. 535. Adde *Hor. Od.* 3, 29, 8. et *Stat. Silv.* 1, 3, 83. Scribit *Fest.* in *Tuscos*, dictum esse vel a studio sacrificandi, ut *Tusci;* vel quod aditum difficilem habeat, quasi *δύσκολον*. Hinc Tusculanus ager, *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Tusculana sacra, *Id. ib.* 5, 3. Tusculanus silex. *Plin.* 36, 18, 29. Tusculana aqua, *Cic. Balb.* 20. Tusculani colles, *Liv.* 3, 7. Tusculana arx, *ib.* 23. Tusculanus populus, *Id.* 8, 37. ℙ *Tusculani, orum*, Tusculi cives. *Varr. L. L.* 5, 3., *Cic. Off.* 1, 11. et *Plin.* 3, 5, 9. ℙ *Tusculanum* subaudi *rus*, aut *praedium*, villa Ciceronis in Tusculano agro: a quo *Tusculanas disputationes* inscripsit, in ea habitas. *Id. Div.* 2, 1. et *Att.* 1, 6. et *ib.* 15, 2. *f.* Fuerunt autem eo loci aliorum quoque villae, Varrronis, Hortensii, Pompeji, C. Julii Caesaris, Balbi, L. Crassi, Metelli, etc. quod vicinae essent Urbi, et commeantibus percommodae. Harum mentio fit a *Cic. var. in loc.* et *Plin.* 22, 6, 6. et 35, 11, 40. *n.* 26. Hinc Tusculani secessus *Mart.* 10, 30.

TUSCŪLUM et Thusculum, i, n. exiguum turis. *Pl. Aul.* 2, 8, 15. Nunc tusculum emi, et hasce coronas floreas: haec imponentur in foco nostro Lari. ℙ De oppido V. v. praec.

TUSCŪLUS, a, um, adj. ad Tusculum pertinens, de quo V. TUSCULANUS. *Sil.* 7, 692. Quod peperere decus Circaeo Tuscula dorso Moenia, Lartae quondam regnata nepoti. *Stat. Silv.* 4, 4, 16. Tuscula umbra, *h. e.* nemus Tusculanum. *Tibull.* 1, 8, 57. et *Mart.* 9, 61. tellus. *Id.* 4, 64. Albanos quoque, Tusculosque colles. ℙ *Tusculi, orum*, ejus oppidi incolae. *Id.* 7, 31. Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt.

TUSCUS et Thuscus, a, um, adj. *Τυρρηνός*, ad Tusciam, et Tuscos pertinens, Etruscus, Tyrrhenus. *Cic. Or.* 3, 19. et *Plin.* 3, 5, 8. Tuscum mare inferum: *mar di Toscana;* et *Plin.* 2, 88, 89. Tuscus sinus. *Ov. A. Am.* 3, 386. amnis, *h. e.* Tiberis, qui Tusciae fluvius est. Sic *Hor. Od.* 3, 7, 28. alveus. *Sil.* 7, 378. Tusci stagna profundi, *h. e.* Trasimenus lacus. *Varr. L. L.* 4, 9. Tusca vocabula. *Colum.* 10, 341. sacra, *h. e.* quae Tages Tuscus invenit. *Lucan.* 1, 584. Tuscus vates. *Ov. Fast.* 4, 884. dux, *h. e.* Mezentius. *Id. ib.* 6, 201. Tuscum duellum, *h. e*, bellum Romanorum cum Etruscis. *Mart.* 8, 56. Tuscus eques, *h. e.* Maecenas Tuscorum regum progenies. *Id.* 13, 118. Tusci cadi, *h. e.* vina Tusca, per synecdoch. *Id.* 14, 98. et *Pers.* 2, 60. Tusca fictilia, *h. e.* quae in Tuscia, et praecipue Aretii fiebant. *Juven.* 11, 109. Ponebant igitur Tusco ferrata catino. *Ov. Med. fac.* 65. Tuscum semen, *h. e.* zea, quae per antonomasiam *semen* dicitur, ut *Plin.* docet 18, 8, 19. et *ib.* 11, 29. *n* 2. et farinam candidissimam facit. Tuscum dicitur, quia optimum in Campania provenit (*Id. ib.*), quae est Tusciae vicina. ℙ *Tusco modo dotem quaerere*, h. é. meretriciis artibus victitare: quia Tuscorum quidam filias suas exponere solebant, ut corpore quaestum facerent. *Pl. Cist.* 2, 3, 20. Non enim hic, ubi es, Tusco modo tute tibi indigne dotem quaeras corpore. Alii v. *modo* referunt ad modos musicos tibicinum, et fidicinum, ad quos lascivis numeris puellae saltarent, ut viros illicerent. ℙ *Tusci, orum*, Etrusci, quorum ante Romanum imperium, ut ait *Liv.* 5, 23., late terra marique opes patuere, mari supero inferoque. V. ibi reliqua. Ab his Romani haruspicinam, divinationem, religiones multas, ac ritus, et insignia magistratuum, ludosque sumpsere. V. ETRUSCUS et LYDIUS. ℙ *Tuscus vicus* fuit Romae, ita dictus a Tuscis militibus quibusdam, qui contra Aricinos, Porsena rege, pugnantes, cum victi fuissent, fuga Romam inermes delati, ibique hospitio benigne excepti, sedes fixere, unde locus eis ad habitandum datus, Tuscus dictus. Ita *Liv.* 2, 14. *f.* Aliter *Varr. L. L.* 4, 8. es *Tac. A.* 4, 65. Coelium Vibennam Tuscum auxilio venisse Romulo contra Sabinum regem: habitasse cum suis in monte, qui ab eo Coelius est dictus: quod nimis munitum locum tenerent, venisse in suspicionem, et in plana deductos esse, eumque locum Tuscum vicum appellatum. Similia his habet *Festus.* ℙ In eo vico habitabat turba impia, ut ait *Hor. Sat.* 2, 3, 228., et homines qui ipsi sese venditant, ut ait *Pl. Curc.* 4, 1, 21. h. e. scorta et lenones. *Mart.* 11, 27. significat ibi fuisse etiam sericarum vestium artifices. ℙ *Tuscos* ait *Festus* dictos esse, vel a Tusco rege filio Herculis, vel ab eo, quod unice studiosi sacrificandi, *ἀπὸ τοῦ θύειν*, quasi *θυόσκοοι:* quod confirmant non solum *Serv.* ad *A.* 2, 781., sed etiam *Plin.* 3, 5, 8. his verbis: Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrificio ritu lingua Graecorum Tusci sunt cognominati. Hinc est, quod *Thuscus* a multis scribi placuit, quibus favet *vet. Inscr.* ap. *Grut.* 474, 3.; sed contra sunt multo plures inscripti Lepides, libri MSS. et *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.* Accedit ratio in TUS allata.

[TUSILLAE, arum, f. plur. sunt eaedem ac tonsillae. *Isid. Or.* 11, 1. *med.* Toles Gallica lingua dicuntur, quas vulgo per diminutionem tusillas vocant, quae in faucibus turgescere solent. V. TOLES. *F.*]

TUSSĒDO, inis, f. idem ac tussis. *Appul. Met.* 9. Muli nares languidas assiduo pulsu tussedinis hiulci.

TURRĬCŪLA, ae, f. parva tussis. *Plin. ep.* 5, 19. *med.* Veteris infirmitatis tussicula admonitus, rursus sanguinem reddidit. *Cels.* 3, 22. *med.* Tussicula suis remediis finienda. [*Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 2. *med.* Pullo nostro tussiculam sedaverit et dies clementior, et nutrix ejus, si cibis aptioribus vescatur. *F.*]

TUSSĬCŪLĀRIS, e, adj utilis ad tussim, ut Tussicularia medicamenta, *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. *med.* Tussicularis herba, [ap. *eund. ib.* 2, 7. *f.* eadem est ac tussilago. *F.*]

TUSSĬCŪLOSUS, a, um, adj. tussi laborans. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 13. *f.* Tussiculosa et frigida senilis est aetas.

TUSSĪCUS, a, um, adj qui multum tussit. *Firm. Math.* 5, 16. Luna alios tussicos, alios splenicos efficiet. Adde *Marcell. Empir.* 20.

TUSSĪLĀGO, inis, f. *βήχιον*, herba, cujus duo sunt genera. Silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt: et hoc habent signum aquileges. Folia sunt majuscula, quam hederae, quinque aut septem, subalbida a terra, superne pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. Altera a quibusdam appellatur, similis verbasco. Nomen habet a tussi sananda. *Plin.* 26, 6, 16. [**Huflattich, Brandlattich.*]

TUSSĪO, is, a. 4. *βήττω*, tussim edo. *Pl. As.* 4, 1, 49. Forte si tussire occoepsit, ne sic tussiat, ut cuiquam linguam in tussiendo proferat. *Hor. Sat.* 2, 5, 106. siquis Forte coheredum male tussiet. *Petr. Sat.* 117. Plurimum tussire. *Mart.* 1, 20. fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes: Expulit una duos tussis, et una duos. Jam secura potes totis tussire diebus. *Id.* 2, 26. Quod querulum spirat, quod acerbum Naevia tussit. ℙ *Tussiens*, tussi laborans. *Plin.* 21, 20, 83. Irim circumligari infantibus dentientibus, et tussientibus. *Id.* 23, 8, 77. Nuces tussientibus inimicae. *Id.* 29, 3, 11. Ova cocta et trita cum melle dantur tussientibus.

TUSSIS, is, f. *βῆξ*, est vehementissima quaedam afflatio, qua plurimus simul, celerrimeque foras spiritus agitur, propellitque una secum suo impetu ea, quae vias suas obstruunt. *Ter. Heaut.* 2, 3, 132. Gemitus, screatus, tussis, risus abstine. *Virg. G.* 3, 496. et quatit aegros Tussis anhela sues. *Catull.* 44, 7. Malamque pectore exspui tussim; et *ib.* 19. frigus gravedinem et tussim fert. *Plin.* 23, 4, 51. Tussim exasperare. *Id.* 28, 6, 17. concitare. *Mart.* 11, 86. Fauces aspera vexat tussis. *Cels.* 4, 6. Sicca tussis, quae nihil emollitur; et *ib.* 4. *n.* 4. Tussis vehementissime urget; et 8, 9. infestat. *Id.* 4, 6. Tussim levare. *Plin.* 30, 6, 15. lenire. *Id.* 23, 1, 27. inhibere. *Colum.* 6, 10. sanare. *Id. ib.* et 31. veterem discutere. *Plin.* 26, 6, 16. sedare; et *ib.* 15. Radix tussi et faucibus prodest. *Id.* 23, 8, 80. Folia lauri liberant a tussi; et 32, 8, 29. Tussi liberari; et 25, 5, 24. veteri mederi.

[TUSURĪTĀNUS, a, um, adj. ad Tusurum, seu Tisurum pertinens, provinciae Byzacenae oppidum, quod a *Ptolem.* 4, 3. *Τίσουρος* dicitur. *Inscr.* Aquilejae reperta, in *Antolog. Rom.* ann. 1776. *n.* 18.

Geminius Restuti F. natus ex civitate Tusuritana Africae proconsularis. *F.*]

TŪSUS, a, um, part. a *tundo:* tunsus. *Vitruv.* 2, 5. Testam tusam et suceretam arenae adjicere. *Plin.* 36, 25, 62. Ruderi novo tertiam partem testae addere. *Pall.* 1, 9. *extr.* Supra marmor tusum cernatur. *Veg. Vet.* 7, 16. Haec omnia tusa, et bene cribrata. *Appul. Herb.* 28. Herba tusa, et imposita.

TŪTĂCŬLUM, i, n. idem quod tutamentum, munimentum. *Prud. adv. Sym.* 2, 387. fida ut tutacula nudis, Invalidisque paret.

TŪTĀMEN, inis, n. *ἀσφάλισμα, ὀχύρωμα*, munimentum, defensio, defensaculum. *Virg. A.* 5, 262. Donat habere viro decus, et tutamen in armis. *Arnob.* 2, 71. Domorum, aut vestium tutamina sibi conquirere; et 1, 15. A Deo deposcimus rebus fessis tutamina.

TŪTĀMENTUM, i, n. idem ac tutamen, unde factum est. *Liv.* 21, 61. *f.* Nix sola, ignibus aliquoties conjectis ab hoste, etiam tutamentum fuerit. *Appul. Met.* 1. Circumspiciens tutamenta sermonis, *h. e.* an tutum esset loqui.

TŪTĀNUS, i, m. Deus apud Romanos, idem, ut putant, atque Hercules, cui ara fuit extra portam Capenam: a *tutando*, quod adversus Annibalem tutatus esset populum R. Alius igitur fuit a Tutuno, vel Tutino, qui idem ac Priapus. *Var.* ap. *Non.* 1, 242. Noctu Annibalis cum fugavi exercitum, Tutanus hoc, Tutanu' Romae nuncupor, Hac propter omnes, qui laborant, invocant. V. REDICULUS.

TŪTARCHUS. V. TOECHARCUS.

TŪTĀTĬO, onis, f. tuitio, defensio. *Firm. Math.* 4, 7. Qui regias opes thesaurosque fidei tutatione custodiant.

TŪTĀTOR, oris, m. tutor. *Appul. de Deo Socrat.* Dubiis praemonitor, periculosis tutator, egenis opitulator. *Inscr.* ap. *De-Vita Antiquit. Benev. cl.* 1. *n.* 3. Jovi Tutatori. *Nummus Diocletiani* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 9. Jovi tutatori Augustorum.

TŪTĀTUS, a, um, part. a *tutor:* qui tutatus est. *Ov. Trist.* 5, 6, 15. Nil nisi me solum primo tutatus. ℙ Passive. *Sym. ep.* 9, 11. Ut auxilio tuo tutata possessio a molestiis vindicetur.

TŪTĔ, pronomen. V. TU et TE.

TŪTĔ, adv. *ἀσφαλῶς, ἀκινδύνως*, secure, sine periculo, tuto. *Auct. ad Her.* 3, 5. *med.* Eum tute vivere, qui honeste vivat; et *ib.* 7. Tute cauteque agere aliquid. *Pl. Trin.* 1, 2, 102. Crede huic tute. *Colum.* 5, 10. *f.* Sive transferre voles, sive inserere, satis tute utrumque facere poteris. *Cn. Pomp.* ad *Cic. post. ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Nam te hic tutissime fore puto.

TŪTĔLĀ, ae, f. *προβλημα*, munimentum, tutamen: a tueor. *Varr. R. R.* 1, 14. Nunc de septis, quae tutandi causa fundi fiant, dicam. Earum tutelarum genera quatuor, unum naturale, alterum agreste, tertium militare, quartum fabrile. Primum *Varro* docet esse sepem vivam; secundum sepem mortuam ex palis statutis, et longuriis, aut arborum truncis; tertium ex fossa aut aggere; quartum ex maceria. *Plin.* 29, 2, 8. Lanae tutelam praestant contra frigora. *Id.* 21, 14, 49. Cera varios in colores pigmentis traditur ad innumeros mortalium usus, parietumque et armorum tutelam, *h. e.* ad tectoria picta parietum illinenda, et arma ab robigine defendenda. ℙ *Tutela animalium* est non solum cura, ut defendantur ab injuriis aut aeris, aut ferarum, sed etiam ut alantur. *Colum.* 6, 2. *f.* Quoniam quae sequenda sunt in emendis domandisque bubus, tradidimus, tutelam eorum praecipiamus. *Id.* 9. *in.* Venio nunc ad tutelam pecudum silvestrium, et apium educationem. *Id.* 7, 1. *in.* Asellus exiguae tutelae est. Sic *Just.* 16, 3. Tributum in tutelam classis describere. Et *Suet. Caes.* 68. Cum tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent. *Sen. Consol. ad Helv.* 9. Est haec terra vix ad tutelam incolentium fertilis. ℙ *Tutela aedificiorum* est cura, qua sarta tecta praestantur. *Plin.* 18, 5, 6. Ut villarum tutela non sit oneri. *Id.* 35, 3, 4. M. Aufidius tutelae Capitolii redemptor. *Cels. Dig.* 31, 1, 30. Legare pecuniam in tutelam viae. *Inscr.* ap. *Grut.* 471, 5. et 175, 7. Dare certam summam pecuniae in tutelam sepulcri. ℙ *Tutela navis* est alicujus numinis signum in puppi, non in prora, ut quidam falso putarunt; unde praesidium navigantibus sperabatur. V. NAVIS. In prora autem insigne navis erat, quod eidem nomen dabat. V. *ib. Ov. Trist.* 1, 10, 1. Est mihi, sitque precor, flavae tutela Minervae Navis: et a picta casside nomen habet, *h. e.* tutela est Minerva, nomen autem navis est *galea* seu *cassis* in prora. *Sil.* 14, 410. Numen erat celsae puppis vicina Dione; et *ib.* 542. Scuta virum, cristaeque, et inerti spicula ferro, Tutelaeque Deum fluitant. *Sen. ep.* 76. Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cujus tutela ebore caelata est, etc. Adde *Petr. Sat.* 105. et 108. ℙ Quandoque tamen, praecipue apud Phoenices et Graecos, idem simulacrum in puppi positum et navis tutela erat, eidemque nomen dabat. V. *ib.* Hinc eadem navis Hammonis simulacrum in puppi habebat, eademque Hammon nominabatur. *Sil. ib.* 436. ferus inde citatum Missile adorata contorquet Sabrata puppe. Hammon numen erat Libycae gentile carinae, Cornigeraque sedens spectabat caerula fronte; et *mox* 572. Uritur undivagus Python, et corniger Hammon: scil. naves, quibus nomen erat Python, et Hammon. ℙ *Tutela prorae* ap. *Ov. Met.* 3, 617. est proreta. V. PRORETA, ℙ *Tutela loci*, Genius, loci praeses. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* et *Inscr.* ap. *Grut.* 104. et 105. ubi et Genius custos hominis *tutela* dicitur. Tutela Lemni est Vulcanus, *Auct. Priap.* 37. Tutela Lemni dispares movet gressus. Hinc *Hieron. in Esai.* 57, 7. Ipsa Roma orbis domina in singulis insulis domibusque Tutelae simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem aedium isto appellant nomine, ut tam intrantes, quam exeuntes domos suas, inoliti semper commoneantur erroris. In duab. *Inscr.* ap. *Mur.* 103, 9. et 10. dicitur *Tutela Aug.* ℙ Universim est defensio, praesidium, patrocinium, *ἐπιτροπή*. *Cic. Fin.* 4, 14. Cum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. *Id. Mur.* 10. Omnia haec nostra studia latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis. *Id. Prov. cons.* 14. Sit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata est. *Id. N. D.* 3, 22. Apollo, cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. *Id. Or.* 1, 53. Duos filios suos parvos tutelae populi commendavit. *Prop.* 3, 11, 41. Diique Deaeque omnes, quibus est tutela per agros, *h. e.* qui habent agros in tutela. *Plin.* 32, 2, 11. Surculi curalii infantiae alligati tutelam habere creduntur, *h. e.* vim amuleti, et arcendi veneficii. *Suet. Aug.* 49. Classem Miseni, et alteram Ravennae, ad tutelam superi et inferi maris collocavit. ℙ Item remedium, medicina. *Grat. Cyn.* 478. Aut incurvatae siqua est tutela prodagrae. ℙ Saepe est vis ac potestas in capite libero constituta ad tuendum eum, qui per aetatem sua sponte se defendere nequit, jure civili data ac permissa, ut *Servius* ap. *Paul. Dig.* 26, 1, 1. definit: daturque pupillo impuberi, sicut curatio puberi. *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 2, 46. *f.* Gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam est traditus. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* M. Cato nuper Luculli accepit tutelam. *Just.* 4, 2. Filiorum tutelam alicui committere. *Liv.* 39, 9. Tutelam ita gessera†, ut rationem ejus gerere non posset. Dicimus *tutelam suscipere, administrare, gerere, dare, mandare, deponere*, et similia. V. *Digest.* toto fere *l.* 26. et 27. ubi haec passim habentur. *Tutelam reddere, exigere, reposcere*, est tutelae rationes reddere, exigere. *Papin. ib.* 27, 3, 21. et *Ulp. ib.* 13. et *Marcell. ib.* 26, 7, 28. ℙ Aliquando *tutela* est ipsum patrimonium pupilli. *Cic. Att.* 1, 5. *med.* Mirabamur, te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. *Id. Fl.* 34. Nihil potest de tutela legitima sine omnium tuorum auctoritate deminui. *Ulp. Dig.* 26, 7, 5. Si tam exiguam esse tutelam probabitur, ut ex nummo refecto praedium puero comparari non possit. ℙ *Venire in tutelam suam, pervenire in tutelam, tutelae suae fieri*, dicitur pupillus, cum annos pubertatis ingressus sub tutore esse desinit. *Cic. Or.* 1, 39. *f.* Nisi postumus, antequam in tutelam veniret, mortuus esset. *Id. ib.* Si filius non esset, qui in tutelam veniret, M. Curius esset heres. *Id. Rosc. Com.* 6. Fraudare pupillum, qui in tutelam pervenit. *Sen. ep.* 33. *f.* Isti, qui nunquam tutelae suae fiunt. *Suet. Claud.* 2. Diu, atque etiam post tutelam receptam, alieni arbitrii, et sub paedagogo fuit. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 4, 2, 28. et *Truc.* 2, 1, 43. Ecquis huic tutelam januae gerit? *Id. Trin.* 4, 3, 51. Meo tergo tutelam geram. His loc. notandus loquendi modus *gerere tutelam alicui.* ℙ Passive. *Hor. Od.* 4, 6, 31. Virginum primae, puerique claris Patribus orti, Deliae tutela Deae, *h. e.* qui in tutela Dianae estis. *Massur.* ap. *Gell.* 5, 13. *med.* In officiis apud majores ita observatum est: primum tutelae, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. *Prop.* 4, 8, 3. Lanuvium annosi vetus est tutela draconis.

TŪTĔLĀRIS, e, adj. *ἐπιτροπικὸς*, ad tutelam pupillorum pertinens. *Ulp. Dig.* 12, 3, 4. Tutelaris causa. *Paul. ib.* 27, 7, 8. Tutelaria instrumenta. *Sidon. ep.* 4, 24. *f.* Frater et soror sub annis adhuc tutelaribus agunt. *Capitol. M. Aurel.* 19. *f.* Praetorem tutelarem primus fecit, cum antea tutores a consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur. Adde *Ulp.* ap. *Modest. Dig.* 27, 1, 6. *med.* ℙ *Dii tutelares* dicuntur, in quorum tutela urbes et loca sunt. Hi in oppugnatione urbium certo carminis genere evocari solebant, ne cum ipsis etiam Diis bellum susceptum videretur, et ut urbes eorum ope destitutae facilius caperentur, ut docet *Macr. Sat.* 3, 9. (ubi et ejus evocationis carmen recitat. *Arnob.* 3, 114. Tutelaribus Diis supplicare.

TŪTĔLĀRĬUS, ii, m. qui cujuspiam rei tutelam, et munus sartae tectae praestandae suscipit. *Plin.* 34, 7, 17. Capite tutelarios cavere pro ea (*cane ex aere*) instituti publici fuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 363, 2. Praetor tutelarius. *Alia* ap. *eund.* 465, 5. Praetor K. tutelarius.

TŪTĔLĀTOR, oris, m. qui tutelam gerit. *Cappell.* 2. p. 39. de Genio: Hic tutelator, fidissimusque germanus, animos omnium mentesque custodit.

TŪTĔLĀTUS, a, um, part. ab inus. *tutelo*, in alicujus rei tutelam assignatus. *Aggen. de limit. agror.* p. 58. *Goes.* In tutelam rei urbanae assignatae sunt silvae, de quibus ligna in reparationem publicorum moenium traherentur. Hoc genus agri tutelatum dicitur.

TŪTĔLĪNA et Tutilina (ut habetur in *vet. Inscr.* ap. *Grut.* 99, 6.), ae, f. Dea, quam frumentis collectis et reconditis, ut tuto servarentur, praeposuerunt, ut ait *August. C. D.* 4, 8. Meminit et *Macr. Sat.* 1, 16. *Tert. Spect.* 8. de Circo: Columnae Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutelis fructuum sustinent. *Plin.* 18, 2, 2. verbis *Tertulliani* lucem affert, docens in Circo tria fuisse simulacra columnis imposita, Sejae, Segestae, et hujus, de qua loquimur: cujus nomine abstinet, quia Tutelinam sub tecto nominare, religio erat: quique id fecissent, ferias observabant, ut ait *Macr. l. c.* ℙ Etiam *Varr. L. L.* 4, 34. et ap. *Non.* 1, 243. Tutelinae meminit, sed videtur aliam intelligere, a tutela urbis Romae dictam, cujus ara fuit in Aventino, ut est ap. *Panvin.* in descript. *Urbis Romae:* Verba *Varr.* ap. *Non.* sunt: Non Tutilinam, quam ego ipse invoco, quod meae aures abs te obsidentur.

*TŪTĬA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis. *Flor.* 3, 22. *extr.* ℙ Et fluvius Latii. *Liv.* 22, 11. *B. A.*

[TŪTĬCĀNUS, a, um, adj. ad Tuticum, sive Equum Tuticum pertinens. V. vocem sequent. Est cogn. R. Hinc in *epist.*, quam *Tuticano* scripsit *Ov. Pont.* 4, 12, 9. Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur, Arctius appellem, Tuticanumque vocem. Non potes in versum Tuticani more venire, Fiat ut e longa syllaba prima brevis. Porro vides, hic *Ovidium* excusare difficultatem vocis, cujus quantitas hexametro repugnat. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 119, 6. P. Baebio P. Fil. Pob. Tuticano, etc. *Alia* ap. *Fabr.* p. 641. *n.* 349. Caecilia Tuticana. *F.*]

[TŪTĬCUS, a, um, adj. magnus, summus. Vox Oscae originis, ut probat *Lanzius Sagg. di lingua Etr.* T. 2. p. 619. et *Rosin. dissert. isag.* p. 38. Hinc *Meddixtuticus*, q. v. V. Et *Equustuticus*, oppidum Apuliae in Hirpinis, memoratum a *Cic. Att.* 6, 1., quod in *Itin. Hierosol.* dicitur *Equus Magnus.* V. EQUUSTUTICUS. Inde est *Tuticanus*, q. v. v. s. l. *F.*]

*TUTIENSES, ium, gens vetus Lati, a Tutia vel Tutio oppido quodam deperdito nomen fortasse trahentes. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*TUTĪNI, orum, populi Calabriae, quorum meminit *Plin.* 3, 11. *B. A.*

TŪTĪNUS. V. MUTINUS.

TŪTO, adv. *ἀσφαλῶς*, sine periculo, impune, tute. *Caes. B. G.* 3, 24. Illi etsi propter multitudinem se tuto dimicaturos existimabant; et *ib.* 7, 36. *extr.* Ut tuto ab repentino hostium incursu commeare possent. *Nep. Con.* 2. Non quaesivit, ubi tuto viveret. *Id. Them.* 8. Tuto in aliquo loco versari. *Cic. Fam.* 14, 3. Ut tuto loco sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est, *h. e.* in tuto sim. *Sall. Jug.* 15. *extr.* Ut ubivis tutius ,quam in meo regno essem. *Cic. Att.* 8, 1. Non me quaerere, ubi tutissimo essem. Alii leg. *tutissime.* Affert *Charis.* 2, 173. alium locum *Cic.* ex *Att.* Ubi tutissimo essent. Sed fortasse hunc eundem designat, qui est *l.* 8. ℙ Item sine metu, secure. *Sen. Oed.* 613. de Niobe apud Inferos: Interque natos Tutalis tandem suos Tuto superba fert caput fastu gravi.

TŪTO, as. V. v. sq.

TŪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀσφαλίζω*, tueor, defendo, conservo, protego. *Cic. N. D.* 2, 57. Genae ab inferiore parte tutantur (*oculos*) subjectae, leviterque eminentes. *Plaut.* de bono servo, *Men.* 5, 6, 3. Cogitat, ut rem heri diligenter tutetur. *Plin. praef.* 7. Natura arbores cortice a frigoribus et calore tutata est. *Liv.* 3, 22. Volsci tutabantur se vallo; et 5, 2. Egregiis muris situque naturali urbem tutantes. *Phaedr.* 1, 31. Qui se committit homini tutandum improbo. *Sall. Jug.* 77. *extr.* Numidas in omnibus proeliis magis pedes, quam arma tutata sunt. Alii leg. *tuta*; et *ib.* 110. Se ob regnum tutandum arma cepisse. *Virg. A.* 2, 676. Sin aliquam expertus sumptis spem sumis in armis, Hanc primum tutare domum. *Tac. A.* 6, 41. Locorum ingenio tutari se contra copias regis. *Id. ib.* 1, 30. Hiems imbribus adeo saevis, ut non egredi tentoria, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda raptabantur. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 87. Mihi spes omnes in memet, quas necesse est et virtute et innocentia tutari. *Tac. A.* 1, 39. Signa et aquilam amplexus, religione se tutabatur; et *ib.* 4, 52. *extr.* Capessendis accusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiae, quam morum fama fuit. *Virg. A.* 5, 343. Tutatur favor Euryalum, lacrimaeque decorae. *Liv.* 6, 26. Tutari se ab ira alicujus. *Hor. Ep.* 2, 1, 170. aspice, Plautus Quo pacto partes tutetur amantis ephebi, Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi, *h. e.* scite agat et servet. ℙ Propulsare, arcere. *Sall. or. Lepid.*

contra Sull. Ne in tutandis periculis magis, quam in ulciscendo teneamini. ℙ *Tutari inopiam* est quod dixerunt *Cic.*, *Caes.*, *Plin.* sustentare egestatem, paupertatem, parsimoniam, famem. *Caes. B. C.* 1, 52. *extr.* Ipse praesentem inopiam, quibus poterat, subsidiis tutabatur. ℙ Etiam *tuto*, *as*, activa positione dictum est. *Pl. Merc.* 5, 2, 25. Invoco vos, Lares viales, ut me bene tutetis. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 70. Tu mulier tege te, et tuta templa Liberi. *Naev. ib.* Tuos qui celsos terminos tutant. *Pomp. ib.* Non erat quod corpus tremulum famula tutaret toga. ℙ Hinc passive *Pl. Amph.* 2, 2, 20. Patria et prognati tutantur, servantur. V. TUTATUS.

TŪTOR, oris, m. ἐπίτροπος, qui tuetur, defensor. *Hor. Epod.* 2, 22. et te, pater Silvane, tutor finium. *Cic. Har. resp.* 6. *med.* Castus tutor religionum. *Suet. Tit.* 6. Neque ex eo destitit participem, atque etiam tutorem imperii agere. *Cic. Phil.* 6, 5. Quis unquam tantis opibus fuit, qui se populi R. tutorem dicere auderet? *Petr. Sat.* 133. tutor Bacchi, *h. e.* Priapus, qui una cum Sileno dicitur esse comes et custos Bacchi: quia vinum sequiquitur ebrietas, et turpis libido. *Inscr.* ap. *Daniel. Numism. Cap.* p. 92. Herculi Tutori domus Novelliana. ℙ *Tutor* praecipue est, qui pupilli pueritiae usque ad pubertatem regendae praeponitur, ut in TUTELA dictum est: et differt a curatore, qui post pubertatem, et furiosis quoque et mente captis datur, ὁφφικιστής, qua de re JCti toto *l. Dig.* 26. *Cic. Att.* 12, 28. *med.* Amo illum mortuum: tutor sum liberis: totam domum diligo. *Id. Caecin.* 25. Quod mulier sine tutore auctore promiserit. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* Datum se a consulibus tutorem Helvidii filiae, petentibus matre ejus et vitrico. *Id. ep.* 2, 1. *med.* Ille tutor mihi relictus affectum parentis exhibuit. *Cic. Or.* 1, 53. Tutorem instituere filiorum orbitati. *Just.* 13, 2. *extr.* constituere. *Id.* 7, 5. *f.* Agere tutorem pupilli ℙ *Tutor praetorius* dicebatur, qui a praetore urbano dabatur. Ita *Cajus Instit.* 1. (edente iterum *Goeschenio*) §. 184. Quis vero *tutor dativus*, et *optivus*, et *legitimus* sit, V. in DATIVUS. ℙ Latiore significatione pro curatore ponitur, praesertim cum de mulieribus sermo est. *Cic. Mur.* 12. *med.* Mulieres propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt. *Liv.* 39, 9. *extr.* Tutore a tribunis et praetore petito, cum testamentum faceret, unum Aebutium instituit heredem. ℙ De fem. gen. *Nerat. Dig.* 26, 1, 18. Feminae tutores dari non possunt, quia id munus est masculorum. V. AUCTOR. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 96. *med.* Post Hortensii mortem orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus. *Id. in Sen.* 2. Cum respublica non solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis esset orbata. *Ov. Trist.* 3, 14, 13. Hanc (*progeniem carminum meor:*) tibi commendo; quae quo magis orba parente, Hoc tibi tutori sarcina major erit. ℙ [Est etiam cogn. R., ut Julius Tutor ap. *Tac. H.* 4, 55. *F.*]

[TŪTORĪNUS, a, um, adj. ad tutorem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 244, 7. Calventia Tutorina. *F.*]

TŪTORĬUS, a, um, adj. ad tutorem pertinens. *Just.* 30, 3. Mittitur, qui tutorio nomine regnum administret. [*Inscr.* ap. *Fea Relaz. d'un viagg. ad Ostia* p. 14. Jovi Tutorio Q. Veturius Secundus, etc. ℙ *Tutoria*, *ae*, absolute, videtur esse eadem ac tutrix. *Inscr.* ap. *Grut.* 637, 7. Ulpiae Athenaidi T. Flavius Genethlius nummularius tutoriae benemerenti. *F.*]

TUTRIX, icis, f. quae pupilli tutelam gerit. *Justin. Imp. Cod.* 5, 35, 3. Et ita filiorum suarum tutricem eam exsistere sancimus. [*Fulg. Myth. praef. f.* His te, inquit, tutricibus spoponderam largiturum, *h. e.* Musis. *F.*]

TŪTŬBO, as. V. CUCUBO.

TŪTŪLĀTUS, a, um, adj. tutulum habens. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Tutulati dicti hi, qui in sacris in capitibus habere solent ut metam; id tutulus appellatur; ab eo quod matresfamilias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos: sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant: sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima, tutulus vocatur. *Enn. ib.* et ap. *Fest.* in *Tutulum*, de Numa Mensas constituit, idemque ancilia primus, Libaque, fictores, Argeos, et Tutulatos, *h. e.* flamines lanato pileo, ut dicetur in voce sequenti. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 68. Mulier ab ubi aspexit tam mirifice tutulatam truam. V. TRUA.

TŪTŪLUS, i, m. πύργος πλοκάμου, κορυφὴ, κόρυμβος, capillorum in conum congeries in vertice capitis nobilium feminarum: quem *Lucan.* 2, 358. vocat turritam frontis coronam, *Stat. Silv.* 1, 2, 114. suggestum comae; et *Juven.* 6, 502. ait, illo feminas alte aedificare caput. *Inscr.* ap. *Grut.* 579, 5. Aponiae Successae a tutul. ornatr. C. Batonius Epigonus atriensis. ℙ Hujusmodi ornatum praecipue gestabant flaminicae, vitta purpurea innexa crinibus, et exstructa in altitudinem, ut *Festus* docet: qui addit, sic vocari etiam pileum lanatum, forma metali figuratum, quo flamines, et pontifices utuntur. Idem habes etiam in verbis *Varr.* in voce praeced. V. APEX. *Tert. Pall.* 4. *f.* Super omnes apices et tutulos sacer sugestus deducit oculos. ℙ Addit *Varr. l. c.* tutulum dici etiam altissimam urbis partem, quia tutissima est. Hoc si probas, primam syllabam, contra atque fecit *Ennius*, producere poteris: nempe a *tutus*, vel a *tutor*, *aris.*

TŪTŪNUS, i, m. Deus idem qui Priapus, ut docent *August. Cic. D.* 4, 11. et *Arnob.* 4. p. 131. et 133. V. MUTINUS. ℙ Alius est *Tutanus*, de quo suo loco.

TŪTUS, a, um, part. a *tuor* pro *tueor*, qui tutatus est, defendit, protexit. *Sall. Jug.* 56. Plerosque velocitas, et regio hostibus ignara tuta sunt; et *ib.* 77. *extr.* Numidas in omnibus proeliis pedes magis, quam arma tuta sunt; et *ib.* 90. Quae ad hoc tempus Jugurtham tuta sunt, omnia removistis. In plurimis MSS. exstare affirmat *Cortius*, probantque *Grut.* et alii, additis etiam *Livii* 10, 37. *Plinii* 7. *prooem.* et *Frontini Strat.* 2, 12. locis, tametsi in *tutatus* ab aliis mutata sint. ℙ Hinc nomen transiit, et significat tectum, munitum, septum, extra pericula positum, incolumem, ἀκίνδυνος, ἀσφαλής. *Caes. B. G.* 2, 28. Cum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum arbitrarentur. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. *med.* Nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem et audaciam posset esse. *Id. Dom.* 42. Quae majores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea iste labefactavit. *Liv.* 31, 23. *f.* Refractus carcer, emissique captivi, quos Philippus tanquam in tutissimam custodiam condiderat. *Hor. Od.* 3, 16, 7. tutum iter et patens. *Phaedr.* 2, 6. Testudo tuta naturae munere. *Id.* 4, 16. navis Ferri secundis tuta coepit flatibus. *Id.* 1, 31. Qui vos ab omni tutas praestem injuria. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *med.* Tutum me ab insidiis inimici sciebam non futurum. *Ov. Her.* 11, 44, infans tecto tutus ab hoste fuit; et *ib.* 16, 344. Et tuta a bello Bistonis ora fuit. *Cels.* 5, 23. *n.* 3. Mithridates dicitur adversus venenorum pericula tutum corpus suum reddidisse. *Liv.* 36, 32. *med.* Testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse. *Hirt. B. Alex.* 1. Incendio tuta est Alexandria, quod sine contignatione ac materia sunt aedificia. *Virg. A.* 10, 713. jaculis, tutisque procul clamoribus instant, *h. e.* ex tuto loco editis. ℙ Est etiam *tutus*, qui tutos praestat. *Cic. Manil.* 11. *med.* Quis locus tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset? *Caes. B. C.* 1, 46. Commodiorem ac tutiorem nostris receptum dat. *Tibull.* 4, 1, 83. tutam castris praeducere fossam. *Phaedr.* 2, 4. feles Dolosa tuto condidit sese cavo. *Nep. Them.* 2. Praedones maritimos consectando, mare tutum reddidit. *Ter. Heaut.* 2, 2, 86. Consilium quod cepi, rectum esse et tutum scio. *Id. Ad.* 4, 2, 13. Me jam in cellam aliquam concludam: id tutissimum est. *Caes. B. G.* 3, 24. Tutius esse arbitrabantur, sine ullo vulnere victoria potiri. ℙ *Tutus* et *securus* differunt: ille ab externo periculo procul est: hic etiam interna cura caret. *Sen. ep.* 105. *f.* Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum. *Just.* 39, 4. Periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. V. SECURUS. ℙ *Tutum* absolute, locus tutus. *Pl. Most.* 5, 1, 7. Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos. *Liv.* 2, 19. Concursu suorum receptus in tutum est. *Nep. Chabr.* 4. Nando in tutum pervenerunt. *Ter. Heaut.* 4, 3, 11. et *Cic. Har. resp.* 25. Collocare aliquid in tuto. *Cic. Fam.* 12, 2. *f.* et *Ter. ib.* 30. Esse in tuto. ℙ *Tutus* interdum est cautus, prudens, sanus. *Liv.* 9, 32. Celeriora, quam tutiora consilia, magis placuere ducibus. *Id.* 22, 38. *f.* Tuta celeribus consiliis praeponere. *Ov Trist.* 3, 12, 36. Non nisi vicinas tutus ararit aquas *Hor. A. P.* 28. Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae. *Id. Sat.* 2, 3, 137. ex quo est habitus male tutae mentis Orestes. ℙ *Tutum est* prudentis et cauti est. *Prop.* 1, 15, 42. O nullis tutum credere blanditiis! ℙ Cum infinito. *Id.* 1, 20, 51. His, o Galle, tos monitis servabis amores, Formosum Nymphis credere tutus Hylan, *h. e.* cavens credere, εὐλαβούμενος. Alii leg. *visus*, minus recte. ℙ Cum genitivo. *Lucan.* 9, 345. Pars ratium major regimen clavumque secuta est, Tuta fugae. Alii leg. *fuga*. ℙ *Tutum* adverb. tuto. *Festus:* Tutum frequenter dicitur maxime. Varro: Tutum sub sede fuissent.

TŪUS, a, um, οὸς, qui ad te pertinet: pronomen possessivum, a *tu*, vel a τεὸς Dorice pro οὸς. *Ter. Andr.* 2, 2, 16. Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare sese hodie. *Pl. Pers.* 4, 4, 37. Indica, fac pretium. *Dor.* tua merx est, tua indicatio est. *Cic. Fam.* 13, 16. Qui in bello tecum fuisset. et de tuis unus esset, *h. e.* de tuis fautoribus. *Id. Att.* 4, 15. Nunquam tu sine causa a tuis et hominibus et rebus abesse voluisses. *Ter. Andr.* 5, 6, 11. Age, me in tuis secundis respice: tuus est nunc Chremes: facturum quae voles scio esse omnia, *h. e.* tibi addictus, obsequens, obnoxius. *Id. Hec.* 4, 3, 12. Id tua nihil refert, utrum, etc. *h. e.* tua causa. *Id. Heaut.* 4, 5, 35. Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas, *h. e.* tua commenta, dolosa consilia, fraudes. *Pl. Trin.* 2, 2, 47. *Lys.* Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. *Phil.* nempe de tuo. *Lys.* de meo: nam quod tuum est, meum est: omne meum est autem tuum. *Stat. Th.* 4. amnem alloquens 833. neque enim tibi cana repostas Bruma nives raptasque alio de fonte refundit Arcus aquas, etc. Sed tuus, et nulli ruis expugnabilis astro, *h. e.* ipse tui dominus, tui juris, neque ulli debens aquas. ℙ Item accommodatus, opportunus, utilis. *Mart.* 10, 19. Sed ne tempore non tuo disertam Pulses ebria januam, videto; et *mox*: Seras tutior ibis ad lucernas. Haec ora est tua, dum furit Lyaeus. ℙ *Tuum est*, tui officii est, tua interest, ad te spectat. *Ter. Andr.* 4, 1, 55. Tuum est, siquid praeter spem evenit, mihi ignoscere. *Pl. Stich.* 5, 4, 36. Haud tuum istuc est te vereri. ℙ Affigitur interdum syllabica adjectio. *Pl. Capt.* 2, 3, 11. Tuopte ingenio. *Id. Trin.* 3, 2, 40. Tuapte sponte. *Appul. Apol. f.* Tuismet litteris.

*TUTZIS, locus, vel oppidum, in Aegypto, in Thebaide, *Anton. Itin. B. A.*

TY

TYĂNĔĬUS, et
TYĂNAEUS et Thyanaeus, a, um, adj. ad Tyanam seu Thyanam pertinens: utroque enim modo scriptum invenitur. Est antem Tyana oppidum Cappadociae ad radices Tauri montis, patria Apollonii celebris magi. *Ov. Met.* 8, 719. ostendit adhuc Tyaneius illic Incola de gemino vicinos corpore truncos. Alii aliter leg. *Vopis. Aurel.* 23. Canem se relicturum apud Tyanaeos negarat; et *ib.* 22. Cum Tyanam venisset, etc. Quidam leg. *Tyana* Graecos secuti, quibus τὰ Τύανα. *Ammian.* 21, 14. Tyanaeus Apollonius.

*TYBA vel Tybe, es, f. vicus, vel oppidum, trans Euphratem, in confinio Cappadociae. *Cic. Fam.* 15, 1. Pacorem transisse Euphratem et castra posuisse Tybae, magnumque tumultum esse in provincia Syria excitatum. *B. A.*

TYBRIS. V. TIBERIS.

TYBUR. V. TIBUR.

[TYCHĀ, ae, f. ita vocata est pars urbis Syracusarum, a templo Fortunae, quae Graece Τύχη, et Dorice Τύχα dicitur. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit. Tycha nominata est: in qua et gymnasium amplissimum est, et complures aedes sacrae; coliturque ea pars, et habitatur frequentissime. Adde *Liv.* 24, 21. 25, 25. *F.*]

[TYCHĒ, es, f. τύχη, fortuna. Est cogn. R. frequens. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 1. Firmia Tyche. *F.*]

[TYCHĬCUS, a, um, adj. τυχικὸς, fortuitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 140, 5. Q. Haterius Tychicus. *F.*]

TYCHĬUS, a, um, adj. fortunatus: a τύχη, fortuna. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 60, 5. Crescentianus, Florus, et Tychius actores. ℙ *Tychius* fuit etiam sutor celeberrimus, de quo et ap. *Homer. Iliad. l.* 7. *v.* 220. mentio est. *Plin.* 7, 56, 57. Sutrinam invenit Tychius Boeotius. *Ov. Fast.* 3, 823. Nec quisquam invita faciat bene vincula plantae Pallade: sit Tychio doctior ille licet. *F.*]

*TYDE, es, f. castellum sive oppidum Hispaniae Tarraconensis, non longe a Minio amne, ac mari Atlantico, in Groviorum terra. *Plin.* 4, 20. *Sil.* 3, 367. et 16, 369. ℙ *Tude* est in *Anton. Itin.* hodie autem *Tuy*. ℙ In *Sil.* 11. *Tynda* pro *Tyde* mavult legere *Salmasius*, improbante tamen *Is. Voss.* ad *Melam* 2, 2. *B. A.*

TYDEUS, i, m Τυδεύς, disyllab. filius Oenei regis Calydonis ex Periboea, al. Euryboea, vel, ut aliis placet, Althaea, frater Meleagri, et Deianirae, pater Diomedis. Cum fratrem suum Menalippum inscius occidisset, ad Adrastum regem Argivorum se contulit, cujus filiam Deiphilen in conjugem sumpsit. Postea a Polynice, qui et ipse ibi exsulabat, et alteram Adrasti filiam Argiam nomine in uxorem habebat, legatus ad Eteoclem regem Thebarum, fratrem ejusdem Polynicis, micsus est, ut pacti memor fratri regnum redderet. Ad quem cum venisset, et legatione functus esset, Eteocles negavit, se regno cessurum esse. Quo responso Tydeus vehementer commotus est, ita ut non sit veritus et hostis, et solus Thebanos omnes, quotquot tum forte cum Eteocle essent in convivio, ad quodlibet certaminis genus provocare. Atque ut animose provocavit, ita omnes (sic illi Pallas propitia erat) strenue vicit. Quam ob rem Thebani dolore ac indignatione accensi, reversuro insidias tetenderunt, collocatis ad opportunum locum, qua Tydeus transiturus erat, quinquaginta juvenibus cum duobus ducibus, Maeone filio Aemonis, et Lycophonte filio Antophoni. Sed eos omnes Tydeus ad ipsum locum occurrentes stravit, occiditque, fretus Deorum auguriis, uni tantum Maeoni parcens, quem acceptae cladis nuntium ad Eteoclem remisit. Reversus ad Adrastum censuit, bellum Eteocli inferendum esse. Collectis igitur undique copiis, cum Adrasto, et Polynice, reliquisque Graeciae principibus, ad bel-

lum Thebanum profectus est, in quo post multas res praeclarissime gestas a Menalippo quodam Thebano letaliter vulneratus occubuit. Filium reliquit Diomedem. *Serv.* ad *A.* 6, 479. et *ib.* 11, 239., *Hyg. fab.* 69. et 70. et *Stat. Th.* passim, qui *ib.* 8. *f.* tradit, letaliter vulneratum a Menalippo, ipsum nihilominus telo occidisse, allatumque caput ejus dentibus lacerasse: quod etiam *Ov. Ib.* 429. significat. *Virg. cit. A.* 6. Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis Parthenopaeus. *Stat. Th.* 8, 664. Tydeos illa dies: illum fugiuntque tremuntque; et *ib.* 1, 41. immodicum irae Tydea.

TYDĪDES, ae, m. *Τυδείδης*, filius Tydei, Diomedes. *Hor. Od.* 1, 15, 28. atrox Tydides melior patre. *Ov. Pont.* 2, 2, 13. Nec, quod Tydidae temeraria dextera fecit, Numina sunt telis ulla petita meis. *Virg. A.* 1, 100. O Danaum fortissime gentis Tydide. *Claud. cons. Hon.* 6, 470. Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum.

*TYDĪI, orum, populi Asiae ulterioris, trans Maeotim lacum, circa Caucasum montem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

[TYLOS, i, m. vermis multipes. V. *Plinii l. c.* in MILLEPEDA. *F.*] ℙ *Tylos, *Τύλος*, insularum duarum nomen est in sinu Persico, margaritis abundantium, et gossampinis (gossympinis) arboribus, quae cucurbitas ferunt mali cotonei amplitudine, quae, maturitate ruptae, ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo confiuntur. *Plin* 6, 28. 12, 10 et 11. et 16, 42. *Solin.* 65. Cf. *Theophrast. de plant.* 4, 9. et 5, 6. *B. A.*

*TYMBRIĀNI, orum, populi Asiae minoris, in Pisidia. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*TYMOETES, ae, m. *Τυμοίτης*, Priami filius. *Servius* Euphorionis verba referens: Priamus (inquit) ex Arisba filium vatem suscepit. Qui quum dixisset quadam die nasci puerum, per quem Troja posset everti: pepererunt simul et Tymoetae uxor et Hecuba, quae Priami legitima erat. Sed Priamus Tymoetae filium, uxoremque jussit occidi. Hactenus *Servius* ad *Virg. A.* 2, 32. Primusque Tymoetes Duci intra muros hortatur, et arce locari. V. et *Thymoetes. B. A.*

TYMPĀNĬCUS. V. TYMPANITICUS.

TYMPĀNĬŎLUM, i, n. dimin. parvum tympanum. *Arnob.* 6. *f.* Tympaniola, tibiae, psalteria.

*TYMPĀNIS, idis, f. *Cic. N. D.* 3, 35. Hunc (*Dionysium tyrannum*) nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Aesculapius — interemit; atque in suo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus est. Sed locus (ait *Ernestus*) sine dubio corruptus, in quo frustra adhuc viri docti desudarunt. V. *Davisium* et *Buherium* ad h. l. ℙ Tympanis, fluvius Indiae. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 3, 78. ed. *A. Maio. B. A.*

TYMPĀNĬSTA, ae, m. *τυμπανιστής*, qui tympana pulsat. *Appul. de Deo Socrat.* Barbara numina gaudent strepitu tympanistarum, et choraularum.

TYMPĀNĬSTRĬA, ae, f. *τυμπανίστρια*, quae tympanum pulsat. *Sidon. ep.* 1, 2. *f.* Nullus ibi lyristes, choraules, mesochorus, tympanistria, psaltria canit. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 1. Aeliae Receptae tympanistriae M. D. M. I.

TYMPĀNĪTES, ae, m. *τυμπανίτης*, species hydropis, in qua ventre vehementer intento, creber intus, ex motu spiritus, sonus est, ut *Cels.* 3, 21. describit. *Veg. Vet.* 1, 43., *Plin. Val.* 3, 12. et *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. Nam *Cels.* Graece usurpat.

TYMPĀNĪTĬCUS, a, um, adj. tympanite laborans. *Plin.* 25, 5, 24. Medetur podagricis, hydropicis, incipientibusque tympaniticis. (Est qui leg. *tympanicis.*) Adde *Veg. Vet.* 3, 27.

TYMPĀNĬUM, ii, n. *τυμπάνιον*, diminut. tympani, genus margaritae superne rotundae, ab inferiore parte planae. *Plin.* 9, 35, 54. Quibus (*margaritis*) una tantum est facies, et ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympania nominantur. V. TYMPANUM.

TYMPĀNIZANS, antis, part. ab inus. *τυμπανίζων*, tympanum pulsans. *Suet. Aug.* 68. *extr.* Versus in scena pronuntiatus de Gallo Matris Deum tympanizante. V. TYMPANISTRIA.

TYMPĀNOTRĪBĀ, ae, m. *τυμπανοτρίβης*, qui tympanum terit, h. e. pulsat. *Pl. Truc.* 2, 7, 48. Tun' tantilli doni causa moechum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam amas? *h. e.* mollem et effeminatum, quales erant Cybeles sacerdotes tympana pulsantes.

TYMPĀNUM, i, n. *τύμπανον*, instrumentum vocale, quod digitis palmaque pulsando sonum edit: a *τύπτω*, pulso. Fuit rotunda figura, (ut indicat versiculus ap. *Suet. Aug.* 68. de Gallo tympanizante: Videsne, ut cinaedus orbem digito temperet?) superne quidem in orbem conformatum, at inferiori parte planum: unde margaritae quaedam tali figura *tympana* dicuntur a *Paul. Dig.* 34, 2, 32. §. 8. Cum quaedam ornamentum mamillarum ex cylindris XXXIV., et tympanis margaritis XXXIV. legasset, etc. et *tympania* diminutiva forma a *Plin.* 9, 35, 54. usurpantur. Tegebatur corio, praesertim bubulo, confecto et extento. Unde *Ov. Fast.* 4, 342. Et feriunt molles taurea terga manus. *Stat. Th.* 2, 78. Aeraque taurinos sonitu vincentia pulsus. *Id. ib.* 8, 221. gemina aera sonant. Idaeaque terga. *Claud. III. cons. Stil.* 364. taurinaque pulsu Baccharum Bromios invitant tympana remos. *Phaedr.* 3, 20. de asino mortuo: Detracta pelle sibi fecerunt tympana. ℙ Usus ejus plurimus in sacris Matris Deum Idaeae. *Virg. A.* 9, 619. Tympana vos, buxusque vocant Berecynthia Matris Idaeae. *Catull.* 63, 8. Niveis citata cepit manibus leve tympanum, Tympanum, tubam, Cybelle, tua, Mater, initia; et *ib.* 20. Cybelles Phrygia ad nemora Deae Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant. *Lucr.* 2, 618. Tympana tenta tonant palmis. *Catull.* 64, 261. Plangebant aliae proceris tympana palmis. ℙ Narrat *Just.* 41, 2. *med.* Parthos signum in proelio non tuba, sed tympano dare consuevisse, quod hodieque in acie apud nos usuvenit. ℙ Translate. *Quint.* 5, 12. *f.* Nos qui oratorem studemus effingere, non arma, sed tympana eloquentiae demus? *h. e.* genus dicendi molle, nervis carens, et ad solam voluptatem compositum. *Sen. V. B.* 13. *med.* Nulli corpus tuum patientiae vacat, sed in manu tympanum est, *h. e.* non es mollis, sed mollia et effeminatorum propria tractas. ℙ A similitudine *tympana* esse tecta vehiculorum, scribit *Servius* ad illud *Virg. G.* 2, 444. Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris. Sed *Philarg. ib.* ait, esse rotas ex solidis tabulis factas: quod magis placet. (Hinc *Pomp. Sab.* in *Virg. G.* 1, 163. Sunt enim vehicula, quorum rotae non sunt radiatae, sed tympana cohaerentia axi, et juncta cantho ferreo. Axis autem cum rota volvitur.) Hujusmodi sunt enim etiam rotae, quae calcando ab hominibus, vel alio modo versatae, fune se circumvolvente subvehunt pondera, vel mittunt: quales in portubus esse solent exonerandis navibus. *Lucr.* 4, 903. Multaque per trochleas et tympana pondere magno Commovet, atque levi sustollit machina nisu. Adde *Vitr.* 10, 4. et *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. ubi tympanum et trochleas ponit ad relevandum prelum olearium. Ap. *Plin.* quoque 18, 34, 77. *n.* 1. tympanum circinatum est tabula solida rotae figura. Praeterea rotae interiores molendini solidae, dentatae, et ad perpendiculum in cultrum collocatae *tympana* dicuntur a *Vitr.* 10, 10. qui *ib.* 9. tribuit etiam organo hydraulico, et *ib.* 14. aliis machinis. ℙ Praeter haec est membrum in architectura, h. e. spatium triangulare planum, fastigii coronis circumclusum, habens summitatem in medio. Ita *Barbarus* ad *Vitr.* 3, 3. *med.* ℙ Denique in valvis januarum tympana sunt quadratae tabulae affixae ad ornatum, *pianetti*, et *quadri* a nonnullis Italis dictae, *riquadrati* ab aliis. *Id.* 4, 6. *med.* ℙ *Typanum* pro *tympanum*, priore correpta, a Graeco *τύπανον*, quidam leg. ap. *Catull.* 63, 8., quem locum supra §. 2. recitavimus. ℙ *Tympanus, i*, m. est etiam cogn. R. *Liv.* 34, 47. L. Postumius quaestor, cui Tympano fuit cognomen.

[TYMPHĀĪCUS, a, um, adj. ad Tymphaeos pertinens, populos Aetoliae, quorum *Plin.* 4, 2, 3. meminit. *Id.* 35, 17, 57. Graecia pro cimolia Tymphaico utitur gypso. *F.*]

[TYNCHĀNŪSA, ae, f. *τυγχάνουσα*, obtinens, assequens: praticip. praes. a *τυγχάνω*, obtineo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1144, 8. Aelia Tynchanusa. *F.*]

TYNDĀRĔUS, i, m. *Τυνδάρεος*, idem qui Tyndarus. *Accius* ap. *Prisc. de versib. Com.* p. 1325. Quantam Tyndareo gnata, et Menelai domus Molem excitarit belli, et pastor Ilius. *Pacuv.* ap. *Non.* 9, 3. Tyndareo fieri contumeliam. *Ov. Her.* 8, 31. Me tibi Tyndareus, vita gravis auctor, et annis, Credidit. *Id. Ib.* 356. Tyndareique gener, *h. e.* Agamemnon maritus Clytemnestrae filiae Tyndari. Adde *Her.* 17, 250., *Cic. Fat.* 15. et *Hyg. fab.* 77. et 78. ℙ Priore *Ovidii* loco alii leg. *Tyndareos*, ut sit simile *τῷ Androgeos* ℙ *Tyndareus* adject. V. TYNDARIUS,

TYNDĀRĬDES, ae, m. *Τυνδαρίδης*, filius Tyndari. *Val. Fl.* 4, 247. miratur et ipse Tyndarides, *h. e.* Pollux. *Id.* 6, 212. Tyndariden petit, et Superos sic voce precatur, *h. e.* Castorem. *Ov. Fast.* 5, 700. Tyndaridae fratres, hic eques, ille pugil. *Id. Met.* 8, 301. Tyndaridae gemini, spectatus caestibus alter, Alter equo. *Cic. N. D.* 2, 2. *med.* lidem Tyndaridae Persen victum nuntiaverunt. *Quint.* 11, 2. *med.* Mihi totum Tyndaridis fabulosum videtur. *Hor. Od.* 4, 8, 31. Clarum Tyndaridae sidus ab infimis Quassas eripiunt aequoribus rates. *Id. Sat.* 1, 1, 100. at hunc liberta securi Divisit medium, fortissima Tyndaridarum, *h. e.* filiorum et natarum Tyndari: nam masculina appellatio etiam feminas complectitur. Unde *fratrum* nomine etiam sorores veniunt, ut in FRATER dictum est. *Quint.* 9, 4. *med.* Sigulis verbis bini pedes continentur, ut in his: fortissima Tyndaridarum. Est qui leg. *Tyndariarum:* item qui *Tyndaris: horum*, etc. sed haec ex conjectura.

TYNDĀRĬS, idis, f. *Τυνδαρίς*, filia Tyndari. *Virg. A.* 2, 601. Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae, *h. e.* Helenae; et *ib.* 568. tacitam secreta in sede latentem Tyndarida aspicio. *Prop.* 2, 23, 87. Tyndaris externo patriam mutavit amore. *Id.* 3, 6, 30. Tyndaridi poterat gaudia ferre suae. *Ov. A. Am.* 1, 796. Quodque tibi geminus, Tyndari, Castor erat. *Id. Trist.* 2, 396. Aegysthi crimen, Tyndaridosque legis, *h. e.* Clytemnestrae. ℙ Fuit etiam hoc nomine oppidum litorale Siciliae, in ora occidentali prope Mylas, Romanorum colonia. *Cic. Verr.* 2, 5, 49. et *Plin.* 3, 8, 14. et 2, 92, 94. A *Livio* 36, 2. dicitur *Tyndarium.* Hinc

TYNDĀRĬTĀNUS, a, um, adj. ad Tyndariden oppidum pertinens. *Tyndaritani*, ejus incolae. *Cic. Att.* 15, 2. *f.* et *Verr.* 2, 2, 65.

TYNDĀRĬUS, a, um, adj. *Τυνδάριος*, ad Tyndarum pertinens. *Val. Fl.* 1, 570. In bifidum discessit iter, fratresque petivit Tyndarios, *h. e.* Castorem et Pollucem filios Tyndari; et *ib.* 167. Tyndariusque puer. Alii hic leg. *Tyndareos* genitivum pro *Tyndarei.* ℙ Lacon, Spartanus: quia Tyndarus Spartae rex fuit. *Sil.* 15, 320. Tunc et Tyndarii Latias Fortuna Tarenti Auxit opes, *h. e.* a Spartanis hominibus maxime aucti et amplificati. ℙ Sunt qui ubique leg. *Tyndareus.*

TYNDĀRUS, i, m. *Τύνδαρος*, filius Oebali, rex Oebaliae seu Laconiae, ex Leda Thestii filia uxore, una cum Jove genuit Castorem, Pollucem, Helenam et Clystemnestram. *Hyg. fab.* 78. Item Tymandram, quae Echemo Arcadi nupsit, et Euandrum genuit. *Serv.* ad *A.* 8, 130. ℙ Dicitur et *Tyndareus*, quem V. suo loco.

[TYNIDRUMENSIS, e, adj. ad Tynidrumum pertinens, Numidiae oppidum a *Ptolem.* 4, 3. *Θουνούδρομον* appellatum, quod *Morcell. Afr. Christ. T.* 1. p. 342. postea *Tuzudrumen* dictum censet. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida civium Romanorum, Tuburnicense. Tynidrumense. *F.*]

[TYNNUS, a, um, adj. *τυννὸς, ἡ, ὸν*, parvus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 801, 11. Lucilla Tynna. *F.*]

*TYPANĒI, orum, incolae Typanearum. Fuit autem Typaneae, *Τυπανέαι Steph. Byz.* et *Ptolemaeo*, oppidum Peloponnesi, in Elide. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

TYPHĒ, es, f. *τύφη*, planta aquatica, seu palustris, farciendis pulvinaribus adhiberi solita, quemadmodum tomentum Circense. *Isid. Or.* 17, 9. *med.* Typhe vero, quae se ab aqua inflat. Unde etiam ambitiosorum, et sibi placentium hominum tumor typhus dicitur. V. h. v. *F.*]

TYPHOEUS, i, m. trisyllab. *Τυφωεύς*, unus e Gigantibus, Titani et Terrae filius, quem illa Jovi irata ad perniciem Coelestium fertur edidisse: a *τύφος*, fumus, fastus, arrogantia. Cum in ingentem corporis molem adolevisset, Jovem provocavit, de coeli possessione dejecturus: a fulmine ictus in Sicilia sub Aetna sepultus est, ubi adhuc spirare dicitur, atque ignem evomere; (*Claud. Rapt. Pros.* 2, 22. summa peremptus, Ima parte viget, moriens, et parte superstes,) vel secundum alios, sub Inarime insula Campaniae. *Virg. A.* 9, 716. Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo. *Lucan.* 5, 100. Campana fremens ceu saxa vaporat Conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus. *Ov. Met.* 5, 347. Trinacris et magnis subjectum molibus urget Aetherias ausum sperare Typhoea sedes. Nititur ille quidem, pugnatque resurgere saepe: Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro: Laeva, Pachyne, tibi: Lilybaeo crura premuntur: Degravat Aetna caput, sub qua resupinus arenas Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeas. *Id. Fast.* 4, 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Aetne. *Sil.* 14, 196. Tum Catane nimium ardenti vicina Typhoeo. ℙ Confunditur a poetis cum Briareo. *Ov. Met.* 3, 303. quo centimanum dejecerat igne Typhoea. Adde *Claud. B. G.* 63. ℙ Adjective. *Virg. A.* 1, 669. Nate, patris summi qui tela Typhoea temnis, *h. e.* quibus Typhoea stravit. Sunt qui leg. *Typhoia*, teste *Servio*, *Τυφωΐα.* ℙ Scribitur et *Typhoeus* juncta diphthongo, quasi sit Graece *Τυφοῖος*, sed minus recte.

TYPHOIS, idis, f. *Τυφωΐς*, ad Typhoea pertinens. *Ov. Her.* 15, 11. Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Aetnae, *h. e.* sub qua Typhoeus jacet.

TYPHOĬUS, a, um, adj. *Τυφωΐος*, ad Typhoea pertinens. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 183. rupitne Typhoia cervix Inarimen?

TYPHON, onis, m. *τυφών*, ventus vorticosus mira velocitate, sed sine igne e nube erumpens: a *τύφω*, fumigo. *Plin.* 2, 48, 49. Sin vero depresso sinu arctius rotati effregerint (*nubem venti*) sine igne, hoc est sine fulmine, vorticem faciunt, qui typhon vocatur, id est vibratus ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida, convolvens, versansque, et ruinam suam illo pondere aggravans, et locum ex loco mutans rapida vertigine: praecipua navigantium pestis, non antennas modo, verum ipsa navigia contorta frangens: tenui remedio aceti in advenientem effusi, cui frigidissima est natura. Idem illisu ipse repercussus, correpta secum in coelum refert, sorbetque in excelsum. Haec *Plinius.* *Apul. de Mundo:* Aeris inferioris qualitas turbine, flatibus, typhonisque conflictu fit procellosa. Adde *Gell.* 19, 1., ubi Graece usurpat. ℙ Quod quidam leg. ap. *Lucan.* 7, 156. Et trabibus mixtis avidos typhonas aquarum, Alii leg. *siphonas*, rectius. ℙ Poetae etiam ignitum turbinem *typhona* vocant. *Val.*

Flacc. 3, 130. Quantus ubi immenso prospexit ab aethere typhon, Igne simul ventisque rubens: quem Juppiter alte Crine tenet: trepidant diro sub lumine puppes. ℙ Est etiam nomen Gigantis, idem qui Typhoeus. *Lucan.* 4, 595. Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon, Aut Tityos, Briareusque ferox: et 6, 92. Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant. Adde *Claud. Rapt. Pros.* 2, 22. *Hyg. fab.* 152. et *Ov. Fast.* 2, 461., item *Capell.* qui primam syllabam corripuit 2. p. 43. Ditemque, ferumque Typhonem.

*TYPHONĒUS, a, um, adj. ad Typhonem spectans. *Mela* 1, 13. Specum, quem Typhoneum vocant, — quia aliquando cubile Typhonis fuit. ℙ Hic specus in Cilicia fuit. *B. A.*

*TYPHONĬCUS, a, um, adj. *τυφωνικός*. *Vulgat. Act. Apost.* 27, 14. Typhonicus ventus, *i. e.* typhon. *B. A.*

[TYPHŌNĬOS, i, m. ita vocatur herba, quae aliter hyosciamus, ap. *Apul. Herb.* 4. ℙ Item alia, quae et bulbus scylliticus, ap. *eund. ib.* 42. *F.*]

TYPHŌNIS, idis, f. *Τυφωνίς*, filia Typhonis. *Val. Flacc.* 4, 428. Insuper Harpyiae Typhonides, ira Tonantis.

TYPHUS, i, m. *τύφος*, Graeca vox proprie fumum significans, translate fastum, superbiam, elationem, jactantiam. *Arnob.* 2, 43. Si non mentis elatio, et typhus qui appellatur a Graecis, obstaret: et 53. Typhum superciliumque deponere: et 56. Typho et arrogantia sublevati: et 63. Typhum et arrogantiam frangere: et 88. Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis. *August. Confess.* 7, 9. Homo immanissimo typho turgidus. Adde *ib.* 3, 3. [*Capell.* 5, 187. Sin sanna typhi naris imum torserit. V. TYPHE *F.*]

*TYPĬCE, adv. *typically. Vulgat. Interpr.* 1 *Corinth.* 10, 11. *B. A.*

*TYPICO, as, a 1. typo exprimo. *Guil. Brito Phil.* 12, 211. Virginis intactae typicans nova gaudia. *B. A.*

TYPĬCUS, a, um, adj. *τυπικός*, symbolicus. *Sedul.* 1, 192. typicique cruoris Auxilio ventura docet, quod sanguine fuso Humana pro gente pius succumberet Agnus. *Id.* 3, 208. Cumque dehinc populum sese in deserta secutum (Ut typicus Moses, verusque propheta) videret *(Christus)* Antiquam sentire famem, etc. *Arator.* 2, 74. typicae documenta figurae. [*Emendavit hunc locum *F.*]

TYPUS, i, m. *τύπος*, proprie est nota, signum, forma percutiendo seu pulsando impressa, ut vibex in corpore exsistens ex verbere, aut vestigium humi pede impressum: est a *τύπτω*, percutio. Sed a Graecis Latinisque scriptoribus sumitur pro figura, imagine, forma, effigie cujuscumque rei, ex qua similia multa facile est efficere, et proprie significat id, quod Italice nunc *bassorilievo* dicitur, Latine ectypum. V. *Visc.* in *praef. T.* 4. *Mus. Pio-Clem.*, ubi hac de re multa habentur. *Plin.* 35, 12, 43. Umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit; quibus pater ejus, impressa argilla, typum fecit: et *Cic. Att.* 1, 10. Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere. [*Lampr. Elag.* 3. Studens et Matris typum, et Vestae ignem, et Palladium, et ancilia, et omnia Romanis veneranda in illud transferre templum: et 7. Matris etiam Deum sacra accepit, et tauroboliatus est, ut typum eriperet, *h. e.* effigiem ejus Deae, quae parva theca inclusa cultoribus ejus osculanda praebebatur a pastophoro. V. hanc vocem suo loco. *F.*] ℙ Medicis *typus* dicitur forma, ordo, et modus febrium recurrentium, ut tertianae, quartanae, etc. ex quo ipsius morbi vis et ratio dignoscitur. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 14. Typum quotidianum majorum corpusculorum statione fieri; tertianum minorum, quartanum minutissimorum. *Apul. Herb.* 102. Ad frigora, et omnes febrium typos.

*TYRA, ae, m. *Τύρας*, fluvius Sarmatiae Europaeae, hodie the *Niester* vel *Dniester*. *Plin.* 4, 12. ℙ Saepius *Tyras* audit. *Mela* 2, 1. *med. Ov. Pont.* 4, 10, 50. ℙ Et oppidum ad ripam fluminis situm. *Plin.* l. c. Clarus amnis Tyra, oppido nomen imponens, ubi antea Ophiusa dicebatur. *Mela* l. c. Tyras *(amnis)* surgit in Neuris; qua exit, sui nominis oppidum adtingit. ℙ *Gens Tyra*, ad occidentale littus Arabici sinus, in terra Troglodytica. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[TYRACINENSIS, e, adj. ad Tyracinam pertinens, Siciliae oppidum, quod per *y*, non per *i* scribendum constat ex nummis apud *Sestin. Class. gen.* p. 22. in quibus TYPA legitur. *Plin.* 3, 8, 14 Triocalini, Tyracinenses, Zanclaei. *F.*]

*TURAGĒTAE, arum, populi Sarmatiae Europaeae, ad Tyram flumen. *Plin.* 4, 12. ℙ *Τυρ(ρ)ηγέται* sunt *Straboni*, *Herodoto Τυρῖται*. *B. A.*

TYRANNA, ae, f. mulier, quae tyrannidem occupat. *Trebell. in* XXX. *Tyr.* 31. *f.* Nemo dicturus est, me feminas inter tyrannos cum risu et joco, tyrannas videlicet et tyrannides, ut ipsi de me solent jactare, posuisse.

TYRANNĬCE, adv. *τυραννικῶς*, tyrannorum more, crudeliter, violenter. *Cic. Verr.* 2, 3, 48. *f.* Ut hoc tempore ea, quae regie, seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, praetermittam.

TYRANNĬCĪDA, ae, m. et f. *τυραννοκτόνος*, qui tyrannum occidit. *Sen. Ira* 2, 23. Tyrannicida tortus, ut conscios indicaret, amicos tyranni nominavit. *Plin.* 7, 23, 23. Quae femina torta non indicavit tyrannicidas. *Suet. Tib.* De praemiis tyrannicidarum referendum censuit, *h. e.* C. Julii Caesaris interfectorum. Adde *Quint.* 7, 2. et 7. ℙ Circumlocutione utitur *Cic. Mil.* 29. *med.* Gracci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. *Id. Att.* 14, 15. Graecam vocem adhibere maluit: Verebar, ne periculosa nostris tyrannoctonis esset: et *ib.* 16, 15. *med.* Non modo non inimicum tyrannoctonis, verum etiam amicum fore.

TYRANNĬCĪDIUM, ii, n. *τυραννοκτονία*, occisio tyranni. *Sen. Controv.* 1, 7. *med.* Ne fratrem occideret, tyrannicidium inquinaret. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 16. Consilia eorum de tyrannicidio non prodidit. Adde *Quint.* 7, 3.

TYRANNĬCUS, a, um, adj. *τυραννικός*, ad tyrannum pertinens, impotens, superbus, violentus. *Auct. ad Her.* 2, 30. Facinus tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum. *Cic. Leg.* 1, 15. Tyrannicis legibus delectari. *Sen. Ben.* 1, 11. Tyrannicae irae eripere aliquem. *Just.* 16, 4. *med.* Nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit: et *mox:* Tyrannica dominitio: et 21, 5. *f.* Tyrannica vitia.

*TYRANNĬO, onis, m. *Τυραννίων*, grammaticus ac geographus, tempore Pompeii Magni, docebat Romae. Is docuit Ciceronis pueros. *Cic. Q. Frat.* 2, 1. Hoc nunc magis animadverto, quod Tyrannio docet apud me. *Id. Att.* 2, 6. A scribendo prorsus abhorret animus: etenim *γεωγραφικά*, quae constitueram, magnum opus est: ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Serapione et ab Hipparcho reprehenditur, quid censes, si Tyrannio accesserit? *B. A.*

[TYRANNĬON, onis, f. diminut. tyrannae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1042, 4. Terentia M. L. Tyrannion. *F.*]

TYRANNIS, idis, f. *τυραννίς*, imperium et potentia tyranni, dominatio tyrannica. *Cic. Att.* 14, 9. O Dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit: et *ib.* 14. Sublato tyranno tyrannida manere video. *Id. Off.* 3, 23. *med.* Tyrannidem occupare. *Id. Tusc.* 2, 22. delere. *Quint.* 7, 2. *f.* affectare. *Nep. Alc.* 7. concupiscere. *Id. Dion.* 3. *f.* Tyrannidis finem facere. *Juven.* 8, 223. Quid Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit? *Ov. Met.* 15, 60. fugerat una Et Samon et dominos, odioque tyrannidis exsul Sponte erat. ℙ Videtur sumi etiam simpliciter pro regno, ut *tyrannus* pro rege. *Nep. Reg.* 2. Hic cum virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate. *Val. Max.* 6, 5. *extr. n.* 1. Cujus aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut suis in suffragiis tyrannidem deferrent. ℙ Est etiam femina tyrannidem exercens, vel uxor tyranni. V. locum *Trebell.* in TYRANNA.

TYRANNOCTONUS, i, m. *τυραννοκτόνος*, idem ac tyrannicida: vox Graeca a *τύραννος*, tyrannus: et *κτείνω*, interficio. Usurpatur in sermone familiari a *Cic.* V. TYRANNICIDA.

TYRANNOPOLĪTA, ae, m. civis ejus urbis, in qua tyrannus imperat. *Sidon. ep.* 5, 8. Vitia nostrorum tyrannopolitarum.

TYRANNUS, i, m. *τύραννος*, dominus, monarcha, rex, princeps, qui plenam perpetuamque in subjectos potestatem et imperium habet: vox Graeca. *Nep. Milt.* 8. scribit, Miltiadem, qui Chersoneso potitus diu ibi dominationem obtinuerat, tyrannum dictum fuisse, qui non vi, sed incolentium voluntate eam obtinuerat, et bonitate retinuerat: omnes enim et haberi et dici tyrannos, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est. *Virg. A.* 4, 329. Te propter Libycae gentes, Nomadumque tyranni Odere: et *ib.* 7, 166. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni, *h. e.* Aeneae. *Ov. Met.* 1, 276. *de Neptuno:* Convocat hic amnes: qui postquam tecta tyranni Intravere sui, etc. *Val. Flacc.* 5, 388. et 548. Qui ferat Aeaei sociis responsa tyranni. *Lucan.* 7, 226. sicci sed plurima campi Tetrarchae, regesque tenent, magnique tyranni. Adde *Sen. Herc. Oet.* 1685. ℙ Saepius Latine dicitur, qui per vim occupavit imperium, quique illud per insolentiam et libidinem, non jure et aequis legibus exercet. *Sen. Clem.* 1, 12. Tyrannus a rege dis at factis, non nomine: nam et Dionysius major jure meritoque praeferri multis regibus potest: et L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet! cui occidendi finem fecit inopia hostium. *Cic. Am.* 15. Haec est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla caritas: nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia: omnia suspecta atque sollicita, nullus locus amicitiae. *Id. Vat.* 9. Tyrannus intolerandus: et *Phil.* 13, 8. teter et crudelis. *Val. Flacc.* 7, 78. trux: et *ib.* 87. infandus. *Ov. Ib.* 371. saevus. *Virg. G.* 4, 492. immitis. *Sen. Herc. Fur.* 739. impotens. *Id. Octav.* 959. ferus. *Cic. Verr.* 2, 5, 40. importunus et amens. *Val. Flacc.* 5, 660. jussa dira tyranni. *Cic. Phil.* 13, 8. Esse tyrannum inaliquem: et *ib.* Dominum et tyrannum comparare in liberos nostros. *Sen. Herc. Fur.* 511. Qui morte cunctos luere supplicium jubet. Nescit tyrannus esse; diversa irroga: Miserum veta perire, felicem jube. ℙ *Tyrannum* pro *tyrannorum* est *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 867. Tyrannum novi temeritudinem. ℙ Graece *τύραννος* est ὁ καὶ ἡ. Latine non item.

*TYRELĔPHAS, antis, m. genus elephanti. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (edente *Angelo Maio*) 3, 31. Tunc tyrelephantes, et cum his *etc. si modo sanus sit locus. B. A.*

TYRĬANTHĪNUS, a, um, adj. *τυριάνθινος*, qui est colore facto ex ianthino, hoc est violaceo, rursus Tyria purpura inebriato, ut vestes Tyrianthinae, quae colore hujusmodi sunt infectae. *Mart.* 1, 54. Sic interpositus villo contaminat uncto Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus. *Vopisc. Carin.* 19. Pallium Tyrianthinum. ℙ De luxu miscendi colores in tingendis purpuris V. *Plin.* 9, 40. et 41.

*TYRIDATES, is, m. *Τυριδάτης*, frater Vologesis Parthorum regis, qui Neronis principatu Romam venit, et regni Armeniae diadema ab eo accepit. *Tac. A.* 6. et 7. *B. A.*

*TYRIENSES, ium, populi Pisidiae, quorum oppidum Tyrus. *Plin.* 5, 27. Sic ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Hyriensis. B. A.*

TYRINS. V. TĪRYNS.

TYRINTHĬUS. V. TIRYNTHIUS.

[TYRISSĒI, orum, m. plur, incolae Tyrissae, Macedoniae, urbis. *Plin.* 4, 10, 17. Phylacei, Cyrrhestae, Tyrissei. *F.*]

TYRĬUS, a, um, adj. *Τύριος*, ad Tyrum pertinens, quae est urbs maritima Phoeniciae, condita ab Agenore rege: ex qua variis temporibus pars civium migrantes, Carthaginem (quae ideo et *Tyros* dicta est. *Virg. A.* 4, 36. et 43.), Gades, Uticam, Leptin in Africa condidere, Thebas in Graecia, ut est ap. *Plin.* 5, 19, 17., quamquam *Sall. Jug.* 80. Leptin a Sidoniis conditam tradit. *Virg. A.* 1, 350. sed regna Tyri germanus habebat Pigmalion. *Ov. Fast.* 5, 605. Tyria puella, *h. e.* Europa Agenoris filia, quae a Junone dicitur ap. *eund. Met.* 3, 258. pellex. *Mart.* 10, 51. Tyrius taurus, *h. e.* vector Europae. *Claud. Laud. Stil.* 318. Cadmus. ℙ *Tyrium mare*, inquit *Festus*, in proverbium deductum est: quod Tyro oriundi Poeni adeo potentes maris fuerunt, ut omnibus mortalibus navigatio esset periculosa. Hinc *maria Tyria concire*, rem periculosam aggredi. ℙ In mari circa Tyrum laudatissimae purpurae capiebantur, ex quibus optimus color *Tyrius* dictus. *Propert.* 4, 5, 22. Et quae sub Tyria concha superbit aqua. *Ov. A. Am.* 3, 170. Nec quae bis Tyrio murice lana rubes. *Id. Met.* 6, 222. Tyrioque rubentia fuco Terga premunt: et *ib.* 10, 211. Tyrioque nitentior ostro Flos oritur: et *ib.* 6, 61. et *Stat. Silv.* 1, 2, 151. Tyrium quae purpura sensit ahenum. *Tibull.* 1, 1, 63. Tyrius torus, *h. e.* stragulo Tyrio ornatus: et *ib.* 10, 70. et Tyrio prodeat apta sinu, *h. e.* veste Tyria. *Claud. Laud. Stil.* 79. radiis auri Tyriaque superbit Majestate torus, *h. e.* Tyrii straguli ornatu. *Id. Idyll.* 1, 20. Tyrium venenum, *h. e.* color purpurae. ℙ *Tyrium* absolute, Tyria purpura. *Tert. Poen.* 11. Num in coccino et Tyrio pro delictis supplicare nos convenit? ℙ *Tyrii, orum*, Tyri incolae, Phoenices. *Lucan.* 5, 108. ℙ Saepe refertur ad Thebas, quia Cadmus Tyriis quondam pulsus ab oris, in Aonia constitit exsul humo, ut ait *Ov. Fast.* 1, 489., et Thebas condidit. *Stat. Theb.* 1, 10. et *ib.* 12, 693. Tyrii montes, *h. e.* qui circa Thebas sunt. Sic *ib.* 9, 406. Tyrios melior venit annus in agros. *Id. ib.* 3, 406. Tyrius exsul, *h. e.* Polynices filius Oedipodis Thebarum regis. *Id. ib.* 11, 205. ductor, *h. e.* Eteocles rex Thebarum, frater Polynicis. *Id. Silv.* 3, 1, 16. Tyrium plectrum, *h. e.* Amphionis Thebani, qui muros Thebarum lyra et cantu exstruxit. Sic *Id. Theb.* 8, 232. canunt Tyriam reptantia saxa Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes. Hinc *Tyrii, orum*, ap. *eund. Theb.* 1, 10. et *ib.* 2, 73. et *ib.* 9, 489. sunt Thebani. ℙ Item ad Carthaginem, quam, ut ait *Virg. A.* 1, 16., Tyrii tenuere coloni. *Id. ib.* 24. Tyriae arces: et *ib.* 340. Tyriae virgines: et 392. Tyria urbs. *Sil.* 7, 268. Tyrii doli, *h. e.* Punicae fraudes. *Id.* 2, 24. patres, *h. e.* Poenorum senatus. *Id.* 8, 13. Tyrius miles, *h. e.* Annibalis exercitus: et 10, 171. ductor, *h. e.* Annibal. *Claud. III. cons. Stil. praef.* 9. Tyriae vires, *h. e.* opes Carthaginiensium. *Id. B. Gild.* 520. Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti, *h. e.* Caralis in Sardinia, condita a Carthaginiensibus. *Ov. Trist.* 2, 533. felix Aeneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros, *h. e.* in nuptias Didonis, quae Carthaginem condidit, cum Aenea. *Tibull.* 4, 1, 139. tellus fera Tyrio obsessa colono, *h. e.* Africa. *Lucan.* 7, 187. et 10, 457. Tyriae Gades, *h. e.* a Poenis conditae, ut *Vell.* 1, 2. *f.* tradit, et *Plin.* 4, 22, 36. et *Sil.* 3, 4. significant. Hinc *Tyrii, orum*, Carthaginienses. *Virg. A.* 1, 578. et *ib.* 4, 111. et *Sil.* 1, 82. etc.

[TYRO, onis, et us, f. *Τυρώ*, Salmonei filia, quae ideo et Salmonis dicitur, quam vocem vide suo loco. Ejus meminit *Hyg. fab.* 60. et 254. et *Propert.* 2, 21, 51. Vobiscum lole, vobiscum candida Tyro. ℙ *Tyro, onis*, m. V. TIRO. *F.*]

TYROPĀTĪNA, ae, f. placenta in modum casei

confecta ex lacte, ovis, et melle: a τυρὸς, *Apic.* 7, 11. *f.*

TYROS, V. TYRUS.

TYROTĂRĪCHUS, i, m. τυροτάριχος, genus obsonii vilioris, ex caseo et salsamentis confecti: a τυρὸς, caseus, et τάριχος, salsamentum. Quidam volunt esse jus ex caseo salito expressum, quo in condimentis usi sint veteres. *Cic. Att.* 4, 8. Multa me in epistola tua delectarunt: sed nihil magis, quam patina tyrotarichi. *Id. Fam.* 9, 16. *med.* Quam tu mihi narras tyrotarichi patinam? et *f.* Tu vero (volo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. Adde *Att.* 14, 16. ℙ Ejus confectio ita describitur ab *Apicio* auctore culinario (si modo quidquam ad *Ciceronis* tyrotarichum pertinet), qui more adjectivorum hac voce utitur 4, 2. *med.* Patella tyrotaricha ex quocumque pisce salso volueris. Coques ex oleo, exossabis, et cerebella cocta, pulpas piscium, jecuscula pullorum, ova dura, caseum mollem excaldatum: haec omnia calefacies in patella: teres piper, ligusticum, origanum, rutae baccam, vinum, mulsum, oleum: patellam ad lentum ignem, ut coquatur, ovis crudis, obligabis, adordinabis: cuminum minutum asperges, et inferes.

TYRRHĒNI, orum, m. plur. *Toscani*, Etrusci, Tusci, Τυρρηνοὶ, populi Italiae, quorum regio Tyrrhenia, sive Etruria, sive Tuscia. Hos quidam indigenas Italiae, alii advenas fuisse dicunt. Qui indigenas censent, hoc nomen ipsis inditum ajunt ab aedificiis munitis, quae in urbium moenibus erigi solent, quae Graece τύρσεις, et τύρσεις, Latine *turres* appellantur: quod primi omnium in Italia eas exstruxerint, in iisque habitarint. (V. TURRIGENA.) Sunt, qui dicunt, eos alienigenas esse: alii ajunt, Lydos, sive ponte, sive ob agri sterilitatem, patria relicta, in Italiam navigasse, Tyrrhenum coloniae ducem fuisse, gentique nomen ase imposuisse. Hunc vero Tyrrhenum alii dicunt filium fuisse Atyos ex Callithea, alii Herculis ex Omphale. V. LYDIUS. Alii dicunt a Mysis ortum trahere, et ita appellatos esse a Tyrrheno Telephi filio, qui post Trojae incendium in Italiam venerit. Alii aliam eorum originem tradunt. *Virg. A.* 11, 733. Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?

TYRRHĒNĬA, ae, f. Etruria, Tuscia, regio Italiae. V. ETRURIA. *Ov. Met.* 14, 452. Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuque, etc.

TYRRHĒNĬCUS, a, um, adj. Tyrrhenus. *Inscr.* ap. *Grut.* 690, 5. Stagna sub Oreani Tagus, et Thyrrhenica Iberus, *h. e.* Tagus in Oceanum influens, et Iberus in mediterraneum, cujus pars est Tyrrhenum mare. *Auson. ep.* 24, 88. Tyrrhenica Tarraco, *h. e.* ad Tyrrhenum mare sita. V. v. sq.

TYRRHĒNUS, a, um, adj. Τυρρήνος, ad Thyrrenos pertinens, Tuscus, Etruscus. *Virg. A.* 10, 691. Tyrrhenae acies: et *ib.* 8, 555. Tyrrheni ad limina regis. *Id. ib.* 7, 663. Tyrrhenum flumen, *h. e.* Tiberis: et *ib.* 10, 787. Tyrrheni sanguis, *h. e.* Tyrrhenorum regis. *Val. Flacc.* 7, 83. Tyrrhenus magister, *h. e.* gubernator Tyrrheno mari navigans. *Virg. A.* 8, 458. Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis, *h. e.* crepidas a Tuscis sumptas, quas primo habuere senatores Romani, postea equites, denique milites, inquit *Servius.* Alii intelligunt calceos senatorios, a Tuscis itidem sumptos. *Ov. Met.* 4, 23. Tyrrhenaque mittis in aequor Corpora, *h. e.* nautas Tyrrhenos, qui Bacchum fallere conabantur: quod ille in delphinas versos in mare mersit, ut *Ov. Met.* 3, 605. narrat. Sic de delphinis *Id. Fast.* 3, 723. Ecce libet subitos pisces, Tyrrhenaque monstra Dicere: et *Sen. Ag.* 451. et *Val Flacc.* 1, 130. Tyrrhenus piscis. *Stat. Achill.* 1, 56. Tyrrheni greges. *scil.* delphinorum. *Stat. Silv.* 5, 3, 82. Tyrrhenae volucres, *h. e.* Sirenes, quae aliquando in scopulo Tyrrheni maris juxta Surrentum habitarunt. ℙ Quia tuba dicitur esse inventum Tuscorum, ut in ea voce dictum est, hinc *Virg. A.* 8, 526. (*Stat. Theb.* 3, 650. et *Sil.* 2, 19.) Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor. *Stat. Theb.* 6, 404. insonuit Tyrrhenum murmur. *Virg. G.* 2, 193. Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras, *h. e.* tibicen: quia quae ad sacra pertinent, Romani a Tuscis acceperunt paene omnia. ℙ *Tyrrhenum mare*, inferum, *mar di Toscana*, Τυρρηνὴ θάλασσα, pars maris mediterranei, a Macra flumine usque ad fretum Siculum. *Plin.* 3, 5, 10., *Virg. A.* 1, 71., *Hor. Od.* 3, 24, 4. et alii. *Tyrrhenus* absolute, de Tyrrheno mari. *Val. Flacc.* 4, 715. tantas quamvis Tyrrhenus et Aegan Volvat aquas. ℙ *Thyrrhenum* dicitur etiam mare mediterraneum, qua Hispaniam alluit. *Paul. Nol. carm.* 10, 235. Qua Betis Oceanum, Tyrrhenumque auget Iberus. ℙ *Tyrrhenus* pro Romano, seu Italo. *Sil.* 1, 110. *de Annib.* horreat ortus Jam pubes Tyrrhena tuos. ℙ *Tyrrhenum* pro *Tyrrhenorum* habet *Virg. A.* 11, 171. et 835.

*TYRRHĒNUS, i, m. Herculis filius, inventor tuba. *Hyg. fab.* 274. *Plin.* 7, 16. Cf. *Virg. A.* 8, 526. et V. *Tyrrhenus, a, um.* ℙ Alii Atyos filium eum fuisse volunt. V. in *Tyrrheni, orum.* ℙ Et nomen viri apud *Virg. A.* 11, 612. *B. A.*

*TYRRHĒUM, i, n. oppidum Acarnaniae. *Liv.* 38, 9. Tyrrheum, Tyrrheo. Sic ed. *Gronov.* ubi ed. *Drakenb.* Thyrium, Thyrio. *B. A.*

TYRRHĪDAE, arum, m. plur. filii cujusdam Tyrrhi pastoris regis Latini in agros Laurenti, ap. *Virg. A.* 7, 484. *ℙ Patris nomen, Tyrrhus vel Tyrrheus, occurrit apud *Virg. A.* 7, 485. ubi ed. *Heyn. secunda* habet *Tyrrheus.* In ed. prima est *Tyrrhus*, quae vetus lectio est. *B. A.*

*TYRRHUS vel Tyrrheus. V. voc. praec. *B. A.*

*TYRTAEUS, i, m. Τυρταῖος, poeta Graecus, cujus Plato meminit, eumque bonum et sapientem dicit in libris de Legibus. Tyrtaei fragmenta quaedam, quae exhortationes sunt ad virtutes bellicas, et animi praesentiam in pugna, apud *Stobaeum* visuntur in *Serm.* 48 et 49. Instituit Tyrtaeus chorum illum, qui τριχορία dictus fuit, juxta triplex aetatum discrimen, in quo senes incipiebant canentes, Ἄμμες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι. Meminerunt *Justin.* 3, 5. *Horat. A. P.* 402. itemque *Plutarchus, Pollux* et *Strabo. B. A.*

TYRUS, et Tyros, i, f. *Sur*, Τύρος, urbs Syriae in Phoenicia, in ora maris mediterranei, ab Agenore, condita. Olim fuit insula, praealto mari DCC. pass. a continenti distans: sed ab Alexandro, M., dum obsideret, operibus terrae conjuncta, ut est ap. *Plin.* 5, 19. 17. Quam obsidionem fuse describit *Curt.* 4. a. *c.* 2. Olim fuit portu clara, urbibus genitis Lepti, Utica, Carthagine, Gadibus in Africa, et Thebis in Graecia. V. TYRIUS. Graeca positione fere utuntur poetae. *Tibull.* 1, 8, 20. Prima ratem ventis credere docta Tyros: *scil.* quia Tyrii mercaturae dediti, primi docuere carinis, ut ait *Avien. Perieg.* 1065., Ferre cavis orbis commercia, sidera primi Servavere poli. *Sil.* 1, 74. Cum fugeret Dido famulam Tyron, impia diri, etc. *famulam* dicit, quia tunc Pygmalionis tyrannide opprimebatur. V. *Virg. A.* 1, 350. Dicitur a *Lucan.* 3, 217. Tyros iastabilis. *Curt.* enim 4, 4. *f.* crebris terrae motibus vexari tradit. ℙ Nunc, inquit *Plin. l. c.* omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura constat. *Tibull.* 4, 2, 16. Vellera det fucis bis madefacta Tyros. *Propert.* 3, 11, 7. Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores. ℙ Hinc metonymice ponitur pro ipsa purpura. *Mart.* 2, 29. Quaeque Tyron toties epotavere lacernae: et 6, 11. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit. *ℙ Fuit et Tyrus mater Veneris Syriae. *Cic. Nat. Deor.* 3, 23. *B. A.*

[TYRUS, i, m. τυρὸς, butyrum, caseus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 997, 5. Ti. Julius Tyrus. *F.*]

*TYSCOS, i, vicus Asiae minoris. *Liv.* 38, 18. *B. A.*

TYSDRĪTĂNUS, a, um, adj. ad Tysdrum pertinens, ut Tysdritana juventus, *Capitol. Gord.* 11. Est autem Tysdrus urbs Africae in regno Tunetano, ad Syrtin minorem. *Id. ib.* 7. et 8. Ap. *Plin.* 5, 4, 4. est Tusdritanum oppidum: ap. *Ptol.* 4, 3. est Θύσδρος.

*TYSIAS, ae, m. Τυσίας, orator. *Cic. de Invent.* 2, 2. Sed rectius scribitur *Tisias*, q. V. *B. A.*

TZ.

*TZITZI, oppidum Aegypti, in Thebaide. *Anton. Itin. B. A.*

U

U, Ultima vocalium Latinarum, (apud Graecos υ, et ου) saepe consonantis vim habet, nempe quoties alteri vocali praeposita eam comprimit, ut in *vaco, velox, vita, vox, vultus.* Poetae autem saepe dissolvunt, ut in *evoluisse*, quod *Ov. Her.* 12, 4. quinque syllabarum facit: et in *silua*, quod *Hor. Epod.* 13, 2. trium. Saepe mutatur in *o.* Olim enim dixere *Hecoba, notrix*, ut ait *Quint.* 1, 4., et passim ap. *Plaut., Lucr., Sall., Virg.*, hodieque legimus *dederont, voltis, volgus, voltus, voster, servos, poblicus, polcher*, etc. Quin multis Italiae populis ignotam olim fuisse, scribit *Prisc.* 1, 554. Interdum pro *i*, ponitur, ut in *lubens, carnufex, maxumus:* et pro *e*, ut *legundi, capiundus.* Aliquando nec vocalis, nec consonans est, ut *Diomed.* 2, 416. et *Prisc.* 1, 555. tradunt. Hoc fit in *quis, quam, quoniam, sanguis, lingua*, et hujusmodi. Graeca *υ* Latine in hanc vocalem saepe vertur, ut *Sulla, murrhinus, ludius, mus, tus*, etc. ℙ In notis valet vivus, vivens, vir, votum, etc. In numeris V. valet quinque. ℙ Hinc in *vet. Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 610. V. nominibus propriis praefixa significat, illum adhuc vivere, quemadmodum Θ denotat, eundem jam mortuum. V. THETA. [*ℙ Saepissime confund. in inscriptionibus *V.* et *B.* V. *Orell. collect. Inscr. lat.* 1140. ubi *atabisque:* et *ib.* 1162. ubi *curbati.* Porro *ib.* 1175 leg. *boluerit*, et *devevet;* 1368. *balbis* pro *valvis;* 1893. *berna* pro *verna;* 2867. *binara* pro *vinaria;* 2504. *Vase* = *Basi.* — Confund. etiam *u* et *o.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 277. *Beier. Cic. Fragm.* p. 185. sq.]

VA

[VĂALĂ, et Vālă, et Vallă, ae, m. cogn. R., quod cuidam C. Numonio datum fuisse videtur ob vallum strenue propugnatum, ut constat ex nummo G. Numoniae ap. *Morell. Numism. fam. R.*, in quo duo milites Romani vallum adversus unicum hostem defendunt. *Vaala* autem ἀρχαϊζῶς ibidem scribitur tam in antica, quam in postica nummi parte, quia olim vocalis longa duplicatione ejusdem vocalis indicabatur, ut *Veelix* et *Suura* pro *Felix* et *Sura;* cum e contrario litterae consonantes nunquam geminarentur. Deinceps *Vaļa* fuit cognomen Numonii illius, qui Vari legatus eundem turpiter deseruit in bello Germanico contra Arminium, cujus meminit *Vell.* 2, 119.; cuique fortasse scripsit *Hor. Ep.* 1, 15, 1. Quae sit hiems Veliae, quod coelum, Vala, Salerni, etc. Tandem *Valla* scriptum fuit hujusmodi cognomen, ut L. Tuccius Valla ap. *Plin.* 7, 53, 54. *F.*]

*VABAR, Numidiae fluvius. *Mela* 1, 6. *B. A.*

VĂCANS, antis, part. a *vaco: σχολάζων*, vacuus, carens. *Cic. N. D.* 1, 10. Si mens constare potest vacans corpore. *Virg. G.* 3, 476. videat desertaque regna Pastorum, et longe saltus lateque vacantes, *h. e.* sine armentis. *Tac. H.* 3, 11. Vacantium forte balnearum fornacibus abditus. *Quint.* 9, 4. *med.* Neque ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere, *h. e.* vacui a verbis et pronuntiatione. *Aelius Gallus* ap. *Gell.* 16, 5. Janua procul a via est, area vacanti intersita, *h. e.* in qua aedificati nihil est. *Just.* 25, 2. Neque aliter servata castra, quam quod deserta sunt: siquidem Galli ubi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum sine custodibus vident, etc. *Id.* 27, 3. Quasi vacantem Asiae possessionem invasurus: et 42, 4. Vacans regnum occupare. *Lucan.* 2, 440. fines hoste vacantes. *Tac. A.* 3, 28. Velut parens omnium populus vacantia teneret, *h. e.* bona sine domino, et sine herede. Sic *Ulp. Dig.* 30, 1, 93. et *Mart. ib.* 111. Lege Julia bona vacantia ad fiscum pertinent. Quae appellat *Id. Ulp. ib.* 38, 9, 1. bona vacua. ℙ *Animus vacans*, sine curis, otiosus. *Ov. Met.* 9, 611. nec petiit horamque, animumque vacantem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 3. Cum Romae eras, hoc mihi certum ac jucundissimum vacanti negotium erat, tecum id otii tempus consumere. *Lucan* 5, 126. Vacans curis. ℙ *Vacantes* in militia sunt supernumerarii, ad commoda tantum participanda inter milites relati. *Trebell. XXX. Tyr.* 18. Gaudens, quod ejus consilio nullum adscripticium, id est vacantem haberet. *Ammian.* 15, 3. Marinus tribunus ex campidoctore vacans. Hinc *Suet. Claud.* 25. Instituit et imaginariae militiae genus, quod vocatur super numerum, quo absentes, et titulo tenus fungerentur. V. VACANTIVUS. ℙ *Vacantia*, res supervacuae. *Gell.* 6, 5. *med.* Putare, veteres dixerunt, vacantia ex quaque re, ac non necessaria auferre et excidere. ℙ *Mulier vacans*, meretrix, virgo, vel vidua. *Quint. decl.* 15, 2. Malignitas est persuasionis humanae, formam vacantem vocare meretricem: et *decl.* 262. *med.* Jam tum non eras maritus, cum animus tuus spectabat vacantes. *Mart. Dig.* 48, 6, 5. Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam, ultimo supplicio punitur. *Vacuam* dixit *Ov. Her.* 20, 149. Elige de vacuis, quam non sibi vindicet alter. Si nescis, dominum res habet ista suum. ℙ *Vacantia vina*, quae parata sunt quidem, sed in mensam nondum illata. *Sabin.* 1. *f.* Forsitan ante dapes, interque vacantia vina Ultoris pharetris utile tempus erit, *h. e.* cum proci ad coenam convenient, et intenti obsonia exspectabunt. [*ℙ Confund. *vacans* et *vagans.* V. *Cort.* ad *Luc.* 5, 126.]

VĂCANTER, adv. κενῶς, supervacue, inaniter, frustra. *Gell.* 17, 10. *f.* Vacanter hoc etiam accumulavit, et inaniter.

[VĂCANTĪVUS, a, um, adj. vacationem habens. *Lampr. Alex. Sev.* 15. Jurejurando se constrinxit, ne quem adscriptum, id est vacantivum, haberet, ne annonis rempublicam gravaret. Ita pro *vacantium* recte emendavit *Gruter.* in adnotat. ad *h. l.* ex *Cod. Palat.* in quo *vagantivum* erat, adsentientibus *Reines. Syntagm. cl.* 9. *n.* 47. et *Ducang.* in *Glossar. med. et inf. Latin.* V. VACANS. *F.*]

VĂCAT, abat. V. in VACO.

VĂCĀTĬO, onis, f. σχολὴ, cessatio ab opere, immunitas. *Cic. Fam.* 9, 6. *f.* Quae studia vacationem habent publici muneris. *Id. Leg.* 1, 4. Nullam tibi a causis vacationem dari video. *Id. Brut.* 31. Vacationem augures, quo minus judiciis operam darent, non habere. *Id. Verr.* 2, 5, 22. *f.* Quae colonia est in Italia tam bono jure, quod tam immune municipium, quod per hosce annos tam commoda vacatione sit usum rerum omnium, quam Mamertina civitas per triennium? et *N. D.* 1, 20. Nos beatam vitam in animi securitate, et in omnium vacatione munerum ponimus. *Sen. ep.* 85. Vacatio malorum, *h. e.* vacuitas, privatio. ℙ *Vacatio militiae*, dicitur, cum milites vel propter expletum stipendiorum tempus, vel propter aetatem, quae, ex *Sen. Br. V.* 20., erat annorum L., vel alia quapiam de causa militare non coguntur. *Caes. B. G.* 6, 13. Druides

militiae vacationem, omnjumque rerum habent immunitatem. *Nep. Att.* 7. Incidit bellum civile: cum haberet annos LX., usus est aetatis vacatione. [*Plura hujus dicendi generis exempla, quo genitivus causae vocabulo vacationis adjicitur, habes ex *Cic.* ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v.] *Cic. Phil.* 5, 12. Tumultum decerni, delectum haberi, sublatis vacationibus. *Id. ib.* 19. Militibns veteranis, liberisque eorum vacationem esse, senatui placere. [*Ceterum notandum, *v. vacationis* absolute positam saepissime e contextu orationis esse explicandam.] ℙ Hujusmodi militares vacationes interdum pretio emebantur: hinc vacatio ponitur etiam pro ipso pretio. *Tac. H.* 1, 46. Otho promisit, ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum, *h. e.* pecuniam, qua soluta, liceret annum a militia abesse.

VACCA, ae, f. βοῦς, bos femina. *Varr. R. R.* 2, 5. Discernuntur in prima vitulus et vitula, in secunda juvencus et juvenca, in tertia et quarta taurus et vacca. *Cic. N. D.* 1, 27. *f.* Cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae? *Virg. G.* 3, 177. fetae nivea implebunt mulctraria vaccae: et *ib.* 2, 524. ubera vaccae Lactea demittunt: et *Ecl.* 9, 31. Sic cytiso pastae distentent ubera vaccae. *Ov. Met.* 2, 694. Nitida vacca. *Virg. A.* 4, 61. candens. *Colum.* 6, 21. Vaccae probantur altissimae formae, longaeque, maximis uteris, frontibus latissimis, oculis nigris et patentibus, cornibus venustis et levibus et nigrantibus, pilosis auribus, compressis malis, palearibus et caudis amplissimis, ungulis modicis, et modicis cruribus. ℙ Est hoc nomine fluvius Hispaniae in Lusitania, *Plin.* 4, 21, 35. Item oppidum Africae, *Sall. Jug.* 51. et *Hirt. B. Afr.* 74., cujus cives *Vaccenses* ap. *Sall.* 70. et 72. *Hodiernum nomen fluvii est *the Vouga.* ℙ Item oppidum Africae, in Byzacena. *Auct. B. Afr.* c. 74. ℙ Aliud in Numidia fuit, circa Cirtam, quod tamen rectius *Vaga* appellatur a *Sall. B. J.* c. 29. *(al.* 31.*)* et c. 47. *(al.* 50.*)* ed. *Cort.* Neque aliter apud *Sil.* 3, 259. *Augustin. advers. Donat.* 3, 6. itemque *Ptolemaeum.* ℙ *Oppidum Vagense* audit utrumque *Plin.* 5, 4. *B. A.*

[VACCAEI, orum, m. plur. populi Hispaniae Tarraconensis, ad Durium fluv. Eorum *Plin.* 3, 3, 4. meminit. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 10. Ex gente Vaccaeorum. *F.*]

VACCĪNĬUM, ii, n. flos, seu potius fructus purpurei coloris ad nigrim accedentis. Magna lis est inter eruditos in hujus flore, seu fructu constituendo, alii enim hyacintho, alii violae comparant; sed in *Virgilii*, et *Vitruvii loc.* mox *citand.* a viola distinguitur. Nos auctoritatem sequimur auctoris, qui nuperrimam *Plinii Hist. nat.* editionem Parisiis curavit, quique *T.* 10. p. 251., re utrinque accurate disputata, statuit, vaccinium esse, quod nunc Gallice *vaciet*, Italice *vacino*, dicitur, nempe *Vaccinium Myrtillus* LINN, cujusque fructus prius rubei, mox nigri fit coloris. *Virg. Ecl.* 2, 18. Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Ubi *Servius:* Vaccinia sunt violae, quas purpurei coloris esse manifestum est. Verum discriminis aliquid inter vaccinium et violam ponit *Id. Virg. ib.* 10, 39. Quid tum, si fuscus Amyntas? Et nigrae violae sunt, et vaccinia nigra: et *Vitruv.* 7, 14. Tinctores, cum volunt sil Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas cum aqua confervescere faciunt ad ignem, etc. et *mox:* Eadem ratione vaccinium temperantes, et lac miscentes, purpuram faciunt elegantem. *Ov. Trist.* 1, 1, 5. Nec te purpureo velent vaccinia succo. *Plin.* 16, 18, 31. Item vaccinia Italiae mancupiis satą: Galliae vero etiam purpurae tingendae causa ad servitiorum vestes, *h. e.* In Italia sata ad fricanda et illinenda mancipiorum venalium corpora, quoniam iis pubertas tardetur; quod mangonibus valde est utile. Hoc ipsum *Id.* 21, 26, 97. tribuit hyacintho, unde nonnulli fortasse putarunt, vaccinium idem fuisse ac hyacinthum. [*Egregie hujus loci curam gessit *F.*]

VACCĪNUS, a, um, adj. βοϊκὸς, qui est ex vacca. *Plin.* 28, 12, 50. Jus e vaccina carne. *Id.* 25, 8, 53. Vaccinum lac. *Id.* 28, 14, 58. Vaccinus caseus.

*VACCĬUS, i, m. cognomen Romanum. *Varr. R. R.* 2, 5. *B. A.*

VACCŬLĂ, ae, f. dimin. βοΐδιον, parva vacca, bucula. *Val. Cato Dir.* 132. Vaccula non unquam secreta cubilia captans. *Catull.* 20, 14. *de Priapo:* Tenerque, matre mugiente, vaccula, etc. ℙ Fuit cogn. R. in gente Voconia, ut M. Voconius Vaccula in *Inscr.* ap. *Grut.* 489, 11.

VACCUS, i, m. cogn. R. significationis non satis exploratae. *Cic. Dom.* 38. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quae publicata est, et eversa, ut illius facinus memoria, et nomine loci notaretur. *Liv.* 8, 19. Vitruvius Vaccus, vir non domi (*Fundis*) solum, sed etiam Romae clarus: aedes fuere in Palatio ejus, quae Vacci prata, diruto aedificio publicatoque solo, appellata.

VĂCĔFIO, is, n. 2. anom. vacuus fio. *Lucr.* 6, 1003. multusque vacefit In medio locus. Adde *ib.* 1015.

VĂCERRĂ, ae, f. stipes, palus. *Festus:* Vacerram Verrius et alii complures vocari dicunt stipitem, ad quem equos solebant religare. Atejus vero Philologus, maledictum hoc nomine significari magnae acerbitatis, ut sit vecors et vesanus, teste Livio (*Andron.*) qui dicat: vecors, et malefice vacerra. Haec *Fest.* ex lect. *Scal.* Hinc *Augustus* in sermone quotidiano quaedam frequentius et notabiliter usurpare solitus, ponebat assidue et pro stulto baceolum, et pro pullo pullejaceum, et pro cerrito vacerrosum, ut *Suet. Aug.* 87. narrat. ℙ Habet vacerra et alios usus. *Colum.* 9, 1. *de vivario ferarum pecudum.* Ratio postulat vacerris includi: sic enim appellatur genus clatrorum: idque fabricatur ex robore, quercu, vel subere, *h. e.* sepe ex palis facta: et 6, 19. *de machina curandis jumentis et bubus.* Stipites omnes transversis sex temonibus, quasi vacerrae, inter se ligantur. [ℙ Est etiam cogn. R., jurisconsulti nempe, ap. *Cic. Fam.* 7, 8., cujus tamen nomen gentilicium ignoratur. *F.*]

VĂCERROSUS, V. in v. praec.

VĂCĬĂ. V. VATIA.

VĂCILLANS, antis, part. a *vacillo:* inconstans, nutans, titubans. *Cic. Brut.* 60. Cum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante, quaesivit, quis loqueretur e lintre. *Id. Fam.* 16, 15. Accepi tuam epistolam vacillantibus litterulis: nec mirum tam gravi morbo, *h. e.* tremente manu exaratis. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 3, 12. *f.* In Galliam mutilatum duxit exercitum: cum una legione, et ea vacillante, L. fratrem exspectat, *h. e.* dubiae fidei. [*Vell.* 2, 130, 3. vacillantes gentes.] *Lucr.* 4, 1117. aegrotat fama vacillans, *h. e.* dubitans, an bene de te loquatur. *Eum. Grat. act. ad Constant.* 6. Rusticani aere alieno vacillantes.

VĂCILLĀTĬO, onis, f. παραφορά, actus vacillandi. *Quint.* 11, 3. *med.* Est et illa indecora in dextrum, ac laevum vacillatio, alternis pedibus insistentium. *Suet. Claud.* 21. *f.* Per ambitum lacus non sinef oeda vacillatione discurrens.

*VACILLĀTOR, oris, m. *Gloss. Lat. Gr.* Vacillator, ονκοφάντης. *B. A.*

VĂCILLO, as, avi, atum, n. 1. διασάζω, modo huc, modo illuc inclinor, nuto, titubo, fluctuo. Sunt qui putant esse a *bacillum*, quo nituntur qui pedibus male fulti ingrediuntur. [*Doederl.* 3, 61. diminutivum putat a *vagari*, citato in sententiam suam confirmandam *Lucr.* 3, 448. Nam veluti infirmo pueri teneroque vagantur Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis. — Differentiam inter *vacillare* et *titubare* ita describit, ut hoc ad pedes, *vacillare* ad superiorem corporis partem spectare doceat, *ib.*] *Lucr.* 6, 574. Hac igitur ratione vacillant omnia tecta: et 5, 1235. sub pedibus tellus cum tota vacillat: et *ib.* 1095. arbor ventis pulsa vacillans. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. *med.* et 11, 3. *f.* Quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. [*Vacillare* proprium et signatum verbum de ebriis. Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 164. *ed. Fr.*] ℙ Translate est inconstantem esse, labare, dubitare. *Cic. N. D.* 1, 38. Tota res vacillat et claudicat. *Id. Att.* 12, 1. *med.* Γεροντικώτερον est memoriola vacillare. *Id. Off.* 3, 33. *f.* Justitia vacillat, vel jacet potius. *Id. Fin.* 1, 20. Videtur stabilitas amicitiae vacillare. *Id. Cat.* 2, 10. Qui partim inertia, partim male gerendo negotia, partim etiam sumptibus, in vetere aere alieno vacillant. [*i. e. expedire se ex eo, et consistere non possunt.] *Modest. Dig.* 22, 5, 2. Testes, qui adversus fidem testationis suae vacillant, audiendi non sunt: et *ib.* 48, 10, 27. Qui diversa duobus testimonia praebuit, cujus ita anceps fides vacillat, crimine falsi tenetur. ℙ *Lucr.* primam producit, 3, 503. Tum quasi vacillans primum consurgit, et omnes, etc. Est qui leg. *talipedans.* Alii mallent duplici *c* scribere, ut habetur in quibusdam MSS. *Festi* in *Talipedare.*

VĂCĬVĒ, adv. per otium, cum vacat. *Phaedr.* 5. *praef.* Quartum libellum dum vacive perleges.

VĂCĬVĪTAS, atis, f. vacuitas. *Plaut. Curc.* 2, 3, 40. Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacivitas, non te fugit. [Alii leg. *vacuitas*, alii rectius tum *vacivitas*, tum *vacuitas* glossema putant perperam intrusum. *F.*] [*Orell.* qui *vacuitas* retinuit, haec notat: Si esset *ista vacuitas*, nemo, puto, dubitaret. Ceterum conf. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.]

VĂCĬVUS, a, um, adj. vacuus. *Pl. Cas.* 3, 4, 6. Ut bene vacivas aedes fecisti mihi! *Id. Bacch.* 1, 2, 46. Valens afflictet me vacivum virium. *Id. Cas. prol.* 29. et *Ps.* 1, 5, 54. Fac, sis, vacivas, Pseudole, aedes aurium, mea ut migrare dicta possint, quo volo. *Ter. Heaut.* 1, 1, 38. Sine me, vacivum tempus ne quod dem mihi laboris. Alii perperam leg. *vacuum.*

VĂCO, as, avi, atum, n. 1. κενός εἰμι, σχολάζω, vacuus sum, expers, liber, careo, sum sine re aliqua. *Caes. B. G.* 4, 3. Maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros, *h. e.* esse sine incolis, et cultura. *Ov. Am.* 1, 11, 19. rescribat, multa jubeto: Odi, cum late splendida cera vacat: et *Sen. Thyest.* 107. cernis, ut fontes liquor Introrsus actus linquat? ut ripae vacent? *h. e.* vacuae sint aquis. *Cic. Att.* 12, 10. Tota domus superior vacat, ut scis: [*Nos: *ist noch unbesetzt.*] *Id. Tusc.* 1, 26. *f.* Illa natura coelestis et terra vacat, et humore. *Virg. A.* 3, 123. Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas. *Caes. B. C.* 3, 25. *f.* Haec a custodiis classium loca maxime vacabant. *Hirt. B. G.* 8, 41. Ea pars oppidi, quae fluminis circuitu vacabat: et *Ov. Met.* 15, 478. Ora vacent epulis, *h. e.* abstineant. ℙ De rebus corpore carentibus. *Gell.* 19, 12. Carere et vacare affectionibus animi. *Id. Ib.* 115. Vacare dolore. *Id. Am.* 1, 6, 60. nox pudore vacat, Liber Amorque metu. *Sen. Q. N.* 6, 1. et *Liv.* 7, 1. *med.* Vacare a metu ac periculis. *Cic. Acad.* 4, 42. *med.* molestia. *Cels.* 2, 14. *med.* febri. *Id.* 3, 22. et *Jaboten. Dig.* 21, 1, 53. morbis. *Hirt. B. Alex.* 49. Neque ullum genus quaestus praetermittebatur, quo domus et tribunal imperatoris vacaret. *Cic. Fam.* 7, 3. Vacare culpa. *Id. Leg.* 1, 3. cura et negotio: et *ib.* 3, 3. *f.* vitio. *Id.* 1, 10. justitia. *Id. Or.* 3, 11. *f.* Athenienses studiis vacant, peregrini fruuntur. *Id. Tusc.* 2, 26. *f.* Amplitudinem animi contemnendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulcriorem, si vacet populo, neque plausum captans se tantum ipsa delectet, *h. e.* careat populo et testibus suae virtutis. [*Plura de h. l. v. ap. *Schütz. in cl. Cic.* s. v.] ℙ *Vacare* dicuntur honores et officia, quae viro carent, qui impleat, σχολάζειν. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic. ad Brut.* 17. *med.* Quid nostra victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit? *Plin. ep.* 10, 7. Rogo, ut Accium Suram praetura exornare digneris, cum locus vacet: et *ep.* 8. Rogo, dignitati vel auguratum, vel septemviratum, quia vacant, adjicere digneris. Sic *Cic. N. D.* 1, 7. Tres trium disciplinarum principes convenistis. M. Piso si adesset, nullius philosophiae vacaret locus. ℙ Item possessio, hereditas, et hujusmodi, quae dominum non habent. *Ulp. Dig.* 38, 17, 2. *extr.* Agnati ceteriqui succedent; aut si nemo sit, bona vacabunt. *Paul. ib.* 41, 3, 37. Fundi possessionem nancisci, quae ex negligentia domini vacet. ℙ Et pecunia, quae non est occupata, sed otiosa ac sterilis in arca servatur. *Id. ib.* 26, 7, 11. *extr.* Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, pupillo vacabit. ℙ Et mulier sine viro, sive vidua sit, sive virgo. V. VACANS. ℙ *Vacare*, immunem esse. *Cic. Sen.* 11. Vacat aetas nostra muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri. *Liv.* 2, 48. *f.* Id nobis privato sumptu gerere in animo est: respublica et milite illic, et pecunia vacet. *Caes. B. C.* 3, 76. Milites ab opere, integris munitionibus, vacabant. *Cic. N. D.* 1, 1. *f.* Utrum Dii nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent. ℙ Quoniam vero qui negotiis carent, vitam otiosam agunt, *vacare* idem est interdum atque otiosum esse, cessare, nihil agere. *Cic. Att.* 12, 38. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si vacabis. *Id. Fam.* 12, 30. Quamvis occupatus sis, otii tamen plus habes: aut si ne ut quidem vacas, noli, etc. *Id. Brut.* 78. *med.* Nullum tempus illi unquam vacabat aut a forensi dictione, aut a commendatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. *Hor. Od.* 3, 18, 11. Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus. ℙ Impersonaliter, *vacat*, otium est, tempus vacuum est. *Virg. A.* 1, 276. si prima repetens ab origine pergam, Et vacet annales nostrorum audire laborum, etc. *Ov. Trist.* 2, 216. Non vacat exiguis rebus adesse Jovi: et *Pont.* 3, 3, 1. Si vacat exiguum profugo dare tempus amico. *Quint.* 11, 1. *med.* Vacat mihi esse diserto. *Ov. Am.* 3, 1, 69. teneri properentur amores, Dum vacat. *Plin. ep.* 1, 10. *f.* Quo magis te, cui vacat, hortor, illi te expoliendum permittas. *Id. ep.* 3, 18. Valde raro vacat Romae, aut commodum est audire recitantem: et *ep.* 9, 16. Nobis venari nec vacat, nec libet. *Juven.* 1, 21. Si vacat, et placidi rationem admittitis, edam. ℙ *Vacat*, licet, fas est. *Virg. A.* 10, 625. Hactenus indulsisse vacat. Ejus vero perpetuus imitator *Sil.* 17, 373. sed percipe, conjux, Quatenus indulsisse vacet. ℙ *Vacare alicui rei*, aut *in aliquam rem* non est operam dare, attendere, incumbere, sed vacuum esse aliis omnibus negotiis, et tempus ac spatium habere ad unum aliquod faciendum, cui dicimus vacare: itaque ille dativus aut accusativus est communis commodi, non a verbo pendens. *Cic. Div.* 1, 6. De quibus quid sentiam, si placet, exponam, ita tamen si vacas animo. Ego vero, inquam, philosophiae, Quinte, semper vaco. *Ov. Am.* 2, 6, 29. *de psittaco:* Plenus eras minimo (*cibo*): nec prae sermonis amore In multos poteras ora vacare cibos. Ἑλληνισμὸς, *ora* est idem ac *quoad ora. Just.* 38, 4. *extr.* Ut ne vacaturos quidem bello suo putet. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat: et *ep.* 1, 8. Ut vaces sermoni, quem apud municipes meos habui. *Vell.* 2, 114. Tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. *Suet. Aug.* 45. Quod inter spectandum libellis legendis ac rescribendis vacaret. *Id. Gr.* 1. Vacare liberalibus disciplinis. *Tac. A.* 16, 22. clientium negotiis. *Claud. in Eutrop.* 2, 584. Aula choris epulisque vacat. *Ov.*

Pont. 3, 3, 35. dum canto tua regna, tuaeque parentis, In nullum mea mens grande vacavit opus. [*P Negligendi significationem habet in illo *Cic. Or.* 3, 11. Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] P *Vacare se adeunti*, est quod Itali dicunt *lasciarsi visitare*. *Sen. Br. V.* 2. Queruntur de superiorum fastidio, quod ipsos adire volentibus non vacaverint. P *Vacare* absolute est auscultare. *Ov. Am.* 2, 2, 2. Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca. P Cum infinito. *Stat. Theb.* 8, 185. *de Amphiarao:* Et cum te tellus, fatalisque hora vocaret, Tu Tyrias acies adversaque signa vacasti Sternere· P *Vacui* pro *vacari* quidam leg. ap. *Tert. Pall.* 4. *in Pud.* 8. *extr.* et *adv. Valentin.* 9.

[VĂCŪĀNĔUS, a, um, adj. idem fere ac supervacaneus. *Not. Tir.* p. 54. Vacuus, vacuaneus, vacuativus. Hic fortasse pro *vacuativus* legendum *vacantivus*. *F.*]

[VĂCŪĀTĪVUS, a, um, adj. V. v. praec. *F.*]

VĂCŪĀTUS, a, um, adj. *Colum.* 12, 50. *med.* Vacuata dolia *Aurel. Vict. Epid.* 43. Sanguine vacuatus. *Sil.* 11, 571. liceat non exhaurire rapacis Impensis belli vacuatos saepe penates. *Lucr.* 6, 1022. rarior aer Factus, inanitusque locus magis, ac vacuatus.

VĂCŪĔ, adv. inaniter, futiliter, *Arnob.* 3. p. 121. Inaniter, vacue, et sine ulla substantia constituta sunt omnia.

VĂCŪĔFĂCIO, is, feci, factum, a. 3. idem ac vacuo, *κενόω*. *Nep. Cim.* 2. *f.* Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, vacuefecit. *Macrob. Saturn.* 7, 12. Venas inedia vacuefacere. P Ap. *Lactant.* 4, 17. vacuefacere circumcisiones, est tollere, abrogare. P Ap. *Val. Max.* 4, 1. n. 1. fasces securibus vacuefacere, est e fascibus secures eximere. P Vacuefacere alicui locum in coena, *Macrob. Sat.* 1, 2. *med.* locum in coena vacuum praebere.

VĂCŪĔFĂCTUS, a, um, part. a *vacuefacio: κενωθείς*. *Cic. Cat.* 1, 7. Quid quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? *Alii leg.* vacua facta. *Nep. Timol.* 3. Novis civibus bello vacuefactas possessiones divisit, *h. e.* desertas, bello vastatas. *Val. Max.* 2, 7. n. 1. Turpi atque erubescenda sentina vacuefactus exercitus.

VĂCŪĪTAS, atis f. *κενότης*, inanitas. *Vitr.* 2, 7. Ignis interveniorum *(in lapidibus)* vacuitates occupans. P Tempus, quo magistratus non sunt, interregnum. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas, non te fugit. [Alii leg. *vacivitas*, q. v. V. s. l. *F.*] P Translate est privatio, cessatio. *Cic. Fin.* 1, 11. Cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus: et *ib.* 2, 11. et 12. Vacuitas doloris. *Id. Tusc.* 5, 14. *med.* aegritudinis. *Id. Off.* 1, 21. *f.* Magnitudo animi est adhibenda, et vacuitas ab angoribus.

VĂCŪNĂ, ae, f. Dea vacantium, sive otiosorum: vel potius agricolarum, qui post collectas fruges operum vacui eidem imprimis sacra fecisse narrantur. Ejus templa plura fuisse videntur praecipue apud Sabinos. Hinc *Plin*, 3, 12, 17. *f.* Nar amnis Tiberim petens, e monte Fiscello labens, juxta Vacunae nemora. *Acron.* ad illud *Hor. Ep.* 1, 10, 49. Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae: *haec habet:* Vacuna apud Sabinos plurimum colitur. Quidam Minervam, alii Dianam putaverunt, nonnulli et Cererem esse dixerunt; sed Varro in primo rerum divinarum, Victoriam ait, et ea maxime hi gaudent, qui sapientia vincunt. *Porphyrion ib.* Haec Dea incerta specie, ab aliis Diana, ab aliis Bellona habetur. *Ov. Fast.* 6, 307. Nam quoque cum fiunt antiquae sacra Vacunae, Ante Vacunales stantque, caduntque focos. P [Hujusmodi nomen deinde per jocum ad aliam significationem traductum videtur, utpote quae vacationum Dea fuerit. *Auson. ep.* 4, 98. Quas si solveris, o poeta, nugas, Totam trado tibi simul Vacunam. *Vet. Poeta* ap. *Bonad. Carm. ex ant. Lap.* 2. p. 536. Qui legis haec, Divae bona verba precare Vacunae, Nunc saltem vacuo donet ut esse mihi.

[VĂCŪNĂLIS. V. in v. praec. *F.*]

VĂCŪO, as, a. 1. *κενόω*, vacuum reddo, vacuefacio. *Mart.* 11, 15. Elysium liceat si vacuare nemus. *Stat. Theb.* 3, 642. Et Lachesin putri vacuantem saecula penso. *Colum.* 3, 13. *med.* Qui ripam erigi jubeat, sulcumque vacuari. *Sidon. carm.* 22, 197. vacuare colus, *h. e.* nere.

VĂCŪUS, a, um, adj. *κενός*, inanis, exhaustus, nudus, carens, expers: a *vaco.* [*Discrimen inter *vacuus* et *inanis Doederl.* 1, 94. hoc statuit, ut *vacuum* significet id, quod impleri, plenum fieri adhuc possit, quod domino careat; *inane*, quod plenum esse jam debeat, quod nihil eorum contineat, quae opus sint, *(das Gehaltlose)*. Hinc *plenus* proprie opp. v. *inanis;* et *occupatus* v. *vacuus*. Ceterum nota, hoc vocabulum saepissime frequentari Tacito et ita quidem plerumque, ut ex orationis demum nexu pateat, quorsum spectet ejus significatio. Nubem exemplorum habes ap. *Böttich. Lex. Tac.* p. 479. sq.] *Phaedr.* 5, 5. Paulo ante vacua, turbam deficiunt loca. *Virg. G.* 3, 109. aera per vacuum ferri. *Id. A.* 6, 269. domos Ditis vacuas, et inania regna. *Liv.* 39, 14. Aliquam partem aedium vacuam facere; et *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Urbs vacua atque nuda ab his rebus. *Caes. B. G.* 7, 45. Vacua castra hostium conspicatus. *Hirt. B. Afr.* 9. Ne oppida post se vacua relinqueret, *h. e.* sine praesidiis. *Id. B. G.* 8, 46. *med.* Neque pars Galliae vacua ab exercitu esset. *Caes. B. G.* 2, 12. Oppidum vacuum ab defensoribus. *Liv.* 42, 63. *med.* Vacua defensoribus moenia. *Id.* 5, 41. Vacuae occursu hominum viae. *Cic. Univ.* 4. *med.* Nihil igni vacuum videri potest. *Sall. Jug.* 95. Ager aridus, et frugum vacuus. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 14. Romana urbs annonae vacua. *Sen. Oed.* 1012. Vacui vultus, *h. e.* sine oculis. *Cic. Marcell.* 17. Gladius vagina vacuus: *ὑπαλλαγή*, vagina gladio vacua. Sic *Ov. Met.* 4, 148. Ense ebur vacuum. *Stat. Th.* 1, 593. vacuum velamine pectus, *h. e.* nudum. *Cels.* 7, 5, *n.* 2. *f.* Telum a spiculis vacuum educere, *h. e.* divulsum, separatum. *Virg. G.* 2, 225. vacuis Clanius non aequus Acerris i. e. infrequentibus. P [*Notanda hic loquendi ratio, qua *vacuam facere domum* dicitur primum de iis, qui de medio sublati faciunt, ut novae nuptiae fieri possint. Ita *Cic. Cat.* 1, 6. quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses; et *Sall. Cat.* 15, 3. Aurelia Orestilla pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse: ubi v. *Cort.* — Similis locus est *Liv.* 1, 46. Aruns Tarquinius et Tullia minor prope continuatis funeribus quum domos vacuas novo matrimonio fecissent: ubi v. *Jac. Gron.*] P *Vacuum* absolute, inane, locus vacuus. *Liv.* 25, 3. *f.* Publicani per vacuum irruperunt. *Virg. G.* 2, 287. in vacuum poterunt se extendere rami, *h. e.* in aera, in apertum. *Lucr.* 1, 367. vacui minus intus habere. P Aliquando *vacuus* est spatiosus, amplus, latus. *Virg. A.* 2, 761. Et jam porticibus vacuis, Junonis asylo, Custodes lecti Phoenix et dirus Ulyxes Praedam asservabant. *Id. ib.* 12, 710. ut vacuo patuerunt aequore campi. *Id. ib.* 2, 528. Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat. P Translate est expers, liber, vacans. *Cic. Div.* 2, 11. Animus per somnum sensibus et curis vacuus. *Id. Att.* 10, 16. Consilium periculo vacuum. *Id. Fam.* 4, 4. Vacuus molestiis. *Id. Fin.* 2, 10. cupiditate et timore. *Sall. Cat.* 50. ab odio, amicitia, ira, atque misericordia; et *ib.* 14. a culpa. *Tac. A.* 6, 16. culpa. *Cic. Brut.* 90. Dies nullus ab exercitationibus oratoriis vacuus. *Id. Verr.* 2, 1, 12. *f.* Hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. *Id. Inv.* 2, 7. *med.* Animus a talibus factis vacuus et integer. *Ter. Heaut.* 1, 1, 38. Tempus nullum vacuum laboris. V. VACIVUS. *f. Ov. A. Am.* 1, 642. vacuas caedis habete manus. *Hor. Sat.* 2, 2, 119. Vacuus operum. *Stat. Th.* 5, 644. animi. P Item immunis. *Tac. A.* 12, 34. Vacui a securibus et tributis; et *ib.* 61. Omni tributo vacui in posterum Coi. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. *f.* Soli vacui, expertes, soluti ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. P Absolute est minime occupatus, otiosus. *Cic. Leg.* 1, 4. *med.* In longum sermonem me vocas: quem tamen suscipiam, et, quoniam vacui sumus, dicam. [*Adde *Brut.* 5. quum te sciremus esse vacuum.] *Hor. Sat.* 2, 3, 9. vultus erat multa et praeclara minantis, Si vacuum tepido cepisset villula tecto. *Virg. G.* 3, 3. Cetera quae vacuas tenuissent carmine mentes. *Ter. Andr.* 4, 2, 22. Dies mihi hic ut satis sit vereor ad agendum, ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas. *Ov. Pont.* 3, 1, 141. Nec rursus jubeo, dum sit vacuissima, quaeras. *Hirt. B. Alex.* 2. Veteranas cohortes vacuas in celeberrimis urbis locis habebant, ut quacumque regione pugnaretur, integris viribus ad auxilium ferendum opportunae essent. *Tac. Agr.* 37. Qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant, et paucitatem nostrorum vacui spernebant. *Cic. Att.* 12, 38. Animum vacuum ad res difficiles scribendas afferre, *h. e.* omnis aegritudinis expertem. *Id. Verr.* 1, 9. Animo vacuo ac soluto cogitare aliquid. *Hor. Od.* 1, 6, 17. proelia virginum Cantamus, vacui, sive quid urimur, *h. e.* amoris expertes. *Sall. Jug.* 56. *f.* Postquam Rutilium consedisse jam, et animo vacuum accepit, *h. e.* securum, otiosum ab animo. P *Vacua pecunia*, otiosa, h. e. quae fenori data non est, sed in arca sterilis manet. *Scaevola Dig.* 16, 3, 28. et *African. ib.* 19, 5, 25. *f.* Haec dicitur etiam *vacans.* P *Vacuum est*, vacat. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 9, 12. Postquam, remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit. *Tac. H.* 2, 38. Ubi subacto orbe, et aemulis urbibus excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit. *Capell.* 1. p. 9. At praescire Deis vacuum est, *h. e.* licet. P *Vacua* sunt, quae domino carent. *Caes. B. C.* 3, 112. Vacuam possessionem regni sperans. *Tac. A.* 6, 40. *med.* Sacerdotia vacua contulit in alios. *Id. ib.* 12, 50. Vacuam Armeniam Rhadamistus invasit, *h. e.* sine rege. *Id. Agr.* 40. Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam jam morte Atilii Rufi consularis: et *A.* 13, 44. Mulier vacua, *h. e.* sine marito. Sic *Quint. decl.* 376. Vacuis indicere nuptias, non occupatis, *h. e.* innuptis, uxorem non habentibus. *Liv.* 27, 16. Vacuus equus, *h. e.* sine sessore. Alii leg. *vagus.* P Saepe ap. JCtos leguntur *vacua bona*, *hereditas*, *possessio*, quae a nullo possidentur: et *vacare* etiam dicuntur. V. VACANS. [*Cic. fragm. or. pro Tull.* (ed. *A. Peyronio)* 17. Fines Acerronio demonstravit, neque tamen hanc centuriam Populianam vacuam tradidit. *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 1. Statia Irene jus liberorum habens M. Licinio Timotheo donationis mancipationisque causa HS. N. 1. mancipio dedit, libripende Claudio Dativo, antestato Cornelio Victore, inque vacuam (lege *eique vacuam)* possessionem monumenti SS. (*h. e.* suprascripti) cessit, et adio (lege *ad id)* monumentum itum, aditum, ambitum atque haustum, etc. (V. ap. *Marin. Papir. diplom.* p. 331. plura huc pertinentia). *F.*] *Cic. Or.* 3, 31. Nostra est omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis involarerunt. *Ov. Her.* 20, 149. Elige de vacuis quam non sibi vindicet alter. Si nescis, dominum res habet ista suum. *Hor. Od.* 1, 5, 10. Qui semper vacuam, semper amabilem Sperat, *h. e.* sibi uni vacantem, et a nullo alio amatore occupandam. P *In vacuum venire*, heredem succedere bonorum vacantium, primo herede mortuo. *Id. Sat.* 2, 5, 47. leniter in spem Adrepe officiosus, et ut scribare secundus Heres, et siquis casus puerum egerit Orco, In vacuum venias. P *Pendere in vacuum* dicitur, qui cum solvendo non sit, bona ejus venalia proscribuntur, tanquam si vacua sint, et dominum quaerant. *Suet. Claud.* 9. *extr.* V. PENDEO. [*Cave credas, *Torrentii* hanc, quam *Forc.* dedit, unicam esse veramque verborum *in vacuum* explicationem. *Salm.* cum aliis *frustra* (ex Gloss. *εἰς μάτην*) *h. e.* nemine se emptorem profitente, quod probat etiam *Wolf. Ern.* cum *Gron.* et *Oudend.:* cotumeliae tantum et sollicitudinis injiciendae causa, non ut auctio fieret. *B. Crusius* explicat: in residuam aeris alieni partem, s. ad dissolvendum, quod deerat ad totam summam, aerario debitam (*für den noch nicht getilgten, noch leer stehenden Rest der Schuldsumme, wo das* dedit *noch nicht geschrieben war.)*] P *Vacuus*, inanis, futilis. *Petr. Sat.* 102. Sine causa spiritum, tanquam rem vacuam, impendere, ne vos quidem velle existimo. *Tac. H.* 1, 30. Si respublica, et senatus, et populus vacua nomina sunt. Alii leg. *vana. Gell.* 11, 15. *med.* Vacua et inanis productio verbi.

*VADA, ae, f. opp. Galliae Belgicae. *Tac. H.* 5, 20 et 21. *B. A.*

*VADABĬLIS, e, adj. vadus, vadosus. *Sarisb.* 2, 24. Non vadabilis Alyssus. *B. A.*

[VĂDĂTĬCĬUS, a, um. V. EVADATICIAE. *F.*]

VĂDĀTUS, a, um, part. a *vador*, qui vadimonio aliquem obstrinxit. *Hor. Sat.* 1, 9, 36. et casu tunc repondere vadato Debebat: quod ni fecisset, perdere litem. [*V. *Heindf.*] P Passive est vadimonio promisso obstrictus, et translate devinctus, obligatus, obnoxius. *Fulg. de prisco serm. n.* 59. Vadatus, obstrictus, vel sub fidejussione ambulans: sicut Fenestella ait: Apud quem vadatus amicitiae nodulo tenebatur. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 26. Nec mihi amatore hoc opu', nec tricone vadato. *Pl. Bacch.* 2, 2, 3. Ita me vadatum amore vinctumque attines. *Appul. Met.* 11. Memineris, mihi reliqua vitae tuae curricula adusque terminos ultimi spiritus vadata. *Pacat. Paneg. Theodos.* 17. Pythias et Damon, quorum alter in amici morte se vadem obtulit, alter ad diem vadatae mortis occurrit. Adde aliquot loca *Symmachi* in *epist.* quae congessit *Bentl.* ad *Hor. l. c.*, ubi mallet legi *vadatus*, quemadmodum *citatus respondere* Latine saepissime dicitur.

*VADEI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

VĂDES. V. VAS, vadis.

VADIMŌNIS Lacus, [*Lago di Vadimone*, nunc *Bagnaccio*, et *Naviso* appellatus, parvus admodum Etruriae lacus vix III. mill. pass. a Tiberi fluv. Opacam habet silvam sibi innatantem, quae nunquam diu ac noctu visitur eodem loco. Ejus meminere *Liv.* 9, 25., *Plin.* 2, 95, 96., *Sen. Q. N.* 3, 25., *Flor.* 1, 13. *f.* et *Plin. jun. ep.* 8, 20. qui eum graphice describit. V. *Fr. Oriolium* in *Bibliot. Ital.* T. 11. p. 189.—198. et T. 14. p. 35.—44., qui de ejus situ, hodierno nomine et conditione docte disputat. *F.*]

VĂDĪMŌNĬUM, ii, n. *ἐγγύη, ἐγγύησις, ὁμηρεία*, sponsio sistendi se in judicio ad diem praestitutam, per se, vel per advocatos, quod deserere non licet: a *vas, vadis*, ut *patrimonium* a *pater*, *matrimonium* a *mater*. Itaque *vadimonium alicui imponere*, est necessitatem injicere comparendi in judicio, *Nep. Timol.* 5. Et *vadimonium obire*, est ad diem constitutam se in judicio sistere, *Cic. Quint.* 16. *extr.*, quo sensu *idem ib.* dixit ad vadimonium venire; et *Sen. ep.* 8. *med.* Non videor tibi plus prodesse, quam cum ad vadimonium advocatus descenderem? *Vadimonium sistere*, est idem ac obire, seu ad vadimonium venire. *Nep. Att.* 9. Fulviae, cum litibus dis-

tineretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Adde *Cic. Quint.* 8., et *Cat.* ap. *Gell.* 2, 14: Similiter *vadimonium facere* eodem sensu dicitur. *Pl. Epid.* 5, 2, 19. Vadimonium ultro hic mihi facit, *h. e.* ultro se mihi offert. *Juven.* 3, 298. feriunt pariter: vadimonia deinde Irati faciunt, *h. e.* citant me in judicium et vadimonium promittere cogunt. *Lucr.* 4, 1116. Labitur interea res, et vadimonia fiunt, *h. e.* aere alieno oppressi dare vades coguntur creditoribus, et judicium subire. *Concipere*, vel *capere vadimonium*, est ex primere certam formulam sponsionis sistendi se, seu comparandi. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Negat enim, in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui vadimonium concipere posset. *Ov. Am.* 1, 12, 23. Aptius hae capiant vadimonia garrula cerae, Quas aliquis duro cognitor ore legat. *Vadimonium promittere*, est promittere comparere in judicio ad diem praestitutam, per se, vel per advocatum. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. Hominem jubet Lilybaeum vadimonium Venerio servo promittere. *Vadimonium constituere*, est diem statuere, quo quis in judicio comparere debeat. *Cic. Sen.* 7. Omnia, quae curant, meminerunt, vadimonia constituta, qui sibi, cui ipsi debeant. *Differre vadimonium*, est differre diem contentionis, quo reus in judicio comparere promiserat. *Cic. Att.* 2, 7. In hominem ire cupiebam, non mehercule ut differrem cum eo vadimonium (nam mira sum alacritate ad litigandum) sed, etc. *Id. Quint.* 6. Quintius cum ceteris, quae habebat, vadimonia differt. *Vadimonium deserere*, est non comparere in judicio ad diem praestitutam. *Cic. Quint.* 23. *med.* Vadimonium mihi deseruit, me fraudavit. *Plin. praef. H. N. med.* Inscriptiones, propter quas vadimonium deseri posset, *h. e.* inscriptiones librorum promittentes multa adeo festiva et magna, ut propter eorum librorum lectionem vadimonium deseri posset. *Vadimonium missum facere*, est vadimonii obligationem remittere, condonareque. *Cic. Quint.* 14. Qui postea quoque vadimonium missum fecerit. *Res esse in vadimonium* dicitur, cum vadimonium conceptum et constitutum est, suo tempore obeundum. *Id. ib.* 5. *f.* Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coepit. *Vadimonium est mihi cum aliquo*, vadimonio obstrictus sum alicui. *Id. ib.* 18. Quid, si ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit? *Mart.* 14, 135. Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota. ℙ [Translate sumitur pro patratione incesti, quod privignus a noverca nefarie compellatus cautae promissionis dilatione evitaverat, ap. *Appul. Met.* 10. Perturbatus adolescens tale facinus exhorruit: ergo pollicetur, donec patris aliqua profectione liberum voluptati concederetur spatium. Sed impatiens vel exiguae dilationis mulier, marito persuadet, longissime dissitas festinare villulas. Quo facto, maturatae spei vesania praeceps, promissae libidinis flagitat vadimonium. *F.*]

VĂDO, as, a. 1. vado trajicio. Affertur a Lexicographis quibusdam locus *Pauli Dig.* 8, 3, 38. Flumine interveniente via constitui potest, si aut vado transiri potest, aut pontem habeat: secus autem, si vadari nequeat, sed pontonibus trajiciatur. Sed *Torrent.*, *Haloand.*, *Gothofred.* et alii non habent illa *secus autem*, *si vadari nequeat.* Addunt etiam haec verba *Solini*, sed non indicato loco: Flumen, quod propter brevitatem facile vadari poterat. ℙ Certior est *Vegetii* locus *Milit.* 2, 25. *med.* Flumina, quae sine pontibus vadari nequeunt.

VĂDO, is, si, sum, 3. *βαίνω*, *εἶμι*, eo, ambulo: a prima Graeca voce allata, quae est ab inus. *βάω*, et *βάδω*. *Cic. Att.* 4, 10. Pompejus in Cumanum venit. Ad eum postridie mane vadebam. *Ov. Met.* 11, 137. Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem. *Cic. Att.* 14, 11. *extr.* Lentulus hodie apud me: cras mane vadit. *Virg. A.* 11, 176. Vadite, et haec memores regi mandata referte. *Plin.* 6, 34, 39. Sequens circulus incipit ab India, vadit per medios Parthos, etc. Et 5, 26, 21. Euphrates in Mesopotamiam vadit per ipsam Seleuciam. ℙ De iis, qui alacres, magnis, passibus, et cum impetu eunt. [*Cf. *Doederl.* 4, 55.] *Liv.* 2, 10. Vadit inde in primum aditum pontis. *Id.* 7, 24. Inferenda sunt signa, et vadendum in hostem. *Virg. A.* 2, 358. per tela per hostes Vadimus haud dubiam in mortem. *Id. ib.* 4, 223. Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis. *Ov. A. Am.* 1, 381. Non ego per praeceps et acuta acumina vadam. *Tac. H.* 3, 41. Nec vadere per hostes tam parva manu poterat. *Id. A.* 14, 8. Alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare. *Just.* 11, 12. Darius cum quadringentis millibus peditum obviam vadit Alexandro. *Ov. Fast.* 6, 605. Corpus ut aspexit, lacrimis auriga profusis Restitit: hunc tali corripit illa sono: Vadis? an exspectas, etc. et *Virg. A.* 6, 263. Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat. *Flor.* 2, 7. *med.* Aous amnis per abrupta vadens ℙ Translate. *Plin.* 2, 7, 5. Sedere coepit sententia haec: pariterque et eruditum vulgus, et rude in eam cursu vadit. ℙ Praeteritum *vasi* est in compositis *evasi*, *pervasi*: et praeterea *Tert. Pall.* 3. *med.* Ea tempestate Osiridis, qua ad illum ex Libya Hammon vasit.

VĂDOR, aris, atus sum, dep. 1. *κλητεύω*, est alicui denunciare, ut in jus veniat, ejusque rei vades, seu sponsores ab eo postulare, ne fallat. *Pl. Pers.* 2, 4, 18. Vadatur hic me. *Poe.* Utinam vades desint, in carcere ut sis. *Cic. Quint.* 19. Debere tibi dicis Quintium, procurator negat: vadari vis, promittit: in jus vocas, sequitur: judicium postulas, non recusat. *Id. ib.* 6. Se jam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere: siquid agere secum velit Quintius, non recusare. Hic, cum rem Gallicanam cuperet revisere, hominem in praesentia non vadatur. Ita sine vadimonio discediturr. *Liv.* 3, 13. *med.* Tot vadibus accusator vadatus est reum. *Ov. Rem. Am.* 665. Jamque vadaturus, lectica prodeat, inquit, etc. ℙ Docet *Diomed.* 2, 415. esse verbum commune, et passive quoque usurpari. V. VADATUS.

VĂDOSUS, a, um, adj. *διαβατός*, mare aut flumen vada frequentia habens, qua vadi, ac transiri pedibus possunt. *Caes. B. C.* 1, 25. *med.* Aggerem ab utraque parte litoris jaciebat, quod his locis erat mare vadosum. *Sall. Jug.* 80. de Syrtib.: Proxima terrae praealta sunt: cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa. *Liv.* 37, 14. *f.* Ostium portus in fluminis modum longum, et angustum, et vadosum. *Virg. A.* 7, 728. Vadosus amnis. *Sol.* 52. Ganges ubi vadosissimus est. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 1. *extr.* Vadosa litora. *Plin.* 6, 23, 26. Vadosa navigatio palustri similis, per euripos tamen quosdam peragitur, *h. e.* periculosa, difficilis. ℙ *Vadosae aquae* ap. *Lucan.* 8, 698. sunt agitatae, fluctuantes, cujusmodi in vadis et fretis videmus.

VĂDUM, i, n. et Vadus, i, m. *πόρος*, *τὰ βραχέα*, locus in mari, aut flumine, ubi aqua brevis est, et pedibus vadi ac transiri potest. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 115. Si ab aqua summa non alte est terra, dicitur vadus. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 3, 265. Postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti, quam suis, opportuniora videt. *Cels.* 2, 18. *med.* Levior est piscis, qui in alto, quam qui in vado vivit. *Liv.* 26, 45. *f.* Acer ventus adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. *Caes. B. G.* 1, 6. Rhodanus nonnullis locis vado transitur. *Id. B. C.* 3, 37. Prima die exercitum vado transducit. *Id. B. G.* 3, 13. Carinae planiores, quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent. *Id. B. C.* 1, 61. Partem aliquam Sicoris avertere, vadumque in eo flumine facere; et *ib.* 83. *f.* Illi vadum fluminis tentare si transire possent. *Plin.* 8, 5, 5. Vadum fluminis experiri. *Tac. A.* 12, 33. Praefluebat amnis vado incerto. *Id. ib.* 2, 11. Equitem vado transmittere. *Id. ib.* 68. flumen penetrare; et *ib.* 23. Insulae per occulta vada infestae; et *H.* 4, 27. Cum navis per vada haesisset. *Ov. Fast.* 4, 300. Sedit limoso pressa carina vado. ℙ Interdum sumitur etiam pro fundo. *Plin.* 32, 6, 21. Ostrea neque in luto capta, neque in arenosis, sed solido vado. *Id.* 3. *prooem. f.* de freto Gaditano: Frequentes taeniae candicantis vadi carinas territant. ℙ De fundo putei. *Id.* 31, 3, 23. Ut illa vado exsiliat vena, non e lateribus. *Phaedr.* 4, 9. vulpecula evasit puteo, Hircumque clauso liquit haerentem vado. ℙ Poetae usurpant de ipsa aqua maris aut fluminis. *Virg. A.* 5, 158. longa sulcant vada salsa carina. *Catull.* 64, 58. juvenis fugiens pellit vada remis. *Hor. Od.* 1, 3, 24. Non tangenda rates transiliunt vada. *Sen. Hipp.* 181. Sic cum gravatam navita adversa ratem Propellit uňda, cedit in vanum labor, Et victa prono puppis aufertur vado, *h. e.* cursu fluminis. *Id. Phoen.* 116. torta rapidus ducit Ismenos vada; et *ib.* 604. trahens opulenta Pactolus vada, Inundat auro rura. *Id. Herc. Fur.* 680. Placido quieta labitur Lethe vado. *Id. Med.* 762. Violenta Phasis vertit in fontem vada. *Ov. Pont.* 4, 9, 2. Mittit ab Euxinis haec tibi Naso vadis. ℙ *Tentare vadum*, translate. *Id. A. Am.* 1, 437. Cera vadum tentet rasis infusa tabellis, *h. e.* aditum exploret, negotium amatorium aggrediatur. ℙ *Res est in vado*, h. e. in tuto: quia ut in alto magni fluctus, sic ubi aqua brevis est, nullus tempestatis timor. *Ter. Andr.* 5, 2, 4. Omnis res est jam in vado. *Pl. Aul.* 4, 10, 73. Haec propemodum jam esse in vado salutis res videtur. Adde *Rud.* 1, 2, 81. ℙ *Emergere e vado*, maximam rei difficultatem superare: quia navigantes, ubi brevis est aqua, non sine metu ac discrimine sunt, ne impingat navis, aut haereat. *Cic. Coel.* 21. Sed quoniam emersisse jam e vadis, et scopulos praetervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. ℙ *Vadus* adjective, vadosus. *Mela* 2, 5. *med.* Atax ex Pirenaeo monte degressus, qua sui fontis aquis venit, exiguus vadusque est. Alii leg. *vadosus*.

VĂDUS, a, um. V. v. praec.

VAE, *οὐαὶ*, interjectio dolentis, et malum denuntiantis, aut timentis: a voce Graeca allata. *Hor. Od.* 1, 13, 1. Cum tu, Lydia, Telephi Laudas brachia, vae! meum Fervens difficili bile tumet jecur. *Virg. Ecl.* 9, 28. Mantua vae! miserae nimium vicina Cremonae. *Pl. Mil.* 2, 3, 51. Vae verbero! edepol tu quidem caecus. *Ter. Eun.* 4, 4, 41. Vae mihi! etiam nunc non credis, indignis nos esse irrisas modis. *Id. Heaut.* 2, 3, 9. (et *Pl. Amph.* 2, 2, 94.) Vae misero mihi! quanta de spe decidi! *Pl. Rud.* 2, 3, 44. Vae capiti atque aetati tuae! et *As.* 2, 2, 7. Vae illi, qui tam indiligenter observavit januam! *Id. Capt.* 3, 4, 118. Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo! *Id. Men.* 2, 2, 3. Vae tergo meo! *Mart.* 5, 33. si sciero, vae tibi, causidice. ℙ *Vae victis*, proverb. *Liv.* 5, 48. Auditaque intoleranda Romanis vox, vae victis esse. Adde *Pl. Ps.* 5, 2, 19., *Flor.* 1, 13. *med.* et *Varr.* qui *Vae victis* unam inscripsit e Satyris suis. *Festus* in *Ve*, pro *Vae*. Vae victis in proverbium venisse existimatur, cum Roma capta a Senonibus Gallis, aurum ex conventione et pacto adpenderetur, ut recederent: quod iniquis ponderibus exigi a Barbaris querente Appio Claudio, Brennus rex Gallorum ad pondera adjecit gladium, et dixit, vae victis. Quem postea persecutus Furius Camillus, cum insidiis circumventum concideret; et quereretur, contra foedus fieri, eadem voce remunerasse dicitur. ℙ Cum accusat. *Plaut. Asin.* 2, 4, 75. Vae te! *Sen. Apocol. med.* Vae me! puto, concacavi me. ℙ Ap. *Fest.* scribitur *ve* sine diphthongo: et ita series ibi litterarum postulat. Sed obstat ipsa vocis origo, et usus. V. supra.

VAENĔO. V. VENEO.

VĂFELLUS, a, um, adj. dimin. vafri. *Festus* in voce *Altellus*. Sicut fit diminutive a macro macellus, a vafro vafellus, ita ab alterno altellus.

VĂFER, fra, frum, adj. *δόλιος*, *πανοῦργος*, subtilis, callidus, astutus. [**Gloss. Isidor.* vabrum: varium, multiforme. Cf. *Doederl.* 3, 218. sq. ubi plura invenies.] *Cic.* 3. *de rep.* ap. *Non.* 1, 70. Non sunt in disputatione vafri, non veteratores, non malitiosi. *Hor. Sat.* 2, 2, 131. Ilium aut nequities, aut vafri inscitia juris Postremum expellet. *Ov. Her.* 20, 29. Dictatis ab eo feci sponsalia verbis, Consultoque fui juris amore vafer. *Cic. N. D.* 1, 15. Jam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, etc. [*V. *intpp.* ad h. l. et *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Sen. ep.* 48. *med.* Interrogationes vaferrimas struere. *Hor. Sat.* 2, 5, 23. captes astutus ubique Testamenta senum: neu, si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo, Aut spem deponas, etc. *Mart.* 6, 64. Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte, *h. e.* solerti. *Id.* 12, 66. Vafra arte emptorem corrumpere. *Pomp.* ap. *Non. l. c.* Lingua vafra. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 8. *extr.* Annibalis vafri mores. *Gell.* 7, 3. *med.* Vafra et fallaciosa argumenta. *Hieron. ep.* 38. *n.* 5. Cavillentur vafriora licet, et pingui aqualiculo fartos circumferant homines. ℙ [**Schol. Cruq.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 138. docet: Antiquis v. *faver* etiam pro viro probo accipi: quod exemplis firmari posse negat *Heindorf.*] ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 530. L. Galerius Vafer. *F.*]

VAFRĀMENTUM, i, n. calliditas. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 2. *extr.* Quantum imperium quam parvo interceptum est vaframento! et *n.* 4. Lampsacenae urbis salus unius vaframenti beneficio constitit; et *n.* 7. Huic vaframento consimilis illa calliditas.

VAFRĔ, adv. *πανούργως*, subtiliter, astute, callide. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. Nihil sane vafre, nec malitiose facere conatus est. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 2, *extr.* Tam vafre telluri impressum osculum.

VAFRĪCIA aut Vafritia, ae, f. calliditas, acumen. *Sen. ep.* 49. *med.* Non vacat mihi verba dubie cadentia consectari, et vafritiam in illis meam experiri.

VĂGĂBUNDUS, a, um, adj. *ἀλήτης*, *πλάνος*, qui sedem stabilem nullam habet, sed modo huc, modo illuc aberrat, vagus, erro, errabundus. *Solin.* 5. *med.* Flamma flexuosis excessibus vagabunda. *August. Conf.* 5, 6. Per annos ferme novem, quibus eos vagabundus audivi. Adde *ib.* 13, 5.: nam quod quidam afferunt ex *Sen. V. B.* 12. *med.* pro *vagabundus* rectius *reptabundus* legitur. [**Doederl.*, cujus senteentiam sequimur, praeferendam censet vulgatam, recte moneus, vocem *reptabundus*, comparato ejus usu *ib.* cap. 18., haud facile aptam loco hic laudato esse posse. Caeterum idem *Doederl. ib.* affert locum *Fenestellae* ap. *Fulg.* 3, 9. Cui cum . . . solitudinum vagabunda errando cursilitas displiceret.] ℙ Nimis licenter secundam corripit *Dracont. Hexahem.* 1, 257. Cum vagabunda volat commotis plausibus ales.

VĂGANS, antis, part. a *vagor*: *περιφερόμενος*, qui vagatur. *Cic. Div.* 2, 38. Volucres huc, et illuc passim vagantes. *Hor. Od.* 3, 14, 19. Spartacum siqua potuit vagantem Fallere testa. *Ov. Met.* 3, 370. Narcissum per devia lustra vagantem Vidit. *Lucan.* 5, 212. totoque vagantia coelo Lumina. *Sen. Med.* 610. Vagantes scopuli, *h. e.* Symplegades.

VĂGĀTĬO, onis, f. *πλάνη*, *περιφορά*, *ἀλή*, actus vagandi. *Liv.* 5, 8. Neglectum Anxuri praesidium vagationibus militum et Volscos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum custodibus, oppressum est. Alii leg. *vacationibus* multo rectius.

Appul. de Deo Socrat. Nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exsilio punitur.

VAGE, adv. πλανομένως, sparsim. *Liv.* 26, 39. *f.* Qui vage effusos per aegros palantesque adortus, etc. *Auct. ad Her.* 4, 31. Quas idcirco non vage dispersimus, sed a superioribus separavimus. *Id. ib.* 4, 2. Res variae et dispares in tot poematibus sparsae et vage disjectae.

*VAGEDRŪSA, ae, fluvius Siciliae, inter Gelam ac Camarinam. *Sil.* 14, 229. Qui fontes, Vagedrusa, tuos, etc. Sic ed. *Cellar.* Aliae edd. *Vage Chrysa. B. A.*

[VAGENSIS, e, adj. ad Vagam seu Vaccam pertinens. Binas hoc nomine civitates habuit Africa, unam Numidiae prope Cirtam a *Sall. Jug.* 31. et 47. et *Sil.* 3, 259. memoratam: alteram Byzacenae, de qua *Hirt. B. Afr.* 74. Hinc *Vagenses*, *ium*, sunt incolae prioris, quos memorat *Sall. Jug.* 72. et *Vagense oppidum* utrumque nominat *Plin.* 5, 4, 4. Oppida civium Romanorum, Ucitana duo, majus et minus, Vagense; et *mox* (Oppida libera, Ulusubritanum, Vagense aliud, etc.

VAGIENNI et Vagenni, orum, m. plur. pop. Liguriae montanae, prope fontes Padi fl. ad radices Alpium. Horum primaria urbs erat Augusta Vagiennorum, quae a multis creditur *Saluzzo*, circa ortum Padi. *Plin.* 3, 5, 7. et *ib.* 20, 24. *Sil.* 8, 607. Tum pernix Ligus, et sparsi per saxa Vagenni.

VAGINA, ae, f. κολεός, ξιφοθήκη, theca gladii. *Plin.* 16, 43, 84. Terebris vaginas ex oleastro, buxo, ilice, ulmo, fraxino utilissimas fieri. *Cic. Cat.* 1, 2. Gladius in vagina reconditus. *Id. Marcell.* 6. Gladius vagina vacuus. *Id. Inv.* 2, 4. *med.* Gladium e vagina educere. *Virg. A.* 4, 579. et *ib.* 6, 260. vagina eripere; et *ib.* 10, 475. Vaginaque cava fulgentem deripit ensem. *Ov. Fast.* 4, 929. Vagina ducere ferrum; et *ib.* 2, 792. liberare. *Nep. Dat.* 11. nudare. *Val. Max.* 8, 9. *n.* 2. vaginae reddere. *Hor. Sat.* 2, 1, 40. ensis Vagina tectus. *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 192. gladiosque tegat vagina minaces. ℙ Translate est quaevis theca, ubi quippiam includitur, et exire potest. *Varr. R. R.* 1, 48. Spica in tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam, et etiam primitus spica cum oritur, vaginam; et *f.* Aristae primitus cum oriuntur, neque plane apparent, qua sub latent herba, ea vocatur vagina, uti qua latet conditum gladium; et *ib.* 32. Frumentum dicunt quindecim diebus esse in vaginis, quindecim florere, quindecim exarescere. (Adde *Cic. Sen.* 15.) *Plin.* 19, 5, 24. Cucurbita omni modo fastigatur vaginis maxime vitilibus, conjecta in eas postquam defloruit. *Id.* 8, 15, 17. Pardos, pantheras, leones et similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi. *Id.* 9, 8, 8. Delphinus pinnae aculeos velut vagina condens. *Id.* 11, 37, 77. Omnia principalia viscera membranis propriis, ac velut vaginis inclusit providens natura. *Id.* 7, 52, 53. Corpus velut vagina animae. ℙ Turpicula allegoria est ap. *Pl. Ps.* 4, 7, 85. Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis? *h. e.* mentula militis in podicem tuum.

VAGINŪLA, ae, f. κολεάριον, parva vagina. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 7. Et far in vaginulis servant ad satus.

VAGĬO, is, ivi, itum, n. μυνυρίζω, κνίζομαι, ploro: proprium infantium, cum fletum emittunt. Est vox a sono facta. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 17. Iccircoque vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis. [*Cf. *Doederl.* 3, 156.] *Cic. Sen.* 23. Quod siquis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam, et in cunis vagiam. *Or. Fast.* 2, 405. Vagierant clamore pari: sentire putares. Alii leg. *vagierunt. Id. ib.* 6, 146. At puer infelix vagit, opemque petit; et *ib.* 4, 207. resonat tinnitibus Ide, Tutus ut infanti vagiat ore puer. *Ter. Hec.* 4, 1, 2. Audire vocem pueri vagientis. *Stat. Silv.* 4, 8, 35. cumque tibi vagiret tertius infans, etc. Sunt qui leg. *vagitet*, ut sit frequentat., ut *dormito* a *dormio.* ℙ *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* docet, ut mugire a vitulo, et bovare a bove, sic vagire ab haedo tractum esse. (V. *Ov. Met.* 15, 466.) Subdit autem hunc versum *Ennii:* Clamos ad coelum volvendu' per aethera vagit. Ubi videtur *Ennius* loqui de clamore edito a militibus in acie ante pugnam, ut adnotavit *Hieron. Columna.* ℙ Lepori tribuit, et primam corripit *Auct. carm. de Philom.* 60. Glaucitat et catulus: at lepores vagiunt.

VAGĪTĀNUS. V. VATICANUS.

VAGĪTO. V. VAGIO.

VAGĪTUS, us, m. κλαυθμυρισμός, fletus infantium. *Ov. Her.* 11, 85. Vagitus dedit ille miser (sensisse putares) Quaque suum poterat voce rogabat avum. *Plin.* 7. *praef.* Natura hominem nudum natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum. *Quint.* 1, 1. *med.* Vagitum edere. *Ov. Met.* 15, 466. Aut qui vagitus similes puerilibus haedum Edentem jugulare potest. *Mart.* 9, 21. Felix, quae tantis sonuit vagitibus, et quae Vidit reptantes, sustinuitque manus. ℙ De ejulatu et gemitu quiritantis ex dolore. *Cels.* 7. *prooem. med.* Chirurgus perinde faciet omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur.

VĀGO, as. V. in v. sq.

VĀGOR, aris, atus sum, dep. I. περιφέρομαι, πλανάομαι, huc atque illuc feror, oberro, passim volito, erro. [*Discrimen inter *palari*, *errare*, *vagari* v. in PALARI.] *Auct. ad Her.* 4, 39. Volitabit et vagabitur toto foro. *Cic. Phil.* 11, 2. *f.* Tota Asia vagatur, volitat ut rex. *Id. Div.* 2, 38. Aves huc illuc passim vagantes. *Caes. B. C.* 1, 59. Illi perterriti virtute equitum minus libere, minus audacter vagabantur. *Id. B. G.* 4, 6. Germani latius vagabantur; et *ib.* 4. Usipetes agris expulsi, et multis locis Germaniae triennium vagati, ad Rhenum pervenerunt. *Sall. Cat.* 6. Qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur. *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* Tibicines feriati per urbem vagantur. *Liv.* 3, 5. *med.* Qui populabundi in finibus Romanorum vagabantur, *Hirt. B. G.* 8, 32. Liberam vagandi latrocinandique facultatem habere. *Id. B. Afr.* 62. *med.* Egressi remiges, passimque in litore vagantes. *Just.* 25, 5. Non contentus in publico vagari, sed potare. *Virg. G.* 3, 540. Nunc interque canes, et circum tecta vagantur. *Suet. Ner.* 26. Circum vicos vagabatur ludibundus. *Tert. Anim.* 44. Anima in somno carebat, quasi per occasionem vagaturi hominis proficiscente de corpore. ℙ Cum accus. *Prop.* 2, 21, 21. Ino etiam prima terras aetate vagata est: *terris* habent quidam libri: sed *Broukus. terras* defendit. Est autem *vagata* pervagata. Similia sunt *maria ambulare*, *terras navigare* ap. *Cicer.* et *fugere* et *refugere vias* ap. *Virg. A.* 12, 753. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 2. *med.* Quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam quid sequatur. *Id. Acad.* 4, 20. *f.* Eo fit, ut errem, et vager latius. *Id. Or.* 1, 48. Ne vagari et errare cogatur oratio; et *ib.* 3, 44. *extr.* Ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur. *Id. Marcell.* 9. *med.* Vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem, et domicilium certum non habebit. *Virg. A.* 2, 17. Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur. *Ov. Met.* 12, 54. Mixtaque cum veris passim commenta vagantur Millia rumorum. *Plin.* 5, 5, 5. Vagantes Graeciae fabulae, *h. e.* modo hoc, modo aliud narrantes. *Plin. alter ep.* 4, 22. *f.* Viennensium vitia intra ipsos residunt, nostra late vagantur. ℙ Olim et positio activa in usu fuit. *Varr.* ap. *Non.* 7, 2. Quae cum choro pari vagarunt. *Enn. ib.* Arbores vento vagant. *Pacuv. ib.* Recepta exsul incerta vagat. *Pl. Mil.* 2, 5, 14. Quae circum vicinos vagas. Ita legit *Non. ib.*, alii *vaga es.* Adde *Accium*, *Seren.*, *Turpil.*, *Pompon.* ap. *Non. ib.* et *Prud. Cath.* 6, 29. Quidam addunt *Livium* et *Tac.*, sed in his incerta est lectio.

VĀGOR, oris, m. vagitus, ejulatus, clamor. *Festus:* Vagorem pro vagitu Ennius libro sextodecimo: Qui clamos oppugnantes vagore volanti. Lucretius libro secundo (*v.* 576.) Et superantur item: miscetur funere vagor, Quem pueri tollunt visentes luminis oras. Adde *Non.* 2, 899.

VAGŪLĀTĬO, onis, f. in Lege XII. Tabularum significat quaestionem cum convicio. *Festus.* V. OBVAGULATUM.

VAGŪLUS, a, um, adj. dimin. vagi. *Spart. Hadr.* 25. de eod.: Moriens hos versus fecisse dicitur: Animula vagula, blandula, Hospes, comesque corporis, Quae nunc abibis in loca, etc. Sunt qui a *vagio* ducunt, ut sit querula ob vicinam discessionem a corpore.

VĀGUS, a, um, adj. πλανήτης, vagans, oberrans, huc illuc discurrens. *Cic. Cluent.* 62. *med.* Cum vagus et exsul erraret, atque undique exclusus Oppianicus. *Sall. Jug.* 21. et 22. Gaetuli vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant. *Tibull.* 1, 3, 40. Vagus navita. *Ov. A. Am.* 3, 418. Saepe vagos extra limina ferte pedes. *Hor. Od.* 4, 4, 2. Aves vagae. *Id. ib.* 3, 29, 24. Vagi venti. *Id. ib.* 1, 34, 9. Vaga flumina. *Tibull.* 2, 6, 3. et 21. aequora. *Ov. Met.* 1, 596. flumina. *Hor. Od.* 1, 28, 23. arena, *h. e.* quae vento dispergitur. *Id. Sat.* 1, 8, 21. luna. *Tibull.* 4, 1, 21. Vagus aer. *Id. ib.* 76. sol. *Cic. Univ.* 10. *med.* Sidera, quae infixa coelo non moventur loco, et quae vaga et mutabili ratione labuntur. *Id. Fin.* 5, 20. *med.* Motus soluti et vagi a natura bestiis tributi. *Prop.* 2, 18, 9. et *Ov. Met.* 2, 673. vagi crines puris in frontibus errant, *h. e.* soluti et pendentes. *Ov. A. Am.* 1, 516. Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet. V. FOLLEO cum deriv. *Sen. Tranq.* 2. Peregrinationes vagas suscipere. *Mart.* 7, 39. Discursus varios, vagumque mane, *h. e.* matutina discursio obeundarum salutationum causa. *Plin.* 11, 37, 76. Fel toto corpore vagum, colorem quoque oculis aufert, *h. e.* spargens se per totum corpus. ℙ Cum genitivo. *Catull.* 63, 4. Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi, *h. e.* ἔκφρων, idem ac amens animi. [*Explicat hujus constructionis rationem *Lindem.* et *Pl. Mil.* 3, 1, 124.] ℙ Translate est inconstans, instabilis, incertus. *Cic. N. D.* 2, 1. De iis immortalibus habere non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam. *Id. Mil.* 26. Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna. *Mart.* 2 90. Quintiliane, vagae moderator summe juventae. *Prop.* 1, 5, 7. Non est illa vagis similis collata puellis, *h. e.* inconstantibus in amore, et modo huic, modo illi se dantibus. [*Memorabilis locus est *Vell.* 2, 76, 2. ubi Domitius „*vagus adhuc*" dicitur, i. e. qui nondum parti alicui junctus dubitabat adhuc. ℙ Dicitur *vagus* etiam de imperio, quod modo huic, modo illi tribuitur, ut incertum sit, quis mox teneat, nostr. *schwankend. Suet. Vesp.* 1. et caede incertum diu et quasi vagum imperium suscepit firmavitque.] ℙ Item solutus, liber, nulla certa lege constrictus. *Cic. Or.* 23. de numero oratorio: Solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. *Id. Or.* 2, 16. Si illam quoque partem quaestionum oratori volumus adjungere vagam, et liberam, et late patentem, ut, etc. ℙ Item communis multis. *Plin.* 27, 4, 11. Ambrosia vagi nominis est, et circa alias herbas fluctuati. ℙ De otioso: quia in otio homines vagantur, incerti quid agant. *Stat. Silv.* 4, 6, 1. Forte remittentem curas, Phoeboque levatum Pectora, cum patulis tererem vagus otia Septis, etc. ℙ De eo, qui libidinis causa varios undique amores captat. *Mart.* 6, 21. Venus loquitur: Saepe ego lascivum Martem furibunda cecidi, Legitimos esset cum vagus ante toros. *Colum.* 12, 1. Curandum est, ut nec vagum villicium, et aversum contubernio suo habeamus. *Hor. A. P.* 398 Concubitu prohibere vago, dare jura maritis.

VAH, *a*, interjectio varios affectus significans: per apocopen ex *vaha*, ut *ah* ex *aha*, quod *Prisc.* 1, 548. et 2, 570. docet. *Valer. Prob.* 1, 1430. primam in *vaha* brevem esse dicit. ℙ Interdum est insultantis. *Hieron. ep.* 20. *n.* 5. In lingua Latina habemus interjectiones quasdem, ut insultando dicamus vah, et in admirando papae, et in dolendo hei. *Ter. Heaut.* 4, 5, 17. Vah! gloriare evenisse ex sententia. *Id. Ad.* 2, 1, 33. Vah! leno iniqua me non vult loqui. ℙ Interdum admirantis. *Pl. Most.* 1, 3, 99. Vah! quid illa pote pejus quicquam muliere memorarier? *Id. Curc.* 2, 1, 33. Vah! solus hic homo est, qui sciat divinitus. ℙ Interdum dolentis. *Ter. Andr.* 4, 2, 5. Vah! perii! hoc malum integrascit. *Id. Heaut.* 4, 8, 17. Vah! frustra sum igitur gavisus miser. ℙ Et indignantis, stomachantis. *Id. Ad.* 4, 2, 40. Vah! censen', hominem me esse? erravi. *Id. ib.* 3, 2, 17. Tum autem Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis! *Pl. Amph.* 2, 1, 32. Vah! apage te a me: pestis te tenet. ℙ Et gaudentis atque exsultantis. *Ter. Ad.* 3, 4, 14. Quis illic est, procul quem video? estne Hegio tribulis noster? si satis cerno, is hercle est. Vah! homo amicus nobis jam inde a puero; et *mox:* Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias restare video! vah! vivere etiam nunc lubet. Huc pertinet illud *Augustini Tract. in Joann.* 51. *in.* Cum dolentes dicimus, heu: vel cum delectamur, vah dicimus. ℙ Integrum *vaha* habemus ap. *Pl. Cas.* 4, 4, 25.

VAHA. V. in v. praec.

*VAHĀLIS, is, Rheni alveus sinister, hodie the *Waal*, *Wahl* vel *Wael. Caes. B. G.* 4, 10. ed. *Oudend.* ubi aliae edd. *Valis* vel *VValis* habent. Adde *Tac. A.* 2, 6. *Pacat.* in *Paneg. Theodos.* 5. ℙ *Vachalis* est *Sidon. carm.* 12, 31. et *carm.* 23, 244. ℙ Occurrit et forma *VValis* vel *Walis* ap. *Theodulf. ad Judices* 103. Cui parent Walis, Rhodanus, Mosa, Rhenus et Oenus. *B. A.*

VĀLĀ. V. VAALA.

*VALCUM, i, opp. Pannoniae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

VALDĒ, adv. ἄγαν, multum, sane, vehementer, majorem in modum, perquam; a *valide* per sync. ut *Prisc.* 15, 1011. docet. Jungitur adjectivis positivis. *Cic. Fam.* 15, 17. *med.* De Hispania novi nihil, sed exspectatio valde magna. *Id. Har. resp.* 3. *extr.* Cui me praeripere destinatam laudem, valde est iniquum. *Catull.* 69, 7. nam mala valde est Bestia. ℙ Et verbis. *Caes.* ap. *Cic. Att.* 14, 1. Quidquid vult, valde vult. *Id. Fam.* 16, 19. Litteras tuas valde exspecto. *Plin. ep.* 9, 35. Diligentiam tuam valde probo. ℙ Et adverbiis. *Cic. Att.* 14, 1. *med.* Valde vehementer visus est, et libere dicere. *Id. ib.* 1, 17. [*med.* Illud valde graviter tulerunt, promulgatum fuisse, etc. *Id. Fam.* 1, 8. *f.* Rem te valde bene gessisse, rumor erat. *Id. Q. Fr.* 3, 9. *extr.* Sumus una tamen valde multum. *Plaut. fragm.* ap. *Non.* 2, 450. Insanum valde uterque deamat. ℙ Etiam *tam* et *quam. Nep. Eum.* 11. Quem tamdiu, tamque valde timuissent. *Catull.* 68, 77. Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo. *Petr. Sat.* 17. *med.* De remedio non tam valde laboro. *Cic. Div.* 2, 39. Quasi vero quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, vulgare. *Caes.* ad *Opp.* ap. *Cic. Att.* 9, 8. Gaudeo, vos significare, litteris, quam valde probetis ea, quae, etc. *Pl. Merc. prol.* 102. Vosmet videte, quam mihi valde placuerit. ℙ *Valde quam*, sane quam. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 13. *med.* Nam suos valde quam paucos habet. ℙ Interdum vim habet affirmandi. *Pl. Ps.* 1, 3, 110. Meam tu amicam vendidisti? *Ball.* valde, viginti minis. ℙ *Valde*, ultima correpta, licenter usus est *Coripp. Johann.* 6, 523. mentemque a Marte reflexit, Consilio sed valde gravi. ℙ Gradus sunt *valdius*, *valdissi-*

me pro *validius*, *validissime*. *Hor. A. P.* 321. Valdius oblectat populum, meliusque moratur. *Id. Ep.* 1, 9, 6. videt ac novit me valdius ipso. *Sen. Br. V.* 8. *med.* Dicere solent eis, quos valdissime diligunt. Ita *Muret.*, alii *validissime*.

VALDIUS. V. in v. praec.

VĂLE, ἐῤῥωσο, ὑγίαινε, χαῖρε, sanus, sive incolumis esto: secunda persona numeri sing., temporis praesentis, modi imperativi, verbi *valeo*. Hac voce utimur in discessu, vel cum remanentes respondemus abeunti. *Ter. Eun.* 1, 2, 110. In hoc biduum, Thais, vale. ℙ Item in fine epistolarum. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *extr.* Mi frater, vale. *Id. Att.* 5, 20. *f.* Etiam, atque etiam vale. *Id. Fam.* 14, 2. Valete, mea desideria, valete. *Hor. Sat.* 2, 5, 110. vive, valeque. ℙ Differt a *salve*, quod *salve* majus quiddam significare videtur, vel quod *vale* ad corpus referatur, *salve* ad pericula et mala externa. *Cic. Fam.* 16, 4. Vale, mi Tiro, vale, et salve. Quidam hoc discrimen afferunt, quod *salve* dicerent in salutatione matutina, *vale* in vespertina, et cum discebant. V. SALVEO. Alii ita distingunt, ut *salve* usurparetur in accessu, vel in litterarum principio, *vale* in fine. V. SALVEO. Fatentur tamen haec discrimina non esse perpetua. ℙ *Vale facere*, est valere jubere, vale dicere. V. VALEFACIO. ℙ *Vale*, et *salve* item fuere verba postrema, quibus olim mortuos affabantur quasi dimittentes. V. SALVEO. Ad salutationem mortuorum pertinet illud *Mart.* 9, 8. non vis, Afer, avere, vale. *Serv.* ad illud *A.* 2, 644. Sic o, sic positum affati discedite corpus: hoc est, affamini me, ut dici mortuis solet, vale, vale, vale. ℙ Etiam irate dimittentes, *vale* dicebant. *Ov. Am.* 1, 6, 71, Qualiscumque vale, sentique abeuntis amores, Lente, nec admisso turpis amante: vale. Vos quoque crudeles rigido cum limine postes, Duraque conservae ligna, valete, fores. V. VALEO. ℙ Secunda syllaba a poetis aliquando corripitur, ut in *cave*. *Virg. Ecl.* 3, 79. Et longum formose vale, vale, inquit, Iola. *Ov. Met.* 3, 501. dictoque vale, vale, inquit et Echo. V. vocem sequent.

VĂLĔDĪCO, is, n. 3. Duabus vocibus *vale*, et *dico* constat, quae fere divisae scribuntur: conjunxit tamen *Ov. Trist.* 1, 8, 21. Idque quod ignoti faciunt, valedicere saltem; et *Suet. Aug.* 53. *med.* Et discedens sedentibus singulis valedicebat. Alii leg. *valere dicebat*. [*Idque rectius: est enim optimorum codd. lectio.]

[VĂLĔFĂCIO, is, a. 3. idem ac valedico. *August. ep.* 65. (al. 236.) Cum tanquam perrecturus ad ecclesiam suam, valefecisset collegae suo presbytero Gippitano; et *mox:* Valefaciens collegae suo ejusdem loci presbytero. *Appul. Met.* 4. Post haec valefacio discessimus. Alii divisim scribunt *vale facto*. *F.*]

VĂLENS, entis, part. a *valeo: ὑγιὴς*, sanus, integer, incolumis. *Cic. Fam.* 16, 9. Medicus plane confirmat, propediem te valentem fore. *Id. Acad.* 4, 7. Si sensus sani sunt, et valentes. *Prop.* 2, 17, 19. nos omni tempore tecum, Sive aegra, pariter, sive valente sumus. ℙ Item robustus, fortis, validus, *ἰσχυρός:* cui *imbecillus* opponitur. *Cic. Agr.* 2, 31. Robusti, et valentes, et audaces satellites. *Gell.* 3, 1. *f.* Corpore esse vegeto et valenti. *Cic. Fam.* 7, 1. *med.* Cum homo imbecillus a valentissima bestia laniatur. *Ov. Met.* 9, 108. Nessus adit membrisque valens scitusque vadorum. *Virg. G.* 2, 426. Poma quoque ut primum truncos sensere valentes, Et vires habuere suas, etc. ℙ *Valens cibus* est, qui multum alimenti habet, et addit vires corpori. *Cels.* 2, 18. Scire oportet, omnia legumina generis valentissimi esse: valentissimum voco, in quo plurimum alimenti est; et *paulo post:* Ex leguminibus valentior faba, quam pisum. *Sic saepe toto capite*. ℙ *Valentes tunicae* sunt denso et crasso filo textae: quibus *tenues* et *rarae* opponuntur. *Ov. A. Am.* 3, 109. Si fuit Andromache tunicas induta valentes, Quid mirum? duri militis uxor erat. ℙ Translate est opibus et potentia valens. *Cic. Fam.* 5, 21. Cum illa arma plus posse sensi, quam consensum bonorum, quavis conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare. *Id. Att.* 7, 3. Mallem, tantas ei (*Caesari*) vires respublica non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret. *Nep. Ann.* 6. Cupivit in praesentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. ℙ Refertur et ad vires dicendi. *Cic. Brut.* 16. *f.* Quamquam in Lysia saepe sunt etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius. *Quint.* 5, 13. *med.* Argumenta valentiora. *Cic. Fat.* 6. Tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio est. ℙ Est etiam efficax, utilis. *Ov. Trist.* 1, 8, 29. Quid nisi convictu, causisque valentibus essem, Temporis et longi vinctus amore tibi? *Cels.* 4, 15. *f.* Valens est adversus cancerem intestinorum minii gleba. *Plin.* 20, 18, 76. Silvestri papaveri capita longa ac pusilla, et ad omnes effectus valentiora. *Cels.* 1, 3. *med.* Purgationes sunt perniciosae, si nimis valentibus medicamentis fiunt. *Plin.* 22, 22, 43. Valentissimum adjumentum. ℙ Item vim habens nocendi. [*Noli hoc credere! *Valens*, ut alias ita etiam hic, nihil aliud, quam vim, facultatem exprimit, qua quis, vel quid ad perficiendam rem satis instructum est.] *Ov. Met.* 5, 174. Non tamen ad letum causas satis illa valentes Plaga dedit. *Id. Pont.* 1, 10, 35. Unda locusque nocent, et causa valentior istis Anxietas animi.

VĂLENTER, adv. *ἰσχυρῶς*, valide, fortiter, robuste. *Colum.* 1, 5. *f.* Fundamenta ab imo praestructa, valenter resistent contra ea, quae postmodum superposita incumbent. *Ov. Met.* 11, 481. coepit praeceps spirare valentius Eurus. *Cels.* 5, 26. *n.* 21. Quidam acetum vulneri infundunt: sed metus subest, ne nimis valenter ibi retenta materia magnam inflammationem postea moveat. ℙ Transfertur ad vim dicendi. *Sen. Controv.* 3, 22. *med.* Illos locos, quae occupaverat, non diu dicebat, sed valenter. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 6. *extr.* Si verba numeres, breviter et abscise; si sensum aestimes, copiose et valenter.

VĂLENTĬA, ae, f. *εὐρωστία, ἰσχύς*, robur, vires, firmitas. *Macr. Somn. Scip.* 2, 14. *med.* Exercitor corporum valentiam luctatoribus praestat. *Titin.* ap. *Non.* 1, 68. et 2, 901. Sapientia gubernator torquet navem, non valentia. *Naevius ib.* Omnes formidant hominis ejus valentiam. ℙ Fuit hoc nomine oppidum Latii in monte Palatino, quod postea Roma appellatum est: nam *ῥώμη* valentiam, robur significat. *Solin.* 1. *in.* Sunt qui videri velint, Romae vocabulum ab Euandro primum datum, cum oppidum ibi offendisset, quod exstructum antea Valentiam dixerat juventus Latina: servataque significatione impositi prius nominis, Romam Graece Valentiam nominatam. ℙ Item in Hispania Tarraconensi, *Valenza*, ad Turiam fluvium. *Plin.* 3, 3, 4. ℙ [Item oppidum Galliae Narbonensis ad Rhodanum fluv., nunc *Valence*. Ejus meminit *Plin.* 3, 4, 5. ℙ Item oppidum Sardiniae, cujus incolae Valentini dicuntur a *Plin.* 3, 7, 13. ℙ Item Italiae in Bruttiis, quod et Vibon, et Vibo Valentia, et Hipponium est dictum, nunc *Monteleone*. Ejus meminit *Plin.* 3, 5, 10. Ejus incolae Valentini dicuntur a *Cic. Verr.* 2, 5, 16. ℙ *Valentia* fuit quoque Oriculanorum Dea. *Tert. Apol.* 24. Per Italiam municipali consecratione censentur Vulsiniensium Nursia, Ocriculanorum Valentia, etc. *Inscr.* Ocriculana ap. *Grut.* 2, 12. et *Don. cl.* 1. *n.* 170. Aurelius Faustus Prot. (*h. e.* protector) divini lateris Aug. N. ex visu Deae Valentiae S. P. F. C. *F.*]

[VĂLENTĪNUS, a, um, adj. ad Valentiam pertinens, urbem Sardiniae. V. v. praeced. ℙ Item ad Valentiam Italiae in Brutiis. V. v. praeced. ℙ *Valentinum*, *i*, est urbs Liguriae prope Tanari et Padi confluentiam, quae nunc *Valenza* dicitur. *Plin.* 3, 5, 7. Forum Fulvii, quod Valentinum. ℙ *Valentinus* fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 248, 2. C. Julius Valentinus. ℙ *Valentinus* nominatus fuit etiam haeresiarcha, caput Valentinianorum, qui saeculo secundo vixit, gente Aegyptius, doctus, eloquens, et philosophiae Platonicae sectator, sed supra modum tumidus: nam, cum alium in episcopatu sibi praelatum indignaretur, hausta ex fabulis Hesiodi haeresi, Deos triginta sibi fabricavit, Aeonum illis nomine imposito. Ex horum commixtione (quindecim enim mares, totidem feminas finxerat) Servatorem, veluti Pandoram, natum esse deliravit. Addidit, eum, cum corpore hoc coelitus allato, per Virginem transiisse, resurrectionem insuper infitiatus. Hujus sectatores in Gnosticorum nomen et castra transierunt. Idem Euangelium et Psalmos sub nomine suo edidit. Romam deinde veniens, errores suos ejuravit, brevi tamen in eosdem relapsus, ab Irenaeo, et Tertulliano refutatus est. V. *Tert. adv. Valent. F.*]

[VĂLENTIO, onis, m. dimin. valentis. Est cogn. R. V. in RAUCULUS. *F.*]

VĂLENTŬLUS, a, um, adj. dimin. valentis aliquantum valens. *Pl. Cas.* 4, 4, 26. Obsecro, ut valentula est! paene exposivit cubito.

VĂLĔO, es, ui, itum, n. 2. *ὑγιαίνω, ἐῤῥωμαι*, sanus sum. *Ter. Andr.* 2, 1, 9. Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus. *Id. Heaut.* 2, 4, 26. et *Hor. Ep.* 1, 5, 12. Ut vales? et *Plin. ep.* 3, 20. *f.* Quousque illa vulgaria? Eho quid agis? ecquid commode vales? *Pl. Amph.* 2, 1, 34. Equidem valeo, et salvus sum recte. *Cic. Fin.* 2, 13. *f.* Inter optime valere, et gravissime aegrotare nihil dicerent interesse. *Id. Brut.* 19. *f.* Valere corpore. *Nep. Phoc.* 4. pedibus; et *Juven.* 6, 100. stomacho. *Pl. Epid.* 1, 2, 26. Bene ne usque valuisti? *Strat.* a morbo valui, ab animo aeger fui. *Gell.* 13, 30. Cum valebo ab oculis, revise ad me. *Pl. Mil.* 4, 8, 8. Matri oculi si valerent, mecum venisset. *Id. Epid.* 1, 1, 15. Perpetuon' valuisti? *Thespr.* varie, *h. e.* modo valui, modo aeger fui; et *ib.* 18. Quid herilis noster filius? valet? *Thespr.* pugilice atque athletice. *Id. Bacch.* 2, 3, 14. Bene ne usque valuit? *Chry.* pancratice atque athletice. *Dolabella* ad *Cic. Fam.* 9, 9. Recte valere. *Cic. Att.* 4, 14. Vestorius me per litteras fecit certiorem, te Roma profectum esse tardius, quod minus valuisses: si jam melius vales, vehementer gaudeo. *Sall. Jug.* 11. Per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. ℙ Joculariter *Pl. Aul.* 2, 2, 9. Ain' tu, te valere? *Eucl.* pol ego haud a pecunia perbene. ℙ Impersonaliter. *Id. Pers.* 2, 5, 8. Quid agitur, Sagaristio? ut valetur? ℙ *Si vales, bene est: ego valeo:* formula in initiis epistolarum ad familiares, ap. *Cic.* saepissime. *Sen. ep.* 15. Mos antiquis fuit usque ad meam servatus aetatem, primis epistolae verbis adjicere: Si vales, bene est. ℙ *Valere* usurpatur in salutationibus, cum discedimus, aut discedentem dimittimus, abeunti bene precantes: et in fine epistolarum. *Cic. Att.* 5, 2. *med.* Illum salutavi: postea jam jussi valere. *Hor. Sat.* 2, 5, 109. sed me Imperiosa trahit Proserpina: vive, valeque. *Suet. Tib.* 72. *extr.* Singulos valere dicentes appellaret. V. VALE. ℙ Interdum v. *valere* utimur, cum stomachantes, aut aspernantes abire jubemus aliquem, et nihili eum facere significamus. *Ter. Andr.* 5, 3, 18. et *Ad.* 4, 3, 13. Valeas, habeas illam, quae placet; et *Andr.* 4, 2, 13. Valeant, qui inter nos discidium volunt. *Cic. N. D.* 1, 44. *f.* Si talis est Deus, ut nulla hominum charitate moveatur, valeat. *Tibull.* 2, 6, 9. Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellae. *Cic. Att.* 16, 15. *med.* Quare ista valeant: me res familiaris movet. *Petr. Sat.* 79. Valete curae. ℙ Quia in bona valetudine vires suppetunt, *valere* est vires habere, posse, integris viribus esse, validum, robustum esse, *ἰσχύειν*. [*Fortasse verius, hanc, quam *Noster* cum omnibus quantum scimus lexicographis secundo posuit, primo loco significationem ponere. Nam v. *valere*, licet certa originatio fieri nequeat, tamen ad sanitatem significandam factum esse non videtur, potius ex eo, quod instructum esse viribus ad rem aliquam perficiendam necessariis primum significaverit, (V. *Doederl.* 4, 163. qui uberius hanc rem exponit,) sanitatis notionem deductam esse puta. Hinc *valetudo* etiam de morbo dicitur, quod alias dici non potuisset.] *Pl. Truc.* 4, 3, 38. ancilla loquitur: Plus potest, qui plus valet: vir erat: plus valebat: vicit: quod petebat, abstulit. *Cic. Off.* 1, 30. Alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere. *Phaedr.* 1, 5, Tum quia plus valeo, me sequetur tertia. *Val. Fl.* 5, 614. Et quantum elata valeat peltata securi. *Hor. A. P.* 39. quid ferre recusent, Quid valeant humeri. [*Apud argenteae aetatis scriptores et poetas *valere* etiam cum infinitivo ponitur. *Suet. Caes.* 79. Nec infamiam discutere valuit. Plura habet *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 103.] *Tibull.* 1, 11, 56. Flet, sibi dementes tam valuisse manus; et 4, 1, 55. Nec valuit Lotos coeptos avertere cursus. Sic *Ov. Met.* 12, 100. nec tertia cuspis apertum, Et se praebentem valuit destringere Cygnum; et *ib.* 13, 393. nec valuere manus educere telum. *Tibull.* 3, 6, 26. Quid valeat laesi sentiat ira Dei; et *ib.* 17. Haec amor, et majora valet. ℙ Translate est pollere, vim, auctoritatem, pondus habere, *δύνασθαι*. *Cic. Manil.* 16. Haec auctoritas apud exteras nationes valitura est. *Caes. B. G.* 1, 40. Utrum apud eos pudor atque officium, an timor plus valeret. *Id. ib.* 7, 63. Quantum gratia, auctoritate, pecunia valent, ad sollicitandas civitates nituntur. *Id. ib.* 2, 17. Quidquid possunt, terrestribus valent copiis; et *ib.* 4. Valere virtute, auctoritate, et hominum numero; et *ib.* 3, 20. multum equitatu. *Sall. Jug.* 109. *extr.* bello. *Cic. Fam.* 1, 7. *f.* opibus, armis, potentia. *Id. Att.* 4, 17. amicis. *Nep. Dion.* 3. eloquentia. *Caes. B. C.* 2, 44. gratia et misericordia. *Id. B. G.* 5, 52. Tantum apud homines barbaros valuit, esse repertos aliquos principes belli inferendi; et *ib.* 6, 29. *extr.* Sic ad subeundum periculum, et ad vitandum, multum fortuna valuit; et *ib.* 7, 84. Multum ad terrendos nostros valuit clamor. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. *f.* Non vereor, ne meae vitae modestia parum valitura sit in posterum contra falsos rumores. *Cic. Verr.* 2, 3, 62. *f.* Nihil putas valere in judiciis conjecturam, nihil suspicionem, nihil anteactae vitae existimationem, nihil civitatum auctoritates ac testimonia. *Id. Brut.* 14. *f.* Dicitur C. Flaminius ad populum valuisse dicendo. *Id. Cat.* 1, 7. *f.* Tu non solum ad negligendas leges, verum etiam ad evertendas valuisti. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. In arte pingendi tantum valuit, ut, etc. *Cic. Acad.* 4, 27. Hoc videtur contra te valere. *Ov. Pont.* 3, 3, 92. Sperandum nostras posse valere preces. *Id. Ib.* 93. valent vota. *Id. Trist.* 1, 3, 45. Multaque in aversos effudit verba Penates, Pro deplorato non valitura viro. *Cic. Catil.* 3, 12. Hoc mihi valet ad gloriam. *Ib. Tusc.* 2, 26. In vulgus insipientium opinio valet honestatis, *h. e.* apud vulgus. *Eum. Pan. ad Constant.* 13. *f.* Quantoslibet valebat exercitus Maximianus. ℙ De iis, quae vim habent in medicina. *Plin.* 34, 18, 55. Sandaracha valet purgare, sistere, excalfacere, perrodere. *Id.* 28, 8, 27. Fimum potum valet ad dysentericos. *Id.* 29, 4, 17. Cimices valent contra serpentium morsus. *Id.* 29, 13, 51. Ruta per se pro antidoto valet. *Id.* 26, 15, 90. Dictamnus valet potu, et illitu, et suffitu. *Cels.* 6, 6. *n.* 21. Id quoque collyrium eodem valet; et *Cic. Fat.* 4. *med.* Affectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res: ad omnes certe non valebit. *Plin.* 17, 7, 4. Hoc genus terrae semel injectum *(agris)* in quinquaginta annos valet et frugum, et pabuli ubertate. ℙ De iis quae stant, et vim suam servant. *Tibull.* 1, 4, 14. vetuit ille

valere, Jurasset cupide quidquid ineptus amor. *Cic. in Senat.* 5. Ut lex Aelia, et Fufia ne valerent. *Id. Dom.* 30. Populus R. Sulla dictatore ferente, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros: de agris ratum est: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. *Id. Div.* 1, 16. *f.* Illa obnuntiatio nihil valuit: aut s valuit, id valuit, ut, etc. [**Sall. Cat.* 9. jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valeat.] *Ov. Ib.* 245. promissa valent. *Sall. Cat.* 14. *extr.* fama; et *ib.* 17. *extr.* Contisus, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore. *Cic. Caecin.* 19. *med.* In uno servulo familiae nomen valet. *Id. Leg.* 1, 10. *med.* Quaecumque est hominis definitio, una in omnes valet. ℙ Pro significare, vim et sententiam habere, *σημαίνειν. Varr. R. R.* 1, 31. *Ὠκέως* valet cito. *Cic. Fin.* 2, 4. *med.* Quaerimus verbum Latinum par Graeco, et quod idem valeat. *Suet. Vit.* 18. Becco valet gallinacei rostrum. *Nep. Them.* 2. *f.* Id responsum quo valeret, cum intelligeret nemo, *h. e.* quo spectaret, quid significaret. ℙ Refertur ad pretium, aestimari, *δύνασθαι. Varr. L. L.* 4, 36. *med.* Denarii, quod denos aeris valebant; quinarii, quod quinos. *Plin.* 33, 3, 13. Ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis. *Paul. Dig.* 9, 2, 33. Si servum meum occidisti, non affectionem aestimandam puto, sed quanti omnibus valet. *Ulp. ib.* 19, 1, 13. Quasi minimo valeret hereditas. *Id. ib.* 24, 1, 7. *med.* Si praedia valeant decem. ℙ [**Confund. valuit* et *voluit.* V. *Brem.* ad *Suet. Caes.* 79.]

VALĔRĬĀNUS, a, um, adj. ad Valerium aliquem pertinens. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 7. Praedatores Valeriani. ℙ *Valerianus*, qui citatur ab *Arnob.* 6, 194., perperam putatur esse Valerius Antias historicus: is potius videtur esse, qui a *Plin.* 3, 12, 7. dicitur absolute *Valerianus*, et 10, 11, 2. et 14, 1, 3. appellatur *Cornelius Valerianus*, qui de rebus sacris, vel antiquitatibus scripsit. ℙ *Valeriani aurei* ap. *Trebell. Claud.* 17. sunt nummi cum effigie Valeriani Aug., patris Gallieni Aug. [**Emendavit* h. l. *F.*]

VALĔRĬENSIS, e, adj. ad Valeriam pertinens, quae est urbs Hispaniae Tarraconensis, cujus incolae *Valerienses* dicuntur a *Plin.* 3, 3, 4.

VALĔRĬUS, a, um, adj. ad Valerios pertinens, ut *Valeria gens*, olim *Valesia*, quae nobilissima, et patricia fuit, et plebeja. In utraque summi viri, et omnibus honoribus functi, et magnis rebus gestis praeclari exstiterunt. *Cic. Fl.* 1, 11. ℙ *Valeria tabula*, h. e. Valerii cujusdam argentarii, qui tabernam in foro habebat, ad quam acta quaedam forensia fieri solebant. *Cic. Vatin.* 9. et 14. *Fam.* 2. V. SEXTIUS. ℙ *Valeria lex* lata est tempore Sullae dictatoris a L. Valerio Flacco interrege, ut omnia quaecumque ille fecisset, essent rata: invidiosa illa quidem, inquit *Cic. Agr.* 3, 2., veruntamen habet excusationem: non enim videtur hominis lex esse, sed temporis. Adde *Rosc. Am.* 43. ℙ [*Valeria lex* altera fuit ab eod. L. Valerio Flacco consule suffecto ann. U. C. DCLXVI. lata, qua, ut ait *Vell.* 2, 23., creditoribus quadrantem solvi jusserat, quamque memorat etiam *Cic. fragm. or. pro Fontej.* V. DODRANTARIUS. *F.*] ℙ Multo antiquior est quae primo a P. Valerio Publicola, deinde a M. Valerio consule de provocatione lata est, ut liceret cuilibet adversus magistratus impune ad populum provocare. *Liv.* 2, 8. et 10, 9. ℙ [*Valeria via* a Tibure, nunc *Tivoli*, ubi desinebat via Tiburtina, ad Cerfeniam, nunc *Colle Armele;* ita vocata a M. Valerio Maximo censore, a quo, collegaque ejus C. Junio Bubulco viae per agros publica impensa factae sunt, teste *Liv.* 9, 43., nempe ann. U. C. CCCCXLVIII. Adde *P. Victor. de regionib. Urb. R.* ℙ *Valeria Claudia via* a Cerfenia ad Alterni fluv. ostia. *Inscr.* ap. *Mur.* 1050, 7. M. Blavio Q. F. IIII. Vir. I. D., aedili, curatori viae Valeriae Claudiae, et Trajanae Frentanae Interamnates, Histonienses, Bucani, etc. *F.*] ℙ *Valeria aquila*, species aquilae omnium minimae, sed viribus praecipuae, *μελανάετος* Graece, colore nigricanti: quae sola fetus suos alit, cum ceterae fugent: sola sine clangore, sine murmuratione, Haec ex *Plin.* 10, 3, 3. Dicta est *valeria*, quia viribus maxime valet.

VALĔRĬUS, ii, m. nomen propr. R. hominis, ut P. Valerius Publicola, M. Valerius Messala. ℙ *Valerius Antias* aequalis Sisennae et Claudii Quadrigarii, h. e. circa tempora Sullae dictatoris, ut est ap. *Vell.* 2, 9., scripsit annalium grande opus: nam *Prisc.* 9. *f.* citat ejus libr. LXXIV., *Gellius* autem 7, 9. LXXV., qui tamen omnes perierunt. Ejus meminere etiam *Ascon.* in *Cic. Pis.* 22., *Macr. Sat.* 1, 13. *f.* et *Censorin. de die nat.* 17., sed frequentissime omnium *Livius*, qui 33, 10. eum notat, ut omnium rerum numerum immodice augentem. ℙ *C. Valerius Flaccus* e Setia Campaniae urbe ortus, poeta nobilis, et uno fortasse Virgilio minor, scripsit heroico carmine libros octo Argonauticon (quamquam ultimus mutilus ad nos pervenit) Fl. Vespasiano nuncupatos, cujus tempore vixit. Paupere sorte usus est, et admodum juvenis decessit Patavii sub Domitiano. Eum quidam Patavinum fuisse putant, quia multo tempore in hac urbe domicilium habuit. Hinc a *Mart.* 1, 77. vocatur spes et alumnus Antenorei laris. Ejus mortem deflet *Quint.* 10, 1., multumque laudat, ut et Mart. 1, 62. ℙ *Valerius Maximus* civis R., historicus tempore Tiberii Imp., scripsit ad eundem libros novem dictorum factorumque memorabilium, opus varium, jucundum, atque utile: quod periisse putant viri docti: et quod nunc exstat, esse epitomen a quodam Januario Nepotiano Afro concinnatam. Sane quamquam omnia fere in eo verba Latina sunt, stilus tamen asperior est, et aetate, qua vixit, minus dignus. [Ceterum *B. Borghesius* in *Decad. numism.* 14. *oss.* 2. probat, non modo opus illud, sed etiam ejusdem praefationem scriptam ab auctore fuisse Tiberio adhuc imperante. *F.*]

VĂLESCO, is, n. 3. validus fieri incipio, corroboror. *Lucr.* 1, 940. Sed potius tali facto recreata valescat. *Tac. H.* 1, 32. Scelera impetu, bona consilia mora valescunt. *Id. Ann.* 2, 39. Veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt; et *ib.* 11, 15. Superstitiones valescunt.

*VALĔTĬUM, i, n. oppidum Calabriae. *Mela* 2, 4. ℙ *Balesium* appellat *Plin.* 3, 11. *Balentium* est in *Tab. Peuting. Valentia* denique in *Itin. Hierosol. B. A.*

VĂLĔTŪDĬNĀRĬUM. V. in v. sq.

VĂLĔTŪDĬNĀRĬUS, a, um, adj. *ἀσθενικός, νοσώδης*, qui frequenter, vel actu aegrotat. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Alias stipulandum e valetudinario, alias e sano pecore. *Sen. Ben.* 1, 11. *f.* Ebrioso vina mittere, aut valetudinario medicamenta. [*Macer Dig.* 49, 16, 12. *f.* Officium tribunorum est, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere. *F.*] ℙ *Valetudinarium*, subaudi *cubiculum*, locus ubi valetudinarii curantur, in aedibus divitum, in quibus numerosa familia erat, *ἰγιαστήριον, διαιτητήριον. Cels. praef.* Qui ampla valetudinaria nutriunt, quia singulis summa cura consulere non sustinent, ad communia ista confugiunt. *Sen. ep.* 27. Non sum tam improbus, ut curationes aeger obeam: sed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor. *Id. Q. N.* 1. *praef. med.* Non video, quare sibi placeat, qui robustior est in valetudinario. [**V. Gronov.*] *Id. Ira* 1, 16. Si intrassem valetudinarium exercitatus et sciens, aut domum divitis, non adeo imperassem omnibus per diversa aegrotantibus, *h. e.* diversis corporis membris. *Colum.* 11, 1. *med.* Languidiorem servum in valetudinarium confestim deducere. *Id.* 12, 3. *med.* Valetudinaria, vel si vacent ab imbecillis, identidem aperire, et immunditiis liberare, ut, cum res exegerit, bene ordinata et ornata et salubria languentibus praebeantur. ℙ [Etiam in castris erat valetudinarium, militibus aegrotis curandis idoneum, cui, ut patet ex *Veg. Mil.* 2, 10., praefectus castrorum, et ipsi etiam tribuni, ut ex *eod. ib.* 3, 2., praeerant, adjutor vero eorundem in hoc ministerio dicebatur optio valetudinarii. *Hyg. Grom.* p. 3. col. 1. Duae *(cohortes)* tendere debebunt in praetentura, supra quas valetudinarium; et *mox:* Ut septuaginta pedes valetudinarium, et reliqua, quae supra tendunt, accipiant, hoc est veterinarum, et fabrica, quae ideo longius posita est, ut valetudinarium quietum esse convalescentibus possit. *T. Arruntenus Paternus Dig.* 50, 6, 6. Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut sunt mensores, optio valetudinarii, medici, capsarii, etc. *Inscr.* in *Giorn. Pisan.* T. 16. p. 172. Fortunae sacrum T. Statilius Aquilinus Aquile, *(h. e.* Aquileja) 7. Acuvii, optio valetudinarii DD. V. OPTIO. *F.*]

VĂLĔTŪDO et VĂLĬTŪDO, inis, f. *διάθεσις*, habitudo corporis in animalibus: a *valeo. Manil.* 3, 140. Quaque valetudo constat, nunc libera morbis, Nunc oppressa. *Cic. Att.* 10, 17. Valetudinem tuam jam confirmatam esse et a vetere morbo, et a novis tentationibus, gaudeo. *Id. Sen.* 11. Quam fuit imbecillus P. Africani filius! quam tenui, aut nulla potius valetudine! ℙ Est vocabulum medium, et anceps, ut ait *Gell.* 12, 9., sicut *tempestas, facinus, venenum.* Dicitur enim tum de sanitate, tum de morbo. [**Cf.* quae dicta sunt in *Valeo.*] ℙ De sanitate, *ὑγία, εὐεξία. Cic. Off.* 2, 24. *f.* Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione, quae res aut prodesse soleant, aut obesse; et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa, et praetermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. *Id. Fam.* 9, 18. Valetudinem, intermissis exercitationibus, amiseram. *Hor. Ep.* 1, 4, 10. et cui Gratia, fama, valetudo contingat abunde. *Pl. Curc.* 2, 1, 4. Valetudo decrescit, accrescit labor. ℙ De morbo, et aegra constitutione, *ἀῤῥωστία, νόσος. Cic. Div.* 2, 59. An Serapis potest nobis praescribere curationem valetudinis? *Id. Fam.* 4, 1. Trebatius ad me scripsit, moleste te ferre, quod me propter valetudinem tuam, cum ad urbem accessissem, non vidisses; et *ib.* 6, 2. Gravitas valetudinis, qua tamen jam paulum videor levari. *Caes. B. C.* 3, 2. *extr.* Gravis autumnus exercitum valetudine tentaverat. *Cic. Pis.* 6. Excusatione uti valetudinis. *Id. Fam.* 14, 4. *f.* Valetudine oculorum impediri. *Plin.* 21, 27, 100. Valetudo calculorum. *Caes. B. C.* 1, 31. Valetudine affectus. *Sen. Tranq.* 2. explicitus. *Justin.* 21, 2. Valetudinem contrahere. *Id.* 13, 2. Propter valetudinem majorem, quam patiebatur, *h. e.* morbum comitialem, qui *morbus major* dicitur. His adde *Cic. Att.* 11, 23. Valetudine tentari. *Nep. Annib.* 4. premi. *Suet. Claud.* 26. Sponsam ex valetudine amisit. [**V. Böttich. Lex. Tac.* p. 480. sq.] ℙ *Valetudo perpetua* est, quae curari nequit, *malattia cronica* Italorum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 724. *n.* 443. *med.* Qui ad epulandum non convenissent, sportulae et panes et vinum eorum venirent, et praesentibus divideretur, excepto eorum, qui trans mare erunt, vel qui perpetua valetudine detinentur. ℙ Promiscue, appositio adjecto. [**Haec iis anteponi debebant, in quibus *valetudo* simpliciter de adversa valetudine dictum est. Nam quia proprie *valetudo* est conditio corporis *κοινῶς*, ut Graeci dicunt, ideo adjectiva sensum vocabuli accuratius definientia cum eo solent conjungi.] *Cic. Att.* 5, 8. Me incommoda valetudo, qua jam emerseram, tenebat duodecimum jam diem Brundisii. *Id. Brut.* 48. *extr.* Semper infirma atque etiam aegra valetudine fuit. *Nep. Att.* 21. Cum tanta prosperitate usus esset valetudinis, ut annos triginta medicina non indiguisset. *Hirt. B. Alex.* 44. Gravi valetudine affectus. *Caes. B. C.* 3, 62. *extr.* Valetudine minus commoda uti; et *ib.* 49. *f.* optima uti. *Justin.* 41, 6. adversa correptus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1. *extr.* Valetudini diligentissime servire. *Id. Fam.* 11, 27. parum parcere. *Id. Or.* 1, 62. dare operam. *Id. Fam.* 14, 7. *f.* et *ib.* 10. Valetudinem diligenter curare. ℙ In plur. num. [**i. q.* morbi.] *Vitr.* 1, 4. Corpora non laborant valetudinibus. *Tac. A.* 6, 50. Medicus regere valetudines principes solitus. *Suet. Aug.* 81. Graves et periculosas valetudines expertus est. ℙ Translate. *Id. Cal.* 50. Valetudo mentis. *Cic. Tusc.* 4, 37. *med.* Mala valetudo animi; et *Div.* 1, 37. *f.* Qui valetudinis vitio furunt, et melancholi dicuntur. ℙ De stilo, allegorice. *Id. Brut.* 16. Habet Lysias certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur: quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. ℙ *Valetudo* Dea est ap. *Capell.* 1, 16. Venit ex altera *(parte)* Fortuna, et Valetudo, Favorque. Hinc *Valetudinis* effigiem videre est in nummo G. Aciliae ap. *Morell. Numism. fam. R. tab.* 1. *n.* 3., in cujus postica cernitur mulier stans, quae dextra serpentem tenet, sinistra columellae innititur, circa autem legitur VALETV., quo quidem allusio fit ad nomen *Acilius*, Graece enim *ἀκέομαι*, et Ionice *ἀκείομαι* significat mederi. ℙ Multis placet scribi *valitudo*, tum quod a *valeo* sit *valiturus*, *valitudo:* tum quod ita legatur in plurimis opt. MSS. et editis libris omnium fere scriptorum. In qua scriptione secunda syllaba corripitur, ut in *altitudo, lassitudo*, et similibus. Contra *Manutio* et *Cellar.* placet *valetudo*, tum quia secunda syllaba ab *Hor. Ep.* 1, 4, 10. et *Sat.* 2, 2, 88., *Manil.* 1, 394. et 3, 140. producitur: tum quia ita sculptum est in aliquot antiquis lapidib.: tum quia quae ex *rubeo, albeo, nigreo, torpeo* fiunt nomina, *e* retinent. Neutram improbaveris.

VALGĬTER, adv. valgo modo. *Petr. Sat.* 26. Commovebat valgiter labra, et me tanquam furtivis subinde osculis verberabat. *Id.* in *fragm.* ap. *Fulg. de prisc. serm. n.* 46. Obtorto valgiter labello. *Valgiter labra commovere* est aperire et distorquere, *ὑπανοίγειν τὸ στόμα,* V. VALGUS.

VALGĬUM, ii, n. instrumentum quoddam rusticum ad areas complanandas: a *valgus.* In Campania sane habetur genus id tali specie, quasi surae duae in diversum collocatae, quo, ut cylindro, supplanantur areae. *Plin.* 17, 10, 14. Seritur mense Aprili, area aequata cylindris, aut valgio, alias densum. *Harduinus* tamen ex meliorib. libris et MSS. legit *volgiolis*, aut *vulgiolis*, quod idem significat. ℙ *Valgia* a *Fulg. de prisc. serm. n.* 46. exponuntur labellorum obtortiones. [V. *l. c.* in SUBATIO. *F.*]

*VALGĬUS, i, m. nomen Romanum. C. Valgium Saturnium Rufum, oratorem, et Valgium poetam, confundi saepe docet *Broukhus.* ad *Tibull.* 4, 1, 180. *B. A.*

VALGUS, a, um, adj. *βλαισός*, qui suras et crura habet extrorsum intortas, idem ac vatius, quique, ut ait *Petr. Sat.* 102. *f.* crura in orbem pandit: quique crura habet, simulant quae cornua lunae, ut est ap. *Mart.* 2, 35. Huic contrarius est *varus, ῥαιβός, σκαμβός*, qui crura ad instar litterae V, seu Λ habet, vel qui displosis est cruribus. *Festus:* Valgos Opilius Aurelius, aliique complures ajunt dici, qui diversas suras habeant. E contrario vari dicuntur incurva crura habentes. *Cels.* 8, 20. Si femur in interiorem partem prolapsum est, crus longius altero, et valgius est: extra enim pes ultimus spectat. Si in exteriorem, brevius varumque fit, et pes intus inclinatur. *Pl. fragm.* ap. *Fest.* Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea, aut varum, aut valgum, aut compernem, aut brocchum filium. *Nov.* ap. *Non.* 1, 98. Valgus, veternosus, genibus magnis, talis turgidis. ℙ *Valga suavia* ap. *Pl. Mil.* 2, 1, 16. sunt labra valgiter conformata et os prave distortum subsannandi causa. [ℙ Est

etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Guarin. Osserv.* p. 22. C. Quinctius C. F. Valgus. *F.*]

*VALI, orum, populi Sarmatiae Asiaticae, trans lacum Maeotim. *Plin.* 5, 7. *B. A.*

VĂLIDĒ, adv. *ἰσχυρῶς, πάνυ*, valde, vehementer, majorem in modum. *Pl. Merc. prol.* 2, 42. Amare valide coepi hic meretricem. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Quin ego, cum pro amicitia validissime faverem ei, etc. *Quint.* 10, 3. *med.* Nec promptum est dicere utros peccare validius putem. *Plin. ep.* 9, 35. Validissime cupere. *Plin. alter* 11, 17, 17. *de apib.* Fessum regem humeris sublevant; validius fatigatum ex toto portant. *Phaedr.* 5, 5. Poetae sunt molesti validius; et 3, 16. Validius clamare. *Pl. Amph.* 5, 1, 10. Ut valide tonuit! *Id. Ps.* 1, 2, 12. Vestra latera loris faciam ut valide varia sint. *Id, Rud.* 2, 1, 14. Valide fluctuat mare. *Plin. ep.* 1, 20. *f.* Ille mihi validissime placet; et *ib.* 3, 15. Validissime dirigere aliquem. *Tac. A.* 14, 65. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam, sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. *Plin.* 28, 2, 4. Validius abrogant fidem. ℙ In responsionibus. *Pl. Ps.* 1, 3, 130. *Ps.* Legirupa. *Ball.* valide. *Ps.* pernicies adolescentum. *Ball.* acerrime. V. *integr. loc.*

VĂLĬDĬTAS, atis, f. *Apul. Tritmeg.* Membra et validitate, et tenuitate diversa.

[VĂLĬDO, as, a. 1. validum reddo, confirmo. *Auct. fragm.* inter *oper. ined. Symmach.* (ed. iterum *A. Maio*) p. 72. Res publicas potuit quassatas validare. *F.*]

VĂLĬDUS, a, um, adj. *ῥώμωστος*, valens, sanus, firmus: a *valeo*. [*De ordine notionum hujus vocabuli eadem fere valent, quae in *valeo* dicta sunt, ubi v.] *Ter. Hec.* 3, 5, 6. Bene factum, te advenisse salvum atque validum. *Cic. Fam.* 16, 4. *med.* Omnia viceris, si, ut spero, te validum videro. *Hor. Od.* 1, 31, 17. Frui paratis et valido mihi, Latoe, dones. *Liv.* 3, 13. Necdum ex morbo satis validus. *Plin.* 20, 5, 20. Ad colorem validum profici hoc cibo. ℙ Item pollens viribus, robustus, fortis, *ἰσχυρός*. *Pl. Amph.* 1, 1, 7. Ita, quasi incudem, me miserum homines octo validi caedant. *Virg. A.* 2, 50. validis contorsit viribus hastam. *Ov. Met.* 9, 223. Validi lacerti. *Id.* 7, 538. tauri; et 3, 64. ictus. *Id. Trist.* 5, 12, 11. valido pectus robore fultum. ℙ Translate. *Pl. Men.* 5, 3, 1. Jamne isti abierunt, qui me cogunt, ut validus insaniam? *h. e.* mente sanus. *Hor. Ep.* 1, 8, 7. mente validus. *Sall. Cat.* 6. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat. ℙ Et opibus, armis, potentia, aliave re valens. *Pl. Pers.* 2, 3, 1. Jovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti. *Liv.* 2, 39. Ut facile appareret, ducibus validiorem, quam exercitu, rem Romanam esse. *Id.* 7, 39. Jam valida admodum numero manus erat. *Just.* 13, 5. Excursurus cum valida manu fuerat ad Athenas delendas. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Vir gratia et facundia validus. *Tac. H.* 1, 57. Corpore, opibus, ingenio validus. *Id. A.* 12, 18. Eunones recens conjuncta nobiscum amicitia validus. *Id. ib.* 6, 8. Ut quisque Sejano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus; et *ib.* 3, 10. et *ib.* 4, 37. Tiberius validus spernendis rumoribus et honoribus. *Id. A.* 6, 31. Validissimus auctor mittendi legatos, *h. e.* qui maxime persuasit, ut legati mitterentur. ℙ Cum gen. *Id. ib.* 4, 21. Cassius Severus sordidae originis, sed orandi validus. *Id. H.* 2, 19. Colonia virium et opum valida. *Aurel. Vict. Caes.* 16. *f.* Validus aevi. ℙ De rebus inanimis. *Ov. Am.* 3, 13, 41. Terras findere valido aratro. *Id A. Am.* 3, 543. Valido aestu peruri, *h. e.* magno amore; et eod. sensu *Met.* 7, 9. Concipere validos ignes. *Id. Pont.* 4, 3, 5. puppis valida fundata carina. *Id. Rem. Am.* 83. teneras mora percoquit uvas, Et validas segetes, quod fuit herba, facit. *Plin.* 16, 21, 37. Validos funes palmae foliis fieri. *Gell.* 16, 11. Validus ventus. *Lucan.* 5, 618. Validi fluctus. *Propert.* 2, 25, 48. laquei. *Virg. G.* 2, 447. Valida hastilia; et *ib.* 4, 331. bipennis. *Tibull.* 3, 4, 65. Saevus Amor docuit validos tentare labores. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 238. valido decernere caestu. *Lucan.* 1, 138. quercus validis radicibus haerens. *Liv.* 1, 15. Urbs valida muris. *Id.* 36, 17. Munitiones validiores locis impositae. *Tac. A.* 15, 15. Pons validus et fidus. *Plin.* 18, 17, 46. In solo valido fabam serere, *h. e.* pingui ac denso, et multi in colendo laboris. Sic *Cato R. R.* 3. Fabam in locis validis non calamitosis serito. *Quint.* 10, 1. *med. de Archilocho:* Summa in hoc vis elocutionis, cum validae, tum breves, vibrantesque sententiae. *Scrib. Comp.* 41. Mala granata semper valida sunt: i. e. acerba, acida. *Virg. G.* 3, 172. Validum pondus: cui movendo validae vires opus sunt. *Tibull.* 2, 3, 6. Valido bidente versare solum. ℙ Cum infinito. *Plin.* 16, 42, 81. Pondus sustinere validae abies, larix etiam in transversum positae. *Claud. in Eutrop.* 1, 134. *de cane:* validus servare gregem, vigilique rapaces Latratu terrere lupos. ℙ De iis, quae vires habent in medicina. *Ov. Met.* 15, 533. Apollineae valido medicamine prolis Reddita vita foret; et *ib.* 7, 316. validosque venefica succos Mergit in aere cavo. *Tac. A.* 13, 15. *f.* Venenum parum validum. *Ov. Fast.* 6, 677. convivae valido titubantia vino Membra movent. *Plin.* 23, 2, 32. Validissima faex aceti contra cerastas. ℙ De cibo, qui multum alimenti habet. *Cels.* 2, 18. *f.* Imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est, robustis apta materia validissima est. *Plin.* 18, 7, 15. Ptisanae usus validissimus, saluberrimusque.

*VALĬI, orum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

VALLĂ. V. VAALA.

*VALLAEI, orum, Vallarum incolae. Fuit autem Vallae Macedoniae oppidum, in Pieria. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

VALLĀRIS, e, adj. ad vallum spectans, ut *Vallaris corona*, qua donari solebat is, qui primus vallum hostium fuisset ingressus. *Liv.* 10, 46. Multae civicae coronae, vallaresque, ac murales conspectae. *Id.* 30, 28. *med.* Qui imperatores, qui consules Romanos sua manu occidissent, muralibus vallaribusque insignes coronis. Adde *Suet. Aug.* 25. et *Plin.* 16, 4, 3. et 22, 3, 4.

VALLĀTĬO, onis, f. munitio vallo circa posito facta. Translate. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* Istis si uteris, ut missa scriptura demonstrat, integra salute reliquum tempus facile transiges sine vallatione medicorum, *h. e.* sine turba medicorum, qui te quasi vallo contra morbos munire pollicentur. *F.*]

VALLĀTUS, a, um, part. a *vallo:* vallo munitus. *Plin.* 15, 18, 20. Castra Punica ad tertium lapidem vallata. *Sil.* 12, 490. Vallatae portae, *h. e.* vallo clausae. ℙ Translate sumitur pro munito, stipato, circumdato quacumque ratione. *Cic. Mur.* 24. Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro juventutis, vallatum indicibus, atque sicariis. *Id. Har. resp.* 16. Sic enim sentio, jus legatorum cum hominum praesidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatum. *Id. Arch.* 9. Pontus et regiis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatus. *Lucr.* 5, 27. Hydra venenatis vallata colubris. *Lucan.* 6, 185. Vallatus bello, *h. e.* hostibus undique circumfusis, tanquam vallo circumseptus et obsessus. (Eod. modo locutus est *Sen. Herc. Oet.* 1194.) *Id.* 3, 374. moenia clausa Conspicit, et densa juvenum vallata corona. *Propert.* 3, 14, 29. Aut humet ignotae cumulus vallatus arenae: *ὀγκωτὸς τάφος, h. e.* tumulus ex aggesta in parvi collis altitudinem humo. *Flor.* 3, 1. *med.* Urbs in media Africa sita, anguibus arenisque vallata. *Ov. Her.* 4, 159. sol radiis frontem vallatus acutis. *Macrob. Sat.* 2, 11. *f.* Quis neget, indomitam apud illos, et, ut ait Caecilius, vallatam gulam fuisse, qui ex tam longinquo mari instrumenta luxuriae compararent? *h. e.* quasi vallo munitam, et quae vinci nunquam potuerit *Val. Max.* 9, 11. *f.* Arae, pulvinaria, templa praesenti numine vallata sunt.

VALLĔCŪLA. V. in VALLIS.

VALLEFACTUS, a, um, adj. vallo seu vanno excretus. *Festus* in *Valvoli:* Valvoli, folliculi fabae appellati sunt, quasi valivoli, quia vallefacti exentiantur. Ita leg. *Salmas.*, alii *vallo fracti*, h. e. fuste comminuti.

[VALLENSIS, e, adj. ad vallem pertinens. Hinc *Forum Claudii Vallense* dictus est vicus, qui et Octodurus, quia in valle Pennina positus fuit. V. OCTODURENSIS. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 225. Imp. Caesari Fl. Val. Constantio Pio Felici Invicto Aug. Divi Constantini Pii Aug. filio For. Cl. Val. bono reipublicae nato. Adde aliam *n.* 312. *F.*]

VALLES, is. V. VALLIS.

VALLESCIT, perierit: a vallo militari, quod fit circa castra: quod qui eo ejiciuntur, pro perditis habentur. Haec *Festus:* ubi alii pro *vallescit* leg. *vallefit*, et a vallo, h. e. vanno duci putant, ex quo quae ejiciuntur, neglecta pereunt.

[VALLESTRIS, e, adj. qui in valle positus est. *Ambros. ep.* 30. (*al.* 12.) Quid ergo istud est, nisi in superioribus habitandum, non in vallestribus, et subterraneis habitaculis? *F.*]

*VALLI, orum, populi Asiae, medio loco inter Pontum Euxinum ac Caspium mare. *Plin.* 6, 11. Fortasse i. q. *Vali.* ℙ Fuit et hoc nomine oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Anton. Itin. B. A.*

VALLĬCŪLA, ae, f. *ἄγχιον*, parva vallis. *Fest.* in *Convallis:* Vallis deminutivum facit vallicula. **Vulgat. Interpr. Levitic.* 14, 37. Et cum viderit in parietibus illius (*domus*) quasi valliculas pallore sive rubore deformes, *etc. h. e.* fossulas. *B. A.*

[VALLĬO; onis, m. dimin. valli. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1362, 3. Ti Julius Actiaci L. Vallio. *F.*]

VALLIS, et Valles, is, f. *ἄγχος*, planities a duobus lateribus inclusa, ut *Fest.* in *Convallis* definit. *Caes. B. G.* 3, 1. *extr.* Qui vicus positus in valle, non magna adjecta planitie, altissimis montibus undique continetur; et *ib.* 2. *med.* Cum ipsi ex montibus in vallem decurrerent, et tela conjicerent. *Ov. Met.* 3, 155. Vallis erat piceis et acuta densa cupressu; et *ib.* 8, 334. Concava vallis et, qua se demittere rivi Assuerant pluvialis aquae. *Virg. G.* 3, 331. Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem. *Hor. Od.* 1, 17, 17. Hic in reducta valle caniculae Vitabis aestus. *Id. Ep.* 1, 16, 5. Continui montes, ni dissocientur opaca Valle. *Catull.* 68, 59. Rivus de prona praeceps est valle volutus. *Virg. A.* 7, 802. *de amne:* gelidusque per imas Quaerit iter valles. *Id. Ecl.* 5, 84. Saxosas inter decurrunt flumina valles. *Id. G.* 2, 391. Complentur vallesque cavae, saltusque profundi. *Id. Ecl.* 6, 84. Ille canit: pulsae referunt ad sidera valles. *Id. A.* 2, 748. Curva valle recondere aliquem. *Id. ib* 9, 244. Obscurae valles. *Mart.* 5, 71. gelidae. *Tibull.* 1, 4, 43. et 2, 3, 19. caneret dum valle sub alta. *Lucan.* 7, 480. Excepit resonis clamorem vallibus Haemus. *Sen. Oed.* 531. Vallis irrigua. ℙ Translate. *Catull.* 69, 5. tibi fertur Valle sub alarum trux habitare caper, *h. e.* subcavitate axillarum. *Auson. epigr.* 128, 5. De valle femorum. ℙ Allegorice. *Quint.* 5, 14. *med. de eloquentia:* Feratur igitur non semitis, sed campis: non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes, totis vallibus fluat, ac viam sibi, si quando non acceperit, faciat. ℙ Rectus casus singularis *valles* firmari solet illo *Virg. A.* 11, 522. Est curvo anfractu valles accommoda fraudi. Quam lectionem in aliquot antiquis exemplaribus exstare *Pierius* testatur; et *Servius* confirmat, tum quod metrum ita postulet, tum quod diminut. sit *vallecula*, ut a *vulpes* est *vulpecula*. Additque ex *Horatio:* moveat vulpecula risum. Sed quod ad metrum attinet, potest et *vallis* legi, et produci ultima beneficio caesurae. V. SANGUIS. Diminutivum *Festus* ponit *vallicula*, ut in ea voce dictum est. Illud vero *Horatii* est *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, cum is habeat *Ep.* 1, 3, 18. Ne si forte suas repitum venerit olim Rex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. Etiam *Valer. Prob.* in *Catholic.* p. 1470. agnoscit *valles:* sed cum eo loco de iis agat, quae in *pes* desinunt, ut *puppes*, *rupes*, *vulpes*, etc., non video quomodo *valles* inter ea locum habeat.

VALLO, as, avi, atum, a. 1. *περιτειχίζω*, vallis circumdo et munio. *Hirt. B. Alex.* 27. *med.* Quorum impetum Mithridates magna cum prudentia, consuetudine nostra castris vallatis sustinuit. *Tac. H.* 2, 19. Postquam nox appetebat, castra vallari placuit; et *ib.* 4, 26. *med.* Ibi struenda acie, muniendo vallandoque militem firmabant. *Id. G.* 30. Nosse ordines, intelligere occasiones, disponere diem, vallare noctem. ℙ Translate est quacumque ratione munire. *Lucan.* 4, 224. nulli vallarent oppida muri. *Plin.* 10, 33, 51. Perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abunde vallentur. *Flor.* 2, 8. *f.* Elephantis aciem utrinque vallaverat; et *ib.* 12. Ita Macedoniam suam armis ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum videretur. *Ep. Liv.* 57. Cum gladio vallare te scieris, vallum ferre desinito. *Mamert. Genethl. Maxim.* 2. *f.* Alpibus Italiam natura vallavit. *Sen. Herc. Oet.* 1932. Non Argolica rapta leoni Fulva pellis contecta juba Laevos operit dura lacertos, Vallantque feri tempora dentes, *h. e.* spolium leonis ab Hercule occisi, ita ab eo gestatum, ut cute capitis ac dentibus caput ipse suum tegeret. *Quint. decl.* 2, 16. Fores vallavit cura servorum, *h. e.* pessulum obdendo muniit. ℙ Illa etiam translata sunt. *Cic. Leg.* 1, 24. Atque haec omnia quasi sepimento aliquo vallabit disserendi ratione. *Sil.* 7, 407. *de Fab. Maxim.* sic castra relinquens Vallarat monitis. *Stat. Theb.* 10, 563. jam tecta replerant Templaque, et ingratae vallantur planctibus arae, *h. e.* circumfunduntur.

VALLONĬA, ae, f. Dea vallium praeses. *August. C. D.* 4, 8. Collibus Deam Collatinam, vallibus Valloniam praefecerunt.

VALLUM, i, n. *ἕρκος, ὁ χάραξ, χαράκωμα*, munitio militaris, qua includuntur castra, aut oppida obsessa, ex caespite et aggesta terra, et crebris vallis seu palis infixis, fossa praeducta. *Varr. L. L.* 4, 24. Vallum, vel quod ea (*al.* eo) varicare nemo possit; vel quod singula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litterae V. (V vocem seq.) et *Liv.* 33, 5. ubi de hac re plura. *Cic. Att.* 9, 12. Populi R. exercitus Pompejum circumsidet, fossa et vallo septum tenet; et *ib.* 5, 20. *med.* Oppidum cinximus vallo et fossa. *Id. Fam.* 15, 4. *med.* Oppidum vallo et fossa circumdedi. *Sall. Jug.* 79. Vallo fossaque moenia circumvenit. *Caes. B. G.* 2, 5. *extr.* Castra vallo fossaque munire; et *ib.* 30. Hostes vallo pedum duodecim in circuitu quindecim millium circummuniti, oppido se continebant; et *ib.* 3, 25. Defensores vallo munitionibusque depellere; et *ib.* 5, 42. Hostes scalis vallum ascendere coeperunt; et *ib.* 3, 5. Vallum scindere, et fossas complere. *Just.* 13, 5. *med.* rescindere. *Vell.* 2, 63. proruere. *Flor.* 4, 2. *med.* rumpere; et *ib.* Castra vallo obducere. *Liv.* 7, 23. (et *Tibull.* 4, 1, 85.) Vallum ducere. et *Id.* 6, 2. Tantum terroris intulerat, ut vallo se ipsi, vallum congestis arboribus sepirent. *Id.* 22, 60. *f.* Pro vallo pugnare, *h. e.* ante vallum. ℙ Translate. *Plin.* 12, 5, 11. Intra sepem eam aestivant pastores opacam pariter, et munitam vallo arboris; et 15, 23, 25. Castaneis armatum echinato calyce vallum. *Cic. Sen.* 15. Spica contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Id. N. D.* 2, 57. (et *Plin.* 11, 37, 56.) Munitae sunt palpebrae tanquam vallo pilorum. *Id. Piz.* 33. Alpium vallum contra ascensum transgressionemque Gallorum objicere et opponere. *Quint.*

decl. 13, 3. Undique vallo divitiarum clusi sumus. *Gell.* 13, 27. Caput et os suum manibus oppositis quasi vallo praemoeniunt. *Id.* 1, 15. et *Apul. Dogm. Plat.* 1. *f.* Petulantiae verborum coercendae vallum est oppositum dentium. *Manil.* 1, 149. Ignis in aetherias volucer se sustulit auras, Summaque complexus stellantis culmina coeli, Flammarum vallo naturae moenia fecit.

VALLUS, i, m. ἡ χάραξ, palus, sudes, ramus ex arbore recisus: cujusmodi sunt pedamenta vitium. Videtur esse a *varus*, varis enim ramis munitus est agger; hi autem primum diminutiva forma *varuli*, mox valli dicti, ut a *surula* factum est *Sulla*. V. VAALA. *Virg. G.* 1, 264. Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes; et *ib.* 2, 25. Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos. Ubi *Servius:* Bis idem dixit: nam valli et sudes idem sunt. ℙ Saepius dicitur de palis, quibus infixis firmatur et munitur agger excitatus ad sepimentum castrorum: quod inde *vallum* appellatum est. Hujusmodi palos humeris ferebant in expeditionibus Romani milites, praeter arma et cibaria, ut, ubicumque ponenda essent castra, muniendi materia praesto esset: quod significat *Virg. G.* 3, 346. patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam cum carpit, et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris. *Cic. Tusc.* 2, 16. Qui labor et quantus agminis! ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre siquid ad usum velint, ferre vallum: nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. *Epit. Liv.* 57. Scipio Africanus militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum, ad septenos vallos, ferre cogebat. *Liv.* 25, 36. Erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut nec virgulta vallo caedendo, nec terra caespiti faciendo inveniri posset. ℙ Etiam ipsum vallum ex palis contextum *vallus* dicitur. *Caes. B. C.* 3, 63. Erat eo loco fossa pedum quindecim, et vallus contra hostem in altitudinem pedum decem: tantundemque ejus valli agger in latitudinem patebat. *Hirt. B. Alex.* 2. *med.* Omnibus viis triplicem vallum obduxerant. *Tibull.* 1, 11, 9. Non arces, non vallus erat. ℙ Rationem valli faciendi tum a Macedonibus et Graecis, tum ab Romanis usurpatam, luculenter describit *Liv.* 33, 5. ℙ Translate. *Ov. Am.* 1, 14, 15. Non acus abrupit, non vallus pectinis illos, (*scil.* capillos.) *h. e.* densi pectinis dentes, instar valli subrecti. *Id. Met.* 8, 286. stantque velut vallus, vel ut alta hastilia, setae. Alii utroque loco leg. *vallum.* ℙ *Vallus* est etiam genus quoddam vehiculi metendis spicis aptum, de quo *Plin.* 18, 30, 72. Galliarum latifundiis valli praegrandes, dentibus in margine infestis, duabus rotis per segetem impelluntur, jumento in contrarium juncto: ita direptae in vallum cadunt spicae. *Pall.* 7, 2. accurate describit hoc instrumentum rusticum, et *vehiculum* appellat. ℙ *Vallus* item genus quoddam tegulae. *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 264. Aelius Gallus, de verbis ad jus civile pertinentibus, vallos appellat tegulas grandes, quae supra collicias infimae ponuntur. *Cato R. R.* 14. Colliciares tegulae quae erunt, pro binis putabuntur: in vallos, quot erunt, in singulos quaternae numerabuntur. Alii perperam pro *in vallos* legunt *in aliis.* ℙ Est etiam *vallus* gen. fem. idem quod *vannus*, vel ejus diminutivum, ut *villum* a *vinum. Varr. R. R.* 1, 52. E spica exteruntur grana: iis tritis, oportet e terra subjactari vallis, aut ventilabris; et *ib.* 23. *med.* Ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates. Adde *eund.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 166. V. VALLEFACTUS.

VĂLOR, oris, m. τιμή, pretium: a *valeo. Plin.* Victoriati valore redimi potest. Ita referunt quidam Lexicographi; sed ea *Plinii* verba merito suspecta esse debent, cum adhuc inveniri non potuerint.

VALVAE, arum, f. plur. θύραι διάφιστοι, ligneae fores, ex duabus, aut tribus, aut pluribus etiam tabulis (cujusmodi Itali dicunt *scuri fatti a libro*), quibus janua, aut fenestra clauditur: quasi *volvae*, quia in aperiendo volvuntur, et complicantur. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 453. Valvae sunt, quae revolvuntur, et se velant. *Isid. Or.* 15, 7. Fores et valvae claustra sunt: sed fores dicuntur, quae foras; valvae quae intus revolvuntur, et duplices complicabilesque sunt: sed generaliter usus vocabula ista corrumpit. *Cic. Div.* 1, 34. In templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt. *Id. Verr.* 2, 4, 56. Valvas magnificentiores, ex auro atque ebore perfectiores nullas unquam ullo templo fuisse. *Id. ib.* 43. *med.* Convulsis repagulis, effractisque valvis, demoliri signum conantur. *Juven.* 4, 63. facili patuerunt cardine valvae. *Propert.* 4, 8, 51. totas resupinat Cynthia valvas. *Ov. Met.* 2, 4. Argenti bifores radiabant lumine valvae; et *ib.* 1, 172. Atria nobilium valvis celebrantur apertis; et *ib.* 4, 185. Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas. *Nep. Paus.* 5. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus aedis obstruxerunt. ℙ In sing. num. *Petr. Sat.* 96. Videbamus omnia per foramen valvae, quod paulo ante ansa ostii disrupta laxaverat. Adde *Pomp.* ap. *Non.* 1, 69. et *Sen. Herc. Fur.* 999. ℙ Valvarum nomine significatur etiam ipsum χάσμα, cavitas, lumen januae, aut fenestrae: fiebantque maxime in tricliniis amplae ac patentes, ut coenantibus late prospectus esset in omnes partes. V. v. sq. Differunt a fenestris in eo, quod fenestrae alte a solo incipiunt, et aditum soquod fenestrae alte a solo incipiunt, et aditum solummodo praebent lumini; valvae ab imo, et etiam ingredientibus. *Plin. ep.* 5, 6. *f.* Cubiculum mare more splendet, valvis in viridia prominet et exit, alia viridia superioribus inferioribusque fenestris suspicit, despicitque. *Id. ep.* 2, 17. Triclinium undique valvas aut fenestras non minores valvis habet: atque ita a lateribus, a fronte quasi tria maria prospectat; a tergo cavaedium, porticum, aream; porticum rursus, mox atrium, silvas, et longinquos respicit montes. *Id. ep.* 5, 6. Triclinium valvis xystum desinentem, et protinus pratum, multumque ruris videt fenestris.

*VALVARIUS, i, m. qui valvas facit. *Gloss. Vet.* Valvarius, δομοτέκτων. *B. A.*

VALVĀTUS, a, um, adj. valvis instructus. *Varr. L. L.* 7, 14. Triclinia valvata et fenestrata. *Vitruv.* 6, 6. Triclinia habeant dextra ac sinistra lumina fenestrarum valvata, uti viridia de tectis per spatia fenestrarum prospiciantur. *Id.* 4, 6. *f.* Fores valvatae; et *f.* Ipsa forium ornamenta non fiunt cerostrota, neque bifora, sed valvata.

*VALVIFRĂGUS et

*VALVIPĂTUS, a, um, adj. *Sarisb.* 4, 7. Leges illae valvipatae (*quae* patere *jubent* valvas *conventium*) seu valvifragae (*quae* frangi *jubent* valvas *clausas epulantium*) —— nullo abrogante irritae factae sunt. V. *Cassel. Var. Lect.* 7, 6. *B. A.*

VALVŌLUS, et Valvulus, i, m. λοβός, folliculus leguminum, et praesertim fabae. *Festus:* Valvoli folliculi fabae appellati sunt, quasi vallivoli, quia vallo facti (*lege* fracti) excutiantur. *Colum.* 6, 10. Lentes quoque valvolis exemptae, et minute molitae miscentur aquae calidae; et *ib.* 4. Valvulis ervi bubus medetur. *Id.* 7, 4. de ovibus tectis: Singula capita per hiemem recte pascuntur ad praesepia, tribus hordei, vel fresae cum suis valvulis fabae

*VAMA, ae, Indiae fluvius navigabilis, quem Ganges excipit. *Plin.* 6, 18. *B. A.*

*VAMACURES, ium, populi Africae, in Mauretania Caesariensi vel fortasse in Numidia. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

[VANACĪNI, orum, m. plur. Οὐανακῖνοι apud *Ptolem.* 3, 2., sunt populi Corsicae in septentrionali insulae parte. *Inscr.* ap. *Mur.* 2004, 2. Imp. Caesar Vespasianus Augustus magistratibus et senatoribus Vanacinorum salutem dicit. *F.*]

VANDĂLI, orum, m. plur. *Tacito Germ.* 2. Vandalii, *Plinio* 4, 14, 28. Vindili, vel Valdili, ut in MSS. reperit *Hard.*, populi Germaniae iis olim locis habitare crediti, ubi nunc ducatus Meklenburg. et Pommerania, in varias deinde terras migrarunt, demumque in Galliam progressi, inde in Hispaniam Baeticam, nomen ei provinciae fecere, quae hodieque *Andalusia* dicitur: in Africam quoque trajicientes eam diu tenuerunt. Eorum historiam habes ap. *Isid. de regib. Gothor. Wandalor. et Suevorum.* *ℙ Reperitur et forma *VVandali. Salvian. de gub.* 7. *med.* p. 254. *Rittersh.* Ut VVandalis potissimum, id est publicis barbaris, traderentur. *B. A.*

VANDĂLĬCUS, a, um, adj. ad Vandalos pertinens. *Prosper Aquitan. prol. carm. de provid. divin.* 33. heu caede decenni Vandalicis gladiis sternimur, et Geticis. *Coripp. Laud. Just.* 286. Effera Vandalici calcantur colla tyranni.

VĂNE, adv. futiliter, frustra. *Tert. Apol.* 49. Vulgus vane de nostra vexatione gaudet. *Id. Pud.* 1. Praecavendo vanissime quibus parcunt, et parcendo ineptissime quibus praecavent. *Appul. Apol.* Multo vanius et nequius excogitatum.

VĂNESCO, is, n. 3. ἀφανίζομαι, vanus fio, in vanum abeo, aut recido, evanesco. *Cic. Leg.* 2, 10. *med.* Animi labes nec diuturnitate vanescere, nec amnibus ullis elui potest. *Alii leg.* evanescit. *Ov. Trist.* 1, 2, 107. incipiunt gravidae vanescere nubes. *Sen. Troad.* 392. calidis fumus ab ignibus Vanescit spatium per breve. *Tac. Hist.* 5, 7. Vanescere in cinerem. *Ov. Am.* 3, 7, 31. Carmine laesa Ceres sterilem vanescit in herbam. *Pers.* 3, 13. Nigra quod infusa vanescat sepia lympha, *h. e.* atramentum diluatur, et nigrorem amittat. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 358. Vanescitque absens, et novus intrat amor. *Catull.* 64, 199. Vos nolite pati nostrum vanescere luctum, *h. e.* in irritum cadere; et *Tac. A.* 2, 40. Inanis credulitas tempore ipso vanescit; et *ib.* 5, 9. Vanescente plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. *Ov. Her.* 12, 85. Spiritus ante meus tenues vanescat in auras. *Id. Am.* 2, 14, 41. Ista sed aetherias vanescant dicta per auras.

VANGA, ae, f. sarculum, marra, ligo, bipalium. *Pall.* 1, 43. Serrulas minores, vangas, runcones, quibus vepreta persequimur. *ℙ V. *Cangii Gloss. Lat.* in v. *Vanga. B. A.*

VANGIŌNES, um, m. plur. populi Germaniae ad Rhenum siti, fere ubi nunc *Alsazia* est. *Lucan.* 1, 430. Et qui te laxis imitantur, Sarmata, bracis Vangiones. Adde *Plin.* 4, 17, 31. *ℙ Οὐαγγίονες sunt *Ptolemaeo*, Βαγγίονες *Metaphrast. Julii Caesaris.* ℙ Hoc nomine etiam fuit Vangionum civitas, quae fortasse est *Worms. Ammian.* 15, 27. *B. A.*

VĂNĪDĬCUS, a, um, adj. ματαιολόγος, qui vana dicit, vaniloquus, mendax, *Pl. Trin.* 2, 1, 37. Cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis.

VĂNĪLŌQUENTĬA, ae, f. σπερμολογία, vana et inanis blateratio. *Liv.* 34, 24. Hac vaniloquentia primum Aristaenum praetorem Achaeorum excitavit. *Tac. A.* 3, 49. Id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru ejus Vitellia coram, multisque illustribus feminis per vaniloquentiam legerat. *Pl. Pud.* 4, 1, 14. Uxor meas opplebit aures sua vaniloquentia.

VĂNĪLŌQUĬDŌRUS, i, m. vox hybrida, ficta a *Pl. Pers.* 4, 6, 20. et conflata ex Latinis vocibus *vanus*, et *loquor*, et ex Graeca δῶρον, donum, significat eum qui vana verba donat, seu dat, qui vana venditat.

[VĂNĪLŌQUĬUM, ii, n. 2. κενολογία, idem ac vaniloquentia. *August. ep.* 134. (*al.* 160.) *n.* 4. Vaniloquio seductionis sollicitare animos imperitos. *Id. ep.* 166. (*al.* 28.) *n.* 6. Joviniani vaniloquia redarguens. *F.*]

VĂNĪLŌQUUS, a, um, adj. σπερμολόγος, qui vana loquitur, mendax. *Pl. Amph.* 1, 1, 223. Ergo istoc magis, quia vaniloquus, vapulabis. ℙ Item vana jactans. *Liv.* 35, 48. Is, ut plerique, quos opes regiae alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum complevit. *Sil.* 14, 279. Ductores facilem impelli, laetamque tumultus Vaniloquo plebem furiabant insuper ore.

VĂNĪTAS, atis, f. κενότης, ματαιότης, inanitas, levitas, futilitas: atque adeo etiam mendacium: quia in mentientibus nihil subest praeter inanem verborum sonum. *Cic. N. D.* 2, 21. *med.* Nulla in coelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest; contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia. *Id. Leg.* 1, 10. Si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret. *Id. Tusc.* 3, 1. *f.* Ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. *Id. Off.* 3, 14. Si vituperandi sunt, qui reticuerunt *(in vendendo)*, quid de iis existimandum, qui orationis vanitatem adhibuerunt? Adde *ib.* 1, 42. *f.* ℙ In plur. num. *Plin.* 22, 8, 9. Multae circa hoc non magorum solum vanitates, sed etiam Pythagoricorum. Adde 26, 4, 9. et 27, 8, 35. ℙ Item assentatio, quia assentator mentitur, ut placeat. *Cic. Am.* 26. *med.* Blanda ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam allectant et invitant. ℙ Item jactantia, elatio: quia qui se jactat, vana et falsa dicit. *Tac. Agr.* 18. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus, etc. *Id. H.* 3, 73. *med.* Quintius Atticus consul, umbra honoris, et suamet vanitate monstratus. *Suet. Vit.* 10. *f.* de eod: Plurimum meri propalam hausit, passimque divisit pari vanitate atque insolentia.

VĂNĪTĬES, ei, f. vanitas. *Ammian.* 21, 1. *f.* Vanities aliquando plebeja strepit haec imperite mussando, *h. e.* prava et falsa opinio. *Id.* 21, 1. *med.* Ad extollendam ejus vanitiem, sidera quoque, si jussisset, exhiberi posse promittens.

VĂNĪTŪDO, inis, f. idem ac vanitas. *Pl. Capt.* 3, 4, 38. Pol ego, ut rem video, tu inventus vero, vanitudine qui convincas, *h. e.* vanis dictis, et mendaciis. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 886. Turpare vanitudine aetatem suam.

[VANNĬĀNUS, a, um, adj. ad Vannium pertinens, ut Vanniauum regnum, ap. *Plin.* 4, 12, 25. V. v. sq. *F.*]

[VANNĬUS, ii, m. Suevis rex a Druso Caesare impositus, sed non toti genti, verum iis tantum, qui Maraboduum et Catualdam reges comitati erant. Sub Claudio pulsus est regno, diuturnitate in superbiam mutatus, et odio accolarum domesticisque discordiis circumventus. *Tac. A.* 2, 63. et *ib.* 12, 29. *F.*]

VANNO, is, a 3. λικμάω, est vanno fruges, aut legumina movere ac ventilare, acus, vel paleas e frumento, vel legumine vannis expurgare. Obsceno sensu. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 69. Crissatura (*al.* crissavit), ut si frumentum clunibu' vannat. *Id. ib.* Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis. Alii rectius pro *cunnis* leg. *lumbis.*

VANNUS, i, f. λικμός, cribrum cereale, instrumentum latum ex vimine, aliave materia, quo acus paleaeque post trituram a frumento, aut legumine ventilando, et in sublime ejaculando excernuntur: videtur esse a *vanulus* diminut. vani, deinde per syncop. *vanlus*, mox *vannus* et *vallus.* V. h. v. *Virg. G.* 1, 166. et mystica vannus Iacchi. Ubi *Servius:* Mystica, quod Liberi Patris sacra ad purgationem animae pertinebant: et sic homines ejus mysterii purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. *Pierius* testatur, in optimo illo suo Romano codice *et mystica vallus Iacchi* legi. *Colum.* 2, 21. *med.* Ipsae autem spicae melius fustibus tunduntur, vannis expurgantur. *Appul. Met.* 11. Vannos onustas aromatis, et hujuscemodi suppliciis certatim congerunt.

VĂNO, as, a. 1. vana et falsa dico, fallo, decipio. Part. est *Accii* ap. *Non.* 1, 54. et 2, 885. Tanta ut frustrando lactans, vanans protrahit. *Vossius* mallet: Tantum ut frustrando lactans, vanans protrahas.

VĂNŬLUS, a, um, adj. dimin. vani. *Prud.* 10.

περὶ στεφ. 304. Vanulae edentularum cantilenae. Alii rectius leg. *rancidae. F.*]

VĂNUS, a, um, adj. κενὸς, μάταιος, qui frustra est, aut fit, inanis, vacuus, cassus. *Virg. G.* 1, 225. sed illos Exspectata seges vanis elusit aristis. *Colum.* 2, 9. *med.* Granum extrinsecus albidum, si intus etiam conspicitur candidum, leve ac vanum intelligi debet. *Hor. Od.* 1, 24, 15. et *ib.* 3, 27, 39. Vana imago, *h. e.* umbra mortuorum sanguine cassa et corpore. *Liv.* 1, 8. *med.* Deinde ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendae multitudinis causa asylum aperit. *Id.* 2, 47. Et vanior jam erat hostium acies, dum subtracta subsidia mittunt ad castra oppugnanda, *h. e.* rarior, laxioribus ordinibus. *Curt.* 4, 14. Contempserat paucitatem hostis, vanam aciem extentis cornibus ratus; et *infra:* Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam. ℙ Item effectu carens, falsus, futilis, irritus. *Cic. Planc.* 42. Cum tibi vana quaedam miser atque inania, falsa spe inductus pollicebar. *Plin.* 30, 2, 5. Quae omnia Nero vana falsaque comperit. *Plin. alter ep.* 7, 27. Phantasmata inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. *Ov. Met.* 8, 345. Cuspis Echionio primum contorta lacerto Vana fuit. *Liv.* 7, 23. *f.* Ut pila omnia hastaeque non vana caderent. *Id.* 30, 10. Vana pleraque tela in superiorem locum mittebant. *Id.* 3, 16. Tantus tribunos furor tenuit, ut non bellum, sed vanam imaginem belli, ad avertendos ab legis cura plebis animos, Capitolium insedisse contenderent. *Plin.* 2, 43, 43. Bruta fulmina et vana. *Suet. Cal.* 38. Testamenta irrita et vana. *Id. Aug.* 91. Somnia vana et irrita. *Sen. ep.* 84. *f.* Relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa. *Ov. Met.* 2, 597. Vanum omen. *Id. ib.* 3, 349. Vana diu visa est vox auguris: exitus illam, Resque probat; et *ib.* 9, 681. Vanae preces; et *ib.* 14, 361. Vanam spem sequi. *Id. Her.* 16, 342. et *Hor. Od.* 1, 23, 3. Vanus metus. *Id. Ep.* 2, 1, 188. Vana gaudia. *Tac. A.* 3, 16. promissa. *Petr. Sat.* 1. Rerum tumor, et sententiarum vanissimus strepitus. *Virg. A.* 4, 12. Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum. ℙ Absolute. *Hor. Ep.* 2, 2, 25. Corruptus vanis rerum. *Tac. A.* 4, 59. Oblatum Caesari anceps periculum auxit vana rumoris. *Liv.* 26, 37. *f.* Ad vanum et irritum redacta victoria. *Id.* 33, 31. Non tota ex vano criminatio erat. *Sen. Hipp.* 182. cedit in vanum labor. ℙ De eo qui re quapiam frustratus est, et spe excidit. *Tac. H.* 2, 22. *f.* Caecina fama et pudore coeptae temere oppugnationis, ne irrisus ac vanus iisdem castris assideret, trajecto rursus Pado, etc. ℙ Et cum genit. *Virg. A.* 10, 631. aut ego veri Vana feror. *Sil.* 12, 261. Nec forsan voti vanus foret, obvia ni vis, etc. ℙ Est etiam infidus, levis, inconstans, mendax: levia et inania pro gravibus et veris callide componens, ut ait *Gell.* 18, 4. *f.* ubi disserit de illo *Sall. fragm.* Cn. Lentulus perincertum stolidior, an vanior. *Cic. Quint.* 6. *med.* Si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur; necesse est, iste, qui amicum, socium, alienem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se, et perfidiosum, et impium esse fateatur. *Liv.* 1, 27. Invidia vulgi vanum ingenium dictatoris corrupit. *Tibull.* 3, 6, 59. si fugiat nostrae convivia mensae, Ignotum cupiens vana puella torum. *Virg. A.* 2, 79. nec, si miserum Fortuna Sinonem Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. *Ov. Met.* 8, 721. Haec mihi non vani (neque erat, cur fallere vellent) Narravere senes. *Cic. Rosc. Am.* 40. Vana oratio. *Liv.* 29, 32. *med.* Inde vanus auctor absumpti Masinissae ad regem rediit. *Vanus* hoc loco mendacem simul, et jactatorem gloriosumque significat: quia qui se jactant, mentiri multa solent. Sic *Virg. A.* 11, 715. Vane Ligus, frustraque animis elate superbis. *Val. Max.* 7, 2. *n.* 8. *extr.* Laudare se, vani: vituperare, stulti est. *Virg. A.* 11, 854. Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem, *h. e.* plenum falsae gloriae, inquit *Servius.* Hic autem *vana* adverbii more positum est, ut *A.* 8, 489. infanda furentem. *Propert.* 1, 10, 24. Neu tibi pro vano verba benigna cadant. ℙ *Vanum est,* falsum est. *Plin.* 30, 3, 8. Vanum arbitror esse, circa Canis ortum angues candidos membranam eam exsuere.

VĂPĬDĔ, adv. *Vapide se habere,* pro *male se habere* dicebat Augustus, ut in ejus vita *Suet.* 87. narrat.

VĂPĬDUS, a, um, adj. ἄχυλος, ἄχυμος, qui vaporem emittit, et proprie dicitur de vino, quod insipidum nulliusque virtutis factum est. *Colum.* 12, 5. In vini vapidi, ut acre fiat, sextarios duodequinquaginta. *Pers.* 5, 148. Vejentanumque rubellum Exhalet vapida laesum pice sessilis obba, *h. e.* pice quae vinariis vasis illita vinum insipidum facit. ℙ Translate. *Id. ib.* 117. Astutam vapido servas sub pectore vulpem, *h. e.* vitiis corrupto.

*VĂPINCUM, i, n. oppidum Galliae Narbonensis. *Anton. Itin. B. A.*

VĂPOR, oris, m. ἀτμὸς, humor extenuatus, et in altum sublatus. *Cic. N. D.* 2, 10. *med.* Aquarum quasi vapor quidam aer habendus est; et *ib.* 46. Stellae terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis, et ex aquis excitantur. *Sen. Q. N.* 2, 12. Terrenus vapor siccus est, et fumo similis, qui ventos, tonitrua, et fulmina facit: aquarum halitus humidus est, et imbres et nives creat. *Stat. Theb.* 6, 471. crassum rapit ejectatque vaporem Cornipedum flammata sitis. ℙ Item fumus; aut nubes, vel quiddam nubi simile. *Ov. Trist.* 5, 5, 39. cum tu non stultus ab Arcto Terga vapor dederis, Ausoniamque petas, *h. e.* fumus turis in ara incensi. *Virg. A.* 7, 466. volat vapor ater ad auras. *Sen. Herc. Fur.* 909. quidquid Indorum seges, Arabesque odoris quidquid arboribus legunt, Conferte in aras: pinguis exundet vapor. Adde *Stat. Theb.* 10, 110. Hinc *vapore fovere,* suffire. *Cels.* 7, 7. *n.* 2. et 10. et *ib.* 9. *f.* et 8, 4. *med.* et *ib.* 7. *med.* ℙ Item calor. *Cic. Sen.* 15. Terra semen tepefactum vapore et compressu suo diffundit. *Virg. A.* 5, 683. lentusque carinas Est vapor; et *ib.* 698. restinctus donec vapor omnis. *Hor. Ep.* 3, 15. Nec tantus unquam siderum insedit vapor Siticulosae Apuliae. *Plin.* 9, 10, 12. Solis vapore siccatus cortex. *Colum.* 7, 3. *med.* Pecus frigoris impatientissimum, nec minus aestivi vaporis. *Val. Flacc.* 2, 333. coquiturque vaporibus aer. *Ov. Met.* 10, 126. solisque vapore Concava litorei fervebant brachia Cancri; et *ib.* 3, 153. finditque vaporibus arva Phoebus. *Sen. Herc. Oet.* 1366. Non ipse terris major Oceanus meos Frangit vapores: *Colum.* 7, 5. *med.* Vaporibus omni quadrupedi largius bibendi potestas danda: per aestum. ℙ De igne amoris. *Sen. Hipp.* 640. Pectus insanum vapor, amorque torret. ℙ Olim dixere *vapos,* ut *arbos, labos, honos, colos,* etc. *Lucr.* 6, 952. permanat odos, frigusque, vaposque. Adde *Accium, Naev., Varr.* ap. *Non.* 8, 27.

VĂPORĀLIS, e, adj. vaporeus, ut Vaporalis tenuitas, *August. de Genes. ad litt.* 2, 5.

VĂPORĀLĬTER, adv. modo vaporis. *August. de Genes. ad litt.* 2, 4. *extr.* Si potest aqua ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter feratur. Adde *ib.* 3, 10. *f.*

VĂPORĀRĬUM, ii, n. locus in balneo, per quem calor ignis ex hypocausto in cubicula transmeat. Alii ipsum hypocaustum intelligunt. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. *f.* In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium esset subjectum cubiculis. Quidam rectius legunt *cubili,* in quo nempe sudaturi sedebant. V. LACONICUS.

VĂPORĀTĒ, adv. cum vapore, h. e. calore. *Ammian.* 24, 4. *med.* Effervescente vaporatius sole.

VĂPORĀTĬO, onis, f. ἄτμισις, ἀποθυμίασις, vaporis emissio, exhalatio. *Sen. Q. N.* 6, 11. Vaporatio inundantium aquarum. *Gell.* 19, 5. Cum aqua frigore aeris duratur et coit, necesse est fieri vaporationem, et quandam quasi auram tenuissimam exprimi ex ea, et emanare. *Plin.* 28, 6, 18. Vaporatio urinae impubium, decoctae ad dimidias partes, menses feminarum ciet. ℙ *Vaporatio balinearum* ap. *eund. ib.* 4, 14. est fomentum et calefactio in balneo.

VĂPORĀTUS, a, um, part. a *vaporo:* calidus, vel calido vapore plenus. *Colum.* 1, 5. *med.* Cum plerique amnes aestate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligent. *Id.* 2, 16. *extr.* Glebae solibus aestivis vaporatae, *h. e.* excalfactae, et arefactae. *Ammian.* 28, 4. *med.* Vaporatum tempus. ℙ Item in modum vaporis emissus. *Appul. de Mundo:* Nebula est exhalatio vaporata. ℙ *Vaporatae arae,* vaporibus turis fumantes: quas turicremas *Virg. A.* 4, 453. vocat. *Stat. Theb.* 1, 455. largoque refecti Ture, vaporatis lucent altaribus ignes. *Calpurn. Ecl.* 2, 62. Saepe vaporato mihi caespite palpitat agnus, *h. e.* in ara ex caespitibus facta. ℙ Translate. *Pers.* 1, 126. Inde vaporata lector mihi ferveat aure, *h. e.* calefacta, et accensa ex lectione sanorum librorum.

VĂPORĔUS, a, um, adj. vaporus. *Arnob.* 6, 205. Velamen aureum in rigoribus (*al.* frigoribus) algidum, laneum vaporeum, *h. e.* fovens et calefaciens. Plerique alii leg. *vaporum.* ℙ Translate quidam afferunt ex *Augustino,* sed non designato loco: Vaporea sanitas, *h. e.* brevis, et vaporis instar vanescens.

VĂPORĬFER, ra, rum, adj. ἀτμώδης, vaporem, et calorem emittens, vaporosus. *Stat. Silv.* 3, 5, 96. Sive vaporiferas, blandissima litora, Bajas. *Id. ib.* 1, 3, 45. Vaporiferae fornaces.

VĂPORO, as, avi, atum, a. 1. θυμιάω, vaporem emitto, exhalo: vapore et fumo incensae rei perfundo et calfacio; adolendo suffumigo, suffio, vapore et calore foveo. *Plin.* 28, 11, 47. Dum coquuntur carnes, oculos vaporari his praecipiunt. *Id.* 31, 11, 47. Spongiae imponuntur et his morbis, quos vaporari oportet, ferventi aqua perfusae. *Scrib. Comp.* 20. Oculos spongiis expressis vaporare. *Pall.* 1, 20. Ita purus calor olei cellam sine fumi nidore vaporabit. Sic *Hor. Ep.* 1, 16, 6. veniens dextrum latus aspiciat sol, Laevum decedens curru fugiente vaporet. *Lucan.* 5, 100. Campana fremens saxa vaporat Typhoeus. *Virg. A.* 11, 481. Succedunt matres, et templum ture vaporant. *Plin.* 29, 4, 30. Cantharides suspenduntur super acetum fervens, donec per linteolum vaporentur, *h. e.* enecentur. ℙ Neutrorum more est vaporem et calorem emittere, ατμίζειν. *Plin.* 31, 2, 2. Aquae vaporant et in mari ipso: mediosque inter fluctus exsistit aliquid valetudini salutare. *Solin.* 21. Aquae fontanae vaporantes. ℙ Flagrare, incendi. *Lucr.* 5, 1130. Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant.

VĂPOROSUS, a. um, adj. vaporibus et calore abundans. *Appul. Met.* 5. Balnearum vaporosi fontes; et *ib.* 9. Fumosae tenebrae vaporosae caliginis.

VĂPORUS, a, um, adj. θυμιατικὸς, vaporem et calorem habens. *Nemes. Ecl.* 4, 63. Ter vitis, ter fronde sacra, ter ture vaporo Lustravit. *Prud.* 6. περὶ στεφ. 115. Hos cum defugeret, vaporus ardor, Orant, ut celer ignis advolaret.

VAPPA, ae, f. ὄξινης, ἐκτροπίας, ἐξεστηκὼς οἶνος, vinum insipidum, et nullius virtutis, postquam omnis odor, saporque optimus evaporavit. *Plin.* 14, 20, 25. Vitiumque musto, quibusdam in locis, iterum sponte fervere: qua calamitate, cum deferbuit, deperit sapor, vappaeque accipit nomen, probrosum etiam hominum, cum degeneravit animus. *Hor. Sat.* 2, 3, 144. Qui Vejentanum festis potare diebus Campana solitus trulla, vappamque profestis. ℙ Per metaphoram Latinis vappae vocantur ἄχρηστοι, idest inutiles, ac nihili homines, ignavi, viles, nugatores, in quibus nihil est solertiae, nihil prudentiae, ut jam ex loco *Plinii* supra allato patet. *Hor. Sat.* 1, 1, 103. Non ego avarum Cum veto te fieri, vappam jubeo, aut nebulonem. *Catull.* 28, 4. satisne cum isto Vappa frigoraque et famem tulistis? *Auct. Priap.* 14. Nos vappae sumus, et pusilla culti Ruris numina.

VAPPO, onis, m. animal est volans, quod vulgo *animas* vocant: lectum est apud Lucretium (lege *Lucilium*) hos vappones. Haec *Probus* in *Cathol.* p. 1450.

VĂPŬLĀRIS, e, adj. μαστιγίας, qui vapulat, verbero. Jocose *Pl. Pers.* 1, 1, 22. Fui praeferratus apud molas tribunus vapularis.

VĂPŬLO, as, avi, n. pass. 1. τύπτομαι, μαστιγόομαι, verberor, caedor. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *med.* Susurratores veniunt, alius equitem perdidisse, alius septimam legionem vapulasse. *Pl. As.* 3, 3, 9. Coctum, non vapulatum conductus fui. *Id. Poen.* 4, 2, 33. Ut, ubi vapulandum est, tu corium sufferas. *Quint.* 9, 2. Testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, et innocens, inquit. *Sen. Apocol. f.* Producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. *Ter. Phorm.* 2, 1, 19. Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes. *Id. Adelph.* 2, 2, 5. Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. Saepe territus quasi vapulaturus. ℙ A comicis usurpatur saepe in contemptu: nam cum quis significare vult, aliquem se nihili facere, et spernere, jubet eum vapulare, h. e. perire, dolere, miserum esse. *Pl. Pers.* 2, 3, 16. Quid faciet mihi? verberibus caedi jusserit, compedes imponi? vapulet; ne sibi me credat supplicem fore. *Id. Curc.* 4, 4, 12. Vapulare ego te vehementer jubeo; ne me territes. *Id. As.* 2, 4, 72. Tun' libero homini male servus loquere? *Le.* vapula. Huc pertinet illud proverbium, *Vapula Papiria,* ortum a quadam ancilla, quae libertate donata a Papiria hera sua, patronam mox contempsit, et cum eam salutare deberet, se ipsam salutabat, herae autem augurabatur, ut instar servae vapularet. *Festus* ex *Sinnio Capitone* docet, tunc hoc proverbium dici solitum, cum vellent minantibus significare, se eos negligere et non curare, fretos jure libertatis. Addit etiam locum *Plauti fragm.* his verbis: ideo *(lege* id ego) dico, libertas salve, vapula Papiria: ubi *Aelius* ait, *vapula* positum esse pro *dole; Varro* autem pro *peri,* teste eodem *Festo:* quod quidem pro eorum sententia facit, qui *vapulo* ab ἀπολλύω, pereo, deducunt; et contendunt, non usurpari cum ablat. personae agentis, et praeposit. *a* vel *ab:* et si quando usurpetur, ea ratione usurpari, qua dicimus *perire ab aliquo.* ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 14. Cum se omnium sermonibus sentiat vapulare, *h. e.* sibi obtrectari. *Pl. Stich.* 5, 5, 10. Vapulat peculium, *h. e.* dissipatur. *Sen. Ag.* 93. Nubibus ipsis inserta caput Turris pluvio vapulat Austro; et *alter Sen. Q. N.* 6, 7. *f.* Multa, quae procul a mari fuerant, subito ejus accessu vapulavere.

VĀRA, ae, f. machina lignea duobus, vel quatuor lignis arrectariis constans, et superposito altero in modum jugi vel recto, vel curvo, ad aliquid sustinendum. Hujusmodi sunt, quas adhibent structores, iisque tabulata imponunt, quibus insistentes murum exstruunt. *Vitruv.* 10, 19. De materia primum basim subjectis rotis fecit, supraque compegit arrectariis et jugis varas. ℙ Ex his verbis constat, *varam* significare integram istam machinam: sed usurpari potest etiam de aliqua ejus parte, scil. de solis arrectariis, quae ut firmius sustineant, divaricata statui solent. Hinc in *Gloss. Isid.* Varam vibia sequitur: perticae duae sunt inter se colligatae, quae asserem sustinent, unde proverbium: Vibia varam sequitur, *h. e.* cadente vara, vibiam etiam cadere necesse est. Usurpatur autem de iis, quae cum mutuo se sustineant, alterutro cadente, corruunt. Inde hausisse videtur *Auson. Idyll.* 12. *praef. monosyl-*

labor. tantum in fine positor. Ut in vetere verbo est, sequitur varam vibia. Ita legend. contendit *Scaliger ib.*, cum *vara* videatur esse lignum erectum, *vibia* transversum, et apud *Ausonium* contra ac in *Gloss. Isid.* perperam legatur: *Sequitur vara vibiam.* Sane ap. *Lucan.* 4, 439. varae sunt furcillae bicornes erectae, quibus retia ad aucupium tenduntur. Verba *Lucani* sunt. Aut dum dispositis attollat retia varis Venator. ℙ *Vara* etiam dicitur, ut *Carol. Fea* docet in *Saggio di nouve illustraz.* p. 110., canaliculus ille (Italice *incavo*, *intaccatura*), qui cultro prius circa talcam seu ramum fieri solet, antequam serra totus praecidatur. Cum vero hic canaliculus oblique hinc inde incidendus sit, figuram litterae V repraesentet, necesse est, inde ei nomen. (V. *Varronis l.* c. in VALLUM.) *Colum.* 5, 9. *in.* Ex his (*ramis*) quam recentissimas taleas recidito, ita ut ne corticem aut ullam aliam partem, quam qua serra praeciderit, laedas. Hoc autem facile contingit, si prius varam feceris, et eam partem, supra quam ramum secaturus es, foeno aut stramentis texeris, ut molliter et sine noxa corticis taleae superpositae secentur. Verum *Gesnerus* et *Schneiderus*, hosque secutus *Bened. Del-Bene* Italus Columellae interpres, varam interpretantur perticam furcillatam, Ital. *il cavalletto*, cui imponitur ramus desecandus, stramine aut foeno antea munitam: quae verbi interpretatio cum ea omnino convenit, quae supra in §. 1. posita est. [*Plura adjecit. *F.*]

*VARAMUS, i, m. fluvius Venetiae, in Anassum sive Plavem apud Belunum oppidum influens. *Leander* scribit *Caloro* dici. Meminit *Plin.* 3, 18. *B. A.*

VĂRĀTĬO, onis, f. transitus fluminis, qui fit varando: a *varus*, ut Varatio fluminis, *Auct. de limit.* p. 257. et 285. *Goes.*

[VĂRĀTUS, a, um, part. a *varo*, qui varavit. *Auct. de limit.* p. 286. *Goes.* Si vero varatus inveneris, unde tibi venerit, versuram facies, etc. et *mox:* Cultellabis a tetrante usque ad punctum lapidis, ad quem varatus venisti. *F.*]

*VARBĂRI, orum, populi Istriae. *Plin.* 3, 19. ed. *Hard.* Antea legebatur *Varuani.* *B. A.*

[VARCĬĀNUS, a, um, adj. ad Varcianos pertinens, populos Pannoniae superioris, quorum mentio est ap. *Plin.* 3, 25, 28. et *Ptolem.* 2, 15. *Inscr.* ap. *Mur.* 814, 7. et *Marin. Frat. Arv.* p. 299. Flavio Respecto T. (*h. e.* turma) Optati, N. Varcianus (*h. e.* natione Varciano), etc. *Alia* ap. *Marin. ib.* p. 5. C. Minicio C. F. Vel. Italo Praef. Coh. II. Varc. Eq., etc. *F.*]

*VARDAEI, orum, gens Illyrica, in Dalmatia. *Vatin.* in *Cic. Fam.* 5, 9. *Plin.* 3, 22. ℙ *Ardyaei* audiunt *Liv.* 27, 30. Ἀρδίαιοι *Straboni. Ptolemaeo* sunt Οὐάρδεοι. Appellantur et *Bardaei.* V. *Bardei.* *B. A.*

[VARDĂGĂTENSIS, e, adj. ad Vardagatam pertinens, oppidum haud longe a Dripsino, altero agri Vicetini oppido in montibus Bericis, nunc *Vargatara.* *Inscr.* ap. *Grut.* 480, 5. Sex. Valerio Sex. fil. Fab. Publicolae patrono civitatium Vardagatensium et Dripsinatium. *F.*]

[VARDŪLI, orum, m. plur. populi Hispaniae citerioris, nunc *provincia di Guipuscoa*, quorum *Plin.* 3, 3, 4. meminit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 445, 9. Num. Aug. et Gen. Coh. II. Vardulorum C. R. Eq. M., etc. *h. e.* civium Romanorum equitatae milliariae, etc. *Alia* ap. *Donat.* 143, 6. Coh. II. Fida Vardul. C. R. Eq. M. Antoniniana. *F.*]

*VARETĀTAE, arum, populi Indiae, circa Indum flumen. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[VARGŪLĂ, ae, m. est cogn. R., hominis nempe dicacis ap. *Cic. Or.* 2, 60. Videtur esse diminutivum vargi, qui lingua Arvernorum in Gallia latrunculum significat. V. v. sq. *F.*]

[VARGUS, i, m. qui furatur. *Sidon. ep.* 6, 8. Unam feminam, quam forte vargorum (hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant) superventus abstraxerat, cum non falso indicio comperissent, etc. Proprie autem vargi dicebantur extorres et patria expulsi; hinc in *Lege Ripuaria* 87. et *Salica* 57. Si quis corpus jam sepultum exfoderit et exspoliaverit, wargus sit, hoc est expulsus de eodem pago. V. *Ducang. Gloss. med. et inf. Latinit.* in V. *Vargi.* ℙ Translate in *Gloss. Philox.* Vargus, βλαυός. *F.*]

VĂRĬĂ, ae, f. πάρδαλις, panthera, ita dicta a macularum varietate, quibus est spectabilis. Nam pantherae diversicolorem, maculosamque pellem habent. *Plin.* 8, 17, 23. Pantherae, et tigris macularum varietate prope solae bestiarum spectantur, ceteris unus ac suus cujusque generis color est; et *mox:* Nunc varias, et pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere; et *ib.* 24. Primus autem Scaurus aedilitate sua varias CL. universas misit. Allusit huc *Pl. Epid.* 1, 1, 15. ubi, cum *Epidicus* dixisset, varie se valuisse, respondet *Thesprio.* Qui varie valent, caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus. ℙ Etiam picarum genus quoddam longa cauda insigne, *variae* appellantur. *Plin.* 10, 29, 41. ℙ *Varia, ae, f.* Italiae oppidum, in Aequorum terra, ad Anienem amnem. *Hor. ep.* 1, 14. v. 3. et *Tab. Peuting.* ℙ Aliud, in Apulia. *Plin.* 3, 11. V. *Uria.* ℙ Item oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Beronum agro. *Id.* 3, 4. *B. A.*

VĂRĬĂBĬLIS, e, adj. qui variatur, seu mutatur. *Appul. de Mundo:* Aer inferior natura variabilis.

*VARIĀNA, ae, f. oppidum, in Moesia inferiore. *Anton. Itin.* ℙ Aliud hoc nomine, in Pannonia inferiore. *Id. ib. B. A.*

VĂRĬANS, antis, part. a *vario:* ποικίλων. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Vix ulla magis tam denso uvarum partu impatiens variantis coeli, *h. e.* inconstantis, modo hac, modo illa ratione se habentis; et *ib. n.* 4. Helvolae insignes colore inter purpureas nigrasque medio, saepius varianti: et ob id varianae a quibusdam appellatae. *Id.* 7, 42, 43. Exempla Fortunae variantis innumera sunt. *Colum.* 4, 20. *med.* Variantibus adhuc et acerbis uvis: *scil.* nondum nigris, sed colore adhuc vario. *Just.* 9, 1. Variante victoria. *Id.* 26, 1. Variante hominum partim dolore, partim gaudio.

VĂRĬANTĬĂ, ae, f. idem ac varietas. *Lucr.* 1, 653. nedum variantia rerum Tanta queat densis, rarisque ex ignibus esse; et 3, 319. unde haec oritur variantia rerum.

VĂRĬĀNUS, a, um, adj. a Q. Quintilio Varo (V. VARUS, a, um.) deductum, ut Variana clades, *Suet. Aug.* 23. V. *Vell.* 2. a *c.* 117. ℙ *Vāriānae* etiam dictae uvae, quae alio nomine helvolae, a colore variante. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. V. locum *ejusd.* in VARIANS.

VĂRĬĀTIM, adv. variis modis, πεποικιλμένως. *Gell.* 5, 12. *Ve* enim particula, quae in aliis atque aliis vocabulis variatim per has duas litteras, cum *a* littera media immissa dicitur. Sunt qui legunt *varia, tum*, invitis tamen Codicib.

VĂRĬĀTĬO, onis, f. ποικιλία, παράλλαξις, actus variandi, varietas, diversitas. *Liv.* 24, 9. Ceterae centuriae sine variatione ulla consules eosdem dixerunt.

*VARIĀTOR, oris, m. ποικιλτὴς *Gloss. Cyrill. B. A.*

VĂRĬĀTUS, a, um, part. a *vario:* πεποικιλμένος, varians, varius, diversus. *Cic. Mil.* 3. *med.* Eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam sapientissimae Deae sententia liberatum. *Liv.* 21, 28. Certe variata memoria actae rei, *h. e.* varie tradita. *Quint.* 9, 4. *med.* Figurae laboranti etiam compositioni variatae succurrunt, *h. e.* mutatae; et *Plin.* 34, 16, 47. Calculi nigri paulum candore variati. *Id.* 19, 5, 29. Inula cotoneis malis, vel sorbis, aliquando pipere aut thymo variata, *h. e.* mixta, ut saporem variet. *Appul. Flor. n.* 17. Vox hominis et tuba rudore torvior, et lyra concentu variatior. ℙ Distinctus, ornatus, pictus, variegatus. *Catull.* 64, 50. vestis priscis hominum variata figuris, *h. e.* distincta, ornata, picta. *Ov. Met.* 12, 559. formas variatus in omnes, *h. e.* mutatus. *Mart.* 4, 46. Et lato variata mappa clavo. *Lucan.* 4, 79. imperfecto complectitur aera gyro Arcus, vix ulla variatus luce colorem. *Id.* 9, 713. de angue: Pluribus ille notis variatam pingitur alvum.

VĂRĬCĀTOR, oris, m. qui varicatur. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. *f.* Praevaricator est, quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua.

[VĂRĬCĀTUS, a, um, part. a *varico. Cassiod. Varr.* 6, 6. Superbus quin etiam varicatis gressibus patet. *F.*]

VĂRĬCES. V. VARIX.

[VĂRĬCĬO, onis, m. dimin. varici. *Inscr.* quam Imp. Caes. M. Aurelio Antonino Pio Felici Aug., etc. *h. e.* Caracallae dedicavit Coh. V. Vigilum, cujusque tantum frons edita fuit Romae in *Notiz. del giorno ann.* 1820. *n.* 6. et a *Car. Fea* in *Framm. di fast. cons.* p. 82., in sinistro latere *col.* 2. habet: M. Ulpius Varicio. *F.*]

VĂRĬCO, as, a. 1. ῥαιβόω, crura et pedes ultra modum distendo, alterumque ab altero late diduco, divarico. *Quint.* 11, 3. *med.* Varicare supra modum, et in stando deforme est, et accedente motu, prope obscenum. Est qui leg. *varicari.*

VĂRĬCOSE, adv. *Festus* in voce *Muli Mariani:* Milites in furca varicosius onera sua portare consueverant, *h. e.* magis distendendo et divaricando crura, ut fit, cum grande aliquod onus sustinemus. Alii ad varices referunt, quia bajulantes onera solent varices contrahere: quae interpretatio si admittatur, prima syllaba corripienda est.

VĂRĬCOSUS, a, um, adj. κιρσώδης, qui varicibus est tumidis, quae plerumque e nimio labore, aut diutina statione oriri solent. *Pers.* 5, 189. Dixeris haec inter varicosos centuriones. *Juven.* 6, 395. Haec de comoedis te consulit, illa tragoedum Commendare volet: varicosus fiet haruspex: *scil.* qui diu stare cogitur in consultatione Deorum. *Sidon. ep.* 5, 5. Varicosi Arpinatis opulentia loquacitasque, *h. e.* Ciceronis. V. VARIX.

VĂRĬCŪLĂ, ae, f. exigua varix. *Cels.* 5, 26. *n.* 32. Si varicula intus est, ea quoque excidenda.

VĂRĬCUS, adv. cruradistendendo, et divaricando: quod faciunt feminae, dum mejunt. *Appul. Met.* 1. Mulieres varicus super faciem meam residentes, vesicam exonerant, quoad me urinae spurcissimae madore perluerent. Sunt qui rectius leg. *varitus*, a *varus*, ut *primitus* a *primus*, *imitus* ab *imus.*

VĂRĬCUS, a, um, adj. ἀμφιπλὶξ, qui crura distendendo et varicando stat, aut ambulat. *Ov. A. Am.* 3, 303. Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti, Ambulat, ingentes varica fertque gradus.

VĂRĬĒ, adv. ποικίλως, πολυμερῶς, variis modis. *Cic. Div.* 2, 42. Eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocantur errantia. *Id. Acad.* 1, 4. Qui ab iis, qui illum audierunt, perscripti varie cupioseque sunt. *Id. Fam.* 16, 4. Varie sum affectus tuis litteris. *Pl. Ep.* 1, 1, 14. Varie valui; et *Hirt. B. Alex.* 40. Signo dato concurritur: acriter varieque pugnatur. Sic *Liv.* 5, 28. In Aequis varie bellatum: adeo ut in incerto fuerit, vicissent, victine essent. *Sall. Cat. f.* Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus, atque gaudia agitabantur. *Hirt. B. Alex.* 57. *med.* Namque id varie nuntiabatur; et *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 1. Causam faciendi varie interpretantur. *Hirt. B. Afr.* 60. *extr.* Sagittarios varie passimque, locis certis, maximeque in cornibus collocaverat. *Plin.* 13, 1, 2. Idem succi varie alibi ad quaelibet praevaluere. *Id.* 6, 13, 14. Oceanus varie per sinus et accolas in complura nomina dividitur. *Cic. Sext.* 45. Optimatum numerus late et varie diffusus est, *h. e.* per varia hominum genera. ℙ De coloribus proprie dicitur. V. VARIETAS. *Plin.* 37, 10, 63. Mithrax gemma multicolor, contra solem varie refulgens; et *ib.* 5, 18. Smaragdi Cyprii varie glauci.

VĂRĬĒGĀTUS, a, um, part. a *variego:* varie ornatus, distinctus. *Appul. Met.* 11. Navis picturis miris circumsecus variegata. *Id. de Deo Socrat.* Monilia ex argento, et auro, et gemmis variegata. *Id. Flor. n.* 9. Balteus miris coloribus variegatus.

VĂRĬĒGO, as, a. 1. ποικίλλω, ornatus varietate distinguo. *Auson. ep. praemiss. Idyll.* 13. Figuras alius alio scientius variegant. ℙ *Appul. Flor. n.* 3. neutrorum more usurpat, cum inquit: Lyra auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat.

VĂRĬĒTAS, atis, f. ποικιλμὸς, proprie est disparilitas, dissimilitudo et variantia colorum. V. VARIE. *Cic. Sen.* 15. *f.* Res rusticae latae sunt apium examinibus, florum omnium varietate. *Plin.* 8, 30, 44. Hyaenae oculis mille sunt varietates, colorumque mutationes. *Id.* 9, 17, 30. Mullum exspirantem versicolori quadam et numerosa varietate spectari. *Id.* 20, 9, 40. Flos bulborum tritus crurum maculas varietatesque igne factas emendat. *Id.* 12, 1, 5. Marmorum nitor, picturae varietas. ℙ Transfertur ad quamcumque dissimilitudinem, et differentiam. *Cic. Fin.* 2, 3. *f.* Varietas Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur: sed transfertur in multa disparia: varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas varia etiam dici solet. *Quint.* 1, 12. Reficit animos ac reparat varietas ipsa. *Cic. Off.* 1, 30. *med.* Ut in corporibus magnae dissimilitudines sunt, sic in animis existunt etiam majores varietates. *Id. Font.* 2. Huic provinciae, quae ex hac gentium varietate constaret, Fontejus praefuit. *Id. Div.* 2, 3. *med.* Surdus varietates vocum aut modos noscere non potest; et *ib.* 1, 36. Quae omnia fiunt et ex coeli varietate, et ex disparili adspiratione terrarum. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Litus ornant varietate gratissima nunc continua, nunc intermissa tecta villarum. *Cic. Or.* 2, 14. Timaeus longe eruditissimus, et rerum copia, et sententiarum varietate abundantissimus. *Id. Arch.* 9. Bellum magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum; et *N. D.* 1, 1. *med.* Qui Deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias; et *Tac. A.* 2, 37. *med.* Varietas temporum; [*i. e. dispar ratio, dissimilitudo temporis sub imperatoribus a tempore reipublicae. Simili ratione *varietas* usurpatum legitur ap. *Cic. Att.* 1, 17. *in.* Magna mihi varietas voluntatis et dissimilitudo opinionis ac judicii Quinti fratris mei demonstrata est ex litteris suis. Nempe in his locis proprie non *varietas* sed *diversitas* exspectares. Quod, quomodo intelligendum, v. ap. *Doederl.* 3, 271.] et *Plin. ep.* 5, 5. Vir natura acutus, usu exercitatus, varietate promptissimus, *h. e.* varia eruditione, πολυμαθείᾳ. ℙ De inconstantia et levitate. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Nullam rem aliam extimescens, quam varietatem atque infidelitatem exercitus. ℙ *Varietates*, ipsae res variae. *Liv.* 9, 17. Varietatibus distinguendo opere, legentibus diverticula amoena quaerere.

[VĂRĬLLĂ, ae, f. dimin. varae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 488. *n.* 174. Babullia Varilla. *Alia* ap. *Grut.* 466, 9. Sempronia Varilla. Hinc corrigendus videtur locus *Tac. A.* 2. Apuleja Varilia sororis Augusti neptis. Lege *Varilla* pro *Varilia.* *F.*]

[VĂRĪNUS, a, um, adj. ad varum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1054, 3. L. Matuccius Varinus. ℙ *Varini, orum*, absolute sunt populi Germaniae inter Albim et Vistulam fluvios. Eorum meminit *Plin.* 4, 14, 28. et *Tac. G.* 40. *F.*] *ℙ *Althamerus (Schol.* ad *Taciti* l. c.) censet hos Warniensi urbi episcopali (*Warne*) in Borussis nomen reliquisse; sed vulgo Varinos locant, quasi hi sint, quos nunc maritimos Mecklenburgios nominant. *B. A.*

VĂRĬO, as, avi, atum, a. 1. ποικίλλω, varium facio, distinguo, muto: et proprie de coloribus di-

citur. *Lucr.* 2, 758. omnigenos gignunt variantque colores. *Virg. G.* 1, 441. Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum. *Ov. Met.* 4, 577. Nigraque caeruleis variari corpora guttis. *Id. ib.* 12, 465. Vis juvenilis erat, variabant tempora cani. *Catull.* 64, 351. Putridaque infirmis variabant pectora palmis, *h. e.* tundendo livida facient; et *Pl. Poen. prol.* 25. Domum abeant, vitent ancipiti infortunio, ne et hic varientur virgis et loris domi. *Colum. Arb.* 12. Simulatque uva variari coeperit. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 17. Variante se uva. *Liv.* 23, 5. Variante fortuna eventum. *Id.* 12, 2. Ex verna intemperie variante colores frigoraque. *Ov. Am.* 1, 2, 41. gemma variante capillos. ℙ Saepe sine casu adhibetur, neutrorum more. *Colum.* 12, 50. *med.* Cum primum baccae variare coeperint. Sic *Propert.* 4, 2, 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis. *Plin.* 32, 6, 21. Ostrea variant coloribus: rufa Hispaniae, fusca Illyrico, nigra Circejis. *Colum.* 7, 3. Universitas (*arietum*) tergoris maculis variat. ℙ Translate est diversum facere, distinguere, mutare quacumque ratione. *Cic. Or.* 18. Ergo ille princeps vocem variabit et mutabit: omnes sonorum, tum intendens, tum remittens, persequetur gradus. *Gell.* 14, 1. *med.* Mutare et variare aliquid. *Cic. Or.* 2, 9. Orationem variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. *Ov. Pont.* 3, 9, 48. Arbitrio variat multa poeta suo. *Virg. A.* 9, 154. Discurrunt, variantque vices. *Plin. ep.* 8, 8. Laborem otio, otium labore variare. *Ov. Med. fac.* 19. positu variare capillos. *Mart.* 8, 28. Texta Semiramia quae variantur acu; et *Val. Flacc.* 3, 11. vestes picto Clyte variaverat auro. *Liv.* 2, 57. Cum timor atque ira in vicem sententias variassent. *Id.* 27, 27. *f.* Si, quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi velint, *h. e.* varie tradunt. ℙ Absolute, dissimilem esse, mutari. *Lucr.* 4, 649. seminibus distant, variantque figuris. *Ov. Rem. Am.* 525. quoniam variant animi, variamus et artes. *Id. Trist.* 2, 153. Sic abeunt redeuntque mei, variantque timores. *Propert.* 2, 4, 11. Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae, *h. e.* agitantur. *Cels.* 2, 1. Ex tempestatibus optimae aequales; pessimae quae variant. *Liv.* 27, 27. *extr.* Ita fama variat, ut, etc. *Id.* 38, 57. *extr.* Haec de tanto viro, quamquam et opinionibus, et monumentis litterarum variarent, proponenda erant. *Id.* 3, 45. Ita in lege firmum libertati fore praesidium, si nec causis, nec personis variet. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 22, 60. Senatus consuli coeptus: ibi cum sententiis variaretur, etc. *Vell.* 2, 51. *f.* Variatum deinde proeliis. [**Suet. Vit.* 1. nisi aliquanto prius de familiae conditione variatum esset, i. e. varie traditum, expositum esset.]

*VARIS, is, oppidum Britanniae, vulgo *Bod-Vary*, in Wallia, in comitatu Flintensi, ut censet doctissimus *Camdenus. Anton. Itin. B. A.*

VĂRĬTUS. V. VARICUS adv.

VĂRIUS, a, um, adj. *ποικίλος, πολύχρους*, proprie est diversi coloris, versicolor, maculosus, ut in VARIETAS dictum est. *Varr. R. R.* 2, 2. Arietis lingua nigra, aut varia. *Cato R. R.* 33. et 73. Ubi uvae variae coeperint fieri. *Sen. Hipp.* 63. Variae tigres. *Virg. G.* 3, 264. lynces. *Pl. Ps.* 1, 2, 12. Vestra latera loris faciam ut valide varia sint, *h. e.* livida et cruenta. *Petr. Sat.* 28. *extr.* Pica varia intrantes salutabat. *Hor. Od.* 2, 5, 11. autumnus Purpureo varius colore. *Id. Sat.* 2, 4, 83. Varii lapides. *Tibull.* 1, 8, 45. flores. ℙ [*Varius* etiam dicitur, qui ex vario semine, sive ex meretrice natus est. *Lampr. Elag.* 2. Semiamira (seu Sooemias) autem Antonino Caracallo stupro cognita, ita ut hinc vel Varius, vel Elagabalus vulgo conceptus putaretur. Et ajunt quidam, Varii etiam nomen idcirco eidem inditum a condiscipulis, quod vario semine, de meretrice utpote, conceptus videretur. Hactenus *Lampridius.* Ceterum ea contumeliosa nominis Varii interpretatio falsa, etsi vulgaris fuerit, videtur, cum certo constet, illum fuisse filium Sex. Varii Marcelli. *Inscr.* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 246. Sex. Vario Marcello praesidi provinciae Numidiae Julia Sooemias Bassiana C. F. cum filiis marito et patri amantissimo. *F.*] ℙ Translate etiam sumitur generatim pro dissimili, multiplici, disparili, diverso. [**Utrumque, *varius* et *diversus*, a *Doederl.* ad radicem quandam *Var* referuntur, hoc quidem discrimine interposito, ut *varius*, quod *Forc.* ex parte jam notavit, ea comprehendat, quae ipsa inter se superficie, colore etc. discrepent; *diversus* illud significet, quod ab *aliis* differat. Hinc nunquam fieri posse, ut unum pro altero ponatur, licet inter *varietas* et *diversitas* commutatio quaedam interdum obtineat. V. *Varietas.*] *Cic. Fin.* 2, 3. *f.* Transfertur in multa disparia: varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas varia etiam dici solet, cum percipitur ex multis dissimilibus rebus. *Id. Or.* 3. *med.* Curricula multiplicium variorumque sermonum. *Id. Fl.* 3. Praeturae jurisdictio, res varia et multiplex sed suspiciones et simultates. *Id. Or.* 1, 51. *f.* Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas, copiosas, variasque rationes. *Id. Acad.* 1, 4. *med.* Plato varius, et multiplex, et copiosus fuit. *Id. Manil.* 10. *f.* Varia et diversa genera et bellorum et hostium. *Id. Verr.* 2, 5, 19. *med.* Varium jus et dispar conditio. *Sall. Jug.* 5., *Liv.* 2, 6. *f.* et *Just.* 4, 2. *f.* Varia victoria, *h. e.* quae modo apud hos est, modo apud illos. *Plin. ep.* 1, 16. Ingenium varium, flexibile, multiplex, *h. e.* aptum ad omnia, et, ut ait de Catone *Liv.* 39, 40., versatile ad omnia. ℙ Cum dativo. *Hor. Sat.* 2, 3, 53. est genus unum Stultitiae nihilum metuenda timentis, etc. Alterum et huic varium, et nihilo sapientius, *h. e.* contrarium. [*Recte *Heindf.* h. l. ex *schol. Porphyr.* recepit *varum* pro *varium.* Cf. *Doederl.* 3, 271. et quae de hac re supra dicta sunt.] ℙ *Terra varia* dicitur a *Colum.* 2, 4. *med.* cum post longam siccitatem exiguo imbre semimadida est: tunc enim in superficie humida apparet, inferius non item. Hinc rusticum praeceptum ap. *Cat. R. R.* 61. et *Plin.* 18, 19, 49. Sulco vario ne ares, *h. e.* cum sulcus appareat varius, arationis abstineto. ℙ Refertur etiam ad animum, et est levis, inconstans. *Virg. A.* 4, 569. varium et mutabile semper Femina. *Sall. Jug.* 5. Animus audax, subdolus, varius. *Flor.* 4, 3. Antonius ingenio varius. Huc pertinet *Ciceronis* jocus ap. *Quint.* 6, 3. §. 48. Miror, quid sit, quod pater tuus homo constantissimus te nobis varium reliquit, *h. e.* varium ab animi levitate, simulque alludit ad aliam varii significationem, de qua *Plaut. l. c.* supra in §. 1., etenim, ut ait *Id. Quint. ib.* §. 25., dicebatur a patre flagris aliquando caesus. ℙ *Varium est*, varia opinio est. *Cic. N. D.* 2, 5. Quales sint Dii, varium est: esse nemo negat. ℙ *Fuit et Varius nomen Romanum; v. g. Q. Varius Hybrida, Sucronensis, tribunus plebis, homo vastus et foedus, sed eloquentia magnam gratiam consecutus, ut ait *Cic. Brut.* 49. et 62. Adde *de Orat.* 1, 25. *Nat. Deor.* 3, 33. *Quintil.* 5, 12. ℙ Fuit et L. Varus, poeta epicus itemque tragicus, Virgilii Horatiique familiaris, unus ex iis, quibus Augustus Aeneidem commisit emendandam. *Hor. Od.* 1, 6, 1. et *Sat.* 1, 10, 44. *Virg. Ecl.* 9. 35. *Mart. epigr.* 8, 18, 7. *Quintil.* 10, 1. *B. A.*

VĂRIX, ĭcis, m. et f. *κιρσός*, vena faeculento sanguine tumescens: quales in temporibus, ventre, et cruribus in primis oboriri solent ex nimio labore bajulandi, aut ambulandi, aut ex diuturna statione. *Non.* 1, 104. ducit a *varus, a, um:* quia venae in cruribus tumentes inflexae sunt et obtortae: [sed videtur esse a *varus, i;* nam prima in *varicosus* brevis est. *F.*] *Varr. ib.* et 2, 754. Nam si tuam rhedam non habuissem, haberem varices. *Cic. Tusc.* 2, 15. Cum varices secabantur C. Mario, dolebat. *Plin.* 11, 45, 104. C. Marium stantem sibi extrahi varices passum unum hominum, Oppius auctor est. *Sen. ep.* 78. *med.* Ille, qui dum varices exsecandas praeberet, legere librum perseveravit. *Cels.* 7, 8. *med.* Varix ortus, vel tormina insaniam tollunt. *Id.* 7, 17. *in f.* In quorundam ventribus varices sunt, quarum curatio, etc. et *ib.* 31. In cruribus orti varices non difficili ratione tolluntur. Huc autem et eorum varicum, qui in ventre sunt, curationem distuli. ℙ Scitum est scomma Vatinii in Ciceronem, ut narrat *Macr. Sat.* 2, 3. Cum enim hic humeris se reipublicae ab exsilio reportatum gloriaretur, unde ergo, inquit Vatinius, tibi varices? Fuit autem Cicero varicibus crura tumens: unde *Sidon. ep.* 5, 5. varicosum Arpinatem dixit; et *Plin. Secundus* ap. *Quint.* 11, 3. *med.* tradit, in dicendo solitum fuisse togam usque ad calceos demittere, velandarum varicum gratia.

VĂRO, as, a. 1. varis seu varicatis cruribus transeo. *Auct. de limit.* p. 257. *Goes.* Sunt et alii pontes, quorum alvei varantur; et 285. Si in agri quadratura tibi dictanti occurrerit flumen, quod necesse sit varari, sic facies.

[VĂRONILLA, ae, f. dimin. varonis, seu varronis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 229, 11. Aurelia Varonilla. *F.*]

VARRĂMUS, i, m. fluvius, de quo V. in ANASSUM.

VARRO seu Vāro, onis, m. homo durus, et asper. Haec vox et uno *r*, et duobus scripta invenitur, quomodo et *vari*, et *varri* legitur. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Squarrosos*: Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra. *Pers.* 5, 138. Varo regustatum digito terebrare salinum Contentus peraget. Alii leg. *Baro*, quod idem fere sonat. V. BARO. ℙ *Varrones* familia plebeja apud Romanos. Ita dicti sunt a *varo*, seu *varro*, quod notat hominem durum, asperumque. Sed de hoc aliter ipse *Terentius Varro* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 743. his verbis: Est et alia hujus rei historia. Varro enim, cum de suo cognomine disputaret, ait, eum, qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine quod rapuerat, et ad suos portaverat, ex insigni facto meruisse nomen. ℙ M. Terentius Varro, *Μάρκος Βάῤῥων*, civis R., Ciceronis aetate fuit Romanorum omnium eruditissimus, ut *Quint.* 10, 1. *med.* asserit; et *Lactant.* 1, 6. M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos, etc. Plurimos, doctissimosque scripsit libros de Lingua Latina, de vita populi Romani, de re rustica, de liberis educandis, quem librum *Catonem* appellavit, item satyras, aliaque quamplurima, quae majorem partem periere. *Gell.* 3, 10. *f.* ipsum de se scripsisse ait, cum esset annorum LXXXIV., ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse: ex quibus aliquammultos, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse. Multis eum laudibus prosequuntur (praeter *Quint.*) *Cic. Acad.* 1, 3. et *Brut.* 56., *Lactant. l. c. Arnob.* 5, 161., *August. C. D.* 6, 2. etc. ab eruditione, doctrina et multiplici scientia, non tamen ab eloquentia: quinimo in libris de lingua Latina, dum verborum notationes minute persequitur, frigidus saepissime, et ridiculus apparet. Obiit prope nonagenarius, cum anno aetatis LXXXVIII. adhuc scriberet, ut est ap. *Plin.* 29, 4, 18. ℙ De C. Terentio Varrone poeta V. in ATACINUS.

VARRONIĀNUS, a, um, adj. ad Varronem pertinens, ut Varroniani milites, ap. *Liv.* 23, 38. h. e. qui sub C. Terentio Varrone Cos. militaverant secundo bello Punico. *Fulg. Myth. praef.* 1. Varroniana ingenia, *h. e.* M. Terentii Varronis; de quo in v. praec. ℙ *Varronianae* dictae sunt etiam viginti et una comoediae Plautinae, quae exstant, quoniam a M. Terentio Varrone selectae et probatae sunt. *Gell.* 3, 3.

*VARUARĪNI, orum, incolae Varuariae, quod oppidum fuit Liburniae. *Plin.* 3, 21. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Varubarini. B. A.*

*VARUBARĪNI. V. v. praec. *B. A.*

VĂRUS, a, um. adj. *φαλὸς, σκαμβὸς*, qui crura displosa habet; in quo differat a *valgo*, seu *vatio* in VALGUS dictum est. [*Originationem eandem habet, quam *varius*, nempe *var.* V. *Doederl.* 3, 271.] *Hor. Sat.* 1, 3, 47. hunc varum, distortis cruribus; illum Balbutit scaurum, pravis fultum male talis. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 104. Compernem, aut varam ivisse Amphitruonis *ἀχοπτιν*. Adde *Pl. Merc.* 3, 4, 54. [*V. *Heindf.* ad *Hor.* l. l.] ℙ Universim de aliis rebus dicitur obtortis et incurvis. *Colum.* 5, 9. Taleam varam facere, *h. e.* extrorsum curvare. *Ov. Am.* 1, 3, 24. simulato vecta juvenco Virginea tenuit cornua vara manu. *Varr. R. R.* 2, 9. de canib.: Debent esse cruribus rectis, et potius varis, quam vatiis. *Ov. Met.* 11, 83. porrectaque brachia varos Esse putes ramos. Alii rectius leg. *veros.* [*V. *Heins. Advers.* 1, 6. p. 71.] ℙ De luctantibus. *Id. ib.* 9, 33. tenuique a pectore varas In statione manus, et pugnae membra paravi. *Mart.* 7, 32. Vara nec injecto ceromate brachia tendis. *Stat. Th.* 6, 850. Collaque demersere humeris, et brachia late Vara tenent. ℙ Est etiam curvus, pravus. *Pers.* 4, 11. rectum discernis, ubi inter Curva subit, vel cum fallit pede regula varo. ℙ Translate. *Id.* 6, 18. geminos, Horoscope, varo Producis genio, *h. e.* vario, dissimili, dispari. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut P. Quinctilius Varus. V. VARIANUS. Alius fuit L. Quinctilius Varus, de quo *Hor. Epod.* 5, 73. Non usitatis, Vare, potionibus, etc.

VĂRUS, i, m. est macula, sive tuberculum exiguum, et durum in facie, quod a Graecis *ἴονθος* appellatur. *Plin.* 23, 4, 42. Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit e facie. *Cels.* 6, 5. Paene ineptiae sunt curare varos, et lenticulas, et ephelidas: sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest; et *paulo post:* Vari commodissime tolluntur imposita resina, etc. *Plin.* 22, 25, 73. Varos emendare. *Id.* 23, 1, 14. purgare; et *ib.* 4, 45. repurgare.

VAS, vădis, comm. gen. *ἐγγυητὴς*, qui promittit, suo se periculo aliquem judicio stiturum. Proprieque vas erat in re capitali, ut in PRAES diximus. *Cic. Off.* 3, 10. de Damone et Pythia: Vas factus est alter ejus sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. *Id. Fin.* 2, 24. *extr.* Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille fecit Siculo tyranno? *Liv.* 39, 41. *f.* Qui aut citati non adfuerant, aut vades deseruerant. ℙ Videtur habuisse locum etiam in re civili. Si enim *vadari* in re civili dicimus, cur non et *vades? Varr. L. L.* 5, 7. *f.* Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat; et *mox:* Caveri lege coeptum est ab his, qui praedia venderent, vades ne darent: ab eo scribi coeptum in lege mancipiorum: vadem ne posceret, etc. *Hor. Sat.* 1, 1, 11. Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est, Solos felices viventes clamat in urbe. [*V. *Heindf.* ad h. l. coll. *Doederl.* 4, 113.]

VAS, vāsis, n. et Vasa, orum, n. plur. *σκεῦος, ἀγγεῖον*, instrumentum idoneum ad aliquid recipiendum. *Hor. Ep.* 1, 2, 54. Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Plurima ac pulcherrima vasa argentea; et *mox:* Vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo. *Id. Mur.* 36. Vasa Samia; et *Lucr.* 3, 435. quassatis undique vasis Diffluere humorem. *Colum.* 12, 20. Defrutum infra tertiam partem vasis consedit. *Plin.* 37, 2, 7. Murrhina crassitudine, quanta dictum est vasi potorio. *Id.* 29, 5, 32. Comburere aliquid in vase fictili. *Id.* 28, 9, 35. Lac expressum crebro jactatu in longis vasis. *Id.* 33, 11, 53. Vasorum aureorum pondo MD. ℙ Dicitur etiam de iis, quae aliquid sustinent. *Ulp.*

Dig. 34, 2, 20. *med.* Si vasa sint legata, non solum ea continentur, quae aliquid in se recipiunt edendi bibendique causa paratum, sed etiam quae aliquid sustineant: et ideo scutellas, vel promulsidaria contineri, ℙ Quin et omnis generis supellex nonnunquam vasorum nomine venit. *Pl. Aul.* 1, 2, 17. Cultrum, securim, pistillum, mortarium, quae utenda vasa semper vicini rogant. *Sen. Ben.* 1, 1. Nomina facturi, diligenter in patrimonium et vasa debitoris inquirimus. *Ulp. Dig.* 33, 7, 8. Vasa quae utilia culturae sunt, aratrum, ligones, sarcula, falces, bidentes. *Grat. Cyn.* 219. *vasa* dicit supellectilem venatoriam. ℙ In re militari sunt omnis generis impedimenta, *σκεύη πολεμικά:* unde illa *conclamare vasa*, et *vasa colligere*, cum movenda sunt castra, et alio transferenda. *Cic. Verr.* 2, 4, 19. Ille ex Sicilia jam castra moverat, et vasa collegerat. *Caes. B. C.* 1, 66. Signum dari jubet, et vasa militari more conclamari; et *ib.* 3, 37. Noctu, ne conclamatis quidem vasis, flumen transit. Adde *Liv.* 27, 47. et 1, 24. ℙ Hinc allegorice *Sen. ep.* 19. Subduc te istis occupationibus: satis multum temporis sparsimus: incipiamus vasa colligere. ℙ Facete. *Pl. Poen.* 4, 2, 40. Facio, quod manifesto moechi haud ferme solent: refero vasa salva: *τὰ αἰδοῖα:* quo sensu *Auct. Priap.* 70. Hinc legimus, Circen, Atlantiadenque Calypso Grandia Dulichii vasa petisse viri. Alii perperam leg. *jussa tulisse.* V. VASATUS, et VASCULUM. Adde in *S. Script. Reg.* 1, 21, 5. ℙ *Vasa*, alvearia apum. Colum. 9, 6. Ex ferulis commode vasa texuntur. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 22. *f.* Corpus quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. ℙ *Vasibus* pro *vasis* quidam leg. ap. *Sever. Aetn.* 486., sed ibi *valibus* legendum est. ℙ Dixere etiam *vasum*, *i. Pl. Truc.* 1, 1, 33. Aliquod vasum argenteum, aut vasum ahenum aliquod. *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Neque mihi aedificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manu pretiosum. Adde *Fab. Pictor.* ap. *Non.* 15, 11. ℙ Item *vasus. Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm. med.* Vasus fictilis, imo lorus in aqua. *Gloss. Philox.* Σκεῦος, vasus. Ne imiteris.

VĀSĀRĬUM, ii, n. id, quod ituris in provinciam magistratibus supellectilis causa instruebatur, ut vasa, equi, muli, viaticum: a *vas*, *vasis. Cic. Pis.* 35. Nonne HS. centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseras, ex aerario tibi attributum Romae in quaestu reliquisti? *Vitr.* 5, 10. vasaria appellat vasa balnearum, caldarium, tepidarium, et frigidarium. ℙ Translate. *Plin.* 7, 49, 50. Nec sunt omnia vasaria excutienda: mediae tantum partis inter Apenninum, Padumque ponemus exempla. ℙ Ab hac metaphora nomen factum est tabulariis et archivis, in quibus libri censuales servantur. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 13, 11, 12. Loca, quae praestationem suam implere non possunt, praecipimus adaequari, ut quid praestare possint mera fide, et integra veritate scribatur: id vero quod impossibile est, e vasariis publicis auferatur. *Cassiod. Var.* 7, 45. *f.* Ita faciatis de vasariis publicis diligenter abradi, etc. ℙ Ap. *Cat. R. R.* 145. dicitur *vasarium* merces, quae datur factoribus pro utendis vasis in conficiendo oleo.

VĀSĀTĬCUS, a, um, adj. ad Vasates pertinens, ut Vasatica rheda, *Auson. epist.* 7, 18. Sunt autem *Vasates*, *um*, populi Aquitaniae in Gallia, ad Garumnam fluvium. *Id. Parental.* 24.

VĀSĀTUS, a, um, adj. *Bene vasati* ap. *Lampr. Elag.* 5, 8, 9. et 31. sunt magno peculio instructi, mutoniati, *λαοτανροι.* V. VAS.

VASCELLUM, i, n. *Inscr.* ap. *Grut.* 1108, 6. Filius in vascello et massa depositus. Ubi *vascellum* videtur esse urnula, in qua cineres conduntur. *Not. Tir.* p. 150. Vas, vasculum, vascellum.

[VASCĬO, onis, m. dimin. vasis, idem ac vasculum. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* Ursi natura vascione circa stomachum suspensa collo, lino portetur. *F.*]

VASCŌNES, um, m. plur. populi Hispaniae Tarraconensis ad Pyrenaeorum montium radices in confinio Aquitaniae, inter Iberum fluvium, et Pyrenaeos montes, uti inter Cantabros, Celtiberos, et Ilergetes, ubi hodie *Navarra*. Eorum caput fuit Pompelo (*Plin.* 3, 3, 4.) Ili a Metello Romanorum duce obsessi, in tantam famem compulsi sunt, ut humana carne vescerentur. Hinc *Juven.* 15, 93. Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi. ℙ Vascones quoque, populi Galliae Aquitanicae, oriundi a Vasconibus Hispaniae, qui aliquando montes Pyrenaeos transgressi in Aquitania consedere; quorum regio Vasconia, die *Gascogne*, inter dictos montes, Garumnam fluvium, et Oceanum Aquitanicum. ℙ Adjective *Paul. Nol. carm.* 10, 311. Vascone saltu, *h. e.* Pyrenaeo.

VASCŌNĬA, ae, f. Vasconum regio. *Paul. Nol. carm.* 10, 202. Vasconiae saltus, et ninguida Pyrenaei Objicis hospitia.

VASCŌNĬCUS, a, um, adj. ad Vascones pertinens. *Paul. Nol. carm.* 10, 217. Ac si Vasconicis mihi vita fuisset in oris.

VASCŪLĀRĬUS, ii, m. *σκευοποιός*, qui scyphos, aliaque ex auro, vel argento vascula facit. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. *med.* In regiam maximam palam artifices omnes, caelatores, ac vascularios convocari jubet. *Ulp. Dig.* 19, 5, 21. *f.* Si cum emere cari jubet. *Ulp. Dig.* 19, 5, 21. *f.* Si cum emere argentum velles, vascularius ad te detulerit. ℙ Collegium vascularium, legitur in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 10. *n.* 10. Argentarius vascularius, ap. *Grut.* 643, 3. et ap. *Mur.* 945, 5., item ap. *Scaevol. Dig.* 44, 7, 61. ℙ [Item *vasclarius* per sync. scribitur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 291, 9. Aerarii vasclarii. *Alia* ap. *Fabr.* p. 17. *n.* 75. et *Mur.* 918, 9. Q. Critonii C. L. Dassi scalptoris VCLARI, *h. e.* vascularii, qui scilicet scyphos, aliaque vascula ex auro vel argento caelabat. ℙ *Vasclarius* videtur etiam fuisse cogn. R *Inscr.* ap. *Mur.* 814, 1. C. Victorio C. F. Vasclario Victoriae Pithusae, C. Victorio C. F. Attico fratri, Victoria C. F. Atticilla parentibus suis fecit. *F.*]

VASCŬLUM, i, n. *ἀγγεῖδιον*, vas exiguum. *Cato R. R.* 111. Vasculum facito de materia hederacea. *Quintil.* 1, 2. *med.* Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt. *Juven.* 9, 141. argenti vascula puri. ℙ De alveo apum. *Pall.* 7, 7. *med.* Si nulla nascantur examina, duorum vel trium vasculorum multitudinem in unum conferre possumus. ℙ *Τὰ αἰδοῖα*, peculium, ut Vasculum rude, *Petr. Sat.* 24. *f.* V. VAS.

VASCUS, a, um, adj. vacuus, inanis, levis, quemadmodum in *Gloss. MS.* exponitur. *Vitr.* 3, 2. *f.* Venustatem persequitur visus, cujus si non blandimur voluptati proportione, et modulorum adjectionibus, uti id, in quo fallitur, temperatione augeatur, vascus, et invenustus conspicientibus remittetur aspectus. ℙ Vasca tibia, si *Salmasium* audimus in notis ad *Vopisc. Carin.* 19., est ea, quae *μελετηικὸς αὐλὸς* in *Gloss. Philox.* dicitur, h. e. tibiae quoddam genus curvum, et obliquum, soni levioris, et acutioris, qua praecipue tibicines inflandi artem ediscere, et meditari consueverant: a vasco sono, quem edebat. *Solin.* 5. *med.* Insula arundinum ferax, quae accommodatissimae sunt in omnem sonum tibiarum, seu praecentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria praecinendi; seu vascas, quae foraminum numeris praecenturias antecedunt. ℙ Sunt qui tum ap. *Vitr.*, tum ap. *Solin.* legunt *vastus*, invitis plerisque criticis. ℙ *Salmas.* etiam *Livio* tribuit *vascus*, 21, 48. et *Gell.* 19, 9., sed alii omnes *vastus.*

[VASIENSIS et Vasionensis, e, adj. ad Vasionem pertinens, Galliae Narbonensis urbem, quae et Forum Vocontiorum, nunc *Vaison.* Hinc *Vasienses*, *ium*, absolute, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Mur.* 1091, 2. Imp. Caes. P. Lic. Gallieno invicto P. F. Aug. Vasienses. *Sidon. ep.* 5, 6. et 7, 4. vocat *oppidum Vasionense. F.*]

[VASĬO, onis, m. Deus municipalis a Vasiensibus in Gallia Narbonensi cultus. *Inscr.* ap. *Mur.* 110, 6. Marti, et Vasioni Tacitus. *F.*]

*VASSEI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

VASTĀBUNDUS, a, um, adj. vastans. *Ammian.* 31, 8. *med.* Vastabundi omnes per latitudines Thraciae pandebantur impune.

VASTĀTĬO, onis, f. actus vastandi, vastitas, depopulatio. *Sall. or. ad Caes.* 1, 4. Fuga mulierum et puerorum, vastatio domorum. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 15. *extr.* Italiam a vastatione defendere. *Cic. Cat.* 2, 8. *med.* Ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? *Liv.* 7, 15. *f.* et 10, 4. Vastatio agri. *Tac. A.* 15, 27. Regnum vastationibus intactum. *Id. H.* 4, 31. Vastatione incendiisque flagrantes villae.

VASTĀTOR, oris, m. *πορθητής*, qui vastat. *Stat. Achill.* 2, 317. Tene, inquit, magnae vastator debite Trojae? *Virg. A.* 9, 771. ferarum vastator Amycus. *Ov. Met.* 9, 192. Arcadiae vastator aper; et *ib.* 11, 395. vastatoremque cruento Ore ferum.

VASTĀTŌRĬUS, a, um, adj. qui vastat. *Ammian.* 18, 6. Hostium vastatoriae manus. *Id.* 19, 9. *med.* Vastatorius globus.

VASTĀTRĬX, icis, f. quae vastat. *Sen. ep.* 95. *med.* Luxuria terrarum marisque vastatrix.

VASTĀTUS, a, um, part. a *vasto: ἐρημωθείς*, *πορθούμενος*, depopulatus, direptus. *Liv.* 28, 7. *med.* Urbs vastata ac deserta Philippi bello. *Just.* 29, 4. Vastati Macedones ultionem flagitabant. *Vell.* 2, 110. *f.* Omnia igni ferroque vastata. *Tac. H.* 2, 16. *med.* Direpti vastatique classe, etiam quos cohortes alaeque protegerent. *Hor. Od.* 4, 4, 47. impio Vastata Poenorum tumultu Fana. *Cic. Sext.* 24. *med.* Vastatum et relictum forum. Alii leg. *vastum.* Sic *Liv.* 23, 30. Urbe defensoribus vastata facile potiti sunt hostes, *h. e.* spoliata, deserta. Alii leg. *a defensoribus:* alii *vasta.* Sic *Val. Fl.* 1, 480. venator vastata lustra fugit, *h. e.* feris spoliata.

VASTĔ, adv. *ἀχανῶς*, late. *Mela* 1, 1. Mare longe lateque diffusum abigit vaste cedentia litora. ℙ Item late aperto ore et hianti in loquendo. *Cic. Or.* 3, 12. Loqui non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter; et *ib.* 43. *extr.* Si verba extrema cum consequentibus ita jungetis, ut ne aspere concurrant, neve vastius diducantur. ℙ Et vehementer. *Ov. Met.* 12, 530. Vastius insurgens decimae ruit impetus undae. *Scrib. Comp.* 107. Vastius podagra correpti.

VASTESCO, is, n. 3. *πέρθομαι*, vastus fio, inhorresco, deseror. *Accius* ap. *Non.* 2, 892. Ne scelere tuo Thebani vastescant agri. Addit *Non.* et locum *Cic. N. D.* 2, 39. Terram stirpium asperitate vastescere. Sed plerique alii, et ipse *Non.* 4, 482. leg. *vastari.*

*VASTETĀNI, orum, populi Hispaniae, qui et Bastetani et Bastitani. *Liv.* 27, 46. *B. A.*

VASTĬFĬCUS, a, um, adj. vastitatem inducens. *Cic.* vertens carm. *Sophocl. Tusc.* 2, 9. *f.* Haec dextra Erymanthiam vastificam abjecit beluam.

VASTĬTAS, atis, f. *ὑπερμέγεθος*, nimia amplitudo, magnitudo modum excedens. [*De origine, ordine notionum hujus vocabuli dictum in *vastus*, ubi v.] *Colum.* 3, 8. India perhibetur molibus ferarum mirabilis; pari tamen in hac terra vastitate beluas progenerari quis neget? *Gell.* 9, 13. Hostis formidandae vastitatis; et *Plin.* 2, 41, 41. Vastitas coeli. *Id. ib.* 11, 8. solis. *Id.* 3. *prooem.* de freto Gadit. Tam modico ore tam immensa aequorum vastitas panditur. *Id.* 16, 2, 2. Hercyniae silvae roborum vastitas. ℙ Huc pertinent illa *Colum.* 1, 9. Bubulcum vastitas vocis et habitus metuendum pecudibus efficit. *Id.* 4, 18. Vastitas instantis laboris animos debilitat. *Id.* 5, 1. Vastitas scientiae rei rusticae. *Plin.* 31, 6, 32. Vastitate odoris capita replentur. ℙ Quia loca infrequentia, spoliata, et deserta videntur esse ampliora et latiora, ideo *vastitas* est vastatio, solitudo, ruina, *πόρθησις*. *Sen. Herc. Fur.* 701. Sterilis profundi vastitas squalet soli. *Cic. Verr.* 2, 4, 51. *med.* Audistis, quae solitudo esset in agris, quae vastitas, quae fuga aratorum, quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. *Tac. A.* 13, 55. *med.* Ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos. *Cic. Fl.* 1. Cum caedem a vobis, vastitatem a templis, urbe, Italia depellebam. *Id. Catil.* 1, 5. *med.* Templa Deorum, tecta urbis, vitam civium, Italiam totam ad exitium et vastitatem vocas. *Liv.* 3, 26. Tantam vastitatem in Sabino agro reddidit, ut, etc. *Id.* 8, 9. *f.* Fugam et vastitatem late facere. *Cic. Har. resp.* 2. *med.* Excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem tectis, atque agris inferre. *Tac. H.* 2, 70. Infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. *Cic. Pis.* 35. Cum milites uno genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset; dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, socii bello lacessiti, fana vexata hanc tantam efficerent vastitatem. Sic *Accius* ap. *Non.* 4, 482. Propter te tot tantasque habemus vastitates funerum. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 6. Deflere judiciorum vastiatem, et fori.

VASTĬTĬES, ei, f. idem ac vastitas, hoc est destructio, separatio. *Pl. Ps.* 1, 1, 68. Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi distractio, discidium, vastities venit.

VASTĬTŪDO, inis, f, idem ac vastitas. *Cato R. R.* 141. Uti tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis. Adde *Accium*, et *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 891. ℙ Item magnitudo. *Gell.* 5, 14. Leo corporis impetu, et vastitudine oculos omnium in se converterat.

VASTO, as, avi, atum, a. 1. *πέρθω*, vastum reddo, vastitatem et solitudinem infero, diripio, depopulor. [*Cf. quae dicta sunt in *vastus.*] *Caes. B. G.* 5, 19. Cum equitatus vastandi praedandique causa se in agros effunderet. *Cic. Verr.* 2, 3, 50. *extr.* Agros vastare atque exinanire. *Id. Cat.* 4, 6. *f.* Italiam vastare et diripere. *Sall. Jug.* 45. *f.* Sine modo modestiaque invadere, polluere, vastare omnia. *Calpurn. Ecl.* 5. *f.* Vastare pecuaria morbo. *Hirt. B. G.* 8, 25. omnia caedibus, incendiis, rapinis. *Caes. ib.* 5, 1. provinciam incursionibus. *Sall. Jug.* 59. *med.* Igni magis, quam praeda ager vastabatur. *Id.* in *ep. Pomp. ad sen.* Hispaniam ad internecionem vastavimus. *Phaedr.* 3, 2. de panthera: Pecus trucidat, ipsos pastores necat, Et cuncta vastans saevit irato impetu. *Tibull.* 4, 1, 153. Atque duae (*zonae coeli*) gelido vastantur frigore semper, *h. e.* infestantur, et incultae desertaeque fiunt. ℙ Spoliare. *Catull.* 66, 12. Vastatum fines iverat Assyrios. *Hirt. B. G.* 8, 24. *f.* Fines hostium vastare civibus, aedificiis, pecore. *Virg. A.* 8, 7. undique cogunt Auxilia, et latos vastant cultoribus agros. Adde *Stat. Th.* 3, 576. et *ib.* 4, 297. ℙ Translate. *Sall. Cat.* 15. Animus impurus, Diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat, *h. e.* turbabat, et usum rationis quodammodo diripiebat. Alii aliter leg., sed *Corte* multis v. *vastabat* tuetur.

VASTŪLUS, a, um, adj. vastior. *Appul. Met.* 2. *f.* Tres quidam vegetis et vastulis corporibus fores nostras irruentes.

[VASTŪOSUS, a, um, adj. qui vasta loca habet. *Not. Tir.* p. 135. Vastus, vastuosus. *F.*]

VASTUS, a, um, adj. *ἀχανής*, supra modum latus, amplus, patens, immanis. *Caes. B. G.* 3, 12. *extr.* Summa erat vasto atque aperto mari difficultas navigandi; et *ib.* 9. *med.* In vastissimo atque apertissimo Oceano. *Virg. A.* 3, 421. Vasti fluctus; et *ib.* 3; 13. campi; et *ib.* 1, 56. Vastum antrum;

et *ib.* 5, 821. Vastus aether; et *ib.* 6, 237. Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu. *Id.* 9, 530. turris vasto suspectu. *Ov. Met.* 14, 438. Vastum iter, *h. e.* mari vasto; et *ib.* 12, 236. Vastus crater. *Pers.* 5, 141. Vasta trabes, *h. e.* ingens navis. ℙ Universim, permagnus, ingens, *ὑπερμεγέθης*. *Cic. Or.* 1, 25. *extr.* Vastus homo atque foedus. *Phaedr.* 1, 5. Cervus vasti corporis. *Cic. N. D.* 1, 35. Elephanto beluarum nulla prudentior: at figura quae vastior? *Id. Div.* 1, 24. Belua vasta et immanis. *Ov. Fast.* 2, 321. de Herc.: tunicarum vincla relaxat, Ut possit vastas exseruisse manus; et *ib.* 4, 491. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Aetne. *Gell.* 5, 17. *extr.* Clades vastissima pugnae Cannensis. *Ov. Met.* 10, 551. Impetus est fulvis et vasta leonibus ira. *Virg. A.* 5, 368. vastis cum viribus effert Ora Dares. *Id. ib.* 198. (et *Val. Fl.* 2, 534.) Vasti ictus. *Id. ib.* 12, 553. vasto certamine tendunt; et *ib.* 10, 768. Vasta arma; et *ib.* 8, 250. Vasti molares, *h. e.* ingentia saxa. *Ov. Pont.* 3, 2, 49. templa vastis innixa columnis. *Id. Her.* 4, 81. vastum valido torquere hastile lacerto. *Sen. Herc. Oed.* 1211. Vasta moles. *Colum.* 2, 6. Antequam seges torreatur vaporibus aestivi sideris, qui sunt vastissimi per ortum Caniculae. *Id. ib.* 21. *f.* Post nimiam ventorum segnitiem vasta tempestas. ℙ De gravi pondere. *Virg. A.* 5, 447. ad terram pondere vasto Decidit. Adde *Ov. Her.* 9, 88. ℙ De sono, qui late auditur. *Id. Met.* 12, 494. et *Virg. A.* 10, 716, Vastus clamor. *Id. ib.* 1, 249. et *Lucan.* 2, 701. Vastum murmur; et *Sen. Hipp.* 1171. Vastus mugitus; et *Herc. Fur.* 784. sonus; et *ib.* 1103. gemitus. *Colum.* 7, 12. latratus. *Val. Fl.* 1, 616. vasto pariter ruit igneus aether Cum tonitru. ℙ Hinc *vasta littera*, quae magnum habet sonum. *Cic. Or.* 45. *med.* Axilla, ala factus est fuga litterae vastioris. ℙ *Vasta oratio*, quae propter crebrum vocalium concursum, vasto, ut ita dicam, et hianti ore efferenda est. *Auct. ad Her.* 4, 12. Crebrae vocalium concursiones vastam atque hiantem orationem reddunt, ut est hoc: Baccae aeneae amoenissimae impendebant. ℙ Translata sunt et haec. *Sen. Herc. Oet.* 1232. Vastum malum; et *ib.* 767. nefas. *Ov. Met.* 2, 520. Vasta potentia. *Colum. prooem.* 1. *med.* Varia et vasta scientia. *Sall. Cat.* 5. Vastus animus immoderata, incredibilia semper cupiebat. ℙ Interdum ponitur pro agresti, insulso, incomposito, incondito, invenusto: tales enim esse solent homines vasti corporis. [*Praeferendam censemus Böttticheri sententiam, qui in *Lex. Tac.* p. 482. *vastus* de animo ita dici putat, ut nullis decori legibus coercitum significet. *Doederl.* 3, 226. a *vagandi* verbo hanc notionem deducit.] *Gell.* 19, 9. Ne nos, tanquam vastos quosdam et insubidos, *ἀναφροδισίας* condemnetis. *Cic. Or.* 1, 25. Sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etc. *Gell.* 13, 20. *med.* Ciceroni mollius teretiusque visum in quinta in Verrem (*Verr.* 2, 5, 66.) scribere *perangusto fretu divisa.* Erat enim crassius vastiusque *perangusto freto* dicere. *Liv.* 24, 48. Omnia vasta ac temeraria esse, *h. e.* incondita. ℙ Denique pro inani, vacuo, vastato, deserto, ut cum pestilentia moriuntur homines, aut in bello spoliantur urbes incolis, agri frugibus et arboribus, igni aedificia corrumpuntur, et armenta abiguntur, etc. nam quae vacua sunt loca, vasta et majora videntur: *μηλόβοτος, ἔρημος.* [*Non bene *Forc.* hanc vocis *vastus* notionem in fine posuit, quippe quae primum locum vindicet. Originem enim *vastus* habet a *vacuo*, estque proprie i. q. desertus, nostr. *öde*, atque inde exprimit, quod late patet, nulla re interrumpitur, neque inhibetur, late fusum, magnum. Sed illud notandum, quod *vastus* semper aliquid contineat, quod minus placeat propter turpem, foedum adspectum. Cf. *Böttich. Lex. Tac.* p. 482. et imprimis *Doederl.* 3, 225. sqq.] *Accius* ap. *Fest.* Jam hanc urbem ferro vastam faciet Peleus. *Virg. A.* 9, 323. Haec ego vasta dabo. *Cic. Agr.* 2, 26. *f.* Genus agrorum propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum. *Liv.* 28, 11. *med.* Infrequentes urbes, agrum vastum ac desertum habere. *Id.* 5, 53. Urbs vasta incendiis ruinisque. *Sall. Jug.* 52. *med.* Mons vastus ab natura, et humano cultu. *Cic. Somn. Scip.* 6. Vastae solitudines. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 56. Quae nunc abs te viduae et vastae virgines sunt, *h. e.* desolatae. *Tac. A.* 3, 4. Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies.

VĀSUM et Vasus, i, V. in Vas, asis.

VĀTES, is, m, et f. *μάντις, προφήτης*, homo divinus, fatidicus, qui res futuras praedicit. [**Doederl.* 3, 75. derivat a *fari.*] *Nep. Att.* 16. *extr.* Etiam quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates. *Pl. Mil.* 3, 3, 37. Bonus vates poteras esse: nam quae sunt futura dicis. *Virg. A.* 6, 65. tuque o sanctissima vates, Praescia venturi. *Lucr.* 1, 109. minis obsistere vatum. *Cic. Leg.* 2, 8. Interpretari fati dicorum et vatum effata incognita. *Id. N. D.* 1, 20. *f.* Haruspices, augures, harioli, vates, et conjectores. *Id. Har. resp.* 13. Haec vate suadente sacra ista majores nostri Romae collocaverunt, *h. e.* Sibylla. *Hor. Sat.* 2, 5, 5. ad Viresiam: vides, ut Nudus inopsque domum redeam, te vate. ℙ Saepe dicitur de poetis, qui se quoque jactant divino instinctu afflari. *Phaedr.* 4, 24. Numinum praesentia vati dedit vitam, *h. e.* Simonidi. *Colum.* 10. *praef. med.* Vates maxime venerandus, *h. e.* Virgilius. *Ov. Trist.* 1, 6, 21. Maeonius, *h. e.* Homerus; et *ib.* 3, 7, 20. Lesbia, *h. e.* Sappho. *Pers.* 5, 1. Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces, Centum ora, et linguas optare in carmina centum. ℙ Translate sic dicitur, qui in aliqua arte maxime excellit, quasi a Diis edoctus ejus artis secreta sit. *Plin.* 11, 37, 89. Arteriarum pulsus descriptus ab Herophilo medicinae vate miranda arte. *Val. Max.* 8, 12. *n.* 1. Q. Scaevola legum clarissimus et certissimus vates. ℙ Antiquos poetas, inquit *Varr. L. L.* 6, 3. *med.*, vates appellabant a versibus viendis. Ubi *Scal.* suspicatur legendum *vagiendis.* ℙ *Vates dictus princeps Saliorum musicus, teste *Jul. Capitol.* in *Antonio philos.* 4. *B. A.*

VĀTĬA, ae, adj. comm. gen. 1. idem ac vatius. *Varr. L. L.* 8, 5. Cum idem faciat, ac siquis puerorum per delicias pedes male ponere atque imitari vatias coeperit, hos corrigi oportere, si concedant; contra siquis in consuetudine ambulandi jam factus sit vatia, aut compernis, si eum corrigi non concedant, etc. ℙ Numeratur et inter cognomina Romanorum, quod qui primus in Vatia familia id cognominis sortitus est, pedibus fuerit vatiis. *Plin.* 11, 45, 105. Namque et hinc cognomina inventa Planci, Plauti, Scauri, Pansae; sicut a cruribus Vari, Vatiae, Vatinii. ℙ Scribitur et *vacia.*

VĀTĬCĀNUS, i, m. Deus, qui praeesse credebatur primae voci infantium: quasi *Vagitanus*, a vagiendo. *Gell.* 16, 17. Et agrum Vaticanum, et ejusdem agri Deum praesidem appellatum acceperamus a vaticiniis, quae vi atque instinctu ejus Dei in eo agro fieri solita essent. Sed praeter hanc causam M. Varro, in libris rerum divinarum, aliam esse tradit istius nominis rationem. Nam sicut Ajus, inquit, Deus appellatus, araque ei statura est, quae est in infirma nova ria, quod eo in loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nominatus, penes quem essent vocis humanae initia, quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam vocem edunt, quae prima in Vaticano syllaba est: iccirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis. Haec *Gellius.* In quibusdam *Augustini* codicib. *C. D.* 4, 8, 11. et 20. legitur *Vagitanus* propter rationem a *Varrone* allatam. Aliter *Festus:* Vaticanus collis appellatus est, quod eo potitus sit populus R. vatum responso expulsis Etruscis. ℙ Adjective *Vaticanus mons*, unus ex collibus urbis Romae, Janiculo conterminus, ultra et prope Tiberim. Ibi multa fictilia fiebant. *Juven.* 6, 343. Et Vaticano fragiles de monte patellas. *Cic. Agr.* 2, 35. Vaticanus ager. *Tac. A.* 14, 14. Vaticana vallis, *h. e.* quae inter Vaticanum montem et Janiculum, ubi Circus Neronis fuit. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Vaticanus Circus. V. CIRCUS. Vaticana vina damnat *Mart.* 1, 19., 6, 92., 10, 45. et 12, 48. ℙ *Vaticanum* absolute, mons et ager Vaticanus. *Plin.* 8, 14, 14., 16, 44, 87. et 18, 3, 4. ℙ [*Vaticanus* fuit etiam cognomen sive agnomen R., ut P. Sestius Q. F. Capitolinus Vaticanus Cos. ann. U. C. CCCII., ut ostendit *B. Borghesius* in *Framm. de fasti cons.* T. I. p. 81. *F.*]

VĀTĬCĬNANS, antis, part. a *vaticinor: θεσπίζων*, futura praesentiens. *Cic. Div.* 1, 18. Quod et somniantibus saepe contingit, et nonnunquam vaticinantibus per furorem. *Liv.* 2, 41. Virginium consulem in concionibus velut vaticinantem audiebat. *Ov. Pont.* 2, 1, 61. Jam nunc haec a me, juvenum belloque togaque Maxime, dicta tibi vaticinante nota.

VĀTĬCĬNĀTĬO, onis, f. *μαντεία*, actus vaticinandi, divinatio, futurorum praedictio. *Cic. Att.* 8, 12. Quarum vaticinationem falsam esse cupio. *Id. N. D.* 2, 3. *extr.* Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa haruspicum responsis commemorare possumus. *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Plerique lymphati terrificis vaticinationibus, etc.

VĀTĬCĬNĀTOR, oris, m. *χρησμῳδός*, qui vaticinatur, vates. *Ov. Pont.* 1, 1, 42. Unde tamen vivat, vaticinator habet.

VĀTĬCĬNĬUM, ii, n. *μαντεία*, oraculum, divinatio, praedictio futuri. *Plin.* 7, 52, 53. Plena est vita his vaticiniis, sed non conferenda, cum saepe falsa sint. *Gell.* 16, 17. Agrum Vaticanum appellatum acceperamus a vaticiniis.

VĀTĬCĬNOR, aris, atus sum, dep. 1. *μαντεύομαι, προφητεύω*, divino, praedico, futura praesentio. *Cic. Div.* 1, 18. Quod somniantibus saepe contingit, et nonnunquam vaticinantibus per furorem. *Ov. Her.* 16, 277. fore ut a coeleste sagitta Figar, erat verax vaticinata soror. *Id. Ib.* 271. cui casus ante futuros Telemus Eurymides vaticinatus erat. *Id. Pont.* 3, 4, 93. Deus est in pectore nostro: Haec duce praedico vaticinorque Deo. ℙ Pro furere, insanire, more vaticinantium, aut nugari. [*Cf. quae dicta sunt in *hariolari.*] *Cic. Fam.* 2, 16 *f.* Sed ego fortasse vaticinor: et haec omnia meliores habebunt exitus. *Id. Sext.* 10. Eos, qui dicerent, dignitati esse serviendum, reipublicae consulendum, etc. vaticinari atque insanire dicebat. ℙ Pro docte ac sapienter dicere, et tanquam divina oracula proferre. *Cic. Am.* 7. Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent, quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. *Pl. Ps.* 1, 3, 129. Parricida, sacrilege, perjure. *Ba.* vetera vaticinamini.

VĀTĬCĪNUS, a, um, adj. *μαντικός*, ad vaticinium pertinens. *Liv.* 25, 1. *f.* Et edixit, ut quicumque libros vaticinos, precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, etc. *Ov. Met.* 2, 640. Haec ubi vaticinos concepit mente furores.

[VĀTĬCUS, a, um, adj. ad vatem pertinens. Hinc herba, quae alias strychnos, et Apollinaria et somnifera dicitur, vatica appellatur ab *Appul. Herb.* 74., utpote quae vaticinandi vim praebeat hominibus. *F.*]

VĀTĬĒNUS. V. VATINIUS.

VĀTILLUM. V. BATILLUM.

VĀTĬNĬĀNUS, a, um, adj. ad Vatinium pertinens. *Catull.* 14, 3. Odissem te odio Vatiniano. V. v. sq. *Id.* 53, 2. Vatiniana crimina.

VĀTĬNĬUS, a, um, adj. vitium in cruribus habens, vatiae simile: unde cognomen factum Vatiniis familiae Romanae. *Plin.* 11, 45, 105. Cognomina inventa a cruribus, Vari, Vatiae, Vatinii. Alii leg. *Vatieni.* P. Vatinius, civis fuit Rom. contaminatissimae vitae, et pudoris adeo profligati, ut non invenuste dixerit *Seneca Const. Sap.* 17. *med.* Vatinium assiduo convicio depudere didicisse. In hunc, cum adversus reum, quem Cicero in judicio defendebat, productus esset testis, tam acerbe Cicero invectus est, ut patefactis ejus flagitiis in summum Romani populi odium pervenerit. Hinc factus est locus proverbio, ut *Vatinianum odium* pro capitali, et implacabili odio accipiatur. ℙ *Vatinius* alter Beneventanus, sutor fuit distorti corporis, idemque faber calicum vitreorum, qui quatuor rostra instar nasorum protensa habebant. *Mart.* 14, 96. Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe. V. *Tac. A.* 15, 34. ℙ Hinc ipsi calices *Vatinii* absolute dicti sunt. *Mart.* 10, 3. Vatiniorum proxeneta fractorum. V. NASUS.

VĀTĬUS, a, um, adj. *βλαισός*, idem ac valgus, idest qui crura extrorsum obtorta habet. [V. adnotat. in VARUS, a, um. *F.*] *Varr. R. R.* 2, 9. de canib.: Sint cruribus rectis, ac potius varis, quam vatiis. *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. *f.* Quaesitum est, an balbus, et blaesus, et atypus, isque, qui tardius loquitur, et varus, et vatius, sanus sit. [*Mart.* 12, 70. Lintea ferret Apro vatius cum vernula nuper. V. VATIA. *F.*] ℙ Scribitur et *vacius.*

*VATRACHĪTES, fluvius Persidis. *Ammian.* 23, 23. (*c.* 6. *med.* p. 376. *Vales.*) *B. A.*

VATRAX et Vātricosus dicitur, qui vitiosis est pedibus. Ita *Nonius* 1, 99. afferens illud *Lucilii:* Ut si progeniem antiquam, qua est Maximu' Quinctus, Qua vatricosu' vatrax. Alii leg. *varicosu' vatrax*: alii *verrucosus*, quia Q. Fabius Maximus, qui Annibali cunctando restitit, *Verrucosus* cognomen habuit. *Vatrax* autem esse videtur, qui tortis est pedibus instar ranae, quae Graece *βάτραχος.*

*VATRĒNUS, i, m. fluvius Italiae superioris, in Gallia cispadana, in Padum cadens, hodie *Santerno* dictus. *Plin.* 3, 16. *Mart.* 3, 66, 2. ℙ *Portum Vatreni* memorat *Plin. l. c. B. A.*

*VATUSĪCUS, a, um, adj. ad locum quendam pertinens, in Gallia Narbonensi situm, idque in agro Centronum. Nomen fortasse Vatusia. *Plin.* 11, 42. Alpes Dalmaticae Docleaten *(caseum)* mittunt, Centronicae Vatusicum. ℙ Legitur et *Natusicum. B. A.*

U B

UBBĀ. V. OBBA.

ŪBER, eris, adj. omn. gen. *εὔφορος, εὔπορος, εὐθαλής*, frugifer, fructuosus, fertilis, ferax, fecundus, abundans, copiosus: et proprie de frugibus, et agris dicitur. In ablat. in *i* desinit, ut memori. Substantivum vero in *e.* V. v. sq. et *Cic. Fin.* 5, 5, 30. Seges spicis uberibus et crebris. *Id. N. D.* 2, 62. *f.* Vitium, et olivetorum uberrimi laetissimique fructus. *Ov. Met.* 4, 89. arbor niveis uberrima pomis. *Tac. H.* 5, 6. Rari imbres, uber solum. *Hor. Od.* 4, 15, 5. Fruges et agris retulit uberes. *Prop.* 1, 22, 10. Umbria Me genuit terris fertilis uberibus. *Sen. Herc. Fur.* 333. quidquid uberi cingit solo Phocis. *Liv.* 29, 25. *f.* Et imbelles (quod plerumque in uberi agro evenit) barbari sunt. *Cato* ap. *Prisc.* 5, 647. Itaque res uber fuit, antequam vastassent regiones. *Just.* 44, 3. *med.* Regio cum aeris ac plumbi uberrima, tum et minio. ℙ Absolute. *Val. Fl.* 1, 510. Non mediae telluris opes, non improba legi Divitis arva plagae: teneant uberrima Teucer, Et Libys, etc. ℙ Dicitur et de aquis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Vidi permultis locis aquam profluentem et eam uberem. *Lucr.* 1, 348. In saxis et speluncis permanat aquarum Liquidus humor, et uberi, bus flent omnia guttis. *Id.* 6, 289. sequitur gra-

vis imber, et uber. *Hor. Od.* 2, 19, 10. vini fontem, lactis et uberes Cantare rivos. *Accius* ap. *Non.* 9, 6. Locrorum late viridia, et frugum ubera. *Ov. Trist.* 4, 10, 3. Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis. *Albinov.* 1, 116. lacrimae Erumpunt gravidis uberibusque genis; et *ib.* 225. Uberibusque oculis lacrimarum flamina misit. *Sen. Med.* 388. oculos uberi fletu rigat. ℙ De aliis rebus. *Pl. Rud.* 4, 2, 6. Neptunus piscatu me uberi compotivit. *Id. Ps.* 1, 2, 64. Carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi, *h. e.* magno pondere. *Ter. Eun.* 2, 2, 21. Imperavi mihi omnia assentari: is quaestus nunc est multo uberrimus. *Just.* 38, 7. *med.* Bello dubium facili magis, an uberi, *h. e.* praedae uberioris, ut *Id.* 22, 5. *f.* ait; et 31, 5. Neque sedem belli Cracciam sibi placere, cum Italia uberior materia sit. *Id.* 21, 5. *extr.* Uberius praemium. *Suet. Caes.* 27. Uberrimo congiario prosequi aliquem. *Cic. Pis.* 40. Illa uberrima supplicationibus triumphisque provincia. *Plin. Pan.* 43. Sitne feracius et uberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi, etc. *Cic. Off.* 3, 2. Cum tota philosophia frugifera et fructuosa, tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis. [**Tac. H.* 2, 21. uberioribus inter se probris, quam laudibus stimulabantur.] ℙ Est etiam crassus, plenus. *Pl. Merc.* 3, 1, 21. Si tenue scis, scio, te uberius posse nere. *Masur. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 29. Equum nimis strigosum et male habitum, sed equitem ejus uberrimum et habitissimum viderunt. ℙ Saepe transfertur ad copiam rerum verborumque in dicendo. *Cic. Or.* 4. Periclem Anaxagorae fuisse auditorem, a quo uberem et fecundum fuisse. *Id. Or.* 1, 25. Motus animi ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes. *Id. Brut.* 31. *f.* Quis uberior in dicendo Platone? *Auct. dial. de Or.* 18. Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior est. *Tac. A.* 3, 31. *f.* Oratorum uberrimus. *Ov. Trist.* 2, 74. tuasque Ingenio laudes uberiore canunt. ℙ Sunt qui scrib. *huber*, ab *ὑω*, vel *humeo* ducentes: sed notatio videtur nimis longe petita.

ŪBER, eris, n. *μαζός, οὐθαρ*, mamma, tum in homine, tum saepius in bestia. Sunt qui ita distinguunt, ut *mamma* sit, quae exterius apparet, *uber* interior officina lactis; alii rectius, ut uber proprie sit papilla seu mammae caput, quod infans sugens comprehendere solet. [*Prior distinctio longe praeferenda. V. *Doederl.* 4, 333.] *Lucr.* 5, 883. puer Ubera mammarum insomnis lactantia quaerit. *Gell.* 12, 1. An putas, naturam feminis mammarum ubera, quasi quosdam naevulos venustiores, etc.? Alii *mammas* esse ajunt hominis tantum, *ubera* bestiarum. *Hor. Epod.* 8, 7. et mammae putres, Equina quales ubera. ℙ Sed haec discrimina auctores non servant. *Plin.* 28, 19, 77. Lac suis potum deficientia ubera puerperarum replet. *Id.* 7, 36, 36. Puerpera carcere inclusam matrem deprehensa est uberibus suis alens. *Virg. Ecl.* 2, 42. Bina die siccant ovis ubera; et *ib.* 3, 30. vitula binos alit ubere fetus; et *ib.* 99. Pressare ubera palmis. *Tibull.* 1, 3, 46. *ubera lactis* dixit pro *ubera lactea*, quod *Virg. G.* 2, 524. habet. *Hor. Epod.* 16, 50. Refertque tenta grex amicus ubera. *Plin.* 8, 42, 66. Equa partum ad ubera non admittit. *Ov. Met.* 13, 826. Oves vix sustinent distentum cruribus uber. *Id. A. Am.* 2, 375. Nec lea cum catulis lactentibus ubera praebet. *Virg. A.* 4, 367. Hyrcanaeque admorunt ubera tigres. *Ov. Met.* 4, 324. fortunata profecto, Siqua tibi soror est, et quae dedit ubera nutrix; et *ib.* 6, 342. Uberaque ebiberant avidi lactantia nati. *Id. Fast.* 2, 419. Ubera ducere. Alii leg. *sugere.* [*Quod minus bene. V. *Heins.*] *Plin.* 20, 11, 44. haurire. *Lucan.* 3, 351. trahere. *Ov. Fast.* 4, 459. raptus ab ubere. [**Tac. G.* 20. sua quemque mater uberibus alit.] ℙ Translate. *Colum.* 3, 21. Alma tellus vitibus annua vice, velut aeterno quodam puerperio laeta, mortalibus distenta musto demittit ubera. *Id.* 10, 89. fracti dente ligonis Putria maturi solvantur ut ubera campi. ℙ De uva, quam faciunt apes, cum alio migrantes arbore pendent. *Pall.* 7, 7. *med.* Cum agmina se in ramo suspenderint, si unius uberis eductione pendebunt, noris, unum regem esse universis: si duo vel plura ubera suspendens se populus imitatur, et discordes sunt, et tot reges esse, quot velut ubera videris, confitentur. ℙ Interdum est ubertas, fertilitas, fecunditas soli, aut arboris, *εὐθηνία. Virg. G.* 2, 185. Quique frequens herbis et fertilis ubere campus. *Id. A.* 7, 262. Divitis uber agri. *Id. ib.* 1, 535. terra potens armis, atque ubere glebae. *Claud. B. G.* 504. palmitis uber Etrusci. *Colum.* 4, 27. *med.* Rusticus debet interdum partem aliquam fetus decutere, ut ubere suo gravatam vitem levet. *Virg. G.* 2, 275. in denso non segnior ubere Bacchus. ℙ *Ubi uber, ibi tuber*, proverb. ap. *Appul. Flor. n.* 18., de quo V. TŪBER.

*ŪBĔRAE, arum, gens Indiae. *Plin.* 6, 19. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *ubere. B. B.*

ŪBĔRĀTUS, a, um, part. ab *ubero*, abundans, copiosus. *Pall.* 3, 17. *med.* Surculi, qui inserendi sunt, sint novelli, fertiles, nodosi, gemmis pluribus uberati, *h. e.* quasi uberibus ornati.

ŪBĔRĪTAS. V. UBERTAS.

ŪBĔRĪTER, adv. *εὐπόρως*, copiose, fuse, in comparativo tantum et superlativo usurpatum invenitur. *Pl. Trin.* 1, 1, 9. Mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrime. *Ov. Pont.* 4, 2, 12. Uberius nulli provenit ista seges. *Cic. Phil.* 2, 31. Cum mulier fleret uberius. ℙ Transfertur ad elocutionem. *Id. N. D.* 2, 7. *med.* Haec uberius disputantur et fusius. *Id. Fam.* 3, 11. Planius loquebantur, et uberius. *Plin. ep.* 4, 17. *extr.* Dicere latius et uberius, quam epistolarum angustiae sinunt. *Cic. Div.* 2, 1. *med.* Magnus locus a tota Peripateticorum familia tractatus uberrime. [**Suet. Rh.* 1. latius et uberius explicare. Oppon. *breviter* et *presse.*]

ŪBĔRO, as, a. 1. *πιαίνω*, uberem facio, fecundo, laetifico. *Plin. Pan.* 32. Et coelo quidem nunquam benignitas tanta, ut simul omnes terras uberet, foveatque. *Pall.* 11, 8. *f.* Hoc velut coitu steriles arbores uberantur. ℙ Absolute neutrorum more. *Colum.* 5, 9. *med.* Olivetum in duas partes dividere, quae alternis annis fructu induantur: neque enim olea continuo biennio uberat.

*ŪBĔROSUS, a, um, adj. *Gloss. Vet.* Uberosum, *γόνιμον. B. A.*

ŪBERTAS, atis, f. *εὐπορία*, fertilitas, abundantia, copia. *Cic. Manil.* 6. Asia tam opima est, et fertilis, ut ubertate agrorum, et varietate fructuum facile omnibus terris antecellat. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis. *Vet. poeta* ap. *eund. Tusc.* 1, 28. Rami baccarum ubertate incurvescere. *Id. ad Quir.* 8. Frugum ubertas, copia, vilitas. *Suet. Dom.* 7. Summa ubertas vini, frumenti vero inopia. *Plin.* 22, 22, 39. Iasione mulieribus lactis ubertatem praestat. *Id.* 37, 13, 77. Soli fertilitas, pabuli ubertas. *Id.* 18, 17, 45. Solum diutissime aquari gaudet, ut praepinguis et densa ubertas diluatur. *Id.* 3, 5, 6. Amnium fontiumque ubertas. *Sil.* 15, 412. Nec pube aequandam, nec opum ubertate Saguntum. *Just.* 18, 3. Ubertas piscium. *Id.* 25, 1. praedae. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 65. *extr.* Satis a Socrate dictum est de ubertatibus virtutis et copiis. *Id. Or.* 1, 44. Bibliothecas omnium philosophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare. *Id. Dom.* 26. *med.* Ne quis oriretur in tanta ubertate improborum, qui, etc. ℙ De copia dicendi. *Cic. Or.* 1, 12. Qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam, ab eorum exilitate, qui etc.? *Plin. ep.* 2, 3. Magna Isaeum fama praecesserat, major inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas. *Gell.* 12, 1. *extr.* Amoenitates et copiae, ubertatesque verborum. *Quint.* 10, 1. *med. de Cic.* Omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. *Id ib. in.* Verborum ubertatem ac divitias dabis lectio. ℙ In nummo Trajani Decii, Etruscillae, Herennii, Hostiliani, Treboniani, aliorumque legitur *uberitas* pro *ubertas.* V. *Rasch. Lex. rei num.* T. 5. P. 2. p. 759. [*Ultima emendavit *F.*]

ŪBERTIM, adv. *ἀφθόνως*, copiose, affluenter. *Ammian.* 22, 15. *med.* Nubes incrementa ubertim suggerere Nilo creduntur. ℙ Praecipue locum habet in luctu et lacrimis. *Catull.* 66, 17. Ubertim lacrimulas fundere. *Petr. Sat.* 134. Lacrimis ubertim manantibus. *Suet. Tit.* 10. Populo coram ubertim fleverat. Adde *Caes.* 81., *Sen. Controv.* 4, 25., *Claud. Laud. Seren.* 214. et *Appul. Met.* 3, 5, 8. et 10. [*Hujus loci meliorem ordinem instituit *F.*]

ŪBERTO, as, a. 1. ubertum facio, ubero. *Eum. Grat. act. ad Constant.* 9. *f.* Agros diuturno ardore sitientes expetitus votis imber ubertat. **Plin. Pan.* 32. Ut omnes simul terras ubertet foveatque. *B. A.*

ŪBERTUS, a, um, adj. *εὔπορος*, fertilis, copiosus, affluens. *Gell.* 7, 14. Sed ea ipsa genera dicendi jam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus, magnificum in Ulysse, et ubertum; subtile in Menelao, et cohibitum; mistum, moderatumque in Nestore. Alii rectius leg. *uber est.* Addunt *Solin.* 21. Pannonia solo plano, ubertoque. Sed *Salmas.* et alii *uberique.*

ŪBI, adv. *ὅπου, ὅν, ἔνθα*, in quo loco: ab *ὅπου. Phaedr.* 3, 6. ubi strigandum est, et ubi currendum, scio. *Caes. B. G.* 1, 13. Ibi futuros Helvetios, ubi Caesar constituisset; et *f.* Ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate populi R. nomen caperet. *Cic. Fam.* 1, 10. Velim, ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere videare. *Id. Verr.* 2, 5, 12. In ipso ore portus, ubi primum ex alto sinus ad urbem ab litore inflectitur. ℙ Interrogando, *ποῦ; Cic. Or.* 2, 14. Ubi sunt, qui Antonium Graece negant scire? *Ter. Andr.* 2, 2, 1. et 6. Ubi inveniam Pamphilum? ubi quaeram? *Tibull.* 2, 3, 27. Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho? [*Haec solemnis est formula exprobrantium. Vim exemplorum collegit *Heins.* ad *Ov. Met.* 4, 150. Interdum desiderantium. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 150.] ℙ Post se habet interdum genitivos *loci, terrarum, gentium*, ornatus gratia. *Cic. Att.* 5, 10. *med.* Quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem. *Id. Cat.* 1, 4. Ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? *Pl. Epid.* 5, 2, 13. Ubi illum quaeram gentium? *Plin.* 7, 24, 21. Ut inanis mens quaerat; ubi sit loci. *Pl. Capt.* 5, 2, 5. Ubi loci fortunae tuae sint, facile intelligis, *h. e.* quo statu. ℙ *Ubi ubi* est ubicumque. *Cic. Tusc.* 1, 29. Ubi ubi sit animus, certe quidem in te est. *Pl. As.* 2, 4, 21. Perii, nisi Libanum invenio, ubi ubi est gentium. *Ter. Eun.* 5, 9, 12. Ubi ubi est, fac, quamprimum haec audiat. Sunt qui scrib. *ubiubi* conjuncte. *Liv.* 42, 57. *extr.* Facile, ubiubi essent, se conversuros aciem. ℙ Saepe *ubi* refertur ad tempus, et valet cum, quando, postquam. *Varr. L. L* 5, 9. Ubi lucet, magistratus unguentis unguntur. Ubi praetores venerunt, censores inter se sortiuntur. *Ter. Eun.* 3, 3, 11. Ubi friget, huc evasit. *Id. Andr.* 5, 2, 7. Ubi voles, arcesse, *Caes. B. G.* 1, 7. Ubi de ejus adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt. *Sall. Cat.* 2. Ubi pro labore desidia, pro continentia lubido invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. *Cic. Pis.* 27. *extr.* Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat. *Id. Rab. Post.* 13. Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea non oportet. *Id. Verr.* 2, 2, 20. Ubi quis primum potuit, istum reliquit. *Virg. A.* 4, 143. Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo. *Nep. Ep.* 7. *med.* Animadvertebat, ubi id fecisset, totum exercitum perituram; et *Liv.* 3, 61. Haec ubi inter signa peditum dicta dedit, avolat deinde ad equites. ℙ Saepe etiam refert res, aut personas, pro relativo, *qui, quae, quod. Ter. Heaut.* 4, 6, 8. Hujusmodi res semper commiscere, ubi me exarnifices. *Pl. Mil.* 2, 1, 40. Capiunt navem illam, ubi vectus fui. *Cic. Or.* 1, 57. Cum multa colligeres ex legibus, et ex senatusconsultis, ubi si verba sequeremur, confici nihil posset. *Id. Tusc.* 5, 8. *med.* Est, ubi id isto modo valeat. *Pl. True.* 1, 2, 38. Si rem servassem, fuit, ubi negotiosus essem. *Cic. Quint.* 9. *f.* Neque nobis adhuc praeter te quisquam fuit, ubi nostrum jus contra illos obtineremus, *h. e.* apud quem. ℙ Cum verbis motus ad locum. *Vulcat. Avid. Cass.* 9. Liberam evagandi, ubi vellent, potestatem dedit. *Tac. A.* 1, 22. Responde, Blaese, ubi cadaver abjeceris. ℙ [Etiam *ube* pro *ubi* scribitur in *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 3. p. 173. et *Donat.* 131, 1., et in alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 93. in not. (3.), et in alia ap. *Oderic. Syllog.* p. 165. Plenius vero *ubei* scribitur in alia ap. *Grut.* 637, 5. *F.*]

ŪBICUMQUE, adv. *ὅπου ποτὲ, παντα χῆ*, quocumque in loco: ab *ubi*, ea forma, qua a *quo* est *quocumque. Cic. Att.* 3, 25. Ut te ante Calendas Januarias, ubicumque erimus, sistas. *Id. Verr.* 2, 5, 67. Omnes hoc loco cives Romani, et qui adsunt, et ubicumque sunt, vestram severitatem desiderant. *Ov. Met.* 7, 736. uni Servor, ubicumque est, uni mea gaudia servo. *Id. Am.* 3, 10, 5. Te, Dea, munificam gentes ubicumque loquuntur. ℙ Cum gen. *gentium*, et *terrarum. Cic. N. D.* 1, 44. Ubicumque erit gentium, a nobis diligetur. *Id. Phil.* 2, 44. Qui ubicumque terrarum sunt, ibi est omne reipublicae praesidium.

[ŪBĪDĬUS, adv. compar. idem ac uberius. *Sym. or. in Grat.* (ed. *A. Maio*) 6. Virentibus ramis artifex rusticandi alienum germen includit, ut novella praesegmina coagulo libri ubidius inolescant. Est qui malit legere *avidius F.*]

ŪBILĪBET, adv. *ὁπουῦπερ ἄν*, quocumque loco, ubivis. *Sen. Tranq.* 1. *med.* Cibus parabilis facilisque, ubilibet non defuturus.

ŪBĪNAM, adv. *ποῦ χῆρος, ποῦ γῆς*, in quonam loco. Interrogativum, vel infinitum est. *Cic. N. D.* 1, 10. In qua non video, ubinam mens constans possit insistere. *Stat. Silv.* 2, 1, 41. O ubi ingenui crines, mollisque decorae Margo comae? blandis ubinam ora arguta querelis? ℙ Cum gen. *gentium* eleganter conjungitur. *Cic. Cat.* 1, 4. O Dii immortales, ubinam gentium sumus? *Pl. Merc.* 2, 3, 97. Ubinam est hic homo gentium?

ŪBIQUĀQUĔ, adv. idem quod ubicumque. *Appul. de Mundo:* Omnia, ubiquaque gererentur, otacustarum delatione discebat. Alii leg. *omnia quaecumque ibi. Liv.* 22, 4. *med.* Signum omnibus dat invadendi: qui ubiquaque proximum fuit, decucurrere. Alii leg. *ubi qua cuique. Pl. Bacch.* 2, 3, 17. Cor meum, et cerebrum finditur, istius hominis ubi fit quaque mentio. *Tmesis.*

ŪBĪQUĔ, adv. *παντα χοῦ*, in omni loco, ubicumque, ubilibet. *Caes. B. C.* 2, 20. *extr.* Et quod ubique habeat frumenti ostendit. *Cic. Verr.* 2, 4, 4. Verres quod ubique erit pulcherrimum, auferet? *Id. Agr.* 2, 21. *f.* Ceteri agri omnes, qui ubique sunt, decemviris addicentur. *Id. Div.* 2, 44. *f.* Volunt, omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem conditione nasci. *Omnes qui ubique sunt* formula est ap. *Cic.* frequens. *Virg. A.* 2, 368. crudelis ubique Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago. ℙ Cum gen. *Appul. Met.* 1. Nihil rerum istarum, quae itineris ubique rite nos comitantur, indigemus. ℙ Etiam cum gen. *gentium*, aut *orbis* usurpatur. *Id. Flor. n.* 16. Laudes benefacti tui ubique gentium, semper annorum repraesentet. *Tert. Pall.* 2. *med.* Ut inde velut ex surculis et propaginibus populi de populis, urbes de urbibus per ubique orbis pangerentur. ℙ Pro ubicum-

que. *Jabolen. Dig.* 18, 1, 77. In lege fundi vendundi lapidicinae in eo fundo, ubique essent, exceptae erant. *Haloand.* habet *ubicumque;* et *Liv.* 45, 29. Litteras omnes, quae ubique depositae essent, et pecuniam regiam conferri. ℙ *Ubique* pro *et ubi,* ut *itaque* pro *et ita. Pl. Rud.* 2, 3, 58. Leno ademit ei cistulam, quam habebat, ubique habebat, qui suos parentes noscere posset. *Liv.* 36, 2. Quisquis magistratus eos ludos, quando, ubique faxit, hi ludi recte facti sunto. *Catull.* 63, 46. Simul vidit, sine queis, ubique foret. Adde *Pl. Bacch.* 1, 1, 36. et *Merc.* 5, 1, 11. ℙ *Ubique,* pro *et ubi,* dicitur etiam de tempore, h. e. et quando. *Hor. Sat.* 2, 2, 84. ubique Accedent anni, et tractari mollius aetas Imbecilla volet. *Bentl.* mallet *ubive,* h. e. vel quando. [*Singularis dicendi ratio est ap. *Suet. Claud.* 25. ubique plerumque, illud de rebus, hoc de tempore. ℙ Confund. *ubi* et *nisi.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 264. *b. Ubi* et *ibi.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 441.]

*UBISCI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. Bituriges liberi cognomine Ubisci. *B. A.*

ŬBĬŬBI. V. UBI.

ŬBĪVIS, adv. ὁποσονοῦν, πανταχοῦ, quolibet in loco, quasi *ubi tu vis. Cic. Fam.* 6, 1. Nemo est, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit. *Id. Att.* 14, 22. *extr.* Qui mihi videntur ubivis tutius, quam in senatu fore. *Ter. Andr.* 1, 2, 32. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier. *Hor. Sat.* 1, 4, 74. Non ubivis, coramve quibuslibet; in medio qui, etc. ℙ Conjungitur cum genit. *gentium,* ut ubinam. *Ter. Hec.* 3, 1, 4. Quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium agere aetatem!

[UBĪUS, a, um, adj. ad Ubios pertinens, Galliae Belgicae populos ad Rhenum, quorum urbs princeps Colonia Agrippina, seu Agrippinensis, ita appellata ab Agrippina Claudii Aug. uxore, et Neronis Aug. matre. *Tac. A.* 12, 27. Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos, coloniamque deduci impetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. *Id. H.* 5, 22. Claudia Sacrata mulier Ubia. Hinc *Ubii, orum,* absolute, sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Mur.* 843, 4. L. Pompejus Celer Praef. Coh. I. Ubiorum. *F.*]

U C

*UCALĔGON, ontis, Οὐκαλέγων, sc. *non curans,* Trojanus nobilis et prudens, qui cum Antenore a bello propter senectutem abstinuit, portas interim observans, quemadmodum *Homerus* narrat *Il.* Γ. v. 148. seq. *Virg. A.* 2, 311. Jam proximus ardet Ucalegon, *h. e.* domus Ucalegontis. Exinde illud *Juven. Sat.* 3, 199. Jam poscit aquam, jam frivola transfert Ucalegon: ubi Ucalegon ponitur pro cive quovis. *B. A.*

*UCECENSE CASTRUM, oppidum Galliae Narbonensis, hodie *Uzez* vel *Vsez. Notit. civit. Gall. B. A.*

*UCĒNI, orum, populi Alpini, ubi nunc fere *Grenoble. Plin.* 3, 20. *B. A.*

*UCĬA, ae, f. Οὐκία, Hispaniae civitas. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

[UCĬTĀNUS, a, um, adj. ad Ucim pertinens, quo nomine duplex fuit oppidum in Africa, majus in provincia proconsulari, minus in Numidia. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida civium Romanorum Ucitana duo, majus et minus. *F.*]

*UCUBIS, is, oppidum Hispaniae Baeticae. *Auct. B. Hisp.* 7, 24. ℙ Fortasse i. q. Succuba. *B. A.*

*UCULTUNIĂCUM, n. oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

U D

*UDĪNI, orum, populi Scythiae Asiaticae, circa Caspium mare. *Plin.* 6, 13. *B. A.*

ŪDO, as, a. 1. ὑγραίνω, udum reddo, madefacio. *Macr. Sat.* 7, 12. Quae udanda sunt corporis, vino foventur; quae siccanda sunt, melle detergentur. *August. Mor. Manich.* 2, 13. *f.* Si frusto pernae labra unxerit, et vappa udaverit. [*Pelag. Vet. fragm. palimps.* in *Antolog. di Firenze n.* 93. *ann.* 1828. *Settemb.* Cum fervet, peniculum in fuste ligato, et sic udas totum corpus. *F.*]

ŪDO, onis, m. genus calceamenti ex pilis hircinis. *Mart.* 14, 140., cujus lemma *Udones Cilicii.* Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti: Cinyphio poterit planta latere sinu. Adde *Ulp. Dig.* 34, 2, 26., ubi *Torrent.* habet *odones.*

ŪDOR, oris, m. ὑγρασία, humor, mador. *Varr. L. L.* 4, 5. Udus, uvidus: hinc udor, quivis deorsum in terram imber. Alii leg. *sudor.*

*UDUBA, ae, Hispaniae Tarraconensis fluvius. *Plin.* 3. *B. A.*

ŪDUS, a, um, adj. ὑγρὸς, humidus, madefactus: ab *uvidus* per sync. Proprie est plus quam *humidus. Sen. Q. N.* 2, 25. Dicis, inquit, nubes attritas edere ignem, cum sint humidae, imo udae. *Ov. Fast.* 2, 597. adnuerunt omnes Tiberinides udae. *Id. ib.* 6, 401. Udae paludes. *Id. Trist.* 3, 10, 23. Uda vina: (*humida* dixit *Virg. G.* 3, 364. Loquitur autem uterque de vino glacie concreto. V. HUMIDUS.) *Plin.* 24, 15, 89. Udum linteolum. *Sen. Herc. Oet.* 373. Udum stamen intorquere, *h. e.* saliva tinctum, dum netur. *Virg. G.* 3, 388. Udum palatum; et *ib.* 446. udisque aries in gurgite villis Mersatur; et 429. Vere madent udo terrae. *Id. A.* 7, 534. Udae vocis iter, *h. e.* iter udum vocis: ὑπαλλαγή. *Ov. Heroid.* 12, 55. Udi oculi. Sic *Am.* 1, 8, 84. Udae genae; et *Prop.* 2, 6, 10. Uda lumina. *Hor. Od.* 1, 7, 13. mobilibus pomaria rivis, *h. e.* irrigua. *Mart.* 5, 84. Udus aleator, *h. e.* vino madens. *Id.* 8, 44. Et mane sudas Urbis osculis udus. *Id.* 10, 78. Udum gaudium, *h. e.* fletu mixtum. *Rut. Itin.* 1, 633. Hyades udae. Udos ignes. *Appul. Met.* 11. vocat lucem Lunae, quae humorem noctu fulgens demittit. ℙ Absolute. *Plin.* 35, 7, 31. Udo colores illinere. ℙ *Terentian. de syllab.* p. 2402. et alibi *udas* vocat litteras, quas vulgo grammatici liquidas appellant. V. LIQUIDUS. ℙ Turpi sensu *Mart.* 11, 17. Uda puella leges, sis Patavina licet; et *Juven.* 10, 322. quid enim ulla negaverit udis Inguinibus? V. SICCUS.

V E

VĔ, ή, vel, aut, conjunctio disjunctiva, et encliticа, quae dictionibus semper postponitur, *Cic. Phil.* 14, 6. *med.* Duabus, tribusve horis; et *ib.* 5, 19. Uti C. Pansa, A. Hittius Coss. alter, ambove, etc. [*De part. *ve* cum nominibus numeral. conjuncta cf. *Bentl.* ad *Hor. Epod.* 5, 23. et *A. P.* 358.] *Cic. Fl.* 5. Ne quid plus minusve dicat. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. Te rogo, ne demittas animum, neve te obrui sinas. *Prop.* 3, 1, 5. Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro, Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam. *Cels.* 5, 26. *n.* 5. Pejus vulnus est, ex quo aliquid excisum est, ex quove caro alia parte abscissa, alia dependet. *Ulp. Dig.* 43, 6, 1. Ait praetor: In loco sacro facere, inve eum immittere quid, veto. *Ov. Met.* 15, 215. Corpora vertuntur: nec quod fuimusve, sumusve, Cras erimus. *Prop.* 2, 1, 23. Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae. ℙ Pro *an. Cic. Phil.* 2, 16. Vide, quam te amarit is, qui albus, aterve fueris, ignorans, etc. *Nep. Iphicr.* 3. Cum interrogaretur, utrum pluris patrem, matremve faceret? *Hor. Sat.* 1, 2, 63. quid inter-Est, in matrona, ancilla, peccesve togata? Ubique alii leg. *ne. Caes. B. G.* 7, 14. Neque interesse, ipsosne interficiant, impedimentisve exsuant. Vet. editio A. 1471. habet *impedimentisne:* aliae *ve.* ℙ Interdum cum *ne* copulativa est. *Caes. B. G.* 6, 19. Civitates habent legibus sanctum, si quis quid de republica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat, neve cum quo alio communicet. *Id. B. C.* 1, 86. Ne quid eis noceretur, neve quis invitus sacramento dicere cogeretur; a Caesare caveatur. Adde *B. G.* 6, 31. ℙ Est etiam particula, quae tantum praeposita et conjuncta verbis aliquid significat, ut in *vegrandis, vecors, vesanus:* habetque vim modo augendi, modo minuendi, ut *Gell.* docet 5, 12., ubi addit, scribi etiam per diphthongum *ae.* [*V. quae *Heindf.* de hac dicendi ratione adnotavit ad *Hor. Sat.* 1, 2, 229. ℙ Confund. *ve* et *vero.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 278. sq.]

*VEAMĪNI, orum, populi Alpini, quorum meminit *Plin.* 3, 20. ℙ Veaminos in dioecesi Sanitiensi, *Senez,* ponit *Harduinus. B. A.*

*VECA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis cum portu, in ora Austurum. *Plin.* 4, 22. *B. A.*

VĒCORDĬA, ae, f. ἀγνωμοσύνη, κακία, improbitas, malitia, perversitas: nam vecors est turbati et mali cordis, ut ait *Festus. Ter. Andr.* 4, 1, 1. Hoccine est credibile, tanta vecordia innata cuiquam ut siet, ut malis gaudeant, atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda? *Sall. Cat.* 15. *f.* Colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus: prorsus in facie vultuque vecordia inerat. *Gell.* 20, 1. *med.* Egregie homo improbus, atque immani vecordia. ℙ Item furor, vesania, dementia, παραφροσύνη. *Sall. Jug.* 75. *f.* Interdum somno excitus, arreptis armis, tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia, exagitari. (Adde *ib.* 104.) *Ov. Met.* 12, 227. quae te vecordia, Theseus, Euryte, pulsat, ait, qui, me vivente, lacessas Pirithoum, violesque duos ignarus in uno? Adde *Tac. A.* 1, 32. et *Just.* 24, 6. *f.* ℙ Item stultitia, fatuitas, amentia. *Sall. Jug.* 99. Hostes pro muro dies noctesque agitare, maledicere Romanis, ac Mario vecordiam objectare: militibus nostris Jugurthae servitium minari. *Tac. A.* 4, 22. *f.* Uxor accusata, injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito. Adde *ib.* 3, 50. *med.*

VĒCORS, ordis, adj. omn. gen. ἀγνώμων, παράφρων, ἄνους, excors, vesanus, perversus, demens: a *ve* particula, quae hic minuendi et privandi vim habet, et *cor,* qua animum significat, ut est ap. *Cic. Tusc.* 1, 9. *med. Festus:* Vecors est turbati et mali cordis. [*Cf. *Böttich. Lex. Tac.* p. 483. sq.] *Cic. Har. resp.* 1. *med.* Vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit *Id. Pis.* 20. Ego te non vecordem, non furiosum, non monte captum, non tragico illo Oreste dementiorem putem? *Id. Dom.* 55. *f.* Itaque istius vecordissimi mentem cura metuque terrebant. *Liv.* 4, 50. Cum modum irae nullum faceret, ipse ad interpellantes poenam vecors de tribunali decurrit; et *ib.* 49. *med.* Audita vox ejus in concione stolida, ac prope vecors. *Id.* 7, 15. Hic impetus prope vecors turbavit hostes. *Cic. Sext.* 55. Cum ille furibundus incitata illa sua vecordi mente venisset. *Just.* 2, 7. *f.* Deformis habitu, more vecordium in publicum evolat. *Tac. A.* 13, 44. Mulieris amore vecors. *Id. H.* 2, 23. *f.* Interfectores Galbae, scelere et metu vecordes, miscere cuncta. *Val. Max.* 9, 2. *n.* 4. Divinis operibus vecordi pertinacia resistebat. *Just.* 24, 8. Templorum antistites, et ipsae vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam aciem procurrunt. *Cic. Har. resp.* 9. *med.* Quis est tam vecors, qui aut cum coelum suspexerit, Deos esse non sentiat; aut cum Deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum et auctum? *h. e.* hebes, tardus, stupidus. *Hor. Sat.* 2, 5, 74. scribet mala carmina vecors? Laudato, *h. e.* indoctus et stultus. *Aurel. Vict. Caes.* 40. *med.* Ipse debili aetate agrestibus ac Pannonicis parentibus vecordior, *h. e.* imperitior, stolidior. ℙ Est etiam mali cordis, h. e. improbus, malus, perversus. V. VECORDIA.

*VECTA, ae, olim dicta est insula Britanniae adjacens, quae nunc *the isle of Wight. Eumen.* in *Paneg. Constant* 15. ℙ *Vectis* audit *Sueton. Vespas.* 4. *Plin.* 4, 16. *B. A.*

VECTĀBĬLIS, e, adj. ἀγώγιμος, qui vectari potest. *Sen. Q. N.* 3, 25. *med.* Ipsius insulae materia vectabilis, quae non est corporis solidi, quamvis arbores alat.

VECTĀBŬLUM, i, n. ὄχημα, vehiculum. *Gell.* 20, 1. *med.* Jumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur.

VECTĀCŬLUM, i, n. id quo aliquid vehitur. *Tert. Baptism.* 3. et *Anim.* 53.

VECTĀRĬUS, a, um, adj. ad vectandum aptus. *Varr. R. R.* 2, 7. *f.* de equis: Qui vectarios facere vult, ad ephippium, aut ad rhedam. [Alii leg. *vectorios,* at *Schneiderus* mallet *vecturarios,* quod magis probandum. *F.*]

VECTĀTĬO, onis, f. verbale a *vecto:* sed usurpatur passiva significatione. *Sen. Tranq.* 15. *med.* Vectatio, et iter reficiunt animum. *Suet. Cal.* 3. Gracilitas crurum paulatim repleta assidua equi vectatione post cibum.

[VECTĀTOR, oris, m. qui vehitur, item passiva significatione, ut *vectatio. Coripp. Johann.* 3, 253. mixtis vectator et armis Fortis equus, rapidi jactatus turbine cursus, Concidit: scil. vectator, seu eques *F.*]

VECTĀTUS, a, um, part. a *vecto,* deponendi forma: et significatione activa. *Pl. Merc. prol.* 74. Agrum se vendidisse, atque ea pecunia navim parasse, atque eapse merces vectatum undique, *h. e.* vectavisse.

VECTĬĀRĬUS, ii, m. qui premendo vectim machinam commovet. *Vitr.* 6, 9. *med.* Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus, et prelo premitur, ne minus longum pedes quadraginta constituatur: ita enim erit vectiario spatium expeditum.

VECTĬCŬLĀRĬUS, a, um, adj. τοιχωρύχος. *Fest.* Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia. Cato: Vecticulariam vitam vivere, repente largiter habere, repente nihil.

VECTĪGAL, alis, n. φόρος, τέλος, pecunia, quae solvitur aerario, aut fisco, earum rerum causa, quae vehuntur, *h. e.* importantur et exportantur: a *veho.* Triplex est, portorium, decuma et scriptura: quae V. suis loc. Differt a *tributo,* quod secundum capita, aut censu penditur: et ex eo militibus stipendia conficiuntur: *vectigal* autem ex importatione et exportatione: et ex eo alia reipublicae munera sustinentur. Quamquam interdum promiscue adhibent. Nam ap. *Suet. Cal.* 40. Quod initio *vectigal* dixit, mox *tributum* appellat. Universim etiam *vectigalia* dicuntur quicumque publici reditus. *Cic. Manil.* 6. In vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem: nam cum hostium copiae non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit: ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest; et *ib.* Vectigalia pensitare; et *ib.* exercere atque exigere; et *Agr.* 2, 21. locare; et *ib.* agro imponere; et *ib.* 3. *f.* Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam. *Claud. Laud. Stil.* 2, 200. et patrium vectigal solvere gaudet; et *II. cons. ejusd.* 98. Retulit ignotum gelidis vectigal ab oris. *Cic. Brut.* 36. Levare agrum vectigali. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. Liberare Asiam vectigali iniquo et gravi. *Suet. Aug.* 49. Aerarium militare cum vectigalibus novis instituit. *Plin. Pan.* 41. Vectigalia temperare; et *ib.* 37. nova instituere. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 11, 10. augere. *Liv.* 29, 37. Vectigal novum statuere; et *ib.* comminisci. *Hirt. B. Afr.* 97. Vectigalibus regiis abrogatis, ex regno provincia

facta. *Sall. or. Philippi contra Lepid. med.* Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus sustentamur, *h. e.* agrorum, ex quibus vectigalia percipimus. *Suet. Aug.* 101. (et *Cal.* 16. *med.*) Quantum pecuniae in aerario, et fiscis, et vectigaliorum residuis esset. *Vectigaliorum* dixerunt etiam *Cic. ad Att.* et *de leg. Agrar.* et *Varr. in fragm.* et *Asin. Pollio*, teste *Charis.* 1, 46. et 119.: contra *vectigalium* habent *Messala*, *P. Rutil.* et *Scaurus l.* 3., teste *eod. ib.*, item *Tac. A.* 13, 50. ℙ *Vectigalia* sunt etiam reditus privatorum, quatenus a colono penditur agri domino. *Cic. Off.* 2, 25. Vectigalia urbana rusticis anteponantur. *Id. Par.* 6, 3. Ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam retundabit. *Hor. Od.* 3, 16, 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam. Adde *Colum. praef. med.* et *Plin.* 9, 54, 79. et 26, 3, 8. ℙ Vectigal est etiam illud, quod Itali *livello perpetuo* dicunt. *Plin. ep.* 7, 18. Pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis actori publico mancipavi: eundem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus, *h. e.* pro quingentis millib. sestertiorum triginta millia daturus, scilicet usuras semisses soluturus. ℙ Translate. *Claud. ep. ad Ser.* 17. Nulla avium pecudumque fuit, quae ferre negaret Vectigal meritae connubiale lyrae. ℙ Parsimonia est magnum vectigal: *γνώμη*. *Cic. Par.* 6, 3.

VECTĪGĀLIĀRĬUS, ii, m. qui vectigalia exigit. *Firm. Math.* 3, 13. *in.* Publicani, aut vectigaliarii.

VECTĪGĀLIS, e, adj. *ὑποτελής*, qui vectigal pendit: cui *immunis* opponitur. Sic provinciae, civitates, agri, et homines, qui vectigalia persolvunt, *vectigales* dicuntur. *Caes. B. G.* 4, 3. *f.* Hos tamen vectigales sibi fecerunt. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. *med.* Vectigalis civitas; et *ib.* 43. *f.* Agri vectigales. *Liv.* 21, 41. Annibal vectigalis, stipendiariusque, et servus populi R. a patre relictus. ℙ Sumitur etiam pro eo, quod ex vectigalibus colligitur. Sic *pecunia vectigalis*, quae ex vectigalibus, quae publicani exercebant, exigebatur. *Cic. Verr.* 2, 1, 35. Decem enim naves jussu L. Murenae populus Milesius ex pecunia vectigali populi Rom. fecerat. *Just.* 13, 1. Annuum tributum vectigale. ℙ Item pro eo, quod domino suo pecuniam meret, seu acquirit. *Cic. Phil.* 2, 25. Tum existimavit se suo jure cum Hippia vivere, et equos vectigales Sergio mimo tradere, *h. e.* ex quibus quaestum faceret, ait *Manut.*, nam alii aliter explicant. *Colum.* 1. *praef.* Ex mercenariis aliquem, jam recusantem quotidianum illud tributum, qui vectigalis esse non possit. *Appul. Apol.* Ita ei lecti sui contumelia vectigalis est. ℙ Vectigales etiam dicuntur, qui stipem praebent in funeris sumptus, quod alibi *funeraticium* appellatur, vectigal scilicet Libitinariorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 430, 7. Liguriae Q. Fil. Frontinae Q. Hortensii Catulli, huic ordo Narbonensis publice funus, omnes vectigales decrevit.

VECTĬO, onis, f. *ὄχησις*, actus vehendi. *Cic. N. D.* 2, 60. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones: quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem, *h. e.* usus jumentorum in portandis, vel trahendis oneribus.

VECTIS, is, m. *μοχλός*, palus e ferro vel ligno, grandior, rusticis, fabris caementariis et aliis necessarius ad onera promovenda, et alia multa facienda, cujusmodi sunt fustes illi, qui navibus subjiciuntur, cum deducuntur ad pelagus, vel cum ad litora subducuntur. *Caes. B. C.* 2, 11. Saxa, quam maxime possunt, vectibus promovent, praecipitataque muro in musculum devolvunt. ℙ Dicitur quoque in torculari de baculis validis per mediam machinam trajectis, quibus manu ductis machina dum versatur, funem ductarium advolvit. Hinc *vectiarii*. *Vitruv.* 6, 9. *med.* Ipsum autem torcular, si non cochleis torquetur, sed vectibus, et prelo premitur. ℙ Rursus *vectes* sunt instrumenta accommodata ad aliquid subvertendum, evertendum, effringendum. *Hor. Od.* 3, 26, 6. Hic hic ponite lucida Funalia, et vectes, et arcus Oppositis foribus minaces. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *med.* Demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. *Ter. Eun.* 4, 7, 4. In medium huc agmen cum vecti, Donax. *Ov. Met.* 12, 452. Vecte Pelethronium Macareus in pectus adacto Stravit. ℙ Praeterea est instrumentum ex ferro, aliave materia, quo ostium clausum adversus vim munitur. *Virg. A.* 7, 609. Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri Robora. Hujusmodi vectem invenit Cynira Agriopae filius, teste *Plin.* 7, 56, 57. ℙ Denique est etiam lignum, seu fustis teres, quo bajuli onera ferunt. *Claud. IV. cons. Hon.* 571. sic numina Memphis In vulgus proferre solet; penetralibus exit Effigies, brevis illa quidem, sed plurimus infra Liniger imposito suspirat vecte sacerdos, Testatus sudore Deum. Loquitur *Claud.* de more Aegyptiorum, qui Deorum suorum effigies solemni circumferebant. *ℙ *Vectis*, *is*, *f.* insula freti Britannici, quae hodie appellatur *the isle of Wight*. V. *Vecta*. *B. A.*

VECTĬTĀTUS, a, um, part. a *vectito*, vectus. *Arnob.* 5, 183. Emicuit Summanus e terris curru quadrijugo victitatus.

VECTĬTO, as, a. 1. frequent. a *veho*, et *vecto*. Agnoscitur a *Gell.* 9, 6. et a *Flavio Capro de Orthogr.* p. 2216.

*VECTĬUS VALENS, medicus, vixit temporibus Claudii Caesaris. *Tac. A.* 11, 30, 31 et 36. *Plin.* 29, 1. ℙ Vectius vel Vettius Bolanus. V. *Bolanus*. *B. A.*

VECTO, as, a. 1. *ὀχέω*, frequent. a *veho*. *Gell.* 16, 19. Delphinum dorso super fluctus edito vectavisse Arionem. *Hor. Epod.* 17, 71. Vectabor humeris tunc ego inimicis eques. *Cels.* 3, 22. Nave vectari. [*Front. ad M. Caes.* 5. (ed. *A. Maio*) *ep.* 40. vehiculo. *F.*] *Virg. A.* 6, 391. Corpora viva nefas Stygia vectare carina. *Id. ib.* 11, 138. plaustris vectare gementibus ornos. *Ov. Met.* 8, 373. nive candidioribus ambo Vectabantur equis. *Coripp. Johann.* 5, 385. deducere puppes Vectantes alimenta suis.

VECTONES, *seu* Vettones, m. plur. populi Lusitaniae, inter Durium et Tagum. *Lucan.* 4, 9. Vectonesque leves profugique a gente vetusta, etc. Adde *Sil.* 3, 378., *Caes. B. C.* 1, 38., *Liv.* 35, 22. *f.* et *Plin.* 3, 3, 4. quibus locis alii scrib. *Vettones*, et Graece *Οὐέττωνες*, aut *Οὐέττονες*.

VECTOR, oris, m. qui vehit. *Sen. Tranq.* 5. Debet semper plus esse virium in vectore, quam in onere. *Ov. Fast.* 1, 433. Ecce rudens rauco Sileni vector asellus Intempestivos edidit ore sonos. *Sen. Herc. Oet.* 1907. Atlas stelligeri vector Olympi. *Id. ib.* 553. vector puellae taurus. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 60. Ipse equu' non formosu', gradarius, optimu' vector. ℙ Frequenter passive accipitur pro eo, qui in aliena navi, vel equo, vel plaustro vehitur pretio, *ἐπιβάτης*. *Cic. Phil.* 7, 9. Et summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent. *Ov. Her.* 18, 148. Idem navigium, navita, vector ero. *Virg. Ecl.* 4, 38. Cedet et ipse mari vector. *Petr. Sat.* 107. Omnis vector nihil prius quaerit, quam cujus se diligentiae credat. Adde *ib.* 108., *Lucan.* 5, 580. et *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. *extr.* et 3. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 9. *f.* Male vehi malo alio gubernante, quam tam ingratis vectoribus bene gubernare. ℙ De equite, *ἱππεύς*. *Ov. A. Am.* 3, 555. Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas, Comparibus frenis, artificemque regit. (In MSS. *vector* et *rector* facile commutantur.) *Propert.* 4, 7, 84. carmen breve, quod currens vector ab Urbe legat. ℙ Sensu obsceno de adultero. *Macrob. Sat.* 2, 5. *Julia femina impudica loquitur:* Nunquam, nisi navi plena, tollo vectorem, *h. e.* nisi a marito conceperim, adulterum non admitto.

VECTORĬUS, a, um, adj. ut Vectoria navis, ap. *Caes. B. G.* 5, 8. et *Suet. Caes.* 63.

VECTRIX, icis, f. quae vehit. *Paul. Nol. ep.* (*al.* 36.) *n.* 8. *extr.* Vectricem draconis Epidaurio navem venerantur. *Vet. ep.* in *Auth. Lat. T.* 1. p. 628. *Burm.* Vectricis (*equae*) propriae furens in usus, Fessae cornipedis fricas meatum.

VECTŪRA, ae, f. *ἀγωγή*, *φορά*, vectio. *Varr. R. R.* 2, 7. *f.* de equis: Quod alii sunt idonei ad rem militarem, alii ad vecturam, alii ad admissuram, etc. V. alium *ejusd.* locum in VEHELA. *Cic. Att.* 1, 3. Misimus, qui pro vectura solveret. *Caes. B. C.* 3, 32. Remiges, arma, tormenta, vecturae imperabantur; et *ib.* 42. Vecturas frumenti finitimis civitatibus descripsit. ℙ *Facere vecturam*, est vehendo parare sibi lucrum. *Quint. decl.* 12, 18. *f.* Classis nostra vecturam facit, et vicinarum civitatum copias reconducit. *Gell.* 5, 3. Protagoram ajunt victus quaerendi gratia vecturas onerum corpore suo factitavisse: quod genus Graeci *βαστάζοντας* vocant, Latine bajulos appellamus. ℙ Sumitur etiam pro mercede, quae pro vectura solvitur. *Pl. Most.* 3, 2, 136. Tres minas pro istis praeter vecturam dedi. Adde *Sen. Ben.* 6, 15. *f.* V. *Inscr.* in SOLAMEN.

VECTŪRĀRĬUS, ii, m. qui vecturam facit, et Vecturarius, a, um, adj. ad vecturam pertinens. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 14, 6, 1. Coctoribus calcis per ternas vehes singulae amphorae vini praebeantur: vecturariis vero amphora per bina millia et nongenta pondo calcis, *h. e.* iis qui agunt jumenta vehentia; et *mox:* Vecturarios etiam ex quatuor regionibus trecentos boves praecipimus dari, *h. e.* trahendis carris.

*VECTURIŌNES, onum, populi Britanniae, Pictorum pars. *Ammian.* 27, 8. (al. 18.) *B. A.*

VECTUS, a, um, part. a *veho*: *ὀχούμενος*, portatus, advectus: praesertim navi, equo, aut curru. *Nep. Chabr.* 4. Maluit perire, quam navem relinquere, in qua fuerat vectus. *Pl. Stich.* 4, 1, 25. Mare, quo estis vecti. *Id. Rud.* 1, 5, 11. Equo ligneo per vias caeruleas estis vectae. *Ov. Met.* 1, 319. rate parva vectus. *Virg. A.* 1, 528. Troes miseri maria omnia vecti. *Id. ib.* 7, 65. apes liquidum trans aethera vectae; et *ib.* 124. ignota ad litora vectus. *Ov. Met.* 5, 360. (et *Vell.* 2, 82. *extr.*) Vectus curru. *Id. Fast.* 6, 724. Vectus es in niveis, Postume, victor equis, *h. e.* triumphans. *Quint.* 10, 7. Navis lenibus ventis vecta.

[VĔDĬANTĬUS, a, um, adj. ad Vediantios pertinens, Liguriae populos, a *Ptolem.* 3, 1. et a *Plin.* 3, 5, 7. memoratos. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 620. *n.* 168. Matronis Vediantiabus P. Enistalius P. F. Cl. Paternus Cemenelensis L. M. *F.*]

[VĔDĬJOVIS, et Vediovis, is, m. V. VEJOVIS, et *F.*]

VĔDĬUS, ii, m. Pluto, quasi nocens Deus, ut *Vedijovis* et *Vejovis* nocens Dijovis. *Capell.* 2, 40. Vedius, id est Pluton, quem etiam Ditem, Vejovemque dixere. V. VEJOVIS. *ℙ *Vedius Pollio*, ob saevitiam in servos castigatus ab Augusto. *Plin.* 9, 23 et 53. *Senec. de ira.* T. 3. c. 40. et *de clement.* 1, 18. ℙ Humani aliquid passus est *Ernestus*, dum provocat ad *Cic. Att. ep.* 6, 1. quasi ibi mentio facta sit de P. Vedio, Pompeii familiari, homine nequissimo. *B. A.*

[VĔFLĀMEN, inis, m. sunt qui perperam interpretantur *flaminalis*, qui nempe functus est flaminio, ad ejus differentiam, qui dicitur *flamen perpetuus*: sed hujusmodi vox, ejusque interpretatio debetur notis male intellectis; etenim in *Inscr.* ap. *Grut.* 347, 1., quam ipsemet paucis abhinc annis Fulginii vidi, non *Praeff. Legg. VII. Clau. et primae adjutricis V. E. flamini*, etc., sed *V. F. flamini* legitur, *h. e.* valentis, fidelis: in aliis apud *eund.* 364, 1. et 498, 8. VEFLAMEN, ita distinguendum est *V. E. Flamen*, interpretandum autem *Vir Egregius*, *Flamen*. *F.*]

VĔGĔO, es, a. 2. excito, commoveo, impello. *Enn.* ap. *Non.* 2, 876. Aequora salsa veges ingentibu' ventis. *Id.* ap. *Fest.* in *Metonymia*. Cum magno strepitu Volcanum ventu' vegebat. Ita leg. *Scal.*, alii aliter. *Lucr.* 5, 1297. Et moderarier hunc *(equum)* frenis, dextraque vegere. *Pomp.* ap. *Non. ib.* Animos Venus veget voluptatibus. *Sen. Tranq.* 15. *f.* Vinum liberat servitio curarum animum, et asserit, vegetque, et audaciorem in omnes conatus facit. Alii rectius pro *vegetque* leg. *vegetatque*. ℙ Neutrorum more. *Varr.* ap. *Non.* 2, 876. Nec natus est, nec morietur: viget, veget utpote plurimum: *viget*, vires habet: *veget*, excitatur, agilis, promptus, alacris est.

VĔGĔTĀBĬLIS, e, adj. *ζωτικός*, qui vegetare potest. *Ammian.* 22, 8. *med.* Rha amnis, in cujus superciliis quaedam vegetabilis ejusdem nominis gignitur radix, etc. *Capell.* 6, 223. India salubris Favonii vegetabilibus flabris fecunda aestate annis singulis vegetatur, bisque frugem metit.

VĔGĔTĀMEN, inis. n. vegetandi vis, vegetatio. *Prud. Hamart.* 75. Sunt tria nempe simul, lux, et calor, et vegetamen, et *ib.* 299. nostrae vegetamina vitae.

VĔGĔTĀTĬO, onis, f. actus vegetandi. *Appul. Met.* 1. *in.* Ut ipse fatigationem sedentariam incessus vegetatione discuterem, in pedes desilio, *h. e.* equitationis fatigationem pedum motu tollerem.

VĔGĔTĀTOR, oris, m. qui vegetat. *Auson. Ephem. in or.* 16. Irrequies, cuncta ipse movens, vegetator inertum.

VĔGĔTĀTUS, a, um, part. a *vegeto:* vegetando auctus. *Auson. Ecl. de rat. puerp. mat.* 23. Vegetatus infans. *Prud. Cath.* 10, 7. Tibi dum vegetata cohaerent, Spiritus simul et caro vivit.

VĔGĔTĬUS, ii, m. Flavius Vegetius Renatus scripsit *de re Militari libros quatuor*, ex Catone, Celso, Paterno, Frontino, Varrone, et constitutionibus Augusti, Trajani, et Hadriani. Quare multa in his sunt Latine dicta, et veteri probatoque stilo explicata: sed multa itidem, quae aetatem referunt, qua scripta sunt, nempe post exactum dimidium saeculum IV. Christi. Inscripsit enim hos libros ad Valentianum II. Imp., qui Gratiani frater fuit. ℙ Alius ab hoc est *Vegetius*, qui *de re Veterinaria* scripsit: alius inquam tum aetate, quia multo junior; tum stilo, quia longe corruptior, et vocibus scatens bene multis non cadentis modo, sed et jam lapsae Latinitatis.

VĔGĔTO, as, a. 1. *αὐξάνω*, crescere facio, excito, roboro. *Gell.* 17, 2. Cum librum veteris scriptoris legebamus, conabamur postea, memoriae vegetandae gratia, indipisci animo ac recensere, quae in eo scripta essent. *Appul. Met. in.* 11. Non tantum pecuina et ferina, verum inanima etiam lunae lumine vegetari. *Id.* de Mundo: Spiritus, qui animalia omnia vitali et fecunda ope vegetat. *Id. de Deo Socrat.* Si pugilari valde velis, brachia vegetanda sunt, quibus pugilatur. *Eum. Restaur. schol.* 9. Ut ingenia, quae canendis eorum virtutibus excoluntur, non intra privatos parietes, sed in publica ostentatione vegetentur. *Prud. Hamart.* 448. anima structum vegetaverat Adam. *Auson. ep.* 25, 64. Gaudia non illum vegetent, *h. e.* non recreent. *Tert. Scorp.* 1. Et bellicam machinam retractu tela vegetantem, de scorpio nominant, *h. e.* telorum cursum atque impetum adjuvantem, ut altius feriant, quam si manu jacerentur.

VĔGĔTUS, a, um, adj. *εὔξους*, *εὔῤῥωστος*, *εὐκίνητος*, incolumis, vividus, agilis, et ad obeundas actiones idoneus: a *vegeo*. Proprie dicitur de corpore. *Cic. Att.* 10, 16. *f.* Tu, quoniam quartana cares, et non modo morbum removisti, sed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Graecia siste, et litterarum aliquid interea. *Liv.* 22, 47. *extr.* Fessi cum recentibus ac vegetis pugnabant. *Hor. Sat.* 2, 2, 80. ubi curata sopori Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit. *Suet. Caes.* 45. Nigris ve-

getisque oculis, valetudine prospera. *Colum.* 6, 20. Torva facies tauro, vegetior aspectus. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Hoc intervallum temporis vegetissimum agricolis, maximeque operosum est, *h. e.* quod veluti vegetos, et actuosos facit multitudine rerum agendarum. ℙ Translate etiam de animo usurpatur, pro vivo, acri, integro. *Cic. Tusc.* 1, 17. *f.* Nec tam vegeta mens aut in corde cerebrove, aut in Empedocleo sanguine demersa jacet. *Id. Div.* 1, 29. *f.* Ut illa tertia pars rationis et mentis luceat, et se vegetam ad somniandum, acremque praebeat. *Liv.* 6, 22. *med.* Sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus. ℙ De coloribus. *Plin.* 21, 8. Color conchyliorum vegetissimus. ℙ Vegetus gustus, ap. *Auson. Ephem. de ord. coqu.* 3. ℙ Vegeta libertas, ap. *Sen. Hipp.* 459. Ingenia melius recta se in laudes ferunt, Si nobilem animum vegeta libertas alit.

*VEGĪUM, i, n. oppidum Liburniae. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

VEGRANDIS, e, adj. *δυσαύξητος*, qui male crevit, parvus, minutus, gracilis: a *ve* particula minuente. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* de ovibus: Quae postea concipiunt, fiunt vegrandes et imbecillae. *Ov. Fast.* 3, 445. vegrandia farra coloni, Quae male creverunt, vescaque parva vocant. *Festus:* Vegrande significari ajunt male grande, ut vecors, vesanus, mali cordis, maleque sanus. Alii parvum, sive minutum intelligunt, ut cum dicimus vegrande frumentum. Plautus in Clitellaria: qui nisi iteres, (al. qui nisi sic biteris) nimium is vegrandi gradu. *Auson. ep.* 22, 13. Hic saepe falsus messibus vegrandibus, Nomen perosus villici. ℙ *Gell.* 5, 12. particulam *ve* etiam augendi vim habere docet: unde *Non.* 2, 884. valde grande interpretatur in illo *Lucilii:* Non idcirco extollitur, nec vitae vegrandi datur. Sed plerique alii leg. cum ipso *Nonio* melioribus fortasse codicibus uso, 4, 167. Non idcirco extollitur vel irae, vel gaudii dator. Addunt alii illud *Persii* 1, 97. Ut ramale vetus vegrandi subere coctum. Sed plerique alii *praegrandi.* ℙ Scribitur et *vaegrandis,* ut in *ve* dictum est.

VĒHĀ, ae, f. idem ac via, a vehendo. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Rustici etiam nunc quoque viam veham appellant, propter vecturas; et vellam, non villam, quo vehunt, et unde vehunt. Alii scrib. *veam* ℙ Videtur etiam idem esse quod *vehela,* ap. *eund. L. L.* 4, 31. Brevis veha vehiculum dictum.

VĒHĀTĬO, onis, f. actus vehendi, vectura. *Impp. Valentinian. et Valens Cod. Theod.* 14, 6, 3. Hujus vehationis ita sit ratio partita, ut mille quingenta onera annua deputentur.

VĒHĔLĀ, *et per syncop.* Vela, ae, f. vectabulum, vehiculum. *Capitol. Maximin.* 13. *med.* Alios Scythicis vehelis exhiberet, alios in custodia detineret. Alii leg. *siccis vehiculis:* h. e. *nudis,* ut *Salmas.* docet. *Fest.* Vela apud Oscos dicebatur plaustrum: unde velarii, stipites in plaustro: et vectura, velatura. (Alii leg. *veja, vejarii, veitura:* aut *vehia, vehiarii, vehitura.*) *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Dicuntur qui vecturis vivunt, velaturam (al. vellaturam) facere. (Adde *L. L.* 4, 7. *extr.*) *Plutarch.* in *Romul.* 5. *Τὴν δὲ πορθμίδαν βηλατούραν καλοῦσιν.* V. VELABRUM.

VĒHĔMENS, entis, adj. *δεινὸς, σφοδρὸς,* magnus, gravis, acer: a *ve* intensiva particula, et *mens,* inserta aspiratione, ut sonus sit firmior et vegetior. *Gell.* 16, 5. Vetus et vehemens, alterum ab aetatis magnitudine compositum elisumque est: alterum a mentis vi atque impetu dicitur. Descripsit haec more suo *Macrob. Sat.* 6, 8. *med.*, quae si vera sunt, *vehemens* proprie de personis dicetur, in quibus est mens; inde autem de rebus. De his *Cato R. R.* 157. Brassica, quae lenis vocatur, tenui succo vehementissima. Sic *Scrib. Comp.* 70. Medicamentum efficacius et vehementius. *Lucr.* 3, 483. vehemens violentia vini Conturbare animam consuevit. *Id.* 6, 516. Vehemens imber; et *ib.* 310. ictus. *Auct. B. Hisp.* 3. ventus; et *ib.* 31. clamor. *Hirt. B. G.* 8, 48. fuga. *Pl. Rud. prol.* 70. Arcturus signum sum omnium acerrimus: vehemens sum exoriens; cum occido, vehementior. *Plin.* 18, 31, 74. Arcturus oritur pridie Id. Septembr. vehementissimo significatu per dies quinque. *Liv.* 9, 19. Pilum haud paulo, quam hasta, vehementius ictu missuque telum. *Colum.* 4, 16. Vitis vehementioribus statuminibus impedanda est, *h. e.* validioribus. *Suet. Aug.* 80. Assiduo et vehementi strigilis usu. *Plin.* 24, 9, 38. Vehementior capitis dolor. *Id.* 20, 22, 87. Vehementior somnus lethargicos premit. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 9. Vehementior frigorum, aut calorum vis; et 36, 23, 52. Cisternas arenae purae quinque partibus, calcis quam vehementissimae duabus construere. ℙ *Vehemens vitis* est quae luxuriat, et multos ramos citat. *Colum.* 3, 1. Agricola pingui dabit agro gracilem vitem, macro feracem, terrae densae vehementem, multaque materia frondentem. ℙ De personis. *Ter. Heaut.* 3, 1, 31. Vehemens in utramque partem es nimis, aut largitate nimia, aut parsimonia. *Cic. Brut.* 22. *f.* Galbam non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. *Id. Or.* 2, 43. Inflammare animum judicis acri et vehementi incitatione; et *ib.* 49. Tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci illud alterum lenitatis et mansuetudinis coepi; et *ib.* 78. Exordium dicendi vehemens et pugnax. ℙ Est etiam acer, ferox, acerbus, severus, *δεινός,* cui opponitur mitis, lenis. *Cic. Vat.* 2. Nimium es vehemens, feroxque natura. *Id. Cat.* 4, 6. Severum vehementemque se praebere in aliquem. *Id. Sull.* 31. Qui vehemens in alios, qui inexorabilis esse visus sum. *Id. Verr.* 2, 5, 40. Poterone in eos esse vehemens, qui naves inanes habuerunt; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam navem, etc? *Id. Caecin.* 10. Ita vehemens acerque venit, ut etiam mihi videretur irasci. ℙ De aliis rebus. *Ter. Andr.* 1, 1, 122. Ne haec quidem satis vehemens causa ad objurgandum; et *Adelph. prol.* 17. Vehemens maledictum. *Hor. Ep.* 1, 13, 4. Ne studio nostri pecces, odiumque libellis Sedulus importes opera vehemente minister. ℙ Item iratus, furens ira, incensus, incitatus. *Id. ib.* 2, 2, 28. vehemens lupus, et sibi et hosti Iratus pariter, jejunis dentibus acer. *Phaedr.* 2, 3. Laceratus quidam morsu vehementis canis. ℙ Poetae synaeresi contrahunt, aut *he* exterunt. *Lucr.* 3, 153. Verum ubi vementi magis est commota metu mens. *Hor. Ep.* 2, 2, 120. Vemens, et liquidus, puroque simillimus amni. Simile est *prehendo, prendo.* V. NIHILUM.

VĒHĔMENTER, adv. *ἄγαν, σφόδρα, δεινῶς,* acriter, valde, impense, multa vi. *Cic. Phil.* 8, 5. *med.* Vehementer me agere fateor, iracunde nego. *Caes. B. G.* 7, 84. *f.* Vehementius perturbare mentes hominum. *Id. B. C.* 2, 41. Vehementius incitare equos; et *ib.* 3, 17. Instare de induciis, vehementissimeque contendere. *Hirt. B. G.* 8, 36. *f.* Vehementissime proeliari. *Cic. Or.* 1, 33. *med.* se exercere in aliqua re. *Id. Tusc.* 4, 23. Nisi forte quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. *Id. ad Cupienn. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Haec res vehementer ad me pertinet. *Sall. Cat.* 42. Vehementer simulare aliquid. *Id. Jug.* 4. Vehementissime animum ad virtutem accendi. *Licin. Calv.* ap. *Charis.* 2, 198. probare, *h. e.* fortissime, vere, *Charis.* inquit. [*M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* 2. (ed. *A. Maio*) *ep.* 8. Nos istic vehementer aestuamus. Habes et hendecasyllabum ingenuum. *F.*] ℙ Item severe, acerbe, aspere. *Caes. B. G.* 1, 40. Vehementer incusare aliquem. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. *f.* Vehementius minari alicui. *Id. Att.* 10, 7. *med.* Quintum puerum accepi vehementer; et *Petr. Sat.* 85. Tam vehementer excandui, ut etc.

VĒHĔMENTESCO, is, n. 3. vehemens fio. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 2. Vehementescit haec passio hieme; et *ib.* 4, 6. *f.* Cum viderint, fluorem vehementescere.

VĒHĔMENTĬA, ae, f. *σφοδρότης, δεινότης,* gravitas, acritudo. *Plin.* 13, 8, 16. Vehementia odoris. *Id.* 19, 5, 27. saporis. *Id.* 23, 1, 21. vini; et 23. *proocm. med.* omphacii mitigatur melle. *Id.* 28, 4, 14. linteorum, strigilumque, *h. e.* vehemens usus. *Id.* 23, 1, 24. venarum, *h. e.* vehemens et incitatus pulsus. ℙ Translate. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 10. Pollio Asinius fuit acris vehementiae. *Gell.* 1, 11. *med.* Vehementia Gracchi.

VĒHENS, entis, part. a *veho: βαστάζων, ὀχέων,* qui vehit. *Plin.* 32, 4, 14. *extr.* Tardius ire navigia testudinis pedem dextrum vehentia. *Gell.* 16, 19. *extr.* Delphinus vehens, et homo insidens. *Id.* 20, 1. *med.* Jumentum tergo vehens. ℙ *Vehens* absolute, vehens se, vectus curru, navi, aut equo. *Quadrig.* ap. *Gell.* 2, 2. *f.* Consuli proconsul obviam in equo vehens venit. *Cic. Brut.* 97. Quadrigis vehens.

VĒHES, et Vehis, is, f. *ὄχημα,* plaustrum, et certa rei mensura, quae una vectura plaustro vehitur. *Colum.* 11, 2. *med.* Satis erit in singula jugera veh̄es stercoris comparare decem et octo: vehes autem stercoris habet modios octoginta. *Plin.* 18, 23, 53. Justum est, singulas veh̄es fimi denario ire in singulas pecudes minores, in majores denas. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 3. de cloacis: Amplitudinem cavis eam fecisse proditur, ut vehem foeni large onustam transmitteret. *Id.* 2, 58, 59. Qui lapis etiam nunc ostenditur, magnitudine vehis, *h. e.* ea magnitudine, quae plaustro onerando satis est. *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 14, 6, 3. Nongentarum vehum sarcina. ℙ A similitudine, ut *veh̄es fimi,* est quantum una vectura plaustro vehitur; ita *veh̄es materiae,* est quantum una opera ab uno dolari potest. *Colum.* 11, 2. *med.* Materies si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum XX. haec erit veh̄is una. Pinus autem XXV. pedum ab uno expeditur: quae et ipsa veh̄is dicitur; nec minus ulmus et fraxinus pedum XXX. cupressus pedum XL. tum etiam LX. pedum, abies atque populus singulis operis ad unguem quadrantur; atque omnes hae mensurae similiter veh̄es appellantur. Haec *Colum.*

VĒHĬA, Vehiarii, Vehitura. V. VEHELA.

VĒHĬCŪLĀRĬS, e, adj. vehicularius. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. Cursus vehicularis sollicitudo personale munus est. V. v. sq.

VĒHĬCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad vehiculum pertinens. *Capitol. Max. et Balb.* 5. Vehicularius fabricator, *h. e.* qui vehicula facit. ℙ *Vehicularius cursus* institutus est ab Augusto, ut *Suet. Aug.* 49. testatur. Is enim, quo celerius scire posset, quid in quaque provincia gereretur, juvenes primo modicis intervallis per vias militares dehinc vehicula disposuit, quibus nuntiis vecti, et subinde ea mutantes brevissimo tempore magna itinerum spatia conficiebant. Atque horum vehiculorum expensae solvebantur fere a provincialibus pro rata parte. Aliquando tamen ex quorundam principum liberalitate ii sumptus suppeditabantur ex fisco. *Capitol. Anton.* 12. Vehicularium cursum summa diligentia sublevavit. (V. VEHICULUM.) *Ammian.* 14, 11. Acceptis litteris, et copia rei vehiculariae data. ℙ *Vehicularius* absolute, qui vehiculis praeest. V. VEHICULUM.

VĒHĬCŪLĀTĬO, onis, f. cura, et munus vehicularii cursus, *h. e.* onus, quod habebant provinciae alendi jumenta, et publici per vehicula cursus conservandi. *Nummus Nervae* ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 408. Vehiculatione Italiae remissa. V. v. praec.

VĒHĬCŪLUM, i, n. *ἅρμα, ὄχημα,* plaustrum, vel currus ad vehendum aptus. Est autem nomen generale, sub quo continentur omnia instrumenta, quibus aliquid vehitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solemnes coetus ludorum initis. *Id. ib.* 23. Illi tibi furtorum vehiculum comparaverunt: ubi *Cic.* navem intelligit, ad aves henda Romam ex Sicilia furta Verris, a Mamertinis paratam. ℙ Praecipue tamen sic appellatur currus ad iter faciendum aptus. *Suet. Cal.* 39. Comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis. *Cic. Pis.* 25. *f.* Triumphalia vehicula, *h. e.* quibus triumphantes per Urbem vehebantur. *Id. Att.* 10, 10. *f.* Ego vero vehiculo, si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio. Alii rectius leg. *vel lintriculo:* nam Ciceroni non terra, sed mari eundum erat, si vellet evadere. *Liv.* 34, 1. Juncto vehiculo vehi, *h. e.* a jumentis tracto. *Pl. Aul.* 3, 5, 28. Mihi aequum est dari vehicula, qui vehar. *Tac. A.* 12, 47. *med.* Contecto vehiculo abdere aliquem. *Id. H.* 2, 41. Mixta vehicula, et lixae; et *Plin. Pan.* 20. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, *h. e.* quae provinciae praebere debebant imperatori in expeditionem proficiscenti. ℙ Notus fuit Romanis usus vehiculorum, qua Itali voce Graecanica *odometri, ὁδόμετρα,* appellant. *Capitol. Pert.* 8. Nec non vehicula arte fabricae nova iter metientia, horasque monstrantia. *Vitruv.* 10, 14. eorum construendorum rationem fuse persequitur. ℙ A *vehiculis* servus, et *a commentariis vehiculorum,* in domo Augusta fuit curam gerens vehiculorum, quae familiae Augustae in sarcinis vehendis inserviebant. *Inscr.* ap. *Grut.* 592, 4. M. Ulpius Aug. Lib. Crescens ab vehiculis, et M. Ulpius Aug. Lib. Saturninus filius a commentariis vehiculorum, et Cocceja Fortunata fecerunt fratri pientissimo. In alia ap. *Don. cl.* 7. *n.* 109. eod. sensu habetur: P. Titilienus P. L. Charippus M. Antoni vehicularius. ℙ *Vehiculum* etiam dictum fuit instrumentum metendis spicis aptum, quod pluribus verbis describit *Pall.* 7, 2., quodque paucis *Plin.* 18, 30, 72., idemque *vallum* appellat.

VĒHĬS. V. VEHES.

VĒHO, is, xi, ctum, a. 3. *βαστάζω, ὀχέω,* fero, gesto corpore, curru, navi, equo. *Pl. Most.* 3, 2, 94. Habeo homines clitellarios: magni sunt oneris: quidquid imponas, vehunt. *Hor. Sat.* 1, 1, 48. Reticulum panis onusto humero vehere. *Sen. Ben.* 3, 37. Siculi juvenes vexerunt parentes suos; (V. ANAPIS) et *Ter. Phorm.* 4, 1, 9. Venisse eas salvas, audivi ex nauta, qui illas vexerat. *Cic. N. D.* 1, 28. Ille taurus, qui vexit Europam, *Tibull.* 1, 11, 51. Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse, Uxorem plaustro progeniemque domum. *Id.* 2, 5, 40. Troia qui profugis sacra vehis ratibus. *Ov. Trist.* 2, 385. Tantalides, agitante Cupidine currus, Pisaeam Phrygiis vexit eburnus equis. *Id. A. Am.* 1, 94. de formica: Granifero solitum cum vehit ore cibum. *Val. Flacc.* 3, 54. Aura vehit, *h. e.* ventus secundus fert navem. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 141. accingere nostram Vecturus dominam. ℙ Etiam flumina *vehere* dicuntur. *Tibull.* 1, 4, 60. Dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas. *Ov. Met.* 2, 251. Tagus amne suo vehit aurum. Adde *Curt.* 5, 2. ℙ Frequenter passive usurpatur; atque hac ratione inest in eo vis quaedam alieni arbitrii, inquit *Macrob. Sat.* 6, 7., non enim sui potens est, qui vehitur. *Cic. Div.* 2, 70. Visus est in somnis curru quadrigarum vehi; et *ib.* 68. Equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus. *Id. Phil.* 2, 24. Vehebatur in essedo tribunus plebis. *Id. N. D.* 2, 37. *med.* Vehi in navi. *Propert.* 3, 3, 36. Nudus ab inferna, stulte, vehere rate. *Tibull.* 4, 1, 209. per liquidum volueri vehar aera penna. *Varr. L. L.* 4, 32. *f.* Vehi lintribus. *Ov. Met.* 2, 13. Nympha vehitur pisce. *Id. Her.* 16, 113. Vehi puppe. *Id. Met.* 15, 149. nube. *Nep. Dat.* 4. *f.* equo concitato ad hostem. *Cic. Pis.* 25. *med.* Captare plausus, vehi per urbem, conspici velle, *h. e.* curru vehi. V. alia in VECTUS. ℙ *Vehi,* ferri, pro-

gredi, procedere. *Cic. Univ.* 13. Ut animal sex motibus veheretur, ante, et pone, ad laevam, ad dexteram, etc. ℙ *Vehens* pro *vectus* V. supra suo loco. ℙ *Vehere*, trahere. *Hor. Od.* 3, 3, 13. te, Bacche, tuae Vexere tigres, indocili jugum Collo trahentes. *Curt.* 3, 3. Currum Jovi sacratum albentes vehebant equi. Adde 8, 9. et *Festus:* Vehere, portare, vel trahere. ℙ Translate. *Hor. Od.* 3, 24, 47. non tamen irritum efficiet, Quod fugiens semel hora vexit, *h. e.* attulit, adduxit. *Plin. ep.* 4, 27. Me ipsum laudibus vexit. Alii leg. *evexit. Claud. B. Get.* 11. ardua Tiphyn Navis ob innocuae meritum sic gloria vexit.

VEJA etc. V. VEHELA.

*VEIA, ae, f. venefica mulier, cujus meminit *Hor. Ep.* 5, 29. *B. A.*

*VEIANĬUS, i, m. nomen Romanum. Veianium, insignem gladiatorem, meminit *Hor. ep.* 1, 1, 4. Veianii fratres, duo milites ap. *Varr. R. R.* 3, 16. *B. A.*

VEJENS, entis, adj. ad Vejos pertinens. *Cic. Rosc. Am.* 16. An aliquem ex agro Vejente nominem. *Liv.* 5, 52. *med.* Affecta Vejenti bello respublica. *Id.* 4, 58. Vejens bellum motum ob superbum responsum Vejentis senatus. ℙ *Vejentes, um,* Vejorum cives, et Vejentis agri incolae. *Liv.* 5. etc.

VEJENTĀNUS, a, um, adj. ad Vejentes pertinens. *Lic.* 4, 19. Vejentanus ager. *Plin.* 37, 10, 69. Vejentana Italica gemma est, Vejis reperta, nigram materiam distinguente limite albo. ℙ *Vejentana uva*, et *Vejentanum vinum* memorant *Hor. Sat.* 2, 3, 143. *Pers.* 5, 147. *Mart.* 1, 104., 2, 53. et 3, 49. parvi pretii, et mali saporis. ℙ [*Vejentani, orum,* absolute sunt iidem ac Vejentes. *Inscr.* ap. *Nibbyum*, *Viagg. antiqu. T.* 1. p. 51. L. Valerio Constantio nobilissimo Caesari nostro ordo civitatis Vejentanorum posuit. *F.*]

[VEJENTILLA, ae, f. dimin. Vejentis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 155. *n.* 241. Castricia Vejentilla. *F.*]

VEJENTĪNUS, a, um, adj. idem ac Vejentanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1650, 9. L. Calpurnius Vejentinus. ℙ *Vejentina* itidem vocatur tribus Romana in duabus *Inscr.* ap. *Grut.* 912, 15. et 922, 1., quae a *Panvinio* perperam lectae videntur; et ap. *Cic. Planc.* 16., ubi pro *Quid cum Vejentina?* ex optimis Codicib. legend. *quid cum Ufentina;* tandem ap. *eund. Att.* 4, 16., ubi pro mendosa lectione *Opimius Veje. Tro. Antius* legendum *Opimius Vejetorantius* seu potius *Victorantius.* [*Emendavit hunc locum adjectis pluribus *F.*]

[VEJENTĪUS, a, um, adj. nomen gentilicium R., ductum a Vejis, oppido Etruriae. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 434. *n.* 14. Victoriae Augustae sacrum ordo Vejentium, cura agente Vejentio Januario Lib. Ark. *h. e.* liberto arcario Vejentium, qui cum servus eorundem fuisset, ab iis manumissus nomen a patronis suis, ut moris erat, sibi adscivit. V. AMITERNUM. *F.*]

[VEJENTO, onis, m. idem ac Vejens, ea nominum forma, quae Itali *accrescitivi* dicunt. Est cogn. R. ap. *Cic. Att.* 7, 3., hominis cujusdam, qui legatus fuisse videtur M. Calpurnii Bibuli in provincia Syria, quique fortasse proavus vel avus fuit A. Fabricii Vejentonis, de quo *Plin. ep.* 9, 13. et *Tac. A.* 14, 50., aliique mentionem faciunt. *F.*]

VEJI, orum, m. plur. oppidum Etruriae apud Tiberim, Vejentis agri caput, ubi nunc *Isola Farnese:* cujus longam obsidionem et excidium *Liv. f. l.* 4. et *l.* 5. narrat. Post captam direptamque Romam ab Gallis, incesserat Romanae plebi cupido Vejos migrandi. Dissuasit Camillus. V. *Liv.* 5, 50. et sqq. Huc respexit poeta ille, qui insanam Neronis domum notavit his versibus, apud *Suet. Ner.* 39. Roma domus fiet. Vejos migrate, Quirites: Si non et Vejos occupat ista domus.

VEJOVIS, et antiquius Vedijovis, is, m. vox composita ex *ve* particula, quae hic minuendi vim habet, et *Dijovis*, quam vocem vide suo loco. Duplex est de hujus vocis significatione sententia: alii enim intelligunt Jovem parvulum, qui fortasse idem fuit ac Juppiter Anxur Volscorum Deus. V. ANXUR. *Festus* in *Vesculi:* Ve syllabam rei parvae praeponebant, unde Vejovem, parvum Jovem, et vegrandem fabam, minutam dicebant. *Ov. Fast.* 3, 445. vegrandia farra coloni, Quae male creverunt, vescaque parva vocant. Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis aedem Aedem non magni suspicer esse Jovis? ℙ Huic Deo feriae duplices erant, Kal. nempe Januariis, ut et Aesculapio, in insula Tiberina, in qua utrique templum dicatum fuerat, ut constat ex *Ov. Fast.* 1, 291. et sqq. et *Liv.* 34, 53. Hinc in *Kalendar. Praenestar.* edito a *Foggínio.* Feriae Aesculapio, Vediovi (*h. e.* Vedijovi) in insula. Aliae autem feriae erant eidem Nonis Martiis, quia eo die Romulus templum ei in convalli, inter duos lucos, nempe inter arcem Tarpejam, et Capitolinam, ubi asylum aperuit, dedicaverat. *Ov. ib.* 3, 429. Nonis sacrata quod illis Templa putant lucos Vejovis ante duos; et 437. Juppiter est juvenis, juveniles aspice vultus; et 443. Stat quoque capra simul: Nymphae pavisse feruntur Cretides: infanti lac dedit illa Jovi. *Kalendar. Praenest.* Nonis Vediovi (*h. e.* Vedijovi) arcis Vejovis (*h. e.* Vedijovis) inter duos lucos. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1287. Vediovi patrei genteiles Juliei. ℙ Alii deinceps fuerunt, qui putarunt, eundem esse ac Jovem malum, *h. e.* qui non juvandi, sed nocendi potestatem haberet, ut *vesanus* est male sanus, *vecors* est excors: Vejovem itaque esse Plutona, aut Orcum, aut etiam Apollinem sagittipotentem, cui supplicare mos erat, ne obesset, aut laederet, ut contra *Dijovis* dicebatur Juppiter bonus, quasi Deus juvans. *Gell.* 5, 12. Est autem etiam aedes Vejovis Romae inter arcem et Capitolium; et *mox:* Simulacrum Dei Vejovis, quod est in aede, sagittas tenet, quae sunt videlicet paratae ad nocendum: quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt: immolaturque illi capra, ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat. V. VEDIUS. [*Hunc locum ita curavit F., ut totus ipsi merito possit adjudicari.]

VĒIUS, a, um, adj. idem quod Vejens. *Propert.* 4, 10, 31. Forte super portae dux Veius adstitit arcem, *h. e.* Tolumnius Vejentium rex. ℙ *Veja* dicem, *h. e.* Tolumnius Vejentium rex. ℙ *Veja* disyllab. est nomen proprium mulieris ap. *Hor. Ep.* 5, 29. Abacta nulla Veja conscientia.

VEL, ἢ ἤτοι, aut, sive, seu: conjunctio disjunctiva. *Caes. B. G.* 1, 6. Allobrogibus se vel persuasuros existimabant, vel vi coacturos, ut, etc. *Cic. Fam.* 2, 7. Cur non adsum vel spectator laudum tuarum, vel socius, vel minister consiliorum? et *ib.* 1, 8. *med.* Ut vel ea defendam, quae Pompejus velit, vel taceam, etiam ad nostra me studia referam litterarum. *Varr. R. R.* 1, 7. *med.* Sequitur, quali terra solum sit fundi; a qua parte vel maxime bonus, aut non bonus appelletur. ℙ Differt a *sive* et *seu:* quia *vel* absolute disjungit, et sine ulla conditione, *sive* et *seu* conditionis et dubitationis aliquid continent. Interdum tamen *sive* pro *vel* ponitur. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. *med.* Te rogo, ne dimittas animum, contraque erigas ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. V. SEU. ℙ *Vel* quoque interdum dubitationem continet, et pro *an* ponitur. *Id. ib.* 2, 4. *f.* Hominem comprehendit, et in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam, vel in pistrinum, non satis ex litteris ejus intelligere potuimus. *Cic. Off.* 3, 10. Pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. *Quint.* 3, 6. *med.* Quaerendum arbitrantur, justumne sit, sacrilegium appellari quod objiciatur, vel furtum, vel amentiam. ℙ Vim quoque copulandi habet, pro *et*, seu *tum. Virg. A.* 6, 769. Silvius Aeneas, pariter pietate, vel armis Egregius. *Liv.* 1, 42. *extr.* Hunc ordinem ex censu descripsit vel paci decorum, vel bello. *Claud. B. Get.* 131. Pectora Fabricii donis invicta, vel armis. ℙ Pro *etiam. Liv.* 9, 24. Hoc ascensu vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint. *Cic. Leg.* 3, 10. Isto quidem modo vel consulatus vituperio est. *Virg. A.* 11, 259. Vel Priamo miseranda manus. *Cic. Acad.* 4, 29. Per me vel stertas licet. Adde *Rosc. Am.* 30. et *Lucil.* et *Varr.* ap. *Non.* 12, 34., ubi et alia duo loca ex *Cic. fragmentis* affert. ℙ Pro *saltem. Ter. Phorm.* 2, 1, 71. Postremo, si nullo alio pacto, vel fenore. Alii omitt. *vel.* Si *vel* retineas, possis hic quoque per *etiam* explicare: *se non in altra maniera, anche col prender ad usura.* ℙ Cum superlat., cui quandam vim addit, pro *etiam*, aut *valde*, *praecipue*, *cum primis. Cic. Or.* 2, 27. Haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem vel maximae. *Liv.* 36, 41. Cujus eo tempore vel maxima apud regem auctoritas erat. *Cic. Fin.* 1, 2. Cum Sophocles vel optime scripserit Electram. *Id. Verr.* 1, 16. Unum senatorem vel tenuissimum esse damnatum. *Id. Or.* 26. *f.* Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. ℙ Similis est v. *veluti*, cum quiddam praecipuum subjicimus. Sed hoc etiam modo interpretari possumus, *ut alia omittam*, *ut de aliis taceam*, *hoc unum satis est. Ter. Heaut.* 4, 6, 1. Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, quam invitus facias, vel me haec deambulatio quam non laboriosa ad languorem dedit! *Id. Hec.* 1, 1, 1. Per pol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores, vel hic Pamphilus jurabat, etc. *Cic. Fam.* 2, 13. Raras tuas quidem, sed suaves accipio litteras: vel quas proxime acceperam, quam prudentes! *Hor. Ep.* 12, 13. Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis. *Virg. A.* 11, 406. Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit. ℙ Alii in his quoque vim v. *etiam* agnoscunt. Sic *Cic. Flacc.* 33. *med.* Ita scitote, judices, esse cetera: vel quod ait Luccejus, L. Flaccum sibi dare cupisse sestertium vicies. ℙ [Sequioris Latinitatis tempore *vel* pro *et* usurpatum fuit. *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCXXI., ap. *Grut.* 363, 1. Tesseram hospitalem cum eo fecerunt, uti se in fidem atque clientelam vel suam vel posterorum suorum reciperet. *Sidon. ep.* 4, 20. Illum equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam subsequebantur. *F.*]

[VELA, ae, f. Gallis nunc *velar*, genus frugis. *Plin.* 22, 25, 75. Irionem inter fruges sesamae similem esse diximus, et a Graecis erysimon vocari: Galli velam appellant. Est autem fruticosum, foliis erucae, angustioribus paulo, semine nasturtii: utilissimum tussientibus cum melle, et in thorace purulentis exscreationibus. *F.*]

VĒLĀBRENSIS, e, adj. ad Velabrum spectans. *Velabrensis caseus* dicebatur, qui Romae in vico Velabri foco et fumo indurabatur, maximoque in pretio erat. *Mart.* 11, 52. Et Velabrensi massa recocta foco. *Id.* 13, 32. Non quemcunque focum, nec fumum caseus omnem, Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit. ℙ [*Velabrenses, ium*, absolute, sunt incolae Velabri. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 164. *n.* 297. Libero Patri et adstatori et conservatori. H. l. Coll. (*h. e.* hujus collegii) Velabrensium, etc. *F.*]

VĒLĀBRUM, i, n. *S. Giorgio in Valabro*, Βήλαυρον, vicus Romae olim celebris, juxta Aventinum montem. Aliis erat in foro boario, ubi olim templum Herculis, et Vestae, seu Matutae. Dictum est a *vehendo*, quod ratibus transvehi soleret. Hoc etymon attulit *Varr. L. L.* 4, 7. *f.*, ubi Velabrum a vehendo dictum ait. Item *Plut.* in *Romul.* 5. in hanc sententiam: Vocatur autem nunc locus iste Velabrum, eo quod, saepe fluvio exundante, eo loci trajectus esset in forum: trajectum autem appellant Romani velaturam. Confirmatur loco illo *Tibull.* 2, 5, 33. At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua; et *Propert.* 4, 9, 5. Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque Nauta per urbanas velificabat aquas. *Ov. Fast.* 6, 405. Qua Velabra solent in Circum ducere pompas, Nil praeter salices, cassaque canna fuit. Alii ita dictum volunt a *velis*, quod qui munus aliquod populo exhibebant, inde velis viam, quae a Foro ad Circum maximum ferebat, adumbrarent: quod *ib.* scribit *Plut.* Sed prior sane origo certior est. In hoc vico erant tabernae olearíorum, qui solebant, quo carius venderent, de pretio olei inter se conspirare, ne alter altero vilius distraheret. Hinc *Pl. Capt.* 3, 1, 29. Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearii. Adde *Hor. Sat.* 2, 3, 229. ℙ [*Velabrum* etiam de velis theatra superne tegentibus. *Ammian.* 14, 6. *f.* Nunnulli velabris umbraculorum theatralium latent, quae Campanam imitatus lasciviam Catulus in aedilitate sua suspendit omnium primus. *F.*]

VĒLĀMEN, inis, n. κάλυμμα, σκέπασμα, tegmen, operimentum, et praecipue vestis. *Virg. A.* 1, 653. Et circumtextum croceo velamen acantho. *Ov. Met.* 6, 566. velamina Progne Deripit ex humeris auro fulgentia lato. *Tac. G.* 17. Eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis, *h. e.* pelles. *Ov. Fast.* 6, 579. Nunc pudet, et vultus velamine celat amatos. *Id. A. Am.* 3, 267. Quae nimium gracilis, pleno velamina filo Sumat. *Sen. Cons. ad Helv.* 11. Neque tectum ei deerit, neque velamen; et *Juven.* 3, 178. clari velamen honoris, *h. e.* vestis insigne magistratus.

VĒLĀMENTUM, i, n. velamen, involucrum. Sic *Cels.* 7, 18. tunicas, quae testiculos ambiunt, velamenta vocat. ℙ Est idem ac velum, q. v. V. *Sen. Cons. ad Marc.* 15. Ti. Caesar et quem genuerat, et quem adoptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret. ℙ Translate. *Sen. V. B.* 12. *f.* Quaerentes libidinibus suis patrocinium aliquod, seu velamentum. ℙ *Velamenta* dicebantur, quae a Graecis ἱκετήρια, idest res illae, quas supplices misericordiae movendae causa praeferebant, cujusmodi erant rami olearum vittis obvoluti. *Ov. Met.* 11, 279. Velamenta manu praetendens supplice, etc. *Liv.* 24, 30. *f.* Ramos oleae, ac velamenta alia supplicum porrigentes orare, ut reciperent sese. *Tac. H.* 1, 66. Velamenta, et infulas praeferentes.

VĒLĀRIS, e, adj. ad vela pertinens. *Plin.* 13, 9, 18. Lignum firmae duritiae, ex quo velares detornant anulos, *h. e.* quibus vela navium extenduntur.

VĒLĀRĬUM, ii, n. παραπέτασμα, velum, quod in theatro superne extendebatur ad arcendam pluviam, et solis aestum. *Juven.* 4, 122. sic pugnas Cilicis laudabat, et ictus, Et pegma, et pueros hinc ad velaria raptos. V. VELUM.

VĒLĀRIUS, ii, m. qui ad fores et velum cubiculi adsistit, et admissiones ad principem disponit, ut in CANCELLARIUS dictum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 599, 7. Ti. Cl. Thallus praepositus velariorum domus Augustanae, etc. Alia *ib.* 8. L. Flavius Aug. Lib. Primigenius supra velarios de domu Aug. Alia ap. *Mur.* 916, 4. Straton Augg. Lib. PP. velariorum. ℙ [Item classiarius miles, qui velis navium, et amphitheatri, ut constat ex *Lampr. Commod.* 15., explicandis, complicandisque praeerat. *Inscr.* ap. *Mur.* 861, 4. Valerius Nat. Alexandrin. ex velar. duplicar. militavit ann. XXVI. Vix. An. LVI. M. III. D. XII., etc. V. VELUM. *F.*]

VĒLĀTĬO, onis, f. actus velandi. Proprie usurpatur de virginibus Christianis, quae solemnem virginitatis professionem exercentes ab episcopo sacro velamine, seu, ut ait *Hieron. ep.* 130. *n.* 2., flameo virginali, decorantur. *August. ep.* 150. (al. 179.) *f.* Velationis apophoretum gratissime accepimus, *h. e.* munusculum, quod die velationis Demetriadis, Julianae filiae, Probae neptis gratissime accepimus. *F.*]

VĒLĀTO, adv. *Tert. adv. Marc.* 4, 29. Velato Deum discere, *h. e.* obscure, et quasi praetento velo.

[*VELATRUM, i, n. velarium. *Tert. de cultu fem.* 6. *Bail.*]

VĔLĀTŪRĀ. V. in VEHELA.

VĔLĀTUS, a, part. a *velo: κεκαλυμμένος*, opertus, tectus. *Cic. N. D.* 2, 3. *f.* Se Diis immortalibus capite velato pro republ. devovere. *Sen. Octav.* 702. Sponsa velata flameo tenui caput. *Ov. Met.* 12, 598. Delius nebula velatus. *Val. Flacc.* 8, 29. Luna velatis cornibus. *Virg. A.* 3, 549. Cornua velatarum obvertimus antennarum, *h. e.* velis involutarum. ℙ Vestitus, indutus, amictus. *Liv.* 3, 26. *f.* Velatus toga. *Hor. Sat.* 1, 2, 71. stola. *Id. Od.* 1, 35, 21. Fides albo velata panno. *Ov. Met.* 2, 23. Purpurea veste velatus; et *ib.* 10, 1. croceo amictu; et *Fast.* 3, 645. tunica recincta. *Tibull.* 1, 5, 25. lino. *Ov. Fast.* 6, 412. Et pede velato non adeunda palus. ℙ Hinc *Festus:* Velati appellabantur vestiti et inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum loco substituebantur. Ipsi sunt et ferentarii, qui fundis ac lapidibus pugnabant. *Id.* in *Adscripticii:* Adscripticii velut quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et adcensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti: quidam velatos, quod vestiti inermes sequerentur exercitum. V. dicta in ACCENSUS, i. ℙ Est etiam cinctus, ornatus. *Ov. Met.* 5, 110. albenti velatus tempora vitta. *Id. Pont.* 4, 14, 55. Tempora sacrata mea sunt velata corona. *Id. Met.* 3, 667. Pampineis agitat velatam frondibus hastam. *Val. Flacc.* 4, 298. caestu velatus utroque. *Ov. Am.* 3, 13, 11. ubi praesonuit solemni tibia cantu, It per velatas annua pompa vias. *Pl. Amph.* 1, 1, 101. Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum, *h. e.* praeferentibus velamenta supplicum. V. VELAMENTUM. Sic *Virg. A.* 11, 100. Jamque oratores aderant ex urbe Latina Velati ramis oleae, veniamque rogantes. Ubi *Servius:* Non coronati (nec enim lugentes decebat, ut qui pro mortuis precabantur), sed instructi et ornati, id est in manibus olivae ramos ferentes, sicut *Homer. Iliad.* 1, 14. *Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.* Adde *ib.* 7, 154. ℙ *Accensus velatus.* V. ACCENSUS, i.

*VELAUNI, orum, *Οὐέλαυνοι*, populi Galliae Aquitanicae. *Caes. B. G.* 7, 75. *Plin.* 3, 20. ℙ Eorum caput Vellava, teste *Greg. Turon.* 10, 25. Ingressus Vellavae urbis terminum, ad locum, quem Anicium vocitant, accedit. *Vellavorum civitas* audit haec urbs *Notit. civit. Gall.* et profecto *Οὐελλάϊοι*, quod Latine est *Vellavi*, a *Strabone* ipsi populi appellantur. *B. A.*

*VELDIDĒNA, ae, f. oppidum Rhaetiae, hodie *Wilten* vel *Wiltau. Anton Itin. B. A.*

VĔLĔDĂ, ae, f. virgo quaedam apud Germanos tantae auctoritatis, ut ab eorum plerisque loco numinis haberetur, ut ait *Tac. G.* 8. V. et *H.* 4, 61. et 65. Hinc *Stat. Silv.* 1, 4, 90. Captivaeque preces Veledae, *h. e.* Germaniae totius una cum suis numinibus devictae. [*Apud *Tac.* in multis Codd. legitur *Velleda* duplici *ll. Bail.*]

[VĔLEJAS, et Vellejas, atis, adj. omn. gen. ad Velejam, seu Vellejam pertinens, dirutum Italiae oppidum, in monte situm, duodecim circa mill. passuum a Placentia. *Velejates, ium*, absolute, sunt incolae illius oppidi, quorum meminit *Plin.* 3, 5, 7. et *ib.* 16, 20., ubi tamen in editionib. perperam *Veliates* pro *Velejates* legitur. *Id.* vero 7, 49, 50. Citra Placentiam in collibus oppidum est Velejatium. *Phlegon Trall. de longaev.* c. 1. *Πόλις Βελήϊας. Inscr.* ap. *De-Lama, Iscriz. ant.* p. 65. P. Onicius Velejatium Lib. Sen. Aug. (*h. e.* libertus, sententia Augusti) IIIIII. Vir sibi, etc. et p. 71. L. Coelio Festo adlecto inter tribunicios respublica Vellejatium patrono. V. *eund.* in toto eo opere cit. de Veleja, ejusque situ erudite disputantem. *F.*]

VĔLES, itis. V. VELITES.

VĔLĬA, ae, f. *Τέλη, Ἔλεα*, urbs Lucaniae, in ora litorali, ad sin. Paestanum, condita a Phocensibus una cum Massilia, teste *Gell.* 10, 16. Dicta est ab *ἕλος*, palus, quia paludibus cingitur. *Serv.* in *A.* 6, 359. Velia dicta est a paludibus, quibus cingitur, quas Graeci *ἕλη* vocant. Fuit ergo Helia, sed accepit digammon. et facta Velia, ut Enetus, Venetus. V. ELEATES. *Hor. Ep.* 1, 15, 1. Quae sit hiems Veliae, quod coelum, Valla, Salerni. ℙ *Velia* quoque collis fuit Romae, pars nempe Palatini, ita dictus, ut putat *Varr. L. L.* 4, 8. *extr.*, [quasi *vellia*, quod ibi pastores lanam vellere soliti fuerint, veteres enim consonantes non geminabant. *Id. ib.* Veliensis *(collis)* septicepsos in Velia ap. aedem Penatium. *Liv.* 2, 7. Regnum eum (*P. Valer. Publicolam*) affectare fama ferebat, quia aedificabat in summa Velia; ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore. *F.*]

*VELIĀTES, ium, populi Liguriae montani. *Plin.* 3, 5. ℙ Fuere et hoc nomine populi Galliae cispadanae. *Id.* 3, 15. *B. A.*

VĔLĬENSIS, e, adj. ad Veliam Lucaniae urbem pertinens, ut Velienses sacerdotes, *Cic. Balb.* 24. ℙ *Veliensis* collis Romae. V. v. praec. ℙ *Velienses, ium*, absolute, Veliae populi. *Cic. Fam.* 7, 20. et *Plin.* 3, 3, 4.

VĔLĬFER, ra, rum, adj. *ἱστιοφόρος*, velum ferens. *Ov. Met.* 15, 719. Huc ubi veliferam nautae advertere carinam. (Adde *Propert.* 3, 7, 35.) *Val. Flacc.* 1, 126. Pallada velifero quaerentem brachia malo. *Sen. Thyest.* 129. Veliferi venti.

VĔLĬFĬCĀTĬO, onis, f. *πέτασις ἱστίου*, actus velificandi. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Cum vero id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum.

VĔLĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *velificor.* Active. *Propert.* 2, 21, 39. Una ratis fati nostros portabit amores Caerula ad infernos velificata lacus. ℙ Pas. sive pro transnavigato, seu per quod naves suis velis navigavere, *διαπλεόμενος. Juven.* 10, 174. Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax Audet in historia.

VĔLĬFĬCĬUM, ii, n. conficiendorum velorum ratio seu ars. *Hyg. fab.* 277. Velificia primum invenit Isis.

VĔLĬFĬCO, as, n. 1. *ἱστιοδρομέω*, vela facio, vela do, navigo. *Plin.* 9, 33, 52. Per summa aequora velificant. *Propert.* 4, 9, 6. Nauta urbanas velificabat aquas. *Flor.* 3, 7. Ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt.

VĔLĬFĬCOR, aris, dep., 1. idem ac velifico. Translate sumitur pro omni diligentia, et conatu rei alicui operam dare, quod etiam dicitur velis, remisque agere. *Cic. Agr.* 1, 9. Quod si quis vestrum spe ducitur, se posse turbulenta ratione honori velificari suo, *h. e.* ascendere ad honores, non virtute, et majorum gloria, sed violenta quadam ratione, ut solet fieri ab iis, qui quascumque fortunas experiuntur, velis in altum elatis. [*Front.* 1. *ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. *med.* Quamquam ex summis opibus ad eloquentiam velificaris, etc. *F.*] ℙ Item pro favere, studere, obsequi, assentari. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. *med.* Ne aut velificatus alicui dicaris, aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. *Flor.* 1, 9. Brutus favori civium etiam domus suae clade velificatus est. [*Haec non differunt ab iis, quae in anteced. §. leguntur.]

VĔLĬFĬCUS, a, um, adj. *ἱστιοδρομῶν*, qui velis ût. *Plin.* 13, 11, 21. Noctis dieique velifico navigii cursu.

VĔLĪNUS, a, um, adj. ad Veliam spectans, ut Velinus portus, apud *Velina urbem* Lucaniae eversam. *Virg. A.* 6, 366. aut tu mihi terram Injice, namque potes, portusque require Velinos. ℙ *Velina tribus*, una ex XXXV. tribubus populi Rom. in Sabinis, ita dicta a lacu Velino. Adjecta est una cum Quirina, ultima omnium anno DXII. a censoribus C. Aurelio Cotta, et M. Fabio Buteone, ut ex *Ep. Liv.* 19. constat. Adde *Cic. Att.* 4, 15. *f. Inscr.* ap. *Grut.* 66, 7. L. Calvisius L. F. Velina Secundus. *Alia* 129, 5. C. Rustius C. F. Quartus Vel. IIII. Vir. ℙ Velinus lacus, *Lago di Rieti*, lacus Umbriae, in confinio Sabinae tractus, inter Reate urb. Sabinam, et Interamnam urb. Umbriae, per quem Velinus fl. labitur. *Plin.* 3, 12, 15. Hinc *Virg. A.* 7, 517. Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini. *Id. ib.* 712. qui Rosea rura Velini (*colunt*). [*Emendavit hunc locum *F.*]

VĔLĪTĀRIS, e, adj. ad velites pertinens, ut Hasta velitaris, quam *Polybius* vocat *γρόσφον*, quia ii utebantur. *Plin.* 7, 56, 57. Hastas velitares invenit Tyrrhenus. *Liv.* 26, 4. Et septena jacula quaternos longa pedes data, praefixa ferro, quale hastis velitaribus inest. *Sall. Jug.* 113. Praeterea iere sagittarii, et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa. Adde *Liv.* 38, 20.

VĔLĪTĀTIM. V. VELLICATIM.

VĔLĪTĀTĬO, onis, f. *ἀκροβολισμὸς, ἀψιμαχία*, actus velitandi, levis pugna. *Pl. Rud.* 2, 6, 41. Equidem me ad velitationem exerceo; nam omnia corusca prae tremore fabulor. ℙ Translate sumitur pro mutua probrorum objectione, *λογομαχία. Festus:* Velitatio dicta est ultro citroque probrorum objectio, ab exemplo velitaris pugnae. *Pl. As.* 2, 2, 41. Verbis velitationem fieri compendi volo.

[VĔLĪTĀTUS, a, um, part. a *velitor:* levem pugnam primo iniens. Translate de concubitu. *Appul. Met.* 5. Nox, et maritus aderat; primisque Veneris proeliis velitatus, etc. *F.*]

VĔLĪTERNĪNUS, a, um, adj. Veliternus. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 4. Veliternina vina, Privernatiaque.

VĔLĪTERNUS, a, um, adj. ad Velitras pertinens. *Liv.* 8, 12. Veliternus populus. *Id.* 6, 22. hostis. *Id.* 2, 31. ager. *Id.* 6, 36. Veliterni coloni. *Plin.* 12, 1, 5. Veliternum rus. ℙ *Veliterni, orum*, sunt Velitrarum incolae, ap. *Liv.* 8, 14. ℙ *Veliternus, i*, nomen viri proprium, quod num a Velitris urbe derivandum sit, non liquet. *Sil.* 13, 229. Jamque Veliternum media (*Virrius*) transegerat alvo.

VĔLĪTES, um, m. plur. *γροσφόμαχοι, ἀψιμαχοι*, in militia sunt pedites leviter armati parma breviore, gladio, funda, hastis brevibus ac missilibus, non longis et stabilibus, quales erant hastatorum. Ita videntur appellati, non quasi *volites* a *volando*, ut vulgo creditur, sed quia sub velis, seu vexillis, non sub aquilis legionum militabant: ut vexillarii dicti, qui sub vexillis longe a legionibus erant. V. *Liv.* 38, 21. *f.*, qui 26, 4. occasionem eorum instituendorum tradit in obsidione Capuae: quam ab eo *Val. Max.* 2, 3. *n.* 3. desumpsit. *Varr.* ap. *Non.* 18, 2. et 4. Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis. ℙ Hi pugnae initium dabant, cito procurrentes in hostem, et cito recellentes, si urgerentur: pugnabant etiam interdum immixti equitibus, terga equorum insilientes, ut cum ad teli jactum ventum esset, desilirent subito, et irruerent. In acie certum locum non habebant, sed modo ante omnes, modo a tergo, modo inter ipsos ordines locabantur, ut videre est ap. *Liv.* 23, 29., 26, 4., 27, 18., 30, 33. etc., ex quibus locis apparet discrimen inter eos et antesignanos. Interdum etiam cum sagittariis et funditoribus confunduntur, interdum ab his separantur: quia si nominis vim spectes, sagittarii solis sagittis, funditores solis fundis pugnabant: velites vero et hastis eminus, et cominus gladiis, ut dictum est. *Festus* in *Advelitatio:* Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, id est volantes. *Ov. Ib.* 47. Utque petit primo plenum flaventis arenae Nondum calfacti velitis hasta solum; Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto. *Liv.* 30, 33. Vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat) complevit. *Titin.* ap. *Non. l. c.* Ita Spurius animatur in proelium: veles equis recepit se, nec ferit quemquam hostem. Adde *Lucil.* ap. *Fest.* in *Sub vitem.* ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 20. Me autem a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse, non moleste tuli, *h. e.* hominem dictis alios ultro lacessentem, ut veles hostem primus lacessit.

VĔLĬTOR, aris, dep. 1. proelium prima et decursoria pugna incipio. *Appul. Met.* 7. Equus postremis velitatur calcibus; et *ib.* 9. Impetu vesano lapidibus crebris in eum velitantur. ℙ Translate. *Id. ib.* Tunc saga illa primis adhuc armis disciplinae suae velitatur. ℙ Item jurgor, altercor, rixor, verbis contendo: nam a verbis saepe ad manus veniri solet, sicut a velitibus ad gravis armaturae milites. *Pl. Men.* 5, 2, 27. Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit? nescio quid vos velitati estis inter vos duos; et *Gell.* 6, 11. Cum inquinatissimis hominibus non esse convicio decertandum, neque in maledictis adversus impudentes et improbos velitandum. ℙ *Velitari alicui periculum* ap. *Appul. Met.* 5. est intentare, instar velitis hastam jaculantis. ℙ Etiam *velito, as*, usurpatum fuit, teste *Prisc.* 8, 799.

VĔLĪTRAE, arum, f. plur. *Veletri*, oppidum Volscorum in Latio, via Appia, in clivo situm, colonia Romanorum. *Liv.* 2, 31, Velitras coloni ab urbe missi, et colonia deducta. *Sil.* 8, 379. quos Setia et e celebri miserunt valle Velitrae: *celebrem* dicit, quia ibi origo fuit gentis Octaviae, et natale solum Augusti. V. *Suet. Aug.* 1. 6. et 94. Alii leg. *incelebri*, h. e. infrequenti.

VĔLĪTRĪNUS, a, um, adj. ad Velitras pertinens, Veliternus, ut Velitrini coloni, *Liv.* 6, 36. et absolute, Velitrini, *Suet. Aug.* 94. Utroque loco, et alibi ap. *Liv.* alii leg. *Veliterni.*

VĔLĪVŎLANS, antis, et

VĔLĪVŎLUS, a, um, adj. *ἱστιοδρομῶν*, epitheton navis, quae, ut aves alis volant, ita velis et vento fertur. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Divin.* 1, 31. *extr.* et fera velivolantibus Navibu' complebit manu' litora. *Ov. Pont.* 4, 5, 42. Et freta velivolas non habitura rates. Adde *Lucr.* 5, 1441. et *Enn.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 228. et ap. *Macr. Sat.* 6, 5. Etiam mare dicitur *velivolum*, quia velis et navibus percurritur. *Liv. Andron.* ap. *Macr. ib.* Tu qui permensus ponti maria alta velivola. *Virg. l. c.* Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes. Adde *Ov. Pont.* 4, 16, 21.

VELLĂ pro *villa* dictum est a rusticis, teste *Varr. R. R.* 1, 2. V. VEHA.

VELLĂTURĂ, et Velatura, vectura. Unde *vellaturam facere* ap. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* h. e. quaestus causa vecturam facere. V. VEHELA.

VELLEJĀNUS, a, um, adj. ad Vellejum aliquem pertinens. Senatusconsultum Vellejanum dictum est a C. Vellejo Tutore, qui cum M. Silano consul fuit. (Quo vero anno hi consules fuerint, disputat *Marin. Frat. Arv.* p. 788.) Ejus verba recitantur ab *Ulp. Dig.* 16, 1, 2. qui Titulus *ad Senatusconsultum Vellejanum* inscribitur. Eorum autem consulum nomina habentur ap. *Grut.* 470, 1. et 2.

VELLEJAS. V. VELEJAS.

VELLEJUS PATERCŪLUS eques R. praenomine Marcus, vel, ut alii volunt, Publicus, aut Cajus, [patria Aeclanensis, ut ex *Inscr.* probat *R. Guarinius* in *Ricerche* di *Eclano* p. 77. *F.*] variis muneribus functus, denique a Tiberio praetor factus, scripsit duobus libris historiam compendiariam de rebus Romanis usque ad excessum Liviae conjugis Augusti, stilo plane Latino, et eleganti, sed adulationis pleno. Cum in Sejani amicitiam receptus esset, ab eodem Tiberio quinquagenarius occisus est. ℙ Adjective *lex Junia Velleja*, aut *Vellea* memoratur a *Scaevola Dig.* 28, 2, 29. et *Ulp. ib.* 3, 3. et *Just.* 2. *Institut. tit.* 13., [quae eadem videtur esse ac S. C. Vellejanum, ut putat *Marin. Frat. Arv.* p. 788. *F.*]

VELLĔRĔUS, a, um, adj. qui est ex vellere,

laneus. *Ascon.* in *Verr.* 1, 8. Crumenae vellereae, et scorteae.

*VELLICA, oppidum Hispaniae Tarraconensis, non procul ab Ibero amne, in Cantabria, in Concanorum agro. Meminit *Ptolemaeus.* Hanc vocem restituendam *Flor.* 4, 12. censet *Graevius:* legit enim *Vellicae*, ubi vulgo editur *Belgicae.* Ceterum et veterum quarundam editionum est *Vellicae.* *B. A.*

VELLICĀTIM, adv. *μιχαιῶς*, hinc illinc vellicando, seu carpendo, carptim. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 758. et 911. Nos una aetate in Graecia et Asia gesta litteris idcirco continentia mandavimus, ne vellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos impediremus. *Gell.* quoque hunc locum recitat 12, 15., ubi quidam leg. *velitatim*, h. e. quasi more velitis huc illuc discurrendo: sed non est a priori lectione recedendum.

VELLICĀTĬO, onis, f. *τιλμός*, actus vellicandi. Translate est, quod Itali *motto pungente* dicunt. *Sen. V. B.* 5. *med.* Tunc pura mens est, et soluta omnibus malis, cum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit. *Id. Ira* 3, 43. Detrimenta, injurias, convicia, vellicationes contemnamus.

VELLĪCO, as, avi, atum, a. 1. *παρατίλλω*, frequent. a *vello:* et proprie fit cum extremas corporis partes digitis carpimus, et premendo vellimus, aut cum aves rostro quippiam pervellunt. *Quint.* 6, 1. *med.* Puer, quid fleret, interrogatus, ex paedagogo se vellicari respondit. *Pl. Most.* 3, 2, 146. Cornix adstat, ea volturios duo vicissim vellicat. *Nemes. Ecl.* 3, 31. de Baccho puero et Sileno: Cui Deus arridens horrentes pectore setas Vellicat, aut digitis aures adstringit acutas. *Paul. Nol. ep.* 36. (al. 49.) *n.* 3. Vellicata blande auricula suscitavit. V. *Plauti l. c.* in SIBILO. ℙ Translate est verbis mordere, dictis pungere, criminari, lacerare. *Cic. Balb.* 26. In conviviis rodunt, in circulis vellicant, maledico dente carpunt. *Hor. Sat.* 1, 10, 79. Vellicat absentem Demetrius. Adde *Sen. Ben.* 2, 28. *extr.* et *Prop.* 2, 4, 8. ℙ Item carpere, et imminuere. *Varr. R. R.* 3, 16. *n.* 7. Apis minime malefica, quod nullius opus vellicans facit deterius.

[VELLĪGER, ra, rum, adj. qui vellus fert. Absolute est Arietis signum in Zodiaco. *Germanici fragm.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 340. *Burm.* His idem lentos Pisces cum supprimit ignis, Velliger et nigra cursus statione tenebat. *F.*]

VELLĪMEN, inis, n. idem quod vellus. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Lanam demptam, ac conglobatam alii vellera, alii vellimina appellant. Alii leg. *velumina*, alii *vellumina* eodem sensu.

VELLO, is, velli, et vulsi, vulsum, a. 3. *τίλλω*, *ἀποτίλλω*, vi evello, pervello, extraho: a *τίλλω*. [*Doederl.* 4, 416. *vellere* derivat a *vehere*, quae verba ita putat cognata, ut nostr. *zupfen* et *ziehen.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 24. *f.* Tum illa, ex patellis et turibulis quae vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ut, etc. *Colum.* 5, 11. et *Arb.* 26. *med.* Cuneum vellito, statimque surculos demittito in ea foramina, etc. *Liv.* 9, 14. *med.* Cum pars fossas explerent, pars vellerent vallum atque in fossas proruerent. *Virg. A.* 11, 19. (et *G.* 4, 108.) ubi primum vellere signa Adnuerint Superi, pubemque educere castris. *Id. ib.* 2, 480. postesque a cardine vellit; et *ib.* 11, 566. hastam de caespite vellit. *Plin.* 19, 8, 42. Vellere asparagum ab radice. *Id.* 18, 17, 46. Legumina, quae velluntur e terra, non subsecantur. *Tibull.* 3, 5, 20. modo nata poma vellere. *Ov. Met.* 8, 800. Famem lapidoso vidit in agro, Unguibus et raris vellentem dentibus herbas. *Lucan.* 4, 414. siccas de caespite vulserat herbas; et 6, 218. Affixam vellens oculo pendente sagittam; et *ib.* 545. percussaque viscera nimbis Vulsit. ℙ Saepe dicitur de lana et pilis, *μαδίζω*. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Qui etiam nunc vellunt (*oves*), ante triduo habent jejunas, quod languidae minus radices lanae retinent. *Plin.* 8, 48, 73. Oves non ubique tondentur: durat quibusdam in locis vellendi mos. *Mart.* 5, 37. Vellere comam. *Prop.* 3, 23, 33. albos a stirpe capillos. *Plin.* 10, 22, 27. et *Colum.* 8, 13. plumam anserum bis anno. *Hor. Ep.* 2, 1, 45. pilos equinae caudae. *Id. Sat.* 1, 3, 133. barbam. *Lucan.* 6, 562. Illa genae florem primaevo corpore vulsit. *Suet. Caes.* 45. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt, *h. e.* pilos corporis radicitus sibi volsellis erui curaret, ne rursus nascerentur: quod molles et effeminati factitare solebant. Adde *Galb.* 22. ℙ Est etiam perstringere, vellicare, torquere. *Hor. Sat.* 1, 9, 63. vellere coepi, Et prensare manu lentissima brachia. *Ov. A. Am.* 1, 606. Velle latus digitis, et pede tange pedem. ℙ Hinc *vellere aurem*, admonendi gratia. *Virg. Ecl.* 6, 3. Cum canerem reges, et proelia, Cynthius aurem Vellit, et admonuit, etc. *Calpurn. Ecl.* 4, 155. vellit saepius aurem Invida paupertas, et dixit, ovilia cura. *Virg. Cop.* 37. pereat, qui crastina curat: Mors aurem vellens, vivite, ait; venio. V. PERVELLO. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 5, 2, 3. Sed mea secreto velluntur pectora morsu, *h. e.* punguntur, torquentur dolore. ℙ Pro divellere, ruere, evertere, V. in VULSUS.

VELLUS, eris, n. *μαλλός*, *πόκος*, lana ex ove dempta, et conglobata, ut *Varr. R. R.* 2, 11. definit: a *vello*, quia mos fuit aliquando oves lana spoliare non tondendo, sed vellendo, ut *Plin.* 8, 48, 73. tradit. Hinc *Varr. L. L.* 4, 8. *extr.* (et *ib.* 29.) Pastores Palatini ex ovibus, ante tonsuram inventam, vellere lanam sunt soliti: ex quo vellera dicuntur. [*Cf. *Doederl.* 3, 20.] *Plin.* 27, 7, 28. Absinthium in vellere appositum menses ciet. *Hor. Epod.* 12, 21. Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae. *Id. Ep.* 1, 10, 27. Aquinatem potantia vellera fucum. *Ov. Met.* 14, 264. Nymphae, quae vellera motis Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt. ℙ De lana nondum detonsa, sed haerente corpori. *Virg. Ecl.* 3, 95. ipse aries etiam nunc vellera siccat. *Tibull.* 2, 1, 62. Molle gerit tergo lucida vellus ovis. *Ov. Her.* 18, 143. Invideo Phryxo, quem per freta tristia tutum Aurea lanigero vellere vexit ovis. ℙ Item de ipsis lanatis ovium pellibus. *Virg. A.* 7, 93. Centum lanigeras mactabat rite bidentes, Atque harum effultus tergo, stratisque jacebat Velleribus. *Colum.* 7, 4. *med.* Pelles eorum propter pulcritudinem lanae majore pretio, quam alia vellera, mercantibus traduntur. *Ov. Fast.* 5, 101. Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis, Cum lustrant celebres vellera secta vias. Adde *ib.* 4, 654. ℙ Item de corio et villo aliorum animalium. *Id. ib.* 2, 339. et *ib.* 5, 395. fulvi setis hirsuta leonis Vellera. *Id. Met.* 6, 592. et *ib.* 3, 197. lateri cervina sinistro Vellera dependent; et *ib.* 11, 3. Ecce nurus Ciconum tectae lymphata ferinis Pectora velleribus. ℙ *Parnassia vellera* ap. *Stat. Silv.* 5, 3, 8. sunt filamenta lanea, et vittae, quibus coronantur poetae, aut larea, hederaceave serta innectunt. ℙ Translate dicitur de rebus lanae similibus. *Virg. G.* 1, 397. Tenuia nec lanae per coelum vellera ferri, *h. e.* nubes vellerum instar. Sic *Lucan.* 4, 124. Phoebus densas in vellera nubes Sparserat. *Mart.* 4, 3. Aspice, quam densum tacitarum vellus aquarum Defluat in vultus Caesaris, inque sinus, *h. e.* nix sicut lana. *Virg. G.* 2, 121. Velleraque ut foliis despectant tenuia Seres, *h. e.* lanuginem. Adde *Petr. Sat.* 119.

[VELLŪTUS, a, um, adj. vellus habens, lanosus, et translate pilosus. V. BELLUTUS. ℙ Est cogn. R., ut L. Sicinius L. F. Vellutus, unus ex primis trib. pleb., cujus mentio est ap. *Ascon.* in *Cic. or. pro C. Corn. med.* et *Liv.* 2, 33. Hinc a *Dionys. Halic.* 6, 89. et *Plut.* in *Coriol. c.* 7. Graeco more appellatur *Σικίννιος Βελλοῦτος.* Graeci enim recentiores post vocalem *ι* longam geminant consonantem, et Latinorum *v* per *β* efferre solent. *F.*]

VĔLO, as, avi, atum, a. 1. *σκεπάζω*, tego, operio: a *velum.* *Virg. A.* 3, 545. Et capita ante aras Phrygio velamur amictu; et *ib.* 5, 72. Velare tempora myrto. *Quint.* 11, 3. *med.* Togam ad calceos usque demittere velandarum varicum gratia. *Plin. ep.* 6, 24. Ex diutino morbo circa velanda corporis ulceribus putrescebat. *Plin. alter* 19, 6, 34. Allium tenuissimis velatur membranis. *Macr. Sat.* 1, 6. Placuisse, velari loca eo, qua pompa (*Circensium*) veheretur, *h. e.* velis superne contegi. ℙ Item vestio. *Virg. G.* 3, 383. et pecudum fulvis velatur corpora setis. *Id. A.* 8, 33. Tiberim glauco velabat amictu Carbasus. *Ov. Met.* 4, 45. Derceti, quam versa squamis velantibus artus Stagna Palaestini eredunt celebrasse figura. *Id. ib.* 8, 252. avem Reddidit, et medio velavit in aere pennis. *Plin.* 34, 5, 10. de statuis: Graeca res est, nihil velare: at contra Romana et militaris, thoraca addere. ℙ *Velare tempora vittis* ap. *Ov. Pont.* 3, 2, 75. est cingere, circumdare. Sic *Pomp.* ap. *Non.* 4, 479. Nunc rogas, quid fiat? restis est vilis, velet gulam, *h. e.* obstringat. ℙ Item orno. *Virg. A.* 2, 249. delubra Deum festa velamus fronde. *Ov. Trist.* 4, 2, 3. Altaque velentur fortasse Palatia sertis. *Id. Fast.* 6, 312. Et velant scabras florida serta molas. *Id. Trist.* 1, 1, 5. Nec te (*liber*) purpureo velent vaccinia fuco. ℙ Item celo, abscondo. *Sen. Hipp.* 721. Scelere velandum est scelus. *Plin. Pan.* 56. Non alia major gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias nihil velandum est, nihil omittendum.

*VELOCASSES, ium, populi Galliae Belgicae. *Caes. B. G.* 2, 4. ℙ *Vellocasses* appellantur a *Plin.* 4, 18. itemque *Hirt. B. G.* 8, 7. ℙ Fortasse iidem qui *Bellocassi* audiunt *Caes. B. G.* 7, 75. ℙ Eorum caput Rotomagus, hodie *Rouen.* *B. A.*

VĔLOCĪTAS, atis, f. *ταχύτης*, celeritas, pernicitas: et proprie de corpore dicitur. A *pernicitate* quid differat, in PERNIX dictum est. *Cic. Off.* 1, 30. *med.* Videmus alios velocitate ad cursum, alios viribus ad luctantum valere. *Id. Sen.* 6. *med.* Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia: (*velocitas* corporis est hoc loco in cursibus: *celeritas* in agilitate et mobilitate.) *Hirt. B. G.* 8, 48. *med.* Quod malum dux equi velocitate evitavit. *Id. B. Alex.* 66. *extr.* Iter coeptum simili velocitate conficere. *Just.* 36, 4. *extr.* festinata velocitate contendere. *Hirt. B. Afr.* 69. Numidae mirabili velocitate praediti. *Id. B. G.* 8, 36. Germani pedites summae velocitatis. *Sall. Jug.* 56. Plerosque velocitas, et regio hostibus ignara tutata sunt. *Vell.* 2, 34. Juvenes velocitate pernices. *Just.* 2, 14. Velocitas Famae. *Plin.* 15, 13, 12. Velocitas pomorum cito mitescentium. *Id.* 19, 5, 24. Cucurbitarum velocitas pernix: scil. reptandi, et crescendi. *Tac. A.* 15, 38. Incendium anteiit remedia velocitate mali. *Id. H.* 1, 83. Velocitas occasionum. *Sen. Ira* 2, 35. Ea demum velocitas placet, quae, ubi jussa est, vestigium sistit, nec ultra destinata procurrit, et quae flecti, et a cursu ad gradum reduci potest. ℙ Transfertur ad animum. *Cic. Tusc.* 4, 13. Velocitas corporis celeritas appellatur: quae eadem ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. *Plin.* 7, 12, 10. Velocitas cogitationum, animique celeritas, et ingenii varietas multiformes notas imprimit. [*Sen. de amicit. fragm.* (ed. *B. G. Niebuhrio*) 2. Utamur, ut in prima parte dicebam, animi velocitate. *F.*] *Val. Max.* 7, 3. *n.* 4. Velocitas sagacitatis.

VĔLOCĬTER, adv. *ταχέως*, celeriter. *Ov. Met.* 11, 586. Vise soporiferam Somni velociter aulam. *Plin.* 16, 44, 90. Aquaticae arbores senescunt velociter. *Cic. Somn. Scip.* 9. Animus velocius in hanc sedem suam pervolabit. *Id. Univ.* 9. Velocissime moveri. *Suet. Tit.* 3. Notis velocissime excipere aliquid.

[VĔLOSUS, a, um, adj. velo instructus. *Not. Tir.* p. 177. Velum, velamentum, velosus, velificat. *F.*]

VĔLOX, ocis, adj. *ταχύς*, celer, citus. [*Etymon vocis facit *Prisc.* 4. p. 105. *Kr.* a *velum*, i. e. quasi velis plenis vel passis, probante *Doederl.* 1, 38. et 2, 125. Quod *Vossius* ex hac originatione collegit, *velox* proprie dici de navibus, id, itemque aliam a *volare* derivationem, rejecit idem *Doederl.* 2, 125. ubi etiam de discrimine agitur inter *velox* et *celer*, quae verba ita differre putat, ut motus navigii remis propulsi a motione navis velis actae.] *Sall. Jug.* 20. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum. *Liv.* 26, 4. Juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces. *Caes. B. G.* 1, 48. Pedites velocissimi ac fortissimi. *Virg G.* 3, 405. Veloces canes. *Id. A.* 5, 253. cervi; et *ib.* 116. Velox navis. *Id. G.* 2, 530. jaculum. *Lucan.* 2, 405. amnis. *Lucr.* 6, 688. flamma. *Plin.* 17, 13, 20. Veloces arbores, *h. e.* quae celeriter crescunt. *Id.* 21, 31, 105. Genus herbae soporiferum atque etiam opio velocius ad mortem, *h. e.* celerius mortem afferens. *Id.* 8, 34, 52. Thoes, luporum genus velox saltu. *Id.* 32, 1, 2. Ad cursum veloces pedes. *Id.* 8, 44, 69. Mulae veloces in cursu. *Id.* 10, 24, 34. Hirundini flexuosi volatus, velox celeritas. *Virg. A.* 4, 174. Fama malum, quo non aliud velocius ullum. *Lucan.* 9, 829. velox currit per tela venenum, Invaditque manum. *Quint.* 12, 2. *med.* Velocissima navigatio. *Ov. Met.* 2, 118. Veloces horae. *Mart.* 8, 8. anni. *Id. Spect.* 2. Hic ubi miramur velocia munera thermas, *h. e.* celeriter exstructas. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 6, 797. nec jam hic absistere velox. ℙ Item agilis, levis. *Ov. Fast.* 2, 452. Et male veloci justa soluta Remo. ℙ *Velox via* ap. *Sen. Med.* 190. est quae velociter conficitur. Sic *Id. Troad.* 398. mors Velocis spatii meta novissima, *h. e.* quod cito decurritur. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 1, 19. Nihil est animo velocius: nulla est celeritas, quae possit cum animi celeritate contendere. *Quint.* 6, 4. Ingenium velox ac mobile. [*Tac. Agr.* 13.] *Quint.* 10, 3. *med.* Decurrere per materiam stilo quam velocissimo. *Phaedr.* 3, 3. Usu peritus hariolo velocior, *h. e.* celerior et felicior in conjectando, et rerum causis assequendis.

[VELTAGRA. V. VERTAGUS. *F.*]

VĔLUM, i, n. *ἱστίον*, linteum in malo navis, quod expansum ventos excipit, et navem impellit: a *vexillum* per syncop., ut *ala* ab *axilla*, *palus* a *paxillus*, *mala* a *maxilla*, *talus* a *taxillus*, fuga litterae vastioris, ut *Cic. Or.* 45. *med.* docet. [*Doederl.* 3, 4. et 236. *velum* non ex *vexillum*, sed ex *vehulum* factum docet, ita ut in *vehere* vocis radix sit posita. Quod nobis vehementer probatur.] *Virg. A.* 1, 106. stridens Aquilone procella Velum adversa ferit; et *ib.* 404. Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo. *Ov. Met.* 11, 483. antennis subnectere velum, *h. e.* contrahere, et circum antennas volvere; et *ib.* 7, 491. pleno concita velo Puppis adest. *Id. Her.* 13, 101. remoque move, veloque carinam. ℙ Saepissime in plur. num. usurpatur. *Cic. Or.* 2, 44. Ad id unde aliquis flatus ostenditur, vela dare. *Liv.* 31, 45. *med.* Velis in altum datis Ieum pervenere. *Cic. Tusc.* 4, 4. *f.* Vela facere; et *ib.* 5. pandere. *Ov. Met.* 3, 663. deducere. V. DEDUCO. *Virg. A.* 3, 268. Tendunt vela Noti; et *ib.* 683. ventis intendere vela secundis; et *ib.* 4, 574. solvere. *Quint.* in *epist. ad Tryphon.* permittere ventis. *Caes. B. C.* 2, 25. *f.* dirigere ad aliquem locum. *Cic. Att.* 1, 16. contrahere; et *Virg. G.* 1, 373. legere. *Hirt. B. Alex.* 45. *med.* subducere; et *ib.* 46. Velis profugere. *Cic. Tusc.* 1, 49. *f.* Passis velis pervehi. *Id. Dom.* 10. Plenissimis velis navigare; et *Virg. A.* 7, 23. Neptunus ventis implevit vela secundis. ℙ Hyperallage est in illo *Virg. A.* 3, 472. classem velis aptare: pro aptare vela classi. ℙ Saepe servit allegoriae. *Cic. Dom.* 10. Cum senatum a gubernaculis dejecisses, populum e navi exturbasses, ipse archi-

pirata cum grege praedonum impurissimo plenissimis velis navigares. *Hor. Od.* 1, 34, 2. Insanientis dum sapientiae Consultus erro, nunc retrorsum Vela dare, atque iterare cursus Cogor relictos. *Id. ib.* 2, 10, 22. sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela. *Id. Ep.* 2, 2, 201. Non agimur tumidis velis Aquilone secundo: Non tamen adversis aetatem ducimus Austris. *Id. Od.* 4, 51, 1. Phoebus volentem proelia me loqui, Victas et urbes, increpuit, lyra, Ne parva Tyrrhenum per aequor Vela darem. *Ov. Pont.* 1, 8, 71. moderatius opta, Et voti, quaeso, contrahe vela tui. *Id. A. Am.* 2, 725. Sed neque tu dominam velis majoribus usus Desine, nec cursus anteat illa tuos. *Cic. Tusc.* 4, 5. Utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem. *Mart.* 8, 70. dare vela Famae, *h. e.* permittere se Famae. ℙ *Velis equisque*, et *remis velisque*, est omni conatu, diligentia, studio, celeritate. *Cic. Tusc.* 3, 11. *f.* Res misera, detestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda. *Id. Off.* 3, 33. Cum his velis equisque, ut dicitur, decertandum est. V. EQUUS. Sic *Pl. As.* 1, 3, 5. Remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge. ℙ *Velum* extra rem nauticam est linteum, pannus, velamen, velarium, aulaeum ad quippiam tegendum. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. Tabernacula carbaseis intenta velis. *Id. Cat.* 2, 10. *med.* Quos pexo capillo, nitidos videtis, manicatis tunicis, velis amictos, non togis. *Plin. ep.* 4, 19. Eadem, si quando recito, in proximo, discreta velo sedet; et *Sen. ep.* 80. Allevare velum; et *Lamprid. Alex. Sev.* 4. Ut salutaretur patente velo admissionalibus remotis. *Suet. Claud.* 10. Inter praetenta foribus vela se abdidit. *Juven.* 6, 226. Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit Vela domus. Adde 9, 105. ℙ [Etiam in theatro, amphitheatro, et aliquando in foro vela superne extendebantur, ne solis ardor, vel imber spectantium nudis capitibus noceret. *Plin.* 19, 1, 6. Carbasina vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Caesar dictator totum forum Romanum intexit, viamque sacram ab domo sua ad clivum Capitolinum; et *mox:* Vela nuper colore coeli, stellata, per rudes iere etiam in amphitheatro principis Neronis. *Lucr.* 4, 73. Et vulgo faciunt id lutea, russaque vela, Et ferrugina, cum magnis intenta theatris Per malos vulgata trabesque trementia flutant. *Prop.* 4, 1, 15. Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro. Adde *Ov. A. Am.* 1, 103. *Inscr.* reperta paucis abhinc annis in pariete depicta Pompejis, quae programmatis loco fuit; edita vero in *Relaz. degli scavi di Pompei* p. 4. A. Suettii Cerii aedilis familia gladiatoria pugnabit Pompeis Pr. K. Junias: venatio, et vela erunt: sc. in amphitheatro, in quo munera gladiatoria, et venationes dari solebant. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Multis simulationum involucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura.

VĔLŪMEN. V. VELLIMEN.

VĔLUT et Vĕlŭti, adv. *ὥσπερ, οἷον*, tanquam, quemadmodum, sicut: a *vel*, et *ut*, aut *uti*. *Pl. Poen.* 4, 1, 2. Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miserum macerat. *Caes. B. G.* 3, 18. *extr.* Laeti, velut explorata victoria, ad castra pergunt. *Sall. Cat.* 1. Vitam silentio transire, veluti pecora, quae, etc. *Nep. Ann.* 1. Velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut, etc. *Cic. Har. resp.* 4. *med.* Si in me impetum facere conabitur, resistam, et ejus conatum refutabo: velut hesterno die, cum mihi minaretur, voce tantum attigi legum initium; consedit ille: conticuit. *Id. Fin.* 2, 35. Elogia monumentorum id significant: velut hoc ad portam; et *N. D.* 2, 48. Bestiae aquatiles, quae gignuntur in terra, veluti crocodili, etc. *Virg. A.* 2, 378. Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit: Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit. *Tibull.* 1, 7, 25. Saepe, velut gemmas ejus, signumque probarem, Per causam memini me tetigisse manum. *Plin.* 27, 5, 20. Comae hyperici tritae velut cruentant: *οἱονεὶ αἱμάσσουσι.* ℙ Pro quasi, paene. *Ov. Met.* 2, 116. ut terras mundumque rubescere vidit, Cornuaque extremae velut evanescere lunae. *Plin. de gallis gallinac.* 10, 21, 24. Dimicatione paritur hoc quoque inter ipsos, velut ideo tela agnata cruribus suis intelligentes. ℙ *Velut si*, tanquam si, quasi. *Caes. B. G.* 1, 32. Absentis Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrebant. *Liv.* 21, 16. Tantus patres metus de summa rerum cepit, velut si jam ad portas hostis esset. [*Cajus Institut.* 3. (ed. *Goeschenio*) §. 225. Atrox autem injuria aestimatur vel ex facto, velut si quis ab aliquo vulneratus, aut verberatus fustibus caesus fuerit; vel ex loco, velut si cui in theatro, aut in foro injuria facta sit; vel ex persona, velut si magistratus injuriam passus fuerit. *F.*] ℙ Et sequente *ita, sic. Liv.* 29, 28. *med.* Itaque, velut si urbem aggressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum. *Cic. Tusc.* 1, 10. Velut in cantu et fidibus, sic ex corporis totius natura, etc. *Colum.* 3, 18. *med.* Velut per fistulam, ita per apertam vitis medullam humor trahitur. *Liv.* 31, 18. *f.* Cum veluti Sagunti excidium, sic Philippo Abydenorum clades ad bellum animos fecisset.

*VEMANĬA, ae, f. oppidum Vindeliciae, hodie, ut creditur, *Wangen. Anton. Itin.* et *Tab. Peuting.* ℙ *Vimania* audit *Notit. Imper. B. A.*

VĔNA, ae, f. *φλὲψ, φλεβὸς, ἀγγεῖον*, vas in corpore animalis, quo continetur sanguis ad cor refluens. Differt ab arteria multipliciter, ut in ea voce dictum est. *Cic. N. D.* 2, 55. *extr.* Venae, et arteriae a corde tractae et profectae, in corpus omne ducuntur. *Lucr.* 3, 443. Sanguinem venis detrahere. *Virg. G.* 3, 460. ferire pedis salientem sanguine venam, i. e. sanguinem mittere ad morbi vim frangendam. *Cels.* 2, 10. Venam incidere. *Suet. Vit. Lucan. f.* secare. *Tac. A.* 15, 35. interscindere; et *ib.* 59. abrumpere; et *ib.* 69. abscindere. *Id. ib.* 16, 17. Venas exsolvere; et *ib.* 19. aperire. *Juven.* 6, 46. pertundere. *Colum.* 6, 14. solvere. ℙ Morti damnatos incisis venis interficere saepe mos fuit: ipsique morti addicti hoc se modo vita privabant, quia eorum, ut ait *Tac. A.* 6, 29., qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium scilicet festinandi. Adde *Sen. Consol. ad Marc.* 22. Exempla passim ap. *Tac.* et *Suet.* occurrent locis modo cit. et alibi. *Cic. Har. resp.* 16. *f.* Eum in vincula conjecit, et medicum intromisit suum, qui legato, socio, amico, libero foedissime et crudelissime venas incideret. Adde *Pis.* 34. ℙ Metonymice est ipse sanguis. *Sidon. carm.* 7, 83. solitosque cruentum Lac potare Getas, et pocula tinguere venis. ℙ *Venae* arterias quandoque significant. *Cic. Fat.* 8. Si cui venae sic moventur, is habet febrem. *Cels.* 3, 6. Venis enim credimus, fallacissimae rei, quia saepe istae lentiores, celeriores ve sunt et aetate, et sexu, et corporum natura. *Sidon. ep.* 22. et *Pers.* 3, 107. Venas tangere. Sic *Suet. Tib.* 72. *f.* tentare. *Cels.* 3, 5. *med.* Si protinus venae conciderunt, i. e. arteriarum pulsus, viribus deficientibus, languit. *Ov. Pont.* 3, 1, 69. Ad medicum specto, venis fugientibus, aeger. ℙ Vulgi persuasio fuit, vinum potum statim in venas influere. *Hor. Ep.* 1, 15, 19. de vino: generosum et lene requiro, Quod curas abigat; quod cum spe divite manet In venas animumque meum. *Phaedr.* 4, 14. irrigatus multo venas nectare. *Virg. Ecl.* 6, 15. Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho. *Plin.* 23, 1, 20. Venae mero excitantur. *Lucr.* 4, 952. cibus in venas cum diditur omnes. ℙ Per metaphoram dicuntur de meatibus aquarum, et metallorum. *Hirt. B. G.* 8, 43. Cuniculis venae fontis intercisae sunt atque aversae. *Mart.* 10, 30. Nec in Lucrina lota Salmacis vena, *h. e.* in aqua. *Cic. N. D.* 2, 60. *med.* Nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus. *Juven.* 9, 31. tenue argentum, venaeque secundae. ℙ Item de ductibus urinae. *Cels.* 4, 1. *med.* A renibus singulae venae colore albae ad vesicam feruntur: *οὐρητῆρας* Graeci vocant. ℙ Item de meatibus, fibris, et lineis arborum, marmoris, lapidum. *Plin.* 16, 38, 73. In quarundam arborum carnibus pulpae, venaeque sunt. Discrimen earum facile: venae latiores candidioresque, pulpae fissilibus insunt; et 13, 15, 30. Mensis praecipua dos in venam crispis, vel in vortices parvos. *Id.* 37, 6, 24. Indicam onychen plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, intervenientibus quarundam oculis obliquis venis: et *ib.* 10. Mediam gemmam secans flammea vena. *Stat. Silv.* 1, 3, 36. An picturata lucentia marmora vena Mirer? ℙ *Plin.* 17, 11, 15. *venas arearum* dicit areas ipsas seminarii longo tractu ductas. ℙ Vena de intima parte cujusque rei. *Virg. A.* 6, 6. quaerit pars semina flammae Abstrusa in venis silicis. *Id. ib.* 4, 2. Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni. *Cic. Cat.* 1, 13. Periculum residebit, et erit inclusum in venis, atque in visceribus reipubl. *Id. Or.* 1, 52. Teneat orator oportet venas cujusque generis, aetatis, ordinis, et eorum apud quos aliquid aget, mentes sensusque degustet, *h. e.* intimam naturam, ingenium, indolem. *Sever.* in *epist.* ap. *Spart. Pesc.* 3. Haec, si ulla vena paternae disciplinae in nobis viveret, fierent? Similia habet *Pers.* 1, 103. ℙ Illa translata sunt a venis aquarum, aut metallorum. *Hor. Od.* 2, 18. 7. Nec Laconicas mihi Trahunt honestae purpuras clientae: At fides, et ingeni Benigna vena est. *Id. A. P.* 409. ego nec studium sine divite vena, Nec rude quid possit, video, ingenium. *Juven.* 7, 53. Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nihil expositum soleat deducere, etc. *Ov. Trist.* 3, 7, 15. Hoc *(ingenium)* ego Pegasidas deduxi primus ad undas, Ne male fecundae vena periret aquae. *Quint.* 6, 2. *med.* Tenuis et angusta ingenii vena. ℙ *Τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικόν. Pers.* 6, 72., *Mart.* 4, 66., 6, 49. et 11, 16.

VĔNĂBŬLUM, i, n. *προβόλιον*, telum, quo venantes utuntur, aciei longissimae. *Cic. Fam.* 7, 1. Aut praeclara bestia venabulo transverberatur. *Martial.* 14, 31. longo venabula rostro. *Virg. A.* 4, 131. lato venabula ferro. *Ov. Her.* 4, 83. venabula cornea. *Id. Met.* 8, 419. Splendidaque adversos venabula condit in armos. ℙ Sagittarum venabula *Plin.* 8, 8, 8. dicit sagittas grandiores in venatu elephantorum adhibitas.

[VĔNĂFER, fra, frum, adj. idem ac Venafranus. *Inscr.* ap. *Grut.* 567, 3. M. Ovius (lege *Ovinius*) M. F. Ter. Rufus Venafer. *F.*]

[VĔNAFRĀNĬUS, a, um. V. VENAFRUM. *F.*]

VĔNAFRĀNUS, a, um, adj. ad Venafrum pertinens. *Hor. Od.* 3, 5, 55. Tendens Venafranos in agros. *Juven.* 5, 86. Ipse Venafrano piscem perfundit; at hic, qui Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit Laternam, *h. e.* optimo oleo.

[VĔNAFRĬUS, a, um. V. v. sq. *F.*]

VĔNAFRUM, i, n. *Venafro*, urbs Campaniae, in confinio Samnii, in colle, a Vulturno fluvio nonnihil distans, olei ferax. *Hor. Od.* 2, 6, 15. viridique certat Bacca Venafro. *Mart.* 13, 101. Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri. [*Paul. Nol. carm.* 14, 77. Huc et olivifero concurrit turba Venafro. ℙ Hinc derivatum est nomen gentilicium *Venafrius*, et *Venafranius. Inscr.* Venafrana ap. *Mur.* 1507, 12. Heic sita sunt ossa Q. Venafrii. *Alia* ap. *eund.* 1447, 5. Venafrania Festa. Alia ap. *Cotugno, Mem. di Venafro* p. 86. Q. Venafranius Col. L. (*h. e.* coloniae libertus) Felix. V. AMITERNUM. *F.*]

VĔNĂLĬCĬĂRĬUS, a, um, adj. ad venalicios pertinens. *Ulp. Dig.* 32, 1, 71. Venaliciariam exercere, *h. e.* negotiationem venalium. *African. ib.* 50, 16, 207. Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait: et ob eam rem mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari ait, et recte. Adde *Paul. ib.* 21, 1, 44. et *Ulp. ib.* 14, 4, 1.; ubique autem intelliguntur ii, qui in venalibus servis negotiantur.

VĔNĂLĬCĬUS, a, um, adj. *ὤνιος*, venalis: et dicitur de servis novitiis, ut in v. sq. dicetur. *Plin.* 35, 18, 58. Hoc est insigne venaliciis gregibus. *Suet. Aug.* 42. *med.* Venaliciae familiae. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 1. et 637, 5. Mercator venalicius. ℙ *Venalicius* absolute est negotiator venalium servorum. *Cic. Or.* 70. Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt. *Plin.* 21, 26, 97. Hyacinthi radix est bulbacea, mangonicis venaliciis pulcre nota. ℙ *Venalicia, orum*, venales, ut *servitia* servi. *Ulp. Dig.* 28, 8, 5. Qui possit etiam ea, quae nimium sumptuosa sint (velut jumenta, aut venalicia) vendere. ℙ *Venalicium, ii*, est mercatus servorum *Venul. Dig.* 21, 1, 65. Quicumque ex venalicio novitiorum emptus, alicui ministerio praepositus sit, *h. e.* ex turba, seu grege venalium. *Petr. Sat.* 29. Erat autem venalicium titulis pictum, et ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat, Minervaque ducente Romam intrabat, *h. e.* venales cum titulis pictis in quibus patria, nomen, aetas singulorum adscribebantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 5, 1 et 2. et 8, 3. Genius venalicii. *Alia* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 712. Testor Deos, una me tecum congressum in venalicio, una domo liberos esse factos. ℙ Est etiam vectigal rerum venalium. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12, 19, 4. Qui in sacris scriniis nostris referuntur, superindictum non timeant, venalicium non petatur; solumque canonicae indictionis praestent tributum.

VĔNĀLIS, e, adj. *ὤνιος*, expositus emptoribus, vendibilis. *Cic. Off.* 3, 14. Venales hortos habere. *Id. Agr.* 3, 4. Possessiones venales ac proscriptas hac lege video. *Id. Quint.* 13. Vocem venalem habere, *h. e.* praeconem esse. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Cibus uno asse venalis. *Sil.* 15, 503. Venales animae. *Varr. R. R.* 1, 16. Ubi non sit quo deferri possit venale, non expedit colere hortos. ℙ Aliquando ponitur pro avaro, sordido, qui pecuniae, aut obsonii gratia se ipsum venderet, nihilque facere recusaret. *Sall. Jug.* 39. *extr.* Urbem venalem, et mature perituram, si emptorem invenerit. *Liv.* 35, 50. Trahentibus ad Antiochum quibusdam venalem pretio multitudinem. *Cic. Dom.* 19. Denique ille novitius Ligur, venalis ascriptor et subscriptor tuus. *Id. Verr.* 2, 3, 62. *med.* Habere fidem, jusjurandum, veritatem, officium, religionem venalem. *Prop.* 2, 13, 21. Nunquam venales essent ad munus amicae. *Mart.* 3, 60. Cum vocor ad coenam non jam venalis, ut ante. ℙ Interdum *venales*, si nihil addas, servi intelliguntur, qui ad vendendum sunt expositi, et proprie novitii. Servorum enim alii novitii sunt, alii veteratores. *Quint.* 8, 2. Item quod commune est et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, ut urbem, Romam accipimus; et venales, novitios; et Corinthia, aera: cum sint urbes aliae quoque, et venalia multa, et tam aurum et argentum, quam aes Corinthium. *Pl. Trin.* 2, 2, 51. Mercaturamne, an venales habuit? *Sen. Ben.* 13. *extr.* Mercator urbibus prodest, medicus aegris, mango venalibus. *Id. ep.* 80. *med.* Detrahis vestimenta venalibus, nequa vitia corporis lateant. *Cic. Verr.* 2, 5, 56. *f.* Venales Asiatici. *Plin.* 35, 17, 57. Creta pedes venalium trans mare advectorum denotare. ℙ Sunt qui scrib. *vaenalis.* V. VENEO.

VĔNĀLĬTAS, atis, f. avaritia, sordes, cum quis pecuniae et lucri causa ab officio recedit. *Imp. Zeno Cod.* 4, 59. *f.* et *Sidon. ep.* 5, 13. *med.*

VĔNĀLĬTER. V. VERNALITER.

*VENAMI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

*VENARIA, ae, f. insula maris Hetrusci, Italiae adjacens. *Plin.* 3, 6. ℙ In *Mart. Capell.* 6. *med.* p. 207. ed. *Grot.* impressum *Veneria. B. A.*

VENANTIUS FORTUNATUS Duplavilensis, in agro Tarvisino natus est, poeta Christianus, episcopus Pictaviensis in Gallia, scripsit libros quatuor carminum de vita S. Martini, et alia multa, quae diligentissime collegit, illustravit et edidit Romae ann. MDCCLXXXVI. *Mich. Ang. Luchius* monachus Cassinensis. Floruit sub Justino juniore, saeculo Christi sexto. Stilus ejus inconditus est, et in prosodia licentia non imitanda.

VENATICIUS, a, um, adj. *θηρευτικὸς, κυνηγετικὸς*, ad venationem spectans. *Varr. R. R.* 2, 9. Canum duo genera, unum venaticum, et pertinet ad feras bestias ac silvestres; alterum quod custodiae causa paratur. *Cic. Verr.* 2, 4, 13. Mirandum in modum canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia, et pervestigabant. *Pl. Mil.* 2, 2, 113. Ibo odorans, quasi canis venaticus, usque donec persecutus vulpem ero vestigiis. *Hor. Ep.* 1, 2, 65. venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus. ℙ Canum venaticorum elegantissime excogitata nomina habes ap. *Ov. Met.* 3. a *v.* 206. ℙ Translate *Pl. Capt.* 1, 1, 17. Prolatis rebus parasiti venatici sumus, *h. e.* macri, et ad coenam foris captandam expediti. V. INVENATICUS.

VENATIO, onis, f *θήρα, κυνηγία, κυνηγεσία*, ferarum persecutio. *Cic. Sen.* 16. *med.* Conditiora facit haec supervacanei operis aucupium atque venatio. ℙ Sumitur etiam pro spectaculo venatorio. Nam ad populi voluptatem servi et inter se pugnabant, qui dicebantur gladiatores, et cum bestiis, unde bestiarii appellati sunt. *Cic. Fam.* 7, 1. Reliquae sunt venationes, bina per dies quinque, magnificae, nemo negat. Sed quae potest esse homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur, aut praeclara bestia venabulo transverberatur? *Suet. Claud.* 21. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione, *h. e.* quintuplici ferarum immissione edita. *Inscr.* ap. *Grut.* 352, 1. T. Ancharius Priscus, aedilis, quaestor gladiatorum paria triginta, adjecta venatione, edidit. ℙ Item pro ipsa praeda venatione parta, et quidem pro carne ferina, quia feras tantummodo bestias venari solemus. *Liv.* 35, 49. Cum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa et varia venatio; homo renidens, condimentis, ait, varietatem illam et speciem ferinae carnis, ex mansueto sue factam. *Cels.* 5, 26. *n.* 30. Et avis, et venatio, et suilla elixa dari potest. Adde *Cic. Fin.* 2, 8. et *Cels.* 2, 20, 24. et 26. ℙ *Venatio* interdum a *venatu* ita distinguitur, ut illa sit praeda venatione parta, hic ferarum persecutio. *Sidon. ep.* 4, 9. de viro illustri: Ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit; itaque occulte delicateque religiosus venatu utitur, nec utitur venatione. ℙ Hinc septum venationis, ap. *Varr. R. R.* 3, 12. et *Colum.* 9. *praef.*

VENATOR, oris, m. *θηρατὴς, θηρευτὴρ, κυνηγέτης*, qui venatur, qui feras persequitur. *Cic. Tusc.* 2, 17. Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. *Hor. Od.* 1, 1, 25. manet sub Jove frigido Venator tenerae conjugis immemor. ℙ Est inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 114. Callisthenes Caesaris venator. *Alia* ap *Mur.* 531, 2. Collegium venatorum. ℙ Translate. *Pl. Mil.* 3, 1, 14. Venator adest nostris consiliis cum auritis plagis. *Cic. N. D.* 1, 30. Speculator venatorque naturae. ℙ Loco adjectivi. *Virg. A.* 12, 751. Venator cursu canis et latratibus instat. *Stat. Th.* 9, 685. venator equus. Sic pugnator juvencus, *Virg. A.* 11, 680. bellator equus, *Id. ib.* 89. et *Tac. G.* 14. praedator equus, *Stat. Th.* 4, 317. bellator taurus, *Id.* 3, 330. latratores molossi, *Mart.* 12, 1. taurus arator, *Ov. Fast.* 1, 698. et *Suet. Vesp.* 5. Quae collegit *Broukus.* ad *Tibull.* 1, 11, 46. ℙ Est etiam qui in spectaculo venatorio sese cum belluis pugnaturum offerebat. *Appul. Met.* 4. Gladiatores istic famosae manus, venatores illic probatae pernicitatis, alibi noxii, perdita securitate, suis epulis bestiarum saginas instruentes. *Cassiod. Var.* 5, 52. Si venit ad pretium delectabilis cantilena, quo munere venator explendus est, qui, ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat? *Tert. ad Mart.* 5. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt.

VENATORIUS, a, um, adj. *θηρευτικὸς*, ad venatorem spectans. *Nep. Dat.* 3. Gerens in capite galeam venatoriam. *Plin. ep.* 3, 19. Venatorium instrumentum. *Suet. Aug.* 19. *f.* Venatorius culter.

VENATRIX, icis, f. *κυνηγέτις*, quae venatur. *Virg. A.* 1, 322. Namque humeris de more habilem suspenderat arcum Venatrix. *Ov. Met.* 2, 454. Dea venatrix, *h. e.* Diana. Sic *Juven.* 13, 80. Per calamos venatricis pharetramque puellae. *Mart.* 11, 69. Canis venatrix. *Ov. Met.* 2, 492. ursa. ℙ De loco, ubi saepe venatio fit. *Virg. A.* 9, 177. Ida venatrix.

VENATURA, ae, f. idem ac venatio. Translate. *Pl. Mil.* 4, 1, 43. Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus? *h. e.* sermones nostros, et facta clam indagare.

VENATUS, a, um, part. a *venor*, qui venatus est. *Ov. Fast.* 2, 163. Mille feras Phoebe silvis venata redibat.

VENATUS, us, m. idem ac venatio. *Cic. Tusc.* 5, 34. Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. *Ov. Her.* 15, 17. Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos? *Virg. A.* 7, 746. assuetaque multo Venatu nemorum gens; et *ib.* 9, 605. Venatu invigilant pueri; pro *venatui.* V. dicta in ASPECTUS. ℙ De piscatu. *Pl. Rud.* 4, 3, 30. Dominus huic, nisi ego, nemo natus est, hunc qui cepi in venatu meo.

VENDAX, acis, adj. omn. gen. *φιλοπραιης*, qui facile, seu libenter vendit. *Cato. R. R.* 2. *extr.* Patrem familias vendacem, non emacem esse oportet.

VENDIBILIS, e, adj. *τιμαλφὴς, ὠνητὸς*, qui facile vendi potest. *Cic. Agr.* 2, 14. Adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum, et magnae pecuniae. *Hor. Ep.* 1, 17, 47. Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus. *Varr. R. R.* 1, 4. Arbusta atque oliveta vendibiliorem agrum faciunt. ℙ Translate. *Cic. Am.* 25. Tamen illius vendibilem orationem religio Deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat, *h. e.* popularem, probabilem et gratam vulgo: quia quae grata sunt, facile emptorem inveniunt. *Id. Fin.* 1, 3. *f.* An, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis: nosque ea scripta legimus libenter; haec quae vitam continent omnem, negligentur? nam ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt. *Id. Brut.* 47. Horum aetati prope conjunctus L. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset. *Ov. Am.* 3, 12, 9. quid enim formae praeconia feci? Vendibilis culpa facta puella mea est, *h. e.* quia illam laudavi, coepit aliis innotescere, et placere, et flagitantibus se vendere.

[VENDIBILITER, adv. care, magno pretio. Comp. *vendibilius* ap. *Hieron. ep.* 130. *n.* 18. Fuge lasciviam puellarum, quae ornant capita, crines a fronte demittunt, cutem poliunt, ut sub nomine virginali vendibilius pereant. V. *Ov. l. c.* in VENDIBILIS et LUCROSE. *F.*]

VENDICO. V. VINDICO.

VENDITARIUS, a, um, adj. *πράσιμος*, venalis: et dicitur de iis, quae vendere cupimus. *Pl. Stich.* 1, 3, 102. Negato esse quod dem, nec mu, nec mutuum, neque aliud quidquam, nisi hoc quod habeo pallium: linguam quoque etiam venditariam.

VENDITATIO, onis, f. *ἐπίδειξις, ἀλαζονεία*, actus venditandi, ostentatio. *Cic. Tusc.* 2, 26. *f.* Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione, et sine populo teste fiunt. *Id. Am.* 23. A multis virtus contemnitur, et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur. *Plin.* 29, 1, 8. Ostentatio artis, et portentosa scientiae venditatio.

VENDITATOR, oris, m. qui aliquid ostentat et jactat. *Tac. H.* 1, 49. Famae nec incuriosus, nec venditator.

[VENDITATUS, a, um, part. a *vendito*, saepe venditus. *Tac. A.* 14, 50. Venditata ab eo munera principis, et adipiscendorum honorum jus. *F.*]

VENDITIO, onis, f. *πωλὴ, πρᾶσις*, actus vendendi. *Sen. Ben.* 5, 10. Venditio alienatio est, et rei suae, jurisque in ea sui in alium translatio. *Cic. Rosc. Am.* 38. Ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum. *Id. ib.* 44. Quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant. *Scaevola Dig.* 26, 7, 55. Venditionem animalium facere. *Ulp. ib.* 3, 5, 1. Venditionem pati, aut pignoris distractionem. *Id. ib.* 18, 2, 4. *med.* et *ib.* 43, 23, 11. *med.* Antequam venditio transferatur, *h. e.* ipsa res vendita. ℙ Olim *venditiones* dicebantur censorum locationes, quod velut fructus publicorum locorum venibant: *Festus.*

VENDITO, as, a. l. *φιλοπωλέω*, vendere cupio, venale propono. Non enim frequentativum est, sed desiderativum. *Cic. Att.* 1, 14. *f.* Tusculanum venditat, ut, si possit, emat Pacilianam domum. *Plin. ep.* 1, 24. Tranquillus vult emere agellum, quem venditare amicus tuus dicitur. ℙ Interdum reperitur pro saepe, frequenter, continue vendere. *Plin.* 22, 22, 38. Haec est, quam Aristophanes Euripidi poetae objicit joculariter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem. *Colum.* 8, 16. Cato tutor Luculli grandi aere piscinas venditabat. *Pl. Mil.* 2, 3, 41. Non possum, quae ipsa sese venditat, tutarier, *h. e.* se prostituit. [*V. *Lindem.* ad h. l.] ℙ Item pro passim vendere. [*Minime gentium! *Venditare* dicitur h. l. sensu turpi de eo, qui vendit, quae vendere nefas. V. *Doederl.* 4, 119. sq.] *Cic. Verr.* 2, 2, 54. *med.* Istius omnia decreta, imperia, litteras peritissime et callidissime venditabat. [*Praeter hunc locum *Doederl.* l. modo l. habet ista: *Cic. Verr.* 2, 4, 59. §. 133. *Quint.* 12, 7, 6. et *Liv.* 14, 25. quae *Noster.* §. seq. adscripsit; et 38, 42. Pacem pretio venditare. Pertinent huc etiam alia quaedam de exemplis §. sq.] ℙ Translate snmitur pro ostentare: tracta ab institoribus metaphora, qui merces suas ostentare praecupide solent. [*Ingentem exemplorum numerum ex Ciceronis scriptis collectum reperies in *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Auct. ad Her.* 2, 30. Venditare ingenium, et ostentare memoriam. *Cic. Att.* 8, 16. et *Sull.* 11. et *Liv.* 3, 35. Venditare se alicui, *h. e.* se praebere, se offerre, se jactare. *Liv.* 44, 25. et *Just.* 5, 3. alicui operam suam. *Liv.* 39, 42. *med.* obsequium amatori. *Claud. B. G.* 566. foedera fallax Ludit, et alternae perjuria venditat aulae, *h. e.* jactat, praedicat, gloriatur se perjurum fuisse. ℙ [**Venditare* idem etiam quod laudare. *Cic. Att.* 1, 16. Antonio tuo nomine gratias egi, eamque epistolam Manlio dedi. Valde te venditavi. Ita *Schütz.* et *Orell.* Alii tamen aliter legunt, neque certa loci est lectio. Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Part. *Venditans* ead. significatione habet *Vell.* 2, 63. Senatui se litteris venditans.

VENDITOR, oris, m. *πωλητὴς, πράτης*, qui vendit. *Cic. Off.* 8, 12. Ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret. *Id. in Sen.* 4. *med.* Mercatores provinciarum ii sunt, ac venditores nostrae dignitatis. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Ne turdi alieno tempore venditoris moriantur, *h. e.* tempore non opportuno venditori.

VENDITRIX, icis, f. quae vendit. *Scaevola Dig.* 18, 3, 8. Testatus est, defuisse venditricem.

VENDITUS, a, um, part. a *vendo:* venundatus, *καταπραθείς. Sen. Ben.* 6, 38. Constat negotiatio ex empto et vendito. V. *Mart. l. c.* in v. sq.

VENDO, is, idi, itum, a. 3. *πωλέω*, venditionem facio, rem alteri pretio accepto trado, alieno, mancipo: contractum a *venundo. Pl. Ps.* 1, 3, 118. Juravisti, te illam nulli venditurum, nisi mihi. *Id. Pers.* 4, 4, 31. Aut hoc emptore vendes pulere, aut alio non potes. *Id. As.* 1, 1, 74. Argentum accepi, dote imperium vendidi. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis, ut aut male vendendum intelligas, si processit; aut male perceptos fructus, si recte licet vendere; et *ib.* Quam optime vendere. *Id. Sext.* 26. aliquid pecunia grandi. *Id. Off.* 3, 12. *med.* Vendo meum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris. *Id. Verr.* 2, 3, 53. Dicit, quanti cujusque agri decumas vendiderit; et Data est opera a me, ut quam plurimo decumas venderem; et Cur non ita magno vendidisti? *Pl. Merc.* 2, 3, 93. Viginti minis opinor posse me illam vendere. *Mart.* 12, 102. merx est, quae vendita saepe Vendentem nunquam deserit, aut minuit. [**Liv.* 40, 51. quas (tabernas) vendidit in privatum.] ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 1, 75. Injuste totum ducit, venditque poema, *h. e.* laudat quasi venditurus. *Tibull.* 1, 4, 53. At tibi qui Venerem docuisti vendere primus. [*V. *Heyn.*] *Pers.* 1, 122. Hoc ridere meum, tam nil nulla tibi vendo Iliade. *Juven.* 7, 135. purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina, *h. e.* commendant, et in causa sunt, cur locet multis operam suam. *Cic. Att.* 13, 12. Ligarianam praeclare vendidisti, posthac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam, *h. e.* praeclare commendasti, ut ait *ib.* 19., et effecisti, ut probaretur a multis. *Juven.* 8, 192. Vendere sua funera. *Pers.* 6, 75. animam lucro; et *Mart.* 5, 16. verba sollicitis, *h. e.* mercede causas orare. ℙ *Vendere* dicuntur, qui lucri et pecuniae causa quippiam alteri per nefas concedunt. *Virg. A.* 6, 621. Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem Imposuit; et *Juven.* 10, 77. Vendere suffragia. ℙ *Vendere* pro locare quidam putant usurpari a *Cic. Verr.* 2, 1, 54. *f.*, alii negant. V. VENDITIO. [**Vendere* et *mancipare* secundum *Doederl.* 4, 121. ita differunt, ut hoc nonnisi mercatoris actum, *mancipare* etiam juris constitutiones in rebus vendendis comprehendat. ℙ Permut. *vendere* et *emere.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 296.]

[VENEDI, orum, m. plur. *Οὐενέδαι*, populi Germaniae septentrionalis ad Vistulam fluv. *Plin.* 4, 13, 21. Quidam haec habitari ad Vistulam usque fluvium, a Sarmatis, Venedis, Scirris, Hirris tradunt. *Tac. G.* 46. Peucinorum, Venedorumque, et Fennorum nationes Germanis ac Sarmatis adscribam, dubito; et *mox:* Venedi quidquid inter Peucinos, Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. *F.*]

VENEFICA. V. VENEFICUS.

[VENEFICIOLUM, i, [n. dimin. veneficii. *Not. Tir.* p. 134. Veneficus, veneficium, veneficiolum. *F.*]

VENEFICIUM, ii, n. *φαρμάκευσις, γοήτευμα*, crimen, quo quis veneno, malis pharmacis, aut incantationibus aliquem necat, maleficium. [**Giftmischerey*]. Apud Romanos erat crimen publicum, et capitale: deque eo primum quaestio est instituta, cum multarum matronarum fraude non pauci primores civitatis veneno sublati sunt, ut *Liv.* 8, 18. et *Val. Max.* 2, 5. *n.* 3. narrant. Adde *Mart. Dig.* 48, 8, 3. et V. orationem *Cic. pro Cluent.*, ubi hujus rei saepe fit mentio. *Tac. A.* 12, 66. Locusta nuper veneficii damnata. *Plin. ep.* 7, 6. *med.* Deferre aliquem falsi et veneficii reum. ℙ De incantationibus: [**Zaubereien.* De his et devotionibus v.

Duker. ad *Liv. epit.* 8.] *Cic. Brut.* 60. Subito totam causam oblitus est: idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. C. Furius Cresimus in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis; et *mox:* Instrumentum rusticum omne in forum attulit, etc. Postea dixit: veneficia mea, Quirites, haec sunt. *Id.* 25, 2, 5. Solis lunaeque defectus veneficiis et herbis cogi, eamque nunc feminarum scientiam praevalere. *Ov. Her.* 6, 150. de Medea: Quosque veneficiis abstulit illa suis. *Petr. Sat.* 128. Veneficio contactus sum.

VĒNĒFĬCUS, a, um, adj. *φαρμακώδης*, ad veneficium pertinens. *Ov. Met.* 14, 365. Concipit illa preces, et verba venefica dicit. *Plin.* 28, 3, 6. Hominum monstrificae naturae, et venefici aspectus. *Id.* 30, 2, 6. Veneficae artes. *Solin.* 25. *med.* Chamaeleon vermis elephantis veneficus. ℙ *Veneficus, i*, m. absolute, *φαρμακὸς*, et *Venefica, ae*, f. *φαρμακὶς*, incantationibus, aut malis medicamentis utens [**Giftmischer, Giftmischerin.*] *Cic. Cat.* 2, 4. Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, etc. [*Adde *Inv.* 2, 19.] *Ov. Her.* 6, 19. Barbara narratur venisse venefica tecum. ℙ Usurpantur in maledictis. *Pl. Pers.* 2, 4, 7. Etiamne dicis, ubi sit, venefice? *Ter. Eun.* 5, 1, 9. Quid ais, venefica? [*V. Exempla *Cic.* in *Schützii cl. Cic.* s. h. v.]

VĒNĒNĀRĬUS, ii, m. *φαρμακοποιὸς*, qui parat, vel conficit, aut vendit venena. *Suet. Ner.* 33. Quod acceptum a quadam Locusta venenariorum indice (al. *inclyta*), cum opinione tardius cederet, etc. [Cf. *Oudendorp.*] Adde *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* et *Tert. Pud.* 5. *med.* ℙ Adjective venenarius calix, h. e. veneno temperatus, legitur ap. *eund. Resurr. carn.* 16. [*Hujus loci ordinem non recte instituit *F.* Debebat exemplum, quod adject. hujus voc. usum demonstrat, non in fine, sed ab initio collocari.]

VĒNĒNĀTUS, a, um, part. a *veneno: ἰώδης*, veneno imbutus, infectus. *Cic. Quint.* 2. Venenatum telum. *Id. N. D.* 2, 50. Venenata caro. ℙ Item venenosus, h. e. venenum naturaliter habens. *Cic. Har. resp.* 24. Vipera venenata et pestifera. *Ov. Her.* 12, 95. Arva venenatis pro semine dentibus imples. *Plin.* 32, 2, 12. Nihil est usquam venenatius, quam in mari pastinaca. *Tert. Baptism.* 1. Vipera venenatissima. ℙ Translate est mordax, maledicus. *Ov. Trist.* 2, 565. Candidus a salibus suffusis felle refugi: Nulla venenato littera mixta joco est. ℙ Item magicus, veneficus, incantationibus idoneus. *Id. Met.* 14, 412. de Circe: illa paventum Ora venenata tetigit mirantia virga. ℙ Significat etiam tinctum, colore imbutum. [*Haec prima vocis est significatio. V. in Venenum.] Hinc venenatum dictum est pallium flaminicae, quod luteo colore tinctum erat. *Serv.* in illud *Virg. A.* 4, 137. Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo: Veteri, inquit, caeremoniarum jure praeceptum est, ut flaminica venenato operta sit. Operta autem cum dicitur, pallium significatur. Venenatum autem, infectum, quod ipse ait in Bucolicis (*G.* 2, 465.) nec Assyrio fucatur lana veneno; et *mox:* Flaminicam habere praecipitur arculum, ricam, venenatum, fibulam. *Id.* ad illud *A.* 12, 602. Purpureos moritura manu discindit amictus: Rem, inquit, quae flaminicae competit, transtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet. Nam cum amictam dicit, opertam dicit, quae res ad pallium refertur. Haec *Servius*, cui adde *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15., ubi *venenatus* eod. sensu adhibetur.

*VENENI, orum, populi Liguriae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

VĒNĒNĬFER, ra, rum, adj. *φαρμακοφόρος*, veneficus, venenosus, venenum afferens. *Ov. Met.* 3, 85. Jamque venenifero sanguis manare palato Coeperat.

VĒNĒNO, as, a. 1. *φαρμακεύω*, veneno inficio, corrumpo. *Lucr.* 6, 820. de Averno: Ut spatium coeli quadam de parte venenet. ℙ Usurpatur etiam pro colore tingere. *Cn. Mattius* ap. *Gell.* 20, 9. Jam tonsiles tapetes ebrii fuco, Quos concha purpura imbuens venenavit. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 14, 37. Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat, non odio obscuro morsuque venenat.

VĒNĒNOSUS, a, um, adj. *ἰώδης*, venenatus. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Quaedam pecudes culturae sunt inimicae ac venenosae, ut istae, quas dixisti, caprae. Alii plerique leg. *ac veneno. August. de Gen. ad litt.* 8, 13. Venenosa herba.

VĒNĒNUM, i, n. *φάρμακον, ἰὸς*, succus, liquor, pharmacum. Vox est media, et in utramque partem sumi potest, ut *valetudo, medicamentum, tempestas, facinus*, et alia. *Cajus Dig.* 50, 16, 236. Qui venenum dicit, adjicere debet, malum, an bonum sit: nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum ejus naturam, cui adhibitum est, mutat; cum id, quod nos venenum appellamus, Graeci *φάρμακον* dicunt. (Adde *Mart. ib.* 48, 8, 3.) Hinc *Hor. Ep.* 5, 87. Venena, magnum fas, nefasque, *h. e.* quae tam bonum, quam malum facinus significant. *Vetus lex* ap. *Cic. Cluent.* 54. Qui venenum malum fecit, fecerit. *Prud. Hamart.* 231. Quid loquar herbarum fibras medicante veneno Tinctas letiferi fudisse pericula succi? *Val. Flacc.* 6, 275. vulnus referens, quod carmine nullo sustineat, nullisque levet Medea venenis. ℙ Fere tamen ponitur pro succo et medicamento noxio. *Cic. Cael.* 24. Ipsius autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est? quomodo paratum? cui, quo loco traditum? Habuisse ajunt domi, vimque ejus expertum in servo, cujus perceleri interitu, etc. *Id. Cluent.* 61. Oppianicum veneno necatum esse, quod ei datum sit in pane; et *ib.* 60. C. Vibium ab hoc veneno esse sublatum. *Id. N. D.* 3, 33. Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat. *Id. Tusc.* 1, 40. *med.* Venenum alicui praebere. *Id. Phil.* 11, 6. alicui infundere. *Id. Coel.* 21. parare. *Id. Cat.* 2, 10. *med.* sicas vibrare, et venena spargere. *Nep. Them.* 10. Venenum sumere. *Appul. Met.* 10. Venenum momentarium; et peremptorium; et praesentarium. ℙ Commode transfertur ad ea, per quae nocetur animo. *Sall. Cat.* 11. Avaritia pecuniae studium habet: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat. *Ov. Met.* 2, 777. de Invidia: Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno; et *ib.* 801. et medio spargit pulmone venenum. *Sil.* 11, 550. atra veneno Invidiae, nigroque undantia felle. *Id.* 3, 580. blandoque veneno Desidiae virtus paulatim evicta senescit. *Id.* 7, 453. de amore; Si mea tela dedi blando medicata veneno. (Adde *Prop.* 2, 9, 19.) *Id.* 11, 309. Mens una inviolata mero, nullisque venenis Potando exarmata. *Id.* 7, 260. fraudisque veneno Aggreditur mentes. *Liv.* 2, 52. Tribuni plebem agitare suo veneno, agraria lege. *Id.* 3, 67. Discordia ordinum est venenum urbis hujus. *Afran.* ap. *Non.* 1, 1. Aetas, et corpus tenerum, et morigeratio, Haec sunt venena formosarum mulierum, *h. e.* delinimenta, quibus viros capiunt et corrumpunt. *Mart. Dig.* 48, 8, 3. Id quod amatorium appellatur, venenum est. ℙ Lepide mala carmina *venena* vocat *Catull.* 14, 19., quia legentes quodammodo cruciant atque enecant. Sic 44, 11. Oratio plena veneni et pestilentiae, *h. e.* insulsitatis, et ineptiarum. *Id.* 77, 5. vitae crudele venenum, *h. e.* quod vitam miseram reddit: quod vivendi jucunditatem corrumpit. ℙ De maledictis et conviciis. *Hor. Sat.* 1, 7, 1. Rupili pus atque venenum Ibrida quo pacto sit Persius ultus, etc. *Stat. Theb.* 1, 171. Atque aliquis, cui mens humili laesisse veneno Summa, etc. Sic *venenatos jocos* dixit *Ov. Trist.* 2, 565. ℙ Est etiam medicamentum, quo color inducitur, praesertim purpurae. *Virg.* 2. G. 465. Alba nec Assyrio fucatur lana veneno. *Hor. Ep.* 2, 1, 207. Tarentinum venenum. *Ov. Rem. Am.* 351. cum positis sua collinet ora venenis. ℙ Item quo arcetur putredo. *Luc.* 8, 690. putrisque effluxit ab alto Humor, et infuso facies solidata veneno est. ℙ Spuma et virus maris, quod sole incoctum densatur in salem, *venenum* dicitur a *Manil.* 5, 690, tum quia amarissimum est; tum quia corruptioni est contrarium. ℙ Ponitur et pro incantatione magica, veneficio. *Pl. Ps.* 3, 2, 80. Ut Medea Peliam concoxit senem, quem medicamento et suis venenis dicitur fecisse rursus ex sene adolescentulum: *medicamento*, h. e. succis: *venenis*, h. e. verbis. *Lucan.* 6, 501. Phoebe diris verborum obsessa venenis Palluit. *Hor. Ep.* 5, 87. Venena non valent convertere humanam vicem. *Cic. Or.* 37. *med.* Cum coepisset Curio respondere, subito assedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret. *Id. Off.* 3, 19. Qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat. ℙ [*Cf. *venenum* et *vinum*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 353.]

VĒNĔO, is, ivi, *aut* ii, itum, et venum, passiv. anom. *πωλέομαι*, vendor, quasi *venum eo. Sen. Const. sap.* 1. *extr.* Caeca cupiditate corrupti non intelligebant, se, dum vendunt, venire. *Pl. Men.* 5, 9, 95. Auctio fiet: venibunt servi, supellex, fundi, aedes, omnia venibunt. *Cic. Att.* 5, 20. Mancipia venibant Saturnalibus tertiis. *Id. Fam.* 7, 2. Ei mandasti potissimum, cui expediret illud venire quam plurimo; et *mox:* Licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat. *Id. Verr.* 2, 3, 39. Cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, cum magno venissent. *Nep. fragm.* ap. *Plin.* 9, 39, 63. Purpurae violaceae libra denariis centum venibat. *Pl. Men.* 2, 2, 15. Quibus hic pretiis porci veneunt? *Hor. Sat.* 2, 2, 25. Corruptus vanis rerum, quia veneat auro Rara avis. *Claud. in Eutr.* 1, 210. Non pudet, heu Superi! populos venire sub hasta. *Quint.* 12, 1. f. Respondit, a cive se spoliari malle, quam ab hoste venire. *Sen. Const sap.* 3. Cum sapientem negastis servum esse, iidem non itis inficias, et veniturum, et imperata facturum. ℙ Positione passiva *Pl. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 365. Egone illi venear? *Titianus de agricult. ib.* Nam id melius emitur, quam veneatur. ℙ *Veniet* in futuro pro *venibit* V. *Inscr.* de qua infra, et vide similia in EO. ℙ De supino *venum* V. suo loco. ℙ Supinum *venitum*, paenult. correpta ponitur a *Prisc.* 10, 907. secundum analogiam, quamvis in usu sit *venum*. Ab eo particip. passiv. *venitus*, et quidem paenult. prod. usurpavit *Sedul. hymn.* 1, 21. Reppulit ille famem venitus crimine fratrum. ℙ Sunt qui scrib. *vaeneo*, ut sit discrimen a *venio* v. gr. in infinito. Sed haec levis est ratio. Diphthongum rejiciunt *Manut.*, *Dausqu.* et *Cellarius*, freti praecipue veterum lapidum auctoritate. *Inscr.* ap. *Mur.* 1311, 2. Hoc monumentum neque veniet, neque donabitur, neque, etc. Ita eandem legit *Appian.* 308., qui vidit: *Smetius* vero 172, 15., qui ex *Appiano* se proferre fatetur, et *Gruterus* 762, 5., qui ex *Smetio*, exhibent *vaeniet* pro *veniet*. At alia ap. *eund. Grut.* 961, 4. Hoc monumentum venire non licebit. Ita etiam scribit *Lips.* 49., qui eandem se Romae vidisse testatur. [Quaedam adjecit *F.*]

VĔNĔRĀBĬLIS, e, adj. *σεβάσμιος, σεμνὸς*, qui cultu et veneratione dignus est. *Virg. A.* 6, 408. ille admirans venerabile donum Fatalis virgae, longo post tempore visum. *Liv.* 1, 7. *med.* Venerabilis vir miraculo litterarum, rei novae inter rudes artium homines; venerabilior divinitate credita Carmentae matris. *Hor. Sat.* 2, 5, 14. Ante larem gustet venerabilior lare dives. ℙ Active pro eo, qui alterum veneratur. *Val. Max.* 1, 1. n. 15. Senatus nostrae civitatis venerabilior in Deum; et 2, 4. n. 4. Venerabilia erga Deos verba.

VĔNĔRĀBĬLĬTER, adv. cum veneratione. *Macr. Sat.* 7, 11. Servius his dictis venerabiliter assensus, obticuit. *Val. Max.* 5, 1. n. 5. Victorem venerabiliter exceperunt.

VĔNĔRĀBUNDUS, a, um, adj. *σεβόμενος*, cum veneratione aliquid faciens. *Liv.* 5, 41. Haud secus quam venerabundi, intuebantur in aedium vestibulis sedentes viros; et *ib.* 22. Venerabundi templum iniere. Adde *Suet. Cal.* 5.

[VĔNĔRĀLĬA, orum, et ium, n. plur. ita vocatum est festum, quod per tres dies a Kalendis Aprilibus in honorem Veneris fiebat. *Plut. de quaest. Rom. τῶν Ὀνεγραλίων ἑορτὴν* appellat. *Vet. Kalend. Constantii* ab *Herwardto*, et *Lambecio* editum ap. *Graev. Thesaur. antiqu. Rom. T.* 8, 98. Kal. Apr. Veneralia. *F.*]

VĔNĔRANDUS, a, um, part. a *veneror: σεμνὸς*, venerabilis. *Cic. Agr.* 2, 35. Non eos in Deorum immortalium numero venerandos a nobis, et colendos putatis? *Virg. A.* 9, 275. Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas Insequitur, venerande puer, jam pectore toto Accipio. *Ov. Fast.* 5, 447. Plejade nate, mone, virga venerande potenti. *Sen. Herc. Fur.* 1249. perque venerandos piis Canos. ℙ Cum gen. *Sil.* 16, 249. O sceptri venerande Syphax. Adde 6, 574. ℙ Sup. *Venerandissimus* habetur in veteri *Tab. marmor.* ap. *Grut.* 209, 2. DD. NN. Constantini Maximi, Venerandissimorumque Caesarum. Adde *Paul. Nol. ep.* 38. (*al.* 29.) n. 3.

VĔNĔRANTER, adv. *σὺν αἰδοῖ*, cum veneratione. *Tert. carm. de Judic. Dom.* 184. Submissique omnes genibus veneranter adorant. Adde *Sedul.* 5, 432., ubi pro *veneranter adorant* alii leg. *venerantur, adorant.*

VĔNĔRĀRĬUS, a, um, adj. Venereus, ut Venerariae res, *Petr. fragm. Trag.* 61. *Burm.* Hinc *Ruf.* 2. *Invectiv. in Hieron. n.* 36. Sive eos tu apostolos, sive eos venerarios scribas, sive prophetas eos tu, sive perversos doctores voces.

VĔNĔRĀTĬO, onis. f. *σέβασμα, αἴδεσις*, actus venerandi, cultus, honor. *Cic. N. D.* 1, 17. Habet enim venerationem justam, quicquid excellit. *Plin.* 8, 1, 1. Solis ac lunae veneratio. *Tac. H.* 4, 65. *in fin.* Arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. *Plin. Pan.* 54. In venerationem tui theatra consurgent. ℙ Passive. [*i. q. majestas, dignitas alicui insita.] *Id. ep.* 2, 1. Annum tertium et octogesimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione. Sic *ep.* 1, 10. Quae licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. *Just.* 13, 1. *med.* Amici Alexandri ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. [*Pertinet hic usus, ut exempla docent, ad argent. aetatis scriptores. Plura collegit imprimis e *Tac.* et *Sen.* scriptis *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 484.]

VĔNĔRĀTOR, oris, m. *σεβαστὴς*, qui veneratur, cultor. *Ov. Pont.* 2, 2, 1. Ille domus vestrae primis venerator ab annis. *Arnob.* 7, 237. O Deorum sublimitas praepotens, cui legem venerator imponit!

VĔNĔRĀTUS, a, um, part. a *veneror. Tac. Ann.* 16, 4. Flexus genu coetum illum manu veneratus. V. *Suet. l. c.* in VENEROR. *Prop.* 2, 16, 33. Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis. *Tibull.* 2, 4, 47. veteres veneratus amores. ℙ Passive. *Hor. Sat.* 2, 2, 124. venerata Ceres. *Virg. A.* 3, 460. cursusque dabit venerata secundos. Ita *Prisc.* 8, 794. At *Servius* etiam active accipi posse putat, *venerata Deos. Nonius* 2, 914. exponit, veneranda.

VĔNĔRĔUS, et Venerius, a, um, adj. *ἀφροδισιαστικὸς*, ad Venerem pertinens. *Pl. Rud.* 2, 2, 23. Eadem haec sacerdos Veneria si quid amplius scit; et 3, 2, 10. Qui Veneri, Veneriaeque antistitae suum commiserunt caput. *Id. Mil.* 3, 1, 54. O lepidum senicem, plane eductum in nutricatu Venerio, *h. e.* in deliciis, elegantia, et amoribus. Ab *eod. a.* 5 *v.* 20. et 28. Venereus nepotulus per contemptum dicitur Pyrgopolynices, quia ipse se *ib.* 4, 6, 50. Veneris nepotem esse jactaverat. ℙ *Venerei*, aut *Venerii*, servi erant ministri Veneris Erycinae in Sicilia, quorum opera pro apparitoribus praetores utebantur. *Cic. Verr.* 2, 2, 38., *ib.* 2, 3, 20. et 25. et *Cluent.* 15. V. infra. ℙ *Venereus jactus* in talorum ludo erat felicissimus, cum omnes tali dissimilem

figuram exhibebant. *Cic. Div.* 1, 13. et 2, 21. et 59. ℙ *Venereae res, voluptates*, etc. amatoriae, obscenae, turpes, *τὰ ἀφροδίσια, αἰσχρὰ, τὰ ἀπόρρητα. Cic. Sen.* 14., 4. *Tusc.* 32. et 2. *Div.* 69. Sic *Plin.* 34, 18, 50. Venerea visa in quiete, sponte naturae erumpentia cohibere. ℙ *Venerius*, qui amoribus, et rebus Venereis deditus est. *Gell.* 7, 8. Delfinos Venerios esse et amasios, historiae declarant. ℙ *Veneriae*, concharum genus, de quibus *Plin.* 9, 33, 52. Navigant Veneriae, praebentesque concavam sui partem, et aurae opponentes per summa aequorum velificant. Meminit et 32, 11, 53. V. *Hard.* eam lectionem accurate asserentem. In fabulis est, Venerem mari ortam in Cyprum concha delatam fuisse. V. NERITA. ℙ *Veneria pira* fortasse ita sunt a specie, quia colorata sunt. *Plin.* 15, 15, 16. *Colum.* 5, 10. *med.* et 12, 10. ℙ [*Venerium balneum*, est quod non valetudinis tantum, sed praecipue voluptatis causa frequentatur. *Inscr.* Pompeiis reperta ap. *Rosin. Diss. isag.* 63. et *tab.* 4. In praedIs Juliae Sp. F. Felicis locantur balneum Venerium, et nongentum tabernae, pergulae, cenacula, etc. *Rosinus* ita scribendum putat *balneum, Venerium*, etc., ita ut *Venerium* non balnei epitheton sit, sed locum significet balneo adjunctum, et Venereis voluptatibus apprime destinatum. Hinc in aliis duabus *Inscr. ib. tab.* 10. n. 1. et 2., in quibus *Venerii* nominantur, eos putat servos, qui Venerium illud cubiculum adeuntibus inservirent. ℙ *Veneria* fuit appellata urbs Numidiae. V. SICCENSIS. F.]

VĔNĔRĪVĀGUS, a, um, adj. qui modo cum hoc, modo cum illo scorto Venerem exercet. *Varr.* ap. *Non.* 1, 223. Spatale eviravit omnes Venerivaga pueros.

VĔNĔRO pro Veneror V. in v. sq. ℙ *Venerans*, Veneri operam dans, vox est *Hygino* relinquenda, qui dixit *fab.* 75. Tiresias pastor dracones venerantes dicitur baculo percussisse.

VĔNĔROR, aris, atus sum, dep. 1. *σέβομαι, αἰσχύνομαι*, colo, honoro, cultu et observantia prosequor: a *venia* et *oro*, ut vult *Festus*. Alii ducunt a *Venere*, ut proprie sit Venerem adorare, deinde ad alia transferatur. [**Doederl.* 2, 185. derivat a *vereor.*] *Cic. N. D.* 3, 21. Deos auguste omnes sancteque veneramur; et *ib.* 1, 42. Dii quos nos colere, precari, venerarique solemus; et *ib.* 2, 28. Hos Deos et venerari, et colere debemus. *Id. Verr.* 2, 4, 43. Simulacrum in precibus et gratulationibus non solum venerari, verum etiam osculari solent. *Id. Tusc.* 1, 21. Eum venerantur ut Deum. *Id. Planc.* 40. Lapidem venerari pro Deo. *Suet. Claud.* 12. voce manuque venerari, i. e. verbis venerationem testantibus: *manu*, h. e. ori admota dextera, deinde demissa honoris causa. *Virg. A.* 5, 744. Larem et canae penetralia Vestae Farre pio, et plena supplex veneratur acerra. *Id. A.* 3, 84. Templa Dei saxo venerabar structa vetusto. *Hor. Od.* 4, 14, 51. Te (*Auguste*) caede gaudentes Sicambri Compositis venerantur armis. *Ov. Trist.* 2, 79. carmina te venerantia. *Id. Pont.* 1, 2, 51. Venerari amicos. *Id. Trist.* 5, 2, 55. veterum virorum scripta. *Tac. Agr. f.* memoriam alicujus. ℙ Interdum est precari, rogare, orare, petere: quia precandi causa venerari solemus. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Qui multa Deos venerati sunt contra ejus salutem. *Pl. Aul. prol.* 8. Venerans me, ut id servarem sibi. *Hor. Sat.* 2, 6, 8. Si veneror stultus nihil horum. *Prop.* 2, 16, 33. Nec tu supplicibus me sis venerata libellis. ℙ Activa positione. *Pl. Bacch.* 2, 1, 4. Saluto te, Apollo, veneroque te, ne, etc. Alii leg. *veneror. Id. Truc.* 2, 5, 23. Date mihi ignem in aram, ut venerem Lucinam meam. Alii leg. *venerer.*

*VENERŌSUS, a, um, adj. Veneri deditus. *Gloss. Gr. Lat. ἀφροδισιαστής*, Venerosus. *B. A.*

VĔNĔTĬA, ae, f. regio Italiae ampla, quae terminatur ab Occid. Addua fluvio, ab Or. Timavo, a Septentr. Alpibus Rhaeticis et Juliis, a Merid. Pado. Plura V. ap. *Cellar. Geogr. ant.* 2, 9. ℙ Primo et proprie hoc nomine appellatus est intimus Adriatici maris sinus cum ora litorali adjacente, et quamplurimis insulis, ex quibus postea veluti membris coaluit corpus illud eximium florentissimae urbis, ob id potissimum *Venetiae* plurali numero appellatae, *Venezia, Vinegia.* (V. ATHENAE.) Deinde communicatum est nomen cum aliis regionibus intra terminos modo dictos: quae nunc sunt *parte della Lombardia, la Marca Trivigiana, la patria del Friuli, ed il Dogado.* Latini scriptores, qui *Venetiam* memorant, sunt: *Liv.* 39, 22. Galli Transalpini transgressi in Venetiam sine populatione, aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileja est, locum oppido condendo ceperunt. *Id.* 41, 27. M. Aemilio senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret. *Plin.* 3, 18, 22. Sequitur decima regio Italiae, Venetia: cujus fluvius Silis, oppidum Altinum, etc. *Flor.* 3, 3. *med.* In Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est. *Aurel. Vict. Caesar.* 16. Lucium (*Verum*) satis constat Altini Venetiae urbe consumptum. *Vell.* 2, 76. Diu retenta in potestate Antonii Venetia. Adde *Inscr.* ap. *Mur.* 264, 4. et *Grut.* 1086, 8. ℙ Haec eadem regio dicitur etiam *Venetiae, arum*, [quia extremis imperii Romani temporibus in duas provincias divisa est, in superiorem nempe ab Addua vel Athesi ad Tiliaventum fluv., et in inferiorem ab hoc eodem fluv. ad fines Carnorum. Hinc Venetiae prioris pars, quae ad mare posita, *maritima* appellatur a *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 64., et ab *eod.* ad *G.* 1, 262. dicitur *pleraque Venetiarum pars fluminibus abundans. Inscr.* ap. *Cavedon. Marm. Moden.* p. 163. L. Nonius Verus bis corrector Apuliae et Calabriae, Venetiarum et Istriae, etc. Hanc *Inscr.* ad tempora Constantini M., multis de causis pertinere ostendit *B. Borghesius* in *adnot.* ad idem opus p. 294. *Alia* ap. *Grut.* 433, 4. M. Maecio Memmio, etc., correctori Venetiarum et Hystriae, consuli ordinario, etc. *scil.* ann. a Chr. n. CCCXLIII. Habetur autem in *Notitia Imper. occident.* Praefectus classis Venetae in Venetia inferiore Aquilejae. *F.*] ℙ Est etiam Venetia regio Galliae ad Oceanum Aquitanicum in Britanniae minoris parte meridionali. *Caes. B. G.* 3, 9. *f.*

VĔNĔTĬĀNUS, a, um, adj. ad Venetam factionem pertinens. Hinc *Venetiani* vocati sunt fautores factionis Venetae, ut prasiniani prasinae. V. FACTIO. *Inscr.* mutila ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 32, integra apud *Grut.* 1075, 9. Victoria Venetianorum semper constet feliciter. (V. *Marin. Frat. Arv.* p. 582.) *Capitol. Ver.* 6. Multas a Venetianis est passus injurias, quod turpissime contra eos faveret. V. PRASINIANUS.

VĔNĔTĬCUS, a, um, adj. ad Venetos Galliae populos pertinens. *Plin.* 4, 19, 33. Insulae complures Venetorum, quae et Veneticae appellantur. *Caes. B. G.* 3, 18. et *ib.* 4, 21. Veneticum bellum. V. v. sq.

*VENETULĀNI, orum, gens Latii vetusta, cujus meminit *Plin.* 3, 5. ℙ Ab oppido quodam exciso, cui nomen Venetula, ductum nomen censet *Schellerus. B. A.*

VĔNĔTUS, a, um, adj. ad Venetos pertinens, Italiae populos: ab *Ἑνετός*, spiritu in *v* converso. *Plin.* 3, 19, 33. Venetos Trojana stirpe ortos auctor est Cato. *Id.* 6, 2, 2. de Paphlagonia. Quo loco Henetos adjicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos, credi postulat. *Nep. fragm.* ap. *Solin.* 44. Paphlagones in Italiam transvecti, mox Veneti sunt appellati. *Liv.* 1, 1. Antenorem cum multitudine Henetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi sedes et ducem quaerebant, venisse in intimum maris Hadriatici sinum, Euganeisque pulsis, Henetos Trojanosque eas tenuisse terras: et in quem primum egressi sunt locum, Troja vocatur: gens universa Veneti appellati. *Mela* 2, 4. Carni et Veneti colunt Togatam Galliam. Adde *Lucan.* 4, 134., *Sil.* 8, 607., *Just.* 20, 1., *Tac. A.* 11, 23. et *Aurel. Vict. Caes.* 39. Huc pertinet et illud *Mart.* 13, 88. cujus lemma *Gobius.* In Venetis sint lauta licet convivia terris, Principium coena gobius esse solet. Significat *Mart.* marc et aestuaria Venetiae valde piscosa esse. *Prop.* 1, 12, 4. Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano, *h, e.* qui est in Venetiae finibus. *Macr. Sat.* 5, 2. Virgilium vocat *Venetum*, quia Mantua ejus patria cis Padum, et intra fines Venetiae est. *Sidon. ep.* 9, 15. *in carm. f.* Venetam lacessat ut favore Mantuam. ℙ *Veneti* item fuerunt populi Galliae Celticae ad Oceanum Aquitanicum, quorum urbs primaria olim Dariorigum, nunc *Vannes* appellatur. Horum mentionem habet *Caes. B. G.* 3, 7. et sqq., cum quibus a se bellum gestum narrat. Eosdem memorant etiam *Plin.* 4, 18, 32. et *Flor.* 3, 10. ℙ *Veneta factio* una ex quatuor aurigantium factionibus in Circo: ita dicta a colore Veneto, quo utebatur. *Suet. Vit.* 14. Quosdam de plebe, quod Venetae factioni maledixerant, interemit. V. FACTIO. *Mart.* 6, 46. Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello, Nec currit. Adde 10, 48. et 14, 131. ℙ *Venetus color* est similis maris placidi circa litus, h. e. subviridis. Fortasse inde nomen habet, quod eo praecipue Veneti maritima incolentes uterentur. *Veg. Mil.* 4, 37. Ne exploratoriae naves candore prodantur, colore Veneto, qui est marinis fluctibus similis, vela tinguntur, et funes: nautae quoque Venetam vestem induunt. *Lampr. Elag.* 24. Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura Veneta comedit. *Juven.* 3, 170. Contentusque illic Veneto duroque cucullo. *Mart.* 3, 74. Venetum lutum, *h. e.* genus pigmenti coloris Veneti. ℙ Lacus Brigantinus fluminis Rheni in Suevia ad Constantiam urbem, *lacus Venetus* dicitur a *Mela* 3, 2. *f.* Fortasse ita appellatur a colore. ℙ *Venetus* est etiam cogn. R., ut A. Vettius Ɔ. L. Venetus, in *Inscr.* paucis abhinc annis reperta, nunc in *Mus. lapid.* bibliothecae Marcianae Venetiarum, et illustrata a *Jo: Labusio* in *Gazzetta privil. di Venezia* ann. 1829. *n.* 272. Item *Veneta* est nomen proprium servile mulieris, in *Inscr.* ap. *Mur.* 1370, 4. *F.*]

VĔNĬA, ae, f. *ἐξουσία*, facultas, licentia, impunitas. *Dare veniam* est permittere, concedere, ut fiat aliquid, quod alioquin offensionem haberet. *Cic. Arch.* 2. Quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, ut me patiamini de studiis humanitatis loqui liberius. *Id. Or.* 1, 6. *f.* Dabis hanc veniam, mi frater, ut eorum auctoritatem Graecis anteponam. *Liv. praef.* Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Non adducor, ut duo dissimilia confundam misceamque: id. eoque interim veniam advocandi peto, *h. e.* licentiam vocandi in consilium amicos, et cum iis deliberandi. *Stat. Theb.* 1, 203. nec protinus ausi Coelicolae, veniam donec pater ipse sedendi Tranquilla jubet esse manu. ℙ *Veniam dare* est etiam simpliciter concedere, annuere. *Caes. B. G.* 7, 15. Procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam urbem suis manibus succendere cogerentur. Datur petentibus venia. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Impetravi a Salaminiis, ut silerent: veniam illi quidem mihi dederunt. *Nep. Eum.* 6. Petivit ab Eumene, ut ferret opem liberis Alexandri; quam veniam si daret, quamprimum exercitus pararet. Adde *Cic. Att.* 5, 21. *med. Ter. Adelph.* 5, 8, 19. *Pl. Bacch.* 3, 6, 3. et *Suet. Tib.* 10. *f.* ℙ *Bona venia*, formula qua utimur, cum quippiam, quod displicere possit, dicturi sumus. *Cic. N. D.* 1, 21. *f.* Ut molestе ferrem, tantum ingenium (bona venia me audies) in tam leves, ne dicam in tam ineptas sententias incidisse. *Liv.* 29, 1. Expromerent quid sentirent: cum bona venia se auditurum. *Cic. Or.* 1, 57. Nisi vero (bona venia hujus optimi viri dixerim) tu libellis aut praeceptis soceri tui causam M.' Curii defendisti. Adde *Rosc. Am.* 9. Simile est illud *Plin. ep.* 5, 6. *f.* Neminem ex his, quos eduxeram mecum, (venia sit dicto) ibi amisi. (*Praefiscini* dicebant eodem sensu, scilicet ad deprecandum fascinum, et invidiam, et Nemesim placandam, ne irasceretur glorianti.) *Plin.* 28, 4, 7. Veniam quoque a Deis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo. *Prop.* 2, 19, 39. Ista meis fiet notissima forma libellis: Calve, tua venia, pace, Catulle, tua. ℙ *Bona venia petere aliquid*, vel absolute *venia*, ut non offendatur is, a quo petimus. *Ter. Phorm.* 2, 3, 31. Sic *Liv.* 7, 41. Oravit etiam bona venia Quirites, ne quis eam rem joco seriove cuiquam exprobraret. *Censor. de die natal.* 14. Denique Plato ille, venia ceterorum, philosophus sanctissimus. ℙ *Venia* est saepe remissio, condonatio. *Sen. Clem.* 2, 7, Venia est poenae meritae remissio. *Cic. Lig.* 1. Cum a te non liberationem culpae, sed errati veniam impetravissent. *Id. Phil.* 8, 11. Si errorem suum deposuerint, veniam et impunitatem dandam puto. *Liv.* 37, 45. Pacem veniamque impetrare a victoribus. *Id.* 3, 7. *extr.* Matres crinibus templa verrentes, veniam irarum coelestium exposcunt. *Cic. Pis. f.* Cui non apud senatum, non apud ullum ordinem maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit. *Id. Part.* 37. *f.* Ad ejus facti deprecationem ignoscendi petenda venia est. *Id. Agr.* 2, 2. *f.* Cui, errato nulla venia, recte facto exigua laus proponitur. *Liv.* 38, 49. Pro eo quod pluribus verbis vos, quam volui, fatigavi, veniam a vobis petitam impetratamque velim. *Cic. Rab. perd.* 2. Ab Jove opt. max. ceterisque Diis pacem ac veniam peto, precorque ab iis, ut, etc. *Suet. Dom.* 9. *f.* Aliquem venia donare in praeteritum. ℙ Item gratia, beneficium. [*Sunt qui hanc vocis notionem primo loco poni velint: quae verior videtur ratio.] *Ter. Hec.* 4, 2, 29. Mi gnate, da veniam hanc mihi; reduc illam. *Virg. A.* 4, 435. Extremem hanc oro veniam: miserere sororis. *Liv.* 7, 12. Petiit, ut finem belli facerent, darentque eam Epirotis veniam. *Id.* 26, 17. *f.* Cum data esset venia ejus diei, extemplo Asdrubal sine ullo tumultu in tutum evasit. *Id.* 30, 12. *med.* Precor hanc veniam mihi des, ut ipse de captiva statuas, neque me in cujusquam Romani arbitrium venire sinas. *Ov. Met.* 11, 400. Thetis hanc pro conjuge supplex Accepit veniam. ℙ [Item actus ille religiosus, quo quis templum aliquod praeteriens, ejus numini se commendare solebat, quod nunc nostrates Christiani *prender la perdonanza*, aut *fare una stazione* dicunt. V. STATIO. *Appul. Flor. in.* Ut ferme religiosis viantium moris est, cum aliqui lucus, aut aliqui locus sanctus in via oblatus est, veniam postulare, votum apponere, paulisper assidere: ita mihi, ingresso sanctissimam istam civitatem, quamquam oppido festinem, praefanda venia, et habenda oratio, et inhibenda properatio est. *F.*] ℙ *Cum venia legere*, non severe et rigide, sed connivendo, et aliquid excusando. *Quint.* 10, 1. *med.* Habent alii quoque comici, si cum venia legantur, quaedam, quae possis decerpere. ℙ In illo *Plin.* 25, 2, 5. Nobile illud nepenthes, oblivionem tristitiae, veniamque afferens, *venia* est bilis atque irae vacuitas, ex qua sequitur facilitas ignoscendi. Respexit *Plin.* ad illud *Homer. Odyss.* 4, 221. *φάρμακον Νηπενθὲς τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.*

VĔNĬĀBĬLIS, e, adj. venialis. *Sidon. ep.* 9, 1. Nescio qualiter fieri veniabile queat. *Prud. Hamart.* 943. Spem capio, fore quidquid ago, veniabile apud te. *Salv. adv. avar.* 4, 8. Scio quidem, quod omnes rei veniabiles putant semper reatus suos.

[VENĬAESES, um, m. plur. populi Hispaniae in conventu Cluniensi. *Inscr.* ap. *Grut.* 437, 5. et *Donat.* 293, 1. Cohors Carietum, et Veniaesum. *Plin.* 3, 3, 4. In eundem conventum Carietes, et

Vennenses (*corrige* Veniaeses) quinque civitatibus vadunt. *F.*]

VĒNIĀLIS, e, adj. veniam pertinens, venia dignus. *Macr. Sat.* 7, 16. Si venialis erit ista translatio, *h. e.* si ferri potest haec metaphora. *Ammian.* 28, 5. Venialem pacem poscere, *h. e.* veniam et pacem. *Sidon. ep.* 8, 11. post carmen: Licet quibusdam venialibus erratis implicaretur.

VENICŪLUS. V. VENUCULUS.

VĒNIENS, entis. part. a *venio*, ἐρχόμενος. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *med.* Non enim sumus omnino sine cura venientis anni, *h. e.* consequentis. *Virg. A.* 5, 344. Gratior et pulcro veniens in corpore virtus. *Hor. Ep.* 1, 16, 6. Ut veniens dextrum latus aspiciat sol. *Id. Od.* 3, 5, 15. exemplum trahens Perniciem veniens in aevum. *Ov. Fast.* 6, 639. Veniens aetas. *Virg. G.* 4, 466. Te veniente die, te decedente canebat. *Sen. Thyest.* 613. Quem dies vidit veniens superbum, Hunc dies vidit fugiens jacentem.

VĒNĪLIA, ae, f. maris accessus et incrementum: a *venio*. V. SALACIA. ℙ Est etiam hoc nomine Nympha Fauni uxor, soror Amatae Latini regis conjugis, et Turni mater. *Virg. A.* 10, 75. Indignum est, patria Turnum consistere terra, Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater. ℙ [Alia fuit eodem nomine Nympha, uxor Jani, Canentis mater. *Ov. Met.* 14, 334. *F.*]

VĒNIO, is, ēni, ntum, n. 4. ἔρχομαι, ἥκω, advenio, pervenio, accedo. *Ter. Phorm.* 1, 2, 51. Ibi continuo Antipho: vultisne eamus visere? alius; censeo: eamus. Imus, venimus, videmus. *Phaedr.* 5, 1. Veniebat gressu delicato et languido. *Liv.* 21, 39. Cum Pisas navibus venisset. *Cic. Phil.* 2, 25. Venisse eam tibi tot dierum viam gratulatum. *Sen. Herc. Fur.* 66, Nec in astra veniet lenta, ut Bacchus, via. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. Omnes qui istinc veniunt, ita commemorant, etc. *Id. Fam.* 9, 5. *f.* Mihi si spatium fuerit in Tusculanum veniendi. *Id. ib.* 16, 10. Cupio, te ad me venire; et *ib.* 12. Ut veni ad urbem, non destiti omnia facere, quae, etc. *Id. Att.* 5, 12. Sexto die Delum Athenis venimus. *Virg. A.* 2, 742. tumulum antiquae Cereris, sedemque sacratam Venimus: *pro* ad tumulum. *Phaedr.* 5, 1. Quinam in conspectu meo audet venire? *Nep. Dat.* 10. *med.* Neque in conspectum venire studuit. *Id. Thras.* 3. Pausanius venit Atticis auxilio. *Liv.* 9, 43. Maturavit collegae venire auxilio. *Pl. Stich.* 3, 2, 30. Vin' ad te coenam veniam? *Virg. A.* 3, 138. tabida membris venit lues. *Cic. Leg.* 1, 22. *f.* Venire in vitam, *h. e.* nasci. ℙ Cum supinis. *Caes. B. G.* 7, 12. Cum legati ad eum venissent oratum, ut, etc. *Ter. Eun.* 4, 6, 14. Ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit. *Pl. Aul.* 2, 2, 46. Neque te derisum venio. *Cic. Verr.* 2, 2, 50. Ad istum venerunt emptum locum senatorium. ℙ Cum infinito. *Pl. Bacch.* 4, 3, 18. Parasitus modo venerat aurum petere. *Virg. A.* 1, 531. non nos Libycos populare penates Venimus. Adde *Val. Flacc.* 6, 647. et *Stat. Theb.* 5, 21. [‘Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 37.] ℙ Pro ire. *Ter. Adelph.* 2, 2, 23. Nisi eo ad mercatum venio, damnum maximum est. *Cic. Fam.* 1, 10. Nam illo si veneris, tanquam Ulysses, cognosces tuorum neminem. Adde *Mil.* 10. et *Virg. Ecl.* 1, 66. ℙ Item redire. *Ov. Her.* 13, 101. Cum venies, remoque move veloque carinam. *Prop.* 2, 18, 76. Infelix! hodie vir mihi rure venit. *Phaedr.* 4, 21. Venire in patriam voluit cursu pelagio. *Liv.* 38, 42. Consul ad magistratus subrogandos Romam venit, nulla memorabili in provincia re gesta. [*Hoc quidem loco haud opus est illa interpretatione, ut recte annotavit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 485. laud. *Tac. H.* 2, 38. nunc ad rerum ordinem venio. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 5, 56. laud. *Liv.* 38, 44. ne consule inimico Romam veniret; ibique *Drakenb.*] Adde *Ov. Her.* 5, 57, 58. et 59. ℙ Item obvenire, evenire, incidere. *Liv.* 44, 17. *med.* Designatos extemplo sortiri placuit provincias, ut, utri Macedonia consuli, cuique praetori classis venisset, sciretur. *Just.* 13, 4. Ptolemaeo Aegyptus sorte venit. Addi possunt alia loca ex *Sall.*, *Liv.*, *Phaedr.*, *Col.*, etc., sed dubia lectione: facile enim *venire* et *evenire* invicem mutari possunt. ℙ Item provenire, crescere. *Virg. G.* 2, 10. de arboribus: Namque aliae nullis hominum cogentibus, ipsae Sponte sua veniunt; et *ib.* 1, 54, Hic segetes, illic veniunt felicius uvae. ℙ Item afferri, deferri. *Cic. Fam.* 11, 24. In Italia te moraturum, dum tibi litterae meae veniant. *Plin.* 35, 6, 12. Sinopidis, quae ex Africa venit, pretium octoni asses. ℙ Item accedere, pervenire. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* s. v. h.] *Cic. N. D.* 3, 14. Ad quem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire. *Id. Caecin.* 26. Major hereditas venit unicuique vestrum in iisdem bonis a jure, et a legibus, quam ab iis, a quibus illa ipsa bona relicta sunt. *Id. Inv.* 1, 45. *f.* Neque emisti equum, neque hereditate venit, neque domi natus est. ℙ Item incidere, adduci, cadere. *Cic. Rosc. Am.* 6. Cum omnium dignitas et salus in discrimen veniret. *Id. Fin.* 2, 24. *med.* Venire in odium. *Caes. B. G.* 3, 17. et *ib.* 5, 47. in contemptionem. *Cic. Quint.* 16. *f.* in turpitudinem. *Id. Or* 2, 87. *f.* sub aspectum. *Brut.* ad *Cic.* 1. *ad Brut.* 6. in suspicionem. Alio sensu *Nep. Paus.* 4. mihi venit in in suspicionem. ℙ *Venire in partem doloris*, vel *impensae*, Italice *aver parte*. *Ov. Amor.* 3, 9, 51. Hinc soror in partem misera cum matre doloris Venit. *Cic. Fam.* 14, 2. Illud doleo, quae impensa facienda est, in ejus partem te miseram et despoliatam venire. ℙ Item aptum esse. *Quint.* 9, 4. *med.* Horum pedum nullus non in orationem venit. ℙ *Venire in mentem*, succurrere, in memoriam redire. V. MENS. ℙ *in buccam*, proverb. occurrere, in mentem venire. V. BUCCA. ℙ *in cognitionem*, cognosci, et judicari. V. COGNITIO. ℙ *in dubium* res dicitur, de qua dubitatur. V. DUBIUS. ℙ *in opinionem*, opinari: item, opinionem esse de aliquo. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. V. OPINIO. ℙ *in spem*, sperare. *Caes Opp. post ep.* 13. *l.* 9. *ad Att.* et *Cic. Or.* 2, 51. Nonnullam in spem veneram, posse me, etc. ℙ *in usum*, usitatum fieri. *Plin.* 24, 11, 54. Nec rhus Latinum nomen habet, cum in usum pluribus modis veniat. ℙ *in confessum*, manifestum esse. V. CONFESSUS. ℙ *in crimen*, accusari. V. CRIMEN. ℙ *in fidem alicujus*, sese dedere. *Liv.* 26, 40. *med.* Voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta oppida. ℙ *in proverbium*, transire. V. PROVERBIUM. ℙ *in religionem*, metum Deorum movere. V. RELIGIO. ℙ *in certamen*, *in contentionem*, certare, contendere. *Cic. Tusc.* 5, 27. et *Div. Verr* 19. et res *in contentionem venire* dicitur, de qua contenditur. *Id. Quint.* 6. *med.* et *Div.* 2, 63. ℙ *ad nihilum*, redire, redigi. *Id. Tusc.* 2, 2. Oratorum laus senescit, brevique tempore ad nihilum ventura videtur. Adde *Fam.* 11, 12. ℙ *ad manus*, *ad arma*, eo usque rem progredi, ut arma sumantur, pugna ineatur. *Id. Verr.* 2, 5, 11. *med.* Nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. *Id. Phil.* 6, 4. Propter aes alienum venire ad arma. Alii leg. *ire*. ℙ *in sermonem alicujus*, interesse. *Id. Att.* 14, 1. Alio sensu *Id. Fam.* 3, 5. *med.* Cum loquerer cum Phania, veni in eum sermonem, ut dicerem, etc. *venni a dire*, incidi in eum sermonem. ℙ *Usus venit*. V. USUS. ℙ *Venire*, accedere, ingredi, insinuari. *Cic. Verr.* 2, 2, 70. In eam jam venerat familiaritatem consuetudinemque, ut, etc. *Id.* ad *Dolabell. post ep.* 17. *l.* 14. *ad Att. med.* Me in societatem tuarum laudum venire patiare. *Id. Dom.* 14. Venire in sacerdotium, *h. e.* cooptari. ℙ *venire contra aliquem*, in forum et in judicium venire alicujus oppugnandi causa. *Cic. Phil.* 2, 2. Contra rem suam venisse me nescio quando, questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario? non venirem contra gratiam? non venirem contra injuriam, etc.? *Id. Att.* 1, 1. *f.* Ne contra amici summam existimationem miserrimo ejus tempore venirem. Illud *Virg.* huc pertinet *A.* 7, 470. Se satis ambobus Teucrisque venire, Latinisque. ℙ Servit transitionibus. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Venio nunc ad istius morbum et insaniam. *Id. Acad.* 4, 4. *extr.* Ad Arcesilam Carneademque veniamus. *Id. Rosc. Am.* 16. Ecquid tandem tibi videtur (ut ad fabulas veniamus) senex ille Caecilianus, etc.? *Id. Att.* 14, 19. *f.* Venio ad recentiores litteras. ℙ Passive impersonaliter. *Ov Fast.* 3, 125. Seu quod ad usque decem numero crescente venitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 29. Posteaquam ad causam dicendam ventum est; et *ib.* Hac una spe ad iudicium venitur. *Caes. B. G.* 7, 70. Veniri ad se confestim existimantes. *Tac. A.* 16, 27. E longinquis provinciis haud veniri. *Hadr. Imp.* in *ep.* ap. *Ulp. Dig.* 48, 18, 1. Ad tormenta servorum ita demum veniri oportet, cum, etc. *Pl. Curc.* 2, 3, 37. Facite esse, ut ventum gaudeam, *h. e.* ut gaudeam me advenisse. Sic *Id. Cist.* 1, 1, 16. Ventum gaudeo ecastor ad te. ℙ *Venibo* pro *veniam* in quarta conjugatione non est insolens. *Pomp.* ap. *Non.* 10, 32. Sero est: sexta, si tibi placet, venibo.

VĒNĪTUS. V. in VENEO.

*VENNENSES, ium, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. ℙ Nomen ductum fortasse a Venna vel Venno oppido quodam. *B. A.*

[VENNO, onis, m. magna benna: *venno* autem pro *benno*, *onis* dictus est. Est cogn. R., ut L. Plautius Venno consul ann. U. C. CDXXXVI., cujus meminere *Liv.* 9, 20. et *Fast. cons.* ap. *Grut.* 291. Consule *B. Borghesium* in *Dec. num.* 15. *oss.* 2. *F.*]

*VENNONETES, ium, gens Rhaetiae. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*VENNONĪUS, i, m. historicus Latinus, exilis et jejunus. *Cic. de Leg.* 1, 2. et *Att.* 12, 3. *B. A.*

VĒNOR, aris, atus sum, dep. 1. θηρεύω, κυνηγέω, feras sector, feris insidior. *Cic. Fam.* 2, 11. De pantheris per eos, qui venari solent, agitur mandato meo diligenter. *Virg. G.* 3, 410. Et canibus leporem, canibus venabere damas. *Id. A.* 4, 118. In nemus ire parant venatum. ℙ Etiam bestiae ipsae venari dicuntur. *Cic. N. D.* 2, 63. *med.* Canum alacritas in venando. *Plin.* 32, 11, 54. Conchae hiantes venantur cibum. *Id.* 11, 21, 24. Vespae muscas grandiores venantur. *Val. Flacc.* 1, 492. dum saeva relictis Mater *(tigris)* in averso catulis venatur Amano. ℙ Passive. *Enn.* ap. *Non.* 2, 878. Teneor consepta, undique venor, *h. e.* undique concludor, velut a venatoribus ferae indagine cinguntur. Etiam *Prisc.* 8, 791. passivam in hoc verbo significationem agnoscit. ℙ Proverb. est illud *Plauti Stich.* 1, 2, 82. Stultitia est venatum ducere invitas canes. ℙ *Venari in medio mari*, aliud proverb. ap. *eund. As.* 1, 1, 87. h. e. operam ludere. PISCOR. ℙ Catachresi ponitur pro piscari, ut *venatus* pro piscatu. *Plin.* 16, 1, 1. Fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. ℙ Translate est aucupari, captare. *Hor. Ep.* 1, 1, 78. sunt qui Frustis et pomis viduas venentur avaras, Excipiantque senes, quos in vivaria mittant; et *ib.* 19, 37. Non ego ventosae plebis suffragia venor. *Auct. ad Her.* 4, 3. Vereor, ne qua in re laudem modestiae venentur, in ea ipsa re sint impudentes. *Phaedr.* 4, 5. Filia formosa, et oculis venans viros. *Ov. Med. fac.* 27. Venari amores. *Id. A. Am.* 1, 89. praecipue curvis venare *(amicam)* theatris. Adde *Cic. Verr.* 2, 4, 21. *med.* ubi agit de canibus Cibyraticis C. Verris.

*VENOSTES, ium, populi Alpini. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

VĒNOSUS, a, um, adj. crebris venis instructus. *Cels.* 4, 1. *med.* Renes venosi sunt, et tunicis superconteguntur. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 5. Faseolis folia venosa, sesamae sanguinea. *Id.* 37, 5, 18. Smaragdi venosi squamosique. *Id.* 25, 13, 100. Radices minus venosae. *Id.* 20, 8, 29. Intybum sativum, quod est minus, et venosius. ℙ Translate. *Pers.* 1, 75. Est, nunc Briseis quem venosus liber Accî, etc. *h. e.* deformis, ut sunt homines senes et macri, quibus dedit longa aetas *deformem pro cute pellem*, ut ait *Juven.* 1, 192., istis enim venae exstant, carne senio absumpta.

VĒNOX, ōcis, m. cognomentum fuit C. Plautii, qui, cum esset censor anno U. C. CCCCXLII. una cum App. Claudio Crasso (qui postea *Caecus* amissis oculis dictus est), felix in Aquae Claudiae venis perquirendis fuit. *Frontin. Aquaed.* 5. et *Fasti consul.* ap. *Grut.* 291.

*VENTA, ae, f. oppidum Belgarum, in Britannia, hodie *Winchester*. *Anton. Itin.* Meminit et *Ptolemaeus*. ℙ *Venta Icenorum* etiam in Britannia, cujus ex ruinis in proximo loco urbs *Norwich.* surrexit. *Anton. Itin. B. A.*

VENTER, tris, m. κοιλία, γαστήρ, alvus, cavum illud in medio corpore animalis, in quo sunt ventriculus et intestina: itemque intestina ipsa, et ipse ventriculus. Τὰ ἔντερα notationem huic voci praebent. *Plin.* 11, 37, 82. Pectus, hoc est ossa praecordiis ac vitalibus natura circumdedit; at ventri, quem necesse erat increscere, ademit. *Cels.* 7, 16. Nonnunquam venter ictu aliquo perforatur, sequiturque, ut intestina evolvantur. *Id.* 4, 19. Cibis uti ventrem contrahentibus. *Hor. Sat.* 1, 6, 127. inani ventre diem durare. *Cic. Div.* 2, 58. Faba venter inflatur. *Plin.* 20, 8, 27. Beta ventrem mollit, *h. e.* solvit; et *ib.* Ventris fluxiones sistere. *Mart.* 13, 26. Sorba sumus, molles nimium durantia ventres. *Plin.* 27, 10, 60. Ventris dolores sedare. *Id.* 11, 37, 79. Ii minus solertes, quibus obesissimus venter. *Varr. R. R.* 2, 7. Equas decet esse clunibus ac ventribus latis. ℙ *Ventrem facere* ap. *Veg. Vet.* 3, 57. est excrementa reddere. Alio sensu V. infra. ℙ De intestinis seu visceribus, τὰ ἔντερα. *Colum.* 9, 14. et *Plin.* 11, 20, 23. Apes posse progenerari ventribus bubulis. ℙ De ventriculo. *Plin.* 11, 37, 78. Subest venter stomachum habentibus, ceteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus. *Id.* 33, 6, 35. Argyritin in ventre suillo in aqua coquunt, exemptamque nitro fricant, etc. Adde *Macr. Sat.* 7, 4. *med.* ℙ Saepe refertur ad famem, gulam, edacitatem. *Pl. Capt.* 4, 2, 75. Tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas. [*Quotidiani victi venter* est quotidiano victui assuetus, quotidiano cibo contentus, non fastidiosus nec epulas opiparas appetens.] *Id. Ps.* 1, 2, 43. Ventri operam dare. *Hor. Ep.* 1, 15, 32. Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro. *Juven.* 11, 40. aere paterno, Ac rebus mersis in ventrem. *Pers. prol.* 10. Magister artis, ingenIque largitor Venter. *Juven.* 3, 166. magno hospitium miserabile, magno Servorum ventres, *h. e.* alimenta, cibus. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 34. Vivite lurcones, comedones, vivite ventres, *h. e.* heluones, gulosi, edaces, et quasi toti ventres. [*Poterat hic etiam commemorari genus dicendi ap. *Pl. Capt.* 4, 2, 25. 32. *In ventrem confidentium sumsit*; et *habet profecto in ventre confidentium*: quae jocose de parasito dicuntur, pro eo, quod vulgo: *in animum confidentiam sumsit*, *in animo conf. habet*. Parasitus enim satur factus animos recipit et spiritus sumit quasi cum cibo et vino confidentia infundatur. Ita *Lindemann.* ad *Pl. Capt.* 4, 2, 25.] ℙ De utero. *Juven.* 6, 595. homines in ventre necandos Conducit. Hinc *ventrem ferre*, gravidam esse, fetum in utero habere. *Liv.* 1, 34. Cum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Equa ventrem fert duodecim menses, vacca decem, ovis et capra quinos, sus quatuor. *Colum.* 6, 24. Vaccae decem mensibus ventrem perferunt. *Ov. Met.* 11, 311. Ut sua maturus complevit tempora venter, Nascitur Autolycus, ℙ Huc pertinent illa

lCtorum, *ventrem inspicere, custodire, in possessionem mittere, ventris nomine mulierem in possessionem mittere*, etc. *Dig.* 25, 4, 5. et 6., 37, 8, 9. etc. Sic *Hor. Ep.* 17, 50. Tuusque venter Pactumejus. V. hanc vocem suo loco; et *Paul. Dig.* 5, 4, 3. Antiqui libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei jura integra reservarent. ℙ Translate *venter* est quaecumque exstantia, tumor, inflatio cujusque rei. *Vitruv.* 8, 7. ubi de aquaeductib. agit, *ventrem* dicit, et Graeci *κοιλίαν*, ubi fistulae dilatantur, et intumescunt. *Juven.* 12, 60. venter lagenae, [*h. e.* lagena ventriculosa. *F.*] *Alfen. Dig.* 8, 5, 17. Si paries ita ventrem faceret, ut semipedem procumberet. *Plin.* 11, 46, 106. Talus ventre eminens concavo, in vertebra ligatus. *Virg. G.* 4, 121. tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis. *Prop.* 4, 2, 43. tumidoque cucurbita ventre. ℙ *Ventrem* pro podice habet *Virg. Cat.* 5, 39. videbo Scissumque ventrem, et herniosi patrui Pedes inedia turgidos.

VENTIDIANUS, a, um, adj. ad Ventidium pertinens, quod est nomen propr. R. civis. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 182. Nos Ventidianis rumoribus concalfecimus. V. *Gell.* 15, 4. ubi de P. Ventidio Basso Picente historiam tradit.

VENTIGENUS, a, um, adj. *Ventigeni crateres* sunt ora et fauces in cacumine Aetnae montis, qui fumum, et nebulas, et concitatas auras copiose evomunt. *Lucr.* 6, 701. In summo sunt ventigeni crateres, ut ipsi (*accolae Aetnae*) Nominitant, nos quas fauces perhibemus, et ora.

VENTILABRUM, i, n. *πτύον, λικμητήριον*, instrumentum quo aliquid ventilatur, cujusmodi est illud, quo rustici frumentum, leguminave post trituram sursum ejaculantur, ut ventorum flatu a paleis repurgentur. *Colum.* 2, 10. *med.* Nam cum acervus paleis granisque mistus in unum fuerit congestus, paulatim ex eo ventilabris per longius spatium jactetur. *Prud. Hymn. praefix. Apotheosi* 53. Det ventilabro lecta quaeque ut horreis, Urat recrementum focis.

VENTILABUNDUS, a, um. V. VERTILABUNDUS.

VENTILATIO, onis, f. *λίκμησις, ῥιπισμός*, actus ventilandi. *Plin.* 23, 1, 6. Innocentiores uvae sunt, quae decerptae diu pependere: qua ventilatione etiam utiles fiunt stomacho, aegrisque.

VENTILATOR, oris, m. *λικμητής*, qui ventilat, ac praesertim qui post trituram frumenta, aut legumina ventilabro in sublime jaculatur, ut ventorum flatu grana secernantur a palea. *Colum.* 2, 10. *med.* Faba, quae longius emittetur, pura eo perveniet, quo ventilator eam ejaculabitur. ℙ Translate sumitur pro praestigiatore. Nam ut ventilatores grana, quae purgant, in ventum projiciunt, ita praestigiatores rem. quam retinent manibus, ejicere videntur. *Quint.* 10, 7. *med.* Quo constant miracula illa in scenis pilariorum, ac ventilatorum, ut ea, quae emiserint, ultro venire in manus credas, et, qua jubentur, decurrere. [*Prud.* 10. *περὶ στεφ.* 78. Tu ventilator urbis, et vulgi Levis procella. *F.* *Cf. quae *Spald.* adnotavit ad *Quint.* l. c.]

VENTILATUS, a, um, part. a *ventilo:* agitatus, impulsus. *Cic. Flacc.* 23. Cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata.

VENTILO, as, a, 1. *λικμάω, καταπνέω*, ventum excito in aliquam rem. *Prop.* 4, 3, 50. Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem. *Sil.* 17, 507. rapidusque incendia flatus Ventilat. [**Id.* 16, 144. Ventilat aura jubas.] *Suet. Aug.* 82. Aestate apertis foribus, atque etiam aliquo ventilante, cubabat. *Mart.* 3, 82. Et aestuanti tenue ventilat frigus Supina prasino concubina flabello. *Claud. in Eutrop.* 1, 108. Et cum se rapido fessam projecerat aestu, Patricius roseis pavonum ventilat alis. *Stat. Silv.* 4, 3, 105. Ceu fessis ubi remigum lacertis, Primae carbasa ventilatis aurae. ℙ Item aeri et ventis exponere. *Varr. R. R.* 1, 55. *f.* Oleas in acervis jactando ventilare oportet. *Colum.* 12, 30. Quo major aestus erit, eo saepius convenit vinum nutriri, refrigerarique, et ventilari. *Id.* 1, 6. *med.* Exesae fruges in horreo ventilentur, et quasi refrigerentur. *Plin.* 18, 30, 73. Frumenta in horreis multi ventilari vetant. *Id. ib.* 32, 75. Ventilari quoque frumenta ac legumina, et condi circa extremam lunam jubent. *Id.* 21, 14, 49. Ventilatur sub divo saepius cera fulva. *Ov. Am.* 1, 7, 54. populeas ventilat aura comas, i. e. agitat, concutit ℙ Translate *Sen. Tranq.* 2. *med.* Versare se, et mutare nondum fessum latus, et alio atque alio positu ventilari, *h. e.* jactare se, versare, positum mutare; et *Appul. Appol.* Qui tibi plurimas contumelias dixit: qui nomen tuum pro tribunalibus ventilavit, *h. e.* jactavit, ventis calumniarum objecit. *Imp. Constant. Cod.* 9, 18, 6. et *Cod. Theod.* 9, 16, 5. Magicis artibus vitas insontium labefactare, et Manibus accitis ventilare, *h. e.* vexare, agitare, turbare. (V. VENTILATOR.) *Appul. Met.* 2. In aureos refulgentes, quos identidem manu mea ventilabam, attonitus, *h. e.* versabam, numerabam. *Juven.* 1, 28. Ventilat aestivum digitis sudantibus aurum, *h. e.* anulos leviores inter eundum agitat et jactat, refrigerii et simul ostentationis gratia. *Mart.* 12, 18. Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat, *h. e.* agitat, jactat huc illuc discurrentem. [*Symmach. Laud. in Valentinian.* 2. (ed. *A. Maio*) 10. Ventilemus prisca monumenta, scrutemur annales *F.*] ℙ *Ventilare* dicuntur et gladiatores, aut milites, cum proludentes brachia et arma jactant, aeremque vane caedunt: quasique velitantur. *Sen. ep.* 117. *med.* Quam stultum est, cum signum pugnae acceperis, ventilare! remove ista lusoria arma: decretoriis opus est. *Id. Excerpt. controv.* 3. *praef. med.* Aliud est pugnare, aliud ventilare. *Mart.* 5, 31. Cornibus hic pendet summis: vagus ille per armos Currit, et in toto ventilat arma bove.

*VENTILOQUUS, a, um, adj. *Sarisb.* 7, 21. Ventiloqui aut ventriloqui habitum induere. *B. A.*

VENTIO, onis, f. *ἔλευσις*, actus veniendi. *Pl. Truc.* 2, 7, 61. Quid tibi huc ventio est?

*VENTISPONTE, oppidum Hispaniae Baeticae, medio inter Mundam atque Hispalim loco. *Auct. B. Hisp.* 27. *B. A.*

VENTITO, as, n. 1. *φοιτάω*, frequenter venio. *Catull.* 8, 4. Cum ventitabas, quo puella ducebat. *Cic. Fam.* 11, 27. *med.* Ut domum ventitares, horasque multas sermone consumeres. *Id. Leg.* 1, 4. Cum ipse ad Scaevolam ventitarem. *Solin.* 52. *med.* Elephanti ad potum ventitantes.

VENTO, as, n. 1 frequent. a *venio*, apud veteres. *Fest.* Ventabant antiqui dicebant sine praepositione pro adventabant. *Varr.* ap. *Non.* 2, 386. Cum illo vento, video Gallorum frequentiam in templo.

VENTOSE, adv. tumide, inflate. *Apul. Met.* 10. Pulvilli ventose delicata pluma tumentes.

VENTOSITAS, atis, f. *Apul. Herb.* 126. Petroselinum medetur ventositati stomachi atque coli. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 5. Ventositas ventris. ℙ Translate pro jactantia posuit *Fulg. Myth.* 2, 17.

VENTOSUS, a, um, adj. *ἀνεμώδης*, vento plenus, ventis objectus. *Virg. A.* 8, 449. alii ventosis follibus auras Accipiunt, redduntque. *Petr. Sat.* 137. *f.* Inanes, ac sine medulla ventosas nuces in summo humore consistere, graves et plenas ad ima deferri. *Hor. Od.* 3, 4, 45. ventosum mare. *Liv.* 36, 43. Ventosissima regio inter Cycladas, Delus. *Virg. A.* 12, 848. (et *Prop.* 2, 9, 5.) Ventosae alae. *Id. Ecl.* 9, 58. ventosi ceciderunt murmuris aurae. *Plin.* 18, 35. 80. Ventosus autumnus, ventosa hiems. *Lucan.* 9, 349. *de Tritone.* ventosa perflantem murmura concha, *h. e.* tuba inspirata. *Ov. Am.* 2, 16, 19. Ventosae Alpes. *Val. Flacc.* 2, 269. Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam. ℙ *Ventosa cucurbita*, et absolute *ventosa* est illud medicorum instrumentum, quod et *cucurbita*, et saepius *cucurbitula*, Italis *ventosa, coppetta* dicitur. *Isid. Or.* 4, 11. A Latinis a similitudine cucurbita, a *suspirio* ventosa vocatur, quae animata spiritu per igniculum, dehinc praeciso corpori superposita, omne quod intra cutem, vel altius aestuat, sive humorem, sive sanguinem evocat in superficiem. *Theod. Prisc.* 2, 2, 16. Frequenter etiam dorso, vel scapulis cucurbitas ventosas imponimus. *Id.* 3, 2. Ventosis quoque admotis inguinibus, vel femoribus, recursui, vel inclinationi matricis occurremus. V. CUCURBITA. ℙ Translate est inflatus, tumidus, vanus, inanis, levis, mobilis, inconstans. *Virg. A.* 11, 390. an tibi Mavors Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis Semper erit? et *ib.* 708. ventosa gloria: *κενοδοξία.* Sic *Hor. Ep.* 2, 1, 177. Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru. *Stat. Theb.* 10, 711. Haec pietas, hic verus honor: ibi gloria tantum, Ventosumque decus, titulique in morte latentes. *Plin. Pan.* 31. Superbiebat ventosa et insolens natio, quod, etc. *Cic. Phil.* 11, 7. Extraordinarium imperium populare atque ventosum est, minime nostrae gravitatis, minime hujus ordinis. *Petr. Sat.* 2. Ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, *h. e.* turgidum et inflatum dicendi genus. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 9. Lepidus, homo ventosissimus, *h. e.* levissimus, et maxime inconstans. *Liv.* 42, 30. Ventosum ingenium. *Hor. Ep.* 1, 19, 37. ventosae plebis suffragia venari. *Ov. Am.* 2, 9, 49. *ad Cupidinem.* Tu levis es, multoque tuis ventosior alis. ℙ *Ventosi equi*, leves ac veloces, quasi vento geniti, aut ventos cursu aequantes. *Ov. Fast.* 4, 392. Primaque ventosis palma petetur equis, *h. e.* cursu quadrigarum in Circo.

VENTRALE, is, n. V. in v. sq.

VENTRALIS, e, adj. ad ventrem pertinens. *Macrob. Sat.* 7, 8. *med.* Species acres et calidae si in ventrem receptae sint, solvitur vis earum ventralis humoris alluvione. ℙ *Ventrale* absolute (subaudi *cingulum, vestimentum*, aut quippiam hujusmodi) est, quod Graece *κοιλιόδεσμος*, ventrem scilicet praecingens: differt a campestri, quia illud ventrem tantummodo, istud pudenda etiam velabat. Hujusmodi cingulum videre est in piscatoris effigie apud *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 5. *tab.* 32. et *a.* 6., de eodem vero accurate *Id. ib.* 146. *ed. Mediol.* agit. *Plin.* 8, 48, 73. Gausapa patris mei memoria coepere, amphimalla nostra, sic ut villosa etiam ventralia. *Id.* 27, 7, 28. Absinthium inguinum tumorem arcet in ventrali habitum. ℙ In his sudariola, aut nummos gestare solebant. *Ulp. Dig.* 48, 20, 6. Nec sibi vindicare debebit vestem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventrali, quos victus sui causa in promptu habuerit. *Torrent.* habet in *ventralem.*

VENTRICOLA, ae, m. et f. ventrem colens, ventri et gulae deditus. *August. ep. ad Casulan.* 86. *med.* Qui ventricolas tanquam magnus jejunator accusat.

VENTRICULATIO, onis, f. morbus et tormina ventris ap. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17.

VENTRICULOSUS, a, um, adj. ad ventrem pertinens. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. Ventriculosa passio.

VENTRICULUS, i, m. *γαστρίδιον*, parvus venter. et ponitur aliquando pro ventre: ut in illo *Juven.* 3, 96. *de pudendo muliebri:* plana omnia dicas Infra ventriculum. ℙ Sic appellantur et duae cavitates in corde. *Cic. N. D.* 2, 55. *med.* Pars animae redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant: cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. ℙ Praecipue sic dicitur receptaculum cibi in corpore animalis, in quo conficitur, confectusque in intestina transmittitur quidquid comestum est. *Cels.* 4, 1. et 5, 26. *n.* 16. *Plin.* 11, 37, 78. et sq. et alibi saepe. *Cels. cit. l.* 4. Ventriculus, qui receptaculum cibi est, constat ex duobus tergoribus: isque inter lienem et jecur positus est, utroque ex his paulum super eum ingrediente.

VENTRIFLUUS, a, um, adj. qui ventrem solvit, ut Ventriflua medicamenta, *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *med.*

[VENTRIGO, is, n. 3. ventrem ago, idem ac ventrem facio. V. VENTER. *Plin. Val.* 1, 2. *med.* Res est saluberrima abstinere et a vino, et a clamore, balneis, et vento, et frigore, ita tamen ut post paucos dies (*aegrotus*) ventriget. *F.*]

VENTRILOQUUS, a, um, adj. *ἐγγαστρίμυθος.* Ventriloquos *Isid.* in *Gloss.* exponit praecantatores: sunt autem iidem, qui divini, seu harioli, qui daemonem in ventre se habere dicunt, et ex ejus inflatu futura praedicere. *Tert. adv. Marc.* 4, 25. et *adv. Prax.* 19. ex *Isa.* 44, 25. Quis alius disjiciet signa ventriloquorum, et divinationes ex corde? Verba *Isaiae* in *Vulgatae edition.* sunt: Irrita faciens signa divinorum, et hariolos in furorem vertens. [*Hieron. in Isai.* 3, 8, 20. Quaerite ventriloquos, quos pythonas intelligimus, et qui de terra loquuntur, quod in evocatione animarum magi se facere pollicentur, et cetera maleficarum artium genera. V. PYTHON. *F.*]

[VENTRIO, onis, m. dimin. ventris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 839, 2. L. Ovidio L. F. Ser. Ventrioni, etc. *F.*]

VENTRIOSUS, a, um, adj. *γαστρώδης*, qui magnum habet ventrem. *Pl. Merc.* 3, 4, 54. Canus, varus, ventriosus. *Id. As.* 2, 3. 20. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus.

VENTROSUS. V. in v. sq.

VENTRUOSUS, a, um, adj. ventriosus. Ut a *mons, tis*, fit *montuosus*, sic a *venter, tris, ventruosus. Plin.* 14, 21, 27. Dolia ventruosa ac patula minus utilia. Ita *Hard.* ex MSS., alii leg. *ventrosus.*

VENTULUS, i, m. *ἀνεμίδιον*, lenis ventus. *Ter. Eun.* 3, 5, 47. Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito, dum lavamus. Adde *Pl. Curc.* 2, 3, 37. et *Cas.* 3, 5, 14.

VENTURUS, a, um, part. futuri verbi venio, *Ov. A. Am.* 2, 59. Memores venturae senectae. *Virg. A.* 8, 627. venturi inscius aevi. ℙ *Ventura*, absolute, res in futuro positae *Id. ib.* 2, 125. Ventura videre. Sic *Id. ib.* 6, 66. Praescia venturi vates.

VENTUS, a, um, part. V. in VENIO.

VENTUS, i, m. *ἄνεμος, πνεῦμα*, aeris concitati motus, fluxus aeris impetuosior. [a *venio* derivatur; veniens enim aer cum impetu ventus est: hinc recentiores Germani nunc *wind* appellant, et *winden* eisdem est *torcere* Italorum; quae tamen vox fortasse vetustissima est, et a Celtica lingua repetenda, unde Latini ventum derivaverunt. *F.*] *Cic. N. D.* 2, 39. *a. f. de aere:* Tum effluens huc et illuc ventos efficit. *Vitruv.* 1, 6. Ventus est aeris fluens unda, cum incerta motus redundantia. Nascitur, cum fervor offendit humorem, et impetus fervoris exprimit vim spiritus flantis. *Cic. Cluent.* 49. *f.* Ut mare, quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari. *Id. Fam.* 7, 20. *extr.* Ventus increbrescit. *Sen. Med.* 627. Venti silent. *Sen. alter V. B.* 22. Sscundus, et ferens ventus. *Nep. Ann.* 8. Dare vela ventis. [**Pl. Mil.* 4, 8, 7. ventus dum operam dat, i. e. secundus afflat; formula aliquoties ap. *Plaut.* obvia. Contrarium est: ventus navim deseruit *Most.* 3, 2, 50. *Lindem.*] ℙ Jungitur nominibus peculiarium ventorum. *Cic. Att.* 9, 6. Septentriones venti. *Caes. B. G.* 5, 7. Corus ventus. *Nep. Milt.* 1. Aquilo; et *ib.* 2. Boreas. Sic *Pl. Curc.* 5, 2, 47. Exoritur ventus turbo, spectacula ibi ruunt. Adde *Trin.* 4, 1, 16. ℙ [Omnium antiquissimi duos tantum ventos habuere. *Isid. Or.* 13, 11. *med.* Ex omnibus autem ventis duo cardinales sunt: Septentrio, et Auster. Id ipsum affirmat *Strabo l.* 1. p. 51. *ed. Amstel.* ex Thrasyalcis sententia. ℙ Deinde quatuor fuere cardinales, quia flant a quatuor mundi cardinibus, septentrione, oriente, meridie, occidente. Hos, *Homerum Odyss.* 5, 295. secutus, *Ov. Trist.* 1, 2, 27. et 1. *Met.* 60. Borean, Eurum, Notum, Zephyrum Graecanicis nominibus appellat.

(Adde *Manil.* 4, 589.) Eosdem vero Latinis *Cels.* 2, 1. Septentrionem, Subsolanum, Austrum, Favonium. ℙ Mox octo facti sunt. Hos *Plin.* 2, 47, 46. Graecanicis nominibus vocat Aparctian, Borean; Apelioten, Eurum; Notum, Liba; Zephyrum, Argesten: Latinis Septentrionem, Aquilonem; Subsolanum, Vulturnum; Austrum, Africum; Favonium et Corum. ℙ Circa Alexandri M. tempora venti duodecim fuerunt. Hos *Sen. Q. N.* 5, 16., *Veg. Mil.* 5, 8. et *Auct. epigr.* in *Anth. Lat. T.* 2. p. 381. *Burm.* nominibus Graecanicis appellant Aparctian, Borean, Caecian; Apelioten, Eurum, Euronotum; Notum, Libonotum, Liba; Zephyrum, Argesten, et Thrascian: Latinis Septentrionem, Aquilonem, Caecian; Subsolanum, Vulturnum, Album Notum; Austrum, Austroafricum, Africum; Favonium, Corum et Circium. Sunt qui hos eosdem ventos aliis appellant nominibus, ac praesertim derivatis ex iis locis, unde ipsi flare solent, quae tamen omnia recensere, quia infinitum esset, ideo consulto omittimus. ℙ Tandem sub Augusti tempora venti quatuor et viginti evasere. Eos ita recenset *Vitruv.* 1, 6. Septentrionem, Gallicum, Supernatem, Aquilonem, Borean, Carban; Solanum, Ornithias, Caecian, Eurum, Vulturnum, Euronotum; Austrum, Altanum, Libonotum, Africum, Subvesperum, Argesten; Favonium, Etesias, Circium, Caurum, Corum, et Thrascian. Hae sunt quintuplices ventorum divisiones apud veteres Romanos. ℙ Recentiores Itali, qui mare mediterraneum navigant, sedecim ita numerant ventos. *Tramontana*, *Tramontana - Greco*, *Greco*, *Greco-Levante*, *Levante*, *Levante - Sirocco*, *Sirocco*, *Sirocco - Ostro*, *Ostro*, *Ostro - Garbin*, *Garbin*, *Garbin - Ponente*, *Ponente*, *Ponente - Maestro*, *Maestro*, *Maestro - Tramontana.* Haec porro nomina ideo apposuimus, quia Lexicographus noster eadem cum antiquis saepe comparat. Recentiores Europaei ventos duos et triginta numerant, compositis eorum nominibus ex quatuor vocabulis Germanis, *Nord*, *Ost* seu *Oest*, *Süd* et *West;* quae quatuor primarios seu cardinales ventos significant. *F.*] ℙ In fabulis est, Ventos filios fuisse Astraei, qui patrem Titanum habuit, et Aurorae, et fratres Astraeae; eos aliquando adversus Jovem proeliatos esse; a Jove debellatos in terrae speluncis in Aeolide inclusos fuisse, iisque Aeolum regem datum esse, qui eos coerceret. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 136. et *Hyg. praef.* Hinc pro Diis habiti sunt, et templa illis dicata, ut Circio ab Augusto, teste *Sen. Q. N.* 5, 17. *f.* et victimae caesae, ut ap. *Virg. A.* 3, 120. et *Hor. Epod.* 10 *f.* et vota facta, ut ap. *Lucr.* 5, 1228., *Ov. Her.* 18, 37. et *Turpil.* ap. *Cic. Tusc.* 4, 34. ℙ Translate *ventus* accipitur pro calamitate, adversa fortuna, perturbatione. *Cic. Pis.* 9. *f.* Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas. ℙ Item pro secunda, seu prospera fortuna. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Quid si etiam Caesarem, cujus nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem? [*Adde *Fam.* 12, 25. quicumque venti erunt, ars certe nostra non aberit] ℙ Item pro favore, plausu. *Id Cluent.* 47. Verum omnes intelligimus in istis subscriptionibus ventum quendam popularem esse quaesitum. [*Cf. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Item pro fama, rumore. *Id. ib.* 28. Qui omnes rumorum et concionum ventos colligere consuesset. [*Melius *Math.* h. l. ventos intelligit ea, quae in rumoribus et concionibus essent ad invidiam faciendam accommodata; coll. *Ern. cl. Cic.* s. h. v. ubi, quae hac de re dici posse videntur, largius praebentur. — Pro fama *ventus* dicitur ap. *Eund. Fam.* 8, 8. magna illico fama surrexit, et de damnatione ferventer loqui est coeptum, quo vento projicitur Appius minor, ut indicet etc.] ℙ *Ventis tradere* est oblivioni tradere. *Hor. Od.* 1, 26, 1. Tristitiam et metum Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis. Huc pertinet et illud *Virg. A.* 10, 652. nec ferre videt sua gaudia ventos, *h. e.* irrita esse, in nihilum abire. [*Adde *Catull.* 63, 142. Quae cuncta aërei discerpunt irrita venti.] ℙ *In vento* et *in aqua scribere* est operam perdere. *Catull.* 70, 4. Sic profundere verba ventis, *h. e.* frustra loqui, *Lucret.* 4, 929. Et, dare verba in ventos, *Ov. Am.* 1, 6, 42. Idem quoque est *ventis loqui* ap. *Ammian.* 15, 5. [*Ap. *Ov. Hor.* 2, 25. *Ventis verba dare* proverbialis locutio est, de eo, qui obliviscitur promissorum, fidem, quam dedit, fallit. V. *Ruhnk.*] ℙ *Vento vivere* proverbiali locutione dicitur is, qui minimo sumptu victitat. *Imp. Alexand. Cod.* 5, 50, 2. *f.* ℙ [*De dictione *ventis*, *remis*, i. e. omni contentione niti, cf. quae notata sunt in v. *remus;* coll. *Beier* ad *Cic. Off.* 2, 407. ℙ Neque recte videtur omissum illud dicendi genus, nobis quoque usitatum, ap. *Lucr.* 6, 1110. Quatuor a venteis et coeli partibus esse, i. e. ex quatuor orbis terrarum regionibus, a quibus nomina accepere venti.] ℙ *Ventus textilis* est vestis tenuissima, quae subtilitate videtur ventos aequare. *Laberius* ap. *Petr. Sat.* 55. V. NEBULA.

VĔNUCŬLUS, a, um, adj. ad Venusiam oppidum Apuliae pertinens, ut multi putant: ut *Venucula uva*, quae in ejus oppidi agro provenit, et in ollis condi et servari solet, ob id etiam *ollaris* dicta. *Hor. Sat.* 2, 4, 71, venucula convenit ollis: Rectius Albanam fumo duraveris uvam. (Quidam scribunt *Vennucula* duplici *nn*, ut commode prima syllaba producatur, quae in *Venusia* brevis est.) *Colum.* 12, 43. *med.* Uvae Venuculae, quas antiqui in vasis condebant. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. Venucula inter optime deflorescentes, et ollis aptissima. *Hard.* legit *Venicula* eodem sensu: alii *venuncula.* ℙ Quidam rectius *venuculam* non a Venusio oppido, sed a *venum* derivant, ut sit idem, quod venalis: nam ideo in ollis servatur, ut vendi possit extra vindemiae tempora. Sic enim *Acro* ad *Hor. l. c.* Venucula uvae genus est, cujus botryones ollis servabantur. ℙ *Colum.* 2, 6. far etiam venuculum nominat, et inter tarris varia genera refert. Alii leg. *vermiculum*, h. e. rutilum.

VĔNŬLA, ae, f. *φλέβιον. Cels.* 2, 6. Oculi illacrimant, atque in iisdem venulae pallent. ℙ Translate. *Quint.* 12, 10. Quid est cur in iis, qui tenui venula per calculos fluunt, Atticum saporem putent?

VENŬLEJUS. Q. Claudius Venulejus Saturninus JCtus, unus ex discipulis Papiniani, fuit etiam unus ex familiaribus et sociis Alexandri Severi Imp., ut in ejus vitae fine tradit *Lampr.* Exstant multa ejus responsa in Pandectis.

[VĔNŬLUS, a, um, adj. dimin. idem ac venalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 476, 8. A. Firmius Venulus. *F.*] *VĔNŬLUS, i, m. Turni legatus ad Diomedem. *Virg. A.* 8, 9. Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem. *B. A.*

VĔNUM, quod venale est. Quidam putant, esse supinum verbi *veneo;* sed potius *veneo* est a *venum*, quasi *venum eo.* Aliquando per casus inflexa legitur: itaque potius nomen esse, dicendum est, cujus in usu frequentissimo est *venum:* dicimus autem *venum ire*, h. e. vendi; et *venum dare*, aut *tradere*, h. e. vendere. *Gell.* 7, 4. Pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil praestaret, Coelius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit. *Liv.* 3, 55. Ut ejus familia ad aedem Cereris venum iret. *Lucan.* 4, 206. seque, et sua tradita venum Castra videt. *Claud. in Ruf.* 1, 178. Venum cuncta dari, *h. e.* omnia venalia esse. *Id. in Eutrop.* 1, 37. Omnes poenituit pretii: venumque redibat, Dum vendi potuit. ℙ Reperiuntur etiam quidam hujus nominis casus, ut dictum est, ut *venui* dativus, tanquam a *venu, u:* et *veno* in dat. et ablat. a *venum, i. Appul. Met.* 8. Eum rogavit unus e nostris, haberetne venui lacte? et *infra.* Cantherium venui subjicere. *Tac. A*, 13, 51. Militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quae veno exercerent; et *ib.* 14, 15. Posita veno irritamenta luxus. ℙ Sunt qui scribunt cum diphthongo *ae*, sed V. VENEO.

*VENUNDATĬO, onis, f. *Gloss. Cyrill. πρᾶσις. B. A.*

VĔNUNDĂTUS, a, um, part. a *venundo:* venditus. *Tac. Agr.* 28. Per commercia venundati, *Prop.* 3, 17, 22. Tuque o Minoa venundata Scylla figura.

VĔNUNDO, as, dedi, datum, a. 3. *ἀπεμπολέω, ἀποδίδωμι*, idem quod vendo, venum do. *Cic. Off.* 3, 16. Cum in venundando rem eam scisset. Alii leg. *vendendo.* [**Fr. Heusing.* legendum censet *in vendundo. Facciol.* vulg. hanc notam adjecit: usus est vetustate verbi ex formula. Quem secuti sunt *Gernh.* et *Beier.* ita tamen ut divisim *venum dando* scrib. quod antiquo dicendi modo magis convenit. Hinc non esse falsi videntur ii, qui formulam *venundare* ap. *Cic.* inveniri prorsus negant, quae imprimis sequioris aetatis scriptoribus usurpatur: nam etiam ap. *Sall. Jug.* 91. (al. 96.) divis. scribend. nobis videtur. ℙ Vocabulum solomne est de captivis vendendis. *Noster* laud. *Flor.* 4, 12. *med.* Hos sub corona jure belli venundedit. Alia exempla sunt praeter *Sall.* l. supra l. *Suet. Aug.* 21. *Curt.* 9, 8, 3. *Tac. A.* 14, 33. 13, 39. *H.* 1, 68. *Agr.* 28. ℙ Nunc sequi poterant ea, in quibus *venundare* idem fere est, quod nostr. *verschachern.* Quo sensu positum est in his:] *Tac. A.* 11, 22. *extr.* Quaestura gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur. *Fragm. juris civ. antejustin.* (ed. *A. Maio*) p. 71. Matre quoque filiae res venundante, nihil ei auferre posse, non ambigitur. [*Cf. *Doederl.* 4, 118. sq.] ℙ Scribitur et *venumdo.*

VĔNUS, eris, f. *Ἀφροδίτη, Κύπρις, Κυθέρεια*, filia Coeli et Diei, Dea amorum, pulcritudinis, gratiarum, deliciarum, voluptatum omnium. Poetae fabulantur, natam esse ex spuma maris, et Coeli testibus a Saturno excisis, et in mare projectis. Sed hoc de Venere secunda *Cic. N. D.* 3, 23. scribit. Quatuor enim ibi Veneres enumerat, ut dicetur §. 7. Dicta est a veniendo, quia se facilem petentibus praebet. *Id. ib.* 24. Minerva, quia minuit, aut quia minatur: Venus, quia venit ad omnia. [*Recte *Doederl.* 3, 31. *Cic.* conjecturam de utriusque v. *Venus* et *Minerva* origine frustra factam dicit; quamquam ad originem eruendam parum quidem facere videntur, quae de cognatione v. *Veneris* cum nostr. *Wonne* et *wünschen*, et fortasse etiam *Minnen* etc. memorat ipse; coll. *Kann. Verw.* p. 220.] ℙ Graecis est *Ἀφροδίτη*, ab *ἀφρὸς*, spuma, e qua nata fingitur: quod praeter multos scriptores etiam tradit *Arnob.* 4, 143. Numquid a nobis dicitur ex pelagi spuma, et ex Coeli genitalibus amputatis Cythereae Veneris concretum coaluisse candorem? ℙ Nata dicitur in Cypro ibique colebatur, et in Papho, in Gnido, in Cytheris, et plurimis aliis in locis. *Hor. Od.* 1, 30, 1. O Venus regina Gnidi, Paphique. Adde *ib.* 3, 1. Ejus sedem in Cypro late et luculenter describit *Claud. Nupt. Hon. et Mar.* 49. et sqq. ℙ Ab ea Romulus mensem anni secundum Aprilem nominavisse dicitur. *Ov. Fast.* 4, 61. Sed Veneris mensem Grajo sermone notatum Auguror: a spumis est Dea dicta maris. Adde *Met.* 4, 537. ℙ Fabulantur nupsisse Vulcano, et adulterio sese cum Marte miscuisse, unde Anteros natus sit. *Id. l. Met* 4., *l. Fast.* 4. et alibi: sed haec de tertia Venere narrantur, quae filia fuit Jovis, et Dionis. *Cic. l. c.* ℙ Dicitur etiam adulterium admisisse cum Mercurio, ex quo Cupidinem, sive Amorem peperit. Hoc de Venere secunda, et de Mercurio secundo *Cicero* scribit *ib.* Nam Cupido primus Mercurio, et Diana prima natus dicitur. Sed quidam volunt, Cupidinem ex sola Venere natum esse, ut est ap. *Serv.* ad *A.* 1, 668. ℙ Veneres plures fuere, ut jam significavimus. *Cic. N. D.* 3, 23. Venus prima Coelo, et Die nata, cujus Elide delubrum videmus: altera spuma procreata, ex qua et Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus: tertia Jove nata, et Dione, quae nupsit Vulcano, sed ex ea et Marte natus Anteros dicitur: quarta Syria, Tyroque concepta, quae Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est. ℙ Poetae tamen has omnes Veneres confundunt, et uni tribuunt ea, quae trium propria sunt. ℙ De Venere armata V. ARMATUS. ℙ Cyprii signum Veneris habuerunt barbatum corpore, sed veste cum sceptro ac statura virili: et putant, eandem marem ac feminam esse. Sunt haec verba *Macrobii Sat.* 3, 8. quorum similia habet *Serv.* ad *A.* 2, 632. ℙ Sacra Veneri fiebant Paphi solo ture, et floribus. *Serv.* ad *ib.* 1, 339. ℙ Non solum pro Dea amoris ponitur, sed etiam pro libidine, seu appetitu commixtionis cum altero corpore, et pro re ipsa Venerea, quam Graeci *ἀφροδισιασμὸν* dicunt. *Ter. Eun.* 4, 5, 6. Sine Cerere, et Libero friget Venus. *Virg. A.* 3, 97. Frigidus in Venerem senior. *Prop.* 4, 7, 19. Saepe Venus trivio commissa. *Plin.* 26, 10, 60. Illita radix genitalibus inhibebit non solum Venerem, sed affluentiam geniturae. *Virg. G.* 3, 137. Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat: *τὸ σπέρμα. Venus feminea* est, qua quis utitur in feminis; *aversa*, qua in pueris vitiandis. *Ov. Met.* 10, 80. omnemque refugerat Orpheus Femineam Venerem. *Capitol. Alb.* 11. Mulierarius inter primos amatores, aversae Veneris semper ignarus, et talium persecutor. Quid sit *Venus pendula*, V. in PENDULUS. ℙ Interdum ponitur pro gratia, qua apud alios pollemus. *Sen. Ben.* 2, 28. Ille non est par mihi virtutibus, nec officiis, sed habuit suam Venerem. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. de Apelle: Quorum *(pictorum)* opera cum admiratur, collaudatis omnibus, deesse iis unam Venerem dicebat, quam Graeci charita vocant. ℙ Interdum etiam pro venustate, ornatu, elegantia. *Pl. Stich.* 2, 1, 5. Profecto amoenitates omnium Venerum et venustatum affero. *Quint.* 6, 3. *med.* Quod cum gratia quadam et Venere dicitur. *Id.* 10, 1. Isocrates omnes dicendi Veneres sectatus est. [*Cf. *Doederl.* 3, 31.] ℙ Per blanditiam amatores amicas suas Veneres vocant. *Virg. Ecl.* 3, 68. parta meae Veneri sunt munera. ℙ Neque amorum solum, sed et hortorum praeses habita est, et *Hortensis* appellata, quia horti ad amoenitates et delicias pertinent, quae amorum comites sunt. Hinc *Naevius* ap. *Festum* in voce *Coquus.* Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem. Ubi *Neptunus* pro piscibus ponitur, *Venus* pro oleribus, *Ceres* pro pane. *Varr. R. R.* 1, 1. Adveneror Minervam, et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum: quo nomine rustica Vinalia sunt instituta. ℙ Est item *Venus* una errantium stellarum, inter Solis et Mercurii sphaeram sita, quae mane, cum antegreditur Solem, Graece *Φωσφόρος*, Latine *Lucifer* dicitur: vespere, cum Solem subsequitur, appellatur a Graecis *Ἕσπερος*, a Latinis *Vesper*, et *Vesperugo. Cic. N. D.* 2, 20. Infima est quinque errantium, terraeque proxima stella Veneris, quae *Φωσφόρος* Graece, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur Solem; cum subsequitur autem, Hesperos. Adde *Somn. Scip.* 4. et 5. ℙ [*Veneris dies* fuit appellatus ille dies, quem nunc Itali *Venerdì* vocant. V. DIES. *Inscr.* ap. *Grut.* 1053, 4. Depositus puer Helias argentarius septumu Kal. Novembres die Beneris (sic pro *Veneris*), ora (*h. e.* hora) quarta. *Alia* ap. *Donat.* 180, 4. Dionysius annorum plus minus XXV. decessit in pace pridie Non. Aprilis die Beneris, Sev. et Quin. Coss. *h. e.* Severe et Quintiano consulibus, nempe ann. a Chr. n. CCXXXV. *F.*] ℙ *Venus* etiam dicebatur talorum jactus: nempe is qui talos omnes figura exhibebat diversa, hoc est, Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem, ut loquitur *Mart.* 14, 14. Causa nominis est, quod is jactus propitia Venere fieri putaretur, unde et *Venereus* dicebatur: erat enim omnium jactuum felicissimus. *Prop.* 4, 8, 45. Me quoque per talos Venerem quaerente secundos, Semper damnosi subsiluere Canes. *Augustus* ap. *Suet.*

Aug. 71. Quod denarios tollebat universos, qui Venerem jecerat. ℙ ***Portus Veneris*, vel *Portus insignis fano Veneris*, nomen portus ac promontorii, ad montes Pyrenaeos, inter Hispaniam Galliamque, hodie *Capo di Cruz*. *Mela* 2, 5. *extr.* *Venus Pyrenaea* audit *Plin.* 3, 3. ℙ *Portus Veneris*, nomen portus in Liguria, non procul a Luna. *Anton. Itin.* Hodie est *Porto Venere*. ℙ *Promontorium et oppidum Veneris*, in Cilicia, meminit *Plin.* 5, 27. ℙ *Oppidum Veneris*, in Aegypto, in Thebaidé, unde Aproditopolites nomos nomen traxit. *Id.* 5, 9. *B. A.* ℙ [Latinorum antiquissimi *Venerus* in gen. sing. pro *Veneris* scribebant, ut et *Castorus* pro *Castoris*, et *Cererus* pro *Cereris*, et *Honorus* pro *Honoris*, et *nominus* pro *nominis*. Hinc *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 418. Venerus Heruc. *h. e.* Veneris Erycinae. *Alia* ap. *Grut.* 59, 8. et *Daniel. Numism. Capuan.* p. 78. Heisce magistreis Venerus (*h. e.* Veneris) Joviae murum aedificandum coiraverunt, etc. *Alia* ap. *Grut.* 499, 12. Sub aede Kastorus. *Alia* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 659. *lin.* 15. In aede Castorus. *Alia* ap. *Fabr.* p. 635. *n.* 298. Heisce magistreis Cererus murum et pluteum long. P. LXXX., alt P. XXI. faciundum coiravere. *Alia* ap. *Grut.* 207. *col.* 2. Ita utei ad aedem Honorus facta sunt. *Alia* ap. *Fabr.* p. 427. Ne quis ceivis Romanus, neve nominus Latini, etc. *F.*]

VĒNŪSĪNUS, a, um, adj. ad Venusiam pertinens, quod est oppidum Apuliae Peucetiae, in confinio Lucaniae, ad radices Apennini: Horatii Flacci patria. *Hor. Sat.* 2, 1, 35. Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus. *Juven.* 1, 51. Haec ego non credam Venusina digna lucerna? *h. e.* lucerna, qua *Horatius* lucubrando, et satyram scribendo utebatur. ℙ *Venusini, orum*, Venusii incolae, ap. *Liv.* 22, 54.

[*VENUSTA, ae, f. herba cynocephalium. *Appul. de Herb.* 86. *Bail.*]

VĒNUSTAS, atis, f. ἐπαφροδισία, ὥρα, εὐσχημοσύνη, pulcritudo, formae elegantia, gratia aspectus: a *Venus*. [*V. *Doederl.* 3, 30. sqq.] *Cic. N. D.* 2, 27. *extr.* Quae autem Dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt: atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate. ℙ Proprie est mulierum, ut dignitas virorum. *Cic. Off.* 1, 30. et 36. Cum autem pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. *Id. ib.* 27. Venustas et pulcritudo corporis secerni non potest a valetudine. *Id. Or.* 18. *f.* Vultus multam affert tum dignitatem, tum venustatem. ℙ Dicitur etiam de inanimatis rebus. *Id. Verr.* 2, 4, 3. Erant aenea praeterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu. *Id. Or.* 3, 46. Capitolii fastigium illud non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. ℙ Translate accipitur pro quacumque gratia, ut pro amabili suavitate orationis, pro lepore sive gratia dicendi, et Venere, χαριεντισμός. *Id. ib.* 1, 57. Dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta profuit. *Id. Verr.* 2, 5, 54. *f.* Affluens omni lepore et venustate. *Gell.* 17, 20. Verborum venustates. ℙ Interdum etiam pro felicitate. *Ter. Hec.* 5, 4, 8. Quis me fortunatior, venustatisque adeo plenior, *Pl. Poen.* 1, 2, 44. Diem pulcrum, et venustatis plenum! *Id. Stich.* 2, 1, 5. Amoenitates omnium Venerum atque venustatum affero. *Id. Ps.* 5, 1, 12. Est hominі quamobrem vitam amet: hic omnes voluptates, in hoc omnes venustates sunt.

VĒNUSTĒ, adv. χαριέντως, cum venustate, lepide. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4, Qua in re mihi videtur illud per quam venuste cecidisse. *Quint.* 6, 3. *med.* Omnia venustissime finxit. *Plin. ep.* 6, 21. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissime. *Sen. Controv.* 1, 1. *med.* Hispanus hunc colorem venustius: *supple* adhibuit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. *med.* Venustissime respondere.

[VĒNUSTĪNUS, a, um, adj. ad venustum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 277, 6. Ti. Claudius Venustinus. *Alia* ap. *Grut.* 700, 9. Laelia Venustina. *F.*]

VĒNUSTO, as, a. 1. καλλύνω, orno. *Naevius* ap. *Fulg. de prisco serm. n.* 43. Myropola affatim mihi unguentum largitus est, quo me venustarem. Subdit *Fulg.* Affatim dicitur abundanter: venustare vero, exhilarare.

VĒNUSTŪLUS, a, um, adj. dimin. ὑπόσεμνος, aliquantum venustus. *Pl. As.* 1, 3, 70. Compellando blanditer, osculando, oratione vinnula, venustula.

VĒNUSTUS, a, um, adj. ἐπαφρόδιτος, καλὸς, pulcher, formosus, ut in VENUSTAS dictum est: a *Venus*. [*V. *Doederl.* 3, 30. sqq.] *Ter. Andr.* 1, 1, 92. Adolescentula forma, et vultu adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra. *Suet. Ner.* 51. Fuit vultu pulcro magis, quam venusto. *Pl. Poen.* 5, 2, 153. Mulier specie venusta; et 5, 4, 4. Diva venustissima Venus. *Suet. Aug.* 79. Forma fuit eximia, et per omnes aetatis gradus venustissima. ℙ Translate usurpatur de quacumque re concinna, et aspectu grata. *Vitruv.* 3, 2. Sic enim habebit et figurationis aspectum venustum, et aditus usum sine impeditionibus. (Sic contra *ib. med.* Tumida et invenusta species; et *f.* Vascus et invenustus conspectus remittetur aspectus.) *Catull.* 31, 12. Salcientibus remittetur aspectus.) *Catull.* 31, 12. Salcientibus remittetur aspectus.) *Catull.* 31, 12. Salcientib

Fulg. Myth. 1. *praef.* Quidquid Helicon verbalibus horreis enthecatum possederat; et *mox:* Licet mulierum verbalibus undis et causidici cedant, *h. e.* verbositati. ℙ *Verbalia nomina*, quae a verbis descendunt, apud grammaticos. *Charis.* 2, 128. et *Diomed.* 1, 310. Sunt etiam quae a Graecis ῥηματικὰ dicuntur, nos non absurde verbalia diximus, ut a verbo lego lectio, et dico dictio, et oro oratio, etc. ℙ Ap. *Diomed. l. c.* et *Cledon.* in *Arte*, p. p. 1892. legitur *verbialia.*

[VERBANUS, i, m. *Lago maggiore*, lacus Galliae Transpadanae ad Alpium radices, ex quo Ticinus fluv. effluit. *Plin.* 3, 19, 23. Ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus *(reddunt).* ℙ Est item cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1578, 6. Cleo L. dat Saturnino Verbani: scil. vero. *F.*]

VERBASCUM, i, n. φλόμος, genus herbae. [*Königskerze, *Wollkraut.*] *Plin.* 25, 10, 73. Verbascum Graeci phlomon vocant: genera habet prima duo: album, in quo mas intelligitur: alterum nigrum, in quo femina: tertium genus non nisi in silvis invenitur. Sunt folia brassicae latiora, pilosa, caulis erectus cubitali amplior, semen nigrum inutile, radix una crassitudine digiti. Nascuntur et in campestribus. Silvestri folia elelisphaci, alta, ramis lignosis. Haec Plin.

[VERBEJA, ae, f. Dea a Britannis, et Gallis culta: haec videtur fuisse eadem ac Victoria, quae verbenam seu palmam manu praeferebat. V. *Jo. Christ. Wernsdorfii Comment.* in *Nov. Act. Soc. Lat. Jenens.* T. 1. p. 289. *Inscr.* ap. *Grut.* 89, 7. et 1017, 2. Verbejae sacrum Clodius Fronto Praef, Coh. II. Lingonum. *F.*]

VERBĒNA, ae, f. ἱερὰ βοτάνη, omnis herba ex puro loco decerpta, item ramus, virga, frons omnis arborum sacrarum, ut lauri, olivae, myrti. *Serv.* ad illud *A.* 12, 120. verbena tempora vincti: Verbena, inquit, proprie est herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est λιβανωτὶς, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur fetiales, et pater patratus foedera facturi, vel bella inducturi. Abusive tamen verbenas jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, vel myrtus. Terentius (*Andr.* 4, 3, 11.) Ex ara sume hinc verbenas. Nam myrtum fuisse *Menander* testatur, de quo *Terentius* transtulit. *Id.* ad illud *Virg. Ecl.* 8, 65. verbenasque adole pingues: Verbenae, inquit, dicuntur virgulta, quae semper virent, jucundi odoris. Alii verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos. Nam ideo et pingues ait, quamvis hoc et de palma, et de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt. Omnia tamen haec a viriditate verbenae appellantur. Hactenus *Servius.* Ex posteriore hoc loco discimus, veteres ipsos grammaticos maxime digladiatos esse super verbenae voce. Id non alia de causa factum est, quam quod viderent, vocem eam ab antiquis tribui rebus diversis. Sed re vera nullus inter eos est dissensus, quia late adeo vox haec patet, ut ramos, virgas, frondesque omnes sacrarum arborum, ut lauri, olivae, myrti, atque adeo herbas omnes ex puro loco decerptas complectatur. Quare etsi de myrti frondibus usurpet *Terentius*, non dubitat tamen *Plinius* dicere, id esse sacri graminis genus. Ita enim ille, 22, 2, 3. Non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, et in sacris, legationibusque verbenae. Certe utroque nomine idem significatur, hoc est gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper e legatis, cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. Haec *Plin.* ℙ Ad etymon quod attinet, *verbena* dicta est, quasi *herbena. Donat.* ad *Ter. l. c.* Verbenae quasi herbenae, redimula sunt ararum. *Acro* ad *Hor. Od.* 4, 11, 7. Verbenae sunt omnes herbae, frondesque festae ad aras coronandas, dictae quasi herbenae. Nempe spiritus asper mutatur in *v* consonum, quomodo pro *Henetis Venetos*, et ἀπὸ τοῦ ἑσπέρου vesperum dicimus. *Servius* verbenas *a viriditate* sic dici ait, ut vidimus. ℙ Verbenarum usus fuit in foederibus percutiendis, et in legationibus, quibus res repetebantur: item coronandis aris: Deorum mensis verrendis, purgandis, lustrandisque domibus, et in sacris domi faciendis. Testes habemus horum *Liv.* 1, 24., *Hor. Od.* 4, 11, 6. *Plin. l. c.*, item 15, 29, 36. et 25, 9, 59. et *Pl. Truc.* 2, 5. *f.* Meminit et *Cic. Verr.* 2, 4, 5. Ennam cum venissem, praesto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. ℙ In medicina inter ea, quae reprimunt et refrigerant, *Cels.* 2, 22. *f.* ponit verbenarum contusa cum teneris caulibus folia: cujus generis sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamarix, ligustrum, rosa, rubus, laurus, hedera, punicum malum; et *mox:* Aqua calida, in qua verbenae coctae sunt, quas supra proposuit; et 8, 10. *n.* 7. *med.* Myrtus, hedera, aliave similes verbenae.

VERBĒNĀCĀ, ae, f. idem ac verbena: item herba peculiaris verbenae usum habens, de qua *Plin.* 25, 9, 59. V. HIERABOTANE.

VERBĒNĀRĬUS, ii, m. qui verbenam fert. *Plin.* 22, 2, 3. Legati cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est res raptas clare repetitum, unus utique verbenarius vocabatur. V. *Varronis l. c.* in CADUCEUS.

VERBĒNĀTUS, a, um, adj. verbena coronatus. *Suet. Cal.* 27. Alterum, qui se periturum pro salute sua voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum, infulatumque.

VERBER, eris, n. μάστιξ, αἶκισμα, instrumentum verberandi, qualis est virga, fustis, flagellum, ferula, et si quid est simile. [*Doederl. 3, 264. a *ferire* derivandum censet. Ceterum v. *verber* (pro quo in nomin. sing. etiam *verbus* dici posse putat *Schneid. Gr. Lat.* 2. p. 429. neg. *Doderl. l. c.*) proprie de flagello usurpatum videtur: alias enim non video, qui fieri potuerit, ut de habena, seu funiculo fundae dictum fuerit.] *Quint. decl.* 19, 3. *extr.* Ignes ex proximo raptos, verbera quae casus obtulerat. *Ov. Met.* 14, 820. ictu Verberis increpuit. *Ter. Andr.* 1, 2, 28. Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem. *Virg. G.* 3, 106. illi instant verbere torto. *Cic. Leg.* 3, 3. Coercere aliquem verberibus. *Liv.* 8, 28. Adolescentem nudari jubet, verberaque afferri; quibus laceratus juvenis cum se in publicum proripuisset, etc. [*Praeter hunc Livii locum apud bonos prosae orationis scriptores nullum invenies, ubi *verber* pro instrumento verberandi positum sit. Ciceronis exemplum parum recte huc relatum videtur: nam *verberibus aliquem coercere* significat in universum, ictibus, plagis aliquem tractare.] ℙ De habena, seu funiculo fundae. *Virg. G.* 1, 309. Stuppea torquentem Balearis verbera fundae. Adde *Sil.* 1, 314. ℙ [*Usurpatur *verber* etiam de tormentis, quibus saxa aliaque id genus plura emitti contra moenia hostium solent. *Luc.* 3, 469. At saxum quoties ingenti verberis actu Excutitur, etc. ubi v. *Cort.* et *Mart. Lag.* in *ed. Web.*] ℙ De ictu et plaga ferientium. *Stat. Th.* 2, 143. et 172. post verbera, *h. e.* post pugnam. *Sen. Herc. Fur.* 800. Victrice magnum dextra robur gerens, Huc nunc et illuc verbere assiduo rotat. *Claud. Laud. Stil.* 1, 288. Exiguo clavi flexu declinat aquarum Verbera. ℙ De ictu remorum. *Lucan.* 3, 535. praetoria puppis Verberibus senis agitur. [*Sil. 11, 492. Centeno fractus spumabat verbere pontus. ℙ Etiam de natantibus dicitur *verbera dare* Ponto ap. *Ov. Her.* 18, 23. ubi v. *Ruhnk.*] ℙ Translate. *Lucr.* 5, 955. Verbera ventorum, *h. e.* impetus. *Hor. Od.* 3, 12, 2. aut exanimari metuentes Patruae verbera linguae, *h. e.* objurgationes. *Prisc. Perieg.* 1033. Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti Nascitur, humanae simulat qui verbera linguae, *h. e.* ictus linguae palatum percutientis, dum verba exprimit. *Gell.* 13, 17. *f.* Verbera fortunae, *h. e.* adversa fortuna. ℙ In sing. num. primus, tertius, et quartus casus carent exemplis. [*Ablativus hujus vocis inter prosae orationis scriptores non occurrere videtur nisi ap. *Sen. de constant.* 12. pecora verbere domantur. *Plin. H. N.* 2, 8. *med.* adverso siderum verbere. — Genitivus legitur tantum ap. *Lucan.* ap. *Phoc.* p. 1709. et ap. *Pall. Mart.* 11, 3. hortamen clamoris ac verberis. *Schneid. Gr. Lat.* 2. p. 429.]

VERBERĀBĬLIS, e, adj. μαστιγίας, verberibus dignus. *Pl. Aul.* 4, 4, 6. Verberabilissime, etiam rogitas, non fur, sed trifer?

[VERBERĀBUNDUS, a, um, adj. qui verberibus castigat. *Plaut. fragm.* (ed. *A. Maio*) p. 30. Ut eum verberabundum adducam domum. *F.*]

VERBERĀTĬO, onis, f. μαστίγωσις, ῥαβδία, actus verberandi. [*Callistrat. Dig.* 48, 19, 7. Veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio vinculorum (al. *nervorum*, al. *lororum*) verberatio. *F.*] ℙ Translate. *Q. Cic. Tironi*, *Fam.* 16, 27. Mirificam mihi verberationem cessationis epistola dedisti, *h. e.* reprehensionem.

VERBERĀTOR, oris, m. qui verberat. *Prud.* περὶ στεφ. 9, 38. Donetur ipsis verberator parvulis, [*h. e.* magister, qui discipulos verberare solet. *F.*]

VERBERĀTUS, a, um, part. a *verbero: τυφθείς*, ictus, converberatus. *Mart.* 7, 95. Quid possis graviusque saeviusque Percussus facere atque verberatus? *Plin.* 9, 18, 32. Piscis, qui nusquam percoqui potest, nisi ferula verberatus. *Hor. Od.* 3, 1, 29. Vineae verberatae grandine. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5. Quod se pulsatum, verberatumve esse dicat. V. VERBERO, as §. 1. ℙ Translate. *Tac. Agr.* 41. *f.* Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas. *Petr. Sat.* 132. Manifestis matrona contumeliis verberata.

VERBERĀTUS, us, m. verberatio. In sexto casu sing. *Plin.* 31, 3, 23. Ut aqua etiam tactu gelida sit, etiam arte contingit, si etiam expressa in altum, aut e sublimi dejecta, verberatu corripiat aera.

VERBĔRĔUS, a, um, adj. μαστιγίας, verberibus dignus, verberabilis. *Pl. Capt.* 5, 1, 31. et *Ps.* 4. 1, 7. Sed eccum video verbereum statuam. *Id. Pers.* 2, 2, 2. Asin' vero verbereum caput?

VERBĔRĪTO, as, a. 1. μαστιγόω, saepe verbero. *Paul.* ex *Fest.* Verberitare Cato frequentative ab eo, quod est verbero, dixit.

VERBĔRO, as, a. 1. μαστιγόω, τύπτω, verbere caedo, pulso, percutio, ferio. Videtur esse discrimen aliquod (quamquam non perpetuum) inter *verbero*, et *pulso:* nam, ut ait *Ofilius* ap. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5., *verberare* est cum dolore caedere, *pulsare* sine dolore. Sed hoc falsum est. Alii ita distinguunt, ut *verberare* proprium sit virgarum, et flagrorum, *pulsare* generalius sit, et ad quodvis ictus genus significandum pertineat. [*V. in *Verber.*] *Cic. Verr.* 2, 5, 54. *med.* Sex lictores valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi. *Id. ib.* 2, 3, 26. *f.* Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios, et verberari. *Id. ib.* 2, 5, 43. *med.* Quae cum apud te diceret, virgis oculi verberabantur. *Ov. Met.* 4, 726. Verberare aliquem ense. *Suet. Cal.* 26. Veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. ℙ Accipitur etiam pro percutere quacumque ratione. *Cic. Phil.* 8, 7. Ante consules, oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit. *Virg. A.* 3, 423. Charybdis sidera verberat unda. *Id. ib.* 11, 756. aquila aethera verberat alis. *Stat. Th.* 5, 390. nive verberat agros Juppiter. *Plin.* 14, 21, 27. Defruta exposita sub dio in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis. *Colum. Arb.* 16. *med.* Sulcum cum feceris, patiere duobus mensibus eum tempestatibus verberari. *Cato R. R.* 91. Locum coaequato, et paviculis verberato. *Lucan.* 2, 407. et Adriacas qui verberat Aufidus undas, *h. e.* impete vasto influens et propellens mare Adriaticum pulsanti similis. *Sen. Troad.* 321. Levi canoram verberans plectro chelyn. *Val. Fl.* 1, 639. puppim verberat Eurus. ℙ Translate etiam de verbis dicitur pro objurgare, conviciari, lacessere. *Pl. Truc.* 1, 2, 17. Me illis quidem haec verberat verbis. *Cic. Pis.* 26. *med.* Os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti. *Id. Or.* 3, 21. Orator in dicendo exercitatus istos verberabit, neque se ab iis contemni sinet, *h. e.* dicendo obruet, longe vincet. ℙ Alio sensu. *Pl. Amph.* 1, 1, 117. Mihi vox aures verberat, *h. e.* aures meas percellit. [*Agit de hoc dicendi genere *Passerat.* ad *Prop.* 1, 16, 27. et *Cort.* ad *Luc.* 7, 25. ubi tamen *Mart. Lag.* cdd. quorund. lectionem *auras* pro *aures* praeferendam censet.] ℙ Item *Pl. Truc.* 4, 3, 3. participium *verberans* usurpavit pro vapulans. Rogitavi, *inquit*, ego vos verberantes, et pendentes simul. Alii rectius leg, *Rogitavin' ego vos pendentes verberans ambas simul?* ℙ *Verberare lapidem* est operam perdere, et sibi nocere. *Id. Curc.* 1, 3, 41. Noli, amabo, verberare lapidem, ne perdas manum.

VERBĔRO, onis, m. μαστιγίας, verbere dignus. *Pl. Amph.* 1, 1, 128. Ain' vero verbero? Deos esse tui similes putas? *Id. Ps.* 4, 7, 63. Edepol hominem verberonem! Adde *Ter. Ph.* 4, 4, 3. *Cic. Att.* 14, 6. Discrucior, Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri.

*VERBEROSUS, a, um, adj. *Gloss. Cyrill.* μαστιγίας, verberosus, flagellaticius. *B. A.*

VERBĬCĪFĀTĬO, onis, f. sermo de re aliqua. *Caecil.* ap. *Donat.* in *Ter. Eun.* 4, 4, 4. Quid tibi de meo amore verbificatio est patri?

VERBĬGĔNĀ, ae, m. Verbum Filius Verbo Patre genitum. Siquidem Verbum persona de Verbo Patre, id est ratione vel intelligentia oritur, ut *Petavius Dogm. Theol. l.* 6. *c.* 3. *n.* 5. ait. *Prud. Cath.* 3, 1. O crucifer bone, lucisator, Omniparens, pie, verbigena, Edite corpore virgineo; Sed prius in Genitore potens, Astra, solum, mare quam fierent. Hirc *Id. ib.* 11, 17. Ex ore quamlibet Patris Sis ortus, et verbo editus, Tamen paterno in pectore Sophia callebat prius. ℙ Uterque hic locus ab aliis explicatur de Filii Dei generatione in tempore, qua Verbum caro factum est, vel quia hoc mysterium a Deo Patre per prophetas et per angelum praenuntiatum fuit; vel quia Verbum caro factum est per Verbum, per quod facta sunt omnia; vel quia Christus ex Virgine Maria sine virili semine, solaque divini Verbi potentia Verbum caro factum est. [*Hunc locum ita mutavit exque suis amplificavit *F.*, ut totus ipsi jure possit adscribi.]

VERBĬGĔRO, as, n. 1. διαλέγω, verba facio. *Appul. Apol.* Quamdiu, et quoties inter nos verbigeratum sit.

VERBĬLĔVIS, e, adj. qui levis et iuconstans in loquendo est. Vix unus aut alter est, qui ita legat ap. *Prop.* 2, 4, 28. Cynthia formipotens, Cynthia verbilevis. Nam alii *Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.* [*Alii* pro *verba levis* leg. *forma levis.* Porro *Id.* 3, 18, 7. Est tibi forma potens. *F.*]

[*VERBILOQUIUM, i, n. *Fulg. Myth.* 1. Aristotelis syllogis maticum verbiloquium. *Bail.*]

*VERBĪNUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae, in agro Veromanduorum, hodie *Veroins* in Picardia. *Anton. Itin. B. A.*

*VERBIVELITATĬO, onis, f. verborum proelia, λογομαχία. *Plaut. Asin.* 2, 2, 41. Verbivelitationem fieri compendi volo. Vulgo *Verbis velitationem. B. A.*

VERBŌSĒ, adv. πολυλόγως, multis verbis. *Cic. Mur.* 12. Satis verbose: cedo quid postea? *Id. Fam.* 7, 3. *med.* Haec ad te scripsi verbosius. [*Varr. R. R.* 2, 5. Paulo verbosius haec. *F.*]

VERBŌSĬTAS, atis, f. verborum affluentia, loquacitas, πολυλογία. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 551. Ver-

hositatis ipse rumpatur locus. *Sym. ep.* 8, 47. (al. 48.) Trahit nos vitium senile, verbositas.

VERBOSUS, a, um, adj. πολυλόγος, πολύμυθος, qui verbis abundat, multiloquus, garrulus, locutulejus. *Catull.* 98, 1. In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti, Id quod verbosis dicitur et fatuis. *Cic. Mur.* 14. Proeliis promulgatis tollitur e medio non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum sapientia. *Id. Fam.* 7, 3. *f.* Habes epistolam verbosiorem fortasse, quam velles. *Quint.* 2, 4. *med.* Ut quidam sententiarum gratia verbosissimos locos arcessunt. [*Emendavit hunc locum *F.* Quid differant *garrulus, loquax* et *verbosus* explicat *Doederl.* 3, 81.]

VERBUM, i, n. λέξις, dictio, vox, vocabulum. Quamquam enim a grammaticis anguste fere accipitur, ut nomini opponatur, tamen natura sua latius patet, ut et nomen, et pronomen, et ceteras orationis partes complectatur. Imo de ipsa oratione usurpatur. Est vel ab ἐρέω, dico, vel quod eo *verberatur* aer, ut est ap. *Quint.* 1, 6. *med.*, qui tamen non probat. [*Discrimen inter *verbum, vox* et *vocabulum* v. in his verbis.] *Ter. Eun.* 1, 2, 8. De exclusione verbum nullum. *Cic. Or.* 2, 30. Neque enim quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties ejus verbi litterae sunt cogitatione conquirendae. *Id. Part.* 15. Verba ponenda sunt, quae vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia, juncta, facta, etc. *Id. Or.* 24. Verba simplicia, propria, usitata, translata, prisca, nova, etc. *Id. opt. gen. Or.* 3. Verbum inquinatum, abjectum, durum. *Id. Brut.* 79. insolens, humile. *Id. Acad.* 1, 7. *med.* usitatius et tritius. *Pers.* 3, 45. et *Petr. Sat.* 5. Verba grandia. *Ov. Met.* 13, 341. ingentia. *Ter. Eun.* 4, 6, 3. magnifica. *Id. Heaut.* 5, 4, 19. Pudet dicere hac praesente verbum turpe. *Cic. Par.* 6. *in.* Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? *Id. Or.* 69. *f.* Infercire verba. *Ov. Met.* 9, 28. reddere, *h. e.* respondere. *Lucr.* 4, 929. profundere ventis. *Ov. Met.* 6, 151. et *Her.* 16, 245. verbis petulantibus uti. *Petr. Sat.* 117. Jurare sacramentum in verba alicujus. *Id. ib.* 11. Nec se solum intra verba continuit, sed lorum de pera solvit, et me coepit verberare. ℙ *Publica verba* dicuntur, quae in communi sunt consuetudine et usu. *Cic. Acad.* 1, 7. Dialecticorum vero verba nulla sunt publica, suis utuntur. *Ov. A. Am.* 3, 479. Munda, sed e medio, consuetaque verba puellae Scribite, sermonis publica forma placet. ℙ Verba praetoris, quibus ejus jurisdictio continebatur, tria erant, *Do, Dico, Addico. Ov. Fast.* 1, 47. Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur; et *ib.* 52. Verbaque honoratus libera praetor habet. V. ADDICO. ℙ Aliquando speciatim ponitur pro una ex octo partibus orationis, in qua omnis vis orationis est, ῥῆμα. In hac acceptione *verbum* est pars orationis declinabilis, quae modos, et tempora habet, ut *Amo, amabam, amarem*, etc. *Cic. Or.* 3, 49. *f.* Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiae verbis finiantur, eorumque verborum junctio nascatur a proceris numeris, ac liberis. Adde *Varr. L. L. var. in locis, Quint.* 5, 5. et veter. grammaticos. ℙ Nec singulas tantum dictiones verbi nomine Latini appellant, verum etiam contextam et solidam orationem, ut diximus. *Ter. Hec.* 3, 4, 2. Verbis dici non potest tantum, quam re ipsa navigare incommodum est. *Id. Andr.* 1, 5, 5. Miseram me! quod verbum audio? ℙ Hinc usurpatum reperitur pro sententia, sive enuntiatione. *Id. Eun.* 1, 2, 95. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres. *Id. Adelph.* 5, 8, 29. Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Micio, bene et sapienter dixti. ℙ Item pro proverbio, sive aliquo vulgari dicto. *Id. ib.* 3, 17. Nam vetus verbum hoc quidem est, communia esse amicorum inter se omnia. Adde *Pl. Truc.* 4, 4, 32. et *a.* 5. *v.* 39. ℙ Interdum accipitur, ut rei opponatur, id est pro vocabulo inani. *Cic. Or.* 1, 12. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis nulla subjecta sententia, nec scientia? *Id. Pis.* 27. Dolor enim est malum, ut disputas: existimatio, dedecus, infamia verba sunt atque ineptiae. ℙ Interdum ut facto opponitur, sive pro inani promissione. Hinc *verba dare* est decipere, circumvenire *Ter. Andr.* 1, 3, 6. Cui verba dare difficile est. *Cic. Att.* 15, 16. Vel verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter praebeo credulum. *Nep. Ann.* 5. Fabio callidissimo imperatori verba dedit. Simile est illud *Claudii Quadrigarii* apud *Gell.* 17, 2. *f.* Cominius qua escenderat, descendit, atque Gallis verba dedit. Ubi *Gellius:* Verba Cominium dedisse Gallis dicit, qui nihil quidquam cuiquam dixerat: neque eum Galli, qui Capitolium obsidebant, escendentem viderant: sed *verba dedit* haud secus posuit, quam si tu dicas, latuit atque obrepsit. ℙ Interdum ut scripto opponitur, pro viva voce. *Planc.* ad *Cass.* etc. 10. *Fam.* 8. *med.* Plura illi mandata verbo, quam scriptura dedi. ℙ Interdum quoque ut rei et veritati opponitur. *Nep. Phoc.* 3. Causam apud Philippum regem verbo, re ipsa apud Polypercontem dicere jussus est. *Cic. Verr.* 2, 3, 58. Cum hoc verbo et simulatione Apronio, revera tibi objectum esset. ℙ *Verbum nihili* est, quod perperam in linguam Latinam intrusum est. *Gell.* 2, 14. Falsi et audaces emendatores, e scripto per libros, *stetisses* fecerunt, tanquam *stitisses* vanum et nihili verbum esset. V. NIHILUM. ℙ *Verbi causa*, et *verbi gratia* idem est ac exempli causa. *Cic. Fat.* 6. Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur. *Id. Fin.* 5, 11. Ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus. ℙ *Uno verbo*, est paucis verbis. *Cato R. R.* 157. *med.* Si cor dolet, si jecur aut pulmones; uno verbo omnia sana faciet, intro quae dolitabunt. Adde *Cic. Phil.* 2, 22. ℙ *Bona verba, quaeso.* formula est, qua aliquem iratum placare studemus, *h. e.* quaeso, ut meliora loquaris. *Ter. Andr.* 1, 2, 33. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re me deludier. *Da.* bona verba, quaeso. ℙ *Verbum*, et *verba facere*, est loqui, disserere, orationem habere. *Cic. Brut.* 78. Qui nunquam verbum in publico fecerunt. *Id. Verr.* 2, 4, 66. In senatu verba facere. *Id.* ad *Planc. Att.* 16, 16. Verba facere pro aliquo. [*Praeter hunc vulgatissimum de oratore, duobus adhuc modis est ap. *Cic. facere verba.* Unus de magistratu referente ad senatum; estque verbum solenne in ICtis, pro quo Graeci dicunt ἐιπεῖν. *Cic. Fam.* 8, 8. Quod M. Marcellus V. F. (verba fecit) de provinciis consularibus. V. *Brisson. de Form. L.* II. p. 193. Graecum ἐιπεῖν de relatione ad populum est in psephismatibus. Cf. *Demosth. de Cor.* 6. Alter est de recitante formulam dedicationis. *Cic. Dom.* 46. Si is Q. Caepionis, inimici sui, postem aedium tenuisset et pauca verba fecisset, aedes Caepionis essent dedicatae.] ℙ *Verba facere mortuo*, est ei velle aliquid persuadere, qui aut non audiat, aut nolit audire, sive operam ludere. *Ter. Phorm.* 5, 8, 26 Verba fiunt mortuo. Adde *Pl. Poen.* 4, 2, 18. ℙ *Verba habere*, idem ac verba facere. *Cic. Somn. Scip.* 1. Multis verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. ℙ *Ad verbum*, totidem verbis, eisdem verbis. *Cic. Fin.* 1, 2. Fabellae Latinae ad verbum de Graecis expressae. *Id. Div.* 1, 44. Somnium mirifice ad verbum cum re convenit; et *Suet. Caes.* 30. *f.* Haec eum ad verbum dixisse refert. ℙ *Verbum de verbo exprimere*, est ad verbum transferre. *Ter. Adelph. prol.* 11. Verbum de verbo expressum extulit. ℙ *Verbum verbo reddere*, seu *pro verbo reddere*, idem est ac verbum de verbo exprimere. *Hor. A. P.* 133. Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres. *Cic. opt. gen. Or.* 5. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque servavi. ℙ *Totidem verbis transferre*, idem. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Itaque istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli. Eodem sensu dicimus *ad verbum ediscere. Id. Or.* 1, 34. ℙ *Meis verbis*, est meo nomine. *Pl. Bacch.* 4, 4, 79. Scribe salutem tuo patri verbis tuis. *Cic. Att.* 16, 11. *extr.* Atticae, quoniam hilarula est, meis verbis suavium des. *Id. Fam.* 15, 8. Gratum mihi feceris, si uxori tuae meis verbis eris gratulatus; et *ib.* 5, 11. Cum Sura locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut, etc. *Liv.* 9, 36. *f.* Denuntiatum Fabio senatus verbis, ne, etc. et *Pl. Mil.* 3, 3, 38. Anulum, quem ego militi darem tuis verbis. ℙ *Verbum* pro *verborum* habet *Pl. As.* 1, 3, 1. Unumquodque istorum verbum. *Id. Truc.* 2, 8, 14. Verbum sat est.

VERCELLENSIS, e, et

[VERCELLĪNUS, a, um, adj. ad Vercellas, nunc *Vercelli*, pertinens, Italiae Transpadanae urbem, cujus meminit *Tac. H.* 1, 70. et *Plin.* 3, 17, 21. *Id.* 33, 4, 21. Vercellensis ager. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 772. Collegium jumentariorum portae Vercellinae. *F.*]

[VERCINGĔTORIX, igis, m. nomen supremi magistratus ap. veteres Gallos; est enim compositum ex Celticis vocibus *fear-cingo-toir, h. e.* vir caput ad expeditionem. (V. VERGOBRETUS): sed *Caes. B. G.* 7, 4. et sqq. nomen dignitatis pro nomine proprio accipit illius, qui Celtilli filius, Arvernus natione, summae potentiae adolescens, cujus pater totius Galliae principatum obtinuerat, defectionis et belli contra Caesarem auctor fuit: rex a suis appellatus, victus tandem a Caesare, in triumphum ductus, deinde interfectus. *Caes. l. c. Flor.* 3, 10. et *Dion.* 40, 39, 41. et 43, 19. ℙ Βερκιγγετόριξ, γος, Graece reddit *Metaphr. Caesaris*, Ουερκιγγετόριξ scribitur ap. *Dion. l. c.*, genitivum Ουερκιγγετόριγος ap. *Strab. l.* 4. *F.*]

VERCŬLUM, i, n. dimin. quasi parvum ver: adhibetur in blanditiis. *Pl. Cas.* 4, 4, 14. Meum corculum, melculum, verculum. V. MELCULUM.

VĔRĔ, adv. ἀληθῶς, non false. *Ter. Heaut.* 1, 1, 102. Hoc ibi fit, ubi non vere vivitur. *Cic. Off.* 3, 3, Honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Non ὑπερβολικῶς, sed verissime loquor. *Id. Mil.* 29. Ne libentius haec in illum evomere videar, quam verius. *Liv.* 40, 27. Ligures latrones verius, quam justi hostes. *Id.* 22, 23. Laeto verius dixerim, quam prospero eventu pugnatum fuerat. ℙ Est etiam, bene, recte. *Nep. Them.* 1. *f.* De instantibus verissime judicabat, et de futuris callidissime conjiciebat. ℙ Item plane, juste, expresse, clare, *Plin.* 11, 37, 65. Metellum pontificem adeo inexplanatae linguae fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda aede Opis vere dicere. Ita *Hard.*

*VEREASUECA, ae, portus Hispaniae Tarraconensis, in Cantabria. *Plin.* 4, 20. Portus eorum Vereasueca. Sic ed. *Hard.* Antea legebatur *Portus eorum Vesci Veca.* Hodiernum nomen, *Harduino* judice, est *Villa viciosa. B. A.*

VĔRĔCUNDĔ, adv. αἰδημόνως, pudenter. *Liv.* 26, 49. *extr.* Tueri virgines verecunde ac modeste. *Cic. Fin.* 5, 2. *f.* Tum ille timide, vel potius verecunde, facio, inquit, etc. *Id. Brut.* 22. Ille, quod ei viro succedendum esset, verecunde et dubitanter recepit causam. *Id. Or.* 1, 37. *f.* Verecundius hac de re loquor, quod adest vir in dicendo summus. Adde *Cels.* 6, 18.

VĔRĔCUNDĬA, ae, f. αἰδώς, αἰσχύνη, pudor, modestia, ingenuitas, probitas: a *vereor:* cui opponitur petulantia, impudentia. Differunt *verecundia*, et *timor.* Nam, ut ait *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3, 2, 16., veretur liber, metuit servus, hoc est, verecundia ingenuitatis cujusdam est, et modestiae; unde in laude ponitur: timor est animi sibi male conscii ob culpam admissam, et meritam noxam. [*De discrimine inter *modestia, pudor* et *verecundia Doederl.* 2, 211. sq. haec habet: *Modestia* non transgreditur modum propter morum castitatem, quam respicit: *verecundia* propter aestimationem hominum quorundam, quibus displicere non vult: *pudor* propter se ipsum, ne in contemtum veniat. Aliter *Donatus.* ad *Ter. Andr.* 4, 1, 13. *Pudor* est mali facti, *verecundia* recti et honessi.] *Cic. Part.* 23. Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, verecundia est. *Id. Fin.* 4, 7. *f.* Homo, solum animal natum pudoris ac verecundiae particeps. *Id. Off.* 1, 35. *f.* Scenicorum mos tantam habet veteri disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo. *Id. Or.* 71. *extr.* Verecundia negandi scribendi impudentiam suscepi. *Id. Att.* 8, 6. *extr.* Malo Tironis verecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curii. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. *med.* Caesar meam in rogando verecundiam objurgavit. *Liv.* 26, 50. Juvenis juvenem appello, quo minor sit inter nos hujus sermonis verecundia. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 9. Echionis sunt nobiles picturae: anus lampadas praeferens, et nova nupta verecundia notabilis. ℙ Verecundia alicujus rei, timor et fuga. *Cic. Tusc.* 5, 26. Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi. *Id. Att.* 14, 5. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc tumorem. ℙ *Verecundia alicujus*, quae habetur propter alicujus dotes singulares, reverentia, respectus. [*Cf. *Spald.* et *Drak.* ad locos *Quint.* et *Liv.* mox laudatos.] *Quint.* 6, 3. *med.* Ne auctorem ponam, verecundia ipsius facit. *Liv.* 4, 45. *f.* Quando nec ordinis hujus ulla, nec reipublicae est verecundia. *Id.* 2, 36. Verecundia majestatis magistratuum timorem vicit. *Id.* 39, 11. Illum nec parentis, nec vitrici, nec Deorum verecundiam habere. *Id.* 10, 13. Verecundia legum. *Id.* 1, 6. *f.* aetatis. *Id.* 37, 54. Verecundia nostra adversus regem nobis obstat. Eadem ratione dixit *Ter. Andr.* 1, 5, 27. patris pudor. Sic *Liv.* 26, 50. *med.* Fuit sponsa tua apud me eadem, qua apud parentes suos, verecundia. ℙ De pudore, quo quis refugit proferre se, et bona ingenii studiique promere. *Quint.* 12, 5. Invitus mehercule dico, ipsam verecundiam, vitium quidem, sed amabile, et quae virtutes facillime generet, esse interim adversam *oratoriam artem capessentibus;* et *mox:* Sciat, si quis haec leget, non probitatem a me reprehendi, sed verecundiam, quae est timor quidam reducens animum ab iis, quae facienda sunt: unde confusio, et coepti poenitentia, et subitum silentium. Quis porro dubitet vitiis adscribere affectum, propter quem facere honeste pudet? ℙ Per metonymiam ponitur pro rubore, quo verecundantes suffundimur. *Suet. Dom.* 18. Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut etc. *Id.* supra dixerat, fuisse vultu modesto, ruborisque pleno.

VĔRĔCUNDĬTER, adv. idem quod verecunde. *Pomp.* ap. *Non.* 11, 59. Vidit duos sensim in ludo verecunditer non docentem condiscipulum, verum scalpentem nates, *h. e.* virgis caedentem. V. SCALPO.

VĔRĔCUNDOR, aris, dep. 1. αἰσχύνομαι, verecundia teneor. *Pl. Trin.* 2, 4, 77. Verecundari neminem apud mensam decet. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 7, 101. Hi nostri amici verecundantur, capti splendore virtutis. *Id. Or.* 2, 61. Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere, et ob eam causam verecundanti in publicum prodire. *Id ib.* 3, 9. *f.* Alterum exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, et quasi verecundantem incitabat.

VĔRĔCUNDUS, a, um, adj. αἰδήμων, qui verecundia tenetur, pudens: a *vereor. Cic. Or.* 2, 88. *f.* Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certe non nimis verecundi.

Pl. As. 5, 1, 6. Decet verecundum esse adolescentem. *Ov. Met.* 14, 840. Illa verecundo vix tollens lumina vultu, etc. *Mart.* 8, 1. Discę verecundo sanctius ore loqui. *Quint.* 10, 1. *in.* Verba parum verecunda, i. e. turpia. ℙ Metonymice est parcus, moderatus, modestus. *Cic. Or.* 24. *med.* Ille tenuis orator nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis. *Id. Phil* 12, 5. Verecundiorem esse in postulando. *Hor. Ep.* 1, 1, 37. Saepe verecundum laudasti. *Ov. Trist.* 4, 4, 49. Nunc precor hinc alio jubeat discedere, si non Nostra verecundo vota pudore carent. *Id. Trist.* 2, 353. mores distant a carmine nostri: Vita verecunda est, Musa jocosa mihi. *Mart.* 8, 70. Cum siccare sacram largo Permessida posset Ore, verecundam maluit esse sitim. *Vell.* 2, 33. *med.* Pompejus in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos ut libentissime iniret, ita finiret aequo animo. *Cic. Fam.* 7, 13. Interiores litterae, quibus saepe verecundiorem me in loquendo facis. ℙ *Verecundus color*, rubor in vultu ex verecundia, vel ei similis. *Ov. Met.* 1, 485. Illa verecundo suffunditur ora rubore. *Hor. Ep.* 17, 21. Fugit juventas, et verecundus color Reliquit ora. ℙ Hoc dicere est mihi verecundum, *Quint.* 7, 1. *f.* h. e. verecundiae est. [*V. *Spald.* ad h. l.] ℙ *Partes verecundiores* ap. *Arnob.* 4, 133. verendae, obscenae. ℙ *Verecundus*, verendus, venerabilis. *Ammian.* 14, 6. Patrum reverenda cum auctoritate canities, populique R. nomen circumspectum et verecundum. Adde 21. *f.* 30, 8.

VĔREDĀRĬUS, ii, m. nuntius publicus, qui equis certo loco positis maxima quam celerrime itinera conficit. *Sidon. ep.* 5, 7. *med.* Hi sunt, qui invident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas. *Firm. Math.* 3, 13. *f.* Sed Mercurius et Mars in Martis signis aut partibus constituti regum nuntios, veredariosque reddent. Hinc jocus *Paulini Nolan. ep.* 9. (al. 28.) *in.* Victor epistolarum nostrarum veredarius pedes, aut bipes veredus. ℙ [Translate *veredarius urbis* dicitur ab *Hieron. ep.* 22. *n.* 28. presbyter quidam qui in hoc omne studium posuerat, ut matronarum nomina, domos, moresque cognosceret, et paene usque ad cubicula dormientium senex importunus ingrederetur. *F.*]

VĔRĔDUS, i, m. *ἵππος ταχύδρομος*, equus cursus publici. Olim vehicularis fuit: unde et *veredo* nomen. Nam conflatum est ex Latino *veho*, et Gallico *reda*, sive *rheda:* quomodo et *verhedus* cum spiritu in *Pand. Flor.* 50, 4, 18. §. 21. *Festus:* Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est ducerent. Quae *Festi* sententia etiam ex eo vera ostenditur, quod antiquis cursoribus cursus publicus erat vehicularis, ut coustat ex *Suet. Aug.* 49. V. VEHICULARIUS. Hinc patet eorum error, qui putarunt, veredum fuisse equum sine vehiculo, eoque *veredum* non quasi *veheredum*, sed quasi *vehedum* dictum videri. Nempe in errorem eos duxit, quod posteriore aevo, etiam equis singulis ad publicum cursum uti solerent: quae res fecit, ut his etiam veredorum nomen sit tributum. *Auson. ep.* 8, 7. Ut celerem mannum, vel ruptum terga veredum Conscendas, propere dummodo jam venias. *Id. ep.* 11, 13. Sed cisium, aut pigrum cautus conscende veredum: Non tibi sit rhedae, non amor acris equi. ℙ [*Veredi* proprie erant equi cursum publicum facientes in viis rectis, ut *paravereda*, qui in transversis. *F.*] *Imp. Jul. Cod.* 12, 51, 4. et *Imppp. Valent., Valens et Grat. ib.* 7. ℙ Usurpatur de quocumque equo cursus velocissimi, qualibus antiqui utebantur in venatione. *Mart.* 12, 14. Parcius utaris, moneo, rapiente veredo, Prisce, nec in lepores tam violentus eas. Saepe satisfecit praedae venator, et acri Decidit excussus, nec rediturus, equo. *Id.* 14, 86. Stragula succincti venator sume veredi. ℙ [*Procurator a veredis* dicebatur in domo Augusta, qui veredorum Augusti curam habebat. *Inscr.* ap. *Mur.* 2012, 3. D. M. Aurelio Stephano Proc. a veredis Aug. *F.*]

VĔRENDUS, a, um, part. a *vereor: αἰδέσιμος, εὐλαβητέος*. *Ov. Met.* 4, 539. majestatemque verendam Imposuit. *Id. Pont.* 3, 1, 143. Curia cum patribus fuerit stipata verendis. *Id. Trist.* 5, 6, 31. et quos praetexta verendos, Virgaque cum verbis imperiosa facit; et *Her.* 3, 103. Per tamen ossa viri subito male tecta sepulcro, Semper judiciis ossa verenda meis. ℙ *Verenda, orum, τὰ αἰδοῖα*, obscenae et pudendae corporis partes. *Plin. ep.* 3, 14. Alius os verberat, alius pectus et ventrem, atque etiam (foedum dictu) verenda contundit. *Veg. Vet.* 1, 7. In lateribus *(equorum)* et in coxis, et in verendis partibus. ℙ Item timendus, terribilis. *Lucan.* 10, 46. Alexander Partho verendus. *Id.* 5, 502. Fluctus verendi classibus.

VĔRENS, entis, part. a *vereor*, timens. *Cic. Sen.* 22. Vos tamen Deos verentes, qui hanc omnem pulcritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis. *Id. Fam.* 9, 16. Qui te ad scribendum incitavit, verentem, ne Silius suo nuntio aliquid mihi solicitudinis attulisset. *Suet. Claud.* 24. Verens reprehensionem. ℙ Cum gen. *Colum.* 6, 2. *f.* Mores hujus pecudis, qui sunt verentes plagarum, et acclamationum. *Auson.* in *prol. VII. Sap.* 18. nec verentes sumptuum.

VĔRENTER, adv. *Sedul.* 1, 8. sanctoque verenter Stare choro.

VĔRĔOR, eris, itus sum, dep. 2. *εὐλαβέομαι, αἰδέομαι*, est cum observantia quadam, et ingenuo pudore metuere. Differunt *vereri*, et *timere*. Est enim *vereri* proprie liberorum, qui honestatis gratia moventur, *timere* autem servorum, ut in VERECUNDIA dictum est. *Cic. Sen.* 11. Metuebant eum servi, verebantur liberi. *Id. Phil.* 12, 12. Quid? veteranos non veremur? nam timeri se ne ipsi quidem volunt. *Pl. Amph. prol.* 22. Quippe qui intellexerat vereri vos se, et metuere, ita ut aequum est, Jovem. *Vereri* ut patrem, *metuere* ut maximum et potentissimum. *Liv.* 39, 37. *med.* Veremur quidem vos, Romani, et, si ita vultis, etiam timemus. Sed plus veremur, et timemus Deos immortales. ℙ Tamen haec differentia non ubique servatur, sed *vereor* frequentissime idem plane est, quod timeo, nec solum de hominibus, sed etiam de rebus usurpatur. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. Quem meus Cicero et amabat ut fratrem, et jam ut majorem fratrem verebatur. *Id. Or.* 1. Veretur reprehensionem doctorum atque prudentium. *Id. Att.* 14, 4. Vereor Gallica bella. *Id. Acad.* 4, 45. Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem. *Caes. B. G.* 5, 9. Eo minus veritus navibus, quod in litore molli atque aperto deligatas ad ancoras relinquebat. *Ter. Andr.* 3, 4, 3. Ego dudum non nihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem, etc. *Auct. ad Her.* 2, 19. Ergo et metus periculi hortabatur eum interimere, a quo supplicium verebatur. *Cic. Sen.* 6. *med. de Carthagine:* De qua non ante vereri desinam, quam illam excisam esse cognovero. ℙ Cum gen. *Afran.* ap. *Non* 9, 3. Optandum uxorem, quae non vereatur viri. *Ter. Phorm.* 5, 7, 78. Neque hujus sis veritus feminae primariae. *Accius* ap. *Non. ib.* Si tui veretur progenitoris. *Pacuv. ib.* Nihilne te populi veretur, qui vociferare in via? *Cic. Att.* 8, 4. Ne tui quidem testimonii veritus. Alii leg. *tuum testimonium.* ℙ Cum infinito. *Ter. Andr.* 2, 1, 23. Hei mihi! vereor dicere. *Cic. Leg.* 1, 13. Vereor committere, ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur. Adde *Caes. B. G.* 5, 6. *s. f.* ℙ Et passive impersonaliter. *Cic. Fin.* 2, 13. Cyrenaici, quos non est veritum in voluptate summum bonum ponere. ℙ Pro dolere, moleste ferre. *Ov. Her.* 16, 75. Vincere erant omnes dignae: judexque verebar, Non omnes causam vincere posse suam. ℙ Cum conjunctivo, sequente *ut*, aut *ne non*, in iis, quae vellemus fieri. *Cic. Fam.* 14, 14. Vereor, ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit. *Id. Or.* 1, 9. Illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere. *Id. Fam.* 14, 5. Accepi tuas litteras, quibus intellexi, te vereri, ne superiores mihi redditae non essent. ℙ Et sequente *ne*, in iis quae nollemus. *Id. Or.* 1, 55. Veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. *Id. Sul.* 23. *med.* In ipsa rogatione ne quid per vim ageretur, quis nostrum Sullam aut Caecilium verebatur? *Caes. B. G.* 1, 42. Vereri se, ne per insidias ab eo circumveniretur. *Id. ib.* 19. Nam, ne ejus supplicio Divitiaci animum effunderet, verebatur. ℙ Et omisso *ne*. *Nep. Pel.* 1. Vereor, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere. ℙ *Vereor ne* pro *vereor ut*, in his quae vellemus. *Auct. ad Her.* 3, 6. *med.* Si laudabimus, vereri nos dicemus, ne illius facta verbis consequi possimus. Est qui leg. *ut.* [*Neque aliter recte quis legere poterit.] Adde *Cic. Fam.* 6, 1. et *Marc.* 4. quae loca in NE attulimus. ℙ *Non vereor ne*, et *non vereor ne non* omnem timorem excludit, et significat certum esse, et securum non dubitare, quin. *Cic. Fam.* 2, 1. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam; et *ib.* 5. Non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat, sed, etc. et *ib.* 6. Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me beneficia non possem. *Id. ib.* 2, 7. Non vereor, nequid timide, nequid stulte facias: et *ib.* 5, 12. *med.* Non vereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar. *Matius* ad *Cic. ib.* 11, 28. *f.* Non vereor, ne meae vitae modestia parum valitura sit contra falsos rumores. ℙ *Vereri* dubitationem saepe significat cum aliquo timore conjunctam: habetque post se particulas dubitandi. *Sall.* in *or. Lep. contr. Sull. med.* Neque jam, quid existimetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor. *Cic. Att.* 7, 7. Pontinium quod scribis in urbem introisse, vereor quid sit: nam id, nisi gravi de causa, non fecisset. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Hoc quomodo acciperent homines, vereor etiam nunc. *Ter. Andr.* 1, 2, 4. Heri semper lenitas, verebar, quorsum evaderet. *Cajus Dig.* 20, 4, 11. Vereor, num hic aliud sit dicendum. ℙ *Vereri*, absolute, verecundiam habere. *Pl. Bacch.* 1, 2, 50. Hic vereri perdidit. ℙ Passive. *Afran.* ap. *Gell.* 15, 13. Ubi malunt metui, quam vereri se ab suis. ℙ Part. *Verens* et *Verendus* V. supra suis locis.

VĔRĔTILLOPOTA, ae, m. vox hybrida ex Latino *veretillum*, et Graeco *πότης*, potor, facta. V. DRILOPOTA.

VĔRĔTILLUM, i, n. dimin. veretri. [Item genus piscis, ad quod alludere videtur *Appul. Appol.*, ubi sermo est de piscibus idem nomen habentibus, quod in homine partes, quibus sexus distinguitur. En verba *ejusd.* At quaesisse me fingeretis ad illecebras magicas duo haec marina, veretillum et virginal. Alii *veretillam* legunt, ut sit a *veretilla, ae*, f. quod minime videtur probandum. *F.*]

[VĔRĔTĪNUS, a, um, adj. ad Veretum, *Οὐέρητον*, pertinens, Salentinorum oppidum, nunc *S. Maria di Vereto. Frontin. de colon. p.* 127. *Goes.* Ager Veretinus. ℙ *Veretini, orum*, incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 11, 16. *f.* Salentinorum, Neretini, Uxentini, Veretini. *F.*]

VĔRĔTRĀSĪNUS, i, m. is, [cujus penis ita protenditur, ut veretrum asinorum: a *veretrum* et *asinus*. Inde *onos* ab *ὄνος*, asinus, ap. *Lampr. Commod.* 10. *extr.* et *asellus* ap. *Juven.* 9, 92. impurus hujusmodi homo dicitur. (V. *Casaubon.* ad *Lampr. l. c.*) *Capitol. M. Aurel.* 12. Cum quendam veretrasinum famae detestandae, honorem petentem moneret. Ita legit *Casaub.*, alii *veterasinum*, alii *Vetrasinum*, ut sit nomen proprium viri; sed fortasse rectius legendum *Vitrasium*, etenim *Vitrasius* est nomen gentilicium Romanum jam alibi memoratum. *F.*]

*VĔRĔTRICULUM, i, n. vasculum pudendum. *Petr. c.* 24. p. 82. *Bail. B. A.*

VĔRĔTRUM, i, n. *πέος, αἰδοῖον*, membrum virile, penis, mentula: a *vereor*, h. e. a supino *veritum*. Nempe penem ea ratione *veretrum* dixere, qua et *verenda* nominamus. *Suet. Tib.* 62. Excogitaverat autem inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fiducularum simul, urinaeque tormento distenderet. Adde *Phaedr.* 4, 13. ℙ [Sequioris Latinitatis tempore videtur, *veretrum* significasse pudendum tum virile, tum muliebre. Hinc *Arnob.* 5, 165 Amputationes virilum veretrorum. Item *Coel. Aurel Tard.* 4, 9. *virile veretrum* dixit. *Id.* vero *ib.* 5, 10. *med.* habet *muliebre veretrum. F.*]

*VERGAE, arum, Italiae oppidum, in Bruttiis. *Liv.* 30, 19. *B. A.*

*VERGELLUS, i, m, fluvius Apuliae. *Val. Max.* 9, 2. *Flor.* 2, 6. *B. A.*

VERGENS, entis, part. a *vergo: συντείνων*, inclinatus. *Cic. N. D.* 2, 45. Ut omnibus ejus partibus in medium vergentibus (id autem medium, infimum in sphaera est) nihil interrumpat. *Suet. Oth.* 7. Vergente jam die ingressus senatum. *Luc.* 2, 624. Illyris Ionias vergens Epidaurus in undas. *Id.* 1, 130. Anni vergentes in senium. *Tac. Ann.* 13, 19. Vergens annis femina. *Id. ib.* 4, 41. Vergente jam senecta. *Plin.* 32, 10, 38. Aegri vergentes in lethargum. *Id.* 34, 2, 3. Aes suo colore pretiosum ad jocineris imaginem vergens. *Id.* 12, 12, 26. Nardus colore languido in candidum vergente.

*VERGENTUM, i, n. oppidum Hispaniae Baeticae, Julii Genius cognominatum. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

VERGILIAE, arum, f. plur. septem stellae ante genua Tauri, Graece *Πλειάδες*. V. PLEJADES. A vere nomen habent. *Festus:* Vergiliae dictae, quia earum ortu ver finitur, et aestas incipit. *Isid. Or.* 3, 70. Has Latini Vergilias dicunt a temporis significatione, quod vere exoriuntur. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 44. Vergilias tenui cum luce videbis. ℙ Alii scrib. *Virgiliae*, quod virgulae modo porrigantur, ut est ap. *Voss.* in *Etym.*

[VERGĬLĬENSIS, et Virgiliensis, e, adj. ad Vergiliam (*Οὐεργιλίαν* habet *Ptolem.* 2, 6.) pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem in Bastitanis. *Inscr.* ap. *Grut.* 324. 5. M. Cornelio Marcio M. F. Quir. Severo Vergiliensi. *Virgilienses, ium*, ejus urbis incolae memorantur a *Plin.* 3, 3, 4. *F.*]

*VERGIUM, i, n. oppidum cum castello, in Hispania Tarraconensi. *Liv.* 34, 21. *B. A.*

VERGO, is, a. 3. *φέπω, φέπομαι, συντείνω*, propendeo, inclino, declino, specto. *Caes. B. G.* 1, 1. Vergit ad Septentriones. *Id. B. C.* 1, 45. *med.* Ab oppido declivis locus tenui fastigio vergebat in longitudinem passuum circiter quadringentorum. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Id nunc honeste vergit in tectum inferioris porticus. *Id. Phil.* 11, 11. Nisi Bruti auxilium ad Italiam vergere, quam ad Asiam, maluissemus. [*Cum hoc loco poterit conferri *Tac. Ann.* 1, 3. illuc (in Tiberium) cuncta vergere; filius, collega imperii — adsumere.] *Liv.* 37, 31. *f.* Portus, qui in Meridiem vergit. ℙ Passive. *Lucan.* 1, 54. Et polus aversi calidus qua vergitur Austri. *Lucr.* 2, 212. In terras igitur solis quoque vergitur ardor. ℙ In sacris ponitur pro fundere, infundere, spargere. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 6, 244. frontique invergit vina sacerdos. Fundere, inquit, est supina manu libare, quod fit in sacris supernis: vergere autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit. Hinc *Stat. Theb.* 6, 211. Spumantesque mero paterae vergantur. ℙ Extra sacra pro fundere, seu miscere posuit etiam *Lucr.* 5, 1008. Illi imprudentes ipsi sibi saepe venena vergebant. ℙ Translate. *Tac. Ann.* 2, 43. Nam suam aetatem vergere, Germanici nondum satis adolevisse. *Curt.* 4, 7. *med.* Nox vergit ad lucem. V. etiam VERGENS. ℙ Praeteritum *versi* quidam probatum putant illo *Ovidii* carmine, 1. *Pont.* 9, 52. in gelidos versi

amoma sinus. Sed alii *fudit*, alii *vergit*, alii *vertit* reponunt. *Diomed.* 1, 366. tribuit *verxi*, sed sine exemplis.

*VERGOANUM, i, n. oppidum in insula Lerina. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[VERGOBRĒTUS, i, m. *βεργόβρετος*, nomen supremi magistratus apud veteres Gallos. Nonnulli derivant a *virga*, quae vox *purpuram* Gallice sonat, ut ait *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 660., et *breit*, quae Celtice *pictum* significat, *h. e. purpura indutus;* alii vero a Celticis vocibus *fear-go-breith*, *h. e.* vir ad judicium, nempe judex. *Caes. B. C.* 1, 16. Liscus summo magistratui praeerat, quem vergobretum appellant Aedui, qui creatur annuus, et vitae necisque in suos habet potestatem. *Gesnerus* in suo *Thesaur. ling. et erudit. Rom.* paenultimam producit, sed Graecus Metaphrastes brevem habet, scribit enim per *ε*. *F.*]

*VERGUNNI, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

[VĒRĬA, ae, f. eadem ac sors: a *vero*, *as*, vera dico. *Inscr.* ap. *R. Venut. Osserv. sopra il fiume Clitunno p.* 38. Post verias Fel. H. D. L. M. *h. e. Clitumno p.* 38. Post verias Fel. H. D. L. M. *h. e.* felices hoc (*signum*) dedicavit lubens merito. Clitumno enim sacrae erant sortes, ut constat ex *Plin. ep.* 8, 8. Praesens numen, atque etiam fatidicum, indicant sortes. V. CLITUMNUS, i. *F.*]

VĒRĬĀNUS, a, um, adj. ad Verum pertinens, nempe ad L. Aurelium Verum Aug., qui cum M. Aurelio Antonino imperavit. *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 2. M. Pontio M. F. Pup. L. Aetiano (*lege* Laeliano) Cos. pontifici, sodali Antoniniano Veriano, etc. Etenim *Capitol. M. Aurel.* 15. Flaminem, et Antoninianos sodales, et omnes honores, qui Divis habentur, eidem (*L. Vero.*) dedicavit. *F.*]

VĒRĬCŌLA, ae, adj. comm. gen. qui, vel quae verum colit. *Tert. carm. ad senat.* 43. At cum vericolae penetraveris ostia legis.

VĒRĬCŪLĀTUS. V. VERUCULATUS.

VĒRĬCŪLUM. V. VERUCULUM.

VĒRĬDĪCĒ, adv. *Ammian.* 31, 1. Veridice praedicere. *August. ep.* 17. (*al.* 44.) Rhetorice potius, quam veridice agere existimer.

[VĒRĬDĪCENTĬA, ae, f. veriloquium: opponitur autem falsidicentiae. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 14. Equidem, inquit, veridicentiae isti testis accedo. *Id. ib.* 2, 2. Aliud testimonium vati ad veridicentiam forte tale provenerat. *F.*]

VĒRĬDĪCUS, a, um, adj. *ἀληθεύων*, qui vera dicit, verus. *Lucr.* 6, 6. Omnia veridico qui quondam ex ore profudit. *Cic. Flacc.* 32. Veridicas adjungis causas inimicitiarum. *Mart.* 5, 1. Seu tua veridicae discunt responsa sorores. *Plin.* 18, 4, 6. Oracula a maxime veridico usu profecta, *h. e.* ab experientia, quae maxime verum docet. *Id.* 7, 16, 15. Veridico exitu consecuto, *h. e.* qui vaticinium veridicum fuisse monstravit. *Inscr.* ap. *De-Vita* in *Antiqu. Benev. cl.* 1. *n.* 7. Junoni Veridicae.

*VERILŌQUAX, acis, adj. veriloquus. *Gloss. Gr. Lat. Ἀληθινὸς*, veriloquax. *B. A.*

VĒRĬLŌQUĬUM, ii, n. sumitur pro etymologia, seu origine vocis. *Cic. Top.* 8. Quam *ἐτυμολογίαν* vocant, id est verbum ex verbo, veriloquium; nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus.

VĒRĬLŌQUUS, a, um, adj. veridicus. [*M. Aurel.* inter opera *Front. ad M. Caes.* 3. (ed. *A. Maio*) *ep.* 12. Nullum tam veriloquum oraculum est, quin aliquid ancipitis, vel obliqui, vel impediti habeat, quo imprudentior irretiatur. *F.*] *Hieron. adv. Ruf.* 3, 42. Quia veritatem non poterant audire, et linguam veriloquam.

VĒRĬMŌNĬA, ae, f. idem ac veritas. *Pl. Truc.* 1, 2, 63. Istunc ad amicam verius verimonia referre. Ita quidem referunt nonnulli Lexicographi: sed sanior probatiorque lectio sic se habet: *istunc ad amicam meras querimonias referre.*

[VĒRĪNUS, a, um, adj. derivativ. a *verus*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 7, 11. L. Vinicius Verinus. *F.*]

VĒRĬSĪMĬLIS, e, adj. *πιθανὸς*, *εἰκὼς*, qui veri similitudinem habet, probabilis. *Cic. Acad.* 4, 10. *f.* Volunt probabile aliquid esse, et quasi verisimile. *Id. Or.* 2, 19. Narrationem jubent verisimilem esse, at apertam, et brevem. *Id. Inv.* 1, 3. Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore, etc. *Plin.* 15, 22, 24. Quod est verisimilius, quam quod, etc. ℙ Frequenter usurpatur substantive, et in genere neutro, ut multa adjectiva. *Cic. Rosc. Am.* 20. *med.* Etiam tum, cum verisimile erit, aliquem commisisse, in suspicione latratote. *Id. ib.* 41. Non est verisimile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit. *Id. Brut.* 17. *extr.* Non verisimile est, quam sit in utroque genere et creber, et distinctus Cato. *Ter. Andr.* 1, 3, 20. Mihi quidem non fit verisimile. ℙ Usurpatur etiam divisim. *Cic. N. D.* 1, 24. Haec ego nunc physicorum oracula fundo, vera, an falsa, nescio, sed veri tamen similiora, quam vestra. *Id. Inv.* 1, 21. Narratio veri quidem similis ex his rationibus esse poterit. *Id. Tusc.* 5, 4. *med.* Ut in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus. ℙ Quod secunda syllaba producatur in illo *Auson. epist.* 24, 8. Concinnat verisimilis sus-picio culpam: scribendum potius divisim *veri similis* videtur. V. VERISIMILITUDO.

VĒRĬSĪMĬLĬTER, adv. *πιθανῶς*, cum aliqua similitudine veritatis. *Appul. Apol.* Verisimiliter finmilitudine veritatis. *Appul. Apol.* Verisimiliter fingere. *Id. ib.* Verisimilius confingere. *Tert. Apol.* Alii verisimilius solem credunt Deum nostrum.

VĒRĬSĪMĬLĪTŪDO, inis, f. *Cic. Acad.* 4, 33. Sine assensione ipsam verisimilitudinem non impeditam sequi. *Sen. Ben.* 4, 33. Ea ire, qua ducit verisimilitudo. Adde *Plin.* 34, 7, 17. ℙ In quibusdam optimis exemplaribus horum trium scriptorum legitur divisim *veri similitudo:* quin ipse *Cic. Part.* 11. *f.* et *Univ.* 3. transpositis verbis *similitudinem veri* dixit: ex quo patet, rectius divisim usurpari: neque enim Latina lingua, praesertim aureae aetatis, istiusmodi duarum vocum *συμπλοκὰς* magnopere amat.

VĒRĪTAS, atis, f. *ἀλήθεια*, vera ratio, res vera, verum. [*De notione vocis *veritas*, quam parum accurate disposuit *Forc.* v. quae longa eaque doctissima disputatione notavit *Ern.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Cic. Coel.* 26. *extr.* O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, facile se per se ipsam defendat! *Id. Or.* 1, 17. *med.* Ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat; et *ib.* 3, 57. In omni re vincit imitationem veritas; et *ib.* 1, 53. *med.* Ne ornatius quidem causam dici suam voluit, quam simplex ratio veritatis ferebat. *Id. Am.* 25. Ad voluptatem loqui omnia, nihil ad veritatem. *Id. Rosc. Com.* 10. *f.* Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 1. Salus omnium nostrum non veritate solum, sed etiam fama nititur. *Id. Div.* 1, 13. Quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? *Id. Or.* 1, 34. *med.* Proferre aliquid in lucem veritatis. *Phaedr.* 3, 10. Explorare veritatem. *Cic. Off.* 2, 10. in disputatione limare. *Id. Sull.* 16. mendacio contaminare. *Quint.* 4, 2. obscurare. ℙ In plur. num. *Gell.* 18, 7. *med.* Scitote tamen, intemperiem istam, quae *μελαγχολία* dicitur, veritates fortiter dicere, sed respectum non habere *μή τε καιροῦ, μή τε μέτρου*. ℙ Item habitus vera dicendi, sinceritas, simplicitas. *Cic. Inv.* 2, 53. *extr.* Veritas est, per quam immutata ea, quae sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. *Plin. Pan.* 84. Soror tua ut se sororem esse meminit! ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! *Mart.* 10, 72. Siccis rustica veritas capillis. *Ter. Andr.* 1, 1, 41. Obsequium amicos, veritas odium parit: *παῤῥησία*. ℙ Ut *verus* justus, aequus, ita *veritas* nonnunquam justitia, aequitas est. *Cic. Quint.* 2. *f.* Tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuam, C. Aquili, fidem, veritatem, misericordiam P. Quintius confugit. *Id. Dejot.* 2. Quae mihi ad spem obtinendae veritatis gravissima sunt. ℙ Idem est ac veriloquium, seu etymologia. *Cic. Or.* 48. Quibus in verbis eae primae litterae sunt, quae in *sapiente*, atque *felice*, producte dicitur *in*, in ceteris omnibus breviter. Consule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. ℙ Singaris est loquendi modus ap. *Auct. ad Her.* 4, 22. *extr.* Haec tria genera proxima exornationum perraro sumenda sunt, cum in veritate dicemus, propterea quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et consumptione operae. *In veritate dicere*, est veram causam agere in foro, non in schola fictam exercitii gratia. Etenim fictis causis quaedam exquisitiores deliciae convenire possunt, non item veris, in quibus affectatior ornatus suspicionem habet falsitatis.

VĒRĪTUS, a, um, part. a *vereor*, qui veritus est. *Ter. Phorm.* 2, 2, 1. Veritus conspectum patris. *Caes. B. G.* 5, 45. *med.* Veritus, ut hostium impetus sustinere non posset.

VĒRĪVERBĬUM, ii, n. *ἀληθολογία*, verus sermo. *Pl. Capt.* 3, 4, 36. Tu repertus, Philocratem qui superes veriverbio.

[VERJUGODUMNUS, i, m. Gallorum Deus. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 109. Pro salute et victoria EXXG. (al. LXXG.) (*h. e.* exercituum Galliae, vel, si sculptum revera est LXXG., legionis vicesimae geminae) Apollini et Verjugodumno tribunalia dua Setuboggius Esuggi F. D. S. D. *h. e.* filius de suo dedit. *F.*]

VERMĬCŪLĀTĒ, adv. vermiculos imitando, vermiculato opere. *Quint.* 9, 4. *med.* Tesserulas, ut ait Lucilius, struet, et vermiculate inter se lexeis committet.

VERMĬCŪLĀTĬO, onis, f. *σκωλήκωσις*, morbus plantarum et pomorum, cum vermiculis innascentibus infestantur. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 2. Arborum communis morbus vermiculatio, sideratio, etc. et *ib. n.* 7. Vermiculationem et poma ipsa per se quibusdam annis sentiunt, mala, pira, mespila, Punica; et *ib.* 11, 16. Ficus si in scilla seratur, ocissime ferre traditur pomum, neque vermiculationi obnoxium.

VERMĬCŪLĀTUS, a, um, part. a *vermiculor: σκωληκωθεὶς, σκωληκοειδής*, quandam habens vermiculorum effigiem. Hinc *vermiculata* dicuntur opera ex minutis tessellis ita variegata et distincta, ut vermiculos referant. *Lucil.* ap. *Cic. Or.* 43. Quam lepide lexeis compostae, ut tesserulae arte Endo pavimento, atque emblemate vermiculato! [*Cf. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] *Plin.* 35, 1, 1. Vermiculatis ad effigies rerum, et animalium crustis. *Id.* 13, 11, 20. Gummi vermiculatum, colore glauco.

VERMĬCŪLOR, aris, dep. 1. *τερηδονίζομαι, σκωληκοῦμαι*, vermiculos gigno, vermiculis infestor: quod vitium non modo lignis, et arboribus, verum et aliis plantis, et pomis solet accidere. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 2. Vermiculantur magis minutae quaedam arbores, omnes tamen fere, idque aves cavi corticis sono experiuntur.

VERMĬCŪLOSUS, a, um, adj. *σκωληκώδης*, vermibus plenus. *Pall.* 12, 7. *med.* de pruno: Ne poma caduca, et vermiculosa nascantur.

[VERMĬCŪLUS, a, um, adj. *σκωληκοειδής*, rubicundus, rubeus. Hanc vocem antiquis Latinis vulgo usitatam fuisse, satis ostendit recentiorum Italorum *vermiglio*, Gallorum *vermeil*, Hispanorum *bermejo*, cujus etiam vestigium apparet ap. *Colum.* 3, 2. *in.* ubi pro *uvae venuculae* nonnulli codices *vermiculae* habent; adde *eund.* 11, 2., ubi pro *far vernaculum* sunt qui legendum putant *vermiculum*, atque ap. *eund.* 2, 6. quatuor enumerantur farris genera, nempe quod appellatur Clusinum candoris nitidi; quod vocatur venuculum (*plures Codd.* habent *vermiculum*); atque alterum candidum, sed utrumque majoris ponderis, quam Clusinum; tandem semen trimestre, quod dicitur halicastrum. *F.*]

VERMĬCŪLUS, i, m. dimin. *σκωλήκιον*, exiguus vermis. *Lucr.* 2, 898. Et tamen haec cum sunt quasi putrefacta, per imbres Vermiculos pariunt. *Plin.* 10, 65, 85. Jam obituris muribus vermiculum in capite gigni tradunt. ℙ [*Vermiculus* est etiam idem ac coccum. *Isid. Or.* 10, 28. *Κόκκον* Graeci, nos rubrum seu vermiculum dicimus. Est enim vermiculus ex silvestribus frondibus. *Plin.* 24, 4, 4. Est autem genus ex eo (*cocco*) in Attica fere et Asia nascens, celerrime in vermiculum se mutans, quod ideo scolecion vocant. *Hieron. ep.* 64. *n.* 19. Pro cocco juxta Latinum eloquium ap. Hebraeos תּוֹלַעַת (*tolâhat*), id est vermiculus, scribitur. Hinc etiam in *Vulg. Interpr.*, ut *Exod.* 35, 25. et alibi, eadem significatione vermiculus usurpatur. *F.*] ℙ Est et morbus canum, quo aguntur in rabiem. *Grat. Cyn.* 386. Namque subit, nodis qua lingua tenacibus haeret, (Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis. V. LYTTA. ℙ Item opus vermiculatum in pavimentis. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 314, 2., emendata ap. *Fea Fast. cons.* p. 69. P. Rubrius Trophimus, et P. Rubrius Agatho solarium refecerunt, et vermiculum straverunt, etc. [Haec *Inscr.* pertinet ad ann. a Chr. n. XCIV. *F.*]

VERMIFLŪUS, a, um, adj. fluens et scatens vermibus. *Paul. Nol. carm.* 22, 134. de Herode: Vulnere vermifluo foetidus interiit.

[VERMĬGĔRĀTUS, a, um, adj. idem videtur esse ac vermina patiens. *Pelag. Vet.* 19. Si equus lassus, si calcatus, si vermigeratus, si vulneratus, etc. *F.*]

VERMĪNĀ, um, n. plur. *στρόφος*, tormina. *Fest.* Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindatur. Hic dolor Graece *στρόφος* dicitur. *Lucr.* 5, 995. Donicum eos vita privarant vermina saeva. ℙ Translate. *Arnob.* 1. p. 30. Ubi (*Apostoli*) verbo compescuerunt furialium vermina passionum. ℙ Videtur *Festus* ducere a *vermibus:* sed cum Graece *στρόφος* dicatur, a *στρέφω*, verto, et ab Ital. *volvolo*, Latine quoque a *verto* ducunt alii: a quo *vermen*, *vermina:* ut a *sterno stramen*, etc.

VERMĪNĀTĬO, onis, f. *σκωληκίασις*, vitium in jumentis, cum a verme infestantur. *Plin.* 28, 11, 49. Iisdem sanari demissis in fauces jumentorum verminationes notum est. Adde 30, 15, 50. ℙ Sumitur etiam generatim pro cruciatu, tormento, vexatione. *Sen. ep.* 78. Sic podagra, et chiragra, et omnis vertebrarum dolor, nervorumque interquiescit, cum illa, quae torquebat, hebetavit; omnium istorum prima verminatio vexat, impetus mora exstinguitur, et finis dolendi est obtorpuisse. *Id. ep.* 95. *med.* Cerebri aestuantis verminationes.

VERMĪNO, as, n. 1. *σκωληκιάω*, vermibus infestor. *Sen. Q. N.* 2, 31. *extr.* In venenatis corporibus vermis non nascitur. Fulmine icta intra paucos dies verminant. ℙ Interdum accipitur generatim pro torqueri, ac cruciari, ut in VERMINA dictum est: *στροφοῦσθαι*, ventris torminibus vexari. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 189. Decumo mense demum turgens verminatur, parturit, *h. e.* dolores parturientium patitur. *Sen. V. B.* 17. Delinimenta podagrae meae compono, contentus, si rarius accedit, et si minus verminatur, *h. e.* prurit et vellicat, quasi movendo se inter articulos instar vermium rodentium. Sic *Mart.* 14, 23. Si tibi morosa prurigine verminat auris. ℙ Part. *Verminans*, verminibus putrescens, et torquens. *Arnob.* 1. p. 30. Christus verbo compescuit verminantium membrorum cruces.

VERMĪNOSUS, a, um, adj. *σκωληκώδης*, vermes habens. *Plin.* 20, 14, 52. Succus auribus verminosis instillatur. *Id.* 26, 14, 87. Verminosa ulcera. *Id.* 17, 28, 47. Verminosae fici.

VERMIS, is, m. *σκώληξ*, genus insecti, quod in

animalium corpore, et in stercore gignitur. [*Etym. est a *serpo*. V. *Doederl.* 1, 37.] *Lucr.* 2, 870. Quippe videre licet vivos exsistere vermes Stercore de tetro. *Plin.* 18, 17, 45. Si vermes radicibus inhaereant, remedium est amurca pura. *Id.* 24, 5, 11. Cedri succum vermibus aurium instillare. *Id.* 30, 13, 39. Ulcera, quae vermibus periclitantur.

VERNA, ae, comm. gen. οἰκότριψ, οἰκογαφής, servus domi nostrae, vel etiam in terra nostra natus. *Festus:* Vernae, qui in villis vere nati, quod tempus, duce natura, feturae est. (V. infra.) *Pl. Mil.* 3, 1, 103. Quid, nutrici non missurus quicquam, quae vernas alit? *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Bellienus verna Demetrii, qui ibi cum praesidio erat, etc. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 169. Olympus domini Domitiani Aug. Ser. Ver. Rom. Nat. *h. e.* servus verna Romae natus. ℙ Deterior autem vernae conditio est, quam servi, quia verna nascitur servus. *Pl. Amph.* 1, 1, 23. Satius est me queri illo modo servitutem: hodie qui fuerim liber, eum nunc potivit pater servitutis: hic, qui verna natus est, queritur. *Just.* 38, 6. *f.* Aut exsules Corinthiorum, aut servos, vernasque Tuscorum. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 3. Vernam huic urbi natum regem dando. ℙ Vernarum nomen pro convicio habebatur, quod, ut quidam dicunt (inter quos *Non.* 1, 206) eo nomine primum dicti fuerint ii, qui sacro vere nati essent. *Pl. Amph.* 4, 2, 13. Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas. ℙ Servos vernas ad contumeliosas argutias erudiebant. *Sen. Prov.* 1. *f.* Cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos tristiori disciplina contineri, horum ali audaciam. *Mart.* 1, 42. Urbanus tibi, Caecili, videris: Non es, crede mihi; quid ergo? verna es, *h. e.* scurra impudens et procax. V. VERNILITAS. ℙ In fem. gen. *Inscr.* ap. *Grut.* 654, 3. Antia Tibulla vernae suae dulciss. fecit. *Alia* ap. *Don. cl.* 10. *n.* 97. A. Julio A. F. Pal. Zosimo, et Onesimeni vernae suae, etc. ℙ Adjective ponitur pro vernaculo. *Mart.* 1, 50. vernas apros, Leporemque forti callidum rumpes equo. *Id.* 13, 43. Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis, Et vernae tuberes: quid tibi cum Libycis? *Id.* 10, 30. Piscina rhombos pascit, et lupos vernas. *Id.* 3, 1. Verna liber, *h. e.* Romae scriptus. ℙ Jungi potest etiam nominibus neutr. gen., ut docet *Valer. Prob.* in *Cath.* p. 1440. et 1445. Sic *advena mancipium.* V. ADVENA. ℙ De libero homine, Romae nato. *Mart.* 10, 76. Sed de plebe Remi, Numaeque verna, Jucundus, probus, innocens, amicus. *Festus:* Romanos vernas appellabant, id est ibidem natos. V. *Inscr.* supra allatam.

VERNĀCŬLUS, a, um, adj. οἰκογενής, ἐπιχώριος, αὐτόχθων, domi nostrae, item in nostra urbe aut regione natus, nostrae regionis proprius. *Varr. L. L.* 4, 12. Aquatilium vocabula partim sunt vernacula, partim peregrina. *Id. R. R.* 3, 5. Vernaculae volucres. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Vites peculiares atque vernaculae Italiae. *Id.* 37, 13, 77. Vernaculi equi. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 25. Vernacula putatio, *h. e.* quae in nostris regionibus fieri consuevit. *Cic. Fam.* 9, 15. *med.* Imago antiquae, et vernaculae festivitatis. *Id. Verr.* 2, 3, 61. *med.* Crimen domesticum ac vernaculum, *h. e.* domi ab accusatore confictum. *Pl. Poen.* 4, 2, 105. Illud inserviendum est consilium vernaculum, *h. e.* domi et a nobis excogitatum et initum. ℙ *Vernacula multitudo* ap. *Tac. A.* 1, 31. *med.* est, quae vernis libertinis, et simili plebe urbana constat. Hinc *Tert. Apol.* 35. Ipsos Quirites, ipsamque vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Caesari suo parcat illa lingua Romana? [*Adde *Tac. H.* 2, 88. vernacula utebantur urbanitate. Ceterum hoc bene notandum hanc propriam esse vocis significationem.] ℙ *Vernaculi*, vernae. *Mart.* 10, 3. Vernaculorum dicta, *h. e.* dicta procacia, contumeliosa, scurrilia vernarum. V. VERACULUS. ℙ [Eadem significatione *vernaclus*, *a*, *um*, per syncopen. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 613. *n.* 109. Cascia Capriola Silvano suo, nitritio et vernaclo suo B. M. P. *Alia* ap. *Mur.* 1540, 6. Isauricae vernaclae suae, quae vixit annis III. dieb. XXIIII. Ti. Claudius Fortunatus fecit. *F.*]

VERNĀLIS, e, adj. ad vernam pertinens. V. VERNILIS. ℙ Item ad ver pertinens, vernus. *Manil.* 3, 258. Tunc angusta dies vernales fertur in horas.

VERNĀLĬTER, adj. vernae more. *Hor. Sat.* 2, 6, 108. necnon vernaliter ipsis Fungitur officiis. Alii leg. *verniliter.* [*V. *Heindf.*] ℙ Item urbane, non quidem urbanitate ingenua, sed affectata, et servo digna. *Sen. Ben.* 2, 11. *med.* Et haec ipsa non vernaliter, nec ea figura, qua, etc. V. integrum *Senecae* locum, ubi alii leg. *verniliter*, alii rectius *venaliter. Caecil.* ap. *Non.* 1, 203. Credo, nimis tandem hoc fit vernaliter, *h. e.* adulatorie. Alii leg. *verniliter.*

VERNANS, antis, part. a *verno*, veris tempore germinans, pullulans. *Plin.* 22, 22, 46. Vernantes arbores. *Sen. Herc. Oet.* 380. silvae. Rursus *Plin.* 7, 2, 2. Salubri coelo, semperque vernante, *h. e.* tam grata temperie aeris, et loci amoenitate, ac si semper ver esset. ℙ Translate. *Claud. Laud. Stil.* 1, 316. senioque iterum vernante resumpsit Gallia bis fractas Alpino vulnere vires. V. VERNO.

[VERNĀTĪLIS, e, adj. *Cassiod. Var.* 3, 53. Aquilegus, qui aridis locis aquas possit dare vernatiles, ut beneficio suo habitare faciatl loca nimia sterilitate siccata, *h. e.* quae vernare faciant viridia. Alii leg. *venatiles*, *scil.* e vena perpetuo fluentes. *F.*]

VERNĀTĬO, onis, f. actus serpentis corium vere novo (interdum et autumno, ut *Aristoteles* testatur) exsuentis. *Plin.* 29, 5, 30. Membrana, sive senectus anguium vernatione exsuta, cum cancro masculo trita. *Id.* 30, 3, 8. Anguinae vernationis membrana cum oleo, taedaeque resina calefacta. ℙ Sumitur etiam pro ipso corio serpentis, quod alias senectus, Graecis λεβηρίς, et οὖφαρ dicitur. *Plin.* 29, 6, 35. Lendes tolluntur adipe canino, vel anguibus in cibum sumptis anguillarum modo, aut vernatione, quam exsuunt, pota.

[VERNĒMĒTES, is, n. vox Celtica, quae significat fanum ingens. Hujusmodi nomen habuit Ecclesia S. Vincentii in urbe Burdigalensi, quae nunc *S. Cruci* dicata est. *Venant. carm.* 1, 9, 5. Ecce beata nitent Vincentl culmina summi, Munere martyrii qui colit astra poli. Nomine Vernemetis voluit vocitare vetustas, Quod quasi fanum ingens Gallica lingua refert. *F.*]

*VERNEMETUM, i, n. oppidum Britanniae. *Anton. Itin.* ℙ Dicitur et *Verometum*, sed mendose. *Id. B. A.*

VERNĪCŌMUS, a, um, adj. Vernicoma oliva a *Capell.* 6. *in.* dicitur vernans, seu vere frondes emittens.

VERNĪFER, ra, rum, adj. vernus, vernalis. *Capell.* 1. *in.* Comere verniferis florentia limina sertis.

[*VERNILAGO, inis, f. *Appul. de Herb.* c. 109. *Bail.*]

VERNĪLIS, e, adj. οἰκετικὸς, servilis: a *verna. Quint. decl.* 7, 7. Verniles excutiuntur artus. *Tac. H.* 2, 59. Quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret, *h. e.* servilibus, et adulatoriis, liberoque homine indignis. Est qui legit *vernalis:* sed *vernilis* usitatius est. [*Non solum usitatius sed etiam rectius: nam *vernalis* idem est quod *vernus.*] ℙ Metaleptice sumitur pro scurrili, quia servos vernas ad contumeliosas argutias erudiebant. *Tac. H.* 3, 32. *f.* Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tanquam signum incendendae Cremonae dedisset, quae jam flagrabat. V. v. sq.

VERNĪLĬTAS, atis, urbanitas quaedam affectata, et non ingenua, nec libero homine digna. *Sen. ep.* 95. Interdum obnixe petimus id, quod recusaremus, si quis offerret: haec sive levitas, sive vernilitas, punienda est promittendi facilitate. ℙ Hoc nomine significatur etiam faceta procacitas, et dictorum impudentes sales, qui in vernis maxime placebant: nam hujusmodi praediti dicacitate quaerebantur, qua si carerent, dabatur a dominis opera, ut docerentur, qua gratiores evaderent, dictisque etiam contumeliosis dominum oblectarent. *Sen. Const. Sap.* 11. *f.* Eadem causa est, cur nos mancipiorum nostrorum urbanitas in dominos contumeliosa delectet, quorum audacia ita demum sibi in convivas jus facit, si coepit a domino. Pueros quidam in hoc mercantur procaces, et eorum impudentiam acuunt, et sub magistro habent, qui probra meditate effundant: nec eas contumelias vocamus, sed argutias. *Quint.* 1, 11. Nec vitia ebrietatis effingat, nec servili vernilitate imbuatur. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 17. Puer subdolae ac fucatae vernilitatis. ℙ [Translate dicitur etiam de garrulitate avium. V. *Fulgentii l. c.* in ORGANULUM. *F.*]

VERNĪLĬTER, adv. οἰκετικῶς, serviliter, scurriliter, adulatorie. V. VERNALITER.

[VERNĬO, onis, m. dimin. verni, vel vernae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2088, 10. M. Vibius M. L. L. Vernio. *F.*]

[*VERNIROSEUS, a, um, adj. *Tert. de judicio Dom. v.* 2. Et verniroseis titulabit floribus auras. *Bail.*]

VERNISERA, inquit *Paul.* ex *Festo*, mensalia auguria. *Plin.* 28, 2, 5. varia recenset auguria mensarum: sed ex his quae sint *vernisera*, aut quid omnino sit haec vox, non facile dixerim.

VERNO, as, n. 1. ἐαρίζω, ἀναβλαστάνω, verno tempore flores, frondesve emitto, pullulo, germino. *Ov. Met.* 7, 284. Vernat humus, floresque, et mollia pabula surgunt. *Flor.* 1, 16. Nihil mollius coelo: denique bis floribus vernat. *Mart.* 9, 55. arguto passere vernat ager. V. VERNANS. ℙ *Vernare* etiam dicuntur angues, cum vere exsuvias ponunt, et cutem renovant. *Plin.* 8, 27, 41. Anguis hiberno situ, membrana corpori obducta, foeniculi succo impedimentum illud exsuit, nitidusque vernat. V. VERNATIO. ℙ Aves quoque, quae primo vere canere incipiunt, itemque apes parientes novos fetus, et mellis opus tunc instituentes, *vernare* dicimus. *Ov. Trist.* 3, 12, 8. Indocilique loquax gutture vernat avis. *Colum.* 9, 9. Aves curam postulant diligentiorem, cum vernant, et exundant novis fetibus. ℙ Translate. *Mart.* 2, 61. Cum tibi vernarent dubia lanugine malae, *h. e.* pilos emittere inciperent, et tenera lanugine aetatis ver prae se ferrent. *Prop.* 4, 5, 57. Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus. ℙ *Vernat*, ver affert. *Plin.* 2, 50, 51. In Italia mobilior aer mitiore hieme, et aestate nimbosa, semper quodammodo vernat, vel autumnat.

*VERNODUBRUS vel Vernodubrum, i, fluvius Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. Flumina *(nominat.)* Tecum, Vernodubrum. *B. A.*

VERNŬLA, ae, comm. gen. dimin. vernae. *Juven.* 10, 117. Quem sequitur custos angustae vernulae capsae. *Plin.* 22, 17, 20. Vernula carus Pericli Atheniensium principi. *Salv. Gub. D.* 7, 4. Hi vere, ut emissarii equi, paene ad omnes vernulas suas, id est quasi ad greges proprios, hinniebant. ℙ Translate. *Juven.* 5, 104. Tiberinus (*scil.* lupus) et ipse, Vernula riparum, *h. e.* quasi indigena riparum, quique circa ripas Tiberis haerere solet. ℙ Adjective. *Petr. Sat.* 24. O hominem acutum, et urbanitatis vernulae fontem. Alii leg. *vernaculae. Mart.* 5, 18. Praeter libellos vernulas nihil misi, *h. e.* domi meae natos; vel procaces aeque ac vernas. *Rut. Itin.* 1, 112. Vernula qua vario carmine ludit avis, *h. e.* intra domus septum nata. *Sidon. ep.* 9, 16. vernulas Mitylenaei oppidi vocat carmina Sapphica ad exemplum poetriae Sapphus, quae Lesbia fuit, in qua insula est Mitylene.

*VERNULĬTAS, atis, f. i. q. vernilitas. *Fulgent. Mythol.* 1. post init. p. 10. Nam me avium quaedam vernulitas adlexerat. *B. A.*

VERNUM, i, n. idem ac ver: vox cadentis Latinitatis. *Tert. Res. carn.* 12. *med.* Revolvuntur hiemes, et aestates, et verna, et autumna cum suis viribus, moribus, fructibus. *Id. Spectac.* 9. Albus color hiemi ob nives candidas; russeus aestati ob solis ruborem voti erant; prasinus terrae matri, vel verno; venetus coelo et mari, vel autumno. *Cassiod. Var.* 3, 51. Prasinus color virenti verno, venetus nubilae hiemi, roseus (lege *russeus*) aestati flammeae, albus pruinoso autumno dicatus est. *Id. ib.* 4, 51. Frons theatri scena dicitur ab umbra luci densissima, ubi a pastoribus, inchoante verno, diversis sonis carmina cantabant. *F.*]

VERNUS, a, um, adj. ἑάριος, ad ver pertinens. *Cic. Sen.* 19. *med.* Verni temporis suavitas. *Lucr.* 1, 10. Nam simul ac species patefacta est verna diei, etc. *Hor. Od.* 2, 11, 9. Verni flores. *Prop.* 3, 3, 22. Et caput in verna semper habere rosa. *Colum.* 9, 14. Vernum aequinoctium. *Sen. Tro.* 228. Vernae aquae. *Ov. Trist.* 3, 12, 27. nix verno sole soluta. *Id. Her.* 6, 109. Mobilis Aesonide, vernaque incertior aura. *Plin.* 8, 47, 72. Multi hibernos agnos praeferunt vernis; et 18, 26, 65. *n.* 3. Verna opera, *h. e.* quae vere fácienda sunt. *Petr. Sat.* 120. non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur, *h. e.* quo vere ludunt aviculae. ℙ *Verno* absolute ipso vere. *Plin.* 19, 5, 30. Imas radices crescere hieme, verno autem, cum apparuerit viola, minui et contrahi; et *ib.* 3, 13. Tubera tenerrima verno esse. Adde *Caton. R. R.* 52. et 54., *Colum.* 4, 10. et *Pall.* 2, 15, 4, 10. et alibi saepe. ℙ *Vernus* est etiam cognomen R. V. *Inscr.* in BOCCHORITANUS.

VĒRO, adverbium affirmandi, μέντοι, certe, sane, quidem. *Cic. Marc.* 1. *f.* Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit. *Ter. Heaut.* 4, 5, 17. Vah, gloriare evenisse ex sententia? *Syr.* non hercle vero. *Id. Andr.* 5, 2, 13. Imo vero indignum facinus faxo ex me audias; et 5, 4, 23. Itane vero obturbat? *Cic. Coel.* 30. Cui neque proprium quaestionis crimen objicitur, nec vero aliquid ejusmodi, quod, etc. *Id. Sen.* 9. Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator. *Id. Mur.* 22. Qui et per se, et per suos, et vero etiam per alienos defendatur. *Liv.* 27, 19. *f.* Vocatum cum interrogat, velletne ad Massinissam verti? cum effusis gaudio lacrimis cupere vero, diceret tum, etc. ℙ Servit et ironiae. *Virg. A.* 4, 93. Egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis Tuque, puerque tuus. *Ter. Eun.* 1, 2, 9. Sane, quia vero hae mihi patent semper fores. *Cic. Verr.* 2, 5, 47. Multum vero haec his jura profuerunt in istius imperio ac potestate. Adde *Phil.* 13, 11. ℙ In responsionibus [*est concedentis, item affirmantis.] *Cic. Tusc.* 2, 11. Fuisti saepe, credo in scholis philosophorum. *A.* Vero, ac libenter quidem. *Id. Brut.* 87. *f.* Sed tu orationes nobis veteres explicabis? Vero, inquam, Brute. *Id. ib.* 85. Nunc, inquit, dicam, opinor, quod sentio. Tu vero, inquam, Tite. *Id. Div.* 1, 46. Puellam defatigatam petiisse a matertera, ut sibi concederet paulisper, ut in ejus sella requiesceret: illam autem dixisse, Vero mea puella, tibi concedo meas sedes; et *Off.* 3, 6. *med.* Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? minime vero. Adde *Ter. Eun.* 3, 1, 12. ℙ Est interdum instantis et urgentis. *Pl. Bacch.* 4, 9, 136. *Nic.* Cape hoc aurum. *Chry.* non equidem accipiam. *Nic.* Cape vero: odiose facis; et *Pl. Ep.* 1, 1, 3. Respice vero, Thesprio; et 5, 2, 57. *Per.* Cedo tu, ut exsolvam, manus. *Ep.* ne attigas. *Per.* ostende vero. *Ep.* nolo. ℙ Pro vere. *Id. Most.* 1, 3, 21.

Eho, mavis vituperari falso, quam vero extolli? *Id. Capt.* 3, 4, 35. Eum sese ait, qui non est, esse: et qui vero est, negat. Adde *Merc.* 4, 1, 19. et *Truc.* 2, 2, 47. ℙ Saepe conjunctionis adversantis vim habet, ut *autem, sed. Cic. Caec.* 2. *med.* Quod reprehendendum fortasse minus, quaerendum vero magis etiam atque etiam videtur. *Id. Brut.* 77. *med.* Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo; de republica vero non minus vehemens orator, quam bellator fuit. *Caes. B. G.* 1, 12. Tres copiarum partes Helvetios id flumen traduxisse, quartam vero partem citra flumen reliquam esse. *Cels.* 4, 6. *f.* Ubi aeger paulum se remisit, alimenta pleniora dari possunt. Si in refectione vero manserit tussis, intermittere oportebit. *Nep. Alc.* 4. Postulabat, ut si quid de se agi vellent, potius de praesenti quaestio haberetur, quam absens invidiae crimine accusaretur. Inimici vero ejus quiescendum in praesentia decreverunt. *Val. Flacc.* 5, 321. Adnuet ipse, reor: neque inexorabile certe Quod petimus: sin vero preces et dicta superbus Respuerit, jam nunc animos firmate repulsae. *Stat. Theb.* 2, 187. et quae Tu potior, Thebane, queri, nos vero volentes, Expositique animis. ℙ Servit transitionibus. *Nep. Ep.* 4. *med.* Neque vero id satis habuit, sed, etc. *Cic. Manil.* 14. Age vero ceteris in rebus quali sit temperantia, considerate. *Id. Phil.* 2, 8. *f.* Nec vero tibi de versibus respondebo. *Id. Marc.* 4. *med.* At vero haec tua justitia et lenitas animi florescet quotidie magis. ℙ *Jam vero, enimvero*, quae huc pertinent. V. suis locis.

VĒRO, as, n. 1. *ἀληθεύω*, vera dico. *Enn.* ap. *Gell.* 18, 2. *f.* Satin' vates verant in aetate agunda?

VĒRO, onis, m. idem ac veru, h. e. telum. Ap. *Aurel. Vict. Caes.* 17. verones plumbei dicuntur, quibus utebantur gladiatores cum Commodo imperatore pugna ludicra batuentes, ne eum ictu vulnerarent, qui contra acuto ferro congrediebatur, multosque etiam per summam feritatem conficiebat.

*VEROLAMĬUM vel Verolāmum, i, n. oppidum Britanniae, cujus ruinae hodieque exstant, cum reliquo nomine *Verulam*, prope Fanum S. Albani. *Anton. Itin.* ℙ *Verulamium* audit *Tac. H.* 14, 33. *B. A.*

*VEROMANDI. V. voc. seq. *B. A.*

*VEROMANDŪI, orum, Ὀυερμάνδυες, populi Galliae Belgicae, in Picardia, in agro, qui hodie appellatur *le Vermandois*. *Caes. B. G.* 2, 4 et 16. *Plin.* 4, 17. *Ep. Liv.* 104. ℙ *Veromandi* audiunt *Anton. Itin.* ℙ Eorum caput Augusta Veromanduorum, hodie *St. Quentin. Anton. Itin. B. A.*

VĒRONA, ae, f. *Verona*, urbs ampla, munita, et nobilis Venetiae, ad Athesim fluvium, colonia Romanorum, et in tribu Publicia seu Publicia. Patria fuit Catulli, Aemilii Macri, et Vitruvii. *Oc. Am.* 3, 15, 7. Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo. Adde *Mart.* 1, 8. et 62., 10, 103. et 14, 195., *Plin.* 3, 19, 23. et 35, 4, 7., *Catull.* non semel, *Tac. l.* 2. et 3. *H.* et *Claud. VI. cons. Hon.* 201. et *ep.* 2, 7.

VERONENSIS, adj. ad Veronam pertinens. *Plin.* 9, 22, 38. Veronensis ager. *Id.* 36, 6, 7. Catullus Veronensis. *Aurel. Vict. Ep.* 38. Veronenses campi. *Id. Caes* 7. Veronense proelium. *Catull.* 100, 2. Flos Veronensium depereunt juvenum. ℙ *Veronenses, ium*, ejus urbis cives. *Tac. H.* 3, 8, et 9.

[VĒROSUS, a, um, adj. verus, verax. *Capell.* 4, 96. Illa autem quae in argumentum verosae assertionis acrimoniaeque detulerat, tradere eam jubet. *F.*]

VERPĀ, ae, f. *ψωλή*, veretrum, mentula: videtur esse ab *ἕρπω*, serpo, quia *ἑρπετος*, vermis, similitudinem habet. *Mazoch.* derivat ab Hebr. הַרְפָּה *herpà*, opprobrium. *Mart.* 11, 46. Jam nisi per summum non arrigis, et tibi, Maevi, Incipit in medios mejere verpa pedes. Adde *Auct. Priap.* 35. et *Catull.* 28, 12.

[VERPŪLUS, i, m. 2. dimin. verpi. Est nomen propr. puerile. *Inscr.* in *Giorn. de' letter. di Pisa* T. 6. p. 39. Verpulo bene merenti: vixit an. VIII. *F.*]

VERPUS, i, m. *ψωλός*, qui verpam nudata glande ex libidinis usu praefert. *Catull.* 47, 3. Vos Veranniolo meo, et Fabullo Verpus praeposuit Priapus ille? *h. e.* Piso salacissimus homo. ℙ Est etiam idem ac recutitus, Judaeus, cui praeputium deest. *Juven.* 14, 101. Quaesitum ad fontem solos deducere verpos. *Mart.* 7, 82. Delapsa est misero fibula, verpus erat. Adde 11, 94.

VERRES, is, m. *χοῖρος*, porcus non castratus; nam postquam castratus est, majalis dicitur: videtur esse a *verro*, quatenus significat volvere (V. VERRO): etenim verres, ut ait *Colum.* 7, 9. *med.*, limosum pabulum consectatur, paludemque rimatur, ut effodiat lumbricos atque in luto volutetur. *Varr. R. R.* 2, 4. *f.* Castrantur verres commodissime anniculi, utique ne minores, quam semestres: quo facto nomen mutant, atque e verribus dicuntur majales. *Hor. Od.* 3, 22, 7. Quam per exactos ego laetus annos Verris obliquum meditantis ictum Sanguine donem. ℙ Translate etiam de homine masculo dicitur. *Pl. Mil.* 4, 2, 67. Nisi huic verri affertur merces. V. PORCULA. ℙ In recto sing. *verris* pro *verres* legitur a multis ap. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* ℙ Fuit hoc cognomine C. Cornelius C. F. Verres civis R., qui post praeturam urbanam sortitus Siciliensem, avareque, crudeliter, et libidinose in ea versatus, postquam decessit inde, repetundarum a Siculis accusatus est, actore M. Tullio Cicerone, qui septem in eum actiones scripsit, quae *Verrinae* dicuntur. Cum videret se damnatum iri, sponte ante diem judicii solum vertit. *Ascon.* in *argum. Divin. et action. primae Verr.* ℙ *Valer. Prob.* in *Cath.* p. 1473. scribit, *Cic.* dixisse *filiumque Verri*, pro *Verris*, eo modo, quo *Virg. A.* 1, 34. immitis Achilli; et *ib.* 3, 613. infelicis Ulixi.

VERRĔUS, a, um, adj. ad Verrem Siciliae praetorem pertinens, ut Verrea lex, *Cic. Verr.* 2, 3, 49. ℙ *Verrea, orum*, n. festa ab eodem Verre in Sicilia instituta. *Id. ib.* 4, 21. et 46.

VERRĬCŪLATUS. V. VERUCULATUS.

VERRĬCŬLUM, i, n. *σαγήνη, γαγγάμη*, genus retis piscatorii. *Serv.* ad illud *A.* 1, 63. verrantque per auras. Verrere, inquit, est trahere, a rete, quod verriculum dicitur. *Val. Max.* 4, 1. *extr. n.* 7. A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam jactum emerat.

VERRĪNUS, a, um, adj. *χοίρειος*, ao verrem pertinens. *Plin.* 28, 10, 42. Verrinum jecur; et *ib.* fel; et *ib.* 9, 37. Verrinus adeps; et 8, 51, 78. Sincipita verrina. ℙ *Verrinae* dicuntur actiones *Ciceronis* in Verrem. *Prisc.* 6, 7. et 17. etc. ℙ Ambigue *Cic. Verr.* 2, 46 *f.* Negabant, mirandum esse, jus tam nequam esse verrinum, *h. e.* jurisdictionem Verris, cum allusione ad jus illud, quod in culina paratur.

VERRIUS FLACCUS (*Marcus* praenomine, si fides habenda *Hieronym.* in *Chron.* ad ann. MMXXIV. ab Abraham,) nobilis grammaticus, sub Augusto floruit, ejusque nepotibus praeceptor electus est, uti narrat *Suet. Gramm.* 17. Tanta autem fuit fama doctrinae, ut Praeneste statua ei in foro posita fuerit. Scripsit multa, inter quae de verborum significatione libros XX. quos in epitomen redegit *Festus:* cetera perierunt, praeter nonnulla fragmenta a veteribus grammaticis servata, ac praecipue *Fragm. Kalendar. Praenestini*, quae ann MDCCLXXIX. Romae edidit *Petr. Fr. Fogginius.*

VERRO, is, a. 3. *σύρω*, proprie est trahere, raptare, ut cum aliis docet *Servius* ad illud *Virg. A.* 1, 62. de ventis: maria ac terras, coelumque profundum Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras. *Ov. Met.* 13, 961. Caesariemque meam, quam longa per aequora verro; et *ib.* 492. Canitiemque suam concreto in sanguine verrens. ℙ Item purgo, tergeo, everro: quod fit humi scopas trahendo, et ipsas sordes et purgamenta, *σαίρω*. *Cic. Par.* 5, 2. Qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt. *Juven.* 14, 60. Verre pavimentum, nitidas ostende columnas. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 491. et *Pl. Merc.* 2, 3, 63. Lignum caedat, pensum faciat, aedes verrat, ac vapulet. *Petr. Sat.* 34. Lecticarius argentum inter reliqua purgamenta coepit verrere: *ἀναλέγειν*, verrendo sublegere. *Hor. Od.* 1, 1, 10. Quidquid de Libycis verritur areis. *Ov. Fast.* 2, 523. Nam modo verrebant nigras pro farre favillas. ℙ Translate. *Virg. A.* 8, 674. delphines Aequora verrebant caudis, aestumque secabant. *Ov. Met.* 10, 701. summae cauda verruntur arenae. *Liv.* 3, 7. *extr.* et 26, 9 Stratae passim matres, crinibus templa verrentes. Adde *Sil.* 6, 561. et *Claud. Laud. Seren.* 225. ℙ Item volvo. *Lucr.* 1, 278. venti nubila coeli verrunt. *Lucan.* 5, 572. Cori verrent mare. *Virg. A.* 3, 208. nautae Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt; et *ib.* 6, 320. remis vada livida verrunt. *Catull.* 64, 7. Caerula verrentes abiegnis aequora palmis. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 295. Quidquid alit tellus, quidquid salis aequora verrunt, *h. e.* continent, et volvunt. *Prop.* 4, 12, 44. Nec nostra Actiacum verreret ossa mare, *h. e.* distraheret, agitaret. In his et similib. loc. *verro* in *verto* facili mutatione transiit. ℙ *Verrere mare* poetice est navigare. *Ov. Am.* 1, 9, 14. Aptare verrendis sidera quaeret aquis. *Stat. Th.* 5. 309. non arva viri, non aequora verrunt. ℙ *Verrere aequor retibus*, piscari. *Sil.* 14, 262. Seu silvis sectere feras, seu retibus aequor Verrere, seu coelo libeat traxisse volucrem. Sic *Manil.* 4, 285. Et placidnm inductis everrere retibus aequor. ℙ *Verrere* dicuntur, quae longo tractu tegunt. *Claud. Laud. Stilich.* 2, 248., cujus vestigia verrit Caerulus, Oceanique aestum mentitur amictus. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 145. de Tritone: undosi verrebant brachia crines. *Stat. Achill.* 1, 262. Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere. ℙ Pro auferre, asportare, expilare. *Pl. Truc.* 2, 7, 7. Domi quidquid habet, verritur *ἕξω*. *Mart.* 2, 37. Quidquid ponitur, hinc et inde verris. *Cic.* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Futurum, ut omnia verreret Verres. ℙ Praeteritum *verri* ponunt *Charis.* 3, 218. et *Prisc.* 10, 900.; unde *Licin. Macer.* dixit *averrerunt*, *Publius* autem *converri*, et *Hieron. in Helv. n.* 20. *verrerint.* At *Servius* ad *A.* 1, 63. tribuit *versi:* unde part. *versus*, quod V. suo loco.

VERRŪCA, ae, f. *ἀκροχορδών*, tuberculum cutis, in manibus praecipue nascens, et fere sine dolore. *Plin.* 20, 12, 48. Ocimum verrucas misto atramento sutorio tollit. ℙ Translate dicitur de tuberculis, quae in lapillis conspiciuntur. *Id.* 37, 12, 74. Illud modo meminisse conveniet, increscentibus varie maculis ac verrucis, linearumque interveniente multiplici ductu et colore, mutata saepius nomina in eadem plerumque materia. ℙ Item de loco edito, et aspero in monte. *Cato* in *Orig.* ap. *Gell.* 3, 7. et *Non.* 2, 909. Maturum censeo, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire jubeas, eamque uti occupent, imperes horterisque. *Quint.* hanc metaphoram damnat. Sic enim habet 8, 3. *med.* Deformitati proximum est humilitatis vitium, *ταπείωσιν* vocant, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur, ut Saxea est verruca in summo montis vertice. Adde *ib.* 6. *med.* [†V *Spalding.* ad 8, 3. Ceterum melius Nostr. hanc vocis notionem primo loco posuisset, cum *verruca*, fortasse e Gall. *beruc*, *veruc*, proprie locum editum significasse videatur, a qua significatione reliquas derivarunt.] ℙ De vitiis animi. *Hor. Sat.* 1, 3, 73. Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, Postulat, ignoscat verrucis illius.

VERRŪCĀRĬA, ae, f. *ἡλιοσκόπιον*, genus herbae ita dictum, quod succo ejus verrucae tollantur. *Plin.* 22, 21, 29. de helioscopio: Verrucas cum sale tollit succus e folio: unde nostri verrucariam herbam appellavere, aliis cognominari effectibus digniorem. [Adde *Marcell. Empir.* 19. *f. Bail.*]

*VERRUCĪNI, orum, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.*, *Verucini. B. A.*

VERRŪCOSUS, a, um, adj. *ὀχθώδης*, verrucis abundans. Verrucosus cognominatus est Q. Fabius Max. Cunctator, a verruca in labris sita, ut ait *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 43., *Plutarch.* dicit in labro superiore. Meminere etiam *Seren. Sammon.* 1100. et *Cic. Brut.* 14. *extr.* Ap. *Plutarch.* est *Βερούκωσσος*, unde et *Verrucossus* legitur in *Fast. Capitolin. triumphal.* ap. *Grut.* 297. *col.* 2. ℙ Translate dicitur de re dura, aspera, impolita, inculta: quia verrucae talem reddunt cutem. *Pers.* 1, 77. Sunt, quos Pacuvius, et verrucosa moretur Antiopa, *h. e.* tragoedia, quae inscribitur Antiopa, a *Pacuvio* duro et inculto poeta scripta.

VERRŪCŪLA, ae, f. exigua verruca. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. At *θύμιον* nominatur quod super corpus, quasi verrucula, eminet. *Colum.* 7, 6. Caper, cui sub maxillis binae verruculae collo dependent, optimus habetur. *Arnob.* 2, 77. Quid si dicas, esse auream terram, quod in verrucula collis unius insint exiguae miculae, quibus nascitur colliquefactis aurum?

*VERRŪGO, inis, oppidum Volscorum. *Liv.* 4, 1, 55. et 58. Adde 5, 28. *Val. Max.* 3, 2. *B. A.*

VERRUNCO, as, a. 1. *τρέπω, στρέφω*, verto, ut *Festus*, et *Nonius* exponunt. *Accius* ap. *Non.* 2, 895. Te sancte, veneraus precibus, invicte, invoco, Portenta ut populo patriae verruncent bene. *Pacuv. ib.* Precor, veniam petens, ut quae egi, ago, axim, verrūncent bene. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Populo commutationem rerum portendit (*sol*) fore perpropinquam: haec bene verruncent populo. *Liv.* 29, 27. Uti ea mihi, populoque R. Dii bene verruncent. [†V. *Gronov.* ad h. l.] ℙ Ap. *Fest.* legitur vetustiore orthographia *veruncent* unico *r*, ita litterarum ordine postulante: praecedit enim *Verticulas*, sequitur *Veruta.*

*VERRUTĬUS, i, m. nomen fictum a Verre, sub quo ipse latebat. *Cic. Verr.* 2, 76. seqq. *B. A.*

VERSĀBĬLIS, e, adj. *στρεπτός*, qui versari, mutari, transferri potest, versatilis. *Sen. Q. N.* 6, 16. *extr.* Nihil est tam versabile, est agitatione gaudens, quam aer. ℙ Translate. *Id. Tranq.* 11. *med.* Scito, omnem conditionem versabilem esse, et quidquid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere. *Ammian.* 16, 8. Versabilem feminam in fraudem illexit. *Curt.* 5, 8. *f.* Quam versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. V. VERSATILIS.

*VERSABILĬTAS, atis, f. *versability, versableness. Sarisb.* 3, 12. Versabilitate ingenii Protea vincere. *Meir.* Versibilitate. *B. A.*

VERSĀBUNDUS, a, um, adj. qui in gyrum vertitur. *Lucr.* 6, 437. Versabundus enim turbo descendit. *Vitruv.* 9, 7. *med.* Circa meridianum cardinem, qui est propter inclinationem mundi subjectus terrae, sidera versabunda, latentiaque non habent egressus orientes supra terram.

VERSĀTĬLIS, e, adj. *στρεπτός*, qui versari, circumagi, moveri facile potest. *Lucr.* 5, 1435. mundi magnum et versatile templum Sol et Luna suo lustrantes lumine circum. *Sen. ep.* 90. *med.* Versatilia coenationum laequearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula, mutentur. *Suet. Ner.* 31. Coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus. *Lampr. Elag.* 21. Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis et floribus. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Theatra duo e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento; et *ib.* 18, 29. Molae versatiles. *Curt.* 4, 13. *med.* Adeoque aciem versatilem posuit, ut qui ultimi stabant, in frontem circumagi possent. ℙ Translate. *Liv.* 39, 40. de Catone: Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia

fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. Alii leg. *versabile.*

VERSĀTĬO, onis, f. *ἀνέλιξις, δίνησις*, actus versandi et volvendi, rotatio, versio. Saepe usurpatur a *Vitr. l.* 10. ubi de machinis tractoriis agit, ut *c.* 1. 6. 8. 10. 14. et *Sen. Tranq.* 11. *f.* In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatione. *Plin.* 8, 33, 51. Nec pupillae motu, sed totius oculi versatione circumspicit. Alii leg. *versione.* [*Quod frustra defendit *Friedemannus* in *Ruhnk. Opusc.* T. 1. p. 122. Caret enim auctoritate. Ceterum nota, quae *Matth.* verissime in *Eloq. Lat. Exempl.* p. 307. de hac v. habet: *Versio* pro translatione, qua ex alio in alium *sermonem* vertitur, non est latinum, quamvis scholastici magistri omnes a discipulis suis versiones exigant.]

VERSĀTUS, a, um, part. a *verso: δινωθείς*, in gyrum actus, circumactus, versus. *Ov. Met.* 4, 221. Levia versato ducentem stamina fuso. *Id. ib.* 8, 667. Ovaque in acri leviter versata favilla; et *Fast.* 3, 373. Ecce levi scutum versatum leniter aura Decidit. *Id. Am.* 1, 2, 4. Lassaque versati corporis ossa dolent. *Id. R. Am.* 173. Obruc versata Cerealia semina terra, *h. e.* arata et subacta. ℙ Est et part. a *versor*, et significat eum, qui diu in aliquo loco aut re moratus est: peritus, doctus. *Nep. Cat.* 1. Adolescentulus versatus est in Sabinis. *Id. Milt.* 8. Multum in imperiis magistratibusque versatus. *Cic. Quint.* 1. Homo et in aliis causis exercitatus, et in hac multum et saepe versatus. *Vell.* 1, 13. *med.* Semper inter arma, ac studia versatus. *Tac. Agr.* 7. Integre strenueque versatus; et *Cic. Arch.* 9. Bellum magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum.

VERSE. V. ARSE VERSE.

VERSĬCOLOR, oris, adj. *διαποίκιλος*, qui versando varios colores ostendit. [*Hinc differt *varius*, quod etiam sine versatione per se diversos colores monstrat. *Versicolor* proprie est Gr. *ἀιόλον.*] *Cic. Fin.* 3, 5. *med.* Cauda a natura donata pavoni, plumae versicolores columbis. *Tert. Pall.* 3. Pavo pluma multicolor, et discolor, et versicolor, [toties mutanda, quoties movenda. ℙ Hinc *versicolor* praecipue vocatur purpura, quia colore illo vario et instabili praedita erat, ut *Pasqu. Amatius* in *Lib. de restit. purpurar. c.* 27. ostendit. *Liv.* legem Oppiam referens 34, 1. Ne qua mulier vestimento versicolori uteretur, *h. e.* purpureo; *Id.* enim *ib.* 3. et 7. de eadem lege verba faciens *purpuram*, et *Val. Max.* 9, 1. *n.* 3. *varii coloris vestem* appellant. *F.*] ℙ Translate. *Quint.* 8. *prooem. med.* Translucida et versicolor elocutio res ipsas effeminat, quae illo verborum habitu vestiuntur. ℙ Est etiam varios colores habens, pictus. *Virg. A.* 10, 181. Astur equo fidens, et versicoloribus armis, *h. e.* e diversis metallis. *Ov. Fast.* 5, 356. Sic est haec (*Flora*) cultu versicolore decens. *Liv.* 7, 10. Versicolori veste, pictisque, et auro caelatis refulgens armis. *Colum.* 3, 21. Undique versicoloribus pomis gravidus autumnus. *Plin.* 9, 17, 30. Mullum exspirantem versicolori quadam et numerosa varietate spectari. Explicat hoc fusius *Sen. Q. N.* 3, 17. et 18. ℙ Item qui tinctu aut pictura nativum colorem vertit, et alium imbibit. *Ulp. Dig.* 32, 1, 70. *med.* Arbitror, ea, quae tincta non sunt, versicoloribus non adnumerari: et ideo nec album naturaliter, neque nigrum contineri, nec alterius coloris naturalis. Purpuram et coccum, quoniam nihil nativi coloris habent, contineri arbitror. V. v. sq.

VERSĬCOLORĬUS, et

VERSĬCOLORUS, a, um, adj. versicolor. *Prud. adv. Sym.* 2, 56. Idque etiam paries tibi versicolorus adumbret, *h. e.* varie pictus. ℙ *Versicoloria lana*, seu *vestis* est ea, quae tincta nativum colorem mutavit. V. COLOREUS. *Ulp. Dig.* 32, 1, 70. *med.* Constat, apud veteres lanae appellatione versicoloria non contineri.

VERSĬCŬLUS, i, m. *στιχίδιον*, diminut. versus, brevis scripturae linea. *Cic. ad Brut.* 1, 14. Breves tuae litterae: breves dico? immo nullae. Tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me? *Id. Att.* 5, 1. Nunc venio ad transversum illum extremae epistolae tuae versiculum. *Id. Dom.* 17. Hoc ferre civitas potest, ut singuli cives singulis versiculis e civitate tollantur? *Id. Mil.* 26. Cum senatus ei commiserit, ut videret, ne quid respubl. detrimenti caperet: quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt. ℙ De versibus poeticis. *Hor. Sat.* 1, 10, 57. num rerum dura negarit Versiculos natura magis factos, et euntes Mollius? Adde *Plin. ep.* 3, 21., *Colum.* 9, 2., *Ov. Her.* 20, 238., *Catull.* 16, 3. et 6., *Mart.* 3, 9. et 50. etc.

VERSĬFĬCĀTĬO, onis, f. *ἐποποιία*, versuum, seu carminum factio. *Colum.* 11, 1. Tibi expetenti versificationis nostrae gustum, negare non sustinebam. *Quint.* 9, 4. *med.* Quem in poemate locum habet versificatio, cum in oratione compositio.

VERSĬFĬCĀTOR, oris, m. *ἐποποιός*, qui versus facit, is nempe qui quocumque modo verba metro ligat: at poeta poeticum insuper addit spiritum, et fingere pulcre novit. *Quint.* 10, 1. *med.* Cornelius Severus versificator, quam poeta, melior. ℙ Poeta. *Just.* 6, 9. Frequentius scenam, quam castra, visentes, versificatoresque meliores, quam duces, laudantes.

VERSĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *versifico:* in carmina redactus. *Lucil.* ap. *Non.* 13, 2. Multa homines portenta in Homero versificata, Monstra putant.

*VERSĬFĬCE, adv. *Sarisb.* in *Metalog.* 1, 3. Versifice dicere. *B. A.*

VERSĬFĬCO, as, n. 1. *ἐποποιέω*, versus facio. *Quint.* 9, 4. *f.* Nam et versificandi genus est, omnibus sermonibus unam legem dare. *Ammian.* 21, 16. *in.* Ad versificandum transgressus. ℙ Item active est in versus redigere. *Appul. de Deo Socrat. med.* Neque enim pro majestate Deum coelestium fuerit, ut eorum quisquam vel Annibali somnium pingat, vel Sibyllae fatiloquia versificet.

VERSĬFĬCUS, a, um, adj. ad versus spectans. *Solin.* 11. Cum Idaei Dactyli modulos crepitu ac tinnitu aeris deprehensos in versificum ordinem transtulissent.

VERSĬFORMIS, e, adj. qui formam suam versat, seu mutat. *Tert. Pall.* 2. Nostra certe metatio (quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet) totum versiforme est: dies et nox invicem vertunt, sol stationibus annuis, luna modulationibus menstruis variat, etc.

VERSĬLIS, e, adj. *περίακτος*, facilis ad vertendum, ut Versilis profunditas, ap *Capell.* 4. *f.* Sic *Serv.* ad *G.* 3, 24. Scena aut versilis erat, aut ductilis. Versilis erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturae faciem ostendebat: ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac, species picturae nudabatur interior.

VERSĬO. V. VERSATIO.

VERSĬPELLIS, e, adj. *ἀλλοπρόσαλλος*, qui facile vertit pellem, faciem, vultum, apparentiam. *Pl. Amph. prol.* 121. Eccum Juppiter, in Amphitruonis vertit sese imaginem, omnesque eum censent esse servi, qui vident; ita versipellem se facit, quando lubet. *Id. Pers.* 2, 2, 48. Capillus versipellis, *h. e.* qui colorem mutat et canescit. ℙ *Versipelles* praecipue dicti, qui in lupos verti credebantur. *Plin.* 8, 22, 34. Homines in lupos verti, rursumque restitui sibi, falsum esse existimare debemus. Unde tamen ista vulgo infixa sit fama, in tantum ut in maledictis versipelles habeat, indicabitur, etc. *Petr. fragm. Trag.* 62. *Burm. f.* Intellexi, illum versipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui. ℙ Translate sumitur pro versuto, astuto, simulandi et dissimulandi artifice, qui modo unum, modo aliud ostendit. *Pl. Bacch.* 4, 4, 12. Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus, cui sapit: bonus sit bonis, malus sit malis; utcumque res sit, ita animum habeat. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 173. Quicum versipellis fio, et quicum commuto omnia. *Prud. Cath.* 9, 91. Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis Plasma primum perculisse versipelli hortamine? *Porc. Latro in Catil.* 9. *f.* Nihil fuit isto monstro versipellius, aut mutabilius hominum memoria.

VERSO, as, avi, atum, a. 1. *στρέφω, περιάγω*, saepe verto, volvo, circumago: frequent. verbi *verto. Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 1, 5. Sisyphu' versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum. *Ennius* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. Qui coelum versat stellis ardentibus aptum. *Tibull.* 1, 5, 3. Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo, Quem celer assueta versat ab arte puer. *Hor. Sat.* 1, 5, 72. macros turdos dum versat in igne. *Id. Od.* 3, 6, 38. Ligonibus versare glebas. *Prop.* 4, 1, 129. tua cum multi versarent rura juvenci. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. Versabat se in utramque partem non solum mente, verum etiam corpore; et *ib.* 76. *f.* Haerere homo, versari, rubere. *Id. N. D.* 1, 20. Mundum versari circum axem coeli admirabili celeritate. *Sen. Ira* 3, 6. Pars superior mundi non versatur in turbinem. *Tibull.* 1, 6, 24. Versatur celeri Fors levis orbe rotae. ℙ Item ago, agito huc illuc. *Virg. A.* 12, 664. tu currum deserto in gramine versas. *Id. Ecl.* 10, 68. Aethiopum versemus oves sub sidere Cancri. Ubi *Servius:* pascamus: quoniam qui pascit, huc et illuc agit pecus: quod est versare. *Prop.* 2, 1, 45. Nos contra angusto versamus proelia lecto. ℙ Translate est muto, verto, flecto. *Cic. Coel.* 6. Versare suam naturam, et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere. *Id. Cluent.* 26. Ad omnem malitiam et fraudem versare mentem suam coepit. ℙ Item tracto. *Id. Or.* 9. *med.* Non ut in judiciis versaret causam, sed ut in historiis bella narraret. [*Hoc loco dictum est de oratore, qui vario et multiplici copioseque dicendi genere agere causas potest. Opp. enim historico, qui res gestas narrat, non ornat et auget; unde autem sic dicatur, docet locus. Adde *Or.* 40. versare saepe multis modis eandem rem.] *Quint.* 7. 3. Finitio iisdem legibus, quibus conjectura, versatur. *Suet. Galb.* 9. Nummulario non ex fide versanti pecunias manus amputavit. ℙ Item examino, perpendo. *Quint.* 5, 7. *med.* Testes multum domi ante versandi, ac variis percontationibus, quales haberi ab adversario possunt, explorandi sunt. *Pl. Trin.* 2, 1, 11. Multas res simitu in meo corde verso. *Prop.* 2, 3, 8. Quae mea non decies somnia versat anus. ℙ Item cogito, meditor. *Virg. A.* 4, 563. Illa dolos dirumque nefas in pectore versat, Certa mori. *Hor. A. P.* 39. versate diu, quid ferre recusent, Quid valeant humeri. *Liv.* 3, 34. Versarent in animis secum unamque rem, agitarent deinde sermonibus. ℙ Item agito, exerceo. *Caes. B. G.* 5, 43. *f.* Sic Fortuna in contentione et certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset. *Liv.* 1, 58. Tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum; et *ib.* 17. Patrum animos certamen regni, ac cupido versabat. *Id.* 2, 45. Multitudinis nunc indignatio, nunc pudor pectora versare. *Prop.* 3, 15, 12. Spesque timorque animum versat utroque meum. ℙ Item vexo, male habeo. *Pl. Bacch.* 4, 5, 6. Versabo ego illum hodie, si vivo, probe. *Sen. ep.* 9. *med.* Sollicitudo nos in nostra purpura versat. *Prop.* 3, 3, 19. Non est certa fides, quam non injuria versat; et *ib.* 9, 1. Quid mirare, meam si versat femina vitam? In his et similib. facile *versare* in *vexare* mutari potest. ℙ Item muto, verto, misceo. *Virg. Ecl.* 9, 5. Fors omnia versat. *Cic. Fin.* 4, 20. Homo igitur acutus causam non obtinens, repugnante natura, verba versare coepit. *Ov. Am.* 2, 2, 29. Ille (*servus conscius*) placet, versatque domum, nec verbera sentit, *h. e.* miscet, pro arbitrio imperat, et veluti regnat. ℙ Item everto. *Virg. A.* 2, 61. in utrumque paratus, Aut versare dolo, sea certae occumbere morti. Ubi *Servius:* dolo evertere: et subaudis Trojanos. Alii leg. *versare dolos*, h. e. exercere, exsequi, perficere. ℙ [*Item decipere. *Cic. Lael.* 26. Hodie me versaris atque emunxeris lautissime. V. *Graev.* ad h. l. De *emunxeris* v. *Bentl.* ad *Hor.* T. 2. p. 141.]

VERSOR, aris, atus sum, passiv. 1. *διατρίβω, διάγω*, frequens sum alicubi, dego, moram traho, maneo, sum: passivum verbi praeced., nam qui in aliquo loco, aut re immoratur, quodammodo in ea huc et illuc sese versat, et quasi volutatur aut corpore, aut mente. *Pl. Amph. prol.* 128. Versari crebro hic cum viderent me domi. *Id. Cas. a.* 1. *v.* 52. Tum tu, furcifer, quas mus, in medio pariete versabere, *h. e.* conclusus in fenestra. *Cic. Quint.* 18. *f.* Non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *Id. Mil.* 20. Quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium. [*Suet. Tib.* 44. ut natanti sibi inter femina versarentur: Gr. *ἀναστρέφεσθαι.*] ℙ Item vivo, consuesco, conversor. *Cic. Cat.* 1, 5. Nobiscum versari jam diutius non potes. *Id. Att.* 10, 8. Nec versari inter eos sine dedecore potero. *Nep. Con.* 2. *extr.* Apud praefectos regis versabatur. ℙ Pro esse *Ter. Andr.* 4, 1, 25. Nescis, quantis in malis serser miser. *Cic. Or.* 2, 13. In clarissima luce versari. *Id. Or.* 35. Ipsae res in perfacili cognitione versantur. *Id. Phil.* 8, 2. Ergo illi nunc in pace versantur. *Id. Planc.* 10. *med.* Minturnenses aeterna in laude versantur. ℙ Item exercere, agere. *Cic. Off.* 1, 42. Opificesque omnes in sordida arte versantur. ℙ Item studere, operam dare. *Id. Fam.* 4, 3. *f.* Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisque in hac, in qua ego me scripsi acquiescere, ita versatur, ut excellat. ℙ Item se gerere. *Quint.* 1. *prooem.* Praeclarissime in consiliis ac administratione reipublicae versari. ℙ Item occurrere, apparere. *Cic. Verr.* 2, 5, 55. *f.* Nunquam tibi populi Romani absentis dignitas, nunquam species ipsa hujusmodi multitudinis in oculis animoque versata est? *Id. Fam.* 14, 2. *med.* Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. *Id. Sext.* 21. Mors, exsilium mihi ob oculos versabantur. ℙ Item considerare, contemplari, occupatum esse. *Id. Off.* 1, 6. Quae omnes artes in veri investigatione versantur. *Quint.* 2, 15. *med.* Versatur circa res omnes rhetorice. ℙ Item inhaerere, adhaerere. *Cic. Caecin.* 18. In verborum errore versari, rem et causam, et utilitatem communem relinquere. ℙ Item dicendo in aliqua re immorari, agere, tractare. *Id. Off.* 1, 5. Huic quasi materia, quam tractet, et in qua versetur, subjecta est veritas. *Id. Leg.* 3, 15. Dicam, Tite, et versabor in re difficili, ac multum et saepe quaesita. ℙ De iis, quae usurpantur, adhibentur. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. Nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum.

VERSŌRĬA vel Vorsoria, ae, f. pes veli, hoc est funiculus, quo extremus veli angulus religatur. Vox est adjectiva, et subauditur *funis. Versoriam* dixere, quia prout haec manu tenetur, ita velum profertur, vertiturque. Alii *versoriam* dicunt simpliciter esse conversionem, *τροπήν.* Sed utcumque sit de vera vocis origine, quae non satis nota est, certum est translate dici *versoriam capere* pro reverti, sententiam mutare, ab aliqua re desistere. *Pl. Merc.* 5, 2, 34. Huc ventus secundus est; cape modo versoriam. *Id. Trin.* 4, 3, 19. Quin tu quod periit, periisse ducis? cape vorsoriam, recipe te ad herum.

VERSUM, et Vorsum, praepos. idem ac versus. *Pl. Epid.* 2, 2, 63. Coepi sursum versum illas pauxillatim accedere. ℙ Et addita alia praepositione. *Sall. Jug.* 62. Fugam ad se versum fieri; et *ib.* 72. Ubi animadvertere ad se vorsum exercitum pergere.

Pl. Capt. 2, 3, 8. Utroque vorsum rectum est ingenium meum.

VERSŪRA, ae, f. στροφή, conversio: a vertendo. *Varro R. R.* 1, 46. Quod ex quibusdam foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, dici possit, ut olea, et populus, et salix: horum enim folia cum convertunt se, solstitium dicitur fuisse. Adde *eund. L. L.* 6, 3. *f.* cujus verba V. in CERASTIBOLA. ℙ Item pro versione et mutatione. *Arnob.* 5, 187. Si fabulas has vultis more allegorico scriptas, quid ceteris fiet, quas non videmus posse versuras in hujusmodi cogi? ℙ Item locus, ad quem cum quis pervenerit, revertitur. Sic in agricultura *versura* vocatur, ubi sulcus unus desinit, alterque incipit, a boum conversione, βουστροφή. *Colum.* 2, 2. *f.* Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat, et boves inhibeat. ℙ In architectura est interior, aut exterior angulorum in parietibus flexus. Graeci καμπὴν vocant. Usus est *Vitruv.* 3, 1. *med.* et 5, 6. *f.* et *ib.* 12. ℙ *Versura* praecipue usurpatur de pecunia mutua ab aliquo sumpta vel gratuito, vel cum fenore reddenda: est a vertendo, ut mutuus a mutando. *Paulus ex Fest.* Versuram facere, mutuam pecuniam sumere, ex eo dictum est, quod initio, qui mutuabantur ab aliis, non ut domum ferrent, sed ut aliis solverent, velut verterent creditorem. *Cic. Tusc.* 1, 42. Ego vero illi (*Lycurgo*) maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione, et sine versura possem dissolvere, *h. e.* sine mutuo gratuito, et sine usura. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Salaminii cum Romae versuram facere vellent, non poterant, quia e syngrapha jus dici lex Gabinia vetabat. *Id. ib.* 15, 20. Versuram scribis esse faciendam mensium quinque, id est ad Kal. Novemb., in eam diem cadere nummos, qui a Quinto debentur. *Id. ib.* 16, 15. Iniquissimo fenore versuram facere Aurelius coactus est. *Id. Font.* 1. A quibus versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt. *Id. Flacc.* 20. Negavit, sese omnino versuram ullam fecisse Romae. *Nep. Att.* 2. Cum versuram facere pubilce necesse esset, neque ejus conditionem aequam (*Athenienses*) haberent; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab iis acceperit. *Id. ib.* 9. Cum Fulvia fundum secunda fortuna emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit, pecuniamque sine fenore, sineque ulla stipulatione ei credidit. *Tac. Ann.* 6, 16. Sane vetus Urbi fenebre malum. Nam primo XII. Tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret (V. *Liv.* 7, 16.), cum antea ex libidine locupletium agitaretur, deinde rogatione tribunicia ad semuncias redacta (V. *eund. ib.* 27.); postremo vetita versura (V. *eund. ib.* 42.). *Hieron. ep.* 108. *n.* 15. Liberalitas sola excedebat modum, et usuras (*Paula*) tribuens versuram quoque saepius faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. ℙ Translate. *Sen. ep.* 19. *med.* Ab Epicuro versura facienda est, *h. e.* mutuo quasi accipienda sententia est. *Id. Ben.* 5, 8. Ut concedam, aliquem dare sibi beneficium; dum dat, et recipit: ut concedam, aliquem a se accipere beneficium; dum accipit, et reddit. Domi, quod ajunt, versura fit, et velut lusorium nomen statim transit. *Plin* 19, 4, 19. *n.* 3. Pars hortensiorum ad condimenta pertinens fatetur, domi versuram fieri solitam, *h. e.* ab horto domestico, non aliunde condimenta sumebant prisci. ℙ *Versuram*, et rectius *versura*, *solvere*, est pecuniam fenori accipere, ut aliud aes alienum dissolvatur: sic creditor quidem vertitur, seu mutatur, sed debitor eadem haeret difficultate. *Cic. Att.* 5, 1. Quae quidem DCCC. HS. ego utique vel versura solvi volo, ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur, *h. e.* malo solvi, quae debeo, pecunia mutuo sumpta, quam exspectare, donec omnia, quae mihi ab aliis debentur, exigam. *Id. ib.* 15. Vereor, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit. *Id. ib.* 16, 2. Quamquam reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit saepe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. Si quid ejusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. Non modo versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. ℙ Translate. *Ter. Phorm.* 5, 2, 15. In eodem luto haesitas, versuram (*al.* versura) solvis, Geta; praesens quod fuerat malum, in diem abiit, plagae crescunt, nisi prospicis, *h. e.* debitas tandem poenas dabis etiam cum fenore: simili conditione, atque ii solent, qui ut syngrapham dissolvant, et una cautione se liberent, pecuniam mutuam majore etiam fenore iterum accipiunt. In dies enim deteriorem conditionem suam faciunt. Hinc recte *Donat.* ad hunc *Terentii* locum habet: *Creditorem mutas:* sed minus recte addit: *Versuram facere dicitur, qui aes alienum ex aere alieno solvit:* nam dicitur sane is quoque *versuram facere*, quatenus mutuum sumit, non quatenus illo mutuo aliud mutuum dissolvit. Idem fere dicendum de eo, quod *Id. ib.* addit: *Dicitur etiam versuram facere, cum minore fenore acceptam quis pecuniam majore occupat.* Ingeniose ita *Terentii l. c.* sibi accommodat *Lactant.* 2, 8. *med.* Deus ipsa natura est. Cum igitur ortum rerum tribuis naturae, ac detrahis Deo, in eodem luto haesitans versura solvis. A quo enim fieri negas, ab eodem plane fieri, mutato nomine, confiteris.

VERSUS, πρὸς, praep. accusativo inserviens, et suo casui fere postponitur. *Cic. Fam.* 11, 27. Cum suo casui fere postponitur. *Cic. Fam.* 11, 27. Cum suo casui fere postponitur. *Cic. Fam.* 11, 27. Cum Brundusium versus ires ad Caesarem. *Cato R. R.* 156. Postea ubi deorsum versus ibit. *Cic. Or.* 39. *med.* Cum gradatim sursum versus reditur. *Id. Part.* 7. Et idem quasi sursum versus retroque dicatur. *Caes. B. G.* 7, 4. Dimitti quoquoversus legationes. *Gell.* 5, 12. Ut quaedam vocabula, quibus particula ista praeponitur, ambigua sint, et utroque versus dicantur, *h. e.* in utramque partem. *Id.* 12, 13. *med.* Cum vero omnes terras omnifariam, et undique versus circumfluat, nihil citra eum est. ℙ Habet etiam quandoque adjunctam aliam praepositionem. *Caes. B. G.* 6, 32. Labienum ad Oceanum versus in eas partes, quae Menapios attingunt, proficisci jubet. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Ille in Italiam versus navigaturus erat. *Sall. Jug.* 62. Animadvortit, fugam ad se vorsum fieri. *Auct B. Hisp.* 11. Equites nostri ad Cordubam versus prosecuti sunt eos. *Sall. Cat.* 59. Ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere. *Fest. in Septimontio:* Ea pars Esquiliarum, quae jacet ad vicum Patritium versus. Adde *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* et *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 82. *extr.* V. VERSUM. [*De hac dicendi forma, qua praepos. *versus* cum praeposs. *ad* vel *in* jungi solet, *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 1. modo 1. rectissime habet ista: *versus* cum *ad* vel *in* junctum non abundare, quod perperam a *Ruhnk.* ad *Ter. Adelph.* 4, 2, 36. et *Ern.* ad *Tac. G.* 1. praeceptum legatur, sed praepositione *versus. ad* et *in* accuratius definiri easque quasi corrigi. Ita autem differre *versus* praepositionem a participio, ut hoc semper ad substantivum appositionis instar referatur, nunquam a verbo pendeat, praepositio vero semper a verbo motus apta sit; quod nisi tenueris, vix possis interdum ab errore tibi cavere.]

VERSUS, a, um, part. a *verto:* ἐστραμμένος, conversus, inversus, mutatus in aliam partem. *Hor. Od.* 3, 29, 2. Non ante verso lene merum cado Jamdudum apud me est. *Lucan.* 3, 649. congesto pondere puppis Versa: et *Virg. A.* 1, 482. et versa pulbis inscribitur hasta. (*Servius* et *Diomed.* 1, 373. hoc ducunt a passivo *verror*, et exponunt tracta: quia *verrere* est trahere.) *Ov. Met.* 14, 782. Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit. *Id. ib.* 1, 425. Versae glebae, *h. e.* aratae, subactae. *Id. Trist.* 4, 5, 6. Versaque amicitiae terga dedere meae. *Tac. H.* 2, 26. Versi in fugam hostes. *Hor. Od.* 3, 4, 26 Philippis versa acies retro. *Id. ib.* 1, 19, 11. Parthus versis animosus equis. *Virg. A.* 5, 141. adductis spumant freta versa lacertis, *h. e.* remis inversa et agitata. *Sall.* in *Or. Lepid. contra Sull. med.* Arma ab externis in nosmet versa. *Pl. Cas.* 2, 5, 36. Necessum est vorsis gladiis depugnarier, *h. e.* mutatis. V. GLADIATOR. ℙ Item eversus *Sen. Ag.* 190. Et post tropaea Troica, ac versum Ilium. *Id. Tro.* 911. prostratum Ilium est, versi Penates. *Id. Hipp.* 562. Versa ab imo regna. ℙ Item conversus et spectans in aliquam partem. *Liv.* 1, 41. Fenestrae in viam versae. *Id.* 36, 15. *med.* Mare ad occidentem versum. *Ov. Met.* 8, 165. *de Maeandro:* Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum, Incertas exercet aquas. *Plin.* 28, 8, 30. Squamarum series a cauda ad caput versa. ℙ Item mutatus, transformatus. *Lucr.* 5, 279. Omnia jam resoluta forent, et in aera versa. *Ov. Met.* 10, 242. Propaetides in rigidum silicem versae: et *ib.* 13, 905. Nuper in Euboica versis Anthedone membris Glaucus adest. ℙ Translate est quocumque modo mutatus. *Cic. Rosc. Am.* 36. Videte nunc, quam versa et mutata in pejorem partem sint omnia. *Tac. Ann.* 1, 4. Versus civitatis status. *Id. H.* 2, 54. Caesi victores, versa partium fortuna. *Just.* 12, 6. Eodem furore in poenitentiam, quo pridem in iram, versus, mori voluit. *Ov. Her.* 16, 89. versis ad prospera fatis. *Liv.* 22, 51. *extr.* Miles ira in rabiem versus. ℙ Cum gen. *Tac. H.* 4, 84. Qui versus animi modo numen pavescere, modo minis populi terreri, saepe donis flectebatur, *h. e.* mobilis animo. Alii plerique leg. *diversus.* ℙ Item inclinatus, propensus, favens. *Liv.* 40, 5. *med.* Philippus totus in Persea versus, cum eo cogitationes ejus rei dies ac noctes agitabat. ℙ *In rem versum* dicitur a JCtis, quidquid in rem seu facultates alicujus conversum est, et augendae rei familiari adjectum. *Cajus*, *Paul. Ulpian.* et alii *Dig. toto tit.* 15, 3. qui *De in rem verso* inscribitur: ubi *actio de in rem verso*, et *de in rem verso teneri*, et *condemnari de in rem verso*, etc. ℙ *Versa*, et comicorum more *vorsa*, *oratio*, metro ligata: cui respondet *prorsa*, soluta. *Appul. Flor. n.* 18. V. PRORSUS, a, um. ℙ *Versus* a *verro*, *is. Pl. Ps.* 1, 2, 31. Vorsa, praesterga, strata, lauta, coctaque omnia ut sient. *Sen. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 375. Versa templa. *Prop.* 3, 11, 42. Diique, Deaeque etc. Praebebant versis verba secunda focis. Alii aliter leg., sed *versis* a *Scal.*, *Broukus.* et *Vulpio* defenditur.

VERSUS, us, m. στίχος, ἔπος, μέτρον, linea illa, quam in scribendo ducimus, et speciatim carmen poeticum. Nam versus nomen natura sua non minus solutae, quam ligatae orationi convenit. Est a *vertendo.* Cujus ratio ex agricultura optime intelligitur. Quemadmodum enim agricolae vomere vertunt terram, ac sulcum faciunt: ita in ceris quoque stilo sulcabant scribentes: ac ut ille in terra sulco uno absoluto, vertit aratrum, aliumque sulcum efficit; sic qui scribit, stilo sinistrorsum verso, prolatoque novum in cera sulcum ducit. Sed quia poetae versus suos certo absolvunt pedum numero, hinc factum, ut hi sibi *versus* nomen prope fecerint peculiare. Primum itaque versus generatim accipitur pro illo ductu vocum, qui fit a sinistra in dexteram, vel a dextera in sinistram, vel a summo ad imum, secundum diversam diversarum gentium scribendi rationem. *Cic. Att.* 2, 16. *med.* Nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit. *Plin. ep.* 4, 11. *extr.* Non paginas tantum epistolae, sed etiam versus, syllabasque numerabo. Tangit hic *Plin.* antiquum morem, quo solebant versuum inire numerum, ut de libri magnitudine constaret. *Nep. Ep.* 4. *f.* Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere statuimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt. Adde *Quint.* 7, 1. *med.* [*Suet. Aug.* 87. nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert. V. *Schaef.* ad *Plin. ep* 3, 5, 12. *Liv.* 41, 24. Litterae paucorum versuum.] ℙ Pro carmine. [*Dicendum erat linea ad carminis rhythmum composita.] *Cic. Arch.* 10. Nam siquis minorem fructum gloriae putat ex Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat. *Id. Or.* 3, 50. In versum se mente ac voluntate conjicere: et *ib.* Versus hexametros fundere ex tempore. *Hor. Ep.* 2, 2, 52. Versus facere. *Virg. Ecl.* 5, 2. Dicere versus. ℙ Interdum pro cantu. *Plin.* 10, 29, 43. *de lusciniis:* Meditantur aliae juniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. ℙ Quandoque etiam pro titulo sepulcri. *Inscr.* ap. *Grut.* 703, 2. D. M. L. Publicii Primi, Q. V. Ann. XII. M. II., versum superposuit P. Successus pater infelicissimus. ℙ Notat etiam ductum in arando, sive sulcum; quae notio principalis est, et magis propria, ut in §. 1. dictum est. *Colum.* 2, 2. *f.* Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere aratrum. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. In arando versum peragi, nec strigare in actu spiritus. ℙ Item mensuram agri. *Varr. R. R.* 1, 10. in Hispania ulteriore metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino jugeris. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare possunt. Versum dicunt centum pedes quoquo versum quadratum. Jugerum, quod quadratum duos actus habet. ℙ Item significat ordinem, rectam seriem, seu tractum. *Virg. G.* 4, 144. Ille etiam seras in versum distulit ulmos. *Id. A.* 5, 119. triplici pubes quam Dardana versu Impellunt, *h. e.* triplici ordine remorum. Sic *Liv.* 33, 30. *f.* Navis inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. *Sil.* 7, 657. laxa monilia crebro versu, *h. e.* crebra serie catenularum, vel gemmarum, margaritarumve. *Plin.* 15, 29, 37. Myrtus exotica senis foliorum versibus. *Solin.* 2. Rostro scrobes excavant, deinde surculis in versum superpositis imitantur texta cratium. ℙ Item speciem quandam motus, sive saltus. *Pl Stich.* 5, 7, 2. Si istoc vorsu me viceris, alio me provocato: *vorsu* pro *versu* antiquo scribendi more. ℙ Olim et *versus*, *i*, dixere. *Laev.* ap. *Prisc.* 6. 712. Omnes sunt denis syllabis versi. *Valerius ib.* Quid hic cum tragicis versibus et syrma facis? *Laber. ib.* Versorum numerus.

VERSŪTĒ, adv. πανούργως, astute, callide. *Cic. Brut.* 9. Nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit. *Id. Or.* 7. Videmus fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. *August. Trin.* 15, 20. Acute respondit haeretico versutissime interroganti.

VERSŪTĬA, ae, f. πανουργία, calliditas, vafritia, astutia. *Appul. Appol.* Non est sua ista in accusando versutia; et *ib.* Versutia tam insidiosa, tam admirabili scelere conflata. *Juvenc.* 1, 371. nec defuit aegro (*daemoni*) Tentandi interea Christum versutia fallax.

VERSŪTĬLŎQUUS, a, um, adj. ποδαλεόφρων, qui versute loquitur. *Cic. Or.* 3, 38. Vel conjungendis verbis, ut haec (ex *Ennio*) Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat: (ex *Pacuv.* aut *Acc.*, aut *Enn.*) Num non vis hujus me versutiloquas malitias? Videtis enim et versutiloquas, et expectorat ex conjunctione facta esse verba, non nata. *Id. Or.* 49. Imo vero ista sequamur, asperitatemque fugiamus: *Habeo istam ego perterricrepam.* Itemque: *Versutiloquas malitias.*

VERSŪTUS, a, um, adj. πανοῦργος, ingeniosus, sagax, promptus, qui facile mentem in quamlibet partem versat, recte peritus, multiplex. *Cic. N. D.* 3, 10. Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus. Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: callidos autem, quorum, tanquam manus opere, sic animus usu concalluit. *Id. Brut.* 67. Habuit a natura genus quoddam acuminis, quod erat in reprehendendis verbis versutum et solers. *Id. Or.* 2, 20. Animus acer et praesens, et acutus idem, atque versutus invictos viros efficit. *Id. Off.* 1, 30. *f.* Versutissimum et pa-

tientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepimus. ℙ Saepe in malam partem accipitur pro eo, qui facile mentem ad malitiam vertit, qui ingenio est doloso, et decipiendi artifice, vafer, malitiosus, subdolus, fallax, ἐπίκλοπος. *Festus:* Versuti dicuntur, quorum mentes crebro ad malitiam vertuntur. *Pl. As.* 1, 1, 105. Non esse servus pejor hoc quisquam potest, nec magis versutus, nec quo ab caveas aegrius. *Cic. Off.* 2, 3. Hi saepe versutos homines, et callidos admirantes, malitiam sapientiam judicant: et *ib.* 3, 13. *f.* Hoc est hominis non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni, versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, callidi, veteratoris, vafri. *Id. Fin.* 2, 16. *med.* Omnia callide referens ad utilitatem, acutus, versutus, veterator, facile ut excogitet, quomodo occulte fallat; et *ib.* 17. Qui occultus, et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur: quid est enim aliud esse versutum? *Ov. Am.* 2, 19, 9. Viderat hoc in me vitium versuta Corinna: Quaque capi possem, callida norat opem. *Pl. Epid.* 3, 2, 35. Versutior es, quam rota tigularis. *Vell.* 2, 118. Illi in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus. ℙ Cum gen. *Plin.* 7, 12, 10. Respondit versutus ingenii mango, ob id ipsum se tanti vendidisse, Quoniam, etc. [* ℙ Quae *Noster* de notatione hujus vocis habet, ea, licet Ciceronis verba sequantur, recte *Doederl.* 3, 220. minus probantur. *Versutus* aut frequentativum est v. *versus*, aut non nisi forma differt a *versatus*, ut nostr. *gewandt* et *gewendet*, *Gr.* πολύτροπος.]

*VERTACOMACORI, orum, populi Galliae Narbonensis, Vocontiorum pars. *Plin.* 3, 17. *B. A.*

VERTAGUS, i, et Vertraga, et Veltagra, m. canis venaticus mirae velocitatis: cujusmodi sunt, qui planis et apertis campis non odore, sed cursu lepores captant. Vox est peregrina, et cujus notationem frustra quaeras in Latina lingua. Sunt tamen, qui a *verto* et *traho* derivant: alii, qui quasi *fertraha* a feris trahendis: alii alia comminiscuntur. Videtur esse vox Celtica seu Gallica, hinc etiam est, quod *Ov. Met.* 1, 533. et *Mart.* 3, 47. vocant *Gallicum canem*, qui lepores venatur. *Firm. Math.* 5, 8. *med.* Nutritores canum, molossorum, vertagorum, et qui sunt ad venationes accommodati. *Mart.* 14, 200. Non sibi, sed domino venatur vertagus acer, Illaesum leporem qui tibi dente feret. *Grat. Cyn.* 203. Et pictum macula vertagram delige fatsa. Alii leg. vertragam. *Not. Tir. p.* 176. Canis, veltagra.

VERTEBRAE, arum, f. plur σπόνδυλοι, περόναι, spinae ossa in crassiores quosdam nodos conglobata, et in medio sui concava, ut spinali medullae transitum praebeant, firmissimis autem vinculis colligata, quorum beneficio interiores nodi cohaerescunt. Harum munus est, ut corpori flectendi se, incurvandique praebeant facultatem, quod sine illis prorsus rigidum esset, et inflexibile. Igitur dictae sunt a *vertendo*, quia earum beneficio homo se vertere, flectereque potest. *Cels.* 8, 1. *med.* Spina constat ex vertebris quatuor et viginti. ℙ Translate per quandam similitudinem in insectis vertebrae appellantur eae partes, quae circa ipsam sitae incisuram, corpori flexum praebent. *Plin.* 11, 1, 1. Imbricatis flexili incisura vertebris. ℙ In sing. num. *Cels. l. c.* Jam vertebra tertia tubercula, quae inferiori inserantur, exigit. *Plin.* 11, 46, 106. Talus rectus est in articulo pedis, ventre eminens concavo, in vertebra ligatus, *h. e.* in flexura: nam latiore significatione significat etiam quemcumque articulum, et nodum seu juncturam corporis. *Sen. ep.* 78. *med.* Podagra, et chiragra, et omnis vertebrarum dolor, nervorumque interquiescit, cum illa, quae torquebat, hebetavit.

VERTEBRATUS, a, um, adj. σπονδυλοειδής, in modum vertebrae factus. *Plin.* 11, 37, 67. Quibus cervix e multis, vertebratisque orbiculatim ossibus, flexilis ad circumspectum, articulorum nodis jungitur. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 14. Vertebrato dente, *h. e.* mobili et flexili facto.

[VERTEBROTĒNUS, adv. idem ac divisim vertebrarum tenus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. Erit adhibenda cucurbita nunc praecordiis, atque pubetenus, praerasa capillatura, nunc capiti, nunc clunibus ac vertebrotenus, quod Graeci ἰσχιον vocant. Hinc apparet non improbandos esse, qui conjunctim *pubetenus*, *verbotenus* pro *pube tenus*, *verbo tenus* scribunt. V. TENUS. *F.*]

VERTENS, entis, part. a *verto*, ἕλισσων. *Virg. A.* 8, 438. Gorgona desecto vertentem lumina collo. ℙ *Annus vertens*, *mensis vertens*, est totius anni, vel mensis vertentis, seu procedentis, et delabentis cursus. *Cic. Quint.* 12. Si debuisset, Sexte, petisses statim; si non statim, paulo quidem post; si non paulo post, at aliquando: sex quidem illis mensibus profecto; anno vertente sine controversia. *Nep. Ag.* 4. Tanta usus est celeritate, ut quod Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. *Pl. Pers.* 4, 4, 76. Nunquam hercle hunc mensem vertentem servibit tibi. ℙ Alia ratione *vertens annus* dicitur a *Cic. Somn. Scip.* 7.; ibi enim annum illum intelligit, qui a *Macr. Somn. Scip.* 2, 11. vocatur *annus mundanus*, et a *Platone* dictus est *magnus*, h. e. spatium multorum annorum, quorum cursu expleto sidera stellaeque omnes ad eam coeli positionem redeant, in qua initio mundi fuerunt; quae quidem positio post quindecim millia annorum contingere putabatur, ut *l. c. Macr.* docet: et jure *annus vertens* dictus est, quia, ut *Macr.* verbis utar, conversione plenae universitatis efficitur. Homines, inquit *Cic. l. c.* populariter annum tantummodo solis, id est unius astri reditu metiuntur: cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, astra redierint, eandemque totius coeli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest. V. plura ap. *Macrob. l. c.*

*VERTERIS, is, oppidum Britanniae. *Anton. Itin.* ℙ *Camdeno* est *Brugh - under - Stanemore* (*Brough*). *B. A.*

VERTEX, icis, m. id quod vertitur, itemque id, circa quod aliquid vertitur. *Quint.* 8, 2. Secundo modo dicitur proprium inter plura, quae sunt ejusdem nominis, id, unde cetera ducta sunt: ut vertex est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum, pars est summa capitis: et ex hoc, quod est in montibus eminentissimum. Recte, inquam, dixeris haec omnia vertices: proprie tamen, unde initium est. Haec *Quint.* Itaque primo dicitur de aqua, quae in se vertitur: item de vento in gyrum flante, qui et *turbo*, aut *typhon* dicitur. Habemus in hac significatione passim exempla ap. *Virg.*, *Hor.*, *Ov.*, *Stat.* etc, sed quia *vortex* in libris plerumque legitur, in ea voce ponentur. ℙ *Vertices* sunt etiam in coelo cardines seu poli, circa quos coelum ipsum verti dicitur, πόλοι. *Cic.* vertens *Arati* carmina *N. D.* 2, 41. Extremusque adeo duplici de cardine vertex Dicitur esse polus. *Virg. G.* 1, 242. Hic vertex (*Arcticus*) nobis semper sublimis, at illum (*Antarcticum*) Sub pedibus Styx atra videt, Manesque profundi. ℙ De capillis, qui in summo capite in circum volvuntur, deque ipso summo capite, χορυφή. *Isid. Or.* 11, 1. Vertex est ea pars, qua capilli capitis colliguntur, et in qua caesaries vertitur. *Plin.* 11, 37, 48. Vertices bini hominum tantum aliquibus. *Cic. Rosc. Com.* 7. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? *Ov. Pont.* 3, 8, 12. Suppositoque gravem vertice portat aquam. ℙ Per synecdochen est ipsum caput. *Id. Met.* 5, 84. Et resupinus humum moribundo vertice pulsat. *Id. ib.* 10, 425. albaque toto Vertice canities rigidis stetit hirta capillis. *Petr. Sat.* 137. tremulo deduxit vertice canos, Consecuitque genas. *Stat. Theb.* 6, 607. Flavus ab intonso pendebat vertice crinis. *Virg. A.* 11, 642. nudo cui vertice fulva Caesaries. *Mart.* 12, 7. Toto vertice quod gerit capillos, Annos si tot habet Ligia, trima est. *Val. Flacc.* 4, 307. sonat omni vulnere vertex Inclinis. *Catull.* 64, 309. Ambrosio niveae residebant vertice vittae. *Hor. Od.* 1, 1, 36. Sublimi feriam sidera vertice. *Id. Ep.* 2, 2, 4. talos a vertice pulcher ad imos: et *Virg. A.* 7, 783. Ipse inter primos praestanti corpore Turnus Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est. ℙ Transfertur ad summitatem, cacumen, culmen cujuscumque rei. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Ignes, qui ex Aetnae vertice erumpunt. *Tibull.* 1, 8, 15. aetherio contingens vertice nubes Taurus. *Petr. Sat.* 122. rupta tonabant, Verticibus lapsis, montis juga; et *ib.* 134. *extr.* his ego callens Artibus (*magicis*) Idaeos frutices in gurgite sistam, Et rursus fluvios in summo vertice ponam. *Hor. Od.* 4, 11, 11. Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum. *Val. Flacc.* 6, 604. Ora sub excelso jamdudum vertice coni Saeva micant. *Id.* 3, 487. illum ubi Juno videt poli summo de vertice: et 2, 88. praerupti Vulcanum vertice coeli Devolvit; et 1, 700. inimicaque vertice ab alto Vela videt; et *Ov. Met.* 10, 103. Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus. *Virg. A.* 3, 679. vertice celso Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi. *Lucr.* 6, 749. Athenaeis in moenibus, arcis in ipso Vertice. *Mart.* 10, 19. Vertex theatri; et 8, 36. domus. ℙ *Vertex terrae* ap. *eund.* 13, 50. est ejus superficies. ℙ Absolute de monte, aut colle. *Sen. Herc. Fur.* 80. Siculi verticis laxa specum. *Lucan.* 2, 397. nullo qua vertice tellus Altius intumuit; et 9, 972. quo vertice Nais Luserit Aenone. ℙ *A vertice*, a parte superiore, ab alto. *Virg. G.* 2, 310. si tempestas a vertice silvis Incubuit. (Ubi *Servius:* ab Aquilone, ut (*G.* 1, 242.) Hic vertex nobis semper sublimis.) *Id. A.* 1, 118. ingens a vertice pontus In puppim ferit. (Ubi *Serv.* aut a puppi, quae vertex navis est: aut ab Aquilone, qui flat a mundi vertice. Quidam verticem hic procellam accipiunt.) *Id. ib.* 5, 443. Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte Extulit: ille ictum venientem a vertice velox Praevidit. ℙ Ut *caput*, sic *vertex* principem significat in aliquo ordine. *Modest. Dig.* 27, 1, 13. *med.* Scaevola, et Paulus, et Ulpianus vertices legum prudentum: κορυφαῖοι, proceres. Haec tamen non sunt *Modestini*, sed interpretis, qui e Graeco transtulit. *Ammian.* 15, 5. *med.* Sensim cum principiorum verticibus secretius collocutus. *Cic.* vertens carmina *Sophocl. Tusc.* 2, 9. Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices, Nunc serpit ardor, *h. e.* summi dolorem quasi apices.

VERTĪBŬLUM, i, n. verticulus, junctura, nodus, vertebra. *Lact. Op. D.* 5. *med.* Crura non aequaliter porrecta finivit, sed summas eorum partes crassioribus nodis conglobavit, ut et substringi nervis facilius, et verti tutius possent: unde sunt vertibula nominata.

VERTĪCILLĀTUS, a, um, adj. a *verticillus*. Adstruxere quidam ex *Cels.* 8, 1. *med.* Verticillatis scapularum ossibus inseritur. Sed legendum omnino *Vertici lati scapularum ossis.* V. *Morgagn. epist.* 2. et 3. *in Cels.*

VERTĪCILLUS, i, m. στροφίγγιον, instrumentum, quod fuso adhibetur, ut facilius vertatur. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1. In Syria quoque feminas verticillos inde facere. [*Appul. Herb* 9. Radix batrachii verticillo est similis. *F.* et *Bail.*]

VERTĪCORDIA, ae, f. Veneris cognomen, de quo ita *Ov. Fast.* 4, 157. Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est. Cumaeam, veteres, consuluistis anum. Templa jubet fieri Veneri: quibus ordine factis, Inde Venus verso nomina corde tenet. *Val. Max.* 8, 15. *n.* 12. Ut Veneris Verticordiae simulacrum consecraretur, quo facilius virginum, mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur. *Jul. Obseq.* tempus assignat, quo Veneri Verticordiae aedes facta est, *de prodig.* 97. M'. Acilio Balbo, C. Porcio Catone Coss. *h. e.* ann. U. C. DCXL.

VERTĪCOSUS, et Vorticosus, a, um, adj. ἑλιγμώδης, contortus, complicatus. *Liv.* 21, 5. Quidam verticoso amni delati in hostes, ab elephantis obtriti sunt. Alii leg. *vorticoso*. V. VORTEX.

VERTĪCŬLAE, arum, f. plur. articuli: a *verto*. *Fest.* Verticulas cum dixit Lucilius, articulos intelligi voluit. ℙ Non tamen soli ita articuli dicuntur, sed etiam spondyli spinae, h. e. vertebrae. *Luc.* ap. *Non.* 3, 103. Haeret verticulis adfixum in posteriore Parte, atque articulis, ut nobis talu', genusque. ℙ Item *verticulae* in machinis dicuntur vincula quaedam lignea, vel ferrea, vel ex quavis alia materia, quibus pars una machinae alteri adjungitur, ita tamen ut flecti, et verti possit. *Vitruv.* 10, 13. ℙ In masc. gen. *Solin.* 4. *de belua marina:* Verticuli spinae ipsius latitudine semipedem sunt supergressi, *h. e.* articuli. ℙ In neutro. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. Intestinorum verticula distentis cutibus apparent, *h. e.* flexus curvaturae. ℙ In num. sing. et gen. masc. *Id. Tard.* 4, 3. *med.* Apponenda podici fistula dextera manu, usque ad ejus verticulum, quem Graeci ἀσπίδισκον vocant, *h. e.* partem latiorem, quae quasi nodum facit, et verticillum fuso inditum refert. [*Emendavit hunc locum *F.*]

VERTĪCŬLUM, et Verticulus. V. in v. praec.

VERTĪGĪNO, as, n. 1. circumferor: a *vertigo*. *Tert. Pall.* 3. *de chamaeleonte:* Capitulum statim a dorso: nam deficit cervix; itaque durum reflecti, sed circumspectu emissicii ocelli, imo luminis puncta vertiginant.

VERTĪGĪNOSUS, a, um, adj. σκοτωματικός. *Plin.* 23, 2, 28. Acetum vertiginosis perquam utile.

VERTĪGO, ginis, f. εἴλησις, περιστροφή, conversio in gyrum, versatio, rotatio: a *verto*. *Sen. Q. N.* 5, 13. *med.* Ventus circumactus, et se ipsa vertigine concitans, turbo est. *Ov. Met.* 2, 70. assidua rapitur vertigine coelum; et *ib.* 11, 548. Verum ubi sit nescit: tanta vertigine pontus Fervet. *Plin.* 8, 40, 61. Assidua vertigine rotare aliquem. *Prud. Psych.* 414. Vertigo rotarum. *Lucan.* 6, 460. torti magica vertigine fili, *h. e.* rhombo, turbine circumacto. *Solin.* 11. Creta equestres turmas prima docuit lascivas vertigines implicare. *Pers.* 5, 76. quibus una Quiritem Vertigo facit, *h. e.* e servo liberum. Mos enim fuit in manumittendo per vindictam, alapa servum percutere, deinde dextera ejus apprehensa circumagere, ac suae veluti potestati dimittendo relinquere. ℙ Translate. *Lucan.* 8, 16. Occursu stupuere ducis, vertigine rerum Attoniti. ℙ Morbus est hoc nomine, σκότωμα, quo affectis videntur omnia circumagi, et stare perdificile est. *Liv.* 44, 6. Rupes utrinque ita abscissae sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. *Plin.* 25, 9, 70. Capite et naribus rosaceo perunctis, ne vertigo sentiatur. *Id.* 23, 1. 16. Vertigine laborare. *Id.* 20, 17, 73. Vertigines discutere. *Id.* 36, 21, 40. sedare. *Id.* 23, 1, 21. Prodest paralyticis, tremulis, vertigini, torminibus. *Id.* 20, 15, 57. Cuminum datur ad vertiginem. *Juven.* 6, 303. *de ebriis:* Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis. *Macr. Sat.* 7, 9. Qui ita se vertunt, ut saepe in orbem rotentur, et vertiginem capitis, et obscuritatem patiuntur oculorum. ℙ Est etiam pila versatilis. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *J. Maio*) 3, 86. Impendebat autem sellam istam vertigo quaedam ad modum mundi figurata etc. *F.*]

[VERTĪLĀBUNDUS, a, um, adj. qui hac illac vertitur. *Varr. fragm.* ap. *Non.* 4, 329. Sic ad vos citius opinione vertilabundus miser decidi. Alii leg. *ventilabundus*. *F.*]

[VERTĪLĀGO, inis, f. herba eadem, quae carduus silvaticus. *Appul. Herb.* 109. *F.*]

[VERTĪPĒDIUM, ii, n. ita vocatur herba hierabotane, ap. *Appul. Herb.* 3. *F.*]

VERTO, is, rti, rsum, a. 3. *τρέπω, στρέφω*, in aliam partem converto, torqueo. *Tibull.* 1, 7, 12. Cardine tacito vertere fores. *Prop.* 4, 1, 53. Vertite equum Danai; male vincitis. Ilia tellus Vivet. *Id.* 2, 19, 6. Ille tuus pennas tam cito vertit amor, *h. e.* avolavit. *Virg. A.* 2, 250. Vertitur interea coelum, et ruit Oceano nox. *Caes. B. C.* 3, 51. Pompejani impetum nostrorum non tulerunt; primisque dejectis, reliqui se verterunt, et loco cesserunt. *Cic. Att.* 16, 10. Verti me a Minturnis Arpinum versus. *Plaut. Ps.* 1, 3, 21. Verte hac te, puere. *Liv.* 28, 3. Vertere iter retro. *Hor. Epod.* 2, 51. rhombus, aut scari, Si quos Eois intonata fluctibus Hiems ad hoc vertat mare. *Prop.* 1, 16, 43. Ante tuos quoties verti me, perfida, postes! *Pl. Merc.* 1, 2, 15. Animam nequeo vertere, i. e. spiritum ducere, et emittere. ℙ *Vertere terga*, terga dare, convertere se in fugam. *Caes. B. G.* 3, 21. Confecti vulneribus hostes terga vertere. *Id. B. C.* 3, 63. *extr.* Nostros ex utraque munitione dejectos terga vertere coegerunt. Adde *Liv.* 1, 14. ℙ *Vertere in fugam*, fugare. *Id.* 30, 33 *f.* Ipsos Carthaginiensium equites in fugam verterunt. ℙ Est etiam aro, subigo. *Colum.* 4, 5. Vertere solum bidentibus. *Id.* 3, 13. *med.* Praeruptior collis in quatuor pedes vertendus. *Id.* 11, 2. *med.* Lupinum nisi in florem verteris, nihil agrum stercoraveris, *h. e.* inaraveris, dum floret. *Hor. Sat.* 1, 1, 28. gravem duro terram vertere aratro. *Prop.* 3, 5, 67. patrio bove agros. ℙ Item everto. *Cic. Off.* 1, 24. *med.* Callicratidas cum multa fecisset egregie, vertit ad extremum omnia. *Ov. Met.* 12, 138. Quem super impulsum resupino pectore Cycnum Vi multa vertit, terraeque afflixit Achilles. *Virg. A.* 10, 88. fluxas Phrygiae res vertere fundo. *Hor. Od.* 3, 3, 18. Ilion Fatalis incestusque judex, Et mulier peregrina vertit; et *ib.* 25, 15. Bacchae valentes Proceras manibus vertere fraxinos. Adde *Manil.* 4, 80. [**Taciti* locos collegit *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 487. — Insolentius dictum ap. *Tac.* est *H.* 1, 2. agerent verterent cuncta: ubi idem *Böttich.* l. l. recte monuit, non ideo *ferrent* legendum esse.] ℙ Translate est mutare. *Cic. N. D.* 3, 31. *f.* Terra in aquam se vertit. *Caes. B. C.* 3, 26. *f.* Auster qui per biduum flaverat, in Africum se vertit. *Pl. Truc.* 2, 1, 10. Nos divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos; verterunt se memoriae. *Virg. A.* 12, 891. Verte omnes te te in facies. *Pl. Most.* 1, 3, 61. In anginam nunc me velim verti, ut veneficae illi fauces prehendam. *Prop.* 2, 21, 34. Et decus, et durus vertitur ipse dies; et *ib.* 7, 31. Omnia vertuntur: certe vertuntur amores. *Virg. A.* 1, 241. quae te, genitor, sententia vertit! et *ib.* 10, 34. cur nunc tua quisquam Vertere jussa potest? *Hor. Ep.* 2, 1, 148. saevus apertam In rabiem coepit verti jocus. *Tibull.* 3, 4, 95. Haec Deus in melius crudelia somnia vertat. ℙ *Vertere solum*, sedem ac locum mutare, migrare: quod ab his praesertim fit, qui vitare poenam volunt legibus in patria indictam. *Cic. Dom.* 30. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant. *Juven.* 11, 49. Qui vertere solum (*metu creditorum*), Bajas, et ad Ostia currunt. V. SOLUM, i. ℙ Item transferre ex una in aliam linguam. *Cic. Fin.* 1, 3. Si sic verterem Platonem, ut verterunt nostri poetae fabulas. *Id. Tusc.* 2, 11. *med.* Verti enim multa de Graecis. *Liv.* 25, 39. Annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit. *Pl. Trin. prol.* 19. Philemo scripsit, Plautus vertit barbare. ℙ Ponitur et pro tribuere. *Cic. Fam.* 7, 6. Ne sibi illae vitio verterent, quod abesset a patria. *Liv.* 28, 11. Cum omnium secundorum adversorumque causas in Deos verterent. ℙ Item pro convertere, trahere. *Cic. Div. Verr.* 17. *f.* Ex illa pecunia magnam partem ad se vertit. *Liv.* 3, 72. Vertere litem in rem suam. *Plin.* 15, 4, 5. Usum olei ad luxuriam vertere Graeci. [*Huc pertinet etiam illud: *Tac. Ann.* 2, 64. vertere in se Cotyi data, i. e. sibi vindicare.] *Ter. Hec.* 1, 2. *f.* Dii vertant bene quod agas. [*ℙ Interdum notionem interpretandi vindicat. Ita intelligendum verbum est ap. *Tac. Ann.* 15, 14. ad omnia sui exitus vertebatur.] ℙ *Vertere se aliquo*, confugere, amplecti. *Cic. Phil.* 2, 29. *f.* Haerebat nebulo: quo se verteret, non habebat. *Id. Div.* 2, 72. Superstitio instat, et urget, et quo te cumque verteris, persequitur. *Ter. Hec.* 4, 1, 1. Perii: quid agam? quo me vertam? *Id. Heaut.* 5, 1, 73. Redigam, ut, quo se vertat, nesciat. ℙ Pro versare, h. e. considerare, volvere, agitare, disceptare. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 5, 408. Exercitum more majorum vertere. Ita *Serv. Liv.* 39, 48. Vertebatur, utrum manerent in Achaico concilio Lacedaemonii, an secretum ejus unius in Peloponneso civitatis jus esset. *Pl. Most.* 5, 1, 10. Ubi ego video rem verti in meo foro, etc. ℙ *Verti*, versari, esse. *Id. Merc.* 1, 2, 12. Res in periculo vertitur. *Liv.* 6, 36. In majori discrimine domi res vertebantur. *Pl Most.* 3, 1, 109. Jam homo in mercatura vortitur, i. e. dat mercaturae operam. [* — *Cic. Brut.* 39, 145. In jure, in quo illa causa vertebatur: ubi *Ellendt.* hanc dicendi formam *in jure verti* praecise positum dicit pro *in jure interpretando verti*, i. e. si judicium inde pendeat. *Versari in jure* de ea causa dici, quae jus alideat quo modo attingat, quod necesse, fieri in causis privatis omnibus.] ℙ *Verti in aliqua re*, summam rei in ea esse. *Virg. A.* 10, 528. non hic victoria Teucrum Vertitur. *Liv.* 37, 7. Iter, quod insistis, ego quoque approbo: sed totum id vertitur in voluntate Philippi. *Cic. Verr.* 1, 7. *extr.* Quid judices? non crimina, non testes, non existimationem populi R. sequentur? non: omnia in unius potestate ac moderatione vertentur. *Liv.* 4, 31. In dictatore verti spes civitatis. ℙ Saepe absolute usurpatur, ita tamen ut accusativus *se* facile subintelligatur. *Caes. B. C.* 3, 73. *f.* Detrimentum in bonum verteret. *Liv.* 26, 6. *f.* Ea ludificatio veri et ipsa in verum vertit. *Prop.* 1, 16, 27. O utinam trajecta cava mea vocula rima Percussas dominae vertat in auriculas! *Virg. G.* 3, 365. Et totae solidam in glaciem vertere lacunae. *Tac. Ann.* 11, 37. Verterat pernicies in accusatorem. *Liv.* 5, 49. Jam verterat fortuna; et 38, 26. Si legionum signa ostenterat fortuna; et 38, 26. Si legionum signa ostenderet, versuros extemplo in fugam omnes, ratus. *Id.* 2, 3. Libertatem aliorum in suam vertisse servitutem conquerebantur. [*Ingentem maxime e Tacito collectam exemplorum nubem habet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 486. laudatis simul viris doctis, qui hac de constructione scripserunt.] ℙ *Bene*, aut *male vertere* (subaudi *se*) bene, aut male evenire, succedere. *Pl. Pers.* 4, 1, 5. Si malus est, male res vertunt, quas agit: si autem frugi est, eveniunt frugaliter. *Liv.* 1, 28. Quod bene vertat, castra Albanos Romanis castris junge jubet. *Virg. Ecl.* 10, 6. Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus haedos. *Ter. Adelph.* 2, 1, 37. Minis viginti tu illam emisti: quae res tibi vertat male. ℙ Praeterit. *versi* pro *verti* (unde *versurus* et *versus*) sunt qui leg. ap. *Ov. Pont.* 1, 9, 52. et in gelidos versit amoma rogos. Sed plerique alii *vertit*, aut *vergit*. V. VERGO. ℙ *Vorto* pro *verto* antiquorum est, et comicorum; et ita in familiari sermone dixisse videntur Latini. V. VORTEX.

VERTRAGA. V. VERTAGUS.

VERTUMNALIA seu Vortumnalia, orum, vel ium, n. plur. 2. vel 3. Vertumni festa, quae fiebant mense Octobri. *Varr. L. L.* 5, 3. *med.*

VERTUMNUS et Vortumnus, i, m. Deus apud Romanos, qui in omnigenas se se formas vertebat, ut Proteus apud Graecos. Quidam tradunt, habitum esse Deum, in cujus tutela arborum fructus essent, ceteraque, quae autumni tempore maturescunt: ita dictum, quod anni vertentis poma perciperet. Alii docent, praefuisse rebus contrahendis ac permutandis: dictum autem a *verto*, qua mercatorum verbum est. *Varr. L. L.* 4, 8. Ab eis (*Tuscis*) dictus vicus Tuscus; et ideo ibi Vortumnum stare, quod is Deus Etruriae. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 59. Vertumnus, Deus invertendarum rerum, id est mercaturae. Alii ajunt, fuisse Deum humanarum cogitationum praesidem, ideoque multiformem fingi, et inconstantem, quemadmodum et illae variae sunt et mutabiles: hinc iniquo Vertumno natos esse dici, qui cogitationes suas regere non possint. *Acron.* in illud *Hor. Sat.* 2, 7, 14. Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis. Nec desunt, qui inde Vertumnum dictum putent, quod Tiberim fl. a foro Romano longe verterit. Alii scribunt, quod Curtium lacum in Tiberim averterit. Nam hic lacus fuit, ubi postea forum Romanum. Haec omnia habes ap. *Prop. eleg.* 4, 2. et *Ov. Fast.* 6, 401. et *Met.* 14. a *v.* 623. ℙ Pomonam Nympham fertur adamasse, et ut sibi ejus saltem conspectu frui liceret, in nullas non formas se transmutasse. *Ov. Met.* 14. *cit.* ℙ Simulacrum habuit in foro, in ultimo vico turario, sub basilicae angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem, teste *Ascon.* in illud *Cic. Verr.* 2, 1, 59. Qui a signo Vertumni in Circum maximum venit. *Hor. Ep.* 1, 20, 1. Vertumnum Janumque, liber, spectare videris, *h. e.* forum, et homines, ut ab illis tracteris et legaris. ℙ Vortumni meminit etiam *Colum.* 10, 308., et sic scriptum est etiam in *Inscr.* ap. *Grut.* 96, 3. ℙ Herba heliotropium vocata dicitur etiam vertumnus ap. *Appul. Herb.* 49. ℙ [Sunt qui scrib. *Vertunnus* a *verto* et *annus*. *F.*]

VĔRU, u, n. *ὀβελὸς*, instrumentum ferreum aut ligneum oblongum cuspidatum, cui infiguntur carnes igni torrendae: videtur esse a *πείρω*, transfigo, vel ab *εἴρω*, necto. *Varr. L. L.* 4, 27. *extr.* a *versando* deducit. *Id. ib.* 19. Exta in olla, non in veru coquuntur. *Sen. Thyest.* 1063. gracili trajectas veru Mugire fibras vidi. *Virg. A.* 1, 216. Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt; et *ib.* 5, 103. Subjiciunt veribus prunas, et viscera torrent. *Plin.* 30, 10, 27. Stellio in ligneis verubus inassatus. *Virg. G.* 2, 396. Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis. *Ov. Fast.* 2, 363. sacerdotes verubus transuta salignis Exta parant. *Acc.* ap. *Non.* 3, 121. Concoquit partem vapore flammae: tribuit verubus lacerta in focos. ℙ A similitudine sic dicitur brevis hasta, aut jaculum, aut gladius tenuis. *Virg. A.* 7, 665. Et tereti pugnant mucrone, veruque Sabello. Quidam ap. *Serv.* hic volunt pilum significari: sed pilum est jaculum grave. *Tibull.* 1, 7, 55. Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus. *Sidon. carm.* 5, 413. equo ruit aclide fossus Ille, veruque alius. ℙ De columellis etiam vel ferreis vel lapideis, quibus muniebantur sepulcra, et arae Deorum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 681. *n.* 85. Haec area intra hanc definitionem cipporum clausa verubus, etc. ℙ De obelo, quo notantur loca dubia in libris. *Hieron. ep.* 106. *n.* 7. Ubi autem quod in Hebraeo non est, in Graecis codicibus invenitur, obelon, id est jacentem praeposuit virgulam, quam nos Latine veru possumus dicere; quo ostenditur, jugulandum esse et confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur. Hinc *August. C. D.* 18, 43. *med.* Quae non habent Hebraei, habent autem Septuaginta, ad capita versuum jacentibus virgulis, sicut scribuntur unciae, signaverunt. ℙ *Verua* in plur. dici negat *Charis.* 1, 59. et 118., admittit *Prisc.* 5, 672., at genitivum *veruum* ait non esse in usu. *Scrib.* tamen *Comp.* 16. *f.* Praeterea habeat in brachio verua eborea, *h. e.* verucula ex ebore: *Fest.* in *Veruta:* Veruta pila dicuntur, quod veluti verua habent praefixa. ℙ Paenultima in dativo plur. modo per *i* legitur, modo per *u*, ut posuimus. *Pier.* ad *cit.* 1. et *A.* 5. praefert *i*. Neque enim amphibologiam parit, ut in *artubus*, *arcubus*, *partubus*, quae ita efferuntur, quia *artibus*, *arcibus*, *partibus* aliud significant. Plura habes ap. *Voss. de Grammat.* 4, 18. ℙ *Verum* in recto sing. dixit *Pl. Rud.* 5, 2, 15. et 17.

[VERVA, ae, f. lapideum caput vervecis, quod olim, ut etiamnum fieri solet, in aedificiorum zophoris insculpebatur. *Inscr.* optimae notae, Patavii reperta ann. MDCXCVI., quaeque ibidem exstat, mendosa ap. *Fabr.* p. 485. *n.* 160. M. Junius Sabinus IIII. Vir aediliciae potestat. e lege Julia municipali patronus collegi centonariorum frontem templi vervis et hermis marmoreis pecunia sua ornavit, et tuition. dedit HS. ∞ ∞ N. CCXXXXII. *F.*]

VERVACTOR, oris, m. qui vervagit. V. IMPORCITOR.

VERVACTUM, i, n. *νέατος, νεάτη*, ager vere proscissus, deindeque quiescens usque ad sequentem autumnum, quo sementis fit: quasi *vere actum:* cui opponitur ager *restibilis*. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Quidam utique ab aequinoctio verno proscindi volunt. Quod vere semel aratum est, a temporis argumento vervactum vocatur. Hoc in novali aeque necessarium est. *Varr. R. R.* 1, 44. Illud quoque multum interest in rudi terra, an in ea seras, quae quotannis obsita sit, quae vocatur restibilis; an in vervacto, quae interdum requierit. *Colum.* 11, 2. *med.* Quae mense Januario vervacta fecimus, nunc ultima parte Martii sunt iteranda. Ex his *Colum.* verbis sunt qui notationem *Plinii* improbant modo allatam: quia mensis Januarius ad ver non pertinet. Sed dici potest *Plinium* posuisse *ver* lata significatione pro initio anni, quo labores suos resumunt agricolae. *Vervactum* habet etiam *Cato R. R.* 27. et *Pall.* 4, 2. Ap. *Colum.* 2, 10. bis legitur *vervactum* in quibusdam editionibus, sed ibi legendum esse *veteretum*, ad hanc vocem monebimus.

VERVĂGO, is, egi, actum, a. 3. vere ago, seu vere terram verto, proscindo, subigo. *Colum.* 11, 2. *in.* Agri uliginosi, et mediocris habitus sub aestate vervagendi sunt: macerrimi vero, et aridi post aestatem primo autumno arandi.

[VERVASSES, ium, m. plur. incolae pagi, qui nunc dicitur *Vervò*, vallis Anauniae, nunc *Valle di Non*, in ditione Tridentina. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 91, 3. DIs Deabusque omnibus pro salute Casellanorum Vervassium, etc. *F.*]

VĔRŬCŬLĀTUS, a, um, adj. veruculo instructus, ut *Veruculatae falces* sunt, quae Graece *δορυδρέπανα*, Italice *falci da lungo manico* appellantur; veruculo enim seu hastili sunt munitae, quibus vulgo utuntur non foeniseces modo, sed etiam avenae et brevioris cujuscumque culmi messores, qui praeterea in frumentacea messe rastellum quoddam, sive pectinem adjunctum habent falci, cujus ope ita sternunt ordinate culmos, quasi manu comprehensos manipulos deposuissent. *Colum.* 2, 21. Multi falcibus veruculatis, atque iis vel rostratis vel denticulatis, medium culmum secant. Alii perperam leg. *verriculatis*, alii *vericulatis*.

VĔRŬCŬLUM, i, n. *ὀβελίσκος*, exiguum veru. Speciatim sic dicitur instrumentum ferreum, quo metallorum expurgatores spumam eximunt a reliqua materia. *Plin.* 33, 6, 35. Spuma e superiori catino defluens in inferiorem, et ex eo sublata veruculis ferreis, atque in ipsa flamma convoluta veruculo, ut sit modici ponderis. Alii leg. *vericulum:* ut a *genu geniculum*, ab *artu articulus*, a *vultu vulticulus*. ℙ [*Veruculum* est etiam genus instrumenti missilis, quo utebantur milites. *Veg. Mil.* 2, 15. Aliud missile minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum semis, quod tunc veruculum, nunc verutum dicitur. Alii pro *veruculum* leg. *vericulum*. *F.*]

VERVĒCĒUS et Vervecius, a, um, adj. factus ad similitudinem vervecis, ut Verveceus Juppiter, ap. *Arnob.* 5, 171. h. e. Jovis signum vervecis forma cultum sub Ammonis nomine. ℙ [*Vervecius* est

etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1013, 3. Q. Sollonius Vervecius. *F.*[

VERVĒCINUS, a, um, adj. qui ex vervece est. *Lampr. Com.* 1. Vervecina pellis. *Arnob.* 5, 157. Capite vervecino, an suillo. ℙ [*Vervecina, ae*, absolute. V. VERVINUS. *F.*]

VERVEX, ēcis, m. *χοιὸς ἐκτεταμένος*, mas inter oves, cui inversi, sive adempti sunt testiculi. Nam qui ad generandam sobolem integer tenetur, *aries* dicitur. *Varr. L. L.* 4, 19. Is, cui (ovi mari) testiculi dempti, ideo, ut natura versa, vervex declinatur. *Cic. Leg.* 2, 22. Quod genus sacrificii Lare vervecibus fiat. *Pl. Capt.* 4, 2, 40. Qui petroni nomen indunt verveci sectario. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 927. ℙ Translate dicitur de homine stupido, stolido, ignavo. *Juven.* 10, 50. Vervecum in patria, crassoque ab aere nasci. *Pl. Merc.* 3, 3, 6. Itane vero, vervex, intro eas? *Sen. Const. Sap.* 17. Chrysippus ait, quendam indignatum, quod illum aliquis vervecem marinum dixerat.

VĒRŪĪNA, ae, f. idem ac verutum, a *veru*. Unde patet, vocem eam quatuor, non tribus syllabis enuntiari debere. *Fulg. de prisco serm. n.* 33. Veruina jaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Gavius Bassus in Satyris: Veruina confodiende, non te nauci facio. Plautus Bacchid. (4, 8, 46.) Si tibi est machaera, et nobis veruina est domi, qua quidem te faciam, si tu me irritaveris, confossiorem soricina naenia.

[VERVĪNUS, a, um, adj. ad vervecem pertinens. *Vervina ae*, absolute, est caro vervecis, ut porcina porci. *Not. Tir.* p. 175. Vervex, vervina, vervecina. *F.*]

[VĒRŪLA, ae, f. dimin. a *veru*. Ap. *Ducang.* in *Glossar. med. et inf. Latinit.* est parva cochlea, *vite* Italice. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1459, 5. Eppia Q. F. Verula. *F.*]

[VERŪLĀNUS, a, um, adj. ad Verulas pertinens, Hernicorum in Italia urbem, nunc *Veroli*, cujus mentio ap. *Flor.* 1, 11. est: *Verulanus populus* ap. *Liv.* 9, 42. et 43. *Verulani, orum*, absolute, illius urbis incolae ap. *Plin.* 3, 5, 9. *F.*]

VĒRUM, adv. *μάλιστα, ἀληθῶς*, vere, vero: et usurpatur in responsionibus affirmando. *Ter. Heaut.* 5, 3, 11. Facies? *Ch.* Verum. *Id. Adelph.* 4, 2, 4. Men' quaeris? *Sy.* Verum. *Id. Eun.* 2, 3, 54. Comites secuti scilicet sunt virginem? *Ch.* Verum: parasitus cum ancilla. ℙ Saepius est conjunctio adversativa, et significat sed, *ἀλλὰ, ἀτὰρ, δέ*. *Cic. Mur.* 29. Ea sunt omnia, non a natura, verum a magistro. *Id. Phil.* 5, 12. Exspectabantur, calendis Jan., fortasse non recte. Verum praeterita omittamus. *Id. Coel.* 19. Non modo agendo, verum etiam cogitando. *Just.* 21, 6. Non ingrato tantum, verum etiam invido et crudeli animo. ℙ *Verum enimvero* majorem habet adversandi vim, quam *verum* solum. *Liv.* 4, 4. Nemo invitum pactionem nuptialem quemquam facere coegisset: verum enimvero lege id prohiberi, id demum contumeliosum est. Adde *Cic. Verr.* 2, 3, 74. et *Sall. Cat.* 21. ℙ *Verum enim* idem fere significat, quod *verum. Ter. Ad.* 2, 1, 47. Verum enim, quando bene promeruit, fiat; et *Cic. Or.* 3, 14. *med.* Verum enim oratori omnia quaesita, aupita, lecta, tractata esse debent, *h. e.* sed enim: vel pro *enimvero* positum est. ℙ *Verum vero* idem est quod *verum enim. Cato* ap. *Gell.* 13, 17. Verum vero inter offam, atque herbam ibi vero longum intervallum est. *Pall. Curc. a.* 3. *v.* 5. Verum hercle vero cum belle recogito, etc.

VĒRUM, i, n. veru. V. VERU.

VĒRUMTĂMEN et Veruntamen, adv. *οὐ μὴν δή, οὐ μὴν οὔτε*, sed tamen. *Cic. Verr.* 2, 5, 39. Consilium capit primo stultum, veruntamen clemens. *Id. Fam.* 12, 30. Non dubitabam equidem, veruntamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Chaerippus. *Id. Verr.* 2, 2, 41. *f.* Mala et improba defensione, verum aliqua tamen uti videretur. *Ov. Met.* 9, 464. Verumtamen aestuat intus. ℙ Ad resumendam orationem post interclusionem. *Cic. Att.* 1, 10. Cum essem in Tusculano (erit hoc tibi pro illo tuo, Cum essem in Ceramico); verumtamen cum ibi essem, etc. Etiam *sed* eodem hoc modo adhibetur. V. SED.

*VERŪNI, orum, populi Galliae Belgicae. *Plin.* 4, 17. Sueconi, Suessiones, Veruni liberi, Ulbanectes liberi. Sic ed. *Basil.* 1530. *Harduinus* legit *S. S. liberi, Ulmanetes liberi.* ℙ Eorum caput Vironum. *Tab. Peut. B. A.*

VĒRUS, a, um, adj. *ἀληθής*, sincerus, solidus, germanus, certus, non fucatus, non simulatus, non adumbratus. *Ter. Andr.* 5, 4, 19. Quae dico, vera, an falsa audieris, jam sciri potest. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Verus et germanus Metellus. *Id. Off.* 2, 5, *med.* Perspicere, quid in quaque re verum sincerumque sit. *Id. Phil.* 5, 18. Vera, gravis, solida gloria. *Ter. Eun.* 2, 3, 26. Color verus, corpus solidum, et succi plenum. Ubi *Donat.* quia non de cura est, ac de fuco. *Id. Andr.* 5, 1, 19. Cum Davo vidi jurgantem ancillam vero vultu. *Hor. Od.* 3, 5, 29. Vera virtus. *Id. Ep.* 1, 17, 51. Veri dolores. *Id. Od.* 1, 37, 15. timores. *Id. A. P.* 425. Noscere mendacem et verum amicum. *Prop.* 2, 7, 55. veris gaudebat Graecia natis, *h. e.* legitimis, non adulterinis. [*Adde *Suet. Cal.* 19. in verum nepotem proniori. Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Heaut.* 5, 2, 36.] *Mart.* 6, 30. Vis dicam tibi veriora veris? et 8, 76. Vero verius ergo quid sit, audi. *Cic. Acad.* 4, 4. Causa mihi videtur esse verissima. ℙ *Verum, i*, veritas. *Cic. Acad.* 4, 20. Qui enim possum non cupere verum invenire, cum gaudeam, si simile veri quid invenerim? et *ib.* 11. *f.* A vero longissime abesse. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Si verum fateri volumus. *Id. Att.* 12, 41. *f.* Si verum scire vis. *Id. Q. Fr.* 2, 16. *f.* Dic mihi verum: num aut res eum, aut *χαρακτὴρ* non delectat? *Id. Or.* 34. *f.* Res facit controversiam aut de vero, aut de recto, aut de nomine; et *Ov. Trist.* 5, 6, 27. Nec procul a vero est, quod, etc. *Id. Fast.* 2, 859. Ex vero positum permansit Equiria nomen. *Lactant.* 1, 11. Illud in vero est, quod, etc. *h. e.* illud verum est. *Pers.* 1, 107. teneras aures mordaci radere vero, *h. e.* veritate libera, acri, pungenti. ℙ *Verum est*, justum, aequum est. *Caes. B. G.* 4, 8. Neque verum est, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare. *Cic. Dom.* 8. *extr.* Negas, esse verum, quemquam ulli reipublicae extra ordinem praefici. *Id. Mur.* 35. *med.* Negat verum esse, allici benevolentiam cibo. *Liv.* 2, 48. Verum est, agrum habere eos, quorum sanguine, ac sudore partus sit. *Id.* 35, 8. Verius esse Ti. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato. *Hor. Ep.* 1, 7, 98. Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est. *Virg. A.* 12, 694. Quaecumque est Fortuna, mea est: me verius unum Pro vobis foedus luere, et decernere ferro. Plura addi possent testimonia scriptorum, praesertim *Livii*, in quibus sicubi *aequum* legitur, fere interpretatio v. *verum* censeri debet. Veteres enim *verum* dicebant, quod rectum et bonum esset, ut *Serv.* ad *Virg. l. c.* docet. *Sall. fragm. ib.* Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus. *Cic. Leg.* 3, 15. Cum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est obsisti posse populo, negatur; et *ib.* 2, 4. *extr.* Lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis; et *ib.* 5. Assentior, frater, ut quod est rectum, verum quoque sit. — [*Notandum hic etiam constructionis genus, quo post *verum est* non infin. c. accus., sed *ut* sequitur. *Nep. Hann.* 1, 1. Si verum est, — ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit: ubi v. *Brem.* — Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 623. p. 488. ℙ *Verum* significat etiam id, quod oppositum est rebus fictis, simulatis, nostr. *Wirklichkeit.* Ita recte expl. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 3, 97. Quis paria esse fere placuit peccata, laborant, cum ventum ad verum est. Saepissime ita *Veritas* usurpatur. Plura hac de re si cupias, lege *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 27. 149. 218. *ed. Fr.*, ubi laudantur viri docti, quorum cura hoc dicendi genus uberius expositum.] ℙ Aliquando *verus* est, qui vera dicit, veridicus, verax, candidus. *Ter. Andr.* 2, 5, 12. Sum verus? *Ov. Her.* 16, 123. Vera fuit vates: dictos invenimus ignes. *Id. Met.* 10, 209. Talia dum vero memorantur Apollinis ore. *Plin. ep.* 2, 9. *med.* Habet avunculum C. Septicium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. *Id. ep.* 4, 22. Quo viro nihil firmius, nihil verius. *Id. ep.* 9, 25. Post judicium tuum viri gravissimi, eruditissimi, ac super ista verissimi. *Hirt.* in *epist. praefixa l.* 8. *B. G. f.* Erat autem in Caesare cum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima suorum scientia consiliorum explicandorum. ℙ [*Verus* est etiam cogn. R., ut L. Aelius Aurelius Verus, L. Aelii Caesaris filius, qui una cum M. Aurelio Antonino imperavit, cujusque mentio frequens est in nummis et lapidibus vetustis. *F.*] ℙ [*Confund. *verum* et *venturum*. V. *Brem.* ad *Suet. Tit.* 9.]

VĒRŪTUM, i, n. *σαύνιον, ὀβελὸς*, genus jaculi, id est hastile, quod veru praefixum habet, et etiam *veru* dicitur. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 16. Axibus eminebant in modum ericii militaris veruta binum pedum. *Sil.* 3, 363. tenui pugnax instare veruto. *Caes. B. G.* 5, 43. Transfigitur scutum Pulfioni, et verutum in balteo defigitur. *Virg. G.* 2, 168. Assuetumque malo Ligurem, Volscosque veruto. Alii leg. *verutos*, h. e. veru armatos, ut sit adjectivum. Sic *Grat. Cyn.* 110. tum stricta verutis Dentibus, et geminas subiere hastilia furcas, mucronibus oblongis, et instar veru prominentibus, additaeque furcae geminae, quibus duplex feris vulnus inferri posset. *Festus:* Veruta pila dicuntur, quod veluti verua habent praefixa, Enn. l. 10. . . . cursus quingentos saepe veruti. ℙ Verutum militare sui temporis definit *Veg. Mil.* 2, 15., cujus *loc. cit.* V. in VERUCULUM.

VĒRŪTUS, a, um. V. in v. praec.

VĒSĂNĬA, ae, f. *παραφροσύνη, μανία*, vecordia, amentia, stultitia. *Hor. Sat.* 2, 3, 174. Extimui, ne vos ageret vesania discors. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 26. Ulysses simulata vesania bovem cum equo jungens.

VĒSĂNĬENS, entis, part. ab inusit. *vesanio:* insaniens, furens. *Catull.* 25, 13. velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

VĒSĂNUS, a, um, adj. *παράφρων*, male sanus, insanus, demens: a *ve* particula minuente, et *sanus. Cic. Dom.* 2. Illud a te, homine vesano ac furioso, requiro, quae te tanta poena scelerum tuorum vexet, ut, etc. et *ib.* 21. Haec furiosa vis vesani tribuni pleb. facile superari frangique potuit. *Lucan.* 8, 401. epulis vesana, meroque Regia. *Liv.* 7, 33. *f.* Oculos sibi Romanorum ardere visos ajebant, vesanosque vultus, et furentia ora, *h. e.* turbatos, torvos, terribiles, quales dementium esse solent. *Id.* 9, 13. Omnia ira militaris prope vesano impetu egit. *Ov. Am.* 1, 7, 25. In mea vesanas habui dispendia vires. *Prop.* 2, 7, 48. Candida vesana verberat ora manu. *Manil.* 5, 543. Vesanum mare, *h. e.* furentibus ventis agitatum. Sic *Prop.* 1, 8, 5. vesani murmura ponti; et *Virg. Ecl.* 9, 43. insani feriant sine litora fluctus. ℙ Metonymice. *Id. A.* 9, 340. vesana fames, *h. e.* malesuada, et vesanos faciens. *Catull.* 100, 7. Cum vesana meas torreret flamma medullas.

VESBĪNUS. V. VESVINUS.

VESBĪUS. V. VESVIUS.

*VESCELĪA, ae, oppidum Hispaniae. *Liv.* 35, 22. *B. A.*

*VESCELLĀNI, orum, populi Italiae inferioris, a Vescella quodam oppido sic dicto nomen forte trahentes. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

[VESCĪNUS, a, um, adj. ad Vesciam pertinens, excisam Ausoniae urbem, ad sinistram Liris fluv., prope Sinuessam, de qua ap. *Liv.* 8, 11. mentio est. *Id.* 10: 21. Placuit, ut duae coloniae circa Vescinum, et Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii, quae Minturnae appellata, altera in saltu Vescino Falernum contingente agrum, ubi Sinope dicitur Graeca urbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis appellata. *Plin.* 11, 42, 97. Proximus urbi Vescinus caseus, isque e Caedicio campo laudatissimus. *Mart.* 14, 31., cujus lemma *Caseus Vescinus.* Si sine carne voles jentacula sumere frugi, Haec tibi Vescino de grege massa venit. *Lucan.* 2, 425. de Liri. Vescinus impulsus aquis. Ap. *Plin., Mart., Lucan. l. c.* vulgo perperam legitur *Vestinus* pro *Vescinus. F.*]

*VESCITANĬA, ae, f. regio Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, in qua Osca urbs. *Plin.* 3. *B. A.*

VESCOR, eris, dep. 3. *σιτοῦμαι*, cibo utor, comedo, pascor. *Sall. Cat.* 13. Vescendi causa terra marique omnia exquirere. *Id. Jug.* 94. *f.* Numidae plerumque lacte, et ferina carne vescuntur. *Cic. N. D.* 2, 23. Dii nec escis, nec potionibus vescuntur. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus ex hominum manu vescens, praebensque se tractandum. [*Absolute positum legitur v. *vescendi* etiam ap. *Tac. A.* 1, 49. Quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat. Adde *Liv.* 9, 30. restitutumque in aede vescendi jus iis, qui sacris praecinerent. *Suet. Aug.* 76. vescebatur et ante coenam. *Dom.* 4. initium vescendi primus fecit: coll *Cal.* 18. et *Claud.* 32.] ℙ Cum accus. *Acc.* ap. *Non.* 4, 478. Aut eandem vescatur dapem. *Plin.* 8, 50, 76. Si caprinum jecur vescantur. *Tac. Agr.* 28. Ut infirmissimos suorum sorte ductos vescerentur. *Phaedr.* 1, 31. Illae *(columbae)* credentes, tradunt sese miluo, Qui regnum adeptus coepit vesci singulas. *Tibull.* 2, 5, 63, sic usque sacras innoxia lauros Vescar. ℙ Part. *vescendus* passive. *Cic. N. D.* 2, 64, Qua pecude, quia erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. *Plin.* 20, 5, 20. Caepas coctas dysentericis vescendas dedere. *Id.* 21, 16, 56. Radix ejus vescendo est decocta. ℙ *Vescendi causa*, alimentorum causa. Phrasis est JCtorum, *Ulp. Dig.* 28, 8, 7. et *ib.* 37, 10, 5. et *Labeon. ib.* 36, 4, 14. ℙ Per catachresin est uti, frui. *Lucr.* 5, 855. vesci vitalibus auris. *Virg. A.* 1, 550. si vescitur aura Aetheria. *Cic. Fin.* 5, 20. *med.* Si gerendis negotiis orbatus possit paratissimis vesci voluptatibus. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Qui viget, vescatur armis, ut percipiat praemium. *Id. ib.* Fugimus, qui arce hac vescimur. *Acc. ib.* Num pariter videor patris vesci praemiis? *Lucr.* 5, 73. Quove modo genus humanum variante loquela Coeperit inter se vesci per nomina rerum. ℙ Pro haurire oculis, visu usurpare, videre. *Acc.* ap. *Non. l. c.* Priusquam infans esses, facinus oculi vescuntur tui. Ita leg. *Lips.* et *Turneb.* V. INFANS. ℙ *Vesco* positione activa. *Tertull. Jejun.* 5. ex *Num.* 11, 4. Quis nos vescet carne? *Vulgata* habet: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? *Isid. Or.* 20, 2. Pulpa dicta, quod cum pulte olim mixta vescebatur.

VESCŬLUS, a, um, adj. diminut. vesci, *λεπτὸς, ἰσχνὸς, μονόγραμμος*, aliquantum gracilis, macilentus, male curatus. *Fest.* Vesculi, male curati, et graciles homines. Ve enim syllabam rei parvae praeponebant, unde Vejovem parvum Jovem, et vegrandem fabam, minutam dicebant. Haec *Festus.*

VESCUS, a, um, adj. ex *ve* et *esca* conflatum, ambiguam habet significationem, ut ait *Gell.* 5, 12. et 16, 5. Aliter enim, inquit, Lucretius (1, 326.) vescum salem dicit, ex edendi intentione; aliter Lucilius (ap. *Non.* 2, 904.) vescum appellat cum edendi fastidio. Haec *Gell.* Sic *Paul.* ex *Festo:* Vescus, fastidiosus: ve enim pro pusillo utebantur. Lucretius vescum dixit edacem, cum ait, etc. Itaque modo significat edacem. *Lucr. l. c.* Nec mare

quae impendent vesco sale saxa peresa. ℙ Et modo edendi fastidio laborantem: atque adeo minutum, gracilem, parvum: quia qui cibum fastidit, junceus, macer, exilisque fit. *Gloss. Philox.* Vescus, ὀλιγόσιτος. *Lucil. l. c.* Quam fastidiosum ac vescum cum fastidio edendi vivere. *Plin.* 7, 20, 19. Corpore vesco, sed eximiis viribus Tritannus in gladiatorio ludo. *Afran.* ap. *Non. ib.* At puer est vescis imbecillus viribus. *Ov. Fast.* 3, 445. vegrandia farra coloni, Quae male creverunt, vescaque, parva vocant. Huc trahit *Servius* illud *Virg. G.* 3, 175. Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem, *h. e.* siccas et teneras, inquit *Servius*, ubi pro *siccas* quidam putant legendum *vietas*. Addit *Servius*, et telas aranearum *vescas* vocari. At in illo ejusdem 4, 131. verbenasque premens, vescumque papaver, *vescum* interpretatur edule: quo sensu etiam *vescae frondes* intelligi posse videntur. [*Longe aliam hujus vocis derivationem habet *Doederl.* 4, 167. sq. Nempe ut *vascus* a *vacare*, ita a *vagari* deducendum putat *vescus*, ita ut proprie vagum, id quod vacillat, significet. Unde etiam longe aliam eorum locorum, quos Noster laudavit atque exposuit, interpretationem dedit, quam v. ap. ipsum.]

*VESENTĪNI, orum, populi Hetruriae, quorum caput Vesentium vel Visentium, nunc *Bisentio*. *Plin.* 3, 5. ℙ *Visentini* dicti in *Vet. lap. ibi reperto:* Virtuti Visent. Sacr. *B. A.*

*VESERIS, is, Campaniae fluvius. *Cic. de Off.* 3, 31. *extr.* et *de Fin.* 1, 7. *Liv.* 8. *extr. Val. Max.* 7, 4. et imprimis *Aur. Vict. de vir. illustr.* 26. et 28., ubi *fluvius* plane audit. ℙ Item locus in Campania, sub monte Vesuvio. Sunt qui de eo intelligunt exempla ex *Cic.*, *Liv.* et *Val. Max.* supra allata. *B. A.*

VĔSĔVUS, i, m. Vesuvius ap. poetas. *Val. Fl.* 4, 507. praerupti tonuit cum forte Vesevi Hesperiae letalis apex. *Stat. Silv.* 4, 8, 5. insani solatur damna Vesevi. ℙ Adjective. *Virg. G.* 2, 224. Capua, et vicina Vesevo Ora jugo. Adde *Claud. Rapt. Pros.* 3, 184. ℙ Etiam *Suetonius* historicus *Vesevum* dixit, *Tit.* et *Vit. Plinii* 8. ℙ Dicitur primam producere *Sil.* 12, 152. Monstrantur Veseva juga, atque in vertice summo Depasti flammis scopuli. Sed meliores critici *Vesvina*, vel *Vesbina* legunt. Produxit sine dubio *Paul. Nol. carm.* 26, 541., ubi et *Besevus* legitur ex affinitate litterarum B, et V. ℙ *Servius* ad *l. Virg. c.* in §. 2. Vesevum diversum putat a Vesuvio: illum esse in Liguria, hunc in Campania. Sed fallitur: nam in Liguria est *Vesulus*, non *Vesevus*.

*VESI, orum, *Sidon. carm.* 7, 399. ℙ Singularem *Vesus* habet *Id. carm.* 5, 476. et *carm.* 7, 131. *B. A.*

VĔSĪCA, ae, f. κύστις, κύστη, urinae receptaculum in corporo animalis: folliculus, in quo urina colligitur infra alvum a priore parte. *Cic. Fin.* 2, 30. Tanti autem morbi aderant vesicae, et viscerum. *Hor. Sat.* 1, 8, 46. diplosa sonat quantum vesica, pepedi. *Appul. Met.* 1. Vesicam exonerare. *Plin.* 30, 8, 21. Vesicae difficultates. ℙ Ponitur et pro muliebri inguine. *Juven.* 1, 38. qui testamenta merentur Noctibus in coelum quos evehit optima summi Nunc via processus, vetulae vesica beatae. Adde 6, 64. ℙ Item pro podice. *Pl. Cas.* 2, 8, 21. Ecfodere hercle hic volt credo vesicam villico. ℙ Et pro pelle vesicae tenui et pellucida. *Mart.* 14, 62., cujus lemma *Laterna ex vesica:* Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me Vesicam, contra qui venit, esse putat? *Id.* 8, 33. Fortior intortos servat vesica capillos: scil. qua utebantur natantes, ne capilli madefierent. *Plin.* 33, 7, 40. Qui minium poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne in respirando pernicialem pulverem trahant. ℙ Et pro crumena ex vesica. *Varr. R. R.* 3, 17. Illae autem piscinae nobilium magis ad oculos pertinent, quam ad vesicam, et potius marsupium domini exinaniunt, quam implent. ℙ Et pro tumore instar vesicae. *Plin.* 20, 6, 23. Allium illinitur attritis corporum partibus, vel si in vesicas intumuerint. ℙ Translate. *Mart.* 4, 49. A nostris procul est omnis vesica libellis: Musa nec insano syrmate nostra tumet. ℙ [*Vesica queritur*, proverbium est, quo significatur illud, quod Itali dicunt *sompisciarsi dalle risa*. Utitur eodem *Tert. Apol.* 48. At enim Christianus si de homine hominem, ipsumque de Cajo Cajum reducem repromittat, statim illic vesica queritur, *h. e.* quisque sibi manu vesicam premit, ut solent pueri, qui mingendi necessitatem ulterius ferre nequeant. *F.*]

VĔSĪCĀRĬA, ae, f. ἁλικάκαβος, herba quae vesicae medetur. *Plin.* 21, 31, 105. de strychno: Halicacabum vocant, et alii callion: nostri autem vesicariam, quoniam vesicae, et calculis prosit.

VĔSĪCĀRĬUS, a, um, adj. ad vesicam pertinens, ut Vesicaria aqua in Tuscia, *Marc. Emp.* 26. *in.* quae scilicet vesicae medetur. [*Adde *Scribon.* 146.]

[VĔSĪCO, as, avi, n. 1. in vesicam excresco. *Theod. Prisc.* 1, 28. Quibus vero perniones jam vesicaverint, raphanos tundes, et ex eorum succo bene proderunt linimenta. *F.*]

VĔSĪCŬLA, ae, f. κυστίδιον, parva vesica. *Lucret.* 6, 129. cum plena animae vesicula parva Saepe ita dat pariter sonitum displosa repente. ℙ In herita dat pariter sonitum displosa repente. ℙ In herbis quibusdam vesiculae dicuntur folliculi, quibus semen includitur. *Cic. Div.* 2, 14. Et pulejum arisemen includitur. *Cic. Div.* 2, 14. Et pulejum arisemen includitur. *Cic. Div.* 2, 14. Et pulejum arisem

nunc respondeo vespertinis. *Id. Phil.* 3, 10. Vespertina senatusconsulta. *Plin.* 30, 10, 24. Qui a nocturnis Diis agitentur, draconis felle perunctos matutinis vespertinisque liberari: *subaudi* horis. *Id* 8, 50, 76. Si caprinum jecur vescatur, restitui vespertinam aciem his, quos nyctalopas vocant, *h. e.* quae vesperi minus videt. ℙ *Vespertinus*, qui vesperi aliquid facit. *Hor. Ep.* 16, 51. Nec vespertinus circumgemit ursus ovile. *Id. Sat.* 2, 4, 17. Si vespertinus subito te oppresserit hospes. *Id. ib.* 1, 6, 113. Fallacem circum, vespertinumque pererro Saepe forum, *h. e.* homines vesperi in forum convenientes. *Prud. Psych.* 374. Angelicusne cibus prima in tentoria vestris Fluxit avis? quem nunc sero feliciter aevo Vespertinus edit populus de corpore Christi, *h. e.* qui tarde et post Hebraeos veri Dei religionem suscepit. ℙ Item ad vesperum situs. *Hor. Sat.* 1, 4, 29. Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio.

VESPĔRUGO, inis, f. Ἑσπέρος, stella eadem quae Vesper, Hesperus, Lucifer, Venus. Ex *Quint.* 1, 7. videtur *vesperu* antiquitus pro *vesperi* scriptum fuisse, deinde *g* adjecta factum *vesperug*, mox *vesperugo*. *Vitr.* 9, 4. *med.* Veneris stella, post occasum solis apparens in coelo, Vesperugo vocitatur, aliis aut temporibus eum antecurrens, et oriens ante lucem Lucifer appellatur. *Pl. Amph.* 1, 1, 119. Nec Jugula, neque Vesperugo, neque Vergiliae occidunt. ℙ Usurpatur etiam pro vespertilione. *Tert. Anim.* 32. Item contraria lumini, quae caeca in totum, vel solis tenebris habent oculos, talpas, vesperugines, noctuas.

VESPĔRUS. V. VESPER.

VESPĪCES dicuntur fruteta densa a similitudine vestis. *Paul.* ap. *Fest.*

VESPILLO, onis, m. *νεκροθάπτης*, qui pauperiorum cadavera effert: a *vespere*, ut in VESPA dictum est. *Mart.* 1, 48. Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus. Quod vespillo facit, fecerat et medicus. *Suet. Dom.* 17. *f.* Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum. V. BAJULUS. ℙ *Vespillo* per jocum cognominatus est Lucretius aedilis (ejusque posteri *Vespillones*), quod Ti. Gracchi in turba occisi cadaver sua manu in Tiberim impulit, et sepultura privavit. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 64. *ℙ Cum non satis honestum putaretur hoc officium per se, tum infamatum nomen est, quod illud etiam tribueretur effossoribus sepulcrorum, et furibus rerum sepultarum. *Fulgent. de prisc. serm. n.* 2. Vespillones dicti sunt bajuli. Quamvis Antidamus Heracleopolites vispellones dixerit cadaverum nudatores, sicut in historia Alexandri Magni scripsit: *Plusquam trecentos cadaverum vispillones reperiens crucibus affixit:* Mnaseas tamen tertio Europae libro scripsit: *Appollinem, postquam a Jove ictus atque interfectus est, a vispillonibus ad sepulturam elatum esse.* Haec *Fulgentius.* Videntur igitur hoc nomen amaro quodam lusu accepisse, quod est ipsi *vesperi* circa sepulcra versarentur. *Vet. Gloss. Gr. Lat. Τυμβωρύχος*, sepulcri violator, vispiliator. Ut igitur maximum et servile convicium est apud Graecos *τυμβωρύχος* s. effossor sepulcrorum, sic inter servilia dedecora a JCtis referri videas *vespillonem:* quamquam vox varie in MSS. corrupta est. Dabimus loca, ut a *Gothofredo* edita sunt. *Ulp.* 31. de eviction. Si ita quis stipulanti spondeat, Sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse etc. *Maecianus l. 7. ad SC. Trebellian.* Sed et salutis ac dignitatis ratio habenda erit. Quid enim si morbo applicitus Alexandriae jussus fuit adire *(haereditatem)* vel nomen vispellionis testatoris ferre? Igitur adeo infamis *(Gesnerum* cito) *vispellio*, ut aliquis salva dignitate, etiam haeres ab eo scriptus, non possit nomen illius ferre, qui *vispellio* s. *vespillo* fuerit. Tandem *Marcellus* 72, 5. De solutionibus, Num ergo si bispellionem, aut alias turpem dederit hominem, idem sit? In his itaque locis (pergit *Gesnerus)* omnibus satius est *vespillonem τυμβωρύχον* accipere, quam *bispellem* vel *bipellionem* comminisci, qui sit idem, qui *versipellis* s. *λυκάνθρωπος*. Affinis huic est opinio *Fr. Junii* ad *Tert. de Pallio* 4. p. 15. qui *bispelliones* vel *bispellones* dictos putat a *binis palliis*, quod lugubrem vestem suae superinjicerent. *Vet. Gloss.* Bispelliones, *νεκροθάπται, κοπιάται.* Bispello, *νεκροφόρος.* V. *Bispello. B. A.*

VESTA, ae, f. Ἑστία, filia Demogorgonis, uxor Coeli, mater Saturni, quae aliis nominibus Ops, Terra, Cybele, Berecynthia, Rhea, Mater Magna, Mater Deorum, Mater Idaea, Mater Phrygia appellatur. *Cic. N. D.* 2, 27. Nam Vestae nomen a Graecis. Ea est enim, quae ab illis Ἑστία dicitur. Nempe terra et ipsa immobilis est, et ceteris causa est *στάσεως, καὶ μονῆς*, id est status, mansionisque. *Ov. Fast.* 6, 299. Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur. ℙ Vesta altera, neptis Vestae superioris, filia Saturni ex Ope. Nam Opes duae nominantur, quarum prima mater fuit Saturni, eadem quae Terra, secunda uxor dicitur fuisse. Secundam hanc Vestam ajunt esse ignem. Sed *Cicero*, et *Ovidius* duas has Vestas confundunt. *Cic. l. c.* Nam Vestae nomen a Graecis. Ea est enim, quae ab illis Ἑστία dicitur. Vis autem ejus ad aras et focos pertinet. Itaque in ea Dea, quae est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio externa est. Alii legunt *extrema:* quod postremum quidem rectius est, nam *Marin. Frat. Arv.* p. 378. et sqq., adductis *Cic.*, *Oc.*, *Virg.*, *Vell. Pat.* et *Juvenalis* locis, ut Janum omnium primum, ita Vestam in Deorum invocationibus omnium ultimam appellatam fuisse, ostendit. *Ov. Fast.* 6, 267. Vesta eadem est, quae terra: subest vigil ignis utrique: Significant sedem terra, focusque suam. *Dion. Hal. Rom. ant. l.* 2. ait, Vestam terram esse, ei autem ignem dicatum esse, quia terra ex se ignem aetherium gignit. ℙ Vesta fingitur virgo permansisse, quia Vesta ignis est, ignis autem nihil gignit. Et quoniam erat virgo, ei etiam serviebant virgines, quae *Vestales* vocabantur, quarum munus erat sempiternum ignis publici focum in urbe custodire, ut ex *Ovidio l. c.* perspicuum est, quod etiam ap. *Dionysium* legas *l. c.* ℙ Hanc Deam prius Trojani coluere, ut est ap. *Virg. A.* 2, 296. de Hectore: Sic ait, et manibus vittas, Vestamque potentem, Aeternumque adytis effert penetralibus ignem. Inde ejusdem cultum secum attulit Aeneas, nam in Sicilia moratus, ut narrat *Id. ib.* 5, 744., Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae Farre pio et plena supplex veneratur acerra. In Italiam deinde perveniens, conditoque Lavinio, ibi aedem sacrasse eidem dicitur, hinc in ea urbe postea consules Penatibus pariter et Vestae rem divinam facere solitos fuisse, cum adirent magistratum, constat ex *Macr. Sat.* 3, 5. At Ascanius Aeneae filius, abundante Lavinii multitudine, urbem opulentam reliquit, novamque sub Albano monte condidit, quae Alba Longa est appellata. Ab eodem autem illuc Vestae sacra translata fuisse patet: nam in montis Albani parte, cui suberat lucus, Ilia seu Rhea Silvia virgo Vestalis vi compressa a Marte, Romulum et Remum geminos fratres peperit, ut narrat *Liv.* 1, 3. Mox a Romulo Roma condita, Numa ejusdem in regno successor sacerdotibus creandis animum adjecit, virginesque Vestales legit, Alba oriundum sacerdotium, et genti conditoris haud alienum, ut ait *Id. ib.* 20. V. *Ov. Fast.* 4. *f.* et *l. c.* ℙ Hoc templum fuit in eo spatio, quod est medium inter Palatium, et Capitolium, in foro. *Cic. Div.* 1, 45. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestae, qui a Palatii radice in novam viam devexus est, etc. ℙ In eo templo servabatur perpetuus ignis, quia Vesta nihil aliud est, quam purus ignis. Sunt etiam, qui dicant, praeter illum ignem alia quaedam sacra in Deae fano fuisse, solis pontificibus, et virginibus nota, vulgo incognita. ℙ Vestalia sacra die IX. Junii celebrabantur. Eo die virgines Vestales Vestae sacrificabant, asini floribus coronati per urbem circumducebantur, molae etiam sertis et floribus ornabantur. *Ov. Fast.* 6, 311. ℙ Kalendis Martii nova lauro Vesta ornabatur. *Id. ib.* 3, 141. ℙ Die XV. Junii stercus ex aede Vestae in Tiberim deferebatur. *Id. ib.* 6, 713. ℙ Ut Ceres pro pane, Bacchus pro vino, sic Vesta pro igne *μετωνυμικῶς* ponitur. *Virg. G.* 4, 384. Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam.

VESTĀLIS, e, adj. ad Vestam pertinens. *Ov. Fast.* 6, 395. Vestalia sacra. *Lucan.* 1, 549. Vestalis ara; et *ib.* 597. chorus; et *ib.* 199. (et *Tibull.* 2, 5, 51.) Vestales foci. *Id. Trist.* 2, 311. oculi, *h. e.* virginum Vestalium. ℙ *Vestalis virgo*, et *Vestalis* absolute, virgo Vestae dicata, ignis perpetui custos apud Trojanos, Albanos, et Romanos (V. VESTA) memoratur a *Cic. Leg.* 2, 8. ℙ Etiam Tibure, praeterquam Albae et Romae, fuisse virgines Vestales, ostendunt vetera monumenta. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 654. Pingere effigiem Ma..... Severinae virginis Albanae maximae sororis suae, etc. Adde *aliam* ap. *eund. ib.* p. 663. *Alia* ap. *Grut.* 1088, 2. Saufejae Alexandriae V. V. Tiburtium caplatores Tiburtes. *Alia* ap. *Fabrett.* p. 436. *n.* 25. C. Sextilius V. V. Tiburtium Lib. Ephebus. ℙ Romae initio sub Numa quatuor fuerunt, postea sub Tarquinio Prisco duae additae, ut ait *Fest.* in *Sex.* Eligebantur a pontifice max. nobilissimae quaeque, patrimae et matrimae, et nullo corporis vitio deformes, aut debiles: aetatis inter sextum et decimum annum: jubebanturque virginitatem servare integros triginta annos, quorum decem primis mysteria et sacra discebant, decem sequentibus sacra faciebant, reliquis alias docebant. Expleto illo tempore, licebat illis nubere, si libuisset. Magna illis privilegia et honores habiti sunt, liberatio a patria potestate, jus testamenti faciendi, decessio in via etiam a magistratibus, summa auctoritas in deprecationibus. Graves etiam poenae inflictae, si earum incuria ignis esset exstinctus, aut si virginitatem stupro polluissent. Prioris delicti rea flagris ad necem caedebatur: alterius viva sepeliebatur. In *Ep. Liv.* 63., ap. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 6. et 7., *Liv.* 8, 15. et 22, 57. et *Plin. ep.* 4, 11. horum exempla habentur. V. *Gell.* 1, 12., ubi multa de ritu Vestalis capiendae. *Plin.* 28, 4, 7. Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos: qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur. ℙ *Vestalia, ium*, dies, ut virgines Vestales Vestae sacrificent. *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* ℙ In abl. *Charis.* 1, 119. vult in *e* desinere, quia non personam, inquit, sed rem significat. *Nep. fragm. ib.* A virgine Vestale. Sed et in *i* positionem habet. *Gell. l. c.* Qui de Vestali virgine capienda scripserunt.

VESTER, stra, strum. pronom. possess. *ὑμέτερος*, qui ad vos pertinet: a *vos:* unde et *voster* dicitur, praesertim a comicis. *Pl. Stich.* 5, 2, 15. Apud nos est convivium: ibi voster coenat, *h. e.* herus vester. *Id. Poen.* 3, 3, 18. Si bene dicetis, vostra ripa vos sequar: si male dicetis, vostro gradiar limite. *Id. Amph. prol.* 58. Teneo, quid animi vostri super hac re siet. *Cic. Manil.* 5. Majores vestri saepe bella gesserunt. ℙ In gen. plur. est *vestrorum*, *ὑμετέρων*: nam *vestrum* est a recto *vos*, *ὑμῶν*. Illud est adjectivum, hoc pronomen. V. dicta in NOSTER. Reperitur tamen *vestrorum* pro *vestrum*. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 122. Is vestrorum uter sit, cui signum datum est, cette. *Ter. Heaut.* 2, 4, 5. Cum mecum in animo vitam tuam considero, omniumque adeo vestrarum. *Pl. Most.* 1, 3, 123. Maxima pars vostrorum intelligit.

VESTIĀRIUS, a, um, adj. *ἱματικός*, ad vestes pertinens. *Cato R. R.* 11. Mensas duas, abacum unum, arcam vestiariam unam. ℙ *Vestiarius negotiator*, et *vestiarius* absolute, qui vestes facit, aut vendit. *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. Etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarii, vel lintearii dant vestem circumferendam et distrahendam. *Scaevola ib.* 38, 1, 45. Libertus negotiatoris vestiarii an eandem negotiationem exercere possit. *Inscr.* ap. *Mur.* 950, 7. C. Nonius C. L. Hilario vestiarius. *Alia* 944, 5. et 984, 9. Vestiarius tenuiarius; et 939, 6. Vestiarius tenuiarius molochinarius. ℙ *Vestiarium, ii*, vestitus. *Sen. Ben.* 3, 21. Est aliquid, quod dominus praestare servo debeat, ut cibaria, et vestiarium. *Colum.* 1, 8. *f.* Ne servi aut in vestiariis, aut in ceteris praebitis injuriose tractentur. Adde *Ulp. Dig.* 35, 3, 3. et *Scaev. ib.* 34. *tit.* 15, 16, 17. etc. ℙ Item locus, in quo vestimenta servantur. *Plin.* 15, 8, 8. Vestiarium contra teredines ac noxia animalia, amurca aspergi, *h. e.* arcam vestiariam. *Cato R. R.* 98. Vestimenta ne tineae tangant, amurca unguito fundum arcae, etc. [*Cassiod. Var.* 1, 2. *f.* Eoa Tyros est Hydron Italica, aulicum profecto vestiarium, *h. e.* ubi purpura in usum aulae regiae tingitur. *F.*]

VESTĪBULUM, i, n. *πρόδρομος, πρόθυρον, προπύλαιον*, locus ante aedium januam, inter aedes ipsas et viam relictus, eum in usum, ut qui aedium dominum salutatum venissent, neque in via starent, neque in ipsius essent aedibus. *Gell.* 16, 5. Animadverti, quosdam haudquaquam indoctos viros opinari, vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat. C. Aelius (al. *Caecilius*) Gallus in lib. de significatione verborum, quae ad jus civile pertinent, secundo, vestibulum esse dicit, non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus, accessusque ad aedes est, cum dextra, sinistraque inter januam tectaque, quae sunt viae juncta, spatium relinquitur, atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita. Mox ex *Sulp. Apollinari* docet, dictum esse a *ve* particula augente, et *stabulum*, quia grande spatium, et lata stabulatio erat ante aedes relicta. Aliud etymon dat *Ovid.* mox afferendus. ℙ Diversum fuit ab atrio, ut clare satis patet ex loco *Gellii* adducto, et manifeste distinguit *Vitr.* 6, 8. His, qui communi sunt fortuna, non necessaria magnifica vestibula, nec tablina, neque atria, quod hi aliis officia praestant ambiundo, quae ab aliis ambiuntur. ℙ Dictum est a *Vesta*, quod ignis, qui est in Vestae potestate, in vestibulo antiquitus accenderetur. *Ov. Fast.* 6, 301. At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus: Qui tamen in primis aedibus ante fuit. Hinc quoque vestibulum dici reor: inde precando Affamur Vestam, quae loca prima tenes. *Pl. Most.* 3, 2, 130. Viden' vestibulum ante aedes hoc, et ambulacrum cujusmodi? *Cic. Verr.* 2, 2, 66. Ante ipsum Serapim, in primo aditu vestibuloque templi. *Id. Coel.* 26. Si essent in vestibulo balnearum, non laterent. *Id. Caecin.* 12. *med.* Si te domum tuam redeuntem non modo limine tectoque aedium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint. *Juven.* 7, 125. hujus enim stat currus aheneus, alti Quadrijuges in vestibulis. ℙ Dicitur etiam de aditu aliorum locorum. *Gell. l. c. f.* Vestibulum non semper a veteribus proprie, sed per quasdam translationes est dictum; sicut illud in sexto Virgilii (*v.* 273.) Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci, etc., non enim vestibulum priorem partem domus infernae esse dicit; sed loca duo demonstrat extra Orci fores: ex quibus vestibulum appellat ante ipsam quasi domum, et ante ipsa Orci penetralia; fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur. *Cic. Leg.* 2, 24. Forum, id est vestibulum sepulcri usucapi vetat. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* de columbario: Sub ordines singulos tabulae fictae ut sint bipalmes, quo columbae utantur vestibulo. *Colum.* 8, 3. *med.* de gallinario; et *ib.* 8. Parietibus cavatis, sine qualis vimineis praeponenda erunt vestibula, per quae matrices ad cubilia vel pariendi, vel incubandi causa

perveniant; et *ib.* 9, 12. Cum sic apis evadit vestibulum, ut nulla intro revolet. *Cic. Verr.* 2, 5, 67. *extr.* In conspectu Italiae vestibulo Siciliae, *h. e.* in prima Sicilia, scilicet extra urbem Messanam, qua fretum Siculum spectat, ut paulo supra dixit. Itaque hoc loco *vestibulum* non locum extra Siciliam (ut in aedibus extra domum), sed in ipsis Siciliae finibus significat. *Id. Or.* 15. *f.* Vestibula nimirum honesta, aditusque ad causam faciet illustres.

VESTĪCEPS, ipis, adj. *γενειῶν*, qui ad pubertatem pervenit, hoc est qui major est XIV. annis, quod pube vestiri incipiat: cui *investis*, h. e. impubes, opponitur. *Gell.* 5, 19. Sed arrogari non potest, nisi jam vesticeps. *Tert. Anim.* 56. Puta nunc puer investis, puta vesticeps. *Auson. Idyll.* 4, 73. Idem vesticipes motu jam puberis aevi Ad mores artesque bonas produxi. ℙ Metonymice significat corruptum. *App. Apol.* Investem a nobis accepisti, vesticipem illico reddidisti.

VESTĪCONTŪBERNĬUM, ii, n. concubitus eorum, qui sub eadem veste cubant. *Petr. Sat.* 11. Quid vesticontubernium facis?

VESTĪCŬLA, ae, f. *ἱματίδιον*, parva vestis. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. *f.* Cum in diem mortis ibi libros, et vitreamina, et vesticulam habuerit. Ita *Torrent.* et *Gothofred.*, at *Haloander* minus recte *vestispicam* habet. *Pelag. Vet.* 7. *med.* Pedunculos tres humanos, sublatos de aliqua vesticula, in aurem dexteram equi mittito.

[VESTĪFEX, icis, m. idem ac vestificus *Inscr.* in *Effemer. letter. Rom.* T. II. p. 44. Dipirus (sic pro *Dipyrus*) Antigoni vicar, (*h. e.* vicarius) beneficio Heliconis Scriboniae Caesaris vestificis An. XIX. *h. e.* Heliconis vestificis Scriboniae uxoris Augusti. *F.*]

VESTĪFĬCĂ, ae, f. quae vestes conficit. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 70. et alia ap. *Grut.* 578, 6.

VESTĪFĬCĪNĂ, ae, f. vestium confectio, vel conficiendarum vestium ars. *Tert. Pall.* 3. *f.* Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque vestificinae prosecuta, etc.

*VESTIFICĬUM, i, n. *ἱματοποιΐα Gloss. Lat. Gr. B. A.*

VESTĪFĬCUS, i, m. qui vestes conficit. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 7. Vestificus Caesaris a veste scenica.

VESTIFLŬUS, a, um, adj. qui fluentibus laxisque vestibus utitur. *Petr. Sat.* 133. quem Lydus adorat Vestifluus. Alii perperam leg. *Nilus adorat Septifluus. Auson. Technopaegn. de histor.* 24. Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.

VESTĪGĀTĬO, onis, f. investigatio, inquisitio. *Cic. Off.* 1, 6. Quae omnes artes in veri vestigatione versantur. Alii leg. *investigatione*, et quidem rectius. *App. Met.* 6. *in.* Psyche dies noctesque mariti vestigationibus inquieta.

VESTĪGĀTOR, oris, m. qui vestigat et venatur. *Varr. L. L.* 4, 18. Vestigator a vestigiis ferarum, quas indagatur. *Colum.* 9, 8. *med.* de apib capiend. Nam statim sono territum (*examen*) vel in frutice, vel in editiore silvae fronde considet, et a vestigatore praeparato vase reconditur. *Sen. Ben.* 3, 26. *med.* Quod factum simul et Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit, *h. e.* delatoribus, qui vestigabant dicta et facta quaecumque, ut accusatus perderent.

VESTĪGĬUM, ii, n. *ἴχνος*, *στίβος*, pedis impressio, id est signum, quod a pede relinquitur. *Quint.* 9, 4. *med.* Currentium pes, etiamsi non moratur, tamen vestigium facit. *Stat. Theb.* 2, 153. quibus ipse per imbres Has meus usque domos vestigia fecit Apollo; et *Cic. Rab. Post. f.* Ut sibi in hoc foro vestigium facere liceat. ℙ Videtur esse a *vestis*. Nam olim non feminae modo, sed viri etiam longis utebantur vestibus, eoque non modo pedum, sed vestis etiam indicium relinquebatur ab incedentibus. Haec causa, cur, etsi imprimis pedum relinqueretur signum, rei tamen a vestibus nomen daretur. *Pl. Cist.* 4, 2, 29. Sed is hac iit: hac socci video vestigium in pulvere. *Cic. Phil.* 3, 12. *f.* Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia! *Auct. ad Her.* 3, 15. Stare in vestigio; et *Liv.* 27, 4. Negans e republica esse, vestigium abscedi ab Annibale; et *Cic. Caecin.* 14. Facere vestigium in possessionem, *h. e.* ingredi. *Id. Or.* 1, 23. Persequi alicujus vestigia: quod proprie et translate dicitur. *Id. Brut* 90. Ipsius vestigiis persequi aliquem: *eod. sensu.* Sic, alicujus vestigiis ingredi, h. e. eo modo procedere, quo ipse, et translate imitari ap. *Cic. Somn. Scip.* 8. Sic *Liv.* 9, 45. *f.* Vestigiis sequi hostem; et 27, 12 Instare vestigiis; et *Sen. Controv.* 5, 30 *in.* Alicujus vestigia calcare: *eod. sensu.* ℙ Metonymice ponitur pro ima parte pedis. *Virg. A.* 5, 566. vestigia primi Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam. *Cic. Acad.* 4, 39. Qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis. *Id. Verr.* 2, 4, 24. Leviter presso vestigio aliquem persequi. ℙ Et pro ipsis pedibus. *Catull.* 64, 162. Candida permulcens liquidis vestigia lymphis. *Stat. Silv.* 5, 2, 28. Primaque patricia clausit vestigia luna. Adde *Sen. Thyest.* 1039. et *Oed.* 812. ℙ Item pro terra pede impressa. *Plin.* 8, 4, 5. Elephas vestigio hominis animadverso, intremiscere, erutum proximo tradere, etc. ℙ Et pro odore vestigii. *Id. ib.* 32, 50. Cervi latratu canum audito fugiunt secunda semper aura, ut vestigia cum ipsis abeant. ℙ Item pro solea ferrea equi. *Id.* 28, 20, 81. Vestigium equi excussum ungula, ut solet plerumque, siquis collectum reponat, singultus remedium esse, recordantibus, quonam loco id reposuerunt. ℙ Per synecdochen usurpatur pro quacumque impressione corporis, vel partis corporis. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. *med.* Praesertim cum in lectulo decumanae mulieris vestigia viderent recentia. *Id. Or.* 3, 2. Post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. ℙ Et pro impressione, quae ferro fit, dum caedimus. *Colum.* 4, 25. Ea plaga, quae ductim efficitur, uno vestigio allevatur. ℙ Translate ponitur pro quocumque rei gestae monumento, indicio, signo. *Cic. Font.* 1. Unae tabulae proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fontejo datam. *Id. Mur.* 9. Relinquere vestigium avaritiae. *Id. Rosc. Am.* 22. *f.* Exstant vestigia sceleris. *Virg. Ecl.* 4, 13. si qua manent sceleris vestigia nostri; et 31. Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis. ℙ Item pro momento, seu puncto temporis, translatione sumpta a vestigium facientis celeritate, quod scilicet nihil paene citius fiat, quam vestigium. *Caes. B. C.* 2, 26. Eodemque tempore vis magna pulveris cernebatur, et vestigio temporis primum agmen erat in conspectu. *Cic. Pis.* 9. *f.* Atque eodem in templo, eodem et loci vestigio et temporis, arbitria non mei solum, sed patriae funeris abstulisti. ℙ Hinc *e vestigio*, et *vestigio*, est confestim, extemplo, maxima celeritate. *Id. Div. Verr.* 27. *f.* Repente e vestigio ex homine, tanquam aliquo Circaeo poculo, factus est verres. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. E vestigio eo sum profectus prima luce. *Caes. B. C.* 2, 25. *f.* Pronuntiari jubet, se in hostium habiturum loco, qui non e vestigio ad castra Corneliana vela direxisset. *Varr.* ap. *Non.* 2, 514. Sigilla in mento impressa amoris digitulo, Vestigio demonstrant mollitudinem. ℙ *Nec vola, nec vestigium*, proverb. est, quod habet *Varr.* ap. *Non.* 4, 480., et de quo V. VOLA.

VESTĪGO, as, a. 1. *ἰχνέω*, est quasi per vestigia inquirere. *Virg. A.* 6, 145. Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum Carpe manu. *Cic. in Sen.* 6. *f.* Hi voluptates omnes vestigant atque odorantur. *Id. Or.* 2, 39. *f.* Nam et conjuncta quaeremus, et causas rerum vestigabimus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Vestigare, et quaerere aliquem. *Sen. Thyest.* 497. Canis vestigat feras. *Plin.* 8, 18, 25. Tigris feta fertur praeceps, odore vestigans. ℙ Metonymice est invenire. *Liv.* 31, 19. Perfugas et fugitivos, quos inquirendo vestigare potuerint, reddidisse.

[VESTĪMENTĀRĬUS, a, um, adj. ad vestimentum pertinens. *Not. Tir.* p. 69. Vestimentum, vestimentarius. *F.*]

VESTĪMENTUM, i, n. *ἐπίβλημα*, vestis, vestitus: nomen generale ad omne vestium genus significandum. *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. Vestis, an vestimenta legentur. Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quae induendi, praecingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, incubandive causa parata sunt. *Cic. Mil.* 10. Domum venit, calceos et vestimenta mutavit. *Hor. Ep.* 1, 18, 31. cuicumque nocere volebat, Vestimenta dabat pretiosa. *Hirt. B. Afr.* 47. *med.* Tentoriola facta ex vestimentis. *Auct. B. Hisp.* 33. Pyram sibi exstruxit, coenam afferri quam opimam imperavit, item optimis insternendam vestimentis, *h. e.* veste stragula. *Sen. ep.* 67. *in.* Major pars (*temporis*) in vestimentis degitur. Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixit, *h. e.* sub veste stragula, lodice. Sic *ep.* 78. *med.* Est virtuti etiam in lectulo locus: et in vestimentis vir fortis apparet. *Ter. Heaut.* 5, 1, 29. Est mihi in ultimis conclave aedibus; huc est intro latus lectus: vestimentis stratus est. ℙ Ex his patet, nihil dicere *Paulum* ex *Festo*, cum ait: Vestis generaliter dicitur, ut stragula forensis, muliebris: vestimentum pars aliqua, ut pallium, tunica, paenula ℙ *Nudo vestimenta detrahere*, proverb. de re, quae fieri non potest, ap. *Pl. As.* 1, 1, 79. Sententiam habet eandem Italorum, *cavar della rapa sangue.*

VESTĪNUS, a, um, adj. ad Vestinos pertinens: qui sunt populi Italiae ad mare superum inter Picentes, Pelignos, Marrucinos, et Marsos: quorum regionis caput nunc *Aquila* urbs est. *Enn.* ap. *Charis.* 4, 251. Marsa manus, Peligna cohors, Vestina virum vir. *Sil.* 8, 517. Vestina juventus. V. VESCINUS. ℙ *Vestinus* est etiam cognomen R., ut C. Julius Atticus Vestinus Cos. ann. a Chr. n. LXV., cujus mentio est ap. *Tac. A.* 15, 68. et *Suet. Ner.* 35.

VESTĪO, is, ivi, itum, a. 4. *ἐνδύω*, *ἱματίζω*, veste tego, induo, amicio. *Cic. Att.* 2, 9. Vatinii strumam sacerdotii *διβάφῳ* vestiant. *Plin.* 12, 11, 22. Indos suae arbores vestiunt. *Id.* 34, 7, 16. Hercules in foro boario per triumphos vestitur habitu triumphali. *Quint.* 2, 16. *med.* Pleraque animalia contra frigus ex suo corpore vestiuntur. *Id.* 11, 3. *med.* Fasciae, quibus crura vestiuntur. *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. Vestiri in foro honeste, mos erat; se domi quod satis erat. *Virg. Ecl.* 4, 45. Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos. *Hor. Od.* 2, 16, 35. te bis Afro Murice tinctae Vestiunt lanae. *Juven.* 11, 155. Quales esse decet, quos ardens purpura vestit. *Id.* 6, 515. et Phrygia vestitur bucca tiara. *Mart.* 2, 46. unam vestire tribum tua vellera possunt. *Pl. Capt.* 4, 4, 4. Vir te vestiat, tu virum despolies. ℙ Item obduco, contego, velo. *Plin.* 9, 11, 13. Testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire. *Cic. Verr.* 2, 4, 55. His tabulis interiores templi parietes vestiebantur. *Lucan.* 10, 119. ebur atria vestit. *Virg. G.* 2, 219. terra viridi se gramine vestit. *Id. A.* 6, 640. Largior hic campos aether, et lumine vestit Purpureo. *Val. Fl.* 4, 665. effluit imber Spumeus, et magno puppim procul aequore vestit. *Stat. Theb.* 5, 51. ingenti tellurem proximus umbra Vestit Athos. *Cic. N. D.* 2, 57. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit. *Id. Univ.* 6. *f.* Deus animum circumdedit corpore, et vestivit extrinsecus. *Lucr.* 5, 887. juventas molli vestit lanugine malas. *Virg. G.* 2, 38. Ismara Baccho Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum; et *Colum.* 5, 6. *med.* Binae vites, quo celerius ulmum vestiant, pedem inter se distantes scrobibus deponendae. *Id.* 4, 27. Ubi se vites frondibus et uvis vestierint. *Caes. B. G.* 7, 23. Trabes in solo collocantur: eae revinciuntur introrsus, et multo aggere vestiuntur. *Stat. Theb.* 6, 847. Postquam oleo gavisa cutis, petit aequor uterque Procursu medium, atque hausta vestitur arena. *Lucan.* 7, 538. Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros, *h. e.* operiat, consternat, impleat. *Tert. Virg. vel.* 11. de virgine: Pudor ubique vestitur, et menses tributa dependunt, *h. e.* pube pudendum contegitur. ℙ Transfertur ad orationem. *Cic. Or.* 1, 31. *med.* Inventa vestire atque ornare oratione. *Id. Brut.* 79. Reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. ℙ Et ad alia. *Hor. Ep.* 1, 18, 22. Gloria quem supra vires et vestit, et unguit. ℙ *Vestire*, veste uti. *Appul. Apol.* Tu mihi vitio dabis, quod parcius pasco, levius vestio, minus obsono? *Tert. Pall.* 1. Sic et in proximo soror civitas vestiebat. ℙ *Vestibam*, et *vestibo*, pro *vestiebam*, et *vestiam* in 4. conjugat. frequentia sunt. *Virg. A.* 8, 160. Tum mihi prima genas vestibat flore juventa. Adde *Juvenc.* 3, 330. ℙ *Vestirier* pro *vestiri*, paragoge. *Prud. Psych.* 39.

[VESTIPLEX, icis, m. qui vestes plicat, idem ac vestiplicus. *Not. Tir.* p. 69. Vestis, vestiplex. *F.*]

VESTIPLĬCĂ, ae, f. ancilla, quae vestes plicat et servat. *Quint. decl.* 363. in lemmate: Vestiplicam dominae habitu misit; et *ib. in serm.* Adulter cum uxore locutus per vestiplicam. [*Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 91. Jucunda Pexsa vestiplica. *F.*]

VESTIPLĬCUS, i, m. famullus, qui vestes plicat et custodit. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 64. Bathyllus Imp. Caji Caesaris Germanici vestiplicus. Adde *cl.* 11. *n.* 90.

VESTIS, is, f. *ἑσθής*, *ἕσθημα*, *ἱμάτιον*, id quo corpus vestitur. Est generale nomen, quodvis significans vestimentum tam virile, quam muliebre, laneum, lineum, sericum, etc. item pannum, telam, ex qua fit indumentum, aut stragulum, velum. Videtur esse a prima Graeca voce allata. [**Doederl.* 3, 236. a *vehere* derivandum censet.] Quid ab amictu differat, in AMICTUS, a, um. dictum est. *Pl. Curc.* 2, 3, 69. Mulierem a lenone cum auro, et veste abducere. *Id. Most.* 1, 3, 10. Contempla, satin' haec me vestis deceat. *Ter. Adelph.* 1, 2, 40. Discidit vestem? resarcietur. *Id. Heaut.* 2, 3, 45. Ipsam offendimus mediocriter vestitam veste lugubri. *Id. Eun.* 5, 2, 13. Ubi vestem illam esse cum indutum vidit; et 3, 5, 24. Vestem mutare cum aliquo. *Nep. Thras.* 2. *f.* Jacentem veste spoliare. *Id. Dat.* 3. Optima veste contegere aliquem, i. e. optimo ornatu induere. *Cic. Phil.* 2, 27. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex. *Id. Or.* 1, 35. Tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento, etc. ℙ *Mutare vestem*, h. e. obsoletam togam induere, intonsa barba, et demisso capillo, mos erat in magna calamitate, et gravi periculo, cum aliquis v. gr. capitalis criminis reus agebatur, tunc enim non is modo, sed propinqui omnes, amicique illo habitu in publicum prodibant ad misericordiam movendam; et *sordidati* dicebantur. Exempla habes ap. *Cic. ad Quir.* 5. et *in Sen.* 5., *Planc.* 12., *Sext.* 11. et 14. et 2. *Q. Fr.* 3. et *Liv.* 6, 20. ℙ *Vestis* de stragulo. *Lucr.* 2, 36. plebeja in veste cubandum. *Hor. Sat.* 2, 6, 102. rubro ubi cocco Tincta super lectos canderet vestis eburnos. *Ov. Met.* 8, 657. Vestibus hunc (*lectum coenatorium*) velant, quas non nisi tempore festo Sternere consuerant: sed et haec vilisque vetusque Vestis erat, lecto non indignanda saligno. ℙ De panno, aut tela. *Id. ib.* 6, 131. Et rupit pictam, coelestia crimina, vestem, *h. e.* telam ab Arachne contextam. *Ulp. Dig.* 34,

2, 23. Si quis vestem legaverit, neque stamen, neque subtemen legato continebitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 56. *f.* Ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam, tus alii, atque odores, vestemque lineam; et *Stat. Th.* 7, 244. Antigone teneras defenditur atra Veste genas. Ap. *Lucr.* 3, 387. vieta vestis aranei; et *ib.* 614. vestemque relinquere, ut anguis. ℙ *Servus a veste*, et *ad vestem* fuit inter officia domus Augustae, idem qui vestispex, et vestispicus. *Inscr.* ap. *Grut.* 587, 4. L. Trophimus Aug. Lib. a veste, item a lacuna. Alia *ib.* 2. T. Statilius Malchio ad vestem; et *ib.* 7. Ti. Claudius Divi Claudii Lib. Dipterus vestificus Caesaris a veste scenica; et 577, 7. a veste regia; et *ib.* 9. a veste imperatoria. *Alia* ap. *Mur.* 925, 2. a veste Imp. privata; et 901, 5. a veste cubicularia; et 903, 2. a veste castrensi; et 919, 6. a veste venatoria. ℙ Translate est lanugo, pubes. *Lucr.* 5, 671. Nec minus in certo dentes cadere imperat aetas Tempore, et impubem molli pubescere veste. Hinc *investis*, impubes. Sic in illo *Virg. A.* 8, 659. Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis: Virgatis lucent sagulis, *Servius*, et *Non.* 1, 220. *barbam* intelligunt; [at improbat *Heynius* ad *Virg. l. c.*, et vestem intelligit illa ipsa sagula virgata: nam de ead. re *Sil.* 4, 155. Auro virgatae vestes. *F.*]

VESTISPEX, icis, m. [qui vestes inspicit, idem ac vestispicus. *Insor.* ap. *Mur.* 949, 7. Dianae sanctae Damiocles vestispex. *F.*]

VESTISPICA, ae, f. ancilla vestis custodiae addicta. *Varr.* ap. *Non.* 1, 41. Vestispica, quod vestes spiciat. *Afran.* ap. *eund. ib.* Novi non inscitulam ancillulam vestiplicam, et vestispicam.

VESTISPICUS, i, m. *ἱματιοφύλαξ*, qui vestem curat. *Non.* 1, 41. Vestispici appellantur vestium custodes servi, quod frequenti diligentia vestes inspiciant. *Pl. Trin.* 2, 1, 21. Ducitur familia tota: vestispici, unctor, auri custos, flabelliferae, sandaligerulae, etc. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 95. Philodamus C. Sulpicii Vestispi. H. S. E. *Alia* ap. *Mur.* 972, 1. P. Pomposidio P. F. Januario Vestisp. Hic legi etiam potest *vestispici*, a recto *vestispex*.

VESTĬTOR, oris, m. qui facit vestes, sartor. *Lampr. Alex. Sev.* 41. Dignitates acciperent fullones, et vestitores. *Inscr.* ap. *Grut.* 1111, 3. Phaedimo vestitori Aug. *Alia* ap. *Mur.* 1842, 2. Hic depositus est Benemeritus vestitor imperatorum. *Firm. Math.* 3, 11. *n.* 9. Prophetas, aut vestitores divinorum simulacrorum faciet. Adde *ib.* 14. *n.* 3.

VESTĬTRĂHUS, a, um, adj. vestem trahens. *Laber.* ap. *Tert. Pall.* 1. de ariete: Reciprocicornis, lanicus, vestitrahus. V. TESTITRAHUS.

VESTĬTŪRA, ae, f. *Inscr.* ap. *Grut.* 98, 8., quam retulimus in CARPISCULUS, habet *vestituras basium*, h. e. anaglypta et scalpturas ornandis basibus.

VESTĪTUS, a, um, part. a *vestio*: *ἠσθημένος*, veste tectus, indutus, amictus. *Nep. Cim.* 4. Cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. *Cic. Pis* 25. *med.* Ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Coelimontanam sitiens pervenerim. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. Adduxit familiam validam, bene curatam ac vestitam. *Pl. Rud.* 1, 5, 7. Puellae moestiter vestitae. *Id. Cas.* 4, 1, 10. Villicus candide vestitus, laute exornatusque ambulat. *Appul. Apol.* Neque una pelle vestitior fuit, neque uno baculo comitatior. ℙ Item tectus, opertus, ornatus. *Cic. N. D.* 2, 47. Animantes aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae. *Colum.* 7, 3. *med.* de ovib. Id pecus quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est. *Cic. Tusc.* 5, 23. Sepulcrum septum undique et vestitum vepribus et dumetis. *Liv.* 32, 13. Montes vestiti frequentibus silvis sunt. *Cic.* absolute eod. sensu *N. D.* 2, 53. Montes vestiti atque silvestres; et *ib.* 39. Terra vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. *Ov. Fast.* 1, 402. Gramine vestitis accubuere toris. *Petr. Sat.* 135. Vestita putaminibus grana. *Prop.* 3, 11, 31. Et portare suis vestitas frondibus uvas. *Sen. Herc. Oet.* 213. Toxeu nondum teneras vestite genas, *h. e.* nondum barbate. *Tert. Anim.* 38. Ab his autem annis (quartodecimo *nempe*) et suffusior, et vestitior sexus est, *h. e.* pube magis vestitus. *Plin.* 19, 6, 34. Allium in universum velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, et his separatim vestitis. *Id.* 13, 4, 9. Lignum pluribus vestitum tunicis; et *ib.* 15, 29. Mensa operimento laminae vestita. *Ov. Fast.* 4, 707. incendit vestitos messibus agros. Sic *Cic.* vertens carmina *Homeri*, *Div.* 2, 30. Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis. Simile est illud *Lucan.* 7, 538. Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros.

VESTĬTUS, us, m. *ἐσθής*, *ἱματισμός*, vestimentum, vestis. *Pl. Ep.* 4, 2, 8. Vestitum atque ornatum immutabilem habet haec. *Liv.* 29, 17. In hoc legato vestro nec hominis quidquam est, praeter figuram et speciem; neque Romani civis, praeter habitum vestitumque, et sonum Latinae linguae. *Caes. B. G.* 7, 88. Caesaris adventu ex colore vestitus cognito. *Cic. Att.* 1, 13. Venisse eo muliebri vestitu virum. *Id. Rosc. Am.* 49. *f.* Vestitum, quo ipse tectus erat, tibi tradidit. *Id. Quint.* 15. *med.* Cujus non modo amplissimae fortunae, sed etiam victus, vestitusque necessarius sub praecone subjectus est. *Id. Agr.* 2, 5. Rullus vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, etc. *Nep. Ag.* 8. Agesilaus et comites vestitu humili atque obsoleto. *Cic. Sext.* 14. Vestitum mutare; (V. VESTIS.) et *ib.* Ad suum vestitum redire. *Ter. Adelph.* 1, 1, 38. Vestitu nimio indulges, (*pro* vestitui. V. ASPECTUS.) *h. e.* nimis sumptuosa veste filium ornas. *Pl. Capt.* 2, 2, 72. Me saturum servire apud te sumptu et vestitu tuo, *h. e.* te praebente vestitum. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 95. Concinnitas illa, crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. *Id. N. D.* 2, 29. Adde huc liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, *h. e.* herbas; et *ib.* 64. *f.* Cernes vestitus densissimos montium, *h. e.* silvas.

*VESTORIĀNUS, a, um, adj. ad Vestorium spectans. *Plin.* 33, 13. Vestorianum caeruleum pigmentum. Sic ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Nestorianum*. Neque aliter *Isid. Or.* 19, 17. *B. A.*

*VESTORĬUS, i, m. artifex quidam, de quo *Vitr.* 7, 11. *in.* ℙ Alius, Puteolanus, argentarius. *Coel.* in *Cic. Fam.* 8, 8. Adde *Att.* 4, 6. *extr.* 16. *med.* et 6, 2. *med.* et *extr. B. A.*

VESTRAS, atis, pronomen patrium omn. gen. qui spectat ad vestram gentem, patriam, etc., ab antiquo *vestratis:* quod a *vos*, ut *cujas*, *nostras*, *Arpinas*, *Sarsinas* ex *cujatis*, *nostratis*, *Arpinatis*, *Sarsinatis*. Agnoscitur a *Charis.* 2, 133. a *Diomed.* 1, 317. et *Prisc.* 17, 1095.

VESVĬUS, et Vesbius, ii, m. *Βέσβιος*, idem quod Vesuvius, apud poetas, per syncopen. *Val. Fl.* 3, 208. Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat Vesvius. *Stat. Silv.* 4, 4, 79. fractas ubi Vesvius egerit iras. Alii leg. *Vesbius. Sil.* 8, 653. Aetnaeos contorquens e cautibus ignes Vesbius intonuit. *Id.* 17, 594. Evomuit pastos per saecula Vesbius ignes. Alii leg. *Vesvius. Mart.* 4, 44. Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris. ℙ Adjective idem ac Vesuvinus. *Colum.* 10, 133. Fontibus et Stabiae celebres, et Vesvia rura.

VĔSŬLUS, i, m. *Monsivo*, *Bέσυλος*, mons Liguriae, pars Alpium Cottiarum, inter Galliam et Italiam, unde Padus, et Druentia fl. manant. *Virg. A.* 10, 707. Ac velut ille canum morsu de montibus altis Actus aper, multos Vesulus quem pinnifer annos Defendit. ℙ [Est et nomen viri ap. *Sil.* 10, 145. Tum Vesulum, calido lapsantem in sanguine fratrum, Ense metit rapido. *F.*]

*VESŪNI, orum, populi Licyae interioris, Aethiopiam versus. *Plin.* 5, 2. ubi quidam codd. apud *Harduinum* habent *Nesuni. B. A.*

VĔSŪVINUS, a, um, adj. ad Vesuvium pertinens. *Stat. Silv.* 5, 72. Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri Montis hiems. *Id. ib.* 5, 3, 205. Jamque et flere pio Vesuvina incendia cantu, Mens erat. Alii leg. *Vesvinus*, aut *Vesbinus*. Adde *ib.* 2, 6, 62. et *Sil.* 12, 152. ℙ [*Vesbinus* est etiam cogn. R., ut M. Ulpius Aug. L. Vesbinus in *Inscr.* ap. *Grut.* 214., et in *alia* ap. *Maff. Mus. Ver.* 284, 4. Volusia Besbina, *h. e.* Vesbina. *F.*]

VĔSŪVIUS, ii, m. *monte di Somma*, *Οὐεσούβιος*, *Οὐεσούϊος*, poetis etiam *Vesevus*, et *Vesvius*, mons Campaniae prope Neapolim, ignivomus, certisque temporibus immensam ignis, exesorum pumicum, et cineris vim eructans, quae late circa diffusa, adjacentes agros maxime infestat: idem tamen, qua vacat a tali calamitate, in subjectis collibus et agro nobilissimarum vitium, et optimi vini ferax. Lege *Plinii ep.* 6, 16., in qua Plinii avunculi sui mortem narrat, cum studio prope visendi ad eum ignes vomentem nimis prope accessisset. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. In Vesuvio monte Surrentinisque collibus. *Colum.* 3, 2. *med.* Campaniae celeberrimos Vesuvii colles. *Lucr.* 6, 747. Is lacus est Cumas apud, et Vesuvi per montem. Alii leg. *et Vesuvi prope montem.* Alii aliter. Sunt etiam qui spurium esse putant. ℙ Qui primam et secundam produci posse putant, afferunt illud *Mart.* 4, 44. Hic est pampineis viridis Vesuvius umbris. [Alii leg. *modo Vesvius.* V. h. v. ℙ Est etiam cognomen Jovis, qui in eodem monte colebatnr. *Inscr.* Capuana ap. *Mur.* 10, 11. Jovi Vesuvio Sac. D. D. *h. e.* sacrum decreto decurionum. *F.*]

VĔTER. V. in VETUS.

*VETĔRA, se. castra, oppidum Galliae Belgicae. *Tac. A.* 1, 45. et *Anton. Itin.* ℙ In *Tac. H.* 4, 18 et 21. *τὸ castra* plane exprimitur. *B. A.*

VĔTĔRĀMENTĀRĬUS sutor, *παλαιοράφος*, qui veteres calceos reficit. *Suet. Vit.* 2. Eundem et sutorem vetérementarium prodiderunt.

VĔTĔRĀNUS, a, um, adj. *πρεσβύτης*, vetus, vetustus, antiquus: a *vetus*. Veterani milites, *παλαιοστρατιῶται*, sunt qui legitima stipendia confecerant. Haec autem erant sub republica annorum XXV., ut constat ex *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 157.; ab Augusto, ut narrat *Tac. A.* 1, 36. et 78., ad annos XX. redacta. Iis opponuntur *tirones*. Nam tirones sunt, qui nuper militare coeperunt, veterani, qui multis annis stipendia fecerunt, et diuturno usu in re militari sunt exercitati. *Caes. B. G.* 1, 24. Triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranarum. *Cic Phil.* 3, 2. Comparare firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum. *Sall. Cat.* 63. Veterani pristinae virtutis memores cominus acriter instare. *Vell.* 2, 61. Augustus veteranos excivit paternos. *Lucan.* 1, 345. Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur, Quae noster veteranus aret? ℙ Tribuitur etiam aliis rebus, ut Veterana vitis, *Colum.* 3, 15. Veteranum pecus, *Id.* 6, 2. Veterani boves, *Varr. R. R.* 1, 20. Veteranus hostis, *Liv.* 21, 16. Sic *veterana mancipia* dicuntur a *Mart. Dig.* 39, 4, 16. quae anno continuo in urbe servierunt, sicut *novitia*, quae annum servitutis nondum compleverunt. *Veteranae gallinae* ap. *Colum.* 8, 5. *med.* quae saepius excubarunt: ut *novellae*, quae semel. V. PUERUS. ℙ *Veteranum*, absolute, locus, ubi quid in vetustatem reponitur: v. gr. apothecae, ubi vina vetera reponuntur, vel ut veterascant. *Sen. ep.* 114. *f.* Aspice veterana nostra, et plena multorum saeculorum vindemiis horrea. Alii leg. *veteraria*.

VĔTĔRĀRIUM. V. v. praec.

VĔTĔRĀSCO et Veteresco, is, n. 3. *παλαιόομαι*, veius fio, vetustatem contraho. *Colum.* 2, 15. Aptior est tamen surculis hominis urina, quam sex mensibus passus fueris veterascere. *Jul. Obseq.* 16. Carnes veterascentes. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 5, 63. In eo quem veterascentem videat ad gloriam. ℙ Etiam *veteresco* usurpatur. *Not. Tir.* p. 89. Vetus, vetustus, veteranus, veterescit. ℙ *Nigid. ib.* discrimen ponit inter *veterascere* et *vetustescere*, seu *vetustiscere*, ut hoc de iis dicatur, quae vetustate deteriora fiunt: illud de iis, quae meliora. Sed in usu non servatur, ut patet ex loco *Colum.* afferendo in VETUSTESCO. [*Hujus loci ordinem adjectis quibusdam meliorem fecit *F.*]

VĔTĔRĀTOR, oris, m. *πανοῦργος*, *παλιντριψ*, *τριβακός*, *ἀπατεών*, qui in aliqua re callidus est: quasi veter in astutia, ut scribunt *Festus*, et *Donatus* ad *Ter. Andr.* 2, 6. *f.*, nempe a multarum rerum gerendarum vetustate; et usurpatur tam in bonam, quam in malam partem. *Ter. ib.* Quid hic vult veterator sibi? *Cic. Fin.* 2, 16. *med.* Acutum, versutum, veteratorem facile ut excogitet, quomodo occulte sine teste, sine ullo conscio fallat. *Gell.* 3, 1. Videbatur esse in litteris veterator, *h. e.* multa lectione exercitus, cui pleraque omnia veterum litterarum quaesita, meditata, evigilataque erant, ut ipse loquitur 1, 7. Rursus *Cic. Brut.* 48. Ejus aequalis P. Cethegus in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. ℙ Speciatim dicitur de servo, qui diuturna servitute, ac saepius fortassis commutata, astutus ac vafer evasit. Itaque veteratores, et novitii opponuntur, ut ostendunt verba *Venuleji Dig.* 21, 1, 65. Servum tam veteratorem, quam novitium dici posse: novitium autem non tirocinio animi, sed conditione servitutis intelligi: ac veteratorem item non spatio serviendi, sed genere et causa aestimandum. Hoc genus servorum olim minore erat in pretio, quam novitiorum. Unde ab aedilibus praeceptum erat, ne veterator pro novitio veniret. *Ulp. ib.* 37. Praecipiunt aediles, ne veterator pro novitio veneat.

VĔTĔRĀTORIE, adv. *πανούργως*, astute, callide. *Cic. Or.* 28. Ille enim summissus, quod acute et veteratorie dicit, sapiens jam, etc.

VĔTĔRĀTORĬUS, a, um, adj. *πανουργικός*, subdolus, astutus, vafer. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. *med.* Nihil ab isto tectum, nihil veteratorium exspectaveritis: omnia aperta, omnia perspicua reperientur. Ubi *Ascon.* astutum, callidum. *Id. Brut.* 75. de Caesare: Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, et generosa quodammodo.

VĔTĔRĀTRIX, icis, f. *πανοῦργος*, femina in astutiis et fraudibus exercitatissima. *Appul. Met.* 9. Veteratrix quaedam femina, quae devotionibus et maleficiis quidvis efficere posse credebatur. Alii leg. *veratricem.*

VĔTĔRĀTUS, a, um, part. a *vetero:* vetus factus. [*De discrimine utriusque vocabuli *veteratus* et *vetustus Doederl.* 4, 86. haec habet: *Vetustus* spectare aetatem provectam, quatenus venerabilem, moribus probis excellentem se praebeat; *veteratus* significare gravitatem quandam aetatis productae, quae annis comparari soleat.] *Plin.* 32, 10, 52. Medetur alopeciis, et ulceribus veteratis. *Scrib. Comp.* 140. Veteratum caseum mollem edere.

*VETERENSIS, is, m. cognomen Romanum, ut Paridius Veterensis, de quo *Colum.* 4, 3. *B. A.*

VĔTĔRES. V. VETUS.

VĔTĔRĒTUM, i, n. legitur bis ap. *Colum.* 2, 10. in quibusdam probatae antiquitatis libris: in aliis in *vervactum* mutatum est. Retinendum censet *Pontedera*, *Antiquit. Lat. et Graec.* p. 477., adstipulante *Scalig.* in *not.* ad *Varr. R. R.* 1, 44. qui in MSS. *Columellae* ita legi testatur. Itaque ap. *Colum.* statuit *Pontedera*, dici *veteretum*, non arvum vere aratum, quod est *vervactum;* neque anno praecedenti per autumnum aut sub hiemem satum, quod est *restibile;* sed terram, quae a fructu diu cessavit, vel in pratum submissam, vel coloni socordia neglectam, et quodammodo senio confectam et inculto veteratam. Itaque quod ait *Varro R. R.* 1,

44. Illud quoque multum interest, in rudi terra, an in ea seras, quae quotannis obsita sit, quae vocatur restibilis; an in vervacto, quae interdum requierit: *rudi terra* dicendus est *veteretum* significasse. Hanc opinionem, quae valde placet, validis rationibus firmat *Ponted.*, quem legisse erit pretium operae.

VĔTĔRĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad veterina animalia pertinens. *Colum.* 7, 3. *med.* Veterinariae medicinae prudens esse debet pecoris magister. ℙ *Veterinarius* absolute, qui veterina curat, et medicinam veterinariam exercet, *ἰατρός*. Haec etiam ad oves pertinet, ut ex *Colum. l. c.* colligitur. *Id.* 6, 8. *in.* Solent fastidia cibo afferre vitiosa incrementa linguae, quas ranas veterinarii vocant. *Id.* 7, 5. *med.* Ovem pulmonariam curare, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant. Adde 11, 1. *med.* ℙ *Veterinarium*, absolute locus in castris, in quo veterina saucia, vel aegrotantia curantur. *Hyg. Gromat.* p. 12. *col.* 1. Fit numerus cum pedatura valetudinarii, veterinarii et fabricae, quae in unum ad sexcentos homines computantur. V. VALETUDINARIUS.

VĔTĔRĪNUS, a, um, adj. *ὑποζύγιος*, dicitur de jumentis ad portandum idoneis, ut equis, mulis, asinis. *Paul.* ex *Festo*: Veterinam bestiam Cato appellavit a vehendo. Opilius veterinam dici putat, quasi venterinam, vel uterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat. *Varr. R. R.* 1, 38. Stercus equinum in prata vel optimum, ut ceterarum veterinarum, quae hordeo pascuntur. *Lucr.* 5, 888. Ne forte ex homine, et veterino semine equorum Confieri credas Centauros posse neque esse. *Plin.* 11, 37, 61. Aetas veterinorum dentibus indicatur; et *ib.* 50, 111. Caudae caulis asinis longior, quam equis, se setosus veterinis, *h. e.* equis mulisque.

VĔTĔRNOSĬTAS, atis, f. veterni vitium, seu morbus. *Fulg. Myth.* 3, 4. *extr.* Torpidae veternositatis senio algere,

VĔTĔRNOSUS, a, um, adj. *ληθαργικός*, qui veterno laborat, lethargicus. *Plin.* 28, 17, 67. Jecur aprinum veternosis datur. *Id.* 20, 4, 13. Veternosis (*prodest*) quam acerrimos (*raphanos*) mandere. ℙ Dicitur etiam de hydropico. *Gloss. Philox.* Veternosus, *φθοικὸς, ὑδρωπικός*. *Paul.* ex *Festo.* Veternosus dicitur, qui gravi premitur somno. Cato veternosum, hydropicum intelligi voluit, cum ait: Veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit. *Cato* ap. *Gell.* 1, 15. Nunquam tacet, quem morbus tenet loquendi, tanquam veternosum bibendi, atque dormiendi. *Ter. Eun.* 4, 4, 21. Hic est vetus, vietus, veternosus, senex, colore mustelino. Ubi *Donatus:* Morbo vetere confectus, idest veterno: quales sunt, qui hydropen patiuntur. Et recte: nam saepe eunuchi in senecta veternosi fiunt, et cito hoc laborant morbo. *Varr.* ap. *Non.* 16, 10. Ut arquatis et veternosis lutea quae non sunt, aeque et lutea videntur. ℙ Translate est languens, lentus, segnis, piger. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Mihi videtur veternosi, et infelicis animi, imbecillitatis sibi conscii, saepe indolescere. *Id. ep.* 82. *med.* Non redigo ista ad legem dialecticam, et ad illos veternosissimi artificii nodos, *h. e.* inanis, debilis, et nihil conficientis. *Sidon. ep.* 1, 1. Veternosum dicendi genus imitari. *August. ep.* 48. *ad Vincent. in.* Veternosa consuetudo.

VĔTĔRNUS, i, m. *λήθαργος, καταφορὰ*, morbus ex iis, qui cerebrum infestant, qui memoriam simul et rationem tollit, inevitabilemque dormiendi necessitatem inducit: a *vetus*, juxta *Prisc.* 2. *f.* et *Donat.* in *Ter. Eun.* 4, 4, 21., quia labes est inveterata. *Pl. Men.* 5, 4, 3. Num eum veternus, aut aqua intercus tenet? ℙ Quandoque pro nimia dormitione accipitur. *Plin.* 8, 36, 54. Primis diebus bis septenis tam gravi somno ursi premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant: tunc mirum in modum veterno pinguescunt. ℙ Et quia hic morbus pigros homines facit, et ad negotia inutiles, quemadmodum senectus, ideo quandoque pro pigritia, socordia, ignavia ponitur. *Virg. G.* 1, 124. Nec torpere gravi passus sua regna veterno. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *med.* Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset. *Cic. ib.* 2, 13. *med.* Erat in illa epistola veternus civitatis. *Catull.* 17, 24. stolidum excitare veternum. *Colum.* 7, 5. Pecudes mediocriter exercere, et quasi torpentes excitare, nec pati veterno consenescere atque exstingui. ℙ De situ et sordibus diu collectis ac veteratis. *Id.* 4, 24. *med.* Muscus, qui more compedis crura vitium devincta comprimit, situque et veterno macerat, ferro destringendus est. ℙ Pro antiquitate, vetustate. *Stat. Th.* 6, 93. de silva: stat sacra senectae Numine, nec solos hominum transgressa veterno Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes. ℙ Adjective antiquus, vetus. *Fulg. Myth.* 1. *praef.* in *carmine:* Quidquid Ascraeus veterna Rupe pastor incinit. *Prud. Cathemer.* 9, 68. Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia. *Appul. Met.* 9. de mulis senib.: Totum corium veterna atque scabiosa macie exasperati, *h. e.* veterata. [**Veternus* et *vetustus* ita differunt, ut hoc debilitatem, *vetustus* dignitatem, probitatem quandam senectutis significet. Ceterum parum recte Noster hujus vocabuli notiones ita ordinavit, ut exempla quibus adject. usus hujus vocis demonstratur, quae primum locum vindicant, ultimo loco poneret. Licet enim inde ab Appulejo demum haec vox adjectivam formam prae se ferat, proprie adjectivum est *veternus, a, um*, et de rebus dicitur, quae aetate sunt provectae, unde reliquae notiones derivatae videntur.]

VĔTĔRO, as, avi, n. l. veterasco. [*Cels.* 3, 12. Cum febres veteraverunt, utilis fames non est. *Sen. Consol. ad Marc.* 1. *f.* Vulnera ubi corrupta in malum ulcus veterarunt, difficilius curantur. Alii aliter leg. *F.*]

[VĔTĔRŬLUS, a, um, adj. dimin. veteris. *Ruf. Invectiv. in Hieron.* 2. *n.* 7. Doleo te suspiciones alieni perjurii in antiquis et veterulis chartulis perserutari. *F.*]

VĔTĬTUS, a, um, part. a *veto: κεκωλυμένος*, negatus, prohibitus. *Ter. Ph.* 5, 6, 25. Ait, esse vetitum intro ad heram accedere. *Hor. Od.* 3, 24, 58. Ludere vetita legibus alea. *Virg. A.* 6, 623. Hic thalamum invasit natae, vetitosque hymenaeos. *Sen. Herc. Oet.* 1584. Ante descendet glacialis Ursae Sidus, et ponto vetito fruetur. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Factum vetitum quidem, non tamen inusitatum. *Ov. Fast.* 4, 751. nemus vetitum intrare. *Id. Trist.* 1, 4, 21. Desinat in vetitas, quaeso, contendere terras. *Lucan.* 7, 371. vetitusque aetate senatus Arma sequi; et *ib.* 316. agmina vetita virtute moveri; et 6, 470. aequor vetitum sentire procellas. *Tac. A.* 2, 59. Senatores vetiti ingredi Aegyptum. *Lucan.* 3, 664. Robora cum vetitis prensarent altius ulnis, *h. e.* cum prohiberentur prensare ulnis spondas navis. ℙ *Vetitum*, absolute, interdictum. *Cic. Leg.* 2, 4. *med.* (et *ib.* 3, 3. *extr.*) Jussa ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi, et a peccatis avocandi. *Virg. A.* 10, 8. Abnueram bello Italiam concurrere Teucris: Quae contra vetitum discordia? ℙ Item res vetita. *Ov. Fast.* 5, 282. Sed jam de vetito quisque parabat opes. *Id. Am.* 3, 4, 17. Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. ℙ *Vetitus* etiam dictum est, ut *voster* pro *vester*, etc. *Non.* 1, 215. Votitum veteres religione aliqua prohibitum, vel interdictum dici voluerunt. V. v. sq. *Pl. As.* 4, 1, 44. Nolo habere illam causam, et votitam dicere, *h. e.* vetitam moveri.

VĔTO, as, ui, *et raro* avi, itum, a. 1. *κωλύω*, impero ne fiat, prohibeo, absterreo. Proprie est dictis interdicere, ut *arcere*, *prohibere* factis. Sed hoc discrimen non semper servatur. Fere infinitum regit: raro conjunctivum. *Mart.* 6, 91. Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque Moechari. *Caes. B. G.* 7, 33. *f.* Cum leges duos ex una familia non solum magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent; et *ib.* 2, 20. *extr.* Ab opere legatos Caesar discedere vetuerat. *Id. B. C.* 1, 41. *med.* Castra vallo muniri vetuit. *Nep. Eum.* 12. *f.* Vetuit ad eum quemquam admitti. *Cic. Fam.* 5, 13. *med.* Rationes a te collectae vetabant, me reipublicae penitus diffidere. *Hor. Sat.* 1, 10, 31. Cum Graecos facerem Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus: In silvam ne ligna feras. *Id. ib.* 2, 3, 187. Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? *Id. Or.* 3, 2, 26. vetabo, qui Cereris sacrum Vulgarit arcanae, sub isdem Sit trabibus. *Tibull.* 2, 1, 18. Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto. *Ov. Rem. Am.* 133. Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando. ℙ *Vetor*, mihi interdicitur. *Nep. Amilc.* 3. Ut a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. *Cic. Am.* 22. *f.* Acta agimus: quod vetamur veteri proverbio. *Virg. A.* 1, 39. Quippe vetor fatis. *Tac. A.* 3, 26. Vetustissimi mortalium nihil per metum vetabantur. *Id. H.* 1, 22. Mathematici, genus hominum, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur. *Lucan.* 4, 646. standum est tibi, dixit (*Alcides Antaeo*) et ultra Non credere solo, sternique vetabere terra. ℙ Cum accus. *Ov. Fast.* 2, 541. Nec majora veto: sed et his placabilis umbra est. *Virg. A.* 2, 84. quia bella vetabat, Demisere neci. *Sen. Herc. Oet.* 1624. Stat vasta late quercus, et Phoebum vetat, *h. e.* solis radios arcet; et *ib.* 150. Et solem vetuit Delia tardior, *h. e.* solem morata est, ne suo tempore oriretur. *Lucan.* 9, 301. iter mediis natura vetabat Syrtibus. *Stat. Th.* 12, 558. Quos vetat igne Creon, *h. e.* rogis et igne supremo interdicit. ℙ Fuit verbum proprium praetoris. *Cic. Caecin.* 13. Praetor, qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factam jubet, aut, etc. Adde *Cels. Dig.* 42, 1, 14. etc. Item tribunorum pleb. *Liv.* 3, 13., 6, 35., *Suet. Tib.* 2. *extr.*, *Gell.* 13, 12. V. INTERCEDO. ℙ Item in re augurali. *Ter. Ph.* 4, 4, 32. Haruspex vetuit. *Cic. Div.* 2, 38. Volucres tum vetent agere, tum jubeant. *Ov. Fast.* 6, 764. Si vetet auspicium. ℙ Est etiam prohibeo, arceo, impedio, ne quippiam fiat. *Val. Fl.* 8, 303. nec longius inter, Quam quod tela vetet, superest mare. *Tac. A.* 11, 20. Fossam praeduxit, qua incerta Oceani vetarentur. *Stat. Silv.* 3, 1, 173. Avertam luctus, et tristia damna vetabo. *Virg. Ecl.* 10, 56. non me ulla vetabunt Frigora Parthenios canibus circumdare saltus. *Prop.* 2, 22, 4. hos vetuit me numerare timor. *Ov. Her.* 13, 131. Quo ruitis, Danai? ventos audite vetantes, *h. e.* adversos. Sic *ib.* 128. pelago vetante. ℙ Passive. *Sen. ep.* 9. *ab in.* Sapientia, quae artem vitae professa est, nulla re, quo minus se exerceat, vetari potest, *h. e.* impediri. ℙ *Quid vetat?* formula, qua utimur in re concessa, aut facili. *Hor. Sat.* 1, 10, 56. Quid vetat et nosmet quaerere, cur, etc.? *Ov. Am.* 3, 7, 35. Quid vetat et nervos magicas torpere per artes? *Id. Fast.* 1, 295. Quid vetat et stellas, ut quaeque oriturque, caditque, Dicere? Sic *Pers.* 6, 49. Quis vetat? ℙ De altero praeterito *vetavi* auctorem habes *Pers.* 5, 90. Excepto si quid Masurl rubrica vetavit. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med.* Legatos in conspectum venire vetaveram. Ita multae edit. *Victori* quoque: et antiqu. *Vindelini* 1469. et *Aldi* 1533. vetueram.

*VETONIĀNA, sc. castra, oppidum Vindeliciae. *Tab. Peuting.* ℙ Aliud, in Norico. *Ib. B. A.*

VĔTŌNĪCA et Vettonica. V. BETONICA.

[VETTĬĀNUS, a, um, adj. ad Vettonem pertinens, et *F.*]

[VETTILLĂ, ae, f. dimin. Vettonis. V. VETTONES. *F.*]

*VETTĬUS, i, m. nomen Romanum, ut Cyrus Vettius, architectus, unde Vettius dictus ap. *Cic. Att.* 2, 4. quo in loco Chrysippum Vettium significatum vult *Manutius.* Fuit autem ille Cyri architecti libertus. *Cic. Fam.* 7, 14. *B. A.*

[VETTONENSIS, e, adj. ad Vettonam pertinens, dirutam Umbriae urbem, nunc *Bettona*, vicum octo millib. pass. a Perusia distantem, cujus mentio est in *Tab. Peut.* inter Perusiam et Tuder. *Inscr.* ap. *Mur.* 1091, 1. L. Tullio L. F. Clu. Vero Vettonensi, etc. ℙ *Vettonenses*, *ium*, absolute sunt incolae illius urbis, a *Plin.* 3, 14, 19. memorati. *Inscr.* ap. *Grut.* 487, 2. C. Vibio C. F. L. N. Tro. Gallo Proculejano patrono Perusinorum, patrono et oratori R. P. Vettonensium, etc. *F.*]

VETTONES. V. VECTONES. ℙ Et in num. sing. est cogn. R., ut ex *Inscr.* Hispana ap. *Grut.* 357, 8. Q. Sergius Vetto. In *alia* Florentina ap. *Fabr.* p. 167. *n.* 315. T. Flavio Vettoni patri indulgentissimo, T. Flavio Vettiano Flavia Vettilia (lege *Vettilla*) fecit.

[VETTONĬA, ae, f. Lusitaniae provinciae inter Durium et Tagum fluvios. V. VECTONES. *Inscr.* ap. *Grut.* 591, 7. P. Aelio Vitali Aug. Lib. Tabul. Provinc. Lusitan. et Vettoniae, etc. Alia ap. *eund.* 383, 7. M. Calpurnio M. F. Gal. Senecae Fabio Turpioni Proc. provinciae Lusitan. et Vettoniae. ℙ Antepaenultimam licenter corripuit *Prud. περὶ στεφ.* 3, 186. Nunc locus Emerita est thalamo Clara colonia Vettoniae. *F.*]

VĔTŬLĂ. V. VETULUS.

[VĔTŬLĪNUS, a, um, adj. derivativum, et *F.*]

[VĔTŬLĬO, onis, m. dimin. vetuli. Priore cognomine usus est is Vitulinus, qui a triumviris reip. constituendae proscriptus est, de quo *Appian. B. C. l.* 4. *c.* 25. meminit; altero Sentius Saturninus et ipse proscriptus ab iisdem, quem memorat *Val. Max.* 7, 3. *n.* 9. *F.*]

VĔTŬLONĬENSIS, e, adj. ad Vetuloniam pertinens, quae fuit antiquum Etruriae oppidum prope Populoniam: ejus meminit *Sil.* 8, 583. Maeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis. Hinc *Vetulonienses*, *ium*, ejus urbis incolae, ap. *Plin.* 3, 5, 8., et in *Inscr.* ap. *Grut.* 1029, 7.

VĔTŬLŌNĬI, orum, m. plur. Vetulonienses cives. *Plin.* 2, 103, 106.

VĔTŬLUS, a, um, adj. antiquus, vetustus, senex, diminutiv. veteris: quare proprie de eo dicitur, qui senium et vetustatem ingressus est: tametsi et pro vetere et sene passim accipitur: diciturque tum de personis, tum de rebus. *Catull.* 27, 1. Minister vetuli puer Falerni. *Mart.* 13, 112. Vetuli cadi; et *ib.* 55. Vetulus petaso. *Cic. Amic.* 19. Equis vetulis teneros anteponere solemus. *Id. Fin.* 5, 14. Arbor novella, et vetula. *Pl. Merc.* 2, 2, 43. Vetulus, decrepitus senex. *Hor. Od.* 4, 13, 25. Vetula cornix. *Cic. Quint.* 8. Vetulus gladiator. *Id. Att.* 13, 29. Filia vetula sane, et multarum nuptiarum. ℙ *Vetulus*, absolute, senex. *Pl. Epid.* 2, 2, 4. Conspicor quales volo, vetulos duo. ℙ *Vetula*, anus, anicula. *Juven.* 6, 240. utile porro Filiolam turpi vetulae producere turpem. *Mart.* 8, 79. Omnes aut vetulas habes amicas, Aut turpes, vetulisque foediores. [*Adscribamus, quae *Doederl.* 4, 92. de discrimine inter *anus* et *vetula* habet: Vox *vetula* significat feminam, quae ultra florem aetatis transgressa est, eoque plus pretii sui amisit, quam vir pari casu affectus. *Anus* significat matronam, quae pro juventutis candore diu amisso vel gravitatem vel imbecillitatem habet.] ℙ Lepidus est jocus, quo utitur Cicereo dum C. Trebatium Testam, multo illo juniorem, vetulum compellat; alludit enim ad ipsius nominis gentilicii significationem, quod senem et veteratorem indicat. V. TREBAX. *Cic. Fam.* 7, 16. Tu tamen, mi vetule, non sero (*sapis*).

*VETURĬA, ae, f. mater Coriolani. *Liv.* 2, 40. ℙ Veturia, centuriae nomen ap. *Liv.* 26, 22. ubi V. *Gronovium. B. A.*

*VETURĬUS, i, m. nomen Romanum, ut L. Veturius Philo, Consul bello Punico cum Q. Metello. *Cic. Brut.* 14. *extr.* T. Veturium, Consulem una

cum Sp. Postumo, meminit *Id. Cic. de Off.* 3, 30. ac *Liv.* 9, 5. sqq. Porro T. Veturium Gracchum Sempronianum memorat *Liv.* 41, 26. T. Veturium Geminum *Id.* 3, 8. T. Veterium Calvium *Id.* 8, 16. ℙ Mamurius Veturius. V. *Mamurius. B. A.*

VĔTUS, eris, adj. omn. gen. παλαιὸς, qui est multi temporis, antiquus, priscus: videtur esse ab ἔτος, annus. *Ter. Heaut. prol.* 22. Vetus poeta. *Pl. Merc.* 2, 2, 20. Acherunticus senex, vetus, decrepitus. *Id. ib.* 5, 4, 15. Novus amator, vetus puer. *Id. Truc.* 1, 2, 50. Vetus maceria. *Cic. Or.* 1, 37. Vetus, atque usitata exceptio. *Sall. Cat.* 24. Vetus consuetudo. *Id. Jug.* 87. nobilitas. *Pl. Pers.* 1, 2, 1. Vetus atque antiquus quaestus. *Id. Most.* 2, 2, 45. Scelus antiquum et vetus. ℙ Etiam *veter* dixere: unde obliqui casus et gradus. *Ennius* ap. *Prisc.* 3, 607. Cum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo. *Accius ib.* 6, 716. Veter fatorum terminus sic jusserat. *Cato ib.* Antemna veterior est, quam Roma. [*Hic solus locus est, qui comparativam hujus vocis formam habet. V. *Doederl.* 4, 86.] *Pl. Bacch.* 5, 2, 30. Senem illum tibi dedo veteriorem, etc. Ita *Prisc. l. c.*, alii leg. *ulteriorem;* et *Truc.* 1, 2, 71. Quam veterrimus homini optimus est amicus. *Cic. Am.* 19. Veterrima quaeque (ut ea vina, quae vetustatem ferunt) esse debent suavissima. [*Ap. argent. aetatis scriptores ne superlativus quidem, nisi paucis in locis occurrit, quippe quem a *vetustus* potius derivarent.] *Phaedr.* 1, 21. Vindicare veterem injuriam. *Cic.* ad *Planc. post ep.* 1, 16. *l.* 16. *ad Att.* Paternae magnae, et veteres, et justae necessitudines. *Id. Univ.* 11. Credendum est veteribus et priscis, ut ajunt, viris. *Id. Phil.* 5, 17. *med.* Majores nostri, veteres illi admodum antiqui, leges annales non habebant: *veteres* ad tempus refertur, *antiqui* et *prisci* ad mores simplices et integerrimos. *Pl. Ps.* 1, 3, 129. Vetera vaticinamini, i. e. saepe jam dicta, vulgata, omnibus nota. *Id. Mil.* 3, 1, 153. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves? *antiquam* obsoletam, translaticiam, pervulgatam. Sic *Trin.* 2, 2, 100. Historiam veterem atque antiquam haec mea senectus sustinet; et *Amph. prol.* 118. Veterem atque antiquam rem, novam ad vos proferam. (V. ANTIQUUS.) *Cic. Tusc.* 2, 16. *med.* Videmus ex acie afferri saepe saucios: et quidem rudem illum et inexercitatum, quamvis levi ictu, ploratus turpissimos edere: at vero ille exercitatus et vetus, ob eamque rem fortior, etc. ℙ Cum gen. *Tac. H.* 4, 20. Illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique, etc. Sic *Ann.* 1, 20. Vetus operis ac laboris; et *Sil.* 4, 532. gnaros belli, veteresque laborum. *Tac. A.* 6, 44. regnandi; et *ib.* 12. scientiae et caerimoniarum. Adde *Sil.* 6, 616. et 17, 293. ℙ Cum infinito. *Id.* 5, 565. Hinc Fadum petit, et veterem bellare Labicum. ℙ In ablativo duplicem positionem habet. *Stat. Th.* 1, 360. et veteri spumavit Lerna veneno. *Claud. in Eutrop.* 2, 11. veteri obruta morbo Corpora. *Nep. Att.* 7. *extr.* Sic vetere instituto vitae effugit nova pericula. ℙ *Veteres* sunt majores, et qui longo ante nos tempore vixerunt, sive senes fuerint, sive non. *Plin.* 36, 7, 12. Onychen in Arabiae montibus, nec usquam aliubi, nasci putavere nostri veteres. ℙ Item senes, qui diu vixerunt. [**Doederl.* 4, 89. discrimen statuit inter *vetus homo* et *senex*, hoc, ut Gr. γέρων, designare nonnisi virum annis provectum; *senex* vero simul ad ea respicere, quae, ut gravitas et imbecillitas, cum senili aetate conjuncta esse solerent.] *Sall. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Queis rebus aliquantam partem gloriae dempserat, maxime apud veteres et sanctos viros. *Liv.* 42, 47. Haec magna pars senatus approbabat: veteres et moris antiqui memores negabant, se, etc. *Varr. R. R.* 2, 11. *in.* Lac melius est a valentibus (*pecudibus*) et ab iis, quae nondum veteres sunt, quam si est contra. ℙ *Veteres* etiam in aliquibus coloniis dicuntur ii cives, qui ante coloniam deductam ibidem morabantur, et *novis* seu *novanis* opponuntur, qui sunt coloni in easdem urbes deducti. *Cic. Verr.* 2, 2, 50. Agrigentinorum duo genera sunt, unum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius praetor ex S. C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum; et *mox:* Legesque similes de numero veterum ac novorum dedit. V. FABRATERNUS. ℙ *Vetera* ea quoque appellantur, quae paulo ante fuerunt. *Nep. Eum.* 11. Veniebant ad Eumenem, qui propter veterem amicitiam consolari cuperent. *Suet. Vesp.* 8. Consulatus octo veteri addidit. *Ov. Met.* 1, 236. Fit lupus, et veteris servat vestigia formae. ℙ [*Singularis est ratio, qua Tacitus v. *vetus* usurpat, qui saepissime h. v. de liberae reipublicae aetate, usque ad Actiacam pugnam dicit. Bene de hac re exposuit *Walch.* ad *Agr.* 2. vetus aetas vidit, quid ultimum esset in libertate. *Boettich.* in *Lex. Tac.* Walchii adnotationem repetit.] ℙ In Romano foro duplex fuit tabernarum genus, veteres et novae: illarum situm *sub veteribus* designatur; harum *sub novis. Pl. Curc.* 4, 1, 19. Sub veteribus ibi sunt qui dant, quique accipiunt fenore. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Sub novis dicta pars in foro aedificiorum: quod vocabulum ejus pervetustum, ut novae viae, quae via jamdiu vetus. Adde *Liv.* 3, 48., 26, 27. et 44, 16. *f.* et *Cic. Or.* 2, 66. ℙ Est etiam cgn. R. ut Q. Antistius Vetus ap. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 7.

*VETUSĀNUM, i, n. oppidum Pannoniae inferioris. *Tab. Peuting. B. A.*

[VĔTUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. veteris. *Front. de eloqu.* (ed. *A. Maio*) p. 232. Ut figuram injiceres, prisco verbo adornares, colorem vetusculum, adpingeres. *F.*]

*VETUSSALĪNA, ae, oppidum Pannoniae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

VĔTUSTAS, atis, f. ἀρχαιότης, παλαιότης, antiquitas, longum decursi temporis spatium. *Cic. Phil.* 3, 6. *med.* Municipium vetustate antiquissimum. *Id. Or.* 2, 9. Historia nuntia vertustatis. *Liv.* 2, 21. Ut nec qui consules, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis. [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 31. Quae familiarum vetustatibus, et pecuniis ponderantur. *F.*] *Quint.* 12, 10. Pictores, quorum opera vetustatis gratia visenda sunt. *Cic. Agr.* 2, 21. *med.* Qui agrum recentoricum possident, vetustate possessionis se, non jure defendunt. *Sil.* 1, 26. sic credidit alta vetustas. *Caes. B. C.* 1, 6. Lictores habent in Urbe privati contra omnia vetustatis exempla. *Ov. Met.* 12, 182. Tum senior: quamvis obstet mihi tarda vetustas, Multaque me fugiant, etc. i. e. senectus. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCIL., ap. *Fabr.* p. 434. *n.* 14. Victoriae Augustae sacrum restitutae post antiquissimam vetustatem ordo Vejentium. ℙ Item longinquitas temporis sive praeteriti, sive futuri, diuturnitas. *Virg. A.* 3, 415. Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas. *Ov. Trist.* 5, 2, 11. exiguis prodest annosa vetustas: Grandibus accedunt tempore damna malis. *Id. Met.* 15, 871. Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas. *Cic. Sen.* 18. *f.* Ut non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit. *Id. Div.* 2, 33. *med.* Errabat multis in rebus antiquitas, quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus. *Id. Att.* 14, 9. *med.* Quae mihi videntur habitura etiam vetustatem, *h. e.* diu esse duratura. *Quint.* 10, 1. *med.* Auctores qui vetustatem pertulerunt, *h. e.* aetatem tulerunt, ut de vinis dicitur. *Ov. Trist.* 5, 9, 8. Scripta vetustatem si modo nostra ferent. *Colum.* 3, 2. *med.* Vinum vetustatem patitur, *h. e.* diu durat; et 12, 44. *f.* Poma in vetustatem reponere. *Id. ib.* 28. et *Cato R. R.* 114. Vinum in vetustatem servare. *Plin.* 13, 6, 12. Terebinthi materies admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem. ℙ De longa notitia et consuetudine amicorum inter se. *Cic. Fam.* 13, 32. Velim existimes, hos mihi maxime esse conjunctos vetustate, officiis, benivolentia; et *ib.* 11, 16. L. Lamia utor uno omnium plurimum: magna vetustas, magna consuetudo intercedit. Adde *ib.* 10, 10. *extr.* et *Q. Cic. Pet. cons.* 5. ℙ *Vetustas ulcus occupare* dicitur a *Celso* 5, 26. *n.* 31., cum vulneri inducitur callus, et circum orae crassae livent: post quae quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit. *Plin.* 21, 19, 75. Lilii flos et folia illinuntur ulcerum vetustati.

VĔTUSTĔ, adv. more veterum. *Ascon.* in *Verr.* 13. *med.* Quem commodum erat: Vetuste posuit pro eo, quem volebat; et in *ib.* 3, 47. An vetuste bonos pro magnis, honestos pro divitibus posuit? ℙ Item ex longo tempore. *Plin.* 27, 7, 28. Vetustissime in usu est.

VĔTUSTESCO, is, n. 3. παλαιόομαι, inveterasco, vetustatem acquiro. *Colum.* 1, 6. *med.* Quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.

[VĔTUSTILLA, ae, f. dimin. vetustae. Est nomen propr. R. ap. *Mart.* 3, 93. Cum tibi trecenti consules, Vetustilla, Et tres capilli, quatuorque sint dentes. *F.*]

[VĔTUSTĪNUS, a, um, adj. ad vetustum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 518, 6. P. Aelius Vetustinus. *F.*]

VĔTUSTISCO, i, n. 3. idem quod vetustesco. *Nigid.* ap. *Non.* 5, 63. V. VETERASCO.

[VĔTUSTŬLUS, a, um, adj. diminut. vetusti, idem ac vetusculus. *Sidon. ep.* 8, 16. Siquidem maturo, ut es ipse, lectori vetustula, torosa, et quasi mascula dictio placet. *F.*]

VĔTUSTUS, a, um, adj. ἀρχαῖος, παλαιὸς, vetus, antiquus. *Lucr.* 2, 1171. spatio aetatis defessa vetusto. *Juven.* 6, 161. vetustos Porticibus disponat avos. *Virg. A.* 2, 713. tumulus, templumque vetustum Desertae Cereris. *Hor. Epod.* 2, 43. Vetustis lignis focum exstruere; et *Od.* 3, 17, 1. Vetustum oppidum. *Ov. Met.* 11, 360. templa luco umbrosa vetusto. *Colum.* 12, 23. Pix quanto facta est vetustior, eo melior in usu est; et *ib.* 38. Vetustissimae vineae. *Id.* 8, 5. Aptissima ova ad excludendum recentissima quaeque: possunt tamen etiam requieta supponi, dum ne vetustiora sint, quam dierum decem. *Pl. Curc.* 1, 2, 4. Veteris vetusti vini cupida sum. *Juven.* 8, 34. canes pigri, scabieque vetusta Laeves; et *Virg. A.* 9, 284. genetrix Priami de gente vetusta Est mihi; et *Pont.* 3, 3, 11. vetusta Paene puer puero junctus amicitia. *Cic. Fam.* 13, 36. Cum Demetrio mihi vetustum hospitium est. *Tac. A.* 5, 10. Vetustum commilitium. [*Ita saepissime Tacitus hoc vocabulo utitur. Nubem exemplorum collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p 488.] *Liv.* 2, 23. *extr.* Vetustiores scriptores. *Plin.* 13, 16, 30. *extr.* Vetustior memoria. *Suet. Vesp.* 8. *extr.* Instrumentum imperii pulcherrimum, ac vetustissimum confecit, *h. e.* commentarium, in quo continebantur vetustissima quaeque imperii acta paene ab exordio Urbis. ℙ Refertur ad annos aetatis. *Liv.* 23, 22. *f.* Qui vetustissimus ex eis, qui viverent, censoriis esset. *Tac. A.* 2, 2. Venerunt legati, qui vetustissimum liberorum ejus accirent. Adde *ib.* 43. [*Plura etiam hujus generis exempla habes ap. *Boettich.* l. modo l.] ℙ Translate. *Cic. Brut.* 21. Laelius vetustior, et horridior quam Scipio: et cum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur.

VEXĀBĬLIS, e, adj. qui molestiam affert. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. et *ib.* 2, 9.

VEXĀBĬLĬTER, adv. molestiam afferendo. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 9. *med.*

VEXĀMEN, inis, n. vexatio, molestia, concussio. *Lucr.* 5, 341. Aut cecidisse urbes magno vexamine mundi.

VEXĀTĬO, onis, f. ἐνόχλησις, concussio, quassatio, jactatio, quae fit v. gr. dum aliquid sine cura portatur. *Colum.* 1, 3. Vexationem viae non reformidare. *Liv.* 44, 5. *med.* Minimum pedibus itineris confectum, plerumque provolventes se simul cum armis, aliisque oneribus, cum omni genere vexationis processerunt. *Plin.* 28, 19, 77. Sterilitatem ob partus vexationem fieri, certum est. *Petr. fragm. Trag.* 60. *Burm.* Omnes placentae, omnia poma, etiam minima vexatione contacta, coeperunt effundere crocum. ℙ Item universim *molestia*, κάκωσις, magna et infesta agitatio, jactatio, molestia. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Putatae vites alligentur alio loco: namque orbitas vinculi sentiunt vexatione non dubia. *Id.* 32, 7, 26. Dentes sine vexatione extrahere. *Id.* 31, 6, 35. Sine vexatione stomachi. *Suet. Tib.* 61. *med.* Partim se domi vulneraverunt, ad vexationem et ignominiam vitandam. *Cic. Tusc.* 4, 8. *med.* Afflictatio est aegritudo cum vexatione corporis. *Id. Cat.* 4, 1. *med.* Ut virgines Vestales ex acerbissima vexatione eriperem; et *ib.* 1, 7. *med.* Vexatio direptioque sociorum. *Liv.* 38, 59. *f.* Quod ex bonis redigi non possit, ex corpore et tergo per vexationem et contumelias L. Scipionis petituros inimicos. *Mart.* 10, 82. Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus, Mane, vel a media nocte togatus ero; et *Liv.* 7, 10. *f.* Jacentis corpus ab omni alia vexatione intactum uno torque spoliavit.

VEXĀTĪVUS, a, um, adj. κακωτικὸς, qui vexat et affligit. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 29. et *Tard.* 3, 4. *n.* 63.

VEXĀTOR, oris, m. ἐπηρεαστικὸς, qui vexat, infestator. *Cic. Har. resp.* 22. *f.* Tam crudelis mei, tam sceleratus reipublicae vexator esse potuisset? *Id. Sext.* 8. Veteres vexatores aetatulae suae despiciens. *Id. Phil.* 3, 11. Custosne urbis, an direptor et vexator esset Antonius.

VEXATRIX, icis, f. quae vexat, et molestiam affert. *Lactant.* 3, 29. *med.* Fortuna generis hominum vexatrix perpetua. *Prud. Psych.* 58. Libido vexatrix hominum.

VEXĀTUS, a, um, part. a *vexo:* ἐνοχληθεὶς, κακωθεὶς, agitatus, jactatus, concussus. *Just.* 17, 1. Regiones terrae motu vexatae. *Vell.* 2, 79. Classis vexata tempestate. *Lucr.* 6, 429. Navigia in summum veniunt vexata periclum. *Suet. Aug.* 53. *f.* Nec prius dies cujusque solemnes frequentare desiit, quam grandior jam natu, et in turba quodam sponsaliorum die vexatus. *Id. Cal.* 50. Puer comitiali morbo vexatus. *Ov. Trist.* 5, 2, 3. valeo, corpusque, quod ante laborum Impatiens nobis invalidumque fuit, Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu. *Id. Am.* 1, 14, 24. Heu male vexatae quanta tulere comae! Quam se praebuerunt ferro patienter, et igni! Ut fieret torto flexilis orbe sinus. *Petr. Sat.* 128. Excussit vexatam solo vestem; et *Mart.* 11, 89. Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas? A te vexatas malo tenere rosas; et *Juven.* 6, 288. vellere Tusco Vexatae, duraeque manus, *h. e.* lana trahenda attritae. *Plin.* 28, 11, 49. Dentes percussu vexati, i. e. labefacti. *Id.* 17, 21, 37. *n.* 1. Vexatis frigore vitibus cacumina prima inarescunt. ℙ *Vexata* in corpore sunt, quae externa injuria laeduntur, ut contusa, collisa, sugillata, convulsa; aut interno vitioso humore infestantur, ut in abscessibus: sed sine vulnere. In his enim, ut ait *Cels.* 7. *praef. f.*, vulnus facit medicus, non accipit. *Id. ib.* 1. Vexata in quacumque parte corporis sint, quam primum sic curari debent. *Plin.* 8, 27, 41. Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Adde *Scrib. Comp.* 101. ℙ Est etiam vetustate corruptus. *Inscr.* ap. *Grut.* 1070, 8. Item Silvanum anticum vexatum de suo refecit. ℙ Universim est male habitus, exagitatus, afflictus. *Cic. Verr.* 2, 3, 52. *f.* Agros vectigales vexatos atque exinanitos a Verre, populatam, vexatamque provinciam. *Ascon.* in *Div. Verr.* 1. Populati avaritia, vexati libidine et crudelitate. *Cic. Quint.* 31. Multis vexatus contumeliis,

plurimis jactatus injuriis. *Id. Phil.* 3, 9. *med.* Honestissimis contentionibus et saepe, et jure vexatus. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 6. Clamore infesto, et crebris totius concionis sibilis vexatus. *Nep. Timol.* 1. Sicilia multos annos bello vexata. *Just.* 28, 3. Populi intestina discordia vexati. *Id.* 12, 14. Variis criminationibus vexatus. *Prop.* 2, 21, 17. Sed tibi vexatae per multa pericula vitae Extremo veniet mollior hora die. *Juven.* 1, 2. Vexatus toties rauci Theseide Codri, *h. e.* toties audiendo Codrum recitantem tragoediam Thesei, obtusus et fatigatus.

VEXILLĀRIUS, ii, m. σημειοφόρος, signifer, qui vexillum fert. *Liv.* 8, 8. Ordo sexagenos milites et duos, centurionem, et vexillarium unum habet. Adde *Tac. H.* 1, 41. ℙ [Translate vexillarius dicitur antesignanus latronum. *Appul. Met.* 4. Tunc sublimis ille vexillarius noster Lamachus. *F.*] ℙ Praeterea vexillarii dicti sunt milites, [qui plerumque veterani et emeriti erant, quique sumpti lectique ex legionibus, ab iisque divisi, aliis jungebantur, ut res postulabat, legionibus, et cum iisdem militabant: quod factum videtur vel invidiae vitandae causa, quia exauctorati munerum vacationem habebant; vel ne ob stipendiorum diuturnitatem nimia prae aliis auctoritate pollerent; vel denique, si juniores, non veterani, erant, ut vigore ac levitate corporis velociores legionem, cujus pars erant, relictis post se signis, sub vixillo antecedere, et paulo longius, ubi opus erat, progredi possent. Ita porro videntur appellati, quia separatim a legionum aquilis, et cohortium signis, sub proprio vexillo erant, quam ob causam vexilla a cohortibus, quae in legionibus erant, *Tac. H.* 1, 70. aperte distinguit. *Id. ib.* 2, 83. Legio sextra, et tredecim vexillariorum millia ingenti agmine sequebantur. *Id. ib.* 100. Postremo agmine unaetvicesima legio Rapax, et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum, et electis auxiliis. *Veg.* 2, 110. *f.* Magnus vexillariorum numerus ad internecionem caesus. *Inscr.* ap. *Fea, Framm de' fasti cons. p.* 86. L. Roscio M. F. Qui. Aeliano, Maecio Celeri Trib. Mil. Leg. IX. Hispan., vexillarior. ejusdem, etc. V. VEXILLUM. *F.* Cf. *Boettich. lex. Tac.* p. 489. sqq. ubi omnes virorum doctorum de hoc genere militum sententias uberius expositas invenies.]

VEXILLĀTIO, onis, f. ala equitum. *Veg. Mil.* 2, 1. Equitum alae dicuntur ab eo, quod ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies: quae nunc vexillationes vocantur, a velo, quia velis, hoc est flammulis utuntur. ℙ Ita etiam appellatur manus militum, qui ab legionibus suis sejuncti sub vexillo, non sub aquilis legionum, aut cohortium signis militabant. V. v. praec. *Suet. Galb.* 20. Illud mirum admodum fuerit, neque praesentium quemquam opem imperatori ferre conatum, et omnes, qui arcesserentur, sprevisse nuntium, excepta Germanicianorum vexillatione. *Inscr.* ap. *Grut.* 441, 1. L. Neratio C. F. Vel. Proculo misso ab Imp. Antonino Pio ad deducendas vexillationes in Syriam ob bellum Parthicum. *Alia* ap. *eund.* 407, 1. L. Fabio M. F. Gal. Ciloni Septimino duci Vexill. per Italiam, praeposito Vexillation. Perinthi pergentibus, etc. Alia ap. *Mur.* 237, 2. Vexillatio Leg. VI. Victr. P. F. *Alia* ap. *Donat.* 281, 4. Vexillatio Leg. XX. Val. Vic.

VEXILLIFER, ra, rum, adj. vexillum ferens. *Prud. Psych.* 419. Hunc vexilliferae quoniam fors obtulit ictum: *de Sobrietate loquitur crucis vexillum ferente.*

VEXILLUM, i, n. σημεῖον, signum militare: a *veho, vexi.* A *vexillo* autem factum est *velum*, ut *Cic. Or.* 45. *med.* docet, contra id, quod tradunt *Festus, Servius* ad *A.* 8, 1. et *Prisc.* 3, 615. qui volunt esse diminut. a *velum.* [*Rectissime. V. *Velum.*] Nos a *Cic.* stamus. *Id. Phil.* 2, 40. Ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres. *Tac. Ann.* 1, 20. Manipuli postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt. *Flor.* 3, 20. Servis ad vexillum vocatis, *h. e.* ut nomina militiae darent. *Cic. Phil.* 5, 11. *med.* Numquando perditis civibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis? *h. e.* auctor turbarum et seditionum in republica. Sic *Att.* 10, 15. Vexillo opus est; convolabunt. ℙ Submittere vexilla. Translate. *Stat. Silv.* 4. 2, 41. Submittere vexilla fortunae suae, *h. e.* humiliter se gerere, de majestate sua aliquid demere civilitatis causa: ducta est translatio a militia, in qua victi vexilla sua ante victores demittere solent. ℙ Per antonomasiam *vexillum* dicitur velum illud russi coloris (ut ait *Macr. Stat.* 1, 16.), quod imperator proponi supra praetorium (teste *Pl.* in *Fabio* c. 15.) jubet, cum certaminis tempus imminent. *Caes. B. G.* 2, 20. Caesari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret; signum tuba dandum; ab opere revocandi milites, etc. *Auct. B. Hisp.* 28. Renuntiatum est ab speculatoribus, Pompejum in acie stetisse: hoc nuncio allato, vexillum proposuit. *Hirt. B. Alex.* 45. Vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum. ℙ Ponitur interdum pro manu militum sub uno vexillo. *Stat. Theb.* 12, 782. Accedunt utrinque pio vexilla tumultu, Permiscentque manus. ℙ Est speciatim pro manu vexillariorum. *Tac. H.* 1, 70. Praemissis Gallorum, Lusitanorum, Britannorumque cohortibus, et Germanorum vexillis. *Inscr.* ap. *Or. Coll. Inscr. Lat. n.* 2008. Herculi Saxano, et Imp. Vespasiano Aug., et Tito Imp., et Domitiano Caesari M. Vibius Martialis 7. Leg. et Domitiano Caesari M. Vibius Martialis 7. Leg. X. Gem., et commilitones vexilli Leg. ejusd., qui sunt sub cura ejus, V. S. L. M. (V. VEXILLARIUS.) ℙ Etiam collegia artificum sua habuerunt vexilla, apud nostrates *gli stendardi delle fraglie* vocantur. *Trebell. Gall.* 8. Praeter ea vexilla, quae collegiorum erant, dracones et signa templorum omniumque legionum ibant. *Vopisc. Aurel.* 34. Jam vexilla collegiorum, atque castrorum multum pompae addiderant. ℙ Est idem ac supparum. *Suet. Cal.* 15. Praefixo in biremis puppe vexillo. *F.*]

VEXO, as, avi, atum, a. 1. ἐνοχλέω, κακόω, agito, concutio, jacto, quatefacio. *Gell.* 2, 6. ad illud *Virg. Ecl.* 6, 76. Dulichias vexasse rates: *Vexasse*, grave verbum est: factumque ab eo videtur, quod est *vehere*, in quo inest jam vis quaedam alieni arbitrii: non enim sui potens est, qui vehitur. *Vexare* autem, quod ex eo inclinatum est, vi atque motu procul dubio vastiore est: nam qui fertur et raptatur, atque huc illud distrahitur, is vexari proprie dicitur. Haec eadem ex *Gell.* exscripsit *Macr. Stat.* 6, 7., quibus similia a *Servio* ad *Virg. l. c.* habemus. [*Cf. *Doederl.* 4, 415 sq. ubi de discrimine inter *sollicitare* et *vexare* haec fere leguntur: *sollicitare* significat in universum carpendo, pungendo, feriendo aliquem e statu quieto excitare, ita ut, ratione imprimis animi et mentis habita, vel metum ei vel spem injicias: *vexare* dicitur de iis, qui non nisi perturbandi, caedendi, nocendi causa quietem alicujus turbant, totumque hominem et animum et corpus, comprehendit.] *Lucr.* 1, 274. *de vi venti*: montesque supremos Silvifragis vexat flabris: et *ib.* 1022. Sed quia multa modis multis mutata per omne Ex infinito vexantur percita plagis. *Ov. Met.* 11, 435. venti vexant nubila coeli. V. VEXATUS. ℙ Turpi sensu. *Mart.* 8, 46. Felix quae tenerum vexabit sponsa maritum. *Id.* 11, 81. Cum sene communem vexat spado Dindymus Aeglen. Adde *Auson. epigr.* 108. et *Petr. Sat.* 139. ℙ Item laedo corpus, dolorem affero. *Plin.* 20, 8, 32. Herba stomacho utilissima, praecipue quem humor vexat. *Petr. Sat.* 136. Anser non dubitavit crus meum serrato vexare morsu. *Mart.* 11, 87. Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat Assidue tussis. ℙ Item universim graviter infesto, molesto: praesertim cum de belli injuriis, et vastationibus sermo est. *Liv.* 42. 67. Vexantibus eos Coronaeis. *Cat.* ap. *Gell.* 2, 6. Cum Annibal terram Italiam laceraret atque vexaret. *Cic. Fam.* 2, 10. *med.* Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses hostes sempiternos: multi occisi, capti, reliqui dissipati. *Caes. B. G.* 4, 15. *extr.* Supplicia Gallorum veriti, quorum agros vexaverant; et *ib.* 6, 43. Caesar ad vexandos hostes profectus. Adde *Cic. Cat.* 1, 11, *f.* et *Verr.* 2, 3, 54., *Nep. Dat.* 4. et *Eum.* 5. et *Hirt. B. Afr.* 25. *med.* ℙ Et de aliis rebus. *Cic. Verr.* 1, 4. *f.* Siciliam iste per triennium ita vexavit ac perdidit, ut, etc. Ubi *Asconius:* vexavit ingentis calamitatis usum significat. *Juven.* 1, 126. noli vexare: quiescit; et *Nep. Att.* 9. Cum Fulvia litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur. *Cic. Dom.* 23. Quid vos uxor mea misera violarat? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis. *Id. Flacc.* 20. *f.* Vexare aliquem probris omnibus et maledictis. *Id. Sext* 1. Qui omnia divina et humana violarint, vexarint, perturbarint, everterint. *Id. Mil.* 9. Omni scelere vexare rempublicam. ℙ Translate. *Id. Tusc* 5, 9 Vexatur Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod, etc. *h. e.* incusatur, reprehenditur. *Id. Sext.* 28. *med.* Cato iis Pisonem verbis vexavit, ut, etc. *Petr. Sat.* 132. *med.* Hac fere oratione contumacem vexavi. *Plin. ep.* 4, 2. *f.* Vexat ergo civitatem insaluberrimo tempore, et quod vexat, solatium putat. V. integr. loc. *Cic. Dom.* 2. Illud a te homine vesano ac furioso requiro, quae tanta poena tuorum scelerum flagitiorumque vexet, ut arbitrere, etc. *h. e.* transversum agit, a recta mente declinare facit. *Juven.* 6, 610. philtris mentem vexare mariti, *h. e.* dementare. *Sall. Cat.* 5. *med.* Civitatis mores luxuria atque avaritia vexabant. *Cic. Leg.* 1, 14. Sollicitudo vexat impios, *h. e.* exagitat, male habet angore conscientiae. *Sall. Cat.* 15. Ita conscientia mentem excitam vexabat; et *ib.* 3, *extr.* Me honoris cupido eadem, quae ceteros, fama atque invidia vexabat.

U F

UFENTĪNĀ. V. OUFENTINA.

*UFFUGUM, i, oppidum Italiae inferioris, in Bruttiis. *Liv. l. c.* 30, 19. *B. A.*

U G

*UGERNUM, i, n. oppidum Galliae Narbonensis. *Tab. Peuting. B. A.*

*UGĪA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Anton. Itin. B. A.*

V I

VIA, ae, f. ὁδός, locus, qua vehiculum ire potest: a vehendo, quasi *vehia.* [*Doederl.* 3, 4. et 4, 63. sq. ab *ire* hujus vocabuli ortum repetit, quod ipsi probatur iis cum v. *ire* cognatis formis, in quibus Digamma locum vindicat, ut, *betere, bitere, petere.*] *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatus a villa: villa ab eo, quod in eam convehuntur fructus, et evehuntur, cum veneunt: a quo rustici etiam nunc quoque viam, veham appellant, propter vecturas. *Id. L. L.* 4, 4. *med.* Ut quo agebant, actus, sic qua vehebant, viae dictae. ℙ Differunt *iter, actus, via*, quod *iter* hominis est; *actus* hominis, et jumenti; *via* hominis, jumenti, et vehiculi. Unde consequitur, iter esse angustius actu, actum via. Nam angustiore spatio it homo, quam armentum, ac armentum angustius spatium requirit, quam vehiculum. Iter duorum pedum latitudine definitur, quantum requiritur, ut transire possint occurrentes: actus est iter quatuor pedes latum, ut *Festus* scribit in voce *Actus:* at viae latitudo lege XII. Tab. in porrectum pedes habet octo, in anfractum, idest ubi flexum est, pedes sedecim, ut *Cajus Dig.* 8, 3, 8. docet. Haec trium harumce vocum proprietas est, quando de servitute agrorum loquimur. Nam alias *via* accipitur pro quovis loco, per quem ire omnibus licet. Nativam vocum vim spectavit quoque *Pomponius* cum *Dig.* 8, 1, 13. ait, si tam angusti loci demonstratione facta, via concessa fuerit, ut neque vehiculum, neque jumentum ea inire possit, iter magis, quam via, aut actus acquisitus videbitur. Sed si jumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum, actus videbitur acquisitus. Ad quem locum provocamus, siquis nobis opponere velit verba *Ulp.*, qui *ib.* 3, 1. ait, Actus est jus agendi vel jumentum, vel vehiculum. Ubi si proprietatem vocis spectasset, scribere debuisset, Actus est jus agendi jumentum, non etiam vehiculum. Sed popularem loquendi consuetudinem, non nativam vocabuli vim, spectavit *Ulpianus*: uti et *Paulus*, cum *ib.* 7. ait: Qui actum habet, et plaustrum ducere, et jumenta agere potest: item *Modest. ib.* 12. Actus est, ubi et armenta trajicere, et vehiculum ducere liceat Qua ratione nihil inter viam actumque interesset, quia utrumque tum agendi pecoris, tum vehiculi ducendi jus contineret. Sed haec lis ita facile componi posse videtur, si totus *Pauli* loc. citatus adducatur: Qui actum habet, et plaustrum ducere, et jumenta agere potest; sed trahendi lapidem, aut tignum ei jus non est. Haec *Paul.* Patet igitur licuisse per actum agere tum jumenta, tum plaustra seu vehicula, dummodo ne onusta fuerint, sed vacua [*Cf. *Doederl.* 4, 63. sqq.] ℙ Ceterum frequentissime *via* latiore significatione usurpatur pro quovis loco, per quem ire licet, ut dictum est. *Pl. Epid* 2, 2, 24. Ego ire vidi milites plenis viis. *Ter Eun.* 3, 2, 42. Haud convenit una ire cum amica imperatorem in via. *Cic. Phil.* 12, 9. Tres ergo viae, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia. *Hor. Sat.* 1, 9, 1. Ibam forte via sacra, sicut meus est mos. (V. SACER.) *Tac. H.* 3, 82. *med.* Per angusta et lubrica viarum flexerant. *Cic. Att.* 9, 9. *med.* Cursare huc illuc via deterrima; et *ib.* 5, 14. Iter conficiebamus aestuosa et pulverulenta via. *Id. Fam.* 14, 12. In viam se dare; et *ib.* 16, 4. Viae se committere. *Id. Fin.* 5, 2. *med.* Declinare de via ad dexteram; et *Caes. B. G.* 5, 19. Ex via excedere. *Cic. Div.* 1, 15. Revertit ex itinere, cum jam progressus esset multorum dierum viam. *Id. Caecin.* 10. Dare alicui viam per fundum suum. *Caes. B. G.* 1, 9. Qua via, Sequanis invitis, propter angustias ire non poterant. *Pl. Rud.* 4, 3, 88. tu abi tuam viam. *Liv.* 25, 9. Milites monuit, via omnes irent, nec diverti quemquam paterentur, *h. e.* qua via esset. *Sen. Ben.* 6, 6. Lex legi non miscetur: utraque sua via it; et *Caes. B. G.* 6, 8. *extr.* Perquirere aditus viasque in aliquam regionem. *Tac. Ann.* 1, 32. Viam ferro patefacere; et *H.* 4, 20. invenire: et *Ann.* 2, 21. aperire; et *ib.* 1, 66. claudere. *Hor. Sat.* 2, 6, 93. viam carpere. *Sen. Herc. Fur.* 318. habere ad Superos. *Virg. A.* 6, 122. ire, redire. *Ov. Met.* 11, 515. Rima patet (*in navi*), praebetque viam letalibus undis. ℙ *Viam facere*, est aperire, parare. Sic *Tibull.* 1, 5, 24. Subjicietque manus, efficietque viam, *h. e.* subter brachia manus ponet, et populi turbam amovebit. *Ov. Met.* 5, 423. icta viam tellus in Tartara fecit. ℙ Significat etiam iter facere, proficisci. *Id. Her.* 16, 21. Sigeo dubias a litore feci Longa Pherseae per freta puppe vias. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Phaedr. prol.* 3. Ego porro illius semita feci viam. ℙ Dicimus cum *Liv.* 41, 27 sternere viam silice. (V. INTEGO.) *Inscr.* ap. *Grut.* 150, 8. Viam ornare ac reficere; et *alia* ap. *eund.* 152, 4. corruptam munire ac restituere; et *alia* 153, 3. et 6. reficere et restituere; et *Ulp. Dig.* 43, 10, 1. purgare. ℙ *Decedere de via* est aberrare. *Suet. Caes.* 31. Et cum luminibus extinctis decessisset via, diu errabundus, etc. Translate *Cic. Coel.* 16. Se nulla cupiditate inductum de via decessisse, *h. e.* ab honestatis et virtutis tramite declinasse. ℙ Praeterea *decedere de via* est alicui obviam venienti honoris causa locum dare. *Suet. Tib.* 31. Cum palam esset, ipsum quoque eis assurgere, et decedere via. Hoc sensu *Sen. ep.* 64. *f.*

dixit *semita cedere*. ℙ *Tota errare via* est vehementer errare. *Ter. Eun.* 2, 2, 14. ℙ Viarum aliae privatae sunt, aliae publicae, aliae vicinales. Et privatae quidem sunt, quae per privatorum agros ducuntur, et agrariae etiam appellantur: publicae vero, per quas omnibus, et in quemcumque publicum locum ire licet; quae sunt in solo publico, publice muniuntur, et curatores habent: vicinales sunt, quae per vicos, aut in vicos ferunt, quae et ipsae publicae sunt, si non ex collatione privatorum sunt constitutae: nam si ex privatorum collatione reficiantur, utique sunt privatae, ut docet *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* ℙ Publicae viae nunc *militares*, nunc *consulares*, nunc *praetoriae* vocantur; et a publica auctoritate, et usu nomen sortiuntur. *Id. l. c.* Publicas vias dicimus, quas Graeci *βασιλικὰς*, nostri praetorias, alii consulares vias appellant. *Id. ib.* 7, 3. Viae militares exitum ad mare, aut in urbes, aut ad flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent: vicinalium autem viarum dissimilis est conditio; nam pars earum in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur. Haec *Ulp.* Ceterum quod ad alias appellationes pertinet, viae hae publicae dictae sunt etiam *consulares*, et *praetoriae* ad significandum publicum earum usum: nam praetor erat summus Urbis magistratus, consul reipublicae: legimus etiam multas publicas vias a consulibus, nonnullas a praetoribus aut deductas, aut stratas fuisse. ℙ Primi omnium Poeni dicuntur lapidibus vias stravisse, ut affirmat *Id. Or.* 15, 16., deinde viae publicae a Romanis admirabili magnificentia non in Urbe solum, sed etiam tota Italia factae et stratae fuerunt: nulla enim gens fuit, quae publicae civium commoditatis et ornamenti tum urbis, tum agri studiosior exstiterit. Eis faciendis, vel reficiendis primarii cives praepositi erant; et primo quidem censores; deinde his aliis in rebus occupatis, creati sunt proprii magistratus, qui *viarum curandarum*, et *curatores viarum* vocabantur. In viis constitutae fuere columnae lapideae, quae singulis intervallis positae signum milliariorum prae se ferebant. V. LAPIS. Nomina viarum a variis casibus imposita sunt; aliae enim ab auctoribus appellatae sunt, ut *Appia* ab App. Claudio Crasso censore. V. APPIA et FLAMINIUS, aliae ab urbibus, ad quas ferebant, ut *Collatina;* aliae a provinciis, ut *Campana;* aliae a diversis eventibus, ut *Triumphalis*, *Fornicata*, etc. ℙ In theatris *viae* erant plana praecinctionum loca, item scalae, per quas ab uno ad alium ordinem graduum, et ab uno ad alium cuneum per vomitoria transibatur. *Mart.* 5, 14. Et hinc miser dejectus in viam transit, Subsellioque semifultus extremo, etc. *Tert. Spect.* 3 *med.* Nam apud spectacula et in via statur. Vias enim vocant et cardines balteorum per ambitum, et discrimina popularium per proclivum. Vide *Maff. Ver. illustr.* 4, 2, 8. ℙ Metonymice *via* sumitur pro ipso actu eundi. *Cic. Phil.* 1, 5. De via languere. *Id. Div.* 1, 15. Multorum dierum viam progredi. *Virg. A.* 5, 28. Flecte viam velis. ℙ *Inter vias*, idem est ac in via, eundo. *Pl. Poen.* 5, 3, 43. Ne inter vias praeterbitamus, metuo. *Ter. Eun.* 4, 2, 1. Coepi mecum inter vias aliam rem ex alia cogitare. Adde *Turpil.* ap. *Non.* 14, 8. ℙ *Viam perpetuam* veteres optabant inimicis suis, quos maximo habebant odio, cum aliquo illi profecturi essent: quibus verbis a Diis petebant, ut nunquam in ea loca redirent, sed quanto magis iter facere pergerent, tanto magis e conspectu se eriperent. *Id. Pis.* 14. *f.* An quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam, et perpetuam esse vellent? ℙ Translate sumitur pro transitu, canali, vehiculo. *Id. N. D.* 2, 55. Succus is, quo alimur, permanat ad jecur per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris ductas et directas vias. ℙ Item pro ratione et modo aliquid faciendi. *Id. Verr.* 1, 16. *med.* Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. *Id. Leg.* 1, 6. Et qui aliter jus civile tradunt, non tam justitiae, quam litigandi tradunt vias. *Sall. Jug.* 19. Reliquos legatos eadem via aggressus, plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. [*Tac. Ann.* 1, 54. alia Tiberio morum via; 4, 7. non quidem comi via (Tiberius), sed horridus ac plerumque formidatus; 2, 5. tractare proeliorum via: Cf. *Liv.* 38, 18. deus Romanis viam belli et victoriam dare. — Saepe ap. *eundem* legitur via consilii. *Iust.* 31, 5. se viam gerendi belli edisserturum. Consimili ratione Graeci loquuntur: ita *Thucyd.* 1, 122. *ὁδοὶ τοῦ πολέμου*. Sed ibi *ὁδοὶ* sunt *ἀφορμαὶ*, i. e. subsidia belli. V. Comment. *Popp.* ad *Thucyd. Vol.* 1. p. 585.] *Virg. A.* 6, 367. si qua via est, si quam tibi diva creatrix Ostendit. ℙ Item pro methodo, sive ordine scribendi, vel dicendi. *Cic. Brut.* 12. Nam antea neminem solitum via, nec arte, sed accurate tamen, et de scripto plerosque dicere. ℙ Item pro virga aurea, aut purpurea, qua virgatae vestes ornantur, quia quasi semita quaedam, aut stria telas distinguit. *Tib.* 2, 6, 35. Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias. ℙ *Ingredi viam* dicuntur, qui vera, non falsa narrare incipiunt. *Pl. Amph.* 1, 1, 273. Ingressus est viam. Sic *Id. As.* 1, 1, 39. Rectam instas viam: ea res est. ℙ *Via lactea* quid sit, V. in LACTEUS. ℙ *Vias* pro *viae* in patrio, ut *monetas*, *familias*, etc. antiquorum est. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 679. dux ipse vias. ℙ *Viai* saepe suo more dixit *Lucr.* ut 1, 406. et 659., 2, 249. etc. ℙ [*Confund. *viam* et *vim*. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. 219.]

*VIABUNDUS, a, um, adj. vians. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *Angelo Maio*) 3, 54. init. Sed enim Alexander viabundus, cuncta curiosius spectans, animo perlustrabat. Ita conjicit *Maius:* nam in codice est *uthabundus*. Fortasse legendum *visabundus*, quod V. *B. A.*

*VIACA, ae, oppidum Vindeliciae. *Tab. Peuting.* ℙ Hodie appellatur *Wagete. B. A.*

[VIACUS, i, m. cogn. Mercurii a Viacensibus, seu Viatiensibus, Hispaniae Tarraconensis populis, a *Plin.* 3, 3, 4. memoratis, deductum. *Inscr.* ap. *Grut.* 55, 5. Deo Mercurio Viaco M. Atilius Silonis F. Quir. Silo ex voto. *F.*]

VIĀLIS, e, adj. ad viam pertinens. *Lares viales*, qui et *praestites* dicti, erant ii, quorum imagines in viis et compitis statuebantur, ut iis praessent, et tutas euntibus praestarent. *Pl. Merc.* 5, 2, 24. Invoco vos, Lares viales, ut me bene juvetis. V. ANIMALIS et PERMARINUS *f.*

*VIANIOMINA, ae, oppidum Norici vel Pannoniae superioris, quod et Vindobona audiebat. Hodie est *Vienna*. *Plin.* 3, 24. ubi *Vianam* legit *Hermolaus. B. A.*

VIANS, antis, part. a *vio:* iter faciens, viator *Solin.* 29. *f.* Submovere accessus viantium. *Prud. Hamart* 209. incautum spoliare viantem. *Id. Cath.* 5, 65. Praebent rupta locum stagna viantibus. *Appul. Met.* 6. Quis viantium vectorem suum non libenter auferat secum? et *ib.* 10. Vianti marito domus expugnationem nuntiare. *Id. Flor. in.* Ut ferme religiosis viantium moris est, *h. e.* religionis causa iter habentibus. Graeca syntaxis: *τοῖς εὐσεβέσι τῶν πορευομένων.*

VIĀRIUS, a, um, adj. *ὁδιαῖος*, ad viam spectans. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *f.* Levissime enim Curio, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, et pro Caesare loqui coepit, legemque viariam non dissimilem agrariae Rulli, et alimentariam, quas jubet aediles metiri, jactavit, *h. e.* de viis muniendis, vel faciendis.

[VIĀSIUS, ii, m. idem videtur esse ac viarius, scilicet qui juxta viam aliquam habitat, ut vicanus, qui in vico: *viasius* porro pro *viarius* antiquissima est Latinorum scriptio, ut *Fusius*, *Auresius*, *Valesius* primitus pro *Furius*, *Aurelius*, *Valerius* scriptum fuit in vetustissimis monumentis. *Legis Thoriae fragm.*, seu *Inscr.* ap. *Grut.* 202. *lin.* 12. Qui ager, locus, aedificium ei, quem in viasieis vicaneisve ex S. C. esse oportet, oportebit. *F.*]

VIĀTĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. viatico, *ἐφοδιασμένος*, *ἐπισιτισμένος*, viatico instructus. *Pl. Men.* 2, 1, 29. Cum inspicio marsupium, viaticati hercle admodum aestive sumus. V. AESTIVE.

VIĀTĪCŬLUM, i, n. exiguum viaticum. *Ulp. Dig.* 5, 1, 18. *f.* Et egestate Romae laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei destinavit. *Appul. Met.* 7. Viaticulum mihi corrasi.

VIĀTĪCUS, a, um, adj. *ὁδοιπορικός*, ad viam et iter pertinens, viatorius. *Pl. Bacch.* 1, 1, 61. Ego sorori meae coenam hodie dare volo viaticam, *h. e.* adventiciam peregre redeunti. ℙ *Viaticum* absolute, *ἐφόδιον*, quidquid iter agendi causa necessarium est, sive cibus, sive pecunia, sive vasa, vestis, etc. *Pl. Capt.* 2, 3, 89. Sequere me, viaticum ut dem a trapezita tibi. *Id. Epid.* 5, 1, 9. Adornare alicui ad fugam viaticum. *Plin. ep.* 7, 12. *f.* Vide, ut mihi viaticum reddas, quod impendi, data opera cursore dimisso. Eodem modo *ep.* 3, 17. locutus est *Pl. Poen. prol.* 71. Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico. *Id. Ps.* 2, 3, 1. Dii immortales! conservavit me illic homo adventu suo: suo viatico reduxit me usque ex errore in viam, i. e. sua pecunia; et *Cic. Sen.* 18. *extr.* Potest quidquam esse absurdius, quam quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere? *Plin. ep.* 4, 13. *med.* Impendere quippiam in viatica. [*Liv.* 44, 22. In Macedoniam mecum veniat: nave, equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur. ℙ Viaticum dicitur etiam pecunia, quae ex aerario datur ad magistratibus provincialibus, quaestoribus, legatis, instrumenta itineris comparanda, ut tabernacula, mulos, etc. dabatur autem pecunia redemtoribus, qui haec viae instrumenta curarent. *Cic. Fam.* 12, 3. Qud legato tuo viaticum eripuerunt. Cf *Sigon. Ant. Jur. Provinc.* 3, 16. *Casaub.* ad *Theophr.* 11. *Ern. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Translate *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 17, 2. Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter praecellebat: ut facile intelligeretur, magnum viaticum ex se, atque in se ad rempublicam evertendam habere. *Gell. ib.* Magnum viaticum pro magna facultate et paratu magno nove positum est: videturque Graecos secutus, qui *ἐφόδιον* a sumptu viae ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt: ac saepe *ἐφοδίασον* pro eo dicunt, quod est, institue, et instrue. ℙ De pecunia militari, quam quis stipendia faciens, et ex praeda acquisivit. *Suet. Caes.* 68. Ingresso civile bellum centuriones cujusque legionis singulos equites e viatico suo obtulerunt. *Hor. Ep.* 2, 2, 26. Luculli miles collecta viatica multis Aerumnis etc. ad assem Perdiderat. ℙ De ea, qua quis procul a patria in alimenta sua utitur. *Ulp. Dig.* 12, 1, 17. Cum filius familias viaticum suum mutuum dederit, cum studiorum causa Romae ageret.

*VIATIENSES, ium, incolae Viatiae. Fuit autem Viatia, *Biatia Ptolemaeo*, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in agro Oretanorum. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

*VIĀTIM, adv. per vias. *Diomed. Grammat.* l. 1. *B. A.*

VIĀTOR, oris, m. *ὁδίτης*, *ὁδοιπόρος*, qui iter facit. *Cic. Fat.* 15. *med.* Viator bene vestitus causa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. *Id. Mil.* 21. Non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur. *Virg.* ap. *Donat. in ejus vita n.* 7. Nocte, die tutum carpe viator iter *Id. G.* 4. 96. ceu pulvere ab alto Cum venit, et sicco terram spuit ore viator Aridus. *Mart.* 2, 6. Lassus tam cito deficis viator; et 11, 13. Quisquis Flaminiam teris viator. *Juven.* 10, 22. Cantabit vacuus coram latrone viator. ℙ Praecipue dicitur de ministro seu apparitore publico magistratus, qui itineri se committebat, quoties aliquis Romam ab eo vocaretur. *Cic. Sen.* 16. A villa in senatum arcessebantur et Curius et ceteri senes: ex quo qui eos arcessebant, viatores nominati sunt. ℙ Differt a lictore, tum quia hic a *via*, ille a *ligando* est dictus: tum quia hujus officium erat viae se dare arcessendi causa; illius ligare crura et manus, virgis aut securi caedere: tum quia viatoribus utebantur magistratus ii, qui potestatem, non imperium habebant, cujusmodi fuerunt censores et tribuni pleb.; at viatoribus et lictoribus simul, qui imperium habebant, ut consul, dictator, proconsul in provincia. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 12. In magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum: vocationem, ut consules et ceteri, qui habent imperium: prehensionem, ut tribuni pleb. et alii, qui habent viatorem: neque vocationem, neque prehensionem, ut quaestores et ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem. *Liv.* 2, 56. Ardens ira tribunus viatorem mittit ad consulem, consul lictorem ad tribunum. *Id.* 39, 34. *de Catone cens.* Ornamenta et vestem muliebrem, et vehicula, quae pluris, quam quindecim millium aeris essent, in censum referre viatorem jussit. ℙ Tribuni pleb. viatore utebantur ad prehendendum, non ad vocandum, aut ligandum: nam aliud est prehendere, aliud ligare: prehendimus manibus, aut veste; ligamus fune, aliove quo vinculo. *T.* tamen *Valgius* ap. *Gell.* 12, 3. viatorem cum lictore ejusdem ordinis esse ait. Fuisse nempe ex corpore viatorum unum, qui ligandi officium haberet, et ob id lictorem dictum. Hinc interdum *viator* pro lictore ponitur. *Liv.* 3, 56. Appius tribunos appellavit, et nullo morante, arreptus a viatore, provoco, inquit. *Cic. Vat.* 9. Quaero, miserisne viatorem, qui M. Bibulum domo vi extraheret? ℙ Viatoris consularis et praetorii mentio fit in *Inscr.* ap. *Grut.* 627, 1. et 2. et 1033, 5.; quaestorii 627, 4, 5, 6. et 7. (contra id quod scribit *Varr.* ap. *Gell. l. c.* in. §. 3, sed hae *Inscr.* longe posteriores aetate sunt); tribun. pleb. *ib.* 9.; pullarii *ib.* 5. Hic aderat consuli vel praetori auguria e pullis captanti: nisi malis eundem fuisse ac viatorem augurum, qui habetur ap. *Mur.* 718, 3. Mihi videtur viator pullarius esse pullarii minister, qui ejus nomine magistratui nuntiabat, quodnam augurium ex pullis pascentibus exstitisset. Praeterea viator VII. Vir. Epulonum legitur ap. eund. *Mur.* 174, 6, item viator et scriba Librar. ap. *Don. cl.* 3. *n.* 1. Ap. *Grut.* 630, 12. et *Reines cl.* 11. *n.* 21. Decuria lictorum viatorum quae est Narbone. ℙ Denique ap. *Justin. Institut.* 4, 6. viatores dicuntur *executores causarum*, h. e. nuncii, qui indicunt litigantibus, ut compareant, et sententiam judicis iisdem notam faciunt, et exsequi curant. ℙ *Ulp. Dig.* 5, 1, 82. Nonnunquam solent magistratus populi R. viatorem nominatim vice arbitri dare: quod raro, et non nisi re urgente faciendum est. ℙ [*Viator* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3401. Aurelius Viator. *F.*]

VIĀTORĬUS, a, um, adj. *ὁδοιπορικός*, ad viam pertinens, ut Viatorium vas, quo iter agentes ferendi potus gratia utuntur. *Plin.* 16, 10, 20. *de taxo*. Vasa viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est. *Scaev. Dig.* 34, 2, 40. Argentum viatorium; et *Veg. Vet.* 1, 61. Viatorium medicamentum, *h. e.* quod in ipsa via haberi potest. *Vitruv.* 9, 9. Horologia viatoria pensilia. ℙ Item ad viatorem pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 631, 2. Decuriae duae, viatoria, et lictoria.

VIĀTRIX, icis, f. quae iter facit. *Capell.* 6. *p.* 190. Viatrix infatigata. *Inscr.* ap. *Mur.* 1058, 8. Vectia Victoria viatrix piissima. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 745, 5. Aquilia Viatrix.

*VIBELLI, orum, populi Alpini, in Liguria. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*VIBERI, orum, Lepontiorum pars, inde Lepontii Viberi dicti. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

VĪBEX, ĭcis, f. *μώλωψ, πέλιομα*, signum verberis in corpore remanens. *Paul.* ex *Festo:* Vibices plagae verberum in corpore humano, dictae, quod vi fiunt. Alii ducunt ab *ἴβυκες*, quae *Hesychio* sunt *σημεῖα*. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Plautus in Fugitivis: Age, euge, specta, vide vibices quantas! Vibices, alii excitatum verberibus corpus. *Plin.* 30, 13, 39. Verberum vulnera, atque vibices, pellibus ovium recentibus impositis, oblitterantur. *Pers.* 4, 48. Si puteal multa cautus vibice flagellas. *Appul. Met.* 9. Homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti. Adde *Cat.* ap. *Non* 2, 910.

VIBIĀ, ae, f. V. VARA.

VIBILIA, ae, f. Dea praeses viarum. *Arnob.* 4. p. 131. Ab errore viarum Dea Vibilia liberat. *Meursius* mallet legere *Vehilia;* nam *veha* veteribus Latinis erat via, teste *Varrone R. R.* 1, 2. *med.*

[VIBĪNAS, atis, adj. omn. gen. ad Vibinum pertinens, urbem mediterraneam in Apulia Daunia, nunc *Bovino.* Hinc *Vibinates, ium*, absolute, sunt incolae illius urbis ap. *Plin.* 3, 11, 16. Vibinates, Venusini. *F.*]

[VIBIONĪNUS, a, um, adj. derivativ. a *Vibius.* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 626, 2. M. Vibio M. Lib. Catinio Vibionino, etc. *F.*]

[VĪBIUS, a, um, adj. nomen gentilicium R., ut ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. C. Vibius Pansa. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 170, 2. Nonum post decimum compleras nubilis annum, Vibia, crudeli funere rapta viro. ℙ Est etiam praenomen R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 2. *lin.* 15. Vib. Cominius .... *Fast. cons. Capitol.* ap. *eund.* 289. P. Sestius Q. F. VIbI N. Capitolinus Vaticanus. *scil.* consul ann. U. C. CCCII. (V. *B. Borghes.* in *N. framm. de' fasti cons. Capit.* T. 1. p. 81.) *Inscr.* ap. *eund.* 895, 3. et *Mur.* 1420, 8. D. M. Vibior. Cominian. (*h. e.* Vibiorum Cominianorum) Valerii Pii, et Severae Claudianae, et Severi, et Valeriae Cominianae Domitia Domitiana C. F. viva S. P. Mon. marito, privign., cognat. et socr. (*h. e.* sua pecunia monumentum marito, privignae, cognato et socrui). *F.*]

VIBONĒNSIS, [et Viboniensis, e, *F.*] adj. ad Vibonem pertinens, ut Vibonensis sinus, in Bruttiis, in ora occidentali, nomen habens a vicino oppido, [quod prius Hippo, dein Vibo Valentia, olim Romanorum colonia, dictum est, nunc *Monteleone* appellatur. *F.*] Ejus *Cic. Att.* 16, 6. et *Plin.* 3, 5, 10. meminere. *Liv.* 21, 51. Vibonensis ager. [*Inscr.* ap. *Mur.* 1777, 12. Musice Viboniensis An. XXVI. *F.*]

VIBŌNES, um, m. plur. flores herbae Britannicae, qui devorati ante tonitrua a fulminibus securos reddere existimantur, teste *Plin.* 25, 3, 6.

VIBRABĪLIS, e, adj. qui vibrari potest. *Auson. ep.* 24, 108. Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixi, Aut praeter dominum vibrabilis ornus Achilli. *Capell.* 1. p. 11. *extr.* Cyllenius in sidus vibrabile astrumque convertitur, *h. e.* lucis vibrantis. V. STILBON.

VIBRĀBUNDUS, a, um, adj. vibrans. *Capell.* 8. p. 297. de stella Mercurii: Radiis solaribus liberatus vibrabundus apparet. V. STILBON.

VIBRĀMEN, inis, n. vibratio. *Appul. Met.* 6. Trisulca vibramina draconum.

VIBRANS, antis, part. a *vibro, πάλλων*, absolute sine casu (facile tamen subauditur *se*) ponitur pro celerrime agitato, vibrato. *Virg. A.* 2, 211. Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. *Ov. Met.* 12, 79. Concutiensque suis vibrantia tela lacertis. *Virg. A.* 10, 484. Vibranti clypeum cuspis transverberat ictu. *Val. Fl.* 8, 449. fugit infestos vibrantibus hastis Terrigenas; et *ib.* 56. Cum subito ingentem media inter nubila flammam Conspicit, et saeva vibrantes luce tenebras. *Id.* 3, 142. Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra. *Ov. Am.* 2, 5, 15. Multa supercilio vidi vibrante loquentes, *h. e.* celeriter moto. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 95. *med.* Et erat oratio cum incitata et vibrans, tum etiam accurata et polita. [*Cf. *Ellendt.* ad h. l.] *Quint.* 10, 1. de Archilocho, et 12, 9. Breves, vibrantesque sententiae. *Plin.* 10, 29, 43. Sonus lusciniae vibrans, *h. e.* tremulus. ℙ Cum accusat. *Sen. Oed.* 440. thyrsum levem vibrante manu; et *Herc. Oet.* 1254. serpens squalidum crista caput vibrans. *Lucan.* 9, 513. Juppiter fulmina vibrans.

VIBRĀTĬO, onis, f. actus vibrandi. *Festus* in voce *Gradivus:* Gradivus Mars appellatus est a vibratione hastae; quod Graeci dicunt *χραδαίνειν. Jun. Calpurn.* ap. *Vopisc. Car.* 8. Tonitruum continuata vibratio.

VIBRĀTUS, a, um, part. a *vibro: πεπαλμένος, Virg. A.* 8, 524. Namque improviso vibratus ab aethere fulgor Cum sonitu venit. *Ov. Met.* 8, 374. vibrata per auras Spicula. *Val. Fl.* 8, 306. Cum subitas videre rates, vibrataque flammis Aequora, *h. e.* coruscantia, splendentia luce tremula. V. VIBRO. ℙ *Capillus vibratus* est tortus, crispatus. *Virg. A.* 12, 99. et foedare in pulvere crines Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes. *Plin.* 2, 78, 80. Barba et capillo vibrato. ℙ *Tac. H.* 4, 15. Impositus scuto more gentis, et sustinentium humeris vibratus, dux eligitur, *h. e.* in altum jactatus. ℙ Translate. *Anson. ep.* 21, 5. Iambus Flammis corusci fulminis vibratior.

VIBRĀTUS, us, m. vibratio. *Capell.* 1. p. 17. Crebri vibratus ignium. *Id.* 8. p. 300. Proprii luminis vibratum amittunt.

VIBRISSAE, arum, f. plur. *τρίχες ῥινός*, ut exponunt *Gloss. Philox:* pili in naribus hominum. *Festus:* Vibrissae pili in naribus hominum dicti, quod bis evulsis caput vibratur.

VIBRISSĀRE, aut Vibrissĕre, est vocem in cantando crispare. *Titinius:* Si erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses. Haec *Paul.* ex *Festo.*

VIBRO, as, avi, atum a. *l. πάλλω*, cum tremore tracto, agito, concutio. *Cic. Or.* 2, 80. Qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur. *Val. Fl.* 1, 61. Draco multifidas linguas vibrans. *Ov. Met.* 1, 528. Obviaque adversas vibrabant flamina vestes. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 152. imis vibrat tremor ossa medullis. *Id. Eutrop.* 2, 25. infernas rabies arcana cavernas Vibrat. *Ov. Her.* 11, 75. Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura; Ut quatitur tepido fraxina virga noto; Sic mea vibrari pallentia membra videres; Quassus ab imposito corpore lectus erat; et *Claud. in Ruf.* 2, 356. Et tremulos humeris gaudent vibrare colores, Quos operit, formatque chalybs. *Id. Epith. Pall. et Col.* 97. Vibrare faces. ℙ Item jacio, projicio. [*Huc pertinet illud *Cic. Cat.* 2, 10. *med.* Hi non solum cantare et saltare, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt. Quem locum perperam *Noster* ab initio posuerat.] *Ov. Her.* 4, 43. Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto. *Plin.* 8, 23, 35. de angue jaculo: Jaculum ex arborum ramis vibrari. *Claud. II. cons. Stil.* 167. fulmina vibrat Juppiter. *Id. IV. cons. Hon.* 179. Insuetosque palus radios Maeotia vibrat; et 520. jam cornus avita Tentatur vibranda tibi. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 125. ubi simul de discrimine et confusione verborum *librare* et *vibrare* agitur.] ℙ Absolute (ita tamen ut facile casus subaudiatur) significat micare, coruscare, tremere, vibrari. *Ov. Met.* 3, 34. de angue: Tresve vibrant linguae, triplici stant ordine dentes. *Sen. Phoen.* 439. ferrum vibrat in fratrum manu. *Sil.* 1, 539. Ultrix injusti vibravit lancea belli. *Petr. Sat.* 27. Numerabat pilas, non quidem eas, quae inter manus lusu expellente vibrabant, sed eas, quae in terram decidebant. *Plin.* 2, 80, 82. Terrae motus non simplici modo quatitur, sed tremit vibratque. *Sen. Prov.* 3. *med.* Inter multa magnifica Demetrii nostri et haec vox est, a qua recens sum: sonat adhuc et vibrat in auribus meis. V. alia in VIBRANS. ℙ De iis, quae tremulum splendorem emittunt, rutilant, micant, radiant. *Cic. Acad.* 4, 33. Mare quia a sole colluceat, albescit, et vibrat. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 2. tremulis vibravit in undis Ardor. *Val. Fl.* 2, 583. sacris ignibus Ide Vibrat. *Sil.* 2, 664. in tremulo vibrant incendia ponto. *Id.* 11, 329. vibrabat ab ore Ignis atrox. *Id.* 4, 155. manicaeque rigebant Ex auro, et simili vibrabat crista metallo. *Val. Fl.* 2, 342. Tyrio vibrat torus igneus ostro. *Id. ib.* 66. memorat, qui vultus Olympi, quo sidere vibret Ensis, et Actaeus niteat qua luce Bootes. *Sil.* 2, 398. galea, vibrant cui vertice coni Albentis niveae tremulo nutamine pennae. *Flor.* 3, 11. *med.* Signa auro, sericeisque vexillis vibrantia. *Plin.* 37, 9, 40. Sapphiri fundunt colorem aspectu leniter blandum, neque in oculos, ut carbunculi, vibrant. ℙ Transfertur ad orationem. *Cic. Or.* 70. *extr.* Demosthenis uon tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. *Catull.* 36, 5. Desissemque truces vibrare iambos. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 2. Priore adhuc querela vibrante, alia deinceps exsurgit, *h. e.* adhuc in auribus hominum sonante. *Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Ejusmodi fabulae vibrabant, cum Trimalchio intravit, *h. e.* hinc inde jactatae sonabant.

[VIBŪLĀNUS, i, m. cogn. R. ignotae originis et significationis, quo usa est gens Fabia. *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 289. Q. Fabius M. F. K. N. VIbulanus Cos. II. *h. e.* ann. U. C. CCLXXXIX. *F.*]

*VIBULLĬUS, i, m. nomen Romanum, v. g. L. Vibullius Rufus, Pompeii familiaris, de quo *Caes. B. C.* 1, 15, 23 et 24. *Cic. Att.* 8, 1. *Pompei.* in *Cic. Att.* 8, 11. *B. A.*

VIBURNUM, i, n. genus fruticis lentum imprimis, et flexibile: a *vieo*, quia ad viendum, hoc est ligandum idoneum est: vel ab *ἰβύω*, caedo, verbero, quod aptum sit ad caedendum: [videtur esse idem ac nerion, rhododendron, Italis *oleandro*, et *lentaggine*, cujus flos ab *Appul. Met.* 4. *in.* dicitur *laurea rosa*, et accurate describitur. Hinc *Gloss. Philox.* *Ῥοδοδάφνη*, laurea, viburna. Ex hoc autem loco apparet, etiam *viburna, ae*, f. declinari. *F.*] *Virg. Ecl.* 1, 26. Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

VĪCĀ PŌTĀ, Dea vincendi potens. *Cic. Leg.* 2, 11. Quod si fingenda nomina Vicae Potae potius, atque Statae. [Ita recte leg. *Goerenzius* et *Schützius;* alii perperam cum glossae interpolatione: *Vicae Potae vincendi atque potiundi, Statae standi*, etc. *F.*] *Sen. Apocol. med.* Proximus rogatur sententiam Diespiter, Vicae Potae filius. Adde *Liv.* 2, 7. *extr.*, ubi alii aliter leg.

VĪCĀNUS, a, um, adj. ad vicum pertinens. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. Non habeo denique nauci Marsum augurem, Non vicanos haruspices, non de circo astrologos, *h. e.* qui vicatim quaestus causa vagantur, praedictiones suas credulis vendituri. [**Id. Fl.* 3. Timolites vicanus, i. e. qui in vico habitat. V. *Graev.*] *Liv.* 38, 30. *f.* Vicani, quique ibi exsules habitabant, primo inopinata re territi sunt, *h. e.* vici incolae; qua ratione saepe in *Inscr.* ap. *Grut.* et *Mur.* legitur. ℙ [*Vicani Dii* sunt appellati, qui vicorum custodiae praeerant. *Inscr.* ap. *Romanell. Topogr. Nap.* T. 2. p. 359. Diis Vicanis, Compitalibus, et Hortensibus ex voto. V. plura huc pertinentia ap. *eund. ib. F.*] ℙ Etiam *vicaneus* dicitur. *Imp. Zeno Cod.* 11. *tit.* 56., qui inscribitur *Ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur.*

[VĪCĀRĬA, ae, f. officium vicarii praefecti praetorio. *Imppp. Grat. Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 6, 26, 4. Praeponendi, qui vicarias postea administrarunt. ℙ Item officium vicarii praefecti urbi. *Inscr.* Romae reperta ann. 1827., quamque vidit, et exscripsit *B. Borghesius.* Martialis numerarius vicariae urbis aeternae, qui vixit P. M. annis LXX., depositus in pace die V. Kal. Dec. Fl. Mallio Theodoro V. C. Cos. *scil.* ann. a Chr. n. CCCXCIX. V. *Ammian. l. c.* in VICARIUS. *F.*]

VĪCĀRĬĀNUS, a, um, adj. ad vicarium pertinens. *Sidon. ep.* 1, 3. Civium desidiam vicariano apice transcendit, *h. e.* honore et dignitate vicarii. [*Imp. Honor. et Theodos Cod.* 1, 35, 1. Vicariani apparitores. *F.*]

[VĪCĀRĬĒTAS, atis, f. actus reddendi vices alicujus rei. *Venant.* in *ep. praef. carm.* 6. *l.* 5. *f.* Tribuentes petita cum fidenti vicarietate servitii. *F.*]

VĪCĀRĬUS, a, um, adj. *ἀμοιβαῖος*, qui vicem alicujus gerit. *Cic. Rosc. Am.* 38. *med.* Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur. *Quint. decl.* 6, 21. *f.* Qui vicarias pro patre manus obtulerit. *Id. decl.* 9, 22. Perituri vitam mariti vicaria morte sua redemit; et *decl.* 16, 7. Ut, si tyrannus exegerit, vicarium corpus opponam. *Ammian.* 28, 5. *in.* Vicariam Romae praefecturam regens; et *ib. med.* Curans vicariam praefecturam in Urbe. ℙ *Vicarius* absolute, *ἀμοιβαῖος*, qui vicem alterius obtinet, cujusmodi sunt praefectorum substituti, et locum tenentes, ut vulgo vocant. *Cic. Verr.* 2, 4, 37. Succedam ego vicarius tuo muneri. *Id. Mur.* 37. *f.* Nolite mihi subtrahere vicarium diligentiae meae. *Id. Sull.* 9. An hoc regnum appellabitur, cujus vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest? *Id. Fam.* 16, 22. Itaque te do vicarium: tu eum observabis. *Liv.* 29, 1. *med.* Quoniam quid sentires, non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equumque et cetera instrumenta militiae tradas; et *mox:* Se quisque excusare, et vicarium accipere. *Hor. Od.* 3, 24, 15. defunctumque laboribus Aequali recreat sorte vicarius. *Papin. Dig.* 26, 7, 38. *f.* Vicarius damni, *h. e.* qui pro alio damnum facere cogitur. ℙ [Qua ratione *vicarius alicujus* discrepet ab illo, qui *agens vices*, vel *vice, alicujus* dicitur, docet *Cledon.* p. 1865. Saepe quaesitum est, utrum vicarius dici debeat etiam is, cui magnificentissimi praefecti vices suas in speciali causa mandaverunt: nequaquam, nam vicarius dicitur is, qui ordine codicillorum vices agit amplissimae praefecturae; ille vero, cui vices mandantur propter absentiam praefectorum, non vicarius, sed vices agens, non praefecturae, sed praefectorum dicitur tantum. V. loca id ipsum probantia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 517. et 622. *F.*] ℙ Speciatim vocabatur vicarius, qui in familia atriensi servo, id est majori serviret, *ὁ τοῦ οἰκέτου οἰκέτης*, ut interpretatur *Theophilus.* Ap. *Plaut.* ita loquitur Leonida servus *As.* 2, 4, 28. Scio, mihi vicarium esse, neque eo esse servum in aedibus heri, qui sit pluris. *Hor. Sat.* 2, 7, 79. Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos Vester ait, seu conservus. *Mart.* 2, 18. Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse. *Paul. Dig.* 9, 4, 19. Si servus tuus navem exercuerit, ejusque vicarius et idem nauta in eadem nave damnum dederit. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 687. Andronicus Hermae Ti. Claudii Caesaris servi vicarius. ℙ Etiam feminae fuerunt vicariae aliorum servorum. *Inscr.* ap. *Mur.* 972, 11. Privata Admeti, et Juli vicaria V. A. XXII. *Alia* ap. *Fabrett.* p. 304. *n.* 297. Asclepiadi Athictus vicariae carissimae fecit. ℙ Etiam vicariorum vicarii erant. *Alia* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 775. Felici Onesimi Aug. dispensatoris vicario Fortunatus vicarius fecit. Adde *aliam* ap. *Grut.* 579, 10. *F.*] ℙ Opponuntur autem vicarius et servus ordinarius, ac ille in hujus quasi domini peculio est. *Ulp. Dig.* 15, 1, 17. Si servus meus ordinarius vicarios habeat, id, quod vicarii mihi debent, an deducam ex peculio servi ordinarii? V. NARCISSIANUS.

VĪCĀTIM, adv. *κατὰ κώμας*, sparsim per vicos urbis. *Cic. Dom.* 50. Servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio. *Hor. Ep.* 5, 97. Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens, Con-

tundet obscenas anus. *Suet. Caes.* 41. *med.* Recensum populi vicatim per dominos insularum egit; et *Cal.* 35. *med.* Vicatim circumducere aliquem. *Tac. H.* 2, 95. Editis tota urbe vicatim gladiatoribus. Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 916. ℙ Significat etiam per pagos, seu per vicos rusticos. *Plin.* 6, 26, 30. Mesopotamia tota Assyriorum fuit, vicatim dispersa, praeter Babylona, et Ninum. *Liv.* 9, 13. Samnites in montibus vicatim habitantes: *κωμηδόν.*

*VICELLENSES, ium, populi Latii, qui cum Veliensibus, Sicanis, aliisque multis interiere. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

VĪCEM. V. VICIS.

[VĪCĒNĀLIS, e, adj. idem ac vicenarius. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *med.* Vicenalis sphaera est loco tertio. *Id.* hanc eandem paulo ante dixerat *viginti angulam*, quam vocem vide suo loco. *F.*]

VĪCĒNĀRĬUS, a, um, adj. *εἰκοσιαχὸς*, qui in se continet viginti. *Pl. Ps.* 1, 3, 69. Tum lex me perdit quina vicenaria; metuunt credere omnes, *h. e.* lex lata in minores viginti quinque annis. Macedoniano enim SCto cautum fuit, ne quid minori XXV. annis crederetur: si contra fieret, ejus rei nulla esset actio, nisi forte in rem minoris esset conversa. V. *Dig.* 14. *tit.* 6. *qui* de S. C. Macedoniano *inscribitur.* ℙ *Fistula vicenaria* ap. *Vitr.* 8, 7., *Front. Aquaed.* 30. et *Pall.* 9, 12. est quae luminis in rotundum coacti digitos habet quadratos viginti. V. VICENIQUINI. ℙ *Vicenarius*, absolute, viginti annos natus. *Arnob.* 2. p. 58. Quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? ℙ [Sunt qui scribunt *vicennarius*, ut sit a *viceni* et *annus*: quod minus placet. *F.*]

VĪCĒNI, ae, a, adj. numerale distribut., *εἴκοσι*, viginti. *Varr. L. L.* 9, 1. Si duae res, quae conferuntur, vicenas habent partes; et *Caes. B. G.* 6, 13. Nonnulli annos vicenos in disciplina permanent. *Colum.* 3, 3. *med.* Amphoras vicenas percipient ex singulis jugeribus. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Annua vicena millia Neapolitanis numerari jussit. *Id.* 6, 23, 26. Hydri marini vicenum cubitorum adnatantes terruerunt classem. *Id.* 7, 49, 50. Centeni viceni anni. *Id.* 8, 51, 77. Partus *(suum)* bis anno: numerus fecunditatis ad vicenos; et 18, 7, 12. *n.* 2. Frumentum Gallicum, atque e Chersoneso advectum non excedunt in modium vicenas libras. ℙ Extra distributionem. *Id.* 25, 8, 49. Diebus vicenis interpositis idem fiat. *Mart.* 4, 26. Tricenos, puto, bis, vicenos ter, puto, nummos. ℙ [Antepaenultimam licenter corripit *Alcim.* 4, 243. Bis quinis late claudetur *(arca cubitis)*, bisque vicenis. *F.*]

VĪCĒNĪQUĪNI, ae, a, adj. vigintiquinque, *εἴκοσι πέντε. Front. Aquaed.* 29. et 47. Fistula, quae habet areae, id est luminis in rotundum coacti, digitos quadratos vigintiquinque, vicenum quinum appellatur. *Colum.* 12, 18. *f.* Sunt autem satis sesquicullearibus doliis picis durae pondo vicenaquina. *Plin.* 7, 49, 50. Annorum centenum vicenumquinum homines duo. ℙ Scribitur et divisim. *Liv.* 41, 7. Militibus denarios quinos vicenos diviserunt.

VĪCENNĀLIS, e, adj. vicenos annos continens. In nummo *Alex. Sev.* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 275. Votis vicennalibus. ℙ *Vicennalia, orum*, vel *ium*, absolute. *Lactant. Mort. persecut.* 17. Diocletianus perrexit Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, *h. e.* ludos, qui vicesimo quoque anno celebrandi erant. In nummo Constantini jun. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 108. Vota Vicennalior. V. DECENNALIS.

VĪCENNĀRĬUS. V. VICENARIUS.

[VĪCENNIS, e, adj. idem ac vicennalis. *Porph. Optat. Pan. ad Constant. carm.* 10, 35. Virtutum meritis vicennia praecipe vota. *F.*]

VĪCENNĬUM, ii, n. *εἰκοσετία*, viginti annorum spatium. *Modest. Dig.* 50, 8, 8. Calcularii erroris retractatio etiam post decennii, aut vicennii tempus admittetur.

[VĪCENSIS, e, adj. ad Vicum Augusti pertinens, quod *Anton. Itin.* inter Hadrumetum, et Aquas Regias statuit, urbem episcopalem provinciae Bysacenae in Africa. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida libera, Ulusubritanum, Vagense aliud, Vicense, Zamense. Perperam in editionib. legitur *Vigense. F.*]

VĪCENTĬA. V. VICETIA.

VĪCEPRAEFECTUS (et *divisim* Vice praefectus) i, m. vice agens praefecti. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 462, 2. [Catio Alcimo Feliciano Vicepraef. Praet., etc. *h. e.* vicepraefecto praetorio; et *ib. mox:* Vicepraef. Vigilum. *Alia* ap. *Mur.* 725, 3. L. Nonius Verus Vic. Praef. per Italiam. *F.*]

VĪCĒQUAESTŪRA, ae, f. munus ejus, qui vice quaestoris fungitur: quem *proquaestore* appellat *Cic. Verr.* 2, 1, 38. *Ascon.* in *argum. Verr.* 3. *med.* Capita sunt haec: primum in quaesturam: deinde in legationem, et vicequaesturam: tertio in praeturam urbanam, etc.

VĪCES. V. VICIS.

VĪCĒSĬES. V. VICIES.

VĪCĒSĬMA, ae, f. V. in VICESIMUS.

VĪCĒSĬMĀNI, orum, m. plur. 2. milites legionis vicesimae. *Tac. A.* 1, 51. et 64.

VĪCĒSĬMĀRĬUS, a, um, adj. *εἰκοσταχὸς*, ad vicesimam spectans. *Liv.* 27, 10. *f.* Cetera expedientibus, quae ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus servabatur, promi placuit, *h. e.* aurum, quod ex vicesima collectum fuerat. ℙ *Vicesimarius, ii, εἰκοστώνης*, qui vicesimam exigit. *Petr. fragm. Trag.* 65. *Burm. f.* Servum mortuum manumiserat: et puto cum vicesimariis magnam rixam habet. [Quinquaginta enim millibus existimant mortuum. Hinc patet, servos a dominis suis manumissos aestimari solitos fuisse, quanti valerent, a vicesimariis. V. VICESIMUS. *F.*]

VĪCĒSĬMĀTĬO, onis, f. supplicium militare, quo vicesimus quisque puniebatur. *Capitol. Macrin.* 12. Quando eos centesimaret, qui digni essent decumatione, atque vicesimatione. V. DECIMATIO.

VĪCĒSĬMUS, et Vigesimus, a, um, *εἰκοστὸς*, ultimus ex viginti. Utraque scriptio proba est: sunt tamen qui *vicesimus* praeferunt. V. TRICESIMUS. *Cic. Manil.* 3. Annum jam tertium et vicesimum regnat. *Liv.* 10, 47. Censores vicesimi sexti a primis censoribus: lustrum undevicesimum fuit. *Cic. Fam.* 12, 25. Litteras mihi Cornificius altero vicesimo die reddidit. *Id. Fin.* 2, 31. *med.* Vicesimo die lunae. *Plin.* 35, 2, 2. Vicesima luna sacrificant. *Varr. R. R.* 3, 9. *extr.* Ut vigesimus dies et primus sit par. *Sall. Cat.* 48. Ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum. *Auct. Pan. ad Pis.* 249. et nondum vicesima venerit aestas. *Manil.* 4, 462. Septima post decimam luctum, et vigesima portat. ℙ [*Vicesima* absolute, et *vicesima libertatis F.*] (supple *pars*) est vectigal, quod in manumissionibus servorum solvebatur reipublicae a domino, nempe pro singulis viginti assibus unus, atque adeo quinque asses pro centum. Institutum hoc fuit ann. U. C. CCCXCVII. Cn. Manlio et C. Marcio Coss., quod usque ad seriora imperatorum tempora perdurasse constat ex *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 37. *n.* 179. sub Alexandro Sev., in qua ejus fit mentio. Illud vero vectigal, nisi a domino volente solveretur, a manumisso exigendum fuisse, multis argumentis evincit *P. Burm. de vectigal. P. R. c.* 10. et ex *Petronii l. c.* in VICESIMARIUS constat, pretium cujusque servi qui manumitteretur, a vicesimariis fuisse constitutum. *Liv.* 7, 16. Consul Cn. Manlius legem novo exemplo in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parum inopi aerario additum esset, auctores fuerunt. *Cic. Att.* 2, 16. Portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum praeter vicesimam? *Inscr.* ap. *Grut.* 890, 14. et *Maff. Mus. Ver.* 129, 5. Loc. sepulturae familiae XX. Lib. Reg. Transpad., etc. *h. e.* vicesimae libertatis regionis Transpadanae. [*Alia* ap. *Grut.* 591, 2. M. Lusio Pub. XX. Lib., Pr. Aer. P. H. C., etc. *h. e.* publicano vicesimae libertatis, procuratori aerarii provinciae Hispaniae citerioris. *Alia* ap. *eund. ib.* 4. Victori Ark. (*h. e.* arcario) XX. Lib. P. H. C. Quintilia Procula conjugi. *F.*] ℙ *Vicesima portorii* est ipsum portorium, cujus nomine solvebatur vicesima pars rerum, quae exportabantur. *Cic. Verr.* 2, 2, 75. His exportationibus scribit HS. LX. socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. ℙ [*Vicesima*, et *vicesima hereditatum* ab Augusto instituta fuit, cum aerarium militare conderet, ut ex quacumque hereditate solveretur vectigal, exceptis arcta sanguinis necessitudine conjunctis, et pauperibus, quod *Dion. l.* 55. *c.* 25. narrat, cui aliquot postea remissiones adjectae sunt. V. *Plin. Pan.* 37. et sqq. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 119. *n.* 4., ap. *Mur.* 478, 5. et ap. *Visc. Op. car.* T. 2. p. 99. Q. Manlius Q. F. Serg. Rufus Dec. judex ex quinq. decuriis equo publico testamento fieri jussit, et epulo dedicari: in hoc opus Statia Sex. F. Fida mater adjecit HS. XXXV. et summae operi et epulis relictae XX. fisco intulit HS. XIII. CC., solo publico, *h. e.* adjecit sestertium triginta quinque millia, et vigesimam fisco intulit sestertium tredecim millia, ducentos. *Alia* ap. *Grut.* 389, 7. Ti. Claudio Ilo Proc. XX. hereditatium, etc. *Alia* ap. *Maff. Mus. Ver.* 128, 1. M. Ulpio Cadmo Aug. Lib., qui fuit princeps tabularius in statione XX. hereditatium, etc. V. DEDUCTIO. ℙ Aliud fuit vectigal *quintae et vicesimae*, quod in venditionibus servorum ab emptore solvebatur reipublicae, *un quattro per cento. Tac. A.* 13, 31. Vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum *(a Nerone)* remissum. At *Dion. l.* 55. *c.* 31. hoc idem vocat *τὸ τέλος πεντηκοστῆς*, vectigal quinquagesimae; quod *Lipsius* in *Admir. l.* 2. *c.* 4. levissima immutatione pro *πεντηκοστῆς* legit *πεντεικοστῆς*, *h. e.* quintae et vicesimae, a *πέντε*, quinque, et *εἰκοστὴ*, vigesima; atque ita *Dionem* cum *Tacito* concordem facit, et cum duabus sequentibus *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 36. *n.* 176. Publici XX. Lib., et XXV. Venali ..... *h. e.* venaliciorum; et *ib. n.* 177. Sociorum publici XXV. venalium. *F.*] ℙ *Vicesima frumenti*, vicesima pars frumenti, quod quisque in agris suis messuit. *Liv.* 43, 2. *f.*

VĪCESSIS, vigessis. V. BICESSIS.

VĪCETĬA, et Vicentia, ae, f. *Vicenza*, *Οὐϊκητία*, et *Οὐϊκεντία*, urbs Venetiae ad Reronis et Medoaci minoris confluentiam, inter Veronam et Patavium, ab illa distans XXX. mill. pass., ab hac XVIII., condita a Gallis, et ad civitatem R. admissa Cn. Pompejo, Strabone (patre Pompeji M.), L. Porcio Catone Coss. ann. U. C. DCLXV., ante Christum LXXXIX. Municipium dicitur a *Tac. H.* 3, 8. et in *Inscr.* Vicetiae hodieque exstante, in qua legitur: P. Poblicio M. V. L. Valenti, etc. *h. e.* municipii Vicetini liberto: haec eadem ap. *Grut.* 455, 3. pro *M. V. L.* perperam habet /W *L.*, ap. *Don. cl.* 5. *n.* 210. et *Mur.* 734, 3. male itidem *M. L.* Ea vero urbs fuit in tribu Menenia, ut constat ex veteribus monumentis. Ejusdem incolae antiquitus *Veicetini* dicti sunt in hac *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 108, 1. Sex. Atilius M. F. Saranus Procos. ex senati consulto inter Atestinos et Veicetinos finis terminosque statui jusit. Haec pertinet ad ann. U. C. DCXVIII., ante Christum CXXXVI. Deinde *Vicetini* ap. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 19., *Just.* 2, 15., *Plin.* 3, 19, 23., et ap. *Man.* et *Dausqu.* in *Orth.*, nempe in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 116, 2. et *Reines. cl.* 6. *n.* 44., in alia ap. *Grut.* 326, 8. et 1093. 8., in qua et *Vicetia* scribitur. Sed *Vicentia*, et *Vicentinus* legitur in quibusdam libris ap. *Tac. l. c.*, *Plin. ep.* 5, 4. et 14. et *Suet. Gr.* 23., itemque in *Inscr.* ap. *Grut.* 1094, 5., fictas autem nihil moror, unam ap. *Grut.* 653, 1., ubi *Veicet.*, alteram ap. *Reines. cl.* 4. *n.* 15., ubi *Vicentini* legitur. Prior itaque scribendi ratio antiquior, frequentior et probatior est. [*Emendavit hunc locum *F.*]

VĪCETĪNUS, et Vicentinus, a, um, adj. ad Vicetiam pertinens. V. v. praec. ℙ [Item pertinet ad municipium aliquod in Samnio, cujus mentio est in hac *Inscr.* paucis abhinc annis Boviani reperta, edita vero a *Raym. Guarin. Comment.* 12. p. 28. P. Arruntio P. F. Vol. Justo Q. Aed. Pat. Col. *(h. e.* quaestori, aedili, patrono coloniae *Boviani)*, Pat. Mun. Saepin., Pat. Mun. Vicentini, etc. Hactenus nullum innotuit in ea Italiae parte hujus nominis municipium: hinc nonnemo fortasse putet, legendum *Picentini*, cum urbs Picentia in agro Picentino ap. Salernum in *Tab. Peutinger.* appelletur *Icentia*, et nunc *Vicenza*, ut constat ex *Romanell. Topogr. Neap.* T. 3. p. 610. *F.*]

VĪCĬA, ae, f. *βίκιον*, leguminis genus, jumentorum pabulo nobilissimum, cubitali altitudine, foliis petroselini, amplioribus tamen, minutis, nigrantibusque in siliqua granis. V. CRACCA. *Plin.* 18, 15, 37. Et vicia pinguescunt arva, nec ipsa agricolis operosa: uno sulco sata, non sarritur, non stercoratur, nec aliud quam deoccatur. *Varr. R. R.* 1, 31. *f.* Vicia dicta a vinciendo, quod item capreolos habet, ut vitis, quibus cum sursum vorsum serpit ad scapum lupini, aliumve quem, ut haereat, id solet vincire. *Colum.* 2, 14. Stercorari, et juvari agros lupino, faba, vicia, etc. *Virg. G.* 1, 75. Aut tenues fetus viciae, tristisque lupini Sustuleris fragiles calamos. *Ov. Fast.* 5, 267. Flore semel laeso, pereunt viciaeque, fabaeque. ℙ [In *Not. Tir.* p. 111. est *vicium, ii*, n. *F.*]

[VĪCĬĀLIS, e, adj. ad viciam pertinens, vicarius. *Colum.* 6, 30. *med.* Crepusculo aqua datur, parumque hordei cum vicialibus. *Vicialia* hic dicuntur viciarum culmi, ut ap. *Varr. R. R.* 1, 23. et alibi *fabalia* sunt fabales culmi siccati. Ita *Schneiderus* edidit ex opt. MSS., *Gesnerus* antea *cum viciae lib. II. S.* scil. libris duabus semis; sed hoc ex vitiata, ut cuique patet, codicum lectione. *F.*]

VĪCĬĀRĬUS, a, um, adj. ad viciam pertinens. *Colum.* 8, 5. *med.* Cribro viciario, vel etiam loliario pulli superponantur.

VĪCĬES, adv. *εἰκοσάκις*, viginti vices, vel vicibus: sync. pro *vicesies*, seu *vigesies. Mart.* 12, 77. Et pedit deciesque, viciesque. *Caes. B. G.* 5, 13. *extr.* de Britannia: Omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum; et *Plin.* 30, 1, 2. Vicies centum millia versuum a Zoroastro condita; et 7, 28, 29. Stipendiis duobus ter et vicies vulneratus et *ib.* Centies vicies proeliatus; et *Colum.* 5, 3. Quinquies et vicies duceni quadrageni singuli fiunt sex millia et viginti quinque. Sic *ib.* Has summas inter se multiplicabis, vicies et semel, ducentos et unum: atque ita efficies quatuor millia ducentos et viginti unum. *Plin.* 14, 4, 6. Maroneum vinum vicies tanto addito aquae miscendum. ℙ Cum de pecunia sermo est, post *vicies* subintelligitur *centena millia.* V. TRICIES. *Cic. Att.* 4, 2. *med.* Superficiem aedium aestimarunt HS. vicies: *subaudi* centena millia. Sic *ib.* 11, 1. Ego in cistophoro in Asia habeo ad HS. bis et vicies. *(Graevius* hic leg. *vicesies); et Mart.* 1, 100. Non plenum modo vicies habebas.

[VICILĪNUS, Jovis epitheton ap. *Liv.* 24, 44. Et in Jovis Vicilini templo, quod in Compsano agro est, arma concrepuisse. Quidam legendum putant *Vigilini*, nempe custodis, a *vigil;* alii fortasse rectius *Viculini*, a *vicus*, quia vicorum aut viculorum numen esset, quemadmodum etiam *Paganicus* eadem de causa dicebatur. Hinc *Dii Vicani* in *Inscr.* allata in VICANUS. *F.*]

VĪCĪMĀGISTER. V. MAGISTER.

VĪCĪNĀLIS, e, adj. ad viciniam pertinens. *Liv.* 21, 26. *f.* Ingens vis navium et lintrium temere ad vicinalem usum paratarum, *h. e.* ad trajiciendum Rhodanum. *Just.* 41, 1. Parthi cum gravibus Scy-

thicis, et vicinalibus bellis assidue vexati, etc. ℙ *Vicinalis via* ap. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* Viae vicinales sunt, quae in vicis sunt, vel quae in vicos ducunt; et *ib.* 7, 3. Viae vicinales, quae ex agris privatorum collatis factae sunt, quarum memoria non exstat, publicarum viarum numero sunt; et *ib.* Vicinalium viarum pars in militares vias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur. *Sen. Ben.* 5, 24. *extr.* Agellos, in quibus vicinalis via causa rixae ac litium fuerat, militi suo donavit. Adde *Front. Aquaed.* 126.

[VĪCĪNĀRIUS, a, um, adj. idem ac vicinalis. *Vicinaria via* in castris dicitur minor illa et intercurrens, quae ex majoribus, praetoria scilicet, principali, quintana et singulari in strigas seu vicos ducit. Erat enim omnis castrorum metatio vicorum admodum similis propter intercurrentes vias. *Hyg. Gromat.* p. 5. *col.* 2. Viae vicinariae ideo dantur, percurrentes proximam sagularem, ut ad eruptionem exercitus expediti progredi possint. *Id. ib.* p. 12. *col.* 2. Ut nunc via vicinaria super cohortem primam. *F.*]

VĪCĪNĒ, adv. proxime. Comp. *Vicinius* ap. *Venant. carm.* 3, 12, 11. Quantum crescit aquis (*fluvius*), pisces vicinius offert: Exhibet hinc epulas, unde rapina venit. *August. Doctr Chr.* 1, 33. *f.* Vicinissime frui.

VĪCĪNĬA, ae, f. *γειτονία*, vicinitas: et fere dicitur de locis propinquis. *Front. de different. vocum*, p. 2200. Vicinia, vicorum conjunctio: vicinitas, hominum conversatio est. *Ter. Andr.* 1, 1, 42. Mulier quaedam commigravit huc viciniae. *Id. Ph.* 1, 2, 45. Modo quandam vidi virginem hic viciniae suam matrem lamentari mortuam. *Pl. Mil.* 2, 3, 2. Certo scio, me vidisse hic proximae viciniae Philocomasium sibi alium quaerere. *Id. Bacch.* 2, 2, 27. Proximae viciniae habitat. *Cic. Tusc.* 1, 16. Inde in vicinia nostra Averni lacus. *Colum.* 7, 3. In vicinia urbis. *Plin.* 5, 1, 1. Mons elatus super nubila, atque in viciniam lunaris circuli. *Virg. G.* 4, 290. Quaque pharetratae vicinia Persidis urget. *Sen.* ap. *Lactant.* 6, 17. *f.* Mortem in vicinia videre. ℙ De hominibus. *Hor. Sat.* 2, 5, 105. funus Egregie factum laudet vicinia. *Id. Ep.* 1, 16, 44. Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota. *Petr. Sat.* 93. Viciniam totam concitare. ℙ De propinquitate cujusque rei. *Id. ib.* 115. Mirati quod illi vacaret in vicinia mortis poema facere. ℙ Translate est similitudo, cognatio. *Plin.* 37, 9, 40. de amethyst.: Quintum genus ad viciniam crystalli descendit. *Id.* 31, 3, 22. Aqua ad viciniam lactis accedens *Quint.* 8, 6. *med.* Est huic tropo quaedam cum synecdoche vicinia. *Id.* 2, 12. Est quaedam virtutem vitiorumque vicinia.

VĪCĪNĪTAS, atis, f. *γειτονία*, loci propinquitas, vicinia. *Ter. Heaut.* 1, 1, 4. Vel virtus tua me, vel vicinitas facit, ut te audacter moneam, etc. *Hirt. B. G.* 8, 7. *med.* Comium discessisse ad auxilia Germanorum adducenda, quorum et vicinitas propinqua, et multitudo esset infinita. *Cic. Rosc. Am.* 16. *f.* In Umbria, atque in ea vicinitate. *Id. Att.* 5, 10. *f.* Propter vicinitatem totos dies simul eramus. ℙ Item homines, qui in vicinia habitant. *Cato R. R.* 4. Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes; operas facilius locabis, operarios facilius conduces. *Sall. Cat.* 37. Dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat. *Nep. Alc.* 10. Clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. *Cic. Fin.* 5, 23. Caritas serpit foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, etc. *Id. Rosc. Am.* 6. Sex. Roscius non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus. *Id. ad Quir.* 1. *med.* Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. ℙ Translate est similitudo. *Quint.* 3, 7. *f.* Est quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas. *Plin.* 21, 18, 69. Multi cyperon non discernunt a cypiro vicinitate nominis. ℙ [*Confund. *vicinitas* et *vetustas*. V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 294. a.]

VĪCĪNĬTUS, adv. in vicino, prope. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 15, 1, 4. Omnes intra centum pedes vicinitus, quantum ad horrea pertinet, arceantur.

VĪCĪNOR, aris, dep. 1. vicinus sum. *Sidon. ep.* 2, 11. Si nobis pro situ, spatiisque regionum vicinaremur. *Id. ep.* 6, 9. Vicinabatur festinata correctio. *Id. ep.* 7, 2. Forte accidit, ut diversorio, cui ipse successerat, quaedam femina non minus censu, quam moribus idonea vicinaretur. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 6. *med.* Loca capiti vicinantia.

VĪCĪNUS, a, um, adj. *ὁ ἐγγὺς, πλησίος*, propinquus, proximus, vel loco, vel tempore: a *vicus*, quasi in eodem vico positus. *Phaedr.* 3. *epil.* Cum mors vicina flagitabit debitum. *Virg. G.* 1, 510. Vicinae ruptis inter se legibus urbes Arma ferunt. *Cic. Sull.* 20. *med.* Cujus pater, cum ceteri deficerent finitimi ac vicinii, singulari exstitit in rempubl. nostram officio et fide. *Id. Verr.* 2, 1, 18. *med.* Latonam gravidam, et jam ad pariendum vicinam confugisse Delum. *Tibull.* 4, 1, 131. et coelo vicinum liquit Olympum. *Cic. Off.* 3, 29. Fidem in Capitolio vicinam Jovis O. M. majores nostri esse voluerunt. *Ov. Fast.* 6, 399. Sensit anus vicina loci; et *ib.* 275. Ni convexa foret, parti vicinior esset, Nec medium terram mundus haberet onus. *Id. Trist.* 3, 4, 52. Heu quam vicina est ultima terra mihi! *Hieron. Vir. illustr. n.* 7. Tertullianus vicinus eorum temporum. ℙ Absolute. *Plin.* 16, 32, 59. In Syriae vicina pervenire. *Id.* 6, 18, 22. Amnis rigans vicina; et *ib.* 26, 30. Rex aliud oppidum in vicino condidit. *Id.* 23, 8, 75. Vulpes, si ederint amygdalas, nec contingat e vicino aquam lambere, mori. *Colum.* 7, 2. *med.* Cum in municipium Gaditanum ex vicino Africae arietes deportarentur. *Sen. Br. V.* 15. *med.* In vicino versatur invidia: simplicius longe posita miramur. *Plin.* 2, 16, 13. Stellarum motum augeri, quamdiu in vicino sint terrae. *Cels.* 2, 6. *f.* In vicino saepe quaedam notae positae non bonos, sed imperitos medicos decipiunt. ℙ *Vicinus, i*, et *vicina, ae*, absolute, qui et quae prope nos habitat. *Cic. Rosc. Am.* 16. Multos nominatim proferre vel tribules, vel vicinos meos, qui etc. *Hor. Ep.* 2, 2, 132. bonus sane vicinus, amabilis hospes. *Id. Sat.* 1, 1, 85. omnes Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellae. *Virg. Ecl.* 3, 53. vicine Palaemon. *Phaedr.* 1, 6. Vicini furis celebres vidit nuptias Aesopus. *Ter. Andr.* 1, 1, 78. Fere in diebus paucis Chrysis vicina haec moritur. Adde *Hec.* 4, 4, 98. *Hor. Od.* 3, 19, 24. Et vicina seni non habilis Lyco. ℙ *Vicinus proximus*, qui e vicinis propius me habitat. *Ulp. Dig.* 50, 15, 4. Agri sic in censum referantur: nomen fundi cujusque, et in quo pago sit, et quos duos vicinos proximos habeat. *Cic. Cat.* 2, 10. Si stare non possunt, corruant, sed ita ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. V. PROXIMUS. Sic *interior vicinus* ap. *eund. Q. Fr.* 2, 2. *f.* ℙ Translate *vicinus* est similis, prope accedens. *Cic. Or.* 32. Dialecticorum scientia vicina et finitima eloquentiae. *Plin.* 34, 14, 41. Ferrum molle, plumboque vicinius. *Id.* 21, 9, 29. Sertulae Campanae odor croco vicinus est; et *ib.* 18, 69. Cypiro Cretico candor odorque vicinus nardo. *Id.* 24, 10, 48. Graeci vicino vocabulo cisthon appellant fruticem majorem thymo, foliis ocimi, *h. e.* hederam *κισθὸν*, hunc fruticem *κισθὸν* dicunt. *Id.* 37, 9, 41. Multum ab amethysto distat hiacynthos tamen e vicino descendens.

VĪCIS, ci, cem, ce, et in plur. *ces, cibus*, f. *ἀμοιβή, ἐναλλαγή*, vicissitudo, alternatio. Caret recto singulari, et patrio plurali, tametsi *Charis.* 1, 27. agnosit *vix, vicis. Ov. Met.* 11, 502. his agitur vicibus Trachinia puppis, Et modo sublimis, etc. nunc, etc. *Id. Trist.* 4, 4, 79. Cum vice sermonis fratrem cognovit; et *Pont.* 2, 10, 35. Saepe brevis nobis vicibus via visa loquendi; et *Fast.* 4, 353. Vicibus factis inire convivia; et *Met.* 15, 238. Peragere vices. *Hor. Od.* 4, 7, 1. Diffugere nives, redeunt jam gramina campis: Mutat terra vices. *Just.* 6, 5. *f.* Fatum illud Athenarum fuit, ut versa vice nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant. Adde *Sen. Herc. Oet.* 470. *Plin. Pan.* 5. *f.* Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur; et *ib.* 12. *f.* Non secus ac si mutatae temporum vices essent. *Petr. fragm.* p. 682. *Burm.* Non uno contenta valet natura tenore, Sed permutatas gaudet habere vices. *Plin.* 12, 14, 30. Per vices annorum, *h. e.* alternis annis. *Phaedr.* 2, 8. Spatium diei noctis excipiunt vices. ℙ *Vicibus*, et *per vices*, alternatim, alternis, *ἀνὰ μέρος*. *Plin.* 8, 7, 7. *extr.* de elephantis: Fessos, vulneratosque in medium agmen recipiunt, ac veluti imperio ac ratione per vices subeunt. *Ov. Fast.* 4, 483. Perque vices modo, Persephone, modo, filia clamat. *Tac. G.* 26. Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, *h. e.* nunc ab his, postea ab illis, eo modo quo *Caes. B. G.* 4, 1. et *ib.* 6, 21. tradit. *Just.* 2, 4. Duae reginae (*Amazonum*) vicibus gerebant bella. *Stat. Th.* 12, 388. et cara vicibus cervice fruuntur. *Colum.* 2, 2. Quae qualitates inter se mixtae vicibus, et alternatae, plurimas efficiunt agrorum varietates; et *Manil.* 3, 553. Et modo deest aliud, modo adest, vicibusque recedit. ℙ *In vices*, vicissim, invicem. *Ov. Met.* 4, 191. Inque vices illum tectos qui laesit amores, Laedit amore pari; et *ib.* 12, 161. Inque vices adita, atque exhausta pericula saepe Commemorare juvat. ℙ *In vicem*, idem. *Id. Her.* 17, 180. Inque vicem mea te, me tua forma capit. *Id. Met.* 6, 631. Inque vicem spectans ambos, etc. et *ib.* 8, 473. dubiis affectibus errat, Inque vicem ponit, positamque resuscitat iram. Adde *Virg. G.* 3, 188. et *ib.* 4, 166. ℙ *Pari*, aut *mutua vice*, in vices, pariter, aeque. *Colum.* 4, 24. *med.* Id maxime vitem infestat, ubi non omnis pars brachii pari vice laborat; et *ib.* 16. Ridica contingens vitem mutua vice sustinetur, et sustinet. ℙ *Reddere, referre, exsolvere vicem*, aut *vices*, par pari referre. *Tac. H.* 4, 3. Tanto proclivius est injuriae, quam beneficio vicem exsolvere. *Ov. Am.* 1, 6, 23. Redde vicem meritis. *Id. Met.* 14, 35. spernentem sperne, sequenti Redde vices. *Id. A. Am.* 1, 370. non poteris ipse referre vicem. Sic *Plin. Pan.* 85. Neque est ullus affectus tam liber, et dominationis impatiens (*quam amor*), nec qui magis vices exigat. ℙ *Vice* absolute pro *in vicem* dixit *Stat. Th.* 1, 427. ℙ Refertur ad tempus, quo quippiam fit. *Hor. Od.* 4, 14, 12. et arces Alpibus impositas tremendis Dejecit acer plus vice simplici; et *Colum.* 3, 21. Vites, quibus alma tellus annua vice velut aeterno quodam puerperio laeta, mortalibus distenta musto demittit ubera; et *Pall.* 1, 3. *f.* Tribus per diem vicibus; et 10, 1. Ager pinguis tertia vice arabitur; et *Colum.* 3, 2. *med.* Alterna vice annorum; et *Eum. Pan. Constant.* 6. Portus, quem statis vicibus aestus alternat. *Capitol. M. Aurel.* 7. Diversis vicibus. *Sil.* 7, 53. de CCC. Fabiis: saepe et per devia passim Dispersi subiere, vicis meritique labore Aequato. *Liv.* 3, 36. Cum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium, suam cujusce vicem, per omnes iret; et *Gell.* 18, 13. Tesserulas in medium vice sua quisque jaciebamus. ℙ *Vice quadam*, quodam tempore, quondam. *Sidon. ep.* 7, 1. *med.* Cum vice quadam civitas conflagrare coepisset. ℙ Saepe adhibetur pro *locus*, cum singnificamus substitutionem alius rei pro alia. *Cic. Leg.* 2, 19. *med.* Heredum causa justissima est: nulla est enim persona, quae ad vicem ejus, qui e vita emigraverit, propius accedat. *Liv.* 6, 34. Poena in vicem fidei cesserat. *Just.* 1, 2. Murum urbi cocto latere circumdedit, arenae vice bitumine interstrato. *Colum.* 3, 14. *extr* Potest tamen malleolus in vicem viviradicis conseri. *Id.* 4, 26. Pedamenta cariosa submovenda, eorumque in vicem idonea reponenda; et 5, 6. Primam quamque (*arborem*) senio afflictam submoveat, et in vicem novellam sobolem substituat. *Id.* 6, 2. *med.* Jugo ramus illigatur, et temonis vice trahitur. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. In pane salis vice utuntur nitro. *Id.* 36, 22, 44. In Belgica provincia candidum lapidem serra, qua lignum, secant ad tegularum, et imbricum vicem. *Pall.* 3, 28. Sublata medulla, ad ejus vicem theriacae medicamen addatur; et 4, 10. *f.* Si, pluviis abundantibus, crates non possis expandere, sub tecto eas ita ponis, ut semipede erigantur a terra, et eas ad vicem solis cinis calidus subjectus vaporet. *Inscr.* ap. *Grut.* 193, 10. Vice sacra judicans, *h. e.* loco principis; et 246, 3. Vice sacra cognoscens: *eod. sensu: Sen. Herc. Oet.* 105. mortis habet vices, lente cum trahitur vita gementibus, *h. e.* est instar mortis: habet casus morti similes. ℙ Translate est ministerium, munus, officium, partes. *Petr. Sat.* 89. neuter auxilio sibi: Uterque fratri transtulit pias vices. *Plin. Pan.* 80. *f.* Postquam (*Juppiter*) te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. *Liv.* 1, 20. Ne sacra regiae vicis desererentur; et *ib.* 41. *f.* Per speciem alienae fungendae vicis opes suas firmavit. *Phaedr.* 3. *epil.* Tuae prius sunt partes, aliorum dein: Similique gyro venient aliorum vices. *Quint. decl.* 6, 4. *med.* Commendavit amicis custodiam matris, substituit vici curae suae propinquos. *Phaedr.* 3. *prol.* Vicem adsuetam praestare; et *Tac. A.* 4, 8. *f.* Vestram meamque vicem expletе. *Hor. A. P.* 304. fungar vice cotis. ℙ In hac et superiore acceptione *vicem* absolute dicimus. *Pl. Rud.* 3, 5, 33. Si appellabit quempiam, vos respondetote istinc istarum vicem. *Liv.* 34, 32. *med.* Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris, *h. e.* ne quod nos facere debemus, ut irascantur, tu ipse facias, et irascendi vicem pro nobis subeas. *Tiro Tull.* ap. *Gell.* 10, 1. Cum Qompejus aedem Victoriae dedicaturus foret, cujus gradus vicem theatri essent. *Gell.* 16, 10. *med.* Quoniam res familiaris obsidis vicem esse apud rempublicam videbatur. ℙ *Vicem*, et *vice* interdum est instar, ritu, modo, more. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 9, 5. Ceteri vicem pecorum obtruncabantur. Alii leg. *vice:* sed *Nonius* certe *vicem*, cum ibi agat de accusativo posito pro ablativo. *Cic. Att.* 10, 8. *med.* Sardanapali vicem in suo lectulo mori. Alii leg. *vice. Plin.* 9, 45, 69. Jactari se passa fluctu algae vice. *Suet. Ner.* 31. Diebus ac noctibus vice mundi circumagi. *Tac. A.* 6, 21. *extr.* Quaeque dixerat, oraculi vice accipiens, etc. *Quint.* 6, 2. *f.* Qui illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice possimus, *h. e.* tanquam simus periclitantes: vel nomine periclitantium. ℙ *Ad vicem*, ad instar. *Gell.* 2, 15. Majores natu a majoribus colebantur ad Deum prope, et parentum vicem. ℙ *Vices*, discrimen, periculum. *Virg. A.* 2, 432. Testor in occasu vestro nec tela, nec ullas Vitavisse vices Danaum. ℙ Item sors, conditio, casus: et fere cum in pejus mutatio fit. *Phaedr.* 5, 1. Tacite gementes tristem fortunae vicem. *Cic. Dom.* 4. Mihi necesse erit et meam et aliorum vicem pertimescere. *Ter. Heaut.* 4, 5, 1. Menedemi vicem miseret me; tantum devenisse ad eum mali. *Cic. Fam.* 12, 23. Tuam vicem saepe doleo, quod nullam partem, per aetatem, sanae et salvae reipublicae gestare potuisti; et *Liv.* 8, 35. Stupentes tribunos, et suam jam vicem magis anxios, quam ejus, cui auxilium parabatur, liberavit onere consensus populi R. *Id.* 2, 31. *f.* Apparuit causa plebi, suam vicem indignantem magistratu (*dictatorem*) abisse. *Suet. Aug.* 66. Vicem suam conquestus est, quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci. *Sen. Med.* 286. regno-

rum status, Fortuna varia dubia quos agitat vice. *Id. Octav.* 480. Jactare aliquem Terra marique per dubias Martis vices.

VĪCISSĀTIM, adv. idem ac vicissim. *Pl. Poen. prol.* 46. Ad argumentum nunc vicissatim volo remigrare. *Id. Stich.* 4, 1, 27. Nosmet oneremus vicissatim voluptatibus. Adde *Naevium* ap. *Non.* 2, 879.

VĪCISSIM, adv. *ἀμοιβαδὸν*, per vices, alternatim. *Cic. N. D.* 2, 1. *med.* Quod si haberem aliquid, quod liqueret, tamen audire vicissim vellem, cum ipse tam multa dixissem. *Id. ib.* 7. Terra uno tempore florere, deinde vicissim horrere potest. *Virg. A.* 12, 462. versique vicissim Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros. *Cic. Att.* 16, 3. *med.* Exspecto, quid ille tecum, quid tu vicissim. *Id. Sen.* 16. *f.* Calescere vel apricatione, vel igni; aut vicissim umbris aquisve refrigerari. *Hor. A. P.* 11. hanc veniam petimusque, damusque vicissim. ℙ Quandoque significat secundo loco, sive similiter, sive ex altera parte. *Ter. Heaut.* 4, 3, 10. Sed nunc, Clinia, da te mihi vicissim: nam amici quoque res est videnda. *Cic. Fam.* 3, 6. Hoc ego meo facto delector; nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc vicissim tuum. *Virg. Ecl.* 5, 50. Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim Dicemus. *Id. A.* 11, 123. Drances infensus Turno sic ore vicissim Orsa refert.

VĪCISSĪTAS, atis, f. idem ac vicissitudo, apud veteres. *Accius* ap. *Non.* 2, 893. Vicissitatemque imperandi tradidit.

VĪCISSĪTŪDO, inis, f. *ἀμοιβὴ, μεταβολὴ*, alternatio, mutatio ex alio in aliud, commutati. *Ter. Eun.* 2, 2, 45. Omnium rerum vicissitudo est. *Cic. Tusc.* 5, 24. *f.* Quae vita, quis interitus, quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio. *Id. Fam.* 5, 12. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunaeque vicissitudines. *Id. Leg.* 2, 7. Vicissitudines dierum, ac noctium. *Id. Off.* 1, 37. *med.* Cum in reliquis rebus, tum in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet. ℙ Idem est aliquando ac remuneratio. *Id. Am.* 14. Nihil enim remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius. ℙ Item corporis alternatio. *Appul. Met.* 10. Utrinquesecus jactatae crebriter laterum mutuae vicissitudines.

VĪCOMAGISTER, tri, m. praefectus alicui vico. Legitur saepe in tabulis *Sex. Rufi de region. urb. Romae*, et *P. Victoris*. V. MAGISTER.

VICTA. V. POTUA.

VICTĪMA, ae, f. *ἱερεῖον, θῦμα*, animal sacrificio destinatum. Dicta est a victis hostibus. *Ov. Fast.* 1, 333. Victima, quae cecidit dextra victrice, vocatur: Hostibus a domitis hostia nomen habet. Triplicem etymologiam adducit *Festus*. Victimam Aelius Stilo ait esse vitulum ob ejus vigorem: alii autem, quae vincta ducatur ad altare: [*Cf. *Doederl.* 4, 281.] aut quae ob hostes victos immolaretur. ℙ Differunt *victima*, et *hostia* trifariam. Primo *hostia* a quovis sacerdote immolabatur, *victima* ejus tantum manu, qui hostem ipse vicisset, ut patet ex loco allato *Ovidii*. Atque hinc alterum quoque discrimen consequitur. Nam si *victima* victoris unius dextra mactabatur, non potuit victima caedi, nisi hostibus victis: at *hostia* quoque esse poterat, quae, cum iretur in hostes, caedebatur. *Serv.* in *A.* 1, 338. Hostiae dicuntur sacrificia, quae ab his fiunt, qui in hostem pergunt: victimae vero sacrificia, quae post victoriam fiunt. Sed haec licenter confundit auctoritas. Haec *Serv.* Tertium discrimen est, quod *victima* est major, ut vitulus; *hostia* minor, ut agnus. Itaque *Cornel. Fronto* his verbis differentiarum libellum claudit: Victima major est, hostia minor. Hinc *Pl. Ps.* 1, 3, 95. Nolo victimas, agninis me extis placari volo. *Hor. Od.* 3, 23, 12. Victima pontificum secures Cervice tinget. ℙ Saepe ponitur pro hostia, ut hostia pro victima, neglectis illis discriminibus. *Cic. Att.* 1, 13. Ego enim te arbitror, caesis apud Amaltheam tuam victimis, statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum. ℙ Translate. *Cic. Fl.* 38. Quam potestis P. Lentulo mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos odium saturaveritis? *Ov. Am.* 3, 3, 22. Victima deceptus decipientis ero. *Sen. Oetav.* 145. Mactata soceri concidit thalamis gener Victima; et *Herc. Oet.* 348. Me nuptiali victimam feriat die.

VICTĪMĀRĬUS, ii, m. *ἱερονόμος*, sacrorum minister, qui victimam ligabat, et cultrum, aquam et molam parabat, et reliqua quae sacris erant necessaria. *Liv.* 40, 29. *extr.* Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt. Adde *Val. Max.* 1, 1. *n.* 12. ℙ *Victimariorum collegium* memoratur in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 450. *n.* XIII. ℙ *Victimarius negotiator* adjective ap. *Plin.* 7, 12, 10. est, qui victimas venales comparat, et vendit. ℙ In duabus *Inscriptionib.* ap. *Fabr.* p. 677. *n.* 34. et 35. scriptum est *victumarius*.

[VICTĪMĀTOR, oris, m. idem ac victimarius. *Lactant.* ad *Stat. Th.* 4, 463. Sacerdotum consuetudo talis est, ut aut ipsi percutiant victimas, et agones appellantur: aut sic tenentes cultrum alter impingat, ideo dicitur, *In vulnus cecidere* greges, quia victimatores dicuntur. *F.*]

VICTĪMO, as, a, 1. sacrifico. *Appul. Met.* 7. Hircum Marti victimant. *Id. ib.* Quin publicum istum maritum (*h. e.* asinum) illis suis monstruosis nuptiis condignam victimamus hostiam?

VICTĪTO, as, n. 1. *οἰτέομαι*, victu utor, alor, vescor. *Pl. Rud.* 3, 4, 59. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis. *Id. Truc.* 2, 2, 60. Si hic homo sinapi victitet, non censeam, tam esse tristem posse. *Id. ib.* 2, 3, 26. Victitare parce. *Ter. Eun.* 5, 8, 43. Tu cum illa et libenter vivis: etenim bene libenter victitas. Rursus *Pl. Capt.* 1, 1, 12. Cochleae in occulto latent: suo sibi succo vivunt, si ros non cadit. Item parasiti rebus prolatis latent in occulto: miseri victitant succo suo. Alii hic leg. *victant*. ℙ Pro simplici *vivo*. [*Haec prima vocis est significatio, quae ab initio erat ponenda.] *Id. Men.* 5, 1, 27. Mea quidem causa vidua victita, vel usque dum regnum obtinebit Juppiter. *Varr. L. L.* 4, 10. In hieme natura ad nascendum victitare non vult, et potius ver exspectat.

VICTO, as. V. v. praec.

VICTOR, oris, m. *νικητὴς*, qui in certamine superior evasit. *Cic. Fam.* 4, 9. *med.* Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt. *Id. Pis.* 7. *med.* Neque resistente Cn. Pompejo omnium gentium victore, etc. *Plin.* 7, 28, 29. L. Sicinius Dentatus centies vicies proeliatus, octies et provocatione victor. *Stat. Th.* 9, 624. Victor belli, *h. e.* in bello. ℙ Adjective. *Nep. Ag.* 4. Victor exercitus. *Ov. Trist.* 4, 1, 72. currus, *h. e.* triumphalis, in quo victor sedet. Et cum nomine femin. *Pl. Amph.* 1, 1, 33. Victores legiones. ℙ Praeterea *victor* significat etiam eum, qui opus aliquod ad optatum finem perduxit, et qui voti compos factus est. *Virg. A.* 2, 329. victorque Sinon incendia miscet. *Id. ib.* 10, 409. Ille (*pastor*) sedens victor flammas despectat ovantes. (Adde *ib.* 11, 565.) *Hor. Ep.* 1, 13, 11. Victor propositi simul ac proveneris illuc. *Ov. Her.* 16, 87. ex aequo donis formaque probata, Victorem coelo rettulit illa pedem, *h. e.* Venus habita pulcherrima Dearum a Paride. *Lucan.* 2, 605. Victor taurus. *Sall. Jug.* 67. Animus lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. *Mart.* 8, 43, *victorem* dicit virum multis uxoribus suis superstitem. ℙ De rebus inanimis. *Lucan.* 9, 333. Abstulit has (*naves*) ventis contraria volvens Aestus, et obnixum victor detrusit in Austrum. ℙ *Victor* est epithetum Jovis in multis *Lapidibus* ap. *Grut.* 23, 8. et 9. et *Gut.* p. 7. *n.* 7., 8, 9. et 10. et p. 8. *n.* 1, 2, 3. etc. et *Mur.* 11, 1. ℙ Item Herculis, cujus epitheti causa exponitur a *Macr. Sat.* 8, 6., ubi sic appellatum ait et propter veteres victorias, et propter commemorationem novae historiae de M. Octavio Herennio, quam ibidem narrat. ℙ *Victor* fuit etiam cogn. R., ut Sex. Aurelius Victor, de quo AURELIUS, ii. ℙ *Victor* a *viendo* V. in VIETOR.

VICTORĬA, ae, f. *νίκη*, hostium superatio: a *vincendo*. *Cic. Marcell.* 3. Victoria quae natura insolens atque superba est. *Hor. Sat.* 1, 1, 8. concurritur: horae Momento cita mors venit, aut victoria laeta. *Sall. Cat.* 61. *extr.* Victoria cruenta, *h. e.* in qua magna caedes etiam victorum fit. *Id. Jug.* 84. Eripere alicui victoriam. *Liv.* 4, 50. *extr.* Victoria penes patres fuit. *Id.* 30, 30. Habere victoriam in manibus. *Cic. Coel.* 7. *f.* gloriosam consequi. *Id. Manil.* 3. *f.* reportare. *Auct. B. Afr.* 31. *f.* Tot tam claris partis victoriis. *Plin.* 23, 1, 20. Victoriam facere, *h. e.* parere. *Tac. A.* 13, 41. *f.* patrare. *Liv.* 4, 10. referre ex hoste. *Id.* 30, 30. Annibal, cui tot de R. ducibus victorias Dii dederunt. *Caes. B. G.* 5, 38. *extr.* Victoriam adipisci. *Id. ib.* 6, 36. *med.* conclamare. *Nep. Timol.* 2. Eam praeclaram ducebat, in qua plus esset clementiae, quam crudelitatis. *Plin.* 29, 3, 12. Victoriae litium. ℙ Apud Romanos Deae nomen erat, cujus simulacrum effingebatur lauro coronatum, altera manu palmae, altera oleae ramum praeferens. Pinnata etiam, et aligera pingebatur, ut e coelo devolans ad eos, quos suis ornare successibus vellet, pexo crine, nudo pede suspensa, strophio revincta, sinu vestis fluitante. *Varr. L. L.* 4, 10. ℙ Poetae fabulantur fuisse filiam Acherontis ex Styge, affuisse Jovi in bello adversus Gigantes; Jovem illi pro munere dedisse, ut Dii per Stygem ejus matrem jurarent, siquis eorum juramento non stetisset, quoddum temporis spatium nectare abstineret. *Cic. N. D.* 2, 23. *med.* Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae? Libertatis? Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine Deo regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit. V. *Hyg. praef. fab.* et *Serv.* ad *A.* 6, 134. ℙ *In *Appul. de herb.* 58. *Victoriae folium* herba videtur esse eadem quae et victorialis. ℙ *Victoria Juliobrigensium*, vel *Portus Victoriae Juliobrigensium*, oppidum Hispaniae Tarraconensis, de quo *Plin.* 4, 20. ℙ Victoria, nomen feminae. V. v. sq. *B. A.* ℙ [*Victoria* fuit etiam navium insigne, tum triremium, tum quadriremium, tum quinqueremium, unde et illis nomen est impositum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 124, 5. T. Ursinius Castor III. Vict. Nat. Sard., etc. *h. e.* triremi Victoria, natione Sardus. *Alia* ap. *Mur.* 2035, 2. . . . . N. Del. Vix. An. XXV. M. An. V. IIII. Victoria, *h. e.* natione Delmata, vixit annis quinque et viginti, militavit annis quinque quadriremi, etc. *Alia* ap. *Donat.* 281, 6. D. M. L. Idasimi Valentis armorum custodis V. Vic. Nat. Delmata, etc. *F.*]

VICTORIĀLIS, e, adj. ad victoriam pertinens, ut Victorialis dies, quo victoria aliqua celebratur. *Treb. Gall.* 3. Populumque, quasi victorialibus diebus, ad festivitatem ac plausum vocavit. [*Cassiod. Var.* 6, 1. ad consulem: Consulatus te decoramus insignibus. Pinge vastos humeros vario colore palmatae, validam manum victoriali scipione nobilita, etc. *h. e.* scipione, quem Victoriae signo superne decoratum gestasse manu dextra consules in processu consulari ex nummis, aliisque veteribus monumentis, constat. *F.*] ℙ *Victorialis* absolute dicitur herba eadem, quae et Idaea daphne, et daphne Alexandrina ap. *Appul. Herb.* 58.

VICTORIĀTUS (subaudi *nummus*) i, m. *νικητός*, nummus argenteus lege Clodia percussus, [ut ait *Plin.* 33, 3, 13. (fortasse a C. Clodio Centone una cum M. Sempronio Tuditano Coss. ann. U. C. DXIV. lata, *F.*] qui dimidiam denarii partem pondere et pretio exaequabat, ut docet *Varr. L. L.* 9, 3. *med.* Causa nominis est, quia signatus erat Victoria, ut est ap. *Plin. l. c.* Valebat autem quinque assibus; hinc et quinarius dictus est, ut *Varr. ib.* 36. *med.* indicat. [Ceterum hujusmodi pondus et pretium fuisse victoriato postremis reipublicae temporibus quidam putant, non item a primordio; nam olim peregrinus nummus fuit, et denario Romano minor, quinario autem major, ut patet ex *Volus. Maecian. de asse l. c.* ab *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 21. et ex *Liv.* 41, 13., ubi *victoriatorum* mentio est in triumpho de Istris relato, mox in praeda victi Gentii regis Illyrici narrat *Id.* 45, 43. translata in triumpho fuisse centum viginti millia Illyrii argenti. *F.*] *Cic. Font.* 5. Itaque Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse; Croduni Porcium, et Numium ternos victoriatos Narbone; Servaeum binos sestertios. Alii aliter leg. *Liv. l.* prius *c.* Tulit in eo triumpho victoriatum octoginta quinque millia septingentos duos. *Quint.* 6, 3. Dicente quodam, victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam muraenam emisse. ℙ [*Victoriatus* a medicis etiam pro pondere accipitur, ut denarius, quam vocem vide. *Marcell. Empir.* 15. *in.* Hoc medicamentum compositum sic: git fricti ℨ. II., pyrethri ℨ. I., sagapeni victoriati pondus, etc. *Scrib. Comp.* 26. Lapidis haematitis ℨ. P. II. et victoriati. *F.*]

[VICTORĪCUS, a, um, adj. ad victorem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1507, 2. C. Valerius Victoricus. *Alia* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 204. *col.* 3. Maternus Victoricus. *F.*]

[VICTORĪENSIS, e, adj. ad Victoriam pertinens, oppidum Germaniae, nunc dirutum, ubi modo *Neubiber*, prope urbem *Neuwied*. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 988. In H. D. D. (h. e. *honorem domus divinae*) bajoli et vexillarii collegio Victoriensium signiferorum Genium de suo fecerunt, etc. *F.*]

[VICTORILLĀ, ae, f. dimin. victoriae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 715, 2. Claudiae Victorillae filiae pientissimae Claudia Victorina. *Fr.*]

*VICTORĪNA vel Victoria, ae, f. uxor an mater Victorini, a Posthumo in consortium imperii adsciti? *Trebell. Pollio de XXX. tyrann.* 5, 24, 25. et 31. *B. A.*

[VICTORĪNUS, a, um, adj. ad victorem pertinens. Est cogn. R., ut C. Aufidius Victorinus, M. Cornelii Frontonis gener, Cos. iterum ann. a Chr. n. CLXXXIII., de quo in *Inscr.* ap. *Grut.* 300, 2. mentio est. *Alia* ap. *eund.* 379, 2. Caesonia Victorina. V. v. praec. *F.*]

VICTORĪOLĀ, ae, f. parvum Victoriae Deae simulacrum. *Cic. N. D.* 3, 34. *med.* Idem Victoriolas aureas, et pateras, coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat.

[VICTORĪOR, aris, atus sum, dep. I. victoriam consequor. Impersonaliter. *Tert. adv. Gnost.* 6. Plus victoriatum est, quam injuriatum. *F.*]

VICTORĪOSUS, a, um, adj. *νικητικὸς*, vincere assuetus, seu qui plures et varias victorias reportavit. Vox est *Catonis*, ut *Gell.* 4, 9. *med.* testatur. In nummo *Probi*, ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 505. Victorioso semper. *Sidon. ep.* 5, 6. Victoriosissimo viro. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 5. Salvis Dominis nostris Honorio et Theodosio victoriosissimis principibus. Alia *ib.* 278, 1, 2. et 3. Victoriosissimo principi juventutis M. Aurelio Carino nobilissimo Caesari.

*VICTORĪUS, i, m. nomen Romanum, v. g. Q. Victorius, de quo *Liv.* 34, 46. *B. G.*

[VICTRĪCENSIS, e, adj. ad coloniam Victricem pertinens, quae et Camalodunum, nunc *Colchester* in Anglia. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 29. *n.* 129. Cn. Munatius M. F. Pal Aurelius Bassus censitor civium Romanorum coloniae Victricensis, quae est in Britannia Camaloduni. *F.*]

VICTRIX, icis, f. *νικήτρια*, quae vicit, quae certamine superior evasit. *Cic. ad Brut.* 1, 10. Erat victrix respublica, caesis Antonii copiis, ipso expulso. *Id. Tusc.* 1, 48. *f.* Oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. *Id. Cluent* 5. *f.* Victrix filiae, non libidinis. *Sen. Thyest.* 46. Victrix libido. *Id. Octav.* 433. luxuria. *Id. Ag.* 936. frons, *h. e.* laurus, qua coronantur victores. *Lucan.* 1, 128. Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni. *Ov. Fast.* 1, 525. Urite victrices Neptunia Pergama flammae. *Festus* in *October:* Equus bigarum victricum dexterior. *Plin.* 37, 4, 15. Adamantis ignium victrix natura, et nunquam incalescens. *Cic. Att.* 5, 21. Quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt. *Victrices litterae* sunt victoriam nunciantes: ut et *Ov. Am.* 1, 11, 25. victrices lauro redimire tabellas. ℙ Interdum sumitur pro voti compote. *Virg. A.* 7, 544. Junonem victrix affatur voce superba. V. VICTOR. ℙ Est etiam adject. quod cum neutris quoque conjungitur. *Claud. VI. cons. Hon.* 24. et certius omina surgunt Victrici concepta solo. *Virg. A.* 3, 54. Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus. *Just.* 44, 5. Victricia ad eos arma transtulit. *Ov. Met.* 10, 151. Sparsaque Phlegraeis victricia fulmina campis. *Stat. Silv.* 5, 2, 150. victricia bella. *Lucan.* 1, 347. signa. *Minuc. Fel. Octav.* 29. *f.* tropaea. In nummo Diocletiani ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 6. Fatis victricibus. (V. FATA). *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 170, 2. Heu facinus victrix. *Serv.* in *l. Virg. c.* docet, nomina feminina in *ix* in plur. tantum numero neutra fieri: sed *Claudiani* verba etiam in sing. id fieri posse ostendunt. Nam quod ex *Lucano* 1, 3. affert *Voss. l.* 2. *de annalog. c.* 12. et ex eo *Huetius* ad *Manil.* 5, 631. *victrici ferro*, pro *ferro* legitur ab omnibus *dextra:* et quod ex *Minuc. Fel. Octav.* 29. *f. victrix tropaeum*, ibi in plurali habetur, ut dictum est.

VICTŪĀLIS, e, adj. ad victum, nutritionem, alimentum, et vitam pertinens. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Membra corporis inferiora reguntur optimatium praestantia, et ipsa ministerium suggerunt victuale. [*Impp. Honor. et Theodos Cod.* 8, 51, 20. In servitutem a barbarica feritate transvectis si quidquam in usum vestium, vel alimoniae impensum est, humanitati sit praestitum, nec maneat victualis sumptus repetitio. ℙ *Victualia* absolute sunt res victui inservientes. *Cassiod. Var.* 3, 44. Victualia quoque fecimus praeparari, ut vobis destinentur, cum tempus navigationis arriserit. *Id. ib.* 4, 5. Gallicana regione victualium cognovimus caritatem. *F.*]

[VICTŪĀRĬUS, a, um, adj. ad victum pertinens, idem ac victualis. *Tert. Monog.* 8. Victuaria exhibitio, *h. e.* praestatio eorum, quae victui sunt idonea. *F.*]

*VICTUMVĪAE, arum, oppidum Italiae superioris, in Gallia cispadana, prope Placentiam. *Liv.* 21, 45. et 57. *B. A.*

VICTUS, a, um, part. a *vinco: νικηθείς*, certamine superatus. *Cic. Font.* 12. *med.* Ut velint isti quiescere: id quod victi et subacti solent. *Caes. B. G.* 7, 9. *extr.* Boji Helvetico proelio victi; et *ib.* 1, 45. *extr.* Gallia bello victa. *Hor. Epod.* 9, 27. terra marique victus hostis. *Virg. A.* 2, 367. Quondam etiam victis redit in praecordia virtus; et *ib.* 354. Una salus victis nullam sperare salutem. ℙ De aliis rebus extra bellum. *Hor. Od.* 3, 27, 36. Victus furore. *Id. Epod.* 17, 43. et *Liv.* 23, 8. patris precibus lacrimisque. *Ov. Pont.* 1, 7, 48. Ira victa per preces. *Id. Trist.* 4, 8, 39. delictis clementia. *Id. Fast.* 6, 44. forma Idaeo judice. *Id. Met.* 9, 164. malis patientia. *Id. Am.* 2, 5, 12. Victa rea. *Id. ib.* 3, 10, 29. Victus amore pudor. *Id. Met.* 1, 544. labore fugae, *h. e.* lassitudine confectus. *Id. Fast.* 3, 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis; et *ib.* 1, 422. Corpora victa sopore. *Tac. A.* 1, 57. Filia Segestis neque victa in lacrimas, neque voce supplex, *h. e.* non eo usque demissa animo, ut lacrimas mitteret. *Id. ib.* 4, 8. Effusum in lacrimas senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit; et *ib.* 11, 2. Victo silentio. ℙ De rebus inanimis. *Ov. Fast.* 1, 676. Quernaque glans victa est utiliore cibo. *Id. Trist.* 1, 4, 12. Victa ratis: scil. vi maris et ventorum, *Id. Fast.* 2, 220. nix Zephyro victa fluit: et *ib.* 1, 221. Aera dabant olim; melius nunc omen in auro est: Victaque concedit prisca moneta novae. ℙ Cum infinito. *Sil.* 6, 141. Bagrada non ullo Libycis in finibus amne Victus limosas extendere latius undas. *Id.* 5, 552. vir nulli victus vel ponere castra, vel junxisse ratem, duroque resolvere muros Ariete, et in turrim subitos immittere pontes. ℙ Cum gen. *Virg. G.* 4, 490. Eurydicenque suam jam luce sub ipsa Immemor, heu! victusque animi respexit. Ubi *Servius:* Sic hoc loco dixit, ut (*A.* 12, 19.) O praestans animi juvenis. ℙ De eo, qui voti impos, *ἀκρατὴς:* ut contra *victor*, qui voti compos. *Virg. Ecl.* 9, 5. Nunc victi, tristes, etc. *Servius.* ℙ De eo, qui a proposito recedit. *Virg. A.* 2, 699. Hic vero victus genitor se tollit ad auras. *Servius.*

VICTUS, us, m. *σιτίον, τροφή*, omne id, quo vivimus: a *vivo. Ulp. Dig.* 50, 16, 43. Verbo victus continentur quae esui, potui, cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait. Et cetera quoque, (subdit *Cajus ib.* 44.) quibus tuendi curandique corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur. ℙ Praecipue tamen dicitur de cibo, quo alimur quotidie. *Cic. Am.* 23. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat. *Id. Quint.* 15. Cujus victus vestitusque necessarius sub praecone subjectus est. *Id. Tusc.* 5, 34. *med.* Persarum a Xepophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quidquam praeter nasturtium. *Caes. B. G.* 6, 21. Major pars victus eorum lacte, et caseo, et carne consistit. *Cic. Or.* 1, 54. *med.* Victum quotidianum publice praebere alicui. *Id. Off.* 1, 4. *med.* Parare ea, quae suppeditent et ad cultum, et ad victum. *Colum.* 10. *praef.* Lactis copia, ferinaque, ac domesticarum pecudum carne victum tolerare. *Cels.* 1, 10. Ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutare. *Phaedr.* 3, 16. Victum quaerere; et 4, 21. rogare. *Pl. Ps.* 5, 1, 8. Victus excuratus. *Id. Pers.* 1, 1, 32. basilicus. *Id. Most.* 1, 1, 43. facetus. *Id. Capt.* 1, 2, 85. asper. *Quint.* 5, 10. frugi. *Sil.* 3, 280. Sed mensis asper populus, victuque maligno *Id.* 15, 813. Cum vires parco victu somnoque reducunt. *Macr. Sat.* 1, 7. *med.* Victus ferus et rudis ante fruges cognitas. ℙ In plur. num. *Tibull.* 2, 1, 43. Tunc victus abiere feri: tunc insita pomus. *Ov. Met.* 15, 104. Victibus invidit postquam non utilis auctor. *Pl. Mil.* 3, 1, 141. Te meae domi accipiam benigne, lepide, et lepidis victibus, *h. e.* bibis lautis, scitis, suaviter conditis. *Cic. Fin.* 5, 4. Persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras. *Non.* 3, 269. interpretatur vitam. ℙ Interdum significat aliquid amplius, nempe totam rationem vivendi tum in victu, tum in cetero cultu. *Caes. B. G.* 1, 31. *med.* Neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victus cum illa comparandam. *Nep. Dion.* 4. *f.* Appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent. *Cic. Inv.* 1, 25. In victu considerare oportet, apud quos, et quo more, et cujus arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi praeceptores, etc. [**Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 137.] ℙ *Victu* in dativo pro *victui. Virg. G.* 4, 158. de apib.: Namque aliae victu indulgent. *Lucil.* ap. *Gell.* 4, 16. et *Non.* 9, 15. Quod sumptum atque epulas victu praeponis honesto. V. ASPECTUS, us. ℙ Olim et *victi*, et *victuis* in patrio dixere. *Pl. Capt.* 4, 2, 75. Tui quotidiani victi ventrem ad me afferas. Haec verba etiam a *Non.* 8, 8. afferuntur. *Varr. fragm. ib.* 88. De victuis consuetudine primigenia. V. FRUCTUS.

VĪCŪLUS, i, m. *κωμίδιον*, parvus vicus. *Liv.* 21, 33. *f.* Castellum viculosque circumjectos capit. [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. Equidem quemadmodum urbes magnas atque imperiosas, ut appellat Ennius, viculis et castellis praeferendas puto, etc. *F.*]

VICUS, i, m. *κώμη, δῆμη*, multae domus junctae: ab Aeolico *Ϝοῖκος*, vel *Βοῖκος*, pro *οἶκος*. Differt a pago. Nam pagus de rure tantum dicitur, vicus et de rure, et de urbe. Deinde vicus est pars pagi. *Tac. G.* 12. Eliguntur in eisdem comitiis et principes, qui jura per pagos, vicosque reddant. ℙ *Vicus urbanus* est pars minor urbis, quae ex multiplicatis domibus constat, ut Romae *vicus Cyprius, vicus Africus, vicus sceleratus*, etc. *Vicus paganus*, seu *rusticus*, sunt plures villae, seu domus rusticanae conjunctae, in aliquo pago, aliquo spatio remotae ab urbe, nullisque moenibus cinctae. Nam aedificia urbi contigua, suburbia dicuntur; quae moenibus clauduntur, appellantur castella. *Cic. Fam.* 14, 1. *de vico rust.* Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum venditurum, quid, obsecro te (me miserum!) quid futurum est? *Hor. Ep.* 2, 1, 269. *de vico urban.* Deferar in vicum vendentem tus, et odores. *Ov. Fast.* 6, 609. Certa fides facti, dictus sceleratus ab illa Vicus, et aeterna res ea pressa nota. ℙ Singulis Romae vicis quatuor praeficiebantur viri, qui *Magistri vicorum*, et etiam *Vicomagistri* dicebantur. V. MAGISTER.

VIDĒLĬCET, adv. *δηλαδή, δηλονότι*, certe, quidem, vere, nimirum: adverbium confirmandi, teste *Danato* in *Ter. Adelph.* 3, 4, 4., conflatum ex *videre*, et *licet*, quomodo *scilicet* ex *scire* et *licet. Ter. ib.* Videlicet de psaltria hac audivit. *Id. Heaut.* 2, 3, 22. Hic de nostris verbis hic errat videlicet, quae hic sumus locuti. ℙ Interdum suae originis casum retinet. *Pl. Stich.* 4, 1, 49. Videlicet, parcum illum fuisse senem, i. e. perspicuum est. *Id. ib.* 51. Videlicet, illum fuisse nequam adolescentem. *Lucr.* 1, 210. Esse videlicet in terris primordia rerum. *Gell.* 17, 5. *f.* Sed videlicet, eum vocabula rerum ignorasse. ℙ Eleganter usurpatur in ironia, sive irrisione. *Cic. Phil.* 2, 6. *extr.* Tuus videlicet salutaris consulatus, perniciosus meus. *Id. Cat.* 2, 6. Homo enim videlicet timidus, et permodestus vocem consulis ferre non potuit. ℙ Est etiam adverbium explanandi pro scilicet, nempe. *Id. Sext.* 12. *med.* Venisse tempus iis, qui in timore fuissent, conjuratos videlicet dicebat, ulciscendis. *Id. Cluent.* 46. Ut metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perveniret. *Id. Leg.* 2, 10. Caste lex jubet adire ad Deos, animo videlicet. ℙ Elegantem locum habet in responsionibus. *Id. Caecin.* 15. *f.* Quid metuebant? vim videlicet. *Id. Verr.* 2, 2, 33. Quid horum se negat fecisse? illud videlicet unum, quod necesse est, pecuniam accepisse. *Id. Cluent.* 54. Qui eorum? quorum? videlicet qui supra scripti sunt.

VĪDĒN'? pro *videsne?* et admirationem continet, et interdum indignationem. *Ter. Eun.* 2, 2, 10. Viden' me ex eodem ortum loco? *Tibull.* 2, 2, 17. Vota cadunt, viden', ut trepidantibus advolet alis? *Virg. A.* 6, 780. viden', ut geminae stant vertice cristae? ubi *Servius:* Naturaliter *den* longa est: brevem tamem eam posuit, secutus Ennium: et adeo ejus est immutata natura, ut jam ubique brevis inveniatur. *Ter. Eun.* 2, 2, 34. Viden', otium et cibus quid faciat alienus? *Cat.* 61, 98. viden'? faces Aureas quatiunt comas. *Pl. Epid.* 2, 2, 37. viden' veneficam?

VĪDĒNS, entis, part. a *video: Virg. Ecl.* 1, 70. mea regna videns mirabor aristas. *Id. ib.* 6, 21. jamque videnti Sanguineis frontem moris et tempora pingit. ℙ Eleganter jungitur cum *vivus*, et significat vigilantem, et optime cernentem ea, quae fiunt. *Ter. Eun.* 1, 1, 28. Prudens et sciens, vivus videnque pereo. *Cic. Quint.* 15. *f.* Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur. *Id. Sext.* 27. *f.* Vivus, ut ajunt, est, et videns cum victu et vestitu suo publicatus. V. SCIENS. *Lucr.* 3, 1060. Mortua cui vita est prope jam vivo atque videnti. Sic *Pl. Most.* 2, 1, 80. Ludos ego hodie vivo praesenti hic seni faciam: quod credo mortuo nunquam fore.

VĪDĔO, es, īdi, īsum, a. 2. *βλέπω, ὁράω*, oculorum sensu percipio, cerno, perspicio: ab *εἴδω*, quod saepe idem significat. Quid a *cerno* differat, ibi dictum est. [*Differentiam inter *videre* et *tueri*, et *specere* hanc statuit *Doederl.* 4, 305., ut hoc nonnisi oculorum actum significet, unde cognitio oriatur: illa spectandi modum describant, ideo factum, ut intelligas.] *Ter. Eun.* 5, 1, 19. *Tha.* Ubi is est? *Py.* hem ad sinistram. videsne? *Tha.* video. *Pl. Mil.* 2, 4, 15. Tun' me vidisti? *Scel.* atque his quidem oculis. *Cic. Mur.* 40. *extr.* Videre est perspicere aliquid. *Id. Acad.* 4, 25. *med.* Videre acriter; et *Pl. Mil.* 3, 1, 36. clare oculis. *Virg. A.* 5, 107. laeto complerant litora coetu Visuri Aeneadas. *Sall. Jug.* 99. *f.* Mulieres et pueri, qui visum processerant. ℙ *Vide*, aspice, intuere. *Ter. Eun.* 4, 4, 3. Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex! *Pl. Amph.* 2, 2, 155. Vide sis, signi quid siet. *Id. Cas.* 2, 6, 28. Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aqua; et *Most.* 1, 3, 151. Vide, tali ubi sunt. *Ter. Eun.* 5, 1. *f.* Vide, amabo, si non, cum aspicias, os impudens videtur. ℙ *Me vide*, formula fidejubendi, et recipiendi in se eventum cujuspiam rei. *Id. Andr.* 2, 2, 13. Istuc ipsum nihil pericli est: me vide. *Pl. Merc.* 5, 4, 53. *Ly.* Certon' scis, non succensere mihi tuam matrem? *Eu.* scio: me vide. *Ly.* satis habeo. Adde *Trin.* 3, 3, 79. et *Ter. Phorm.* 4, 4. *f.* Sic Graeci *βλέπειν εἴς τινα, πρὸς τινα.* [**Cic. Pis.* 25. quin tu me vides? eo fere sensu, quo nostri dicunt: *da lobe ich mich doch!*] ℙ Ponitur interdum pro visere, convenire, colloquendi et agendi causa. *Cic. Att.* 12, 37. *extr.* Loco valde opus est: quare etiam Othonem vide. *Supra dixerat:* Othonem, si Romae est, convenias pervelim. *Id. ib.* 4, 12. Graviter se acturum cum Aquilio confirmavit: videbis ergo hominem, si voles; et *ib.* 12, 14. Quemcumque appellaris, nemo negabit. Sed Septimium vide, et Laenatem, et Statilium: tribus enim opus est. *Plin. ep.* 1, 5. *med.* Rogo, mane videas Plinium domi, et quoquo modo efficias, ne mihi irascatur. [**Suet. Aug.* 17. viditque mortuum: ubi *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 817. conferri jubet *Spart. Adr.* 5. digressus est ad inspiciendas reliquias Trajani. V. Notam *B. Crusii.* Adde *Tib.* 7. semel omnino eam vidit. Sic et nos *sehen* pro *besuchen.*] ℙ Per catachresim dicitur de sensu aurium. *Virg. A.* 4, 490. mugire videbis Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos. *Prop.* 2, 13, 49. Vidistin' toto sonitus procurrere coelo? *Pl.* ridicule *Mil.* 4, 6, 44. Naso pol jam haec quidem videt plus, quam oculis. ℙ Huc pertinet illud *August. Conf.* 10, 35. Ad oculos proprie videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, audi quam rutilet; aut olfac quam niteat; aut gusta quam splendeat; aut palpa quam fulgeat. Videri enim dicuntur haec omnia. Dicimus autem non solum, vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt, sed vide etiam quid sonet, vide quod oleat, vide quod sapiat, vide quam durum sit. ℙ De rebus inanimis. *Virg. G.* 2, 68. et casus abies visura marinos, *h. e.* expertura. (quo sensu *Ter. Adelph.* 5, 4, 13. Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi!) *Sen. Ag.* 885. sanguinem extremae dapes Domini videbunt. *Id. Herc. Oet.* 462. Nox media solem vidit, et noctem dies. *Id. Hipp.* 285. Quaeque nascentem videt ora solem. *Id. Med.* 212. Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt. *Lucan.* 2, 428. *de Apennino.* Longior educto qua surgit in aera dorso, Gallica rura videt, devexasque aspicit Alpes. ℙ Metonymia est in his. *Sen. Phoen.* 215. Videram nondum diem, *h. e.* nondum natus eram

Cic. Fam. 14, 1. *med.* Quem ego diem si videro et si in vestrum conspectum venero. *Id. Fam.* 7, 30. Qui suo toto consulatu somnum non viderit. [*V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 68.] ℙ Transfertur ad animum, et sumitur pro intelligere, cognoscere, scire. *Id. ib.* 6, 3. Quem exitum ego tam video animo, quam ea, quae oculis cernimus. *Id. Sen.* 23. Animus, qui plus cernit et longius, videt, se ad meliora proficisci. *Id. Or.* 1, 25. *med.* Acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videre. *Liv.* 6, 12. Dii vatesque eorum in futurum vident. *Cic. Fam.* 9, 6. Quod ego cur nolim, nihil video. *Nep Alc.* 9. *med.* Ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione: sed videbat, id sine rege Persarum non posse fieri. *Id. An.* 9. Vidit vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid praevidisset. ℙ *Plus videre*, plus sapere, melius consulere. *Cic. Phil.* 2, 15. *f.* Cum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. *Id. Man.* 22. Sin autem vos plus in republica vidistis, etc. Sic. *Ter. Heaut.* 3, 1, 97. Ita comparatam esse hominum naturam, aliena ut melius videant et dijudicent. ℙ De somniantibus. *Cic. Acad.* 4, 40. *med.* Si dormientes aliquid animo videre videamur. *Id. Div.* 2, 71. *f.* Videre somnia. *Id. N. D.* 1, 29. *f.* aliquid in somnis. *Just.* 1, 4. per somnum; et *ib.* 9. per quietem. *Cic. Div.* 2, 61. secundum quietem. *Tac. Ann.* 2, 14. Nox laetam Germanico quietem tulit, viditque se operatum, etc. ℙ Frequenter est animadvertere, considerare, perpendere, cogitare. *Pomp. ad Dom.* 2. *post ep. ad Att.* 12, 8. Diligentius nobis est videndum, ne distracti pares esse adversario non possimus. *Pl. Bacch.* 4, 9, 118. Quae conditiones sunt: utram tu accipias, vide. *Petr. Sat.* 94. Vide, quam non conveniat his moribus; et *ib.* 102. Videte, numquid hoc placeat. *Cic. Am.* 11. Id primum videamus, quatenus amor in amicitia progredi debeat. *Id. Acad.* 4, 13. Nunc ea videamus, quae contra ab his disputari solent. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 137.] ℙ Item cavere. *Id. Off.* 1, 14. Videndum est, ne obsit benignitas; et *ib.* 20. Quamobrem et haec videnda, et pecuniae fugienda cupiditas. Alii leg. *vitanda*, contra MSS. *Graevio* teste. ℙ Item curare, procurare, providere, parare. *Pl. Amph.* 2, 1, 82. Vide, e navi efferantur quae imperavi omnia. *Id. As.* 4, 1, 10. Scribas, vide, plane et probe. *Cic. Fam.* 16, 1, *med.* Et comites, et tempestates, et navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. *Id. Att.* 5, 1. Antecesserat Statius, ut prandium nobis videret. *Id. Tusc.* 3, 19. *f.* Demus scutellam dulciculae potionis, aliquid videamus et cibi. *Ter. Heaut.* 3, 1, 50. Asperum (*vinum*) hoc est: aliud lenius, sodes, vide. *Id. Andr.* 2, 6, 25. Ego istaec recte ut fiant, videro. *Cic. Fam.* 7, 22. *f.* Sed valebis, meaque negotia videbis. *Id. Verr.* 2, 5, 40. *extr.* Post aliquid videbimus, ne iste nobis obstare possit. *Id. Or.* 3, 1. Philippum dixisse constabat, videndum sibi aliud esse consilium: illo senatu se rempunablicam gerere non posse. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 158. Imprimis autem *Matth.* ad *Cic. Man.* 22.] *Vide, quid agas*, cum eos monemus, qui magna aggrediuntur. *Ter. Phorm.* 2, 2. *f.* Senex adest: vide quid agas. (Ubi *Donat.* non terrentis est, sed excitantis.) *Cic. Verr.* 2, 5, 68. Te moneo: videas etiam atque etiam et consideres, quid agas, quo progrediare, quem hominem, et qua ratione defendas. Hic est deterrentis. Adde *Pl. Epid.* 1, 2, 58. ℙ *Videre sibi*, sibi consulere, providere. *Ter. Ph.* 1, 4, 11. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam. ℙ *Videris*, *it*, *int*, dicimus, cum aliis rei cujuspiam curam relinquimus. *Cic. Quint.* 17. Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia, ac diligentia? viderint ista officia viri boni. *Id. Att.* 12, 21. Legi Bruti epistolam non prudenter rescriptam: sed ipse viderit. *Ov. A. Am.* 2, 371. Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo. *Id. Trist.* 5, 2, 43. Viderit: ipse sacram, quamvis invisus, ad aram Confugiam. *Petr. Sat.* 87. Videris tamen, inquit: non ero tui similis. ℙ Et cum casu. *Stat. Th.* 3, 212. Viderit haec bello viridis manus. *Ov. Her.* 12, 211. Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat. ℙ Passive impersonaliter. V. in v. s. q. ℙ [*Confund. vide*, *vides* v. *videmus* et *inde*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 242. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 174. *a. Videbis* et *jubebis*. V. *Gierig.* ad *Plin Pan.* 28, 6.]

VĪDĔOR, eris, visus sum, pass. 2. ὁράομαι, cernor, conspicior. *Pl. Mil.* 2, 2, 32. Siquidem centies hic visa sit, tamen inficias eat. *Varr. R. R.* 1, 2. Ubi sol sex mensibus continuis non videatur. *Ter. Andr.* 3, 5, 10. Ohe. *Da.* visus sum. *Virg. Ecl.* 4, 15. Divisque videbit Permixtos heroas, et ipse videbitur illis. *Ov. Pont.* 4, 9, 18. Consulis ante pedes ire viderer eques. *Sen. ep.* 114. Quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. ℙ Impersonaliter. *Pl. Merc.* 2, 2, 52. Vide sis modo etiam. *Lys.* visum est. *Id. As.* 3, 3, 94. Da mihi istas viginti minas: vides me amantem egere. *Lib.* videbitur. *Cic. Rosc. Com.* 7. *med.* Qui quamobrem Roscium similem sui in fraude et malitia existimarit, nihil videtur. *Id. Phil.* 13, 21. *extr.* Hoc potest separatim perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompejus collaudatus esse videatur. *Id. Or.* 3, 55. *med.* Et quales ipsi quoque oratores, quà sint aetate, honore, auctoritate, debet videri. ℙ Saepissime est apparere, speciem habere: sive illa species vera sit, sive non. *Cic. Off.* 1, 24. Nunquam periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. *Id. Verr.* 2, 2, 17. Multo rem turpiorem fore, et iniquiorem, visum iri intelligebant; et *Or.* 3, 11. *med.* Et illud quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. *Id. Off.* 3, 7. *f.* Induxit eam, quae videretur esse, non quae esset, repugnantiam; et *ib.* 2. *med.* Si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur. *Hor. Ep.* 1, 16, 60. pulcra Laverna, Da mihi fallere, da justo sanctoque videri. [*Brem. ad *Nep. Att.* 4, 1. *discrimen inter apparere* et videri ita statuit, ut hoc dicatur de rebus, quas ex testimoniis haud contemnendis pro veris accipere parati simus: illud ad ea pertineat, quae extra omnem dubitationem posita sint, quorum veritas ab omni parte prostet absoluta.] ℙ *Videtur mihi*, *tibi*, etc. sequente casu recto, cum, vel sine infinito. *Pl. Most.* 3, 3, 2. Num nimio emptae tibi videntur? *Id. Stich.* 1, 2, 7. Non homines habitare mecum mihi hic videntur, sed sues; et *Rud.* 4, 7, 4. Aequum videtur tibi, ut ego alienum quod est, meum esse dicam? *Id. Pers.* 5, 2, 58. Nec satis liber sibi videtur, ni, etc. et 4, 4, 5. Ut munitum muro tibi visum est oppidum? *Cic. Fin.* 2, 13. *f.* Quae Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo. *Pl. Epid.* 4, 2, 29. Quid si servo aliter visum est? ℙ Sequente accusativo rara constructio est. *Cic. Tusc.* 5, 5. Non mihi videtur, ad beate vivendum satis posse virtutem. (*Lambin.* et *Bentl.* leg. *virtus.* [*Cf. *Davis;* et *Off.* 3, 17. quae vult videri, se esse virtutem. Notat *Spald.* ad *Quint.* 5, 10, 5. T. II. p. 229. sq. *videri* cum accus. junctum plerumque idem esse quod *placere*. Quamquam nec in solita significatione a ponendo accusativo abhorreant Romani, quod dudum docuerint in primis *Duk.* ad *Flor.* 2, 6, 45. et *Oudendorp.* ad *Suet. Oth.* 7.] Adde *Gell.* 2, 4.) ℙ *Ego mihi videor*, *tu tibi videris*, etc. sequente altero recto casu, vel infinitivo: et opinationem, atque assensionem non firmam saepe significat. *Cic. Att.* 9, 10. Amens mihi fuisse videor a principio; et *ib.* 12. *med.* Quibusdam aut sapiens videor, quod una non ierim, aut felix fuisse: mihi contra; et *ib.* 17. *med.* Objurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate. *Ter. Eun.* 3, 2, 1. Audire vocem visa sum modo militis. *Id. Andr.* 4, 4, 18. Adeon' videmur vobis esse idonei, in quibus sic illudatis? ℙ De somniantibus. *Pl. Merc.* 2, 1, 5. Mercari visus mihi sum formosam capram. *Id. Curc.* 2, 2, 10. Hac nocte in somnis visum sum viderier, procul sedere longe a me Aesculapium. ℙ Interdum significat firmum animi judicium, et ponitur pro censere, statuere, placere: qua ratione impersonaliter usurpatur cum infinito vel expresso, vel tacito. *Cic. Sen.* 1. Nunc mihi visum est de senectute aliquid ad te conscribere. *Ter. Ph.* 4, 3, 14. Visum est mihi, ut ejus tentarem sententiam; supple *visum est misi facere*, *ut*, etc. *Cic. Acad.* 1, 9. *f.* Eam quoque, si videtur, correctionem explicabo. Sic *Fam.* 14, 7. *f*, Tibi si videbitur, villis iis utere, quae longissime aberunt a militibus. *Id. Off.* 1, 32. *f.* Qui imitamur, quos cuique visum est: *supple* imitandos esse. Sic *Att.* 12, 28. *extr.* Velim Lentulum puerum visas, eique de mancipiis, quae tibi videbitur, attribuas. *Liv.* 31, 3. Ut consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret, qui, etc. *Id.* 29, 20. Sibi placere consules decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere, quos cum praetore mitterent. ℙ Hac ratione in decretis, et senatusconsultis, et sententiis judicum adhibebatur: ut modeste suam sententiam ostenderent, et imperiose jubendi invidiam vitarent. *Cic. Acad.* 4, 47. *f.* Majores nostri voluerunt, quae jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri, pronuntiarent. *Id. Verr.* 2, 2, 38. Iste pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri. *Id. Att.* 4, 2. Cum pontifices decressent, videri, posse sine religione eam partem areae mihi restitui. *Liv.* 30, 17. *med.* Scipionem recte atque ordine videri fecisse, quod eum regem appellaverit. *Id.* 38, 44. Consul adjecit senàtusconsultum, Ambraciam non videri vi captam esse. In *decreto cens.* ap. *Suet. Rhet.* 1. Et iis, qui eos ludos habent, et iis qui eo venire consueverunt, videtur faciendum ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. Adde *Cic. Vrr.* 2, 5, 6. *med.* et *ib.* 2, 2, 41., *Phaedr.* 1, 10., *Caes. B. C.* 1, 2. et quae congessit *Briss. de Form.* p. 217. ℙ Frequens adeo est ap. *Ciceronem* hujus verbi usus, ut nonnunquam ab eo per pleonasmum tantummodo adhibeatur, ita tamen ut non sine vi et elegantia. Exemplum sit illud *ejusd. Manil.* 10. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo dicendum videatur. [*Cf. *Ern. cl. Cic.* s. h. v. *Brem.* ad *Nep. Alc.* 6, 2. *Ag* 5, 1.]

VĪDŬĀ, ae. V. VIDUUS.

VĪDŬĀLIS, e, adj. ad viduam pertinens. In *fragm. Inscr.* ap. *Mur.* 75, 2. Permansit bis denis in vidualibus annis Jam jam sancta parens.

VĪDŬĀTUS, a, um, part. a *viduo*: μονωθείς, χήρος, privatus, spoliatus, carens. *Virg. G.* 4, 518. Arvaque Riphaeis nunquam viduata pruinis. *Colum. Arb.* 1. *med.* Vitis viduata pristino alimento deficiet. *Id. praef.* 10. *med.* Aggressi sumus tenuem admodum, et paene viduatam corpore materiam. *Sil.* 3, 601. Nec Stygis ille lacus, viduataque lumine regna. *Id.* 11, 91. sedes viduata, *h. e.* sella curulis vacua, mortuo consule. *Mart.* 11, 21. Culcita viduata Leuconico. Rursus *Sil.* 12, 370. Serpentum tellus pura ac viduata venenis. Alii leg. *veneni:* nam et genitivum regit. *Lucr.* 5, 838. Orba pedum partim, manuum viduata vicissim. ℙ *Viduata*, viro orbata. *Suet. Galb.* 5. Agrippina viduata morte Domitii; et *Sen. Med.* 581. conjux viduata taedis, *h. e.* deserta, repudiata. Adde *Mart.* 9, 31. et *Tac. A.* 16, 30.

VĪDŬĀTUS, us, m. viduvium. *Tert. Virg. vel.* 9. Scio, alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam, *h. e.* in sacro viduarum ministerio.

[VIDUCASSES, ium, m. plur. incolae urbis ejusdem nominis in Gallia Lugdunensi, nunc pagus *Vieux* appellatus. Eorum meminit *Plin.* 4, 18, 32. Andegavi, Viducasses, Bodiocasses. *Inscr.* ap. *Mur. praef.* p. 10. T. Sennius Sollemnis Sollemnini filius e civitate Viducassium oriundus; et *mox:* Ordo civitatis Viduc. Annio Pio, et Proculo Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CCXXXVIII. *F.*]

VĪDŬERTAS, atis, f. συμφορά, calamitas, apud veteres. *Paul.* ex *Fest.* Viduertas calamitas dicta quod viduet bonis. *Cato R. R.* 141. Uti tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiesque prohibessis.

VĪDŬĪTAS, atis, f. privatio, inopia. *Pl. Rud.* 3, 3, 1. Nunc demum est, cum omnium copiarum, atque opum, auxilii, praesidii viduitas nos tenet. ℙ Frequenter est vita caelebs post nuptias, χηρεία, χήρευσις. *Cic. Caecin.* 5. Aebutius iste, qui jam diu Caesenniae viduitate ac solitudine aleretur. *Liv.* 40, 4. In viduitate relictae filiae singulos parvos filios habentes.

VIDULĀRIA, ae, f. nomen unius ex amissis *Plauti* comoediis, cujus fragmenta aliquot afferunt *Nonius* et *Priscianus.* Dicta est a vidulo; sed cujus praecipue argumenti fuerit, ignoratur. Similis *Rudenti* fuisse creditur.

VĪDŬLUS, i, m. φυλακτήριον, πήρα, sacculus ex corio, quo pecunia, vel aliud quidpiam itineris causa reponitur. *Pl. Rud.* 4, 4, 86. Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse ajebas? *Id. Men.* 5, 7, 47. Recte obsignatum in vidulo est marsupium. Adde *Rud.* 4, 3, 60. et 61. unde colligitur, ex corio fuisse.

VĪDŬO, as, a. 1. χηρόω, ἀποστερέω, orbo, privo. *Virg. A.* 8, 571. tam multis viduasset civibus urbem. *Hor. Od.* 2, 29, 8. Et foliis viduantur orni. *Sen. Hipp.* 866. Ense viduare dexteram. *Stat. Th.* 3, 385. viduare Penates, Finitimas adhibere manus. *Ser. Sammon.* 55, 989. febris pergit viduare sopore. ℙ Item viduam vitam ago, *vedovare* Itali vulgo dicunt. *Tert. Mon.* 17. Cereris sacerdotes viventibus etiam viris et consentientibus, amica separatione viduantur, *h. e.* ita separatim degunt, ac si viduae essent.

VĪDŬVĬUM, ii, n. viduatus. *Sidon. ep.* 6, 2. Cui filii, nec post multo nepotis amissi, duae pariter plagae recentes ad diuturni viduvii vulnus addunt. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 10. *n.* 51. *med.* Viro carissima, post eum longissimo viduvio in eximio flore, summa pulchritudine formae castissima, etc.

VĪDŪUS, a, um, adj. χῆρος, privatus, orbatus, spoliatus, carens: ab *iduare*, quod Etrusca lingua dividere est: unde *vidua* (inquit *Macr. Sat.* 1, 15. *med.*) quasi valde divisa, aut a viro divisa. Aliam notationem mox afferam. Videtur itaque proprie dici de conjuge orbata viro. *Cic. Caecin.* 5. Mulierum assentator, cognitor viduarum. *Pl. Curc.* 1, 1, 37. Dum te te abstineas nupta, vidua, virgine. *Id. Stich.* 1, 1, 1. Credo miseram fuisse Penelopam, quae tam diu vidua viro suo caruit. *Hor. Ep.* 1, 1, 78. sunt qui Crustis et pomis viduas venentur avaras. *Pl. Merc.* 4, 6, 13. Faxim, plures viri sint vidui, quam nunc mulieres. ℙ Viduam, inquit *Jabolen. Dig.* 50, 16, 242., non solum eam, quae aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quae virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic dicta est, quasi vecors, vesanus, qui sine corde aut sanitate esset; similiter viduam esse dictam, sine duitate. *Liv.* 1, 46. *f.* Se rectius viduam, et illum caelibem futurum fuisse contendere, quam cum impari jungi. *Sen. Herc. Fur.* 245. caelibis semper tori Regina gentis vidua Thermodontiae. Adde *Med.* 215. ℙ Universim quaecumque seu nupta, sive innupta sine viro cubat, *vidua* dicitur: item quae virum quidem habet, sed absentem. *Sen. Ag.* 156. Decem per annos vidua respiciam virum? *Pl. Cist.* 1, 1, 46. de meretrice: Nunquam ego hanc viduam cubare sivi. *Prop.* 2, 24, 17. Quid tibi, quid prodest viduas dormire puellas? Adde *Ov. Fast.* 2, 557. Huc et illa pertinent: *Prop.* 2, 7, 54. Scyria nec viduo Deidamia toro. *Ov. Am.* 2, 10, 17. Hostibus eveniat viduo dormire cubili. *Id. Her.* 19, 69. Cur ego tot viduas exegi frigida noctes? et *ib.* 1, 9. Nec

mihi, quaerenti spatiosam fallere noctem, Lassaret viduas pendula tela manus, *h. e.* manus ejus, quae virum habet absentem. *Id. ib.* 8, 21. Vidua aula, *h. e.* in qua regina conjux abest. Sic *ib.* 9, 35. et *Fast.* 1, 36. Vidua domus. *Mart.* viduam Cybelem dicit 7, 73. propter Atyn puerum, quem deperibat, exsectum. *Sen. Ben.* 1, 9. *med.* Viduus caelibatus. ℙ Vir quoque *viduus* est sine conjuge. *Ov. A. Am.* 1, 102. Cum juvit viduos rapta Sabina viros. Adde *Her.* 8, 86. ℙ De bestiis. *Plin.* 10, 34, 52. Columba nisi caelebs aut vidua, nidum non relinquit. ℙ Translate. *Hor. Od.* 4, 5, 30. Et vitem viduas ducit ad arbores. *Juven.* 8, 78. Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos. *Catull.* 62, 49. Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo. *Mart.* 3, 58. Vidua platanus. *Colum.* 5, 6. *med.* Viti novellae pampinarium dimitti non oportet, nisi necessario loco natus est, ut viduum ramum maritet. ℙ De aliis quoque rebus dicitur spoliatis, carentibus. *Ov. Am.* 3, 10, 18. nec viduum pectus amoris habet. *Virg. Cul.* 372. Cogor adire lacus viduos a lumine Phoebi. *Stat. Th.* 10, 13. Ceu mare per tumidum viduae moderantibus alni; et *ib.* 183. Viduus clavus, *h. e.* sine gubernatore. *Colum.* 9, 4. Pabulationes pecudibus viduae. *Id.* 2, 2. *f.* Viduum arboribus solum. *Plin.* 3. *prooem.* Oppidorum nomini fama sua vidua. *Sil.* 2, 247. viduus teli, et frustrato proditus ictu. *Appul. Met.* 4. Arae viduae, frigido cinere foedatae. *Avien. Perieg.* 939. Caespes herbae viduus. *Stat. Th.* 2, 542. Hasta super laevos humeros vicina cruori Effugit, et viduo jugulum ferit irrita ligno, *h. e.* qua parte ferro caret. ℙ De Deo Viduo haec *Cyprian. de Idolor. vanit. med.* In tantum vero Deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos et Viduus Deus, qui anima corpus viduet; qui quasi feralis et funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur, et nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur. In multis optim. MSS. haec verba desunt.

VIENNENSIS, e, adj. ad Viennam pertinens, quae est urbs Allobrogum in Gallia Narbonensi, ad Rhodanum fluvium, infra Lugdunum, Romanorum coloniam: ejus meminit. *Plin.* 2, 47, 46. et 3, 4, 5., *Caes. B. G.* 7, 9., *Mart.* 13, 107., ubi *vitiferam*, et 7, 88., ubi *pulcram* vocat. *Plin.* 14, 1, 3. Viennensis ager. ℙ *Viennenses*, *ium*, absolute, sunt incolae illius urbis, ap. *eund. ib.* 4, 6., *Plin. alter. ep.* 4, 22., *Tac. H.* 1, 65. et *Vell.* 2, 121. ℙ Alia est *Vienna* in Pannonia superiori, quae et *Vindobona* in *Itin. Antonini* dicitur, ad Danubium, illa nunc multo nobilior.

VIĒO, es, a. 2. λυγόω, flexili vinculo ligo, vincio. *Varr. L. L.* 4, 10. Viere, vincire: a quo est in Asoto Ennii: Ibant malam viere Veneriam corollam. *Id. R. R.* 1, 23. *med.* Sic alia et alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates. Adde *Fest.* et *Non.* 1, 925.

[VIESCO, is, n. 3. idem ac vieo. Hinc *viescens* ap. *Colum.* 12, 15. *med.* Crates inter se acclines testudineato tecto more tuguriorum viescentem ficum a rore, et interdum a pluvia defendat. Ita edidit *Schneiderus* ex *Cod. Sangerman.* pro *inarescentem.* V. *Colum. l. c.* in VIETUS. *F.*]

VIĔTOR, oris, m. qui vasa vinaria curat, circulis ligneis et viminibus religando, stipando, etc. a *vieo.* Agnoscitur a *Don.* ad *Ter. Eun.*, ut dicetur in VIĔTUS. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *f.* Si vietori locaveris lacum vino plenum curandum, et ille eum pertuderit. Ita *Haloander* edidit, et legi vult *Budaeus.* At *Torrent.* habet *tectori*, quod defenditur a *Cujac. l.* 10. *Observat. c.* 9., tum quia in *Basilicis* est κονιατῇ, tum quia lacus non est hic vas ligneum, quod vieri debeat, sed cisterna vini (ut vocat *Ulp. Dig.* 47, 2, 21. *med.*) seu receptaculum vini in terra depressum et tectorio incrustatum, cujusmodi ab Atheniensibus, et aliis Graecis adhiberi morem fuisse, *Suidas* docet, ad vina servanda. Addit *Cujac.*, Latinos non dixisse *victorem* a *viendo*, sed *victorem.* allato illo *Gellii* loco 12, 3. *extr.* A ligando lictor, a legendo lector, a viendo victor, a tuendo tutor, a struendo structor, productis quae corripiebantur vocalibus, dicta sunt. Nam qui *a vivendo victor* legunt, contra *Gellii* mentem faciunt. Quae cum vera esse videantur, legendum erit etiam ap. *Arnob.* 2. p. 70. Vannorum, sirpiarumque victores: quod e viminibus inflexis et intextis ea vasa compingunt. Alii leg. *vitores* eod. sensu. Sic in multis MSS. *Plauti Rud.* 4, 3, 51. Et vitorem, et piscatorem te esse, impure, postulas, *h. e.* vasorum, quae religantur (qualis est vidulus) artificem. Alii leg. *vietorem.* Sic in *Inscr.* ap. *Grut.* 1178, 4. T. Luccejus T. L. Auctus vitor sibi et suis, etc.

VIĔTRIX, et Vitrix, icis, f. quae viet corollas. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 23. Pausias amavit in juventa Glyceram municipem suam, vitricem coronarum. Ita pro *vietricem* legit *Salmas.* in *Solin.* p. 240. *Harduinus* autem *inventricem;* quod minime probandum videtur: coronarum enim plectendarum ars antiquissima fuit: etenim *id Plin. mox:* Postremo pinxit illam sedentem cum corona, quae e nobilissimis ejus tabula appellata est Stephaneplocos, ab aliis Stephanepolis, quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. *Vietricis* figuram habes ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 3. *tab.* 9. p. LXXX. V. STEPHANEPLOCOS et STEPHANEPOLIS.

VIĔTUS, a, um, adj. πάρεσος, μαλακὸς, mollis, languidus, flaccidus: a *vieo*, quod est inflectere, vincire, ligare. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 4, 4, 21. Hic est vetus, vietus, veternosus senex: Vietus, *inquit*, mollis, flaccidusque, et flexibilis corpore; *inquit*, mollis, flaccidusque, et flexibilis corpore; unde et vimina, et vimenta, et vites, et vietores dicuntur; et viere religare dicitur: quia vietis virgis magis religare possumus quidlibet. *Lucr.* 3, 386. de tela aranei: Nec supra caput ejusdem cecidisse vietam Vestem sentimus, *h. e.* putrem. *Cic. Div.* 2, 16. Vel suspicari contractum aliquo morbo bovis exile, et exiguum, et vietum cor, et dissimile cordis fuisse. *Id. Sen.* 2. Necesse fuit, esse aliquid in arborum baccis terraeque frugibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum. *Colum.* 12, 15. *in.* Ficus porro neque nimium vieta, neque immatura legi debet. ℙ Invenitur et paenultima correpta, ut quidam censent. *Hor. Ep.* 12, 7. Qui sudor vietis, et quam malus undique membris Crescat odor. (Dici tamen potest, duas hic syllabas per synaeresin in unam contrahi.)

VIGENI, ae, a, adj. idem ac viceni. *Colum.* 4, 30. Viminalium singula jugera sufficere possunt quinis et vigenis jugeribus ligandae vineae. Alii leg. *vicenis.*

VIGENS, entis, part. a *vigeo: ἀκμάζων, ἀκμαῖος*, fortis, vegetus. *Cic. Fin.* 2, 14. Homines rationem habent a natura, mentemque datam et acrem, et vigentem. *Lucr.* 2, 361. Herbae rore vigentes. *Suet. Ner.* 20. Terpnum citharoedum vigentem tum praeter alios arcessiit, *h. e.* florentem, et praeter alios in sua arte peritum. ℙ *Non.* 5, 44. hoc interesse ait inter *vegetum* et *vigentem*, quod *vegetus* sit incolumis, *vigens* fortis: *vegetum* corporis, *vigentem* animi etiam dici posse: quae quidem differentia non usquequaque vera est. *Liv.* 21, 43. A tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac vigentibus transitae. *Quint. decl.* 3, 4. Vigentibus lacertis humum scindere. ℙ Translate. *Plin. Paneg.* 50. Datur intueri pulcherrimas aedes, deterso situ, auctas, et vigentes, *h. e.* non ruinosas, sed firmas.

VIGĔO, es, ui, n. 2. θάλλω, ἀκμάζω, vigorem habeo, valeo, polleo: a *vi*, vel quasi *vi ago. Paul.* ex *Festo:* Viget dictum a vi agendo, sed non in agendis hostilibus rebus, verum, iis, quae concitato animo ad bonum tendunt. *Cic. N. D.* 2, 33. Quae a terra stirpibus continentur, arte naturae vivunt et vigent. *Id. Tusc.* 1, 27. Quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste et divinum est. *Ov. Fast.* 4, 541. Pallor abit, subitaeque vigent in corpore vires. *Quint.* 7. *praef.* Artus etiam leviter loco moti, perdunt, quo viguerunt, usum. *Sen. Hipp.* 620. Tu, qui juventae flore primaevo viges. *Sall. Cat.* 21. Victoria in manu nobis est: viget aetas, animus valet. *Varr. L. L.* 4, 10. Omne corpus, ubi nimius ardor aut interit, aut manet sterile. *Virg. A.* 4, 175. Fama Mobilitate viget, viresque acquirit eundo. *Hor. Od.* 1, 12, 17. de Jove: nil majus generatur ipso, Nec viget quidquam simile aut secundum. *Tibull.* 4, 1, 88. Laudis et assiduo vigeat certamine miles. *Cic. Or.* 2, 87. Vigere memoria. *Id Tusc.* 1, 43. *f.* Humatio tota ad corpus pertinet, sive occiderit animus, sive vigeat. *Liv.* 6, 22. *med.* Vegetum ingenium in vivido pectore vigebat. *Lucr.* 3, 151. Animus laetitia viget. *Cic. Att.* 4, 3. *f.* Nos animo dumtaxat vigemus, etiam magis, qua cum florebamus: re familiari comminuti sumus. *Val. Fl.* 1, 55. Tu, cui jam curaeque vigent, animique viriles. ℙ De iis, quae prospera sunt, quae florent, quae magni aestimantur. *Virg. A.* 2, 88. Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat Conciliis. *Ov. Met.* 15, 426. Clara fuit Sparte: magnae viguere Mycenae. *Sen. Hipp.* 435. prospero regnum in statu est, Domusque florens sorte felici viget. *Sall. Cat.* 3. *f.* Pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. *Cic. Coel.* 5. *f.* Vigebant studia rei militaris. *Naev.* ap. *Gell.* 6, 8. *f* Qui res magnas manu saepe gessit gloriose, cujus facta viva nunc vigent. *Stat. Silv.* 3, 5, 74. urbes stant, populisque vigent. *Coel.* ad *Cic. Fam* 8, 1. *extr.* Tui politici libri omnibus vigent. *Hor. A. P.* 61. verborum vetus interit aetas, Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque. *Nep. fragm.* ap. *Plin.* 9, 39, 63. Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat. *Colum.* 8, 17. *med.* Muraenae, quarum pretia vigent. ℙ De hominibus florentibus opinione litterarum, doctrinae, probitatis, divitiarum, etc. *Cic. Or.* 1, 11. Vigebat auditor Panaetii Mnesarchus; et *ib.* 3, 28. *med.* Philonem in Academia maxime vigere audio. *Id. Fam.* 7, 33. Nos nihil sumus, gregalibus illis, quibus te plaudente vigebamus, amissis. *Id. Tusc.* 1, 38. *f.* Multa saecula sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. *Nep. Alc.* 5. *med.* Tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent. *Lucr.* 4, 1149. Esse in deliciis summoque in honore vigere. *Tac. A.* 4, 20. Auctoritate et gratia vigere apud aliquem; et *ib.* 14, 19. summis honoribus, et multa eloquentia; et *ib.* 3, 30. opibus. *Sen. Consol. ad Marc.* 1. *med.* Cujus viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci. ℙ Olim et *vigo* dictum fuit, teste *Charis.* 3, 216. ℙ Particip. *Vigens* supra suo loco.

VIGESCO, is, n. 3. vigere incipio. *Catull.* 46, 8. Jam laeti studio pedes vigescunt. Adde *Lucr.* 1, 757. ubi alii leg. *viresco.*

VIGĒSIES, adv. vicesies, vicies. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Angulata vigesies sphaera. Alii leg. *vicies.*

VIGĒSĬMUS. V. VICESIMUS.

VIGESSIS, viginti assibus, ut *octussis*, octo assibus. *Mart.* 12, 76. Amphora vigessis, modius datur aere quaterno, *h. e.* viginti assibus venditur. *Capell.* 7. p. 241. Quater seni vigessis quadrussis faciunt, *h. e.* 24, Alii pro *vigessis* leg. *vicessis.*

VIGIES, adv. idem quod vicies. *Capell.* 6. p. 194. Umbra vigies quater complieata.

VIGIL, ilis, adj. comm. gen. γρήγορος, ἄγρυπνος, vigilans, hoc est qui non est torpens, quales sunt dormientes, sed in vigore et actu suo est: a *vigeo. Virg. A.* 4, 181. Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumae, Tot vigiles oculi. *Hor. Od.* 3, 16, 2. Canum vigilum excubiae. *Ov. Met.* 12, 148. Dumque vigil Phrygios servat custodia muros; et *ib.* 2, 112. ecce vigil rutilo patefecit ab ortu Purpureos Aurora fores. *Stat. Achill.* 1, 543. Animus vigil. ℙ *Vigil* etiam dicitur, qui vigilare facit. *Ov. Met.* 3, 396. Curae vigiles, *h. e.* quae nocturno quoque tempore mordent, et somnum impediunt. *Hor. Od.* 3, 8, 14. Vigiles lucernas perfer in lucem, *h. e.* ad quas vigilatur. *Stat. Silv.* 1, 2, 196. Vigiles quaestus, *h. e.* qui per noctem vigilando emittuntur. *Tac. A.* 4, 48. Noctem vigilem capessere, *h. e.* vigilias agendo. ℙ *Ignis vigil* dicitur, qui nunquam exstinguitur. *Virg. A.* 4, 200. vigilemque sacraverat ignem, Excubias Divum aeternas. ℙ *Auris vigil* est attenta. *Stat. Achill.* 2, 119. Aspicit intentum, vigilique haec aure bibentem. ℙ *Vigiles*, *um*, absolute, sunt excubitores, nocturnique custodes, φρουροί. *Pl. Amph.* 1, 1, 195. Rex Creon vigiles nocturnos singulos semper locat. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Clamor a vigilibus, fanique custodibus tollitur. V. NYCTOSTRATEGUS. ℙ Translate. *Lucr.* 5, 1435. Solem et Lunam *mundi vigiles* dixit. Similiter *Plin.* 10, 21, 24. gallos gallinaceos *vigiles nocturnos.* ℙ Romae septem erant *vigilum* cohortes ab Augusto institutae, quibus omnibus praefectus, et subpraefectus praeerat, unicuique autem tribunus, qui septem regebat militum centurias cum suis centurionibus. Circa portas et muros dispositae erant in excubitoriis XIV., quot nempe erant Urbis regiones. V. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 200. et sqq. et *Fea, Framm. de' fast. cons.* p. 82. et PRAEFECTUS. ℙ *Vigulum* scribitur in *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 1. p. 189.

VIGILĀBĬLIS, e, adj. qui vigilat. *Varr.* ap. *Non.* 2, 239. et 688. O stulta nostri pectoris dormitio Vigilabilis, quae me puellum imbuberem Cepisti!

VIGĬLANS, antis, part. a *vigilo: ἀγρυπνῶν. Ter. Andr.* 5, 6, 8. Num ille somniat ea, quae vigilans voluit? *Hic vigilans somniat*, proverbium est ap. *Pl. Capt.* 4, 2, 68. de iis, qui multa sibi bona et gaudia fingunt, et in votis suis sibi valde blandiuntur. ℙ *Vigilans dormire* proverbialiter dicitur ab eodem *Ps.* 1, 3, 152. qui in re aliqua segnis, remissus, et socors est. Cui simile est illud *Lucr.* 3, 1062. Qui somno partem majorem conteris aevi, Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas. V. STERTO. ℙ Saepe significat diligentem, providum, intentum. *Cic. Rosc. Am.* 48. Nostri isti nobiles, nisi vigilantes, et boni, et fortes, et misericordes erunt etc. *Id. Verr.* 1, 11. Perficiam, ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad judicium venisse videatur. *Id. ad Pomp. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Homo vigilans et industrius. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 1. *extr.* Annibal vigilantissimus dux. ℙ *Lumina vigilantia* dixit *Ov. Her.* 18, 31. accensam noctu facem in pharo ad monstrandum iter navigantibus.

VIGĬLANTER, adv. ἐγρηγορότως, ἐπιμελῶς, cum vigilantia, et solicitudine. *Cic. Verr.* 2, 4, 64. *f.* Quod vigilanter provinciam administrasset: cujus omnes vigilias in stupris constat, adulteriisque esse consumptas. *Id. Fam.* 15, 2. *med.* Vigilanter se tueri. *Planc.* ad *Cic. ib.* 10, 23. *med.* Tu, mi Cicero, praesta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes. *Cic. Somn. Scip.* 8. Enitar multo vigilantius. *Id. Mur.* 15. Quem L. Murena pater hujusce vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit.

VIGĬLANTIA, ae, f. somni parcitas, ἀγρυπνία. *Plin. ep.* 3, 5. de avunculo suo: Erat incredibile studium, summa vigilantia: lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, etc. ℙ Translate ponitur pro diligentia. *Ter. Adelph.* 3, 4, 34. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *Cic. Att.* 8, 9. *extr.* Horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.

VIGĬLĀTĒ, adv. idem ac vigilanter. *Gell.* 3.

14. *med.* Vigilate et attente verbum non probum mutavit.

VĪGĬLĀTĬO, onis, f. vigilia, insomnia. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 101.

VĪGĬLĀTUS, a, um, part. a *vigilo*, vigilando transactus, ἀγρυπνηθείς. *Ov. Fast.* 4, 167. Semustamque facem vigilata nocte viator Ponet. ℙ Sumitur etiam pro lucubrato seu nocte per vigiliam composito. *Id. ib.* 109. Primus amans carmen vigilatum, nocte negata, Dicitur ad clausas concinuisse fores: μέλος παρακλαυσίθυρον. *Id. Trist.* 2, 11. Hoc pretium curae, vigilatorumque laborum Cepimus.

VĪGĬLAX, acis, adj. omn. gen. ἀγρυπνητικὸς, sagaciter multumque vigilans. *Colum.* 7, 12. *med.* de canib. Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui, et circumspecti magis, quam temerarii. *Ov. Met.* 2, 779. Nec fruitur somno vigilacibus excita curis.

VĪGĬLĬA, ae, f. ἀγρυπνία, actus vigilandi, insomnia, excubiae nocturnae. *Cels.* 2, 6. Ut neque vigilia praecesserit, neque ventris resolutio, neque inedia. *Cic. Tusc.* 4, 19. *med.* Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? *Id. Par. prooem.* Illun majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit, *h. e.* longiorum lucubrationum. *Appul. Met.* 6. Inconniva vigilia. ℙ Speciatim dicitur de vigiliis militaribus. *Vigiliae* autem et *excubiae* differunt, quod *vigiliae* sunt tantum nocturnae, *excubiae* et nocturnae et diurnae. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Praecipitur et negotium datur quaestoribus, et aedilibus, ut noctu vigilias agerent ad aedes sacras. *Id. Cat.* 2, 12. Vestra tecta custodiis vigiliisque defendite. ℙ Vigiliae militares quatuor erant, prima, secunda, tertia, quarta. Singulae tribus horis constabant. Noctes enim in duodecim horas dividebantur, quae aestivo tempore breviores erant, hiemali autem longiores. *Hieron. ep.* 140. *n.* 8. Nox in quatuor vigilias dividitur, quas singulae trium horarum spatio supputantur. *Caes. B. G.* 1, 12. De tertia vigilia cum legionibus tribus ex castris profectus. *Plin.* 10, 21, 24. Castrensis vigilia. ℙ Haec militaris divisio noctis etiam in rebus urbanis observabatur. *Cic. Fam.* 3, 7. Cum puer tuus ad me secunda fere vigilia venisset. ℙ Metonymice dicuntur ipsi custodes, qui vigilant, φρουροὶ. *Cic. Mil.* 25. Si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta juventus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est. *Sall. Cat.* 33. Et ab incendio intelligebat Urbem vigiliis munitam. *Id. Jug.* 49. Vigilias crebras ponere; et *ib.* 105. circuire. ℙ *Vigiliae* quoque dicebantur nocturna sacra, quibus in aede Cereris mulieres pervigilabant, quae et *mysteria*, et *initia* dicebantur. *Pl. Aul. prol.* 35. et 4, 10, 65. Qui illam stupravit noctu Cereris vigiliis. ℙ *Vigilia* translate sumitur pro diligentia, cura, officio. *Cic. Fam.* 11, 24. Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut ne desim constantiae meae, *h. e.* mei muneris partes: alludit autem ad vigilias militares. Nam qui in castris exploratorum, et excubiarum partes noctu obeunt, ubi sua vigilia perfuncti sunt, aliis vigiliam quasi per manus tradunt. *Id. Phil.* 7, 7. Idcirco in hac custodia tanquam in specula collocati sumus, ut vacuum populum R. metu nostra vigilia et providentia reddere-mus; et *ib.* 1, 1. Manendum mihi statuebam quasi in vigilia quadam consulari et senatoria. ℙ Etiam *vigil* pro *vigilia* dicebant veteres. V. LABOR, oris.

VĪGĬLĬĀRĬUM, ii, n. locus in quo nocturnae excubiae aguntur. *Not. Tir.* p. 105. Vigil, Vigilarium. Lege *vigiliarium*. *Sen. ep.* 57. *med.* Quid interest, utrum supra aliquem vigiliarium ruat, an mons? ℙ Est etiam parvum monumentum, quod a formae similitudine cum excubiarum statione hoc nomen cepisse videtur, vel quia ibidem excubabat, qui monumenti custodiae. V. CUSTODIARIUM et EXCUBITORIUM. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 357. Hoc vigiliarium pertinet ad heredem Aeliae Heuresidis L. Gellium Amandum: is L. Gellio Hilariano filio et heredi, et Lib. Lib. Post. Eor.: in F. P. XXVI, in Ag. P. XXXII. S.

VĪGĬLĬUM, ii, n. idem ac vigilia. *Varr.* ap. *Non.* 3, 269. Animum mitto speculatum toto orbe, uti quid facerent homines, cum experrecti sient, me faceret certiorem; si quis melius operam sumeret, ut ejus consilio potius vigilium adminicularem nostrum.

VĪGĬLO, as, n. 1. γρηγορέω, ἀγρυπνέω, abstineo a dormiendo, vigilias ago, excubo. *Cic. Somn. Scip.* 1. Me, qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. *Id. Cat.* 3, 3. Tardissime autem Lentulus, credo, quod litteris dandis praeter consuetudinem proxima nocte vigilarat. *Id. Q. Fr.* 2, 15. Properando etiam citius, quam si de multa nocte vigilassent. *Hor. Sat.* 1, 3, 17. noctes vigilabat ad ipsum Mane, diem totum stertebat. *Ter. Eun.* 2, 2, 47. Vigilare usque ad lucem. ℙ Passive. *Ov. Her.* 12, 169. Non mihi grata dies; noctes vigilantur amarae. ℙ Et impersonaliter. *Mart.* 12, 68. Otia me, somnusque juvant, quae magna negavit Roma mihi: redeo, si vigilatur et hic. ℙ Translate est providere, studium et diligentiam adhibere. *Accius* ap. *Cic. Planc.* 24. Vigilandum est semper: multae insidiae fiunt bonis. *Cic. Phil.* 6, 7. Quamobrem, Quirites, consilio quantum potero, labore plus paene, quam potero, excubabo, vigilaboque pro vobis. *Id. Fat.* 6. Vigila, Chrysippe, ne tuam causam deseras. ℙ *Mars vigila*, dicebant, indicto bello, imperatores templum Martis ingressi, ejusque hastam commoventes. V. ANCILE. ℙ *Vigilare aliquid*, vigilanter providere, diligenter conficere, lucubrando persequi. *Virg. G.* 1, 312. Atque ubi jam breviorque dies, et mollier aestas, Quae vigilanda viris? *Gell. praef. med.* Qui in lectitando, scribendo, commentando nullas hoc genus vigilias vigilarunt. ℙ *alicui rei*, vigilanter operam dare. *Prop.* 2, 2, 9. si possem studiis vigilare severis. ℙ *Vigilare* etiam dicuntur ignes, qui inexstincti servantur, ut Romae in templo Vestae, de quo igne *Stat. Silv.* 1, 1, 35. An tacita vigilet face Troicus ignis; et *Flor.* 1, 2. Ut ad similitudinem coelestium ignium custos imperii flamma vigilaret. ℙ Part. *Vigilans* supra suo loco.

VĪGINTI, adj. numerale cardinale, indecl. εἴκοσι, et Dorice εἴκατι, unde factum est viginti. *Cic. Planc.* 37. Quae, si viginti quiessem dies, in aliorum jugulum consulum reeidissent. *Id. Or.* 3, 20. Annos natus suum et viginti. *Hor. Sat.* 1, 5, 86. Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis. *Pltn.* 29, 6, 39. Blattas diebus viginti uno impositas panos sanare. *Id.* 30, 10, 27. *extr.* Viginti unam muscas rufas in potu dare. [*Colum.* 5, 3. Asses efficies quatuor millia, ducentos, et viginti unum. *Id. ib.* Dandae sunt vites latitudini viginti una. *F.*]

VĪGINTĬANGŬLUS, a, um, adj. ut Vigintiangula sphaera, ap. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *med.* Male autem hic *Appulejus* interpretatur εἰκοσάεδρον *Platonis*, etenim sphaera εἰκοσαέδρος est, quae viginti superficies habet triangulares aequilateras, sed duodecim tantum angulos solidos ex quinque planis angulis quemque constantes.

VĪGINTĬVĪRĀTUS, us, m. magistratus viginti virorum, munus quoddam in republica gubernanda, cui viginti viri praeerant. De vigintiviris agris dividundis. *Cic. Att.* 9, 2. Repudiari se totum magis etiam, quam olim in vigintiviratu putabit. Adde *Quint.* 12, 1. *med.* V. v. sq. ℙ Etiam de vigintiviris ante quaesturam usurpat *Tac. l. c.* in v. sq.

VĪGINTĬVĪRI, orum, m. plur. magistratus viginti virorum ap. Romanos. C. Julius Caesar in consulatu legem tulerat, ut ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur, quod narrant *Vell.* 4, 44. et *Suet. Caes.* 20. et *Aug.* 4. et *Front. de colon.* p. 137. *Goes.* Hujus divisionis curatores viginti viros constituerat, quorum uno mortuo, in ejus locum Ciceronem invitaverat: quem honorem et munus, tanquam odiosum ac turpe, is repudiavit, ut apparet ex *eod. Att.* 2, 9., non sine offensa Caesaris, ut *Id.* innuit *ib.* 9, 2. et *Vell.* 2, 45. Hanc ejus recusationem *Quint.* 12, 1. *med.* laudat, et inter alia optimi civis argumenta recenset. *Cic. Att.* 2, 6. Ubi nemo sit praeter me, qui quemquam ex vigintiviris vivum et salvum velit. ℙ Fuerunt etiam *vigintiviri* magistratus ante quaesturam geri solitus, veluri aditus ad eam et ceteros honores. Fuere primum vigintisex; deinde ab Augusto ad viginti redacti, quorum decem erant hastae decemvirali, seu stlitibus judicandis praepositi, quatuor curatores viarum, tres monetales, totidem capitales. Duumviros curatores viarum extra Urbem, et quatuorviros, qui in praefecturas Campaniae mittebantur, Augustus sustulit. *Tac. A.* 3, 29. Tiberius Neronem jam ingressum juventam commendavit patribus, utque munere capesseudi vigintiviratus solveretur, et quinquennio maturius, quam per leges, quaesituram peteret, non sine irrisu audientium postulavit. *Spart. Julian.* 1. Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci (*Aurelii Aug.*) *h. e.* inter X. viros stlitibus judicandis, ut patet ex *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 42. ℙ Item *vigintiviri ex S. C. reipublicae curandae* fuerunt consulares ann. a. Chr. n. CCXXXVII. a senatu contra Maximinum creati. *Capitol. Gord. n.* 10. Ut non solum gesta haec probarent (*senatores*), sed etiam vigintiviros eligerent; et *mox:* Illos sane viginti senatus ad hoc creaverat, ut divideret his Italicas regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas. *Inscr.* ap. *Grut.* 381, 3. L. Caesonius C. F. Quirina Lucillus XX. viros (sic pro *vir*) ex senatus consulto R. P. curandae, etc. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 799. ℙ Alii etiam fuerunt *vigintiviri* in municipiis. *Inscr.* Ostiensis ap. *Marin. l. c.* p. 806. ... Cornelius Statius XX. vir H. A. H. S. ℙ In sing. num. *Plin.* 7, 52, 52. Varro auctor est, XX. viro se agros dividente Capuae, etc. Ita *Hard.* ex suis MSS. omnib. Sic *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 8. Aurelio Victori XV. Viro sacr. fac. V. QUINDECIMVIRI.

VĪGOR, oris, m. ἀκμὴ, vis illa, qua aliquis vivit vigetque, robur, firmitas, vires. *Virg. A.* 6, 730. Igneus est ollis vigor, et coelestis origo Seminibus. *Id. ib.* 9, 610. nec tarda senectus Debilitat vires animi, mutatque vigorem. *Phaedr.* 5, 7. de tibicine: cujus flatibus Solebat excitari saltantis vigor. *Liv.* 21, 4. Eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri. (Adde *Albinov.* 1, 260. et *Curt.* 10, 10.) *Hirt. B. Afr.* 10. *f.* Imperatoris vultus, vigor, mirabilisque hilaritas. *Just.* 1, 4. *f.* Tantus in illo vigor, et dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit. *Id.* 5, 5. *f.*, *Liv.* 9, 16. *med.* et *Ov. Her.* 16, 51. Vigor animi. *Id. Met.* 8, 254. ingenii. *Hor. Od.* 4, 4, 5. juventas et patrius vigor. ℙ In plur. num. *Vitr.* 6, 1. *f.* Temperatissimae ad utramque partem et corporum membris, animorumque vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes. *Sil.* 15, 355. Vincis, ait, nostros mirando ardore vigores. ℙ Translate. *Sen. ep.* 64. Lectus est liber Q. Sextii patris, magni viri. Quantum in illo, Dii boni! vigoris est, quantum animi! ℙ De rebus inanimis. *Plin.* 14, 4, 6. Vigor vini indomitus. *Hard.* in MSS. suis *rigor* reperit. *Id.* 9, 35, 54. Margaritae flavescunt senecta, rugisque torpescunt; nec nisi in juventa constat ille, qui quaeritur, vigor. *Id.* 37, 7, 28. Gemma quodam vigore apposita tingens, *h. e.* colore splendido, ac vivido.

VĪGORANS, antis, part. ab inusit. *vigoro*, vigorem afferens. *Tert. Pudic.* 2. Effeminantia magis, quam vigorantia disciplinam. ℙ Item vigorem sumens. *Id. Resurr. carn.* 26. *med.* Vinum animae vigorantis ex vite Christi.

VĪGORĀTUS, a, um, part. ab inus. *vigoro*, ut Vigoratus juvenis, *Appul. Met.* 9.

[VĪLĔFĂCIO, is, a. 3. φαυλίζω, vilem reddo. *Lactant.* ad *Stat. Theb.* 5, 28. Fletu non indecenti, non nimio, qui formam deturparet, dignitatem ejus vilefaceret. *F.*]

VĪLĔO, es, ui, n. 2. φαυλίζομαι, vilesco. *Avien.* in *Arat.* 318. At postquam argento deformis viluit aetas. *August. Tract. in Joann.* 24. *n.* 1. Miracula ejus etc. assiduitate viluerunt.

VĪLESCO, is, n. 3. idem ac vileo. *Paul. Nol. carm.* 22, 56. Vilescit pretio depretiatus homo. *Hieron ep.* 66. *n.* 7. Quamvis clarus homo vilescit in turba. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. med.* Vir non indiscreta familiaritate vilescens.

VĪLĬFĬCO. V. ANNIHILARE.

[VĪLĬO, onis, m. dimin. vilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2055, 5. M. Aurelius Vilio. *F.*]

VĪLĬPENDO, is, a. 3. contemno, parvi facio. *Pl. Truc.* 2, 6, 58. Etiamnum me vilipendit. Alii leg. *nihili pendit*. Alii aliter.

VĪLIS, e, adj. εὐωνος, qui parvo pretio emitur. *Pl. Trin.* 1, 1, 10. Neque quidquam vile nunc est, nisi mores mali. [*Perperam *Noster vilis* h l. intelligit de eo, quod parvo pretio emitur. Significat hic *vilis*, eaque prima est vocabuli notio, idem quod *venalis*, *verkäuflich*. Eodem sensu positum est ap. *Virg. G.* 1, 273. quem locum *Forc.* infra laud., cum *Servio vilis* pro abundanti habens. V. in *Vilitas.*] *Pl. Mil.* 3, 1, 137. Qui probi homines essent, esset his annona vilior. *Cic. Verr.* 2, 3, 84. *f.* Frumentum quoniam vilius erat, ne emisses. *Id. Fin.* 2, 28. Non minor voluptas percipitur ex vilissimis rebus, quam ex pretiosissimis. *Mart.* 1, 77. curarum pretium non vile mearum. *Ter. Ph.* 5, 3, 6. Ex his praediis talenta bina capiebat: ac rebus vilioribus multo; et *Ad.* 5, 9, 24. Si tuum officium facies, atque hic paululum prae manu dederis, unde utatur; reddet tibi cito. *Mi.* istoc vilius. Ubi *Don.* quasi *nihil minus:* negatio enim est floccum ostendentis, aut quid tale, cum ἐλλείψει, quia subauditur *quicquam*, et *non dabo*. Vult hoc *Donatus:* non dabo ne rem quidem ista, quam tango, viliorem. Simile est illud *Charis.* 2, 180. Rex, qui vocabat ad coenam, si sibi ea res exhibenda indiceretur, quam exhibere non posset, respondit, ut Tranquillus refert: Isto vilius hominis erit coena, *h. e.* minore pretio parabitur coena alicui, quam constet quod mihi indicitur exhibendum. ℙ *Vili*, parvo pretio. *Pl. Epid.* 1, 1, 49. Istam quanti emit? *Thes.* vili. *Mart.* 12, 66. Instructam vili vendis, Amoene, domum. *Ulp. Dig.* 13, 4, 2. *f.* Res stipulatoris vilissimo distracta est. ℙ Metonymice est abundans, frequens: ut in illo *Virg. G.* 1, 273. oleo tardi costas agitator aselli, Vilibus aut onerat pomis. Ita *Servius*, qui huc trahit et illud *ib.* 227. viciamque seres, vilemque faselum: quia quae abundant, vili emuntur. Huc addit *Non.* 12, 41. et locum *Varr. fragm.*, cujus lectio valde dubia est. ℙ Saepe est vulgaris, contemptus, humilis, levis, minimi pretii, ἄτιμος, τριοβολαῖος. *Cic. Fl.* 42. *med.* Etiam si honor noster vobis vilior fuisset, salutem certe caram futuram. *Id. Rosc. Am.* 26. Nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. *Id. Fam.* 7, 20. Velia non est vilior, quam Lupercal. *Nep. Dat.* 3. *f.* Quod non vilis rex in potestatem inopinanti venerat. *Hor. Sat.* 2, 5, 8. Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est. *Liv.* 40, 9. Nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec praeterito periculo meo movereris, neque futuro. [*Cf. *ib.* 22, 60. et 24, 5. ad quem locum v. *Bauer.* p. 106. coll. *Liv.* 25, 6. Porro *ib.* 35, 14.] *Sall. Cat.* 16. Fidem, fortunas, pericula vilia habere. *Ov. A. Am.* 2, 29. Da reditum puero, senis est si gratia vilis. *Id. Her.* 7, 48. Si, dum me careas, est tibi vile mori. ℙ Cum infinito. *Sil.* 8, 436. Stat fucare colos nec Sidone vilior Ancon, etc. ℙ Τρώμη est illud *Petr. Sat.* 93. Vile est, quod licet. Et illud *Claud. IV. cons, Hon.* 220. Vile latens virtus, *h. e.* virtus, quae latet, vilis res est, et digna contemni. ℙ *Vile* adverbii more, viliter. *Id. ib.* 37 et vile virentes Hesperidum risit, quos distat fabu

la, ramos, *h. e.* non aureos, ut fabulae jactant, sed vulgari viriditate.

VILITAS, atis, f. *φαυλότης, εὐτέλεια, εὐωνία,* exiguitas pretii, cui *caritas* opponitur. [*Parum recte haec docet *Noster*, neque docuisset, si locum *Plauti* nosset, *Capt.* 2, 1, 39. Nam tu nunc vides pro tuo caro capite Carum offerre me meum caput vilitati: unde luce clarius apparet, *vilitas*, proprie non esse exiguitatem pretii, sed i. q. *venalitas*, nostr. *Feilheit*. Ceterum nota: genus dicendi ap. *Plaut.* translate positum esse eodem modo, quo nos loquimur: *sein Haupt zu Markte tragen.* V. VILIS.] *Cic. Man.* 15. *med.* Tanta repente vilitas annonae et summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. *Id. Verr.* 2, 3, 98. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis. *Plin.* 33, 3, 14. Vilitatem alicui rei facere. *Id.* 35, 6, 28. Solebant librae ejus tricenis nummis taxari. Inventa per Hispanias arena est similem curam recipiens; itaque ad denarios senos vilitas rediit. *Id.* 14, 2, 4. *n* 6. Uva tantum vilitatis cibariae, *h. e.* escae tantum utilis, nullo pretio in vino. *Id.* 8, 3, 4. de dentib. eleph.: Cetero et in his quoque, qua corpus intexit, vilitas ossea, *h. e.* materies exigui pretii. [*Lampr Commod.* 14. Vilitatem proposuit, ex qua majorem penuriam fecit, *h. e.* pretia rerum venalium imminuit *Id. Alex. Sev.* 22. Cum vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putaret. *Ammian.* 22, 14. *in.* Popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quae nonnunquam secus, quam convenit, ordinata inopiam gignere solet et famem. Hanc autem vilitatem publice omnium primi jusserunt *Impp. Diocletianus* et *Maximianus* eo edicto, quod ann. a Chr. n. CCC. taxationi rerum venalium praeposuerunt, quodque Romae edidit et illustravit *Aloys. Cardinalius* ann. 1825., ac deinde accuratius *Hieron. Amatius* in *Giorn. Arcad.* T. 33. p. 41. 65. Illius edicti mentionem habet his verbis *Idatius* in *Fast. cons.* ad ann. a Chr. n. CCCII. His consulibus vilitatem jusserunt imperatores esse. In quo tamen fallitur, cum ex ipsius edicti initio constet, id factum fuisse duobus ocius, ut diximus, annis. Huc vero pertinent verba *Lact. Mort. persec.* 7. Idem Diocletianus cum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua et vilia multus sanguis effusus, nec venale quidquam metu apparebat, et caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa, post multorum exitium, solveretur. Hactenus *Lactant.*, qui dixit *multus sanguis effusus*, et *post multorum exitium*, quia, ut habet *Edictum* p. 6. Si quis contra formam statuti hujus connisus fuerit audenter, capitali periculo subjiciatur. *F.*] ℙ Translate. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Vilitas animarum, *h. e.* vitae hominum. *Id. praef.* 20. nominum. *Petr. Sat.* 118. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, et sumendae voces a plebe submotae. ℙ *Vilitas sui*, id est cum quis se vilissimum putat, et contemni ac negligi dignum. *Sen. Clem.* 1, 4. *med.* (et *ep.* 121. *extr.*) In nullo *(animali)* deprehendes vilitatem sui, ne negligentiam quidem. *Curt.* 5, 9. *med.* Sepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi. ℙ [*Conf. *vilitas* et tranquillitas. V. *Beier.* ad. *Cic. Fragm.* XIX.]

VILITER, adv. *εὐτελῶς*, cum vilitate, vili pretio. *Pl. Curc.* 2, 1, 28. Venire poteris intestinis vilius. *Appul. Flor. n.* 7. Viliter se ipsum colere, sui contemptus est. *Plin. ep.* 10, 46. Aliqua pars testaceo opere agenda erit: id enim et facilius et vilius; et *Plin. alter* 18, 6, 8. *n.* 3. Quidquid per asellum fieri potest, vilissime constat.

VILITO, as, a. 1. *φαυλίζω*, vile reddo. *Turp.* ap. *Non.* 2, 896. Quin moneam, quin clamem, et querar tua vitia, quae te vilitant.

VILLA, ae, f. *ἔπαυλις, ἀγροικία*, domus extra urbem, in agro, agri colendi, et fructuum colligendorum, aut etiam habitationis causa constituta: a *vehendo*, quasi *vehilla*, quod in eam fructus ex arvis convehuntur. [*Longe nobis praeferenda videtur vocis ea originatio, qua *Doederl.* 3, 4. sq. *villa* ortum a *vicula* docet. In nostra lingua *Weiler* maxime etiam forma huic latino vocabulo respondet. De differentia inter hoc verbum et *fundus* et *praedium* agit *Doederl. l. l.* Cf. *Praedium.*] Ita *Varr. R. R.* 4, 4. *med.* docet. *Cic. Rosc. Com.* 12. Qui ager neque villam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus; et *mox:* Tum erat ager incultus, sine tecto, nunc est cultissimus cum optima villa. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 1. Modus hic probatur, ut neque fundus villam, neque villa fundum quaerat. *Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. Frumenta aut in agris, aut in villis sunt. ℙ Tripartito a *Columella* distribuitur, in urbanam, rusticam, et fructuariam. *Villa rustica*, est ea pars villae, quam villicus, colonus, vinitor, arborator habitandam sibi obtinet, et familiae villaticae, atque instrumento omni rustico condendo, aut continendo est accommodata. *Villa urbana*, ea pars est, quam dominus sibi, cum ruri est, habitandam recipit. Dicitur urbana, quia elegantius amoeniusque aedificari solet, et instrui, quasi urbani nitoris et elegantiae plus habens, quam rustica. *Fructuaria villa* dicitur, ubi fructus reconduntur. V. ipsum *Covilla* dicitur, ubi fructus reconduntur. V. ipsum *Colum.* 1, 6. *Cato R. R.* 4. Villam urbanam pro copia aedificato. ℙ *Villa publica* erat aedes in Campo Martio publicis officiis assignata, quemadmodum describitur a *Varr. R. R.* 3, 2. Villa publica ad rempubl. administrandam est utilis, ubi cohortes ad delectum consuli adductae considant; ubi arma ostendant; ubi censores censu admittant populum. Haec *Varro.* Dicta est autem *villa*, quia posita erat extra Urbem. Nam Martius campus situs erat inter Urbem et Tiberim, ut habet *Lic.* 2, 5. Scribit *Flor.* 3, 21., L. Sullam quatuor millia deditorum inermium in villa hac publica interfecisse. Hoc idem narrans *Val. Max.* 9, 2. *n.* 1. quatuor legiones fuisse dicit. *Sen.* autem *Ben.* 5, 16. duas legiones. *Id. Clem.* 1, 12. septem millia civium. At octo millia sunt in *Epit. Liv.* 88., novem millia ap. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 75. Ex quibus intelligimus amplissimam et spatiosissimam fuisse. Facta est a censoribus C. Furio Pacilo, et M. Geganio Macerino ann. U. C. CCCXX. *Liv.* 4, 22. Ejus imaginem et nomen VIL. PVB. videre est in nummis gentis *Didiae* et *Fontejae* ap. *Morell. Numism. Fam. Rom.* ℙ Neque vero solum rusticae aedes, sed etiam singulae earum partes villae nomine significantur. Hinc *Plin.* 9, 54, 79. ostrearum vivaria, quae sunt villae rusticae partes, *villas* vocat. Similiter ap. *Varr. l. c.* villae sumuntur pro cohortibus avium altilium. In illo etiam loco *Plinii ep.* 5, 19. *f.* Rogo ergo, scribas tuis, ut illi villa, ut domus pateat: videtur *villa* poni pro parte villae rustica, *domus* vero pro parte urbana. ℙ Pro rure. *Plin. ep.* 7, 25. Athenis vivere hominem, non in villa putes. ℙ **Villa Jovis* in insula Capreis. *Suet. Tib.* 65. ℙ *Villa magna*, locus in Africa, in regione Syrtica. *Ant. Itin.* ℙ *Villa Faustini*, locus in Britannia. *Ibid. B. A.*

VILLARIS, e, adj. *ἀγροικικὸς*, idem quod villaticus, ut Villares gallinae, quae in villa aluntur. *Plin.* 10, 41, 57.

VILLATICUS, a, um, adj. *ἀγροικικὸς*, ad villam pertinens, ut *Villaticus canis*, qui villae servandae gratia alitur. *Villaticae alites*, quae in aedibus seu casis rusticis nutriuntur, ut sunt gallinae, anates, columbi, etc. *Villaticae pastiones*, h. e. alimenta, quibus hujusmodi altiles alites nutriuntur. *Colum.* 7, 12. De villatico cane igitur, et pastorali dicendum est: nam venaticus nihil pertinet ad nostram professionem. *Plin.* 23, 1, 17. Ajunt, si quis villam ea tinxerit, fugere accipitres, tutasque fieri villaticas alites. *Varr. R. R.* 3, 2. Duo sunt pastionum genera; unum agreste, in quo pecuariae sunt; alterum villaticum, in quo sunt gallinae, ac columbae, et apes, et cetera, quae in villa solent pasci; et *ib.* 9. Villaticae gallinae. *Colum.* 7, 13. *extr.* Villaticae pastiones, quae continent volucrum, pisciumque, et silvestrium quadrupedum curam. *Id.* 9, 4. *f.* Villaticum mel. *Plin.* 28, 11, 49. *extr.* Villaticae quadrupedes. [*Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Villatici greges, *h. e.* qui in villa remanent, illis oppositi, qui in saltibus pascuntur, et a tectis absunt longe. *F.*]

[VILLATOR, oris, m. ita truncato vocis capite pronuntiat rusticus pro *cavillator*, ap. *Pl. Truc.* 3, 2, 15. Dicax sum factus, jam sum villator probus. Ita leg. *Muretus*, alii perperam *cavillator;* rustici enim homines *conia* pro *ciconia*, et *rabo* pro *arrhalo* pronuntiabant. V. RABO, onis. *F.*]

VILLICA, ae, f. *οἰκονόμου γυνή*, uxor villici. *Mart.* 1, 56. Pinguis inaequales onerat cui villica mensas. *Juven.* 11, 69. Asparagi, posito quos legit villica fuso. ℙ De officiis villicae V. *Colum.* 12, 1. et *Cat. R. R.* 113. ℙ Scribitur et *vilica* simplici *l.* V. VILLICUS.

VILLICATIO, onis, f. *ἀγρονομία*, villae dispensatio, seu administratio, negotiatio rustica. *Colum.* 11, 1. *med.* Qui susceperit officium villicationis, in primis convictum domesticum, multo etiam magis externum vitet. *Petr. fragm. Trag.* 69. *Burm.* Servum in villicationem relegavit.

[VILLICATUS, a, um, part. a *villicor*, qua ruri vivere significat: qui rusticatus est. *Auson. ep.* 22, 1. Philon, meis qui villicatus praediis, etc. *F.*]

VILLICO, as, a. 1. *ἀγρονομέω*, villicum ago, villae negotia guberno. *Appul. Met.* 8. Servus, cui familiae tutelam dominus commiserat, quique possessionem maximam villicabat. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 1. Quorum praedia colenda suscipiebat respublica: exercitusque ducebant, senatu illis villicante. ℙ Usitatius est passiva, seu deponenti positione. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 897. Longe ab urbe villicarier, quo herus rarenter venit. *Id. ib.* Non villicarier, sed dominari mea est sententia. *Afran. ib.* In Arpinos jam, quantum pote, explodam hominem, ut villicetur. ℙ Significat etiam ruri vivere, rusticari. *Turpil. ib.* Ego nondum etiam hic villicabar, Phaedria. *Id. ib.* Hic villicor ante urbem: nunc rus eo. ℙ [Translate. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 5, 3. Sic noster hic rector quasi dispensare rem publicam, et in ea quodam modo vilicare possit *F.*]

VILLICO, onis, m. idem ac villicus, idest praefectus villicationis. *Appul. Apol.* Negat eam rationibus villiconum, et opilionum, et equisonum solertissime subscripsisse. Alii leg. *villicorum.*

VILLICOR. V. VILLICO.

VILLICUS et Vilicus, i, m. *ἀγρονόμος, αὐλείτης*, praefectus villae, procurator rei rusticae, cui tota rerum villaticarum cura ab hero commissa est. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, et evehuntur, cum veneunt. *Colum.* 12. *prooem. f.* Villicis successerunt in locum dominorum, qui quondam prisca consuetudine non solum coluerant, sed habilaverant villas. *Cato* ap. *Col.* 11, 1. *in.* Male agitur cum domino, quem villicus docet. *Cic. Verr.* 2, 3, 50. Si quis villicus ex eo fundo excisis arboribus ac venditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato, etc. et *paulo post:* Putat, se bonum in arationibus fructibusque suis habuisse custodem ac villicum. ℙ Ejus officia describit *Cato R. R.* 5. et 142. Qualis esse debeat, docet *Colum.* 11, 1. *in.* et *med.* et 12, 1., idemque undecimum librum suum *villicum* inscripsit, ut habemus 12, 18. ℙ Videtur sumi etiam pro ipso agri cultore ab *Hor. Ep.* 1, 14, 1. V. *ib. v.* 4, 19. et 26. ℙ Item pro dispensatore et procuratore cujuscumque rei. *Auct. Priap.* 82, 4. Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli. Alii leg. *Aerari quondam custos*, etc. Sed prior lectio magis *Scalig.* probatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 10. Eutychus villic. a plumbo. *Alia* 1033, 9. Vil. ab alim., *h. e.* villicus ab alimentis. *Alia* 602, 3. Felici Caes. serv. villico hortorum Majanor. *Alia ib.* 4. Vicus in hortis Salustianis. *Front. Aquaed.* 117. in ministeriis aquaeductuum ponit et *villicos*, quorum officium erat calices et fistulas impetratas ab imperatoribus ad privatos usus aptare, et collocare, ut habetur *ib.* 112. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 235. Sporus Caes. N. S. vilic. aquae Claudiae. ℙ Translate. *Lampr. Alex. Sev.* 15. Malum villicum esse imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec reipubl. utiles pasceret. Ita legit *Salmas.*, alii aliter. *Juven.* 4, 77. Pegasus attonitae positus modo villicus urbi, *h. e.* praefectus. ℙ Adjective est villaticus, ruralis. *Auson. epist.* 4, 56. Et jacula, et fundas, et villica nomina lini. ℙ Ad scriptionem quod attinet, quamvis ratio duo *ll* postulet, tamen adeo frequens est in antiquis monumentis unico scribi, ut paene praeferri debeat, certe improbari non possit. In *opt. cod. Varronis*, et in *Pandect. Florentinis* ita semper scribi, testatur *P. Victor.* ad *Cic. Fam.* 16, 21. Sex vet. Lapides affert *Manut.* in *Orthogr.*, quindecim *Fabr.* p. 2., unum *Don. cl.* 1. *n.* 140. et tres *Id. cl.* 7. *n.* 138, 152. et 205. simplici *l.* Putat *Dausqu.* etiam *vilam* sic scribi, quod sit ab *ὕλη*, munipulus. Ipse tamen, et *Manut.* retinent *villicus.*

*VILLIUS, i, m. nomen Romanum, v. g. L. Villius Tappulus, de quo *Liv.* 21, 49. *extr.* et L. Villius Annalis ap. [*Coel.* in *Cic. Fam.* 8, 8. ℙ Annalem legem primus accurate tulit L. Villius, tribunus plebis, A. Posthumio Albino et Q. Fulvio Flacco Coss. Inde Annalis dictus est, quod nomen familiae haesit. *Liv.* 40, 44. V. *Manut. de Legg.* 6. *B. A.*

VILLOSUS, a, um, adj. *τριχώδης, τριχωτὸς*, villis plenus, hirsutus, hirtus. *Virg. A.* 8, 177. villosi pelle leonis; et *ib.* 266. de Caco: villosaque setis Pectora semiferi. *Ov. Met.* 10, 22. de Medusa: villosa colubris Guttura, *h. e.* densis cincta serpentibus. *Plin.* 12, 12, 26. Radix villosa, *h. e.* capillamentis, vel fibris instructa. *Id.* 16, 10, 19. Arbor folio villosior. *Id.* 11, 39, 94. Villosissimum animal.

VILLULA, ae, f. parva villa. *Cic. Att.* 8, 9. Ego Arpini volo esse pridie Kalendas, deinde circum villulas nostras errare. *Hor. Sat.* 1, 5, 45. Proxima Campano ponti quae villula tectum Praebuit.

[VILLULUS, i, m. dimin. villi, lanugo. *Catull.* 61, 136. Sordebant tibi villuli, Concubine, hodie atque heri. Ita leg. *Doering.*, quod unice probandum videtur; alii alia. *F.*]

VILLUM, i, n. *οἰνίσκος, οἰνάριον*, diminut. vini. *Ter. Ad.* 5, 2, 11. Interea in angulum aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi.

VILLUS, i, m. *θρίξ, λάχνη, τρίχωμα*, non proprie pilus est, sed potius multorum pilorum collectio, et quidam quasi floccus, quales in jubis leonum, et luporum, et nonnullorum etiam canum separatos videmus propendere, quales idem sunt in vestibus flocci illi prominentes, qui hodie etiam ornatus causa arte fullonia pannis inducuntur. Est a *vinnus*, idest cincinnus, molliter flexus, ut exponit *Isid. Or.* 3, 19. *f.* Vel est a *vellendo*, qua ratione ab eodem *vellus* venit. [**Doederl.* 3, 21. diminutivam formam esse vult a *pilus*, syncop. ex *pilulus.*] *Cic. N. D.* 2, 47. Animantium aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae, etc. *Virg. G.* 3, 416. udisque aries in gurgite villis Mersatur. *Ov. Her.* 6, 49. Non erat hic aries villo spectabilis aureo. *Mart.* 14, 156. Calfaciunt villi pallia vestra mei. *Sidon. ep.* 5, 17. *med.* Linteum villis onustum.

*VIMANIA, ae, f. oppidum Vindeliciae, hodie,

ut vulgo creditur, *Wangen. Mamertio* est municipium *Isny.* Mentio hujus oppidi facta est in *Notit. Imper.* ℙ *Vemania* audit *Tab. Peuting.* et *Anton. Itin. B. A.*

VĪMEN, inis, n. *οἰσύα, ἰβύη, λύγος*, omne virgultum lentum, seu molle, flexile, et aptum ad viendum, id est ligandum. *Varro R. R.* 1, 23, *med.* Ut habeas vimina, unde viendo quid facias. *Fest.* Viere, alligare, unde vimina, et vasa viminea. ℙ Fiunt autem vimina ex virgis populi, sanguinei fruticis, betulae, coryli, vitis, et salicis, quae principatum obtinet. *Caes. B. C.* 1, 54. Reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur. *Colum.* 4, 30. Nec refert, cujus generis vimen seras, dum sit lentissimum. *Ov. Met.* 6, 344. fruticosa legebant Vimina cum juncis. *Tibull.* 2, 3, 15. Tum fiscella levi detexta est vimine junci. *Colum.* 10, 304. cano jam vimine textum Sirpiculum ferrugineis camulate hyacinthis. *Ov. Rem. Am.* 186 Ut relevent dempti vimina torta favi, *h. e.* alvearia viminea: synecdoche. Sic *Mart.* 4, 89. Nec rugosarum vimen breve Picenarum, *h. e.* fiscella viminea; et *Ov. Met.* 12, 436. concretum vimine querno Lac fluit. ℙ *Vimen*, virga, quae manu gestatur. *Stat. Th.* 2, 30. Ni Deus *(Mercurius)* horrentem *(Cerberum)* Letheo vimine mulcens Ferrea tergemino domuisset lumina somno.

VĪMENTUM, i, n. idem quod vimen. *Tac. A.* 12, 16. Moenia non saxo, sed cratibus et vimentis, ac media humo, adversus irrumpentes invalida erant. Alii aliter leg.

*VIMINACĪUM, i, n. oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Vaccaeorum agro. *Anton. Itin.* ℙ Item oppidum Moesia superioris. *Eutrop.* 9, 13. (al. 20.) *Tab. Peuting.* et *Anton. Itin. B. A.*

VĪMĪNĀLIS, e, adj. *οἰσύινος*, ad vimina pertinens. *Viminalis arbor* est, ex qua vimina fiunt. *Plin.* 17, 20, 32. Salicis viminalis singula jugera sufficiunt viginti quinque vineae jugeribus. *Colum.* 4, 30. Quare salices viminales, atque arundineta, vulgaresque silvae, vel consulto consitae e castaneis prius faciendae sunt. ℙ *Viminalia* absolute sunt arbores, quae vimina ferunt. *Plin. loc. cit.* Haec est viminalium cultura. ℙ *Viminalis collis*, unus ex septem urbis Romae collibus, in tertia urbis regione, ita dictus a viminum silva in eo enata circa aram Jovis, unde et Juppiter ipse *Viminius* cognominabatur. *Varro L. L.* 4, 8. *med.* et *Festus.* ℙ *Viminalis porta*, una ex portis urbis Romae, a Servio Tullio productae, inter Collinam et Exquilinam, ita dicta, quod in Viminalem collem duceret. Ejus meminit *Festus.*

VĪMĪNĀRĬUS, ii, m. qui viminea opera facit, vel in viminibus negotiatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 3. A. Turranius Niger viminarius, etc.

VĪMĪNĒTUM, i, n. locus viminibus consitus. *Varr. L. L.* 4, 8. Viminalis collis a Jove Viminio, quod ibi arae sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt.

VĪMĪNĔUS, a, um, adj. *λυγινὸς*, ex viminibus factus. *Pl. Epid.* 1, 1, 25. Unum a praetura tua abest, lictores duo, duo viminei fasces virgarum. *Caes. B. C.* 3, 63. *med.* Viminea tegumenta galeis imposita. *Hirt. B. G.* 8, 9. Pontium frontes viminea loricula munirentur. *Virg. G.* 1, 95. Vimineae crates. *Plin.* 16, 37, 69. Viminea salix, *h. e.* ex qua vimina fiunt.

VĪMĪNĬUS Juppiter. V. VIMINALIS et VIMINETUM.

*VIMITELLARĪI, orum, populi vetusti, qui in Latio degebant. Eorum civitas excisa, teste *Plin.* 3, 5. *B. A.*

VIN' est visne? *Pl. Poen.* 5, 2, 155. Vin' eam videre?

*VINA, ae, oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Anton. Itin. B. A.*

VĪNĂCĔA, ae, f. *γίγαρτον*, semen, seu granum uvae jam pressae: *bacca* subintelligitur. *Colum. Arb.* 4. *f.* Praeterea post haec vinaceae heminam uvae albae in nigra, uvae nigrae in alba ponito. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 20. Circum capita addito stercus, paleas, vinaceas, aut aliquid horumce.

VĪNĂCĔUM et Vinaceus, i, n. et m. *γίγαρτον*, semen, seu granulum illud lignosum, quod in uvae acino nascitur: cum neutr. generis est, granum; cum masculini, folliculus subintelligitur: etenim proprie *vinaceus, a, um*, adjectiv. est. Fere usurpatur in numero plurali. *Colum.* 3, 1. Humido loco sciet non recte mandari fructus teneri et amplioris acini, sed callosi et angusti, frequentisque vinacei. *Id.* 11, 2. *med.* Naturalis autem maturitas est, si, cum expresseris vinacea, quae acinis celantur, jam infuscata, et nonnulla propemodum nigra fuerint. Adde 6, 3. ℙ Nonnunquam tamen vinacea dici inveniemus pro totis uvae expressae reliquiis, hoc est, non solum pro hisce granulis, verum etiam pro ipsis folliculis, qui Graece *στέμφυλα*. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* His *(praesepibus)* quaecumque jubentur, vescuntur *(oves)*, ut folia ficulnea, et palea, et vinacea. *Id. ib.* 3, 11. Pabulum his *(anatibus)* datur triticum, hordeum, vinacei, uvae. *Plin.* 14, 1, 3. Uvae doliis inclusae, stipatae vinaceis circumsudantibus. *Colum.* 12, 36. Tortivum mustum dicimus, quod post primam pressuram vinaceorum, circumciso pede, exprimitur. Adde *eund. ib.* 43. *f.* et *Cat. R. R.* 7. ℙ Adjective. *Cic. Sen.* 15. Omitto enim vim ipsam omnium, quae generantur e terra, quae ex fici tantulo grano, aut ex ceterarum frugum, aut stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque pro creat. Alii rectius leg. *ex acini vinaceo.*

*VĪNACĬOLA, ae, f. certa aliqua vitis, quam soli novere Sabini et Laurentini. *Plin.* 14, 3. *B. A.*

VĪNĀLĬA, orum, vel ium, n. plur. *πιθοίγια*. Duplex fuit vinaliorum nomine festum, alterum celebratum IX. K. Majas, alterum XIV. K. Septembr. Prius dictum *vinalia priora* sive *urbana;* posterius *cinalia altera* sive *rustica.* In illo vinum novum degustabant, et Jovi libabant; in hoc vinum, h. e. uvas, legebant, et Jovi sacrificabant. Prius Veneris festum proprie dicebatur, quia posterius Jovis erat, licet ob duo templa Veneri eodem die dicata, et ob tutelam hortorum Veneri tributam, etiam dies Veneris vocaretur. De *vinalibus prioribus* sive *urbanis* ita *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 3. Vinalia priora, quae ante hos dies sunt IX. Kal. Maji, degustantis vinis instituta, nihil ad fructus attinent. *Festus:* Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum degustabant, et Jovi libabant. *Id.* Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Jovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant festa Vinalia. *Ov. Fast.* 4, 863. Dicta Pales nobis; idem Vinalia dicam, Una tamen media est inter utramque dies. *Id. ib.* 877. Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant, Quaeritis, et quare sit Jovis ista dies? etc. *Kalend. Maffej.* ap. *Grut.* 133. IX. Kal. Maj. Vin. NP. *Kalend. Praenestin.* ap. *Faggin.* IX. Kal. Maj. Vin. F. ℙ De *Vinalibus alteris* sive *rusticis* ita *Varr. L. L.* 5, 3. Vinalia a vino. Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio: nam aliquot locis vindemiae primum a sacerdotibus publice fiebant, ut Romae etiam nunc. Nam flamen Dialis auspicatur vindemiam, et, ut jussit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta caesa et porrecta flamen prorsus vinum legit. In Tusculanis sacris est, vinum novum ne vehatur in urbem, ante quam Vinalia kalentur; et *mox:* Vinalia rustica dicuntur ante XII. (*corrige* XIV.) Kal. Septembris, quod tum Veneri dedicata aedis, et horti ejus tutelae assignantur, ac tum sunt feriati olitores. *Id. R. R.* 1, 1. Veneris procuratio hortorum, quo nomine rustica Vinalia instituta. *Plin. l. c. n.* 4. Sunt Vinalia altera, quae aguntur a d. XIII. (*corrige* XIV.) Kal. Septembris. *Festus:* Rustica Vinalia appellantur mense Augusto, XIV. Kal. Sept. Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt; eodem autem die Veneris templa sunt consecrata, alterum ad Circum maximum, alterum in luco Libitinensi, quia in ipsius Deae tutela sunt horti. *Masurius* ap. *Macr. Sat.* 1, 4. Vinaliorum dies Jovi sacer est, non, ut quidam putant, Veneri. *Ov. l. c.* 897. Venerat Autumnus calcatis sordidus uvis: Redduntur merito debita vina Jovi. Dicta dies hinc est Vinalia. Juppiter illam Vindicat, et festis gaudet inesse suis. Hujus porro festi mentio est ad diem XIV. Kal. Septembris in quatuor Kalendariis, Maffejorum nempe ap. *Grut.* 133., in altero Capranicorum, et Amiternino, et Antiatino ap. *Foggin.* in *Fragm. Fastor. Verrii Flacci*, quorum *Kalendariorum* et *Festi* auctoritate corrigenda esse *Varronis* et *Plinii* loca citata, constat, quod etiam *Pontedera* in *Antiquit. Graec. et Rom.* p. 318. jam viderat. [*Multis hunc locum auxit atque emendavit *F.*]

VĪNĀLIS, e, adj. ad vinum pertinens. *Macr. Sat.* 7, 7. *f.* Si qua vinalis fortitudo in homine resedit.

VĪNĀRĬĀRĬUS, ii, m. *οἰνοπώλης*, qui vinum vendit, idem ac vinarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 1116, 7. et *Marin. Iscriz. Alb.* p. 89. P. Ragonius Daphnus vinariarius in castris Pr. *h. e.* praetoriis. *Alia* ap. *Donat.* 315, 10. Ti. Claudius Docimus negotians salsamentarius, et vinariarius Maurarius. *Alia* ap. *Grut.* 624, 3. Negotiator vinariarius. V. *Marin. l. c.*

VĪNĀRĬUS, a, um, adj. *οἰνηρὸς*, ad vinum pertinens. *Cato R. R.* 25. Lacus vinarius picatus. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. *med.* Erat etiam vas vinarium ex una gemma praegrandi. *Vitr.* 1, 4. et *Plin.* 14, 13, 14. Claves cellae vinariae. *Id.* 24, 1, 1. Saccus vinarius, *h. e.* quo vina percolantur. *Id.* 28, 18, 73. Hircinus uter vinarius; et *Colum.* 12, 18. Tum lacus vinarii, et torcularii, omniaque vasa eluenda sunt. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 11. Coactor vinarius. ℙ *Crimen vinarium* appellat *Cic. Font.* 5., quo accusabatur Fontejus, quod portorium vini in Gallia instituerat. ℙ *Vinarius palmes* in vite, ap. *Cat. R. R.* 33. est idem, qui *fructuarius* dicitur a *Colum.* 5, 6. V. PAMPINĀRĬUS. ℙ *Vinaria, orum*, absolute, vinaria vasa. *Hor. Sat.* 2, 8, 39. Invertunt Alliphanis vinaria tota Vibidius, Balatroque. Adde *Petr. fragm. Trag.* 78. *Burm.* ℙ *Vinarius, ii*, m. *οἰνοπώλης*, qui vinum vendit. *Pl. As.* 2, 4, 30. Vina, quae heri vendidi vinario. *Suet. Claud.* 40. Cum de laniis, ac vinariis ageretur. *Sall.* ap. *Non.* 4, 62. Lenones, et vinarii, laniique. ℙ *Minister vinarius* est *οἰνοχόος*, pincerna. *Hieron. Chron. Euseb.* ad ad ann. MDLXX. *ab Abraham.* Neemias Hebraeus minister vinarius Artaxerxis regis. ℙ *Vinarius* est etiam vinosus, ebriosus, *ἐπότης. Ulp. Dig.* 21, 1, 4. Aleatores et vinarios non contineri edicto. Adde *ib.* 25. ℙ **Castra vinaria*, loci nomen in Hispania Baetica. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

VINCA PERVINCA, ae, f. *κληματὶς, δαφνοειδὴς, χαμαιδάφνη*, herba topiaria, perpetuo virens, lauri foliis geniculatim vestita, humi serpens, et in modum funiculi sese porrigens, tenuibus sarmentis obvia quaeque vinciens, veteribus inopiam florum supplere solita, quae etiam centunculus, clematis, et chamaedaphne appellatur, ita dicta, quia semper vireat, aerisque injurias vincat, et pervincat. Dicitur chamaedaphne, quasi humilis laurus, propter foliorum similitudinem. *Plin.* 21, 11, 39. et *ib.* 27, 99. ℙ **Vinca* nude audit *Appul. de herb.* 58. *Vinca* etiam tribuitur ab *Aldo Plin. ep.* 2, 17. Adjacet gestationi interiore circuitu vinca tenera et umbrosa, etc. ubi constanter alias legitur *vinea. B. A.*

*VINCENTER, adv. ut vincentem oportet, ad modum victoris. *Comment. Antiq.* in *Cic. Or. pro Sylla fragm.* p. 81. ed. *Mediol.* ed. *Angelo Maio:* Deinde vincenter subicit responsum Cassi illud unum respondentis, etc. *B. A.*

VINCĔUS, a, um, adj. ad vinciendum aptus. Jocose *Pl. Stich.* 4, 2, 56. Nam mihi intus potione vincea onerabo gulam, *h. e.* laqueo me vinciendo gulam frangam. V. JUNCĔUS.

VINCĬAM dicebant continentem. *Paul.* ex *Festo.* Alii ex MSS. leg. *Viciam dicebant continentiam.*

VINCĪBĬLIS, e, adj. *νικητὸς*, qui vinci potest, superabilis. *Colum.* 3, 12. Gravem terram, vix ulla cultura vincibilem. *Ter. Ph.* 1, 4, 48. Justam illam causam, facilem, vincibilem, optumam, *h. e.* quae obtineri potest. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2., p. 329. *Burm.* Vincibilemque petit clangorem: scil. aeris crepitum, qui lunae defectioni remedio esse putabatur.

VINCĬO, is, nxi, nctum, a. 4. *δέω*, ligo, constringo. *Virg. A.* 1, 341. Purpureoque alte suras vincire cothurno. *Hor. Od.* 4, 1, 32. Vincire novis tempore floribus. *Ov. Her.* 5, 87. appositis vincitur vitibus ulmus. *Id. Met.* 15, 601. si dignus erit, gravibus vincite catenis. *Id. Am.* 2, 15, 1. Annule, formosae digitum vincture puellae. *Tibull* 1, 10, 69. auro lacertos Vinciat, et Tyrio prodeat apta sinu, *h. e.* ornet armillis aureis. *Colum.* 2, 22. Foenum secare, aut vincire, aut vepere. *Virg. A.* 11, 81. Vinxerat et post terga manus. *Quint.* 1, 5. Ferrum, quo rotae vinciuntur, dici solet canthus. *Appul. Apol.* Venus corpora complexu vinciens. ℙ Absolute. *Tac. A.* 15, 58. Ut me, et Arminium, et conscios vinciret, flagitavi, *h. e.* in vinculis haberet. Adde *Just.* 2, 15. et *Tac. A.* 1, 23., *H.* 1, 45. et *ib.* 3, 36. Sic *Sen. Ag.* 998. ultimo in regni angulo Vincite septam nocte tenebrosi specus. ℙ Translate. *Cic. Marcell.* 8. Omnia quae delapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. *Id. Or.* 3, 49. *med.* Membra orationis vincire numeris. *Prop.* 3, 4, 43. Vincire mentem multo Lyaeo, *h. e.* impedire, opprimere. *Id. ib.* 19, 11. lectum certo foedere. *Tac. A.* 4, 10. donis animum alicujus, *h. e.* devincire. Sic *ib.* 6, 45. pacto matrimonii aliquem, *Cic. Att.* 7, 18. Caesarem ajunt acerrime delectum habere, loca occupare, vinciri praesidiis, *h. e.* sepiri et muniri. Alii leg. *vincire*, ut referatur ad oppida. *Id. Tusc.* 2, 21. Si turpissime se illa pars animi geret, vinciatur, et constringatur amicorum propinquorumque custodiis. ℙ Interdum est magicis artibus devincire, ligare, dengere, et in aliqua functione impedire. *Ov. Fast.* 2, 581. Hostiles linguas, inimicaque vinximus ora.

[VINCĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. vinctos pedes habens. *Tert. Pall.* 5. Quem non expediat in algore et ardore rigere nudipedem, quam in calceo vincipedem? Alii perperam leg. *uncipedem. F.*]

[VINCĬUS, ii, m. Martis cognomen a Vincio desumptum Galliae Narbonensis oppido, nunc *Vence. Inscr.* ap. *Grut.* 58, 8. Marti Vincio M. Rufinus ex voto. *F.*]

VINCO, is, ici, ĭctum, a. 3. *νικάω, κρατέω*, supero, in certamine superior sum, victoriam reporto. Et fere in proeliis et certamine locum habet. *Caes. B. G.* 1, 36. Jus esse belli, ut qui vicissent, iis quos vicissent, quemadmodum vellent imperarent. *Liv.* 3, 61. Romanos sibimetipsis victuros, non ut decemvirorum victores praemium essent. *Cic. Manil.* 18. Majores nostri omnibus navalibus pugnis Carthaginienses vicerunt. *Nep, Ag.* 4. *med.* Quos omnes gravi proelio vicit. *Ter. Ad.* 4, 2, 27. Miseram mulierem, et me servulum, qui referire non audebam, vicit. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 12, 30. *extr.* Validam urbem multos dies restantem pugnando vicit; et *Lucan.* 9, 644. Amphitryoniades vidit, cum vinceret, Hydram. *Id.* 1, 145. et 366. vincere bello. *Just.* 41, 1. *med.* bella longinqua. *Liv.* 37, 53. aliquem in certamine. *Sen. Phoen.* 491. Id bellum gerere cupitis, in quo est optimum vinci. *Plin.* 10, 63, 83. et *Enn.* ap. *Cic. Sen.* 5. Equus vicit Olympia. ℙ Item quocumque modo, cuicumque superiorem esse. *Cic. Cat.* 3, 12. Mihi vivendum est cum illis,

quos vici ac subegi. *Id. Par.* 4, 1, Sapientis animus, virtutibus omnibus septus, vincetur et expugnabitur? *Sen. Octav.* 221. Graves dolores vincere. *Pl. Trin.* 2, 2, 29. Si animum vicisti, potius quam animus te, est quod gaudeas, *h. e.* cupiditates coercuisti. *Just.* 9, 8. Iram dissimulare, plerumque etiam vincere. *Cic. Verr.* 2, 4, 50. *extr.* Qui indignitate servos, temeritate fugitivos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit. *Id. Or.* 1, 14. *f.* Vincere ceteros eloquentia. *Nep. Alc.* 11. omnes parsimonia; et *Eum.* 1. omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate, et celeritate ingenii. *Cic. Dejot.* 4. *f.* superiores gloria. *Id. Off.* 1, 20. *med.* Non est consentaneum, qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate. *Hirt. B. G.* 8, 41. Labore atque locorum vincere difficultates. *Ov. Trist.* 1, 10, 5. cursu aliquem. *Prop.* 1, 9, 5. Non me Chaoniae vincant in amore columbae Dicere, quos juvenes quaeque puella domet, *h. e.* dicendo superent. ℙ De ludentibus. *Vet. Poeta* ap. *Suet. Aug.* 70. *extr.* Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam. *August.* in *epist.* ap. *Suet. Aug.* 71. Ego perdidi XX. millia nummum: si quas manus remisi cuique, exegissem, vicissem vel L. millia. ℙ Vincere sponsione, et sponsionem. *Cic. Quint.* 27. Numquid est causae, quin ego sponsione vicerim? *Id. Caecin.* 31. *f.* Ostendo eum vincere sponsionem, si, etc. Alii leg. *sponsione.* ℙ De litigantibus, qui in judicio causam obtinent. *Ter. Ph.* 1, 2, 83. Cum tu horum nihil refelles, vincam scilicet; et *ib.* 85. Factum est: ventum est: vincimur. *Cic. Rosc. Com.* 18. Vincere judicio. *Ov. Her.* 16, 75. Vincere erant omnes dignae; judexque verebar, Non omnes causam vincere posse suam. *Hor. Sat.* 1, 2, 134. Deprendi miserum est. Fabio vel judice vincam. ℙ De eo, qui voti compos factus est. *Prop.* 1, 8, 28. rumpantur iniqui. Vicimus: assiduas non tulit illa preces. *Ov. Met.* 6, 513. Vicimus, exclamat: mecum mea vota feruntur. Adde *Trist.* 3, 9, 23. et *Cic. Att.* 14, 20. *med.* ℙ In senatu *vincere* dicitur sententia, in quam omnes, vel pars major eunt: item is, qui pro ea verba fecit. *Liv.* 2, 4. Cum in senatu vicisset sententia, quae censebat reddenda bona. *Sall. Jug.* 19. Vicit tamen in senatu pars illa, qui vero pretium aut gratiam anteferebant. *Liv.* 2, 30. Sed factione respectuque privatorum, quae semper offecere publicis consiliis, Appius vicit. ℙ Item quicumque verbis quippiam probat, permovet, persuadet, evincit. *Cic. Cluent.* 44. *med.* Vince deinde, bonum virum fuisse Oppianicum, hominem integrum, etc.; et *ib.* 23. *f.* Si doceo, corruptum illud esse judicium non ab Avito, vinco ab Oppianico. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Perinde ac si jam vicerint, obitum ejus reipublicae fuisse utilem; et *med.* Id me cupere, dicendo vincere non possum. *Pl. Amph.* 1, 1, 277. Vincon' argumentis te non esse Sosiam? *Hor. Sat.* 2, 3, 225. Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. *Pl. Most.* 1, 2, 12. Profecto ita esse, ut praedico, vero vincam. ℙ Sequente *ut* et conjunctivo. *Pl. Mil.* 2, 2, 31. Ut eum, qui hic se vidit, vero vincat, ut ne viderit. *Hor. Sat.* 1, 3, 115. Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet, idemque Qui, etc. *Id. Epod.* 17, 27. Ergo negatum vincor ut credam miser, Sabella pectus increpare carmina. ℙ *Vincere aliquid verbis* est etiam aequare dicendo, explicare, exprimere. *Virg. G.* 3, 289. Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem. ℙ *Vincere opinionem, exspectationem*, dicitur, qui plus praestat, quam putabatur, sperabatur. *Cic. Acad.* 4, 1. Opinionem vicit omnium, quae de virtute ejus erat. *Id. Verr.* 2, 5, 5. Exspectate facinus quam vultis improbum, vincam tamen exspectationem omnium. ℙ *Vince, viceris*, formulae irati, et cum stomacho concedentis. *Ter. Andr.* 5, 3, 19. Quid, mi pater? quasi tu hujus indigeas patris. Domus, uxor, liberi inventi, invito patre: ad lucti qui illam civem hinc dicant: viceris. Ubi *Donat.* Verbum est ejus, qui vix sibi extorquet, ut abjiciat curam; et proprium patribus, ac familiare iratis. *Caes. B. G.* 5, 30. Vincite, si ita vultis. *Suet. Caes.* 1. *f.* Vincerent, ac sibi haberent, dummodo scirent, etc. ℙ De iis, quae diu durant, et temporis injurias veluti superant. *Virg. G.* 2, 297. de aesculo: immota manet, multosque nepotes Multa virum volvens durando saecula vincit. *Id. A.* 11, 160. Contra ego vivendo vici mea fata, superstes Restarem ut genitor. ℙ Pro ascendere, superare. *Mart.* 5, 22. Alta Suburani vincenda est semita clivi. *Claud. III. cons. Hon.* 46. ascensu vincere montes. *Virg. G.* 2, 123. ubi aera vincere summum Arboris haud ullae jactu potuere sagittae. ℙ Et domare igni, mollire, coquere, aut concoquere. *Id. ib.* 3, 559. nec viscera quisquam *(corrupta morbo)* Aut undis adolere potest, aut vincere flamma. *Plin.* 11, 53, 118. Pervigilio praecipue vincuntur cibi. ℙ De rebus inanimis. *Virg. A.* 1, 731. noctem flammis funalia vincunt. *Id. A.* 9, 92. ne naves turbine venti Vincantur. *Ov. Met.* 4, 178. non illud opus *(rete aereum a Vulcano factum)* tenuissima vincant Stamina, non summo quae pendet aranea tigno. *Id. Am.* 3, 6, 42. Vincere gurgitibus flammam. *Sil.* 6, 390. campum turba vincente, propinqui Implentur colles, *h. e.* cum major turba esset, quam campi spatium. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. Hi casses *(linei)* vel ferri aciem vincunt. *Id.* 31, 6, 24. Si plus quam sextarius salis in quatuor aquae sextarios mergatur, vinci aquam, salemque non liquari. ℙ Part. *Victurus*, pro quo *vinciturus* habet, non imitandus, *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm. f.* Scias, plenis velis vinciturum; [et *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. *f.* Perfacile multos eum populos vinciturum. *F.*]

VINCTIO, onis, f. *δέσις*, actus vinciendi, ligatio, vinctura. Dubiae lectionis sunt quae afferuntur ex *Varr. L. L.* 4, 10. et *Cic. Tusc.* 1, 29. et *Am.* 7., aliis *junctionem*, aut *conjunctionem* substituentibus. *Tert. Car. Chr.* 4. Infans pannis dirigitur, vinctionibus formatur. *Arnob.* 2, 87. Quando animae corporibus alligatae? quis auctor vinctionis istius? et 6. p. 203. Vinctionis vi colligati; et *ib.* Vinctiones plumbeae. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. Vinctiones atque tormenta efficere.

VINCTOR, oris, m. qui ligat. *Arnob.* 6, 199. Cum Phidias Jovem, quem fecerat, sciret, aurum fuisse, lapides atque ossa informia, seque horum omnium congregatorem, atque vinctorem.

VINCTŪRA, ae, f. *δέσις, δεσμὸς*, ligamentum. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. *med.* Ea vinctura talis esse debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa visa sit; secundo laxior; tertio jam paene resoluta. *Plin.* 16, 37, 68. Salices pariunt virgas sequacis ad vincturas lentitiae. ℙ *Cels.* 7, 20. de vinctura agit, qua succurritur intestino in scrotum lapso laborantibus.

VINCTUS, a, um, part. a *vincio: δετὸς*, ligatus. *Cic.* vertens carmina *Sophoclis Tusc.* 2, 10. aspicite religatum asperis Vinctumque saxis. *Caes. B. G.* 1, 53. Cum trinis catenis vinctus traheretur. *Pl. Truc.* 4, 3, 63. Reus solutus causam dicit: testes vinctos attines. *Ov. Trist.* 3, 10, 61. Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis. *Id. Met.* 7, 429. Boves vincti cornua vittis. *Ter. Eun.* 2, 3, 21. Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient; et *Andr.* 5, 2, 24. et *Pl. Bacch.* 4, 4, 95. et 98. Asservare aliquem vinctum domi, *h. e.* in vinculis retinere. *Sall. Cat.* 58. Camera lapideis fornicibus vincta. *Ov. Pont.* 2, 96. undaque vincta gelu. *Prop.* 4, 3, 52. sacerdos Puniceo canas stamine vincta comas. ℙ De captivis, et servis, qui in vinculis haberi solent, ne fugiant. *Plin. ep.* 3, 19. *med.* Nec ipse usquam vinctos habeo, nec ibi quisquam, *h. e.* servos in compedibus ad colendos agros. *Tibull.* 2, 6, 25. Spes etiam valida solatur compede vinctum. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 11. Cum ille servorum et ludiorum multitudini senatum populumque R. vinctum ipso consessu, et constrictum spectaculis, atque impeditum turba et angustiis tradidisset. *Id. Verr.* 2, 4, 42. Ut cujus ad statuam Siculi, et praetore, alligabantur, ejus religioni te eundem vinctum adstrictumque dedamus. *Ov. Met.* 11, 238. somno vincta jacebas. *Id. Her.* 20, 212. Esse tuam vinctam numine teste fidem. *Id. Trist.* 5, 9, 31. Sic mea lege data vincta atque inclusa Thalia, etc. *h. e.* mea Musa impedita, adstricta, coercita. *Tibull.* 1, 1, 55. Me retinent vinctum formosae vincla puellae. *Pl. Trin.* 3, 2, 32. Vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi.

VINCTUS, us, m. vinctura. In sexto casu sing. habet *Varr. R. R.* 1, 8. V. CESTUS.

VINCŪLĀTUS, a, um, part. ab inus. *vinculo*, vinculis constrictus, vinctus. *Capell.* 1. p. 21. Huic *(Veneri)* rosis decussatim vinculatis sertata contextio, *h. e.* redimiculum; q. v. v. s. l. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 8. Lumbrici mutuo amplexu vinculati.

VINCŪLUM, *et per sync.* Vinclum, i, n. *δεσμὸς*, quidquid connectit, et adstringit, ligamen, notus: a *vincio. Cic. Or.* 1, 52. *f.* Etiam si corpora capta sint armis, aut constricta vinculis. *Colum.* 4, 29. *med.* Vinculi genus ad insitionem non unum est: alii viminibus obstringunt; nonnulli circumdant libro fissuram; plurimi ligant junco. *Prop.* 3, 5, 24. Omnia detrito vincula fune cadunt. *Virg. A.* 1, 146. viro manicas atque arcta levari Vincla jubet Priamus. *Id. ib.* 5, 510. nodos et vincula rupit. *Id. ib.* 1, 172. hic fessas non vincula naves Ulla tenent; et *ib.* 2, 236. stuppea vincula collo *(equi)* Intendunt. *Id. Ecl.* 6, 19. Injicere vincula; et *ib.* 23. nectere. *Id. G.* 4, 399. tendere. *Prop.* 2, 22, 6. parare alicui. *Sen. Med.* 463. Vinculis onerare manus. *Ov. Fast.* 3, 293. Adhibere vincula captis. *Id. Met.* 8, 332. adimere canibus; et *Tibull.* 4, 3, 14. Et demam celeri ferrea vincla cani, *h. e.* collare, copulam. *Id.* 2, 1, 28. Chio solvite vincla cado. *Id.* 1, 7, 44. Vincla pedum, *h. e.* compedes. Sic *Lucan.* 2, 72. vincula ferri Exedere senem, longusque in carcere paedor. *Ov. Met.* 10, 381. Aptare pallenti vincula collo; et *Fast.* 2, 321. tunicarum vincla relaxat. *Id. Met.* 9, 77. summo digitorum vincula collo Injicit, angebar, ceu guttura forcipe pressus. *Id. ib.* 8, 226. Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras. *Id. Trist.* 4, 7, 7. Chartae vincula demere. Claudebatur enim epistola cera et lino. Sic *Pont.* 3, 7, 5. Nostra quid apportet, jam nostis, epistola, quamvis Charta sit a vinclis non labefacta suis. *Nep. Paus.* 4. Vincula epistolae laxare. ℙ De tegmine capitis, ut diademate, pileolo, calvatica, corona, etc., his enim vinciuntur capilli. *Sen. Thyest.* 544. Imposita capiti vincla venerando gere. *Id. Med.* 70. Praecinges roseo tempora vinculo; et *ib.* 752. more gentis vinculo solvens comam. ℙ De calceo socco, solea, etc. quibus constringuntur pedes. *Virg. A.* 8, 458. Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis. *Ticull.* 1, 6, 30. Vinclaque de niveo detrahit ipse pede. *Ov. Fast.* 5, 432. Surgit: habent gemini vincula nulla pedes. Adde *ib.* 1, 410., *ib.* 2, 324. et *ib.* 3, 823. et *Am.* 3, 1, 14. et *A. Am.* 3, 272. et *Met.* 3, 168. ℙ Saepe de iis dicitur, quibus noxii constringuntur in carcere, et de ipso carcere. *Cic. Verr.* 2, 3, 24. Mitto vincula, mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures. *Id. Cat.* 4, 5. *f.* Aeternis tenebris vinculisque mandare aliquem. *Caes. B. G.* 4, 27. Conjicere in vincula. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. *f.* Quem obtorta gula de convivio in vincula atque in tenebras abripi jussit. *Liv.* 5, 9. Ducere in vincula. *Nep. Paus.* 2. Hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse. *Caes. B. G.* 1, 4. Ex vinculis causam dicere. *Cic. Cat.* 4, 4. *med.* Rumpere vincula. *Id. Leg.* 3, 3, Magistratus noxium civem multa, vinculis, verberibusque coerceto; et *mox:* Vincula sontium servanto. *Liv.* 6, 16. Haec dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris, jam in vinculis et catenis erit? ℙ Translate elegantes habet usus. *Cic. Somn. Scip.* 3. Qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere evolaverunt. *Liv.* 10, 13. *f.* Plerisque dies dicta ab aedilibus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent: vinculumque ingens immodicae cupiditatis injectum est. *Id.* 8, 28. *f.* Ingens vinculum fidei; et 10, 41. His vinculis fugae obstricti stabant, civem magis, quam hostem timentes. *Cic. Caecin.* 25. Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit non modo judiciorum, sed etiam utilitatis, vitaeque communis. *Id. Off.* 3, 31. Nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. *Id. Fin.* 2, 35. Beneficium et gratia sunt vincula concordiae. *Id Planc.* 11. Qui est cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis conjunctus. *Virg. A.* 7, 203. Saturni gentem haud vinclo, nec legibus aequam. *Lucan.* 5, 288. nec fas, nec vincula juris Hoc audere vetant. *Virg. A.* 4, 16. Ne cui me vinclo vellem sociare jugali. *Prop.* 3, 13, 9. nec femina post te Ulla dedit collo dulcia vincla meo, *h. e.* amplexata me est. *Hor. Ep.* 1, 7, 67. Excusare laborem et mercenaria vincla. ℙ Non soli poetae syncope utuntur. *Cato R. R.* 41. Medias vites vinclis in terram defigito. *Cic. Att.* 6, 2. Dixerim, me vel plurima vincla tecum summae conjunctionis optare, etsi sunt amoris arctissima. Ita *Petr. Victor., Aldus*, et *Verburg.* edidere, alii *vincula*. Adde *Verr.* 2, 3, 24. et *Liv.* 2, 29., 4, 37. et alibi in plurim. MSS.

*VINDALĪUM, i, n. oppidum Galliae Narbonensis. *Ep. Liv.* 61. *Straboni* est *Οὐινδάλιον, B. A.*

*VINDELEIA, ae, oppidum Hispaniae Tarraconensis. *Anton. Itin. B. A.*

VINDĔLĪCI, orum, m. plur. populi olim Inalpini proximi Germaniae, ubi nunc Bavaria et Austriae pars. Nomen habere dicuntur a Vinda seu Vindone et Lico fluviis. V. LICUS. *Plin.* 3, 20, 24. Noricis contermini Rhaeti et Vindelici, omnes in multas civitates divisi. *Id.* referens inscriptionem e tropaeo Alpium *ib. paulo post:* Vindelicorum gentes quatuor. Adde *Hor. Od.* 4, 4, 18. et *ib.* 14, 8. et *Flor.* 4, 12. ℙ Est ibi urbs nobilis *Augusta Vindelicorum*, nunc *Augsburg*, Italice *Augusta*, ad Licum fluvium, quae in *Inscr.* ap. *Grut.* 548, 6. et in *Sex. Ruf. Brev.* dicitur *Aug. Vindelicum.* ℙ Adjective. *Mart.* 9, 85. Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris. *Claud. B. Get.* 365. Vindelici saltus; et *ib.* 415. Vindelica spolia.

VINDĔLĪCĬĀ, ae, f. regio Vindelicorum. [*Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 113, 2. C. Caicilio Cisiaco Proleg. provinciae Raitiai, et Vindelic. et Vallis Poenin., etc. *Sex. Rufus Brev.* 8. Limes inter Romanos ac barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam ac Moesiam est constitutus. *F.*]

VINDĔMĬĀ, ae, f. *τρυγητὸς*, collectio uvarum: a vino demendo. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Vindemia, quod est vini demia, vel vitis demia. *Id. R. R.* 1, 54. In vinetis uva cum erit matura, vindemiam ita fieri oportet. *Plin. ep.* 9, 20. Ipse cum maxime vindemias graciles quidem, uberiores tamen, quam exspectaveram, colligo. ℙ [Nonnunquam *vindemiae* plur. num. pro ipso vindemiae tempore usurpapantur, ut etiam Itali *le vendemmie* nunc dicunt. *M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* 5, 23. Vindemias laetas quam firmissimo corpore agere te, mi magistre, opto. *Id. ib.* 47. Vindemiarum autem gratiam nunc demum integram sentiam, cum valetudo placatior esse nobis coeperit. ℙ Item *vindemia* accipitur pro ipsis uvis. *Virg. G.* 2, 89. Non eadem arboribus pendet vindemia nostris. *Id. ib.* 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *F.*] ℙ Transfertur et ad aliarum rerum collectionem. *Plin.* 15, 1, 5. Olearum vindemia. *Id.* 11, 14, 14. (et *Colum.* 9, 15.) mellis. *Id.* 12, 14, 32. turis.

VINDĔMĬĀLIS, e, adj. ad vindemiam pertinens,

ut Vindemiales fructus, *Macr. Sat.* 7, 7. *med.* escae, *Inscr.* ap. *Mur.* 867, 8. quam V. in ROSALIS feriae, *August. Confess.* 9, 2.

VINDĒMIĀTOR, oris, m. τρυγητήρ, qui vindemiam peragit. *Varro L. L.* 4, 18. Vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit. *Hor. Sat.* 1, 7, 30. durus Vindemiator, et invictus, cui saepe viator Cessisset, etc. Ubi *ia* per synaeresin in unam syllabam contrahuntur, quia secunda syllaba longa est. ℙ *Vindemiator* quoque est signum coeleste. Hic fuit Ampelus puer, filius Satyri et Nymphae, natus in Ismaro monte Thraciae, apud Hebrum fl. et Maroneam urbem, Baccho carissimus, cui Bacchus vitem tradidit. Cum uvas colligeret, ex ulmo decidit. Exstinctum Bacchus in coelum transtulit. Ita narrat *Ov. Fast.* 3, 407. Ἄμπελος Graece vitis est. De ejus ortu alii alia dicunt. Secundum *Ovidium l. c.* oritur III. Non. Martii: secundum *Colum.* 11, 2. *n.* 24. apparet VI. Nonas Mart., at *n.* 58. dicitur exoriri VII. vel VI. Cal. Septemb.: secundum *Plinium* 18, 31, 74. exit XI. Calend. Sept., sed Aegypto Nonis. V. PROVINDEMIATOR.

VINDĒMIĀTŌRĬUS, a, um, adj. τρυγητικός, ad vindemiam pertinens. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Nihilo magis ibi se vidisse torcula vasa vindemiatoria, aut serias olearias, aut trapetas. [*Ursino* videtur *vindemiatoria* insiticium. *F.*]

*VINDĒMIĀTUS, a, um, *Gloss. Gr. Lat.* τετρυγημένος, Vindemiatus. *B. A.*

VINDĒMIO, as, a. 1. τρυγάω, uvas colligo. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. Vindemiare uvas. *Colum.* 12, 33. vinum. *Id.* 18, 31. *f.* Sed jam et Calendis Januarii, defectu vasorum, vindemiantes vidi.

VINDĒMĬŌLA, ae, f. parva vindemia; et translate dicitur de fructu studiorum. *Cic. Att.* 1, 10. *med.* Ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem.

VINDĒMĬTOR, oris, m. idem ac vindemiator. *Ov. Fast.* 3, 405. Bootes Mergetur, visus effugietque tuos. At non effugiet Vindemitor. *Sen. Apocol. in.* jussoque senescere Baccho, Carpebat raras serus vindemitor uvas. *Plin.* 18, 31, 74. Stella, quae Vindemitor appellatur, exoriri mane incipit, vindemiae maturitatem promittens. V. VINDĒMIĀTOR.

[VINDĒMĬTUS, a, um, part. ab inusit. *vindemo* pro *vindemio*, ut et *vindemitor*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1145, 3. Ser. Cornelius Vindemitus. *F.*]

VINDĒNĀTES. V. VINDINATES.

VINDEX, icis, comm. gen. τιμωρός, ἔκδικος, ultor, vel ultrix injuriae: a *vindico*. *Cic. Fam.* 5, 6. Sed partim odio inducti me excludunt, et aperte vindicem conjurationis oderunt. *Id. N. D.* 3, 18. *med.* Furiae Deae sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris. *Stat. Th.* 1, 80. Tu saltem (*Tisiphone*) debita vindex Huc ades, et totos in poenam ordire nepotes. *Cic. Agr.* 2, 9. *extr.* Timebat, ne, si accepta lex esset, illum sibi collegam adscriberetis, custodem ac vindicem cupiditatum, *h. e.* punitorem avaritiae. *Ov. Met.* 1, 230. vindice flamma In domino dignos everti tecta Penates; et *ib.* 5, 237. vindex ultorque parentis. *Albinov.* 1, 185. Jura silent, mutaeque tacent sine vindice leges, *h. e.* sine eo, qui violantes puniat. ℙ Accipitur item pro assertore, seu defensore. *Cic. Att.* 2, 1. *f.* Nisi quod me illum ipsum vindicem aeris alieni, aere non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt, *h. e.* defensorem, et servatorem creditorum adversus Catilinam, et alios conjuratos, qui aes alienum solvi nolebant. *Id. Leg.* 3, 17. Habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis. *Hor. A. P.* 191. Nec Deus intersit (*in fabula*), nisi dignus vindice nodus Inciderit, *h. e.* solutore, et quasi liberatore rei adeo involutae, ut ope humana bonus exitus inveniri non possit. ℙ Et pro custode. *Just.* 17, 2. *f.* Pyrrhus, filia Ptolemaei in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit, ne abducta in Italiam juventute, praedam hostibus regnum relinqueret. *Sen. Hipp.* 261. Castitatis vindicem armemus manum. ℙ *Vindex* speciatim appellatus est, qui, cum cuipium esset injecta manus, ut ad praetorem, judicemve duceretur, eum liberabat. *Fest.* Vindex ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur. In *Leg. XII. Tab.* ap. *Gell.* 16, 10. Assiduo vindex assiduus esto: proletario cui cui volet, vindex esto, *h. e.* homini assiduo, sive locupleti solum locupletem fieri posse vindicem, seu sponsorem; at proletario, ac nullius classis homini, quisquis velit, hoc est non locupletem tantum, utpote meliorem, sed etiam proletarium tanquam parem. Haec interpretatio colligitur ex *Festo* in voce *Adsiduus*, et *Gell. l. c.* ℙ *Vindex terrae* vocatur Hercules ab *Ov. Met.* 9, 241., quia illam purgavit a monstris. ℙ *Vindex honorum* dicitur a *Plauto* is, qui aliorum honores contaminat, violat, ac tollit: haec autem locutio ducta est ab iis qui aliquid vindicant, et suum asserunt, proindeque alteri auferunt, *Trin.* 3, 2, 16. Itane tandem majores famam tradiderunt tibi tui, ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes; atque honori posterorum tuorum vindex ut fieres? ℙ Adjective. *Ov. Her.* 9, 13. vindicibus pacatus viribus orbis. *Catull.* 64, 192. facta mulctantes vindice poena Eumenides. ℙ Fuit *Vindex* nom. propr. cujusdam servi Romani (qui et *Vindicius*), qui cum detexisset conjurationem quorundam nobilium adolescentum de recipiendis in Urbem Tarquiniis jam a Bruto expulsis, libertatem in praemium civitatemque Romanam consecutus est. Ex eo ortum quidam putant, ut servi, qui in libertatem a praetore asserebantur, virga eorum capitibus a lictore imposita et circumacta, vindicta liberati dicerentur. V. VINDICTA. et *Liv.* 2, 4. et 5. Huc certe allusit *Claud. IV. cons. Hon.* 612. Te fastos ineunte quater solemnia ludit Omina libertas: deductum Vindice morem Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili Ducitur, et grato remeat securior ictu. Tristis conditio, pulsata fronte, recidit.

*VINDĬA, ae, f. oppidum Galatiae. *Anton. Itin. B. A.*

VINDĬCĀTĬO, onis, f. ἐκδίκησις, actus vindicandi. *Cic. Inv.* 2, 22. Vindicatio est, per quam vim et contumeliam, defendendo, aut ulciscendo, propulsamus a nobis, et a nostris, qui nobis esse cari debent: et per quam peccata punimus; et *ib.* 53. *f.* Vindicatio est, per quam vis et injuria, et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur. ℙ Est etiam apud JCtos assertio alicujus rei, et probatio, qua ostenditur, rem illam esse ejus, a quo asseritur. *Ulp. Dig.* 44, 7, 21. Actionum duo sunt genera, in rem, quae dicitur vindicatio; et in personam, quae condictio appellatur. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 88. Qui intestatorum civium suorum concessam vindicationem bonorum affirmant. Huc pertinet in *Dig.* 6. *tit.* 1. qui *de rei vindicatione* inscribitur. ℙ Hinc translate est usurpatio. *Appul. Herb. praef.* Dicimus, medicorum omnes ferme vindicationes potius esse, quam curas: hos etiam homines inertia plerumque et imperitia enixos, certe lucripetas veros nuncupari, qui etiam a mortuis mercedem expetunt per occasionem. V. VINDICO.

VINDĬCĀTUS, a. um, part. a *vindico:* punitus. *Cic. Verr.* 2, 3, 84. Improbum facinus nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. *Id. Off.* 3, 15. Dolus malus etiam legibus erat vindicatus. *Sen. Hipp.* 1187. Vindicatus torus: scil. punito adultero. ℙ Item assertus, liberatus, defensus. *Vell.* 2, 120. *med.* Vivi ab eo vindicati; et *ib.* 73. *extr.* Vindicatum armis mare; et *ib.* 126. *f.* Vindicatae ab injuriis magistratuum provinciae. *Plin. ep.* 4, 9. Tandem absolutus vindicatusque est. *Curt.* 3, 12. *med.* Libertatis in admonendo eo non alius jus habebat: quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur, *h. e.* assumptum, adscitum, sibique attributum.

VINDĬCĬAE, arum, f. plur. ἐλευθερώσεις, sunt sententiae, sive assertiones, seu adjudicationes, quae a praetore fiunt de re aliqua, de qua controversia est: nam lis vindiciarum ea dicitur, qua controversae rei possessionem petimus, non quidem justam et absolutam, sed fiduciariam et veluti depositariam rei, et fructibus reddendis obnoxiam, dum lis de re ipsa, aut de possessione ejus disceptatur. Nam cum de re aliqua inter duos aut plures apud praetorem controversia est, et incertum est, uter litigatorum, pendente lite, rei controversae possessor esse debeat, uterque a praetore vindicias postulat, h. e. ejus rei possessionem. Dat autem judex, cui aequum esse videatur. Ille cui dederit, satisdat adversario suo, se nihil in re, de qua lis est, deterius facturum: adversarius vero pollicetur certam pecuniam, aut aestimationem, quam amittat, nisi ea res, de qua contendit, sua sit. Ita *Ascon.* ad illud *Cic. Verr.* 2, 1, 45. Aut praedes litis vindiciarum cum satis accepisset, sponsionem faceret. Alii leg. *pro praede. Id. Mil.* 27. *med.* Qui non calumnia litium, non injustis vindiciis, ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat. ℙ *Vindiciae secundum libertatem* dicuntur, quae sunt a servitute in libertatem: *vindiciae secundum servitutem*, quae sunt a libertate in servitutem. Unde praetor dicitur decernere vindicias secundum libertatem, quando aliquem in libertatem asserit: idem dicitur dare vindicias secundum servitutem, quando pronuntiat, eum servi loco habendum, donec dicta causa, de statu constiterit. Igitur utraeque vindiciae proprie dantur, pendente lite. *Liv.* 3, 44. Neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias; et *infra:* Lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem; et *ib.* 47. Decresse vindicias secundum servitutem. *Id. ib.* 57. Proinde ut ille iterum ac saepius provocet, sic se iterum ac saepius judicem illi ferre, ni (*Appius*) vindicias ab libertate in servitutem dederit, *h. e.* a libertate in servitutem duci decreverit. ℙ *Vindicias dicere*, est vindicias pronuntiare de re aliqua controversa. *Id. ib.* 56. de eodem Appio: Vox una vindex libertatis ex eo missa ore, quo vindiciae nuper ab libertate dictae erunt. *Cato* ap. *Fest.* Praetores secundum populum vindicias dicunt. ℙ *Vindicias ferre*, est sententia decretoque obtinere rem. Dicebat enim vindicias judex, ferebat vindicias, qui rem obtinebat. *Lex XII. Tab.* ap. *Festum.* Si vindiciam falsam tulit rei, sive litis. Ubi notandus singularis numeri usus, qui invenitur etiam ap. *Gell.* 20, 10. et *Ser. Sulpic.* ap. *Festum.* ℙ Olim ipsae quoque res, quarum possessio per vindicias petitur, vindiciae dicebantur, ut habet *Ser. Sulpic. ib.* Hinc vindiciae etiam appellabantur glebae, quae ex fundo sumptae in jus afferebantur, ut in iis, velut in ipso fundo, vindicias praetor daret. *Cincius ib.* ℙ *Gell. l. c.* exponens illud *Ennii*, Non ex jure manum consertum, etc. haec habet: Vindicia, id est correptio manus in re, atque in loco praesenti, apud praetorem ex duodecim Tabulis fiebat: in quibus ita scriptum est: Si qui in jure manum conserunt, etc.

[VINDĬCĬUM, ii, n. defensio ab injuria, oppressi tutatio. *Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 33. *ed. Mediol.* Postumio Juliano C. M. V. (*h. e.* clarissimae memoriae viro) dignissimo patrono, cujus omnes requisivimus defensionem et vindicium, statuam erigendam censuimus. Haec *Inscriptio* pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXXVI. *Gloss. Philox.* Ἔκδίκησις, defensio, vindicium. *F.*]

VINDĬCO, as, a. 1. ἐκδικέω, τιμωρέω, ulciscor, punio; item defendo, mihi assumo, etc. Geminam hanc notionem *Diomed.* affert 1, 361. Hoc verbum non pro defendo veteres dicebant, sed pro animadverto, et punio, ut Sallustius (*Jug.* 36.) Nisi vindicatum fuerit in noxios, et in Catilina (*ib.* 9.) Vindicatum in eos, qui contra imperium pugnaverant. ℙ Multi duo verba distinguunt, *vindico*, et *vendico*, et origine differre volunt. Nam, ut judico *Varroni L. L.* 5, 7. est a *jus* et *dico*, ita vindico esse a *vim* et *dico*, sed vendico esse a *venum*, unde et *veneo*, ac *venundo*, eoque vendicare proprie dici de dominio, quod emptione nobis acquirimus. Nos semper *vindico* dicendum censemus, quomodo et ea vox scribitur in Pandectis Florentinis, et lapidibus antiquis, quos affert *Manut.* in *Orthogr.* Sumitur Igitur primo pro punire. *Cic. Verr.* 2, 3, 2. Omnia quae vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt; et *ib.* 2, 5, 50. *extr.* Fateor, non modo in socios, sed etiam in cives persaepe esse severe ac vehementer vindicatum. *Id. Fam.* 1, 9. Vindicare seditionem; et *Rosc. Am.* 5. acerrime maleficia; et *Quint.* 7. *med.* vehementer injuriam. *Just.* 21, 4. scelus. *Tac. A.* 3, 12. facinus. *Cic. Am.* 12. *f.* Improborum consensio omni supplicio vindicanda est. ℙ Deinde pro ulcisci. *Sen. Ben.* 6, 5. *med.* Cum idem homo beneficium mihi dedit, et postea fecit injuriam, utrum et beneficium illi reddere debeam, et me ab illo nihilominus vindicare. *Ov. Fast.* 6, 468. Quique necem Crassi vindicet, ultor erit. *Plin.* 10, 43, 60. Scipionis nemo vindicaverat mortem. *Ov. Trist.* 3, 8, 40. Quod non offensas vindicet (*Caesar*) ense suas. *Plin. ep.* 4, 11. *f.* In Sicilia profitetur, seque de fortuna praefationibus vindicat. *Tac. A.* 2, 71. *med.* Flebunt Germanicum etiam ignoti, vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam fovebatis. *Just.* 3, 1. *extr.* Vindicare caedem patris. *Mart.* 2, 83. Credis, te satis esse vindicatum? ℙ Accipitur etiam pro sibi assumere, rei cujuspiam jus ac dominium ad se trahere, asserere, attribuere, ἰδιοποιεῖσθαι, ἀντιλαμβάνειν. *Cic. Off.* 1, 1. *med.* Quod est oratoris proprium, si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare; et *ib.* 7. Non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat. *Id. Arch.* 8. *f.* Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant. *Tac. Agr.* 27. Iniquissima haec bellorum conditio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. *Plin. ep.* 10, 3. Inter amicos sibi vel praecipuum locum vindicat Voconius. *Liv.* 9, 43. Decus belli ad se vindicare. *Id.* 44, 14. *med.* Victoriae majore parte ad se vindicata. *Just.* 3, 2. Vindicare sibi regnum. *Id.* 11, 5. Abutens valetudine viri, cujus officia sibi vindicabat. *Plin.* 13, 19, 34. Africa Punicum malum sibi vindicat. *Id.* 24, 17, 101. Hoc volumen Pythagorae fama antiquitasque vindicant. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 8, 675. Vindicat hoc Pharius dextra gestare satelles. ℙ Item pro defendere ab injuria, liberare, eripere, asserere, ἀπαλλάττειν, *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. *med.* Praestare nihil debeo, teque item ab eo vindico et libero. *Id. Rab. perd.* 5. *med.* An servos nostros horum suppliciorum metu dominorum benignitas una vindicta liberabit; nos a verberibus, ab unco, a crucis terrore neque res gestae, neque acta aetas, neque nostri honores vindicabunt? *Id. Brut.* 96. Illum videtur felicitas ipsius ab eis miseriis morte vindicasse. *Hirt. B. Alex.* 46. *extr.* Naves, quas casus ab illo periculo vindicavit. *Cic. Or.* 2, 2. Laudem summorum oratorum ab oblivione hominum, atque a silentio vindicare; et *ib.* 1, 45. *med.* Domum suam vindicare a solitudine. *Id. Q. Fr.* 1, 4. Te innocentia tua, et misericordia hominum vindicat a molestia. *Id. Sull.* 9. Neque aetatis excusatio vindicat a labore, *h. e.* immunem reddit. *Id. Fin.* 1, 14. Sapientia sola nos a libidinum impetu et formidinum terrore vindicat. *Id. Rab. Post.* 9. Perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret, *h. e.* a damnis fortunarum suarum se liberaret, et ad suos indemnem se reciperet. *Graevius* mallet legi, *et suos vindicaret.* ℙ Huc et illa pertinent. *Plin.* 31, 9, 45. Sal corpora a putrescendo vindicans; et 17, 19, 31. Hieme cumulis (*terrae*) a gelu (*radices*) vindicant; et 15, 7, 7. *f.* Vetus oleum ebori vindicando a carie utile

est. *Id.* 28, 11, 46. Vindicare capillum a cauitie. ℙ *Vindicari* dicitur, qui vindicias fert alicujus rei, h. e. possessionem obtinet, quam aliquis eripere judicio volebat. V. VINDICIAE. *Liv.* 3, 46. Se a M. Claudio petiturum, ut decederet jure suo, vindicarique puellam in posterum diem pateretur; et *infra:* Ita vindicatur puella spondentibus propinquis. ℙ *Vindicare in libertatem*, a servitute eximere, et in libertatem asserere. *Caes. B. C.* 1, 22. *f.* Ut se, et populum R. paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret. *Cic. Fam.* 2, 5. *extr.* Qui sit rempublicam afflictam et oppressam in veterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Adde *Brut.* 58. *med.* In illo *As. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *med.* Qui et me, et rempublicam in libertatem vindicare paratus sum: *in libertate* alii leg. ℙ *Vindicare libertatem* est oppressam asserere, amissam recipere. *Caes. B. G.* 7, 76. Tanta universae Galliae consensio fuit libertatis vindicandae, ut, etc. ℙ In tertia conjugat. *Lucr.* 3, 895. Ipse sui miseret, neque enim se vindicit hilum. Alii leg. *vindicat.* In *Leg XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. *f.* In jus ducito, ni judicatum facit, aut quis endo em jure vindicit, *h. e. em endo jure*, eum in jure: *vindicit* autem pro *vindicarit* per syncop , ut *verberit* pro *verberarit* in *Lege Servii Tullii* ap. *Fest.* in *Plorare.*

VINDICTA, ae, f. *ἐκδίκησις, τιμωρία,* ultio, vel animadversio pro delicto. *Juven.* 13, 180. At vindicta bonum vita jucundius ipsa; et *ib.* 191. vindicta nemo magis gaudet, quam femina; et 16, 22. ut sit vindicta gravior, quam injuria. Adde *Plin.* 29, 1, 8., *Tac. A.* 6, 32., *Petr. Sat.* 136. et *Phaedr.* 1, 29. ℙ *Vindicta* etiam erat virgula quaedam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens, eundem servum in libertatem vindicabat, dicens quaedam verba solemnia. Nam libertatem donandi tres sunt species. Una, cum quis servus consentiente populo, vel jubente domino, nomen detulisset in censum; tunc enim civis Romanus fiebat, et servitutis vinculo solvebatur. Altera per virgam, quae *vindicta* vocabatur, cum praetoris urbani jussu lictor manumittendi servi capiti virgam imponens, eundem in libertatem vindicabat, dicens quaedam verba solemnia. Tertia, si quis suprema voluntate in testamenti serie servum liberum scripsisset. Vindictae rationem intulisse fertur P. Valerius Poplicola, cum ad populum tulisset de praemiis Vindicis servi, qui patefecit nobilium adolescentum de reducendo Tarquinio conjurationem: qua lege Vindex et libertate, et civitate donatus est. Hinc *Liv.* 2, 5. *f.* Secundum poenam nocentium, ut in utramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, praemium indici pecunia ex aerario, libertas et civitas data. Ille primum dicitur vindicta liberatus. Quidam vindictae quoque nomen tractum ab illo putant, Vindicio ipsi nomen fuisse. Post illum observatum, ut, qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur. Haec *Liv.* Quo loco pro *Vindicio* legendum *Vindici*, ut ex *Plutarcho* in *Problem.* et *Dionys. Halic. l.* 5. constat. Verba solemnia ex *Constantino Harmenopulo* haec erant: *Profitemur, hunc praesentem hominem esse liberum, et civem Romanum. Φαμὲν, τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον, καὶ πολίτην Ῥωμαῖον.* Haec potestas primo consulum fuit, post ab iis ad praetorem urbanum est translata. *Cic. Top.* 2. *f.* Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. *Hor. Sat.* 2, 7, 76. quem ter vindicta quaterque Imposita haud unquam misera formidine privet. *Pers.* 5, 88. Vindicta postquam meus a praetore recessi *Plin. ep.* 7, 16. Vindicta liberare aliquem Adde *Pl. Curc.* 1, 3, 56. ℙ Hinc saepe sumitur pro assertione, defensione. *Vell.* 2, 64. *f.* Utrique vindicta libertatis morte stetit. *Ov. Pont.* 4, 6, 33 Cum tibi suscepta est legis vindicta severae. ℙ *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Gallinas *(saginandas)* in cludunt in locum tepidum, et angustum, et tenebricosum, quod motus earum, et lux pinguitudini vindicta. Alii leg. *inimica* pro *vindicta:* alii *pinguitudinis vindicta*, h. e. noxa, detrimentum, nam *vindicta* ultio et poena est. Ita quidam exponunt: alii paulo aliter, h. e. lux est detractio et deminutio pinguitudinis, nam *vindicta* apud veteres fuit *ἀφαίρεσις*, et *ἐξαίρεσις*, et vindicare *ἀφελεῖν, ἐξαιλεῖν*, quia qui sibi vindicat, alteri adimit: sed *vindicare* hoc sensu negant alii nsurpari. V. *Turneb. l.* 19. *c.* 28., *Scal.* ad *Varr.* et *Gronov. observat. l.* 4. *c.* 3.

*VINDICTOR, oris, m. *Gloss. Gr. Lat.* Ἔκδικος, defensor, vindictor. *B. A.*

*VINDĪLI, orum, populi Germaniae, qui et Vandali vel Vandalii dicti. *Plin.* 4, 14. *B. A.*

*VINDĪLIS, is, insula inter Galliam Britanniamque. *Itin. marit.* ap. *Anton.* in *Itin. B. A.*

[VINDINĀTES, ium, m. plur. incolae Vindini, Umbriae oppidi. *Plin.* 3, 14, 19. Vettonenses, Vindinates, Viventani. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 3. T. Flavio T. F. Clu. Isidoro patrono municipii Interamnatium Nartium, Casventinorum, Vindenatium: etc. Ita pro *Vindinatium. F.*]

*VINDĪUS VERUS, JCtus, quorum consilio usus est Antoninus Pius Imperator. *Capitolin.* in *Antonino Pio* 12. ℙ *Vinidius Verus* appellatur a *Paul.* in *Pandect.* 2, 9, 2. Adde *Ulp.* in *Pandect.* 2, 14, 7. *Maecian.* in *Pandect.* 35, 2, 32. *B. A.*

*VINDO, onis, fluvius Vindeliciae. *Venant. Fortun. de vita Martini* 4, 641. ℙ *Virdo* audit *Paul. Diacon. Langob.* 2, 13. et *Vindu Ricard*, ap. *Cellar.* ℙ Hodie *Wertach* audit. *B. A.*

*VINDOBALA, nomen loci in Britannia. *Notit. Imper.* ℙ *Vindomora* est in *Anton. Itin. B. A.*

VINDOBONA. V. VIENNENSIS.

[VINDONISSENSIS, e, adj. ad Vindonissam pertinens, Helvetiae oppidum, nunc *Windisch* appellatum, et a *Tac. H.* 4, 61. et 70. memoratum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1068, 3. Vicani Vindonissenses. *F.*]

[VINDULLUS, i, m. dimin. fortasse a *vindex*, ut *tertullus* a *tertius*, *homullus* ab *homo*. Est cogn. R., ut Cn. Pompejus Vindullus, libertus, ut videtur, Cn. Pompeji Magni ap. *Cic. Att.* 6, 1. *f. F.*]

VINEA, ae, f. *ἀμπελών, οἰνόπεδον*, locus vitibus consitus, vel multitudo vitium simul consitarum. *Cic. Sen.* 15. *f.* Nec vero segetibus solum, et pratis, et vineis, et arbustis res rusticae laetae sunt. *Virg. G.* 2, 390. Hinc omnis longo pubescit vinea fetu. ℙ Per synecdochen dicitur de una vite. *Colum.* 4, 10. Ea levis et recta sine cicatrice vinea est, quae se primi anni flagello supra jugum extulit; et *ib.* 22. *med.* Tales vineas supra quartum pedem detruncant. (Adde *Arb.* 14.) *Phaedr.* 4, 2. vulpis alta in vinea Uvam appetebat, summis saliens viribus. ℙ Vinearum quinque sunt genera, unum sparsis palmitibus humi repens, alterum vite per se subrecta, tertium cum adminiculo sine jugo, quartum pedatae simplici jugo, quintum compluviatae quadruplici. Ita *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. Sed *Colum. Arb.* 4. tria facit, jugatam, humi projectam, et a terra subrectam, more arborum in se consistentem. ℙ Est etiam hoc nomine machina bellica, ad similitudinem vitis compluviatae, sub qua tecti milites oppugnatae urbis muros subruunt. *Veg.* ita describit sui temporis vineas, *Mil.* 4, 15. Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque usu causias vocant. E lignis levioribus machina colligatur alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Hujus tectum munitione duplici, tabulatis, cratibusque contexitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Cum plures factae fuerint, junguntur in ordine: sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Haec *Vegetius:* quibus adde, quae hunc eundem locum referens, illustrandae rei gratia, *Lipsius l.* 1. *Poliorcet. dial.* 7. adscripsit. *Caes. B. C.* 2, 2. Tanta erat multitudo tormentorum, ut eorum vim nullae contextae viminibus vineae sustinere possent. *Id. B. G.* 2, 12. *f.* et *ib.* 7, 17. Vineas ad oppidum agere. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Oppidum aggere, vineis, turribus oppugnare. *Id. Phil.* 8, 6. Res geritur; conductae vineae sunt; pugnatur acerrime. *Liv.* 37, 26. Utrinque vineas et aggerem muro injunxit. *Lucan.* 2, 505. et mediis subrepit vinea muris. *Sil.* 13, 110. Hic gravida armato surgebat vinea dorso. ℙ *Festus* in *Sub:* Sub vineam jacere dicuntur milites, cum adstantibus centurionibus jacere coguntur sudes. ℙ *Vinia* pro *vinea* est in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 223. *n.* 594.

VINĒALIS, e, et
VINĒĀRIUS, a, um, et
VINĒĀTICUS, a, um, adj. *ἀμπέλειος*, ad vineam pertinens. *Colum.* 3, 12. Vinealis terra, *h. e.* serendis vitibus idonea. *Id.* 5, 6. *f.* Vinearios colles praecipitare. *Ulp. Dig.* 50, 16, 198. Horti vinearii, vel olitorii. *Colum.* 7, 3. *med.* Vineaticus fructus, *h. e.* vindemia. *Id.* 4, 1. Vineatica semina; et *ib.* 33. *extr.* Vineatici cultus. *Cato R. R.* 11. *f.* Falces, et fulculae vineaticae.

VINĒOLA, ae, f. dimin. vineae *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 223. *n.* 59 V. *aliam* in TRICHILA. Utrobique autem *viniola* scriptum est.

VINĒTUM, i, n. *ἀμπελόφυτον*, locus, ubi multitudo vitium consita est, locus vineis abundans. *Cic. N. D.* 2, 66. *f.* Si segetibus, aut vinetis cujuspiam tempestas nocuerit, etc. *Virg. G.* 2, 319. Optima vinetis satio est, cum vere rubenti, etc. *Colum.* 3, 4. Cui vineta facere cordi est, faciat vitiarium, ex quo possit agrum vineis vestire. ℙ *Vineta sua caedere*, sibi ipsi malum creare, sibi ipsi damno esse, proverb. ap. *Hor. Ep* 2, 1, 219. Multa quidem nobis facimus mala saepe poetae (Ut vineta egomet caedam mea), cum tibi librum Sollicito damus, aut fesso. ℙ Differre videtur *vinetum* a *vinea*, ut totum a parte. Est enim *vinetum* plures vineas continens, v. gr. collis undique vitibus consitus, in quo plures vineae propriis limitibus, et septis distinctae.

VINĔUS, a, um, adj. *οἴνινος*, ut Vineus latex, *Solin.* 5. *med.*

VINIA. V. VINEA.

VINIBUAE. V. BUA.

[VINĪCIĀNUS, a, um, adj. ad Vinicium aliquem pertinens, ut Viniciana conjuratio in Neronem, ap. *Suet. Ner.* 36.; de qua tamen nemo alius scriptorum, qui hactenus supersunt, locuti sunt. *F.*]

VINĪFER, ra, rum, adj. vini ferax, ut Vinifera vitis, *Appul. Herb.* 66. Adde *Sil.* 7, 207., ubi alii leg. *vitifer*, alii *uvifer.*

VINIOLA. V. VINEOLA.

VINIPOTOR, oris, m. *οἰνοπότης*, potor vini, vinolentus. *Plin.* 10, 54, 75. Scitum de quodam vinipotore reperitur Syracusis, tamdiu potare solitum, donec, etc. Ita edition. veteres A. 1470 et 1472. Antiquior his a 1469. omittit alteram vocem *vini:* utramque *Hard.* ex MSS. Si retineas, rectius divisim scribes.

[VINĪTO, as, a. 1. invito aliquem ad bibendum vinum. *Varr.* ap. *Non.* 15, 12. Non vides, ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana; et tamen tum ipsi illi Libero simpuvio vinitari? Alii legend. putant *invitari.* V. INVITO. *F.*]

VINĪTOR, oris, m. *ἀμπελοῦργος*, rusticus vinearum cultor. *Cic. Fin.* 5, 14. *med.* An *(vitis)* ea, quae per vinitorem antea consequebatur, etiam per seipsam curabit? *Virg. Ecl.* 10, 36. vestrique fuissem Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae.

VINĪTORIUS, a, um, adj. *ἀμπελουργικός*, ad vinitorem pertinens, ut Vinitoria falx, *Colum.* 4, 25., ubi eam accurate describit.

*VINIVORAX, acis, vinum vorans, vini cupidus, vinosus. *Commodian. Instruct.* 18. p. 23. *B. A.*

VINNŪLUS, a, um, adj. significat flexuosum instar vinni, hoc est cinni: translate autem dicitur de oratione suaviter inflexa, et molli, qualis est in minuritionibus cantus, sive in chromatica musica, ut *Boethius* appellat. *Isid. Or.* 3, 20. *f.* Vinnula vox est levis et mollis, atque flexibilis: dicta a vinno, hoc est cincinno molliter flexo. *Pl. As.* 1, 3, 70. Compellando blanditer, osculando oratione vinnula, venustula. Ita legit *Jan. Douza*, et ita interpretatur. Sed alii aliter. *Paulus* ap. *Fest.* interpretatur mollem, his verbis: Vinnulus dicitur molliter se gerens, et minime quid viriliter faciens. Plautus: Oratione vinnula, ac venustula. Eadem habet *Non.* 2, 898. Sunt qui legunt *vinulus* unico *n*, et vocem derivant a *vinum*, accipiuntque pro blando, venusto, illecebroso, et ad sensus permanante, ut vinum in venas. Additur etiam a quibusdam locus *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Profecto rem habes vinnulam. Sed alii *tinnulam*, alii plerique *nullam* reponunt.

VINUS. V. v. praec. *in.*

VINOLENTIA, ae, f. *μέθη, οἰνοφλυγία*, ebrietas, vitium ebrietatis. *Cic. Top.* 20. Cujus etiam generis illa sunt, ex quibus verum nonnunquam invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. *Id. Phil.* 2, 39. *med.* Quid furiosam vinolentiam tuam proferam?

*VINOVIA, ae, f. oppidum Britanniae. *Anton. Itin.* ℙ *Camdeno* est *Binchester* in comitatu Dunelmensi. *B. A.*

VINOLENTUS, a, um, adj. *ἐξοινος, πάροινος, οἰνόφλυξ*, ebriosus, vino se ingurgitans. *Cic. Agr.* 1, 1. Haec per Deos immortales utrum esse vobis consilia siccorum, an vinolentorum somnia; et utrum cogitata sapientum, an optata furiosorum videntur? *Id. Fam.* 12, 25. *med.* Omnemque suum vinolentem furorem in me unum effunderet. ℙ *Medicamenta vinolenta* sunt, in quibus potior pars vinum est. *Id. Pis.* 6. *med.* Meministine, cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses, excusatione te uti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibusdam medicamentis solere curari?

VINOSITAS, atis, f. succus vinosus. *Tert. Jejun.* 1. *f.* Siccantes cibum ab omni jurulentia, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.

VINOSUS, a, um, adj *οἰνώδης, οἰνόεις*, vini saporem habens. *Plin.* 13, 19, 24. Punicorum quinque species, dulcia, acria, mixta, acida, vinosa. *Id.* 15, 24, 27. Moris succus in carne vinosus. *Id.* 12, 13, 27. Nardi semen saporis calidi ac vinosi. *Id.* 21, 18, 27. Juncus vinosae mordacitatis ad linguam. *Id.* 27, 4, 11. Semen ambrosiae odore vinoso. ℙ Item vini cupidus. *Hor. Ep.* 1, 19, 6. Laudibus arguitur vini vinosus Homerus. *Ov. Fast.* 3, 765. Cur anus hoc faciat, quaeris? vinosior aetas Haec est, et gravidae munera vitis amans. *Pl. Curc.* 1, 1, 77. Lena multibiba atque merobiba.... quid opu'st verbis? vinosissima est. *Ov. Am.* 3, 1, 17. Nequitiam vinosa tuam vonvivia narrant. *Scipio Afric.* ap. *Gell.* 7, 12. Qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit. ℙ Item ebrius. *Liv.* 41, 4. Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugae.

VINŪLUS, a, um, adj. V. VINNULUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 922, 4. Rutiliae Rufinae vinulae.

VINUM, i, n. *οἶνος*, liquor ex uvis expressus: a voce Graeca allata. Celebriora apud veteres vina *Plin.* 14. *c.* 6. et 7. recenset. *Cic. Sen.* 18. *f.* Ut non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit. *Id. Off.* 3, 23. Qui vinum fugiens vendat sciens, *h. e* parum durans: cui *firmum* opponitur. *Id. Brut.* 83. Si quis Falerno vino delectetur, nec ita novo, ut, etc. nec ita vetere, ut, etc. *Pall.* 11, 14. *med.* Vinum album, candidum, fuscum, nigrum, limpidum. *Cato R. R.* 156. *med.* atrum, durum. *Plin.* 14, 9, 11. album, fulvum, sanguineum, nigrum. *Ov. Fast.* 5, 511. rubens. *Sen. ep.* 36. Vinum fieri bonum, quod recens durum et asperum vi-

sum est: non pati aetatem, quod in dolio placuit. *Cels.* 3, 19. austerum, tenue, meraculum: nullarum virium, aut ingentium. *Varr.* ap. *Non.* 4, 295. merum. *Cic. Tusc.* 5, 5. leve. *Ter. Heaut.* 3, 1, 49. asperum, lene. *Colum.* 12, 27. dulce, suave, firmum, corpori salubre. *Pall.* 11, 14. *med.* Suave vinum de duro facere; et *med.* ex molli forte. *Plin.* 14, 21, 27. imbecillum, validum; et *ib.* 9, 11. excellens. *Mart.* 13, 115. generosum. *Ov. Met.* 7, 594. purum. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. torvum. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 6. Vina in vatustate rubescentia. *Id.* 20, 9, 40. Vinum ex aqua temperatum. *Cels.* 1, 3. *f.* dilutum. *Colum.* 12, 5. vapidum. *Mart.* 8, 6. mucidum. *Plin.* 14, 20, 25. Instaurare vina, *h. e.* acescentia, vapida facta, aut fugientia reficere. *Id. ib.* condere, *h. e.* in cella vinaria reponere servandi gratia. *Id.* 16, 10, 16 condire, *h. e.* medicari. *Id.* 14, 14, 16. diffundere. V. DEFUNDO. ℙ Refertur ad compotationes et ebrietatem. *Cic. in Sen.* 6. Vini, somni, stupri plenus. *Id. Phil.* 2, 3. *f.* Vino, lustrisque confectus; et *ib.* 13, 11. In lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne consumere. *Id. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. *med.* Vacillare ex vino. *Id.* 8, 16. Vino epulisque sopiti. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. *med.* In vino et luxu ridere. *Ter. Heaut.* 3, 3, 7. Vel heri in viro quam immodestus fuisti! *Titius* ap. *Macrob. Sat.* 2, 12. Vix prae vino sustinet palpebras. *Cic. Acad.* 4, 16. *f. Liv.* 40, 7. *extr.* et *Pl. Aul.* 4, 10, 65. Per vinum, *h. e.* in ebrietate. *Cic. Coel.* 28. *med.* In conviviis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diserti sint, *h. e.* inter pocula. *Ov. Fast.* 6, 673. Nox erat, et vinis oculique, animique natabant. *Id. Met.* 12, 220. Vino ardet pectus; et *ib.* 317. Sopitus vinis, et inexperrectus Aphidas. *Id. Pont.* 1, 5, 45. Nec juvat in lucem nimio marcescere vino. *Id. Fast.* 2, 333. comites somno vinoque soluti. *Id. Met.* 7, 432. nec non et carmina, vino Ingenium faciente, canunt. *Virg. A.* 2, 265. Vino sepulti. *Liv.* 41, 3. *extr.* mersi. *Id.* 1, 57. Incalescere vino. *Pl. Truc.* 4, 4, 2. madere. *Cic. Verr.* 2, 3, 12. *f.* Vino vigiliisque languidus. *Lir.* 45, 23. *med.* In vinum proniorem esse. *Pl. Aul.* 3, 6, 38. Vino aliquem deponere, *h. e.* ebrium facere. ℙ *Vinum*, uva, vindemia. *Pl. Trin.* 2, 4, 125. Tum vinum, priusquam coactum est, pendet putridum. *Varr. L. L.* 4, 17. Vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit. *Cato R. R.* 147. Hac lege vinum pendens venire oportet. ℙ De aliis liquoribus vini similibus. Memorat *Plin.* 23, 1, 26. vinum e napis, et palmeum: 13, 4, 9. ex caryotis: 14, 16, 19. *n.* 2. ex milii semine, ex loto, ex fico, e Punicis, et cornis, mespilis, sorbis, moris, nucleis pineis, etc. *Pall.* 4, 10. ex piris, etc. Alia facticii vini genera enumerat *Plin. cit.* 14. *c.* 16.

VĬO, as, n. 1. *βαίνω*, viam eo, ambulo, iter facio. *Prud. adv. Sym.* 2, 772. affirmans iter esse viandi Multifidum, variumque, Deus cum quaeritur unus. *Ammian.* 20, 9. Legati intenti ad viandum. *Pl. Truc.* 1, 1, 7. Quot illic iracundiae sunt! quot pericula vianda! *h. e.* adeunda. Alii aliter leg. *Juvenc.* 1, 126. dominum mox praegrediere viando. *Quint.* 8, 6. *med.* reponit inter verba infeliciter ficta. Ex quo apparet, ejus quoque aetate in usu fuisse, sed non omnibus probatum.

VĬOCŪRUS, i, m. viarum curator, [seu, ut ait *Venul. Dig.* 43, 23, 2., cui viarum publicarum cura est. *Gloss. Phil.* Viaculus (leg. *viocurus*), *ὁδῶν, ἐπιμελητής*. *Varr. L. L.* 4, 1. *med.* Quis non videt, unde aerifodinae, et viocurus? Alii leg. *unoculus*. *Id. ib.* 32. *f.* Simili de causa Publilius vicus, et Cosconius vicus, quod ab his viocuris dicuntur aedificati. Ita ex *Turnebo* et *Scal.*, nam alii *viris* habent. *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 8. M. Baebio M. F. Rom. Secundo III viro viocuro ex S. C. *Alia* ap. *Mur.* 667, 1. A. Egnatius A. F. Pom. Strabo viocurus. V. CESTIFER. *F.*]

VĬŌLA, ae, f. *ἴον*, flos primus fere verni temporis: a voce Graeca allata. *Plin.* 21, 6, 14. Violis honos proximus (*post lilia*), aerumque plura genera: purpureae, luteae, albae. Ex iis, quae sponte apricis et macris locis proveniunt, purpureae latiore folio, statim ab radice carnoso, exeunt: solaeque Graeco nomine a ceteris discernuntur, appellatae ia, et ab his ianthina vestis. E sativis maxima auctoritas luteis. Genera iis Tusculana, et quae marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum vero sine odore, minutoque folio calathiana, munus autumni: ceterae veris. *Id. ib.* 11, 38. Florum prima ver nuntiantium viola alba. Tepidioribus vero locis etiam hieme emicat. Postea quae ion appellatur, et purpurea. Proxime flammea, quae et phlox vocatur. *Virg. Ecl.* 2, 47. Pallentes violae; et *ib.* 10, 39. nigrae, *h. e.* purpureae. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 92. vaccinia nigro Induit, et dulci violas ferrugine pingit. *Colum.* 10, 101. Tum quae pallet humi, quae frondens purpurat auro, Ponatur viola. *Id.* 9, 4. Violae luteolae, et Sarranae. *Cic. Tusc.* 5, 26. Etiamne in cruciatu atque tormentis *sapientes beati sunt?* M. An tu me in viola putabas, aut in rosa dicere? ℙ De colore violae. *Hor. Od.* 3, 10, 14. tinctus viola pallor amantium. *Id. Ep.* 2, 1, 207. Lana Tarentino violas imitata veneno. *Plin.* 37, 9, 40. Amethysti color in violam desinit. *Id.* 34, 12, 32. Candidus color violam sentiens. ℙ *Violae dies.* V. VIOLARIS. ℙ *Viola* etiam dicitur locus violis consitus. *Colum. Arb.* 30. Violam qui facturus est, terram stercoratam et repastinatam ne minus alte pedem in pulvinos redigat. *Morgagnius* legere mallet *saturus* pro *facturus*, at *Schneiderus* pro *violam* legendum putat *violarium*. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 725, 7. Fufisia A. L. Viola.

VĬOLĂBĬLIS, e, adj. *βιάσιμος*, qui aptus est, ut violetur. *Virg. A.* 2, 155. Vos aeterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen, ait. *Stat. Th.* 5, 258. nullis violabilis armis Turba, senes, *h. e.* quae violari non debet. *Ov. Her.* 15, 79. Molle meum, levibusque cor est violabile telis, *h. e.* qui violari potest.

VĬOLĂCĔUS, a, um, adj. *ἰοειδής, ἰάνθινος*, violae colorem habens. *Plin.* 22, 18, 21. Herba, cui flos violaceus. *Id.* 37, 10, 61. Ion (*gemma*) apud Indos violacea est. *Nep. fr.* ap. *eund.* 9, 39, 63. Me juvene violacea purpura vigebat.

VĬOLĂCĬUM, ii, n. succus violarum succo conditum. *Apic.* 1, 4. Similiter et de viola violacium facies, et eodem modo melle temperabis. V. VIOLATUS.

VIOLANTILLA, ae, f. Graece Ianthis, nomen mulieris. *Epithalamium Stellae et Violantillae* est *Stat.* 1, 2. *B. A.*

VĬOLĀRIS, e, adj. ad violas pertinens. *Inscr.* ap. *Fabr.* 724, 443. Item XI. K. Apr. die violari eodem loco praesentibus dividerentur sportulae. *Die violari* est *die violae*, ut in *alia* ap. *Marin. Frat. Arv.* 639. Die rosationis et violae. V. ROSALIS. *F.*]

VĬOLĀRĬUM, ii, n. *ἰών*, locus, ubi nascuntur violae. *Varr. R. R.* 1, 1. *med.* Sub urbe colere hortos late expedit, sic violaria, ac rosaria; et *ib.* 35. Violaria in fundo facere non est utile, ideo quod necesse est terra adruenda pulvinos facere, quos irrigationes abluunt, et agrum faciunt macriorem. *Virg. G.* 4, 32. irriguumque bibant violaria fontem. *Ov. Fast.* 4, 437. Illa legit calthas, huic sunt violaria curae.

VĬOLĀRĬUS, ii, m. *ἰοβάπης*, violacei coloris infector. *Pl. Aul.* 3, 5, 36. Flammearii, violarii, carinarii. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 78. Sex. Antonius Sex. L. Steneleus violarius.

VĬOLĀTĬO, onis, f. *βιασμὸς, ὕβρισμα*, actus violandi, violentiae illatio, profanatio, corruptio. *Liv.* 29, 8. *f.* Tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem injecit. *Sen. ep.* 104. *med.* Violatio religionum. *Vell.* 2, 1. *extr.* fidei.

VĬOLĀTOR, oris, m. *βιαστής*, qui violat, violentiae illator, ruptor, corruptor. *Liv.* 4, 19. Hiccine est, inquit, ruptor foederis humani, violatorque gentium juris; *Ov. Pont.* 2, 2, 27. Confugit interdum templi violator ad aram. *Tac. A.* 1, 58. Violator foederis. *Macr. Sat.* 2, 3. *med.* Cassius dictatoris violator, *h. e.* C. Caesaris interfector. ℙ Cum femin. gen. *Lucan.* 9, 720. Et natrix violator aquae, *h. e.* veneno inficiens.

VĬOLĀTUS, a, um, part. *a violo; βεβιασμένος*, vi illata laesus, corruptus, pollutus, temeratus, ruptus. *Cic. in Sen.* 3. *f.* Optimi viri corpus non solum tactum ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis. *Ov. Pont.* 3, 5, 45. Getico peream violatus ab arcu. *Id. Fast.* 4, 649. Silva vetus, nullaque diu violata securi. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. *med.* Violata religio; et *ib. med.* Sacra polluta et violata. *Id. Har. resp.* 11. *f.* Ludi violati, polluti. *Id. Leg.* 2, 9. *f.* Poena violati juris esto. *Juven.* 13, 6. Violata fides. *Lucan.* 3, 125. potestas. *Caes. B. C.* 2, 15. Induciae per scelus violatae. *Ov. Her.* 7, 97. Violatus pudor. *Id. A. Am.* 1, 675. Quaecumque est subita Veneris violata rapina. *Stat. Th.* 9, 712. mitis subit alta Dianae Corda dolor, fletuque genas violata, quod inquit, etc. ℙ Est etiam a *viola* ductus. *Pall.* 3, 32. Conditum vel absinthiatum, vel rosatum, vel violatum, *h. e.* vinum conditum violarum succo. V. VIOLACIUM.

VĬOLENS, entis, adj. *βίαιος*, idem ac violentus. *Hor. Od.* 3, 30, 10. Dicar, qua violens obstrepit Aufidus. Adde *Ep.* 1, 10, 37. et *Pers.* 5, 171., ubi pro feroci, et forti ponitur. ℙ *Violens* agnomen habuit L. Volumnius Flamma, qui fuit consul cum Ap. Claudio Caeco ann. U. C. CCCCXLVII., ut est in *Fast. Capitolin.* ap. *Grut.* 291. *extr.*

VĬOLENTE. V. v. sq.

VĬOLENTER, adv. *βιαίως*, per vim, injuriose, vehementius quam par est. *Liv.* 5, 1. Quia solemnia ludorum, quos intermitti nefas est, violenter diren isset. *Sall. Jug.* 44. *f.* Quaestio exercita aspere violenterque ex rumore et libidine plebis. *Plin. ep.* 3, 9. Proconsulatum non minus violenter, quam sordide gesserat. *Suet. Tit.* 6. Praefecturam praetorii egit aliquanto incivilius et violentius. *Tac. H.* 3, 11. Violenter aliquem ad supplicium deposcere. *Id. A.* 6, 3. increpare aliquem. *Suet. Aug.* 51. *f.* Violentius conqueri. *Just.* 11, 7. *f.* Violentius oraculo usus, gladio loramenta caedit. *Colum.* 7, 3. Aries rivalem violentissime persequitur. ℙ Item iniquo animo, graviter, aegre. *Ter. Ph.* 5, 1, 4. Patrem adolescentis facta haec tolerare audio violenter. Ubi *Donatus:* quod Graeci dicunt *δεινῶς*. ℙ Item magna vi, et impetu. *Hor. Od.* 1, 2, 13. Vidimus flavum Tiberim retortis Litore Etrusco violenter undis, Ire dejectum monumenta regis. *Colum.* 7, 12. *med.* Advenientem latratu conterrent, vel constantius appropinquantem violenter invadunt. *Just.* 25, 5. Inter confertissimos violentissime dimicans. ℙ Qui *violente* pro *violenter* adstruunt ex *Ov. Met.* 9, 121. et *Senec. Med.* 605. frusta sunt: quia utrobique est vocativ. sing., tum quia ultima in *violente*, etiam si esset adverbium, longa est, cum tamen hic brevis sit.

VĬOLENTĬA, ae, f. *βία*, vis major, impetus. *Cic. Phil.* 12, 11. Novi hominis furorem, novi effrenatam violentiam. *Plin.* 2, 38, 38. Quoniam et tonitruum, et fulminum jactus horum (*ventorum*) violentiae plerique assignant. *Lucr.* 3, 483. vehemens violentia vini Conturbare animam consuevit. *Colum.* 1, 1. Hiemis assidua violentia. *Plin.* 2, 16, 13. Radii solis violentia. *Ov. Met.* 1, 237. Fit lupus, et veteris servat vestigia formae: Canities eadem est, eadem violentia vultu, *h. e.* ferocia. Sic *Tac. Ann.* 2, 63. Violentia gentium. *Sall. Jug.* 57. Fortunae violentiam tolerare, *h. e.* adversa casuum.

VĬOLENTUS, a, um, adj. *βίαιος*, qui vim nimiam affert. *Cic. Phil.* 1, 12. Opes violentas, et populo minime ferendam potentiam concupisse. *Sen. Tro.* 1172. Mors infantibus violenta, virginibus saeva venis. *Hor. Sat.* 2, 1, 38. seu quod Lucania bellum Inciteret violenta. *Virg. G.* 2, 107. ubi navigiis violentior incidit Eurus; et *ib.* 4, 373. In mare purpureum violentior effluit amnis. *Ov. Met.* 8, 338. aper excitus medios violentus in hostes Fertur; et *ib.* 12, 24. Nereus violentus in undis. *Cic. Cluent.* 49. *extr.* Violentissimae tempestates. *Colum.* 5, 5 *f.* Violentissimus coeli status. *Val. Fl.* 5, 15. violenta lues, *h. e.* vis pestilentiae. *Plin.* 16, 33, 60. Cupressus folio amara, odore violenta, *h. e* graveolens. *Id.* 37, 4, 15. Duae res violentissimae, ferrum, et ignis. ℙ Item impotens, injuriosus: et refertur ad animum. *Cic Phil.* 2, 28. Quamvis sis violentus et furens. *Id Har. resp.* 22. *med.* Alicujus furentes ac violenti impetus. *Id. Phil.* 5, 7. Homo vehemens et violentus. *Liv.* 1, 46. Violentum ingenium. *Tac. A.* 2, 43. Piso ingenio violentus, *h. e.* ferox. (quo sensu *Id. ib.* 15, 68. Vestinus violentus et infensus. V. integr. loc.) *Liv.* 31, 32. Tyrannus saevissimus et violentissimus in suos. *Sen. Phoeniss.* 347. Violentus impetus doloris. *Ov. Met.* 8, 106. Violenta ira. *Id. Trist.* 3, 5, 43. Non aliquid dixi, violentaque lingua locuta est: Lapsaque sunt nimio verba profana mero. *Id. Met.* 3, 717. Verba violenta loqui. *Id. Am.* 2, 17, 7. Dat facies animos: facie violenta Corinna est, *h. e.* animosa, superba, et dura. *Liv.* 45, 12. Obtupefactus tam violento imperio. *Sen. Tro.* 258. Violenta nemo imperia continuit diu: Moderata durant. *Id. Thyest.* 691. Ipse est sacerdos: ipse funesta prece Letale carmen ore violento canit. *Juven.* 4, 86. sed quid violentius aure tyranni? *h. e.* iracundius, et offendi facilius. *Liv.* 9, 34. Tenuit Aemilia lex violentos illos censores, C. Furium et M. Geganium, qui, etc. *h. e.* impotentes, et severos. ℙ Dicitur et simpliciter de eo, qui multa vi et omni conatu quippiam facit: et videtur etiam in bonam partem sumi posse. *Mart.* 12, 14. Parcius utaris, moneo, rapiente veredo, Prisce, nec in lepores tam violentus eas. *Ov. Pont.* 4, 6, 33. Cum tibi suscepta est legis vindicta severae, Verba velut tinctum singula virus habent. Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis, Sentire, et linguae tela subire tuae. ℙ *Violentum est*, contra rationem est. *Cic. Fin.* 5, 24. *med.* Atque hoc ut vere dicitur, parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum, sic nimis violentum est, nulla esse dicere.

[VĬOLĔUS, a, um, adj. ad violam pertinens. *Terent. de syllab.* p. 2397. Viola flos qui nuncupator, hunc Graji vocant *ἴον*, Et Iulaus violeus fit, crede Marco Tullio. *Cassiod. Var.* 12, 4. de vino acinaticio: Hiemale mustum, uvarum frigidus sanguis, in rigore vindemia, cruentus liquor, purpura potabilis, violeum nectar. *F.*]

VĬOLO, as, avi, atum, a. 1. *βιάζομαι*, vi illata quae integra sunt corrumpo, imminuo, laedo, offendo, temero, polluo: a *vis*. *Cic. Rosc. Am.* 38. Nullum esse officium, nullum jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit, et imminuerit. *Id. Har. resp.* 5. Bonae Deae sacra non solum aspectu virili, sed flagitio stuproque violare. *Lucan.* 7, 852. violabis vomere Manes. *Cic. Rab. perd.* 2. *f.* Violare loca religiosa et lucos. *Tibull.* 1, 5, 37. numina verbo. *Sil.* 17, 13. aras coelicolum. *Sall. or. Philippi contra Lepid. f.* Te neque hominum, neque Deorum pudet, quos perfidia, aut perjurio violasti. *Cic. fragm. contra C. Anton.* ap. *Ascon.* leges, quaestiones, judicia. *Tibull.* 1, 10, 2. (et *Liv.* 28, 44.) Foedera violanda. *Ov. Her.* 7, 57. et *Plin.* 10, 34, 52. Violare fidem. *Cic. Phil.* 2, 1. *f.* amicitiam. *Nep. Alc.* 10. clementiam, *h. e.* crudelem esse. *Cic. Quint.* 23. existimationem ab-

sentis. *Liv.* 2, 7. *med.* virtutem alicujus suspicione. *Cic. Verr.* 2, 1, 32. *f.* Cum tu apud exteras nationes imperii nominisque nostri famam tuis probris flagitiisque violaris. *Id. Fam.* 1, 6. Violare dignitatem alicujus in aliqua re. *Virg. A.* 4, 27. pudorem. *Varr. L. L.* 5, 8. *med.* Violavit virginem, pro vitiavit, dicebant. *Cic. N. D.* 3, 23. *med.* Violare virginitatem alicujus. *Tibull.* 1, 7, 57. puellam. *Catull.* 67, 23. cubile alicujus. *Lactant.* 1, 10. *med.* puerum. ℙ Item damno, contumelia, verberibus, vulnere afficio, ubi de personis sermo est. *Caes. B. G.* 6, 22. *med.* Hospites violare fas non putant: qui quaque de causa ad eos venerint, ab injuria prohibent. *Nep. Dion.* 2. Cum Plato a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venumdari jussisset. *Just.* 34, 1. *extr.* Peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi, etc. *Cic. Fin.* 3, 9. *f.* Prodere patriam, violare parentes, fana depeculari. *Id. Par.* 3. *f.* vitam patris, *h. e.* patrem necare. *Id. Har. resp.* 22. Clarum hominem impurissimi voce hominis violari. *Virg. A.* 11, 591. sacrum violarit vulnere corpus. ℙ Absolute pro vulnerare habent *Cels.* 7, 12. *n.* 4., *Ov. Met.* 3, 712., *Sil.* 10, 261. et 5, 601. ℙ Item nativa integritate spolio, corrumpo. *Cels.* 7, 4. *n.* 2. Solent fistulae, ubi costas transierunt, septum transversum violare. *Juven.* 15, 9. Porrum et caepe nefas violare, et frangere morsu. *Virg. A.* 7, 114. Et violare manu, malisque audacibus orbem Fatalis crusti. *Id. ib.* 11, 255. Iliacos ferro violavimus agros; et *Caes. B. G.* 6, 31. Fines eorum se violaturum negavit. *Liv.* 26, 31. Violare urbem, *h. e.* vi et armis capere, et diripere. *Just.* 44, 3. *med.* In hujus gentis finibus mons est, quem ferro violari nefas habetur, *h. e.* fodi, aut proscindi. *Ov. Met.* 8, 741. Cereale nemus violare securi, *h. e.* adhuc intactum caedere. *Claud. in Ruf.* 1, 63. de Alecto: (et *Lucan.* 9, 462.) Flatu violare diem; et *Rapt. Pros.* 1, 190. praesaga mali violavit oborto Rore genas, *h. e.* lacrimis corrupit ocellos, ut *Ov. Am.* 3, 6, 57. dixit. *Juven.* 3, 18. quanto praestantior esset Numen aquae, viridi si margine clauderet undas Herba, nec ingenuum violaret marmora tophum; et 11, 116. Fictilis, et nullo violatus Juppiter auro. *Stat. Theb.* 1, 149. nec cura mero committere gemmas, Atque aurum violare cibis. ℙ Et nativum colorem corrumpo. *Virg. A.* 12, 67. Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur. Ubi *Servius:* Homeri comparatio: unde et *violaverit* transtulit: ille enim (*Iliad.* 4, 141.) ait: Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ. Sic *Stat. Ach.* 1, 307. Lactea Massagetae veluti cum pocula fuscant Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro. ℙ *Violare oculos, aures*, re aliqua turpi, aut dicto laedere. *Ov. Her.* 17, 1. Nunc oculos tua cum violarit epistola nostros. *Petr. Sat.* 85. Violari aures meas obsceno sermone nolui.

*VIOR, fluvius Mauretaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 1. ℙ Hodie *Sus* audit. *B. A.*

VĪPĔRĂ, ae, f. ἶχις, ἔχιδνα, serpentis venenati genus. Dicta creditur quasi *vivipara*, quia sola e serpentium genere dicitur parere vivum animal. *Plin.* 10, 62, 82. Terrestrium sola vipera intra se parit ova unius coloris, et mollia, ut pisces. Tertia die intra uterum excludit, deinde singulos singulis diebus parit, viginti fere numero. Itaque ceterae tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisa parente. *Virg. G.* 3, 416. sub praesepibus mala tactu Vipera delituit. *Ov. A. Am.* 2, 376. Nec brevis ignaro vipera laesa pede. *Id. Pont.* 3, 3, 102. latens ima vipera serpit humo. *Hor. Od.* 3, 4, 17. Atrae viperae. *Id. Epod.* 16, 52. intumescit alta viperis humus. *Prop.* 4, 7, 53. si fallo, vipera nostris Sibilet in tumulis, et super ossa cubet. *Mart.* 3, 19. Vipera scelerata. *Ov. Rem. Am.* 421. Parva necat morsu spatiosum vipera taurum. ℙ Est etiam convicium moleste loquacis, iracundi, crudelis. Ad illud *Ter. Eun.* 5, 1, 8. Quid ais, venefica? *Donatus:* Aptum convicium, et comicum in ancillas, venefica, lupa, vipera, et sacrilega. *Flor.* 4, 12. *med.* Recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit, vipera, sibilare desiste. *Juven.* 6, 641. Tunc duos *(filios veneno sustulisti)* una, saevissima vipera, coena? ℙ *Viperam nutricare sub ala* proverbialiter ap. *Petr. fragm. Trag.* 77. *Burm.* est suum sibi malum fovere. Sic *Cic. Har. resp.* 24. Etiamne in sinu atque in deliciis quidam optimi viri viperam illam venenatam atque pestiferam habere potuerunt? ℙ *Vipera est in veprecula* aliud proverb. de quo V. VEPRECULA.

VĪPĔRĀLIS, e, adj. ad viperam pertinens. *Appul. Herb.* 89. Memorant etiam ad Olcimum (lege *Aliacmonem*) fluvium *(rutam hortensem)* appellari viperalem, eo quod interfectibilis earum comprobetur, *h. e.* quod contra serpentium ictus pro anditoto valet, ut ait *Plin.* 20, 13, 51. *med.*

VĪPĔRĔUS, a, um, adj. idem ac viperinus. *Lucan.* 9, 635. Vipereum venenum. *Ov. Met.* 2, 768. videt intus edentem Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum, Invidiam. *Id. ib.* 4, 572. Viperei dentes; et *ib.* 7, 203. Vipereas fauces carmine rumpere; et *ib.* 4, 614. Vipereum monstrum, *h. e.* caput Medusae viperas habens pro crinibus. Sic *ib.* 6, 662. Vipereae sorores, *h. e.* Furiae anguibus caput cinctae. *Id. ib.* 7, 391. pennae, *h. e.* pennati serpentes, quibus per aera Medea ferebatur. *Id. Pont.* 4, 7, 36. vipereo tela cruore madent, *h. e.* veneno. *Sen. Oed.* 597. Vipereum genus fratrum, *h. e.* qui nati fuerant ex dentibus serpentinis a Cadmo satis. *Id. Herc. Oet.* 169. de Briareo: Supra Thessalicos cum stetit aggeres, Ut coelo insereret vipereas manus, *h. e.* viperas in digitis, aut pro digitis habens, ut olim finxere. *Virg. A.* 7, 351. Vipeream inspirans animam, *h. e.* halitu venenato afflans.

VIPĔRĪNUS, a, um, adj. ἐχιδναῖος, ad viperam pertinens, vipereus. *Accius* ap. *Cic. Fin.* 2, 29. et *Tusc.* 2, 7. Cui viperino morsu venae viscerum Veneno imbutae tetros cruciatus cient. *Hor. Od.* 2, 19, 19. Bistonidum crines nodo viperino coercere. *Id. Epod.* 3, 6. Viperinus cruor. *Plin.* 11, 53, 115. Viperina sanie tingere sagittas. *Id.* 7, 2, 2. Viperina carne ali. ℙ *Viperina* dicitur ab *Appul. Herb.* 5. herba, quae aliis serpentaria, tortuosa radice, ἐχιδνιον Graecis, efficax contra serpentes.

VIPIO, onis, m. γεροντὶς, minor grus. *Plin.* 10, 49, 69. Ibi *(in Balearibus insulis)* et buteo accipitrum generis in honore mensarum est: item vipiones. Sic enim vocant minorem gruem. Alii *pipiones.* V. PIPIZO.

VIPSĀNUS, a, um, adj. ad M. Vipsanium Agrippam Augusti generum pertinens. *Mart.* 4, 18. Vipsanae columnae, *h. e.* quae fuerunt in porticu Agrippae. *Id.* 1, 109. laurus, *h. e.* quae ornabant aedes et porticum ejusdem ob consulatus et victorias. ℙ De nomine *Vipsanius* V. *Sen. Contr.* 2, 12. *f.*

VIR, vīri, m. ἀνὴρ, masculus in genere hominum, cui respondet *mulier*, *femina:* a *vis*, vel a voce Graeca allata. *Ter. Phorm.* 5, 3, 9. Virum me natam vellem: ego ostenderem. *Ov. Met.* 3, 326. Deque viro factus (mirabile!) femina. *Tibuli.* 2, 2, 2. lingua vir mulierque fave. *Just.* 25, 4. Majore mulierum, quam virorum virtute exceptus. *Claud. in Ruf.* 1, 170. sequimur, quocumque vocaris, Seu tu vir, seu numen, ait. *Ov. Her.* 9, 106. Quod tu non esses jure, vir illa fuit. *Pl. Aul.* 1, 2, 30. Dividere argenti nummos in viros, *h. e.* viritim. ℙ Saepe maritum significat. *Ter. Hec.* 4, 1, 1. Quid viro meo respondebo, misera! *Ov. Pont.* 4, 13, 3. de Livia Aug.: Ambiguum nato dignior, anne viro. *Hor. Sat.* 1, 2, 127. nec vereor, ne vir rure recurrat. *Petr. Sat.* 111. Matrona cum virum extulisset, etc. ℙ De bestiis; nam et *maritus*, et *uxor* de his dicuntur. *Virg. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper deerraverat. *Theocrit. Idyll.* 8. *v.* 49. Ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ. *Mart.* 3, 93. Et illud oleas, quod viri capellarum. *Solin.* 23. Equae aspirante Favonio vento concipiunt, et sitientes viros aurarum spiritu maritantur. ℙ Saepe non tam sexum significat, quam constantiam animi, fortitudinem, virtutem: quibus feminae fere carent: aut certe inferiores longe sunt. *Cic. Tusc.* 2, 22. *med.* Marius rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur, vetuit se alligari; et *mox:* Et tamen fuisse acrem morsum doloris, idem Marius ostendit: crus enim alterum non praebuit. Ita et tulit dolorem, ut vir: et, ut homo, majorem ferre sine causa necessaria noluit. *Id. Fam.* 5, 17. Ut te rogarem, ut et hominem te, et virum esse meminisses; id est ut et communem incertumque casum sapienter ferres, et dolori fortiter ac fortunae resisteres. Ubi *Manut.* Ab homine sapientiam, a viro fortitudinem postulat; et *ib.* 18. Te oro, te colligas, virumque praebeas. *Sen. Consol. ad Polyb.* 36. *med.* Non sentire mala sua, non est hominis: et non ferre, non est viri. *Just.* 11, 13. *f.* Et quemadmodum Dario majorem turbam hominum esse, sic virorum sibi. *Ter. Eun.* 1, 2, 74. Heus noster! laudo: tandem perdoluit: vir es. *Cic. Att.* 10, 7. *med.* Si vir esse volet, praeclara *συνοδία;* sin autem, erimus nos qui solemus. *Ov. Fast.* 6, 595. Si vir es, i, dictas exige dotis opes. *Mart.* 2, 69. Grandia verba ubi sunt? si vir es, ecce nega. *Hor. Epod.* 15, 12. Nam si quid in Flacco viri est, Non feret, etc. *Quint. decl.* 3, 6. Hoc ipsum, quod primus ante signa procurrit, quod veteranos tiro praecedit, quod redit pulvere et cruore concretus: istud, istud, quod tam vir est. ℙ Hinc fere jungitur cum epithetis laudis. *Cic. Coel.* 5. *f.* Catilina utebatur hominibus improbis multis: et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. *Id. Fin.* 3, 8. *med.* Quem stabili, et firmo, et magno animo, quem fortem virum dicimus? et *paulo post:* Vir altus et excellens. *Id. Tusc.* 4, 25. *f.* constans ac sapiens. *Id. Sen.* 23. praestans; et *ib.* 7. clarus et honoratus. *Id. Brut.* 85. summus et singularis. *Id. Fin.* 3, 19. *med.* bonus at sapiens, et legibus parens, et civilis officii non ignarus. Rarius cum adjunctis vituperationis. *Sall. Jug.* 90. Viri turpissimi. *Virg. A.* 4, 497. Vir nefandus. *Ov. Fast.* 2, 688. injustus. *Lucan.* 2, 87. ferus. *Sen. Hipp.* 273. immitis. *Id. Thyest.* 211. humilis. ℙ Vir bonus, justus, probus, liberalis, qui prodest quibus potest, nocet nemini, ut ait *Cic. Off.* 3, 15. *f.*, Itali dicunt *galantuomo. Id. Fam.* 1, 9. *med.* Ut eum, quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur. Ap. *Sen. var. in l. c.* est idem qui sapiens Stoicorum, optimis moribus praeditus, virtutibus ornatus, sanctus. ℙ Mos erat candidatos sic appellare. *Sen. ep.* 3. Sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus: quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. Hinc Itali etiam nunc *buonuomo* eodem sensu appellant virum inferioris conditionis. ℙ Item feneratores. *Cic. Att.* 9, 12. Stat urbs ista? praetores jus dicunt, aediles ludos parant, viri boni usuras perscribunt? *Id. Off.* 2, 25. Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus, quam a philosophis disputatur. ℙ *Bonus vir εἰρωνικῶς* dicitur dolosus, malus, aut insipiens. *Ter. Eun.* 4, 3, 18. Ille autem bonus vir nusquam apparet, *h. e.* qui se eunuchum simulaverat. *Id. Ad.* 3, 5, 50. Ille bonus vir nobis psaltriam, si Diis placet, paravit, quicum vivat. *Id. Andr.* 3, 5, 10. Rhodum bone vir, quid ais? viden, me tuis consiliis miserum impeditum esse? Adde 5, 2, 5., *Eun.* 5, 2, 11. etc. ℙ *Bonus vir* est aliquando vir bonus. *Id. Phorm.* 4, 3, 33. Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos. Quidam MSS. habent *vir bonus.* ℙ Interdum *vir* de eo dicitur, qui turpia refugit, flagitia aversatur. Licinium Mucianum notae impudicitiae retaxans Vespanianus dicere solebat, ut est ap. *Suet. Vesp.* 13. Ego tamen vir sum. De eod. *Sex. Aur. Victor. Epit.* 9. Nosti me virum esse. *Ov. A. Am.* 1, 524. Et si quis male vir quaerit habere virum. ℙ Refertur aliquando ad aetatem virilem. *Id. Met.* 13, 397. Littera communis mediis pueroque viroque Inscripta est foliis. ℙ Et ad generandi vim, aut virilia. *Catull.* 63, 6. ut relicta sensit sibi membra sine viro. *Lucan.* 10, 133. ferro mollita juventus, Atque exsecta virum, *h. e.* castrata. ℙ *Viris, equisque*, omni conatu, proverbialis locutio. V. EQUUS. ℙ In re militari *viri* nonnunquam sunt pedites. *Liv.* 21, 27. Omnibus comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equites virique obtinentes. *Petr. Sat.* 123. passim turmaeque virique, Armaque congesta strue deplorata jacebant. *Sil.* 9, 559. Magna voce trahens equitemque, virosque. Sic *Caes. B. C.* 2, 39. *med.* Multa spolia praeferebantur: capti homines, equitesque producebantur. ℙ *Vir virum legere* similiter in militia dicebatur, cum in acie instruenda duces potestatem faciebaot militibus, ut sibi quisque socium notum sibi, et spectatae virtutis adjungeret, a quo latus sibi tegeretur: vicissimque is ejus tegeret, accenderenturque ambo proprio exemplo ad acrius pugnandum: quod fieri maxime solebat, cum periculum aliquod majus instabat, et cum fortissimo hoste erat congrediendum. *Liv.* 9, 39. Etrusci coacto exercitu, cum vir virum legisset, quantis nunquam antea simul copiis, simul animis dimicarunt. Huc allusit *Cic. Mil.* 21., ubi de comitatu Clodii loquens: Ille, inquit, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Ap. *Virg.* quoque hic mos innuitur *A.* 11, 631., ubi tamen significatur, non socium sibi a milite, comitemque in pugna lectum fuisse, sed delectum destinatumque oculis, et ictibus hostem, in quem irrueret. Verba *Virgilii* sunt: Tertia sed postquam congressi in proelia, totas Implicuere inter se acies, legitque virum vir. Ex *Hom. Iliad.* 4, 472. ἀνὴρ δ' ἄνδρ' ἐδυνοπάλιζεν. ℙ In senatu etiam legendo hic mos est aliquando usurpatus, ut senator senatorem eligeret. *Suet. Aug.* 35. Senatorum affluentem numerum ad modum pristinum redegit duabus lectionibus: prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legit. ℙ Ut *homo*, sic et *vir* loco pronominis ponitur. *Cic. Att.* 9, 18. Vidisti igitur virum, ut scripseras? *Virg. A.* 4, 3. Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos. *Ter. Andr.* 2, 6, 5. Praeter spem evenit: sentio: hoc male habet virum. Adde *Val. Fl.* 1, 30. ℙ *Virum* pro *virorum* apud poetas frequens est.

VĪRĀ, ae, f. femina. V. QUERQUETULANUS.

VĪRĀGO, inis, f. ἀρρενωπὸς, ἀνδρεία, femina, quae animo et robore virum refert, mulier fortis, quae viro similis sit, et virilia opera faciat. *Pl. Merc.* 2, 3, 79. Ego emero matri tuae ancillam viraginem aliquam, non malam, forma mala, *h. e.* robustam, laboris patientem instar viri. *Lactant.* 1, 9. Hercules viraginem vicit, *h. e.* Amazonem. *Sen. Hipp.* 54. Ades en comiti Diva virago, *h. e.* Diana. *Virg. A.* 12, 468. Juturna virago. *Ov. Met.* 2, 765. Huc ubi pervenit bello metuenda virago, *h. e.* Pallas, quae saepe a poetis hoc nomine indigitatur, ut ab eodem *Ov. Met.* 6, 130., a *Stat. Silv.* 4, 5, 23. et *Theb.* 11, 414. et *Capell.* 6, 188. *in carm.*

VĪRĀTUS, a, um, adj. virili animo praeditus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 907. Si non malit vir viratam uxorem Atalantam. Alii leg. *viratiam* eodem sensu. Hinc *Eccli.* 28, 19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, *h. e.* ἀνδρείας, ut legitur in textu Graeco.

VĪRĀTUS, us, m. virtus, constantia virilis, officium, quod a bono viro praestari solet. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. med.* Bono viratu aemulis suis magis prodesse cupiens, quam placere.

VIRBIĀLIS, e, adj. ad Virbium pertinens, ut Virbialis flamen in duab. *Inscr.* ap. *Grut.* 445, 3. et *Mur.* 166, 6. Legitur etiam in duabus aliis ap. *Cor-*

radin. de vet. Latio T. 1. p. 383. et ap. *Vulp.* in eodem opere T. 7. p. 211., eas tamen spurias esse censet *Marin. Frat. Arv.* p. 417.

VIRBĬUS, ii, m. idem qui Hippolytus, filius Thesei. V. HIPPOLYTUS. ℙ Etiam fluvius fuit hoc nomine. *Vib. Sequester de flumin.* Virbius *(fluvius)* Laconices, ubi Hippolytum Aesculapius arte medicinae reddidit vitae, unde et Virbius dictus. ℙ **Virbius clivus* intra Romae moenia fuit, prope vicum Sceleratum. *Liv.* 1, 48. *med.* ℙ *Orbius clivus* audit *Fest. fragm.* p. 16. ed. *Dacier.* et *Dionys. Halic.* unde *Orbium* corrigit *Gronovius* in *Liv. l. c.* Ed. *Stroth.* habet *Urbium.* ℙ Virbius, Laconices fluvius, ubi Hippolytum Aesculapius arte medicinae reddidit vitae, unde et Virbius dictus. Haec *Vib. Sequest. de fluminibus* p. 85. *B. A.*

[VIRDŌMĀRUS et Virdumarus, i, m. Gallorum Insubrium rex, de quo in pugna caeso M. Claudius Marcellus tertia opima spolia Jovi Feretrio consecravit ann. U. C. DXXXII. *Prop.* 4, 10, 39. Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes, Belgica cui vasti palma relata ducis Virdumari, genus hic Rheno jactabat ab ipso, Nobilis e tectis fundere gaesa rotis. *Fast. Triumph. Capitol.* ap. *Grut.* 297. *col.* 2. *f.* M. Claudius M. F. Marcellus spolia opima retulit duce hostium Virdumaro ad Clastidium interfecto. V. OPIMUS. ℙ *Virdomarus* est etiam nomen proprium militis. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 121, 3. Virdomarus Thartontis F. domo Biturix missicius etc. *F.*]

VĪRĔCTUM. V. VIRETUM.

*VIRĔDO, inis, f. color viridis. *Guil. Brito* 10, 699. *B. A.*

VĪRENS, entis, part. a *vireo*, χλοάζων. *Virg. G.* 4, 18. At liquidi fontes, et stagna virentia musco. *Hor. A. P.* 117. Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli. *Id. Od.* 1, 25, 17. Hedera virens. *Virg. G.* 3, 146. mons ilicibus virens. *Mart.* 9, 76. quod *(marmor)* virenti fonte lavit Eurotas, *h. e.* aqua viride marmor faciente. ℙ *Virentia*, absolute, viridia, arbores atque herbae. *Colum.* 1, 5. *f.* Haec perniciem afferunt hominibus, armentis, et virentibus. *Id.* 3, 8. Natura parem legem fecunditatis dixit virentibus, atque hominibus, ceterisque animalibus. ℙ Translate ponitur pro florenti ac vegeto. *Sil.* 1, 60. aevi Flore virens. *Just.* 43, 5. Virium gloria virente florere. *Hor. Epod.* 17, 33. Virens in Aetna flamma, *h. e.* nunquam intermoriens, sed perpetuis vigens ignibus. Alii leg. *urens*, alii *vibrans*, alii *furens*. Hoc postremum probat *Bentl. Stat. Th.* 3, 453. Jam senior, sed mente virens. *Just.* 30, 4. Virens recentibus experimentis virtutis flos, *h. e.* virtus bellica vigens. *Hor. Od.* 1, 9, 17. Donec virenti canities abest, *h. e.* juveni. Sic *ib.* 4, 13, 6. Virens puella. *Ov. Met.* 2, 795. urbem Ingeniis, opibusque, et festa pace virentem, *h. e.* florentem.

VIRĔO, es, ui, n. 2. θάλλω, χλοάζω, viridis sum: a *vis*, seu *vigor*. Nam virent plantae, quae necdum aruerunt, sed in suo sunt vigore. *Cic. Tusc.* 5, 13. Itaque et arbores, et vites, et ea quae sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt, alia semper virent, alia hieme nudata, verno tempore tepefacta frondescunt. *Virg. A.* 6, 206. Fronde virere nova. *Ov. Fast.* 5, 382. Summa *(montis)* virent pinu. *Prop.* 2, 25, 77. Ascraei praecepta poetae, Quo seges in campo, quo viret uva jugo. *Mart.* 6, 42. Illic Taygeti virent metalla, *h. e.* marmor Lacedaemonium viride. *Ov. Met.* 2, 777. Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno. ℙ Translate est vigere, pollere, in vigore esse. *Hor. Epod.* 13, 4. Dum virent genua. *Flor.* 1, 22. Haec est secunda aetas populi Romani, et quasi adolescentia, qua maxime viruit, et quodam flore virtutis exarsit. *Liv.* 6, 22. Exactae jam aetatis Camillus erat, sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus. *Ov. Met.* 9, 266. Utque novus serpens, posita cum pelle senecta, Luxuriare solet, squamaque virere recenti, *h. e.* nitere. *Id. Fast.* 5, 273. cum juvenilibus annis Luxuriant animi, corporaque ipsa virent. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 15. Per fasces numerantur avi, semperque renata Nobilitate virent. ℙ Part. *Vireus* V. in voce praec.

VĪRĔO, onis, m. avis, quae et *chlorion*, Graece χλωρίων, a χλωρὸς, viridis, quia viridis est coloris. *Plin.* 18, 29, 69. E diverso vireonem prodire ipso die solstitii. V. GALBULA.

VĪRES, ium, ibus, f. plur. ἰσχὺς, ἀλκὴ, vis, robur, nervi, latera, facultas: a *vis*. In sing. num. est *vis*, *vi*, *vim*. *Pl. As.* 2, 2, 30. Jubeo, te valere voce summa, quoad vires valent. *Caes. B. G.* 6, 20. Alere vires, confirmare nervos; et *ib.* 7, 50. *f.* Me jam sanguis viresque deficiunt; et *B. C.* 3, 99. *extr.* Cum vires eum lassitudine defecissent. *Nep. Eum.* 11. *extr.* Esse viribus ad laborem ferendum firmis. *Cic. Sen.* 6. *med.* Non viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia; et *ib.* 9. Nec nunc vires desidero adolescentis, non plus quam adolescens tauri et elephanti desiderabam. *Nep. Thras.* 1. In proelii concursu abit res a *(ducis)* consilio ad vires *(corporis)* vimque *(animi)* pugnantium. Alii interpretantur, ad copias, virtutemque. *Caes. B. G.* 1, 53. Perpauci viribus confisi transnatare contenderunt. *Id. B. C.* 1, 52. Militum vires inopia frumenti diminuerat. *Cic. Fam.* 4, 7. Lacertis et viribus pugnare. *Id. Tusc.* 3, 3. Omnibus opibus, viribus elaborandum est; et *ib.* 11. *f.* Omnibus viribus atque opibus repugnandum est. *Id. Or.* 1, 33. Exercere vires in aliqua re. *Ov. Pont.* 1, 10, 33. adimere; et *ib.* 2, 2, 70. alicui facere. *Id. Met.* 4, 150. et *Fast.* 1, 17. dare cuipiam in rem aliquam. *Cels.* 4, 25. recipere. *Sen. Herc. Oet.* 1418. reparare. *Ov. Trist.* 1, 2, 27. capere. *Virg. G.* 3, 209. firmare. *Prop.* 1, 14, 17. infringere. *Ov. Met.* 1, 278. et *ib.* 12, 107. effundere. *Id. Pont.* 1, 7, 51. inhibere; et *ib.* 3, 6, 24. temperare: et *ib.* 1, 4, 3. quasso languent in corpore vires. *Caes. B. G.* 3, 4. et 19. Milites integris viribus; et *Ov. Met.* 10, 658. totis viribus uti. *Virg. A.* 2, 50. Validis viribus hastam contorquere. *Id. ib.* 5, 226. summis adnixus viribus urget; et *ib.* 9, 431. sed viribus ensis adactus Transabiit costas; et *ib.* 10, 811. Audere majora viribus. *Hor. Ep.* 1, 18, 22. Supra vires; et *Cic. Sen.* 9. Quidquid agas, decet agere pro viribus. ℙ Sequente infinito. *Ov. Her.* 1, 109. Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis. ℙ Exempla aliquot hominum prodigiosis viribus habes ap. *Plin.* 7, 20, 19. ℙ *Uti viribus suis*, pro summo jure et potentia facere, vim omnem adhibere. *Sen. Ira* 3, 40. *f.* Fuit Caesari sic castigandus amicus: bene usus est viribus suis. *Petr. Sat.* 108. Usurum me viribus meis, libera voce clamavi, ni abstineret a Gitone injuriam. ℙ Translate *vires reipublicae*, *regni*, *regum*, sunt milites, pecunia, opes, potentia. *Hor. Epod.* 16, 2. Suis et ipsa et Roma viribus ruit. *Caes. B. C.* 3, 57. Praecesse exercitui, ut, praeter auctoritatem, vires quoque ad coercendum haberet. *Just.* 21, 4. Hanno opes suas, quibus vires reipublicae superabat, ad occupandam dominationem intendit. *Id.* 3, 1. Ptolemaeus legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum, *h. e.* exercitum. *Id.* 5, 1. *f.* Cum ad opprimendam unam urbem totius Orientis vires concurrerent. ℙ De rebus inanimis. *Hor. Ep.* 1, 18, 85. Et neglecta solent incendia sumere vires. *Ov. Trist.* 1, 4, 24. Increpuit quantis viribus unda latus! *Sen. Thyest* 588. suae ventis cecidere vires. *Virg. G.* 2, 360. aptare sudes et furcas, Viribus eniti quarum, et contemnere ventos Ediscant vites, *h. e.* firmitate; et *ib.* 1, 86. occultas vires et pabula terrae Pinguia concipiunt, *h. e.* vim gignendi. *Cato R. R.* 61. In radices vires oleae abibunt. *Ov. Met.* 13, 942. has vires habet herba. Sic *Juven.* 12, 41. egregius fons occultis viribus. *Plin.* 36, 16, 25. Magnes sine viribus. *Sen. Q. N.* 7, 4. Plurimum virium habet stella Saturni. *Ov. Trist.* 4, 1, 69. Quam miserum, porta vitam, muroque tueri, Vixque sui tutum viribus esse loci! et *Pont.* 4, 15, 12. Nil opus est legum viribus. ℙ *Vires*, *οἱ ὄρχεις*, quia in his stat gignendi vis, et quia animalis robur servant. *Inscr.* in quibus de taurobolio sermo est, ap. *Grut.* 30, 3. et 5. Vires tauri consacravit, *h. e.* testes tauri mactati. *Alia* de eodem ap. *Mur.* 333, 4. Vires excepit et consacravit. *Alia* de eodem ap. *Fabr.* p. 609. *n.* 79. Loco vires conditae. *Mur. l. c.* id confirmat ex Actis S. Symphoriani, qui occisus est sub M. Aurelio ap. *Ruinart. c.* 6. In cujus *(Berecynthiae)* sacris excisas corporum vires castrati adolescentes infaustae imagini exsultantes illudunt. Adde illud *Arnob.* 5, 158. Suis ipse se viribus, eo, quo fuerat, privat sexu; et p. 163. Ut mero madidaretur multo, et viribus spoliaretur abscissis. Alii tamen in taurobolio *vires* accipiunt pro tauri cornibus, ut *Salmas.* ad *Lampr. Elag.* 7., alii pro sanguine. Simile est illud *Plin.* 11, 18, 19. Apes aculeo adacto fucos postea esse, nec mella facere, veluti castratis viribus. ℙ Vires tanquam Deas cultas fuisse, praecipue a venatoribus, observavit *Gudius* ad *Phaedr.* 1, 11. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 89, 9. Viribus sacrum; et 1011, 1. Dianae et Viribus sacrum, etc. ℙ Denique *vires* saepe referuntur ad animum, ingenium, eloquentiam. *Quint.* 1, 2. *med.* Pueris ordinem dicendi secundum vires ingenii dare. *Cic. Or.* 1, 57. Amentatas hastas oratoris lacertis viribusque torquere. *Mart.* 8, 73. Si dare vis nostrae vires animosque Thaliae. *Plin.* 35, 13, 47. Exercendo juventus nostra corpora vires animorum perdidit.

VĪRESCO, is, n. 3. θάλλω, viridís fio. *Virg. G.* 1, 55. Arborei fetus alibi, atque injussa virescunt Gramina. *Sen. Thyest.* 54. Lauro fores laetae virescant. Adde *Ov. Met.* 4, 394. et *Plin.* 15, 24, 29. ℙ Translate. *Lucr.* 1, 674. De nihiloque renata virescat copia rerum. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 63. prima cum parte viresceret aevi. ℙ *Viresco*, producta prima, significat robur et vires acquirere. *Furius* ap. *Gell.* 18, 11. et *Non.* 2, 912. Increscunt animi, virescit vulnere virtus. *Gell. ib.* hoc verbum probat, *Caesell. Vindex* improbat.

VIRĔTUM, i, n. παράδεισος, locus herbarum, arborumve viriditate amoenus. *Virg. A.* 6, 638. Devenere locos laetos, et amoena vireta Fortunatorum nemorum. ℙ Translate. *Capell.* 1, 18. Diadema, cui neque Scythidis vireta, etc. nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas, *h. e.* smaragdi Scythici, qui sunt gemmae coloris viridis, et quibus nihil omnino viridius comparatum viret, ut ait *Plin.* 37, 5, 16. V. SCYTHIS. ℙ *Virectum* etiam scribitur. *Prud. Cath.* 3, 201. Tunc per amoena virecta jubet Frondicomis habitare locis.

VIRGA, ae, f. ῥάβδος, oblongus ac tenuis ramulus, flagellum, vimen, aut surculus, sive arbori adhaerens, sive recisus: a *vireo*, quasi *viriga*, ut *Vossius* in *Etym.* putat. *Cato R. R.* 101. Virgas murteas si voles cum baccis servare, etc. *Varr. R. R.* 1, 59. *f.* Punica mala, etiam immatura, cum haerent in sua virga, si demiseris in ollam, etc. *Ov. Her.* 11, 76. Ut quatitur tepido fraxina virga Noto. *Id. Met.* 3, 29. specus virgis ac vimine densus. *Id. ib.* 11, 109. *(Midas)* non alta fronde virentem Ilice detraxit virgam. *Plin.* 24, 19, 112. Herba caulem habet virgae ficulneae modo geniculatum. *Id.* 17, 18, 30. *n.* 6. Genistam in siccis semine, salicem in humidis virga seri. *Id.* 19, 10, 58. et 24, 10, 43. virgam sanguineam memorat, quae idem est ac sanguineus frutex; de quo V. SANGUINEUS. *extr. Ov. Met.* 15, 474. volucrem viscata fallere virga. *Virg. G.* 1, 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga. Ap. *eund. ib.* 2, 117. turea virga est ramusculus ex arbore turis resectus: nam commerciis non solum turis lacrima, sed etiam virgae Romam portabantur, ut *Plin.* narrat 12, 14, 31. ℙ De surculo, aut malleolo in insitionibus. *Ov. Met.* 14, 630. fissa modo cortice virgam Inserit, et succos alieno praebet alumno. ℙ De calamo, quo viola, papaver et lilium sustentatur: *gambo del fiore* Itali dicunt. *Id. ib.* 10, 190. Ut si quis violas, riguoque papaver in horto, Liliaque infringat fulvis haerentia virgis. ℙ *Virga* resecta et polita pro bacillo est, et pro verbere. *Juven.* 7, 210. metuens virgae jam grandis Achilles Cantabat patriis in montibus. *Id.* 3, 316. Sed jumenta vocant, et sol inclinat: eundum est. Nam mihi commota jamdudum mulio virga innuit. *Mart.* 9, 23. virga gubernat equum. (Adde *Lucan.* 4, 683.) *Ov. A. Am.* 2, 131. Ille levi virga (virgam nam forte tenebat) Quod rogat: in spisso littore pingit opus. *Liv.* 45, 12. Popillius legatus, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem, etc. (Hanc eandem rem narrant *Vell.* 1, 10. et *Cic. Phil.* 8, 8. et *Plin.* 34, 6, 11., sed hic nomen perperam mutat, et Cn. Octavium appellat, cujus aliam fuisse ac Popillii legationem, constat ex *Cic. Phil.* 9, 2.) *Ov. Fast.* 2, 706. Tarquinius virga lilia summa metit. ℙ *Virga humum verrere* ap. *eund. ib.* 4, 736. est humum verrere scopa ex virgis colligatis composita. ℙ Est praecipuum Mercurii gestamen. *Virg. A.* 4, 242, Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit: Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat: Illa fretus agit ventos, et turbida tranat Nubila. Adde *Hor. Od.* 1, 10, 18. et *ib.* 24, 16. et *Ov. Met.* 1, 671. et *ib.* 2, 735. V. CADUCEUS. ℙ De bacillo magorum. *Virg. A.* 7, 189. Picus equum domitor, quem capta cupidine conjux Aurea percussum virga, versumque venenis Fecit avem Circe. Adde *Ov. Met.* 14, 278. 295. et 300. ℙ Virga, inquit *Serv.* ad *A.* 4, 242., insigne potestatis est: nam ideo ea magistratus utuntur: dicta quod *vi regat*. Hac et vates plerumque utuntur. Et hodieque tam athletarum, quam gladiatorum certamina virga dirimuntur: et praefecti gentium, cum fiunt, virgam accipiunt, et gestant. ℙ In fascibus Romani lictoris virgae erant ex betulla arbore (ut *Plin.* 16, 18, 30. tradit), quibus caedebantur noxii. *Cic. Phil.* 5, 29. *f.* Virgis aliquem ad necem caedere. *Id. Verr.* 2, 5, 62. Hominem nudari, ac deligari, et virgas expediri jubet. *Plin.* 7, 43, 44. Habere jus virgarum in aliquem. ℙ Pulsabantur virga a lictore januae, si quo magistratus accederet. *Liv.* 6, 34. Forte incidit, ut lictor Sulpicii, cum is de foro se domum reciperet, forem, ut mos est, virga percuteret. *Mart.* 8, 66. nobilique virga Vatis *(Silii poetae consulis)* Castaliam domum sonare. ℙ *Virga* pro fascibus, et honore magistratus: singulari numero poetice. *Ov. Trist.* 5, 6, 31. et quos praetexta verendos, Virgaque cum verbis imperiosa facit. *Stat. Silv.* 1, 2, 47. dum fervent agmine postes, Atriaque, et multa pulsantur limina virga, *h. e.* a multis magistratibus aditur domus. *Juven.* 8, 7. multa deducere virga Fumosos equitum cum dictatore magistros. ℙ Praecipue in servos virgis saeviebatur a dominis. *Pl. As.* 3, 2, 28. Ubi saepe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores ulmeis affectus lentis virgis. *Id. Capt.* 3, 4, 117. Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo. *Id. Cas.* 5, 4, 24. Pendentem virgis verberare. *Id. Epid.* 1, 1, 85. dorsum depolire. *Id. Bacch.* 4, 6, 10. lacerare latera. *Id. Men.* 5, 5, 40. sub furca caedere. *Id. Poen. prol.* 26. variare. *Id. Rud.* 3, 4, 27. circumvincire; et *ib.* 53. sauciare. *Id. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 482. ulmeis corpus inscribere. ℙ *Damnatae spongia virgae* ap. *Mart.* 12, 48. est ligno praefixa spongia, qua in latrinis obscena mandabant: de qua et *Sen.* verba facit *ep.* 70. *med.* ℙ *Virga* est in coelo imperfectus arcus, facie quidem picta, sed minime curva: in rectum enim jacet. Fit autem juxta solem fere in urbe humida, et jam se spargente. Itaque idem est in illa, qui in arcu color, tantum figura mutatur. Arcus non fiunt nisi

contra solem: virga non nisi in vicinia solis. Haec *Sen. Q. N.* 1, 9. et 10. ℙ De fuco, quo tinguntur a barbaris corpora. *Ov. A. Am.* 3, 269. Pallida purpureis tingat sua corpora virgis. V. VIRGATUS *f.*

[VIRGAONENSIS, e, adj. ad Albam pertinens, municipium in Hispania Baetica, quod et Virgao dicebatur. *Plin.* 3, 1, 3. Urgao (lege *Virgao*), quae Alba. *Inscr.* ap. *Grut.* 234, 6. ei 249, 3., emendatior ap. *Donat.* T. 1. p. 575. Municipium Albense Virgaonens. *F.*]

*VIRGARĬUS, i, m. qui virgis caedit, virgator. *Gloss. Gr. Lat.* Ῥαβδοῦχος, lictor, virgarius. *B. A.*

VIRGĀTOR, oris, m. ῥαβδίζων, qui virgis caedit. *Pl. As.* 3, 2, 19. Ubi saepe causam dixeris pendens adversus octo audaces viros, valentes virgatores.

VIRGĀTUS, a, um, adj. ῥαβδωτὸς, lineis quasi virgis in longum extensis distinctus, variegatus. *Catull.* 64, 319. Vellera virgati custodibant calathisci, *h. e.* texti e virgis varii coloris. *Virg. A.* 8, 660. Virgatis lucent sagulis, *h. e.* maculis et plagulis in modum retis, et cancellorum distinctis; alio nomine *scutulatis.* Sic *Sil.* 4, 155. Auro virgatae vestes. *Id.* 5, 148. stat sonipes Caucasiam instratus virgato corpore tigrim, *h. e.* pelle maculosa, (*virgatam tigrim* dicunt etiam *Sen. Hipp.* 344. et *Herc. Oet.* 146. et *Claud. Laud. Stil.* 1, 66., *variam* appellat *Sen. Hipp.* 63.) *Val. Fl.* 2, 159. nostrosque toros virgata tenebit, Et plaustro derepta nurus, *h. e.* corpore picto fucata. Quo pertinet illud *Ovidii l. c.* in VIRGA.

VIRGĒTUM, i, n. ῥαβδὼν, locus plantis recentibus consitus. *Cic. Leg.* 2, 8. *f.* Sacerdotes vineta, virgetaque, et salutem populi inauguranto, *h. e.* vineas, et pomaria, oliveta, etc. recens instituenda et conserenda.

VIRGĒUS, a, um, adj. ῥαβδινὸς, ex virgis factus. *Virg. G.* 1, 165. Virgea supellex, *h. e.* vasa ex vimine facta. *Id. A.* 7, 463. flamma virgea, *h. e.* ex virgis accensis facta. *Cato R. R.* 152. Facito scopas virgeas ulmeas aridas. *Colum.* 1, 6. Superpositis virgeis cratibus tegunt. *Id.* 11, 3. Virgea sepes. *Plin.* 15, 29, 37. Virgei anuli ex myrto.

*VIRGI, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in agro Bastitanorum. *Mela* 2, 6. *med. Urci* audit *Plin.* 3. ℙ *Sinum Virgitanum*, ubi sita Carthago nova, meminit *Colum.* 2, 6. *med.* V. *Urci* et *Urcitanus. B. A.*

VIRGĬDĒMĬĀ, ae, f. vox joculariter efficta a *Plauto*, quasi *virgarum vindemia*, apparatus et collectio virgarum ad caedendos servos, *Rud.* 3, 2, 2. At ego te per crura, et talos, tergumque obtestor tuum, si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam, et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali. *Varr.* ap. *Non.* 2, 906. Ideoque scapulae metuunt virgidemiam. Alii scrib. *virgindemiam.*

VIRGĬLĬAE. V. VERGILIAE.

VIRGĬLĬĀNUS, a, um, adj. Ὀυϊργιλιανὸς, ad Virgilium spectans. *Plin. H. praef. med.* Non illa Virgiliana virtute ut certarent. *Quint.* 1, 3. *med.* Habendumque in animo semper illud Virgilianum: supple *carmen*, vel *dictum.* ℙ *Virgilianae sortes*, ῥαψῳδομαντεῖα, Virgilii versus in schedulis descripti, in sitellam conjecti, et inde sorte educti. Tanta enim fuit Virgilii carminum auctoritas, ut divinam voluntatem, et futurorum arcana continere crederentur, et pro sortibus haberentur. Exempla hujus sortilegii habes ap. *Spart. Hadr.* 2., *Lampr. Alex. Sev.* 14. et *Treb. Claud.* 10.

VIRGĬLĬENSIS. V. VERGILIENSIS.

VIRGĬLĬOCENTONES. V. HOMEROCENTONES.

VIRGĬLĬUS, ii, m. Ὀυϊργίλιος, Βιργίλιος. P. Virgilius Maro poeta Mantuanus, filius Maronis, et Majae. De nominis scriptura diversi diversa sentiunt, aliis primam ejus syllabam secunda vocali, aliis tertia scribentibus. Quorum utrique suis quibusdam nituntur rationibus. *Donatus* putat scribendum per *i*, cum in ejus vita tradit, e *virga* nomen accepisse, quam mater ejus ea nocte, quae partum antecessit, in somnio sibi visa est parere, tanta altitudine assurgentem, ut coelum contingeret. In eadem sententia est *Pierius* ad illud *G.* 4, 563. Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope: item *Manut.* et *Cellar.* in *Orthogr.* et qui omnium rationes fuse collegit *Dausquius.* Hos libenter sequimur, quos et usus secutus est. Hisce suffragatur et *Calvi* illud: Id vates, cui virga dedit memorabile nomen Laurea. In Graecis quoque codicibus Βιργίλιος scriptum legimus. Alii, et in primis *Politianus*, a *Vergiliarum* sidere nomen hoc deducunt, ideoque per *e* scribere malunt. Quam sententiam vetustorum aliquot marmorum testimoniis confirmant. Quibus illud accedit, quod ab *Eustathium* quoque in navium Cathalogo, et ap. *Suidam*, Οὐεργίλιος legatur. Sed ad Vergilias stellas quod attinet: dubium est, quomodo hoc ipsum nomen scribendum sit. V. VERGILIAE. ℙ Primum ap. Latinos inter poetas locum obtinet sublimitate, puritate, nitore: ornaturque miris et dignis laudibus ab omnium aetatum scriptoribus. *Auct. dial. de Or.* 13. Virgilius neque apud Augustum gratia caruit, neque apud populum R. notitia. Testes Augusti epistolae: testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte praesentem spectantemque veneratus est, sic quasi Augustum. ℙ Natus est Ande, vico agri Mantuani, ann. U. C. DCLXXXIV. Idib. Octobr., obiit DCCXXXV. ante Christum XIX. aetat. ann. LI. Ejus vitam scripsere inter vetustiores *Donatus*, inter recentiores *Ruaeus*, *Junckerus*, et omnium accuratissime *Heynius.* Scripsit heroico carmine Bucolica, Georgica, Aeneiden, et praeterea opuscula quaedam, Cirin, Culicem, aliaque Catalectorum nomine a grammaticis inscripta. V. MARO.

VIRGĬNAL, alis, n. pudendum muliebre. *Solin.* 1. *med.* Feminis perinde est infausta nativitas, si concretum virginal fuerit. *Prud.* περὶ στεφ. 14, 8. Intactum ab omni crimine virginal. V. *Appul. l. c.* in VERETILLUM. ℙ Etiam in plur. num. usurpatur. *August. Civ. D.* 22, 8. Dominus Iesus per integra virginalia matris enixus.

VIRGĬNĀLIS, e, adj. παρθενικὸς, ad virginem pertinens, virgineus. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Erant aenea praeterea duo signa, non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu. *Gell.* 14, 4. Imago justitiae forma atque filo virginali, aspectu vehementi, etc. *Cic. Quint.* 11. *f.* Homo virginali verecundia. *Vet. Poeta* ap. *eund. Div.* 1, 31. Virginalis modestia. *Cic.* vertens carm. *Sophocl. Tusc.* 2, 8. *med.* ploratus, *h. e.* femineus, mollis, languidus, qualem edere puellae solent. *Pl. Rud.* 3, 4, 43. Feles virginalis, *h. e.* virginum raptor. ℙ *Fortuna virginalis* est Venus puellarum virginum praeses, quemadmodum *Fortuna muliebris* matronarum, quae est Juno. *Arnob.* 2, 91. Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem. *Varr.* ap. *Non.* 2, 926. Et a quibusdam dicitur esse virginis Fortunae simulacrum, ab eo quod duabus undulatis togis est opertum, proinde ut olim reges nostri undulatas, et praetextas togas soliti sunt habere. *August. C. D.* 4, 11. et *ib.* 6, 9. videtur hanc eandem significare, cum *Deam Virginiensem* memorat. Itaque puellae nupturae virginalem ornatum Fortunae virginali suspendebant, ad muliebrem statum transeuntes. Simile quidpiam de Pallade habes ap. *Stat. Th.* 2. a *v.* 251., et de Venere ap. *Pers.* 2, 70. ℙ Ap. *Phaedr.* 4, 14. est *virginale* (subaudi *membrum*) idem ac *virginal.* Huc spectare videtur locus cit. *Augustini* in VIRGINAL.

VIRGĬNĀRĬUS, a, um, adj. ad virginem pertinens. *Pl. Pers.* 4, 9, 14. Sequere hac, scelesta feles virginaria, *h. e.* virginum raptor.

VIRGĬNDĒMĬĀ. V. VIRGIDEMIA.

VIRGĬNENSIS et Virginiensis, is, f. Dea, quae in Gentilium connubiis praeerat zonae prima nocte novae nuptae a marito solvendae. *August. C. D.* 4, 11. et *ib.* 6, 9. V. VIRGINALIS.

VIRGĬNĔUS, a, um, adj. παρθένειος, παρθενικὸς, ad virginem pertinens, virginalis. *Tibull.* 3, 4, 89. Scyllaque virgineam canibus subcincta figuram. *Sen. Med.* 75. Virgineus decor. *Prop.* 3, 12, 2. Virgineum gymnasium, *h. e.* in quo exercebantur virgines apud Spartanos; et *ib.* 11, 30. Virginei calathi. *Id.* 4, 4, 42. Virgineus focus, *h. e.* ignis Vestae. Sic *Ov. Fast.* 4, 731. Virginea ara, *h. e.* ara Vestae. *Mart.* 1, 71. domus, *h. e.* aedes Vestalium. *Ov. Met.* 13, 697. favilla, *h. e.* rogi, in quo virginis cadaver crematum est. *Prop.* 2, 1, 69. Virgineae urnae, *h. e.* Danaidum. *Tibull.* 1, 4, 71. et *Virg. G.* 1, 430. Virgineus pudor. *Val. Fl.* 5, 134. Virgineum bellum, *h. e.* Amazonum. *Hor. Od.* 3, 4, 72. Tentator Orion Dianae Virginea domitus sagitta. *Petr. Sat.* 134. *f.* Virginea sacra, *h. e.* quae fiunt a virgine. *Ov. Met.* 7, 4. Virgineae volucres, *h. e.* Harpyiae, quibus, ut ait *Virg. A.* 3, 216., virginei vultus, foedissima ventris Proluvies, uncaeque manus, etc. ℙ *Virgineum aurum* vocat *Mart.* 9, 24. auream coronam, quae dabatur victori in ludis Minervae: *Virgineum Tritona* appellat *Claud. IV. cons. Hon.* 36. Tritoniden paludem, in qua Minerva nata est. ℙ De aqua Virgine. *Ov. Pont.* 1, 8, 38. Stagnaque et Euripi, Virgineusque liquor. *Id. Fast.* 1, 464. Hic ubi Virginea Campus obitur aqua. ℙ Prosae scriptorem, qui hac voce usus sit, vix invenies. Nam quod affertur ex *Plin.* 28, 7, 23. Si purgatio illa post virginitatem prima sit, aut in virginea aetate spontanea: *Hard.* ex MSS. legit: *aut in virgine aetatis sponte.*

VIRGĬNĬĀ et Virginea, ae, f. virginiam appellabat maritus uxorem suam, quam virginem duxerat; eadem ratione *virginium* uxor maritum suum dicebat, cui virgo ipsa nupsisset. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 31. *n.* LX. Bene merenti virginiae L. Remmiae Servandae L. Calpurnius Rufinus, quae vixit an. XXI. M. VI. D. XIII. *Alia* ap. *Mur.* 1411, 10. Tur. Ingenuae conjugi Cl. Valerius virginiae suae, cum qua vixit Ann. I. M. VIII. V. F. I. *Alia* ap. *Grut.* 932, 8. Arriae Thelesphoridi (*scribendum* Telesphoridi) conjugi virgineae, Q. V. annis XXXXV., fecit Cn. Arrius Abascantus, etc. V. VIRGINIUS. ℙ *Virginiā*, antepaenultima producta, fuit filia L. Virginii centurionis, quam stupro destinatam ab Ap. Claudio decemviro pater in medio foro occidere maluit, quam pati, ut in foedam servitutem abduceretur. Qui mox, adscitis commilitonibus, aggressus decemviros, superbam eorum dominationem oppressit. *Liv.* 2, 44. et seqq. *Juven.* 10, 294. cuperet Rutilae Virginia gibbum Accipere, atque suam (*faciem*) Rutilae dare. *Juven.* videtur hic scripsisse *Verginia*, nam *Id.* eandem syllabam produxit, cum de L. Verginio Rufo Germaniae inferioris legato hae scriberet 8, 220. quid enim Verginius armis Debuit ulcisci magis?

[VIRGĪNIS, e, adj. idem ac virgineus, et translate intactus, novus. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 53. *n.* 309. M. Aurelius Domitianus emit et comparavit locum virginem, etc. *Alia* ap. *eund. ib n.* 307. Columbaria XII., in quibus ollae virgines N. XXIIII., etc. *Alia*, quae nunc in *Mus. Vaticano* est, ap. *Lup. Epit. S. Sev.* p. 159. Septimius Jubenalis 7. Cohort. primae Vigilum, Trala, (*h. e.* tralaticius) XI. Urbanae hoc monimentum virgine, etc. *F.*]

VIRGĪNISVENDŌNĪDES, vox ficta a *Plauto Pers.* 4, 6, 20. qua significatur aliquis virgines vendens.

VIRGĪNĪTAS, atis, f. παρθενία, κοψέλα, castitas et integritas virginis, cui nullum fuit cum viro commercium. *Cic. N. D.* 3, 23. *f.* Quae patrem dicitur interemisse virginitatem suam violare conantem. *Virg. A.* 12, 140. hunc illi rex aetheris altus honorem Juppiter erepta pro virginitate sacravit. *Plin.* 25, 13, 95. Anaxilaus auctor est, mammas a virginitate illitas (*cicuta*) semper staturas. *Val. Fl.* 6, 449. Medea opibus magicis, et virginitate tremenda, *h. e.* terribilis ob virginitatem, qua dilecta erat Hecate magicae artis Deae. *Ov. Met.* 3, 254. de Diana: laudant, dignamque severa Virginitate vocant: scil. quia Actaeonem, qui se nudam vidisset, in cervum mutaverat, et canibus discerpendum objecerat. *Flor.* 2, 6. *med.* Ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. *Stat. Achill.* 1, 292. Virginitas matura toris.

VIRGĪNĬUS, ii, m. virginium appellabat uxor maritum suum, cui ipsa virgo nupsisset. *Inscr.* ap. *Grut.* 1060, 4. Suncia Felicitas Praecilio Marino virginio dulcissimo fecit. *Alia* ap. *eund.* 1143, 3. C. Lusio Lucifero Valeria Justina virginio et conjugi carissimo, etc. *Alia* ap. *Mur.* 815, 1. Fl. Victori Aur. Maura uxor conjugi cariss: quod debuerat virginius virginiae suae fecisse, modo virginia fecit, etc. *Alia* ap. *Fabr.* p. 258. *n.* 86, [emendatior ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2139. T. Aelio Aug. Lib. Titiano marito virginio dulcissimo Fl. Ampelis conjux, etc. V. VIRGINIA. *F.*]

VIRGĪNOR, aris, dep. 1. virginem me esse profiteor, virginem me praebeo. *Tert. Virg. vel.* 12. *extr.* Virginari volunt sola capitis nuditate, uno habitu negantes, quod toto suggestu profitentur.

VIRGO, inis, f. παρθένος, κόρη, femina integra, et virum non experta: cui *mulier* opponitur, quae scil. virum passa. Alii a *vira* deducunt, vel per syncopen a *virago:* alii ab aetate viridi; ita ut *virigo* prius, mox *virgo* per syncopen. *Quint.* 6, 3. Cicero objurgantibus, quod sexagenarius virginem duxisset, Cras mulier erit, inquit. *Cic. Or.* 19. Casta, verecunda, incorrupta virgo. *Caes. B. C.* 2, 4. Omnium seniorum, matrumfamiliae, virginum precibus et fletu excitati. *Sall. Cat.* 50. *med.* Quae victis acciderent, enumeravere: rapi virgines pueros, etc. *Colum.* 12, 4. *med.* His necessarium esse pueri, vel virginis ministerium, per quos promantur. *Nep. Ep.* 3. *med.* Virginem nubilem collocare. *Mart.* 3, 58. Grandes virgines. *Hor. Od.* 1, 21, 1. tenerae. *Id. ib.* 3, 2, 8. Adulta virgo. *Sil.* 7, 459. bellica, *h. e.* Pallas. *Ov. Heroid.* 18, 117. Virginis aequor, *h. e.* Hellespontus. *Id. Fast.* 6, 383. Saturnia virgo, *h. e.* Vesta. *Id. Met.* 12, 28. et *Mart.* 10, 92 Dea, *h. e.* Diana. *Ov. Pont.* 2, 2, 82. Tempora Phoebea virgine nexa tulit, *h. e.* lauro, in quam versa est Daphne virgo a Phoebo dilecta. ℙ Per antonomasiam *virgines* sunt Vestales. *Cic. Cat.* 3, 4. *f.* Qui esset decimus annus post virginum absolutionem. Adde *Hor. Od.* 1, 2, 27. ℙ De Fortuna virgine V. in VIRGINALIS. ℙ De bestiis feminis, quibus nondum mares admissi. *Plin.* 28, 9, 41. Sanguis equarum virginum. *Stat. Th.* 12, 357. virginis ira leae. *Mart.* 13, 56. vulva de virgine porca. *Plin.* 28, 4, 10. Virgines carnes. *Arnob.* 7, 224. buculae. Adde *Pall.* 1, 35. *f.* ℙ Tribuitur et rebus inanimis, intactis et integris. *Plin.* 33, 3, 15. Qui terram virginem nactus plurimum argenti, aurique eruisse dicitur, *h. e.* quae fodientem non est passa. *Mart.* 1, 67. Secreta quaere carmina, et rudes curas, Quas novit unus virginis pater chartae, *h. e.* libelli nondum editi, lective auctor. *Tert. Jejun.* 6. Virgo saliva, *h. e.* jejuni hominis. *Id. adv. Valent.* 5. senecta, *h. e.* caelebs. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 53. *n.* 308. Hoc monumentum virginem comparaverunt. ℙ Interdum *virgo* dicitur de ea, quae virum passa est, et quae peperit. Notat enim non tam integritatem, quam viridem aetatem, et sexum, ut illo *Virg. A.* 1, 497. de Penthesilea: audetque viris concurrere virgo. *Id. Ecl.* 6, 47. et 52. Virginem dicit Pasiphaen trium filiorum matrem. *Sil.* 3, 435. eam, quae ab Hercule vitiata fuerat. *Just.* quoque 1, 3. et *Curt.* 5, 1. de corruptis usurpasse videntur. ℙ Ecclesiastici scriptores tribuunt etiam viris conjugii et Veneris expertibus. *Tert. Virg. vel.* 8., *Hie*

ron. 1. *adv. Jovin. n.* 4., *ep.* 22. *n.* 21. et *Paul. Nol. carm.* 22, 2., quibus adde *Inscr.* ap. *Spon. de reb. Lugdun. c.* 3. ℙ *Aqua virgo*, una ex iis, quae per aquaeductum urbem Romam influebant, nomen ex eo habuit, quod quaerentibus aquam militibus puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquae modum invenerunt. Aedicula fonti apposita hanc originem pictura ostendit. Ita *Front. Aquaed.* 10. cui potius credam, quam *Plinio* obiter scribenti 31, 3, 25. ideo sic appellari, quia juxta sit Herculaneus rivus, quem refugiat; vel aliis affirmantibus ita dici, quod sit purissima omnium; vel aliis, quod gelidissima. *Mart.* 6, 42. Cruda Virgine, Martiaque mergi. *Id.* 7, 32. Sed curris niveas tantum prope virginis undas. *Ov. A. Am.* 3, 385. Nec vos Campus habet, nec vos gelidissima Virgo. Adde *Sen. ep.* 83., *Stat. Silv.* 1, 5, 26. et *Mart.* 11, 47. et 14, 163. ℙ Est hoc nomine unus ex duodecim Signis coelestibus in Zodiaco, inter Leonem et Libram, constans XVIII. stellis: quae dicitur fuisse Erigone Icarii filia, de qua V. suo loco. Alii dicunt Jovis et Themidis filiam esse, alii Astraei et Aurorae, et eandem ac Astraeam seu Justitiam faciunt: quae aurea mundi aetate cum hominibus versata sit, invectis postea omne genus sceleribus, in coelum aufugerit. Alii tradunt esse Fortunam, alii Cererem, alii denique filiam Apollinis ex Chrysothemi, et infantem Parthenon appellatam: quae quod parva interierit, a patre in coelum translata sit. Quae omnia docentur ab *Hyg. Astron.* 2, 25. et *ib.* 3, 24. Pingitur virginis habitu, spicas aliquot dextra tenens, sinistra caduceum. Quam in dextera manu stellam habet, majorem et clariorem reliquis, spicam vocant. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. *extr.* Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo. ℙ De Astraea est illud *Virg. Ecl.* 4, 6. Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.

VIRGOSUS, a, um, adj. virgis abundans. *Pall.* 1, 24. Frutex virgosus. Plerique putant haec duo verba *Palladii* non esse. *Isid. Or.* 17, 9. *f.* Spartus frutex virgosus sine foliis.

VIRGŬLA, ae, f. *ῥαβδίον*, parva virga. *Cic. Phil.* 8, 8. Cum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit. *Colum.* 3, 13. *med.* In cujus latere virgula prominens ad eam altitudinem. *Nep. Thras.* 4. Corona facta duabus virgulis oleaginis. *Sen. Q. N.* 1, 7. Virgula vitrea striata, vel pluribus angulis in modum clavae tortuosa, *h. e.* id, quod Itali *il prisma* vocant. *Manil.* 2, 289. normalis virgula, *h. e.* linea. ℙ *Virgula divina*, proverbii speciem habet, quo utimur, quoties aliquid non humana ope, sed numinis alicujus favore contigisse, volumus significare. Antiquitas enim existimavit, quemadmodum in anulis, ita et in virgis ferendis aliquam fatalem, seu magicam inesse virtutem. Adagium autem natum videri potest potissimum ab illa virga, quam *Homerus* Palladi tribuit, adeo celebri, ut de ea Antisthenes Cynicae sectae conditor librum conscripserit, eam cum baculo conferens. Nota est etiam ex *Virg. A.* 7, 190. *virga Circes*, ejusque vis. *Cic. Off.* 1, 44. *f.* Quod si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur. ℙ Citatur *Varro* in *Virgula divina* ap. *Non.* 17, 1. et alibi, ut appareat, hunc fuisse titulum alicujus ex *Menippeis*. ℙ *Virgula censoria*, brevis linea, quae appingitur vocis alicujus ex scriptura delendae gratia: v. gr. grammatici in recensendis auctorum scriptis virgulam seu obelum adscribebant iis locis, qui minus placerent: similiter censores, si quem ex albo senatorio eradi volebant, ejus nomen in senatorum laterculo virgula signabant. *Quint.* 1, 4. Judicium, quo ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros, qui falso viderentur inscripti, submovere, etc. V. OBELUS. ℙ Est etiam idem ac accentus. *Capell.* 3, 62. Acutus accentus notatur virgula a sinistra parte in dextram ascendente; gravis autem a sinistra ad dextram descendens (*corr.* descendente). ℙ Est item cogn. R. V. VIRGULINA.

VIRGŬLĀTUS, a, um, adj. virgulis distinctus, virgatus. *Plin.* 9, 33, 52. de concharum generibus: Jam distinctione virgulata, crinita, crispa, etc.

[VIRGŬLĪNĂ, ae, f. derivativ. a virgula. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 176. Ti. Claudius Professus Niger Deo Moritasgo porticum testamento poni jussit suo nomine, Juliae Virgulinae uxoris, et filiarum Claudiae Professae, et Julianae Virgulae. *F.*]

[VIRGULTOSUS, a, um, adj. V. v. sq. *F.*]

VIRGULTUM, i, n. *βλάστημα, φρύγανον*, multitudo virgarum pullulantium: a *virgula*, quasi virguletum, simili syncope, ut a *carice* dicitur carectum, a *salice* salictum. *Colum.* 11, 2. *f.* Si regio virgultorum ferax est, fieri debent corbes ex vimine. *Caes. B. G.* 3, 18. *extr.* Sarmentis virgultisque collectis, quibus fossas Romanorum compleant, ad castra pergunt. *Virg. G.* 2, 346. quaecumque premes virgulta per agros, Sparge fimo pingui. *Id. Ecl.* 10, 7. Dum tenera attondent simae virgulta capellae. *Liv.* 1, 14. Partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis jussit. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Argei fiunt e scirpeis virgultis: simulacra sunt hominum triginta. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 18. Ergo haec deserta via, et inculta, atque interclusa jam frondibus et virgultis relinquatur. ℙ Adjective *Virgulta vallis*, virgultis obsita. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 3, 516. Consedit in valle virgulta nemorosaque. Ubi *Servius:* Virgulta pro virgultosa. *Sil.* 12, 354. Virgulta tegitur valle, ac frondentibus umbris. Alii leg. *occulta*.

VIRGUNCŬLA, ae, f. *παρθενισκάριον*, parva virgo. *Front. Aquaed.* 10. Puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquae modum invenerunt. V. VIRGO. *Juven.* 13, 40. tunc cum virguncula Juno. *Sen. Q. N.* 1. *f.* Libertinorum virgunculae. Adde *Petr. Sat.* 18. et 20. *Inscr.* ap. *Mur.* 1689, 9. Julia C. L. Aphe virguncula annorum XI.

VĪRĬA, ae, f. *ψέλιον, περιχείριον*, ornamentum brachii, armilla ex ebore, auro, et gemmis, vel alia quapiam pretiosa materia, proprium virorum gestamen, quamquam et feminis tributum legitur. (Vocis etymon V. in VIRIOLA.) *Tert. Pall.* 4. *med.* Sicuti vestigia caestuum viriis occupavit, ita et endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit. Alii leg. *viriolis*. *Plin.* 33, 3, 12. Viriolae Celticae dicuntur, viriae Celtibericae.

VĪRĬĀTĪNUS, a, um, adj. a Viriato, ut Viriatinum bellum, *Suet. Galb.* 3. Fuit enim Viriatus vir Lusitanus, calliditatis acerrimae, qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator factus, universam Lusitaniam occupavit. V. *Flor.* 2, 17. *f.*, *Vell.* 2, 1. et 90., *Epit. Liv.* 52. et 54., *Val. Max.* 9, 6. *n.* 4. et *Just.* 44, 2. et LUSITANUS. ℙ Scribitur etiam *Viriathus*, *Viriathinus:* etenim Graece *Οὐριάθος*, et *Οὐριαθος*.

VĪRĬĀTUS, a, um, adj. *χραταιὸς, εὐσθενὴς*, validus, homo magnarum virium. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 903. Contra flagitium, nescire bello vinci a barbaro viriato Annibale. Adde alium locum *Varronis* ap. *Non. ib.* 907., quem vide in VIRATUS, a, um. ℙ De Viriato Lusitano V. in v. praec.

VĪRĬCA, ae, f. genus teli. *Massur. Sabinus* ap. *Gell.* 10, 15. Virica surculum de arbore felici habet. Loquimur de flaminica Diali, atque eam in telo, quod gestat, habere surculum, seu ramulum de arbore felici. Ita interpretari videntur, qui ita legunt: nam alii rectius *in rica* pro *virica*.

VĪRĬCŬLAE, arum, f. plur. vires infirmae, et extenuatae: diminut. a *vires*. *Appul. Met.* 11. Nam et viriculas patrimonii peregrinationis attriverant impensae, *h. e.* tenues facultates.

VĪRĬCŬLUM, i, n. videtur esse genus scalpelli, aut alterius ferramenti ad insculpendum, aut excavandum apti, idem ac cestrum. *Plin.* 35, 11, 41. Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat, cera, et in ebore cestro, id est viriculo, donec classes pingi coepere.

VĪRĬDANS, antis, part. a *virido*: *χλωρίζων*, idem ac virens, seu viridis. *Virg. A.* 5, 539. Sic fatus cingit viridanti tempora lauro. *Id. ib.* 388. Proximus ut viridante toro consederat herbae. *Plin.* 37, 8, 34. Viridantium *(gemmarum)* plura sunt genera. *Id.* 8, 32, 50. Viridans hedera. *Claud. VI. cons. Hon.* 561. Membraque gemmato trabeae viridantia cinctu, *h. e.* fulgentia, fortasse ob smaragdos insertos. *Sen. Hipp.* 1036. Caerulea taurus colla sublimis gerens, Erexit altam fronte viridanti jubam: *viridanti* dicit, quia viridis color marinis rebus tribuitur (V. VIRIDIS.): hic enim de tauro, monstro marino contra Hippolytum immisso a Neptuno, sermo est. ℙ Active, viridem faciens. *Val. Fl.* 6, 136. Thyrsageten nexas viridantem floribus hastas.

VĪRĬDĀRĬUM, et Viridiarium, ii, n. *παράδεισος, ἀλωά*, locus virentibus arboribus, herbisque amoenus. *Cic. Att.* 2, 3. Cyrus ajebat viridariorum *διαφάσεις* latis luminibus, non tam esse suaves. Alii rectius pro *viridariorum* leg. *radiorum*. *Petr. Sat.* 9. *extr.* Cujus eadem ratione in viridario frater fui, qua nunc in diversorico puer est. *Suet. Tib.* 60. Militem praetorianum, ob surreptum e viridario pavonem, capite punivit. *Plin.* 18, 2, 2. Contemptis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *med.* Praedium viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amoenas habens, Alii leg. *viridiaria*. ℙ Differunt *viridaria*, et *viridia:* illa sunt loca virentibus plantis consita, ut dictum est: haec ipsae, quae ibi sunt, arbores, atque herbae virentes. Quare quod ait *Cels.* 1, 2. *med.* Ambulatio in umbra, quam parietes, aut viridaria efficiunt: *Morgagnius* monet, *viridia* in duob. cod. MSS. haberi, atque ita in aliis multis *Leon. Targa*. Videntur tamen interdum etiam *viridaria* plantas significare. *Jabolen. Dig.* 33, 7, 26. Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra aggesta est, et in his viridaria posita. Alii leg. *viridiaria*. Adde locum *Celsi* allatum, si *viridaria* retineas, quod in multis editionibus legitur. ℙ Est quoque sepulcrum subdivale seu cenotaphium. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 225. *n.* LXII. A. Dulpius A. L. Cerdo in viridiario ollas VI. (V. aliam *Inscr.* tres, continentes monum. ollas VI. (V. aliam *Inscr.* tres, continentes monum. ollas VI. (V. aliam *Inscr.* tres, continentes monum.

etc. Et *ib.* 9, 32. de Acheloo: rejeci viridem de corpore vestem. *Virg. Ecl.* 7, 12. Hic viridis tenera praetexit arundine ripas Mincius. Adde *Stat. Theb.* 9, 354. ℙ Translate refertur ad juventam, vigorem, robur. *Colum. praef. med.* Defectissimum annis et viribus in agrum relegat, cum istud opus viridem aetatem cum robore corporis ad labores sufferendos desideret. *Stat. Theb.* 11, 741. qualis leo rupe sub alta, Quem viridem quondam silvae, montesque tremebant, Jam piger et longo jacet exarmatus ab aevo. *Ov. Trist.* 4, 10, 17. Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo. *Virg. A.* 5, 295. Euryalus forma insignis, viridique juventa. *Id. ib.* 6, 304. de Charonte: Jam senior, sed cruda Deo viridisque senectus. *Plin. ep.* 7, 24. Octogesimo aetatis anno decessit, usque ad novissimam valetudinem viridis, *h. e.* vigens, et succi plena, ut plantae virentes. *Val. Fl.* 1, 76. tu sola animos mentemque peruris Gloria: te viridem videt, immunemque senectae Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem. *Stat. Theb.* 3, 212. bello viridis manus, *h. e.* aetate florentes, et bello idonei. *Sil.* 1, 187. Hinc virides ausis anni, fervorque decorus. Alii leg. *animi*, sed minus recte. Loquitur enim de Annibale juvene. Aptius esset, si de sene loqueretur, ut *Sen. ep.* 66. *in.* Senex, sed mehercule viridis animo ac vigens. *Sil.* 5, 569. in arma Ille quidem cruda mente, et viridissimus irae Ibat: sed vani frigentem in Marte senectam Prodebant ictus, *h. e.* plenus irae atque impetus; et 3, 255. Consilio viridis, sed belli serus Ilertes. ℙ *Viridis*, recens. *Pers.* 3, 22. maligne respondet viridi non cocta fidelia limo. *Colum.* 7, 8. Caseus si tenui liquore conficitur, quam celerrime vendendus est, dum adhuc viridis succum retinet. *Id.* 12, 47. *med.* Haec maxime nota etiam post annum repraesentat viridem saporem olivarum. *Quint.* 12, 6. Fructum studiorum viridem, et adhuc dulcem promi decet, dum et venia, et spes est, et audere non dedecet, etc. ℙ De colore vivido, et vegeto. *Id. decl.* 10, 5. Non ille pallens, nec acerbo languore consumptus, sed viridis, et sane pulcher habitu. ℙ De sono. *Gell.* 2, 3. H litteram inserebant veteres plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior, vegetiorque. *Id.* 13, 20. *med.* Firmior ei, credo, et viridior sonus esse vocis visus est *rectos* dicere *cupressos*, quam *rectas*. ℙ *Viridum* pro *viridium* in genit. plur. *Stat. Th.* 2, 279. viridumque draconum Lucentes a fronte jubas.

VĪRĬDĬTAS, atis, f. χλωρότης, color viridis. *Cic. Sen.* 15. Terra semen tepefactum vapore, et complexu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem. *Id. ib.* 16. *med.* Pratorum viriditas. *Plin.* 37, 5, 20. maris. ℙ Translate accipitur pro fortitudine, et flore illo aetatis, quem ἀκμὴν vocant Graeci *Cic. Tusc.* 3, 31. Sed quamdiu in illo opinato malo vis quaedam insit, et vigeat, et habeat quandam viriditatem, tamdiu appelletur recens. *Id. Am.* 3. *med.* Senectus aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio.

VĪRĬDO, as, a. 1. viridem facio. *Ov. Hal.* 90. Num vada subnatis imo viridentur ab herbis. V. *Val. Fl. l. c.* in VIRIDANS, part. s. l.

VĪRĬLIO, onis, m. dimin. virilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 384, 7. Q. Campilius Q. F. Virilio. *Alia* ap. *eund.* 481, 7. L. Valerius Virilio.

VĪRĪLIS, e, adj. ἀνδρεῖος, ad virum pertinens: ut *muliebris*, *femineus* ad feminam. *Sall. fr.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Magna gloria concurrentium undique virile et muliebre sexus. *Liv.* 1, 3. *f.* Amulius stirpem fratris virilem interimit. *Nep. Ag.* 1. Si is virilem sexum non reliquisset. *Ov. Met.* 4, 382. Vox virilis; et *ib.* 1, 412. facies. *Id. A. Am.* 1, 282. flamma, *h. e.* amor viri in mulierem. *Id. Met.* 3, 403. Viriles coetus; et *ib.* 8, 392. Discite, femineis quid tela virilia praestent. *Cato* apud *Gell.* 10, 3. In balneis virilibus lavari, *h. e.* ubi soli lavantur viri. *Vitr.* 6, 10. *med.* Virilia convivia, *h. e.* in quibus feminae non intersunt. *Cic. Phil.* 2, 18. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. *Virilis toga* erat toga pura, vestis communis civium Rom. quam, praetexta deposita, induebant viri anno aetatis decimo sexto vel inchoato, vel expleto, ut tanquam viri inter viros versari inciperent: cum ante id tempus domi contineri, et sub paedagogis esse solerent. ℙ *Fortuna virilis*, Τύχη ἀνδρεία, Romae aedem habuit in ripa Tiberis (ut *Dionys. Halic.* docet 4, 27.) positam a Ser. Tullio. Eo conveniebant mulieres K. April., positoque velamine tus eidem adolebant, atque adeo supplicabant, ut vitium omne nudi corporis tegeret, celaretque viros; quod ipsa Fortuna virilis praestare credebatur, ut constat ex *Ov. Fast.* 4, 145. et sqq. V. *Verr. Flacci l. c.* in GRATIA. ℙ *Virile genus* apud grammaticos. *Gell.* 1, 7. et 4, 1. et 11, 1. etc. ℙ *Virilis pars* est penis, τὸ αἰδοῖον. *Lucr.* 6, 1207. Vivebant ferro privati parte virili. ℙ Item unus e testiculis. *Colum.* 7, 11. Cum virilem partem unam ferro resectam detraxeris, alterum quoque testiculum educito. ℙ *Virilia* absolute, τὰ αἰδοῖα ἀρσενικά, quae et *virilitas* dicitur. *Petr. Sat.* 108. et *Plin.* 20, 16, 61. et *ib.* 22, 89. etc. Quo pertinet illud *Lampr. Elag.* 8. *f.* Diligenter curatum est, ut ex tota urbe monobelos quaereretur; sic eos appellabant, qui viriliores videbantur, *h. e.* majori peculio instructi. ℙ Translate est fortis, strenuus, virum decens, minime effeminatus, aut mollis. *Cic. Fin.* 2, 14. *extr.* Veretur quidquam aut facere, aut loqui, quod parum virile videatur. *Id. Or.* 3, 59. Laterum inflexio fortis ac virilis, non ab scena et histrionibus; et *ib.* 1, 54. Illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. *Id. Tusc.* 3, 10. Stoicorum sententiis utendum, qui maxime forti, et, ut ita dicam, virili utuntur ratione atque sententia. *Id. Att.* 14, 21. Acta illa res est, animo virili, consilio puerili. *Sall. Cat.* 21. Quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, nobis rem familiarem deesse? *Sen. Med.* 267. Cui feminea nequitia, ad audendum omnia virile robur est. *Inscr.* optimae notae apud *Gud.* p. 148. *n.* 5. Almiae Sabinae matri virilissimae, piis. etc. *Just.* 2, 12. *f.* Ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres. *Ov. Fast.* 2, 847. animi matrona virilis. *Tac. H.* 1, 72. Virilia scelera exercere. ℙ *Virilia*, res viro dignae. *Sall. in or. Macr. Licin. ad pleb. med.* Ne vos ad virilia illa vocem, quae majores vestri paravere. ℙ *Pars virilis*, virile officium. *Hor. A. P.* 176. ne forte seniles Mandentur juveni partes, pueroque viriles. ℙ Item *pars virilis* est id, quod unus vir agere potest, vel debet, ut *pars civilis*, quae cujusque civis propria est. V. CIVILIS. *Cic. Verr.* 2, 4, 37. *f.* Est aliqua mea pars virilis, quod ejus civitatis sum, quam ille amplam claramque reddidit, et *ib.* 5, 3. *extr.* Qui plus etiam, quam pars virilis postulat, pro voluntate populi R. oneris ac muneris suscipere debeam; et *Liv.* 6, 11. Cum illius gloriae pars virilis apud omnes milites sit, qui simul vicerint: suae victoriae neminem omnium mortalium socium esse. Hinc *pro virili parte*, pro eo quod officii mei est; minime vero idem est ac *pro viribus*, pro eo quod meae vires valent, ut perperam quidam interpretantur. *Cic. Phil.* 13, 4. Me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto, *h. e.* non solum privato homine, sed etiam pro ipsa republica, cum non solum privato mihi, sed etiam reipublicae profuerit. *Id. Sex.* 66. Haec qui pro virili parte defendunt, optimates sunt: et *Liv.* 3, 71. *f.* Quem agrum miles pro parte virili manu cepisset, eum senex quoque voce, qua una posset, vindicaret. (Adde 10, 8.) *Ov. Trist.* 5, 11, 23. Jure igitur laudes, Caesar, pro parte virili Carmina nostra tuas qualiacumque canunt. ℙ *Pro virili portione*, idem *Tac. A* 45. *med.* Tanquam pro virili portione innocentiam principi donares. *Id. H.* 3, 20. Ut pro virili portione, armis ac manu, victoriam dux juverit; ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum. *Quint. decl.* 3, 12. Miles, cui pro virili portione salutem suam patria commisit. *Lactant.* 2, 7. *s. in.* Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam. Adde *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 17. ℙ Dici solet passim etiam *pro virili*, absolute. Exempla ego nondum vidi. ℙ *Virilis portio*, aut *pars* dicitur a JCtis pars hereditatis, quae viritim heredibus distribuitur, quibus bonorum possessio contra tabulas testamenti data est, praeter legata et fideicommissa. *Ulp. Dig.* 37, 5, 8. Virilis portio quomodo accipienda sit, videamus. Pone, duos esse, qui contra tabulas bonorum possessionem accipiant, unum esse ex liberis parentibusque: virilis tertia erit portio: sed si tres sint, quarta erit virilis. *Paul. Sen.* 3. *tit.* 2. Si unius patroni duo sint liberti, et alterius quatuor, singuli viriles, id est aequales portiones habebunt. *Ulp. Dig.* 37, 5, 8. *f.* Cum dotis nomine legatum est, non puto ad virilem uxorem nurumve redigendam. *Papin. ib.* 31, 1, 79. Viriles autem inter eos fieri, qui eo tempore vixerint, cum de aliis eligendi potestas non fuerit. ℙ *Pars virilis*, et *hereditaria* differunt. *Pomp. Dig.* 30, 1, 54. *f.* Si pars heredum nominata sit in legando, viriles partes heredes debent: si vero omnes, hereditarias, *h. e.* pro portione, qua quis heres est institutus. *Cajus ib.* 66. Heredes non pro hereditaria portione, sed pro virili id legatum habere possunt. *Id. Inst.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 70. Javolenus ait, tantum eam partem ex S. C. (*Largiano*), liberos patroni pro virilibus partibus habituros esse, quam extranei heredes ante S. C. lege Junia habituri essent; reliquas vero partes pro hereditariis partibus ad eos pertinere. Adde *Mart. ib.* 111. *f.* et *Nerat. ib.* 121. et *Jul. ib.* 28, 6, 30. ℙ Interdum *virilis* appellatione etiam totam hereditatem contineri, ait *Ulp. ib.* 50, 16, 145. *h. e.* cum decesserint, aut hereditatem repudiaverint, qui in liberti testamento pro virili parte heredes erant, ejus patronus loco pro virilis partis totam consequitur hereditatem.

VĪRĪLĬTAS, atis, f. ἀνδρεία, vires et robur viri proprium. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 2. Senatusconsulto cautum est, ne quis in Urbe, propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas, propria Romanae gentis, nota esset. *Plin.* 33, 12, 54. Jam vero paedagogia ad transitum virilitatis custodiantur argento, *h. e.* pubertatis, qua puer fit generationi idoneus. ℙ Translate. *Quint.* 1, 8. *med.* Sanctitas certe, et, ut sic dicam, virilitas a veteribus Latinis petenda, quando nos in omnia deliciarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione, defluxerimus. ℙ *Virilitas* dicuntur etiam τὰ αἰδοῖα ἀρσενικά, virilia. *Hirt. B. Alex.* 70. *med.* Neque interfectis amissam vitam, neque exsectis virilitatem restituere posse. Adde *Plin.* 7, 4, 3., *Mart.* 9, 7., *Tac. A.* 6, 31., *Quint.* 5, 12. *med.* et *Ulp. Dig.* 48, 8, 4. *f.* ℙ De bestiis. *Colum.* 6, 26. Juvencus non in totum effeminatur adempta omni virilitate. *Plin.* 23, 1, 23. Utiliter fovetur vino calido virilitas jumentis.

VĪRĪLĬTER, adv. ἀνδρικῶς, fortiter, et magno animo. *Cic. Tusc.* 2, 27. Itaque barbari quidam, et immanes ferro decertare acerrime possunt, aegrotare viriliter non queunt. *Id. Off.* 1, 27. *med.* Quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignum viro, et decorum videtur. *Sen. Br. V.* 6. *med.* Omnes isti (*avari*, *iracundi*, etc.) virilius peccant; in ventrem ac libidinem projectorum inhonesta labes est. *Hor. Ep.* 1, 17, 38. Viriliter facere. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Polycletus fecit et Doryphorum, viriliter puerum. *Ov. Fast.* 1, 479. Fortuna viriliter, inquit, Ista ferenda tibi est. *Auct. ad Her.* 4, 11. Genus dicendi, quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmate, neque viriliter sese expedire. *Sen. Controv.* 5, 33. *f.* Hanc sententiam Latro Porcius virilius dixit.

VĪRĬOLA, ae, f. dimin. viriae, exigua viria, id est parva armilla. *Isid. Or.* 19, 31. Armillae proprie virorum sunt, collatae victoriae causa militibus; unde et quondam vulgo viriolae dicebantur. *Ulp. Dig.* 18, 1, 14. Ut puta coheredes viriolam, quae aurea dicebatur, pretio exquisito uni heredi vendidissent, eaque inventa esset magna ex parte aenea. *Scaevola ib.* 34, 2, 40. Funerari me arbitrio viri mei volo, et inferri mihi quaecumque sepulturae meae causa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, et viriolas ex smaragdis. V. VIRIA.

VĪRĬOSĒ, adv. a viribus deductum, significat fortiter, valide. *Tert. Anim.* 19. *med.* Vitis si quid attigerit, ultro ambit, et quidem viriosius de suo ingenio, quam de tuo arbitrio.

VĪRĬOSUS, a, um, adj. viribus validus, δυναμικός. *Tert. adv. Valent.* 16. *med.* Vitia usu viriosa. ℙ Item venenatus, exitialis: a *virus*. *Appul. Met.* 7. Spinae punctu venenato viriosae. Alii leg. *virosae*. V. hunc eundem locum in *Virosus*. ℙ Item libidinosus, virum appetens: prima brevi: a *vir*. *Appul. Met.* 9. Mulier scaeva, saeva, viriosa, ebriosa, pervicax. Alii rectius leg. *virosa*. V. VIROSUS.

VĪRĬPLĀCA, ae, f. Dea apud Romanos, quae praeerat jurgiis et litibus sedandis inter virum et uxorem. *Val. Max.* 2, 1. *n.* 6. Quoties inter virum et uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deae Viriplacae, quod est in Palatio, veniebant, et ibi invicem locuti, quae voluerant, contentione animorum deposita concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris fertur assecuta.

VĪRĪPŌTENS, entis, adj. ὡραῖα γάμου, nubilis, viro matura. *Labeo Dig.* 24, 1, 65. Quod vir ei, quae nondum viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo. *Papinian. ib.* 35, 1, 99. Nondum viripotens puella diem suum obiit. Adde *Scaevolam ib.* 26, 7, 58. ℙ Item viribus potens, prima producta. *Pl. Pers.* 2, 3, 1. Jovi opulento, incluto, supremo, valido, viripotenti.

VĪRĪTĀNUS ager dicitur, qui viritim populo distribuitur. *Paul* ex *Festo*.

VĪRĪTIM, adv. κατ' ἄνδρα, καθ' ἕνα, ἕκαστον, per singula capita, in viros, singillatim. *Paul.* ex *Festo:* Viritim dicitur dari, quod datur per singulos viros. Cato: Praeda quae capta est, viritim divisa. *Suet. Tib.* 76. Dedit et legata militibus universis, plebique R. viritim, atque etiam separatim vicorum magistris. *Cic. Brut.* 14. *f.* Qui legem de agro Gallico viritim divendo tulerit. *Caes. B. G.* 7, 71. *f.* Pecus viritim distribuit. *Hirt. B. Alex.* 65. *f.* Praemia benemeritis et viritim, et publice tribuit. *Tac. A.* 1, 8. Cohortibus civium R. trecenos nummos viritim dedit. *Pl. Ps.* 1, 5, 26. Dispertire aliquid populo viritim. *Tac. A.* 11, 24. Ut non modo singuli viritim, sed terrae gentesque in nomen nostrum coalescerent. *Nep. Paus.* 1. Cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat. *Plin.* 6, 7, 7. Populi viritim deleti, *h. e.* ad unum omnes. *Sil.* 17, 478. praesens adstare viritim Creditur intento perculsis Juppiter igni, *h. e.* singulis. ℙ Separatim, seorsum. *Colum.* 1, 9. *med.* Nec viritim malfactum deprehenditur, quod fit a multis. *Sen. Q. N.* 5, 7. In universum de ventis diximus: nunc viritim incipiemus illos discutere. *Curt.* 7, 4. *f.* Si quis viritim dimicare vellet, provocavit ad pugnam. *Plin.* 4, 12, 26. Domus iis nemora, et Deorum cultus viritim, gregatimque. *Sall. Jug.* 53. *med.* Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui. *Tac. A.* 3, 43. Ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis, *h. e.* nondum publice et universim conspiraverant, sed multi pro se quisque privato studio. *Hor. Ep.* 2, 1, 91. quid haberet, Quod

legeret, tereretque viritim publicus usus. Adde *Sen. Ben.* 7, 6. et 7.

*VIRODŪNUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae, ad Mosam flumen, hodie *Verdun. Anton. Itin.* ℙ *Vereduna* audit *Venant. Fortun.* 3, 27. *B. A.*

VĪROR, oris, m. viriditas, color viridis, *χλωρότης. Pall.* 7, 12. Hordeum semimaturum, cui adhuc superest aliquid de virore, per manipulos ligabis. *Vopisc. Prob.* 19. Circus ad silvae consitus speciem gratia novi viroris effronduit. *Appul. Flor. n.* 10. Pratorum virores.

VĪROSUS, a, um, adj. *φιλανδρος*, viri appetens, sicut *mulierosus*, mulieris appetens. *Scipio African.* ap. *Gell.* 7, 12. Qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 80. vetulam atque virosam Uxorem caedam potius, quam castrem egomet me. *Afran. ib.* Virosa non sum, et si sum, non desunt mihi, Qui ultro dent; aetas integra est, formae satis. *Appul. Met.* 9. Mulier scaeva, saeva, virosa, ebriosa. ℙ Item (prima producta) *δυςώδης*, foetidus, graveolens, qui est mali odoris, vel mali saporis: a *virus*, quod modo venenum, modo ingratum odorem significat. *Cato R. R.* 157. *med.* Et, si mulier eo lotio locos fovebit, nunquam virosi fient. *Scrib. Comp.* 103. Virosissimum adversus stomachum medicamentum. *Id. ib.* 163. Virosi odoris sordes. *Cels.* 2, 21. Virosi pisces. *Grat. Cyn.* 355. Virosa eluvies, *h. e.* urina. *Virg. G.* 1, 58. At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus (*mittit*) Castorea. Constat enim castoreum foedi et exsecrandi odoris esse, adeo ut praegnantes ejus olfactu ejiciant fetum. *Servius* tamen ibi interpretatur aut fortia, aut venenata. Alii exponunt medicamentosa: qua ratione etiam *Nemes.* videtur usurpasse in *Cyn.* 223. Disce igitur potus medicos, curamque salubrem: Tunc virosa tibi sumes, multumque domabis Castorea, attritu silicis lentescere cogens. Quamquam nihil vetat, hoc quoque loco pro foetido accipere. *Appul. Met.* 1. Spinas acerrimas, et punctu venenato virosas, tortili modo in fascem constrictas, caudae meae pensilem deligavit cruciatum. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 5, 7. *f.* Aures virosa susurronum faece completae.

*VIROVESCA, ae, opp. Hispaniae Tarraconensis, in agro Autrigonum. *Plin.* 3, 3. *Anton. Itin. B. A.*

*VIRTA, ae, oppidum Mesopotamiae. *Ammian.* 20, 7. *extr. Vales.* (al. 18.) *B. A.*

VIRTŪOSĒ, adv. cum virtute. *Inscr.* ap. *Grut.* 807, 3. Quae multis cum sudoribus matura aetate vixit virtuose. (Eruditi spuriam existimant.)

VIRTUS, utis, f. *ἀρετή*, cujusque rei vigor, bonave dispositio, quae rem, cui inest, in genere bonam perfectamve, ejusque operationem excellentem reddit. *Cic. Inv.* 2, 53. Virtus est animi habitus naturae modo rationi consentaneus. *Id. Leg.* 1, 8. *med.* Est autem virtus nihil aliud quam in se perfecta, et ad summum perducta natura; et *Acad.* 1, 5. *med.* Quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturae. ℙ De ejus origine ita *Cic. Tusc.* 2, 18. *f.* Atqui vide, ne, cum omnes rectae animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab ea una, quae ceteris excellat, omnes nominatae sint. Appellata est enim a viro virtus: viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis, dolorisque contemptio. ℙ Differt autem plurimum a probitate. Unde *Ovidius* probitatem in uxore agnoscit: at requirit virtutem, quia non auderet pro marito apud Augustum, aut Liviam intercedere. Ita enim scribit *Pont.* 3, 1, 93. Nota tua est probitas, testataque tempus in omne: Sit virtus etiam non probitate minor. *Cic. Fam.* 13, 28. Est in eo virtus et probitas, et summum officium, summaque observantia. *Sall. Cat.* 52. Virtus atque sapientia major in illis fuit. ℙ Saepe etiam accipitur pro fortitudine militari, et latius pro animi constantia in periculis, et rebus adversis. *Caes. B. G.* 1, 2. Perfacile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. *Nep. Reg.* 2. Siculus Dionysius cum virtute tyrannidem sibi peperisset, etc. *Virg. A.* 2, 390. dolus an virtus, quis in hoste requirat? *Ov. Trist.* 3, 11, 23. Subruere est arces, et stantia moenia virtus. ℙ In malam partem ferocia, feritas. *Stat. Th.* 9, 4. quin te, Divum implacidissime (quamquam Praecipuum tunc caedis opus, Gradive, furebas) Offensum virtute ferunt. *Id. ib.* 11, 1. Postquam magnanimus furias virtutis iniquae Consumpsit Capaneus. ℙ Per synecdochen usurpatur de quacunque hominis perfectione, tam corporis, quam animi, sed praecipue animi. *Cic. Fin.* 5, 13. *f.* Ita fiet, ut animi virtus corporis virtuti anteponatur. *Id. Phil.* 4, 5. *f.* Omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam demoveri loco. ℙ In hac acceptione virtutes animi sive mentis varie dividuntur: sed de his V. philosophos. *Cic. Off.* 1, 15. Ut quisque maxime his virtutibus leniioribus erit ornatus, modestia, temperantia, justitia. *Id. Mur.* 10. *f.* Aliis ego te virtutibus continentiae, gravitatis, justitiae, fidei, ceteris omnibus, consulatu dignissimum judicavi. *Id. Font.* 13. Qui tanta virtute atque integritate fuit, ut solus Frugi nominaretur. *Id. in Sen.* 3. Singularis et praestantissima virtus. *Id. Dom.* 15. Vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus. *Ov. Pont.* 3, 1, 115. Quae (*Livia Aug.*) praestat virtute sua, ne prisca vetustas Laude pudicitiae saecula nostra premat. ℙ Per catachresin dicitur etiam de bestiis, de plantis, de lapidibus, et aliis rebus, pro ea vi, qua res, cujus est virtus, perfecta redditur: pro vi, facultate, proprietate rei unicuique insita. *Cic. Leg.* 1, 16. Nam nec arboris, nec equi virtus (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. *Quint.* 4, 2. *med.* Sunt quidem hae, quas supra retuli, virtutes aliarum quoque partium *orationis. Pl. Mil.* 3, 1, 130. Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat. *Cic. Brut.* 17. In Catonis orationibus omnes oratoriae virtutes reperientur. *Id. Or.* 2, 27. *extr.* In quo oratoris vis illa divina, virtusque cernitur. *Cato R. R.* 1. Praedium solo bono, sua virtute valeat. *Ov. Met.* 14, 356. si non evanuit omnis Herbarum virtus. *Liv.* 37, 24. Momento temporis et navium virtus, et usus rei maritimae terrorem omnem Rhodiis dempsit. *Just.* 11, 14. *f.* Cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute quaeratur. *Prop.* 3, 15, 20. Virtus Bacchi; et *Curt.* 9, 7. Pugil nobilis, et ob eximiam virtutem virium pernotus, *h. e.* praestantiam. ℙ Aliquando etiam accipitur pro ope, auxilio. *Pl. Mil.* 3, 1, 81. Deum virtute eundem hospitio accipiam. ℙ Nonnunquam pro merito, seu praestantia. *Pl. Most.* 1, 3, 17. Virtute formae id evenit, te ut deceat, quicquid habeas. ℙ De miraculo (quod frequens est in sacris Bibliis) *Sulpic. Sev. Hist. sacr.* 1, 43. *med.* Ut si cujus hostiam missus coelo ignis absumeret, rata esset religio, quae virtutem edidisset. ℙ Proverbii loco est illud *Hieron. in Ruf.* 3, 2. Quin potius habeo gratiam, quod facis de necessitate virtutem. Hinc Itali nunc *far delli necessità virtù* dicunt. ℙ Ab antiquis Dea putata est, cui templum dedicavere. Virtutis autem templum cum aede Honoris conjunctum fuit, ita ut in hanc non nisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt, veram unicamque parandi honoris viam esse virtutem. *Cic. N. D.* 2, 53. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum; et *ib.* 31. Ob eamque causam majorum institutis Mens, Fides, Virtus, Concordia consecratae, et publice dedicatae sunt. Adde *Juven.* 1, 115. et *Liv.* 27, 25., et 29, 11. *f.* ℙ *Virtutium* pro *virtutum*, ut *civitatium*, *parentium*, et alia. *Paul. Nol. carm.* 10, 52. Magister hic virtutium. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (edente *Angelo Maio*) 2, 28. ℙ *Virtus Julia* cognominatum est Itucci, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

VIRŪLENTĬA, ae, f. idem ac virus, hoc est nativus cujusque rei, vitalisque succus, aut humor. *Tert. Apol.* 8. Panis quo sanguinis virulentiam colligas. Alii leg. *jurulentiam.* ℙ Item foetor, graveolentia. *Sidon. ep.* 8, 14. *med.* Hircorum vos obtulisse virulentiam Christus sibi computat.

VIRŪLENTUS, a, um, adj. *ἰώδης*, qui est plenus veneno. *Gell.* 16, 11. Ut serpentium virulentorum domitores sint.

[VIRUNENSIS, e, adj. ad Virunum pertinens, Norici oppidum, ad Dravum fluv., nunc *Volckmarck*; illius mentio est ap. *Plin.* 3, 24, 27. Hinc *Virunenses, ium*, absolute sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Mur.* 2052, 2. C. Publicius Virunensium Lib. Asiaticus. *F.*]

VĪRUS, i, n. *χυμὸς*, succus nativus et vitalis cujusque rei. Vox est mediae significationis, ut docet *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 129., et tam de salubri, quam de noxio succo dicitur, ut *venenum*, *valetudo*, etc. Fere autem usurpatur de crassis, lentis, ac viscidis humoribus: et plurali numero omnino caret. *Colum.* 2, 14. Obesse solo virus ciceris, et lini: alterum, quia sit salsae; alterum, quia sit fervidae naturae. *Plin.* 19, 5, 27. Pastinacae virus intractabile. *Id.* 30, 6, 15. Virus cochlearum. *Stat. Silv.* 1, 4, 103. jungam ipse manus, atque omne benigne Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis, Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi. ℙ De semine animalis. *Plin.* 9, 50, 74. de piscib. Nec satis est generationi per se coitus, nisi editis ovis interversando mares, vitale asperserint virus. *Id.* 28, 11, 48. Virus verrinum e scrofa exceptum. Adde *Virg. G.* 3, 281. ℙ Saepissime dicitur de succo noxio et venenato. *Plin.* 34, 17, 48. Stannum illitum aeneis vasis compescit aeruginis virus. *Id.* 8, 22, 34. Amatorium virus, *h. e.* amorem inducens. *Virg. G.* 3, 419. coluber Pestis acerba boum, pecorique aspergere virus; et *ib.* 1, 129. Ille malum virus serpentibus addidit atris. *Ov. Trist.* 3, 10, 64. Nam volucri ferro tinctile virus inest. *Cic.* in *Arat.* 436. Mortiferum in venas figens per vulnera virus. *Mart.* 7, 12. Vipereum virus. ℙ Translate. *Cic. Am.* 23. Is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suae, *h. e.* odium, invidiam, rabiem. *Sil.* 9, 476. nam virus et aestus Flammiferae novi mentis; et 11, 560. virus futile linguae. *Mart.* 13, 2. qui se mirantur, in illos Virus habe, *h. e.* illos carpe, morde, dictis lacera. ℙ Est etiam malus odor, gravеolentia. *Colum.* 1, 5. *med.* Nec paludem vicinam esse oportet aedificiis, quod caloribus noxium virus eructat. *Plin.* 11, 53, 115. Animae leonis virus grave. *Id.* 27, 12, 83. Radix evulsa virus hirci redolet. *Id.* 35, 15, 52. Virus alarum. *Id.* 28, 3, 6. et *ib.* 7, 23. Virus odoris, *h. e.* gravitas. *Lucr.* 2, 852. mixtos in corpore odores, Concoctosque suo contactos perdere viro. *Mart.* 1, 88. olet gravius mixtum diapasmate virus. ℙ Item gravis, asper, et injucundus sapor: v. gr. aquae marinae. *Lucr.* 2, 475. Linquit enim supra tetri primordia viri Aspera. *Manil.* 5, 683. Et pontum coquere, et ponti secernere virus, *h. e.* sal; *mox ib.* 690. venenum vocat. ℙ De sapore acri. *Plin.* 14, 20, 25. Crapula compesci feritatem (*vini*) nimiam, frangique virus: aut, ubi pigra lenitas torpeat, virus addi.

VIS, vis, vi, vim, f. *δύναμις, ἰσχύς*, potentia, vires, nervi, facultas, efficacia, virtus: ab *ἴς, ἰνὸς*, quod tum fibram, tum vires significat. *Cic. N. D.* 3, 76. *extr.* Vis omnis Deorum et potestas. *Caes. B. G.* 4, 17. Contra vim atque impetum fluminis. *Id. B. C.* 2, 14. Vis tempestatis. *Id. B. G.* 6, 27. de uris: Magna vis est eorum, et magna velocitas. *Id. ib.* 4, 3. et 4. Vis hostium. *Cic. Rab. Post.* 15. *f.* frigorum. *Nep. Alc.* 10. *med.* flammae. *Id. Att.* 21. morbi. *Id. Thras.* 1. In proelii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium, *h. e.* impetum et contentionem: *vires* enim a corpore sunt, impetus et contentio ab animo. *Id. Milt.* 5. Summa vi proelium committere. *Cic. Div.* 2, 70. Celeritas et vis equorum. *Id. Coel.* 24. Vim veneni experiri in aliquo. *Id. Or.* 2, 27. Vis illa divina, et virtus oratoris; et *ib.* 1, 31. *med* Oratoris vis ac facultas. *Id. Phil.* 5, 18. Summa vis ingenii. *Id. Mil.* 23. Magna vis est conscientiae in utramque partem. *Id. Off.* 2, 6. Magna vis est in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas. *Id. Or.* 1, 44. Patriae tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam sapientissimus vir immortalitati anteponeret. ℙ Saepe eam vim significat, quae injuria fit, et ab hominibus infertur, *βία*. In *S. C.* ap. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Ut qui non discessissent, ea poena, quae est de vi, tenerentur. *Cic. Sext.* 17. Vim vi repellere. *Id. Mil.* 4. Cum vi vis illata defenditur. *Vell.* 2, 45. *f.* Vitae suae vim intulit. *Ter. Eun.* 4, 7, 37. et 5, 5, 21. Edico tibi, ne vim facias ullam in illam. *Cic. Caecin.* 14. *med.* Hoc interdicto Aebutius non tenetur, quod vis Caecinae facta non est, (*h. e.* interdicto, quod JCti appellant *Unde vi.* Ait enim praetor ap. *Ulp. Dig.* 43, 15, 1. Unde tu illum vi dejecisti, aut familia tua dejecit, de eo, etc.) *Venulej. ib.* 43, 18, 4. Vim facere, quo minus aliquid fiat. *Cic. Caecin.* 21. *extr.* et *Verr.* 2, 1, 24. et *ib.* 2, 4, 66. *med.* alicui afferre. (quod interdum est idem ac occidere, ut ap. *Nep. Dion.* 10.) *Id. Off.* 3, 30. *med.* et *Cat.* 1, 8. adhibere; et *ib. med.* et manus inferre cuipiam. ℙ *Vi*, et *per vim*, vi adhibita, *βίᾳ, κατὰ κράτος. Cic. Att.* 7, 9. *f.* Tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu, sed a te ipso per vim et factionem datos. *Caes. B. G.* 1, 14. Quod eo invito iter per provinciam per vim tentassent. *Ter. Eun.* 4, 6, 14. Haec ea est, quam miles a me vi nunc ereptum venit. *Id. ib.* 2, 3, 27. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas. *Inscr.* seu *lex Thoria*, ap. *Grut.* 202. *lin.* 18. Quod neque vi, neque clam, neque precario possederit. (*Vi, clam, precario*, formula est, qua comprehenduntur inhonesti tituli possidendi aliquid. *Donat.* ad *l. c.* Haec tria sunt, quibus non rite res agitur, et mala fide aliquid possidetur. Adde *Cic. Caecin.* 32. et *Ulp. Dig.* 41, 1, 22. Justum titulum admiscet *Hor. Ep.* 2, 2, 173. Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema Permutet dominos.) *Sall. Cat.* 10. Populi ingentes vi subacti. ℙ In re obscena *vim afferre, parare, pati* saepe ap. *Ov.* V. etiam *A. Am.* 1, 673. et 679. etc. ℙ Quae est ab homine vis, duplex est, privata, et publica: haec est, quae armatis hominibus coactis committitur: illa, quae sine armis. Cautum enim fuit lege Julia, ne quis privatus armis uteretur, excepta itineris vel venationis causa: qui contra faceret, et in vi adhibenda armis usus esset, non pro privato, sed pro publico homine se gessisse censebatur, eaque vis publica dicebatur. *Mart. Dig.* 48. *tit.* 6. qui est *de vi publica* 1., *Ulp. ib.* 2. et *tit.* 7. qui est *de vi privata*, 5. et *Justin. Institut.* 4. *tit.* 14. *f.* ℙ *Ita vis est*, formula querentis cogi se, et invitum agi. *Caesar* ap. *Suet. Caes.* 82. Deinde clamantem, Ista quidem vis est, alter Cassius adversum vulnerat infra jugulum. *Pl. Capt.* 3, 5, 92. Vis haec quidem hercle est, et trahi, et trudi simul. Adde *Ter. Ad.* 5, 8, 20. ℙ Metonymice *vis* est ictus, quo vis affertur. *Virg. A.* 3, 242. Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo Accipiunt. *Caes. B. G.* 3, 13. Naves totae factae ex robore, ad quamvis vim et contumeliam perferendam. ℙ Praeterea *vis* dicitur violentia et calamitas, quae de coelo venit. Ea quoque duplex est, *major*, et *minor*. De his ita *Plin.* 18, 28, 69. *n.* 1. Ante omnia autem duo genera esse coelestis injuriae, meminisse debemus. Unum quod tempestates vocamus: in quibus grandines, procellae, ceteraque similia intelliguntur: quae cum acciderint, vis major appellatur. Haec ab horridis sideribus exeunt, vel-

uti Arcturo, Orione, Haedis. Alia sunt illa, quae silente coelo, serenisque noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt. Publica haec, et magnae differentiae a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero sterilitatem. Haec *Plin.* qui de satis, et cultu agrorum tantum eo loco verba facit. Sed latius patet, et ad alia quoque vis haec coelestis refertur, incendia nempe, terrae motus, aut labes ingentes, vim aquarum, morborum pestilentiae: et dicitur etiam a JCtis *vis magna*, *divina*, *naturalis*, et *cui resisti non potest*, *Θεοῦ βία*. *Cic. Planc.* 42. Si vitam mihi sors ademisset, aut aliqua vis major reditum peremisset. Adde *Sen. Ben.* 4, 39. *extr.* et *Colum.* 1, 7. ℙ Saepe *vim* dicimus naturam, substantiam, formam, rationem intimam cujusque rei. *Cic. Am.* 4. *med.* Id, in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. *Id. Or.* 31. *f.* Eloquentiae vim et naturam explicemus. *Id. Off.* 1, 6. Ex quatuor locis, in quos honesti naturam vimque divisimus. *Id. Fin.* 1, 16. Justitia semper alit aliquid vi sua atque natura, quod tranquillet animos. *Varr. R. R.* 3, 2. *extr.* Villaticae pastionis vim formamque exponere. *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Philosophi mihi soli videntur vim virtutis tenere. *Hor. Od.* 4, 4, 33. Doctrina vim promovet insitam. ℙ *Vis* et *natura verborum* ap. *Cic. Or.* 32. *f.* est sententia, sensus, significatio. Sic *Fam.* 6, 2. *med.* Quae vis insit in his paucis verbis, si attendes, intelliges. *Id. Balb.* 8. *f.* Haec vis est istius et juris, et verbi, ut, etc. *Id. Dom.* 20. *f.* Quae est quasi alia vis, quae sententia Caeciliae legis, nisi, etc.? *Id. Top.* 8 *med.* Cum ex vi nominis argumentum elicitur. *Caes.* ap. *Suet. Vit. Terent. f.* Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis. ℙ In aliis quoque rebus efficaciam, potestatem, vires significat. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Has litteras velim existimes foederis habituras esse vim, non epistolae. *Id. Div.* 1, 33. *extr.* Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare coeperit; et *ib.* 2, 20. *extr.* Herbarum causas ignorare, vim et effectum videre. *Julian. Dig.* 13, 25, 12. Nulla vis est hujus conventionis, ut rem alienam domino invito possidere liceat. *Ulp ib.* 10, 4, 1. Haec actio perquam necessaria est, et vis ejus in usu quotidiano est. ℙ *Vis*, genitale virus, semen animalis, *σπέρμα*. *Tac. A.* 6, 28. *med.* Phoenicem struere nidum, eique vim genitalem affundere, ex qua fetum oriri. *Arnob.* 5, 164. Cum vis illa telluris cooperta est gremio. V. LUCILIUS. ℙ Denique pro multitudine, numero, copia, abundantia ponitur. *Cic. Fam.* 7, 18. *f.* Vis maxima ranunculorum. *Id. Har. resp.* 11. Vis innumerabilis servorum. *Id. Tusc.* 5, 32. In pompa cum magna vis auri argentique ferretur. *Virg. A.* 4, 132. et odora canum vis. ℙ Et absolute. *Id. Prov. cons.* 2. *f.* Gentes eae, quae, ut pace uterentur, vim argenti dederant praeclaro nostro imperatori. *Id. Somn. Scip.* 3. Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi. ℙ In genit. et dat. sing. *Auct. dial. de or.* 26. *med.* In magna parte librorum suorum plus vis habet, quam sanguinis. *Ulp. Dig.* 4, 2, 1. Detracta est vis mentio. *Paul. Sentent.* 5. *tit.* 30. Vis publicae reus. *Hirt. B. Afr.* 69. Equitibus suis hostium vi oppositis. ℙ In plur. num. *Messala* ap. *Macr. Sat.* 1, 9. Duas vis dispares colligavit. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 707. Male jam assuetum ad omnes vis controversiarum. V. HIR. *Lucr.* 2, 586. multas vis possidet in se. Adde 3, 266. ℙ Quidam putant *vires* hinc descendere: alii negant. ℙ Ut *Virtus*, sic et *Vis* Dea est, eademque ac Juno. *Auson. Idyll. de Deis*, 12, 4. Et soror, et conjux fratris regina Deum Vis. *Servius* ad illad *Virg. A.* 7, 432. Coelestum vis magna jubet: Aut per definitionem, inquit, ipsa Juno est vis Deorum; aut per augmentum suasit. Ap. *Hyg. praef.* est Pallantis gigantis et Stygis filia, Scyllae, Invidiae, Potestatis, etc. soror. Adde *Hesiod. in Θεογον. v.* 385.

[VISĀBUNDUS, a, um, adj. qui facile visitur. *Auct. Itin. Aiex. M.* (ed. *A. Maio*) 57. Tum locum diligit (*h. e.* deligit) tendendo, ubi hostis visabundus erat. *F.*]

VISĀLIS. V. VISULIS.

*VISCARĬUM, i, n. viscus. *Hieronymus:* Si cum viris feminae habitent, non deerit viscarium diaboli. V. *Novarin. Adag. Eccles.* T. 1. p. 380. *B. A.*

*VISCARĬUS, i, m. auceps. *Gloss. Cyrill.* Viscarius, *ἰξευτός*. *B. A.*

VISCĀTUS, a, um, part. ab inusit. *visco*, visco oblitus. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* Quos columbarii interficere solent, duabus virgis viscatis defixis in terram, inter se curvatis. *Ov. A. Am.* 1, 391. Non avis utiliter viscatis effugit alis. ℙ Translate. *Plin. ep.* 9, 30. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere, *h. e.* quibus majora captantur, quam quae dantur. *Sen. ep.* 8. Viscata beneficia devitare. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 271. et 428. Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet: Crede mihi, auferet omnia. ℙ *Viscatum*, *i*, absolute pro virga visco illita. V. QUINQUIFIDUS.

VISCELLĀTUS, a, um, adj. ex visceribus avium pisciumque conditus, aut confectus. *Plin. Val.* 1, 24. Pisces viscellati; et 2, 17. *med.* Viscellatus pulus. Alii utroque loco corruptam lectionem putant.

*VISCELLAE, arum, vel

*VISCELLI, orum, opp. Norici. *Tab. Peut. B. A.*

*VISCELLĪNUS, i, m. Sp. Cassius Viscellinus, regni affectati crimine damnatus, cui plus suspicio concupitae dominationis nocuit, quam tres magnifici Consulatus ac duo speciosissimi triumphi profuerunt. Nam S. P. Q. R. non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superjecit. *Liv.* 2, 41. *Cic. Amic.* 11. *in. Flor.* 1, 26. *Val. Max.* 6, 3. *B. A.*

VISCĔRĀ. V. VISCUS, eris.

VISCĔRĀTIM, adv. *κατὰ σπλάγχνα*, per singula viscera. *Enn.* ap. *Non.* 2, 880. Dissipat visceratim membra.

VISCĔRĀTĬO, onis, f. *κρεωδαισία*, epulum, quod fiebat ex visceribus, sive carnibus immolatis, quae distribuebantur inter eos, qui solemni alicui sacrificio adessent, praecipue in Latinis feriis, vel in funere alicujus excellentis viri. Nam olim, quoties victimam mactabant, vel convivium celebrare moris erat, vel e victima partem ad amicos mittere. Dicta est a visceribus, quo nomine non solum intestina, sed etiam totam carnem sub corio veteres intelligebant. V. ARTOCREAS. *Serv.* in *A.* 1, 215. Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio: ut in Latinis visceratio dabatur, id est caro. V. VISCUS. Hujusmodi epulum describit *Virg. A.* 8, 180. Tunc lecti juvenes certatim, araeque sacerdos Viscera tosta ferunt taurorum, etc. *Cic. Off.* 2, 16. Prodigi, qui epulis, et visceratio nibus, et gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu, pecunias profundunt. *Sen. ep.* 19. *f.* Sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est. *Liv.* 8, 32. Et populo visceratio data a M. Flavio in funere matris. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 242. *n.* 656. M. Valerio M. F. municipes Compitenses veicorum quinque, quod populo visceration*em*, gladiatores dedit, etc. ℙ Viscerationis nomine aliquando sportula nummorum distribuebatur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 21. Promisit municipibus Rudinis HS. $\overline{\text{LXXX}}$. $\overline{\text{N}}$., ut ex redditu eorum die natalis filii sui omnibus annis viscerationis nomine dividatur decurionib. sing. HS. XX. $\overline{\text{N}}$., Augustalibus HS. XII. $\overline{\text{N}}$., etc.

VISCĔRĔUS, a, um, adj. viscera habens. *Prud Apoth.* 1093. cum vas componeret arvo Nondum viscereo. Loquitur de prima hominis e limo compositione, et *nondum viscereum arvum* intelligere videtur terram nondum vitalibus praeditam visceribus, nec animatam.

VISCĬDUS, a, um, adj. idem ac viscosus. *Theod. Prisc.* 1, 2. et 6. Viscidum acetum. *Id. de diaeta* 18. Viscidiores cibi.

VISCOSUS, a, um, adj. *ἰξώδεις*, tenax, glutinosus. *Pall.* 1, 14. Si quod asciae adhaeret, fuerit molle atque viscosum, constat, albariis operibus convenire. *Prud. Hamart.* 824. aves multas viscosus inescat Pastus.

VISCUM, i, n. raro *Viscus*, *i*, m. *ὕφαρ*, *ἰξός*, (ex hac postrema voce Graeca, per metathesin pronunciata *ἰοχὸς*, fit viscus) genus fruticis ex turdorum maxime, et palumborum merdis super arborum quarundam, praesertim roboris, ramos delapsis, et a sole cum humore aliquo fervefactis nascens, et ad cubitalem altitudinem excrescens, et virens etiam per hiemem. Fert acinos crocei, seu aurei, aut fulvi coloris, qui colliguntur messium tempore immaturi: siccantur deinde, et aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt: inde in profluente rursus malleo tusi, amissis corticibus, interiore carne lentescunt. Hoc est viscum pennis avium tactu ligandis, oleo subactum, cum libeat insidias moliri. Haec ex *Plin.* 16, 44, 94., ubi et alia in hanc rem. Addit etiam, Druidas Gallorum nihil habere visco, et arbore, in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. *Id.* 24, 4, 6. persequitur ejus utilitates in medicina. *Virg. A.* 6, 205. Quale solet silvis brumali sidere viscum Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos, Et croceo fetu teretes circumdare truncos. *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* Provisum etiam, ut siqua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhaerescceret. *Val. Fl.* 6, 263. Illa (*avis*) dolis, viscoque super correpta sequaci Implorat ramos, atque irrita concitat alas. ℙ Habebat usum etiam in fucis inficiendo corpori. *Juven.* 9, 13. nullus tota nitor in cute, qualem Praestabat calidi circumlita fascia visci. *Plin.* 24, 4, 6. tradit, viscum cum resina et cera mitigare panos omnis generis. *Seren. Samm.* 4, 54. contra canitiem docet uti Resina ex facili cera viscoque coacta. Potest tamen ap. *Juven.* intelligi quicumque fucus viscosus et tenax. ℙ Translate. *Pl. Bacch.* 1, 1, 16. Viscus merus vestra est blanditia. *Id. ib.* 5, 2, 39. Tactus sum vehementer visco, *h. e.* amore irretitus sum. ℙ Si *Nonio* 6, 20. credimus, ponitur etiam pro rete. *Varro ib.* et 1, 113. Lepusculi timentes hoc quadrangulum Dedunt se in rete nexile, aut Viscum, sagenam, lineamque compedem. Huc trahi posse videtur illud *Virg. G.* 1, 139. Tum laqueis captare feras, et fallere visco. Sed locus *Varr.* aliter ab aliis legitur. *Virg.* autem tum venationem, tum aucupium complexus est. Certe proprio sensu *viscum* posuit *Mart. Spect.* 11. Praeceps sanguinea dum se rotat ursus arena, Implicitam visco perdidit ille fugam. Male *Non.* 2, 888. fallere visco, *h. e.* inquit, tractu visceris: nempe carnis, cujus odore trahuntur ferae in laqueos. ℙ ℙ Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 109, 1. L. Vibius Visci L. Nymphodotus. *Hor. Sat.* 1, 10, 83. haec utinam Viscorum laudet uterque, *h. e.* ambo Visci fratres.

VISCUS, eris, n. *σπλάγχνον*, intestinum quodcumque in corpore animalis. *Cels. praef. med.* Itaque demum mortui praecordia, et viscus omne in conspectum latrocinantis medici dari. *Quint. decl.* 1, 14. *f.* Assiduus visceris pulsus, *h. e.* cordis. *Lucr.* 3, 720. Unde cadavera rancenti jam viscere vermes Exspirant? *Tibull.* 1, 3, 75. Tityus Assiduas atro viscere pascit aves, *h. e.* jecore. (Adde *Val. Fl.* 7, 359.) *Sen. Hipp.* 818. tela tepido viscere condita. *Id. Herc. Oet.* 1249. Quaecumque pestis viscere in nostro lates. *Ov. Met.* 6, 290 trahens haerentia viscere tela; et *ib.* 15, 364. de putri viscere passim Florilegae nascuntur apes. *Lucan.* 3, 657. eliso ventre, per ora Ejectat saniem permixtus viscere sanguis. ℙ Distinguitur ab intestino: *viscus* enim de superioribus dicitur, quae sunt cor, pulmones, jecur, lien, et renes, (quibus addunt alii ventriculum: quia carnosa sunt: *viscus* autem etiam de carne dicitur, ut mox ostendam) *intestinum* de inferioribus. *Cels. praef. med.* Neque enim, cum dolor intus incidit, scire, quid doleat, eum, qui qua parte quodque viscus, intestinumve sit, non cognoverit. *Id.* 4, 11. A visceribus ad intestina veniendum est. *Id.* 7, 9. *n.* 2. Septum transversum a superioribus visceribus intestina discernit. ℙ Sed hoc discrimen passim negligitur: et *viscera* universim sunt quaecumque in ventre et pectore latent. *Ov. Met.* 12, 389. mediam ferit ense sub alvum. Prosiluit, terraque ferox sua viscera traxit, Tractaque calcavit, calcataque rupit, et illis Crura quoque impediit, et inani concidit alvo; et *ib.* 15, 314. Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit Viscera; et *ib.* 7, 601. tristes penetrant ad viscera morbi. *Sen. Oed.* 191. intima creber viscera quassat gemitus. ℙ De utero. *Id. Med.* 1012. In matre siquod pignus etiamnum latet, Scrutabor ense viscera, et ferro extraham. *Ov. Fast.* 5, 23. jacet illa gravis: jam scilicet intra Viscera Romanae conditor Urbis eras. *Id. ib.* 624. (et *Her.* 11, 42.) Visceribus crescens excutiebat onus. *Ulp. Dig.* 48, 8, 8. Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit. ℙ Hinc et de ipso partu, et de liberis. *Quint.* 6. *prooem.* Infaustum opus, super immaturum funus consumpturis mea viscera flammis injicere. *Ov. Her.* 11, 118. Diripiunt avidae viscera nostra ferae. *Id. Met.* 6, 651. Tereus inque suam sua viscera congerit alvum. Adde *ib.* 10, 465. ℙ De ventre. *Id. ib.* 8, 846. tandem demisso in viscera censu, Filia restabat, *h. e.* devorato patrimonio. Adde *ib.* 15, 88. et *Fast.* 4, 205. ℙ De intestinis siccatis in usum funiculorum. *Claud. Idyll.* 2, 37. cornua subjectis lentescere cogunt Ignibus: intendunt taurino viscere nervos. ℙ De ubere lactente. *Nemes. Cyn.* 138. catulos videbis pugnantes diu, quisnam prior ubera lambat, Distrahere invalidam lassato viscere matrem. ℙ De testibus. *Petr. Sat.* 119. Subripuere viros, exsectaque viscera ferro, etc. *Plin.* 20, 13, 51. Imponunt rutam testium epiphoris, adeo peculiari in visceribus his effectu, ut, etc. ℙ De carnibus. *Virg. A.* 6, 253. Et solida imponunt taurorum viscera flammis. Ubi *Servius:* Non exta dicit, sed carnes: nam viscera sunt quidquid inter ossa et cutem est, unde etiam visceratio dicitur convivium de carnibus factum, ut diximus supra (ad *Aen.* 1, 215. V. loc. in VISCERATIO). Ergo *solida viscera* holocaustum significat, quod detractis extis arae superimponebatur. Haec *Servius.* Confirmat hoc loca *Cic. Tusc.* 2, 8. Cum Herculi Deianira sanguine centauri tinctam tunicam induisset, inhaesisetque ea visceribus; et *ib.* 14. *f.* Spartae pueri sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat. *Virg. A.* 8, 180. Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant. Vescitur Aeneas, simul et Trojana juventus Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis. *Ov. Met.* 15, 88. Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi! *h. e.* carnes animalium in ventrem demitti: quod et *Cic.* dicit *N. D.* 2, 63. *extr.* ℙ Translate dicitur de partibus interioribus, et penitioribus cujuscumque rei. *Virg. A.* 3, 575. de Aetna: scopulos, avulsaque viscera montis Erigit eructans. *Ov. Met.* 1, 138. itum est in viscera terrae, Quasque recondiderat, Effodiuntur opes. *Quint. decl.* 172. *f.* Totus subito in visceribus ipsius urbis hostis apparuisset exercitus. *Cic. Cat.* 1, 13. Periculum residebit, *et* erit inclusum penitus in venis atque visceribus reipublicae. *Id. Tusc.* 4, 11. Permanat in venas, et inhaeret in visceribus id malum. *Id. Phil.* 1, 15. Aderant, et in medullis populi R. ac visceribus haerebant. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Noli me putare *ἐγκελεύσματα* illa tua abjecisse, quae mihi in visceribus haerent. *Id. Or.* 2, 78. *med.* Haec in dicendo non extrinsecus alicunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. *Juven.* 3, 72. Viscera magnarum domuum, dominique futuri. ℙ *Vi-*

scera patriae, ipsi ejus cives. *Virg. A.* 6, 834. Neu patriae validas in viscera vertite vires, *h. e.* ne suscipiatis bella civilia. Sic *Just.* 3, 2. Graecia omnis in duas divisa partes, ab externis bellis, velut in viscera sua, arma convertit; et 13, 6. *f.* Sic Macedonia in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur. ℙ *Viscera aerarii*, pecunia in aerario recondita. *Cic. Dom.* 47. *f.* Cur ille gurges heluatus tecum simul reipublicae sanguinem, ad coelum tamen exstruxit villam in Tusculano visceribus aerarii? Simile est illud *ejusd. Q. Fr.* 1, 3. *med.* Sentio, quid sceleris admiserim, cum de visceribus tuis, et filii tui satis facturus sis, quibus debes, *h. e.* de tuis facultatibus. ℙ *Fuit et Viscus cognomen Romanum, in gente Vibia. *Hor. Sat.* 1, 10, 83. Viscorum uterque, *h. e.* Visci fratres. *B. A.*

[VISELLIUS, a, um, adj. ad Viscllium aliquem pertinens. Hinc *Visellia lex* de libertinis ea sibi sumentibus, quae ingenuorum erant propria: lata fuisse videtur ann. a Chr. n. XXIV. L. Visellio Varrone, et Sex. Cornelio Cethego Coss. Ejus meminere *Impp. Diocl.* et *Maximian. Cod.* 9, 21, 1. et *Ulp. fragm. tit.* 3. §. 5. *F.*]

VISENDUS, a, um, part. a *viso*, θεατὸς, dignus videri, spectabilis, admirandus. *Cic. Vat.* 13. Epulum omni apparatu ornatuque visendo. *Plin.* 16, 44, 91. Vicina luco est ilex, et ipsa nobilis, XXXIV. pedum ambitu caudicis, decem arbores mittens, singulas magnitudinis visendae. *Plin. alter Pan.* 51. Digna populo victore gentium sedes *(Circus)*, nec minus ipsa visenda, quam quae ex illa spectabantur: visenda autem cum cetera specie, tum quod aequatus plebis ac principis locus.

*VISENSE oppidum, in Africa propria. *Plin.* 5, 4. ed. *Hard.* Antea legebatur *Vigense.* ℙ Plenum nomen, ut videtur, Visa. *B. A.*

[VISENTINUS et Vesentinus, a, um, adj. ad Visentium, seu Vesentium pertinens, Etruriae urbem ad lacum Volsiniensem, nunc *Bisenzo*. *Plin.* 3, 5, 8. Vejentani, Vesentini, Volterrani. *Inscr.* ap. *Grut.* 100, 5. Virtuti Visent. (*h. e.* Visentinorum) sacrum. *F.*]

VISIBILIS, e, adj. ὁρατὸς, qui videri potest, sub aspectum cadens. *Appul. de Mundo:* Exhalationes tenues, vixque visibiles. *Id. de Deo Socrat.* Daemonum corpora nulli hominum temere visibilia. *Prud. Apoth.* 146. Visibilis de fonte Deus, non ipse Deus fons Visibilis. ℙ Item videndi facultatem habens. *Plin.* 11, 37, 54. Animo videmus, animo cernimus: oculi, ceu vasa quaedam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt.

VISIBILITAS, atis, f. ratio, qua aliquid visibile est. *Tert. Car. Chr.* 12. *extr.* Quid invisibile ejus fuit, quod visibilitatem per carnem desiderare? *Fulg. Contin. Virg.* p. 750. ed. *Staver.* In picturis est visibilitas, deest sensibilitas.

VISIBILITER, adv. ὀπωπητῶς, palam. *Paul. Nol. ep.* 20. (al. 16.) *med.* Visibiliter, et invisibiliter operaris salutem nostram: invisibiliter nos aedificas in orationibus tuis, visibiliter autem nobis operaris in fabricis Ecclesiarum. *F.*]

[VISIFICUS, a, um, adj. qui visionem praebet. *Theod. Prisc.* 4, 2. *f.* In visu sensifica virtus in similitudinem radii per visificas vias irruit. *F.*]

VISIO, is, n. 4. peditum ventris sine crepitu emitto. *Lucil.* ap. *Non.* 11, 46. visire minutim Per commissuras rimarum nocti nigrore. *C. J. Ch. Reuvensius* in *Collect. litter.* p. 17. ita locum corrigit ex MS. Paris. *dic, quam cogat tussire minutim* etc., et putat, hic sermonem haberi de adultero viro, aut uxore, qui, vel quae tussiret, ut signum daret, de quo inter adulteros convenerat.

VISIO, onis, f. ὄψις, actus videndi, visus. *Appul. de Mundo:* Ignes pernicitate sui dicto citius nostrae visioni occurrunt; et *Met.* 8. Civitas cuncta vacuatur studio visionis; et *ib.* 2. Attonitus repentinae visionis stupore. ℙ Metonymice dicitur de rebus ipsis, quae videntur: ac praesertim de earum imaginibus, seu spectris, quae a Graecis φαντασίαι, et φαντάσματα appellantur. *Macr. Somn. Scip.* 1, 3. Omnium quae videre sibi dormientes videntur, quinque sunt principales et diversitates, et nomina: aut enim est ὄνειρος secundum Graecos, quod Latini somnium vocant; aut est ὅραμα, quod visio recte appellatur; aut est χρηματισμὸς, quod oraculum nuncupatur; aut est ἐνύπνιον, quod insomnium dicitur; aut est φάντασμα, quod Cicero, quoties opus hoc nomine fuit, visum vocavit; et *infra:* Visio est, cum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, eveniet. Amicum peregre commorantem, quem non cogitabat, visus est sibi reversum videre, etc. Distinguit *Macr.* inter *visonem*, et *visum*, ut illa de veris sit, hoc de falsis: sed hoc discrimen alii negligunt. *Cic. N. D.* 2, 58. Utrum igitur censemus, dormientium animos per se ipsos in somniando moveri, an externe et adventitia visione pulsari? ℙ Item notio, quae extra somnium in animo habetur de aliqua re, orituruque ex intenta animi agitatione, et cogitatione. *Quint.* 6, 2. *med.* Quas φαντασίας Graeci vocant, nos sane visiones appellemus, per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis, ac praesentes habere videamur. *Cic. Tusc.* 2, 18. Falsa doloris visione et specie moveri homines dico vehementius. *Id. Acad.* 4, 11. Nec potest is, cui est visio veri falsique communis, ullum habere judicium, aut ullam omnino veritatis notam. *Quint.* 12, 10. *med.* Cura Protogenes, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus Theon Samius, ingenio et gratia Apelles est praestantissimus. ℙ Apud JCtos *visiones* sunt ὀπωπίαι, et ὀπωπήματα, quaestiones, inspectiones, considerationes, species, casus. *Paul. Dig.* 22, 3, 25. *f.* In omnibus visionibus, quas proposuimus, licentia concedenda est ei, cui, etc. *Ulp. ib.* 5, 3, 25. *med.* Sed in proposita quaestione tribus visionibus relatis, etc. Adde *ib.* 16, 1, 8. et 17, 1, 29. *med.* (Ita enim ubique habet *Torrent.*, agnoscuntque *Gothofred.* et *Cujac.*, nam *Haloander* ubique mutavit.) Sic *Tert. Anim.* 9. Prout Scripturae leguntur, aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, ita inde materiae visionibus subministrantur.

VISITATIO, onis, f. apparitio, actus quo quis se visibilem facit. *Vitr.* 9, 4. *f.* Luna quoniam cum sole est, nova vocatur, postera autem die, quo numeratur secunda, praeteriens a sole, visitationem facit tenuem extremae rotundationis. ℙ Item actus visitandi aliquem. *Tert. adv Jud.* 13. *f.* Nec intellexissent, Christum in tempore suae visitationis inveniendum.

[VISITATOR, oris, m. qui visitat. *August. serm. in fer. Pentec.* 1, 2. Si ergo promereri cupimus tanti visitatoris ingressum, etc. *F.*]

VISITATUS, a, um, part. a *visito*, conspectus. *Vitr.* 9, 4. Omnia visitata, et invisitata temporum necessitudine sunt constituta. *Appul. Met.* 4. Immani forma tantae bestiae, noctu praesertim, visitata. *Id. de Deo Socrat.* Forma daemonis Socrati visitata.

VISITO, as, a. 1. ἐπισκέπτομαι, frequent. a *viso. *Pl. Curc.* 2, 3, 64. Ibi me interrogat, Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim? dico me novisse: quid lenonem Cappadocem? annuo visitasse. *Id. Epid.* 4, 1, 12. et 24. Dii boni! visitavi antehac: certe ea est. Adde *Pers.* 1, 1, 20. ℙ Item visum ire, invisere. *Cic. Fin.* 5, 31. *f.* Cum arderet podagrae doloribus, visitassetque eum Carneades. *Suet. Claud.* 35. Neque aegrum quemquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo. *Hieron. ep.* 7. *n.* 1. Et licet supradictus frater saepe me visitet. *Arat.* 2, 40. Antiochi dictam de nomine visitat urbem.

[VISITOR, oris, m. qui visitat. V. *Appuleji l. c.* in VISO. *F.*]

*VISIUM, i, n. βδέλμα *Gloss. Gr. Lat.* V. et *Parei Lex. Crit.* p. 1308. *Meurs. Exerc. Crit.* 2, 5. *B. A.*

VISO, is, si, sum, a. 3. frequent. a *video*, saepe video, specto, inspicio. *Cic. Tusc.* 5, 3. *f.* Qui nec plausum, nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent. *Virg. A.* 2, 63. Undique visendi studio Trojana juventus Circumfusa ruit. *Id. ib.* 8, 157. viseus regna. *Sall. Cat.* 64. Qui e castris visundi, aut spoliandi gratia processerant. *Pl. Capt.* 5, 1, 2. Commode eximus ludos visere. *Liv.* 1, 31. Missi ad id visendum prodigium. *Id.* 3, 68. Ex muris visite agros vestros ferro ignique vastatos. *Id.* 45, 33. Praeda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita. *Plin.* 5, 8, 8. Neque insomnia visunt, qualia reliqui mortales. Adde *Sen. Q. N.* 1, 7. *med.* et *Ot. Sup.* 32., *Nep. Alc.* 6., *Tac. A.* 14, 1. *f.* etc. ℙ Frequenter est venire ad videndum, invisere, ἐπισκέπτομαι. *Pl. Capt.* 4, 2, 113. Si parva jurijurando est fides, vise ad portum. *Id. Mil.* 2, 6, 40. Vise ad me intro: jam scies. *Varr. L. L.* 5, 9. Accensus dicit: Omnes Quirites inlicium visite huc ad judices. *Pl. Stich.* 2, 2, 4. Ego, quid me velles, visebam. *Ter. Eun.* 3, 4, 7. et *Heaut.* 1, 1, 118. Ibo ad eum, visam, si domi est. *Id. Ph.* 2, 4, 5. Abi tu, vise, redieritne jam, an nondum, dominus. *Pl. Bacch.* 4, 8, 59. Illa in arcem abivit aedem visere Minervae. *Id. Rud.* 5, 1, 6. Nunc alteram illam visam huc in Veneris fanum. *Id. Mil.* 3, 1, 113. Apud me edunt, me curant, visunt, quid agam, et quid velim. *Juven.* 6, 312. magnos visurus amicos. ℙ Passive. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. *f.* Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiae visuntur. *Id. Off.* 1, 39. Cn. Octavii domus cum vulgo viseretur. *Appul. Apol. f.* In ludo quoque gladiatorio frequens visitur. Alii perperam leg. *visitor.* ℙ Saepe de iis dicitur, qui ad aegrotum veniunt officii causa. *Cic. Fam.* 9, 23. Constitui ad te venire, ut et viderem te, et viserem, et coenarem etiam. *Ter. Hec.* 3, 2, 6. Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit aegra? *Par.* Non visas, ne mittas quidem visendi causa quemquam. *Id. ib.* 1, 2, 113. Aegram esse simulant mulierem: nostra illico it visere ad eam. Ubi *Donat.* Visere officii est: videre quaerentis aliquem. *Ov. Am.* 2, 2, 21. Ibit ad effectam, quae non languebit, amicam Visere. *Lucr.* 6, 1236. suos fugitabant visere ad aegros. *L. Piso* ap. *Gell.* 6, 9. *f.* Cn. Flavius dicitur ad collegam venisse visere aegrotum. Adde *Tac. A.* 15, 60. et *Petr. Sat.* 101. *med.*

[VISOLUS, a, um, adj. videtur esse idem ac bisolis, mutata littera *b* in *v*, ut saepissime alias, qui duplicem habet soleam. Est cogn. R., ut C. Poetelius C. F. Libo Visolus dictator ann. U. C. CDXLI. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 291. *F.*]

VISOR, oris, m. ὁρατὴς, inspector, explorator. *Tac. A.* 16, 2. Nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera assererentur. *Ernestius*, et *Oberlinus* vocem *visoribus* e textu sustulerunt tanquam insiticiam, et barbarum glossema.

[VISORIUM, ii, n. locus, ad quem videndi seu spectandi causa convenitur, theatrum. *Cassiod. Var.* 5, 42. Cum theatrum, quod est hemisphaerium, Graece dicatur; amphitheatrum, quasi in unum juncta duo visoria, recte constat esse nominatum. *F.*]

VISPELLIO. V. BISPELLIO.

*VISTILLUS, i, m. fluvius, qui et Vistula. *Plin.* 4, 14. Vistillus sive Vistula. *B. A.*

VISTULA et Visula, ae, f. fluvius Germaniae orientalis, eam disterminans a Sarmatia, quae nunc *Polonia* appellatur, in mare Balticum influens. Ejus meminit *Plin.* 4, 12, 25., *ib.* 13, 27., et *ib.* 14, 28., item *Mela* 3, 4.

[VISUALIS, e, adj. ad visum pertinens. *Visualia*, absolute sunt vires visionis. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Cum enim vivus *(infans)* in suis visualibus fuerit constitutus, visus perficitur; cum in audibilibus, auditus; cum in odorantibus, odor; cum in linguae partibus, sapor; cum in toto corpore, tactus. Alii pro *visualibus* leg. *visalibus. F.*]

VISUALITAS, atis, f. *Tert. Anim.* 29. Contrarietates visualitatis, et caecitatis.

[VISUCIUS, ii, m. Deus Germanorum proprius. *Inscr.* ap. *Donat.* 470, 6. Visucio aedem cum signo C. Candidius Calpurnianus fecit. *F.*]

VISULA, ae, f. genus vitis. Forma vocis videtur diminutiva, et scriptores exiguas ei tribuunt vires. Quare fortasse contractum est ex *viticula*, *t* in *s* abeunte, ut saepe. *Colum.* 3, 2. *med.* Visula deinde ab his, et minor Argitis terrae mediocritate laetantur. Nam in pingui nimiis viribus luxuriant, in macra tenues et vacuae fructu veniunt; et *paucis interjectis:* Visula brevem materiam, et latum folium exigit, cujus amplitudine fructus suos optime adversus grandinem tuetur; qui tamen nisi primo quoque tempore mature legantur, ad terram decidunt, humoribus etiam, priusquam defluant, putrescunt. Adde *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. ℙ Est etiam idem flumen quod fistula. V. h. v. s. l.

VISUM, i, n. ὅραμα, φάσμα, species illa alicujus rei, quae oculis nostris, diurno tempore dum vigilamus, vel phantasiae in somniis objicitur. *Cic. Acad.* 1, 11. De sensibus ipsis quaedam dixit nova, quos junctos esse censuit a quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus; et *ib.* 4, 6. *med.* Cum enim ita negaret, quicquam esse, quod comprehendi posset, si illud esset, sicut Zeno definiret, tale visum (jam enim hoc pro φαντασία verbum satis hesterno sermone trivimus), visum igitur impressum, effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset, ex eo, unde non esset; id nos a Zenone definitum rectissime dicimus; et *ib.* 24. *med.* Quale igitur visum? tum illum ita definivisse, ex eo, quod esset, sicut esset, impressum, et signatum, et effictum. *Id. Tusc.* 1, 41. Qui nonnunquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem affert. *Virg. A.* 4, 456. Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori est. *Prop.* 2, 20, 20. Cum mihi discussit talia visa metus; et *ib.* 22, 29. Talia visa mihi somno demissa recenti. *Tibull.* 3, 4, 3. Dii vanum falsumque avertite visum. *Ov. Am.* 3, 5, 31. Dic, age, nocturnae quicumque es imaginis augur, (Si quid habent veri) visa quid ista ferant. ℙ Quid a visione differat, V. in VISIO. ℙ *Ex viso*, et *ex visu* quippiam facere ii dicuntur, qui in somnis se a Diis admonitos credunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 2, 4. D. D. O. Sac. M. Ulpius Servatus, et Pecci. Primitiva ex visu pro se, et suis omnibus posuerunt. *Alia* ap. *Mur.* 76, 4. Ex imperio Genii Alotiani Euaristus servitor Deorum ex viso Lib. An. *Alia* ap. *Grut.* 65, 1. Silvano Salutari L. Manlius Saturnius ex viso posuit. Adde 66, 9., 67, 9., 83, 2. etc., quae formula aliis verbis effertur in aliis Lapidib. *ex jussu*, *monitu*, *praecepto*, etc. ut videre est in Indice *c.* 15. ℙ Accipitur etiam pro re quavis, quae spectanda proponitur. *Prop.* 2, 5, 19. Quae manus obscenas depinxit prima tabellas, Et posuit casta turpia visa domo.

VISURGIS, is, m. fluvius ingens Germaniae, qui in Oceanum Germanicum influit. *Plin.* 4, 14, 28., *Mela* 3, 3. *med.* et *Sidon. carm.* 23, 244.

VISUS, a, um, part. a *video*, ἰωμένος, oculis perceptus, spectatus. *Caes. B. G.* 1, 22. *f.* Considium timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renuntiasse. *Hor. Od.* 1, 15, 30. Visum lupum fugere. *Liv.* 4, 40. Equites procul visi tantam laetitiam fecere, ut, etc.

VISUS, us, m. ὄψασις, ὄψις, facultas, sensus, et actus videndi. *Cic.* ap. *Plin.* 7, 2, 2. Feminas omnes visu nocere, quae duplices pupillas habent. *Plin. ib.* Esse homines, qui visu effascinent, interimantque quos diutius intueantur. *Quint.* 1, 2. *med.* Visus oculorum obtutu continuo fatigatur. *Ov. Fast.* 3, 406. Bootes Mergetur, visus effugietque tuos. *Val. Fl.* 7, 121. Frui visu alicujus rei. *Quint.* 10, 1. *med.* Qualis est ferri fulgor, quo mens simul, visusque perstringuntur. *Plin.* 9, 50, 74. Tanta cele-

ritate, ut visum fallant. *Id.* 8, 22, 34. Luporum visus noxius esse creditur. *Lucr.* 5, 102. Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu. (*visu* pro *visui*. V. ASPECTUS.) *Stat. Theb.* 6, 277. Spectat inocciduis stellatum visibus Argum, *h. e.* oculis semper apertis. *Sil.* 3, 157. Consumpsit visus pontus, tellusque recessit. ℙ Interdum pro eo, quod videtur, sive per diem, sive in somniis. *Liv.* 8, 9. *med.* Conspectus ab utraque acie aliquanto augustior humano visu, *h. e.* humana specie. *Cic. N. D.* 1, 5. *f.* Ex quo exsistit et illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum quendam haberent insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur. *Virg. A* 3, 36. Rite secundarent visus, omenque levarent. *Ov. Met.* 4, 232. inopino territa visu. *Tac. A.* 12, 13. *f.* Deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat; et *Liv.* 8, 6. *med.* Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt, etc. Adde *Sil.* 1, 64. *Hor. Sat.* 1, 5, 84. immundo somnia visu. ℙ *Ex visu* quid sit, V. in VISUM.

VĪTA, ae, f. *βίος, ζωή*, actus vivendi, animae et corporis conjunctio: quemadmodum contra eorundem dissolutio mors est. [**Victus* et *vita* ita differunt, quod *Habicht* n. 953. rectissime docet, ut hoc ad *publicam*, illud ad *privatam* vivendi rationem pertineat. Assentitur *Doederl.* 4, 448. Exempla ex *Cic. laud. Brem.* ad *Nep. Alc.* 1, 3. non minus in vita quam victu.] *Cic. N. D.* 2, 53. *f.* Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potu, spiritu. *Caes. B. G.* 6, 18. Vitae necisque potestatem habere in aliquem. *Cic. Phil.* 2, 3. Quod est aliud beneficium latronum, quam ut commemorare possint, his se vitam dedisse, quibus non ademerint *Id. Att.* 5, 20. *med.* Ego in vita mea nulla unquam voluptate tanta sum affectus; et *Rab. perd.* 10. *extr.* Vitae curriculum. *Id. Phil.* 9, 7. Agere vitam honestissime. *Id. Sull.* 27. degere miserrimam. *Id. Phil.* 14, 11. pro aliquo profundere. *Id. Rosc. Am.* 11. per summum dedecus amittere. *Id. Sen.* 17. perducere ad annum centesimum. *Id. Fam.* 2, 2. Discedere e vita *Id. ib.* 5, 15. Manere in vita. *Id. Q. Fr.* 1, 3 *med.* Diutius in vita esse. *Id. Cat.* 4, 4. Vita frui. *Id. Fin.* 1, 4. Si vita suppetet. *Planc.* ad *Cic. Fam* 10, 24. Si mihi vita contigerit. *Cic. Or.* 3, 3. Vita se privare. *Id. Mur.* 16. aliquem expellere. Sic *Id. Sen.* 19. *f.* Vitam auferre alicui. ℙ *Bona vita*, quae laute, in deliciis, et cum voluptate degitur: contra *mala*, quae parce ac duriter. *Sen. ep.* 123. *med.* Virtus et philosophia et justitia, verborum inanium crepitus est: una felicitas est bona vita: et *paulo post:* Nec dubitaveris, bonam vitam, quam opinionem bonam malle. *Pl. Cas.* 4, 4, 17. Venas multipotens, bonam vitam mihi dedisti. *Id. Pers.* 4, 8, 3. Nae ego hodie tibi bonam vitam feci. *Ov. Pont.* 1, 9, 31. Haec mihi verba malae minuerunt taedia vitae. ℙ *Vivere vitam*, seu *vita*, est idem ac vivere. *Cic. Verr.* 2, 2, 47. *f.* Vivere vitam tutam. *Pl. Pers.* 4, 3, 21. Faciam, ut mei memineris, dum vita vivas. *Id. Mil.* 3, 1, 34. Tamne tibi diu videor vita vivere? Utroque tamen loco, itemque aliis, qui afferuntur a *Pareo* in *Lex. Crit.*, alii reponunt *vitam*. ℙ Ponitur etiam pro ipsa vi, qua res vivunt, id est pro anima. *Virg. A.* 6, 292. tenues sine corpore vitae. ℙ Item pro alimento, seu victu. *Pl. Stich.* 3, 2, 9. Reperire sibi vitam. Adde *Trin.* 2, 4, 76. ℙ Item pro instituto et ratione vivendi. *Cic. Am.* 23. Serpit enim, nescio quo modo, per omnium vitas amicitia. *Id Rosc. Am.* 17. Vita rustica honestissima, atque suavissima. *Plin.* 18, 7, 14. Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit: quadrupedumque fere cibus est. [**Nep. Paus.* 1, 1. Omne vitae genus: ubi v. *Brem.*] ℙ Item pro moribus, actis, et rebus gestis. *Ter. Adelph.* 3, 3, 51. Denique inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo. *Auct. ad Her.* 2, 3. Deinde vita hominis ex antefactis spectabitur. *Virg. A.* 6, 438. Concilium (*Minos*) vocat, vitasque et crimina discit. [**Ov. Her.* 8, 31. Vita gravis auctor et annis: ubi v. *Ruhnk.* ℙ Hinc notanda videtur formula, qua *vita* et *mores* saepissime conjunguntur. *Ov. Her.* 17, 172. moribus et vitae etc. ubi *Ruhnk.* laudat *Ejusd. Trist.* 2, 89. vitamque meam moresque probabas; et *Liv.* 40, 16. inquirendo in utriusque vitam et mores: ibique *intpp.*] ℙ De re valde cara, et in qua deliciae, et gaudia nostra sunt. *Ter. Adelph.* 3, 2, 32. Nostrumne Aeschinum, nostrarum vitam omnium, in quo nostrae spes opesque omnes sitae erant? *Pl. As.* 3, 3, 24. Certe enim tu vita es mihi. ℙ *Vita*, et *mea vita*, blanda est et amatoria compellatio. *Prop.* 1, 2, 1. Quid juvat ornato procedere, vita, capillo? et 2, 16, 17. Me tibi ad extremas mansurum, vita, favillas. *Pl. Stich.* 4, 2, 6. O mea vita, o mea voluptas! salve. *Cic. Fam.* 14, 2. et 4. Ego te quamprimum, mea vita, cupio videre. ℙ *Vita*, ipsi homines viventes. *Id. Div.* 1, 39. *f.* Neque ante philosophiam patefactam hac de re communis vita dubitavit. [**Ita Wopkenius.* At *Burmannus* ad *Phaedr. prol. Lib.* 1. et *Ernest.* in *cl. Cic.* negant v. *vita* ap. *Cic.* et aequales hoc sensu usurpari; docetque *Ern.* in loco *Ciceronis* proposito non hoc dici dubitasse homines: sed de hac re in vita communi dubitari, videri repugnare moribus, vitae communi, etc.] *Tibull.* 2, 1, 37. Rura cano, rurisque Deos, his vita magistris Desuevit querna pellere glande famem. *Mart.* 8, 3. Agnoscat mores vita, legatque suos. *Plin.* 8, 16, 19. Serpentes extrahi cantu, cogique in poenam, verum, falsumne sit, vita non decrevit. Adde 13, 13, 27. [**Lucan.* 6, 311. nec sancto caruisset vita Catone: ubi pro saeculo praesenti positum est *vita*.] ℙ Item historia vitae alicujus. *Nep. praef. f.* In hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum: et *Ep.* 4. *f.* Uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus. Utroque loco in MSS. legitur *vitam*, testib. *Buchnero*, et *Bosio*. Confirmat hoc *Servius* ad *A.* 1, 372. Hujus rei, inquit, testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui Vita illustrium inscribitur: *vita* dixit non *vitae*. *Gell.* tamen 1, 3. et 23, 2. Qui vitas, resque gestas clarorum hominum memoriae mandaverunt. ℙ *Vitai* pro *vitae* frequens est apud *Lucr.* ℙ [**Confund. *vita* et *via*. V *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 139 a. *ed. Fr.* Item *vita* et *vitia ib.* p. 122 b. et 154. a.]

VĪTĂBĬLIS, e, adj. vitandus. *Ov. Pont.* 4, 14, 31. Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra, Ausa est agricolae Musa docere senis. Alii aliter leg. *Arnob.* 5, 165. Illum foetor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus.

VĪTĂBUNDUS, a, um, adj. summo studio devitans. *Tac. H.* 3, 87. Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. *Sall. Jug.* 107. Solus inter tela hostium vitabundus erupit. *Id. ib.* 42. Quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ducit. *Id. fr.* ap. *Diomed.* 1, 397. Vitabundus per saltuosa loca recedebat. *Vitabundus*, inquit *Diomed.*, non utique vitans, sed vitare simulans. ℙ Cum accusativo. *Liv.* 25, 13. Hanno vitabundus castra hostium, consulesque, etc. *Sall. fr.* ap. *Non.* 2, 899. Inter molem atque insulam, vitabundus classem hostium, ad oppidum pervenit.

[VĪTĂLĬĂNUS, a, um, adj. ad vitalem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 524, 5. C. Attius T. F. Sub Vitalianus. *F.*]

[VĪTĂLĪNUS, a, um, adj. ad vitalem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 756, 8. Appuleja Vitalina. *F.*]

[VĪTĂLIO, onis, m. dimin. vitalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1117, 5. Sex. Cornelius Vitalio. *F.*]

VĪTĂLIS, e, adj. *βιώσιμος*, qui vitam dat, aut in quo vita consistit. *Pl. Poen.* 5, 4, 14. Juppiter, per quem colimus vitalem aevum. *Virg. A.* 1, 391. Vitales auras carpere. *Lucr.* 3, 561. edere motus; et *ib.* 1117. Vitales venae; et 2, 948. Vitales animae nodos e corpore solvit. *Lucan.* 9, 435. Temperies coeli vitalis. *Cic. N. D.* 2, 9. *med.* Caloris natura vim habet in se vitalem; et *ib.* 45. *f.* Aer vitalem et salutarem spiritum praebet animantibus. *Ov. Met.* 14, 175. Lumen vitale relinquere, *h. e.* mori; et *ib.* 2, 828. Vitales viae, *h. e.* meatus spiritus. *Inscr.* ap. *Grut.* 690, 5. Et *(Parcae)* nevere super vobis vitalia fila. ℙ *Vitalia, um*, partes corporis, in quibus praecipue vita consistit, ut viscera, cor, cerebrum et hujusmodi. *Sen. Ira* 2, 1. In corpore nostro ossa, nervique, et articuli, firmamenta totius, et vitalia minime speciosa visu, prius ordinantur. *Lucan* 7, 620. fusa solo vitalia calcet. Et 9, 743. Ebibit humorem circum vitalia fusum Pestis. *Plin.* 8, 7, 7. Pilum sub oculo adactum in vitalia capitis venerat. *Id.* 17, 27, 42. Vitalia arborum. *Lucr.* 2, 575. Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum, *h. e.* principia vitae. [**Cf. *Gronov. observv.* p. 523. *ed. Fr.* ubi in loco *Hor. Sat.* 2, 7, 4. *ut vitale putes* eodem modo intelligendum perhibetur. Quod falsissimum habetur a *Heindf.* qui *Schol. Acron.* interpretationem unice veram praedicat: Etenim qui nimii sunt in bonis, eos vitales esse non praedicamus. ℙ Vitalis est etiam, qui vitam habet. *Cic. Am.* 6. *med.* Cui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? *h. e.* quae vere vita sit, et non in vivente homine mortis genus. *Hieron. Columna* ad hoc *Ennii* dictum ita adscribit: *βιωτὸς βίος*. Philemon. *Ἡμεῖς δ' ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον*. *Lucr.* 1, 202. Multaque vivendo vitalia vincere saecla, *h. e.* multa saecula vitae. ℙ Item qui diu vivere potest. [**Differt *vivax*, quod non solum longam, diuturnam, sed tenacem quasi et supra omnem exspectationem durantem vitam significat, docente *Doederl.* 4, 447.] *Pl. Bacch.* 4, 9, 74. Ducentos Philippos, quaeso, Chrysalo da, si esse salvum me vis, aut vitalem tibi. *Hor. Sat.* 2, 1, 60. o puer, ut sis Vitalis, metuo. *Albinov.* 1, 419. Vix etiam fueras paucas vitalis in horas. *Sen. Controv.* 1, 1. *f.* Ajebat, tam immature magnum ingenium non esse vitale. ℙ Apud *Petr. fr. Trag.* 42. *Burm.* Vitalis lectus, *h. e.* quo quis vivens usus est; et *ib.* 77. *f.* Stiche, profer vitalia, in quibus volo me efferri, *h. e.* stragula et vestes, quibus ornatus sepeliri volo: et *vitalia* dixit, pro *mortualia*, melioris ominis gratia; nam *mortem*, et *mortualia* dicere fere abstinebant. ℙ *Vitalis herba* apud *Apul. Herb.* 123. est eadem ac semperviva. ℙ *Vitalis*, et Sup. *Vitalissimus* sunt cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 306, 9. P. Vettius Vitalis. *Alia* ap. *Mur.* 72, 3. Plotia L. L. Vitalis. *Alia* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 202. col. 3. Valerius Vitalissimus. *F.*]

VĪTĂLĪTAS, atis, f. *τὸ βιωτικὸν, ζωτικὸν*, vis, et potentia vitalis. *Plin.* 11, 37, 69. Ceteris corruptis vitalitas in eorde durat. *Id. ib.* 45, 103. de genib. Haec ut aras adorant, fortasse quia inest iis vitalitas. Adde *ib.* 38, 90.

VĪTĂLĪTER, adv. *ζωτικῶς*, cum vita. *Lucr.* 5, 146. Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

VĪTĀTĬO, onis, f. *εὐλάβεια, ἐκφυγή*, actus vitandi, declinatio. *Cic. Fin.* 5, 7. *f.* Vitatio doloris. *Id. Phil.* 3, 10. oculorum, lucis, urbis, fori. *Auct. ad Her.* 3, 2. periculi.

VĪTĀTUS, a, um, part. a *vito:* evitatus. *Ov. Met.* 13, 38. timidi commenta retexit Naupliades animi, vitataque traxit in arma.

*VITELLENSES, ium, populi Latii. *Plin.* 3, 5. ℙ Eo sic fortasse dicti, quod Vitelliam incolebant. *B. A.*

*VITELLĬA, ae, f. oppidum Aequorum. *Liv.* 2, 39. et 5, 29. *Sueton. Vitell.* 1. *B. A.*

VĪTELLĬĀNUS, a, um, adj. ad Vitellium pertinens, ut Vitellianae partes, *Tac. H.* 1, 84. Vitelliani milites. *Id. ib.* 85. Vitelliana vitia, *Capitol. Ver.* 4. ℙ *Vitelliani, orum*, absolute, dicti sunt pugillares lutei, vitello illiti, in quibus res lascivae et amatoriae scribebantur. Quidam ita dictos putant, quod a Vitellio imp. inventi sint. *Mart.* 2, 6. Haec sunt quae relegente me solebas Rapta exscribere, sed Vitellianis. *Id.* 14, 8. Nondum legerit hos licet puella, Novit, quid cupiant Vitelliani,

VĪTELLĪNUS, a, um, adj. a *vitellus*, qua parvum vitulum significat, ut Vitellina caro, *Plaut. fr.* apud *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Caro strebola, vitellina est; coenabis. Ita *Scalig.* in *Conjectan.*, nam alii omnino aliter. *Apic.* 8, 5. In vitellina fricta; et *ib.* In vitellinam, sive bubulam. Mox *vitulinam* dicit: quae Latina et certa vox est.

VĪTELLĬUS, ii, m. *Βιτέλλιος*, nonus Romanorum imperator, Auli praenomine, ventri gulaeque addictissimus, qui, superato ad Bebriacum Othone, imperium arripuit, quod non multo post, deficientibus ad Vespasianum militibus, una cum vita exsuit. V. *Suet. in ejusd. vita.* ℙ *Vitellia via*, adj. ap. *Suet. Vit.* 1. dicta est, quae a Vitelliorum gente vel deducta, vel strata fuit, tendebatque ab Janiculo usque ad mare.

VĪTELLUM, i, n. idem quod vitellus, *h. e.* ovi pars lutea. *Apic.* 4, 1. Mel, acetum, liquamen, ovorum vitella.

VĪTELLUS, i, m. diminut. vituli, ut *agnellus* ab *agnus*. *Pl. As.* 3, 3, 77. Agnellum, haedillum me tuum dic esse, vel vitellum. ℙ Item *λέκιθος, τὸ ὠχρὸν τοῦ ὠοῦ*, ovi pars lutea. *Cels.* 6, 6. *n.* 1. *med.* Ovi et album et vitellus in vas defundendum est. *Petr. Sat.* 33. *extr.* Pinguissima ficedula piperato vitello circumdata. *Cic. Div.* 2, 65. Tum ille, Nihilne, inquit, de vitello? Id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse, reliquum argentum. *Hor. Sat.* 2, 4, 12. Longa quibus facies ovis erit, illa memento, Ut succi melioris, et ut magis alba rotundis, Ponere, namque marem cohibent callosa vitellum. *Plin.* 10, 53, 74. Omnibus ovis medio vitelli parva inest velut sanguinea gutta, quod esse cor avium existimant.

VĪTĔUS, a, um, adj. *ἀμπελινὸς*, qui est ex vite. *Virg. G.* 3, 380. et pocula laeti Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis. Ubi *pocula vitea* pro vino posuit. V. POCULUM. *Varr. R. R.* 1, 31. Coliculus viteus intortus. *Solin.* 3. *f.* Vitea ligna super aras struere. *Prud. Hamart.* 228. vitea rura, *h. e.* vitibus consita. *Cypr. ep.* 1. *in.* Dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt.

VĪTEX, icis, f. *ἄγνος, λύγος*, genus fruticis: a *vitilis*, et *viendo*, quia lenta et flexibilis est, et ad viendum idonea. [**Nostr. *Keuschlamm, Keuschbaum, Abrahamsbaum*, Vitex agnus castus *L.*] *Plin.* 24, 9, 38. Non multum a salice vitilium usu distat vitex, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset. Graeci lygon vocant, alii hagnon, quoniam matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitum sibi sternunt. Duo genera ejus: major in arborem salicis modo assurgit: minor ramosa, foliis candidioribus, lanuginosis. Prima album florem mittit cum purpureo, quae candida vocatur: nigra, quae tantum purpureum. Nascuntur in palustribus campis. Haec *Plin.* qui deinceps usus ejus varios in medicina persequitur.

VĪTĬĂBĬLIS, e, adj. qui vitiari potest. *Prud. Apoth.* 1113. Tellurem nostro vitiatam primitus usu, Esse suam voluit, ne jam vitiabilis esset. Adde *Hamart.* 216.

VĪTĬĀRĬUM, ii, n. *ἀμπελών, ἀμπελόφυτον*, seminarium vitium, seu locus vitium alio transferendarum plantis consitus. *Varr. R. R.* 1, 31. Ideo in

vitiario, primitus cum exit vitis, tota resecari solet, ut firmiore sarmento e terra exeat. *Colum.* 3, 4. Cui vineta facere cordi est, genus surculi probatissimum domi conserat, faciatque vitiarium, ex quo possit agrum vineis vestire. Adde *ib.* 5.

VĪTIĀTIO, onis, f. *φθορά, διαφθορά*, actus vitiandi. *Sen. Contr.* 3, 23. *med.* Antea legem vitiationis evertere conatus est, nunc transferre vult.

VĪTIĀTOR, oris, m. *φθορεύς*, qui vitiat, stuprator. *Sen. Contr.* 3, 23. *in.* Occide jam non vitiatorem, sed virum.

VĪTIĀTUS, a, um, part. a *vitio:* corruptus. *Cels.* 8, 2. Vitiata ossa. *Mart.* 8, 75. Expulit offenso vitiatum pollice talum: et *Ov. Pont.* 1, 10, 3. curis vitiatum corpus amaris. *Id. Met.* 3, 76. quique halitus exit Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras. *Id. Pont.* 1, 1, 69. Estur ut occulta vitiata teredine navis. ℙ Translate. *Liv.* 8, 40. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis. *Cic. Sext.* 54. Comitiorum et concionum significationes interdum verae sunt, nonnunquam vitiatae et corruptae. *Ov. Pont.* 4, 2, 17. ut limus venas excaecat in undis, Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum. ℙ Item stupratus. *Ter. Eun.* 4, 4, 36. Vitiata virgo. *Ov. Her.* 11, 37. vitiati pondera ventris.

VĪTĪCARPĪFĔRAE forcipes sunt, quae ad vites carpendas, seu putandas aptae sunt. *Varr.* apud *Prisc.* 9, 868. Detotonderat forcipibus viticarpiferis.

VĪTĪCELLĀ, ae, f. genus herbae. *Isid. Or.* 17, 9. *f.* Viticella herba appellata, quod, sicut vitis, quicquid proximum habuerit, apprehendat corymbis, quos anulos appellamus.

*VITICINI, orum, populi Italiae, in Piceno, a Romanis extincti. *Plin.* 3, 12. *B. A.*

VĪTĪCOLA, ae, m. et f. qui vitem colit. *Sil.* 7, 196. Viticolae nomen pervulgatura Falerni.

VĪTĪCOMUS, a, um, adj. qui comas pampinis intextas habet; estque epitheton Bacchi, *Avien.* in *Arat.* 70. Et cum (*conveniat*) viticomo crinem tondere Lyaeo. ℙ Dicitur etiam de ulmo, quae vitem sustinet. *Sidon. carm.* 2, 328. Viticomam retinens baculi vice flectit ad ulmum.

VĪTĪCŬLA, ae, f. *ἀμπελίς*, exigua vitis. *Cic. N. D.* 3, 35. *f.* At enim minora Dii negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur. *Tert. carm. adv. Marc.* 2, 230. Viticulae in gracili latet ingens corpore botrys. V. infra. ℙ Translate viticulae, *κλημάτια*, in herbis dicuntur flagella quaedam, quae vitium palmites imitantia longe lateque proserpunt, et obvia quaeque prehendunt, iisque quasi pedaminibus abutuntur: cujusmodi videre est in cucurbitis, cucumeribus, aliisque nonnullis id genus. *Plin.* 24, 11, 58. Frutex est folio hederae, molliore tamen, et minus longis viticulis. *Pall.* 4, 9. *med.* Aliqui florem cucumeris cum viticulae suae capite cannae inserunt. ℙ Licenter antepaenultimam producit *Val. Cato Dir.* 115. Dulci namque tumet nondum viticula Baccho.

VĪTĪFER, ra, rum, adj *ἀμπελοφόρος*, qui fert vites, seu in quo vites proveniunt *Mart.* 13, 107. Haec de vitifera venisse picata Vienna, Ne dubites. *Sil.* 4, 349. Vitiferi sacro generatus vertice montis Massicus. *Plin.* 3, 5, 9. Colles vitiferi. *Pall.* 3, 13. Ita formandi sunt rami vitiferarum arborum, *h. e.* quae vitibus adseruntur sustinendi gratia, ut fraxinus, ulmus, populus.

VĪTĪGĪNĔUS, a, um, adj. *ἀμπελινός*, viteus. *Cato R. R.* 41. Vitiginei surculi. *Colum.* 12, 16. Alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semivietas uvas contegunt. *Plin.* 30, 6, 16. Pulmo vulturinus vitigineis lignis combustus. *Id.* 14, 1, 2. Vitigineae columnae.

VĪTĪGĔNUS, a, um, adj. idem ac vitigineus. *Lucr.* 5, 15. Vitigenus liquor, *h. e.* vinum. *Id.* 6, 1070. Vitigeni latices.

VĪTĪLĔNA, ae, f. vitiosa et pessima lena: a vitium et lena. *Pl. Most.* 1, 3, 56. Illa hanc corrumpit mulierem malesuada vitilena.

*VITILIGINOSUS, a, um, adj. *Gloss. Gr. Lat.* *Ἐλεφαντιῶν*, Vitiliginosus. *B. A.*

VĪTĪLĪGO, inis, f. *ἀλφός, μέλας, λεύκη*, diversi coloris maculae per omnia membra dispersae, foedus cutis color ex malo corporis habitu proveniens, qui nutrimentum recte peragere non potest. *Festus:* Vitiligo in corpore hominis, macula alba, quam Graeci *ἀλφὸν* vocant, a quo nos album: sive a vitio dicta, etiam si non laedit; sive a vitulo, propter ejus membranae candorem, qua nascitur involutus. Lucilius: Haec odiosa mihi vitiligo est, non dolet, inquit. Haec *Festus. Cels.* 5, 28. *n.* 19. Vitiligo, quamvis per se nullum periculum affert, tamen foeda est, et ex malo corporis habitu fit. Ejus tres species sunt. Alphos vocatur, ubi color albus est fere subasper, et non continuus, ut quaedam quasi guttae dispersae esse videantur. *Μέλας* colore ab hoc differt, quia niger est, et umbrae similis: cetera eadem sunt. *Λεύκη* habet quiddam simile alpho, sed magis albida est, et altius descendit, in eaque albi pili sunt, et lanugini similes. Omnia haec serpunt, sed in aliis celerius, in aliis tardius. Haec *Celsus. Plin.* 20, 15, 59. Vitiligines tollere. *Id.* 21, 19, 75. emaculare; et 22, 25, 74. emendare. *Id.* 30, 4, 10. extenuare; et 27, 12, 90. concorporare. *Id.* 30, 13, 41. ad colorem reducere. ℙ [*Vitiligo* ipsae etiam leprae vocantur. *Arnob.* 1. p. 30. Ille (*Christus*) notas albicantium vitiliginum manu admota detersit. Adde *ib.* p. 26. et 28. *Just.* 36, 2. Cum (*Judaei*) scabiem et vitiliginem paterentur, Aegyptii eum (*Mosem*) cum aegris terminis Aegypti pellunt. ℙ Translate de vitiosa loquendi ratione. *Capell.* 3. p. 50. Grammatice protulit limam quandam, ex qua scabros dentes vitiliginesque linguarum et sordes levi sensim attritione purgabat. V. integrum hunc locum in SOLOECISMUS. *F.*]

VĪTĪLIS, e, adj. *πλεκτός*, ex viminibus factus, seu ex quocumque ligno flexili, et ad ligandum apto: a *vieo*, a quo est etiam *vimen*, et *vitex. Cato R. R.* 11. Cola vitilia. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Vitiles (*alvos apum*) fimo bubulo oblinunt. *Plin.* 19, 5, 24. Cucurbita omni modo fastigatur, vaginis maxime vitilibus. *Id.* 15, 17, 18. *n.* 2. Vitiles cistae. *Id.* 7, 56, 57. Vitiles naves corio circumsutae; et 13, 4, 7. Vitilis circulus. ℙ *Vitilia* absolute, vimina, et quidquid ex vimine factum est. *Id.* 24, 9, 38. Non multum a salice vitilium usu distat vitex. *Id.* 13, 4, 9. Palmae folio latiore ac molli ad vitilia utilissimo. *Id.* 21, 18, 59. Junci usus ad nassas marinas, vitilium elegantia.

VĪTĪLĪTĪGATOR, oris, m. *συκοφάντης*, qui sola pravitate contentionem quaerit, cui studium est lites e litibus serere, eoque aliena omnia anxie observat, indeque calumniandi ansam captat, vitiosus litigator, calumniator, obtrectator. *Plin. praef. H. N. f.* Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis, et litigatoribus composuit, (quid enim illi aliud, quam litigant, aut litem quaerunt?) exsequemus reliqua propositi.

VĪTĪLĪTĪGO, as, a. 1. *συκοφαντέω*, est vitio litigare: et per metaphoram calumniari, carpere, criminari, damnare, reprehendere: a *vitium*, et *litigo. Cato* ap. *Plin. praef. H. N. f.*, Scio ego, quae scripta sunt, haec si palam proferantur, multos fore, qui vitilitigent: sed ii potissimum, qui verae laudis expertes sunt. Eorum ego orationes sino praeterfluere.

[VĪTILLĀ, ae, f. dimin. vitae. *Inscr.* ap. *Grut.* 663, 5. Destituisti, vitilla mea, miseram mammam tuam. *F.*]

*VITIMAGISTRĀTUS, us, m. magistratus vitio creati. *Sall. Hist.* 3. *fr.* sec. *Palmer. B. A.*

VĪTĪNĔUS, a, um, adj. *ἀμπελινός*, vitigineus. *Flor.* 3, 20. Per fauces cavi montis vitineis delapsi vinculis. Alii leg. *vitigineis*, alii aliter.

VĪTĬO, as, avi, atum, a. 1. *φθείρω*, vitium infero, deterius reddo, corrumpo, foedo. *Ov. Met.* 15, 626. Dira lues quondam Latias vitiaverat auras. *Id. Fast.* 6, 136. de strigibus: et vitiant cunis corpora rapta suis. *Id. ib.* 1, 691. Et careant loliis oculos vitiantibus agri. *Id. Met.* 7, 366. oculi vitiantes omnia visu; et *ib.* 15, 286. amnis, Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris. *Id. Trist.* 3, 7, 3. Ista decens facies longis vitiabitur annis. *Colum.* 11, 1. *med.* Saepius inspiciat ferramentum, siquod in opere vitiatum fuerit. *Id.* 8, 11. *med.* Vixdum concepta in alvo vitiat ova. *Pall.* 4, 12. Boves aliqua offensa vitiantur. *Mart.* 12, 74. de vitreis calicib. Et nimium calidis non vitiantur aquis. ℙ Translate. *Liv.* 3, 55. Senatusconsulta arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque. *Ulp. Dig.* 50, 17, 91. Non solent, quae abundant, vitiare scripturas. *Messala* ap. *Gell.* 13, 15. Vitiare auspicia. *Lucan.* 9, 424. Libye In nullas vitiatur opes: non aere, nec auro, Excoquitur. ℙ Item stupro polluo, vitium affero. *Suet. Aug.* 71. Ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, etc. *Cato* ap. *Gell.* 17, 13. Neque satis habuit, quod eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. *Ter. Adelph.* 4, 5, 52. Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere. *Cic. Att.* 1, 18. M. Luculli uxorem Memmius suis sacris vitiavit. Alii rectius leg. *initiavit*, eadem nihilominus manente sententia.

VĪTĬO, is, a. 4. vites sero et colo. *Cic. Off.* 2, 25. Quid tertium? vitire: quid quartum? arare. Ita quidam leg., sed frustra, cum reponendum sit *male pascere*, ut est ap. *Colum.* 6. *praef.*

VĪTĬOSĒ, adv. *κακῶς*, cum vitio, male. *Cic. Acad.* 4, 30. *f.* Si recte conclusit, teneo: sin vitiose, minam Diogenes reddet. *Id. Sen.* 8. Illud vero idem Caecilius vitiosius, *supple* dixit. *Colum.* 4, 24. *med.* Quod etiam usurpari vitiosissime, animadverto. ℙ *Vitiose se habere* aliquod membrum dicitur, quod vitio aliquo affectum est. *Cic. Tusc.* 3, 9. Membrum tumidum, ac turgidum non vitiose se habet? ℙ *Vitiose ferre leges* ap. *eund. Phil.* 5, 4. est leges ferre vitio aliquo auspiciorum, alteriusve rei interveniente. V. VITIOSUS.

VĪTĬOSĬTAS, atis, f. *κακία*, vitium, pravitas. *Cic. Tusc.* 4, 13. Vitiositas autem est habitus, aut affectio in tota vita inconstans, et a se ipsa dissentiens. *Id. ib.* 15. Hujus igitur virtutis contraria est vitiositas. Sic enim malo, quam malitiam appellare eam, quam Graeci *κακίαν* appellant. Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium. ℙ Sumitur etiam generatim pro quacumque corruptione. *Macr. Sat.* 7, 10. *med.* Ille humor, qui aut de aetatis frigore nascitur, aut cujuslibet vitiositatis occasione contrahitur, ut superfluus, ita et noxius est.

VĪTĬOSUS, a, um, adj. *κακός, φαῦλος*, vitiis plenus, corruptus, et praecipue de morbo affectis usurpatur. Hoc sensu quomodo a *morbosus* differat, in VITIUM dictum est. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Morbosum pecus, et vitiosum, et quando non valet, saepe magna gregem afficit calamitate. *Colum.* 7, 5. *med.* Vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut cornu vel ungula tundunt. ℙ Translate de quibuscumque rebus, quae incolumes, integrae, sincerae non sunt, depravatus. *Cic. Or.* 3, 26. Vitiosissimus orator, *h. e.* vitio aliquo corporis in actione laborans. *Id. Leg.* 3, 15. *extr.* Vitiosum suffragium. *Auct. ad Her.* 2, 29. exemplum. *Pl. Mil.* 2, 3, 45. Non ego emam nunc vitam tuam vitiosa nuce. ℙ *Vitiosi magistratus* dicebantur, qui vitio creati erant, cum ex legitimis auspiciis, ceterisve solemnitatibus aliquid esset omissum, aut cum in campo aliquid vitii intervenisset, quo ex augurum disciplina solebant dirimi comitia: ut si quis interim comitiali morbo fuisset correptus, aut si fulmen esset visum, aut tonitru auditum, vel aliud quippiam esset obnuntiatum, quod infausta futura illa comitia portenderet. Tunc enim *vitiosa comitia* dicebantur, et *magistratus vitiosi*, vel vitio creati: cogebanturque, qui designati essent, se magistratu abdicare. *Cic. Phil.* 2, 33. *f.* Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella: rursus cum voles, salvis auspiciis creatus. ℙ [*Vitiosus dies* dicitur XIX. K. Febr. in *Kalend. Praenest.* et *Maffejor.* ap. *Foggin.* in *Fast. Verrii Flacci*, qui idem videtur fuisse ac religiosus. V. h. v. *F.*] ℙ Transfertur ad animum, et depravatum, vitiis contaminatum, deditum, significat, *πονηρόν, μοχθηρόν. Cic. Fin.* 2, 28. *extr.* Vitiosa et flagitiosa vita. *Id. N. D.* 3, 31. *med.* Si qui audierunt philosophos, vitiosi essent discessuri. *Cato* ap. *Gell.* 11, 2. Avaritiam omnia vitia habere putabant: sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, irritus qui habebatur, is laudabatur. *Vell.* 2, 97. Homo in omnia pecuniae, quam recte faciendi, cupidior, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimus. *Mart.* 11, 92. Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit: Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium. *Hor. Od.* 3, 6, 46. Aetas parentum pejor avis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem. Adde *Pl. Curc.* 4, 1, 8. et *Cic. Tusc.* 3, 30. ℙ De his, qui peccant in studiis litterarum. *Suet. Aug.* 86. Cacozelos, et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit.

[VITIPARRĀ, ae, f. avicula quaedam, quam nostrates *pendolino* vocant. *Plin.* 10, 33, 50. In genere vitiparrarum est, cui nidus ex musco arido ita absoluta perficitur pila, ut invenire non posstit aditus. Acanthyllis appellatur eadem figura ex lino intexens. *Vitiparra* quibusdam videtur esse eadem ac oenanthe, et acanthyllis, quas voces vide. *F.*]

VĪTIS, is, f. *ἄμπελος*, arbor nota, vinum ferens, et Baccho sacra. Est a *vieo*, alligo, vincio, quia ut stet, pedamento indiget, cui adalligetur: vel quia lenta est, et facile flectitur, ut ea quibus utimur ad vinciendum. *Colum.* 3, 1. Ex surculo vel arbor procedit, ut olea: vel frutex, ut palma campestris; vel tertium quiddam, quod nec arborem, nec fruticem proprie dixerim, ut est vitis. *Plin.* 14, 1, 2. Vites jure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. *Ulp. Dig.* 47, 7, 3. Vitem arboris appellatione contineri, plerique veterum existimaverunt. *Virg. Ecl.* 7, 61. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho. *Cic. Sen.* 15. Vitis, quae natura caduca est, et, nisi fulta sit, ad terram fertur, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, comprehendit: quam serpentem multiplici lapsu, et erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum; et *mox:* Vitis non utilitas me solum, sed etiam cultura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium, sarmentorumque aliorum amputatio, aliorum immissio. *Virg. Ecl.* 9, 42. lentae texunt umbracula vites; et *ib.* 1, 74. Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites; et *ib.* 5, 32. Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae. *Id. G.* 1, 2. ulmis adjungere vitis; et *ib.* 2, 190. vites praevalidae, multoque fluentes Baccho; et 233. Vites almae. *Tibull.* 1, 1, 7. et *Mart.* 4, 13. tenerae. *Ov. Fast.* 3, 766. gravidae munera vitis. *Juven.* 9, 56. Fecundae vites. *Ov. Pont.* 3, 8, 13. pampineis amicitur vitibus ulmus. *Id. Met.* 8, 676. de purpureis collectae vitibus uvae. *Id. Am.* 1, 10, 55. Carpite de plenis pendentes vitibus uvas. *Catull.* 62, 49. Vitis vidua, *h. e.* sine fulcimento ulmi. Contra *ib.* 54. ulmo conjuncta marito. ℙ [Vitis membra singula vel minutiora pictis tabulis accurate describit *Pontedera* ad *Colum.* 3., ubi praecipue (item *l.* 4. et 5.) colendae vitis rationem *Colum.* tradit: cui adde *Varr., Plin., Pall.* apud quos sunt locutiones *serere vites, putare, propagare, reparare, ablaqueare, pampinare, pastinare, fodere, pedare pa-*

lare, *alligare*, *jugare*, *pulverare*, *inserere*, *transferre*, etc. Nomina vitium plura Romanis cognita, earumque qualitates enarrat *Id. Colum.* 3, 2. *F.*] ℙ Metonymice est uva, aut vinum. *Mart.* 8, 51. Ipse tua pasci vite, Lyaee, velis. ℙ Ut virga lictorum, sic vitis, seu viteus bacillus gestamen fuit centurionum in peditatu R., eoque milites peccantes caedere solebant. Fuit inventum Bacchi, qui Indiam armis subegisse dicitur, primusque triumphasse. *Plin.* 14, 1, 3. Quod quod insertae (*vites*) castris summam rerum, imperiumque continent? Centurionum in manu vitis, et opimo praemio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis poenam ipsam honorat. *Ov. A. Am.* 3, 527. Dux bonus huic centum commisit vite regendos, Huic equites. *Lucan.* 6, 146. Latiam longo gerit ordine vitem. *Ep. Liv.* 57. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, fustipus cecidit. *Juven.* 8, 247. Nodosam post haec frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret castra dolabra. (Adde 14, 193.) Narrat *Tac. A.* 1, 23. de quodam Lucilio centurione, cui militaribus facetiis vocabulum *Cedo alteram* indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. ℙ Hinc metonymice positur pro ipso centurionatu. *Juven.* 14, 193. aut vitem posce libello. *Sil.* 6, 43. Laevinus Latiae praesignis honore; et 12, 465. vitis honore Perfunctus Latiae. (Adde *ib.* 395.) *Spart. Hadr.* 10. *med.* Nulli vitem, nisi robusto et bonae famae, dedit. Adde *Quint. decl.* 3, 9. *med.* item *Tac. A.* 1, 23. ℙ Quae machina militaris *vinea* dicebatur, eadem et *vitis* dicta est. *Fest.* in *Sub.* Sub vitem hastas jacere dicitur veles, cum eas sub manu sursum mittit. Lucilius: Ut veles bonu', sub vitem qui subjicit hastas. *Id. ib.* Sub vitem proeliari dicuntur milites, cum sub vinea militari pugnant. Lucilius: neque prodire in altum: proeliari procul sub vite. ℙ *Vitis alba*, et *nigra* ap. *Colum.* 4, 29. *f.* est quae albas, et nigras uvas producit. ℙ Praeterea *vitis alba*, *ἀμπελοείνη*, nomen est herbae, cujus sarmenta longis et exilibus internodiis geniculata scandunt: folia pampinosa, ad magnitudinem hederae, dividuntur ut vitium: radix alba, grandis, raphano similis initio, ex qua caules asparagi similitudine exeunt: semen in uva raris acinis dependet succo rubente, postea croci. Norunt id qui coria perficiunt; illo enim utuntur. Haec *Plin.* 23, 1, 16., qui pergit inde praeclaras ejus in medicina utilitates recensere. Meminit et *Colum.* 10, 347., ubi significat, vim habere contra fulmina: item 12, 7., ubi reponit inter eas herbas, quae conditura aceti et muriae in usum ciborum diu servantur. *Pall.* 1, 35. monet contra grandinem omne horti spatium alba vite praecingere. *Serv.* ad *G.* 1, 165. docet, ex ejus sarmentis vasa fieri non secus ac ex junco, et genistis. Sequax certe valde est, et flexibilis: unde *Ov. Met.* 13, 800. Lentior et salicis virgis, et vitibus albis. ℙ *Vitis nigra* itidem herba est ap. *Plin. l. c.* 17. quae et bryonia dicitur, radice foris nigra, intus buxeo colore. ℙ *Vitis cana* eadem est, quae saxifraga. *Appul. Met.* 97. ℙ *Vitem*, et *viticulam* appellat *Pall.* 4, 9. *med.* ramulos cucumeris, et *ib.* 10. *med.* cucurbitae.

VĪTĬSĀTOR, oris, m. *ἀμπελοφύτης*, qui vites serit. *Virg. A.* 7, 177. Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum Antiqua e cedro: Italusque, paterque Sabinus Vitisator, curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex, etc. ℙ Tribuitur et Saturno. *Arnob.* 3. p. 117. Ista, quem Coelo esse editum patre, magnorum esse procreatorem Deorum, vitisatorem, falciferum, vetustas edidit prisca. ℙ Et Baccho. *Accius* ap. *Macr. Sat.* 6, 5. O Dionyse, pater optime, vitisator, Semela genitus.

VĪTĬUM, ii, n. *βλάβη*, *κακότης*, *κακία*, pravitas, seu corruptio cujuscumque rei: quod in quaque re malum est. De etymo ita *Cic. Fin.* 3, 12. Quod vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto: vel etiam a vitio dictum vituperari. [*Aliam habet hujus verbi originationem *Doederl.* 2, 152. nempe a *vincere*. *Ciceronis* quidem etymologiam, quam *Noster* dicit, descriptionem potius dixerim notionis, quam originis significationem.] *Id. Fam.* 9, 15. *extr.* Si enim nihil est in parietibus, aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur. *Virg. G.* 1, 87. illis omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor. *Id. Ecl.* 7, 57. vitio moriens sitit aeris herba. ℙ *Vitium facere* dicuniur aedificia, dum aliqua sui parte labefactantur, dum rimas agunt, et ruinam minantur. *Cic. Top.* 3. *med.* Si aedes corruerunt, vitiumve fecerunt. ℙ Speciatim dicitur de corpore, pro perpetuo impedimento. In eo enim *morbus*, et *vitium* differunt. Nam *morbus* est totius corporis, ut febris; *vitium* est partis, ut caecitas, claudicatio, etc.: deinde *morbus* temporalis, sive, ut ait *Gell.* 4, 2., est cum accessu discessuque; *vitium* vero est perpetuum corporis impedimentum. Potest tamen, qui morbosus est, etiam visiosus dici, sed non e contrario. Equus mordax et calcitrosus, vitiosus, non morbosus est: claudus vero et morbosus, et vitiosus dici potest. *Cic. Tusc.* 4, 13. Quomodo autem est in corpore morbus, aegrotatio, et vitium, sic in animo. Morbum appellant totius corporis corruptionem: aegrotationem morbum cum imbecillitate: vitium, cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo morbus, et aegrotatio ex totius valetudinis corporis conquassatione, et perturbatione gignuntur: vitium autem, integra valetudine, ipsum ex se cernitur. Adde *Ulp. Dig.* 21, 1, 1. *med.* Sed *Sabinus* ap. *Gell. l. c.* posuit morbum et in toto corpore, et in parte: distinxit autem morbum a vitio, quod morbus pravitas major sit, et cum corruptione; vitium imperfectio quaedam levior et sine laesione organi, seu instrumenti. *Ulp. l. c.* Si intelligatur vitium, morbusque mancipii, ut plerumque signis quibusdam demonstrari solent vitia, potest dici edictum cessare. Hoc enim tantum intuendum est, ne emptor decipiatur. Sed sciendum est, morbum apud Sabinum sic definitum esse, habitum cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus ad id faciat deteriorem, cujus causa natura nobis ejus corporis sanitatem dedit, id autem alias in toto corpore, alias in parte accidere. Namque totius corporis morbum esse, puta *φθίσιν*, febrem; partis, veluti caecitatem, licet homo ita quoque natus sit. Vitiumque a morbo multum differre, ut puta, si quis balbus sit: nam hunc vitiosum esse magis, quam morbosum. *Id. ib.* 38. Aediles ajunt, Qui jumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in unoquoque eorum morbi, vitiive sit. *Pl. Most.* 1, 3, 118. Vetulae edentulae vitia corporis fere occultant. *Ov. Fast.* 4, 147. Accipit ille locus posito velamine cunctas, Et vitium nudi corporis omne videt. ℙ Per excellentiam dicitur de pravitate animi: cui *virtus* opponitur. *Cic. Cluent.* 48. Nullam quidem ob turpitudinem, nullum ob totius vitae non dicam vitium, sed erratum. *Id. Coel.* 19. Vitium ventris et gutturis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. *Id. Or.* 1, 58. Legibus et praemia proposita sunt virtutibus, et supplicia vitiis. *Hor. Ep.* 1, 1, 41. Virtus est vitium fugere. ℙ Usurpatur praeterea de injuria, quae virgini infertur, virginitatem eidem adimendo. Hinc *offerre* vel *afferre vitium virgini* est eam stuprare. *Ter. Ad.* 3, 1, 9. Cui miserae indigne per vim vitium obtulerat. *Pl. Ep.* 1, 2, 7. Pudicitiae ejus nunquam nec vim, nec vitium attuli. *Id. Amph.* 2, 2, 179. vitium alicui addere: *eod. sensu.* ℙ Universim dicitur de quavis depravatione animi, ut de loquacitate senum, de deformitate gestus in oratore, de erroribus in dicendo, de culpa in disputando, etc. *Cic. Sen.* 16. Et senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. *Id. Or.* 1, 25. *med.* Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat. *Id. Off.* 1, 7. *f.* In vitio esse. *Id. Acad.* 4, 16. Huc si perveneris, meum vitium fuerit. ℙ Vitio alicui dare, vertere. *Cic. Fam.* 7, 6. Ne sibi vitio verterent, quod abesset a patria. *Id. Rosc. Am.* 16. *extr.* Summam laudem Sex. Roscio vitio et culpae dedisti. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Vitio mihi dant, quod mortem hominis necessarii graviter fero. ℙ Usurpatur etiam in auguriis, et auspiciis, pro impedimento, malo auspicio. *Cic. Phil.* 2, 33. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam Cal. Jan. futurum esse praevideras, et tanto ante praedixeras. *Id. Div.* 1, 16. P. Clodius, ejusque collega classes maximas perdiderunt, cum vitio navigassent, *h. e.* neglecta auspiciorum religione. *Id. N. D.* 2, 4. Recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse, *h. e.* quod auspicari esset oblitus, ut *ib.* addit. *Id. ib.* Vitio creatos consules esse. *Cato* ap. *Fest.* in *Prohibere.* Si cui servo, aut ancillae dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne is (al. *id*) quidem mihi vitium facit. ℙ Pro culpa. *Cic. Phil.* 2, 18. Quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. *Id. Div.* 1, 52. Male conjecta falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Adde *Har. resp.* 26. *med.* ℙ *Vitium* pro *vitiorum* habet *Titin.* ap. *Non.* 9, 1. Omnium vitium expertem, consilii plenum. ℙ Qui *vicium* scribunt, minus recte id faciunt, teste *Dausq.* ℙ [*Confund. *vitia* et *convicia*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 140. *a.*]

VĪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκκλίνω*, *φεύγω*, effugio, declino, devito. Videtur esse a *vis*. [*Doederl.* 1, 161. *vitare* vel frequentativam formam dicit verbi *videre*, ut *refutare* a *refundere*, contractum vel syncop. a *viditare*, ut *cette* ex *cedite* et *stipendium* ex *stipipendium*; vel cognatum verbi genus cum *visare* sensu *providendi*, *circumspectandi*, Gr. *ἀθρῆσαι*.] *Hor. Sat.* 1, 4, 115. sapiens, vitatu, quidque petitu Sit melius, causas reddet tibi. *Id Ep.* 2, 2, 135. Posset qui rupem et puteum vitare patentem. *Caes. B. G.* 2, 25. Proelio excedere, ac tela vitare. *Id. B. C.* 2, 24. *f.* Longe lateque is lacus restagnat: quem si quis vitare voluerit, sex millium circuitu in oppidum perveniet; et *ib.* 1, 70. Vitare periculum. *Id. B. G.* 6, 20. fuga mortem; et *ib.* 1, 20. *f.* et *Nep. Att.* 6. suspiciones, *h. e.* cavere, ne male de nobis homines suspicentur. *Sall. Jug.* 79. proditionem celeritate. *Phaedr.* 1, 19. insidias. *Id.* 5, 4. lucrum periculosum. *Suet. Cal.* 23. *f.* impatientiam nauseae, et molestiam navigandi. *Cic. Part.* 17. *f.* Erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriae suscepta videatur esse puerilis. ℙ Cum dativo. *Pl. Curc.* 2, 3, 19. et *Poen. prol.* 25. Domum abeant, vitent ancipiti infortunio. *Id. Cas.* 2, 2, 35. Semper tu huic verbo vitato abs tuo viro, *h. e.* cave, ne aliquando abs tuo viro hoc verbum tibi dicatur. Sic *Petr. Sat.* 82. Ponere jussit arma, et malo cavere. ℙ *Vitare se* est non sibi constare, sibi ipsi displicere. *Hor. Sat.* 2, 7, 112. Non horam tecum esse potes, non otia recte Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro. ℙ Inter *cavere*, et *vitare* discrimen est. *Cic. Verr.* 2, 1, 15. *med.* Eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis. V. CAVEO. ℙ [*Confund. *Vitare* et *videre*. V. *Spald.* ad *Quint. P.* 3. p. 126. *crit.*]

VĪTOR. V. VIETOR *f.*

VĪTRĀRĬUS, ii, m. *ὑαλουργός*, vitri conficiendi artifex. *Sen. ep.* 90. *med.* Cuperem Posidonio aliquem vitrarium ostendere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Alii leg. *vitriarius*, alii *vitrearius*.

VĪTRĒĀMĪNĀ, um, n. plur. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. *f.* Cum in diem mortis ibi libros, et vitreamina, et vesticulam habuerit.

VĪTRĒĀRĬUS. V. VITRARIUS.

VĪTRĒĀTUS. V. VIVATUS *f.*

VĪTRĔOLUS, a, um, dimin. vitrei, ut *lacteolus*, *ligneolus*, a *lacteus*, *ligneus*. *Paul. Nol. carm.* 26, 413. Pendebant per ahena cavi retinacula lychni, Qui specie arborea lentis quasi vitea virgis Brachia jactantes, summoque cacumine rami Vitreolos gestant, tanquam sua poma, caliclos.

VĪTRĔUS, a, um, adj. *ὑάλινος*, qui ex vitro est. *Ov. A. Am.* 2, 207. Sive latrocinii sub imagine calculus ibit, Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus. *Mart.* 7, 72. Vitreus latro. *Colum.* 12, 4. *med.* Vasa autem fictilia, vel vitrea plura potius, quam ampla. *Juven.* 2, 95. Vitreus Priapus, *h. e.* calix Priapum referens. ℙ *Vitrea*, *orum*, absolute, vasa vitrea. *Mart.* 1, 42. Qui pallentia sulphurata fractis Permutat vitreis. *Stat. Silv.* 1, 6, 73. quique comminutis Permutant vitreis gregale sulphur. *Petr. Sat.* 10. An videlicet audirem sententias, id est vitrea fracta, et somniorum interpretamenta? *h. e.* nugas, res frivolas, et nullius pretii. ℙ *Vitreus*, vitri colorem referens, clarus, pellucidus, *ὑαλοειδής*. Saepe tribuitur aquis. *Virg. A.* 7, 759. Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda, Te liquidi flevere lacus. *Ov. Am.* 1, 6, 55. vitreo madentia rore Tempora noctis eunt. *Id. Her.* 10, 7. Vitrea pruina. *Id. Met.* 5, 48. antra: scil. Najadum sub fluminibus. Sic *Virg. G.* 4, 350. sedilia. *Plin.* 9, 31, 51. Nec omnibus idem vitreus color. *Petr. Sat.* 3. turgescit vitrea bilis, *h. e.* splendida, ut ait *Hor. Sat.* 2, 3, 141. ℙ Metaleptice sumitur pro pertenui, et perlucido. *Varr.* ap. *Non.* 6, 4. et 14, 1. Quorum vitreae togae ostentant tunicae clavos. ℙ Item pro fragili, inconstante, instabili. *Hor. Sat.* 2, 3, 222. Et furiosus erit quem cepit vitrea fama, *h. e.* fragilis, ut *Acron* exponit. *Porphyrio* splendidam interpretatur. *P. Syrus* in *Mim.* Fortuna vitrea est; tum, cum splendet, frangitur. Eodem modo quidam putant dictam ab *Hor. Od.* 1, 17, 20. vitream Circen, *h. e.* cujus in Ulyssem amor quasi fragilis fuit, et parum durans. Alii aptius exponunt, splendidam, formosam.

VĪTRĬĀRĬĀ, ae, f. herba eadem quae parietaria. *Appul. Herb.* 81.

VĪTRĬĀRĬUS. V. VITRARIUS.

*VĪTRĪCĬUM, i, n. oppidum Italiae superioris, in Alpibus, prope Eporediam. *Anton. Itin.* et *Tab. Peuting. B. A.*

VĪTRĪCUS, i, m. *πατρῷος*, matris meae maritus: cui respondet *privignus:* ita dictus quasi *patritus:* seu *πατρικὸς*, quia in patris locum succedit, ac privignum, ut pater filium, amare debet. *Cic. Att.* 15, 12. Vitricus quidem nihil censebat, quem Asturae vidimus. *Ov. Am.* 1, 2, 24. ad Cupidinem. Necte comam myrto, maternas junge columbas: Qui deceant, currus vitricus ipse dabit, *h. e.* Vulcanus alter maritus Veneris, postquam ex Jove Cupidinem pepererat.

[VĪTRĬUS, a, um, adj. ad artem vitriariam pertinens. *Inscr.* ap. *Donat.* 335, 5. Opifex artis vitriae. *F.*]

VĪTRIX, icis, f. quae ligat: quasi *vietrix*, a viendo. V. VIETRIX.

VĪTRUM, i, n. *ὕαλος*, materia translucida, quae ex arena splendenti, vel ex calculis pellucidis admixto nitro percoctis, et in liquorem fusis conficitur. Lege *Tac. H.* 5, 7. et *Plin.* 36. *c.* 26., ubi pluribus vitri originem, et ejus conficiendi rationem describit. *Cic. Rab. Post.* 14. Ductae naves Postumi Puteolos sunt; auditae visaeque merces, fallaces quidem et fucosae, chartis, et linteis, et vitro celatae. *Hor. Od.* 3, 13, 1. O fons Blandusiae splendidior vitro. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. Ima pars scenae (*in theatro Scauri*) e marmore fuit: media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae. *Id.* 29, 3, 11. Et ne quid desit ovorum gratiae, candidum ex his admixtum calci vivae glutinat vitri fragmenta. *Prop.* 4, 8, 37. vitrique aestiva supellex, *h. e.* vi-

trea pocula capaciora, quibus aestiva sitis restinguitur. ℙ *Vitrum Obsidianum*, est vitrum nigri coloris, ita dictum ab Obsidio cive Romano, ap. *Plin.* 36, 26, 67. V. OBSIDIANUS. ℙ *Vitrum* etiam genus herbae est, sic dictae, quia tingit colore vitri, hoc est hyalino, seu viridi. [Graeci vocant ἴσατιν, teste *Vitr.* 7, 14., Itali vero *guado*, deducta ab Germanorum *waid* voce. V. GLASTUM, et ISATIS. *F.*] Sed *vitri* vox hac significatione crebro est corrupta, dum nunc *ultro* pro ea, nunc aliud substituunt, ut *Turneb.* 6, 17. docet. *Caes. B. G.* 5, 14. Omnes vero se Britanni vitro inficinnt, quod caeruleum efficit colorem. *Mela* 3, 6. *med.* Britanni, incertum ob decorem, an quid aliud, vitro corpora infecti. *Vitr. l. c.* Item propter inopiam coloris Indici cretam Selinusiam, aut anulariam vitro, quod Graeci ἴσατιν appellant, inficientes, imitationem faciunt coloris Indici. Alii aliter leg.

M. VITRŪVĬUS POLLĬO, peritissimus architectonicae artis, de ea scripsit libros decem ad Augustum Imp., cum aetate jam provectus esset, floruissetque sub Jul. Caesare. Ejus stilus plebejus subinde est, et illa Latinae linguae aetate fere indignus, nec tamen propter antiquitatem contemnendus: habet praeterea loca quamplurima intellectu maxime difficilia, circa quae plurimi celebres viri cum magnopere desudarint, non modo assequi veram eorum sententiam hactenus non potuerunt, sed spem quidem vix ullam reliquisse videntur, fore aliquando, ut intelligi penitus a quoquam possint: quod tamen non scriptoris vitio vertendum est, sed dolendum, neminem ex antiquis, qui de architectura scripsere, praeter unum *Vitruvium*, ad nos pervenisse, cujus adjumento illustrari ille multo facilius potuisset.

TITTĂ, ae, f. ταινία, ligamentum capitis, hoc est fascia, qua antiqui vel crines, vel serta, aut flores, aut quidvis aliud religabant. [*Etym. est a *viere* vel *vincire*.] *Virg. A.* 2, 133. Et salsae fruges, et circum tempora vittae. Ubi *Servius:* Vittae, quibus victimae coronabantur. *Juven.* 12, 117. pueris, vel frontibus ancillarum Imponet vittas, *h. e.* arae destinabit. *Ov. Met.* 2, 413. Vitta coercuerat neglectos alba capillos. *Lucan.* 5, 142. torta priores Stringit vitta comas. ℙ Vittae aliae fuerunt virginales, aliae matronales, quod alio virgines cultu capitis et ornatu, quam nuptae matronae uterentur. *Val. Fl.* 8, 6. de Medea mox nuptura: Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis. *Prop.* 4, 11, 33. Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis, Vinxit et aspersas altera vitta comas. ℙ Hinc *vitta* est pudicarum et castarum, quales esse debent virgines, et matronae. *Ov. A. Am.* 1, 31. Este procul vittae tenues, insigne pudoris; et *Rem. Am.* 386. Nil mihi cum vitta: Thais in arte mea est. Adde *Trist.* 2, 252. et *A. Am.* 3, 483. ℙ Etiam aras vittis ornabant. *Virg. Ecl.* 8, 64. molli cinge hae altaria vitta, *h. e.* lanea. *Id. A.* 3, 63. stant Manibus arae Caeruleis moestae vittis atraque cupresso. ℙ Vittis utebantur in supplicando. *Id. ib.* 7, 237. Praeferimus manibus vittas, et verba precantia. *Id. ib.* 8, 28. cui me Fortuna precari, Et vitta comptos voluit praetendere ramos. *Hor. Od.* 3, 14, 7. et decorae Supplice vitta Virginum matres.

VITTĀTUS, a, um, adj. ταινιωθείς, vitta redimitus. *Plin.* 7, 30, 31. Vittatam navem Dionysius tyrannus Platoni misit obviam. V. THALAMEGUS. *Ov. Am.* 1, 7, 17. vittatis Cassandra capillis Procubuit templo, casta Minerva, tuo. *Id. Met.* 12, 151. Pallada vittatae placabat sanguine vaccae. *Lucan.* 1, 597. Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos. *Stat. Silv.* 5, 5, 28. nec solitae mihi vertice laurus, Nec fronti vittatus honos.

[VITTĔUS, a, um, adj. ad vittam pertinens. *Not. Tir.* p. 161. Vitta, vitteus. *F.*]

[VITUDŪRENSIS, e, adj. ad Vitudurum seu Vitodurum pertinens, Helvetiae oppidum, cujus mentio est in *Itin. Anton.*, nunc *Winterthur* appellatum. *Inscr.* ap. *Grut.* 166, 7. et *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 467. Murum Vitudurensem instaurarunt. *F.*]

VĪTŪLĂ, ae, f. μόσχος, δαμάλη, vacca, quae annum primum aetatis nondum explevit. Nam post primum annum *juvenca* dici incipit. V. VITULUS. *Virg. Ecl.* 3, 77. Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito. ℙ Aliquando tamen pro juvenca, vel vacca novella, seu viridioris aetatis accipitur. *Id. ib.* 29. ego hanc vitulam (ne forte recuses: Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus) Depono. ℙ De Vitula Dea V. in VITULOR.

[VĪTŪLĀMEN, inis, n. vitulorum multitudo, quam nostrates vulgo *vedelame* dicunt. Translate usurpatur de multitudine surculorum et stolonum, qui et pulli appellantur (V. PULLUS.): ita etiam eosdem μοσχεύματα nuncupant, a μόσχος, vitulus. *Ambros. ep.* 37. *n.* 37. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar? quae tanquam vitulamina pullulantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt. Hinc in *Vulgat. Interpr. Sapient.* 4, 3. Spuria vitulamina non dabunt radices altas. *F.*]

VĪTŪLĀRĬUS, a, um, adj. Vitularia via fuit in agro Arpinati et ejus loci propria, quae hodieque appellatur ibidem *Via delle Vitula*. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Ex eo loco recta Vitularia via profecti sumus in Fufidianum fundum.

VĪTŪLĀTĬO, onis, f. V. in VITULOR.

VĪTŪLĪNUS, a, um, adj. μοσχιναῖος, μόσχειος, qui ex vitulo est. *Cic. Div.* 2, 24. An tu, inquit, carunculae vitulinae mavis, quam imperatori veteri credere? *Cels.* 5, 19. *n.* 9. et 13. Sevum vitulinum. *Id.* 5, 27. Jus vitulinum. *Pl. Aul.* 2, 8, 5. Rogito pisces: indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam; et *Nep. Ag.* 8. Ille praeter vitulina, et hujusmodi genera obsonii, nihil accepit. ℙ Quam *Macrobius* vocat *Vitulam* Deam laetitiae, ut dicitur in v. sq., alii leg. *Vitulinam.*

VĪTŪLOR, aris, dep. 1. παιανίζω, laetor. *Macr. Sat.* 3, 2. Primo pontificii juris libro apud Pictorem verbum hoc positum est, *vitulari*. De cujus verbi significatu Titius ita retulit: Vitulari est voce laetari. Varro etiam in libro quintodecimo rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat: quod Graeci παιανίζειν vocant. Has tot interpretationis ambages quam paucis verbis docta eloquentia Maronis expressit (*A.* 6, 657.) Laetumque choro paeana canentes. Nam si *vitulari* est voce laetari, quod est παιανίζειν, nonne in cantu laeti παιάνος enarratio verbi perfecta servata est? Et, ut huic vocabulo diutius immoremur, Hyllus libro, quem de Diis composuit, ait, Vitulam vocari Deam, quae laetitiae praeest. Piso ait, Vitulam victoriam nominari. Cujus rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Julias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit, unde *Populifugia* vocantur; post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. Quidam nomen ejus animadversum putant, quod potens sit vitae tolerandae. Ideo huic Deae pro fugibus fieri sacra dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Unde hoc esse animadvertimus, quod ait Virgilius (*Ecl.* 3, 77.) Cum faciam vitula pro fugibus, ipso venito. Hactenus *Macrobius.* ℙ De verbi etymo alii aliter. *Festus* enim, et *Varro L. L.* 6, 6. deducunt a *vitulus.* At *Non.* 1, 47. a *vita.* [**Doederl.* rectius ortum hujus verti ita statui posse censet, ut *vitulari* ex *vigetulari* contractum sit, ut *litus* ex *lictus*, et simul cum *vita* et *vivere* fontem habent in *vigere.*] Ceterum *vitulari* generatim sumitur pro laetum lubentemque esse, gaudio efferri, lubentiis diffluere. *Non. ib.* Vitulantes veteres gaudentes dixerunt a bono vitae commodo; sicuti qui nunc est in summa laetitia, vivere eum dicimus. Naevius: Ut in venatu vitulantes ex suis Locis nos mittant pennis decoratos feris. *Festus:* Vitulans laetans gaudio, ut in prato vitulus. Ennius: Habet is coronam vitulans victoria. *Pl. Pers.* 2, 3, 1. Jovi opulento, inclyto, opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor, *h. e.* summa cum voluptate et gaudio gratias ago. ℙ In allato *Ennii* versiculo, et duobus *Naevii*, primam syllabam produci, patet: quod si verum est, tum *vitulor*, tum *Vitula* Dea ducentur a *vita*, ut vult *Nonius*, non a *vitulus.*

VĪTŪLUS, i, m. μόσχος, fetus masculinus in bubulo genere, qui primum aetatis annum nondum explevit. Nam deinde *juvencus* vocari incipit. Dictus videtur ab ἰταλὸς, bos. V. ITALIA. *Varr. R. R.* 2, 5. Primum in bubulo genere aetatis gradus dicuntur quatuor: prima vitulorum; secunda juvencorum; tertia boum novellorum; quarta vetulorum. Discernuntur in prima vitulus et vitula, in secunda juvencus et juvenca, in tertia et quarta taurus et vacca. *Ov. Met.* 10, 227. Lactentes vituli. *Mart.* 3, 58. Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam. ℙ Non semper tamen discrimen id observatur, ut argumento est, quod etiam post partum juvenca appelletur *vitula. Virg. Ecl.* 3, 29. ego hanc vitulam (ne forte recuses: Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus) Depono. *Id. G.* 4, 299. Tum vitulus bima curvans jam cornua fronte. ℙ Transfertur ad fetus equorum, elephantorum, aliorumque quadrupedum, imo etiam balaenarum. *Virg. G.* 3, 164. de equis: Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi. *Plin.* 8, 1, 1. de elephantis: Atque ita salutato sidere, in silvas revertuntur, vitulorum fatigatos prae se ferentes. *Id.* 9, 6, 5. de balaenis: Irrumpunt orcae in secrata, et vitulos earum, ac fetas, vel etiam gravidas lancinant morsu. ℙ Speciatim vero in mari hoc nomine vocatur belua quaedam corio et pilis tecta, ex genere amphibiorum, id est tam in terra, quam in mari vitam agentium, quae et phoca dicitur. *Plin.* 9, 13, 15. Quae pilo vestiuntur, animal pariunt, ut pristis, balaena, vitulus. Hic parit in terra pecudum more: secundas partu reddit. In initu canum modo cohaeret: parit nonnunquam geminis plures. Educat mammis fetum. Non ante duodecimum diem deducit in mare, ex eo subinde assuefaciens. Interficiuntur difficulter, nisi capite eliso. Ipsis in somno mugitus, unde nomen vituli. Accipiunt tamen disciplinam, voceque pariter, et visu populum salutant incondito fremitu: nomine vocati respondent. Nullum animal graviore somno premitur, etc. Hinc *Juven.* 3, 237. stantis convicia mandrae Eripient somnum Druso, vitulisque marinis. *Plin.* 2, 55, 56. Homines pavidi tutissima putant tabernacula e pellibus beluarum, quas vitulos appellant quoniam hoc solum animal ex marinis fulmen non percutiat. Adde *Suet. Aug.* 90. ℙ Fuit etiam cognomen R., ut Q. Voconius Vitulus in nummo ap. *Eckhel.* T. 5. p. 344. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 58, 3., tum in alia ap. *Mur.* 37, 6. L. Licinius Vituli Lib. Gratus.

VĪTUMNUS et Vitunnus, i, m. Deus apud veteres, qui credebatur vitam largiri puerperio, ut Sentinus sensum. *August. C. D.* 7, 2. *f.* et *Tert. adv. Nat.* 2, 11.

VĪTŪPĔRĂBĬLIS, e, adj. ἐπιψόγος, vituperatione dignus. *Cic. Fin.* 3, 12. Quod vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto.

VĪTŪPĔRĂBĬLĪTER, adv. ut Vituperabiliter tractare aliquid, *Cassiod. Var.* 6, 11.

VĪTŪPĔRĀTĬO, onis, f. μέμψις, ψόγος, vituperandi actus, reprehensio, cui opponitur laus, sive laudatio. *Cic. Verr.* 2, 5, 18. Nunc non modo te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. *Quint.* 8. *prooem. med.* His adjiciebamus, demonstrativum laude et vituperatione constare. ℙ Sumitur etiam passive, praesertim si jungatur cum verbis *venio*, *cado*, *subeo*, *vito*, *effugio*, *adduco*, et similibus. *Cic. Verr.* 2, 4, 7. Ut propter eum in sermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. *Id. Fam.* 13, 73. *f.* Sed mihi ita persuadeo, eam rem laudi tibi potius, quam vituperationi fore; et *Verr.* 2, 5, 38. *f.* Haec autem vituperatio atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui, etc. *Id. ib.* 2, 3, 61. Adductus erat in sermonem, invidiam, vituperationem. *Id. Prov. cons.* 18. *f.* Vituperationem vitare. *Id. Att.* 14, 21. *med.* subire; et *ib.* 13. *med.* In vituperationem cadere. *Id. ib.* 16, 7. *med.* Maximas vituperationes effugere. *Id. Har. resp.* 23. *f.* Liberare aliquem vituperatione timiditatis. *Suet. Tit.* 1. Ne odio quidem, nedum vituperatione publica, caruit

VĪTŪPĔRĀTOR, oris, m. ψέκτης, qui vituperat, qui proclivis est ad vituperandum, reprehensor. *Cic. Fin.* 1, 1, Quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio. *Id. N. D.* 1, 3. Benevolos objurgatores placare, et invidos vituperatores confutare. Adde *Fam.* 7, 3. *f.*

VĪTŪPĔRĀTUS, a, um, part. a *vitupero:* improbatus, reprehensus. *Plin.* 26, 13, 83. Herba in pratis vituperata nobis.

VĪTŪPĔRĬUM, ii, n. ψόγος, vituperatio, dedecus, infamia. *Cic. Fin.* 3, 12. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio dictum vituperium. Emendatiores Cod. habent *vituperari. Id. Leg.* 3, 10. Isto quidem modo vel consulatus vituperio est. Alii plerique leg. *vituperabilis.* Monent critici *Goeclen., Scal., Cellar.* a *vituperio* abstinendum, si vituperationem doctorum hominum effugere velimus. Unius aut alterius testimonium, qui in allatis *Cic.* loc. hanc vocem defendunt, tum denique vim aliquam habiturum, cum ostenderint, scriptorem aliquem mediae aut infimae Latinitatis usurpasse.

VĪTŪPĔRO, as, avi, atum, a. 1. ψέγω, vitio do, reprehendo, improbo, de dignitate alicujus, vel auctoritate detraho: quasi *vitium paro.* V. *Cic. l. c.* in v. praec. [**Doederl.* 2, 159. *vituperare* per *vitii comperire*, i. e. sensu causativo, facere, ut quis paccatum intelligat, confiteatur, explicari posse conjicit.] *Auct. ad Her.* 2, 27. *med.* Vitiosum est, artem, aut scientiam, aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt, veluti qui rhetoricam vituperant propter alicujus oratoris vituperandam vitam. *Cic. Mur.* 29. Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo. *Pl. Most.* 1, 3, 21. Mavis vituperari falso, quam vero extolli. *Id. Mil.* 3, 1, 138. Qui Deorum consilia culpet, stultus inscitusque sit, quique eos vituperet. *Ter. Ph.* 3, 1, 1. Enimvero multis modis cum istoc animo es vituperandus. *Suet. Rhet.* 1. *med.* Illustres viros laudare, vel vituperare. *Curt.* 8, 6. Puerorum sermonibus vituperantium criminantiumque regem faciles aures praebere. *Vell.* 2, 101. Ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat. ℙ Cum dativo. *Pl. Cas.* 2, 6, 58. Cur omine mihi vituperat malo? Alii aliter leg. ℙ *Vituperare coelum* proverbialiter illi dicuntur, qui ut soli sapere videantur, ea etiam damnant, quae ab omnibus probantur. *Phaedr.* 4, 6. Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant, Et, ut putentur sapere, coelum vituperant.

VĪTŪPĔRO, onis, m. ψέκτης, vituperator, momus, in reprehensionem proclivis; a *vituperando*, ut *epulo* ab epulando, *manduco* a manducando. *Gell.* 19, 7. *f.* Laevius vituperones suos, subducti supercilii carptores appellavit. Adde *Sidon. ep.* 4, 22. et 8, 1.

VĪVĀCĬTAS, atis, f. μακροβιότης, εὐζωΐα, naturalis vigor, ac robur, vitae diuturnitas. *Colum.* 11, 3. *med.* de lepidio: Multis etiam locis vivacitatem suam usque in annos decem prorogat. *Quint.* 6. *prooem.* Hanc impiam vivacitatem novis insuper curis fatigare. *Plin.* 8, 27, 41. Panthera vivacitatis adeo lentae, ut ejectis interaneis diu pugnet. *Val.*

Max. 8, 13. *n.* 4. *extr.* Nervosa vivacitas. *Tert. Anim.* 25. Respondete, praegnantes, an aliquam in fetu sentiatis vivacitatem alienam de vestro. ℙ Translate. *Arnob.* 5, 179. Rationes mirae atque alae, nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere, *h. e.* ingenii experrecti et minime stupidi vi et acumine; et 2, 45. Unde, quaeso, est vobis tantum sapientiae traditum? unde acuminis et vivacitatis tantum? et 5. p. 157. Vivacitas cordis.

VĪVĀCĪTER, adv. *Fulg. Myth. praef.* 1. *med.* Res secretas mysticasque vivaciter pertractare. *Prud. adv. Sym.* 2, 332. vivacius abdita solers Quaerere, et aeternae tandem invigilare saluti.

VĪVĀRĬUM, ii, n. ζωγρεῖον, ζωοτροφεῖον, locus in quo viva animalia inclusa servantur, id est quadrupedes, aves, pisces, cochleae, glires, sive ad quaestum, sive ad voluptatem. *Sen. Clem.* 1, 18. Eos qui se aliquid offenderant, in vivarium (quid aliud quam serpentium?) abjici jubebat. *Plin.* 8, 52, 78. Vivaria aprorum, ceterorumque silvestrium primus invenit Fulvius Lupinus, qui in Tarquiniensi feras pascere instituit. *Id.* 9, 54, 79. Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano. *Id.* 8, 32, 50. Et in vivariis cervi cornua mutant omnibus annis. *Id.* 9, 55, 81, Vivaria muraenarum; et *ib.* 56, 82. cochlearum; et 8, 57, 82. glirium in doliis. *Juven.* 4, 50. Non dubitaturi fugitivum dicere piscem, Depastumque diu vivaria Caesaris. *Inscr.* ap. *Mur.* 251, 3. Custos vivarii Cohh. Praett. et Urbb. *h. e.* cohortium praetorianarum et urbanarum, quibus ferae in spectaculorum usum custodiendae tradebantur. Haec inscriptio pertinet ad ann. a Chr. n. CCXLI. ℙ A similitudine. *Sen. Q. N.* 3, 18. *med.* Da mihi in manus vas vitreum, in quo mullus exsultet, in quo trepidet. Ubi multum diuque laudatus est, ex illo perlucido vivario extrahitur, etc. *Juven.* 3, 308. Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt, *h. e.* Romam conveniunt, ubi facilior et paratior victus, velut piscibus in vivario. *Hor. Ep.* 1, 1, 78. sunt qui Crustis et pomis viduas venentur avaras, Excipiantque senes, quos in vivaria mittant, *h. e.* munusculis captent, ut heredes scribantur et ditescant, quemadmodum in vivaria mittuntur pisces quaestus gratia. ℙ Tempore *Gellii*, ut ipse tradit 2, 20., vulgus *vivaria* dicebat, quos παραδείσους Graeci appellant: qua voce tum horti conclusi, tum septa ferarum significantur. Porro *vivarium* quo sensu posuimus, *leporarium* a *Varrone*, et *roborarium* a *Scipione Afric.* dictum est: quae V. suis locis. ℙ *Fuit et Vivarium oppidum Galliae Narbonensis, dictum et Alba et Alba August. *Notit. Gall.* Hodie appellatur *Viviers. B. A.*

VĪVĀRĬUS, a, um, adj. Vivariae naves, horiae, aut scaphae multis foraminibus pertusae, quibus includuntur capti pisces, et vivi, alio transferendi: [quae a nostratibus vulgo *copani*, scil. *cofani da pesce* dicuntur. *F.*] *Macr. Sat.* 2, 12. *med.* Praefectus classis sciens, scarum Italicis litoribus ignotum, incredibilem scarorum multitudinem vivariis navibus huc advectam, inter Ostiam et Campaniae litus in mare sparsit. Eandem rem aliis verbis narrat *Plin.* 9, 17, 29.

[VĪVAS, atis, adj. omn. gen. idem ac vivatus, vivax. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 4, 9. Diis propitiis M. Actinii Vivatis. Alia ap. *eund.* 477, 1. Juniae Publiciae C. F. Pomponiae conjugi ejus, et Juniae Tutuliae P. F. Pomponianae (*uxoris*) Constantii Vivatis, etc. Sunt tamen qui putant, utrobique *vivatis* non cognomen, sed aclamationem esse. *F.*]

VĪVĀTUS, a, um, adj. vigens, vegetus, vividus. *Festus*: Vivatus, et vividus a poetis dicuntur, a vi magna. Alii rectius ducunt a *vivus*. *Lucr.* 3, 559. Denique corporis atque animi vivata potestas Inter se conjuncta valent, vitaque fruuntur; et *ib.* 680. si jam perfecto corpore nobis Inferri solita est animi vivata potestas. Item *ib.* 409. Et lacerato oculo circum, si pupula mansit Incolumis, stat cernendi vivata potestas. Alii hoc loco leg. *vitreata*, h. e. pellucida.

VĪVAX, acis, adj. μακρόβιος, diu vivens, diuturnus, longaevus. [*Discrimen inter *vivax* et *vitalis* v. in h. v.] *Hor. Sat.* 4, 1, 53. Scaevae vivacem crede nepoti Matrem; et *ib.* 2, 132. expellet certe vivacior heres. *Ov. Met.* 13, 518. Quid, Dii crudeles, etc. Vivacem differtis anum? *Id. Fast.* 2, 625. Cui pater est vivax: qui matris digerit annos. *Sen. Herc. Fur.* 1027. vivax senectus. *Virg. Ecl.* 7, 30. cervus. *Ov. Am.* 2, 6, 54. phoenix. *Hor. Od.* 1, 36, 16. vivax apium, et breve lilium. *Ov. Fast.* 4, 397. carpebant vivaci caespite gramen. *Virg. G.* 2, 181. silva vivacis olivae. *Colum.* 4, 32. Arundo cum sit vivacissima, nec recuset ullum locum. *Ov. Met.* 3, 374. Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam, *h. e.* quae accensa difficile exstinguuntur. *Sen. Med.* 826. Vivax flamma. *Lucan.* 3, 681. pinguibus ignis Affixus taedis, et tecto sulphure vivax. ℙ *Vivax infans* dicitur ab *Ov. Her.* 11, 43, qui in utero positus resistit medicaminibus abortum facientibus. ℙ Translate est diu durans, diuturnus. *Hor. A. P.* 68. mortalia cuncta peribunt, Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax. *Ov. Pont.* 4, 8, 47. Carmine fit vivax virtus, expersque sepulcri. *Pacat. Pan. Theodos.* 3. Cum per se vivax sit recordatio calamitatum. ℙ Item vividus, vegetus, vigens, validus: quasi vivere faciens. *Ov. Met.* 1, 419. semina rerum Vivaci nutrita solo. *Gell.* 9, 4. *med.* et 15, 22. Homines saltuatim currentes, vivacissimae pernicitatis. *Id.* 5, 2. de bucephalo: Moribundus tamen, ac prope exsanguis, e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit. [*Quint.* 2, 6. Si qui (*discipuli*) paulo sunt vivaciores, in his praesertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, et taciti repugnant, *h. e.* alacriores, animosiores. *F.*]

VĪVĒ, adv. vivide, valide. *Pl. Epid.* 2, 2, 98. Vive, ut sapis, et placet. [Ita *Bothius* recte ex MSS. Alii *vive sapis*. Nimirum risus captandi gratia servus, quasi *vive* non verbum, sed adverbium esset, ita respondet: Tum tu igitur calide, quidquid acturus's, age. *F.*]

VĪVENS, entis, part. a *vivo*, βιοτεύων. *Hor. Ep.* 1, 14, 10. Rure ego viventem, tu dicis in urbe, beatum. *Petr. Sat.* 125. *extr.* Quam male est extra legem viventibus! ℙ Translate. *Stat. Th.* 9, 573. Fluvius vivens. *Ov. Fast.* 4, 553. favilla. V. VIVUS.

*VĪVENTĀNI, orum, populi Umbriae, ab oppido quodam, cui nomen Viventum, fortasse nomen trahentes. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

VĪVERRA, ae, f. γαλῆ κατοικίδιος, animal exiguum domesticum, paulo majus mustela, colore etiam candidiore. Dicitur mel aversari adeo, ut, si gustet, paene intereat. *Albert. M.* vocat furonem et furunculum. *Plin.* 11, 49, 109. Ossea genitalia sunt lupis, vulpibus, mustelis, viverris. *Id.* 30, 6, 16. Jocinoris doloribus medetur mustela silvestris in cibo sumpta: item viverra porcelli modo inassata. ℙ Inimica est cuniculis, eosque in antris suis persequitur, et ejicit, et necat. *Id.* 8, 55, 81. de cuniculis: Magna propter venatum eum viverris gratia est. Injiciunt eas in specus, qui sunt multifores in terra, atque ita ejectos superne capiunt.

*VĪVERRĀRĬUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat.* Γαλεάγρα, Viverrarium, muscellarium. *B. A.*

VĪVESCO, is, n. 3. ἔμψυχος γίνομαι, vivus fio, vitam acquiro. *Plin.* 9, 51, 74. Anguillae atterunt se scopulis: ea strigmenta vivescunt. *Id.* 16, 25, 39. Favonio maritantur vivescentia e terra; et 17, 10, 10. Semen decidens, exceptumque terra vivescit. ℙ Translate est vires acquirere, vigescere, invalescere. *Lucr.* 4, 1131. verbum, Quod cupido affixum cordi vivescit, ut ignis; et *ib.* 1061. Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo. [*Sulpic. Sev. Vit. S. Mart.* 8. Mox vivescente vultu marcescentibus oculis defunctus erigitur. Alii rectius leg. *livescente. F.*] ℙ Ubique est qui leg. *vivisco*. Sic ap. *Prud. Apoth.* 970. rudem fecit vivescere limum.

*VĪVIĀNUM, i, n. oppidum Rhaetiae. Sic legit *Cellarius* (*Notit. orb. antiq.*) in *Paul. Diacon.* 3, 31. pro vulgato *Vitianum. B. A.*

VĪVĪCOMBŪRĬUM, ii, n. supplicium, quo homines vivi comburuntur. *Tert. Anim.* 1. *f.* Sed de patibulo, et vivicomburio per omne ingenium crudelitatis (*mortem*) exhauriat; et *ib.* 33. *med.* Si cogitemus patibula, vivicomburia, culleos, et uncos, et scopulos.

VĪVĬDĒ, adv. valide. *Gell.* 7, 3. *f.* Omnia distinctius, numerosiusque, ac comptius fortasse dici potuerunt; fortius, atque vividius potuisse dici non videntur. *Ammian.* 30, 1. Milites perterrefacti, vividius, quam venerant, remearunt ad muros, *h. e.* majore vi ac celeritate.

VĪVĬDŬLUS. V. UVIDULUS.

VĪVĬDUS, a, um, adj. ζωτικός, vita et vi praeditus, vigens, validus. [*Doederl.* 4, 447. sq. *vividus* adject. intelligit a *vis*, differentiamque inter hoc verbum et *vegetus* in eo ponit, quod *vividus* ad mores pertineat vigoremque in rebus gerendis significet: *vegetus* hilarem, mobilemque animum designet.] *Lucr.* 1, 178. vivida tellus Tuto res teneras affert in luminis oras. *Ov. Fast.* 3, 238. Vividaque e tenero palmite gemma tumet. Alii leg. *uvida*, sed contra *Heins.*, qui multa affert, quibus eam lectionem confirmet: inter quae illud *Colum.*, quod geminum est loci modo ex *Lucr.* allati, 5, 8. *f.* Sed et densior terra, si vivida et laeta est, commode recipit hanc arborem. Adde 3, 11. *f.* Quamquam utroque loco alii *uvida*, vel *humida* legunt. *Id.* 9, 13. Apes vivido halitu caloris animatae, resumpto spiritu, etc. *Lucr.* 1, 72. vivida vis animi pervicit, et extra Processit longe flammantia moenia mundi. *Plin. ep.* 3, 1. *f.* Illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer: inde agile et vividum corpus, solaque ex senectute prudentia. *Tac. A.* 6, 27. Vivida senectus. *Virg. A.* 12, 753. at vividus Umber (*canis*) Haeret hians, jam jamque tenet; et *ib.* 10, 609. vivida bello Dextra viris, animusque ferox, *h. e.* valens, fortis. *Mart.* 8, 6. misceri jussit amicis Largius Aeacides, vividiusque merum, *h. e.* meracius. Alii leg. *et bibit ipse:* alii *et bibit usque.* ℙ *Vivida imago* est ad vivum expressa. *Prop.* 2, 23, 8. Quatuor artifices, vivida signa, boves. *Mart* 7, 44. Cujus adhuc vultum vivida cera tenet. Sic *Virg. A.* 6, 848. spirantia aera, et vivos de marmore vultus. *Claud. B. Get.* 468. vivida Martis imago. ℙ Translate. *Tac. A.* 13, 42. Vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercere; et *Liv.* 2, 48. Nimia gloria luxuriare et evanescere vividum quondam illud Kaesonis ingenium. [*Cf. *ib.* 6, 22.] Sic *Plin. Pan.* 44. *med.* Rectos et vividos animos non, ut alii, contundis ac deprimis, sed foves et attollis, i. e. alacres. *Virg. A.* 5, 754. Exigui numero, sed bello vivida virtus. *Mart.* 11, 42. Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis Lemmata: quid fieri, Caeciliane, potest? et 12, 62. breve, vividumque carmen In te ne faciam, times, etc. *h. e.* acre; et *Tac. A.* 15, 49. Vivida odia. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 1. *extr.* Dextra, quae maximi exercitus complexui, humanitate, quam spiritu, vividiore suffecit. ℙ Sup. *Vividissimus* ap. *Paul.* ex *Festo*. Vividissimus, superlativus a vivido. In libr. editis est *vivissimus*.

VĪVĪFĪCĀTĬO, onis, f. actus vivificandi. *Tert. Resurr. carn.* 28. *extr.* et *adv. Marc.* 5, 9.

VĪVĪFĪCĀTOR, oris, m. qui vivificat. *Tert. Resurr. carn.* 37. *med.* et *adv. Marc.* 2, 9. Adde *August. C. D.* 7, 3. V. SENSIFICATOR.

[VĪVĪFĪCATRIX, icis, f. quae vivificat. *Prosper. Aquitan. de ingrat.* 21. Dicite plectentes apices, mortisque ministros Hoc expresse operis, quod gratia vivificatrix. *F.*]

VĪVĪFĪCĀTUS, a, um, part. a *vivifico:* vivus factus. *Tert. adv. Valent.* 14. *extr.*

VĪVĪFĪCO, as, a. 1. ζωοποιέω, vivum facio, vitam vigoremque do. *Avien. Arat.* 500. de Aganippe fonte: Ascreas donec vaga gurgite valles Vivificet. *Prud. Apoth.* 231. Deus mortalia vivificans. *August. contra Pel.* 2, 10. *n.* 33. Mortuus in Adam, vivificandus in Christo. Adde *Tert. adv. Marc.* 5, 9. ℙ Translate. *Hieron. ep.* 108. *n.* 11. Contemnens occidentem litteram, repererat spiritum vivificantem. *Paul. Nol. carm.* 26, 207. Vivificans animam, vitiis in carne peremptis.

VĪVĪFĪCUS, a, um, adj. vivum faciens. *Ammian.* 21, 1. Vivificus vigor. *Appul. Trismeg.* Quod sursum versus fertur vivificum.

VĪVĪPĀRUS, a, um, adj. ζωοτόκος, qui vivos fetus parit: cui opponitur is, qui ovum educit. *Appul. Apol.* Discrevit natura (*pisces*) viviparos, et oviparos.

VĪVĪRĀDIX, icis, f. ῥιζοκένμα, planta, quae cum radice seritur, vivam radicem habens, ad differentiam malleoli, et talearum. *Cato R. R.* 33. Si vinea a vite calva erit, sulcos interponito, ibique viviradicem serito. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 8. In arido solo viviradix quoque frustra seritur. *Colum.* 3, 11. Sationis autem duo sunt genera, malleoli, vel viviradicis, quod utrumque ab agricolis usurpatur, et in provinciis magis malleoli. Neque enim seminariis student, nec usum habent faciendae viviradicis. Adde *Cic. Sen.* 15. et *Varr. R. R.* 1, 35.

VĪVĪSCO. V. VIVESCO.

[VĪVĪSCUS, a, um, adj. ad Viviscos, qui et Bituriges, pertinens, Aquitaniae populos. V. BITURIGES. *Auson. Idyll.* 10, 438. Haec ego, Vivisca ducens ab origine gentem. *F.*]

VĪVO, is, ixi, ictum, n. 3. ζάω, βιόω, vita fruor, in vita sum, vitam ago: a βιῶ: [*Doederl.* 4, 441. a *vivus* derivandum censet. *Id. ib.* discrimen inter *vivere* et *vigere* ita statuit, ut hoc de tota vita, opp. morti, dici velit; *vigere* cum vita simul et corporis et animi vigorem significet.] et dicitur de omnibus iis, quae vitam habere dicuntur, ut animalia, et plantae. *Pl. Trin.* 1, 2, 17. Tua uxor quid agit? *Me.* immortalis est: vivit, victuraque est. *Cic. Sext.* 50. *f.* Quis non indignissimum facinus putavit, illum non dicam loqui, sed vivere ac spirare? *Sall. Cat.* 2. Ille mihi vivere et frui anima videtur, qui, etc. *Ter. Heaut.* 3, 1, 20. Numquidnam de gnato meo audisti? *Chre.* valet atque vivit. *Id. Eun.* 4, 6, 19. Egon' formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus; et *Cic. Brut.* 48. *med.* Aufidius vixit ad summam senectutem. *Id. Sen.* 6. *med.* Si ad centesimum annum vixisset. *Id. Fl.* 26. Lacedaemonii septingentos jam annos unis moribus, et nunquam mutatis legibus vivunt. *Cic. Sen.* 7. *f.* Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere. *Sen. ep.* 93. Octoginta annis vixit. *Cic. Off.* 3, 2. Triginta annis vixisse Panaetium. (*Ita omnes fere opt. edit.*) *Plin.* 7, 48. 49 Arcadum reges CCC. annis vixisse; et *infra:* Vixit annos XCVIII. *Id.* 30, 16, 53. In culicum genere muliones non amplius quam uno die vivere. *Cic. Verr.* 2, 2, 47. *f.* Quo tutiorem vitam sese meo praesidio victuros esse arbitrarentur. *Pl. Pers.* 3, 1, 18. Modice et modeste vitam vivere. *Cic. Cluent.* 61. *med.* Adeone stultus erat, ut illam, quam tu ille vivebat, vitam esse arbitraretur? Alii leg *qua. Pl. Mil.* 3, 1, 34. Tamne tibi diu videor vita vivere? *Ter. Ad.* 5, 4, 5. Ego vitam duram, quam vixi usque adhuc, mitto. ℙ De plantis. *Cic. Fin.* 5, 14. Vivere vitem, et mori dicimus. *Colum. Arb.* 16. In eandem scrobem ulmum et epulum, vel fraxinum deponunt, ut, si ulmus defecerit, opulus vel fraxinus locum obtineant: si autem utraque vixerit, altera eximatur. *Plin.* 17, 10, 13. Avulsi arboribus vixere stolones. *Ov. Fast.* 3, 427. bene vivitis ignes (*Vestae*) Vivite inexstincti flammaque, duxque precor. *Id. Rem. Am.* 732 paene exstinctum cinerem si sulphure tangas, Vivet. ℙ *Vivere*, ali, vitam tolerare. *Caes. B. C.* 3, 49.

Prius se cortice ex arboribus victuros, quam Pompejum dimissuros. *Id. B. G.* 4, 10. *f.* Piscibus atque ovis avium vivere existimantur. *Pl. Aul.* 2, 4, 36. Esse parcum, et misere vivere, *h. e.* miseris modis victitare, ut *Id. Most.* 1, 1, 51. ait. *Id. Truc. a.* 5. *v.* 61. Noster esto: sed de vestro vivito; et *Hor. Ep.* 2, 1, 123. vivit siliquis et pane secundo. *Virg. A.* 7, 749. Convectare praedas, et vivere rapto. *Cajus Dig.* 50, 16, 234. Verbum vivere quidam putant ad cibum pertinere: sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis et vestimenta, et stramenta contineri: sine his enim neminem vivere posse. ℙ Passive *Ov. Met.* 12, 187. vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Tusc.* 3, 20. Negat Epicurus, jucunde posse vivi, nisi cum virtute vivatur. *Hor. Od.* 2, 16, 13. Vivitur parvo bene. *Ov. Met.* 1, 144. Vivitur ex rapto. ℙ Saepe notat modum actae vitae. *Ter. Hec.* 3, 5, 11. Vixit, dum vixit, bene, (Ubi *Donatus:* Plane unum *vixit* aliud significat, et alterum aliud.) *h. e.* dum vita fuit, fruitus est bonis, aetatem egit sibi indulgendo. *Cic. Fam.* 13, 28. Studia illa nostra, quibus antea delectabamur, etiam nunc vivimus; et *ib.* 9, 26. Vivas, inquis, in litteris. An quidquam me aliud agere censes? aut posse vivere, nisi in litteris viverem? *Id. Fin.* 3, 20. Vivere e natura, *h. e.* convenienter naturae. *Id. Off.* 3, 1. Qui in maxima celebritate, et in oculis civium quondam viximus. *Id. Fin.* 1, 18. Clamat Epicurus, non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, justeque vivatur: nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde. *Nep. Alc.* 11. Luxuriose vivere. *Id. Att.* 14. Tanta usus est moderatione, ut neque in HS. vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit, neque in HS. centies affluentius vixerit, quam instituerat. ℙ *Vivere in diem*, vel *in horam.* V. DIES et HORA. ℙ *Vivere sibi*, sui tantum ipsius curam habere, publicis, aut alienis negotiis abstinere. *Cic. Marcell.* 8. Tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. ℙ *Secum vivere*, simile est. *Id. Sen.* 14. *med.* At illa quanti sunt! animum, tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque, ut dicitur, vivere. Sic *Pers.* 4, 52. Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex. ℙ *Vivere alicui*, in obsequium et commodum alterius vitam agere. *Ter. Eun.* 3, 2, 27. Atque haec qui misit, non sibi soli postulat te vivere. ℙ Pro degere, habitare. *Nep. Tim.* 3. *f.* Privatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit. *Id. Chabr.* 3. *f.* Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi. ℙ *Vivere cum aliquo*, versari; consuetudinem habere, amicum, familiarem esse. *Nep. Att.* 10. Cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit. *Cic. Or.* 3. *f.* Quibuscum privatus conjunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate. *Id. Att.* 6, 6. Decreram cum eo valde familiariter vivere; et *ib.* 14, 20. *med.* Hirtius optime loquitur: sed vivit habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur. *Nep. Alc.* 10. *f.* Mulier, quae cum eo vivere consueverat, muliebri sua veste contectum aedificii incendio mortuum cremavit. ℙ De consuetudine parvi temporis. *Cic. Att.* 14, 20. *med.* Cum Pansa vixi in Pompejano: is mihi probabat se bene sentire, et cupere pacem. ℙ Interdum *vivere* absolute est in otio et tranquillitate vitam agere, laetitiae et genio indulgere, ἡδυπαθεῖν. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Quod me cohortaris ad ambitionem et laborem, faciam equidem: sed quando vivemus? *Catull.* 5, 1. Vivamus, mea Lesbia, atque amemus; et *Hor. Ep.* 1, 6, 66. vivas in amore jocisque. *Varr.* ap. *Non.* 2, 674. Properate vivere, puerae, quas sinit aetatula ludere, esse, amare. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 34. Vivite lurcones, comedones, vivite ventres. *Mart.* 1, 104. Aut vive, aut decies, Scaevola, redde Deis; et *ib.* 16. Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam. Sera nimis vita est crastina: vive hodie. *Inscr.* ap. *Grut.* 609, 3. Amici, dum vivimus, vivamus. ℙ Huc trahi potest formula illa dimittentium, *vive, valeque*, ap. *Hor. Sat.* 2, 5, 110. et *Ep.* 1, 6, 67. *Inscr.* ap. *Grut.* 799, 8. Vive hospes, dum licet, atque vale. ℙ Loco verbi *sum. Catull.* 10, 33. Sed tu insula male, et molesta vivis. *Ter. Hec.* 5, 4, 20. Morem antiquum atque ingenium obtines, ut unus hominum homo te vivat nusquam quisquam blandior. *Id. Eun.* 5, 9, 1. Ecquis me vivit hodie fortunatior! *Cic. Att.* 3, 5. Ego vivo miserrimus, et maximo dolore conficior. *Pl. Amph. prol.* 75. Virtute dixit vos victores vivere, non ambitione, neque perfidia. Adde *Hor. Ep.* 2, 2, 157. ℙ *Asinum vivere* dicitur, qui vitam asinalem ducit *Boeth. Consol. philos.* 4. *pros.* 3. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit? ℙ Pro durare, manere. *Cic.* vertens carm. *Homeri* ap. *Gell.* 15, 6. Fabitur hoc aliquis: mea semper gloria vivet. *Iliad.* 7, 91. τὸ δ' ἐμὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται. *Virg. A.* 4, 67. tacitum vivit sub pectore vulnus. *Id. G.* 3, 454. alitur vitium, vivitque tegendo. *Petr. Sat.* 137. et languidus Auster Non patitur glaciem resoluta vivere terra. *Stat. Theb.* 6, 364. unde animi fluviis, quae pabula ventis, Quo fonte immensum vivat mare. *Plin.* 19, 5, 23. Cucumeres vivunt hausti in posterum diem, nec perfici queunt in cibis. *Ov. Am.* 3, 1, 65. Altera das nostro victurum nomen amori. *Stat. Theb.* 12, 441. vivunt odia improba. *Ov. Trist.* 1, 7, 25. vivunt scripta. *Albinov.* 1, 265. Vivent facta ducis, operosaque gloria rerum; et 3, 17. Vivere sermonibus hominum. ℙ *Vixit*, mortuus est: ominis causa: ut dicebant *fuit, abiit ad plures, siquid humanitus acciderit*, etc. *Pl. Bacch.* 1, 2, 43. Vixisse nimio satius est jam, quam vivere. *Id. Most.* 4, 3, 9. Unum vidi mortuum efferri foras: modo eum vixisse ajebant. ℙ *Ita vivam*, affirmantis est. *Cic. Fam.* 16, 20. Sollicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valitudo. Adde *ib.* 2, 13. *med.* et *Att.* 5, 15. et *Sen. ep.* 82. *med.* ℙ *Ne vivam*, imprecantis sibi mortem, si fallat, dispeream, ne sim salvus. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Quid poteris, inquis, pro iis dicere? ne vivam, si scio. ℙ *Si vivo*, minitantis. *Pl. Cas.* 1, 1, 27. Vae tibi! quot te modis, si vivo, habebo in nuptiis miserum meis! *Id. Ps.* 5, 2, 26. Erit ubi te ulciscar, si vivo. *Ter. Andr.* 5, 2, 25. Jam ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, herum quid sit pericli fallere. *Id. Eun.* 5, 6, 19. Ego te, furcifer, si vivo: ἀποσιώπησις. ℙ *Vivat, vivite*, dicimus iis, quibus renuntiamus. *Catull.* 11, 18. Cum suis vivat, valeatque moechis. *Virg. Ecl.* 8, 58. vivite silvae, i. e. valete. *Ter. Andr.* 5, 3, 18. Immo habeat, valeat, vivat cum illa. ℙ Signa, et tabulae *vivere* dicuntur, quae vivum referunt. *Claud. IV. cons. Hon.* 589. picturatumque metallis Vivit opus. ℙ *Vixet*, vixisset, syncope. *Virg. A.* 11, 118. Vixet, cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset. ℙ *Voss. de Gramm.* 5, 35. *med.* scribit, *Novium* dixisse *vivebo* pro *vivam.*

VIVUS, a, um, adj. ζωὸς, ἔμψυχος, vita praeditus, vivens. *Cic. Mil.* 33. *med.* Qui cum tantum ausus sit ustor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam visus everterat. *Sall. Jug.* 65. *f.* Si Jugurtam vivum, aut necatum sibi traderet. *Phaedr.* 2, 3. Devorare aliquem vivum. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Rogas Fabium, ut et patrem, et filium vivos comburat; et *ib.* 5. Adeo ut Cato vix vivus effugerit. *Virg. Ecl.* 9, 2. O Lycida, vivi pervenimus; advena nostri ..... ut possessor agelli Diceret: haec mea sunt, *h. e.* vivendo ad haec venimus. *Plin.* 22, 25, 74. Ulcera atra lupini aridi decorticatique triti, supposito linteolo, ad vivum corpus redigunt. ℙ *Me, te vivo*, me, te vivente. *Caes. B. G.* 7, 33. *f.* Cum leges duos ex una familia, vivo utroque, magistratus creari vetarent. *Nep. Ann.* 12. Qui Annibale vivo, nunquam se sine insidiis futuros existimabant. *Hirt. B. G.* 8, 21. *extr.* Nunquam senatum tantum in civitate, illo vivo potuisse. ℙ Saepe est formula graviter affirmantis, aut subirati. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Cato affirmat, se vivo illum non triumphare. *Pl. Bacch.* 3, 3, 15. Neque illum me vivo corrumpi sinam; et 3, 4, 17. Nunquam edepol, viva me, irridebit. *Id. Most.* 1, 3, 73. Siquidem vendundum est, pater vaenibit multo potius, quum te, me vivo, unquam sinam egere. ℙ *Vivus amor*, vivi hominis et praesentis. *Virg. A.* 1, 721. paulatim abolere Sichaeum (*jam mortuum*), et vivo tentat praevertere amore *Aeneae:* de Didone loquitur. ℙ *Vivus vidensque*, ζῶν καὶ παρών, qui plane sentit ac videt quod patitur. *Cic. Quint.* 15. V. VIDENS. Sic *Plin.* 7, 47, 48. Consecratus est vivus sentiensque oraculi jussu Euthymus pycta, semper Olympiae victor. ℙ *Vix vivus metu*, vel *dolore*, vel *frigore*, dicitur, qui prae metu vel dolore attonitus, vel frigore adstrictus jam mortuo similis videtur. *Cic. Verr.* 2, 2, 77. *med.* Itaque illum in jure metu, conscientiaque peccati mutum atque exanimatum, ac vix vivum relinquo. *Id. Verr.* 2, 4, 40. Cum Sopater esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore; et *mox:* De statua, cum jam paene obriguisset, vix vivus aufertur. *Inscr.* Patavina ap. *Grut.* 784, 1. Flaviae Quintillae P. Q. F. (*h. e.* P. Quintilli filiae) P. Quintillus vix dolore vivus, et sibi, etc. ℙ De plantis. *Colum.* 11, 3. *in.* Vivam sepem praetulerunt, *h. e.* quae constat ex virgultis et spinis radice viventibus. *Ov. Met.* 13, 891. Vivaque per rimas, proceraque surgit arundo; et *ib.* 4, 300. stagni ultima vivo Caespite cinguntur. *Plin.* 20, 9, 39. Scillae bulbo aridis tunicis direptis, quod reliquum e vivo est, consectum suspenditur. *Colum.* 4, 24. *med.* Vitem falce eradere vivo tenus. ℙ De aliis rebus. *Hor. Od.* 3, 21, 23. Vivae lucernae; et *Plin.* 19, 1, 4. de lino asbestino: Inventum est etiam quod ignibus non absumeretur: vivum id vocant. *Id.* 29, 3, 11. Viva calx, *h. e.* quae postquam cocta fuit, aqua non est exstincta. *Id.* 36, 19, 30 Vivi lapides, *h. e.* qui ferro percussi scintillas edunt. *Id.* 35, 15, 50. Vivum sulphur, quod Graeci apyron vocant, nascitur solidum, hoc est gleba: quo solum ex omnibus generibus medici utuntur. Solum (cetera enim liquore constant, et conficiuntur oleo incocta) vivum effoditur, translucetque, et viret. *Cels.* 5, 18. *n.* 13. Sulphur ignem non expertum, quod ἄπυρον vocatur. *Ov. Am.* 3, 6, 59. Ille habet et silices, et vivum in pectore ferrum. Alii leg. *durum;* et *Fast.* 2, 315. Antra laqueata tophis et pumice vivo, *h. e.* nativo, non factitio. Sic *Virg. A.* 1, 171. vivoque sedilia saxo. *Id. ib.* 2, 719. et *Liv.* 1, 45. *f.* flumen vivum; et *Varr. L. L.* 4, 26. Fons, unde funditur e terra aqua viva. *Ov. Fast.* 2, 250. Vivi fontes; et *ib.* 4, 778. vivo prolue rore manus. *Virg. G.* 2, 469. Speluncae, vivique lacus. *Ov. Met.* 4, 248. Vivus calor, *h. e.* qui est in vivo corpore. *Mart.* 12, 63. Greges ovium tincti colore vivo, *h. e.* nativo, non fucato. *Id.* 6, 49. viva cupressus, *h. e.* vivax, et quae tempore non corrumpitur. *Id.* 10, 30. Nec languet aequor, viva sed quies ponti Pictam phaselon adjuvante fert aura, *h. e.* mare aura leniter agitatum. *Id.* 13, 79. Spirat in advecto, sed jam piger, aequore, multus Languescit: vivum da mare, fortis erit: *vivum* opponit *advecto.* ℙ *Ad vivum resecare*, altius, et usque ad vivam carnem. *Colum.* 6, 12. Si sanguis in inferiore parte ungulae est, extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur. Sic *Plin.* 28, 10, 13. Vulnera circumcidere ad vivas usque partes. ℙ Translate. *Cic. Am.* 5. Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum reseco, ut illi, qui haec subtilius disserunt, *h. e.* altius et accuratius expendo seu exigo. ℙ *De vivo aliquid detrahere*, de ipso rei corpore. *Id. Fl.* 37. Dat de lucro: nihil detrahit de vivo, *h. e.* de sorte, et capite; et *Verr.* 2, 3, 50. De vivo igitur erat aliquid resecandum, ut esset unde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. ℙ *Viva vox* est, quam auribus nostris ab ipso, qui loquitur, percipimus: et opponitur scriptis, lectioni, et narrationi aliorum, ἔμψυχος λόγος. *Cic. Agr.* 2, 2. *med.* Meis comitiis non tabellam vindicem libertatis, sed vivam vocem prae vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum, tulistis. *Quint.* 2, 2. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius, praecipueque ejus praeceptoris, quem discipuli et amant, et verentur. *Sen ep.* 6. *med.* et *ep.* 33. *f.* Plus tamen tibi et viva vox, et convictus, quam oratio proderit. *Plin. ep.* 2, 3. *f.* Multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit. Adde *Sen. Controv. praef.* 1. *med.* ℙ In signis et tabulis *vivum* dicitur, quod eum plene refert, cujus est simile. *Virg. A.* 6, 848. Excudent alii spirantia mollius aera, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus. *Stat. Silv.* 1, 3, 47. Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla Viva modis. ℙ *Viva facta*, res gestae, quorum durat memoria. *Naevius* ap. *Gell.* 6, 8. Qui res magnas manu saepe gessit gloriose, cujus facta viva nunc vigent. ℙ *Vivi pectoris homo* ap. *Arnob.* 3, 103. est minime stupidus aut fatuus, sed praestantis ingenii, acuti, vividi, et perspicacis. Sic *Plin. ep.* 8, 6. *extr.* Scio, quam sit tibi vivus et ingenuus animus. Alii leg. *verus.*

VIX, μόγις, μόλις, σχολῇ, aegre, difficulter. *Cic. Fam.* 9, 8. *f.* Quid est, sine his cur vivere velimus? mihi vero cum his ipsis vix; his autem detractis, ne vix quidem. *Id. N. D.* 2, 7. *f.* Profluens amnis aut vix, aut nullo modo; conclusa autem aqua facile corrumpitur. *Id. Att.* 3, 23. Scis, Clodium sanxisse, ut vix aut omnino non posset nec per senatum, nec per populum infirmari sua lex. *Caes. B. G.* 1, 6. Iter angustum et difficile, quo vix singuli carri ducerentur; et *ib.* 2, 28. Ex hominum millibus sexaginta vix ad quingentos sese redactos esse, dixerunt; et *ib.* 3, 4. Brevi spatio interjecto, vix ut his rebus administrandis tempus daretur. *Cic. Fam.* 16, 8. Vix in ipsis tectis frigus vitatur: nedum in mari et via sit facile abesse ab injuria temporis. *Liv.* 24, 4. Puer vix dum libertatem, nedum dominationem modice laturus. *Cic. Fam.* 16, 24. Ego vix teneor, quin accurram. *Ter. Eun.* 5, 2, 20. Vix me contineo, quin involem in capillum. *Pl. Most.* 1, 3, 46. Vix comprimor, quin involem illi in oculos. *Cic. Q. Fr.* 3, 2. Ego teneo ab accusando vix me hercule: sed tamen teneo. *Id. Pis.* 12. Gabinius colligit ipse se vix; sed collegit tamen. *Cajus Dig.* 41, 1, 7. *med.* Sed vix est, ut id obtineat. Eodem modo locuti sunt *Mart. ib.* 30, 1, 111. et *African.* 16, 1, 19. ℙ Pleonasmus est in illo *Plauti Poen.* 1, 2, 27. Vix, aegreque amatorculos invenimus. Alii leg. *vix aegre. Quint.* 6, 4. *med.* Illud vix saltem praecipiendum videtur, ne turbidus et clamosus tantum sit altercator. ℙ Repetitum significationem auget. *Albinov.* 1, 167. Quin etiam corpus matri vix vixque remissum Exsequiis caruit, Livia, paene tuis. ℙ ℙ Refertur ad tempus. *Ter. Andr.* 3, 1, 12. Ah, vix tandem sensi, stolidus! *Cic. Fam* 3, 9. Vix tandem legi litteras dignas Appio. *Catull.* 62, 2. Vesper Olympo Exspectata diu vix tandem lumina tollit. *Caes. B. G.* 6, 7. Vix agmen novissimum extra munitiones processerat, cum, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Vix erat hoc plane etiam imperatum, cum illum spoliatum stipatumque lictoribus videres. *Id. Fam.* 12, 4. *med.* Dolabella valde vituperabatur, quod tibi tam cito succederet, cum vix dum triginta dies in Syria fuisses. *Id. Att* 9, 2. *f.* Vix dum epistolam legeram, cum, etc. *Ter. Phorm.* 4, 2, 4. Vix dum dimidium dixeram; intellexerat. ℙ Sequente *et* pro *cum. Val. Fl.* 4, 508. de Vesuvio: vix dum ignea montem Torsit hiems, jamque Eoas cinis induit urbes. *Virg. A.* 5, 857. Vix primos inopina

quies laxaverat artus, Et super incumbens, etc. *Stat. Theb.* 5, 263. vix primus ab ira Pallor, et impulsis surgunt ad proelia mensis. ℙ Pro *statim*, si *Nonio* 4, 497. creditur. *Varr. ib.* Vix vulgus confluit, non furiarum, sed puerorum atque ancillarum. Si *Donato* ad *Ter. Eun.* 3, 2, 19., ad *Ad.* 3, 2, 12. et ad *Phorm.* 2, 3, 26., est pro *non* in illo *Lucil.* carcer vix carcere dignus.

VIXET, syncope pro *vixisset*. V. VIVO.

U L

ULCĔRĀRĬA, ae, f. herba eadem quae marrubium ap. *Appul. Herb.* 45. Fortasse ita est appellata, quia, ut ait *Plin.* 20, 22, 89., ejus succus illitis etiam vulneribus a cane factis medetur.

ULCĔRĀTĬO, onis, f. ἕλκωμα, ἕλκωσις, actus ulcerandi. Item ipsum ulcus. *Sen. Const. Sap.* 6. Dolores, damna, ulcerationes, vulnera. *Plin.* 34, 11, 27. Oris, gingivarumque ulcerationem emendare.

ULCĔRĀTUS, a, um, part. ab *ulcero*, ἑλκούμενος. *Cic. Fat.* 16. Nondum ulcerato serpentis morsu Philocteta.

ULCĔRO, as, a. 1. ἑλκόω, ulcerosum facio. *Hor. Sat.* 1, 6, 106. nunc mihi curto Ire licet mulo, etc. Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos. ℙ Translate. *Id. Ep.* 1, 18, 72. Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve, *h. e.* amore sanciet. V. v. sq.

ULCĔRŌSUS, a, um, adj. ἑλκώδης, ulceribus plenus. *Tac. A.* 4, 57. Ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta. ℙ De arboribus. *Plin.* 17, 14, 24. Ante omnia gemmantes nitere conveniet, nihil usquam ulcerosum esse, aut retorridum. ℙ Translate. *Hor. Od.* 1, 25, 13. Cum tibi flagrans amor, et libido, Quae solet matres furiare equorum, Saeviet circa jecur ulcerosum Non sine questu, *h. e.* libidine, turpi prurigine, tanquam ulcere ardens. V. ULCUS.

*ULCIĀNE PRAEFECTURA ab Ulcis fortasse nomen traxit. Fuit autem Ulci, Οὔλκοι, oppidum Lucaniae, alio nomine Volsci, ut probabile est. *Frontin.* in *Lucania* ap. *Cellar. B. A.*

ULCISCO. V. in sequenti dictione.

ULCISCOR, eris, ultus sum, dep. 3. ἀμύνω, τιμωρέω, punio aliquem ob illatam injuriam, poenas repeto, injuriam persequor. *Cic. ad Brut.* 1, 3. *med.* Eos cives, qui contra patriam arma ceperunt, omnibus sententiis ulciscor et persequor. *Id. Mil.* 33. Aliter perire pestis illa non potuit: nunquam illum respublica suo jure esset ulta. *Sall. Jug.* 46. *f.* Dum alteri alteros vincere quovis modo, et victos acerbius ulcisci volunt. *Cic. Div. Verr.* 6. Quos intelligis, non, ut per te alium, sed ut per aliquem te ipsum ulciscantur, laborare. Ubi *Ascon.* Ulciscor et *punio* significat, et *vindico:* nunc ergo *puniant* intelligemus. *Id. Att.* 9, 12. Odi hominem, et odero: utinam ulcisci possem! sed ulciscentur illum mores sui. *Id. Cat.* 2, 8. Quos ego, si ullo modo fieri posset, non tam ulcisci studeo, quam sanare. *Ter. Eun.* 5, 4. *f.* Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar, ut ne impune nos illuseris. *Prop.* 1, 15, 15. Alphesiboea suos ulta est pro conjuge fratres. *Caes. B. G.* 1, 14. Consuevisse Deos, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res concedere. ℙ *Ulcisci injuriam, scelus*, vindicare, persequi, puniendo eos, qui admiserunt. *Cic. Fam.* 12, 23. Neque enim haec a te non ulciscenda sunt, etiamsi non sunt dolenda. *Id. Verr.* 2, 1, 28. *f.* Non oportet esse cuiquam, ne in ulciscenda quidem injuria, hominis occidendi potestatem. *Id. ib.* 4, 3. *f.* Statuerunt istius injurias per vos ulcisci et persequi; et *ib.* 3, 27. Si istius nefarium scelus ulti vi manuque essent. *Id. Rab. perd.* 5. Similis viri tu ulciscerис patrui mortem, atque ille persequeretur fratris sui. *Ter. Phorm.* 1, 4, 12. Absque eo esset, recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam. *Ov. Met.* 7, 458. Androgeique necem justis ulciscitur armis. *Id. Trist.* 2, 134. Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas. *Hor. Od.* 4, 12, 7. quod male barbaras Regum est ulta libidines. *Phaedr.* 5, 3. punctum volucris parvulae Voluisti morte ulcisci. *Just.* 2, 15. *med.* Spartani, ut illatum a Persis Graeciae bellum ulciscerentur, ultro fines eorum depopulantur. ℙ *Ultum ire*, procedere ad ulciscendum. *Sall. Jug.* 71. Cum maxima cura injurias ultum ire festinat. *Tac. A.* 4, 73. *f.* Recipiunt cohortes alasque fessas vulneribus: neque dux Romanus ultum iit. ℙ *Ulcisci se, patrem*, etc. punire aliquem ob injuriam sibi, patri, etc. illatam. *Cic. Rosc. Am.* 24. Qui patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpserunt. *Id. Or.* 1, 8. Tenere arma, quibus possis te ulcisci lacessitus. *Ov. Pont.* 1, 8, 20. Se nimis ulciscens, exstit ipse nocens. *Id. Fast.* 3, 709. haec pietas Caesaris, ulcisci justa per arma patrem. *Id. Met.* 12, 603. Vertere in Aeaciden, caesosque ulciscere fratres. *Id. Fast.* 5, 574. ulcisci numen utrumque paro. *Virg. A.* 2, 575. subit ira cadentem Ulcisci patriam, et sceleratas sumere poenas. *Plin.* 34, 14, 41. A ferro sanguis humanus se ulciscitur. Contactum namque eo celerius subinde rubiginem trahit. ℙ *Ulcisco* activa positione. *Enn.* ap. *Non.* 4, 155. Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem. Hinc passive *Sall. Jug.* 34. Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit.

ULCUS, eris, n. ἕλκος, solutio ex pure collecto in corpore animalis cum tumore cutis, aut ruptione: a voce Graeca allata: quae quia cum aspiratione est, *hulcus* multis scribi placet. Sed multis item placet Latino more scribi. *Hard.* in *Plinio* semper *h* retinuit. Aliorum auctorum MSS. pro utraque scriptione sunt. Differt a vulnere, quod *ulcus* sponte nascitur, *vulnus* ictu infligitur. *Non.* 5, 49. ulcus ait esse tectam et clausam malignitatem, vulnus patentem. Qua ratione *Pers.* 3, 113. tenero latet ulcus in ore Putre. *Virg. G.* 3, 453. ferro rescindere summum Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegengo, Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor Abnegat: *vulnera* hic dicit ipsa ulcera. ℙ Translate. *Mart.* 11, 60. Pulcrior est Chione, sed Phlogis ulcus habet, *h. e.* latentem pruriginem, urticam, obscenum Veneris sensum. V. ULCERO. ℙ *Ulcus tangere*, rei, quae dolorem facit, mentionem facere, et vulnus refricare. *Ter. Phorm.* 4, 4, 10. Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere, aut nominare uxorem? *Ov. Trist.* 3, 11, 63. rescindere vulnera noli, Deque gravi duras ulcere tolle manus. *Cic.* alio sensu *N. D.* 1, 37. *f.* Horum quidquid attigeris, ulcus est: ita male instituta ratio exitum reperire non potest, *h. e.* absonum, absurdum, a veritate alienum, et quasi mendacio laborans. ℙ Translata sunt et illa *ejusd. Dom.* 5. Quid, si utrumque fuit, ut et fames stimularet homines, et tu in hoc ulcere tanquam unguis exsisteres? *h. e.* in hoc malo esses id, quod est molestius et gravius: esses huic rei caput, ut ait *Lucr.* 4, 1061. de amore: Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 12. Marmora in lapidicinis crescere, auctor est Papirius Fabianus: exemptores quoque affirmant, compleri sponte illa montium ulcera. ℙ Dicitur de quocumque abscessu, sive lateat sub cute, sive apertum sit. *Lucr.* 6, 1164. Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere Corpus. *Cels.* 5, 9. Crustas ulceribus inducere; et *ib.* 14. Carnem alere et ulcus implere; et *ib.* 26. *n.* 31. Interdum vetustas ulcus occupat, induciturque ei callus, et circum orae crassae livent; (Saepe toto illo cap. *ulcus* et *vulnus* promiscue usurpat.) et *ib.* 28. *n.* 6. Fiunt ex frigore ulcera, maxime in pueris, et praecipue in pedibus. *Plin. ep.* 6, 24. Ulceribus putrescere ex diutino morbo. *Plin. alter* 23, 6, 60. Ulcera quacumque in parte manantia; et *ib.* 9, 81. Tetra ulcera purgare. *Id.* 22, 23, 49. Ulceribus non maturescentibus laser prodest. *Id.* 10, 74, 95. Avis ulcera asini rostro excavat. ℙ De arboribus *Id.* 17, 24, 37. *n.* 6. Difficilius tolerant frigora, aut aestus, quoniam in ulcus penetrat omnis a foris injuria.

ULCUSCŬLUM, i, n. ἑλκύδιον, ulcus exiguum. *Cels.* 5, 28. *n.* 15. Ex pustulis nonnunquam ulcuscula fiunt. *Sen. ep.* 72. *med.* In corpore interdum robusto solidoque eruptiones quaedam pustularum, et ulcuscula. *Plin.* 28, 19, 78. Ulcuscula oris sanare.

ULEX, icis, m. frutex rosmarino similis, sed asperior, qui retinendi auri gratia sterni solet in fossis, canalibusque ad id fieri solitis, ut ait *Plin.* 33, 4, 21. qui *ib.* subdit: Ulex siccatus uritur, et cinis ejus lavatur substrato caespite herboso, ut sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam, atque Gallaeciam, et Lusitaniam praestare, quidam tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot saeculis haec fertilitas. Haec *Plinius.*

*ULIANUS, i, insula Galliae adjacens, in sinu Aquitanico. *Plin.* 4, 19. ℙ Hodie est *Oleron.* V. *Glarion. B. A.*

[ULIENSIS, e, adj. ad Uliam pertinens, Hispaniae Baeticae oppidum, nunc *Montemajor* appellatum, cujus mentio est ap. *Hirt. B. Alex.* 61. et *Auct. B. Hisp.* 3. Hinc *Ulienses, ium*, absolute, incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Grut.* 271, 1. Splendidissimus ordo Reip. Uliensium. *F.*]

ULĪGĬNOSUS, a, um, adj. ἰκμαδώδης, uligine plenus, humidus. *Serv.* ad *G.* 2, 184. scribit, agrum uliginosum dici eum, qui semper humidus est; humidum autem, qui siccari aliquando possit. *Varr. R. R.* 1, 6. *extr.* Campester locus, qui est ad libellam aequus, cum aquae non habeat delapsum, fieri solet uliginosus. *Id. ib.* 2, 3. Lapide aut testa substerni oportet, caprile quo minus sit uliginosum ac lutulentum. *Plin.* 17, 5, 3. Uliginosa terra. *Colum.* 2, 4. Uliginosos campos proscindere. *Arnob.* 1, 30. Uliginosa et turgentia viscera, *h. e.* aqua intercute laborantia.

ULĪGO, inis, f. ἰκμάς, terrae humor naturalis, ex ea nunquam recedens, ut ait *Serv.* ad *G.* 2, 184. Videtur *uligo* pro *udiligo*, ut *fuligo* pro *fumiligo*, usurpatum fuisse. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Solum (*stabuli*) oportet esse eruderatum, et proclivum, ut everri facile possit, ac fieri purum. Non enim solum ea uligo lanam corrumpit ovium, sed etiam ungulas, ac scabras fieri cogit. *Virg. l. c.* At quae pinguis humus, dulcique uligine laeta. *Sil.* 8, 381. Et quos pestifera Pomptini uligine campi, etc. [*Colum.* 1, 6. In nostris regionibus, quae uligine redundant, magis illam positionem pensilis horrei probamus. *F.*]

ULIXES, is, m. idem ac Ulysses, ut est in quamplurimis MSS. et veterib. libris: quomodo ab Αἴγυπτος dixere etiam Aegiptus, a στύφω stipo, a φρύγω frigo. *Voss.* in *Etym.* in voce *Stipes*, et alii: atque ita a Latinis aliquando scriptitatum esse, ostendunt illa verba *Plut.* in *Marc. c.* 20. Τὰ μὲν ἔχοντα Μηριόνου τὰς δὲ Οὐλίξου, τουτέστιν Ὀδυσσέως, ἐπιγραφάς.

*ULLA, ae, fluvius Hispaniae Tarraconensis, in hodierna Gallicia vel Asturia. *Mela* 3, 1. *B. A.*

ULLO, ultus fuero, perdidero, futurum antiquum subjunctivi ab *ulcisco Accius* ap. *Non.* 2, 894. Qui, nisi genitorem ullo, nullum meis dat finem miseriis. Alii leg. *ulto*, quod majorem sane habet analogiam ad particip. *ultus fuero.* Alii *ulso.* [At *Bothius* conjicit, legendum *genitore ulto. F.*]

ULLUS, a, um, pronom. τις. [*Diminutiv. ab *unus*, contractum ex *unulus.*] idem quod *aliquis*, sed usu ab eo differens: non enim eo utimur affirmative, neque dicimus, *Sunt ulli, qui studia amplectantur*, sicut *Sunt aliqui;* sed vel negative, ut *Non est ullus, qui publica commoda privatis rationibus praeferat:* vel interrogative, ut *Estne ullus, qui legum metu solutus ab injuria temperet?* vel infinite, ut *Nescio, an ullus sit, qui non majorem opibus, quam virtuti honorem deferat;* vel subjunctive, seu conditionaliter, ut *Si ullus me vocabit, statim veniam. Cic. Phil.* 2, 38. Omnino ullius rei nemo fuit emptor, cum defuerit hic venditor. *Id. Verr.* 2, 4, 3. *f.* Nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, praeter unum pervetus ligneum. *Id. ib.* 2, 2, 24. Debebat ullum nummum nemini. *Id. ib.* 2, 5, 3. Sine ulla facultate navium. *Ter. Hec.* 4, 4, 102. Si ullo modo est, ut possit. ℙ Aliquando tamen usurpatur affirmative, eodem modo, quo aliquis. [*Exempla, quae *Noster* firmandae sententiae, *ullus* etiam affirmative, poni posse, adhibuit, praeter *Virgilii* locum, nihil probant. Stat regula, quam recte *Noster* ab initio ipse proposuit, v. *ullus* nonnisi in negandi sententia, vel expressa, vel tacita poni posse. Sed illud notandum, inveniri locos, in quibus negandi ratio talis sit, ut nisi probe omnia pervestigaveris, facile nullam vidisse videaris. Qualis est *Cic. Brut*, 88, 301. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror: ubi *Wetzel* et *Goerenz.* in *ullo* defendunt; recte quidem, quod defendunt, sed *Goerenz.* parum feliciter ratione, quam adhibet: *ullus* ideo ferri posse, quod pro qualicumque dicatur. Ita enim pronuntiat V. D. ad *Cic. Fin.* 5, 21, 59.] *Cic. Div. Verr.* 18. *f.* Non potes eum sine ulla vituperatione accusare. *Virg. G.* 3, 428. de angue Calabro: Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum Vere madent udo terrae, ac plurialibus Austris, Stagna colit, ripisque habitat, etc. *Quint. decl.* 5, 13. Objicit mihi, quod ullum de liberis meis potuerim facere discrimen. ℙ Ponitur interdum pro alteruter. *Cic. Verr.* 2, 5, 3. *f.* Durum hoc fortasse videatur; neque ego ullam in partem disputo. ℙ *Ullius* in genitivo paenultimam apud poetas habet communem *Virg. A.* 11, 354. nec te ullius violentia vincat. *Hor. Ep.* 1, 18, 37. Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam. ℙ *Ulli* pro *ullius* habet *Pl. Truc.* 2, 2, 38. Quasi vero corpori reliqueris tuo potestatem coloris ulli capiendi. Adde *Sev. A.* 207., ubi alii aliter leg. Sic *ullae* in dativo pro *ulli. Lucr.* 1, 687. neque sunt igni simulata, neque ullae Praeterea rei, quae, etc. ℙ [*Confund. *ullo* et *illo.* V. *Cort* ad *Lucan.* 5, 117. *ullus* et *nullus. Id. ib.* 5. 111. *ulla* et *universa.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 151.]

*ULMANETES, um, populi Galliae Belgicae, ubi nunc *Senlis. Plin.* 4, 17. *B. A.*

[ULMĀNUS, a, um, adj. qui ulmis consitus est. Ita oppellatus est pagus septem ab Urbe millib., quia fortasse prope ulmorum nemus erat positus, quemadmodum et transulmanus vocatus est alter, qui trans idem nemus fuerat. *Inscr.*, reperta paucis abhinc annis septem ab Urbe millib., ap. *Or. Coll. Inscr. Lat. n.* 111. Clivom medium fregi, et depressi impensa mea regioni Ficulensi, pago Ulmano, et Transulmano Peleciano, usque ad Martis, et ultra. *F.*]

ULMĀRĬUM, ii, n. πτελεών, ulmorum seminarium, locus ulmis consitus, ulmetum. *Plin.* 17, 11, 15. Deferendae ex arearum venis post annum in ulmaria, intervallo pedali in quamque partem.

[ULMĔTUM, i, n. idem ac ulmarium. *Gloss. Phil.* Πτελεών, ὁ τόπος, ulmetum. *F.*]

ULMĔUS, a, um, adj. πτελεῖνος, qui ex ulmo est. *Colum.* 6, 3. *f.* Probaturque maxime ulmea frons. *Juven.* 11, 141. ulmea coena, *h. e.* ciborum simulacra ex ulmo. *Pl. Ep.* 5, 1, 20. Quem Apelles ac Zeuxis duo pigmentis pingent ulmeis, *h. e.* virgis ex ulmo caedent. *Id. As.* 2, 2, 96. Interminatus est, nos futuros ulmeos, nisi, etc. *Id. Rud.* 3, 2, 22. Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam. *Id. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 482. Corpus tuum virgis ulmeis inscribam. V. ULMUS.

*ULMI, orum, oppidum Pannoniae inferioris. *Anton. Itin. B. A.*

ULMITRĪBĂ, ae, comm. gen. πτελεοτρίβης, μαστιγίας, qui assidue ulmeis virgis caeditur, quasi ulmi tritor. *Pl. Pers.* 2, 4, 7. Nescio, inquam, ulmitriba tu.

ULMUS, i, f. πτελέα, arbor propter raritatem foliorum maritandis vitibus maxime idonea. *Virg. G.* 1, 2. ulmisque adjungere vites. *Juven.* 8, 78. Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos, *h. e.* vite carentes, quas fulciat. *Quint.* 8, 3. Ulmus marita, *h. e.* vitem adjunctam habens. *Virg. G.* 2, 446. fecundae frondibus ulmi; et *ib.* 83. fortes. *Ov. Met.* 10, 100. amictae vitibus ulmi. *Pers.* 3, 6. patula pecus omne sub ulmo est. *Juven.* 6, 149. ulmi Falernae, *h. e.* Falernae vites ulmis fultae. ℙ Ex ulmo fere erant virgae, quibus servi caedebantur. *Pl. Amph.* 4, 2, 9. Verbero, etiam quis ego sim, me rogitas? ulmorum Acheruns! *h. e.* in cujus tergo ulmeae virgae quasi moriuntur; vel cujus tergum ulmeas virgeas vorat, ut Acheron animas. His adde et illa ejusdem *Plauti* passim, *ulmitriba, ulmei stili, ulmea pigmenta, virgidemia ulmea*, quae omnia ostendunt, ulmeis bacillis servos caedi, morem fuisse. ℙ De ratione serendi et colendi ulmos multa *Colum.* 5, 6., *Plin.* 17, 11, 15., qui eorum genera enumerat 16, 17, 9.

ULNA, ae, f. ὠλένη, ἀγκάλη, cubitus, *h. e.* os illud brachii, quod inferius est, longiusque quam radius: item ipsum brachium ex duobus ossibus ulna et radio constans: a priore voce Graeca allata, per syncopen. *Plin.* 11, 43, 98. Terrestrium uni homini juguli, humeri; ceteris armi; uni ulnae. *Cat.* 17, 13. pueri instar Bimuli, tremula patris dormientis in ulna. *Ov. Met.* 7, 847. Ulnis attollere aliquem; et *ib.* 9, 651. Nymphae teneris Lelegeides ulnis Tollere conantur. *Prop.* 2, 14, 11. Fovere aliquem ulnis. *Lucan.* 3, 664. Ulnis prensare aliquid. *Sil.* 3, 457. validis gurges frangitur ulnis, *h. e.* jactando brachia natatu. Sic 10, 497. de Cloelia: interrita Tibrim Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis. *Stat. Silv.* 5, 3, 266. Circumdare aliquem ulnis; et *Ov. Met.* 11, 63. Cupidis ulnis amplecti. *Stat. Achill.* 1, 172. avidis circumligare. *Claud. Laud. Seren.* 219. Excipere in ulnas. *Id. in Eutrop.* 2, 187. niveis reducem complectitur ulnis. *Nemes. Ecl.* 3, 27. Silenus parvum veneratus alumnum, Aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis. *Calpurn. Ecl.* 1, 45. maternis qui causam lusit in ulnis, *h. e.* paene puer, et in gremio matris causas egit, et eloquentiae specimen dedit. ℙ Est etiam mensurae genus. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Arboris crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Sic *ib. paulo post:* Arbor crassitudinis ad trium hominum complexum. Ὀργυιὰ Graece dicitur hoc spatium a *Polluce*, et *Hesych.*, scilicet quantum extenditur utrumque brachium una cum latitudine pectoris. ℙ Est etiam alterum mensurae genus, nempe ab initio cubiti ad extremum medium digitum extensum, πῆχυς. *Hor. Ep.* 4, 7. sacram metiente te viam Cum bis trium ulnarum toga. *Virg. Ecl.* 3, 105. Dic quibus in terris, etc. Tres pateat coeli spatium, non amplius, ulnas. *Id. G.* 3, 355. septemque assurgit in ulnas Semper hiems. ℙ In illo *Avieni Perieg.* 346. Nilus et immensos ulnam dispergit in agros: aut *ulnam* significat abundantiam, vel incrementum aquarum ad justam mensuram ascendentium, quae per ulnas seu cubitos indicari solebat, quaeque fecunditatem Aegypto inferebat: alii tamen pro *ulnam* leg. *vitam*, alii *limum*, alii alia: aut *ulnas* legendum videtur, quia velut brachia effundit aquas suas super utramque ripam: aut *ulvam*, quae herba fluminea est.

ULOPHŎNON vel Ulophyton, i, n. οὐλόφονον, vel οὐλόφυτον, herba est, species chamaeleonis nigri, cujus succus juvencos necat anginae modo. *Plin.* 22, 18, 21. [et *Appul. Herb.* 109. *F.*]

[ULPĬĀLIS, e, adj. ad Ulpium Trajanum Aug., pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 393, 6. P. Coelio] P. F. Ser. Balbino Vibullio Pio flamini Ulpiali, etc. *F.*]

[ULPĬĀNUS, a, um, adj. ad Ulpium pertinens. V. ULPIUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 1084, 7. Imp. Nervae Trajano Aug. nomine puerorum, puellarumque Ulpianorum ex S. C. *h. e.* qui ab Ulpio Trajano alimenta accipiunt. V. ALIMENTARIUS et FAUSTINIANUS. *F.*]

ULPĬĀNUS, i, m. Domitius Ulpianus JCtus nobilis, patria Tyrius, floruit Romae sub Caracalla, et proximis imperatoribus, Alexandro Severo carus in primis. V. *Lampr. Alex. Sev.* 15, 26, 31. et 51. et *Etag.* 16. Meminit et *Spart. Pesc.* 7. Fuit praefectus praetorio, et cum Gallias administraret, seditione orta, interfectus est circa ann. Chr. CCXXVIII. Plurima scripsit ad jus pertinentia, quae passim in Pandectas inserta sunt.

ULPĬCUM, i, n. ἀφροσκόροδον, genus allii grandius, praecipue in Africa, inter pulmentaria ruris: unde et Punicum allium a quibusdam appellatur. *Pl. Poen.* 5, 5, 35. Plenior allii ulpicique, quam Romani remiges. *Colum.* 11, 3. *med.* Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Graeci autem ἀφροσκόροδον appellant, longe majoris est incrementi, quam allium. *Id.* 10, 113. Aliaque infractis spicis, et olentia late Ulpica. *Cato R. R.* 71. Caput ulpici conterito.

ULPĬUS, a, um, adj. ad Trajanum Imp. R. pertinens, qui e gente Ulpia fuit. *Capitol. M. Aurel.* 22. Ulpium forum, *h. e.* a Trajano exstructum. *Nummus Trajani* apud *Eckhel. D. N. V. T.* 6. p. 432. Basilica Ulpia. ℙ *Ulpia tribus*, ex numero earum, quae imaginariae seu militares dicuntur. V. TRIBUS. *Inscr.* ap. *Grut.* 532, 9. T. Aurelio T. F. Ulp. Vindici Eq. Sing. Imp. N, etc. Adde aliam ap. *eund.* 940, 9. et aliam ap. *De-Vita Antiquit. Benev. cl.* 7. *n.* 6. ℙ *Ulpia Trajana, Augusta cognominatum, oppidum Daciae. *Inscr.* ap. *Grut.* 437, 1. Adde *Numum Trajani* ap. *Cellar. Geograph. Ant. T.* 1. p. 480. Nunc vicus *Varhel* est. V. *Zarmizegethusa.* ℙ Ulpia Topirus, Οὐλπία Τόπειρος, audit Topirus oppidum Thraciae, *numis Getae.* V. *Cellar. Geogr. Ant. T.* 1. p. 1057. *B. A.*

ULS, praep. πέραν, idem ac ultra, apud veteres. Prius fuit *ultis*, unde *ultra*, ut *cis* a *citis*, unde *citra. Fest.* Uls Cato pro ultra posuit. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Quinqueviri constituti sunt cis Tiberim, qui possent pro magistratibus fungi. Alii leg. *ultis. Varr. L. L.* 4, 15. Ideo sacra et uls, et cis Tiberim non mediocri ritu fiant. *Gell.* 12, 13. Tres istae voces *intra, citra, ultra*, quibus certi locorum fines demonstrantur, singularibus apud veteres syllabis appellabantur, *in, cis, uls.* Hae deinde particulae, quoniam parvo exiguoque sonitu obscurius promebantur, addita est tribus omnibus eadem syllaba: et quod dicebatur *cis Tiberim*, et *uls Tiberim*, dici coeptum est *citra*, et *ultra Tiberim.* Haec *Gellius.*

ULSO. V. ULLO.

ULTER, ra, rum, adj. qui est ultra aliquem locum. *Salmas.* in *exercit. Plin.* p. 721. conatur hanc vocem intrudere in *Plin.* et *Apulej.*, sed utroque loco alii aliter. ℙ In usu tamen est ejus comparativum.

ULTĔRĬOR, us, adj. comparat. ab *ulter*, προσώτερος, ὁ πέραν. *Ter. Ph.* 4, 2, 10. Sed eccum ipsum, quis est ulterior? *Cic. Prov. cons.* 15. Quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem, *h. e.* Transalpinam. V. GALLIA. *Ov. Met.* 2, 417. Ulterius medio spatium sol altus habebat. *Vell.* 2, 107. et *Virg. A.* 6, 314. Ulterior ripa. *Tac. H.* 4, 77. Mosellae pons, qui ulteriora coloniae annectit; et *G.* 17. Proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius. ℙ Translate. *Id. H.* 4, 8. Ulteriora mirari, praesentia sequi *Ov. A. Am.* 3, 769. (et *Fast.* 5, 532.) Ulteriora pudet docuisse, *h. e.* quae fieri solent post ea, quae hactenus dicta sunt. *Id. Am.* 2, 9, 10. Semper et inventis ulteriora petit, *h. e.* plura. *Sabin.* 2, 97. Sic tamen, ah! potius sic perstes, quam mihi de te Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor, *h. e.* novus, aut major, vel longior. *Quint.* 10, 7. *med.* Opus est naturali quadam mobilitate animi, ut, dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus.

ULTĔRIUS, adv. compar. ab *ultra: περαιτέρω*, longius. *Ov. Met.* 2, 871. Falsa pedum primis vestigia ponit in undis, Inde abit ulterius. *Id. Trist.* 3, 4, 51. Ulterius nihil est, nisi non habitabile frigus. *Prop.* 1, 6, 3. Cum quo Riphaeos possim conscendere montes, Ulteriusque domos vadere Memnonias. *Petr. Sat.* 120. Ecquid Romano sentis te pondere victam, Nec posse ulterius perituram extollere molem? ℙ Translate. *Sen. ep.* 102. Epistola tua revocavit me cogitationi aptae traditum, et iturum, si licuisset, ulterius. *Virg. A.* 12, 938. Ulterius ne tende odiis. *Ov. Met.* 12, 313. Occupat Aegides, cubitique ingentia frangit Ossa, nec ulterius dare corpus inutile leto Aut vacat, aut curat, *h. e.* amplius feriendo. *Id. Her.* 17, 28. ulterius nil habet ille mei; et *Met.* 6, 470. Rogare quidquam ulterius justo. *Prop.* 2, 12, 19. si me ulterius provexerit ira. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 15. Coelestibus injectus est rubor ulterius adversus eam saeviendi gentem. *Pacat. Pan. Theodos.* 30. *med.* Ulterius se negare supplicio non poterat, *h. e.* diutius; et *Ov. Met.* 3, 487. Non tulit ulterius; et *Claud. Rapt. Pros.* 3, 114. Jam non ulterius Phrygia tellure morabor, *h. e.* non amplius.

ULTĬMĔ, adv. *Appul. Met.* 1. Tandem evado, et utpote ultime affectus, ad quandam cauponam devorto. *Id. ib.* 10. Nudam flagris ultime verberat, *h. e.* ad extremum paene supplicium: ἐσχάτως μαστιγοῖ.

ULTĬMO, adv. ἐσχάτως, postremo, ad extremum, denique. *Suet. Ner.* 32. *f.* Ultimo templis compluribus dona detraxit, simulataque ex auro, vel argento fabricata conflavit. *Petr. Sat.* 20 *f.* Ac ne Giton quidem ultimo risum tenuit; et *ib.* 139. Cum diu mecum esset locuta, ultimo coepit dicere, te, etc.

ULTĬMO, as, n. 1. in ultima parte sum, ad extremum perveni. *Tert. Pall.* 1. *f.* Cum ultimarent tempora patriae.

ULTĬMUM, adv. τὸ ἔσχατον, postremum. *Liv.* 1, 29. Nunc errabundi domos suas, ultimum illas visuri, pervagantur. Alii aliter leg. *Curt.* 5, 12. Darius Artabazum ultimum illum visurus amplectitur. *Appul. Met.* 2. Ecce jam ultimum defletus atque conclamatus processerat mortuus.

ULTĬMUS, a, um, adj. ἔσχατος, superlativum ab *ultra*, postremus, extremus, summus, novissimus: quasi ultra omnes, sive retro, sive ante respicias; et refertur ad ordinem, locum, tempus *Caes. B. G.* 5, 42. *med.* Se sub ipso vallo constipaverant, recessumque primis ultimi non dabant. *Cic. Div.* 2, 43. *f.* Coelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. *Hor. Ep.* 1, 16, 79. mors ultima linea rerum est. *Cic. Somn. Scip.* 3. *f.* Luna quae ultima a coelo, citima terris luce lucebat aliena. *Caes. B. C.* 1, 84. *extr.* Ultimum supplicium, *h. e.* mortis. Sic *Liv.* 3, 58. *f.* et *Plin. ep.* 2, 11. Remittere alicui ultimam poenam. *Tac. A.* 15, 61. *extr.* Denuntiare alicui necessitatem ultimam. *Ov. Fast.* 4, 856. Ultima prolato subdita flamma rogo. *Prop.* 1, 17, 20. Ultimus lapis, *h. e.* sepulcri. *Mart.* 4, 70. Ultimae cerae, *h. e.* testamentum. *Ter. Ph.* 1, 4, 38. Quis hic est senex, quem video in ultima platea? *h. e.* in ultima parte plateae. Sic *Heaut.* 5, 1, 29. Est mihi in ultimis conclave aedibus quoddam retro, *h. e.* in intima aedium parte; et *Cic. Att.* 5, 16. *f.* In ultimam provinciam se recepit. *Plin.* 9, 5, 4. Ultima cauda. *Colum.* 11, 2. *med.* ultimo mense Junio, *h. e.* in fine Junii, extremo Junio. Sic *Pall.* 4, 10. Mense Martio ultimo; et *ib. med.* Ultimo Aprili. *Phaedr.* 4, 19. Pervenit ad draconis speluncam ultimam, *h. e.* profundissimam, et a terrae superficie maxime recedentem. *Curt.* 4, 10. In ultimas terras trahi; et *Liv.* 21, 10. *f.* Devehendum in ultimas maris terrarumque oras. *Ov. Met.* 4, 300. stagni ultima vivo Caespite cinguntur. ℙ Si retro respicias, ultimum dicitur quod est primum. *Cic. Prov. cons.* 18. *med.* Nonne vobis videor et ultimi temporis recordatione, et proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debere ex animo excidere? *Id. Inv.* 2, 2. *med.* Ab ultimo principio. *Id. Fin.* 1, 20. Tam multis ab ultima antiquitate repetitis. *Id. Arch.* 1. Puritiae memoriam recordari ultimam. *Nep. Att.* 1. Ab origine ultima stirpis Romanae. *Virg. A.* 7, 49. tu sanguinis ultimus auctor. *Just.* 12, 16. Ab ultima saeculorum memoria. *Id.* 2, 1. *f.* Hominum vetustas ultima. *Ov. Her.* 14, 108. Ultima quid referam? *h. e.* antiqua. Sic *Sever Aetn.* 17. ultima certamina. ℙ *Ultimus*, infimus. *Liv.* 30, 30. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit. *Albinov.* 1, 44. Ultima sit laudes inter ut illa tuas. *Liv.* 34, 18. Consul parsimonia, et vigiliis, et labore cum ultimis militum certare. *Vell.* 1, 11. Qui se Philippum, regiaeque stirpis ferebat, cum esset ultimae. *Plin* 17, 12, 18. Non fastidienda haec quoque scientia, atque non in ultimis ponenda. ℙ Item summus, in malam partem. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic. ad Brut.* 1, 17. *med.* Nimium timemus mortem et exsilium, et paupertatem: haec videntur Ciceroni ultima esse in malis. *Quint.* 2, 2. *f.* Ut absit ab ultimis vitiis ipse praeceptor, ac schola, ne praecipiendum quidem credo. *Curt.* 5, 12. *f.* Onusti praeda per ultimum scelus parta. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 10. Nitrum, et alumen, et marina aqua calida, ultima venena (*vitibus*) sunt. *Just.* 24, 2. *med.* Inauditis ultimisque exsecrationibus adjurat. *Liv.* 37, 53. Discrimen ultimum vitae et regni, etc. *Quint. decl.* 12, 24. *f.* Ultimum omnis memoriae reum una vox innocentem facit? *h. e.* pessimum, deterrimum. Sic *Appul. Met.* 9. Ultima pistoris illa uxor. *Petr. Sat.* 141. *med.* Saguntini oppressi ab Annibale humanas edere carnes: Petelini idem fecerunt in ultima fame; et *ib.* 24. Ad ultimam perductus tristitiam. ℙ Etiam in bonam. *Cic. Fin.* 3, 9. et 10. Summum bonum, quod ultimum appello. *Id. N. D.* 2, 12. Ultimae perfectaeque naturae. ℙ *Ultimum* substantivi more. *Cic. Fam.* 7, 17. *f.* Perfero, et ultima exspectato, quae ego tibi et jucunda, et honesta praestabo. *Liv.* 2, 28. *f.* Priusquam ultima experirentur. *Id.* 37, 54. Omnia ultima pati, quam se regi tradere maluissent. *Id.* 45, 19. *extr.* Fidem ad ultimum fratri praestitit; et 28, 28. Consilium sceleratum, sed non ad ultimum demens; et *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 1. Ultimi hominum existimati Morini. *Id.* 11, 29, 35. *extr.* Ultimo caudae reflexo. *Vell.* 2, 125. Paene in ultimum gladiorum erupit impunitas. *Aurel. Vict. orig. gent. R.* 10. Matrem ultimo aetatis affectam; et *Caes.* 40. Constantium patrem ultima vitae agebant, *h. e.* extremus morbus urgebat. *Calpurn. Ecl.* 3, 91. Lycidas habet ultima rerum, *h. e.* mortuus est. ℙ *Ultima pati*, mala gravissima, quibus pejora nulla sint. *Ov. Met.* 14, 483. Ultima jam passi comites belloque fretoque Deficiunt. Adde *Trist.* 3, 2, 11. et *Curt.* 3, 1. Sic *Id.* 9, 9. *med.* Famem et ultima sibimet ominabantur. ℙ *Ad ultimum*, postremo, ad extremum. *Liv.* 1, 53. *f.* Vetant mirari, si qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset. *Id.* 5, 10. *med.* Ne ulla unquam quies miserae plebi sit, quae nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit. *Id.* 26, 27. *med.* Siqua misericordia tandem flecti possent, ne se ad ultimum perditum irent. ℙ *Ultumus* pro *ultimus* legitur in *Inscr.* optimae notae ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 159. Ultumum hujus orationis erit omnia meruisse te, neque omnia contigisse mihi.

ULTĬO, onis, f. τιμωρία, ἐκδίκησις, injuriae aut

sceleris punitio, vindicta. *Petr. Sat.* 132. Matrona contumeliis verberata, tandem ad ultionem decurrit; et *ib.* 106. *f.* Negat se interpellare supplicium, imo accedere etiam justissimae ultioni. *Sen. Ira* 2, 32. Inhumanum verbum est, et quidem pro justo receptum, ultio; et *ib.* 3, 5. *f.* Ultio doloris confessio est. *Juven.* 13, 2. prima est haec ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur; et *ib.* 190. Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas, Ultio, continuo sic collige, quod vindicta Nemo magis gaudet, quam femina. *Tac. A.* 2, 13. Perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. *Just.* 1, 4. Exigere ab aliquo ultionem necati infantis; et *ib.* 5. *med.* In ultionem servati nepotis filium ejus interfecit. *Id.* 2, 4. Ultionem caesorum conjugum excidio finitimorum consequuntur. *Id.* 12, 9. Ultionem alicui dare, *h. e.* ulcisci aliquem, puniendo qui eum laeserant. *Tac. A.* 3, 7. Petere ultionem ex aliquo, *h. e.* eum punire. *Id. ib.* 13, 21. *extr.* Obtinere ultionem in delatores; et *ib.* 4, 25. *f.* Explere se ultione, et sanguine; et *ib.* 12, 38. Acrius ad ultionem exarsere. *Flor.* 2, 18. In ultionem excanduit. *Id.* 1, 9. Mandare alicui ultionem sui. *Suet. Tib.* 25. Non contemnendam manum in ultionem domini comparaverat. ℙ *Ultio* fuit etiam nomen Deae, ut videtur. *Tac. A.* 3, 18. Cum Valerius Messallinus, signum aureum in aede Martis Ultoris, Caecina Severus, aram Ultioni statuendam censuissent, Tiberius prohibuit.

ULTIS. V. ULS.

ULTO. V. ULLO.

ULTOR, oris, m. τιμωρός, ἔκδικος, qui injuriam illatam ulciscitur. *Cic. Sull.* 30. *f.* Ego ille conjurationis investigator, atque ultor, certe non defenderem Sullam, si conjurasse arbitrarer. *Virg. A.* 4, 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor. *Sil.* 2, 495. Statque dies ausis olim tam tristibus ultor. ℙ Est appositum Martis, qui aedem Romae hoc nomine habuit, in Foro ab Augusto exstructam. *Suet. Aug.* 21. et 29. et *Cal.* 24. *extr.*, item *Ov. Fast.* 5. a *v.* 567. et *Inscr* ap. *Grut.* 121. *lin.* 9., 232. *med.* et 317, 8.

ULTORIUS, a, um, adj. ad ulciscendum pertinens. *Tert. adv. Marc.* 2, 24. Deus immittit mala non peccatoria, sed ultoria.

ULTRĀ, πέρα, πόρρω, trans, praeter, ulterius; praeposit. accusativum regens: cui opponitur *cis*, et *citra:* ab *uls*, ut *citra* a *cis*. V. ULS. *Caes. B. C.* 3, 66. Caesar paulo ultra eum locum castra transtulit. *Cic. Att.* 12, 27. Ultra Silianam villam est villula sordida, et valde pusilla. *Liv.* 5, 35. Cum audirent, saepe ab iis cis Padum, ultraque, legiones Etruscorum fusas. *Tac. A.* 15, 17. *f.* Diruta, quae Euphratem ultra communierat Corbulo. *Hor. Od.* 1, 22, 10. Ultra terminum vagari. *Prop.* 4, 7, 29. Si piguit portas ultra procedere. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 17. *med.* Sed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat. *Id. Phil.* 1, 5. *f.* Quis unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut multam? *Hor. Od.* 3, 29, 32. Trepidare ultra fas; et *Sall. or. Licin. ad pleb. med.* Animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. *Id. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Cum eum ad coenam invitaverant, ultra Romanorum et mortalium etiam morem curabant, exornatis aedibus, etc. *h. e.* praeter, aut supra. *Virg. Ecl.* 7, 27. si ultra placitum laudarit, *h. e.* plus, quam placet. *Id. A.* 6, 114. ultra vires, sortemque senectae. *Hor. Sat.* 1, 1, 106. sunt certi denique fines, Quos ultra, citraque nequit consistere rectum. *Flor.* 2, 7. Cum ille ultra jus victoriae, in templa, aras, et sepulcra ipsa saeviret; et *mox:* Vulnera ultra mortem patebant; et *Vell.* 2, 118. Juvenis ultra barbarum promptus ingenio, *h. e.* supra barbarorum indolem; et *ib.* 88. Maecenas otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens. Alii leg. *ultra famam*, h. e. plusquam fama praedicaret, aut homines crederent. [⁺Frustra sunt isti correctores, Ruhnkenio quidem incogniti, quem v.] ℙ De numero. *Hirt. B. Alex.* 21. *med.* Hoc proelio desiderati sunt circiter CCCC. et paulo ultra eum numerum classiarii et remiges. ℙ De mensura. *Cels.* 4, 2. *n.* 4. *f.* Si res coegerit, non ultra heminam aquae assumere. ℙ Saepe sine casu ponitur, et significat amplius, praeterea, insuper. *Cic. Univ.* 3. Si probabilia dicentur, nil ultra requiratis. *Id. Verr.* 2, 5, 45. *med.* Estne aliquid ultra, quo progredi crudelitas possit? *Id. Att.* 15, 1. *med.* Oratio scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil possit ultra. *Liv.* 2, 19. Nec ultra bellum Latinum dilatum est; et *Quint.* 3, 1. Gorgias et illorum fuit aemulus, et ultra, Socratem usque, duravit. *Sall. Jug.* 50. Mortem cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curae, neque gaudio locum esse, *h. e.* post mortem. *Id. or. Lep. contra Sull. med.* Hac tempestate serviundum, aut imperitandum: nam quid ultra? *Virg. A.* 3, 480. quid ultra Provehor, et fando surgentes demoror Austros? et *ib.* 9, 782. Quos alios muros, quae jam ultra moenia habetis? ℙ Sequente *quam. Cic. Tusc.* 1, 9. Ultra enim quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo. *Id. Inv.* 1, 18. *med;* et *ib.* 49. Exordium longum est, quod pluribus verbis aut sententiis, ultra quam satis est, producitur. *Cels.* 3, 6. *f.* Potio esse debet magis liberalis, et ultra quam sitis coget. *Liv.* 40, 30. Per dies aliquos nihil ultra motum, quam ut hae duae turmae ostenderentur. *Tac. A.* 6, 44. Nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret. ℙ Sunt qui putant, ultimam corripi posse cum *Ser. Sam.* 63, 1087. Curaque nil prodest, nec dicitur ultra cicatrix. Sed meliores libri habent *ulla.*

ULTRAMUNDANUS, a, um, adj. qui ultra mundum est. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Deus ille summus, ultramundanus. *Capell.* 2. p. 43. *in carm.* Ultramundanum fas est cui cernere patrem.

ULTRIX, icis, f. ἀμύντειρα, τιμωρητική, quae ulciscitur. *Cic. Dom.* 43. Haec ultrix afflictae civitatis, reipublicae spoliis ornabitur? *Virg. A.* 6, 274. ultrices posuere cubilia Curae. *Id. ib.* 4, 473. ultricesque sedent in limine Dirae, *h. e.* Furiae, quas vocat *Sen. Med.* 967. ultrices Deas; et *Claud. ep.* 1, 14. ultrices Furias. *Id. III. cons. Hon.* 104. ultrices in se converterat iras. *Id. ep.* 19, 5. Ultrices pharetras tandem depone, Cupido. *Id. Laud. Stil.* 1, 98. tractusque rotis ultricibus Hector. *Sen. Herc. Fur.* 895. ultrice dextra fusus Lycus. ℙ *Ultricia* in neutro plur. ut *victricia. Sil.* 2, 423. Mandabat Tyriis ultricia bella futuris. *Stat. Th.* 10. 911. et tela ultricia poscit.

ULTRO, adv. ἑκοντὶ, ἐκ προαιρέσεως, sponte, nemine rogante, aut cogente. *Cic. Fam.* 4, 13. Nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit. *Virg. A.* 5, 446. Entellus vires in ventum effudit, et ultro Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasto Concidit, *h. e.* nullo impellente, ut *Donatus* interpretatur. ℙ Interdum significat prius. *Ter. Ad.* 4, 3, 3. Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant, Sibi fieri injuriam ultro, si, quam fecere ipsi, expostules, Et ultro accusant, *h. e.* ipsi priores accusant, non exspectata querela eorum, qui injuria sunt affecti. Aliqui explicant, perverse, vice versa. *Id. Phorm.* 2, 3, 13. O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit. Adde *Liv.* 40, 12. ℙ Interdum imo, vel e contrario. *Cic. Quint.* 23. Sextus Naevius, qui, cum ipse ultro deberet, cupidissime contenderet, etc. *Pl. Aul.* 3, 5, 55. Ubi disputata est ratio cum argentario, etiam plus ipsus ultro debet argentario. ℙ Interdum procul. *Id. Amph.* 1, 1, 164. Ultro istunc, qui exossat homines. *Id. Capt.* 3, 4, 19. Ultro istum a me. ℙ Interdum insuper, ultra, praeterea. *Virg. A.* 2, 145. His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro. Ita *Serv.* exponit. *Ter. Eun.* 5, 2, 21. Etiam ultro derisum advenit. *Cic. Fl.* 19. *f.* Cum pro frumento pecuniam accepisset, celavit cives suos, ultroque iis sumptum intulit. ℙ Ultro citroque, δεῦρο κεκεῖσε, πρόσω καὶ ὀπίσω, ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν, ultra et citra, huc et illuc, sursum et deorsum. *Caes. B. G.* 1, 42. Cum saepe ultro citroque legati inter eos mitterentur. *Cic. Rosc. Am.* 22. Postea homines cursare ultro et citro non destiterunt. *Id. N. D.* 2, 33. *med.* Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citroque commeantibus, mundi partium conjunctio continetur. *Liv.* 40, 40. Bis ultro citroque cum magna strage hostium transcurrerunt. *Suet. Cal.* 19. Per hunc pontem ultro citro commeavit. Alii leg. *citroque.* ℙ Translate ponitur pro vicissim, hinc inde, ac utraque parte. *Cic. Somn. Scip.* 1. Multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. *Id. Off.* 1, 17. Magna etiam illa communitas est, quae conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis. *Id. Am.* 22. *f.* Nam implicati ultro et citro vel usu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, disrumpimus, *h. e.* hinc inde, modo hac, modo illa re.

[ULTRONĔĪTAS, atis, f. τὸ αὐτεξούσιον, facultas sponte aliquid faciendi. *Fulg. Myth.* 3, 6. *f.* Quibus tres filias addunt, id est carnem, ultroneitatem, quam libertatem arbitrii dicimus, et animam. *F.*]

ULTRONĔUS, a, um, adj. ἑθελητὴς, ἑκὼν, spontaneus, voluntarius. *Sen. Q N.* 2, 59. *med.* Quid interest ad mortem, utrum jussi eamus, an ultronei? *Appul. Met.* 1. Ultroneum exsilium amplexus.

ULTRORSUM, adv. ultra. *Sulpic. Sev. H. sacr.* 2, 26. *med.* Ultrorsum pergere, et vicina quaeque R. imperio adjungere cupiens.

ULTROTRĪBŪTUM, *et disjunctim* Ultro tributum, i, n. sumptus est operum publicorum, ἐργολαβία: ita autem appellatur, quia qui opera publica facienda, vel reficienda redimebant, de pecunia sua impensas omnes faciebant, ut, re confecta, id ipsis ex aerario solveretur, in quod locatione convenerant. Differt a vectigali, quia qui vectigal conducebat, pecuniam prius colligebat, deinde vero aerario inferebat; qui vero ultrotributa, prius pecuniam ultro erogabat, deinde ex aerario, quod sibi debebatur, accipiebat: vel quia ultro ex aerario pecunia erogabatur redimentibus opera publica; cum in vectigalibus, qui conducebant, pecuniam in aerarium inferrent. Ex *Inscr.* ap. *Grut.* 207. *col.* 3. constat, dimidiam partem pecuniae, quae ultrotributorum conductoribus ex aerario solvenda erat, tum solutam iisdem fuisse, cum praedia satisdationibus obnoxia subsignata essent, alteram vero partem dimidiam, postquam opus effectum probatumque fuisset. V. *Asconii l. c.* in PRAEDIUM. *Varr. L. L.* 5, 2. *f.* Quinto quoque anno vectigalia, et ultrotributa per censores persolvebantur. *Liv.* 39, 44. *med.* Censores vectigalia summis pretiis, ultrotributa infimis locaverunt. *Id.* 43, 16. Publica vectigalia, aut ultrotributa conducere; et *mox:* locare, *h. e.* ipsa opera publica, in quae impensa facienda erat, conducere, et locare. *Tab. Heracl.* ap. *Mazoch.* p. 378. Quibus locis ex lege locationis, quam censor aliusve quis magistratus publicis vectigalibus ultrove tributis fruendis, tuendisve dixit, dixerit, eis qui ea fruenda, tuendave conducta habebunt, ut uti, frui liceat, ut ea ab iis custodiantur, cautum est. ℙ Translate. *Sen. Ben.* 4, 1. Virtus saepius in ultrotributis est, *h. e.* cum duo sint actus virtutis, v. gr. liberalitatis, impendere et accipere, saepius est in impendendo, quam in accipiendo; ideoque similior est ultrotributis, quam vectigalibus.

ULTUS, a, um, part. ab *ulciscor:* qui ultus est. *Sall. Cat.* 34. *extr.* Ulti sanguinem nostrum. *Virg. A.* 6, 841. Ultus avos Trojae, templa et temerata Minervae. Adde *ib.* 4, 656. ℙ Passive. *Liv.* 2, 17. *extr.* Ob iras graviter ultas. *Val. Fl.* 4, 753. lege quod occidit ultus Ipse sua. Adde *Ov. Her.* 8, 120.

ULVA, ae, f. ὑφη, (V. TYPHE), herba palustris, eadem ac buda et sari, quae ad ripas fluviorum stagnantium, ac in paludibus nascitur; ut alga, quae in mari. (V. *M. A. Macrium* in *Mem. dell' Accad. Pontan.* T. 1. p. 263. et sqq., qui de ulva, et ampelodesmo docte disserit, atque postremam hanc plantam longe differre ab ulva statuit, ideoque corrigenda sunt, quae in AMPELODESMOS diximus.) *Cato R. R.* 37. Circa salicta herbam altam, ulvamque (*vellito*): eam substernito ovibus bubusque. *Hor. Sat.* 2, 4, 42. Laurens aper ulvis et arundine pinguis. *Virg. A.* 2, 135. Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui. *Id. ib.* 6, 415. trans fluvium incolumes vatemque, virumque Informi limo, glaucaque exponit in ulva. *Id. Ecl.* 8, 87. Ulva viridis. *Id. G.* 3, 175. et *Vitr.* 2, 1. *med.* et 5, 1. *med.* et *Pall.* 12, 7. *f.* palustris. *Ov. Met.* 4, 299. sterilis. *Id. ib.* 6, 344. legebant Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam; et *ib.* 8, 335. tenet ima lacunae Lenta salix, ulvaeque leves, juncique palustres; et *ib.* 14, 103. loca feta palustribus ulvis. *Id. Fast.* 1, 200. Et dabat exiguum fluminis ulva torum; et *ib.* 5, 519. flumineam lino celantibus ulvam, Sic quoque non altis, incubuere toris. *Id. Trist.* 4, 2, 41. Rhenus viridi male tectus ab ulva. *Lucan.* 2, 70. Exsul limosa Marius caput abdidit ulva. *Auson. Idyll.* 10, 122. Lucius obscuras ulva coenoque lacunas Obsidet. *Colum.* 4, 13. Optima est (*ligandis vitibus*) genista, vel paludibus desectus juncus, aut ulva. *Sidon. ep.* 2, 2. *f.* Hunc (*lacum*) circa lubrici scirporum cirri plicantur, simulque pingues ulvarum paginae natant. Adde *Plin.* 16, 1, 1. et 17, 23, 35. *n.* 26. et 21, 17, 68. V. ULVOSUS.

ŪLUBRAE, arum, f. plur. oppidum excisum, seu pagus desertus Latii apud Velitras urbem. *Cic. Fam.* 7, 18. Ulubris honoris mei causa vim maximam ranunculorum se commosse constabat. *Hor. Ep.* 1, 21, 29. quod petis, hic est, Est Ulubris, animus si te non deficit aequus. *Juven.* 10, 102. vasa minora Frangere pannosus vacuis aedilis Ulubris. V. *Cardinali Iscriz. Velit.* p. 47. — 57.

ŪLUBRĀNUS, a, um, et

ŪLUBRENSIS, e, adj. ad Ulubras pertinens, ut Ulubranus populus, ap. *Cic. Fam.* 7, 12. et *Ulubrenses, ium*, absolute, incolae Ulubrarum, ap. *Plin.* 3, 5, 9.

ULŪCUS. V. ALUCUS.

ŪLŪLĀ, ae, f. ὁλολυγών, αἰγωλιὸς, avis nocturna ex genere noctuarum: ab *ululando*, uti Graece ei nomen est ab ὁλολύζειν. *Virg. Ecl.* 8, 55. Certent et cygnis ululae, sit Tityrus Orpheus. *Plin.* 10, 12, 16. Uncos ungues et nocturnae aves habent, ut noctuae, bubo, ululae. ℙ Proverb. est illud *Varron.* ap. *Non.* 4, 226. Homines eum pejus formidant, quam fullo ululam: *fullo* genus quoddam scarabaei hoc loco significat: eo ulula libentissime vescitur.

ŪLŪLĀBĪLIS, e, adj. ululans, ululatu plenus, ut Ululabilis plangor, *Appul. Met.* 4. vox, *Id. ib.* 5. clamor, *Id. ib.* 10. et *Ammian.* 24, 1.

ŪLŪLĀMEN, inis, n. idem quod ululatus. *Prud. Cath.* 10, 122. Turba clangens ululamina miscet.

ŪLŪLĀTĬO, onis, f. ululamen, ululatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 705, 11. et 12. Parentes infelicissimi amissione ejus perpetuis tenebris, et quotidiana miserabili ululatione damnati.

ŪLŪLĀTUS, a, um, part. ab *ululo:* ululatibus conclamatus. *Stat. Th.* 9, 724. Tu dulces lituos, ululataque proelia gaudes. Alii leg. *ululanda*, h. e. luctuosa. *Virg. A.* 4, 609. Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbem, *h. e.* ululatibus invocata. Sic *Stat. Th.* 3, 158. Queis steriles thalami, nullo-que ululata dolore Respexit Lucina domum. ℙ

Ululatibus completus *Val. Fl.* 4, 608. ululataque tellus Intremit. *Stat. Silv.* 1, 3, 85. juga Circes Dulichiis ululata lupis. *Id. Th.* 1, 328. Ogygiis ululata furoribus antra. *Claud. IV. cons. Honor.* 139. ululata verendis Aula puerperiis.

ŬLŬLĀTUS, us, m. *ὀλολυγμὸς, ὀλολυγὴ*, actus ululandi, clamor clarus, sed inconditus. *Caes. B. G.* 5, 36. *med.* Tum vero suo more victoriam conclamant, atque ululatum tollunt; et *ib.* 7, 80. Clamore et ululatu suorum animos confirmabant. *Virg. A.* 4, 667. Lamentis, gemituque et femineo ululatu Tecta fremunt. *Ov. Met.* 3, 528. Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri. *Stat. Th.* 9, 177. jam gaudia magnae Testantur voces, victorque ululatus aderrat Auribus. *Catull.* 63, 24. Maenades sacra acutis ululatibus agitant.

ŬLŬLO, as, avi, atum, n. 1. *ὀλολύζω*, flebilem moestumque sonum edo, gannio: proprium canum et luporum: a voce Graeca allata, quae et ipsa per onomatopoeiam ficta est. *Enn.* ap. *Fest.* in *Nictare:* Canis ululat acute. *Virg. A.* 6, 257. visaeque canes ululare per umbram; et *ib.* 7, 18. formae magnorum ululare luporum; et *G.* 1, 486. Ululantes lupi. *Ov. Met.* 4, 404. Falsaque saevarum simulacra ululare ferarum. ℙ Transfertur ad quamvis vociferationem et clamorem ululatui similem. *Cic. Or.* 6. Cum vero inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere coepisset, quis eum ferret? *Virg. A.* 4, 168. summoque ululârunt vertice Nymphae. *Ov. Fast.* 2, 553. Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros Deformes animas, vulgus inane, ferunt. *Id. Her.* 2, 117. Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis. *Catull.* 63, 28. Thiasus repente linguis trepidantibus ululat. *Lucan.* 6, 261. laetis ululare triumphis. *Id.* 1, 567. Sanguinei populis ululârunt tristia Galli, *h. e.* ululantes praedixerunt. *Mart.* 5, 41. Et concubino mollior Celaeneo, Quem sectus ululat matris Entheae Gallus, *h. e.* ululando inclamat: nam et in sacris *ululare* dicebant, et Graeca consuetudine, ut ait *Servius* ad *A.* 4, 168. V. ULULATUS, a, um. *Prud. Hamart.* 452. Orbatam propriis ululavit civibus urbem, *h. e.* ululando questus est. *Sil.* 6, 563. jacent portis ululante dolore Dispersum vulgus, *h. e.* vulgus ululans ob dolorem. *Hieron. in Isai.* 5, 16, 6. Propter hanc superbiam ululaturus sit Moab. ℙ *Ululare*, ululatibus resonare. *Virg. A.* 2, 487. penitusque cavae plangoribus aedes Femineis ululant: ferit aurea sidera clamor. *Sil.* 6, 285. et lucus, et antrum, et resonae silvis ululârunt flebile ripae. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 269. Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis Incolis.

[ULVOSUS, a, um, adj. ulva abundans. *Sidon carm.* 7, 324. ulvosa quem vel Nicer abluit unda, Prorumpit Francus. *Id. ep.* 1, 5. *med.* Ulvosum Lambrum subvectus. *F.*]

*ULURTĪNI, orum, populi Italiae inferioris, ab oppido quodam, sed ignoto, fortasse nomen trahentes. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

[ULUSUBRITĀNUS, a, um, adj. ad Ulusubram pertinens, Africae Byzacenae oppidum, quod *Οὐλιζιβιῤῥα* dicitur a *Ptolem. l.* 4. *c.* 4, *Unuzibirra* in *Notit. utr. imp. Plin.* 5, 4, 4. Oppida libera, Ulusubritanum, Vicense, etc. *F.*]

ŬLYSSES, et Ulyxes, is, m. *Ὀδυσσεύς*, filius Laertae ex Anticlea, pronepos Jovis Saturni filii, rex Ithacae et Dulichii insularum maris Ionii. Alii patrem fuisse dicunt Sisyphum Aeoli filium, latronem scelestissimum, qui cum Anticlea concubuerit, ante quam Laertae nuberet. V. SISYPHIDES. Fuit facundissimus, et callidissimus omnium, qui ad Trojam oppugnandam profecti sunt. Ejus res gestas, errores, laboresque, praeter *Homer.* in *Odyss.*, recensent *Prop.* 3, 10. a *v.* 23., *Tibull.* 4, 1. a *v.* 52., *Hyg. fab.* 125. et *Sidon. carm.* 9. a *v.* 143., ipse quoque praedicat in oratione contra Ajacem ap. *Ov. Met.* 13. a *v.* 128. V. etiam ipsam Ajacis orationem *ib.* a *v.* 1. et *Her.* 1. ℙ In gen. non solum *Ulyssis* dicimus, sed etiam *Ulyssei* a recto *Ulysseus*, et *Ulyssi* contractione v. *ei*. *Ov. Her.* 1, 83. tua sum, tua dicar oportet Penelope: conjux semper Ulyssis ero. *Hor. Od.* 1, 6, 7. Nec cursus duplicis per mare Ulyssei. *Id. Ep.* 1, 7, 40. Haud male Telemachus, proles patientis Ulyssi. *Virg. A.* 3, 273. Et terram altricem saevi exsecramur Ulyxi. Alii leg. *Ulyssis: Pierius* in Mediceo Cod. Ulyxei. De hac declinandi ratione diximus in ACHILLES et OGYGES. ℙ In dat. *Ulyssi* habet, in accusat. *Ulyssem*, et Graeca positione *Ulyssen:* in vocativo, et ablat. *Ulysse*. *Ov. Am.* 2, 18, 21. Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulyssi. *Prop.* 2, 20, 37. Quicumque et venti miserum vexastis Ulyssen. *Ov. Her.* 1, 1. Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse. *Id. Pont.* 4, 14, 35. Quis patriam solerte magis dilexit Ulysse? ℙ Frequentissime in libris reperitur *x* pro duobus *ss:* frequenter etiam *i* pro *y*. V. ULITES. ℙ **Portus Ulyssis*, oppidum Siciliae cum portu, Catanae Aetnaeque monti vicinum. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

[ŬLYSSĒUS, et Ulyxeus, a, um, adj. ad Ulyssem pertinens. *Appul. Met.* 2. Hostes et omnes inimici nostri tam diram, immo vero Ulyxeam peregrinationem incidant. *F.*]

ŬLYSSĪPONENSIS. V. OLISIPONENSIS.

U M

UMBELLĂ, ae, f. *σκιάδιον*, proprie est parva umbra: metonymice est umbraculum, h. e. instrumentum, quod supra caput expanditur, soli et pluviae arcendae. *Mart.* 14, 28. cujus lemma *Umbella:* Accipe, quae nimios vincant umbracula soles: Sit licet et ventus, te tua vela tegent. *Id.* 11, 73. Umbellam luscae, Lygde, feras dominae. *Juven.* 9, 50. En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas.

UMBER, bra, brum, adj. *Ὄμβριος*, qui est ex Umbria. *Catull.* 39, 11. Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus. *Stat. Silv.* 4, 6, 10. cur Tuscus aper generosior Umbro? *Id. ib.* 2, 4, 4. Umber aper. *Mart.* 7, 31. villicus. *Ov. A. Am.* 3, 303. conjux Umbri rubicunda mariti. Ludit in ambiguo *Pl. Most.* 3, 2, 83. Nec mihi umbra usquam est, nisi in puteo quaepiam est. *Tr.* quid? Sarsinatis ecqua est, si Umbram non habes? *h. e.* mulierem ex Umbria. ℙ Umbrae canis laus est in venando. *Virg. A.* 12, 752. insidiis et ripa territus alta *(cervus)* Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber Haeret hians, jamjamque tenet. *Sen. Thyest.* 497. cum feras vestigat, et longo sagax Loro tenetur Umber, ac presso vias Scrutatur ore, etc. *Val. Fl.* 6, 420. petit cervos Umbro venator edaci. *Sil.* 3, 295. exigit Umber Nare sagax e calle feras. *Sidon. carm.* 7, 191. suem latratibus improbus Umber Terruit. Adde *Nemes. Cyn.* a *v.* 231., ubi Tuscos canes (Umbri olim et in Tuscia fuere, teste *Plin.* 3, 5, 8. et Umbriam partem esse Tusciae, tradit *Serv.* ad *l. c.*) laudat a sagacitate, villosos tamen esse dicit ac deformes. *Grat.* quoque *Cyn.* 171. Umbros canes commendat quidem a fide et solertia, sed animis et virtute destituti, et fugere adversam feram, postquam indagaverint. ℙ *Umbri, orum, Ὄμβρικοὶ, Ὄμβροι*, populi Umbriae. *Plin.* 3, 14, 19. Umbrorum gens antiquissima Italiae uxistimatur, ut quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. *Solin.* 2. Bocchus absolvit, Gallorum veterem propaginem Umbros esse: M. Antonius (al. *Antoninus*) refert eosdem, quod tempore aquosae cladis imbribus superfuerint, Umbrios Graece nominatos. Similia habet *Serv. l. c.* ℙ Musmones (animal caprino vellere) ex capra et ove natos, prisci *umbros* vocarunt, teste *Plin.* 8, 49, 75., nempe a Graeco *ὄμβρος*, hybrida, spurius. Huc spectat, quod habetur in *Gloss. Philox.* Imbrum, *ἡμίονον, παράβατον, h. e.* mulum, ovem.

UMBĬLĪCĀRIS, e, adj. ad umbilicum pertinens, ut Umbilicaris nervus, ap. *Tert. Car. Chr.* 20. *med.* Si non adhaesit utero, quomodo avulsus est? si adhaesit, qui avulsus est, quomodo adhaesisset, nisi dum ex utero per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem, adnexus origini vulvae?

UMBĬLĪCĀTUS, a, um, adj. *ὀμφαλόεις*, ad umbilici similitudinem factus. *Plin.* 13, 4, 7. de semine palma: Et in alvo media plerisque umbilicatum.

UMBĬLĪCUS, i, m. *ὀμφαλὸς*, regio media alvi et abdominis, cavitate quadam praedita, vestigia servans vasorum, per quae fetus, dum est in utero matris, nutritur. *Isid. Or.* 11, 1. *med.* Umbilicus est dictus, quod sit umbo iliorum. *Plin.* 11, 37, 89. Venarum in umbilico nodus ac coitus. *Cels.* 7, 14. Sunt etiam circa umbilicum plura vitia, etc. et 6, 17. Ad umbilicos prominentes, ne manu ferroque utendum sit, etc. *Liv.* 26, 45. *f.* Ventus adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. *Hirt. B. Afr.* 85. Per mare umbilici fine ingressi, terram petebant. ℙ *Cels.* 7, 29. *f.* eodem nomine appellat nervum umbilicarem. Medicus, inquit, manu leniter trahere umbilicum debet ita, ne abrumpat. ℙ Translate est media pars cujusque rei. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur. *Pl. Men.* 1, 2, 45. Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus. *Liv.* 35, 18. Aetoli, qui umbilicum Graeciae incolunt. Adde *Plin.* 3, 12, 17. et *Accium* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. et ap. *Cic. Div.* 2, 56., ubi Delphi *umbilicus terrarum* dicuntur, et ab *Auct. Priap.* 77. *umbilicus orbis*, et a *Liv.* 31, 48. *umbilicus orbis terrarum.* V. DELPHI. ℙ In libris *umbilicus* erat bacillus teres, e cedro, vel buxo, vel ebore, vel osse, aliave materia, circa quem volvebantur chartae, et volumen fiebat: ita dictus, quod volumine complicato, medium locum teneret. Vel (quod paene eodem recidit) *umbilici* dictae sunt ejus bacilli partes extremae, quae hinc inde exstabant, convoluto volumine: quibus ad ornatum praefigi solebant, quae dicebantur cornua, modo picta, modo ex aere, aut ebore, etc. *Mart.* 2, 6. Quid prodest mihi tam macer libellus Nullo crassior ut sit umbilico, Si totus tibi triduo legatur? *Id.* 3, 2. ad libr. suum: Cedro nunc licet ambules perunctus, Et frontis gemino nitens honore Pictis luxurieris umbilicis; et 5, 6. Quae cedro decorata, purpuraque Nigris pagina crevit umbilicis. *Id.* 8, 61. Liber umbilicis decorus, et cedro. Adde 1, 67. et *Catull.* 22, 7. Et quia hic ordinatus non affigitur libris, nisi cum absoluti sunt, hinc *umbilicus* interdum pro fine ponitur. *Mart.* 4, 91. Ohe, jam satis est, ohe libelle: Jam pervenimus usque ad umbilicos. *Hor. Epod.* 14, 6. Deus me vetat Inceptos, olim promissum carmen, iambos Ad umbilicum adducere. Sunt tamen qui putant, umbilicum aliud quidpiam fuisse, sed *Winckelmannus oper. suor.* T. 7. p. 11. et 24. ac praecipue 203. et sqq. *ed. Pratens.* veterum hac super re opinionem pluribus confirmare conatur, fretus nempe illis papyris, quae paucis abhinc annis repertae sunt Herculani. V. CORNU et FRONS, tis. ℙ In eadem medii loci signipcatione sunt illa *Plin.* 15, 22, 24. Ponticis nucibus umbilicus intus in ventre medio. *Id.* 18, 14, 36. In humido vermiculi umbilicum lupini in sterilitatem castrant. *Id.* 10, 52, 74. Umbilicus ovis cacumine inest, ceu gutta eminens in putamine. *Id.* 16, 7, 10. de robore: Gignunt et alae ramorum ejus pilulas, corpore, non pediculo adhaerentes, candicantes umbilicis. *Pall.* 12, 7. *med.* Item bene servantur *(persica)*, si umbilicum pomi gutta picis calentis oppleveris. V. similem *Gargilii l. c.* in SUESSAS. ℙ De parvo circulo. *Id.* 37, 5, 20. Non oportere perforari beryllos, quorum sit absoluta bonitas, umbilicis tantum ex auro capita comprehendentibus. *Id.* 18, 33, 76. Duci sarculo sulcum, vel cinere lineam pedum viginti conveniet: mediamque mensuram, hoc est in decimo pede, circumscribi circulo parvo, qui vocetur umbilicus. ℙ De gnomone. *Id.* 6, 34, 39. In hoc coeli circumflexu, aequinoctii die media, umbilicus, quem gnomonem vocant, septem pedes longus, umbram non amplius quatuor pedes longam reddit. Adde *ib.* 34, 39. *f.* et 2, 72, 74. ℙ *Umbilici* praeterea dicuntur marinae cochleae, quarum testa rotunda, et contorta similitudinem quandam habet cum umbilico hominis. *Cic. Or.* 2, 6. de Scipione Aemiliano, et C. Laelio: Solet narrare Scaevola, conchas eos, et umbilicos ad Cajetam, et Laurentum legere consuesse. *Val. Max.* 8, 8. *n.* 1. Constat namque eos Cajetae, et Laurenti vagas litoribus conchulas, et umbilicos lectitasse. Alii leg. *calculos*, et *umbilicos* parvos rotundosque lapillos interpretantur. Sed *Aurel. Vict. Caes.* 3. cum narrasset, jussas a Caligula legiones, conchas, et umbilicos in ora maris legere; subdit deinde: hujusmodi pisces Graece *Nympharum lumina*, seu *ocellos* appellari: ex quo intelligimus, pisces esse, aut certe marinas conchulas, aut cochleas, quae a maris fluctibus subinde ejectantur. V. OCELLATUS. ℙ Umbilicus Veneris, *κοτυληδών*, herba est in officinis nomen retinens, folio in acetabuli formam tornato, brevi in medio cauliculo, in quo semen inest, radice olivae modo rotunda. Est et alterum ejusdem genus, cymbalion aliqui vocant, pinguibus foliis, latioribus, ligularum modo densis, circa radicem medium oculi ambitum describentibus, ut in majore sempervivo, astringentis gustus, cauliculo tenui, in quo flores, et semina hyperici, radice majuscula. *Appul. Herb.* 43. ℙ *Umblicus* per syncopen pro *umbilicus* quidam leg. non sine auctoritate Codd. ap. *Catull.* 64, 18. Nymphae Umblicum tenus exstantes e gurgite vasto. Alii tamen *nutricum* habent.

UMBO, onis, m. *ἄμβων, ὀμφάλιον*, quidquid in plano rotunda, aut coni figura exstat ac prominet: a priore voce Graeca allata. Speciatim sic dicitur media pars clypei eminentior. *Virg. A.* 2, 544. telum imbelle sine ictu Conjecit, rauco quod protinus aere repulsum, Et summo clypei nequidquam umbone pependit. ℙ Per synecdochen est ipse clypeus. *Id. ib.* 7, 632. Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas Umbonum crates; et *ib.* 9, 810. nec sufficit umbo Ictibus; et *ib.* 10, 884. sed sustinet aureus umbo. *Liv.* 4, 19. Adsurgentem regem umbone resupinat. *Id.* 30, 34. Hostium aciem Romani ala, et umbonibus pulsantes, etc. *Just.* 33, 2. Umbone se protegere. *Sil.* 4, 354. teritur junctis umbonibus umbo, Pesque pedem premit. Adde *Lucan.* 6, 192., *Petr. Sat.* 124., *Stat. Th.* 1, 377. et *ib.* 9, 147. et *Claud. in Eutrop.* 2, 387. et *Rapt. Pros.* 2, 224. Simile est illud *Prudentii Psych.* 255. Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini Sternere. In illo *Juven.* 2, 46. illos Defendit numerus, junctaeque umbone phalanges: eadem est sententia, quae ap. *Val. Fl.* 3, 90. sic contextis umbonibus urgent. Respicitur enim mos militaris: cum arctis ordinibus milites densantur, junctisque scutis alter alterum protegit. ℙ De cubito, quia ibi clypeus tenetur. *Mart.* 3, 46. In turbam incideris, cunctos umbone repellet *Stat. Th.* 2, 670. manus cassos defertur in ictus, Turbatique gradus, clypeum nec sustinet umbo. ℙ *Umbo togae* est sinus et rugae collectae ad sinistrum brachium, praesertim in vestitu ditiorum, quibus toga magis laxa et fluxa erat, quam pauperibus. *Tert. Pall.* 5. *in.* De palla *Appul. Met.* 11. usurpat. *Persius* vero 5, 33. *candidum umbonem* per synecdochen dicit ipsam togam virilem. ℙ Praeterea quidquid prominet, et protenditur, ut diximus, *umbo* est: idem enim et *ἄμβων*, et *ἄμβη* significat. *Stat. Achill.* 1, 408. undisonae quos circuit umbo Malleae, *h. e.* promontorium. *Id Th.* 7, 15. Isthmius umbo, *h. e.* ipse Isthmus. *Id. Silv.* 3, 1, 110. solidus contra riget umbo maligni Montis; et *ib.* 6, 257. Stant juga, et objectus geminis um-

bonibus agger Campum exire vetat; et *ib.* 4, 3, 47. Tunc umbonibus hinc et hinc coactis, Et crebris iter alligare gomphis, *h. e.* crepidinibus, quibus via marginatur. *Id. Th.* 6, 352. saxeus umbo Arbiter agricolis, *h. e.* lapis terminalis in modum clypei rotundatus, et exstans. ℙ In gemmis quoque *umbo* est earum pars prominentior. *Plin.* 37, 6, 23. Arabice sardonyches excellunt candore circuli praelucido, atque non gracili, neque in recessu gemmae, aut in dejectu renidente, sed in ipsis umbonibus nitente.

UMBRA, ae, f. *σκιὰ*, aer sole carens ex objectu alicujus corporis, ut parietis, arboris, nubium, montium. *Cic. Or.* 1, 7. *f.* Platani umbram sequi. *Id. Div.* 2, 6. *f.* Quando luna incurrit in umbram terrae, quae est meta noctis. *Virg. Ecl.* 1, 84. Majoresque cadunt altis de montibus umbrae. *Id. ib.* 5, 70. Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra; et *A.* 6, 257. visaeque canes ululare per umbram; et *Hor. Od.* 1, 17, 22. sub umbra ducere pocula. *Id. Ep.* 2, 2, 185. ad umbram lucis ab ortu; et *Cels.* 1, 2. *med.* Melior est ambulatio in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quae tecto subest. *Petr. Sat.* 131. Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras. *Plin.* 6, 29, 34. Regio, in qua XLV. diebus ante solstitium, totidemque postea, hora sexta consumuntur umbrae, et in meridiem reliquis horis cadunt. *Id.* 2, 73, 73. Mons, juxta quem umbra aestate in Austrum jaciuntur. *Id.* 4, 12, 23. In cujus forum solstitio Athos ejaculatur umbram. *Virg. G.* 2, 58. arbor umbram facit. *Ov. Met.* 3, 58. Fecerat exiguas jam sol altissimus umbras. *Virg. A.* 3, 589. Humentemque aurora polo dimoverat umbram, *h. e.* noctem. Sic *Val. Fl.* 5, 607. prius humentem nox solverit umbram. *Hor. Sat.* 1, 5, 9. jam nox inducere terris Umbras, etc. parabat. *Virg. A.* 2, 251. nox Involvens umbra magna terramque, polumque. *Id. ib.* 6, 452. agnovitque per umbram Obscuram. *Hor. Od.* 1, 7, 21. densa Tiburis umbra. *Virg. A.* 2, 621. spissis noctis se condidit umbris; et *ib.* 9, 373. sublustri noctis in umbra. *Lucr.* 4, 341. nigras discutit umbras. *Sen. Oed.* 713. nemus umbram praebet. *Plin.* 37, 5, 18. Quibusdam smaragdis intercurrit umbra, surdusque fit color. ℙ *Umbra* in pictura est color obscurior, quo qui clarior est, magis eminet. *Cic. Acad.* 4, 7. *med.* Quam multa vident pictores in umbris, et in eminentia, quae nos non videmus! *Plin.* 35, 5, 11. Tandem se ars ipsa distinxit, et invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice sese excitante. *Id.* 33, 3, 57. Ratio in pictura ad incisuras, hoc est umbras dividendas ab lumine. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 28. Nicias lumen et umbras custodivit, atque ut eminerent e tabulis picturae, maxime curavit. ℙ Metonymice *umbra* est quidquid umbram facit, v. gr. arbores frondosae, tentoria, aedificia. *Ov. Met.* 12, 512. nudus Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras. *Virg. G.* 1, 156. ruris opaci Falce premes umbras. *Id. Ecl.* 9, 20. viridi fontes induceret umbra, *h. e.* circumsitis viridibus umbrosos facere; et *ib.* 5, 5. sub incertas, Zephyris motantibus, umbras, *h. e.* frondes. Sic *Calpurn. Ecl.* 5, 101. tremulas non excutit Africus umbras. *Sil.* 14, 301. turris tabulata decem cui crescere Grajus Fecerat, et multas nemorum consumpserat umbras, *h. e.* arbores. *Id.* 4, 681. ignis Nutritas fluvio populatur fervidus umbras, *h. e.* arbores in ripa fluminis sitas. *Id.* 12, 354. Virgulta tegitur valle, ac frondentibus umbris, *h. e.* frondibus umbrosis. *Val. Fl.* 7, 55. caesa descendet Caucasus umbra. *Stat. Silv.* 3, 4, 29. sed non erat illi Arcus, et ex humeris nullae fulgentibus umbrae, *h. e.* pharetra *Id. Th.* 4, 336. Dum roseis venit umbra genis, *h. e.* lanugo, barba. *Claudian. Nupt. Pall. et Celer.* 42. dubiam lanuginis umbram Caesaries intonsa tegit. *Petr. Sat.* 109. Nunc umbra nudata sua jam tempora moerent, *h. e.* capillis. *Stat. Th.* 6, 226. summae cassidis umbra, *h. e.* crista. ℙ De tentoriis, et aedificiis. *Paul.* ex *Festo:* Umbrae vocabantur Neptunalibus casae frondeae pro tabernaculis. *Hor. Ep.* 1, 7, 50. vacua tonsoris in umbra, *h. e.* taberna. *Ov. A. Am.* 167. (et *ib.* 3, 387, *Prop.* 4, 8, 75. et *Mart.* 11, 49.) Pompeja lentus spatiare sub umbra, *h. e.* porticu Pompeji. *Juven.* 7, 173. Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra, *h. e.* a declamationibus, quae habentur in scholis, ad veras causas in foro agendas. *Tac. A.* 14, 53. Studia in umbra educata, *h. e.* in privata domo. ℙ Translate *facere umbram alicui*, ejus decora obscurare, et gloriam minuere. *Sil.* 14, 282. de Syracusis: Et Salaminiacis quantam, Eoisque tropaeis Ingenio portus urbs invia fecerit umbram. ℙ Dicitur *umbra*, qui invocatus venit ad coenam cum eo, qui vocatus fuit: quia illum sequitur, tanquam umbra corpus. *Hor. Sat.* 2, 8, 21. cum Servilio Balatrone Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras; et *Ep.* 1, 5, 28. locus est et pluribus umbris. ℙ Item tenuis species, signum, vestigium alicujus rei. *Cic. Off.* 3, 17. Veri juris, germanaeque justitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et imaginibus utimur. *Id. Att.* 7, 11. O hominem amentem, et miserum, qui ne umbram quidem unquam *τοῦ καλοῦ* viderit! *Id. Mur.* 6. *med.* In quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriae reperturum putas? *Id. Pis.* 24. Inanem aucupari rumorem, et omnes umbras falsae gloriae consectari. *Pl. Mil.* 3, 1, 31. Nihil amas: umbra es amantum magis, quam amator. *Sil.* 15, 316. Belli per Grajas umbram circumtulit oras. *Lucan.* 3, 146. Umbram libertatis servare. *Ov. Met.* 9, 459. Mendax umbra pietatis. *Plin.* 30, 2, 6. Habere quasdam veritatis umbras. ℙ Hinc *timere umbras*, nimis meticulosum esse, ex vana causa timere, proverb. *Cic. Att.* 15, 20. *f.* Videtur mihi iste, qui umbras timet, ad caedem spectare. *Prop.* 2, 25, 19. Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras, Stultus, quod stulto saepe timore tremo. *Q. Cic. Petit. cons.* 2. *f.* Quamobrem, quod inanius, umbram suam timet. ℙ Ponitur et pro colore, praetextu, causa. *Liv.* 8, 4. Si sub umbra foederis aequi servitutem pati possumus. *Claud. Laud. Stil.* 1, 272. scelerique profano Fallax legitimam regni praetexerat umbram. ℙ Et pro tutela ac praesidio. *Liv.* 7, 30. *med.* Umbra auxilii vestri tegi possumus. *Id.* 32, 21. *med.* Sub umbra auxilii vestri latere volunt; et 34, 9. *med.* Sub umbra Romanae amicitiae latebant. *Just.* 5, 2. Morum vitia sub umbra eloquentiae primo latebant. ℙ Et pro otio et pace. *Ov. Am.* 2, 18, 3. Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra. *Albinov.* 2, 93. victor amet: victor potiatur in umbra. *Cic. Mur.* 14. *med.* Cedat forum castris, otium militiae, stilus gladio, umbra soli. ℙ Saepissime *umbrae* dicuntur de Manibus defunctorum, simulacra, imagines. Fingunt enim ethnici poetae, defuncto corpore ejus imaginem aut simulacrum expers corporis, et aeri simile ad Inferos descendere, et siquando revisat ad superos, obscuri aeris pallente colore videri. (V. *Lucr.* 1. a *v.* 120. et *Serv.* ad *A.* 4, 654., cujus verba in SIMULACRUM recitavimus:) quod si contrectes, par levibus ventis, volucrique somno simillimum experiare. Vel ipsum animum aere vestiri, retentaque defuncti corporis figura, oculis quidem percipi posse, tactu non posse. *Hor. Od.* 4, 7, 14. Nos ubi decidimus, quo Tullus, dives et Ancus, Pulvis et umbra sumus: *pulvis* ex resoluto corpore, *umbra* effigie et simulacro. *Tibull.* 3, 2, 9. cum tenuem fuero mutatus in umbram, Candidaque ossa super nigra favilla teget. *Sen. Herc. Oet.* 1177. emensus freta, Terrasque, et umbras, *h. e.* mare, terras, Inferos. *Virg. A.* 5, 731. non me Tartara habent, tristes umbrae. *Ov. Met.* 7, 249. Umbrarum rex, *h. e.* Pluto, qui a *Petr. Sat.* 112. *pater umbrarum* dicitur. *Id. ib.* Umbrarum facies diro stridore minantur. *Plin.* 30, 2, 6. Se evocasse umbras ad percontandum Homerum. *Tibull.* 4, 1, 67. ut inferno Plutonis subdita regno Magna Deum proles levibus discurreret umbris. *Ov. Met.* 9, 410. Vultibus Eumenidum, matrisque agitabitur umbris. *Suet. Cal.* 59. Hortorum custodes umbris inquietati. *Sil.* 11, 348. Et Pauli stare ingentem miraberis umbram. *Sen. Troad.* 181. Emicuit ingens umbra Thessalici ducis, *h. e.* Achillis. ℙ Denique *umbra* est piscis genus, sic a colore nigrescente appellatum, ut auctor est *Varro L. L.* 4, 12. his verbis: Vocabula piscium pleraque translata a terrestribus ex aliqua parte similibus rebus, ut anguilla, lingulaca, sudis: alia a coloribus, ut haec, asellus, umbra, turdus: alia a vi qualam, ut haec, lupus, canicula, torpedo. Haec *Varro.* Umbra quoque hic piscis appellatus videri potest ob lineas quasdam obliquas a dorso descendentes, aureas, et obscuras, quae aliarum videntur umbrae. Una enim manifesta est, sequens obscura, et sic deinceps a capite ad caudam usque, quemadmodum tradit *Rondeletius l.* 5. *de piscibus*, c. 9. ubi plura hoc de pisce legere potes. Graecis similiter piscis hic *σκίαινα* appellatur a *σκιά*. V. SCIAENA. Italis *ombrina* dicitur. *Ov. Hal.* 111. et auri Chrysophrys imitata decus, tum corporis umbrae Liventis, rapidique lupi. Adde *Colum.* 8, 16. et *Auson. Idyll.* 10, 90.

*UMBRACIA, ae, f. an sit regionis nomen, an oppidi, incertum. *Appul. Apol.* 299. *med. Elmenh.* Est Mitylenae pecten, aperque (*piscis*) apud Umbraciae amnes. Sed legendum, ut videtur, *Ambraciae:* nam in Acheloo flumine reperitur aper piscis (*χάιρος*), testibus *Aristot. Hist. Anim.* 4, 9. *Plin.* 11, 51. ubi male *caper* reponunt quidam. Nec multum ab Ambracia urbe Achelous. V. in *Aper. B. A.*

UMBRĀCŬLUM, i, n. *σκηνή, σκέπασμα*, locus in quo est umbra, locus compositus et tectus frondibus, aut alia re quacumque ad umbram praebendam, tabernaculum velumve umbrae causa erectum. *Varr. R. R.* 1, 51. Ubi ea (*area*) retecta, et loca arida, prope aream faciundum umbracula, quo succedant homines in aestu, tempore meridiano. *Cic. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Visne, ea quae restant, in illis alnorum umbraculis prosequamur? *Virg. Ecl.* 9, 42. et lentae texunt umbracula vites. ℙ Pro umbella, qua tegitur facies ad solis calores arcendos. *Ov. Fast.* 2, 311. Aurea pellebant tepidos umbracula soles. *Id. A. Am.* 2, 209. Ipse tene distenta suis umbracula virgis. *Mart.* 14, 28. Accipe quae nimios vincant umbracula soles. *Tibull.* 2, 5, 97. Aut e veste sua tendent umbracula sertis Vincta. *Ammian.* 28, 4. *med.* Si per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis, queruntur, quod non sunt apud Cimmerios nati. ℙ Sumitur quoque pro schola, ducta appellatione a philosophorum veterum ambulationibus, quae arborum umbraculis erant opacae, ut Academia, et Lyceum. *Cic. Brut.* 9. *med.* Processerat enim in solem et pulverem: non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti doctissimi hominis umbraculis. *Id. Leg.* 3, 6. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque, non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit.

*UMBRAE, arum, populi Indiae, ci Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

UMBRĀLĬTER, adv. per umbram et imaginem. *August. ep.* 37. *f.* Deus in templo manufacto non corporaliter, sed umbraliter habitavit.

*UMBRANICI, orum, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

UMBRANS, antis, part. ab *umbro:* umbram inducens, opacans. *Sen. Herc. Fur.* 717. ingens domus Umbrante luco tegitur. *Claud. B. Get.* 575. Alpheas umbrantia Maenala ripas. *Sen. Hipp.* 836. Polus vasto carcere umbrans manes, *h. e.* tenebris coercens. *Sil.* 1, 403. frontem intonsam umbrante capillo Septus, et horrentes effingens crine galeros. Alii leg. *vibrante.*

UMBRĀTĬCŎLA, ae, m. et f. qui umbra delectatur, homo delicatus, et mollis, ignavus, qui solem pulveremque ferre non potest. *Pl. Truc.* 2, 7, 49. Moechum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam amas. ℙ Eodem sensu etiam *umbraticus* dicitur. *Id. Curc.* 4, 3, 23. Quid refert, me fecisse regibus, ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit? *Sen. Ben.* 4, 2. Epicureorum delicata et umbratica turba.

UMBRĀTĬCUS, a, um, adj. qui in umbra degit. *Umbraticus homo* est ignavus, mollis. V. v. praec. ℙ *Umbraticae litterae* dicuntur, quae domi exercitii causa, aut in scholis exarantur. *Plin. ep.* 9, 2. Nisi forte volumus scholasticas tibi, atque, ut ita dicam, umbraticas litteras mittere. *Petr. Sat.* 2. Umbraticus doctor, *h. e.* ludi magister, qui domi et in otio pueros docet. ℙ *Umbraticum negotium* est, quod domi agitur, et sine multo labore. *Gell.* 3, 1. *med.* Negotiis se plerumque umbraticis, et sellulariis quaestibus intentos habent.

UMBRĀTĬLIS, e, adj. *σκιῶδης*, ad umbram pertinens, ut *Vita umbratilis*, quae umbra atque otio marcescit, *σκιατροφία. Cic. Tusc.* 2, 11. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam poetae, nervos omnes virtutis elidunt. *Colum.* 1, 2. Nec sit mora segnis, et umbratilis. ℙ *Exercitatio umbratilis*, quae in loco operto, atque adeo in otio fit. *Cic. Or.* 1, 34. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem: in clamorem, in castra atque aciem forensem. ℙ *Oratio umbratilis*, est oratio philosophorum, ita dicta ad differentiam orationis oratorum, quia philosophi in umbraculis versabantur, oratores in foro sub sole. *Cic. Or.* 19. Mollis est oratio philosophorum, et umbratilis, nec verbis instructa popularibus.

UMBRĀTĬLĬTER, adv. leviter, rudi descriptione, et quasi per umbras. *Sidon. ep.* 2, 10. Quae imaginarie tantum, et quodammodo umbratiliter effingimus.

UMBRĀTUS, a, um, part. ab *umbro:* umbra tectus. *Virg. A.* 6, 772. Atque umbrata gerunt civili tempora quercu, *h. e.* circumdata quercu quodammodo umbram faciente. *Stat. Th.* 6, 554. Olympiacis umbratus tempora ramis. *Id. Silv.* 3, 4, 79. Umbratus genas, *h. e.* barbatus. *Val. Fl.* 4, 137. tempora umbrata galero, *h. e.* intecta. *Claud. B. Gild.* 444. Umbratus dux ipse rosis, et marcidus ibit Unguentis.

UMBRI, orum. V. UMBER.

UMBRĬA, ae, f. *Ἡ Ὀμβρία, Ὀμβρία*, regio Italiae inter Apenninum et mare superum, Picenum, et Narem fluvium, cujus incolae *Umbri.* V. UMBER. Fuit patrium solum *Plauti*, et *Propertii.* Olim pars fuit Etruriae. *Prop.* 4, 1, 63. (et 1, 22, 9.) Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris: Umbria Romani patria Callimachi, *h. e.* Propertii. *Mart.* 7, 97. Montanae decus Umbriae, *h. e.* Caesius Sabinus. Adde *Plin.* 3, 5, 8. ℙ Adjective. *Gell.* 3, 2. Umbria terra. V. ARABIA.

*UMBRICĬUS, i, m. nomen haruspicis ap. *Tac. H.* 1, 27. *B. A.*

[UMBRĪCŌLA, ae, adj. comm. gen. qui colit umbram. *Strabo Gallus* 2, 26. umbricolis habitata cubilia talpis Diruo, lumbricos revocans in luminis oras. *F.*]

UMBRĪCUS, a, um, adj. ad Umbriam pertinens, ut Umbrica creta, quae non nisi poliendis vestibus assumitur, inquit *Plin.* 35, 17, 57.

UMBRĪFER, ra, rum, adj. *σκιώδης*, ferens umbram, umbrosus. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Circiter meridianos aestus, dum defervescant, sub umbriferas rupes, et arbores patulas subjiciunt oves. *Virg. A.* 6, 473. Nemus umbriferum. *Cic.* vertens *Homeri* carmina *Div.* 2, 30. Umbrifera platanus. ℙ Item ferens umbras defunctorum. *Albinov.* 1, 427. Supprime jam lacrimas: non est revocabilis istis,

Quem semel umbrifera navita lintre tulit. *Stat. Th.* 8, 18. Umbriferaeque fremit sulcator pallidus undae; et *ib.* 1, 57. tuque umbrifero Styx livida fundo.

[UMBRĪNUS, a, um, adj. deriv. ab *Umber, bri.* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 200, 6. C. Petronius Umbrinus curator locorum publicorum judicandorum. *F.*]

*UMBRITTAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. ed. *Hard.* Antea legebatur *Gumbritae. B. A.*

UMBRO, as, avi, atum, a. 1. *σκιάζω*, umbra tego, umbram induco, adumbro, inumbro, obumbro, opaco. *Colum.* 5, 7. Omnes paene virgae, ne umbrent, abraduntur. *Plin.* 37, 7, 25. Carchedonios umbrante tecto purpureos videri, *h. e.* sub tecto, et in umbra. *Sil.* 5, 488. de quercu: Umbrabatque coma summi fastigia montis. *Stat. Silv.* 4, 2, 36. vitifero sub palmite nudos Umbravit colles, et sobria rura Lyaeus, *h. e.* consevit, et umbrosa reddidit. Sic *Sil.* 14, 24. Montes umbrare olea, *h. e.* conserere. *Varr.* ap. *Non.* 2, 790. Umbrantur somno pupulae, *h. e.* clauduntur, et lucem non admittunt. *Claud. in Ruf.* 2, 121. de Xerxe: Narratur rapuisse vagos exercitus amnes, Et telis umbrasse diem, *h. e.* obscurasse. *Id. VI cons. Honor.* 163. rami caput umbravere virentes Heliadum, *h. e.* corona populea caput cinxit. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 149. de Tritone: Umbratura Deam retro sinuatur in arcum Bellua.

*UMBRO, onis, Italiae fluvius, hodie *Ombrone*, mediam fere, Arnum inter Tiberimque, secans Etruriam. Inde ad Tiberim Umbria proprie appellata, quae patuit quondam latius. Haec *Harduinus* ad *Plin.* 3, 5. ℙ Et nomen viri proprium ap. *Virg. A.* 7, 752. *B. A.*

UMBROSUS, a, um, adj. *σκιώδης*, umbram habens, opacus. *Cic. Q. Fr.* 3, 2, 1. Ego locum aestate umbrosiorem vidi nunquam. *Sen. Q. N.* 3, 11. *med.* Fere aquosissima sunt quaecumque umbrosissima. *Virg. G.* 3, 331. Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem. *Id. A.* 8, 242. Umbrosae cavernae. *Tibull.* 1, 4, 1. Umbrosa tecta. *Hor. Od.* 3, 1, 23. ripa. ℙ Item umbram inducens. *Plin.* 16, 26, 49. Fico folium maximum umbrosissimumque. *Virg. Ecl.* 2, 3. inter densas, umbrosa cacumina, fagos. *Id. A.* 8, 34. crines umbrosa tegebat arundo. *Prop.* 1, 20, 7. Umbrosa silva. *Ov. Fast.* 3, 17. Umbrosae salices.

*UMĔO pro *humeo*, in MSS. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 3, 522. *B. A.*

*UMĔRUS pro *humerus* scribitur interdum, v. g. in *Terent. Ph.* 5, 6, 4. ed. *Bentl. B. A.*

*UMIDĬUS vel Ummidius (pro quo *Immidius* invenias etiam) nomen gentis Romanae. *Varr. R. R* 3, 3. *Immidii* (ut adhuc editum est) mentio: ubi *Ursinus Ummidios* ex monumentis adfert. *Hor. Sat.* 1, 1, 95. *Ummidius* restitutus certatim a viris doctis. V. *Bentl.* et *Spanh. de num. Diss.* 10, 7. *Havercamp. ad numos familiar.* in *Durmia. B. A.*

U N

ŪNĀ, adv. *ἅμα, ὁμῶς, ὁμοῦ*, simul, pariter. *Cic. Att.* 7, 10. Si in Italia Pompejus consistit, erimus una. *Id. Fin.* 2, 24. *extr.* Quo minus ambo una necaremini, non precarere? *Id. Brut.* 21. Tenuit cum hac locum quendam etiam Ser, Fulvius, et una Fabius Pictor. *Tac. H.* 2, 28. Cohortes turbidas, ac, si una forent, praevalidas, dispergere. *Hor. Sat.* 2, 2, 77. corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque praegravat una. *Cic. Am.* 10. Quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta ponerentur. *Ter. Ad.* 4, 3, 7. Quaeso, ut una mecum ad matrem virginis eas. *Pl. Mil.* 2, 1, 61. Qui amantes una inter se facerem convenas. *Cic. Div. Verr.* 1. Si mei consilii causam cognoverit, una et id quod facio, probabit, et in hac causa neminem praeponendum mihi actorem putabit. *Pl. Most.* 2, 3, 43. I mecum, obsecro una simul. V. SIMUL. ℙ Cum dativo. *Virg. A.* 8, 104. Pallas huic filius una, Una omnes juvenum primi, pauperque senatus Tura dabant. V. BLANDITOR. ℙ *Una pro *una cum. Jul. Valer. res gest. Alex.* (ed. *A. Maio*) 1, 55. *extr.* Praedae autem, una servitiis pecuisque vel quae vehebant, pecunia fuit talenta quatuor milia. *Id.* 3, 40. Una Theodecto. Aliud exemplum V. in *Blanditor. B. A.*

ŪNAETVĪCĒSĪMĀNUS miles dicitur, qui est ex legione vicesima prima. *Tac. H.* 2, 43. Stratis Unaetvicesimanorum principiis, aquilam abstulere. *Id. A.* 1, 51. Sinistrum latus Unaetvicesimani, dextrum Quintani clausere. ℙ Legitur etiam *unetvicesimanus.*

ŪNAETVĪCĒSĪMUS, a, um, adj. vicesimus primus, ut Unaetvicesima legio, ap. *Tac. A.* 1, 45. et *H.* 2, 43. ℙ Legitur et *unetvicesimus.*

ŪNĀNĪMANS, antis, adj. idem quod unanimis. *Pl. Truc.* 2, 4, 80. Non amantis mulieris, sed sociae unanimantis, fidentis fuit officium.

ŪNĀNĪMIS, e, adj. *ὁμόψυχος*, qui unius animi est, et unius sententiae cum altero. *Virg. A.* 4, 8. Cum sic unanimem alloquitur male sana sororem. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 231. Unanimes fratres. *Id. epigr.* 37, 3. paribusque lupatis Unanimes frenantur equi. V. UNANIMUS.

ŪNĀNĪMĪTAS, atis, f. *ὁμοψυχόα, ὁμόνοια*, concordia, consensus. *Liv.* 40, 8. *med.* Miqi, Antiocho, et cuilibet regum hujus aetatis nulla re magis, quam fraterna unanimitate regnum aequasse. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 256. et 571. Per nostram egregiam unanimitatem.

ŪNĀNĪMĪTER, adv. *ὁμοψύχως*, uno animo, concorditer. *Vopisc. Tac.* 4. *f.* Me unanimiter deligistis. *Tert. Pat.* 1. *f.* Philosophi cum inter se variis sectarum libidinibus discordent, patientiae unanimiter student. *Arnob.* 1, 33. Unanimiter vivere.

ŪNĀNĪMUS, a, um, adj. idem quod unanimis, et eo etiam usitatius. *Liv.* 7, 21. Quae distinere unanimos videbatur. *Catull.* 30, 1. Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus. *Stat. Th.* 8, 669. Unanimi fratres. Alii leg. *unanimes. Pl. Stich.* 5, 4, 40. Ego tu sum, tu es ego; unanimi sumus. Plures vett. Codd. *unianimi* habent. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 368. unanimi consortia discite somni *Val. Fl.* 1, 614. venti induxere hiemem, raucoque ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt: *unanimi* proprie, quia *ἄνεμος*, et *animus* est flatus, ventus. *Id.* 4, 161. nomenque secutus Otreos unanimi.

UNCĀTĬO, onis, f. curvatura. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 32. *med.* Unguium uncatio, quam *γρύπωσιν* vocant.

UNCĀTUS, a, um, adj. curvatus, inflexus, uncus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. *med.* Adeo ut quidam uncati permaneant, *h. e.* curvati. *Sidon. ep.* 4, 20. *med.* Uncatae lanceae. ℙ Translate. *Id. ep.* 9, 9. *f.* Uncatis syllogismis aliquem inhamare.

UNCĬA, ae, f. (*οὐγκια* Siculorum lingua) duodecima pars assis, seu librae. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* 28. Unciaque in libra pars est, quae mensis in anno. *Plin.* 20, 13, 51. Fasciculum rutae in rosaceo decoctum, addita uncia aloes. *Mart.* 1, 107. Diluti bibis unciam Falerni. *Pl. Men.* 3, 3, 3. Huic ut addas auri pondo unciam. ℙ *Unciae* partes sunt *semuncia, drachma, sextula, duella, sicilicus:* quae V. suis loc. *Drachma* est octava pars unciae: *sextula* sexta: *duella* tertia: *sicilicus* quarta. ℙ Ap. *Cels.* 5, 17. in uncia est pondus septem denariorum: denarii autem pondus in sex partes dividitur, id est sextantes, qui Graecorum obolis respondent. ℙ Saepe dicitur de duodecima parte totius alicujus, sive pondere, sive mensura constantis: quemadmodum *as* totum aliquod significat. *Colum.* 5, 1. *med.* Pars duodecima jugeri pedes efficit duo millia et quadringentos: hoc est uncia. *Sen. Controv.* 4, 28. *med.* Ex uncia heres erat patris sui Galla. *Front. Aquaed.* 24. Digitus est sextadecima pars pedis; uncia duodecima. *Plin.* 6, 34, 39. Gnomonis centum unciae umbram septuaginta septem unciarum faciunt. *Mart.* 9, 4. non erit uncia tota, Decidat tecum qua pater ipse Deum, *h. e.* duodecima pars aeris alieni, quod Juppiter tibi debet. ℙ *Uncia bonorum* est pars duodecima eorum, quae quis possidet. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 5, 27, 2. Matre vel legitimis filiis, vel nepotibus, aut pronepotibus cujuscumque sexus, uno pluribusque exsistentibus; bonorum suorum unam tantum unciam pater naturalibus filiis seu filiabus, eorumque genitrici; vel si sola sit concubina, semiunciam largiendi, vel relinquendi habeat potestatem. Hinc *Cic. Att.* 13, 48. Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram: mortuus enim Babullius. Caesar, opinor, ex uncia; etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente: veretur autem, ne non liceat tenere hereditatem. ℙ De minima quantitate cujusque rei. *Mart.* 9, 49. De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla De nostro nobis uncia venit apro. *Pl. Rud.* 4, 2, 8. Neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi. *Juven.* 11, 131. adeo nulla uncia nobis Est eboris, nec tessellae, nec calculus ex hac Materia. ℙ *Usura uncia*, quae saepius *unciaria* dicitur, est pars duodecima usurae centesimae: Centesima autem erat, cum centesima pars sortis singulis mensibus solvebatur, h. e. duodecim pro centum in annos singulos. Dicitur etiam *unciaria*, quia sicut uncia est assis pars duodecima, ita haec usura est pars duodecima centesimae, quae est velut as, et maxime usurarum, ut in CENTESIMUS dictum est. *Semunciaria* autem *sei per cento.* Itaque usura, quae duodecim solvit pro centum assibus, duo habet nomina: cum *centesima* dicitur, refertur ad sortem, quae est *centum;* cum *uncia* et *unciaria*, ad *as*, quatenus ipsam sortem significat. Hoc vero in aliis minoribus usuris locum non habet, quae una appellatione efferuntur, *triens, quadrans, semis*, etc., quae solum ab *as* descendunt. Sunt tamen qui docent, unciariam usuram esse omnium levissimam, et centesimae oppositam, qua scilicet unum pro centum non singulis mensibus, sed singulis annis solveretur. Quae si aliquando in usu fuisset, non erat cur in XII. Tab. caveretur, ne quis unciario fenore plus exerceret; quod refert *Tac.* V. *l. c.* in UNCIARIUS. *Gronov.* in *Ἀντεξηγήσει de Usur.*, ubi hac de re multa. *Scaevola Dig.* 26, 7, 47. §. 4. *med.* Quaero, uncias usuras, an vero eas, quas stipulati sunt, praestare debeant.

UNCĬĀLIS, e, adj. unciam ponderis, aut mensurae habens, unciarius. *Plin.* 33, 3, 13. Asses unciales, *h. e.* unciae pondo. Sic *Id.* 14, 3, 4. *n.* 9. Uncialis uva. *Id.* 18, 16, 43. altitudo. *Hieron. prolog. in Job. extr.* Habeant, qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis auro, argento descriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris, onera magis exarata, quam codices.

UNCĬĀRĬUS, a, um, adj. unciam continens. *Plin.* 34, 5, 11. Unciaria stipe collata, *h. e.* nummulis, qui dimidium assis valebant, eo tempore, quo asses sextantales facti sunt, scil. duarum unciarum pondere. *Ulp. Dig.* 30, 1, 34. *f.* Unciarius heres, *h. e.* ex uncia, seu duodecima parte hereditatis. *Liv.* 7, 16. Unciarium fenus, *h. e.* usura uncia, de qua V. in UNCIA. Hujus dimidium erat semunciarium. *Liv. ib.* 27. Semunciarium ex unciario fenus factum. Hinc *unciaria lex* de fenore unciario lata a L. Sulla et Q. Pompejo Rufo, ut *Fest.* docet. *Tac. A.* 6, 16. Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret: dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta. ℙ *Unciariae uvae* dictae sunt a magnitudine et pondere acinorum, quas *Plin.* vocat unciales. V. UNCIALIS. *Colum.* 3, 2. et *Isid. Orig.* 17, 5. *med.*

UNCĬĀTIM, adv. *κατ' οὐγκίας*, per singulas uncias. *Plin.* 28, 9, 37. Datur et phthisicis unciatim cum vini veteris hemina decocta, donec tres unciae e toto residant. *Ter. Ph.* 1, 1, 9. Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium, comparsit miser, *h. e.* paulatim.

UNCĪNĀTUS, a, um, adj. *ἀγκιστρωτός, ἀγκιστρώδης*, uncinis hamatus. *Cic. Acad.* 4, 38. *f.* Qui asperis, et laevibus, et hamatis, uncinatisque corpusculis concreta haec esse dicat, interjecto inani.

[UNCĪNŬLUS, i, m. dimin. uncini, parvus uncinus. *Isid. Orig.* 17, 5. *med.* Capreoli dicti, quod capiant arbores; sunt enim cincinni sive uncinuli, quibus se innectere vites et suspendere solent arboribus.

UNCĪNUS, i, m. *ὄγκινος*, uncus, hamus: a Graeca voce allata. Graeci enim dicunt et *ὄγκη*, et *ὄγκος*, et *ὄγκινος*, in ea acceptione, qua Latini uncum, vel hamum. *Appul. Met.* 3. Pessulis injectis, et uncino firmiter immisso. *Pall.* 4, 10. *med.* Uncinis aereis tollendi sunt vermes ex fico, ℙ Adjective. *Paul. Nol. carm.* 20, 270. Staminis uncino, quasi piscis, inhaeserat hamo.

UNCĬŎLA, ae, f. *οὐγκιάδιον*, parva uncia. *Juven.* 1, 40. Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem.

UNCĬPES, ĕdis, adj. omn. gen. uncos pedes habens. V. VINCIPES.

[UNCO, as, n. l. verbum exprimens vocem ursi. *Auct. carm. de Philom.* 51. Dum lynces hircando fremunt, ursus ferus uncat. *F.*]

*UNCTA, ae, f. unguentum. *Veget. de re veter.* 3, 71. *B. A.*

UNCTĬO, onis, f. *ἀλοιφή, ἄλειμμα, χρῖσις*, ungendi actus. *Pl. Stich.* 2, 1, 14. Vel unctiones Graecas sudatorias. *Colum.* 12, 51. *extr.* Oleum secundarium quotidianam unctionem praebere poterit dolore nervorum laborantibus. *Cic. Or.* 2, 5. *f.* Philosophum omnes unctionis causa reliquerunt, *h. e.* causa palaestricae exercitationis. ℙ Id ipsum, quod unctione illinitur. *Plin.* 28, 11, 47. Ita ut unctio inarescat.

UNCTĬTO, as, a. 1. *ἀλείφω*, saepe ungo. *Pl. Most.* 1, 3, 117. Nam istaec veteres, quae se unguentis uncitant, etc. *Cato* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 698. Flavo cinere unctitabant (*crinem matronae*), ut rutilae essent.

UNCTĬUSCŬLUS, a, um, adj. *ὑπόχριστος*, aliquantum unctus. *Pl. Ps.* 1, 2, 84. Num ipse ego pulmento utor magis unctiusculo? *h. e.* magis condito.

UNCTOR, oris, m. *ἀλείπτης, χριστής*, qui ungit, et speciatim qui in balneis lavantium membra ungit, quem *Juven.* 3, 76. et 6, 421. Graeco vocabulo *aliptem* vocat. *Mart.* 12, 70. Atque olei stillam daret enterocelicus unctor. Adde 7, 32. De athletarum unctoribus *Quint.* 11, 3. Assueta gymnasiis et oleo corpora, quamlibet sint in suis certaminibus robusta, si militare iter imperes, deficiant, et quaerant unctores suos, nudumque sudorem. ℙ *Pl. Trin.* 2, 1, 22. unctorem enumerat inter servitia domus luxu affluentis: et in *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 5. et 581, 12., ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 80. et ap. *Mur.* 922, 25. unctor est in officiis domus Augustae, lavantibus in balneo Caesaribus minister. ℙ Fuit etiam in ludo gladiatorio, ut constat ex *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12., in qua praeter varia gladiatorum genera nominatur *Pirata unctor.*

UNCTORĬUS, a, um, adj. ad ungendum pertinens. *Unctorium*, subaudi *cubiculum*, *ἀλειπτήριον*, locus in balneis, in quo ungebantur. V. ELAEOTHESIUM. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Adjacet unctorium, hypocaustum, adjacet propnigeum balinei. Alii leg. *unctuarium* eod. sensu.

[UNCTRĪNUM, i, n. locus, in quo ungimur: est ab *unctus*, ut ustrinum ab *ustus*, pistrinum a *pistus. Not. Tir.* p. 130. Unctor, unctrinum. *F.*]

UNCTRIX, icis, f. quae ungit, v. gr. lavantem in balneo. *Inscr.* ap. *Mur.* 891, 3. Calene (lege

Galene) Liviae unctrix. *Alia* ap. *Grut.* 581, 11. Athenais August. unct.

UNCTŪARIUM. V. UNCTORIUS.

UNCTŪLUS, a, um, adj. aliquantum unctus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 847. Alii sunt circumtonsi, et terti, atque unctuli, ut mangonis esse videantur servi. ℙ Substantive. *Appul. Met.* 3. Impertire nobis unctulum indidem, *h. e.* parum unguenti.

UNCTŪRA, ae, f. idem quod unctio, ea praesertim, quae mortuorum cadaveribus adhibetur. *Cic. Leg.* 2, 24. Servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio.

UNCTUS, a, um, part. ab *ungo*, *κεχριμένος*, *χριστός*, tinctus, delibutus, oblitus. *Hor. Sat.* 2, 4, 78. puer unctis Tractavit calicem manibus. *Id. Od.* 2, 1, 5. Arma uncta cruore, *h. e.* tincta. *Id. Sat.* 2, 6, 64. Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo, *h. e.* condita. *Pl. Truc.* 2, 2, 34. Fores nostras unguentis uncta ausa es accedere. *Virg. A.* 4, 398. natat uncta carina, *h. e.* pice delibuta. *Ov. Her.* 19, 11. uncta palaestra, *h. e.* in qua oleo uncti exercebantur. *Cic. Phil.* 3, 5. Nudus, unctus, ebrius concionatus est, *h. e.* unguentis delibutus. ℙ Translate ponitur pro opiparo, lauto, quia ditiores cibis exquisite unctis, h. e. conditis, utuntur. *Mart.* 5, 44. Captus es unctiore coena. *Hor. Ep.* 1, 15, 44. ubi quid melius contingit, et unctius, etc. *Sidon. Ep.* 2, 9. *f.* Unctissimae coenae. Rursus *Hor. Ep.* 1, 17, 11. Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum Te tractare voles, accedes siccus ad unctum, *h. e.* tu pauper accedes ad divitem et lautum hominem. *Catull.* 10, 9. Respondi id quod erat, mihi neque ipsi, Nec praetoribus esse, nec cohorti, Cur quisquam caput unctius referret, *h. e.* inde ditior rediret. *Id.* 29, 23. Uncta patrimonia. *Iuven.* 8, 113. Uncta Corinthus; et *Sidon. carm.* 5, 430. Tarentus, *h. e.* in luxu et otio vivens. *Sen. ep.* 66. *med.* Magis diliges ex duobus aeque bonis viris nitidum et unctum, quam pulverulentum et horrentem. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. *med.* Ita palaestritas defendebat, ut ab illis ipse unctior discederet, *h. e.* ditior factus pecunia a palaestritis sibi erogata, ut eos defenderet. ℙ Hinc *unctus sol* a *Cic. Att.* 12, 6. dicitur apricatio, quam coena opipara sequatur: alii tamen aliter interpretantur. V. ASSUS. ℙ Absolute. *Hor. A. P.* 422. Si vero est, unctum qui recte ponere posset, etc. *h. e.* lautam coenam. *Pers.* 6, 16. coenare sine uncto, *h. e.* sine cibis delicatis, et ullo condimento paratis. *Appul. Met.* 3. Et, haurito plusculo uncto, (*h. e.* unguento ex pyxide), corporis mei membra perfricui. *Pelag. Vet.* 26 *med.* Ranas in aqua coques, et colligis unctum ipsarum. ℙ Alia translatione sumitur etiam pro nitido, culto, ornata: nam quae uncta sunt, nitent. *Cic. Brut.* 20. Jam enim erat unctior quaedam, splendidiorque consuetudo loquendi.

UNCTUS, us, m. idem quod unctura. *Appul. Met.* 1. *f.* Oleum unctui profer. *Plin.* 30, 10, 27. Cochlearum cinis cum melle, unctu sanat.

UNCUS, a, um, adj. *ἀγκύλος*, curvus, incurvus. *Virg. G.* 1, 19. uncique puer monstrator aratri. *Id. ib.* 2, 423. tellus dente recluditur unco, *h. e* vomere. *Colum.* 7, 11. Atque uncis digitis alterum quoque testiculum educito, *h. e.* recurvatis. Sic *Virg. G.* 2, 365. uncis Carpendae manibus frondes; et *A.* 6, 360. Prensas uncis manibus capita aspera montis; et *ib.* 3, 233. de harpyiis: praedam pedibus circumvolat uncis; et *ib.* 1, 173. unco non alligat ancora morsu. *Prop.* 4, 10, 44. Torquis unca, *h. e.* ex auro curvato et obtorto facta. *Id.* 2, 4, 19. taurus ferit uncis cornibus hostem. *Ov. Pont.* 4, 7, 10. Unca aera, *h. e.* hami. *Lucr.* 4, 589. Pan unco labro calamos percurrit hiantes, *h. e.* curvato, et in rotundum conformato. *Id.* 5, 1406. Et supra calamos unco percurrere labro. *Stat. Theb.* 3, 307. avis unca Minervae, *h. e.* noctua uncis pedibus, et rostro. *Id. ib.* 12, 212. Uncae alites. [*M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 9. Sed me Caesaris oratio uncis unguibus adtinet, *h. e.* me valde delectat et allicit. *F.*]

UNCUS, i, m. *ὄγκος*, *ἄγκιστρον*, baculus, vel ferramentum incurvum, ac in sese retortum. Est a priore Graeca voce allata. *Liv.* 30, 10. *f.* Postremo asseres ferreo unco praefixi (harpagones vocant milites) ex Punicis navibus injici in Romanas coepti. *Colum.* 3, 18. Et velut uncus infixus solo, antequam extrahatur, praerumpitur. ℙ Unco Romani usi sunt adversus reos, qui damnati essent. Iis enim uncos in fauces, aut mentum infigebant, sicque trahebant vel ad scalas Gemonias, vel in Tiberim, vel in ignem. *Cic. Rab. perd.* 5. *med.* Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestae, neque acta aetas, neque nostri honores vindicabunt? *Id. Phil.* 1, 2. Uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. *Juven.* 10, 66. Sejanus ducitur unco. *Ov. Ib.* 167. Carnificisque manu, populo plaudente, traheris, Infixusque tuis ossibus uncus erit. Alii leg. *faucibus.* ℙ Allegorice. *Prop.* 4, 1, 141. Et bene cum fixum mento decusseris uncum, Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo, *h. e.* cum uno te laqueo extricaveris, alio detinebere. ℙ Pro ancora. *Val. Fl.* 2, 428 Has inter lacrimas legitur piger uncus arenis. ℙ Est etiam instrumentum chirurgorum ad extrahendum fetum mortuum. *Cels.* 7, 29. *med.* Si caput proximum est, demitti debet uncus, etc. V. *Tert. Anim.* 25.

UNDA, ae, f. *κῦμα*, globus aquae in unum collectus, quales in mari ventis exagitato excitantur. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 717 Quid mare? nonne caeruleum? at ejus unda, cum est pulsa remis, purpurascit. *Hor. Od.* 1, 12, 30. Concidunt venti, et minax ponto unda recumbit. *Id. ib.* 2, 6, 3. Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda. *Id. Ep.* 2, 2, 176. velut unda supervenit undam. *Id. Od.* 4, 14, 20. Indomitas prope qualis undas Exercet Auster. *Ov. Met.* 4, 529. percussa recanduit unda. *Id. Trist.* 1, 4, 15. dare vela, quo rapit impetus undae. *Id. Am.* 2, 11, 27. concussas Triton exasperat undas. *Id. Met.* 1, 570. amnis spumosis volvitur undis. *Id. Trist.* 1, 2, 47. tabulae laterum (*navis*) feriuntur ab undis. *Id. Ib.* 228. Unda cava. *Mart.* 9, 91. curva. *Ov. Met.* 14, 48. ferventes aestibus undae; et *ib.* 13, 892. exsultantes. *Id. Her.* 19, 161. tumidae; et *ib.* 199. ventosae. *Id. Met.* 9, 104. rapidae; et *ib.* 13, 899. placidae. *Sen. Herc. Fur.* 1090. Vexata Noto servat longos Unda tumultus, et jam vento Cessante tumet. *Id. Ag.* 66. turget ab imis commota vadis unda. ℙ Translate. *Cic. Planc.* 6. *med.* Si campus atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant, etc. *Hor. Ep.* 1, 1, 16. Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis; et *ib.* 2, 22. adversis rerum immersabilis undis, *h. e.* calamitatibus. *Claud. in Eutrop.* 2, 507. hunc tantis bellorum sidus in undis Sperant, *h. e.* fluctibus et turbis. *Virg. G.* 2, 461. ingentem foribus domus alta superbis Mane salutantum totis vomit aedibus undam. Sic *Sil.* 4, 158. spissaeque ruunt conferta per arma Undae Bojorum. *Catull.* 64, 62. magnis curarum fluctuat undis. *Lucr.* aerias undas dixit 2, 151. ipsum aerem, qui instar maris commovetur, et agitur. *Mart.* 8, 55. Aurea lunatae cum stetit unda jubae, *h. e.* juba leonis undans in collo instar aquae agitatae. Alii leg. *umbra. Sever. Aetn.* 602. quando ruptis excanduit Aetna cavernis, Et velut, eversis penitus fornacibus, ignis Evecta in longum rapidis fervoribus unda est, *h. e.* materia illa liquida et ignita, quae more undae fluit. *Virg. A.* 8, 257. qua plurimus undam Fumus agit. ℙ Per synecdochen ponitur pro aqua. *Cic. Phil.* 10, 4. Spectaculum non modo hominibus, sed undis ipsis et litoribus luctuosum. ℙ Praecipue vero ita passim usurpatur a poetis. *Ov. Met.* 8, 737. undis contrarius ignis; et *Val. Fl.* 8, 245. ignem Pollux, undamque jugalem Praetulit: *jugalem* dicit, quia mos fuit in nuptiis aquam et ignem praeferre. Quo pertinet illud *Ov. A. Am.* 2, 598. faciunt justos ignis et unda viros. *Id. Met.* 4, 98. Depositura sitim vicini fontis in unda. *Hor. Od.* 3, 4, 28. Unda Sicula, *h. e.* Siculum mare. *Mart.* 14, 118. Nivales undae, *h. e.* aqua ex nive soluta. ℙ Et pro alio liquore quocumque. *Plin.* 15, 1, 2. de oleo: Prima unda prelli laudatissima, ac deinde per diminutiones. *Sil.* 10, 245. manans naribus unda Sanguinis. *Mart.* 13, 40. Candida si croceos circumfluit unda vitellos; et 8, 33. pallida rubri Unda croci. ℙ In architectura unda est Latine, quae Graece *κυμάτιον*, unde ab Italis *cimasa* dicitur. *Vitr.* 5, 7. Pluteum insuper cum unda et corona inferioris plutei dimidia parte. V. CYMATIUM. Sunt tamen qui dubitant, an verba illa *Vitruvii* sint.

UNDĀBUNDUS, a, um, adj. *κυματώδης*, idem quod undosus. *Gell.* 2, 30. Sed mare est etiam atque etiam undabundum. *Ammian.* 17, 7. *med.* Impulsu crebriore aquae undabundae.

UNDANS, antis, part. ab *undo*, *κυμαίας*, *κυματόεις*, fluens, undabundus, undosus, fluctuans, undas volvens. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 2, 35. Triton fuscina evertens specus subter radices penitus undanti in freto, etc. *Enn.* ap. *Non.* 3, 199. Undans salum. *Virg. A.* 6, 218. calidos latices, et ahena undantia flammis Expediunt, *h. e.* prae calore exundantia. *Id. ib.* 10, 908. Undantique animam diffundit in arma cruore. *Claud. in Ruf.* 1, 184. Undans fluvius. *Stat. Theb.* 2, 124. et *Sil.* 10, 240. vulnus, *h. e.* magnam sanguinis copiam emittens. Sic *Stat. Theb.* 1, 449. undantes sanguine vultus. ℙ Transfertur ad alia, quae more undae moventur et fluunt. *Virg. G.* 1, 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa. *Sen. Tro.* 19. Diripitur ardens Troja, nec coelum patet, Undante fumo. *Sil.* 9, 445. summaque in Caside largus Undantes volvit flammas ad sidera vertex. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 395. undantem flammarum obstruxit hiatum. *Virg. G.* 2, 437. Et juvat undantem buxo spectare Cytorum, *h. e.* buxo multo consitum, quod leni vento impulsum fluctuat instar maris. Simile est illud *ejusd. ib.* 3, 198. tum segetes altae, campique natantes Lenibus horrescunt flabris. *Claud. in Ruf.* 1, 76. undantes spumis furialibus irae, *h. e.* spumam in os agentes instar laticum in aheno ex calore exundantium. ℙ De Iride. *Val. Fl.* 4, 94. qui nubila contra Balteus undantem variat mortalibus arcum, *h. e.* variis coloribus instar undarum dispositis. ℙ De vestibus laxis, et undarum instar fluentibus. *Pl. Epid.* 3, 3, 54. Hic quis est, quem huc advenientem conspicor, suam qui undantem chlamydem quassando facit? *Claud. in Ruf.* 2, 176. lateque videres Surgere purpureis undantes anguibus hastas, *h. e.* vexillis e purpura angues depictos habentibus. Eadem ratione *Virg. A.* 5, 146. immissis aurigae undantia lora Concussere jugis, *h. e.* habenas laxas, quae dum concutiuntur, undas maris imitantur; et *ib.* 12, 471. manibusque undantes flectit habenas. ℙ Refertur ad animum. *Val. Fl.* 5, 303. Praecipue Aesoniden varios incerta per aestus Mens rapit undantem curis, ac multa novantem. Sic *Virg. A.* 8, 19. magno curarum fluctuat aestu.

UNDANTER et

UNDĀTIM, adv. *κυματοειδῶς*, ad undarum similitudinem. *Plin.* 13, 15, 30. Mensae undatim crispae. *Id.* 36, 7, 11. Marmor undatim crispum. *Appul. Met.* 2. Capillus undanter fluens. Alii leg. *fluenter undans. Capell.* 2, 35. Dum talia virgo undanter evomeret.

[UNDĀTIO, onis, f. exundatio, id quod exundat. *Theod. Prisc.* 3, 5. Quae cum molli vapore coqui, et bullire coeperint, undatio, vel spuma, quae supernataverit, colligitur. *F.*]

UNDĀTUS, a, um, part. ab *undo*, undulatus, undarum in morem factus. *Plin.* 9, 33, 52. Concharum genera imbricatim undata, cancellatim reticulata.

UNDĔ, adv. *ὅθεν*, *ὁπόθεν*, ex quo, et a quo loco: cui respondet *inde*, et *eo. Cic. Caecin.* 30. *med.* Unde vi. Hoc verbum, unde, utrumque declarat: et ex quo loco, et a quo loco. Unde dejectus est Cinna? ex urbe: unde dejecisti? ab urbe. Unde dejecti Galli? a Capitolio: unde qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio; et *mox:* Si Galli a majoribus nostris postularent, ut eo restituerentur, unde dejecti essent. *Id. Att.* 13, 39. Nec enim inde venit, unde mallem. *Id. Inv.* 1, 20. Narratio brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur. *Ter. Eun.* 2, 3, 13. Unde is? *Chae.* nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam. *Cic. Verr.* 2, 2, 77. Ego instare, ut mihi responderet, quis esset, ubi esset, unde esset. *Virg. A.* 8, 113. quo tenditis? inquit: Qui genus? unde domo? et *Prop.* 1, 22, 1. Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates, Quaeris. ℙ Aliquando post se habet genitivum *gentium* ornatus gratia. *Pl. Epid.* 3, 4, 47. Unde haec igitur gentium est? et *As.* 1, 1, 77. Face, id ut paratum sit. *Lib.* unde gentium? *Ter. Pall.* 4. *in.* Unde gentium in provinciis melius exercitis, quas natura agro potius eluctando commodavit, studia palaestrae male senescentia, et incassum laborantia? ℙ Interdum geminatur. *Pl. Ps.* 1, 1, 102. Spero, alicunde hodie me tibi inventurum esse auxilium argentarium: atque id futurum unde unde dicam, nescio. Alii aliter distinguunt. *Catull.* 67, 27. Quaerendumque unde unde foret nervosius illud, *h. e.* undecumque. *Hor. Sat.* 1, 3, 87. Qui nisi, cum tristes misero venere calendae, Mercedem aut nummos unde unde extricat, etc. *h. e.* undecumque, alicunde. *Tert. adv. Hermog.* 10. Qui malum et si ipse non fecit, tamen a quocumque, et unde unde passus est fieri. *Appul. Met.* 5. *f.* Nec tamen vindictae solatium unde unde spernendum est. ℙ Saepe ponitur loco relativi *qui*, *quae*, *quod*, et refertur ad locum. *Caes. B. G.* 1, 28. Helvetios in fines suos, unde erant profecti, referti jussit; et *mox:* Noluit, eum locum, unde erant profecti, vacare. *Nep. Them.* 10. Hunc urbem ei rex donarat, quae panem praeberet: Lampsacum, unde vinum sumeret: Myuntem, ex qua obsonium haberet. *Virg. A.* 2, 458. Evado ad summi fastigia culminis, unde Tela manu miseri jactabant irrita Teucri. ℙ Item ad rem. *Ter. Ad.* 1, 2, 40. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur: est, Diis gratia, unde haec fiant. *Nep Cim.* 4. Complures pauperes mortuos, qui, unde efferuntur, non reliquissent, suo sumptu extulit. *Cic. Brut.* 92. *f.* Non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longum absum. *Id. Fin* 2, 17. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, ne nummum quidem unum attigisset. ℙ *Colum. praef.* 6. Nec tamen ulla regio est, in qua modo frumenta gignantur, quae non ut hominum, ita armentorum adjumento juvetur: unde etiam jumenta nomen a re traxere, quod nostrum laborem juvarent: *unde* refertur ad v. *juvetur*, et simile est vv. *quare*, *quocirca*. Simile est illud *Justini* 2, 14. Castra referta regalis opulentiae capta. Unde primum Graecos, diviso inter se auro Persico, divitiarum luxuria cepit, *h. e.* qua ex causa, ex quo. ℙ Pro qua ex causa? cur? quare? *Flor.* 3, 12. *med.* Unde enim populus R. agros et cibaria flagitaret, nisi per famem, quam luxu fecerat? et *mox:* Unde regnaret judiciariis legibus divulsus a senatu eques, nisi ex avaritia? ℙ Item ad personam. *Ter. Eun.* 1, 2, 34. Mercator hoc addebat: e praedonibus, unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio. *Cic. Or.* 1, 15. *med.* Ut quamcumque rem a quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit; et *ib.* 2, 87. Ita audire vel eum, unde dicas, vel eum, cui respondendum sit, ut, etc. *h. e.* pro quo dicas: vel a quo causam accepisti. *Virg. A.* 1, 6. genus unde *(ab Aenea)* Latinum, Albanique patres;

et *ib.* 5, 143. genus unde tibi, Romane Cluenti. *Just.* 5, 4. *med.* Ut unde stetisset, eo se victoria transferret, *h. e.* a cujus partibus. Adde 14, 1. ℙ In re forensi, *unde petitur*, est reus, a quo aliquid petitur. *Cato* ap. *Gell.* 14, 2. *f.* Si quis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, illi unde petitur, potius credendum esse. *Ter. Eun. prol.* 11. Causam dicere prius unde petitur aurum, quare sit suum, quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi. *Cic. Fam.* 7, 11. Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim. *Id. Or.* 1, 37. Ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur. ℙ *Unde* pro *unde unde*, undecumque. *Tert. Anim.* 51. *extr.* Certe unde sunt ista, signis potius, et ostentis deputanda. *Id. adv. Hermog.* 22. *med.* Quamquam possimus unde illas prolatas aestimare, dum ne ex nihilo. *Scioppius* utrobique legit *unde unde.*

UNDĒCĒNI, ae, a, adj. distribut. quod et pro cardinali ponitur, undecentum. *Plin.* 36, 8, 14. *n.* 2. Obeliscum posuit longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor.

UNDĒCENTĒSĪMUS, a, um, adj. idem quod nonagesimus nonus. *Val. Max.* 8, 7. *extr. n.* 11. Ad undecentesimum annum.

UNDĒCENTUM, nomen numerale indecl. *ἐννενηκονταεννέα*, nonaginta novem, centum minus uno. *Plin.* 7, 60, 60. Paruerunt tamen eis annis undecentum.

UNDĒCĬES, adv. *ἑνδεκάκις*, undecim vicibus. *Cic. Verr.* 2, 2, 7. Sestertium undecies numeratum esse. *Colum.* 5, 2. Hanc summam undecies multiplicato, fiunt, etc. *Mart.* 5, 79. Undecies una surrexti, Zoile, coena.

UNDĒCIM, nomen numerale, cardinale, indeclin. *ἕνδεκα*, unus supra decem. *Cic. Fam.* 6, 18. Undecim legiones. *Mart.* 2, 44. Phoebo quatuor, undecim Phileto. Adde *Vitr.* 3, 1. *med.*

[UNDĒCĪMĀNUS miles, qui est ex legione undecima. V. BOVIANIUS. *F.*]

UNDĒCĪMUS, a, um, adj. *ἑνδέκατος*, ultimus ex undecim. *Virg. Ecl.* 8, 39. Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus. *Ov. Trist.* 1, 2, 50. de fluctu decumano: Posterior nono est, undecimoque prior. V. DECIMANUS. *Plin.* 11, 54, 118. Ad ultra undecimum diem plerosque certum est mori.

UNDĒCĪRĒMIS, is, f. *ἑνδεκήρης*, navis quae habet undecim remorum ordines. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 2. Maxima ea in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa, centum triginta pedum longitudinis, crassitudinis vero ad trium hominum complexum. V. DECEMREMIS.

UNDĒCUMQUĔ, adv. *ὁπόθεν ἄν*, ex quocumque loco, undique. *Sen. V. B.* 27. *med.* Rupes in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare. *Plin.* 27, 4, 5. Sanguinem vulnerum et undecumque fluentem sistit. *Plin. alter ep.* 9, 4. Undecumque inceperis, ubicumque desieris. *Quint.* 7, 3. *f.* Nec undecumque causa fluxit, ibi culpa est. *Vopisc. Firm.* etc. 14. Si quando legati barbarorum undecumque gentium venissent. *Gentium* pleonasmus est. *Τηῆοις* est in illo *Lucr.* 6, 1015. cunctas in partes unde vacefit Cumque locus. ℙ Pro ubicumque. *Plin.* 2, 105, 105. Ignes transiliunt protinus in naphtham undecumque visam.

UNDĔLĪBET, adv. *ὅθεν βούλει*, ex quocumque libet loco. *Auct. ad Her.* 4, 50. *f.* At istud quidem facile fuit undelibet invenire. *Cels.* 8, 10. Fascia undelibet super fracturam incipere debet.

UNDĒNĀRĬUS, a, um, adj. undecim continens, ut Undenarius numerus, *August. de quaestionib. in Exod. quaest.* 108. et *Serm.* 51. *f.* et 83. *med.*

UNDĒNI, ae, a, adj. distrib. quod etiam pro cardinali ponitur, *ἕνδεκα*, unus supra decem. *Ov. Am.* 1, 1, 30. Musa per undenos emodulanda pedes, *h. e.* hexametro et pentametro versu. *Plin.* 11, 25, 31. Pariuntur autem undeni. *Hor. Ep.* 1, 20, 27. Me quater undenos sciat implevisse decembres. ℙ In sing. num. *Manil.* 4, 451. Bisque undena *(pars)* nocens, et bis duodena nocens est.

UNDĒNONĀGINTA, nomen numerale, cardinale, indecl. nonaginta, uno dempto. *Liv.* 37, 30. Classis undenonaginta navium.

UNDĒOCTOGINTA, nomen numerale, cardinale, indecl. *ὀγδοηκονταεννέα*, septuaginta novem, octoginta minus uno. *Hor. Sat.* 2, 3, 117. si stramentis incubet unde-Octoginta annos natus, cui stragula vestis Blattarum, ac tinearum epulae putrescat in arca.

UNDĒQUADRĀGĒSĪMUS, a, um, adj. quadragesimus uno minus. *Val. Max.* 8, 7. *extr. n.* 10. Undequadragesimum volumen.

UNDĒQUADRĀGIES, adv. *ἐννέα καὶ τριακοντάκις*, novies et tricies. *Plin.* 7, 25, 25. Solus M. Marcellum transgressus, qui undequadragies dimicaverat.

UNDĒQUADRĀGINTA, nomen numerale, cardinale, indecl. *ἐννέα καὶ τριάκοντα*, triginta novem. [*Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 14. Sic ille cum undequadraginta annos regnavisset, etc. *F.*] *Liv.* 23, 37. Ad mille quadringentos Carthaginiensium caesi, undequadraginta vivi capti. Alii leg. *undesexaginta.*

UNDĒQUINQUĀGĒSĪMUS, a, um, adj. *πεσσαρακοστὸς ἕννατος*, quadragesimus nonus. *Cic. Manil.* 12. *f.* Undequinquagesimo die totam ad imperium populi R. Ciliciam adjunxit.

UNDĒQUINQUĀGINTA, nomen numerale, cardinale, indecl. *ἐννέα καὶ πεσσαράκοντα*, quadraginta novem, quinquaginta minus uno. *Liv.* 37, 58. In eo triumpho undequinquaginta coronae translatae sunt. Adde *Plin.* 13, 4, 9.

UNDĒSEXĀGĒSĪMUS, a, um, adj. quinquagesimus nonus. *Censor. de die nat.* 19. Undesexagesima pars.

UNDĒSEXĀGINTA, nomen numerale, cardinale, indecl. *ἐννέα καὶ πεντήκοντα*, quinquaginta novem. *Liv.* 23, 37. Ceperint amplius tria millia hominum, paullo minus mille equorum, undesexaginta militaria signa. Adde *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9.

UNDETRĪCĒNI, ae, a, adj. distrib. undetricesimi. *Macr. Sat.* 1, 13. *med.* Menses undetricenum tricenumque *(dierum)* numero alternaverunt.

UNDETRĪCĒSĪMUS, a, um, adj. idem quod undetrigesimus. *Gell.* 10, 5. Nigidius in commentariorum undetricesimo.

UNDETRĪGĒSĪMUS, a, um, adj. *εἰκοστὸς ἔννατος*, vicesimus nonus. *Liv.* 25, 26. *f.* Undetrigesimo die post fratris mortem interfectus est.

UNDETRĪGINTA, nomen numerale, cardinale, indecl. triginta uno minus. *Vitr.* 9, 4. *med.* Mensibus undetriginta, et amplius. Adde *Macr. Sat.* 1, 15.

UNDĒVĪCĒNI, ae, a, adj. distribut. quod ponitur etiam pro cardinali, decem et novem. *Quint.* 1, 10. *f.* Porrecti utrinque undeviceni pedes.

UNDĒVĪCĒSĪMĀNUS miles, qui est ex legione undevicesima. *Hirt. B. Alex.* 57. Cum quinque cohortibus undevicesimanorum egreditur.

UNDĒVĪCĒSĪMUS, a, um, adj. *ἐννέα καὶ δέκατος*, decimus nonus. *Cic. Sen.* 5. Anno undevicesimo post ejus mortem. ℙ Etiam *undevicensumus* scribitur, ut *quadragensumus.* V. QUADRAGESIMUS. *Inscr.* ap. *Mur.* 773, 1. et emendatior ap. *Maff. Osserv. letter.* T. 4. p. 342. Eripuit nobis undevicensumus annus Ingressum juvenem militiam cupide.

UNDĒVĪGĒSĪMĀNUS, a, um, adj. undevicesimanus. *Tac. A.* 1, 37. et 51. ubi alii leg. *unaetvicesimanus.*

UNDĒVĪGĒSĪMUS, a, um, adj. idem quod undevicesimus. *Colum.* 8, 5. *med.* Die undevigesimo animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint. *Vet. Epigr.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 21. *Burm.* Senserat ire aquilas legio undevigesima, cujus, etc. Secunda et tertia syllaba male hic corripiuntur.

UNDĒVĪGINTI, adj. distrib. quod etiam ponitur pro cardinali, *δέκα ἐννέα, εἴκοσι ἐνὸς δέοντος*, novendecim, viginti minus uno. *Cic. Brut.* 64. Undeviginti annos natus erat eo tempore. Adde *Liv.* 23, 46.

UNDĒUNDĒ. V. UNDE.

UNDĪCOLA, ae, m. et f. undas colens, in undis habitans. *Varr.* ap. *Non.* 4, 50. Ut Naides undicolae. *Avien. Arat.* 808. Undicola pistris.

[UNDIFLŬUS, a, um, adj. qui undatim fluit. *Dracont. Hexaem.* 1, 607. Quis neget undifluos procedere fontibus amnes? *F.*]

UNDIFRĀGUS, a, um, adj. undas frangens. Translate. *Venant. prol.* 3, 4. *in.* Per undifragos vestri fluctus eloquii me contigit irrorari.

UNDĪQUĔ, adv. *παντοχόθεν, πάντοθεν*, ex omni parte, ex omni genere, passim. *Caes. B. G.* 3, 1. *extr.* Vicus altissimis montibus undique continetur; et *ib.* 6. Undique circumventos interficiunt. *Cic. Manil.* 11. Sicilia undique cincta periculis. *Id. Or.* 3, 24. Res exquisitae undique, et collectae, arcessitae comportatae; et *ib.* 1, 42. *extr.* Passim carpere, et colligere undique. *Id. Verr.* 2, 2, 53. *med.* Concurritur undique ad istum Syracusas *Id. Tusc.* 1, 43. *f.* Undique ad inferos tantundem viae est *h. e.* ab omni terrarum parte. *Caes. B. G.* 1, 22. Ut undique uno tempore in hostes impetus fieret. *Cic. Fin.* 5, 24. Honestas undique perfecta et absoluta. *Id. Tusc.* 5, 31. Vita undique referta bonis. *Id. Phil.* 2, 43. Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. *Hor. Sat.* 2, 3, 107. delirus et amens Undique dicatur merito. ℙ Cum gen. *gentium* ponitur ornatus gratia. *Aurelian. Imp.* in *edicto* ap. *Vopisc. Firm.* etc. 5. Pacato undique gentium toto, qua patet, orbe terrarum. ℙ Item cum alio genit. *Appul. Met.* 8. Canes rabidi et immanes undique laterum circumfusi passim insiliunt. ℙ Pro undecumque usurpari videtur in illo *Tert. ad Valent.* 5. Nec undique dicemur ipsi nobis effinxisse materias.

UNDĪQUĔ SĔCUS, adv. undique. *Solin.* 27. *med.* Non sine miraculo lucus viret, undique secus agris arentibus. Alii conjunctim *undiquesecus* scribunt.

UNDĪQUĔ VERSUM, et versus, et Undique vorsum, adv. idem quod undique, quaqua versus. *Just.* 44, 1. *f.* Marinae aurae undique versus assidui flatus. *Gell.* 12, 13. *med.* Oceanus terras omnifariam, et undique versum circumfluit. *Id.* 7, 16. Has undique vorsum indagines cupediarum majore detestatione dignas censebimus. *Solin.* 40. *med.* Undique versum, quod usquam gentium sit, ad regiam Memnonis convenire. *Appul. Apol.* Cum undique versum tabulis flagitaretur. ℙ Scribitur et conjunctim *undiqueversum.*

UNDISŌNUS, a, um, adj. undis strepens, fluctibus murmur edens. Dicitur de insulis et scopulis, ad quos undae maris allisae sonum edunt. *Val. Fl.* 1, 364. Qui tenet undisonam Psamathen; et 4, 44. undisoni crepidine saxi. *Stat. Achill.* 1, 198. Undisonae rupes. *Prop.* 3, 20, 18. Dei undisoni, *h. e.* maris praesides.

[UNDIVĀGUS, a, um, adj. qui undatim vagatur. *Coripp. Johann.* 6, 342. mistum genus omne bibebat Undivagos latices. *Id. ib.* 7, 344 Undivagumque salum. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 303. *Burm.* Tethyos undivagae cum prosilit aequore Titan. *F.*]

UNDO, as, avi, atum, a. 1. *κυμαίνω*, undas facio, undis agitor, fluctuo. *Sen. Q. N.* 3, 28. *med.* Solet aestus aequinoctialis omnibus aliis major undare. *Petr. Sat.* 123. flumina montibus altis Undabant modo nata. *Virg. A.* 12, 672. flammis inter tabulata volutus Ad coelum undabat vortex. V. UNDANS. ℙ Item inundo. *Stat. Achill.* 1, 86. Cum tuus Aeacides tepido modo sanguine Teucros Undabit campos. *Claud. in Ruf.* 2, 67. puerique cruore Maternos undare sinus. ℙ Translate ponitur pro abundare. *Val. Fl.* 1, 539. regio Undat equis, floretque viris. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 25. Undaret ne silva favis. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 46. populis undare penates, Assiduos intrare inopes. *Id. VI. cons. Honor.* 545. undare videres Ima viris, altas effulgere matribus aedes. *Id. Cons. Mall. Theod.* 21. Mox undare foro victrix opulentia linguae, Tutarique reos. V. alia in Particip. UNDANS suo loco. ℙ Item pro fluctuando moveri. *Appul. Met.* 2. Fotis spinam mobilem quatiens placide, decenter undabat, *h. e.* lumborum crispitudine fluctuabat.

UNDOSĔ, adv. undas excitando. *Ammian.* 27, 4. *med.* Freto undosius ab Euxino Ponto labenti.

UNDŌSUS, a, um, adj. *κυμαιώδης*, undis et fluctibus abundans, undis agitatus, undans. *Virg. A.* 4, 313. Undosum aequor; et *ib.* 3, 693. Plemmyrium. *Sil.* 5, 21. Undosa regna. *Solin.* 12. *f.* Fluctus undosior. *August. C. D.* 22, 11. *med.* Torrentes violentissimi, atque undosissimi.

UNDŪLĀTUS, a, um, adj. *κυμαιώδης*, undae similis, undas repraesentans, ut vestis undulata, *κυμαιώδης, ἐοῦθης*, per quam imago undarum discurrit: qua ratione *vestis scutulata* appellatur a scutulis, quales in aranearum telis cernimus. In genere undulatarum vestium sunt, quae ex hircorum et caprarum pilis (varii quidem, sed nativi coloris) verius, quam lanis conficiuntur. Nam hae undis quibusdam depictae sunt. *Varr.* ap. *Non.* 2, 926. A quibusdam dicitur esse Fortunae virginis simulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum, perinde ut reges nostri undulatas, et praetextas togas soliti sunt habere. Ubi *Nonius* scribit, *undulatum* nove positum pro *puro*, fortasse quia hujusmodi vestes nulla tinctura infectae, purum nativumque colorem habeant. Adde *Plin.* 8, 48, 74., ubi eadem fere cum *Varrone* habentur.

ŪNĔDO, onis, m. fructus arbuti, terrestribus fragis non dissimilis: ab *unus*, et *edo*, quod plures edi non possint. Nempe cibus iste, si unico plus sumas, noxius est. Unde et cognoscimus, corripere paenultimam. *Plin.* 15, 24, 28. Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum unedoni, quod solum pomum simile frutici, terraeque gignitur. Arbor ipsa fruticosa. Fructus anno maturescit: pariterque floret subnascens, et prior coquitur. Mas sit, an femina sterilis, inter auctores non constat. Pomum inhonorum, ut cui nomen ex argumento sit unum tantum edendi. Haec *Plin.* ℙ Ipsa etiam arbutus eodem nomine significatur. *Id.* 23, 8, 79. Arbutus, sive unedo fructum fert difficilem concoctioni, et stomacho inutilem. Adde 16, 31, 55.

*UNELLI, orum, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus. *Caes. B. G.* 2, 34, 3. et 11, 17. et 7, 75. *Plin.* 4, 18. Vulgo *la pays du Perche. B. A.*

UNETVĪCĒSĪMUS. V. UNAETVICESIMUS.

UNGELLA, ae, f. dimin. unguis, ungula, quam vocem vide. Ita vocatur ungula cum pede suilla. *Apic.* 4, 5. Ungellae, et avicellae divisae cum bulbis ferveant. *Marcell. Empir.* 20. *med.* Edulia quoque prosunt haec, cochleae bullientis frustella, ungellae, turdi, perdices, etc. et *mox.* Statim dare debes vel ova hapala, vel ungellam discoctam, vel cochleas elixas, etc. *Edict. Dioclet.* p. 14. Ungellae, quattuor, et aqualiculum pretio quo caro distrahitur. ℙ Etiam *unguella* scribitur. V. *Vespae l. c.* in SYCOTUM.

UNGĪTO. V. INUNGITO.

UNGO, et Unguo, is, nxi, nctum, a. 3. *ἀλείφω, χρίω*, oleo, aliove pingui oblino. *Cato R. R.* 79. Globos melle unguito. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Ranam luridam conjicere in aquam, usque quo ad tertiam partem decoxeris: eoque unguere corpus. *Pl. Most.* 1, 3, 115. Etiamne unguentis unguendam censes? *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Matronas, et virgines, cum Diana exportaretur ex oppido, unxisse unguentis, complesse coronis et floribus. *Pers.* 6, 68. impensius unge, Unge puer, caules, *h. e.* condi. *Hor. Sat.* 2, 3, 125. Unguere si caules oleo meliore, ca-

putque Coeperis impexa foedum porrigine. *Mart.* 2, 77. Utilis ungendis axibus esse potes. *Lucr.* 4, 1170. exclusus amator limina saepe Floribus, et sertis operit, postesque superbos Unguit amaracino, et foribus miser oscula figit. *Hor. Ep.* 1, 18, 22. Gloria quem supra vires et vestit, et ungit, *h. e.* qui ostentationis et vanae gloriae causa supra vires rei familiaris sumptus facit in cultu corporis, unguentis et deliciis. *Cels.* 5, 28. *n.* 15. *extr.* Prius ungi ex cerussa pustulae debent. ℙ Mos ungendi frequens in balneis post lotionem. *Cic. Att.* 13, 52. Post horam octavam in balneum: tum audivit de Mamurra, vultum non mutavit; unctus est, accubuit. *Augustus* in *ep.* ap. *Suet. Aug.* 76. In balneo demum duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem. ℙ et mortuorum cadavera. *Ov. Pont.* 1, 9, 47. Funera nec potui comitare, nec ungere corpus. *Id. Fast.* 4, 853. Arsurosque artus unxit. Adde *Her.* 10, 122., *Mart.* 3, 12., *Pers.* 3, 104., *Val. Max.* 4, 6. *n.* 3. et *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 6, 219. ℙ Pro tingere, madefacere. *Virg. A.* 9, 773. Caepas aqua salsa tepida ungere. *Virg. A.* 9, 773. Ungere tela manu, ferrumque armare veneno. *Sil.* 9, 8. ante omnes invadere bella Mancinus gaudens, hostilique unguere primus Tela cruore. ℙ Utrum sit rectius, *unguo*, an *ungo*, non facile dixerim. *Cellar.* et *Dausqu.* praeferunt *ungo*. Ex *unguo* quidam grammatici ap. *Prisc.* 10, 881. praeteritum *ungui* faciunt. Ex eodem sunt *unguedo*, *unguen*, *unguentum*. Quamquam *Servius* ad *Virg. l. c.* vult dici *ungentum*. V. UNGUENTARĬUS. Ne *Vegetium* quidem imitari ausim, qui *Vet.* 3, 47. *ungueri* dixit (ut quidam leg.) ab *ungueo;* et *ib.* 54. *perunguebis*. Tametsi et *Fest.* in *Persillum* eadem ratione usurpare videtur.

UNGUĒDO, inis, f. idem quod unguen, seu unguentum. *Appul. Met.* 3. Pyxides plusculas depromit, atque indidem egesta unguedine, etc.

*UNGUELLA, ae, f. i. q. unguiculus. *Gloss. Lat. Gr.* Unguella, *ὀνίχια, ὄνυχιον, τὸ ἐσθιόμενον. B. A.*

UNGUEN, inis, n. *μύρον*, idem ac unguentum, vel succus liquidus et crassus unguento similis. *Cato R. R.* 79. et 80. In ahenum caldum unguen indito. *Virg. G.* 3, 450. et pingues unguine ceras. *Pers.* 6, 40. Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes, *h. e.* oleo. V. FOENISECA. *Pall.* 1, 17. Sumas tantundem unguinis, quod vocamus axungiam, vel sevum. *Val. Fl.* 8, 302. armant alii picis unguine flammas. *Id.* 6, 360. pingui fluit unguine tellus. ℙ Translate est salus. *Venant. Vit. S. Martin.* 2, 12. de benedictione: A digitis salit alta salus, fluit unguen ab ungue.

UNGUENTĀRĬUS, a, um, adj. *μυρεψικός*, ad unguentum pertinens. *Plin.* 36, 8, 12. Unguentaria vasa. *Sen. ep.* 108., *Varr. L. L.* 7, 30. et *Suet. Aug.* 4. *med.* Unguentariam tabernam exercere. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Unguentaria cella. ℙ *Unguentarius* absolute, *ἀλείπτης, μυροπώλης*, qui unguenta conficit, et vendit. *Cic. Off.* 1, 42. Minime artes hae probandae, quae ministrae sunt voluptatum: cetarii, lanii, coqui; adde huc unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium. Adde *Hor. Sat.* 2, 3, 228., *Plin.* 31, 7, 42. et *Inscr.* ap. *Grut.* 636, 9. ℙ Quod scribit *Sen. Q. N.* 4, 13. *med.* Unguentarios Lacedaemonii urbe expulerunt, et propere cedere finibus suis jusserunt, quia oleum disperderent: *Lips.* adscribit, aliptas et iatraliptas significari. ℙ *Unguentaria*, quae unguenta conficit, et vendit, *μυρόπωλις. Plin.* 8, 5, 5. Unguentaria quaedam dilecta Jubae. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 88. Liciniae Primigeniae unguentariae, etc. ℙ Item ars ipsa unguentorum conficiendorum. *Pl. Poen.* 3, 3, 90. Faciam, ubi tu laveris, ibi ut balneator faciat unguentariam. ℙ *Unguentarium*, pecunia, quae alicui datur ad unguenta. *Plin. ep.* 2, 11. *f.* Accepisse sestertium decem millia, foedissimo titulo, nomine unguentarii. ℙ In antiquis *Inscr.* saepe legitur *ungentarius*. V. *Fabr.* p. 219.

UNGUENTĀTUS, a, um, part. ab *unguento: μεμυρωμένος*, unguento oblitus. *Catull.* 61, 142. Diceris male te a tuis Unguentate glabris marite Abstinere. *Pl. Cas.* 2, 3, 23. Senecta aetate unguentatus per vias, ignave, incedis. *Id. Truc.* 2, 2, 32. Cincinni compositi, crispi, unguentati. *P. Scipio Afric.* ap. *Gell.* 7, 12. Qui quotidie unguentatus adversus speculum ornatur. *Sen. fragm.* ap. *eund.* 12, 2. *f.* Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere, *h. e.* bene olentes ex unguentis, atque adeo delicatos et molles.

[UNGUENTO, as, avi, atum, a. 1. *χρίω*, ungo, unguentis perfusis orno. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n. XL. lin.* 13. Ture et vino fecerunt, et Deam unguentaverunt, et in in cathedris consederunt; et *n. XLI. lin.* 31. et Deas unguentaverunt. Ex *Cic. l. c.* in UNGO constat, id moris fuisse apud veteres, ut honoris cultusque causa Deorum, Dearumque signa unguentis ungerent. Hinc alia *Inscr.* ap. *eund. ib. XXXV. n.* Deinde coronis inlatis, signisque unctis C. Victorium magistrum annuum nominaverunt; et *n. XXXVI.* Deinde coronis inlatis, signisque unctis C. Catelium Modestinum magistrum annuum fecerunt. *F.*]

UNGUENTUM, i, n. *μύρον, μύρωμα, χρῖσμα*, omnis succus pinguis, quo ungimur deliciarum et luxus causa. *Pl. Most.* 1, 1, 41. Non possunt omnes olere unguenta exotica. *Id. ib.* 3, 115. Etiamne unguentis unguendam censes? et *mox:* Quae se unguentis unctitant. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Cum interea Apronius caput, atque os suum unguento perfricaret. *Id. Cat.* 2, 3. Nitere unguentis, fulgere purpura. *Hor. Od.* 2, 3, 13. Huc vina, et unguenta, et nimium breves Flores amoenae ferre jube rosae; et *ib.* 7, 22. funde capacibus Unguenta de conchis. *Id. ib.* 3, 14, 17. 1, pete unguentum, puer, et coronas, Et cadum Marsi memorem duelli. *Ov. Her.* 21, 161. Saepe coronatis stillant unguenta capillis. *Petr. Sat.* 105. Mero, et unguentis perfusi. *Claud. B. Gild.* 444. Umbratus dux ipse rosis, et marcidus ibit Unguentis, crudusque cibo, titubansque Lyaeo; et *ib.* 183. mixtis redolent unguenta coronis. *Phaedr.* 5, 1. Unguento delibutus, vestibus affluens. *Cic. Sext.* 8. Unguentis affluens, calamistrata coma. *Id. in Sen.* 5. *f.* oblitus. *Id. Or.* 3, 25. *med.* Unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis. ℙ De unguentis multa *Plin.* 13. *in. et sqq. capitib.* ℙ Oduris praecipue gratia, adhibebantur ex variis floribus, foliis, succis, lacrimis, ut ex croco, nardo, ture, amomo, iri, lilio, rosa, etc. et varia mixtura ex his: quo liquidiora, eo gratiora: eratque plurimus eorum usus in conviviis, in balneis, in funeribus, ut in UNGO dictum est: et praeter assignata ibi scriptor. loca, V. de balneis *Petr. Sat.* 28., de conviviis *Cic. Tusc.* 5, 21. et *Hor. A. P.* 375., de funeribus *Prop.* 3, 14, 23., *Ov. Fast.* 3, 561. et *Pont.* 1, 9. *f.*, *Mart.* 11, 54., *Pers.* 3, 104. et *Stat. Silv.* 2, 1. a *v.* 157. ℙ Perfundebant iis non solum caput et comam, nares, pectus, et pedes, sed etiam vestes. *Petr. fragm. Trag.* 70. *Burm.*, *Prop.* 3, 8, 21., *Tibull.* 1, 8, 51., *Plin.* 13, 3, 4., *Mart.* 6, 57., 8, 3. et 14, 146. ℙ *Ab unguentis* idem est ac unguentarius. *Inscr.* ap. *Donat.* 310, 3. T. Flavius Aug. Lib. Eglectus ab unguentis. ℙ *Unguentum* pro *unguentorum* ap. *Pl. Curc.* 1, 2, 5. Nam omnium unguentum odor prae tuo nautea est. Adde *Poen.* 3, 3, 88.

*UNGUICŪLA, ae, f. i. q. unguella. *Gloss. Lat. Gr.* Unguicula, *ὀνύχιον. B. A.*

*UNGUICULARĬUM, i, n. instrumentum resecandis unguibus. *Gloss. Gr. Lat.* Ὀνυχιστήριον, Unguicularium. Cf. *Colum.* 6, 15. *B. A.*

UNGUĬCŪLUS, i, m. *ὀνύχιον*, parvus unguis. *Cic. Fin.* 5, 27. Quae quidem bona dicunt, valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium. *Pl. Epid.* 5, 1, 17. Contempla; usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima. *Id. Stich.* 5, 5, 20. Ut perpruriscamus usque ex unguiculis. *Sen. Q. N.* 6, 2. Unguiculi nos, et ne totius quidem dolor, sed aliqua a latere ejus scissura conficit. ℙ *A teneris unguiculis*, proverbialiter, ab infantia, ab incunabulis, *ἐκ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων. Cic. Fam.* 1, 6. Sed praesta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus.

UNGUILLA, ae, f. vas, ex quo inungebant. *Solin.* 27. *f.* Dum avide venantium gestus affectant *(simiae)*, relictae consulto visci unguilla, quod mendacio factum vident, oculos suos oblinunt: ita visu obducto, pronum est, eas corripi. ℙ Alii unguillam interpretantur unguen, unguedinem.

UNGUINOSUS, a, um, adj. pinguis, unguine, seu unguento abundans. *Plin.* 13, 1, 2. de unguento: Susino unguinosum, Mendesio nigrum, rhodino candidum, myrrha pallidum. *Id.* 23, 8, 77. Sunt autem recentes *(nuces juglandes)* jucundiores, siccae unguinosiores, et stomacho inutiles. Adde *Cels.* 5, 26. *n.* 20.

UNGUIS, is, m. *ὄνυξ*, corneum illud, quod in extremis digitis enascitur, non solum in manibus, verum etiam in pedibus, neque in iis solum humanis, sed ceterorum etiam animalium, quae pedum digitos habent separatos, ut sunt simiae, et aves. In ablativo *ungue* et *ungui* facit. *Cic. Rosc. Com.* 7. Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude et fallaciis constare totus videtur? *Plin.* 11, 45, 101. Ungues clausulae nervorum summae existimantur. Omnibus hi, quibus et digiti. Sed simiae imbricati, hominibus lati, rapacibus unci, ceteris recti, ut canibus, praeter eum, qui a crure plerisque dependet. *Id.* 10, 35, 52. Ungues recidere; et 28, 2, 5. resecare. *Petr. Sat.* 104. deponere. *Hor. A. P.* 297. ponere, *h. e.* recidere. *Ov. Fast.* 6, 230. subsecare ferro. *Hor. Ep.* 1, 7, 51. cultello purgare. *Prop.* 4, 8, 57. iratos conjicere alicui in vultum. *Id.* 1, 20, 39. Ungui florem decerpere. *Ov. A. Am.* 3, 708. Ungue sauciare genas. *Id. Am.* 2, 6, 4. rigido notare genas; et *ib.* 1, 7, 64. Unguibus ire in vultus alicujus. *Mart.* 8, 33. Ungue quippiam deradere. ℙ *Unguis* et *ungula* differunt in eo, quod *unguis* est in iis animalibus, quae digitos habent, *ungula* vero in illis, quae solidos, vel bisulcos habent pedes. Illud Graeci *ὄνυχα*, hoc *ὁπλὴν* appellant. *Ov. Met.* 1. de transformatione Ius e bovis effigie in primam formam redeuntis, 742. Ungulaque in quinos delapsa absumitur ungues: et de Ocyrhoe filia Chironis in equam mutata, *ib.* 2, 670. Tum digiti coeunt, et quinos adligat ungues Perpetuo cornu levis ungula. *Plin.* 11, 45, 101. de elephanto: Huic informes numero quidem quinque, sed indivisi, ac leviter discreti, ungulisque, haud unguibus similes. ℙ Interdum tamen *ungues* de ungulis bifidis dicuntur. *Colum.* 6, 12. Si sanguis in ungulis est, inter duos ungues cultello leviter aperies; *et mox:* Si sanguis in inferiore parte ungulae est, extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur. ℙ Et de ungulis solidis. *Mart.* 14, 199. Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues, Venit ab auriferis gentibus Astur aquus. ℙ *Unguis transversus*, et *unguis latus*, proverbialiter usurpantur pro quam minimo spatio. *Cic. Att.* 13, 20. A recta conscientia transversum unguem non oportet discedere. *Id. Fam.* 7, 25. Urge igitur, nec transversum unguem, quod ajunt, a stilo, *subaudi* recede. *Pl. Aul.* 1, 1, 18. Si hercle tu ex istoc loco digitum transversum, aut unguem latum excesseris. ℙ *Medium unguem ostendere*, proverbialiter est summe contemnere: inde sumptum, quod medius digitus pro impudico habebatur. *Juven.* 10, 52. cum fortunae ipse minaci Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem. ℙ *Ungues arrodere*, est illorum, qui cogitabundi sunt, qui rem aliquam secum agitant, et in ea haerent, aut deliberant, utrum eam amplecti, an mutare debeant. *Hor. Sat.* 1, 10, 70. in versu faciendo Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues. *Pers.* 1, 106. Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues. ℙ *De tenero ungui*, idem ac *a teneris unguiculis*, id est a pueritia. *Hor. Od.* 3, 6, 21. Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo: et fingitur artubus Jam nunc, et incestos amores De tenero meditatur ungui. ℙ *In unguem*, vel *ad unguem*, Graece *ἐπ' ὄνυχος*, vel *πρὸς ὄνυχα*, est ad perfectionem, perfecte, absolute: translatione a lapicidis, qui ungue marmoris laevitatem experiuntur. *Cels.* 8, 1. Suturae capitis in unguem committuntur. *Colum.* 11, 2. *med.* Materiem dolare ad unguem; et *mox:* Quadrare abietem ad unguem. *Appul. Flor.* 23. Lapis laeviter ex optimis oris ad unguem coaequatus. Translate. *Virg. G.* 2, 277 nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via tramite quadret. Ad haec *Servius:* Est translatio a marmorariis, qui juncturas unguibus probant. *Hor. Sat.* 1, 5, 32. Capitoque simul Fontejus, ad unguem Factus homo, *h. e.* omni ex parte politus, urbanus. *Acron:* Translatio a marmoribus, quorum juncturae unguibus explorantur. His similia *Porphyrio* habet. *Hor. A. P.* 294. carmen Perfectum decies non castigavit ad unguem. Huc pertinet et illud *Pers.* 1, 64. carmina molli Nunc demum numero fluere, ut per laeve severos Effundat junctura ungues, *h. e.* carminum compositionem ita aequabilem et expolitam, nihil ut sit, quod aures offendat, quemadmodum duorum marmorum junctura apte commissa ungues nulla asperitate remoratur. ℙ *Mordere ungues*, gestus irati, aut poenitentis. *Prop.* 3, 23, 24. Ungue meam morso saepe querere fidem. Sic 2, 3, 3. Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues. ℙ Translate dicitur etiam de plantis. *Plin.* 12, 9, 19. de bdellio: Bactriano nidor siccus, multique candidi ungues, *h. e.* lucentes ac leves, instar unguium, maculae. *Id.* 21, 18, 73. de rosa: Capita foliorum, partesque candidae, unguae vocantur. ℙ In vite *unguis* extrema pars est hornotinae materiae supra gemmam, sicut unguis est extrema pars digiti, *saettolo* Italice. *Colum.* 4, 24. *med.* Ungues custodum annotinos resecato. Adde *Pall.* 3, 12. *med.* ℙ *Ungues ferrei*, instrumenta ferrea, quibus vindemiatores unguium vice utebantur ad colligendas uvas. *Colum.* 12, 18. Et ungues ferrei quam plurimi parandi, et exacuendi sunt, ne vindemiator manu distringat uvas, et non minima fructus portio, dispersis acinis, in terram dilabatur. ℙ *Unguis* etiam est vitium oculi, id est nervosa quaedam adnatae membranae excrescentia, a majori oculi angulo ut plurimum adnascens, ad oculi coronam ita procedens, ut quandoque pupillam operiat. *Cels.* 7, 7. *n.* 4. Unguis vero, quod *πτερύγιον* Graeci vocant, est membranula nervosa oriens ab angulo, quae nonnunquam ad pupillam quoque pervenit, eique officit. ℙ Proverbii genus est illud *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm. f.* Homo cujus pluris erat unguis, quam tu totus es. ℙ Denique *unguis* est genus conchylii binis testis velut canaliculis clausum, et carne unguis colorem referens, *cappa lunga* Veneti vocant. Meminit *Varr. L. L.* 4, 12. V. SOLEN, et ONYX.

UNGŬLA, ae, f. *ὁπλή*, calceus corneus, pedes muniens eorum animalium, quae digitos non habent, sive etiam ea pars pedis, quae cornu tegitur: et differt ab *unguis*, ut in voce praec. dictum est. *Virg. A.* 8, 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Cic. N. D.* 3, 5. Ergo illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum, tanquam vestigium ungulae Castoris equi credis esse? *Plin.* 11, 46, 106. Ungulae veterino tantum generi renascuntur. *Varr. R. R.* 2, 7. *in.* Ungula indivisa equorum. ℙ Per synecdochen dicitur de equis.

Hor. Epod. 16, 11. urbem Eques sonante verberabit ungula. Sic *Sat.* 1, 1, 114. Ut cum carceribus missos rapit ungula currus. *Mart.* 7, 7. Et ungularum pulsibus caleus Isaeer. Adde 12, 50. ℙ Dicitur etiam de unguibus. *Pl. Aul.* 3, 4, 8. Gallus gallinaceus occoepit ibi scalpturire ungulis. *Id. Ps.* 3, 2, 63. An invenire postulas quemquam cocum, nisi miluinis, aut aquilinis ungulis? ℙ *Omnibus ungulis*, proverbii speciem habet pro eo, quod est omnibus viribus, et conatu totius corporis nisi, ut etiam ungues, qui sunt in extremitate collocati, intendantur. *Cic. Tusc.* 2, 24. Toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis asserviunt. ℙ *Injicere ungulas*, est rapere, vel furari. *Pl. Ps.* 2, 2, 48. Nunc scio, febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas. ℙ *Ungulas* quoque dixere supplicii genus ungulas ferarum referens, quo latera reorum effodiebant ac sulcabant ad veritatem extorquendam. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 44. Illa virgas, et secures, et bisulcas ungulas Ultro fortis expetebat. *Impp. Constant. et Julian. Cod.* 9, 18, 7. *extr.* Ungulis sulcantibus latera. *Hieron. ep.* 1. *n.* 3. Cum lividas carnes ungula cruenta pulsaret, et sulcatis lateribus dolor quaereret veritatem. ℙ In vulgata *Eccli.* 24, 21 ungula est onyx unguento plenus. V. ONYX. ℙ *Ungula* est etiam extrema pars pedis suilli. *Cato R. R.* 158. Eo addito ungulam de perna; si unguem non habebis, addito de perna frustum *Cels.* 4, 14. Neque alienum est prioribus cibis adjicere ex oleribus porrum, ex carne ungulam, et summa trunculorum. *Id.* 2, 17. Ex eodem sue ungulae, rostrum, aures, cerebellum, aliquanto quam cetera membra, leviora sunt. *Marcell. Empir.* 20. *med.* Ungula porcina excocta et madida. V. UNGELLA.

UNGŪLĀTUS, a, um, adj. ungulas habens. *Tert. Apol.* 16 *f.* Auribus asininis, altero pede ungulatus. *Capell.* 4. p. 113. Alicujus ungulati ungula. ℙ Item magnos habens ungues. *Festus:* Ungulatos, qui haberent ungues magnos, atque asperos, Cato appellavit.

UNGULUM, Oscorum lingua significat anulum. *Paul.* ex *Festo.* Sic *Plin.* 33, 1, 4. Miror Tarquinii statuam sine anulo esse. Quamquam et de nomine ipso ambigi video. Graci a digitis appellavere: apud nos prisci ungulum vocabant: postea et Graeci, et nostri symbolum. ℙ Est autem *ungulus* mascul. gen. *Vet. Scriptor.* apud *Fest.* Ungulus, quem ei detraxit. *Pacuv. ib.* Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum. *Id. ib.* Suspensum in laevo brachio ostendo ungulum.

UNGUO. V. UNGO.

UNGUSTUS, fustis uncus. *Paul.* ex *Festo.*

UNIANIMUS. V. UNANIMUS.

UNICALAMUS, a, um, adj. unum habens calamum. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 13. de frumento: Unicalamum praeterea, nec usquam capax, seriturque non nisi tenui terra.

UNICAULIS, e, adj. *μονόκαυλος*, unum habens caulem. *Plin.* 20, 23, 99. Carduorum silvestrium genera duo: unum fructuosius a terra statim, alterum unicaule crassius. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 5. Leguminum unicaulis faba sola.

UNICĒ, adv. *μόνως*, singulariter, valde, admodum. *Hor. Od.* 1, 26, 5. Quid Tiridaten terreat, unice Securus, *h. e.* ego singulariter, et e multis unus sum, qui nihil curo: quid Tiridaten terreat. *Cic. Or.* 1. Negare ei, quem unice diligebam, durum admodum mihi videbatur. *Plin. ep.* 7, 32. Quod scribis plurimos manumissos, unice laetor. *Id. ep.* 9, 9. Unice probo, quod, etc. *Gell.* 11, 13. Hoc eximie nos et unice delectabat. *Quint.* 8, 3, *med.* Eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unice est usus. *Plin.* 32, 4, 14. *med.* Fel testudinum unice purulentis auribus prodest. *Id.* 26, 15, 92. Mammarum vitiis aizoum unice medetur. ℙ Fere jungitur cum *unus* ap. *Pl. As.* 1, 3, 56. Me unice unum ex omnibus te, atque illam amare, ajebas mihi; et *Bacch.* 2, 2, 28. Quidnam meminit Mnesilochi? *Pist* rogas? immo unice unum plurimi pendit; et *Stich.* 1, 1, 12. Unice qui unus civibus ex omnibus probus perhibetur. Adde *Truc.* 1, 2, 90.

*UNICOLĒUS, a, um, adj *Gloss. Gr. Lat. Μονοχιτὼν*, Unitestis unicoleus. *B. A.*

UNICOLOR, oris, adj. comm. gen. *μονόχρωμος*, qui unius coloris est. *Varr. R. R.* 2, 4. Sues unicolores potius, quam varias, eligere oportet. *Ov. Met.* 11, 610. de lecto Somni: In medio torus est hebeno sublimis in atra, Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus. *Plin.* 11, 37, 54. Oculus unicolor nullis: cum candore omnibus medius color differens. [*Front ad Verum* (ed. *A. Maio*) 1. *in.* Quid, si quis Parrhasium versicolora pingere juberet, aut Apellem unicolora, *h. e.* picturas monochromatas. *F.*]

UNICŌLŌRUS, a, um, adj. unicolor *μονοχρώματος*. *Prud. Hamart.* 821. Sic animas coeli de fontibus unicoloras Infundit natura solo.

UNICORNIS, e, adj. *μονοκέρατος*, unicum habens cornu. *Plin.* 8, 21, 30. Indici boves, unicornes, tricornesque. *Id.* 11, 46, 106. Unicorne *(animal)* asinus tantum Indicus. *Tert. adv. Marc.* 3, 18. Rhinoceros unicornis.

*UNĪCORNUS. V. voc. seq. *B. A.*

*UNICORNŪUS, i, m. *μονόκερως*, fabulosum animal, de quo V. in *Monoceros. Tert. adv. Judaeos* c. 10. et *adv. Marcion.* 3, 18. Cornua unicornuorum. Alludit ad *Psalm.* 28, 22. ubi *Vulg. Interpr.* Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornuum (alii *unicornium*, sed fortasse legendum *unicornuorum*) humilitatem meam. V. *Bartholin. de unicornu libell.* praesertim c. 6. ℙ *Gloss. Lat. Gr.* Unicornus, *μονόκερως*. In MSS. Sangerm. (ait *Cangius*) est *Unicornuus. B. A.*

UNĪCORPŌREUS, a, um, adj. integrum corpus habens. *Firm. Math.* 2, 12. *med.* Taurus est signum in coelo femininum, septentrionale, unicorporeum.

[UNĪCŪBĀ, ae, f. quae uni tantum viro nupsit, eique soli succubuit. *Gloss. Isid.* Unicuba, unius viri uxor. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 49. *f.* Legant ergo nuptae, antequam religio nostra fulgeret in mundo, Claudias, atuue Cornelias unicubas semper habuisse decus. *F.*]

UNĪCULTOR, oris, m. qui unum Deum colit. *Prud. περὶ στεφ.* 13, 90. unicultor, inquit, Servo salutiferi mysteria consecrata Christi.

UNĪCUS, a, um, adj. *μόνος*, unus, singularis. *Cic. Rosc. Am.* 14. *f.* Quaeramus quae tanta vitla fuerint in unico filio, quare is patri displiceret *Id. in Sen.* 4. *med.* Si Metellus illo tempore consul fuisset unicus. *Sen. Ira* 2, 21. *med.* Unicis quo plus indulgetur, corruptior animus est. *Hor. Od.* 3, 14, 5. Unico gaudens mulier marito. *Ov Trist.* 4, 5, 2. Unica fortunis ara reperta meis. *Sen. Troad.* 703. Unicum afflictae mihi solamen hoc est. *Id. Phoen.* 89. Unica Oedipodae est salus non esse salvum. ℙ Pleonasmus est in illo *Lucr.* 2, 541 541. quamlubet esto Unica res quaedam nativo corpore sola, Cui similis toto terrarum non sit in orbe; et *ib.* 1075. ut in summa res nulla sit una, Unica quae gignatur, et unica solaque crescat. ℙ Quia quae bona unica sunt, maxime amantur, v. gr. unicus filius; *unicus* interdum est summe dilectus, *ἀγαπητός*. *Pl. Capt.* 1, 2, 47. Tibi ille unicus est, mihi etiam unico magis unicus. *Id. Bacch.* 3, 3, 3. Quae tuum perdidit tibi filium uni unicum. *Catull.* 73, 6. qui me unum atque unicum habuit. *Virg. Cir.* 333. Quod si non alia poteris ratione parentem Flectere: sed poteris, quid enim non unica possis? ℙ Interdum est maxime aptus, et idoneus. *Pl. As.* 4, 1, 3. Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus. ℙ Item eximius, singularis, praecipuus, excellens, praeclarus, insignis, egregius. *Turpil.* ap. *Non.* 8, 60. Homo unica est natura et singularia. *Afran.* ap. *Fest.* in *Sagaces.* Quis tam sagaci corde, atque ingenio unico? *Liv.* 6, 6. *f.* Unicus imperator. *Id.* 7, 12. *med.* Eximius imperator, unicus dux. *Id.* 24, 34. Archimedes unicus spectator coeli et siderum. *Id.* 33, 21. Unicam fidem sociis praestitit. *Id* 9, 15. *med.* Ultor unicus Romanae ignominiae. *Cic. Quint.* 12. *f.* Unica liberalitas. *Fest.* in *Talassion.* Virgo unicae pulcritudinis. *Cic. Sen.* 17. *med.* Elogium unicum. *Lucan.* 4, 509. quo plus habeat mors unica famae. ℙ In malam partem. *Vellej.* 2, 7. Huic atrocitati adjectum scelus unicum. *Paul.* ex *Festo*, in *Sardanapal.* Sardanapalus rex Assyriorum fuit unicae luxuriae. *Auct ad Her.* 3, 6. *med.* Utile est, ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognosci.

UNĪFORMIS, e, adj. *μονοειδής*, unam habens formam, similis, simplex. *Macr. Sat.* 7, 5. *med.* Ut horrore uniformis alimoniae edendi desiderium languesceret. *Appul. Met.* 11. Deorum Dearumque facies uniformis. *Auct. dial. de Or.* 32. Simplex quiddam, et uniforme doceri. *Mamertin. Genethl. Maxim.* 9. Hieme saevissima cum agros glacies, nivem premerent, coelo pariter ac terris uniformibus, *h. e.* unicoloribus. *Aurel. Vict. Epit.* 9. *med.* Institutum uniforme omni imperio tenuit.

UNĪFORMĪTAS, atis, f. unitas in forma, similitudo, simplicitas. *Macr. Sat.* 7, 5. *med.* Cur illis providere varietatem laboras, isti squalorem uniformitatis adjicis? Adde *Arnob.* 7. p. 212. et *Tert. Anim.* 17. *med.*

UNĪFORMĪTER, adv. similiter, simpliciter. *Appul. Trismeg.* Omnis humana immortalis est anima, sed non uniformiter cunctae. *Arnob.* 2 p. 88. Christus sublimibus, infimis uniformiter potestatem veniendi ad se faci'.

UNĪGĒNA, ae, adj. comm. gen. *μονογενής*, unus, unicus, unigenitus. *Cic. Univ.* 4. *med.* Idcirco singularem Deus hunc mundum, atque unigenam procreavit. ℙ Uno eodemque partu genitus, *συγγενής*. *Catull.* 64, 300. te solum, Phoebe, relinquens, Unigenamque simul cultricem montibus Idri, *h. e.* Dianam una cum Phoebo ab Latona genitam. *Id.* 66, 52. cum se Memnonis Aethiopis Unigena impellens nutantibus aera pennis Obtulit Arsinoes Locridos ales equus, *h. e.* Zephyrus simul cum Memnone ex Aurora genitus. ℙ Christiani poetae *unigenam* intelligunt Filium Dei unigenitum. *Paul. Nol. carm.* 5, 46. si te Dominique, Deique Unigenae cognosco Patrem. V. v. sq.

UNĪGĒNĪTUS, i, m. unicus ex suis parentibus natus. *Hieron. adv. Helv. n.* 9. Unigenitus ille vocatur, qui parentibus solus sit. Omnis autem unigenitus est primogenitus, non omnis primogenitus est unigenitus. *Tert. adv. Gnost.* 7. *med.* Filius primogenitus, et unigenitus. *August. C. D.* 11, 24. Pater genuit Verbum, unigenitum Filium.

UNIJŪGUS, a, um, adj. *μονόζυγος*, unum jugum habens, ut *Unijuga vinea*, quae simplici nititur jugo. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 14. Si unijuga erit vinea. V. CANTERIATUS. ℙ Translate qui semel tantum matrimonium iniit. *Tert. Monog.* 6 *f.* Joseph unijugus.

UNĪMAMMIA, ae, f. vox ficta ad significandam regionem Amazonum, quae alteram secabant mammam, quo expeditiores essent ad tela jacienda. *Pl. Curc.* 3, 75. Centauromachiam, et Classiam Unimammiam subegit solus intra viginti dies. ℙ [Etiam *unimamma* scribitur. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 96. Pharasmenes quoque Chorasmiorum rex equites adduxerat Alexandro militatum, vicinis Scythicis unimammis. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *eod.*) 3, 82. Propter Thermodonta genus Amazonum colit, mulieres magnitudine corporis pariter ac pulcritudine cetera hominum genera supervectae, amictae vero, ut in picturis est visere unimammas. *F.*]

UNĪMANUS, a, um, adj. *μονόχειρος*, unam tantum manum habens. *Liv.* 35, 21. Nuntiatum est, Aretii puerum natum unimanum. Adde 41, 21. *f.* ℙ Est etiam cogn. R., ut Claudius Unimanus apud *Flor.* 2, 17. *f.*

[UNĪMEMBRIS, e, adj. unum habens membrum. *Ulp. Dig.* 12, 2, 13. §. 2. Et quasi *μονομερής*, id est unimembris, condictio dari debet adversus furis heredem. Alii omittunt ea verba *id est unimembris. F.*]

UNĪMODUS, a, um, adj. unius modi, seu formae. *Prud. Psych.* 768. unimodis compagibus unus. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Unimodam esse virtutem.

UNIO, is, a. 4. *ἑνόω*, in unum redigo, conjungo, copulo. *Tert. Anim.* 17. *med.* Sic et coelum mari unitur, ubi visio absumitur. *Sulpic. Sev. H. S.* 2, 43. Legatos concilii compellit imperator uniri haereticorum communioni.

UNIO, onis, f. *ἑνότης*, unitas. *Isid. Or.* 18, 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trinio, etc. et *Hieron. in Amos* 2, 5, 3. Decas decima unione completur. *Tert. Monog.* 4. Perseveravit unio conjugii in auctoribus generis ad finem usque, *h. e.* monogamia. *Id. Resurr. carn.* 2. *f.* Et hoc latere unio divinitatis defendetur, *h. e.* unicus Deus ℙ Item duarum, aut plurium rerum copulatio. *Hieron. ep.* 18. *n.* 14. Hac forcipe, quae unionis retinetur virtute. *Id. ep.* 22. *n.* 19. Maria Dei unione fecunda. ℙ Apud veteres *unio* est margarita grandior, quae nunquam alteri similis reperitur, *μαργαρίτης*, et masc. gen. *Plin.* 9, 35, 56. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus: in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum Romanae scilicet imposuere deliciae. Nam id apud Graecos non est, ne apud Barbaros quidem inventores ejus aliud, quam margaritae. *Id. ib.* 59. Aelius Stilo Jugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodit. *Solin.* 53. *f.*, *Ammian.* 23, 6. *f.* et *Is. Or.* 16, 10. scribunt, ideo *uniones* dictos, quia nunquam duo simul reperiantur. Sed a *Plinio* standum est. *Mart.* 8, 81. Non per mystica sacra Dindymenes Jurat Gellia, sed per uniones. Hos fratres vocat, et vocat sorores: Hos natis amat acrius duobus. Adde 12, 49. *Sen. Ben.* 7, 9. *med.* Video uniones non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur. *Inscr.* ap. *Mur.* 139, 1. In basilio unio, et margarita N. VI. *h. e.* margaritum grandius unum in summo basilio, et alia sex minora deinceps. V. UNIUNCULUS. ℙ In femin. genere. *Treb.* in XXX. *Tyr.* 32. *f.* Haec uniones Cleopatranas habuisse perhibetur. ℙ Etiam genus caepe unicaulis *unio* dicitur a rusticis *Colum.* 12, 10. Pompejanam caepam, vel etiam Marsicam simplicem, quam vocant unionem rustici, eligito, ea est autem, quae non fruticavit, nec habuit soboles adhaerentes. ℙ [*Unio* est etiam cogn. libert. R. in *Inscr.* ap. *Muff. Mus. Ver.* 454, 7., quam legesis in TURICENSIS. *F.*]

UNIOCŪLUS. V. UNOCULUS.

UNIOLA, ae, f. herba, quae et gramen dicitur. *Appul. Herb.* 77.

UNIONITAE, arum, m. plur. haeretici fuerunt, Trinitatem negantes, Deum unum sine Filio affirmantes, quos contra scripsit *Prud. Apoth.* a v. 246., et pro titulo hanc ipsam vocem posuit, quae sane cadentis Latinitatis est.

*UNIPES, edis, adj. *Gloss. Lat. Gr.* Unipes, *μονόπους*. *B. A.*

UNIPĒTIUS, a, um, adj. uno tantum pede, seu caule praeditus. *Marcell. Empir.* 15. *med.* Manipulus urticae unipetiae.

UNISTIRPIS, e, adj. *μονοστέλχος*, a radice caudicem unicum habens assurgentem. *Plin.* 16, 30, 54. In longitudinem excrescunt abies, larix, palma, cupressus, ulmus, et siqua unistirpia.

UNITAS, atis, f. *ἑνότης*, unio, h. e. unus nume-

rus. *Tert. adv. Valent.* 37. Monotes, et Henotes, id est solitas, et unitas. *Plin.* 5, 9, 9. Mensura Nili ab unitate alvei, unde se primum findit in latera, ad Canopicum ostium CXLVI. M. P. *Just.* 2, 1. *med.* Si mundi quae nunc partes sunt, aliquando unitas fuit, *h. e.* una re tantum constitit, v. gr. igne, aut aqua, ut veteres physici docuere. *Gell.* 19, 8. *med.* Singularis numeri unitas. V. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6., ubi unitatis laudes persequitur. ℙ Item conjunctio et copulatio duorum aut plurium, quae in unum coalescunt. *Senec. Q. N.* 2, 2. Aliquid est continuum, aliquid commissum. Continuatio est partium inter se non intermissa conjunctio. Unitas est sine commissura continuatio, et duorum inter se conjunctorum corporum tactus. *Front. Aquaed.* 123. Ut ex humore commode structura combibat, et in unitate corroboretur. *Colum.* 12, 22. Spatha lignea permisceto, usque eo dum ea, quae addideris, in pice colliquescant, et unitas fiat; et *ib.* 24. *f.* Ubi toti duo sextarii cum pice coïerint, et quasi unitatem fecerint. *Cels.* 4, 19. *med.* Coquendum id, donec omnia, quae indita sunt, liquata in unitatem quandam coeant. *Plin.* 17, 16, 26. de insitione: Exempta scutula cortici, imprimatur ex alia cortex par, sic compage densata, ut cicatrici locus non sit, et statim fiat unitas nec humorem nec afflatum recipiens. *Cels.* 7, 4. *n.* 4. Linum duplex, triplexve, sic tortum, ut unitas in eo facta sit. Adde 6, 6. *n.* 1. *f.* ℙ Item congruentia, indiscreta species, similitudo. *Varr. L. L.* 7, 2. Si alterum horum diceretur Priamus, alterum Hecuba, nullam unitatem adsignificaret, quae apparet in lego, et legi, et in Priamus Priami. *Plin.* 7, 12, 10. Eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit: tanta unitas erat. *Id.* 16, 22, 35. Foliorum unitas in suo cuique genere permanet, praeterquam populo, hederae, etc. *h. e.* unus et idem color, et forma. *Id.* 35, 1, 1. Maculas, quae non essent (*in marmore*) crustis inserendo, unitatem variare, *h. e.* unum colorem multis distinguere. *Id.* 33, 2, 8. In unitatem venit equester ordo, *h. e.* una appellatione equites vocari coepit, cum antea variis nominibus distingueretur. ℙ Translate est concordia. *Sen. V. B.* 8. *extr.* Virtutes ibi esse debebunt, ubi consensus atque unitas erit: dissident vitia.

ŪNĪTER, adv. in unum, conjuncte, concorditer. *Lucr.* 3, 850. cum corporis atque animai Dissidium fuerit, quibus e sumus uniter apti. Adde 5, 538. et 556.

*ŪNĪTESTIS, e, adj. *Gloss. Lat. Gr.* Unitestis, μονόζυξ. *B. A.*

ŪNĪTUS, a, um, part. ab *unio:* conjunctus. *Sen. Q. N.* 2, 2. *f.* Expedire me poteram, si philosophorum lingua uti voluissem, ut dicerem unita corpora. *Gell.* 17, 7. *f.* Unita patiendi declinatione. *Appul. Apol.* Radii nostri lumini extrario mixti, atque ei uniti. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 24. Imis mentis sedibus alligatus animus, et vitae immixtus et unitus. *Arnob.* 3. *in.* Si linguae omnes ad fidem illius abrogandam consensionis unitae animositate conspirent.

ŪNĪVERSĀLIS, e, adj. καθολικὸς, ad universos pertinens. *Auct. ad Her.* 2, 24. Nam in hujusmodi rationibus non universali atque absoluta, sed extenuata ratione expositio confirmatur. Plerique alii leg. *universa. Quint.* 2, 13. *f.* Praecepta, quae καθολικὰ vocant, id est (ut dicamus quomodo possumus) universalia, vel perpetualia. *Plin. ep.* 10, 71. Auditis constitutionibus principum, nihil inveniebam aut proprium, aut universale, quod ad Bithynos ferretur.

*ŪNĪVERSĀLĪTAS, atis, f. *universality. Gloss. Lat. Gr.* Universalitas, τὸ καθόλον. *B. A.*

ŪNĪVERSĀLĪTER, adv. universe. *Cajus. Dig.* 18, 1, 35. *f.* Si grex universaliter venierit, *h. e.* totus una venditione.

ŪNĪVERSĀTIM, adv. universe. *Sidon. ep.* 8, 2. Universatim ferventibus votis aliquem consecrare.

ŪNĪVERSĒ, adv. καθόλου, ὅλως, generaliter, gereratim: cui *singillatim* opponitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 55. Quid ego de exteris civium R. suppliciis singillatim potius, quam generatim atque universe loquar? *Id. Att.* 8, 11. *med.* Nec tam sectio pertimescenda est, quam universe interitus. *Id. ib.* 5, 2. Venit ad me noster Hortensius, cui deposcenti mea mandata, cetera universe mandavi: illud proprie, ne pateretur prorogari nobis provincias.

ŪNĪVERSIM, adv. idem ac universe. *Gell.* 1, 3. *med.* Sed generibus rerum summatim universimque utitur.

ŪNĪVERSĪTAS, atis, f. τὸ πᾶν, rerum tota multitudo. *Cic. N. D.* 2, 65. *f.* Licet enim contrahere universitatem generis humani, eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. *Colum. praef.* 1. *f.* De rusticationis universitate nihil attinet nunc plura dicere. ℙ Saepe ponitur pro mundo. *Cic. N. D.* 1, 43. Tum enim censet immagines divinitate praeditas inesse universitati rerum. *Id. Univ.* 5. Quod si universitatis corpus planum et aequabile explicaretur. *Id. ib.* 12. Singulos adjunxit ad singula, atque ita quasi in currum universitatis imposuit. *Plin.* 2, 5, 4. Terram solam immobilem, circa eam volubili universitate. ℙ Universitas alicujus rei est tota ipsa res. *Plin. ep.* 2, 5. *med.* Ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua (*orationis*) secundum suam cujusque naturam, non probetur; ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet; et *ep.* 3, 15. *extr.* Non temere jam nunc de universitate pronuntio: de partibus experiar legendo. *Plin. alter* 2, 22, 20. Ita septem tonos effici, quam diapason harmoniam vocant, hoc est universitatem concentus. *Id.* 27, 13, 109. Radix prodest et contra phalangia, in vino pota, sed particulatim, quoniam universitate vomitionem movet. ℙ Hoc sensu saepe adhibetur a JCtis. *Ulp. Dig.* 43, 2, 1. Hoc interdictum ad universitatem bonorum, non ad singulas res pertinet. *Paul. ib.* 48, 20, 7. Ut qui ad universitatem venturi erant jure successionis, ex ea portiones concessas haberent, *h. e.* qui heredes ex asse esse debebant. *Cajus ib.* 41, 1, 7. *f.* Universitas aedificii. *Jabolen. ib.* 3, 23. aedium. ℙ *Universitates* etiam dicuntur collegia, corpora, curiae: quibus permissum est, ad exemplum reipublicae, arcam habere communem, et actorem, sive syndicum. Hujusmodi sunt societates pistorum, naviculariorum, publicanorum, etc. de quibus est in *Dig.* 3. *tit.* 4. qui inscribitur *Quod cujuscumque universitatis nomine, vel contra eam agetur*, et alibi. Item civitates ipsae, et respublica. *Mart. ib.* 1, 8, 6. Universitatis sunt, non singulorum, quae in civitatibus sunt theatra, stadia, et si quae alia sunt communia civitatum. Adde *ib.* 38. *tit.* 3. cujus lemma est, *De libertis universitatium.*

ŪNĪVERSUS, a, um, adj. συμπας, totus, omnis, integer. *Cic. Acad.* 4, 23. Democritus ita ausus est ordiri: Haec loquor de universis. Nihil excipit, de quo non profiteatur: quid enim esse potest extra universa? *Nep. Them.* 2. Bellum universae Europae inferre. *Ter. Eun.* 2, 1, 18. Universum triduum. *Cic. Caecin.* 20. *f.* Tam restitues, si unus servulus, quam si familia dejecerit universa. *Id. N. D.* 1, 43. Universum mundum complecti. *Id. Fin.* 2, 34. *med.* Omne coelum, totamque cum universo mari terram mente complecti. *Id. Verr.* 2, 2, 69. *med.* Ab universa provincia, generatimque a singulis ejus partibus diligitur. *Id. Rosc. Com.* 15. Est tuae contumaciae, arrogantiae, vitaeque universae vox. *Id. Pis.* 27. Fac hujus odii tanti ac tam universi periculum, si audes; et *Sext.* 2. *f.* Confusa atque universa defensio; et *Martial.* 5, 24. Hermes gloria Martis universi, *h. e.* in omni genere gladiatoriae pugnae. *Liv.* 7, 11. Tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut, etc. *Id.* 27, 12. *med.* Casum universae pugnae non necessarium censebat. Sic 22, 32. In casum universae dimicationis non veniebant; et 4, 27. Spem universae victoriae praecipere; et 10, 5. *med.* Ut prope serum auxilium jam paene circumventis, ita universa requies data est; et *Colum.* 11, 2. *med.* Universo jugero satisfacere modios stercoris MCCCCXI. ℙ Pleonasmus est in illo *Plauti Trin.* 1, 2, 134. Lupus gregem totum voluit universum avertere. ℙ In plur. num. omnes. *Phaedr.* 5, 7. Ab universis capite est protrusus foras. *Petr. Sat.* 25. Plaudentibus universis, et postulantibus, nuptias fecerunt. *Caes. B. G.* 5, 43. In illum universi tela conjiciunt. ℙ Saepe significat omnes conjunctim, et opponitur singulis, aut in partes divisis. *Nep. Them.* 4. Universos esse pares ajebat, dispersos testabatur perituros. *Cic. N. D.* 2, 17. Non minus operis videtur de universis generibus rerum, quam de singulorum causis dicere. *Id. Or.* 1, 5. *f.* Ex iis rebus universis eloquentia constat, quibus in singulis elaborare permagnum est. *Id. N. D.* 2, 66. Dii earum urbium separatim ab universis singulos diligunt. *Id. Off.* 3, 6. Ut eadem sit utilitas uniuscujusque et universorum. *Id. Dom.* 52. Se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. *Plin.* 8, 17, 24. Scaurus aedilitate sua varias (*h. e.* pantheras) centum quinquaginta universas misit. ℙ *Universi omnes*, pleonasmus satis commodus ad significandum omnes et singulos, omnino omnes, et neminem excipi. *Pl. Trin.* 4, 3, 40. Id genus hominum omnibus universis est adversum, atque omni populo male facit. *Cic. N. D.* 1, 15. *med.* Communis rerum natura, universa atque omnia continens. *Appul. Met.* 7. Talibus dictis universi omnes assensere. ℙ *Universum*, absolute, res omnes, universitas rerum, mundus, τὸ πᾶν. *Cic. N. D.* 1, 43. Censet, imagines divinitate praeditas inesse universitati rerum: tum principia mentesque, quae sunt in eodem universo, Deos esse dicit. *Colum.* 3, 10. *med.* Quod hominibus ignotum voluit esse genitor universi. ℙ *In universum*, universe, generatim, καθάπαν, ἁπλῶν. *Liv.* 9, 26. Non nominatim, qui Capuae, sed in universum, qui usquam conjurassent adversus rempublicam. *Tac. G.* 5. Terra etsi aliquando specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda; et *ib.* 6. In universum aestimanti, plus penes peditem roboris. *Plin.* 6, 17, 19. Ultra sunt Scytharum populi. Persae illos Sacas in universum appellavere. ℙ Ut locum habeat in heroico versu, *i* extritum est in illo *Lucret.* 4, 260. non privam quamque solemus Particulam venti sentire, et frigoris ejus, Sed magis unvorsum. Alii tamen retinent, ut sit pes creticus pro dactylo.

ŪNĪVĪRĀ, ae, f. mulier, quae unum tantum virum habuit. *Tert. Exhort. ad castit.* 13. Ut et virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibeatur. *Id. adv. Psych.* 8. Univira viduitas. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 11. Univira Juno. *Id. ep.* 22. *n.* 14. vocat agapetarum mulieres *meretrices univiras*, quia eadem domo, uno cubiculo, saepe uno tenebantur lectulo cum fratribus suis agapetis. ℙ *Univiria* etiam legitur. *Trebell. in* XXX. *Tyr.* 32. Quam majores nostri univiriam sacerdotem inter sacratissimas feminas adorarunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 3. et 748, 4. Volusiae Justae omnium feminarum sanctiori univiriae, etc. Adde 1141, 1., ubi habetur *univirae.* ℙ Etiam *unibyria* scribitur. *Inscr.* apud *Fabr.* 324. *n.* 450. Hic sita est Arria M F. Maximilla unibyria. *Alia* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* 242. C. Similius Philocyrius Similiae Philetae cojugi unibyriae.

ŪNĪVĪRĀTUS, us, m. status monogamiae, h. e. ejus, quae semel tantum nupsit. *Tert. Exhort. ad castit.* 13. Feminae ob univiratus obstinationem famam consequutae. Adde *ad Uxor.* 1, 9. et *ib.* 2, 1.

ŪNĪVĪRĬĀ. V. UNIVIRA.

[ŪNĪUNCŪLUS, i, m. dimin. unionis, quatenus margaritae genus significat. *Not. Tir.* p. 161. Margarita, unio, uniunculus. *F.*]

ŪNĪVŌCUS, a, um, adj. Vox univoca dicitur, quae multis diversis rebus tribuitur. *Capell.* 4. *in.* Univocis aequivoca connectere.

ŪNIUSMŌDI, ὁμοειδής, uniformis, non varius. Sunt duae voces inter se distinctae, sed vulgo conjunctim pronuntiantur instar adverbii. *Ter. Heaut.* 1, 2, 31. Nam parentum injuriae uniusmodi sunt ferme. *Cic. Att.* 9, 7. *med.* Noli enim putare tolerabiles horum insanias, nec uniusmodi fore. *Id. Univ.* 7. Materia uniusmodi, et sui similis. *Auson. Ephem.* in *parecb.* 16. Ac Filius summi Dei Majestas uniusmodi.

ŪNO, as, a. 1. unio, unum facio. *Tert. adv. Prax.* 27. Incipiunt illos dividere potius, quam unare.

ŪNŌCŪLUS, a, um, adj. μονόφθαλμος, unicum habens oculum, quales poetae fingunt fuisse Cyclopes. *Pl. Curc.* a. 3. *v.* 22. Unocule salve. Quidam *uniocule* legunt. *Accius* ap. *Gell.* 3, 11. de Cyclope: Itidem, inquit, vel maxime, quod unoculus fuit, rem tam insignem non praeterisset. *Solin.* 15. *med.* Arimaspi unocula gens.

ŪNŌSE, adv. una, simul. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 881. Occidisti, ut multa paucis verba unose obnuntiem.

ŪNQUAM, adv. ποτὲ, aliquo tempore, ullo tempore. *Pl. Aul.* 3, 3, 2. Neque id in tantis periclis unquam committam, ut siet. *Cic. Har. resp.* 17. *f.* Quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium omni memoria violavit, nemo unquam adiit. *Virg. Ecl.* 1, 36. Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat, *h. e.* nunquam. Sic *Prop.* 1, 6, 2. Nam tua non aetas unquam cessavit amori. *Cic. Att.* 3, 12. Cum ita sim afflictus, ut nemo unquam, *h. e.* ut nemo unquam magis: vel quam qui maxime. Sic *Liv.* 34, 32. Tyrannus, quam qui unquam, saevissimus et violentissimus in suos. *Ov. Am.* 1, 6, 25. Excute: sic unquam longa relevere catena. Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua, i. e. aliquando. *Accius* ap. *Cic. Tusc.* 4, 36. Quis homo te exsuperavit unquam gentium impudentia? Alii leg. *usquam. Cic. Att.* 4, 2. Si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si unquam alias fuimus, tum profecto, etc. et *Liv.* 10, 14. *med.* Si quando unquam equestri ope adjutam rempublicam meminerint, illo die adnitantur, ut, etc. *Ter. Heaut.* 5, 4, 8. Et cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam. *Id. Phorm.* 2, 2, 15. En unquam injuriam audisti mihi scriptam dicam? ℙ *Semel unquam*, una tantum vice in omni tempore. *Plin.* 2, 35, 36. Scintillam e stella cadere, et augeri terrae appropinquantem, etc. semel unquam proditur, Cn. Octavio, C. Scribonio Coss.

*ŪNŪCA, ae, oppidum Africae propriae, in Zeugitana. *Anton. Itin. B. A.*

ŪNUS, a, um, adj. numerale, cardinale, εἷς, μία, ἕν, ita scribitur pro vetustiore *oenus*, q. v. v. s. l. *Cic. Or.* 3, 6. Quia omnia haec, quae supra et subter, unum esse, et una vi, atque una concensione naturae constricta esse dixerunt. *Caes. B. G.* 1, 1. Gallia est omnis divisa in partes tres: quarum unam incolunt Belgae, aliam, etc. et *ib.* 2. Helvetii continentur una ex parte flumine Rheno, altera ex parte monte Jura. *Cic. Off.* 2, 12. Ad unum aliquem confugiebant virtute praestantem. *Ter. Andr.* 1, 5. *f.* Verbum unum cave de nuptiis; et 1, 1, 18. Quin tu uno verbo dic, quid est quod me velis; et *Pl. Truc.* 2, 4, 30. Cum inter nos sorderemus unus alteri; et *Cic. Sen.* 5. Qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est. *Colum.* 5, 3. Has summas inter se multiplicabis, vicies et semel ducentos et unum: atque ita efficies quatuor millia ducentos et viginti unum. *Plin.* 29, 6, 39. *f.* Blattae impositae diebus viginti uno. *Solin.* 52. Ab hoc ad Alexandrum M. numerantur annorum sex millia quadringenti quinquaginta unus. [*De hoc usu, quo *unus* pro *primus*

ponitur cf. *Ruddim.* 1, 195. *Ramsh. Gr. L.* §. 156. *Not.* 2. p. 512.] ℙ Sequente genitivo aut ablativo cum *de*, aut *ex*. [*Cf. *Rudd.* 2, 81.] *Tac. A.* 12, 5. Unum se civium, et consensui imparem respondit. Alii rectius leg. *Unum se, et civium consensui imparem. Colum.* 11, 1. Unus ex multis; et *Sen. ep.* 39. Concupisces et ipse ex illis unus esse. *Ov. Pont.* 3, 5, 23. sedissem forsitan unus De centum judex in tua verba viris. *Cic. Mil.* 24. Se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. *Just.* 42, 3. *f.* Unus de numero ducum Iasonis. ℙ *Unus multorum*, et *de multis* dicitur, qui non est eximius, nec singularis, qui nulla re a vulgo distinguitur, qui unus est de vulgo, εἷς ἐν πολλοῖς. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 235.] *Cic. Brut.* 79. Qui non fuit orator unus e multis: potius inter multos prope singularis fuit. *Ov. Rem. am.* 682. Jam facito e multis una sit illa tibi. *Sen. ep.* 10. *med.* Iste homo non est unus e populo: ad salutem spectat. *Cic. Fin.* 2, 20. Tenuis L. Virginius, unusque de multis; et *Plin. ep.* 1, 3. Si te possident, felix beatusque es: sin minus, unus ex multis; et *Hor. Sat.* 1, 9, 71. sum paulo infirmior: unus multorum. ℙ Interdum unus subticetur. *Quint.* 9, 1. *in.* Nec desunt, qui tropis figurae nomen imponant: quorum est C. Artorius Proculus. ℙ *Unus* est etiam solus, unus tantum, μόνος. *Caes. B. G.* 1, 7. Erat omnino in Gallia ulteriore legio una. *Ter. Andr.* 1, 5, 46. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui. *Cic. Att.* 6, 1. Pompejus plus potest unus, quam ceteri omnes. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. In tuis summis laudibus excipiunt unam iracundiam; et *ib. f.* Cui semper uni magis, quam universi placere voluisti. *Id. Phil.* 12, 9. *med.* Quis mihi praestat, Lentonem uno capite esse contentum? *Id. Or.* 29. *f.* Demosthenes unus eminet inter omnes in omni genere dicendi. *Id. Or.* 1, 22. Cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum cognossem. *Id. Att.* 8, 4. Unus omnium loquacissimus, et minime aptus ad docendum. *Id. Rab. Post.* 9. Vir unus totius Graeciae facile doctissimus Plato. *Virg. A.* 1, 19. Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo. ℙ Additur et *solus*, aut *tantum* ad majorem vim. *Cic. Pis.* 40. Te unum, solum suum depeculatorem, vexatorem, praedonem, hostem venisse senserunt. *Id. Har. resp.* 7. *med.* Senatus, uno illo solo antistite sacrorum dissentiente, frequentissimus judicavit. *Id. Verr.* 2, 2, 5. Unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quae legatos miserit; et *ib.* 75. Ex uno oppido solo; et *Sext.* 62. Unus est solus inventus, qui, etc. *Hor. Ep.* 1, 6, 1. Nil admirari, prope res est una, Numici, Solaque, quae possit facere et servare beatum. *Cic. Cluent.* 7. *f.* Uti sibi restituerent eum filium, quem tantum unum ex multis fortuna reliquum esse voluisset. ℙ *Unus* pro *idem. Pl. Capt. prol.* 19. Postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo peculiarem, quia quasi una aetas erat. *Id. Mil.* 3, 1, 129. Ne uno exemplo omnes vitam viverent. *Cic. Cluent.* 9. *med.* Illa cum uno tempore audisset, sibi non solum filium, sed etiam exsequiarum munus ereptum, etc. *Caes. B. C.* 3, 15. Atque uno etiam tempore accidit, ut, etc. *Just.* 6, 2. *med.* Quippe aetas, virtus, consilium, sapientia utrique prope una, gloria quoque rerum gestarum eadem. ℙ Item unicus. *Catull.* 68, 119. Nam neque tam carum confecto aetate parenti Una caput seri nata nepotis alit. *Albinov.* 1, 4. Unum qui dicat jam tibi, mater, habes. ℙ Jungitur et cum *idem* ad majorem explicationem. *Cic. Cat.* 4, 7. In qua causa omnes sentiunt unum atque idem. *Id. Div.* 2, 47. Exitus quidem omnium unus et idem fuit. *Id. Or.* 40. Sic dicet ille, ut verset saepe multis modis eandem et unam rem. ℙ *Unus* pro *aliquis*, *quidam*, et saepe in contemptum. *Cic. Phil.* 2, 3. *f.* Tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, non cum uno gladiatore nequissimo. *Id. Or.* 1, 29. Sic ut unus paterfamilias his de rebus loquor. *Id. Att.* 9, 10. Me una haec res torquet, quod non Pompejum tanquam unus manipularis secutus sum, *h. e.* tanquam miles gregarius. *Pl. Truc.* 2, 1, 39. Est huic unus servus violentissimus, qui, etc. *Catull.* 22, 9. tum bellus ille et urbanus Suffenus, unus caprimulgus aut fossor Rursus videtur. Huc pertinet, cum *unus* substantivis additur ea ratione, qua Italice *uno*, *un certo*. *Ter. Andr.* 1, 1, 90. Inter mulieres, quae ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam forma et vultu adeo modesto, etc. Ubi *Donatus:* Ex consuetudine dicit *unam*, ut dicimus, *unus est adolescens:* tolle *unam*, et ita fiet, ut sensui nihil desit: sed consuetudo mirantis non erit expressa. *Unam* ergo τῷ ἰδιοτισμῷ dixit, vel *unam* pro *quadam. Suet. Caes.* 32. Rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen. *Cic. Rosc. Com.* 5. *f.* Advocatio ea est, quam propter eximium splendorem, ut judicem unum, vereri debeamus. *Pl. Most.* 3, 1, 146. Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt. *Id. Ps.* 4, 1, 38. Ibi una aderit mulier lepida, quae, etc. *Id. Most.* 4, 3, 9. Unum vidi mortuum efferri foras. In *arg. Merc.* 2, 2. Is peregre unius redimit ancillam hospitis. *Quadrig.* ap. *Gell.* 15, 1. Ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 11. Aberat ipse: sed tabulam in machina aptatam picturae anus una custodiebat. *Ov. Met.* 6, 578. perfectaque *(stamina)* tradidit uni, Utque ferat dominae, gestu rogat. ℙ Jungitur cum *ille*, *quisquam*, *aliquis*, *quivis*, *quilibet*, *ullus*, *quidam*, *nemo*, *nihil. Cic. Agr.* 2, 13. *extr.* Ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renuntiaverit. Alii leg. *uni ulli.* [*Orell. nullam habet scripturae differentiam.] *Liv.* 32, 20. *extr.* Haec adhortatio praetoris non modo quemquam unum elicuit ad suadendum, sed ne fremitum quidem concionis tantae movit. *Cic. Div. Verr.* 9. Cognosce ex me, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si unum aliquod in te cognoveris, etc. *Id. Off.* 2, 12. Cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute praestantem, qui, etc. *Id. Fin.* 3, 19. *med.* Vir bonus et sapiens utilitati omnium, plus quam unius alicujus, aut suae consulit. *Id. Brut.* 93. Quantum non quivis unus ex populo, sed aestimator doctus et intelligens posset cognoscere. Adde *Caecin.* 22. *Liv.* 9, 17. *med.* Id vero erat periculum, ne solertius, quam quilibet unus ex iis, quos nominavi, castris locum caperet. *Id.* 6, 40. Si non sim ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet. *Id.* 42, 42. Queratur unus quilibet militis mei injuriam. *Cic. Brut.* 59. *f.* Nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia. *Id. Prov. cons.* 4. Unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. *Id. Or.* 3, 14. *f.* Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus; et *ib.* 2, 10. Nam hesterno sermone unius cujusdam operis remigem aliquem, aut bajulum nobis oratorem describeras. *Id. Phil.* 10, 1. *f.* Cur nunquam tam frequens senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam secutus sit? *Id. Tusc.* 5, 36. *med.* Nemo de nobis unus excellat. *Liv.* 2, 6. Nemo unus satis dignus regno visus est. *Id.* 41, 20. (al. 25.) Rhodiis ut nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quaeque usus eorum postulaverunt, dona dedit. ℙ *Unus alter, unus et alter*, duo significat, quae unum post aliud sequantur. *Cic. Verr.* 2, 5, 29. *f.* Unum, alterum mensem, prope annum denique, domi tuae piratae fuerunt; et *ib.* 29. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari: dies unus, alter, plures: non referri. *Id. Cluent.* 64. Unum, alterum, tertium annum Sassia quiescebat; et *ib.* 28. Unus et alter dies intercesserat, cum, etc. *Liv.* 6, 10. *med.* Uno alteroque subinde ictu ventrem hausit. *Auct. dial. de Or.* 39. Unus inter haec dicenti, ac alter assistit. *Cic. Mur.* 21. Neque in uno aut altero animadversum est, sed jam in pluribus. ℙ Aliquando ponitur non ad duo significanda, sed aliquot pauca. *Ter. Andr.* 1, 1, 47. Primum haec pudice vitam agebat: postquam amans accessit, pretium pollicens, unus et item alter, accepit conditionem; et *Ov. Trist.* 1, 3, 15. Alloquor extremum moestos abiturus amicos, Qui modo de multis unus et alter erant. ℙ *Unus post unum*, unus post alium. *Aurel. Vict. Epit.* 26. Duo Gordiani, pater et filius, unus post unum interiere. ℙ Cum iis nominibus, quae plurali numero efferri solent, etiam unus pluraliter effertur, sive careant ea nomina singulari, sive non. [*Tetigit hunc usum *Voss. de Analog.* 1, 39. p. 579. quocum cf. Z. *Gr. L.* §. 115. *not.* p. 104. et *Ramsh.* §. 156. 3. p. 114. *Ruddim.* 1. p. 146.] *Pl. Ps.* 1, 1, 52. Unae quinque remorantur minae. *Id. Bacch.* 4, 7, 34. Sequere me tres unos passus; et *Sall. Cat.* 6. Postquam in una moenia convenere. *Caes. B. G.* 4, 16. Ubii, qui uni ex Transrhenanis ad Caesarem legatos miserant, *h. e.* soli. Sic *Catull.* 68, 147. Quare illud satis est, si nobis is datur unis. *Virg. A.* 2, 642. satis una, superque Vidimus excidia. *Ter. Eun.* 2, 3, 75. Aderit una in unis aedibus. *Id. Andr.* 4, 1, 51. Ex unis geminas mihi conficies nuptias. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Cum unae decumae lege et conditione trahantur, alterae novis institutis imperentur. *Id. Att.* 14, 18. Adductus sum tuis unis et alteris litteris. *Id. Fl.* 26. Unis moribus, et nunquam mutatis legibus vivunt, *h. e.* iisdem. *Cato R. R.* 10. *med.* Molas asinarias unas, et trusatiles unas, Hispanienses unas; et *ib.* 13. Molas unas, cribrum unum, etc. *Molas* dixit in plurali, quia mola e duobus saxis constat, ut in MOLA dictum est. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Unae quadrigae. ℙ *In unum*, in eundem locum, simul. *Sall. Jug.* 55. Metellus paulatim milites in unum conducit. *Cic. Leg.* 2, 3. Fluvius divisus in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit. *Liv.* 30, 11. Omnibus, qui bello apti erant, in unum coactis. *Virg. Ecl.* 7, 2. Compulerantque greges Corydon, et Thyrsis in unum. *Ov. Rem. Am.* 673. Quod si vos aliquis conducet casus in unum. ℙ *Ad unum omnes*, omnino omnes, usque ad unum, h. e. ne uno quidem excepto. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. Onerariae omnes ad unam a nobis sunt exceptae. *Cic. Am.* 23. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt. Adde *Liv.* 2, 50. *f.* Et omisso τῷ omnes. *Virg. A.* 5, 687. si non exosus ad unum Trojanos. *Epit. Liv.* 2. *f.* Qui ad Cremeram ad unum ab hostibus caesi sunt. ℙ Genitivus *unius* paenultimam habet longam, apud poetas ancipitem. *Virg. A.* 1, 45. Unius ob noxam, et furias Ajacis Oilei; et *ib.* 255. Navibus (infandum!) amissis unius ob iram. ℙ Reperitur et *uni*, pro *unius. Titin.* ap. *Prisc.* 6, 694. et 717. Namque uni collegii sumus. *Catull.* 17, 17. Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni. *Pl. Stich.* 5, 4, 49. Ego tu sum, tu es ego: uni animi sumus. Alii scrib. conjunctim *unianimi*, vel *unanimi.* ℙ In dativo *uno*, et *unae* pro *uni. Varr. R. R.* 1, 18. *med.* Singula jugera quaternis operis uno operario ad conficiendum satis esse. *Cato R. R.* 19. Unae fibulae locum facito. ℙ *Une* in vocativo *Plaut. fragm.* ap. *Prisc.* 5, 673. O amice ex multis mihi une, Cephalio. *Catull.* 37, 17. Tu praeter omnes une de capillatis. *August. Conf.* 1, 7. *med.* Nisi tu une *(Deus)*, a quo omnis modus, etc.

UNUSQUĪLĪBET, quilibet unus. Ita conjunctim interdum scriptum legitur. V. in v. praec.

UNUSQUISQUE, unaquaeque, unumquodque, et unumquidque, πᾶς ἕκαστος, πᾶς τις, πάντες ὅσοι, singuli. *Cic. Font.* 6. Mihi enim semper unaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breviter interrogatus. *Id. Rosc. Am.* 30. Leviter unumquodque tangam. *Id. Verr.* 2, 4, 59. Qui hospites ad ea, quae visenda sunt, ducere solent, et unumquidque ostendere. *Id. Par.* 1, 3. Ponite ante oculos unumquemque regum. ℙ *Unumquidquid*, pro unumquidque. *Lucr.* 5, 1387. Sic unumquidquid paulatim protrahit aetas. *Pl. Trin.* 4, 2, 39. Si unumquidquid singillatim, et placide percontabere.

ŪNUSQUĪVIS, quivis unus. V. UNUS.

*UNX, Unguis, ὄνυξ. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

UNXIĀ, ae, f. Dea, quae unctionibus praeerat. *Arnob.* 3, 115. Unctionum superest Unxia, cingulorum Cinctia replicationi. *Id.* 7, 227. Bos sterilis Unxiae mactatur. Adde *Capell.* 2, 37. *extr.*, ubi Junonem significari tradit, quae nuptiis praeerat, et cum sponsa viri domum ingressa postes de more ungeret, faustum omen affigere credebatur. *Cinxia* quoque, vel *Cinctia* Junonis appellatio erat in nuptiis.

V O

*VOBERNA, ae, oppidum Italiae superioris, in Gallia transpadana. *Inscr.* ap. *Cellar.* in *Notit. Orb. antiq. B. A.*

VOCĀBĪLIS, e, adj. idem quod vocalis. *Gell.* 13, 20. *med.* Sonus vocabilior est visus, et amoenior. Alii leg. *vocalior.*

*VOCABULARITER, adv. προσηγορικῶς. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

VOCĀBŬLUM, i, n. λέξις, dictio, qua res singulae vocantur, aut voce efferuntur. *Cic. Or.* 3, 40. Si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi, etc. *Plin. ep.* 2, 14. *f.* Neque enim alio vocabulo potest exprimi. *Hor. Sat.* 2, 3, 280. Vocabula rebus imponere. [*Saepius quam ap. al. *scriptt.* permutatur cum *nominis* voce *vocabulum* ap. *Tac.* V. nubem exemplorum in *Boettich. Lex. Tac.* s. h. v.] ℙ Differunt nomina, et vocabula, ut docet *Varr. L. L.* 9, 1. *med.*, quia nomina finita sunt, et significant res proprias, ut *Romulus*, *Helena;* vocabula autem infinita, et res communes designant, ut *mulier*, *scutum. Varr. ib.* Non enim idem oppidum, et Roma, cum oppidum sit vocabulum, Roma nomen. Adde *ib.* 7, 23. ℙ Non raro tamen vocabulum pro nomine proprio ponitur. *Tac. A.* 12, 66. Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta. *Id. ib.* 13, 12. Liberta, cui vocabulum Acte fuit. *Ov. Fast.* 3, 511. Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes. ℙ Et pro cognomento. V. *Tac. l. c.* in VITIS. ℙ Sumitur etiam universim pro nomine, ut accipitur a grammaticis, et a verbo distinguitur. *Varr. L. L.* 7, 4. Aristoteles duas partes orationis esse dicit, vocabula, et verba, ut homo, et equus; et legit, et currit. *Sen. ep.* 58. Cogor verbum pro vocabulo ponere: sed si id necesse est, ponam. ℙ Fuerunt, qui vocabulum ab appellatione diducerent, ut esset vocabulum corpus visu tactuque manifestum, ut domus, lectus: appellatio, cui vel alterum deest, vel utrumque, ut ventus, coelum, Deus, virtus. *Quint.* 1, 4. *med.*

VOCĀLIS, e, adj. φωνήεις, εὔφωνος, qui est magnae vocis, sonorus. *Ov. Met.* 11, 317. Carmine vocali clarus, citharaque Philammon. *Tibull.* 2, 5, 3. vocales impellere pollice chordas. *Sen. Q. N.* 2, 29. Vocaliora sunt vacua, quam plena. *Quint.* 8, 3. *med.* Ut syllabae e litteris melius sonantibus clariores sunt, ita verba e syllabis magis vocalia. *Plin.* 8, 58, 83. Ranae vocales, et mutae. *Id.* 9, 19, 34. Piscis vocalis. *Id.* 11, 28, 34. Scarabaei nocturno stridore vocales. *Id.* 10, 51, 72. Aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales. *Hor. Od.* 1, 12, 7. vocalem temere insecutae Orphea silvae, *h. e.* fidibus praestantem. *Plin. ep.* 4, 7. Eligere vocalissimum aliquem, qui legeret. ℙ Ponitur etiam simpliciter pro eo, qui vocem habet, qui est in numero loquentium. *Cic. Brut.* 69. Addamus huc etiam, ne quem vocalem praeteriisse videamur, C. Cosconium. *Val. Max.* 1, 8. *extr. n.* 4. de miraculis: Aegles Samius athleta mutus, cum ei victoriae, quam adeptus erat, titulus et praemium eriperetur, indignatione accensus vocalis evasit. *Stat. Theb.* 1, 492. monitusque datos vocalibus antris, *h. e.* in quibus oracula et responsa dantur. ℙ Item pro eo, qui humana voce

loquitur. *Tibull.* 2, 5, 78. Fataque vocales praemonuisse boves. *Prop.* 2, 25, 37. vocalis equus. Adde *Ov. Met.* 13, 716. ℙ Litterae vocales, apud grammaticos, γράμματα φωνήεντα, sunt illae, quae per se vocem faciunt, id est quae per se sine consonantibus pronuntiari possunt, ut *a, e, i, o, u*, et in Graecis dictionibus etiam *y*. *Cic. Or.* 23. *med.* Habet enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam. *Quint.* 1, 4. *med.* Veteres geminatione earum *(vocalium)* velut apice utebantur. *Id. ib.* 7. *med.* Usque ad Accium et ultra, porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt. *Scaurus* p. 2255. Illa videntur esse vitiosa, quod Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit, cum alioqui adjecto vel sublato apice longitudinis et brevitatis nota posset ostendi. ℙ Tria sunt instrumenti villatici genera: vocale, semivocale, et mutum: vocale, in quo sunt servi: semivocale, in quo sunt boves: mutum, in quo sunt plaustra. *Varr. R. R.* 1, 17. ℙ Similiter tria sunt in exercitu signorum militarium genera. Vocale dicitur signum, quod voce humana et verbis pronuntiatur: semivocale, quod voce sine verbis, tuba scilicet, buccina, cornu: mutum aquilae, dracones, vexilla, pinnae, etc. *Veg. Mil.* 3, 5. ℙ Aliquando *vocales* dicti sunt, qui voci et cantui operam dabant. *Lampr. Alex. Sev.* 34. Vocales exoletos, et omnia acroamata, et pantomimos populo donavit. *Sidon. ep.* 1, 2 *f.* Nec sub phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat. ℙ Vocales undas Castaliae *Stat.* dixit *Silv.* 1, 2, 6. et *ib.* 5, 5, 2., quia vocem et carmina iis, qui biberint, dare dicuntur.

VOCĀLĬTAS, atis, f. εὐφωνία, consonantia. *Quint.* 1, 5. Sola est quae notari possit, velut vocalitas, quae εὐφωνία dicitur: cujus in eo delectus est, ut inter duo, quae idem significant, ac tantundem valent, quod melius sonat, malis.

VOCĀLĬTER, adv. per vocem, seu vocabulum. *Tert. adv. Prax.* 3. *Μοναρχίαν*, inquiunt, tenemus, et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt etiam Latini. ℙ Item magna voce. *Appul. Met.* 1. Januam firmiter oppessulatam pulsare vocaliter incipio, *h. e.* pulsare simul clamando, et vocando.

VOCĀMEN, inis, n. ὄνομα, nomen, appellatio. *Lucr.* 2, 655. Bacchi nomine abuti Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen. *Solin.* 5. *med.* Tibiae puellatoriae, quibus a sono clariore vocamen datur. Adde *Arnob.* 4, 128. et 7, 251.

*VOCĀNUM agrum meminit *Liv.* 33, 48. In Africa Propria fuit, a Voca quodam oppido fortasse nomen trahens. *B. A.*

*VOCARĪUM, i, n. oppidum Norici. *Tab Peuting. B A.*

*VOCĀTES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Caes. B G.* 3, 23 et 27. *B. A.*

VOCĀTĬO, onis, f. κλῆσις, invitatio ad coenam. *Catull.* 47, 5. Vos convivia lauta sumptuose De die facitis: mei sodales Quaerunt in trivio vocationes, *h. e.* eo miseriae sunt redacti, ut quaerant, a quibus vocentur ad coenam. *Just.* 37, 4. Non in convivio, sed in campo; non in vocationibus, sed in exercitationibus. Alii leg. *vacationibus.* ℙ Item actio vocandi in jus, προσκλησις. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 12. In magistratu habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum. Adde *Atejum Capiton. ib.* et rursus *Varr. ib.* 13. Ubi *Gell.* Non pauci existimabant, jus vocationis in eum praetori non esse.

VOCĀTĪVĒ, adv. vocando: item casu vocativo *Gell.* 13, 22. Varro, Nerienes, vocative dicit in his versibus.

VOCĀTĪVUS, a, um, adj. κλητικός, ad vocandum spectans, ut *Vocativus casus*, κλητικὴ πτῶσις, per quem aliquem vocamus. *Gell.* 14, 5. In casu vocativo *vir egregi* dicendum contenderet.

VOCĀTOR, oris, m. καλέτωρ, κλητήρ, qui vocat *Prud.* περὶ στεφ. 2, 461. Paulus vocator gentium. ℙ Speciatim *vocatores* dicti sunt, quibus datum erat invitandi negotium, sive qui ipsi vocabant ad coenas. *Sen. Ira* 3, 37. *med.* Minus honorato loco positus irasci coepisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi praeferebatur. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 14. Invitatus ad regis coenam venit. Indignantique Ptolemaeo, et vocatores suos ostendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus esset, etc. *Suet. Cal.* 39. Compererat, provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur. V. VOCATIO.

VOCĀTORĬUS, a, um, adj. ad vocandum pertinens. *Tert. Anim.* 47. Si qua *(somnia)* honesta, sancta, revelatoria, aedificatoria, vocatoria. **Gloss. Lat. Gr.* Vocatorium, κλητικόν. *B. A.*

VOCĀTUS, a, um, part. a *voco*, κεκλημένος. *Ov. Met.* 1, 167. Conciliumque vocat: tenuit mora nulla vocatos. *Pl. Capt.* 1, 2, 69. Numquo foras vocatus ad coenam? et *Men. prol* 44. Ipsius eodem avus est vocatus nomine. *Hor. Epod.* 5, 5. si vocata partubus Lucina veris affuit. ℙ Cum infinito. *Id. Od* 2, 18, 38. hic levare functum Pauperem laboribus Vocatus, atque non vocatus audit.

VOCĀTUS, us, m. κλῆσις, vocatio, appellatio. *Virg. A.* 12, 95. o nunquam frustrata vocatus Hasta meos, *h. e.* invocationes, et preces. *Cic. Or.* 3, 1. Mane Idib. Septembr. et ille, et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. *Suet. Cal.* 39. Misit qui diceret, coenaturum apud Caesarem vocatu ipsius.

*VOCĒTĬUS mons in Helvetia fuit. *Tac. H.* 1, 68. ℙ Jurae montis pars fuit asperrima. Hodie *Bözen* vel *Bözberg* appellatur. *B. A.*

*VOCIFĒRARIUS, i, m. qui vociferari arte quadam docet. *Gloss. Lat. Gr.* Vociferarius, φονασκητής. *B. A.*

VOCĪFĒRĀTĬO, onis, f. κραυγή, βοή, actus vociferandi, clamor. *Cic. Verr.* 2, 5, 60. An te L. Flavii, ceterorumque de L. Herennio vociferatio commovebat? *Id. Cluent.* 10. *f.* Nam in ipso sermone hoc et vociferatione mortua est. *Auct. ad Her.* 3, 12. *f.* Acuta exclamatio habet quiddam liberale, et ad muliebrem potius vociferationem, quam ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. *Suet. Claud.* 36 Lacrimis et vociferatione miseratus est conditionem suam. *Petr. Sat.* 14. *med.* Magna vociferatione clamare.

VOCĪFĒRĀTOR, oris, m. qui vociferatur. *Tert. adv. Marc.* 4, 11. Joannes vociferator in solitudine.

VOCĪFĒRĀTUS, us, m. idem quod vociferatio, clamor. *Plin.* 10, 60, 79. Cum vociferatu sanguinem profundunt.

VOCĪFĔRO, as, n. 1 idem ac vociferor. *Varr. R. R.* 3, 9. de gallis gallinaceis: Item qui elati sunt, ac vociferant saepe, in certamine pertinaces. Tribuitur etiam *Livio* 7, 12. *f.*, 8, 38. *f.* et alibi, ex MSS. et *Cic. Verr.* 2, 2, 21. et *ib.* 2, 4, 18., sed plerique alii his locis *vociferari.*

VOCĪFĔROR, aris, atus sum, dep. 1. κράζω, βοάω, ἀλαλάζω, vehementer exclamo, majorem vocem emitto: quod fit in dolore, et indignatione, vel etiam extra omnem affectum, seu animi perturbationem. *Cic Verr.* 2, 4, 18. *f.* Minitari absenti Diodoro, vociferari palam, lacrimas interdum vix tenere. *Id. Rab. Post.* 8. Quod vociferabare, decem millia talentum Gabinio esse promissa? *Liv.* 10, 29. Pontifex Livius vociferari, vicisse Romanos; et *ib.* 28. *med.* Vociferari Decius, quo fugerent? quamve in fuga spem haberent? *Lucr.* 2, 1049. res ipsaque per se vociferatur, *h. e.* loquitur, testatur, ostendit. Sic 1, 732. Carmina quin etiam divini pectoris ejus Vociferantur, et exponunt praeclara reperta. *Id.* 2, 450. Aeraque, quae claustris restantia vociferantur, *h. e.* sonitum edunt, stridunt. *Colum.* 8, 13. Adventu Gallorum *(anser)* vociferatus est canibus silentibus. *Ascon.* in *Div. Verr.* 5. Siculi accusatorie vociferantes. *Virg. A* 2, 679. Talia vociferans.

VOCĪFĪCO, as, n. 1. idem quod vociferor, voce declaro. *Varr. R. R.* 3, 16. de apib.: A se ejiciunt fucos, quos vocificantes persequuntur. Alii leg. *vociferantes. Gell.* 9, 3. Demosthenis orationes, concionesque vocificant. Alii leg. *notificant.*

*VOCIO, onis, rex Norici. *Caes B. G.* 1, 53. *B. A.*

VOCĪTĀTUS, a, um, part. a *vocito. Liv.* 4, 51. *extr.* Servius Romanus vocitatus. *Plin.* 3, 9, 14. Lipara antea Melogonis vocitata.

VOCĪTO, as, a. 1. appello, frequenter voco. *Cic. Rab. Post.* 9. Demetrius, qui Phalereus vocitatus est. *Id* in *Arat. N. D.* 2, 43. Has Graeci stellas Hyadas vocitare suerunt. *Lucr.* 6, 297. quod patrio vocitamus nomine fulmen. *Tac. H.* 2, 41. Incertus undique clamor accurrentium, vocitantium; et *ib.* 5, 2. Accolas Idaeos, aucto in Barbarum cognomento, Judaeos vocitari. *Nep. Dion.* 10. Qui vivum eum tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriae praedicabant.

VOCO, as, avi, atum, a. 1. καλέω, φωνέω, voce arcesso, advoco. *Pl. Curc.* 2, 3, 24. Heus Curculio! te volo. *Curc.* quis vocat? quis nominat me? *Id. Capt.* 2, 2. *f.* Vin' vocem patrem huc ad te? *Tyn.* voca. *Caes. B. G.* 5, 42. Nutu, vocibusque hostes, si introire vellent, vocare coeperunt. *Id. B. C.* 3, 105 Ejus rei causa senatores omnes ex provincia vocasse, ut iis testibus uteretur. *Id. B. G.* 1, 20. *f.* Dumnorigem ad se vocat; et *B. C.* 2, 1. Ad ea perficienda opera magnam jumentorum atque hominum multitudinem ex omni provincia vocat. *Liv.* 5, 47. *med.* Vocare classico ad concilium milites ac tribunos. *Id.* 36, 20. Vocare senatum. Alii leg. *in senatum;* et 44, 20. Extemplo senatum vocaturi consules. *Cic. Acad.* 4, 47. Vocare in concionem. *Just.* 14, 1. ad concionem. *Tac. A.* 1, 29. concionem. *Id. H.* 4, 14. juventutem ad delectum. *Virg. A.* 10, 2. Conciliumque vocat Divum pater. *Id. ib.* 11, 730. variis instigat vocibus alas, Nomine quemque vocans. ℙ Pro nominare. *Id. ib.* 4, 171. Nec jam furtivum Dido meditatur amorem: Conjugium vocat: hoc praetexit nomine culpam *Caes. B. G.* 5, 21. Oppidum Britanni vocant, cum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt. *Sall. Cat.* 57. Alii alios increpantes, timidos vocant; et *Jug.* 21. *med.* Aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant. *Cic. fr.* ap. *August. contra Acad.* 2, 11. Quae si tu alio nomine vis vocare, nihil repugno. *Just.* 15, 4. Urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit. *Liv.* 45, 33. *f.* Ad Spelaeum, quod vocant, biduum moratus. *Tac. A.* 12, 34. Vocabatque nomina majorum, qui dictatorem. Caesarem pepulissent, *h. e.* memorabat, recitabat. *Ov. Met.* 14, 246. neque enim finito Marte vocandus Hostis es. ℙ Et *vocari*, nomen habere, appellari, nominari. *Pl. Aul.* 4, 10, 49. Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides. *Ter. Ad.* 5, 6, 3. O qui vocare? *Ge.* Geta. *Id. ib.* 7, 13. Euge, jam lepidus vocor. *Id. Eun.* 2, 2, 33. Parasiti ut Gnathonici vocentur. *Id. Phorm. prol.* 25. Epidicazomenon quam vocant comoediam Graeci, Latini Phormionem nominant. Adde *Hor. Carm. saecul.* 15. ℙ Solemne verbum est invitandi ad coenam. *Cic. Att.* 6, 3. *f.* Hunc ego patris causa vocavi ad coenam, quo die venit. *Ter. Phorm. f.* Me ad coenam voca. *Naus* pol vero voco. *Pl. Stich.* 4, 4, 19. Solus coenabo domi? *Gel.* non enim solus: me vocato. *Id. ib.* 1, 3, 28. Nulli negare soleo, si quis esum me vocat. Adde *Ter. Andr.* 2, 6, 22. ℙ Et absolute *Pl. Capt.* 1, 1, 7 Nos parasiti, quos nunquam quisquam neque vocat, neque invocat. *Ter. Phorm.* 4, 4, 21. Spatium apparandis nuptiis, vocandi, sacrificandi, dabitur paululum. *Pl. As.* 4, 1, 23. Vocet convivam neminem illa: tu voces. *Suet. Tib.* 53. Quondam inter coenam porrecta a se poma gustare non ausam, etiam vocare desiit. Adde *Nep. Att.* 14. V. VOCATOR. ℙ *Vocata est opera*, vel *res*, dicit ap. *Pl. Stich.* 3, 2, 17. et *Curc.* 4, 4, 7. qui vocatus ad coenam excusat se, quod alteri jam promisit. ℙ *Vocare ad sacra*, idem est ac inaugurare; nam cum novus sacerdos electus et cooptatus esset in aliquo sacerdotio, ad sacra, *h. e.* ad sacrificia vocabatur, ut nempe eorum, quae ipsius collegae fecerant, particeps esset. *Inscr. Frat. Arv.* ap. *Marin. n.* 1. Cn. Lentulus augur magister in locum L. Pauli Drusum Caesarem Ti. F., Augusti N. arvalem cooptavit, et ad sacra vocavit. ℙ *Vocare Deos*, implorare, invocare, quaerere. *Virg. A.* 6, 247. Voce vocans Hecaten coeloque, Ereboque potentem, *(voce vocare* dixit *Id.* etiam *A.* 4, 680. et *ib* 12, 638., item *Tibull.* 2, 1, 83. et *Just* 38, 7. *med:* ubique autem est invocare, in auxilium vocare;) et 5, 686. Auxilioque vocare Deos, et tendere palmas. *Hor. Od* 1, 14, 10. Non tibi sunt Dii, quos iterum pressa voces malo. *Virg. A.* 5, 234. Vocare Deos in vota. ℙ Item ad magistratum, in jus voco, προσκαλεῖν. *Cic. Quint.* 19. *f.* Vadari vis: promittit, in jus vocas: sequitur. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 12. *med.* Tribuni etiam consulem in rostra vocari jusserunt: ego triumvir vocatus a Porcio trib. pleb. non ivi auctoribus principibus; et vetus jus tenui. Item tribunus cum essem, vocari neminem jussi, neque vocatum a collega parere invitum. ℙ *Vocare in crimen*, reum facere, insimulare, accusare. *Nep. Timoth.* 3 *f.* et *Cic. Rab. perduell.* 8. *extr.* et *Verr.* 2, 5, 50. *f.* Sic *Ov. Pont.* 4, 14, 41. At malus interpres populi mihi concitat iram, Inque novum crimen carmina nostra vocat. ℙ Simile est *vocare in invidiam, odium*, adducere, invidiam conflare. *Cic. Phil.* 2, 24. *med.* Ne me apud milites in invidiam voces. *Id. Off.* 1, 25. Falsis criminibus in odium aut invidiam quemquam vocare. Adde *Sext.* 43. Sic *vocare in judicium*, adducere, ut de eo a judicibus sententia feratur. *Cic. Or.* 1, 57., *Verr.* 2, 1, 12. *f.* et *Balb.* 28. Sic *Ov. Pont.* 1, 5. 20. sub judicium singula verba vocem. ℙ Similia sunt et illa *Cic. Or.* 2, 72. Rem in disceptationem, aut controversiam vocare; et *Manil.* 5. Salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur; et *Verr.* 2, 5, 4. *f.* Leonidae familia in suspicionem vocata est conjurationis. ℙ *Vocare aliquid ad judicem*, quod dixit *Quint.* 2, 4. *f.*, est referre ad judicem, ut de eo sententiam ferat. Hinc *Cic. Acad.* 4, 18. Me ad Democritum vocas, cui non assentior. *Tac. A.* 1, 6. *extr.* Ne Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando. Pro trahere, pertrahere. *Cic. Cat.* 1, 5. *med.* Templa Deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium et vastitatem vocas. *Id. Att.* 3, 7. Ne et meum moerorem exagitem, et te in eundem luctum vocem. ℙ Invitare, allicere. *Id. ib.* Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. *f.* Quarum rerum spe ad laudem me vocasti. *Cic. Att.* 3, 15. *med.* Haec nisi vides expediri, quam in spem me vocas? ℙ *Vocare offensas* ap. *Tac. H.* 4, 80. *med.* est provocare. Similem sensum habere videtur in ludo talorum. *Ov. A. Am.* 3, 355. modo cogitet apte, Quam subeat partem callida, quamque vocet. *Mazzonius* ita exponit, ut *subire partem* sit eligere punctum aliquod, ut vincaris, si exieris; *vocare*, ut vincas. ℙ Item appellare, h. e. alloqui. *Petr. Sat.* 113. *med.* Nec Giton nec aut tralaticia propinatione dignum judicabat, aut, quod minimum est, sermone communi vocabat. ℙ Item revocare, avocare. *Cic. Dejot.* 11. Dejotarus vestram familiam abjectam et obscuram e tenebris in lucem vocavit. Alii leg. *evocavit:* alii *revocavit. Id. Att.* 12, 37. *f.* Quod me a moestitia vocas, multum levaris, si, etc. Plerique alii leg. *avocas.* ℙ *Vocare aliquem in partem*, invitare, ut particeps sit cujuspiam rei. *Id. Caecin.* 4. *extr.* Itaque in partem *(hereditatis)* mulieres vocatae sunt. *Virg. A.* 3, 223. ipsumque vocamus In praedam partemque Jovem. *Tac. A.* 1, 11. Vocare aliquem in partem curarum. *Just.* 5, 2. *med.* in portionem muneris. ℙ *Vocare*

aliquem ad coelum, est laudare. *Catull.* 6, 16. volo te ac tuos amores Ad coelum lepido vocare versu, *h. e.* summis laudibus efferre. ℙ *Vocare ad calculos, ad computationem*, adigere ad ineundas rationes. *Cic. Am.* 16. *med.* Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. (Adde *Liv.* 5, 4. *med.*) *Plin. Pan.* 38. Nemo recentem et attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, scire. ℙ *Vocare in dubium*, dubiam rem facere. *Cic. Inv.* 2, 28. *med.* Injuria ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, quae ad aliquid invitare videntur. *Liv.* 28, 15. *med.* Carthaginienses fessos nox imberque ad necessariam quietem vocabat. *Id.* 24, 36. *f.* Ut quocumque vocasset defectionis ab Romanis spes, admoveret exercitum. *Auct. B. Hisp.* 24. Haec res necessario vocabat, ut ad dimicandum descenderet. *Virg. A.* 3, 70. lenis crepitans vocat Auster in altum. *Ov. Rem. Am.* 532. Quoque vocant fluctus, hac tibi remus eat. *Phaedr.* 3. *prol.* aliquae venient feriae, Quae me soluto pectore ad studium vocent. ℙ Cum infinito. *Lucr.* 5, 943. sedare sitim fontes fluviique vocabant. ℙ Poetice praesagire est in illo *Virg. G.* 1, 388. Tum cornix rauca pluviam vocat improba voce. Ubi *Servius:* vocat, poetice ait, non enim vocat, sed denuntiat pluviam. Et notandum, cornicem et rauca voce, et solam, pluviam praedicere. *Id. ib.* 157. votisque vocaberis imbrem. *Lucr.* 5, 1083. cornicum ut saecla vetusta, Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres Poscere, et interdum ventos aurasque vocare. ℙ *Casus vocandi*, qui et *vocativus*, est quintus inter casus nominum: ita dictus, quia illo utimur, cum vocamus. *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 25., ipse *Gell.* 14, 5., *Charis.*, *Diomed.*, *Prisc.*, etc.

VOCŌNĬUS, a, um, adj. ad Voconios pertinens. Fuere Voconii gens Romana ex municipio Aricino, ut colligitur ex *Cic. Phil.* 3, 6. Hujus gentis meminit etiam *Mart.* 7, 28. Testile, Victoris tormentum dulce Voconi. ℙ *Voconia lex* de coercendis mulierum hereditatibus, lata fuit a Q. Voconio Saxa Trib. pleb. ann. U. C. DLXXXV., sancitumque in ea, ne qui census esset, virginem, neve mulierem supra centena millia HS. heredem instituere t, plusve cuiquam legaret, quam ad heredes perveniret: item ne feminae cuiquam ab intestato succederent. Meminit ejus legis *Cic. l. c.* et *Sen.* 5., *Fin.* 2, 17., *Verr.* 2, 1, 41. [et *de rep.* 3, 10. (ed. *A. Maio*), ubi V. adnot. ejusd. *F.*] ℙ *Voconia pira* fortasse dicta sunt a quodam Voconio, qui ea primum severit; quamquam *Plin.* 15, 15, 16. inter ea refert, quorum nominis ratio ignoratur. In MSS. *Harduini* est *vocima*. Dicuntur esse viridia, et oblonga.

[VOCONTĬUS, a, um, adj. ad Vocontios pertinens, Galliae Narbonensis populos, ubi nunc il *vescovado di Vaison*. Hinc *Plin.* 3, 4, 5. Vocontiorum civitatis foederatae duo capita Vasio et Lucus Augusti. *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 2. Ordo Vocontiorum. *Sil.* 3, 467. Jam faciles campos, jam rura Vocontia carpit (*Annibal*). V. *Liv.* 21, 31. *F.*]

VOCŬLA, ae, f. *φωνίον*, parva vox. *Cic. Or.* 3, 25. Quanto molliores sunt, et delicatiores in cantu flexiones, ac falsae voculae, quam certae et severae! *Prop.* 1, 16, 27. O utinam trajecta cava mea vocula rima Percussas dominae vertat in auriculas! *Cic. Att.* 2, 23. Cum recreandae voculae causa necesse esset mihi ambulare. ℙ Ponitur et pro parva, seu brevi dictione. *Gell.* 12, 14. de verbo *saltem:* Significatio hujus voculae. *Cic. Fam.* 2, 16. Malevolorum voculae, *h. e.* detractiones. ℙ [Est etiam cogn. R., ut C. Dillius A. F. Ser. Vocula legatus in Germania legionis duoetvicesimae, ap. *Tac. H.* 4, 24. et in *Inscr.* ap. *Mur.* 697, 5. *F.*]

VOCŬLĀTĬO, onis, f. vocis quantitas, accentus, pronunciatio dictionis alicujus juxta accentum. *Nigid.* ap. *Gell.* 13, 25. Voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi, an vocandi (*casus*) sint? nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est, quam prima, etc. *Gell. ib.* Quem accentum nos dicimus, voculationem appellat. *Id.* 13, 6. Quas Graeci *προσῳδίας* dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant.

*VOGĒSUS, i, m. *Οὔγεσος*, mons in finibus Lingonum, a quo Mosa fluvius profluit, non longe a fonte Matronae fluvii. Hodie *Wasgau* audit. *Lucan.* 1, 397. Castraque, quae Vogesi curvam super ardua ripam Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis. Adde *Plin.* 16, 39. ℙ *Vosegus* audit *Caes. B. G.* 4, 10. edd. *Oudend.* et *Juntin.* Ex monte Vosego. Sed edd. *Cellar.* et *Plantin.* omnino *Vogeso.* ℙ *Vosagus* appellatur a *Venant. Fortun. carm.* 7, 5. Ardenna an Vosagus cervi, caprae, ilicis, ursi Caede sagittifera silva fragore tonat: ubi paenultima corripitur, quod et in *Lucani l. c.* factum. *Caesaris Metaphrast.* est *Βόσηκος*. *B. A.*

VŌLA, ae, f. *θέναρ*, cava pars manus, et pedis. *Fest.* Vola, vestigium medii pedis concavum: Sed et palma manus vola dicitur. *Serv.* in *G.* 2, 88. Vola, medietas palmae, et pedis. *Plin.* 11, 45, 105. Vola homini tantum, exceptis quibusdam: namque et hinc cognomina inventa, Planci, Plauti, Scauri, *h. e.* qui planis pedibus essent, et vola carentibus. *Prud. Apoth.* 927. numquid manus articulatim Est digesta Dei? numquid vola, numquid et ungues? ℙ *Nec vola, nec vestigium*, proverb. quo significamus, alicujus rei nullum indicium, nullum monumentum exstare, omnemque memoriam abolitam esse. *Varr.* ap. *Non.* 4, 480. Haec Numa Pompilius fieri si viderit, sciet, suorum institutorum nec volam, nec vestigium apparere; et *ib.* Quoniam in sepulcris nec vola, nec vestigium exstat. ℙ *Vola*, terra. V. VOLATICA.

*VOLAE, arum, *Βῶλαι*, oppidum Latii. *Liv.* 44, 49. bis, ed. *Gronov.* ubi ed. *Drakenb.* habet *Bola.* Cf. 6, 2. *extr.* ubi *Bolas* legitur in edd. *Drakenb.* et *Gronov.* ℙ *Bola* audit *Virg. A.* 6, 776. V. *Bola. B. A.*

VŌLĀBĬLĒ videtur positum adverbii more pro volando, hoc est velociter, celerrime, volantis modo, in illis *Varronis* verbis, quae refert *Non.* 18, 8. et 21. Aut ille cervum qui volabile currens, Sparo secutus tragulaque trajicit. Alii tamen leg. *volabilem*, ut intelligat *volantem cervum*, alii *volatilem.*

*VOLĀNA, ae, f. oppidum Italiae, in Samnio. *Liv.* 10, 44. *extr.* et 46. *B. A.*

*VOLANDUM, i, n. castellum in Armenia. *Tac. A.* 13, 39. *B. A.*

*VOLĀNE, es, unum e Padi ostiis, prius Olane dictum. *Plin.* 3, 16. Dein Volane, quod (*ostium*) ante Olane vocabatur. *B. A.*

VŌLANS, antis, part. a *volo*, *as: πετώμενος*, volitans, item celer, citus. *Virg. G.* 1, 321. culmumque levem, stipulasque volantes. *Ov. Trist.* 3, 10, 55. Hostis equo pollens, longeque volante sagitta. *Lucan.* 7, 489. Sed quota pars cladis jaculis ferroque volanti Exacta est? *h. e.* sagittis: *ἐν διὰ δύο. Hor. Od.* 2, 16, 11. curas laqueata circum Tecta volantes; et *ib.* 1, 37, 16. ab Italia volantem Remis adurgens, *h. e.* propere fugientem. *Virg. G.* 3, 181. currus agitare volantes; et *ib.* 2, 41. pelagoque volans da vela patenti. ℙ *Volantes* absolute, volucres, alites. *Id. A.* 6, 728. Inde hominum, pecudumque genus, vitaeque volantum; et *ib.* 239. de Averno: Quam super haud ullae poterant impune volantes Tendere iter pennis. *Lucr.* 2, 1081. Squamigerum pecudes, et corpora cuncta volantum.

*VOLĀNUS, a, um, adj. ad Volas pertinens. *Liv.* 4, 49. Agrum Volanum. Sic ed. *Gronov.* ubi ed. *Drakenb.* exhibet *Bolanum.* ℙ *Volani, orum*, incolae Volarum dicti a *Liv.* 4, 49. ed. *Gronov.* ubi ed. *Drakenb.* habet *Bolani. Bolani* appellantur a *Plin.* 3, 5. *B. A.*

VŌLĀTERRĀNUS, a, um, adj. ad Volaterras (nunc *Volterra*) pertinens, antiquum Etruriae oppidum, Romanorum colonia, inter Caecinam, et Arnum fluvios, non longe a mari, ubi Vada Volaterrana sunt, quorum mentio est ap. *Cic. Quint.* 6. et *Plin.* 3, 5, 8. *Rutil. Itin.* 1, 453. In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum Ingressus, dubii tramitis alta lego. ℙ *Volaterrani, orum*, ejus incolae. *Cic. Dom.* 10., *Liv.* 28, 45. et *Plin. l. c.*

VŌLĀTĪCĀ, ae, f. lamia, venefica, strix: a *volando*, quia veteres putarunt, veneficas se in striges aves convertere. *Fest.* in *Strigas:* Striges, aves nocturnas, ut ait Verrius, Graeci *στρίγγας* appellant: a quo maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. ℙ Exstat praeterea ap. *Tert. Pall.* 6. Et grammaticus, *inquit*, et rhetor, et sophista, et medicus, et poeta, et qui musicam pulsat, et qui stellarem conjectat, et qui volaticam spectat. Alii eum *qui volaticam spectat*, intelligunt haruspicem, qui ex volatu avium conjectat; alii geometram sic appellatum volunt a *vola* manus, qua res dimetitur: vel a *vola*, qua significat *terram* in Etrusca disciplina, ducta origine a lingua Phoenicia.

VŌLĀTĬCUS, a, um, adj. *πτερόεις*, qui volat et cito transit, velox: et translate inconstans, levis, instabilis. *Pl. Poen. a.* 2. *v.* 29. An obsecro, usquam sunt homines volatici? *Cic. Att.* 13, 25. *f.* O Academiam volaticam, et sui similem, modo huc, modo illuc, etc. *Id. Har. resp.* 22. Illius furentes ac volaticos impetus in se ipsos posse converti. Alii hic leg. *violentos. Sen. ep.* 42. *med.* Volaticum esse, ac levem. *Tert. Poen.* 11. magistratus Romanos vocat *unius anni volaticum gaudium.*

VŌLĀTĬLIS, e, adj. *πτηνὸς, πτερόεις*, qui volat. *Cic. N. D.* 2, 60. Praeterea vescimur bestiis et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus, partim capiendo, partim alendo. *Ov. Am.* 2, 7, 27. pueri volatilis arcus, *h. e.* Cupidinis. ℙ Saepe translate sumitur pro celeri, veloci, ut *ferrum volatile* est sagitta ferrea cuspide praemunita, quae ex arcu emissa celeriter fugit, velocitatem adjuvantibus pennis. *Virg. A.* 4, 70. de cerva: Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum Nescius. *Lucr.* 1, 968. et *Ov. A. Am.* 1, 169. volatile telum. ℙ Accipitur et pro fluxo, caduco, quod facile praeterit, transit, elabitur. *Id. Met.* 10, 519. Labitur occulte, fallitque volatilis aetas, Et nihil est annis velocius. *Sen. ep.* 123. *f.* Gloria vanum et volatile quiddam est, auraque mobilius.

VŌLĀTŪRĂ, ae, f. idem quod volatus. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Ibi in prima volatura cum veniunt, morantur dies paucos requiescendi causa. *Colum.* 8, 9. Turtur a volatura, ita ut capitur, farturae destinatur; et *ib.* 10. *med.* de turdis: Fere etiam in agris ab ejusmodi volucribus haec appetuntur: quae in aviariis quoque desidentium detergent fastidia, faciuntque avidiorem volaturam: quod maxime expedit: nam largiore cibo celerius pinguescit, *h. e.* ipsos turdos, qui advolarunt, et capti sunt.

VŌLĀTUS, us, m. *πτῆσις, πτῆμα*, volatio, actus volandi. *Cic. N. D.* 2, 39. *f.* Aer et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit et sustentat animantes. *Id. Div.* 1, 1. *f.* Volatibus avium, cantibusque declarari res futuras putant. *Catull.* 55, 24. Non si Pegaseo ferar volatu. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 270. Nuntia votorum celeri jam fama volatu Moverat, etc. et *in Eutr.* 2, 168. illa (*hasta*) per auras Tot freta, tot montes, uno contenta volatu, Transilit. *Id. Gigant.* 47. lucem Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu Spissas caeruleis tenebras e naribus efflant, *h. e.* celeri cursu. *Mart.* 11, 91. Si tam praecipiti fuerant ventura volatu, Debuerant alia fata venire via, *h. e.* si mors tam cito ventura erat.

*VOLCAE, arum, populi Galliae Narbonensis, ubi nunc *Languedoc*: quorum pars una *Volcae Tectosages* dicti, memorati a *Caes. B. G.* 6, 24. *Plin.* 3, 4. bis. Altera, *Volcae Arecomici*, de quibus *Caes. B. G.* 7, 7. *Volcae* nude appellati a *Cic. pro Font.* 8. *in. Liv.* 21, 26. ac *Plin.* 3, 19. In *Mela* 2, 5. *Arecomici* appellatur gentis hujus pars una, *Tectosages* autem altera, absque mentione v. *Volcae. B. A.*

VOLCĀTĬUS, et Vulcatius, ii, m. nomen propr. R. civis. Volcatius Gallicanus, qui sub Diocletiano vixit, scripsisse dicitur aliquot R. Imperatorum vitas, ex quibus illa Avidii Cassii adhuc exstat. V. CAPITOLINUS, i. ℙ *Volcatius Tullus, consul Romanus, qui Catilinam a consulatus petitione deterruit. V. *Ascon. Pedian.* in *Or. Cic. in toga cand.* 149. ℙ Volcatius Terentianus, scriptor rerum suorum temporum sub Gordianis. ℙ Volcatius Epidius, grammaticus, scripsit vitam Pompeii Magni. *B. A.* ℙ Volcatius Sedigitus scripsit de poetis Latinis, cujus versus aliquot leguntur ap. *Gell.* 15, 24.

[VOLCEJĀNENSIS, vel Vulcianensis, e, et *F.*]

[VOLCEJĀNUS, vel Vulcejanus, a, um, et *F.*]

[VOLCENS, entis, et *F.*]

[VOLCENTĀNUS, a, um, adj. ad Volcejos, seu Volcentum pertinens, urbem mediterraneam Lucaniae prope Tangrum fluv., nunc *Buccino* appellatam, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 447, 1. M. Paccius M. F. Pom. Bassus augur, aedilis, II. Vir. Volceis, *h. e.* Volcejis; et *in alia* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 334. M. Sattius Rufinus Volceis. *Frontin. de colon.* p. 109. *Goes.* Praefecturae Ulcianensis (lege *Vulcianensis*), Paestana, Potentina. *Inscr.* ap. *Mur.* 1095, 5. Ordo populusque Volcejanus. *Alia* ap. *Grut.* 209, 2. Vulcejana civitas. Hinc *Volcentes, ium*, et *Volcentani, orum*, absolute, incolae illius urbis. *Liv.* 27, 15. Hirpini, et Lucani et Volscentes (lege *Lucani Volcentes*). *Plin.* 3, 11, 15. Lucanorum Grumentini, Potentini, Volcentani. *F.*]

VOLCENTĪNUS. V. VULCENTĀNUS.

VOLĒMĂ, orum, n. plur. pira praegrandia. Secundum *Serv.* in *A.* 3, 233. dicta sunt a *vola*, eo quod volam impleant, *Id.* in *G.* 2, 88. pira volema interpretatur magna, *h. e.* quae in Graecis *χειροπληθέα* sunt. Sed addit *volema pira* lingua Gallica bona, et grandia dici. Quod si est, non e Latio vox est arcessenda, sed ex Gallia Cisalpina, quae saepe Gallia absolute dicitur. *Virg. G.* 2, 88. nec surculus idem Crustumiis, Syriisque piris, gravibusque volemis. *Cato R. R.* 7. Pira volema, Aniciana, et sementiva. Adde *Colum.* 5, 10. *med.* et 12, 10. ℙ In sing. num. *Cloatius* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. *f.* Pirum Turranianum, praecox, volemum, etc.

VOLENS, entis, part. a *volo*, *vis: ἑκών*, sponte, et non invitus aliquid faciens, libenter faciens. *Vell.* 2, 62. Pecunias etiam a volentibus acceperant. *Virg. A.* 10, 676. vos o potius miserescite venti: In rupes et saxa (volens vos Turnus adoro) Ferte ratem. *Macr. Sat.* 1, 7. *med.* Facite, si volentibus vobis erit, diem communibus et fabulis, et epulis exigamus. *Ov. Met.* 2, 128. de equis Solis: Sponte sua properant: labor est inhibere volentes; et *Virg. G.* 3, 129. Ipse autem macie tenuant armenta volentes; et *Sen. ep.* 107. *f.* Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. *Liv.* 7, 26. Si Divus, si Diva esset, qui sibi praepetem misisset, volens, propitius adesset, *h. e.* benevolus, favens. Sic *Sall. Jug.* 17. Virtute, ac Diis volentibus magni estis, et opulenti; et *ib.* 111. Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens, *h. e.* benevolus, amicus, et qui vellet omnia ejus causa, cui munificus esset. Largitio enim ipsius causa facta, qui largiretur, ignota erat. ℙ *Volentia alicui* dicuntur, quae grata, accepta, jucundaque sunt. *Tac. H.* 3, 52. Muciano volentia rescripsere. *Sall. Jug.* 76. Litteris, quae de Metello ac Mario missae erant, cognitis volentia de ambobus acceperant. Alii leg. *volenti animo de ambobus acce*

perant. *Id. H.* 4. ap. *Non.* 2, 900. Volentia plebi facere.

VOLENTER, adv. voluntarie, libenter. *Appul. Met.* 6. Perrexit Psyche volenter.

VOLENTIA, ae, f. *βούλησις*, idem quod voluntas, favor. *Appul. Met.* 11. Mea volentia fretus. *Solin.* 36. Volentia resistendi prompta.

[VOLERO, onis, m. praenomen R. plebejae gentis Publiliae seu Publiliae proprium. *Auct. Epit. de nomin. rat.* Volero in praenomen abiit, et volentibus nasci liberis parentibus indebatur. Quo usus est Publilius Philo. Hinc in *N. Framm. de' fast. cons.* T. 2. editis a *B. Borghesio*, Voler. Publilius P. F. Voler. N. Philo, est unus ex tribunis mil. consulari potestate ann. U. C. CCCLV., quem *Liv.* 5, 13. Voleronem Publilium appellat, cujusque avum eodem praenomine nominat *Id.* 2, 55. *F.*]

[VOLESUS, et Volusus, i, m. cogn. R. patriciae gentis Valeriae seu Valesiae proprium. V. *B. Borghes.* in *N. Framm. de' fast. cons.* T. 1. p. 45. et sqq. *Inscr.* ap. *Grut.* 6, 5. P. Valesius Volesi F. Poplicola; et 97, 2. P. Valesius Volusi F. Poplicola. *Juven.* 8, 18. et quae Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt? *h. e.* Valerios et Junios, quorum cognomina fuerunt Volesus et Brutus. *Sil.* 2, 8. Poplicola, ingentis Volesi Spartana propago, *h. e.* P. Valerius Volesi F. Poplicola, cujus patrem oriundum ex Sabinis, qui originem ducunt a Spartanis, cum Tatio Sabinorum rege Romam venisse, narrat *Dionys. Halic. l.* 2. *c.* 46. *Inscr.* ap. *Grut.* 290. C. Valerius L. F. Vol. N. Potitus Volusus, qui trib. mil. consul. potestate fuit ann. U. C. CCCXXXIX., deinde consul ann. CCCXLIV., tum iterum trib. mil. consul. pot. ann. CCCXLVII. et CCCL. ℙ Sunt qui falso putant, *Volesum* esse praenomen, propterea quod legitur in nummo gentis Valeriae ap. *Morell. Numism. Fam. R. tab.* 2. *n.* 7. et 8. et ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5 p. 334. Volusus Valer. Messal. III. Vir A. A. A. F. F. At hic *Volusus*, licet cognomen fuerit, loco tamen praenominis usurpatum est ea de causa, quam attulimus in COGNOMEN: etenim hujus viri nomina fuerunt L. Valerius Messala Volusus, ideoque in *Inscr.* ap. *Grut.* 883, 15. et in alia ap. *eund.* 1083, 8. appellatur L. Valerius Volesus, Cos. una cum Cn. Cornelio Cinna ann. a Chr. n. V.; idemque deinde proconsul Asiae fuit, atque a *Tac. A.* 3, 68. *Volesus Messala*, et a *Sen. Ira* 2, 5. *Volesus* tantum nominatur. ℙ *Volusus* est etiam nomen proprium unius e ducibus Volscorum, ap. *Virg. A.* 11, 463. Tu Voluse, armari Volscorum edice maniplis. *F.*]

VOLGIOLUS, i, m. rusticum instrumentum. V. VALGIUM.

VOLITATUS, us, m. idem ac volatus: est a *volito*, ut a *volo* est volatus. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 223. Ecce repens oritur variante fragore procella, Stridula sidereo volitatu, et multa tumultu. *F.*]

VOLITO, as, n. l. *ἀναπέτομαι*, frequenter volo. *Cic. Or.* 2, 6. de avib. Easdem autem, cum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare. *Id. N. D.* 1, 20. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum. ℙ Translate ponitur pro discurrere, hac atque illac currere, vagari. *Cic. Or.* 1, 38. Volitare in foro. *Id. Agr.* 2, 22. Volitat enim ante oculos istorum Jubae regis filius, adolescens minus bene nummatus, quam bene capillatus. *Id. Phil.* 11, 2. *f.* Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex. *Id. Dom.* 19. Cum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares. ℙ Item pro libere agere, relaxari. *Id. Or.* 2, 6. Sic nosri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi gestiunt, ac volitare cupiunt vacui cura atque labore. ℙ Item pro animos altos gerere, efferri, magna aggredi. *Id. Pis.* 25. Valebis apud hominem volitantem gloriae cupiditate vir moderatus et constans. *Mart.* 1, 4. Aetherias, lascive, cupis volitare per auras: 1, fuge, sed poteras tutior esse domi. ℙ Item pro celebrari, laudari, nominari. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 15. Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu Faxit. Quur? volito vivu' per ora virum. ℙ Item pro molestum esse, jactare sese, efferri. *Cic. Fl.* 16. Nunc vero non insultabo vehementius, nec volitabo in hoc insolentius.

VOLO, as, avi, atum, n. l. *πέτομαι*, per aerem feror: proprium alas habentium. *Prop.* 2, 23, 20. Denique ut ad Trojae tecta volarit avis. *Cic. Phil.* 10, 5. Ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est, quem nisi in via caducae hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse diceres. *Pl. Poen.* 4, 2, 49. Sine pennis volare haud facile est: proverb. et *Ps.* 3, 2, 52. Volare in coelum. *Lucr.* 1, 1062. in coeli templa. *Ov. A. Am.* 2, 69. de Daedalo: Jamque volaturus parvo dedit oscula nato. *Virg. A.* 1, 304. volat ille per aera magnum Remigio alarum. *Id. G.* 1, 364. altam supra volat ardea nubem. *Id. A.* 4, 184. Nocte volat coeli medio, terraeque; et *ib.* 254. avis volat circum litora. *Ov. Art. Am.* 1, 96. de apibus: nactae Pascua, per flores, et thyma summa volant. *Juven.* 8, 251. corvi ad Cimbros, stragemque volabant. ℙ Varias in avibus volandi rationes accurate persequitur *Plin.* 10, 38, 54. ℙ De aliis rebus, quae per aera sine alis feruntur. *Lucr.* 2, 213. Transversosque volare per imbres fulmina cernis. *Virg. A.* 7, 466. volat vapor ater ad auras. *Sall. Jug.* 64. Strepitus armorum ad coelum ferri: tela utrinque volare. *Liv.* 26, 44. *med.* Ingens vis telorum e muris volabat. *Virg. A.* 9, 699. volat hasta per aera; et *ib.* 12, 596. ignes ad tecta volare. *Id. G.* 3, 201. ventus volat. *Ov. Trist.* 3, 3, 61. morte carens vacuam vola altus in auram Spiritus. ℙ Est etiam celeriter ire instar volantis. *Pl. Pers.* 2, 2, 17. I sane, vola curriculo. *Ov. Met.* 10, 587. passu volat alite virgo. *Virg. G.* 3, 107. volat vi fervidus axis. *Id. A.* 5, 819. per summa levis volat aequora curru; et *ib.* 7, 808. Illa vel intactae segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas; et *ib.* 12, 650. medios volat ecce per hostes Vectus equo spumante Saces. *Val. Fl.* 6, 631. Ille volat campis, immensaque funera miscet. *Ov. Her.* 6, 65. Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo: Illa volat. *Val. Fl.* 1, 741. volat ille mari, *h. e.* celeriter navigat. *Catull.* 4, 4. Phaselus palmulis, sive linteo volat. *Hor. Epod.* 16, 40. Etrusca praeter et volate litora. ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 4, 407. Ast Erebi virgo ditem volat aethere Memphim Praecipere, et Pharia venientem pellere terra. ℙ Illa quoque commode translata sunt. *Cic. Att.* 2, 19. *med.* Litterae Capuam ad Pompejum volare dicebantur, *h. e.* crebro et cito perferri. *Petr. Sat.* 137. *extr.* Volabant inter haec potiones meracae, *h. e.* crebra circumferebantur pocula. *Cic. Tusc.* 1, 31. *med.* Veniet tempus, et quidem celeriter: volat enim aetas. *Sen. Hipp.* 1141. Volat ambiguis mobilis alis hora. *Virg. A.* 3, 121. Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem. *Hor. Ep.* 1, 18, 71. Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

VOLO, vis, vult, volui, a. anom. *βούλομαι, θέλω*, voluntas mihi est, opto, studeo. V. etymon verbi in VOLTUMNA. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. *med.* Velit, nolit, scire difficile est; et *Plin. Pan.* 20. Praeterea futuri principes, velint, nolint, sciant, etc. et *Cic. Cluent.* 66. *med.* Nihil est enim mali, quod illa non ab initio filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit. *Tibull.* 4, 13, 21. Jam faciam quodcumque voles: tuus usque manebo. *Juven.* 6, 222. Hoc volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas. *Pl. As.* 1, 2, 25. Hic ante ostium meo modo loquar, quae volam. *Cic. Lig.* 4. *med.* Qui cum a te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam. *Id. Att.* 14, 7. Volo mense Quintili in Graeciam: subaudi *proficisci*. *Id. Brut.* 56. Idem Stoicus esse voluit: orator nec studuit unquam, nec fuit; et *fragm.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Visne ea, quae restant, in illis alnorum umbraculis prosequamur? *Id. Brut.* 84. Volo, hoc oratori contingat, ut, etc. *Catull.* 61, 216. Torquatus, volo, parvulus Matris e gremio suae Dulce rideat ad patrem. *Virg. Ecl.* 3, 28. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim Experiamur? *Ter. Eun.* 5, 9, 24. Quid vis faciam? *Cic. Vatin.* 7. Volo, uti mihi respondeas, num, etc. ℙ *Te volo* interdum est volo te convenire, tecum colloqui. *Pl. Capt.* 5, 2, 24. Philocrates, per tuum te ingenium obsecro, exi: te volo. *Ter. Andr.* 1, 1, 2. Sosia adesdum: paucis te volo; et 5, 3, 1. Quis me vult? *Cicero* integre locutus est *Att.* 10, 16. *med.* Centuriones trium cohortium me velle postridie convenire. Alii tamen plerique v. *convenire* omittunt. ℙ *Si quid me vis*, si quid me vis facere, si aliquid a me vis. *Pl. Aul.* 2, 2, 32. Redeo ad te, Megadore, si quid me vis. *Id. Asin.* 1, 1, 75. Nunc verba in pauca conferam, quid te velim. *Caes. B. G.* 1, 24. Si quid ille se velit, illum ad se venire oportere. *Ter. Andr.* 1, 1, 18. Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis. ℙ *Velim* frequenter pro *vellem*, aut *volo* ponitur. *Cic. Fam.* 15, 3. *f.* Tu, velim, ut consuesti, nos absentes diligas, et defendas. *Pl. Truc.* 2, 5, 28. Nunc ecastor, ut veniret miles, velim. ℙ *Volo*, bene cupio, opto, *desidero*: praesertim cum *tua*, aut *ejus causa* additur. *Cic. Manil.* 16. *f.* Quod ut illi proprium ac perpetuum sit, cum communis salutis, tum ipsius hominis causa velle et optare debetis. *Id. Fam.* 12, 19. Eam rem tibi volo bene, et feliciter evenire; et *ib.* 13, 22. Varro magnopere ejus causa vult omnia; et *ib.* 16, 17. *extr.* Cuspio quod operam dedisti, valde gratum est. Valde enim ejus causa volo; et *ib.* 13, 71. Etsi omnium causa, quos commendo, velle debeo, tamen cum omnibus non eadem mihi causa est. *Sen. Ben.* 6, 11. *f.* Et volam illi aliquid praestare: nam et ille voluit mihi. ℙ *Bene* aut *male alicui velle*, bona aut mala cupere, amare aut odisse. *Ter. Heaut.* 5, 2, 6. Tibi bene ex animo volo. *Pl. Ps.* 1, 3, 4. Jamdiu ego huic, et hic mihi volumus bene, et amicitia est antiqua. *Id. Trin.* 2, 4, 36. Quid agit filius? *Phil.* bene vult tibi. *Stas.* Nequam illud verbum est, bene vult, nisi qui bene facit. *Id. As.* 5, 1, 13. Utinam male qui mihi volunt, sic rideant. *Petr. fragm. Tragur.* 38. *Burm. med.* Est tamen sub alapa, et non sibi male vult, i. e. genio indulget. ℙ *Factum volo*, cupio feliciter evenire. *Ter. Ad.* 5, 7, 19. Dii tibi bene faciant, cum te video nostrae familiae tam ex animo factum velle. *Gell.* 7, 3. *med.* Cum et utiles essent, et vellent regi esse factum. *Pl. As.* 3, 3, 94. Da mihi istas viginti minas. *Lib.* videbitur: factum volo. ℙ *Vellem*, et *velim quae velles*, formula qua significamus aegre esse nobis, quod alteri male sit, et optare, ut feliciter ei succedat. *Id. Most.* 3, 2, 53. Velim, ut velles, Tranio. *Sen. ep.* 67. *f.* Aspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admoventem, et vulnera parum demissa laxantem; utrum illi dicturus es, Vellem quae velles; et, Moleste fero; an, Feliciter quod agis. ℙ *Quam vellem!* aut *velim!* magnopere optantis. *Ter. Ad.* 4, 1, 16. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari! Ubi *Donatus:* Proprie dicimus in his, quae non videmus fieri. *Cic. Att.* 14, 15. *extr.* Quam velim, Bruto persuadeas, ut Asturae sit! *Id. Fin.* 3, 3. Quam vellem, te ad Stoicos inclinavisses! ℙ *Ut volo*, ex mei animi sententia, ex voto. *Cic. Off.* 1, 20. *extr.* Libertatis proprium est, sic vivere, ut velis. *Pers.* 5, 84. licet, ut volo, vivere, non sim Liberior Bruto? *Cic. Att.* 6, 7. Confido rem, ut volumus, esse. *Ter. Andr.* 4, 5, 10. Ut quimus, quando, ut volumus, non licet. *Pl. Most.* 3, 2, 47. Nos profecto probe, ut voluimus, viximus. ℙ Ad *velle* pro cupere pertinent etiam illa, quibus impetus quidam volendi, et ardenter optandi significatur. *Virg. A.* 7, 340. Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus. *Val. Fl.* 1, 67. nunc aerii plantaria vellet Perseos. *Stat. Th.* 3, 664. Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti Obvius ire pares. *Sil.* 13, 318. Ne flammam taedasque velint. ℙ *Velle alicui aliquid*, cupere, aut parare. *Stat. Th.* 11, 509. Hasta subit velox equitis femur inter equique Ilia, letum utrique volens. Adde *Cic. Cluent.* supra allatum. ℙ *Velle*, *optare*, *cupere*, idem fere sunt: *cupere* tamen aliquid plus valet, nempe praeter voluntatem, conatum etiam et operam. *Ov. Pont.* 3, 1, 34. Invenies, vere si reperire voles. Velle parum est: cupias, ut re potiaris, oportet: Et faciat somnos haec tibi cura leves. Velle reor multos, quis enim mihi tam sit iniquus, Optet ut exsilium pace carere meum? ℙ *Quid sibi vult*, quid significat. *Cic. Leg.* 3, 14. *extr.* Nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista vellent. *Id. Verr.* 2, 2, 61. Quid ergo illae sibi statuae equestres inauratae volunt? ℙ Alio sensu. *Ter. Andr.* 2, 3, 1. Quid sibi volt pater? cur simulat? *h. e.* quid parat, molitur, quaerit? ℙ Interdum *velle* redundat, sed cum quadam elegantia. *Tibull.* 1, 5, 50. Et manibus canas fingere velle comas. *Id.* 3, 4, 4. Desinite in vobis quaerere velle fidem. *Ov. Fast.* 2, 262. et audes Fatidicum verbis fallere velle Deum? et *Am.* 1, 4, 38. Oscula praecipue nulla dedisse velis. *Phaedr.* 1, 29. et quaerit, cur sic mentiri velit. *Cato R. R.* 5. Villicus ne quid emisse velit insciente domino, neu quid dominum celavisse velit. *Petr. Sat.* 98. Si Gitonem tuum amas, incipe velle servare. ℙ *Velle* dicitur populus, cum leges sibi latas probat: itaque sic rogatur: *Velitis*, *jubeatis*, *Quirites? Liv.* 38, 54. Velitis, jubeatis, Quirites, quae pecunia capta, ablata est, uti de ea re Ser. Sulpicius praetor Urbis ad senatum referat, etc.? Adde 21, 19., 22, 10., 31, 6., *Cic. Dom.* 17. et *Pis.* 29. ℙ *Velle* saepe loco substantivi nominis adhibetur, addito pronomine possessivo, apud sequioris praesertim aevi scriptores, unde Itali suum *il volere* nunc habent. *August. de divers. quaest.* 1, 10. Nihil valet velle nostrum, nisi, ut perticiamus, adjuvet Deus. [*Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1. Meum velle id exigit. *F.*] ℙ *Volim* pro *velim* proferebant antiqui. Cicero in II. de natura Deorum: Quo facilius id, quod docere volimus, intelligi possit. Haec *Prisc.* 9, 848. Locus autem *Cicer.* est *c.* 32. ubi nunc plerique omnes leg. *volumus*, quidam *velimus*. ℙ Etiam *volt*, et *voltis* pro *vult;* et *vultis* dixere: et legitur ap. *Plaut.* et alios saepe. Ejusdem generis sunt *volgus*, *volnus*, *Volcanus*, *volsus*, *voltus*, etc., in quibus e duabus *u* illa, quae est vocalis, in *o* mutatur: itaque legitur in MSS. etiam *Horatii*, *Virgilii*, etc., et in quibusd. Lapidib. *Quint.* 1, 7. *med.* Nostri praeceptores *cervom*, *servomque*, *u* et *o* litteris scripserunt, etc. nunc *u* gemina scribuntur. ℙ Part. *Volens* V. supra s. l.

*VOLOGESOCERTA, ae, Babyloniae urbs, a Vologeso Parthorum rege condita. *Plin.* 6, 26. ℙ *Vologessia* audit *Ammian.* 23, 20. Hodiernum nomen *Nemrut. B. A.*

*VOLOGESUS, i, m. Parthorum rex, Vononis filius. *Sueton. Ner.* 57. *Vesp.* 6. et *Domit.* 2. *Plin.* 6, 26. ℙ *Vologeses* audit *Tac. A.* 12, 14, 44, 50., etc. *B. A.*

VOLONES, um, m. plur. servi Romanorum, qui post Cannensem cladem voluntarie militiam susceperunt: a *volendo*. *Macr. Sat.* 1, 11. *med.* Bello Punico, cum deessent qui scriberentur, servi pro dominis pugnaturos se polliciti, in civitatem recepti sunt, et volones, quia sponte hoc voluerunt, appellati. *Fest.* Volones dicti sunt milites, qui post Cannensem cladem, usque ad octo millia, cum essent servi, voluntarie se ad militiam obtulerunt. *Liv.* 23, 35. Ut tirones (ea maxima pars volonum erat) discerent signa sequi. V. *eund.* 22, 57. *f.* et *Macr. l. c.*, ubi et aliarum nationum exempla refert, quae

volonum opera in bello usae sunt. V. *Capitol. l. c.* in VOLUNTARIUS.

VOLPES. V. VULPES.

VOLSCE, adv. Volscorum more. *Titin.* ap. *Fest.* in *Oscum:* Osce, et Volsce fabulantur: nam Latine nesciunt.

VOLSCI, orum, m. plur. pop. Latii, ubi hodie pars Orientalis Campaniae Romanae. Ab Occ. habebant Rutulos, et Latinos; ab Or. Samnites et Campanos; a Sept. Aequos, Hernicos, et Marsos; a Mer. mare Tyrrhenum. Eorum caput fuit Anxur, sive Terracina. *Virg. G.* 2, 168. Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos. ℙ Adj. *Id. A.* 7, 803. Volsca de gente Camilla. *Liv.* 10, 1. Volscus ager.

VOLSCĪNUS. V. VULCINUS.

VOLSELLÀ et Vulsella, ae, f. τριχολαβὶς, instrumentum pilis e corpore radicitus evellendis idoneum: item ad varios chirurgorum usus: a supino *volsum* aut *vulsum* verbi *vello. Mart.* 9, 28. Purgentque saevae cana labra volsellae. Adde *Pl. Curc.* 4, 4, 21. De chirurgis. *Cels.* 7, 12. *n.* 1. Specillo conquirenda est testa, quae recessit, et vulsella protrahenda est; et 6, 18. *n.* 3. Orae cutis vulsella prehendendae, tum quidquid corruptum est, excidendum. ℙ Translate. *Varr. L. L.* 8, 26. Pugnare volsellis, non gladio, *h. e.* leviter, et parum damni inferendo.

VOLSGRAM, avem, quae se vellit: augures hanc eandem fecilitram appellant. *Festus.* Alii pro *fecilitram* leg. *fulicitram* a *fulica.*

VOLSINIENSIS et Vulsiniensis, e, adj. ad Volsinios, aut Vulsinios pertinens, quod est oppidum Etruriae, nunc *Bolsena*, ad radices collis, in via, quae Romam Etruriam ducit: ubi primum inventas esse molas versatiles *Plin.* scribit 36, 18, 29. Hinc Volsiniensis ager, *Liv.* 5, 32. provincia, *ib.* Et Vulsiniensis lacus, qui ad illud oppidum est, *lago di Bolsena*, figura fere rotunda, circuitu M. pass. circiter XXII., in quo et duae insulae sunt, Martana, et Bisentina. *Plin.* 36, 22, 49. et *Colum.* 8, 16. ℙ Oppidi mentio fit ab *eod. Plin.* 2, 52, 53. et *ib.* 53, 54., *Liv.* 10, 37. et 27, 23. et *Juven.* 3, 191. ℙ *Volsinienses*, *ium*, ejus oppidi cives. *Li. l. c.* et 7, 3. et *Plin.* 3, 5, 8.

VOLSUS. V. VULSUS.

[VOLTÀ, ae, f. ignoti monstri nomen ap. *Plin.* 2, 53, 54. Vetus fama Etruriae est, impetratum fulmen, Volsinios urbem, agris depopulatis, subeunte monstro, quod vocavere voltam. *Volam* Tusci terram vocabant, inde *volta* fortasse terrigena est bellua. V. VOLATICA. *F.*]

VOLTINIÀ seu Volsinia, ae, f. tribus Romana, una ex rusticis: quo loco constituta fuerit, et a quo dicta, ignoratur ab eruditis. Qui *Volsinia* legunt, putant appellatam a Volsinio oppido. Ejus meminit *Cic. Planc.* 16. et 17. *Inscr.* ap. *Grut.* 418, 3. L. Helvio L. Filio Voltin. Frugi, etc. *Alia* ap. *eund.* 48, 11. P. Apulejus P. F. Vol. Paternus, etc.

VOLTINIENSES, ium, m. plur. cives tribus Voltiniae. *Cic. Planc.* 17.

VOLTUM. V. VULTUS.

VOLTUMNÀ aut Volturnae Fanum, locus Etruriae apud Ciminum montem, prope recentiorem urbem, quae nunc *Viterbo* appellatur. Sunt qui Massam esse velint, urbem in Senensi ditione, inter Senas et Populoniam. [Vox autem videtur esse a verbo βούλομαι, vel antiquiore βόλω, unde Latinorum *volo;* hinc ὁ βολευὴς pro βουλευτὴς, consultor, unde Etrusce contractum in *vultu* seu *voltu* cum terminatione *mna* ex Dorico ἦμεναι pro εἶναι, esse, ut in *Picumnus*, *Pilumnus*, *Vertumnus:* eo quod, ut narrat *Liv.* 4, 23, 25. et 61., ad Voltumnae fanum duodecim omnis Etruriae populorum indici soleret de rebus publicis consultandis concilium. *F.*]

VOLTURNUS. V. VULTURNUS.

VOLVÀ, ae, f. χοῖλον, involucrum fetus in utero, seu vulva: a *volvendo. Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur, ac remanserunt in volvis intimis: vocant χοῖλον: a quo chordi appellati. ℙ Item involucrum fungorum, quale est album illud, quo boleti integuntur. *Plin.* 22, 22, 46. Volvam terra prius gignit, ipsum (*boletum*) postea in volva, ceu in ovo est luteum. ℙ et quorundam pomorum. *Scrib. Comp.* 104. *f.* Felorides, volva pomorum, sorba, mala orbiculata, etc. *Rhodius* in *Lex.* adscribit, a quibusdam putari esse pomi medium, ubi semina continentur: ab aliis pro *volva pomorum* legi *volema.*

*VOLUBĪLE, is, oppidum Mauritaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 1. ℙ *Volubilis* audit *Melae* 3, 10. et *Anton Itin. B. A.*

VOLŪBĪLIS, e, adj. εὐστροφος, ἑλιτροχος, ἑλικὸς, qui facile volvitur, fluit, et circumagitur. *Virg. A.* 7, 382. Impubesque manus mirata volubile buxum, *h. e.* trochum. *Cic. Univ.* 6. *f.* et *Lucan.* 6, 447. Volubile coelum. *Prud. Cath praef.* 3. Sol volubilis. *Cic. N. D.* 2, 17. *med.* Volubilis et rotundus Deus. *Ov. Met.* 3, 41. de angue; Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus. *Plin.* 11, 23, 27. de bombycib. Lanuginem foliorum ab his cogi: postea apprehensam corpori involvi nido volubili, *h. e.* ovalis figurae, et facilis volvendo. *Lucr.* 3, 190. movetur aqua et tantillo momine fluctuat, Quippe volubilibus, parvisque creata figuris; et 2, 454. Et procursus item in proclive volubilis exstat. *Hor. Ep.* 1, 2, 42. amnis Labitur, et labetur in omne volubilis aevum. *Ov. Her.* 20, 209. et 10. *Met.* 667. Aurum volubile, *h. e.* malum aureum. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. de electro: In litora expellitur, ita volubile, ut pendere videatur. *Appul. Met.* 2. Pila volubilis. *Arnob.* 5, 169. Volubiles rotulae. ℙ Translate. *Cic. Mil.* 26. Vide, quam sit varia commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna. *Plin. ep.* 4, 24. Quod potest esse documento, nihil desperare, nulli rei fidere: cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi. ℙ *Oratio volubilis* est copiosa, fusa, concitata, et simul facile fluens. *Cic. Brut.* 28. Appii Claudii volubilis, sed paulo fervidior erat oratio. *Auct. ad Her.* 3, 14. Cum contendere oportebit, vocem quoque adaugere, et celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio consequi possit. *Gell.* 11, 13. Cursus hic, et sonus rotundae volubilisque sententiae eximie nos et unico delectabat. ℙ *Volubilis* is quoque dicitur, qui tali oratione utitur. *Cic. Brut.* 27. Canorum oratorem et volubilem, et satis acrem, atque eundem et vehementem, et valde dulcem, et perfacetum esse dicebat. *Id. Flacc.* 20. *f.* Cum se homo volubilis quadam praecipiti celeritate dicendi illa oratione jactaret. *Id. fr.* ap. *Prisc.* 3, 617. Etenim est ad Lucii Crassi eloquentiam gravis, et vehemens, et volubilis.

VOLŪBĪLĪTAS, atis, f. εὐτροχία, τὸ εὔστροφον, aptitudo ad volvendum, facilitas, qua aliquid movetur. *Cic. N. D.* 2, 19. Mundi volubilitas, quae nisi in globosa forma esse non posset. [**Id. Univ.* 10. Deus coelum ad volubilitatem retundavit.] ℙ Item rotunda, aut ovalis figura, qua aliquid volubile est. *Ov. Fast.* 6, 269. Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa, Aere subjecto tam grave pendet onus. Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem. *Id. Met.* 12, 433. Phonoleniden a summo vertice fregit: Fracta volubilitas capitis latissima. *Cic. Fat.* 19. Qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit. ℙ Translate sumitur pro inconstantia. *Id. Div.* 2, 6. Quomodo ergo id, quod temere fit, caeco casu, et volubilitate fortunae, praesentiri et praedici potest! ℙ Item pro promptitudine dicendi cum verborum copia conjuncta. *Id. Planc.* 25. *med.* Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguae volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. *Id. Or.* 1, 5. Verborum volubilitas, *h. e.* copia, apta connexio, et facilitas. *Plin. ep.* 5, 20. Mos est plerisque Graecorum, ut illis sit pro copia (*rerum*) volubilitas: tam longas, tamque frigidas periodos uno spiritu, tanquam torrente, contorquent. *Quint.* 10, 1. Nobis copia (*verborum*) cum judicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus.

VOLŪBĪLĪTER, adv. εὐστρόφως, cum volubilitate, varie, copiose, et facile. *Cic. Or.* 62. Saepe etiam in amplificanda re, concessu omnium, funditur numerose et volubiliter oratio. [**Ergiesst sich die Rede in Schwung und rhythmischen Wohlklang. Schütz. cl. Cic.* s. h. v.]

VOLŪCER, cris, cre, adj. πετεινὸς, πτερόεις, volans, volatilis: et proprie de alatis dicitur: a *volo, as. Cic. N. D.* 1, 36. *med.* Volucres angues ex vastitate Libyae vento Africo invectae. *Id. Tusc.* 5, 13. Alias bestias nantes aquarum incolas natura esse voluit: alias volucres coelo frui libero. *Ov. Met.* 7, 770. volucri non segnius alite ludit. *Tibull.* 4, 1, 209. Sive ego per liquidum volucri vehar aera penna. *Stat. Theb.* 2, 55. Volucer Deus, *h. e.* Mercurius, de quo *Ov. Fast.* 5, 88. Aetherium volucri qui pede carpit iter. *Ov. Met.* 5, 301. Volucris turba, *h. e.* aves. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Meum erat, eas novisse volucres, etc. *h. e* apes. *Prop.* 1, 20, 30 Volucres insidiae, *h. e.* quas tendebant Hylae Zethes et Caleis Boreae filii alati. ℙ De iis quae alata non sunt, et per aera feruntur. *Virg. G.* 2, 217. tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres. *Id. A.* 5, 242. Noto citius, volucrique sagitta; et *ib.* 544. volucris arundo, *h. e.* sagitta; quae ab *Ov.* dicitur *Trist.* 3, 10, 64. et a *Plin.* 34, 14, 39. volucre ferrum. *Virg. A.* 11, 795. Volucres aurae. *Ov. Am.* 2, 11, 33. procellae. ℙ Universim velox, citus. *Virg. A.* 1, 321. volucremque fuga praevertitur Hebrum. *Mart. Spect.* 15. Et volucrem longo porrexit vulnere pardum. *Ov. Met.* 2, 154. Volucres equi; et *ib.* 7, 460. volucri freta classe pererrat. *Virg. A.* 2, 794. Par levibus ventis, volucrique simillima somno. *Hor. Od.* 1, 34, 7. per purum tonantes Egit equos, volucremque currum. *Id. ib.* 3, 28, 6. Volucris dies. *Cic. Div.* 1, 12. Astrorum volucres motus. *Id. Quint.* 25. *f.* O nuntium volucrem! Administri Sex. Naevii Roma trans Alpes biduo veniunt. *Id. Planc.* 23. *f.* Nihil est tam volucre, quam maledictum: nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. *Id. Sull.* 33. O falsam spem! o volucrem fortunam! *Ov. Her.* 17, 207. Non ita contemno volucris praeconia Famae. *Auct. dial. de Or,* 9. *med.* Volucre gaudium. ℙ *Volucer* in femin. gen. *Petr. Sat.* 123. *med.* Interea volucer motis conterrita pennis Fama volat. V. ACER. ℙ *Volucris* in recto masculino. *Sil.* 10, 471. cum rapta volucris Transigeret cursu sonipes certamina campi. Est qui leg. *volucri.* ℙ *Volucris*, absolute, avis, ὄρνις. Quomodo ab *ales* et *avis* differat, in his vocibus dictum est. Aliquando usurpatur in masc. gen., saepius in feminino. *Cic.* vertens *Homeri* locum. *Div.* 2, 30. Hunc ubi tam teneros volucres matremque peremit, etc. *Id. Or.* 2, 6. Volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa construere nidos. *Ov. Met.* 13, 607. Et primo similis volucri, mox vera volucris. *Id. Met.* 15, 385. et *Med. fac.* 33. Junonia volucris, *h. e.* pavo. *Suet. Aug.* 13. Suppliciter sepulturam precanti respondisse dicitur jam istam in volucrum fore potestatem, *h. e.* vulturum Sic *Propert.* 2, 16, 31. Tityi volucres; et *ib.* 5 Attica volucris funesta, *h. e.* Philomela, vel Progne. *Mart.* 13, 45. Libyca, *h. e.* gallina Africana, seu Numidica: quam *Petr.* dicit *Sat.* 93. Afram volucrem. *Stat. Silv.* 5, 3, 82. Tyrrhenae volucres, *h. e.* Sirenes. Sic *Coripp. Laud. Just.* 1, 199. Exactam primi noctem sensere volucres, Et laetum cecinere diem. *Lucan.* 6, 129. Tot simul e campis Latiae fulsere volucres, *h. e.* aquilae, signa legionum. *Sil.* 14, 22. Et matutini cantus volucrum. ℙ *Volucer* fuit nomen proprium equi, a velocitate fortasse illi inditum, quem praecipue dilexit L. Verus Aug. *Capitol. Ver.* 6. Volucri, equo Prasino, aureum, simulacrum fecerat, quod secum portabat, etc., cui mortuo sepulcrum in Vaticano fecit. ℙ Etiam calicem eodem nomine in ejusdem equi honorem nuncupavit idem Augustus. *Id. ib.* 10. Habuit inter alium luxuriae apparatum calicem crystallinum nomine Volucrem, ex ejus equi nomine, quem dilexit, humanae potionis modum supergressum. ℙ In genit plur. etiam *volucrium* dici potest. Dixit enim *Cic. de Finib.*, item *Fabian. natural. causar. l.* 2. et 3. teste *Charis.* 1, 119.

VOLUCRÀ, ae, f. genus animalis, quod aliis nominibus *volvox*, *convolvulus*, *involvulus* vocatur: a *volvendo.* V. CONVOLVULUS. *Colum. Arb* 15. Genus est animalis, volucra appellatur: id fere praerodit teneros adhuc pampinos, et uvas; quod ne fiat, falces, quibus vineam putaveris, peracta putatione sanguine ursino linito; vel, si pellem fibri habueris, in ipsa putatione, quoties falcem acueris, ea pelle aciem detergito. ℙ De eodem insecti genere loqui videtur. *Id.* 10, 332. Ex quibus (*imbribus pestiferis*) infestae Baccho, glaucisque salictis Nascuntur volucres; scil. volucrae, quae vitibus infestae, et *cerambyces moschati*, ut appellantur ab *Hist. natural.* scriptoribus, qui circa salicta versari solent.

VOLUCRĪPES, edis, adj. omn. gen. qui, vel quae volucri pede est, velox, celer. *Auson. ep.* 21, 14. Fer hanc salutem praepes, et volucripes Paulini ad usque moenia. Adde *Sidon. ep.* 9, 15. *in carmine.*

VOLUCRIS. V. VOLUCER.

[VOLUCRĪTAS, atis, f. volubilitas volucrium propria. *Fulg. Myth.* 2, 9. Philosophi vulturem in modum mundi posuerunt, quod mundus et celeri quadam volucritate versetur, et cadaverum nascentium, occidentiumque perennitate depascitur. *F.*]

VOLUCRĪTER, adv. velociter. *Ammian.* 17, 1. *f.* Volucriter congregati. *Id.* 29, 1. *med.* Nocentes innocentesque maligna insectatione volucriter perurgebat.

VOLVENS, entis, part. a *volvo*, δινῶν. *Virg. A.* 1, 238. Certe hinc Romanos olim volventibus annis, etc. *h. e.* vertentibus, se volventibus, et perpetuo cursu serieque succedentibus. *Id. G.* 2, 295. de aesculo: multosque per annos Multa virum volvens durando saecula vincit, *h. e.* temporis cursu se velut circumagens, et veluti cum eo se volvens. *Id. ib.* 1, 163. Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra, *h. e.* se volventia. Sic *Id. A.* 10, 362. saxa rotantia late Impulerat torrens, *h. e.* quae rotantur.

VOLŪMEN, inis, n. εἵλιξ, στροφὶς, quidquid in gyrum volvitur, flectitur, et simul procedit. *Virg. A.* 2, 208. de anguib. sinuantque immensa volumine terga; et *ib.* 5, 84. adytis cum lubricus anguis ab imis Septem ingens gyros, septena volumina traxit; et *ib.* 11, 753. Saucius at serpens sinuosa volumina versat. *Id. G.* 3, 191. de equo: Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare Compositis, sinuetque alterna volumina crurum. *Id. A.* 5, 407. de caestib. et pondus, et ipsa Huc illuc vinclorum immensa volumina versat. *Ov. Met.* 13, 601. nigrique volumina fumi Infecere diem. *Lucan.* 3, 505. nigri spatiosa volumina fumi. *Id.* 5, 565. longo per multa volumina tractu Aestuat unda minax. ℙ De circumactu sphaerarum coelestium. *Ov. Met.* 2, 71. assidua rapitur vertigine coelum, Sideraque alta trahit, celerique volumine versat. ℙ Translate. *Plin.* 7, 45, 46. In divo quoque Augusto magna sortis humanae reperiuntnr volumina, *h. e.* varii casus, et volubilitas fortunae. ℙ Saepe *volumen* est opus scriptum, syntagma, liber, βιβλίον, quia antiqui libros, id est cortices arborum, membranas, et hujusmodi, in quarum altera tantum parte fere scribe-

bant, quo commodius ferrent, convolvere solebant ad cylindri similitudinem, et umbilicis ornare. V. UMBILICUS, et *Tib.* 3, 1, 9. et sqq. Hinc dicimus *libros evolvere*, h. e. convolutos explicare lectitandi gratia. *Cic. Att.* 10, 10. Evolvi volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo, servoque diligentissime. Erat igitur in ea, quam X cal. Februar. dederas, hoc modo, etc. *Volumen* dicit, non quia singulae epistolae involutae clauderentur (hae enim plicabantur), sed quia multae cum essent, unum quasi corpus et librum simul compactae convolutaeque conficerent. *Plin.* 13, 11, 21. Publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici coepta, aut ceris, *h. e.* laminis plumbeis inscriptis, et convolutis. *Plin. jun. ep.* 3, 18. volumen appellat Panegyricum suum ad Trajanum. Adde *Hor. Ep.* 2, 1, 26., *Tibull.* 4, 1, 34., *Prop.* 2, 1, 6., *Mart.* 5, 78. Hinc illa ap. *Plin.* 14, 22, 28. Edere volumen de aliqua re; et 25, 1, 3. componere; et 6, 17, 20. condere; et 18, 7, 15. dicare laudibus ptisanae; et 12, 14; 31. scribere ad aliquem. ℙ Quos dicimus *libros*, h. e. partes, in quas opus aliquod dividitur, saepius *volumina* appellantur, quam *libri*. *Plin. ep.* 3, 5. Libri studiosi tres in sex volumina propter amplitudinem divisi. *Ov. Trist.* 3, 14, 19. Sunt quoque mutatae ter quinque volumina formae. *Rut. Itin.* 2, 1. Nondum longus erat, nec multa volumina passus, Jure suo poterat longior esse liber. *Just.* 1, 10. *extr.* Post haec Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur. *Colum.* 3, 21. *f.* Superest, ut praecipiamus cultus vinearum: de quibus sequenti volumine pluribus disseremus. *Plin.* 6, 29, 34. Haec est regio secundo volumine a nobis significata. Sic *Vitruv.* 7. *praef. extr.* Sexto volumine privatorum aedificiorum rationes perscripsi. *Quint.* 9, 4. *f.* Finem imponere egresso destinatum modum voluminis festino. Adde *Cels.* 7. *praef. extr.* ℙ Interdum *volumen* est totum ipsum opus, quod in libros dividitur. *Ulp. Dig.* 32, 1, 50. Si cui centum libri sint legati, centum volumina ei dabimus, non centum, quae quis ingenio suo metitus est: ut puta cum haberet Homerum totum in uno volumine, non quadraginta octo libros computamus, sed universum Homeri volumen pro libro accipiendum est. *Nep. praef. f.* Plura persequi magnitudo voluminis prohibet: quare in hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum. *Plin.* 3, 5, 9. Theophrastus in eo volumine, quod scripsit, etc. *h. e.* in opere de histor. plantar. quod in decem libros distribuitur. *Suet. Gr.* 2. Naevii Punicum bellum, quod unico volumine, et continenti scriptura expositum divisit in septem libros.

VOLUMINOSUS, a, um, adj. *Sidon. carm.* 9, 76. Angues corporibus voluminosis.

*VOLUMNIA, ae, f. uxor Coriolani. *Liv.* 2, 40. ℙ Volumnia, liberta Volumnii Eutrapeli, mimico nomine Cytheris. *Cic. Phil.* 2, 24. ℙ Volumniae cujusdam mentio facta apud *eund. Fam.* 14, 16. quem ad locum sic *Ernestus:* Non facile dixerim, utrum senatoris Volumnii, quocum magnus usus Ciceroni fuit, soror aut filia, an nota illa liberta fuerit. *B. A.*

VOLUMNIANUS, a, um, adj. ad Volumnium, *Οὐολούμνιον*, pertinens, nomen propr. R. civis; ut Volumnianus exercitus, ap. *Liv.* 10, 21. h. e. a. L. Volumnio ann. U. C. CCCCLVIII. iterum consule ductus.

VOLUMNUS, i, m. et Volumna, ae, f. Deus, et Dea Tuscorum, et Romanorum, quibus commendabantur nascentes, ut bona vellent, ap. *August. C. D.* 4, 21. Meminit et *Varro* ap. *Non.* 4, 335., ubi *Volumnius* legitur.

VOLUNTARIE, adv. *ἑκοντὶ, ἑκουσίως*, sponte, animo libenti, non coacto. *Arnob.* 2, 74. Ut nihil intersit, voluntarie venerint, an illius obtemperaverint jussioni. *Hyg. fab.* 41. Voluntarie se ad Minotaurum pollicitus est ire.

VOLUNTARIUS, a, um, adj. *ἑκὼν, ἑκούσιος, αὐτόματος*, qui sponte agit, ut *milites voluntarii*, qui sponte nomina dant, *auxilia voluntaria*, quae sponte dantur, *mors voluntaria*, quae sponte eligitur. *Caes. B. G.* 5, 54. Neque sic voluntariorum copias defore, si ex finibus suis progredi coepisset. *Capitol. M. Aurel.* 21. Servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos voluntarios, exemplo volonum, appellavit. *Inscr.* apud *Mur.* 1101, 1. Trib. Milit. Coh. XXXII. voluntariorum. *Cic. Fam.* 7, 3. *med.* Aut capiendus tanquam exsilio locus, aut consiscenda mors voluntaria. *Id. Fam.* 15, 4. Et populorum liberorum, regumque sociorum auxilia voluntaria comparavissem. *Liv.* 1, 59. Ferocissimus quisque juvenum cum armis voluntarius adest. *Cic. Sext.* 1. Eos, qui omnia divina et humana violarint, non solum alacres laetosque volitare, sed etiam voluntarios optimis civibus periculum moliri, *h. e.* ipsos ultro; et *Phil.* 13, 13. Est Asinius quidam, senator voluntarius, lectus ipse a se; et *Brut.* 4. *extr.* Voluntarius procurator, *h. e.* qui ultro se praebet. *Petr. Sat.* 107. Voluntaria lex, *h. e.* quam sibi aliquis sponte imposuit. *Just.* 5, 7. Atheniensium civitates voluntarias recepit, *h. e.*, ut ait *Tac. H.* 2, 45., voluntaria deditione. *Id. Just.* 2, 8. Voluntariis verberibus domi affectus. *Tac. G.* 24. Voluntariam servitutem adire. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 3. Nec minus voluntarius Junonis in urbem nostram transitus. *Auct. dial. de Or.* 41. Voluntariae accusationes. *Mart. Dig.* 1, 16, 2. Jurisdictio voluntaria, *h. e.* quae in volentes exercetur, et *contentiosae* opponitur. ℙ Per catachresim ponitur pro naturali, ut *herba voluntaria*, quae sua sponte nascitur, cui *sativa* opponitur. *Plin.* 20, 22, 90. de serpyllo: Sativum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit. Pinguius voluntarium, et candidioribus foliis.

VOLUNTAS, atis, f. *βουλὴ, θέλημα*, facultas, seu potentia, qua animus hominis bonum eligit atque amplectitur. *Cic. Tusc.* 4, 6. Natura enim omnes ea, quae bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem simul objecta species cujuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura, id cum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici *βούλησιν* appellant, nos appellamus voluntatem: eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt: Voluntas est, quae quid cum ratione desiderat. Quae autem adversus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis invenitur. Hactenus *Cicero. Id. Fam.* 1, 8. Veruntamen ipse me conformo ad ejus voluntatem, a quo honeste dissentire non possum. ℙ Aliquando ponitur pro intentione, proposito, sententia. *Id. Cat.* 3, 9. *med.* Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi. *Id. Lig.* 2. Profectio voluntatem habuit non turpem. *Id. Manil.* 16. *med.* Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, sociis obtemperarint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. ℙ Item pro amore, benevolentia, propensione in aliquem. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 6. Quod de sua erga Caesarem voluntate humanissime diligentissimeque locutus esses. *Id. Fam.* 5, 2. Timuissent, ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuae tribueretur. *Id. Lig.* 2. *f.* Nullum habes signum alienae a te voluntatis. *Nep. Dat.* 5. *extr.* Qua voluntate esset in rege, celans. ℙ Item pro favore, studio. *Ter. Phorm. prol.* 29. Voluntas vestra si ad poetam accesserit. *Cic. Rab. perd.* 3. Cum tanto studio C. Rabirius totius Apuliae, singulari voluntate Campaniae vicinitatis ornetur. ℙ *Voluntate*, ablativus pulcre ponitur pro eo, quod est, bona cum gratia, sponte, voluntarie. *Id. Verr.* 1, 9. Ego jam tibi ipse istud, quod expetis, mea voluntate concedam. *Id. Fam.* 13, 5. Reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur. *Ter. Ad.* 3, 5, 44. Fidem vestram implorat, quod vos jus cogit, id voluntate ut impetret. *Liv.* 29, 38. Aliae civitates voluntate in ditionem venerunt. *Pl. Mil.* 2, 5, 40. Nisi voluntate ibis, rapiam de domum. ℙ *Ex*, et *de voluntate*, est secundum voluntatem. *Cic. Pis.* 20. Illud accidit praeter optatum meum, sed valde ex voluntate. *Id. Fam.* 13, 29. *f.* Siquid fecerim hoc ipso in bello minus ex Caesaris voluntate. *Id. Att.* 4, 2. *med.* Vix tamen ei de mea voluntate concessum est. ℙ *Ad voluntatem loqui*, est assentari. *Id. Quint.* 30. *med.* Se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse. Est qui leg. *voluptatem*, eod. sensu. Adde *Par.* 5, 2. *f.* Sic *Q. Cic. Pet. cons.* 11. Vultum, et sermonem ad aliorum sensum et voluntatem commutare. ℙ Dicitur etiam de testamento, et absolute, et cum adjecto *ultimae. Plin. ep.* 5, 7. Mihi defuncti voluntas antiquior jure est. *Id. ep.* 4, 10. Religiosissime custodire defunctorum voluntatem. *Ammian.* 28, 1. *med.* Finxit, maritum in voluntate, quam condiderat nuper, argenti tria millia pondo eidem reliquisse; et *ib.* 4. *med.* Subsident alii copiosos homines, ad voluntates condendas allicientes eos praestigiis miris. *Pomp. Dig.* 35, 1, 6. Qui ex ultima voluntate aliquid lucratur. ℙ *Voluntas nominis* est ejus significatio. *Quint.* 7, 10. *in.* In finitione quae sit voluntas nominis, quaeritur. ℙ [*Cf. *voluntas* et *voluptas*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 90. et 2, 439. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 705. et 8, 294.]

VOLVO, is, volvi, lutum, a. 3. *κυλίω, πολέω*, verso, in orbem torqueo, in gyrum ago, convolvo. *Liv.* 22, 29. (et 4, 28.) Qui terga dederant, conversi in hostem, volventesque orbem, nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare. *Cic. Fat.* 18. *extr.* Cylindrum volvi, et versari turbinem putant. *Ov. Trist.* 3, 12, 20. Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus. *Virg. A.* 4, 363. Huc illuc volvens oculos; et *ib.* 8, 618. oculos per singula volvit. *Id. ib.* 7, 349. de angue: Ille inter vestes, et levia pectora lapsus Volvitur. *Varr. L. L.* 4, 23. Volvere filum. *Plin.* 25, 9, 68. Herba circa arbores se volvens. *Id.* 30, 11, 30. Scarabeus, qui pilas volvit, *h. e.* lutum pedibus in pilas cogit, easque versat. *Id.* 9, 3, 2. Procellae ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt. *Cic. Somn. Scip.* 4. Illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni. *Sil.* 17, 122. turbidus amnis, Qui, silvas ac saxa trahens, per devia praeceps Volvitur, *h. e.* volvendo se decurrit. Sic *Virg. A.* 4, 449. lacrimae volvuntur inanes, *h. e.* ex oculis defluunt. *Hor. Od.* 2, 9, 22. Flumen volvit vortices. *Id. ib.* 3, 29, 37. de flum. nunc lapides adesos, Stirpesque raptas, et pecus, et domos volvens. *Ov. Ib* 177. Sisyphus est illic saxum volvensque, petensque, *h. e.* de monte dejiciens: quod decurrendo se volvit. Et translate. *Ter. Eun.* 5, 9, 55. Satis diu saxum hoc volvo. V. SAXUM. *Virg. A.* 11., 529. Sive invtare jugis, et grandia volvere saxa, *h. e.* devolvere; et *ib.* 1, 119. excutitur, pronusque magister Volvitur in caput. (Similiter dixit *Tassus Gerus.* 11, 81. *E cade in giù, come paleo, rotando*). Et *ib.* 11, 888. Pars in praecipites fossas, urgente ruina, Volvitur. *Propert.* 3, 6, 12. Et Veneris magnae volvitur ante pedes. *Lucan.* 7, 379. Volverer ante pedes. Contra *Virg. A.* 2, 758. ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur, *h. e.* volvendo se scandit. *Id. G.* 3, 85. de equo: Cellectumque premens volvit sub naribus ignem, *h. e.* exspirat, efflat. Sic *Tibull.* 3, 4, 86. flammam volvens ore Chimaera fero; et *Virg. G.* 1, 472. Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam Flammarumque globus, liquefactaque volvere saxa, *h. e.* eructare, evomere, et provolvere. ℙ *Volvere*, sternere, prosternere. *Virg. A.* 12, 329. Semineces volvit multos, aut agmina curru Proterit. ℙ Et *volvi*, sterni, concidere, et stratum versare se humi. *Id. ib.* 10, 590. Excussus curru moribundus volvitur arvis; et *ib.* 11, 649. Volvitur ille excussus humi, *h. e.* excussus equo procumbit humi; et *ib.* 634. permixti caede virorum Semianimes volvuntur equi. *Id. ib.* 9, 433. Volvitur Euryalus leto. ℙ Item versari, agitari. *Id. ib.* 5, 629. Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis. ℙ *Volvere libros*, evolvere, versare. *Cic. Brut.* 87. Volvendi sunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis. ℙ Translate. *Virg. A.* 1, 26. populum Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas, *h. e.* disponere. Et respicit ad Parcarum officium, quae dicuntur vitae hominum fila nere, et fusos volvere; et *ib.* 3, 375. sic fata Deum rex Sortitur, volvitque vices, *h. e.* disponit, ut una post aliam succadant, instar amnis undas suas unam post aliam volventis. V. VOLVENS. Sic *Sen. Troad.* 387. Quo cursu properat saecula volvere Astrorum dominus. *Hor. Od.* 4, 6, 40. Luna celeris pronos Volvere menses. *Virg. A.* 9, 6. quod optanti Divum promittere nemo Auderet, volvenda dies en attulit ultro. *Id. ib.* 1, 273. Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit, *h. e.* volubilibus, et qui perpetuo cursu se volvent, et unus post alium succedent. *Id. ib.* 6, 748. Has (*animas*) omnes, ubi mille rotam volvere per annos, *h. e.* mille annorum cursum exegerunt. *Id. ib.* 1, 12. Musa, mihi causas memora, quo numine laeso, Quidve dolens regina Deum, tot volvere casus Insignem pietate virum, tot adire labores Impulerit, *h. e.* unum post alium subire et experiri. *Servius* vult esse hypallagen, pro *casibus volvi*. Sic *Sen. Octav.* 926. Per quae casus volvit varios Semper nobis metuenda dies. ℙ Saepe est cogitare, versare animo, multa secum mente agitare, reputare. *Sall. Jug.* 6. *med.* Vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. *Id. Cat.* 33. Multa secum ipse volvens. *Id. or.* 2. *in Caes. de rep. ord.* 7. Aestuat, multaque in pectore volvit. *Id. Cat.* 42. Haec illi volventibus, tandem vicit fortuna reipublicae. *Liv.* 2, 49. Nihil Medium, nec spem, nec curam, sed immensa omnia volventes animo. *Id.* 42, 5. Perseus jam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens. *Id.* 34, 18. *f.* Ingentes jamdiu iras in pectore volvens. *Virg. A.* 7, 254. Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem. *Liv.* 26, 7. Multa secum, quonam inde ire pergeret, volventi, subiit animum impetus, caput ipsum belli Romam petendi. *Tac. A.* 3, 38. Qua tempestate bellum adversus nos volverat. ℙ *Volvere verba* refertur ad orationem, et significat verba proferre, profundere, non intermisso cursu, aequabiliter et copiose. *Cic. Brut.* 70. M. Pontidius celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis; et *ib.* 81. Facile soluteque verbis volvere sententias. *Id. Or.* 3, 47. Longissima est complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest. *Sen. Oedip.* 561. Carmenque magicum volvit, et rabido minax Decantat ore quidquid, etc. *Lucan.* 9, 927. Plurima tunc volvit spumanti carmina lingua Murmure continuo.

VOLVOX, ocis, m. *ἴψ, ἴουλος*, insectum teneros vitium pampinos erodens, quod alias dicitur volucra, convolvulus, involvulus. V. has voces. *Plin.* 17, 28, 47. Alii volvocem appellant animal praerodens pubescentes uvas: quod ne accidat, falces cum sint exacutae, fibrina pelle detergent, atque ita putant. Ita multi leg., sed invito *Harduino*, qui *volucre* invenit in omnib. suis MSS. *Colum.* quoque *Arb.* 15. habet *volucra.*

VOLUP, per apocopen pro *volupe*, ut *capital, facul*, significat gratum, jucundum, delectabile, voluptatem afferens. *Pl. As. Grex.* 1. Hic senex si quid suo animo fecit volup. Ita leg. *Non.* 2, 905. et cum eo alii multi: sed in MSS. multis, teste *Gruterο*, est *voluptatis:* [quod quidem minime recipiendum esse, patet ex his verbis *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Nam qua te dicam gratia Alsium maritimum et voluptarium locum, et, ut ait Plautus, locum lubricum delegisse, nisi ut bene haberes

genio, utique verbo vetere faceres animo volup? Qua malum volup? et *mox:* Tu umquam volup? volpem facilius quis tibi, quam voluptatem conciliaverit. (V. LABOR, oris.) Hinc liquet, in sequentibus etiam locis citatis abstinendum esse ab intemperanti criticorum hominum licentia, qui aliquo MS. perperam freti veterum scriptorum verba paulo obsoletiora pro arbitrio passim immutando, corrumpunt magis, quam corrigunt. *F.*] Rursus *Pl. Men.* 4, 3, 3. Scio, ut tibi ex me sit volup. Alii leg. *voluptas. Enn.* ap. *Gell.* 12, 4. Quocum multa volup ac gaudia clamque, palamque. *Lips.* ex libr. Vatican. leg. *Quocum multa volutat gaudia*, etc., sed vulgatam lectionem non respuit. Addunt alii ex *Plauto Mil.* 3, 1, 127. Suis amicis est volup. Alii leg. *volupe. Id. ib.* 4, 1, 1. Volup est quod agas, si id procedit lepide, et ex sententia. Alii leg. *voluptas.* Addunt et alia ex *eod. Plaut.*, in quibus alii *volupe.* V. et locum *Terent.* in voce sequenti.

VOLŪPĒ, adj. neutrum ab obsoleto masculino *volupis* significat delectabile, jucundum, gratum. *Pl. Amph.* 3, 3, 3. Quia vos tranquillos video, gaudeo, et volupe est mihi. *Ter. Phorm.* 4, 3, 5. Venire salvum volup' est. *Donatus* legendum putat sine ulla apostrophes nota, et dici *volup*, quemadmodum *facul. Pl. Cas.* 4, 2, 5. Facite vostro animo volupe. *Id. Mil.* 3, 1, 149. Si illis aegre est, mihi quod volupe est; et *Poen.* 5, 4, 20. Bene factum! gaudeo, et volupe est mihi. *Id. Rud.* 4, 4, 132. Volupe est, cum istuc ex pietate vestra vobis contigit. *Id. Stich.* 4, 1, 2. Ut mihi volupe est, quia vos in patriam domum rediisse video! ℙ Videtur esse adverb. in illo *ejusd. Most.* 1, 2, 74. Cursu, armis, equo victitabam volupe.

VOLŪPIA, ae, f. voluptatis Dea, quae sacellum habebat Romae circa navalia, non procul a porta Romanula. *Varr. L. L.* 4, 8. et *August. C. D.* 4, 8. Meminit etiam *Macr. Sat.* 1, 10.

VOLUPTĀBĬLIS, e, adj. ἡδύς, voluptuosus, gratus. *Pl. Epid.* 1, 1, 19. Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu attulisti.

VOLUPTĀRĬĒ, adv. cum voluptate. *Appul. Met.* 3. Transactis voluptarie paucis noctibus.

VOLUPTĀRĬUS, a, um, adj. τερπνός, voluptatem afferens. *Cic. Fin.* 3, 10. *f.* Quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονὴν appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam. *Id. Att.* 12, 25. Voluptariae possessiones. V. *Frontonis l. c.* in VOLUP. ℙ Sumitur etiam passive pro eo, qui recipit, seu percipit voluptatem. *Cic. Or.* 3, 25. *med.* Gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius. ℙ Item pro eo, qui voluptatibus deditus est. *Id. Tusc.* 2, 7. Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem, homo, ut scis, voluptarius. *Id. Fin.* 5, 25. Quin etiam ipsi voluptarii diverticula quaerant. ℙ Item pro molli, delicato, effeminato. *Id. ib.* 1, 11. Voluptaria, delicata, mollis disciplina.

VOLUPTAS, atis, f. ἡδονή, laetitia praeter modum elata ex opinione praesentis alicujus boni; omne id, quo gaudemus. Dicitur tam de animo, quam de corpore; tum de bona voluptate, tum de mala. *Cic. Fin.* 1, 11. Omne autem id, quo gaudemus, voluptas est; ut omne, quo offendimur, dolor. *Id. ib.* 2, 4. Voluptatis verbo omnes qui Latine sciunt, duas res subjiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem jucunditatis in corpore. *Id. Sen.* 13. Divinus Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces. *Id. ib.* 12. Nulla capitalior pestis, quam voluptas corporis. *Id. Brut.* 50. Voluptate perfundi. *Id. Fin.* 1, 11. Esse in voluptate. *Id. N. D.* 1, 30. Voluptatibus frui. *Id. Fam.* 1, 7. *f.* Voluptati esse alicui. *Id. Fin.* 5, 19. Fabulas cum voluptate legere. *Id. Fin.* 1, 18. Voluptatibus deditum esse. *Id. Leg.* 1, 11. Capi voluptate. *Id. Fam.* 5, 7. Capere voluptatem ex aliqua re. *Plin. H. N.* 16. *prooem.* Afferre voluptatem. *Quint.* 2, 12. Permulcere aures alicujus pravis voluptatibus. *Ter. Heaut.* 1, 2, 10. Voluptatem magnam nuntias, *h. e.* rem, ex qua magnam capio voluptatem. ℙ Inter officia domus Augustae fuit etiam *procurator voluptatum* in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 26., cujus munus erat perscribere pecunias, quae impendebantur a principe in rebus voluptariis quibuscumque. V. *Suet. Vesp.* 22. Huc etiam trahendus videtur locus *ejusd. Tib.* 42. Novum officium instituit a voluptatibus, praeposito equite Romano T. Caesonio Prisco. Hinc etiam *servus a ration. voluptat.* in *Inscr.* ap. *Mur.* 903, 1., 921, 10., 934, 4., et *scriba a ration. volupt.* ap. *eund.* 890, 7. ℙ Interdum voluptatis nomine intelliguntur spectacula, et ludi scenici, et circenses, et venationes et similia, etenim ipse *Cic. Mur.* 15. videtur de ludis et spectaculis *voluptates* usurpasse. Hinc aliquando qui ludis praeessent, *tribuni voluptatum* dicti sunt, quorum officii formulam habet *Cassiod. Var.* 7, 10., ejusque *Id. ib.* 6, 19. meminit. *Treb. Gall.* 9. Equae voluptates paratae sunt, et qualis cras erit coena? *Vopisc. Aurel.* 34. Sequentibus diebus datae sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiae. *Id. Prob.* 19. Dedit Romanis etiam voluptates, et quidem insignes, delatis etiam congiariis. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 20. *n.* 63. Fl. Maximus V. C. tribunus voluptatum. ℙ *Voluptas* est etiam ipsa libido, hoc est voluntas percipiendi ex aliqua re voluptatem. *Liv.* 30, 14. *med.* Qui voluptates sua temperantia frenavit ac domuit, multo majus decus sibi peperit, quam, etc. *Ter. Hec.* 1, 1, 10. Nam nemo quisquam illorum, scito, ad te venit, quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis quam minimo pretio suam voluptatem expleat. *Pl. Amph. prol.* 114. Dum ille illam, quicum vult, voluptatem capit. ℙ Est etiam effectus voluptatis, hoc est semen genitale. *Hyg. Astron.* 2, 13. *med.* Vulcanum ferunt coepisse Minervae vim afferre: et cum plenus cupiditatis ad eam ut complexui se applicaret, ferretur, repulsus effudit in terram voluptatem. *Arnob.* 5, 158. Juppiter voluptatem in lapidem effudit. ℙ Secundum fabulas *Voluptas* in Deorum numero habita est: narrant autem fuisse filiam Cupidinis primi ex Psyche filia Apollinis. *Cic. N. D.* 2, 23. Cupidinis, et voluptatis, et Lubentinae Veneris nomina consecrata sunt. ℙ *Mea voluptas*, blanda et amatoria compellatio est. *Virg. A.* 8, 581. mea sera, et sola voluptas. *Pl. Truc.* 2, 4, 2. Quo introire metuas, mea voluptas? ℙ *Voluptas* item est nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 308. *n.* 310. Nicephoro C. N. Ser. (*h. e.* Caesaris nostri servo) Vix. Ann. XVIII. M. V. D. X., Voluptas C. N. Ser. (*h. e.* Caesaris nostri serva) filio piissimo fecit. [*De hoc loco bene meruit *F.* ℙ De confusione hujus v. cum *voluntas* dictum est in h. v.]

[VOLUPTĀTĪVUS, a, um, adj. idem ac voluptarius. *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2, 6. *f.* Sed ... et voluptatiba .... Ita scribitur pro *voluptativa. F.*]

VOLUPTĪFĪCUS, a, um, adj. voluptatem afferens. *Appul. Flor. n.* 10. Jovis stella benefica, Veneris voluptifica.

VOLUPTOR, aris, dep. 1. voluptatibus indulgeo. *Quint. decl.* 3, 13. *f.* Tribunus inter scorta voluptabitur. Alii leg. *volutabitur.* Addunt et *Appul. Met.* 9., *Petr. Sat.* 79. *med.*, *Just.* 12, 16. et *Suet. Cal.* 42., quibus locis quidam *voluptuor*, plerique *volutor* reponunt, quod multo rectius est.

VOLUPTUĀRĬUS, a, um, adj. idem quod voluptarius. *Capitol. Ver.* 2. Fuit voluptuarius, et nimis laetus. *Capell.* 2, 37. Voluptuariae Veneris filius. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 92. Pedisecus rationis voluptuariae. V. VOLUPTAS.

VOLUPTUŌSĒ, adv. voluptarie, μεθ' ἡδονῆς. *Sidon. ep.* 5, 20. Ad patriae solum voluptuose venire. *Id. ep.* 1, 9. *med.* Voluptuosis relegendis versibus immorabere.

VOLUPTUŌSUS, a, um, adj. voluptate plenus. *Plin. ep.* 3, 19. Voluptuosum est posse utraque eadem opera invisere. *Quint. decl.* 260. *med.* Voluptuosissimum tempus exegi. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 4. Concionator voluptuosissimus.

[VOLŪSĪNUS, a, um, adj. ad Volusum seu Volesum pertinens, primitivum Valeriorum cognomen, de quo ita *Festus* in *Optima lex.* Ut fuit *(jus)* Manii (lege *Marci*) Valerii M. Fabii (lege *filii*) Volusinae gentis, qui primus magister a populo creatus est. V. VOLESUS.

[VOLŪSĬUS, ii, m. nomen proprium R., quo fuit poeta ineptus Patavinus, qui Ennium secutus, rerum gestarum populi R. annales carmine scripsit. *Catull.* 36, 19. Pleni ruris et inficetiarum, Annales Volusi, cacata charta. Adde 95. V. PADUA. ℙ Sunt qui putant eundem fuisse ac Tanusium Geminum, quem *Plutarch. Caes. c.* 22. Ταρύσιον vocat. *Suet. Caes.* 9. Meminerunt hujus conjurationis Tanusius Geminus in historia, etc. *Sen. ep.* 93. Annales Tanusii scis quam non decorosi sint, et quid vocentur, *h. e.* cacata charta, ut ait *Catull. l. c. F.*]

*VOLUSTĀNA audiunt montes Cambunii in Thessalia ap. *Liv.* 44, 2. Ejus verba sunt: In jugum Cambuniorum montium (Volustana ipsi vocant) cet. Quo in loco sunt qui adjective intelligunt v. *Volustana*, subintellecto *juga;* ut sit *Volustanus, a, um*, ad locum quendam pertinens, cui nomen *Volusta.* Sed probabile est nomen hoc indeclinabile esse, quod facilius. *B. A.*

VOLŪSUS. V. VOLESUS.

VOLŪTA, ae, f. ἕλιξ, capreolus in columnarum capitulis, ex herbae foliis enascens, et, ubi abacum jam propemodum contingit, in orbem circumvolutus, unde tam apud Graecos, quam apud Latinos nomen invenit. *Vitr.* 4, 1. Quae ex cauliculorum foliis natae procurrant ad extremos angulos volutae, minoresque helices floribus subjectae, scalpantur. *Id.* 3, 3. De volutarum autem descriptionibus, ut ad circinum sint recte involutae, quemadmodum distribuantur, in extremo libro forma, et ratio earum est descripta. *Id.* 7, 5. Pro columnis statuuntur calami, pro fastigiis harpaginetuli striati, cum crispis foliis, et volutis. V. *Baldum* in *Lex. Vitruv.*

VOLŪTABRUM, i, n. κυλίστρα, κύλισμα, locus, in quo sues volvuntur. *Virg. G.* 3, 411. Saepe volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens. *Arnob.* 7, 224. Cum ad ultimum porculi coenum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lutosis, et voraginibus sumptum.

VOLŪTĀBUNDUS, a, um, adj. qui se multum volutat. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 8, 64. Lubidinosus, et volutabundus in voluptatibus.

VOLŪTĀTIM, adv. διὰ κυλίσματος, iterum atque iterum volvendo. *Pl. Mil.* 2, 5, 40. Volutatim domum te rapiam. Alii rectius leg. *Nisi voluntate ibis, rapiam te domum.*

VOLŪTĀTĬO, onis, f. κύλισμα, actus volutandi. *Cic. Pis.* 34. An vero tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui, stragesque provinciae? quas quidem nos non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, et cubilibus persecuti sumus. *Plin.* 8, 51, 77. Volutatio in luto. *Sen. Prov.* 1. *med.* Certa aliqna volutatione modo contrahi undas, modo erumpere. *Pall.* 7, 1. Aream rotundi lapidis volutatione solidare. *Tert. Pall.* 4. Volutatio pulverea athletarum. ℙ Συνουσιαστικός. *Sen. Contr.* 1, 2. *med.* Numquid hoc negas, colluctatam te tamen cum viro? quem in illa volutatione necesse est prius super te fuisse: adjiciebat, obscene. *Petr. Sat.* 95. Contemplatus foedissimam jacentium volutationem. ℙ Jactatio. *Sen. Tranq.* 2. *med.* Taedium et displicentia sui, et nusquam residentis animi volutatio. *Id. ep.* 99. *med.* In tanta volutatione rerum humanarum nil cuiquam, nisi mors, certum.

VOLŪTĀTUS, a, um, part. κεκυλισμένος, saepe multumque volutus. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. *med.* Itaque ad Callisthenem, et Philistum redeo, in quibus te video volutatum, *h. e.* cum labore versatum. *Plin.* 8, 37, 56. Volutati supra jacentia poma. *Sidon. ep.* 9, 7. Ne lingua per cameram palati volutata balbutiat. ℙ In re turpi. *Cic. Har. resp.* 27. *med.* Quis unquam nepos tam libere est cum scortis, quam hic cum sororibus, volutatus? *Sen. Controv.* 1, 2. *med.* Meretrix citra stuprum cum viris volutata.

VOLŪTĀTUS, us, m. idem quod volutatio. *Plin.* 10, 4, 5. Multum pulverem volutatu collectum insidens cornibus excutit in oculos. *Appul. Met.* 4. Lassitudinem, vice lavacri, pulvereis volutatibus digerebam.

[VOLŪTĪLIS, e, adj. qui volutari potest. *Not. Tir.* p. 124. Volutat, volutilis, volubilis. *F.*]

VOLŪTIM, adv. volubiliter. *Non.* 1, 12. Tolutim quasi volutim, vel volubiliter.

VOLŪTĪNA, ae, f. Dea rusticorum, quae praeesse credebatur involucris et folliculis spicarum. *August. C. D.* 4, 8. *med.*

VOLŪTO, as, avi, atum, a. 1. κυλινδέω, saepe et multum volvo: a sup. *volutum. Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Ut gallinae possint in pulvere volutari. *Colum.* 7, 10. *med.* Sus gaudet coenoso lacu volutari. *Plin.* 30, 16, 53. Pulvis, in quo se mala volutaverit. *Id.* 11, 28, 34. Scarabaei, qui e fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant, parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetus sui nidulantur. *Suet. Cal.* 42. Super immensos aureorum acervos et nudis pedibus spatiatus, et toto corpore aliquandiu volutatus est. *Colum.* 12, 48. *med.* Amphoras per terram volutare. *Pall.* 1, 30. *f.* Tunsas caricas, et aqua maceratas, in offas volutabis exiguas. *Lucan.* 1, 412. Ventus volutat pelagus. ℙ *Volutari ad pedes alicujus* est procumbere, advolvi. *Auct. ad Her.* 4, 24. Cum tibi pueri ad pedes volutarentur, etc. *Virg. A.* 3, 607. et genua amplexus, genibusque volutans Haerebat: subaudi *se.* ℙ Pro edere, volvendo emittere: ea ratione, qua dicimus *volvere verba, ignem*, etc. *Id. ib.* 1, 729. Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant Atria; et *ib.* 5, 149. Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant Litora; et *ib.* 10, 97. ceu flamina prima Cum deprensa fremunt silvis, et caeca volutant Murmura. ℙ Volutari cum aliqua, συνουσιάζειν. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 33. Clesides Stratonicen pinxit volutantem cum piscatore, quem reginam amare sermo erat. *Tert. ad Ux.* 9. Atquin vere duo in carne una: simul orant, simul volutantur. Adde *Just.* 12, 6. et *Petr. Sat.* 79. V. VOLUTATUS, a, um. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 3. Cum omnes in omni genere et scelerum, et flagitiorum volutentur. *Auct. ad Her.* 4, 13. In omni dedecore volutatus es. *Sen. V. B.* 24. *med.* Inter mala plurima volutari, *h. e.* versari. *Sen. alter Herc. Fur.* 1081. Fusus humi saeva feroci corde volutat Somnia, *h. e.* dormiens somniis agitatur. ℙ *Volutare*, mente volvere, cogitare. *Virg. Ecl.* 9, 37. tacitus mecum ipse voluto, Si valeam meminisse; et *A.* 4, 533. secumque ita corde volutat: En, quid ago? etc. et *ib.* 6, 185. Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat. *Pl. Capt.* 4, 2, 1. Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto. *Lucr.* 3, 241. Volutare aliquid mente. *Liv.* 28, 18. *f.* in animo. *Id.* 40, 5. multa secum animo. *Id.* 9, 17. Mentio tanti regis saepe tacitis cogitationibus volutavit animum, *h. e.* versavit, distraxit. ℙ *Volutare quippiam cum aliis*, de re quapiam cum aliis agere. *Id.* 34, 36. Has conditiones quamquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, tamen, etc.

VOLŪTUS, a, um, part. a *volvo*, κεκυλισμένος. *Virg. G.* 3, 521. per saxa volutus Purior electro campum petit amnis. *Id. A.* 10, 790. lacrimae per ora volutae. *Id. ib.* 403. Volutus curru; et *ib.* 12, 906. lapis vacuum per inane volutus, *h. e.* missus, jactus; et *ib.* 672. flammis inter tabulata volutus Ad

coelum undabat vertex. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 283. Romanis praecipitatis, ipsi supra voluti in caput.

VOLŪTUS, us, m. actus se volvendi. *Appul. Flor. n.* 10. Dedit volatus avibus, volutus serpentibus, cursus feris, gressus hominibus.

*VOMĀNUS, sc. fluvius, vel Vomanum sc. flumen, in Piceno, prope Hadriam. *Sil.* 8, 439. Statque humectata Vomano Hadria, et inclemens hirsuti signifer Ascli. *Plin.* 3, 13. Flumen Vomanum *(nominativ.)*. ℙ V. *Novanus. B. A.*

VŌMAX, ācis, adj. omn. gen. qui saepe vomit. *Sidon. ep.* 8, 3. Anus, quibus nihil litigiosius, bibacius, vomacius.

VOMER, eris, m. ὖνις, et ὖννις, ferramentum aratri, quo sulci fiunt: ita dictum, quod terram erutam utrinque vomat, ut *Varr. L. L.* 4, 31. scribit. *Virg. G.* 1, 45. Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer. *Cic. Phil.* 2, 40. Ut aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti. *Ov. Fast.* 4, 927. Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus, Ruris opes, niteant. *Plin.* 18, 18, 48. Vomerum plura genera; culter vocatur, praedensam, priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia praescribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer: alterum genus est vulgare rostrati vectis: tertium in solo facili, nec toto porrectum dentali, sed exigua cuspide in rostro: latior haec quarto generi, et acutior, in mucronem fastigata, eodemque gladio scindens solum, et acie laterum radices herbarum secans. Haec *Plin. Id.* 17, 4, 3. Vomerem imprimere. *Colum.* 2, 2. *med.* Exiguis vomeribus et dentalibus terram subigere. *Ov. A. Am.* 1, 725. Vomere versare humum; et *ib.* 2, 671. findere terras. *Id. Her.* 12, 40. Premere vomere colla boum. *Catull.* 64, 40. glebam prono convellit vomere taurus. *Tibull.* 2, 1, 5. Luce sacra requiescat humus, requiescat arator, Et grave suspenso vomere cesset opus. ℙ Translate est membrum virile ap. *Lucr.* 4, 1266. V. SULCUS. ℙ Est etiam stilus, quo scribimus, graphium. *Atta* ap. *Isid. Or.* 6, 9. Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus Osseo. (V. STILUS.) Hic prima syllaba corripitur, quod nominis etymo convenit. ℙ *Vomis* in recto casu. *Cato R. R.* 135. Vomis indutilis optimus erit. *Virg. G.* 1, 162. Vomis, et inflexi primum grave robur aratri. *Colum.* 2, 2. *f.* In radicem vomis impactus. In loco *Cat.* allato legitur in MSS. non unis *vomeris indutilis*, in recto casu.

VŌMĬCA, ae, f. ἀπόστημα, tumor in aliqua parte corporis, abscessus maturus, et pure manans, vel ad suppurationem spectans: a *vomo*, quia pus vomit, et emittit. *Pl. Pers.* 2, 5, 11. Quid hoc hic in collo tibi tumet? *Sag.* vomica est: pressare parce. (Per jocum intelligit crumenam argenti plenam e collo pendentem.) *Juven.* 13, 95. Et phthisis, et vomicae putres, et dimidium crus. *Cic. N. D.* 3, 28. Nec prodesse voluit Pheraeo Iasoni, is qui gladio vomicam ejus aperuit, quam sanare medici non potuerant. *Cels.* 4, 8. *f.* Si jecur vomica laborat. *Id.* 2, 8. *med.* Vomica erumpit: quae quo cruentior, eo melior est. *Scrib. Comp.* 264. Vomicas discutere, aut aperire. *Plin.* 24, 9, 38. Viticis semen vomicas panosque difficile concoquentes mollit. *Id.* 20, 22, 89. Vomicas rumpere, purgare, persanare. *Lucil.* ap *Non.* 2, 902. Affectus vomica et vulnere. Non facile intelliges, quid sibi velit *Nonius*, qui his verbis significari ait concava loca, vetustate exesa. ℙ Primam produxit, non imitandus, *Seren. Sam.* 40, 743. Sunt alii, quos dira vomit natura, tumores: Vomica qualis erit, vel eidem proxima quaedam. ℙ Translate. *Plin.* 33, 6, 32. Est et lapis in his venis *(argenti)*, cujus vomica liquoris aeterni argentum vivum appellatur, venenum rerum omnium, *h. e.* tumor liquore semper fluido manans. *Id.* 37, 2, 10. Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, *h. e.* tumore guttam aquae non concretam continente. ℙ Dicitur et de quocumque malo, calamitate, detrimento. In *vet. carm.* ap. *Liv.* 25, 12. et *Macr. Sat.* 1, 17. Hostem, Romani, si expellere vultis, vomicamque, quae gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos. *Quint.* 8, 6. *med.* improbat, ut sordidam, metaphoram illam veteris cujusdam oratoris, Persecuisti reipublicae vomicas. *Augustus* ap. *Suet. Aug.* 65. Agrippam nepotem, et Julias, filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, appellare solebat tres vomicas, aut tria carcinomata sua.

VŌMĬCOSUS, a, um, adj. ἐμπνϊκὸς, vomicis laborans. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 17. Empyici, id est vomicosi.

VŌMĬCUS, a, um, adj. nocens, pestilens, gravis: a vomica. *Sen. Controv.* 2, 12. *med.* Fabianus Maximus primus foro Romano hunc vomicum morbum, quo nunc laborat, intulit.

VŌMĬFĪCUS, a, um, adj. vomitum provocans, ἐμετικὸς, ut Vomificum medicamentum. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 2, 17. et *med.* Succus vomificus. *Appul. Herb.* 108.

VŌMIFLŪUS, a, um, adj. Vomiflua passio, ap. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. *h. e.* morbus, quo vomica, et pus movetur. Est qui leg. *vomicoflua.*

VŌMIS. V. VOMER.

VŌMĬTĬO, onis, f. ἐξέρευγμα, ἔμεσις, actus vomendi. *Cic. N. D.* 2, 50. Quae medicorum ingeniis reperta sunt, vomitione, et dejectione purgare, ex eo quod vomitione canes, alvo se ibes Aegyptiae curant. *Plin.* 11, 53, 117. Vomitiones homini ad haec in remedium excogitatae, frigidiora corpora faciunt, inimicae oculis, maxime autem dentibus. *Id.* 32, 3, 13. Vomitione cibos reddere. *Id.* 26, 8, 46. Vomitione biles extrahere. *Id.* 25, 5, 23. Dare ea, quae vomitiones concitent; et 21, 20, 83. Iris vomitiones ciet; et 22, 25, 73. Ervum vomitiones movet; et *ib.* 24, 52. Aqua mulsa calefacta vomitiones invitat. *Id.* 34, 10, 23. Aes ipsum vomitiones facit, e melle sumptum. *Id.* 26, 7, 25. Faciles praestat vomitiones radix vettonicae. *Id.* 20, 17, 73. Vomitiones cohibere; et 22, 25, 64. inhibere; et 26, 7, 25. Vomitionem sistere. *Id.* 23, 1, 23. Quorum stomachus in vomitiones effunditur. ℙ Illud ipsum, quod vomitione redditur. *Id.* 25, 5, 23. Varii colores vomitionum.

VŌMĬTĬUM, ii, n. idem ac vomitio. *Capell.* 2. p. 35, Nausea]et vomitio laborare. *Locus est p. 24. *Vulcan.* et sic omnino legitur: Tunc vero illa nausea ac vomitio laborata in omnigenum copias convertitur literarum. Neque aliter ed. *Grot. B. A.*

VŌMĬTO, as, a. 1. frequent. ἐξεμέω, πολλάκις ἐμέω, saepe vomo. *Colum.* 7, 10. *med.* Quam cum pecudes biberunt, nausea correptae vomitant, atque expurgantur. *Sen. ep.* 18. Ebrio, et vomitante populo. Adde *Suet. Vit.* 13.

VŌMĬTOR, oris, m. ἐμετὴς, qui vomit. *Sen. ep.* 88. *med.* Quid enim, oro, liberale habent jejuni vomitores, quorum corpora in sagina, animi in macie ac veterno sunt?

VŌMĬTŌRĬUS, a, um, adj. ἐμετικὸς, qui habet vim vomitum faciendi. *Plin.* 20, 9, 41. Bulbus, quem vomitorium vocant ab effectu, folia habet nigra, ceteris longiora. *Id.* 21, 19, 75. Hunc stomacho inutilem, et ideo vomitorium. ℙ *Vomitoria* absolute in theatris, et amphitheatris erant ostia, seu aditus, per quos populus ab internis porticibus et scalis exibat in gradus et sedilia. *Macr. Sat.* 6, 4. in illud *Virg. G.* 2, 462. Mane salutantum totis vomit aedibus undam: Pulcre, inquit, *vomit*, et antique, nam Ennius ait: et Tiberis flumen vomit in mare salsum. Unde et nunc vomitoria in spectaculis dicimus, unde homines glomeratim ingredientes, in sedilia se fundunt. V. *Scip. Maffej. amphith. l.* 2. *c.* 8.

[VŌMĬTUS, a, um, part. a *vomo:* vomitu ejectus. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 20. Egestio vomitorum similis, hoc est, spumosa et acerrima. *F.*]

VŌMĬTUS, us, m. ἐμετὸς, vomitio. *Pl. Rud.* 2, 6, 26. Animo male fit, contine, quaeso, caput. *Charm.* Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas. *Id. Merc.* 3, 3, 14. Plenus aetatis, animaque foetida senex hircosus, tu osculere mulierem? uti ne adveniens vomitum excutias mulieri? *Plin.* 20, 6, 23. Vomitu aliquid reddere. *Curt.* 7, 5. egerere. *Sen. ep.* 68. levare stomachum. *Plin.* 13, 23, 44. Capparis vomitus facit, stomachum et alvum movet. *Id.* 9, 48, 72. Vomitum dissolutionemque stomachi protinus creat. V. VOMITIO. ℙ Id ipsum quod vomitur. *Id.* 29, 4, 27. Vomitus araneosos concitare. *Id.* 23, 8, 80. Folium lauri pituitas extrahit, et vomitus. ℙ Vomitus voluntarii consuetudo fuit apud Romanos, ut enim coenae multiplici, et largis poculis gulae studiosi sufficere possent, inter coenandum, petito secreto, vomitum provocabant, digito, aut pinnula in gulam immissa, et novas rursus epulas repetebant. Morem hunc tangit *Sen. Consol. ad Helv.* 9. *f.* Vomunt, ut edant: edunt, ut vomant: et epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. V. *Cels.* 1, 3. *med.*, *Suet. Claud.* 33. et *Vit.* 13., *Plin.* 14. *c.* 22. et *Juven.* 6. a *v.* 425. ℙ De homine impuro, et molesto. *Pl. Most.* 3, 1, 119. Absolve hunc, quaeso, vomitum, ne hic nos enecet. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 1. In quorum numero nunc primu' Trebelliu' multo Obmarcescebat, febris, senium, vomitus, pus.

VŌMO, is, mui, mitum, a. 3. ἐμέω, est ejicere: et proprie de cibo, et potu dicitur, qui per os e stomacho egeritur. *Cic. Dejot.* 7. *med.* Cum post coenam vomere te velle dixisses, in balneum te ducere coeperunt. *Id. Phil.* 2, 41. Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur; et *ib.* 25. Is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum, et totum tribunal implevit. *Id. Fin.* 2, 8. Asoti, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur. *Plin.* 26, 13, 84. Vettonicae succus vomentibus sanguinem datur. *Petr. fr. Trag.* 66. *Burm.* De quo cum imprudens Scintilla gustasset, paene intestina sua vomuit. *Cels.* 1, 3. *med.* Qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum debet. ℙ Translate est large ejicere, effundere, ejectare, emittere. *Plin.* 3, 16, 20. de Pado: Qua largius vomit *aquas in mare;* et *Virg. A.* 5, 682. Stuppa vomens tardum fumum; et *ib.* 8, 680. geminas cui tempora flammas Laeta vomunt: scil. Augusto, qui valde claros ac nitidos oculos habuit, ut a *Suet. Aug.* 79. narratur. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 161. Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum Foedat nube diem. *Petr. fr. Trag.* 56. *Burm.* Apes mel vomunt. *Ov. Her.* 12, 125. de Charybdi: vomit fluctus totidem, totidemque resorbet. *Pers.* 5, 181. pinguem nebulam vomuere lucernae. *Virg. G.* 2, 462. Mane salutantum totis vomit aedibus undam. *Stat. Th.* 10, 536. Armataeque vomunt stridentia tela fenestrae. *Claud. IV. cons. Hon.* 52. Danubii totae vomerent cum proelia ripae. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 49. Aurea dona vomens, *h. e.* munifice largiens. *Lucr.* 6, 828. Vomere viam, *h. e.* efflare animam. *Virg. A.* 9, 349. Purpuream vomit ille animam, *h. e.* vitam cum sanguine. *Mart.* 11, 90. Attonitusque legis terrai frugiferai, Accius et quidquid, Pacuviusque vomunt, *h. e.* rancidum effutiunt. ℙ [*Vomerit* pro *vomuerit*, tanquam a praeter. *vomi*, habet *Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 233. Neque quisquam ad mensam cenarit, prandio vomerit, sapientiam ructarit. *F.*]

*VONONES, is, m. incertum cujus stirpis, antea Mediae, rex, lectus adscitusque a Parthis, brevi et inglorio regno. *Tac. A.* 12, 10. ℙ Vonones, Parthus, obses a patre Phraate Romanis datus, in regnum reposcitur, mox spretus a suis ab Artabano regno exuitur. *Justin.* 42, 5. *B. A.*

VOPISCUS, a, um, adj. qui, ut ait *Isid. Or.* 9, 5., de geminis, uno aborto, legitime natus fuerit: est ab ὀπίσω, retro, qui retro relictus in utero, terminatione autem diminutiva ὀπίσχος, seu οὐοπίσχος, vel οὐοπείσχος, ut legitur in nummis; ita etiam satyriscus a satyro derivatur. *Plin.* 7, 10, 8. Vopiscos appellabant e geminis, qui retenti utero nascerentur, altero interempto abortu. *Solin.* 1. *med.* E geminis si, remanente altero, alter abortivo fluxu exciderit; alter, qui legitime natus est, vopiscus nominatur. *Non.* 19, 3. Vopiscus dicitur, qui ex duobus conceptis, uno abortu excluso, ad partum legitimum deducitur. ℙ Hinc factum est praenomen R. *Auct. Epit. de nom. rat.* Vopiscus praenomen fuit in eo, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editus erat *Liv.* 2, 54. Vopiscum Julium pro Virginio in quibusdam annalibus consulem invenio, *h. e.* consulem ann. U. C. CCCXXXI., qui pater fuit L. Julii Juli consulis ann. CCCXXIV., et avus L. Julii Juli, qui fuit trib. militum consulari potestate ann. CCCLIII et CCCLVII., quique vocatur in *Fast. cons. Capitol.* ap. *Grut.* 292. L. Julius L. F. Vopisci N. Julus. V. *B. Borghes.* in *N. Framm. de fast. cons.* T. 2. p. 140. ℙ Deinceps etiam pro cognomine R. usurpatum. Hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 214. P. Manilius Vopiscius Cos. ann. a Chr. n. CXIV., qui idem fuisse videtur ac ille, qui perperam *Manlius Vopiscus* dicitur ap. *Stat.* in *ep.* 1. *praef. Silv.*, et de quo ita *Id. Silv.* 1, 3, 1. Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci. Alius vero M. Ὁμπήϊος Οὐοπείσχος in nummo Pautaliae Thraciae ap. *Mionnet Supplem.* T. 2 p. 367. Hinc etiam Flavius Vopiscus historicus, qui quorundam R. imperatorum vitas conscripsit, de quo V. in CAPITOLINUS, i.

VOPTĔ, pro vos ipsi, Cato posuit. *Paul.* ex *Festo.* V. PTE.

VŌRĀCĬTAS, atis, f. πολυφαγία, edacitas, inexplebilis edendi aviditas. *Plin.* 2, 107, 111. de igne: Quae est illa natura, quae voracitatem in toto mundo avidissimam sine damno sui pascit? *Appul. Met.* 7. Asinus incumbens praesepio voracitati suae deservit.

VŌRĀCĬTER, adv. *Macr. Sat.* 7, 5. *med.* Insanus fit ille, cui merus sal cibus, si hoc ipsum voraciter invaserit.

VŌRĀGĬNOSUS, a, um, adj. βαραθρώδης, plenus voraginibus. *Auct. B. Hisp.* 29. Nam palustri et voraginoso solo currebat ad dexteram partem. *Appul. Met.* 9. Voraginosa via. *Ammian.* 24, 6. *med.* Voraginosus amnis.

VŌRĀGO, inis, f. διαχώρημα, βάραθρον, χάσμα, locus immensae profunditatis: a *vorando:* quia in eam cadentia non emergunt, sed absorbentur. *Cic. Div.* 1, 33. Cum equum demisisset in flumen, submersus equus voraginibus non exstitit. *Catull.* 17, 26. Et supinum animum in gravi derelinquere coeno, Ferream ut soleam tenaci in voragine mula. *Curt.* 8, 14. Imber violentius, quam alias, fusus campos lubricos et inequitabiles fecerat, gravesque, et propemodum immobiles currus illuvie et voraginibus haerebant. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 18. Vos geminae voragines, scopulique reipublicae. ℙ Speciatim transfertur ad hominem insigniter prodigum, cujus gula, vel amplissimis patrimoniis in ventrem, tanquam in barathrum quoddam, conjectis, expleri non potest. *Cic. Sext.* 52. Tu meo periculo gurges et vorago patrimonii helluabere? *Ov. Met.* 8, 843. Jamque fame patrias, atque voragine ventris Attenuarat opes. *Val. Max.* 9, 4. *in.* Avaritia, manifestae praedae avidissima vorago.

VŌRĀTOR, oris, m. qui vorat. *Tert. Monog.* 8. *f.* et *Jejun.* 2. *med.* **Paul. Nol.* 19, 10. *B. A.*

VŌRĀTRĪNA, ae, f. quasi vorandi officina, popina. *Tert. Apol.* 39. de Ecclesiae censu: Haec stips inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandis-

que. ℙ Item idem ac vorago. *Ammian.* 17, 7. *f.* de terrae motib. Patefactis subito voratrinis terrarum partes absorbent.

VORĀTUS, a, um, part. a *voro: Mart.* 5, 18. Avidum vorata decipit scarum musca. *Arnob.* 7, 249. Mansa et vorata viscera. *Aurel. Vict. Epit.* 40. *med.* Voratumque limo pondere thoracis, corpus vix repertum. ℙ Sensu activo, quasi a *voror* dep. *Alcim.* 2, 231. de Eva: pomumque vorata momordit.

VORAX, ācis, adj. omn. gen. *πολυφάγος*, qui vorat, multa absumens, inexplebilis edacitatis, gurges, helluo. *Cic. Phil.* 2, 27. Quae Charybdis tam vorax tot res tam cito absorbere potuisset? *Ov. Met.* 8, 838. quo copia major Est data, plura cupit, turbaque voracior ipsa est. *Lucan.* 1, 181. Hinc usura vorax, avidumque in tempora fenus. *Val. Max.* 7, 1. *f.* Exercitus, et arma, et equitatus voracibus impensis onerosus. *Lucan.* 2, 663. omnia pontus Haurit saxa vorax. *Sil.* 4, 687. Flamma vorax. ℙ Translato et obsceno sensu. *Catull.* 33, 9. de cinaedo: Culo filius est voraciore.

[VORDENSES, ium, m. plur. incolae pagi in Gallia Narbonensi, qui nunc dicitur *Gordes*, inter Aptam Juliam, nunc *Apt*, et Carpentoracte, nunc *Carpentras. Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 164. *n.* 4. C. Allio C. F. Volt. Celeri IIII. Vir., Flam., Augur. Col. J. Apt. ex V. Dec. Vordenses pagani patrono. V. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 197. *F.*]

*VORGIUM, i, n oppidum Galliae Lugdunensis s. Celticae, in agro Osismiorum. *Tab. Peuting. B. A.*

VORO, as, avi, atum, a. 1. *βρογχιάζω, δάπτω*, cibum integrum, et non confectum dentibus in ventrem dejicio, ut multa animalia faciunt, v. gr. pisces, et aves carnivorae, etc. *Cic. N. D.* 2, 47. *f.* Animalium alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. *Plin.* 10, 71, 91. Alia sugunt, alia lambunt, sorbent, mandunt, vorant. *Pl. Rud.* 2, 6, 61. Quaenam balaena meum voravit vidulum? ℙ Translate, et proverbii modo. *Id. Truc.* 1, 1, 19. Amator si id, quod oratur, dedit, adduntur noctes: interim ille hamum vorat. Sic *Curc. a.* 3. *v.* 61. Meus hic est: hamum vorat. ℙ Sumere aliquid medicinae causa: quia ejusmodi mandi non solent. *Id. Merc.* 1, 2, 28. Resinam ex melle Aegyptiam vorato: salvum feceris. *Mart.* 1, 88. Pastillos Cosmi luxuriosa voras. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 24. Si nausea occurrerit, apium vorare jubet aegrotantes. ℙ Ponitur universim pro avide et propere comedere. *Pl. Trin.* 2, 4, 73. At pol ego, etiamsi vetet, edim, atque ambabus malis expletis vorem. *Plin.* 11, 19, 21. Apes mella avide vorantes. *Mart.* 6, 11. Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris. *Juven.* 1, 135. Optima silvarum interea, pelagique vorabit Rex horum. ℙ Translate. *Cels.* 5, 28. *n.* 3. Ulcus, quod *ἕρπητα ἐσθιόμενον* (al. *φαγέδαιναν*) Graeci vocant, quia celeriter serpendo corpus vorat. *Sen. Hipp.* 282. Amor tacitas vorat penitus medullas. Adde 641. *Albin.* 1, 134. Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus. *Ov. Met.* 13, 731. Charybdis vorat raptas, revomitque carinas. *Claud. B. Get.* 337. Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite, *h. e.* recipit in se, et absorbet. Absorbendi vim habet et in illo *Virg. A.* 1, 120. navem ter fluctus ibidem Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex. *Plin.* 4, 4, 5. de Peloponneso: In eo loco (*in Isthmo*) erumpentia e diverso maria ejus omnem ibi latitudinem vorant, *h. e.* exedunt, absumunt. *Id.* 37, 2, 7. Idem in reliquis generis ejus (*murrhinorum vasorum*) quantum voraverit, licet existimare, etc. *h. e.* quantum pecuniae absumpserit. *Sil.* 4, 230. qua medius pugnae vorat agmina vortex, *h. e.* ubi pugna saevit, et milites absumit. *Cic. Att.* 4, 11. Nos hic voramus litteras cum homine mirifico Dionysio, *h. e.* avide perdiscimus. *Catull.* 35, 7. Quare si sapiet, viam vorabit, *h. e.* celeriter conficiet. *Just.* 30, 4., Vates eccinere, oriens Romanorum imperium vetus Graecorum ac Macedonum voraturum. ℙ Obsceno sensu usurpat *Catull.* 80, 5. de fellatore, et *Mart.* 2, 51. de cinaedo pathico, et 7, 67. de femina cunnos lingente.

VORSUS. V. VERSUS, a, um.

VORTEX, icis, m. idem ac vertex: ita veteres loquebantur. Estque a *vorto*, quod prisci illi Latini pro *verto* dixere. Quare vertex, et vortex nec significatione, nec origine differre possunt: quidquid dicat *Charisius*, qui 1, 68. autumat, *verticem* a *vertendo* dici, *vorticem* a *vorando:* additque, *Plinii* opinionem esse, verticem immanem vim impetus habere, ut (*Virg. A.* 1, 118.) *Ingens a vertice pontus:* vorticem vero circumactionem undae esse, ut (*ib.* 121.) *Et rapidus vorat aequore vortex.* Sed ea promiscue usurpari, omnium argumentorum illud fortissimum, quod *Quint.* 1, 7. *med.* scribit, Scipionem Africanum primum in *vortices*, et *vorsus* O litteram vertisse in E. Illud tamen animadvertendum est, quod non quidem ratio, sed usus quidam obtinuit, ut Latini libri saepe scribant *vertex* per *e*, cum volunt notare summitatem alicujus rei; *vortex* vero per *o*, cum aeris, aut aqua in gyrum vertentis impetum turbinemque significant. *Appul. de Mundo:* Vortex ille est, vel, uti dicitur, dine (*δίνη*), cum torquetur humus arida, et ab infimo erigitur ad summum. *Hor. Od.* 2, 9, 22. flumen minores volvere vortices. Alii habent *vertices. Sen. Q. N.* 5, 13. Ut aquae circumlatae in se sorbeantur, et vorticem efficiant. *Virg. A.* 7, 567. fragosus, et torto vortice torrens. Alii *vertice. Ov. Met.* 8, 555. torrens nivibus de monte solutis Corpora turbineo juvenilia vortice mersit. *Id. Fast.* 6, 502. vorticibus densus Tibris. *Liv.* 23, 19. Amnis transverso vortice dolia impulit ad ripam. Alii leg. *vertice;* et 28, 30. Navis retro vortice intorta; et *mox:* Pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices. Alii leg. *vertices. Lucr.* 6, 296. igneus Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen; et *ib.* 442. involvit venti se nudibus ipse Vortex. ℙ *Vortex medius pugnae* ap. *Sil.* 4, 230. est, ubi maxime fervet pugna, et caedes fiunt, et periculum est mortis: sicut vortex fluminis, ubi maxime fervent undae, mersionis periculum majus habet. Alii tamen leg. *vertex*: ac testantur critici promiscue in MSS. et per *e*, et per *o* inveniri in Latinis scriptoribus. ℙ Metaphora est etiam in illo *Sen. ep.* 82. Non satius est sic jacere (*in otio*), quam istis officiorum vorticibus volutari? *Catull.* 68, 107. tanto te absorbens vortice amoris Aestus.

VORTICOSUS, a, um, adj. vorticibus abundans, verticosus. *Sall. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 121. Charybdis mare vorticosum. *Sen. Q. N.* 7, 8. Turbinum motus vagus et disjectus, et, ut Sallustii utar verbis, vorticosus. V. VERTICOSUS.

*VORTICULOSUS, a, um, adj. i. q. vorticosus. *Gloss. Lat. Gr.* Vorticulosus, *εἱλιγγώδης. B. A.*

VORTO. V. VERTO.

VORTUMNUS. V. VERTUMNUS.

VOS, vostrum, etc. V. in TU.

*VOSAVIA, ae, f. oppidum Galliae Belgicae, ad Rhenum. *Tab. Peuting.* ℙ *Cellarius* affirmat, omnium consensu vulgo esse *Ober-Wesel*, jam tum Hrabani aetate *Wasalia* dicta, ut facilis conjectura sit, in *Tabula* fortasse etiam *Vosalia* vel *Vosallia* legendum esse. *B. A.*

[VOSĒGUS, i, m. Deus a Gallis cultus, nempe ipse mons Vogesus excurrens a Treviris usque ad Lingonas, quatuor fluminum Matronae, Mosae, Mosellae atque Araris pater, quem recentiores transpositis litteris Vosegum seu Vosagum vocavere, nunc *les Vosges.* Montis meminit *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1., *Caes. B. G.* 4, 10., *Lucan.* 1, 397. et *Venant. carm.* 7, 4, 19. Deum vero memorat *Inscr.* ap. *Grut.* 94, 10. Vosego Maximinus V. S. L. L. *F.*]

VOSTER, stra, strum, pronom. possess. idem ac vester, ap. veteres. *Pl. Amph. prol.* 1. In vostris mercimoniis emundis, venundisque, etc. V. VESTER.

*VOTIĒNUS Montanus, Narbonensis rhetor et poeta nobilis, a Tiberio relegatus in Baleares. *Tac. A.* 4, 42. *Sen. Suas.* 21 et 28. V. et *Montanianus. B. A.*

VOTĪFER, ra, rum, et

[VOTĪGER, ra, rum, adj. votum ferens, vel gerens, votivus. *Stat. Silv.* 4, 4, 92. Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas. Alii inepte leg. *pomifera. Auct. Epith. Laur. et Mar.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 633. *Burm. v.* 14. Florigenas plenaque decens lanugine malas Mollia votifero dempsisti vellera ferro, *h. e.* novacula, qua primam barbam Diis offerendam, votis conceptis, dempsisti. (V. BARBA.) *Id. ib. v.* 59. atria larga, Votigerique ignes, stellantia lumina, complent, *h. e.* lampades, quae vota et bona omina significant. *F.*]

VOTĪTUS. V VETITUS.

VOTĪVĪTAS, atis, f. obligatio, qua voto susceptо tenemur. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXV. ap. *Grut.* 1018, 8. et *Mur.* 386, 5. Votivitate, et tota mente devota Genium curiae dedicatum, etc.

VOTĪVUS, a, um, adj. *εὐκτὸς*, ad votum spectans, ut *Votivae preces*, quibus aliquid cum voto poscimus: *Votiva verba*, quibus in faciendis votis utimur: *Votiva tabella*, quae ex voto Deorum aris, vel simulacris suspenditur in testimonium accepti beneficii: *Tura votiva*, quae voti causa incenduntur: *Animal votivum*, quod ex voto dari promittitur: *Ludi votivi*, qui ex voto celebrabantur. *Hor. Od.* 1, 5, 13. me tabula sacer Votiva paries indicat, uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo. *Id. Ep.* 1, 3, 36. Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca. *Ov. Am.* 3, 12, 9. Accipit ara preces, votivaque tura piorum. *Plin.* 7, 48, 49. et *Cic. Verr.* 1, 10. *med.* Ludi votivi. *Tac. G.* 31. Crinem barbamque summittere, nec, nisi hoste caeso, exsuere, votivum obligatumque virtuti oris habitum. *Ov. Her.* 20, 236. et *ib.* 21, 93. Votivus sanguis, *h. e.* victimae votivae. *Id. A. Am.* 1, 205. Auguror en: vinces: votivaque carmina reddam, *h. e.* promissa. *Val. Fl.* 2, 487. cui candentes votivo in gramine pascit Cornipedes genitor. *Hypallage:* votivos equos in gramine pascit: sed et gramen ipsum votivum est, utpote addictum equis votivis. ℙ De legatione votiva V. in LEGATIO. ℙ *Votivae noctes*, quibus ex voto, et sacrorum causa secubabant. *Prop.* 2, 21, 62. ℙ *Votivus* interdum sumitur pro eo, quod ex voto succedit, quod gratum et jucundum est. *Treb. Gall.* 3. Constabat, votivum illi fuisse, quod immi-

nentem cervicibus suis gravitatem patriam non haberet, *h. e.* votivum fuisse non habere. *Appul. Met.* 7. Tota civitas ad votivum conspectum effunditur; et *ib.* 8. *f.* Deam votivo suscipiens hospitio. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 330. Votiva mors et martyri: *εὐκτέον. Tert. Apol.* 9. *in.* Ipsos Saturni sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum, votivis crucibus, Tiberius proconsul vivos exposuit. ℙ *Aures votivae*, quae aliquid cupiunt audire. *Pl. Cas. prol.* 29. Aures votivae si sunt, animum advortite. Alii temen leg. *vacivae*, et sane rectius.

*VOTO, as, a. 1. frequentat. *Onomast. Vet.* Voto, *ὁμολογέω.* V. *Jornand. de Regn. Success. in Julian. Parabata. B. A.*

VOTUM, i, n. *εὐχή, εὐχωλή, ἀρά*, preces cum sponsione alicujus rei, qua Deo obligamur, si quippiam obtinuerimus: a supino verbi *voveo. Cic. N. D.* 1, 14. Zeno aethera Deum dicit esse: si intelligi potest nihil sentiens Deus, qui nunquam nobis occurrit, neque in optatis, neque in votis. *Hirt. B. Alex.* 15. *extr.* Precibus et votis victoriam suis ab Diis immortalibus exposcere. *Cic. Cluent.* 68. *f.* Quia etiam nocturna sacrificia, sceleratasque ejus preces, et nefaria vota cognovimus. *Id. N. D.* 3, 37. Nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multis voti vim tempestatis effugerint? *Id. Att.* 12, 43. *f.* Voti religione obstrictum esse; et *ib.* 18. Sed jam quasi voto quodam et promisso me teneri puto. *Id. Fam.* 7, 2. *f.* Quotidie vota facimus, ne intercaletur. *Id. Mil.* 15. *extr.* Vota facere contra rempublicam. *Id. Att.* 8, 16. facere de aliquo aegroto. *Plin.* 14, 13, 14. L. Papirius dimicaturus votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini. *Caecina* ad *Cic. Fam.* 5, 7. Nemo nostrum est, quin vota victoriae suae fecerit. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. *f.* Nuncupare vota pro imperio populi R. *Id. N. D.* 3, 40. *med.* suscipere. *Ov. Met.* 7, 594. concipere. *Tac. A.* 15, 23. exsolvere. *Cic. Phil.* 3, 4. *f.* solvere. *Id. Leg.* 2, 9. *f.* reddere. *Plin. ep.* 10, 101. persolvere; et *ep.* 41. signare. *Virg. A.* 5, 53. exsequi. *Petr. Sat.* 85. *extr.* Voto se exsolvere. *Just.* 21, 3. fungi, *h. e.* votum exsequi. *Cic. Verr.* 2, 4, 55. *med.* Vota Diis debere. *Liv.* 7, 28. et 27, 45. *med.* Voti damnari. *Virg. A.* 5, 237. reus. *Liv.* 7, 40. compotem facere. *Id.* 5, 28. liberari. *Hor. Od.* 2, 8, 5. Obligare votis caput. *Virg. A.* 5, 234. Divos in vota vocare. *Tac. A.* 1, 11. In questus, lacrimas, vota effundi. *Ov. Pont.* 2, 10, 40. vota ferre ad Deos. *Inscr.* ap. *Grut.* 18, 6. Jovi opt. max. P. Aelius Chrestus ex voto suscepto aram consacravit. *Alia ib.* 34, 10. S. l. M. Turranus et Senecio ex voto posuerunt. (Adde *Hor. Sat.* 1, 5, 66.) *Alia* 1072, 8. Fortunae sanct. sacr. voto suscepto merito libens Terentia Tallusa fecit. ℙ Ipsa res quae voto promittitur. *Petr. Sat.* 89. stipant graves Equi recessus Danai, et in voto latent. *Virg. A.* 3, 279. Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras, *h. e.* ture et victimis. *Servius* interpretatur, vota facientes. ℙ Id ipsum, quod voto petitur, et optatur. *Ov. A. Am.* 1, 671. Quantum defuerat pleno post oscula voto! et *ib.* 1, 737. Ut voto potiare tuo, miserabilis esto. *Pet. Sat.* 11. Frui votis. *Claud. B. Gild.* 6. Horret adhuc animus, manifestaque gaudia differt, Dum stupet, et tanto cunctatur credere voto. *Appul. Flor. in.* Religiosis viantium moris est, cum aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, donum apponere, *h. e.* quippiam a Diis, voto facto, petere. ℙ Dies, quo vota publica nuncupantur. *Capitol. Pert.* 6. Denique tertium Monarum diem, votis ipsis, milites Triarium Maternum ducere in castra voluerunt. *Vopisc. Tac.* 9. Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuae principum bonorum: ita ut iisdem natalibus suis, et Parilibus, et cal. Januariis, et votis libamina onerentur. *Cajus. Dig.* 50, 16, 233. docet, hunc diem fuisse tertium post cal. Januar., quo die vota pro salute principis suscipiebantur. V. NUNCUPO. ℙ Aliquando *vota* sunt solae preces, sine ulla promissione. *Ov. Trist.* 1, 2, 1. Dii maris et coeli (quid enim nisi vota supersunt?) Solvere quassatae parcite membra ratis. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 90. Agnosco vota tua, mi Secunde carissime, quibus precaris, ut, etc. V. *epist. Plinii praeced.* ℙ Saepe *votum* est voluntas, optatum, desiderium. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. *extr.* Sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna vota cupiditatum suarum. *Petr. Sat.* 115. Haec sunt consilia mortalium, haec vota magnarum cogitationum. *Ov. A. Am.* 1, 90. Haec loca sunt voto fertiliora tuo. *Plin. ep.* 6, 26. Spondeo habiturum te generum, quo melior fingi ne voto quidem potest. *Plin. alter* 37, 9, 40. Indicae amethysti absolutum felicis purpurae colorem habent: ad hancque tingentium officinae dirigunt vota. *Hor. Sat.* 2, 6, 1. Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus, etc. *Pers.* 3, 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in voto. *Hor. Ep.* 1, 11, 5. An venit in votum Attalicis ex urbibus una? *Suet. Aug.* 51. Neque votum sibi, neque animum deesse confodiendi eum. *Ov. Met.* 2. 89. Nate, cave, dum resque sinit, tua corrige vota. *Curt.* 4, 13. *med.* Darius votum meum implevit, *h. e.* quod optabam, plane praestitit. *Sall.* ap. *Serv. A.* 2, 169., *Just.* 23, 3. et *Tac. H.* 3, 46. Rebus

supra vota fluentibus. *Quint. decl.* 3, 12. *f.* Ad omne votum fluente fortuna, lascivit otium. *Cels.* 6, 6. *n.* 1. *med.* Sub his oculus plerumque rumpitur: votumque est, ut tantum exulceretur. Et sequente infinito, *Prud. Psych.* 393. vobis vinci et succumbere votum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 696, 10. Filio dulcissimo memoriam posuerunt contra votum, *h. e.* a quo sibi faciendum optaverant, ut est in *alia* 536, 1. Sic in *alia* 697, 7. Quod decuit natam patri praestare sepulto, Hoc contra natae praestitit ipse pater. Similem sententiam habes 699, 1, et 707, 8. et 536, 1. et 683, 5. et 695, 5. et alibi: item ap. *Cic. Sen.* 23. ℙ De arboribus *Plin.* 17, 2, 2. Vota arborum, frugumque communia sunt, nives diutinas sedere. ℙ *Vota* pro nuptiis et matrimonio: quia ex voto, *h. e.* desiderio utriusque conjugis plerumque fiunt. Hinc Itali vulgo dicunt *rimogliarsi* et *rimaritarsi in secondi voti. Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 5, 9, 4. Nec prosit liberis ex priore susceptis matrimonio, quod mulier ad tertia minime vota migraverit. *Imp. Justin. ib.* 5, 24. *f.* Ex quo vota nuptiarum re ipsa processerint. *Impp. Constant. et Constans, ib.* 1, 2. Nihil fraudis ei sit, quae nuptias maturando, vota sua diutius eludi non passa est. *Appul. Flor. n.* 4. Togam parari et voto, et funeri. *Id. Met.* 4. Votis nuptialibus pacto jugali pridem destinatus. In ludrico testamento *M. Grunnii Corocottae* (de quo V. in BUBULARIUS.) Sorori meae Quirinae, in cujus votum interesse non potui, do, lego, etc.

*VOTURI, orum, populi Galatiae (Gallograeciae). *Plin.* 5, 32. *B. A.*

VŌTUS, a, um, part. a *voveo: ἐπευχθείς. Cic. N. D.* 3, 17. At earum templa sunt publice vota, et dedicata. *Liv.* 4, 12. Ludi ab decemviris per secessionem plebis a patribus ex S. C. voti, eo anno facti sunt. *Ov. Am.* 2, 11, 46. pro reditu victima vota cadet. *Id. Fast.* 4, 893. Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi, *h. e.* promissa Mezentio.

VŌVĔO, es, vovi, votum, a. 2. *εὔχομαι, ἐπεύχομαι*, Deo aliquid sancte promitto: ab *ὄω*, pro *οἴω*, fero, *h. e.* animo seu voce offero. *Cic. N. D.* 3, 36. Neque Herculi quisquam decumam vovit unquam, si sapiens factus esset. *Id. Div.* 1, 17. Cum sues puer pasceret, una ex his amissa, vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se Deo daturum, quae maxima esset in vinea. *Ov. Met.* 9, 793. Vota puer solvit, quae femina voverat Iphis. *Id. ib.* 13, 88. sortemque meam vovistis, Achivi, *h. e.* vota fecistis, ut ex pluribus sors mea ex urna exiret. *Liv.* 1, 27. Tullus in re trepida decem vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori. *Albin.* 1, 179. Moesta domus plangore donat, cui figere laetus Parta sua dominus voverat arma manu. *Pl. Curc.* 1, 1, 72. Me inferre Veneri vovi jam jentaculum. In *fragm. Tabulae Fratr. Arval.* ap. *Fabr.* p. 443. *n.* 51. et *Marin. Frat. Arv. n.* XXIV. I. O. M. bovem auratum vovimus esse futurum. (Ita legendum censet *Marin. ib.* p. 147. pro *auratam . . . . futuram*, ut est aliquoties in in eo lapide ex quadratarii negligentia vel imperitia, quamvis rectius ipse putat *bove aurato . . . . futurum*, quod saepius in eodem legitur; septies enim ibidem ea formula habetur, ut etiam in alia *Tabula* ap. *Grut.* 119, 3. et ap. *Marin. ib. n.* XIX., itidemque ap. *Tert. cor. mil.* 12.) *Cic. Fin.* 5, 22. *f.* Nostri imperatores pro salute patriae sua capita voverunt. Alii leg. *devoverunt. Sall. in or. Cottae ad pop. f.* Voveo, dedoque me pro republica. *Just.* 21, 3. Locrenses voverant, si victores forent, ut virgines suas prostituerent. *Liv.* 31, 9. *f.* Vovit in eadem verba consul, praeeunte maximo pontifice, quibus ante, etc. *Inscr.* lamnae aeneae ap. *Liv.* 23, 19. *f.* Manicium pro militibus, qui Casilini in praesidio fuerint, votum vovisse. *Pl. Amph.* 3, 2, 66. Ut quae apud legionem vota vovi, exsolvam. *Sil.* 4, 203. Sed Parcae intonsa non exaudita voventem Ad Manes traxere coma. ℙ Sumitur etiam pro optare, desiderare, cupere. *Hor. Ep.* 1, 4, 8. Quid voveat dulci nutricula majus alumno? *Ov. Met.* 12, 200. Sint tua vota licet, dixit, secura repulsae: Elige, quid voveas; et *ib.* 14, 35. Ut tua sim, voveo.

VOX, vōcis, f. *φωνή, βωή*, sonus animalium ore aut alia collisione corporum expressus: a *vocando* ducta, ut *dux* a *ducendo:* vel a *βοῶ*, clamo: vel a *βώξ* (quod pariter a *βοῶ*) piscis marini vocalis genus. *Vitruv.* 5, 3. *med.* Vox est spiritus fluens, et aeris ictu sensibilis auditui. Ea movetur circulorum rotundationibus infinitis, uti, si in stantem aquam lapide immisso, nascantur innumerabiles undarum circuli crescentes a centro, etc. *Sen. Q. N.* 2, 29. Vox nihil aliud est, quam ictus aer; et *ib.* 6. Quid est vox, nisi intensio aeris, ut audiatur, linguae formata percussu? *Phaedr.* 1, 12. Cervus venantum vocibus conterritus. *Id.* 5, 5. Porcelli vocem imitari. *Catull.* 63, 21. Ubi cymbalum (scil. cymbalorum) sonat vox. *Virg. A.* 6. 646. Obloquitur numeris septem discrimina vocum: Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno. *Ov. Trist.* 3, 11, 48. Mugiet, et veri vox erit illa bovis. *Id. Am.* 2, 6, 18. de psittaco: vox mutandis ingeniosa sonis. *Id. Met.* 1, 337. de buccina Tritonis: quae medio concepit ut aera ponto, Litora voce replet. Sic *Virg. A.* 7, 519. ad vocem celeres, qua buccina signum Dira dedit, raptis concurrunt undique telis. *Id. ib.* 3, 555. Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa Audimus longe, fractasque ad litora voces. *Id. ib.* 669. ad sonitum vocis vestigia torsit, *h. e.* remorum aquas pulsantium. ℙ Adjuncta *vocis* plurima sunt. *Cic. Or.* 3, 57. Omnes voces hominis, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces, ut chordae, sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, leve, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono, attenuatum, inflatum; et *ib.* 12. Loqui sono vocis recto, et simplici, non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter. *Id. Or.* 17. *f.* Contenta voce atrociter dicere; et summissa leniter; et inclinata videri gravis, et inflexa miserabilis. Mira est enim quaedam natura vocis, cujus quidem e tribus omnino sonis (h. e. *accentibus*) inflexo, acuto, gravi, tanta sit, et tam suavis varietas perfecta in cantibus; et *ib.* 18. Aeschinem voce dulci, et clara fuisse. *Quint.* 11, 3. Natura vocis spectatur quantitate, et qualitate. Quantitas simplicior est, in summa enim grandis, aut exigua est. Qualitas magis varia est: nam est et candida, et fusca; et plena, et exilis; et lenis, et aspera; et contracta, et fusa; et dura, et flexibilis; et clara, et obtusa. (Adde *Cic. N. D.* 2, 58. *f.*) et post multa: Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aera, auribus sedens; et *infra:* Vox laetis in rebus plena, simplex, et ipsa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, et velut omnibus nervis intenditur: atrox in ira, et aspera, et densa, et respiratione crebra: paululum in invidia facienda lentior: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando lenis et summissa: suadentium, et monentium, et pollicentium, et consolantium gravis: in metu, et verecundia contracta; adhortationibus fortis, disputationibus teres; miseratione flexa, et flebilis, et consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, et securae claritatis; in expositione, et sermonibus recta, et inter acutum, et gravem sonum media. *Cic. Or.* 3, 25. *med.* Quanto molliores sunt, et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae, quam certae et severae! *Auct. ad Her.* 3, 12. Vox sedata, et depressa; et *ib.* 12. remissa; et *ib.* 14. tremebunda. Ap. *Ov. variis in loc.* resona, sonans, ingens, tremens, fessa loquendo, infragilis, summa, sicca, rauca, fera, insana, virilis, tristis. Ap. *Sen. Trag. variis in loc.* alta, horrenda, blandiloqua, infanda, luctrifica, gravior et attonita. Ap. *Val. Fl.* moesta, saeva. Ap. *Sil.* 1, 67. trux. Ap. *Quint.* praepinguis, dura, rigida, recta, erecta, concitata. Ap. *Cicer.* rustica, agrestis, absona, absurda, subrauca, mollis, suavis, canora splendida. Ap. *Catull.* tinnula. Ap. *Sen. Apocol. med.* qualis esse marinis belluis solet, rauca, et implicata. Ap. *Pers.* 1, 19. serena. Ap. *Lucr. et Virgil.* liquida. Ap. *Plin.* modulata, robusta, truculenta. ℙ Multi etiam loquendi modi. *Cic. Or.* 1, 61. *f.* Contentio vocis, et remissio; et *ib.* 2, 46. Vox inflexa ad miserabilem sonum. *Id. Sen.* 5. *med.* Legem Voconiam magna voce, et bonis lateribus suasi. *Sall. Cat.* 32. Demisso vultu, voce supplici postulare. *Petr. Sat.* 108. clara liberaque clamare; et *ib.* 96. rabiosa, barbaraque perorare in ebrios et fugitivos; et *fragm. Trag.* 70. *Burm.* tremula teterrimaque cantare. *Sen. Br. V.* 12. Vocem inflexu modulationis torquere. *Ov. Am.* 2, 4, 25. dulce canit, flectitque facillima vocem. *Id. Met.* 9, 583. lingua icto aere dat voces; et *ib.* 15, 657. Vocem emittere. *Pl. poen. prol.* 33. Matronae canora hic voce sua tinnire temperent. *Id. Most.* 3, 1, 49. Scio, te bona esse voce: ne clama nimis. *Virg. A.* 8, 70. Effundere vocem ad sidera; et *Ecl.* 5, 62. jactare ad sidera. *Claud. in Eutrop.* 2, 390. anhelam expromere. *Pl. Ps.* 1, 4, 16. comprimere. *Ov. Met.* 1, 715. supprimere. *Quint.* 1, 8. attollere, vel submittere. *Phaedr.* 1, 12. edere; et 2, 26. praecludi metus. *Catull.* 64, 125. imo e pectore fundere; et *ib.* 202. moesto pectore profundere, *Virg. A.* 1, 378. imo a pectore trahere; et *ib.* 4, 463. longas in fletum ducere voces; et *ib.* 12, 929. vocem late nemora alta remittunt; et *ib.* 638, Voce vocare aliquem. *Quint.* 11, 3. Fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant; et *ib.* Vocem urgere ultra vires. *Pl. Poen. prol.* 13. Praeco exerce vocem, per quam vivis. *Id. Rud.* 1, 4, 5. Voce quaerere aliquem, *h. e.* identidem vocando. *Id. Bacch.* 5, 2, 22. Humana nos voce appellant oves. *Id. As.* 2, 2, 30. Jubeo te salvere voce summa, quoad vires valent. *Id. Amph.* 5, 1, 12. maxima voce exclamare. *Ter. Ph.* 5, 7, 92. Enimvero voce est opus: Nausistrata exi. ℙ Ad curam servandae vocis pertinent haec. *Cels.* 5, 25. *n.* 15. Vocem adjuvat turis P. 1. in duobus cyathis vini datum. *Plin.* 24, 18, 108. Eriphia (*herba*) ad vocem nihil praestantius esse tradunt. *Id.* 20, 6, 23. Allium voci confert; et 22, 25, 69. Faba voci prodest; et 20, 14, 53. Vocimentae succus utilis; et *ib.* 6, 21. Porrum voci splendorem affert. *Suet. Ner.* 20. Vocem reficere; et *ib.* 25. conservare. ℙ Saepe *vox* est verbum, sermo, oratio, dictum, sententia. *Lucr.* 1, 912. Cum ligna, atque ignes distincta voce notemus. *Cic. Fin.* 2, 2. *f.* Dico, Epicurum non intelligere, quid sonet haec vox voluptatis, id est quae res huic voci subjiciatur. *Ov. Fast.* 5, 484. Is verbi sensus, vis ea vocis erat. *Sen. Thyest.* 1072. Vocibus nostris vaca. *Virg. A.* 1, 68. Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est: Aeole, etc. *Just.* 11, 15. Applicito captivo, cum civem ex voce cognovisset, etc. Sic *Ov. Trist.* 3, 12, 39. Graja, sive Latina voce loqui. *Caes. B. G.* 1, 32. Cum ab iis saepius quaereret, neque ullam omnino vocem exprimere posset; *Cic. Verr.* 2, 5, 65. Constitue, nihil esse opis in hac voce, Civis R. sum. *Hor. Sat.* 1, 6, 92. longe mea discrepat istis Et vox, et ratio; et *ib.* 3, 103. Donec verba, quibus voces sensusque notarent, Nominaque invenere. *Id. Ep.* 1, 1, 34. Sunt verba, et voces, quibus hunc lenire dolorem Possis. *Id. Od.* 1, 10, 1. Mercuri, etc. Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti. *Cic. Sext.* 19. Cum viderem, vocem pro me ac pro republica neminem mittere; et *Cluent.* 32. *med.* Hodierno die primum veritas vocem contra invidiam misit. *Id. Fl.* 3. Fuit quaestor in Hispania: vox de quaestura nulla missa est; et *paulo post:* Quae est unquam jacta, non suspicio, sed iracundiae vox, aut doloris? *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. Temerarium videatur unam vocem antiquorum posuisse: Nihil minus expedire, quam agrum optime colere. *Tac. A.* 2, 29. Libo veste mutata vocem adversus pericula poscere, *h. e.* defensionem. ℙ *Viva vox.* V. VIVUS. ℙ *Una vox*, communis opinio et consensus. *Cic. Fam.* 9, 15. Atque haec una vox omnium est. *Id. Or.* 1, 11. A quibus omnibus una paene repelli voce oratorem a gubernaculis civitatum videbam, *h. e.* uno ore, consensu omnium. *Mart.* 7, 6. Certus auctor abest: sed vox hoc nuntiat omnis. ℙ *Tollere vocem* est gravi stilo, et grandioribus verbis uti, ap. *Hor. A. P.* 93. Interdum tamen et vocem comoedia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore. ℙ Interdum *voces* sunt litterae, vocales praesertim, quae solae sonum habent. *Cic. Or.* 44. Verba sint quam suavissimis vocibus; et *f.* In ea oratione est crebra ista vocum concursio, quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes. ℙ Item accentus, *προσῳδία. Cic. Or.* 18. Ipsa natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam.

U P

*UPELLAE, arum, oppidum Norici. *Tab. Peuting. B. A.*

ŬPĬLĬO, onis, m. idem ac opilio, q. v. v.

[ŬPĬLĬUS, a, um, adj. qui ad upilionem pertinet. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 463. *n.* 95. L. Cornelius A. F. Fab. Upilius. *F.*]

*UPIS, is, pater Dianae cujusdam, a quo et ipsa Diana Upis Graecis dicitur, v. c. *Callimacho H. in Dian.* 204. V. *Cic. N. D.* 3, 23. *B. A.*

ŬPŬPĂ, ae, f. *ἔποψ*, avis cristis a capite exeuntibus galeata, in fimo semper commorans. Vulgo nomen eo accepisse putatur, quod Tereus Thracum rex in avem eam commutatus, etiam nunc requirens filium Ityn, quem Progne marito comedendum apposuerat, inclamet *ὄπου, ποῦ*, ubi, ubi. Sed sane possumus cum *Varr. L. L.* 4, 11. deducere a voce ejus *pu, pu*, ne ad fabulas recurramus: vel potius ab ipsa Graeca voce *ἔποψ, οπος*, seu *ὄὖποψ, οπος*, *ὁ* nempe articulo per crasin Atticam cum nomine *ἔποψ* conjuncto, ut legitur ap. *Aristoph.* in *Avib. v.* 226. *Ὄὖποψ μελῳδεῖν αὖ παρασκευάζεται:* ubi legitur ejusdem avis cantilena: *Ἐποποποῖ ποποῖ, ποποποποῖ ποποῖ:* unde factum verbum *ποπίζω* ap. *Polluc. l.* 5. §. 89., quo ejusdem cantus exprimitur; atque hinc Latini suam fecere upupam. V. EPOPS. *Plin.* 10, 29, 44. Mutat et upupa (*formam, et colorem*), ut tradit Aeschylus poeta, obscena alias pastu avis, crista visenda plicatili, contrahens eam, subrigensque per longitudinem capitis. Adde *ib.* 25, 36. ℙ *Upupa* etiam ob similitudinem dicebatur instrumentum ferreum, quo in lapicidinis utebantur ad eruendos et excavandos lapides: quod Graeci *ἀπὸ τοῦ ὀρύττειν*, fodere, *ὄρυγα* dixere. *Pl. Capt.* 5, 4, 7. Itidem huc mihi advenienti upupa, quae me delectet, data est. Ubi Tyndarus servus captivus ait, sibi, simul atque in lapicidinas detrusus esset, datam esse upupam in manum, ut scilicet hoc esset illi misero, quod patriciis pueris monedula, aut coturnix. V. integrum *Plauti* locum.

ŪRA, ae, f. *οὐρά*, cauda. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1013, 6. M. Clodius Ura. ℙ *Ura scorpius*, herbae nomen Graecum *οὐρὰ σκορπίου*, h. e. cauda scorpionis, quae et heliotropium dicitur. *Appul. Herb.* 49. *Syriae oppidum, in Palmyrena. *Plin.* 5, 24. ℙ *Sura* appellatur ab *cod.* 5, 26. ed. *Hard.* ubi antea *Asura* legebatur. *B. A.*

URAEA CYBIA. V. HORAEUS.

URAGUS et URGUS. V. ORCUS.

URĀNIĀ, ae, et Graeca positione Uranie, es, f. *Οὐρανία, Οὐρανίη*, Jovis et Mnemosynes filia, una Musarum, cui astrologiae inventio tribuitur: ab *οὐρανός*, coelum. Praeest enim rebus coelestibus et divinis. Aliqui dictam putant quasi *τὰ ἄνω ὁρῶσαν*, hoc est quae sursum sunt, speculantem. *Ov. Fast.* 5, 55. Excipit Uranie: fecere silentia cunctae. *Auson. Idyll.* 20, 8. Uranie coeli motus scrutatur et astra. *Cic. Div.* 1, 11. Versus, quos in secundo consulatus Urania musa pronuntiat, *h. e.* in lib. 2. carminis, quod de suo consulatu *Cicero* composuit, et in tres libros divisit. Adde *Capell.* 8, 273. V. MUSA. ℙ *Urania* vocatur etiam Dea Coelestis. V. h. v. ℙ *Et nomen unius e canibus Actaeonis. *Hygin. fab.* 181. *B. A.*

[URĀNIDES, ae, m. *οὐρανίδης*, coelestis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 540, 2. Diogenes Mil. Coh. X. Pr. *7*. Uranide, *h. e.* Uranidae, perperam omissa altera vocali diphthongi. *F.*]

[URĀNIO, onis, f. dimin. Uranies. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 254. Gratiliae Ↄ. L. Uranionis filiae (*ossa*). *F.*]

*URANNIMAL, oppidum Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* exhibet *Murannimal. B. A.*

*URANOPŌLIS, is, f. *Οὐρανόπολις*, urbs Macedoniae, in Chalcidica, ad montem Athum. *Plin.* 4, 10. Ejus conditor Alexander ille Magnus. V. *Athen.* 3, 20. ℙ Alia, in Pamphylia. *Id.* 5, 7. *B. A.*

URĀNOSCŌPUS, i, m. *οὐρανοσκόπος*, piscis idem qui callionymus, fel habens praegrande, quo cicatrices, et excrescentes in oculo carunculae persanantur: ita dictus ab oculo, quem in capite habet ita situm, ut eo coelum intueri videatur. *Plin.* 32, 7, 24. et *ib.* 11, 52. V. CALLIONYMUS.

URĀNUS, i, m. *Οὐρανός*, pater Saturni, qui Latinis coelum, vel potius Coelus, sive Coelius appellatur, cui Saturnus filius amputavit virilia, et in mare abjecit, ex quibus et ex maris spuma nata est Venus, quae Graeco nomine vocata est Aphrodite. V. *Lactant.* 1, 11. et 12.

*URBA, ae, oppidum Helvetiae, hodie *Orbe, Orbach* vel *Urba. Anton. Itin. B. A.*

*URBĀNA, ae, f. oppidum Campaniae. *Plin.* 14, 6. Urbanam coloniam Sullanam ℙ *Urbanae* audit *Tab. Penting. B. A.*

URBĀNĀTIM, adv. urbane, hoc est urbanorum more, sicut rusticatim rustice, sive rusticorum more. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 8. et 2, 747. At ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.

URBĀNĒ, adv. *ἀστείως*, more eorum, qui urbes inhabitant, eleganter, lepide, venuste. *Cic. Fin.* 1, 11. Ut a patre audiebam facete et urbane Stoicos irridente. *Quint.* 2, 11. Nec sane potuit urbanius ex confessione inscitiae suae elabi. *Id.* 6, 1. *med.* Discutere lacrimas, epilogi est proprium cum oratione continua, tum etiam quibusdam urbane dictis: quale est, Date puero panem, ne ploret. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. *f.* Clodius furebat, a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum, *h. e.* salse et amare. *Manut.* et *alii* mallent *inurbane. Gell.* 15, 5. Urbanissime respondere. ℙ *Urbane loqui* non semper est facete, et cum risu loqui: nam etiam sermo serius *urbanitas* est ex sententia *Domitii Marsi* ap. *Quint.* 6, 3. *f.*, et ex iis, quae in ea voce dicemus. Sed est etiam more eorum, qui in urbe vivunt, cultioribus verbis uti, et a vulgari et plebeja consuetudine aliquantum remotis: et medium est inter sermonem proprium et translatum. Hoc sensu in hoc opere usi sumus, cum *urbane* et *translate* verborum usum exposuimus. V. URBANITAS. ℙ *Urbane*, benigne, comiter. *Treb. Gall.* 14. Fuit ejusdem socius in appetendo imperio quidam Ceronius, qui eos et urbanissime, et prudentissime adjuvit. *Cic. Coel.* 14. Ex ipsa quaeram, utrum me secum severe et graviter, et prisce agere malit, an remisse ac leniter, et urbane; et *ib.* 15. Sin autem urbanius me agere mavis, etc.

[URBĀNI, orum, m. plur. incolae Urbae, oppidi in Liguria prope Albam Pompejam. Fluvii cognominis *Claud. B. Get.* 555. meminit. *Inscr.* ap. *Mur.* 2099, 8. Imp. Caesari Divi F. Augusto Pontif. Max. Cos. XII. Trib. Pot. XVIII. Urbani. V. *Mur. adnot. ib. F.*]

URBĀNICĪĀNUS, a, um, et

URBĀNĪCUS, a, um, adj. Urbaniciani, et Urbanici milites dicuntur, qui in praesidio praefecti urbis Romae collocati sunt. *Paul. Dig.* 4, 6, 35. Sed et in urbanicis militibus idem divus Pius constituit *Spart. Carac.* 4. Nudis pedibus ab urbanicianis raptus est. Alii leg. *urbanicis. Id. Get.* 6. Ventum est usque ad seditionem urbanicianorum militum.

[URBĀNILLA, ae, f. dimin. urbanae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 306. *n.* XXXI. Urbanilla F. matri dulcissimae. *F.*]

URBĀNĪTAS, atis, f. *ἀστειότης, ἀστεισμός*, ret urbanae, vita urbana. *Cic. Fam.* 7, 6. Tu modo ineptias istas, et desideria urbis, et urbanitatis depone: et quo consilio profectus es, id assiduitate et virtute consequere; et *ib.* 17. Mihi interdum (pace tua dixerim) levis in urbis, urbanitatisque desiderio, nterdum piger, interdum timidus videbare, ℙ Refertur ad mores, et significat facilitatem et suavitatem morum, lenitatem, comitatem, humanitatem: quae in iis, qui in urbe vivunt, reperiri solent: nam qui ruri, agrestes esse videntur, duri, asperi, ut qui cum hominibus minus vivere consueverunt. *Id. ib.* 3, 7. *med.* Etiamne tu has ineptias? homo, mea sententia, summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu: addo urbanitate, quae est virtus, ut Stoici rectissime putant. *Vopisc. Prob.* 16. Barbarorum, vel per terrorem, vel per urbanitatem, loca ingressus est. Ita in quodam MS. ap. *Salmas:* h. e. cum bona eorum gratia. Alii leg. *voluntatem.* ℙ Item ad sermonem et orationem, et significat leporem, elegantiam, cultum, munditiam, nitorem, venustatem, tum in verbis ipsis, tum in voce et pronuntiatione. Eorum enim, qui in urbe agunt, sonus et sermo multo cultior est et amoenior, quam eorum, qui in agro sunt. *Cic. Brut.* 46. Tum Brutus, quid tu, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? Quid censes, inquam, nisi idem quod urbanis, praeter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? Et Brutus, qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam: tantum esse quendam scio. Id tu, Brute, jam intelliges, cum in Galliam veneris: audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae: sed haec mutari dediscique possunt. Illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam, et resonat urbanius: nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. *Quint.* 6, 3. *non longe ab in.* Urbanitate significari video sermonem prae se ferentem in verbis, et sono, et usu proprium quendam gustum urbis, et sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem: denique cui contraria sit rusticitas. *Id. ib. f.* Meo quidem judicio illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu, neque verbis, neque ore gestuve possit deprehendi, ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Graecos Atticis mos ille redolens Athenarum proprium saporem. V. v. sq. ℙ Praecipue dicitur de salibus, jocis festivitate, et facetiis. *Cic. Coel.* 3. Contumelia si petulantius jactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur. *Id. Fin.* 2, 31. *f.* In hominum facetorum urbanitatem incurrere. *Id. Fam.* 7, 31. *f.* Vides, exaruisse jam veterem urbanitatem; et *Q. Fr.* 2, 10. *med.* Ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis, et humanissimi sermonis attingerem. Adde *Sen. Const. Sap.* 11. *f.*, *Plin. ep.* 8, 6. et *Quint.* 6, 3. *in.* ℙ Item de ludo, quo quis per jocum decipitur, aut aliqua re fraudatur; his enim solertiores esse solent urbani homines, quam rustici. *Tac. H.* 2, 88. Incuriosos milites vernacula urbanitate quidam spoliavere.

*URBĀNOR, aris, dep. 1. *πολιτεύομαι. Gloss. Gr. Lat. B. A.*

URBĀNUS, a, um, adj. *πολιτικὸς, ἀστεῖος*, ad urbem pertinens, urbicus: cui *rusticus* opponitur. *Ter. Ad.* 1, 1, 17. Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium secutus sum: ille ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere. *Pl. Trin.* 1, 2, 165. Urbani assidui cives, quos scurras vocant. *Id. Merc.* 4, 3, 15. Urbani fiunt rustici. *Liv.* 5, 20. Non avidas in direptiones manus otiosorum urbanorum praerepturas fortium bellatorum praemia esse. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 11. Quin ruri es in praefectura tua, atque urbanis rebus te abstines? *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reipublicae, tibi provincialem dedit. *Id. Or.* 1, 9. *f.* Urbanae tribus. *Caes. B. C.* 3, 20. Praetor urbanus. *Sall. Cat.* 38. Urbana plebs; et *ib.* 26. servitia. *Liv.* 27, 3. *f.* Urbanus exercitus, *h. e.* ex civibus in urbe degentibus. *Tac. A.* 2, 44. Urbano luxu lasciviens. *Paul. Dig.* 2, 14, 4. Urbanas habitationes locare. *Id. ib.* 30, 1, 41. *med.* Aedes urbanae atque rusticae. *Papin. ib.* 31, 1, 67. Familia urbana, aut rustica, *h. e.* quae in urbe, aut ruri servit. *Tac. A.* 1, 17. *extr.* Excubiae urbanae. *Plin. ep.* 3, 17. *f.* Justisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? quem tu nimis urbanus es, nisi concupiscis, *h. e.* nimius amator urbis, et vitae urbanae. ℙ JCti *urbana praedia* omnia aedificia accipiunt non solum ea, quae sunt in oppidis, sed et si forte stabula sunt, vel alia meritoria in villis, et vicis, vel si praetoria voluptati tantum deserviente: quia urbanum praedium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoque, siqui sunt in aedificiis constituti, dicunt, in urbanorum appellatione contineri. Quod si horti in reditu sint, vinarii forte, vel etiam olitorii, in urbanis non habentur. Haec ex *Ulp. Dig.* 50, 16, 198. Adde *ib.* 8. *tit.* 1. 2. et 3. qui *de urbanorum et rusticor. praedior. servitutib.* inscribuntur. Huc pertinere videntur illa *Caton. R. R.* 8. *f.* Fundum urbanum ita paret, itaque conserat, uti quam solertissimum habeat; et *Just.* 31, 2. Rus urbanum, quod propter litus maris habebat, contendit. ℙ Transfertur ad animum, et significat comem, facilem, et in cujus factis aut dictis nihil odiosum, acerbumve deprehenditur, ut in URBANITAS dictum est. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Te hominem non solum sapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum, non arbitrabor genere isto legationum delectari. Quod *Cic.* ait, *ut nunc loquimur*, significat, hoc sensu coepisse suo tempore adhiberi. Nam alias, et alio sensu ipse quoque sine illa interjectione usurpat. ℙ Item oris duri, perfrictae frontis, cujusmodi sunt urbani prae rusticis. *Hor. Ep.* 1, 9, 11. Frontis ad urbanae descendi praemia. ℙ Item jocantem, ridiculum, scurram, mordacem, irrisorem; quod urbanorum, praesertim otiosorum, proprium est. *Id. ib.* 15, 27. Maenius ut rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis urbanus coepit haberi, *h. e.* scurram agere, ut ditiorum coenas captaret. *Plin. ep.* 8, 6. Urbanos, qui illa censuerunt, putem? an miseros? Dicerem urbanos, si senatum deceret urbanitas. *Id. ep.* 4, 25. Qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat? qui denique omnino in senatu dicax, et urbanus, et bellus est. Adde *Hor. Ep.* 1, 14, 6. ℙ Item festivus, lepidus, amoenus. *Cic. Dom.* 31. Et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum, me dicere solere, esse me Jovem, eundemque dictitare, Minervam esse sororem meam. *Id. Coel.* 15. Qui est in isto genere urbanissimus. *Colum.* 8, 16. Circumfertur Marcii Philippi velut urbanissimum, quod erat luxuriosissimum, factum, atque dictum. Adde *Hor. Sat.* 1, 4, 90. et descriptionem urbani hominis, quam *Domitius Marsus* dabat his verbis (ap. *Quint.* 6, 3. *f.*) Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta, responsaque erunt: et qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet. ℙ Item gratus, venustus, jucundus. *Quint.* 11, 3. Pronuntiatio vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum: id est in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. ℙ *Sermo*, aut *oratio urbana* est, quae selectis et cultis verbis, et amoenis, ut ita dicam, venustisque constat, ipsoque sono et usu praesefert proprium quendam urbis colorem ac gustum. His enim carere solent, qui ruri agunt, vel peregrini sunt. V. URBANITAS et URBANE. *Auct. dial. de Or.* 18. Catoni seni comparatus C. Gracchus, plenior et uberior; Graccho politior et ornatior Coelius; utroque distinctior, et urbanior, et altior Cicero. *Cic. Brut.* 46. In vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam et resonat urbanius: nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. ℙ Ab his transfertur ad arbores. *Plin.* 16, 19, 32. Sunt arborum quaedam omnino silvestres, quaedam urbaniores, quas his placet nominibus distinguere. Hae mites, quae fructu atque aliqua dote, umbrarumve officio humanius juvant, non improbe dicantur urbanae. *Id.* 22, 22, 34. Acanthos est topiaria, et urbana herba. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 589, 10. T. Flavius Aug. Lib. Urbanus.

*URBI, orum, populi Asiae ulterioris, circa Indum flumen. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

URBICĀPUS, i, m. qui urbes capit, *πτολίπορθος. Pl. Mil.* 4, 2, 64. Urbicape, occisor regum.

URBICĀRĪUS, a, um, adj. urbicus, urbanus. *Urbicariae regiones* dictae sunt urbi Romae circumjacentes, ut Tusciae, et Piceni, pars Romae propior: quae et *suburbicariae* appellantur. Aliter vero statuit *Jos. Morisanus* in *Inscr. Regin.* p. 379 — 385., nimirum ex XVII. provinciis, in quas divisa erat Italia, decem *urbicarias* fuisse appellatas, quia vicario Urbis subdebantur: alias septem *Italicas*, quia sub vicario Italiae essent: atque adeo quatuor ex urbicariis dictas esse suburbicarias, quia sub Urbe erant, et in litium appellationibus ad praefectum Urbi provocabant. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 28, 14. Quod de annonariis functionibus per urbicarias regiones clementia nostra concessit. Adi *Salmas.* ad *Treb.* in XXX. *Tyrann.* 24., ubi hac de re multa. *Fulg. Myth.* 2, 17. Beatinius (lege *Vatinius*) augur dicere solitus erat, diversarum urbium honores somnialiter (lege *similiter*) peragi urbicario mimologo. V. URBICUS.

[URBĪCIO, onis, m. dimin. urbici. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1983, 6. Flavius Urbicio. *F.*]

URBICRĒMUS, a, um, adj. urbes cremans. *Prud. Hamart.* 729. de Sodomae incendio: Nubibus urbicremis se subducere.

*URBICŪA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Celtiberis, vel certe Celtiberorum agro vicinum. *Liv.* 40, 16. *B. A.*

*URBICŪLA, ae, f. *πολίχνη*, parva urbs. *Onomast. Vet.* Urbicula, *πολίχνιον. B. A.*

URBĪCUS, a, um, adj. *ἀστυκὸς*, ad urbem pertinens, sicut *rusticus* ad rus. *Suet. Caes.* 49. Negotiatores urbici. *Gell.* 15, 1. Venum hercle dedissem res rusticas, et urbicas emissem. *Suet. Aug.* 18. Annona urbica; et *ib.* 46. Urbici magistratus. *Id. Ner.* 23. Urbicae res. *Mart.* 1, 54. Urbica Tyrianthina. *Lampr. Elag.* 20. Praefectus urbicus, *h. e.* praefectus Urbis. *Pall.* 2, 18. In vini sextariis urbicis decem, *h. e.* mensura urbis Romae *Ulp. Dig.* 43, 8, 1. *med.* Viae urbicae. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 532. et ap. *Schiass. Guida al Mus. Bol.* p. 45. In praediis C. Legiannii Ver. . . . balineum more urbico lavat, (*et*) omnia commoda praestantur. *Alia ib.* In . . . s praediis Aureliae Faustinianae balineus lavat more urbico, et omnis humanitas praestatur. ℙ In illo *Juven.* 6, 71. Urbicus exodio risum movet Atellana: *Urbicus* quibusdam est nomen poetae pro-

prium, at et ap. *Mart.* 1, 42. et alibi; sed reapse significat scurram mimarium, urbicarium mimologum. ℙ Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 862, 5. C. Caecilius Urbicus. *Alia* in *Bibliot. Ital.* T. 57. p. 248. Magniae Urbicae Aug. matri castrorum, conjugi D. N. Carini invicti Aug. etc.

*URBIGĒNUS pagus nomen accepit ab Urba Helvetiae oppido. *Caes. B. G.* 1, 27. *B. A.*

URBĪNAS, atis, adj. omn. gen. qui est ex Urbino oppido, ut Petissius Urbinas, *Cic. Phil.* 12, 8. ℙ *Urbinates, um*, ejus cives. *Plin.* 3, 14, 19., qui in *Inscr.* ap. *Grut.* 463, 4. sunt *Urvinates*, ex cognatione *b*, et *v:* et oppidum *Urvinum, ib.* 485, 8. quod est in Umbria, ad fontes Isauri fluminis.

URBINIĀNUS, a, um, adj. ad Urbiniam aliquam pertinens, quod fuit nomen proprium gentilicium R. *Quint.* 7, 2. *med.* In lite Urbiniana.

*URBIS, is, fluvius Liguriae. *Claud. B. Get.* 555. Hodie *Orbe* audit. ℙ Fuit et Urbis oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[URBISALVIENSIS, e, adj. ad Urbisalviam vel Urbem Salviam pertinens, quae olim Pollentia est dicta, in Piceno ad Cluentum fluv., nunc *Vrbisaglia*, cujus ita meminit *Plin.* 3, 13, 18. Intus Planienses, Ricinenses, Septempedani, Tollentinates, Trejenses, cum Urbe Salvia Pollentini junguntur. Ita ex MSS. legendum probat *Ant. Brandimart.* in *Piceno illustr.* p. 85. *Inscr.* ap. *Mur.* 707, 7. L. Hostilio L. F. Aem. Tullo Fil. Dec. Urbe Salvia. *Alia* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1870. Dis, Deabusq. Urbisalviensibus T. Flavius Maximus Proc. Aug. ab Orient. donum misit. *F.*]

URBO. V. URVO.

URBS, urbis, f. πόλις, oppidum muro cinctum. Quid a *civitate* differat in ea voce dictum est. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 26. et *Non.* 5, 27. Quam cum locis manuque sepsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum oppidum, vel urbem appellaverunt, delubris distinctam, spatiisque communibus. Adde *Sext.* 42. *med.* ℙ *Urbe*, in urbe, ablativus absolutus. *Auct. argum. Truc. Plautini.* Rure unus, urbe unus, peregre tertius. ℙ De notatione nominis haec *Varr. L. L.* 4, 32. Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est junctis bubus tauro et vacca, interiore aratro circum agebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa et muro essent munita. Terram unde exscalpserant, fossam vocabant; et introrsum factum murum: postea quod fiebat orbis, urbs. Haec *Varr. Serv.* ad *A.* 1, 16. Urbs dicitur ab orbe, quod antiquae civitates in orbem fiebant: vel ab urvo, parte aratri, quo muri designabantur. *Pomp. Dig.* 50, 16, 239. Urbs ab urbo appellata est: urbare est aratro definire: et Varus ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet. Ita in ed. *Torrentini:* alii hab. *urvare*, et *urvum*, quod idem est, quia *b* et *v* saepe commutantur. *Virg. A.* 5, 755. Interea Aeneas urbem designat aratro, Sortitusque domos, etc. Ubi *Servius:* Quem Cato in Originibus dicit morem fuisse. Conditores enim taurum in dextram, vaccam intrinsecus jungebant: et incincti cinctu Gabino, id est togae parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent: et ita sulco ducto loca murorum designabant aratrum suspendentes circa loca portarum. Haec *Servius.* Adde *Isid. Or.* 15, 2. ℙ Ut condendis, ita et evertendis urbibus aratrum adhibebant, ut eodem ritu subverterentur, quo conditae fuerant, ut docet *Serv.* ad illud *A.* 4, 212. cui litus arandum. *Hor. Od.* 1, 16, 20. imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens. *Modest. Dig.* 7, 1, 21. Si ususfructus civitati legetur, et aratrum in ea ducatur, ut passa est Carthago, civitas esse desinit. Adde *Prop.* 3, 7, 41. ℙ Per antonomasiam *urbs* dicitur de Roma, ut apud Graecos ἄστυ de Athenis. *Quint.* 6, 3. *f.* Urbs appellationem, etiamsi nomen proprium non adjiceretur, Romam tamen accipi, est receptum. *Id.* 8, 2. *med.* Urbem, Romam accipimus; et venales, novitios; et Corinthia, aera. (Adde *ib.* 5.) *Caes. B. G.* 1, 7. Maturat ab urbe proficisci. *Cic. Att.* 13, 20. De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexit. *Hor. Epod.* 9, 9. Minatus urbi vincula. *Ov. Fast.* 1, 17. conditor urbis, *h. e.* Romulus. Adde *Livium* passim. ℙ *Ad urbem esse* dicebantur, qui post administrationem provinciae, et res bene gestas, prope Romam cum lictoribus et fascibus laureatis stabant triumphum petentes, vel senatum exspectantes, ad quem de rebus a se gestis referrent: item qui post acceptum imperium nondum in provincias profecti essent. Neque enim licebat cuiquam in Urbe esse cum imperio et insignibus praeter consules, praetores, aediles, et alios, quorum magistratus in urbe exercebantur, nisi id populus jussisset. Si urbem ingressus esset, statim et spem triumphi amittebat, et imperium deponebat. *Sall. Cat.* 31. Hi utrique ad urbem imperatores erant impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum. *Cic. Verr.* 1, 15. Pompejus cum primum concionem ad urbem consul designatus habuit. Ubi *Ascon.* Ad urbem, non in urbe. Et sic dici solet de iis, qui cum potestate provinciali, aut nuper de provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. *med.* Simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae, et ad urbem, ante quam proficisceretur, quaerere ipse secum, etc. Ubi *Ascon.* Omnis magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiamsi administrator ejus Romae est, ad urbem dicitur. Adde *Caes. B. G.* 6, 1. ℙ Dicitur etiam de aliis. *Cic. Cluent.* 62. *f.* Oppianicus cum huc ad urbem profectus esset, (solebat enim extra portam aliquid habere conducti) cecidisse ex equo dicitur; et *mox:* Posteaquam ad urbem cum febri venerit. ℙ Falsum est, solam Romam Latine *urbem* dici, ceteras *oppida:* hoc enim quidam ex *Quint.* (cujus verba nondum vidimus) affirmarunt. *Cic. Agr.* 2, 16. Mitylenae, urbs et natura, et situ in primis nobilis; et *ib.* 28. Capua urbs amplissima atque ornatissima. *Id. Phil.* 1, 3. Syracusae, urbs mihi conjunctissima. *Caes. B. C.* 3, 32. Non solum urbibus, sed paene vicis castellisque singulis. *Sall. Cat.* 2. Athenienses in Asia cepere urbes, atque nationes subegere. Adde *Liv., Just., Hor., Ov., Plin.* etc. ℙ Aliquando *urbs* est metropolis. *Ulp. Dig.* 39, 2, 4. *f.* Si tam vicinum urbi municipium sit, ut, etc. *Impp. Valentinian., Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 14, 1, 3. Decuriales quos binos esse ex singulis quibusque urbibus omnium provinciarum, veneranda decrevit antiquitas. ℙ Translate. *Cic. Div.* 2, 16. Urbem philosophiae, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. ℙ Aliquando per metonymiam continentis pro contento, urbs adhibetur pro civitate. *Quint.* 1. *prooem.* Regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis. *Id.* 8, 6. *med.* Bene moratae urbes. *Virg. A.* 2, 265. Urbs somno vinoque sepulta. *Juven.* 11, 197. moestam attonitamque videres Hanc urbem. ℙ **Urbs Imperatoria* cognominata est Salacia in Lusitania. *Plin.* 4, 20. (al. 21.) Salacia, cognominata urbs Imperatoria. ℙ *Urbs Salvia*, oppidum Italiae, in Piceno, hodie *Urbisaglia. Plin.* 3, 13. Urbe Salvia Pollentini. Sic ed. *Hard.* Antea *Urbs Salvia. Ptolemaeo* est Οὔρβα Σαλουΐα. *B. A.*

URBUS. V. URVUS.

URCĔĀTIM, adv. plenis urceis. *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* Jovem aquam exorabant: itaque statim urceatim pluebat, *h. e. pioveva a secchie*, ut nunc Itali dicunt.

[URCĔŌLA, ae, f. est cavitas exterior aurium ob urceoli similitudinem. *Pelag. Vet.* 12. *med.* Si non profecerit, radicem consiliginis in auriculae urceolas extremas, et in prima parte narium ponis. In MS. legitur *orciolas. F.*]

URCĔŌLĀRIS, e, adj. ita appellatur herba, quae et parietaria, et perdicium, et parthenium, et vitriaria; nomen habet ex eo, quod urceolis vitreis detergendis aptissima est: Italis est *vetriuola*, et *parietaria. Plin.* 22, 17, 20. Perdicium, sive parthenium a nostris herba urceolaris vocatur, ab aliis astericum, folio similis ocimo, nigrior tantum, nascens in tegulis, parietinisque. Adde *Pelag. Veter.* 2. *med.* et 24. *med., Appul. Herb.* 81., *Scrib. Compos.* 39. et *Jo. Rhodii* in eum loc. adnotata.

URCĔŌLUS, i, m. κεράμιον, parvus urceus. *Colum.* 12, 16. *med.* Eodem tempore sorba manu lecta curiose in urceolos picatos adjicito. *Juven.* 2, 203. Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci, necnon et parvulus infra Cantharus, etc. *Mart.* 14, 105. *in lemmate:* Urceoli ministratorii, *h. e.* caldae miscendae. Distichon est: Frigida non desit, non deerit calda petenti: Sed tu morosa ludere parce siti.

URCĔUS, i, m. κέραμος, χυσσοῦς, vas ansatum plerumque fictile, ad varios usus, et praecipue ad ministrandam aquam. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. Si aheneum (quod supra focum pendet, et aqua ad potandum calefit) instrumento continetur, urcei quoque, quibus aqua in aheneum funditur, in idem genus rediguntur. *Plin.* 19, 5, 24. Nuper cucurbitae in balinearum usum venere urceorum vice. *Colum.* 12, 50. *med.* Urcei, quibus progeritur oleum. *Mart.* 14, 106. cujus lemma *Urceus fictilis.* Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa. Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam. *Id.* 11, 56. fracta urceus ansa. *Cn. Matius* ap. *Gell.* 10, 24. *extr.* Aquarium urceum unicum domi fregit. *Mart.* 12, 32. Fuisse gerres, aut inutiles maenas, Odor impudicus urcei fatebatur. *Plin.* 18, 30, 73. Sunt qui urceis cinere substratis, et illitis, acetum habentibus leguminum acervos superingerant: ita non nasci maleficia credentes. *Id.* 19, 8, 39. Thyrsos, vel folia lactucarum prorogare urceis conditos. ℙ Neutro genere. *Cato R. R.* 13. Urceum aheneum unum, quod capiat quadrantalia quinque. Suspectus *Gesnero* et *Schneidero* est hic locus, praesertim ob magnitudinem: quare *Schneiderus* edidit *Urceum, aheneum* etc. ℙ Proverbii genus est illud *Hor. A. P.* 21. amphora coepit Institui, currente rota cur urceus exit?

*URCITĀNUS vel Urgitanus, a, um, adj. ad illud oppidum spectans. *Martian. Capell.* 6. *med.* p. 202. *Grot.* A fine Urcitano *Plin.* 3, 1. A fine Urgitano. V. et *Virgitanus. B. A.*

URĔDO, inis, f. κανθμός, morbus herbarum, fruticum, arborumque, qui in vitibus etiam carbunculus dicitur, et in ceteris rubigo, sata, plantas, arboresque adurens. *Cic. N. D.* 3, 35. *f.* Nec, si uredo, aut grando quippiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit. *Plin.* 18, 28, 69. *n.* 1. Plerique dixere, rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus. Quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio. Adde *Colum.* 3, 20. ℙ Est et uredo, κνίδωσις, exustio cum pruritu, qualis ab urtica tum herba, tum pisce excitatur. *Plin.* 9, 45, 68. Dum admoveri sibi manum sentit, colorem mutat, et contrahitur: tacta uredinem mittit. ℙ Translate est pruritus turpis, κνησμός, urigo. *Appul. Met.* 8. Nudatum supinatumque juvenem exsecrandis uredinibus flagitabant. Alii rectius leg. *oribus.*

[URĔTĬCUS, a, um, adj. οὐρητικός, ad urinam pertinens. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Sic itaque urina a cibo jam cocta atque in sanguineum colorem vel lactaneum mutata secernitur, effluens ad inferiorem locum in corpore, ad id praedispositam vesicam, per ureticos poros suscipiens in se urinam viridis coloris. *Editiones* hic perperam habent *uritidos*, nempe *e* ex vulgi pronuntiatione in *i* conversa, et *c* in *d* amanuensis oscitantia mutata. *F.*]

*URGULANĬA, ae, f. Liviae Aug. amicitia sub Tiberio potens, quam tamen L. Piso in jus vocavit, quamvis non obtemperantem, et multum Augusta querente se violari et imminui: nec ille abstitit, donec deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, juberet. *Tac. A.* 2, 34. *B. A.*

URGENS, entis, part. ab *urgeo*, qui urget, instat, impendet, premit. *Cic. Tusc.* 3, 25. *f.* Praesens atque urgens malum. *Id. Sen.* 1. Aut jam urgens, aut certe adventans senectus. *Virg. G.* 1, 146. Urgens egestas. *Tert. Resurr. carn.* 2. *med.* Urgentior causa. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 3, 11, 1. Urgentissima ratio.

[URGENTER, adv. instanter. *Cyprian. ep.* 30. *in.* Ut tam urgenter, et tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti et immenso crimine, pacem sibi non tam peterent, quam vindicarent. *F.*]

URGĔO, et Urgueo, es, ursi, a. 2. ἐπείγω, impello, propello, premo. Videtur esse ab ἔργον, opus, ut propie sit impellere ad agendum. Alii ducunt ab ὀργάω, vehementer appeto. *Virg. A.* 10, 433. hinc Pallas instat et urguet, Hinc contra Lausus; et *ib.* 1, 115. Eurus naves in brevia et Syrtes urget. *Ov. Met.* 15, 181. unda impellitur unda, Urgueturque prior veniente, urgetque priorem. *Id. Her.* 6, 91. simulacraque cerea figit: Et miserum tenues in jecur urget acus. *Hirt. B. Afr.* 6. Accidit res incredibilis, ut equites minus triginta equitum duo millia loco pellerent, urgerentque in oppidum. Alii leg. *fugarent. Stat. Theb.* 3, 222. Mars aetherias currus urgebat ad arces. *Sall. Jug.* 60. *f.* Milites Jugurthini, postquam majore vi hostes urgent, paucis amissis, profugi discedunt. *Val. Fl.* 1, 490. Venator cum lustra fugit, dominoque timentem Urget equum: et 4, 325. at manus omnis Heroum densis certatim amplexibus urguent *victorem;* et *Virg. A.* 12, 748. trepidique pedem pede fervidus urguet. *Id. G.* 3, 222. de pugna tauror. Versaque in obnixos urguentur cornua vasto Cum gemitu. *Gell.* 3, 6. Graviter urgere et onerare aliquid, ut magnitudo oneris sustineri non queat. *Ov. Met.* 4, 35. famulasque laboribus urguent. *Pl. Poen.* 4, 2, 35. At onus urget. *Mil.* at tu appone. *Tibull.* 1, 4, 53. At tibi etc. infelix urgeat ossa lapis. *Virg. G.* 2, 351. Qui saxo super, atque ingentis pondere testae Urguerent, *h. e.* tegerent. *Hor. Sat.* 1, 3, 135. Urgueris turba circum te stante. *Quint.* 11, 3. *med.* Urgere vocem ultra vires. *Prop.* 2, 20, 35. saevus licet urgeat Eurus. *Sen. Hipp.* 25. qua curvati litora ponti Sunion urget. *Id. Oed.* 542. Medio stat ingens arbor, atque umbra gravi Silvas minores urget. ℙ *Urgere* dicuntur, quae gravia sunt, et opprimunt. *Hor. A. P.* 453. Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget, Aut fanaticus error, et iracunda Diana. *Cels.* 7, 26. *f.* Magnae febres urgent. *Petr. Sat.* 104. prostrata sopore Urget membra quies. *Virg. A.* 12, 309. Olli dura quies oculos, et ferreus urguet Somnus. *Id. G.* 3, 523. oculos stupor urguet inertes. *Sen. Octav.* 257. Gravi Deorum nostra jampridem domus urgetur ira. *Sall. Jug.* 39. Jugurtham ob scelera invidia cum metu urget; et *ib.* 26. Ferro ac fame urgeri; et *ib.* 45. Populus militia, atque inopia urgebatur. *Virg. A.* 6, 561. Urgeri poenis; et *ib.* 11, 587. fatis acerbis. *Propert.* 3, 23, 31. Urget gravis aetas. ℙ Item quae vicina sunt, aut imminentia. *Cic. Agr.* 1, 5. *f.* Ne in Janiculo coloniam constituatis, ne urbem hanc urbe alia premere atque urgere possitis. *Virg. A.* 11, 523. (et *ib.* 7, 566.) vallis; quam densis frondibus atrum Urguet utrumque latus. *Id. G.* 4, 290. Quaque pharetratae vicinia Persidis urguet. ℙ *Urgere opus*, instare, totis viribus in opus incumbere. *Hor. Ep.* 1, 14, 27. Urgues jampridem non tacta ligonibus arva. *Virg. A.* 9, 488. vestem tibi noctes festina diesque Urgebam. *Val. Fl.* 3, 332. innumeras nudatis montibus urguent Certatim, decorantque pyras. ℙ *Urgere iter*, instare ambulando, accelerare, festinare. *Ov. Fast.* 6, 520. Audit, et ad vocem concitus urguet iter. *Sil.* 12, 419. transfigit anhelum Pectus, et ad manes urguet vestigia nati. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 2, 18, 20. Marisque Bajis obstrepentis urgues Submovere litora. ℙ Est et-

iam impellere, cogere. *Varr. L. L.* 8, 12. Mala quoque exempla, cum aliqua vis urget, inviti sequimur. *Pl. Men.* 2, 2, 47. Quod te urget scelus, qui huic sis molestus? ℙ Item instare, valde hortari, acriter insistere. *As. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *med.* Lepidus ursit me et suis, et Antonii litteris, ut legionem trigesimam mitterem sibi. *Cic. Planc.* 19. *f.* Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen. *Id. Att.* 13, 32. Quamobrem, ut facis, urge, insta, perfice. *Virg. A.* 9, 73. Tum vero incumbunt: urguet praesentia Turni. *Id. ib.* 7, 241. jussisque ingentibus urguet Apollo. *Id. G.* 4, 177. Cecropias innatus apes amor urget habendi. *Ulp. Dig.* 23, 3, 33. Urgere aliquem ad solutionem. *Cic. Att.* 15, 27. *f.* Plane illuc te ire nisi tuo magno commodo, nolo: nihil enim urget; et *Plin.* 17, 14, 24. *f.* Verno inserentes tempus urget, incitantibus se gemmis, i. e. festinare cogit. ℙ Item acriter disputare, ac defendere aliquid, dicendo invehi, accusare. *Cic. Or.* 1, 10. Agerent tecum lege Pythagorei, etc. urgerent philosophorum greges, etc. instaret Academia, etc. Stoici disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. *Id. Or.* 40. Urgere interrogando. *Id. Fin.* 4, 28. Urgent tamen, et nihil remittunt, quoniam, inquiunt, etc. et *ib.* 5, 27. Nunc pugnem cum homine, cur, etc. illud urgeam, non intelligere eum, quid sibi dicendum sit. *Id. Q. Fr.* 3, 9. Feci summa cum lenitate, quae feci: illum neque ursi, neque levavi testis: vehemens fui, praeterea quievi. *Id. Div.* 2, 20. Sed urges me meis versibus. *Id. Off.* 3, 9. *f.* Urgent rustice sane, negant enim posse, et in eo perstant. *Id. Lig.* 3. *extr.* Quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo, commoveri videtur adolescens. ℙ *Urgere aliquid*, alicui rei acriter incumbere, perstare in re quapiam agenda. *Cic. N. D.* 1, 35. An quidquam tam puerile dici potest (ut eundem locum diutius urgeam), quam si, etc? *Id. Fam.* 7, 8. Quin tu urges istam occasionem, et facultatem, qua melior nunquam reperietur? *Id. Off.* 3, 16. Oratam Crassus, Gratidianam defendebat Antonius: jus Crassus urgebat, aequitatem Antonius: et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 5. *f.* Marcellus idem illud de provinciis urget. *Cic. ib.* 9, 15. *med.* Romae cum sum, et urgeo forum, senatusconsulta scribuntur, etc. *h. e.* in foro sum frequens. *Hor. Sat.* 2, 7, 6. Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget Propositum, *h. e.* in proposito persistit. ℙ *Urgeo* et *urgueo* promiscue leguntur in MSS. (ut *tingo* et *tinguo*, *ungo* et *unguo*), et posterius etiam frequentius. *Vel* quidem *Longus* in *Orthogr.* p. 2223. illud *u* insertum, ut vitiosum, damnat: quem sequuntur *Papirian.*, *Cassiodor.*, *Beda*, *Dausquius*. At recentiores critici, *Pier.* ad *A.* 5, 202., *Barthius*, *Heins.*, *Cortius*, *Drakemborch.* ad *Sil* et *Liv.*, *Oudendorp.* ad *Lucan.* et alii improbare non audent: quin si multitudinem MSS. spectemus, in quibus *urgueo* est, praeferendum putant. Neutram scriptionem damnaverim.

*URGĬA, ae, f. oppidam Hispaniae Baeticae, Castrum Julium cognominatum. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

*ŪRGO, insula maris Hetrusci; inter Hetruriam Corsicamque. *Mela* 2, 7. *Plin.* 3, 6. ℙ *Gorgon.* serius dicta, teste *Rutil.* 1, 5, 6. *B. A.*

*URGULĀNĬA, ae, f. Liviae Aug. amicitia sub Tiberio potens, quam tamen L. Piso in jus vocavit, quamvis non obtemperantem, et multum Augusta querente seviari et Istinui: nec ille abstitit, donec deferri Augusta pecuniam quae petebatur, juberet. *Tac. A.* 2, 34. *B. A.*

[URGŪLĀNILLĀ, ae, f. cogn. R., ut Plautia Urgulanilla, filia Ti. Plautii Silvani, et uxor Claudii Aug., cujus meminit *Suet. Claud.* 26. *F.*]

*URI, orum, populi Indiae, Indum accolentes. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[URĬAS, atis, adj. omn. gen. ad Uriam, seu Hyrium pertinens urbem maritinam Italiae in Apulia, ad radices Gargani montis, quae nunc *Rodi* appellatur. V. *Romanelli Topogr. Napol.* T. 2. p. 282. Ejus meminere *Prisc. Perieg.* 372., qui *Hyrium*, et *Plin.* 3, 11, 16., qui *Uriam* vocat. *Mela* 2, 4. Sinus est continuo Apulo litore incinctus, nomine Urias. *F.*]

ŪRĪCĂ, ae, f. eadem quae eruca omnium satorum hostis, etiam ciceris, cum salsilaginem ejus abluendo imber dulcius id facit. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 2. Adde 11, 32, 37. Utrobique in editis plerisq. est *eruca*, in aliis *erica*, teste *Harduino*.

ŪRĪGO, inis, f. *καῦσις*, uredo, pruritus, ardor. *Plin.* 20, 22, 87. At in magna duritia sine fico impositum (*sinapi*), vel, si vehementior urigo timeatur, per duplices pannos. *Hard.* leg. *ustio.* ℙ De turpi uredine. *Appul. Met.* 8. Spurcissima illa propudia ad illicitae libidinis extrema flagitia infandis uriginibus efferantur. Et *ib.* 1. Mulier urigine percita. Adde *Arnob.* 5, 187.

ŪRĪNĂ, ae, f. *οὖρον*, saccatus corporis humor, ut ait *Lucr.* 4, 1022., lotium, humor a sanguine separatus in renibus, et in vesicam delapsus: est derivatum a voce Graeca allata, *Cic. Fat.* 3. In urina, in unguibus naturae contagio valet. *Catull.* 37, 20. Et dens Ibera defricatus urina, (*nempe* quia Celtiberia terra Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane Dentem, atque russam defricare gingivam, ut ait *Id.* 39, 17.) *Suet. Aug.* 80. *f.* Calculis per urinam ejectis. *Id. Vesp.* 23. *med.* Etiam urinae vectigal commentus est. *Id. Ner.* 56. Deam Syriam ita sprevit, ut urina contaminaret. *Appul. Met.* 1. Urinae spurcissimae madore aliquem perluere. *Colum.* 6, 3. Cum jumenta suo tempore urinam non fecerint; et paulo post: *Si urina genitalia desserit. Cels.* 2, 7. Difficulter urina redditur, paulatimque destillat: et *ib.* 19. Aliae res citant urinam, aliae tardant. *Plin.* 24, 6, 17. Urinam celerrime pellere; et *ib.* 13, 71. trahere, et *ib.* 11, 56. ciere. *Id.* 29, 5, 32. egerere. *Id.* 20, 10, 43. movere; et *ib.* 4, 11. inhibere. *Id.* 21, 26, 97. impellere: et 24, 19, 111. fundere. *Id.* 32, 9, 35. Urinae incontinentia; et 28, 6, 17. profluvia cohibere. *Gell.* 19, 4. Libido urinae lacessit. *Ulp. Dig.* 21, 1, 14. Si in lecto, somno, vinoque pressus, aut etiam pigritia surgendi, urinam faciat. ℙ Translate est semen genitale. *Plin.* 8, 43, 68. Asinae incontinens uterus urinam genitalem reddit. Adde *Juven.* 11, 168. ℙ *Urinam facere* interdum est urinae incontinentia laborare. *Ulp. Dig.* 21, 1, 14. De eo qui urinam facit, quaeritur: et Pedianus ait, non ob eam rem sanum non esse, etc.

[ŪRĪNAL, alis, n. matula. *Gloss. Phil.* Urinal, *οὐροδοχεῖον*. *F.*]

ŪRĪNĀLIS, e, adj. ad urinam pertinens, ut Urinalia medicamenta. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. et *ib.* 5, 1. Urinales viae, *Id. ib.* 3. virtutes, *Id. ib.* 2, 13. Urinalis fistula, *Veg. Vetr.* 3, 15. *med.*

ŪRĪNĀTOR, oris, m. *κυβιστητήρ, κολυμβητής, ἀφυστήρ*, qui in aquam mergitur, et sub ea natat. Hos describit *Manil.* 5. a *v.* 428. Hujusmodi hominum usus est mercibus e mari extrahendis, quae navigii gratia jactatae fuerint. *Liv.* 44, 10. Sed in rem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est: tantusque pudor fuit regi ejus pavoris, ut urinatores clam interfici jusserit. *Callistrat. Dig.* 14, 2, 4. Et aliquorum mercatorum merces per urinatores extractae sunt, data mercede. *Inscr.* ap. *Grut.* 391, 1. Ti. Claudio Esquil. Severo patrono corporis piscatorum et urinatorum, etc.

ŪRĪNO, as, n. l. et frequentius.

ŪRĪNOR, aris, dep. l. *κυβιστάω, κολυμβάω*, est in aquam mergi, et natando emergere. *Varr L. L.* 4, 27., ut *Jos. Scal.* restituit: Urnae dictae, quod urinant in aqua haurienda, ut urinator. Urinare est mergi in aquam in urbum: fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat sursum versus: ut in aratro, quod est urbum. *Cic. fr.* ap. *Non.* 7, 57. Siquando nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum, aut obscure admodum cernimus. *Plin.* 11, 37, 72. Eadem est causa, quia sub aqua diu ranae et phocae urinentur. *Id.* 9, 30, 48. Polypi in naufragos, urinantesve impetum capiunt. ℙ Notationem vocis, quam *Varr.* ab *urbo* trahere videtur, ducunt alii vel ab *ὀρνύω*, agni more in caput salio, trajectis litteris: vel ab *ἀρύω*, haurio. Itali nautae urinantes vocant *marangoni*, quia aliquibus locis sic appellantur mergi, aves, quae in aquam mergere se gaudent, et inde emergere.

ŪRĪNUS, a, um, adj. *οὐρινος*, ventosus: ab *οὖρος*, ventus. Ovum urinum, *ὠὸν οὐρινον*, ovum irritum et inefficax, quod citra coitum maris editur. *Plin.* 10, 58, 79. Palumbes et turtures plurimum terna; nec plus quam bis fere pariunt, atque ita si prior fetus corruptus est: et quamvis tria pepererint, nunquam plus duobus educant: tertium, quod irritum est, urinum vocant. V. CYNOSURA et ZEPHYRIUS.

*ŪRĬO, onis, genus ludi. *Sarisb.* 1, 5, Tessera, calculus, tabula, urio, vel Dardana pugna. *B. A.*

ŪRĬON. V. ORION.

ŪRĬON, vel Urium, ii, n. genus terrae inutile in metallis: ab Ionico *οὖρος* pro *ὄρος*, mons. *Plin.* 33, 4, 2. Id genus terrae urion vocant. Ergo per silices calculosve ducuntur, et urium evitant.

[URĪTĀNUS, a, um, adj. ad Uriam: seu Hyriam, Graece *Ὑριον*, pertinens, urbem mediterraneam Italiae, in Calabria, ad viam Appiam, inter Tarentum et Brundusium, quae nunc *Oria*. V. *Romanelli Topogr. Napol.* T. 2. p. 116. *Front. de colon.* p. 127. *Goes.* Ager Veretinus, Uritanus, Hydruntinus. *F.*]

[URĪTES, um, m. plur. incolae Uriae (quae Graece *Οὐρία*), urbis Italiae in regione Locrensi, ubi nunc locus dictus *li Palazzi*. V. *Romanelli Topogr. Napol.* T. 1. p. 143. Urbis meminit *Varr.* ap. *Probum* ad *Virg. Ecl.* 6, 32.; incolarum vero ita *Liv.* 42, 48. C. Lucretius ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, ab Uritibus quatuor acceptis, praeter oram Italiae supervectus Calabriae extremum promontorium in Ionio mari Dyrrhachium trajicit. *F.*]

[URĪTĪNUS, a, um, adj. ad Uriam pertinens, Apuliae urbem (de qua V. URIAS), in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 142. *TPIATINΩN.* Est cogn. R., ut L. Cornelius Ser. F. L. N. Maluginesis (ita pro *Maluginensis*) Cos. ann. U. C. CCXCV., ap. *B. Borghes. N. Framm. de' fast. cons.* T. 1. p. 15., qui hujusmodi cognomen aliter ibidem est interpretatus, quam deinceps litteris ad me hac de re datis. *F.*]

ŪRĬTO, as, a. l. *αἰθάλω*, saepe uro. *Pl. Most.* 3, 1, 81. Calidum hoc est: etsi procul abest, uritat male. Alii leg. *urit.*

ŪRĬUS, ii, m. cognomen Jovis: ab *οὔριος*, prosperus, (*οὖρος* enim est ventus secundus) quia navigantes tutari putabatur. Hoc nomine templum habuit ad Bosphorum Thracium, itemque signum nobile Syracusis in Sicilia a Verre asportatum. *Cic. Pis.* 35. A te Jovis Urii fanum antiquissimum barbarorum, sanctissimumque direptum est. *Id. Verr.* 2, 4, 57. Quid ex aede Jovis religiosissimum simulacrum Jovis imperatoris, quem Graeci Urion nominant, pulcherrime factum, nonne abstulisti?

URNA, ae, f. *κάλπη, καλπίς*, vas, quo aqua e puteis fluminibusve hauritur: ita dictum, quod subter aquam demersum, atque inde rursus emergens urinantis speciem praebere videatur. V. *Varronis* verba in URINOR. *Pl. Ps.* 1, 2, 24. Tu, qui urnam habes, aquam ingere: face plenum ahenum sit cito. *Juven.* 1, 164. Aut multum quaesitus Hylas, urnamque secutus. *Sen. Herc. Fur.* 757. Urnasque frustra Danaides plenas gerunt. *Hor. Od.* 3, 11, 22. stetit urna paulum Sicca, dum grato Danai puellas Carmine mulces. *Propert.* 4, 4, 16. (et *Ov. Fast.* 3, 14.) Urgebat medium fictilis urna caput: scil. capite gestari solebant urnae: vel etiam humero, ut *Id. ib.* 11, 27. poena sororum, Infelix humeros urgeat urna meos: et *Val. Fl.* 1, 219. de Hyla: unde urna humeris? ℙ De Signo Aquarii. *Ov. Fast.* 2, 457. Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna. *Sen. Thyest.* 864. Cadet Aegoceros, frangetque tuam, Quisquis es, urnam. ℙ Tribuitur fluminibus. *Virg. A.* 7, 792. Caelataque amnem fundens pater Inachus urna. *Sil.* 1, 407. Flumineaque urna caelatus Bagrada parmam. ℙ Habet et alios usus. Quam enim dicit *Cic.* ollam denariorum, *Plaut.* aulam, *Pers.* seriam argenti, urna est *Horatio Sat.* 2, 6, 10. O si urnam argenti fors quae mihi monstret! ℙ Est etiam sepulcralis, qua conduntur mortuorum ossa et cineres. *Ov. Her.* 11, 124. socioque impone sepulcro: Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos. *Id. Trist.* 3, 3, 65. Ossa tamen facito parva referantur in urna. *Suet. Cal.* 15. Cineres in urnam condere. *Sen. Troad.* 375. Et tristis cineres urna coerceat. *Ov. Met.* 14, 411. urnaque Aeneia nutrix Condita marmorea. *Val. Fl.* 5, 58. Ossaque nec tumulo, nec separe contegat urna. *Lucan.* 7, 819. coelo tegitur qui non habet urnam. Adde *Pers.* 6, 35. et *Stat. Theb.* 8, 6. ℙ Item judicialis, in quam judices tabellam absolutionis, aut damnationis, audita causa, conjiciunt. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Senatorum urna copiose absolvit, equitum adaequavit; tribuni aerarii condemnarunt. *Sil.* 9, 27. Eripere aliquem legibus, atque urnae. *Hor. Sat.* 2, 1, 47. Cervius iratus leges minitatur, et urnam. *Ov. Met.* 15, 44. Calculus immitem demittitur ater in urnam. *Prop.* 4, 11, 49. Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas. Adde *Juven.* 13, 4. et *Just.* 22, 3. ℙ Item sortilega, in quam immittuntur sortes extrahendae. *Cic. Verr.* 2, 2, 17. *med.* Ait, se judices e lege velle sortiri: educit ex urna tres. *Virg. A.* 6, 20. pendere poenas Cecropidae jussi (miserum!) septena quotannis Corpora natorum; stat ductis sortibus urna. *Val. Fl.* 2, 484. crudelis scopulis me destinat urna. *Suet. Ner.* 21. Sorticula in urnam cum ceteris (*citharoedis*) demissa, intravit ordine suo. *Sen. Troad.* 974. Versata dominos urna captivis dedit. *Tert. Spect.* 16. de circensib. quadrigis sorte ductis. Tardus est illi (*populo*) praetor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur. ℙ Apud Inferos dicuntur tres illi judices nomina mortalium in urnam conjicere, ut sortiantur, qui primus morti addicendus sit, et quae cuique poena infligenda. *Hor. Od.* 2, 3, 25. omnium Versatur urna serius, ocius Sors exitura; et *ib.* 3, 1, 14. aequa lege necessitas Sortitur insignes, et imos: Omne capax movet urna nomen. *Virg. A.* 6, 432. Quaesitor Minos urnam movet. *Sen. Ag.* 24. Quaesitor urna Gnossius versat reos. *Id. Herc. Fur.* 191. Recipit populos urna citatos. *Stat. Silv.* 2, 1, 218. ibimus omnes, Ibimus: immensus urnam quatit Aeacus umbris. ℙ Item fatidica. Vel enim jactis sortibus futura praedicebantur, vel oracula reddebant responsa per urnam et sortes. *Hor. Sat.* 1, 9, 29. instat fatum mihi triste, Sabella Quod puero cecinit mota divina anus urna. ℙ Ad haec est *urna* mensura liquidorum, continens dimidium amphorae, hoc est congios quatuor, qui sunt sextarii XXIV. seu heminae XLVIII. *Colum.* 12, 41. Conjicies in urnam musti mellis optimi pondo decem. *Cato R. R.* 148. Vini in culeos singulos quadragenae et singulae urnae dabuntur. (XL. urnas culeus continet. *Cato* unam adjici, cum venditur vinum, jubet.) *Plin.* 17, 28, 47. Ad majorum arborum radices amphoram, ad minorum urnam amurcae affundere. *Pers.* 5, 141. calido sub pectore mascula bilis Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae. ℙ Quo modo amphoram sparteam posuit inter instrumenta vineae *Cato R. R.* 11., ita et urnas sparteas, *ib.* h. e. ex sparto quam arctissime ac

densissime intexto et fortasse etiam pice illito confectas. V. AMPHORA. Urnam quinquagenariam. *Id. Cato ib.* 10. et 13. ponit inter instrumenta olearia: *h. e.* quae quinquaginta sextarios capit: quae mensura longe excedit ordinariam urnam, quae XXIV. tantum continet, ut dictum est. ℙ Pro quacumque vinaria mensura, aut vase accipi videtur a *Juven.* 15, 25. De Corcyraea temetum duxerat urna.

URNĀLIS, e, adj. ad urnam pertinens. Urceus et urna vasa aquaria sunt: sed urceus minor. *Cato R. R.* 13. *f.* ponit inter instrumenta torcularis urceos fictiles duos, urnales duos: et fictiles intelligit ordinariae magnitudinis; urnales capaciores, et urnam continentes. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus acetabulis sive caliculis urnalibus. ℙ Absolute *urnale* est vas urnale *Proculus Dig.* 33, 6, 16. Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is tibi vinum legaverat in amphoris: Omne illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisset, legatum esse, Labeo et Trebatius responderunt.

URNĀMENTĀRIUS. V. ORNAMENTARIUS *f.*

URNĀRIUM, ii, n. (Itali vulgo *secchiario* vocant), locus, aut mensa, super quam urnae, id est vasa aquaria in culina, aut in balneis reponebantur; quam apud Italos plurimi marmoream faciunt, foramine, per quod aqua effluat, relicto. *Varr. L. L.* 4, 27. Praeterea erat tertium genus mensae, et quadratae vasorum, vocaturque urnarium, quod urnas cum aqua positas ibi potissimum habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni solebant urnae, urnarium vocatur. *Id.* ap. *Non.* 15, 10. Sed quae necessitas te jubet aquam effundere domi tuae? Si vasa habes pertusa, plumbum non habes? Ad quam rem nobis confluvium? ad quam urnarium?

URNĀTOR, oris, m. urna aquam hauriens. *Firm. Math.* 3, 11. *n.* 3. Mercurius cum Saturno constitutus faciet urnatores aquas ex altis puteis levantes, hortulanos, etc. Sed alii leg. *urinatores*, et commate adjecto, a levantibus aquas distinguunt: quod multo verius est.

[URNIĀ, ae, f. Dea Nemausi culta, urnis fortasse et urnariis praesidens. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 413, 1. et *Mur. proleg.* T. I. p. 54. Laribus Aug. sacrum, et Minervae, Nemauso, Urniae, Avicanto T. Cassius T. L. Felicio exs voto. *F.*]

URNĪGER, ra, rum, adj. urnam ferens. *Vet. epigr. de Signis coelestib.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 314. *Burm.* Et qui portat aquam puer urniger, *h. e.* Aquarius, de quo *ib.* p. 316. Quique urnam gerit. V. URNA.

URNŪLĂ, ae. f. *σταμνάριον*, parva urna. *Varr.* ap. *Non.* 15, 8. Item ex aere, ut urnulae aquales, matulae, sic ceterae. *Cic. Par.* 1, 3. Minusne gratas Diis capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? ℙ De sepulcrali. *Spart. Sever.* 24. Urnulam auream fuisse Severi re liquias continentem, eandemque Antoninorum sepulcro illatam.

ŪRO, is, ussi, ustum, a. 3. *αἴθω*, calore consumo, incendo, aduro, comburo, torreo, cremo. Etymologi ab Hebraeo usque ejus notationem trahunt. V. ARSE VERSE. *Lex XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 23. Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito. *Cic. Phil.* 8, 5. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri, secarique patimur. *Id. Truc.* 1, 28. Partes incultae (*terrarum*) quod aut frigore rigeant, aut urantur calore. *Pl. Most.* 3, 1, 81. Calidum hoc est: etsi procul abest, male urit. *Liv.* 26, 21. *f.* Numidae sociorum populi R. agros urebant. *Tac. A.* 4, 48. Vastare, urere, trahere praedas; et *H.* 2, 12. Urere, vastare, rapere. *Hor. Ep.* 7, 5. superbas invidae Carthaginis Romanus arces ureret. *Tac. A.* 15, 44. *med.* (et *Virg. A.* 7, 13.) Urere aliquid in usum nocturni luminis. *Ov. Met.* 4, 194. ad Solem: tuis omnes qui terras ignibus uris. *Id. Fast.* 4, 299. Sicca diu tellus fuerat: sitis usserat herbas. *Id. Pont.* 1, 10, 5. Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis. *Hor. Sat.* 1, 2, 114. Sitis urit fauces. *Id. ib.* 3, 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. ℙ Hyperbole est in his. *Val. Fl.* 7, 645. qualis Getico de pulvere Mavors Intrat equis, uritque gravem sudoribus Hebrum. *Juven.* 6, 259. quarum Delicias et panniculus bombycinus urit. ℙ *Tabulam coloribus urere* ap. *Ov. Fast.* 5, 831. est encaustica pingere. ℙ Ponitur pro exsiccare, humorem instar ignis, aut solis absumere. *Virg. G.* 1, 77. Urit enim lini campum seges, urit avenae, Urunt Lethaeo perfusa papavera somno. *Plin.* 18, 12, 32. Ciceris natura est gigni cum salsilagine: ideo solum urit. *Id.* 17, 27, 46. Fimum suillum urit vineas. ℙ Item calefaciendo abrodere. *Hor. Ep.* 1, 10, 44. calceus, Si pede major erit, subvertet; si minor, uret. *Colum. Arb.* 8. *med.* Antiqua terebra scobem facit: propter hoc urit eam partem, quam perforat: Gallica excavat, nec urit, quod non scobem, sed ramenta facit. *Ov. Rem. Am.* 235. prensos urunt juga prima juvencos, Et nova velocem cingula laedit equum. *Prop.* 4, 3, 23. teneros urit lorica lacertos. *Plin.* 36, 24, 57. Calx urit, discutit, extrahit. *Sen. Oed.* 858. vulneri innatus tumor Puerile foeda corpus urebat lue. ℙ Saepe usurpatur de frigore, cujus in membris corporis, et in satis similes ignis effectus sunt. *Cic. Tusc.* 2, 17. *med.* Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. *Just.* 2, 2. Scythae continuis frigoribus uruntur. *Lucan.* 4, 52. Urebant montana nives, camposque jacentes Non duraturae, conspecto sole, pruinae. *Avien. Arat.* 1810. Nix herbas laedet teneras, nix uret aristas. *Plin.* 22, 25, 57. Iis, quae frigus usuret aristas. *Plin.* 22, 25, 57. Iis, quae frigus usserit, remedio sunt. *Val. Fl.* 2, 287. ratem canis urebat luna pruinis. *Calpurn. Ecl.* 5, 117. ne forte rigor penetrabile corpus Urat. Etiam *aduro*, *deuro*, *peruro*, et *obustus*, *praeustus* frigori tribuuntur. ℙ *Urere* etiam dicuntur, quae acrem dolorem faciunt, et ustioni similem. *Hor. Ep.* 1, 16, 47. Uri loris. *Plin.* 28, 9, 33. Dysenteria si usserit. *Id.* 29, 3, 11. Ova epiphoras urentes refrigerant. *Id.* 26, 8, 39. Tithymalum fauces leniter urit. ℙ Et quae instar incendii absumunt. *Liv.* 10, 47. Pestilentia urens simul urbem atque agros. ℙ Transfertur ad animum pro pungere, stimulare, angere, cruciare, coquere, molestum esse. *Flor.* 2, 6. Urebat nobilem populum ablatum mare, captae insulae, dare tributa, quae jubere consueverat. *Pl. Poen.* 3, 5, 25. Id nunc his cerebrum uritur, me esse hos trecentos Philippos facturum lucri. *Stat. Th.* 11, 396. namque uritur alto Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis, Instratusque ostro sonipes. *Sen. Herc. Oet.* 620. Urit miserum gloria pectus. *Val. Fl.* 1, 476. Magnorumque viros qui laudibus urat avorum. *Ter. Eun.* 2, 2, 43. *Gna.* Quid videtur hoc tibi mancipium? *Par.* non malum hercle. *Gna.* Uro hominem. ℙ Universim quidquid grave est, premit, fatigat, *urere* dicitur. *Liv.* 36, 23. Aetolos propter paucitatem eosdem dies noctesque assiduo labore urente. *Vell.* 2, 77. Populum gravis urebat infesto mari annona. *Quint. decl.* 12, 9. Fames urit. *Liv.* 10, 17. Haec eos molientes bellum domi urebat. *Id.* 27, 39. *med.* Bellum, quo duodecimum annum Italia urebatur. *Ov. Am.* 1, 8, 69. Parcius exigito pretium, dum retia tendis, Ne fugiant: captos legibus ure tuis, *h. e.* tuo arbitrio. ℙ Frequenter ad amorem refertur, qui a poetis passim ignis dicitur. *Hor. Od.* 1, 19, 5. Urit me Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius. *Id. Ep.* 11, 3. qui (*Amor*) me praeter omnes expetit Mollibus in pueris, aut in puellis urere. *Virg. A.* 4, 68. Uritur infelix Dido, totaque vagatur Urbe furens. *Id. Ecl.* 8, 83. Daphnis me malus urit; et *ib.* 2, 68. Me tamen urit amor. *Id. G.* 3, 215. Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina. *Ov. Met.* 7, 21. quid in hospite regia virgo Ureris.

ŪROPYGĬUM, ii, n. *οὐροπύγιον*, pars ultima spinae, ubi vertebrae desinunt, os totius spinae extremum, ossi sacro subtus adhaerens, podicique superne imminens: ab *οὖρος* pro *ὅρος*, extremitas, terminus, et *πυγή*, nates. *Mart.* 3, 93. ad vetulam: Et anatis habeas uropygium macrae. Alii perperam leg. *orrhopygium*, quam vocem vide suo loco. *Id.* aliis verbis dixit 11, 100. Cui (*puellae*) serra lumbis, cuspis eminet culo, *h. e.* uropygium eminens.

URPEX. V. IRPEX.

URRUNCUM, i, n. infima pars spicae. *Varr. R. R.* 1, 48. *f.* Illud autem in summa spica jam matura, quod est minus quam granum, vocatur frit; quod in infima spica ad culmum stramenti summum, item minus quam granum est, appellatur urruncum. ℙ *Pontedera* in *Antiq. Lat. et Graec.* p. 164. vocem derivat ab inusit *ὄρρογκον*, serum lactis, scil. ab *ὀρρός*, serum, et *ὄγκος*, tumor: quod improbat *Schneiderus*, qui ab *ὄρογκος*, cacumen montis, deducendum putat, similemque insuper affert *Aeliani l.* 6. *Hist. anim. c.* 43. locum, ubi *οὐραγὸς*, vel *οὐραχὸς*, infimam spicae, et supremam culmi partem significat.

URSĂ, ae, f. *ἄρκτος*, femina in genere ursorum. *Ov. Fast.* 2, 181. Ursa per incultos errabat squalida montes. *Id. Met.* 12, 319. Fusus in Ossaeae villosis pellibus ursae. *Virg. A.* 5, 37. Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursae. (Hoc et superiore loco *ursa* ponitur nulla habita ratione generis: nam pelles istae etiam ursi esse poterant. Eadem ratione et *canis* usurpatur.) *Ov. Met.* 13, 836. Villosae ursae catuli; et *ib.* 803. feta truculentior ursa. *Mart.* 6, 25. horrida. ℙ Est hoc nomine duplex Signum in coelo, *Ursa major*, et *minor*, de quibus in ARCTOS dictum est. *Ov. Her.* 18, 152. Quaeque micat gelido Parrhasis Ursa polo. *Id. Trist.* 3, 11, 7. Barbara me tellus, et inhospita litora ponti, Cumque suo Borea Maenalis Ursa videt. *Id. ib.* 1, 4, 1. custos Erymanthidos Ursae; et *ib.* 5, 3, 7. suppositus stellis Cynosuridos Ursae. *Val. Fl.* 4, 724. immotos Ursae rigor invenit amnes, *h. e.* frigus earum regionum, quae sub Ursa sunt. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 528, 9. Julia Ursa.

[URSAONENSES, et Ursonenses, ium, m. plur. incolae Ursaonis vel Ursonis, urbis in Hispania Baetica, quae nunc *Ossuna*. Ejus *Plin.* 3, 1, 3. meminit. *Auct. B. Hisp.* 28. Ursaonensium civitas. *Inscr.* ap. *Grut.* 259, 2. Resp. Ursonensium. *F.*]

[URSENTĪNI, orum, m. plur. incolae Ursenti, nunc *Orso-Marso*, oppidi in Lucania ad Laum fluv.; in cujus nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. I. p. 166. *ΟΡΣΑΝΤΙΝΩΝ*. *Plin.* 3, 11, 15. Lucanorum (*mediterranei*) Tergilani, Ursentini, Volcentani. *F.*]

[URSILLA, ae, f. dimin. ursae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 352, 1. Clodia Ursilla. *F.*]

URSĪNUS, a, um, adj. *ἄρκτειος*, ad ursum pertinens. *Colum. Arb.* 15. Ursinus sanguis. *Plin.* 28, 17, 71. adeps; et *ib.* 16, 62. Ursinum fel. *Id.* 8, 36, 54. Ursina rabies. ℙ Ursinum allium, species allii silvestris, odore molli, capite praetenui, foliis grandibus. *Plin.* 19, 6, 34. ℙ *Ursina*, *ae*, absolute, est caro ursina, ut *suilla* est caro suis. *Petr. fr. Treg.* 66. *Burm.* In prospectu habuimus ursinae frustum, de quo cum imprudens Scintilla gustasset, etc.

[URSĬO, onis, m. dimin. ursi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 518, 1. L. Valerius Ursio. *F.*]

URSŪLA, ae, f. dimin. ursae. Est cogn. R., ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 6. Julia Ursula. Adde 561, 4., 697, 5. et 888, 2. ℙ Item nomen propr. feminae. *Inscr.* ap. *eund.* 680, 13. Entyches Ursulae conjugi carissimae.

URSŪLUS, i, m. dimin. ursi. Est cogn. R., ut in *Inscr.* ap. *Grut.* 9, 2. M. Aurelius Ursulus. Adde 173, 7., 893, 11. ℙ Item nomen proprium viri. *Inscr.* ap. *Mur.* 1009, 2. Ursulus Augustorum servus. Adde 1512, 16. et 1568, 5. *Auson. ep.* 18, 25. Ursule collega nobilis Harmonio.

URSUS, i, m. *ἄρκτος*, genus animalis feri multo villo, saevis fortissimisque unguibus, viribus, rabieque horrenda. *Isid. Or.* 12, 2. Ursus fertur dictus, quod ore suo formet fetus, quasi orsus. *Virg. G.* 3, 247. nec funera vulgo Tam multa informes ursi, stragemque dedere. *Juven.* 15, 163. Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam: saevis inter se convenit ursis. *Ov. Met.* 10, 540. Raptoresque lupos, armatosque unguibus ursos. *Id. Trist.* 3, 5, 35. Ursi turpes; et *ib.* 11, 11. fugax avidis cervus deprensus ab ursis. *Hor. Ep.* 1, 15, 34. patinas coenabat omasi, Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset. *Val. Fl.* 2, 73. Ursi truces. *Claud. in Ruf.* 2, 483. truculenti. *Id. Cons. Mall. Theod.* 298. magna mole rudentes. *Hor. Ep.* 2, 1, 185. media inter carmina poscunt Aut ursum, aut pugiles, *h. e.* pugnam bestiarum in Circo. Multa de ursis *Plin.* 8, 36, 54., *f.* ubi haec addit: Annalibus notatum est, Domitium Ahenobarbum aedilem curulem ursos Numidicos centum, et totidem venatores Aethiopas in Circo dedisse. Miror adjectum Numidicos fuisse, cum in Africa ursum non gigni constet. Haec *Plin.*, quare *ursi Numidici* sunt leones, ut *Lips.* et *Voss.* et alii censent. Sic enim eos appellasse videntur rudes Romani, cum primum ab ipsis visi sunt, quemadmodum elephantos *Lucas boves* dixere, et pantheras *mures Africanos*. Quare quod *Virg.* et *A.* 5. et 8. Libystidem ursam memorat, possumus cum *Servio* quamlibet Africanam feram intelligere: nisi malis cum *Harduino* legere *Ligystidem*, h. e. Ligusticam, quod sane minus placet. Ceterum *Plin. ib.* 58, 83. *f.*, ut in *loc. supra cit.*, negat, ursos in Africa nasci. ℙ *Fumantem nasum vivi tentaveris ursi*, proverb. ap. *Mart.* 6, 64., est provocare eum, qui nocere potest. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 7. L. Caecilius Ursus.

URTĪCĂ, ae, f. *κνίδη*, *ἀκαλήφη*, herba vel caecis nota, quia solo tactu se prodit, pusulas excitans, ustioni similes, et pruritum atque ardorem: quare ab *uro* dictam volunt. *Plin.* 21, 15, 55. Ex omnibus (*spinosarum herbarum*) generibus urtica maxime noscitur, acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus: saepe altior binis cubitis. Plures ejus differentiae: silvestris, quam et feminam vocant; mitiorque. Et in silvestri quae dicitur cania, acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. Quae vero etiam odorem fundit, Herculanea vocatur. Semen omnibus copiosum, nigrum. Mirum, sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam, et tactu tantum leni pruritum, pusulasque confestim adusto similes exsistere. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata. Morsu carens lamium vocatur. Haec *Plin.* Habet autem usum etiam in cibis pauperiorum: et remedium est etiam ad multa. *Plin. ib.* et 22, 13, 15., *Catull.* 44, 15., *Hor. Ep.* 1, 12, 8. et *Pers.* 6, 70. ℙ Translate est pruritus et libido turpis. *Juven.* 2, 128. unde Haec tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes? Adde 11, 166. ℙ Est etiam marina urtica, ex genere *τῶν ζωοφυτῶν*, h. e. eorum, quae mediam naturam habent inter fruticem et animal, ut spongiae. *Plin.* 9, 45, 68. Urticae noctu vagantur, noctuque mutant (*sedem*). Carnosae frondis his natura, et carne vescuntur. Vis pruritu mordax, eademque quae terrestris urticae. Contrahit ergo se quam maxime rigens, ac praenatante pisciculo frondem suam spargit, complectensque devorat. Alias marcenti similis, et jactari se passa fluctu algae vice, contactos pisces, attrituque petrae scalpentes pruritum invadit, etc. Haec *Plin.* Meminit et *Pl. Rud.* 2, 1, 9. ℙ Fuit cogn. R., ut C. Herennius Urtica, in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 155, 3.

URTĪCŪLĂ, ae, f. dimin. urticae. Est cogn. vi-

rile R. in gente Livia. *Inscr.* ap. *Grut.* 1002, 4. Livia Urticulae L. Aglais, M. Livius Urticulae L. Pachynus.

URVO, et Urbo, as, a. 1. est in urbe condenda aratro circumdare, seu definire. *Fest.* Urvat, Ennius in Andromeda, significat circumdat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quae sit forma simillima uncini, curvatione buris, et dentis, cui praefigitur vomer. V. URVUM.

URUS, i, m. *οὖρος*, bos agrestis, in Pyrenaeis montibus nascens, animantibus ceteris, elephante excepto, major. *Caes. B. G.* 6. loquens de feris, quae in Hercynia silva nascuntur, 28. Tertium est genus eorum, qui uri appellantur: ii sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie, et colore, et figura tauri. Magna vis est eorum, et magna velocitas: nequo homini, neque ferae, quam conspexerint, parcunt. Hos studiose foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent: et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quae sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, et mansuefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. Amplitudo cornuum, et figura, et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Haec studiose conquisita, ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur. *Plin.* 8, 15, 15. Paucissima (*animalia*) Scythia gignit inopia fruticum: pauca contermina illi Germania: insignia tamen boum ferorum genera, jubatos bisontes, excellentique vi et velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius, cervique quadam similitudine *Macr. Sat.* 6, 4. *f.* Punicis, Oscisque verbi usi sunt veteres: quorum imitatione Virgilius peregrina verba non respuit, ut in illo (*G.* 2, 374.) Silvestres uri assidue. Uri enim Gallica vox est, qua feri boves significantur. *Servius ib.* ait, uros dici *ἀπὸ τῶν ὀρέων*, id est a montibus, ac nasci in montibus Pyrenaeis, qui inter Gallias, Hispaniasque. *Gallica vox* ap. *Macr. l. c.* est Celtica; [recentiores enim Germani urum vocant *auerochs* vel *urochs*, h. *e.* prati bovem ex *aue*, pratum, et *ochs*, bos. *F.*] [**Ur* significat etiam *magnus*, hinc *Urochs*, ut *Urgaul*, etiam de magnitudine nomen traxisse potest. Cf. *Ritter. Gesch. der Germ.* p. 343.] *Virg. G.* 3, 532. Quaesitas ad sacra boves Junonis, et uris Imparibus ductos alta ad donaria currus. *Sen. Hipp.* 65. Latisque feri cornibus uri. Adde *Solin.* 20.

URVUM, sive Urbum, i, n. buris, hoc est aratri curvatura. V. BURA. Quod Romani aratri curvaturam urvum vocarunt, ideo factum, quia urvum generatim dicerent *τὸ ἀνάπαιον*, h. e. quod ita est flexum, ut redeat sursum versus. V. *Varr. l. c.* in URINOR. *Pompon. Dig.* 50, 16, 239. Urbs ab urvo appellata est: urvare est aratro definire: et Varus (lege *Varro*) ait, urvum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet. In edit. *Torrentini* habetur *urbo*, et *urbum*.

US

[USALLITĀNUS, a, um, adj. ad Usallam, vel Usillam, vel Usulam pertinens, Africae Byzacenae urbem, inter Tusdrum et Thenos. Ejus meminit *Ptolem. l.* 4. *c.* 3. *Οὐσάλλα*, et *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n* 11. Q. Aurelius Q. F. Quir. Gallus Uszali. *Plin.* 5, 4, 4. Oppidum Latinum unum Usalitanum. *Inscr.* ap. *Grut.* 512. *lin.* 28. Leptitanorum, Aquillitanorum, Usallitanorum, Teudalensium. *F.*]

[USCĀNENSES, ium, m. plur. incolae Uscanae, urbis maximae in Illyride Graeca, in regione Penestia. V. PENESTIANUS. *Liv.* 43, 18. *f.* Uscanenses se, urbemque dediderunt. Adde *ib.* 19. *F.*]

USĬO, onis, f. idem quod usus. *Cato R. R.* 149. Oleris, asparagis, lignis, aqua, itinere, actu, domini usioni recipitur. *Ulp. Dig.* 34, 2, 28. Si factum aurum legatum est, omne ad eum pertinet, cui legatum est, ex quo auro aliquid est effectum, sive id suae, sive alterius usionis causa paratum esset. *Scaevola* ap. *Gell.* 4, 1. Longae usionis gratia contrahuntur, et reconduntur. *Varr.* ap. *Non.* 3, 262. Diogenem litteras scisse, dum usioni quod satis esset. *Arnob.* 7. p. 238. Colunt Dii vineas, et ad suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum. *African. Dig.* 32, 1, 58. *med.* Usioni habere aliquid. Alii leg. *usui*. *Cato R. R.* 38. *f.* Virgas et sarmenta, quae tibi usioni supererunt, in segete comburito. Est qui leg. *ustioni*. Sed *usioni* defendit *Hard.* ap. *Plin.* 18, 25, 61. locum ipsum Catonis referentem.

[USĬPĔTES, um, m. plur. *Οὐσιπέται*, populi Germaniae, a Cattis expulsi, Rhenum accolentes, in Menapiorum terra, Tencheris vicini. Eorum meminere *Caes. B. G.* 4, 1, 4. et 16. et *Tac. A.* 1, 51. ℙ Iidem *Usipii*, *orum*, audiunt ap. *eund. ib.* 13, 58. et *H.* 4, 37. et *G.* 32. *F.*]

ŪSĬTĀTĒ, adv. *εἰθισμένως*, secundum consuetudinem. *Cic. Fin.* 4, 26. Cur igitur, cum de re conveniat, non malimus usitate loqui? *Gell.* 13, 20. *f.* Dicere usitatius manente numero posset. *Id.* 19, 7. Obesum notavimus proprie magis, quam usitate dictum pro exili atque gracilento.

ŪSĬTĀTUS, a, um, part. ab *usitor*: *εἰθισμένος*, usu receptus, consuetus, pervulgatus, solitus, translaticius. *Cic. Phil.* 14, 4. *extr.* Honos usitatus et pervulgatus. *Id. Caecin.* 16. Hoc jam vetus est, et majorum exemplo multis in rebus usitatum. *Brut. ad Cic.* 1, 16. Non solum usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod, etc. *Cic. Fin.* 3, 2. Nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. *Id. Acad.* 1, 7. *med.* Faciamus tractando usitatius hoc verbum, et tritius. *Id. Verr.* 2, 2, 3. *med.* Hunc pertulissent, si humano modo, si usitato more, si denique uno aliquo in genere peccasset; et *ib.* 2, 5, 44. *f.* Metum virgarum navarchus pretio redemit: humanum: alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: usitatum est. *Sen. Herc. Oet.* 362. Hoc usitatum est Herculi: captas amat. *Hor. Od.* 2, 20, 1. Non usitata, nec tenui ferar Penna biformis per liquidum aethera. *Pl. Ps.* 2, 4, 37. Homo qui non hic usitatus saepe sit, *h. e.* qui frequens in his locis non fuerit. Alii leg. *visitatus*. *Cic. Or.* 25. *med.* Uti verbis quam usitatissimis.

ŪSĬTOR, aris, dep. 1. *χράομαι*, frequenter utor. *Gell.* 17, 1. *med.* Tametsi aliquoties verbo ipso alio quoque modo usita i sunt.

[USPENSES, ium, m. plur. incolae Uspes, urbis Siracorum sive Siracenorum, in Scythia Asiatica, quae edito loco, fossisque munita, nisi quod moenia non saxo, sed cratibus junctis, ac medio humo adversum irrumpentes invalida erant, cujus *Tac. A.* 12, 16. meminit. *Id. ib.* 17. Excidio Uspensium metus ceteris injectus.

USPĬAM, adv. *ποῦ*, *ἑπαχοῦ*, idem ac usquam, id est in aliquo loco. Est ab *ὡς*, quod valet *ἕως*, id est usque: *piam* est vocis productio, haud secus ac in *quispiam*. *Cic. Leg.* 1, 15. Sive est illa lex scripta uspiam, sive nusquam. *Pl. Aul.* 4, 2, 13. Perscrutabor fanum, si inveniam uspiam aurum. *Id. Cas.* 4, 3, 12. Edepol nae tu, si equus esses, esses indomabilis. *St.* quo argumento? *Ol.* nimis tenax es. *St.* Num me expertus uspiam? *Ol.* Dii melius faciant. *Ter. Ad.* 1, 1, 12. Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit. *Cic. Att.* 1, 17. Quin te ille aut Dyrrhachii, aut in istis locis uspiam visurus esset. *Appul. Met.* 7. Nec uspiam ruris reperitur ille, sed corpus ejus membratim laceratum, multisque dispersum locis conspicitur. *August. ep.* 164. (*al.* 99.) *n.* 7. Nec ipsos inferos uspiam Scripturarum in bono appellatos potui reperire.

USQUAM, adv. *ποῦ*, *ἑπαχοῦ*, ullo in loco, alicubi, uspiam. *Pl. Merc.* 5, 2, 21. Neque quiescam usquam noctu, neque interdiu, priusquam, etc. *Cic. Fl.* 21. Iste, cui nullus est usquam consistendi locus, Romam se retulit. *Id. Leg.* 2, 1. Miror, te, cum Roma absis, usquam potius esse. *Ter. Eun. f.* Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum. *Id. Andr.* 5, 3, 7. Num ejus color pudoris signum usquam indicat? *Virg. A.* 1, 608. si quid Usquam justitiae est; et *ib.* 7, 31. dubitem haud equidem implorare quod usquam est. *Just.* 3, 3. *med.* Nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habet. *Ter. Hec.* 3, 1, 13. An quisquam usquam gentium est aeque miser? *Nep. Dat.* 6. *extr.* Quo neque acutius cogitatum usquam legimus, *h. e.* in ulla historia. ℙ Cum verbis motus. *Pl. Mil.* 3, 1, 90. Si ea quidem deducta est usquam gentium. *Cic. Phil.* 1, 1. Nec vero usquam discedebam, nec a republica dejiciebam oculos. *Nep. Ag.* 3. Agesilaus Phrygiam prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam se moveret. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam. *Hor. Sat.* 1, 1, 37. formica non usquam prorepit; et *Sat.* 2, 1, 31. neque usquam decurrens alio; et *ib.* 7, 30. velut usquam vinctus eas. ℙ In aliqua re, aut negotio. *Ter. Andr.* 2, 5, 9. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. *Cic. Off.* 2, 1. Cum dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio, aut auctoritati locus. *Sall. Jug* 13. Neque advorsus iram ejus usquam, nisi in avaritia nobilitatis, et pecunia sua spem habere.

USQUĔ, *ἄχρι*, *μέχρι*, *ἕως*, *ἕως ἄν*, praepositio ex iis, quae vel accusativo, vel ablativo inserviunt, juxta significationis varietatem. Significat continuationem, et finem loci, temporis, actus, et hujusmodi. Refertur saepe ad motum ad locum, et fere postulat post se aliam praepositionem. Pro arbitrio autem vel anteponitur, vel postponitur. *Cic. Manil.* 12. *f.* Cum ad eum usque in Pamphyliam legatos misissent. *Id. Quint.* 3. *med.* In Galliam Naevius, et trans Alpes usque transfertur. ℙ Quando adjungitur nominibus propriis urbium, castellorum, et pagorum, item appellativis *domus*, et *rus*, alteram praepositionem respuit. *Ter. Ad.* 4, 5, 21. Miletum usque? obsecro. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 14. *f.* Theatrum ita resonans, ut usque Romam significationes, vocesque referantur. ℙ Et pesonis. *Stat. Th.* 11, 88. horrendus ab astris Descendit vos usque fragor. ℙ Et aliis. *Just.* 1, 1. Terminos usque Libyae. *Id.* 7, 1. Imperium usque extremos Orientis terminos prolatum. *Cels.* 7, 7. *n.* 15. Vitium mansurum usque mortis diem. ℙ Interdum tamen etiam cum nominibus propriis urbium, ets. reperitur cum praeposit. *ad Cic. Dejot.* 7. Usque ad Numantiam misit. ℙ Refertur quoque ad motum de loco, vel ad originem, et recipit ablat. cum praeposit. *a*, vel *ab*, vel *e*, aut *ex*, etiam cum nominibus propriis urbium, etc. *Cic. Cluent.* 68. Atque illam usque a mari supero Romam proficisci. *Id. Verr.* 2, 1, 34. *med.* Usque a Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quae in Ponto est, navigaverunt. *Id. ib.* 2, 5, 60. *f.* Ut qui usque ex ultima Syria atque Aegypto navigarent. *Virg. A.* 7, 289. Siculo prospexit ab usque Pachyno. *Tac. A.* 15, 37. Volucres et feras diversis e terris, et animalia maris oceano ab usque petiverat. ℙ In utroque motu vice casuum admittit etiam adverbia *eo*, *illo*, *illinc*, *istinc*, et hujusmodi. *Cic. Att.* 1, 14. *med.* Quod eos usque istinc exauditos putem. *Plin.* 6, 23, 26. Achaemenidas usque illo tenuisse. *Ov. Ib.* 240. Admorunt oculis usque sub ora faces. ℙ Saepe etiam tempus notat, vel personam spectata ratione temporis. Si dicatur de tempore futuro, vel consequenti, exigit accus. cum praeposit. *ad Pl. Men.* 1, 2, 62. Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus, *h. e.* quoad Lucifer, vel Sol a nobis videbitur. *Cic. Am.* 10. Amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere. *Virg. G.* 1, 211. serite hordea campis Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem. *Ter. Ad.* 4, 4, 21. Cessatum usque adhuc est. ℙ In hac acceptione frequenter *usque* omittitur. *Cic. Sen.* 19. Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum? ℙ Si vero dicatur de tempore praeterito, regit ablat. cum praeposit. *a*, vel *ab*. *Id. Div.* 1, 1. Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus. *Id. N. D.* 1, 33. Usque a Thale Milesio enumerasti sententias philosophorum. *Id. Coel.* 14. *f.* Bona paterna, et avita, et usque a nobis repetita. ℙ Jungitur et cum *inde*. *Id. Arch.* 1. Quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, etc. ℙ Significat etiam finem, vel terminum cujuscumque rei, ut dominii, actionis, etc. *Ter. Andr.* 1, 2, 28. Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem. *Cic. Verr.* 1, 6. *med.* Usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt. *Gell.* 15, 2. Vini libidine ad usque ludibria ebriosus. ℙ Item connotat exceptionem. *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Assenserunt consules designati, omnes etiam consulares usque ad Pompejum, *h. e.* excepto Pompejo. ℙ Migrat etiam in adverbium, et significat diu, multum, valde. *Ter Ad.* 2, 2, 5. Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus. *Hor. Sat.* 1, 2, 65. poenas dedit usque superque, Quem satis est. ℙ Vel assidue, jugiter, perseveranter. *Virg. Ecl.* 9, 61. Cantantes, licet, usque (minus via laedet) eamus. *Mart.* 5, 60. Allatres licet usque nos et usque, Et gannitibus improbis lacessas. *Prop.* 2, 7, 40. an usque In nostrum jacies verba superba caput? ℙ Vel paene, prope. *Ter. Ad.* 4, 2, 19. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam usque occidit.

USQUĔ ĂDĔO, adv. *οὕτω*, *οὕτως*, in tantum. *Virg. Ecl.* 1, 11. Non equidem invideo: miror magis: undique totis Usque adeo turbatur agris. ℙ Pro tamdiu, sequentibus particulis *donec*, *quoad*, *dum*. *Pl. Cist.* 2, 3, 40. Non destiti instare usque adeo, donec se adjurat anus jam mihi monstrare. *Cato R. R.* 67. Amurcam commutet usque adeo, donec in lacum postremum pervenerit. *Cic. Sext.* 38. Usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit, Sextium vivere. *Ter. Eun.* 4, 6, 3. Usque adeo illius ferre, possum ineptias et magnifica verba, verba dum sient. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 10, 3. Usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit. *Pl. Amph.* 1, 2, 10. Adeo usque, satietatem dum capiet pater. ℙ *Usque eo ut*, adeo ut. *Cic. Fl.* 23. Usque adeo orba fuit ab optimatibus illa concio, ut princeps principum esset Maeandrius.

USQUĔ ADHUC, adv. *μέχρι τοῦδε τοῦ χρόνου* hactenus, hucusque. *Pl. Aul.* 2, 3, 10. Quod ce latum est atque occultatum usque adhuc, nunc non potest. *Suet. Dom.* 18. Usque adhuc certe animum meum probastis, et vultum.

USQUĔ ADMODUM, adv. tandiu apud veteres *Cato R. R.* 156. Postea ubi iterum occipiet fervere paulisper demittito usque admodum, dum quinquies quinque numeres.

USQUĔ AFFĀTIM, adv. usque ad satietatem. *Pl. Poen.* 3, 1, 31. Edas de alieno, quantum velis, usque affatim.

USQUĔ ANTĒHAC, adv. *μέχρι πρὸ τούτου*, usque ad id tempus, antequam. *Ter. Andr.* 2, 1, 13. Ut animus in spe, atque in timore usque antehac attentus fuit, *h. e.* usque ad id tempus, antequam tua verba audirem.

USQUĔ DONEC, adv. usque dum. *Pl. Mil.* 2, 2, 113. Ibo odorans usque donec persecutus vulpem ero vestigiis.

USQUĔ DUM, adv. *ἄχρις οὗ*, idem ac usquequo, vel quoad, vel quandiu. *Pl. Men.* 5, 1, 28. Usque dum regnum obtinebit Juppiter. *Cic. Verr.* 2, 1, 5. Duces praedonum vivos domi suae, usque dum

per me tibi licuerit, tenuisse. ℙ Interdum divisim usurpatur aliis dictionibus interjectis. *Ter. Heaut.* 5, 2, 30. Imo et ibi nunc sum, et usque id dudum egi, dum loquitur pater. *Cic. Fam.* 12, 19. *f.* Mihi quidem usque curae erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero.

USQUĔ ĔO, adv. *παρὰ τοσοῦτον, οὕτως*, in tantum adeo. *Cic. Or.* 1, 52. Plato cum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem: usque eo illa, quae dicenda de justitia putabat, a vitae consuetudine, et a civium moribus abhorrebant. *Id. Verr.* 2, 4, 40. Virgis iste caederet sine causa socium populi Romani? non usque eo improbus. ℙ Saepe post se exigit particulam *ut*. *Id. Rosc. Am.* 9. Quod Amerinis, usque eo visum est indignum, ut fletus gemitusque tota urbe fierent. ℙ Vel *ne*. *Id. Quint.* 18. *f.* Inferiorem esse patitur dumtaxat usque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Naevii cupiditati crudelitatique dedatur. ℙ Vel *dum*. *Id. Acad.* 4, 7. Multa facimus usque eo, dum aspectus ipse fidem faciat sui judicii. ℙ Vel *quoad*. *Id. Verr.* 2, 3, 33. *med.* Liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. ℙ Vel *donec*, et significat tandiu. *Id. ib.* 2, 1, 6. *f.* Usque eo timui, ne quis de mea fide dubitaret, donec ad rejiciendos judices venimus. ℙ *Usque eo quoad*, pro tandiu. *Id. Dejot.* 4. Tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompejo ad eum legati venerunt. ℙ *Usque eo antequam* idem est ac *usque antehac*, quod V. supra. *Id. Rosc. Am.* 22. Usque eo animadverti, eum jocari, antequam Chrysogonum nominavi: quem simul atque attigi, statim homo se erexit, *h. e.* usque ad id tempus, quo Chrysogonum nominavi.

USQUĔQUAQUĔ, adv. *πάντη, πάντως*, in unoquoque loco, ubique, passim. *Pl. Poen. prol.* 105. Mari terraque illas usquequaque quaeritat. *Cic. Phil.* 2, 43. Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. ℙ Ponitur etiam pro quocumque tempore, semper, assidue. *Id. Fam.* 7, 16. ex *Vet. Poeta:* Usquequaque sapere oportet: id erit telum acerrimum. *Plin. ep.* 7, 20. Siqua posteris cura nostri, usquequaque narrabitur, qua concordia, fide vixerimus. *Catull.* 39, 1. Egnatius, quod candidos habet dentes, Renidet usquequaque. ℙ Item in omni re. *Cic. Verr.* 2, 5, 5. Nolite usquequaque eadem quaerere: in metu belli, furandi qui locus potest esse? ℙ Item pro omnino, universim, generatim. *Id. Fin.* 5, 30. *med.* An hoc usquequaque aliter in vita, et non ex maxima parte de tota judicabis?

USQUĔQUO et Usque quo, adv. *ἕως οὗ*, quousque, usque ad quem locum. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 25. Palmites ad superiora scandant, relicto duramento, et emissario uno, qui subeat, usquequo placuerit. *Id.* 6, 4, 4. Oppidum ab amne influente ibi cognominatum, usquequo magnarum navium capacem esse diximus. ℙ Item usque ad quod tempus, usque donec. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Ranam luridam conjicere in aquam, usquequo ad tertiam partem decoxeris. *Pall.* 4, 1. Martio mense putatio celebratur, usque quo incipit gemma esse suspecta. ℙ Item quatenus, usque ad quem finem. *Ulp. Dig.* 5, 2, 29. *med.* Et ideo datae libertates, usque quo Falcidia permittit, suam habent potestatem. ℙ Dividitur etiam et invertitur. *Mart.* 2, 64. Eja age, rumpe moras: quo te spectabimus usque? V. QUOUSQUE.

USQUĔ QUOAD, adv. quousque, usque donec, usque eo quoad. *Cic. Brut.* 22. *med.* Usque illum, quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Anniculis factis dandum hordeum et furfures, usque quoad erunt lactentes.

USTA, ae, f. genus coloris rubei, sed ad flavum accedentis, et colori auri similis. Duplicis generis fuit: alia cerussa, quae igne cocta, *usta* dicitur: alia ochra, quae igne similiter cocta, *usta* itidem appellatur. V. *Isid. Or.* 19, 17. *med.* Utriusque meminit *Plin.* 35, 6, 20. Usta casu reperta incendio Piraeei cerussa in orcis cremata. Optima Asiatica, quae et purpurea appellatur. Fit et Romae, cremato sile marmoroso, et restincto aceto. Sine usta non fiunt umbrae. *Vitr.* 7, 11. *f.* Usta vero, quae satis habet utilitatis in operibus, tectoriis sic temperatur: Gleba silis boni coquitur, ut sit in igne candens: ea autem aceto exstinguitur, et efficitur purpureo colore.

*USTĪCA, ae, f. *Οὐστῖκα*, insula Siciliae adjacens, hodieque nomen vetustum retinens. *Plin.* 4, 8. ℙ Item mons in Sabinis, cujus meminit *Hor. Od.* 1, 17, 11. Utcunque dulci, Tyndari, fistula Valles et Usticae cubantis Levia personuere saxa. *Vet. Schol.* ad Usticae, Nomen Montis et Vallis. *B. A.*

[USTĪCĬUM, ii, n. genus coloris. V. SUASUM. *Isid. Or.* 19, 28. Usticium, quia ex usto est. Fit enim ex dependenti fuligine tectorum egesta assiduis ignibus. Unde et color ejusdem tincturae flammeus est. *F.*]

USTĪLĀGO, inis, f. herba eadem, quae carduus silvaticus. *Appul. Herb.* 109.

USTĬO, onis, f. *καῦσις*, actus urendi. *Plin.* 34, 15, 14. Quaedam ustione sanantur, privatim vero canis rabidi morbus. *Cels.* 8, 2. *f.* Si costa cariosa est, inutilis ustio, sed excidendi necessitas est. *Plin.* 20, 22, 87. Sinapi in magna duritia sine fico impositum: vel, si vehementior ustio timeatur, per duplices pannos. *Id.* 36, 21, 42. de pumicib.: Quidam tertia ustione refrigeratos potius, quam restinctos, terere malunt ex vino.

USTOR, oris, m. *καυτὴρ, ἐμπρηστής*, qui urit, crematur. Speciatim ita dicebatur, qui corpora in bustuariis cremabat, *νεκροκαύστης*. *Mart.* 3, 93. Ustorque taedas praeferat novae nuptae. *Catull.* 59, 4. Cum devolutum ex igne prosequens panem A semiraso tunderetur ustore. *Lucan.* 8, 738. Robora non desint misero *(Cn. Pompejo M.)*, nec sordidus ustor.

USTRĪCŪLA, ae, f. mulier, quae capillum candenti ferro crispat deliciarum causa. *Tert. Pall.* 4. Larissaeus heros certe jam ustriculas, certe jam virum alicui clanculo functus. Alii rectius pro *ustriculas* legunt *hystriculus*, quam vocem vide suo loco.

USTRĪNA, ae, f. locus, in quo cadaver crematur: ab *ustum* sup. verbi *uro*, *καῦστρα νεκρῶν*. Differt a sepulcro, quia locus ille, in quo cadaver crematur, si cadaver in eo etiam sepeliebatur, dicebatur sepulcrum; si cadaver alio transferebatur, ustrina, ut *Fest.* docet in *Bustum. Inscr.* ap. *Mur.* 1345, 12. T. Flavius Philippus *(dedit)* itum, aditum, ambitum ustrina sacrificii causa. ℙ Item *καυτηρεῖον*, locus, in quo metalla candescunt, ut elaborentur. *Plin.* 36, 21, 42. In ustrina ter siccantur, ita ut torreantur carbone puro, ac toties vino restinguantur albo. ℙ Sumitur etiam pro quovis ardore, aut ustione. *Appul. Met.* 7. Ustrina talis moram non sustinens, *h. e.* incendium excitatum in stuppae sarcina.

USTRĪNUM, i, n. ustrina, locus, in quo cadaver crematur, alibi sepeliendum. Erant ustrina muro cincta, et fere prope sepulcra. *Inscr.* ap. *Gud.* 174, 1. M. Lolius M. F. Papir. Praetextatus, etc. fecit sibi monumentum latum Ped. XX. et XXV. extr. ustrinum Ped. XX. etc. *Alia* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 291. In Fr. cum ustrino P. LIIII, in agro P. XXIIII. *Sponius ib.* ustrini figuram exhibet. *Aliae* ap. *Grut.* 656, 3. et 755, 4. Huic monimento ustrinum applicari non licet. Adde 1044, 7. et 8., ubi eadem verba leguntur.

[USTŪLO, is, a. 4. idem ac ustulo: est ab *ustus*, ut ab *ignis ignio*, ab *hymnus hymnio*. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 884. ipse praesto erit tunc Hercules Hydrina suctus ustuire vulnera. Ita *Arevalus* edidit, alii *ustum ire*. *F.*]

[USTŪLĀTĪCĬUS, a, um. V. SEMIUSTULATICIUS. *F.*]

*USTULĀTĬO, onis, f. *Gloss. Cyrill.* Ustulatio, *ἀπόκαυ α. B. A.*

USTŪLĀTUS, a, um, part. ab *ustulo:* praeustus, *περικαής*. *Vitr.* 1, 5. Taleae oleagineae ustulatae quam creberrimae instruantur. *Id.* 5, 12. Locus palis ustulatis configatur.

USTŪLO, as, avi, atum, a. 1. *περικαίω*, circum uro, aduro, cremo. *Catull.* 36, 6. vovit, Electissima pessimi poetae Scripta tardipedi Deo daturam Infelicibus ustulanda lignis. *Auct. Priap.* 62. Nec gemmas modo germine exeuntes Seri frigoris ustulavit aura; et 46. Ferventi caput ustulare ferro, *h. e.* calamistro inurere crines.

USTUS, a, um, part. ab *uro: κεκαυμένος*. *Ov. Met.* 1, 119. Tum primum siccis aer fervoribus ustus Canduit. *Plin.* 10, 70, 90. Conveniunt ex alto etiam pisces ad quosdam odores, ut sepiam ustam. *Hor. Epod.* 10, 13. Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio In impiam Ajacis ratem. *Ov. Fast.* 4, 275. puppis picta coloribus ustis, *h. e.* encaustice inustis. *Plin.* 28, 6, 18. Urina sole usta; et 32, 5, 17. Ferro ustae plagae. ℙ Est etiam a frigore laesus. V. URO. *Ov. Fast.* 1, 680. Nec nova per gelidas usta sit herba nives. *Id. Trist.* 3, 2, 8. Ustus ab assiduo frigore Pontus. ℙ *Usti* dicuntu, qui igne, vel sole laesi sunt, *πυρίκαυστοι*. *Plin.* 22, 22, 34. Acanthi radices ustis, laxatisque mire prosunt. Sic 23, 4, 42. Oleum amygdalinum medetur a sole ustis cum cera.

USŪALIS, e, adj. *χρηστὸς*, usui nostro serviens. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. Quoties quis mancipia invecta professus non fuerit, sive venalia, sive usualia, in poena commissi est. ℙ *Usualis sermo* est rudis, inornatus, qualis in usu quotidiano et familiari adhibetur. *Sidon. ep.* 4, 10. Reliquas denuo litteras usuali sermone contexo.

[USŪALĬTER, adv. solite, ex more. *Cassiod. Variar.* 2, 39. de Apono: Juvat videre, amicum undis indesinenter ardorem et calorem venire decursu rivi, unde usualiter solebat exstingui. *Id. ib.* 9, 3. Frumenta vocis usualiter natura, industria suffragante, concedit. *F.*]

USŪĀRĬUS, a, um, adj. idem ac usualis. *Gell.* 4, 1. *extr.* Ex iis autem, quae promercalia, et usuaria in locis iisdem essent, ea sola esse penoris putat, quae tint usui annuo. *Ulp. Dig.* 7, 8, 14. Per servum usuarium si stipulet, etc. *h. e.* cujus non proprietatem, nec fructum, sed usum tantummodo quis habet. *Modest. ib.* 21. Usus aquae personalis est: et ideo ad heredem usuarii transmitti non potest, *h. e.* ejus, qui usum tantummodo aquae habet. V. FORICULĀRĬUM.

USUCĂPIO, is, cepi, captum, a. 3. *χρήσει ἰδιοποιέομαι*, rem aliquam continuatione usus, vel possessionis mihi attribuo, vindico, in meum usum converto: pro quo JCti etiam dicunt *capere usu*, *capere utilitatis causa*, *usu suum facere*, *longo tempore capere*, *diutius possidendo capere*, *longa possesione capere*. V. CAPIO, is. *Cic. Har. resp.* 14. *extr.* Nihil mortales a Diis immortalibus usucapere possunt. *Id. Att.* 1, 5. *med.* De Tadiana re mecum Tadius locutus est, te ita scripsisse, nihil esse jam, quod laboretur, quoniam hereditas usucapta esset. *Plin. ep.* 5, 1. Jam biennium transisse, omniaque me usucepisse. *Liv.* 22, 44. *f.* Nullam penes se culpam esse, quod Annibal velut usucepisset Italiam. ℙ Usurpatur etiam divisim, sive citra compositionem. *Pomp. Dig.* 41, 3, 29. Propius est, ut usu eas capere non possis. ℙ Et inverso ordine. *Paul. ib.* 7, 1. Filius pro donato non capiet usu.

USUCĂPIO, onis, f. acquisitio per usum legitimi temporis jure civili constituta. *Ulp. fragm. tit.* 19. Usucapio est adeptio dominii per continuationem possessionis anni, vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii. *Modest. Dig.* 41, 3, 3. Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. *Cic. Leg.* 1, 21. In qua quoniam usucapionem duodecim Tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus. ℙ A JCtis appellatur etiam *capio*. V. CAPIO, onis. ℙ Usurpatur et divisim interjecta aliqua dictione. *Ulp. Dig.* 41, 10, 1. Si sponsa sponso ea mente tradiderit res, ut non ante ejus fieri vellet, quam nuptiae secutae sint, usu quoque capio cessabit.

USUCAPTUS, a, um, part. ab *usucapio*, longa possessione vindicatus, et meus factus, *ἰδιοποιηθείς*. *Suet. Dom.* 9. *f.* Subseciva, quae carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, ut usucapta, concessit. V. SUBSECIVUS.

USUFĂCĬO, is, a. 3. usufacere aliquid suum, est sibi diu utendo vindicare, usu capere. *Pl. Amph.* 1, 1, 219. Cujus nunc es? *So.* tuus: nam pugnis usufecisti tuum.

USUFRUCTŪĀRĬUS, ii, m. cujus est usufructus in aliqua re, non etiam proprietas. *Ulp. Dig.* 7, 1, 7. Usufructu legato, quicumque rei reditus est, ad usufructuarium pertinet. *Cajus. Instit.* (ed. *Goesch*) 2. §. 30. Ipse usufructuarius in jure cedendo domino proprietatis usumfructum, efficit, ut a se discedat, et convertatur in proprietatem. *Salv. adv. avar.* 3, 5. *in.* Quid opus est, ut filiis jam religiosis aequa hereditatis portio relinquatur? et *mox:* Certe aut tenues, aut usufructuarii relinquuntur.

[USŪPERDO, is, a. 3. amitto jus alicujus rei ex alius usucapione. *Pl. Amph.* 2, 2, 215. Amphitruo es profecto: cave sis, ne tu te usuperduis, *h. e.* ne, dum alius simulat te esse, ipse tui possessionem ex alterius usu amittas. Alii divisim leg. *usu perduis*, quod etiam locum habet in *usucapio* et *usufacio*. *F.*]

USŪRA, ae, f. *χρῆσις*, idem ac usus, *h. e.* actus utendi, itemque facultas utendi re quapiam. *Pl. Trin.* 1, 2, 144. Neque adeo hasce *(aedes)* emi mihi, nec usurae meae, *h. e.* usui meo. *Id. Amph. prol.* 108. Usuram ejus corporis cepit sibi, et gravidam fecit. *Acc.* ap. *Non.* 3, 262. Atque hanc postremam solis usuram cape. *Cic. Cat.* 1, 12. Si hoc optimum factu judicarem, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. *Id. Tusc.* 1, 39 Natura dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die. *Id. Rab. Post.* 17. *f.* Ut huic optimo viro usuram hujus lucis, et vestrum conspectum ne eripiatis. *Id. Agr.* 3, 1. A vobis, quos leviter immutatos esse sentio, exigui temporis usuram bonae de me opinionis postulo. *Id. Fam.* 3, 1. Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia, et crebritate, et magnitudine officiorum meorum sarciam. *Vell.* 2, 34. Temperare animum ab usura gloriae. ℙ Metonymice est commodum et fructus, qui ex usu cujuspiam rei percipitur: et praecipue ex usu pecuniae, quae alii utenda conceditur. *Cic. Verr.* 2, 3, 72. Quis hoc fecit unquam, ut, cum senatus publicanos usura saepe juvisset, magistratus a publicanis pecuniam pro usuris auderet auferre? *h. e.* cum senatus publicanis pecuniam sine fen re utendam dedisset. Alii leg. *versura*, sed nihil mutandum. ℙ Item pro usurae mercede et pretio, *h. e.* pro pecunia, quae solvitur ultra sortem ei, qui pecuniam utendam dedit, *τόκος*, quae vox Graeca partum significat, a *τίκτω*, pario: est enim usura quidam quasi partus pecuniae. *Isid. Or.* 5, 25. Usura est incrementum fenoris, ab usu aeris crediti nuncupata. *Lucan.* 1, 181. Hinc usura vorax, avidumque in tempore fenus: *voracem* dicit, quia, donec reddatur sors, semper poscit; et, si non solvatur, sortem ipsam absorbet. *Plin. ep.* 6, 8. *med.* Rogo, cures, ut Atilio meo salva sit non sors modo, sed etiam usura plurium annorum; et *ib.* 10, 62. Minuere usuram, ac per hoc idoneos debitores invitare; et *Cic. Att.* 12, 22. Usuram pendere. *Id. ib.* 9, 12. perscribere, i. e. sub usuris pecunias locare, et apud trapezitam syngrapham earum conficere. *Suet. Aug.* 39. No-

tavit aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati, graviore fenore collocassent. *Nep. Att.* 2. *f.* Aes alienum multiplicandis usuris crescit, *h. e.* sortis summa, si usurae multiplicentur, major fit. *Plin praef. H. N. med.* Sors fit ex usura; et *Ulp. Dig.* 14, 6, 7. *med.* Pecuniam sub usuris mutuam dare; et *Cic. Cat.* 2, 8. *f.* Certare cum usuris fructibus praediorum, *h. e.* tot usuris onerare se, quot sunt fructus praediorum. *Paul. Dig* 22, 1, 17. §. 5. Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed accipit. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 15. Terra nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fenore. *Varr. R. R.* 1, 69. Quae servari possunt, tum vendas, cum caritas est; saepe enim diutius servata non modo usuram adjiciunt, sed etiam fructum duplicant, si tempore promas. *Plin. ep.* 9, 28. *f.* Alias litteras an acceperim, quaeris: non accepi. Proinde prima quaque occasione mitte, appositis quidem usuris, quas ego (num parcius possum?) centesimas computabo, *h. e.* adjectis aliis litteris, quas tanquam mercedem solvas pro iis, quas jam debebas. ℙ [Primis reipublicae temporibus, cum Romani angustis adhuc coarctarentur limitibus, nec divitiis affluerent, et expertes fere commerciorum essent, leviores admodum exercebant usuras. Etenim novimus ex *Tac. A.* 6, 16., primum ex lege XII. Tabul. (*h. e.* ann. U. C. CCCV.) sanctum fuisse, ne quis unciario fenore (h. e. *uno per cento all' anno;* hinc corrigendus est Lexicographus noster in SEMUNCIARIUS, et UNCIA, ubi perperam statuit, unciarium fenus fuisse *dodici per cento*) amplius exerceret; quam legem progressu temporis neglectam iterum renovarunt, ut refert *Liv.* 7, 16., M. Duillius et L. Maenius trib. pleb. ann. CCCXCVII.; deinde alia rogatione tribunicia ann. CCCCVII. ex unciario fenus semunciarium factum est, ut docent *Tac. ib.* et *Liv. ib.* 27.; postremo, ut narrant *Tac. ib.* et *Liv. ib.* 42., ann. CCCCXII. L. Genucius trib. pleb. legem tulit ad populum, ne omnino fenerare liceret; sic itaque vetita est omnis usura. Sed cum nemo forte esset, qui gratis cuiquam pecuniam mutuam crederet, sua sponte lex irrita facta est, et crescente in dies luxu, et gliscentibus hominum vitiis, recruduit paulatim vetus fenebre malum, ita ut postremis reipublicae temporibus centesima usura simul cum anatocismo licita ac legitima habita fuerit, ut constat ex *Cic. Att.* 5, 21. *med.* et *ib.* 6, 1. et *Plinii l. c.* supra in §. 4., quod quidem obtinuisse videtur, quoties nec pignoris alicujus depositione, nec praediorum obligatione cauta centesima esset, ut patet ex *Sidon. ep.* 4, 24., quarum alterutra intercedente semissalis usura maxima, quincuncialis media, trientaria vero minima habita est (V. *Capitolini l. c.* in TRIENTARIUS); excepta tantummodo usura maritima, quae ob naufragii discrimina nullis fuit olim legibus definita, ideoque a *Paul. Sentent.* 2, 14. §. 3. dicitur infinita, quam tamen deinceps intra centesimam cohibuit *Imp. Justin. Cod.* 4, 32, 26. ℙ Itaque hi sunt usurarum gradus et appellationes apud Romanos. Usura omnium minima antiquitus fuit semunciaria, *il mezzo per cento all' anno*, V. SEMUNCIARIUS; unciaria, *l' uno per cento*, V. UNCIA §. 7., et UNCIARIUS §. 1.; sextantaria, *il due;* quadrantaria, *il tre*, V. QUADRANS §. 5.; trientaria, *il quattro*, V. TRIENS §. 5. et TRIENTARIUS; quincunx, *il cinque*, V. QUINCUNX §. 4. et 5.; semissalis, *il sei*, V. SEMISSALIS, et SEMISSIS § 6. et 7.; septunx, *il setle;* bessalis, *l' otto*, V. BES §. 4.; dodrans, *il nove;* dextans, *il dieci;* deunx, *l' undici*, V. DEUNX §. 2.; centesima, *il dodici*, V. CENTESIMUS §. 3. ℙ Hactenus usurarum gradus liciti et legitimi; verum feneratorum aviditas et impudentia eo usque processit, ut aliquando extorqueretur etiam usura binae centesimae, *il ventiquattro;* trinae, *il trentasei;* quaternae, *il quarantotto;* imo et quinae, *il sessanta*, quarum usurarum exempla hic subjicimus. *Cic. Verr.* 2, 3, 70. *f.* Binis centesimis feneratus est. (V. *Inscr. cit.* in ANATOCISMUS) *Juven.* 9, 7. Pollio, qui triplicem usuram praestare paratus Circuit, et fatuos non invenit. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Cum ego in edicto tralaticio, centesimas me observaturum, haberem, cum anatocismo; ille ex syngrapha postulabat quaternas; et *mox:* Nam aut bono nomine, centesimis contentus erat, aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. Habes meam causam, quae certe probabitur, praesertim cum S. C. modo factum sit in creditorum causa, ut centesimae perpetuo fenore ducerentur, *h. e.* sine anatocismo. *Id. ib.* 6, 1. *med.* Confeceram, ut *(Salaminii)* solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum. At Scaptius quaternas postulabat; et *mox:* Si Brutus putabit, me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota provincia singulas observarem, itaque edixissem, idque etiam acerbissimis feneratoribus probaretur; accipiam equidem dolorem, mihi illum irasci. *Id. ib.* 3. *med.* Salaminios adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent solvere; sed centesimis ductis a proxima quidem syngrapha, nec perpetuis, sed renovatis quotannis. *Id. ib.* 3. *med.* Sed Scaptius centesimis, renovato in singulos annos fenore, contentus non fuit. *Hor. Sat.* 1, 2, 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat, [*h. e. dal capitale detrae il cinque per cento al mese*, scilicet *il sessanta per anno. F.*] ℙ *Usurae usurarum* sunt, cum usurae non solutae adduntur sorti, quae cum crescat, etiam usurae crescunt, idem ac anatocismus, vel renovatum in singulos annos fenus. Has vero usuras vetuit *Imp. Justinian. Cod.* 4, 33, 28., et ante eum alii principes, ut constat ex *Modestino Dig.* 42, 1, 27. ℙ Apud Romanos usurae non semel quotannis, sed duodecies, h. e. singulis mensibus solvebantur. Et calendae quidem erat dies perscribendae usurae, idus exigendae. V. CALENDARIUM et IDUS. *F.*]

USURĀRIUS, a, um, adj. dicitur de re, cujus usum habemus, usuarius. *Pl. Amph.* 1, 2, 35. Amphitruo subditivus exit foras cum Alcumena uxore usuaria. *Id. Curc. a.* 3. *v.* 12. Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius nunc mihi quaeratur: usus est pecunia. ℙ Item ad usuram pecuniae pertinens, fenebris. *Ulp. Dig.* 16, 2, 11. Cum alter alteri pecuniam sine usuris, alter usurariam debet, etc. *Id. ib.* 3, 5, 5. *extr.* et *Tryphon. ib.* 37. *extr.* Usurarium debitum. *Papin. ib.* 21, 1, 7. Debitor usurarius. *Pl. Truc.* 1, 1, 53. Tabulae, ubi aera perscribuntur usuraria. [*Front. ad Amic.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 17. Varianis alumnis masculis feminisque sestertium deciens singulis reliquit usurarium proprius, quam proprium: nam quinquagena annua ab Augusta singulis dari jussit, *h. e.* deciens centena millia sestertiûm, ex quorum usuris quincuncibus quinquagena millia annua sestertiûm, *il capitale di* 1,000,000, *che al* 5. *per* 100. *dà* 50,000. *sesterzi annui. F.*]

[USURĒCEPTIO, onis, f. actus recipiendi ea, quae prius possidebantur. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 2. §. 59. Adhuc etiam ex aliis causis sciens quisque rem alienam usucapit. Nam qui rem alicui fiduciae causa mancipio dederit, vel in jure cesserit, si eandem ipse possederit, potest usucapere, anno scilicet, etsi soli sit: quae species usucapionis dicitur usureceptio, quia id, quod aliquando habuimus, recipimus per usucapionem. V. v. sq. *F.*]

[USURĒCIPIO, is, epi, a. 3. recipio ex usu id, quod antea possederam. V. v. praec. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 2. §. 61. Item si rem obligatam sibi populus venJiderit, eamque dominus possederit, concessa est usureceptio: sed hoc casu praedium biennio usurecipitur; et hoc est, quod vulgo dicitur, ex praediatura possessionem usurecipi. V. PRAEDIATURA. *F.*]

USURPĀBILIS, e, adj. cujus usus aliquis esse potest. *Tert. adv. Marc.* 2, 6. *med.* Si *(homo)* caperet hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde et malo, sicut bono, famulus, *h. e.* obnoxius malo.

USURPĀTIO, onis, f. *ἰδιοποίησις*, actus usurpandi, frequens usus, tractatio, commemoratio. *Cic. Brut.* 71. *med.* Consolari se cum conscientia optimae mentis, tum etiam usurpatione et renovatione doctrinae. *Id. Verr.* 2, 5, 64. *extr.* Ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit. *Id. Agr.* 2, 12. Decemviri neque veris comitiis, neque illis ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis per XXX. lictores auspiciorum causa adumbratis, constituti. *Liv.* 27, 19. Abstinere usurpatione vocis alicujus; et *Plin.* 33, 2, 7. Divisus hic quoque ordo *(judicum)* superba usurpatione nominum, cum alius se nongentum, alius selectum, alius tribunum appellaret. *Liv.* 41, 23. Haec usurpatio itineris insoliti quo spectare videtur! ℙ Apud JCtos *usurpatio* est usucapionis interruptio, ut ait *Paul. Dig.* 41, 3, 2., quia ad usucapionem requiritur continuatio temporis, quae si, alio interim aliquandiu usurpante, seu utente, interrumpatur, usucapio cessat. ℙ Est etiam malus usus cujuspiam rei. *Imppp. Valens, Valent. et Grat. Cod.* 1, 6, 1. Qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit. *Impp. Arcad. et Honor. ib.* 4, 6. Per vim et usurpationem vindicare ac tenere aliquid. ℙ Pro possessione. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 1. Dominium rerum collabi solet: bonae mentis usurpatio nullum tristioris fortunae recipit incursum.

USURPĀTIVĒ, adv. usurpando. *Serv.* ad illud *G.* 1, 210. serite hordea campis: *Hordea* usurpative ait: et sciendum tamen in his tres tantum casus usurpari, haec hordea, vina, mella. Adde *eund.* ad *A.* 7, 289.

USURPĀTIVUS, a, um, adj. *Macrob. de differt. et societ. Graec. et Lat. verb.* p. 2761. Verborum forma, vel species, meditativa, inchoativa, frequentativa, et usurpativa; et p. 2765. Hanc quidam gerundi modi, vel participalem vocant, quia verba ejus paene omnia similia participiis sunt, et sola significatione distantia: nam *vado salutatum*, hoc est dicere *vado salutare*, aut *ut salutem*, etc. *Diomed.* 1, 389. Usurpativa species est hujusmodi, cum dicimus *legendo proficit*, id est *dum legit: legendi causa venit*, id est *ut legat*, etc. Dicta est, quod usu exerceri, quodque hoc pacto eloqui demonstrat. Haec *Diomed.*

USURPĀTOR, oris, m. qui usurpat. In malam partem de eo accipitur, qui nullo jure aliqua re utitur. *Ammian.* 26, 7. *med.* Usurpator indebitae potestatis. [*Symmach. orat. in Valent.* (ed. *A. Maio*) 1, 22. Merito usurpator tanti nominis oblatus ad poenam. *F.*]

USURPĀTŌRIUS, a, um, adj. ad usurpatorem, et contra jus utentem pertinens. *Impp. Constantin. Aug. et Julian. Caes. Cod.* 10, 47, 8. *med.* Si quis usurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere.

[USURPATRIX, icis, f. quae usurpat. *Salv. Gub. D.* 3, 12. Maxima quippe accusatrix hominum noxiorum est usurpatrix innocentiae arrogantia.

USURPĀTUS, a, um, part. ab *usurpo*, frequenti usu adhibitus, factitatus, memoratus. *Cic. Par.* 5, 1. Praeclare est hoc usurpatum a doctissimis, nisi sapientem, liberum esse neminem. *Id. Fam.* 5, 16. Consolationes a sapientissimis viris usurpatae. *Id. Cat.* 4, 4. Genus poenae saepe in improbos cives usurpatum. *Id. Verr.* 2, 5, 20. *f.* Jus imperii quotannis usurpatum, ac semper retentum; et *ib.* 47. *med.* Illa Segestanorum non solum litteris tradita, neque commemorata verbis, sed multis officiis illorum usurpata et comprobata cognatio. *Suet Tib.* 10. Loco et quasi possessione usurpati a se secundi gradus sponte cessit; et *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 116. Longa consuetudo usurpata contra legem; et *Plin. Pan.* 30. *med.* de Nilo: Vagus ille et expanditor amnis intra usurpata semper collium substiterat, atque haeserat, *h. e.* loca inter colles jam antea occupata et quasi possessa. ℙ *Usurpata uxor* dicebatur, quae cum annum integrum cum viro, licet sine legibus, fuisset matrimonii causa, in manum mariti venisse, et te tutorum potestate exisse, tanquam usucapta, censebatur: atque hoc matrimonium *usu initum* dicebatur. *Gell.* 3, 2. *med.* Q. Mutium JCtum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quae cal. Januar. apud virum causa matrimonii esse coepisset, et a. d. IV. cal. Januar. sequentes usurpatum isset. Adde *Macr. Sat.* 1, 3. *med.*, ubi more suo *Gellii* verba exscribit: et *Serv.* ad *G.* 1, 31. Porro *usurpatum ire* passive accipiendum est pro *ire ut usurpetur*, h. e. ut a marito agnoscatur tanquam vera uxor. Etiam in priorib. *Gell.* verbis pro *non esse usurpatam* alii leg. *non isse usurpatum.* Huc etiam pertinere potest locus satis obscurus *Cic. Fam.* 9, 22. Usurpat ea duplex cubile. Alii leg. *usurpata.* ℙ Male adhibitus. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 10, 31, 42. Siquis temerario ausu ullum ex principalibus viris usurpata attrectaverit injuria. ℙ *Usurpatum est*, factitatum est, in usu est. *Ulp. Dig.* 50, 13, 1 *med.* Ludi quoque litterarii magistris, licet non sint professores, tamen usurpatum est, ut his quoque jus dicatur.

USURPO, as, avi, atum, *χράομαι*, frequenter utor, adhibeo, factito, commemoro, in frequenti usu habeo, sive loquendo, sive agendo. Loquendo. *Cic. Am.* 8. *f.* et *in Sen.* 15. Usurpare memoriam alicujus rei. *Id. Marcell.* 2. Soleo saepe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, etc. *Id. Or.* 22. Quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis minimis et maximis; cum hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere. *Id. Phil.* 2, 28. *med.* At quam crebro usurpat, et consul, et Antonius! *Id. Par.* 2. *med.* Nomen tantum virtutis usurpas; quid ipsa valeat, ignoras. *Varr. L. L.* 5, 7. Sed de hoc erit usurpandum, cum de poetis dicemus. ℙ Pro appellare. *Cic. Univ.* 11. Jovem atque Junonem, reliquos, quos fratres inter se agnatosque usurpare atque appellare videmus. *Colum.* 5, 6. *med.* Tabulata instituenda sunt: hoc enim nomine usurpant agricolae ramos truncosque prominentes. *Cic. Off.* 2, 11. *f.* C. Laelius is, qui sapiens usurpatur. ℙ Agendo. *Id. Am.* 2. *med.* Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, cum valerem, abduci debui. *Colum.* 2, 2. *med.* Quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur jugum. *Liv.* 27, 8. *med.* Nec patrum, nec avorum memoria Dialem quemquam id jus usurpasse, *h. e.* ut in senatum introiret. *Tac. A.* 14, 55. Avus meus Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores concessit. *Id. H.* 4, 49. *f.* Ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne, etc. *Suet. Tib.* 11. Mutua cum Graeculis officia usurpans. *Paul. Dig.* 39, 4, 9. *f.* Usurpare immunitatem solvendi publici vectigalis. *Tac. A.* 15, 19. *extr.* Usurpare hereditates, *h. e.* adire, et frui; et *ib.* 14, 26. possessionem provinciae; et *ib.* 2, 59. Multa in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, pedibus intectis, et pari cum Graecis amictu, etc. *Id. Ann.* 11, 17. modo comitatem et temperantiam, saepius vinolentiam ac libidines. *Suet. Cal.* 38. jure civitatem Romanam, *h. e.* gerere se pro cive. *Id. Claud.* 25. Peregrinae conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, dumtaxat gentilicia. Sic *Tac. A.* 6, 28. Nonnulli falsum hunc phoenicem credidere, nihilque usurpavisse ex his, quae vetus memoria firmavit. *Pl. Bacch.* 1, 2, 41. O barathrum! ubi nunc es! ut ego te usurpem libens! *h. e.* te utar, me injiciendo et demergendo. *Cels. Dig.* 8, 6, 6. Usurpare sibi servitutem alicujus agri, *h. e.* uti servitute, quam habet ager, ut per illum viam habeam ad meum fundum. ℙ *Usurpare sensu*, percipere, sentire. *Lucr.* 4, 972. Cum jam destiterunt ea sensibus usurpare. *Id.* 1, 300. Nec calidos aestus tuimur, nec frigora quimus Usurpare oculis. *Pl. Trin.* 4, 2, 3. Advenio ex Se-

leucia, Macedonia, atque Arabia, quas ego neque oculis, neque pedibus unquam usurpavi meis, *h. e.* neque vidi, neque adii. *Id. Cas.* 3, 5, 9. Unde meae usurpant aures sonitum? ℙ Est etiam adhibere, uti. *Plin.* 33, 7, 40. Minium in voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque litteras facit. *Id.* 11, 23, 27. Nec puduit has vestes *(bombycinas)* usurpare etiam viros, levitatem propter aestivam. *Id.* 7. *prooem. med.* Cetera animalia sentire naturam suam: alia pernicitatem usurpare, alia praepetes volatus, etc. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 25. Hic primus videtur usurpasse symmetriam. *Id.* 31, 9, 45. Ibi maxime usurpanda observatione, quae totis corporibus nihil utilius sale, et sole dixit. ℙ Pro acquirere, vindicare, occupare, suum facere, ἰδιοποιεῖσθαι. *Cic. Or.* 3, 28. *med.* Ex jure civili, surculo defringendo, possessionem usurpare. *Just.* 14, 2. *extr.* Receptus hac lege, paulatim imperium usurpat. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Et aliam gloriam usurpavit. ℙ *Usurpare uxorem* quid sit, V. in USURPATUS. ℙ Vindicare contra jus. *Suet. Claud.* 25. Civitatem Romanam usurpantes securi percussit. *Ulp. Dig.* 47, 22, 2. Quisquis illicitum collegium usurpaverit, ea poena tenetur, quae, etc. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 8, 10, 5. Totius loci dominium usurpare.

[USURULA, ae, f. dimin. parva seu modica usura. *Gloss. Phil.* Usurula, τοκαρίδιον. *F.*]

USUS, a, um, part. ab *utor:* qui adhibuit. *Ov. Fast.* 3, 550. Ipsa sua Dido concidit usa manu. *Treb. in* XXX. *Tyr.* 16. Denique ingenio ejus usus Odenatus, quidquid divitiarum gemmarumque cepit, eidem tradidit. ℙ *Honore usus* quid sit, V. in UTOR. *Titulo usus*, V. in TITULUS.

USUS, us, m. χρῆσις, utendi actus, exercitatio, tractatio. *Cic. Or.* 1, 4. Ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio consecutus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superaret. *Id. Balb.* 20. Assiduus usus uni rei deditus et ingenium, et artem saepe vincit. *Ov. A. Am.* 1, 473. Ferreus assiduo consumitur annulus usu; et *ib.* 3, 91. silices tenuantur ab usu. *Caes. B. G.* 3, 13. Pelles pro velis propter lini inopiam, atque ejus usus inscientiam. *Id. B. C.* 1, 58. *med.* Naves factae subito ex humida materia non eundem usum celeritatis habebant. *Vitr.* 2, 9. *med.* Populus, salix, tilia egregiam habere videntur in usu rigiditatem; et *Hor. Od.* 1, 27, 1. Scyphi nati in usum laetitiae. *Id. ib.* 3, 3, 51. Aurum cogere humanos in usus. *Virg. G.* 3, 163. Formare boves ad usum agrestem; et *Plin.* 25, 13, 95. Radix cicutae nullius usus. Contra *Id.* 20, 13, 51. Ruta in maximo usu est. *Liv.* 36, 10. Plures, quam quod satis in usum esset, ignes cum accendisset; et *Caes. B. G.* 4, 33. Tantum usu quotidiano et exercitatione efficiunt, ut, etc. et *ib.* 3, 8. Veneti scientia atque usu nauticarum rerum ceteros antecedunt; et *ib.* 1, 39. *med.* Qui magnum in castris usum habebant, *h. e.* diu militaverant; et *ib.* 4, 20. *f.* Habere usum belli, *h. e.* scire et exercere bellum. *Ov. Met.* 6, 29. seris venit usus ab annis. Sic *Cic. Cluent.* 31. Vir prudentia, usu, atque exercitatione praeditus. *Liv.* 42, 52. Usu belli, et ingenio impavida gens. *Id.* 7, 38. *f.* Et aetate, et usu doctus: quippe qui jam quartum consul esset, dictatorque et censor fuisset. *Nep. Timoth.* 3. Duo viri usu et sapientia praestantes. *Plin. ep.* 1, 10. et *ep.* 5, 14. Habere aliquid in usu. *Cic. Phil.* 10, 21. *f.* Usum in republica magnum jam habere debes et potes. *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Quod me docuit usus magister egregius. *Id. ep.* 1, 17. Est hoc mihi in usu. ℙ Est etiam utilitas et fructus, quem utendo re quapiam percipimus. *Cic. N. D.* 2, 60. *med.* Arborum consectio magnos usus affert ad navigia facienda. *Cels.* 3, 20. Itaque eos *(lethargicos)* qui subinde excitant, sine usu male habere; et *Ulp. Dig.* 50, 16, 203. In lege censoria portus Siciliae ita scriptum erat: Servos, quos domnm quis duceret suo usu, pro his portorium ne dato; et *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 62. Vinarii laniique, quorum praeterea vulgus in dies usum habet; et *Cat.* 50. Neque quisquam omnium libidini simul, et usui paruit. ℙ Hinc *usui*, et *ex usu esse*. utile esse, prodesse, adjumento esse, expedire. *Cic. Att.* 1, 1. *med.* Satrius fuit et mihi, et Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus. *Caes. B. G.* 3, 14. Una erat magno usui res praeparata a nostris. *Liv.* 3, 33. Peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura usui fore credebant. *Ter. Eun.* 5, 9, 47. Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex usu tuo nemo est. *Cic. Tusc.* 4, 7. Bonum quod sit ex usu jam praesens esse atque adesse; et *Pl. Curc.* 4, 2, 14. Uti muscae, culicesque, odio, et malo, et molestiae; bono usui estis nulli. *Plin.* 25, 13, 110. Folia myrti et lentisci simul terere, et mandere matutino, ex usu est. ℙ *Usus est*, opus est. *Cic. Tusc.* 4, 2. *extr.* Sed de ceteris studiis alio loco dicemus, si usus fuerit. *Pl. Rud.* 2, 3, 67. Jam istoc magis usus facto est, ut eam intro. *Id. Trin.* 2, 4, 102. Ubi usus nihil erat dicto, Spondeo, dicebat. *Id. Ps.* 1, 3, 151. Ad eam rem usus est hominem astutum, doctum, et callidum, qui imperata effecta reddat. *Id. As.* 1, 1, 76. Viginti jam usus est filio argenti minis. *Virg. A.* 8, 441. nunc viribus usus. Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra. Adde *Cic. Off.* 1, 26. *f. Liv.* 30, 41. *f.* et *Ter. Heaut.* 1, 1, 28. et 29. ℙ *Usus venit*, contingit, accidit, ut opus sit. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Cum praesertim mihi usum venturum non arbitrarer, ut ego quoque absens a te defendendus essem. *Ter. Heaut.* 3, 2, 42. Non usus veniet, spero; et *ib.* 46. De istoc, cum usus venerit, videbimus, quid opus sit. *Pl. Cist.* 1, 2, 28. Si quis usus venerit, meminisse ego hanc rem vos volo. Ap. *Cic.* alii leg. *usu venturum*. V. USUVENIT. ℙ *Usus* est etiam consuetudo, mos. *Cic. Or.* 1, 3. *f.* Dicendi omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more et sermone versatur. *Just.* 43, 4. Ab his Galli usum vitae cultioris, deposita et mansuefacta barbaria, didicerunt. ℙ Item consuetudo victus, familiaritas, amicitia; quia amicis crebro et libenter utimur *Cic. Rosc. Am.* 6. Cum Metellis erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. *Id. Planc.* 2. Si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere, tamem id ipsum esset in tanto usu nostro, tantaque amicitia molestum. *Id. Fam.* 13, 52. Est hospes meus, et praeterea conjunctus magno usu familiaritatis; et *ib.* 24. Inter nosmetipsos vetus usus intercedit. *Ov. Trist.* 3, 5, 9. longo cognitus usu. ℙ [Item consuetudo Venerea, συνουσία. *Tibull.* 1, 7, 55. Et cum furtivo juvenem lassaverit usu. *Ov. Rem. Am.* 357. Nunc tibi, quae medio Veneris praestentur in usu, Eloquar. ℙ Etiam *oisus* scribitur. *Capell* 3, 53. Oisus etiam dicitur: sic enim veteres usum dixere. *Id.* 2, 28. Et quantum oisus ejus telluris apportat.

USUSFRUCTUS, us, m. ἐπικαρπία, ἐκκάρπωσις, rei usus fructuosus, cum scilicet res aliqua non nostra est, sed perinde ex ea fructum atque utilitatem capimus, ac si nostra esset. *Paul. Dig.* 7, 1, 1. Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia. *Cic. Caecin.* 4. *med.* Usumfructum omnium bonorum suorum Caesenniae legavit, ut frueretur una cum filio. *Id. Top.* 4. Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio, neque a secundo herede legavit a filio mulier usumfructum non amittet. ℙ Separate etiam usurpatur. *Id. Caecin.* 7. *med.* Usus enim ejus, et fructus fundi, testamento viri, fuerat Caesenniae. *Sen. ep.* 73. *med.* Sibi horum usus fructusque contingat.

USUVĔNIT, ebat, ēnit, impers. 4. ἐνδέχεται, evenit, accidit, contingit. *Cic. Quint.* 15. Nam quid homini potest turpius, quid vero miserius, aut acerbius usuvenire? *Id. Sen.* 3. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usuvenirent omnia, et reliquis majoribus natu. Alii leg. *usu evenirent. Id. Verr.* 2, 5, 39. Causam sibi dicendam statuerat jam ante, quam hoc usuveniret. *Auct. ad Her.* 2, 5. *f.* Dicet eum praemeditatum fuisse, quid sibi esset usuventurum. ℙ Revera duae voces sunt *usu venit:* itaque praeter quam quod in allatis et aliis similibus exemplis separatae inveniuntur in optimis codicibus, interseritur etiam iis interdum alia vox. *Cic. Att.* 7, 26. Non venit idem usu mihi, quod tu tibi scribis. *Id. Or.* 1, 40. Quid quod usu memoria patrum venit, ut, etc. *Gell.* 19, 12. Quod cuipiam Thraco venisse usu fabula est.

UT

UT, adv. ὥσπερ, καθάπερ, sicut, velut, adverbium similitudinis. *Pl. Rud.* 4, 4, 55. Ut tute es, item censes omnes esse? *Cic. Phil.* 2, 45. Ut quidam morbo aliquo, et sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustum non habent. ℙ Cum sumitur pro veluti, sub eodem verbo casus similes antecedentibus poscit. *Id. Acad.* 2, 24 Ea se sola percipere dicunt, quae tactu intimo sentiant, ut dolorem, ut voluptatem. ℙ Usurpatur quoque extra similitudinem, pro quemadmodum, qua ratione. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Credo te audisse, ut me circumsteterint, ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodia ostentarint. *Id. Verr.* 2, 1, 45. Videte, ut hoc iste correxerit. *Virg. A.* 2, 3. Infandum, regina, jubes renovare dolorem, Trojanas ut opes, et lamentabile regnum Eruerint Danai. ℙ Item pro quomodo, cum quadam admiratione, et indicativum poscit. *Pl. Capt.* 1, 2, 62. Ut saepe summa ingenia in occulto latent! *Cic. Mil.* 24. Ut contempsit! ut pro nihilo putavit! ℙ Item pro quomodo cum interrogatione. *Pl. Pers.* 1, 1, 17. Ut vales? *R.* Ut queo. *Hor. Ep.* 1, 3, 12. Ut valet? ut meminit nostri? ℙ Item pro prout, et hoc fere per parenthesin. *Ter. Phorm.* 1, 2, 5. Ut nunc sunt mores, *h. e.* secundum mores, quibus hodie utimur. *Cic. Sen.* 4. *f.* Multae etiam (ut in homine Romano) litterae. *Id. Brut.* 7. Posteaque Clisthenem multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo, *h. e.* secundum illorum temporum eloquentiam. ℙ Item pro quippe. *Pl. Curc.* 2, 1, 2. Quando Aesculapii ita sentio sententiam, ut qui me nihili faciat, nec salvum velit. ℙ Est etiam adverb. quantitatis, et ponitur pro *quam* admirative. *Cic. Att.* 2, 21. *med.* Ut ille tum humilis, ut demissus erat! ut ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat! ℙ Item pro *quam* sine admiratione, cum superlativis. *Id. Cluent.* 26. *med.* Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandissime potest. *Id. Or.* 2, 66. Ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum. ℙ Item pro quantum. *Pl. As.* 3, 3, 39. Ut vestrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe! *Plin. praef. H. N.* Nisi ut prodesse tantumdem posses, ut velles. *Suet. Tit.* 7. Abstinuit alieno, ut siquis unquam. ℙ Item adv. est temporis, pro postquam, ex quo, et indicativum petit. *Cic. Verr.* 2, 1, 25. Ut haec audivit, sic exarsit, etc. *Id. Somn. Scip.* 3. Ut primum fletu represso loqui posse coepi. *Sen. Troad.* 76. Decumas secuit messor aristas, Ut nulla dies moerore caret. ℙ Item adv. est temporis, pro postquam, ex quo, et indicativum petit. *Cic. Verr.* 2, 1, 25. Ut haec audivit, sic exarsit, etc. *Id. Somn. Scip.* 3. Ut primum fletu represso loqui posse coepi. *Sen. Troad.* 76. Decumas secuit messor aristas, Ut nulla dies moerore caret. ℙ Item pro cum, quando *Ter. Adelph.* 3, 4, 42. Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit homo de improviso. ℙ Item est adverb. optandi, pro utinam. *Id. Heaut.* 4, 6, 6. Ut te omnes Dii Deaeque perduint. ℙ Invenitur etiam positum pro *quod*, vel pro usu verbi infiniti. *Nep. Ann.* 1. Si verum est, ut populus R. omnes gentes virtute superarit. *Cic. Rosc. Am.* 41. *f.* Non est verisimile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit, aut humanitatem. ℙ pro *ubi* ap. *Catull.* 11, 2. Sive in extremos penetrabit Indos, Litus ut longe resonante Eoa Tunditur unda. Adde 17, 10. ℙ Est etiam conjunctio, et conjunctivum postulat. *Cic. Har. resp.* 8. Negotium magistratibus est datum, ut sine vi mihi aedificare liceret. *Id. Fam.* 16, 1. *extr.* Cura, ut valeas. *Id. Verr.* 2, 5, 69. Ut vere dicam. *Nep. Milt.* 4. Cursorem miserunt, ut nuntiaret. *Pl. Poen.* 1, 2, 35. Olent, salsa sunt, tangere ut non velis. ℙ Usum frequentissimum habet post has voces *talis*, *tantus*, *tot*, *tam*, *adeo*, *sic*, *ita*, *hujusmodi*, (quae V. suis loc.) et similes loco particulae *quod*. Sed hae voces interdum subaudiuntur. *Cic. Tusc.* 1, 6. Non sum ita hebes, ut istuc dicam. *Id. Brut.* 47. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset, *h. e.* talis, ut nescires. *Id. Leg.* 2, 3. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim, *h. e.* adeo ut. *Id. Or.* 29. *f.* In quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. ℙ Item cum verbis timendi, pro *ne non*, et dubitationem signat. *Ter. Andr.* 4, 2, 22. Dies mihi ut sit satis, vereor, ad agendum. ℙ Est etiam conjunctio conditionalis, pro dummodo. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. In jugere Leontini agri medimnum fere tritici seritur, perpetua atque aequabili satione, ager efficit cum octavo, bene ut agatur; verum, ut omnes Dii adjuvent, cum decimo. ℙ Et adversativa pro quamvis, licet. *Ov. Pont.* 3, 4, 79. Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. *Id ib.* 4, 5, 7. Luce minus decima dominam venietis in Urbem, Ut festinatum non faciatis iter. ℙ Item pro esto. *Cic. ad Brut.* 1, 9. *f.* Nos te, tuumque exercitum exspectamus, sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore. ℙ Interdum usurpatur cum indignatione. *Ter. Phorm.* 4, 3, 64. Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat? ℙ Interdum elegantiae causa ponitur. *Cic. Sen.* 12, *f.* Invitus feci, ut L. Flaminium de senatu ejicerem. Nihil enim significat, nisi *invitus ejeci.* ℙ Cum indicativo. *Liv.* 27, 49. *f.* Adeo victores caedis ceperat satietas, ut cum esset nunciatum consuli, etc. supersint, inquit, aliqui nuntii, etc. *Cic. Or.* 2, 6. Sic enim res se habet, ut, quemadmodum volucres videmus construere nidos, etc. sic animi nostri gestiunt ac volitare cupiunt, etc. ℙ Sequente infinito. *Liv.* 5, 15. *f.* Sic libris fatalibus traditum esse, ut quando aqua Albana abundasset, tum, si eam Romanus emisisset, victoriam de Vejentibus dari. *Ulp. Dig.* 35, 2, 62. Hoc servandum Julianus ait, ut si duo rei stipulandi fuerint, in ea re dividi inter eos debere obligationem, etc. quod si, etc. in pendenti esse, etc. Ita *Torrentin.* et *Gothofred.* Visum est *Haloandro* corrigendum esse prius infinitum, et edidit *debeat obligatio.* Horum ἀνακολούθων causa esse videtur longitudo periodi qua fit, ut scriptor in fine non meminerit particulae, quam initio posuerat. ℙ Saepe cum adverb. *non* pro *quin* conjungitur. *Cic. Fin.* 1, 8. Fieri nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes ejus, a quo dissentias. *Quint.* 8, 3. Vereor, ut non jam ferat quisquam. *Plin.* 18, 29, 70. Ut carbunculi non noceant. ℙ Item cum *ne*, pro ut non, et valet ipsum *ne* aut *non*. *Cic. Fin.* 2, 8. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas: sed ut voluptas ne sit summum bonum. *Id. Q. Fr.* 3, 2. *f.* Opera datur, ut judicia ne fiant. *Ter. Phorm.* 5, 7, 8. Illam ita tibi incensam dabo, ut ne restinguas, lacrimis si exstillaveris. ℙ Item cum *si*, et significat perinde ac si. *Cic. Fam.* 2, 14. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. *Nep. Dat.* 3. Vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret, *Id. Ages.* 6. Atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum. ℙ Item cum *plurimum*, et valet quam plurimum, seu valde frequenter, plerumque. *Cic. Leg.* 2, 14. In quo suscipiendo, et gerendo, et deponendo jus ut plurimum valet, et fides. ℙ Item cum *puta* pro exempli gratia. *Ulp. Dig.* 19, 1, 13. *extr.* Aedi-

bus distractis, vel legatis, ea esse aedium solemus dicere, quae quasi pars aedium, vel propter aedes habentur, ut puta, putei. V. PUTA. ℙ Item cum *quid*, cum interrogatione, pro quamobrem. *Cic. Att.* 7, 7. *f.* Depugna, inquis, potius, quam servias. ℙ Ut quid? si victus eris, proscribare; si viceris, tamen servias. ℙ Item cum alio *ut*, pro quomodo, utcumque. *Ter. Phorm.* 3, 1, 4. Nam ut ut erant alia, illi certe, quae nunc domi tuae est, consuleres. *Pl. Bacch.* 5, 2, 73. Id ut ut est, etsi est dedecorum, patiar. *Id. Cist.* 1, 1, 111. Ut ut erga me est meritus, mihi cordi est tamen. *Id. Most.* 3, 1, 14. Verum ut ut res haec sese habet, pergam turbare porro. *Id. Truc. a.* 5, *v.* 2. Ut ut illud acceptum sit, hoc addam insuper. ℙ [*Conf. *ut* et *vi*. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 40. *b.* et *quod Id. ib.* p. 73. *a.* et *aut. Cort.* ad *Lucan.* 7, 735. et *et. Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 103.]

UTCUMQUĒ, adv. ὅπως δή, ὥς ἔτυχεν, quocunque modo, quomodocunque. *Pl. Epid.* 1, 1, 47. Utcumque in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur. *Cic. Or.* 17. Utcumque se affectum videri, et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum. *Liv. praef.* Utcumque erit, juvabit tamen, etc. *Tac. Ann.* 1, 5. Utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur; et 6, 8. Utcumque casura res est, fatebor, fuisse me Sejano amicum. *Id. Agr.* 39. *med.* Cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. *Virg. A.* 6, 823. Infelix! utcumque ferent ea facta minores. *Pl. Bacch.* 4, 4, 13. Bonus sit bonis, malus sit malis: utcumque res sit, ita animum habeat. *Ov. Pont.* 4, 14, 3. In quibus (*litteris*) excepto, quod adhuc utcumque valemus, Nil, te praeterea quod juvet, invenies. ℙ Pro quandocumque. *Hor. Od.* 3, 4, 29. Utcumque mecum vos eritis, libens Insanientem navita Bosphorum Tentabo. *Id. ib.* 4, 4, 35. Utcumque defecere mores, Dedecorant bene nata culpae. Adde *ib.* 1, 17, 10. ℙ Pro aliquantum *Plin.* 8, 18, 26. Utcumque rabiem et ipsae (*cameli*) sentiunt. ℙ Pro quantumvis. *Id.* 6, 33, 38. Nunc ipsarum partium (*telluris*) magnitudo comparabitur, utcumque difficultatem afferet auctorum diversitas.

UTENDUS, a, um, part. ab *utor:* χρηστέος. *Ter. Heaut.* 1, 1, 81. Aetas ad haec utenda magis idonea. *Cic. Verr.* 2, 2, 18. *f.* Omnia utenda ac possidenda tradiderat. *Id. Tusc.* 3, 17. Quod utendum acceperis, reddere. *Pl. Men.* 4, 2, 94. Ego illam (*pallam*) non condonavi, sed sic utendam dedi. *Id. Aul.* 1, 2, 17. Cultrum, securim, pistillum, mortarium, quae utenda vasa semper vicini rogant, fures venisse, atque abstulisse dicicito. Et 2, 9, 4. Ego hic artoptam ex proximo utendam peto. *Id. Pers.* 1, 3, 36. Ut nummos sexcentos mihi dares utendos mutuos. *Id. Mil.* 2, 3, 76. Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris. *Ov. A. Am.* 1, 433. Multa rogant utenda dari, data reddere nolunt. Adde *Cato R. R.* 5. ℙ *Utendum dare* est commodare, aut mutuum dare: *utendum rogare* mutuum petere. Alio sensu *Enn.* ap. *Non.* 10, 11. Aures tibi contra utendas dabo, *h. e.* praebebo, auscultabo.

UTENS, entis, part. ab *utor: Ov. Met.* 12, 355. Haud tulit utentem pugnae successibus ultra. *Cic. Top.* 18. Ratione utentia anteponantur rationis expertibus. *Id. Off.* 2, 20. *f.* Magnitudo divitiarum illum fortasse adjuvat, qui habet: ne id quidem semper, sed fac jurare: utentior sane sit; honesior quomodo? *h. e* utilior. Alii leg *opulentior*, alii *potentior*. [*Utentior recte se habet: signif. enim hominem, qui se in magnis fortunis et copiis sumptuosius insolentiusque jactat Cf. *Beier.* et *Orell.*] ℙ **Utens*, *entis*, fluvius Italiae superioris, in Gallia Cispadana, Ravennam alluens, inque mare Adriaticum se exonerans. *Liv.* 5, 35. Ab Utente flumine. ℙ *Vitis* audit *Plin.* 3, 15. ubi *Cellarius* legi vult *Utis*, ea videlicet lege, ut sit Livianum illud *Utente* sextus a recto *Utis, entis*, ductus. *B. A.*

UTENSĪLIS, e, adj. χρειώδης, utilis: ab utendo. *Varr. R. R.* 1, 2. Quid in Italia utensile non modo non nascitur, sed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? quod triticum Apulo? *Id.* ap. *August. C. D.* 4, 22. Vivere omnino nemo potest, si ignoret, quisnam sit faber, quis pistor, quis tector, a quo quid utensile petere possit. ℙ Hinc *utensilia*, absolute, quascumque usui nostro sunt necessaria. *Liv.* 3, 49. Exsutusque omnibus utensilibus miles Tusculum se, fide misericordiaque victurus hospitum, contulerat. *Id.* 26, 33. Quaeque una secum dediderunt, agrum, urbemque, divina humanaque utensilia, sive quid aliud dediderunt, de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites. *Plin.* 13, 11, 22. Papyri radicibus incolae pro ligno utuntur: nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum. *Colum.* 9, 5. Ut apes collectis utensilibus, cum onere per proclivia non aegre devolent, *h. e.* iis rebus, quibus utuntur ad favos et mel conficiendum. *Id. praef.* 12. Utensilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. [*Emendavit hunc locum *F.*]

UTENSĪLITAS, atis, f. idem ac utilitas, usus. *Tert. Hab. mul.* 5. Ferri, et aeris utensilitas.

ŪTER, utris, m. V. UTERUS.

ŪTER, utris, m. ἀσκός, ἄσκωμα, pellis, qua vinum, aut oleum, aut alia quaepiam similis res deferri solet. Etymon vocis vide in UTERUS. *Virg. G.* 2, 384. Mollibus in pratis unctos saliere per utres. *Ov. Am.* 3, 12, 29. Aeolios Ithacis inclusimus utribus Euros, *h. e.* scripsimus de Ulysse, qui ab Aeolo, apud quem diverterat, donatus fuit utribus ventorum plenis, quibus in navigatione uteretur. *Plin.* 12, 7, 15. Lycion aptissimum medicinae, quod est spumosum: Indi in utribus camelorum, aut rhinocerotum id mittunt. *Id.* 28, 18, 73. Hircini utris vinarii cinis. *Scrib. Comp.* 84. Utrem si quis medium laqueo constrinxerit. ℙ [Frequens fuit apud veteres utrium usus ad flumina trananda. *Liv.* 21, 27. Hispani, sine ulla mole, in utres vestimentis conjectis, ipsi cetris suppositis incubantes, flumen tranavere. *Caes. B. C.* 1, 48. Lusitani, peritique earum regionum cetrati citerioris Hispaniae, consectabantur, quibus erat proclive transnare flumen, quod consuetudo eorum omnium est, ut sine utribus ad exercitum non eant. [*Cf. *Herzog.*, qui longam huic loco adnotationem adscripsit,] *Curt.* 7, 5. Utres quam plurimos stramentis refertos dividit; his incubantes transnavere amnem. *Plin.* 6, 29, 35. Arabes Ascitae appellati, quoniam bubulos utres binos sternentes ponte piraticam exercent, *h. e.* utribus junctis tabulas instar pontis sternentes. Adde *Front. Strat.* 3, 13. et *Ammian.* 30, 1. *med.* V. UTRICULARIUS. ℙ Latini dixere etiam *haec utria* in plurali, ut ait *Arnob.* 1. p. 36., et usurpavit *Liv. Andr.* ap. *Non.* 3, 267. Flacciscent utria.

ŪTER, tra, trum, adj. πότερος, ὁπότερος, quis ex duobus, cum vel sine interrogatione: videtur esse a priori Graeca voce allata. Differt a *quis*, quod de pluribus dicitur. *Quint.* 7, 4. *med.* De praemiis quaeritur, ex duobus uter dignior? ex pluribus quis dignissimus. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Omnibu' cura viris, uter esset induperator. *Cic. Inv.* 2, 49. *med.* Utra lex de genere omni, utra de parte quadam: utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta videatur. *Id. Rab. perd.* 4. Uter nostrum popularis est? tune, an ego? *Sen. Phoen.* 564. rex sit e vobis uter, Quaerite. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. *f.* Utros ejus habueris libros (duo sunt enim corpora), an utrosque, nescio. *Id. Or.* 1, 62. Dubitare visus est, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. *Id. Div. Verr.* 14. Ut eligas, utrum velis: utrum dixeris, id contra te futurum. *Id. Div.* 2, 68. Potest hoc esse falsum, potest verum: sed utrum sit, non est mirabile. *Id. Mil.* 9. Ut nihil jam aliud quaerere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit. *Caes. B. G.* 5, 43. Hi perpetuas controversias inter se habebant, uter alteri anteferretur; et *ib.* 1, 12. Arar in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit. *Liv.* 21, 18. *f.* Utrum placet, sumite. *Id.* 2, 17. Consulum quoque alterum (sed utrum, nomen auctores non adjiciunt) prope interfecerunt. In veteri formula juramenti militaris ap. *Gell.* 16, 4. Uti tu ad C. Laelium, L. ve Cornelium Cos. sive quem ad utrum eorum jus erit, profitebere. *Cic. Sext.* 42. *med.* Horum utro uti nolimus, altero est utendum. *Ov. Met.* 9, 546. Tu servare potes, tu perdere solus amantem: Elige, utrum facias. ℙ Cum superlativo. *Cic. Inv.* 2, 58. Quamquam praestat honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberatur. ℙ Cum particula *ne* interrogando. *Hor. Sat.* 2, 2, 107. uterne Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui Pluribus assuerit mentem, etc. An qui contentus parvo, etc? Alii leg. *uternam.* ℙ De pluribus, quam duobus. *Vitr.* 7. *praef.* Alii eum scripserunt esse in crucem actum: nonnulli, in eum lapides esse conjectos: alii, vivum in pyram conjectum. Quorum utrum ei acciderit, merenti digna constitit poena. ℙ Cum verbis plur. numeri. *Pl. Men.* 5, 2, 29. Loquere, uter meruistis culpam, paucis; et *ib.* 5, 9, 60. Uter eratis, tun', an ille major? ℙ Pro alteruter. *Cic. Verr.* 2, 3, 14. Omnium controversiarum, quae essent inter aratorem et decumanum, si uter velit, edicit se recuperatores daturum; et *paulo post:* Utrum ita scripserit, si uter volet; an, si decumanus volet, nihil interest: arator enim tuos istos recuperatores nunquam volet. ℙ *Utrius* paenultimam habet communem. A poetis ea saepius corripitur. V. *Lucr.* 4, 505. et 1205., *Catull.* 68, 39., *Hor. Ep.* 1, 17, 15. et *Od.* 3, 8, 5., *Mart. Spect.* 13. et 3, 27. qui omnes corripuerunt. ℙ Veteres in genitivo et dativo feminino dixere *utrae*, teste *Charis.* 2, 132.

ŪTERCŬLUS, i, m. parvus uterus, seu venter. *Plin.* 11, 12, 12. Praeterea e fronte, ac pabulis potus in uterculos congestus apum; ore enim eum vomunt, etc. In MSS. *Harduini* est *utriculo.* ℙ *Uterculus* est dimin. ab uter, tris. *Appul. Met.* 1. Sanguinis eruptionem uterculo admoto excipit diligenter. Alii leg. *vasculo*, [alii *utriculo. F.*]

ŪTERCUMQUĒ, utracumque, utrumcumque, adj. ὁπότερος δήποτε, idem quod utervis, sive uterlibet. *Cic. Fam.* 6, 4. Magnae utrinque copiae ita paratae ad pugnandum esse dicuntur, et utercumque vicerit, non sit mirum futurum. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* In quo bello utracumque pars vicisset, tamen aliqua forma esset reipublicae. *Quint.* 6. *prooem. med.* In utracumque lingua expressa proprietas omnium litterarum. *Id.* 5. *prooem.* Utrumcumque est (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber, etc. *Gell.* 5, 10. *f.* Ne sententia sua, utramcumque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet.

ŪTĒRĪNUS, a, um, adj. ὁμογάστριος, qui ex eodem utero prodiit, hoc est qui matrem eandem, non tamen eundem habuit patrem. *Uterinis fratribus* opponuntur *consanguinei*, qui de uno patre nati. V. FRATER et CONSANGUINEUS.

ŪTERLĪBET, utralibet, utrumlibet, adj. ὁπότερος οὖν, alter ex duobus, quem tibi capere libet. *Cic. Quint.* 26. Utrumlibet elige, alterum incredibile est, alterum nefarium, et ante hoc tempus utrumque inauditum. *Plin.* 24, 4, 8. Sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit. *Cels.* 6, 7. *n.* 7. Adjecto vel irino, vel laureo oleo, sic ut utrilibet paulum aceti misceatur; et *ib.* 18. *n.* 10. Ubi utrolibet modo curatum est.

ŪTERNAM. V. in UTER, tra.

ŪTERQUĒ, utraque, utrumque, adj. ἑκάτερος, ἀμφότερος, utervis, ambo. Quid ab *ambo* differat, in ea voce diximus. *Ter. Phorm.* 5, 3, 17. Uterque utrique est cordi. *Caes. B. G.* 7, 35. Cum uterque utrique esset exercitus in conspectu. *Cic. Att.* 8, 12. Fabius amantissimus utriusque nostrum. *Balb. et Opp.* ad *Cic. post ep.* 2, 8. *l.* 9. *ad Att. med.* Non videri eam tuam esse dignitatem, ut contra alterutrum, cum utrique sis maxime necessarius, arma feras. *Nep. Att.* 14. Pari fastigio stetit in utraque fortuna, *h. e.* in parvo, et amplo patrimonio. *Cic. Off.* 2, 6. Magna vis est in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas; et *ib.* 10. *f.* Vita, mors, divitiae, paupertas: quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, etc. *Ov. Met.* 1, 338. Uterque Phoebus, *h. e.* oriens, et occidens. Sic *Stat. Th.* 1, 157. limes poli; et *Ov. Fast.* 2, 489. polus, *h. e.* Arcticus et Antarcticus. *Id. Her.* 9, 16. de Hercule: Implesti meritis Solis utramque domum. *Id. Met.* 15, 829. uterque Oceanus, *h. e.* orientalis et occidentalis. *Catull.* 31, 3. Neptunus, *h. e.* maris praeses, et fluminum ac fontium. *Ov. Met.* 13, 147. parens, *h. e.* pater et mater. ℙ Cum verbis et nominibus plur. num. *Pl. Curc.* 1, 3, 31. Uterque insaniunt. *Ov. Met.* 6, 59. Utraque festinant. *Tac. H.* 2, 97. Hordeonius anxius proprio bello, Vectius nunquam satis quieta Britannia: et uterque ambigui. ℙ Adhibetur et in plurali num. cum de duobus rerum generibus sermo est. *Ter. Heaut.* 2, 4, 14. Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devincimini, *h. e.* vos puellae, et amatores vestri. *Cic. Off* 1, 1. Quoniam utrique et Socratici, et Platonici esse volumus, *h. e.* Peripatetici, et Academici. *Id. Or.* 3, 26. A quibus utrisque submittitur aliquid, etc. *h. e.* a poetis, et ab iis, qui modos fecerunt. *Tac. G.* 34. Utraeque nationes Rheno praetexuntur. *Sall. Cat.* 39. *extr.* Utrique victoriam crudeliter exercebant, *h. e.* plebis fautores, et senatus. Adde *Jug.* 79. et 93. ℙ Etiam cum de duobus simpliciter loquimur. [*Nempe de iis, quae conjunctione quadam tenentur, quae ad unum pertinent, unum quasi corpus conficiunt. Ita *Ramsh. Gr. L.* §. 156. *Not.* 7. p. 518. Ceterum nescio, quid *Zumpt.* sibi velit in *Gr. Lat.* §. 141. *not.* 2. hunc usum dicendi ap. *Ciceronem* nusquam inveniri, quum exemplum a *Forc.* allatum non unicum sit; cf. *Lig.* 12, 36. ubi par fratrum significatur; et *Mur.* 12, 26. ubi de accusatore et reo usurpatur] *Id. Cat.* 31. Hi utrique ad urbem imperatores erant, etc. *h. e.* Q. Marcius, Q. Metellus. *Nep. Timol.* 20. Utrorumque Dionysiorum opibus. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Binos habebam scyphos: jubeo promi utrosque. *Virg. A.* 6, 685. palmas utrasque tetendit. *Sen. Herc. Fur.* 1060. obitus pariter Tecum Alcides vidit, et ortus, Novitque tuas utrasque domus. *Tac. A.* 16, 11. Illa utrosque intuens, *h. e.* patrem, et aviam. ℙ In gen. *utriusque* secunda syllaba fere corripitur. *Lucr.* 4, 505. et 1205., *Catull.* 68, 39., *Hor. Od.* 3, 8, 5. et *Ep.* 17, 15., *Ov. Fast.* 3, 571., *Mart. Spect.* 13. et 3, 27. Qui produceret, inveni adhuc neminem: nec tamen damnarim, si quis faciat.

ŪTERVIS, utravis, utrumvis, adj. ὁπότερος οὖν, uter, quem vis, uterlibet. Hoc differunt *utervis*, et *uterlibet* a *quivis*, et *quilibet*, quod illa unum ex duobus significant, haec unum ex pluribus. *Cic. Sen.* 10. *med.* At minus habeo virium, quam vestrum utervis. *Id. Rosc. Am.* 1. *f.* Utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur.

ŪTĔRUS, i, m. *raro* Uterum, i, n. μήτρα, ὑστέρα, loci muliebres, in quibus fetus concipitur. Proprie dicitur de homine: nam in bestiis est *vulva*. V. VULVA: videtur autem esse ab inus. ὀδερός, quod ab ὀδω pro οἰδέω, tumeo, hinc οἰδος, tumor. *Cic. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 8, 139. Quae te belluam ex utero, non hominem fudit. *Pl. Truc.* 1, 2, 96. Uterum illi nunquam extumere sensi. *Hor. Od.* 3, 22, 2. laborantes utero puellae, *h. e.* parturientes. *Ov. Met.* 9, 315. Diva potens uteri, *h. e.* Lucina partu-

bus praeses. *Id. ib.* 10, 495. Gravis uterus, *h. e.* gravidus; et *ib.* 9, 280. Uterum implere generoso germine; et *ib.* 8, 133. Utero fetum ferre. *Id. Fast.* 2, 451. Parce, precor, gravidis facilis Lucina puellis, Maturumque utero molliter effer onus. *Id. Her.* 4, 58. Eniti onus utero, *h. e.* parere. *Id. Fast.* 1, 33. Utero matris prodit infans. *Prop.* 4, 1, 96. Uteri pondus, *h. e.* fetus. *Cels.* 2, 10. Feminae uterum gerentes, *h. e.* ventrem ferentes, gravidae; et *Ulp. Dig.* 34, 5, 11. *med.* Si ancilla uno utero marem et feminam peperisset, *h. e.* uno partu; et *Vell.* 2, 93. *f.* Femina neque sibi, neque reipublicae felicis uteri, *h. e.* fecunditatis. *Tac. A.* 1, 59. Arminium rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus vecordem agebant, *h. e.* infans utero inclusus. ℙ De bestiis. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* de ovib. Eadem aqua uti oportet, quod commutatio et lanam facit variam, et corrumpit uterum. *Virg. A.* 2, 52. de equo ligneo: uteroque recusso Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae. *Plin.* 8, 40, 62. Canes gerunt uterum sexagenis diebus; et *ib.* 10, 10. Elephantos decem annis gestare in utero, vulgus existimat; et *ib.* 32, 50. de cervis: Ante partum purgantur herba quadam, faciliore ita utentes utero. *Id.* 9, 51, 76. Belone unus piscium dehiscente utero parit. *Id.* 8, 16, 17. de leaena: Semel edi partum, lacerato unguium acie utero in enixu. ℙ De ventre, aut alvo. *Cels.* 4, 1. Transversum septum a praecordiis uterum diducit. *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 3, 3. Me puero uterus erat solarium: ubi iste monebat esse, etc. *Juven.* 10, 308. praetextatum loripedem, vel Strumosum, atque utero pariter, gibboque tumentem. *Lucan.* 9, 773. Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque Viscera. Adde 6, 115. ℙ Translate. *Lactant.* 2, 11. Terram novam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in uterorum similitudinem protulisse: de quibus Lucretius (5, 806.) Crescebant uteri terrae radicibus apti: eosque cum maturassent, natura cogente ruptos animalia tenera profudisse. *Colum.* 12, 4. *f.* In utero dolii, *h. e.* parte media latiore. *Tac. A.* 2, 6. Naves lato utero. ℙ Neutro gen. *Pl. Aul.* 4, 7, 10. Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet. Ita leg. cum plerisque *Non.* 3, 258. Alii leg. *uterum doleo:* alii *uterus.* Si *doleo* legas, *uterum* est accusativus partis. *Turpil.* ap. *Non. ib.* Uterum cruciatur mihi. *Afran. ib.* Sedit uterum, ut non omnino tamen. ℙ *Uter* in recto sing. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 915. Nunc uter crescit, non potest celari.

*UTHĪNA, ae, f. oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. *Plin.* 5, 4. *August. adv. Donat.* 6, 33. *B. A.*

UTĪ, adv. *ὡς, ὥσπερ,* idem ac *ut* (quod hinc factum videtur per apocopen) id est quomodo, quaemadmodum. *Pl. Amph.* 2, 1, 9. Tamen quin loquar, haec uti facta sunt, nunquam ullo modo me potes deterrere. *Lucr.* 6, 1077. Aerique aes plumbo fit uti jungatur ab albo. ℙ Ponitur aliquando pro *tanquam. Cic. Phil.* 9, 7. *extr.* Quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit, uti quod optimo jure sepulcrum publice datum est. *Id. ib.* 11, 12. *med.* Senatui placere, C. Cassium provinciam Syriam obtinere, uti qui optimo jure provinciam obtinuerit. ℙ Denotat aliquando causam finalem, quemadmodum et ut. *Id. Fam.* 13, 1. Is ad me dedit litteras, uti placarem te sibi. *Hor. Sat.* 1, 6, 101. ducendus et unus, Et comes alter, uti ne solus rusve, peregreve Exirem. *Ter. Hec.* 1, 1, 9. Utin' eximium neminem habeam? *h. e.* an ut. Adde *Phorm.* 5, 3, 34.

UTĪBĪLIS, e, adj. *χρήσιμος,* idem quod utilis, seu quo uti possumus. *Pl. Merc.* 5, 4, 45. Eamus intro: non utibilis hic locus factis tuis. *Id. Mil.* 3, 1, 19. Magis ad rem non potest esse utibile. *Id. Most.* 4, 1, 1. Servi, qui cum culpa carint, tamen malum metuunt, hi solent esse heris utibiles. *Ter. Phorm.* 4, 4, 10. Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere?

UTĪCENSIS, e, adj. ad Uticam pertinens, urbem Africae litoralem, cum portu, ad Bagradam fluvium: ejus *Plin.* 5, 4, 3., *Flor.* 4, 2. *med.*, *Epit. Liv.* 114., *Hor. Ep.* 1, 20, 13. et *Sil.* 3, 241. aliique meminere. *Liv.* 27, 5. Uticensis ager. *Hirt. B. Afr.* 68. *f.* conventus. *Plin.* 18, 7, 15. Ptisanae bonitas praecipua Uticensi ℙ *Uticensis* cognominatus est M. Cato, pronepos magni Catonis censorii, quia Uticae, bello civili, sibi mortem conscivit, ne in C. Caesaris manus veniret. *Plin.* 7, 30, 31. ℙ *Uticenses, ium,* absolute, sunt ejus urbis incolae, ap. *Caes. B. C.* 2, 36. et *Hirt. B. Afr.* 87.

*UTĪDORSI, orum, populi Scythiae Asiaticae, circa Caucasum montem. *Plin.* 6, 13. *B. A.*

UTĪLIS, e, adj. *χρηστὸς, χρήσιμος,* quo uti possumus, qui usui est, accommodatus, proficuus: per syncopen ab *utibilis. Pl. Trin.* 1, 2, 2. Hoc in aetate est utile et conducibile. *Cic. N. D.* 1, 15. Res utiles et salutares. *Id. Agr.* 2, 6. Si eam legem vobis accommodatam atque utilem esse intelligerem. *Id. ad Brut.* 1, 5. Si arbitrarere, utile, eque republica esse. *Id. Off.* 3, 19. *med.* Non facias quod utile sit, quod expediat? et *ib.* 6. *med.* Homo ad nullam rem utilis. *Caes. B. G.* 4, 7. *med.* Romanis utiles esse amicos. *Ter. Andr.* 1, 1, 34. Id arbitror apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis. *Sall. Jug.* 102. Oppidum Capsam, aliosque locos munitos, et sibi utiles amiserat. *Dolabell.* ad *Cic. Fam.* 9, 9. *med.* Quod tibi utilissimnm erit, consilii capies. *Ov. Fast.* 1, 676. Quernaque glans victa est utiliore cibo. *Id. Her.* 5, 147. Quaecumque herba potens ad opem, radixque medenti Utilis. Alii leg. *medendi,* ut genitivum regat. *Mart.* 11, 52, ventri lactuca movendo Utilis. *Plin.* 19, 12, 60. Lapathum silvestre ad multa medicamina utile est. *Id.* 23, 4, 51. Palmae non utiles stomacho. *Id.* 22, 9, 11. Glycyrrhizae succus utilissimus voci. *Id.* 20, 33, 98. Medulla e viridi ferula vulvis utilis, et ad omnia ea vitia. *Virg. G.* 2, 150. bis pomis utilis arbos, *h. e.* ferax. *Prop.* 4, 5, 31. Si tibi forte comas vexaverit utilis ira, *h. e.* ira amatoris, quae lucro tibi futura est, quia cogetur ille non parva mercede a te pacem emere, *Id. ib.* 1, 138. Et Veneris pueris utilis hostis eris, scil. quia te victo praedam capient, et gloriam. ℙ Aptus, idoneus, bonus. *Plin.* 16, 36, 66. Calamus totus concavus utilissimus fistulis. *Id.* 21, 18, 69. Utilissimus ad vitilia holoschoenos, quia mollis et carnosus est. *Ov. Met.* 10, 93. et fraxinus utilis hastis. Sic *Virg. G.* 2, 447. At myrtus validis hastilibus, et bona bello Cornus; et *ib.* 442. dant utile lignum Navigiis pinos. *Ov. Met.* 3, 212. de canib. venat: Et pedibus Pterelas, et naribus utilis Agre. *Prop.* 3, 7, 19. Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis. ℙ Cum infinito. *Hor. A. P.* 204. tibia Aspirare, et adesse choris erat utilis. ℙ *Utile membrum,* quo uti possumus: cui *debile* cantrarium est. *Plin.* 7, 28, 29. Ter et vicies vulneratus est: ob id neutra manu, neutro pede satis utilis. *Ov. Her.* 2, 129. minus et minus utilis adsto: Linquor, et ancillis excipienda cado, *h. e.* minus me sustinere possum, et moveri. Sic *ib.* 4, 7. Ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit Lingua. ℙ *Utilis actio* dicitur a JCtis, quae deficientibus legum, vel edictorum verbis, aequitate suggerente, et utilitatis gratia, ad speciem propositam accommodatur. Opponitur *directae,* et *legitimae,* quae recta ex verbis legis descendit. V. *Dig.* 13, 5, 5. *f.* et 39, 3, 22. etc. ℙ Absolute. *Cic. Off.* 3, 15. *extr.* Nunquam est utile peccare, quia semper est turpe. *Sall. Jug.* 119. *f.* Quae utilia visa, constituunt. *Hor. A. P.* 164. Utilium tardus provisor. *Id. ib.* 343. Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. *Id. Od.* 4, 9, 40. bonus atque fidus Judex honestum praetulit utili. *Sen. ep.* 87. *med.* Canterio vehebatur, hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret, *h. e.* utensilia.

UTĪLĪTAS, atis, f. *ὠφέλεια, εὐχρηστία,* commodum, fructus. *Cic. Fin.* 1, 20. *f* Ut etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi propter se ipsos amentur. *Id. Off.* 3, 10. Nec tamen nostrae nobis utilitates omittendae sunt; et *ib.* 1, 23. Afferre utilitatem alicui. *Id. Am.* 9. *f.* capere ex aliqua re. *Id. Or.* 1, 26. quaerere in re aliqua. *Id. ib.* 48. parare alicui. *Id. Off.* 1, 23. afferre. *Id. Mur.* 10. *extr.* habere, *h. e.* utilem esse. *Varr. R. R.* 1, 20. Boves ad utilitatem adducere, *h. e.* domare. *Cic. Or.* 2, 51. Referre omnia ad utilitatem suam. *Id. Fin.* 1, 10. Nihil de utilitatibus, nihil de commodis suis cogitare. *Id. Att.* 7, 5. Tiro mirabiles utilitates mihi praebet, cum valet, in omni genere vel negotiorum, vel studiorum meorum. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. Servire commodis et utilitati alicujus. *Quint.* 3, 8. Utilitatis specie duci. *Ov. Trist.* 1, 3, 88. Vixque dedit victas utilitate manus. ℙ *Utilitas alicujus,* h. e. quae ex aliquo capitur. *Ter. Eun.* 2, 3, 17. In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam. *Cic. Fam.* 16, 3. Utilitatibus tuis possum carere. ℙ *Utilitas belli* significat res illas, quae ad bellum utiles sunt, in illo *Cic. Manil.* 6. Itaque haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem, et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis defendenda est. *Id. ib.* 2. *f.* dixerat: Et pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis. Alii leg. *ad belli utilitatem,* quod eandem sententiam habet. ℙ *Utilitatem oculis obtinere* ap. *Pl. Epid.* 5, 1, 28. est oculorum usum habere, recte cernere.

UTĪLĪTER, adv. *χρηστῶς, συμφερόντως,* ex usu, commode. *Cic. Acad.* 4, 44. Atque illi quidem etiam a natura utiliter dicebant permotiones istas animis nostris datas. *Ov. Her.* 1, 67. Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi. *Plin.* 17, 14, 24. Cuneo adactum utilissime adstringitur. ℙ Secundum juris ac legum ordinem: atque adeo cum effectu ad finem rei, de qua agitur. *Modest. Dig.* 16, 3, 23. Actione depositi conventus, servo constituto, cibariorum nomine apud eundem judicem utiliter experietur. *Cels. ib.* 45, 1, 97. et *Ulp. ib.* 45. et *Paul. ib.* 46. Utiliter stipulari. *Afric. ib.* 19, 1, 30. *f.* agere ex empto. *Papin. ib.* 36, 3, 5. Utiliter probatum est, virum bonum ab utraque parte eligendum, etc.

UTĪNAM, *αἴτε, εἴτε,* adv. optandi: ab *uti,* cum optandi est, et particula *nam. Cic. Manil.* 10. Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis. *Id. Fam.* 14, 4. Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus. *Id. Att.* 13, 48. Quod utinam, iterum utinam, tuo tamen commodo. *Ov Her.* 1, 5. O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat, Obrutus insanis esset adulter aquis! ℙ *Utinam ne* pro *utinam non. Ter. Phorm.* 1, 3, 5. Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset. *Enn.* ap. *Cic. Top.* 16. Utinam in nemore Pelio securibus Caesa accidisset abiegna ad terram trabes. *Phaedr.* 4, 6. Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo Pinus bipenni concidisset Thessala.

ŪTĪQUĒ, adv. *ἄρα,* certe: adverb. affirmandi. *Cic. Att.* 5, 9. Id unis diligenter litteris datis, quae ad me utique perferantur, consequerer. *Id. ib.* 13, 48. Velim, Varronis et Lollii mittas laudationem, Lollii utique. *Quint.* 5, 10. *med.* Quod non est arbor, utique platanus non est. *Sen. ep.* 85. Sapienti propositum est in vita agenda, non utique, quod tentat, efficere, sed omnia recte facere: gubernatori propositum est, utique navem in portum perducere. *Cels.* 6, 7. *f.* Specillum lana involutum in aurem injiciendum, ibique vertendum est: utique enim comprehendet, et eximet (*pulicem aliudve animal*). *Liv.* 9, 16. *f.* Remitto, ne utique dorsum demulceatis, cum ex equis descendetis, *h. e.* omnino, ullo, modo. ℙ Quidam ajunt significare *dumtaxat, tantummodo* in his, quae subjicio. *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. *f.* Sed sciendum est, non omnes hac severitate tractari debere, sed utique humiliores. *Id. ib.* 21, 1, 31. *med.* Culpam autem omnem accipiemus, non utique latam. *Cajus ib.* 50, 16, 41. Armorum appellatio non utique scuta et gladios, et galeas significat, sed et fustes, et lapides. Alii leg. *non tantum utique.* Adde *Sym. ep.* 9, 31. (*al.* 34.) ℙ Pro *et uti, utique,* quemadmodum *itaque* pro *et ita,* etc. *Cic. Phil.* 9, 7. Utique consules, alter ambove, quaestoribus imperent, etc. et *mox.* Utique locum sepulcro assignet. *Sall. Jug.* 20. *f.* Uti ex libris Punicis interpretatum nobis est, utique rem sese habere, cultores ejus terrae putant. Adde *Liv.* 1, 24. ℙ In responsionibus pro *vero, maxime* qui usurpaverit, inveni adhuc neminem.

ŪTOR, eris, usus sum, dep. 3. *χράομαι,* adhibeo, usurpo, et de omnibus rebus dicitur, quarum usum aliquem habemus. Quomodo a *fruor* differat, in ea voce dictum est. *Cic. N. D.* 1, 37. Utatur suis bonis oportet, et fruatur, qui beatus futurus est; et *ib.* 2, 60. *f.* Plurimis maritimis rebus fruimur atque utimur. *Id. Dejot.* 10. Bene armis, optime equis uti. *Colum* 4, 25. Cum vinitor in adversum pressa manu desecare quid debet, cultro (*falcis*) utitur: cum autem retrahere, sinu: cum allevare, scalpro: cum incavare, rostro. *Varr. R. R.* 1, 2. Cisternae faciundae sub tectis, et lacus sub dio: ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti possit. *Phaedr.* 3, 8. Quotidie speculo vos uti volo. *Caes. B. G.* 4, 31. Quae gravissime afflictae erant naves, earum materia atque aere ad reliquas reficiendas utebatur. *Id. ib.* 5, 12. Utuntur taleis ferreis, ad certum pondus examinatis, pro nummo; et *ib.* 6, 15. Administris adhibus sacrificia Druidibus utuntur; et *ib.* 20. *extr.* Pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur; et *Ov. Fast.* 4, 369. Lacte et herbis uti; et *Cels.* 8, 11. *f.* Cibis uti bonis, uti vino modice; et *Pl. Epid.* 1, 1, 4. Certe oculis uteris; et *Mil.* 4, 7, 25. et *Nep. Ann.* 4. Istoc ego oculo utor minus; et *Cic. Div. Verr.* 5. *f.* Si provincia loqui posset, hac voce uteretur; et *Ov. Fast.* 6, 120. Mollibus verbis uti ad aliquem. *Cic. Phil.* 13, 1. Uti oratione, *h. e.* sermonem, orationem habere. *Id. Marcell.* 1. silentio. *Id. Fam.* 2, 16. *f.* Senes ego fortasse nunc imitor, et utor aetatis vitio. *Caes. B. G.* 4, 24. *extr.* Non omnes eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus uti proeliis consueverant, utebantur; et *ib.* 11. Ea conditione, quae a Caesare ferretur, se usuros ostendebant. *Pl. Trin.* 2, 1, 26. Apage te, Amor: non places, nihil te utor. ℙ *Uti aliquo,* consuetudinem habere, familiarem esse. *Nep. Att.* 5. Utebatur intime Q Hortensio. *Cic. Fam.* 1, 3. Trebonio multos annos utor valde familiariter. *Id. Att.* 16, 5. Luccejus, qui multum utitur Bruto. Adde *Cluent.* 16. Sic *Hor. Ep.* 1, 17, 1. Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis, Quo tandem pacto deceat majoribus uti; et *ib.* 14. si sciret regibus uti. ℙ *Uti aliquo,* eum tractare, accipere. *Nep. Eum.* 11. *med.* Non convenire Antigoni prudentiae, ut *sic* se uteretur victo; quin aut interfici, aut missum fieri juberet. ℙ *Temporibus sapienter uti* ap. *Nep. Ep.* 3. est occasionem rei gerendae oblatam bene prehendere. ℙ Saepe ponitur loco verbi *habeo,* vel *experior. Ter. Heaut.* 2, 1, 5. Mihi si unquam filius erit, nae ille facili me utetur patre. *Cic. Verr.* 2, 5, 59. Hic vide, quam me sis usurus aequo. *Nep. Att.* 1. Patre usus est diligente, indulgente, et diti. *Caes B. C.* 3, 49 Uti valetudine non bona. *Cic. Fam.* 14, 5. Cum sane adversis ventis usi essemus. *Id. Fin.* 1, 1. *med.* Ut propemodum justioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam iis, qui, etc. *Pl. Aul.* 3, 5, 8. Et invidia nos minore utamur, quam utimur. ℙ *Honore usus* dicitur, qui magistratum gessit. *Cic. Inv.* 1, 54. Homines clari, nobiles, et honore usi. *Plin.* 7, 43, 44. Primus externorum, usus illo honore, *h. e.* consu-

latu. Adde *Cic. Phil.* 8, 11. et *Inscr.* ap. *Grut.* 353, 6., 387, 8. et *Fabr.* p. 170. *n.* 324. ℙ Alias *honore*, vel *titulo usus*, est qui honoris publici titulum seu memoriam, v. gr. statuam, accepit. *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 7. M. Calpurnius Seneca honore usus impensam remisit. *Alia* ap. *eund.* 483, 3. Quorum honore contentus sua pecunia posuit. V. TITULUS. ℙ *Uti se*, genio indulgere, animo obsequi. *Pl. Mil.* 3, 1, 82. Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine: liberae aedes: liber sum autem ego: me uti volo libere. *Id. Capt.* 4, 4, 12. Dicam, ut sibi penum aliud ornet, siquidem sese uti volet. ℙ Reperitur etiam cum accusativo, non solum communi, ut *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Si quid est, quod utar, utor: si non est, egeo. *Cic. Att.* 12, 22. *f.* Ne Silius quidem quidquam utitur. *Lucr.* 6, 1134. aut aliquid, quod non consuevimus uti. ℙ sed etiam proprio, apud antiquiores. *Titin.* ap. *Non.* 7, 112. Item uti eum oportet libertatem. *Novius ib.* Atque facilitatem, video, uteris vulgariam? *Lucil. ib.* Quem metuas saepe, interdum quem utare libenter. *Turpil.* ap. *Non.* 9, 4. Amicos utor primores viros. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Quam rem etiam nomine eodem medici utuntur. *Cato R. R.* 143. Villica vicinas, aliasque mulieres quam minimum utatur. Item apud recentiores. *Aurel. Vict. Caes.* 17. Cum ipse ferrum, objectum veronibus plumbeis, uteretur. ℙ Passiva significatione. *Novius* ap. *Gell.* 15, 13. Quia supellex multa, quae non utitur, emitur, tamen. *Varr.* ap. *Prisc.* 8, 792. Utile utamur potius, quam ab rege abutamur. *Auct. Priap.* 45. in me, mihi credite, dixit, Utetur veris usibus hasta rudis. *Prisc.* ipse *ib.* p. 799. etiam *uto*, *is* olim dictum fuisse affirmat. *Cato R. R.* 96. Eodem in omnes quadrupedes utito; et *ib.* 107. *extr.* Et utito in labra doliorum. Adde *ib.* 123. et 126. ℙ *Utier* paragoge pro *uti* est *Plauti Cas.* 2, 3, 4.

UTPOTĔ, adv. *ἅτε*, quippe, scilicet. *Pl. Rud.* 2, 5, 5. Satis nequam sum, utpote qui hodie inceperim amare. *Id. Mil.* 2, 6, 48. Similiorem mulierem, magisque eandem, utpote quae non sit eadem, non reor. *Id. Bacch.* 3, 4, 13. Amo hercle, opinor, utpote quod pro certo sciam. *Nep. A.* 2. Pater meus, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam proficiscens, etc. *Hor. Sat.* 1, 5, 94. Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum Carpentes iter, et factum corruptius imbri. *As. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *med.* Nec retinuissem *(legiones)*, si uno in loco habuissem, utpote cum singulae cohortes seditionem fecerint. *Cic. Att.* 2, 24. *med.* Ea nos, utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus, *h. e.* quippe qui ii sumus, qui ceteroquin nihil contemnere solemus.

UT PŪTĀ } V. UT.
UT QUID }

UTRĀLĪBET, adv. utra parte vis. *Plin.* 2, 18, 16. Tingit appropinquantes (*stellas*) utralibet alieni meatus circulus.

UTRĀQUĔ, adv. utrinque *Cass. Hemina* ap. *Non.* 2, 882. In Hispania pugnatum bis: utraque nostri loco moti. Ita *Nonius.* **Caecilius* ap. *Non.* Atque Hercle utrasque (utraque) te, quum apud nos venis suffarcinatum vidi. *B. A.*

UTRĀRĬUS, ii, m. lixa, qui exercitum sequens aquam utribus ministrat. *Liv.* 44, 33. Postremo sequi se utrarios ad mare jussit, et in litore alibi modicis intervallis fodere.

UTRĪBI. UTRUBI.

UTRĬCĪDĀ, ae, m. utrem seu follem caedens. *Appul. Met.* 3. Non homicidam, sed utricidam amplecterer.

UTRICLĀRĬUS. V. in v. sq.

UTRĬCŬLĀRĬUS, ii, m. *ἀσκαύλης*, qui canit tibiis parvo utri infixis, eum subinde inflando, ascaules. *Suet. Ner.* 54. Voverat, prodituram se ludis hydraulam, et choraulam, et utricularium. V. ASCAULES. ℙ Item qui utriculos, seu utres inflatos ratibus ita subjiciebant, ut iisdem flumina transnare possent. Eorum collegium in quibusdam urbibus ad flumen aliquod sitis habebatur, ideoque utricularii saepe cum nautis conjunguntur. *Inscr.* ap. *Mur.* 531, 4. Ex voto a solo templum ex suo fecerunt collegio utricularium. ℙ Saepius *utriclarius* per syncopen legitur. *Alia* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 264. In H. D. D. Genio Utriclar. L. Censorinius, etc. *Alia* ap. *Mur.* 531, 5. Junio Messiano Utriclar. Corp. Arelat., etc. et 532, 1. C. Catii Driburonis corporis utriclariorum Lugduni consistentium. Adde alias ap. *Grut* 413, 4. et 428, 10. et *Spon. Miscell. antiqu.* p. 61. V. UTER, tris.

UTRĬCŬLUS, i, m. *ἀσκίδιον*, parvus utris. *Cels.* 2, 17. Calido oleo replentur utriculi. ℙ Item a similitudine, parvus uterus. *Plin.* 11, 37, 84. Vesicae junctus utriculus: unde dictus uterus. *Id.* 30, 14, 42. Utriculus mustelinus. ℙ Item involucrum seminis in frugibus, folliculus, et floris nondum expansi, calyculus, *ἔλυτρον*. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Veam pisunt cum arena: et sic quoque difficulter deterunt utriculos. *Id* 16, 25, 39. Pariunt vero, cum florent: flosque ille ruptis constat utriculis.

UTRINDĔ, adv. ex utroque loco, aut re. *Cato* ap. *Charis.* 2, 198. De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur, utrinde iram, utrinde factiones tibi pares.

UTRINQUĔ et Utrimque, *ἑκατέρωθεν*, ab utraque parte. *Cic. Fam.* 6, 4. Magnae utrinque copiae, et paratae ad depugnandum. *Caes. B. G.* 1, 50. Acriter utrinque usque ad vesperum pugnatum est; et *ib.* 4, 17. *med.* Binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur; et *ib.* 7, 42. *extr.* Multis utrinque interfectis. *Sall. Cat.* 63. Deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. *Id. Jug.* 57. *f.* Ni utrimque praemissi equites rem exploravissent. *Plin.* 29, 6, 38. Vipera utrinque praecisa, *h. e.* capite et cauda. *Id.* 27, 13, 113. Thlaspi bilem et pituitam utrimque extrahit. ℙ Translate. *Tac. H.* 1, 14. *f.* Piso M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrinque, *h. e.* paterno et materno sanguine. *Plin.* 8, 42, 66. de equis: Coitus verno aequinoctio, bimo utrique, vulgaris, *h. e.* mare et femina; et *ib.* 47, 72. Generatio pecoribus bimis utrinque ad novenos annos. *Hor. Ep.* 1, 18, 9. Virtus est medium vitiorum, et utrimque reductum.

UTRINQUESĔCUS, adv. idem quod utrinque. *Lucr.* 4, 937. Quare utrinquesecus cum corpus vapulet, *h. e.* exterius et interius ab aere pulsetur. *Cato R. R.* 21. Dextra sinistra foramina utrinquesecus laminas *ponito*. *Appul. Met.* 2. Canes utrinquesecus Deae latera muniunt; et *ib.* 10. Utrinquesecus allegationibus examinatis, civiliter sententia promeretur. *Solin.* 27. *med.* Amphisbaena consurgit in caput geminum: quae causa efficit, ut capite utrinquesecus nitibundo serpat. ℙ Sunt qui divisim scribunt: sed contra *Voss.* in *Etym.*, quod ea forma sit, qua *intrinsecus*, *extrinsecus*, etc. ℙ **Utrimquesecus* scriptum ap. *Auct. Itin. Alex.* 77. ed. *A. Maio. B. A.*

UTRINSĔCUS, adv. utrinque, utrinquesecus. *Sev. Aetn.* 503. Incolumi fervore cadunt utrinsecus ignes. Alii aliter leg. *Voss.* in *Etym.* tribuit etiam *Solin.* 16. et *Appulejo Met.* 9.

UTRO, adv. *ὁποτέρωσε*, versus quam duarum partium. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Id demum recte subactum erit, ubi non intelligitur, utro vomer ierit. *Ov. Met.* 5, 166. Nescit utro potius ruat, et ruere ardet utroque.

UTRŌBI V. UTRUBI.

UTRŌBĪDEM, adv. ex utraque parte. *Pl. Truc.* 1, 2, 50. Utrasque utrobidem percognovi.

UTRŌBĪQUĔ, adv. *ἑκατέρωθι*, in utraque parte, utrinque. *As. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *med.* Cum non liceret mihi nullius partis esse, quia utrobique magnos inimicos habebam. *Liv.* 36, 16. Depopulatus Hypatensem primo, deinde Heracleensem agrum, inutili utrobique auxilio Aetolorum. *Nep. Ann.* 10. Utrobique Eumenes plus valebat, *h. e.* terrestribus, et navalibus copiis. *Cic. N. D.* 2, 31. Sequitur, ut eadem sit ratio, eadem veritas utrobique sit, eademque lex, *h. e.* in Diis, et in hominibus. *Hor. Ep.* 1, 6, 10. pavor est utrobique molestus, *h. e.* in timendo, et in cupiendo. ℙ *Scribitur et *utrubique*.

UTRŌLĪBET, adv. utroque versum, *Quint.* 1, 11. *med.* Observandum, ut recta sit facies dicentis, ne inclinata utrolibet cervix.

UTROQUĔ, adv. *ἑκατέρωσε*, ad utrumque locum. *Cic. Att.* 5, 12. A. d. VIII. Id. ad Ceo venimus, inde Gyarum, hinc Scyrum, inde Delum, utroque citius, quam vellemus, cursum confecimus. *Liv.* 8, 29. Provincia ea Bruto, Samnium Camillo sorte evenit: exercitus utroque ducti. *Ov. Her.* 10, 19. Nunc huc, nunc illuc, et utroque sine ordine curro. Adde *Met.* 5, 166. ℙ *Scribitur et *utrubique*. *B. A.*

UTROQUĔVERSUM, adv. versus utrumque locum, in utramque partem. *Pl. Capt.* 2, 3, 8. Utroqueversum rectum est ingenium meum. Ad te, adque illum pro rota me uti licet. *Gell.* 5, 12. Vocabula ambigua, et quae utroqueversum dicantur, *h.* e. augendi, et minuendi significatione.

UTRŪBI, Utrōbi, Utrĭbi, adv. utro in loco. *Pl. Stich.* 5, 5, 9. *Steph.* Utrubi accumbo? *Sag.* utrubi tu vis. *Steph.* Cum ambobus volo; nam ambos amo; et 5, 4, 14. Amicae uter utrubi accumbamus? *Stich.* abi tu sane superior. *Naevius* ap. *Charis.* 2, 198. Utribi coenaturi estis? hiccine, an in triclinio? *Cato ib.* De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur, etc. *Cic. Fam.* 9, 6. Haec nosse te volui, ut scires, hospitium tibi ubi parares, vel potius utrobi, *h. e* in Alsiensi, an Ostiae. Ita *Manut.*, alii rectius *vel potius ut utrobique.* ℙ Est titulus trigesimus primus *l.* 43. *Dig.* qui inscribitur *Utrubi*. Praetor ait: Utrubi hic homo, de quo agitur, majore parte hujusce anni fuerit, quo minus is eum ducat, vim fieri veto. Subdit *Ulpianus*: Hoc interdictum de possessione rerum mobilium locum habet: sed obtinuit, vim ejus exaequatam fuisse Uti possidetis interdicto, quod de rebus soli competit. *Auson. Idyll.* 11, 63. Interdictorum trinum genus, unde repulsus Vi fuero, aut Utrobi fuerit, quorumve bonorum, *h. e.* de possessione si potest tripliciter, de recuperanda, interdictum Unde vi: de retinenda, Utrubi, et Uti possidetis: de acquirenda, Quorum bonorum. V. *Dig.* 43. *tit.* 2, 16. et 31. ℙ Ex tribus scribendi modis, quos proposuimus, qui primus est, idem esse videtur usitatior; eo enim utitur *Cod.* palimpsestus *Caji Instit.* (ed. *Goesch.*) 4. §. 148. et seqq.; tametsi *Dausqu.* secundum probat.

UTRUM, adv. *ἄρ τε*, *εἴ τε πότερον*, num, an. Usurpatur in dubitatione, et fere semper habet particulam *an* sequentem, aut *ne*, aut *nec ne*. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Multum interest, utrum illi sentiant, an vero simulent, tu intelliges. *Id. Verr.* 2, 4, 33. *f.* Utrum esset Siculis utilius, suisne servire, an populo Romano obtemperare. *Id. Or.* 61. Quaerendum, utrum una species sit earum, anne plures. *Caes. B. G.* 1, 50. *f.* Utrum proelium committi ex usu esset, nec ne. ℙ Item interrogatione. *Cic. Acad.* 4, 29. *f.* Utrum ea vestra, an nostra culpa est? *Nep. Iphicr.* 3. Cum interrogaretur, utrum pluris patrem, matremne faceret? matrem inquit. ℙ Interdum nulla particula subsequitur, sed subintelligitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 69. An hoc dicere audebis, utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment, ad rem id non pertinere? ℙ Interdum additur *nam*, aut *ne* ad majorem vim. *Liv.* 37, 17. *f.* Percontatus est, utrumnam universa classis in portu stare posset. *Colum.* 11, 1. Utrumne mercari villicum consueverit, an, etc. *Cic. Quint.* 30. Utrumne possit se defendere, an, etc. *Pl. Capt.* 2, 2, 18. Utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio. *Plin.* 17, 1, 1. Utrumne igitur ego sum exemplo gravis, an tu, qui, etc?

*UTUM, i, n. oppid. Moesiae inferioris. V. v. sq. *B. A.*

*UTUS, i, m. fluvius Moesiae inferioris, in monte Haemo oriens. *Plin.* 3, 26. ℙ Oppidi illic viciniae, cui nomen *Utus* vel *Utum*, mentio facta est ap. *Anton.* in *Itin.* et *Notit. Imper. B. A.*

UTUT, adv. *ὅπως ὁήποτε*, utcunque, quocumque modo. V. UT.

U V

UVĂ, ae, f. *σταφυλή*, fructus vitis. Sic dicitur ab uvore, ut scribit *Varro L. L.* 4, 21. *extr.* et *Serv.* ad *Ecl.* 10, 20., nempe ob humorem intrinsecum. *Cic. Sen.* 15. Gemma, a qua oriens uva se ostendit, quae et succo terrae, et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit. *Virg. G.* 1, 54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvae. *Id. Ecl.* 9, 49. Duceret apricis in collibus uva colorem. *Prop.* 4, 2, 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis; et 3, 15, 18. Et nova pressantes inquinet uva pedes. *Tibull.* 2, 1, 45. Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores; et *ib.* 5, 85. Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas. *Juven.* 2, 81. Uvaque conspecta livorem ducit ab uva. *Hor. Epod.* 2, 20. Certantem et uvam purpurae. *Catull.* 19, 14. Uva rubens; et 20, 8. dulcis. *Ov. Met.* 3, 666. de Baccho: Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis. *Id. Am.* 1, 15, 11. dum mustis uva tumebit. *Id. A. Am.* 2, 316. Plenaque purpureo subrubet uva mero. *Id. Fast.* 3, 413. Uvae pictae. ℙ Varia uvarum genera, ac nomina enumerantur a *Colum.* 3, 1. et 2., *Plin.* 14. *c.* 1. et 2., *Varr. R. R.* 1, 25., *Macr. Sat.* 2, 16. et *Virg. G.* 2. a *v.* 91., quae collegit *Matth. Gesner.* in *Lexic. Auctor. R. R.* et in *Thes. Linguae Lat.* in V. *Vitis*. ℙ Translate ponitur pro vino. *Hor. Od.* 1, 20, 9. prelo domitam Caleno Tu bibes uvam. *Juven.* 5, 31. Calcatamque tenet bellis socialibus uvam. ℙ Et pro vite. *Virg. G.* 2, 60. Et turpes avibus praedam fert uva racemos. ℙ Item pro racemo seu botryone, ap. *Colum.* 3, 3. *med.* Illa videntur prodigialiter accidisse, ut aliqua vitis apud te excederet uvarum numerum duorum millium. ℙ Dicitur et de aliis fructibus, qui in morem racemi constant ex pluribus acinis conglobatis. *Plin.* 12, 13, 28. Amomi uva in usu est. *Id.* 16, 29, 52. Laurus uvas suas gignit, maximeque sterilis, quae non gignit, aliud: ob id a quibusdam mas existimatur. ℙ Item de apibus, cum collectae sunt, et in modum botryonis dependent. *Virg. G.* 4, 557. jamque arbore summa Confluere, et lentis uvam demittere ramis. *Juven.* 13, 68. Examenque apium longa consederit uva. Adde *Plin.* 11, 17, 18. ℙ Est etiam hoc nomine caruncula in fine palati, dependens circa fauces, quae in homine hiante conspicitur, *κίων*: et praecipue sic dicitur, cum praeter naturam descendit, intumescit, et inflammatur. *Cels.* 7, 12. *n.* 3. Uva, si cum inflammatione descendit, dolorique est, et subrubicundi coloris, praecidi sine periculo non potest. Si vero inflammatio nulla est, nihilominus ea ultra justum modum a pituita diducta est, et tenuis, acuta, alba est, praecidi debet: itemque si ima, livida, et crassa, etc. *Mart.* 10, 56. Non secat, et tollit stillantem Fannius uvam. *Cels.* 6, 14. *f.* Uvam tumentem reprimere. *Plin.* 23, 8, 80. Uvae jacentis remedium; et *ib.* 7, 64 Uvam faucium sedare; et 30, 4, 11. mitigare. *Id.* 20, 18, 74. levare. *Id.* 23, 8, 80. cohibere. *Id.* 34, 12, 29. compescere. ℙ Item piscis marinus, cujus meminit *Plin.* 9, 2, 1. et 32, 10, 49. et *ib.* 11, 53. *f.*, in quibus tamen locis videtur intelligere sepiarum ova, quae simul juncta uvarum botryones repraesentant. ℙ **Uva uvam videndo varia fit*, proverbium. *Vet. Schol.* in *Juvenal. Sat.* 2, 81. *B. A.*

ŪVENS, entis, part. ab inus. *uveo*, humidus, uvidus, uvorem habens. *Petr. Sat.* 115. Uventes oculi. *Sil.* 7, 651. Uventi ferrum admovit tepefacta *(arundo)* palato. *Id.* 8, 227 Uventia ora; et *ib.* 469. Uventes nebulae. *Id.* 2, 469. Uventis rores noctis. *Stat Silv.* 3, 1, 144. Ipsae pumiceis virides Nereides antris Exsiliunt ultro, et scopulis uventibus haerent. *Heinsius* conjicit ubique scribendum *humens*.

ŪVESCO, is, n. 3. *βρέχομαι*, humidus fio, humorem contraho. *Lucr.* 1, 306. Denique fluctifrago suspensae in litore vestes Uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt. *Hor. Sat.* 2, 6, 69. seu capit acria *(conviva)* fortis Pocula, seu modicis uvescit laetius, *h. e.* pitissando rorantibus et minutis poculis se perfundit.

ŪVĬDŪLUS, a, um, adj. dimin. humidulus. *Catull.* 66, 63. *loquitur coma Berenices.* Uvidulam a fluctu, cedentem ad templa Deum, me Sidus in antiquis Diva novum posuit. Alii leg. minus recte *vividulam.*

ŪVĬDUS, a, um, adj. *νοτερός*, uvens, madens, udus, humidus. Quidam ita distinguunt ab *humido*, ut *uvidus* sit, qui humorem intrinsecum habet, *humidus*, qui exterius madet. Sed hoc discrimen non servatur. *Pl. Rud.* 4, 3, 5. Non vides, referre me uvidum rete sine squamoso pecu? *Id. ib.* 2, 7, 15. et *Hor. Od.* 1, 5, 14. Uvida vestimenta: scil. ex naufragio. *Ov. Fast.* 4, 427. locus aspergine multa Uvidus ex alto desilientis aquae; et *ib.* 3, 238. Uvidaque e tenero palmite gemma tumet. *Tibull.* 1, 9, 37. pugnantibus uvida linguis Oscula. Alii leg. *humida*. *Colum.* 7, 3. Coeli status uvidus, ventosusque. *Virg. G.* 1, 418. Juppiter uvidus austris. *Id. Ecl.* 10, 20. Uvidus hiberna venit de glande Menalcas, *h. e.* pinguis, inquit *Serv.*, quia pinguia humida sunt. *Hor. Od.* 2, 19, 18. uvidus Bacchus, *h. e.* vino madens. Sic *ib.* 4, 5, 38. dicimus integro Sicci mane die, dicimus uvidi. ℙ Item suco plenus. *Tert. Jejun.* 1. *f.* Siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia, et uvidioribus quibusque pomis. ℙ Item irriguus. *Hor. Od.* 4, 2, 30. circa nemus, uvidique Tiburis rivos. *Colum.* 3, 2. *med.* Praepinguis, et uvida terra. *Ov. Fast.* 4, 686. rura Parva, sed assiduis uvida semper aquis. ℙ Uliginosus ager, inquit *Serv.* ad *G.* 2, 184., est semper humidus: uvidus dicitur, qui aliquando siccatur.

ŪVĬFER, ra, rum, adj. *σταφυλοφόρος*, qui uvas producit. *Stat. Silv.* 4, 3, 64. Atque Echo simul hinc, et inde fractam Gauro Massicus uvifer remittit. *Sil.* 7, 263. Massicus uviferis addebat nomina glebis. Adde *ib.* 207. *Dracont. Hexaem.* 2, 629. Uvifera vitis.

VULCĀNAL et Volcanal, alis, n. locus Romae supra Comitium, cujus meminit *Festus* in *Statua*. Fuit autem templum et area Vulcano sacra, ubi, antequam comitium aedificaretur, conciones ad populum haberi solitae. *Plin.* 16, 44, 86. Altera lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis.

VULCĀNĀLIS et Volcanalis, e, adj. *Ἡφαίστειος*, ad Vulcanum pertinens, ut Vulcanalis flamen, *Varr. L. L.* 4, 15. ℙ *Vulcanalia, orum* et *ium*, festum in honorem Vulcani, quod Augusto mense X. cal. Septembr. celebrabatur. *Id. ib* 5, 3. *med.* Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriae, et quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit. *Colum.* 11, 3. *n.* 18. et 47. Augusto circa Vulcanalia tertia satio est. *Plin.* 17, 27, 47. Fici, cum Vulcanalibus tonuit, cadunt. *Plin. alter ep.* 3, 5. *med.* Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi gratia, sed studendi. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 8, 49. Curio Vulcanaliorum die ibidem moratus. V. SATURNALIA. ℙ Aliud fuit Vulcani festum, de quo V. in TUBILUSTRIUM.

VULCĀNĬUS et Volcanius, a, um, adj. *Ἡφαίστειος*, ad Vulcanum pertinens. *Lucil.* ap. *Non.* 12, 35. Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam, *h. e.* ignem. Sic *Virg. A.* 10, 407. extenditur una Horrida per latos acies Vulcania campos, *h. e.* incendium: quod est *Silio* 14, 423. Vulcania pestis. *Cic. Tusc.* 2, 14. *med.* Pungit dolor: vel fodiat sane: si nudus es, da jugulum: sin tectus Vulcaniis armis, id est fortitudine, resiste. *Ov. Met.* 13, 313. Vulcania Lemnos, *h. e.* Vulcano sacra: unde altera ex ejus urbibus Hephaestia. V. LEMNOS. ℙ Vulcaniae insulae, *Ἡφαιστιάδες νῆσοι*, quae et Aeoliae, septem sunt in mari infero citra Siciliam: quarum una est Lipara: omnium autem terra sulphurea est, et ignem per intervalla evomens: unde fabulati sunt, ibi esse Vulcani officinam. *Plin.* 3, 9, 14. Sed *Cic. N. D.* 3, 22. dictas esse ait a Vulcano Menalii filio, qui ibi regnavit.

VULCĀNUS et Volcanus, i, m. *Ἥφαιστος*, filius Jovis et Junonis, qui a parentibus ob deformitatem (licet alii alias causas afferant) coelo praecipitatus est, dejectusque in Lemnum insulam, ubi ab Eurynome Oceani et Tethyos filia nutritus est, vel, ut alii volunt, a simiis. Ea autem ruina, qua decidit de coelo, claudus factus est: unde ab *Homero Iliad.* 1, 607. et alibi dicitur *ἀμφιγυήεις*, h. e. utroque pede claudus. Deus ignis et fabrorum praeses putatus est. Fingitur etiam faber Deorum, quia Jovi fulmina, et Diis arma adversus Gigantes fabricavisse creditur. Ab eo factum etiam volunt, quicquid artificiose fabricatum est, ut monile Hermiones, coronam Ariadnae, currum Solis, arma Achillis, et Aeneae, et hujusmodi. Officinam autem habere fertur in Lemno, una cum Cyclopibus ministris. Etsi de Diis optime meritus est bello illo cum Gigantibus, non tamen ad eorum mensam admissus est. Quin etiam, cum Minervae nuptias expetiisset, repulsam passus est. Quare aliam sibi uxorem quaerens, Venerem duxit: quam cum postea una cum Marte in adulterio deprehendisset, ambos reti, et invisibilibus catenis ita colligavit, ut neuter abire posset, donec ab omnibus Diis et Deabus visi et derisi sunt. Hanc fabulam *Chymici* de conjunctione ferri, et aeris, seu cupri interpretantur. ℙ Multi hoc nomine fuerunt. *Cic. N. D.* 3, 22. Vulcani item complures: primus Coelo natus, ex quo Minerva Apollinem eum *(peperit)*, cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt: secundus in Nilo natus, Phthas, ut Aegyptii appellant, quem custodem esse Aegyptii volunt: tertius ex tertio Jove et Junone, qui Lemni fabricae traditur praefuisse: quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quae Vulcaniae nominantur. ℙ Metonymice ponitur pro igne, ut Bacchus pro vino, Ceres pro frugibus. *Pl. Amph.* 1, 1, 185. Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris? *h. e.* ignem geris in laterna cornea. *Virg. A.* 7, 77. totis Vulcanum spargere tectis. ℙ *Volcanus* est in lib. veterib. MSS. et in aliquot Lapidib. (ap. *Grut.* 61, 1. 4. et 5. et 1069, 4. et 5. etc. ubi *Volkanus* scriptum est), ut *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.* testantur, qui ob id eam scriptionem probant. At duo posteriores etiam *Vulcanus* admittunt, pro quo et Lapides sunt, et consuetudo. ℙ *Vossius* putat hoc nomen esse corruptum ex *Tubalcaim*, qui, ut habetur *Genes.* 4, 22., fuit malleator, et faber in cuncta opera aeris, et ferri. V. CATAMITUS.

[VULCEJI et Volceji, orum, m. plur. incolae urbis cognominis in Etruria, quae nunc *Vulcia*, et *Vulci* aut *Volci* dicitur, ad Arninem fluv. nunc *Fiora*, inter Forum Aurelii et Tuscaniam urbes. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 331. M. Satius Rufinus Volceis. *F.*]

[VULCENTĀNUS, a, um, adj. idem ac Vulciens. *Arnob.* 6, 191. Regnatoris in populi Capitolio quis est hominum, qui ignoret, Toli esse sepulcrum Vulcentani? *h. e.* Vulcejorum urbe. V. v. praec. *F.*]

[VULCENTĪNI et Volcentini, orum, m. plur. ii dem ac Vulcientes. *Plin.* 3, 5, 8. *f.* Volaterrani, Volcentini cognomine Etrusci. *F.*]

*VULCHALON vel Vulchalo, onis, oppidum vel vicus Galliae Narbonensis. *Cic. Font.* 5. Vulchalone: ubi ed. *Junt.* habet *Vulcalone. B. A.*

[VULCIENTES et Volcientes, ium, m. plur. incolae Vulcejorum. *Fast. Triumph.* ap. *Grut.* 296. *col.* 2. Ti. Coruncanius Ti. F. Ti. N. Cos. An. CDLXXIII. de Vulsiniensibus, et Vulcientibus K. Febr. *Plin.* 3, 5, 8. Cossa Volcientium a populo R. deducta, *h. e.* in agrum Volcientium. *F.*]

[VULCĪNUS, et Volcinus, et Volscinus, a, um, adj. ad Vulcejos pertinens. *Prop.* 4, 2, 4. Tuscus ego *(Vertumnus)*, et Tuscis orior: nec poenitet inter Proelia Volcinos deseruisse focos. Alii perperam leg. *Volsinios*, alii *Volscinos.* V. VULSCUS. *F.*]

VULGĀ V. BULGA.

[VULGĀGO, inis, f. herba eadem ac asarum. *Aemil. Macer* 46, 6. Est asarum Graece, vulgago dicta Latine. *F.*]

VULGĀRĔ et

VULGĀRIĒ, adv. V. in VULGARITER.

VULGĀRIS et Volgaris, e, adj. *δημώδης*, ad vulgus pertinens, pervulgatus, communis, protritus, vilis. *Cic. Fin.* 3, 1. *f.* In omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit. *Id. Or.* 1, 58. *med.* In communi vita, et vulgari hominum consuetudine; et *ib.* 23. *med.* Genera forensis dictionis ad vulgarem popularemque sensum accommodata. *Id. Off.* 1, 16. *extr.* Vulgaris liberalitas, *h. e.* quae in vulgus, seu in omnes exercetur. *Id. Planc.* 19. Vulgari et pervagata declamatione contendere. *Id. Or.* 57. *f.* Ut pervagatum et vulgare videatur. *Id. Quint.* 18. Haec vulgaria et obsoleta sunt: res autem nova et inaudita. *Id. Rosc. Am.* 26. Nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus partem ullam reliquerint. *Plin. ep.* 3, 20. *f.* Quousque illa vulgaria? Eho quid agis? Ecquid commode vales? et *Cic. Or.* 1, 23. *f.* Vulgaris opinio. *Hor. Sat.* 2, 2, 38. Jejunus stomachus raro volgaria temnit, *h. e.* viliores cibos, et vulgo parabiles. *Id. Od.* 3, 2, 23. Virtus coetus vulgares, et udam Spernit humum fugiente penna. *Cic. Fam.* 1, 3. *extr.* Ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuisse, *h. e.* translaticiam, et levem. *Quint.* 1. *praef.* Ne vulgarem viam ingressus alienis vestigiis insisterem, *h. e.* usitatam, consuetam, tritam. *Id.* 10, 1. Humilia et vulgaria verba. *Suet. Vit.* 2. et *Ov. Fast.* 4, 865. Vulgares puellae, *h. e.* quae prostant. *Plin.* 10, 42, 59. de picis: Nec vulgaris illis forma, quamvis non spectanda, *h. e.* quotidiana, et qualis vulgo videri solet. *Cic. Rosc. Am.* 46. *med.* Mitto artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios; et *Tac. A.* 16, 22. Vulgaria patrum consulta; et *Lucan.* 5, 219. Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur Ad vulgare jubar, etc. *h. e.* ad lumen solis, quod vulgo patet, et vulgat omnia. ℙ *Vulgare est*, vulgo fit, passim usurpatur, usitatum, translaticium est. *Plin.* 16, 31, 57. Prostratas arbores restitui plerumque, et quadam terrae cicatrice vivescere, vulgare est. *Id.* 14, 19, 24. Resina condire musta, vulgare est Italiae, provinciisque finitimis.

VULGĀRĬTAS, atis, f. idem ac vulgus. *Arnob.* 3, 123. Palem, sed non feminam illam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis. Adde p. 102. †Locus est p. 155. *Herald. Id. ib. in.* p. 129. *Herald.* (al. p. 102.) Sed ut vultis, — atque ut vobis persuasum est, hi dii sunt: nominibus adpellentur his etiam, quibus eos populares censeri popularis vulgaritas ducit. *B. A.*

VULGĀRĬTER, adv. *κοινῶς*, vulgo, e vulgo. *Cic. Fam.* 13, 69. Ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere. Alii leg. *vulgarie*, alii *vulgare*, quae item sint adverbia, pro *vulgariter. Plin.* 8, 5, 5. Ne quis vulgariter electam putet. *Id.* 28, 14, 58. Vituli quoque jus vulgariter datum inter auxilia coeliacorum tradunt.

VULGĀRĬUS, a, um, adj. idem ac vulgaris. *Turpil.* ap. *Non.* 8, 41. Non est mediocris res, neque vulgaria fallacia haec. *Gell.* 3, 16. *med.* Verbum vulgariae significationis. *Id.* 12, 10. In libris vulgariis scriptum est. Adde *Naev.* et *Afran.* ap. *Non. ib.* et *Gell.* 1, 22. et 16, 5.

VULGĀTĒ. adv. per vulgus, vulgando. *Ammian.* 15, 3. Haec augente vulgatius fama. Adde 31, 3. *in.*

VULGĀTOR, oris, m. *διαφημιστής*, qui vulgat, id est aliquid in vulgus disseminat, enunciator. *Ov. Am.* 3, 7, 51. Sic aret mediis taciti vulgator in undis, Pomaque, quae nullo tempore tangat, habet, *h. e.* Tantalus, qui Deorum mensae adhibitus, illorum arcana enuntiavit.

VULGĀTUS, a, um, part. a *vulgo*, *δημοσιευθείς*. *Cic. Har. resp.* 27. *med.* Quae navis unquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam istius aetas fuit? *Liv.* 1, 7. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros. *Id.* 5, 47. Vulgati velut in pecua morbi. *Hor. Od.* 4, 9, 3. Artes non ante vulgatae. *Virg. A.* 1, 461. Bellaque jam fama totum vulgata per orbem. *Ov. Met.* 4, 276. Vulgati amores. *Lucan.* 9, 22. vulgata per orbem Fabula. *Id.* 8, 312. Vulgatus mundus; et *Quint.* 10, 1. *f.* Vulgata falso opinio de aliquo. *Id.* 2, 4. *med.* Nam quid hi possint in causis proprium invenire, qui etiam in his, quae sunt communia, et in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis, nisi tanto ante praeparatis, persequi nequeant? ℙ Item prostitutus. *Liv.* 1, 4. Femina vulgato corpore. *Suet. Dom.* 22. Vulgatissimae meretrices

VULGĀTUS, us, m. vulgandi actus. *Sidon. ep.* 8, 1. Sufficere suspicabantur, si quid superiore vulgatu protulissemus.

[VULGIENTES, ium, m plur. populi Galliae Narbonensis, circa Rhodanum fluv., ubi Julia Apta. V. APTENSIS. *Plin.* 3, 4, 5. *f.* Apta Julia Vulgientium. *F.*]

VULGĪVĀGUS et Volgivagus, a, um, adj *εἰκαιοπλάνης*, vulgaris, et vagus. *Lucr.* 4, 1064. Vulgivagaque vagus Venere, *h. e.* secutor plebejae popularisque Veneris, non certae mulieris amore captus. *Id.* 5, 930. Volgivago vitam tractabant more ferarum.

VULGO et Volgo, adv. seu ablativus casus adverbii more positus: *κοινῇ*, *πανδημεί*, apud vulgus, ab omnibus, passim. *Cic. Mur.* 35. Ad prandium invitare vulgo, passim: quid est vulgo? universos. *Nep. Alc.* 6. Illum unum omnes prosequebantur: coronis aureis aeneisque vulgo donabatur. *Cic. Att.* 16, 10 Vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. *Cels.* 4, 4. *n.* 1. *f.* Vulgo audio, si quis pullum hirundininum ederit, angina toto anno non periclitari. *Phaedr.* 3, 3. Usu peritus hariolo velocior Vulgo esse fertur. *Ter. Andr.* 2, 5, 15. Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet: omnes sibi malle melius esse quam alteri. *Id. Rosc. Am.* 29. Ejusmodi tempus erat, ut homines vulgo impune occiderentur. *Caes. B. G.* 1, 39. *med.* Vulgo totis castris testamenta obsignabantur; et *ib.* 5, 33. *f.* Accidit, quod fieri necesse erat, ut vulgo milites ab signis discederent. *Plin.* 16, 18, 31. Arbor Alpina, nec vulgo nota. *Cic.* ad *Dolabell. post ep.* 17. *l.* 14. *ad Att.* Vulgo hominum opinio socium me adscribit tuis laudibus. *Id. Verr.* 2, 4, 28. Vulgo ostendere ac proferre aliquid; et *Inv.* 1, 28. *f.* Quaeritur, natura ejus evenire vulgo soleat, an insolenter ac raro, *h. e.* persaepe, fere. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 6. *f.* Hisce litteris, quas vulgo ad te mitto, nihil fere scribo, quod, si in alicujus manus inciderit, moleste ferendum sit, *h. e.* palam, publice, in vulgus. *Liv.* 26, 27. *med.* Juvenes nobiles Campanos id incendium fecisse: vulgoque facturos alia, ni comprehendantur, *h. e.* multis aliis in locis. *Virg. Ecl.* 4, 25. Assyrium vulgo nascetur amomum; et *G.* 3, 494. Hic laetis vituli volgo moriuntur in herbis, *h. e.* catervatim, universim. *Id. A.* 3, 643. Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo Infandi Cyclopes, *h. e.* passim per haec litora. *Ter. Heaut.* 3, 1, 37. Ea coacta ingratiis postilla coepit victum vulgo quaerere,

Modest. Dig. 1, 5, 23. Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet. ℙ De scriptione V. in VULGUS.

VULGO et Volgo, as, avi, atum, a. 1. *δημοσιεύω*, aliquam rem vulgo communem facio, in vulgus spargo. *Liv.* 3, 6. Ministeriaque invicem, ac contagio ipsa vulgabant morbos. *Curt.* 9, 10. Contagium morbi etiam in alios vulgatum est. ℙ Item in vulgus enuntio, rem occultam in lucem profero, patefacio, *διαφημίζω*. *Liv.* 3, 21. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas. *Id* 28, 27. Non quo dego vulgari facinus per omnes velim. *Claud. Laud. Stil.* 2, 295. nec littera venit Vulgatura nefas. *Virg. A.* 10, 63. quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem? *Pl. Mil.* 4, 2, 44. Vulgare aliquem vulgo. *Varr.* ap. *Non.* 3, 261. aliquid in vulgus. *Tac. A.* 13, 7. Haec atque talia vulgantibus. ℙ *Vulgare locum aliquem*, notum facere. *Val. Fl.* 4, 419. Bosporon hinc veteres errantis nomine Divae Vulgavere. ℙ Item communem omnibus facio. *Liv.* 2, 29. P. Virginius rem non vulgabat: de iis tantum, qui Volsco bello militassent, agendum censebat. ℙ In illo *ejusd.* 3, 35. Vulgari cum privatis: *vulgari* est permiscere se. ℙ Item in lucem edo, publici juris facio. *Suet. Gr.* 8. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris. Adde *Quint.* 1. *prooem.* ℙ In re turpi est prostituere. *Liv.* 4, 2. Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque. *Aurel. Vict. de orig. gent. R.* 21. Pretio vulgare corpus. V. VULGATUS. ℙ De scriptione V. in v. sq.

VULGUS et Volgus, i, m. et saepius n. *τὸ πλῆθος, οἱ πολλοὶ, ὄχλος*, populus, plebs, turba: et fere ita accipitur, ut a sapientibus, et nobilibus distinguatur. *Cic. Brut.* 53. *extr.* Sapientis judicium a judicio vulgi discrepat. *Id. Div.* 2, 41. *f.* Fani pulcritudo, et vetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen: atque id in vulgus: quis enim magistratus, aut quis vir illustrior utitur sortibus? *Sall. Cat.* 20. *med.* Postquam respublica in paucorum potentium jus atque ditionem concessit, semper illis reges vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere: ceteri omnes, strenui, boni, nobiles, atque ignobiles, vulgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii. *Just.* 41, 1. Veluti vulgus sine nomine, praeda victorum fuere. *Cic. Planc.* 4. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperque sapientes ea, quae populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. *Virg. A.* 2, 39. Scinditur incertum studia in contraria volgus. *Hor. Od.* 2, 16, 39. malignum Spernere volgus. *Id. ib.* 1, 35, 25. Vulgus infidum. *Stat. Silv* 2, 2, 123. mobile. *Sall. Jug.* 70. Vulgus, uti plerumque solet, ingenio mobili, seditiosum, atque discordiosum, erat cupidum rerum novarum, quieti et otio advorsum. *Lucan.* 9, 159. Spargere aliquid per vulgus. *Phaedr.* 4, 14. Prometheus auctor vulgi fictilis, *h. e.* hominum e luto factorum. ℙ *In vulgus*, apud vulgus, vulgo. *Cic. Par. prooem.* Cato ea sentit, quae non sane probantur in vulgus. *Id. Att.* 2, 22. *med.* Quod in vulgus gratum esse sentimus; et *ib.* 9, 5. Alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. *Id. Tusc.* 2, 26. In vulgus insipientium opinio valet honestatis. *Liv.* 22, 3. *f.* Miles in vulgus laetus ferocia ducis. *Tac. H.* 1, 71. *f.* Celebrata in vulgus Celsi salus; et *ib.* 2, 93. Crebrae in vulgus mortes; et *ib.* 26. *extr.* Apud paucos ea ducis ratio probata: in vulgus adverso rumore fuit. *Lucan.* 1, 131. famaeque petitor Multa dare in vulgus. ℙ *In vulgo*, idem. *Plin.* 20, 11, 44. Apio gratia in vulgo est. ℙ *Vulgus*, multitudo quaelibet. *Cic. Brut.* 97. Numerari in vulgo patronorum. *Hor. Od.* 2, 13, 32. Pugnas, et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure volgus *umbrarum*; et *Ter. Andr.* 3, 4, 4. Quod volgus servorum solet. *Lucan.* 7, 38. lacerasset crine soluto Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus. *Sen. Hipp.* 957. vulgus aequoreum cie, *h. e.* marina monstra. *Virg. G.* 3, 468. culpam ferro compesce, priusquam Dira per incautum serpant contagia volgus, *h. e.* totum gregem ovium. ℙ Masc. gen. *Id. A.* 2, 98. et spargere voces In volgum ambiguas. *Varr.* ap. *Non.* 3, 261. Quem si vulgus secutus esset, dispeream, si, etc. Adde *Phaedr. l. c.* et *Sisenn.* et *Acc.* ap. *Non. ib.* ℙ *Vulgus* qui amant, sequi videntur usitatiorem consuetudinem, quam tamen et antiqui libri non uni fulciunt: qui *volgus*, antiquitati magis adhaerent. Utraque scriptio proba.

VULNĔRĂBĬLIS, e, adj. Active de eo, qui vulnerat. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *f.* Intestina plurima materia, et acerrima, et vulnerabili onerata, *h. e.* rodente, lancinante.

VULNĔRĀRĬUS, a, um, adj. *τραυματικὸς*, ad vulnera pertinens. *Plin.* 23, 4, 40. Vulnerariis emplastris utile, *h. e.* emplastris, quae vulneribus imponuntur. Sic *Id.* 34, 11, 27. Cruda autem aerugo vulnerariis emplastris miscetur. ℙ *Id.* 29, 1, 6. scribit, *vulnerarium* vocatum fuisse Romae Archagathum Lysaniae filium medicum, quia secare et urere saepe consueverat; mox a saevitia id saepius factitandi *carnificem* dictum.

VULNĔRĀTĬO, onis, f. *τραῦμα, τρῶσις*, actus vulnerandi. *Cic. Caecin.* 16. *f.* Sin autem vim sine caede, sine vulneratione, sine sanguine nullam intelligetis. ℙ Sumitur etiam translate pro laesione. *Cic. Pis.* 20. *f.* Major haec est vitae, famae, salutis suae vulneratio.

[VULNĔRĀTOR, oris, m. qui vulnerat. Translate *Hieron.* 5. in *Isai.* 14, 12. Sed cecidisti in terram gentium vulnerator. *F.*]

VULNĔRĀTUS, a, um, part. a *vulnero*, sauciatus, *τρωτός*. *Cic. in Sen.* 3. Sanctissimum corpus vulneratum ferro, confectumque vidistis. *Plin.* 28, 17, 72. Sic et quadrigis agendis tractos, rotave vulneratos *(curant)*. *Id.* 11, 39, 93. Cutis ubicumque sine carne est, vulnerata non coit. *Id.* 7, 28, 29. Vulneratus humerum, ac femur. *Liv.* 37, 24. Ipsius Eudami multis ictibus vulnerata navis erat. ℙ ℙ Translate. *Quint.* 7, 2. *med.* Laesum et vulneratum reum speravere hac invidia opprimi posse.

VULNĔRO, as, avi, atum, a. 1. *τιτρώσκω, οὐτάζω*, vulnus infligo, saucio, ferio. *Cic. Sext.* 10. *med.* Acie ipsa, et ferri viribus vulnerari. *Nep. Eum.* 4. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur. *Sall. Jug.* 61. *f.* Plerosque jacula tormentis, aut manu emissa vulnerabant. *Caes. B. G.* 5, 58. Ne quis quemquam prius vulneraret, quam illum interfectum videret. *Hirt. B. Alex.* 30. Plurimum autem proficiebant hostes in repellendis vulnerandisque nostris. *Just.* 15, 3. *f.* Lysimachum hastae cuspide ita in fronte vulneravit, ut, etc. *Ov. Met.* 11, 372. aper Vulnerat armentum, sternitque hostiliter omne. *Claud. in Ruf.* 1, 311. Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes: scil. quia lac concretum cum sanguine potat equino, ut ait de Gelono *Virg. G.* 3, 463. ℙ Caedere, frangere. *Plin.* 37, 5, 16. de smaragd.: Scythicorum tanta duritia est, ut nequeant vulnerari. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 1. *f.* Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est a gravissimo viro confectus ac trucidatus. *Id. Cat.* 1, 4. Quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. *Liv.* 34, 7. *med.* Virorum hoc animos vulnerare posset: quid mulierc ularum censetis, quas etiam parva movent? *Ov. Her.* 19, 105. Ah potius peream, quam crimine vulnerer isto! et *ib.* 21, 37. Nunc laudata gemo etc. et proprio vulneror ipsa bono. *Id. Pont.* 2, 7, 41. continuo Fortunae vulneror ictu. *Id. A. Am.* 1, 21. de Amore: mea vulnerat arcu Pectora. *Virg. A.* 8, 583. gravior ne nuntius aures Vulneret. *Lactant.* 7, 1. *med.* Qui libidinum stimulis incitati, etc. vulnerant aures eorum praecepta continentiae.

VULNĬFER, ra, rum, adj. vulnus ferens, vulnificus. *Prud. Psych.* 173. Illa globos legionum, et concurrentia rumpit Agmina, vulnifero s gradiens intacta per imbres. *Maxim. Gall.* 5, 98. Quo tibi cristatum vulniferumque caput? ℙ *Rectus *vulniferus* est in *Gloss. Lat. Gr.* Vulniferus, *τραυματοποιός*. *B. A.*

VULNĬFĬCUS, a, um, adj. *τραυματοποιός*, qui vulnus infligere potest. *Virg. A.* 8, 446. Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. *Val. Fl.* 1, 420. de caestib.: Taurea vulnifico portat celataque plumbo Terga Lacon. *Ov. Met.* 8, 359. In juvenes vasto sic impete vulnificus sus Fertur. *Capell.* 1, 6. Apollo hinc quoque sagittarius, hinc quoque Vulnificus, quod possit radiorum jaculis icta penetrare. ℙ Translate *vulnificas Camenas* appellat *Rut. Itin.* 1, 603. Lucilii poetae satyras.

VULNUS, et Volnus, eris, n. *τραῦμα, πληγή*, hians et patens apertura in corpore ex ictu, aut morsu. Quid ab ulcere et plaga differat, in iis vocib. dictum est. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 50. Mihi homo cave faxis volnus, tibi jam cui sunt dentes ferrei. *Cic. Mil.* 24. *med.* Mirabar, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. *Phaedr.* 2, 3. Remedium vulneris, *h. e.* morsus canis. *Ov. Met.* 12, 491. capuloque tenus demisit in armos Ensem fatiferum, caecamque in viscera movit, Versavitque manum, vulnusque in vulnere fecit. *Cic. Sext.* 10. Excipere vulnera. *Caes. B. C.* 1, 45. *f.* sustinere; et *ib.* 2, 6. *med.* inferre. *Ov. Am.* 1, 2, 44. et *Sen. Troad.* 676. et *Thyest.* 1057. ferro dare. *Val. Fl.* 6, 193. spargere funda. *Cic. Har. resp.* 19. Ut tanquam fortis in pugna vir, acceptis a forti adversario vulneribus adversis, cadere videatur. *Liv.* 24, 26 *f.* Confectus vulneribus; et *ib.* 7. Vulneribus confodi. *Caes. B. G.* 1, 25. Vulneribus defessi pedem referre coeperunt. *Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *med.* Mori ex vulneribus. *Cic. Or.* 2, 61. Claudicare ex vulnere ob rempublicam accepto. *Id. Tusc.* 2, 17. et *N. D.* 3, 22. Obligare vulnus. *Cels.* 5, 26. *n.* 24. deligare. *Ter. Eun.* 4, 7, 9. abstergere. *Cels.* 7, 26. *f.* fovere aqua calida. *Id.* 5, 26. *n.* 23. glutinare; et *ib.* et *n.* 29. purgare; et *n.* 30. implere. *Plin.* 23, 7, 71. ad cicatricem perducere. ℙ De ictu et caesura arboris, lapidis, et hujusmodi. *Virg. A.* 2, 630. de orno: Vulneribus donec paulatim evicta supremum Congemuit, traxitque jugis avolsa ruinam; et *Juven.* 6, 216. quis non vidit vulnera pali? *Ov. Met.* 9, 383. ab acutae vulnere falcis, A pecoris morsu frondes defendite nostras. *Id. Pont.* 4, 7, 38. Parsque fere scuti vulnere nulla vacet. *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 3. Pruinae, nisi obliquo vulnere defendatur medulla, plurimum nocent. ℙ Scissura. *Juven.* 3, 49. si rupta calceus alter Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum, Atque recens linum ostendit non una cicatrix. *Ov. Fast.* 1, 665. Rusticus emeritum palo suspendat aratrum: Omne reformidat frigida vulnus humus. ℙ Metonymice est ipsum telum, quo vulnus fit. *Virg. A.* 10, 140. Vulnera dirigere, et calamos armare veneno. *Sil.* 5, 251. Ac simul infesto Lateranum vulnere truncae Arboris urgebat; et 1, 397. Hunc miseratus adest infesto vulnere Ladmus. ℙ Et ipse ictus, quo vulnus infligitur. *Ov. Met.* 12, 103. de tauro: Cum sua terribili petit irritamina cornu, Puniceas vestes, elusaque vulnera sentit. *Sen. Herc. Oet.* 160. vulnera dirigit Parthus Gnossiacis certior ictibus. *Sil.* 2, 92. Dirigit alligero letalia vulnera ferro. *Val. Fl.* 6, 653. Aesoniae vulnus fatale sed hastae Per clypeum, per pectus abit. *Lucan.* 3, 567. Jam non excussis torquentur tela lacertis, Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro. *Prop.* 1, 1, 13. Hylaei percussus vulnere rami. ℙ Translate est calamitas, casus adversus, pernicies, damnum. *Cic. Acad.* 1, 3. *f.* et *Lucan.* 8, 72. Fortunae gravissimo percussus vulnere. *Id. Fam.* 4, 6. *med.* Hoc tam gravi vulnere etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt. *Id. Fin.* 4, 24. et *Att.* 5, 17. *f.* Quae hic reipublicae vulnera imponebat, eadem ille sanabat. *Id. Sext.* 7. *f.* Scelera et vulnera inusta reipublicae. *Id. in Sen.* 4. Consulari vulnere concidere. *Quint.* 6. *prooem.* Illum, in quo spem senectutis meae reponebam, repetito vulnere orbitatis amisi. ℙ Item dolor animi, angor, moestitia. *Virg. A.* 12, 160. Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis. *Lucr.* 2, 638. Aeternumque daret matri sub pectore volnus. *Ov. Met.* 5, 426. inconsolabile vulnus Mente gerit tacita. ℙ De amore. *Lucr.* 1, 34. aeterno devinctus volnere amoris. *Virg. A.* 4, 1. At regina gravi jamdudum saucia cura Volnus alit venis, et caeco carpit igni. Adde *Prop.* 2, 20, 32. et *ib.* 23, 18. et *Ov. A. Am.* 1, 257. V. LOCUS et LUDO. ℙ De scriptione recurrunt eadem, quae de *Vulgus* dicta sunt. V. h. v.

VULNUSCŬLUM, i, n. exiguum vulnus. *Ulp. Dig.* 21, 1, 1. §. 8. Proinde levis febricula, aut vetus quartana, vel vulnusculum modicum nullum habent in se delictum. Adde *Hieron. ep.* 112. *n.* 13.

VULPĔCŬLA, ae, f. *ἀλωπέκιον*, parva vulpes. *Cic. N. D.* 1, 32. in qua lepusculos, vulpeculasque saepe vidisses. *Auct. carm. de Philom.* 59. fallax vulpecula gannit.

VULPES, et Volpes, is, f *ἀλώπηξ*, animal ferum, singulari astutia. Videtur esse a Graeca voce allata, pro qua Aeoles *ἀϝλώπηξ*, *valopes* et postea *volpes*. *Varr. L. L.* 4, 20. *extr.* a celeritate nomen adeptam putat, ut ita per syncopen dicatur, quasi *volipes*: ita enim Aelium Stilonem putare. *Quint.* 1, 6. hanc notationem neque probat, neque rejicit. *Hor. Ep.* 1, 1, 73. Olim quod vulpes aegroto cauta leoni Respondit, referam. ℙ Translate. *Pers.* 5, 117. Astutam rapidoque servas sub pectore vulpem. *Hor. A. P.* 437. Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. ℙ *Jungere vulpes*, proverb. ap. *Virg. Ecl.* 3, 91. de re valde absurda, neque enim vulpes aptae unquam jugo esse possunt. ℙ *Vulpes pilum mutat, non mores*, aliud proverb. ap. *Suet. Vesp.* 16., diciturque de iis, qui vitia alte infixa animo habent, quae non facile tollunt temporum aetatisve mutatione. ℙ *Quam facile vulpes pirum comest*, aliud proverbium de iis rebus, quae facillime fieri possunt: nam vulpes dentatissimae cum sint, nullo negotio pirum conficiunt. *Pl. Most.* 3, 1, 32. Tam facile vinces, quam pirum vulpes comest. ℙ Vulpes marina piscis est vulpis similitudine, ejusdemque ac terrestris velocitatis et astutiae. *Plin.* 9, 43, 67. ℙ In plerisque *Plauti* et alior. codicib. legitur *volpes* antiquo efferendi more. V. VULGUS. In recto sing. *vulpis* saepe ap. *Phaedr.* legitur in multis libr., v. gr. 4, 2. Fame coacta vulpis alta in vinea Uvam appetebat. *Avian.* 40, 7. Hunc arguta novo gaudentem vulpis amictu. Alii leg. *vulpes dum gaudet amictu*. Multa sunt nomina duplicis hujus positionis, *torques* et *torquis*; *apes* et *apis*; *aedes* et *aedis*; *canes* et *canis*, etc.

VULPĪNARIS, e, adj. ad vulpem pertinens. V. *Appul. l. c.* in v. sq

VULPĪNOR, aris, dep 1. *ἀλωπεκίζω*, mendaciis ac fraudibus vera perverto, sive effugio: tractum ab intorto vulpium cursu, ut placet *Nonio*. *Varr.* ap. *eund.* 1, 226. Vulpinare modo, et concursa: qualibet erras. *Appul. Met.* 3. An vulpinaris, amasio? *h. e. Ah cosi mi tradisci, il mio amante?* Ita recte vertit vetus interpres Italus: alii perperam putant, *vulpinaris* esse adjectivum, et cum *amasio* conjungunt.

VULPĪNUS, a, um, adj. *ἀλωπέκινος*, pertinens ad vulpem. *Plin.* 28, 11, 47. Vulpinam linguam habentes in armilla lippituros negant. *Id.* 32, 5, 16. Vulpinus sanguis. *Id.* 28, 13, 55. Vulpinum jecur.

VULPĬO, onis, m. callidus, astutus, fallax, mendax. *Appul. Apol.* Jam tum vulpionem et impium fuisse.

[VULSCUS, et Volscus, a, um, adj. idem ac Vulcinus. *Prop.* 4, 10, 27. Et Veji veteres, et Volscum

regna fuistis. Alii male pro *Volscum*, h. e. Volscorum, legunt *vos cum*. V. *Fr. Oriolii* Dissert. de Tolo Vulcentano in *Annal. dell' Instit.* T. 4. p. 31. — 60. *F.*]

VULSELLA. V. VOLSELLA.

VULSINIUM. V. VOLSINIENSIS.

[VULSIO, onis, f. convulsio. *Veg. Vet.* 3, 65. *med.* de equis: Si tussis ex ruptura vel vulsione provenerit, anagallicum *(corrige* arum Gallicum) primo tundes, etc. V. VULSUS. *F.*] ℙ [*Alio sensu legitur ap. *Iren.* 3, 11. Nicolaitae sunt vulsio ejus, *h. e.* surculus inde enatus, et revulsus, stolo, ἀποῤῥώξ. Secta una ex altera velut pullulavit. *B. A.*]

VULSO, onis, m. qui valde vulsus est. Est cogn. R., quod illi inditum fuisse videtur, qui primus, evulsis pilis, expolitiore corporis cultu innotuit. Hinc ap. *Liv.* 22, 35. L. Manlius Vulso; et 40, 59. A. Manlius Vulso.

[VULSOR, oris, m. qui evellit. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1720, 14. P. Oppius Vulsor. *F.*]

VULSŪRA, ae, f. τιλμός, τίλμα, vellendi actus: a *vulsum* sup. verbi *vello*. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Lanam demptam et conglobatam alii vellera, alii vellumina appellant: ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanae vulsuram, quam tonsuram inventam.

VULSUS, et Volsus, a, um, part. a *vello*: τετιλμένος. *Lucan.* 6, 232. vulsa pectore tela. *Plin.* 27, 11, 74. Vulsam eam herbam, non haerentem vidi. *Id.* 35, 15, 52. Alumen vulsis pilis illitum. *Sil.* 5, 89. tum signa sequentur Nulla vulsa manu. ℙ *Vulsi* dicuntur convulsi ex morbo, σπαστικοί. *Plin.* 21, 19, 74. Lilii radices lieni, et ruptis, et vulsis prosunt. Adde 23, 1, 16. ℙ *Equi vulsi* proprie vocantur, qui Italice *bolsi* dicuntur. *Veg. Vet.* 3, 66. Graviter tussientes et vulsi hac potione recreantur. Adde *Pelag. Vet.* 6. ℙ *Corpora vulsa*, quibus pili sunt evulsi. *Quint.* 8. *prooem.* Corpora si quis vulsa atque fucata muliebriter comat. *Prop.* 4, 8, 23. volsus nepos, *h. e.* luxui deditus, mollis: pilos autem vellere antiquis in probro fuit. *Sen. Controv.* 1. *praef. med.* Ite nunc, et in istis vulsis atque expolitis quaerite oratorem. *Pl. Aul.* 2, 9, 5. Tu istum gallum glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est. *Quint.* 2, 5. *med.* Qui specie capiuntur, vulsis, levatisque, et inustas comas acu comentibus, et non suo colore nitidis plus esse formae putant, quam possit tribuere incorrupta natura. Adde 5, 9. *f.* et *Mart.* 8, 47. ℙ Hinc *mens vulsa*, mollis et effeminatus animus. *Id.* 2, 36. Nunc tibi crura pilis, et sunt tibi pectora setis Horrida: sed mens est, Pannice, vulsa tibi. ℙ Est etiam divulsus, eversus. *Liv.* 26, 13. Deum delubra, sepulcra majorum vulsa, temerata, atque violata. Alii omittunt *vulsa*.

VULTĬCŬLUS, i, m. parvus vultus. *Cic. Att.* 14, 20. *f.* Epicuri mentionem facis, et audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι? non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret? *h. e.* gravis et severus vultus: nam *ib.* 15, 12 μάλα σεμνὸς dicitur. Usus est autem diminutivo, quia erat non plenus, sed macilentus.

*VULTIVOLUS, i, m. *Sarisb.* 1, 12. Vultivoli sunt, qui ad affectus hominum immutandos, in molliori materia eorum, quos pervertere nituntur, effigies exprimunt. *B. A.*

VULTUM, i, n. 2. V. in VULTUS.

VULTŬOSUS, a, um, adj. προσωπώδης, qui nimius est in ostentando aliquo affectu contractione, aut remissione vultus: ut si quis in tristitia plus, quam decet, vultum contrahat, quod quidam efficere solent, ut tristiores videantur; aut in laetitia frontem nimis exporrigat. *Cic. Or.* 18. *f.* In quo cum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. *Appul. Met.* 3. Non laeta facie, sed vultuosa fronte rugis insurgentibus asseverabat, *h. e.* tetrica, et ad severitatem nimis composita. *Quint.* 11, 3. *f.* Quare non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa, et gesticulationibus molesta, et vocis mutationibus resultans. *Prud.* 10. περὶ στεφ. 171. Nec terret ista, qua tumes, insania, Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens Tormenta leti comminaris asperi.

VULTUR, et Voltur, uris, m. γύψ, avis rapax. et carnivora, quae etiam vulturius: a *volando*, quasi *voltur*, quomodo a *volendo* est *voltus*, seu *vultus*. Sic autem dicitur ob crebrum volatum. Mirum in modum corporibus jam putrefactis delectatur. Unde non invenuste ex Graecis nonnulli τάφους ἐμψύχους appellarunt, hoc est sepulcra animata. Eximia autem est huic avi odorandi facultas, adeo ut cadaverum putorem ultra maria percipiat: quod *Isid. Or.* 12, 7. scribit. Haec res occassionem praebuit fabulae, qua quatuor ei narium spiracula tribuere, adeo ut et idcirco τετράπτους appelletur. Aeque fabulosum, quod triduo circumvolare dicitur loca, ubi cadavera sunt futura: quod *Plin.* scribit 10, 6, 7. ex Umbricii haruspicis sententia. V. *Plauti l. c.* in VULTURIUS. *Virg. A.* 6, 597. rostroque immanis vultur obunco Immortale jecur tundens. ℙ A rapaci hujus avis natura *vultures* quoque, ac *vulturii* dicti sunt homines rapaces. *Cic. Sext.* 33. Exierunt malis ominibus, atque exsecrationibus duo vultures paludati. Alii leg. *vulturii*. Intelligit Gabinium, et Pisonem consules inimicos suos, provinciarum (ut saepe eos nominat) voragines. V. VULTURIUS. ℙ Item heredipetae. *Sen. ep.* 95. *med.* Amico aegro aliquis adsidet: probamus, at hoc si hereditatis causa facit, vultur est, cadaver exspectat. *Mart.* 6, 62. Cujus vulturis hoc erit cadaver? ℙ *Vulturis* in recto sing. *Ennius* ap. *Charis.* 1, 120. et *Prisc.* 6, 683. et *Serv.* ad *A.* 6, 595. Vulturis in silvis miserum mandebat homonem. Sunt qui leg. *vulturus*. ℙ *Vultur profert cornua*, proverb. de iis, quae fieri non possunt. *Claud. in Eutr.* 1, 352. Jam testudo volat, profert jam cornua vultur, Prona petunt retro fluvii juga. ℙ Ap. *Hor. Od.* 3, 4, 5. et *Lucan.* 9, 185. Vultur est nomen montis in Apulia, nunc *Voltore*, prope Venusiam.

VULTŪRĪNUS, a, um, adj. γυπιὸς, qui est vulturis. *Plin.* 10, 3, 3. Quarti generis est percnopterus, vulturina specie, alis minimis, etc. *Id.* 29, 6, 38. Eadem vis et in vulturino felle est. *Id.* 30, 4, 10. Vulturinus sanguis. *Mart.* 9, 28. Vulturinum collum.

VULTŪRĬUS, et Volturius, ii, m. idem ac vultur. *Lucr.* 4, 680. Mellis apes quamvis longe ducuntur odore, Vulturiique cadaveribus. *Pl. Truc.* 2, 3, 16. Ii quasi vulturii triduo prius praedivinant, quo die esurituri sient. ℙ Dicitur etiam de homine insatiabilis rapacitatis. *Cic. Pis.* 16. *f.* Appellatus est hic vulturius, illius provinciae (si Diis placet) imperator. Item captator hereditatum. *Catull.* 68, 124. Suscitat a cano vulturium capite. ℙ In talis *vulturius* dictus jactus is, qui alio nomine vocabatur *canis:* quia vulturis instar hominem spoliaret: erat enim damnosus. *Pl. Curc.* 2, 3, 77. Provocat me in aleam, ut ego ludam. Pono pallium: ille suum anulum opposivit; invocat Planesium: jacit vulturios quatuor. Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem; jacto basilicum.

VULTURNĀLIS, et Volturnalis, e, adj. ad Vulturnum Deum pertinens, ut Volturnalis flamen, qui ejus cultui est addictus, ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* ℙ *Volturnalia sacra* Volturno Deo faciebant: cujus sacerdotem Volturnalem vocabant. Ita *Paulus* ex *Festo*. Ea vero sacra fiebant VI. Kal. Septembr., ut constat ex *vet. Kalend.* ap. *Grut.* 133. V. v. sq.

VULTURNUS, i, m. fluvius Campaniae, qui oritur in Samnio, et, aliis amnibus acceptis, inter Casilinum et Capuam decurrens mare Tyrrhenum intrat, ibique oppido dat nomen, quod nunc dicitur *Castel Volturno*. *Plin.* 3, 5, 9., *Liv.* 8, 11. et *Virg. A.* 7, 729. ℙ Olim Capua ipsa Vulturnum dicta fuit, teste *Liv.* 4, 37. ℙ Aliud fuit *Vulturnum* castellum ad Vulturni ostium, ut ait *Liv.* 25, 20., in quod deinceps, teste *eod.* 34, 45., colonia est deducta, ubi nunc est *Castel Volturno*. ℙ Adjective. *Sil.* 12, 521. Vulturna citata Transmittunt alno vada. *Plin.* 36, 26, 66. In Vulturno mari Italiae arena alba nascens, *h. e.* in eo mari, qui circa Vulturni ostia est. ℙ Item *Vulturnus*, et *Volturnus* nomen Dei. V. v. praec. ℙ Item ventus spirans ab ortu brumali, qui in octonaria et duodenaria ventorum apud veteres divisione etiam Eurus dicitur, quique medius est inter duos ab Italis *Sirocco-Levante* et *Sirocco* appellatos (V. VENTUS.) Ejus mentio est ap. *Plin.* 2, 47, 46., *Sen. Q. N.* 5, 16., *Gell.* 2, 22. et *Colum.* 5, 5. *med.* et 11, 2. *med.* Unus *Vitruvius* 1, 6. *med.*, qui XXIV. numerat ventos, eundem Vulturnum ponit infra Eurum, meridionalem potius, quam orientalem plagam versus. Appellationem autem traxisse videtur a Vulture monte Apuliae, unde idem spirat, ac propterea, ne agris noceret, divinum cultum apud Romanos habuisse, die etiam festo Vulturnalium in ejusdem honorem instituto. [Hinc *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1649. Volturno Sancto Sac. L. Vettius L. F., etc. Alii tamen putant hujusmodi monumentum ad Vulturnum amnem pertinere. *F.*]

VULTUS, us, m. πρόσωπον, habitus sive status faciei, qui pro animi affectibus alius atque alius ostenditur: indicatio illa in homine, quae pro motu animi in facie ostenditur. Differt a facie, quae est oris species; nam eadem semper manet; at vultus pro motu animi mutatur. Aliud discrimen V. in FACIES. Volunt esse per syncopen a *volitum* verbi *volo:* quia voluntatis et animi significatio est. Unde et *voltus* saepe legitur. *Cic. Leg.* 2, 9. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur; et is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores: cujus vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. *Id. Pis.* 1. Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. *Id. Or.* 3, 59. Imago animi vultus est, indices oculi. *Plin.* 7, 19, 18. Socratem eodem semper visum vultu, nec aut hilaro magis, aut turbato. *Suet. Ner.* 37. Tristior et paedagogi vultus. *Id. Aug.* 79. Vultus tranquillus et serenus. *Id. Tib.* 68. Vultus abductus, *h. e.* in rugas contractus. *Tac. H.* 2, 46. Flectere, aut indurare vultum. *Ov. Met.* 8, 677. super omnia vultus Accessere boni. *Cic. Cluent.* 96. *f.* Recordamini faciem, atque illos fictos simulatosque vultus. *Id. Planc.* 18. *med.* Non modo severitatem illorum, sed ne vultus quidem ferre possemus. *Hor. Sat.* 1, 3, 9. vultus multa et praeclara minantis. *Sen. Herc. Fur.* 724. vultus est illi Jovis, Sed fulminantis. *Ov. Pont.* 4, 1, 5. Vultus trahere; et *Mart.* 1, 41. ducere, *h. e.* contrahere, et fastidii aut molestiae signa dare. ℙ Absolute aliquando vultum iratum significat. *Hor. Od.* 3, 3, 3. vultus instantis tyranni. *Id. Sat.* 2, 7, 44. aufer me vultu terrere. *Tac. A.* 1, 12. Vultu offensionem conjectaverat. Sic *Psalm.* 20, 10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. Adde *Psalm.* 33, 17. et *Esther.* 7, 6. et *Jerem.* 1, 17. etc. ℙ *Vultu alicujus regi*, est ad nutum ejus se componere. *Sen. Ben.* 6, 7. Tuus vultus, cui regendum me tradidi, colligit rugas et attrahit frontem, quasi longius excam. ℙ *Vultu saepe laeditur pietas*, dictum celebre, quo significatur, pietatem in parentes adeo facile violari posse, ut non factis modo, aut verbo, sed et contumaciori vultus habitu laedatur. *Cic. Rosc. Am.* 13. ℙ Interdum vultus accipitur pro facie. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. *med.* Malui collegae ejus, homini alienissimo mihi, et propter amicitiam tuam non aequissimo, me obligare, quam illius simiae vultum subire. *Mart.* 1, 32. Dum nulla teneri sordent lanugine vultus. *Plin.* 26, 1, 2. Mentagra occupans in multis totos utique vultus. Adde *Petr. Sat.* 111. et 113. ℙ Hinc et pro imagine, aut signo vultum alicujus referente ponitur. *Vopisc. Prob.* 23. Dignitatem Probi imperatores nostri prudenter et consecrandam vultibus, et ornandam templis, et celebrandam ludis Circensibus judicarunt; et *Plin.* 35, 2, 2. Vultus Epicuri per cubicula gestant, ac circumferunt secum. *Id.* 37, 2, 2. E margaritis fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? ℙ Translate sumitur pro externa cujusque rei specie, ut *facies*. *Ov. Met.* 1, 6. Unus erat toto naturae vultus in orbe. *Virg. A.* 5, 848. Mene salis placidi vultum, fluctusque quietos Ignorare putas? ℙ Antique *voltus* dixere: imo et *voltum* neutr. gen. *Enn.* ap. *Non.* 3, 260. Aversabantur semper nos, nostraque volta. *Lucr.* 4, 1206. juxtim miscentes volta parentum.

VULVA, ae, f. μήτρα, ὑστέρα, locus in feminis, in quo fetus concipitur. Etymon vocis in VOLVA. Proprie dicitur de brutis animalibus. *Plin.* 11, 37, 84. Feminis eadem omnia, praeterque visicae junctus utriculus, unde uterus appellatur, quod alio nomine locos appellant: hoc in reliquis animalibus vulvam. ℙ Vulvam suillam Romani in deliciis ciborum habuere, praesertim ejecticiam, nam quae effetis a partu eximebatur, tanquam livida et macra, nullo in pretio fuit. *Plin. ib.* Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejecticia vocatur illa, haec porcaria: primiparae suis optima: contra effetis. A partu, praeterquam eodem die suis occisae, livida ac macra. Nec novellarum suum, praeter primiparas, probatur: potiusque veterum, dum ne effetarum, nec biduo ante partum, aut post partum, aut quo ejecerint die. Proxima ejecticiae est occisae uno die post partum. Haec *Plin. Mart.* 13, 56. Te fortasse magis capiet de virgine porca: Me materna gravi de sue vulva capit. Adde *Hor. Ep.* 1, 15, 41. ℙ *Bulba* pro *vulva* legitur in illo *Naevii* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. Quis apud te heri? Praeneste, et Lanuvio hospites. Suopte utrosque decuit acceptos cibo: Alteris inanem bulbam madidam dari, Alteris nuces in proclivi profundere. ℙ Ut *uterus* de bestiis ita saepe de mulieribus *vulva* dicitur. *Cels.* 4, 1. et 20. et 5, 21. et 25. et 7, 29. etc., *Plin.* plurimis in loc., *Juven.* 6, 128. et *Mart.* 11, 61. ℙ Per similitudinem dicitur etiam de podice viri, qui muliebria patitur. *Pers.* 4, 35. penemque, arcanaque lumbi Runcantem, populo marcentes pandere vulvas. ℙ Scribitur et *volva*. V. VOLVA.

VULVŪLA, ae, f. parva vulva. *Apic.* 2, 3. Vulvulae isiciata sic fiunt.

ŪVOR, oris, m. humor. *Varr. L. L.* 4, 21. *extr.* Uvae ab uvore.

U X

[UXĂMENSIS, e, adj. ad Uxamam pertinens, Hispaniae citerioris urbem, ad Durium fluv., quae nunc *Osma*, cujusque meminit *Plin.* 3, 3, 4. et *Sil.* 3, 384. At non Sarmaticos attollens Uxama muros. *Inscr.* ap. *Grut.* 693, 8. Licinius Julianus Uxamensis. *Alia* ap. *Don. cl.* 6. *a.* 195. C. Pompejo Mucroni Uxamensi An. XC. sodales F. C. *F.*]

*UXANTISMA, insula inter Galliam ac Britanniam. *Itin. marit.* ap. *Anton. Itin.* Hodie est *Ushant. B. A.*

*UXELLODŪNUM, i, n. Aquitaniae oppidum, in Cadurcis, non procul a Garumna flumine. *Hirt. B. G.* 8, 31. et 40. *B. A.*

[UXENTĪNI, orum, m. plur. incolae Uxenti, urbis Salentinorum, in Calabria, quae nunc *Ugente* appellatur. *Plin.* 3, 11, 16. Salentinorum, Neretini, Uxentini. *F.*]

UXOR, oris, f. γυνὴ, ἄκοιτις, mulier, quae viro tradita est. Quorundam opinio est, dici quasi *unxor*, hoc est unctrix, quod sponsa mariti domum ingressura postes inungeret. Eademque ab re Juno dicta Unxia. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 1, 2, 60. Uxor dicitur vel ab ungendis postibus, et figenda lana, hoc

est quod, cum puellae nuberent, maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant, vel quod lotos maritos ipsae ungebant, cujus rei testis est Ennius: Exin Tarquinium bona femina lavit, et unxit. *Servius* ad illud *Aen.* 4, 459. Velleribus niveis, et festa fronde revinctum: Moris, *inquit*, fuerat, ut nubentes puellae, simul venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis: unde ait velleribus niveis: et oleo ungerent; unde uxores dictae sunt, quasi unxores. *Cic. Sext.* 3. Duxit uxorem patre vivo, viri optimi, et calamitosissimi filiam, C. Scipionis. *Id. Fin.* 3, 20. *med.* Uxorem sibi adjungere. *Id. Or.* 2, 64. *f.* Ridicule etiam illud Porcius Nasica censori Catoni, cum ille: Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit, ex mei animi sententia. *Id. Verr.* 2, 3, 33. Solere ajunt barbaros reges Persarum, ac Syrorum, plures uxores habere. ℙ Uxorum duo genera fuere: unum earum, quae proprie uxores, vel matronae dicebantur, alterum earum, quae matresfamilias appellabantur. *Cic. Top.* 3. Si ita Fabiae pecunia legata est a viro, si ea uxor materfamilias esset, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor, ejus duae formae, una matrum familias: hae sunt, quae in manum convenerunt: altera earum, quae tantummodo uxores habentur. V. MATERFAMILIAS. ℙ Tribus autem modis uxor in manum, seu potestatem mariti veniebat, usu, farre, coemptione. Ex his illa solum materfamilias vocabatur, quae per coemptionem in manum mariti venerat. *Usu* fieri matrimonium dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat, et cum viro ita consuescebat, ut cum justo marito: adeo ut, si usus ille intra annum non interrumperetur, pro usurpata jam haberetur. V. USURPATUS, CONFARREATIO, COEMPTIO. ℙ De bestiis per catachresin. *Hor. Od.* 1, 17, 7. Olentis uxores mariti, *h. e.* capellae. ℙ Catachresis est etiam in illo *Mart.* 4, 53. Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati, *h. e.* abolla, quacum dormit pauper, tanquam cum uxore: pro lodice.

UXORCŬLA, ae, f. parva uxor. *Appul. Met.* 9. Erat ei uxorcula etiam satis quidem tenuis. Et ipsa verumtamen postrema lascivia famigerabilis. ℙ Usurpatur in blanditiis. *Pl. Cas.* 4, 4, 19. Mea uxorcula. *Id. ib.* 5, 2, 38. Amabo mea uxorcula, cur virum tuum sic me spernis?

UXORCŬLO, as, a. I. diligo. *Plaut. fragm.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Mulieres uxorculavit; ego novi, scio actiosas. Alii rectius leg. *Mulier es, uxorcula: abi, te ego novi: scio axitiosam.*

*UXORIOSUS, a, um, adj. uxorius, amans uxoris. *Gloss. Lat. Gr.* Uxoriosus, *ὁ τὴν ἰδίαν γυναῖκα φιλῶν. B. A.*

UXORIUS, a, um, adj. *γυναικεῖος, οὐάριος*, ad uxorem pertinens. *Cic. Off.* 3, 15. In arbitrio rei uxoriae, melius, aequius. *Ov. A. Am.* 2, 155. Hoc decet uxores: dos est uxoria lites. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Praedium, quia uxorium, patrio mihi dulcius. ℙ *Uxoria forma*, pulcritudo mediocris. V. *Gellii l. c.* in STATUS, a, um. ℙ Aliquando uxorius, *γυναιμανής, φιλογύνης* dicitur, qui uxori valde inservit. *Virg. A.* 4, 266. tu nunc Carthaginis altae Fundamenta locas, pulcramque uxorius urbem Exstruis *Hor. Od.* 1, 2, 18. vagus et sinistra Labitur ripa, Jove non probante, uxorius amnis. *Auct. Pan.* ad *Maxim.* et *Constantin.* 4. Juvenis uxorius. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 299. *n.* 272. L. Fundanio L. F. Oufentina Proclo Fundania Junia uxori S. Testam F. Cur. Lege *uxorio suo*, h. e. marito sui amantissimo, at rectius *Zaccheria Instit. Lap.* p. 353. pro *uxori S.* legit *uxor I. S.* h. e. in suo: ut legitur in alia ap. *Grut.* 582, 5. ℙ *Uxorius imber* dicuntur a *Statio* lacrimae, quibus deflet quispiam mortem uxoris. *Silv.* 5, 1, 31. ℙ *Uxoria bibere* ap. *Quint. declam.* 15, 9. est bibere medicamenta, quae uxoris amorem concilient. ℙ *Uxorium pendere* dicitur ille, qui, quod uxorem non habuerit, aes populo dedit. Ita *Festus.* V. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 1.

*UZĬA, ae, oppidum Persidis maritimum. *Tab. Peuting.* ℙ *Οὐξία* est *Ptolemaeo. B. A.*

UZITENSIS, e, adj. ad Uzitam pertinens Africae Byzacenae urbem ad Austrum Hadrumeti, cujus meminit *Auct. B. Afr.* 41. et *Ptolem.* 4, 3. *Inscr.* ap. *Marin. Arv.* p. 782. Muthunbal Saphonis F. Cuinas Uzitensis. *F.*]

X

X Littera, ξ, semivocalis est, ex earum numero, quae duplices appellantur. Vim enim duarum consonantium habet, id est *cs*, vel *gs*. Sane veteres pro *x* modo *cs*, modo *gs* utebantur, ut *apecs, gregs*, pro quibus nunc *apex* et *grex* dicimus. *Quint.* 1, 4. Et nostrarum ultima X, qua tamen carere potuimus, si non quaesissemus. ℙ Latini hoc elementum, quod vastioris soni videretur, quibusdam dictionibus exemerunt, unde pro vexillo *velum*, pro axilla *alam*, pro paxillo *palum* dicere maluerunt. Quod et ipse testatur *Cic. Or.* 45. Quomodo enim, inquit, noster Axilla, Ala factus est, nisi fuga vastioris litterae, quam litteram etiam e maxillis, e taxillis, et vexillo, et paxillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit? *Pier.* ad *Aen.* 7, 648. contendit, non semper esse duplicem: tum ex veterum monumentis, in quibus *vixsit, Alexsander, auxsilium, Cappadoxs*, et in nummo Galbae *paxs* legitur; tum auctoritate *Probi* in *Arte* idem docentis. Disserit de hac re etiam *Voss. de Gramm.* 1. *c.* 21. ℙ In compositione quotiescumque praecedit dictionem incipientem a vocali, vel *c, p, t*, utraque compositionis pars remanet integra, ut *exaro, exeo, exigo, exoleo, exuro, excutio, expers, explodo, extraho, extundo.* Sed si praecedat *s* litteram, *s* vel abjicitur, vel retinetur, scribitur enim *exsurgo*, et *exurgo, exsequor*, et *exequor*, etc. ℙ Nota est numeri denarii, sicuti et V, quae dimidiata pars est ejus, nota est numeri quinarii. Hinc factum est, ut in vetustis codicibus haec nota aliquando inveniatur pro denario Romano, quod quatuor valebat nummis sestertiis. *Plin.* 12, 12, 26. Quod minore folio est, mesosphaerum appellatur, emitur X. LX. Laudatissimum microsphaerum e minimis folium; pretium ejus X. LXXV.

XA

*XANTHE, es, f. *Ξάνθη*, Amazon. *Hyg. fab.* 163. *B. A.*

XANTHĒNES, is, m. gemmae genus, a *ξανθός*, flavus, quia est electri colore. *Plin.* 37, 10, 70. Zenthenum in Media nasci Democritus tradit electri colore, et, siquis terat in vino palmeo, et croco, cerae modo lentescere, odore magnae suavitatis. Alii leg. *zanthenem.*

[XANTHĪCUS, i, m. *Ξανθικός*, mensis ap. Macedones, qui fere respondet Latinorum Aprili, cujus mentio est ap. *Hesychium.* ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* apud *Grut.* 241. *col.* 3. L. Faenius Xanthicus. *F.*]

[XANTHIPPĒ, es, f. *Ξανθίππη*, (V. etymon in voce sequent.) Socratis uxor morosa admodum et jurgiosa, irarum et molestiarum muliebrium per diem noctemque scatens. *Cic. Tusc.* 3, 15. et *Gell.* 1, 17. ℙ Est etiam cogn. R *Inscr.* ap. *Grut.* 660, 1. et *De-Lama Iscriz. di Parma* p. 119. D. M. Xanthippes sive Iaiae C. Cassius Lucilianus alumnae dulcissimae. *F.*]

[XANTHIPPUS, i, m. *Ξάνθιππος*, qui flavos equos, vel flavam pubem habet: a *ξανθός*, flavus, et *ἵππος*, equus, et pubes. Fuit hoc nomine vir Lacedaemonius, quo duce M. Atilius Regulus ex insidiis captus est. *Cic. Off.* 3, 26. *F.*]

*XANTHIUM, i, n. herba e lapparum genere, qua rufantur capilli. V. *Plin.* 24, 19. *B. A.*

[XANTHO, us, f. *Ξανθώ*, una ex Nymphis, Oceani et Tethyos filia: a *ξανθός*, flavus. *Virg. G.* 4, 336. *F.*]

XANTHOS, i, m. gemmae genus, ita a colore fulvo appellatae; *ξανθός* enim fulvum significat. *Plin.* 37, 10, 60. Est et alia ejusdem generis, quae vocatur menui ab Indis, xanthos appellata Graecis, e fulvo candicans.

[XANTHUS, a, um, adj. *ξανθός*, flavus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 170, 3. Bebrix Aug. L. Drusianus, A. Fabius Xanthus Cur scribis, librariis, et praeconibus Aed. Cur. scholam ab inchoato refecerunt, marmoribus ornaverunt, etc. Haec est *Schola Xantha*, in foro Romano prope et sub templum Fortunae in regione VIII., cujus mentio est ap. *Sex. Ruf. de region. Urb*, quae ab ejus curatore et instauratore A. Fabio Xantho, ut vidimus, nomen accepit. *Inscr.* apud *Fabr.* p. 214. *n.* 514. Sextia Xantha. *F.*]

XANTHUS, i, m. *Ξάνθος*, fl. Phrygiae, seu Troadis, qui ex Ida monte oritur, atque in portum Achaeorum, et in Hellespontum apud Dardanum urbem influit. Diversus est a Scamandro, et Simoente. *Plin.* 5, 30, 33. Sed alii eundem esse ac Scamandrum tradunt. Verum quia hi tres amnes confluunt apud oram, propterea iidem ab aliquibus censentur. Dictus creditur a *ξανθός*, flavus, quod ovium vellera rufo inficiat colore. Adde *eund.* 2, 103, 106. et *Vitruv.* 8, 3. *med.* ℙ Secundum fabulas fuit filius Jovis. De hoc oraculum Apollinis fuit, Graecos Ilii non esse potituros, nisi equos Rhesi abduxissent, antequam herbam Troadis gustassent, et de Xanthi aqua bibissent, quod a Diomede et Ulysse factum est, occiso Rheso noctu, et per insidias. *Virg. A.* 1, 476. Ardentesque avertit equos in castra, prius quam Pabula gustassent Trojae, Xanthumque bibissent. ℙ Xanthus alter fl. Lyciae, qui ex Cadmo monte oritur duobus fontibus, Xanthum urbem interluit, et non procul ab ea in Lycium mare se exonerat. *Id. ib.* 4, 143. Qualis ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo. *Id. Cul.* 14. Alma Chimeraeo Xanthi perfusa liquore: *subaudi* urbs. Alii leg. *Xanthus*, et urbem item intelligunt. ℙ *Xanthus uterque* ap. *Stat. Theb.* 4, 387. est Phrygius, et Lycius. ℙ Est hoc nomine parvus fluvius Epiri, qui arescit. *Virg. A.* 3, 350. Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum Agnosco. ℙ Hujusmodi nomen habuit etiam equus Achillis ap. *Claud. Cons. Hon.* 4, 556. et flavum Xanthus sprevisset Achillem. ℙ Est item cognomen R. V. v. praec. ℙ *Fuit et Xanthus nomen unius e quinquaginta Aegypti filiis. *Hygin. fab.* 170. ℙ Xanthus, scriptor Lydus, e Sardibus civitate historias Lydorum scripsit, teste *Suida.* Meminit et *Plin.* 25, 1. ℙ Item unus ex equis Diomedis. *Hygin. fab.* 30. ℙ Et nomen equi Neptuno a Junone dono dati. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 89. *B. A.*

XE

*XENAGŌRAS, ae, m. historicus. *Macr. Sat.* 5, 19. *extr.* V. *Voss. de Hist. Graec. l.* 3. *c.* ult p. 422. *B. A.*

*XENIĀDES, is, m. *Ξενιάδης*, Corinthius, qui cum emere vellet Diogenem Cynicum, et *quid is artificii novisset*, percontatus esset, *Novi*, inquit Diogenes, *hominibus liberis imperare.* Quod responsum demiratus Xeniades, emit et manu misit, filiosque suos ei tradens, *Accipe*, inquit, *liberos meos, quibus imperes.* Narrat *Gell.* 2, 18. V. et *Laert.* 6, 30. *B. A*

XĔNIAE BALNĔAE, locus in Latio. Quidam Bajas esse suspicantur. Dictae sunt a *ξένιος*, hospitalis, quod a *ξένος*, hospes, nempe ab hospitibus, qui ibidem recipiebantur. *Cic. Coel.* 25. Ajunt constitutum factum esse cum servis, ut venirent ad balneas Xenias, etc. Alii rectius leg. *Senias.*

XĔNIŎLUM, i, n. parvum xenium. *Appul. Met.* 2. Commodum meridies accesserat, et mittit mihi xeniola, porcum opimum, et quinque gallinulas, et vini cadum in aetate pretiosi. *Ulp. Dig.* 1, 16, 6. *f.* Ad xeniola non pertinet. Alii leg. *ad xenia jam non pertinet.*

*XENITĀNA, ae, f. dictum est Quiza oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. ℙ Xenitana *oppidum peregrinorum* significat, teste *eod. Plin. ibid. B. A.*

XENĬUM, ii, n. *ξένιον*, munus hospitibus dari solitum: a *ξένος*, hospes. Unde ab *Appul.* vocatur munus hospitale. Latini, *Festo* teste, vocant *Lautia*, quam vocem exponens *Plutarchus* non simpliciter *ξένια* dicit, sed *τὰ περιπόμενα τοῖς πρέσβεσι ξένια. Mart.* librum 13. *Xenia* inscripsit, quod in eo ejusmodi res distichis describit, cujusmodi hospitibus mitti solent, et quod versus ipsi pro xeniis mitti posssint. *Id. ib.* 3. Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello Constabit nummis quatuor empta tibi; et *infra:* Haec licet hospitibus pro munere disticha mittas, Si tibi tam rarus, quam mihi nummus erit. ℙ Dona etiam quae dabantur convivis post coenam, *xenia* dicta sunt. *Plin. ep.* 6, 31. *med.* Adhibeamur quotidie coenae, erat modica, si principem cogitares: interdum *ἀκροάματα* audiebamus; interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur. Summo die abeuntibus nobis, (tam diligens in Caesare humanitas) xenia sunt missa. Adde *Vitruv.* 6, 10. *med.* ℙ Item quaecumque munera amicis domi suae degentibus mittebantur, de quibus etiam intelligenda sunt *Martialis* xenia. ℙ Item munera, quae a provincialibus dabantur proconsulibus, et aliis provinciarum rectoribus; quorum mentio est apud *Ulp. Dig.* 1, 16, 6. ℙ Item quae ultro largiri solebant rei causidicis, et advocatis pro causarum actionibus. *Plin. ep.* 5, 14. Quam me juvat, quod in causis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis semper abstinui!

[XĔNĬUS, a, um, adj. *ξένιος*, hospitalis. Est nomen serv. R *Inscr.* ap. *Mur.* 920, 6. Xeniae Caesaris L. *h. e.* libertae. *F.*]

*XENO (Xenon) onis, m. Epicureus, vixit Ciceronis temporibus. *Cic. Attic. l.* 5. *ep.* 10. *extr.* ℙ Alius, Apollonidiensis. *Id. ibid. ep.* 13. ℙ Xeno, Menenus, Centuripinus. *Id. Verr.* 2, 1, 22. ℙ Xeno apud *eund. Attic. l.* 13. *ep.* 37. videtur esse Attici procurator. ℙ Fuit ex Xeno quidam, pictor insignis, Sicyonius, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*XENOCLES, is, m. Adramyttenus, rhetor Asiaticus, quocum Cicero fuit adolescens. *Cic. Brut.* 91. *B. A.*

*XENOCRĀTES, is, m. *Ξενοκράτης*, Chalcedonius, severissimus philosophorum, Platonis auditor, et Speusippi in academia successor, tardioris ingenii, adeo ut, cum eum Plato Aristoteli compararet, alterum freno alterum calcaribus opus habere diceret. Vixit annos LXXXII, *Suida* auctore. *Cic. Acad.* 1, 4. et 4, 46. *Offic.* 1, 36. *extr. Attic.* 1. *ep.* 16. *med. Orat.* 3, 17. *Tusc.* 5, 32. et *Nat. Deor.* 1, 13. Adde *Val. Max.* 7, 2. V. et *Laert.* 4, 6. ℙ Alius, insignis statuarius et pictor, Tisicratis discipulus, vixit temporibus Ptolemaei Lagi. Scripsit de toreutice itemque de pictura. *Plin.* 34, 8. et 35, 10 ℙ Accusativum *Xenocraten*, Graeco more, habes apud *Cic. de re publ.* 1, 2. edente *Angelo Maio. B. A.*

XENODOCHĬUM, vel Xenodochēum, ii, n. *ξενοδοχεῖον*, hospitale, locus publicus, quo hospites, id est peregrini, excipiuntur: a *ξένος*, hospes, et *δέχομαι*, suscipio. Hoc genus hospitii Hierosolymis primum ab Hircano exstructum fuisse, auctores sunt *Flavius Josephus* et *Hegesippus.* [Hinc *Hieron. ep.* 66. *n.* 11. Audio, te xenodochium in Portu fecisse

Romano, et virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse litore, *h. e.* de Palaestina, ubi primo xenodochia facta sunt, in Italiam transtulisse eorundem usum. *Id.* in *Reg. S. Pachom. n.* 51. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, deducent eos ad locum xenodochii, praebebuntque omnia, quae apta sunt usui monachorum, h. e. *alla forestria. F.*] Adde *Impp. Leo* et *Anthem. Cod.* 1, 2, 17. et *ib.* 3, 33. et 35.

XĔNODOCHUS, i, m. ξενοδόχος, qui advenas inopes hospitio excipit. *Impp. Leo et Anthem. Cod.* 1, 3, 33. *f.*

*XENODORUS, i, m. Ξενόδωρος, statuarius, scientia fingendi caelandique clarus. *Plin.* 34, 7. *B. A.*

[XĔNODOTUS, i, m. ab hospite datus, a ξενός, hospes, et δοτὸς, datus. Est cogn. R. *Inscr.* apud *Grut.* 339, 2. Q. Rapidius Xenodotus. V. ENDOTUS. *F.*]

XĔNON, ōnis, m. ξενὼν, ῶνος, idem quod xenodochium. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 49. et *ib.* 7, 6, 1. §. 3.

XĔNOPĂROCHUS, i, m. ξενοπάροχος, idem qui parochus, qui legatis publice missis, ceterisque alicujus dignitatis hospitibus salem et ligna praebebat: unde et nomen accepit, παρὰ τὸ τοῖς ξένοις τὰ ἐπιτήδεια παρέχειν, quod hospitibus necessaria suppeditaret. *Arcad. Dig.* 5, 4, 18. Tabularii, vel xenoparochi, ut in quibusdam civitatibus, etc.

*XENOPHĂNES, is, m. Ξενοφάνης, philosophus Colophonius, Archelai auditor, scripsit elegias et iambos contra Hesiodum et Homerum, quae de diis dixere improbando. Dicebat Xenophanes: τοῖς τυράννοις ὁμιλεῖν ἢ ἡδιστα, ἢ ἥκιστα, *i. e.* cum tyrannis conversandum aut jucundissime, aut minime. Meminit ejus *Cic. de Div.* 1, 3. *Nat. Deor.* 1, 2. *Acad.* 4, 38. et alibi. V. *Laert.* 9, 18. *B. A.*

*XENOPHANTUS, i, m. de quo *Seneca de ira* 2, 2. *extr.* Militaris viri in media pace jam togati aures tuba suscitat, equosque castrenses erigit crepitus armorum. Alexandrum aiunt, Xenophanto canente, manum ad arma misisse. *B. A.*

*XENOPHĬLUS, i, m. Ξενόφιλος, musicus, patria Chalcidensis, Pythagoricus, biennio minor quam Gorgias, qui CVII vixit annis, sed felicitate non inferior, siquidem, ut Aristoxenus ait, omnis incommodi humani expers in summo perfectissimae doctrinae splendore extinctus est. *Plin.* 7, 50. *Val. Max.* 8, 13. *B. A.*

[XĔNOPHON, ontis, m. ξενοφῶν, hospitem occidens: a ξένος, hospes, et φάω, occido. V. v. sq. P Est etiam cogn. R. *Inscr.* apud *Grut.* 268, 1. *col.* 3. Hoenius Xenophon. *F.*]

XĔNOPHONTĔUS, et

XĔNOPHONTĬUS, a, um, adj. Ξενοφόντειος, et Ξενοφόντιος, ad Xenophontem pertinens. Fuit autem Xenophon insignis philosophus, et imperator Atheniensis, discipulus Socratis, cujus sermones scripsit, item de Oeconomia, Cyri Paediam, Symposium, historiam belli Peloponnesiaci, de re equestri, de venatione, Socratis apologiam et alia, stilo leni et suavi. *Cic. Brut.* 35. Liber conscriptus molli, et Xenophonteo genere sermonis. *Id. Fam.* 5, 12. *med.* Hercules Xenophontius, *h. e.* Hercules Prodicius, qui a Xenophonte in suis scriptis inducitur. V. PRODICIUS.

XĔRAMPĔLĬNUS, a, um, adj. ξηραμπέλινος, qui vitem siccam imitatur, ut Xerampelinus color, ξηραμπέλινον χρῶμα, quem videre est in arefactis vitium foliis, a ξηρὸς, aridus, et ἀμπέλινος, viteus, quod ab ἄμπελος, vitis. Quamquam quaeri possit, num xerampelino colori a vitis foliis id nomen impositum sit, quae adulto jam autumno velut cruentata rubent, an a vitibus ipsis, quarum color pullus est. Sane quidam censent, xerampelinum colorem potius esse pullum, sive atrum, idque adducti verbis *Suidae*, qui χλαμύδας ξηραμπέλινας etiam ἀτραβατικὰς dictas ait: at has idem a colore atro dictas arbitratur, quemadmodum apud eum in Ἀτραβατικὰς videre potes. Hinc xerampelinae vestes, quae colore xerampelino tinctae sunt. *Juven.* 6, 518. Et xerampelinas veteres donaverit ipsi. [*Not. Tir.* p. 159. Xerampinus, xerampininus. Lege *xerampelus*, *xerampelinus. F.*]

XĔRANTĬCUS, a, um, adj. ξηραντικὸς, a ξηραίνω, exsicco, ut Xerantica decoctio, *Macer* 1, 88. et *Theod. Prisc.* 2, 3.

XĔROCOLLYRĬUM, ii, n. ξηροκολλύριον, collyrium ex aridis constans: a ξηρὸς, aridus. *Marcell. Empir.* 8. §. 3. s. in. V. HYGRA.

XĔROLĪBYA, ae, f. Ξηρολιβύη, Libya sicca, pars interior Libyae arida et deserta, propter aquarum inopiam, inter Tripolim et Pentapolim. *Serv.* in *A.* 4, 42. et 196.

XĔROLOPHUS, i, m. ξηρόλοφος, tumulus aridus et siccus, ex congestis nempe lapidibus: a ξηρὸς, aridus, et λόφος, tumulus. Hujusmodi locus fuit Byzantii, ubi cochleae sexdecim, et Dianae columna structilis, et tripodes, quibus multa epigrammata erant inscripta: cujus adhuc non obscura vestigia superesse dicuntur. *Prisc.* 1, 547. Et epigrammata, quae egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui stat in Xerolopho Byzantii. Adde 6, 709.

XĔROMYRRHA, ae, f. myrrha non recens, sed arida, a ξηρὸς, aridus. [Ita veteres Lexicographi vocem interpretati sunt, quae perperam irrepserat ap. *Sedul. Hymn.* 81. Xeromyrrham post sabbatum Quaedam vehebant compares, Quas allocutus Angelus, Vivum sepulcro non tegi. Sed alii rectius, quos inter *Arevalus*, pro *xeromyrrham* legendum probarunt *Xristo myron;* scilicet *Xristo* pro *Christo*, ut nempe constaret ratio carminis illius acrostichi seu potius abecedarii, in quo quilibet versus primus trium et viginti stropharum incipit ab una ex alphabeti Latini litteris. Ea vero sententia ibidem exprimitur, quae exstat in *Euang. D. Lucae* 23, 55. et 24, 1.; *myron* porro pro *unguentum* habet etiam *Hieronymus.* V. MYRON. *F.*]

[XĒRON, i, n. ξηρὸν, aridum medicamentum, quod in modum pulveris inspergitur. *Plin. Valer.* 3, 22. *med.* Xeron diatessaron quod facit ad nomas; et *mox:* Quae omnia teres, donec sicca efficiantur, et in pulverem perveniant. *F.*]

XĒROPHĂGĬA, ae, f. ξηροφαγία, usus ciborum aridorum, post quos non opus esset lavare manus: a ξηρὸς, siccus, et φάγω, comedo; quo vescendi genere utebantur tum athletae apud Gentiles ad robur corporis, tum Christiani ad vivendi parsimoniam et sobrietatem. *Tert. adv. Psych.* 1. *f.* Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus, quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, et omni jurulentia, et uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.

XĒROPHTHALMĬĂ, ae, f. ξηροφθαλμία, lippitudo arida, qua neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantum, et cum dolore quodam gravescunt, et noctu praegravi pituita inarescunt: a ξηρὸς, siccus, et ὀφθαλμία, lippitudo. *Cels.* 6, 6. *n.* 29. Graecis litteris scribit: Latinis *Marcell. Empir.* 8. §. 3. *in.* [Ad caliginem et asperitudinem oculorum, siccamque perturbationem sine tumore, quam xerophthalmiam Graeci appellant, facit hoc collyrium, quod psoricon dicitur. *F.*]

*XERXĒNE, es, f. regio Armeniae. *Plin.* 5, 24. Fluit (*Euphrates*) Derxenem primum, mox Anaiticam, Armeniae regiones a Cappadocia excludens: ubi *Harduinus* (necnon *Cellarius* in *orb. antiq.*) legi vult *Xerxenem.* Quid mirum? cum Ξερξηνὴ sit *Straboni*, Ξερξήνη autem *Steph. Byz.* Eadem ratione formatur, qua Καμβυσηνὴ, quae Περσικὴ χώρα fuit, teste *Steph. Byz. B. A.*

*XERXES vel Xerses, is, m. Ξέρξης, Darii filius, potentissimus omnium regum Persarum. Aegyptum, quae a patre desciverat, recepit: expeditionem etiam, quam Darius in Athenienses paraverat, quinque annorum apparatu prosequens, decies centena hominum millia traduxisse dicitur. Quem numerum ut *Valerius*, itemque *Hieronymus* testantur, de alta prospectans specula, flevisse fertur, quod post centum annos nullus superesset. Hac igitur multitudine accinctus, us omnes referunt auctores, maria pontibus conjunxit, Athonque montem continenti abscidit, *Plin.* teste 4, 10. Victus demum a quatuor millibus apud Thermopylas, navale certamen cum Themistocle tentavit: a quo idem apud Salamina superatus, turpiter cum paucis parva cymba aufugit, relicto Mardonio praefecto, qui et ipse profligatus in Boeotia fuit. Demum quum se otio socordiaeque, relicta militia, tradidisset, a suis spretus, paucis post annis ab Artabano praefecto suo in regia interficitur, quum regnasset annis octo. De eo V. *Justin.* 2, 10. etc. *Lucan.* 2, 672. *Cic. Tusc.* 5, 7. et *de Leg.* 2, 10. *Val. Max.* 9, 1. P Genitivum *Xerxi* habes ap. *Nep.* in *Reg.* 1. et *Xersii* bis ap. *Iuct. Itin. Alex.* 67. ed. *A. Maio.* P Ad illud *Val. Max.* 9, 5. Jam Xerxes, cujus in nomine superbia et impotentia habitat, suo jure quam insolenter usus est, etc. nomine ipso volunt *majestatem regiam* designari. V. *Reland. de Vet. L. Pers.* p. 259. sq. Verbo *Regem Leonem* notari aiunt. *Guil. Burton.* in *Pers. ling. hist.* τὸ Ξέρξης exponit per Ἀρήϊος, *Bellator:* ita enim *Herodotus* interpretatur in 6, 98. P Xerxis quoque nomen aliis accommodatum. Sic L. Lucullus a Cn. Pompeio dictus est *Xerxes togatus:* idque ut *Vellei.* 2, 23. ait, *ob objectas moles mari, et receptum suffossis montibus in terras mare:* quam rem narrat *Plin.* 9, 54. *B. A.*

X I

XIPHĪAS, ae, m. ξιφίας, piscis genus, rostrum habens mucrone armatum: unde et Latini Graecos imitati, gladium appellant: a ξίφος, ensis. [*Schwertfisch*, Xiphias gladius, *L.*] *Plin.* 32, 2, 6. Xiphiam, id est gladium, rostro mucronato esse, ab hoc naves perfossas mergi in Oceano ad locum Mauritaniae, qui Cotta vocetur, non procul Lixa flumine. *Ov. Hal.* 97. Et durus xiphias ictu non mitior ensis. V. THRANIS. P Xiphiae item stellae sunt ex genere cometarum, figura gladii. *Plin.* 2, 25, 22. Easdem breviores, et in mucronem fastigiatas xiphias vocavere, quae sunt omnium pallidissimae, et quodam gladii nitore, ac sine ullis radiis.

XIPHĬON, ii, n. ξιφίον, herba folio mucronato, iridi non dissimilis, quam Romani gladiolum, vulgus herbariorum *spatulam foetidam* appellat. [*Schwertel, Schwertlilie.*] *Plin.* 25, 11, 88. Xiphion, et phasganion in humidis (*nascitur*); cum primum exit, gladii praebet speciem, caule duum cubitorum, radicis ad nucis avellanae figuram fimbriatae, quam effodi ante messes oportet, siccari in umbra.

X O

[XŌĪTES, ae, m. Aegypti nomus, cujus metropolis Xois, urbs maritima in Delta inter alveos Thermunticum et Busiriticum, nunc *Skoou*, vel *Saka. Plin.* 5, 9, 9. Quae juxta Pelusium est regio, nomos habet Xoiten, Mendesium, Sebennyten. *F.*]

X U

[XUTHĒ, es, f. ξουθὴ, flava. Est nomen propr. serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1018, 3. Xuthe Liviae L. *F.*]

X Y

*XYCHUS, i, m. scriba falsarius ap. *Liv.* 9, 55. *B. A.*

*XYLENEPŌLIS, is, f. Asiae oppidum, nempe in Gedrosia. *Plin.* 6, 23. Sic edd. *Hard.* et *Elzev.* Sed veram lectionem esse *Xylenopolis* censet *Cellarius* in *Orb. ant. B. A.*

*XYLENOPOLIS. V. v. praec. *B. A.*

[*XYLEOS vel Xylechios, i, f. herba symphoniaca. *Appul. de herb.* 4.

*XYLĪNE (ξυλίνη, i. e. lignea), es, f. Xyline Come (κώμη, i. e. vicus) in Asia minore fuit, in Pamphylia, vel in confinio Pisidiae. *Liv.* 38, 15. *B. A.*

XYLĪNUM, i, (subaudi *linum:* est enim adjectivum a *xylon*) ξύλινον, genus lini candidissimi et mollissimi, nascens in frutice, cui nomen xylon, pomis quibusdam inclusum barbatae nuci non dissimilibus, quae maturitate hiscentia globum lini ostendunt. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossipion vocant, plures xylon, et ideo lina inde facta, xylina. Parvus est, similemque barbatae nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave praeferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimae. Haec *Plinius.* Ubi per *bombycem* minime intelligere oportet fila bombycum, sed lanuginem fructu xyli contentam, quam sic vocat, quia et mollitie similis est bombycum operi, et similiter ex ea telas nent, vestesque texunt.

XYLOBALSĂMUM, i, n. ξυλοβάλσαμον, balsami arbusculae lignum, cujus succus *opobalsamum* est: a ξύλον, lignum. *Plin.* 12, 25, 54. Et sarmenta quoque in merce sunt. DCC HS. amputatio ipsa, surculusque veniit, intra quintum devictae (*Judaeae*) annum: xylobalsamum vocatur, et coquitur in unguentis: pro succo ipsum substituere officinae.

XYLOCASSĬA, ae, f. ξυλοκασσία, lignum cassiae, seu casiae, ut *xylobalsamum*, lignum balsami. Enumeratur inter species vectigales a *Mart. Dig.* 39, 4, 16. §. 7.

XYLOCINNĂMOMUM, i, n. ξυλοκιννάμωμον, cinnami lignum. *Plin.* 12, 19, 42. Ipsum vero lignum in fastidio est propter origani acrimoniam; xylocinnamomum vocant.

[XYLOCINNĂMUM, i, n. idem ac xylocinnamomum. *Scrib. Comp.* 271. Sumere oportet xylocinnami pondo quadrantem, etc. *F.*]

[XYLOLYCHNUCHUS, i, m. ξυλολυχνοῦχος, candelabrum ligneum: a ξύλον, lignum, et λυχνοῦχος, candelabrum. *Inscr.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 2512. Plisthenes Leophronis cerycibus, et Pop. praesentibus ante porticum xylolychnuchum Proserpinae Hunc *Cic. Q. Fr.* 3, 7. *lychnuchum ligneolum* appelat. *F.*]

XYLON, i, n. a ξύλον, Graece lignum significat, sed praecipue hoc nomine dictus est frutex, quem aliqui gossipion vocant, plures xylon, et ideo lina inde facta, xylina, ut ait *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. Plura vide in XYLINUM.

XYLOPHYTON, i, n. herba, quae et consolida dicitur. *Appul. Herb.* 59.

*XYLOPOLĪTAE, arum, incolae Xylopolis. Fuit autem Xylopolis, Ξυλόπολις, oppidum Macedoniae, in Mygdonia. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

*XYNĬAE, arum, oppidum Thessaliae. *Liv.* 32, 13. 33, 3. et 39, 26. Ξυνία est *Steph Byz. B. A.*

XYNĬASI, ταῖς Ξυνιάσι, dativus pluralis Graecas (ut *Hamadryasin*, *Thyniasin* ap. *Prop.*) h. e. *Xyniadibus*, quae sunt Nymphae paludis Baebiados, seu Boebeidos in Thessalia, prope Xynian oppidum. *Catull.* 64, 288. Alii aliter legunt.

XYRIS, is, f. ξυρὶς, nomen iridis silvestris. *Plin.* 21, 20, 83. V. IRIS.

XYSTARCHĀ et Xystarches, ae, m. ξυστάρχης, qui athletarum exercitiis et certaminibus in xysto fieri solitis praeerat, idem ac gymnasiarcha. [*Ammian.* 21, 1. *med.* Quinquennalia Julianus Aug. jam edidit, et ambitioso diademate utebatur lapidum fulgore distincto, cum inter exordia principatus assum-

pti vili corona circumdatus erat, xystarchae similis purpurato. ℙ Translate. *Tert. ad Mart.* 3. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est, xystarches Spiritus Sanctus. *F.*]

*XYSTIĀNI, orum, incolae Xystis. Fuit autem Xystis, Ξύστις, oppidum Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

XYSTĪCUS, a, um, adj. ξυστικὸς, ad xystum pertinens, vel ad ludos, et certamina, quae in xysto fiunt. *Tertull. Pudic.* 7. *med.* Spectaculum quadrigarii furoris, et gladiatorii cruoris, et scenicae foeditatis, et xysticae vanitatis. ℙ Xystici sunt athletae, qui se in xysto exercebant. *Suet. Aug.* 45. *med.* Nec tamen eo minus xysticorum concertationes, aut gladiatorum pugnas severissime semper exegit. (Adde *Galb.* 15.) *Inscr.* ap. *Grut.* 332, 6. Athenodorus xysticus Paridi thymelico bene merenti fecit. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Neque thymelici, neque xystici, nec agitatores ignominiosi habentur.

*XYSTĪLIS, is, f. nomen meretriculae ap. *Plaut. Ps.* 1, 2, 76. *B. A.*

XYSTRA, ae, f. ξύστρα, strigilis: a ξύω, rado. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1637, 6. L. Arruntius Xystra. *F.*]

XYSTUM, i, n. et Xystus, i, m. ξυστὸν et ξυστὸς, [Graecis erat porticus tecta, Latinis vero ambulatio hypaethra seu subdialis, *passeggio scoperto, viale.* Vocis etymon, et rei origo ap. *Paus. l.* 6. *c.* 23. Ὁ σύμπας περίβολος καλεῖται ξυστὸς, ὅτι Ἡρακλεῖ τῷ Ἀμφιτρύωνος ἐς ἄσκησιν ἐγίνετο, ὅσαι τῶν ἀκανθῶν ἐφύοντο ἐνταῦθα, ἐπὶ ἑκάστῃ ἡμέρᾳ σφᾶς ἀναξύειν. Xystum itaque dictum est a ξύω, rado, quia quotidie a sentibus purgabatur et radebatur. De prima apud Graecos significatioue. *Vitr.* 5, 11. Haec autem porticus ξυστὸς apud Graecos vocitatur, quod athletae per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur. Proxime autem xystum, et duplicem porticum designentur hypaethrae ambulationes, quas Graeci παραδρομίδας, nostri xysta appellant, in quas per hiemem ex xysto sereno coelo athletae prodeuntes exercentur. Adde 6, 10. ℙ Ad Romanam vero consuetudinem haec spectant loca. *Sen. Ira* 3, 18. de Caligula: In xysto maternorum hortorum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam cum matronis, atque senatoribus ad lucernam decollavit. *Plin. ep.* 2, 17. Ante cryptoporticum xystus violis odoratus. *Tert. Apol.* 38. Nihil nobis est cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum xysti vanitate. *F.*] ℙ Hujusmodi xysti apti erant ambulationibus et collocutionibus hominum, et circa villas exstruebantur ornatus causa, consitis ordine arboribus ad umbram, floribus ad odorem, et sedilibus ad quietem. Hinc *Vitr.* 5, 9. Media vero spatia, quae erant sub divo inter porticus, adornanda viridibus videntur. *Plin. ep.* 5, 6. Ante porticum xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo. *Phaedr.* 2, 5. Perambulante laeta domino viridia, Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem. *Cic. Att.* 1, 8. Hermas, et signa, et cetera, quae tibi ejus loci, et nostri studii, et tuae elegantiae esse videbuntur, quam plurima, quam primumque mittas, et maxime, quae tibi gymnasii xystique videbuntur esse. *Id. Acad.* 4, 3. Cum pauca in xysto locuti essemus, tum eodem in spatio consedimus. *Suet. Aug.* 72. Praetoria sua, quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit. *Inscr.* ap. *Cavedon. Marm. Moden.* p. 206. *Qui* pecu*niam con*tulerunt *in* Caesareum faciun*dum*, in xystos Augusto*s no*vis operib*us cons*truendos ornando*sque*, etc.

Y

Y Graecorum vocalis est, qua in illorum dictionibus scribendis tantum utimur. Hujus loco antiqui, qui peregrinam litteram nullam recipiebant, quintam Latinorum vocalem substituebant. *Cic. Or.* 48. Burrum semper Ennius, nunquam Pyrrhum: Vi patefecerunt Bruges, non Phryges, ipsius antiqui declarant libri. Nec enim Graecam litteram adhibebant. Nunc autem etiam duas. Et cum Phrygum, et Phrygibus dicendum esset, absudum erat aut tantum barbaris casibus Graecam litteram adhibere, aut recto casu solum Graece loqui: tamen et Phryges, et Pyrrhum aurium causa dicimus. *Capell.* 3, 58. Y appressis labris spirituque procedit, *h. e.* eo sono effertur, quo Galli et Brixiani et Bergomates suum *u.* ℙ *Auson. Idyll. de litter. monosyll.* 12, 9. Pythagorae bivium ramis pateo ambiguis Y. Dicitur *littera Pythagorae*, non quod ab eo inventa fuerit (est enim inventum Palamedis ex volatu grum), sed quod ejus figura utebatur ad significandum bivium vitae humanae per virtutes, aut per vitia. *Lactant.* 6, 3. Dicunt, humanae vitae cursum Y litterae esse similem, quia unusquisque hominum, cum primum adolescentiae limen attigerit, et in eum locum venerit, partes ubi se via findit in ambas *(Virg. A.* 6, 540.), haereat nutabundus, etc. V. PYTHAGORAS. ℙ Proprium est hujus litterae, ut initio dictionum perpetuo aspiretur. Quare quae ab ea incipiunt voces, in littera H quaerendae sunt.

*YACINTHUS, i. q. hyacinthus. *Gloss. Lat. Gr.* Yacinthus, ὑάκινθος. Sic *Id.* Ypocrita, ὑποκριτὴς. Ypotheca, ὑποθήκη. *B. A.*

Y N

*YNITALŌPEX, ecis, vel

*YNITALOPĪCA, ae, f. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 34. Ynitalopicas viseres de harenis profundis emergere non minus longitudinis cubitis X; eaeque quo poterant homines involant: ubi terminationem *eas* saltem praetulerim: est enim ab ἀλώπηξ, ut *Chenatopex*. Videntur (ait *Maius*) intelligendi *Indici mures. B. A.*

Y P

*YPOCRĪTA et *YPOTHĒCA. } V. in *Yacinthus. B. A.*

Y T

*YTUMNA, ae, Galliae Celticae flumen, alio nomine Itumna et Icauna. *Guil. Aremoric. Philipp.* 10. 640. At Senones et terra ferax a flumine Ytumna, Usque locum quo Sequanio Lupa confluit amni: ubi *Icumna* legendum censet *Valesius. B. A.*

Y U

*YUNGUS, i, vicus Galliae Belgicae, medio inter Remos Treverosque loco. *Anton. Itin.* ℙ *Cluverio* est *Ligny. B. A.*

Z

Z Littera Graeca est, qua in Latinis dictionibus non utimur. Est semivocalis (ut ait *Diomed.* 2, 415.) ex genere litterarum duplicium. Valet enim *sd*. Ejus loco nos substituimus interdum geminum *ss*, ut *patrisso* pro παυρίζω, *pitisso* pro πιτίζω, interdum *sd*, ut *Esdras* pro Ἔζρας. Antiqui loco ejus unicum aliquando *s* scribebant, ut *Sacynthus* pro Ζάκυνθος, *Sethus* pro Ζήθος. Nonnunquam etiam *d* litteram loco ejus usurpabant, ut *Medentius* pro *Mezentius*. Sed hoc tantum apud antiquissimos, qui peregrinas nullas litteras recipiebant. ℙ Pluribus contendit *Pier.* ad *A.* 7, 648. hanc litteram non semper esse duplicem. V. et *Voss. Gram.* 1, 21.

Z A

*ZABDICĒNA, ae, regio sive pars Mesopotamiae. *Ammian.* 25, 23. vel 8. *med.* p. 434. *Vales.* cujus notam V. *B. A.*

[ZABERNA, ae, f. mantica seu pera, in qua, juxta *Papiam*, vestes ponuntur, et quidquid aliud. Vox barbara videtur, et ejusdem originis ac ap. *Suidam* ζάβα, lorica, et ζαβαρεῖον, zabarum seu loricarum repositorium, unde fortasse *tabarro* Italorum. *Edict. Dioclet.* p. 25. Pili neti ad diabernas, vel saccos P. I., ℵ decem; et *mox:* Zabernarum, vel saccorum par habens pondo triginta, ℵ quadragentis (lege *quadragenis*) *h. e. un pajo di bisaccie.* Scriptionis autem differentia in *diaberna* et *zaberna* est ex Aeolica praepositione ζὰ pro διά. V. AVERTA; quae vox aliquam habet tum formae, tum significationis cum hac nostra analogiam. *F.*]

ZĂBŪLUS, i, m. Ζάβολος, idem qui Diabolus: a ζα particula intentiva: vel Aeolice pro διά. *Lactant. Mort. persecut.* 16. Novem proeliis Zabulum cum satellitibus suis debellasti. ℙ *Scribitur et *zabolus. Paullin. carm. ad Cyther.* 597. Quibus peremptis interibit Zabolus. *Id. ep.* 34, 10. V. *Ambros. de fide contra Arian.* 6. *Cyprian. serm.* 2. *de zelo*, et cf. *Drus.* ad *Nor. Test.* P. 2. p. 8. *Barth.* ad *Phoebad.* p. 48. sq. *B. A.*

*ZACHALĪAS, ae, m Babylonius, scripsit de gemmis ad Mithridatem regem. *Plin.* 37, 10. Zachalias Babylonius, in his libris, quos scripsit ad regem Mithridatem. ℙ Fortasse idem, qui *Zachlas* audit *Appuleio.* V. *B. A.*

*ZACHLAS, ae, m. Aegyptius sacerdos. *Appul. Met.* 2, 127. *med. Elmenh.* Zachlas Aegyptius, propheta primarius, *h. e.* magus. V. *Zachalias. B. A.*

ZĂCYNTHĪUS, a, um, adj. Ζακύνθιος, ad Zacynthum pertinens, quae est insula in Ionio mari prope Peloponnesum, nunc *Zante. Nep. Dion.* 9. Zacynthios adolescentes quosdam elegit. *Pl. Merc.* 5, 2, 104. Calchas iste quidem Zacynthius est. *Plin.* 35, 15, 51. Zacynthium bitumen.

ZĂCYNTHUS, f. Ζάκυνθος, insula in Ionio mari, nunc *Zante. Virg. A.* 3, 270. Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos. *Ov. Her.* 1, 87. alta Zacynthos. ℙ Ap. *Sil.* 1, 275. est nomen viri proprium, qui Saguntum in Hispania condidisse fertur,

*ZAGEĪAE, arum, populi Africae, in Troglodytica. *Plin.* 6, 29. ubi quartum *Zageras* habes. *B. A.*

*ZAGRUS, i, m. mons Mediae. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*ZAITA. V. v. sq. *B. A.*

*ZAITHA, ae, f. oppidum Mesopotamiae. *Ammian.* 13, 5. *Vales.* p. 360. (al. 12.) *Ζείθα* est *Ptolemaeo*, *Ζανθὰ Zosimo.* ℙ Scribitur et *Zaita. B. A.*

*ZALĀTES, ae, m. vir impudicus et mollis, de quo *Juvenal. Sat.* 2, 164. Armenius Zalates cunctis narratur ephebis Mollior. *B. A.*

*ZALEUCUS, i, m. Ζάλευκος, legislator Locrensis. *Cic. Att. ep.* 6, 1. *Id. de Leg.* 1, 22. et 2, 6. *Sen. ep.* 90. *med. Auson. profess. Burdig.* 23. Sanxerit, et Locris dederit qua jura Zaleucus. ℙ In *Val. Max.* 1, 2. *Seleucus* male scribebatur. ℙ De Zaleuco V. omnino acutissimum *Bentleium, Dissertion upon the Epistles of Phalaris*, p. 335. sq. *B. A.*

[ZĂMENSIS, e, adj. ad Zamam pertinens, nunc *Zamora*, urbem regiam, Numidiae caput, victoria Scipionis de Annibale illustrissimam. Ejus meminit *Sall. Jug.* 61., *Liv.* 30, 29., *Sil.* 3, 261. aliique. *Inscr.* ap. *Grut.* 364, 1. Coloni coloniae Aelianae Hadrianae Aug. Zamae regiae. *Plin.* 5, 4, 4. Zamense oppidum. *Zamenses, ium*, absolute, incolae hujus urbis. *Auct. B. Afr.* 92. Zamenses interim legatos de iis rebus ad Caesarem Uticam mittunt. *F.*]

ZĂMIA, ae, f. detrimentum, jactura: a Graeco ζημία, et Dorice ζαμία. *Pl. Aul* 2, 2, 19. Nemini credo, qui large blandu'st dives pauperi: ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam. *Hypallage* est, h. e. aliqua zamia pauperem onerat. ℙ *Zamiae* ap. *Plin.* 16, 26, 44. dicuntur nuces pini arboris, quae maturescentes se dividunt: et appellationis ratio est, quia, nisi decerpantur, ceteras laedunt. *Hard.* rectius leg. *azaniae* ex MSS.

*ZAMNES, oppidum Aethiopiae, vel Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*ZAMOLXIS vel Zamolxis, is, m. philosophus, Thrax. *Appul. Apol.* 290. 191. *Elmenh.* ℙ Alius, inter Getas natus, servus Pythagorae ac discipulus, ad Aegyptios una cum eo penetravit, deinde eorum ritus in patriam deduxit, a suisque post mortem pro deo habitus. V. *Herod.* 4, 94. sq. *Laert.* 8, 2. *Suid.* et *Etymol. Mag.* in v. De eo silent Latini auctores. Ceterum *Zalmoxis*, Ζάλμοξις, potius scribendum, patet ex *Varietate Lectionis* in ed. *Herod. Schweighaeuser. B. A.*

*ZAMOLXIS. V. v. praec. *B. A.*

ZANCHA et Zanga, et Tzanga, ae, f. ζάγχη, genus calceamenti, quo pedes et media crura constringuntur, unde Italorum *stivale*, scilicet a στείβω, premo, constringo, et Latinorum *stipo*, *as*, et *stiva*, *ae*, pars aratri. Fiebat autem ex pelle Parthica, quae a Parthis mollissima et delicatissima conficiebatur: videtur esse ab ἄγχω, constringo: unde recentiorum Gallorum *sangle*, cinctorum. *Imp. Gall.* ap. *Treb. Claud.* 17. Misi autem ad eum zanchas de nostris Parthicis paria tria. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 14, 10, 2. Usum tzangarum atque bracarum intra Urbem venerabilem nemini liceat usurpare. Adde *ib. Acron.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 6, 27. Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus: Nigris pellibus, inquit, zangis. *Gloss. Isid.* Zanga, pellis.

ZANCLAEUS et Zanclēius, a, um, adj. ad Zanclen pertinens. *Ov. Met.* 13, 729. Sub noctem potitur Zanclaea classis arena, *h. e.* Sicula. *Id. Fast.* 4, 499. et te, Zanclaea Charybdi. *Id. Met.* 14, 47. Oppositamque petens contra Zancleia saxa, Rhegion ingreditur. *Sil.* 14, 48. Zanclaea moenia, *h. e.* Messanae.

ZANCLE, es, f. Ζάγκλη, Sicilia, a ζάγκλη, id est a Saturni falce, quam poetae fabulantur in Siciliam decidisse. Quam fabulam inde ortam putat *Macr. Sat.* 1, 8. *extr.*, quod Sicilia in primis frugum fertilis sit. Saturnus autem primus putatur in Italia frugum usum invenisse. *Ov. Met.* 15, 290. Zancle quoque juncta fuisse Italiae legitur, donec confinia pontus Abstulit, et media tellurem reppulit unda. ℙ Eodem nomine appellata est etiam Messana ejusdem Siciliae urbs ad fretum, de qua *Sil.* 14, 48. Nec Vanclae gerunt obscuram moenia famam, Dextera quam tribuit posito Saturnia telo. *Ov. Met.* 14, 5. Liquerat et Zanclen, adversaque moenia Rhegi. Adde *Sil.* 1, 662. ℙ *Item oppidum Peloponnesi, in Messenia. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

ZANCLEĬUS. V. in ZANCLAEUS.

*ZAO, promontorium Galliae Narbonensis *Plin.* 3, 4. ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* deest haec vox. *B. A.*

ZAPLŪTUS, a, um, adj. ζαπλούτος, valde dives: a ζα particula intentiva, et πλοῦτος, divitiae. *Petr. fragm. Trag.* 37. *Burm.* Ipse nescit, quid habeat: adeo zaplutus est. Adde *Not. Tir.* p. 157.

*ZAPAORTENON (genitiv.) occurrit ap. *Justin.* 41, 5. Urbem nomine Daram in monte Zapaortenon condit. i. e. (fortasse) in regione Zapaortene vel potius Apavortene. *B. A.*

*ZARA, ae, oppidum Armeniae minoris. *Anton. Itin. B. A.*

*ZARANGAE, arum, populi Asiae ulterioris, in Drangiana. *Plin.* 6, 2. *B. A.*

*ZARAT. V. v. sq. *B. A.*

*ZARATH vel Zarat, oppidum Mauretaniae Caesariensis. *Appul. Apol.* 289. *med. Elmenh.* et *Anton. Itin.* ℙ Hinc

*ZARATHENSIS, e, adj. ad Zarath spectans. *Appul. Apol.* 289. *Elmenh.* Agrum Zarathensem. *B. A.*

*ZARATUS, i, m. magus quidam apud Medos. *Plin.* 39, 1. *B. A.*

*ZARAX, oppidum Laconiae. *Plin.* 4, 3. *B. A.*

*ZARIASPA, ae, vel Zariaspe, es, f. oppidum Bactrianae, i. q. Bactrum. *Plin.* 6, 15. Ad Bactra oppidum, quod appellant Zariaspa. *Id. ib.* 16. Bactri, quorum oppidum Zariaspe (quod postea Bactrum) a flumine adpellatum est. ℙ Zariaspa, urbs Drangianae. V. v. sq. *B. A.*

*ZARIASPAE, arum, populi Asiae, in Drangiana. *Plin.* 6, 23. Prophthasia oppidum Zariasparum. *Id.* 6, 17. Inde ad Prohthasiam Drangarum CXCIX millia. *Strabo* l. 15. p. 497. Πρόφθασίαν τῆς Δραγγιανῆς. Quae omnia argumento sunt, Zariaspas partem Drangarum fuisse, qui a Zariaspa urbe dicti, non autem illa Bactrianae (prout censet *Harduinus*), sed quae in Drangis fuit aut prope illos. Sed Plinii *Zariaspae* suspecti *Cellario*, qui veretur ne *Ariaspas* seu *Agriaspas* aliorum in animo habuerit, si modo genuina illa scriptura. V. *Cellar. Geogr. antiqu.* T. 2. p. 724. *B. A.*

*ZARMIZEGETHUSA, urbs Daciae, postea Ulpia Trajana dicta, hodie vicus *Varhel. Ulpian* in *Pandect tit.* 15. leg. 1. ℙ *Sarmizegehusa* audit *Inscr.* ap. *Grut.* 6, 3. Adde *Inscr.* ap. *eund.* 437, 1. ubi errore lapicidae *Sarmizgetusa* appellatur. V. et *Reines.* class. 6. *Inscr.* 90. ℙ *Ptolemaeo* est Ζαρμιγέθουσα et plenius Ζαρμισαγέθουσα. *B. A.*

*ZAROTIS, fluvius Persidis, non procul ab Euphrate, in sinum Persicum influens. *Plin.* 6, 23. Flumen Zarotis ostio difficili Sic edidit *Harduinus* ex MSS. Antea legebatur *Oroatis. B. A.*

*ZARRHYTUS. V. v. sq. *B. A.*

*ZARYTUS vel Zarrhytus pro Diarrhytus, v. c. Hippo Zarytus vel Hippo Zarrhytus, oppidum Africae Propriae, in Zeugitana. Cf. vocem *Zabulus.* ℙ V. *Hippo. B. A.*

Z E

ZĔĀ, ae, f. genus frumenti simile farri. Graece est ζεα, pro quo et ζειὰ dicitur. Far sic vocari, scribit *Hieron.* in *Isai* 9, 28, 25. et in *Ezech.* 4, 9. Manifeste distinguit *Plin.* 18, 8, 19. Duo ejus genera tradit *Dioscor. l.* 20. *c.* 80. alterum simplex, et unius tantum grani, alterum, quod dioccon, hoc est gemini, et duplicis grani appellant, duobus utriculis conjunctum semen habens: ex quo fit sorbitio, vel puls, quae vocatur alica. *Plin. l. c.* Aegypto, ac Syriae, Ciciliaeque, et Asiae, ac Graeciae peculiares zea, olyra, typhe. Qui zea utuntur, non habent far. Est et haec Italiae, in Campania maxime, semenque appellatur. ℙ Est etiam zea rorismarini species. *Appul. Herb.* 97.

*ZELA, ae, f. oppidum Ponti, in finibus Aremeniae. *Hirt. B. Alex.* 72. *Plin.* 6, 3. a quo Ziela vocatur (Ζέλεια est *Dioni Cass.*) in Cappadocia ponit. ℙ Aliud, in Tracia, dictum est Flaviopolis. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

[ZĒLĀTOR, oris, m. qui zelat, et invidet. *Venant. carm.* 5, 6, 12. Serpens elatus, zelator, larveus hostis. *F.*]

*ZELĪA, ae, f. Ζελεία, oppidum Troadis. *Plin.* 5, 32. Cf. *Zela. B. A.*

ZĒLĪVĪRA mulier dicitur, quae cum alieno viro cubans, justae uxoris amorem suo praeferri timet. *Tert. Exhort. ad castit.* 9. Omnis mulier zelivira est, quamdiu aliena. Alii rectius pro *zelivira est* leg. caelibi alia est.

ZĒLO, as, a. l. ζηλόω, aemulor, cupide aliquid imitor, tam vehementer amo, ut neminem in partem amoris admitti patiar. *Tert. carm. adv. Marc.* 4, 36. Qui zelat populum summo pietatis amore. *August. Confess.* 1, 7. Vidi ego zelantem parvulum: nondum loquebatur, et intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum. ℙ Etiam *zelor, aris*, deponentis more usurpatur. *Vet. Poeta* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 595. *Burm.* Zeleris nimium cur mea, Marcie, Tamquam si pereas, limina, nescio, Cum sis proximior una velut domu, Et nostros paries dimidiet lares. **Vulgat. Reg.* 1, 19, 14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo etc. *B. A.*

ZĒLOTĒS, ae, m. ζηλωτής, accipitur pro amatore, qui nullum in amore fert rivalem. In hac significatione frequenter occurrit in sacris Litteris, praecipue apud Prophetas, qui Deum zelotem esse praedicant, hoc est zelotypum, et ferre non posse, ut amor ille, cultusqae sibi uni debitus, ad idola daemoniave transferatur. Adde *Tert. adv. Marc.* 1, 28. et *ib* 4, 25.

[ZĒLOTĪCUS, a, um, adj. ζηλωτικός, aemulus. *Not. Tir.* p. 59. Zelat, zelotypus, zeloticus. *F.*]

[ZĒLOTUS, a, um, adj. ζηλωτός, desiderabilis, expetendus. Graeca positione in *Inscr.* ap. *Mur.* 1769, 1. Zelotos jaceo. Vixi, dum fata sinebant. *Zelotos* videtur fuisse nomen proprium pueri immature defuncti, nam additur *mox:* Bis mihi septenis finis datur ultimus annis, Nomine me rapuit mors inimica meo. ℙ Est item cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 6. L. Vestorius Zelotus. *F.*]

ZĒLOTYPA, ae, f. ζηλοτύπη, mulier zelotypiam habens. *Petr. fragm. Trag.* 69. *Burm.* Noli zelotypa esse. *Juven.* 6, 277. Si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae.

ZĒLOTYPĬA, ae, f. ζηλοτυπία, aegritudo animi, cum, ne quis possideat, timemus, quod possidere soli cupimus. *Cic. Tusc.* 4, 8. Obtrectatio autem est ea, quam intelligi zelotypiam volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. *Ant.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Judicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quae magis a ζηλοτυπία mea, quam ab injuria tua nata est. *Plin.* 25, 7, 37. Nympha zelotypia erga Herculem mortua.

ZĒLOTYPUS, i, m. ζηλότυπος, idem ac zelotes, id est aemulator, suspiciosus in amore: a ζῆλος, et τύπος, quia in zelotypis non amor verus sit, sed ejus solum typus ac imago quaedam: vel quasi ζήλῳ τυπεὶς, zelo percussus, quia qui sic affectus est, rivalem in amore metuit, nec pati potest. *Juven.* 5, 45. zelotypo juvenis praelatus larbae. *Quint.* 4, 2. Quid exponet, qui zelotypum malae tractationis accusat? *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm.* Videbis populi rixam inter zelotypos, et amasiunculos. *Mart.* 1, 93. Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.

ZĒLUS, i, m. ζῆλος, fervor ille animi, qui in aemulatione cernitur, qui interdum vitiosus est, interdum cum virtute, quatenus scilicet vel ad honesta studiosius capessenda incitat, vel invidiam de alterius bonis, odiumque interdum parit. *Prud. Hamart.* 188. Arsit enim scintilla odii de fomite zeli. *Vitr.* 7. *praef.* Ptolemaeus infinito zelo, cupiditatisque incitatus studio ad eundem modum contenderat bibliothecam Alexandriae comparare. *Auson. epigr.* 77. Quin etiam cupio, junctus quia zelus amori, Ut videare aliis foeda, decora mihi.

ZĒMA, ae, f. ζέμα, vas culinarium, olla, cacabus, in quo coquuntur carnes: a ζέω, ferveo, bullio. *Apic.* 8, 1. *f.* Mittitur in zemam, elixatur in aqua marina, etc. (Adde *ib.* 6.) *Valerian. Imp.* ap. *Treb. Claud.* 14. Caucos, et scyphos, et zemas pondo undecim. Plerique alii hic leg. *zuma* neutr. plur. eod. sensu. Sunt etiam, qui *zyma*, ζύμη, h. e. fermentum, quod hic locum habere non videtur.

[ZĒNĀ, ae, m. et *F.*]

[ZĒNAS, atis, m. et *F.*]

[ZĒNĒ, es, f. nomina ὑποχοριστικὰ pro *Zenodorus* et *Zenodora:* a Ζῆν, Juppiter. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 238, 12. L. Calpurnius Zena. *Alia* ap. *Fabr.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. L. Zenas. Alia ap. *Mur.* 1608, 8. Zene Athenais contubernali. *F.*]

ZĒNO et Zenon, ōnis, m. Ζήνων, nomen duorum celebrium philosophorum. V. ZENONICUS. Prima positio recti casus saepe legitur ap. *Cic.* in libris philosophicis. De altera *Varr.* ap. *Non.* 2, 649. Ubi dicatur primus Zenon novam haeresim novo paxillo suspendisse. (Adde *Lactant var. in loc.*) V. RUBICO. *Juven.* 15, 106. melius nos Zenonis praecepta monent. *Mart* 9, 48. Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas, Quidquid et hirsutis pallet imaginibus, Sic quasi Pythagorae loqueris successor, et heres. ℙ *Alius, Epicureus. *Cic. Fin.* 1, 5. ℙ Alius, medicus, de quo *Cels. l* 5. *praef. B. A.* ℙ Est etiam cogn. R *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. P. P. L. Zenon.

*ZENOBĬA, ae, f. Ζηνοβία, regina Palmyrenorum, gente Judaea, humaniores literas a Sophista Longino didicit: post Odenati viri mortem in Syria Romanum rexit imperium: poniturque inter XXX tyrannos, qui tempore Galeni orbem usurpaverint. Superata tandem ab Aureliano, ac in triumphum ducta fuit, eique principis clementia Tiburte possessio concessa, ubi honeste matronae more Romanae agitaret. Haec ea castitate dicitur fuisse, ut ne cum viro suo nisi prolis gratia congrederetur. Regali alioquin pompa, Persarum fere modo adorabatur. Ad conciones galeata procedebat cum limbo purpureo gemmis dependentibus, voce clara, moribus severis. Graeci Aegyptiique sermonis peritissima, Latini non ignara. Herennianum et Timolaum filios literis erudiit. De quorum exitu nescitur, an interierint morbo, an ab Aureliano fuerint interfecti. *Trebell. Poll. de* XXX. *Tyrann. c.* 14. 23 et 29. *Vopisc.* in *Aurel. c.* 22. sq. *Eutrop.* 9, 9. (al. 13.) V. et *Zosim.* 1, 19. ℙ Zenobia possessio fuit Tiburte, Zenobiae, ut jam dictum est, reginae concessa. *Trebell. Pollio de* XXX. *Tyrann. c.* 30. Huic (*Zenobiae*) ab Aureliano vivere concessum est. Ferturque vixisse cum liberis, matronae jam more Romanae, data sibi possessione in Tiburti, quae hodieque Zenobia dicitur, non longe ab Adriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen est Conche. *B. A.*

[ZĒNODŌRUS, i, m. Jovis donum: a Ζῆν, Juppiter, et δῶρον, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 10. *n.* 1. p. 591. C. Curtius Zenodorus. *F.*]

*ZENODŌTUS, i, m. Ζηνόδοτος, grammaticus, qui *Suida* teste vixit temporibus Ptolemaei primi, cujus etiam filios erudiit, ac praefuit Alexandrinae bibliothecae. Primus quoque Homeri libros correxit, ac in ordinem redegit. Hic memorandus ob versiculum *Furii Bibaculi* ap. *Suet. Gramm.* 11. *En! cor Zenodoti, en! jecur Cratetis*, quem ille in Valerium Catonem scripsit; sed quem pro proverbio usurpant quidam. *B. A.*

ZĒNONĬĀNUS, a, um, adj. ad Zenonem pertinens, ut Zenoniana lex, *h. e.* a Zenone Imp. lata. *Justin. Instit.* 3. *tit.* 2. §. 3.

ZĒNONĪCUS, a, um, adj. ad Zenonem pertinens, qui fuit philosophus Pythagoricus Eleates, dialecticae inventor. Alter Cittieus, auctor fuit et princeps Stoicorum; de quo multa *Cic.* in libris philosophicis. Hinc *Zenonici*, qui alterutrius discipuli, eorumve sectae addicti fuerunt. *August. contr. Pel.* 2, 10.

[ZĒNONĪNUS, a, um, adj. ad Zenonem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 164, 4. Aurelia Zenonina. *F.*]

*ZEPHYRE, es, f. insula maris Mediterranei, Cretae vicina. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*ZEPHYRĬA dicta est Melos maris Mediterranei insula, teste *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[ZEPHYRĪNUS, a, um, adj. ad Zephyrum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 161. *n.* 176. M. Euratius Zephyrinus. *F.*]

*ZEPHYRĬON. V. v. sq. *B. A.*

*ZEPHYRIUM vel Zephyrion, i, n Ζεφύριον, Locrorum promontorium in Italia, a quo *Locri Epizephyrii* dicti, in extimo ejus agri jugo siti, juxta Heracleam et Crotonem. *Plin.* 3, 5. Locri cognominati a promontorio Zephyrio. *Mela* 2, 4. *Ov. Met.* 15, 705. ℙ Aliud, in Cyrenaica. *Mela* 1, 8. ℙ Aliud in Cilicia, cum oppido cognomine. *Liv.* 33, 20 Cf. *Plin* 5, 27. ℙ Item oppidum in terra Taurica, circa Bosporum Cimmerium. *Plin.* 4, 12. ℙ Fuit et Zephyrium insula quaedam dicta Halicarnasso olim adjacens, postea autem terris juncta, ipsiusque urbis pars. *Plin.* 2, 89. Id nomen etiam Halicarnasso haesisse, patet ex verbis *Steph. Byz.* Ζεφύριον, ἡ Ἁλικαρνασσοῦς τῆς Καρίας. *B. A.*

[ZĒPHYRIS, idis, f. est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 926, 8. Zephyris Liviae L. *F.*]

ZEPHYRĪTIS, idis, f. patronym. ad Arsinoem pertinens, Ptolemaei Philadelphi sororem uxoremque, quae post mortem templum habuit in Zephyrio, Libyae promontorio, sub nomine Veneris Zephyritidis. V. *Steph. Byz.* in Ζεφύριον. *Catull.* 66, 57. Isque (*Zephyrus*) per aetherias me (*comam Berenices*) tollens advocat umbras, Et veneris casto collocat in gremio. Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat, Grata Canopaeis in loca litoribus.

ZEPHYRĬUS, a, um, adj. Ζεφύριος, ad Zephyrum spectans. *Ova Zephyria*, ὠὰ Ζεφύρια, eadem ac hypenemia, et urina, ὑπηνέμια, id est ventosa, sterilia: a *Zephyrus*, quod vento putentur generari, seu potius quod inania sint instar venti. *Plin.* 10, 60, 80. Irrita ova, quae hypenemia diximus, quidam et vento putant generari: qua de causa etiam Zephyria appellantur. V. HYPENEMIUS, et URINUS.

ZEPHYRUS, i, m Ζέφυρος, unus ex quatuor ventis cardinalibus, qui flat ab occasu aequinoctiali, adversus Subsolanum, testibus *Gell.* 2, 22. et *Plin.* 18, 34, 67. *n.* 2. Sic dictus videtur quasi ζωηφόρος, sive τὸ ζῆν φέρων, h. e. ferens vitam, seu vivere, quia nempe τῷ θέρει πνέοντος αὐτοῦ οἱ καρποὶ αὔξονται, calore ipsius flantis fructus augentur: unde et genitalis mundi spiritus a *Plinio* appellatur. Idem est qui Latine Favonius. Sed *Vegetius* Zephyrum et Favonium diversos ventos esse vult. V. FAVONIUS et VENTUS. ℙ Hic ventus cum flat, ver inchoat, ut *Plin. l. c.* testatur. Hinc *Hor. Ep.* 1, 7, 13. te, dulcis amice, reviset Cum Zephyris, si concedas, et hirundine prima; et *Virg. G.* 1, 43. Vere novo, gelidus canis cum montibus humor Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit. ℙ Secundum fabulas fuit filius Astraei et Aurorae, ferturque Chlorin Nympham adamasse, eique concessisse, ut floribus praeesset, quae deinceps Flora dicta est. Narrat etiam *Serv.* in *Ecl.* 5, 48. unam ex Horis Zephyro tributam uxorem fuisse, ex qua susceperit filium Carpon nomine longe pulcherrimi corporis, qui post ab Jove in rerum omnium fructus conversus sit. Hac autem fabula designantur effectus hujus venti, omnes fructus genitali aura fecundantis, et ad maturitatem perducentis, ut dictum est. ℙ Hujus officium est portare nuntios Deorum, quos celeriter aliquo pervenire opus sit. *Virg. A.* 4, 222. Tum sic Mercurium alloquitur, et talia mandat: Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis. ℙ Pro quolibet vento. *Virg. A.* 4, 562. nec Zephyros audis spirare secundos? ℙ *Zephyrus Arsinoes delicium, Ptolemaei Philadelphi sororis uxorisque, memoratur ab *Auson.* in *Mosella v.* 315. ℙ Fuit et Zephyrus nomen unius e canibus Actaeonis. *Hyg. fab.* 181. *B. A.*

*ZERBIS, is, fluvius Assyriae, in Tigrim cadens. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*ZERNENSES, ium, incolae Zernae. Fuit autem Zerna vel Zernae oppidum Daciae. *Ulp.* in *Pandect. L.* 15, 1. Zernensium colonia, *h. e.* Zerna oppidum. *B. A.*

ZEROS, i, m. genus gemmae, similis iridi. *Plin.*

37, 9, 53. Similis est aspectu, sed non ejusdem affectus, quae vocatur zeros, alba nigraque macula in transversum distinguente crystallum.

ZERYNTHIUS, a, um, adj. ad Zerynthum opp. Samothraciae spectans. *Ov. Trist.* 1, 10, 19. Inde levi vento Zerynthia litora nacta Threiciam tetigit fessa carina Samon. *Liv.* 38, 41. Apollo Zerynthius.

ZĒTA, ae, f. idem omnino est ac diaeta. *Lamprid. Elag.* 31. Odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi. Adde etiam ea exempla in DIAETA allata, in quibus fere omnibus, ut ab eruditis observatum est, quaedam editiones habent *zeta*, quaedam *diaeta:* nam *zeta* ea ratione a diaeta facta est, qua a *diabolus zabulus*, et *ζαβάλλειν* a *διαβάλλειν*, etc. ut docet *Voss.* in *Etym.* ℙ Imo et *Ceta* scribebatur, ut est in *Inscr.* Aponensi ap. *Maff. Mus. Ver.* 127, 4. Lusor epidixibus et cetaes I. II. III. in greg. Veturian, etc. *h. e.* dictae I. II III. In hac autem voce vel errore quadratarii, sive potius idiotismo Patavinorum pro littera Z posita est C. ℙ *Zeta*, nomen hujus litterae, *ζῆτα*. *Auson. Idyll. de litter. monosyll.* 12, 11. Zeta jacens si surgat, erit nota, quae legitur N.

ZĒTĀRĬUS, ii, m. idem qui *diaetarius.* Sic *Paul. Sentent.* 3, 6, 58 zetarios vocat, quos *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* diaetarios.

ZĒTĔCŪLA. V. ZOTHECULA.

[ZĒTĒMA, ătis, n. *ζήτημα*, quaestio. *Inscr.* ap. *Mur.* 1282, 11. Zetema plenum et inanum. ℙ *Zetema, ae*, f. est cogn. R. (V. SCHEMA.) *Inscr.* ap. *Mur.* 1704. Hatilia (lege *Statilia*) Zetema. *F.*]

[ZĒTĒMĒNUS et Zitemenus, a, um, adj. *ζητημένος*, quaesitus, particip. praet. perf. pass. a *ζητέω*, quaero; omisso ε augmento, ex more Ionico. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Rosin. Dissert. isag. tab.* 15. *col.* 2. C. Lusius C. L. Zitemenus. Hic ex vulgi pronuntiatione *Zitemenus* pro *Zetemenus* scribitur. *F.*]

ZĒTES seu Zethes, ae, m. et Zethus, i, m. *Ζήτης, Ζήθης*, filius Boreae regis Thraciae, et Orithyiae, frater Calais. V. CALAIS.

*ZETHIS, oppidum Carmaniae. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard* ubi ed. *Elzev.* exhibet *Zetis. B. A.*

ZĒTHUS, i, m. *Ζήθος*, Jovis ex Antiopa filius, et frater Amphionis, cui adjutor fuit in condendis Thebis. Genuit ex Aedone uxore Itylum et Thium *Cic. Or.* 2, 37. Miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris. *Hor. Ep.* 1, 18, 41. Gratia sic fratrum geminorum Amphionis, atque Zethi dissiluit. ℙ Fuit etiam Zethus mathematicus quidam insignis, de quo *Sidon. ep.* 4, 3. Investigare cum Atlante sidera, cum Zetho pondera, cum Chrysippo numeros. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. L. Zethus. ℙ Scribitur et *Zetus* sine aspiratione.

*ZEUGES vel Zeugis. V. v. sq. *B. A.*

*ZEUGITĀNUS, a, um, adj. Zeugitana regio pars Africae propriae, ab Hadrumeto tendens usque ad Numidiam, qua Carthago, Utica, etc. Pars altera Byzacena dicta. *Plin.* 5, 4. A Tusca Zeugitana regio et quae proprie vocetur, Africa est. *Martian. Capell.* 6. *(de Africae provinciis) med.* p. 216. *Grot.* Interius Zeugitana regio, quae proprie vocatur Africa, habet haec tria promontoria etc. *Solin.* 27. (al. 40.) *in.* Omnis Africa a Zeugitano pede incipit: ubi V. *Salmas.* ℙ *Zeuges* et *Zeugis* etiam appellatur. *Aethic.* in *Cosmograph.* (ap. *Hard.* ad *Plin. l. c.*) Zeuges prius non unius loci cognomentum, sed totius provinciae fuit, velut in hodiernum ita a prudentibus accipitur. Byzantium (Byzacium) est ubi ejus metropolis civitas Hadrumetus sita est: Zeugis est, ubi Carthago civitas constituta est. *Isid. Orig.* 14, 5. Zeugis, ubi Carthago magna, ipsa est et vera Africa inter Byzacium et Numidiam sita. *B. A.*

ZEUGĪTES, ae, m. *ζευγίτης*, genus calami, seu arundinis in Orchomenio lacu: nomen habens ex eo, quod capiendis avibus usum habet. *Hesychio* enim *ζεῦγοι* sunt *βρόχοι ὀρτύκων*, laquei avium. *Plin.* 16, 36, 66. Cum igitur anno permanserit inundatio, proficiunt (*calami*) in aucupatoriam quoque amplitudinem: vocabantur zeugitae.

ZEUGMĂ, ătis, n. *ζεῦγμα*, Graeca vox, a *ζεύγνυμι*, jungo, idem est quod adjunctio, hoc est figura verborum per detractionem, qua plures sententiae uno connectuntur verbo, seu per quam ponitur ali quod verbum vel in principio, vel in medio, vel in fine periodi, quod alia etiam membra ejusdem periodi regere debeat, sine ulla mutatione generis, vel numeri, vel alterius accidentis. *Cic. Rosc. Am* 8. Cum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet. ℙ Triplex est, *protozeugma, mesozeugma, hypozeugma*, secundum tres illos modos, quibus fit. *Protozeugma*, vel primus modus est, cum illud vocabulum, unde membra orationis pendent, ponitur in principio. *Cic. Cluent.* 6. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. *Mesozeugma* est secundus modus, cum vocabulum in medio ponitur. *Auct. ad Her.* 4, 27. *f.* Formae dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate. *Hypozeugma*, vel tertius modus est, cum princeps illa vox in fine ponitur. *Cic. Cat.* 1, 9. Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaverit. *Ascon.* in *Verr.* 1, 18. Figura zeugma: ad singula enim subaudiendum est, *puto esse oportere.* ℙ Est etiam hoc nomine urbs Syriae ad Euphratem cum ponte, qua Bacchus transiit Indiam petens, et Alexander M. Parthiam, qui et urbem condidisse dicitur, unde *Pellaeum Zeugma* dicitur a *Lucan.* 8, 237. Adde *Stat. Silv.* 3, 2, 137. et *Plin.* 5, 12, 13. et *ib.* 24, 21. et 34, 15, 43. Nomen inde est, quod pontem habet, quo fluminum ripae junguntur. *Ζεῦγμα* enim conjunctio est, a *ζεύγνυμι*, jungo, ut dictum est.

[ZEUNITOR, oris, m. junctor, qui mulas jungit ad rhedam: a *ζεύγνυμι*, jungo. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 250. et 824. Genius collegii zeunitorum. *F.*]

ZEUS, i, m. piscis praestantissimi genus in Oceano Atlantico, et circa Gades, inter omnes, qui in eo mari capiuntur, bonitatis palmam obtinens. Gaditani alio nomine fabrum appellant, a colore, opinor, fuligineo, quo fabri plerumque nigricant. *Hesych. Ζεύς, εἶδος ἰχθύος. Plin.* 9, 18, 32. Est et haec natura, ut alii alibi pisces principatum obtineant: coracinus in Aegypto, zeus, idem faber appellatus, Gadibus, circa Ebusum salpa, etc. *Colum.* 8, 16. *f.* Ut Atlantico faber, qui et in nostro Gadium municipio generosissimis piscibus adnumeratur, eumque prisca consuetudine zeum appellamus.

[ZEUXIDAMUS, i, m. qui jungit populum: a *ζευγνυμι*, jungo, et *δᾶμος* Dorice pro *δῆμος*, populus. Est nomen serv. R. V. *Inscr.* in CAILLA. *F.*]

*ZEUXIPPE, es, f. uxor Teleontis, pater Butae. *Hygin. fab.* 14. *B. A.*

ZEUXIS, is et idis, m. *Ζεῦξις*, pictor Heracleotes, Parrhasii aequalis tempore, arte major, de quo multa *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2, 3. et 4. ubi *Zeuxidis* gen., *Zeuxin* accus. et *Zeuxide* ablat. ℙ *Item statuarii nomen. *Plin.* 34, 8. ℙ Blaudenius Zeuxis, homo e provincia Q. Ciceronis. V. *Blaudenius. B. A.*

Z I

*ZIELA, ae, f. oppidum in Ponto. *Plin.* 6, 3. V. *Zela. B. A.*

*ZIGAE, arum, populi Asiae, trans Maeotim lacum *Plin.* 7, 7. *B. A.*

*ZIGEBE, oppidum Moesiae inferioris, ad Pontum Euxinum. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*ZIGERUS, i, portus Indiae, eis Gangem situs. *Plin.* 6, 23. Si Zigerum portum Indiae peteret. *B. A.*

*ZILĪA vel Zilĭa, ae, f. *Ζιλεία, Ζιλία*, fluvius Mauritaniae Tingitanae. *Mela* 3, 10. ℙ Et nomen oppidi in ripa fluminis siti. *Mela ib.* ℙ Dicitur et *Zilis* vel *Julia Constantia Zilis* teste *Plin.* 5, 1. *B. A.*

*ZILIS. V. v. praec. *B. A.*

*ZIMARA, ae, oppidum Armeniae minoris. *Plin.* 5, 24. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

*ZIMIRIS, is, regio Aethiopiae. *Plin.* 36, 16. Invenitur hic *(magnes)* in Aethiopiae Zimiri: ita vocatur regio arenosa. *B. A.*

ZIMPIBĒRI, et

*ZINGI, orum, populi Scythiae Asiaticae, vel Sarmatiae Asiaticae, trans Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

ZINGIBĔRI, n. indecl. *ζιγγίβερις*, genus aromatis, parvas habens radices, albescentes, odoratas, sapore piperis. *Plin.* 12, 7, 14. de pipere: Non est hujus arboris radix, ut aliqui existimavere, quod vocant zimpiberi, alii vero zingiberi, quamquam sapore simile. Id enim in Arabia, atque Troglodytica in villis nascitur, parvae herbae radice candida. Adde *Cels.* 5, 23. *extr.* ℙ *Dicitur et *zinziber. Apic.* 2, 2. Zinziber minutum. *Pallad.* in *Octob.* 20. Triti piperis atque zinziberis. Adde *Cels. l. c. B. A.*

ZINZĪLŪLO, as, n. 1. verbum barbarum exprimens cantum quarundam avium submissiore voce, et crebris flexionibus canentium. *Auct. carm. Philom.* 43. Regulus, atque merops, et rubro pectore progne Consimili modulo zinzilulare sciunt. ℙ *Scribitur et *zinzibulo. B. A.*

*ZIOBERIS, is, Parthiae fluvius, cujus meminit *Curt.* 6, 4. et praeterea nemo. *B. A.*

*ZIRAS, ae, fluvius Moesiae inferioris, in Pontum Euxinum cadens. *Plin.* 4, 11. ed. *Hard.* ubi ed *Elzev.* exhibet *Zyras. B. A.*

ZIRBUS, i, m. idem quod omentum. *Apic.* 8, 6. *f.* Haedum in zirbo componere.

*ZIZAMA, oppidum Libyae inferioris. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

*ZIZANĬA, ae, f. i. q. zizanium. *Ambros.* Frumentum zizaniae. *B. A.*

ZIZANIUM, ii, n. *ζιζάνιον*, vitium tritici hordeique nimia loci uligine corrupti, jugibusve pluviis diluti, quod Latine *lolium* appellatur. Effigiem habet hordeo haud dissimilem, sed folium angustius, pinguius, et hispidius, semen exilius in cortice aculeato, florem autem subpurpureum. Legitur in vulgata S. Scripturae versione, ap. *Hieron.*, *August.* et alios Ecclesiasticos scriptores, et fere in plur. num. Antepaenultima longa ap. *Prud. Apoth.* 6, 8. *praef.* Zizaniorum semina; et *Venant. carm.* 5, 2, 41. De zizaniorum semina; et *Venant. carm.* 5, 2, 41. De zizaniorum semina; et *Venant. carm.* 5, 2, 41. De sazaniorum semina; et *Venant. carm.* 5, 2, 41. De zizaniorum semina; et *Venant. carm.* 5, 2, 41. De zizaniorum semina; et *Venant. carm.* 5, 2, 41. De ziz

*ZOMBIS, Mediae oppidum. *Ammian.* 23, 6. *med.* p. 375. *Vales. (al.* 23.) *B. A.*

ZOMOTĔGANĪTE, es, f. adj. (scil. subintelligitur patina) ζωμοτηγανίτη, a ζωμός, jus, et τήγανον, sartago. Patina piscium: zomoteganite ap. *Apic.* 4, 2. est patina piscium in suo jure coctorum. Ita quidem restituit *Humelbergius*, nam alii aliter legunt.

[ZON, ontis, m. ζών, vivens, particip. a ζάω, vivo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 367, 7. L. Atilio P. F. Zonti, etc. *F.*]

ZONA, ae, f. ζώνη, vinculum, quo cingimur, cinctus, balteus: a ζωννύω, cingo. *Ov. Fast.* 2, 320. Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit. *Hor. Od.* 1, 30, 5. et solutis Gratiae zonis, properentque Nymphae. ℙ Veteres in zonis pecuniam deferebant. *C. Gracchus* ap. *Gell.* 15, 12. Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. ℙ Hinc *zonam perdidit*, proverbialiter dicitur in eum, qui omni pecunia destitutus est. *Hor. Ep.* 2, 2, 40. Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit. ℙ *Zonam solvere* dicuntur novae nuptae quae viro traduntur, et primum cum eo concumbunt. Virgines enim non nisi cinctae procedebant, sed novae nuptae in cubiculum mariti deductae a pronuba cingulum, quod ex ovilla lana contextum, et nodo etiam (quem Herculaneum vocabant, V. NODUS.) nexum gerebant, solvebatur, et Dianae dicabatur. *Ov. Her.* 2, 115. Cui mea virginitas avibus libata sinistris, Castaque fallaci zona recincta manu. *Catull.* 2, 11. Tam gratum mihi, quam ferunt puellae Pernici aureolum fuisse malum, Quod zonam soluit diu ligatam. V. ATALANTA. ℙ Per translationem *zonae* dicuntur circuli quidam lati, coelum terramque veluti cingula quaedam ambientes. Sunt autem numero quinque, ex quibus media, quae inter Tropicos est, nimio calore, parum apta habitationi olim credita fuit; quae vero extremae sub Arctico, et Antarctico circulis sitae, nimio frigore horrent: unde et ipsae inhabitabiles habitae sunt: reliquae autem, ut quae medium inter torridam et gelidam situm obtinent, temperatae sunt, humanae vitae accommodatissimae. *Virg. G.* 1, 233. Quinpue tenent coelum zonae, quarum una corusco Semper sole rubens, et torrida semper ab igni: Quam circum extremae dextra laevaque trahuntur Caerulea glacie concretae atque imbribus atris. Has inter mediamque duae mortalibus aegris Munere concessae Divum, et via secta per ambas, Obliquus qua se signorum verteret ordo. *Ov. Met.* 1, 45. Utque duae dextra coelum totidemque sinistra Parte secant zonae, quinta est ardentior illis: Sic onus inclusum numero distinxit eodem Cura Dei, totidemque plagae tellure premuntur; Quarum quae media est, non est habitabilis aestu; Nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit, Temperiemque dedit mista cum frigore flamma. Adde *Cic. Somn. Scip.* 6., ubi eadem dicit, *zonae* vocabulo abstinet: item *Tibull.* 4, 1. a *v.* 151. et *Plin.* 2, 68, 68. ℙ Translate *zona* appellatur herpetis genus, quod etiam *zoster* dicitur; quia medium cingit hominem. *Scrib. Comp.* 63. Facit hoc medicamentum ad carbunculos, et ad ignem sacrum, et ad zonam, quam Graeci ἕρπητα dicunt. Adde *Plin. Val.* 3, 33.

ZONĀLIS, e, adj. ad zonam coeli pertinens. *Macr. Somn. Scip.* 2, 5. *med.* Eadem est in ejusdem zonalis ambitus continuatione temperies.

ZONĀRĬUS, a, um, adj. ad zonam pertinens, ut Sector zonarius, βαλαντιοτόμος, qui zonam, seu crumenam incidit, crumeniseca. *Pl. Trin.* 4, 2, 20. Mira sunt, ni illic homo est aut dormitator, aut sector zonarius. ℙ *Zonarius* absolute, qui zonas facit, ζωνιοπλόκος. *Cic. Fl.* 7. *f.* Quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt.

ZONĀTIM, adv. per gyrum. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 928. Zonatim circum impluvium cinerarios cludebat.

*ZONE, es, f. Ζώνη, promontorium Thraciae, in Aegaeum mare incurrens, e regione Thasi insulae. *Mela* 2, 2. *Plin.* 4, 11. ℙ Fuit et oppidum eodem nomine in promontorio situm, teste *Steph. Byz. B. A.*

ZONŬLA, ae, f. ζώνιον, parva zona. *Catull.* 61, 53. tibi (*Hymenaee*) virgines Zonula soluunt sinus. Adde *Ser.* ap. *Non.* 14, 15. V. ZONA. *Lampr. Alex. Sev.* 52. Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, et satur, et habens aliquid in zonula.

ZOOPHŌRUS, *et contracte* Zophorus, i, m. Ζωοφόρος, et Ζωφόρος, Graece est idem ac zodiacus: a ζῶον, animal, et φέρω, fero. ℙ Sic etiam dicitur in architectura pars columnae inter epistylium, et coronidim, idque, quia animalium, aliarumque rerum signis saepe ornatur. Utitur *Vitr.* 3, 3. *med.* Itali nunc *fregio* appellant, nempe a Phrygionibus, ut *Philander* ostendit.

ZOOPHTHALMOS, i, m. ζωόφθαλμος, herbae genus, in tectis, et subgrundiis nascentis, quae folium habet carnosum, et subrotundum oculi animalis similitudinem referens, unde et nomen accepit: a ζῶον, animal, et ὀφθαλμός, oculus. Notiore nomine aizoum, seu sempervivum majus vocatur. *Plin.* 25, 13, 102. Aizoi duo genera. Majus in fictilibus vasculis seritur, quod aliqui buphthalmon vocant, alii zoophthalmon, alii stergethron, quod amatoriis conveniat, alii hypogeson, quoniam in subgrundiis fere nascitur. Sunt qui ambrosiam potius vocant, et qui amerimnon: Itali sedum magnum, aut oculum, aut digitellum.

ZOPISSĀ, ae, f. ζώπισσα, pix navibus abrasa, quae admista cerae, et marino sale macerata multo est ad omnia efficacior, quam aliae pices: ita est appellata a ζέω, ῶ, ferveo, et πίσσα, pix, quia igne decoquitur, vel ab Hebr. זֶפֶת *zéphet*, pix. *Plin.* 16, 12, 23. Non omittendum, apud eosdem (*Subalpinos Italiae*) zopissam vocari derasam navibus maritimis picem cum cera, nihil non experiente vita, multo efficaciorem ad omnia, quibus pices, resinaeque prosunt, videlicet adjecto salis callo. *Id.* 21, 7, 26. Zopissam eradi navibus diximus, cera marino sale macerata.

[ZOPYRUS, a, um, adj. qui ignem suscitat: a ζωός, vivus, et πῦρ, ignis. Hoc nomine fuit illustris physiognomon, de quo mentio est ap. *Cic. Fat.* 5. et *Tusc.* 4, 37. ℙ Item nobilis Persa, qui sibi mutilatis auribus, labiis et naso, quasi transfuga a Dario rege Babylonem se contulit ab eodem oppugnatam. Receptus igitur, et dux belli constitutus, eandem Dario tradidit. *Just.* 3, 10. et sqq. ℙ Item orator Clazomenius, de quo *Quint.* 3, 6. ℙ Item caelator ap. *Plin.* 53, 12, 55. ℙ Item medicus ap. *Cels.* 23. Alterum (*antidotum*), quod Zopyrus regi Ptolemaeo dicitur composuisse, atque ambrosiam nominasse. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 101, 5. Q. Agrius Zopirus. *Alia* ap. *Mur.* 1786, 28. Laelia L. L. Zopyra. ℙ *Zopyron*, est herba, quae et clinopodion dicitur, serpylli similis, ap. *Plin.* 24, 15, 87.

*ZOROANDA, locus Armeniae majoris, ubi eruptio Tigris fluminis. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*ZOROASTRES, ae et is, m. Ζωροάστρης, rex Bactrianorum fuisse scribitur, Nini Assyriorum regis temporibus, annis quadringentis ante bellum Trojanum. Risit eodem, quo natus est, die, ut *Plinius* auctor est 7, 10. In fragmentis Pseudo-*Berosi* Chaldaei legitur, Zoroastrem fuisse Chamum, vel Cham, filium Noae, sic dictum quasi ζῶον ἄστρον, i. e. vivum astrum, a diligenti contemplatione motus siderum. Non enim magiam tantum condidit primus, quod *Plinius* tradit 30, 1. sed astrologiam etiam, seu Chaldaeorum artem, ut *Torrentius* ex Pseudo-*Clementis* 4. *Recognit.* ad *Hor. Od.* 1, 11. observat. Adde *Just.* 1, 1. Quem Zoroastrem, Misraimum, Chami filium, nepotem Noae fuisse, unde Aegyptii, Babylonii, Persae orti sint, et a Daemone, qui frequens ipsi adfuit, fuisse exustum, eodem tradit auctore. *Scaliger*, Zoroastrem magum aliquot seculis illo altero Bactrianorum rege posteriorem fuisse, *Animadversionibus Eusebianis* putat. Exstant Zoroastris oracula quaedam, quae *Psellus* exposuit Parisiis excusa. Sed de Zoroastre consulenda in primis est peculiaris dissertatio *Joh. Henr. Ursini;* qui cum p. 9. docuisset, Zoroastres sex pluresve nobis produci et edolari a nuperis scriptoribus, p. 17. ostendit, non nisi duorum mentionem fieri ab *Arnobio*, et ita fieri, ut illum *Hermippi* qui Bactrianus habebatur, manifeste explodat. Igitur ipse quoque secutus *Arnobium*. Bactriano Zoroastre p. 26. valere jusso, Zoroastrem verum non nisi unicum agnoscit, eum nempe p. 29. qui tempore ultimorum prophetarum magus insignis exstiterit, Cyrique regis familiaris, comes expeditionum ejus fuerit p. 32. Nam alterum illum, quem et magum, et Bactrianorum simul regem faciat *Justinus*, nugas meras esse: cum Bactriano illi verum nomen *Oxyartes* fuerit; *Justinus* autem hic *Hermippum* secutus videatur, qui primus *Eudoxi* fabulas interpolaverit p. 26. V. ibi et *Spicilegium Christoph. Arnoldi* p. 40 et 41. Simul autem ita confectae jacent opiniones eorum, qui Zoroastrem sibi in sacra temporum antiquissimorum historia videntur reperiisse, alii Chamum, alii Misraimum, alii Nimrodum eum fuisse tradentes: ut cum *B. Ursino* p. 9. multa mittamus in compendium. Id quod *Goropio* etiam *Becano* dictum esto, qui *Gallic.* 1, 27. Zoroastrem Oromazae filium interpretatur *Iapetum* Noachi filium. Sed horum omnium hallucinationes superavit *Phil. Cluverius*, Zoroastrem transformans in primum mortalium *Adamum*, *Germ. Ant.* 1, 23, 191. et 24, 206. ubi et Zoroastrem ac *Linum* eundem statuit hominem fuisse; castigatus obiter a *Petr. Lambec. Prodr. hist lit.* 1, 58. Adde, quae habet *Seldenus de Diis Syris* p. 320. et *Fabric. B. G.* 1, 36. V. et *Brucker. Hist. Crit. Philosoph.* 2, 109 sq. *Vales.* ad *Ammian.* 23. p. 374. ℙ Genitivum *Zoroastris* habes ap. *Appul. Apol. med.* p. 291. *Elmenh.* Cur mihi nosse non liceat vel Zamolxis bona verba vel Zoroastris sacerdotia? ℙ *Zoroastris* nomen μεθερμηνευόμενον, ἀστροθύτην sive *astrorum cultorem* significare docet *Laert.* in prooemio in vitas Philosophorum, ex *Dione* et *Hermodoro*. Pseudo-*Berosi* derivationem nominis supra dedimus. *B. A.*

ZOROASTRĒUS, a, um, adj. Ζωροάστρειος, ad Zoroastrum pertinens, qui fuit Bactrianorum rex, et primus artem magicam dicitur invenisse, et mundi principia, siderumque motus diligentissime spectasse, ut ait *Just.* 1, 1. Perperam primam corripit *Prud. Apoth.* 562. Qui Zoroastreos turbasset fronte susurros, *h. e.* magica carmina, *ubi male primam vocis syllabam corripuit *Prudentius*, cum Graecum sit Ζωροάστρης. Legitur et *Zoroastraeos. B. A. Appul. Herb.* 79. Rosmarinum Zoroastrei theopnoen, Latini salutarem vocant.

ZORONYSIUS, ii, m. ζωρονύσιος, genus gemmae. *Plin.* 37, 10, 70. Zoronysios in Indo flumine nascitur. Magorum gemma esse narratur, neque aliud amplius de ea. *Hard.* leg. *Zoranisceos* ex MSS.

[ZOSĪMUS, a, et ē, um, adj. ζώσιμος, η, ον, vitalis, qui vivere potest. Est cogn, R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 81, 2. P. Tossius Zosimus. *Alia* ap. *Grut.* 372, 5. M. Aurelius Syntychus Juliae Zosimae. *Alia* ap. *eund.* 669, 2. Papinia Zosime. ℙ Etiam *Zosime*, *enis*, declinatur, de qua declinatione consule *Lup. Epit. S. Sev.* p. 160. *Inscr.* ap. *eund. ib.* p. 164. Zosimeni mater filiae pientissimae. V. aliam in LANIPENDIUM. *F.*]

*ZOSĪMUS, i, m. libertus Plinii junioris, quem V. 5, 19. ℙ Zosimus, historicus Graecus, qui multa singularia prodidit de Constantino et sequentibus imperatoribus, quorum vitas prosequitur: iniquior tamen ipse in Christianos, utpote paganorum ipse facile pervicacissimus. *B. A.*

*ZOSIPPUS, i, m. Tyndaritanus nobilis, memoratus a *Cic. Verr.* 4, 42. *B. A.*

ZOSTER, ēris, m. ζωστήρ, genus ignis sacri, medium hominem ambientis, et enecantis, si cinxerit: a ζώννυμι, cingo. *Plin.* 26, 11, 74. Ignis sacri plura sunt genera, inter quae medium hominem ambiens, qui zoster appellatur, et enecat, si cinxerit. Adde *Plin. Val.* 3, 34. ℙ Item fruticis marini genus. *Plin.* 13, 25, 48. Non habet lingua alia nomen, quod Graeci vocant phycos, quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur; hic autem est frutex: folia lata colore viridi gignit, quod quidam prason vocant, alii zostera. ℙ Item oppidum et promontorium Atticae inter Piraeeum portum, et Ceam insulam. *Cic. Att.* 5, 12.

*ZOTĂLE, es, f. regio Asiae ulterioris, in Margiana. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

ZOTHĒCĂ, ae, f. locus in cubiculo secretior, parvum conclave cubiculo adjunctum, in quo studii, vel quietis causa degere solemus: a ζάω, vivo, et θήκη, repositorium. *Viscont.* in *Monum. Gabin.* p. 170., et *Mus. Pio-Clem.* T. 7. p. 103. *ed. Mediol.* et *Iconogr. Gr.* T. 1. p. 234. probat, vocabulum ζῶον, cum de sculptura sermo est, saepe statuam hominis, non animalis significare; hinc ap. *Diog. Laert.* 5, 16. Aristoteles testamento jubet statuas duas ponere quatuor cubitis longas Jovi et Minervae his verbis: Ζῶα λίθινα τετραπήχη Διὶ σωτῆρι, καὶ Ἀθηνᾷ σωτείρῃ. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Contra parietem medium zotheca perquam eleganter recedit, quae specularibus et velis obductis reductisve, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. Sunt qui legunt *diaeta:* verum ea lectio jamdiu ab eruditis rejecta est, neque cum hac *Plinii* descriptione convenire potest. ℙ De cellis sacris seu loculis, quos *nicchie* Itali dicunt. *Inscr.* ap. *Mur.* 690, 2. Ti. Claudio Aug. L. Felici ex consensu decuriae universae honoris causa zothecam publice dederunt: Atimetus L. sua pecunia adornavit. *Alia* ap. *Grut.* 49, 3. Herculi Saxano sacrum Ser. Sulpicius Trophimus aedem, zothecam, culinam pecunia sua a solo restituit. *Alia.* ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 1368. Veneri Verae Felici Gabinae A. Plautius Epaphroditus negotiator sericarius templum cum signo aereo effigie Veneris, item signis aereis N. IIII. dispositis in zothecis, et balbis (*h. e.* valvis) aereis, et aram aeream et omni cultu a solo sua pecunia fecit, etc. [*Plura adjecit *F.*]

ZOTHĒCŬLA, ae, f. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Mox zothecula refugit quasi in cubiculum idem. Quidam leg. *zetecula*, sed minus recte. *Sidon. ep.* 8, 16. Per armariola, et zotheculas nostras non remanserunt digna prolatu. Adde *ep.* 9, 11. *med.*

[ZOTĪCUS, a, um, adj. ζωτικός, vivax. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1312, 2. M. Aurelius Zoticus. *F.*]

*ZOTON vel Zotos, i, oppidum Aegypti, Aethiopiam versus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

Z U

ZŪMĀ. V. ZEMA.

ZURA, ae, f. semen paliuri, lingua Afrorum. *Plin.* 24, 13, 71. Paliurus quoque spinae genus est: semen ejus Afri zuram vocant, contra scorpiones efficacissimum, item calculosis, et tussi.

*ZURACHI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

Z Y

ZYGĬA, ae, f. ζυγία, genus aceris: a ζυγός, jugum, quod ex ea fiunt juga jumentis. *Plin.* 16, 15, 26. Tertium genus zygiam, rubentem, fissili ligno, cortice livido et scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt, et Latine carpinum appellant. ℙ Zygia tibia, est tibia nuptialis: a ζυγός, jugum, et

translate nuptiae. *Appul. Met.* 4. Sonus tibiae zygiae mutatur in querulum Lydium, cantusque laetus Hymenaei lugubri finitur ululatu. P *Zygia* etiam dicta est Juno, quia nuptiis praeerit. *Id. Met.* 6. Quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, et omnis Occidens Lucinam appellat.

ZYGIS, is, f. ζυγὶς, serpyllum silvestre, non serpens humi, quemadmodum hortense, sed in altitudinem increscens, ramulos edens tenues, surculosos, foliis refertos longioribus quam rutae, et durioribus et angustioribus, flores jucunde olentes, et gustu acres. *Appul. Herb.* 99.

ZYGOSTĂSIUM, ii, n. munus zygostatae. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 15, 26, 1. Quidquid de crithologia, et zygostasii munere eminentia tua disposuit, roboramus.

ZYGOSTĂTES, ae, m. libripens, qui praeest examini ponderum, nequa fraus in iis committatur, ζυγοστάτης: a ζυγὸς, quod etiam jugum librae significat, et ἵστημι, appendo. *Imp. Jul. Cod.* 10, 71, 2. et *Cod. Theod.* 12, 7, 2. Ideo placet, quem sermo Graecus appellat, per singulas civitates constitui zygostaten, qui pro sua fide atque industria neque fallat, neque fallatur, ut ad ejus arbitrium, atque ad ejus fidem, siqua inter vendentem emptoremque in solidis exorta fuerit contentio, dirimatur.

ZYMĂ. V. ZEMA.

ZYTHUM, i, n. ζύθος, potus ex hordeo aqua resoluto confectus, acris gustu, et vini in morem inebrians. *Jablonskius* in *Voc. Aegyptiac:* putat, zythum esse vocem Aegyptiacam: alii a ζέω pro ζέω, ferveo, duducunt. *Suidas* interpretatur οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος, idest vinum ex hordeo factum. Hinc etiam *Tac. G.* 23. Potui humor ex hordeo, aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus. *Plin.* 22, 25, 82. Et frugum quidem haec sunt in usu medico. Ex iisdem fiunt et potus, zythum in Aegypto; celia, et ceria in Hispania; cervisia, et plura genera in Gallia, aliisque provinciis, quorum omnium spuma cutem feminarum in facie nutrit. *Colum.* 10, 116. Ut Pelusiaci proritet pocula zythi. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. Zythum, quod in quibusdam provinciis ex tritico, vel hordeo, vel pane (*Cujac.* leg. *panico*) conficitur, vini appellatione non continebitur. Hujusmodi autem potus in Germania dicebatur *camum*, et *curmi;* in Dalmatia et Pannonia *sabaja;* in Palaestina *sicera*, quas voces vide supra suo loco.

VERBA

PARTIM GRAECA LATINE SCRIPTA, PARTIM BARBARA, PARTIM NULLO,
AUT MINUS IDONEO AUCTORE, SPARSA IN LEXICIS

CALEPINI, PASSERATII, BASILII FABRI, JUNCKERI

ET ALIORUM, A NOBIS IMPROBATA ET EXPULSA.

Satis visum est, si ea, sicut erant, describeremus, et utcumque interpretaremur, nullo praeterea adhibito examine. Supervacanea fuisset opera in his, quibus abstinendum censemus Latine scribenti.

A.

Abaces, ἀβακὴς, carens voce.
Abacion, ἀβάκιον, abaculus. Item parvum repositorium, aut tabella calculonum.
Abalienator, alienator.
Abambaceustos, ἀβαμβάκευστος, lenocinio nullo fucatus.
Abanec, Abenet, seu Abnet, zona sacerdotalis.
Abannatio, exsilium annuum.
Abaphus, ἄβαφος, non tinctus.
Abaptistus, ἀβάπτιστος, qui non mergitur.
Abar, ἄβαρ, placentae genus.
Abaris, incola continentis.
Abartenum, inhonestum. *Gloss. Isid.*
Abasa, infirma domus, h. e. basi et fundamento carens.
Abasanistus, ἀβασάνιστος, inexpertus, novitius.
Abascanos, ἀβάσκανος, invidia vacuus.
Abascantum, ἀβάσκαντον, fascini amuletum. Abascantos, ἀβασκάντως, sine invidia, aut fascino.
Abasileutus, ἀβασίλευτος, sine rege, sine domino.
Abason, infirma domus, h. e. sine base.
Abathmata, ἀβάθματα, bellariorum genus.
Abba, pater, ἄββα.
Abbatia, ἀββάτεια, abbatis dignitas.
Abbatialis, ad abbatem pertinens.
Abbatiola, parva abbatia.
Abblandior, blandior.
Abcaecatio, caecitas.
Abdicator, qui abdicat.
Abdicatorium, locus remotus et abditus.
Abductor, ablator, abigens.
Abebelum, consecratum, et quod tangi nefas est, ἀβέβηλον.
Aberta, averta.
Abestiarius, vestiarii praefectus.
Abhorrenter, abhorrendo.
Abhortor, dehortor.
Abjecto, projicio, abjicio.
Abiecula, parva abies.
Abietarius, faber lignarius.
Abjuges hostiae, jugum non expertae.
Ablactatio, a lacte depulsio.
Ablacto, as, a lacte removeo.
Ablaros, cochleare. *Isidor.*
Ablego, is, separo.
Ablucinatio, lucis alienatio.
Abiutes, Ablutium, } loca coenosa. *Gloss. Isid.*
Abluvio, onis, purgatio sordium.
Abnurus, uxor nepotis.
Aboculus, oculis captus.
Abomasum, genus intestini circa reticulum.
Abominator, qui abominatur.
Aborris, scandalosus. *Gloss. Isid.*
Abortitium, Abortitiosum, } abortivum.
Abrasio, abradendi actus.
Abrepto, abripio.
Abrigeum, splendor auri. *Gloss. Isid.*
Abrogans, humilis h. e. modestus. *Gloss. Isid.*
Abrotum, ἄβρωτον, non edule.
Abrumus agnus, a ruma, h. e, mamma depulsus.
Abscio, nescio. Item descisco.
Absconsio, occultatio. Item laterna.
Absecta, disjuncta, resecta.
Absectos, gemma nigra et ponderosa, distincta venis rubentibus.
Absentaneus, absens.
Absentio, dissentio.
Absideo, seorsum sedeo.
Absoleo, ab usu recedo.
Absolutor, qui absolvit.
Absonantia, dissonantia.
Absono, as, dissono, discordo.
Abspes, exspes.
Absterno, adjicio, repello.
Abstersorium, peniculus, muscarium in sacris adhibitum.
Abstino, contrarium τῷ destino.
Abstipulo, demitto, relinquo.
Abstlata, genus navis piraticae.
Abstorqueo, extorqueo.
Abstractum, forma sine subjecto apud dialecticos.
Abstringo, solvo, laxo.
Abstula, res quae facile accenditur.
Absus, *vel* Apsus, ager incultus.
Abterminatus, exterminatus.
Abterranei venti, ab terra flantes.
Abvacuatio, evacuatio.
Abulae aquae, thermae, balnea.
Abydocomae, ἀβυδοκόμαι, calumniatores, sycophantae.
Abyrtace, ἀβυρτάκη, genus edulii apud Medos ex porro, cardamo, allio, granis mali Punici, etc. confecti.
Abyrtacopoeus, ἀβυρτακοποιὸς, qui abyrtacen conficit.
Acacia, ἀκακία, innocentia, simplicitas.
Acacus, ἄκακος, simplex, innocens.
Acaena, ἄκαινα, virga decem pedum ad mensuram agrorum. Item stimulus boûm.
Acamasia, ἀκαμασία, negligentia.
Acantha, ἄκανθα, spina. Item spina dorsi.
Acaptare, captare.
Acarpia, ἀκαρπία, sterilitas.
Acarpos, ἄκαρπος, sterilis.
Acarus, ἄκαρος, vermiculus in cera nascens.
Acatalepsia, ἀκαταληψία, incomprehensibilitas.
Acatalepton, ἀκατάληπτον, incomprehensibile.
Acatalis, ἀκάταλις, parva juniperus: vel bacca juniperi.
Acatapalaestus, ἀκαταπάλαιστος, in lucta insuperabilis.
Acataphractarii, milites hastati non cataphracti.
Acalvaster, in anteriore parte calvus.
Accapito, *et* Accapto, agnoscere aliquem ut caput et dominum suum.
Accapitum, agnitio alicujus in caput et dominum suum.
Accaro, instrumentum rusticum.
Accelerantia, celeritas.
Accensa, census, seu datio ad censum.
Accensator, qui dat ad censum.
Accensibilis, qui facile accendi potest.
Accensio, actus accendendi, item accensendi. *Gloss.*
Accensiuncula, parva accensio, inflammatio.
Accenthuraria, acerra, turibulum.
Accento, as, accino.
Accepta, navis genus. *Gloss. Isid.*
Acceptabulum, acetabulum.
Accersio, et arcessio, vocatio.
Accessa, fluxus maris accedentis.
Accessivus, qui accedit, et adjungitur.
Accessorius, qui accedit.
Accia, genus avis.
Acciatus, gladius magnus et acutus.
Accidia, pigritia.
Accidiari, pigritia corripi.
Accipitrarius, accipitre venator, auceps.
Accisa, tributi genus.
Accismus, ἀκκισμὸς, stultitia, ineptiae.
Acciso, as, ἀκκίζω, ineptus sum, nugas ago.
Acclibanum, obliquum.
Acclinatorium, locus in quo acclinari et requiescere possumus.
Acclinus, acclinis.
Accludo, claudo.
Accognito, cognitum facio, promulgo.
Accolanus, accola.
Accredito, as, fidem facio.
Accubatus, us, morbus comitialis.
Accubia, acus.
Accubitor cubiculi, caput puerorum qui sunt in cubiculo.
Accubitrix, quae accubat.
Accucula, et Accuculia, solers, acutus. *Gloss. Isid.*
Accurso, as, saepe accurro.
Accusa, accusatio.
Acedia, pigritia, ignavia, ἀκηδία.
Acedio, et Acedior, pigritia corripior. Item indignor.
Acenceno, computo, rationem ineo.
Acentacer, in Sphaera barbarica est Venus.
Acero, as, paleis misceo.
Acestides, ἀκεστίδες, ferrariae fornaces, in quibus fit cadmia.
Acetabularius, ψηφοπαίκτης, qui acetabulis ludit.
Acetosa, Acetosella, } species herbae.
Acetosus, acidus.
Acetrum, urna aenea.
Achane, ἀχάνη, mensura aridorum apud Persas, capiens medimnos Atticos XLV.
Achanum, genus morbi in bubus.
Acharis, ἄχαρις, et
Acharistus, ἀχάριστος, injucundus, illepidus, ingratus, molestus.
Acheso, occasio.
Achilleas, vel Achilleis, genus hordei.
Achinus, horti villatici cultor.
Achiropictos (vox hybrida, ex ἄχειρος, et pictus) imago B. Mariae Virginis divinitus picta.
Achiropoeetos, ἀχειροποίητος, non manu factus.
Achirosis, mixtio luti cum paleis in nidis hirundinum.
Achne, ἄχνη, minutissima palea ex spicis inter triturandum evolans. Item minutia quaelibet.
Achrestus, ἄχρηστος, inutilis.
Achriogelos, ἀχρειόγελως, temere et stulte ridens.
Achronologia, ἀχρονολογία, error in chronologia.
Achrous, ἄχροος, sine colore.
Aciale, vel Aciare, flos et acies ferri.
Aciarium, acuum theca.
Acidonicus, acidus.
Aciecula, parva acies.
Acinesia, ἀκινησία, quies media inter systolen pulsus et diastolen.
Acinor, aris, tricor, in parvis moror.
Aciscularius, lapicida. *Gloss. Philox.*
Acitabulum, crepitaculum.
Acitura, stragulum.
Acla, modus agri.
Aclea, quercetum.
Aclerus, ἄκληρος, exheres, exsors.
Acleti, ἀκλητοὶ, invocati, non vocati.
Acmastica febris, ἀκμαστικὸς πυρετὸς, quae continuo crescit: vel quae aequali tenore perdurat.
Acme, ἀκμὴ, tempus, quo morbus in maximo vigore est. Item aetas XXV. annorum, in qua est finis crescendi in homine.
Acolastus, ἀκόλαστος, intemperans.
Acolor, mus.
Acoluthia, ἀκολουθία, consequentia.
Acoluthus, ἀκόλουθος, consequens.
Acolytus, ἀκώλυτος, qui nullis minis a proposito deterretur.
Aconitarius, qui aconita, seu quaevis venena miscet, aut vendit.
Acontias, ae, ἀκοντίας, serpens qui jaculi more in hominem prosilit.
Acquieto, as, quietum reddo.
Acra, certa terrae portio mensurata, variae tamen quantitatis.
Acraepala, ἀκραιπάλα, medicamenta ad excutiendam crapulam.
Acratisma, et Acratismus, ἀκράτισμα, et ἀκρατισμὸς, jentaculum ex pane mero macerato.
Acrementum, augmentum. Item omphacium.
Acribodicaeum, ἀκριβοδίκαιον, summum jus.
Acrimoniosus, acer, fortis, constans.
Acrimonium, acrimonia.
Acriviose, ἀκριβῶς, accurate, diligenter.
Acroaterium, ἀκροατήριον, locus quo conveniunt auditores.

Acrobalistae, ἀκροβαλισταὶ, equites velitares eminus jaculantes.
Acrochirismus, ἀκροχειρισμὸς, saltatio festiva, et colluctatio summis tantum manibus facta, in qua nulla pars corporis praeter extremos digitos tangebatur.
Acrochiristae, ἀκροχειρισταὶ, athletae summis inter se manibus depugnantes, nullo complexu haerentes, ut palaestritae.
Acrocolia, ae, ἀκροκωλία, extremitas membrorum, extremae partes mactatae hostiae, ut aures, rostra, summa pedum, quibus in antecoenio vescebantur.
Acrodrya, ἀκρόδρυα, arborum fructus lignoso cortice.
Acromallos, ἀκρόμαλλος, lanam habens brevis villi.
Acrophysium, ἀκροφύσιον, follis spiramentum, seu rostrum, quod fornacis ori inseritur.
Acrostolia, ἀκροστόλια, ornamenta prorae.
Acrotetus, ἀκρότητος, non respondens ad numerum saltationis. Item ineptus, intempestivus.
Acrothinia, ἀκροθίνια, primitiae frugum, quae de acervo tolli solent.
Acrothorax, ἀκροθώραξ, leviter ebrius. Alii exponunt, valde ebrius, quasi in summo ebrius.
Acrumen, acrimonia.
Actile, genus armaturae apud Gallos.
Actinosus, ἀκτινωτὸς, radiatus, illustris, splendidus. *Ambrosius.*
Actionare, in jus vocare.
Actionaricum, munus publicum.
Actionarii, qui res nostras agunt, procuratores.
Actionator, actor, procurator.
Activitas, vis.
Actius, melius, amplius.
Actubernalis, seu Adtubernalis, vicinus habitatione.
Aculus, ministerialis domus regiae.
Acupedium, seu Aequipedium, velocitas pedum.
Acupictile, Phrygium opus.
Acupictor, qui acu pingit, Phrygio.
Acupictura, Phrygium opus.
Acustici, ἀκουστικοὶ, auditores, discipuli.
Acutiare. acutum facere, acuere.
Acutiator, qui acuit.
Adagonista, certator.
Adaligni, ingenui, nobiles.
Adamabilis, amabilis.
Adamatrix, quae valde amat.
Adaquatus, aqua mixtus.
Adasus, tunica ab humeris non consuta.
Adaugma, augmentum.
Adcognito, notum facio.
Adcopiosus, valde copiosus.
Addamno, noceo.
Addephagia, ἀδδηφαγία, comestio usque ad satietatem.
Addextero, dexterum latus tego.
Addicto, as, postulo in judicio.
Additionalis. additicius.
Addretiare, stare juri.
Adechastus, ἀδέχαστος, qui munera non recipit.
Adelingus, nobilis.
Adempramentum, Ademprivum, Ademprum, certa pecuniae praestatio apud Germanos, et Gallos.
Ademo, emo.
Adenes, ἀδῆνες, strumae.
Adescatio, cibatus.
Adferial, aqua quae ad sepulcra fertur.
Adfiliatio, adoptatio.
Adhabeo, habeo.
Adhaerentia, adhaesio.
Adhoa, et Adhoamentum, vel Adhogamentum, certum militare servitium.
Adhortatorius, hortatorius.
Adjacentia, vicinitas.
Adiaphoria ἀδιαφορία, indifferentia.
Adibilis, aditu facilis.
Adincresco, cresco.
Adjocor, jocor.
Adipiculus, parvus adeps.
Adiposus, pinguis.
Adipsa, ἄδιψα, medicamenta, quae sitim sedant.
Adites, servi excubantes feminis.
Adjuramentum, adjuratio.
Adiurno, diem alicui dico.
Adjustitio, as, adaequo, coaequo.
Adlatero, as, ad latus alicujus gradior.
Adlegiare, lege seu juramento se purgare a culpa.
Adlicula, genus vestis. *Gloss. Isid.*
Adlitare, ad litus accedere.
Admembratim, per membra.
Adminiculatorius, auxiliarius.
Administratorius, ad administrandum aptus.
Admodiare, accomodare. Item fundum dare alicui sub certa praestatione.
Admodiator, qui accommodat.
Admonefacio, commonefacio.
Admonitorius, citatorius.
Adnigrati, prostrati, abjecti.
Adnumiastae, qui catalogum militum faciebant.
Adnumium, catalogus militum.
Adnuntiatio, edictum quo provinciis renunciabatur, quid in synodis actum et decretum esset.
Adoleschia, ἀδολέσχια, garrulitas.
Adoleschus, ἀδόλεσχος, garrulus.
Adoptarius, adoptati filius. *Gloss. Isid.*
Adoreola, parva adorea.
Adoriosus, gloriosus.
Adoxia, ἀδοξία, infamia.
Adoxus, ἄδοξος, inglorius, obscurus, infamis.
Adpetulantia, procacitas, petulantia. *Gloss. Isid.*
Adplano, adaequo. *Gloss. Isid.*
Adprecatio, precatio.
Adpunctare, constituere, condicere.
Adripagium, vectigal pro appulsu ad ripam.
Adripare, navem ad ripam appellere.
Adsalio, adorior, aggredior.
Adsalitura, et Adsaltura, aggressio.
Adsciticius, adscitus.
Adsessoria, libri de iis, quae agi viderunt JCti, cum essent adsessores.
Adstantia, praesentia.
Adstatim, statim.
Adstetrix, adsestrix.
Adsuetula, agaso.
Adteger, diminutus.
Adtestata fulgura, quae iterato fiebant, et significationem priorum attestabantur.
Adventatio, adventus. *Vet. Iterpr. Iren.*
Adventito, advento.
Adviso, as, nuntio.
Advisor, nuntius.
Adulatorculus, blandulus adulator.
Adulatus, us, adulatio.
Adumbrator, qui adumbrat
Aduncо, incurvo.
Adundatorium, clepsydra h rtulanorum
Adustivus, adurens.
Aegidius, haedus.
Aegirinon, αἰγείρινον, unguentum populneum.
Aegiros, ἄιγειρος, populus nigra.
Aegonomus, αἰγονόμος, caprarius.
Aegula, species sulphuris.
Aelii, ἄελοι, qui duas sorores duxerunt.
Aenautae, quasi ἀεὶ ναῦται, semper nautae: erat magistratus apud Milesios.
Aenigmaticus, αἰνιγματικὸς, obscurus, a communi intellectu remotus.
Aenigmatizo, αἰνιγματίζω, aenigmata profero.
Aenitrologium, genus carminis.
Aephi, mensura trium modiorum in aridis.
Aequanimis, aequanimus.
Aequicula, mensurae genus.
Aequidies, et
Aequidium, aequinoctium.
Aequilabia, commensurata.
Aequilancium, aequatio, aequipondium. *Gloss. Is.*
Aequilatium, aequatio.
Aequinomius, qui idem nomen habet.
Aequipollentia, aequalis potestas, apud dialecticos.
Aequipolleo, aeque polleo apud dialecticos.
Aequivocatio, ambiguitas.
Aequivoce, ambigue.
Aequorabiliter, navigando.
Aequoro, as, navigo.
Aeradi, spiritus corporei in aere degentes.
Aereolus, parvus nummus aereus.
Aerifex, faber aerarius.
Aerium, genus vectigalis.
Aerugino, as, aeruginem contraho. *Salvian.*
Aerumno, as, aerumnosum facio.
Aesculator, aeruscator.
Aesculor, aris, aeruscare.
Aestivalia, genus calceamenti aestatis tempore.
Aestivatio, traductio aestatis.
Aeternaliter, aeternum.
Aethaliones, αἰθαλίωνες, cicadae.
Aevintegri, integro aevo fruentes.
Aevosus, senex, longaevus.
Afa, pulvis.
Affabulatio, breve documentum fabulis subjectum.
Affectate, affectato.
Affibulo, as, fibula necto.
Affidati, in alicujus fidem et clientelam recepti.
Affigulo, as, per figuli artem formo, effingo.
Affirmative, affirmando.
Affirmativus, ajens.
Afflatio, afflatus.
Affortiare, fortiorem et spissiorem reddere.
Affostrata, reditus. *Gloss. Isid.*
Aforus, pisciculus, qui hamo capi nequit.
Afratum, spumeum: ab ἀφρὸς, spuma. *Isid. Orig.* 22, 2.
Afrutabulum, vasculum.
Agabo, qui negotia praecedit. *Gloss. Isid.*
Agagula, et Agagola, lenocinator, pantomimus. *Gloss. Isid.*
Agalacta, prata, ἀγάλακτα, quae gignendo in pecoribus lacti non sunt idonea.
Agalmatium, ἀγαλμάτιον, imaguncula.
Agaron, minister, officialis *Gloss. Isid.*
Agasyllis, ἀγασυλλὶς, frutex, unde succus destillat, quem ammonianum vocant.
Agasyrtus, ἀγάσυρτος, squalidus, sordidus.
Agathis, idis, ἀγαθὶς, fili glomus. Item species gemmae.
Agea, orum, victimae pro rebus agendis. Item dolabra. Item loca religiosa.
Agelada, juvenca: ab ἀγέλη, pecus.
Agelaeus panis, ἀγειλαῖος ἄρτος, cibarius.
Agelarius, dux gregis, pastor.
Agenda, vespertina et matutina lectio. Item liber, in quo continetur ratio Officii divini.
Ageratus, ἀγήρατος, lapis, quo antiqui usi sunt ad coria expolienda.
Agerculus, agellus.
Ageter, ἀγητὴρ, pars gutturis.
Aggeries, congeries.
Aggestim, aggeratim, acervatim.
Agginantes, explicantes *Gloss. Isid.*
Agglomeratio, glomeratio.
Agglutinatio, glutinatio.
Aggregatio, congregatio.
Aggurium, et Aggurus, placentae genus.
Agiades, milites Asiatici.
Agibilis. Res agibiles, res gerendae.
Agiae, glandulae.
Agigartos, ἀγίγαρτος, uva sine acinis.
Agilaea, bos qui inter gregem agit.
Agiopoliticon, topiarium quoddam.
Agioteria, sacra quaedam.
Agita, auxilium.
Agitarium, cunabulum quod agitatur ad sopiendos infantes.
Agitatorius, ad agendum seu ducendum aptus.
Aglidia, ἀγλίδια, segmenta in capitibus allii.
Aglotta, ἄγλωττος, lingua carens, infans.
Agnascentia, τὸ vicinum nasci.
Agneon, ἄγνειον, lupanar.
Agnile, agnorum stabulum.
Agnoetae ἀγνοῆται, ignari, indocti.
Agnomones, ἀγνώμονες, equi, quibus desunt dentes aetatis indices.
Agnythes, ἄγνυθες, lapides, quos stamini inter texendum appendunt textores.
Agonia, ἀγωνία, certamen, trepidatio, exanimatio.
Agonisma, ἀγώνισμα, certamen.
Agonizo, ἀγωνίζω, certo, contendo.
Agorada, emptio. *Gloss. Phil.*
Agoraeus, ἀγοραῖος, forensis.
Agresta, omphacium.
Agrestinus, agrestis. *Commodian.*
Agrimensorius, ad agrimensorem pertinens.
Agrippus, olea sterilis.
Agyrtae. ἀγύρται, praestigiatores, circulatores.
Ahenotympanum, ahenum corio tento personans.
Ahorta, et Aorta, ἀορτὴ, arteria princeps, quae sanguinem e cordis sinistro sinu exeuntem excipit.
Al, articulus Arabicus, ut apud Italos, *il. la, lo.*
Alaba, scriptura, vel atramentum.
Alabrum, instrumentum, quo fila vertuntur. *Isid. Or.* 19, 29. vocat alibrum.
Alacatia, ἀλακάτια, machinamenta, vel currus, qui utrinque vertuntur.
Alacrimonia, alacritas.
Alala, ἀλαλὴ, acclamatio militaris ante pugnam. Item vociferatio rusticorum. Item infantia, cum quis loqui nescit.
Alalagma, ἀλάλαγμα, clamor laetus militum. Item victorialis hymnus.
Alalus, ἄλαλος, qui fari nescit, infans.
Alapare, et Alapari, alapas infligere. *Gloss. Phil.*
Alapator, qui alapas infligit.
Alapus, parasitus, qui propter cibum alapas fert.
Alapor, aris, alapas infligo. *Gloss. Phil.*
Alazonia, ἀλαζονία, jactantia, arrogantia.
Alba, vestis alba.
Albanae, nuces pristinae. *Gloss. Isid.*
Albavetae, gemmae candidissimae inclusae bullis, seu ornamentis orbiculatis.
Alberga, diversorium, hospitium.
Albergariae, census qui debentur pro comestionibus.
Alcaea, ἀλκαία, cauda leonis.
Alcamna, ligustrum.
Alcarmes, Punica lingua est coccum, ex quo fit color, qui dicitur *chermisi.*
Alchimista, qui alchimiam exercet.
Aldius, servus liber factus, sed cum impositione operarum.
Alearium, locus ubi alea luditur.
Alebra, bona, quibus alimur. *Gloss. Isid.*
Alembicum, foramen, per quod aquae e balneo effluunt: vel fistula, per quam aqua influit in balneum.
Aleola, parva alea.
Alethina, ἀληθινὴ, germana, vera. Alethina vestis, vere purpurea.
Aleurites panis, ἀλευρίτης ἄρτος, panis ex farina frumenti.
Aleuron, ἄλευρον, farina frumenti.
Alexicacon, ἀλεξίκακον, amuletum.
Alexiterion, ἀλεξιτήριον, alexipharmacum.
Algebra, ars supputandi per litteras.
Algorismus, numerandi scientia.
Algorista, supputator peritus.
Algoristicae notae, figurae numerorum.

Algorithmus, arithmetica, supputatio.
Aliacalon, bonum nuntium.
Alibantes, mortui: *παρὰ τό μὴ ἔχειν λιβάδα*, humido naturali carere.
Alibrum. V. *Alabrum.*
Alices facere, idest extensiones omnium membrorum, ut qui e somno expergefiunt
Alicruda, alimenta cruda.
Aliformis, instar alae.
Aligero, as, alas gero.
Alima, *ἄλιμα*, medicamenta famem sedantia, aut prohibentia.
Alipaena, *ἀλίπαινα*, emplastra ex medicamentis non pinguibus.
Alipanta, *ἀλιπαντα*, alipaena.
alipasma, pulviculus oleo mixtus ad cohibendos sudores.
Alipilarius, alipilus.
Alipterium, *ἀλειπτήριον*, locus in balneis, in quo loti ungebantur.
Aliqualis, aliquis, alicujus generis.
Aliqualiter, aliquo modo.
Aliquorsum, aliquoversum.
Aliquousque, usque ad aliquem locum.
Allage, *ἀλλαγή*, mutatio.
Allagion, cursus publicus.
Allantopaeus, *ἀλλαντοποιὸς*, botellorum, et farciminum artifex.
Allaudialis, et Allodialis, liber et nemini obnoxius.
Allaudium, et Allodium, res libera, et a tributo immunis. *Gloss. Phil.*
Allaximarium, vestiarium imperatoris.
Allegamen, allegatio. *Guil. Brito.*
Allelengum, seu Allelengyum, genus tributi.
Allenae, corrigiae frenorum.
Allevaticius, allevatus, sublevatus. *Interp. Iren.*
Alligamen, et
Alligamentum, alligatura. *Gloss. Phil.*
Alliger, ad Ligerim habitans.
Alligurio, ligurio.
Allo cos.
Allocare, rem admittere ut veram et probatam.
Alloces, pedum digiti.
Allodium. V. *Allaudium.*
Alloeotheta, *ἀλλοιόθετα*, varie posita, aliter posita
Allubescentia, obedientia, obsequium.
Allutes, et
Allutia, et
Allutium, locus coenosus. *Gloss. Isid.*
Alma, Hebraeis est virgo abscondita et secreta.
Almitas, nutrimentum. *Gloss. Phil.* Item sanctitas.
Almutium, amictus, quo canonici olim caput humerosque tegebant.
Alnetum, locus alnis consitus. *Guil. Brito.*
Aloeticus, ex aloe factus.
Alogista, *ἀλογιστος*, a rationibus reddendis immunis.
Alogistia, *ἀλογιστία*, immunitas a reddendis rationibus.
Alogium, actio in eum, qui rationes non reddit.
Alogostablos, equile.
Alogus, *ἄλογος*, equus.
A longe, e longinquo.
Alopagium, jus pascendi pecora in Alpibus, et pensitatio tributi pro hoc jure.
Alopecodes, *ἀλωπεκώδης*, vafer, versutus.
Alopeces, carunculae lumbis circumpositae.
Alopecides, *ἀλοπεκίδες*, canes ex vulpe et cane progeniti.
Alopecus, alopecia laborans, *ἀλώπεκος*.
Alopus, qui mercede alapas patitur. *Gloss. Isid.* Alii leg. *alapus.*
Alosanthus, *ἀλόσανθος*, flos salis.
Alpestris, alpinus.
Alpaticum, alopagium.
Alphabetarius, abecedarius, tiro.
Alphabeticus, ad alphabetum pertinens.
Altararius, sacerdos.
Altariolum, arula.
Alterabilis, qui mutari potest.
Alteratus, alter.
Alteria, pharmaca composita.
Alteritas, vicissitudo.
Altiloquus, qui alta loquitur. *Cathol.*
Altimeter, instrumentum quo alta metimur.
Alusia, *ἀλουσία*, abstinentia a balneo,
Alutamen, et
Alutamentum, opus ex concinnatis pellibus factum.
Alvulus, parva alvus. *Cathol.*
Ama, avis nocturna, quae et strix dicitur. Amae, seu hamae, urceoli, qui in sacrificio altaris adhibentur. Item donaria ad ornatus templorum.
Amalgama, mixtura quaedam metalli cum hydrargyro, ut illi incorpatum instar butyri possit extendi.
Amalgamatio, solutio metalli in minimas partes per argentum vivum: et potest fieri in omnibus metallis, excepto ferro.
Amanere, seorsum manere.
Amaroticus, amarus. *Theod. Prisc.*
Amarulente, amare, acerbe.
Amarulentia, amaror.
Amatricula, parva amatrix. *Cathol.*
Amaurosis, *ἀμαύρωσις*, oculorum caligo, suffusio.
Amaxa, *ἄμαξα*, currus, plaustrum.
Amaxeus, *ἀμαξεύς*, auriga.
Ambarum, genus odoramenti, succinum. V. *Ambra.*
Ambasciator et Ambasiator, legatus, nuntius.
Ambidexter, aequimanus.
Ambiformis, biformis, duplex.
Ambigenes, loca flexuosa.
Ambiguosus, ambagibus plenus, ambiguus.
Ambiloquus, bilinguis.
Ambimanus, aequimanus.
Amblotica, *ἀμβλωτικὰ*, medicamenta abortum facientia.
Amblygonius, *ἀμβλυγώνιος*, obtusos angulos habens.
Amblyopia, *ἀμβλυωπία*, obscuritas visus.
Ambo, onis, pulpitum, ex quo verba fiunt.
Ambra, succinum, glessum.
Ambradices, genus calceamentorum muliebrium.
Ambronina labia, os gulosum.
Ambulatorium, ambulatio, ambulacrum.
Ambulus, qui ambulat, cursor.
America, quarta pars Orbis terrae. Hinc Americanus.
Amfariam, ambifariam, per amborum partes. *Gloss. Isid.*
Ami, vigiliae, custodiae.
Amicabiliter, amice.
Amicalia, celebritas amicorum convivantium.
Amiliarius, lapis, qui millia passuum in viis indicat.
Amma, *ἄμμα*, vinculum, subligar. Item strix nocturna. *Isid.* Item mater spiritualis.
Amnium, *ἄμνιον*, membrana fetum involvens.
Ammodes, *ἀμμώδης*, arenosus.
Amorginae vestes, pretiosae, et splendidae. Amorginus color, purpureus, *ἀμόργινος.*
Amorgis, idis, *ἀμοργὶς*, species lini tenuissima.
Amortizare et Amortisare, praedium aliquod transferre in mortuum, ut immune fiat ab oneribus publicis. Hinc
Amortizatio et Amortisatio.
Ampechonium, *ἀμπεχόνιον*, genus vestis viris ac feminis communis.
Ampelinus color, *ἀμπέλινος*, medius est inter coccum et muricem. V. XERAMPELINUS in *Lexico.*
Amphi, *ἀμφὶ*, circa, circum.
Amphibius, *ἀμφίβιος*, qui in terra et in aqua vivit.
Amphiblestroides, *ἀμφιβληστροειδὴς*, tunica retiformis vitreum et crystallinum oculi humorem ambiens.
Amphibranchia, *ἀμφιβράγχια*, loca circa tonsillas.
Amphicarpa, *ἀμφίκαρπα*, quae ex utraque parte fructum ferunt.
Amphicautis, *ἀμφίκαυτις*, hordeum montanum.
Amphicephalus, *ἀμφικέφαλος*, lectus utrinque habens pulvinar.
Amphicypellum, *ἀμφικύπελλον*, poculum utrinque ansatum.
Amphideae, *ἀμφιδέαι*, armillae.
Amphidoxae, *ἀμφίδοξαι*, sententiae, quarum pars honesta est, pars inhonesta.
Amphidromia, *ἀμφιδρόμια*, festa, in quibus nomina imponebantur infantibus, qui cursim circa focum gestabantur, et munera a propinquis et amicis mittebantur.
Amphimallae tunicae, *ἀμφίμαλλοι*, utrinque villosae.
Amphimaschala tunica, *ἀμφιμάσχαλος χιτὼν*, tunica ingenuorum utrinque manicas habens.
Amphiphones, *ἀμφιφῶνες*, placentae sacrae, Dianae offerri solitae, continuis circumstipatae facibus. *Poll., Athen., Suid.*
Amphippi, *ἀμφίπποι*, desultores, qui ex equo in equum facile desiliunt.
Amphiprorae, naves utrinque proram habentes.
Amphiscii, *ἀμφίσκιοι*, populi sub circulo aequinoctiali, utrinque umbram habentes.
Amphisepire, circum sepire.
Amphismila, (*ἀμφὶ*, circa, et *σμίλη*, cultrum) instrumentum anatomicum ad secanda corpora.
Amphisphyra, *ἀμφίσφυρα*, genus calceamenti muliebris. *Poll.*
Amphithetos phiala, *ἀμφίθετος φιάλη*, vas potorium utrinque stans: vel sine basi, aut fundo, cui instat.
Amphorarius, bajulus amphorarum.
Amphorites, certamen in Aegina fieri solitum, in quo Bacchi laudes canebantur.
Amphoteroploon, *ἀμφοτερόπλοον*, fenus nauticum, cum nauta fenerator et commeatus, et remeatus mercium periculum suscipit.
Amphotides, *ἀμφωτίδες*, munimenta aurium, vel inaures.
Amplant, amplificant.
Ampron, *ἄμπρον*, funis qui per juga jumentorum trahitur: aut quo trahi ferrive solent a jumentis onera.
Ampulliger, qui ampullam fert.
Ampullosus, tumidus.
Amula vel Amola, vas aquarium lustrale, quo aqua spargitur religionis, et amoliendorum malorum gratia. *Sipontin.* Videtur esse pro *hamulo.*
Amusologia, *ἀμουσολογία*, inerudita narratio.
Amusoterus, *ἀμουσότερος*, indoctior, ineruditus, inelegans.
Amusseatus, ad amussim exactus.
Amuxurus, non rasus: epitheton Jovis. V. ANXUR in *Lexico.*
Amyclaides, *ἀμυκλαΐδες*, calcei laxi et muniti ad itinera fragosa.
Amynteria, *ἀμυντήρια ὅπλα*, arma ad propulsandum.
Amyris, arbor, quam quidam myrrhum esse putantes, unguentum interpretati sunt.
Amysticare, uno ductu poculum haurire, et hiante ore. V. AMYSTIS in *Lexico.*
Ana, vox medicorum, cum pluribus enumeratis speciebus, singularem quantitatem accipiendam esse significant. Hinc anaticus, aequalis.
Anabaptista, *ἀναβαπτιστὴς*, qui iterum baptizat.
Anabasis, *ἀνάβασις*, figura gradatio apud rhetores. Apud astronomos est ortus astronomicus.
Anaboladium, et Anabolagium, *ἀναβολάγιον*, amictus lineus, quo feminae humeros tegunt. *Isid.* V. ANABOLADIUM in *Lexico.*
Anabole, *ἀναβολὴ*, amictus, pallium.
Anaboleus, *ἀναβολεὺς*, servus, qui domino equum scandenti praesto est.
Anabrosis, *ἀνάβρωσις*, erosio ab acri humore facta in aliqua parte corporis.
Anacacabea, *ἀνακακάβεια*, arbuscula, quae et lotos dicitur.
Anacalypteria, *ἀνακαλυπτήρια*, dona quae dabantur sponsae, quo die primum revelabatur, et in conspectum virorum prodibat.
Anacara, tympana rotunda inferiore parte.
Anacardinus, qui est ex anacardio.
Anacardium, *ἀνακάρδιον*, fructus cujusdam arboris, cordis figuram habens.
Anacatharsis, *ἀνακάθαρσις*, medicamentum purgans per superiora, ut vomitorium, salivatio, etc.
Anacrisis, *ἀνάκρισις*, quaestio quae de reo habetur.
Anacrusis, *ἀνάκρουσις*, praeludium certaminis.
Anadipnia, *ἀναδείπνια*, cibi vespertini post carnes et pisces appositi.
Anadosis, *ἀνάδοσις*, transitus nutrimenti per venas ad hepar.
Anadrome, *ἀναδρομὴ*, recursus doloris ex inferioribus partibus ad superiora.
Anaesthesia, *ἀναισθησία*, defectus sensationis in paralyticis.
Anagnosticum, *ἀναγνωστικὸν*, id omne quod legitur, aut recitatur, scriptum, epistola, etc.
Anagogicus, *ἀναγωγικὸς*, subductus. V. ANAGOGE in *Lexico.*
Anagraphe, *ἀναγραφὴ*, inventarium.
Analeptice, *ἀναληπτικὴ*, restauratio virium post morbum.
Analesia, *ἀνάλησία*, morbus capitis, qui sensu privat.
Analogismus, *ἀναλογισμὸς*, firmum argumenti genus, quod a causa propinqua ducitur.
Analogistae, *ἀναλογισταὶ*, tutores a reddendis tutelae rationibus immunes.
Analogium, *ἀναλόγιον*, pulpitum seu pluteum, ita dictum, quod sermo Dei inde praedicetur, inquit *Isid. Orig.* 15, 4.
Analogus, *ἀνάλογος*, proportione respondens.
Analphabetus, *ἀναλφάβητος*, qui ne elementarias quidem litteras novit.
Analysis, *ἀνάλυσις*, resolutio.
Analyticus, *ἀναλυτικὸς*, resolutorius.
Anamnesis, *ἀνάμνησις*, commemoratio, recordatio.
Anamnesticus, *ἀναμνηστικὸς*, in memoriam reducens.
Anancaeum, *ἀναγκαῖον*, necessarium.
Anance, *ἀνάγκη*, necessitas.
Anaphalis, *ἀναφαλὶς*, herba ab aliis centunculus dicta.
Anaphoricus, *ἀναφορικὸς*, relativus.
Anaphorum, *ἀνάφορον*, lignum utrinque curvum, quo onera gestantur.
Anaplasis, *ἀνάπλασις*, fracti membri restitutio, ita fracturae extremae sese mutuo contingant.
Anaplerosis, *ἀναπλήρωσις*, repletio, qua ope chirurgica alta vulnera carne replentur.
Anapologetus, *ἀναπολόγητος*, inexcusabilis.
Anapselophesis, *ἀναψηλάφησις*, supplicatio principi oblata a sententia praefecti praetorio.
Anarchia, *ἀναρχία*, status sine rectore, aut principe.
Anarchus, *ἄναρχος*, carens principio. Item carens imperio, aut principe.
Anarythmon, *ἀνάρυθμον*, cum oratorius numerus non servatur.
Anasarca, *ἀνασάρκη*, hydrops toto corpore diffusus.
Anasceve, *ἀνασκευὴ*, rei propositae refutatio.
Anastasion, *ἀναστάσιον*, canticum diei Dominicae proprium.
Anastomosis, *ἀναστόμωσις*, sanguinis rejectio ex ore aliquo venarum aperto.
Anastomoticus. *ἀναστομωτικὸς*, aperiendi vim habens. Item appetentiam concilians.
Anaticus. V. *Ana.*
Anatome, *ἀνατομὴ*, et
Anatomia, incisio.
Anaxant, nominant. *Gloss. Philox.*
Anaxyrides, femoralia. Itĕm calcei quidam.
Anaxyris, *ἀνάξυρις*, herba, quae Latine rumus.

Anchilops, ἀγχίλωψ, tumens abscessus, qui in angulo oculi suppurat.
Anchites, lapis, qui metum depellit.
Anchonides, funis adnectens antennam malo.
Anchyle, ἀγχύλη, passio tendinum circa collum, vel articulos.
Ancillarius, servilis, sordidus. *Gloss. Philox.*
Ancla, instrumentum quo aqua hauritur e puteis.
Anclator, servus, minister. *Gloss.*
Anclena, insrumentum ferreum fortasse. *Gloss. Isid.*
Anco, ἀγκών, flexus cubiti.
Anconeus musculus est, qui brachii cubitum extendit.
Anconisci, ἀγκωνίσκοι, instrumenta ad torquendum: item ad sublevanda onera.
Ancoragium, tributum pro figenda ancora.
Ancrae, intervalla arborum: item convalles. *Gloss. Isid.*
Ancteres, ἀγκτῆρες, vincula, quibus vulnerum labra constringuntur.
Anctito, as, frequentativum ab ango.
Ancuba, succuba, vel subintroducta. *Gloss. Isid.*
Ancyle, ἀγκύλη, poplitum contractio.
Ancyloblepharum, ἀγκυλοβλέφαρον, vitium oculi, cum palpebrae inter se, vel cum albo oculi adhaerescunt.
Ancyloglossum, ἀγκυλόγλωσσον, impedimentum linguae. Item vinculum sub lingua.
Ancyloglossus, ἀγκυλόγλωσσος, balbus.
Ancylosis, ἀγκύλωσις, ancyloblepharum.
Ancylotomum, ἀγκυλοτόμον, instrumentum chirurgicum ad linguae vinculum incidendum.
Ancyroides, ἀγκυροειδής, processus ossis scapularis.
Ancyromachus, ἀγκυρόμαχος, navigium ad ancoras, et hujusmodi navalia instrumenta vehenda.
Andena, instrumentum ferreum in foco, cui imponuntur ligna.
Andigare, abdicare res proprias se vivo.
Andrago, virago, femina virilis animi.
Andrapodista, ἀνδραποδιστής, plagiarius.
Andrapodum, ἀνδράποδον, mancipium.
Androlepsia, ἀνδρολημψία, hominis pigneratio.
Androlepsium, ἀνδρολήψιον, manuum injectio.
Androsphinx, ἀνδρόσφιγξ, homo versipellis, et fraudulentus.
Anemius, ἀνέμιος, libero aeri expositus.
Anemopolemus, ἀνεμοπόλεμος, velitatio.
Anethinus, ἀνήθινος, qui est ex anetho.
Anfragosus, multis anfractibus impeditus.
Angelica, radix nota.
Anger, genus serpentis.
Angibata, vas pellucidum, in quo imagunculae quaedam conspiciuntur, subinde se in aliam figuram mutantes. Rectius esset engibaton, ἐγγίβαιον.
Angustium, ἄγκιστρον, instrumentum quoddam chirurgium.
Angones, tela mediae magnitudinis.
Angrae. V. *Ancrae.*
Angueo et Anqueo, coerceo.
Anguria, ἀγγούριον, genus cucumeris.
Angustiare, angustare.
Aniculosus, anilis. *Cathol.*
Animaequus, patiens animo. *Gloss. Isid.*
Animalculum, parvum animal.
Animalitas; animalis substantia, seu essentia.
Animatorius, animam seu flatum continens, ut Animatoria olla. *Gloss. Philox.*
Animesco, irascor. *Gloss. Philox.*
Aniscalptor et
Anitersor, nomen masculi cujusdam humeralis.
Anitas, anilitas. *Gloss. Philox.*
Anitergium instrumentum ad tergenda obscena.
Annata, proventus agrorum annuus.
Annihilatio, in nihilum conversio.
Annihilator, qui in nihilum redigit.
Annuatim, quotannis.
Annuitas, annuus agri reditus.
Annuntium, nuntius.
Anomoeusia, ἀνομοιουσία, dissimilis substantia.
Anoos, ἄνοος, amens.
Anophytus, ἀνώφυτος, super natus.
Anorexia, ἀνορεξία, cibi fastidium.
Anseaticus, foederatus.
Anta, ἄντα, propter, contra.
Antallagma, ἀντάλλαγμα, permutatio: item res ipsa, quae in permutatione alteri traditur.
Anteambulatrix, ancilla quae dominam in via praecedit.
Antebellare, bello proludere. *Gloss. Philox.*
Antecapio, onis, occupatio.
Antegalema, ἀντιγάλημα, figura responsionis, ut Occidi hominem, sed latonem: Excaecatus est, sed raptor
Antegradatio, progressio, antecessio.
Antella, quasi antesella, antelena. *Isid. Or.* 20, 16.
Anteloquor, prius loquor.
Anteluco et Antelucor: ante lucem lucubro.
Antelunares dicti Arcades, quasi ante lunam nati.
Antemeticus, ἀντεμετικός, vomitum sistens.
Antepraedicamenta, quae a logicis ante praedicamenta traduntur.
Antericeum, balsami genus tenui et capillacea coma.
Antestatio, actus antestandi, et testem vocandi.
Antetibiale, munimentum tibiae. *Juncker.*
Anthelix, icis, ἀνθέλιξ, circulus interior auris externae.
Anthericus, ἀνθέρικος, caulis asphodeli.
Antherix, ἀνθέριξ, arista.
Anthesteria, ἀνθεστήρια, festa Floralia.
Anthologia, ἀνθολογία, florilegium.
Anthos, ἄνθος, rorismarinis flos.
Anthracea, ἀνθρακία, pruna.
Anthracosis, ἀνθράκωσις, carbunculus oculi.
Anthropolatra, ἀνθρωπολάτρης, qui hominem tanquam Deum colit, vel Deum tanquam hominem.
Anthropophagia, ἀνθρωποφαγία, consuetudo vescendi humanis carnibus.
Anthypatus, ἀνθύπατος, proconsul.
Anthypnotica, ἀνθυπνωτικά, medicamenta somnum abigentia.
Antiades, ἀντιάδες, tonsillae induratae.
Antiaxona, contra axem posita.
Antibiblium, pignus librorum, codex pro codice.
Anticardium, ἀντικάρδιον, cavum sub pectore hominis.
Antichresis, ἀντίχρησις, usus rei pignori acceptae.
Antichthon, ἀντίχθων, oppositam pedibus nostris terram incolens.
Antidorum, ἀντίδωρον, remuneratio.
Antidosis, ἀντίδοσις, retributio.
Antidotarium, doctrina de antidotis.
Antidoto, as, antidotum do.
Antifatum, lucrum dotale.
Antiferna, ἀντίφερνα, quae a viro contra dotem dantur.
Antigena, ante genitus.
Antigrapharius, antigrapheus
Antigraphe, ἀντιγραφή, rescriptio, contraria accusatio.
Antigrapheus, ἀντιγραφεύς, receptor, custos, qui servat antigrapha pecuniarum principi ex tributis obvenientium. Item qui dictandis epistolis operam dat.
Antilepsis, ἀντίληψις, intercessio, interjectio.
Antilogia, ἀντιλογία, contradictio.
Antimensia, arae quadrae marmoreae, quae serviunt loco sacrarum mensarum.
Antimeria, ἀντιμερία, figura grammaticalis, qua pars orationis pro parte ponitur.
Antimetathesis, ἀντιμετάθεσις, figura quae commutatio Latine dicitur.
Antimonium, stibium.
Antinomia, ἀντινομία, legum inter se repugnantia.
Antinomus, ἀντίνομος, qui stat contra leges.
Antiparastasis, ἀντιπαράστασις, confessio cum majori inficiatione conjuncta.
Antiparies, paries alteri oppositus.
Antipascha, septimana secunda post Pascha Pentecostes.
Antipedes, obsequia amicorum, circumpedes servorum. *Agroetius.*
Antipegmata, valvarum ornamenta antis affixa.
Antipelargesia, ἀντιπελαργησία, mutua beneficiorum compensatio.
Antipelargesis, ἀντιπελάργησις, idem.
Antiperistasis, ἀντιπερίστασις, circumobsistentia, compressio undique circumfusa.
Antiphasis, ἀντίφασις, contradictio.
Antiphonarium, liber antiphonarum.
Antipodium, anterior sellae pars, cui equitantes manu innituntur.
Antipraxia, ἀντιπραξία, contrarietas temperamentorum in visceribus.
Antisagittarius, dux sagittorum.
Antiscopus, pravus episcopus.
Antispasmus, ἀντισπασμός, mutatio morbi in contrarium.
Antistasis, ἀντίστασις, contrarietas. Item figura, qua aliquid repetitur contrario sensu.
Antithalamus, ἀντιθάλαμος, cubiculum minus thalamo proximum, ubi famulitium dormit.
Antithanaton, ἀντιθάνατον, contra mortem.
Antithora, antidotus contra napellum: quae herba etiam thora appellatur.
Antitragus, ἀντίτραγος, pars auris extrema.
Antitypum, ἀντίτυπον, exemplar similis formae: vel contrarium.
Antitypus, ἀντίτυπος, qui per typos significatur.
Antizones, in contrariis zonis habitantes.
Antoeci, ἀντοῖκοι, populi trans circulum aequinoctialem, tot gradibus ab eo distantes, quot nos cis eundem circulum.
Antrorsus et Antrorsum, versus anteriorem partem.
Anubias, herba cimicaria.
Anyparxia, ἀνυπαρξία, facultatum absentia, opum defectus.
Aorta, ἀορτή, arteriarum maxima.
Apagmata, ἀπάγματα, abductiones.
Apagoreusis, ἀπαγόρευσις, prohibitio, vetitum.
Apalaestrus, ἀπάλαιστρος, palaestrae ignarus. Item qui decorem in statu, motu, flexuque corporis non servat.
Apalareus, argentea patina.
Apanagium, annuus victus minoribus natu filiis, propter jus primogeniti, constitutus: et praecipue ea bonorum pars, quae regis Galliae liberis natu minoribus assignari solet.
Apanare, panem praebere.
Apanarium, superior molae pars.
Apannos, sospes, incolumis.
Apathe, ἀπάθη, genus intybi.
Apathes, ἀπαθής, carens affectibus, rigidus, durus inflexibilis, qualem Stoici finxerunt sapientem.
Apatheticus syllogismus, fallax, captiosus.
Apedema, πήδημα, saltus.
Apelaticum, omne teli genus.
Apenarius, auriga.
Apeniautismus, ἀπενιαυτισμός, exsilium annuum.
Apennis, relatum, relatio.
Apepsia, ἀπεψία, cruditas stomachi.
Aperculus, parvus aper. *Cathol.*
Aperimetros, ἀπερίμετρος, non circumscriptus, immensus.
Apertorium, apertura. Item officina aperta, in qua opifices palam opus faciunt.
Apertularius, janitor. Item equus habens fracturam, attritum, contusionem. Item effractor. *Gloss. Isid.*
Apethamenos, mortuus.
Aphaenetae, stellae absconditae ob solem vicinum.
Aphaeretae, ἀφαιρεταὶ, planetae motum tardiorem habentes, quando retrogradi sunt.
Aphareus, ἀφαρεύς, pinnula sub ventre thynni feminae.
Apheletra, equorum monumenta.
Apheta astrologis est geniturae nomen.
Apheteria, ἀφετήρια, carceres, unde equi dimittuntur ad cursum. Item machinarum genus ad urbes expugnandas.
Aphetes, ἀφέτης, signum dans in Circo emittendis quadrigis. Item annorum distributor, apud astrologos.
Aphetica loca, ab astrologis dicuntur in coelesti templo, unde vitalem auspicamur decursum.
Aphoplistae, ἀφοπλισταὶ, qui privatis hominibus arma habere non concedunt, ne caedes fiant.
Aphorismus, ἀφορισμός, brevis definitio. Item regula, axioma.
Aphractum, genus calcei muliebris.
Aphratum, genus edulii, spumosi. *Isid. Or.* 20, 2.
Aphrogala, ἀφρόγαλα, flos lactis.
Apia, ἄπια, pyrus.
Apicire, vincire, ligare.
Apile, apiarium.
Apinae, nuces adeo molli putamine, ut simul mandatur. Videtur esse ab ἀπίνης, purus
Apinari, nugari, tricari.
Apiria, ἀπειρία, inexperientia. Item infinitio.
Aplane, orbis stellarum fixarum.
Aplectum, ἄπληκτον, fossatum.
Aplomistos, implumis.
Apnoea, ἄπνοια, privatio respirationis.
Apobaterium, ἀποβατήριον, carmen quo discedentes utuntur.
Apobates, ἀποβάτης, qui ludum quendam equestrem exercet apud Athenienses, desultor.
Apocaligus, miles caligatus.
Apocalypticus, ἀποκαλυπτικός, revelatorius.
Apocinus, ἀπόκινος, genus saltationis satis impudicae.
Apochyma, ἀπόχυμα, zopissa.
Apocrisis, ἀπόκρισις, responsio.
Apocrusticus, ἀποκρουστικός, repellendi vim habens.
Apodectae, ἀποδεκταὶ, qui vectigalia et ceteras pecunias publicas recipiunt, et in tabulas referunt.
Apodemica, ἀποδημική, prudentia bene peregrinandi.
Apodesmus, ἀποδεσμός, genus ornatus muliebris.
Apodidrascinda, ἀποδιδρασκίνδα, ludus puerilis, in quo unus oculis velatis ceteros latentes quaeritat.
Apodos, ἀπῳδός, cantus galli intempestivus. Item vox quaevis dissona.
Apographa, ἀπογραφή, inventarium.
Apolis, ἄπολις, civitate carens, exsul.
Apologema, ἀπολόγημα, et
Apologismus, ἀπολογισμός, defensio, excusatio.
Apologista, ἀπολογιστής, qui celerrime computos facit.
Apologistica, ἀπολογιστική, arithmetica.
Apolysis, ἀπόλυσις, liberatio, solutio. Item extremus dies festi: quasi tunc illud solvatur.
Apolyticae epistolae, ἀπολυτικαὶ, dimissoriae.
Apolyticum, ἀπολυτικόν, formula dimittendi populum per liturgiam.
Apomagdalia, ἀπομαγδαλία, panis pulpa mollior ad detergendas convivarum manus.
Apomeli, ἀπόμελι, potio medium inter mulsum et oxymeli locum obtinens.
Apopemptici hymni sunt, qui peregrinationem alicujus complectuntur, ἀποπεμπτικοί.
Apophansis, ἀπόφανσις, enuntiatio, aut ostensio.
Apophatica, ἀποφατικὰ, negantia.
Apophora, ἀποφορὰ, pecunia a servis persoluta dominis.
Apophyades, ἀποφυάδες, appendices, additamenta adnascentia.
Apophysis, ἀπόφυσις, processus ossis extuberans.

Aporia, ἀπορία, paupertas. Item dubitatio, haesitantia.
Aporiari, pendere animi, dubium esse, ambigere: item in angustias redigi, ἀπορεῦμαι. *D. Paul. Cor.* 2, 4, 8.
Aporon, ἄπορον, dubium, ambiguum, inexplicabile.
Aporrhogas, ἀπορῥωγάς, Graeci vocant defluxus quosdam aerios, similes stellarum cadentium.
Apospasma, ἀπόσπασμα, avulsio.
Apospasmatia, ἀποσπασμάτια, particulae, fragmenta.
Apostasium, ἀποστάσιον, repudii libellus.
Apostatrix, quae a Fide deficit.
Aposto, as, violare. Item postponere.
Apostola, mulier Christum praedicans.
Apostrophi oculi, ἀπόστροφοι, retro versi.
Aposyrmata, ἀποσύρματα, desquamationes.
Apotaphi, ἀποταφοί, sepulcro majorum suorum privati.
Apotelesmaticus, ἀποτελεσματικός. Astrologia apotelesmatica, h. e. divinatrix: et Apotelesmatici, divinatores ex astris.
Apothecarius, pharmacopola.
Apothetos, ἀπόθετος, lex tibiae, quae remitteret.
Apotome, ἀποτομή, et
Apotomia, major pars semitonii, quae dissectio dici potest.
Apotropaea, ἀποτρόπαια, carmina ad evertendam Deorum iram.
Apotropaei, ἀποτρόπαιοι, Dii averrunci.
Appanagium. V. *Apanagium.*
Appar, exemplum epistolae ad plures scriptae.
Apparenter, in speciem.
Appendiculum, aequipondium staterae.
Appendium, pondus, vel pretium.
Applumbatura, ferruminatio.
Apprecatio, preces.
Appetiare, pretium indicare.
Appropiare, prope accedere.
Apsida, ae, apsis. V. ABSIDA in *Lexico.*
Apsychon, ἄψυχον, inanime.
Aptabilis, qui aptari potest.
Aptabilitas, convenientia.
Aptabiliter, convenienter.
Aptatio, actus aptandi. *Gloss. Philox.*
Aptator, qui aptat. *Gloss. Philox.*
Aptatus, us, aptatio. *Theodulph. Aurelianens.*
Aptifico, aptum facio.
Aptitudo, convenientia.
Apyrexia, ἀπυρεξία, intermissio febris. Item deflagratio.
Aquaculare, lenocinari.
Aquariolae, latrinae, in quas lotura projicitur.
Aquariolum, idem.
Aquatia, jus piscandi tribus in anno diebus.
Aquatura, aquatio.
Aqueus, qui est ex aqua: ut Aqueus color.
Aquilegium, aquae collectio.
Aquilina et Aquilegia, notissimus flos.
Arachnoides, ἀραχνοειδής, tunica oculi instar araneae tenuissima humorem crystallinum continens.
Araeosyncritus, ἀραιοσύγκριτος, qui corpus rarae texturae habet, et transpirabile.
Aratura, aratio.
Arbitramentum, arbitrium. *Sipontin.*
Arbitrarie, arbitrario. *Sipontin.*
Arbusculosus, arbusculis abundans. *Gloss. Philox.*
Arcessitio et Accersitio, vocatus, us.
Arceuthinus, ἀρκεύθινος, qui est ex ἀρκεύθῳ, h. e. junipero *Paralip.* 2, 2, 8.
Archarion, archivum.
Archarius, praefectus, moderator.
Archegetes, ἀρχηγέτης, primarius, magistratus.
Archialiter, primario.
Archicancellarius, primus cancellarius.
Archicerarius, primicerius.
Archiclavus, clavibus domus praepositus, thesaurarius, oeconomus.
Archidiaconatus, archidiaconi dignitas.
Archidiaconus, diaconorum primus.
Archidux, ducum primus.
Archiepiscopalis, ad archiepiscopum pertinens.
Archiepiscopatus, archiepiscopi dignitas.
Archigrammateus, ἀρχιγραμματεύς, archicancellarius.
Archigrammaticus, primus inter grammaticos.
Archinium, ἀρχίνιον, morbus oleae.
Archiotae, qui publico archio praeerant.
Archipherecita, qui titulos Talmudicos explicat.
Archippocomus, ἀρχιππόκομος, praefectus equisonum.
Archischolus, magister scholarum.
Archiscrinius, Ecclesiae thesaurarius.
Archismaton, (lege *orchismaton*, ὄρχισμα, ατος) saltatio.
Archisterium, stella primae magnitudinis. Item monasterium.
Archistrategus, ἀρχιστρατηγός, imperator.
Archithalassicus, ad architalassum pertinens.
Archithalassus, ἀρχιθάλασσος, navalis imperator.
Arcibum, archivum.
Arcicula, parva arx.
Arconicum, arsenicum.
Arctomys, ἀρκτόμυς, animal simile ursae, et muris.
Arculus, parvus arcus.
Ardanium, vas ante januam positum, unde potant bruta.
Arduo, is, addo, adduo.
Arenda, curatio, administratio.
Areston, placitum, ἀρεστόν, ab ἀρέσκω, placeo. Item sententia praefecti praetorio, quae rescindi appellatione non potest. In aresto aliquem detinere, h. e. sub placito et sententia.
Argabia, vasa aquaria militum ab ephippiis pendentia.
Argentangina, angina argenti, cum quis se pecuniâ corrumpi passus est.
Argyritae, ἀργυρῖται, agones, quorum praemium est argentum, sive pecunia.
Argyrocopus, ἀργυροκόπος, qui argentea opera facit.
Argyrognomon, ἀργυρογνώμων, pecuniae spectator, explorator, campsor.
Argyrologus, ἀργυρολόγος, quaestor, exactor pecuniae.
Argyropractes, ἀργυροπράκτης, pecuniae negotiator.
Argyrotheca, ἀργυροθήκη, repositorium argenti.
Aria, arbor durissima.
Aricto, minas alicui intendo ob perfidiam, vel scelus aliud.
Aristella, parva arista.
Arister, genus placentae.
Aristeri, ἀριστεροί, sinistri, ita dicti Sabbatiani, quod sinistram abhorrerent.
Aristocraticus, ἀριστοκρατικός, aristocratiae studiosus.
Armadon, vehiculum.
Armamentariolum, parvum armamentarium.
Armarius, custos bibliothecae.
Armasia, conjugium.
Armator, qui arma praebet.
Armatorium, locus ubi arma traduntur.
Armatrix, quae arma tradit.
Armicola, miles.
Armificator, armorum faber.
Armigatus, ad armum, seu humerum ligatus.
Armilaus, scapulare monachorum.
Armillaris, armillis seu circulis constans.
Armillarius, armillarum faber.
Armiludium, exercitatio militaris.
Armistatio, armorum statio, aut obsidio.
Armistitium, induciae.
Armites, armati.
Armitia, fortasse est armus pecoris oblatus: nam in *vet. Gloss.* exponitur θυσία.
Armostation, onis, obsidio.
Armosus, qui est vastis et validis armis seu humeris.
Aromatizo, ἀρωματίζω, aromata oleo. Item aromatis condio.
Aromatopola, ἀρωματοπώλης, aromatum venditor.
Aromatopolium, ἀρωματοπωλεῖον, taberna aromatopolae.
Arrestare, in vincula conjicere.
Arrheturgia, ἀῤῥητουργία, infandum facinus.
Arrhostema, ἀῤῥωστημα, imbecillitas, aegrotatio.
Arsenale, navale.
Arsenocoeta, ἀρσενοκοίτης, masculorum concubitor. *D. Paul.* 1. *Cor.* 6, 9.
Arsenotheles, ἀρσενοθήλεις, Dii utriusque sexus.
Arsibilis, qui facile ardet.
Artanum, aratrum.
Arteres, ἀρτῆρες, pondera, seu massae lapideae vel plumbeae, manubrio instructae, ut possint ab athletis in altum jaci. V. HALTER in *Lexico.*
Articula, parva ars.
Articulator, membra concidens.
Artidocus, qui docet artes
Artificina, locus in quo artes exercentur. *Gloss. Isid.*
Artigraphi, de artibus liberalibus scribentes.
Artista, liberalibus artibus operam dans.
Artocaseus, panis decoctus cum caseo et ovis.
Artotyra, panis cum caseo.
Artuo, as, per artus divido.
Arveho, adveho.
Arvica, genus frumenti.
Arvinula, parva arvina.
Arvipendium, funis quo agros metimur. *Gloss. Phil.*
Arundinare, arundinibus sepire, fulcire, tegere.
Ascarides, ἀσκαρίδες, vermiculi, tineae, lumbrici.
Ascaulus, ascaules.
Ascella, axilla.
Ascensa, ae, ascensus.
Ascetae, ἀσκῆται, monachi.
Asceticus, ἀσκητικός, ad exercitationes pertinens.
Ascetrix, femina Deo sacra, et funera curans.
Asciculus, et
Asciola, parva ascia. *Gloss. Isid.*
Ascodabla vel Ascodabra, vas vinarium, uter, flasco.
Ascogefrus, pons ex utribus inflatis, ἀσκογέφυρα.
Ascoliasmus, ἀσκολιασμός, saltatio per utres.
Ascopa, vas aquaticum, utripensile, ascopera.
Ascura, quasi utris cauda, ab ἀσκός, uter, et οὐρά, cauda.
Ascus, parva scapha.
A secreta, a secretis.
Asiniga, asinum agens.
Asitia, ἀσιτία, fastidium alimenti.
Asizia, sessiones judicum in municipiis.
Asmatographus, ἀσματογράφος, qui ad musicum instrumentum conscribit carmina.
Asmodaeus, ἀσμοδαῖος, malus daemon conjugibus infestus.
Asoloecus, ἀσόλοικος, soloecismis carens.
Asomatos, ἀσώματος, incorporeus.
Asotodidascalus, ἀσωτοδιδάσκαλος, luxuriosorum magister.
Asotos, ἀσώτως, prodigaliter, incontinenter.
Asperatura, pretium nummulario datum pro permutatione pecuniae veteris cum nova et aspera.
Aspere, sine spe.
Aspergillum, instrumentum aquae lustrali aspergendae.
Aspersor, qui aspergit.
Aspersorium, aspergillum.
Asphaltos, ἄσφαλτος, bitumen.
Asphyxia, ἀσφυξία, pulsus privatio.
Aspicialis, visibilis.
Aspicuus, conspicuus.
Aspidiscus, ἀσπιδίσκος, parvum scutum. Item ornamentum in modum scuti orbiculatum, bulla.
Aspratura, asperatura.
Asprodontae, dentes albos habentes.
Assarium, parvus asser, trabecula.
Assassinium, homicidium pretio accepto factum.
Assassinus, homicida mercenarius.
Assator, qui assat.
Asseda, adseda, et adsella, sella quadrijugis. *Gloss. Isid.*
Assentaneus, consentiens.
Assentatorius, adulatorius.
Assequibilis, comparabilis.
Asseum, vel Assum, calefactorium cubiculum.
Assiculus, asserculus.
Assiduo, as, assidue, vel continuo aliquid facio.
Assisii, beneficiarii, qui assidue inserviunt Ecclesiae.
Assistentia, studium, favor, custodia.
Assocles, febris continua cum siti, jactatione et delirio.
Assuefactio, assuetudo, mos.
Assuefio, usu doceor, assuetus fio.
Assumentum, pannus assutus.
Assumptum, assumptio dialectica.
Assurrectio, actus assurgendi.
Astalium, fraus, deceptio, dolus.
Astandae, ἀστάνδαι, cursores publici, vel tabellarii apud Persas.
Astantia, praesentia.
Astelae vel Astillae, corbulae ex juncis.
Asthma, ἄσθμα, difficultas spiritus.
Astites, praesentes, praesides alicui rei.
Astrabarium, stapeda.
Astrabister, instrumentum geometricum ad mensurandas altitudines ac profunditates.
Astragalismus, ἀστραγαλισμός, ludus talorum.
A stratura, strator.
Astrifugus, astra fugans.
Astrobolismus, ἀστροβολισμός, vitium arborum, cum caniculae aestu exarescunt: item animalium, cum membrum aliquod aruit, et emoritur.
Astrolabium, ἀστρολάβιον, instrumentum, quo astrorum motus colliguntur.
Astrologicus, ἀστρολογικός, ad astrologiam pertinens.
Astromanta, ἀστρομάντης, qui ex astris divinat.
Astromyon, ἀστρόμυον, stellae nomen apud Aegyptios.
Astropelece, ἀστροπελέκη, fulmen.
Astrothema, ἀστρόθεμα, positio stellarum, constellatio.
Astrothesia, ἀστροθεσία, idem.
Asturio, piscis nobilis.
Astynomus, ἀστυνόμος, urbis praefectus.
Asylia, ἀσυλία, immunitas.
Asymmetria, ἀσυμμετρία, incommensurabilitas.
Asymmetrus, ἀσύμμετρος, incommensurabilis.
Asymphonia, ἀσυμφωνία, inconsonantia.
Asystatos, ἀσύστατος, inconsistens, non sibi constans.
Ataxia, ἀταξία, perversitas, inordinatio.
Atechnus, ἄτεχνος, arte carens.
Ateramna, ἀτέραμνα, legumina, quae concoqui non possunt.
Athacus, volucris genus.
Athanasia, ἀθανασία, immortalitas.
Athanon, furnus chymicus, ab igne immortali dictus.
Athara, ἄθαρα, polentae genus, ab ἀθήρ, arista.
Atheismus, ἀθεϊσμός, Deorum et religionis contemptus.
Athena, Ἀθήνη, Minerva.
Atheoretus, ἀθεώρητος, a contemplatione alienus.
Ather, ἀθήρ, summitas spicae in hordeo.
Athisca, θυΐσκη, patera, cujus usus in sacris: vel turibulum.
Athlotheta, ἀθλοθέτης, curator gymnicorum certaminum, et athletis praemia proponens.
Atmosphaera, ἀτμοσφαῖρα, spatium illud aeris, quousque terrae exhalationes ascendunt.
Atonia, ἀτονία, naenia languide a praeficis cantata.
Atramentale, atramentarium.
Atramentariolum, parvum atramentarium.

Atreta, ἄτρητος, imperviae naturae mulier.
Atricapillus, a, um, nigrum capillum habens. *Gloss. Philox.*
Atrici, janitores.
Atrifer, juncus semine nigro.
Atritudo, atritas. *Gloss. Philox.*
Attacus, ἀττακὸς, genus locustae sine pennis.
Attieger, deminutus: cui contrarium est integer.
Attemperies, temperamentum.
Attestatum, testimonium.
Attitulo, titulum impono. *Rufin.*
Attogatio, cum toga superinduitur tunicae.
Attropare, tropice loqui.
Atturare, tus in sacrificio accendere.
Atturatio, turis incensio.
Auca, anser. Item quaevis avicula.
Auctoritative, sex auctoritate.
Aversator, qui aversatur.
Auger, augur.
Augia, campus pascuus amni adjacens.
Augmentabilis, qui augeri potest.
Augmentarius, augens. *Gloss.*
Augmentatio, augmentum.
Augmentator, qui auget.
Augmentatrix, quae auget.
Augurator, augurans.
Augustaticum, donativum Augusti, congiarium.
Aviaticus, nepos ex filio.
Avigerulus, aves gerens, aut vendens.
Aulaeatus, aulaeis ornatus.
Aulamaeum, tributum, ex quo solvebatur stipendium militibus aulam principis servantibus.
Aularius, minister aulae.
Auletris, αὐλητρὶς, tibicina.
Aulio, tibicen. *Gloss. Philox.*
Auramentum, auri inductio. *Gloss. Philox.*
Aurantium, pomum aureo colore.
Aurator, inaurator.
Aureola, praemium in coelo, apud theologos.
Auricularius, consiliarius.
Auriculosus, auritus. *Gloss. Philox.*
Aurifaber, aurifex.
Aurifegium, auri collectio: et locus ubi aurum colligitur.
Aurificina, aurificis officina.
Aurificium, opus ex auro.
Aurigo, vitium segetum.
Aurivittis, avis quaedam quasi auream vittam habens.
Aurorans, illuminans. *Gloss. Isid.*
Auroreus, a, um, ad auroram pertinens. *Bapt. Mantuan.*
Aurugia, auri sculptura.
Austriacus, ab Austria.
Autochir, αὐτόχειρ, qui sua manu caedem facit.
Autochiria, αὐτοχειρία, homicidium propria manu factum.
Autodidactos, αὐτοδίδακτος, per se doctus sine magistro.
Autolecythus, αὐτολήκυθος, parasitus.
Automatia, αὐτοματία, fortuna.
Automoli, αὐτόμολοι, profugi.
Autonomia, αὐτονομία, potestas vivendi suis legibus.
Autonomus, αὐτονόμος, nulli subjectus.
Autophorum, αὐτόφορον, furtum manifestum.
Autophorus, αὐτοφόρος, fur manifestus.
Autophyes, αὐτοφυὴς, sua sponte natus, nativus.
Autopodia, αὐτοποδία, cum quis suis pedibus iter facit.
Autopsia, αὐτοψία, oculata fides, experientia ex inspectione.
Autoschediasma, αὐτοσχεδίασμα, opus ex tempore et tumultuarie factum.
Auturgia, αὐτουργία, operatio ejus, qui per se facit.
Auturgicon, rusticorum turba.
Auturgus, αὐτουργὸς, qui per se facit. Item rusticus. Item rusticum praedium.
Auxaria, (lege *aviaria*) secreta nemoris, quae aves frequentant. *Isid. Orig.* 17, 6.
Auxesis, αὔξησις, incrementum, amplificatio.
Auxinium, (lege *Ausonium*) Romanum, Latinum. *Gloss. Isid.*
Axapides, pedites Turcici.
Axillatio, obtruncatio extremitatum per ignominiam, et earum suspensio axillis obtruncantium.
Axioma, ἀξίωμα, dignitas, auctoritas.
Axiomatici, qui publica functione, et dignitate in Ecclesia utuntur.
Azariae, tesserae, taxilli.
Azazael, caper emissarius.
Azzalum, (Italice *acciajo*) acies ferri, chalybs.

B

Babare, βαβάζειν, garrire, clamare.
Babiger, stultus. *Gloss. Isid.*
Babit, superbit. *Gloss. Philox.*
Baburrus, ineptus, stultus. *Gloss. Isid.*
Bacantes, ae, otiosus, vacans.
Bacario, urceoli genus. Item qui meretricibus aquam ministrat. *Gloss. Philox.*
Baccalaureus, qui primum gradum honoris in academicis studiis est consecutus.
Baccanum, semen, vel nucleus, vel mucro raphani.
Bacchia, vasis aquarii genus.
Bacchium, βαχχεῖον, genus vasis vinarii. Item Bacchi aedes.
Bactriasmus, βακτριασμὸς, genus lascivae saltationis.
Baculo, as, verbero.
Baen, βαὴν, torquis genus ex auro et gemmis, a familiaribus regum gestari solitus. *Gloss. Isid.*
Baeta, βαίτη, vestimenti genus.
Bagia, nutrix.
Bagitzes, pueri honorarii.
Baja, dona, quae imperator palatinis suis, et patriarcha clericis suis ante diem Palmarum distribuebat, a βαΐα, palma.
Baion, compositio medica, cui acerna resina admiscetur.
Bajonula, lectulus portatilis. *Isid. Orig.* 20, 11.
Bajulatio, actus bajulandi, gestatio.
Bajulator, bajulus.
Baius color, badius.
Balanitae, βαλανῖται, uvae dictae a magnitudine.
Balantium, βαλάντιον, marsupium. Item genus ponderis.
Balare, ballare, saltare.
Balatio, ballatio, saltatio.
Balator, ballator, saltator.
Balbucinor, balbe loquor.
Balbuties, haesitantia linguae.
Baleaticae cochleae, quae in speluncis nascuntur.
Ballismus, βαλλισμὸς, saltatio, chorea.
Ballistica, ars sagittandi.
Ballivus, praetor, potestas.
Balneo, as, in balneo lavo. *Scribon.*
Balteo, as, cingo. *Gloss. Isid.*
Bambacinus, bombycinus.
Bambacium, gossipion.
Bamma et Bammum, βάμμα, tintura, condimentum.
Banauson, βάναυσον, genus machinae tractoriae.
Banausus, βάναυσος, artifex, qui ad ignem operatur. Item servus mercede conductus. Item quilibet vilis servus.
Banca, mensa argentariorum.
Bancus, tribunal.
Bandophori, vexilliferi.
Bandum, vexillum.
Bannire, in exsilium pellere.
Bannitus, in exsilium pulsus. Item excommunicatus.
Bannum et Bannus, exsilium.
Banus apud Turcas, et Hungaros est praefectus et gubernator provinciae.
Bapheus, βαφεὺς, tinctor, infector.
Baphicus, βαφικὸς, tinctorius.
Baptismalis, ad baptismum pertinens.
Baptizatio, actus baptizandi.
Barbamentum, barba.
Barbarizo, βαρβαρίζω, barbaris faveo. Item barbare loquor.
Barbatorium, tonstrina.
Barbesco, barbam emitto. *Gloss. Cyrilli.*
Barbirasium, tonsio barbae.
Barbitonsor, tonsor.
Bardariotae, milites stationarii, qui Constantinopoli imperatoris aulam custodiebant, et eo equitante populum virgis submovebant.
Bardocucullatus, bardocucullo indutus.
Barducium, hastile, jaculum, securicula levis.
Bargenna aut Barginna, vespillo. *Gloss Philox.*
Basilicanus, et
Basilicarius vel Basiliciarius, qui in Basilica ministrat. Item forensis. *Gloss. Philox.*
Basilinda, βασιλίνδα, ludus puerilis, in quo unus sortito rex factus ceteris, ut subditis, imperat.
Bastagium, βαστάγιον, theca, in qua milites arma condita portant.
Basto, onis, baculus.
Bastoniceum, arctissima custodia.
Bastum, clitellae.
Bastus, baculus.
Batalare, percutere. Unde batalia, proelium.
Batalarius, baccalaureus. *Vives dial.* 13.
Bater, βατὴρ, pedum.
Batris, vas longioris manubrii, trulla.
Battisecula, cyanus, quam vocem vide in *Lexico.*
Battuta, arsis et thesis in musica.
Batualia, loca ubi rudibus pugnatur. Item exercitationes ipsae velitares. *Gloss.*
Batuarium, pistillum. *Gloss. Philox.*
Batuator, rudibus pugnans.
Bauca, patera.
Baucale et Baucalium, vas potorium.
Bazana, sacculus.
Bazeli, pelvis.
Becarius, vicanus, rusticus.
Becceselenae, βεκκεσελῆναι, nugae rancidae, gerrae.
Bechica medicamenta, βηχικὰ φαρμακα, contra tussim.
Bedellus, minister scholarium. V. *Bidellus.*
Beemoth, Daemonum princeps.
Belion, herbae genus.
Bellarius, bello aptus, bellicus.
Belos, βέλος, sagitta, missile.
Belum, telum. Item virilis pars.
Benedicentia, bona verba.
Benedicte, bene dicendo.
Benedicus, qui bene dicit, et laudat.
Benelinguatus, loquax, verbosus, eloquens. *Gloss. Isid.*
Beneplacitum, voluntas.
Benesuasor, qui bona suadet.
Benignor, aris, benigne ago.
Bennarius, bennarum artifex, aut doctor.
Berberi et Berberion, concha, ex qua margarita evelluntur.
Berberis, spina parvam et rotundam uvam ferens.
Bergenae et Bargenae, vespillones. V. *Bargenna.*
Bergia, βέργια, virgae, quibus milites exercitationis causa pugnabant.
Bero, sacculus: a pera dictus.
Beruarii, lictores, satellites.
Beryllinus, ad beryllum pertinens.
Beryllistica, ars utendi beryllis ex crystallo.
Bestialitas, ferina et crudelis natura.
Betus, vetus, priscus.
Bezirides, consiliarii imperatoris Turcici.
Bibacitas, bibendi aviditas.
Bibibilis, bibilis, qui bibi potest. *Gloss. Philox.*
Biblia, n. plur. βιβλία, libri.
Bibliographus, βιβλιογράφος, scriptor librorum.
Bibliopegus, βιβλιοπηγὸς, qui libros compingit.
Bibliopolium, βιβλιοπωλεῖον, officina libraria.
Bibliotaphi, βιβλιοτάφοι, qui libros nacti insignes, nemini eorum copiam faciunt, ut soli sapere videantur.
Bibonius, bibax. *Gloss. Philox.*
Bicirres vestes, utrinque villosae.
Bicoxum, δίμηρον: a bis, et coxa.
Bidellus, gymnasii custos. V. *Bedellus.*
Bidentatio, occatio.
Biduanus, duum dierum. *Raban. Maur.*
Bifaciatus, duas habens facies, bifarius.
Bifax, idem. *Gloss. Isid.*
Bifido, as, bifariam findo. *Zeno Veronens.*
Bifur, bis fur, bis in furto deprehensus.
Bigamia, διγαμία, repetitum matrimonium.
Bigamus, δίγαμος, qui bis matrimonium contraxit.
Biglaticum, aes quod vigiles accipiebant.
Biglator, vigilator.
Bigradus, duos habens gradus. *Gloss. Philox.*
Bihernii, qui herniam in scroto utrinque habent.
Bihorium, spatium duarum horarum.
Bilagium, genus medicamenti.
Bilbinus, videtur esse vas, in quo humor bilbit, bombylius.
Bilibralis, bilibris.
Bimanubriatus, duo habens manubria.
Bimenstruus, bimestris. *Gloss.*
Biochresta, βιόχρηστα, res vitae utiles.
Biparus, a, um, bis pariens.
Biplex, duplex.
Birretum, pileolus.
Bisapor, duos habens sapores.
Bismuthum, corpus minerale albicans, durum, et fragile, quod et marcassita dicitur.
Bissa, vas quoddam. Item corrigia.
Bissextilis, bissextialis.
Bistimiae, trullae.
Bitalassus, animus dubius, anceps. Λ διθάλασσος, bimaris.
Bitalia, victualia.
Bitaxides, milites Turcici.
Bitumino, as, bitumine illino.
Bivalvis, biforis.
Biventer, musculus inferioris maxillae.
Biumbres, populi sub aequatore habitantes, amphiscii.
Bivocalis, diphthongus.
Biziera, bucula, armatura vultus.
Bladum, frumentum.
Blaesitas, balbuties.
Blanchion, herba inter filices.
Blandidule, blandicule.
Blandidulus, blandulus.
Blandifico, blandum facio. *Sipontin.*
Blaspheme, βλασφήμως, maledice.
Blato, onis, blatero. Item cubicularius, hospitalarius. *Gloss. Isid.*
Blatro, as, blaterare. *Gloss.*
Blautae, genus calceorum domesticorum. *Poll.*
Blax, βλαξ, stupidus, hebes, socors.
Blemnites, lapis metallicus coloris cinerei.
Blesti, quibus extrorsum crura curvata sunt.
Bletes, genus calceamenti, sic dicti, quia pedem laedit.
Bletra, βλητρὰ, laedentia praesertim pedes.
Bletrum, βλῆτρον, clavus ferreus.
Boalia, ludi Diis inferis sacri, in quibus boves mactabantur.
Bocale, vas vinarium.
Bolbophage, edulii genus. *Casaubon.*
Bole, βολὴ, jactus.
Bolias, machina bellica jaciendo apta.
Bolis, funis cum pondere ad explorandam maris altitudinem.
Bombarda, machina bellica: a bombus, et ardeo, quia cum sonitu et flamma igneos globos jacit.
Bombinare, conviciari.
Bombio, is, bombum edo.

Bombulus, crepitus.
Bombycinare, bombycinam facere.
Bombycinator, qui bombycinam facit.
Bombylius, *βομβύλιος*, vas angusti colli, quod inter bibendum bombum edit. Item genus apis obstreperae.
Bomolochus, *βωμολόχος*, scurra, fanaticus, fur.
Bomugi, sonus auditi in palustribus instar mugitus boum.
Bonarii, qui naturali jure domini sunt.
Bonifacies, bona facies. *Gloss. Philox.*
Bonifatus, a, um, bono fato praeditus. *Gloss. Philox.*
Bonimoris, qui bonis est moribus.
Bonissimus, optimus. *Vet. Lapis.*
Borax, chrysocolla, gluten.
Bordacas, rana.
Bosmorus, frumentum Indicum tritico minus.
Bostar, stabulum boum.
Botanice, *βοτανική*, ars herbaria.
Botanicus, *βοτανικός*, herbarum peritus.
Botrus, *βότρυς*, uvae racemus.
Brachionarium, ornamentum brachii, armilla. *Gloss. Philox.*
Brachionister, idem.
Brachybios, *βραχύβιος*, qui vitae est brevis.
Brachylogia, *βραχυλογία*, breviloquentia.
Branchus, *βράγχος*, raucedo.
Bregma, *βρέγμα*, sinciput.
Brevigerulus, qui breve gerit. *Gloss. Isid.*
Breviloquium, breviloquentia.
Breviloquus, breviloquens.
Bris, jucundum: unde Briseis, quae jucunda Achilli. *Cornutus.*
Brisare, exprimere, uvas calcare.
Briza, secale.
Broilus, nemus, aut saltus regum Galliae.
Bromosus, *βρομώδης*, graveolens, immundus.
Bronchocele, *βρογχοκήλη*, tumor gutturis.
Bronchus, *βρογχος*, pars inferior asperae arteriae.
Bronteum, *βροντεῖον*, machina in scena ad imitanda tonitrua.
Bronteus Juppiter, hoc est tonans, *Βροντεῖος*.
Bruma, militare munimentum, thorax.
Brumalia, festa Romanorum in honorem Bacchi, vel Saturni.
Brumosus, hiemalis.
Brupeo, stupeo.
Brytia, uvarum partes solidae, quae musto expresso supersunt.
Bryton, vinum ex hordeo.
Bubones, *βουβῶνες*, inguina, et eorum inflammationes.
Bubonocele, *βουβωνοκήλη*, ramex inguinum.
Bubulcarius, bubulcus. *Gloss.*
Bucacraton, buccea panis vino intincta.
Bucale, videtur esse vas lavandis manibus.
Bucamison, indusium.
Buccismus, jentaculum.
Bucea, folliculus grani fabae interior.
Bucentaurus, Centaurus magnus: item genus navis.
Bucentes et Bucentrum, *βουκέντης*, oestrum, tabanus.
Bucentovergium, boum stimulus.
Bucerda, stercus bubulum.
Bulbitare, stercore puerili inquinare. V. IMBULBITO in *Lexico.*
Bulbitum, stercus, laetamen, fimus. V. BOLBITON in *Lexico.*
Bulcolacca, vel Burculacca, aut Buthrolacca Graece est cadaver excommunicati.
Buleuticum, *βουλευτικόν*, locus in theatro pro senioribus.
Bullatorium, forma bullarum, sigillum, parva bulla.
Bullum, pastoris baculum, pedum.
Buneuron, *βούνευρον*, flagellum e nervis bubulis.
Buo, impleo. *Gloss. Isid.*
Buphonum, *βούφονον*, herba quae comesa bubus anginam creat.
Buphorus, terra facilis aratu.
Bupodes, *βούποδες*, magni pedes.
Burda, buda, amictus ex junco texto factus.
Burdatio, pensio, quam debent rustici solvere.
Burdo, asinus, mulus. V. BURDO in *Lexico.* Item baculum oblongum.
Burnus, qui libidini praeest.
Bustare, sepelire. *Gloss. Isid.*
Bustuarium, bustum.
Butaurus, magnus taurus. Item genus avis.
Buthilia, vacca.
Butina, lagena.
Butomum, frutex, vel juncus.
Butta, vas vinarium majus. V. BUTTUS in *Lexico.*
Butyraceus, qui est ex butyro.
Buza, sacculus.
Bysastria, nutrix.
Bytza, culex.
Byzomachaeron, ensis genus.
Byzon, mamma.

C

Cabaesus, qui expleri nequit.
Cabala et Cabbala, Hebr. קַבָּלָה, doctrina ore tenus tradita, non litteris consignata. Item ars divinandi per litteras.
Cabalista et Cabbalista, cabalae peritus.
Caballarius, eques, equitans. *Gloss. Isid.*
Caballeton, fulcrum lecti.
Caballicare, equitare.
Cabastion, propugnaculum.
Cabbades, *καββάδης*, vestis, seu chlamys militaris.
Cabidarius, cavator, lapicida.
Cabus, mensura frumentaria apud Hebraeos.
Cacabulum, locus stercoris. V. CACABULUS §. 3. in *Lexico.*
Cacia, *κακία*, malitia.
Cacochymia, *κακοχυμία*, vitium humorum in corpore.
Cacochyma, n. plur. *κακόχυμα*, quae malum succum habent.
Cacocustumus, male moratus.
Cacodaemon, *κακοδαίμων*, malus Genius.
Cacogenius, idem.
Cacopathia, *κακοπάθεια*, infirmitas, mala valetudo.
Cacostomachus, *κακοστόμαχος*, stomacho laborans.
Cacuo, quasi coacuo, hortor, acuo, instigo. *Gloss. Philox.*
Cada, arvina.
Cadamitas, calamitas.
Cadara, negotiatio pinguiaria.
Cades, Hebr. קָדֵשׁ, cinaedus, puer meritorius.
Cadiscus, *καδίσκος*, vasculum suffragiis colligendis.
Cadula, orum, guttae cadentes ex pingui carne, cum assatur, vel ex cereo.
Cadurda, labra pudendi muliebris: vel sponda lecti. *Gloss. Isid.*
Caecua et Caecuma, noctua quae lucem fugit. *Lex. Philol.*
Caecula, caecilia, quam vocem V. in *Lexico.*
Caedecula, parva caedes.
Caeliloquus, de caelo loquens. *Commodian. Instruct.* 60.
Caeltes, celtis, quam vocem V. in *Lexico* §. 2.
Caerica, *καιρική*, hora temporalis seu vulgaris, non astronomica, quae major, vel minor est pro temporum varietate: nam dies toto anno apud veteres ex XII. horis constabat.
Caespitator, dubitans.
Caespito, as, offendo, incurro.
Cajeta, ae, coercitio, coaretatio.
Cajo, cohibeo, coerceo, compesco: unde cai in vet. *Gloss.* sunt cancelli.
Caladrius et Caladrion, avis albi coloris.
Calama, spica frumenti.
Calamarium, calamorum theca.
Calamistratura, capilli calamistrati: vel ipsa capillos calamistrandi actio.
Calamito, as, calamitosum reddo.
Calasactri, pueri canoram vocem habentes.
Calazion, *χαλάζιον*, tuberculum in palpebris.
Calba vel Calbae, ornamenta. V. CALBEI in *Lexico.*
Calcatio, proculcatio.
Calceamentarius, et
Calcearius, sutor caligarius.
Calcinatio, combustio usque ad cinerem.
Calculositas, morbus calculorum. *Gloss. Philox.*
Caldarius, qui aquam calidam praebet. *Gloss. Phil.*
Caldicum, locus ad ambulandum. V. CHALCIDICUS §. 5. in *Lexico.*
Calefactivus, calefaciendi vim habens.
Calefactor, qui calefacit.
Calefactorium, locus in quo monachi calefiunt.
Calena, poculi genus. Quidam *Varroni* tribuunt.
Calendalia, tributa quasi strenae loco solvi solita Cal. Januar.
Calendariographus, qui calendarium conscribit.
Calendarius, a, um, ut Calendarius liber, calendarium.
Calendula, herbae genus.
Calestra, (est a *καλύπτρα*), genus mitrae, tegumen capitis. *Gloss. Isid.*
Caletra, locus, ubi vespae nutriuntur. *Gloss. Isid.*
Calicellus, caliculus. *Theod. Priscian.*
Caliclarium, caliculus potorius. Item locus calicibus reponendis.
Caliditas, calor.
Calio, decipio.
Calius, cinis, quia calet.
Callaei, gallinaceorum barbae.
Callas, fabrorum foramina. *Gloss. Isid.*
Callicula, ornamentum rotundum assutum vestibus ex purpura, auro, argento, gemmis, et hujusmodi.
Calligraphia, *καλλιγραφία*, ars scite scribendi, vel pingendi.
Calligraphus, *καλλιγράφος*, qui scite scribit, aut pingit.
Callilogia, *καλλιλογία*, elegantia dictionis.
Callipaes, *καλλίπαις*, pulcros liberos habens.
Calliscopus, *καλλισκοπός*, industrius.
Callos, *κάλλος*, pulcritudo, honestas.
Calobalsamum, *καλοβάλσαμον*, lignum balsami.
Calobates, *καλοβάτης*, idem ac calobatarius.
Caloipparati, equites bonis equis instructi.
Calopulites, vendibilis.
Calopus, *καλόπους*, qui pulcris est pedibus. Item animal Syriacum juxta Euphratem habitans.
Calorices, gemma herbacei coloris.
Calorifico, as, calefacio.
Calpare, *καλπάζειν*, tolutim equitare.
Calpes, galeae militum. *Gloss. Isid.*
Calthudia, festum.
Caltza, caliga.
Calvillo, as, leviter decipio.
Calvinarius porcus, qui cibo permixto ex colluvie hieme nutritur.
Calvitas, deceptio, dolus.
Calvo, as, calvum facio.
Calus, vas vimineum musto colando.
Calybium, *καλύβιον*, tuguriolum.
Camax, pertica. *Gloss. Philox.*
Camberlanus, praefectus regii cubiculi.
Cambestrium, machinae bellicae genus.
Cambialis, e, ad permutandum pertinens.
Cambitas, permutatio. *Gloss.*
Cambium, idem.
Camela, tegumentum capitis.
Camelasium, tributum pro camelis.
Camelaucium, Camelaucus et Camelaugum, causia, qua Macedones caput velabant.
Camelus, *κάμηλος*, funis crassus nauticus. V. CAMELUS §. 2. in *Lexico.*
Camerarius, praefectus camerae, seu cubiculi. Item thesaurarius, seu quaestor.
Camilabo, pannus utrinque dependens e pileo patriarchae.
Camilus, *κάμηλος*, funis crassus, camelus.
Caminobligatores, excubitores.
Caminobligon, excubiae in itinere dispositae ad speculandum.
Camisati, qui sacros lebetes calefaciebant, ut inde aquam ferventem sacris poculis infunderent.
Campana, tintinnabulum majus, Nolae primum in Campania adhibitum a Paulino episcopo Nolano: unde et nola dicitur ab urbe, campana a provincia.
Campanarius, qui campanas facit, aut pulsat.
Campanile, turris, in qua pendent campanae.
Campanisticum, tributum solvendum in publicum.
Campanula, tintinnabulum.
Camparius, qui campum custodit.
Camphora, species bituminis.
Campio, onis, certator pro alio datus in campo ad duellum.
Campsor, trapezita, nummularius.
Canabus, lignum, cui figuli argillam circumponunt.
Canaptura, lucernarum accensio sub tempus coenae.
Canaster, aliquantum canus.
Canava, coenaculum. V. CANABA in *Lexico.*
Canavaria, quae vinariae cellae praeest.
Cancellaria, ae, locus ubi manet cancellarius.
Cancellariatus, dignitas et munus cancellarii.
Cancellus, parvus cancer.
Canceratus, cancri morbo foedatus.
Cancerosus, cancri morbo laborans.
Cancrinus, retrogradus, recurrens, ut Cancrini versus.
Cancris, semen libanotidis. Item pilula ustoria apud medicos.
Cancrosus, cancri morbo laborans.
Candaulus, *κάνδαυλος*, edulium ex carne elixa, pane, et caseo Phrygio, cum anetho, et pingui jure.
Candelaptes, qui candelas accendit: vox hybrida: a candela, et *ἅπτω*, accendo.
Candes, vasa fictilia: Item vestimentum Persicum: *κάνδυς*.
Candion, sacchari genus.
Cando, is, accendo, uro.
Candylus, edulium ex oleo, lacte, caseo, et melle.
Canella, casia, cinnamomum.
Canicida, qui canes caedit.
Caniculum, atramentarium.
Caniculus, catellus.
Canile, stabulum canum.
Cannabaceus, cannabinus.
Canonicatus, dignitas canonici.
Canonizatio, apotheosis.
Canonizo, in Deos refero.
Canopismus, *κανωπισμός*, petulantia, luxus.
Cantabilis, qui cantari potest.
Cantabra, hasta.
Cantacium, scrinium.
Cantes, fistulae organorum musicorum.
Canthelius, genus vasis.
Canthus, *κανθός*, oculi angulus.
Canties, murenulae in margaritis.
Cantulla, ornamentum aureum vel argenteum, quod in Basilicis dicabatur.
Capa, vestis stragulae genus.
Capabilis, capax.
Capaculus, aliquantum capax.
Capanna, casa rustica. *Isid.*
Capapelis, capa cum pelle.
Capella, aedicula, sacellum, fanum.
Capellanus, capellae custos.
Caphura, *κάφουρα*, arbor Indica. Item gummi ex ea.
Caphurelaeum, camphorae oleum.
Capiclavius, custos carceris.
Capitejorsum, capite deorsum.
Capitosus, qui magno est capite. Item obstinatus. V. CAPITO in *Lexico.*

Capitularium, liber, in quo tributa coutinentur.
Capitulatio, ordinatio alicujus rei in certa capita.
Capitulo, as, capitulum appono. Item per capita distinguo.
Capnomantia, *καπνομαντεία*, divinatio ex fumo.
Capnomantis, *καπνομάντης*, divinator ex fumo super aris.
Capnus, *καπνὸς*, fumus.
Cappa, cucullus, pallium.
Cappatus, cappa indutus.
Capreus, caprinus.
Caprillus, idem.
Caprodon, *καπρόδων*, capri dens.
Captentula, captio. *Gloss. Isid.*
Captivatio, captivitas.
Carcero, as, in carcerem trudo.
Cardax, saltatio quaedam obscena V. CORDAX in *Lexico.*
Cardia, *καρδία*, cor. Item superius os ventriculi.
Cardialgia, *καρδιαλγία*, dolor cordis, aut stomachi. Item tristitia.
Cardopos, *κάρδοπος*, arca panaria, vel mactra.
Cardulum, membrum feminae. *Gloss. Isid.*
Carentia, privatio.
Cariceus, ex carice factus.
Carico, as, onero.
Caricula, parva carica.
Carinatim, in modum carinae.
Carissare, Cares imitari.
Carminatius, qui lanam carminat.
Carminativus, a, um, ut Carminativa medicamenta.
Carminatrix, quae lanam carminat.
Carminice, per carmina.
Carminicus, metricus.
Carnificium, carnificina, tormentum. *Sarisberiens.*
Carnisprivium et Carniprivium, tempus quo carnium esus interdictum est.
Carnositas, et
Carnulentia, pinguedo.
Caropera et Manopera, duplex servitutis genus.
Caros, *κάρος*, somnus justo profundior. Item crapularis redundantia. Item semen exiguum.
Caroticus, *καρωτικὸς*, soporandi vim habens.
Carotides, *καρωτίδες*, venae jugulares.
Carpaea, genus armatae saltationis.
Carpasia, vestis stragula. *Gloss.*
Carpeo, enarro.
Carpesium, *καρπήσιον*, festuca tenuis, surculis cinnamomo similis: odore aromatico.
Carphelium, panis cibarius.
Carpismi, *καρπισμοὶ*, manuum porrectiones.
Carrera, cursus.
Carrico, as, onero.
Carrotium, currus cum vexillo publico.
Carsamatius, exsectus, eunuchus. V. EUNUCHUS §. 6. in *Lexico.*
Cartallus, *κάρταλλος*, cophinus, corbis.
Caryca, sanguiculus, botellus.
Caryophyllatus, caryophyllo conditus. Caryophyllata, genus herbae.
Casamaton, casa subterranea.
Casellula, exigua casa. *Ennod. ep.* 9, 29.
Casona, acus, qua mulier caput scalpit. *Gloss. Isid.*
Cassidile et Cassidilis, pera reticulata, marsupium: a *cassis* rete *Bud.*
Cassitias, visci genus.
Casso, adverb. frustra.
Cassura, herba, quae et podagra lini dicitur.
Castaldia, villicatio, administratio.
Castaldus, villicus, administrator.
Castaneus color, castaneam referens.
Castaninum oleum, ex castaneis expressum.
Castellaritium, praefectura castelli.
Castifer, qui flagella portat, ut castiget. V. CESTIFER in *Lexico.*
Castimonium, castimonia. *Gloss. Philox.*
Castitia, turres, vel castella.
Castrametatio, metatio loci pro castris ponendis.
Castrametator, qui locum castrorum metatur.
Castrisius, curator penarii et vestiarii patriarchae.
Cataceleusmus, *κατακελευσμὸς*, certamen quoddam.
Cataclaston, *κατάκλαστον*, frustum panis benedicti.
Cataclysma, *κατάκλυσμα*, medicamentum alvum abluens, clyster.
Catacombae et Catacumbae, coemeteria publica.
Catacrisis, *κατάκρισις*, sanctio. Item condemnatio.
Catactus, *κατακτὸς*, poculi convivialis genus.
Catagmaticum medicamentum, *καταγματικὸν*, fractis ossibus solidandis utile.
Catagogis, *καταγωγὶς*, genus vestis muliebris.
Catagraphe, *καταγραφὴ*, futurae picturae delineatio. V. CATAGRAPHUS in *Lexico.*
Catalepsis, *κατάληψις*, perceptio, comprehensio. Item subita correptio sensuum, qua homines rigent.
Catalysis, *κατάλυσις*, dissolutio.
Catamontem, *divisim* cata (*κατὰ*, *h. e.* juxta) montem, coeli aspectum. *Gloss. Isid.*
Catanaeus, *Κατανᾶος*, Catinensis.
Catanotium, pallium: a *κατὰ νώτων*, super terga.
Catapetasma, *καταπέτασμα*, velum quo mulieres utuntur ad arcendum aspectum. Item tapete.
Cataplectatio, rixa, qua quidam se mutuo plectunt.

Catarrhizo, catarrho laboro, *καταῤῥοΐζομαι.*
Catarrhosus, catarrho laborans.
Catasarca, species hydropis. Item instratum aliquod sacrae mensae.
Catasceve, *κατασκευὴ*, confirmatio propositae rei. *Isid. Orig.* 2, 12.
Catastagmus, *καταστάγμὸς*, destillatio.
Catastasis, *κατάστασις*, ordinatio, constitutio. Item stipendium equitibus datum.
Catastictos, *κατάστικτος*, tunica figuris animalium, aut florum intexta.
Catastole, *κατασταλὴ*, amictus, vestitus. Item repressio, cohibitio.
Catastroma, *κατάστρωμα*, superius tabulatum, navis. Item pavimentum.
Catastrum, liber, in quo describuntur bona civium.
Catasyllogismus, *κατασυλλογισμὸς*, contraria, et captiosa ratiocinatio.
Catatethema, excommunicationi affinis poena.
Catatyposis, *κατατύπωσις*, hypotyposis.
Catecheticus, *κατηχητικὸς*, ad instruendum pertinens.
Categorema, *κατηγόρημα*, categoria.
Categorematicus, *κατηγορηματικὸς*, ad categoremata, seu categorias pertinens.
Categorice, *κατηγορικῶς*, per categoriam.
Catharma, *κάθαρμα*, piaculum. Item purgamentum.
Catharsium, *καθάρσιον*, porcellus minutus, quo conciones, et theatra expiabantur.
Catharus, *καθαρὸς*, purus, mundus.
Cathegeta, *καθηγητὴς*, ductor, praeceptor.
Cathema, *κάθημα*, ornamentum demissum ad pectus.
Catheterismus, *καθετηριασμὸς*, curatio per catheterem.
Cathisma, *κάθισμα*, sessio.
Catoche, *κατοχὴ*, veterni species.
Catochus, *κάτοχος*, detentio spiritus, species lethargi.
Catogeum, *κατώγειον*, domicilium subterraneum.
Catomare, verberare.
Catomum vel Catomus, virga lignea, vel ferrea, qua sontes caeduntur. Quidam exponunt cervicem, ex Graeco *κατ' ὦμον*. V. *Catomus* ap. *Ducang.* in *Glossar. med.* et *inf. Latinit.* et CATOMIDIO in *Lexico.*
Catoptica, species opticae agens de reflexionibus coelestium corporum.
Catoptrica, ars, *κατοπτρικὴ*, qua per instrumenta mathematica, oculorum adhibita acie, quippiam indagamus.
Catoptromantia, *κατοπτρομαντεία*, ars divinandi per specula.
Catoptron, *κάτοπτρον*, speculum.
Catorogare, verberare. V. CATOMIDIO §. 4. in *Lexico.*
Catoterica, *κατωτερικὰ*, medicamenta, quae purgant per inferiora.
Catunae, tentoria.
Catunopium, tentoriorum locus.
Cauca, *καῦκα*, patera. *Gloss. Philox.*
Caucularius, et
Cauculator, qui cauculis ludit praestigiator.
Cauculus, parvus caucus: acetabulum, vasculus.
Caudalus, suavis, mansuetus.
Caudatus, cauda instructus.
Caveola, parva cavea. *Gloss. Philox.*
Cavillatorius, ad cavillandum pertinens.
Cavitas, cavum.
Caulesco, caulem emitto.
Cauma, *καῦμα*, aestus, calor, ustio.
Cavosus, cavus.
Caupilus, navicula brevis, vel cyathus. V. CAUPULUS in *Lexico.*
Cauponaria, ars cauponandi.
Causator, Causatrix, } efficiens.
Causidicatus, us, causidici munus.
Causidicor, causas ago. *Gloss. Philox.*
Causon vel Causus, ardor febrilis, aestus, calor, *καῦσος.*
Cauta, afflatio. *Theod. Priscian.*
Cauterio, as, cauterio inustus, notis compunctus.
Cecteria seu Cectoria, fovea rotunda, lacuna.
Cecua et Cecuma, noctua. *Gloss. Isid.* V. *Caecua.*
Cedromela, mala cedrina.
Celebriter, cum celebritate.
Celeustes, *κελεύστης*, hortator remigum, portisculus.
Celliota, minister conclavis principum. Item monachus.
Cellularius, cellarius.
Cenarius, purgator auri et argenti.
Cenchramides, *κεγχραμίδες*, ficuum grana instar milii.
Cenchrias, *κεγχρίας*, genus herpetis.
Cenchritae, *κεγχρῖται*, anseres, quae milio pascuntur.
Cenchrus, *κέγχρος*, milium.
Cenodoxia, *κενοδοξία*, inanis gloriae cupido.
Cenoma, *κένωμα*, vacuum.
Centennis, qui est centum annorum.
Centesies, centies.
Centricus, centralis.
Centrones, fures manifestarii.
Centrotypi, *κεντροτύποι*, aurigae.
Centuplico, as, duplico ad centum.
Centuplus, centuplex.
Cephalades, Cephalodes, capitanei.

Cephale, *κεφαλὴ*, caput.
Cephaline, *κεφαλίνη*, linguae pars interior.
Cephalocrustes, *κεφαλοκρούστης*, vermis in foliis persici.
Cephalodesmus, *κεφαλοδεσμὸς*, frontale.
Cephalus, *κέφαλος*, mugil, capito.
Cepphicus, *κεπφικὸς*, levis, incertus: vel fatuus, stolidus.
Cepos, *κῆπος*, hortus.
Certamium, *κεράμιον*, vas fictile.
Ceras Amaltheas, *κέρας Ἀμαλθείας*, Cornu copia.
Cerasbola, *κεράσβολα*, semina, quae si boum cornua attigerint, putabant neque coqui posse, neque igne absumi.
Cerasphoros, *κερασφόρος*, cornua ferens, cornutus.
Ceratarium, chela, quae in fluvium aut mare incurrens, vim fluctuum frangit.
Ceratoides, *κερατοειδὴς*, cornu similis.
Cereostata, candelae.
Cererosus, insanus. *Gloss. Philox.*
Cerilarium, officina cerarii.
Cerimen, sordes aurium.
Cerinarius, qui cerina tingit.
Cerix, conchyliorum genus.
Cermatista, *κερματιστὴς*, nummularius.
Cernitus, cretus, succretus.
Cerobulon, cerea bulla.
Ceroferarium, candelabrum.
Ceroferarius, et Ceriphorus, qui cereum portat.
Certamitides, terrae genus.
Certificatio, certa notitia.
Certifico, certum facio.
Cervicatus, Cervicosus, } obstinatus, pervicax.
Cesale, latrina.
Cessionarius, is cui fit cessio.
Cessiosus, qui saepe cedit. *Gloss. Isid.*
Cessor, qui cedit.
Cestreus, *κεστρεὺς*, piscis genus, mugil, cephalus.
Cevetes, molles, obsceni. *Scholiast. Juvenal.*
Chaere, *χαῖρε*, salve.
Chalasis, *χάλασις*, laxatio articulorum. Item relaxatio, remissio.
Chalasmus, *χαλασμὸς*, chalasis,
Chalasticamen, relaxatio. *Theod. Priscian.*
Chalaza, *χάλαζα*, grando. Item tuberculum sub cute.
Chalcantinus, qui est ex chalcanto.
Chalceutice, *χαλκευτικὴ*, officina aeraria.
Chalcidissare, *χαλκιδίζειν*, pecuniae avidius inhiare.
Chalcinus, aereus.
Calcographia, *χαλκογραφία*, typographia.
Chalcographicus, *χαλκογραφικὸς*, typographicus.
Calcographus, *χαλκογράφος*, typographus.
Chalcolibanon, *χαλκολίβανον*, species electri auro pretiosior: vel genus aeris fulgentissimi.
Chalepos, *χαλεπὸς*, difficilis, asper, durus prolatu.
Caliphas, dignitas doctorum apud Turcas.
Chamus, *χαμὸς*, frenum.
Characterizo, *χαρακτηρίζω*, charactere insignio.
Charadrius, *χαράδριος*, avis, quae in salebris et in alveis fluminum degit.
Charagma, *χάραγμα*, nota impressa, character.
Charatzion; tributi genus.
Charax, *χάραξ*, vallum, pedamentum.
Charientologia, *χαριεντολογία*, sermo seriis joca admiscens.
Charis, *χάρις*, festivitas, gratia, beneficium.
Charisius, species panis, seu placentae.
Charisticatus, praebendarius.
Charistice, praebenda.
Charmone, et Charmonia, laetitia, gaudium, *χαρμονή.*
Charopus, *χαρωπὸς*, amabilis, blandus, gratiosus.
Chartophylacium, *χαρτοφυλάκιον*, tabularium, archivum.
Chasmatarius, aerarii praefectus.
Chaviare, salsamentum.
Chelandia, navigii genus.
Cheleuma, *χέλευμα*, filum cannabinum setis praepilatum, quo calcei construuntur.
Chelonium, *χελώνιον*, testudinis tegumentum.
Chelysma, lignum crassius, quod imae carinae affigitur, ne, si in saxa incurrerit, atteratur, *Poll.*
Chenotrophion, *χηνοτροφεῖον*, anserum alendorum locus.
Cheopina, mensura sextarii.
Chernibs, *χέρνιψ*, vas abluendis manibus. Item ipsa aqua qua manus abluuntur.
Cherotrophium, *χηροτροφεῖον*, hospitale viduarum.
Cherubus, alata imago similis juveni.
Chia, latibulum, caverna, v. gr. serpentis.
Chiasmus, *χιασμὸς*, decussatio. Item figura, cum quatuor propositis, tertium secundo respondet, et quartum primo.
Chilias, *χιλιὰς*, numerus millenarius.
Chiloter, *χιλωτὴρ*, genus freni equini. Item capistrum cum sacculo, quod a capite equi suspenditur, et in eo cibus ei praebetur.
Chimastrum, *χείμαστρον*, vestis hiemalis rusticorum.
Chimerinus, *χειμερινὸς*, hibernus.
Chimethlon, *χείμεθλον*, morbus, seu ulcus ex frigore.

China, et Cina, radix fungosa, levis, colore ad rufum accedente.
Chirae, rupturae in pedibus.
Chiromactrum, χειρόμακτρον, mantile.
Chiromantes, χειρομάντης, divinator ex lineis manuum.
Chiromantia, χειρομαντεία, divinatio ex lineis manus.
Chirotheca, χειροθήκη, manica.
Chirothecarius, qui chirothecas facit, aut vendit.
Chirothecatus, manicatus.
Chirurgice, χειρουργική, ars chirurgi.
Chirydra, terrae ruina, vel fissura ex aqua pluvia, torrente, vel terrae motu.
Chiton, χιτών, tunica.
Chitoniscus, χιτωνίσκος, indusium, camisia.
Chitonium, χιτώνιον, tunicula.
Chitra, genus medicamenti.
Chlaena, χλαῖνα, laena.
Chlidones, χλιδῶνες, brachialia.
Choenicium, χοινίκιον, instrumentum chirurgicum, modiolus. Item modiolus rotae, cui axis immittitur.
Choerogryllius, χοιρογρύλλιος, erinaceus, cuniculus.
Choicus, χοϊκός, terreus.
Cholades, χολάδες, intestina, quia in ea derivatur χολή.
Cholagoga, χολαγωγά, medicamenta bilem educentia.
Choladochus, χολαδόχος, vesicula fellis.
Chonculae, secretaria duo in abside.
Chondros, χόνδρος, cartilago. Item granum, grumus concretus, ut salis, turis.
Choraphobrysis, fons ruralis.
Chordapsus, χορδαψός, morbus intestinornm.
Chorepiscopus, χωρεπίσκοπος, qui in pagis et oppidis vice episcopi fungitur.
Choreuma, χόρευμα, saltatio. Item carmen, quod saltatur.
Chorizo, χορίζω, choros duco.
Chorium, χορίον, vel χωρίον, membrana fetum involvens.
Chorodidascalus, χοροδιδάσκαλος, magister chori.
Chorographus, χωρογράφος, qui regionem aliquam describit.
Chorostates, χοροστάτης, magister chori.
Chortos, χόρτος, herba, foenum.
Chreopia, χρεοπία, liberatio debiti.
Chresis, χρῆσις, usus.
Chrisis, χρίσις, unctio.
Chronia, χρόνια, Saturni festa.
Chronicus, χρονικός, seu Achronicus ortus dicitur ab astrologis, cum stella oritur sole cadente. Chronicus occasus, cum sol et stella eodem tempore occidunt.
Chronisso, χρονίζω, moror, cunctor, insisto.
Chronodistichon, χρονοδίστιχον, duo versus, quorum litteris numerum significantibus, notatur tempus, sive annus.
Chronographus, χρονογράφος, qui de temporibus scribit.
Chronologia, χρονολογία, descriptio temporum.
Chronologus, χρονολογος, qui tempora describit.
Chronos, χρόνος, tempus. Item Saturnus.
Chronostichon, χρονόστιχον, versus, cujus litterae tempus et annum significant.
Chrysaeetus, χρυσαίετος, genus aquilae.
Chrysargyrum, χρυσάργυρον, tributi genus ex brutorum et hominum stercore.
Chrysobulon, aurea bulla.
Chrysoclavum, aureis clavis ornatum.
Chrysocomus, χρυσοκόμης, auream comam habens.
Chrysoma, χρύσωμα, aurum factum.
Chrysomallos, χρυσόμαλλος, aries aureo vellere.
Chrysopastus, χρυσόπαστος, auro respersus.
Chrysoplysium, χρυσοπλύσιον, officina, in qua lavatur aurum.
Chrysoplytes, χρυσοπλύτης, qui aurum lavat.
Chrysopoeia, χρυσοποιία, ars conficiendi aurum.
Chrysulca, aqua fortis, quae solvendi auri vim habet.
Chylificatio, conversio cibi in chylum.
Chylus, χυλός, succus: et praesertim succus ventriculi.
Chymia, χυμία, ars solvendi metalla.
Chymiater, qui / Chymiatria, quae } chymica arte medetur.
Chymicus, ad solvenda metalla pertinens. Item chymiater.
Chymista, qui chymia utitur.
Chymus, χυμός, succus: et praesertim qui sanguineus in hepate coquitur.
Chytrinda, χυτρίνδα, genus ludi puerilis.
Chytropus, χυτρόπους, tripes ferreus, cui olla imponitur. Item ipsa olla.
Cibdela, numismata oblaesa, et adulterata.
Ciborium, vas sacrum.
Cicadula, parva cicada.
Cicela, orum, τὰ κείκελα, frena.
Cicerbita, sonchus.
Cichila, turdus apud Siculos.
Cicinnia, Dea obscenitatis. *Gloss. Philox.*
Cifra, signum numerale.
Cilega, passerculus pullatus.
Ciliatus, magna supercilia habens.
Cillibantes, lignei tripodes, quibus milites proelio fessi scuta imponebant.
Cillium, asininus color.
Cimbaricon, tunica pellucida.
Cimelium, κειμήλιον, supellex pretiosa, quae reponitur extra usum quotidianum.
Cimentarius, qui fundamenta disponit, caementarius.
Cimentum, fundamentum, caementum.
Cimicare, cimices quaerere, et occidere.
Cimico, blandior.
Cinclus, κίγκλος, avis, quae et motacilla dicitur.
Cinctor, qui cingit.
Cindalismus, κινδαλισμὸς, ludus paxillorum.
Cinefacio, in cinerem redigo.
Cinefactio, in cinerem redactio.
Cingiliones, cingula parva.
Cingriae, tibiae breviores.
Cingularius, qui cingula facit, aut vendit.
Cinus, nutus, motus.
Circada, nomen exactionis, quae tribuitur episcopo ob circuitionem dioeceseos.
Circelli, monilia.
Circinarius, qui circinos facit, aut vendit.
Circito, as, circumeo. *Gloss. Philox.*
Circitura, et
Circitus, circuitus. *Gloss. Philox.*
Circulariter, circulatim.
Circumcolumnium, peristylium.
Circumfossio, circumfossura.
Circumscriptivus, ad circumscribendum pertinens.
Circumspicuus, undique conspicuus.
Circumvallatio, circuitus vallo factus.
Cirrhus, κιρρὸς, color fulvus pallescens.
Cirriger, cirratus.
Cirsi, κιρσοὶ, tumores pedum et imi ventris, varices.
Cirsocele, κιρσοκήλη, hernia ex venis tumescentibus, ramex.
Cirtacus, genus balsami.
Cis, κὶς, vermiculus lignum et frumentum rodens.
Cismarinus, qui cis mare est. *Sarisberiens.*
Cistartium, sitartium, panarium.
Cisticus ductus, ad vesicam felleam pertinens.
Citatio, in jus vocatio.
Citaxus, ceu taxus, taxo similis.
Citratum, potionis medicae genus.
Citta, κίττα, genus avis picae similis, et terram mandentis. Item morbus cibi fastidium inducens.
Cittosis, vitium uvarum, cum acini dilapsi pereunt.
Civicare, civem facere.
Civilae, naves longae.
Cladecula, parva clades.
Clama, et
Clamaton, dolor, lamentatio.
Clamnum, clarissimum, vel clarissimatum. *Gloss. Isid.*
Clanculare, occultare. *Gloss. Isid.*
Clanidio, claudico.
Claredines, claritudines. *Gloss. Isid.*
Claretum, vinum aromatis conditum, et saccharo dulcoratum.
Clarotae, servi agrarii in Cypro.
Classicarii, classicines.
Clavata, vestigium.
Clavatus, crucifixus.
Claudaster, aliquantum claudus. *Gloss. vet.*
Claudire, claudicare. *Gloss. Isid.*
Claviculatus, curvus, intortus.
Clauson, febris exaestuans.
Claustralis, in claustris monasticam vitam agens.
Claustrum, aedes monachorum.
Clausura, finis sermonis.
Clavularius cursus, h. e. tardus, qui caligatis militibus concedebatur.
Clavulum, vehiculi genus.
Clenodium, κλενώδιον, quaevis res pretiosa.
Clepsammidium, horologium arenarium: a κλέπτω, occulto, et ἄμμος, arena.
Cleromantia, κληρομαντεία, divinatio per sortes.
Cleropeplum, singulare ornamentum clericorum, quod corruptissime nunc Liropipium dicitur.
Clibanitae, panes in clibano assati.
Clibio, masculus.
Clientelaris, ad clientelam pertinens.
Climacteria, naturae rei incerta perfugia, vel auxilia.
Climatera, vestis arbustiva.
Cline, κλίνη, lectus.
Clinedion, κλινήδιον, lectulus.
Clinopodes, κλινόποδες, lecti pedes.
Clipeocentrum, insigne scuti in clipei centro.
Clivior, nobilior. *Gloss. Isid.*
Cloca, vel Clocca, tintinnabulum, ampana.
Cloes, pluvia, vel navigium.
Cloppus, claudus.
Closmus, κλωσμὸς, sonus, qui editur pressa lingua palato: quo equi excitantur ad cursum.
Clostrata, quae unica constant fore.
Clubon, sigillum.
Clunicus, clunibus languidus et morbosus.
Clusae, clausurae, regionum claustra.
Cnidii moduli, versiculi amatorii.
Cnipologus, κνιπολόγος, avicula cinerei coloris, culices venans et vorans.
Coacticius, coactus.
Coadjuto, simul adjuto.
Coagmentarius, qui coagmentat. *Gloss.*
Coarcuatio, concameratio. *Gloss. Isid.*
Coccodaphnon, lauri bacca.
Cochlidion, cochlis, κοχλίδιον, κοχλὶς, cochlea, genus scalarum.
Cociator, cocio.
Cocina, culina.
Cocionatura, ars cocionandi.
Cocistro, praegustator cocinae, h. e. culinae.
Coctiliarius, coctorum lignorum negotiator.
Cocturarius, qui coquit.
Coculus, parvus cocus.
Codatremola, motacilla.
Codicium, parvus codex, seu liber.
Codiculus, idem.
Codones, κωδῶνες, tintinnabula.
Codonophori, tintinnabula gestantes, κωδωνοφόροι.
Coelostomia, κοιλοστομία, vitium pronunciationis, cum vox ex recessu oris velut e cavo quodam auditur.
Coenator, qui coenat, vel coenas amat.
Coenipeta, qui alienas coenas petit, parasitus.
Coeniscia, quae pertinent ad esum, vel ad coenam.
Coenobiarcha, κοινοβιάρχης, coenobii praeses.
Coenobita, in coenobio vivens.
Coenobium, κοινόβιον, vitae societas. Item aedes multorum simul viventium.
Coenonicon, κοινωνικὸν, quod canit chorus post sacram communionem.
Coesse, simul esse.
Coexemplum, simile exemplum.
Cogitamentum, cogitatio.
Cogitatiuncula, parva cogitatio.
Cognoscentia, cognitio, notitia.
Cognoscibilis, qui cognosci potest.
Cognoscibiliter, ita ut cognosci possit.
Cohabitantia, cohabitatio.
Cohibuli, concordes, conjuncti. *Gloss. Isid.*
Cohivum, folliculus rosae clausus.
Cohobare, iterum destillare.
Cohobatio, iterata destillatio.
Coilia, κοιλία, venter.
Coinfantiatus, ab infantia alicui inspiratus.
Coincidentia, congruitas.
Coincido, simul evenio, incido, congruo.
Coix, vas farinarium.
Colacritae, κολαχρίται, quaestores pecuniae ad res divinas erogatae.
Colamentum, colatura.
Colasis, κόλασις, punitio, poena.
Colifarius, bos operarius. *Gloss Isid.*
Colitor, dominus fundi. *Gloss. Isid.* V. hanc vocem in *Lexico.*
Colla, κόλλα, gluten. Item sacrificium.
Collabi, claviculi citharae, quibus nervi intenduntur. Item pastilli similes claviculorum. Item lora, quibus caeduntur servi.
Collaboratio, labor una cum alio susceptus.
Collaborator, qui collaborat.
Collabus, κόλλαβος. V. *Collabi.*
Collaterales, in jure sunt transversim affines.
Collato, dilato.
Collecto, as, saepe colligo.
Colliani (*al.* collybarii), publicani: vel impii. *Gloss. Isid.*
Collibentia, libido, consensus.
Collibo, as, simul libo.
Collimbus, (*lege* colymbus, κόλυμβος), locus, ubi mundantur vestimenta. *Gloss. Isid.*
Colliquamentum, et
Colliquatio, liquatio, liquamen.
Colliquativus, liquidum ac languentem reddens.
Collo, as, confero.
Collubescentia, consensus.
Collulum, parvum collum.
Collustratio, illustratio.
Collybisticus, κολλυβιστικὸς, ad collybistam pertinens.
Coloboma, κολόβωμα, mutilatio. Item defectus.
Colonetae, erant Athenis operarii, qui conductorem quaerebant.
Colorinus, coloreus.
Coluberculus, parvus coluber.
Coluria, medicamenta rotunda et oblonga. V. COLLYRIUM in *Lexico.*
Coma, κῶμα, morbus soporem inducens, veternus.
Comas, cervi hinnulus.
Comaticus, κωματικὸς, qui veterno laborat.
Comba, lectica Sabinorum lingua.
Combinae, litterae quae dabantur a principe ad combinanda seu jungenda animalia publica ad cursum, et iter.
Combinatio, duorum conjunctio. *Gloss.*
Combustilis, qui comburi potest.
Comesalia, symbolae.
Comestio, comestura.
Comestor, comesor.
Cometopullus, comitis filius.
Comitatio, comitatus.
Comitatulus, parvus comitatus.

Comitatus, comitis ditio. V. COMITATUS §. 3. in *Lexico.*
Comitissa, quae comitis dignitatem habet.
Comixius (*al.* comitiosus), verbosus, loquax. *Gloss. Isid.*
Commater, quae simul mater est.
Commemoratorium, res quae commemorat. *Ambros.*
Commenda, custodia certorum bonorum, quae uni ex ordine equestri commendatur.
Commensalis, qui eadem mensa utitur, conviva.
Commensuro, metior.
Commercator, qui simul mercatur.
Commerciarius, idem.
Commictibilis, commixtus, compositus.
Commisculor, et Misculor, arrogare sibi proprium.
Commisculus, et Commiscuus, communis, mixtus.
Commissarius, cui aliquid committitur.
Commissor, oris, qui committit, ut Commissor pugnae. *Gloss.*
Commodatarius, cui aliquid commodatur.
Commodia, hostiaria. *Gloss. Isid.*
Commoditer, commode. *Inscr.* apud *Grut.* spuria.
Commotica, κομμωτικὰ, fuci medicamenta.
Communicabilis, qui communicari potest.
Communicativus, qui communicatur.
Communicatorius, idem.
Commutativus. qui commutatur.
Comoedialis, ad comoediam pertinens.
Comopolis, κωμόπολις, locus major quam vicus, et minor quam urbs.
Compactor, qui compingit.
Compaginatio, compages. *Gloss.*
Camparatrix, quae comparat, et acquirit. *Zeno Veron-*
Comparticeps, particeps, socius.
Compassivus, qui compatitur.
Compassum, circinus.
Compasticae, deliciae arrogantes, superbae.
Compater, simul pater.
Compaternitas, paternitatis communio.
Compatriota, patriae ejusdem qui est, popularis.
Compelluceo, pellucidus sum.
Compendialiter, per compendium, compendiario.
Compensa, compensatio. *Ruricius* aequalis *Sidonii.*
Compensatorius, compensativus.
Compictio, compactio. *Claud. Mamert.*
Complantatio, consitio.
Complantatus, consitus.
Complanto, consero.
Completa, et
Completorium, extrema pars Horarum Canonicarum.
Complicabilis, qui complicari potest. *Isid.*
Compotentia, potentiae communio.
Compoto, simul poto.
Comprandeo, simul prandeo.
Comprivigni, simul privigni. *JCti.*
Compulsoriales, litterae compellentes et cogentes.
Conarium, particula cerebri coni figura.
Concanonicus, in canonicatu socius. *Sarisberiens.*
Concentor, qui canenti accinit.
Concessor, qui concedit.
Conchus, concha turbinata. Item cavitas oculorum. Item margarita. Item genus mazae.
Conciliabundus, concilians, conciliator.
Concinnatrix, quae concinnat.
Concinnatura, concinnatio. *Gloss. Philox.*
Concionabulum, locus ubi concio habetur. Item ipsa concio.
Concipiones, stellae conceptibus faventes.
Concisim, stricte, breviter, concise.
Concitarium, donum imperatoris ad concitandos militum animos.
Conclaudo, concludo.
Conclavo, una clave claudo. *Closs. Philox.*
Concomitanter, una simul.
Concomitantia, societas.
Concomitor, comitor.
Concordantia, et
Concordatio, concordia, consensus.
Concorruo, simul ruo. *Sarisberiens.*
Concretilia, ea quorum humiditas calore exsiccatur, vel frigore extruditur.
Concubinula, parva concubina. *Cathol.*
Concus, utis, radius textorius. *Gloss.*
Condecurio, as, primae decuriae secundam ita apponere, ut lateri primi versus decurionis decurio secundi versus respondeat, et lateri substitis primae decuriae substes primus secundae.
Condensantia, densatio.
Condentalis, simul cum dente natus, vel denti adhaerens.
Condescensio, descensio. *Imp. Justinian. Cod.* 1, 1. 6.
Condiarium, aerarium.
Conditorius, ad conditorem pertinens. *Scriban.*
Condolentia, et
Condolescentia, compassio. *Scriban.*
Condominus, socius in dominio.
Condones (*al.* campiones), gladiatores. *Gloss. Isid.*
Condulco, as, dulcem facio.
Conduma, locus laxationi corporis assignatus.
Condura, genus navigii.
Condylomaticus, pustulosus. *Cathol.*
Conestabili, comites stabuli.
Confarrare, farra miscere.
Confectorium, locus ubi sues occiduntur, et condiuntur. *Gloss. Philox.*
Conferentia, collatio. *Gloss. Isid.*
Conferiatus, sociatus. *Gloss. Isid.*
Conferui (*al.* comperui), cognovi, comperi. *Gloss. Isid.*
Confessarius, et
Confessionarius, qui confessiones excipit.
Confessivus, confitens. *Caper.*
Confibulatio, fibulatio. *Novatian.*
Confibulo, as, fibulo.
Conficina, macellum. *Pap.*
Confida, ae, qui confidit. *Gloss. Isid.*
Configulatus, figuli arte formatus. *Paulin. Aquilejens.*
Confiscator, qui bona in fiscum redigit. *Gloss.*
Conflatim, copulatim. *Gloss. Isid.*
Conflator, qui conflat.
Conflatorium, fornax, aut vas, in quo quippiam conflatur. *Gloss. Philox.*
Conflictator, conflictans.
Confluxus, confluentia.
Conforaneus, qui est ejusdem fori. *Gloss. Isid.* et *Philox.*
Conformitas, congruentia, similitodo.
Confragmentum, simul rugosum, (*lege* confragosum, simul fragosum), ut mons. *Gloss. Isid.*
Confuraneus, coartifex. *Gloss. Philox.* V. *Conforaneus.*
Confuro, simul furo. *Sarisberiens.*
Confutaneus, et
Confutator, qui confutat.
Congarriens, simul garriens. *Sarisberiens.*
Congelabilis, qui congelari potest.
Congigno, simul gigno.
Congio, per augmentum cresco.
Congressor, qui congreditur. *Ambros.*
Congylis, κογγυλὶς, rapum rotundum.
Congyro, in gyrum ago.
Coniasis, κονίασις, tectorii inductio.
Conjectorius, conjectatorius. *Sarisberiens.*
Conion, κώνιον, cicuta.
Conisalos, *vel* Conissalos, Κονίσαλος, et Κονίσσαλος, Priapus.
Conisticae, κονιστικαὶ, aves, quae in pulvere volutari solent. *Coel. Rhodig.*
Conistice, es, κονιστικὴ, arena, locus luctae.
Conistra, κονίστρα, conisterium. *Pollux.*
Conjubatus, conjugatus.
Conjucundor, simul jucundor, congaudeo.
Connatio, natatus simul cum aliis.
Connivum, folliculus rosae clausus.
Conno, as, simul no.
Connodare, in nodum constringere.
Connotare, notare, adnotare, significare.
Connotativus, qui aliud quippiam significat.
Connutare, simul nutare. *Mantuan.*
Conoides, κωνοειδὴς, coni figuram referens.
Conos, placenta ex uvis passis et amygdalis.
Conostaulus, comes stabuli imperatoris.
Conquaternatio, unio per quaternos. *Gloss. Philox.*
Conquaterno, as, quaternos jungo. *Gloss. Philox.*
Consaepe, ut solet, ut fit. *Gloss. Isid.*
Consalaneus, ejusdem salis particeps.
Consarsum, acute textum, plumatum. *Pap.*
Conscientiarius, confessarius.
Conscientiosus, scrupulis vexatus.
Conscotinus, qui simul est in tenebris.
Consectator, qui consectatur.
Consecutor, qui consequitur.
Consepelio, simul sepelio.
Consistentia, status.
Consisterium, rupes alta.
Consistorialis, consistorianus.
Consodalis, sodalis.
Consolabundus, consolatoris officio fungens.
Consolatrix, quae consolatur.
Consolino, consulo.
Consonatio, consonantia.
Conspicillo, onis, explorator.
Conspicue, perspicue, aperte.
Consputatio, sputorum conjectio.
Constabularius et
Constabulus, comes stabuli.
Constapholarius, *vel* Constafolarius, assessor judicis, decurio.
Constello, as, stellis orno.
Consternium, locus prope thermas, ubi lavaturi vestes deponebant.
Constimulatrix, quae stimulat.
Constips, particeps.
Contabolia, sarissa, hasta longior.
Contacium, liber, volumen, codex.
Contectalis, qui sub eodem tecto est, conjux.
Contemplatorius, contemplativus.
Contempte, contemptim. *Gloss. Cyril.*
Contenebresco, tenebrosus fio.
Contentivus, qui continet. *Constantin. Afer.*
Contento, as, tento.
Contifex, qui contos facit. *Voss. Etym.*
Contomonobolon, κοντομονόβολον, lusus, quo jactu perticae se exercebant.
Contophori, κοντοφόροι, milites contis armati.
Contosta, pars inferior panis.
Contostablos, comes stabuli.
Contotae naves, κοντωτὰ πλοῖα, quae contis propelluntur.
Contractorium, musculus adstringens. *Gloss. Phil.*
Contradictorius, ut propositio contradictoria, apud logicos.
Contrantiscii, paralleli declinationis secundarii, quos imperantes, et obedientes vocitamus: suntque duae partes Signorum aequaliter hinc inde ab aequatore distantes.
Contrapunctus, melodia composita.
Contraratiocinatio, fallacia plurium interrogationum.
Contrario, as, adversor.
Contrayerva, radix bezoartica in Peruana provincia.
Contribulo, as, vexo, premo, stimulo.
Contribuni, consanguinei, parentes. *Gloss. Isid.*
Controverti, in controversia esse.
Contumelior, cotumelia afficio. *Gloss. Phil.*
Contumeo, contumesco.
Contura, navigii genus.
Convalido, as, validum facio. *Gloss. Phil.*
Converna, servus simul cum alio domi natus.
Conversator, contubernalis. *Gloss. Phil.*
Convexus, us, convexitas. *Gloss. Phil.*
Convincio, simul vincire, colligare.
Convisceratio, viscerationis distributio in sacris. *Sarisberiens.*
Convivifico, as, simul vitam affero. *Fulgent.*
Convivio, onis, qui simul vivit.
Cooperor, simul operor.
Cope, κοπὴ, sectio.
Copela, puella, ancilla.
Copelus, filius spurius.
Cophinaria, ars faciendi cophinos.
Cophinarius, qui cophinos facit, aut vendit.
Cophri, Christiani homines in Aegypto.
Copissare, κοπίζειν, convivium celebrare, quando nutrices deferebant pueros in Dianae templum.
Coprianus, scurrilis.
Coprophorus, κοπροφόρος, qui latrinas purgat.
Copterium, securis, cuneus. *Gloss.*
Copularius, vinculum in collo canis.
Copulatim, copulate. *Gloss.*
Copulator, qui nectit.
Coquimella, (al. *coccimela*), arboris genus. *Isid. Or.* 17, 7.
Coquulus, parvus coquus.
Coraula, (lege *choraula*), jocularius. *Gloss. Isid.* V. CHORAULES.
Corban, donum in corbona repositum. Item gazophylazium.
Corbita in legib. Langobard. est stuprum.
Corcula, joculatrix.
Cordacicus, cordax, cordacismus.
Cordacismus, κορδακισμὸς, genus saltationis comicae.
Cordacistes, κορδακιστὴς, qui cordacem saltat.
Cordela, funiculus.
Cordialis, benevolus, benignus.
Cordialiter, ex corde.
Cordula, palustris lana.
Coriaceus, qui est ex corio.
Corimbata, navis. *Gloss. Isid.*
Corinthiari, luxuriose vivere.
Coritza, puella, virgo.
Coritzola, corrigia.
Cornigenus, qui est ex genere cornua habentium.
Cornupeta, qui cornu ferit. *Gloss. Phil.*
Coronatio, coronae inductio.
Coronisma, κορώνισμα, genus honestum mendicandi apud Rhodios, cum aliquis cornicem (κορώνην) avem gestans ei stipem petebat.
Coronista, κορωνιστὴς, mendicans.
Corpomatia, vulnus.
Corporicida, macellarius. *Gloss. Phil.*
Corpos, ictus. *Gloss.*
Correcte, emendate.
Correctorius, corrigens, emendans.
Correpto, correpo.
Correptorius, increpans, corrigens.
Correspondentia, congruentia.
Correspondeo, respondeo.
Corrogatio, congregatio.
Corruspor, simul ruspor, investigo, quaerito.
Corsus, qui primum barbam posuit.
Cortinarii, qui cortinas aut vela extendunt. Item qui ante tentorium imperatoris ministrant.
Cortinon, χόρτινον, gramen. Item raphani semen.
Corus, mensura capiens XXX. modios *Isid. Or.* 16, 26.
Corybantia, locus, ubi Corybantium sacra fiebant.
Corybantismus, κορυβαντισμὸς, lustratio facta per Corybantes. Item morbus superstitiosus a Corybantibus immitti creditus.
Corycium, κωρύκιον, pera, qua equites viaticum ferunt.
Coryphaea, κορυφαία, habena summum caput equi cingens.
Coscinomantia, κοσκινομαντεία, divinatio per cribrum.
Cosmarcha, κοσμάρχης, mundi princeps.

Cosmarius, mundi dominus,
Cosmiaticum, tributum pro mundo muliebri.
Cosmicus (*κοσμικὸς*) ortus astrologis est, cum stella oriens una cum sole emergit: cosmicus occasus, cum stella occidit sole oriente.
Cosmographia, *κοσμογραφία*, descriptio mundi.
Cosmon, jumentum.
Cossia, foenisecium.
Cotiarius, qui cote acuit ferramenta. *Gloss. Phil.*
Cotopitae, circumcelliones, haeretici. *Isid. Or.* 8, 5.
Cotum, gossypium.
Cotylarium, piscatus purpurae.
Cotyledones, *κοτυληδόνες*, in humeris et coxendicibus sunt cavitates, in quas ossium capita inseruntur.
Cotymba, navigii barbarici genus.
Covali, daemones lusum assimulantes et decipientes.
Counio, is, unio, jungo. *Cathol.*
Coutor, simul utor.
Covum, vel Cohum, coelum.
Coxigare, claudicare.
Coxus, claudus vitio coxae.
Craepalocomus, *κραιπαλόκομος*, hymnus vinolentorum.
Crama, *κρᾶμα*, mixtum, mixtio.
Crambus, *κράμβος*, vitium fructuum, et praecipue uvarum, cum nimio sole acini inarescunt.
Cranium, *κρανίον*, ossa capitis. Item poculum cranii figura.
Cranteres, *κραντῆρες*, dentes, qui circa pubertatem nasci solent.
Crapulor, heluor.
Crasculus, diminut. a crassus.
Crasis, *κρᾶσις*, temperamentum, mixtura varii generis res concilians. Item duarum syllabarum contractio in nnam, ut cauda coda.
Crassula, genus herbae.
Crastinatio, dilatio in crastinum.
Crastino, as, in crastinum differo.
Craterium, foenile.
Crateuta, et
Crateuterium, *κρατευτὴς*, et *κρατευτήριον*, lapis, cui inter assandum veru innititur.
Crea, stercus. *Gloss. Isid.*
Creacentrum, *κρεάκεντρον*, baculus, quo lanii et coqui carnium frustra configunt.
Cremabilis, qui facile cremari potest.
Crembalum, *κρέμβαλον*, crepitaculum, quod pulsatur ad saltandum.
Cremo, ramus grandis, aut virgultum.
Cremutium, holocaustum. *Gloss. Isid.*
Crena, *κρήνη*, fons. Item incisura calami scriptorii. Item in sagitta extremae partis sectio, in quam nervus inseritur. Item in ipso arcu crenae sunt, in quibus collocatur sedetque nervus.
Crespulus, matutinus. *Gloss. Phil.*
Cretizare, *Κρητίζειν*, Cretas imitari.
Cribello, cribro, cerno.
Cribrarius, qui cribra facit, aut vendit.
Cribratim, per cribrum.
Cribratio, actus cribrandi.
Cribrosus, in modum cribri perforatus.
Cricellia, anelli, orbiculi.
Cricellus, circellus, parvus circulus.
Cricetus, animal parvum ursi facie, in cavernis agrorum habitans.
Criminatrix, quae criminatur.
Crinesco, crinem emitto.
Crinomenon, *κρινόμενον*, judicatio, qua de re agitur.
Crinosus, crinitus.
Criodoche, *κριοδόχη*, trabs arietaria, vel machina arietem militarem sustinens.
Crisis, *κρίσις*, judicium. Item morbi, et naturae conflictus.
Crispicapillus, capillus crispus. *Gloss. Phil.*
Critades, judices.
Criterium, *κριτήριον*, judicium.
Crithe, *κριθή*, hordeum. Item tuberculum in oculo.
Crithmum, *κρίθμον*, genus herbae.
Crithologi, *κριθολόγοι*, praefecti colligendis sacrificiorum primitiis, in quibus maxima pars hordeum erat.
Crius, *κρίος*, aries.
Croceatus, croco tinctus, *Adelhelm.*
Crocopeplos, *κροκόπεπλος*, aurora, dicta a veste crocei coloris.
Crommyon, *κρόμμυον*, caepa.
Crossia, fimbria. *Lex. Cyrill.*
Crotalisso, et Crotalizo, *κροταλίζω*, crotalum pulso.
Crotalus, *κρόταλος*, qui est voce sonanti, et lingua expeditiore, et loquacitate obtundit.
Crotaphitae, *κροταφῖται*, musculi temporales.
Crucibulum, lucerna, mortarium. *Cathol.*
Crudarium, linteum ex crudo lino. *Gloss. Phil.*
Cruesco, cruorem fundo. *Damasus.*
Crumenisecium, latrocinium.
Crumenisex, latro, qui crumenas secat.
Crumenula, parva crumena.
Cruminare, ventrem exonerare. *Venant. Fortun.*
Crupes, et Cruppa, funis densus.
Cruscumulus, tumor crurum.
Crusculus, qui parva habet crura.
Crustibia, cruciatus. *Gloss.*
Crymodes, *κρυμώδης*, febris algens.
Crypsorchis, *κρυψορχις*, testiculos occultos habens.
Crypsis, *κρύψις*, occultatio.
Crystades, fabri lignarii.
Crystallissatio, crystallinae formae reductio.
Crystallisso, *κρυσταλλίζω*, in crystallum cogo.
Crystalloides, *κρυσταλλοειδὴς*, humor ovi albo simile in oculo.
Ctema, *κτῆμα*, mancipium.
Ctenes, *κτένες*, quatuor dentes medii in homine.
Cteniatros, *κτηνίατρος*, medicus jumentorum et pecorum.
Ctisis, *κτῆσις*, dominium.
Cubatorium, locus cubandi.
Cuberta, stragulum.
Cubio, masculus. *Gloss. Isid.*
Cubistica, *κυβιστικὴ*, genus saltationis, qua variis modis manus et pedes contorquentes, in caput saltabant. V. *Cybistema.*
Cubizon, stramentum, ubi cubatur.
Cucier, Ponticus sacerdos. *Gloss. Isid.*
Cucubaeos, glaucus, nocturnus.
Cucumion, parvus cucumis.
Cucurbitare dicitur a Feudistis vassallus, qui domini uxorem adulterio polluit.
Cucurbitarium, locus ubi seruntur cucurbitae.
Cucurbito, cucurbitas cuti impono.
Cucutopullon, porcellus.
Culbicio, onis, morbus stranguriae similis. *Gloss. Phil.*
Culbo, substillo. *Gloss. Phil.*
Culiciarius, Apollo, a propulsandis ex agro culicibus.
Culiculus, parvus culex. *Gloss. Phil.*
Culit, perculit, a cello. *Gloss. Isid.*
Culo, is, tego: unde Occulo.
Cuminisector, avarus, sordidus.
Cumulium, cumulus.
Cunctipater, omnium pater. *Theodulph.*
Cuniculinus, ad cuniculum pertinens.
Cupedipeta, qui cupedias sectatur.
Cupella, vas, in quo aurum argentumque purgatur.
Cuphia, galericulum.
Cupidicenus, et Cupidicinus, coenipeta. *Gloss. Phil.*
Cupientia, cupiditas. *Gloss. Phil.*
Curagulus, id est curaculus, curiosus. *Gloss. Isid.*
Curatxa, thorax, lorica.
Curba, *κοῦρβα*, meretrix.
Curcilla, oppilago. *Gloss. Isid.*
Curcuba, et
Curculia, funis nauticus in tempestate adhibendus.
Curdela, ligula. V. *Cordela.*
Curopalates, comes aulicorum, custos palatii, temporibus Justiniani ita vocari coeptus.
Curopalatissa, uxor curopalatae.
Curpator, levis armaturae miles.
Curraculus, aliquantum currax. *Cathol.*
Currodrepanus, currus falcatus.
Currucare, adulterari.
Cursilis, ad currendum facilis.
Curtesos, benignus.
Curvipes, curvos pedes habens. *Gloss. Phil.*
Curvum, buris, vel temo inter boves.
Cursuta, vitium in herbis, illis se circumvolvens, et strangulans.
Custoditivus, custodiens. *Sarisberiens.*
Cutrucum, machinae genus.
Cutzos, claudus, mutilus.
Cybistema, *κυβίστημα*, saltationis genus, cum quis se in caput dejicit. V. *Cubistica.*
Cybisteres, *κυβιστῆρες* saltatores, qui se in caput dejiciunt.
Cyclopaedia, *κυκλοπαιδεία*, omnium scientiarum circulus.
Cyclus, *κύκλος*, circulus.
Cylix, *κύλιξ*, calix.
Cyna, *κύνη*, pileus Lacedaemoniorum.
Cynacanthe, *κυνακάνθη*, arbor, quae acinos instar uvae producit.
Cynocauma, *κυνόκαυμα*, calor Sirii canis.
Cynomyia, *κυνόμυια*, musca canina.
Cynosarges, *κυνόσαργες*, gymnasium nothorum Athenis.
Cyragra, chiragra, *χειράγρα*.
Cyris, Manibus.
Cyrographus, chirographus.
Cytheroniades, *Κυθερωνιάδες*, (corrige *Cithaeroniades*, *Κιθαιρωνιάδες*) Musae.
Cythonymus, *κυθώνυμος*, nomen habens infandum, et obliviscendum.
Cyttalles, fur, apud Iones.

D

Dabir, et Davir, Hebr. דְּבִיר oraculum Dei.
Dacar, insuavis, vilis.
Dactylidion, *δακτυλίδιον*, anulus sine gemma aut sigillo.
Dactyliotes, *δακτυλιώτης*, digitus anularis.
Dactylion, *δακτύλιον*, anulus.
Dactylotum, *δακτυλωτὸν*, genus vasis vinarii.
Daemogorgon, *δαιμογοργών*, Deus terrae.
Daemonarcha, *δαιμοναρχης*, daemonum princeps.
Daemonolatria, *δαιμονολατρεία*, daemonum cultus.
Dalerus, et Thalerus, monetae argenteae genus.
Damnifico, damnum infero. *Sarisberiens.*
Damnulum, parvum damnum.
Danace, *δανάκη*, nummus, qui in ore mortuorum ponebatur, ut Charonti pro transvectione solverent.
Danicus, Danus.
Danisma, *δάνισμα*, fenus, mutuum, usura.
Dapax, loquax, facundus ex cibo. *Cathol.*
Dapeo, epulum praebeo. *Gloss. Phil.* Item epulor, vescor. *Gloss.*
Daphninus, *δάφνινος*, laurinus.
Daphnucus, qui primus in convivio canebat.
Dasia, *δασεῖα*, densi spiritus nota apud grammaticos.
Datismus, *δατισμὸς*, barbarismus: a Dati quodam Persa barbare loquente.
Debreviatio, breviatio.
Debreviatus, breviatus.
Debrio, inebrio.
Deca, *δέκα*, decem.
Decadarchia, *δεκαδαρχία*, decemviratus.
Decadeltos, *δεκάδελτος*, lex XII. Tabularum.
Decadorus, *δεκάδωρος*, decem palmos longus.
Decaduchi, *δεκαδοῦχοι*, decemviri apud Athenienses.
Decaennea, *δεκαεννέα*, decem et novem.
Decalanzare, cantare cum gaudio.
Decalco, calcem induco. *Gloss. Phil.*
Decalefacio, calefacio. *Gloss. Phil.*
Decalesco, calesco. *Gloss. Phil.*
Decanatus, decani dignitas.
Decaphoros, *δεκάφορος*, lectica a decem portata.
Decapito, caput praecido.
Decarchia, *δεκαρχία*, decemvirorum imperium.
Decarchus, *δεκάρχης*, decem militibus praefectus.
Decempes, edis, mensuram habens decem pedum decempeda.
Decendium, decem dierum spatium.
Deceptiosus, fallax. *Ennod.*
Decepto, saepe decipio. *Sarisberiens.*
Decerminatio, purgatio a decerminibus.
Decidentia, status ejus, qui ad morbum inclinat.
Decidivus, deciduus, caducus. Item decisivus.
Declamatorie, declamatorio more.
Decollatio, colli sectio. *Gloss. Phil.*
Decrepare, ultimum crepitum edere.
Decubiae, excubiae. *Cathol.*
Decubitus, actus decumbendi. Item coeli constitutio inspecta tempore ingravescentis morbi
Decursorium, locus, in quo decurritur.
Dedomatus, probe domitus. *Commodian.*
Deesis, *δέησις*, indigentia. Item deprecatio.
Defalco, as, quasi falce amputo, tollo. *Sipontin.*
Defensaculum, clypeus. *Adelhelm.*
Defixio, veneficium.
Defolio, folia detraho. *Gloss. Cyrilli.*
Defomo, dedolo. *Gloss. Phil.* Hinc defomitatus.
Defrigo, patrimonium consumo.
Defunctio, mors.
Defustare, fuste caedere. *Gloss. Phil.*
Degeniare, gratiae forma fraudare. *Cassiodor.* Est qui tribuit etiam. *Capitolin. Macrin.* 7. *f.*
Degradatio, de gradu honoris et dignitatis dejectio.
Deguadiare, debitam constitutionem frangere. *Cathol.*
Degumo, vel Degumio, gulae indulgeo, devoro. *Gloss. Phil.*
Dehabeo, non habeo, vel minus habeo.
Deicola, Deum colens.
Deintus, intus. *Cassiodor.*
Dejurus, qui valde, vel sancte jurat.
Delactatus, ablactatus. *Gloss. Phil.*
Delephat, phosphorus. Ita dicitur a Chaldaeis.
Deleteria, *δηλητήρια*, medicamenta noxia.
Deliberium, consilium, deliberatio. *Gloss.*
Delicatulus, diminut. a delicatus.
Delicium, delictum: a delinquo. *Gloss.*
Delimator, qui delimat. *Gloss.*
Delimino, limen aufero. *Cathol.*
Delimpido, clarum reddo.
Deliriosus, deliramentis plenus. *Vet. Interpr. Irenaei.*
Delphax, acis, *δέλφαξ*, porculus lactens.
Delphinis, idis, mensa poculorum.
Delphiniscus, *δελφινίσκος*, parvus delphinus.
Delticus, litteratus, doctor.
Demarceo, debilitate conficior.
Demargio, marginem tollo.
Demejo, mejo. *Gloss. Phil.*
Demiculus, minutus scyphus.
Demingo, mingo. *Gloss. Phil.*
Deminoratio, diminutio.

Democratia, δημοκρατία, imperium populi.
Democraticus, δημοκρατικός, ad imperium populi pertinens.
Demosiarius, municeps: a δημοσίᾳ, publice.
Demusso, musso. *Gloss. Phil.*
Denerata, denariorum pretium.
Densifico, densum facio.
Dentatim, et
Denticulatim, denticulato opere.
Denticulo, dentes alicui rei induco.
Dentifragium, evulsio, et fractio dentium.
Denudatio, nudatio. *Gloss. Phil.*
Denudator, qui denudat. *Gloss. Phil.*
Denumeratio, enumeratio. *Gloss. Phil.*
Depactio, pacis confederatio. *Gloss.*
Depelliculo, decipio. *Cathol.*
Dependentia, consecutio.
Depesco, in pascua deduco.
Depetiginosus, depetigine laborans. *Gloss. Phil.*
Depexo, frequentat. a depecto.
Depilatrix, quae pilos vellit.
Deplaco, valde placo. *Zeno Veronens.*
Deplorabilis, deplorandus.
Deplumo, plumas detraho.
Depotior, fruor, potior. *Gloss. Phil.*
Deprecabilis, exorabilis.
Deprecatiuncula, brevis deprecatio. *Salvian.*
Deprecatorius, ad deprecandum pertinens.
Depulsito frequentat. a depello. *Gloss. Phil.*
Depultrix, quae depellit, expultrix.
Depugnatrix, quae depugnat.
Deradiotes, δηραδιώτης, Apollinis cognomen.
Deraea, δέραια, ornamenta colli.
Deraeambus, corium quo canum colla armantur adversus dentes ferarum.
Derarat, torpet, frigidum est. *Gloss. Isid.*
Derbia, impetigo, apud medicos.
Derbiosus, impetigine laborans. *Theod. Priscian.*
Derivatorium, castellum, ex quo aquae in diversas urbis partes derivantur
Derma, δέρμα, cutis, pellis. *Onomast.*
Desecus, secus, aliter.
Deservitio, actus deserviendi.
Desiccatio, actus desiccandi.
Desiccativus, desiccans.
Desiduus, assiduus, diuturnus. Item ignavus. *Gloss. Isid.*
Desipes, tardipes. *Gloss.*
Desitisco, contemno. *Gloss.*
Desmophylax, δεσμοφύλαξ, captivorum custos.
Desmoterion, δεσμωτήριον, carcer.
Desmotrichon, δεσμότριχον, ornatus in capite mulieris ad crines colligendos.
Desolatio, devastatio, solitudo.
Desperabilis, desperandus.
Desperator, qui desperat.
Desplendesco, splendorem amitto. *Paulin. Nolan.*
Despoena, δέσποινα, domina. Dicitur de Proserpina domina Ditis.
Desponsator, promissor nuptiarum.
Despotas, et Despotes, δεσπότης, dominus.
Despotati, chirurgi, medici exercitus.
Despotia, δεσποτεία, dominatus.
Desterno, is, sterno.
Desto, valde sto. *Gloss.*
Destricare, consumere. *Gloss. Isid.*
Desturbo, desero, longe sto. *Gloss.*
Desueo, desuesco
Detitulo, titulum detraho.
Detrimentabilis, detrimentosus. *Gloss.*
Detrimiasis, morbus oculi, cum pupilla major naturali apparet. *Lex. Med.*
Detrullare, ex una in aliam trullam diffundere.
Devaricare, provehere, dissimilem facere.
Devastator, vastator.
Devastor, vasto.
Devectio, deportatio.
Devibiae, vigiliae, vulgo paleae mulieris. *Gloss. Isid.*
Devirginator, stuprator virginis. *Gloss. Phil.*
Devixit, mortuus est.
Devotorius, ut Devotorium carmen, quo quis se devovet.
Deuteragonista, δευτεραγωνιστής, qui secundas in certamine partes agit.
Deuteriarius, monasterii praefectus.
Deuterologi, deuterologi, δευτερόλογοι, causidici secundo loco causas agentes subscriptores.
Deuteropathia, δευτεροπαθεία, morbus ex alio morbo nascens.
Deuteroprotos, δευτερόπρωτος, sabbatum, secundo primum.
Deuterosis, δευτέρωσις, novitas. *Cathol.*
Deuteruga, δευτερύγη, genus vestis apud Athenienses.
Deuterurgon, δευτερουργόν, genus lanae secundariae.
Dexiolabus, δεξιολάβος, lictor, satelles, custos carceris.
Dextantarius, dextantem continens.
Dextralis, dextrae habilis. *Gloss. Isid.* V. DEXTRALE in *Lexico.*
Dextrarii, dicuntur equi, maxime bigarii.
Dextrariolum, dextrale.
Dextro, as, equos bigarios jungo. Item equum a dextris duco. Item dextrorsum eo, vel verto.
Diabateria, διαβατήρια, sacrificia pro transitu difficili facta.
Diabaticum, διαβατικόν, tributum pro transitu mercium.
Diabetes, διαβήτης, morbus cum siti, cum potus indigestus celerrime emittitur.
Diabole, διαβολή, calumnia.
Diacameron, medicamentum revocans hominem de morte ad vitam.
Diacarthamum, electuarium contra bilem.
Diacaryon, διακάρυον, medicamentum ex nucibus.
Diacassia, genus medicamenti.
Diacasticum, sportula.
Diacatharotia, purgatio.
Diacatholicum, διακαθολικόν, medicamentum omnes humores evacuans.
Diacatoche, διακατοχή, et
Diacatochia, διακατοχία, possessio bonorum, detentio.
Diaconisimon, septimana post resurrectionem.
Diachoresis, διαχώρησις, excretio alvi.
Diachysis, διάχυσις, diffusio animi sese relaxantis.
Diacitron, διάκιτρον, citri cortex melle conditus.
Diaclysma, διάκλυσμα, collutio.
Diaconatus, diaconi officium.
Diacone, διακόνη, diaconissa.
Diaconiae, loca in quibus per diaconos regionarios pauperes alebantur.
Diaconicus, διακονικός, ad diaconum pertinens.
Diacorum, electuarium stomachicum.
Diacosmus, διάκοσμος, instructio, catalogus.
Diacrommyon, διακρόμμυον, medicamentum ex caepis.
Diactor, διάκτωρ, nuntius: Mercurii nomen.
Diacydonites, διακυδωνίτης, medicamentum ex cydoniis malis
Diacydonium, διακυδώνιον, electuarium ex pulpa cydoniorum.
Diademalis, ad diadema pertinens. *Dracont.* et *Theodulf.*
Diadosis, διάδοσις, digestio seu distributio alimenti.
Diadysis, διάδυσις, detrectatio legitimi certaminis.
Diaetarcha, διαιτάρχης, diaetarius.
Diaetare, δίαιτᾶσθαι, modum in victu tenere.
Diaglyphice, διαγλυφική, ars statuaria sculptura depressa: cui opponitur anaglyphice sculptura exstante.
Diagnosis, διάγνωσις, cognitio morbi, et ejus causae.
Diagnosticus, διαγνωστικός, morbum et ejus causas declarans.
Diagogica, διαγωγικά, tributa pro trajiciendo flumine.
Diagrammismus, διαγραμμισμός, genus ludi tesserarii, in quo LX. calculi albi et nigri adhibebantur.
Diagrapharius, qui publica repetit.
Diagrapheus, διαγραφεύς, qui censui conscribendo praefectus est.
Dialythos, διάλυθος, recensetur inter ornamenta muliebria.
Diamastigosis, διαμαστίγωσις, flagellatio.
Diameron, διήμερον, biduum.
Diamone, διαμονή, permansia, perseverantia.
Diamoron, διάμωρον, medicamentum ex mororum succo.
Diangelus, διάγγελος, nuntius.
Dianoea, διάνοια, mens, intellectus, ratiocinatio.
Diapapaver, confectio ex papavere.
Diaparthenia, διαπαρθένια, *scil.* δῶρα, munera, quae sponsae pro immunitione dantur.
Diapenidium, medicamentum pro asthmaticis, arthriticis, phthisicis.
Diaphanus, διαφανής, pellucidus.
Diaphonia, διαφωνία, dissensio, discordia.
Diaphoron, διάφορον, differens. Item differentia.
Diaphragma, διάφραγμα, cartilago inter nares. Item septum transversum.
Diaphrattontes, διαφράττοντες, membranae in homine, quae recta ad jugulum usque perferuntur.
Diapnoe, διαπνοή, aeris attractio, respiratio.
Diaponi, διάπονοι, Cretici canes multi laboris in venando.
Diarius, unius diei.
Diarrhoea, διάῤῥοια, ventris fluxus.
Diarrhoicus, διαῤῥοϊκός, ventris fluxu laborans.
Diarrhytus, διαῤῥυτος, irriguus, aquosus.
Diarthrosis, διάρθρωσις, artuum commissura, articulatio.
Diasatyrion, διασατύριον, medicamentum cum satyrii radice.
Diasia, Διάσια, sacra Jovis Milichii Athenis cum quadam tristitia celebrata.
Diasostis, διασώστης, qui praeest alteri in via.
Diaspendone, διασπενδόνη, supplicium, quo duarum arborum incurvatis cacuminibus alligatum hominis corpus discerpitur.
Diastoli, διάστολοι, rationum correctores.
Diastrophi oculi, διάστροφοι, strabones.
Diathesis, διάθεσις, apta rerum dispositio.
Diatichisma, διατείχισμα, murus intersepiens.
Diatim, quotidie.
Diatritarii, medici quidam sic dicti deridiculi causa, quoniam cibi abstinentiam initio morbi in diem tertium prorogabant.
Diaulium, διαύλιον, dicebatur, cum in scena tacentibus ceteris, solus intus tibicen canebat.
Diaulodromi, διαύλοδρόμοι, qui cursum Circensem peragunt, h. e. duo stadia: qui cum ad metam pervenerint, rursus eo recurrunt, unde incepe rant.
Diaulonion, διαυλώνιον, locus angustus, in quo coturnices, aliaequo aves illaqueantur.
Diaxylon, διάξυλον, aspalathus.
Dibolia, διβόλια, jacula duplicis cuspidis.
Dicaeodotes, δικαιοδότης, juris dator, justitiam exhibens.
Dicaeologia, δικαιολογία, justificatio, cum aequitatem causae quam brevissime complectimur, scil jure nostro freti.
Dicaeopragma, δικαιόπραγμα, juris actio.
Dicasterium, δικαστήριον, locus judicii.
Dicastes, δικαστής, judex.
Dicasticum, δικαστικόν, merces, quae datur judicibus.
Dicella, ensis utrinque caedens.
Dicentarius, rhetor, causidicus.
Dices, δῆκες, vermes in virentibus lignis.
Dichasteres, δίχαστῆρες, dentes quatuor anteriores
Dichophobya, defectus pilorum, quando bifurcantur.
Dichoria, διχορία, dimidium chori.
Dichotomia, διχοτομία, sectio in duas partes.
Dicibilis, qui dici potest.
Dicographus, δικογράφος, causarum scriptor.
Dictamen rationis, insita ratio.
Dictamnites, vinum ex pulegio.
Dictionarium, liber dictionum, seu verborum omnium.
Dictiuncula, vocula.
Dictyota, δικτυωτὰ, opera, vel structura, reticulata.
Didactrum, δίδακτρον, merces, quae datur magistro.
Didascalia, διδασκαλία, doctrina, eruditio.
Didascalicium, doctoris munus.
Didascalus, διδάσκαλος, magister, doctor.
Diescit, dies fit.
Dieta, iter unius diei.
Dieteris, idis, διετηρίς, biennium.
Dietim, in dies singulos.
Diexodus, διέξοδος, digressio. Hinc Diexodius.
Difficax, difficilis.
Difficacia, et
Difficacitas, difficultas.
Difficulto, difficilem reddo. *Gloss. Cyrill.*
Diffidatio, provocatio ad certamen.
Diffido, as, bellum indico. *In Jur. Feud.*
Difformitas, discrimen, differentia.
Difrax, biceps. *Gloss. Phil.*
Diffusorius, ut Diffusoriae cloacae, quae immissas aquas in fluentem vel lacum devehunt.
Digestista, docens, aut discens Digesta.
Digestivus, digerendi et discutiendi vim habens.
Digitiae, virgulae aureae vel argenteae digitis similes.
Digitii, Dii semitales, quia quasi digito viam monstrant.
Digito, as, digito monstro.
Dignantissimus, valde dignans. *Salvian.*
Dilucidatio, declaratio.
Dilucalascit, dilucescere incipit.
Diminoratio, diminutio.
Dimpefactor, dispensator.
Dimulgatio, divulgatio. *Gloss.*
Dimyxos, δίμυξος, lucerna duorum ellychniorum.
Dingua, lingua.
Dinidor, malus nidor.
Dinodia, donaria omnia et res sacrae.
Dinos, δῖνος, poculi genus.
Diobolus, διόβολος, a Jove missus. Item nummus Atticus duorum obolorum.
Dioclis, doctor. *Pap.*
Dioecesanus, qui habet domicilium in dioecesi.
Diomedia, διομήδεια, sententia Jovis.
Dionysisci, διονύσισκοι, osseae eminentiae propter tempora.
Diopter, διοπτῆρ, oeconomus: item speculator.
Dioptica, διοπτική, ars investigandi distantias rerum per instrumenta.
Diorthosis, διόρθωσις, correctio.
Diorthotae, διορθῶται, emendatores, correctores.
Dios encephalos, Διὸς ἐγκέφαλος, h. e. Jovis cerebrum, nomen est edulii cujusdam scitissimi.
Dioster, διωστήρ, chirurgicum instrumentum, quo telum e vulnere extrahitur.
Diosteres, διωστῆρες, vectes, quibus per anulos immissis Arca portabatur.
Diphoros, διφόρος, bis anno fructum ferens.
Diphthera, διφθέρα, pellis caprae Amaltheae, in qua res humanas scribere dicitur Juppiter. Item vestis pastoralis.
Diphtheria, διφθερία, res ex pelle facta.
Diplasiasmus, διπλασιασμός, duplicatio.

Diplethrum, *δίπλεθρον*, spatium quoquoversus pedes CCXL. efficiens.
Diploidion, *διπλόϊδιον*, vestis muliebris genus.
Diplomatarius, duplicator. *Gloss. Isid.*
Diplomatica officina, in qua diplomata conficiuntur.
Diplomaticus, ad diploma pertinens.
Diplosa, divisa, separata. *Pap.*
Dipnitis, *δειπνῖτις*, vestis coenatoria.
Dipnologia, *δειπνολογία*, sermo de coena.
Dipnosophista, *δειπνοσοφιστὴς*, qui de coena, vel inter coenandum philosophatur.
Dipodium, *διπόδιον*, genus calceamenti. Item duum pedum mensura.
Dipsontes, *δίψοντες*, sitientes.
Disbullo, a bulla signum tollo.
Discapulatus, cui toga diffluit.
Discobino, derado, saucio. V. DESCOBINO in *Lexico.*
Discocalymma, *δισκοκάλυμμα*, lancis operculum.
Discooperio, aperio, detego.
Discora, genitura, in quam conveniunt Saturnus, Juppiter, et Venus.
Discordantia, dissentio, discordia.
Discorditer, discordibus animis.
Discretor, qui discernit et separat.
Disdonat, diversa donat. *Gloss. Isid.*
Disgargalis, equus difficilis, intractabilis.
Disgredior, recedo, discedo.
Disgruere, disconvenire. *Cathol.*
Disjectio, dissipatio.
Disligo, solvo. *Gloss.*
Disparasco, is, dispar sum. *Claud. Mamert.*
Dispareo, es, evanesco.
Disparitas, dissimilitudo, inaequalitas.
Dispassilio, distribuo. *Gloss.*
Dispex, qui acuto est visu ad dispiciendum. *Gloss.*
Disphemia, *δισφημία*, mala fama.
Dispicientia, consideratio.
Displacidus, morosus. *Gloss. Isid.*
Displuvium, locus in aedibus, ubi pluvia aqua huc et illuc dividitur.
Dispoliatrix, spoliatrix.
Dispositive, disposite.
Dispulveratio, pulveris excussio. *Beda.*
Disputatorius, ad disputandum pertinens.
Dissensor, qui dissentit. *Gloss.*
Dissertitudo, dissertatio. *Fab. Victorin.*
Dissimilaris, ex partibus dissimilibus constans.
Dissimulabilis, qui dissimulari potest.
Dissologia, *δισσολογία*, duplex locutio.
Distagmos, *δίσταγμος*, dubium, dubietas.
Distina, diastema, seu spatium temporis, quantum in sonis facit pyrrhichius, aut hemitonium majus.
Distratum, bivium.
Distria, clavae ferreae.
Distributivus, distribuens.
Districhiasis, *διστριχίασις*, duplex in palpebris pilorum series.
Districtus, us, territorium.
Distrigare, consummare. *Gloss. Isid.*
Divellio, bellum. *Gloss.*
Diversimode, alio atque alio modo.
Diversoriarius, caupo, hospes.
Dividiosus, discors. *Gloss.*
Divigena, a Deo genitus. *Gloss. Cyrill.*
Diviniloquus, qui divina loquitur.
Diuresis, *διούρησις*, urinae secretio.
Diurnalis, diurnus.
Doana, locus mercium venalium.
Doarium, usufructus certorum mariti bonorum uxori concessus.
Docimasia, *δοκιμασία*, experientia.
Doctitare, saepe docere. *Gloss. Isid.*
Documentatio, admonitio, documentum. *Gloss.*
Dodecadactylum, *δωδεκαδάκτυλον*, intestinum duodenum.
Duodecades, *δωδεκάδες*, duodenaria sacrificia, quae ex duodecim animalibus fiebant.
Dodecaedrum, *δωδεκάεδρον*, duodecim sedes habens, seu facies planas.
Dodecaeteris, *δωδεκαετηρὶς*, a chronologis dicitur systema duodecim annorum in orbem recurrens.
Dodecathei, *δώδεκα Θεοὶ*, duodecim Dii, qui majorum gentium dicuntur. V. CONSENTES §. 1. in *Lexico.*
Dolarius, qui dolia facit. *Gloss.*
Dolator, levigator.
Dolichodromi, *δολιχοδρόμοι*, qui septies die stadium currunt.
Dolichurus, *δολίχουρος*, longum habens caudam. Item versus hypermeter.
Dolichus, *δόλιχος*, phaseolus, legumen.
Dolorificus, dolorem faciens.
Dolositas, fraus.
Dolumen, delubrum. *Gloss. Isid.*
Domefio, domor.
Domicellus, nobilior famulus.
Dominalis, invincibilis. *Gloss.*
Domitatio, domitura.
Donus, *δόνος*, certum ponderis genus.
Dormiturio, dormito.
Dorophagia, *δωροφαγία*, avaritia, sordes.
Dorophagus, *δωροφάγος*, pecunia corruptus.
Dorothece, *δουροθήκη*, hastarum repositorium.
Dorpia, *δορπία*, et *δορπεία*, primus dies celebritatis, quae Apaturias Athenis vocabatur.
Dosis, *δόσις*, largitio, datio.
Drachmalis, ad drachmam pertinens.
Drapetinda, *δραπετίνδα*, lusus quidam puerilis.
Dropacismus, *δροπακισμὸς*, inunctio dropacis
Drumus, *δρυμὸς*, nemus densum.
Drungarius, praefectus et ductor drungorum. V. DRUNGUS in *Lexico.*
Ducissa, uxor ducis.
Ductrix, dux femina.
Duello, as, bello, pugno.
Dulamus, vestis interior.
Dulcamarus, dulcis amaro mixtus.
Dulcisonans, dulcisonus.
Dulia, *δουλεία*, servitus.
Dulocratia, *δουλοκρατία*, servorum dominatus.
Dunum, collis, aut eminentia, Gallorum lingua. Hinc Augustodunum, Uxellodunum, etc. urbes in edito sitae.
Duodevicies, duodeviginti vicibus.
Dupla, olla. *Gloss.*
Durata, *δούρατα*, ligna.
Duricors, qui est duri cordis.
Duriuscule, aspere, duriter.
Dynastia, *δυναστεία*, regio sub ditione dynastae.
Dysaesthesia, *δυσαισθησία*, vitium sensuum.
Dysbulia, *δυσβουλία*, prava consultatio.
Dyscheria, *δυσχερεία*, molestia, difficultas.
Dyschrestia, *δυσχρηστία*, offensio in usu atque tractatione. Item versurae faciendae difficultas.
Dyscoelius, *δυσκοίλιος*, qui alvo laborat.
Dyscrasia, *δυσκρασία*, mala temperies.
Dysis, *δύσις*, occidens.
Dysopia, *δυσωπία*, immodica verecundia, vitiosus pudor.
Dysorexia, *δυσορεξία*, appetitus edendi diminutus.
Dysosmos, *δύσοσμος*, male olens.
Dysparacolutheton, *δυσπαρακολούθητον*, obscurum quod non consequitur.
Dyspathia, *δυσπαθεία*, doloris impatientia.
Dysphemia, *δυσφημία*, malum nomen, infamia, maledicentia.
Dysphilus, *δύσφιλος*, amicus parum sincerus.
Dysphonia, *δυσφωνία*, vocis difficultas.
Dysphoria, *δυσφορία*, tolerandi difficultas.
Dysphysis, *δύσφυσις*, pravum ingenium, prava natura.
Dysrigi, *δύσριγοι*, qui frigus aegre tolerant.
Dystocia, *δυστοκία*, difficultas pariendi.
Dystrapeli, *δυστράπελοι*, qui in ira, vel affectione alia immobiles perseverant.
Dysuricus, *δυσουρικὸς*, ad dysuriam pertinens.

E

Eanon, *ἐανὸν*, vestimenti genus, idem cum peplo, seu pallio.
Eantis, una ex Athenarum tribubus.
Ear, *ἔαρ*, ver.
Earites, *ἐαρίτης*, lapis idem qui haematites.
Ebeo, as, beatitudine privo.
Ebuccino, as, divulgo.
Ebullitio, fervor.
Ecanto, cantare desino.
Ecbolades, *ἐκβολάδες*, et
Ecbolia, orum, *ἐκβόλια*, et
Ecbolinae, arum, medicamenta ad expellendos fetus mortuos ex utero.
Ecclesiarcha, *ἐκκλησιάρχης*, ecclesiae praefectus.
Ecclesiasterion, *ἐκκλησιαστήριον*, locus, ubi populus convenit colloquendi, aut spectandi causa.
Ecclesiastes, *ἐκκλησιαστὴς*, concionator.
Eccope, *ἐκκοπὴ*, divisio calvae, qua os offensum refractum est.
Eccritus, *ἔκκριτος*, selectus, eximius.
Eccubi, et ubi. Item nuncubi.
Eccum, machina lignea in theatro.
Eccyclema, *ἐκκύκλημα*, pegma in scena rotis subjectis, quo circumacto ostendebantur spectatoribus quae intus acta fuerant.
Echemythia, *ἐχεμυθία*, tacendi audiendique disciplina apud Pythagoricos.
Echemythus, *ἐχέμυθος*, homo sermonis parcissimi.
Eclogus, *ἔκλογος*, narratio, recitatio.
Ecpetala, *ἐκπέταλα*, pocula latiora.
Ecphortica, *ἐκφορτικὰ*, medicamenta, quae lentos et glutinosos humores eluunt.
Ecphrasis, *ἔκφρασις*, mera puraque rei gestae narratio.
Ecphyades, *ἐκφυάδες*, intestinorum appendices.
Ecpiesma, *ἐκπίεσμα*, calvae in multas partes diffractio, ita ut ossis partes cerebro sedeant.
Ecplexis, *ἔκπληξις*, consternatio mentis repentina.
Ecptosis, *ἔκπτωσις*, delapsus.
Ecpyetica, *ἐκπυητικὰ*, medicamenta suppurationem promoventia.
Ecrysis, *ἔκρυσις*, effluxio.
Ecstaticus, *ἐκστατικὸς*, qui ecstasim pati solet.
Ectacti, *ἔκτακτοι*, milites extra ordinem.
Ecthymata, *ἐκθύματα*, papulae per cutem erumpentes.
Ectrapelus, *ἐκτράπελος*, puer crescens praeter modum.
Ectromaticus, *ἐκτρωματικὸς*, abortum faciens.
Ectropia et Ectropium, *ἐκτροπία* et *ἐκτρόπιον*, vitium oculorum, cum palpebra inferior pendet, et hiat.
Ectyloticum, *ἐκτυλωτικὸν*, medicamentum, quo calli exteruntur.
Eda (al. *asseda*), basterna. *Gloss. Isid.*
Edentarius, qui dentes eximit.
Effabilitas, fandi facilitas.
Effaeco, a faecibus purgo.
Effatui, vaniloqui. *Gloss.*
Effectivus, efficiens.
Efficabilis, in omnibus expeditus. *Gloss. Isid.*
Efflatio, flatus. *Sarisberiens.*
Effluxus, effluentia.
Efformo, formo, effingo.
Effugus, fugitivus. *Cathol.*
Effulgesco, effulgeo.
Effusibilis, fluidus.
Effusorium, instrumentum ad effundendum. *Gloss.*
Effutilia verba, futilia, inania.
Egeator vel Aegeator, hortator navis: a mari Aegeo. *Gloss. Isid.*
Egesco, egere incipio.
Egesta, machina bellica telorum propulsatrix.
Egestaticius, qui frequenter aegrotat. *Gloss.*
Egestum, fimus, excrementum pecoris.
Elaeosaccharum, oleum ex saccharo.
Elaphus, *ἔλαφος*, cervus.
Elasmata, *ἐλάσματα*, laminae ductiles.
Elatinus, abiegnus, *ἐλάτινος*.
Elatorius, hyperbolicus, vel amplificatus.
Elcosis, *ἕλκωσις*, stomachi exulceratio.
Electicius, electus
Electivus, qui eligitur.
Electoratus, dignitas, munus, et ditio electoris.
Electuarium. V. ELECTARIUM in *Lexico.*
Eleemosynaria, quae } stipem largitur pauperibus.
Eleemosynarius, qui }
Elefrons, mons. *Cathol.*
Elegantulus, politulus.
Elegiographus, *ἐλεγειογράφος*, elegiarum scriptor.
Elelisphacites, *ἐλελισφακίτης*, vinum ex salvia.
Elenchticus, *ἐλεγκτικὸς*, ad coarguendum pertinens.
Eleo, as, maculo.
Eleoselinum, *ἐλεοσέλινον*, apium.
Elcosis, lege *Elcosis.*
Elepha, poculi species.
Elephantismus, *ἐλεφαντιασμὸς*, elephantiasis.
Elephantistes, *ἐλεφαντιστὴς*, rector elephanti.
Elephantozographi, *ἐλεφαντοζωγράφοι*, qui in ebore pingunt.
Elesmot, liber dictus Exodus. *Cathol.*
Elicator, aquarius. *Gloss.*
Eliminium, exsilium, peregrinatio.
Elimos, tibiae buxeae genus.
Elinguatio, linguae extractio.
Elixir, et Elixirium, liquor spirituosus, facultate praecellens.
Ellobia, *ἐλλόβια*, inaures. Item legumina siliquas habentia.
Elmius (scribe *helmius*), inthis, *ἕλμις*, *ινθος*, vermis, lumbricus
Elmos, tibiae genus.
Elocutor, qui eloquitur. *Ennod.*
Elucidarium, id quod aliud explicat.
Elucido, as, lucidum reddo, declaro.
Elucidus, perspicuus.
Elucubratio, lucubratio.
Eluibilis, qui elui potest.
Eluscatio, alterius oculi privatio. *Gloss. Cyrill.*
Elusio, deceptio, aut evitatio. *Gloss.*
Elvus, niger, candidusque color. V. HELVUS in *Lexico.*
Elyma, *ἔλυμα*, pars aratri, cui inhaeret jugum: vel ea, quae dentali, h. e. *γύῃ*, infigitur.
Elytron, *ἔλυτρον*, crusta alas insectorum claudens. Hinc anclytra appellantur insecta, quae detectas habent alas.
Emaculatorius, emaculandi vim habens.
Emaculus, aliquantum emax.
Emanuel, vel Emmanuel, Deus nobiscum.
Embadium, *ἐμβάδιον*, area.
Embaleuticum, emphyteuticum.
Embas, adis, *ἐμβὰς*, soccus, calceamentum comicum.
Embata, *ἔμβατα*, cothurni, calceamenta tragica.
Embateria, *ἐμβατήρια*, cantus ad tibiam.
Embathmi, *ἔμβαθμοι*, ordinarii et publici judices.
Embaticium, honorarium, quod patriarchae et sacerdotes honorem ineuntes solvebant. V. HONORARIUM §. 1. in *Lexico.*
Embatus, *ἐμβατὸς*, quem ingredi possumus.
Embola, *ἐμβολὴ*, transvectio annonae. V. EMBOLA in *Lexico.* Item incursio, irruptio. Item neutr. plur. dicteria in media fabula interposita. V. EMBOLIARIA in *Lexico.*
Embolaria, dicteria in fabulis.
Embolarius, theatricus.

Emboli, ἔμβολοι, porticus hinc inde platearum.
Embolima, ἐμβόλιμα, carmina spuria, imperfecta.
Embolimus, ἐμβόλιμος, insiticius, intercalaris.
Embolismalis, intercalaris.
Embolismus, ἐμβολισμὸς, intercalatio.
Embregma, (lege *embrechma*) ἔμβρεχμα, instillatio liquoris ad fovendum partes affectas.
Embryo, et Embryon, ἔμβρυον, fetus in utero informis.
Embryorectes, ἐμβρυορέκτης, et
Embryothlastes, ἐμβρυοθλάστης, instrumentum ad extrahendos etus mortuos in utero.
Embryotomia, ἐμβρυοτομία, incisio fetus in utero.
Emedium (al. *essedum*), vehiculum. *Gloss. Isid.*
Ememor, immemor. *Cathol.*
Ementum, excogitatio, commentum. *Gloss. Isid.*
Emeticus, ἐμετικὸς, vomitum ciens. V. EMPENETICA §. 2. in *Lexico.*
Emigraneus, vermis capitis. *Cathol.*
Emissibilis, qui emitti potest.
Emmelia, ἐμμέλεια, saltationis species.
Emmena, ἔμμηνα, menstrua mulierum. Item sacra quaedam Graecorum.
Emmenagoga, ἐμμηναγωγὰ, medicamenta menses cientia.
Emmota, ἔμμοτα, quae curantur per concerpta lineamenta, ulcera cava.
Emola, vas coquinarium, quasi aenea olla.
Emollitio, actus emolliendi.
Emologare, confirmare, laudare. V. *Homologare.*
Emologatio, confirmatio.
Empaectae, ἐμπαῖκται, derisores Deorum et religionis.
Emphanistica, ἐμφανιστικὰ, quae clerici in clerum adlecti magnae Ecclesiae solvebant.
Emphatice, ἐμφατικῶς, per emphasim.
Emphaticus, ἐμφατικὸς, emphasim habens.
Emphorum, intervallum, distantia.
Emphracta, ἔμφρακτα, navigia tecta, naves constratae.
Emphractica medicamenta, ἐμφρακτικὰ, obstruentia.
Emphractus, ἔμφρακτος, tectus, munitus.
Emphyllismus, ἐμφυλλισμὸς, insitio inter lignum et corticem.
Emphysema, ἐμφύσημα, tumor.
Empiria, ἐμπειρία, experientia, peritia.
Emplagium, genus retis minoris.
Emplastica, ἐμπλαστικὰ, medicamenta opplentia, obstruentia.
Emplocia, ἐμπλοκία, festum Athenis, in quo mulieres plexis capillis procedebant.
Empola, ἐμπολὴ, captura, quaestus.
Empolaria, mulier scenica, quaestuaria.
Empoleus, ἐμπολεὺς, dictus est Mercurius auctionibus praesidens.
Emponema, ἐμπόνημα, melioratio, quae fit ab emphyteuta in fundo.
Empos, impos. *Cathol.*
Emprostocurbion, anterior ephippii crepido.
Empusa, ἔμπουσα, spectrum, larva, illusio.
Empyema, ἐμπύημα, suppuratio, collectio puris in thorace.
Empyreum, undecimum coelum, ἐμπύρεον.
Emulgatio, promulgatio.
Emunctorium, instrumentum ad emungendum.
Emuralamii, signiferi Turcici.
Enacratum, vinum merum. Fortasse legendum oenocratum.
Enaema, ἔναιμα, emplastra, quae sanguinem sistunt.
Enaeorema, ἐναιώρημα, quod in urina circa mediam matulae partem innatat.
Enargia, ἐνάργεια, evidentia, illustratio.
Encanthis, ἐγκανθὶς, morbus oculi, cum in majori ejus angulo caruncula crescit.
Encausis, ἔγκαυσις, inustio.
Encaustes, ἐγκαυστὴς, qui igne pingit.
Encaustice, ἐγκαυστικὴ, ars pingendi encausto.
Encentris, idis, ἐγκεντρὶς, stimulus in calcaneo, calcar.
Enchiros, animal Orientis, magnitudine, figura, voce tauri, sine dentibus superioribus, longis villis.
Enchorda, ἔγχορδα, instrumenta, quae cordis intenduntur.
Enchrides, panes intriti caseo, oleo, melle, sesama.
Enchrysta, ἔγχριστα, medicamenta, quae inunguntur.
Enclastridia, ἐγκλαστρίδια, inaures, genus ornamenti muliebris.
Enclisis, ἔγκλισις, inclinatio.
Encliste, dies sepulti Servatoris.
Encnisma, ἔγκνισμα, genus sacrificii pro mortuis, in quo ignis primo exstinguebatur, deinde accendebatur ad coquendas carnes.
Encolpium, ἐγκόλπιον, quod e collo gestatur in pectore.
Encomiastes, ἐγκωμιαστὴς, laudator.
Encomiastice, ἐγκωμιαστικὴ, carmen heroum laudes continens.
Encomium, ἐγκώμιον, laudatio.
Encotyle, ἐγκοτύλη, genus ludi, quo victi victorum genua manuum cavitate excipientes gestabant.
Encrasicholi, ἐγκρασίχολοι, apuarum genus, pisces minuti.
Encratera, ae, liquamen ex quorundam piscium intestinis liquatis.
Encyclicus, ἐγκύκλικος, circularis: ut Litterae encyclicae.
Encyclon, ἔγκυκλον, genus muliebris vestis circularis.
Encyclopaedia, ἐγκυκλοπαιδία, orbis, et series, et conjunctio, commerciumque inter se omnium scientiarum, cognitio omnium ingenuarum artium.
Endemi, ἔνδημοι, qui in certis grassantur regionibus.
Endemius, ἐνδήμιος, popularis.
Endivia, ἔντυβον, cichorium domesticum.
Endofesto, infesto. *Gloss.*
Endomatica, quae imperatorum permissione, praeter publica vectigalia, sibi privatim publicani exigebant.
Endopecisco, injicio, immitto. *Gloss.*
Endoriguus, irriguus.
Endoxon, ἔνδοξον, argumentum probabile.
Endyte, ἐνδύτη, supremum sacrae mensae instratum.
Enelata, ἐνήλατα, ligna recta, in quae defiguntur gradus scalarum, vel ipsi gradus. Item paxilli, qui infiguntur ad retinendas rotas.
Enelysia, ἐνηλύσια, loca a fulmine tacta.
Energasia, ἐνεργασία, evidentia orationis, qua rem magis ostendere videmur, quam dicere.
Energia, ἐνήργεια, efficacia, vis.
Energicus, efficax.
Enneadecaeteris, ἐννεαδεκαετηρὶς, cursus annorum undeviginti.
Enneagonus, ἐννεάγωνος, novem habens angulos.
Enneaterides, ἐννεατηρίδες, celebritates tres apud Delphos.
Ennomios, ἐννόμιος, hereditatum scriptor.
Ennomotarcha, ἐννομοτάρχης, praefectus quartae partis decuriae.
Ennomotia, quarta decuriae pars: vel ipsa decuria.
Enodabilis, explicabilis.
Enodia, ἐνοδία, Hecate, quod in via, ἐν ὁδῷ, inventa sit ab Inache.
Enoplia, ἐνοπλία, saltatio ab armatis facta.
Enormatus, congruens normae.
Enosis, ἕνωσις, unio: ab ἕν.
Enosteos, lapis, qui ossis speciem habet.
Enoticum, ἑνωτικὸν, edictum de unione Ecclesiarum.
Enotocoetae, ἐνωτοκοῖται, homines tam longis auribus, ut usque ad talos perveniant; et in illis hi, cum decumbunt, dormiant.
Ensiformis, ensis habens formam.
Entasis, ἔντασις, intentio, productio.
Enterata, exenterata.
Enteron, ἔντερον, intestinum.
Enthemata, ἐνθέματα, quae recenti vulneri imponuntur sistendo sanguini. Item surculi, qui in insitione trunco infiguntur.
Entheo, as, ἐνθεῶ, numine afflo.
Entheton, ἔνθετον, medicamentum excellens.
Enthusiasmus, ἐνθουσιασμὸς, instinctus sacer, inspiratio divina.
Enthusiasta, ἐνθουσιαστὴς, entheus.
Enthusiasticus, ἐνθουσιαστικὸς, divino instinctu afflatus.
Enthymematicus, ἐνθυμηματικὸς, ad enthymema pertinens.
Enthymematium, ἐνθυμημάτιον, breve enthymema, brevis sententia.
Entolina, ἐντόλινα, praescripta, quae dantur legatis, quibus legationis capita continentur.
Entoma, ἔντομα, insecta.
Entropha, ἔντροφα, innutrita. Referuntur a *Pollu*ce inter ornamenta muliebria.
Entropides, ἐντροπίδες, genus calceamenti.
Enuntiative, enuntiando.
Eolus vel Aeolus, αἴολος, varius, variegatus. *Gloss.*
Epactra, ἔπακτρα, piscatoria navigia.
Epactres, ἐπακτρεῖς, piscatores.
Epagogia, ἐπαγωγία, praeputia.
Epagon, ἐπάγων, trochleae genus.
Epaecla vel Epaicla, ἔπαικλα, vel ἐπάϊκλα, bellaria, quae post coenam inferuntur.
Epalanete, es, piscis in Sequanae ostio frequens.
Epanconismus, ἐπαγκωνισμὸς, incubitatio.
Epangelia, ἐπαγγελία, cum quis accusatur, quod praeter leges concionetur, aut rempubl. capessat.
Eparchia, ἐπαρχία, praefectura provinciae.
Eparchiotes, ἐπαρχιώτης, provincialis.
Eparchus, ἔπαρχος, praefectus provinciae.
Eparmata, ἐπάρματα, tumores secundum aures.
Epaulia, ἐπαύλια, dona postridie nuptiarum a sponsae patre sponso oblata.
Epectasis, ἐπέκτασις, porrectio, epenthesis.
Epensare, expensum ferre.
Epetecticalis, terminus, qui alios terminos agrorum commonstrat. *Var. Auct. de Limitib.*
Epha, (Hebr. אֵפָה), mensura aridorum.
Ephaptis, ἐφαπτὶς, genus vestis muliebris.
Epharmosis, ἐφάρμοσις, adaptatio: species computationis.
Ephectici, ἐφεκτικοὶ, philosophi de rebus omnibus dubitantes.
Ephectos, ἐφέκτος, numerus unum totum, ejusque sextam partem continens.
Ephegesis, ἐφήγησις, causa et judicium in eum, qui fines relegationis transilierit.
Ephemera, ἐφημέρα, febris unius diei.
Ephemerus, ἐφήμερος, unum diem durans.
Ephestii, ἐφέστιοι, Penates, Lares.
Ephestris, ἐφεστρὶς, vestis, quae armis superinduitur.
Ephialos, ἐφίαλος, febris ex vitreo et acido phlegmate.
Ephod, (Hebr. אֵפוֹד), superhumerale pontificis Hebraeorum.
Epholae, vel Epholia, epulum. Item quidquid annuum usum praestat. *Cod. Theod.* 16, 10, 20.
Ephoria, ἐφορία, inspectio: officium Ephororum.
Ephphetha, ἐφφαθά, adaperire: imperat. passiv. Vox Syro-Hebraica.
Ephthopola, ἐφθοπώλης, qui cibos coctos vendit.
Ephthopolium, ἐφθοπωλεῖον, locus, ubi cibi cocti venduntur.
Epibaterium, ἐπιβατήριον, carmen, quod reversis a navigatione canitur.
Epibaterius, ἐπιβατήριος, Apollo navigantium praeses.
Epibathra, ἐπίβαθρα, scalae nauticae, quibus navis conscenditur. Item machina quaevis scansoria.
Epiblema, ἐπίβλημα, vestis exterior, amiculum, paludamentum.
Epicamison, tunica.
Epicataphora, ἐπικαταφορὰ, superna porta in coelo, apud astrologos.
Epicauma, ἐπίκαυμα, ulcus oculi sordidum, crustosum, humore foedo fluens.
Epicephalion, ἐπικεφάλιον, tributi impositio in capita.
Epichaerecacos, ἐπιχαιρέκακος, qui gaudet alienis malis.
Epichimazin, ἐπιχειμάζειν, dicitur, cum tardius solito hiberna tempestas venit: sicut prochimazin, προχειμάζειν, eum citius.
Epicichlides, ἐπικιχλίδες, genus carminis, quod cum Homerus pueris praecineret, turdis donabatur.
Epichrista, ἐπίχριστα, circumlitiones. In pictura sunt ultimae manus lambenti penicillo datae.
Epiclinium, ἐπικλίνιον, lectus super lectum: vel ornamentum super lectum.
Epicombia, ἐπικόμβια, donaria praebita ab Impp. die coronationis.
Epicomion, ἐπικώμιον, laudatio, quae in comissationibus post victoriam concinebatur.
Epicopanon, ἐπικόπανον, mensa coquinaria.
Epicopi, ἐπίκοποι, remis appositi et gubernaculis nautae.
Epicrasis, ἐπίκρασις, temperatio humorum.
Epicrisis, ἐπίκρισις, dijudicatio, censura.
Epicyema, ἐπικύημα, secundus fetus conceptus, primo nondum edito.
Epidemia, ἐπιδημία, accessus et adventus in urbem. Item morbus contagione se dilatans per populum.
Epidemicus, et Epidemius, ἐπιδημικὸς, et ἐπιδήμιος, popularis. Morbus epidemicus, contagiosus.
Epididymis, ἐπιδιδυμὶς, propria et intima testiculorum tunica, dura, crassa, et admodum valida.
Epies, maximus Deorum interpres apud Aegyptios: cui attribuebant accipitris caput, aliaque multa superstitiosa.
Epigaeum, ἐπίγαιον, quod est supra terram.
Epigastrium, ἐπιγάστριον, pars abdominis, quae stomacho primisque intestinis praetenditur.
Epigius, ἐπίγειος, humi repens: dicitur de planeta terrae proximo.
Epigonatium, ἐπιγονάτιον, genuale, scabellum, in quo genu flectitur.
Epigrammatographus, ἐπιγραμματογράφος, epigrammatum scriptor.
Epigraphe, ἐπιγραφὴ, inscriptio.
Epigrypus, ἐπίγρυπος, nasum habens aduncum.
Epiicia, ἐπιείκεια, aequitas, summi juris moderatio.
Epilema, emplastrum, quod supra voraginem vulneris imponitur.
Epilogismus, ἐπιλογισμὸς, ratio, quae id quod ab intelligentia divertit, in firmam certamque notitiam adducit.
Epimanicium, ornatus manicae sacerdotis in dextro brachio, in quo intexta erat imago Salvatoris.
Epimela, ἐπιμῆλα, species malorum.
Epimeletes, ἐπιμελητὴς, curator.
Epimetatica, inscriptiones foribus apponi solitae, ut innotesceret, cuinam destinata foret domus, seu militi, seu hospiti.
Epimythium, ἐπιμύθιον, moralis fabulae sententia.
Epiodium, ἐπῴδιον, canticum cadavere nondum sepulto.
Epipedon, ἐπίπεδον, superficies.
Epiphoremata, ἐπιφορήματα, omnia secundis mensis inferri solita praeter portionem unicuique convivarum statim appositam.
Epiphyllis, ἐπιφυλλὶς, ultimus in summo palmite racemus, qui plerumque parvis rarisque acinis sero maturescit: ideoque inutilis, et in vindemia fere negligitur.
Epiphysis, ἐπίφυσις, adnata appendix.
Epiplocele, ἐπιπλοκήλη, descensus omenti in scrotum.
Epiploomphalon, ἐπιπλοόμφαλον, omenti in umbilicum descensus.

Epipolasis, *ἐπιπόλασις*, chymicis est, cum sublimatum ad superficiem tantum ascendit, eique insidet.
Epipteron, *ἐπίπτερον*, lens palustris.
Epiradium, radius super radium.
Epischides, *ἐπισχίδες*, cuneoli.
Episcirosis, *ἐπισκίρωσις*, sacrificii quoddam genus.
Episcopium, *ἐπισκοπεῖον*, episcopi aedes.
Episcopor, episcopum ago.
Episitii, *ἐπισίτιοι*, parasiti.
Episodium, *ἐπεισόδιον*, quidquid dramati inseritur praeter fabulae argumentum, excitandi risus gratia.
Epispastica medicamenta, *ἐπισπαστικὰ*, quae vim habent attrahendi et purgandi vulnera.
Epistalma, *ἐπίσταλμα*, commissio principis per mandati subscriptionem.
Epistathmi, *ἐπισταθμοὶ*, qui praesunt in comitatu principis, aut ducis exercitus, praefecti hospitiorum.
Epistathmia, *ἐπισταθμία*, hospitii procuratio.
Epistemonarches, *ἐπιστημονάρχης*, doctrinae ecclesiasticae praesul.
Epistolarium, liber epistolarum.
Epistoleus, *ἐπιστολεὺς*, epistolarium scriptor et magister.
Epistomizo, *ἐπιστομίζω*, contineo, refreno.
Epistropheus, *ἐπιστροφεὺς*, prima colli vertebra.
Epitherape, *ἐπιθεραπή*, dispositio, praevisio.
Epithesis, *ἐπίθεσις*, impositio. Item inscriptio, attributum, cognomen contumeliosum alicui appositum.
Epithymia, *ἐπιθυμία*, concupiscentia, desiderium.
Epitimia, *ἐπιτιμία*, aestimatio, pretium. Item status civis integer, existimatio ac fama alicujus salva et illaesa.
Epitithides, *ἐπιτιθίδες*, simae, quae super coronas ponuntur, in architectura.
Epitomator, qui in epitomen redigit.
Epitrachelium, *ἐπιτραχήλιον*, collarium patriarchae, et archidiaconi.
Epitragi, *ἐπίτραγοι*, vermes infesti vitibus.
Epitragias, *ἐπιτραγίας*, piscis quidam foedi odoris.
Epobelia, *ἐπωβελία*, sexta pars mulctae, quam accusator dabat reo non convicto.
Epocha, *ἐποχή*, initium certum aliquod, unde anni numerantur.
Epomis, idis, *ἐπωμὶς*, amictus brevior, qui humeris injicitur.
Epostracismus, *ἐποστρακισμὸς*, lusus puerilis, quo planos lapillos super undas subsilientes jaciunt. Describitur a *Minuc. Fel. Octav.* 3. V. TESTA §. 6. in *Lexico*.
Epotica, primaria quaestio. *Pap.*
Epulatorius, edulis, epulis aptus.
Epulis, idis, *ἐπουλὶς*, caro juxta dentes excrescens.
Epulonius, ad Epulonem pertinens, de quo in Evangelio. *Scriban.*
Epulotica, *ἐπουλωτικὰ*, medicamenta cicatricem inducentia.
Equae, puellae deformes.
Equicervus, alce, animal partim cervo, partim equo simile.
Equisessor, qui equo vehitur.
Equitatura, equi, quibus in itinere utimur.
Equoro, as, navigo. *Gloss. Cyrill.*
Equotus, privatus vita. *Gloss. Isid.*
Era, terra. *Cerd.*
Eraphiotes, *ἐραφιώτης*, cognomen Bacchi ab inducenda rixa et contentione.
Eremia, *ἐρημία*, desertus locus, solitudo.
Eremicola, eremum colens. *Pap.*
Eremipeta, eremum petens.
Eremiticus, ad eremitam pertinens.
Eretes, ae, *ἐρέτης*, remex.
Ergaster, *ἐργαστὴρ*, operarius, opifex.
Ergasteriacum, *ἐργαστηριακὸν*, tributum pro officinis.
Ergasteriarcha, *ἐργαστηριάρχης*, qui officinae praecst.
Ergates, *ἐργάτης*, operarius, opifex.
Ergaticus, *ἐργατικὸς*, operarius, adj.
Ericetum, locus ericis abundans.
Eriopolium, *ἐριοπώλιον*, forum, ubi lana venditur.
Eristicus, *ἐριστικὸς*, contentiosus.
Eriunius, *Ἐριούνιος*, Mercurius cognominatus est, quod valde prosit hominibus.
Erodius, genus avis, aliis ciconia, aliis fulica, aliis ardeola.
Erogenneton, *ἐρωγεννήτων*, herba sic dicta, quod amatoriis conveniat.
Errhinum, *ἔρρινον*, medicamentum, quod in nares injicitur.
Erubeo, erubesco.
Erudimentum, eruditio, institutio. *Fulgent.*
Erythroides, *ἐρυθροειδὴς*, membrana carnosa scroti.
Erythropus, *ἐρυθρόπους*, avis quaedam rubris pedibus.
Erythrotaones, *ἐρυθροτάονες*, genus anserum, quorum in superciliis cocci rubor: quasi rubei pavones.
Esculentia, pinguedo. *Gloss. Isid.*
Esdra, compositio adversus aegritudinem cerebri.
Esperinus, *ἑσπερινὸς*, hymnus in Ecclesia cani solitus hora decima.
Essentialis, ad essentiam pertinens.
Etaeriarches, *ἑταιριάρχης*, capitaneus militum externorum.
Etheca (rectius Ectheca, *ἐκθήκη*) solarium, vel moenianum.
Ethelontes, *ἐθέλοντες*, volentes: nomen histrionum apud Thebanos.
Ethmoides, *ἠθμοειδὲς*, narium meatus.
Ethnarcha, *ἐθνάρχης*, princeps minor rege, major tetrarcha, scil. in unam gentem imperium habens.
Ethnicismus, cultus Deorum turpium.
Ethopoeii, *ἠθοποιοὶ*, histriones.
Etymologus, *ἐτυμολόγος*, qui de notationibus verborum disserit.
Evagino, as, gladium e vagina educo.
Evaleo, evalesco.
Evaneo, evanesco.
Euangeliarium, liber Euangeliorum.
Euangelismus, *εὐαγγελισμὸς*, bonus nuntius.
Euangelizo, *εὐαγγελίζω*, bona et fausta nuntio.
Euaris, *εὔωρις*, exsecrabilis.
Evasio, actus evadendi, fuga.
Eubo, oleo. *Gloss. Isid.*
Eubolus, *εὔβολος*, jactus talorum felicissimus.
Eubulia, *εὐβουλία*, bona consultatio.
Eucaeria, *εὐκαιρία*, opportunitas.
Eucharisto, *εὐχαριστῶ*, gratulor. *Cathol.*
Euchyla, *εὔχυλα*, et
Euchyma, *εὔχυμα*, quae sunt boni succi.
Eucrasia, *εὐκρασία*, temperamentum.
Eucteria, *εὐκτήρια*, loca, in quibus preces fiunt.
Euctici, *εὐκτικοὶ*, hymni, preces et vota continentes.
Eudaemonia, *εὐδαιμονία*, beatitudo.
Eudoxia, *εὐδοξία*, bona fama.
Euectice, *εὐεκτική*, medicinae pars, quae perfecte valentem in eo statu conservat.
Evecto, as, frequentativ. ab eveho. *Gloss.*
Everge, tudicula.
Everriculo, as, compilo, everro.
Eulabes, *εὐλαβὴς*, negotiorum susceptor.
Evocatorie, evocando: ut Evocatorie curare. *Theod. Priscian.*
Euphemia, *εὐφημία*, fausta acclamatio.
Euretron, *εὕρετρον*, praemium inventionis rei furto ablatae, vel ob indicium furis.
Euroaquilo, Caecias ventus.
Euroclydon, *εὐροκλύδων*, ventus procellosus, Eurus mare turbans.
Euthanasia, *εὐθανασία*, mors tranquilla, et beata.
Euthymia, *εὐθυμία*, animi tranquillitas.
Euthyoria, *εὐθυωρία*, recte lineae porrectio, mensura in directum acta.
Euthytonus, *εὐθύτονος*, in rectum protensus.
Eutrapelia, *εὐτραπελία*, urbanitas, lepos, festivitas, facetiae.
Exabundo, abundo.
Exacerbatio, irritatio. *Salvian.*
Exacerbatrix, quae irritat.
Exagitatio, agitatio.
Exagogicus, *ἐξαγωγικὸς*, ad exagogam pertinens. Vectigalia exagogica, quae ex mercibus exportatis exiguntur.
Exagoniae, quae ad rem non pertinent: quasi extra agonem, *ἐξαγώνιος*.
Exangelus, *ἐξάγγελος*, qui extrinsecus quidpiam nuntiat.
Exapsalmon, *ἐξαψάλμιον*, numerus senarius psalmorum.
Exarchatus, munus et dignitas, et ditio exarchi.
Exardeo, exardesco.
Exareo, exaresco.
Exargentare, in pecuniam redigere.
Exartum, novale.
Exasperatrix, quae exasperat.
Exastria, locus aeri expositus.
Exauctoratio, dimissio, solutio.
Exbromare, expurgare.
Exbuo, exinanio, exhaurio.
Excalo, loco dimoveo, elicio cautionibus, evoco.
Exceptorium, vas ad aliquid excipiendum. *Gloss.*
Excoctorius, ad excoquendum pertinens.
Excolidus, non cultus, squalidus.
Excoriatio, corii detractio.
Excoriator, corii detractor.
Excubialis, ad excubias pertinens. *Sarisberiens.*
Excubus, excubitor. *Id.*
Exculens, importunus. *Gloss.*
Excurema, solers inventum.
Excusatorius, ad excusandum pertinens.
Excussor, qui excutit.
Exegematicus, *ἐξηγηματικὸς*, narrativus, expositorius. Exegematicum poema, in quo poeta solus loquitur: contrarium dramatico.
Exegesis, *ἐξήγησις*, interpretatio, narratio.
Exegeta, et Exegetes, *ἐξηγητὴς*, interpres.
Exegeticus, *ἐξηγητικὸς*, declarativus.
Exegeus, *ἐξηγεὺς*, qui pubertatem transiit, scil. anno XVI.
Exemplare, describere. *Ruricius.*
Exephebus, idem qui exegeus.
Exercibilis, qui exerceri potest. *Coel. Aurelian.*
Exercipes, qui ad cursuram se exercet. *Gloss.*
Exermis, vel Exermus, inermis. *Cathol.*
Exfestuco, as, abdico, honorem alteri abrogo: a festuca, vindicta, seu virga.
Exfornicatus, qui extra suam gentem fornicatus est.
Exholcismus, *ἐξολκισμὸς*, ossis translatio a superficie in profundum.
Exydatosis, *ἐξυδάτωσις*, corruptio sanguinis in substantiam aqueam.
Exigentia, postulatio, exactio.
Exiliatus, in exilium missus.
Eximequi, proxenetae. *Gloss. Isid.*
Exinceps, deinceps.
Existentia, ipsum exsistere.
Exiteria, *ἐξιτήρια*, dies, quo quis Athenis magistratum deponebat.
Exmares, eunuchi.
Exobigla, extremae excubiae, et remotius positae.
Exocatacoeli, secretorum Ecclesiasticorum praefecti.
Exoccupo, occupo, capio. *Sarisberiens.*
Exodiosus, invisus. *Gloss.*
Exomantium, exterius mantellum, pallium. *Gloss.*
Exomereusis, *ἐξομήρευσις*, actus poscendi obsides.
Exomidium, *ἐξωμίδιον*, superhumerale.
Exomonites, presbyter forensis.
Exomphalum, *ἐξόμφαλον*, umbilici vitium, cum plus aequo exstat.
Exoperor, operor. *Gloss.*
Exophthalmus, *ἐξόφθαλμος*, qui oculis est prominentibus.
Exopiastus, qui pullos non alit.
Exoporton, porta exterior.
Exoprasia, tributum pro iis, quae exportantur.
Exornativus, ad exornandum pertinens.
Exostae, *ἐξῶσται*, moeniana, podia projecta in aedibus.
Exostracismus, *ἐξοστρακισμὸς*, ostracismus.
Exotice, *ἐξωτικῶς*, peregrino more.
Expavescentia, pavor.
Experimento, as, experimentum capio.
Expiamentum, expiatio.
Expiscatio, investigatio.
Explicite, explicate.
Expopulor, depopulor.
Expostulator, qui expostulat.
Exprobrabilis, qui exprobrari potest.
Expromare, expromere. *Apic.*
Expromptare, idem. *Fulgent.*
Expropitio, as, propitium reddo.
Expuncta, fibras pectoris. *Gloss. Isid.*
Exputabilis, qui computari potest.
Exscaturio, scaturio. *Gloss.*
Exspicio, video.
Exstercorator, stercorator.
Exstercoro, stercoro.
Exsumptuavit, pauperavit. *Gloss. Isid.*
Extar, aes theatricum, quod spectandi causa datur. V. EXTRA in *Lexico*.
Extelo, as, libertate dono. *Gloss.*
Extemporaneus, extemporalis.
Extensor, productor.
Extenuatorius, qui extenuat. *Theod. Priscian.*
Extenuatrix, quae extenuat. *Macer.*
Exterminabilis, exterminandus. *Cassiod.*
Exterminatorius, exterminans.
Exterminatrix, quae exterminat. *Sarisberiens.*
Extestinus, extraneus, externus. *Pap.*
Extispicina, extispicium.
Extogatus, non amplius togatus.
Extollentia, elevatio, sublatio.
Extrabundus, extrarius, extraneus.
Extracola, foris habitans. *Gloss.*
Extractio, actus extrahendi.
Extraordinarie, extra ordinem.
Extravagantes, principum constitutiones extra corpus Juris positae.
Extreus, abortivus. *Pap.*
Extricabilis, qui extricari potest.
Extrinsece, extrinsecus.
Extromis, extremus. *Gloss. Isid.*
Extrorsum, versus exteriorem partem.
Extruncis, arbor truncata. *Gloss. Isid.*
Exvito, evito, declino, depello. *Gloss. Isid.*
Exulabundus, exulans.
Exulaticius, exul. *Gloss.*
Exunguare, ad unguem examinare. Exunguare vinum, ejus vires per colum frangere.
Exurgito, exhaurio.
Exuthenismus, *ἐξουθενισμὸς*, figura, qua rem extenuamus, et contemptibilem facimus.
Exuvium, exuviae.
Exypnistae, *ἐξυπνισταὶ*, qui fratres dormientes in Ecclesia excitabant.

F

Fabana, stipulae ex fabis.
Fabatum, puls ex fabis.
Fabellatio, sermo de fabellis. *Gloss.*
Fabellator, fabulator, auctor fabellarum.
Fabetum, locus fabis consitus.
Fabricateria, ornatus, aut locus fabrorum.
Fabricatura, fabrica.
Fabricium, fabrica.
Fabulamentum, fabularum series.

Faccio, adulando impedio.
Facialis, linteum, quo facies tergetur. *Gloss.*
Faciecula, parva facies.
Facillo, strangulo: quasi faucillo. *Gloss.*
Facitergium, facialis.
Factibilis, qui fieri potest.
Factitiosus, multa faciens, daedalus. *Gloss.*
Facturio, facere cupio.
Faculentus, lucidus, clarus.
Faderfium, dos.
Fagea, pabuli genus instar glandis fagineae.
Fagopyrum, frumenti genus, quod vocant saracenicum.
Faia, glans.
Faida, injuria, hostilis actio.
Fal, crudelis, immisericos, apud Belgas.
Falantum, coelum, apud Etruscos.
Falcitat, putat, secat, aestimat.
Falcunculus, parvus falco.
Faida, bellum.
Falisia, locus in stabulo, ubi foenum et pabulum ponitur. Fortasse legendum falisca. V. FALISCUS §. 3. in *Lexico.*
Fallenter, fallendo. *Novatian.*
Fallibilis, qui fallit. *Gloss.*
Falsifico, as, corrumpo, falsum facio.
Falsito, as, falsifico.
Falsones, deceptores. *Gloss.*
Falsosus, qui decipit. *Gloss. Isid.*
Falvus, fulvus.
Famen, allocutio. *Guil. Brito.*
Fameo, esurio.
Famesco, fame laboro. *Alcim.*
Familiarica dicuntur ea, quae militibus dantur ad familiam alendam.
Familiarium, quod servo competit, ut sagum, gladius. *Corn. Fronto.*
Famulosus, serviens. *Gloss. Isid.*
Faria, verba multa. *Gloss. Isid.*
Farticula, parva farcimina.
Fascialis, ad fasciam pertinens.
Fascinator, fascinans. *Gloss.*
Fastuosus, fastosus.
Fatigia, labor.
Faustitudo, faustitas.
Fautorius. qui favet.
Favulus, parvus favus.
Febrico, febricito.
Febrifugus, febrem fugans.
Feida, vel Faida, aperta inimicitia. *Leg. Longobard.*
Feliatum, curvatum. *Gloss. Isid.*
Felico, felicem facio. *Cathol.*
Felonia, delictum vassali in dominum.
Feltrum, pannus ex lana coacta, seu stipata.
Feminatio, feminea conditio. *Constantin. Afer.*
Fen, Arabice est doctrina.
Fenestricula, parva fenestra.
Fenna, articulus, particula.
Feo, es, abundo, fecundus sum. Vox Hispanica.
Feraculus, aliquantum ferax.
Feria, quaelibet hebdomadae dies: quia olim annus a diebus Pascuae feriatis incipiebat, inquit *Scaliger.*
Ferio, as, ferior, otior.
Fermentatio, fermentum.
Fervide, ferventer.
Festinantia, festinatio.
Festo, as, festum diem ago.
Feudum, genus clientelae. Hinc Feudale jus.
Fiatosa, piscis quidam marinus.
Fibebella lumina, solis ortus, vel lunae. *Pap.*
Fibella, parva fibra.
Fibularius, fibulatorius.
Fictus, us, fictio. *Sarisberiens.*
Fideipromissor, fidejussor. *Gloss.*
Fiducialis, ad fiduciam pertinens.
Figularius, figulus. *Gloss.*
Filamentum, filorum congeries, apud medicos.
Filiatio, agnitio filii. Item status et conditio filii.
Filo, as, neo.
Filtratio, percolatio.
Filtro, as, colare.
Filtrum, colum chymicum.
Fimbri, bombyces. *Gloss.*
Fio, fis, odorem aut fumum emitto: a *θύω.* Hinc Suffio.
Fisclum, fiscella olei. *Isid. Orig.* 20, 14.
Fistulor, aris, sibilo. *Gloss.*
Fitialis, facetus, eloquens. *Gloss.*
Fixio, actus figendi. *Gloss.*
Fixorium, id quo aliquid figitur, ut clavus.
Flagellativus, flagellaticius. *Gloss.*
Flagellator, qui flagellat.
Flagitamentum, exagitatio, vexatio. *Fulgent. Mythol. praef. l.* 1. V. FLAMENTUM in *Lexico.*
Flascium, et
Flasco, vas vinarium. V. PHLASCA in *Lexico.*
Flatulentus, et
Flatuosus, flatu in corpore laborans.
Florenus, nummus aureus a Florentinis primo cusus.
Floretum, et
Floriarium, locus ubi flores abundant.

Fluminosus, fluminibus abundans.
Fluviolus, parvus fluvius.
Fluxibilis, fluxilis.
Foculare, focus.
Fodrum, pabulum equorum. Item annona militaris.
Follentia, vanitas.
Folleralis, nummi genus, idem ac follis.
Follex, camini uter.
Follitia, vanitas. *Gloss. Isid.*
Folonitia, idem.
Fomahant, stella Aquarii. Vox Arabica.
Foraculum, id quo aliquid foratur, terebra.
Foratica, tributum, quod et transitorium, et tractorium dicitur.
Forbanum, proscriptio. Vox German.
Forefacio, et Forisfacio, pecco. *Gloss. Isid.* Item offendo. Hinc forisfactum, peccatum.
Forestarius, custos nemoris. Item solitarius, agrestis.
Forestum, silva. Vox Longobard.
Forisfactum. V. *Forefacio.*
Forjudico, foris judico.
Formalitas, differentia, quae ex forma petitur.
Formaliter, per formam.
Formastrum, opus pistorium.
Formicoleon, animal formicae infestum.
Formiter, cum forma.
Fornicaria, meretrix, vel prostibulum.
Fornicarius, scortator.
Fortalitium, propugnaculum, castellum.
Fortean, fortassis.
Fortex, infima pars rosae albida.
Fortitas, fortitudo. *Gloss.*
Fraganae, arum, plagiarii, qui ingenuorum liberos, aut servos alienos vendunt, aut supprimunt.
Fragiliter, inconstanter, debiliter.
Frana, judex.
Franchire, liberum facere.
Franchisia, manumissio, immunitas.
Francomastix, Francorum obtrectator.
Francus, liber. Vox German.
Frangibulum, id quo quid frangitur.
Fratellus, fraterculus. *Terent. Scaur.*
Fratrimonium, bona fraterna.
Fratrissa, uxor fratris. V. FRATRIA in *Lexico.*
Fraudeo, fraudulenter ago.
Fraxinetum, locus fraxinis consitus.
Frea, ae, filia virgo de parente suo relicta. Item potestas, dominium. Vox German.
Fretum, compositio cum fisco. Item exsilium.
Fremium, herbae genus.
Frenarius, frenorum artifex.
Frenatio, freni injectio.
Frenusculi, ulcera circa rictum oris.
Friabilitas, fragilitas.
Frictorium, lignum aridum. *Gloss.* Item sartago, in qua friguntur carnes.
Fridaria, certus annorum numerus, in quo planeta gubernans vitam nati, bonum, vel malum ei dat. Vox Arab.
Frigefacio, frigefacto.
Frigefactio, refrigeratio.
Frigefactus, refrigeratus.
Frigefio, frigidus fio.
Frigiditas, frigus.
Frigidiuscule, aliquantum frigide.
Frigidule, idem.
Frigium (scribe *Phrygium*), mitra.
Frigoro, as, refrigero. *Coel. Aurel.*
Frilingi, ingenui.
Fringilago, ginis, parorum genus.
Friscinga, aut Friskinga, fetus porci, aut ovis.
Fritillum, stillicidium stercoris in sterquilinium.
Frivolarii, qui scruta vendunt.
Frivolarium forum, ubi scruta venduntur.
Frondo, as, frondesco.
Frontaria, frons et limes provinciae.
Frontispicium, frons, facies.
Fructificus, fructuosus.
Frugiferatio, frugum productio.
Frugo, frugem carpo.
Frustraneus, frustrabilis.
Fugillatores, umbrae daemonum, qui ignem ferunt. Item qui e lepide ignem eliciunt.
Fugillo, ignem e lapide elicio.
Fugillum, ferrum, quo ignis e lapide elicitur.
Fulbora, filius legitimus. Vox Longobard.
Fulcio, onis, fulcimen, fultura.
Fulcraria, lecti fulcra.
Fulcrarius, fulcrorum lecti artifex. Item qui turbines et crepitacula puerilia facit, et hujusmodi opera tornatilia.
Fulgero, fulgeo, splendeo.
Fulina, coquina.
Fulinare, coquere.
Fulinarius, coquus.
Fulminosus, fulmineus. *Sariberiens.*
Fulvedo, fulvus color.
Fumigabundus, fumidus.
Fumigatio, suffitus.
Functa, cadavera, homines vita functi. *Gloss.*
Fundamentalis, ad fundamenta pertinens.
Fundamentatus, fundamento nixus.

Fundibula, funda.
Fundibularius, funditor.
Funeralis, funebris.
Fungibilis, qui alterius vicem fungi potest.
Fungidus, fungosus.
Furabula, tenebrae. *Gloss. Isid.*
Furcilis bidens, furca versando foeno: tridens. fmc.
Furculosus, furcillatus. *Appul. de herb.*
Furculus, furunculus.
Furfuratio, et
Furfurisca, porrigo, vitium capitis.
Furialitas, et
Furiositas, furor.
Furnicum, furni instar habens, laqueatum, cameratum.
Furo, mustela.
Furtulum, parvum furtum.
Fuscinula, parva fuscina. *Sipontin.*
Fusim, fuse, sparsim.
Fusionalicium, et
Fusionaticum, a fusione dictum: est genus tributi.
Fustigatio, fustuarium.
Futis, vas aquarium, futum.

G

Gajacum, et Guajacum, Italice *legno santo*, lignum Indicum utile adversus luem Gallicam.
Gajum, silva densissima.
Galactophagi, *γαλακτοφάγοι*, qui lacte vivunt.
Galactopola, *γαλακτοπώλης*, qui lac vendit.
Galactopotes, *γαλακτοπότης*, lactis potor.
Galanga, radix aromatica nota.
Galaxia, *γαλαξία*, via lactea in coelo.
Galbulus, galbula avis.
Galega, ruta capraria.
Gallesco, Gallos Cybeles imitor.
Gallinago, perdix rustica.
Gallium, herba vim habens coaguli.
Gallulo, as, gallulasco, pubesco: crassiorem vocem facio.
Gamalis, ex legitimo matrimonio natus.
Gammadium, *γαμμάδιον*, parvum gamma.
Gammoides, *γαμμοειδής*, ferrum chirurgicum ad pus extrahendum, figura litterae *Γ.*
Gamos, *γάμος*, nuptiae.
Gangites, gemma ad Gangen fluv. nascens.
Gannator, irrisor, illusor. *Gloss.*
Gannatura, irrisio. *Aldhelm.* Item turpe lucrum.
Ganno, as, irrideo, illudo. *Gloss.*
Gardingus, dignitatis nomen.
Garem, tribunal subitarium imperatori erectum.
Gargareo, onis, *γαργαρεών*, uvula.
Gargarismus, *γαργαρισμός*, gargarismatium.
Garopola, *γαροπώλης*, qui garum vendit.
Garosmus, gari odor: a *γάρον*, garum, et *ὀσμος*, odor.
Garrulus, nomen avis.
Garzonestasium, locus Constantinopoli in media aula, ubi pueri stabant.
Gasachius, adversarius. In *legib. Salic.*
Gastaldia, custodia.
Gastaldius, comes. Item custos.
Gastrae, vasa vinaria. V. GASTRUM in *Lexico.*
Gastrimargia, *γαστριμαργία*, ingluvies, intemperantia.
Gastrimargus, *γαστρίμαργος*, gulosus.
Gastrochires, *γαστροχείρες*, qui manuum artificio victum quaerunt.
Gastromantia, *γαστρομαντεία*, divinatio per ventrem: vel cum divinant spiritus in ventre obsessorum.
Gavata, vas escarium. V. GAVATAE in *Lexico.*
Gaudenter, laete. *Sarisberiens.*
Gaudiloquus, qui cum gaudio loquitur.
Gaudiolum, parvum gaudium.
Gaudiosus, plenus gaudio.
Gaviso, gaudeo.
Gehennalis, ad gehennam pertinens.
Gelabilis, qui gelari potest.
Gelifactus, gelidus factus.
Gemmades, (*lege* gymnades, *γυμνάδες*) mulieres Lacedaemoniae. *Gloss. Isid.*
Genea, *γενεά*, generatio. Item ala mille equitum. Item spatium XXX. annorum.
Genealogicus, *γενεαλογικός*, ad genealogiam pertinens.
Genearcha, *γενεάρχης*, princeps generis.
Genearchicus, *γενεαρχικός*, ad genearcham pertinens.
Generabilitas, generalitas.
Genericus, ad genus pertinens, universalis.
Genesia, *γενέσια*, festa, quibus amici natalem celebrant defuncti, cujus memoriam conservare studeant.
Genethle, *γενέθλη*, Venus.
Genethlia, orum, *γενέθλια*, celebritas in die natali.
Gengibiae, gingivae.
Genianus, ad genium pertinens, luxuriosus.
Geniculare, genu flectere. *Gloss.*
Genistella, genista.
Gentianella, herba, alio nomine Surge et ambula.
Gentilismus, Gentilium superstitio, Gentilitas.
Genuarius, qui ad genua alicujus accidit.
Genula, parva gena.
Geodaesia, *γεωδαισία*, terrae divisio, partitio.
Geodaetes, *γεωδαίτης*, terrae divisor.

Geomantes, *γεωμάντης*, qui ex terra vaticinatur.
Geomantia, *γεωμαντεία*, divinatio ex terra.
Germinasco, germino.
Geron, *γέρων*, senex.
Gerontopogon, *γεροντοπώγων*, herba alio nomine barba sacerdotum.
Gesticulatrix, gesticularia.
Gestiuncula, res minuta. *Gloss. Isid.*
Gigantinus, giganteus. *D. Bernard.*
Gignarus, delirus. *Gloss.*
Gilla, vitriolum vomitivum.
Ginglymus, *γίγγλυμος*, portae cardo, qui cum ipsa porta vertitur. Item articulatio cubiti.
Gissium, labrum, terminus. *Gloss.*
Gladiatoricius, in gladii modum factus. *Marcell. Empir.*
Glandatio, glandium collectio: et pastio suum per glandes. *Sipontin.*
Glauciolus, dicitur equus, qui felineis est oculis.
Glesco, glisco.
Glirius, somnolentus.
Glis, idis, *vel* itis, mucor panis et vini.
Glis, issis, lappa seu carduus.
Gliscosus, lapposus.
Gloriabilis, qui gloriatur.
Glossalgia, *γλωσσαλγία*, dolor linguae.
Glossocomum, *γλωσσόκομον*, arcula reponendis tibiarum lingulis.
Glossographus, *γλωσσογράφος*, qui glossas scribit.
Glycea, narium ulcera.
Glycypicros, *γλυκύπικρος*, dulcis simul et amarus.
Gnaba, *vel* Gnabat, natus, generatus, filius. *Gloss. Isid.*
Gnaphalon, *γνάφαλον*, tomentum ex lana concisa, quae vestibus detrahitur a fullone in poliendo.
Gnaphos, *γνάφος*, frutex spinosus, carduus, quo panno recens texto lana deducitur.
Gnare, et
Gnariter, docte, perite.
Gnaturio, liberis operam do.
Gnomologia, *γνωμολογία*, liber sententiarum.
Gnomologus, *γνωμολόγος*, qui sententias colligit.
Gnomones, *γνωμῶνες*, dentes in jumentis, quibus aetas eorum dignoscitur.
Goetia, *γοητεία*, incantatio.
Golora, testudo. *Gloss.*
Gomphosis, *γόμφωσις*, coagmentatio, cum os ossi infigitur.
Gorgophorus, *Γοργοφόρος*, pro Gorgonophorus, epithet. Palladis caput Medusae in scuto ferentis. *Auct. declam. antequ. iret in exsil.*
Grab, fistula oculi.
Grabium, *γράβιον*, taeda querna.
Graduale, quod gradatim, seu per gradus canitur.
Graecatio, Graecorum imitatio.
Graecismus, Graeca vox, aut locutio.
Grammatistica, grammatica ars.
Grammismus, *γραμμισμὸς*, ludus tesserarum, in quo tabula lusoria lineis, *γραμμαῖς*, distincta est.
Granatza, vestis imperatoris Constantinopolitani.
Grandebalae, pili subalares.
Grandedo, granditas.
Grandiloquentia, stilus dicendi sublimis.
Grandinatus, grandine verberatus. *Gloss.*
Granditudo, granditas.
Granellum, parvum granum.
Graniparus, granifer.
Grano, onis, pilus felis circa os, quo abscisso ferociam perdit.
Granomastix, genus arboris, vel gummi ex ea. *Isid.*
Granulatio, in grana comminutio.
Granulo, as, in grana comminuo.
Granulum, parvum granum.
Graphio, onis, praeses, judex fiscalis.
Graphiscus, *γραφίσκος*, ferramentum chirurgicum ad tela extrahenda.
Grassus, pinguis. *Gloss.*
Gravamentum, molestia. *Gloss.*
Gravicors, qui est gravis cordis.
Graviloquentia, gravitas et sublimitas loquendi.
Graviloquus, qui graviter loquitur.
Gravius, judex, praeses. Hinc Landgravius, etc.
Gremo, as, in gremium recipio.
Grielum, *γρίηλον*, genus apii.
Gringes, tibiae lugubres, Phoenicum lingua.
Griphus, superbus, cervicosus. *Gloss.*
Griseus, a, um, color ex albo et nigro mixtus.
Gritmanus, praetor rusticus, praefectus pagorum.
Gromare, *vel* Grumare, metiri.
Grossesco, is, crassus fio.
Grossitas, et
Grossities, et
Grossitudo, crassities.
Grundatorium, grunda.
Grundo, grundam facio.
Grundula, parva grunda.
Gry, *γρὺ*, sordes sub unguibus.
Grysea, ambra, succinum.
Guadia, pignus.
Guajacum. V. *Gajacum.*
Guarantigium, instrumentum, quod habet paratam exsecutionem, sicut sententia.
Guardia, custodia.
Guardianus, custos.
Guardio, idem.
Guarentare, defendere.
Guastaldus, praefectus curiae, vel praetoris, gubernator domus.
Gubernamen, gubernatio. *Ambros.*
Guerra, bellum.
Gufa, vestis genus. *Gloss.*
Gulator, gulosus.
Guna, vestis pellicea.
Gurgito, as, devoro, me impleo, satio. *Gloss.*
Gustabilis, qui gustari potest.
Gustamen, gustatio.
Gustarium, cibus ante prandium, vel inter coenam et prandium.
Guttamen, guttarum casus. *Cathol.*
Gutterna, inflatio gutturis.
Guttia, cucurbita.
Guttim, guttatim.
Gutto, as, guttis stillo. *Gloss.*
Guttonarius equus, trepidarius, hoc est in gressu trepidans.
Guttosus, plenus guttis.
Guttulus, parvus guttus.
Guvia, vel Guina, vas vitreum, cucurbita ventosa.
Gymnastes, *γυμναστὴς*, praeceptor exercitiorum, qui pueros exercet.
Gyna, *γύνη*, femina.
Gynaecocratia, *γυναικοκρατεία*, feminarum dominium.
Gynaecomastum, muliebris mammae pinguedo praeter naturam.
Gynaecocosmi, *γυναικόκοσμοι*, et
Gynaeconomi, *γυναικονόμοι*, qui feminarum cultum coercent.
Gynglimus. V. *Ginglymus.*
Gypsatio, gypsi inductio.
Gypsator, qui gypsum inducit.
Gyratilis, qui gyrari potest.
Gyratio, in gyrum versio.
Gyrativus, gyratilis.
Gyrator, qui in gyrum vertit.
Gyrgathus, *γύργαθος*, lectus, in quo mente emoti vincti asservantur. Item vas, in quod pistor coctos reponit panes.
Gyrgillo, as, gyrgillum ago.
Gyrovagus, vanus, instabilis.

H

Haba, olim pro faba.
Habenarius, qui habenas facit, aut vendit, aut regit.
Habenatus, habena ornatus.
Habus, tenuis, splendidus.
Haceldama, ager sanguinis. Vox Syro-Chaldaica.
Haediculus, haedillus.
Haemagogus, *αἱμαγωγὸς*, sanguinem ducens.
Haemodia, *αἱμωδία*, dentium stupor.
Haemophobus, *αἱμοφόβος*, sanguinem timens.
Haemoptyicus, *αἱμοπτυικὸς*, qui sanguinem exspuit, haemoptoicus.
Haemorrhoea, *αἱμόῤῥοια*, fluxus sanguinis.
Haemorrhoidalis, ad haemorrhoidas pertinens.
Haemorrhousa, *αἱμορροοῦσα*, femina fluxu sanguinis laborans.
Haeresiotes, haereticus, *αἱρεσιώτης*.
Haesitatiuncula, levis haesitatio.
Halae, arum, oppida, quae sale coquendo rem faciunt.
Haleo, oscito. Item redoleo. *Gloss. Isid.*
Halias, adis, *ἁλιὰς*, genus scaphae piscatoriae.
Hallus, sole adustus. *Gloss.*
Halma, *ἅλμα*, saltus, saltatio.
Halmades, *ἁλμάδες*, olivae muria conditae.
Halmyrodes, *ἁλμυρώδης*, salsuginosus.
Halosachne, *ἁλοσάχνη*, lanugo, seu spuma arida maris.
Hamallus, qui mallatus, h. e. vocatus est in judicium.
Hamator, piscator. *Gloss. Isid.*
Hamaxa, *ἅμαξα*, currus.
Hamaxarius, qui plaustra conficit.
Hamaxiaeus, *ἁμαξιαῖος*, plaustralis.
Hamaxicus, *ἁμαξικὸς*, plaustrarius, carpentarius.
Harengus, genus piscis marini.
Harmation, *ἁρμάτιον*, lex quaedam tibiae.
Harmonice, *ἁρμονικῶς*, adverb. cum harmonia.
Harmosta, ae, m. *ἁρμόστης*, aptator, concinnator.
Harpagium, *ἅρπαγιον*, vas aquale foraminosum herbis floribusque irrigandis.
Harpator, qui harpa, musico instrumento, canit.
Harpedone, *ἁρπεδόνη*, laqueus, quo aliquid arripitur.
Harpichordus, instrumentum musicum chordis instructum.
Hasla, ramus aridus.
Hastiludium, ludus, qui hastis fit.
Hausto, as, saepe haurio.
Hebdomadarius, coquus monasterii. Item qui per hepdomadam curam gerit vel monasterii, vel chori.
Hebdomadatim, per hebdomadas.
Hebdomarius, *ἑβδομάριος*, qui per hebdomadam cubiculum imperatoris custodit.
Hebirra, lorica. *Gloss. Isid.*
Hecatebeletes, *ἑκατηβελέτης*, longe juculans.
Hecatomphonia, *ἑκατομφόνια*, sacrum a Messeniis institutum, cum quis centum boves mactasset.
Hecatompedum, *ἑκατόμπεδον*, centum pedum spatium.
Hecatonchir, *ἑκατόγχειρ*, centimanus.
Hecatontarchus, *ἑκατοντάρχης*, centurio.
Hectapharmacum, *ἑκταφάρμακον*, medicamentum sex rebus constans ad pus extrahendum, et inducendam carnem.
Hedybia, *ἡδύβια*, placentarum jucundarum genera.
Hegemosyna, *ἡγεμόσυνα*, sacrificia pro felici itinere.
Hegeteria, *ἡγητήρια*, massa ficuum, quae in festivitate quadam praeferebatur, in memoriam mitioris victus.
Hegira, epocha Mahumetis.
Hegumenus, *ἡγούμενος*, praefectus monasteriorum.
Heliacus, *ἡλιακὸς*, solaris. Heliacus ortus est, cum stella solis radiis obtecta, eo occidente apparet. Heliacus occasus, cum, sole accedente, stella, quae apparebat, occulitur.
Helice, *ἕλικη*, inauris. Item capreolus, clavicula, pampinus. Item cincinnus capillorum. Item septentrio.
Helicteres, *ἑλικτῆρες*, inaures.
Hellanodices, *Ἑλλανοδίκης*, judex certaminis apud Graecos.
Hellenista, *Ἑλληνιστὴς*, Graeca lingua utens.
Hellenotamiae, *Ἑλληνοταμίαι*, Graecorum quaestores.
Hemera, *ἡμέρα*, dies.
Hemerocoetus, *ἡμερόκοιτος*, fur nocturnus interdiu dormiens.
Hemerologium, *ἡμερολόγιον*, calendarium.
Hemicadium, *ἡμικάδιον*, vas dimidii cadi.
Hemicrania, *ἡμικρανία*, dolor dimidiae partis capitis.
Hemicranici, *ἡμικρανικοὶ*, qui hemicrania laborant.
Hemimeris, *ἡμίμερις*, semipes in versu.
Hemiolium, *ἡμιόλιον*, navigium quod a puppi ad malum binis, ab eo ad proram unis remis agitur.
Hemiopae, *ἡμίοποι αὐλοὶ*, tibiae pueriles, minores perfectis.
Hemiplexia, *ἡμιπληξία*, morbus, quo dimidia corporis pars resolvitur: apoplexia, *ἀποπληξία*, quo totum corpus percellitur.
Hemisextus, sextariolus.
Henoticum, *ἑνωτικὸν*, edictum de unione Ecclesiarum.
Hepatitis, *ἡπατῖτις*, vena ampla ex hepate emergens.
Hephaestus, *Ἥφαιστος*, Vulcanus.
Hepialus, *ἡπίαλος*, papilio lucernas circumvolitans.
Hepta, *ἑπτὰ*, septem.
Heptagonus, *ἑπτάγωνος*, septem habens angulos.
Heptapechys, *ἑπταπήχυς*, septem habens cubita.
Haptapharmacum, *ἑπταφάρμακον*, medicamentum septem rebus constans.
Heptaporus, *ἑπτάπορος*, septem habens vada, per quae transiri potest.
Heptastomus, *ἑπτάστομος*, septem habens ostia.
Heptatonus, *ἑπτάτονος*, septem fidibus constans.
Heptazonus, *ἑπτάζωνος*, septem habens zonas.
Heraldus, legatus.
Herbitium, locus, in quo herbae nascuntur.
Heredito, as, hereditatem consequor.
Heribannum, poena non obtemperantis edicto eundi in hostem.
Heribergium, hospitium paratum.
Heristellum, locus castrorum.
Hermaea, *Ἑρμαῖα*, festa Cretensium, in quibus servi mensae accumbebant, dominis ministrantibus.
Hermenia, *ἑρμηνεία*, interpretatio, expositio.
Hermeticus, a, um, ut Hermetica medicina.
Hermoglyphus, *ἑρμόγλυφος*, statuarius.
Hermopolium, *ἑρμοπωλεῖον*, locus, in quo venduntur Hermae.
Herodio, onis, et
Herodius, ii, *ἑρωδιὸς*, ardea, ardeola.
Herthamon, praecordia.
Hesychia, *ἡσυχία*, quies.
Hetaeriarcha, *ἑταιριάρχης*, sodalitatis praeses.
Hetaeriarchia, *ἑταιριαρχία*, munus hetaeriarchae.
Heterognathus, *ἑτερόγναθος*, vorax.
Heteromaschala, *ἑτερομάσχαλα*, altera tantum parte manuleata.
Heteronymus, *ἑτερώνυμος*, diversum nomen habens.
Heteroscii, *ἑτερόσκιοι*, ab una tantum parte umbram habentes.
Hex, ἕξ, sex.
Hexaedrum, *ἑξάεδρον*, sexangulum.
Hexaemeron, *ἑξαήμερον*, spatium sex dierum.
Hexagium, sextula, *ἑξάγιον*.
Hexamilum, *ἑξάμιλον*, murus in Isthmo Corinthiaco sex passuum millia longus.
Hexaplus, *ἑξαπλοῦς*, sextuplex.
Hexapsalmus, *ἑξάψαλμος*, senio psalmorum.
Hexasteron, *ἑξάστερον*, Plejades, quae sex sunt.
Hiatio, hiatus.
Hierarcha, *ἱεράρχης*, sacer princeps.
Hierarchia, *ἱεραρχία*, sacer principatus.
Hierarchicus, *ἱεραρχικὸς*, ad hierarchiam pertinens.
Hierocomium, *ἱεροκομεῖον*, locus, in quo leprosi aluntur.

Hieroglyphus, *ἱερογλύφος*, qui sacra vel arcana sculpit.
Hieromonachi, *ἱερομόναχοι*, sacerdotes monachi.
Hierosolymitanus, Hierosolymarius.
Hierotheca, *ἱεροθήκη*, theca, vas, repositorium rei sacrae.
Himerinus, *ἡμερινὸς*, circulus aequinoctialis.
Hin, mensura duum sextariorum apud Hebraeos.
Hippagium, equorum ductio.
Hipparchia, *ἱππαρχία*, praefectura equorum.
Hippasia, *ἱππασία*, equitatio, equitatus.
Hippitare, oscitare. *Gloss. Isid.*
Hippomachia, *ἱππομαχία*, proelium equestre.
Hippophorbus, *ἱπποφορβός*, equorum pastor.
Hippos, *ἵππος*, equus.
Hippotyphia, *ἱππότυφία*, equinus fastus, ferox superbia.
Hircocervus, tragelaphus.
Hircomulgus, mulgens hircos.
Historialiter, per historiam.
Historiola, et
Historiuncula, brevis historia.
Hitta, membrana in inguine muliebri, *ὑμήν*. *Gloss. Isid.*
Hodegeta, *ὁδηγητὴς*, dux viae.
Hodienum, hodie etiam num.
Hodos, *ὁδὸς*, via, iter.
Holcas, *ὁλκὰς*, navis oneraria.
Holocaustosis, *ὁλοκαύτωσις*, holocaustum.
Holos, *ὅλος*, totus.
Holovitreus, totus vitreus.
Homagium, subjectio, subjectionis signum.
Homer, genus mensurae apud Hebraeos.
Homerda, stercus hominis.
Homileta, *ὁμιλήτης*, concionator.
Homileticus, *ὁμιλητικὸς*, concionatorius.
Homilia, *ὁμιλία*, concio.
Hominium, clientela, sacramentum.
Homocentricus, qui est ejusdem centri.
Homoeologia, *ὁμοιολογία*, oratio tota unius coloris.
Homoeosis, *ὁμοίωσις*, similitudo.
Homoeusios, *ὁμοιούσιος*, qui est similis naturae.
Homogalactos, *ὁμογάλακτος*, collactaneus.
Homogeneus, *ὁμογενὴς*, congener.
Homogenia, *ὁμογένεια*, cognatio.
Homologare, *ὁμολογεῖν*, confiteri.
Homologus, *ὁμόλογος*, consentaneus, conveniens.
Homonymicus, *ὁμωνυμικὸς*, commune habens nomen.
Homonoea, *ὁμόνοια*, concordia.
Homophasis, *ὁμόφασις*, petitio principii.
Homotona, *ὁμότονος*, febris continua.
Homoypni, *ὁμόυπνοι*, domestici, contubernales.
Hoplochrisma, *ὁπλόχρισμα*, unguentum armarium.
Horos, *ὅρος*, finis, terminus.
Horoscopalis, et
Horosmades, bonus daemon, apud Chaldaeos.
Horrende, horrendum in modum.
Horripilatio, horror capillorum.
Horripilor, prae horrore mihi capilli arriguntur. *Gloss.*
Hortatiuncula, brevis cohortatio.
Hortellus, hortulus.
Horula, parva hora.
Hosanna, *ὡσαννᾶ*, salutem affer, vel praesta. Vox Hebr.
Hubiola, lupulus salictarius.
Huma, aquilae genus optimi, apud Persas.
Humanatio, incarnatio.
Humano, as, hominem facio.
Humerulus, parvus humerus.
Humicuba, humi cubans.
Humicubatio, humi dormitio, chameunia.
Humiditas, humor.
Humipes, sponsa dicta, quod rheda non veheretur.
Humipeta, humum petens.
Huso, piscis in Danubio spinis carens.
Hyalotheca, *ὑαλοθήκη*, officina vitrearia.
Hyalurgica, *ὑαλουργική*, ars vitrearia.
Hyalurgicum, *ὑαλουργικόν*, officina vitrearia.
Hyalurgus, *ὑαλουργὸς*, vitrearius artifex.
Hycca, *ὕκκης*, piscis genus.
Hydericus, *ὑδερικὸς*, hydropicus.
Hyderos, *ὕδερος*, hydrops.
Hydor, *ὕδωρ*, aqua.
Hydrelaeum, *ὑδρέλαιον*, oleum aqua mixtum.
Hydrocephalea, *ὑδροκεφάλεια*, capitis dolor ex aqua intercute.
Hydrocephalus, *ὑδροκέφαλος*, tumor cutis in capite ex humore collecto.
Hydrographia, *ὑδρογραφία*, aquarum descriptio.
Hydrologium, *ὑδρολόγιον*, horologium ex aqua.
Hydromphalos, *ὑδρόμφαλος*, torpidi humoris collectio in umbilico.
Hydromystes, *ὑδρομύστης*, qui aquae lustrali praefectus templum introeuntes aspergebat.
Hydrophanta, *ὑδροφάντης*, aquilegus.
Hydrophantica ars, *ὑδροφαντικὴ*, ars investigandi aquarum scaturigines.
Hydrophorus, *ὑδροφόρος*, aquam portans.
Hydropota, *ὑδροπότης*, aquae potor.
Hydrunterocele, *ὑδρουτεροκήλη*, hydrocele.
Hygiene, *ὑγιεινὴ*, methodus sanitatem conservandi.
Hygromyra, *ὑγρόμυρα*, unguenta liquida.
Hygrotes, *ὑγρότης*, humiditas, succus.
Hymnidicus, hymnos canens, laudator. *Alcim.*
Hymnifico, hymnos cano, laudo. *Commodian.*
Hyparchus, *ὕπαρχος*, praefectus, qui aliam super se potestatem agnoscit.
Hypatia, *ὑπατεία*, consulatus.
Hypeccauma, *ὑπέκκαυμα*, fomentum.
Hyper, *ὑπὲρ*, super.
Hyperaspistes, *ὑπερασπιστὴς*, satelles, custos corporis, qui clypeo protegit.
Hyperberetaea, *ὑπερβερεταῖα*, serotina, quae vix extremo autumno maturescunt.
Hyperberetaens, October apud Macedones.
Hyperbibasmus, *ὑπερβιβασμὸς*, est, cum accentus in aliam a sua syllabam transfertur.
Hyperbolicus, *ὑπερβολικὸς*, superjaciens.
Hyperbolus, *ὑπέρβολος*, lapis, qui collo noxiorum alligabatur, cum aquis mergebantur, apud Athenienses.
Hyperpassagium, locus, per quem necessario transitur.
Hyperpyron, *ὑπέρπυρον*, nummi genus.
Hyperthesis, *ὑπέρθεσις*, dilatio, procrastinatio, frustratio.
Hypertimon, *ὑπέρτιμον*, tributi genus.
Hypertimus, *ὑπέρτιμος*, titulus metropolitani.
Hypobolum, *ὑπόβολον*, dotis incrementum, adjectio super dotem.
Hypochondriacus morbus, quo laborant hypochondria.
Hypochondrion, *ὑποχόνδριον*, pars humani ventris sub costis spuriis.
Hypoclesion, *ὑποκλήσιον*, qui imperatoris partes in Ecclesia obibat.
Hypoclunes, carnes sub clunibus.
Hypocriticus, *ὑποκριτικὸς*, simulatorius.
Hypodema, *ὑπόδημα*, et
Hypodesis, *ὑπόδησις*, calceus.
Hypodiastole, *ὑποδιαστολὴ*, subdistinctio, interpunctio.
Hypogastrium, *ὑπογάστριον*, aqualiculus, imus venter.
Hypoglottis, *ὑπογλωττὶς*, caruncula, qua in oris fundo lingua adhaeret.
Hypogogeus, *ὑπογωγεὺς*, instrumentum, quo lapides expoliuntur.
Hypogonatium, *ὑπογονάτιον*, pulvillus sub genibus orantium.
Hypomnematicus, *ὑπομνηματικὸς*, ad memoriae subsidium pertinens.
Hypomnematismus, *ὑπομνηματισμὸς*, res memoriae causa litteris mandata.
Hypophora, *ὑποφορά*, objectio.
Hypopodium, *ὑποπόδιον*, scabellum, quod pedibus supponitur.
Hypopompi, *ὑποπομποὶ*, productores, comites.
Hyposphagma, *ὑποσφάγμα*, sanguinis subter cutem diffusio ex ruptura venae, vel fustis ictu.
Hypothema, *ὑπόθεμα*, basis, fultura. *Gloss.*
Hypothetice, *ὑποθετικῶς*, conditionaliter.
Hystera, *ὑστέρα*, matrix. Item secundinae.
Hysterologus, *ὑστερολόγος*, qui prius dicit, quod posterius est. Item qui posteriore loco verba facit.
Hysteros, *ὕστερος*, ultimus.

I

Iabora, mandragora.
Jactatorium, machina bellica ad jaciendum, balista.
Jaculamen, jaculatio.
Jameum, bitumen e Babylone invecticium.
Janualius, ad Janum pertinens.
Iatrus, *ἰατρὸς*, medicus.
Ibalia, maris habentia. *Gloss. Isid.*
Iber, animal ex duobus diversae speciei genitus, hybrida.
Iberae, neniae, cantilenae nutricum ad placandos infantes.
Icanati, milites optimates digniores, qui cohortem habuere.
Ichia, instrumentum demortuo fetui extrahendo.
Ichor, *ἰχὼρ*, sanici species.
Ichthyographus, *ἰχθυογράφος*, qui de piscibus scribit.
Ichthyopola, *ἰχθυοπώλης*, piscium venditor.
Ichthyopolium, *ἰχθυοπωλεῖον*, forum piscatorium.
Ichthyotrophium, *ἰχθυοτροφεῖον*, vivarium piscatorium.
Icium, quasi exitus, nullo remanente.
Icona, et Iconia, *εἰκὼν*, imago.
Iconium, *εἰκόνιον*, signaculum, typus, quo forma nummi exprimitur. Item locus, ubi moneta formatur.
Iconoclasta, *εἰκονοκλάστης*, qui imagines frangit.
Iconolatra, *εἰκονολάτρης*, qui imagines superstitiose colit.
Iconomachus, *εἰκονομάχος*, qui imagines oppugnat.
Iconomus, *οἰκονόμος*. V. OECONOMUS in *Lexico.*
Icosiedron, *εἰκοσίεδρον*, angulos solidos viginti habens. V. VIGINTIANGULUS in *Lexico.*
Icteritia, morbus regius.
Identicus, idem.
Identificor, idem fio.
Identitas, eadem natura. *Sarisberiens.*
Idiocaballus, proprius equus. *Gloss.*
Idiocratoria, proprium imperium.
Idiomelum, *ἰδιόμελον*, canticum alicui festo proprium.
Idiotice, indocte, imperite.
Idololatricus, ad idololatriam pertinens.
Idolomania, *εἰδωλομανία*, furor circa idola.
Idolopoeia, *εἰδωλοποιΐα*, cum mortuos loquentes inducimus.
Idolothysia, *εἰδωλοθυσία*, immolatio, quae fit idolis
Idoneo, as, idoneum reddo.
Iehova, nomen proprium Dei, apud Hebraeos.
Igia, *ὑγεία*, salus, bona valetudo. Item Dea bonae valetudinis. V. HYGEA in *Lexico.*
Ignare, cum ignorantia.
Igneo, es, ignitus fio.
Ignibulum, turibulum. *Cathol.*
Ignominis, ignobilis.
Ignos, ignotus.
Ileum, *εἰλεὸν*, intestinum omnium longissimum, a jejuno incipiens.
Iliacus, *εἰλιακὸς*, ad ileon intestinum pertinens.
Iliades, *εἰλιάδες*, contorta lora.
Iliatri, servi vocantes convivas.
Illamentatus, indefletus, *ἀπένθητος*.
Illatores, qui menstrua introducebant judicia.
Illis fas, ilicet. *Gloss. Isid.*
Illuminabilis, qui illuminari potest. *Claud. Mamert.*
Illusorius, illudens.
Illustratrix, quae illustrat. *Sarisberiens.*
Illusus, us, illusio.
Imadus, carmen saeculare.
Imaeum, *ἰμαῖον*, carmen aquilegum, et molae versatorum.
Imaginabilis, quem imaginari possumus.
Imarmene, *εἱμαρμένη*, fatum, sors.
Imaretium, templum grandius.
Imatium, *ἱμάτιον*, peculiare genus vestis saecularium.
Imbreviator, qui breves, seu pittacia refert.
Imbreviatura, protocollum. *Scriban.*
Imbrevia, in breves, h. e. commentariolos refero, rerum summam continentes.
Imbricamentum, opus imbricatum.
Imbriciosus, imbrifer.
Imbrumati, qui cibum fastidiunt. V. IMBRUMOR in *Lexico.*
Imbulus, *ἔμβολος*, locus spatiosus ad ambulandum. *Gloss. Isid.*
Immadido, as, madido. *Ambros.*
Immagistratus, in honore positus.
Immassare, in massam redigere, subigere, macerare.
Immaterialis, et
Immateriatus, qui materia caret.
Immediatio, privatio medii.
Immediatus, sine medio, contiguus.
Immemoratio, oblivio.
Immense, infinite.
Immensurabilis, quem metiri non licet. *Salvian.*
Immensuratus, non mensuratus.
Immobiliter, sine motu, firme.
Immolatrix, quae immolat.
Immolior, inaedifico.
Immoratio, mora.
Immorigerus, non obediens.
Immorosus, jejunus. *Gloss.*
Imparate, temere.
Imparitas, imparilitas.
Impars, expers. *Gloss. Isid.*
Imperforatus, *ἄτρητος*.
Imperiabilis, imperiosus.
Imperitabundus, frequenter et arroganter imperitans.
Imperspicabilis, imperspicuus.
Impesa, Impensa.
Impetigosus, impetiginosus.
Impigens, quem non piget. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 11.
Impigrabilis, impiger. *Gloss.*
Impilare, caedere, impugnare. *Pap.*
Implagium, rete minus. V. *Emplagium.*
Implanator, impostor, seductor.
Implano, seduco, fallo, decipio.
Implicate, implicite, perplexe.
Impopularis, inusitatus. *Pap.*
Importatio, invectio.
Impraestatio, non praestatio.
Impremia, delineatio. *Gloss.*
Impressibilis, in quo imprimi aliquid potest.
Impressor, qui imprimit.
Impridie, pridie.
Improspicuus, improspectus. *Gloss.*
Impudorate, impudenter.
Impudoratus, impudens.
Impurate, impure.
Impurimus, impurissimus. *Gloss.*
Inabbreviare, in breve redigere.
Inadaequate, inaequaliter.
Inadaequatus, inaequalis, non plene respondens.
Inadvertentia, inconsiderantia.
Inanimo, as, animos addo.
Inanitio, actus exhauriendi.
Inantea, antea.

Inateres, εἰνατέρες, quae duobus aut pluribus nupserunt fratribus. V. JANITRIX §. 2. in *Lexico.*
Inauguralis, ad inaugurandum pertinens.
Incanigenia, primigenia. *Pap.*
Incantatrix, maga, saga.
Incapito, as, incepto. *Gloss.*
Incarceratio, in vincula conjectio.
Incarceratus, in vincula conjectus.
Incarcero, in carcerem conjicio.
Incardium, medulla, corculum. *Theod. Priscian.*
Incarnatio, ἐνσάρκωσις.
Incastratura, commissura, compactio.
Incensior, Incensissimus, gradus τοῦ Incensus.
Incensivus, incendendi vim habens. *Macer.*
Incensorium, acerra.
Incertitudo, incertum.
Incinefactus, in cinerem redactus.
Incineratio, actus incinerandi.
Incinero, as, in cinerem redigo.
Incippat, illudit (al. *iucludit.*) *Gloss. Isid.*
Incippo, as, in cippo inscribo.
Incitamen, incitamentum.
Inclusia (lege *indusia*), genus tunicae interioris. V. INDUSIUM in *Lexico.*
Incoinquinatus, non inquinatus.
Incoloratus, sine colore.
Incommotus, stabilis, firmus.
Incommunicabilis, non communicabilis.
Incompactus, disjunctus.
Incompatibilis, qui simul stare nequit.
Incomperendino, dilato, differo. *Gloss.*
Incompos, impotens.
Inconditus, non conditus: a condio.
Incofusibilis, qui non confunditur.
Inconsonanter, incongruenter.
Inconsutilis, non consutus.
Incrassantia medicamenta, quae humores crassiores reddunt.
Incrementor, cresco.
Increpator, objurgator. *Gloss.*
Incrocari, croco aspergi.
Incubina, concubina.
Incudo, is, cudendo imprimo.
Inculpabiliter, inculpatim. *Sarisberiens.*
Inculpo, as, accuso.
Indepsere, acquirere, invadere.
Indesinens, non desinens, continuus.
Indicibilis, ineffabilis. *Sarisberiens.*
Indigeries, indigestio.
Indigestibilitas, idem. *Petr. Chrysol.*
Indirecte, oblique.
Indisciplinosus, indisciplinatus.
Indissociabiliter, indissolubiliter.
Individue, indivisibiliter.
Indubiae, indumenta. *Gloss. Isid.*
Inducticius, qui inducitur. *Gloss.*
Induforus, senatus.
Indumina, indumenta. *Pap.*
Induratio, indurandi actio.
Indurator, qui indurat *Gloss.*
Indureo, induresco.
Industriare, docere. *Gloss. Isid.*
Indystria, industria.
Inefficentia, inefficacia.
Ineloquax, inenarrabilis. *Novatian.*
Inescatorium, esca, illecebra. *Sarisberiens.*
Inexercitabilis, qui non exercetur. *Vet. Interpr. Iren.*
Infallibilis, verus, certus.
Infestumino, mare latrocinando infesto.
Infibulatio, fibulae connexio.
Inficio, inficior.
Infidibulum, vas oris angustioris. V. INFUNDIBULUM in *Lexico.*
Infiduciare, oppignerare. *Gloss. Isid.*
Infiscor, fisco regio applicor.
Inflator, qui inflat. *Gloss.*
Informaceus paries, qui duabus tabulis circumdatus, infercitur. V. FORMACEUS in *Lexico.*
Infortiatum, titulus tomi secundi Digestorum.
Infortuno, as, infortunatum reddo. *Gloss.*
Infrascapularis, infra scapulas situs.
Infrugifer, infructuosus. *Vet. Scholiast. Horat.*
Infuso, as, fuso involvo.
Ingeniarius, machinarius.
Ingeniculatio, actus ingeniculandi.
Inglutio, deglutio, *Constantin. Afer.*
Ingranare, granum in horreo condere.
Ingratius, Ingratissime, gradus τοῦ Ingrate.
Ingrusia, ficus venenatus.
Inharundulatio, collectio harundinum.
Inheredare, heredem facere.
Inhereditare, hereditatem capere.
Inhibae aves, infaustae, adversae. V. INEBRAE in *Lexico.*
Inhibitor, exactor, quasi inhibens lites. *Cathol.*
Inhonores, honores.
Initiae, ligulae, quae annectuntur ante pectus.
Innatabilis, innabilis.
Innatatio, natatio.
Innaturalis, non naturalis.
Innocia, innocentia.
Innominatus, non nominatus. *Sarisberiens.*
Innotescentia, notitia. *Idem.*
Innovator, renovator. *Gloss.*
Inobedio, non obedio.
Inofficiose, contra officium.
Inofficiositas, declinatio ab officio.
Inquietitas, inquietudo.
Inradiat, denigrat. *Gloss.*
Insalubritas, pestilentia.
Insanabiliter. *Marcell.* et *Faust.* in libello precum ad Impp.
Insanctus, non sanctus. *Gloss.*
Insapiens, insipiens. *Gloss.*
Inscensor, miles classiarius, qui navem inscendit.
Inscindo, scindo. *Petr. Chrysol.*
Inscriptis, qui litteris comprehendi et scribi non potest.
Insecus, prope. *Gloss.*
Insensibilitas, stupor.
Insensitivus, sensu carens.
Insepelibilis, qui sepeliri non potest, aut non debet.
Insiciale, jus ex insiciis. *Gloss.*
Insico, inseco, caedo.
Insignitas, nobilitas.
Insignium, insigne.
Insipide, insipienter.
Insobria, Insubria.
Inspisso, as, spisso, denso.
Institrix, ancilla, quae pro domina negotiatur.
Instramentum, stratum.
Instricatus, vulneratus. *Gloss.*
Instrumentalis, ad instrumentum pertinens.
Insubulatus, perforatus. *Cathol.*
Insulo, as, in insulam convertor.
Insummo, as, perficio. *Onomast.*
Insuspicabilis, de quo nemo suspicatur.
Intartizare, pervertere. *Pap.*
Integriter, integre.
Intellectivus, intelligendi vim habens.
Intellones, folles lucernarum. *Gloss. Isid.*
Intensive, intente.
Intensivus, intendens, augens, intentivus.
Intentatilis, qui tentari nequit. *Gloss.*
Intentator, qui non tentat. Item qui tentat.
Intentionalis, qui in voluntate habetur.
Interamnia chora, regio inter amnes. *Gloss. Isid.*
Interatus, intus positus, et in visceribus.
Interciere, sequestrem esse. Item apud sequestrem deponere.
Intercisimen, intercisio. *Gloss.*
Intercostalis, qui est inter costas.
Intercutaneus, intercus.
Interfines, ium, interjecti fines.
Interfinium, intersepimentum narium.
Interlocutores, qui inter se loquuntur in dialogis.
Interlocutoria sententia, quae non definit controversiam, sed aliquid obiter ad causam pertinens decernit.
Intermisse, sine intermissione.
Intermuraneus, intermuralis.
Interosseus, inter ossa situs.
Interpassare, intersuere.
Interpedo, as, eo, ambulo.
Interpola, ae, m. qui interpolat.
Interpolio, interpolo.
Interpraemium, interpretium.
Intersepia, intersepimentum. *Onomast.*
Intersepimentum, et
Intersignium, locus inter duo signa.
Intertius, sequester tertius, quem duo sequuntur.
Inthronizare, in throno colloco. *Sarisberiens.*
Intimidus, non timidus. Item valde timidus. *Saxo Grammat.*
Intimorate, cum timore, trepide. Item intrepide. *Interpr. Iren.*
Intomata, jumentorum tubera. *Onomast.*
Intortitium, funale.
Intoxico, as, veneno inficio.
Intrarius, internus, intimus.
Intrinsece, intrinsecus.
Intrinsecus, a, um, internus.
Intumeo, intumesco.
Invaliditas, invalentia.
Invariabilis, immutabilis.
Invariatus, non variatus.
Investitura, introductio in possessionem.
Invide, invidiose.
Inviscatio, visci conglutinatio.
Involator, fur. *Gloss.*
Jocalia, monilia, gemmae, anuli, aliaque ejusmodi pretiosa.
Jocator. *Vet. Lap.*
Jocista, qui jocatur. *Gloss. Isid.*
Joculax, jocosus, jocularis. *Gloss.*
Joguvium, captivitas, servitus.
Ionthus, ἰονθος, tuberculum in facie. *Theod. Priscian.*
Jorsum, deorsum.
Josaccharum, saccharum aqua rosacea conditum.
Josum, deorsum. V. SUSUM. §. 2. in *Lexico.*
Ipes, ἶπες, vermiculi in vitibus nascentes, convulvuli.
Ipnocausta, ἱπνοκαύστης, furnarius. *Gloss.*
Iresione, εἰρεσιώνη, ramus lana velatus, et habens omnigenos terrae fructus dependentes, ante januas aedium suspensus in honorem Apollinis, ad famem arcendam.
Irina, meteorum instar iridis, sed non adeo magnum, et curvum.
Irmus, εἱρμὸς, hymnus, qui ante troparium concinebatur: ita dictus, quia reliquorum, quae canerentur, consequentia ab eo duceretur: ab εἴρω, necto.
Irneum, placentae genus, ab irnea dictum.
Irreconciliabilis, implacabilis.
Irrefragabilis, cui refragari non potest.
Irregularis, qui est extra regulam.
Irregularitas, enormitas.
Irregulariter, et
Irregulatim, sine regula.
Irreparabiliter, jactura irreparabili.
Irreprehensibilitas, innocentia.
Irreprehensibiliter, sine reprehensione.
Irritatrix, quae irritat.
Irrugio, valde rugio.
Irrumpibilis, qui rumpi non potest.
Isangelia, ἰσαγγελία, nuntium conforme. Item judicium et accusatio proditorum, quorum crimina legibus non continentur.
Isangelus, ἰσάγγελος, Angelis par.
Isca, medulla nucis, quae in ligno ipso continetur.
Ischaemata, ἰσχαίματα, sanguinem attenuantia, aut supprimentia.
Ischaemus, ἴσχαιμος, vim habens sistendi sanguinem.
Ischas, ἰσχὰς, ficus arida.
Ischion, ἰσχίον, coxendix.
Ischnophonia, ἰσχνοφωνία, vocis exilitas.
Ischnotes, ἰσχνότης, gracilitas.
Ischola, schola.
Ischophoricus, saltatio in honorem Bacchi.
Ischyros, ἰσχυρὸς, fortis.
Iselasia, εἰσελασία, ingressus.
Isemerinos, ἰσημερινὸς, aequidialis, aequinoctialis.
Isis, emplastrum conferens in atra bili.
Isoces, piscis, ex quo primum isicia facta
Isodos, εἴσοδος, introitus.
Isonomia, ἰσονομία, aequabilis tributio.
Isopolitia, ἰσοπολιτία, communis reipublicae gerendae cura.
Isostates, ἰσοστάτης, aequalitatis recognitor.
Isox, piscis genus.
Istre, secte (al. *recte.*) *Gloss. Isid.*
Italiota, Ἰταλιώτης, peregrinus in Italia habitans.
Itinero, as, iter facio. *Salvian.*
Ithymbus, ἴθυμβος, saltatio in honorem Bacchi.
Jububa, genus herbae.
Jucundatus, jucunditate affectus.
Judaizare, Judaeorum mores sequi.
Jujubae, zizypha.
Iulca (scribe *hiulca*), fissilia. *Gloss. Isid.*
Julebus, potio dulcis.
Jumentarium, stabulum jumentorum.
Juncata, lac concretum et junco involutum.
Junculus, parvus juncus.
Jungula, Jugula, Jugla, habenae jugales.
Junis, juvenis.
Junus, animal quoddam quadrupes.
Juraticus, scholasticus, legis peritus.
Juscella, jusculum.
Justidium, tempus XXX. dierum, quod assignatur rebus repetendis.
Justinianeus, ad Justinianum pertinens.
Juxto, as, appropinquo.
Ixiae, ἴξιαι, varices in cruribus.
Ixion, avis, ex vulturum genere, colore albo.
Ixus, ἰξὸς, viscus, quo aves capiuntur.
Jyxta, juxta.
Izane, ἰζάνη, vestis satyrica.

K

Kaji, crepidines molium, quibus flumina obserantur. Item cancelli.
Kupti, Aegyptii Christiani. V. COPTITES in *Lexico.*
Kyrie eleison, *Κύριε ἐλέησον*, Domine miserere.

L

Laberna, ferramentum latronum, et furum. Item latro, aut qui filios alienos seducit. Item gladiator. *Gloss. Isid.* VAVERNA. §. 1. et 2. in *Lexico.*
Labilitas, facilitas labendi. *Sarisberiens.*
Labiolum, labellum.
Laboratorium, locus destinatus operi chymico.
Laboriositas, labor.
Labratum, osculum. *Gloss.*
Labronium, λαβρώνιον, poculi genus.
Labsilis, labilis. V. LAPSILIS. §. 2. in *Lexico.*
Labyzus, λάβυζος, gummi genus myrrhae simile, sed odoratius ac pretiosius.

Lacatismus, laqueus, decipula. *Gloss. Isid.*
Lacca, res quaedam rubea tenuibus lignorum surculis inhaerens, sapore non ingrato.
Laccus, *λάκκος*, puteus, cisterna, lacus.
Lacebra, illecebra. *Adelhelm.*
Lachanopola, *λαχανοπώλης*, olerum venditor.
Lachanopolium, *λαχανοπωλεῖον*, forum olitorium.
Laciniata vestis, vestis sinuosa.
Laconice, *λακωνικῶς*, breviter, more Laconum.
Lactago, chamaedaphne, herbae genus.
Lactena, malleum. *Gloss. Isid.*
Lacticulosus, parum, aut nihil lactis habens. *Gloss.*
Lactiphagus, qui lacte vescitur.
Lactumen, pustulae in capite infantium nascentes.
Lacturius, porcellus nondum ablactatus.
Lacuncula, parva lacuna.
Laemargia, *λαιμαργία*, gulositas, voracitas.
Laemargus, *λαίμαργος*, gulosus, vorax.
Laemuschaton, *λαιμούσχατον*, praemium gladiatoris ob adversarium jugulatum: a *λαιμὸς*, jugulum, et *ἔσχατον*, ultimum.
Lagarus, *λαγαρὸς*, laxus, subinanis.
Laicalis, ad laicos pertinens.
Laicalitas, laici conditio.
Laisus, sinus, gremium.
Lalangia, et
Lalangula, crustula. *Gloss.*
Lambdoides, *λαμβδοειδὴς*, sutura in capite A figura.
Lampadedromium, *λαμπαδηδρόμιον*, certamen currentium juvenum cum facibus, victore illo, qui primus lampada inexstinctam pertulisset usque ad metam.
Lampadephoria, *λαμπαδηφορία*, lampadis gestatio. Item lusus, de quo in voce praeced.
Lampado, onis, bulbus. *Theod. Prisc.*
Lampium, pulpitum analogium. *Gloss. Isid.*
Lamprotera, *λαμπροτέρα*, saltationis genus.
Landgravii, regionum, aut limitum comites.
Landula, alauda.
Languitas, et
Languitudo, languor.
Lanilutor, fullo.
Laoplanus, *λαόπλανος*, daemon popularis, impostor.
Lapatzas, vestis principum Constantinopolitanorum.
Lappetum, locus lappis abundans.
Lapposus, lappis abundans.
Larcus, vas vimineum, in quo feruntur carbones.
Lardarium, locus, ubi servatur lardum.
Largica, coxa.
Laricinus, qui est ex larice.
Larigena, domi natus, domesticus.
Laryngotomia, *λαρυγγοτομία*, sectio laryngis.
Larynx, *λάρυγξ*, caput asperae arteriae. Item gula, guttur.
Lasanophorus, *λασανοφόρος*, lasanum portans.
Lascia, tractus lanae. *Gregor. Turon.*
Laserculi, placentulae.
Lasseo, lassus sum.
Lassia, mappa villosa.
Lassicius, mus.
Latebro, as, abscondo.
Lateraliter, a latere.
Laterani, satellites, qui principis latus custodiunt.
Lateratim, ex utroque latere.
Latinissime, gradus superl. *τοῦ* Latine.
Lato, as, dilato, latum facio.
Latria, *λατρία*, cultus, obsequium, servitus religiosa.
Latriensis, qui latriam impendit.
Lavatorius, ad lavandum pertinens. *Scriban.*
Lavatura, lotura. *Constantin. Afer.*
Laudamentum, arbitrium, judicium, consilium. *Cujac.*
Laudemium, vel Laudimium, merces, quae ab emphytenta datur domino ob concessionem, aut renovationem emphyteuseos.
Laudum, sententia, arbitrium. Item transactio.
Laudunae, Ecclesiastica vasa. *Pap.*
Lavendula, herbae genus.
Laureo, as, corono. *Sarisberiens.* et *Petr. Chrysol.*
Laureolum, instrumentum chirurgicum, quo glandes, spicula, et hujusmodi extrahuntur.
Laurivorus, *δαφνηφάγος*, laurum comedens: quod faciebant vaticinaturi, et ebriosi.
Laurocerasus, arbor folio lauri, fructu ceraso simili.
Lauso, as, laudo.
Lautule, aliquantum laute.
Lautulus, aliquantum lautus.
Lauzanum, animal quoddam quadrupes.
Lazaroma, vestis mortualis.
Lazaros, homo recens mortuus.
Lazulus, lapis opacus, sapphiri colore, aureis punctis distinctus.
Lazurion, color caeruleus.
Leberis, *λεβηρὶς*, serpentis exsuvium.
Lebia, *λεβίας*, piscis.
Lecanomantia, *λεκανομαντεία*, divinatio per pelvim.
Lecanomanticus, *λεκανομαντικὸς*, divinatorius per pelvim.
Lecanomantis, *λεκνομάντης*, divinator per pelvim.
Leccator, gulosus. Item mediator. *Gloss. Isid.*
Lecithopola, *λεκιθοπώλης*, ovorum, vel pisorum venditor.
Lecithopolis, *λεκιθοπῶλις*, ovorum vel pisorum venditrix.
Lecithus, *λέκιθος*, vitellus, vel ovum. Item pisum.
Lecticalis, qui lecticas facit. *Gloss. Isid.*
Lectionarium, liber sacrarum lectionum.
Lectrum, pulpitum, in quo legitur.
Ledarium, ledium, ledus, tunicula vilis aestiva, vetus.
Ledo, onis, maris aestuatio. *Gloss. Isid.*
Legium, pulpitum, in quo legitur.
Lemosus, lippus: a *λῆμη*, lippitudo.
Lenaeon, *ληναιὼν*, Januarius.
Lenobates, *ληνοβάτης*, qui uvas in torculari calcat.
Lenticularia, cella, ubi lenticulae reconduntur.
Lention, linteum. Item cingulum sacerdotale.
Lentitas, lentitudo.
Lepadnum, lorum latum, quo equi collum ad jugum religatur, *λέπαδνον*.
Lepiditas, lepor.
Leptocarya, *λεπτοκάρυα*, avellanae.
Leptoludiae, ficus pullae.
Leptomericus, *λεπτομερικὸς*, tenuis. *Priscian.*
Leptynticus, *λεπτυντικὸς*, attenuandi vim habens. *Id.*
Lessa, machinae bellicae genus.
Lethargici, *ληθαργικοὶ*, canes tacite mordentes.
Leuciscus, piscis e mugilum fluvialium genere.
Leucochalcos, *λευκόχαλκος*, aurichalcum.
Leucoma, *λεύκωμα*, album oculi et ovi. Item quod Latini absolute *album* vocant.
Leucomaenides, *λευκομανίδες*, exigui pisciculi.
Leucoparyphos, *λευκοπάρυφος*, candidis vestibus indutus.
Leucophlegmatia, *λευκοφλεγματίας ὕδρωψ*, hydropi genus, albis maculis cute aspersa.
Leucopygi, *λευκόπυγοι*, molles, effeminati.
Leudis, is, vassallus, subditus.
Leviathan, balaena, magnus draco. Item daemon.
Leviga, instrumentum ad levigandum, runcina.
Levio, as, leve facio. *Cathol.*
Levisticatum, potionis genus.
Lexiarchicon, album, in quo nomina puerorum descripta erant, qui jam tutelae suae facti essent.
Lexicographus, *λεξικογράφος*, qui lexica scribit.
Lexicon, *λεξικόν*, liber vocum et dictionum.
Liae, foramina, quae in summo mali recipiunt funes.
Libatorium, crater, quo funditur libamen in sacris.
Libellarius, qui libellos defert.
Libeum, vasculum, quo oleum in sacris affundebatur.
Libitudo, libido, libitum, voluntas.
Libricola, librorum studiosus.
Librion, insigne.
Licentiatus, in studiis emeritus.
Lichanos meson, *λιχανὸς μέσον*, index mediarum, *F fa ut.* Lichanos hypaton, *ὕπατον*, index praecipuorum, *D la sol re.*
Lichas, *λίχας*, palmus, h. e. spatium inter pollicem, et indicem extensos.
Licini, candelae. *Gloss. Isid.*
Licius, negotiator: a liceor, eris. V. *Ledo* et *Malina.*
Licta, linea.
Liduna, recessus maris. V. *Ledo* et *Malina.*
Liga, foedus, societas.
Ligius, vassallus, subditus.
Lignarium, lignaria cella.
Lignesco, is, in ligni duritiem concresco.
Lignile, locus lignis reponendis.
Ligularis, qui ligulas facit.
Ligurius, gulosus, catillo, nepos. *Gloss.*
Liliaris, iridis quaedam species, a similitudine lilii.
Liliastrum, planta lilii similis.
Limatura, scobs. *Gloss.*
Limbellus, parvus limbus.
Limbulus, idem.
Limen, enis, *λιμὴν*, portus.
Limenophylax, *λιμενοφύλαξ*, custos portus.
Limentum, limes, itis.
Liminium, servitium mortiferum, captivitas.
Limniscus, *λημνίσκος*, nota critica in recensendis auctoribus. Item virgula inter geminos punctos jacens. *Isid. Or.* 1, 21.
Limositas, limus. *Constantin. Afer.*
Limpidatus, limpidus factus. *Zeno Veronens.*
Limpiditas, puritasi *Theod. Prisc.*
Lineator, qui lineas ducit.
Linificus, lini artifex.
Linimen, linimentum. *Theod. Prisc.*
Linocalamus, et
Linomyron, et
Linospermon, sunt herbarum nomina.
Linostolia, *λινοστολία*, idem ac linostema.
Linosus, lino abundans.
Linteator, linteo, lintearius.
Lipopsychia, *λειποψυχία*, animi deliquium.
Lippidus, lippus. *Gloss.*
Lipsana, orum, *τὰ λείψανα*, reliquiae.
Liquasco, liquesco.
Liquatum, liquamen.
Liquefactio, liquatio, solutio.
Lisae, arum, venae grandes circa guttur, et jugulum.
Lista, linea, ora, limbus.
Lithanthrax, *λιθανθραξ*, carbo lapideus.
Lithas, *λιθὰς*, lapillus, calculus.
Lithiasis, *λιθίασις*, calculi generatio in vesica. Item tuberculum candicans in palpebris.
Lithocolla, *λιθοκόλλα*, glutinum lapidum.
Lithoglyphus, *λιθόγλυφος*, lapidum sculptor.
Lithontripticus, nephriticus.
Lithos, *λίθος*, lapis.
Lithostracus, *λιθόστρακος*, lapis crustosus.
Lithotomia, *λιθοτομία*, lapidicina.
Lithotomus, *λιθοτόμος*, lapicida. Item chirurgus calculos extrahens e vesica.
Lithoxyla, *λιθόξυλα*, lignea lapidea Anglica.
Lithurgus, *λιθουργὸς*, lapicida.
Litigor, aris, litigo.
Litor, aris, lito.
Liturgia, *λειτουργία*, ministerium publicum.
Liturgicus, *λειτουργικὸς*, ad liturgiam pertinens.
Liturgus, *λειτουργὸς*, sacer minister publicus.
Livia, columba agrestis colore livido.
Livum, tectorium.
Lixa, ae, f. ancilla militum. *Gloss.*
Lixus, elixus.
Lobus, *λοβὸς*, infima auriculae pars. Item partes extremae hepatis. Item lupus apud Hispanos.
Locabilis, qui locari potest.
Localitas, locus. *Claud. Mamert.*
Lochia, *λοχεία*, purgamenta post partum.
Logariastae, qui publicos reditus tractabant.
Logarithmica, certa pars arithmetices.
Logarithmus, certus numerus.
Logemporus, *λογέμπορος*, qui praeter verba nihil affert.
Logisterium, *λογιστήριον*, locus, ubi recensetur exercitus, et militi datur stipendium.
Logistice, *λογιστικὴ*, ars supputandi.
Logium, *λόγιον*, oraculum praesertim soluta oratione editum. Item collectio.
Logodaedalus, *λογοδαίδαλος*, orator versutus, qui inania verborum ornamenta sectatur.
Logodipnum, *λογοδεῖπνον*, coena verbis condita.
Logomachia, *λογομαχία*, pugna de verbis.
Logopoeus, *λογοποιὸς*, qui falsa comminiscitur, mythologus.
Logotheta, *λογοθέτης*, qui rationem ponit.
Loliesco, in lolium degenero.
Lolietum, locus lolio abundans. *Gulielm. Brito.*
Loma, *λῶμα*, parvula fimbria, aut limbus.
Lonche, *λόγχη*, hasta. Item cultri genus in sacris adhibitum.
Longanimis, et Longanimus, patiens.
Longanimitas, patientia. *Fulgent.*
Longanimiter, patienter. *Id.*
Longifluus, longe fluens. *Eugen. Toletan.*
Longiloquus, diu loquens.
Longimetria, ratio quascumque metiendi lineas rectas.
Longiturnitas, diuturnitas.
Longiturnus, longinquus, diuturnus.
Loquacito, as, multum loquor.
Lordosis, *λόρδωσις*, incurvatio in anteriora.
Lotax, mendicus.
Lotiolentus, lotio inquinatus.
Lotrix, quae lavat.
Lubricitas, lubricum.
Lucidulus, aliquandum lucidus.
Lucido, as, lucidum facio. *Petr. Chrysol.*
Lucifico, illustro.
Lucigena, luce genitus.
Lucinium, myxus lucernae.
Luco, as, silvam caedo.
Luctitor, saepe luctor.
Lucubrum, quidquid ex arida materia est ad concipiendum ignem.
Lucuci, lucorum custodes.
Ludices (al. *lodices*), meretrices, *Gloss. Isid.*
Ludotrophus, lanista: quasi ludum alens gladiatorium.
Luecula, parva lues.
Lugium, luctus. *Commodian.*
Lumbarda, lombarda.
Lunatica, orum, quae fiunt plenilunio.
Lunista, lunae peritus.
Lunus, cinctus, quem publice habent servi.
Lurcinor, aris, lurcor.
Luride, obscure.
Luscitus, myops.
Lusculus, aliquantum luscus.
Lusitanicus, Lusitanus.
Lustrica, aspergillum.
Lustrus, frater mariti. *Gloss.*
Lutatio, oblinitio luto facta in operationibus chymicis.
Lutium, lotium.
Lutrares, balnearii.
Lycanthropia, *λυκανθρωπία*, rabies lupina, genus melancholiae.

Lycanthropus, λυκάνθρωπος, qui lycanthropia laborat.
Lychnaeus, λυχναῖος, lapis pellucidus.
Lychnaptes, λυχνάπτης, qui accendit lucernam.
Lychnia, λύχνια, dioptra ad lychni modum suspensa.
Lychnicum, λυχνικὸν, vespertinum tempus, quo lucernae accenduntur.
Lychnidium, λυχνίδιον, lucernula.
Lychnium, λυχνεῖον, candelabrum.
Lycoctonon, λυκοκτόνον, genus aconiti lupos occidentis.
Lycopantheros, λυκοπάνθηρος, animal lupum et pantheram referens.
Lycophili, λυκόφιλοι, suspecti amici.
Lycophilia, λυκόφιλία, lupina amicitia.
Lycopodes, λυκόποδες, tyrannorum satellites.
Lympheones (melius *Nymphaeones*), νυμφαιῶνες, antra Nympharum. Item officinae et sacraria artium.
Lyposologus, aliis maledicendo molestus.
Lyrae, λύροι, nugae.
Lysigamus, λυσίγαμος, nuptias solvens.
Lysiponia, λυσιπονία, laboris et lassitudinis solutio.
Lyteria, λητήρια, solutoria signa, morbi magni solutionem praecedentia.
Lytiersis, cantilena messorum.
Lytrosis, λύτρωσις, redemptio.

M

Macaria, μακαρία, locus beatae vitae. Item beatitudo.
Macariotes, μακαριότης, beatitudo.
Macarismus, μακαρισμός, idem.
Macella, genus teli uno mucrone: sicut dicella, quae utrinque caedit. Item septum, claustrum.
Macellulum, parvum macellum.
Maceratura, maceratio. *Novell.* 15. *Theod. et Valent.*
Machaeron, viridis compositio medicamenti contra morbos articulares.
Machaeropoeus, μαχαιροποιὸς, faber machaerarum.
Machaeropola, μαχαιροπώλης, machaerarum venditor.
Machaeropolium, μαχαιροπωλεῖον, locus, ubi machaerae venduntur.
Machamos, December lingua Byzantina.
Mache, μάχη, pugna, proelium.
Machi, impii, perditi.
Machil, tunica talaris hyacinthina, habens tintinnabula multa.
Machir, cibus.
Macholus, horreum sine tecto.
Macreo, macresco,
Macro, as, macrum reddo.
Macroceusa, longiores recessus.
Macrocosmicus, ad macrocosmum pertinens.
Macrocosmus, μακρόκοσμος, magnus mundus.
Macrocoronae, longae coronae.
Macropnoea, μακροπνοια, magna respiratio.
Macroscopion, μακροσκόπιον, instrumentum, quo longe prospicimus.
Mactrismus, μακτρισμὸς, saltationis genus.
Madarosis, μαδάρωσις, glabrities, morbus quo defluunt capilli.
Madefactio, actus madefaciendi. *Theod. Prisc.*
Maemacterium, μαιμακτηριών, September.
Maeotrum, μαίωτρον, praemium, quod datur obstetrici.
Maesonica, dicteria petulantius jactata: a quodam Maesone histrione Megarensi. V. MAESON in *Lexico.*
Mafortes, operimentum capitis mulierum. *Gloss. Isid.*
Mafortium, et Mafurtium, idem.
Magadium, instrumentum musicum, tabula quadrata leviter convexa, in qua tenduntur fides. Item ea pars citharae, ubi fit percussio chordarum manu dextera.
Magador, aris, dicitur de bilinguibus, qui eodem ore laudant et vituperant, blandiuntur et objurgant.
Magas, adis, μαγὰς, magadium.
Magerema, μαγείρημα, ferculum ciborum.
Magermae, insidiae magicae.
Magistellus, vilis magister.
Magisteria, ae, dignitas magistri.
Magistrantia, herbae genus.
Magnanimiter, magno animo.
Magniloquax, magniloquus. *Gloss.*
Magodus, μαγῳδὸς, qui cantu magum refert.
Magyrissa, lebes. *Gloss.*
Maholum, Macholus.
Maja, amita, avia, matertera, nutrix.
Majestaticus, ad majestatem pertinens.
Majorennis, qui adultus factus tutore non indiget. *JCti.*
Majulium, edulii genus, quod mense Majo potissimum fiebat.
Malabathrinus, ex malabathro factus.
Malacostracos, μαλακόστρακος, mollem habens testam.
Malaginum, genus emplastri.
Malce, μάλκη, resolutio membrorum ex frigore, aut nimio labore.
Malebarbis, et Malibarbis, malam, seu raram admodum habens barbam.
Maleformis, deformis. *Gloss.*
Maleforus, September apud Byzantinos.
Malicordis, qui malo corde est. *Gloss.*
Malignor, aris, maligne ago.
Malignosus, malignus. *Gloss.*
Malina, acessus maris, sicut liduna recessus. *Augustin. de mirabilib. S. Scripturae l.* 1. *c.* 7.
Mallenus, lanatus.
Malleo, as, malleo operor.
Mamburgium, curatio.
Mamburgus, curator.
Mamiaces, genus monilis, quod collo suspenditur.
Mamillarium, parva forfex.
Mamluchus, mancipium aere emptum.
Mammo, as, mammam praebeo, lacto.
Mana, mater. Manita, parva mater. *Gloss.*
Manaa, tributa.
Mandibularius, ad mandibulam pertinens.
Mandiburgus, curator, advocatus.
Mandrita, μανδρίτης, monachus.
Mandror, aris, cavillor.
Mandualis, cancellus super tumulum.
Mandulus, census clausurae horti. *Pap.*
Mandya, vestis militaris genus.
Maneries, conditio, sors, ratio.
Manganarius, qui facit mangana, quae sunt instrumenta bellica.
Manganula, praestigiae.
Manganum, μάγγανον, ballista.
Maniaces, μανιάκης, monile, torques.
Maniclavium, clava manualis. Item flagellum.
Manicleatus, manicatus.
Manico, as, mane eo, mane surgo, festino. *Petr. Chrysol.* ex *Luc.* 21, 38. ὀρθρίζω, Item per manum teneo. Item mansito.
Maniductor, et
Maniductus, qui in medio choro stans manuum plausu signum dat.
Manifex, manum dans. *Gloss. Isid.*
Manit, aedificat.
Mannire, monere.
Mannita, monitio.
Mannos, monilis genus.
Manopera, manus opera.
Mansionatici, hospitum susceptores.
Mansionaticum, hospitii expensa.
Mansitorium, locus aptus ad manendum, diversorium.
Mansueto, as, mansuefacio.
Mantes. V. *Mantis.*
Mantia, μαντεῖα, vaticinatio, divinatio.
Mantice, μαντική, ars divinandi.
Manticulatio, furtum, fraus, crumenisecium.
Manticus, μαντικὸς, ad vatem pertinens.
Mantis, et Mantes, μάντις, vates, divinus.
Mantous, Mantuanus. *Bapt. Mant.*
Mantuelis, chlamys.
Manua, drachma, manipulus. *Gloss.*
Manuale, liber manualis. *Isid.* Item orarium, seu sudarium. *Id.*
Manualium, candelabrum.
Manubia, iteratio doctrinae. *Isid.*
Manubro, as, vigilo, pernocto.
Manuduco, per manus duco.
Manuductio, actus ducendi per manus.
Manuinspex, chiromantes.
Manulea, manica.
Manupletius, manus implens.
Manutergium, mappa.
Mantius, et
Manutus, magnas manus habens. *Gloss. Isid.*
Mapparius, qui mappam in Circo mittebat.
Maranus, apostata.
Marasmus, μαρασμὸς, tabes.
Maratha, templum majus.
Marcha, terminus, finis.
Marchio, praefectus limitaneus.
Marcido, as, marcidum reddo. *Gloss.*
Maren, ludi genus.
Mareschalcus, qui equos curat.
Margella, corallium. *Gloss.*
Marginalis, in margine positus.
Margineus, ad marginem pertinens.
Marila, ignis tenuis. Item pulvisculus
Maris, idis, mensura trium cotylarum
Martellus, marculus.
Marteus, malleus.
Martinalia, festum S. Martini episcopi.
Martyrizo, μαρτυρίζω, torqueo.
Maruda, mensura sex heminarum.
Masaria, supellex.
Masca, venefica.
Mascauda, vas, escarium, vel potorium.
Maschala, μασχάλη, machina, qua sarcinae deponuntur in navim.
Mascule, masculine.
Masculinitas, masculinum genus. *Constant. Afer.*
Masculiniter, masculine. *Vet. Interpr. Iren.*
Masculo, as, masculum facio.
Masculofemina, virago. *Vet. Interpr. Iren.*
Masora, doctrina critica Hebraeorum.
Masorethae, Hebraeorum critici.
Massariciae, supellex domestica.
Mastax, acis, μάσταξ, genus locustae sata rodentis.
Masticatorium, medicamentum dentibus mandendum et in ore detinendum.
Mastichelaeon, μαστιχέλαιον, oleum e mastiche.
Mastigeus, μαστιγεὺς, mastigia.
Mastigo, as, μαστιγόω, verbero, punio.
Mastix, μάστιξ, flagellum, scutica.
Mastromiles, magister militum.
Mataeologia, ματαιολογία, de re vana sermo.
Mataeotechnia, ματαιοτεχνία, ars vana et futilis.
Mathema, μάθημα, disciplina, mathesis.
Matricarii, qui ad incendia currunt, et spongias cum ferramentis portant, et alia, per quae possint de pariete in parietem transilire, et incendium exstinguere.
Matricularius, Ecclesiae oeconomus.
Matrina, quae de sacro fonte levat. Item noverca.
Matrisso, μητρίζω, matrem imitor.
Mattumanus, graciles habens manus.
Matylla, edulium sitim conciens, quo in media potione utebantur.
Mavortis, vestis quaedam mulierum, et monachorum.
Maurella, herba eadem quae stychnos. *Macer.*
Mauron, nigrum, μαυρόν.
Maxima, ae, f. regula principalis et illustris.
Maximates, optimates.
Mecaphroditon, μηκαφρόδιτον, frutex quidam.
Mechanopoeus, μηχανοποιὸς, et
Mechanurgus, μηχανουργὸς, qui mechanemata facit.
Mecoacanna, rhabarbarum Indicum.
Medalia, numisma.
Mediate, medio interjecto.
Mediatio, medii interpositio.
Medicifici, et Medicifices, medici.
Meditabunde, cogitando.
Meditatiuncula, brevis meditatio.
Medus, potio ex melle. *Isid. Orig.* 20, 3.
Mega, μέγα, magnum.
Megadomesticus, magnus vel valde domesticus.
Megalartus, Cereris nomen.
Megalopsychia, μεγαλοψυχία, magnanimitas.
Megaloschemus, μεγαλόσχημος, monachus.
Melamborius, ventus vehemens, quasi niger Boreas, Circius.
Melampyron, μελάμπυρον, triticum exilius.
Melancholice, μελαγχολικῶς, per melancholiam.
Melanion, μελάνιον, viola nigra.
Melanteria, μελαντηρία, atramentum metallicum.
Melarium, locus malis recondendis aptus.
Mele, et Mela, instrumentum chirurgicum, quo aliquid infunditur vulneri.
Meletema, μελέτημα, meditatio, cogitatio.
Melipecta, μελίπηκτα, cibaria mellita.
Melitoma, μελίτωμα, placentula mellita.
Melitropheum, μελιτροφεῖον, alvearium.
Melittones. V. *Mellisones.*
Mellax, adultus, adolescens.
Melliloquus, suaviter loquens.
Mellisones, et Melittones, μελιττῶνες, mellarii. Item alvearia, loca alveariorum.
Melolontha, μηλολόνθη, genus scarabaei.
Melonomus, μηλονόμος, ovium pastor.
Melota, et Melote, μηλωτὴ, pellis ovina cum sua lana.
Melotaeus, ovillus.
Membranum, claustrum virginale.
Membrulum, parvum membrum.
Memoraliter, mente memori. *Venant. Fortun. l.* 4. *carm.*
Memoralius, qui memorias scribit, actuarius. *Gloss.*
Memoriale, liber memorialis.
Mempsimoeria, μεμψιμοιρία, crebra querela de sua sorte.
Mempsis, μέμψις, querimonia.
Mempticus, μεμπτικὸς, accusatorius.
Menagyrta, μηναγύρτης, qui singulis mensibus stipem colligit. V. *Metragyrta.*
Menaulum, jaculi species.
Mendaciloquium, mendax narratio.
Mendiciter, mendice.
Mene, μήνη, luna. Item lunae defectus.
Meniaticum, tributum menstruum.
Meningophylax, μηνιγγοφύλαξ, membranae custos: lamina aerea, qua chirurgi capitis vulnera curant.
Meninx, μήνιγξ, membrana circa cerebrum.
Menior, melior.
Meniscus, μηνίσκος, lunula.
Menisterium, mensa, in qua ponuntur convivii pocula.
Menologium, μηνολόγιον, liber de mensium ratione.
Mentalis, qui mente fit, aut est. Improbatur vel ab *Augustino l.* 12. *de Gen. ad litt. c.* 7.
Mentana, October, mensis Jovis. *Isid.*
Mentilla, minima.

Mentonalis, ad mentum usque hominis pertingens.
Mentor, mente verso, cogito.
Menytrum, *μήνυτρον*, praemium, quod exploratori, et indici datur.
Meralis, ad merum pertinens. *Marcell. Empir.*
Merarcha, *μεράρχης*, qui justae parti militum praeest.
Merarchia, *μεραρχία*, agmen militum MMXLVIII.
Mercion, mercatus.
Mererigae, manifestae turpitudines.
Mergulus, funiculus, qui in lucerna flammam nutrit. Item avis rapax aquatica.
Mergus, oris, vas, quo e puteis aqua extrahitur.
Meringa, pellis in aure, ubi fit auditus.
Meris, jaculi genus apud Helvetios.
Merismus, *μερισμός*, distributio, partitio.
Mersinium, funis.
Mesarchon, *μέσαρχον*, mesenterium.
Mesaraeum, *μεσάραιον*, idem.
Mesarnum, *μέσαρνον*, tributum dimidiatae ovis.
Mesatium, lorum ab equo ad alium equum tendens.
Mesator, magistratus, ad quem litis deferebant arbitrium.
Mesaulium, *μεσαύλιον*, janua in medio posita: vel locus in mediis aedibus.
Mesenterium, *μεσεντέριον*, crassa et adiposa membrana medium locum in intestinis occupans.
Mesiticum, *μεσιτικόν*, aes, quod pro loco occupando in foro vendendis mercibus solvebatur.
Mesoboum, et Mesobum, lignum medium inter junctos boves.
Mesocranium, *μεσοκράνιον*, vertex capitis.
Mesonestimus, *μεσονηστιμος*, quarta septimana Quadragesimae.
Mesopentecoste, septimana quarta post Pentecosten.
Mesophryum, *μεσόφρυον*, spatium inter supercilia.
Mesopleurium, *μεσοπλεύριον*, locus medius inter costas.
Mesoria, intervalla, et pausae horarum canonicarum.
Messias, *Μεσσίας*, unctus: Jesus Christus.
Messicala, parva messis.
Meta, *μετά*, cum, post, trans. Item praemium, quod sponsae datur a marito, cum eam domum ducit.
Metabulum, fausta navigatio. *Gloss. Isid.*
Metacarpium, *μετακάρπιον*, pars manus a junctura usque ad digitos.
Metaleptice, *μεταληπτικῶς*, per metalepsin.
Metalepticus, *μεταληπτικὸς* participativus.
Metallifodina, metallum.
Metallurgia, *μεταλλουργία*, opus metallicum.
Metaphoricus, *μεταφορικὸς*, translatus.
Metaphrasis, *μετάφρασις*, interpretatio.
Metaphrenum, *μετάφρενον*, pars corporis praecordiis a tergo objecta.
Metaphysica, *μεταφυσικά*, supernaturalia.
Metaphysice, *μεταφυσικῶς*, super naturam.
Metaphysicus, *μεταφυσικὸς*, supernaturalis.
Metaplasticus, *μεταπλαστικὸς*, transformativus.
Metassae, bidentes a partu recentes, et sacrificio idoneae.
Metasyncrisis, *μετασύγκρισις*, exiguorum meatuum in naturalem statum mutatio.
Metaxaticum, tributum, quod a metaxariis penditur.
Metaxatum, *μεταξατὸν*, sericum crudum.
Metaxylogia, *μεταξυλογία*, cum in medio orationis aliquid interponitur.
Meteora, *μετέωρα*, mixta imperfecta, quae in sublimi aeris parte generantur, ut nubes.
Meteorolesches, *μετεωρολέσχης*, qui de rebus sublimibus nugatur.
Meteorologia, *μετεωρολογία*, doctrina de meteoris.
Meteorologice, *μετεωρολογική*, scientia de meteoris.
Meteorologus, *μετεωρολόγος*, qui de meteoris loquitur.
Meteoroscopus, *μετεωροσκόπος*, qui sublimia respicit. Item stolidus, ineptus.
Methium, sponsalitia, vel nuptialis donatio.
Meticulus, parvus metus.
Metonymice, *μετωνυμικῶς*, per metonymiam.
Metonymicus, *μετωνυμικὸς*, ad metonymiam pertinens.
Metoposcopia, *μετωποσκοπία*, divinatio ex fronte.
Metorchium, *μετόρχιον*, interstitium inter plantarum ordines.
Metragyrta, *μητραγύρτης*, aeruscator stipem Matri Deum cogens. V. *Menagyrta.*
Metrenchytes, *μητρεγχύτης*, instrumentum chirurgorum ad injicienda in uterum medicamenta.
Metriasmus, *μετριασμὸς*, mediocritas, modus.
Metrice, *μετρικῶς*, metrico modo.
Metroacum, *μητρῷακὸν*, carmen in honorem Matris Deum.
Metropater, *μητροπατὴρ*, mater et pater.
Metrophamelius, materfamilias.
Metzizium, templum minus.
Micatus panis, in micas redactus. *Plin. Valerian.*
Micidus, tenuis, parvus.
Microcosmus, *μικρόκοσμος*, parvus mundus.
Micrologus, *μικρολόγος*, nimis diligens in rebus parvi momenti.
Micropsychia, *μικροψυχία*, pusillanimitas.
Microscopium, *μικροσκοπεῖον*, vitrum, quo res minutissimae majores apparent.
Microtrogus, *μικροτρῶγος*, qui parum comedit.
Migma, *μίγμα*, mixtura, farrago.
Migrator, qui migrat. *Gloss.*
Milago, piscis super aquas volitans. *Isid.*
Millegrana, ae, herbae genus.
Millemorbia, herba aliis scrofularia major.
Millesies, millies.
Millio, onis, genus accipitris.
Minera, vena terrae metallica. V. MINIARIUS in *Lexico.*
Mineralia, ium, metalla.
Mineralis, metallicus.
Mineralogia, sermo de metallis.
Minervalicius, pertinens ad minerval.
Miniographus, qui minio scribit.
Ministerialis, ad ministerium pertinens. Item vassallus militaris.
Ministeriani, qui praesunt castris principum.
Ministeriarches, princeps ministerii.
Minoratio, deminutio, status minor. *Fulgent.*
Minorennis, minor vigintiquinque annis.
Minsabilis, qui facile mingitur.
Mingatorium, matella.
Minso, as, frequenter mingo.
Minthos, *μίνθος*, stercus humanum. Item flos in sterquilinio nascens.
Minutarius, negotiator, qui minuta vendit.
Minutum, nummi species.
Minytica, *μηνυτικὰ*, ex alto causas detegentia.
Mirach, abdomen. Vox Arab.
Miraculosus, miraculis plenus.
Mirificentia, res mira, opus admirabile.
Mirmillonium, genus armaturae Gallicae. *Vet. Scholiast. Juvenal.*
Misanthropia, *μισανθρωπία*, odium hominum.
Misculor. V. *Commisculor.*
Misfactum, scelus.
Misocalus, *μισόκαλος*, ab omni elegantia et cultu abhorrens.
Misogynia, *μισογυνία*, odium in mulieres.
Mitea, affectio, vel vulnus nasi.
Mitigator, qui mitigat.
Mitolinum, filum e lino: a *μίτος*, filum, et linum.
Miva, succus cotoneorum.
Mixis, *μίξις*, mixtio.
Mixobarbari, *μιξοβάρβαροι*, qui altero parente Graeco, altero Barbaro progeniti sunt.
Mixolydius, *μιξολύδιος*, toni musici nomen ex Lydio myxti.
Modismus, *μοδισμὸς*, certus modiorum numerus.
Moechagria, orum, *τὰ μοιχάγρια*, poenae deprehensorum in moechia.
Moechator, moechus.
Moesileum, sepulcrum, monumentum: quasi mausoleum.
Molarium, certa portio farinae, quam molitor mercedis loco sumit.
Molatio, molitura.
Molinarius, molendinarius. *Gloss.*
Molitrix, quae molit.
Mollefacio, mollio.
Molleo, mollesco.
Mollifico, mollio. *Macer.*
Mollitivus, molliens. *Constantin. Afer.*
Momentalis, momentaneus.
Momiscus, *μωμίσκος*, molarium pars, quae carni, id est gingivae proxima est.
Momordica, herba, quae et balsamina cucumerina punicea.
Monachatus, status et conditio monachi.
Monacho, as, monachum facio. *Sarisberiens.*
Monapus, bestia, quae et bonasus.
Monarchicus, *μοναρχικὸς*, ad monarcham pertinens.
Monarchomachus, *μοναρχομάχος*, qui monarchiam oppugnat.
Monasticus, *μοναστικὸς*, monachicus.
Monetarium, locus, ubi moneta cuditur.
Monialis, monacha.
Monobambylum, simplex conclave palatii secretum, in quo conveniebat clerus patriarcham electurus.
Monobiblos, *μονόβιβλος*, liber singularis: vel qui uno libro continetur, aut constat.
Monocherium, *μονοχείριον*, armilla unius brachii.
Monochordum, *μονόχορδον*, instrumentum musicum unius chordae: vel cujus plures chordae unius soni sunt, nisi panniculi nexu distinguantur.
Monoclonos, *μονοκλονὸς*, species artemisiae uno ramulo.
Monoclonus, *μονόκλονος*, tibiae cantus simplex.
Monocosmum, *μονόκοσμον*, vehiculum, quod ab uno jumento trahitur. *Gloss. Isid.*
Monodia, *μονῳδία*, cantio solitaria.
Monodus, *μονῳδὸς*, qui solus canit.
Monogamium, *μονογάμιον*, unae nuptiae, monogamia.
Monologium, *μονολόγιον*, sermo per omnia sibi similis.
Monomachus, *μονόμαχος*, qui singulari certamine pugnat.
Monomerus, *μονόμηρος*, unum habens femur.
Monometer, *μονόμετρος*, unam mensuram habens.
Monomoeria, *μονομοιρία*, minutia partium.
Monophagia, *μονοφαγία*, vita sine socio.
Monophagus, *μονοφάγος*, qui seorsum solus cibum capit.
Monopola, *μονοπώλης*, qui solus vendit.
Monophthalmos, *μονόφθαλμος*, monoculus.
Monopticus, *μονοπτικὸς*, monoculus.
Monosceles, *μονοσκελὴς*, unum crus habens.
Monostrophus, *μονόστροφος*, unius strophae. Oda monostrophos est, quae unam tantum metri diversitatem habet.
Monostylus, *μονόστυλος*, unius columnae.
Monotessaron, *μονοτέσσαρον*, unum ex quatuor.
Monotonia, *μονοτονία*, unius modi tenor, una spiritus et vocis intentio.
Monotonus, *μονότονος*, uno tantum tenore progrediens.
Morbificus, morbum afferens.
Morbilli, et Morbuli, pustulae in summa cute, pueris maxime infestae.
Morbus Herculanus, apoplexia, morbus comitialis.
Morcuflus, superciliosus, severus.
Mordicativus, mordicans. *Coel. Aurelian.*
Mordosus, mordax. *Gloss.*
Moria, *μωρία*, stultitia.
Moricetum, locus moris consitus.
Mormolyceum, *μορμολυκεῖον*, terriculamentum.
Morochthus, *μόροχθος*, lapis Aegyptius ad vestes dealbandas.
Morosis, *μώρωσις*, amentia, stultitia.
Morotton, textum e corticibus, quo se in Cerealibus verberabant.
Morphaea, *μορφαία*, morbus, quo color mutatur.
Morsura, morsus. *Constantin. Afer.*
Mortariolum, parvum mortarium. *Macer.*
Moscharium, *μοσχάριον*, parvus moschus.
Moschatula pira, quae odorem moschi referunt.
Moschus, vel Moschum, *muschio*, sanguis cujusdam animalis suavi odore.
Moschus, *μόσχος*, vitulus. Item tenellus pullus.
Mostrum, monstrum. *Gloss.*
Motabilis, qui saepe movetur.
Moton, *μοτὸν*, linamentum ad implenda vulnera.
Movita, malitia.
Mozicia, genus parvi repositorii, quasi modicia. *Isid. Orig.* 20, 9.
Mucido, as, mucidum reddo. *Cathol.*
Muco, onis, piscis ex mugilum genere.
Mufa, mucor, mucus.
Mulcebris, illecebrosus. *Sarisberiens.*
Mullotes, mutus. *Gloss.*
Mulocisiarius, qui cisium regit a mulis tractum.
Multannus, qui multos habet annos.
Multicola, qui multos colit. *Fulgent.*
Multiplicitas, multitudo. *Sarisberiens.*
Multissimus, plurimus.
Muna, munera militibus data.
Mundatorius, ad mundandum pertinens.
Mundificativus, mundans. *Constantin. Afer.*
Mundificatus, mundatus. *Idem.*
Mundifico, mundo. *Macer.*
Mundium, patrocinium. Item dominium.
Mundius, qui sui juris est.
Munduvaldus, tutor.
Munychion, *μουνυχιὼν*, decimus mensis apud Athenienses.
Murarius, qui muros struit.
Murceus, murcus, ignavus.
Murcinarius, mutilus. *Gloss.*
Murciolus, languidulus.
Muro, as, muro claudo.
Murrio, vel Murro, as, clamo: proprium murium. *Gloss. Isid.*
Musaicus, musivus.
Muscetum, et Musculetum, locus muscis abundans.
Muscinus, muscarius.
Muscio, onis, animal muscas captans.
Muscipulor, aris, decipio.
Musco, onis, musca magna.
Muscor, aris, musco tegor.
Musiae, arum, nidi murium. *Gloss. Isid.*
Musio, onis, feles murium hostis.
Mussio, onis, animal in vino nascens.
Mussitabundus, qui mussitat. *Onomast. vetus.*
Mussitator, idem. *Vet. Gloss.*
Muta, ae, cavea, aviarium.
Muteo, mutus sum.
Mutitas, carentia loquelae.
Mya, *μύα*, musca. Item ludus, cum quis clausis oculis ceteros captat.
Myagra, *μυάγρα*, muscipula.
Mygale, *μυγαλῆ*, mus araneus.
Myia, *μυΐα*, et *μυῖα*, musca.
Myinda, *μυῖνδα*, ludus idem, qui mya.
Mylacris, *μυλακρὶς*, blattae genus circa molas nascens.
Mymphur, lignum rotundum, quod loro circumvolutum fabri lignarii adhibent in operibus tornandis.
Myrias, adis, *μυριὰς*, numerus decem millium.
Myristica, *μυριστικὴ*, nux, moschata.

Myrmecoleon, *μυρμηκολέων*, bestiola formicis infesta.
Myrophorae, *μυροφόροι*, mulieres unguenta portantes.
Mystagogia, *μυσταγωγία*, initiantis actus.
Mysterialis, mysticus.
Mysterialiter, mystice.
Mystici, *μυστικοὶ*, arcanorum principis conscii.
Mythologus, *μυθολόγος*, fabularum scriptor.

N

Nabilis, ad nandum habilis. *Vet. Dictionar.*
Nabita, navita.
Nadir, punctum sub pedibus nostris, cui opponitur alterum supra caput, quod dicitur zenith.
Naevosus, naevis abundans.
Nagarba, fasciculus spicarum in conum erectus.
Nago, as, vacillo, fluctuo. *Gloss. Isid.*
Nanus, *νάνος*, genus placentae ex caseo et oleo. V. NANUS §. 5. in *Lexico.*
Naophylax, *ναοφύλαξ*, custos templi. V. NAUPHYLAX §. 2. in *Lexico.*
Napellus, herba venenata, radice napum referente.
Napocaulis, olus napo simile, in caulem crescens.
Napunculus, parvus napus.
Narce, *νάρκη*, torpor. V. NARCE in *Lexico.* Item torpedo piscis.
Narcotica medicamenta, *ναρκωτικὰ*, torporem ac soporem inducentia.
Nardificat, fragrat. *Gloss.*
Nardites, *ναρδίτης*, vinum nardo conditum.
Narditis, *ναρδῖτις*, nardus montana.
Nario, is, nares frico, h. e. irrideo.
Nario, onis, subsannans. *Gloss. Isid.*
Narrativus, et
Narratorius, ad narrandum pertinens.
Narrito, as, saepe narro. *Cathol.*
Narte, *νάρτη*, placenta odorata, ex qua fiunt unguenta.
Narthecophori, *ναρθηκοφόροι*, Bacchi ministri thyrsum gerentes.
Narus, gnarus, peritus.
Nasale, ornamentum equorum.
Nascale, pessus ad medendum vulvis.
Nasile, nasi tegumentum.
Nasosus, nasutus.
Nastale, cingulum stringens pallium circa collum.
Nastus, *ναστὸς*, placenta ex melle, uvis passis, etc.
Natex, icis, cochlea parva marina.
Nathinaeus, dediticius. Vox Hebr.
Natito, as, saepe nato.
Natta, storea.
Navarchis, idis, *ναυαρχὶς*, navis praetoria.
Naucrates, *ναυκράτης*, echeneis.
Naufragor, aris, naufragium facio.
Naula, psalterium. V. NABLIA in *Lexico.*
Nauregus, et Naurigus, navis princeps.
Nausificus, nauseam afferens.
Nautepibatae, *ναυτεπιβάται*, qui navem conscendunt, et nauli loco nautarum officio funguntur.
Nautica, ars navigandi.
Nebrias, *νεβρίας*, piscis quidam.
Nebularium, locus, ubi vina fumum bibere instituuntur. Item locus ad subjiciendam messem per nubilum tempus.
Necessito, as, adigo, cogo.
Necolatus, stultus, et elanguens. *Gloss. Isid.*
Necromantes, *νεκρομάντις*, qui ex cadavere, vel umbris evocatis divinat.
Necromanticus, *νεκρομαντικὸς*, idem.
Necula, parva nex.
Nefrendus, porcus domesticus castratus.
Nejure, injuria.
Nemausiacus, Nemausensis.
Nemesis, *νέμησις*, distributio.
Neniola, parva nenia. *Sannaz.*
Neogamus, *νεόγαμος*, qui recens uxorem duxit.
Neophylax, acis, *νεοφύλαξ*, custos templi. V. NAUPHYLAX §. 2. in *Lexico.*
Nephalia, *νηφάλια*, sobriorum festa apud Athenienses, in quibus aqua mulsa libabatur Soli, Lunae, Memoriae, Nymphis, Aurorae, Veneri.
Nephriticus, *νεφριτικὸς*, renum dolore laborans.
Nepta, ae, neptis.
Nepticula, vestis brevissima.
Nerveus, et
Nerviceus, ex nervo factus.
Nesus, *νῆσος*, insula.
Neumaticus, *νευματικὸς*, modulator dulcis.
Neuris. *νευρὶς*, herba, quam alii solanum, alii vesicariam appellant.
Neutralia, vestimenta in neutra parte villosa.
Neutralitas, neutrius partis studium.
Nibatismus, genus saltationis barbaricae.
Nibatus, splendidus: quasi nivatus.
Nibita, aqua ex nubibus, aut nivibus. *Gloss. Isid.*
Nicocitria, substantiae. *Gloss.*
Nicolaus, stultus. *Gloss. Isid.*
Nicosiana, herba, quae et hyoscyamus dicitur.
Nideo, es, splendeo. *Acron* in *Horat. Sat.* 2, 7.
Nigella, frutex pusillus, alio nomine melanthium.
Nigrefacio, nigrum facio. *Onomast. vet.*
Nihilo, homo nihili. *Gloss. Philox.*
Ninna, vox nutricum blandientium.
Nisan, septimus mensis Judaeorum.
Nitreus, nitrosus.
Nivita, aqua ex nivibus. V. *Nibita.*
Nivito, as, nive conspergo. *Gloss. Cyrill.*
Nixae, parturientium dolores.
Nixe, adverb. munite. *Gloss. Isid.*
Nobiriae, novercae, loca, quae in metandis castris omnino vitabantur, ut montes, silvae, valles.
Nocibilis, noxius, nocens.
Noctambulo, onis, et
Noctambulus, noctivagus.
Noctianus, noctis custos, vigil. *Gloss.*
Nocticula, brevis nox. Item laena.
Noctifuga, noctem fugiens.
Nocumen, et Nocumentum, noxa.
Nomanandria, vacatio in praefectura, ignavia, inertia.
Nomarchia, *νομαρχία*, praefectura nomi apud Aegyptios.
Nomata, um, *νώματα*, ulcera.
Nomenclare, appellare, nominare.
Nomia Dea, h. e. Pales, Dea pastorum: a *νέμω*, pasco.
Nominosus, famosus, celeber.
Nomodidactes, *νομοδιδάκτης*, qui leges docet.
Nomodidascalus, *νομοδιδάσκαλος*, legis doctor.
Nomodotes, *νομοδότης*, primicerius doctorum, juris peritus.
Nomophilax, *νομοφύλαξ*, legum custos.
Nomos, *νόμος*, lex. V. NOMOS §. 2. in *Lexico.*
Nomothesia, *νομοθεσία*, legis latio.
Nomotheca, et
Nomothetes, *νομοθέτης*, legislator.
Nonagecuplex, et
Nonagecuplus, nonaginta modis factus: vel qui in nonaginta partes dividi potest.
Noneolae, papillae ex faucibus caprarum pendentes.
Nongenteni, et
Noningenteni, distributivum a noningenti.
Nonna, virgo monacha. V. NONNUS §. 1. in *Lexico.*
Nonnula, rete ad capiendas aves. *Gloss. Isid.*
Nonnus, vir senex. V. NONNUS §. 1. et 2. in *Lexico.*
Norax, peccator, criminosus.
Noro, as, novi, scio.
Nosodochium, *νοσοδοχεῖον*, nosocomium.
Nosonarius, sponsus.
Notaria, scripturae compendium. V. NOTARIUS in *Lexico.*
Noteo, es, notesco.
Nothia, *νοθεία*, pars honorum, quae nothis obvenit.
Notiaeos, *νωτιαῖος*, medulla dorsi.
Notificatio, manifestatio.
Notorie, manifesto.
Novembralis, novembris.
Novendium, novem dierum spatium.
Novercaliter, more novercarum.
Noxax, acis, criminosus.
Noxilis, nocens. *Gloss. Isid.*
Nubeculosus, obscurus.
Nubigosus, nubilus.
Nugicus, nugas canens.
Nugidicus, nugator. *Sarisberiens.*
Nugiloquus, nugax. *Idem.*
Nullatio, mutatio.
Nullimode, et
Nullimodis, nullo modo.
Nullitas, nihil, vanitas.
Nullo, as, nullum facio, muto.
Numerarchae, tribuni millenarii.
Numida, qui vendit herbas: vel qui alit pecora ad vendendum.
Nuncupativum testamentum, quod testator viva voce fecit.
Nundivium, nundinarum tempus.
Nunsio, vel Nansio, titubo, dubito.
Nuntiolum, parvum nuntium.
Nuntiolus, parvus nuntius.
Nuo, *νεύω*, annuo.
Nutinare, corpus, ingenium, genitura. *Gloss. Isid.*
Nyctalopia, *νυκταλωπία*, nyctalopum morbus.
Nyctegersia, *νυκτεγερσία*, noctisurgium, excitatio nocturna. V. *Festi l. c.* in EGRETUS in *Lexico.*
Nyctophylax, *νυκτοφύλαξ*, qui noctu aliquid custodit.
Nympha, membrana in muliebri pudendo. Item summa pars vomeris. Item calix rosarum paulum se aperiens.
Nymphagogus, *νυμφαγωγὸς*, qui sponsam e paterna domo ducit ad sponsum.
Nympheum, *νυμφεῖον*, thalamus sponsorum.
Nympheutria, *νυμφεύτρια*, pronuba, quae sponsam e domo patris ad sponsum deducit.
Nymphides, *νυμφίδες*, genus calceamentorum muliebrium.
Nympholeptus, *νυμφόληπτος*, a Nymphis correptus, cerritus.
Nymphotomia, *νυμφοτομία*, excisio nymphae in matrice.
Nysia, saltationis genus.
Nyssa, *νύσσα*, repagulum, unde cursores moventur.
Nystagmus, *νυσταγμὸς*, dormitatio.
Nyxa, pruna minora, damascena.

O

Oataricha, *ὠατάριχα*, mugilum ova salita.
Obaero, pretio seu mercede conduco.
Obdureo, durus fio.
Obdurus, durus.
Obeditio, obedientia. *Ambros.*
Obedo, circum edo.
Obeliae, *ὀβελίαι*, arum, panes Baccho sacri.
Obelo, *ὀβελίζω*, obelo signo.
Obfibulo, concludo, circumdo. *Gloss. Isid.*
Obficus, turpis ludus, impudicus. *Pap.*
Obicula, parva obex.
Objectamen, objectamentum. *Gloss.*
Objectum, scopus.
Oblamentia, vitis nigra. *Dioscor.*
Oblata, oblatio.
Oblatero, blatero.
Oblego, contra lego, contra dico.
Obligatores, mercatores. Item venefici.
Obliquangulum, ubi sunt obliqui anguli.
Oblogat, increpat. *Gloss. Isid.*
Oblucinamentum, caligo, error.
Obmallo, in mallum, seu locum judicii deduco.
Obnoxiatio, oppigneratio.
Obolostates, *ὀβολοστάτης*, minutulus fenerator.
Obpopa, instrumentum rusticum eruendis lapidibus, referens caput upupae avis. V. UPUPA §. 2. in *Lexico.*
Obscurio, carceris custos. In *legib. Langobard.*
Obsecundor, aris, obsecundo, obsequor.
Obsolitatus, obsolefactus, inquinatus. *Zeno Veronens.*
Obsolito, as, obtero, inquino. *Gloss.*
Obsonus, malum sonum habens.
Obsophagus, *ὀψοφάγος*, gulosus.
Obsopoeus, *ὀψοποιὸς*, qui obsonia parat.
Obsopola, *ὀψοπώλης*, qui obsonia vendit.
Obsorbo, is, obsorbeo.
Obstupeo, obstupesco.
Obtendiculum, operculum.
Obtrector, aris, obtrecto.
Occasivus, occidentalis. *Saxo grammatic.*
Occi, arbores fici similes, ex quibus mel defluit. V. OCCHI in *Lexico.*
Occilator, occator. *Gloss.*
Occistrio, tabernarius. *Gloss. Isid.*
Oceanine, Oceani filia.
Ochlogogium, *ὀχλογώγιον*, confluxus turbae in unum locum.
Ochros, *ὦχρος*, legumen simile cicerculae.
Ochthos, *ὄχθος*, limbus vestis muliebris.
Ociminum oleum, ex ocimo factum. *Dioscor.*
Ocna, foramen dolii.
Ocnia, *ὀκνεία*, pigritia.
Octaeteris, *ὀκταετηρὶς*, octo annorum spatium.
Octapodion, flammeum imperatoris cum octo ligulis, habens multas imagines hierarcharum.
Octennium, spatium octo annorum.
Octenus, octonus.
Octiduanus, octo dierum.
Octiduum, spatium octo dierum.
Ocymastrum, herba ocymo similis.
Ocyminus, *ὠκύμινος*, ocymo similis.
Odaxesmus, *ὀδαξησμὸς*, pruritus in infantibus ante dentitionem.
Odonaria, et
Odonia, udones.
Odontagra, *ὀδοντάγρα*, forceps dentibus evellendis.
Odontalgia, *ὀδονταλγία*, dentium dolor.
Odontaxestes, *ὀδονταξέστης*, instrumentum ad eradendos dentes.
Odontotrimma, *ὀδοντότριμμα*, dentifricium.
Odorabilis, qui odorari potest.
Odorator, qui odorat.
Oedasticus, *οἰδαστικὸς*, peritus staterarum et ponderum.
Oedema, *οἴδημα*, tumor praeternaturalis.
Oenaria, *οἰναρία*, vitis domestica.
Oenesteria, *οἰνηστήρια*, vinalia.
Oenopola, *οἰνοπώλης*, vini venditor.
Oenoptae, *οἰνόπται*, qui curam habent, ut in conviviis ex aequo bibatur.
Oenutta, *οἰνοῦττα*, placenta ex vino et melle.
Oephi, mensura trium modiorum.
Oesophagus, *οἰσοφάγος*, gulae transitus cibis et potui.
Oespoeum, *οἴσποιον*, genus calceamenti muliebris.
Oetoscyros, *οἰτόσκυρος*, Apollo, lingua Scythica.
Offensum, offensio.
Offercio, is, impleo, infercio.
Offerenda, antiphona, quae in oblatione canitur.
Offex, qui officit et impedit. *Gloss. Isid.*
Officinalis, ad officinam pertinens.
Offimentum, lutum, coenum. *Gloss.*
Offusio, actus offundendi. *Petr. Chrysol.*
Oggrassor, incedo, ingredior.
Olacitas, teter odor.
Olaciter, malo odore.
Oleago, unguentum crassum olei simile. *Gloss.*
Oleastrinum, oleum ex oleastro.
Olerarium, locus olerum. *Gloss.*
Olfatum, et Olfatus, olfactus.

Oliditas, odor. *Saxo grammat.*
Oligarchia, ὀλιγαρχία, paucorum dominatus.
Oligarchicus, ὀλιγαρχικὸς, ad oligarchiam pertinens.
Oligophorum vinum, ὀλιγοφόρος οἶνος, quod parum aquae ferre potest.
Olophyrmus, ὀλοφυρμὸς, genus lugubris cantilenae.
Omatzium, homagium, obsequium.
Omelysis, ὠμήλυσις, farina hordeacea cruda.
Omnicognoscentia, notitia omnium rerum.
Omnipraesens, ubique praesens.
Omnipraesentia, praesentia in omnibus.
Omniscientia, cunctorum scientia.
Omniscius, omnium sciens.
Omnivalens, omnia potens.
Omnividentia, omnium aspectus.
Omophagi, ὠμοφάγοι, qui cruda carne vescuntur.
Omophorium, ὠμοφόριον, vestis patriarchalis, humerale.
Omoplatae, ὠμοπλάται, scapulae.
Omotarichus, ὠμοτάριχος, salsamentum crudum.
Omphaces, ὄμφακες, uvae, et alii fructus immaturi.
Omphacinus, ὀμφάκινος, ex omphacio confectus, acidus.
Omphacizo, ὀμφακίζω, omphaces colligo: dicitur de iis, qui immatura, aut vilia furantur.
Omphicium, officium.
Onca, Ὄγκα, Minervae nomen apud Thebanos.
Onoma, ὄνομα, nomen.
Onosceli, ὀνόσκελοι, daemones asininis cruribus apparentes.
Onustatus, onustus.
Onychea, affectio unguium: ab ὄνυξ, unguis.
Onychomantia, ὀνυχομαντεία, divinatio ex maculis unguium.
Oogala, ᾠόγαλα, puls ex ovis et lacte.
Ooscyphium, ᾠοσκύφιον, poculum in ovi formam oblongum.
Ophiomachus, ὀφιομάχος, genus locustae grandioris serpentium inimicae.
Ophis, ὄφις, serpens, anguis.
Ophthalmia, ὀφθαλμία, morbus oculorum.
Ophthalmus, ὀφθαλμὸς, oculos.
Opiferae, funes, quae cornibus antennae dextra sinistraque tenduntur et retroverso. *Isid. Or.* 19, 4.
Opinanter, opinato.
Opinax, manifestus. *Gloss. Isid.*
Opinosa, ingentia certamina. *Gloss. Isid.*
Opismus, ὄπισμὸς, lactei succi, inciso caule, collectio.
Opistheline, postilena.
Opisthosphendone, ὀπισθοσφενδόνη, ornamentum capitis muliebre, reticulum, majori parte pone rejectum.
Oporophylacium, ὀπωροφυλάκιον, casa custodis fructuum autumnalium.
Opsigamium, ὀψιγάμιον, serae nuptiae.
Opsimathes, ὀψιμαθὴς, qui sero didicit, vel discere coepit.
Opsimathia, ὀψιμαθία, sera eruditio.
Opsophagus, ὀψοφάγος, delicati obsonii avidus, gulosus. Fuit cognomentum Apicii.
Opsopoeia, ὀψοποιΐα, obsoniorum apparatus.
Opsopoeus, ὀψοποιὸς, coquus.
Opsopola, ὀψοπώλης, obsoniorum venditor.
Opteria, ὀπτήρια, dona, quae sponsus sponsae dabat, cum primum eam viderat.
Optici nervi, ὀπτικοὶ, per quos videndi facultas ad oculos defertur.
Orafius, animal quoddam ferum.
Orale, velum orarium.
Orama, ὅραμα, aspectus.
Orasis, ὅρασις, visio.
Orbitus, annualis.
Orbs, columbus, piscis marinus.
Orcarius, rufus.
Orciolon, urceolus.
Orcocoma, luctus funebris.
Ordinabiliter, per ordinem.
Ordinamentum, ordinatio.
Ordio, is, texo.
Oreas, ὀρειὰς, regio montana: ab ὄρος, mons.
Orge (lege *urge*), occide. *Gloss. Isid.*
Orgyia, ὀργυιὰ, mensura, quae inter manus expansas continetur.
Oripta, amens turba hominum. *Gloss. Isid.*
Ornes, urna.
Ornis, ὄρνις, avis.
Orphanotrophita, ὀρφανοτροφίτης, orphanis alendis praepositus.
Orthodoron, ὀρθόδωρον, palma manus erecta et explicata.
Orthodoxia, ὀρθοδοξία, recta de Fide opinio.
Orthogonus, ὀρθόγονος, rectus angulus.
Orthographicus, ὀρθογραφικὸς, ad orthographiam pertinens.
Orthostadiae, ὀρθοστάδιαι, tunicae consistentes, quae rectae manent, nec accinguntur.
Osanna. V. *Hosanna.*
Oscheum, ὄσχεον, scrotum.
Oscitantia, oscitatio.
Ostacus, idem quod astacus piscis.
Ostentifer, ostentum ferens. *Gloss.*
Ostentosus, portentosus.
Osteocollum, herba muralis.
Ostiaria, mulier custos ostii.
Ostracina, ὀστράκινα, Atheniensium suffragia.
Ostracinda, ὀστρακίνδα, ludus puerilis, testulis commutatis, et projectis, cum quis divinabat jactum.
Ostracum, ὄστρακον, testa. Item pavimentum testaceum.
Otalgia, ὠταλγία, aurium dolor.
Otenchytes, ὠτεγχύτης, clyster auricularius.
Othone, ὀθόνη, vestis ex lino.
Oticus, ὠτικὸς, auricularius.
Ovarium, ovorum locus.
Ovicare, ovi albumine subigere. *Plin. Valerian.*
Ovifer, oviparus.
Ovispex, qui ovium viscera inspicit. *Gloss. Isid.*
Ovizirii, dignitas Turcica.
Oxobapta, rubro tincta.
Oxos, ὄξος, acetum.
Oxy, ὀξὺ, acutum, aut acidum.
Oxyacantha, ὀξυάκανθα, spina parvis foliis aculeatis, baccas ferens rotundas.
Oxycraton, ὀξύκρατον, acetum aqua mixtum.
Oxyglyces, et Oxyglycy, ὀξυγλυκὲς, et ὀξυγλυκὺ, medicamentum ex fabis aceto maceratis.
Oxylipes, ὀξυλιπεῖς, panes ex aceto.
Oxyliparon, ὀξυλίπαρον, moretum acidum.
Oxyngium, ὀξύγγιον, faex aceti.
Oxynitrum, ὀξύνιτρον, emplastrum quoddam ruptorium.
Oxyporopola, ὀξυποροπώλης, oxypori venditor.
Oxyrrhodinum, ὀξυῤῥόδινον, medicamentum ex aceto et aqua rosacea.
Oxyrrhodon, ὀξύῤῥοδον, acetum rosaceum. *Theod. Priscian.*
Oxys, ydis, ὀξὺς, vas aceti.
Oxysaccharum, ὀξυσάκχαρον, potio ex saccharo et aceto.
Oya, ὀῦα, sorba.
Oze, ὄζη, foetor oris.
Ozymum, genus edulii redolentis, ex intestinis confecti.

P

Pacajas, rana.
Pachydermus, παχύδερμος, crassam pellem seu cutem habens: translate fatuus, rudis.
Pacifero, as, pacem induco. *Gloss.*
Pactis, idis, πακτὶς, ίδος, instrumentum musicum duarum chordarum.
Pacton, πακτὼν, navis ex virgis compacta.
Pactura, pactum.
Paedagogia, παιδαγωγία, instructio puerorum.
Paedantismus, munus paedagogi.
Paedenes, puellae virgines.
Paederastes, παιδεραστὴς, puerorum amator.
Paederastia, παιδεραστία, amor puerorum.
Paedia, παιδεία, institutio in bonis artibus.
Paedinecron, παιδίνεκρον, abortus.
Paedisca, παιδίσκη, ancilla. Item meretrix.
Paediscium, παιδίσκιον, prostibulum. Item attributum effictum.
Paedomathes, παιδομαθὴς, qui a puero statim discit.
Paedomathia, παιδομαθεία, matura institutio puerilis.
Paedonomus, παιδονόμος, ingenuorum puerorum magister.
Paedopullon, puer.
Paedotriba, παιδοτρίβης, praeceptor, paedagogus.
Paedotribia, παιδοτριβία, ars exercendi puerorum corpora.
Paessa, παῖσσα, apud Coos placentulae sunt.
Pagalia, persolutio.
Paganicius, vir occultus. *Gloss. Isid.*
Paganismus, Paganorum religio.
Pagarchus, παγάρχος, pagi praepositus.
Pagensis, qui est ejusdem pagi.
Paginalis, epistolaris. *Ennod.*
Pago, as, exsolvere pecuniam.
Palaphrion, servus ad frenum.
Palatha, παλάθη, massa ficorum.
Palillogia, παλιλλογία, iterata locutio: verbi repetitio.
Palimblastus, παλίμβλαστος, restibilis ager.
Palimpega, παλίμπηγα, veteramenta.
Palindoria, παλινδόρια, frusta coriacea.
Palingenesia, παλιγγενεσία, regeneratio.
Pallio, onis, qui pallas parat.
Palmapinus, arbor quaedam peregrina.
Palmor, aris, palpo, adulor.
Palmularius (lege *parmularius*), agitator in ludis Circensibus. V. PARMULARIUS in *Lexico.*
Palumbula, parva palumba.
Pambasilia, παμβασιλεία, dominium absolutum.
Pamaeum, vestis pastoralis. *Gloss. Isid.*
Pamphylodromon, παμφυλόδρομον, navis imperatoris.
Panada, aqua cum pane. *Gloss.*
Panagrum, πάναγρον, genus retis, quod omnia capit.
Panaria, largitio panis ab imperatoribus facta.
Panarius, qui panem vendit. *Gloss.*
Pancerea (Italis *panciera*), thorax squameus.
Panchra (lege *pancra*), rapina. *Gloss. Isid.* V. IMPANCRARE in *Lexico.*
Pancratiarius, pancratiastes. *Gloss.*
Pancreas, παγκρέας, corpus glandulosum in medio mesenterio.
Pandaesia, πανδαισία, epulum.
Pandecton, πάνδεκτον, linteamen.
Pandex, qui semper pandit os ad potandum. *Gloss. Isid.*
Pandocheum, vel Pandochium, πανδοχεῖον, diversorium, in quo hospites omne genus recipiuntur.
Pandocheus, πανδοχεὺς, caupo, stabularius.
Paudurista, πανδουριστὴς, pandurus.
Pangito, as, saepe pango. *Gloss. Isid.*
Panharmonium, παναρμόνιον, omni harmonia constans.
Panicoctaria, quae panem coquit. *Petr. Chrysol.*
Panificus, pistor. *Onomast. vet.*
Pannarius, pannorum venditor.
Pannifex, et
Pannificus, qui pannos facit.
Panoplia, πανοπλία, universitas armorum: vel armatura ad omnes usus.
Panselenus, πανσέληνος, plenilunium.
Pantherion, πανθήριον, parvus panther.
Pantopharynx, παντοφάρυγξ, gulosus, vorax.
Pantopola, παντοπώλης, qui omnes res venales habet.
Panurgia, πανουργία, astutia, versutia.
Papadia, mulier sacerdos.
Papalethra, tonsura papalis.
Papatus, dignitas Papae.
Paploma, teges.
Paponius, ebriosus.
Papotentia, ebriositas.
Pappias, pater.
Pappisso, παππίζω, infantium more blandior.
Pappous, avitus.
Papyleon, papilio, tentorium.
Papyrio, onis, papyrus, charta.
Papyropola, παπυροπώλης, qui chartas facit, et vendit.
Para, παρὰ, ad, apud, penes.
Parabata, παραβάτης, transgressor, violator legis.
Parabasis, παράβασις, transgressio, praevaricatio.
Parabia, παραβίας, potus ex milio et conyza.
Parabystus, παράβυστος, occultus, latens: vel se ipsum includens.
Paracampanismata, injustae ponderationes.
Paracatabole, παρακαταβολὴ, depositum, fidejussio.
Paracellarius, minoris cellae praefectus.
Paracercides, παρακερκίδες, ossicula in cruribus.
Paracharacta, παραχαράκτης, monetae adulterator.
Paracharagmata, παραχαράγματα, nummi adulterini.
Paraclesis, παράκλησις, exhortatio.
Paraclytus, παράκλυτος, male audiens, infamis.
Paracmasticus, παρακμαστικὸς, jam vigere desinens.
Paracnemion, παρακνήμιον, os minus in cruribus.
Paracolleticus, παρακολλητικὸς, glutinandi vim habens.
Paracope, παρακοπὴ, delirium.
Paradactades, miseri.
Paradiateuxis, παραδιάτευξις, perversa disjunctio.
Paradichion, hortus.
Paradigmaticus, παραδειγματικὸς, exempla continens.
Paradiseus, ad paradisum pertinens.
Paradisigenus, in paradiso natus. *Theodulf.*
Paradisius, paradiseus.
Paradogum, feudum nobile.
Paradromis, παραδρομὶς, locus prope xystum sub dio ad ambulandum et exercendum.
Paraeneticus, παραινετικὸς, praeceptivus, hortatorius, admonitorius.
Parafredus, equus clitellarius.
Paragium, aequatio hereditatum.
Paragoricus, παραγορικὸς, mercabilis. *Theod. Prisc.*
Paragramma, παράγραμμα, scripturae depravatio.
Paragrammatismus, παραγραμματισμὸς, cum littera pro littera ponitur.
Paragraphe, παραγραφὴ, exceptio, perscriptio, effugium, litis compositio, adnotatio in margine, scholium.
Paragraphon, et Paragraphus, παράγραφος, linea in longum protensa. Item scriptura separata, scripturae divisio, pars capitis, tituli, quaestionis.
Paralaurum, aedicula monasterio adjuncta.
Paralepsis, παράληψις, assumptio.
Paralipsis, παράλειψις, praeteritio.
Parallaxis, παράλλαξις, mutatio. Item differentia loci veri et apparentis apud mathematicos.
Parallelismus, παραλληλισμὸς, convenientia quaedam in lineis et figuris apud geometras.
Paralogia, παραλογία, deceptio.
Paralogismus, παραλογισμὸς, fallax conclusio.
Paralogizo, παραλογίζω, capitosa argumentatione utor.
Paralogus, παράλογος, absurdus, rationi dissentaneus, inopinabilis.
Paralurges, παραλοῦργες, genus vestis purpuram intextam habentis.
Parameria, παραμήρια, internae femoris partes.
Paramythia, παραμυθία, alloquium solatorium.
Parantegesis, παραντήγησις, appositu ex adverso narratio.
Parapechion, παραπήχιον, os minus brachii.
Parapetasma, παραπέτασμα, tegumentum, aulaeum.
Parapherna, παράφερνα, bona, quae praeter dotem nubenti dantur.
Paraphernalis, et

Paraphernicus, ad parapherna pertinens.
Paraphora, παραφορὰ, insania, delirium.
Paraphrasticus, παραφαστικὸς, ad paraphrasin pertinens.
Paraphrenitis, παραφρενῖτις, delirium.
Paraphrosyne, παραφροσύνη, error mentis, delirium.
Paraphyades, παραφυάδες, surculi, propagines.
Paraplegia, παραπληγία, membrorum resolutio.
Paraplexia, παραπληξία, detentio mentis, vesania.
Parapompica, παραπομπικὰ, quae transmittuntur.
Paraptoma, παράπτωμα, lapsus, casus.
Pararthresis, παράρθρησις, luxatio.
Parascenia, παρασκήνια, spatia in scena ab utroque latere.
Parascevastica, παρασκευαστικὰ, conceptacula seminis.
Paraselene, παραselήνη, lunae replicatio in nube cava se reflectentis.
Parasphagis, παρασφαγὶς, pars juguli.
Parastasis, παράστασις, assistentia.
Parastata, παραστάτη, conceptaculum seminis.
Parasynagoga, παρασυναγωγή, falsa synagoga.
Parasynanche, παρασυνάγχη, nervorum ad fauces inflammatio.
Paratella, herba eadem, quae lapathum.
Parathesis, παράθεσις, appositio, cum quasi deponimus aliquid apud memoriam judicum, repetituros nos dicentes, cum opportunum fuerit. *Isid. Orig.* 2, 21.
Paratilmos, παρατιλμὸς, evulsio pilorum.
Paratitla, παράτιτλα, appendices titulorum juris, hoc est indices legum, quae ex aliis titulis ad eum, quem interpretari volumus, revocari et pertinere possunt: dicta παράτιτλα, quasi praeter titulum, ut παράφερνα, praeter dotem.
Paratrimma, παράτριμμα, intertrimentum, cum femora mutuo attritu excoriantur.
Paratypus, παράτυπος, male cusus.
Paraugalma, oppositio, comparatio.
Parauxesis, παραύξησις, exaggeratio, amplificatio.
Pardalus, πάρδαλος, avis ex iis, quae gregatim volant.
Parecelesion, sacellum.
Parechesis, παρήχησις, cum plures litterae vel syllabae eundem sonum reddunt.
Parectasis, παρέκτασις, extensio, productio vocis, inserta syllaba.
Paregmenon, παρηγμένον, cum voces ejusdem originis conjunguntur.
Parencephalis, παρεγκεφαλὶς, pars cerebri posterior.
Parenchiresis, παρεγχείρησις, molitio in aliquo opere.
Parenchyma, παρέγχυμα, propria cujusque visceris substantia.
Parentheticus, παρενθετικὸς, quasi per parenthesin positus: ut Parenthentica bellaria apud *Sarisberiens* 8, 7.
Parepigraphe, παρεπιγραφὴ, figura, cum quae praecedere debuerunt, tacentur, ita tamen, ut ex consequentibus intelligantur.
Paresis, πάρεσις, remissio, negligentia, languor.
Parescharites, παρεσχαρίτης, foci custos in navi.
Parhippiarius, equiso, parafrenarius.
Pariambis, παριάμβις, tibiae genus quoddam.
Parochialis, et
Parochianus, ad parochiam pertinens.
Paroculi, dicuntur a paribus oculis.
Parodontis, παροδοντὶς, tuberculum circa dentes.
Paroecus, πάροικος, ejusdem fani incola et consors, curialis. Item accola.
Paroemiacus, παροιμιακὸς, ad adagium pertinens.
Paroemiographus, παροιμιογράφος, adagiorum scriptor.
Paroenia, παροίνια, carmina, quae ad vinum canuntur.
Parovalli, pardorum curatores.
Paroxysmus, παροξυσμὸς, concitatio, exacerbatio. Item accessus febris, qui statis horis fieri solet.
Parsio, actus pareendi. *Gloss.*
Partheniopte, παρθενιόπτης, qui virgines avide inspectat.
Partialis, qui partem continet.
Participator, qui } participat.
Participatrix, quae }
Particus, negotiator, qui per partes vendit.
Parulis, παρουλὶς, inflammatio in gingivis.
Parygron, πάρυγρον, medicamentum quoddam liquidum initio, postea consistens.
Paryphe, παρυφὴ, praetexta, aliquid vesti adtextum. *Gloss.*
Paryphes, παρυφὲς, idem.
Parzunarium, vasis genus instar acini.
Paschalicus, et
Paschicus, ad Pascha pertinens.
Paschinus, statua Romae vatis cujusdam ridiculi.
Pascuarium, census pro pascuis.
Pasias, *Bassà* Turcarum.
Paspala, πασπάλη, minutissimus farinae pulvisculus.
Pasquillus, libellus famosus.
Passagerius, qui passagiis praecst.
Passagium, expeditio in Terram sanctam.
Passionarium, liber de passionibus Sanctorum.
Pastas, adis, παστὰς, thalamus.
Pastaries, panes dulciarii.
Pastile, ultimus anni dies.

Pataeci, πάταικοι, simulacra Deorum in puppibus.
Pateriza, sceptrum patriarchae.
Paternaliter, et
Paterne, more patris.
Pathema, πάθημα, passio, affectio.
Pathiasma, παθίασμα, passio, morbus.
Pathio, animal quoddam quadrupes.
Pathopoeia, παθοποιία, affectuum commotio.
Pathos, πάθος, perturbatio animi, affectio.
Patrinus, qui levat aliquem de sacro fonte, sponsor.
Patriota, qui est ejusdem patriae.
Patripassiani, haeretici, qui ajebant Patrem passum esse.
Pauciloquus, qui pauca loquitur.
Pavefacio, exterreo. *Gloss.*
Paveratus, pressus, spissatus.
Paviclare, pavicula solidare.
Paviculo, as, pavicula adaequo.
Pavidensis vestis, calcata et densa: cui opponitur levidensis. *Isid.* 19, 22.
Pavido, as, paviculo.
Pavimentitius, pavimento constans.
Pavitensis, pavidensis.
Pausanae, induciae.
Pausicape, machina, quae collo molentium servorum inserebatur, ne polendam comederent, neve ori manus admovere possent.
Pausilypus, παυσίλυπος, poculi genus Jovi sacrum in conviviis.
Paxamas, vel Paximas, genus panis.
Paximatum, panis subcinericius. *Gloss. Isid.*
Peccaminosus, pravus.
Pechys, πῆχυς, spatium inter manum et cubiti gibbum.
Pecia, et Petia, frustum pellis.
Pecoreus, et
Pecorinus, pecuarius.
Pectinarium, theca pectinum.
Pectinarius, qui pectines facit.
Pectinator, qui pectit. *Gloss. Cyrill.*
Pectiniformis, formam pectinis habens.
Pecudiarius, qui pecudis instar praeceps fertur. *Gloss. Philox.*
Pecudinus, et
Pecudius, pecuarius.
Pecuniola, parva pecunia.
Pedagium, vectigal pro transitu.
Pedana, pedulis novus, qui caligae assuitur. *Gloss. Isid.*
Pedellus, parvus pes.
Pedicularius, ii, qui inter symphoniacos modum dat tono: quod fiebat pedibus pulsando scabellum. *Gloss. Philox.*
Pediculata poma, quae pediculos habent, unde suspendi possint.
Pediculatio, morbus pedicularis.
Pediculo, as, pediculos venor. *Gloss.*
Pedilon, πέδιλον, calceamentum.
Pedio, is, pede pulso. *Sipontin.*
Pedito, as, pedibus iter facio. *Gloss.*
Pedo, onis, qui pedes latos habet. *Gloss. Philox.*
Pegade, πηγάδη, cisterna, puteus.
Pegaso, onis, πήγασος, homo jocularis. *Gloss. Isid.*
Pegma, πῆγμα, barba.
Pejeratio, perjurium. *Salvian.*
Pelanus, placentae genus Jovi sacrum, πέλανος.
Pelargici nomi, πελαργικοὶ νόμοι, leges de alimentis, quae a parentibus filiis debentur.
Pelargicus, πελαργικὸς, ad ciconiam pertinens.
Pelargus, πελαργὸς, ciconia.
Pelarpacis, dignitatis nomen, nunc *Beglerbegs.*
Pelecanus, πελεκὰν, instrumentum ad dentes evellendos.
Pelica, poculi genus, πελικάν.
Pelioma, πέλιωμα, pars livida, livor.
Pellerina, *berlina.*
Pellesuina, locus, ubi pelles suuntur, aut venduntur.
Pellicare, aemulari, ut rivales solent. *Gloss.*
Pellicatio, pellicatus. *Gloss.* Item aemulatio.
Pellicor, aris, pellicem ago.
Pello, as, loquor: unde appello, compello.
Peltasticus, πελταστικὸς, ad peltastas pertinens.
Pemphinx, ingis, πέμφιγξ, flatus, gutta, nebula, pulsus crebrior.
Pempte, πέμπτη, dies Jovis.
Pencina, lacinia, vel stola. *Gloss. Isid.*
Pendiculus, peniculus detergendis sordibus.
Penia, πενία, paupertas, et paupertatis dea.
Penicellus, piscis marinus insectilis.
Pennalis, novellus discipulus.
Pennaria theca, et
Pennarium, repositorium calami scriptorii.
Pennesco, is, pennas emitto. *Cassiodor.* I, 48.
Pennicomus, ut Pennicomae galeae. *Mantuan.*
Penniculum, pinnaculum.
Pensiculator, qui pensitat.
Pensiliter, leviter.
Pensionarius, qui pensionem alicui solvit.
Pensor, qui examinat et expendit.
Penta, πέντε, quinque.
Pentacosiomedimni, πεντακοσιομέδιμνοι, qui quingentis medimnis censi sunt.
Pentadactylus, πενταδάκτυλος, quinque digitis constans.

Pentaedrum, πεντάεδρον, prisma ex quinque hedris compositum.
Pentaeteris, πενταέτηρις, spatium quinque annorum
Pentaglottus, πενταγλωττος, qui est quinque linguarum.
Pentamoerus, et Pentamirus, πεντάμοιρος, quinque habens partes.
Pentapharmacum, πενταφάρμακον, quinque pharmacis constans. Item convivium, in quo quinque condimentorum genera sunt.
Pentaplum, poculum, in quo permixtae erant quinque species, mel, caseus, vinum, farina, oleum.
Pentaproti, πενταπρῶτοι, quinque primi.
Pentaprotia, πενταπρώτεια, quinque primorum munus.
Pentaptotus, πενταπτωτος, quinque casus habens.
Pentarchus, πένταρχος, qui viris quinque praeest.
Pentastichus, πενταστιχος, quinque versibus constans.
Pente, πέντε, quinque.
Pentecontarchus, πεντεκόνταρχος, qui quinquaginta militibus praeest: cujus munus est pentecontarchia.
Pentecostalis, ad Pentecosten pertinens.
Pentheterius, capillus resectus in luctus, πενθητήριος.
Peolae, et
Peplae, qui ex intemperato Veneris usu pereunt.
Peragrator, qui peragrat.
Perarefacio, valde arefacio. *Theod. Priscian.*
Perastutus, valde astutus.
Perbellus, valde bellus.
Percapabilis, valde capax.
Percatapirat, valde tentat. *Gloss. Isid.*
Percatapsere, valde dividere.
Perceptibilis, qui percipi potest.
Percesion, tributum, quod Imperatori Turcarum persolvunt Patriarchae Constantinopolitani.
Perculsio, percussio.
Percunctativus, et
Percunctatus, per cuncta vadens, universalis. *Coel. Aurelian.*
Percupide, valde cupide.
Percussa, ae, percussio. *Coel. Aurelian.*
Percussibilis, qui percuti potest.
Percussionalis, qui percutitur. *Cassiod.*
Perdiceprastes, perdicum venator. Al. leg. Perdiciprates, περδικιπράτης, perdicum venditor.
Perdiceus, ad perdicem pertinens.
Perdifficulter, valde difficulter.
Perfectionalis, perfectus.
Perfectionaliter, perfecte.
Perferentarius, perferens, patiens.
Perfingo, fingo. Tetrastich. null. auctorit. apud *Fabret.* c. 4. p. 331. n. 493. varios avium perfingere cantus.
Perfossio, et
Perfossura, fossio.
Perfunctorium, quod leviter et remisse fit.
Perfusor, qui perfundit. *Gloss.*
Perhorreo, perhorresco.
Peri, περὶ, de, ultra, circum.
Peribaris, περίβαρις, calceamentum quoddam muliebre.
Periblema, περίβλημα, amiculum, pallium.
Peribole, περιβολὴ, ambitus sermonis, periodus.
Peribolus, περίβολος, septum, vallum. Item corona, seu lorica muri.
Pericardium, περικάρδιον, membrana circa cor.
Pericarpium, περικάρπιον, involucrum, seu theca seminis plantarum. Item monile cingens carpum manus.
Pericephalaea, περικεφαλαία, galea. Item spira capillorum mulierum. Item pars navis.
Pericharacter, περιχαρακτὴρ, ferramentum, quo caro gingivarum a dentibus separatur.
Pericranium, περικράνιον, membrana circa cranium.
Perigyalium, ora maritima.
Peri hermenias, περὶ ἑρμηνείας, de interpretatione.
Perinaeum, περίναιον, pars hominis pudenda.
Periodeuta, περιοδευτὴς, lustrator circa Ecclesias Dioecesis. Item circulator.
Perioeci, περίοικοι, qui habitant sub eodem circulo parallelo.
Perior, iris, conor, tento, experior.
Periosteon, περιόστεον, membrana circa ossa.
Peripatus, περίπατος, deambulatio. Item locus deambulationis. Item secta Philosophorum.
Peripecio, incisio scripturarum, capitulum, sententia.
Peripetia, περιπέτεια, fortunae casus et temeritas.
Peripezia, et Peripezides, περιπέζια, pedum ornamenta.
Peripheria, περιφέρεια, circumferentia.
Periphoretus, περιφόρητος, qui circumfertur.
Periphragma, περίφραγμα, conseptum.
Peripneumaticus, περιπνευματικὸς, peripneumonicus.
Periscius, περίσκιος, qui circa se solis umbram habet.
Peristasis, περίστασις, status, conditio.
Peristereon, περιστερεὼν, locus, in quo columbae aluntur.
Peristeropullon, columbae pullus.
Peristerotrophion, περιστεροτροφεῖον, peristereon.
Peristethion, περιστήθιον, ornamentum pectorale.
Peristia, τὰ περίστια, lustrationes.

Perithalassa, *περιθάλασσα*, litus.
Peritonaeum, *περιτόναιον*, membrana involvens intestina.
Peritrachelion, *περιτραχήλιον*, ornamentum colli, torques, monile.
Perjuratio, perjurium.
Perizoma, *περίζωμα*, campestre, velamen inguinum.
Perizonium, *περιζώνιον*, palliolum praecinctum, quo virgines amiciuntur.
Perlatrix, quae perfert.
Perlatus, valde latus.
Perlectio, pellectio.
Permagnificus, valde magnificus. *Vulgat. Interpr.*
Permerdo, as, conspurco.
Permorior, morior. *Commodian.*
Permotatus, permotus. *Idem.*
Pernarro, totum narro. *Gloss.*
Pernimius, valde nimius. *Paulin. Petrocor.*
Peropto, valde opto.
Perosis, impedimentum naturalis functionis, laesio, privatio, *πήρωσις*.
Perpendiculariter, ad perpendiculum.
Perpeto, is, sine intermissione peto. *Sipontin.*
Perroro, rore perfundo.
Persenilis, valde senilis.
Personaliae, personales actiones.
Personalitas, subsistentia.
Personanter, sonore. *Salvian.*
Persono, as, paen. prod. personam do.
Perspicacissime, valde perspicaciter.
Perspicacissimus, valde perspicax.
Perspicillum, vitrum adjuvandis oculis. Item specula.
Persuasor, suasor.
Persuo, in totum suo.
Perterrifico, perterreo. *Alcuin.*
Pertimeo, pertimesco.
Pertimidus, valde timidus.
Pertransibilis, qui pertransiri potest.
Pertremisco, valde contremisco.
Pertumultuosus, magnum tumultum excitans.
Pertussis, tussis continua, apud Medicos.
Pervasio, invasio.
Pervasor, qui pervadit.
Pervicacitas, pervicacia. *Gloss.*
Pervireo, semper vireo.
Pescesion, tributum, quod Patriarcha Constantinopolitanus Imperatori Turcarum persolvit.
Pessellus, parvus pessulus.
Pessulatus, pessulo clausus.
Pestifuga, herba, quae et coryza dicitur.
Pestiliter, demisse, divise. *Gloss. Isid.* Al. leg. *partiliter*, [† al. *petiliter.*]
Pestimus, pestilens.
Pestinuncius, qui pestem nunciat. *Gloss. Isid.*
Petalismus, *πεταλισμός*, genus exsilii apud Syracusanos, ut ostracismus apud Athenienses.
Petallum, ornamentum capitis.
Petalurgus, *πεταλουργός*, bractearius.
Petalus, *πέταλον*, folium, lamina, bractea, frons arboris. *Isid.*
Peteredium, a petendis hereditatibus. *Cassiodor.*
[† Petiliter. V. *Pestiliter.*]
Petitiuncula, brevis et parva petitio. *Gloss.*
Petitius, qui frequenter petit.
Petrafindula, saxifragia.
Petraria, machina bellica.
Petrelaeum, *πετρέλαιον*, liquamen pingue e petris stillans.
Petrificatio, conversio in petram.
Petrolaeum, petrelaeum.
Petropium, petroselinum.
Petrophyes, *πετροφυὲς*, herba in petris nascens, sempervivum minus.
Pexo, pecto.
Pezion, *πέζιον*, pellis.
Phacula, uber, sumen, petaso.
Phaecasiarius, qui phaecasia conficit.
Phaeus, *φαιὸς*, fuscus, subniger.
Phagoloedorus, *φαγολοίδορος*, convicia devorans.
Phalacrae, loca nullis herbis aut plantis vestita, *φαλάκραι*.
Phalacrus, *φαλακρὸς*, calvus.
Phalangarcha, *φαλαγγάρχης*, qui phalangi praeest.
Phalero, as, fucum facere, ornare. *Ambros.*
Phallophorus, *φαλλοφόρος*, qui phallum fert.
Phallus, *φαλλὸς*, penis.
Phalus, *φάλος*, conus galeae.
Phaneta, *φάνητα*, [† *φανὴς*,] sol.
Phantasmaticus, *φαντασματικὸς*, ad phantasma pertinens. *Sarisberiens.*
Phantasticus, *φανταστικὸς*, imaginativus.
Pharmaceutice, *φαρμακευτικὴ*, medendi ars pharmacis curans.
Pharmacodes, *φαρμακῶδες*, qui est odore pharmaci.
Pharmacopaeus, *φαρμακοποιὸς*, qui pharmaca facit.
Pharmacopolium, *φαρμακοπωλεῖον*, locus, ubi pharmaca venduntur.
Pharmacotheum, *φαρμακόθειον*, pharmacum divinum.
Phaschnium, *φάσχιον*, pallium pontificale.
Phase, transitus.
Phasis, *φάσις*, apparitio.
Phelonion, *φελόνιον*, penula, tunica, infula.
Pherne, *φερνὴ*, dos.
Philantropus, *φιλάνθρωπος*, humanus, amicus.
Philargyria, *φιλαργυρία*, amor et aviditas pecuniae.
Philautia, *φιλαυτία*, sui ipsius amor.
Philautus, *φίλαυτος*, sui amans.
Philocalus, *φιλόκαλος*, pulcritudinis vel honestatis studiosus.
Philocompus, *φιλόκομπος*, amator jactantiae.
Philodespotus, *φιλοδέσποτος*, amator domini.
Philodicus, *φιλόδικος*, amans litium.
Philogynia, *φιλογυνία*, amor mulierum.
Philoistor, *φιλοΐστωρ*, cupidus doctrinae.
Philoloedorus, *φιλολοίδορος*, amans convicii.
Philomathes, *φιλομαθὴς*, discendi cupidus.
Philomyri, *φιλόμυροι*, unguentorum studiosi.
Philoponus, *φιλόπονος*, amans laboris.
Philosophaster, pravus philosophus.
Philosophema, *φιλοσόφημα*, quaestio philosophica.
Philostorgia, *φιλοστοργία*, amor vehemens erga liberos.
Philotheorus, *φιλοθέωρος*, amans contemplandi.
Philothesius, *φιλοθέσιος*, crater, quo in conviviis conciliantur amicitiae.
Philotimia, *φιλοτιμία*, amor honoris.
Philotimus, *φιλότιμος*, amans honoris.
Philoxenus, *φιλόξενος*, hospitalis.
Phimosis, *φίμωσις*, morbus glandis pudendae.
Phittacides, calceamentum muliebre. *Pollux.*
Phlegma, *φλέγμα*, pituita, humor aquosus.
Phlegmagoga, *φλεγμαγωγὰ*, medicamenta plegma deducentia.
Phlegmasia, *φλεγμασία*, inflammatio cum febre.
Phlegmaticus, *φλεγματικὸς*, phlegmate abundans.
Phlogosis, *φλόγωσις*, ardor, inflammatio.
Phlyctaena, *φλυκταίνη*, pustula in cute ex acri humore.
Phoba, *φόβη*, juba leonis.
Phocaena, *φώκαινα*, parvus delphinus.
Phoebadius, Phoebaeus.
Phoenicis, idis, *φοινικὶς*, vestis phoenicei coloris.
Phoenicopterygium, *φοινικοπτερύγιον*, parvus phoenicopterus.
Phoenix, *φοῖνιξ*, palma arbor.
Phollis, *φόλλις*, obolus.
Phraseologia, *φρασεολογία*, doctrina de modis loquendi.
Phratria, *φρατρία*, contubernium.
Phronesis, *φρονησις*, prudentia.
Phrontisterium, *φροντιστήριον*, schola.
Phrutarchus, *φρούταρχος*, qui praeest corporis custodibus.
Phryginda, *φρυγίνδα*, ludus puerilis, in quo frixis fabis utebantur.
Phthoe, *φθόη*, phthisis.
Phthongarium, *φθογγάριον*, genus tibiarum, quo phonasci modos vocis regebant.
Phthora, *φθορὰ*, corruptio.
Phuca, potionis genus.
Phylarchus, *φύλαρχος*, nomen dignitatis in militia equestri.
Physiognomia, *φυσιογνωμία*, naturae inquirendae ratio ex habitu corporis, lineamentis vultus, etc.
Physiologus, *φυσιολόγος*, qui de rerum natura disserit.
Physis, *φύσις*, natura.
Phytologia, *φυτολογία*, disciplina vegetabilium.
Pica, morbus mulierum gravidarum, cum varia appetunt in cibis, varia fastidiunt, *κίσσα*, et *κίττα*.
Picatio, dropax.
Picifer, convicium in hominem infimum, et despicatissimum, qui picos et vannos capite bajularet.
Picra hiera, *πικρὰ ἱερὰ*, medicamentum ex aloe.
Picrocholus, *πικρόχολος*, bile amara abundans.
Piericus, Pierius.
Pigranimis, piger.
Pigredo, et
Pigritas, pigritia.
Pigritor, aris, pigreo.
Pigritudo, pigrities.
Pilarius, rotundus instar pilae.
Pilas, murilegulus, catus.
Pilasca, vas ex corio. *Gloss. Isid.*
Pilaticum, monile de collo Imperatoris.
Pilaticum, sceptrum Imperatoris instar pili.
Pilearius, et
Pileo, onis, qui pileos facit.
Pillones, vespillones.
[† Pilones, portitores mortuorum. V. voc. praec.]
Pilotensis, lupus cervinus.
Pilumen, quidquid in pila tunditur. *Gloss. Isid.*
Pinacopola, *πινακοπώλης*, qui tabulas vendit.
Pindae, pinnae. *Gloss. Isid.*
Pinguamen, pinguitudo. *Gloss.*
Pingueo, pinguesco.
Pinta, mensura vinaria.
Pipereus, et
Piperinus, a, um, ad piper pertinens.
Piphallis, *πιφαλλὶς*, alauda.
Pipiunculus, vel Pipunculus, accipiter.
Piraterium, *πειρατήριον*, piratarum receptaculum.
Pirolus, animal majus mustela, sed ejusdem speciei.
Pirula, extrema pars nasi. *Isid. Gloss.*
Piscatilis, piscosus.
Piscifluus, piscibus abundans. *Theodulf.*
Piscivorus, pisces vorans.
Pison, quiddam veneni, quod clam inest nardo.
Pissa, *πίσσα*, pix.
Pissigo, pix liquida.
Pisticus, *πιστικὸς*, ad fidem faciendam aptus. Item purus, sincerus, non adulteratus.
Pistis, *πίστις*, fides, persuasio. Item genus aromatis.
Pithecus, *πίθηκος*, simia.
Pitho, *Πειθὼ*, Suada, dea eloquentiae. Item Diana, et una ex Gratiis, vel Atlantidibus.
Pithoegia, *πιθοίγια*, festa Athenis, in quibus dolia relinebantur.
Pithogastrus, *πιθόγαστρος*, cui doliaris est venter.
Pitigmata, causiae. *Gloss. Isid.*
Pitillus, parvulus.
Pitisma, ludi genus, quo mirabili arte quis volvitur. Item levis et crebra vini degustatio.
Pittaciolum, vel Pistaciolum, exigua tabula, schedula.
Pitylus, *πίτυλος*, sonus, qui editur, cum mare remis verberatur.
Pityrias, *πιτυρίας*, panis furfuraceus.
Pityriasis, *πιτυρίασις*, furfures capitis.
Pityrides, *πιτυρίδες*, furfuraceae olivae.
Pityron, *πίτυρον*, furfur.
Placa, crusta, massa auri in lamiam redacta.
Placator, qui / Placatrix, quae } placat.
Placentarius, qui placentas facit.
Placivus, placens. *Gloss.*
Placor, oris, placendi studium. Item tranquillitas.
Plagio, as, plagium committo.
Plagula, levis plaga.
Planesco, planus fio. *Paulin. Nolan.*
Plangonium, unguentum quoddam.
Plantanimal, et Plantanimans, animal imperfectum, quod partim animans, partim planta est, ut spongia.
Planimetria, ratio mensurandi plana.
Planisphaerium, instrumentum mathemathicum circulos et lineas in plano exhibens.
Plantula, parva planta.
Planula, runcina lignis levigandis et complanandis. Item lamina ferrea, qua fores parietibus ope cardinum conjunguntur.
Planuria, planities. *Vitalis de limitib.*
[† Platanaria. V. Lex. in *Sparganion.*]
Platanetum, locus platanis consitus.
Platanistinos, pomi genus aqueum.
Plathanum, instrumentum, in quo panes informabantur, *πλάθανος*.
Platyceros, *πλατύκερος*, qui latis est cornibus.
Platycoria, *πλατυκορία*, pupillae dilatatio.
Plaustrix, quae plaudit. *Non.* 2, 631.
Plaustro, is, in modum plaustri perstrepo.
Plebanus, plebeius. Item curio plebis.
Plecta, *πλεκτὴ*, nexus e virgultis. Item calix duarum ansarum.
Plectronias, centaurium majus.
Plectropoeus, *πληκτροποιὸς*, qui plectra facit.
Plegma, *πλῆγμα*, cincinnus, crines intorti.
Plemmyra, *πλημμύρα*, aestus marinus.
Plenarie, plene, omnino.
Plenarius, plenus.
Pleo, impleo.
Pleonexia, *πλεονεξία*, aviditas plus habendi, avaritia.
Plethora, *πληθώρα*, humorum vel sanguinis redundantia.
Plethoricus, *πληθωρικὸς*, qui sanguine redundat.
Plethrum, *πλέθρον*, sexta pars stadii. Quidam pro jugero accipiunt.
Pleura, *πλευρὰ*, latus.
Pleximon, catena, torques.
Plexus, punitus.
Plica, plicatura, ruga, sinus.
Plichas, *πλιχὰς*, pars corporis inter inguina et femur.
Plirisarcoticum, *πληρισαρκωτικὸν*, principalis medicina, electuarium.
Plistobolinda, *πλειστοβολίνδα*, ludus per tesseras et astragalos.
Ploce, *πλοκὴ*, frequens repetitio vocis.
Plocion, *πλόκιον*, ornamentum colli. Item stuppa.
Ploiaria, calceorum muliebrium species.
Plotei, proprii. *Gloss. Isid.*
Ploum, currus birotus.
Plumacium, cervical, vel culcita. *Ambros.*
Plumella, culcita, pulvinum fartum.
Plustrum, maris tranquillitas, flustrum. *Adelhelm.*
Pluviale, et Pluvium, vestis contra pluviam.
Plynteria, *πλυντήρια*, festa Atheniensium Cereri sacra.
Pneuma, *πνεῦμα*, spiritus, flatus.
Pneumon, *πνεύμων*, pulmo.
Pneumonia, *πνευμωνία*, pulmonis inflammatio.
Pneumonicus, *πνευμωνικὸς*, pulmonis morbo laborans.
Poastria, *ποάστρια*, mulier, quae mercede conducta opus ruri facit.
Pocoenium, comissatio post coenam.
Podargus, *πόδαργος*, canis, sic dictus a pedum celeritate.
Podia, funis in navi, quo velum tenditur, *ποδίαι*.

Podiarius, qui est inter mimos. *Isid. Gloss.*
Podinum, pedule, calceus. *Gloss. Isid.*
Podiolum, parvum podium.
Podismo, as, ποδίζω, pedibus dimetior.
Podonichum, vestis sacrorum.
Podoniptrum, ποδόνιπτρον, vas lavandis pedibus.
Podostrophia, ποδοστροφία, repedatio.
Poemenium, ποιμένιον, vestis pastoralis. *Gloss. Isid.*
Poenitentialis, ad poenitentiam pertinens.
Pola, pila ex aluta, molli tomento farta.
Polaris, ad polos coeli pertinens.
Polemarchia, πολεμαρχία, munus Polemarchi.
Polemarchus, πολέμαρχος, belli dux, tribunus militum.
Polemicus, πολεμικὸς, contentiosus, litterarium certamen continens.
Poliorceticus, πολιορκητικὸς, ad urbium obsidionem pertinens.
Polis, πόλις, urbs, oppidum.
Politice, πολιτικῶς, cum peritia civitatis regendae.
Polities, mundities.
Politule, polite.
Poliuchi, πολιοῦχοι, dii tutelares.
Pollinaceus, et
Pollinaris, pollinarius.
Pollincio, farinam in pistrino lucrifactam dividere. *Perott.*
Pollinctoria, pulvinaria mortuorum. *Isid. Gloss.*
Pollinctum, locus ubi cadavera curantur. *Gloss. Isid.*
Pollinctus, unctio cadaveris, pollinctura.
Polliones, vespillones. [†Cf. *Pilones.*]
Pollucibilitas, sumptuositas.
Polluctor, qui pollucet.
[†Pollyxenus, astutus, versipellis.
†Polosus, superbus, altus, ornatus. *Isid. Gloss.*]
Polula, pola.
Polumen, locus sacrorum.
Poly, πολὺ, multum, valde.
Polyandria, πολυανδρία, multitudo civium.
Polyanodonos, πολιανόδονος, cicuta.
Polybutes, πολυβούτης, multorum boum dominus.
Polycandelum, πολυκάνδηλον, candelabrum cum multis candelis.
Polychrestus, πολύχρηστος, valde utilis: et cujus est frequens usus.
Polygamia, πολυγαμία, nuptiarum multiplicatio.
Polygamus, πολύγαμος, qui multas uxores duxit.
Polygrammatus, πολυγράμματος, multis litteris constans.
Polygrammus, πολύγραμμος, multas lineas habens.
Polygraphus, πολυγράφος, qui multa scribit.
Polyloquium, multiloquium.
Polyloquus, multum loquens.
Polymathia, πολυμαθία, multiplex eruditio.
Polymelus, πολύμηλος, ovibus abundans.
Polymitarius, polymitae vestis textor. Quidam tribuunt *Hieronymo.*
Polymorphus, πολύμορφος, multiformis.
Polyphagus, πολυφάγος, multivorax.
Polypharmacus, πολυφάρμακος, pharmacis abundans.
Polypleurus, πολύπλευρος, multa habens latera.
Polypragmon, πολυπράγμων, multis se negotiis implicans, curiosus.
Polypticha, πολύπτιχα, publicae rationes.
Polyptoton, πολύπτωτον, nomen multorum casuum.
Polyptychum, πολύπτυχον, multis plicaturis constans.
Polyschematistus, πολυσχηματίστος, multis figuris constans.
Polysemus, πολύσημος, multa significans. *Serv. ad Aen.* I, 5. et 86.
Pomaria, dea pomorum.
Pomarium, mollis et liquidus cibus ex pomis.
Pomifero, poma fero. *Gloss.*
Pompator, qui superbe agit.
Pompula, parva pompa.
Pompulentus, pompa plenus.
Pomulum, parvum pomum.
Ponderator, qui ponderat. *Gloss.*
Ponderatura, ponderatio. *Gloss.*
Ponderosus, hernia laborans.
Pontaticum, vectigal pro transitu pontis.
Pontonium, genus navigii fluviatilis tardum et grave, quod non nisi remigio progredi potest. *Isid.* 19, 1.
Popinatio, heluatio.
Populago, tussilago, frutex.
Popularis, miles, quia populatur. *Gloss.*
Popus, parvus equus. *Gloss.*
Porcinarium, locus ubi porci aluntur.
Poriaticum, πορειατικὸν, vectigal pro mercium trajectione.
Porisma, πόρισμα, consectarium, corollarium, additamentum ex demonstratis resultans.
Pornae, πόρναι, ludi, in quibus meretrices in scenam producuntur. Item ipsae meretrices.
Porocele, ποροκήλη, herniae species, cum in scrotum descendens materia induruit.
Porosus, poris abundans, spongiosus.
Porphyra, πορφύρα, purpura.
Porphyris, πορφυρὶς, vestis purpurea.
Porphyrogeneta, et Porphyrogenetus, πορφυρογενέτης, in purpura, h. e. patre Imperatore natus.
Porphyrus, πόρφυρος, serpens capite candido, cetera purpureus.
Portarium, vectigal portae.
Portarius, janitor.
Portatilis, qui portari potest.
Portator, qui portat.
Portella, portula.
Portemia, navicula lata, et sine carina.
Portentiloquium, sermo portentosus.
Porthmos, πορθμὸς, fretum.
Porticulum, baculus lixarum. *Isid. Gloss.*
Portitorium, locus ubi sedent portitores. Item publicani officium.
Portiuncula, parva portio. *Orosius.*
Portugallia, Lusitania.
Portonarius, qui portorium exigit.
Porus, πόρος, callis. Item meatus cutis.
Posculum, posca. *Onomast. vet.*
Posideon, ποσειδεών, mensis Decembris.
Possinaclum, genus disci, in quo projiciendo se exercebant.
Postae (quasi *positae*) stationes equorum cursualium.
Potax, bibax. *Gloss.*
Potentialis, potens.
Poteriotheca, ποτηριοθήκη, poculorum armarium.
Pothen, πόθεν, unde.
Practicus, πρακτικὸς, ad actionem pertinens, in actione positus.
Praeaccidens, ante accidens. *Theod. Priscian.*
Praeaccipio, ante accipio.
Praebenda, orum, res necessariae, quae magistratibus in provincias euntibus publice praebebantur. Item jus Sacerdotum percipiendi fructus in Ecclesiis in suam sustentationem.
Praecantator, qui incantamentis mala amoliri studet.
Praecautus, valde cautus. *Petr. Chrysol.*
Praecisor, qui praecidit, ut Dentes praecisores. *Isid.*
Praeclamito, saepe praeclamo.
Praeclaritas, illustris fama.
Praecognoscentia, praenotio. *Mar. Victorin.*
Praecognosco, ante cognosco.
Praecompono, ante compono.
Praeconiatio, publicatio, aut locus praeconii.
Praeconio, as, et
Praeconior, aris, praeconium facio.
[†Praeconius, qui est praeconis, ut praeconia vox.]
Praedicamentum, elementum.
Praedicatorius, laudativus. *Salvian.*
Praedicatum, appositum, adjectivum, proprietas.
Praeductal, et Praeductale, stilus, quo praeducuntur lineae in membrana ad scriptionem dirigendam.
Praeemptor, qui ante emit. *Gloss.*
Praefascinius, omnino fascinator.
Praefestine, valde festine.
Praefidentia, confidentia.
Praefluvium, et
Praefluxus, fluor alicujus rei ante actae.
Praefomento, ante fomento. *Theod. Priscian.*
Praegeneratus, ante generatus. *Prosp. Aquitanic.*
Praegnax, et
Praegnus, praegnans. *Fulgent.*
Praejudex, qui ante judicat.
Praejuro, ante juro.
Praelassatus, valde lassatus. *Frontin. de Strateg.*
Praelatura, dignitas, seu honor sacer.
Praeliminariter, sub initium, in antecessum.
Praelubium, pelagus. *Gloss. Isid.*
Praeluo, prius abluo.
Praemadeo, et
Praemadesco, ante madeo. *Orient.*
Praemetior, ante metior.
Praemetium, et
Praemetivum, quod libationis gratia ante messem praemetiri mos erat.
Praemeto, ante meto.
Praemundo, ante mundo. *Octav. Horatian.*
Praenascor, ante nascor. *Commodian.*
Praenoscentia, praenotio. *Sarisber.*
Praeoccupatio, occupatio.
Praeordino, ante ordino.
Praepalpo, ante, aut valde palpo. *Paulin. Nolan.*
Praeponderatio, momentum. *Gloss.*
Praeprimis, prae ceteris.
Praepropere, valde propere.
Praepropero, valde propero. *Gloss.*
Praesentanee, in praesentia, statim, brevi tempore. *Octav. Horatian.*
Praesentatio, propositio.
Praesentialiter, in praesentia. *Sarisber.*
Praesepiolum, cavitas ossis, in qua dens firmatur.
Praesero, prae aliis sero, aut emitto.
Praeservo, ante vel in futurum servo.
Praesideratio, cum ante tempus tempestates hibernae moventur.
Praesidior, praesidio sum.
Praestimonium, Beneficium Ecclesiasticum pro studiosis alendis.
Praestolus, et Praestulus, praesens.
Praestus, qui praesto est.
Praesulatus, dignitas praesulis.
Praesuppono, ante suppono.
Praetensio, actus praetendendi, postulatio, petitio.
Praeternaturalis, qui est praeter naturam.
Praetoriolum, parvum praetorium.
Praevaporatus, ante vaporatus. *Octav. Horatian.*
Praevidentia, facultas praevidendi.
Pragma, πρᾶγμα, negotium, res.
Prandicularii dies, post jejunium, cum largius prandetur. *Gloss.*
Prandiolum, prandiculum.
Pransorium, locus, ubi prandetur.
Prasia, πρασιὰ, locus, ubi porrum nascitur. Item area horti. Item ordo discumbentium in convivio.
Prasinianus, prasinae factionis fautor.
Prasocuris, πρασοκουρὶς, bestiola porro infesta.
Prasocurum, πρασόκουρον, falx, qua porrum tondent.
Prason, πράσον, porrum.
Prassa, charta. *Gloss.*
Praxapostolus, liber Actuum Apostolorum.
Praxidice, Πραξιδίκη, dea, cujus non statuam integram, sed tantum caput in templis dedicabant.
Praxis, πρᾶξις, actio, negotium.
Precabilis, quem precari possumus. *Gloss.*
Precatiuncula, brevis precatio. *Gloss.*
Prenicula, vel Premicula, catena linea. *Gloss.*
Presbyterium, πρεσβυτήριον, officium et dignitas presbyterorum.
Pretiare, pretium indicare, aestimare.
Primitiva, ae, jus primogeniti.
Primivirgius, caballarius primus militum virgatorum, et lictorum. Item qui primam virgam fert ante regem. *Cassiod.*
Primula veris, viola.
Prinus, πρῖνος, ilex.
Private, privatim.
Privatitius, privativus.
Privative, privativo modo.
Privatus, us, proprietas, proprium.
Privilegiatus, privilegiarius.
Privilegio, as, privilegio dono.
Proaeresis, προαιρεσις, praeelectio.
Proaereticus, προαιρετικὸς, facultatem habens ante alios eligendi.
Proagon, προαγὼν, praeludium certaminis.
Proagonisticum, προαγωνιστικὸν, praelusorium.
Proagoreusis, προαγόρευσις, praenuntiatio reis caedis facta, qua interdicebantur sacris, donec sententia lata esset
Proasma, πρόᾳσμα, cantilenae prooemium.
Proastra, orum, suburbanae villae.
Proaulia, προαύλια, dies, qui anteit nuptias. Epaulia, ἐπαύλια, qui sequitur.
Probaticus, προβατικὸς, ovinus. [†Probatica piscina, ubi oves lavabantur, cum sacerdotes eas immolare vellent.]
Probatomandra, προβατομάνδρα, ovile.
Probaton, πρόβατον, ovis.
Probatoriae litterae, quae probabant justam abeundi licentiam.
Problematicus, προβληματικὸς, de quo in utramque partem disputari potest.
Probro, as, probro afficio.
Probrositas, probrum.
Probulus, πρόβουλος, qui pro alio consultat.
Procatalepsis, προκατάληψις, occupatio, prolepsis.
Prochemasis, et Prochimasis, προχείμασις, signum tempestatis futurae.
Prochirus, πρόχειρος, scriba expeditus.
Procinctualis, ad procinctum pertinens. *Cassiod.*
Procingo, paro, apparo.
Procio, is, voco, provoco. Item rumpo, irritum facio.
Procomion, προκόμιον, capilli anteriores.
Procotta, πρόκοττα, tonsura, qua quis anteriore parte comatus est.
Procrastinus, matutinus.
Procymaea, προκυμαία, moles opposita fluctibus. Item vehementia, qua quis prodit et explicat vires suas.
Prodentia, malitia, iniquitas, saevitia.
Prodigalis, prodigus.
Prodigaliter, prodigendo.
Prodiorthosis, προδιόρθωσις, moderatio, correctio.
Productilis, qui produci potest. *Gloss.*
Productor, qui producit. *Gloss.*
Produx, productor.
Proecthesis, προέκθεσις, propositio orationis.
Proedri, πρόεδροι, praesides, viri primi subsellii.
Proeleusimaeus, προελευσιμαῖος, officialis judici proficiscenti adsidens.
Proeleusis, προέλευσις, progressio, processus.
Proemineo, praemineo.
Proepiplexis, προεπίπληξις, occupatio, cum quis semetipsum verbo arguens, alienam correptionem praevertit et declinat.
Profector, qui proficit. Item qui proficiscitur.
Proficue, utiliter.
Proficuitas, utilitas.
Proficuus, utilis.
Profligatio, destructio.
Profluentum, aqua profluens. *In supplem. Lycosthenis in Jul. Obsequ. c.* 6.
Progastor, προγάστωρ, qui ventre est prominenti. *Gloss.*
Progeniculo, as, in genua procumbo. *Gloss.*

Proglossus, *πρόγλωσσος*, qui est volubilis linguae. *Gloss.*
Prognosia, *προγνωσία*, prognosticum. *Isid.* 12, 7.
Prognosis, *πρόγνωσις*, praesagitio.
Prognostes, *προγνώστης*, qui praesagit.
Prognosticus, *προγνωστικός*, praenoscendi vi praeditus. *Gloss.*
Progymnasma, *προγύμνασμα*, praecedens exercitatio, justi certaminis praevia meditatio.
[†Prohedri. V. *Proedri.*]
Projectibilis, projectus, abjectus.
Prolativus, qui profertur.
Prolector, qui prolectat.
Prolegomenon, *προλεγόμενον*, praefatio.
Prolepticus, *προληπτικός*, ad anticipationem pertinens.
Proliquare, eliquare.
Prolobus, *πρόλοβος*, sinus prominens in gutture avium.
Promachus, *πρόμαχος*, qui ante aciem pugnat.
Promano, as, permano, emano.
Promnestria, *προμνήστρια*, nuptiarum conciliatrix.
Promotor, qui promovet.
Promptitudo, alacritas.
Promulgator, vulgator.
Promulgatrix, quae prodit.
Promurale, antemurale.
Promutuor, ante mutuor. *Gloss.*
Promylea, *προμυλέα*, dea, quae ante molas statuebatur.
Pronefas, plus quam nefas.
Pronexium, funis, quo navis alligatur ad palum.
Pronostra, antea nostra. *Gloss. Isid.*
Propaedeumata, *προπαιδεύματα*, documenta, quae scire nos oportet, antequam ad majora accedamus.
Propaedia, *προπαιδεία*, praevia institutio.
Propagino, as, propago. *Gloss. Isid.*
Propecto, in longum pecto.
Prophasis, *πρόφασις*, excusatio, praetextus.
Prophetia, *προφητεία*, praedictio, vaticinium.
Prophetis, idis, *προφῆτις*, quae praedicit, vates.
Prophetizo, *προφητίζω*, vaticinor.
Propitiatorium, locus, in quo Deus placari solet. Item tabula supar Arcam testamenti.
[†Propitiatorius, propitiandi vim habens.]
Propitiatus, us, placatio, exoratio, propitiatio.
Propitior, aris, placare, exorare.
Proportionaliter, pro portione.
Propos, valde potens. *Gloss. Isid.*
Proposco, posco. *Gloss. Isid.*
Propotisma, *προπότισμα*, quod ante bibendum datur.
Prorex, vicarius regis.
Prorogator, qui erogat. *Cassiodor.* Item qui profert diem.
Prosapodosis, *προσαπόδοσις*, figura, cum duabus aut pluribus propositis sententiis, sua unicuique ratio subjicitur.
Prosaria ars, quae tunicas pexas curat.
Proseuchticus, *προσευχτικός*, precatorius.
Prosodiacus, *προσῳδιακός*, ad prosodiam pertinens.
Prosodium, *προσῴδιον*, carmen, quod diis canitur.
Prosonomasia, *προσονομασία*, annominatio, paronomasia.
Prosopis, et
Prosopium, *προσωπίς*, larva muliebris.
Prosphaerarium, fiscella, sportula.
Prospheromenon, *προσφερόμενον*, auxilians, juvans, conferens.
Prostasia, *προστασία*, praefectura.
Prostatae, *προστάται*, binae glandulae ad penis radicem.
Prostates, *προστάτες*, praeses, patronus.
Prostaticus, *προστατικός*, ad prostatem pertinens.
Prosupero, as, superabundo.
Prosyllogismus, *προσυλλογισμός*, id quo aliqua propositionum syllogismi demonstratur.
Protestatio, animi nostri declaratio.
Prothyma, *πρόθυμα*, *ατος*, sacrificii praeludium.
Protimesis, *προτίμησις*, praelatio, vel praerogativa.
Protoapostolarius, primus inter eos, qui populo Apostolorum scripta exponunt.
Protoasecretis, primus e secretis.
Protocancellarius, primus cancellarius.
Protocarabus, *πρωτοκάραβος*, primus gubernator.
Protocentarchus, primus centurio.
Protocollum, liber in quo acta primum a notariis perscribuntur. Item brevis adnotatio declarans, quo Comite largitionum, quo tempore, et a quo praeparatae sint chartae, in quibus tabelliones sua acta perscribunt. *Gothofred in Justiniani Novell.* 44. Convenit hoc sensu cum voce sequenti.
Protocolum, *πρωτόκωλον*, prima scheda, in qua character est chartae.
Protocursor, primus cursor.
Protogenes, *πρωτογενής*, primus generis.
Protognomon, *πρωτογνώμων*, qui primus dicit sententiam.
Protogonus, *πρωτόγονος*, primogenitus.
Protologia, *πρωτολογία*, primus sermo.
Protomartyr, *πρωτόμαρτυρ*, primus martyr.
Protome, *προτομή*, effigies hominis umbilico tenus.
Protomysta, *πρωτομύστης*, primus inter sacerdotes.
Protonotarius, primus notariorum.
Protopapa, dignitas Ecclesiastica secundas tenens post Patriarcham.
Protopathia, *πρωτοπάθεια*, affectus, quo aliquid primum afficitur, non per consensum alterius.
Protoplastes, *πρωτοπλαστης*, qui primo fingit et formal. *Pap.*
Protopsaltes, *πρωτοψάλτης*, primus cantorum.
Protos, *πρῶτος*, primus.
Protoscrinarius, primiscrinius.
Protosebastes, *πρωτοσεβαστής*, primus augustus, venerabilis.
Protospatharius, primus satellitum.
Protostates, *πρωτοστάτης*, antesignanus.
Protostrator, *πρωτοστράτωρ*, primus militiae. Item qui Principem in equum tollit.
Protosyncellus, primus inter syncellos, qui erant vicarii Patriarcharum.
Prototocos, *πρωτοτόκος*, primipara.
Prototypus, *πρωτότυπος*, qui ad alterius exemplar factus non est, archetipus, primitivus.
Protovestiarius, praefectus vestiarii.
Protracte, producte, diu. *Sarisber.* 2, 26.
Provectibilis, qui provehi potest. *Fulgent. in contin. Virgil.*
Proxenestria, conciliatrix, *προξενήστρια*.
Prunetum, locus prunis consitus.
Prurisco, prurire incipio.
Prymnesium, *πρυμνήσιον*, palus, ad quem navis alligatur. Item funis, quo ligatur.
Psalis, *ψαλίς*, forceps.
Psallito, saepe psallo.
Psallium, frenum: item armilla, circulus.
Psalmicanus, qui Psalmos canit.
Psalmodia, *ψαλμῳδία*, cantus ad organa musica.
Psalmodus, *ψαλμῳδός*, qui fidibus simul, et voce canit.
Psellion, *ψέλλιον*, armilla.
Selliophorus, *ψελλιοφόρος*, armillis ornatus.
Psen, *ψήν*, vermiculus in caprificis.
Psephos, *ψῆφος*, calculus, gemma, suffragium.
Pseudoacorum, *ψευδοάκορον*, genus herbae.
Pseudoadamas, *ψευδοαδαμας*, falsus adamas.
Pseudoapios, *ψευδοάπιος*, genus herbae.
Pseudocorallium, *ψευδοκοράλλιον*, falsum corallium.
Pseudocostus, *ψευδόκοστος*, falsum costum.
Pseudocrama, genus herbae, *ψευδόκραμα*.
Pseudoelleborus, *ψευδοελλέβορος*, falsus elleborus, herba.
Pseudoepiscopus, *ψευδοεπίσκοπος*, falsus Episcopus. *Cyprian.*
Pseudographe, *ψευδογράφως*, false in scribendo.
Pseudographema, *ψευδογράφημα*, syllogismus sophisticus.
Pseudographia, *ψευδογραφία*, falsa, vel ficta scriptura, aut supputatio.
Pseudographus, *ψευδόγραφος*, falso inscriptus. *Sarisber.*
Pseudogratia, falsa gratia.
Pseudohermodactylus, *ψευδοερμοδάκτυλος*, dens caninus, herba.
Pseudolinum, *ψευδόλινον*, herba linaria.
Pseudologus, *ψευδολόγος*, qui falsa loquitur.
Pseudolotus, *ψευδόλωτος*, genus arboris.
Pseudomartyr, *ψευδομάρτυρ*, falsus testis, aut martyr.
Pseudomelanthium, *ψευδομελάνθιον*, herba inter segetes nascens melanthio similis.
Pseudonymos, *ψευδώνυμος*, falsum nomen gerens, nomen aliquod mentiens.
Pseudopalus, *ψευδώπαλος*, opali species.
Pseudopanax, *ψευδόπαναξ*, flos solis, Chironium.
Pseudophilosophia, *ψευδοφιλοσοφία*, falsa philosophia.
Pseudoprinceps, falsus princeps.
Pseudorchis, *ψεύδορχις*, bifolium herba.
Pseudos, *ψευδής*, falsus, fictus.
Pseudostachys, *ψευδόσταχυς*, genus herbae.
Pseudostruthion, *ψευδοστρούθιον*, herba theriacaria.
Pseudosycomorus, *ψευδοσυκόμωρος*, genus arboris.
Psiadion, *ψιάδιον*, alchymilla, herba.
Psole, *ψωλή*, penis.
Psoriasis, *ψωρίασις*, scabies, tinea, sordes.
Psorophthalmia, *ψωροφθαλμία*, scabies oculorum.
Psychrolusia, *ψυχρολουσία*, frigidum lavacrum.
Pterna, *πτέρνα*, pars inferior navalis mali.
Ptochodochium, *πτωχοδοχεῖον*, ptochotrophium.
Ptysis, *πτύσις*, excreatio.
Puberale, pubes. *Gloss.*
Puberesco, pubesco.
Pudefacio, pudere facio.
Pudibunde, verecunde.
Pudimentum, res pudenda. *Gloss.*
Pudoratus, verecundus. *Sarisber.*
Pudorosus, modestus, pudens.
Puerarius, puerorum amator. *Gloss.*
Pueraster, puer pubertati proximus. *Gloss.*
Pueriger, puerum gerens, ut Puerigerum semen. *Fulgent.*
Puerosus, puerarius. *Gloss.*
Pugnabundus, pugnax, contentiosus.
Pugnantia, ae, contrarietas.
Pugnicula, parva pugna.
Pulcricomus, pulcras habens comas.
Pulicaris, et
Pulicaria herba, psyllium.
Pulicinus, ad pulicem pertinens.
Pulico, as, pulices gigno. *Gloss.*
Pullaster, pullus grandior. *Onomast.*
Pulligera ova, pullos ferentia. *Fulgent.*
Pulmonicus, ad pulmones pertinens.
Pulpido, panis instar pulpae carnis. *Gloss. Isid.*
Pulsatiles venae, quae pulsum habent.
Pulvicinare, leviter et saepe pluere. *Gloss. Isid.*
Pumicator, qui pumice levigat. *Gloss.*
Puncto, as, puncta facio. Item saepe pungo.
Punctor, qui pungit.
Punctorium, instrumentum ad pungendum.
Punctorius, ad pungendum pertinens.
Pupillarius, pupillaris.
Pupior, junior.
Purpurilla, locus extra portam, ubi purpurea veste utebantur. *Isid. Gloss.*
Purpurissare, purpurisso tingere.
Pusillanimitas.
Pusillanimiter, pusillo animo.
Pusillanimus, pusillanimis.
Pusiliulus, valde pusillus.
Pusulus, pusillus.
Puta, praeputium. Item muliebre pudendum.
Putana, meretrix.
Putorius, animal ex genere mustelarum.
Putramen, putredo.
Putribilis, corruptibilis. *Paulin. Nolan.*
Putrifluus, putredine fluens.
Putus, puer, adolescentulus.
Pycnoticus, *πυκνωτικός*, densandi vim habens.
Pyelos, *πύελος*, amplum vas ad lavandum.
Pygista, *πυγιστής*, paedico.
Pylorus, *πυλωρός*, os inferius ventriculi.
Pyr, *πῦρ*, ignis.
Pyramidalis, pyramidis forma.
Pyriaster, pyrus agrestis.
Pyriaterium, *πυριατήριον*, aestuarium, caldarium.
Pyroboli, *πυροβόλοι*, sagittae ignitae.
Pyromantia, *πυρομαντεία*, divinatio per ignem.
Pythionices, *πυθιονίκης*, qui Pythio certamine vicit.
Pythomantis, *πυθόμαντις*, vates Pythicus.
Pythonissa, mulier fatidica, a Pythone seu Apolline correpta.
Pyttacium, calceamentum perantiquum.
Pyulcus, *πυουλκός*, instrumentum chirurgicum puri extrahendo aptum.

Q U

Quactum, coactum, coagulatum. *Isid.*
Quadrangularis, quadrangulus.
Quadrangulum, figura quatuor angulorum. *Gloss.*
Quadrator, lapicida, marmorarius.
Quadricornus, quatuor habens cornua.
Quadriformis, quatuor formarum. *Orient.*
Quadrilaterus, quatuor laterum.
Quadrilinguis, quatuor linguarum.
Quadrimembris, quatuor membrorum vel partium. *Onomast.*
Quadrimenstruus, quadrimestris. *Gloss.*
Quadrinoctium, spatium quatuor noctium.
Quadripartito, in quatuor partes.
Quadripertior, partior in quatuor partes.
Quadriplicatus, et
Quadruplicatus, quater multiplicatus.
Quadrussis, quatuor asses.
Quaestionaliter, quaerendo, quaestionem proponendo. *Fulgent.*
Quaestionare, quaestionem habere, per tormenta quaerere.
Quaestionatus, a, um, in quaestione tortus.
Qualitativus, qualitatem habens.
Quartallum, canistrum, vel cophinus, in quo mortui efferuntur.
Quarto, as, quartum quemque lego. *Gloss.*
Quatembria, quatuor anni tempora in Ecclesia.
Quaternio, compositio quatuor rerum, ut militum, chartarum, etc.
Quatrio, numerus quaternarius in ludo tesserarum. *Isid.* 18, 65.
Quentiam pro potentiam (a *queo*) veteres aliquando scripsere. *Sipontin.*
Querelans, querens. *Serc. in Eclog.* 1.
Queritor, et
Querulor, saepe queror.
Querulosus, querulus.
Quietorium, sepulcrum. *Gruter.* 810, 2. et 1131, 11.
Quietudo, quies. *Gloss.*
Quimus, quinque annorum.
Quinqueplex, quintuplex. *Gloss.*
Quisquiliatus, coccineus.
Quotannis, e, et
Quotennis, e, quot annorum.
Quotuplex, et
Quotuplus, quotus, quot generum [†, quot mensurarum, vel librarum.]

R

Rabbi, *ῥαββί*, magister. Vox Hebr.
Rabbinus, magister Hebraeus.

Rabboni, ῥαββουνὶ, magister mi. Vox Hebr.
Racha, ῥαχά, vanus, fatuus, levis. Vox Hebr.
Radicalis, qui est e radice.
Radicare, et Radicari, radices agere.
Radificare, idem.
Ragazium, puer, adolescentulus.
Ramphos, eos, ῥάμφος, rostrum avium.
Ran, ira, vel locus irae. Hinc rancor, rabies. *Cathol.*
Rancidor, aris, rancidus fio. *Fulgent.*
Randelles, circuli, orbiculi.
Randum, arbitrandum: a reor. *Gloss. Isid.*
Rapisma, ῥάπισμα, alapa.
Rapunculus, radix, quae comeditur in acetariis.
Raro, as, rarum facio.
Rasa, vestis genus.
Rasamen, rasura eboris.
Raso, as, rado.
Rasorius, ad radendum aptus.
Ratificatio, firmatio.
Ratifico, ratum habeo, firmo.
Rato, as, ratum facio.
Rator, oris, judex, qui retur, censet.
Raucedo, ravis. *Isidor.*
Rauce, adv. *Serv. ad Aen.* 9, 124.
Rauceo, raucus fio. *Gloss.*
Raucor, aris, raucus sum, aut fio. *Gloss.*
Reactio, actio reciproca.
Reago, vicissim ago.
Realis, qui re ipsa est: cui opponitur verbalis.
Realitas, qualitas rei.
Realiter, re ipsa.
Rebellator, qui rebellat.
Rebilis, opinabilis: a reor.
Reburrus, capite hispidus. *Isid. Gloss.* Item recalvaster.
Recalx, alcis, recalcitrans. *Commodian.*
Recapitulatio, anacephalaeosis. *Cassiod.*
Recauta, apochae species. *Novell.* 130.
Recentaria, quae recens aliquid fert.
Recise, breviter.
Recitabulum, locus ubi recitatur. *Isidor.*
Reclinatorium, pulvinus.
Recommendabilis, commendabilis.
Recommendatio, commendatio.
Recommendo, commendo.
Reconvenio, contrariam actionem intento.
Recriminor, invicem criminor.
Rectangulus, rectos habens angulos.
Rectifico, blando calore denuo destillo.
Rectilineus, rectis lineis constans.
Recuperabilis, qui recuperari potest.
Recussabilis, qui retro quati potest. *Coel. Aurelian.*
Recusso, repercutio.
Redargutio, confutatio. *Boeth.*
Redargutor, confutator.
Redditor, qui reddit.
Redemptionalis charta, quae datur, cum quis semet e servitute sua pecunia redimit.
Redhibitor, qui redhibet.
Redhostimentum, gratiae et beneficii retributio.
Redimiculo, redimiculum solvo. *Gloss.*
Redulus, strues lignorum ardentium.
Refarcio, refercio.
Refectorium, triclinium.
Referentarius, qui refert, et defert. *Cassiod.*
Reflatilis, reflans. *Zeno Veronens.*
Reflexe, oblique.
Reflo, retro vel contra spiro.
Refloreo, refloresco.
Refluamen, quod refluit. *Venant. Fortun.*
Refluxus, refluus motus, regressus.
Reformabilis, qui reformari potest.
Refragium, contrarium suffragio.
Refrigeo, refrigesco.
Refrigerator, qui refrigerat.
Refrigerium, refectio, levamen.
Refrigo, rursus frigo.
Refrutico, rursus frutico.
Refugisco, refugio. *Commodian.*
Refulgesco, refulgeo.
Regendarii, notarii, qui libellos supplices in codicem referunt.
Regeneratio, nova generatio.
Registrum, regestum.
Regularitas, ratio regulae.
Regulaticus, per regulam dirigens.
Regulus, basiliscus. Item parvus rex. Item parva quaedam avis.
Rehisco, iterum hisco. *Gloss.*
Rejectitius, rejiculus. *Scriban.*
Reinvito, rursus, aut vicissim invito.
Rejuvenesco, iterum juvenis fio.
Relata, orum, quae referuntur ad alterum.
Relevium, honorarium, quod novus vassallus patrono introitus causa largitur.
Reluminatio, mutua illuminatio. *Gloss.*
Remeculus, genus navigii, quo Lemnii utebantur.
Rememoratio, recordatio. *Sarisber.*
Remissor, qui remittit. *Ambros.* et *Petr. Chrysol.*
Remoratio, retardatio.
Remorator, qui / Remoratrix, quae } retardat.
Remulculo, as, remulco traho.
Remulus, costarum pars latior apud Anatomicos.
Remunerabilis, qui alio munere aequari potest.
Renale, zona circa renes. *Cathol.*
Renascibilis, qui renasci potest.
Renascibilitas, facultas renascendi.
Renego, iterum nego, denego.
Renitiosus, renosus.
Renones, velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, intortis villis hispida, ad imbres arcendos. *Isidor.*
Renosus, laborans ex renibus.
Renunculi, parvi renes.
Renus, animal quadruples, hirci valde simile. Alii agnum interpretantur.
Repagino, rursus compagino. *Petr. Chrysol.*
Repagularii judices, qui ad fores Curiae jus dicunt. Hinc repagularia acta, etc. *Scriban.* et *Budaeus.*
Reparamen, reparatio. *Sipontin.*
Repariasso, foedus frango, pactis non sto, more Pariorum.
Repelta, lapis excelsus. *Gloss.*
Repensatio, compensatio. *Salvian.*
Repertitius civis, qui non origine, sed jure civis est, quasi repertus et adscitus. *Auct. declam. in Cicer.*
Reprehensibilis, reprehendi dignus. *Salvian.*
Repressalia, alienae rei occupatio, clarigatio. *Novell. constitut.*
Reprobabilis, improbatus, damnatus.
Reprobatitius, reprobandus. *Gloss.*
Repumico, rursus pumice expolio.
Repystira, ludus latrunculorum.
Requesta, libellus supplex.
Resecatio, resectio. *Salvian.*
Reservatio, actus reservandi.
Resignator, qui resignat. *Gloss.*
Resinifer, resinam ferens.
Resopio, iterum sopio. *Fulgent.*
Resortior, iterum sortior.
Resortus, territorium, jurisdictio.
Respective, respectu habito.
Respirium, spiratio. *Gloss.*
Resplendentia, splendor.
Responsalis, procurator.
Responsorius, respondens. *Isid.*
Restiarius, qui restes facit. *Gloss.*
Resticularius, restiarius. *Gloss.*
Retempero, tempero. *Theod. Priscian.*
Retentator, qui rursus tentat. Item qui res alienas retinet. *Cassiod.*
Reticella, parvum rete.
Reticesco, reticeo.
Retifex, qui retia facit.
Retina, pellicula quaedam in oculis.
Retorsio, actus retorquendi.
Revadiare, debitorem se agnoscere.
Revelamen, revelatio. *Zeno Veronens.*
Revirido, rursus viridem facio.
Revolutio, conversio.
Reungo, rursus ungo.
Rha barbarum, centaurium majus, herba similis rha Pontici.
Rhabdomantia, ῥαβδομαντεία, divinatio per baculum.
Rhabduchi, ῥαβδοῦχοι, lictores.
Rhabenus, magister.
Rhadamantheus, ῥαδαμάνθειος, ad Rhadamanthum pertinens.
Rhaebus, ῥαιβὸς, incurvus.
Rhagoides, ῥαγοειδὴς, tunicula oculi circa uveam.
Rhagologus, ῥαγολόγος, acinos colligens. Est epitheton echini.
Rhagopodes, ῥαγόποδες, fissuras in pedibus habentes.
Rhapsodi, ῥαψῳδοὶ, recitatores. Item interpretes versuum Homeri.
Rhapsodia, ῥαψῳδία, contextura, et quasi consarcinatio carminum, praesertim heroicorum.
Rhegmochasmus, ῥηγμοχασμὸς, hians ruptura.
Rhembus, ῥέμβος, erro.
Rhetinites, ῥητινίτης οἶνος, vinum resina conditum.
Rheumatidiare, rheumatismo laborare.
Rhineae, fici nigri.
Rhinenchytes, ῥινεγχύτης, instrumentum, quo aliquid in nares injicitur.
Rhiza, ῥίζα, radix.
Rhizologus, ῥιζολόγος, qui radices colligit.
Rhizophagus, ῥιζοφάγος, qui radicibus vescitur.
Rhizotomicus, ῥιζοτομικὸς, ad radicum excisionem faciens.
Rhizotomus, ῥιζοτόμος, qui radices secat.
[†Rhodon, ῥόδον, rosa.]
Rhodonia, ῥοδονία, rosetum.
Rhoicus, ῥοϊκὸς, fluxione laborans.
Rhoiscus, ῥοΐσκος, corymbus aureus.
Rhomboides, ῥομβοειδὴς, rhombi figuram habens.
Rhopalicus, ῥοπαλικὸς, versus, qui a monosyllaba voce incipiens, gradatim crescit, et ῥόπαλον, h. e. clavam Herculis imitatur, ut Spes Deus aeternae stationis conciliator.
Rhopographia, ῥωπογραφία, virgultorum stirpiumque descriptio.
Rhoptron, ῥόπτρον, unnulus in valvis januarum, quo pultatur.
Rienosus, laborans ex renibus.
Rigefacio, rigere facio, frigore afficio.
Rigorose, severe, stricte.
Ringo, is, ringor, eris.
Ripariola, hirundo in ripis fluminum nidificans. *Marcell. Empir.*
Risibilis, qui ridere, aut rideri potest. *Boeth.*
Risorius, ridiculus. *Fulgent.*
Rito, as, ritum habere facio.
Rivarius, rivalis. *Gloss.*
Rivora, um, parvi rivi. *Auct. rei agrar.* ap. *Boeth.*
Roboretum, locus roboribus consitus.
Robuste, nervose, fortiter.
Rocca, colus.
Rogamen, rogatio. *Gloss.*
Rogarius, qui rogum parat.
Rogatarius, petitor. *Isid. Gloss.*
Rogatura, petitio. *Gloss.*
Romandiola, provincia Aemiliae.
Romanense, pessulum.
Romania, regio Thraciae.
Rorigenae, rore geniti.
Rosarius, rosarum venditor. *Gloss.*
Rosor, qui rodit. *Ambros.*
Rotaticum, quod de vectura super rotas solvitur.
Rotulus, volumen actorum.
Rubecula, avis collo, pectore, ac ventre rubens.
Rubetra, avis minima circa rubos vivens.
Rubicilla, idem.
Rubinus, gemma diaphana, rutilans, et rubens.
Rubrans, rubens, ruber. *Alcim. Avit.* 5, 525.
Ructator, qui ructat.
Ructito, saepe ructo.
Rues, ruina. *Gloss. Cyrilli.*
Rufeo, es, rufus sum.
Rulla, rusticus. *Gloss.*
Rumigero, divulgo. *Gloss.*
Rupa, ex utraque parte acutus. *Gloss. Isid.*
Ruptura, ruptio. Item ager proscissus.
Ruraliter, more ruris, rustice. *Cassiod.*
Ruricolaris, ruricola. *Venant. Fortun.*
Ruspino, manibus tero. *Gloss.*
Rutela, animal quoddam venenatum, stellio.

S

Sabe, mensis Februarius Syrorum lingua.
Saccello, as, saccellos calidos ad fovendum impono.
Saccophorus, σακκοφόρος, sacco vestitus: vel saccum ferens.
Sacire, proprium facere, occupare.
Sacitza, depopulatio.
Sacramentalis, ad Sacramenta pertinens.
Sacramentarius, qui jurat. *Gloss.*
Sacrifex, sacerdos.
Sacrimonium, conditio, seu relatio rei sacrae. *Gloss.*
Sacrista, aedituus.
Sacrivus, votivus.
Saepe saepius, persaepe.
Saepis, e, et Saepus, a, um, copiosus, abundans.
Sagana, vas, in quo aliquid teritur.
Sagaris, σάγαρις, securis Amazonum.
Sagatio, ludus, quo sago multorum manibus distento impositum aliquem in altum jactabant.
Sagenula, parva sagena. Item navis parva instar sagenae expansae. *Pap.*
Sagibaro, sapiens vir. Item senator.
Sagimen, adeps.
Saginator, qui saginat.
Sagittalis, sagittarius.
Sagittator, idem.
Sagmatus, sagmate instratus. *Gloss.*
Sagminarius, legatus, qui sagmina fert.
Sala, atrium domus.
Salacoma, σαλάκωμα, et
Salaconia, σαλακωνεία, jactantia.
Salicetum, salictum.
Salisator, qui ex membrorum palpitatione divinat. *Isid.* et *Sarisber.*
Saliso, palpito. *Gloss.*
Salivaris, ad salivam pertinens.
Salivum, saliva.
Salpinx, σάλπιγξ, tuba.
Salsedo, salsus humor.
Salsicium, botellus, farcimen.
Saltim, saliendo.
Salvatio, salus. *Beda.*
Salvatrix, servatrix.
Salvatus, servatus.
Salutatorium, locus, ubi salutaturi conveniunt.
Sama, creta Gallica. *Isidor.*
Samardacus, homo ridiculus. *Gloss.* Item terminus bifurcus.
Sambucetum, locus sambucis consitus.
Sambuciarius, qui sambuca canit.
Samiare, acuere. *Gloss.*
Samiator, samiarius.
Samica, pulvis. *Gloss. Isid.*
Samoena, genus navigii prora demissa, apud Samios.
Samphorae, σαμφόραι, equi, quibus impressum erat Σ.
Sanativus, saluber.

Sanctificatrix, quae sanctos facit.
Sandalotheca, *σανδαλοθήκη*, sandalorum repositorium.
Sadapilo, onis, vespillo. *Gloss. Philox.*
Sandichinus, sandicis colorem habens.
Sanguifluus, sanguine fluens.
Sannator, irrisor. *Gloss.*
Sanno, as, irrideo.
Sapharium, atrium templi.
Saphena, *σαφηνὴ*, vena, quae supra genu tripartito finditur.
Saponarius, saponem faciens. *Plin. Valerian.*
Saponatum, sapo aqua maceratus. *Theod. Priscian.*
Saporo, as, sapidum reddo, condio. *Petr. Chrysol.* et *Dracont.*
Saporosus, sapidus, saporus. *Constantin. Afer.*
Sappa, ligo, onis.
Sappula, parvus ligo.
Saprus, *σαπρὸς*, putris.
Sarabus, *σάραβος*, muliebre pudendum.
Saraph, serpens ignitus et venenatus.
Sarcinare, sarcinas componere, consarcinare, consuere.
Sarcitector, qui ex multis tabulis unum tecti facit corpus, tignarius. *Isid.* 19, 19.
Sarcitrix, sarcinatrix.
Sarcocele, *σαρκοκήλη*, hernia carnosa.
Sarpa, *ἅρπη*, falx vinitoria.
Satiabilis, qui satiari potest.
Sationarius ager, sationi aptus.
Satum, mensura sextariorum vigintiquatuor. *Matth.* 13, 33.
Saturabilis, qui saturari potest.
Saturanter, et
Saturatim, affatim. *Gloss.*
Saturatio, satietas. *Gloss.*
Satyrias, *σατυρίας*, morbus in cute, praesertim faciei, eam corrumpens.
Satyriasmus, *σατυριασμὸς*, morbus quo glandulae circa aures inflammantur.
Satyrice, *σατυρικῶς*, satyrorum more.
Satyrista, *σατυριστὴς*, pantomimus.
Saucietas, sauciatio. *Coel. Aurelian.*
Sausarismus, *σαυσαρισμὸς*, linguae haesitatio.
Saxesco, saxum fio. *Scriban.*
Scabinus, senator, judex, adsessor.
Scachus, cellula, cubile latrunculorum.
Scalenus, *σκάληνος*, latera tria inaequalia habens.
Scalperum, calceus.
Scalticus, impetigine laborans. *Theod. Priscian.*
Scaltus, ti, impetigo.
Scambosus, scambus.
Scammaris, latro, obsessor viarum.
Scandalum, *σκάνδαλον*, offendiculum.
Scandicopola, *σκανδικοπώλης*, qui scandicem vendit.
Scansor, qui equum sternit, ut inscendatur. *Gloss.* Item qui equum scandit.
Scapane, *σκαπάνη*, ligo, sarculus.
Scapilium, scapulae, dorsum, humeri.
Scapularis vestis, quae scapulas tegit.
Scara, combustio ignis. *Pap.*
Scaramangis, genus vestis.
Scartanea, lorum.
Sceffila, mensurae genus apud Germanos.
Scenifactor, et Scenofactor, qui scenas, umbracula, et velaria facit.
Scenofactoria ars, quae umbracula, et tabernacula facit.
Scenopegia, *σκηνοπηγία*, festum tabernaculorum apud Hebraeos.
Schediasmata, *σχεδιάσματα*, scripta tumultuarie, et ex tempore.
Schedicus, *σχέδιος*, extemporarius, subitarius.
Schinus, *σχῖνος*, genus arboris mastichem exsudans.
Schismaticus, *σχισματικὸς*, dissentiens, discors, divisus.
Sciamachia, *σκιαμαχία*, pugna umbratilis, armorum meditatio.
Sciatica, et Sciaticus morbus, quo coxarun junctura laborant: ab *ἴσχιον*, coxa, unde *ἰσχιαδικός*.
Scindapsus, genus plantae simile hederae.
Sciomantia, *σκιομαντεία*, divinatio per umbras mortuorum.
Scissibilis, scissilis. *Octav. Horatian.*
Sclavus, servus captivus.
Scolax, acis, funis, funale. *Isidor.*
Scolopax, acis, *σκολόπαξ*, genus piscis, item avis, quae in arbore nunquam sedet.
Scolopomachaerion, *σκολοπομαχαίριον*, cultellus chirurgicus palo similis.
Scolus, *σκόλος*, pagus incultus sub Cithaerone in Boeotia. Item vermis.
Scommatice, *σκωμματικῶς*, cum irrisione. *Sarisberiens.*
Scopelismus, *σκοπελισμὸς*, lapidum positio in agro alieno: de quo V. *Ulpian. Digestor.* 47, 11, 7.
Scopo, as, scopis purgo. *Isai.* 14, 25.
Scopo, is, idem. *Psalm.* 76, 7.
Scordicarius, qui ephippia facit.
Scordiscus, ephippium. Item corium crudum.
Scorpio, *σκορπίος*, virga nodosa, vel aculeata ad caedendum. *Isidor.*
Scorpionares, qui scorpionibus sagittas, vel saxa jaciunt.
Scortatio, scortorum assectatio.
Scortulum, scortillum.
Scotoma, *σκότωμα*, vertigo capitis, et oculorum tenebrae. *Isidor.*
Scotomare, vertigines capitis inducere. *Theodor. Priscian.*
Scotomaticus, *σκοτωματικὸς*, qui scotomate laborat.
Screabilis, qui exscreari potest.
Screatio, exscreatio.
Scribillo, as, scribo.
Scriniolum, parvum scrinium, arcula.
Scriptiuncula, brevis scriptura. *Salvian.*
Scrobatio, scrobium effossio.
Scrofulae, strumae.
Scrutanter, scrutando. *Ambros.*
Scrutarium, locus, ubi scruta venduntur. *Gloss.*
Scrutillus, ventriculus fartus.
Scrutinare, scrutari.
Sculca, excubiae.
Sculcator, excubitor.
Scuria, flagellum e corio.
Scuticula, parva scutica.
Scybalon, *σκύβαλον*, quisquiliae, rudus, stercus. *Vindician. ad Valentinian. Imp.*
Scylax, *σκύλαξ*, canis.
Scyphium, *σκύφιον*, parvus scyphus.
Scythissare, *σκυθίζειν*, largiter bibere Scytharum more.
Secretarius, minister ab arcanis.
Sectantia, actus sectandi. *Vigilius* ap. *Barth.* 14, 3.
Sectatus, us, sectatio.
Secundina, folliculus, in quo fetus involvitur.
Securicularius, qui secures fert. *Gloss.*
Securo, as, securum reddo.
Sedapium, sedes apium, alveare. *Caper.*
Sedetum, fossa, ubi sedent milites: aut fossa, ubi sunt muri.
Seditionarius, seditiosus. *Gloss.*
Seditionor, seditionem moveo. *Gloss.*
Seducibilis, seductilis.
Segmentarii, qui opera ex segmentis faciunt.
Sejugae, quadrigae sex equorum. *Isid.*
Sejuncte, et Sejunctim, separatim.
Selectus, us, selectio.
Seleucides, calceamentum quoddam muliebre.
Selliso, *σελλίζω*, jacto, ostento.
Sellisternium, multarum sedium apparatus. *Gloss.*
Semicaput, dimidium capitis.
Semicingo, dimidia parte cingo. *Aethic. in Cosmograph.*
Semicipium, dimidium caput. *Gloss.*
Semicupium, vas ad modum lintris, in quo homo potest resupinus jacere.
Semidiapason, et
Semidiapente, et
Semidiatonus, voces sunt hybridae Musicorum.
Semidrachma, dimidium drachmae.
Semijejunus, dimidio jejunus.
Semilaterium, semilater.
Semilunium, dimidia luna.
Semimembranosus, dimidio membranosus.
Semiminima, nota parva Musica.
Semimodius, semodius.
Seminatrix, quae seminat.
Seminervosus, dimidio nervosus.
Semiotica, ae, *σημειωτική*, Medicinae pars, quae per praesentia symptomata ad morbi causam procedit.
Semiplagium, parvum rete.
Semiquinarius, a, um. Semiquinaria divisio est, cum in scandendis versibus quinque pedes per dimidium dividuntur, ita ut post duos pedes caesura supersit, ut Arma virumque cano. Graece est *πενθημιμερὶς*, penthemimeris.
Semiremex, igis, dimidiatus remex.
Semiseptenarius, a, um. Semiseptenaria divisio est, cum in dimensione versuum post tres pedes syllaba remanet, ut Arma virumque cano Trojae. Graece est *ἑπθημιμερὶς*, hepthemimeris.
Semispathium, dimidia spatha.
Semitogatus, dimidio togatus.
Semitogium, dimidiata toga.
Semiviridis, dimidio viridis. *Gloss. Cyrilli.*
Semivocabilis, semivocalis.
Semneum, *σεμνεῖον*, locus venerabilis.
Senescalcus, armenti custos. Item mensae praepositus.
Sensatio, sensus.
Sensitivus, sensum habens.
Sensualiter, secundum sensum. *Sarisber.*
Sentificare, sentire facere. *Claudian. Mamert.*
Seorsim, seorsum.
Separativus, separans. *Gloss.*
Sepedon, ulcus putridum, *σηπεδών.*
Sephora, gallina. *Pap.*
Septangulus, septem habens angulos.
Septuosus, obscurus.
Septuplex, et
Septuplus, septies duplus.
Sepulto, as, saepe sepelio. *Venant. Fortun.*
Sepultorium, locus sepulturae. *Gloss.*
Sequestratim, separatim. *Cassiodor.*
Serarius, qui seras facit.
Sermocinator, orator, disputator, dialogista.
Sernia, scabies petiginosa.
Serniosus, petiginosus. *Theod. Priscian.*
Sero, as, sera claudo.
Serpedo, rubor cutis cum membrorum exstantia.
Serpentiformis, tortuosus instar serpentis. *Vet. Interp. Iren.*
Serphus, *σέρφος*, genus insecti simile formicae, vel culici.
Serrarius, qui serra lapides secat. *Gloss.*
Serratrina, locus, ubi serra secantur lapides. *Non.* 1, 320.
Serto, as, corono. *Gloss.*
Servatorium, ad servandum aptum. *Gloss.*
Serula, parva sera.
Sesamis, *σησαμὶς*, placenta ex sesamo et melle crudo.
Sesquatus, sesqui auctus.
Sesquicubitalis, cubitum habens et dimidium.
Sesquicubitus, cubitus cum dimidio.
Sessiva, ae, pars corporis, qua sedetur.
Setaceum, vannus ex setis.
Setaceus, e setis factus.
Setarium, vannus setaceus.
Setarius, qui e setis peniculos facit.
Setatium, vannus e setis.
Seto, as, setis purgo.
Sevectus, seorsum vectus.
Sevocator, qui sevocat. *Gloss.*
Sextanus, sextus.
Sibilator, qui sibilat.
Sicinnis, *σίκιννις*, sicinnium.
Sicrica, velum quo feminae sacrificantes utebantur.
Sicyopepon, *σικυοπέπων*, genus cucumeris.
Siderosus, sidere percussus. *Gloss.*
Sifilare, sibilis explodere, convicio incessere.
Sifilatio, convicium. *Non.* 12, 49.
Signarius, statuarius. *Gloss.*
Significatum, indicatio. *Gloss.*
Signio, is, signo.
Sigymum, *σίγυμον*, jaculi genus.
Silicatus, silice stratus.
Siliquaticum, vectigal, quod in nundinis ob vendendum penditur.
Simatus, simus. *Sulp. Luperc. in eleg. de Cupidit.*
Simplagium, quoddam parvum rete. *Gloss.*
Simpo, vasculum cum tenui fistula ad pitissandum vinum.
Simpularia, ae, res minuta, et nullius pretii.
Simpulator, amicus sponsi, qui cum eo est assi duus in convivio. *Isid.* et *Fulgent. Planc.*
Simulatilis, fictus, simulatus. *Venant. Fortun.*
Simultum, vermis in cornu arietis. *Isid. Gloss.*
Sinapinus, *σινήπινος*, qui est e sinapi.
Sinuatio, curvatio. *Fulgent. Mythol.* 1.
Siphra, nota.
Siren, vestis tenuis et pellucida.
Sirium, pallium leviter contextum.
Sirones, pediculi inter cutem et carnem enascentes.
Sitellum, sitella. *Gloss. Cyrilli.*
Sitibundus, valde sitiens. *Onomast. vet.*
Siticula, parva sitis. *Gloss.*
Sitocomi, *σιτοκόμοι*, curatores annonae.
Sitocomia, *σιτοκομία*, cura frumenti et annonae.
Sitonae, *σιτῶναι*, sitocomi.
Sittyba, *σιττύβα*, membrana, qua teguntur libri.
Situatio, situs, locus, positio, loci natura.
Smarides, *σμαρίδες*, mulieres furiosae.
Smegmatopola, *σμηγματοπώλης*, qui smegma vendit.
Smiris, vel Smyris, idis, et itis, *σμύρις*, lapis, cujus pulvere poliuntur gemmae, marmora, chalybs.
Sobracomes, gubernator.
[†Sobriolus, aliquantum sobrius.]
Sobriosus, sobrius. *Cyprian.*
Sociator, qui socios facit et jungit.
Sodomitanus, Sodomiticus. *Ambros.*
Solamentum, solamen. *Paulin. Nolan.*
Solidamen, solidamentum. *Venant. Fortun.*
Solidium, stipendium.
Soliloquus, qui secum loquitur.
Solitarie, et
Solitario, sine socio, secreto.
Soloecophanes, *σολοικοφανὲς*, error soloecismi speciem habens, ut Praeneste sub ipsa, *Virg. A.* 8, 561. In Eunuchum suam, *Terent. Eun. prol.* 32.
Somatophylax, *σωματοφύλαξ*, custos corporis.
Somatopoeia, *σωματοποιία*, figura, qua rei corporis experti vocem corpusque damus.
Somnialis, ad somnium pertinens. *Fulgent.*
Sonus, a, um, sonans, sonorus. *Isidor.*
Sophicus, *σοφικὸς*, ad sophiam portinens. *Prosper Aquitan. de provid. Dei*, 673.
Sophophilus, *σοφόφιλος*, sapienter amans.
Sophronisteres, *σωφρονιστῆρες*, duo dentes, qui postremo nascuntur circa aetatis annum vigesimum.
Sophronisterium, *σωφρονιστήριον*, locus, in quo dissoluti homines corriguntur.
Sophrosyne, *σωφροσύνη*, temperantia.
Sopolium, suburbium.
Sorbillator, degulator. *Isid. Gloss.*
Sordidatio, sordium inductio. *Sarisber.*
Sordiscum, corium crudum. *Isidor.*
Sordities, sordes.
Soriceus, ad soricem pertinens.
[†Soriticus, ad soritem pertinens.]

Sororicidium, occisio sororis. *Gloss.*
Sororius, ii, filius, item maritus sororis meae.
Sortiarius, divinus per sortes.
Sortilegium, divinatio per sortes. Item ductio sortium.
Sortividus, qui per sortes videt futura.
Soteria, ae, *σωτηρία*, salus.
Spadiceus, et Spadicus color, badius, spadix.
Spagyria, chymia, ars segregans purum ab impuro.
Spagyricus, et Spagyrus, chymista.
Spalathium, massa ficuum.
Spanadrapus, tela utrinque liquido emplastro illita.
Spanopogon, *σπανοπώγων*, raram barbam habens.
Spargana, *σπάργανα*, cunabula.
Sparganum, herba, quae et carex dicitur.
Spargo, inis, aspergo. *Venant. Fortun.*
Sparrarius, avis accipitri similis.
Spartopola, *σπαρτοπώλης*, qui spartea texta vendit.
Spatalari, molliter et delicate vivere.
Spatharius, qui spathas facit. Item satelles, custos corporis.
Spathiurus, animal caudam habens spathae similem.
Spathius, armiger.
Spathomele, *σπαθομήλη*, specillum chirurgicum latius. *Theod. Priscian.*
Specificatio, et
Specificative, et
Specificativus, et
Specifico, as, et
Specificus, sunt voces Philosophorum barbare loquentium.
Specularius, qui specula, vel specularia facit. *Gloss.*
Speculativus, contemplativus
Sperabundus, spei plenus. *Mantuan.*
Spermologus, *σπερμολόγος*, avicula frugum semina legens. Item locutuleius.
Spernulus, spretor. *Gloss.*
Sphacelismus, *σφακελισμός*, et
Sphacelus, *σφάκελος*, morbus, quo membrum emoritur, et ipsum os afficitur.
Sphaeristicus, *σφαιριστικός*, ad spaeram, seu pilam pertinens.
Sphaeroter, *σφαιρωτήρ*, corrigia.
Sphaerula, parva sphaera, seu pila.
Sphenica, genus pilae majus paganica.
Sphygmos, *σφυγμός*, pulsus arteriae.
Spirarchus, *σπειραρχος*, dux cohortis, primipilus.
Spiriolus, animal quoddam quadrupes.
Splendifluus, splendorem spargens.
Spondophori, *σπονδοφόροι*, libaminum portatores.
Spongiator, qui spongias captat.
Spontanee, sponte, ultro.
Sportellarius, qui sportellam portat.
Sportulare, sportulam accipere.
Spudastes, *σπουδαστής*, fautor.
Sputarium, sputum. *Gloss. Isid.*
Squarra, crusta cavis ulceribus accrescens.
Stagnator, qui stannea vasa facit.
Stagnicola, qui in stagno degit.
Stagno, as, stanno tego. *Gloss.*
Stagnum, et
Stamnum, stannum.
Stapes, edis, vinculum, in quo sedentes in equo pedes ponimus.
Staphyle, *σταφύλη*, uva.
Stathmus, *σταθμός*, diversorium, hospitium, caupona. Item mensura CXXI. stadia cum dimidio continens.
Statice, *στατική*, ars, seu scientia ponderum.
Staticus, *στατικός*, sistendi vim habens. Item ponderum peritus.
Statiuncula, parva statio.
Statues, servi ante patronum stantes.
Statutum, decretum, constitutio.
Stauro, *σταυρόω*, palum defigo.
Stauropegium, *σταυροπήγιον*, cruci affixio.
Steganomium, *στεγανόμιον*, pecunia, quae solvitur pro hospitio.
Stellificus, stellatus.
Stellionator, impostor. *Gloss.*
Stephanoma, *στεφάνωμα*, materia, ex qua coronae fiunt.
Stephanopola, *στεφανοπώλης*, qui coronas vendit.
Stephanus, *στέφανος*, corona.
Stera, *ὑστέρα*, matrix, uterus.
Stereometria, *στερεομετρία*, mensura solidorum.
Sterrhogonia, *στερρογονία*, tus masculum.
Stibinus, a, um, qui est e stibio.
Stichos, *στίχος*, series, ordo.
Stigmatus, stigmate notatus, *στιγματίας*.
Stigo, *στίγω*, incito, pungo.
Stillatio, destillatio.
Stipabilis, qui stipari potest.
Stirpo, as, exstirpo. Item radices ago.
Stivillum, barba caprina.
Stlatarius, rector navis, quae stlata dicitur.
Stlengis, *στλεγγίς*, gutta olei. Item quoddam ornamentum capitis.
Stoa, *στοά*, porticus.
Stocius, stultus, insanus.
Stoecheum, *στοιχεῖον*, littera, elementum.
[†Stolos, *στόλος*.]
Stoma, *στόμα*, os, oris.
Strabismus, *στραβισμός*, vitium strabonis.
Stragulatus, straguli modo factus.
Stranguria, *στραγγουρία*, lotii stillicidium.
Stratocopus, viator.
Stratopedarches, *στρατοπεδάρχης*, dux exercitus, imperator.
Stratopedarchia, *στρατοπεδαρχία*, munus ducis.
Stratorium, stragulum.
Stremus, redimiculum.
Streperus, strepens.
Strictoria tunica, quae ad corpus stringitur.
Strigilarius, qui strigiles facit. *Gloss. Cyrilli.*
Strigilo, as, strigili rado, destringo. *Onomast.*
Strigositas, macritudo.
Stroma, *στρῶμα*, quodvis stragulum. Item liber miscellaneorum.
Strongyloprosopos, *στρογγυλοπρόσωπος*, qui facie rotunda est.
Strongylus, *στρογγύλος*, rotundus.
Stuba, vel
Stufa, cubiculum caldarium.
Stulticen, qui stulta canit. *Sarisber.*
Stulticinium, stultus cantus. *Id.*
Stupefactio, admiratio, stupor. *Augustin.*
Stupefactor, qui admiratur et stupet. *Sidon.*
[†Sturio, piscis acipenser a quibusdam dictus.]
Suadidilis, suaderi qui facile potest.
Suavidus, suavis. *Theod. Priscian.*
Subalbeo, subalbicans sum. *Cassiod.*
Subalternus, secundus, subjectus.
Subaqueus, qui sub aqua est.
Subaratio, actus subarandi.
Subarrho, as, arrham sponsaliorum dare. *Ambros.*
Subarundino, as, arundine fulcio. *Dracont.*
Subbatere, occidere, aut pulsare.
Subcerniculum, vannus, cribrum.
Subcineritius panis, sub cinere coctus. *Isid.*
Subcontinuativus, secundo loco continuans. *Priscian.*
Subcus, et
Subcutaneus, qui est sub cute.
Subdiaconus. *Inscript. Christ.* apud *Gruter.* 1049, 8.
Subdica, qui secundo loco dicit.
Subdivus, et Subdius, sub dio positus. *Gloss.*
Suberies, suber. *Isid.*
Subgannare, irridere.
Subjectibilis, qui subjici potest.
Subigatrix, mulier tribas.
Subintelligo, simul et sub alio intelligo.
Subitatio, subitus adventus.
Subitatus, subita re perculsus. *Cyprian.*
Subitillus, genus placentae, quae subito paratur.
Sublimator, qui in sublime tollit. *Salvian.*
Sublitio, primus color, qui tabulae inducitur.
Sublunaris, qui est sub luna.
Submeies, qui in lectulo mingit. *Gloss. Isid.*
Submersio, immersio.
Submutatio, immutatio. *Gloss.*
Subnitido, as, nitidum facio. *Venant. Fortun.*
Subordino, as, subjicio.
Subpudens, aliquantum pudens.
Subpungo, subtus pungo. *Eugen. Toletan.*
Subrogatio, substitutio. *Gloss.*
Subrutilo, as, aliquantum rutilus sum, subluceo. *Claud. Mamert.* 1, 25.
Subsannatio, irrisio, sanna. *Gloss.*
Subsannator, irrisor.
Subsequus, qui subsequitur. *Oros.*
Subses, qui subtus sedet.
Subsistentia, actus subsistendi.
Subsolaris, subsolanus. *Sarisber.*
Subsultaneus, subsultans. *Gloss.*
Subsumo, suscipio, assumo.
Subterfugium, refugium. *Sarisber.*
Subtutus, aliquantum cautus. *Commodian.*
Sububeres, qui sub uberibus adhuc habentur. *Gloss.*
Subventaneus, vento expositus, vento plenus, inanis.
Subunio, onis, hyphen, *ὑφ' ἕν*.
Succerniculum, vannus, cribrum.
Successive, succedendo, deinceps, protinus.
Succinatum vinum, colore succini. *Isidor.*
Succinctorium, pannus succinctus, campestre.
Succubus, qui subjacet, et succumbit.
Succussarius, succussator.
Suefacio, assuefacio.
Suefio, assuesco.
Sufflatorium, instrumentum ad sufflandum.
Suffraganeus, vicarius.
Suffrutices, plantae mediae inter arborem et fruticem.
Suffusorium, opus fusile.
Sugeo, es, sugo.
Sugimen, suctus.
Suinus, suillus.
Suitas, conditio eorum, qui dicuntur heredes sui.
Sulcatim, per sulcos.
Suldadus, miles.
Sultanus, dominus, imperator, princeps.
Sultor, cultor. *Gloss. Isid.*
Sumptuarius, qui pecuniam praebet in sumptus. *Gloss.*
Superabundanter, affatim.
Superadultus, valde adultus.
Superagnata, tunica oculorum extima.
Superalis, et
Superaria vestis, quae super alias induitur.
Supererogo, supra quam justum est, praebeo.
Superexsto, exsisto, supereminco.
Superexigo, supra id, quod justum est, exigo.
Superfetatio, secundarius conceptus praegnantis.
Superfugium, fuga.
Superillustris, valde illustris.
Superlimen, limen superum. *Gloss.*
Supernavigo, supra, aut praeter navigo. *Gloss. Cyril.*
Superscriptio, inscriptio.
Supervacanee, supervacuo.
Supervalesco, bene valeo.
Suppetium, suppetiae. *Commodian.*
Suppostor, qui dolo aliud pro alio substituit.
Suppullulo, subtus, vel post pullulo.
Surdeo, surdus sum.
Surdesco, surdus fio. *Ericius Cordus*, et *Eugen. Toletan.*
Surdo, as, surdum facio.
Suscitamen, incitamentum. Sunt qui tribuunt *Appuleio.*
Suspiciter, suspiciose. *Non.* 4, 337.
Sustendo, tendo, clam tendo.
Sustentator, qui sustentat.
Sustinentia, tolerantia.
Susurrator, susurro.
Susurriosus, idem. *Gloss. Cyrilli.*
Susurrium, murmur.
Sutelo, as, suo. *Gloss.*
Sutelosus, fraudulentus. *Gloss.*
Sutriballus, sutor. *Vet. Scholiast. Juvenal. ad Sat.* 3, 150.
Syagros, *σύαγρος*, aper.
Sybarisso, *συβαρίζειν*, Sybaritas deliciis imitor.
Sycosis, *σύκωσις*, ulcus in modum fici.
Syllabus, *σύλλαβος*, index.
Sylloge, *συλλογή*, collectio.
Symballota, neutr. plur. *συμβαλλωτὰ*, vestes coacti velleris, implexu potius quam textu confectae.
Symbiosis, *συμβίωσις*, vita cum alio, consuetudo.
Symbolaeographus, *συμβολαιογράφος*, scriba, notarius.
Symbolicus, *συμβολικός*, significans, aliud indicans.
Symmachia, *συμμαχία*, societas in bello.
Symmachus, *σύμμαχος*, miles auxiliaris.
Symmysta, *συμμύστης*, arcanorum conscius: item socius in sacerdotio.
Sympatriota, conterraneus, tribulis.
Symposiarchus, *συμποσίαρχος*, et
Symposiastes, *συμποσιαστής*, moderator convivii.
Sympota, *συμπότης*, conviva, compotor.
Sympotrix, conviva, compotrix.
Sympsalma, *σύμψαλμα*, unio variarum vocum in cantu.
Symptoma, *σύμπτωμα*, quod simul cum alia re accidit.
Syn, *σὺν*, cum.
Synagia, *συναγία*, militum centuria.
Synallagma, *συνάλλαγμα*, permutatio, contractus.
Synaxis, *σύναξις*, congregatio, conventus.
Syncategorema, *συγκαιηγόρημα*, quod per se nihil significat, sed alii verbo junctum sententiam efficit.
Syncategorematica vox, idem.
Synchronismus, *συγχρονισμός*, convenientia temporum.
Syncomistus panis, *συγκομιστός*, medius inter siligineum et cibarium.
Syncretismus, *συγκρητισμός*, repentina concordia inter inimicos.
Syncrisis, *σύγκρισις*, comparatio, collatio.
Syncrusius risus, *συγκρούσιος*, incompositus cum concussione.
Syndesmus, *συνδεσμός*, conjunctio, vinculum.
Synecdochicus, *συνεκδοχικός*, ad synecdochen pertinens.
Synechon, *συνέχων*, continens. Item firmans.
Synedrion, *συνέδριον*, concilium, concessus judicum.
Synizesis, *συνίζησις*, actus considendi. Item labes terrae subsidentis. Item figura synecphonesis.
Synochus, *σύνοχος*, febris continua.
Synodia, *συνοδία*, congressio, conventus.
Synonymus, *συνώνυμος*, ejusdem nominis.
Synteresis, *συντήρησις*, conservatio, conscientia.
Syntheca, *συνθήκη*, compositio.
Synthema, *σύνθεμα*, signum pugnae: tessera militaris: diploma: sententia brevis.
Syntomia, *συντομία*, concisio, brevitas. Item figura, qua res magnae brevi ambitu describuntur.
Syntonarius, qui scabilla pede percutit.
Synusia, *συνουσία*, consuetudo. Item coitus.
Syphar, *σύφαρ*, pellis, exuvium serpentis.
Syrmaea, *συρμαία*, genus cibi ex melle et adipe, purgationibus aptus. Item genus Spartani certaminis, in quo victor hoc cibo donabatur. Item genus raphani.
Syrtus, *συρτὸς*, apparatus vestium feminalium, synthesis.
Syrupus, succus ex herbis expressus.
Syscenia, *συσκηνία*, contubernium Spartanorum in publico convivantium.
Syscevasis, *συσκεύασις*, conjunctio rerum inter se contrariarum.
Sysita, tunica Scytharum e corio.
Syssitia, *συσσιτία*, sodalitas, convivium.

Syssitus, *σύσσιτος*, sodalis.
Systalticus, *συσταλτικὸς*, contrahendi vim habens. *Martian. Capell.*
Systasis, *σύστασις*, constitutio in favorem alicujus, commendatio.
Systaticae litterae, *συστατικαὶ*, commendatitiae.
Syzetesis, *συζήτησις*, disputatio inter duos.
Syzygus, *σύζυγος*, maritus, consors.

T

Tabacum, herba sic dicta a Tabaco insula in mari Boreali Americae Meridionalis, ubi copiose provenit. Dicitur etiam Nicotiana aquodam Nicotio, qui eam ab America acceptam, ex Lusitania in Galliam transmisit.
Tabefacio, corrumpo.
Tabefio, corrumpor, tabesco.
Tablae, *τάβλαι*, tabulae in vestibus, rotundi clavi.
Tablissare, *ταβλίζειν*, tabulis seu tesseris ludere.
Tablistes, *ταβλιστὴς*, qui tesseris ludit. *Gloss.*
Tabulo, as, tabulis sterno, aut vestio.
Tactice, es, *τακτικὴ*, scientia aciei militaris instruendae.
Tacticus, *τακτικὸς*, ad aciem militarem instruendam pertinens.
Taediose, cum taedio. *Gloss.*
Taeditudo, taedium. *Gloss.*
Taeduchus, qui facem praefert.
Taeniosus, taeniis plenus. *Gloss.*
Taifali, Septentrionalis regionis milites.
Talarii, et Talares, articuli pedum.
Talax, cui tali perversi sunt. *Isid. Gloss.*
Taleo, as, caedo.
Talmud, codex et doctrina rerum Judaicarum.
Talmudicus, ad Talmud pertinens.
Tames, sanguis, cruor.
Tamino, polluo, contamino.
Tanaglia, forceps.
Tangano, as, adjuro.
Tantza, saltatio, chorea.
Tapax, furunculus. *Pap.*
Taphus, *τάφος*, sepulcrum.
Tarantula, insectum noxii morsus in agro Tarentino.
Tarea, vestis regia, aut stola purpurea. *Pap.*
Tarenus, genus nummi.
Tarichopola, *ταριχοπώλης*, qui salsamenta vendit.
Taringa, et Tarincha, palus aut virga ferrea acuta, tela tenuia ad torquendos Martyres in naribus et unguibus.
Tarion, genus ponderis.
Tarrium, quod corio tegitur in sella, aut cornu.
Tautacismus, *ταυτακισμὸς*, cum plures voces a T littera incipiunt, ut O Tati tibi tanta tyranne tulisti. Item idem quod tautologia.
Tautogrammaton, *ταυτογράμματον*, carmen cujus omnes voces ab eadem littera incipiunt.
Tautotes, *ταυτότης*, tautologia.
Taxonus, animal quadrupes, alio nomine meles.
Taxoninus, ad taxonum pertinens. *Marcell. Empir.*
Taxus, taxonus.
Tectonice, es, *τεκτονικὴ*, architectura.
Tegetarius, qui tegetes facit.
Tegularia sacrificia, aut veneficia, quae supra tegulas fiebant. *Gloss. Isid.*
Tegularius, qui tegulas facit. *Gloss.*
Telephia, vulnera insanabilia, *τελέφεια*.
Telephoria, *τηλεφορία*, publicanorum munus. Item facultas exigendi tributa.
Telescopium, *τηλεσκοπεῖον*, instrumentum, quo res procul positas cernimus.
Teletarches, *τελετάρχης*, caeremoniarum, vel religionis institutor.
Teletarchia, *τελεταρχία*, principatus in condendis caeremoniis.
Teletus, *τελετὸς*, perfectus.
Telia, pegma quadratum, in quo farina venalis, *τηλία*. Item circulus cribri. Item tabula lusoria.
Telo, onis, uncus ligneus ad hauriendam aquam e puteo. *Sipontin.*
Telona, ae, m. *τελώνης*, publicanus.
Teloniacus, ad telonium pertinens. *Mantuan.*
Telos, *τέλος*, finis.
Temerario, temere.
Tempestarii, venefici, qui tempestates in aere concitant.
Temporarie, ad tempus. *Salvian.*
Tendo, onis, et dinis, extremitas musculorum, fibris et ligamentis constans, et ossi infixa.
Tenibilis, qui teneri potest. *Pap.*
Tentio, onis, actus extendendi. *Gloss.*
Tepiditas, tepor.
Tepidulus, aliquantum tepidus.
Terebella, et
Terebellum, parva terebra.
Terebrator, qui terebrat.
Terebrum, terebra.
Tergiductor, ultimae aciei ductor.
Terma, *τέρμα*, terminus, finis.
Terminate, determinando. *Auct. Grammatic.* ap. *Goes.*
Terminator, qui terminum statuit.

Terraneola, avis alaudae similis, sed sine apice in capite. *Sipontin.*
Terrefacio, terreo. *Onomast.*
Terricrepus, cum terrore crepans: epithetum fulminis.
Terse, polite, munde.
Tersor, qui terget. *Gloss.*
Tersorium, instrumentum ad tergendum. *Gloss.*
Tessaracoston, *τεσσαρακοστὸν*, quadraginta dierum spatium ante et post partum, quo mulieres sacris abstinebant.
Tessaradecas, adis, *τεσσαραδεκὰς*, numerus quadragesimus.
Tessellator, qui tessellas disponit.
Testudino, as, in testudinis modum construo.
Tetanoma, *τετάνωμα*, tetanothrum.
Tetradiae, quatuor milites vigiles.
Tetraditae, Sabbatiani, sabbatio jejunantes.
Tetraetericus, *τετραετηρικὸς*, qui tertio quoque anno instauratur.
Tetraeteris, *τετραετηρις*, quatuor annorum spatium.
Tetragonismus, *τετραγωνισμὸς*, quadratura.
Tetragrammaton, *τετραγράμματον*, nomen quatuor litterarum.
Tetragrammus, *τετράγραμμος*, quatuor linearum.
Tetrapentecteris, *τετραπεντεκτηρὶς*, olympias, quia constat quatuor annis, et initio quinti.
Tetraplasis, *τετράπλασις*, quadruplicatio.
Tetraplare, quadruplicem facere.
Tetraplus, *τετράπλους*, quadruplus.
Tetrapodium *τετραπόδιον*, mensa quadrupes, et quadrata.
Tetrasyllabus, *τετρασύλλαβος*, quatuor syllabarum.
Tetravela, vela quadruplicata.
Tetrobolum, *τετρώβολον*, nummus quatuor obolorum.
Textim, texendo.
Thalassiarcha, *θαλασσιάρχης*, dux classis navalis.
Thalassometra, *θαλασσομέτρης*, qui mare metitur.
Thalerus, uncia argenti. Item species nummi.
Thallophori, *θαλλοφόροι*, qui Athenis in festis panathenaicis ramos oleae gestabant.
Tharapamus, curatio, medicina.
Thebet, mensis Januarius, vel December.
Theclatura, signatio.
Theion, vel Thion, *θεῖον*, sulphur.
Thelesis. *θέλησις*, voluntas.
Thelosapiens, affectans sapientiam.
Thenupha, agitatio: ritus, quo victimae pectus in omnem partem agitatum, et quaquaversus motum attollitur.
Theoresis, *θεώρησις*, contemplatio, speculatio.
Theoretrum, manus sponsae datum.
Theorica pecunia, *θεωρικὴ*, quae datur pro sedilibus ad spectandum in theatro.
Theoricus, *θεωρικὸς*, speculativus.
Theos, *θεὸς*, Deus.
Thermanticus, *θερμαντικὸς*, calefaciens.
Thermopota, *θερμοπότης*, qui calidam bibit.
Thermus, *θερμὸς*, calidus.
Thesaurizo, *θησαυρίζω*, rem et pecuniam congero.
[†Thesaurophylacium, *θησαυροφυλάκιον*.]
Thesmophylaces, *θεσμοφύλακες*, custodes legum et institutorum.
Thetideius, Achilles filius Thetidis.
Thinx, donatio.
Thius, *θεῖος*, patruus, aut avunculus.
Thoracomachus, *θωρακομάχος*, qui thorace indutus pugnat.
Thoracopoeus, *θωρακοποιὸς*, thoracum artifex.
Threna, vestes floridae et variegatae.
Threnodia, *θρηνῳδία*, cantus lugubris.
Threnus, *θρῆνος*, questus, lamentatio.
Thria, *θρία*, folia ficus.
Thridacias, *θριδακίας*, lactucinus.
Thryallis, idis, ellychnium, *θρυαλλίς*. *Bapt. Mant.*
Thryoron, *θρύορον*, solanum.
Thurifico, thus incendo.
Thyinus, *θύϊνος*, cedrinus.
Thymbrites, *θυμβρίτης οἶνος*, vinum thymbra conditum.
Thymelaeites, *θυμελαίτης οἶνος*, vinum thymelaea conditum.
Thymiamaterium, vel
Thymiaterium, *θυμιατήριον*, acerra.
Thynnaeum, *θυννεῖον*, sacrificium, quo piscatores thynnum Neptuno immolabant.
Thyra, *θύρα*, janua, ostium.
Thyroreum, *θυρωρεῖον*, locus inter duas januas.
Tibiarius, qui tibias facit. *Gloss.*
Tibicinalia, crepitacula.
Tibicinator, qui tibia canit. *Gloss.*
Tignatio, contignatio. *Gloss.*
Timoratus, timidus.
Tineatus, a tineis rosus. *Gloss. Cyrilli.*
Tinius, parvus anulus.
Titanicus, torvus, teter.
Titillosus, titillans.
Tityrus, *τίτυρος*, hircus: aliis animal ex hirco et ove genitus. *Eugen. Toletan.*
Tius, patruus, vel avunculus.
Tmeticus, *τμητικὸς*, acutus.
Togiforium, locus ubi Scholastici disputant. *Pap.*

Togipurium, toga pura. *Gloss. Isid.*
Tolerabilitas, tolerantia, patientia. *Gloss.*
Toleratus, us, tolerantia. *Salvian.*
Toltum, sublatum, ablatum. *Gloss.*
Tomice, *τομικὴ*, species statuariae, lignorum vel eboris elaboratrix.
Tomicus, *τομικὸς*, acutus, caedendi vim habens.
Tomus, *τόμος*, sectio, pars libri major.
Tonarium, *τονάριον*, fistula, qua tonus traditur, ne sit altior vox canentis, aut loquentis.
Tondo, is, tondeo.
Tonitabilis, tonans.
Tonituare, tonare. *Commodian. Instruct.* 6.
Tonorium, tonarium.
Tonoticus, *τονοτικὸς*, intendendi vim habens. *Theod. Priscian.*
Tonsicula, genus piscis. *Cassiod.* 12, 4.
Tonso, as, saepe tondeo.
[†Topicus, *τοπικὸς*, localis.]
Topographia, *τοπογραφία*, descriptio loci.
Topographus, *τοπογράφος*, qui locum aliquem describit.
Topoteresia, *τοποτηρεσία*, manus militum custos alicujus loci.
Topoteretes, *τοποτηρητὴς*, vicarius, locum tenens.
Topothesia, *τοποθεσία*, positio alicujus loci, et descriptio.
Topus, *τόπος*, locus.
Torcula, torcular. *Gloss.*
Torculator, qui torculari uvas, vel oleas premit.
Toreuta, *τορευτὴς*, tornator.
Tormentarius, ad tormenta militaria pertinens, ut Tormentarius pulvis.
Tornatilis, torno factus, tornatus.
Tornatura, torno facta politura.
Torta, placenta.
Torneamentum, decursio ludicra militaris.
Torpiditas, torpor. *Cathol.*
Tortiloquium, sermo obscurus et ambiguus.
Tortula, parva torta.
Tortza, funale, fax.
Torve, torviter.
Totalis, totus, universus.
Totaliter, omnino.
Totfariam, tot modis.
Totmodus, qui tot modis est.
Toxico, as, venenum do. *Sarisber.*
Trabeatio, contignatio.
Trabuchus, balista.
Tracada, strues lignorum.
Trachea, *τραχεῖα ἀρτηρία*, aspera arteria.
Trachoma, *τράχωμα*, scabrities interior palpebrarum.
Tractilis, qui trahi potest. *Gloss.*
Tractio, actus, actus trahendi.
Tragullus, hircus, caper.
Tramoserica, vestis trama serica, stamine lineo. *Isid.* 19, 22.
Transcursorius, cursim factus, aut dictus.
Transfixio, confixio.
Transfluminalis, qui est trans flumen.
Transfluviare, fluvium transmittere. *Commodian.*
Transgressor, violator.
Translate, per translationem.
Transpositio, actus transponendi, metathesis.
Transtillum, parvum transtrum.
Tranctarius, ad transtrum pertinens.
Transversio, transformatio.
Transverso, as, transverse pono.
Transversum, adverb. transverse.
Trapeza, *τράπεζα*, mensa.
Traphex, *τραφηξ*, tabula, qua panis ad furnum fertur.
Traulismus, *τραυλισμὸς*, linguae impedimentum.
Traulus, *τραυλὸς*, blaesus.
Tregua, induciae.
Trementura, ebritas. *Gloss. Cyrill.*
Tremissis, tertia pars solidi aurei, quatuor denarii. *Isid.* 16, 24.
Tremulo, as, dubius sum. *Gloss.*
Trepanum, terebra chirurgica.
Trexinon, cursus: a *τρέχω*.
Triadica, hymni in SS. Trinitatem.
Trias, *τριὰς*, numerus ternarius.
Tribonium, vestis trita.
Tribunalicium, locus tribunalis.
Tricephalus, *τρικέφαλος*, tria habens capita.
Trichiasis, *τριχίασις*, morbus mammarum, qui provenit in lactantibus ex pili haustu.
Trichotomia, *τριχοτομία*, divisio in tres partes.
Trichypha, *τρίχυφα*, vestis quaedam puellaris.
Tricinus, lucellum.
Tricolus, *τρίκωλος*, tria membra habens, vel partes.
Triennalis, le, et
Triennis, ne, qui est trium annorum.
Trieris, *τριήρης*, triremis. *Num.* 24, 24.
Trifaries, triplex.
Trigla, *τρίγλη*, piscis ex mullorum genere.
Trigonometria, *τριγωνομετρία*, mensura triangulorum.
Trimenstruus, trium mensium. *Gloss.*
Trimma, *τρίμμα*, homo callidus, astutus, vafer.
Trimorion, *τριμόριον*, dodrans, quia tres continet assis partes.

Trimyxus, τρίμυξος, lucerna trium myxorum.
Trinio, numerus trium in ludo tesserarum. *Isid.* 18, 65.
Triobolaris, vilis, nullius pretii.
Trionymus, τριώνυμος, trium nominum.
Triopis, τριωπὶς, monile gemmatum, quasi tres habens oculos.
Tripartior, et
Tripertior, in tres partes divido.
Tripondium, trepondo.
Tripudiatio, saltatio.
Trisagium, τρισάγιον, hymnus, in quo ter ἅγιος canitur.
Tristega, τριστεγα, tres contignationes in aedibus.
Tristities, tristitia.
Tristo, as, tristem facio.
Tritalogus, qui nugas loquitur.
Tritennatae, memoriae mortuorum, quae fiunt tertio et nono die.
Tritus, τρίτος, tertius.
Triverbero, magnus verbero. *Gloss.*
Trogulus, vestis monastica, cucullus.
Trophima, plur. τὰ τρόφιμα, pretium pro alimentis.
Tropologia, τροπολογία, figura, qua sermo ad emendationem morum et ad alia convertitur.
Troximos, τρώξιμος, uva, quae cibi, non vini causa servatur.
Truclude, alea.
Tructa, piscis quidam fluvialitis. *Isid.*
Truculens, truculentus.
Truculentitas, crudelitas.
Truncarius, vorator, qui cibos truncat, nec mandit. *Pap.*
Truncatio, actus truncandi. *Gloss.*
Tubicinator, qui tuba canit. *Gloss.*
Tubicino, tuba cano. *Gloss.*
Tubocantius, qui tuba canit. *Vet. Lap.*
Tudiator, qui typum tundit, et imprimit. *Gloss.*
Tudiculo, as, imprimo, sculpo. *Gloss.*
Tulypanus, flos quidam. Item pileus Turcarum.
Tumba, τύμβος, sepulcrum.
Tumex, tumor, livor ex ictu. *Gloss. Phil.*
Tumido, as, tumere facio. *Gloss.*
Tumultuario, tumultuarie.
Tumultuator, qui tumultum facit. *Gloss.*
Tundito, as, saepe tundo.
Tunsio, actus, tundendi.
Tupha, tiara regia.
Tuphecia, tormenta bellica.
Tuphia, insignia militaria.
Turbatio, turba.
Turben, inis, turbo, trochus.
Turbino, as, acuere in modum turbinis.
Turcicus, ad Turcas pertinens.
Turificare, tus diis incendere.
Turpiloquium, turpis sermo.
Turpilucris, turpia lucra faciens. *Gloss.*
Turundus, pessum.
Tutumpha, insidiae, dolus, fraus.
Typhonicus, ad typhonem, seu turbinem pertinens.
Typice, τυπικῶς, per figuram.
Typico, as, adumbro, figuro. *Guil. Brito.*
Typo, laterum fornax.
Typographeum, τυπογραφεῖον, et
Typographia, τυπογραφία, officina libraria.
Typographicus, τυπογραφικὸς, ad typographiam pertinens.
Typographus, τυπογράφος, librarius.
Typotheta, τυποθέτης, qui typos seu characteres componit, et disponit.
Tyriamethystus, τυριαμέθυστος, color mixtus ex amethysto et purpura.
Tyrocnestis, τυρόκνηστις, radula, qua caseus, aut panis raditur.
Tyropola, τυροπόλης, casei venditor.
Tyrsis, τύρσις, turris, propugnaculum.
Tzacones, milites custodes corporis.
Tzanga, calceus regius.
Tzangarius, qui calceos regis facit.
Tzangrus, arcus.
Tzannus, stultus, fatuus.
Tzausius, satelles apud Turcas.
Tzustria, ludus quidam equestris.
Tzycanisterium, locus, ubi pila luditur.

V

Vaciliator, dolosus, cujus vacillat fides.
Vadatio, vocatio in jus.
Vafricies, calliditas.
Vagilo, as, aliquantum vagio.
Vagulo, et Vagulor, clamare increpando, conviciari.
Valedictorius, ad vale dicendum pertinens.
Valgio, is, terram in area complano.
Vallestris, ad vallem pertinens.
Valor, pretium: item virtus.
Valvarius, qui valvas facit. *Gloss.*
Vanellus, genus avis.
Vaneo, es, vanesco.
Vannulus, parvus vannus.
Vaporaliter, in modum vaporis.
Vappo, onis, culex circa vinum volitans.
Vapulator, qui vapulat. *Gloss.*
Varatio fluminis, cursus fluminis curvatus. Item trajectus.
Vargina, et Bargina, et Varginus, barbarus, exsul, latro.
Vargus, et Bargus, idem. *Gloss.*
Variantia, varietas.
Variator, qui variat. *Gloss.*
Varico, as, divarico.
Variolae, pustulae rubentes in cute.
Varo, as, curvo, flecto. Item trajicio, transeo.
Vassallus, subditus, subjectus.
Vatilla, batillum, quo de navi aqua ejicitur.
Vatillum, batillum.
Uberosus, uber, fertilis. *Gloss.*
Vecticula, parvus vectis.
Vefaba, parva faba. *Isid. Gloss.*
Vegetativus, vegetans, augens.
Vehio, as, porto, veho. *Sipontin.*
Venax, venae indigator. *Isid. Gloss.*
Veneralia, vesta Veneris.
Veneripeta, libidinosus. *Isid. Gloss.*
Ventipotens, qui ventis imperat
Ventositas, jactantia, superbia. *Fulgent. Mythol. l.* 2.
Ventricosus, ventrem magnum habens.
Venundatio, venditio. *Gloss.*
Veracitas, veritas.
Verator, magus, maleficus.
Veratura, divinatio.
Verberosus, verberibus plenus. *Gloss.*
Verbifico, verba facio.
Verbosari, verbosum esse.
Verbustus, assus, ambustus.
Veretriculum, parvum veretrum.
Verifico, verum esse ostendo, assero.
Veriloquax, et
Veriloquus, vera loquens, *Gloss.*
Vermiculatim, tessellatim. *Zeno Veron.*
Vermiferax, vermes creans, vermibus abundans.
Vermiformis, formam vermis habens.
Vermiseca, vermes secans, aut occidens.
Vermivorus, vermes vorans.
Verosimilis, veri similis.
Versidicus, qui versus facit. *Fab. Victorin.*
Versutia, astutia, calliditas.
Verticilla, genus insecti.
Verticulum, vertibulum, annulus fuso inditus. *Gloss.*
Vertilabundus, vertigine capitis laborans.
Vervenus, vervecinus. *Eugen. Toletan.*
Vesicatorium, vesicas excitans.
Vespertinalis, vespertinus.
Vestifex, vestificus.
Vestificium, vestium confectio. *Gloss.*
Vetatio, interdictum.
Veterarius, veteramentarius.
Vetitio, interdictum.
Viaticor, aris, viaticum accipio
Vicennis, qui est viginti annorum. *Optatian. Porphyr.*
Viceversa, contra.
Vidualis, ad viduam pertinens. *Prosp. Aquitan.*
Viduvium, aes quod a viduis pendebatur. *Gloss.*
Vigiliolae, breves vigiliae.
Villanus, ad villam pertinens.
Vinago, genus palumbis labruscarum appetens.
Vindictor, vindex, ultor. *Gloss.*
Vinibibus, vini bibax, vinosus.
Vinivomus, vinum vomens.
Vinivorax, vinosus. *Commodian.*
Vinnolatus, et Vinnulatus, lepidus, blandus mollis.
Vinnus, cincinnus. *Isidor.*
Vinnulum, villum.
Viredo, viror, color viridis. *Guil. Brito.*
Virgarius, lictor. *Gloss.*
Viridesco, vireo. *Gloss.*
Viripos, femina viri potens, nubilis.
Virtuosus, probus, bonis moribus et virtute praeditus.
Virtutifer, et Virtutifex, virtutem pariens.
Viscarius, qui visco aves captat. *Gloss.*
Viscero, as, viscera, animalium in partes seco.
Visceror, aris, visceralionem distribuo. *Sipontin.*
Visco, as, visco illino.
Visificus, ad oculos et visum pertinens.
Visio, et Vissio, et
Visium, et Vissium, peditum tacitum. *Gloss.*
Vitator, qui vitat. Sunt qui tribuunt *Appuleio*
Vitiliginosus, vitiligine laborans. *Gloss.*
Vitriolum, succus mineralis concretus.
Vituperabiliter, probrose. *Cassiod.*
Vitus, circulus ferreus rotae. *Gloss.*
Vivificatrix, quae vivificat.
Ullatenus, ullo modo.
Ullibi, uspiam.
Ullimode, ullo modo.
Ulluco, et
Ulluo, perdo, interficio.
Ulmetum, locus ulmis consitus.
Ultrata regio, ultra sita. *Hygin. de limitib.*
Umbellatus, umbella tectus.
Umbellifer, umbellam ferens.
Umbilicatim, per umbilicos.
Umbricola, qui umbras colit. *Strabo Gall.*
Unalitas, unitas. *Victorin. l. 4. contr. Arium.*
Uncinulus, parvus uncus.
Undequaque, ex omni parte.
Undevis, ex quolibet loco.
Undifluus, undosus. *Dracont.*
Undivagus, qui undosus vagatur. *Eugen. Toletan.*
Undivomus, undas vomens.
Undula, parva unda.
Unicoleus, unum habens testem. *Gloss.*
Unicuba, mulier univira. *Gloss. Isid.*
Unitestis, unum habens testem. *Gloss.*
Unitio, unio. *Fulgent.* et *Evod.*
Universalitas, universa ratio.
Univiratus, magistratus unius viri.
Univoce, uno sensu.
Unusquispiam, unus aliquis.
Vocabulariter, appellando. *Gloss.*
Vociferarius, qui vociferatur. *Gloss.*
Volitatus, us, vagus volatus. *Fortun.*
Volitio, voluntas.
Volucritas, velocitas.
Voratus, voratio.
Voto, as, voveo.
Urachus, οὖραχος, meatus, per quem urina fetus in vesicam matris defertur.
Uranognomon, οὐρανογνώμων, rerum coelestium peritus.
Uranus, οὐρανὸς, coelum.
Uranometria, οὐρανομετρία, ars metiendi coelum.
Urbanor, aris, in urbe dego. *Gloss.*
Urbicarius, urbanus, urbicus.
Urbicula, parva urbs. *Onomast.*
Ureteres, οὐρητῆρες, cannales a renibus urinam deferentes in vesicam.
Urethra, οὐρήθρα, canalis urinae per colem.
Urgenter, urgendo. *Cyprian.*
Urogallus, gallus silvester.
Ursula, parva ursa.
Ursulus, parvus ursus.
Usia, οὐσία, essentia, natura.
Usticus, color, qui ustu fit.
Ustivus, urendi vim habens. *Macer.*
Ustulatio, ustio. *Gloss.*
Usurpatrix, quae usurpat. *Salvian.*
Usurala, parva usura.
Utillimus, utillissimus.
Utopia, οὐτοπία, non locus, privatio loci. Hac voce Thomas Morus appellabat regionem, quae nusquam esset.
Uveus, ad uvam pertinens.
Vulnerator, qui vulnerat.
Vulnifico, vulnus facio. *Venant. Fortun.*
[†Vulpanser, χηναλώπηξ. V. *Lex.* in *Gantae.*]
Vulsio, actus vellendi.
Vultivolus, qui vultu et affectibus varius est. *Sarisber.*
Uvula, parva uva.
Uxoratus, qui uxorem habet.
Uxoriosus, uxorius.

X

Xenochrites, alterius monasterii monachus.
Xenos, ξένος, hospes.
Xeria, ξήρια, emplastra arida.
Xerolophia ξηρολοφία, unctio sicca.
Xeromyrum, ξηρόμυρον, unguentum siccum.
Xeron, ξηρὸν, medicamentum ex aridis.
Xuraphopullum, novacula.
Xylinades, ξυλινάδες, lignorum mercatores.
Xylinus, ξύλινος, ligneus.
Xylophagus, ξυλοφάγος, vermis lignum rodens.

Z

Zanae, adunationes.
Zanca, genus cascei. *Isidor.*
Zancula, falx.
Zaphran, crocus.
Zappa, ligo, onis.
Zedoaria, genus aromatis apud Sinenses.
Zelator, zelotes. *Ambros.*
Zenith, punctum in coelo supra nostrum verticem, fictum ab Astronomis. Vox arabica.
Zerna, ae, f. impetigo. *Theod. Priscian.* et *Macer.*
Zetema, ζήτημα, quaestio. *Vet. lapis.*
Zibetum, excrementum valde odorum ex genitalibus cujusdam felis peregrini.
Zigir, ζίγιρ, casiae genus.
Zignus, ζίγνυς, lacerta parva.
Zoma, ζῶμα, cingulum.
Zonitis, ζωνῖτις, cadmiae species.
Zoophyta, ζωόφυτα, plantanimantia.
Zuccharum, saccharum.
Zugitae, ζυγῖται, remiges in mediis transtris sedentes.
Zygocephala, ζυγοκέφαλα, capita boum jugo juncta.
Zygostaticus, ζυγοστατικὸς, pertinens ad praesidem annonae.
Zymites, ζυμίτης, panis cum fermento.
Zythepsa, ζυθέψης, et
Zythopepta, ζυθοπέπτης, qui cithum coquit.
Zythopoeia, ζυθοποΐα, zythi confectio.
Zythopola, ζυθοπώλης, qui zythum vendit.

INDEX
SCRIPTORUM LATINORUM
EORUNDEMQUE OPERUM
QUORUM AUCTORITATE VOCABULA, EORUMQUE SIGNIFICATIONES IN HOC LEXICO ADDUCUNTUR ET EXPLICANTUR.

A

ACCIUS (L. Accius sive *Attius*) Pisaurensis, historicus, poeta tragicus, L. Accii hominis libertini et poetae comici filius, Ciceroni adolescenti jam senior notus et familiaris. Natus est ann. U. C. 584., mortuus ann. 671. Illum animosi oris *Ov. Am.* 1, 15, 19., *Hor.* vero *Ep.* 2, 1, 56. altum appellat. Scripsit versibus hexametris Annales, quorum fragmenta referunt *Macr. Sat.* 1, 7. *extr.*, *Prisc.* 5, 692. et 6, 709. et 718. et *Festus* in *Metelli*. Alia etiam scripsit, ejus enim *Parergorum librum I.* citat *Non.* 1, 305. V. ACCIUS §. 2. in Lexico.

Plerumque utimur editione *Frid. Henr. Bothii*, qui omnium accuratissime edidit *Poetarum Latii scenicorum fragmenta*, nempe *tragicorum* et *comicorum*, Halberstadii ann. 1823. et 1824. T. 2. 8°, et docte admodum ea est interpretatus.

Tragoediarum ejus fragmenta passim citantur a *Cic.*, *Gell.*, *Non.*, *Macrob.* aliisque, quarum hi sunt tituli:

1. Achilles,
2. Aegistus,
3. Aeneadae seu Decius,
4. Agamemnonidae,
5. Alcestis,
6. Alcmaeon,
7. Alphesiboea,
8. Amphitruo,
9. Andromacha,
10. Andromeda,
11. Antenoridae,
12. Antigona,
13. Argonautae seu Medea,
14. Armorum judicium,
15. Astyanax,
16. Athamas,
17. Atreus,
18. Automedia,
19. Bacchae,
20. Brutus,
21. Chrysippus,
22. Clytaemnestra, (Decius V. Aeneadae.)
23. Deiphobus,
24. Diomedes,
25. Electra,
26. Epigoni,
27. Epinausimache,
28. Erigona,
29. Eriphyla,
30. Eurysaces, (Fidicinae rectius *Phinidae*.)
31. Hecuba,
32. Hellenes,
33. Iliona,
34. Io seu Minotaurus, (Medea V. Argonautae.)
35. Melanippa seu Menalippus,
36. Meleager, (Menalippus V. Melanippa.) (Minotaurus V. Io.)
37. Myrmidones,
83. Neoptolemus,
39. Nyctegresia,
40. Oenomaus,
41. Paris,
42. Pelopidae,
43. Persidae.
44. Philoctetes,
45. Phinidae seu Fidicinae,
46. Phoenissae,
47. Prometheus, (Stasiastae V. Tropaeum.)
48. Telephus,
49. Tereus,
50. Thebais,
51. Trachiniae,
52. Troades,
53. Tropaeum seu Stasiastae.

ACRON (Helenius Acron seu Acro) scholiastes Horatii, Porphyrione antiquior, et Servio recentior. Nihil praeterea certi de ejus patria, aetate et conditione statui potest. V. ACRON §. 3. in Lexico.

Exstant ejus
1. Scholia in Horatii opera.

AEDITUUS V. VAL. AEDIT.

AEMIL. MACER. V. MACER JCtus, vel medicus.

AFRAN. (L. Afranius) poeta comicus, togatarum fabularum scriptor, Menandri, Graeci poetae, praecipuus imitator, iisdem ferme temporibus Romae floruit, quibus Terentius et Statius Caecilius in senium vergebant, nempe circa ann. U. C. 660. Is a *Cic. Brut.* 45. dicitur homo perargutus, et in fabulis etiam disertus. V. AFRANIUS in Lexico.

Fragmenta ejus plura exstant, quae collegit et illustravit *Frid. Henr. Bothius*, cujus editionem vide supra in ACCIUS.

Comoediarum ejus fragmenta passim citantur a *Gell.*, *Non.*, *Macrob.* aliisque, quarum hi sunt tituli:

1. Abducta,
2. Aequales,
3. Auctio,
4. Augur seu Augures,
5. Brundusina seu Brundusiui,
6. Bucco adoptatus,
7. Cinerarium seu Cinerarius,
8. Compitalia,
9. Consobrina,
10. Crimen,
11. Deditio,
12. Depositum,
13. Divortium,
14. Emancipatus,
15. Epistola,
16. Exceptus,
17. Fratres,
18. Fratriae, (Homo V. Omen.)
19. Ida,
20. Ima seu Imi,
21. Incendium,
22. Inimici,
23. Libertus,
24. Mariti,
25. Matertera seu Materterae,
26. Megalensia, (Neaera V. Omen.)
27. Omen al. *Homo*, al. *Neaera*,
28. Pantaleus,
29. Patella,
30. Pompa,
31. Privignus,
32. Prodigus,
33. Proditus,
34. Promus,
35. Prosa al. *Rosa*,
36. Purgamentum,
37. Repudiatus, (Rosa V. Prosa.)
38. Sella,
39. Simulans,
40. Sorores,
41. Suspecta,
42. Talio,
43. Temerarius,
44. Thais,
45. Titulus,
46. Virgo,
47. Vopiscus.

AFRICAN. (Sex. Caecilius Africanus) JCtus, sub Hadriano et Antonino Augg., qui ab ann a Chr. n. 117. ad ann. 161 imperarunt, vixit. V. AFRICANUS §. 6. in Lexico.

Fragmenta ejus operum in Digestis habentur, quorum hi sunt tituli:
1. Quaestionum libri IX.,
2. Epistolarum libri XX.

AGGEN. URB. (Aggenus Urbicus) scriptor rei agrariae, incertae admodum aetatis. Ejus opera habentur inter *Auctores rei agrariae* a *Guil. Goesio*, Amstel 1674. 4.° editos, quae tamen editio omnium licet accuratissima hactenus habeatur, ejusque in Lexico passim fiat mentio, novum exspectat accuratioremque editorem. V. AGGENUS URBICUS in Lexico.

Exstant ejus
1. In Julium Frontinum commentariorum libri II. (1),
2. De controversiis agrorum partes II.

AGROET. (Agroetius seu Agraetius) grammaticus, floruit medio circiter saeculo quinto a Chr. n. in Gallia, siquidem is videtur esse, quem nominat *Sidon. ep.* 7, 5.

Exstat ejus opus priori loco citatum inter *Grammaticos veteres* ab *Helia Putschio* editos Hannoviae 1605. 4° p. 2266. — 2275., quam editionem sequimur: alterum vero inter *Auctores Latinae linguae* editos a *Dionys. Gothofredo* Coloniae Allobrogum ann. 1622. 4.° p. 1346 — 1352.

1. De orthographia et proprietate et differentia sermonis libellus.
2. Excerpta de iisdem.

ALBINOV. (C. Albinovanus Pedo) poeta heroicus, et, ut quibusdam videtur, elegiacus, vixit sub Augusto et Tiberio, notus fuit M. Senecae rhetori, et L. Senecae philosopho familiaris. Eidem tribuitur elegia ad Liviam de morte Drusi, licet aliis eadem Ovidio tribuenda satis probabiliter esse videatur, ideoque inter hujus opera saepe edita est. Alteram vero, tertiamque elegiam, multo minore, quam primam, jure *Jos. Scaliger* Pedoni Albinovano asserere conatur, cum in iisdem nihil Augustei aevi poeta, multoque minus sidereo illo et sublimi Pedone dignum reperiatur. Illi potius tribuendum est fragmentum heroico carmine scriptum, et a M. Seneca *Suasor.* 1. *f.* nobis servatum, quo navigatio Germanici, Drusi filii, describitur, quam tertio Tiberii anno cum legionibus classi impositis tentavit per flumen Amisium, nunc *Ems*, in oceanum septentrionalem, quamque describit *Tac. Ann.* 2, 23. Pedonis autem facetum dicterium refert *Quint.* 6, 3. *med.*, ejusque meminit *Id.* 10, 1. *med.* Illius denique narrationem de Sp. Papinio, ob singularem vivendi rationem lychnobio appellato, profert *L. Sen. ep.* 122. *f.* V. ALBINOVANUS §. 1. in Lexico. In *Consolatione ad Liv.* sequimur editionem *Chr. Dan. Beckii* Lips. ann. 1783. 8.°, in reliquis carminibus edit. *Jo. Chr. Wernsdorfii*, qui inter *Poetas Lat. min.* Altenburgi ann. 1782. T. 3. p. 155. — 182. et T. 4. p. 229. — 235. edidit et illustravit. Albinovani itaque sunt:

1. Consolatio (seu elegia) ad Liviam Augustam de morte Drusi Neronis,
2. Elegia in obitum Maecenatis,
3. —— de Maecenate moribundo,
4. Fragmentum de navigatione Germanici per oceanum septentrionalem.

ALBRIC. (Albricus seu Alfricus) Londinensis, mythologus, vixit circa ann. 1217., qui ideo inter classicos auctores a *Munkero*, et *Augusto van Staveren* editus est, quia Fulgentium Planciadem compilasse dicitur. Hujus scriptoris editio Lugd. Bat. 1742. 4.° omnium optima habetur. Illius tamen auctoritatis ratio nulla hactenus, quod sciam, habita in Lexico est.

Exstat ejus
1. De Deorum imaginibus libellus.

ALCIM. (Alcimus Ecdicius Avitus) Viennensis episcopus, et versificator, floruit circa ann. a Chr. n. 490., obiit ann. 523. Inter ejus temporis poetas doctissimus est habitus. V. ALCIMUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus versibus hexametris scripti sequentes:
1. De Mosaicae historiae gestis libri V. *seu*
   1. De mundi origine,
   2. — origine peccatorum,
   3. — potentia Dei,
   4. — diluvio,
   5. — transitu maris rubri.
2. — consolatoria castitatis laude ad Fuscinam sororem liber (2).

ALCUINUS (Flaccus Albinus Alcuinus) Anglus, a Carolo M. ann. 790. ad studia instauranda in Galliam evocatus. V. ALCUINUS in Lexico. Multa scripsit, quae ad grammaticam pertinent.

Exstant ejus
1. Grammatica (3),
2. Dialogus de rhetorica cum Carolo M. (4).

ALDHELMUS sive ADELHELMUS, Anglus, episcopus Shirburnensis, obiit ann. a Chr. n. 709. Plura scripsit, quae *Jo. Alb. Fabricius* in *Biblioth. Lat. med. et inf. aet.* recenset; ex ejus opere *de virginitate* unicum, quod sciam, locum citat *Forcellinus* in V. AURORESCO. Multo tamen plura nova vocabula futuris Lexicographis colligenda exstant in iis ejusdem operibus, quae nuper Romae edidit ex MSS. Vatic. *A. Maius* in *Classic. auct.* T. 5. p. 387. — 390. et p. 501. — 599.

ALFENUS (P. Alfenus Varus) JCtus, Cremonensis, vixit imperante Augusto, et consul fuit ann. U. C. 755. V. ALFENUS in Lexico.

---

(1) quorum posterior *diazographus* inscribitur, quia constat variis figuris in aes incisis.

(2) qui interdum liber VI. dicitur.

(3) inter *Grammaticos veteres* a *Putschio* editos p. 2075 — 2143.

(4) inter *Antiquos rhetores* a *Claud. Capperonerio* Argentorati editos ann. 1756. 4.° p. 390 — 409.

Exstant ejus fragmenta passim in Digestis (5) ex I. Digestorum libris XL.

ALF. (Alfius Flavus) orator, M. Senecae rhetoris aequalis, cus fragmenta ille *Controv.* 1, 1. *f.* refert.

AMBROS. (Ambrosius) Romanis parentibus natus est in Gallia ann. a Chr. n. 334., episcopus Mediolanensis electus ann. 374., obiit ann. 397. V. AMBROSIUS §. 1. in Lexico. Plura scripsit, quae edita sunt studio et labore monachor. Ordinis S. Benedicti Parisiis ann. 1686. — 1690. T. 2. fol., quam editionem sequimur.

Exstant ejus
1. Hexaemeron libri VI.,
2. De Paradiso,
3. — Cain et Abel libri II.,
4. — Noe et arca,
5. — Abraham libri II.,
6. — Isaac et anima,
7. — bono mortis,
8. — fuga saeculi,
9. — Jacob et vita beata libri II.,
10. — Joseph patriarcha,
11. — Elia et jejunio,
12. — Nabuthe Iezraelita,
13. — Tobia,
14. — interpellatione Job et David libri IV.,
15. Apologia prophetae David,
16. ——— altera ejusdem,
17. Enarrationes in psalmos XII.,
18. Expositio in psalmum CXVIII.,
19. ——— Euangelii secundum Lucam libris X. comprehensa,
20. De officiis ministrorum libri III.,
21. — virginibus ad Marcellinam libri III.,
22. — viduis,
23. — virginitate,
24. — institutione virginis,
25. Exhortatio virginitatis,
26. De lapsu virginis consecratae,
27. — mysteriis,
28. — sacramentis libri VI.,
29. — poenitentia libri II.,
30. — fide libri V.,
31. — Spiritu Sancto libri III.,
32. — incarnationis dominicae sacramento,
33. Epistolae XCI.,
34. De excessu fratris sui Satyri libri II,
35. — obitu Valentiniani II. Aug. consolatio,
36. ——— Theodosii I. Aug. oratio,
37. Hymni XII.

AMMIAN. (Ammianus Marcellinus) Antiochiae natus fuisse videtur; floruit circa ann. a Chr. n. 380. V. AMMIANUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Rerum gestarum libri XXXI. (6),
2. Excerpta de Constantio Chloro, Constantino M., aliisque imperatoribus (7).

AMPEL. (L. Ampelius) floruit circa ann. a Chr. n. 370. Imitatus est Cornelium Nepotem, et in pluribus locis Florum sequitur. V. AMPELIUS in Lexico.

Exstat ejus
1. Liber memorialis.

ANDRONIC. V. LIV. ANDRONICUS.

ANTONIN. ITINER. (Antonini Augusti Itinerarium) Hoc nomine appellatur opus, quod accuratissime editum est Amstelodami ann. 1735. 4.° a *Petr. Wesslingio*, una cum *Itinerario Hierosolymitano*, in quo descriptae sunt locorum distantiae totius orbis, Romanis tunc cogniti, quodque, licet Antonini nomen praeferat, fortasse sub primis Caesaribus conscriptum, postea ducum militarium commentariis, et cursuum publicorum viis locupletatum ad nos pervenit. Alterum vero Itinerarium, quod Hierosolymitanum nuncupatur, exaratum est quarto Christi saeculo ab homine Christiano, qui Burdigala discedens Hierosolymam profectus est, eoque consilio id digestum fuisse videtur, ut urbem Hierosolymam visere cupientibus fax itineris quodammodo praeferretur, viaque demonstraretur. V. ITINERARIUM §. 1. in Lexico.

ANTONINUS PIUS, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 138. ad ann. 161., cujus exstant epistolae II. inter opera *Frontonis* ab *A. Maio* iterum edita Romae ann. 1823. 8.° p. 253. et 258., cujusque auctoritate utimur in V. STATIO §. 7. in Lexico.

ANTON. (M. Antonius) Hic M. Antonii Cretici filius, M. Antonii oratoris nepos, Caesaris partes in bello civili secutus est, ideoque Ciceroni inimicus, post varias vicissitudines triumvir reipublicae constituendae una cum Octaviano Augusto, et M. Lepido renuntiatus, Ciceronem inter proscriptos censendum curavit. V. ANTONIUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus tres epistolae, quarum prima inter *Ciceronis Att.* 10, 8., alia *Att.* 14, 13., tertia vero, quam ipse *Cic. Phil.* 13, 10—21. per partes recitat, et interpretatur.

APIC. (Coelius Apicius) Cum plures fuerint Apicii voraci ingluvie famosi, difficile admodum videtur statuere, quisnam fuerit, et quo vixerit tempore is, cui adscribi solet sequens opus. Stilus ejus paene vulgaris et abjectus cadentem arguit Latinitatem. V. APICIUS, *ii* in Lexico. Omnium optima habetur *Jo. Mich. Bernhaldii* editio ann. 1787. 8.° Marcobreitae, quam nos sequimur.

Exstant sub ejus nomine
1. De opsoniis et condimentis, sive arte culinaria libri X., quorum tituli sunt:
   1. Epimeles,
   2. Sarcoptes,
   3. Cepuros,
   4. Pandecter,
   5. Osprios,
   6. Aeropetes,
   7. Polyteles,
   8. Tetrapus,
   9. Thalassa,
   10. Halieus.

APUL. (L. Apulejus seu Appulejus) Madaurensis in Africa, illustri genere natus, vixit imperantibus Antonino Pio et M. Aurelio, philosophus Platonicus, et orator sui temporis clarus. Tumidus quandoque, ut Afri fere omnes, saepe prolixus in narrationibus, et cascae elegantiae affectator, totusque Plautinus: ita ut, praesertim in Metamorphoseon libris, seu Asino aureo, nostrorum scriptorum, qui *novellieri* Italice dicuntur, stilum praeseferat. V. APULEJUS, *ji* §. 2. in Lexico. Omnium ejus operum editio optima habetur, quam *Franc. Oudendorpius*, quo defuncto *Jo. Bosscha* curarunt Lugd. Batav. 1786—1823. T. 3. 4.°, quamque ipsi saepissime sequimur, praeterquam in Trismegisto, quem librum alii potius, quam Apulejo tribuendum ratus, in sua editione omisit *Jo. Bosscha:* ceterum versio illa ex Graeca lingua antiquior est Augustino, quippe qui ex eodem loca quaedam in lib. 8. *de Civ. D.* c. 23. 24. et 26. et alibi etiam referat. Liber *de herbis*, sive *de nominibus et virtutibus herbarum*, sive *herbarium* nuncupatus, a plerisque eidem Apulejo adjudicatur, a nonnullis opus ex variis auctoribus consarcinatum, et mutilum ad nos pervenisse videtur ex indice eidem praemisso in Cod. MS. Colbertino: hujus editionem, quibusdam tamen hac illac emendatis, citavimus, quae excusa est Lugduni ann. 1614. T. 2. 8.°

Exstant ejus
1. Metamorphoseon sive Asini aurei libri XI.,
2. Apologia sive de magia liber (8),
3. Floridorum libri IV. (9),
4. De Deo Socratis,
5. — dogmate Platonis libri III. (10,
6. — mundo,
7. Fragmenta (11),
8. Ἀνιζόμενος ex Menandro (12),
9. Trismegistus (13),
10. Herbarium (14),

APUL. DE ORTHOGR. (L. Caecilius Minutianus Apulejus) grammaticus incertae aetatis, cujus fragmenta edidit *A. Maius* Romae ann. 1823. 8.°; ex iisdem pauculae quaedam voces citantur in Lexico.

Exstant ejus
1. De orthographia (15).

AQUILA (Aquila Romanus) rhetor, qui vixit ante Constantinum M., et ex Graeco opusculo *de figuris* Alexandri Numenii excerpsit, et usui suo accommodavit, ac Latinorum scriptorum locis instruxit tres sequentes libros, qui a *Claudio Capperonerio* inter *Antiquos rhetores Latinos*, Argentorati ann. 1756. 4.° editi sunt, cujusque editionem sequimur.

Exstant ejus
1. De figuris sententiarum et elocutionis,
2. De schematis lexeos (16),
3. De schematis dianoeas.

ARATOR, cognominatus subdiaconus, Ligur seu potius Mediolanensis, ex comite domesticorum et privatorum, postea subdiaconus Romanus seu Romanae Ecclesiae cardinalis, obiit ann. 566. Versibus hexametris ex Actibus Apostolorum historiam conscripsit, cui praemisit duas breves elegias, ad Florianum unam, alteram ad Vigilium Papem: epistolam vero ad Parthenium versibus itidem elegiacis exaratam misit. V. ARATOR in Lexico.

Exstant ejus
1. Historiae Apostolicae libri II.,
2. Epistola ad Parthenium.

ARCAD. CHARIS. V. AUREL. ARCAD. CHARIS.

ARNOB. (Arnobius) Afer, Siccae rhetoricam docuit, sub Diocletiano, et apologeticum suum ann. 306 scripsisse videtur. V. ARNOBIUS in Lexico. Editionem omnium optimam secuti sumus *Jo. Conr. Orellii*, Lips. 1816. 8.°, in citandis vero locis paginam editionis Lugd. Batav. ann. 1651. 4.° numeravimus.

Exstant ejus
1. Disputationum adversus Gentes libri VII.

ARR. MENAND. (Arrius Menander) JCtus, sub Septimio Sev. et Caracalla, qui ab ann. a Chr. n. 193. ad ann. 217. imperarunt, vixit.

Exstant ejus in Digestis
1. Fragmenta de re militari lib. IV.

ASCON. (Q. Asconius Pedianus) Patavinus, grammaticus et rhetor, Romae vixit. V. ASCONIUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Commentationes in M. Tull. Cic. tres Verrinas, et quartae initium,
2. — — — — orat. pro C. Cornelio,
3. — — — — contra C. Antonium et L. Catilinam,
4. — — — — contra L. Pisonem,
5. — — — — pro Scauro,
6. — — — — pro Milone.

ASELLIO. V. SEMPRON. ASELLIO.

ASIN. (C. Asinius Pollio) natus Romae ann. U. C. 678, oriundus ex Teate Marrucinorum, orator, historicus, et poeta tragicus.

Exstant ejus pauca quaedam
1. Fragmenta apud veteres auctores, et
2. Epistolae III. inter *Cic. Fam.* 10, 31. 32. et 33.

ASPER, grammaticus Hieronymo et Augustino antiquior. Virgilium et Sallustium commentatus est. Ejus fragmenta in Virgilium collegit et edidit *A. Maius* in *Virgilii interpret. vet.* Mediolani ann. 1818. 8.° Exstat praeterea ejus
1. Ars scil. grammatica (17).

ATIL. FORTUNATIAN. (Atilius Fortunatianus) grammaticus, videtur fuisse coaevus Cassiodorio.

Exstat ejus
1. Ars et de metris Horatianis (18).

ATTA (C., vel T., Quinctius Atta) comoediarum togatarum scriptor, obiit, ut quidam putant, ann. U. C. 678.

Comoediarum ejus fragmenta passim citantur a *Non.*, *Diomede*, *Gell.*, aliisque, quarum hi sunt tituli:
1. Aedilicia,
2. Aquae caldae,
3. Conciliatrix,
4. Epigrammata,
5. Lucubratio,
6. Matertera,
7. Megalensia seu Megarensia,
8. Socrus,
9. Supplicatio,
10. Tiro proficiscens.

AUCT. AD HERENN. Rhetoricorum ad C. Herennium libri quatuor, qui plerumque cum operibus M. Tullii Ciceronis edi solent, quem habeant auctorem, incertum adhuc est. Alii enim ipsi Ciceroni, alii L. Cornificio seniori, alii M. Gallioni eos tribuunt; at *Chr. God. Schützius* probabili conjectura contendit, auctorem horum librorum esse M. Antonium Gniphonem, cujus vitam habes apud *Suet. Gramm.* 7., qui Ciceroni paulo antiquior fuit, cujusque hic libros prae manibus habuit, cum suos de inventione rhetorica libros juvenili admodum aetate conscriberet.
—— B. AFRIC. *h. e.* belli Africani,
—— B. ALEX. ——— Alexandrini,
—— B. HISPAN. ——— Hispaniensis,
—— LIB. 8. B. GALL. *h. e.* libri octavi belli Gallici.

Haec habet *Suet. Caes.* 56. Belli Alexandrini, Africani et Hispaniensis (librorum), incertus auctor est: alii Oppium putant, alii Hirtium; qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit.

—— CARM. seu PANEG. AD PIS. V. SALEJUS.
—— AD MESSAL. (carmen seu elegia ad M. Val. Corvinum Messalam) (19).

---

(5) Saepe is *Alfenus* appellatur in Digestis, aliquando et *Varus*, ut *Dig.* 39, 3, 2. §. 5.

(6) quorum XIII. priores perierunt, alii ab XIV. ad XXXI. continent res gestas ab ann. a Chr. n. 352. ad 378.

(7) Haec ejusdem operi subjungi solent, sed sunt auctoris ignoti.

(8) Utriusque operis citantur paginae ex editione Elmenhorstii ann. 1621. Francofurti 8.°

(9) qui in numeros 24. distributi sunt, quos citavimus.

(10) quorum primus etiam *de philosophia naturali*, alter *de philosophia morali* sive περὶ ἑρμηνείας, sive *de syllogismo categorico* inscribuntur.

(11) Ex variis ejus operibus a *Non.*, *Charis.*, *Prisciano* aliisque citata.

(12) Ita inscribitur hoc poemation tribus et viginti versibus iambicis constans, quod licet alii lepidissimum dictitent, tamen obscenissimum recte voces, quodque cum *Elmenhorstio* et *Burmanno* aliisque ab Italo quodam sub initium renascentium litterarum confictum arbitreris, necesse est.

(13) qui et *Hermetis Trismegisti Asclepius*, et *de natura Deorum dialogus*, et *de natura Deorum ad Asclepium adlocuta* inscribitur.

(14) quod et *liber de herbis*, sive *de nominibus ac virtutibus herbarum* inscribitur.

(15) trium librorum fragmenta.

(16) Haec duo opuscula perperam vulgo *Julio Rufiniano* tribuuntur.

(17) apud *Putsch.* p. 1725—1736.

(18) apud eund. p. 2661—2706.

(19) Scriptum fuisse videtur ann. U. C. 725. ab ignoto autore, quem Virgilium fuisse nonnulli putant: editum vero fuit a multis, sed praecipue a *P. Burmanno* in *Anthol. Lat.* T. I. p. 292., ab *Heynio* inter *Catalecta Virgilii n.* 11., a *Wernsdorfio* inter *Poet. Lat. min.* T. 3. p. 147., et a *G. Phil. Ed. Wagnero*, qui Lipsiae ann. 1816. 8.° idem edidit et perpetuo commentario illustravit. In citandis in Lexico locis usi sumus editione *Heynii*. V. AGLAIA et ELELEIDES.

AUCT. DE CRUCE — — GENESI — — SODOMA — AD SENATOR. } Cypriano vulgo tribuuntur.
— DE PHILOMELA (20).
— COLLAT. LEG. MOSAIC. ET ROM. (collationis legum Mosaicarum et Romanarum) (21).
— DIAL. DE ORAT. (dialogi de oratoribus) (22).
— EPIST. AD OCTAV. (23).
— EPIT. ILIAD. HOMER. V. PSEUDO-PINDARUS.
— EPITHAL. LAUR. ET MAR. (epithalamii Laurentii et Mariae) (24).
— INCERT. DE RE AGRAR. quorum hi sunt tituli:
1. Ordines finitionum,
2. De locis suburbanis vel diversis itineribus, pergentium in suas regiones,
3. Excerpta ex libris Magonis, Vegojae et Aruntis Vertumni,
4. De terminis et de lineis partium orientalium,
5. Excerpta ex Vitali, Fausto et Valerio,
6. Ratio limitum regundorum,
7. Expositiones, sive lapidum finalium per diversas provincias positorum figurae,
8. Expositio de marginibus terrae, operibus caesis, et de vallibus,
9. Varatio fluminis ex M. Junio Nypso,
10. Excerpta ex variis auctoribus (25).

— ITINER. ALEX. M. (itinerarii Alexandri Magni) (26).
— LIBRI DE NOMINIB. ROM. (27).

AUGUSTIN. (Aurelius Augustinus) Tagastae in Numidia natus ann. a Chr. n. 354., defunctus ann. 430.: Tagastae primum, mox Carthagine, Romae ac Mediolani rhetoricen docuit: tandem apud Hipponenses munus presbyteri, deinde episcopi obtinuit. Multa praeditus fuit facundia, acumine ingenii et doctrinarum copia: dictio ejus neque pura, neque elegans est.
Exstant ejus
1. Retractationum libri II.,
2. Confessionum libri XIII.,
3. Contra Academicos libri III.,
4. De beata vita,
5. — ordine libri II.,
6. Soliloquiorum libri II.,
7. De immortalitate animae,
8. — quantitate animae,
9. — musica libri VI.,
10. — magistro,
11. — libero arbitrio libri III.,
12. — Genesi contra Manichaeos libri II.,
13. — moribus Ecclesiae catholicae, et de moribus Manichaeorum libri II.,
14. — vera religione,
15. Regula ad servos Dei,
16. De doctrina Christiana libri IV.,
17. — Genesi ad litteram imperfectus liber I.
18. — Genesi libri XII.,
19. Locationum libri VII.,
20. Quaestionum in Heptateuchum libri VII.,
21. Annotationum in Job liber,
22. Speculum,
23. De consensu Euangelistarum libri IV.,
24. — sermone Domini monte libri II.,
25. Quaestionum Euangeliorum lib. II.,
26. ——— XVII. in Euang. secundum Matthaeum liber,
27. In Joannis Euang. tractatus CXXIV.,
28. — epist. Joannis ad Parthos tractatus X.,
29. Expositio quarundam propositionum ex Epist. ad Romanos,
30. Epistolae ad Romanos inchoata expositio,
31. Expositio epistolae ad Galatas,
32. Enarrationes in psalm. CL.
33. Sermones CCCXCIII.,
34. De diversis quaestionibus LXXXIII. liber,
35. De diversis quaestionibus ad Simplicianum libri II,
36. De octo Dulcitii quaestionibus,
37. — fide rerum, quae non videntur,
38. — — et symbolo,
39. — — et operibus,
40. Enchiridion de fide, spe, et caritate,
41. De agone Christiano,
42. — catechizandis rudibus,
43. — continentia.
44. — bono conjugali,
45. — sancta virginitate,
46. — bono viduitatis,
47. — conjugiis adulterinis libri II.,
48. — mendacio,
49. Contra mendacium,
50. De opere monachorum,
51. — divinatione daemonum,
52. — cura pro mortuis gerenda,
53. — patientia,
54. — symbolo ad cathecumenos tractatus IV.,
55. — disciplina Christiana,
56. — cantico novo,
57. — quarta feria,
58. — tempore barbarico,
59. — utilitate jejunii,
60. — Urbis excidio,
61. — civitate Dei libri XXII.,
62. — haeresibus,
63. Tractatus adversus Judaeos,
64. De utilitatibus credendi,
65. — duabus animabus,
66. Acta seu disputatio contra Fortunatum Manichaeum,
67. Contra Adimantum Manichaei discipulum,
68. —— epistolam Manichaei,
69. —— Faustum Manichaeum libri XXXIII.,
70. De actis cum Felice Manichaeo libri II.
71. — natura boni contra Manichaeos,
72. Contra Secundinum Manichaeum,
73. —— adversarium Legis et prophetarum libri II.,
74. Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas,
75. Sermo Arianorum,
76. Contra sermonem eorundem,
77. Collatio cum Maximino Arianorum episcopo,
78. Contra eundem Maximinum libri II.,
79. De Trinitate libri XV.,
80. Contra Parmenianum libri III.,
81. De baptismo contra Donatistas libri VII.,
82. Contra litteras Petiliani libri III.,
83. Epistola ad Catholicos contra Donatistas,
84. Contra Cresconium libri IV.,
85. De unico baptismo contra Petilianum,
86. Breviculus collationis cum Donatistis,
87. Post collationem ad Donatistas,
88. Sermo ud Caesareensis Ecclesiae plebem Emerito praesente dictus,
89. De gestis cum Emerito,
90. Contra Gaudentium libri II.,
91. Sermo de Rusticano subdiacono,
92. De peccatorum meritis et remissione libri III.,
93. — spiritu et littera,
94. — natura et gratia,
95. — perfectione justitiae hominis,
96. — gestis Pelagii,
97. — gratia Christi, et peccato originali,
98. — nuptiis, et concupiscentia libri II.,
99. — anima, et ejusdem origine libri IV.,
100. Contra duas epistolas Pelagianorum libri VI.,
101. —— Julianum libri IV.,
102. De gratia et libero arbitrio,
103. — correptione et gratia,
104. — praedestinatione sanctorum,
105. — dono perseverantiae,
106. Contra secundam Juliani responsionem libri VI.

Sunt alii libri *Augustino* passim tributi, et ex quibus loca quaedam citantur a *Forcellino* in Lexico: sed eos ideo omittimus, quia a Maurinis monachis, quorum editionem Parisiis ann. 1679—1701. T. II. fol. sequimur, inter opera apocrypha rejecti sunt.

AUGUSTUS (C. Julius Caesar Octavianus Augustus) natus Velitris ann. U. C. 691., obiit ann. 767., a Chr. n. 14.
Exstant ejus
1. Fragmenta tum ligata, tum soluta oratione, quae collegit *Albert. Fabricius* Hamburgi 1727. 4.°

AVIAN. (Flavius Avianus) ex quorundam sententia floruit circa ann. a Chr. n. 160, sed Rufo Avieno suppar fuisse videtur.
Exstant ejus
1. Fabulae XLII. versu elegiaco exaratae.

AVIEN. (Rufus Festus Avienus) natus Volsiniis in Etruria, floruit circa ann. a Chr. n. 410.
Exstant ejus
1. Phaenomena, et
2. Prognostica ex Arato poeta Graeco in Latinam linguam versibus hexametris versa,
3. Periegesis, seu Descriptio orbis terrae versibus hexametris ex Dionysio poeta Graeco liberius interpretata,
4. Ora maritima (28),
5. Carmen de malis Punicis (29),
6. ——— ad Sirenum allegoria (30),
7. ——— amicos de agro (31).

AURELIUS ARCADIUS CHARISIUS JCtus, qui imperante Diocletiano praeses fuit Syriae, scripsit sub Constantino M.
Estant in Digestis ejus fragmenta ex
1. libro singulari de muneribus civilibus.
2. — — — — officio praefecti praetorio,
3. — — — — testibus.

AUR. VICTOR (Sex. Aurelius Victor) major, historicus, Africanus, Juliano Aug. ann. 360. amice cognitus, praefectus Urbi ann. 388. Ejus mentionem facit *Ammian.* 21, 10. §. 6.
Exstant ejus
1. Origo gentis Romanae,
2. De viris illustribus urbis Romae,
3. De Caesaribus historia (ab Imp. Aug. usque ad Constantium Constantini M. filium).

AUR. VICTOR (Sex. Aurelius Victor) minor, historicus, qui diversus a superiore est, et aetate posterior.
Exstat ejus
1. Epitome de Caesaribus (ab Imp. Augusto usque ad obitum Theodosii I.).

AUSON. (Decimus Magnus Ausonius) Burdigalae in Gallia natus ann. a Chr. n. 309., obiit ann. 394. Grammaticus, rhetor, et poeta ingeniosus. V. AUSONIUS in Lexico.
Exstant ejus
1. Epigrammata CXLVI.,
2. — — — alia IV. (32),
3. Ephemeris (id est totius diei negotium),
4. Parentalia XXX (33),
5. Professores Burdigalenses XXVI.,
6. Epitaphia heroum, qui bello Troico interfuerunt XXVI.,
7. — — aliorum XII.,
8. XII. Caesares per Suetonium Tranquillum scripti,
9. Tetrasticha, a Julio Caesare usque ad tempora sua, XXIV.,
10. Clarae urbes, sive ordo nobilium urbium XIV.,
11. Ludus septem sapientum,
12. Eorundem sententiae septenis versibus explicatae,
13. Eidyllia XX. (34),
14. Eclogarium,
15. Epistolae XXV.,
16. Ad Gratianum Imp. discipulum gratiarum actio pro consulatu,
17. Periochae in Homeri Iliadem et Odysseam,
18. Praefatiunculae III.

B

BARO (M. Baro seu Varro)
Exstat ejus
1. Liber de geometria (35).

BEDA, presbyter et monachus, natus ann. a Chr. n. 672. in agro Dunelmensi in Britannia (nunc *Durham* in *Northumberland*), obiit ann. 735. Plurima scripsit ad grammaticam, ad mathesin, ad historiam et ad poeticen pertinentia, inter quae
Exstant ejus
1. De orthographia (36),
2. De arte metrica (37),
3. De figuris et tropis Ss. Scripturae liber (38),
4. Cuculus (39),
5. Compositio horologii (40).

BIBACULUS (M. Furius Bibaculus) Cremonensis, poeta satyricus, vixit post obitum Lucilii poetae. V. BIBACULUS §. 1. in Lexico.
Exstat ejus versus hexameter apud *Hor. Sat.* 2, 5, 41. et *Quint.* 8, 6. §. 17, et carminum hendecasyllaborum minime spernenda fragmenta II. apud *Suet. Gramm.* 11.

BITHYNICUS V. POMPEJUS BITHYNICUS.

BOETH. (Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius) Romanus patricius, natus creditur ann. a Chr. n. 455., obiit Ticini ann. 526. jussu Theodorici Gothorum regis interfectus. V. BOETHIUS in Lexico. Plurima scripsit, inter quae eminent
I. De consolatione Philosophiae libri V. (41).

BRUT. (D. Junius Brutus) Hic, cum adoptatus fuisset ab A. Postumio Albino, Brutus Albini

---

(20) Haec elegia incerti auctoris est, sed Christiani, et sequioris aevi. Praeter alios eam ediderunt et illustrarunt *P. Burmannus* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 423. et *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min.* T. 6. p. 2. p. 388. quos sequimur.

(21) Auctor hujus collationis Christianus fuit, at post Codicem Theodosianum editum et ante Justiniani aetatem scripsit, qui leges Romanas ex integris *Papiniani* seu *Papiani*, *Pauli*, *Domitii*, aliorumque juris auctorum libris, item ex Cod. Theodosiano desumptas, et in XVI. titulos tributas cum legibus Mosaicis contulit. Editionum sequimur Lipsiensem *A. Schultingii* ann. 1737. p. 719—800.

(22) Hujus auctorem plerique critici statuunt esse *Cornelium Tacitum*, qui illum ann. a Chr. n. 75. scripsit. V. *Spaldingium* ad *Quintilianum* T. 2. p. 41. et 424.

(23) V. quae adnotavimus ad CIC. *epistolar. ad Brutum.*

(24) Hujus auctor antiquus quidem, sed inferioris Latinitatis tempore vixisse videtur, ex quo tamen plura nova vocabula in Lexicon admisimus: illud editum et illustratum fuit a *P. Burmanno* in *opere cit.* T. 2. p. 633. et a *Wernsdorfio op. cit.* T. 4. p. 488., quos sequimur.

(25) Hi omnes editi sunt a *Goesio* Amstelodami ann. 1674. 4.°, quam editionem sequimur.

(26) Hoc opus ex Cod. bibliothecae Ambros. primus edidit *A. Maius* Mediolani ann. 1817. 8.°; ejus auctorem, licet anonymum, scripsisse constat ann. a Chr. n. 349., ut idem *Maius* arguit ex cap. 4. et 8.

(27) Hic liber vulgo tribuitur *Valerio Maximo*, et hujus operibus subjungi solet.

(28) *h. e.* descriptio orae maris mediterranei cum Ponto Euxino, et Maeotide, usque ad mare Scythicum: sed hujus operis, iambicis carminibus exarati, fragmentum nunc exstat, quod a fretu Herculeo ad Massiliam tantummodo procedit.

(29) In *Anthолog. Lat.* T. 1. p. 494. *Burm.*

(30) *ibid.* p. 113.

(31) *ibid.* p. 496.

(32) quibus Fastorum a se digestorum meminit.

(33) quibus carorum suorum obitus commemorat.

(34) ex quibus X. Mosella, XII. Technopaegia inscribitur.

(35) inter *Auct. de re agraria* a *Goesio*, p. 335.

(36) inter *Grammaticae Latinae Auctores antiq.* a *Putschio*, p. 2327. — 2349.

(37) *ibid.* p. 2240. — 2246.

(38) inter Antiq. Rhetor. Latinos editos a *Capperonerio* Argentorati ann. 1736. 4.° p. 375. — 386.

(39) ecloga constans LV. versibus hexametris in *Anthol. Lat.* 2. p. 356. *Burm.*

(40) carmen LXXXVII. versibus hexametris constans *ibid.* p. 397.

(41) In his citandis sequimur editionem Patavinam *Jos. Comini* ann. 1721. 8.°

F. est cognominatus in nummis apud *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 229. A C. Julio Caesare in secundis heredibus nominatus, ipsum tamen in senatu pugione petiit, et ab eodem in ann. U. C. 711. consul designatus, mox, eo occiso, Galliae citerioris proconsul a M. Antonio Mutinae obsessus, ab Octaviano una cum Hirtio et Pansa consulibus liberatus, tandem a triumviris hostis reipublicae judicatus, cum in Macedoniam fugere pararet, occisus est.

Exstant ejus
1. Epistolae X. (42).

BRUT. (M. Junius Brutus), qui adoptatus a Q. Servilio Caepione, avunculo ejus, dictus est Q. Caepio Brutus, natus ann. U. C. 669., in proelio Pharsalico pro Pompejo pugnavit ann. 706., C. Julium Caesarem in senatu pugione feriit ann. 710., mox in Macedoniam proconsul profectus, in proelio Philippensi a M. Antonio et Octaviano victus, sibi mortem conscivit ann. 712.

Exstant ejus
1. Epistolae XI. (43).

C

CAECIL. (Sex. Caecilius Africanus) JCtus, vixit sub Antonino Pio.

Exstant ejus in Digestis, ubi *Africanus* tantummodo appellatur, fragmenta ex
1. Quaestionum libris IX.,
2. Epistolarum libris XX.

CAECIL. (Caecilius (Statius) poeta comicus, Gallus Insuber, obiit ann. U. C. 586. V. CAECILIUS §. 2. in Lexico.

Comoediarum ejus fragmenta passim citantur a *Festo*, *Nonio*, *Prisciano*, aliisque, et a *Frid. Henr. Bothio* collecta (V. supra in ACCIUS), quarum hi sunt tituli:

1. Aeschinus sive Aeschines hypobolimaeus,
2. Aeschrio sive Aethrio,
3. Anagorizomene,
4. Andria,
5. Androgynus sive Andronicus,
6. Asotus,
7. Calci sive Calchi,
8. Charinus,
9. Chrysius,
10. Dardanus,
11. Davus,
12. Demandati.
13. Emporus,
14. Ephesio,
15. Epiclerus,
16. Episattomenos,
17. Epistola,
18. Eratosthenes,
19. Exsul,
20. Fallacia,
21. Fenerator sive Obolostates,
22. Gamos,
23. Harpazomeni,
24. Hymnis,
25. Hypobolimaea rastraria,
26. Hypobolimaeus sive Subditivus,
27. Hypobolimaeus Chaerestratus,
28. Meretrix,
29. Nauclerus,
30. Nothus Nicasio, Obolostates V. Fenerator,
31. Pausimachus,
32. Philumena,
33. Plocium,
34. Polumeni,
35. Portitor,
36. Pugil,
37. Symbolum,
38. Synaristusae,
39. Synephebi,
40. Syracusii,
41. Titthe,
42. Triumphus,
43. Venator,
44. Umbri sive Umbrae,

CAECINA (A. Licinius Caecina) ex Etruria, scripsit de Etrusca disciplina: bello civili, cum a Pompeji partibus staret, Caesaris existimationem criminosissimo libello laceravit, ut docet *Suet. Caes.* 75., deinde post pugnam Pharsalicam excusandi sui causa edidit *librum querelarum*, quo errorem suum Caesari excusaret. Is putatur idem, quem Cicero oratione *pro A. Caecina* defendit. V. CAECINA in Lexico.

Exstat ejus
1. Epistola inter *Cic. Fam.* 6, 7.

CAES. (C. Julius Caesar) natus ann. U. C. 654. IV. Id. Quint., et ann. 710. Idib. Mart. Romae in curia tribus et viginti vulneribus confossus periit. Domi militiaeque immortalem nominis gloriam est consecutus. Causarum primum patronus, mox, post varias dignitates, superatis omnibus inimicis, et deleta Romanorum libertate, dictator perpetuus et imperator fuit. V. CAESAR §. 3. et 4. in Lexico.

Exstant ejus
1. De bello Gallico libri VII. (44),
2. ——— civili libri III.,
3. Epistolae, et fragmenta plura (45).

CAJUS (T. Cajus) JCtus, vixit sub Hadriano et M. Aurelio, scripsit plura opera ad jurisprudentiam pertinentia.

Exstant ejus in Digestis plurima fragmenta
1. Aureorum sive rerum quotidianarum libri VII.,
2. libri singularis de casibus,
3. — — — ad edictum praetoris urbani,
4. — — — — — — — — tit. de aqua pluvia arcenda,
5. — — — — — — — — tit. de damno infecto,
6. — — — — — — — — tit. de liberali causa,
7. — — — — — — — — tit. de praediatoribus,
8. — — — — — — — — tit. qui neque sequantur,
9. — — — — — — — — tit. de re judiciaria,
10. libror. II. ad edictum praetoris urbani, tit. de testamentis,
11. libror. XXXI. ad edictum provinciale,
12. libror. X. ad edictum urbicum,
13. libri singularis ad edictum urbicum, tit. de operis novi nunciatione,
14. — — — de tacitis fideicommissis,
15. libror. II. fideicommissorum,
16. libri singularis de formula hypothecaria,
17. libror. IV. institutionum,
18. libror. III. ad edictum praetoris de legatis,
19. libror. VI. ad Leg. XII. Tabular.,
20. libri singularis ad Leg. XII. Tabular.,
21. — — — ad Leg. Glitiam,
22. libror. XV. ad Leg. Juliam et Papiam,
23. libror. III. de manumissionibus,
24. libri singularis regularum,
25. libror. III. regularum,
26. libri singularis ad S. C. Tertullian,
27. libror. III. de verborum obligationibus.

Praecipue commemorandi sunt
28. Institutionum commentarii IV. (46).

CALLISTRATUS, JCtus, vixit sub Septim. Severo et Caracalla usque ad Alex. Severum.

Exstant ejus in Digestis fragmenta
1. libror. VI. cognitionum,
2. ——— edicti monitorii,
3. — — IV. de jure fisci,
4. — — III. institutionum,
5. — — II. quaestionum.

CALPURN. FLACC. (Calpurnius Flaccus) rhetor, ut plerique putant, sub Hadriano, et T. Antonino Pio. At *Barthol. Borghesius* in *Mem. dell' Instit. di corr. archeol.* T. 1. p. 50. putat, hunc rhetorem esse M. Calpurnium Flaccum, qui consul suffectus fuit a Kal. Sept. ann. a Chr. n. 96.

Exstant ejus
1. Declamationes LI. excerptae rhetorum minorum.

CALPURN. SICUL. (T. Julius Calpurnius) Siculus, poeta bucolicus, Nemesiano synchronus, floruit circa ann. a Chr. n. 284., sub Caro, Carino et Numeriano. V. infra NEMESIANUS, et CALPURNIUS, ii, in Lexico.

Exstant ejus
1. Eclogae VII.

CAPELL. (Martianus Mineus Felix Capella) ex Africa, Madaurensis, vel Carthaginiensis, vir proconsularis: de cujus aetate ambigunt eruditi, sed plerique illum vixisse existimant circa ann. a Chr. n. 470. Stilus ejus barbariem sapit. V. CAPELLA in Lexico. Plerumque secuti sumus editionem *Grotii*, Lugd. — Bat. ann. 1699. 8., cujus etiam paginae citantur: at in duobus libris prioribus Norimbergensem a *Jo. Ad. Goezio* ann. 1794. 8.° curatam.

Exstat ejus
1. Satyricon.

CAPER (Flavius Caper) grammaticus, *Charisio*, *Prisciano*, et *Rufino* antiquior, cujus exstant apud *Putsch.* p. 2239. — 2250., excerpta ab aliquo epitomatore
1. De orthographia,
2. De verbis dubiis.

CAPITOLIN. (Julius Capitolinus) historiae Augustae scriptor, vixit sub Diocletiano et Constantino M., quibus dedicavit suas de imperatoribus vitas. V. CAPITOLINUS, i, in Lexico.

Exstant ejus vitae
1. T. Antonini Pii,
2. M. Aurelii Antonini,
3. L. Veri,
4. P. Helvii Pertinacis,
5. D. Clodii Albini,
6. M. Opelii Macrini,
7. C. Julii Maximini patris,
8. C. Julii Maximi filii,
9. M. Antonii Gordiani, vulgo Africani, vel patris,
10. M. Antonii Gordiani, vulgo junioris, vel filii,
11. M. Antonii Gordiani, vulgo Pii, vel nepotis,
12. D. Caelii Balbini,
13. M. Clodii Pupieni Maximi.

CASSIOD. (Magnus Aurelius Cassiodorus, *seu potius* Cassiodorus) Scyllacii in Calabria natus circa ann. a Chr. n. 470, obiit ibidem post annum 562. V. CASSIODORUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Variarum, sive epistolarum libri XII.,
2. Historiae Ecclesiasticae libri XII.,
3. Chronicon,
4. Computum Paschale,
5. Expositio in Psalmos CL.,
6. ——— Cantica canticorum (quae tamen quibusdam spuria videtur),
7. Institutionum divinarum litterarum liber I.,
8. ——— humanarum rerum liber II., sive de artibus et disciplinis liberalium litterarum liber in VII. capita distributus: *h. e.*
   1. De grammatica,
   2 — rhetorica,
   3. — dialectica,
   4. — arithmetica,
   5. — musica,
   6. — geometria,
   7. — astronomia (47).
9. De oratione et octo ejusdem partibus,
10. — orthographia,
11. — anima,
12. Complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum, et Apocalypsin (48).

CASSIUS (C. Cassius Longinus) philosophus Epicureus, initio belli civilis trib.-pleb., tum praetor urbanus, in Caesarem conjuravit, et post ejus caedem obtinuit Syriam provinciam, tandem in bello apud Philippos victus sibi mortem conscivit.

Exstant ejus
1. Epistolae V. (49).

CASSIUS (L. Cassius) fuit fortasse Cassii superioris ex fratre nepos.

Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 12, 13.

CATO (M. Porcius Cato) celeberrimus vir, natus Romae ann. U. C. 520., consul ann. 559., censor ann. 570., obiit ann. 605. In citandis ejus locis plerumque utimur editione a *Jo. Gottl. Schneidero* Lipsiaeann. 1794. 8.° curata. V. CATO §. 1. in Lexico.

Exstant ejus
1. Originum fragmenta,
2. Orationum fragmenta apud *Gell.* 7, 3.,
3. De re rustica, seu de agricultura.

CATO (M. Porcius Cato) superioris pronepos, trib. pleb., mox praetor. In bello civili Pompeji partes secutus, post pugnam Pharsalicam in Africam profectus, et post Scipionem apud Thapsum a Caesare devictum, Uticae ferro se ipse interemit ann. U. C. 708., ideoque et Uticensis cognominatus postea est. V. CATO §. 2. in Lexico.

Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 15, 5.

CATO (Valerius Cato) grammaticus et poeta, libertus Burseni cujusdam ex Gallia, qui tempore belli Sullani villa sua Tusculana cedere propter egestatem coactus est, floruit circa ann. U. C. 690. Illius meminere *Catull.* 56., *Hor. Sat.* 1, 10, 1., *Ov. Trist.* 2, 436. et *Suet. Gramm.* 11., ubi hic ejus vitam nobis reliquit. Varia opera scripsit, quae periere, exstat autem carmen satyricum, sive *exsecratorium*, ut in quibusdam editionibus nuncupatur, cui titulus est
1. Dirae ad Battarum (50).

CATO DIONYS. (Cato Dionysius) videtur vixisse sub M. Aurelio Antonino. Ejus exstat carmen morale hexametris constans, in quatuor libros divisum, cui titulus est
1. Disticha de moribus (51).

CATULL. (C. Valerius Catullus) Veronensis, natus ann. U. C. 667., obiit post ann. 707., quo consul fuit Vatinius, cujusque ipse meminit *carm.* 52. V. CATULLUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Carmina CXV. (52).

CATULUS V. LUTAT.

CELS. (A. Cornelius Celsus) medicinae auctor celeberrimus. Ejus loca plerumque citavimus ex editione Veronensi *Leon. Targae* ann. 1810. 4.° V. CELSUS in Lexico.

Exstant ejus
1. De medicina libri VIII.

CELSUS (P. Juventius Celsus) JCtus, vixit et consulatum bis gessit imperante Hadriano.

Exstant in Digestis ejus fragmenta

---

(42) inter *Cic. Fam.* 11, 1. 4. 9. 10. 11. 13. 19. 20. 23. 26.

(43) quarum II. Bruti et Cassii nomine inter *Cic. Fam.* 11, 2. et 3., aliae VII. inter *Cic. ad Brut.* 1, 4. 6. 7. 11. 13. 16. 17., aliae II. inter *Cic. ad Brut.* 2, 3. 5.

(44) Liber VIII. A. Hirtio vulgo tribuitur.

(45) quae diligenter collegit *Jer. Jac. Oberlinus*, cujus editione Lips. 1805. 8.° plerumque utimur.

(46) qui ex Cod. palimpsesto Veronensi primum editi sunt a *Jo. Frid. Lud. Goeschenio* Berolini ann. 1820., iterumque ibidem ann. 1824. 8.°, ex qua postrema editione citantur nova vocabula huic Lexico primum adjecta.

(47) Hujus operis clausulam ineditam primus in lucem protulit ex Cod. Vaticano *A. Maius*, et edidit in *Classic. Auct.* Romae ann. 1831. 8.° T. 3. p. 350. — 357.

(48) quas primus e Cod. Veron. edidit *Scip. Maffejus* Florentiae ann. 1721. 8.° Excepto fragmento ab *A. Maio* edito, et Complexionibus, quibus in Lexico nullus adhuc usus, Cassiodorii loca citantur ex editione *Jo. Garetii*, repetita Venetiis ann. 1729. T. 2. fol.

(49) quarum tres inter *Cic. Fam.* 12, 11. et 12., et *ib.* 15, 19., aliae vero duae ejus et Bruti nomine scriptae inter *Cic. Fam.* 11, 2. et 3.

(50) Optima utimur editione *Jo. Chr. Wernsdorfii*, qui hoc carmen inter *Poet. Latin. min.* T. 3. p. 1. — 23. edidit Altenburgi ann. 1782. 8.°

(51) Ita appellantur, quod unaquaeque sententia duobus hexametris continetur.

(52) quae partim lyrica, partim elegiaca, partim epigrammatica quaedam etiam epica sunt.

1. libror. XXXIX. digestorum,
2. — — VII. commentariorum,
3. — — XI. epistolarum,
4. — — XII. quaestionum.

CENSORIN. (Censorinus) grammaticus Romanus: quo nomine gentilicio, quo praenomine fuerit; quibus parentibus, quo loco natus sit, incompertum hactenus est. In citandis utriusque operis locis utimur optima editione *Jo. Sigism. Gruberi* Norimbergae ann. 1805. 8.

Anno a Chr. n. 238. aureolum scripsit, qui nunc exstat, libellum

1. De die natali,
2. Fragmentum incerti auctoris (53).

CERVID. SCAEV. V. SCAEVOLA.

CESTIUS (Cestius Pius) rhetor, Ciceroni coaevus. Ejus apud *Senec.* in *Suasoriis* passim citantur

1. Fragmenta.

CHALCIDIUS, Platonis Timaeum Latine interpretatus est, et commentariis illustravit. Vixit circa ann. a Chr. n. 330.

CHARIS. (Flavius Sosipater Charisius) natione Campanus, religione Christianus, professione grammaticus, vixit circa initium saeculi quinti a Chr. n.

Exstant, apud *Putsch.* p. 2. — 266., ejus

1. Institutionum grammaticarum libri V.

CIC. (M. Tullius Cicero) orator omnium maximus, natus in villa Arpinati, ex ordine equestri, III. Non. Jan. ann. ab U. C. 648., patre M. Tullio Cicerone ex tribu Cornelia, et matre Helvia: occisus est, in triumvirali proscriptione, VI. Id. Decemb, ann. 711.

Exstant ejus

Opera rhetorica, et oratoria:

1. De inventione rhetorica libri II.,
2. De oratore libri III.,
3. Brutus sive de claris oratoribus liber,
4. Orator,
5. Topica,
6. Partitiones oratoriae,
7. De optimo genere oratorum fragmentum.

Orationes:

1. pro P. Quintio,
2. — Sex. Roscio Amerino,
3. — Q. Roscio Comoedo,
4. Divinatio in Q. Caecilium,
5. Actio I in C. Cornelium Verrem,
6. Actionis II. liber I. in eundem,
7. ——— — ——— II. in eundem,
8. ——— — ——— III. in eundem,
9. — ——— IV. in eundem,
10. ——— — ——— V. in eundem (54),
11. oratio pro M. Fontejo (55),
12. — — — A. Caecina,
13. — — — lege Manilia,
14. — — — A. Cluentio Avito,
15. — 17. — de lege agraria libri III.,
18. oratio pro C. Rabirio perduellionis reo (56),
19. — 22. orationes IV. in Catilinam,
23. oratio pro L. Muraena,
24. — — — L. Flacco,
25. — — — P. Sulla,
26. — — — A. Licinio Archia,
27. — — post reditum ad Quirites,
28. — — post reditum in Senatu,
29. — — pro domo sua,
30. — — de haruspicum responsis,
31. — — pro Cn Plancio,
32. — — — P. Sextio,
33. — — in Vatinium,
34. — — pro M. Coelio Rufo,
35. — — de provinciis consularibus,
36. — — pro L. Cornelio Balbo,
37. — — in L. Calpurnium Pisonem,
38. — — pro T. Annio Milone (57),
39. — — pro C. Rabirio Postumo,
40. — — pro M. Claudio Marcello,
41. — — pro Q. Ligario,
42. — — — rege Dejotaro,
43. — 58. orationes Philippicae sive Antonianae, in M. Antonium, XVI.

Fragmenta orationum:

59. pro L. Vareno,
60. in P. Clodium et Curionem,
61. de aere alieno Milonis,
62. pro rege Alexandrino,
63. — M. Aemilio Scauro,
64. — M. Tullio (58),
65. contra concionem Metelli,
66. pro P. Oppio,
67. — C. Manilio,
68. — C. Cornelio I.,
69. — — — — II.,
70. in toga candida,
71. pro Q. Gallio,
72. — L. Roscio Othone,
73. — P. Vatinio.

Opera philosophica:

1. Academicorum libri II. (59),
2. De finibus bonorum et malorum libri V.,
3. Tusculanarum disputationum libri V.,
4. De natura Deorum libri II.,
5. — fato liber,
6. — legibus libri III.,
7. — officiis libri III.,
8. — senectute liber, sive Cato,
9. — amicitia liber, sive Laelius,
10. Paradoxa VI.

Fragmenta ex operibus philosophicis:

11. Oeconomicorum ex Xenophonte, apud Columellam, aliosque,
12. Protagorae ex Platone, apud Priscianum,
13. ex libris VI. de republica (60),
14. Somnium Scipionis (61),
15. de jure civili,
16. — auguriis,
17. ex Hortensio sive de philosophia,
18. ex M. Catone, sive Laude M. Catonis,
19. ex libris II. de gloria,
20. — libro de consolatione,
21. — — — suis consiliis,
22. — — — virtutibus,
23. — — — orthographia,
24. ex Timaeo Platonis sive de universo.

Epistolae:

1. Epistolarum ad familiares libri XVI.,
2. ——— ad Atticum libri XVI.,
3. Epistolarum ad Q. Fratrem libri III.,
4. ——— ad Brutum libri II. (62).

Fragmenta epistolarum:

5. ad Titinium,
6. — Cornelium Nepotem libror. II.,
7. ad C. Caesarem licior. III.,
8. — Caesarem juniorem libror. III.,
9. ad C. Pansam libror. III.,
10. — H. Hirtium libror. IX.,
11. — M. Brutum libror. VII.,
12. — M. filium libror. II.,
13. — Licinium Calvum,
14. — Q. Axium,
15. — Catonem,
16. — Cerelium,
17. — L. Plancum.

CIC. FIL. (M. Tullius Cicero) Marci superioris filius, natus ann. U. C. 690., post patris mortem consul suffectus fuit ann. U. C. 724.; quo vero anno obierit, incompertum est.

Exstant ejus

1. Epistolae II. inter *Cic. Fam.* 16, 21. et 25.

CIC. Q. (Q. Tullius Cicero) Marci frater. praetor urbanus fuit ann. U. C. 693., propraetor in Asia provincia anno insequenti, obiit ann. 711. in proscriptione triumvirali. In citandis *Q. Cicer.* locis utimur plerumque editione *Bernh. Frid. Humelii* Norimbergae ann. 1791. 8.°

Multa scripsit, quae periere, ejus exstant

1. De petitione consulatus commentarium,
2. Epistolae IV., quae sunt inter *Cic. Fam.* 16, 8. 16, 26. et 27.,
3. Hexametri versus XX. (63).

CINCIUS ALIM. (L. Cincius Alimentus) historicus, vixit tempore belli Punici secundi, et ab Annibale captus etiam est, postea praetor fuit. Ejus mentio est apud *Liv.* 7, 3., 21, 38. et 26, 23.

Fragmenta ejus exstant ex

1. Annalium libris II. (Graece scriptis),
2. Historia de Gorgia Leontino,
3. Libro de fastis,
4. — — — comitiis,
5. ——— consulum potestate,
6. ——— officio jurisconsulti,
7. Mystagogicon libris II.,
8. Libro de verbis priscis,
9. libris VI. de re militari.

CINNA (C. Helvius Cinna) poeta epicus et epigrammaticus, amicus Catulli, qui ejus poema, cui Smyrna nomen fuit, in *carm.* 95. celebrat. Ejusdem poematis commentarium scripsit L. Crassitius, de quo loquitur *Suet. Gramm.* 18., binosque ejus hendecasyllabos recitat *Gell.* 19, 13.

Exstant ejus

1. Epigramma (64).

CLAUDIAN. (Claudius Claudianus) poeta, Alexandrinus, natus creditur ann. a Chr. n. 365.; quo anno obierit, ignoratur. V. CLAUDIANUS, i, §. 1. in Lexico.

Exstant ejus

1. Panegyris in Probini et Olybrii fratrum consulatum,
2. In Rufinum libri II,
3. De III. consulatu Honorii Aug.,
4. — IV. consulatu ejusdem,
5. In nuptias Honorii Aug. et Mariae,
6. Fescennina IV. in nuptias Honorii Aug. et Mariae,
7. De bello Gildonico,
8. — consulatu Fl. Mallii Theodori,
9. In Eutropium libri II.,
10. De laudibus Stilichonis libri II.,
11. — consulatu ejusdem,
12. — bello Getico,
13. — VI. consulatu Honorii Aug.,
14. Laus Serenae reginae,
15. Epithalamium Palladii et Celerinae,
16. De raptu Proserpinae libri III.,
17. Gigantomachia,
18. Epistolae V.,
19. Eidyllia VII.,
20. Epigrammata L.,
21. Laudes Herculis (65).

CLAUDIAN. MAMERT. (Claudianus Ecdicius Mamertus) presbyter Viennensis in Gallia, obiit ann. a Chr. n. 474. Epigrammata IV. quae christianismum sapiunt, quaeque inter epigrammata superioris *Claudiani* habentur sub n. 27. 45. 46. 47. 48. et 49. malunt huic tribuere eruditi.

Exstat ejus

1. Carmen contra poetas vanos.

CLAUD. MARCELL. V. MARCELLUS (M. Claudius)

CLAUD. AUG. (Ti. Claudius Nero) qui, Calligula a praetorianis interfecto, imperium Romanum obtinuit ann. a Chr. n. 41., et usque ad ann. 54. imperavit. Historiam scripsit, et Ciceronis defensionem adversus Asinium Gallum, teste *Suet. Claud.* 41. cujus fragmentum habes in V. TABELLARIA §. 1. a *Non.* 3, 110. nobis servatum; luculentam vero habuit in senatu orationem de civitate Gallis danda, cujus maximam partem servant binae tabulae aeneae Lugduni erutae, atque inde *Gruterus* inter veteres Inscriptiones pag. 502. retulit, unde plura loca in Lexico citantur.

CLAUD. QUADRIG. (Q. Claudius Quadrigarius) historicus. V. QUADRIGARIUS §. 3. in Lexico.

Exstant ejus fragmenta

1. Annalium libror. XXIII.

CLAUD. SATURNIN. (Q. Claudius Saturninus) JCtus, vixit sub Antoninis.

Exstat in Digestis lib. 48. tit. 19. leg. 16. unicum ejus

1. Fragmentum ex libro singulari de poenis paganorum.

CLEDON. (Cledonius) senator Romanus, et grammaticus Constantinopolitanus, eodem, quo Servius atque Sergius, tempore scripsisse videtur.

Exstat, apud *Putsch.* p. 1861. — 1936, ejus

1. Expositio in Donati artem primam et secundam.

COD. JUSTINIAN. (Codex Justinianeus) a Justiniano I. Aug. ita appellatus, in libros XII. ejus jussu digestus, et ann. a Chr. n. 529. editus, mox emendatus, iterumque evulgatus ann. 534., qui repetitae lectionis dicitur. Is porro continet constitutiones principum ab Hadriano ad ipsum Justinianum.

COD. THEOD. (Codex Theodosianus) a Theodosio Aug. ita appellatus, in libros XVI. ejus jussu digestus et editus ann. a Chr. n. 438. Fragmenta hujus codicis ex membranis bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis edidit *Walt. Frid. Clossius* Tubingae ann. 1824. 8.° Alia ex Cod. palimpsesto Bibliothecae R. Taurinensis protulit atque illustravit *Amed. Peyronius* Augustae Taurinorum ann. 1824. 4.° Utraque vero fragmenta recognovit et junctim edidit, notisque criticis, et eruditis instruxit *Car. Frid. Christ. Wenckius* Lipsiae ann. 1825. 8.° Loca quaedam ex his fragmentis novas voces continentia in Lexico hac illac adduximus.

COEL. AUREL. (Coelius Aurelianus) medicus, Siccae in Numidia natus, vixisse videtur saeculo tertio: stilus ejus barbariem sapit; res autem, de quibus ipse agit, a medicis valde laudantur. Optimam ejus operum editionem Amstel. ann. 1722. 4.° in locis citandis sequimur. V. COELIUS §. 4. in Lexico.

Exstant ejus

1. Tardarum seu chronicarum passionum libri V.,
2. Acutarum seu celerum passionum libri III.,

---

(53) quod capitibus XV. constans, Censorino subjungi solet, de physica, de geometria, de poetica agit.

(54) Orationes in Verrem a veteribus grammaticis dicuntur etiam Verrinae, atque ita numerantur, ut divinatio appelletur *prima in Verrem*, seu *Verrinarum*, actio prima *secunda in Verrem* seu *Verrinarum*, actionis secundae liber primus *tertia in Verrem* seu *Verrinarum*, et sic deinceps, ita ut actionis secundae liber quintus nuncupetur *septima in Verrem* seu *Verrinarum*, quemadmodum citantur a *Forcellino*, praeeunte *Nizolio*: hanc porro appellationem sequitur etiam *Priscian.* 7. p. 742. *Putsch.* et 18. p. 1195. et alibi.

(55) cujus supplementum *B. G. Niebuhrius*, primus Romae ann. 1820., mox *A. Maius* in *Classic. auct.* T. 2. p. 370. edidere.

(56) Hujus orationis fragmentum, quo ejusdem postrema lacuna praecipue suppletur, edidere iidem *Niebuhrius*, et *Maius* loc. cit.

(57) Hujus itidem lacuna, quam nemo unquam suspicatus fuerat, suppleta est, in cap. 3. fragmento inedito, quod ex Cod. palimpsesto Taurinensi in lucem protulit *Amed. Peyronius*, quodque repetiit *A. Maius* in *Classic. auct.* T. 2. p. 362. ann. 1831.

(58) Fragmenta orationum, quae numeris 60. — 64. indicantur, primus edidit *A. Maius* ex Cod. Ambros. palimpsesto bis Mediolani, deinde Romae ann. 1828. inter *Classic. auct.* T. 2. p. 215. — 228. Quaedam etiam fragmenta orationum sub n. 63. et 64. indicatarum ex Cod. palimpsesto Taurinensi ediderat *Amed. Peyronius* Stuttgardiae ann. 1824. 4.°, quae ab *A. Maio* iterum edita sunt in *Classic. auct.* T. 2. p. 278. et 328.

(59) in quorum citatione primus et quartus appellantur.

(60) quorum partes luculentissimas *A. Maius* e Cod. palimpsesto Romae primus edidit ann. 1822. 8.°, mox retractato labore ibidem inter *Classic. auct.* T. 1. p. 1. — 365. ann. 1828. 8.°: prior tamen editio in Lexico citatur.

(61) quod partem constituit libri VI. de rep., quodque nobis servavit *Macrobius*, qui plenum in idem scripsit commentarium duobus libris comprehensum.

(62) quorum primus continet epistolas XVIII. partim Ciceronis ad Brutum, partim Bruti ad Ciceronem; secundus vero alias epistolas VII. ad eosdem a Germanis deinceps repertas et pro spuriis vulgo habitas. His adjungi solet *epistola ad Octavium*, quae non Ciceronis, sed antiqui declamatoris esse videtur: tria tamen ejus loca citavit *Forcellinus*, nempe in CIRCUMSEPTUS, in JUNONIUS §. 4. et in ASTIPULATOR §. 1.

(63) Servati nobis sunt *Auson. Eglogar.* 16. quibus quodnam signum coeleste quo tempore illustre sit, novimus.

(64) Ab *Isid. Orig.* 6, 12. relatum, et a *Burmann.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 440. illustratum, cujus loca citantur in V. ARATEUS et INVIGILATUS in Lexico.

(65) Hujusmodi carmen plerique eruditi *Claudiano* abjudicant.

3. Isagoge in artem medendi (66).

COEL. RUF. (M. Coelius Rufus) Puteolis natus, ex ordine equestri, quaestor fuit ann. U. C. 697., trib. pleb. ann. 702., aedil. cur. ann. 705, et ann. 706. praetor peregrinus. In bello civili Caesarem secutus, Thurii est interemptus ab equitibus, qui eo praesidii causa missi fuerant, teste *Caes. B. C.* 3, 20. — 22. Eloquentiae imprimis operam dedit, illius enim orationes citantur a pluribus, et unius fragmentum affertur a *Quintil.* 11, 1. §. 51. Eum defendit accusatum de vi *Cicero* oratione, quae *pro M. Coelio* inscribitur.

Exstant ejus
1. Epistolae XVII. inter *Cic. Fam.* 8, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. et 17. item post 10. *Att.* 9.

COLUM (L. Junius Moderatus Columella) Gadibus in Hispania natus, sub Tiberio et Claudio imperantibus Romae vixit. Plerumque sequimur editionem *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiae ann. 1794. 8.° curatam. Consule tamen praefationem et auctoris vitam praemissam editioni nostrae Patavinae ann. 1816. 12.° V. et COLUMELLA §. 3. in Lexico.

Exstant ejus
1. De re rustica libri XII (67), 2. De arboribus liber.

COMMODIAN. (Commodianus) Afer natioone, scripsit stilo horrido: vixisse videtur circa ann. a Chr. n. 270. V. COMMODIANUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Instructiones LXXX. adversus paganos (68).

CONSENT. (P. Consentius) grammaticus Constantinopolitanus, vixit circa ann. a Chr. n. 450.

Exstant ejus.
1. Ars Consentii de duabus orationis partibus, nomine et verbo (69),
2. — — — de barbarismis et metaplasmis (70).

CORIPP. (Flavius Cresconius Corippus) Afer natione, poeta et grammaticus, floruit sub Justiniano I. et Justino II., qui illi successit ann. a Chr. n. 565.: hujus vero laudes cecinit. V, CORIPPUS in Lexico.

Exstant ejus
1. De laudibus Justini Aug. minoris libri IV.,
2. Fragmentum panegyrici in laudem ejusdem,
3. Panegyricum in laudem Anastasii quaestoris et magistri.
4. Johannis *seu* de bellis Libycis libri VII. (71).

CORNEL. NEP. V. NEP.

CORNEL. FRONT. V. FRONT.

CURIUS (M.' Curius) Ciceronis, et Attici familiarissimus, qui Patris negotiabatur) ad eum scripsit *Cic. Fam.* 7, 28. 30. et 31.

Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 7, 29.

CUR. FORTUNATIAN, (Curius Fortunatianus) rhetor, qui saeculo a Chr. n. tertio, vel quarto vixisse creditur.

Exstant ejus
1. Artis rhetoricae scholicae (al. *scholasticae*) libri III. (72).

CURT. (Q. Curtius Rufus) historicus Alexandri M. Is a quibusdam ad Augusti aetatem, ab aliis ad Tiberii, a nonnullis ad Vespasiani, vel etiam Trajani, imo ad Theodosii vel ad Constantini, sed probabilius ad Claudii referendus esse putatur V. CURTIUS §. 3. in Lexico.

Exstant ejus
1. De rebus gestis Alexandri M. libri X. (73).

CYPRIAN. (Thascius Caecilius Cyprianus) Afer, episcopus Carthaginiensis, obiit martyrio coronatus ann. a Chr. n. 258. In locis citandis sequimur editionem Venetam ann. 1728. fol. V. CYPRIANUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Epistolae LXXXIII.,
2. Liber de habitu virginum,
3. ——— lapsis,
4. ——— unitate Ecclesiae,
5. ——— de oratione dominica,
6. ——— ad Demetrianum,
7. ——— de idolorum vanitate,
8. ——— mortalitate,
9. ——— opera et eleemosyna,
10. ——— bono patientiae,
11. ——— de zelo et livore,
12. ——— Epistola ad Fortunatum de exhortatione martyrii,
13. Testimoniorum adversus Judaeos libri III.,
14. Sententiae episcoporum LXXXVII. de haereticis baptizandis,
15. Liber de spectaculis,
16. ——— laude martyrii.
17. Carmen de Genesi,
18. ——— de Sodoma,
19. ——— ad senatorem apostatam (74).

D

DAMAS. (Damasus) Romanus pontifex, obiit ann. a Chr. n. 385.

Exstant ejus
1. Carmina XLII.

DARES PHRYG. (Dares Phrygius) V. DARES in Lexico.

Exstat ejus
1. De excidio Trojae historia (75).

DICTYS CRET. (Dictys Cretensis) V. DICTYS §. 4. in Lexico.

Exstant ejus
1. De bello Trojano libri VI. (76).

DIGEST. (Digestorum libri L.) Ita porro hi libri sunt appellati, quia continent totum jus Romanum sententiis sive opinionibus prudentium, hoc est veterum jurisconsultorum comprehensum et explicatum, atque in libros, titulos, legesque digestum. Haec itaque collectio facta est jussu Justiniani I. Aug., qui XVIII. K. Januar. ann. 530. eam digerendam imperavit, et XVII. K. Januar. ann. 533. jam a Triboniano JCto perfectam confirmavit, publiceque proposuit. V. DIGESTUS §. 3. in Lexico.

DIOMED. (Diomedes) grammaticus, Rufino et Prisciano, qui saepius illius mentionem in commentariis suis fecerunt, antiquior.

Exstant apud *Putsch.* p. 271. — 528., ejus
1. De oratione, et partibus orationis, et vario metrorum genere libri III.

DONATUS (Aelius Donatus) grammaticam Romae ann. 354. docebat, cum ejus auditor esset Hieronymus. V. DONATUS, i, §. 1. et 2. in Lexico.

Exstant ejus
1. Ars sive editio prima de litteris, syllabisque, pedibus et tonis,
2. Ars sive editio secunda de VIII. partibus orationis,
3. De barbarismo, soloecismo, schematibus et tropis (77),
4. Commentaria in Terentii comoedias, excepta Heautontimorumeno.

DONATUS (Yi, Claudius Donatus) Aelio Donato posterior, grammaticus.

Exstant ejus
1. Vita P. Virgilii Maronis (78),
2. Commentarius in Aeneidem.

DRACONT. (Dracontius) poeta Hispanus, vixit sub Gonderico Vandalorum rege, qui in Hispania Baetica dominatus est ab ann. a Chr. n. 411. ad 428,, cui scripsit elegiam, quae *Satisfactio* inscribitur. stilus ejus plerumque inelegans, non tamen barbarus omnino habendus, ita ut plura ex ejusdem carminibus nova vocabula Lexico adjecerimus, licet paucula tantum *Forcellinus* admiserit, quaedam etiam inter barbara immerito retulerit. Utimur plerumque editione Romana a *Faustino Arevalo* ann. 1791. in 4.° curata, quae hujus poetae carmina ex MSS. Vatic. duplo auctiora iis, que antea prodierant, continet.

Exstant ejus
1. Hexaemeron sive de Deo libri III.,
2. Satisfactio.

E

EDICT, DIOCLET. (Edictum Diocletiani) Insignis hujus monumenti marmore insculpti exemplar repertum est prius Stratoniceae, urbis Cariae, mox ejusdem alterum ex Aegypto Aquas Sextias, Provinciae urbem, translatum ibidem exstat: hoc primus edidit et illustravit *Aloys. Cardinalius* in *Atti dell' Accad. archeol. Rom. T.* 2. p. 683. — 732. De eodem vide a me adnotata in V. VILITAS §. 1. *ad fin.* in Lexico.

EMPOR. (Emporius) rhetor Cassiodorio suppar, sexto a Chr. n. saeculo natus.

Exstant ejus
1. De ethopoeia,
2. De loco communi,
3. De demonstrativa materia praeceptum,
4. De deliberativa specie (79).

ENNIUS (Q. Ennius) natus Rudiis in Calabria ann. U. C. 515., ante Chr. n. 239. a M. Porcio Catone censore Romam deductus, obiit Romae ann. U. C. 585., ante Chr. n. 169. Poeta tragicus et comicus, qui versibus etiam exaravit Annalium libros XVIII. et satyram; quorum omnium fragmenta tantum exstant V. ENNIUS §. 1. in Lexico, ut et

Tragoediarum, quarum sunt hi tituli:
1. Achilles,
2. ——— Aristarchi,
3. Ajax,
4. Alcestis,
5. Alcmaeon,
6. Alexander sive Alexandra,
7. Andromacha,
8. Andromeda,
9. Antiopes,
10. Athamas,
11. Cresphontes,
12. Dulorestes,
13. Erechtheus,
14. Dumenides,
15. Hectoris lytra,
16. Hecuba,
17. Iliona,
18. Iphigenia,
19. Medea,
20. Medus,
21. Melanippa seu Melanippus,
22. Nemea,
23. Neoptolemus,
24. Phoenix,
25. Scipio,
26. Telamon,
27. Telephus,
28. Thyestes.

Comoediarum, quarum hi tituli:
1. Ambracia,
2. Asotus,
3. Caprunculum,
4. Celestis,
5. Pancratiastes.

ENNOD. (Magnus Felix Ennodius) Mediolanensis, natus ann. a Chr. n circiter 476, Ticinensis episcopus, obiit XVI. K. Aug. ann. 521. Plurima scripsit stilo rudi et incondito, quae omnium accuratissime enumerat *Jo. Nic. Funccius* in *Comment. de inerti ac decrep. Lat. linguae senect.* p. 214 — 217., inter quae enumerandus videtur, utpote omnium postremus, ejus

1. Panegyricus Theodorico regi dictus.

EPITHAL. LAUR. ET MAR. V. *Auct. Epithal. Laur. et Mar.*

EROS, auctor operis *de passionibus mulierum*, quod et *Trotulae* cuidam feminae inepte vulgo tribuitur, atque inter *antiquos medicos* vulgatum est. Scriptorem hunc medicum, fuisse Salernitanum, recte putant eruditi, et inter barbaros auctores recensendum. Consule *Jo. Bapt. Morgagni epist.* in *Seren. Sammonic.* p. 69. et seqq.

EUCHERIA, poetria Aquitanica, nobili genere nata, quae a servo colono in matrimonium expetita, hujusmodi impares nuptias elegia sexdecim distichis constanti indignabunda aversatur: vixisse quinto vel sexto a Chr. n. saeculo eruditis videtur. Edita est haec elegia a *Pithoeo* inter *epigrammata vetera lib.* 4. p. 158., a *Burmanno* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 407. et a *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.* T. 3. p. 97. quem praecipue sequimur.

EUMENIUS, orator et rhetor Augustodunensis, Athenis oriundus, magister sacrae memoriae Constantii Chlori Aug., deinde Augustoduni nunc *Autun* rhetoricen publice docuit. Eloquentia ejus saeculi vitium, quo ille vixit, nimirum sapit, licet aliqua sit laude commendanda.

Exstant ejus
1. Oratio pro restaurandis scholis Augustodunensium (80),
2. Panegyricus Constantio Chloro Caesari (81),
3. ——— Constantino M. (82),
4. ——— eidem, seu Gratiarum actio Flaviensium (*h. e.* Augustodunensium nomine. (83.)

EUTROPIUS, historicus, floruit sub Juliano II., et Valente Aug., qui imperavit usque ad ann. a Chr. n. 368. Usus est in historia scribenda tenui quidem, sed aperta et perspicua oratio-

---

(66) Haec a plerisque, perperam, ut videtur, *Sorano* tribuitur.

(67) quorum decimus versibus hexametris constat.

(68) Hae ita scriptae sunt, ut singulae per primas versuum litteras vocabula referant, quae pro lemmatibus cuilibet instructioni praemittuntur: porro in iisdem numerus quidem hexametri servatur, neglecta tamen omnino syllabarum quantitate.

(69) apud *Putsch.* p. 2018 — 2075.

(70) Opus hujusmodi editum primo est ab *A. G. Cramero* et *Phil. Buttmanno* e veteri Cod. Berolini ann. 1817. 8.° quam editionem sequimur.

(71) Editi primum a *P. Mazzucchellio* ex Cod. Trivult. Mediolani ann. 1820. 4.°, doctisque illustrati ab eodem adnotationibus.

(72) Inter rhetores editos a *Franc. Pithoeo* Parisiis ann. 1599. 4.° et a *Claud. Capperonerio* Argentorati ann. 1756. 4.°, cujus editionem potissime sequimur.

(73) quorum duo priores injuria temporum perierunt, atque etiam pars quaedam decimi.

(74) Haec tria carmina illi tribuuntur, sed spuria esse videntur.

(75) Hanc historiam ab ignoto quodam homine ex opere poetico Josephi Devonii, seu Iscani, Angli, ad finem saeculi XII. a Chr. n. consarcinatam esse opinantur plerique eruditi; ideoque nullius in Latina lingua auctoritatis, licet vulgo editam inter opera Cornelii Nepotis, cujus epistola ad Sallustium Crispum legitur eidem operi praemissa.

(76) Hoc opus Graece exaratum, quod Nerone imperante inventum a quodam Praxide seu Eupraxida fingitur, et a Q. Septimio, qui tertio seu quarto a Ch. n. saeculo vixisse videtur, in Latinum sermonem translatum, Graeco autographo deperdito, reliquum nobis est. In citandis locis hujus, et superioris operis usus est *Forcellinus* editione Amstelod. ann. 1702. 4.°

(77) Edita haec tria opera sunt a *Putsch.* p. 1735 — 1767.

(78) ab *Heynio* accurate recognita et illustrata, ac operibus Virgilianis praemissa, quamque in citandis ejus locis sequimur.

(79) Haec opera edita sunt inter *Rhetores antiquos Latinos* a *Pithoeo*, Parisiis ann. 1599. 4.° p. 278 — 283. et a *Claud. Capperonerio* Argentorati ann. 1756. 4.° p. 303 — 317. quam editionem sequimur.

(80) ann. a Chr. n. 297. habita coram Rictiovaro Galliae Lugdunensis primae praefecto.

81) Treviris dictus.

82) ibid. dictus ann. 310.

83) ibid. dictus ann. 311.

ne. Editionem plerumque sequimur *Car. Henr. Tzschuckii* Lipsiae ann. 1796. 8.°

Exstat ejus
1. Breviarium historiae Romanae libris X constans (84).

EUTYCHES, grammaticus, Prisciani discipulus, Constantinopoli Latinam grammaticam docuit, vixit circa initium saeculi sexti a Chr. n.

Exstant ejus
1. De discernendis conjugationibus libri II. (85).
2. De aspiratione (86),

F

FABIAN. (Ser. Flavius Papirius Fabianus) philosophus Stoicus, et orator, sub Tiberio floruit, M. Senecae seniori et rhetori familiaris, qui de eo multa habet in praef. *Controv.* 2., et L. Senecae philosopho notus, qui de eodem mentionem facit in *epist.* 100. et alibi. Multa scripsit, quae periere; quaedam ejus verba refert idem *Senec. Consol. ad Marc.* 24., alia et *Quintilianus.* V. ESSENTIA §. 1. et 2. in Lexico.

FAB. MAX. (Q. Fabius Maximus Servilianus) consul ann. U. C. 612., historicus.

Exstant ejus fragmenta a *Servio*, *Macrobio*, et *Prisciano* allata, ex
1. Annalium libro I.,
2. Pontificii juris libris XII.

FAB. PICTOR. (N. Fabius Pictor) historicus, vixit secundi belli Punici tempore, quod gestum fuit ab ann. U. C. 536. ad ann. 552.

Exstant ejus apud plures veteres auctores fragmenta ex
1. Annalium libris IV.,
2. Rerum naturalium libris XVI.

FANNIUS (C. Fannius M. F.) historicus, quaestor fuit ann. U. C. 615, et praetor ann. 617.

Exstant ejus fragmenta apud plures ex
1. Annalium libris VIII.

FENESTELLA. (L. Fenestella) historicus, vixit postremis C. Julii Caesaris, et Augusti temporibus, et, ut narrat *Hieronym.* in *Chron.* ad ann. a Chr. n. 21., septuagenarius mortuus est. V. FENESTELLA §. 2. in Lexico.

Exstant ejus multa apud plures fragmenta ex
1. Annalium libris XXII.

FESTUS (Sex. Pompejus Festus) grammaticus, tertio a Chr. n. saeculo ad finem vergente vixisse creditur, et *Verrii Flacci* opus eximium, nunc deperditum *de verborum significatione* in compendium redegit, quod, praeter fragmenta quaedam, vel temporis injuria, vel hominum negligentia itidem periit; ejus tamen epitome a *Paulo* Diacono concinnata nunc sola superest, (V. FESTUS, in Lexico) cui titulus est:
1. De verborum significatione Libri XX.

FIRMIC. (Julius Firmicus Maternus) Siculus, vixit circa medium a Chr. n. saeculum quartum: dubitant eruditi, num duo vixerint iisdem nominibus praediti, alter Ethnicus, alter Christianus auctor; alii tamen unum eundemque fuisse autumant. V. FIRMICUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Matheseos seu astronomicorum libri VIII.,
2. De errore profanarum religionum liber.

FLORENTIN. (Florentinus) ejus praenomen nomenque ignorantur, Jctus, vixisse videtur sub Alex. Severo, qui ab ann. a Chr. n. 222. ad ann. 235. imperavit.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Institutionum libri XII.

FLOR. (L. Annaeus Florus) historicus. V. FLORUS in Lexico.

Exstat ejus
1. Epitome de gestis Romanorum (in IV. libros digesta).

FORTUNATIAN. V. CUR. FORTUNATIAN.

FRAGM. COD. THEODOS. V. COD. THEODOS.

FRAGM. JUR. CIV. ANTEJUSTIN. *h. e.* Juris civilis antejustinianei reliquiae ineditae ex Cod. rescripto biblioth. pontif. Vaticanae, curante *A. Maio*, biblioth. ejusdem praefecto. Romae ann. 1823. 8.°

Paucula quaedam nova vocabula ex his fragmentis in Lexicon admissa sunt.

FRONT. (M. Cornelius Fronto) orator sui temporis princeps. V. FRONTO §. 2. in Lexico.

Exstant ejus opera ab *A. Maio* iterum edita Romae ann. 1823. 8.°, cujus editionem sequimur,
1. Ad M. Caesarem (*epistolar.*) libri V.,
2. Ad Antoninum Imp. (*epistolar.*) libri II.,
3. Ad Verum (*epistolar.*) liber,
4. — — — Imp. (*epistolar.*) liber,
5. De bello Parthico ad M. Aurelium epistola),
6. De feriis Alsiensibus (*epistolae IV.*),
7. De nepote amisso *epistolae II.*),
8. Arion,
9. De eloquentia,
10. De orationibus (*epistolae III.*).
11. Ad Antoninum Pium (*epistolae IX.*)
12. Ad amicos epistolarum libri II.,
13. Pricipia historiae,
14. Laudes fumi et pulveris,
15. — — negligentiae,
16. Gratiarum actionis pro Carthaginiensibus fragmentum,
17. Fragmenta apud plures auctores.
18. Disputationes grammaticae apud *Gell.* 2, 26., 13, 28., 17, 8., 19, 10, et 13.,
19. De differentiis vocabulorum,
20. Exempla elocutionum.

FRONTIN. (Sex. Julius Frontinus), qui Romae sub Domitiano, Nerva et Trajano floruit, et tertium consul ordinarius fuit cum hoc postremo ann. a Chr. n. 100. V. FRONTINUS §. 1. et 2. in Lexico.

Exstant ejus
1. Strategematicon libri IV.,
2. De aquaeductibus urbis Romae commentarius.

FRONTIN. (Julius Frontinus) alius e superiore Frontino, fuit hic scriptor de re agraria, et quidem tempore posterior, cujus opera edita sunt inter *Agrariae rei auctores* a *Goesio* Amstelod. ann. 1674. 4.°, quam editionem sequimur. V. FRONTINUS §. 3. in Lexico.

Exstant ejus
1. De agrorum qualitate liber,
2. — limitibus agrorum,
3. De coloniis.

FURIUS (P. Furius Anthianus) JCtus, vixisse videtur sub Septim. Severo, et Caracalla, qui ab ann. a Chr. n. 193. ad 217. imperium habuere.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Libris IV ad edictum.

G

GALLUS (C. Aelius Gallus) JCtus, M. Tullii Ciceronis temporibus. Ejus exstant fragmenta apud *Gell.* 16, 5., *Macrob.* 6. *Saturn.* 8. et *Festum* in *Postliminium*, *Reus*, *Saltum*, *Sacer*, *Torrens*, et in *Digest.* 22, 1, 19. et 50, 16, 77. et 159. ex illis
1. Libris II. de verborum significatione.

GALLIEN. (P. Licinius Gallienus), qui imperium arripuit ann. a Chr. n. 253., obiit interfectus ann. 268. natus annos quinquaginta.

Exstat ejus carmen in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 684. *Burm.*

GARGIL. (Gargilius Martialis) georgicus, et historicus, floruit sub Alex. Severo, qui ab ann. a Chr. n. 222. ad ann. 235. imperavit. V. GARGILIUS in Lexico.

Exstant ejus fragmenta
1. De cura boum,
2. — re hortensi sive de arboribus pomiferis (87),
3. De pomis sive medicina de pomis (88).

GELL. (A. Gellius) philologus clarissimus, qui scripsit post ann. a Chr. n. 143., et ante ann. 180., quo imperare coepit Commodus Aug., obiit. V. GELLIUS in Lexico. Libri octavi, in capita XV. distributi, sola supersunt summaria seu lemmata capitum; textus totius libri jamdiu periit. Hujus tamen libri summaria, ut et reliquorum, *Gellii* ipsius manu scripta fuisse constat tum ex ipsius praefatione, in cujus fine haec habet; „Capita rerum, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic universa, ut jam statim declaretur, quid quove in libro quaeri invenirique possit.“ tum quia *A. Maius* ad *Cic. de rep.* 3, 21. fatetur, in Cod. palimpsesto Vatic. eximiae vetustatis litteris majoribus fragmenta *Noctium Atticarum* ex libris I. — IV. se reperisse, ibidemque occurrere illa librorum Gellianorum summaria, quae utrum habeant aliquam in lingua Latina auctoritatem immerito dubitat *Forcellinus* ad V. CASCE, IGNOMINIATUS, SIMULAMENTUM.

In Omnibus porro editionibus liber sextus ἀκέφαλος, erat, nunc vero ope Codicis antiquissimi suppletum est ejus initium ab Anglo *Beloe*, et in editione sua Gottingensi ann. 1824. T. 2. 8.°, quam editionem plerumque sequimur, iterum vulgavit *Alb. Lion*, quod hic repetere operae pretium existimamus. „Quibus non videtur mundus Dei et hominum causa institutus, neque res humanae providentia gubernari, gravi se argumento uti putant, cum ita dicunt: Si esset providentia, nulla essent mala. Nihil enim minus ajunt providentiae congruere, quam in eo mundo, quem propter homines“ fecisse dicatur, etc.

GELL. (Cn. Gellius) historicus vixit circa postrema reipublicae Romanae tempora. V. GELLIUS §. 1. Lexico.

Exstant ejus apud plures antiquos scriptores
1. Fragmenta ex annalium libris XCVII.

GELL. (Sex. Gellius) historicus circa eadem tempora. V. GELLIUS §. 1. in Lexico.

Exstat apud *Aurel. Victorem* de *Orig. gent. R.* c. 15. ejus
1. Fragmentum origenis gentis Romanae.

GENNAD. (Gennadius) presbyter Massiliensis, vixit circa finem saeculi a Chr. n. quinti.

Exstat ejus
1. De viris illustribus liber (89).

GERMANIC. (Caesar Germanicus) Drusi senioris et Antoniae filius, ab Tiberio adoptatus jussu Augusti ann. a Chr n. 4., cum esset annorum octodecim, obiit prope Antiochiam ann. a Chr. n. 19., a Cn. Pisone Syriae proconsule veneno sublatus, jussu Tiberii. Ejus vitam habes apud *Suet. Cal.* 1. — 7. V. GERMANICUS §. 3. in Lexico.

Exstat ejus
1. Phaenomena Aratea, sive ex Arato,
2. Prognosticorum fragmentum (90),
3. Epigramma ad Hectoris tumulum (91),
4. Epigramma de puero Thrace (92).

GRAT. (Gratius Faliscus) poeta didascalicus, Ovidio coaetaneus. V. GRATIUS in Lexico.

Exstat ejus
1. Cynegeticon (93).

H

HADRIAN (P. Aelius Hadrianus) natus ann. a Chr. n. 76., a Trajano Aug. adoptatus, eidem successit ann. 117., obiit vero ann. 138. Ejus vitam habet *Spartian.*, qui de eodem haec ait c. 15. Quamvis esset oratione et versu promptissimus, et in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper, ut doctior, risit, contempsit, obtrivit.

Exstant ejus
1. Epigrammata II. (94).

HERENN. MODEST. V. MODESTIN.

HERMOGENIAN. (Claudius Hermogenianus) JCtus, vixit sub Constantino M. seu potius sub ejus filiis, videtur Christianus fuisse, et auctor Codicis, qui ab eodem nomen accepit. V. HERMOGENIANUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus passim in Digestis fragmenta ex
1. Juris epitomarum libris VI,
2. Fideicommissorum libris IV.

HIERONYM. (Sophronius Eusebius Hieronymus) Stridone oppido in Dalmatiae Pannoniaeque confinio natus a Chr. n. 331. secundum plerosque, secundum vero alios ann. 346.; obiit prid. Kal. Sept. ann. 420. Cum Latinorum scriptorum lector et imitator elegantissimus fuerit Hieronymus, plurima nova ex ejus operibus vocabula, praeter ea, quae *Forcellinus* admiserat, in Lexicon recepimus, multa tamen adhuc remanent futuro Lexicographo colligenda. V. HIERONYMUS §. 3. in Lexico. Plerumque in ejus locis citandis utimur editione Veronensi *Domin. Vallarsii* ann. 1734 — 1742, T. XI. fol.

Exstant ejus
1. Epistolae CL.,
2. Vita s. Pauli primi eremitae,
3. —— s. Hilarionis eremitae,
4. —— Malchi monachi,
5. Regula s. Pachomii e Graeco Latine reddita,
6. Epistolae et verba mystica ejusdem, et s Theodorici,
7. Liber Didymi de Spiritu S. ex Graeco Latine conversus,

(84) narratio deducitur ab U. C. ad ann. a. Chr. n. 364. *h. e.* usque ad obitum Joviani Aug.

(85) Apud *Putsch.* p. 2143 — 2190).

(86) Haec a *Cassiodorio* in c. 9. de orthographia servata nobis sunt.

(87) Hoc opus priori titul. edidit *A. A. Scottius*, ut diximus in Lexico; altero autem *A. Maius* iterum vulgavit Romae ann. 1828. in *Classic. auct. T.* 1. p. 391 — 413., qui et capitum ipsorum ordinem immutavit, iisque adnotationibus textum operis locupletavit, quae a viro totius antiquae eruditionis peritissimo fieri decuerant. In Lexico tamen ubique primae editionis Neapolitanae ratio habita a nobis est in hujus auctoris locis citandis.

(88) Tertium hoc non parvi momenti fragmentum primus e duobus Codicib. Vaticanis edidit *A. Maius* Romae ann. 1831. in *Classic. Auct. T.* 3. p. 418 — 426., unde futuris Lexicographis paucula quaedam nova adhuc vocabula erunt colligenda. Ex ejusdem porro cum primo *de cura boum* comparatione mira quaedaa stili similitudo, earumdemque dictionum usus deprehenditur, ita ut tollendae omni *Jul. Pontederae* dubitationi de illius primi fragmenti, plurimis quidem mendis adhuc inquinati, αὐθεντία peridonea sit hujus tertii fragmenti commoditas.

(89) Est continuatio operis ab *Hieronymo* sub eodem titulo scripti, quae centum capitibus constat, quibus totidem virorum illustrium vitae breviter describuntur.

(90) Editum in *Antholog. Lat. T.* 2. p. 338. *Burm.*

(91) Editum *ibid. T.* 1. p. 86.

(92) Editum in *Collect Pisaur. omn. poet Lat. T.* 4. p. 67.

(93) Omnium accuratissime hoc poema edidit Altenburgi *Jo. Chr. Wernsdorfius* inter *Poet. Lat. min. T.* 1. p. 25 — 82., quam editionem sequimur.

(94) Ab eod. *Spartian.* in *Hadrian.* 15. et 24. relata, ex quibus quaedam vocabula in Lexico recensentur.

8. Altercatio Luciferiani et Orthodoxi,
9. Adversus Helvidium liber,
10. ——— Jovinianum libri II.,
11. ——— Vigilantium liber,
12. ——— Joan. Jerosolymitanum liber,
13. Adversus Rufinum libri III.,
14. ——— Pelagianos libri III.,
15. De viris illustribus liber,
16. — nominib. Hebraicis,
17. — situ et nominib. locor. Hebraicorum,
18. Quaestionum Hebraicar. liber in Genesim,
19. Commentarius in Ecclesiasten,
20. Homiliae II. Origenis in Canticum canticor. Latine redditae,
21. Commentarior. in Isaiam libri XVIII.,
22. ——————— in Jeremiam libri VI.,
23. Commentarior. in Ezechielem libri XVI,
24. Explanatio in Danielem,
25. Homiliae XXVIII. in Jeremiam et Ezechielem e Graeco Originis Latine redditae,
26. In Osee libri III.,
27. — Joelem liber,
28. — Amos libri III.,
29. — Abdiam liber,
30. — Micheam libri II.,
31. — Naum liber,
32. — Abacuc libri II.,
33. — Sophoniam liber,
34. — Aggaeum liber,
35. — Zachariam libri III.,
36. — Malachiam liber,
37. — Matthaeum libri IV.,
38. — Lucam homiliae XXXIX. e Graeco Origenis Latine conversae,
39. In epistolam ad Galatas libri III.,
40. In epistolam ad Ephesios libri III.,
41. In epistolam ad Titum liber,
42. In epistolam ad Philemonem liber,
43. Chronicon Eusebii e Graeco Latine redditum et continuatum ab ann. a Chr. n. 330. ad ann. 380.

Plura alia sunt opera, quae Hieronymo perperam tribuuntur, quaeque propterea ab editore Veronensi aut in Appendices primorum tomor. X, aut in tom. XI. rejecta sunt.

HIRT. (A. Hirtius) consul fuit ann. U. C. 711., eodemque obiit ex vulneribus in proelio Mutinensi acceptis. V. HIRTIUS. §. 1. in Lexico.

Exstant ejus
1. de bello Gallico liber VIII.,
2. ——— Alexandrino liber,
3. ——— Africano liber,
4. ——— Hispaniensi

liber qui cum C. Julii Caesaris operibus edi solent, de quibus vide a nobis allatam *Suetonii* auctoritatem ad AUCT.

5. Epistola ad *Cic.* post hujus epist. 6. lib. 15. *ad Att.*

HORAT. (Q. Horatius Flaccus) Venusiae natus VI. Id. Dec. ann. U. C. 689., obiit V. Kal. Dec. ann. 746. Exquiliis, V. HORATIUS, ii, in Lexico.

Exstant ejus
1. Odarum libri IV.,
2. Epodon liber,
3. Carmen saeculare,
4. Satyrarum libri II.,
5. Epistolarum libri II.,
6. De arte poetica epistola.

HOSID. (Hosidius Geta) poeta, cujus cento, *Medea* inscriptus, et versibus 461. constans ex Virgilio desumptis tragoediam continet, cujus meminit *Tertull. de praescript.* 39., quique fortasse eidem coaevus fuit. Hujusmodi carmen integrum primus protulit *P. Burmannus* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 149. — 186. et adnotationibus illustravit.

HOSTIUS, poeta epicus Virgilio antiquior, cujus meminere *Macrobius* et *Servius*, cujusque versus attulere ex lib. I. et II. belli Histrici. V. loca ab his citata in ARQUITENENS, LIQUATUS §. 4., PILATUS §. 2. et PILO. §. 2. in Lexico.

HYGIN. (C. Julius Hyginus) grammaticus, Augusti libertus, et Ovidio familiaris. Omnia ejus scripta periere; quae nunc supersunt sub ejus nomine, videntur esse epitome ex ampliore illo et vetustiore mythographo, primis aevi Christiani saeculis consarcinata a recentiore aliquo grammatico. V. HYGINUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus
1. Fabulae CCLXXVII. (95),
2. Poeticon astronomicon libri IV.,

HYGIN. GROMAT. (Hyginus) gromaticus, seu agrimensor publicus, vixit sub Trajano Aug., qui imperavit ab ann. a Chr. n. 98. ad ann. 117. V. HYGINUS §. 2. in Lexico.

Exstant ejus
1. De limitibus,
2. ——— constituendis,
3. — conditionibus agrorum,
4. Fragmentum agrarium de limitibus (96),
5. De castrorum metatione liber (97).

(95) Alias alterius *C. Hyginii* fabulas CCXXXV. ex Cod. Vaticano edidit *A. Maius* in *Classic. auct. T.* 3. p. 1 — 82., quarum auctorem idem editor in quinto Christi saeculo collocandum jure meritoque putat. Ex ejus porro fabulis nova quaedam sunt vocabula futuro Lexicographo colligenda, et in usus Latine scribentium evulganda.

(96) Haec quatuor opuscula edidit *Goesius* in *Auct. de re agrar.* p. 150 — 216.

I

JAVOLEN. (Javolenus, seu Jabolenus, Priscus) JCtus, vixit sub Trajano Aug. V. JABOLENUS in Lexico.

Exstant ejus fragmenta passim in Digestis ex
1. Libris XV. ex Cassio,
2. — — XIV. epistolarum,
3. Libris V. ad Plautium,
4. — — X. ex posteriorib. Labeonis.

INNOCENT. (Innocentius) agrimensor, cujus utpote sub Constantio Aug. viventis, meminit *Ammian.* 19, 11; at excerpta infra memorata ab imperito quodam consarcinata ex illius libro duodecimo videntur.

Exstant ejus
1. Excerpta ex libro XII. de litteris, quibus signatae casae (98).

JORNANDES, Gothus natione, episcopus Ravennae, scripsit ann. Chr. n. 552.

Exstant ejus
1. De rebus Geticis,
2. De regnor. ac temporum successione.

ISID. (Isidorus) episcopus Hispalensis in Hispania, natus ann. a Chr. n. 560. circiter, obiit vero ann. 636., grammaticus et theologus, antiquitatis et Latinae linguae studiosis maxime commendandus. Ejus operum editionem secuti sumus, quam *Faustin. Arevalus* Romae edidit ann. 1797 — 1803. T. 7. 4.° omnium accuratissimam curavit. Inter opera *Isidori* praestant *Originum* seu *Etymologiarum* libri XX., quos saepe *Forcellinus*, saepissime nos ipsi citavimus in Lexico.

Exstant ejus
1. Originum seu etymologiarum libri XX.,
2. De differentiis verborum,
3. — — — — rerum,
4. Allegoriae ex Vet. et N. Testamento,
5. De ortu et obitu patrum, qui in Scriptura laudibus efferuntur,
6. Prooemia in Vet. et N. Testamentum,
7. De numeris, qui in ss. scripturis occurrunt,
8. Quaestiones de Vet. et N. Testamento,
9. Expositiones mysticorum sacramentorum in Pentateuchum, in Josue, in librum Judicum, in libros IV. regum, in Esdram, de Machabaeis.
10. de fide Catholica ex Vet. et N. Testam, contra Judaeos libri II.,
11. Sententiarum libri III.,
12. De ecclesiasticis officiis,
13. — origine ministrorum,
14. Synonymorum de lamentatione animae peccatricis libri II.,
15. Regula monachorum,
16. Epistolae XIII.,
17. De natura rerum.
18. Chronicon,
19. Historia de regibus Gothorum, Wandalorum, et Suevorum,
20. De viris illustribus liber,
21. Glossae.

JULIAN. (Salvius Julianus) JCtus, ordinator edicti perpetui, Insuber Mediolanensis, patruus M. Didii Severi Juliani Aug., floruit sub Hadriano, Antonino Pio, et M. Aurelio, consul ann. a Chr. n. 148., obiit circa ann. 167.

Exstant ejus plurima in Digestis fragmenta ex
1. libro singulari de ambiguitatibus,
2. —— ad edictum,
3. libris XCIV. Digestorum.
4. —— VI. ad Minicium,

JUL. AQUILA, JCtus incertae aetatis.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libro responsorum.

JUL. CAES. (C. Julius L. F. Caesar Strabo, qui et Vopiscus et Sesquiculus) poeta tragicus, Q. Catuli frater uterinus, a *Cic. Brut.* 48. laudatus.

Exstant ejus fragmenta a *Festo* in *Prophetae*, et ab *Isid. Orig.* 4, 12. allata.

JUL. EXSUPER. (Julius Exsuperantius) vixisse creditur ineunte quinto Christi saeculo, Claudio Rutilio Numatiano propinqua cognatione conjunctus, et Arelate, cum praeses esset Galliarum, ann. a Chr. n. 424. tumultu militari interfectus. V. *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.*

(97) Hoc opus, licet mutilum ad nos pervenerit, maximi tamen habendum est, tum quia rationem ponendorum castrorum, qua Romani uti soliti fuerant, valde illustrat, tum quia plura nova vocabula ad Lexicon locupletandum nobis suppeditavit, ex quibus nonnulla erunt adhuc colligenda futuro Lexicographo, quoniam sero nimis animadvertimus, nullum operis hujus usum fuisse *Forcellino*. Porro in locis citandis utimur editione *Rath. Herm. Schelii*, qui Amstelodami ann. 1660. 4° illud edidit, doctisque commentariis illustravit.

(98) Inter *Auctores rei agrariae* a *Goesio* editos p. 220.

(99) Qui mutilus ad nos pervenit; priora enim LIV. capita sunt supplementa *Coar. Lycosthenis*, reliqua LXXVIII. sunt genuina, suppleta tamen haec illae ab eodem *Lycosthene*: in locis ejus citandis omnium capitum CXXXVII. ratio habetur. *T.* 5. *P.* 1. p. 546. et *seqq.* Habetur etiam auctor opusculi sequentis ex Sallustii historiis nunc deperditis contracti.

Exstat ejus
1. Opusculum de Marii, Lepidi, ac Sertorii bellis civilibus.

JUL. OBSEQ. (Julius Obsequens) incertae aetatis auctor est; alii enim ad quartum Christi saeculum eum referunt, alii ad initium secundi, alii denique sub Vespasiano eum vixisse autumant, quod quidem ejus dictio saepe elegans et Livium plerumque imitata comprobare videtur. Editionem sequimur *Franc. Oudendorpii* Lugd. Bat. ann. 1720. 8.°

Exstat ejus
1. Prodigiorum libellus (99).

JUL. RUFINIAN. (Julius Rufinianus) rhetor vixisse videtur saeculo Christi quarto sub Constantino M. Editionem sequimur *Claud. Capperonerii*, qui Argentorati ann. 1756, 4. *Antiquos rhetores Lat.* edidit.

Exstat ejus
1. De figuris sententiarum et elocutionis liber.

JUL. SEVERIAN. (Julius Severianus) Africanus, rhetor, vixit ineunte saeculo Christi sexto. Editum est illius opus inter *Antiquos rhetores Lat.*

Exstant ejus
1. Symptomata sive praecepta artis rhetoricae.

JUL. VALER. (Julius Valerius) historicus, Afer natione, ethnicus religione, vixit extremo Christi saeculo quarto. Illius opus ex Cod. bibliothecae Ambros. edidit primus *A. Maius* Mediolani ann. 1817, 8. Ejusdem operis duas amplas lacunas, priorem in exordio libri primi, alteram post dimidium secundi expleri posse ex Cod. biblioth. Taurinensis idem cl. Auctor narrat ad *Virgil. interpretes vet.* a se editos *ibid.* ann. insequente p. XXXVIII.

Exstant ejus
1. Res gestae Alexandri M. (tribus libris comprehensae).

JUL. VICT. (C. Julius Victor) rhetor, Gallus fortasse, floruisse videtur saeculo Christi quarto. Illius opus primus e Cod. Vatic. edidit Romae ann. 1823. 8.° *A. Maius.*

Exstat ejus
1. Ars rhetorica.

JURIS CIV. ANTEJUST. (Juris civilis antejustinianei reliquiae ineditae ex Cod. rescripto bibliothecae Vatic., curante *A. Maio*, Romae 1823. 8.°) Harum Vaticanar. reliquiarum fragmenta saepiuscule mentio fit in novis vocabulis in Lexicon a me suo loco positis: de genere vero operis, et tempore, quo conscriptum fuit, consulendus ipse cl. editor in ejus praefatione.

JUSTINIAN. INSTITUT. (Justiniani institutiones) Postquam Justinianus I. Augustus Digestorum seu Pandectarum libros L. promulgandos curasset, ex variis antiquorum jurisconsultorum ac praecipue Caji institutionibus has suas institutiones in quatuor libros distributas ann. a Chr. n. 533. evulgavit, ita ut essent totius legitimae scientiae prima elementa, ut ipse ait prooemio.

JUSTIN. (Justinus) historicus, videtur vixisse sub Antoninis. V. JUSTINUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus
1. Historiarum Philippicarum libri XLIV.

JUVENAL. (D. Junius Juvenalis) Aquinas, poeta satyricus, natus ann. a Chr. n. 42., satyram primam scripsit imperante Domitiano, plurimas sub Trajano, tertiam decimam et decimam quintam sub Hadriano, qui, ob septimam satyram in Paridem comoedum, jam octogenarium senem praefectura cohortis honoris specie decoratum in Aegyptum misit. V. JUVENALIS, is, in Lexico. Editionem saepe sequimur a *Nic. Lud. Achaintre* Parisiis ann. 1810. T. 2. 8.° curatam.

Exstant ejus
1. Satyrae XVI.

JUVENC. (C. Vettius Aquilinus Juvencus) Hispanus, presbyter, poeta, vixit sub Constantino M., cujus et meminit in fine operis sui: in prologo est imitatus *Ovidium* in *praef. Metamorphoseon.* Scripsit itaque ante ann. a Chr. n. 337., quo Constantinus M. defunctus est. Perspicua satis et nativa utitur dictione. V. JUVENCUS in Lexico. Editionem sequimur Pisaurensem in *Collectione omnium poetarum* ann. 1766. T. 6. 4.°

Exstant ejus
1. Historiae Euangelicae libri IV. (versibus hexametris exaratae).

JUVENT. (P. Juventius Celsus) JCtus, clari ejusdem nominis JCti filius, qui adolescentis nomine in *Dig.* 12, 4, 4. et alibi a patre distinguitur. Fuit Hadriano Aug. a consiliis, et consul ann. a Chr. n. 129. In locis ejus citandis tum in Digestis, tum in Lexico *Celsus* appellatur.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex

1. Digestorum libris XXXIX.,
2. Commentarior. libris VII.,
3. epistolarum libris XI.,
4. quaestionum libris XIX.

K

KALEND. Kalendaria plura, Maffejorum nempe, Praenestinum, Farnesianum, Antiatinum, Polemii Silvii, et Constantii Aug. in Lexico quandoque citantur; quorum omnium in Latina lingua auctoritatem licet *Jul. Pontedera* in *Antiquit. Lat. Graecisque* epist. 46. tollere conatus sit, *Morcellus* tamen *de stilo inscript. Lat. T.* 1. p. 27. et. 79. satis superque confirmavit: eadem porro, ut genuina, retulit et illustravit nuperrime *Jo. Casp. Orellius* in *Collect. inscript. Latin. T.* 2. p. 379 — 413. Ex iis itaque *Forcellinus* nonnulla vocabula, nosque etiam plura in Lexicon admisimus, quaedam adhuc imposterum erunt admittenda.

L

LABEO (M. Antistius Labeo) JCtorum princeps habitus est sub Augusto, quo imperante vixit. V. LABEO §. 2. in Lexico.
Exstant ejus in Digestis plurima fragmenta ex
1. *Πιθάνων*, *h. e.* probabilium, libris VIII.,
2. — — — — — — — a Paulo epitomatorum,
3. Posteriorum libris X,
4. — — — a Javoleno epitomatorum,
5. ad edictum libro,
6. epistolarum libris,
7. praetoris peregrini libris XXX,
8. ——— urbani libro.

LABER. (D. Laberius) eques Romanus, et mimographus, natus ann. U. C. 648. V. LABERIUS in Lexico.
Exstant ejus apud plures veteres auctores fragmenta mimorum, quorum hi sunt tituli:

1. Alexandrea seu Alexandra,
2. Anna Perenna,
3. Aquae calidae,
4. Aries,
5. Augur,
6. Aulularia,
7. Bellonistria (*fortasse scribendum* balaneutria),
8. Cacomnemon,
9. Caeculi,
10. Cancer,
11. Carcer,
12. Catularius seu Scylax,
13. Centenarius,
14. Colax.
15. Colorator,
16. Compitalia,
17. Cophinus,
18. Creontes,
19. Ephebus,
20. Fullo,
21. Galli,
22. Gemelli,
23. Hetaera,
24. Imago,
25. Lacus Avernus,
26. Late loquentes,
27. Marcus,
28. Natalis,
29. Necyomantia,
30. Nuptiae,
31. Panilici.
32. Paupertas,
33. Piscator,
34. Restio,
35. Salinator,
36. Saturnalia,
37. Scriptura.
38. Sedigitus,
39. Sorores,
40. Staminariae,
41. Taurus,
42. Tusca,
43. Virgo.

LACTANT. (L. Caecilius Firmianus Lactantius) scriptor sui temporis elegantissimus, videtur quibusdam obiisse Treviris ann. a Chr. n. 325. V. LACTANTIUS §. 1. in Lexico.
Exstant ejus
1. Institutionum divinar. libri VII. *seu*
   1. De falsa religione,
   2. — origine errorum,
   3. — falsa sapiensia,
   4. — vera sapientia,
   5. — justitia,
   6. — vero cultu,
   7. — vita beata.
2. De ira Dei,
3. — opificio Dei *seu* formatione hominis,
4. Epitome institutionum divinarum,
5. De mortibus persecutorum,
6. Carmen (elegiacum) de phoenice,
7. ——— de Paschate,
8. ——— Passione Domini (100),

LACTANT. (Lactantius Placidus) grammaticus, vixit sexto Christi saeculo, quippe qui et Boethii mentionem facit. V. LUTATIUS §. 1. in Lexico.
Exstant ejus
1. Scholia in Statii Thebaidem,
2. ———— Achilleidem (101),
3. Narrationes fabularum, quae in P. Ovidii Nasonis libris XV. Metamorphoseon occurrunt (102),
4. Fabulae CCXXX. (103),
5. Glossae (104).

LAMPRID. (Aelius Lampridius) historicus, *Flavio Vopisco* anterior, vixit sub Dioclectiano et Constantino M. Sunt qui putant, eundem esse ac *Aelium Lampridium Spartianum*, ita ut *Lampridius* et *Spartianus* non duo diversi scriptores, sed unus idemque fuerint.
Exstant ejus
1. Vita Commodi,
2. —— Antonini Diadumeni,
3. —— Elagabali,
4. —— Alexandri Severi.

LEG. XII. TAB. (Leges XII. tabularum) Regibus Roma pulsis ann. U. C. 244., Romanae reipublicae concordia minime diuturna fuit, cum inter patres plebemque ob legum instabilitatem frequentes seditiones essent. Itaque ann. 300., ut finis tandem certaminum fieret, placuit, ut tres legati Athenas mitterentur, qui inclytas Solonis leges describerent, aliarumque etiam Graeciae civitatum instituta, mores ac jura cognoscerent. Biennio post Romam cum Atticis legibus reversi sunt, et anno insequenti decemviri novis legibus scribendis creantur, translato a consulibus ad decemviros, ut antea a regibus ad consules, imperio. Tum legibus condendis opera datur, eodemque anno scriptae decem tabularum leges, et in publicum propositae sunt, ac prius coacto senatu, nemine patrum eas leges reprehendente, senatusconsultum de illis factum est, mox populo ad comitia centuriata convocato leges unanimi consensu comprobatae, quae deinceps plebiscito sancitae, aereisque tabulis decem incisae in fori loco maxime conspicuo dispositae fuerunt. Vulgatus deinde rumor, quaedam alicujus momenti in illis adhuc deesse, decemvirum iterum creandorum fecit desiderium. Sic ergo centuriatis comitiis decemviri in alterum annum confirmati reliquas leges, quae videbantur omissae, aeneis duabus tabulis scriptae sunt, et juxta priores decem pro curia affixae, ut absolutissimum populo Romano juris corpus exhiberent, quae *leges XII. tabularum* appellantur.

E veteribus JCtis plures scripserunt ad has leges interpretandas, inter quos Sex. Aelius, L. Acilius, Ser. Sulpicius, Antistius Labeo; e recentioribus sat numero multi fuerunt, qui illorum fragmentis colligendis et illustrandis sedulam dederunt operam, quos inter eminet *Jac. Gothofredus*, ac deinceps *Jo. Nic. Funccius*, qui Rintelii ann. 1744. 4.° edidit *leges XII. tabular.* suis, quotquot reperiri potuerunt, fragmentis restitutas et observationibus illustratas, quam editionem nos ipsi sequimur.

LENTUL. (P. Cornelius Lentulus Spinther) P. Cornelii Lentuli Spintheris consulis ann. U. C. 697. filius, augur, proquaestor Trebonii proconsulis in Asia, cujus post mortem ipse propraetoris nomen assumpsit.
Exstant ejus
1. Epistolae II. ad *Cic. Fam.* 12, 14. et 15.

LICENT. (Licentius) Tagastae natus, et Augustini municeps, ejus amicitiam coluit, et doctrinam est admiratus. Multa scripsit, quae perierunt.
Exstat tantum ejus
1. Carmen ad Augustinum (105).

LICIN. MACER (C. Licinius Macer) historicus Ciceroni coaevus. Ejus fragmenta exstant apud *Liv.*, *Macrob.*, *Priscian.* aliosque, atque inter *Historicorum fragmenta*, quae Sallustii operibus subjunguntur, edi solent.

LIV. (T. Livius) Patavinus, historicus omnium clarissimus, natus ann. U. C. 695., mortuus, ut probabilius videtur, ann. 772. post Chr. n. 19. imperante Tiberio. V. LIVIUS, ii, in Lexico. Ejus historiarum libri integri habebantur ad initium saeculi a Chr. n. quinti, etenim *Symmachus*, qui vixit ultra ann. 404., ita scribit 4. *ep.* 17. „Priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas: revolve Patavini scriptoris extrema, quibus res C. Caesaris explicantur.“ Imo et *Sidonii Apollinaris* tempore, qui obiit circa ann. 484., ita enim ille 9. *ep.* 14. „Si omittantur, quae de titulis dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus, etc.“

In citandis *Livii* locis saepissime utimur editione Bipontina ann. 1784 — 1786. T. 11. 8.°
Exstant ejus
1. Historiarum libri XXXV. (106),
2. Fragmentum libri XCI. (107).

LIV. ANDRONIC. (Livius Andronicus) poeta tragicus et comicus, Tarenti natus. V. ANDRONICUS §. 1. in Lexico. Utimur editione *Frid. Henr. Bothii*, inter *Poet. Lat. min.* Halberstadii ann. 1823, 1824. T. 2. 8.°
Exstant fragmenta tragoediarum ejus, quarum hi sunt tituli:

1. Achilles,
2. Adonis,
3. Aegisthus,
4. Ajax,
5. Andromeda,
6. Antiopa,
7. Centauri,
8. Equus Trojanus,
9. Helena,
10. Hermiona,
11. Ino,
12. Laodamia,
13. Protesilaus,
14. Tereus,
15. Teucer,

Comoediarum vero hi:

1. Gladiolus
2. Lydius,
3. Virgo.

LUCAN. (M. Annaeus Lucanus) poeta epicus, nepos ex fratre L. Senecae philosophi, natus Cordubae in Hispania ann. a Ch. n. 38., ex ordine equestri, obiit ann. 65. V. LUCANUS, i, in Lexico. Editionem plerumque sequimur *Fr. Oudendorpii* Lugd. Bat. ann. 1728. 4.° et quandoque *Car. Fred. Weberi* Lipsiae ann. 1821. T. 2. 8.°
Exstant ejus
1. Pharsaliae libri X.

LONGUS (Velius Longus) grammaticus, a *Servio*, *Macrobio*, et *Charisio* citatur; ejus commentarium de usu antiquae locutionis commemorat *Gell.* 18, 9.; alium libellum *Charis.* apud *Putsch.* p. 73.: ex eodem apud *eund.* p. 187. videtur in Lucretium quoque commentatus esse. Illius fragmenta commentarii in *Virgil. Aeneid.* affert *A. Maius* in *Virgilii interpr. vet.* Mediolani ann. 1818. 8.°
Exstat ejus
1. De orthographia liber (108).

LUCCEJ. (L. Luccejus Q. F.) historicus sui temporis clarissimus, ad quem *Cic. Fam.* 5, 12. scripsit rogans, ut de rebus suis in consulatu gestis et de exsilio redituque singularem conficiat libellum.
Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 5, 14.

LUCIL. (C. Lucilius poeta satyricus, natus Suessae ann. U. C. 606., obiit ann. 650. V. LUCILIUS in Lexico.
Exstant ejus satyrarum
1. Fragmenta librorum XXX. (109).

LUCRET. (T. Lucretius Carus) poeta didacticus, natus videtur ann. U. C. 659. V. LUCRETIUS in Lexico. Editionem sequimur *Dan. Parei* Francof. ann. 1631. 8.°
Exstant ejus
1. De rerum natura libri VI.

LUTAT. (Q. Lutatius Catulus) poeta, Ciceroni coaevus, cujus epigramma ipse refert *Nat. D.* 1, 28., aliud vero *Gell.* 19, 9.: utrumque autem edidit et illustravit *P. Burmannus* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 169. 170.

LUXOR. (Luxorius) poeta, vixit in Africa sub Thrasimundo Vandalorum rege, qui regnavit ab ann. a Chr. n. 496. ad ann. 523.
Exstant ejus
1. Epigrammata LXXXIV. (110).

M

MACER (Aemilius Macer) medicus. V. AEMILIUS MACER in Lexico.
Exstat ejus
1. De virtutibus herbarum liber.

MACER (Aemilius Macer) JCtus, vixit sub Alex. Severo, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 222. ad ann. 235.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris II. de appellationibus,
2. ———— re militari,
3. ———— officio praesidis,

---

(100) Prius ex his tribus carminibus *Lactantio* merito tribui statuit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. 283 — — 293., secundum vero et tertium illi abjudicat, et *Venantio Fortunato* tribuenda potius arbitratur.

(101) Haec in utrumque Statii poema primum vulgata sunt simul cum operibus ejusdem poetae Parisiis ann. 1600. 4.°

(102) Has narrationes edidit accurate *Augustus van Staveren* Lugd. Bat. ann 1742. 4.° inter *Auctores mythograph. Latin.* p. 787 — 895.

(103) Has omnium primus e duobus Codd. Vatic. edidit *A. Maius* in *T.* 3. p. 83 — 225 et p. 365 — 374. *Classic. auct.* Romae ann. 1831. 8.°, de quibus consule eundem in *praef. p. VII — X.*

(104) Has itidem primus idem edidit ex quatuor Codd. Vatican. in eod. *T.* 3. *Classic. auct.* p. 427 — 503, de quibus consule ejusdem *praef. p. IX.*

(105) Versibus hexametris constans, et anno a Chr. n. 395. exaratum; editum vero est a *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.* T. 4. p. 516 — 544. et adnotationibus locupletatum, ex quo quaedam nova vocabula in Lexicon adduximus.

(106) Ex his XXXV. libris exstant decem primi, qui origines Urbis historiarumque ad ann. U. C. 460. complectuntur: decem posteriores deperditi sunt: exstant vero reliqui usque ad XLV., quibus historia ab initio belli Punici secundi, quod ann. 536. coepit, ad ann. 588. perducitur.

(107) Hujusmodi fragmentum ex Cod. palimpsesto Vaticano primus edidit *Paul. Jac. Brunsius* Hamburgi ann. 1773. fol., eodemque ann. *Franc. Cancellerius* cum *Vit. M. Giovenazzii* scholiis Romae 4.°; nuper vero *B. G. Niebuhrius* eund. Cod. retractans, ope artis chemicae fragmentum illud plenius integriusque relegens Romae iterum vulgavit ann. 1820. 8°, et nonnullis etiam adnotationibus locupletavit.

(108) apud *Putsch.* p. 2213. — 2239., unde etiam *Cassiodorius* sumpsit suum *cap.* 2. de orthographia.

(109) a *Franc. Dousa* collecta et edita Amstel. ann. 1661. 8.°, quam editionem sequimur.

(110) Edita sunt in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 579 — 623. *Burm.*: aliud praeterea ejusdem habetur *ibid.* T. 2. p. 479.

4. — — — — publicis judiciis, 5. — — — ad legem vicesimam hereditatium.

MACER, historicus. V. LICIN. MACER.

MACROB. (Aurelius Macrobius Ambrosius Theodosius) floruit sub Theodosio II., qui imperavit ab ann. a. Chr. n. 408. ad ann. 450. V. MACROBIUS, ii, in Lexico.
xstant ejus
1. In Scipionis somnium a Cicerone descriptum commentarior. libri II., 3. De differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi, VII.
2. Saturnaliorum libri

MAECEN. (C. Cilnius Maecenas) amicus et consiliarius Augusti. V. MAECENAS in Lexico. Praeter ejus dicteria hic §. 2. citata habes etiam epigrammata in *Anthol. Lat.* T. 1. *Burm.* p. 29. 412. et 596. et apud *Suet.* in *Vit. Horatii.*

MAECIAN. (L. Volusius Maecianus) JCtus, floruit sub Antonino Pio, et M. Aurelio, qui imperarunt ab ann. a Chr. n. 138. ad ann. 180.
Exstant ejus
1. De assis distributione libellus.
2. Fragmenta in Dig. ex libris XVI. fideicommissorum,
3. ——— — — — lege Rhodia,
4. ——— — — — libris XIV. publicorum,
5. ——— — — — libro quaestionum.

MALL. THEOD. (Flavius Mallius Theodorus) consul fuit ann. a Chr. n. 299.
Exstat ejus
De metris libellus (111).

MAMERTIN. (Claudius Mamertinus) major, orator, natione Gallus.
Exstant ejus
1. Panegyricus Maximiano Aug. (112),
2. — — — Genethliacus eidem (113).

MAMERTIN. (Claudius Mamertinus) junior videtur fuisse superioris filius, consul fuit ann. a Chr. n. 364. V. MAMERTINUS in Lexico.
Exstat ejus
1. Panegyricus seu Gratiarum actio pro consulatu Juliano Aug.

MANIL. (M. Manilius) poeta et astrologus, Augusto imperante vixisse videtur. V. MANILIUS, ii, in Lexico.
Exstant ejus
1. Astronomicon libri V.

MARCELL. (M. Claudius Marcellus) consul fuit ann. U. C. 703., inimicus Caesari dictatori, qui tamen in senatu rogatus ei veniam dedit; hinc Cicero ex tempore eidem Caesari, senatus nomine, gratias egit ea oratione, quae *pro Marcello* dicitur: de quo beneficio *Marcellus* Ciceroni gratias agit in epist. ad *Cic. Fam.* 4, 11. Is autem, dum Romam rediret, a P. Magio Cilone familiari ejus pugione percussus paulo post obiit ex vulneribus, ut narrat *Ser. Sulpicius Rufus* ad *Cic. Fam.* 4, 12.
Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 4, 11. (de qua supra diximus).

MARCELL. EMPIR. (Marcellus Empiricus) medicus Burdigalensis, archiater Theodosii I., vixit circa ann. a Chr. n. 380.
Exstat ejus
1. De medicaminibus empiricis, physicis, et rationalibus liber.

MARCELL. (Ulpius Marcellus) JCtus, floruit sub Antonino Pio, M. Aurelio, et Commodo, scilicet ab ann. a Chr. n. 138. ad ann. 192.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XXXIX. digestorum,
2. —— VI. ad leges seu legem Juliam et Papiam,
3. libro de officio praesidis,
4. libris II. publicorum,
5. libro responsorum,
6. libris V. de officio consulis,
7. notis ad libros XLII. digestorum Juliani,
8. notis ad Pomponii librum regularum.

MARCIANUS (Aelius Marcianus) JCtus, floruit sub Caracalla, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 211. ad ann. 217.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris II. de appellationibus,
2. —— XVI. institutionum,
3. —— V. regularum,
4. —— II. publicorum,
5. libro de delatoribus,
6. —— ad hypothecariam formulam,
7. —— ad JCtum Turpilianum,
8. libris VII. digestorum,
9. notis ad librum II. de adulteriis Papiniani.

M. AUREL. (M. Aurelius Antoninus Aug.) natus Romae ann. a Chr. n. 121. patre Annio Vero, adoptatus a T. Aurelio Antonino Pio ann. 138., cui defuncto successit ann. 161., obiit Vindobonae ann. 180. Ejus vitam habes apud *Capitolinum*, plures vero epistolas ad M. Cornelium Frontonem magistrum suum puro quidem stilo, et saepe Plautinis vocabulis ac humanitatis sale conditas edidit primus *A. Maius* inter opera *Frontonis* Mediolani primum ann. 1815., deinde numero auctas Romae ann. 1823. 8.°, quas ibidem reperias insertas in *lib.* 1. *ad M. Caes.* 1. 3. 5. 9. 10., *lib.* 2. ad *eund.* 5. 6. 7. 9. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18., *lib.* 3. ad *eund.* 2. 5. 7. 9. 12. 14. 17. 18. 19. 21., *lib.* 4. ad *eund.* 2. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 13., *lib.* 5. ad *eund.* 2. 4. 5. 7. 8. 11. 13. 15. 16. 18. 21. 23. 24. 26. 28. 31. 32. 35. 36. 39. 41. 43. 45. 47. 49. 51. 53. 56. 57. 59., *lib.* 1. *ad Antonin. Imp.* 1. 4., *lib.* 2. ad *eund.* 1. 3. 4. 7. 11. 13., *ad Verum* 2., *de fer. Alsiens.* 1. 4., *de nep. amisso* 1.

MAR. PLOT. (Marius Plotius) grammaticus, Romae docuit quinto fortasse Christi saeculo.
Exstat, apud *Putsch.* p. 2623. — 2664., ejus
1. De metris liber.

MARSUS (Domitius Marsus) floruit sub Augusto, epigrammatum scriptor est habitus imprimis nobilis atque excellens. Exstant ejus duo epigrammata: unum in fine carminum *Tibulli*, alterum a *Philargyrio* ad *Virg. Ecl.* 3, 90. allatum, utrumque autem legitur cum adnotationibus *P. Burmanni* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 416. et 436.: cetera periere, quorum tamen fragmenta collegit *Broukhusius* ad fin. carmin. *Tibulli*. V. MARSUS, i, in Lexico.

MARTIAL. (M. Valerius Martialis) poeta epigrammaticus, Hispanus ex urbe Bilbili, nunc *Bilbao*, natus ann. a Chr. n. 40. circiter, Romae vixit annis quinque et triginta, ut patet ex ejus *epigr.* 31. *lib.* 12., unde in patriam reversus ann. 100., inde illuc misit suum duodecimum epigrammaton librum, et ann. 104. obiit. V. MARTIALIS, is, in Lexico. In citandis auctoris locis utimur editione Bipontina ann. 1784. 8.° et quandoque etiam Parisiaca ann. 1825. T. 3. 8.°
Exstant ejus
1. Epigrammaton libri XIV. (114), 2. De spectaculis liber (115).

MASURIUS. V. SABINUS JCtus.

MATIUS (C. Matius) eques R., C. Julii Caesaris et Augusti amicus. V. MATIANUS in Lexico.
Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 11, 28.

MATTIUS (Cn. Mattius) poeta mimiambus, qui plerisque idem videtur esse ac superor.
Exstant ejus fragmenta apud *Gell.* et *Macrob.*, quae in unum collecta edidit *P. Burmannus* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 630., quaeque quater citantur in Lexico.

MAURICIAN. (Junius Mauricianus) JCtus, floruit sub M. Aurelio Aug., qui imperavit ab ann. a Chr. n. 161. ad ann. 180.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris VI. ad leges seu legem Juliam et Papiam, 2. libro II. de poenis, 3. notis apud Julianum.

MAXIMIAN. (Cornelius Maximianus Gallus Etruscus) poeta elegiacus, qui perperam cum C. Cornelio Gallo a quibusdam confunditur, floruit circa finem quinti a Chr. n. saeculi, cujusque vitam habes apud *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.* T. 6. p. 207. — 247. V. GALLUS in Lexico.
Exstant ejus
1. Elegiae VI. (116).

MAXIMUS (Rutilius Maximus) JCtus, incertae aetatis.
Exstat in *Dig.* 30, 1. 125. unicum ejus fragmentum ex *lib.* ad legem Falcidiam.

MELA (Pomponius Mela) geographus. V. MELA §. 2. in Lexico.
Exstant ejus
1. De situ orbis libri III. (117).

MENANDER (Arrius Menander) JCtus, Septimii Severi, et Caracallae, qui imperarunt ab ann. a Chr. n. 193. ad ann. 217., consiliarius.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris IV. de re militari.

MESSALA CORVIN. (M. Valerius Messala Corvinus) natus ann. U. C. 695., consul ann. 723., obiit ann. 757. Multa scripsit, quae periere, eorundem tamen fragmenta afferuntur a *Plin.*, *Suet.*, *Gell.* aliisque. Exstat vero sub ejus nomine unicus libellus, de quo mox mentio erit, qui saepe editus est, sed communi eruditorum sententia est plane opus suppositicium, et barbarae Latinitatis tempore conscriptum. Plura tamen ex eodem loca attulit *Forcellinus* in Lexico, nempe in ALTILOQUIUM, CARCERO, COHABITO, COSMOGRAPHUS, EXSULATUS, GENEALOGIA, TRIFARIE, licet in ABSENTO §. 3. dixerit, illum libellum esse auctoritatis omnino incertae. Ipse etiam ejus deceptus exemplo alium locum citavi in V. BRENTESIA. Caveat igitur futurus Lexicographus, ne iis locis iterum adducendis fucum faciat Latine scribentibus. *Forcellinus* porro in locis citandis sequitur editionem Oxoniensem ann. 1703. 8.°: ipse vero secutus sum Bipontinam ann. 1789. 8.°, in qua legitur inter *Historiae Rom. scriptores minores.*
Exstat ejus
1. Ad Octavianum Augustum de progenie sua libellus.

MINUC. (M. Minucius Felix) V. MINUCIUS in Lexico. Quamquam eruditorum plerique putent, hujus auctoris aetatem pertinere ad medium circiter Christi saeculum, tamen *Jac. Dan. van Hoven* in *Epist. hist. crit. de vera aetate* etc. *M. Minucii Felicis*, Campis edita ann. 1762. 4.° illum M. Aurelio coaevum fuisse conatur ostendere, ejusdemque est fere sententiae *A. Maius* ad *Fronton.* p. XXXIII. not. (1) edit. Rom., ibi enim ait, Municium Frontoni prope fuisse coaetaneum. V. *eund. ibid.* ad p. 86. not. (2).
Exstat ejus dialogus, cui titulus est
1. Octavius.

MODESTIN. (Herennius Modestinus) JCtus. V. MODESTINUS §. 2. in Lexico.
Exstant plura ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris IX. differentiarum,
2. —— VI. excusationum,
3. —— X. regularum,
4. —— XIX. responsorum,
5. —— XII. pandectarum,
6. —— IV. de poenis,
7. libro de differentia dotis,
8. —— — enucleatis casibus,
9. —— — eurematicis,
10. —— — inofficioso testamento,
11. —— — legatis et fideicommissis,
12. —— — manumissionibus,
13. —— — praescriptionibus,
14. —— — ritu nuptiarum,
15. libris XXXI. ad Q. Mucium.

MODEST. (Modestus) vixit sub Tacito Aug., qui imperavit ann. a Chr. n. 275., cujus jussu scripsit, qui exstat, librum
1. De vocabulis rei militaris (118).

MONUMENT. ANCYR. (Monumentum Ancyranum) V. ANCYRANUS §. 2. in Lexico. Porro hujusmodi monumentum, cujus aliquoties auctoritatem adduxit *Forcellinus*, ceteris accuratius a se inspectum, cum editis exemplis collatum et suppletum edidit *Ed. Chishullus* Britannus, notisque instruxit eruditis in *Antiquit. Asiat.* p. 170. et seqq., unde *Jer. Jac. Oberlinus* suae adjecit *Taciti* editioni Lips. ann. 1801. 8.°, suisque etiam illustravit adnotationibus.

MUC. V. SCAEVOLA n. 2.

MUSA (Antonius Musa) medicus, qui sub Augusto vixit.
Exstant ejus
1. De tuenda valetudine ad Maecenatem libellus, 2. Compositiones medicae (119).

N

NAEVIUS (Cn. Naevius) poeta tragicus et comicus, V. NAEVIUS in Lexico. Plerumque utimur tam in fragm. tragoed. quam comoediarum editione *Frid. Henr. Bothii*, de qua V. in ACCIUS.
Exstant ejus apud *Gell.*, *Non.*, *Priscian.* aliosque veteres auctores tragoediarum fragmenta, quarum hi sunt tituli:
1. Alcestis,
2. Danae,
3. Equus Trojanus,
4. Hector,
5. Hesiona,
6. Iphigenia,
7. Lycurgus,
8. Phoenissae,
9. Protesilaus seu Laodamia.

Comoediarum autem hi sunt tituli:
1. Acontizomenos,
2. Agido rectius Agaso,
3. Agitatoria,
4. Agryptiuntes,
5. Apella,
6. Assitogiola,
7. Carbonaria,
8. Clastidium,
9. Colax,
10. Corollaria,
11. Cosmetria,
12. Dementes,
13. Demetrius,
14. Diobolaria,

(111) editus Lugd. Bat. ann. 1766. 8.°, ex quo paucula quaedam vocabula in Lexicon admisimus.
(112) Treviris dictus XII. Kal. Maj. ann. a Chr. n. 292.
(113) Videtur hic tempore praecedere superiorem, quia in eo Galerii et Constantii Caesarum, qui hoc ann. 292. Caesares sunt appellati, nulla fit mentio.

(114) quorum paenultimo *xeniorum*, ultimo *apophoreton* titulum ipse auctor inscripsit.
(115) Hic liber ex probabili conjectura videtur esse collectio carminum non ab uno *Martiale*, sed a variis poetis conscriptorum in spectacula a Tito, et Domitiano edita.
(116) quae a *Wernsdorf. loc. cit.* p. 269 — 379. editae sunt et adnotationibus illustratae, cujus editionem sequimur.
(117) quorum editionem Lipsiensem ann. 1806 — 1807. T. 4. 8.° a *Car. Henr. Tzschuckio* curatam, et amplissimis commentariis locupletatam sequimur.

(118) qui nullius esse debet in lingua Latina auctoritatis, cum putide scriptus sit, ideoque spurius habendus.
(119) Haec duo opuscula illi, licet perperam, tribuuntur, quae edita sunt hoc titulo: „Antonii Musae, qui Augusti Caesaris medicus fuit, fragmenta quae exstant collegit *Florian. Caldani.* Bassani ann. 1800. 8.“.

15. Erularia,
16. Figulus,
17. Glaucoma,
18. Gymnasticus,
19. Hariolus,
20. Lampadio,
21. Lupus,
22. Nautae,
23. Pacilius,
24. Pellex,
25. Philemporos,
26. Projectus,
27. Pulli,
28. Quadrigemini,
29. Sanniones,
30. Stalagmus,
31. Stigmatias,
32. Tarentilla,
33. Testicularia,
34. Thermus,
35. Triphallus,
36. Tunicularia.

NAZAR. (Nazarius) Burdigalensis professor, ut patet ex *Auson. Profess.* 14, 9., qui ann. a Chr. n. 321. Romam missus, ut Constantino M. ob victoriam de Maxentio relatam gratularetur, ibidem orationem recitavit, quae exstat, cujusque titulus est

1. Panegyricus Constantino Aug.

NEMESIAN. (M. Aurelius Olympius Nemesianus) Carthaginiensis, poeta didacticus. V. NEMESIANUS in Lexico.

Quod *P. Burmannus* fecerat, ut dubitanter *Calpurnio* tribueret quatuor eclogas, quae *Nemesiani* nomine habebantur, *Jo. Chr. Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min.* T. 2. confidenter omnino praestitit: etenim, cum pluribus argumentis sententiam suam confirmasset, *Nemesiani* eclogas quatuor subjunxit illis *Calpurnii* eclogis septem, ut uno tenore eas numeraret. Hac itaque de controversia illum ibidem consulas, oportet. Quam porro *Forcellinus* divisionem secutus est, nobis retinendam proposuimus; at in hujus poetae locis citandis utimur editione *Wernsdorfii*, qui eclogas in T. 2. p. 174. — 214. et in T. 1. p. 81. — 131., Cynegeticon, et duo fragmenta de aucupio suis adnotationibus illustrata edidit Altenburgi ann. 1780. 8.°

Exstant itaque ejus

1. Eclogae IV.,
2. Cynegeticon,
3. Fragmenta II. de aucupio.

NEP. (C. Cornelius Nepos) Hostiliae, nunc *Ostiglia*, ad Padi ripas natus; Ciceronis, Catulli, et Attici amicus. V. NEPOS §. 12. in Lexico. Editionem sequimur Lipsiensem *Boecleri* ann. 1662. 12. et itidem Lipsiensem *Jo. Chr. Frid. Werzelii* ann. 1822. T. 2. 8.°

Exstant ejus

1. Vitae excellentium (*Graeciae*) imperatorum XX. *h. e.*
   1. Miltiadis Athenien-sis,
   2. Themistoclis Athen.,
   3. Aristidis Athen.,
   4. Pausaniae Lacedae-monis,
   5. Cimonis Athen.,
   6. Lysandri Lacedaem.,
   7. Alcibiadis Athen.,
   8. Thrasybuli Athen.,
   9. Cononis Athen.,
   10. Dionis Syracusani,
   11. Iphicratis Athen.,
   12. Chabriae Athen.,
   13. Timothei Athen.,
   14. Datamis Caris,
   15. Epaminondae Thebani,
   16. Pelopidae Theb.,
   17. Agesilai Lacedaem.,
   18. Eumenis Macedonis,
   19. Phocionis Athen.,
   20. Timoleontis Corinthii,
2. —— regum *h. e.* Cyri, Darii, Xerxis, utriusque Artaxerxis Persarum; Philippi et Alexandri Macedonum; Pyrrhi Epirensium; Dionysii Siculorum; Antigoni, Demetrii, Lysimachi, Seleuci, Ptolemaei ex Alexandri M. amicis,
3. —— Hamilcaris, et Annibalis Carthaginensium ducum,
4. Vita M. Porcii Catonis senioris,
5. —— T. Pomponii Attici,
6. Fragmenta,

NERAT. (Neratius Priscus) JCtus, consul suffectus, Trajano et Hadriano Augg. carus, qui imperarunt ab ann. a Chr. n. 98. ad ann. 138. V. NERATIUS in Lexico.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex

1. Membranarum libris VII.,
2. Regularum libris XV.,
3. Responsorum libris III.,
4. Libris ex Plautio,
5. Epistolarum libro IV.

NIGID. (P. Nigidius Figulus) philosophus Pythagoricus. V. NIGIDIUS in Lexico.

Exstant ejus

1. Fragmenta apud *Gell.*, et *Macrob.*

NON. (Nonius Marcellus) grammaticus. V. NONIUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus

1. De proprietate sermonis Latini capita XIX.

NOV. (Q. Novius) poeta comicus. V. NOVIUS in Lexico.

Exstant ejus comoediarum fragmenta, quarum hi sunt tituli:

1. Agricola,
2. Andromacha,
3. Asinius,
4. Bubulcus cerdo,
5. Bucculo,
6. Colax,
7. Decuma seu Decumae,
8. Depatici fortasse Hepatici,
9. Dotata,
10. Duo Dossenni,
11. Eculeus,
12. Erisaces *al.* Eurysaces,
13. Exodium,
14. Filonicus seu Philonicus,
15. Fullones feriati,
16. Funus,
17. Gallinaria,
18. Gemini,
19. Hetaera,
20. Lignaria,
21. Macci,
22. Maccus caupo seu copo,
23. Maccus exsul,
24. Malevolus,
25. Mania medica,
26. Milites Pometinenses,
27. Mortis et vitae judicium,
28. Optio,
29. Pappus praeteritus,
30. Parcus,
31. Paulus,
32. Paedium,
33. Phoenissae,
34. Picus,
35. Praeco posterior,
36. Quaestio,
37. Surdus,
38. Tabellaria,
39. Togularia,
40. Tripertita,
41. Vindemiatores,
42. Virgo praegnans,
43. Zona.

NOVELL. (Novellae Constitutiones), quas Justinianus I. Augustus post Institutiones, Digesta et Codicem variis temporibus promulgavit, sunt numero CLXVIII.; his deinde accesserunt aliae Justini II., Tiberii II., Leonis philosophi aliorumque.

O

OBSEQUENS. V. JUL. OBSEQUENS.

OPPIUS (C. Oppius). V. HIRT.

OPTATIAN. (Optatianus Porphyrius) poeta Christianus, qui ad Constantinum M. vicennalia ann. a Chr. n. 326. celebrantem misit panegyricum carmine constantem varii generis per acrostichides et similes litterarum lusus minio distinctos. Cum eundem scriberet, exsul erat; sed hoc opus conciliavit auctori suo revocationem ab exsilio.

Exstat ejus

1. Panegyricus dictus Constantino Aug. (constans capitib. XXVI.).

OPTATUS Milevitanus episcopus in Numidia, imperantibus Valentiniano I. et Valente, insignis fuit auctoritate et fama, sed ejus stilus minime purus, ut Afrorum esse solet. *Forcellinus* in Indice auctorum usum se ait editione Parisiensi *Ellies Du Pin* ann. 1700. fol. Sed nusquam, quod sciam, in Lexico loca ejusdem citavit.

Exstant ejus

1. De schismate Donatistarum libri IV.

OROS. (Paulus Orosius) Hispanus, Tarraconensis presbyter, historicus. V. OROSIUS in Lexico.

Exstant ejus

1. Historiarum libri VII. (120),
2. Apologeticon de arbitrii libertate,
3. Commonitorium ad Augustinum.

OVID. (P. Ovidius Naso) poeta celeberrimus. V. OVIDIUS §. 1. et 2. in Lexico.

Exstant ejus

1. Heroides, *h. e.* epist. XXI. *scil.*
   1. Penelope Ulixi,
   2. Phyllis Demophoonti,
   3. Briseis Achilli,
   4. Phaedra Hippolyto,
   5. Oenone Paridi,
   6. Hypsipyle Iasoni.
   7. Dido Aeneae,
   8. Hermione Orestae,
   9. Deianira Herculi,
   10. Ariadne Theseo,
   11. Canace Macareo,
   12. Medea Iasoni,
   13. Laodamia Protesilao,
   14. Hypermnestra Lynceo,
   15. Sappho Phaoni,
   16. Paris Helenae,
   17. Helena Paridi,
   18. Leander Heroni,
   19. Hero Leandro,
   20. Acontius Cydippae,
   21. Cydippe Acontio.
2. Amorum libri III,
3. Artis amatoriae libri III.,
4. Remedia amoris,
5. Medicamina faciei,
6. Halieuticon (121),
7. Nux,
8. Metamorphoseon libri XV.,
9. Fastorum libri VI.,
10. Tristium libri V.,
11. Epistolarum ex Ponto libri IV.,
12. Ibis,
13. Fragmenta ex *Quintil.*, *Martial.*, *Priscian.* aliisque.

P

PACAT. (Latinus Drepanius Pacatus) Gallus natione, ex Aginno, nunc *Agen*, ut habet *Sidon. ep.* 8, 11., professor Burdigalensis, et amicus Ausonii: ann. 391. Romae Theodosio I. gratulationem habuit ob Magnum Maximum ab eo Kal. Sept. ann. 388. devictum apud Aquilejam, et interfectum.

Exstat ejus

1. Panegyricus Theodosio Aug. dictus.

---

(120) ab orbe condito ad ann. a Chr. n. 417.

(121) *Wernsdorfius* in opere saepius citato T. 1. p. 144 — 147. multis argumentis istud carmen *Ovidio* abjudicat, illudque potius Veidio alicui, P. Veidii Pollionis liberto, tribuit. Idemque *ibid.* p. 147. alterum *Halieuticon*, quod *Hier. Columna* primus edidit ad *Ennii fragmenta* p. 153. suppositicium omnino esse arbitratur.

PACUV. (M. Pacuvius) Brundusinus, poeta tragicus et comicus celeberrimus. V. PACUVIUS in Lexico.

Exstant ejus tragoediarum fragmenta apud *Cic.*, *Non.*, *Charis.* aliosque. Tragoediarum hi sunt tituli:

1. Anchises,
2. Antiopa,
3. Armorum judicium,
4. Atalanta,
5. Chryses,
6. Dulorestes,
7. Hermiona,
8. Iliona,
9. Medus *al.* Medea,
10. Niptra,
11. Paulus,
12. Periboea,
13. Pseudo,
14. Tantalus,
15. Tarentilla,
16. Teucer,
17. Thyestes.

Comoediarum vero hi:

1. Mercator,
2. Tunicularia.

PALLAD. (Palladius Rutilius Taurus Aemilianus) vixit circa finem saeculi a Chr. n. quarti. V. PALLADIUS, ii, in Lexico.

Exstant ejus

1. De re rustica libri XIII.,
2. — insitione liber (122).

PAPINIAN. (L. Aemilius Paulus Papinianus) JCtus illustris, ex Phoenicia, nobili genere natus, obiit a Caracalla ann. a Chr. n. 212. securi percussus, quia ejus fratricidium apud senatum populumque excusare noluerat. V. PAPINIANUS in Lexico.

Exstant ejus in Digestis plurima fragmenta ex

1. libro singulari de adulteriis,
2. libris II. de adulteriis,
3. μονοβίβλον,
4. libris II. definitionum,
5. —— XXXVII. quaestionum,
6. —— XIX. responsorum.

PAPIRIUS (Papirius Justus) JCtus, floruit post M. Aurelium Antoninum Aug.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex

1. libris XX. constitutionum.

PAULIN. NOLAN. (Meropius Pontius Anicius Paulinus) Ebromagi nunc *Embraus*, prope Burdigalam in Aquitania circa ann. a Chr. n. 353. natus ex gente patricia, consul fuit suffectus, deinde consularis Campaniae, ann. 409. electus Nolae episcopus, et ann. 431. ibidem obiit. V. PAULINUS §. 2. in Lexico.

Exstant ejus

1. Epistolae XXXI.,
2. Poemata XL. (123).

PAULIN. PELL. (Paulinus Pellaeus) Burdigalensis, sed Pellae natus, ubi pater ejus vice fungebatur, Ausonii poetae nepos, scripsit sequens carmen ann. a Chr. n. 456.

Exstat ejus

1. Eucharisticon.
1. De vita S. Martini libri VI.,
2. — visitatione nepotis sui,
3. Epigramma basilicae S. Martini apud Turones inscriptum (124).

PAULIN. PETROCOR. (Benedictus Paulinus) ex Petrocorio, nunc *Périgueux*, in Gallia Aquitanica, et Petrocoriensis episcopus. V. PAULINUS §. 3. in Lexico.

PAULUS (Julius Paulus) JCtus clarissimus, Tyriusne patria fuerit, an Romanus, incertum est. Vixit sub Septimio Severo, ejusque filio Caracalla, et Elagabalo, a quo in exsilium missus, ab Alexandro Severo revocatus et praefectus praetorio nominatus fuit. V. PAULUS, i, in Lexico.

Exstant ejus

1. Receptarum sententiarum libri V.,
2. Fragmenta in Digestis plurima ex
   1. libris III. de adulteriis,
   2. —— XXIII. brevium,
   3. —— II. de censibus,
   4. —— III. decretorum,
   5. —— LXXX. ad edictum praetoris,
   6. —— II. ad edictum aedilium curulium,
   7. —— V. epitomarum,
   8. —— III. fideicommissorum,
   9. —— II. institutionum,
   10. —— II. de jure fisci,
   11. —— III. ad legem Aeliam Sentiam,
   12. —— II. ad legem Juniam,
   13. —— X. ad legem Juliam et Papiam,
   14. —— III. manualium,
   15. —— IV. ad Neratium,
   16. —— II. de officio proconsulis,
   17. —— XVIII. ad Plautium,
   18. —— XXVI. quaestionum,
   19. —— VII. regularum,
   20. libro singulari regularum,

---

(122) elegiaco carmine scriptus.

(123) Ex his priora XXXVIII. praeter alios edidit *Muratorius* Veronae ann. 1736., et *Pasqu. Amatius* in *Collect. Pisaur.* T. 5. p. 258 — 330., quibus inserendi sunt versus vulgati a *Jo. Aloys. Mingarellio* in *Anecdotor. fascic.* Romae ann. 1756.: duo vero postrema ex Cod. Vaticano iterum edidit *A. Maius* in *Classic. auct.* T. 5. p. 369., cujus praefationem *ibid.* p. XLI. et seqq. consulas, oportet.

(124) Haec edidit *Pasqu. Amatius* in *Collect. Pisaur.* T. 9. p. 6 — 34., cujus editionem sequimur.

21. libris XXIII. responsorum,
22. —— XVI. ad Sabinum,
23. —— V. sententiarum,
24. —— IV. ad Vitellium Sabinum,
25. libro de actionibus,
26. ——— concurrentibus actionibus,
27. ——— adulteriis,
28. ——— appellationibus,
29. ——— articulis liberalis causae,
30. ——— assignatione libertorum,
31. libris II. de censibus,
32. libro de cognitionibus,
33. ——— conceptione formularum,
34. ——— dotis repetitione,
35. ——— excusationib. tutelarum,
36. ——— tacito fideicommisso,
37. ——— forma testamenti,
38. ——— inofficioso testamento,
39. ——— instructo et instrumento,
40. ——— intercessionib. feminarum,
41. ——— publicis judiciis,
42. ——— septemviralib. judiciis,
43. ——— jure codicillorum,
44. ——————— fisci,
45. ——————— libellorum,
46. ——————— patronatus,
47. ——————— singulari,
48. ——— juris et facti ignorantia,
49. ——— ad legem Cinciam,
50. ——————— Falcidiam,
51. ——————— Fusiam Caniniam,
52. —— de legitimis hereditatibus,
53. ——— liberali causa,
54. ——— libertatibus dandis,
55. ——— officio adsessorum,
56. ——————— consulis,
57. ——————— praefecti vigilum,
58. ——————— Urbi,
59. —— ad orationem D. Antonini et Commodi,
60. ——————— D. Severi,
61. ——————— D. Severi et Commodi,
62. —— de poenis militum,
63. ——————— omnium legum,
64. ——————— paganorum,
65. ——— portionib., quae liberis damnatorum conceduntur,
66 —— ad regulam Catonianam,
67. —— de secundis tabulis,
68 ——— senatusconsultis,
69. —— ad S. C. Libonianum seu Claudianum,
70. ——————— Orfitianum,
71. ——————— Silanianum,
72. ——————— Tertullianum,
73. ——————— Turpilianum,
74. ——————— Vellejanum,
75. —— de variis lectionibus,
76. ——— usuris,
77. notis ad librum IV. digestorum Juliani,
78. ——————— VIII. digestor. ejusdem,
79. ——— Julianum,
80. ——— librum X. quaestionum Papiniani,
81. ——————— XXXI. earundem,
82. ——————— V. responsorum ejusdem,
83. ——— Scaevolam.

PAUL. DIAC. (Paulus Warnefridi F.) Aquilejensis diaconus V. PAULUS § 3. in Lexico.
Exstant ejus
1. Historiae miscellae libri XXII.,
2. De gestis Langobardorum libri VI.

PELAGON. (Pelagonius) scriptor veterinarius, vixit saeculo Christi quarto, atque aetate anterior est *Vegetio*, qui in suo *De re veterinaria* opere illius verba saepe protulit, modo expresso, modo suppresso auctoris nomine.
Hujus scriptoris opus edidit primus ex Cod. Richard. *Cajet. Cionius* Florentiae ann. 1826. 8.° cum *Josephi Sarchiani* versione Italica: cujus *αὐθεντίαν* infirmare aggressus est *Hieronym. Molinus* eo libro, cui titulus: *Sopra la veterinaria di Pelagonio pubblicata in Firenze nel* 1826. *qual opera originalmente Latina, Padova,* 1828. 8.°, in quo multis quidem et satis eruditis argumentis ostendere conatus est, opus illud Graece primum ab auctore suo scriptum, recentioribus deinde saeculis, post renovatum in Italia litterarum studium, ab ignoto quodam homine in Latinam linguam versum fuisse. Huic sententiae refragatus est idem *Cajet. Cionius* duabus epistolis, in *Antolog. di Firenze n.* 78. *Giugno* 1827., et ibidem *n.* 93. *Settembre* 1828. editis. Cum itaque ea, quae de hac controversia, utrum scilicet quae exstat *Pelagonii Veterinaria* Latina civitate donanda sit, necne, serius quidem quam opus fuerat, adversa valetudine impeditus attente perlegissem, tum demum propter fragmenta quaedam *Pelagonii* in vetustissimo Cod. palimpsesto Bobiensi, quod nunc exstat in bibliotheca Vindobonensi, reperta et edita, tum quia ipsa indoles elocutionis Latinae, et quaedam etiam voces Latinam probe, minime vero Graecanicam originationem ostentant, in eam sum deductus sententiam, ut *Pelagonii* opus genuinum Latinae linguae monumentum esse arbitrarer. Hinc ejusdem operis plurima loca, quae nova Latina vocabula continebant, quaeque alia itidem antea dubiae auctoritatis confirmare possent, in posteriorem Lexici partem admisi. Quare arbitror, futuro Lexicographo confidenter omnino colligenda esse, interpretanda, et suis quaeque locis Lexico Latino inserenda ea etiam vocabula a *Pelagonio* usurpata, et a me in prioribus alphabeti litteris praetermissa.
Exstat ejus
1. Veterinaria.

PERS. (A. Persius Flaccus) Volaterranus, natus ann. a Chr. n. 34., defunctus ann. 62. V. PERSIUS §. 2. in Lexico.
Exstant ejus
1. Satyrae VI. (125).

PERVIGIL. VEN. (Pervigilium Veneris) vetus poema, de quo V. PERVIGILIUM §. 3. in Lexico.

PETRON. (T. Petronius Arbiter) vixit, scripsitque sub Claudio et Nerone, quod, praeter *Cat. Jannellium* in *Dissert. III.* ad *Perottin. Cod.*, novis argumentis probat *Jo. Casp. Orellius* in *Collect. Inscript. Latin. n.* 1175. V. PETRONIUS §. 1. et 2. in Lexico. In citandis hujus scriptoris locis utimur editione *P. Burmanni* Amstelodami ann. 1743. T. 2. 4.°
Exstat ejus
1. Satyricon,
2. Fragmenta (126).

PHAEDR. (Phaeder seu Phaedrus) poeta elegantissimus. V. PHAEDRUS in Lexico.
Exstant ejus
1. Fabularum libri V.

PHILARGYR. (Junius Philargyrius) scholiastes Virgilii, qui haud longe abfuisse videtur a *Servii* aetate.
Exstant ejus
1. Scholia in bucolica et georgica Virgilii.

PHOCAS, grammaticus urbis Romae, *Prisciano* et *Cassiodorio* antiquior.
Exstant ejus
1. Ars seu de nomine et verbo (127),
2. De aspiratione (128),
3. Epigramma (129),
4. Vita Virgilii (130).

PLAUT. (M. Accius Plautus) poeta comicus, Sarsinas in Umbria, natus ann. U. C. 527., obiit ann. 570. V. PLAUTUS §. 2. in Lexico.
Exstant ejus comoediae, quarum hi suut ti tul:

1. Amphitruo,
2. Asinaria,
3. Aulularia,
4. Bacchides,
5. Captivi,
6. Casina,
7. Cistellaria,
8. Curculio,
9. Epidicus,
10. Menaechmi,
11. Mercator,
12. Miles gloriosus,
13. Mostellaria,
14. Persa,
15. Poenulus,
16. Pseudolus,
17. Rudens,
18. Stichus,
19. Trinummus,
20. Truculentus,

Fragmenta deperditarum, quarum hi:

1. *Ἀγαυὸι* studium,
2. Agroicus,
3. Addictus,
4. Artamon,
5. Astraba seu Clitellaria,
6. Baccharia,
7. Bis compressa seu Boeotia,
8. Calceolus,
9. Carbonaria,
10. Caecus seu Praedones,
11. Colax,
12. Condalium,
13. Commorientes,
14. Cornicularia,
15. Dyscolus,
16. Feneratrix,
17. Fretum,
18. Frivolaria,
19. Fugitivi,
20. Gastron,
21. Hortulus,
22. Lenones sive Gemini,
23. Medicus,
24. Nervolaria,
25. Parasitus piger sive Lipargus,
26. Phagon,
27. Plocion,
28. Scytha liturgus,
29. Syrus,
30. Trigemini,
31. Vidularia.

Item alia fragmenta inedita tum earum, quae exstant, tum deperditarum edidit *A. Maius* ex Cod. palimpsesto bibliothecae Ambros. Mediolani ann. 1815. 8.°; quae novis curis illustrata iterum vulgavit *Frid. Osannus* Berolini ann. 1816. 8.° in *Analect. crit.* p. 205—228. Horum fragmentorum aliquot in Lexico citantur.

PLIN. (C. Plinius Secundus) Comensis, natus ann. a Chr. n. 23., obiit ann. 79. V. PLINIUS §. 1. in Lexico. In ejus locis citandis utimur editione *Jo. Harduini* Parisiis ann. 1723. T. 3. fol.
Exstant ejus
1. Historiae naturalis libri XXXVII. (131).

PLIN. (C. Plinius Caecilius Secundus) Comi natus ann. a Chr. 62., obiit fortasse ann. 110. V. PLINIUS §. 2. in Lexico. In ejus locis citandis utimur plerumque editione *Cortii* et *Longolii* Amstel. ann. 1731. 4.°
Exstant ejus
1. Epistolarum libri X.,
2. Panegyricus Trajano Aug. dictus.

POLEM. (Polemius Silvius) episcopus Octodurensis, vixit saeculo Christi quinto.
Exstat ejus
1. Kalendarium seu Laterculus (132).

POLLIO. V. ASIN.

POMPEJUS grammaticus incertae aetatis. Illius opera primus edidit *Frid. Lindemannus* Lipsiae ann. 1820. 8.°, qua editione utimur in citandis in Lexico nonnullis novis vocabulis, ut in INCONSONANS.
Exstant ejus
1. Commentum artis Donati,
2. Commentariolum in librum ejusdem de barbarismis et metaplasmis.

POMPEJUS (A. Pompejus Bithynicus) praetor Siciliae, cum Caesar in senatu trucidatus est Idib. Mart. ann. U. C. 710.
Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 6, 16.

POMPEJUS (Cn. Pompejus Magnus) celeberrimus belli dux, post pugnam Pharsalicam a C. Julio Caesare devictam in Aegyptum ad Ptolemaeum regem confugiens, ejusdem jussu est interfectus ann. U. C. 704.
Exstat ejus
1. Epistolae VII. (133).

POMPONIUS (L. Pomponius) Bononiensis, comoediarum Atellanarum scriptor, natus ann. U. C. 664. V. POMPONIUS §. 2. in Lexico.
Exstant ejus comoediarum fragmenta, quarum hi sunt tituli:

1. Adelphi,
2. Aeditumus,
3. Agamemnon suppositus,
4. Aleones,
5. Annulus posterior,
6. Asina seu Asinaria,
7. Atreus,
8. Auctoratus,
9. Augur,
10. Bucco adoptatus,
11. Calendae Martiae,
12. Campani,
13. Capella,
14. Citharista,
15. Collegium,
16. Concha,
17. Conditiones,
18. Cretula seu Petitor,
19. Decuma fullonis,
20. Dives,
21. Dotata,
22. Ergastulum,
23. Fullo,
24. Haruspex seu Praeco rusticus,
25. Heres petitor,
26. Hirnea Pappi,
27. Lar familiaris,
28. Leno,
29. Macci gemini,
30. Maccus,
31. Maccus miles,
32. Maccus sequester,
33. Maevia, Marsupium V. Vacca,
34. Medicus,
35. Munda,
36. Nuptiae,
37. Pannuceati,
38. Pappus agricola,
39. Pappus praeteritus,
40. Patruus, Petitor. V. Cretula,
41. Philosophia,
42. Pictores,
43. Piscatores,
44. Pistor,
45. Placenta,
46. Portus, Praeco rusticus. V. Haruspex.
47. Praeco posterior,
48. Praefectus morum,
49. Prostibulum,
50. Pytho Gorgonius,
51. Quinquatria,
52. Rusticus,
53. Sarcularia,
54. Sponsa Pappi,
55. Togati,
56. Vacca seu Marsupium,
57. Verniones,
58. Verres aegrotus.

POMPONIUS (Sex. Pomponius) JCtus, V. POMPONIA §. 4. in Lexico.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex

1. libris II. enchiridii,
2. —— XX. epistolarum,
3. —— V. fideicommissorum,
4. —— IL. lectionum ad Q. Mucium,
5. —— VII. ad Plautium,
6. libro regularum,
7. libris XXXVI. ad Sabinum,
8. —— V. senatus consultorum,
9. —— XLI variarum lectionum,
10. —— V. digestorum,
11. —— LXXIX. ad edictum,
12. —— VIII de stipulationibus,

PORCIUS (M. Porcius Latro) declamator, obiit ann. U. C. 750.
Exstant ejus
1. Declamatio in L. Sergium Catilinam,

(125) hexametris versibus exaratae, ut aliorum quoque poetarum satyricorum, quibus praemittitur prologus versibus XIV. Hipponacteis seu scazontibus constans.
(126) quae in plerisque editionibus *Petronii satyrico* subjungi solent.
(127) apud *Putsch.* p. 1683—1687.
(128) apud *eund.* p. 1688—1724.
(129) in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 352. *Burm.*
(130) versibus hexametris CVII. constans, quibus praemittitur prologus seu praefatio ex XXIV. sapphicis hendecasyllabis, *ibid.* p. 361.
(131) quorum primus continet praefationem ad T. Vespasianum Caesarem, et elenchon librorum sequentium.
(132) qui singulis mensibus Christianorum et Gentilium festa commemorat. Hujus aliqua habita fuit in Lexico ratio.
(133) inter Epist. *Cic. Att.* 8, 6. una, binae *ibid.* 11., quatuor *ibid.* 12.

2. — — — M. Tullium Ciceronem (134),
3. — — — C. Sallustium Crispum (135).

PORPHYRIO (Pomponius Porphyrio) scholiastes Horatii, incertae admodum aetatis.
Exstant ejus
1. Scholia in Horatium.

PORPHYR. OPTAT. V. OPTATIAN.

POSTUMIUS (A. Postumius Albinus) historicus, qui consul fuit ann. U. C. 603.
Exstant ejus, apud *Gell.* 11, 8., *Macr. Sat.* 2, 16., et *Servium* ad *Virg. Aen.* 9, 710., fragmenta
1. Historiarum libri I.,
2. De adventu Aeneae libri.

PRIAPEJ. (Priapeja) seu diversorum poetarum veterum in Priapum lusus. Hujusmodi vocatur collectio epigrammatum LXXXVII., quae, ut censent plerique eruditi, *Catullo*, *Tibullo*, *Ovidio*, *Martiali*, *Petronio* aliisque etiam poetis sequioris aetatis tribuenda sunt. In citandis locis utimur editione *P. Burmanni*, qui ea epigrammata edidit, et illustravit in *Anthol. Lat.* T. 2. Amstelod. ann. 1773. 4.° p. 478—573.

PRISCIAN. (Priscianus) patria Romanus a plerisque habetur, sed quia Caesareae Palaestinae litteris est institutus, et diutissime versatus est, Caesareensis dicitur. Ceterum Justiniani I. Aug., qui ab ann. a Chr. n. 527. ad ann. 565. imperavit, temporibus vixisse, testis est *Cassiodorus*, qui in inscriptione *Orthogr. c.* 12. illum suo tempore Constantinopoli grammaticae doctorem fuisse affirmat. Docuit enim ibidem in aula imperatoris publico stipendio conductus. V. PRISCIANUS §. 1. in Lexico.
Exstant ejus
1. Commentariorum grammaticorum libri XVIII.,
2. De XII. versibus Aeneidis principalibus liber,
3. — accentibus,
4. — figuris numerorum, et de nummis, vel ponderibus,
5. — metris comicis, seu Terentii, aliorumque comicorum,
6. — de praeexercitamentis rhetoricae ex Hermogene,
7. — declinatione nominum (136),
8. Periegesis ex Dionysio,
9. De ponderibus et mensuris,
10. Phaenomena sive de sideribus (137).

PRISCIAN. THEOR. (Priscianus Theodorus), qui perperam *Q. Octavius Horatianus* a quibusdam est appellatus, et hoc nomine aliquoties in Lexico citatus, medicus archiater, floruit sub Gratiano et Valentiniano II., quorum ille ann. a Chr. n. 367., hic ann. 375. imperare coepit. In locis citandis ex libris *de medicina* utimur editione Aldina Venetiis ann. 1547. fol. In libro vero *de diaeta*, qua usus fuerit *Forcellinus* editione, prorsus ignoro. V. PRISCIANUS §. 2. in Lexico.
Exstant ejus
1. De medicina libri IV.,
2. — diaeta seu de rebus salubribus liber.

PROBUS (M. Valerius Probus) grammaticus. Plures fuerunt hoc nomine grammatici, quorum mentio est apud *Suet. Gramm.* 24., *Gell.* 1, 15. et alibi, et *Macrob. Sat.* 5, 22., quique variis temporibus vixerunt; unus ex his fuit ille, cujus
Exstant, apud *Putsch.* p. 1385—1543.,
1. Grammaticarum institutionum libri II.,
2. De notis Romanorum interpretandis libellus (138),
3. Commentaria in Virgilii Bucolica et Georgica (139).

PROCULUS JCtus. Alii putant, fuisse illum *Licinium Proculum*, qui praefectus praetorio fuit sub Othone Aug., alii *Sempronium Proculum*, qui posteriore tempore vixit. Illud certissimum est, tantae illum fuisse auctoritatis, ut Labeonis primum asseclae, deinde Proculi ab eodem Proculejanorum nomen sibi adsciverint. V. PROCULUS §. 2. in Lexico.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. Libris XI. epistolarum,
2. —— III. ex posterioribus Labeonis,
3. Notis apud Labeonem.

PROPERT. (Sex. Aurelius Propertius) satis probabiliter natus fuisse videtur ann. U. C. 702. Mevaniae, seu, secundum alios, Hispelli in Umbria, Italiae regione, obiisse autem creditur ann. 743. V. PROPERTIUS in Lexico. In citandis hujus poetae locis utimur editione, qua usus est etiam *Forcellinus*, nempe Amstelodamensi ann. 1727. 4.° a *Jan. Broukhusio* curata. In hac porro ordo elegiarum alius omnino est ab eo, quem secuti sunt *Vulpius*, *Barthius*, ac praecipue *Chr. Theoph. Kuinoelus* in sua editione Lipsiensi ann. 1805. T. 2. 8.°, cujus tamen lectiones et interpretationes nonnunquam sequimur, quoties scilicet rectius, quam alii editores et interpretes, textum constituisse et explicasse nobis visus est.
Exstant ejus
1. Elegiarum libri IV.

PROSPER AQUIT. (Prosper Tiro) Aquitanicus, floruit circa ann. a Chr. n. 440., et ann. 463. obiisse videtur.
Exstant ejus
1. Epigrammata CVI. ex sententiis D. Augustini,
2. — — — — II. in obtrectatorem ejusdem,
3. Carmen de ingratis contra Pelagianos,
4. ——— ad uxorem,
5. Epitaphium Nestorianae et Pelagianae haereseos (140).

PRUDENT. (M. Aurelius Clemens Prudentius) Calagurritanus fuisse videtur, natus est ann. a Chr. n. 348., quo vero anno et ubinam obierit, incertum. V. PRUDENTIUS in Lexico. In ejus locis citandis utimur omnium optima editione *Faustini Arevalo* Romae ann. 1788. 1789. T. 2. 4.°
Exstant ejus
1. Cathemerinon liber XII. hymnis constans,
2. Apotheosis,
3. Hamartigenia,
4. Psychomachia,
5. Diptychon libri II.,
6. Adversus Symmachum libri II.,
7. De coronis seu *περὶ στεφάνων* hymni XIV,
   1. in honorem Ss. Hermetis et Celedonii,
   2. ——— S. Laurentii,
   3. ——— S. Eulaliae,
   4. ——— XVIII. martyrum Caesaraugustanorum,
   5. ——— S. Vincentii,
   6. ——— Ss. Fructuosi, Augurii et Eulogii,
   7. ——— S. Quirini,
   8. de loco, in quo martyres passi sunt, nunc baptisterium est,
   9. passio S. Cassiani,
   10. — — S. Romani,
   11. — — S. Hippolyti,
   12. — — Ss. apostolorum Petri et Pauli,
   13. — — S. Cypriani,
   14. — — S. Agnetis.

Epilogus.

PSEUDO-PINDARUS. Hoc nomine videtur appellandus auctor carminis, quod in editionibus modo *Homerus de bello Trojano*, modo *Homeri opus per Pindarum Thebanum*, modo *Epitome Iliados Homeri Pindaro Thebano auctore* dicitur. Constat millibus septuaginta quinque versibus hexametris, non inelegantibus, et in quibus quaedam sunt nova vocabula futuro Lexicographo colligenda atque interpretanda. Illius auctor ignotus quidem est, sed *Wernsdorfius*, qui illud edidit et illustravit in *Poet. Lat. min.* T. 4. p. 617. — 752., haud improbabili conjectura putat, tribuendum esse *Rufo Festo Avieno*, qui aliis jam editis operibus inclaruit: ipse tamen editor huic carmini titulum fecit: *Incerti auctoris Epitome Iliados Homeri;* cujus operis auctor non Iliados quidem Graece textum, quod contraheret, respexit, sed antiquiorem ejus versionem Latinam, neque eam sinceram, neque Homericis ubique respondentem, sed interpolatam sententiis et fabulis aliorum poetarum, et praecipue ad Virgilii imitationem accommodatis, ante oculos habuisse putandus est.

P. SYR. Publius mimographus, Syrus natione. V. PUBLIUS §. 2. in Lexico.
Exstant ejus
1. Mimi seu sententiae (141).

Q

QUADRIGAR. V. CLAUD. QUADRIGAR.

QUINTIL. (M. Fabius Quintilianus) rhetor clarissimus, qui primus Romae publice docuit: consul fuit suffectus sub Domitiano, natus ann. a Chr. n. 42., vixit ad multam aetatem, mortuus enim est post ann. a Chr. n. 118. V. QUINTILIANUS §. 1. in Lexico. In locis citandis usus est *Forcellinus* editione *P. Burmanni* Lugd. Bat. ann. 1720. T. 4. 4.°, nos vero in multis editionem consuluimus *G. Lud. Spaldingii* Lips. ann. 1798. — 1816. T. 4. 8.°
Exstant ejus
1. De institutione oratoria libri XII.,
2. Declamationes majores XIX.,
3. Excerpta ex declamationibus XV.,
4. Declamationes minores CXLV. (142),
5. Declamatio pro tribuno Mariano contra militem (143).

R

RABIR. (C. Rabirius) poeta epicus, cujus meminere *Ovid. Pont.* 4, 16, 5., *Vellej.* 2, 36., *Quintil.* 10, 1. §. 90. et *Fulgent. de prisc. serm. n.* 58. Illius poema de bello Actiaco Octaviani adversus Antonium videtur laudare *Senec. Benef.* 6, 3., cujus etiam hemistichium affert Ad eundem vero pertinere putant plerique recentiores eruditi fragmentum LXII. hexametris constans, in *Papyris Herculanensibus* T. 2 editum Neapoli primum ann. 1809. et a *Nic. Ciampittio* suppletum et illustratum; tum iterum editum novisque conjecturis integritati suae restutum a *Jo. Theoph. Kreyssigio* Schneebergae ann. 1814. 4.° Quamvis nullum ex hoc fragmento novum vocabulum Lexico addere liceat, ultimus tamen ejus versus propter sententiae gravitatem et dictionis elegantiam mihi videtur hic adducendus:

Consiliis nox apta ducum, lux aptior armis.

REPOSIAN. (Reposianus) poeta non optimae quidem, sed sequioris et ignotae aetatis, cujus exstat *Epithalamium* inscriptum *Concubitus Martis et Veneris* CLXXXII. hexametris constans, ac sententiis amoenioribus et poetico colore pulcre satis exornatum. Ejus loca aliquot in Lexico adduximus ex editione *Jo. Christ. Wernsdorfii*, qui in *Poet. Lat. min.* T. 4. p. 319. — 345. illud ann. 1785. Altenburgi edidit atque illustravit.

RHEMN. PALAEM. (Q. Rhemnius Palaemon) Vicetinus, grammaticus. V. PALAEMON §. 3. in Lexico. Ejus vitam habes apud *Suet. Gramm.* 23., atque eidem tribuuntur opera, de quibus mox.
Exstant ejus
1. Ars grammatica (144),
2. Carmen de ponderibus et mensuris (145).

RUFIN. (Licinius Rufinus) JCtus, qui *Paulo* et *Ulpiano* coaevus fuit.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XII. regularum.

RUFIN. (Rufinus) Antiochensis, poeta, grammaticus et rhetor, qui extremo saeculo Christi quinto vixisse creditur.
Exstant ejus
1. Epigramma de Pasiphae (146),
2. — — — — — amore (147),
3. In metra Terentiana (148),
4. De metris comicis Terentii, Plauti et aliorum (149),
5. — compositione et metris oratorum (150).

RUFUS. V. SEX. RUF.

RUTIL. (Claudius Rutilius Numatianus) natione Gallus. V. RUTILIUS §. 4. in Lexico.
Exstat ejus
1. Itinerarium (151).

RUTIL. LUP. (P. Rutilius Lupus) rhetor et orator. V. RUTILIUS §. 3. in Lexico; ubi in loc. cit. *Martialis* legendum est *Tutilium*, non *Rutilium*, ut probat *Spaldingius* ad *Quintil.* T. 1 p. 437.
Exstat ejus
1. De figuris sententiarum et elocutionum libri II. (152).

RUTILIUS. V. MAXIMUS JCtus.

S

SABINUS (A. Sabinus) poeta elegiacus, et Ovidio coaevus, qui illius meminit *Amor.* 2, 18, 27.

---

(134) quae falso a quibusdam *Sallustio* tribuitur.
(135) quae itidem falso a nonnullis *Ciceroni* adjudicatur.
(136) Haec opera grammaticalia edita sunt a *Putschio* inter *Grammaticos veteres* saepius citatos, cujus editionem sequimur.
(137) Haec tria carmina hexametris versibus exarata omnium accuratissime edidit *Jo. Chr. Wernsdorfius* in *Poet Lat. min.* T. 5. P. 1. p. 262—522. Ceterum carmen *de ponderibus et mensuris* plerique *Q. Rhemnio Fannio Palaemoni* tribuunt, quos contra disputat idem *Wernsdorfius ibid.* p. 235.—238.
(138) Haec duo opera edita sunt a *Putsch. p. cit.*
(139) Haec autem in pluribus Virgilii editionibus leguntur.
(140) In citandis aliquot hujus scriptoris locis sequimur editionem *Pasqu. Amatii*, qui ea poemata vulgavit in sua *Collectione Pisaur. omn. Poet. Latin.* T. 5. p. 363 — 388.
(141) In hujus auctoris locis citandis utimur omnium optima editione Lipsiae ann. 1822. 8.° a *Jo. Conr. Orellio* curata, qui ibidem ann. 1824. 8.° edidit *Supplementum editionis Lipsiensis novissimae sententiarum Publii Syri, et D. Laberii.*
(142) De declamationibus majoribus earundemque excerptis, atque item de minoribus V. QUINTILIANUS §. 2. in Lexico. In his citandis habita est ratio declamationum CCCLXXXVIII., quarum tamen priores CCXLIII. periere.
(143) Haec declamatio, ex qua aliquot loca citat in Lexico *Forcellinus*, merito spuria illi videtur, aliisque item criticis, et a rhetore quopiam infimae Latinitatis tempore conscripta.
(144) apud *Putsch.* p. 1365 — 1386.
(145) quod plerique rectius *Prisciano* adscribendum putant.
(146) in *Anthолog. Lat.* T. 1. p. 663. *Burm.*
(147) *ibid.* p. 542.
(148) apud *Putsch.* p. 2705 — 2708.
(149) apud *eund.* p. 2709 — 2724.
(150) inter *Antiq. rhetores Lat.* a *Claud. Capperonerio* editos p. 346 — 357.
(151) Hoc opus versibus elegiacis scriptum, et in duos libros divisum est, quod omnium accuratissime edidit et adnotationibus illustravit *Jo. Christ. Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min.* T. 5. P. 1. p. 77 — 202., qua editione in citandis ejus locis utimur.
(152) inter *Antiq. rhetores Lat.* a *Cl. Capperonerio* editos p. 1 — 14.

et *Pont.* 4, 16, 13. — 16., ex quo postremo loco illud etiam novimus, *Sabinum* praemortuum *Ovidio* fuisse, et reliquisse opus imperfectum *de fastis*, de quibus postea cecinit ipse *Ovidiis*. V. SABINUS §. 4. in Lexico.

Exstant ejus
1. Elegiae III. tribus *Ovidii* epistolis, quae heroides appellantur, respondentes, nimirum
1. Ulixes Penelopae,
2. Demophoon Phyllidi,
3. Paris Oenona.

SABINUS (Masurius Sabinus) JCtus sub Tiberio. V. MASSURIUS (rectius scribendus videtur MASURIUS) et MASURIANUS et SABINIANUS §. 1. in Lexico.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris III. juris civilis,
2. libro memorialium,
3. —— II. responsorum,
4. libris ad Vitellium.

SALEJUS (Salejus Bassus) poeta, Lucani amicus, qui sub Claudio, Nerone et Vespasiano vixit. Ejus meminere *Quint.* 10, 1. §. 90., *Auct. dial de orat.* 5. et 9., *Juvenal.* 7, 81., aliique. Plures eruditi eidem tribuunt *Carmen ad Pisonem*, *h. e.* L. Calpurnium Pisonem, qui in Neronem conspirationis reus occisus est. *Jo. Christ. Wernsdorfius* id praecipue probare aggressus est multis firmisque argumentis in *Poet. Lat. min.* T. 4. p. 36. — 48., ac ipsum carmen ibidem edidit et illustravit p. 236. — 282. cum hoc titulo: *Saleji Bassi ad Calpurnium Pisonem poemation Lucano vulgo adscriptum.*

Ejus itaque exstat
1. Carmen ad Pisonem.

SALLUST. (C. Sallustius Crispus) historicus celeberrimus, natus Amiterni in Sabinis ex familia plebeja ann. U. C. 668., obiit ann. 719. V. CRISPUS §. 4. in Lexico. In citandis ejus locis utitur *Forcellinus* editione *Josephi Wassii* Cantabrigiae ann. 1710. T. 2. 4.°; quibusdam tamen nos sequimur editionem *Car. Henr. Frotscheri Lips.* 1825. T. 2. 8.°

Exstant ejus
1. De bello Catilinario seu de conjuratione Catilinae,
2. — —— Jugurtino,
3. Fragmenta historiarum librorum V. (153),
4. Epistolae II. ad C. Caesarem de republica ordinanda (154),
5. Declamatio in M. Tullium Ciceronem (155).

SALVIAN. (Salvianus) Coloniaene Agrippinae, an Treviris natus fuerit, ambigitur, presbyter Massiliensis, obiit Massiliae ann. a Chr. n. 496. aetate annorum circiter centum. Ejus pauca quaedam loca citat *Forcellinus*, nos plura alia in Lexicon admisimus, editione usi *Steph. Baluzii* Parisiis ann. 1684. 8.°

Exstant ejus
1. De gubernatione Dei libri VIII.,
2. Adversus avaros libri IV.,
3. Epistolae IX.

SATURNIN. (Q. Claudius Saturninus) JCtus, incertae aetatis.
1. libro singulari de poenis paganorum.

SCAEVOLA (Q. Cervidius Scaevola) JCtus, sub M. Aurelio Aug. V. SCAEVOLA §. 3. in Lexico.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XL. digestorum,
2. notis ad librum XXII. digestorum Juliani,
3. —— —— —— VII. eorundem,
4. libro de quaestione familiae,
5. libris XX quaestionum,
6. libro quaestionum publicarum,
7. libris IV. regularum,
8. libris VI. responsorum,
9. libro ὁρῶν,
10. notis ad Marcellum.

SCAEVOLA (Q. Mucius Scaevola) JCtus. V. SCAEVOLA §. 2. in Lexico. Hic in Digestis saepius *Mucius Scaevola* appellatus, aliquando tantummodo *Scaevola*, ut etiam in Lexico.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libro singulari ὁρῶν, 2. —— II. juris civilis.

SCAURUS (C. Terentius Scaurus) grammaticus. V. TERENTIUS Scaurus in Lexico.

Exstant ejus
1. De orthographia liber (156),
2. Fragmenta commentariorum in *Virgilii* Aeneidem (157).

SCRIBON. (Scribonius Largus Designatianus) medicus, sub Tiberio et Claudio, stilo tamen horrido scripsit. In citandis ejus locis utitur *Forcellinus* editione *Jo. Rhodii* Patavina ann. 1655. 4.° V. SCRIBONIUS §. 2. in Lexico.

Exstant ejus
1. De compositione medicamentorum libellus,
2. Fragmenta de simplicibus.

SEDUL. (Coelius Sedulius) poeta Christianus, presbyter, et ex sententia quorundam eruditorum episcopus in Achaia, ubi carmina sua scripsit inter ann. a Chr. n. 424. ad 450., atque ubi paulo post obiit. V. SEDULIUS in Lexico. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Christoph. Cellarii* Halae Magdeburg. ann. 1704. 8.°, nos in quibusdam omnium optima *Faustini Arevali* Romae ann. 1794. 4.°

Exstant ejus
1. Carmen Paschale, seu mirabilium divinorum libri V.,
2. Elegia (158),
3. Hymnus (159),
4. Epigramma.

SEMPRON. ASELLIO (P. Sempronius Asellio) historicus, tribunus militum fuit in bello Numantino, quod ab ann. U. C. 613. ad ann. 621. gestum est. Historiam rerum, quibus ipse interfuit, conscripsit, teste *Gell.* 2, 13. Ejus mortem miserrimam narrat *Val. Max.* 9, 7 *n.* 4. In Lexico quandoque *Asellio* tantum nuncupatur.

Exstant ejus fragmenta
1. librorum XIV. historiarum.

SCTUM DE BACCHAN. (Senatusconsultum de bacchanalibus) quo ann. U. C. 568., ante Chr. n. 186. sancitum est, ne qua Bacchanalia Romae, neve in Italia essent; compertum enim fuerat, in iisdem stupra promiscua ingenuorum feminarumque esse, falsos etiam testes, falsa signa, venena indidem, intestinasque caedes, quorum multa dolo, multa per vim fieri. Haec fuse persequitur *Liv.* 29, 8. — 18. Hujusmodi monumentum aere insculptum exstat nunc Vindobonae, editum vero est a *Fabrett. Inscript.* p. 427., accuratius a *Matth. Aegyptio* Neapoli ann. 1729., ex quo plura vocabula *Forcellinus*, quaedam nos ipsi Lexico adjecimus.

SENEC. (M. Annaeus Seneca) rhetor celebris, ordinis equestris, pater L. Annaei Senecae philosophi, Cordubae in Hispania Baetica natus ann. 58. ante Chr. n., obiit ann. circiter 32. a Chr. n. V. SENECA §. 1. in Lexico. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Lipsii* et *Gronovii* Amstelodami ann. 1672. 8. T. 2., in quibusdam nos sequimur editionem Bipontinam ann. 1783. 8.°

Exstant ejus
1. Suasoriae VIII. (160),
2. Controversiarum libri V. (161),
3. Excerpta ex controversiarum libris X.,
4. Fragmentum ex controversiis deperditis apud *Quintil.* 9, 2. §. 42.

SENEC. (L. Annaeus Seneca) philosophus, superioris filius, natus Cordubae ann. a Chr. n. 5., obiit ann. 65. V. SENECA §. 2. in Lexico. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Lipsii* et *Gronovii* Amstelodami ann. 1672. 8.° T. 3., nos aliquando sequimur editionem Lipsiensem *Frid Ern. Ruhkopfii* ann. 1807. — 1811. T. 5. 8.°

Exstant ejus
1. Consolatio ad Helviam,
2. — —— —— Marciam,
3. — —— —— Polybium,
4. De beneficiis libri VII.,
5. — brevitate vitae,
6. — clementia libri II.,
7. — constantia sapientis,
8. — de ira libri III,
9. — otio seu secessu sapientis,
10. — providentia,
11. — tranquillitate animi,
12. — vita beata,
13. Apocolocynthosis seu de morte Claudii Caesaris,
14. Epigrammata IX.,
15. Epistolae CXXIV.,
16. Quaestionum naturalium libri VII.,
17. Excerpta e libris Senecae,
18. Fragmenta (162),

SENEC. (L. Annaeus Seneca) poeta tragicus, de quo V. SENECA §. 3. in Lexico. In locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Jo. Casp. Schroederi* Delphis ann. 1728. T. 2. 4.°, in quibusdam nos *Torkilli Badeni* Lipsiae ann. 1821. T. 2. 8.°

Exstant ejus tragoediae X. quarum hi sunt tituli:
1. Agamemnon,
2. Hercules furens,
3. — —— —— Oetaeus,
4. Hippolytus,
5. Medea,
6. Octavia,
7. Oedipus,
8. Phoenissae sive Thebais,
9. Thyesses,
10. Troades.

SENT. AUGURIN. (Sentius Augurinus) poeta, laudatus a *Plin. ep.* 4, 27. et 9, 8., cujusque poemation priore *loc. cit.* profert minime quidem dignum iis laudibus, quibus illud ibidem extulit.

SEREN. (A. Septimius Serenus) Afer natione, sed admodum puer in Italiam adductus, ibique educatus foro et eloquentiae operam dedit, sed praecipue rura coluit, et lyrica poesi delectatus est: vixit sub Flaviis Romae imperantibus: multa scripsit Falisco carmine. Eidem vero tribuit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min.* T. 2. p. 254. — 260. duo poematia, quae *Moretum* et *Copa* appellantur, quaeque plerique *Virgilio* adjudicant.

Exstant ejus fragmenta
1. Opusculorum ruralium (163).

SEREN. SAMMONIC. (Serenus Sammonicus) medicus. V. SERENUS, i, in Lexico. In locis citandis utitur *Forcellinus* editione *P. Burmanni* inter *Poet. Lat. min.* Leidae ann. 1731. et *Jo. Bapt. Morgagni* Patavii ann. 1750. 8.° una cum *A. Cornelio Celso.*

Exstant ejus
1. De medicina liber (164),
2. Fragmenta 1. ex libro V. rerum reconditarum (165),
2. ex ejus epistola (166),
3. de lege Fannia (167).

SERG. (Marius Sergius) grammaticus, incertae aetatis, sed *Servio* posterior.

Exstant ejus
1. In primam Donati editionem commentarius,
2. — secundam ejusdem etc. (168).

SERV. (Maurus Servius Honoratus) grammaticus et scholiastes *Virgilii* celeberrimus, vixit exeunte saeculo Christi quarto, et ineunte quinto sub Valentiniano III. Aug., qui imperavit ab ann. 425. ad 455. Ejus opera, a posterioribus grammaticis interpolata sunt; maximi tamen habenda, quippe quae mythologiam, historiam, et antiquam eruditionem summopere illustrant. V. SERVIUS §. 5. in Lexico. In citandis ejus locis *Forcellinus* utitur editione *Paner. Masvicii* in *Virgilio* ann. 1717. Leovardiae T. 2. 4.° edito, nos saepe consuluimus editionem *P. Burmanni* junioris Amstel. ann. 1746. T. 4. 4.°, atque etiam *Commentariorum Servianorum* editionem Gottingensem ann. 1826. T. 2. 8.° ab *A. Alberto Lion* curatam.

Exstant ejus
1. Commentarius in Virgilii Bucolica, Georgica et Aeneidem.
2. In secundam Donati editionem interpretatio,
3. De ratione ultimarum syllabarum liber,
4. Ars de centum metris seu centimetrum (169),
5. Ars grammatica (170).

SEVER. (Cornelius Severus) poeta temporis Augustei, cui vulgo adscribitur *carmen de Aetna*, quodque saepius citatur in Lexico. Verum *Jo. Chr. Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min.* T. 4. p. 3. — 24. multis quidem firmisque argumentis probat, illi abjudicandum, ac potius *Lucilio Juniori* tribuendum esse. Idem tamen *ibid.* p. 25. — 27. attribuendum censet *Cornelio Severo* tum *fragmentum de morte Ciceronis*, tum alia quaedam, quae a grammaticis et scholiastis antiquis afferuntur, quaeque ipse *ibid.* p. 217. — 228. collegit et commentatus est. V. SE-

---

(153) In his fragmentis colligendis plurimi editores operam suam navarunt, nos saepe sequimur editionem Lipsiensem jam supra cit. *Frotscheri*. Hic vero non incongruum videtur, lectores monere, fragmentum e *lib.* 3. *historiar.*, quod ad Spartaci bellum servile pertinet, jam ann. 1580. Artuerpiae inter Sallustianas reliquias a *Jano Dousa* prius editum, deinceps ab aliis repetitum, tandem *A. Maium* illus ex archetypo Cod. palimpsesto Vaticano, aere excusum, a pluribus ridiculisque mendis, quibus antea scatebat, emendatum, notisque criticis locupletatum, eruditis legendum proposuisse in *Classic. auct.* T. 1. p. 416 — 420. Romae ann. 1828.

(154) Hae a plerisque criticis *Sallustio* abjudicantur.

(155) Haec *Porcio Latroni*, aut alii cuipiam declamatori tribuenda videtur.

(156) apud *Putsch.* p. 2249 — 2264.

(157) Ex Cod. palimpsesto Veronensi duo eruit fragmenta et cum aliis veterum grammaticorum edidit *A. Maius* inter *Virgilii Maronis interpretes veteres.* Mediolani ann. 1818. 8.°, unde patet, *Chr. Gottl. Heynium* immerito dixisse ad *Virgil.* T. 1. p. CCL. ed. Lips. ann. 1803. „Terentius Scaurus, clarissimus grammaticus, quo jure inter commentatores Virgilii referatur, non invenio.“

(158) Haec in quibusdam editionib. vocatur hymnus I., qui ex reciproco carmine constat.

(159) Abecedario carmine iambico dimetro conscriptus. V. XEROMYRRHA in Lexico.

(160) Quae a quibusdam *suasoria septima* dicitur, ab aliis *historicorum de Cicerone elogia* inscribitur, hisque suasoria octava est septima.

(161) Ex decem controversiarum libris supersunt *primus*, *secundus*, *septimus*, *nonus* et *decimus*, ne hi quidem integri, sed mutili passim corruptique; tres tamen postremi nunc vulgo appellantur *tertius*, *quartus* et *quintus*, atque ita citantur in Lexico.

(162) Praeter jam edita ab aliis, *B. G. Niebuhrius* e Cod. palimpsesto Vaticano edidit Romae ann. 1820. 8.°, una cum *Ciceronis* et *Livii*, etiam *L. Senecae* novum fragmentum: *A.* vero *Maius* ad *Frontinis* opera Romae ann. 1823. 8.° edita p. 331. subdubitare videtur, num hoc fragmentum, cujus in Codice titulus est: *Annaei Senecae quemadmodum amicitia continenda sit*, L. Annaeo philosopho, an M. Annaeo rhetori tribuendum sit.

(163) Plura haec fragmenta a veteribus grammaticis *Terentiano*, *Nonio*, *Diomede* aliisque nobis servata, et in Lexico saepe citata sub nomine hujus auctoris, qui modo *Septim.*, modo *Septim. Ser.*, modo tantummodo *Serenus* appellatur, collegit et adnotationibus illustravit *Wernsdorfius* loc. cit. p. 279 — 292.

(164) In citandis hujus libri locis et capitum, quae sunt LXVI., et versuum his capitibus comprehensorum, qui sunt MCXVI., ratio habetur.

(165) Hos libros citat *Macrob. Saturn.* 5, 9., ibique duo affert evocationis carmina a quodam Furio excerpta.

(166) apud *eund. ibid.* 2, 12.

(167) apud *eund. ibid.* 2, 13.

(168) apud *Putsch.* p. 1825 — 1856.

(169) Haec tria postrema opera edidit *Putsch.* p. 1799 — 1816.

(170) Haec primum edita est ex Cod. MS. Barolinensi a *Frider. Lindemannio* Lipsiae ann. 1820. 8.° una cum *Pompeji* grammatici operibus.

VERUS §. 1. in Lexico.
Exstant ejus
1. Carmen de Aetna,
2. Fragmenta.

SEVER. SANCT. (Severus Sanctus) Burdigalensis poeta bucolicus, cognatus et affinis *Ausonii* poetae, ethnicus primum, mox Christianus, scripsit circa ann. a Chr. n. 410: ejus vitam habes apud *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 53 — 60.
Exstat ejus
1. Carmen bucolicum *seu* de mortibus boum (171)

SEX. RUF. (Sex. Rufus) historicus, qui ann. a Chr. n. 369. scripsit stilo elatiore, nec satis puro.
Exstant ejus
1. Breviarium rerum gestarum populi Romani (172),
2. De regionibus urbis Romae (173).

SICUL. FLACC. (Siculus Flaccus agrimensor, vixit sub Domitiano.
Exstant ejus
1. De conditionibus agrorum liber,
2. Nomina agrorum et limitum (174).

SIDON. (C. Sollius Apollinaris Modestus Sidonius) Lugdunensis, natus circa ann. a Chr. n. 430., obiit ann. 484. episcopus Claromontanus Arvernorum, nunc *Clermont d' Auvergne.* V. SIDONIUS, ii, in Lexico. In citandis ejus locis utimur editione *Jac. Sirmondi* Parisiensi ann. 1614. 4.°
Exstant ejus
1. Epistolarum libri IX.,
2. Carmina XXIV.

SIL. (C. Silius Italicus) poeta epicus, natus circa ann. a Chr. n. 25., obiit ann. 100. V. SILIUS in Lexico. In ejus locis citandis utitur *Forcellinus* editione *Arn. Drakenborchii* Traject. ad Rhenum ann. 1817. 4.°, item *Christ. Cellarii* Lipsiae ann. 1695. 8., nos vero in multis *G. Alex. Ruperti* Goettingae ann. 1795. T. 2. 8.°
Exstant ejus
1. Punicorum libri XVII.

SIMPLICIUS, incertus auctor, de quo consule *Fabricii Biblioth. Lat. l.* 4. *c.* 7. *n.* 4. a *Jo. Aug. Ernesti* aucta. Exstat inter *Auctores rei agrariae*, Goesii p. 76.

SISEBUTUS, (Flavius Sisebutus) Visigothorum rex, poeta, regnavit in Hispania ab ann. a Chr. n. 612., ad ann. 621., quo mortuus est. V. LEGICREPA §. 1. et 2., RORIFLUUS, et ROTO §. 1. *ad fin.* in Lexico.
Exstat ejus
1. Carmen de defectu lunae.

SISENNA (L. Cornelius Sisenna, historicus, paulo antiquior Cicerone, scripsit historiam ab Urbe a Gallis capta ad Sullae bella. V. SISENNA in Lexico.
Exstant ejus fragmenta plura apud *Ciceronem, Gellium, Nonium, Priscianum* aliosque ex
1. Historiarum libris XIV.,
2. Milesiarum libris II.,
3. Commentario in Plautum.

SOLIN. (C. Julius Solinus) geographus. V. SOLINUS in Lexico. In locis citandis utitur *Forcellinus* editione *Claud. Salmasii* Parisiensi ann. 1629. fol., cujus capitum sectiones in Lexico indicantur.
Exstant ejus
1. Polyhistor *sive* Collectanea rerum memorabilium,
2. Ponticon fragmentum.

SORANUS (Q. Soranus) medicus M. Antonii triumviri.
Exstant ejus
1. Isagoge in artem medendi ad Maecenatem (175).

SPARTIAN. (Aelius Spartianus) historiae Augustae scriptor, vixit sub Diocletiano, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 284. ad ann. 305. Vide, quae diximus supra in LAMPRID.
Exstant ejus
1. Vita P. Aelii Hadriani,
2. — L. Aelii Veri,
3. — M. Didii Juliani,
4. — C. Pescennii Nigri,
5. — L. Septimii Severi,
6. — M. Aurelii Antonini seu Caracallae,
7. — L. Septimii Getae.

STAT. (P. Papinius Statius) poeta epicus et lyricus. V. STATIUS §. 4. in Lexico.
Exstant ejus
1. Thebaidos libri XII,
2. Achilleidos libri II.,
3. Silvarum libri V.

STRABO. V. JUL. CAES. supra.

STRABUS GALLUS. auctot incertae quidem aetatis, sed tamen post Caroli M. tempora scripsit.
Exstat ejus
1. Hortulus (176).

SUET. (C. Suetonius Tranquillus) historicus, rhetor et grammaticus, natus imperante Nerone; quo anno obierit, ignoratur. V. SUETONIUS in Lexico. In locis ejus citandis usus est *Forcellinus* editione *Aug. Badeloni* Parisiensi ann. 1684. 4.°, nos autem fere in omnibus sequimur optimam editionem *Detl. Car. Guil. Baumgarten - Crusii* Lipsiae ann. 1816 — 1818. T. 3. 8.°
Exstant ejus
1. Vita C. Julii Caesaris,
2. — Octaviani Augusti,
3. — Tiberii,
4. — Caligulae,
5. — Claudii,
6. — Neronis,
7. — Galbae,
8. — Othonis,
9. — Vitellii,
10. — Vespasiani,
11. — Titi,
12. — Domitiani.
13. De illustribus grammaticis liber, *h. e.*
1. Ennio,
2. Cratete Mallote,
3. L. Aelio Praeconino Stilone,
4. Saevio Nicanore,
5. Aurelio Opilio,
6. M. Antonio Gniphone,
7. M. Pompilio Andronico,
8. Orbilio Pupillo,
9. Attejo Philologo,
10. Valerio Catone,
11. Cornelio Epicado,
12. Staberio Erote,
13. Curtio Nicia,
14. Cn. Pompejo Lenaeo,
15. Q. Caecilio Epirota,
16. C. Verrio Flacco,
17. L. Crassitio Pasicle, qui et Pansa,
18. Scribonio Aphrodisio,
19. C. Julio Hygino,
20. C. Melisso,
21. M. Pomponio Marcello,
22. Q. Rhemnio Palaemone,
23. M. Valerio Probo.

14. De claris rhetoribus liber, *h. e.*
1. L. Plotio Gallo,
2. L. Otacilio Pilito,
3. Epidio,
4. Sex. Clodio,
5. C. Albutio Silo.

15. Vita P. Terentii,
16. — Q. Horatii Flacci.
17. — M. Annaei Lucani.
18. — C. Plinii Secundi senioris,
19. — D. Junii Juvenalis,
20. — A. Persii Flacci.
21. Fragmenta ex variis ejus operibus deperditis apud *Auson., Priscian., Gellium* aliosque.

SUEVIUS, vetus poeta, cujus meminere *Nonius*, et *Macrobius*, incertae tamen aetatis. V. SUEVIUS §. 1, et 2. in Lexico.
Exstat ejus fragmentum idyllii a *Macr. Saturn.* 2, 14. allatum. Illius vero loca habes in DEGULO, DISSERO, is, evi, §. 3. et REVENTUS, us, in Lexico. V. et MOLLUSCA nux.

SULPICIA, Romana poetria. V. SULPICIA in Lexico. In locis ejus citandis sequimur editionem *Wernsdorfii* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. 83 — 96.
Exstant ejus
1. Satyra,
2. Fragmenta.

SULPIC. LUPERC. (Sulpicius Lupercus Servastus) grammaticus et poeta, vixit cadentis Latinitatis tempore. De illius vita disserit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. 142. Duo hujus auctoris loca citantur in Lexico in V. JURIDICUS et SIMATUS.
Exstant ejus
1. De cupiditate (elegia) (177),
2. — vetustate (ode) (178).

SULPIC. RUF. (Ser. Sulpicius Q. F. Rufus) JCtus, Ciceronis amicus, qui in legatione ad M. Antonium diem obiit, scriptor elegantissimus.
Exstant ejus
1. Epistolae II. ad *Cic. Fam.* 4, 5. et 12. (179).

SULPIC. SEV. (Sulpicius Severus) Tolosae natus aut proxime hanc urbem fuisse, minime vero Nitiobrix, ut multi putant, videtur *Hieronymo de Prato*, qui ejus vitam scripsit; quo vero anno, non constat: defunctus est aliquot annis post ann. a Chr. n. 406. V. SULPICIUS §. 3. in Lexico. In ejus locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Vorstii* et *Clerici* Lips. ann. 1709. T. 2. 8.° nos saepissime *Hier. de Prato* Veron. ann. 1741 — 1754. T. 2. 4.°
Exstant ejus
1. Epistola ad Desiderium de libro vitae B. Martini,
2. De vita B. Martini Turonensis episcopi,
3. Epistola ad Eusebium presbyterum (*contra aemulos virtutum B. Martini*),
4. — — — Aurelium diaconum (*de obitu et apparitione ejusdem*),
5. — — — Bassulam socrum (*quomodo ex hac vita ad immortalitatem idem transierit*),
6. Dialogi III. (*de miraculis B. Martini*),
7. Historiae sacrae libri II. (*ab orbe condito ad ann. Christi* 400).

SULPIC. VICT. (Sulpicius Victor) rhetor, incertae aetatis.
Exstant ejus
1. Institutiones oratoriae (180).

SYMMACH. (L. Aurelius Symmachus) orator sui temporis clarissimus. V. SYMMACHUS in Lexico. In locis ejus citandis ex epistolis sequimur editionem *Franc. Jureti* Parisiens. ann. 1580. 4.°, item Lugd. Bat. ann. 1653. 12., quae plures novas continet epistolas: utriusque editionis numerus citatur. In iis vero, quae *A. Maius* primus edidit, sequimur illius editionem Romanam ann 1823. 8.°
Exstant ejus
1. Epistolarum libri X.,
2. Laudes in Valentinian. Aug.,
3. ——— eundem,
4. ——— Gratianum Aug.,
5. ——— patrem,
6. Oratio pro patre,
7. ——— Trygetio,
8. ——— Synesio,
9. ——— Flavio Severo,
10. ——— Valerio Fortunato,
11. ——— Fragmentum orationis (*auctoris tamen incerti*).

SYMPOS. (Coelius Firmianus Symposius) videtur vixisse extremo Christi saeculo quarto. De auctoris vero aetate, conditione et praestantia docte disserit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 6. p. 410 — 472., qui ejus quoque carmina *ibid.* p. 473 — 580. edidit et illustravit, quem que nos in locis citandis secuti sumus.
Exstant ejus
1. Aenigmata C.,
2. Carmen de Fortuna,
3. ——— livore.

T

TABULAR. XII. FRAGMENTA. V. XII. TAB.

TACIT. (C. Cornelius Tacitus) Interamnas Nar, natus ann. a Chr. n. 60, ann. 88. praetor, deinde XV. vir sacrorum, ann. 78. uxorem duxit Juliam, Cn. Julii Agricolae filiam, consul suffectus ann. 97.; quo autem anno obierit, ignoratur. V. TACITUS, i, in Lexico. In citandis ejus locis *Forcellinus* utitur editione *Jac. Gronovii* Traject. ad Rhenum ann. 1721. T. 2. 4., nos in quibusdam *Jac. Oberlini* Lipsiae ann. 1801. T. 2. 8.
Exstant ejus
1. Annalium libri XVI. (181),
2. Historiarum libri V. (182),
3. De situ, moribus et populis Germaniae liber,
4. — oratoribus *sive* de causis corruptae eloquentiae, dialogus (183).

TARRUNTENUS (T. Tarruntenus Paternus) JCtus. Commodo imperante fuit praefectus praetorio, cujus etiam jussu interemptus est.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris IV. de re militari (184).

TERENTIAN. (Terentianus Maurus) grammaticus et poeta didacticus. V. TERENTIANUS, i, in Lexico.
Exstat ejus
1. De litteris, syllabis, pedibus et metris tractatus (185).

TERENT. (P. Terentius) poeta comicus, natus fuisse videtur ann. U. C. 562., defunctus ann. 595. V. TERENTIUS, ii, in Lexico. In locis ejus citandis *Forcellinus* utitur editione *M. Hugenii* Amstelod. ann. 1710. 8.°, nos saepe *M. Jo. Car. Zeunii* Lipsiensi ann. 1774. T. 2. 8.°
Exstant ejus comoediae, quarum hi sunt tituli:
1. Adelphi,
2. Andria,
3. Eunuchus,
4. Heautontimorumenos,
5. Hecyra,
6. Phormio.

TERENT. CLEM. (Terentius Clemens) JCtus, floruit sub Septimio Severo, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 193. ad ann. 211.

---

(171) Quod a multis ac praecipue editum et illustratum est a *Wernsdorfio* loc. cit. p. 217 — 229. Ejus mentio est in Lexico in V. JUNIX §. 2.

(172) In ejus locis citandis *Forcellinus* utitur editione *Christ. Cellarii* Halae Magdeburg ann. 1698. 8.°, nos in quibusdam editione *Guil. Münnichii* Hannoverae ann. 1815. 8.°

(173) In hujus vero loc. citandis *Forcellinus* utitur *Graevii* in *T.* 3. *Antiquit. Rom.*, nos aliquoties eandem, quam supra citavimus, editionem consuluimus.

(174) Inter *Auctores rei agrariae, Goesii* p. 1 — 20.

(175) Haec edita saepe est sub *Sorani* nomine inter *Medicos veteres:* sed plerique critici eam *Sorano* abjudicant, et *Coelio Aureliano* tribuunt.

(176) Est carmen hexametro versu scriptum, quo herbarum virtutes celebrantur, et inter *Medicos veteres* editum est, ex quo tum *Forcellinus*, tum nos ipsi quaedam verba in Lexicon admisimus.

(177) In *Antholog. Lat. T.* 1. p. 513. *Burm.*, et apud *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. 235.

(178) In *Antholog. ibid.* p. 551., et apud *Wernsdorf. ibid.* p. 408. Eidem poetae tribuuntur carmina, quae habentur in *Antholog. ibid. lib.* 3. *n.* 65, 67. et 70., sed *Wernsdorfius* p. 142. illa eidem abjudicat.

(179) In quarum prima eundem consolatur de morte Tulliae filiae ejus: in altera eum monet de nece *M.* Claudii Marcelli.

(180) Inter *Antiquos rhetores Latinos* a *Claud. Capperonerio* Argentorati ann. 1756. 4.° editos p. 255 — 298.

(181) ab Augusti obitu ad Neronis mortem: ex his libris VII.us VIII. IX.us perierunt.

(182) ad obitu Neronis an imperium Nervae: horum librorum postremus mutilus ad nos pervenit.

(183) De hujus dialogi auctore vide dicta supra in not. (22).

(184) quos laudat etiam *Veget. Milit.* 1, 8.

(185) inter *Grammaticos veteres* a *Putschio* editos p. 2383 — 2450., quam editionem sequimur.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XX. ad legem Juliam et Papiam.

TERTULL. (Q. Septimius Florens Tertullianus) JCtus, qui vixit sub Septimio Severo, et Alex. Severo. V. TERTYLLIANUS, i, in Lexico.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris VIII. quaestionum,
2. libro de castrensi peculio,

TERTULL. (Q. Septimius Florens Tertullianus) scriptor ecclesiasticus, Carthaginiensis, videtur obiisse jam grandis natu ann. a Chr. n. 245., ut putat *Ant. Morcellus* in *Africa Christ. T.* 2. p. 103., qui ejus scripta, dum adhuc Catholicus esset, p. 66. § 3. enumerat; quae vero post ejus defectionem, p. 99. §. 2. V. TERTULIANUS in Lexico. In locis ejus citandis *Forcellinus* utitur editione Franekerae ann. 1597. fol. cum notis *Rhenani* et *Junii*, et *Rigaltii* Lutet. Paris. ann. 1675. fol.; nos vero saepissime, non sine magna utilitate, editionem sequimur *Jo. Sal. Semleri* Halae ad Salam ann. 1769 — 1776. 8°
Exstant ejus
1. Apologeticus,
2. Ad nationes libri II.,
3. — martyres,
4. — ad uxorem libri II.,
5. De praescriptione haereticorum,
6. — spectaculis,
7. — habitu muliebri,
8. — cultu feminarum,
9. — oratione,
10. — poenitentia,
11. — patientia,
12. — baptismo,
13. — testimonio animae,
14. Adversus Gnosticos seu Scorpiace,
15. ——— Judaeos,
16. Exhortatio castitatis (186),
17. Ad Scapulam,
18. Adversus Hermogenem,
19. ——— Valentinianos,
20. ——— Marcion. libri V.,
21. ——— Praxeam,
22. De anima,
23. — carne Christi,
24. — resurrectione carnis,
25. — pallio,
26. — monogamia,
27. — jejunio seu adversus Psychicos.
28. — pudicitia,
29. — virginibus velandis,
30. — idololatria,
31. — fuga in persecutione,
32. corona militis.

Scripta poetica (187).
1. Adversus Marcionem libri V.
2. De judicio Domini.

THEOD. PRISCIAN. V. PRISCIAN. THEOD.

TIBULL. (Albius Tibullus) poeta elegiacus, natus fuisse videtur ann. U. C. 690. aut 695., obiit ann. 735. V. TIBULLUS §. 1. in Lexico. In locis ejus citandis utitur *Forcellinus* editione *Jani Broukhusii* Amstelod. ann. 1708. 4.°, in qua elegiarum et versuum ordo a *Jos. Scaligero* perperam antea inductus, servatus est. Nos quidem praeposterum illum elegiarum et versuum ordinem minime mutandum censuimus, lectionum tamen varietatem doctasque interpretationes *Chr. G. Heynii* in editione ejus tertia Lipsiensi ann. 1798. 8.° saepissime secuti sumus.
Exstant ejus
1. Elegiarum libri III., 2. Carminum liber IV.(188).

TIR. (NOT. TIR) (Notae Tironis) M. Tullius M. L. Tiro fuit antea servus, mox libertus M. Tullii Ciceronis, ad quem plures sunt epistolae inter Ciceronianas. Idem autem, teste *Isid. Orig.* 22., auctor fuit notarum, quae ideo *Notae Tironis* seu *Tironianae* dicuntur, de quibus V. NOTA §. 8. et TIRO §. 7. in Lexico. Porro, quamvis *Forcellinus* his notis parce admodum fuerit usus, tamen ipse longe plura ex iisdem nova vocabula in Lexicon admisi, vel dubia confirmavi, in id potissime inductus auctoritate *Cajet. Marinii*, qui in *Frat. Arv.* p. 379. 533. et 612. easdem a Lexicographis nihili habitas fuisse dolet.

TITIN. (Vettius Titinius) poeta comicus, togatarum fabularum scriptor, *Varrone* antiquior. V. TITINIUS in Lexico.
Exstant ejus fragmenta (189) comoediarum, quarum his sunt tituli:
1. Barbatus *rectius quam* Barathrum,
2. Caecus,
3. Ferentinas,
4. Fullones *sive* Fullonia,
5. Gemina,
6. Hortensius,
7. Ilarabra (lege *Illecebra*),
8. Jurisperita,
9. Proelia,
10. Privigna,
11. Psaltria,
12. Quintus,
13. Setina,
14. Tibicina,
15. Varus,
16. Veliterna,

(186) Haec scripsit auctor, dum adhuc esset Catholicus: quae vero sequuntur, dum Montanistarum errorem amplexus fuerat.
(187) Poemata ejus quae feruntur, ejusdem nomen mentiri putantur.
(188) Hic liber constat ex carmine hexametris versibus exarato, quod *Tibullus* ad *Messalam* scripsit, cujus et *panegyricus* dicitur: item ex quatuordecim elegidiis *Sulpiciae*, aliorumque, de quibus quid statuendum sit, docte agit *Chr. G. Heynius* in adnotatione iisdem praemissa.
(189) a *Frid. Henr. Bothio* collecta. V. in AFRANIUS.

TRABEA. (Q. Trabea) poeta comicus, natus fuisse videtur circa ann. ab U. C. 622. Ejus fragmenta collegit *Frid. Henr. Bothius* in *Poet. scen. T.* 2. p. 29. V. TRABEA § 5. in Lexico.

TREBELL. (Trebellius Pollio) scriptor historiae Augustae. V. TREBELLIUS in Lexico.
Exstant ejus
1. Vita P. Licinii Valeriani senioris,
2. — — — Valeriani junioris,
3. — — — Gallieni,
4. —— Q. Julii Gallieni Salonini,
5. —— M. Claudii Gothici,
6. —— XXX. tyrannorum, *h. e.*
1. Cyriadis,
2. Posthumi senioris,
3. — — — junioris,
4. Lolliani,
5. Victorini senioris,
6. — — — junioris,
7. Marii,
8. Ingenui,
9. Regilliani,
10. Aureoli,
11. Macriani senioris,
12. — — — junioris,
13. Quieti,
14. Odenati,
15. Herodis,
16. Maeonii,
17. Balistae,
18. Valentis,
19. — — — superioris,
20. Pisonis,
21. Aemiliani,
22. Saturnini,
23. Tetrici senioris,
24. — — junioris,
25. Trebelliani,
26. Herenniani.
27. Timolai,
28. Celsi,
29. Zenobiae,
30. Victoriae,
31. Titi,
32. Censorini.

TREBON. (C. Trebonius) quaestor urbanus Romae, trib. pleb. ann. U. C. 699., praetor urbanus ann. 705., Hispaniae propraetor, consul suffectus ann. 709., M. Antonium ante ostium curiae detinet, dum Caesar in eadem interficitur, Smyrnae autem trucidatur a P. Dolabella, dum proconsul Asiae esset.
Exstat ejus
1. Epistola ad *Cic. Fam.* 12, 16.

TROGUS (Trogus Pompejus) historicus. V. TROGUS POMPEJUS in Lexico. Ejus deperditorum librorum fragmenta aliquot collegit *Jacob. Bongarius*, et *Justini* operibus praemisit.

TROTULA. V. EROS suo loco.

TRYPHONIN. (Claudius Tryphoninus) JCtus, vixit sub Septimio Severo et Caracalla.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris XXI. disputationum,
2. notis ex libris XXI. Digestorum Scaevolae.

TURNUS, poeta satyricus, vixit sub Nerone, et Flaviis Augustis; ejus meminit *Vet. Scholiast.* ad *Juvenal. Sat.* 1, 20. *Martial.* 11, 10., *Rutil. Numatianus Itiner.* 1, 600., et *Sidon. carm.* 9, 267. Eidem *Satyrae fragmentum in Neronem* tribuit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 3. p. LVII — LX., et illud edidit et illustravit *ibid.* p. 77 — 82.

TURPIL. (Sex. Turpilius) poeta comicus, senex obiit ann. U. C. 653. V. TURPILIUS in Lexico.
Exstant ejus plura fragmenta comoediarum, quarum hi sunt tituli (190):
1. Acta,
2. Boethuntes,
3. Canephoros,
4. Demetrius,
5. Demiurgus,
6. Epiclerus,
7. Hetaera,
8. Lemnii,
9. Leucadia,
10. Lindia,
11. Paraterusa,
12. Paedium,
13. Philopator,
14. Thrasyleon.

U

VALENS (Aburnius Valens) JCtus, vixit sub Trajano et Hadriano.
Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris VII. Fideicommissorum.

VAL. AEDIT. (Valerius Aedituus) poeta epigrammaticus, *M. Tullio Ciceroni* antiquior.
Exstant ejus
1. Epigrammata II. (191).

VAL. ANTIAS (Q. Valerius Antias) historicus, vixit circa ann. a Chr. n. 670., saepe *Antias* tantummodo a scriptoribus appellatur.
Exstant ejus plura, apud *Livium*, *Gellium*, *Macrobium*, fragmenta ex
1. Annalium libris LXXV.

VAL. FLACC. (C. Valerius Flaccus Setinus Balbus) poeta epicus. V. VALERIUS, ii §. 3. in Lexico. In citandis ejus locis utitur *Forcellinus* editione *P. Burmanni* Leidae ann. 1724. 4.°, nos quandoque consuluimus editionem *Christ. Harlesii* Altenburgi ann. 1781. 8.° Futuro Lexicographo consulenda est *Dissert. Aug. Weichertii* Misnae ann. 1818. 8.° editam, in qua de versibus aliquot *C. Val. Flacci* injuria suspectis agit, ejusdemque etiam hujus poetae editionem, quam si reapse perfecerit, nondum nobis scire licuit.
Exstant ejus
1. Argonauticon libri VIII.

VAL. MAX. (M. Valerius Maximus) historiarum, tum externarum, tum Romanarum narrator haud contemnendus: ejus meminit *Gell.* 12, 7. V. VALERIUS §. 4. in Lexico. In locis ejus citandis utimur editione *Petr. Jos. Cantelii* Parisiis ann. 1679. 4.°
Exstant ejus
1. Factorum dictorumque memorabilium libri IX.

VALGIUS (T. Valgius Rufus) poeta epicus et elegiacus, coaevus *Horatio* et *Tibullo;* laudatur ab illo *Sat.* 1, 10, 82., qui eum Homero proximum facit *Od.* 2, 9. Etiam bucolica scripsisse constat ex *Porphyrione* ad *Virg. G.* 3. 177. V. MULCTRALE et SINUM in Lexico.

VARIUS (L. Varius) poeta tragicus et epicus, laudatus ab *Horat. Sat.* 10.
Exstant ejus
1. Fragmenta ex Thyeste tragoedia (192),
2. — — — de morte (193).

VARRO (M. Terentius Varro) poeta satyricus et epigrammaticus, historicus, grammaticus, scriptor agrarius: natus ann. U. C. 638., obiit ann. 727. V. VARRO §. 3. in Lexico. In citandis ejus locis *de re rustica* plerumque sequimur editionem *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiae ann. 1794. 8.°; in iis *de lingua Latina*, et in *fragmentis* editionem Bipontinam ann. 1788. 8.°
Exstant ejus
1. De re rustica libri III.,
2. — lingua Latina libri XXIV. (194).
Fragmenta ex
1. libris I — III. et X — XXIV. de lingua Latina,
2. —— IV. de utilitate sermonis,
3. —— II. de similitudine verborum,
4. —— III. de poematis,
5. libro de compositione satyrarum,
6. — — — proprietate scriptorum,
7. — — — comoediis Plautinis,
8. libris II. Plautinarum quaestionum,
9. —— VI. epistolicarum quaestionum,
10. —— VII. epistolarum,
11. epistola ad Jul. Caesarem,
12. ——— Fabium,
13. ——— Fufium,
14. ——— Marullum,
15. ——— Neronem,
16. ——— Ser. Sulpicium,
17. libro de gradibus,
18. libris III. περὶ χαρακτηρῶν,
19. —— VI. complexionum,
20. —— VIII. disciplinarum,
21. libro de grammatica,
22. ——— astrologia,
23. ——— arithmetica,
24. ——— geometria,
25. ——— musica,
26. libris XXV. antiquitatum rerum humanarum,
27. —— XVI. antiquitatum rerum divinarum,
28. libro de cultu Deorum,
29. libris augurum,
30. libro de initiis urbis Romae,
31. libris III. de gente populi R.,
32. —— IV. de vita populi R.,
33. —— III. de rebus urbanis,
34. —— III. de scaenicis originibus,
35. —— V. de actionibus scaenicis,
36. libris theatralibus,
37. libro I de familiis Trojanis,
38. annalibus,
39. ephemeri,
40. libro I. ad Libonem,
41. mensuralibus,
42. Gallo Fundanio de miris seu admirandis,
43. Aetiis,
44. libro de litoralibus,
45. libris IX. hebdomadum seu de imaginibus,
46. libro de poetis,
47. libris II. de bibliotheca,
48. libro de vita sua,
49. logistorico,
50. Attico de numeris,
51. Laterensi,
52. Mario de fortuna,
53. Messala de valetudine,
54. libro de moribus,
55. ——— natura rerum,
56. Nepote,
57. Oreste de insania,

(190) In citandis ejus locis sequimur editionem *Frid. Henr. Bothii.* V supra in AFRAN.
(191) Haec a *Gell.* 19, 9. servata nobis sunt, quorum prius affertur etiam in V. SUBIDUS in Lexico.
(192) apud *Quint.* 3, 8. et *Mar. Victorin.* 1. *Art. grammat.* p. 2503. *Putsch.*
(193) apud *Macr. Sat.* 6, 1. et 2.
(194) Ex his libris tres primi, et tresdecim postremi periere ex quibus fragmenta tantum supersunt.

58. Pappo de indigitamentis,
59. Pio sive de pace,
60. Sisenna de historia,
61. Scauro,
62. libris II. περίαλου φιλοσοφίας,
63. —— II. Promethei,
64. libris II. de forma philosophiae,
65. libro de philosophia.

Fragmenta ex satyris Menippeis, quarum hi sunt tituli:

1. Aborigenes, περὶ ἀνθρώπων φύσεως,
2. Agatho,
3. Age modo,
4. Ἄλλος οὗτος Ἡράκλης,
5. Andabatae,
6. Ammon μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας,
7. Ἀνθρωπουργία περὶ γενεθλιῶν,
8. Armorum judicium,
9. Bajae,
10. Bimargus περὶ τρόπου,
11. Caprinum proelium περὶ ἔριδος,
12. Cave canem,
13. Columna Herculis, περὶ δόξης,
14. Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κοσμου,
15. Cras credo, hodie nihil,
16. Cygnus, περὶ ταφῆς,
17. Cynicus,
18. Synistor,
19. Desultorius, περὶ τρυφῆς σὺν ἀλίοις,
20. De salute,
21. — officio mariti,
22. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες,
23. Dolium seu Seria,
24. Endymion,
25. Ἐπιταφιῶν,
26. Ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐτελείας,
27. Est modus matulae, περὶ μέθης,
28. Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ τῶν μιμητῶν καθηκόντων,
29. Eumenides,
30. Ἔχω σὲ, περὶ τύχης,
31. Exdemetricus,
32. Ἕως ποτὲ, περὶ ὁρῶν,
33. Flexibula, περὶ ἐπαρχιῶν,
34. Gemini,
35. Gerontodidascalus,
36. Γνῶθι σεαυτόν,
37. Hecatombe, περὶ θυσιῶν,
38. Hercules, tuam fidem,
39. Hercules Socraticus,
40. Hippocyon,
41. Idem Acci, quod Titi,
42. Ithiphallus, περὶ ἀῤῥενότητος,
43. Κενοδοξία, περὶ φθόνου,
44. Lex Maenia,
45. Logomachia,
46. Longe fugit, qui suos fugit,
47. Magnum talentum,
48. Manius,
49. Marcipor,
50. Maeonius Autumedus,
51. Margopolis, περὶ ἀρχῆς,
52. Meleager,
53. Modius,
54. Mutuum muli scabunt,
55. Mystagogi,
56. Mysteria,
57. Nescis, quid vesper serus vehat,
58. Octogesis, περὶ νομισμάτων,
59. Oedipothyestes,
60. Ὄνος λύρας,
61. Πάπιας Πάππος, περὶ ἐγκωμίων,
62. Parmenio,
63. Περὶ αἱρέσεων, sive ἀεὶ Λιβύη,
64. Περὶ ἐδεσμάτων,
65. Περὶ ἐξαγωγῆς,
66. Περὶ κεραυνοῦ,
67. Plutorine,
68. Pransus paratus,
69. Pseudolus Apollo,
70. Pseudaenea,
71. Quinquatria,
72. Sardi venales,
73. Σκιομαχία seu Κριομαχία,
74. Serranus,
75. Sesquiulysses,
76. Sexagesis,
77. Synistor,
78. Synephebus, περὶ ἐμμονῆς,
79. Tanaquil.
80. Ταφὴ Μενίππου,
81. Testamentum, περὶ διαθήκων μετὰ φιλοφθονίας,
82. Tithonus, περὶ γήρως,
83. Τοῦ παιδὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας,
84. Τριοδιτὶ τριφάλλιος seu τριφαλλος, περὶ ἀρετῆς καὶ φύσεως,
85. Vae victis, περὶ φιλονεικίας,
86. Vinalia, περὶ ἀφροδισιῶν,
87. Virgula divina,
88. Τδροχρυον.

VARRO ATAC. (P. Terentius Varro Atacinus) M. Terentio Varroni fere coaevus fuit hic poeta, de cujus vita et scriptis accurate egit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 5. pag. 1385 — 1397., tum veterum testimonia de eodem, et operum fragmenta collegit et illustravit *ibid.* p. 1398 — 1418. V. et ATACINUS §. 2. in Lexico.

Exstant ejus
1. Epigramma (195),
2. Fragmenta ex
   1. Chorographia,
   2. libris navalibus,
   3. —— IV. Argonauticorum (196),
   4. libro II. de bello Sequanico.

VATIN. (P. Vatinius) quaestor fuit Romae ann. U. C. 691., trib. pleb. ann. 695. (a quo lata est Vatinia lex de repetundis, tum altera de Gallia citeriore cum Illyrico tribuenda C. Julio Caesari, tum tertia rogata tantum, non perlata, de L. Vettio Pompeji inimico), aedilitatis repulsam tulit ann. 698., praetor ann. 699., legatus Caesaris in Gallia, in bello civili praefuit classi, consul suffectus ann. 707., Illyricum proconsul obtinuit ann. 709., post Caesaris necem ann. 710. M. Bruto Dyrrachii portas aperuit, et ann. 712. triumphum de Illyrico consecutus est. Hic cum *Cicerone* maximum odium exercuit, postea eidem reconciliatus est.

Exstant ejus
1. Epistolae II. ad *Cic. Fam.* 5, 3. et 10.

VEGET. (Flavius Vegetius Renatus) scripsit sub Valentiniano II., qui imperavit ab ann. 379. ad ad 391. V. VEGETIUS §. 1. in Lexico. In ejus locis citandis *Forcellinus* secutus est editionem Vesaliae Clivorum ann 1670. 8.°, nos in quibusdam utimur editione *Nic. Schwebelii* Argentorati ann. 1806. 8.°

Exstant ejus
1. De re militari libri V.

VEGET. (P. Vegetius Renatus) fuit superiore longe posterior. V. VEGETIUS §. 2. in Lexico. In locis ejus citandis usus est *Forcellinus* editione. *Jo. Matth. Gesneri* Lipsiae ann. 1735. 4., nos in quibusdam sequimur editionem *Jo. Gottl. Schneideri* Lipsiae ann. 1796. 8.° Librorum autem et capitum rationem *Gesneri* ejusdem servavimus.

Exstant ejus
1. Artis veterinariae libri IV.

VEL. LONG. (Velius Longus) grammaticus *Charisio*, qui eum laudat p. 73. et 187. apud *Putsch.*, antiquior, et *Cassiodorio*, qui ejus alterum de orthographia caput ab eodem mutuari non est veritus.

Exstat ejus
1. De orthographia liber (197).

VELLEJ. (C. Vellejus Paterculus) natus ann. U. C. 735., occisus videtur propter Sejani amicitiam, a Tiberio Aug. ann. 784., Christi 31., aetatis suae circiter 50. Ejus patria fuit Aeclanum in Hirpinis, ibi enim repertus est lapis inscriptus, in quo mentio est de M. Magio Syro IIII. viro, filio Magii Minatii, qui atavus maternus fuit *Velleji*, ut ipse affirmat l. 2. c. 16. Inscriptio vero legitur apud *R. Guarinium* in *Ricerche di Eclano* p. 93. V. VELLEJUS §. 1. in Lexico. In locis ejus citandis utitur *Forcellinus* editione *Rob. Riguezii* Paris. 1675. 4.°, nos quandoque utimur editione Bipontina ann. 1780. 8.°

Exstant ejus
1. Historiarum Romanarum libri II. (198).

VENANT. (Venantius Honorius Clementianus Fortunatus) poeta, Christianus, natus ann. circiter 530. a Chr. n., in Galliam profectus ann. 565., ibique mortuus post ann. 600. V. VENANTIUS in Lexico. In locis ejus citandis utimur editione. *Mich. Ang. Luchii* Romae ann. 1786. 4.°

Exstant ejus
1. Carminum libri XI.,
2. De vita S. Martini libri IV.,
3. Libelli singulares III. (199),
4. Vita S. Hilarii episcopi Pictaviensis (200),
5. —— S. Germani episc. Parisiensis,
6. —— S. Albini episc. Andegavensis,
7. —— S. Paterni episc. Abrincensis,
8. —— S. Radegundis reginae,
9. —— S. Amantii episc. Rutenensis,
10. —— S. Remigii episc. Remensis,
11. —— S. Medardi episc. Noviomensis,
12. —— S. Marcelli episc. Parisiensis,
13. —— S. Leobini episc. Carnotensis,
14. —— S. Mauritii episc. Andegavensis,
15. Acta passionis Ss. Dionysii episcopi, Rustici et Eleutherii.

VENULEJUS (Q. Claudius Venulejus Saturninus) JCtus, vixit sub Alex. Severo, qui imperavit ab ann. a Chr. n. 222. ad 235. V. VENULEJUS in Lexico.

Exstant ejus in Digestis fragmenta ex
1. libris X actionum,
2. libro VII. disputationum,
3. libris VI. interdictorum,
4. —— IV. de officio proconsulis,
5. libro de poenis paganorum,
7. —— XIX stipulationum.

VERR. FLACC. (M. Verrius Flaccus) grammaticus celeberrimus, cujus vitam habes apud *Suet. Gramm.* 17. V. VERRIUS FLACCUS in Lexico.

Exstant ejus
1. Fragmenta Kalendarii Praenestini.
2. —— alia (201).

VERUS (L. Verus Aug.) filius L. Aelii Caesaris, natus ann. a Chr. n. 130., adoptatus ab Antonino Pio ann. 138., ad imperii societatem admissus a M. Aurelio ann. 161. appellatur L. Aelius Aurelius Verus, obiit Altini ann. 169. V. VERUS §. 5. in Lexico.

Exstant ejus
1. Epistolae VI. (202).

VESP. JUDIC. (Vespae judicium coci et pastoris, judice Vulcano) ita appellatur carmen ludicrum, sex et nonaginta hexametris constans, cujus auctor vel cognomine *Vespa* fuit, vel sub eodem ficticio latitat. Illud edidit et illustravit *Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 229 — 239., nihil autem statuit de tempore, quo scriptum fuerit, in *praef.* de eodem *ibid.* p. 61 — 64., sed non contemnendum putat Latinae linguae studiosis; ideoque nos quaedam ex eodem nova vocabula Lexico addidimus.

VIB. SEQUESTER (Vibius Sequester) ubinam ortus fuerit, nemo facile dixerit. Quidam circa ann. a Chr. n. 390., alii quinto aut sexto Christi saeculo eum natum suspicantur. Ejus tamen opus ad antiquitatem, et poeticam geographiam cognoscendam haud omnino inutile est. In ejus locis citandis *Forcellinus* editione utitur *Fr. Hesselii* Roterodami ann. 1711. 12.°; nos saepe consuluimus editionem Societ. Bipontinae Argentorati ann. 1809. 8.°, in qua una cum *Pomponio Mela* editum est illius opus.

Exstat ejus
1. De fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus, quorum apud poetas mentio fit, libellus.

VICTOR. (Claudius Marius Victor *seu* Victorinus) Massiliensis, orator et poeta non ignobilis, obiit post ann. a Chr. n. 450. Pluries edita sunt ejus carmina; nos prae manibus habuimus editionem *Pasq. Amatii*, qui in *Collect. Pisaur. T.* 5. p. 347 — 362. duo priora opera inferius citata edidit.

Exstant ejus
1. Commentariorum in Genesin libri III.
2. De perversis suae aetatis moribus epistola,
3. — nativitate, vita, passione, et resurrectione Domini carmen (203).

VICTOR (P. Victor) geographus, videtur vixisse circa postremos saeculi Christiani quarti annos.

Exstat ejus
1. De regionibus urbis Romae libellus,

VICTOR. V. JUL. VICT.

VICTORIN. (Marius Victorinus) grammaticus, rhetor et poeta, Afer natione, qui diu docuit Romae rhetoricen, et obiit ann. a Chr. n. 370.

Exstant ejus
1. De orthographia et ratione metrorum, seu artis grammaticae liber I.,
2. — didascalicis metris, seu artis grammaticae liber II.,
3. — conjunctis inter se et mixtis metris pragmaticis, seu artis grammaticae liber III.,
4. — connexis inter se atque inconnexis, quae Graeci ἀσυνάρτητα vocant, seu artis grammaticae liber IV.,
5. — metris Horatianis (201),

---

(195) in *Antholog. Lat. T.* 1. p. 205. *Burm.*

(196) Fragmentis hujus operis a *Wernsdorfio* collectis addendum est aliud, quod e Cod. Veronensi palimpsesto edidit *A. Maius* in *Virgilii interpret. vet.* Mediolani ann. 1818. p. 26.

(197) apud *Putsch.* p. 2213 — 2238.

(198) Horum primus initio mancus est, mox aliam lacunam exhibet sexcentorum ferme annorum; alter res Romanorum enarrat ad ann. U. C. 783., quo consul processit ille M. Vinicius, cui *Vellejus* historiam suam dicavit.

(199) Libri hactenus recensiti versibus varii generis sunt exarati; opera quae sequuntur, prosa oratione sunt scripta.

(200) Haec constat duobus libellis, seu duabus partibus, in quorum primo de actionibus S. Hilarii, in altero de ejusdem prodigiis agitur.

(201) collecta ab eodem *Fogginio*, de quo in Lexico actum est.

(202) editae inter opera *Frontonis* ab *A. Maio Romae* ann. 1823. 8.° *ad Verum Imp.* 2. 3. 5. 10. 11. 12.

(203) Huic *Victorino* tribuendum putat *A. Maius* istud carmen, quod sub *Victorini* nomine is reperit in pervetusto Cod. Vaticano, ediditque in *Classic. auct T.* 5. p. 382. et seqq.

(204) Haec omnia opera apud *Putsch.* p. 2449 — 2622.

6. Expositio in I. et II. rhetoricorum librum Ciceronis (205),
7. De fratribus Machabaeis ab Antiocho Epiphane interfectis carmen,
8. Hymnus de Homousio,
9. — — — de Jesu Christo Deo et homine,
10. — — — de cruce (206).

VICTORIN. (Maximus Victorinus) grammaticus incertae aetatis.

Exstant apud *Putsch.* p. 1967 — 1974., ejus
1. De re grammatica liber,
2. — carmine heroico,
3. — ratione metrorum.

VINDICIAN (Vindicianus) comes archiatrorum, vixit sub Valentiniano I. Aug. circa ann. a Chr. n. 370.

Exstat ejus
1. Epistola praemissa libro *Marcelli Empirici.*

VIRGIL. (P. Virgilius Maro) poeta epicus celeberrimus. V. VIRGILIUS in Lexico. In locis ejus citandis *Forcellinus* utitur editione *Pancr. Masvicii* Leovardiae ann. 1717. T. 2. 4.°; nos vero saepissime consuluimus edi tionem *Chr. G. Heynii* Lipsiae ann. 1803. T. 4. 8.°

Exstant ejus
1. Eclogae X.,
2. Georgicorum libri IV.,
3. Aeneidos libri XII.

Eidem etiam tribuuntur.
1. Culex.
2. Ciris,
3. Moretum,
4. Copa,
5. Catalecta (207).

(205) Inter *Antiquos rhetor. Lat.* a *Claud. Capperonerio* editos Argentorati ann. 1756 4.° p. 102 — 255.

(206) Haec quatuor postrema opera poetica edita sunt a *Pasq. Amatio* in *Collect. Pisaurensi omn. poet. T.* 5. p. 83 — 88.

(207) Priora haec quatuor poematia et epigrammata XIV. sub *Catalectorum* nomine *Virgilio* passim tribuuntur: vide tamen quae de singulis his disputat *Chr. Gottl. Heynius* in calce suae editionis Virgilianae, quaeque de *Moreto* et *Copa* habet *Jo. Christ. Wernsdorfius* in *Poet. Lat. min. T.* 2. p. 253. et seqq., ubi haec duo poematia *A. Septimio Severo* tribuenda censet, ut diximus supra ad SEVER.

VITRUV. (M. Vitruvius Pollio) artis architectonicae scriptor opus suum vulgasse videtur post ann. U. C. 727., obiit vero ann. 743. V. VITRUVIUS in Lexico. Usus est *Forcellinus* editione *Jo. de Laet* Amstelod. ann. 1649. fol., nos saepissime utimur editione *Jo Gottl. Schneideri* Lipsiae ann. 1807 — 1808. T. 3. 8.°

Exstant ejus
1. De architectura libri X.

ULP. (Domitius Ulpianus) JCtus, de quo V. ULPIANUS in Lexico.

Exstant ejus in Digestis plurima fragmenta ex
1. libris V. de adulteriis,
2. —— IV. de appellationibus,
3. —— VI. de censibus,
4. —— XLVIII. digestorum,
5. —— X. disputationum,
6. —— LXXXIII. ad edictum praetoris.
7. —— II. ad edictum aedilium curulium,
8. —— VI. fideicommissorum,
9. —— II. institutionum,
10. —— IV. ad legem Aeliam Sentiam,
11. —————— Juliam de adulteriis,
12. —————— et Papiam,
13. —— III. de officio consulis,
14. —— X. de officio proconsulis,
15. —— II. de officio quaestoris,
16. —— VI. opinionum,
17. —— VII. regularum (208),
18. —— II. responsorum,
19. —— LI. ad Masurium Sabinum,
20. —— X. de omnibus tribunalibus,
21. libro singulari excusationum,
22. —————— de officio consularium,
23. —————— curatorum reipublicae,
24. —————— praefecti vigilum,
25. —————— Urbi,
26. —————— praetoris tutelaris,
27. —————— quaestoris,
28. —————— pandectarum,
29. —————— regularum,
30. —————— de sponsalibus,
31. —— ex notis ad Aristonem,
32. —————— Marcellum,
33. —————— Papinianum.

(208) Tituli XXIX. ex hoc corpore regularum exstant a pluribus, et praesertim ab *Ant. Schultingio* editi in sua *Jurisprudentia ante-Justinianea p.* 537 — 680., et in Lexico separatim etiam citati.

VOPISC. (Flavius Vopiscus) Syracusanus, scriptor historiae Augustae, circa ann. a Chr. n. 290.

Exstant ejus
1. Vita L. Domitii Aureliani Aug.,
2 —— M. Claudii Taciti Aug.,
3. —— M. Anni Floriani Aug.,
4. —— M. Aurelii Probi Aug.,
5. —— Firmi, Saturnini, Proculi et Bonosi tyrannorum.
6. —— Cari, Numeriani et Carini Auggg.

VULCAT. GALLIC. (Vulcatius, seu Volcatius, Gallicanus) scriptor historiae Augustae, ignoti nominis homo. V. VOLCATIUS §. 1. in Lexico.

Exstat ejus
1. Vita Avidii Cassii tyranni.

VULCAT. SEDIG. (C. Volcatius, seu Vulcatius, Sedigitus) poeta epigrammaticus, *Plinio* seniori antiquior. V. VOLCATIUS et SEDIGITUS in Lexico.

INDEX
SCRIPTORUM LATINORUM
PER AETATES
EX COMMENTARIO JACOBI FACCIOLATI.

HIC TAMEN ILLOS TANTUM RECENSUIT FORCELLINUS, QUORUM AUCTORITATE IN TOTO OPERE USUS EST; IN QUO ETIAM DE PLERORUMQUE RATIONE LOQUENDI SUIS LOCIS VERBA FECIT.

AETAS AUREA LINGUAE LATINAE

Incipit ab anno U. C. DXIV., desinit in annum DCCLXVII, qui est aerae Christianae XIV., et ultimus imperii Octaviani Augusti.

Livius Andronicus.
Laevius.
C. Naevius.
Statius Caecilius.
Q. Ennius.
M. Pacuvius.
L. Accius.
C. Lucilius.
Sex. Turpilius.
L. Afranius.
L. Cornelius Sisenna.
P. Nigidius Figulus.
C. Laberius.
M. Verrius Flaccus.
P. Terentius Varro Atacinus.
Titinius.
L. Pomponius.
A. Serenus.
C. Sempronius Asellio.
C. Sempronius Gracchus.
Santra.
Cn. Matius.
Q. Novius.
Atta.
Cassius Hemina.
Fenestella.
Claud. Quadrigarius.
Coelius, vel *Caelius.*
Fabius Pictor.
Cn. Gellius.
L. Piso.
Valerius Antias.
Tiro Tullius, et alii.

} Horum fragmenta tantum supersunt.

M. Porcius Cato.
M. Accius Plautus.
P. Terentius Afer.
T. Lucretius Carus.
C. Valerius Catullus.
P. Syrus.
C. Julius Caesar.
Cornelius Nepos.
M. Tullius Cicero.
Sex. Aurelius Propertius.
C. Sallustius Crispus.
M. Terentius Varro.
Albius Tibullus.
P. Virgilius Maro.
T. Livius.
M. Manilius.
M. Vitruvius Pollio.
P. Ovidius Naso.
Q. Horatius Flaccus.
C. Pedo Albinovanus.
Gratius Faliscus.
Phaedrus.
C. Cornificius.
A. Hirtius, vel *Oppius.*
P. Cornelius Severus.

Q. Mucius Scaevola.
P. Alfenus Varus.
M. Antistius Labeo.
Masurius Sabinus.

} JCti, quorum responsa in Digestis.

Supra ceteros eminent TERENTIUS, CATULLUS, CAESAR, NEPOS, CICERO, VIRGILIUS, HORATIUS, OVIDIUS, T. LIVIUS, SALLUSTIUS: sed hic quidem verborum novator est, ut ait *Gellius* l. 1. c. 15., ideoque non omnibus ingeniis aptus.

AETAS ARGENTEA

Incipit ab aerae Christianae anno XIV., desinit in annum CXVII., quo Trajanus Aug. obiit.

A. Cornelius Celsus.
P. Vellejus Paterculus.
L. Junius Moderatus Columella.
Pomponius Mela.
A. Persius Flaccus.
Q. Asconius Pedianus.
M. Annaeus Seneca.
L. Annaeus Seneca.
M. Annaeus Lucanus.
T. Petronius Arbiter.
C. Plinius Secundus.
C. Silius Italicus.
C. Valerius Flaccus.
C. Julius Solinus.
D. Junius Juvenalis.
P. Papinius Statius.
M. Valerius Martialis.
M. Fabius Quintilianus.
Sex. Julius Frontinus.
C. Cornelius Tacitus.
C. Plinius Caecilius Secundus.
L. Annaeus Florus.
C. Suetonius Tranquillus.

Q. Curtius Rufus.
Valer. Probus grammaticus.
Scribonius Largus.
Sulpicia.
L. Fenestella in fragm. Annal.
Attejus Capito in fragm.

} Aetatis non prorsus certae.

Supra ceteros eminent CELSUS, VELLEJUS, COLUMELLA, SENECAE, PLINII, SUETONIUS, JUVENALIS, QUINTILIANUS, FLORUS, CURTIUS.

AETAS AENEA

Incipit ab anno Christi CXVII., desinit in annum CCCC.

Licinius Proculus.
Neratius Priscus.
P. Juventius Celsus.
Priscus Javolenus.
Domitius Ulpianus.
Herennius Modestinus
Salvius Julianus.
Cajus.
Callistratus.
Aemilius Papinianus.
Julius Paulus.
Sex. Pomponius.
Venulejus Saturninus.
Aelius Marcianus
Aelius Gallus, et alii.

} JCti, quorum responsa in Digestis.

Valerius Maximus.
Justinus.
Terentianus Maurus.
Minutius Felix.
Sosipater Charisius.
Fl. Avienus, al. *Avianus.*

} Aetatis non prorsus certae.

A. Gellius.
L. Apulejus.
Q. Septimius Tertullianus.
Q. Serenus Sammonicus.
Censorinus.
Thascius Caecilius Cyprianus.
T. Julius Calpurnius.
M. Aurelius Nemesianus.
Aelius Spartianus.
Julius Capitolinus.
Aelius Lampridius.
Vulcatius Gallicanus.
Trebellius Pollio.
Flavius Vopiscus.
Coelius Aurelianus.
Flavius Eutropius.
Rhemnius Fannius.
Arnobius Afer.
L. Coelius Lactantius.
Aelius Donatus.
C. Vettius Juvencus.
Julius Firmicus.
Fab. Marius Victorinus.
Sex. Rufus, seu *Rufus Festus.*
Ammianus Marcellinus.
Vegetius Renatus.
Aurel. Theodorus Macrobius.
Q. Aurelius Symmachus.
D. Magnus Ausonius.
Paulinus Nolanus.
Sex. Aurelius Victor.
Aurel. Prudentius Clemens.
Cl. Claudianus
Marcellus Empiricus.
Falconia Proba.

Supra ceteros eminent JUSTINUS, TERENTIANUS, VICTOR, LACTANTIUS, CLAUDIANUS.

AUCTORES AETATIS INCERTAE

Hic collocandi videntur: tametsi aliquis eorum, si ratio stili habeatur, quocumque tandem tempore vixerit, in superioribus aetatibus cum dignitate stare possit; aliquis vero etiam infra luteos detrudendus videatur.

Palladius Rutilius Taurus Aemilianus.
Aemilius Macer.
Messala Corvinus.
Vibius Sequester.
Julius Obsequens.
L. Ampelius.
Apicius Coelius.
Sex Pompejus Festus.
Probus auctor Notarum.
Fulgentius Planciades.
Hygini fabulae, et astronomicon.
C. Caesaris Germanici Aratea.

P. Victor de regionib. Urbis Romae.
P. Vegetius de re veterinaria.
Auctores Priapeorum.
Catalecta Virgilii, et *Ovidii.*
Auctor orationis Sallustii in Cicer., *et Ciceronis in Sallust.*, *item illius* Antequam iret in exsilium.
Auctor Epistolae ad Octavium.
Auctor Panegyrici ad Pisonem.
Declamationes, quae tribuuntur *Quintiliano, Porcio Latroni, Calpurnio Flacco.*
Interpres Daretis Phrygii, et Dictyos Cretensis.
Scholiastae veteres.
Grammatici antiqui.
Rhetores antiqui.
Medici antiqui.
Catalecta Petroniana.
Pervigilium Veneris.
Poematia, et Epigrammata vetera a Pithoeo collecta.
Monumentum Ancyranum.
Fasti Consulares.
Inscriptiones veteres.

AETAS FERREA, ET LUTEA

Incipit ab aerae Christianae anno CCCC., desinit in saeculum IX. Sed non eo usque citandis Auctoribus pervenit *Forcellinus:* quin eorum aliquot, quos hujus aetatis adhibuit, libenter omisisset, nisi eos in optimis Lexicis admissos receptosque vidisset.

Cl. Rutilius Numatianus.
Servius Honoratus.
D. Hieronymus.
D. Augustinus.
Sulpicius Severus.
Paulus Orosius.
Coelius Sedulius.
Codex Theodosianus.
Martianus Capella.
Claudianus Mamertus.
Sidonius Apollinaris.
Latinus Pacatus.
Claudius Mamertinus, et alii, quorum sunt *Panegyrici veteres.*
Alcimus Avitus.
Manl. Severinus Boethius.
Priscianus.
Nonius Marcellus.
Justiniani Institutiones, *et Codex.*
Arator.
M. Aurelius Cassiodorus.
Fl. Cresconius Corippus.
Venantius Fortunatus.
Isidorus Hispalensis.
Anonymus Ravennas.
Aldhelmus, seu *Althelmus.*
Paulus Diaconus.

Sequuntur scriptores, qui usque ad saeculum Christi XIV. Latinitate jacente floruerunt: et qui ea restituta saeculo illo, et deinceps: sed neutra classis in hoc opare locum habet. Qui eos nosse cupit, ad FACCIOLATUM confugiat.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C Y M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19